MEDICA
ARTIS
PRINCIPES

1567

4177/(7) vol 1
A IX · C

pts I, III, II

Medicæ artis principes,

poſt Hippocratem & Galenum.

Græci Latinitate donati,

Aretæus,
Ruffus Epheſius,
Oribaſius,
Paulus AEgineta,
Aëtius,
Alex. Trallianus,
Actuarius,
Nic. Myrepſus.

Latini,

Corn. Celſus,
Scrib. Largus,
Marcell. Empiricus.

Aliique præterea, quorum vnius nomen ignoratur.

Index non ſolùm copioſus, ſed etiam ordine artificioſo omnia digeſta habens.

Hippocr. aliquot loci cum Corn. Celſi interpretatione.

Henr. Stephani de hac ſua editione tetraſtichon.

Quærere quos ægri per compita multa ſolebant,
Hoſpita nunc per me eſt omnibus vna domus.
Prima ſalutiferæ medicorum gratia dextræ:
Siſtenti medicos nónne ſecunda mihi?



ANNO M. D. LXVII
Excudebat Henricus Stephanus, illuſtris viri Huldrichi Fuggeri typographus.

30-0 ch

HENRICVS STEPHANVS GVlielmo Plancio medico doctiſſimo S. P. D.

HO tantúmne eſt ab re tua otii tibi, Henrice, aliena vt cures, eáque nihil quæ ad te attinent? Quid tibi cum Aſclepio, quid cum Aſclepiadis, quid cum Aſclepiadarum poſteritate negotii eſt? Quid tibi cũ arte Pæonia, quid cum Hippocraticis legumlatoribus cõmercii eſt? His me verbis ſiquis aggreſſus fuerit, mi Planci, ad ea quidem certè quæ Terentianè rogauerit, Terentianè viciſſim reſpondebo, Homo ſum, humani à me nihil alienum puto. Hæc enim pauca verba eſſe eiuſmodi puto quæ ad ſoluendas id genus quæſtiones accommodari poſſint. Nam quid, obſecro, vetat quominus dictum illud comici ſenis paulo latius extendens, ad meum etiam vſum conuertam, dicámque me, qui meam alioqui officinam aliis potius libris deſtinaram, à medicinalium tamen editione minimè abhorruiſſe, ſed potius vt hominem & humani nihil alienum à me exiſtimantem, à medicis etiam gratiam inire déque iis bene mereri ſtuduiſſe, quorum fidem atque opem futurũ eſſet fortaſſe aliquando vt ἢ ἠῶς ἢ δείλης ἢ μέσον ἦμαρ implorarem? At ſua potius quàm aliena loquentes lingua medici à te expectati fuiſſent. Huius nec ipſe ſum neſcius: ſed Latinos excudendo, ad plures peruenturum meæ editionis fructum ſperaui, atque adeo mihi certò perſuaſi, quàm ſi Græcos excuderẽ. Nam tu quidẽ certè Planci, cui non familiarior eſt lingua vernacula quàm Græca, libentius Aretæum, Oribaſium, Paulum AEginetam, Aetium, cæteróſque Græcè legiſſes quàm Latinè: ſed quotuſquiſque eorum qui eandem profitentur artem, cognitionem linguæ Græcæ non dicam tantam, ſed vel mediocrem eſt adeptus? Imò verò res eò deuenit vt bona pars medicorum ſi præcipua ſuæ artis vocabula vtcunque intellecta, ſcribere incorruptè & proferre poſſit, præclarè ſecum agi exiſtimet. quod tute haud paulo melius compertum habere potes. Quòd ſi tamen nullam publicæ huius quam dico vtilitatis rationem habens, Græcos excudere inſtituiſſem, non erant certè ad manum omnes: & vnde quidem eos accipere poſſem ſciebam, ſed vnde ſatis emendatos, hoc verò neſciebam. At eos, quales inueniuntur, edere debebas. Hoc quidem multos obiecturos eſſe ſcio: verùm illi ipſi, ſi verum fateri velint, quæ aliis typographis condonant menda, eadem mihi condonaturos ſe nõ fuiſſe, faſſuri ſint. Quid dico eadem? Multum certè abeſt, mi Planci, quin eodẽ mecũ quo cũ pleriſq; typographis iure agatur. ſiquid ẽad cẽturias erratorũ quæ ab illis cõmiſſa fuerint, cõiuetur, ad decadas meorum plerique omnes oculos pluſquam lynceos afferunt. Illis venia eorum etiam datur quæ minus veniam merentur: (qualia ſunt quæ typographica vocari ſolent) ego non de eiuſmodi ſolùm, verumetiam de iis quæ ex ipſo manarunt exemplari, acerrimè accuſor. quaſi verò non meam duntaxat, ſed & alienã præſtare culpam debeam. Iam verò & eiuſdem generis mẽda ab vtriſque (ab illis inquam & à me) prætermiſſa, non eadem penſari trutina, quotidie animaduerto. Hæc ſunt mi Planci (vt verum fatear) quæ me iampridem malè habent. Exemplum autem quo res velut ante oculos ponatur afferre libet. Quid igitur aliud eſt Pauli AEginetæ & Aëtii editio quæ ab hæredibus Aldi prodiit, quàm mendorum omnis generis fœda colluuies? Ea certè ſiquis enumerare voluerit, enumeranda illi certis quibuſdam in locis verba fuerint. In illa editione ſunt deprauationes, multæ quidem quas ex ipſo exemplari ſcripto profectas eſſe manifeſtum eſt, multo tamẽ plures quas incuriæ typographi imputari par eſt: & tamen illa qualis qualis eſt, nõ ſolùm toleratur, ſed apud nonnullos in aliquo etiam pretio eſt. At ego ſi Paulum AEginetã vel Aëtium edidero, in quo non ſolùm typographica illa menda, ſed multa quoque eorum quæ ex ſcripto codice manarint correxero, (ea nimirum in quibus minimè audax minimẽq; periculoſa eſt cõiectura) diligentia quidẽ qua pro viribus vſus fuerim diſſimulabitur, ea autẽ quæ ſupra meas & alius etiam cuiuſlibet fortaſſe vires futura eſſet, deſiderabitur: id eſt, non tam locorum plurimorum qui in mea editione reſtituti fuerint, quum in ſuperioribus deprauati eſſent, quàm paucorum qui in ea quoque mendoſi relicti fuerint, ratio inibitur. Et quoniam in hunc ſermonem incidi, addam quæ multis multorum ad me literis reſpondeam, quibus ſciſcitari ſolebant quid me ab aggredienda Theſauri linguæ Græcæ editione tandiu remoraretur. Quid igitur fuiſſe putas mi Planci quod me tandiu remoratum ſit, vel potius deterruerit? Non alius (mihi crede) illud opus retardauit quàm qui nunc quoque animo meo aſſiduè obuerſatur metus. Nimirum ne in tales illud quoque opus iudices ſeu æſtimatores repentè incidat, quales aliorum quorundam laborum à me ſudatorum expertus ſum, & tibi modò deſcripſi. Quamobrem autem hoc dicam, audi. Quæ hodie manibus omnium teruntur vulgata lexica, quid aliud ſunt quàm omnifaria, ſed omni carens iudicio, conſarcinatio, in qua infinita mala pauciſſimis permixta ſunt bonis? Cuius conſarcinationis autores tot fuerunt quot ii qui lexicorum margines nugis ſuis oppletos indoctis typographis ſeriò vendiderunt. Ex his paulatim in rudem illam indigeſtámque quam videmus molem, ac in illud verè chaos excreuerunt celeberrima illa omnis generis erroribus mendaciiſque (& quidem portentoſis pleriſque) referta

lexica, vt ego ſuo tēpore & loco docebo, ſi vixero & voluerit Dominus. At verò in linguæ Græcæ Theſauro quem nūc ſub prelo habeo, præterquam quòd omnia, quoad fieri poteſt, ex ipſis fontibus haurio (quod & pater meus Robertus Stephanus in ſuo Latinæ linguæ theſauro ſtudioſè fecit) omniáque ſuis autoribus accepta fero, ſuo quenque nomine deſignans (ſiue is antiquus, ſiue recens, ſiue etiam noſtri temporis ſit) ita tamen vt meum paſſim iudicium interponam: præterquam etiam quòd quàm poſſum aptiſſimum in diſponendis diuerſis ſignificationibus, diſtinguendíſque earum exemplis, ordinem teneo: denique præterquam quòd in lingua Græca facio (non ſine maximo & propè incredibili labore) quod in nulla vnquā niſi in Hebraica factū fuiſſe audiuimus, & cùm in aliis difficillimū factu eſſe, tū verò in Græca ne fieri quidē poſſe multi credidiſſent, vt nimirum infinitam innumerabilémque illam verborum multitudinem ad certas (vt ita cum Hebræis loquar) radices reducam, totámque ſingulorum verborum proſapiam ſub vno aſpectu ponam, tritauum, atauum, abauum, proauum, auum ordine collocans: præter hæc omnia, inquam, iam me plurima reſtituiſſe profiteor in iis quæ Theſauro meo cum lexicis illis cōmunia ſunt, multo verò plura reſtituturū me ſpero ſi Deus animum viréſque priſtinas ſubminiſtrarit. Et tamen hoc euenturum præuideo, vt ſi ex decem errorum millibus nouem millia emendaro, mille inemendatos reliquero, illa cæterorum decem millia præ meis mille, pauca eſſe videātur. Quaſi verò non & hîc Terentianum illud vſurpare iure optimo poſſim, Homo ſum, humani à me nihil alienum puto. Quid enim magis humanum eſt quàm falli, errare, labi, decipi? Sed vt aliud eſt cæcutire, aliud cæcum eſſe, multúmque inter dormitantem & dormientem intereſt: ita & grauia errata à leuibus, & pauca à multis diſtinguenda eſſe dico. Verùm de his aliàs plura.

Nunc, vt vnde digreſſa eſt, eò redeat oratio, hoſcé omnes medicos peregrina potius quàm ſua loquentes lingua ob eas quas protuli cauſas edidi. Alioqui certè multum abeſſe fateor quin hæ illorum interpretationes, deſiderium Græci textus, iis quibus ad eum aditus patet, minuere debeant. Vt enim eos vbi falſæ ſunt omittam locos, (qui certè non pauci ſunt) quot prętерea locorū interpretatio, ſi non falſa, at certè inepta ridiculáque eſt, & quæ non delicatas tantùm, ſed & quaſlibet (modò non omnino hebetes) radat aures? De Latini ſermonis proprietate taceo, quam à vulgatis librorum medicinalium interpretationibus iampridem exulare norunt omnes: vtpote quæ ἀκριβῆ πυρετὸν, exquiſitam febrim: ἀγωνιστικὰ φάρμακα, contentioſa medicamenta: ζέσιν ὑπερβάλλουσαν, feruorem excellētem: itidem verò καῦμα ὑπερβάλλον, excellentem æſtum, paſſim reddant. quum alioqui & Latinè & propriè loquendo, ἀγωνιστικὰ φάρμακα, valida medicamenta, ſeu potentia, aut fortia, vel fortiter morbum oppugnantia: ζέσιν ὑπερβάλλουσαν, feruorem ingentem, ſeu vehementiſſimum: at verò ἀκριβῆ πυρετὸν, propius ſaltem ad Latini ſermonis vſum accedendo, febrim exactam reddere poſſint, atque adeo (ſiquid in his iudicio valeo) debeant. Quæ ego exempla è multis pauca (quòd plura memoria non ſuggerat) afferre contentus ero. Nec verò ita loquutos fuiſſe ſuperiore ſeculo medicos miror, nimirum vbique graſſante adhuc barbarie: ſed ita loqui hodiéque quendā qui ſibi in artis medicæ & in vtriuſque linguæ cognitione primas tenere videtur, & in hanc opinionem alios adducere manibus pedibúſque conatur, quis non id mirandum eſſe dixerit? Vtinam tamen hoc vnum in pleriſque iſtorum librorum locis reprehendi poſſet, ac non (quod longè peius eſt) aliud Græci ſcriptores, aliud eorum interpretes dicerent: atque ita non ineptæ tantùm, ſed & falſæ, (vt eas paulo antè nominaui) occurrerent plerunque interpretationes. Ad hæc autem mala quū & typographicæ deprauationes quamplurimæ accederent, ego huic ſaltem malo mederi officii mei eſſe exiſtimaui, cui partim me, partim eos quorum ad hanc rem opera vſus ſum, in aliis occupatus, non defuiſſe fatebuntur, vt ſpero, quicunque hanc cum cæteris editionem conferre non grauabuntur. quos ex eadem collatione malo quàm ex meis verbis, quæ prætereà nonnullis in locis præſtiterim intelligere.

Quod autem ita diſperſos variorum medicorum libros in vnum velut corpus collegi, nō paruam me vel hoc nomine ab eorum amatoribus initurum gratiam ſperaui. Nec verò in huiuſmodi duntaxat autoribus, ſed in aliis quoque partim iam feci, partim facere decreui. Quū enim meis ſtudiis vtiliſſimum eſſe ſemper iudicarim, eiuſdem argumenti ſcriptores ſi non vno volumine, at certè quàm pauciſſimis fieri poſſet incluſos habere, (adeo vt etiam multos qui ſeorſum compacti erant, recompingendos, vt aliis ſociari poſſent curarim) venit mihi tandem aliquādo in mentem, de meo ſenſu iudicanti, gratiſſimam me omnibus literarum ſtudioſis rem eſſe facturum, ſi eiuſdē generis ſcriptores, quorū alii ex Gallia, alii ex Italia, alii ex Germania, alii aliunde accerſendi eſſent, (vt alias incommoditates omittam) ſemel accitos eodem velut tecto reciperem, ita vt vna eadémque opera vniuerſi inuiſi & conſuli à quolibet poſſent. Cui meo cōſilio acceptum ferri debuit illud poetarum Græcorum volumen, ante menſes aliquot editum, itidémque acceptum ferri debebit, quod propediem Deo fauente à me edetur hiſtoricorum: nunc verò omnes artis medicæ candidatos hoc medicinalium librorum corpus eidem acceptum ferre oportet.

Qui porro huic ſyntagmati ſunt ſubiuncti παράλληλοι Hippocratis & Corn. Celſi loci, in quibus Celſus Hippocratē aut omnino aut ſaltē ex parte interpretatur, ii quàm bene hæc duo inter ſe con-

ueniant,vt aliquis Latinè ſimul & medicè loquatur, illis quorum paulo antè memini, pertinaciter βαρβαρίζουσι,manifeſtum facient.

Sed nondum aliam præterea, & quidem non paruam, voluminis huius commoditatem audiſti. Ea eſt in indice omnibus qui hoc volumine incluſi ſunt ſcriptoribus communi: ita vt quacunque quis de re ad hanc artem pertinente dubitet, is indicem adiens, tot eius rei quam diſcere cupit,doctores reperturus ſit, vt etiam quem primum vel vltimum conſulere debeat, incertus eſſe poſſit. Ne tamē vlli ſcriptori fieret iniuria, ad ſingulos ordine remiſimus, id eſt ad Aretæum primùm, deinde ad cæteros, prout alii alios tempore præceſſerunt. Quod tamen in Oribaſio ideo obſeruatum non eſt quòd is priore tomo non contineatur,(quippe quem cæteris adiungere non decreuiſſem initio) à ſecundo autem tomo rurſus ad primum recurrere lectori moleſtum fuiſſet. Quoniam verò fore præuidebam vt tam prolixus index, vtilis quidem lectori, ſed nō ἀμεταχείριστος eſſet ſi(vt alii in vnoquoque cuiuſque ſcriptoris indice fecerant)omnia commiſceremus:eo in ſingulis certo quodam ordine digerendis artificio vſi ſumus, quod ſemel obſeruatū à lectoribus moleſto eos quærendi labore leuaturum ſit. Sed quid omnia in ſuperioribus indicibus commixtà fuiſſe queror? Longè certè grauius malum illorum pleriſque inerat: quum ſæpe iis ad quos lectorem remittebant locis omnino repugnantia,ſæpe, ſi non prorſus cōtraria, valde certè diuerſa,frequentiſſimè verò,quod vna de re autor ſcripſiſſet, illi de altera dicerent.Omitto quòd in illis bellis indicibus plurima non ſuo loco poſita eſſent, nec ſub ea voce in qua quiſquam ea quærere vel debuiſſet, vel ei in mentem venire potuiſſet. Quòd ſiquis ſuſpectum hoc noſtrum præconium habens,vel in vnico indice, harum omnium quas dixi elegantiarum aliarúmque præterea exempla videre velit,index in Aetium abundè omnia ſuppeditabit.

Iam tenes mi Plāci,quid operæ præter cæteros in horum librorum editione poſuerim: quam ideo tibi dicatam volui,primùm vt amoris erga te mei teſtimonium publicè extaret,deinde vt illa te quoque ad nauādam aliquam hiſce libris operam inuitaret.Nam doctiſſimum quempiam medicum, ſimúlque linguæ Græcæ peritiſſimum(id eſt Plancium, aut alium Plancio ſimillimum,ſiquis eſt)reliquam his medicorum libris medelam adhibere æquiſſimum eſt.

IVNII PAVLI CRASSI IN SVAM Aretæi & Ruffi interpretationem præfatio.

ILLVSTRISS. PRINCIPI ALBERTO SENIORI, marchioni Brandemburgenſi, Pruſſiæ, Stetini, Pomeraniæ, Vandalorum, Caſſubiorúmque duci, burggrauio Norimbergenſi, ac Rugiæ Principi,

IVNIVS PAVLVS CRASSVS S. P. D.

DVO longè omnium pulcherrima diuiníſque operibus conſimilia nobis à diis fuiſſe conceſſa, veritatem ſcilicet eloqui, & mortalibus benignè facere, Pythagoras ille philoſophorum ſapientiſſimus aſſerebat. Id ego mecum ſæpe animo reputãs, ALBERTE princeps illuſtriſſime, veriſſimam tanti philoſophi ſentẽtiam eſſe cognoui. Deus nanque quum res omnium ſumma, perfectiſſima, veriſſimáque ſit, cuiuſque veritatis fons eſt vberrimus. Idem quum ſit perquam beneficus & liberalis, in omnem mundum munera ſua longè latéque diffundit: & quicquid eſt, à Deo vitam & perfectionem, quãtam eius natura capere poteſt, adipiſcitur. Quapropter ego Deum imitari, eiúſque muneribus aliquo pacto defungi cupiens, vt primùm per ætatem licuit, veritatem docere, atque humanum genus pro virili parte iuuare conſtitui. Inde factum eſt vt annos propè viginti in noſtra Patauina Academia per totam Europam celeberrima, Hippocraticam medicinam publicè nõ infrequenti auditorio interpretatus fuerim. Verùm quum ab eo docendi officio nimiis laboribus deterritus, corpuſculíque noſtri valetudini conſulens, deſtitiſſem, alia ratione veritatẽ patefacere, humanóque generi opem ferre quærebam. Ea verò eſt, aut aliqua per me vtiliter inuenta, literarum monumentis commendare, aut veterum auctorum obſoleta documenta illuſtrare, in hominúmque memoriam reuocare. Quum in hac animi fluctuatione verſarer, fortè liber quidam Græcè manu ſcriptus, veterrimus & carioſus in manus meas incidit. In fronte libri nomen autoris inſcriptum erat, Aretæi videlicet Cappadocis. De morbis agebat, qui ſingulatim humani corporis membra corripiũt. Ipſum auidè, vt mihi moris eſt, & ter & quater perlegi. Perlectus liber, cùm gaudio tum mœrore animum perfudit meum. quippe gauiſus ſum tam egregii autoris librum qui vetuſtatis iniuria hominúmque ſocordia in tenebris tot ſecula iacuiſſet, in lucem Dei beneficio fuiſſe vindicatum: indolui verò non mediocriter, ipſum non ſanum, non integrum, ſed multis mendis inquinatum, multis magníſque vulneribus conciſum & laceratum ad manus noſtras delatum eſſe. Cæterùm hæc fragmenta colligere, vtque pluribus vſui forent, Latina facere ac publicare ſatius eſſe iudicaui quàm ea in totum carie, tineis, ſitúque deleri permittere. Scriptor enim mihi plurimi faciendus viſus eſt. nam ſalutaria in primis documenta proponit, auxiliáque pellendis morbis præſentanea recenſet. quo quid magis expetendum mortalibus ſit, neſcio. Quid enim cætera vitæ bona affecto languentique corpore proficiunt? Præterea ſummopere lectorem detinet atque delectat. Nam & quatenus materiæ conuenit, grandiloquus eſt cum ampla & ſententiarum grauitate, & maieſtate verborum, vehemens, varius, copioſus, ad permouendos animos acerrimus, ipſa quoque vetuſtate venerabilis. Qua verò tempeſtate vixerit, apud nullum Græcum Latinúmve ſcriptorem hactenus reperire aut certis coniecturis aſſequi valui. Natione Cappadox fuit, vt libri teſtatur inſcriptio: in qua regione, licet barbara, tres tamen gentes Græcæ, Dorica, Ionica, & AEolica floruere. Galenus quum huiuſce Aretæi nuſquam meminerit, alioqui veteres medicos ſæpe commemorans, nullam de eo notitiã habuiſſe videtur. Paulus AEgineta ſemel eum initio quarti ſui voluminis, Aetius verò Amidenus frequentius nominauit. Sua patria lingua Ionica ſcribit, Hippocraticámque dicendi formam, id eſt breuitatem cum grauitate coniunctam, æmulatur. Hippocrate nanque fuit ætate poſterior: ſiquidem eum nonnunquam teſtem adducit, eiúſque vel integros aphoriſmos in ſuis voluminibus conſcripſit. Nulli ſectæ addictum ſe Aretæus apertè demonſtrat. in quibuſdam enim ab Hippocrate, Galeno, Ariſtoteléque diſſentit. De nonnullis etiam morbis propria quædam à nullis aliis tradita, rationi tamen conſentanea ſcitúque digniſſima exponit. Quàm multos in eo transferendo labores tulerim, quantum temporis atque olei abſumpſerim, vix queam dicere, quum plurimis vndique vulneribus confoſſus eſſet. Ex tribus tamen collatis exemplaribus multa quæ deficiebant, reſtitui: quæ erant deprauata, caſtigaui: quæ confuſa erant, in ordinem redegi: per coniecturas etiam certiſſimas ab artis medicæ peritia deſumptas, non paucos locos librariorum incuria vitiatos antiquæ & ſanæ lectioni reſtitui. De quibus autem ambigebam, neque ſinceram veritatem eruere mihique penitus ſatiſfacere poteram, eos aſteriſco notaui, aliorúmque iudiciis penſitandos caſtigandóſque reliqui: vtque in ſumma dicam, quantum huic libro opis attulerim, qui candida mente & liuore purgata ipſum curioſè lectitabunt, & cum Græcis exemplaribus conferent, facilè deprehendent. Libellus præterea quidam Ruffi Epheſii de medicinalibus appella-

tionibus inſcriptus, Franciſci Frigimelici medici nobiliſſimi & omnibus reconditis diſciplinis ornatiſſimi opera quum ad me allatus eſſet, auctoris præſtantia atque eruditione cognita, eum quoque eadem de cauſa Latinitate donandum, Aretæóque adiungendum eſſe iudicaui. Vterque enim vetus ſcriptor eſt, vterque Græca oratione artem medicam literis commendauit. Fuit ſanè Ruffus Traiani Adrianíque Cæſarum temporibus medicus eximius, Epheſi natus, vrbe Ioniæ celeberrima, minoríſque Aſiæ metropoli. Hic multos de medendi facultate libros eruditiſſimè compoſuit, magníque Galeni teſtimonio laudari commeruit. Nam de atra bile neminem exactius luculentiúſque quàm Ruffum diſſeruiſſe commemorat. Verùm ex tot eius doctiſſimis libris hic vnus, quod ego ſciam, vix reliquus eſt, in quo ſingularum corporis partium Græca vocabula enumerat: necnon & earum poſitum, figuram, numerum, vſum, facultatéſque declarat. Igitur hunc libellum perutilem, dignúmque qui ab eruditis perlegatur, Latina lingua donare, & in manus ſtudioſorum proferre haud alienum duximus. Neque hîc parum diligentiæ adhibēdum fuit, quum Græcis vocibus Latinas reſpondentes indagaremus, neque id in omnibus ſemper aſſequi poſſemus. Interdum enim linguam noſtram vocabulorum inopem (niſi forſan hoc ignorantia noſtra factum ſit) inueniebamus. At vbi nos Latina deficerent, Græcis, quemadmodum & in aliis doctrinis fieri ſolet, pro Latinis vſi ſumus. Porro illud monitos lectores velim, huiuſce libelli primam partem à Ruffo bis eiſdem ferè verbis fuiſſe conſcriptam, eadémque fermè ad vnguem repetita. Quo id conſilio fecerit, diuinare nequeo. Ego verò quum ita manu ſcriptum librum offenderim, ita & transferre & edere libuit. neque enim ex toto partes hæ ſimiles ſunt, ſed nonnulla quæ in altera deſunt, in altera reperiuntur: nonnulla quæ in altera obſcurè ac breuibus perſtricta ſunt, in altera clarius ac fuſius explicantur. Hos itaq; perueteres ac præſtantiſſimos artis medicæ ſcriptores, ne eorum qui de humano genere bene meriti ſunt, memoria prorſus euaneſceret, diuulgare quũ mihi in animo eſſet, meáque commendatione apud vulgus eos minus probatum iri ſuſpicarer, ſub tuo nomine id facere optimum eſſe cenſui illuſtriſſime ac ſapientiſſime princeps. Te verò potiſſimùm inter Chriſtiani nominis principes delegi, cui has lucubrationes meas dicarem, quòd te conſtans fama & ſanctiſſimis moribus, & vera religione inſignem, bonarúmque diſciplinarum alumnum & parentem celebrat. Non potui igitur non te maxima veneratione atque amore proſequi, quum nihil ſit in terris optimo principe dignius, nihil amabilius, nihil (ſi modo humana diuinis conferre fas eſt) quod magis Deo ſimile dici queat. Verus enim princeps ille eſt qui vt dignitatis faſtigio perinde & virtute cæteris mortalibus præſtat. Qui talis autem agnoſcitur, is tanquam terreſtris deus, aut ſaltem Dei vicem gerens inter homines, ſuſpiciendus ac ſanctè piéque obſeruandus eſt. Iccirco & antiquitus populi & ciuitates viros probitate vitæ excellentes ad magiſtratus & ad imperia prouehebant: eóſque vel inuitos imperare cogebant, vt Scylax de regibus Indiæ memoriæ commendauit. Te verò huiuſmodi eſſe, híſque de cauſis tanto imperio dignum iudicatum, maxime atque optime princeps, nemo tam rerum imperitus eſt qui neſciat. Ea enim in te omnia ſunt quæ in ſummo rege ineſſe debere omnis teſtatur antiquitas. Porrò familiæ tuæ, maiorúmque tuorum ſplendorem ac fortia facta conſultò prætereo, quandoquidem quæ nos (vt poeta ille dicebat) nō fecimus ipſi, Vix ea noſtra puto. At quæ tua propria ſunt, & verè regia ornamenta, ea planè digna ſunt quæ ab omnibus in cælum ferantur, ab omnibus memoriæ ac literis prodantur. Admirabilis prudentia, quam propriam regum eſſe virtutem Ariſtoteles voluit, in primis apparet. Per eam enim tantam molem tuæ latiſſimæ ditionis tam in bello q̃ in pace ſcientiſſimè gubernas ac moderaris: populíſque tuis ventura incommoda longè proſpiciens & cauens, eos in ſumma tranquillitate conſeruas. Iuſtitia præterea, quæ cuiuſque regni firmiſſimum vallum ac munimentum eſt, nullo vnquam in principe quàm in te clarius enituit. Nam ſua cuique pro meritis tribuis: diuites potentioréſque non deprimis: pauperes atque humiles ſuſtines, foues, à contumeliiſque defendis. Liberalitatem autem tuam & erga omnes, ſed præcipuè literarum cultores, munificentiam quis vnquam ſatis pro meritis laudauerit? Plurimos enim ære tuo non in Germaniæ modò, verumetiam Italiæ gymnaſiis vberrimè fouiſti atque ſuſtentaſti: ſcholam Regiomontanam inſtituiſti: doctiſſimíſque viris, qui ſtudioſam iuuentutem erudirent, vndique accitis exornaſti: bibliothecam quibuſlibet veterum ſcriptorum libris refertiſſimam profuſiſſimis impenſis condidiſti. quam qui viderunt, cum antiqua illa Philadelphi AEgyptii bibliotheca certare contendunt. Nempe fortitudinem, quanta in te ſit, res in bello ſtrenuè ac fortiſſimè per te geſtæ, omnibúſque vel remotiſſimis gentibus manifeſtè declarant. Humanitatem & clementiam incredibilem non modò ſubditi, ſed & finitimæ & longinquæ nationes teſtantur: quum nemini vnquam te adire volenti occludatur acceſſus: nemini vnquam irrita ceciderit, modò fuerit honeſta, petitio. Iure itaque Homeri poetarum principis carmina illa de te cani poſſunt quibus bonus princeps paſtor populorum dicitur: Iupiter deorum hominúmque pater appellatur. Quid mirum ergo, ſi tu virtutibus adeo fulgens, in tanta fortunæ amplitudine poſitus, (quæ duo in eodem rara inuentu ſunt) me ad te amandum, & quoquo modo poſſem, colendum illexiſti, vel potius attraxiſti: ac non vereor, ne flagitioſa quadam aſſentatione aucupari tuam gratiam videar: neque enim

tu is es qui ſis neſcius eos magis qui te non admirentur, inuidos, quàm eos qui laudent aſſentatores eſſe iudicandos. Nam quæ de te hactenus prædicaui, neque mea commenta ſunt, neque ſolus atteſtor, ſed hæc paſſim Germani, Sarmatæ, Itali homines, neque vulgaris notæ, ſed grauiſſimi quique viri vno ore fatentur ac celebrant. Hiſce ego rebus impulſus, ſed tua potiſſimùm lenitate man ſuetudineque fretus, benigniſſime princeps, hos tibi dedicaui libellos. Nõ me latet quàm ignobile, quàm ſordidum munuſculum. At me legiſſe memini Artaxerxi Perſarum regi cognomento Memori, agreſtem quendam hauſtam è proximo flumine aquam caua manu obtuliſſe: neque ab eo reiectum, ſed comiter acceptum, & phiala aurea, ſtola Perſica, multiſque daricis donatum abiiſſe. Dices fortè, Quid principi cum medicorum libris? Multa & præclara priſcorum regum exempla adduci poſſunt, Attali regis minoris Aſiæ, Gentii Illyriorum, Iubæ Mauritaniæ, Mithridatis regum barbarorum maximi. Hi omnes medicinæ ſcientiam adamarunt, diligẽterque coluerunt. Quod, niſi iam plus æquo vagatus eſſem, tibi valentiſſimis argumentis oſtenderem, principi viro nihil medicina charius, nihil iucundius, nihil fructuoſius in vita accidere poſſe. Itaque ne tuas aures grauiſſimis in adminiſtranda republica negotiis occupatas diutius inani loquacitate fatigem, finem faciam, ſi hæc pauca adiecero, me in his vertendis autoribus fidelẽ quàm elegantem atque diſertum eſſe maluiſſe, quum in arte medica res ſpectẽtur non verba pendantur. Sterilis quoque materia eſt morborum natura & curatio: neque magnæ (in alieno præſertim libro) facundiæ capax, quæ alioqui nobis tenuiſſima eſt. Sed iam aliud opus, quod deus fortunet, ſanè quàm pulchrius meo iudicio, longéque vtilius, amicis noſtris hortantibus, ac propè impellentibus, aggreſſi ſumus: vbi non alieni ſcriptoris ſententiis adſtringemur, ſed propriis viribus nitentes ſpatiabimur. Latius excurret oratio, amœna interdum quæret diuerticula: caſus mirabiles, euentus varios, aliáque iucunda dictu, ac legentibus non minus frugifera quàm blanda narrabimus. Interim hos libellos noſtri erga te animi veluti arrabonem qualemcunque mittimus, grandiorem librum & magis operoſum, ſi hos non reſpueris, miſſuri poſterius. Vale.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI
De cauſis & ſignis acutorum morborum Liber I,
Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

PRIMI LIBRI CAPITA, EX QVIBVS prima quatuor perierunt.

De phrenitide,	Cap.I.	De tetano ſeu rigore,	Cap.VI.
De lethargo,ſeu veterno,	Cap.II.	De angina,	Cap.VII.
De tabe,	Cap.III.	De affectibus columellæ,	Cap.VIII.
De apoplexia,	Cap.IIII.	De tonſillarum vlceribus,	Cap.IX.
De acceſſione morbi comitialis,	Cap.V.	De pleuritide,	Cap.X.

DE ACCESSIONE MORBI COMITIAlis, Cap.v,carens principio.

*** hebetudines, vertigines,tendonū grauitates,venarum colli repletiones & diſtenſiones: nauſea frequentius quidem à cibis, non minimè tamen & ab inedia,puſilla quædam nauſea ſequitur, & vberior pituitæ fit vomitus: paucis aſſumptis cibis faſtidiunt,& crudi ſunt,flatibus replentur,præcordia elata habent. Hæc ſanè perpetuò comitantur. Quū verò acceſsio appropinquat, ſplendores quidam purpurei,aut nigri, aut omnes vnà permixti ob oculos in orbem verſantur ac diſcurrunt, vt in cœlo iris prætenta eſſe videatur: aures ſonant,fœdum odorē ſentiunt, iracundi fiunt,bilis præter rationē accenditur. *Quibuſdā igitur cōcidendi cauſa,angor animi fuit: aliqui intētè fluminis decurſum,aut rotam quæ circunuoluitur,aut turbinem qui in orbem agitur,cōſpicati,alios autem rerum graueolentia, vt gagatis lapis odoratus, proſtrauit. his vtique in capite vitium inhæſit, atque inde noxam inferens ortum habet. Nonnullos verò & corripit à neruis procul à capite poſitis incipiens, quicunque principium in conſenſum affectus inducunt. Itaque magni manuum aut pedum digiti conuelluntur: vnde & dolor & ſtupor & tremor ſequuntur. atque hæc in caput impetū faciunt, ſi & malum ſurrepēs caput inuaſit. His porro fragor quidam redditur perinde acſi ab ligno aut lapide verberentur: quúmque ab humo ſurrexerunt, quædam tanquam ſi ex inſidiis vapulaſſent, commemorant. Hoc ſanè pacto illi quibus primò id malū incidit, decipiūtur. Quibus verò familiare & conſuetum eſt, ſimul atque morbus in digitum impetum dedit,aut alicunde exortū eſt, *vſitatos, qui adſunt, adiutores inclamant, futurámque ab experimento calamitatem proſpiciunt: obſecrant quoque vt membra vnde oritur, conſtringant, reflectant, dirigant. quinetiam ipſimet ſibiipſis affecta membra, tanquā inde morbum eximentes,trahunt vellúntque: atque ita ſibimet auxiliantes, nonnunquam & nos ad ægritudinis notitiam impulerunt. Nonnullos vtique ceu inuadente fera pauor corripuit, aut adumbrationis opinio inceſsit, atque ita prociderunt. At in ipſo morbi inſultu ſenſibus captus homo iacet: manus ipſi neruorum diſtentione cōuelluntur: crura verò non ſolùm diſtracta ſunt, ſed etiam huc atque illuc à tendonibus proiiciuntur. Id genus calamitas iugulatis tauris haud abſimilis eſt: ceruix incuruatur, caput variè diſtorquetur. ſiquidē nonnunquam pronum ceu arcus inflectitur, quando pectori maxilla adhæreſcit: nonnunquam verò in ſcapulas refringitur, veluti iis qui per vim crinibus trahūtur, vſu venit: quando modò in hanc,modò in illam partem ad humeros admouetur. Sic laborantes,magno hiatu os aperiunt: id ſiccum habent,linguam prælongam,vt periculum ſit ne aut magnò vulnere ſaucietur,aut penitus abſcindatur. Interdum conuulſione dentes inter ſe colliduntur: oculi inuerſi ſunt: palpebræ cum palpitatione frequenter dehiſcunt. quòd ſiquando conniuēre velint, palpebræ nō committuntur, ſed alba oculorum cernuntur,ac ſubapparent. Supercilia nonnunquam (vt iis qui ad iram concitantur) in glabellam attrahuntur: nonnunquam ad tempora vehementer admodum reuelluntur, vt cutis circa frontem valdè prætenta ſit,atque in ſuperciliorum medio rugæ euanuerint. Malæ rubentes palpitant: labia interdum quidem in acu-

A tum clauduntur, interdum verò ad obliqua dilatantur, quando in ridentis ſpeciem dentibus circuntenduntur. Malæ rubent quidem, ſed quū morbus increuit,& faciei liuor accedit: Ceruicis vaſa diſtenduntur: vox,vt in ſtrangulatu,aufertur: etiamſi vehementer inclames, non ſentiunt. Eorum vox nihil niſi gemitus & ſuſpirium eſt: reſpiratio verò ſuffocatio quædam eſt, veluti in iis qui laqueo ſtrangulantur. Inter initia,arteriarum motus vehementes ſunt,& celeres,& parui: in fine verò magni,tardi, & languentes, in vniuerſum autem,ordine carentes. Pe-

B nis quoque arrectio ſequitur. Hæc vtique circa acceſsionis finē patiuntur. At vbi ad mali remiſsionē perueniunt, tunc ſponte vrinam reddunt,aluus fluit: nonnullis etiam, adſtrictis compreſsiſque vaſculis genitura excernitur. id verò & dolore irritante,& humiditate erumpēte accidere poteſt: ſiquidem & iſtis neruorū dolores fiunt. Ad hæc os vehementer humidum habent,pituitam multam,craſſam & frigidam: eam ſi trahas, in longum veluti filum multitudinem ipſius deduces. Porro temporis longitudine & laboris vehementia, quæ intra pectus ſunt,feruēt:

C ſpiritus verò intus coercitus omnia concutit: eorundem quoque & conuulſio & perturbatio ſequitur. Inter reſpirandum præterea humores & os & nares inundant, ſpiritus cum humore effertur. Quum præcedens verò ſtrangulatio remittit, omnia item remittere videntur. Quinetiam,vt magnis procellis concitatum mare,ſpumam ore profundunt: quando & tanquā iamdudum expulſo morbo reſipiſcunt,& reſurgunt. Cæterùm quū à morbo quieſcunt, ab initio membris ſegnes ſunt, capitis grauitate premuntur: diſſoluti ſunt,languidi,pallentes, conſterna-

D ti animo: ob laſsitudinem morbique verecundiam contriſtantur.

DE TETANO SEV RIGORE, CAP. VI.

TEtani, muſculorum qui in maxillis ſunt & tendonum diſtentiones ſunt, dolorem quidem magnum inferentes, celerrimè verò necantes, haud facilè quoque ſanabiles. At noxæ ab hoc malo cum omni corpore communicantur. omnia enim cum principiorum vitiis conſentiunt. Species verò conuulſionis tres ſunt,quū rectum corpus riget, aut retrorſum flectitur, aut prorſum verſus

E incuruatur. Recto quidem corpore, τέτανος dicitur, quū neutram in partem detortus homo atque inflexilis contentus eſt. At conuulſiones, quæ retorſum aut in priorem partem fiunt, à tentione & loco nomenclaturā accipiūt. Nam in auerſam partem ægrotantis reclinationem, ὀπισθότονον vocamus, neruis qui eo loci ſunt, malè affectis: ἐμπροσθότονον autem, ſi in priorem partem homo deflectitur, neruis anterius poſitis laborantibus. τόνος enim neruorum tentioniſque vocabulum eſt. Cauſæ autē iſtorum infinitæ ſunt. nam ob vulnera fieri ſolent, membrana,

F aut muſculis,aut neruis punctis,ex quo plerunque moriuntur. à vulnere enim cōuulſio,lethalis eſt. Conuellitur autem & ex aborſu mulier, verùm & hæc rarò admodum euadit: & ab aliquo vehemēti ceruicis ictu nonnulli conuelluntur: & frigus aſperrimum horum vitiorum cauſa eſſe poteſt. Quapropter hyēs omniū maximè horū vitiorum ferax eſt: ſecūdo loco ver & autūnus: æſtas autem minimè, niſi vulnus præceſſerit, aut peregrini morbi graſſentur in vulgus. Mulieres ſanè magis quàm viri, neruorum diſtentione tentātur: frigidæ enim ſunt, verùm ipſæ

frequentius liberantur;quoniam humidæ ſunt.Quantum ad ætates attinet, pueri aſsiduè hoc morbo vexantur: ſed non admodum pereunt,quòd illis vſitatũ & familiare id vitiũ ſit. Iuuenes autẽ rarius quàm pueri id patiũtur: ſed crebrius intereũt.viri minimé. At ſenes inter omnes magis & eo vitio corripiuntur,& eo necãtur.In cauſa eſt frigiditas & ariditas ſenectæ,*& mortis natura .Cæterùm ſi frigiditas cum humido coniungatur , minus noxiæ ſunt cõuulſiones,minúſque ab ipſis diſcrimẽ impendet. Affectum hũc iſta comitãtur:*Omnes ſubitò atque affatim corripit labor,& intẽtio tendonũ adeſt, & dorſi,& muſculorum qui in maxillis & pectore ſunt.inferiorẽ enim maxillam ſuperiori annectunt , adeo vt neque vectibus aut * cuneis facilè diduci poſsint . Quòd ſi * quis vi dentes diducens,humorem inſtillauerit,non *demittunt,ſed effundunt,aut ore continent,in naréſve retrudunt.Iſthmus enim ſimul inhæreſcit,ac tonſillæ duræ atque intẽtæ eius quod deuoratur impreſsioni nõ cedunt.Facies eſt rubida, variegata,oculi ferme rigentes, qui vix circumuoluãtur: ſtrangulatio vehemens, ſpiratio vitioſa,manuũ crurúmque diſtentio,muſculi palpitãtes,facies variis modis diſtorta: buccæ & labia tremũt,maxillæ quatiuntur,dentes ſtrident.in alio verò quodam & aures mouebãtur. * Ego ſanè vidi & miratus fui , lotium ſupprimi vſque ad inſignem meiẽdi difficultatẽ,aut ſponte effundi quum veſica premeretur. Hæc vtique omnibus cõuulſionis generibus communia. Propria verò cuiuſque hæc ſunt: Tetani quidem,in rectũ totius diſtentio,nullam prorſus in partẽ detorta neque declinans : recta quoque ſunt crura & manus. Ὀπισθότονος verò retrorſum incuruat hominem , vt reflexum caput inter ſcapulas locetur.Guttur extat:maxilla inferior plerunque dehiſcit,& raro cum ſuperiore committitur.In reſpirãdo ſtertunt,venter & pectus prominẽt, lotium his minus cõtineri poteſt : abdomen intentũ eſt, &,ſi percutias,reſonans. manus retrorſum extenſione detorquẽtur:*crura inflectuntur:*econtrario poplites vitioſe curuantur. At ſi in priorẽ partẽ contrahuntur,conuexa quidem his terga ſunt æqualiter cũ parte pectori oppoſita, quam μετάφρενον Græci appellant , coxendicibus extra pulſis:dorſum totum rectũ eſt: vertex capútque in pectus vergunt : mentum oſsibus pectoris affigitur, manus conſertæ ſunt & cohærẽtes: crura extẽta.Dolores omniũ atroces, vox omnium flebilis. ſuſpirant autem muſſantes profundius. Si pectus & ſpiritum morbus occupauerit,facilè migrant è vita : bonum quidem ægrotanti quòd laboribus,diſtortione, turpitudinéque liberatur : præſentibus quoque hominibus minus triſte, ſeu filius , ſeu pater ſit. Verùm ſi in vita adhuc perdurẽt,ſpiritu licet vitiato, nihilominus permanẽte, prorſum verſus nõ arcus modò inſtar, verùm & orbis,incuruantur, vt caput genibus annexum habeant , cruráque ac terga in priorem partẽ refracta ſint : adeo vt genu articulus in poplitem depulſus eſſe videatur . Inhumana calamitas,iniucundus aſpectus, triſte intuenti ſpectaculum, & malum inſanabile : ob inuerſionem autẽ,vel ab amiciſsimis hominibus nõ agnoſcuntur. Votũ quoque illis qui adſunt,prius impium,nũc honeſtum efficitur,ægrum vita defungi,quò vnà cum vita doloribus & acerbis malis liberetur . Quinetiã neque medicus præſens atque aſpiciẽs, ad vitam, aut ad doloris leuamen,aut ad figuræ emendationẽ quicquam opis adferre poteſt : nam ſi membra dirigere velit, viuentẽ ſanè hominem diſtraxerit diſcerpſeritque.Igitur victis à morbo nihil vltra ſubueniens, cõtriſtatur duntaxat.hæc verò eſt medici magna infelicitas.

DE ANGINA, CAP. VII.

ANgina peracutus affectus eſt. ſpiritus enim compreſſio eſt . Duæ verò eius ſpecies ſunt.aut enim inſtrumentorum ſpirandi phlegmone eſt, aut ſolius ſpiritus in ſeipſo cauſam habentis affectus. Inſtrumentorum quidẽ, tonſillarum,epiglottidis,faucium,columellæ,ſummæ arteriæ.quòd ſi depaſcitur phlegmone,etiam linguæ & maxillarũ interius : quũ ob phlegmones excellentẽ magnitudinem,linguã extra dentes proferunt. oris enim cauernam implet , & ipſius quod abundat, extra dentes exeritur.hoc malum *συνάγχη,angina Latinè,& κυνάγχη,id eſt canina angina*, nominatur . aut quoniam huiuſmodi animalia

A aſsiduè hoc malo vexantur,aut quòd etiam ſana linguam exerere conſueuerunt . Alteri autem generi contraria eueniũt, inſtrumentorũ collapſio, *gracilitas maior q̃ pro cuiuſq; natura,& ſtrãgulatio vehemẽs : vt ipſiſmet in pectore latẽtioribúſq; partibus circũ cor atq; pulmones abdita eſſe inflãmatio videatur.Συνάγχην hãc appellamus, quaſi *συνάγουσαν ἔνδον καὶ ἄγχουσαν.i. interius uergentem & angentem*. Ego verò exiſtimo ipſius ſolius ſpiritus id vitiũ eſſe,praua conuerſione ad calidiſsimum ſicciſsimúmque conuerſi,nulla corporis parte inflammatione laborante.
B Id autem mirandum nõ eſt.nam in * Charonæis ſtrãgulatus citra vllum corporis affectum acutiſsimi contingũt. immò vel vnica inſpiratione,prius quàm corpus aliquod maleficium cõtrahat,homines moriuntur. Quinetiam & à rabido cane,qui in faciem,dum ſpiritus adducitur,tantummodo inſpirauerit,& nullo pacto momorderit,in rabiem homo agitur . Talẽ igitur reſpirationis mutationem interius fieri,haud eſt ex iis quæ fieri nequeãt: quandoquidem & alia infinita eorũ quæ in homine ſunt, eandem ſpeciem cũ exterioribus cauſis obtinent. ſucci per-
C dentes intra corpus ſunt & exterius: morbi quoq; medicamentis pernicioſis aſsimiles: & à medicamẽtis talia vomunt qualia ob febres vomere ſolent. Quocirca neque à ratione alienum eſt , in peſtilentia quæ Athenas afflixit, nonnullos exiſtimaſſe in puteos Piræi à Peloponnẽſibus venena fuiſſe coniecta. homines enim peſtilentis morbi cum lethalibus medicamẽtis ſimilitudinem ignorabãt.

Adeſt ſanè laborantibus canis angina,tonſillarum,faucium,totius oris inflammatio : lingua extra dẽtes & labia prominens: ſaliua effunditur:pituita craſsiſsima ac frigi-
D da defluit,facies rubicunda & inflata eſt: oculi exerti,patentes,valde rubent:potus in nares refunditur: dolores acerbi ſunt, ſed ſtrangulatione vexati,eos obſcurius ſentiunt:pectus & cor ardẽt : frigidi aeris deſiderium adeſt,& admodum exiguum inſpirant, euſque donec demũ intercluſo ad pectus aeris tranſitu ſtrangulentur . Nempe quibuſdam cũ pulmone vitium facilè communicatur:hi verò permutatione moriuntur . febres ignauæ oriuntur, molles,nihil proficientes.At ſi alicui in bonum res vertitur,abſceſſus ſecundum aurẽ hinc atque inde exterius aut
E interius in tonſillis fiunt.Quòd ſi cũ torpore nõ admodũ tardè fiant,euadunt quidẽ, ſed cũ dolore atque diſcrimine:ſin autem morbo in abſceſſum mutato tumor maior ſubeſt,in acutũ abſceſſu inſurgente , repentè ſtrangulantur.Hæ ſunt planè caninæ anginæ ſpecies. Anginam autẽ collapſio,gracilitas,pallor comitantur,oculi caui,interius demerſi,fauces & gurgulio retracti,tonſillæ multo magis ſubſidentes,vociſque priuatio. Huiuſce ſpeciei ſtrangulatus longè quàm prioris violentior : quippe,quũ in pecto-
F re malum ſit vbi ſpirandi initiũ ponitur,eodem die moriũtur, qui *celerrime,nonnunquam & antequam medicũ accerſiuerint:nonnulli & accerſito medico nihil profecerunt. mortuus eſt enim æger antequam medicus arte vteretur.Quod autẽ in melius vertitur,inflammat omnia quæcunque extrorſum phlegmone impulerit:quare ex *συνάγχη, id eſt angina*, fit *κυνάγχη, id eſt canina angina.* Bonum quoque eſt ſi in pectore magnum œdema oriatur , aut inſigne eryſipelas . Egregius verò medicus aut cucurbitula in pectus malum detrahit , aut ſinapi oſsibus pe-
G ctoris, aut partibus iuxta maxillas imponens,extrinſecus vlcerat,difflationémque molitur. Quibuſdam ſanè breui tempore vitium his auxiliis exterius tractum fuit:abſolutum verò,ſubitò recurrit,& ad interiora reuerſum eſt.

Cauſæ vtique infinitæ ſunt,refrigerationes magis, exuſtiones minus, plagæ , penetrationes in tonſillas ab oſsibus piſcium,frigidæ potus,ebrietates, ſaturitates,& mala à reſpiratione prodeuntia.

DE AFFECTIBVS COLVMELLAE, CAP. VIII.

COrpus ſolidum ex palato pendens,inter tonſillas poſi-
H tum,columna & gurgulio nominatur. Vua enim affectionis nomen eſt.Columella natura neruus eſt,ſed humidus:nã in humido loco ſitus eſt.Iſte itaque gurgulio pluribus incõmodis afficitur . Etenim phlegmone craſſeſcit, æqualíſque à baſi vſque ad extremũ terminum efficitur in longũ protẽtus,ac rubore ſuffuſus.*κίων.i.columna* huiuſce vitii appellatio eſt. Si in extrema tantùm parte rotunda-

tur & increſcit,liuet,atqueſubnigricat. Vua huiuſmodi affectus cognominatur: omnia enim vuæ ſimilia ſunt,& figura,& color,& magnitudo. Tertius affectus eſt membranarum ab vtraque parte iacentium, quæ veluti ſquamæ latæ,aut veſpertilionum alæ conſpiciuntur. Id genus morbi Lorum vocatur: loris enim ſimiles ſunt membranarū in latum explicationes. At ſi in tenuē & oblongam membranam columella deſinat, veluti vrinaculum in extremó habens, κράσπεδον hunc affectum nominant, *quod montis radicem uel pedem ſignificat. Latino caremus uocabulo.* Prouenit autem & id ex fluore, quemadmodum & alia vitia: fit verò & per abſciſionem obliquè factam, ab vno tantùm latere membranam relinquēte medico. ſin autē bicornis columella reddatur, geminis membranis hinc atque inde pendentibus,nomē quidem nullum obtinuit,verùm affectus ipſe perſpicuus eſt. omnia verô hæc facile fuerit introſpicientem dignoſcere. Omnibus ipſis ſtrangulatus accidit,& ægrè cibum potúmque deuorant. tuſsis quoque omnibus adeſt,ſed præcipuè loro vexatis & craſpedo. Quædam enim arteriæ titillatio à membranis oritur: nonnunquam verò & aliquid humoris in arteriam clanculum inſtillatur,vnde ad tuſsim prouocātur. Vuam autem & columnam maior ſpiritus difficultas ſequitur,& magis impedita deuoratio. * in his enim humor in nares repellitur, quoniam tonſillæ vnà malè habent. Senibus columna accidere conſueuit: iuuenibus autem ac viris,vua,ſiquidē hi ſanguine referti ſunt, * & inflammationi magis obnoxii. pubeſcentes & pueros membranarum vitia ſæpius infeſtant. Secari autem omnia citra noxam queunt: ſed in vua adhuc rubentibus locis,ſanguinis effluuium,& dolores,& phlegmones incrementū ſuperueniunt.

DE TONSILLARVM VLCERIBVS, CAP. IX.

VLcera in tonſillis fiunt,aliqua familiaria,mitia, non lædentia: aliqua aliena,peſtifera,necantia. Mitia quidem,ſunt munda, exigua, non altè deſcendentia,non inflammata,dolorem non excitantia. Peſtifera ſunt lata,caua, pinguia, quodam concreto humore albo, aut liuido, aut nigro ſordentia. Id genus vlcera ἄφθαι nuncupantur. Quòd ſi concreta illa ſordes altius deſcenderit, affectus ille ἐσχάρα & eſt & vocatur, *Latinè cruſta.* Cruſtam verò circunueniunt rubor excellens, & inflammatio, & venarum dolor, quemadmodum in carbunculo, & exiguæ raræque puſtulæ, quas *Græci* ἐξανθήματα vocant, orientes: híſque aliæ ſuperuenientes, in vnum coaleſcunt, atque inde latum vlcus efficitur. Id ſi interius in os depaſcendo ſerpit, ad columellam vſque peruenit, ipſámque exedit,& linguam etiam occupat,& gingiuas,& fræna, *id eſt dentium alueolos*: dentéſque inde labefactantur & denigreſcunt. In collum etiam phlegmone erumpit: atque iſti haud ita multis diebus pòſt phlegmone, febribus,fœtore,inediáque conſumpti intereunt. At ſi in pectus per arteriam id malum inuadat, illo eodem die ſtrangulat. Pulmo enim & cor neque talē odoris fœditatē,neque vlcera,neque ſanioſos humores ſuſtinent. ſed tuſsis ſpirandique difficultas enaſcitur. Cauſa maleficii tonſillarū, eſt frigidorum,aſperorum,calidorum,acidorum adſtringentiúmque deuoratio: quandoquidem hæ partes pectori ad vocem ſpiritúmque edendum inſeruiunt,& ventri,ad alimenti tranſmiſsionē, & gulæ,ad eiuſdem deuorationem obſequio ſunt. Internis verò partibus ſiquod contingat incommodū,ventri videlicet,gulæ,& pectori, ad iſthmū & tonſillas,& loca ibi poſita,mali conſenſus & eructationes perueniunt. Quapropter pueri vſque ad pubertatem maximè hoc morbo tentantur. præcipuè nanque pueri multum frigidúmque aerē inſpirant, quoniam in iis plurimum caloris ineſt,& ad cibos intemperantes ſunt,& varia concupiſcunt, & frigidā potant, & excandeſcentes ac ludentes,altius vociferātur. Puellis quoque vſque ad menſtruæ purgationis tempora hæc vitia vſitata ſunt. Regio AEgypti horum affectuum planè fœcunda eſt. aer enim ſpirādo ſiccus adducitur: varios præterea cibos ſuggerit. Radices enim,herbæ,atque olera ibi largè proueniunt,& acria ſemina, & potio craſſa, vtpote Nili aqua. ſibi verò AEgyptii ex ordeo, & ex ſlocibus ſeu vinaceis potiones acres conficiunt. Syria quoque, maximè *illa quæ* κοίλη, *id eſt caua, nominatur,* huiuſmodi morbos procreat: vnde AEgyptia & Syriaca vlcera id genus appellant. Modus verò mortis quammiſerrimus accidit. dolor quidē acer, & calidus,qualis in carbunculo, ſpiritus vitiatus. exhalant enim maximæ putredinis odorē, * eundémque vehemēter in pectus ſpirando adducunt. Immundi adeo ſunt vt neque ſuū ipſorum odorē ferre queant. Pallida his ſeu liuida facies,febres acutæ, ſitis, vt igne accenſi videantur potum,veriti dolores,nō admittunt. * triſtātur enim quū tonſillæ comprimuntur, aut potus in nares reſilit. qúumque decumbunt,ſurgūt vt ſedeant,decubitū nō ferentes. quòd ſi ſedent, * quiete carentes,iterū decumbere coguntur: plerunque autē recti ſtantes obambulant. * nam quieſcere nequeunt. ſolitudinē fugiunt,dolorē tollere dolore tentātes. Inſpiratio,magna eſt. frigidū enim aerē ad refrigerationem deſiderāt: expiratio verò,parua. nam veluti igne exuſta vlcera quū ſint,à calido præterea ſpiritu incenduntur. Raucitas adeſt: vox nihil ſignificat. atque hæc in peius ruunt,quum ſubitò in terrā collapſis anima deficit.

DE PLEVRITIDE, ID EST MORBO lateris, CAP. X.

SVb coſtis,dorſo, * & internis pectoris ad iugula vſque,tenuis membrana robuſtáque,oſſibus inhærēs, ſubſtrata eſt,cui nomē Succingēs inditū eſt. In hac quum phlegmone ſuborta fuerit,ignis adeſt cū tuſſi & ſputis variis. πλευρῖτις morbus iſte appellatur. Opus eſt autē omnia hæc inter ſe conſonare atque cōſpirare, ab vna cauſa pendentia. quotquot enim ex his ſparſim alia ab alia cauſa proueniunt,etſi omnia ſimul ingruūt, πλευρῖτις nō vocatur. Hunc affectū comitatur dolor acutus ad iugula aſcendēs, ignis acer: decubitus in latus inflammatū facilis eſt. * In ſua enim ipſius ſede collocatur: in oppoſitā verò partē decubitus dolorem cōcitat: à pondere enim & phlegmone,& ſuſpenſione in omnes mēbranæ continuas partes ad humeros vſque & iugula,quibuſdam verò & in terga,& in dorſi ſcapulas dolor protenditur. * Pleuritida veteres *Græci* appellarūt, *Latini morbum lateris,uel coſtarum.* Eam verò ſequitur difficilis ſpiritus,vigilia,ciborū faſtidium, malarū rubor hilaris,tuſſis arida, ſputa ægrè exeuntia, pituitoſa, aut bilioſa,aut abundè cruenta,aut ſubflaua: & hæc ordinē nō ſeruantia,ſed aliâs alia aduenientia ac recedentia. ex omnibus verò peius eſt ſi cruentū ſputum deſit. Delirant autē, & nonnunquam comate occupantur, * atque in ſoporem grauē inclinantes,mentis alienationē patiuntur. Itaque ſi in malū vertatur morbus, omnibus in peius vergentibus, intra ſeptimā iſti in ſyncopam lapſi,conſumuntur: at ſi in ſecunda hebdomade educi ſputa incipiant,& mala augeſcant,decimoquarto die pereunt. Nonnunquā ſanè intra huius temporis ſpatiū,omnium in pulmonē tranſitus eſt. trahit enim in ſeipſum pulmo rarus & calidus, & ad proxima trahenda ſeſe cōmouens: túncque * morbi tranſpoſitione repentè homo ſtrangulatur. Cæterùm ſi diem hunc ægrotus tranſierit,atque intra viceſimum non moriatur, ἔμπυος, *hoc eſt pectore ſuppuratus*, euadit. Hæc profectò ſi morbus ad perniciem tendat, eueniunt. At ſi in melius vergat,ſanguinis è naribus larga profuſio cū impetu ſuccedit: túncque repentè morbus diſcutitur: quandoquidem & ſomnus oritur,& pituitæ reiectio aduenit,poſtea bilioſorum tenuiū,deinde multo tenuiorū,rurſum verò cruētorum,craſſorum,carnis formā referētium. Quòd ſi poſt cruenta iterū exeat bilis,poſt ipſam pituita,ſecura eſt hæc in priſtinū reſtitutio. Hæc ſi tertio die incipiunt, & facilè extuſſiunt læuia,æqualia,humida,rotunda,ſeptimo die liberantur: quando & venter bilioſa exturbat,ſpiratio conquieſcit,mens ad ſe redit,febres decreſcunt, ciborum appetentes ſunt. Si ſecunda verò hebdomade hæc inchoantur, decimoquarto die ſanantur: ſinminus, in ἐμπύημα, *hoc eſt pectoris ſuppurationem*, morbus vertitur. Id verò rigores indicāt,doloréſque punctorii. ſedere cupiunt, ſpiritus deterius ducitur: tunc metus maior eſt ne pulmo pus multum ſubitò attrahens,hominē ſuffocet qui prima & maiora mala euaſerat. Verumenimuero ſi inter coſtas morbus irrepſerit, eáſque diſiunxerit, & phlegmones faſtigiū extrorſum deprompſerit,aut verſus inteſtina eruperit,plerūque homo ad ſanitatem redit. Inter anni tempora hyems maximè huius morbi ferax eſt: ſecundò autūnus: ver mi-

nus, niſi interdum frigidum ſit, æſtas verò minimé. Quantum ad ætates attinet, in primis ſenes pleuritidi ſunt obnoxii qui etiam ſæpius quàm alii liberātur. neque enim magna phlegmone in arido corpore excitari poteſt, neque in pulmonē tranſitus facilis eſt: quippe qui eſt in ſene cta quàm in alia ætate frigidior, quando & ſpiratio parua eſt, & omnium attractio imbecilla. Iuuenes autem & viri haud ita frequenter in hunc morbū incidunt: verùm neque admodum frequēter euadunt. nam neque ab exigua cauſa, neque ob exiguam phlegmonē ægrotāt: in magnis autem maius ineſt periculum. Et pueri minimè pleuritide corripiuntur, minúſque ab ea periclitantur: quandoquidem puerilia corpora rara, humida, fluxáque ſunt, ac multa eſt in eis * difflatio atque digeſtio: quocirca neque magna contrahitur phlegmone. ea eſt huius ætatis in hoc morbo felicitas.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI de cauſis & ſignis acutorum morborum, Lib. II,

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

LIBRI SECVNDI CAPITA.

De pulmonaria,	Cap. I.	De iecinoris acutis morbis,	Cap. VII.
De ſanguinis reiectione,	Cap. II.	De cauæ venæ acuto morbo,	Cap. VIII.
De ſyncopa,	Cap. III.	De renum acutis affectibus,	Cap. IX.
De ardoribus,	Cap. IIII.	De veſicæ acutis affectibus,	Cap. X.
De cholera,	Cap. V.	De vteri ſtrangulatu,	Cap. XI.
De voluulo,	Cap. VI.	De ſatyriaſi,	Cap. XII.

DE PVLMONARIA, CAP. I.

OB duo potiſsimùm viuūt animalia, eſcam videlicet & ſpiritum. Ex his multo magis vitæ conducit ſpiratio: hanc enim ſi quiſpiam ſupprimat, non diu fuerit incolumis, ſed protinus interibit. Huius inſtrumenta multa parata ſunt. initium ſunt nares: via eſt arteria: locus continens, pulmo: pectus autē, pulmonis eſt vallum & conceptaculum. Verùm cætera vt inſtrumenta ſolùm animali ſubſeruiunt: pulmo verò attrahendi cauſam in ſe continet. Nanque in ipſo medio calidum viſcus ſedet, cor, vitæ ſpirādique principium. Id pulmoni quoque attrahendi frigidi aeris cupiditatē iniicit. ſiquidem ipſum incendit, verùm cor eſt quod attrahit. In primis igitur ſi cor affectum eſt, non diuturna eſt mortis dilatio: ſi pulmo malè habet, puſillam quidem ob cauſam difficulter ſpirat, * malè vitam agit, mors tardiſsimè aduenit, ſiquis medelam adhibet. Si vitium inſigne fuerit, qualis eſt phlegmone, ſtrangulatus ſequitur, vocis ſpiritúſque ſublatio: ſubitanea pernicies imminet. Hæc eſt ægritudo ea quam περιπνευμονίαν vocamus, *Latini pulmoniam dicunt*, * vomica ſcilicet pulmonis, quam acuta febris comitatur: quibus accidit thoracis grauitas, doloris carentia, ſi ſolus pulmo inflammatur. quippe qui naturaliter doloris immunis ſit, ob corporis raritatem, lanis aſsimilis. Aſperæ arteriæ in ipſo inſertæ ſunt, cartilaginoſæ, & ipſæ dolorem non ſentientes. Muſculorum pulmo expers eſt, neruos habet exiguos, graciles, ad motum ciendum opportunos. his de cauſis pulmo dolorem non percipit. At ſi quæpiam ex membranis eum ambientibus & ad pectus deligantibus inflammatur, adeſt tunc & dolor, ſpiritus eſt deprauatus, calidus: * ſedere volunt laborantes: ad ſpiritum ducendum, corpus rectum ſtatuitur: (ad id enim hic eſt ſitus aptiſsimus:) rubeſcit facies, ſed malæ præcipuè: oculorum album nitidiſsimum ac pingue eſt: ſummæ nares ſimæ ſunt: venæ temporum, vel etiam colli, elatæ apparent: cibos auerſantur, arteriarum pulſatus initiò magnos habent, inanes, creberrimos, perinde acſi feſtinare coacti ſint. Calor in exterioribus membris modicus humectúſque eſt: in interioribus ingens, aridus. Inde fit ſpiritus calidus, ſitis, linguæ ſiccitas, frigidi aeris auiditas: mentis ambiguitas ſuperuenit; tuſsis adeſt plerunque ſicca. Sin aliquod ſputum mouet, id vel ſpumans pituita eſt, aut aliquid exquiſitè bilioſum, aut cruentum, floreo colore valde perfuſum: id verò cruentum aliis pernicioſius eſt. Quòd ſi mortifera magis ægritudo redditur, vigiliæ augeſcunt, ſomnus paucus, torpidus, haud abſimilis ſopori qui à *Græcis* cῶma nominatur. Cogitationes vanæ inſurgunt, mens alienatur, non admodum ecſtaſi corripiuntur: præſentia mala ignorant. nam eos ſi de morbo interroges, nihil periculi inſtare reſpondent. Eorum algent extrema liueſcunt vngues curuantúrque: motus arteriarum parui frequentiſsimique ſunt & deficientes, quando ipſis pro-
B xima mors eſt: nam ſeptimo die plerunque moriuntur. Porro ſi nonnunquam morbus ſubſiſtit, & aliquantulum in melius vergit, vehemens de naribus ſanguinis eruptio conſpicitur, aut per aluum cum perturbatione, multorum bilioſorum & ſpumantium ſuccorum deiectio: qui ex pulmone in * imum ventrem depulſi fuiſſe videri poſſunt, ſi multi liquidiores & facilè deiiciuntur. nonnunquam verò & per vrinarias ſemitas euocantur. Cæterùm quibuſcunque hæc ſimul eueniunt, hi quamprimum ægritudine ſubleuantur. quidam vtique ſunt qui-
C bus magna vis puris in pulmone procreatur: aut ex pleuritide fit permutatio, ſi maius bonum ſuboritur. Quòd ſi ad inteſtina aut veſicam ex lateris morbo ſanies deriuata ſit, tunc quidem continuè pulmonis vomica liberantur: ſed diuturnum vlcus, quod demum ſaneſcet, in latere patiuntur. Quibus verò in pulmonem pus irrumpit, nonnulli ob ſubitaneam & copioſam effuſionem, & reiiciendi infirmitatem ſuffocantur: at quicunque ſuffocationis periculum ex tumoris eruptione ſubterfugiūt, hi longo tempore pulmonis vlcere cruciantur, & in phthi-
D ſin prolabuntur. Verùm ex abſceſſu & phthiſi pauci admodum ſenes liberantur, ſicut neque à pulmonia iuuenes & florentem ætatem agentes.

DE SANGVINIS REIECTIONE Caput II.

SAnguis ab ore duobus modis emittitur: primò, ex ipſo ore, capite, & vaſculis quæ ibi ſunt. via eſt palatum & fauces, vbi eſt gulæ & arteriæ principium. ſcreantes verò & cum parua tuſsi, vel etiam citatiore, in os ſanguinem eructant. Nam quum ab ore fertur, neque * ſcreatu opus eſt, tum ἔμπτυσις, *id eſt expuitio*, dicitur: * quum ve-
E rò pauciſsimus & guttatim ſanguis exit, aut etiamſi copioſus de capite vel ab ore eruperit, nondum appellanda * eſt ἀναγωγή, *id eſt reiectio*: ſed idem vel πτύσις, *id eſt ſpuitio*, vel αἱμοῤῥαγία, *id eſt ſanguinis eruptio*, dicitur: ſin ab inferioribus aſcēndat, à pectore viſceribúſque ibi latentibus, pulmone, aſpera arteria, lociſque ſpinæ finitimis, huiuſmodi non πτύσις, ſed ἀναγωγή vocitatur, aſcenſionis ac viæ per quam fertur, nomen habens. Signa verò vtriuſque communia, exigua & pauca ſunt, quantum & locus permittit, in quem reiectio & ſputum conueniunt:
F ſingulorum autem propria, magna & multa, & periculoſa ſunt, quibus vtranque effuſionis ſanguinis ſpeciem internoſſe leue eſt. Igitur ſi à capite ſanguis decurrit, vbi multus eſt, plura maioráque aderunt: pauca minoráque, vbi rarò paucúſque expuitur. Caput graue eſt, dolet: ſonant aures, facies rubet, venæ diſtentæ ſunt, vertigo infeſtat. Et ante hæc cauſa euidens fuit, percuſſus, frigora, calores ingentes, vinum largius epotum. quippe id ſubitò ac valde caput implet, repentéque multum ſanguinis

effracta vena profundit: modica ebrietas rarefacta ve- A na ſanguineum ſputum mouet. Interdum per nares ſanguinis conſuetum profluuium ſiſtitur: ad palatum verò conuerſum, reiectionis imaginem præbet. Igitur ſi de capite profluit, titillatio in palato gignitur: creber ſcreatus fit: poſt quem ſputum erumpit: inde iraſcuntur, tuſſique magnopere agitantur. Si ex palato in arteriam defluit, tum per tuſsim ſanguinem extrudunt: idque multos falſos habuit, ex profundis viſceribus reiectionem fieri ſuſpicantes. Nonnunquam & ex capite decurrit in gulam, ſicque cum nauſea euomitur: falſóque multis ita B perſuaſit vt ex gula ferri ſanguinem crederent. Qui expuitur ſanguis, haud ita craſſus eſt, colore ater, læuis, æquabilis, alienæ materiæ non permixtus, (ſcreantibus enim confeſtim in linguam cadit) rotundus, auulſionique obediens. Tu verò ſi palatum etiam introſpicias, * id ſordidum, vlceroſum, & ſæpius cruentum videbis. Huic ſimplex curatio breuiſque ſuffecerit, adſtringentia videlicet medicamenta palato adhibita, & ea frigida. ſiquidem calefacientia, & quæ rara faciunt corpora, & quæ dilatant, fluxum maiorem citant: eáque ſit à C capite cadentis ſanguinis coniectura. At caput quoque vel per venæ ſectionem, vel per nares, vel per aliam diflationem euacuandum eſt. & hæc maturè facienda ſunt. nam ſi diutius ſanguis feratur, quædam erit eius curſui exercitatio, eiúſque loci membra ſuſcipiendo ſanguini aſſueſcent. Vlceratur autem & arteria: vnde * tuſsis non ſcreatus exoritur, atque inde fit * eruptionis initium. Si verò à pectore inferioribúſque viſceribus ſanguis effluxerit, ἀναγωγή, *reiectio Latinè*, nuncupatur. Vtique valde mortifera eſt ſi ab aliquo principe membro effracto D ſanguis manauerit, aut à concaua cordis vena, ſanguinem ab iecore illi ſuggerente, aut à magna arteria ſecundum dorſi ſpinam diſcurrente. nam erumpente ſanguine, perinde acſi iuguletur homo ac ſtranguletur, mors inſtat celerrima. Quibus autem ex pulmone, aut coſta, aut aſpera arteria profunditur, non æquè citò intereunt: veruntamen in ſuppurationem pectoris, *quæ* ἐμπύημα *dicitur*, & in phthiſin incidunt: minus periculi ab aſpera arteria portenditur. Si autem gula aut ventriculus ſanguinem vomunt,* neque admodum lethalis eſt affectus E &, ſi valde copioſi ſanguinis vomitus eſt, neque longa curatio eſt, neque varia. Si à iecore aut liene prodeat, non facilè id fit, neque continenter. nanque in ventriculum & inteſtina expeditius hæc viſcera ſanguinem propellunt: haud ita tamen quin credendum ſit hæc eadem ad ſuperiora, videlicet pulmonem & arteriam, poſſe retrudere. Siquidem in febribus à liene & iecinore * per narem illam ſanguis erumpit quæ eregione patienti viſceri opponitur. Locos vnde ſit exitus, iam recenſuimus, eorúmque periculi vel mortis diſcrimina. F Effuſionis autem ſanguinis tres ſunt modi, vel rupta vena aliqua, vel exeſa, vel rarefacta. Rumpitur quidem repentè vel ictu, vel * ferendo onere, aut tollendo, vel ab edito loco deſiliendo, vel clamore, vel magna excandeſcentia, aliáve id genus cauſa, quum ſubitò in arteriam copioſus ſanguis effunditur. Si ab eroſa parte, hominem interrogare opus eſt num prius tuſsierit, difficulter ſpirauerit, nauſea vomitúſve antea infeſtauerit. in his enim diuturnis affectibus copioſa & acri fluxione perſeuerante vaſcula exeduntur. Vbi igitur * detritæ & G attenuatæ & ad extremum conſumptæ fuerint ambientes membranulæ, hac atque illac ſanguine perfluunt. At rarefactio citra rupturam eſt: proinde non ſubitanea, neque cum multi aut craſsi ſanguinis exitu. nam quum rareſcunt venarum corpora, tenuis pars excernitur. Quòd ſi multus * in aliquo inani ſpatio ſanguis collectus rurſus emittitur, craſsior ſeipſo redditur: non tamen multo craſsior, neque ater, quale concrementum aut grumus eſt: ſed copioſior, vtpote qui vnum in locum prius confluxerit. Id genus autem repentini exitus plerunque H fœminis quibus menſtrua non reſpondent, euenire ſolet: idque ſingulis menſibus euenit, iiſdémque menſtruæ purgationis circuitibus apparet, necnon iiſdem ſtatis ceſſationis diebus ſupprimitur. ac niſi mulieri laboranti ſuccurratur, per multos circuitus ſanguinis emiſsio reuertetur. Nempe quibuſdam vaſa rupta ſunt, ſed multitudine reiectio euariat. Et ab arteria an à vena feratur intereſt: quoniam ater eſt ſanguis, craſſus, & facilè ſpiſſeſcens, qui à vena mittitur: præterea minus periculi adfert, celeriúſque compeſcitur. Ab arteria flauus tenuiſque prolabitur, haud ita cogitur, citius hominem perimit, & maiori negotio ſupprimitur. nam arteriæ agitatio, ſanguinis fluorem mouet, vulnúſque frequenti concuſsione dehiſcit. * Eroſionis autem curatio magnam diligentiam poſtulat, quum * ſit longa, difficilis & periculoſa. Etenim parte membri deficiente, ad ſolidationem vlcus non ducitur: vlcus enim, non vulnus efficitur. Rupturæ verò facilior ſolidatio, quia vulneris oræ ſe contingunt: & hæc ſecundo periculi ordine conſiſtit. Minimus in rarefactione metus ſubeſt: ſponte enim ſanguis conquieſcit, & adſtrictio refrigeratióque in medendo ſatis eſt. Cæterùm & ſedes vnde ſanguis proficiſcitur, obſeruandæ ſunt. ſiquidem multa ſunt communia indicia, & erroris occaſio in promptu eſt, curatióque diuerſa. A gula igitur haud ita ſæpe per rarefactionem ſolet ſanguis effluere, quum ob cibos potionéſque refrigeratio & adſtrictio eius partes condenſet. Quinetiam eroſiones haud frequenter fiunt, ac minus quàm rarefactio, gulam infeſtant. quippe fluxiones erodentes non multum temporis in ea ſubſiſtunt, ſed aut expuuntur, aut ad inferiora pelluntur. Frequentius gulæ incidit ruptio. itaque ſi interdum rupta eſt, non tam magnæ, ſicuti à pectore, ſanguinis profuſiones fiunt: in cauſa eſt venularum quæ ibi ſunt, arteriarúmque tenuitas. ſanguis verò exiens non magnopere nigricat, ſubflauus eſt, non exactè læuorem habet: aut ſaliuæ permixtus eſt. cum nauſea & vomitu reiicitur. Leuis tuſsicula citatur, modò humidum quippiam mouens, modò arida. id euenit, quoniam gulæ affectum arteria quoque participat, ſecundum illam extenta & adhæreſcens. morſus vel adſtrictio vlceris inter deuorandum percipitur: idque præſertim ſi bene frigida, aut calida, aut acerba ſint quæ deglutias. nonnullos autem & gulæ ipſius dolor inuadit, ad interſcapulum vſque interdum pertinens. vomunt * pituitoſa. nonnunquam, ſi morbus producitur & inualeſcit, cibum reiiciunt, cibos ſummopere faſtidiunt. febres haud ita multum continuæ, ſed erraticæ ſunt. E ventriculo niger concretúſque ſanguis euomitur, etiamſi ab arteria fluxerit: ſi à vena, multo nigrior compactiórque eſt. nauſea multa adeſt, pituitoſus bilioſúſque vomitus: ſi prius homo comedit, cum cibis mixtus ſanguis eiicitur. in eodem enim loco cibus ſanguiſque colligitur. ructus crebri fiunt, & virus olentes. Quòd ſi multa materia collecta eſt, angor animi vertigóque ſequitur: * quum materiam vomuerunt, ſubleuantur: * reſoluuntur tamen, penitus exæſtuant, aſsiduéque dolet ventriculus. Ab aſpera autem arteria paucus ſanguis, vehementer flauus, per tuſsimque expellitur: qui niſi expellitur, continens tuſsis inhæret. ſenſus verò & dolor in gutture eſt, paulum ſupra aut infra: vox rauca & obſcura fit. Si à pulmone, repentè vberiórque ſanguis emanat, idque magis ſi eroſio in cauſa fit: * tuſsis permoleſta eſt: ſanguis verò exactè flauus, ſpumans, rotundus, ſic vt pars eiecta à parte diſtincta ſit. Cæterùm & in communi vaſe corruptio eorum quæ de pectore exeunt, alia eſt: comparatione autem, permixta diſcernas: alioqui pectoris partes ſpecie carnoſas, pulmonis eſſe partes cenſueris: verùm pectoris grauitas, indolentia, rubórque in facie multo magis in pulmonis vitio reperitur. * Si in pectore noxa ſit, in parte priori ſecundum os pectorale, quod vocant, dolor laceratam partem oſtendit. ingens tuſsis adeſt, vix aliquid extrudens: ſanguis non multum flauus eſt, modicè craſſus, ſpuma carens. Quòd ſi & pulmoni in tranſitu noxam impertiat, aliquid etiam ſpumæ conſequitur. quandoquidem ex pectore in arteriam per pulmonem iter datur. * Si à membrana coſtas veſtiente, per tuſsim quidem ſanguis funditur: ſed niger, læuis, tetri odoris viroſique, qualis ex putridis rebus exhalat. * dolor ſuccingentis membranæ acutus vexat. multi ex his cum febre, vt pleuritici ſolent, intereunt. Tempus anni humidum calidúmque ſanguinis emiſsionem maxi-

me procreat. tale eſt humidum & calidum ver: ſecundo loco æſtas, autumnus minus, hyems minimè. Æſtate maximè moriuntur ob ſanguinis effluuium, quo tempore haud ita magnæ phlegmonæ oriūtur: vere ſecundò, phlegmonis & vrentibus febribus conſumuntur: autumno plurimùm tabes, quas *Græci* φϑόας *dicunt*, eueniunt. Vt ſemel autem dictum ſit, omnem ſanguinis reiectionem, quantumuis modicam, quāuis iam rupta vaſa coiuerint, comitatur mœror, diffidētia, vitæ deſperatio. Quis enim eſt adeo firmo & conſtanti animo, qui ſe iugulationi ſimile quiddam paſſum eſſe conſpiciens, nō futuram mortem vereatur & perhorreſcat? nam & grandiora animalia & robuſtiora, quales tauri ſunt, ſanguinis profuſione celerrimè perduntur. Verùm hoc haud magnopere mirandum eſt: illud ſumma admiratione dignum, quòd in ſola ex pulmone reiectione, quæ omnium ſæuiſsima eſt, homines animum non deſpondent, quum tamen in extremo diſcrimine verſentur. Pulmonis indolentiam huiuſce rei cauſam ego ſtatuo. quilibet enim dolor, quanuis exiguus, interitus metum iniicit, & plerunque terribilior eſt quàm * periculoſior: contrà indolentia in plurimis vel magnis morbis à morte ſecuritatem præſtat, damnoſiórque eſt quàm terribilior.

DE SYNCOPA, CAP. III.

REctè planè medicus & vulgus, rectè, inquam, huic affectui nomen indiderunt. *ô cyphon, cuius mali eſt nomen? Ecquid enim maius? ecquid celerius ſyncopæ *facultate? ecquodnam aliud nomen ad hanc rem appellandam ſignificantius? quid verò corde ad mortem vitámve * potentius? Neque ſyncopam, cordis ægritudinem eſſe, aut vitalis in eo poteſtatis detrimentum, nō credendum eſt. tanta eſt mortis celeritas, & talis morbi ſpecies. Quippe is affectus, vinculorum poteſtatis vitam fouentis diſſolutio eſt, hominis conſtitutioni aduerſarius. hanc enim tenaciter corripiens nō dimittit, ſed diſſoluit ac diſsipat. Neque id magnum eſt miraculum: nam & alii affectus, quorundam membrorum quibus inhæreſcunt, indéque accenduntur, proprii ſunt & periculoſi. Βουβῶνες, *id eſt inguinum tumores*, peſtiferi & permaligni, iecoris ſoboles ſunt, nulláque alia ex parte prodeunt: tetanus autem, neruorū labes eſt comitialis morbus caput obſidet. Pari igitur ratione & ſyncopa, cordis & vitæ ægritudo eſt. Quicunque verò ſtomachi affectum ſyncopam eſſe opinantur, quoniam cibis vinóque, in nonnullis & frigida vires refectæ ſunt, & ægritudo ſublata, iidem mihi videtur capillorum capitis & cutis affectum eſſe phrenitin opinari: quoniam capillorum detonſione & * cutis irrigatione phrenitici releuantur. Verùm * cordi ſtomachus vicinus pernicioſus eſt, vnde in cor tam noxia quàm vtilia deriuantur. Etenim per pulmonem etiam, vt ſpiret, aerem cor accerſit. Veruntamē pulmo haud ex æquo ſpirandi facultatis particeps eſt, quum facultates nō in inſtrumentis, ſed vbi eſt fons vitæ atque roboris, ſtatuātur. At ſtomachus, vitæ neque principium, neque ſedes eſt: aliquis tamen ab eius imbecillitate lædi poteſt. nam & cibi cordi nocentes, nō ſtomacho officiunt, ſed cordi per eum noxam infligunt. Siquidem & ab illis morientes, cordis affecti notas repræſentant, arteriarum motus paruos debiléſque, cordis concuſsionem cum vehementi palpitatione, vertiginem, animi deliquium, torporem membrorum, reſolutionémq́;, copioſum ſudorem, qui ſupprimi nequeat, refrigerationē in toto corpore, ſenſus vociſque priuationē. dicendúmne eſt hæc ſtomachū perpeti? Sed quænam ei propria? Nauſea, vomitus, cibi faſtidium, ſingultus, eructatio ſimplex, vel acida. Illi præterea quibus cor laborat, ſenſus aciem exquiſitiorem habēt, vt videant & exaudiant plus quàm antea. mente etiam ſunt firmiore, & animo puriore. proinde non tantùm præſentia declarant, verumetiam futura veriſsima diuinatione prædicunt. Nónne igitur & hæ ſtomachi poteſtates ſunt? Hercule minimè, ſed cordis, vbi & anima & eius natura inhabitat, ad quod & virtutū ibi ſitarum calamitas pertinet. Huius verò morbi eſt tenoris naturæ deſtructio, *auctore frigido humidóque: quippe hoc oppreſsi intus & in cute refrigeſcunt, nō ſitiunt: frigidum ſpirant, quanuis magnis ac perurentibus febribus, vnde ipſa ſyncopa dependet, affligantur. Natura enim ro-

A buſta & probè temperata omnia ſuperat, omnibus dominatur, ac per humorem & ſpiritum & ſolida, horúmq́; omnium conuenientem ordinem & modum, hominis vitam adminiſtrat. Quòd ſi naturæ nexus, id eſt tenor, diſſolutus ſit, tunc affectus oritur, cuius prægrediens cauſa eſt καῦσος, *id eſt febris urens, uel uſtoria*. is verò huiuſmodi eſt.

DE CAVSO, ID EST FEBRE VSTOria, Cap. IIII.

IGnis paſsim & acer & tenuis eſt: ſed intus maximè. Spi-
B ritus tanquam ab igne, calidus: aeris vehemens attractio, frigidi cupiditas, lingua arida, in labiis & cute ſqualor: algent extrema, lotium quàm bilioſiſsimum, inſomnietas, arteriarū motꝰ crebri, parui, imbecilli: oculi *puri, lucētes, ſubrubri: facies bene colorata. Quòd ſi morbꝰ vlterius creſcat, omnia maiora & ſæuiora fiunt. arteriæ minimis motibus & creberrimis agitantur: ignis aridiſsimus & acerrimus. mens delirat, *omnia ignorat. ſiticuloſi fiūt, omnia frigida attrectare cupiunt, parietem, veſtem, pauimentum, humorē. manus frigent, ſed palmæ perquàm ca-
C lidæ: vngues liuent. ſpiratio crebra eſt, roſcidus humor circa frontem & iugula. Quum ad ſummam ariditatem calorémque corporis natura peruenerit, tum calidum in frigidum, ſqualor in imbrem conuertitur. Rerum nanque ad maximam molem incrementa in contrarium ſtatum prolabuntur. Vbi ergo naturæ nexus ſoluti fuerint, ea ſyncopa eſt. tunc ſudor ingens toto corpore funditur, & nullo pacto compeſcitur. Spiratio frigida eſt, * vapor è naribus multus exhalat. Siti non vexantur: cætera enim exaruerunt. quinetiam alia inſtrumenta ſitiunt, os & gu-
D la: vrina tenuis & aquea redditur. Aluus plurimùm adſtricta eſt: nonnunquam tamen pauca quædam bilioſa deſcendunt. copioſa & aliena *humiditas redūdat, oſſa quoque tabeſcentia diffluunt: & vndique, vt in flumine, ad exteriora omnia dilabuntur. animus ſtabilis & conſtans eſt: ſenſus omnis purus & integer, ſubtile ingenium, mēs vaticinando idonea. Primùm quidē ſeipſos de vita migraturos præſentiunt, deinde præſentibus futura denuntiant. Nonnulli verò interdum eorū dictis fidem non habendam putant, ſed dictorum euentus homines in eorū
E admirationem concitat. Aliqui præterea ex his cū quibuſdam vita defunctis ſermonē habent: fortaſſe quidem ipſi ſoli præ ſenſus acumine & puritate eos adeſſe cernentēs, aut fortè ipſorum animo viros cum quibus verſaturi ſunt, prænoſcente atque enarrante. Quippe antea in lutulētis humoribus & caligine demerſus erat: quos vbi morbus exhauſit, & ab oculis tenebras deterſit, quæ in aere fiunt prædicant, exutóque ſordibus animo, veraciſsimi vates efficiuntur. Sed quorum ſucci & ingenium adeò extenuati ſunt, ii nō diu admodū ſolent eſſe ſuperſtites, quū
F eorū vitalis potentia * iam in aerē ceſſerit atque abierit.

DE CHOLERA, CAP. V.

CHolera eſt materiæ à toto corpore in gulam, ventriculum & inteſtina retro fluens motio: vitium acutiſſimum. ſuprà enim per vomitum erumpunt quæ in ore ventriculi & gula congeſta fuerant: infrà deiiciuntur humores in ventriculo inteſtiniſque natātes. In primis quæ euomuntur, aquæ ſimilia ſunt: quæ anus effundit, ſtercorea, liquida, tetriq́; odoris ſentiuntur. ſiquidem longa cruditas id malum excitauit. Quòd ſi per clyſterem eluan-
G tur, primò pituitoſa, mox bilioſa feruntur. Initio quidem facilis morbus eſt, dolore vacans: poſtea verò tenſiones in ore ventriculi & gula, tormina in ventre naſcuntur. Si magis ſæuiat morbus, & tormina augeſcant, anima deficit, membra reſoluuntur, cibos exhorrent, animus conſternatur. Siquid acceperint, cum magno tumultu nauſea & vomitus inuadit, tum ſincerè flaua bilis expellitur: deiectiones quoque ſimiles ſunt: nerui tenduntur, tibiarū brachiorúmque muſculi conuelluntur, digiti incuruantur: vertigo oboritur, ſingultiunt: vngues liuent, algent extre-
H ma, totum corpus rigore concutitur. Si malum ad vltimū venit, tum verò ægrotus ſudore perfunditur: bilis atra ſuprà infráque prorumpit. conuulſione impedita veſica, lotium cohibetur, quod tamen, quum in inteſtina humores deriuentur, abundare non poteſt: voce priuantur, arteriarum pulſatus minimi ſunt ac frequentiſsimi: cuiuſmodi

in ſyncopa propoſuimus. conatus ad vomēdum perpetui ac inanes fiunt. inclinatio ad deiiciendum prompta, quā *τεινεσμὸν Græci uocant*, ſicca tamen, nihilque ſucci egerēs. mors demum ſequitur doloribus plena & miſeranda, per conuulſionem, ſtrangulatum & inanem vomitum. Id genus maximè æſtate graſſari cōſueuit: ſecundò per autumnū, minus vere, hyberno tempore minimè. Inter ætates autem iuuenta, & ea quæ robuſtior eſt, hoc fere corripiuntur: ſenecta rariſsimè: pueri magis quàm ſenes, ſed non mortiferé.

DE HILEO GRAECE VOCATO, LATINÈ voluulo, CAP. VI.

PHlegmone in inteſtinis gignitur, pernicioſum dolorem mouens. quippe innumeri torminibus acerbiſsimis necantur. In hiſce & frigidus flatus & lentus colligitur, nec infrà, nec ſuprà facilè penetrans. Commoratur autem diu, pérq; ſuperiorum inteſtinorum anguſtos anfractus *εἰλεῖται, id eſt reuoluitur*. vnde & affectus, εἰλεοῦ, *Latinè voluuli*, nomen accepit. Quòd ſi ad tormina compreſsio & remollitio inteſtinorum acceſſerit, multúmque imum ventrem ſuperauerit, id verò iam χορδαψὸς eſt: quod nomen vltima parte * elixationem remollitionémve ſignificat: χορδὴ autē inteſtinorum vocabulum eſt. Græci enim veteres *μεσεντέριον, id eſt lactes*, nominarunt ἐπιχορδίδα, neruos ſcilicet interiacentes, & vaſcula, & membranas, quæ inteſtinorū ſtabilimenta & fulcimina ſunt. Voluuli cauſa eſt perpetua ciborū multorum, diuerſorum, inuſitatorúmque corruptio, & alia ſuper aliam cruditas: præcipuè ab eſu ciborum qui voluulum excitare conſueuerūt: quale eſt ſepiæ atramentū in ferculis ſumptum. idem exiſtimandum de plaga eſt, de frigore, de frigidæ potione, ſi, dum quis ſudat, eā largè abundéque ingurgitauerit. Ad hæc iis voluulus accidit quibus inteſtinū cū ſtercore in ſcrotum procidit, neque in ventrē repulſum, ſed per vim retentū fuit, his inferiora inteſtina phlegmone vexari ſolita ſunt. Pueros hic affectus crebrò malè habet, vtpote quos ſæpe cruditas infeſtat. hi tamē ſæpius etiā ſaneſcūt, cum ob conſuetudinē, tum ob humiditatē inteſtinorū. lubrica enim ſunt. Senes raró afficiuntur, ſed multo pernicioſius. Æſtas magis quàm ver huius mali referta eſt, autumnus quàm hyēs: æſtas vtrunque ſuperat. Multi quidem vi torminū repentè intereunt: aliis inteſtinū ſuppurat, deinde nigricans, tunc & putrefactum excidit, atque ita deficiunt. Mediocrem voluulum hæc ſymptomata comitantur, dolor oberrās, in ſtomacho * humiditas ſuperās, exolutio, mollitia, ructus inanes, nihil proficientes: aluus flatibus perſtrepens, qui ad podicem vſque properant, ſed ibi exitus intercluditur. Sin autem ex toto voluulus occupet, omnia ſurſum petunt, flatus, pituita, bilis: hæcque vomitu prodeunt. fiunt perpallidi, frigent toto corpore, acerbo dolore cruciantur, malè ſpirant, ſitiunt. Quibus verò iamiam mors inſtat, gelidus ſudor emanat, vrina difficulter exit: anus tam arctè clauſus eſt * vt neque vel tenuem acū poſſis adigere: ſtercus per os redditur: vox aboletur, arteriæ raró inter initia & parū micāt, inſtāte autē morte, minimè, creberrimè, tandem micare deſinunt. Hæc ſunt quæ tenuibus inteſtinis affectis incidūt. Verùm & in pleniore inteſtino, *quod Græci κῶλον uocant*, iidem affectus oriuntur, eadémq; ſymptomata eandem formam retinentia. Sed nonnulli quibus κῶλον ſuppurat, huiuſce morbi diſcrimen effugiunt. Cauſa eſt huiuſmodi affectus carnoſa inteſtini craſsitudo. Dolor autem in gracilibus quidem inteſtinis tenuis eſt & acutus, in pleniore verò inteſtino eſt redundans humiditas, & incumbens grauitas. dolórq; modò ad coſtas vſque ſuperiores aſcendit, quando & ſpeciē lateralis morbi præ ſe fert: (ſiquidē & iſti febricitāt) modò ſub ſpurias coſtas in dextram aut in læuam partem deſcendit, ſic vt iecur aut lien dolere videantur: item & ilia nonnunquam dolore torquentur. Colon nanque prægrande eſt, & quoquouerſum ſe circunuoluens. Quidam ſunt etiam quibus & in ſacro oſſe dolor inhæreſcit, & in femoribus, & illis in locis quibus teſtes appenduntur. *Græci κρεμαστῆρας appellant*. Qui hoc genere tentātur, vomitione plerunque inani laborant. quòd ſiquid reiecerint, id eſt ſubtile, bilioſum, olei ſimile. In hoc malo periculū tanto leuius eſt quanto κῶλον, *id eſt, laxum inteſtinum* tenuibus corpulentius, pinguius, & noxæ tolerantius eſt.

DE ACVTIS IECORIS AFFECTIBVS, Caput VII.

QVibus iecur malè habet, ii non celerius quàm qui corde ægrotāt, ſed maiore cruciatu perimuntur. maxima enim iecoris pars ſanguinis concrementum eſt. Si in huius autē viſceris portis aliqua incidat cauſa mortifera, æquè ac ſi ex corde laborarent, celeriter conſumuntur. Ratio in promptu eſt, quia videlicet hæ partes membranis, tonis gracilibus & magnī ad vitam momēti, grandioribúſque venis contexūtur. præterea (vt ſapientum quidā prodiderunt) hoc loco appetitricis animæ domiciliū eſt. Sanguinis vtiq; profluuia è iecore omnium maxima fiūt: neque abs re. venarum enim radicatio iecur eſt. Itaque in ipſo magna vomica haud ita frequenter, neque in particulis magis præcipuis oritur: (homo enim vita excedens præuenit) at exiguæ frequētius eueniunt. inde fit vt mortem quidem euadant, ſed longinquo morbo impliciti cruciētur. Ipſius enim functionis, qua ſanguinem condit, ceſſatio non conceditur, neque dilatio: atque hinc ad cor & ad viſcera intra ſeptū ſanguis diffunditur. At ſiqua magna iniuria, vtputa verbere, longa ciborum multorum vitioſorúmque corruptione, ebrietate, vehementi refrigeratione, phlegmone in portis iecoris excitatur, tunc ægrotus celerrimè iugulatur. Ignis enim in profundo corpore depaſcitur, obſcurus, acer. venarum motus torpent: doloris ſpecies variæ & diuerſæ ſunt. nonnunquam enim dextra in parte defigitur, adeo vt acutum telum adactum eſſe videatur: interdum torminibus ſimilis eſt: rurſum verò interdum dolor cum ſumma grauitate coniūgitur: atque inter dolendum virium debilitas vociſque caſus incidit: tranſuerſum ſeptum, & interna coſtarum tunica inferius detrahuntur. quoniam inde iecur ſuſpenſum onere ſuo degrauat. Proinde ad iugulum è regione oppoſitum vehemens dolor peruenit. Tuſſicula quædam imperfecta, ſeu potius tantùm ad tuſſim * inclinatio eſt. ſiquando verò tuſſiunt, nihil reddunt, vitioſè ſpirant. neque enim pulmoni tranſuerſum ſeptum opitulatur, ei ad conſtringendum ac dilatandum morem gerens. paulum aëris adducunt, plus expirant. colore ex atro viridique permixto infecti ſunt, plumbea ſcilicet ſpecie: cibos oderūt: quòd ſiquid ſumpſerint, eis inflantur præcordia: ructus bilioſi, acidi, graueolentes exeunt, nauſeant, * vomere fruſtra conantur. venter ſolutus multa bilioſa excernit, viſcida pauca: ſed perpetuò augeſcunt mala. mens haud ita multū delirat: torpida, ſuſpenſa, & attonita eſt. magna eſt in corpore ſegnities: extrema frigent, tremor adeſt, horrores, ſingultus inanis, conuulſioni ſimilis, morbus regius, pura bilis, totúmque corpus bilioſo colore ſuffunditur. Quin morbus regius ante ſeptimum diem ſi apparuerit, plurimos ſuſtulit. Quibus autem vel ſanguinis profuſio, vel per aluum multorum bilioſorum exturbatio, vel vrina ſincera plurima effluens mortem depulit, poſt tres ſeptimanas iecur his ſuppurat. Quòd ſi multum temporis citra abſceſſum prætereat, in hydropem ineuitabilem terminatur. Hi ſiticuloſi ſunt, parum tamen bibunt. eorum corpus ſqualet, pinguedine carens. appetunt acida, ſed guſtatus ſapores non percipit. Autumnus hoc malum fert, * multorum variorúmque fructuum eſum ſequente cruditate. Inter ætates florens ei magis obnoxia eſt.

DE VENAE CONCAVAE ACVTO MORbo, Cap. VIII.

AB iecoris portis inter eius extrema magna vena ingreditur: quæ ſemper in tenues pluréſque dū ſcinditur, denique in tenuiſsimas viſumque latentes toto iecore diſpergitur. Iſtarū ſummis oſculis aliæ venarum extremitates cōmittuntur: quæ & gracilibus & pluribus maiores amplitudine, ſed numero pauciores conſtituuntur. demum in medio iecore in venam vnicam grandem coaleſcunt. Inde hæc in duas partitur, quæ iecoris extrema petunt. Harum altera ſuperius primam fibram penetrans, in eius conuexa egreditur: mox tranſuerſum ſeptum perforans, in cor inſeritur. hæc vena cōcaua nominatur. Altera verò quintam fibram, quæ inferius iacet, traiiciens, vſque in iecoris gibba ad ſpinā peruenit, & eo loco ad coxendices vſque porrigitur. Ea quoque eodem nomine concaua

nuncupatur: quoniam vna & eadem vena eſt ab initio A
de iecore exoriens. *Siquis enim aliquid de ſuperiore
vena caua cordi infixa in eam quæ iuxta ſpinam proten-
ditur, aut à ſpina per iecur ad cor velit impellere, eun-
dem deſcenſum aſcenſúmque inueniet. Hæc igitur ve-
na (vt arbitror) vniuerſa ægritudines & acutas & validas
patitur. nam tota vna eſt atque continua. à nonnullis au-
tem medicis ea pars duntaxat quæ ſecundum dorſum diſ
currit, ægrotare creditur. quoniam eius quæ cor intrat,
notæ obſcuræ ſunt. intra pectus enim rei nulli adhærens,
ſed in pectore ſubleuata protenditur, donec tranſuerſum B
ſeptum egreſſa, cordi inſeritur. Igitur ſiquod ingens ma-
lum hanc venam corripiat, pectore ambiente deliteſcit.
In hac itaque vena *καύματα* oriuntur. *ſunt autem καύματα
diuturni affectus ex defluxu materiæ prouenientes*, quando ſan-
guis copioſus erumpens, citiſsimè vitam delet: per ſupe-
riora quidem, per pulmones & arteriam effluens, ſi in
pectore fiat effractio: ſi iuxta principium, in imum ven-
trem deſcendens, in inteſtinis continetur, atque adeo in-
teſtina replentur. quum priuſquam deiectus ſanguis in
conſpectum detur, homines intereunt, * & ventriculus C
ſanguine redundat. Naſcitur & circa venam phlegmo-
ne, quæ & ipſa, ſi magna ſit, celeriter hominem tollit. i-
gnis enim acer mordáxq; in ambabus cauitatibus inclu-
ſus accenditur, paucúſque duntaxat foris apparet, vt tan-
genti flamma tenuis eſſe videatur: æger verò ſeſe cōburi
exiſtimat. pulſatus arteriarum exigui ſunt, creberrimi,
ac veluti oppreſsi atque repulſi. frigus adeſt extremo-
rum, ſitis aſpera, oris ſiccitas: facies decolor, rubet: o-
mne corpus ſubrubidum eſt: præcordia dura ſunt atque
reuulſa. dolor in dextra parte maior, & * cum eo palpi- D
tatio in longitudinem ad ilia vſque perueniens. Quibuſ-
dam & arteria ſecundum dorſum inflammatur. quod
pulſatio in alteris præcordiis manifeſtat. nam & ipſa ve-
næ cauæ morborum particeps efficitur, iuxta illam in ſi-
niſtro latere poſita, vtpote ea quæ in omne corpus didu-
citur, nihil leuaminis adferente, neque cutim emolliēte.
Cutis autem ſic affectorum, ſqualida, rugoſa atque aſpe-
ra eſt: ſed in partibus prominentibus atque oſſeis, vt in
cubitis, genubus, digitorúmque articulis magnis, talis
conſpicitur. ſomni tumultuoſi fiunt. aluus quibuſdam E
nihil reddit, quibuſdam exiguum, acre, bilioſum. lotium
* acre mordáxque eſt. mens vtique his conſtat: ſed * qua-
dam ſegnitie torpet, & corpus tabe conſumitur. tum
quotquot hunc habitum viderunt, eum *καῦσον*, * *id eſt ar-
doris ſpeciem*, appellarunt. quandoquidem quæ adſunt, ſub
ardoris genere collocantur. Per autumnum hæc labes
exoritur, * quum ferum quiddam & immane ſapit. Vi-
ros ac iuuenes occupat, quibus mala viuendi ratio la-
boréſque tenuem corporis habitum compararunt. De- F
cimoquarto die hi plerunque moriuntur: quibus mor-
bus diutius trahitur, duplo longiori tempore pereunt.
Quotcunque autem aut ab initio puſillam phlegmonen
habent, aut magnam, paulatim remittentem, mortem
quidem euadunt, ſed nondum morbo liberantur. Hi
longo ſanè tempore cauſo laborant: verùm omnia peri-
culoſa iam deſinunt, dolores, præcordiorum diſtentio-
nes, & pulſuum malitia, & mentis ignauia. adhuc ta-
men faſtidioſi ſunt, languentes, conſilii inopes: ſimúlque
& ardor, & ſitis, & linguæ oríſque ſiccitas ægrum diſ- G
cruciant. multum diúque trahentes ſpirant, & ſubitò
totum aerem vna ſpiratione refrigerandi cauſa addu-
cunt. Verùm ſi frigidam quamplurimam affatim bi-
bunt, breui interuallo moleſtia leuantur. poſtmodum
ipſis ſitis accenditur: rurſúmque vberrimè aquam ingur-
gitant. & hæc eſt mali ſucceſsio & reciprocatio. At egre-
gius medicus frigidam liberaliter citra noxam propina-
re poteſt, vt in aliis ardoribus adſolet: ſed longè tutius
ardore à vena caua oriente laborantibus eam conceſſe-
rit. Quòd ſi ventriculus aut veſica potam aquam expel- H
lant, neque vomitione opus eſt: ſin id facere nequeant,
à multa frigida epota multum vomendum eſt. homo e-
nim diſrumperetur ſi tanto bibito humore nihil aut per
ſudores, aut per vrinam, aut per ventrem effunderet.

DE RENVM ACVTIS AFFECTIBVS, Caput IX.

RENes quantum ad corporis ſpeciem attinet, haud
ita multum periculis patent, tametſi in aliquod a-
cutum vitium incidant. glanduloſa enim ipſorum natu-
ra eſt. ad mortē verò inferendam bene habiles ſunt: ipſo-
rum enim actio peropportuna eſt, vrinæ videlicet à ſan-
guine ſecretio, eiuſdémque expulſio. Sed eam cohibet
aut calculus, aut ingenita phlegmone, aut ſanguineum
concrementum, aut id genus. quandoquidem ex con-
ſenſu affectionis ob formam corporis prouenientis nul-
la creatur offenſio. Vrinæ autem intercluſio omnia ſæ-
ua & acerba facit, ignem acrem & faſtidium inferen-
tem, dolorem grauem ſecundum lumbos in dorſo, par-
tium diſtentionem, ſed magis circa præcordia. Suppreſ-
ſio autem lotii non ex toto fit, ſed ſtillatim quidem me-
iunt, multum verò effundere cupiunt: redundantiam e-
nim ſentiunt. Quòd ſi & acre mordáxque lotium ineſt,
frigent, tremunt, conuelluntur, diſtenduntur præcor-
dia, & replentur. Hæc morbi forma perceptióque dolo-
ris, alui inflationi à ciborum multitudine corruptioné-
que prouenienti ſimilis eſt. Pulſus initio rari ſunt ac ſe-
gnes: ſi malum plus vrgeat, parui fiunt, crebri, turbulen-
ti, inordinati. ſomni tenues, dolore vexati, non conti-
nui: ſed repentè à ſomno perinde acſi quis pupugerit,
proſiliunt: poſtea in ſoporem tanquam laſsitudine op-
preſsi delabuntur. mentis alienatio haud ita magna eſt:
nugantur, facies liuet. At ſiquando rurſum meiendi aui-
ditas redeat, cum * diſtentionibus magniſque dolori-
bus modicum quiddam, idque ſtillatim eiiciunt. tum
paulum cruciatibus leuantur, poſtmodum in eadem re-
labuntur. Inter hos illi celerrimè pereunt qui nihil pror-
ſus emittunt. * Quicunque verò non moriuntur, (plu-
res enim liberantur) hi aut calculo in veſicam per vrinæ
ſemitas delapſo, aut phlegmone ſuppurante, paulatim-
ve per difflationem exhalante, diſcrimen euadunt. Quā-
quam enim paulatim & auarè effundatur vrina, mortem
tamen facilè effugiunt: at longo temporis curriculo eo-
rum habitus contabeſcit. Atque iure iſta ægrotantes pa-
tiuntur, in peiúſque labentes ad colliquationem deuol-
uuntur. Anni verò tempora, loca, ætates hunc morbum
ferunt, quæ & in vena caua laborante ferebant. Non-
nunquam è renibus ſanguis multus ſubitaneus erupit,
multíſque diebus continenter effluxit: verùm nemo ex
huiuſmodi profluuio moritur: * ſed phlegmones ratione,
quæ ſimul cum profluuio naſcitur, & ſanguinem coercet.
plerunque autem ex retentione quam ingens phlegmo-
ne facit, moriuntur.

DE ACVTIS IN VESICA AEGRITVdinibus, Cap. X.

VEſica difficiles in acutis morbis dolores patitur &
quū ab aliis vitiū participat, ſed difficiliores magiſ-
que mortiferos ſi per ſe laborare inceperit: quandoqui-
dem omni corpori & neruis & menti labem communi-
care valentiſsimè poteſt. Quippe veſica neruus frigidus
albúſque eſt, & * ab innato calido quamlongiſsimè,
quamproximè verò externo frigori poſita. Nam in imo
ventre ad aures thoracis ſita eſt: nobili quoque munere
fungitur, vrinæ videlicet emiſsione. Hæc porro ſi tan-
tùm calculis, aut ſanguinis grumis, aut qua alia pro-
pria peregrinâve calamitate intercluſa fuerit, perni-
cioſum eſt. In mulieribus enim ipſis & vteri phlegmo-
nas comprimit, in viris autem extremum rectum præ-
longúmque inteſtinum. In pleriſque verò ob inuolunta-
riam præ verecūdia retentionem in cœtibus hominum,
aut in conuiuiis repleta diſtenditur: conſtringeréque
non valens, nihil amplius excernit. Igitur vbi vrina ſup-
primitur, ſuperiores quoque partes, renes videlicet, re-
plentur: *οὐρητῆρες*, (*id eſt vrinæ ductus*) diſtenduntur. ilia
dolor ponderoſus infeſtat: nerui conuelluntur, tre-
munt, horrent, deſipiunt. Verùm ſi ad hæc & * vlcus acce
dat & inflammatio, multa ſanè damna eueniūt, ſed mors
ab vlceribus ſanè quamcelerrima inuadit. Cæterùm de
vlceribus, abſceſſu, ſuppuratione, & id genus aliis, quæ-
cunque non acutiſsima ſunt, in libro de diuturnis mor-
bis tractabitur. Quæcunque verò peracuta ſunt, & in-
tra quatuordecim dies, aut paulo citius ſeriúſve ho-

minem periinunt qualis phlegmone eſt: aut grummi ſanguinei, aut calculus in ceruicem delapſus, de iſtis in præſentia ſermonem faciam. Quapropter ſiquid horum inciderit, vrina retinetur, abdomen intumeſcit, dolor acutus totum ventrem occupat. veſica turget: decimo die luteus ſudor exit, pituita vomitur primò, deinde bilis: vniuerſum corpus friget, ſed pedes vehementius. Si malum vires maiores acquirat, tum febres cum ſingultu hominem corripiunt: micant arteriæ inordinatis, frequentibus ac puſillis motibus: rubida facies eſt, ſitiunt, animo ancipites ſunt, mens non conſtat, nerui contrahuntur. Medicamentis præterea venenoſis, & cantharidibus, aut bupreſte & pneumatibus veſica deuritur: & tota aluus maiorem vim patitur, ac prorſus in peiorem ſtatum delabitur, neque longa mortis mora interponitur. Nonnunquam & ſanguinem veſica effundit: flauus autem ac tenuis veſicæ ſanguis eſt. Sed perrarò hac de cauſa homines pereunt, quanuis haud facilè ſanguis ſupprimitur. Grummi verò & phlegmonæ minantur interitum. refrigeratio enim & *νέκρωσις, id eſt extinctio caloris ingeniti*, ſequitur, gangræna quoque, & quæ eam comitantur mala. Id genus facilè hominem tollit. Hæc vitia hyeme & autumno graſſantur. In ætate virili, magis etiam in ſenecta vigent. Reliqua anni tempora & ætates neque aſsiduè hos morbos ferunt, miniméque mortiferi ſunt. Pueri omnium maximè his calamitatibus vacant.

DE VVLVAE STRANGVLATV, Caput XI.

IN mediis ilibus mulierum vulua poſita eſt, muliebre viſcus, animalis ferme naturam adeptum. Siquidem per ſe huc atque illuc verſus ilia mouetur: quinetiam ad ſuperiora eregione pectoris cartilaginem ſubit: in latera quoque, in dextram videlicet aut læuam partem, aut ad iecur aliáve inteſtina mouetur: & ad inferiora natura procliuior eſt. Vtque paucis abſoluam, penitus errabunda eſt, & iucundis odoribus delectatur, ad ipſóſque ſe recipit: contra fœdè olentibus contriſtatur, & ab ipſis longius ſe proripit. ac prorſus eſt in homine vulua perinde ac in animali quoddam animal. Hæc itaque ſi repentè ſuperiora petierit, ac diutius ibi commoretur, viſceribúſque violenter incumbat, interdum homo veluti comitiali morbo correpta, citra neruorum diſtentiones ſtrangulatur. anguſtiis nanque iecur, tranſuerſum ſeptum, pulmones, cor, celeriter opprimuntur. Qua de cauſa ſpiritus priuatio imbecillitáſque adeſſe videntur. Præterea & *καρωτίδες, id eſt uenæ ſomniferæ*, cordis vitium participantes, affliguntur, vnde capitis grauitates & ſenſuum abolitio cum nouo quodam ſopore adueniunt. Incidit etiam ipſis aliud vitium proximè dicto non abſimile, in quo ſpiritus & vox auferuntur: ſed à vulua non prouenit. quippe & viros infeſtat inſtar morbi quem *κάτοχον* nominant. At mulieribus à vulua male habentibus tetra odoramenta naribus ſubiecta, iucunda verò naturalibus oppoſita, opitulantur. altero autem affectu laborantibus hæc fruſtra adhibentur, nihílque opis adferunt. Præterea membra in vuluæ morbo agitantur, in altero affectu quieſcunt. Amplius tremores ſpontini & non ſpontini, ſed ex * amblothriæi ſubiectione excitantur. vuluæ refrigerationes vehementes, copioſæ ſanguinis profuſionis retentio, & id genus alia in cauſa ſunt. Itaque ſi in ſuperiora ſubeunte vulua vexari mulier inceperit, ad obeunda negotia pigrior redditur, exoluitur, infirmatur, genua labant, vertigo infeſtat, extrema debilitantur, caput dolet, graueſcítque. In venis ab vtroque naſi latere iacentibus dolorem mulier percipit: quòd ſi ceciderit, ſtomacho mordetur. Iuxta præcordia, ilia, vbi vuluæ domiciliũ eſt, inania ſũt, motus arteriarum intermittunt, ordine carent, deficiunt: ſpiritus magnopere angitur, vox intercipitur, ſentiendi facultas impeditur. ſpiratio ignota obſcuráque eſt: celerrima nec opinatò mors aduenit. nihil enim adeſt quod mortem inſtare ſignificet: color nanque viuidus eſt, ac multo poſt mortem tempore magis rubent. Oculi parum admodum extantes fulgent, haud ita multum intenti, neque tamen valde remiſsi & conniuentes. Cæterùm ſi priuſquam malum ad extremum venerit, aliquando vulua in ſedem propriam migret, à ſtrangulatione liberantur: quando aluus ſubmurmurat, humiditas adeſt locorum muliebrium, ſpiritus aſperior manifeſtiórque redditur. * nequaquam tamen ab affectu excitantur, aut ſubleuantur, immo quamcelerrimè interitus aduenit. nam facilè ſuperiora vulua petit, facilè quoque inde recedit. Quippe vulua ſuapte natura ſuperfluitat: membranæ verò eam ſuſtinentes humidæ ſunt: humidus eſt & locus vbi reconditur. Amplius fuga & appetentia triſtium iucundorúmque mouetur: quocírca labaſcit facilè, ac veluti arboris ramus huc & illuc ſúſque déque impellitur. Propterea & iuuenes fœminæ id vitii patiuntur, ſeniores immunes ſunt. Quibus enim ætas & vita & mens vaga magis & erratica eſt, his vulua quoque errabunda inſtabiliſque ſit neceſſe eſt: quibus verò firma ac ſtabilis ætas & vita & mens fuerit, his & vulua ſimiliter afficitur. Hæc vtique à vulua prouenicns ægritudo, ſtrangulatus videlicet, mulieribus duntaxat infeſta eſſe poteſt. Veruntamen * communes quoque viris ægritudines in vulua oriri conſueuerunt, phlegmone videlicet, & ſanguinis profuſio. communes etiam ſunt quæ comitantur notæ: vtpote febres, pulſus abolitio, refrigeratio, vocis amiſsio. In ſanguinis autem profuſione & maturius mors ingruit, quemadmodum quum quis animal iugulat.

DE SATYRIASI, CAP. XII.

SAtyri * Baccho ſacri, qui pictura quique ſtatuis exprimuntur, arrecto pene figurantur. quod diuinæ rei ſignum eſt. Eſt verò & affectus ſpecies, qui laborantis penem excitat erigítque: atque ob Dei figuræ ſimilitudinem *σατυρίασις* nuncupatur. Eſt autem inexplebilis coeundi appetitus. Verùm neque ſi ad Veneris opus accedant, quicquam iuuantur: neque multo aſsiduóque concubitu ſedatur arrectio. Conuulſiones autem omnium neruorum fiunt, & tendonum diſtentio, & inguinum, partiſque eius quæ inter inguina & femen eſt, (*πληχάδα Græci nominant*) genitalium præterea inflammatio & dolor. In facie rubor ineſt, & vapor quidam roſcidæ humiditati ſimilis. Porro ipſi ægri ſeſe incuruant & comprimunt: quieſcunt triſtes, demiſsi, vtpote calamitatem ſuam grauatim ferentes. Quòd ſi hominis verecundiam id malum ſuperet, turpiter admodum lingua intemperantes efficiuntur: intemperantes quoque in * aluo exoneranda, in venerem laſciuientes, mentéque indecenter titubantes. nam ſe continere nequeunt: ſiti laborant, pituitam largius euomũt: quoniam labris ſpuma (quemadmodum hircis in libidinem ruentibus) inſidet. quinetiam haud abſimilis odor eſt. lotium poſt longam retentionem effunditur album, craſſum, genituræ ſimile. aluus reſoluitur, coſtæ & axillæ ſponte pruriunt ac titillantur. conuelluntur, à cibis abhorrent: ſed quum eos aſſumunt, rapaciter aſſumunt: conturbantur. Sin ad interitum ægritudo ſpectat, inflantur, ventérque in tumorem effertur. tendones & lacerti omnes contenduntur, ægrè admodum corpus mouetur, membra contrahuntur, arteriæ paruo motu, debili, inordinatóque agitantur. Hæc omnia quandoque diſcutiuntur, ſi aluus perturbata multas pituitoſas bilioſáſque humiditates eiecerit: eaſdem quoque vomitus * non abſque diſcrimine effuderit. Nempe medela non vacat diſcrimine: ea per ſomnum profundum longiſsimúmque præſtatur. Siquidem refrigeratio & reſolutio ſtupórque neruorum multus ſomnus eſt: ſtupor verò ac refrigeratio ſatyriaſin medicatur. Id morbi genus vere potiſsimùm atque æſtate ſæuire conſueuit. Inter ætates autem adoleſcentia iuuentúſque ei maximè patet: præcipuéque illi omnes quorum natura in venerem propenſior eſt. Acutiſsimum id malum, triſte fœdúmque eſt. nam plerunque in ſeptima die hominem conſumit. Memoriæ proditum eſt mulieres etiam in hanc labem incidere, & eundem in libidinem impetũ ac cætera omnia ſimilia perpeti. Verùm ego impudicum quendam libidinis ardorem mulieres inuadere mihi perſuadeo, mulieres, inquam,

humiditate affluentes, vt ipſius redundantia profundatur:ſed ſatyriaſin id eſſe minimè conceſſerim. Neque enim ipſarum natura atque temperies, quum frigida ſit, huic vitio habilis atque expoſita eſt. præterea neque partes ad arrectionem idoneas,quemadmodum Satyrus, (vnde affectui nomen eſt inditum) mulier obtinet:quandoquidem neque viri ſtrangulatione ab vtero vexantur, quoniam viro vterus datus non eſt.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI
De cauſis & notis diuturnorum affectuum Liber I,

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

CAPITA HVIVS LIBRI.

De diuturnis affectibus,	Cap.I.
De cephalæa,	Cap.II.
De vertiginoſis,	Cap.III.
De epilepſia,id eſt morbo comitiali,	Cap.IIII.
De melancholia,	Cap.V.
De furore,	Cap.VI.
De reſolutione neruorum,	Cap. VII.
De phthiſi,	Cap.VIII.
De ſuppuratione in pectore,	Cap.IX.
De vomica pulmonis,	Cap.X.
De anhelitu,	Cap.XI.
De pulmonariis,	Cap.XII.
De iecore,	Cap.XIII.
De liene,	Cap.XIIII.
De morbo regio,	Cap.XV.
De cachexia,i.malo corporis habitu,	Cap.XVI.

DE DIVTVRNIS AFFECTIBVS, PROOEmium, CAP. I.

DIuturnarum ægritudinum dolor multus eſt, tempus colliquationis lõgum,& medicatio inſtabilis. vel enim haud ex toto morbi deleti ſunt, vel deleti, ex qualibet leui offenſa reuertuntur. Nam laborantes æquo animo ferre vſque in finem nõ audent:quin etiamſi æquo animo ferunt, in victus ratione nimis longa delinquunt. Si verò & dolor adeſt,laborioſa curatione per ſitim, famem,amara medicamina & dolorem excitantia,aut per ſectionem,aut vſtionem,(quibus in diuturnis morbis egemus) miſeri ægroti cruciantur,vt mortẽ quam iampridem appetebant, effugiant. Vbi mehercule in magna animi cõſtantia diu præſtanda,auxiliis variandis,iucundis citra noxam ægro concedendis,ipſóque decipiendo, medici virtus atque excellentia dignoſcitur. Cæterùm & æger fortis ſit,& cum medico aduerſus morbum conſpiret,neceſſe eſt: qui non ſolùm corpus tenaciter arripiens ipſum celeriter tabefacit & exedit, verumetiam ſenſum magnopere ſubuertit, animámque inſanam reddit. Nanque ab intemperie corporis id genus furorem atque μελαγχολίαν proficiſci nouimus:de quibus in ſequẽtibus dicã: in præſentia de cephalæa,*id eſt de uetere capitis dolore*, ſermonem iuſtituam.

DE CEPHALAEA, CAP. II.

SI caput repentè obuia quaque de cauſa per plures etiam dies dolorẽ patitur, hic affectus κεφαλαλγία nominatur:ſi multo tempore dolor infeſtare aſſueuit,& per longos frequentéſque circuitus, ac in dies maior violentiórque inſultat, difficulter ſanationem admittens, id genus κεφαλαίαν appellamus. Eius formæ infinitæ ſunt. Quibuſdam enim perpetuus dolor inhæret, exiguus quidem, ſed non intermittens: nonnullis per circuitus reuertitur, vt iis qui quotidiana intermittente febricitant: nonnullis ab occaſu ſolis vſque in meridiẽ,& tunc ex toto remittitur: vel à meridie in veſperam, aut etiam vlterius vſque in noctem permanet. ſed nõ multum hæc durat circuitio. Præterea dolor modò eſt in toto capite, modò in dextra magis, modò in ſiniſtra, modò circa frontem,aut ſinciput: hæcque eodẽ die incertè & erraticè fieri ſolent. Quidam dextra tantùm parte dolent,quidã læua,quâ tempus,vel auris,vel ſupercilium vnum,vel oculus ad medium vſque terminatur, vel quâ naſus in æquas partes diuidit: vltra quẽ terminũ dolor non progreditur, dimidium tantùm capitis occupãs. Id vitium ſolum ἑτεροκρανία dicitur: haud leue malum: quanuis intermittit, quãuis exiguũ eſſe prima ſpecie videtur. nam ſi acutè interdum impetum faciat, fœda atque atrocia detrimenta adfert: nerui diſtenduntur, facies obtorquetur:oculi vel contenti inſtar cornu rigidi ſunt,vel huc atque illuc interius conuelluntur,ac vertiginoſè agitãtur: in ipſiſque dolor profundus vſque ad intimas tunicas deſcendit. ſudor ex tendonibus immodicus effluit repẽtè, neque cohiberi poteſt:* neque vlla cauſa præceſsit, perinde ac ſi quis ligno plagam inflixerit. Nauſea & vomitus bilioſus comitantur: homo conſiſtere nequit,ſed in terram delabitur. Quòd ſi vitium quandoque increſcit, de hominis vita actum eſt:at ſi debilius eſt,& citra vitæ periculum, diutius permanet:pigritia multa adeſt,& capitis grauitas: animi pendent:vitã ægrè ferũt. fugiunt enim quodammodo lucem,tenebræque his ægritudinẽ ſolantur:neque quicquã iucundi aut intueri,aut audire ſuſtinẽt. Olfactorius in iis ſenſus infectus eſt,neque quicquam eos bene olens oblectat,pariter quoque graueolentia deteſtãtur. Vita ipſis inuiſa eſt,mortémque diſcupiunt. Harũ calamitatũ fons & origo eſt,cũ ariditate frigiditas. Si diu teneat, magiſque inualeſcat ægritudo, poſt id genus dolores vertigo ſubſequitur.

DE VERTIGINE, CAP. III.

SI tenebræ oculis prætendũtur,& caput in turbinis modum circũduci videtur,& auribus murmur veluti delabentis cũ ſtrepitu fluminis inſonat, aut tanquã ventus flatu vela percutiẽs,aut tibiarũ fiſtularúmq; cantus, aut veluti ſtridor plauſtri currẽtis obſtrepit, σκότωμα.i.*uertigo* huic vitio vocabulum eſt:malũ quidẽ,ſi capitis ſymptoma eſt: malum quoque, ſi cephalææ ſucceſſit,aut ex ea vetuſta ægritudine ortum eſt. Nam ſi priora vitia non receſſerũt,ſed remanet σκοτοδίνη, *id eſt tenebræ oculorum,& apparens motus in orbem*, aut longiori tempore cum propriis ſymptomatibus nulla adhibita curatione ad ſummũ peruenit,vitium *appellatum à Græcis* ſcotωma, *à Latinis uertigo*, procreatur. Cauſam habet frigidam & humidam: aliorúmque ſæpe morborum, quũ inſanabilis euaſit, initium eſt,vt furoris,melancholiæ,morbi comitialis,cuique ſuis ſymptomatibus accedentibus. Vertiginis autẽ forma ita ſe habet:Grauitas adeſt capitis,ſplendida quædam oculis inter multas tenebras ſeſe offerunt, ſuimet æger propinquorúmque ignarus eſt:quúmque morbus augeſcit,tũc tibiæ ſoluuntur,atque humi repunt. Nauſea fit atque vomitus pituitæ, biliſve tam atræ quàm flauæ: quãdo flaua per vomitum reiecta, furor enaſcitur:atra verò,melãcholia: ac pituita exeunte,morbus comitialis efficitur. omnium quippe morborum talis conuerſio eſt.

DE EPILEPSIA, ID EST MORBO comitiali, CAP. IIII.

VArium ac portentoſum morbi genus eſt ἐπιληψία, *quæ dicitur Latinè comitialis morbus*, * terribilis vtique in acceſsionibus, & peracutus, & pernicioſus: quandoquidem nonnunquam acceſsio vna hominem rapuit. At ſi diligenti cura vim morbi ſuſtinet laborans, ægrè tamen vitam ducit inter fœditates, ignominias atque dolores. Morbus autem non facilè recedit, ſed ætatibus melioribus,& pulchriori tempore viget.* Vexat etiã pueros & adoleſcẽtes. interdũ ſecunda fortuna euenit vt per ſuccedentem prouectiorẽ ætatẽ abigatur, quando ſimul * cũ ætatis flore euaneſcit: ſed & tum quoſdã abiẽs deformes efficit:pueros quoque pulchritudinis inuidia perdit:

aut manũ inutilem reddẽs,aut faciẽ torquens,aut ſenſum A
aliquẽ prorſus auferens.Quòd ſi malum hoc penitus inſe
derit,atque radices altius egerit, neque ipſum medicus
neque ætatis mutatio ſubmouent,ſed cũ ægrotante viuit
atque cõmoritur.Interdum morbus iſte membra oculóſ-
que conuellens ac diſtorquens,dolores ciet: interdum &
mentem in furorẽ adegit. Triſte mediusfidius eſt ipſius
inuaſionis ſpectaculum: turpis & eius deſinẽtia,cũ ſterco
re & lotio & ſpontina ventris ſolutione. Ipſius quoque
morbi origo mirabilis, & præter hominũ opinionẽ eſt.
quippe nonnulli flagitioſis hominibus à luna immitti B
exiſtimant:cuius rei cauſa & ſacrum morbum hũc nomi
nant.Verùm & aliis rationibus id nomen fuit ei impoſi-
tum:aut ob magnitudinẽ: (omne enim magnũ,ſacrũ di-
ci conſueuit) aut quòd nõ humana ope tolli queat,ſed di
uina:aut quoniam dæmone correptus eſſe homo videa-
tur aut ob hæc ſimul omnia ſacer morbus appellatus eſt.
Quæcunque ſanè huic tanquam acuto morbo ſymptoma
ta eueniunt,ſuperius memorauimus. At ſi diu permanet,
neque per intermiſsiones citra noxã degunt torpentes,
abiecti animo, mœſti,hominũ aſpectum cõſuetudiném- C
que vitantes.neque ætate procedente mitiores fiunt:vigi
lant, per quietẽ multis formidoloſis imaginibus terren-
tur: cibũ ſumere faſtidiunt,ſumptũ malè conficiunt: de-
colores, faciéque plumbea ſunt:ob ingenii ſenſúſque tar-
ditatem ægrè diſcũt:auditus hebet,aures tinniunt,capiti
bombi veluti quidã inſonant.Lingua in ſermone perple
xa eſt ac titubat,aut ex vi morbi, aut * ob vulnera,quæ tẽ
pore exacerbationis accepit. tunc enim ob conuulſionis
neruorum motum lingua in ore variis modis torquetur.
Rationem quoque vſqueeo morbus cõturbat ac deiicit, D
vt prorſus denique infatuentur. Atque horum omnium
cauſa eſt cum humiditate frigiditas.

DE MELANCHOLIA, CAP. V.

ATra bilis in acutis ægritudinibus, ſi in ſuperioribus
apparet, oppidò quàm mortifera eſt:ſi ad inferiora
deſcendẽs exiit,nõ valde vacat diſcrimine.In tardis autẽ
longiſque morbis,ſi ad aluũ bilis atra decurrit, in tormi-
na iecoriſque dolorem finitur: mulieribus verò purgatio
vice menſium aduenit, ſi in cæteris abeſt mortis pericu-
lum. At ſi ſuperius,vt puta ſtomachum, ſeptúmve tranſ- E
uerſum petit, inſaniam parit, quam *μελαγχολίαν* nomi-
nant: flatũ nanque gignit, & ructus fœtidos, piſciũ odo-
rẽ exhalãtes.Infrà verò & *φύσας.i. flatus* cũ crepitu trãſmit
tit: necnõ & mentẽ ſimul alienat. Proinde melãcholicos
iuxtà & *φυσώδεας.i. flatuoſos* medici veteres ſic affectos ap
pellarũt.Porro quidã reperiũtur in quib⁹ neq; flatus,neq;
bilis atra colligitur,ſed ira immoderata & mœror, & in-
gens animi cõſternatio:hos quoque nihilominus *μελαγ-
χολικοὺς* nũcupamus.quippe quũ *ὀργὴ, id eſt ira*,ſignificetur
per *χολὴν*:per *μέλαιναν* autẽ, *id eſt atrã, πολλὴ & θηριώδης, id* F
eſt multa & efferata. Teſtis autem Homerus eſt,vbi inquit,

— τοῖσι δ᾽ ἀνέστη
Ηρως Ατρείδης ἐυρυκρείων Αγαμέμνων
Αχνύμενος· μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφιμέλαιναι
Πίμπλαντ᾽. ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐίκτην.

*Id eſt, Inter hos autem ſurrexit heros Atrides latè imperans A-
gamemnon, triſtis: furore autem ualde præcordia atra circum op-
pleta erant: eiúſque oculi igni fulgenti ſimiles erant.* Tales eua-
dunt melancholici, quũ ab hoc malo interimuntur. Eſt
autẽ animi angor in vna cogitatione defixus atque inhæ G
rẽs abſque febre. Mihi profectò melãcholia *μανίας, quæ
Latinè furor dicitur*, initium atque pars eſſe videtur. ſiqui-
dem furentibus animus modò ad excandeſcentiã,modò
ad voluptatem cõuertitur: at melancholici in triſtitia &
animi angore duntaxat verſantur. Addè q furentes,pluri-
mum vitæ ſic tranſeũt deſipientes,& fœda atrociáque cõ
mittentes. melancholici verò non in vna tantùm inſaniæ
ſpecie laborant,ſed aut venenum ne ſibi detur ſuſpican-
tur,aut hominũ conſuetudinẽ peroſi, in ſolitudinẽ aufu-
giunt:aut ad ſuperſtitioſam religionẽ conuertũtur aut lu H
cem hãc vitámque odio proſequũtur. Verùm ſiquid in-
terdum ex animi angore laxamenti habeant, exhilaratio
voluptáſque plurimis aduenit. hi verò in furorẽ præcipi
tant.Sed quomodo quibúſque ſedibus affectis id vitium
plerũque cõtrahatur,ſubiiciã. Porro ſi in præcordiis reſi

A det,cauſa circa ſeptum tranſuerſum immoratur, biliſque
ſupra infràve melancholicis prorumpit.Si caput etiã per
conſenſum afficitur,& excandeſcẽtiæ* delirium in riſum
hilaritatémque per longum vitæ ſpacium cõmutatur. Hi
verò morbi potius magnitudine quàm affectus dolore
in furorẽ prolabũtur: in vtriſque nimirũ ariditas * accu
ſanda. Viri ſanè & furore & melancholia corripiũtur: * ra
rius autẽ quàm viri, ſed deterius mulieres furiis agitan-
tur. Ætas quæ prope ſtatum eſt, & ipſe ſtatus huic malo
ſubiiciuntur. Æſtatis tempus & autumni hunc morbum
B procreant,ver autem iudicat.Inter notas euidentiores hæ
ſunt,quòd videlicet quieti aut triſtes,abiecti torpẽtéſque
ſunt abſque ratione, nulláque de cauſa melãcholia initiũ
ſumit: præterea in iram facilè incidũt,malè ſunt anima-
ti,vigilant,ex ſomnis tumultuoſè excitãtur: ingenti quo-
que pauore trepidant, quũ morbus crementum ſuſcipit:
quando & inſomnia vera ſunt,terribilia atque euidentia.
* Quotquot enim à naturali ſtatu valde aliena ſunt, ea nõ
protinus huic malo inſunt,ſed per quietem ſeſe offerunt:
quũ in aliquid impetu rapti ſunt, poſtea facilè eos pœni-
C tet:mutabiles ſunt,turpes,de minimis quibuſque ſoliciti,
auari, ſed nõ ita multo pòſt ſimplices,prodigi,multa lar-
giẽtes:nõ virtute animi,ſed morbi varietate.Quòd ſi ma
lum exaſperatur,homines oderunt,ab eiſque fugiunt, de
inanibus conquerũtur:vitæ maledicẽtes mortẽ expetunt.
Atque iſtorũ multis ſenſus ac mens vſqueeo ſtupore fa-
tuitatéque capiuntur vt omniũ ignari,ſuiquemet imme-
mores,in morẽ beſtiarũ vitam degant. corporis quoque
habitus in peius labitur:colore fœdo & ex atro viridique
commixto tinguntur:niſi inferius bilis deſcendat atque
D exeat, ſed quoquouerſum per corpus cũ ſanguine diffun-
datur. Multi cibi capaces, nihilominus tamen extenuati
ſunt,quoniã ſomnus in eis neque potu,neque cibo mem-
bra confirmat, ſed vigilia ad exterius mouet, ac diſsipat:
proinde & aluus arida eſt,nihil deiiciẽs. Nonnunquã ve-
rò deiicit ſicca,rotũda,atro quodam bilioſóque circunfu
ſa. Vrina pauca redditur,acris,bilioſa. Multũ flatuoſi ſpiri
tus in præcordiis eſt:ructus putidi feruntur,graueolentes,
perinde acſi ex maris lacuna exhalarẽt. Nonnunquam &
humidum quoddam acre cũ bile reiiciunt. arteriarũ mo
E tus fere parui ſunt,pigri,inualidi, crebri, frigori ſimiles.
Fama eſt ex his quempiam inſanabiliter ſe habentẽ, quũ
puellam deperiret, medicis nihil proficiẽtibus,ab amore
fuiſſe ſanatum.Ego verò ſuſpicor,eũ ab initio in puellam
exarſiſſe,inde triſtem & languenti animo,quòd ea nõ po
tiretur,euaſiſſe,ſuiſque popularibus melancholicũ viſum
eſſe. Hic verò nec amorem in ſe nouerat:at vbi puellæ a-
matæ ſe coniunxit,mœſtitia receſſit,ira & animi languor
diſcuſſus eſt,gaudium triſtitiam deleuit,& mens ab Amo
re medico prorſum ſanata eſt.

F DE MANIA, ID EST FVRORE, CAP. VI.

FVroris modi ſpecie permulti ſunt, genere tantùm v-
nus. eſt enim ex toto mẽtis alienatio diuturna,vacãs
febri. Etenim ſi febris quandoque coniungitur,id nõ ra-
tione furoris propriè,ſed alio quouis caſu incidit.Quippe
& vinum mentẽ inflammat, & per ebrietatẽ delirare co-
git:præterea quædam eſculẽta amentiam pariũt,vt man-
dragora & altercus. Sed neutiquã hi inter furẽtes nume-
randi ſunt. nam repentè hæc adueniunt, & celeriter con-
quieſcunt: furor autem,ſtabilis ac permanens eſt. Furori
G autem nihil ſimile deliriũ habet,quod ſenectæ calamitas
eſt. Eſt enim ſenſus, mẽtis rationiſque marcor & ignauia,
ex refrigeratione proueniens: at furor ex calida ſiccáque
cauſa exoritur, functionéſq; tumultuoſas præſtat. Delira-
mentum autẽ à ſenectute incipiens, nunquam per inter-
ualla deſinit, ſed ſimul commoritur; furor verò & inter-
mittit,& diligẽti curatione radicitus euellitur. Sed inter-
miſsio non ſincera eſt, quando per ſe furor deſinit, quũ
nõ congruẽter aut medela,aut temporis anni clemẽtia cu
ratur. Nonnullos nanque qui penitus ſoluti morbo vide-
H bantur,aut veris tempus,aut error in victu,aut ira caſu ali
quo prorritata,denuo ad furorẽ reuocauit. Porro illi huic
vitio facilè patẽt qui natura ſunt iracundi,acriter excan-
deſcentes,negotioſi,faciles,hilares,qui iocoſis puerilibúſ
que delectantur. Illi etiam qui cõtrario his ſunt ingenio,
quicũque videlicet ſtupidi ſunt,triſtes,tardi in diſcẽdo,in

laboribus perſeuerantes, & qui quum demū quid didice
runt, facilè obliuioni tradunt. hi & melancholia prom-
ptius capiuntur, qui & antea in furorē procidunt. Verùm
& in ætatibus quibus calor & ſanguis multus eſt, hi furo-
re exagitātur, vt puberes, iuuenes, & *viri. In quibus autē
calor ex atra bile accenditur, corporiſque habitus ad ari-
ditatem vergit, his in melancholiā cadere facillimum
eſt. Item victus ratio, multi cibi aſſumptio, ſaturitas im-
modica, ebrietas, luxuria, veneris appetentia, hanc ægritu
dinem concitant. Nonnunquam & mulieres, niſi mūde-
tur corpus, furor infeſtat: quum ipſarum vteri ad virilem
congreſſum apti euaſerunt. aliæ verò haud ita facilè, ſed
admodum acerbè in furorē aguntur. Cauſæ tales ſunt:
vir nimium furioſus fit ſi conſuetus ſanguinis exitus, aut
bilis, aut ſudoris, aliqua de cauſa repreſſus eſt. Et quibus fu
ror voluptati eſt, rident, ludunt, ſaltant diu noctúque: ira-
ſcuntur palàm, nonnunquam coronati incedunt, ac ſi ex
aliquo certamine victores redeant: quibus obuiam fiunt
nō ſunt infeſti. *Ita ſe habet huiuſmodi furoris ſpecies.
Alii verò ab ira furentes, nonnunquam ſibi veſtes proſci-
derunt, & ſeruos interfecerunt, & ſibiipſis manus attule-
runt, & *obuios quoſque malè habuerūt. Species vtique
infinitæ ſunt. Nā qui ingenioſi ſūt ac dociles, aſtronomiā
diſcunt ſine doctore, philoſophiámque poſsident à nemi
ne traditam: poeticam quoque veluti à Muſis infuſam no
runt. aliquid enim & in morbis emolumenti præbet do-
cilitas. Rudes autem atque indocti homines hoc malo
circunuenti, grauia pondera ferunt: figulinam exercent
aut fabrilem, aut lapides cælant. Præterea & *monſtroſa
quædam cogitant. Timebat enim quiſpiam ne vaſa olea-
ria prociderent: alius non bibebat, ſe laterem eſſe exiſti-
mans, ne humore diſſolueretur pertimeſcens. Id etiam fa
ma diuulgat: Carpentarius quidam olim fuit, qui domi
prudēs operator erat, ligna bene metiebatur, ſcindebat,
cōplanabat, clauis iungebat aptabátque: in domo extruē
da ſobrius, cum exactoribus operum verſabatur, paciſce-
batur, pro laboribus iuſtam mercedem poſcebat. porro i-
ſte in loco vbi arte ſua fungebatur, mente conſtabat: at ſi
in forum quandoque diſcederet, ad balneum aut ad a-
liud quippiam neceſſarium, inſtrumenta deponens, pri-
mò ſuſpirabat, deinde egrediēs humeros conſtringebat:
poſtea quum è ſeruorum, fabricæ, locique illius cōſpectu
abiiſſet, tū penitus inſaniebat, & furore rapiebatur: quòd
ſi ad eundem locum celeriter recurriſſet, iterum ad ſe re-
dibat. *Hæc erat inter locum illum & viri mentē cogna
tio. Cauſa morbi huius in capite præcordiiſque conti-
netur: modò vtroque membro pariter laborare incipien
te, modò *altero alterū inuicē lædente. Verùm *præci-
pua furoris & melancholiæ ſedes viſcera ſunt: quemad-
modum caput & ſenſus in phreniticis plerunque labo-
rant, in quibus vis ſenſoria oblæſa eſt, & quæ non adſunt,
tanquam iam præſentia conſpiciunt: & aliis non conſpi-
cua, ipſorum ſeſe oculis repræſentant. At furētes, tantum-
modo vident quæ videre oportet: ſed de illis non ſenti-
unt vt ſentiendum eſt. Itaque ſi magnū eſt malum, prom
ptiore ingenio ſunt: ſenſibus acutiores fiunt, ſuſpicioſi
ſunt, iracundi nulla de cauſa, mœrentes præter rationem,
quum in ſeuerum & tetricū furor vertitur: quū verò ad
animi hilaritatem inclinat, læti & alacres fiunt. Prius di-
cti, ſine *lædēte cauſa vigilant: vtriſque viſio deprauata
eſt: capitis dolor aut ſaltem grauitas comitatur: auditu
prompti ſunt, mente tardiſsimi. In quibuſdam ſanè pe-
culiariter ſonant aures, & bombis adeo perſtrepūt vt tu-
barum fiſtularúmque voces audire ſeſe exiſtiment: idque
fit quum morbus incremētum accepit. Multo vēto inflan
tur, *anxii ſūt, in ſumēdo cibo voraces atque auidi. vigi
lant enim, & vigilia famem ſuſcitat. Verùm neque, vt æ-
gri ſolent, emaciantur: ſed magis peculiaris melancholi-
cis corpulentia eſt: item pallore quodam ſuffundūtur. Si-
quod autem viſcerum phlegmone inuaſerit, tunc appe-
tentia nutricatióve hebetatur. oculi caui fiunt, non con-
niuentes: ob quos cæruleæ atræque imagines ſeſe obii-
ciunt, ſi ad melancholiam affectus vergit: ſed rubicun-
diora & punicea viſa ſunt, ſi ad furorem inclinat. pleriſ-
que etiam tanquam fulgurās ignis apparet, pauórque eos
veluti inſtantis fulminis occupat: nonnullis verò & ru-

A bent oculi, & ſanguine ſuffuſi ſunt. In ſummo ægritudi-
nis impetu variis ſecundum quietem viſis perturbantur,
immoderatéque venerem cōcupiſcūt: neque eos etiam in
publico *ventrem exonerare pudet. Ad mutua & fami-
liaria colloquia pigri ſunt: commonefacti & increpiti ad
iram excitantur, atque furore penitus inſaniunt. Exinde
alius alio modo furit: quidam *immēſum ſpatium de-
currunt, & quò peruenturi ſint neſcientes, eôdem vnde
diſceſſerant, curſu feruntur: alii per longum iter eos qui-
bus fortè occurrerint comitantur. Item nonnulli vocife-
B rantur, latrocinium, aut vim illatam querentes: alii ab ho
minum conſpectu in ſolitudines fugiunt, ſecúmque tan-
tummodo verſantur. Quum verò iam inclinatus eſt mor
bus, ſtupidi, quieti, mœſtique ſunt. in notitiam enim mor
bi veniētes, ſua calamitate miſeriáque triſtantur. Alia
reperitur furoris ſpecies, qua laborantes propria mem-
bra dilacerant pia cogitatione, Diis ſuis tanquam id po-
ſtulantibus gratificantes. Id furoris genus à perſuaſione
quadam duntaxat proficiſcitur. In cæteris hi temperan-
tes modeſtique ſunt. excitantur autem tibiæ cantu, alióve
C animi oblectamento, aut temulentia, aut præſentiū hor-
tatu. Deorum afflatu hic furor prouenit, qui quum remit
titur, hilares ſunt & curis vacui, tanquā diis initiati. præ-
terea decolores & macie affecti ſunt, diúque ex vulnerū
doloribus infirmum eorum corpus eſt.

DE NERVORVM RESOLVTIONE, CAP. VII.

APoplexia, paraplegia, pareſis, paralyſis, omnia genere
eadem ſunt. aut enim motionis, aut tactus, aut vtriuſ
que defectus eſt: interdum & mentis, interdum & reli-
quorum ſenſuum. Sed apoplexia, totius quidem corpo-
D ris & ſenſus, & mentis, & motionis reſolutio eſt. Proinde
apoplexiam fortem ſoluere nulla facultas poteſt: debilem
verò tollere non facile eſt. Paraplegia eſt tactus motúſ-
que remiſsio, ſed in membro vno, vtputa manu cruréve:
paralyſis autem, motus tantùm fere eſt actioniſque defe-
ctio. Quòd ſi nonnunquam ſolus tactus deficiat (raró
autem id euenit) potius anæſtheſia, *id eſt ſenſus abolitio*,
quàm pareſis *id eſt defectio*, nominatur. At ſi Hippocra-
tes apoplecton, *id eſt attonitum*, crus *ſecundum rectum
dicat, illud tanquam mortuo ſimile, inutile & inſanabile
E vult ſignificare. quod enim in toto corpore eſt vehemēs
apoplexia, illud in crure paraplegiam vocat. Vrinæ autē
in veſica aut ſuppreſsio, aut retinendi impotentia, pareſis
propriè eſt. Palpebrarum verò & malarum, muſculorúm-
que in maxillis, & genæ in alterutram partem diductio, ſi
per conuulſionem torqueantur, canina conuulſio nomi-
natur. Genuum reſolutionem, ſenſuſque per aliquantum
temporis ſtuporem, & exanimationem, & caſum, lipo-
thymiam, *id eſt animæ deliquium*, vocitamus. Verùm non-
nunquam membra ſingulatim reſoluuntur: ſupercilium,
F exempli gratia, ſolum, aut digitus: aut maiora etiam, vt
manus cruſve: nonnunquam ſimul plura: & aliâs dextra
tantùm, aliâs ſiniſtra, aut vnū poſt aliud omnia reſoluun-
tur exquiſitè, aut debiliter. Neque tantùm quæ diſtantia
ſunt, & quæ eodem cenſentur nomine, cōiugatáque ſunt,
vt oculi, manus, crura: verumetiam coniuncta, cognatá-
que, vt nares vſque ad medium, & lingua vſque ad fines
qui in ipſa media poſiti ſunt: vna tonſilla & iſthmus, ipſá-
que gula dimidia reſoluitur. Ego ſanè ſtomachum etiam,
& inteſtina, & veſicam, oblongúmque inteſtinum vſque
G ad principium, id eſt anum, idem vitium pati exiſtimo.
ſed interiora membra reſoluta latent, obſcuráque ſunt:
imperfectæ verò ſunt ac dimidiatæ eorum functiones.
Proinde mihi & membra dimidia pati videtur, in duas
partes à morbo diducta. Hæc res nimirum documento
eſt quo dextræ partis facultas & natura à ſiniſtræ partis
natura & facultate differat. Quippe accidens cauſa æqua-
lis eſt, & vtrique communes morbi occaſiones, ſiue frigi
ditas ſit, ſiue cruditas: ſed vtraque haud æquè pati ido-
nea eſt. Natura verò æquè valens eſt, vbi ſubiecta ſunt æ-
H què valentia: idem autem inæqualibus ineſſe nullo mo-
do poteſt. Igitur ſi infra caput aliquod principium affe-
ctum ſit, qualis medullæ dorſi membrana eſt, quæ nomi-
nis eiuſdem ſunt & contigua, dextra in dextris, & in ſini-
ſtris læua reſoluuntur. Verùm ſi caput primò in dextra
patiatur, ſiniſtra: ſi in læua, dextra neruorum reſolutione

laborant.Hoc ideo euenit quòd neruorum initia permu-
tata ſunt.neque enim dextri nerui in dextras partes ſe-
cundum rectum vſque ad extremum progrediuntur:ſed
ab initio enati,protinus ad oppoſitos tranſeunt, ſe inui-
cem permutantes in figuram *dictam* χιασμὸν,*id eſt quæ re-
præſentat hanc literam* X.Vtque ſemel dicam,ſiue omne ſi-
mul corpus reſolutionem neruorum patiatur,ſiue aliqua
membra,ſiue ab alterutra,ſiue ab vtraque parte,nerui de
capite fluentes alia ratione patiuntur. Nam ſenſu quidẽ
(vt paucis dicam)hi priuantur,non admodum autem fa-
cilè ex ſe motum amittunt.Quòd ſi per communionem
cum iis qui mouentur, aliquid vitii contraxerint, paulũ
& ipſi motus perdiderint.Nam & per ſe ipſi motum,tã-
etſi minorem,naturaliter poſſident. Nerui enim à mu-
ſculis ad muſculos tranſeuntes motionis principatũ ob-
tinent, & iis qui à capite manant, impertiunt. Nerui e-
nim capitis ab illis plurimum motus participant: tamen
ex ſe quoque(licet minorem)vim mouendi habent. At-
que hi nimirum in motu noxam magis patiuntur. Rarò
autem vſu venit vt per ſe iacturam ſenſus faciant: neque
tunc ex toto eam facere videntur. At ſiqua copula ner-
uorum ab oſſe quopiam enatorum, & ad oſſa pertinen-
tium,ſoluta aut rupta ſit,tum membra proprio ſitu non
continentur; luxantur,locóque dimouentur:non tamen
ſenſu priuantur.Hæ ſunt autem paraplegiæ ſpecies. quã-
doque enim membra reſoluta in longum porriguntur:
neque,quando extrema longiſſima apparent, iterũ poſ-
ſunt recuruari:nonnunquam in orbem flectuntur, neque
in longum extenduntur:ſiquis autem ea,ceu ligna, ada-
ptans & poliens, violẽter protrahere nititur,breuiora ea
ſeipſis inueniet. Vtrunque id vitium & in oculis pupilla
ſuſtinet.aut enim in amplitudinem magnam diffundi-
tur:(idque πλατυκορίαν,*id eſt pupillæ amplificationem*,appel-
lamus) aut hæc eadem in anguſtum contrahitur: idque
phthiſis,aut etiam μυδρίασις à nobis dicitur. Veſica etiã
in ſuis obeundis muneribus deprauatur, & πάρεσιν *quam
vocant*,patitur.aut enim per extenſionem reſoluitur, quũ
retinendi impotens lotium effundit:aut in ſeipſam con-
uoluitur,quum vrinæ plena reddere nihil poteſt. Morbi
huius,pareſis videlicet,cauſæ prægredientes ſex nume-
rantur,vulnus,percuſſio,refrigeratio,cruditas, venus, vi-
olentia. Cæterùm & animi immodicæ perturbatio-
nes,vt repentè incuſſi pauores,timores, animi conſter-
natio & mœror præterea,& in pueris terrores: interdum
inopinatum atque ingens gaudium, item riſus vſque ad
mortẽ implacabilis,neruos reſoluere conſueuerunt. Hæc
vtique morbi prima initia ſunt:ſed vltima atque po tiſſi-
ma cauſa eſt ingenitæ caliditatis refrigeratio, quãdo ab
humiditate aut ſiccitate iniuriam patitur. ab hac verò
magis quàm ab illa ſanatu difficilis læſio eſt: nec non & à
vulnere neruíque interciſione malum inſanabile proue-
nit. Quantum ad ætates attinet,ſenes & ipſi curationẽ
vix recipiunt:pueri facilè ad ſanitatem redeunt. Inter
anni tempora hyems hanc ægritudinem gignit præci-
puè,ſecundò ver,tertiò autumnus, æſtas omnium mini-
mè. Habitus corporis pingues natura, humidi, deſides,
belluini,hoc vitio facilè corripiuntur. Affectus hi iam
perfecti talibus ſignis deprehenduntur, immobilita-
te, ſenſu ſopito, qui neq; calidum,neque frigidum, ne-
que vellicantes,aut ſcalpentes,aut aliter contingẽtes,per-
cipiat.Rarò euenit vt iſtis extremitates doleant. verùm
ſanitati recuperandæ indolentia nõ leuiter prodeſt.Por-
rò morbus hic repentè inuadere ſolet.nonnunquam ta-
men etiam prælonga habet initia, grauitatem, motum
difficilem,torporem,frigoris ſenſum,aliàs caloris exceſ-
ſum,ſomnos breues,cogitationes ſiue apparitiones ve-
hementiores:atque tunc ſubitò reſoluti ſunt. Nempe in
canino σπασμῷ,*id eſt neruorũ conuulſione*,omnes faciei par-
tes σπᾶσθαι,*id eſt conuelli*,non magnopere vſitatum eſt: ſed
ad dextras partes læuæ,ad læuas dextræ feruntur: quan-
do buccæ atque os huc aut illuc, tanquam ex ſede pro-
pria diſcedente maxilla,longius detorquentur. Etenim
quibuſdam nonnunquam articulus luxatus eſt. quũ val-
de hiantibus maxilla ad inferiora delapſa fuit. in læſa
mala,oculi inuerſio & ſtraboſitas,*ut ita dicam*,fit:in palpe-
bra inferiore palpitatio.Palpitat & ſuperior, aliàs quidẽ

A cum oculo,aliàs verò ſola.Contẽduntur & labia, ſeorſum
alterutrum:nonnunquam verò & ambo collapſa balbu-
tiunt:quibuſdam & exactè occluduntur,poſtea repẽtè ac
latè dehiſcunt,& ſolitum ſputum cum ſtrepitu eiiciunt.
Cõuellitur & lingua:ſiquidem & ipſa muſculus eſt & ner-
ui: quando ad palatum ſecũdum latitudinem tota cohæ-
rens,ſubitò ſeſe remouit,& concuſſionis ſonum reddidit.
Conuellitur & columella:ac ſi os quæ interius ſunt in v-
num cogat,inopinatus ſonus redditur: ſi verò dehiſcat,
columellam intueberis nonnunquam palato ſecundum
B latitudinem adhærentem, nonnunquam violentia qua-
dam in lõgum productam,ac deſcendentem, fiſtulæ per-
ſimilem: quandoquidem & ipſa ſonum edit.Porro cani-
næ cõuulſiones decipiunt,quippe integræ ac ſanæ partes
ægrotare ſpectantibus videntur.Nam in omnem partem
tentione,colore,oculi amplitudine,ſanæ partes læſionem
pati exiſtimantur. Deprehenduntur verò & ridendo & lo
quendo,& conniuendo.ſiquidem læſæ partes omnes cũ
violentia & ſtrepitu quodam trahuntur: labium riſu ca-
ret: inter loquendum non mouetur: palpebra non volu-
C bilis,oculus intentus ac rigens eſt: ſenſus tangendi nihil
percipit.At ſana membra loquuntur,conniuent,ſentiunt,
rident.

DE PHTHISI, Cap. VIII.

SI ab *externa cauſa abſceſſu in pulmonibus facto,aut
à longinqua tuſſi, aut à ſanguinis reiectione & puris
extuſsiant, πύη & φθίσις nominatur: ſi pectus autem co-
ſtáue ſuppurauerit, materiáque per pulmones traducatur,
id genus homines *ἔμπυοι vocantur,*purulenti à Latinis dici
poſſent*.Quòd ſi & ab his pulmo exulceretur à præterlapſo
D pure corroſus,hoc vitium non vlterius ἐμπύημα, *id eſt pu-
rulentiam*,ſed φθόην, *id eſt corruptionem*,appellato. Simul au-
tem adeſt & ignis aſſiduus,qui nũquam intermittere vi-
deatur,interdiu latẽs ſudore atque corporis frigore. Hæc
enim propria phthoen ſequuntur,quòd videlicet calidi-
tas excitatur,& in noctem emicat, interdiu rurſum in vi-
ſceribus deliteſcit.patet autem iſtorum* angor, & imbe-
cillitas,& colliquatio. Nam ſi per diem corpus ignẽ eua-
deret,cur non fieret tunc homo carnoſior & robuſtior,&
E morbi tolerantior? vt enim receſſit,grauia magis inten-
duntur: arteriarum motiones paruæ & imbecillæ fiunt:
vigilant;color languet:& alia omnia patiuntur quotquot
febricitantes comitari ſolent.At ſpecies humorum propè
infinitæ ſunt,liuidorum,atrorum,purorum ac ſincerorũ,
aut pallido albóque,aut albo & viridi mixtorum, latorũ,
rotundorum,durorum,glutinoſorum,aut rarorũ diffluẽ-
tium,aut odore carentium,aut fœdè olentiũ.Omnes autẽ
hæ puris formæ ac ſpecies ſunt.Quicunque verò aut igne
aut aqua humiditates explorãt ac notãt, hi haud ita mul
tum phthoen mihi dignoſcere videntur. Nanque viſio
F quolibet alio ſenſu certior eſt,nõ modò iis quæ reiiciun-
tur,intuendis,ſed etiam ægrotantis ſpeciẽ conſideranda.
Siquis enim vel plebeius hominem viderit pallentẽ, im-
becillum,tuſſientem,macie cõfectum,hunc vera phthoe
laborare pronuntiat. Quinetiam quibuſcunque quidem
vlceratus pulmo non fuerit,nihilominus tamẽ diuturnis
febribus conſumpti ſunt,ſæpiúſque duriter & abſque ef-
fectu vllo tuſſientes nihil reiiciunt:hos quoque phthiſi-
cos haud ita multùm impropriè nominarunt. Simul ve-
rò& his adeſt pectoris grauitas:pulmo enim infirmus eſt,
G angor,intolerantia,cibi faſtidium,veſpertina extremorũ
frigiditas,& matutina caliditas: ſudor vſque ad pectus ca
liditate moleſtior: per tuſsim varia, qualia memoraui-
mus,extruduntur.Vox rauceſcit, ceruix nonnihil tor-
tuoſa eſt,gracilis,non verſatilis, ſed veluti rigens atque
intenta: digiti tenues,ſed articuli craſsi ſunt. oſsiũ dun-
taxat ſpecies remanſit.ſiquidem & carnes extabeſcunt.
vngues adunci fiunt: digitorum ventres rugoſi & lati.
nam præ macie neque faſciam ambientem,neque rotun
ditatem obtinẽnt.quamobrem & vngues adunci ſunt. ea
H eſt enim ipſorum requies & fulcimen, quæ ipſorum ex-
tremitates replet: quoniam & ipſi laborem ſuſtinent, vt-
pote qui ſolida membra ſunt.Item nares iiſdẽ acumina-
tæ,graciles:malæ extãtes & rubidæ:oculi caui,lucidi,mi-
cãtes:tumida,*excarnis,pallida,ſeu liuida facies eſt.*buc-
carum tenuia dentibus inhærent: ridentibus aſſimulan-

tur:in omnibus denique cadaueris ſpeciẽ referunt. Hunc in modum & cætera ſeſe habent. tenues enim & carnibus priuati ſunt: brachiorum muſculi nõ apparent: mammarum neque veſtigia extant, ſolæ autem papillæ cernũtur. Coſtas non ſolùm dinumerare perſpicuè licet, verumetiã vbi deſinant, intueri facile eſt. neque enim cum vertebris factæ articulationes occultantur. Patent etiam in os pectorale coſtarum inſertiones: quarum interſtitia inania & caua ſunt, rhombi figuram ſecundum oſsium circũductum oſtendentia. Præcordia vacua ad ſuperiora cõuulſa ſunt. abdomen & ilia ſpinæ dorſi cohæreſcunt: artus conſpicui, prominentes & macri ſunt: perinde ſe habẽt & tibia, & coxendix, & brachium: at ſpina vertebris ſuperextat, à priori parte caua, vtriſque muſculis per tabem diſſipatis. ſcoptula operta tota ſeſe conſpectui offerunt, atque auium alas imitantur. Huiuſmodi ægrotis ſi aluus perturbetur, actum eſt: ſin ad ſanitatem vergant, perniciosis cõtraria ſignis adueniunt. Porro ſenes in hoc malũ frequẽter *non incidunt, ſed minimè euadunt. Iuuenes autẽ vſque ad florẽtem conſiſtentémque ætatem poſt ſanguinis reiectionem in phthiſin prolabuntur: inde ſaneſcũt quidem, ſed non facilé. Pueri aſsiduè tuſsi vſque ad phthiſin nonnunquam diuexati facilè ad ſanitatem redeunt. Habitus verò in id vitium proni ſunt graciles delicatique, ſectilibus tabulis ſimiles, alarum inſtar habentes, prominenti gutture, albidi, rariori pectore. Regiones autem frigidæ atque humidæ huiuſce affectus germanæ ſunt.

DE PVRVLENTIS, Cap. IX.

QVibus hominibus in cauis locis e regione pectoris, aut inferius ſub trãſuerſo ſepto puris abſceſſus fiũt, ſi pèr os id eiiciunt, *ἔμπυοι, hoc eſt purulenti*, vocitãtur, ſi per aluum pus deiicitur, ἀποσημαντίαι dicuntur. Ac ſi in pectore quidem, quum eſt vlceratum, in pulmone verò, quum phthoe laborat; aut in ſubcingente coſtas mẽbrana circa latus, aut *ςέρνον, id eſt os pectoris*: aut inferius, vbi pulmo cum ſpina dorſi committitur cohæreſcitque, aut ſi quo alio pectoris loco vitium ſit, omnibus ad pus excernendũ via per pulmonem munita eſt. Sub interſepto verò in viſceribus, iecore, liene, renibus per veſicam: in mulieribus etiam per vterum tranſitus datur. Nempe cuidam ego aliquãdo abſceſſum laxioris inteſtini dextra in parte prope iecur diſſecui: multúmque inde puris effuſum eſt: multum quoque per renes & veſicam ad plures dies emanauit: vnde & ſanitatem homo adeptus eſt. Cauſæ verò communes omnium hæ ſũt, plaga, cruditas, frigus, & id genus alia. Porro & quibuſdam in pectore diuturna tuſsis incũbens, & lateris inflammatio, & vomica pulmonis, & fluxio longinqua, necnõ & acuti morbi in aliquod iſtorum decubitus purulentiæ originem præbent. At humor aliâs iners imbecillúſque alii inhæret, aliâs acris & mordax, & ad mortem vſque putrefaciens. Nam & ſpecies infinitæ ſunt, quas ſuo loco poſtea memorabimus. Sed magnum profectò miraculum eſt quomodo id fiat vt ab exili tenuíque membrana nihil craſſitudinis habente, membrana, inquam, coſtas interius obtegẽte, tanta copia puris effundatur. multũ enim colligi in multis deprehenſum eſt. Huius rei cauſa eſt inflammatio ex ſanguinis multitudine oriens, ob quam membrana craſſeſcit. Verùm ex multo ſanguine multum in medio pus contrahitur. id ſi ad interiora ſubeat, coſtarum oſſa ſuam propriã ſedem obtinent, ſed phthiſis altera ſpecies, ſuperius à nobis memorata, ſecundum naturam eueniet: ſin ad exteriora procurrat, oſſa diſiungũtur. in aliquod enim inter coſtas mediũ ſpatium ipſius abſceſſus acies exeritur: quando in hanc atque in illam partem coſtarum oſſa pelluntur. Notarum autem quædam omnium communes, quædam ſingulorũ affectuum propriæ ſunt: grauitas *potius quàm dolor, cõmune ſignum eſt. pulmo enim dolorem non percipit. Febres obſcuræ, horrores veſpertini, ſudores in remiſsione, vigilia, tumores in extremis pedibus, manuúmq; digitis ſubinde conſiſtentes, atque inſurgentes: inquies, cibi abominatio, totius corporis macies. Quòd ſi & in lõgum mutatio producitur, habitus phthiſicus redditur. neq; enim vltrà in officio natura perſeuerat: *quoniam concoctio

A non ſit qualis antea. inde caro conſumitur: color qualis belluæ, efficitur. Spiratio cunctis quidem mala, ſed illis peior quibus ad ſuperiorem ventrem morbus aſcendit. quinetiam tuſſis ab initio tantiſper vexat donec inflammatio quæ vrget, perſeuerat. quando & dolores & horrores augẽtur & caliditas & vigilia & ſpiritus difficultas, adhuc magis increſcunt. Venarum motus, parui, torpentes, imbecilli fiunt: mens delirat, pectus diſtenditur. Verumenimuero ſi ad ſuppurationẽ inflammatio veniat, omnia maxima fiunt: ſed reiectio parua eſt cum maiore tuſſi, & B ex violento abſceſſu in primis pituita fertur bile infecta, ad nigritiem vergens, tanquam admixta fuligine: adhuc tamen cruenta ac pinguis pituita eſt. Quòd ſi proximè rũpenda inflammatio eſt, quæ reiiciuntur, ſpeciẽ carnis habent, craſſioráque ſunt. At ſi iã rupta ſit, ſtrangulatus diſcrimen impendet, ſi multum ſubitaneúmque pus emanauit: ſi pedetentim verò emittatur, exactè ſanitas aduenit. Porro ſi ad inferiora pus tranſire velit, partes quidem ſuperiores, vbi erat abſceſſus, acutus dolor occupat: aluus verò humida eſt, primùm aquoſa cum pituitoſis deiiciens, C deinde cruenta quædam circumfluẽtia: rurſúmque carnoſa, quum iam effractus abſceſſus eſt. Hæc pus ſequitur aut per aluum, aut per vrinæ vias elabens. Sed materiæ ad renes & veſicam tranſmutationes meliores omnibus ſũt. At ſi pus infrà ſupráue feratur, eius color varius eſt, pallidus, aut albus, aut cinereus, aut liuidus, aut ater. pus item aut olidum eſt, aut odore vacans: craſſiſſimum, aut mediocris corpulentiæ: aut læue æquale, aut aſperum inæquale. Et fruſta caruncularum ſimilia in eo fluitantia, rotunda, aut lata ſunt, quæ facilè abluantur, aut tenacia. Vt- D que in ſumma de pure dictum ſit, quæcunque alba feruntur, concocta, inodora, læuia, rotunda, & celerius extuſſiuntur, aut per aluũ deturbantur, hæc tuta & ſalutaria ſunt: quæcunque autem perpallida, bilioſa & inæqualia ſunt, ea praua eſſe ſcito: ſed multo his peiora, liuida & atra. putredinem enim & exedentia vlcera ſignificant. Adhæc & habitum ſimul animaduertere conuenit, & quæ morbum comitantur. nam ſi excretionem bene tolerat, febre vacat, rectè concoquit, bene coloratus eſt, bene ad cibos ſe habet, ſi facilè extuſſit, ſi arteriarum motus bonus eſt, ſi E vires firmæ, ægrotus perniciem euadit. At ſi febris ſuperueniat, omniáque in deterius conuertantur, de ſalute deſperatum eſt. Præterea & loci abſceſsibus occupati ſimul noſcẽdi ſunt: quibuſcũque enim in ſterno, *id eſt oſſe pectoris*, empyema, *id eſt purulentia*, fit, tardè abſcedit. nudæ enim & excarnes & cartilagineæ partes illæ ſunt: eiuſmodi verò non facilè phlegmones redundantiam ſuſcipiunt, & abſque ſuppuratione multum temporis permanẽt: ſiquidem res frigida cartilagines ſunt: ſed earum phlegmonæ minimè nocent. Ipſius verò habitus colliquationes pra- F uæ ſunt, breui enim tempore ſuppurant. Lienis, iecur, & pulmo, & diaphragma, *id eſt interſeptum*, celerius quidem pus ducunt, ſed periculoſa & mortifera ſunt.

DE PVLMONIS ABSCESSIBVS, Cap. X.

QVicunque pulmonia laborant, ſi pituita ſit, niſi diffundatur, ſuperſtites erunt. hi verò morbi primum impetum euadentes purulenti fiunt. Futuri quidem aut iam perfecti abſceſſus indicia in capite de purulentis ex- G poſuimus: at quũ perfectus iam abſceſſus eſt, non vi ac laboribus ad eum rumpendum reiiciendúmque (quemadmodum in aliis corporibus vſuuenit) opus eſt: ſed facilè per ſuperiora excernitur: quũ magis in raritatibus quàm in corporis habitu diſtentio fiat. Rarus enim ac foraminulentus pulmo eſt, ſpongiæ ſimilis, humorem haud moleſtè ferens: qui aliam poſt aliam inanitatem eouſque donec ad aſperam arteriam deueniat, permutare ſolet. Circuitus autem humori faciles ſunt, quandoquidem flexile atque lubricum pus eſt. Reſpiratio etiam ſurſum ſpiritum efflat. Sæpius autem mortem effugiunt, niſi aliquan- H do quiſpiam ſubitanea ac multi humidi attractione ſtrãguletur: quòd arteria puris multitudine obſtructa aerẽ nõ recipiat. Horũ nonnulli progreſſu tẽporis moriũtur, quẽadmodum phthiſici aut purulenti extingui ſolent. Sputa verò candida ſunt, ſpumãtia, cum ſaliua permixta, aliâs

cineracea, aut ſubnigrantia. Et βρογχία, *id eſt aſperæ arteriæ circuli*, nonnunquã expuũtur ob vlceris varietatem, ſi altè abſceſſus penetrat: quando & fragmenta viſceris expelluntur. Rauceſcunt, breue ſpirant, grauem vocem edunt: ipſorum pectora lateſcunt, & latioribus humiditatis cauſa indigent: oculorum nigræ partes fulgent, albæ verò albiſsimæ fiunt, ac pingues. malæ rubent, venæ in facie elatæ ac tumidæ ſunt. Mirum eſt autem in his quòd tenor quàm pro corpulentia maior eſt, animi verò alacritas & conſtantia tenore potentior.

DE ASTHMATE, ID EST ANHElitu, Cap. XI.

SI à curſu, exercitationibus, & quolibet negocio, ſpiritus ægrè redditur, ἆσθμα, *anhelitus Latinè* vocatur. Morbus quoque ille qui ὀρθόπνοια dicitur, & ipſe aſthma nominatur. in acceſsionibus enim & ipſi anhelant. ὀρθόπνοιας verò appellabant quoniam duntaxat ὀρθίῳ σχήματι, *id eſt erecto corpore* facilè ſpiritum ducunt. decumbentes enim ſtrangulantur. propter extenſionem igitur quæ in ſpirando adhibetur, affectui nomen orthopnœa, *id eſt recta ſpiratio* inditum eſt. Erectus enim homo ad reſpirandum extenditur: at ſi ſupinus decubuerit, ſtrangulationis inſtat periculum. Afficitur autem pulmo, ſimul etiã quæ ſpirationi conducunt, afficiuntur, interſeptum & pectus. At ſi cor vitiatum ſit, nunquam diutius vita produci poterit. hoc enim loco ſpirandi viuendique initium ſitum eſt. Cauſa eſt frigiditas ſpiritus, atque humiditas: * materia verò, craſſi interiùſque abditi humores. Huic vitio mulieres opportunæ ſunt magis quàm viri: quandoquidẽ & humidæ & frigidæ ſunt. Pueri facilius quàm hæ liberantur. nam ipſorum natura in incremento eſt, quæ valentiſſimè calefacere poteſt. Viri tametſi nõ facilè hoc morbo capiuntur, citius tamen capti pereunt. Differtur autem interitus quibuſcunque opere conficiendo, aut lanis elaborandis pulmo incaleſcit & accenditur: quemadmodũ calcis opificibus, aut ærariis aut ferrariis fabris, aut ignis in balneis excitatoribus. Morbi verò * incipientis notæ huiuſmodi ſunt: grauitas pectoris, tarditas ad opus ſolitũ, & ad aliud quodlibet gerendum: in curſu, aut in accliui itinere difficilis & ægra ſpiratio: rauceſcunt, ac tuſſiunt: flatus in præcordiis, atque eructationes præter rationẽ excitantur: vigilant, noctu parum & obſcurè incaleſcunt: nares acutas & ad ſpirationem paratas habent. Si malum in peius ruat, malæ rubent, oculi prominent, veluti in iis qui ſtrangulãtur: ſtertunt dum vigilant, multo magis quũ dormiunt: humida, obſcura ſonóque carens vox eſt: * multum & frigidũ aerem cupiunt: ſub diuo ambulant. quælibet enim domus ipſis ad trahendum ſpiritum parua & anguſta eſt. Erecti ſpirant, tanquam omni aere attracto potiri cupientes. præ aeris autem cupiditate & os aperiunt, patefaciúntque, tanquam eo ampliore indigentes. Ipſorũ facies (præter malas, quæ rubent) pallida eſt: ſudor circa frõtem & iugula emanat: aſſidua & aſpera tuſſis infeſtat: reiiciuntur pauca, tenuia, frigida, veluti quædam ſpumæ efflorescẽtia. Inflante ſpiritu collum intumeſcit, præcordia reuulſa ſunt: arteriarum pulſatus parui, crebri, atq; depreſſi: crura exilia. Quòd ſi hæc vlterius crementum acceperint, inſtar comitialis morbi nonnunquam hominem ſtrangulant. At ſi vertantur in melius, tuſſis longior & rarior fiet: plura excernentur ſanioſa ſputa, & humidiora: multa per ventrem aquea exturbabuntur: vrina copioſa ſcaturiet, licet nondum quicquam in ea ſubſidat: vox ſonantior, clariórque reddetur: ſomni longiores, quantum ſatis fuerit, efficientur: præcordia remittentur. dolor interdum ad ſcapulas in remiſſione tranſiuit: anhelitus rarus, lenis, ſed cum vocis aſperitate fit. Ita ſanè mortem effugiunt: ſed in morbi ceſſationibus, licet ipſi nõ decumbentes obambulent, ſecũ tamen morbi ſigna circũferũt.

DE PVLMONARIIS, Cap. XII.

ASthmatis, *id eſt anhelitus*, ſpecies eſt τὸ πνευμῶδες, *quaſi dicas pulmonarium*, & à pulmone hoc vitiũ, queadmodum & anhelitus, oritur. Quæ inſunt enim, vtrique communia ſunt, & exigua differentia eſt. nam ſpirandi anguſtia, & tuſſis, & vigilia & caliditas vtrunque vitium comitantur: item in cibos odium, & totius corporis extenuatio. Id enim malum quum fœdum ſit, producitur: neque

A tamen anni ſpacium excedit. Nam ſi autumni tempore ægrotare quis inceperit, vere aut æſtate futura vitam finiet: ſin hyeme, ſequenti autumno moriturus eſt. * Interdum & ſenes in hanc labem facilè incidunt, & exterriti. Ea correptis, leui momẽto ad perniciem opus eſt. omnes ſimillimè ſpiratione priuantur: arteriarum motus parui, crebri, infirmi ſunt. ſed hæc & in anhelitu reperiuntur. Priuatim verò hi tuſſiunt, tãquam aliquid expulſuri, quũ tamen irritus eorum labor ſit (nihil enim reiiciũt) verùm
B ſiquid ex pulmone vi extruditur, illud exiguum, album, rotundum, grandinoſúmque eſt. Pectus in his latius vtiq; eſt, non obtortum, non vlceratum. Tametſi autem pulmo non ſuppuret, humorum tamen veluti concretorum plenus eſt. Tẽporis intercapedines inter huiuſce morbi acceſſiones longiores ſunt. Nonnulli ex his celerius ſuffocati ſunt quàm aliquid deterius omne corpus inuaſerit: nonnullis verò in hydropem circa ilia, aut in eum qui ἀνὰ σάρκα dicitur, morbus iſte mutatur ac deſinit.

DE IECORE, Cap. XIII.

IEcur lieni in generationem æquilibre eſt: dextram e-
C nim læuámque partem hæc viſcera occupant, naturaliter paria numero, ſed facultate tam in ſanitate quàm in morbis imparia. In ſanitate quidem, quoniam principatũ alimenti iecur obtinet: ſiquidem venarum radicatio iecur eſt. Quinetiam in morbis ad ſanitatem conſequẽdam multo quàm mors valentiorem cauſam habet. Igitur quãto ad ſanitatem iecur melius eſt, tanto & deterius à morbis afficitur. Etenim celerius & violentius inflammatur, & frequẽtius pernicioſiúſque abſceſſum patitur: at ſcirrho, *id eſt duro tumore* affectum, velocius atque dolentius
D quàm lien interficit. Cæterùm quæ ad inflammationem attinent, in libro de acutis morbis propoſui. Quòd ſi in pus conuertitur, dolor acutus ad iugulũ vſque aut ad ſummum humerum pertinet. Nam præ onere trahit diaphragma, *id eſt interſeptum*, vnde iecur ſuſpenſum eſt: diaphragma verò membranã coſtis ſubſtractam degrauat (ipſum enim illa conſequitur) quæ planè ad iugulum vſque & ad ſummum humerum extenta eſt. atque hæc omnia ſimul ad inferiora detrahuntur. Ignis acer cum horroribus in ſuppuratione exoritur. tuſſis arida non admodum crebra
E diuexat: colore herbaceo ægri tinguntur: ſi largius colorentur, in auriginem incidunt, in albidum vergentes: ſomni haud ita viſis imaginibúſque vacant. Prudentes verò quum ſint in omnibus, in aliquo tamẽ ad tempus oblato repentè delirant, ad ſeque protinus reuertuntur. Tumor ſub mãmis, aut ſub coſtis oritur: multi autẽ mẽbranæ peritonæi tumorem eſſe falſò crediderunt. Verùm ſi tumor ſub ſpuriis coſtis fiat, quum premitur, dolor excitatur: iecur intumeſcit: humiditate nanque refertum eſt. At ſi non ſub oſſe remaneant, inflatur membranæ ſignũ.
F Et ipſius quidem circunſcriptio & fines patent: poſt enim fibrarum circunductum in vacuum abdomẽ comprimẽs manus deſcendit ac ſubſidet. Peritonæi verò interminata duritia eſt: & extremitatis proceſſus nequaquã cernitur. Porro ſi ad interiora ſubit abſceſſus, longè medico natura præſtat. aut enim ad inteſtina, aut ad veſicam pus conuertet. verùm multo innocentior eſt in veſicam via. At ſi extra feratur abſceſſus, ipſum nõ ſecare vtique malum eſt. nam ſi prætermittatur inciſio, à pure iecur eroditur, nullâque mortis dilatio eſt. Si ſecare autem malis, pro-
G fluuii ſanguinis periculum inſtat, ſtatimque hominẽ perdi contingit. nam ſanguinis è iecore profuſio coerceri nullo modo poteſt. Igitur ſi aliquando neceſſariò ad ſectionem venire cogeris, vſtorium ferramentum candens perſpicuúmque ab igne accipito, & vſque ad puris locum intrudito. idem enim tibi & ſecat & comburit. Quòd ſi homo periculum euadit, tum pus albũ effluet, concoctũ, læue, olidum, quoniam craſſum eſt. iſtis febres & acerba remittunt, omniáque facilè mulcebuntur. Verùm ſi in inteſtinũ pus effũditur, ex aluo primũ aquea ferũtur, poſtea
H humori in quo ſint lotæ carnes, ſimilia: itẽ qualia in torminibus, vbi vlcerata inteſtina ſunt, exire ſolẽt. interdum cruentũ virus, interdũ cõcretus ſanguis effunditur. fertur & bilis flaua, ſincera aut porracea, & poſtrema interitũ afferẽs, nigra bilis. Si nõ ſuppurat vlcus, & mali odoris quædam veluti putredinẽ vẽter expellit, crudũ alimentũ præ-

terfluit ob vẽtriculi inteſtinorúmque intẽperiem. neque enim bene ſe habens iecur iterum ea concoquit. poſtea ignis acer ſuboritur,omniáque in malum prolabuntur. carnes colliquatione tabeſcunt, motus arteriarum parui ſunt,& ægra ſpiratio:vbi haud ita, multo pòſt vitæ finis imponitur.Cæterùm quibuſdam difficultas quidem inteſtinorũ vlcúſque ſanata ſunt,morbus tamen in aquã inter cutem deſiit.Quòd ſi omnia remittantur,pus albũ ſit, læue,æquale,inodorum,venter deiiciat, & cibaria cõcoquat,homo in bona ſpe eſt. Optimum verò eſt per lotiũ criſin fieri.hac enim ſecurior eſt minúſq; maleficus puris tranſitus.Verùm ſi à phlegmone iecur non ſuppurat, nemini dubium fuerit tumorem durũ ſubſidentem in ſcirrhum mutari ac ſtabiliri: quando continuus dolor nõ infeſtat:quúmque adeſt,obtuſus inérſque ſentitur: rara verò & caliditas:à cibis alienatio,ab amaris delectatio,à dulcibus contriſtatio: horrore afficiuntur,ſubalbicant,virẽt, lumbi ac pedes tument: facies corrugatur: * venter ſqualet: deiectiones crebræ fiunt. malorum autem colophon aqua inter cutẽ.Poſt aquam inter cutem,ſi multa vrina & craſſa feratur,multúmque in ea limoſi ſubſideat, & cum impetu erumpat, humorem illum intercutaneum effluere poſſe ſperandum eſt: ſi tenuis autẽ,ſubſidentia carens, paucáque vrina exeat,aquam intercutem auget fouétq;. Quòd ſi priſtinas vires natura recipiat,& quandoque per ventrem cum impetu materiam deturbet, poſt multorũ, craſſorum,aquoſorúmque depulſionem & ipſum hydropicum morbum tollere conſueuit.Verùm id genus auxilii cum periculo eſt.Poſt enim ſubitas & copioſas inanitiones, extremóſque caſus, proſtratis interdum viribus, (quemadmodum in ſanguinis profluuio accidere ſolet) ægri interierunt.cum minori autem noxa morbũ ſudor, ſi liberalius effluat,diſſoluit. Hydropici nanque haud ita multum in ſumma cute humectari ſolent.atque morborum iecoris hic finis eſt.Quando in iecore pus naſcitur,

** Adoleſcentes,& qui vſque ad conſiſtentem ætatẽ peruenerunt,his vexantur morbis: mulieres minus his patiendis expoſitæ ſunt.Huiuſmodi vitiorũ cauſæ numerantur,victus intemperantia, & longa valetudo. præſertim poſt difficultatem inteſtinorum,*συντήξεις,id eſt colliquationes*.quandoquidẽ& eos *συντηκτικοὺς, id eſt colliquatos*, nominarunt,qui poſt vlcera iecoris tabefacti moriũtur.

DE LIENE, Cap. XIIII.

Lieni familiaris longus morbus eſt, quem σκίῤῥον nominant.Purulentia verò haud ita facilè, quandoque tamen efficitur, quum dolor non aſper,tumor autem ingens ſpiratione maior exoritur.Siquidem in dextrã partẽ ad iecur vſque tota communione * increſcere viſus eſt. vnde vt multi fallerentur in cauſa fuit,tanquam non lienis,ſed membrana affecta eſſet.nam peritonæon inflammatione occupari iſti exiſtimant. cõtumax autem atque indomitus inſtar lapidis tumor eſt.talis plerunque à ſcirrho lienis efficitur: quando & ambiguitas difficultáſque maxima ſimul adeſt. Verùm ſi fortè ſuppuret, tractabilis eſt vtique,& in parte ſumma,vbi puris quoq; creatio eſt, tactui cedit:quando verò pus nõ ducit,tactui omnino reſiſtit.Porro nonnunquam ſcirrhus totus ſuper ventrẽ ſuſpenſus eſt, in hanc atque in illam partem,prout impellitur,delabens: donec,puſillus quum ſit,locum ad fluitandum habet.Adeſt nauſea & anxietàs, maximè quum inſtat eruptio.Incrementi autem notæ ſunt febres,dolores, & horrores.multoties enim horrent: nonnunquam verò non horrent,quum breui caliditate & dolore vacant. hac de cauſa interdum & in ſplene abſceſſus oriens latuit.rarum enim & ſenſu carens in ſanitate quoque viſcus eſt. Turgent iſti,atque humoris, tanquam hydropici, pleni ſunt,atro colore viridi admixto ſuffuſi,ægrè omnia patiẽtes,pectore veluti pondere oppreſſo grauiter ſpirantes. euidens enim malum eſt.vſque ad ſuperiora ſpiritu venter impletur craſſo,caliginoſo,humido quidem ad ſpeciem, quum tamẽ non ſit humidus.tuſsis adeſt, multúmque irritantur,ſquoſa,primò paulum ſubleuat,deinde ſi largius deiicit,hominem quidem tabefacit,ſed nihilominus iuuat.At ſi & abſceſſus ruptus fuerit, pus vtique purum &

A concoctum nunquam excernitur,ſed ſubalbidum & cinereum,quandoque fæculentum,aut liuidum. quòd ſi & profundior abſceſſus fuerit,nigra etiam fertur humiditas: quando & aliqua ſucci lienis,qui ſimul tabeſcit,particula exprimitur. Quibuſdam præterea & integræ lienis partes exierunt:ſiquidem & natura diſſolubilis lienis eſt. Cæterùm ſi morbus vlcere non ſubſtitit, ſed in longum tempus extrahitur,cibos auerſantur,malo ſunt habitu,tumidi,aſpectu fœdi. multis vlceribus toto corpore,ſed maximè in cruribus ſcatent:rotunda, liuida, concaua, ſordi-

B da,ægrè ſanabilia vlcera ſunt: ſicque demum tabefacti * interiere.At in exiguo tumore cum duritia & renixu,indolentia eſt:vnde fit vt iſti longiorem vitam ducant.Verùm ſi ab affectu ſuperentur, aqua inter cutẽ aut phthiſis neceſſariò ſequitur: & corporis *τῆκεδὼν,id eſt eliquatio*, ſuperuenit:atque iſte ſanè perniciei modus ipſos è vita migrare compellit.Pueri ac iuuenes facilè calamitatem hãc patiuntur,faciléque inde liberantur: ſenes verò non facilè vtique læduntur,ſed affecti euadere interitũ nequeunt. Quinetiam ſeniores quidam neſcientes, ipſi vitio lienis

C abſumpti ſunt: nam & puſillus tumor ipſis cauſa interitus fuit.Longa quoque ægritudo tabidos facit: & iuuenibus otium maximè nocet, quicunque à certaminibus exercitationibúſque corpus quieti deſidiæque tradunt: loca paluſtria,aquæ exuberantes,ſalſæ,viroſæ. Inter anni tempora ferinus autumnus.

DE MORBO REGIO, Cap. XV.

Si bile flaua,vitellina,aut crocina,aut nigra cum viridi mixta omne corpus à viſcere ſuffuſum ſit,affectus hic

D *à Græcis* icterus,*à Latinis regius morbus,ſiue arquatus,ſiue aurigo* dicitur.Difficile vtique in acutis malum eſt: quia non ſolùm ante ſeptimum apparens,ſed etiam poſt ſeptimum infinitos necauit.raò autem ad extremum febrem bene iudicauit: ipſe verò haud facilè diſcutitur. Neque vitio iecoris tantummodo prouenit, vt nonnulli medicorum exiſtimant: ſed & ventriculus,& lienis,& renes & laxum inteſtinum in cauſa ſunt. & ab iecinore quidem naſcitur ſi phlegmone aut ſcirrho viſcus illud opprimitur, à ſolito tamen munere non impeditur.creatur enim in iecinore

E bilis,eámque in iecinore poſita veſica ſecernit. Verùm ſi meatus ad inteſtinum bilem deferentes phlegmone aut ſcirrho intercluſi fuerint,veſica autem exundauerit, bilis retrò labitur.Cum ſanguine igitur miſcetur,qui per totũ corpus diſcurrens,ſecúmque bilem vehens,in omnia mẽbra diffundit: atq; ita corporis ſpecies bile tingitur. Stercora verò albida ſunt,& argillam referentia. neque enim bile colorantur,quoniam humoris eius affluxu carent.idcirco & venter valde ſiccus eſt:ſiquidem bile nec madet, neque ſtimulatur. color autem ad albedinem vergit. Si

F morbus regius ab liene ortum habeat, color eſt ater cum viridi mixtus.ipſius enim atra bilis alimentum eſt, quũ ſanguinis atri effigies quædam ac ſimulacrum ſit: cuius purgamenta non ſuſcipit neque elaborat lienis ægrotans. inde fit vt per omne corpus cum ſanguine dilabantur. Propterea qui lienis arquato laborãt,cum viriditate quadam nigricant.ipſorũ quoque conſueta ſtercora nigriore colore imbuta ſunt: nam quod alimenti in ſplene abundat,ad vias exitus tanquam recrementum propellitur. A laxo etiam inteſtino & ventriculo arquatus prouenit, vbi

G concoquendi facultas in ventriculo & cœlo,*id eſt laxo inteſtino* læſa fuerit.nam in cœlo cõcoctio efficitur, & ab ipſo alimentum in iecur digeritur. Igitur ſi aliud alimentum crudius iecur ſuſceperit, proprium quidem elaborat, & conficit,alienum verò dimittit. ſanguis enim qui diſtribuitur, cœli ceſſationem atque inertiam retinens, in omnem partem labens eam diſſeminat: in cœlo autem cruditas,ipſius bilis effectrix eſt. Hunc ſanè in modum ab omnibus viſceribus arquatus oriri poterit,non modò ab iis quæ iecori eſcam ſuggerunt,ſed etiam ab iis quæ à

H iecore ſuſcipiunt.Neque enim per canales duntaxat ſenſiles, ſed multo copioſius per halitus natura in omne corpus alimẽta diſtribuit,qui à toto in totũ natura ipſos per ſolidas ac denſas partes dirigente, diſcurrere facilè queunt. gignuntur itaq; halitus bile infecti,& corpus vbi inſederint,colorant. Nẽpe per aluũ laborante cœlo nõ fit albida

excretio:iecur enim creandis ſuccis nullam noxam patitur,exitúmque bilis ad inteſtina patentem habet.Habitus quoque totius corporis ad morbum regiū citādum ſummopere efficax eſt.Habet enim & in toto cauſam,quæ huiuſmodi eſt: In omnibus corporis partibus calor ad concoquendum inſitus eſt: in omnibus item humorum eſt creatio ac ſeparatio: ſed aliorum alia,ſingulis autem propria:vt puta in carne ſudor,in oculis lacryma, in articulis & naribus mucus,in auribus κύψελις. *Latini aurium marmorata,ſeu cerumina uocant*.Itaque ſi ad ſingula obeunda munera calidum,fatigatum laſſatúmque fuerit,ipſum quidē in acre atque igneum vertitur: humiditates autē omnes in bilem abeunt.ignis enim opera amara & bile infecta ſunt.quòd ſi & in ſanguine cruditas incidat,ſanguis bilioſus efficitur, & quoquouerſus nutriēs diſpergitur. Propterea & vbique bilis conſpicitur. Planè acerbum id malum eſt,color verò ſpecie horribilis.etenim colore aurum repræſentant: ſed non hominem decet quod in lapide pulchrum fuerit.At ſuperuacuum mihi videtur, vnde id nomen icterus tractum fuerit,explicare,præterquā à terreſtribus feris quadrupedibus,quas *Græci* ictidas,*Latini uiuerras,aliqui martes* vocant, *& ſylueſtris muſtellæ ſpecies eſt*: his enim beſtiis oculi huiuſcemodi colore tincti ſunt. Duæ ſunt huiuſce labis ſpecies.aut enim in flauum croceúmq; vergit,ſimúlque albicat & vireſcit:aut in liuidū nigrúmque declinat.*atque adeo iſtorum cauſa & ipſius bilis cauſa eſt.Aliqua enim bilis flaua eſt,ſubtilis,perſpicua,tenuioris generis, aut ad liuidū atrúmque vergens: aliqua magis colore ſaturata,vt crocum,aut vitellum eiuſdem ſpeciei quis affirmet.Secunda bilis ſpecies nigrioris coloris eſt, porri aut iſatidis herbæ colorem referens,atra. inter hæc extrema infinitæ ſunt colorum varietates.penes autem calorem atque humiditates iſtarū mutatio fit.Quinetiam viſcera huiuſce varietatis cauſæ ſunt: vt puta ſi flauum viſcus ſit,quale iecur eſt, aut liuidum, qualis lienis. Quocirca ſi ab aliquo viſcere arquatus oritur , à iecore quidem iecoris notæ ſunt: à liene,lienis: ſingulorúmque vnde oritur membrorum indicia apparent. Si nullius membri ſigna videantur, vniuerſi habitus ægritudo eſt. Perſpicua verò ſunt & ea quæ in albiſsimis oculis cernuntur. Frontis autem ſecundum tempora, in corporibus naturaliter albis præcipuè,& in paruo arquato color exquiſitior effloreſcit.Porro quicunque nigro arquato laborāt,in his ater color viridi commixtus apparet. iidem frigent: imbecilli, deſides, triſtes atque demiſſi animo ſunt.tetrum odorem exhalant,guſtatum amarum habēt: ſpiritus non facilè ducunt: in ventriculo morſum percipiunt: alui excrementa porracia,ſubnigra,arida ſunt, ægréque deſcendunt. vrina bene colorata eſt, ad nigrius vergens. adhæc cruditate laborant, cibum deteſtantur, vigilant,mœrent,melancholia agitantur. At in albiore arquato color eſt ex albo & viridi temperatus: mēte ſunt hilariores: cibos accipere primò eos piget, ſed vbi cœperūt,gnauiter comedūt, facilius quàm priores cōcoquūt: alui purgamenta alba ſunt,arida,cretacea: lotium reddūt flauum,pallidum,crocinum.In vtriſque corpus omne pruriginoſum eſt: calor in naribus exiguus quidē, ſed mordax percipitur: nam bilioſum diſtrahit laniátque: guſtatus amarorum quidem, nō amarus(quod mirum eſt)non tamen dulcis: dulcium verò amarus. In ore nanque bilis in lingua reſidens, & prius cibis occurrens ſenſum hunc ludificatur ac decipit.Lingua enim bile ſuffuſa cibos non ſentit:atque antea quidem ieiunii tempore bilis quieſcit: neque idcirco lingua propter conſuetudinem ægrè fert: verùm ſi cibis excitata bilis efferbuerit, ipſa cibis obiecta prius linguam mouet ac ſtimulat. Itaque ſiue amara ſit eſca,amari ſenſus eſt:ſiue dulcis,bilioſi perceptio.bilis enim ſenſio præuertit. Falluntur autem qui amara videri dulcia exiſtimant. res enim haud ita ſe habet: ſed quoniam membrum amaro aliquo delibutum duntaxat,propter morbi cōſuetudinem amaritiem non percipit, ideo ſpeciem dulceſcentis repræſentat: verùm in dulcibus & amaris cibariis idem ſtatus reperitur.fallacium igitur ciborum velamentum bilis eſt. Vtique ſi nullius viſceris calefactio euidens fuerit, plerunque ſine noxa arquatus eſt, ſed diuturnior:ſi perſeuerauerit, atque inſuper viſcus

A inflammatione vexatum fuerit,in aquam inter cutem & malum corporis habitum vtplurimum deſinit. Plerique & ſine aqua intercute colliquati interiere. Id malū adoleſcentulis iuuenibúſque familiare eſt: quibus & minus officit: pueris autem non*admodum inuſitatum,non omnino tamen innoxium eſt.

DE CACHEXIA, id eſt MALO CORporis habitu, Cap. XVI.

KAχεξία, *id eſt malus habitus*, omnium ſimul vitiorum conuerſio eſt:ſiquidem*ab omnibus morbis propa-
B gatur & emanat. Verùm & ipſe ſolus citra alios morbos materiam multum lutulentam nactus, à principio noua ægritudo gignitur.Et habitus quidem malus,ſimplex,cōmunis eſt,& ſymptomata multa comitantur: noménque ipſum ſignificanter inditum eſt.Gracilitas verò, aut pallor, aut tumor, & ſiquid aliud inſit, ad tempus durans in corpore exoritur:cachexia autem,*id eſt malus habitus*,vnius ingentis affectus ſpecies eſt,eíque nomen tale fuit impoſitum.Nam hominis ad omnia eſt euexia,*id eſt bonus habitus*, & ad concoctionem,aut ad diſtributionem: ſangui-
C nis creatio,atque omnis naturæ functio inde prouenit. hæc conſequitur facilis ſpiratio,validæ vires,floridus color,ſed prima omniū ſanitas. Quòd ſi ad imbecillitatem cacochymiæ,*id eſt uitioſorum corporis humorum*, natura conuerſa fuerit,id iam eſt cachexia. Valetudo hæc vix ſanabilis eſt,malúmque longiſsimum. longo enim tempore acquiritur:neque ab vno corporis vitio,neque ab vno viſcere prodiens,ſed omniū eſt in deterius conuerſio.Quocirca ab hac enaſcentes morbi,ineuitabiles ſunt , vt puta aqua inter cutē,aut phthiſis,aut σύντηξις,*id eſt colliquatio*: ſi-
D quidem & mali habitus cauſæ colliquationis germanæ ſunt.Morbus autem in multum tempus extrahitur:*inteſtinorum difficultas adeſt continua: quibuſdam morborum reuerſiones eueniunt. Bene vtique cibos appetunt, tametſi multos ingerant,ac repleantur:crudi verò & non confecti digeruntur: quoniam alimēti elaboratio ad coctionem pertinens,debilis admodum atque inualida eſt. Labis huius cauſæ ſunt & ab hæmorrhoidibus *quas uocant uenis* effluuii ſuppreſſio,& vſitatorum vomituum retētio, & ab exercitationibus quies, & ſudorum exiccatio, & ab
E ingentibus laboribus otium. * quando enim horum ſingula,quæ aderant,non amplius reuertuntur, tunc ſequitur corporis grauitas,pallor ſubinde repetens, venter flatibus refertus,oculi cōcaui,ſomni graues torporem afferentes. Verumenimuero hæc ſi erraticè & non ſtatis temporibus fiant,morbi inconſtantiam infirmitatémque ſignificant: ſin altius exactis radicibus maneant,neque deſiſtere velint,ingentis mali nuntia ſunt. Stantibus pedes tibiǽque intumeſcunt,decumbentibus autem*partes decliues atque iacentes. Quòd ſi decubitum mutauerint, tumor in illas*decumbentes partes deuoluitur: humidi-
F que aut frigidi in grauitatem fit circuitus. nam ſi calor humidum euaporet,id verò non effundatur, poſtea delabetur.Multos vtique cibos appetunt , edaces admodum ſunt: celerior concoctione diſtributio fit crudiorum magis quàm incōcoctorū:nutricatio non perficitur.Sed hoc inde prouenit quoniam in toto alimentum à natura non concoquitur.in ventre enim atque in omni corpore caloris imbecillitas eadem eſt.Quapropter neque optimus, neque boni coloris ſanguis procreatur: quúmque crudorum ſuccorum omne corpus refertum fuerit,& ciborum
G appetentia euaneſcat, ſic malo habitu vſque ad ventriculum graſſante,&affectu iam ſummam potentiam obtinente:tunc ſanè tumidi fiunt,imbecilli, & ad omne opus abiecto proſtratóque animo.Aluus ſiccior eſt: plerunque recrementa bile priuata,alba,aſpera,crudáque deiiciunt: corpore ſqualIent,ſudore carentes & pruriginoſi.Somnus nequaquā firmus eſt,ſed decumbentes conniuent: tardè ſpiritum ducunt:arteriarū motus languidi ſunt, debiles, frequentes:poſt quamlibet autem vel exiguam actionem frequentiſſimi fiunt.Poſt hæc reſpiratio cum anhelitu fit: venæ in tēporibus elatæ apparent.partes enim quæ cir-
H cumiacent,emarcuerunt.Verùm & in brachialibus longè grandiores inflatione venæ redditæ ſunt: ſanguis atro coloreviridi admixto infectus eſt.Ab his phthiſis,aut ſyntexis,*id eſt colliquatio*, hydropē ana ſarca vocatā,aut aſciten

àdducit: iſtorúmque procreatio ineuitabilis eſt. Ætates
huius morbi feraces ſunt, in primis ſenectus,neque mor-
tem euadunt: pueri & celeriter pati idonei ſunt, & li-
berantur facilius: florentes ætate haud ita valde huic
A malo patent,non tamen penitus facilè ſanantur. Tempus
anni non vnum hanc fert ægritudinem, neque vno tem-
pore finitur:verùm autumnus cócipit, hyems alit,ver ad
vltimam vehementiam perducit, æſtas verò interficit.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI de ſignis & cauſis diuturnorum morborum, Lib. II.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

LIBRI SECVNDI CAPITA.

De hydrope, Cap.I.
De diabete, Cap.II.
De affectibus renum, Cap.III.
De vitiis veſicæ, Cap.IIII.
De ſeminis effluuio, Cap.V.
De ſtomachi vitiis, Cap.VI.
De ventris affectu, Cap.VII.
De dolore inteſtini coli, Cap.VIII.
De difficultate inteſtinorum, Cap.IX.
De læuitate inteſtinorum, Cap.X.
De affectibus vteri, Cap.XI.
De articulorũ & coxendicis morbis, Cap.XII.
De elephantiaſi, Cap.XIII.

DE HYDROPE, HOC EST AQVA inter cutem, CAP. I.

HYdrops, *id eſt aqua inter cutem*,iniucun-
dum aſpectu vitium eſt,& toleratu diffi-
cile. ab ipſo enim perpauci liberantur:
ídque felicitate quadam, ac deorum po-
tius quàm artis auxilio.(maiora enim o-
mnia vitia ſoli dii medicantur)Nam aut
in viſcere primario morbus deliteſcens totũ in malum
habitum conuertit,aut omne corpus ingruente peſtilen-
tia in malum ſuccum viſcera permutauit,quando ſibi v-
traque viciſsim ad perniciem ſuffragantur: nulláque eſt
pars noxa carens,quæ vel modicam naturæ opem affer-
re poſsit. Eſt autem ad humectationem fluxio frigida,
craſſa,qualis eſt nebula vniuerſo: aut cõuerſio ab humi-
da & frigida cauſa in talem habitum hominem permu-
tante. Neque enim in inferiori ventre fluctuãs humidũ,
hydropa nuncupamus:quandoquidem neque ibi vitium
eſt:ſed quum morbum conſequitur tumor, inflatio, co-
loris fœditas,iſte in aquam habitus colliqueſcens, ὕδρωψ
& eſt & appellatur. Nam tametſi nonnunquam* foras
ſponte aqua prorumpit,aut aliquis præcordia reſcindẽs
effundit, adhuc in ſede ſua permanent hydropici. Prin-
ceps itaque cauſa malus habitus eſt, ſpecies autẽ plures.
Verùm & eius nomen aliud atque aliud.nam ſi ſit humi-
da ſuffuſio,quæ in ilibus fluitet,& præ inflatione, quum
verberantur,tympanum quodammodo referant, τυμπα-
νίας nominatur:at ſi aqua copioſa in peritonæo contine-
tur,natántque in humore inteſtina, ἀσκίτην cognomina-
runt:ſin autem ilia nihil iſtorum habeãt, ſed omne cor-
pus intumeſcat,ſi ex alba pituita craſſa & frigida,φλεγμα-
τίας ei nomen eſt:ſi in humorem ſanguineum, aquoſum,
tenuem,carnes liquatæ fuerint, ὕδρωψ ἀνὰ σάρκα genera-
tur. Praua quidem eſt harum ſingularum conſtitutio,
peior autem multo ipſarum permixtio.Nam earum quæ
in ilibus fiunt,vna vni earum quæ totum corpus inflant,
ſociari nonnunquam conſueuit. Difficillimus eſt autem
tympanias cum ana ſarca vocato copulatus. Ex occupã-
tibus enim ilia,tympanias aſcite improbior eſt: ex infe-
ſtantibus verò totum corpus,leucophlegmatias quàm a-
na ſarca benignior.Mitis quidẽ vt in deſperatis morbus
eſt,ſi minor ſpecies cum minori pariter cõiungatur: pe-
ior verò,ſi aliqua ex minoribus cum altera ex maioribus
admiſceatur. Quòd ſi duarum maiorum mixtio exactè
facta fuerit,grauius inde malum exoritur. Notæ autem
maximæ ſunt,& viſu,& tactu,& auditu facillimæ. In a-
ſcite nanque in ilibus tumorem,in pedibus inflationem
videre licet:facies,brachia,& reliqua gracilia cernuntur,
intumeſcunt teſtes,præputium,& totus colis ob inæqua-
litatem tumoris tortuoſus eſt.Tãgito verò, & aliquam in
partem manum imprimens intrò moderatè pellito. ad
alias enim partes humiditas tranſfluet. Verùm etiam in
corporis ad alterutrum latus conuerſionibus humor in
locum decliuem & tumorem & fluctuationem facit,flu-
ctuantíſque liquoris ſonitus exauditur: quinetiã ſicubi
digitum impegeris,locus cauus efficitur,& multum tem
poris cauus perſeuerat. Hæc vtique aſciten ſigna decla-
rant. Tympanias autem, vltra tumoris ſpectaculũ, etiã
auditu ſonorus eſt.nam ad palmæ percuſſum abdomẽ ſo-
nũ edit: neque ad corporis conuerſionem ſpiritus locum
mutat.etſi enim locus ambiens aliquorſum inclinat, ſpi-
ritus tamen æqualis ſuprà & infrà vbique permanet. Cæ-
terùm ſi in nebulam & aquam ſpiritus vertatur, (nam a-
ſcites ex tympania gignitur)ſi non perfectè aliquãdo mu
B tatus fuerit,ex dimidio factus in ventre fluitat. Cæterũ
ana ſarca & leucophlegmatias ilia inania occupant: tumi-
dam faciem & brachia reddunt,& quæcunque in aliis va
cua ſunt,in huiuſmodi ægrotis opplentur. Quandoquidẽ
in leucophlegmatia,alba pituita,frigida & craſſa redun-
dat: hac omne corpus impletur: facies,collum, brachiáq;
tumeſcunt, abdoménque ex inflatione craſſeſcit. mam-
mæ quoque in tumorem excitãtur, illis ſcilicet qui iuue-
nes robuſti in ætatis proſpera fortuna cõſiſtunt.At in hy-
drope ana ſarca vocato, carnis liquamẽtum fit in ſuccum
C ſpeciem carnis referentem: ſaniéſque cruenta, qualis ab
inteſtinorum vlceribus, emanat.talis verò & à membris
aliquo graui,quod ſuperinciderit,contuſis,*ſi paulum ſu-
perficiem ſecueris, humor effunditur.Ex duabus quidem
ſpeciebus permixtio,ambarum indicia obtinebit.Omni-
bus verò ſimul ineſt pallor, ſpirationis difficultas, tuſſis:
diuerſis temporibus ſegnes ſunt: pigritia multa, à cibo
alienatio: quòd ſi aliquid aſſumant quantũuis modicum,
& flatu carens,nihilominus valde inflantur: diſtentiones
patiuntur quales ex ſaturitate fiunt.citra madorem eorũ
D corpus eſt:idcirco neque in balneis ſudore madeſcunt:
præterea albidi ſunt & effœminati. Qui autem hydrope
ana ſarca laborant,colore ex atro viridíque permixto in-
fecti ſunt, obſcuráſque & nigras venas habent: in aſcite
atque tympania conſpicuæ atque admodum euidentes
ſunt in brachialibus atque in abdomine. In ana ſarca ve-
rò atque phlegmatia tumore,omnia deliteſcunt: ſomni
ſunt graues,torpentes,breues,animæ deliquium,circa mi
nima quæque ſolicitudo, viuendi cupiditas. tolerãtia nõ
ex animi alacritate,ac bona ſpe, vt in iis eſt qui proſpera
E fortuna vtũtur,ſed ex ipſa morbi natura. Neque cauſa di-
ci poteſt, ſed mirari tantùm id licet, quod mehercule
magnum eſt.nãque in aliis haud omnino pernicioſis af-
fectibus ægrotantes abiecto ſunt animo,triſtes,mortis a-
matores: in his verò & bene ſperant, & vitæ cupidi ſunt.
Ambo hæc contraria morbi efficiunt. Aqua inter cutem
nonnunquam à copioſo frigidæ potu continuo prouenit,
quum præ nimia ſiti ad ſaturitatem quiſpiam multam a-
quam gelidam ingurgitauerit: poſtea humidum in peri-
tonæum delatum ſit,atque inde in ventribus inſitus ca-
F lor refrigeratus fuerit:deinde in ilia guttæ effluunt, quæ
prius in aerem verſæ,per tranſpirationem digerebantur.
Id igitur ſi incidit,facilior eſt huius morbi curatio, ante-
quam viſcus aliquod aut totus homo affectus ſit. Cæterũ
& ventoſus cibus,& cruditas,& bupreſtes aquam inter cu-
tem pepererunt.Eſt hæc omnibus communis calamitas,
viris,mulieribus,cuicunque ætati: præterquam quòd alii
in aliam ſpeciem ſunt propenſiores. In vocatam ana ſar-
ca & leucophlegmatiam pueri: iuuenes autem ad conſi-
ſtentem vſque ætatem inundationi ilium obnoxii ſunt:
G at ſenes omnibus quidem generibus ſunt expoſiti, quum
inopes ſint caloris, (frigida enim ſenectus eſt) verùm ad

humoris multitudinem contrahendam apti non ſunt. ipſis igitur tympanias accidere conſueuit. Omnes quidem ſpecies prauæ (hydrops enim morborum omniũ vitium eſt) ſed inter ipſas leucophlegmatias mitior habetur. nam multæ & variæ ſunt eius tollendæ proſperæ occaſiones, ſudoris aut lotii excretione, aut alui nonnunquam in huiuſmodi ægrotantibus copioſo effluuio, iam abeunte aquæ inter cutem habitu. Difficilis autem tympanias eſt, adhuc tympania difficilior ana ſarca. Oportet enim medicum hoc in morbo totum hominem permutare. quod per Iouem neque diis ipſis facile fuerit. Cæterùm nonnunquam & exigua in parte homo aquam inter cutẽ patitur: vt ſecundum caput, in eo morbo qui hydrocephalus nuncupatur, aut in pulmone ſolo, aut iecinore, aut liene, aut in mulierum vtero: & cæteris hæc ſpecies ſanabilior. Nam ſi eius oſtiolum à priori concluſione hiare cœperit, humorem quidem ſi habeat, effundit: ſi ſpiritum, efflat. quòd ſi vterus ana ſarca laboret, plurimùm tota mulier aquam inter cutem patitur. Alia quædam hydropici morbi ſpecies talis agnoſcitur: In ea veſiculæ quædam puſillæ, crebræ, humoris plenæ, in loco vbi aſcites fieri ſolet, excitantur. Cæterùm, quòd humore multo refertæ ſint, illud indicio eſt: *ſi abdomen perforaueris, parum admodum humoris effundes. Ab interiori nanque parte veſica occluſit: at ſi in veſicam inſtrumentum impuleris, iterum ſuccus emanabit. Hæc vtique aquæ inter cutem ſpecies haud leuis eſt. vnde enim id genus veſiculæ eruperint, via haud facilè reperitur. Alii nanque affirmant huiuſmodi ampullas per inteſtina tranſiiſſe. Ego verò id nũquam vidi: idcirco neque nunc ſcribendo affirmo. *nam ſiue ex inteſtino cωlo, ſiue ex ventre ferantur, qualis ſit ipſarum generationis modus, quid dicam nihil certi habeo. iter enim ad omnium excretionẽ per ſedem lubricum ac patens eſt: at ipſius humoris in ilibus collecti per inteſtinorum rupturam egreſſio credi non poteſt. neque enim innoxium, neque citra perniciem inteſtini vulnus eſt.

DE DIABETE, ID EST VRInæ profluuio, Cap. II.

Diabetes qui vocatur affectus, miraculum quoddam eſt, haud ita ſæpe hominibus vſitatus, carnium ac membrorũ in vrinam colliquatio. Frigida atque humida, vt in aqua inter cutem, cauſa eſt: tranſitus autem conſuetus, renes & veſica. Neque enim cum intermiſſione lotium reddunt: ſed, perinde atque canales laxati ſint, indefinens eſt profuſio. Diuturna eſt huius morbi creatio, & longo tempore parturitur. Breuis erit autem hominis vita in quo affectus iſte perfectus fuerit. velox enim eſt colliquatio, & feſtina interdum mors aduenit, & vita fœda eſt, ac vexata doloribus. Sitis intoleranda eſt, potus copioſus, multitudini tamen lotii non reſpondens. copioſius enim lotium redditur: neque eos quiſquam neque à potu neque à mictu inhibere poteſt. Quòd ſi vel punctum temporis inhibeantur, ſi quidem à potu, os ſiccatur, corpus areſcit, viſcera ipſi ſua conflagrare opinantur, omnia faſtidiunt, de omnibus dubitãt, haud multo pòſt mortem obeunt, ardentiſsima ſitis adeſt. Mictum verò quæ ratio ſuppreſſerit, aut quæ verecundia dolore potentior? Sin autem vel parum temporis à meiendo abſtinuerint, intumeſcunt lumbi, teſtes & ilia: quúmque remiſerint, lotiũ quidem calefactione profundũt, tumidæ verò partes detumeſcunt: in veſicam enim confluit exundatio. Quum morbus iſte iam perfectus eſt, facilè omnes eum deprehendunt: ſed quum futurus eſt, os humore priuatur: ſaliua eſt albida, ſpumans, perinde atque in ſiti: nondum tamen ſitiunt. præcordia grauia ſunt: calorem aut frigus à ventre in veſicam tendere ſentiunt, prout aduentantis morbi proceſſus eſt: quinetiã paulo plus lotii quàm moris erat, effunditur: ſitis adeſt, ſed nondum vehemens. Quúmque amplius cremẽtum accipit, calefactio parua quidem, ſed mordax viſceribus inhærens exoritur. abdomen habent rugoſum, venas extantes, totum corporis habitum gracilem, quando & vrinæ profluuium & ſitis iam aucta inſigniter ſunt: quúmque ad extremum colem vitii conſenſus peruenerit, protinus vrinam reddunt. Atque inde mihi huic morbo διαβήτης appellatio indita fuiſſe videtur, *perinde ac ſi pertranſeuntem dixeris*, quòd in corpore humor nõ remanet, ſed *vbicunque in homine collectus ſtagnauerit, ad exitum labitur. Durãt ſanè aliquod tempus, licet nõ admodum diu: nam cum dolore meiunt, atque atrox fit liquefactio. neque enim ex potu aliqua inſignis portio in corpus abſumitur, & carniũ magna copia in vrinã eliquatur. Huiuſce languoris cauſa aliquis acutus morbus eſſe poteſt, qui hanc in partem impetum fecerit, & in criſi aliquod malignũ virus latenter morbi reliquerunt. Haud incredibile eſt etiam aliquod pernicioſum venenum, ex iis quæ veſicam & renes infeſtant, huic affectui cauſam præbuiſſe. Quinetiam ſiquis à dipſade morſus ſit, talis morſum affectus ſequitur. Dipſas autem reptilis fera, ſiquem percuſſerit, ſitim non ferendam accendit, iſque copioſè bibit, neque ſiti medetur, ſed ventrem obruit humore: adeo inexplebilis eſt bibendi cupiditas. At ſiquis ob ventris diſtentionem doleat, grauetúrque humoris copia, & ideo paulum temporis à potu abſtineat, iterum ſitiens, largiſsimè bibit. Atque hæc eſt malorũ viciſsitudo: ſe nanque mutuò ſitis & potus adiuuant. Alii præterea ſunt qui lotium nõ reddunt: neque vlla eſt alia eius quod bibunt tranſpiratio. itaque potus inſatiabili auiditate, humoris inundatione, ventris diſtentione repente ac penitus diſrupti ſunt.

DE RENVM AFFECTIBVS. Cap. III.

Renes ſubſtantia adenas, *glandulas quaſdam*, referunt: colore autem rubidiores ſunt, quale eſt iecur, potius quàm mammæ aut teſtes: nam & hi adenes ſunt, verùm albiores. Figura teſtibus ſimiles, lati magis ſunt iuxtà & retorti. Sinus habent exiguos ad lotium excolandum, cribrorũ inſtar foraminibus peruios. Ex vtroque neruoſi canaliculi tanquam fiſtulæ expullulant, qui in veſicæ terga vtrinque ſeſe inſerũt. æqualis eſt autem lotii à renibus in veſicam via. Huiuſce viæ multi atq; varii affectus renes prædictóſque meatus malè habent: aliqui acuti, ſanguinis profluuio, & febribus, & inflammationibus iugulantes: hi verò ſunt quotquot ego enumeraui: aliqui diuturni, hominem colliquatione diſſoluẽtes, haud lethales quidem, ſed inſanabiles, & vnà cum ægroto commorientes. Diuturni itaque ſunt, abſceſſus, vlcera, calculorum exortus, hæmorrhoides vocatæ. Vlcera quidem hominis ex abſceſſu facta, omnia planè diuturniſsima ſunt, atq; ægrè ſanationem recipientia. Calculorum verò diuturna eſt creatio, cum dolore obſtructiones: haud enim facillimus eſt exitus. adhæc difficilis eſt & lotii ſuppreſſio. At ſi multi ſint & exigui calculi, ſeſe mutuò impedientes, remorantur: aut *ſi vnus ſit magnus, locorũ anguſtiis intruſus inhæreſcit. Atque ſi vtroque in rene hæc fieri vſuueniat, intercluſa vrina, diſtentiſque locis, paucis diebus ſuperſtites ægri moriuntur. Rectè ſanè natura renũm ventrem oblongum, & vrinæ canalibus magnitudine æqualem fabricauit, exiguis quidem calculis ampliorem, quò ſuperius concretus calculus expeditiſsimum in veſicam iter inueniat. atque ideo lapilli oblongi generantur. Plerunque enim prope vrinæ fiſtulas id genus lapilli concreſcunt & quotquot eo loco fiunt, inæqualis craſſitudinis ſunt. priori in parte ob canalium anguſtiam graciliſcunt, poſteriori autem craſſiores fiunt: quoniam renes deorſum vergunt. In ſolis autem renibus oriuntur, hiſque igneo calore feruentibus. neque enim ſedem in fiſtulis vrinæ calculi obtinent, ſed arenulæ cum lotio per eas fiſtulas inferius delabuntur, quæ & indicia & materia huiuſce affectus ſunt. Quòd ſi aliquando grandior effectus lapis concauo renis inhæſerit, tunc dolores lumborum circa muſculos quos ψόας appellant, excitantur, & ad medias vſque coſtas perueniũt, Multis ſanè dolor iſte, perinde ac ſi morbi lateralis eſſet, impoſuit. Præterea grauitas adeſt coxendicis: dorſum ægrè incuruatur: difficulter annuunt: tormina dolores inferunt grauia, perſeuerantia. inteſtinum enim ſinuoſum eſt, quúmque exundat vrina, & diſtentiones increſcunt, ad meiendum, vt in parturiginibus, prorritantur: flatuoſi ſunt, ſed flatus excerni nequeunt. febres adſunt mordaces, præaridæ: ſqualida quidem lingua, ſicca verò eſt aluus, macreſcunt, à cibo abhorrent: quòd ſi quid aſſumant, neque concoquere, neque diſtribuere fa-

cilè poſſunt. Sin autem in lotii canaliculum lapis inciderit, concuſsio corporis fit, vt in rigore: calculi progreſſus ſentitur *communi ſimul violento. Quòd ſi in veſicā delapſus fuerit, lotium aquoſum vberius effunditur: aluus deiicit: flatus inde exhalant: extentus ſtomachus eſt: ructus eduntur: à prioribus malis quies datur: interdū quoque vlcerato canali præter lotium cruor emanat. Secunda porro calamitas eſt, quum per colem calculus tranſmittitur. Nam ſi amplior ſit quàm vrethra, *id eſt urinæ iter* capere poſſit, in eo multū temporis hæſitat: atque veſica multitudine vrinæ completur: túmque eius maiore cum dolore ſuppreſsio fit. nam cum veſica & canales vreteres vocati veluti incēduntur. Ægerrimè autem tortuoſi calculi exeunt: quoſdam enim & hamatos vidi, in meatibúſque adnatas quaſdam calloſas duritias. Plerunque autem oblongi propter canalium rectitudinem figurantur. At colore nonnulli albicant, argillam referētes, taléſque ſæpius in pueris generantur: alii flaui ſunt inſtar croci: hi verò in ſenibus reperiuntur, quibus & in renibus creari ſolent. crebrius enim pueris in veſica lapilli oboriuntur. Concretionis autem cauſæ geminæ ſunt: in ſenibus frigidum corpus, & craſſus ſanguis. frigidum verò craſſas materias celerius cogit. indicio ſunt aquarum natura calidarū fontes. hæ nanque refrigeratæ in tophaceum lapidem condenſantur. At in pueris multum *ſanguinis limum elixatum generandi calculi veluti ſedem ignis habet. Igitur in calculi creatione talis eſt affectio. Cæterùm nōnulli ſunt qui per quoſdam circuitus ſanguinem meiunt. huiuſmodi affectus hæmorrhoidum profluuio ſimilis eſt: ſimilis eſt quoque corporis conſtitutio. nam valde palleſcūt, torpent, ignaui ſunt, cibum faſtidiunt, cruditate laborant, & quum excretus eſt ſanguis, languidi fiunt, membra reſoluuntur, caput verò leuius & agilius redditur. At ſi per circuitum nihil ſanguinis effluxerit, capitis dolore vexātur, oculorum acies hebet, tenebræ eis obuerſantur, vertiginem patiuntur. Inde alii infiniti in comitialem morbum incidunt, tumidi, veluti caligine perfuſi, aquam inter cutem patientibus ſimiles: alii morbo atræ bilis, aut neruorum reſolutione tentantur. Nam ex cōſueti profluuii ſanguinis retentione huiuſmodi mala proueniūt. Si quidem à renibus defluat ſanguis mundus, lotio non permixtus, plerunque tamen cum veſicæ vrina circunfuſus emanat. Nonnunquam & ex renū diſruptione ſanguis fertur multus collectim, verùm cogitur, & in grumos denſatur: vtq; in ſanguine extra corpus effuſo fieri aſſolet, interdum vtique & in veſica congelatur, quando atrociter vrina ſupprimitur. Ruptionem verò vlcera diuturna atque vix ſanabilia ſequuntur. indicia ſunt, ramentum, aut membranula araneæ inſtar rubida egrediens, aut pus album meiendo profuſum, modò purum & ſincerum, modò cum vrina permixtū. Ab iiſdem & abſceſſus dignoſcēdi ſunt, ſi veſperi febres acceſſerint & rigores, dolores circa lumbos, & pruritus. At ſi ruptus fuerit, grumi purulenti carníſque formam repræſentantes eiiciūtur: quinetiam & albida ſanies excernitur. Vlcera verò mordacia ſunt, modò repurgata, modò ſordentia: id pus manifeſtat: vrina quoque aut olida, aut nihil olens. Ver ſanguinis profluuia & abſceſſus parit, hyems autem autūnúſque calculos. Quòd ſi à calculis vlcera facta ſint, inſanabiles inde morbi naſcuntur, cita colliquatio mórſque adueniunt.

DE VESICAE AFFECTIBVS, Cap. IIII.

VEſicæ morborum nullus placidus eſt. quippe acuti inflammatione, vulneribus, cōuulſione, febribúſque acutis interficiunt. Vlcus verò & abſceſſus, aut reſolutio, aut lapis magnus tolli nequit. neque enim potione aut medicamento frangitur, aut circunteritur: neque citra noxam exciditur. opus eſt enim & tenues veſicæ partes ſimul cædere. Id verò aut eodem die hominē perdit, aut paucis diebus conuulſionibus febribúſque conſumit. Niſi excidatur autem, *præter vrinæ concluſionem, doloribus febribúſque aut liquationibus homo contabeſcit. ſin haud ita magnus ſit calculus, frequentius lotium cohibetur: nam facilè in ceruicem delapſus lotii tranſitum obſtruit. Securius autem quàm grandiores exciditur, ſed veſica quoque neceſſariò ſauciatur: quúmque mortis peri-
A culum euaſerint, in fiſtulam ῥοιάδα dictam prolabuntur.
quod licet periculo vacet, ingenuis tamen hominibus nō
eſt tolerandum, perpetuum ſcilicet vrinæ profluuium, ſi-
ue quis ambulet, ſiue dormiat: ambulantibus verò maxi-
mè iniucundum. Valde parui autem plerunque citra no-
xam exciduntur. Quòd ſi veſicæ inhæſerit calculus, ex col
liquationibus patefiet: ſed neque dolorum, neque graui-
tatis expertes ſunt, licet vrinam expeditè reddant: ſin mi-
nus, & vrinæ difficultas accedet. Omnes verò calculos ex
ſabuloſis vrinæ ſubſidentiis deprehēdes: & quòd iſtis vi-
B rilia ſæpius arriguntur. quando enim meiunt, ſubéſtq; cal
culus, dolent, tractant, attrahúntque pudenda, tanquā cal-
culum cum veſica excmpturi. Anus quoque vitii parti-
ceps redditur, pruritu laborans. Prominet verò & rectum
inteſtinum vi, cōtentionibus, imaginatione, perinde ac-
ſi iam lapis excernatur. Ambo enim inter ſe copulantur,
anus & veſica: quorum vno affecto, & alterum afficiatur
neceſſe eſt. propterea inflāmato podice vrinæ exitus clau
ditur: & veſica exacerbata ſedes non deiicit, licet aluus
admodum ſicca non ſit. Tales vtique ſunt ex calculis labo
C res. At ſanguinis effluuium tametſi non admodum citò
enecet, tempore tamen procedēte infinitos iugulauit. Ab
eo verò grumi creantur, lotii ſuppreſsio, & matura mors,
non ſecus atque à calculis fieri compertum eſt. quanuis e-
nim ſanguis tenuis flauúſque eſt, neque valde craſſus, ne-
que concretus, veſica tamen longo tempore congregat,
ac eadem calefaciens & elixans cogit conſpiſſátque:
atque ita grumus efficitur, & ἰσχουρία, *id eſt urinæ inter-
cluſio,* inferendæ morti potentiſsima. His accedit dolor
acutus, ignis acer, lingua arida: & ab his delirantes moriū-
D tur. Sin autem à vulnere dolor excitetur, vulnus vtique
mortiferum eſt. vlcus verò etſi non protinus interficit,
febribus tamen aut inflammatione inſanabile redditur.
Tenuis quidem eſt craſsitudine veſica, neruus autem ſub-
ſtantia. quocirca neque carnem cōtrahit, neque facilè ad
cicatricem ducitur. Accedit & vrina bilioſa, acris, mor-
dax vlceris, communis victus. Veſica enim quum reple-
tur, diſtenditur: quum inanis eſt, ſubſidit. in extenſione i-
gitur & cōtractione eundem quem & articulus affectum
patitur. In articulo verò nullum vlcus bene ſaneſcit: ſup-
E purationem autem ex abſceſſu contrahit. Veſicæ ſigna
eadem ſunt quæ & in aliis membris inflammatis. Nam
etſi febribus rigoribúſque ſuccedat abſceſſus, eadē peri-
cula impendent. Verùm ſi pus craſſum, album, non tetri
odoris eiiciat, ab his orta vlcera benigna ſunt. At ſi depa-
ſcantur, fæculentam, mucidam, graueolentem vrinā red-
dunt. Huiuſmodi ægrotantibus non tarda mors aduenit.
Mordax quidem vrina eſt, & cum dolore eſt eius emiſsio:
ad ſummum vſque colem dolor peruenit. Ipſos vtique o-
mnia etiam contraria lædunt, & ſaturitas & inanitio, & o-
F tium & exercitatio, & lauatio & illuuies, & *ſaturitas & ie-
iunitas, & dulcia & acida: quum alia alios lædant, alios iu
uent, in vnum autem conuenire non poſſint.

DE GONORRHOEA, ID EST ſeminis profluuio, Cap. V.

MOrtis quidem periculo vacat γονόῤῥοια, *id eſt geni-
turæ profluuium,* iniucunda tamen eſt, & vel auditu
inſuauis. Nam ſi intemperies & reſolutio humida occu-
pat genitaliáque membra, vt à frigidis contingere ſolet,
profluit ſemen: neque ipſum vel in ſomnis cohibere poſ-
G ſumus: verùm ſeu quis dormiat, ſeu vigilet, cōtinens pro-
fuſio eſt, neque *id quod fit, ſenſu percipitur. Ægrotant
quoque & tali morbo mulieres, ſed partibus illis prurien-
tibus, & cum voluptate nonnullis genitura profunditur:
quinetiam virilem coitum impudenter appetūt. Viri au-
tem nequaquam pruriunt: nam quod effluit, humidum,
tenue, frigidúmque eſt, ſine colore, infœcundum. Quî e-
nim genitale ſemen refrigerata natura emiſerit? Quòd ſi
iuuenes hoc vitio laborent, omnes ſenilem corporis ha-
bitum induant neceſſe eſt: quippe qui ſegnes fiant, reſo-
H luti, exanimes, torpentes, hebetes, imbecilli, recurui, igna-
ui, pallentes, albidi, effœminati, à cibis abhorrentes, frigi-
di, membris graues & ſtupidi, cruribus impotentes, & ad
omnia remiſſi & languidi. Multis ſanè id genus ægrota-
tio ad paralyſin, *id eſt neruorum reſolutionem,* viā ſtrauit. Quo-
modo enim neruorum facultas non afficiatur, quum na-

tura ad vitæ generationem faciens refrigerata ſit? Atqui
& genitura vitalitatem impartiens,nos viros efficit, cali-
dos,articulatos,hirſutos,vocales,animoſos,ad intelligen-
dum operandúmque valentes: id viri teſtãtur.Contrà ve-
rò quibus non ineſt vitalis genitura,rugoſi ſunt, debiles,
acutæ vocis,glabri,imberbes,effœminati.eunuchi id ma-
nifeſtant.Siquis autem vir & ſeminis profundendi abſti-
nens fuerit,robuſtus eſt,audax,neq; vel feras expaueſcẽs:
teſtimonio ſunt ex athletis temperantes. Nam & illi qui
natura quibuſdam præſtant,ob intemperantiam deterio-
ribus multo peiores fiunt: contrà natura deteriores,ex tẽ-
perantia præſtantioribus longè meliores euadunt. Ne-
que ſanè ab alio quopiam quàm à genitura robuſtum a-
nimal generatur. Vitalis itaque genitura ad ſanitatem,ad
robur,ad animi fortitudinem,& ad generandum mirifi-
cè confert. A ſatyriaſi in gonorrhœam,*id eſt ſeminis proflu-
uium*,corporis ſtatus deuoluitur.

DE *STOMACHI AFFECTIBVS, Cap. VI.

STomachus delectationis triſtitiæq; princeps eſt,*cor-
di periculoſa vicinia ad tenorem, animiq; alacritatẽ,
ſiue abiectionem:ob animæ conſenſum præcipuè ſtoma-
chi facultas confert. hæc mihi alio loco dicta ſunt. * De-
lectationis quidem hi fructus ſunt, bona concoctio, car-
nis cõueniens incrementum,floridus corporis color: tri-
ſtitiæ verò,iſtorum cõtraria. Nonnunquam & animi ab-
iectionem,quũ alimento caret, inducit:atra bile vexatur,
cibum refugit.Quum itaque ſtomachus ægrotat, eſcas o-
dit & abominatur,non modò quum offeruntur, verume-
tiam ſi non in conſpectũ dentur, ſed eas memoria repe-
tant,aut anxietate,aut madore ſtomachi, aut eius oſtioli
dolore perciti.& ſaliuam effundũt quidam, & vomitibus
lancinantur,corpúſque ſimul ab his vexatur. Quòd ſi ven
triculus iſtorum vacuus eſt,dolorem quàm cibi ſumptio-
nem facilius tolerat. Sin autem interdum ad alimentum
capiendum accedere cogitur, id multo peius eſt. Labor
quidem famis eſt *ore contere[illegible], in deuorando dolor,&
maior conflictatio. Cæterùm nõ erga vſitata quidem ita
ſe habet,erga aliena verò optimé: ſed quæ naturaliter ha-
bent,in contrarium mutata ſunt: & omnia grauatim fe-
rũt: fugáque adeſt & odium alimẽtorum. In interſcapu-
lis præterea dolor inhæret: ſed longè maior ſi edant, de-
uoréntque. faſtidiunt,animi pendent,viſus hebetatur,au-
res ſonant,caput grauatur,membra torpẽt,crura,brachiá-
que reſoluuntur,palpitant præcordia: dorſum imaginan-
tur verſus crura moueri,aliâs aliò huc atque illuc ſeſe fer-
ri exiſtimãt,ſeu ſtent,ſeu iaceant,quemadmodum à ven-
torum flatu arundines aut arbores agitantur: pituitam
frigidam,aqueam reiiciunt. Quando verò & in bilioſis
redundat bilis, iſtorum oculi tenebris caligant: ſiticuloſi
non ſunt,etſi à cibis ſitire videntur, vigilant, tardi ſunt,
dormitant, non vero tamen ſomno: ii qui ſopore graui,
quem *κῶμα* Græci appellant,occupantur, ſimilia patiun-
tur,macie confecti,valde pallentes, debiles, reſoluti, ani-
mæ deliquium patientes,animo conſternati, meticuloſi,
quieti,repentè tamen iraſcentes,valde melancholici. nõ-
nunquam enim in melancholiam, *id eſt atram bilem*,id ge-
nus ægrotantes inciderunt. Talem vtique ſtomacho im-
partiente animæ affectum eſſe oportet. Verùm homines
compatibilium membrorum ignari,in quibus hæc gra-
uiſsima vitia fiunt,ſtomachum eſſe cauſam opinantur.
magnum autem ad ea quæ dico probanda teſtimonium
cordis contiguitas eſt,vbi omnium principatus colloca-
tur. in medio enim pulmone cor ſedet: horum autem
medium,ſtomachum coniungit: ambo verò dorſo in-
ſerta ſunt. propter hanc itaque cordis viciniam & dolor
cardialgia dictus excitatur,& reſolutio, & morbi melan-
cholici. Nempe morbi cauſæ & aliæ ſunt plurimæ: præ-
cipua verò,pus multum à vẽtre per ſtomachum effuſum.
Familiare eſt etiam id vitium illis qui tenui victu & du-
riore coacti ſunt vti: quinetiam illis qui,vt erudiantur,la
borant,& eius cauſa multa perferunt. quibus ineſt diuinæ
ſcientiæ cupiditas: qui cibi parſimonia & vigiliis mace-
rantur,qui doctos ſermones & res graues meditantur,qui
victum pleniorem & varium contemnunt,ſed famẽ pro
alimentis habent,pro potu aquam,& in ſomnis vigilant:
A quib⁹ molle cubile eſt *nuda humus,ſtragula veſtis,igno-
bilis,tunica lacera: ipſorum verò tectum eſt communis
aer: diuitiæ autem *adeptio atque vſus diuinæ ſapientiæ.
Hæc vtique ipſis eruditionis amore bona comparantur.
qcúmque cibum & illum quidem ignobilem accipiunt,
id *vitæ tantùm,non ſaturandæ famis,neque potum vini
cauſa aſſumunt. Non eos abſtrahit voluptas, non vagatio
& peregrinatio,non corporum exercitatio, nec carnium
circumpoſitio. A quo enim diſciplinæ amor non auocet?
à patria,à parentibus,à fratribus, à ſeipſis vſque ad mor-
B tem. His igitur corporis macies adeſt,decolor facies: & in
iuuenta ſeneſcunt,& ob contemplationem ſtupidi habẽ-
tur:animo autem ſeueri,non ridentes,immites ſunt. *At-
qui ob ſtomachum erga cibos malè affectum,citò ſatian-
tur cibo vſitato,vili & ad manum. Variis autem dapibus
non ſunt aſſueti,& erga omnes cibos pigri ſunt. quòd ſi a-
liquem inuſitatum acceperint,lædũtur, omnes alios pro-
tinus auerſantes. Iſte eſt ſtomachi longus morbus. Inflam-
mationes verò, diſtillationes, *καρδιωγμὸς*,*id eſt oris uentri-
culi morſus*,aut dolor,ſtomachalis affectus nõ dicitur. Hũc
C morbum æſtas affert: quando & concoctionis, & appeti-
tus,& omnium eſt impotentia. Inter ætates verò ſenecta,
quibus & abſque morbo ob vitæ finem & appetentia ad
extremum peruenit.

DE AFFECTV VENTRICVLI, Cap. VII.

VEntriculus concoctioni deſtinatum viſcus,in cõco-
quendo laborat,quum diarrhœa,*id eſt alui profluuium*,
hominẽ premit. & eſt liquidi alimenti incõcocti proflu-
uium: niſi à recenti & proxima cauſa vnum aut alterum
D tantùm diem permanente oriatur. præterea & totus ho-
mo debilis redditur,quia corpus non alitur, vnde longus
morbus efficitur, cœliacus dictus, *Latinè uentricularis dici
poteſt*,ob concoquentis caloris imbecillitatem, frigúſque
ventriculi: quum liqueſcit quidem à calore alimentum,
ſed non concoquit calor,neque in ſuccum proprium ver-
tit,ſemicoctum imperfectúmque relinquens, quum per-
fectionem aſſequi non poſſit: id verò concoctione deſti-
tutum ad prauum commutatur & colore,& odore,& con
ſiſtentia. albus eſt enim bile priuatus color: olida excer-
E nuntur,& lutulenta: liquida & incõſiſtens ob profligatam
actionem ſubſtantia eſt, virtutem modò atque principiũ
coctionis præ ſe ferens. Hac de cauſa venter flatuoſus eſt,
ructus aſsidui,tetri odoris. Quòd ſi deorſum penetrent,
ſtrident inteſtina,flatus erumpunt aſperi,humidi,argillo-
ſi. videtur autem ipſis tanquam humidum quoddam ef-
fluere. Dolor ventriculi grauis eſt,aut ſubinde punctiones
referens: gracilis verò & emaciatus homo redditur,palli-
dus,iners,nihil ex negotiis vſitatis valenter efficiens: ſed
F quum ambulat,membra labaſcũt,temporum venæ exer-
tæ ſunt. ſiquidem ob alimenti penuriam tempora habent
concaua,atque in omni corpore venæ inſignes apparent.
non modò enim morbus iſte non cõcoquit, verùm *ſta-
tim neque in molem corporis diſtribuit. Nam haud ſolũ
concoctionis,ſed etiam digeſtionis vitium mihi eſſe vi-
detur. Porro ſi in incremento morbus ſit, materias ab o-
mni corpore in ventriculum rurſus adducit: tunc ea iam
eſt corporis eliquatio,os eſt aridum, ſuperficies ſqualida,
nihil ſudant: ventriculus nonnũquam vt ab ardenti car-
G bone peruritur,aliâs tanquam à cryſtallo conglaciatur.
Interdum verò ſanguis in extremo vitæ diſcrimine con-
ſtitutis in deiectionibus flauus defluxit, purus, non per-
mixtus: vt venæ oſtiolum patefactum eſſe videatur. acre-
do nanque venas exedit. Longiſsimum & difficulter cu-
rabile vitium eſt. etenim ſi abſque manifeſta cauſa deſiiſ-
ſe videtur,iterũ inuadit, vbi & ex leui errore iam denuo
ſuboritur. Per circuitum igitur morbus iſte reuertitur.
Senibus hoc malum familiare eſt, & mulieribus magis
quàm viris. Pueris autem ventris effluuium aſſiduũ eſt,
H ob quotidianam cibi intemperãtiam: ſed non ventriculi
debilitate morbus aduenit. Ex anni tẽporibus æſtas hoc
malum ſæpius affert,ſecundò autumnus: deinde hyems
frigidiſſima,ſi proximè ad extinctionem calor deueniat.
Diuturnũ quoque morbũ & affectus iſte, & difficultas, &
læuitas inteſtinorũ conſequuntur. Verùm & largiſſimus
frigidæ potus interdum hanc labem progenuit.

DE COLICIS, ID EST INTESTINI plenioris morbo laborantibus, Cap. VIII.

Colici ſanè voluulo & ſtropho, *id eſt torminibus*, celeriter necantur.longè plurimæ ſunt huiuſce morbi cauſæ.Signa verò hæc ſunt:grauitas in ieiunio, vbi affectus maximè vrget: pigritia multa adeſt,tardi ſunt, cibos refugiunt,graciles,vigiles,facie tumidi.Quòd ſi prope ſplenē ægrotet cωlon, *id eſt laxius inteſtinum*, colorem habent nigrum cum viridi mixtum: albū verò cum viridi, ſi prope iecur.ab his enim proximis viſceribus malum cōmunicatur.Sin autem cibum acceperint quantumuis paucū, & flatu vacantem,mirum in modum tum inflātur.& difflandi quidem cupiditas eos inceſſit, ſed inferius exitus intercluditur: ſuperius verò ructus violenter tentati, neq; ipſi finem aſſequuntur.Siqua verò parte flatus vi erūpunt, viroſi planè odoris ſunt,ſurſum petentes, & acidos ructus excitantes.Renes & veſica in partem huius doloris adducuntur: & vrina cohibetur.iſtis alia pro aliis accedūt.Miraculum autem his maius eſt, quòd in teſtes & cremaſteras,*id eſt ſuſpenſores*,inopinatus dolor inuadit. Non paucis medicorum hæc morbi communicatio in occulto eſt:ſiquidem nonnunquam & ſuſpēſores execuerunt, propriā morbi cauſam eos continerę opinati.quocirca & his pro aliis alia fiunt.Ab hoc quoque vitio alia prodeūt, abſceſſus,& vlcera non mitia,aqua inter cutem,&phthiſis,morbi inſanabiles:nam à frigore & craſſis humoribus,& longè glutinoſa pituita propoſiti inteſtini,* dolor exoritur. Quinetiam & ætate, & tempore, & regione frigida & aſpera hyeme prouenit.

DE DYSENTERIA, ID EST difficultate inteſtinorum, Cap. IX.

Superiora inteſtina ad cæcū vſq; tenuia ſunt,&χολώδεα, *id eſt bilioſa*, atq; inde *Græcè* χολάδες nominantur. poſt hæc inferiora, vſq; ad inteſtini recti initiū , craſſa & carnoſa ſunt.In omnib⁹ vlcera fiūt.dyſenteria verò eſt horū vlcerū ſpecies:idcirco & varii exiſtunt morbi. Aliqua etenim ſuperficie tenus inteſtina radunt,excoriationē tātùm facientia,& innoxia ſunt:ſed longè innocētiora ſi in inferioribus inteſtinis cōſiſtant.Alia paulo etiam profundiora vlcera.verùm neque hæc immitia ſunt. Alia profunda,non vno loco manentia, ſed exedentia, glanduloſa,ſerpentia,& ſphacelum inferentiá,mortifera ſunt. Venulæ quoque in hiſce vlcerum paſtionibus circūroſæ apparent: & in his vlceribus ſtillationes ſanguinis largiores cernuntur.Alia eſt ſpecies vlcerum,quæ oris tumentibus aſpera ſunt,inæqualia,calloſa, vt in ligno gemmam dicimus.id genus vlcera vix medicabilia ſunt. neque enim cicatricem facilè contrahunt,& facilius aperiuntur. Dyſenteriæ cauſæ plurimæ ſunt: principes autē cruditates, refrigerationes aſſiduæ,acrium ciborum aſſumptio,opſonii quod μυττωτὸν vocatur, *Latini moretum dicerent* : cepæ ipſius,allii,carniū vetuſtarum acriū eſus: à quibus poſtea cruditas ſuperuenit. Super hæc humidum aliquod inuſitatū,vt mixtura illa quæ κυκεὼν dicitur: aut potio *rytecon appellata: aut qualia in ſingulis regionibus loco vini fiunt contra ſitim remedia.Plaga præterea, & refrigeratio,& frigidæ potus inteſtina exulcerant. Excrementa verò,& quæ cum vlceribus ſunt,alia atque alia in aliis atque aliis reperiuntur. Nam ſi in ſuperficie ſint, ex ſuperioribus quidem tenuia,bilioſa,inodora, præter eum qui ab inteſtinis fit,odorem:ieiuni autem inteſtini excremēta,puriora,crocea,mali odoris:aliqua verò & cum alimēto liquato quidem ſed aſpero exeunt. At modò grauis odor ob vlcerū putredine fit,modò vt à ſolo ſtercore prouenit. Ab inferiorum autē inteſtinorum vlceribus aquoſa,tenuia,ſine odore feruntur.ſin profundiora vlcera ſint, ſanioſa effluunt,ſubrubida,vinoſa,aut inſtar aquæ in qua caro lota ſit: & hæc modò ſola,modò cum ſtercore. hócque liquidum eſt circunfuſo humore diſſolutum,non infectum bile,inodorum: aut compactum,ſiccúmque, ſed ob humorem circunfluentem lubricum deiicitur. Cæterùm ſi maiora læuioráque vlcera ſint,& in ſuperiorib⁹ inteſtinis,eorum ratione à quibus & per quæ tranſeunt, bilioſa effunduntur.ſedem enim vellicant: nam bilis acris eſt,eóque magis ſi ab vlceribus effluat.bilis verò & inſtar

A vnguinis pinguis eſt.Ex profūdioribus autem vlceribus, ſed inferioribus cruenta manant,craſſa, pituitoſa, carnoſa,non valde pinguia,ramentoſa: vtpote quæ ab inteſtinis abſtrahantur.quinetiam & integræ inteſtinorū partes commixtæ ſunt.Excernūtur quoque & albida,craſſa,mucoſa,adipis conciſæ ſimilia,humore circunfuſa: hæc vtique à recto oblongo inteſtino feruntur. Nonnunquam ſanè mucoſa tantùm vellicantia,parua,teretia,mordaciáque egeruntur,crebrò ſurgere cogentia,& deiiciendi cupiditatem cum voluptate afferentia: ſed quæ deiiciuntur B valde pauca ſunt.teneſmus huic vitio nomen eſt. A cæco autem carnes longè rubicundæ & grandes excernuntur, circunſcriptionem multò maiorem habentes: in ipſo enim*maiora fiunt vlcera,cruor etiam craſſus,fæculentúſque emanat: & hæc omnia multo quàm antè dicta fœdius olent. Cæterùm poſtquam ſerpunt & exedunt vlcera,& nullo remedio vllo in loco coerceri poſſunt, à ſuperioribus quidem non ſolùm exquiſitè bilioſa, ſed & crocina, ſpumea, fæcem vini referentia, & nigra, iſatidis & porri ſuccū repræſentantia, antedictis craſſiora atque in- C ſtar putredinis graueolentia deiiciuntur. Alimentum nūc minus concoctum eſt,ſolùm vt à dentibus voracius contritum.At ſi inferiora inteſtina vlceribus erodentur, guttæ cruoris atræ,craſſa,carnoſa,rubida, grumoſa, nonnunquam nigra,multis modis variantia,olida , non ferenda per ſedem,expelluntur: humiditatúmque exitus inuoluntarii fiunt. Nonnunquam oblongum quiddam in plurib⁹ nō diſcretum,inſtar ſani inteſtini deiicitur: & ignaris rei ſuſpicionem præbuit inteſtini. At negotium ita ſe habet, Inteſtinorum tunicæ perinde ac ventriculi geminæ ſunt, D & altera alteri obliquè ſuperiniecta eſt. Igitur quum earū connexio diſſoluitur,interior tunica ſecundū longitudinem abſiſtēs foras egreditur: exterior ſola intus remanet, & carnoſa efficitur,& cicatrice ſolidatur:ſaneſcúntq; homines & noxa ſoluti viuunt. Id verò inferius inteſtinum ſolùm patitur.in cauſa eſt tunicarum carnoſa ſubſtantia. Quòd ſi ex quopiam vaſculo cruor emanet flauus, aut niger,purus,non cum cibo aut ſtercore mixtus effunditur: verùm concretum quiddam latis araneolis ſimile extenditur.in grumum enim,quum refrixit,obduratur: neque E ſanguinem excretum eſſe credideris.ob ſonum autē multum cum ſpiritu maior quàm pro effectu eſt excretionis apparentia.Interdum & in pleniore inteſtino purulentus abſceſſus efficitur,nulla nouitate ab aliis internis vlceribus differens. etenim ſigna,& pus,& vlcerum medicatio, penitus eadem ſunt.Si res duræ,carnoſæ,contritis aſperiſque corporibus ſimiles excernantur,abſceſſus nō benigni moris ſignificatur. Nonnunquam ex laxo inteſtino aqua multa dyſenteriæ modo profluit, ídque plurimos ab hydropico morbo liberauit. Vlcera quidem inteſtinorū (vt F paucis dixerim)huiuſmodi ſunt. Cæterùm & ipſorū formæ, & ab ipſis purgamenta tot ſunt quot ſuprà comprehendimus.Quæ ſingulis quoque ægrotantibus accidunt, explicabimus,ſeu placida,ſeu noxia vlcera ſint.Itaque collectim dictum eſto,ſi exulceratio ſuperficie tenus fuerit ſiue ſuprà,ſiue infrà,febrem non habent,nec dolorem:ac ſine decubitu, tenui victus ratione diuerſis modis ſaneſcunt: ſin vlcus altius deſcēderit,in ſuperioribus quidem mordacia tormina & acria ſunt tanquam à pauca calida bile.aliis atque aliis temporibus ſuppurant inteſtina: ple- G runque verò ſuppurant,aut coctiones dimidiatæ ſunt, cibos tamen non horrent. Si inferiora vlcerata ſint, longè ſuperioribus ſunt ſalubriora.hæc enim humiliora inteſtina multò carnoſiora ſunt aliis: ſin caua & depaſcentia vlcera in ſuperioribus graſſentur,febres acutæ concitantur, non emicantes,in viſceribus demerſæ: extrema refrigerātur,cibus faſtiditur,vigilia adeſt,ructus malè olēt, nauſeabundi ſunt,bilis vomitus,vertigo.quúmque multa expelluntur(ea verò bilioſiora ſunt)tormina,atque alii dolores magis perſeuerant. His accedit virium conſumptio, H genuúmque reſolutio: ardore æſtuant , ſitibundi ſunt & anxii,atra per nauſeam reiiciunt,lingua eſt arida, pulſus puſilli,debiles.atque his germana ſunt quotquot de perniciosis vlceribus mortifera expoſui. oris etiam ventriculi dolore vſque ad animæ deliquium torquentur. Quidam verò neque ex eo deliquio in priſtinū reſtituti ſunt,

ſed in tali affectu vitam finierunt. Huiuſmodi calamitates & inferiorum inteſtinorum corroſionibus communes ſunt,ſi depaſcantur vlcera. neque eorum depaſtionẽ compeſcere valemus, præterquam quòd tormina doloréſque ſub vmbilico inferius,vbi vlcera ſunt, percipiuntur.Formæ autem excremẽtorum tales ſunt quales ſuprà poſuimus.Verùm ſi inter initia,parua vlcera ſint, in longúmque tempus depaſtio producatur,alia aliis vlcera ſuperueniunt,aliquibus miteſcẽtibus,aliquibus in ſummũ excreſcentibus.quales enim ſunt in mari fluctus, talis eſt invlceribus tempeſtas. Cæterùm ſiquãdo natura reſiſtere potens fuerit,ſimúlque & medicus ſubuenerit, depaſcentia compeſcitur,mortíſque timor remouetur:inteſtina tamen dura, tumida, cicatricoſáque remanent, & nonniſi lõgo poſt tempore ſaneſcunt. Verumenimuero quum ab inteſtinis cruor erumpit, ſi ex magna vena aut arteria exeat,matura mors aduenit. neque enim aut manũ intromittere,dolorémque attingere, aut medicamentum ipſi vlceri adhibere poſſumus. Quinetiam ſi medicamento ſanguinis profluuium coercetur,non propterea tuta eſt ac vera mortis euaſio: quandoquidem nonnullis magna eſchara,*id eſt cruſta*,decidens,venæ oſtiolum patẽtius efficit.Vbi verò & grumi intus concreſcunt,intúſque remanent,ineuitabilis morbus eſt.Incipiẽtibus igitur ſanguinis eruptionibus ſuccurrere oportet.Plerunque autẽ quũ futuræ ſunt,licet non admodum claris ſignis, tamen ſeſe indicant.anxietas enim adeſt,& animi ambiguitas: grauitas ea in parte eſt quæ rumpitur: & facies rubet, ſi nõdum ruptura facta eſt. Sin autẽ vena proximè reſciſſa eſt, plurimum vẽter mollitur omnino: ſi ſatis temporis præteriit,difficilius atque tardius ſoluitur. Huiuſce qualitatis ſunt inteſtinorũvlcera.Præcipuè autẽ naſcũtur æſtatis tẽpore,ſecundò autumni,minus vere,minimè hyeme.Pueris quidem & adoleſcentibus ventris profluuia contingunt: difficultas autem inteſtinorum, viris & iuuenibus. Senecta verò ægrè medicabilis eſt, & ad ducendam cicatricem longum tempus requirit.At vlcera exedentia, ſenibus inuſitata, ſanguinis verò profuſio ſenectæ eſt cõueniens.

DE LAEVITATE INTESTINORUM, Cap. X.

SI à torminibus & ab latis valdéq; profundis ſuperiorũ inteſtinorũvlceribus cicatrices crebræ,craſſæ,ſolidæque contrahantur, ſtercora ex his deorſum liquida, ab alibili indiſcreta prolabuntur.Inteſtinorum enim raritas, per quã ſurſum verſus alimonia diſcurrit, à cicatrice intercluſa eſt.Homo igitur nutricationis inopia laborat, & pallor adeſt & infirmitas. Affectus iſte qui ab cicatrice fit, λειεντερίας cognomen accepit, ἀπὸ τῶν ἐντέρων, *id eſt ab inteſtinis*. Et nunc quidem à cicatricibus morbus exoritur, aliàs verò inteſtina cicatricis expertia ſunt: ſed conſuetudo & exercitatio inteſtina profluuium pati edocent. *In iſtis enim calidum quandoque refrigeratum eſt: vt neque concoctionem,neque digeſtionem moliatur: ſed præ imbecillitate retinere non poteſt, omnémq; elaborationem alimentum ſubterfugit. Quòd ſi ex tempore,& non ſtabilis ſed leuis momenti purgatio fiat,ſimplex à cibis vomitus morbum ſoluit. Sin autem aliquo tempore prorogetur,& in ſede firma iſtorum cauſa permaneat,nihil opis vomitus affert.Morbus quoque lõgus, & malus habitus*qui decumbere non cogit, lienteriam peperit.Aqua inter cutem nonnunquam in hanc ægritudinem feliciter commutata eſt,in malum ſcilicet ex malo: ſed melior eſt ſucceſſio.

DE VTERI MORBIS, Cap. XI.

MVlieribus vterus ad purgationem & partum bonus eſt,ſed morborum infinitorum malorúmque aceruum congerit.neque enim vlceribus tantùm, & inflammationi,& fluori obnoxius eſt,verumetiam, ſi totus repentè ſurſum verſus moueatur,celerem interitum affert. Alibi quidem ſcriptum eſt quinam ipſius morbi pernicioſi acuti ſint.Diuturni verò hi: fluor duplex,duritia,vlcera aliqua innoxia,aliquã maligna,exitus totius aut partis.Fluor ſanè ruber aut albus eſt: forma declarat. Ruber quidem, ſi ſanguis flauus emanet:& huius ſpecies, vel liuidus,vel niger&, tenuis,vel craſſus & concretus, vt gru-

A mi.Albus,vt aqua,aut flauus cum pallido mixtus, vt bilis: craſſusverò aut ſubtenuis aut tenuis liquor,*ἰχὼρ à Græcis dictus*,& malè olens.albus item,vt pus: ſed exquiſitè albus, vt album ſerum. quinetiam gutta cruenta nonnunquam cum pure ſimul effluit: mille aliæ ſunt ſecundum rationẽ maioris & minoris iſtorum ſpecies.Circuitus verò modò eſt menſtrua purgatio, ſed non ad priſtinum præſcriptũ diem reuertitur:non multus quidem ſanguis,ſed per multos dies effluit.paucorum autem dierum fit interpoſitio, ſed omnino pura.Alter eſt circuitus modus, ſed ad certũ

B diem: neque plurimi ſanguinis eſt plerunque prima purgatio.bis autem ac ter purgantur per totum mẽſem.Tertia eſt quoque fluoris ſpecies: indeſinens quidem effluuium eſt,& ſingulis diebus modicum, ſed in totum menſem ſumma fit non admodum modica. neque enim vterus oſtium claudit,ſed hiat, ad effluxum humiditatis relaxationem patiens. Verùm ſi neque intermittatur, neq; parum effluat,ob ſanguinis effuſionem moriuntur.Signa vtique hæc ſunt,præter humiditatis effluentis colores, ipſius hominis color:peruigilant, cibos oderunt, *anxie-

C tate vexantur.Diſſoluuntur in rubro profluuio magis, & dolore torquentur:& in ambobus quod effluit,mali odoris eſt, ſed modò magis,modò minus. Album enim profluuium peius olet,ſiquando maior adeſt putredo: aliàs autem rubrum,quum *leuius debacchatur eroſio. Breuibus ſanè dictum eſto. Ater fluor omnium peſſimus eſt,deinde liuidus: palli..us, albus & purulentus, diuturniores quidem ſunt,ſed minus periculoſi. Ex his ipſis pallidus deterior quidem eſt,ſed longè melior eſt ille qui cum vſitato colore mixtus eſt: vſitatus autem eſt ruber,eiúſque

D ſpecies.Quinetiam & ipſis minus noxii ſunt vſitati: ſed reuera ſenioribus infeſtiores ſunt rubri fluxus: *minimè autem puellis,quibus magis albi nocent. Item altera eſt albi fluoris ſpecies,menſtrua purgatio, exalbida, acris, & pruriginem cum voluptate afferens. In iſtis verò humor albus,craſſus,genituræ ſimilis prouocatur: hanc ſpeciem *γονόρροιαν γυναικείαν, id eſt fluxum ſeminarium muliebrem* appellauimus. Eſt autem vuluæ refrigeratio: quamobrem humorum tenax eſſe non poteſt. quinetiam ſanguinem in albidum colorem tranſmutat. vim enim ignis rubrificã

E non habet.Id genus vitii & ſtomachus patitur,ideo & pituitam euomit.Simili affectu & inteſtina laborant,quum profluuio quod diarrhœa vocatur,ægrotant.In vtero præterea vlcera ſuboriuntur,aliqua lata,pruriginoſa, tãquam ſale inſperſa:hæc ſunt quædam ſuperficiei excoriatio.pus habent craſſum,inodorum,paucũ.vlcera huiuſmodi mitia ſunt.His cauiora ſunt vlcera & deteriora,quibus dolores parui accidunt,pus paulo plus.grauius olent: nihilominus tamẽ hæc quoque placida ſunt. Quòd ſi*altius penetrent,& labia dura aſperáque fuerint,& ſanies quædam

F olida exeat,& maior ſit quàm in ſuperioribus dolor, exedit vuluam vlcus,& nonnũquam caruncula quædã ſeparata egreditur.neque ad cicatricem vlcus id ducitur, ſed longiſsimo tempore hominem tollit: nam maximè diuturnum eſt. huiuſmodi φαγέδαινα nuncupatur. Nempe mortifera vlcera ſunt ſi præter ipſa dolor exacerbat, & mulier valde contriſtatur: & res putrida ab vlcere neque ipſis ægrotis tolerabilis emanat,efferatúrque manuũ attrectatione & medicamentis, & quolibet genere medelæ exaſperatur: venæ autem in vtero turgent, & pro-

G ximæ ſimul partes diſtenduntur. Id verò perſpicacibus medicis tactu deprehenditur. neque enim aliter liquet. Cæterùm ignis & anxietas totius, & duritia ſimul,vt in feris vlceribus, inſunt: quæ & ipſa mortifera ſunt,necnon & cancri appellationem obtinent.At cancer neutiquam vlcus eſt, ſed tumor durus & indomitus, qui vnà totum vterum diſtendit: dolores quoque, & reliqua omnia quæ in vlcere inſunt, cancrum comitantur. Hæc eadem verò canceroſa vtraque ſunt,& diuturna,& pernicioſa.Vlceratus autem cancer non vlcerato longè impro-

H bior eſt & odore,& doloribus,& vita,& morte.Nonnunquam integra vulua de ſede ſua egreditur, & mulieris feminibus inſidet incredibilis calamitas: ſed neq; inaſpectabilis eſt vterus,neque ingenerabilis cauſa. relaxantur enim membranæ ilibus appenſæ, quæ vteri ſunt ligamẽta neruoſa: quæ in fundo ſunt iuxta lumbos gracilia,quæ

in ceruice hinc atque inde iuxta ilia,maximè neruoſa,latáque ſunt: qualia nauigiorum vela cernuntur. Omnes igitur hæ membranæ remittuntur,quum vulua foras procidit. Plerunque ſanè huius exitus mortem affert.accidit enim ex abortu,& magnis concuſsionibus, & violento partu. At ſi non interficit,diu hæ vitam producunt; non viſibilia videntes,extra alentes vterum, atque fouentes. Videtur autem nonnunquam duplicitatis vteri interius ſuccingẽs tunica,quando à contiguo diuellitur. Geminæ nanque membranæ tantùm ſunt differẽtes à tunica. hæc verò abſcedit & fluxione,& abortu,& violẽto partu, quã do ipſa ſecundis inhæreſcit. Nam quum ipſæ vi extrahuntur,ſimul & vteri tunica extrahitur: verùm niſi pereat mulier,reuertens eadem tunica vtero adamuſsim cõnectitur,aut paulum extra prominet. contegit autem feminibus mulier. Nonnunquam vteri oſculum ſolum ad ceruicem vſque procidit,ſed rurſum intrò ſe recipit, ſi vterus ſuffimenta mali odoris olfaciat.ipſum quoque mulier attrahit *ſi grata odoramẽta naribus ſubiiciat.Quinetiam obſtetricis manibus paulatim intrò recurrit, ſi placidè & ſenſim prematur, & prius remedia vteri mitigatoria, *quæ *Græci ὑστερικὰ uocant, id eſt uterina,** ei adhibita fuerint.

DE ARTHRITIDE ET ISCHIADE, id eſt articulorum & coxendicis dolore, Cap. XII.

COmmunis omnium *ἄρθρων, id eſt articulorum*, dolor eſt *ἀρθρῖτις*: ſed pedum dolorem, podagram vocamus: coxẽdicum,iſchiada: manuum verò,chiragram. Nempe aut ex tempore dolor eſt,ſi ex aliqua parum durante cauſa conſurgat:aut latenter meditationibus longo tempore contractus eſt morbus,quum ab exigua occaſione dolor & morbus accenduntur.Eſt autem omnium ſimul neruorum affectus,ſi auctum malum omnibus ingruat. Initio verò nerui,articulorum vincula,& quæcunque ex oſsibus exorta ſunt & in oſſa inſeruntur, dolere incipiunt. At iſtorum magnum eſt miraculum: non dolent quidem vel minimum,etiamſi quis ſecet,aut collidat: at ſiquis ab ipſis doleat,nihil aliud eſt eis ad dolorem citandum potentius,non ferramenta adſtringentia,non vincula, non vulnerans gladius,nõ exurens ignis. nam & hæc aſſumuntur tanquam maiorum dolorum remedia.Quòd ſi quis ipſa dolentia oſſa præciderit,ſectionis dolor, vt exiguus,à maiore obſcuratur.Sin autem iſte præualeat,eos voluptas capit,priorum malorum obliuionem afferens.id ſanè patiuntur dentes & oſſa.Cauſam quidem veram ſoli dii nouerunt,probabilem verò & apparentem,etiam homines. Eſt autem(vt ſimpliciter dicam) huiuſmodi: Quod præ denſum eſt, contactum vulnerationémque nõ ſentit, idcirco & ex tactu vulnerationéque non dolet. Dolor enim eſt res aſpera ſenſui: denſum autem nõ exaſperabile,ideo quoque eſt indolens. At rarum bono ſenſu præditũ eſt,& vulnere exaſperatur.Cæterùm quoniam & denſa ingenito calore viuunt,per hunc eundem calorem etiam ſentire poſſunt.Si quidem efficiens cauſa ſubſtantialis ſit, vt gladius,aut lapis,ſubſtantialis patientis corporis pars nõ dolet: natura enim denſa eſt: ſed ſi caliditatis inſitæ intemperatura corripiatur,ſenſus fit permutatio. quúmq; ipſorum ex ſe ipſa dolet caliditas,ab interna ſenſus pulſione excitatur.natura autem in maius excedente,vel ex abundantia dolores proueniunt. At aliâs in alios articulos morbus articularis inuadit:quibuſdam in coxendices(eáque parte plerunque claudus remanet) & in alia quædam membra nonnunquam exiguus. quandoque nec in paruas particulas tranſit,pedes & manus.nam ſi maiora membra occupauerit morbum ipſum capere valẽtia,inſtrumẽta illa non ſupergreditur.Sed ſi ab exiguo membro initium ceperit,mitis eſt & inopinata euaſio. Iſchiadis quidem à femore poſterius, aut poplite, aut tibia initiũ eſt. Aliâs verò in cotyla,*id eſt coxæ cauo, quod Lat. acetabulum uocant*, dolor apparet,rurſus in clunem aut lumbos impetũ facit,& omnia potius eſſe videtur quàm coxendicis morbus. Verùm etiam articuli ita fere dolere incipiunt: Magnum pedis digitum dolor occupat: rurſum calcem in priori parte,qua nitimur,deinde in concauam ſubit:malleolus autem poſtremus intumeſcit.Doloris cauſam non legitimam afferunt aliqui nouæ crepidæ attritum,aliqui longam obambulationem: alius plagam, aut calcationẽ: nullus inteſtinã domeſticámq; cauſam explicabit: quinetiam ægrotis verum audientibus incredibile eſſe videtur quamobrẽ in inſanabilem affectum inciderunt: quoniam principiis,quum debiliſſimus morbus eſt, medicus non reſiſtit: qui vt temporis ſpatio vires acquiſiuit, nihil medici diligentia proficitur.Quibuſdam in pedum articulis vſque ad mortem reſidet morbus, quibuſdam in omnis corporis ambitum vagatur: plerunque à pedibus in manus proſilit.neque enim multum intereſt in pedibúſne an fiat in manibus: quum vtrique eiuſdem naturæ ſint,graciles,excarnes,externo frigori proximi, à calore interno remotiſsimi.Item cubiti flexura, & genu conueniunt.poſt hæc *κοτύλαι, id eſt coxarum cauitates*, & vocatus periſtrophus.Tranſitus quoque in dorſi thoraciſque muſculos fit,incredibiléque eſt quàm malum ſerpat. Vertebræ dorſi ceruiciſque dolent,& in ſummo ſacri oſsis dolor inhæreſcit ſimúlque omnium bos,aſinus, & proprius cuiuſque dolor. Verumetiam tendones & muſculi cum diſtentione dolorem patiuntur, necnon maxillarum & temporum muſculi.Item communicatur renibus & veſicæ.O rem admirabilem! poſt omnia nares, & aures,& labia afficiuntur.Nam quoquo verſus nerui & muſculi * in capite feruntur, dolent capitis ſuturæ, & quid doleat ægrotus ignorans,indicat ſuturarum ſpecies,obliquam, rectam,tranſuerſam,poſterius ac prius. Tenuem autem dolorem & in oſsibus defixum cõqueritur. vniuerſam enim oſsium compagem morbus populatur haud ſecus atque pedis aut manus articulum. In articulis quoque tofacea quædam coaleſcunt: ab initio quidem veluti abſceſſus occupant: poſtquam verò magis ſpiſſantur, etiam cõcreto humore difficiles fiunt inflexiones:demum tofi ſolidi albi conſiſtunt.In toto autem membro tubercula exigua, quales ſunt *ἴονθοι, id eſt uari*, & maiora exurgunt. Humiditas verò craſſa,albicans,grandinoſa eſt: nã & totius morbus frigidus inſtar grandinis eſt. Videtur autem caloris aut frigoris differentiam præ ſe ferre:ſiquidem modò ex calore,modò ex frigore voluptas percipitur. At mihi placet vnicam eſſe morbi cauſam,inſitam frigiditatem,vnicúmque eſſe affectũ: verùm ſi protinus increſcat, & caliditas apparuerit,refrigeratione opus eſt, ac talibus delectatur: & huiuſmodi affectum calidum vocant. Quòd ſi dolor in intimis neruis demoretur,& articulus non calẽs collapſus ſit,neque extumeat, frigidum hunc eſſe dixerim, in quo ad caloris reuocationem medicamenta calida requiruntur: multis autem valde acribus opus eſt.Caliditas enim collapſas partes in tumorem excitat, & internum calorem ad ſuperficiem euocat. quo tempore frigida medicamina proficiẽt.Huic rei fidem id facit quòd iiſdem eadem non conducunt. nam quod modo profuit,id aliâs noxium fuit.atque(vt compendio dicam)calore in principio,frigiditate in fine opus eſt. Haud facilè quidem continua podagra gignitur: ſed nonnunquam longo interuallo temporis intermittitur: tenuis enim eſt. Et in ludis Olympicis podagricus morbo ſedato curſu victoriam adeptus eſt.* Viri facilius in hunc morbum incidunt,& ex mulieribus agiliores. Mulieres autem,licet rarius quàm viri,difficilius tamen hoc vitio laborãt. Quod enim neque vſitatum,neque familiare eſt, id ſi aliqua vrgente cauſa potentius euaſerit,violentum quũ ſit,maiorẽ calamitatem infert. Ætas autem huic morbo ſubiecta eſt à quinque annis ſuprà triginta.Celerius quoque, aut tardius,prout cuiuſque natura aut victus ratio poſtulat. Atroces ſanè dolores ſunt,ſed dolores comitantia atrociora: defectus animæ, ad manuum contactum immobilitas,ciborum auerſatio,ſitis,vigilia.Si diſcrimẽ euaſerint, tanquam ab inferis elapſi,laxiorem vitam degunt, incõtinẽtes,ſimplices,hilares,*auari,& in victu molles ac delicati.* Idcirco verò tanquam mortem rurſus ſubituri licentioſè præſenti vita fruuntur. Multis in hydropicum morbum podagra conceſſit,quibuſdam in aſthma, *id eſt deprauatam ſpirationem, Latinis anhelitum*. Hæc verò ſucceſſio immedicabilis atque ineuitabilis eſt.

DE ELEPHANTIASI, Cap. XIII.

ELephanti morbo & feræ elephanti communia multa ſunt,& ſpecie, & colore, & magnitudine, & victu. Verùm neque vlli alii ſimilia ſunt, neque affectus affectui,neque animal animali. Nam elephas fera longè ab aliis differt.Primùm quidem ingentiſsima craſſiſsimáq; eſt. magnitudo enim tanta eſt vt magnum animal ſuper aliud animal turris inſtar imponere queas. Craſsitudo quoque tanta,quantam plura craſſiſsima animalia inter ſe coniuncta vix æquare valeant. Cæterùm neque ſpecie cuipiam admodum ſimilem inuenias: ſiquidem omnes exquiſitè nigro colore toto corpore obſcurantur.Nam equorũ alius candidiſsimus eſt,quales Rheſi equi Thracii: alii ſunt podargi *.i.albis pedibus*, qualis Menelai Podargus: alii flaui, quales centũ & quinquaginta: alii κυάνεοι *.i.cærulei. Vnde illud Homeri*, ἵππῳ εἰσάμενος παρελέξατο κυανοχαίτης, *id eſt,factus equo ſimilis concubuit Cæruleos habens crines.* Ita boues ſe habent,ita & canes,ita quælibet reptilia, & animalia quæ ſuper terram depaſcuntur. Elephantes autem ſoli,nigri,tenebricoſo colore,nocti & morti ſimiles.Specie verò tali ſunt: capita quidem & facies* fœdas habent, figura non euidenti,ſuper breui ceruice,vt caput in humeris conſidere videatur: atque ideo non euidens eſt. aures enim grandes ſunt,latæ,alarum ſimiles, ad iugula vſque & pectoris oſſa. Hæ ceruicem armóſque tegunt, ſicut nauigia velis conteguntur.Cornua verò mirandum in modum candida nigriori colori internitentia poſſidet elephas.alii hæc dentes appellant.Hæc ſola autem candidiſſima ſunt quale nihil in vllo alio quanuis candido animali reperitur.Et hæc ipſa non ſuper frontem & tempora, (qualis cornigeris natura eſt)ſed in ore ſuperiorique maxilla ſita ſunt,prorſum verſus ſpectantia,recta non admodum,ſed paulum in ſuperiora retorta,quo à recto detorqueri liceret, & inſimis dentibus pondus extollere. Grandia vtique cornua ſunt: lõgitudinem orgyæ, *id eſt extenti brachii*, æquant mediocria:alia his multo longiora, duplo longiora ſunt. Prominentiam habet ſuperior maxilla à labro enaſcentem, longam, exoſſem, tortuoſam, ſerpentis ſimilem. Duo verò in ſumma prominentia foramina ſunt: & hæc in pulmones vſque pertinentia natura terebrauit, duplicis tibiæ imaginem referentia. Hac ſanè fiſtula tanquam nare ad reſpirationem, necnon & vice manuum,id animal vtitur. poculum etenim, quum velit,hoc proceſſu corripit,complectitúrque,& valide retinet: neque ab eo quiſpiam vi eripere poſſit, niſi alius ſit potentior elephas.herbam etiam ad pabulum hoc quærit: neque ore minoribúſque dentibus carnes edendo vitam ducit.prælongi enim pedes longè à terra diſtans animal ſuſtinent.quinetiam breue(vt diximus)collum eſt. ore igitur humi pabulari non poteſt. Nonnunquam & cornuum ab ore proceſſus herbam os tangere prohibet. Itaque hac prominentia magnum pondus haurit: deinde quotcunque venatur, hac complexus, ventri futura alimentum in os detrudit.Ritè igitur primi illi προβοσκίδα hãc vocarunt.* nam πρὸ, *id eſt ante ſe*,animal hac βόσκεται, *id eſt pabulatur*. Verũenimuero neque ex palude aut flumine ore bibere ei licet. eadẽ enim cauſa eſt.Quòd ſi ſitiat, proboſcidis extremam narem in aquam demergit: deinde tanquam reſpirans,vice aeris, multum aquæ attrahit: vbi verò impleuit narẽ, ceu poculum, in os inſtar fluminis effundit: deinde iterum attrahit, iterúmque effundit, quoad ventrem tanquam onerariam nauem compleuerit.Corium habet aſperum,craſsiſſimúmque, tumoribus inæquale,fiſſuras habens,ceu ſemitas prælongas,alias diuiſuras concauas tranſuerſas, alias verò obliquas valde profundas. totum tripodonio perſimile eſt.Pili autem aliis quidem animalibus natura, aut ſetæ ſunt, elephanti verò ſordida lanugo eſt.Infinitæ ſunt & aliæ differentiæ inter elephantem & cætera animalia. Etenim retrouerſus quandoque ſecundum genu flectitur, quemadmodum & homo,& mammas prope axillas habet,vt mulieres.Cæterùm non in præſentia mihi opus eſt de animalis huius natura tractare,niſi quatenus ex eo & morbus elephas vocatus patefiat,quótque ægrotantis forma huius animalis naturæ ſimilia obtineat, agnoſcatur. Morbum quoque hunc,leonem vocauerunt, ob epiſcynii, *id eſt extremarum*

A *frontis rugarum*,ſimilitudinem:de qua poſterius dicam. Satyriaſis etiam appellatur ob malarum ruborem, atque inexplebilem impudentémque coeundi libidinem. Necnõ & Herculeus dicitur,quoniam eo nullus maior eſt, neque valentior.Magnus eſt quidem potentia morbus. ad mortem enim inferendam eſt omnium longè efficaciſsimus: eſt etiam viſu fœdus,& in omnibus terribilis, quẽadmodum & elephas belua.Ineuitabilem quoque affert interitum: quandoquidem à mortis cauſa ducit originem. Ea, ingeniti caloris frigiditas eſt non exigua,vel potius con- B gelatio,ceu quædam ſæua hyems: quum aquam in niuem, aut etiam grandinem,aut cryſtallum, aut glaciem cõuertit.hæc eſt communis mortis ac morbi cauſa. Verũtamen neque vllam inſignem cõiecturam morbi principiũ obtinet:neque vlla noua atque inuſitata labes hominem inceſsit: neque in corporis ſummis partibus repræſentatur, vt protinus videre quis poſsit,& incipiẽti malo reſiſtere. ſed in viſceribus(tanquam domo Plutonis)deliteſcens ignis iam ſuccenditur,internorúmque victor,rurſum in ſuperficie aliquando exardeſcit. Plerunque ſanè à facie hæc C peſtis incipiens,tanquam ignis de ſpecula procul conſpicuus effulget: nõnullis verò ab extrema cubiti curuatura, à genu,à manuum pedúmque articulis.Idcirco autem huiuſmodi hominum ſalus deſperata eſt,quoniam medicus ad morbi debiliſsima initia artem nõ adhibet, negligẽs, & ægrotantium calamitatis ignarus. Tardi enim ſunt, vt ab aliqua leui & vulgari cauſa, ſomniculoſi, quieti, ſicca aluo. Hæc etiam ſanis haud valdè inuſitata ſunt.In morbi autem crementis reſpiratio graue olet ob interni ſpiritus exhalationem. Huiuſce rei aer,aut quippiã aliud extrinſe- D cum,cauſam præbere videtur.Lotium craſſum eſt,album, turbidum,quale iumentũ reddit.venerem appetunt, crudorum & incõcoctorum diſtributio fit: neque iſtorũ eſt ſenſus & meditatio,(neque enim concoxerint necne percipiunt) & cruditas hæc concoctioni ſimilis eſt.nam ipſis haud frequens eſt in optimum aut familiare concoctio. Digeſtio verò facilè fit,tanquam in ſuum ipſius alimentũ raptim morbo attrahente. propterea valde ſiccitate inferioris ventris laborant. Tumores alii iuxta alios exurgũt, nondum quidem continui,ſed craſsi & aſperi: & interſti- E tium tumorum diſciſſum eſt,vt elephãtis corium. Venæ latæ ſunt,non ſanguinis redundantia,ſed cutis craſsitudine. Non multo poſt autem & ſedes declarat,vniuerſo corpore in æqualem tumorem diſtento. Pili in omni corpore præmoriũtur,in manibus,femoribus,tibiis.item in pube,in mẽto rari ſunt.rara quoque in capite cæſaries:quod verò maius eſt,intempeſtiui cani & caluitium affatim ſubitóque ingruunt.non multo pòſt autem pubes & mentũ glabreſcunt, Quòd ſiqui pauci pili remaneant, hi magis dedecent quàm qui defluxerunt.Capiti cutis altius reſciſ- F ſa eſt: rimæ autem frequentes,profundæ,aſperæ ſunt. Tumores in facie duri,acuti:nonnunquã faſtigio albido,baſi viridiore:pulſus puſilli,graues,tardi,tanquam per cœnũ vix ſe mouentes. Venæ temporum diſtẽtæ ſunt,& ſub lingua:ventres bilioſi. lingua grandinoſis varis exaſperatur. Neque inopinabile eſt & omne corpus talibus ſcatere tuberculis: quandoquidem & in victimis prauos humores habentibus carnes grandinis plenæ ſunt. Sin autem valde ab intimis partibus erumpet morbus, & in extremitatib9 apparebit,impetigines ſummos digitos infeſtabunt, ge- G nua pruriẽt,prurituſq; cũ voluptate ſcalpetur. Ambit verò impetigo & mentũ nonnunquã in orbẽ. rubent malæ cũ tumore haud ita magno:oculi caliginoſi,ænei coloris ſũt: ſupercilia prominẽtia,craſſa,glabra,deorſũ verſus põdere vergẽtia:cõtractis glabellis eminẽs tumor inſurgit: color liuidus aut ater eſt.epiſcyniũ vehemẽter cõtrahitur, vt oculos cõtegat,quẽadmodum iraſcẽtibus aut leonib9 accidit:vnde & leonina hæc ægritudo vocatur. Igitur neq; leoni neq; elepãtho ſolũ, verũ etiã nocti tenebroſæ æquales ſũt. ὑπώπια *.i.ſub oculis inſurgẽtia oſſa*,& nares cũ atris tumo- H ribus ſalebroſæ extãtéſque ſunt.labiorũ prominẽtia craſſa eſt,pars autem inferior liueſcit,naſus tumet,dentes non albi ſunt,ſed nigricare videntur. Aures rubent admixta nigritia,obſtructæ, elephanticæ, vt grandiores conſueto eſſe videantur. Vlcera in baſi aurium ſunt:ſanies defluit, pruriunt. Totum corpus rugis aſperis exaratur: necnon

& altè deſcendunt ſciſſuræ, veluti nigri in corio ſulci. propterea & elephas huic morbo nomen eſt. Plantarum & calcaneorum vſque ad medios digitos fiſſuræ ſunt. Quòd ſi plus augeſcat malum, tumores malarum, menti, digitorum, genuúmque vlceroſi fiunt. vlcera fœtida ſunt, & inſanabilia: alia enim ſuper alia exurgũt, ſuper alia alia miteſcunt. ſiquidem membra hominem diu morte præueniunt, quoad de corpore excidant naſus, digiti, pedes, genitalia, atque totæ manus. Neque enim hæc labes prius perimit, à turpi vita, ſæuíſque cruciatibus liberans, quàm membratim dilaceratus homo ſit. At longæua eſt, quemadmodum & elephas animal. Sin autem membrorum recens dolor ſit, longè acerbius affligit. Aliter atque aliter paratorum ciborum appetentia eſt, non obtuſa, ſed guſtatus qualitatis expers eſt: nulláque edendi ac potandi delectatio. omnia verò ob doloris cruciatũ oderũt. alimẽto priuatur corpus: rabioſa ineſt cupiditas: ſpõtinæ ſunt laſſitudines, ſingulorum membrorum ſpecies hominẽ grauitate inuſitata premit, quantũlibet exigua membra ſint. Quinetiam corpus omnia grauatim fert: non balneis delectatur, non illuuie: non cibo, non ieiunio: non motu, nõ quiete. ab omnibus enim morbus alienus eſt. ſomnus tenuis, vigilia peior, mala ſua cogitans: ſpirandi vehemens difficultas: ſuffocationes fiunt acſi laqueo ſtrangulentur. Hoc igitur pacto nonnulli vitam perdiderunt, inexcitabilem ſomnum in mortem dormientes. Itaque tales quũ ſint, quis non aufugiat? aut quis non auerſetur, licet filius, aut pater, aut etiam germanus frater ſit, quum metus eſt ne morbus communicetur? Propterea multi in ſolitudi-

A nes & montes, ſibi chariſsimos abduxerunt: aliqui eorum egeſtati, quoad viuerent, ſubuenientes, aliqui verò minimè, quum eos vita defungi mallẽt. Fama eſt, eorum quẽdam qui in ſolitudinem expoſiti erant, ex terræ latebris reptãtem viperam intuitũ, aut fame coactum, aut morbi tædio inductum, vt malo malum commutaret, viuentem viperam ediſſe, neque prius è vita migraſſe quàm omnia ipſius membra computruerint atque exciderint. Alterũ præterea ferunt, viperam in muſti dolium irrepſiſſe conſpicatum, quum muſtum ad ſatietatem ingurgitaſſet, vo-
B muiſſe, multúmque veneni ſimul cum muſto reieciſſe, *quoniam in muſto fera extincta fuerat: iterúmque hominem muſtum largiſsimè potaſſe, vitæ pariter ac morbi finem quærẽtẽ. Vt verò ſatiatus iuxtà inebriatúſque fuit, primũ quidem humi proſtratus inſtar morientis iacebat: poſteaquam deinde graui ſopore experrectus eſt, ebrietatémque diſcuſsit, in primis comæ defluxerunt; præterea digiti & vngues, deinceps omnia in ambitu corporis mẽbra contabuerunt. quoniam verò adhuc in ſemine facultas erat, iterum tanquam ab ortu hominem natura veluti
C ex cera creauit. alios enim crines enutriuit, vngues nouos & nitidam carnem inſtaurauit, ac vetus corium, ceu ſerpentis ſenectam, exuit, & tanquam alter homo ad vitæ munia reuocatus eſt. Ita habet fabula nõ admodum quidem vera, neque valde fidem excedens. Malum enim malo pulſum eſſe probabile eſt: naturam verò ex reſidua vitæ ſcintilla hominẽ redintegraſſe, haud ita à ratione abhorret vt monſtro ſimile eſſe videatur.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI, De morborum acutorum curatione Liber I.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

PRIMI LIBRI CAPITA.

Curatio phreniticorum, Cap. I.
Curatio lethargicorũ, id eſt veternoſorũ, Cap. II.
Curatio maraſmi, id eſt tabis, Cap. III.
Curatio apoplexiæ, Cap. IIII.
Curatio acceſsionis morbi comitialis, Cap. V.
Curatio tetani, ſeu rigoris, Cap. VI.
Curatio anginæ, Cap. VII.
Curatio vitiorum columellæ, Cap. VIII.
Curatio peſtilentium in faucibus vitiorum, Cap. IX.
Curatio pleuritidis, id eſt morbi coſtalis, ſeu lateralis, Cap. X.

PROOEMIVM.

ACutarum ægritudinũ medicamina ſpeciebus ſignorum contigua ſunt quæ ſuperioribus libris à me comprehẽſa fuere. Quæcũque ſanè in febrium curatione fiunt ſecundum ipſorum differentiã, & ſecundum morborum ſpeciem, & in ipſis diuerſitatem, eorum plura in tractatione de febrib⁹ explicabuntur: quotquot autẽ cum febribus acuti morbi fiunt, qualis phrenitis eſt, aut ſine febribus, qualis apoplexia, eorum duntaxat medicamina commemorabo: vt ne aberrem, neque verboſior ſim, alia in aliis deſcribens locis. Idem verò principiũ quod & de morbis feci, eundem etiam finem faciam.

CVRATIO PHRENITICORVM, CAP. I.

AEgrotum cubare conuenit in conclaui mediocris amplitudinis, aeris temperati, hyeme tepidi, æſtate frigidioris. vere autem & autumno ſecundum temporum naturas coniectura vti decet. Deinde quieſcere iubendum eſt & ægrotos ipſos, & omnes domeſticos. Acutè nanque audiunt phrenitici, & ſtrepitibus irritantur, nec-
D non & ab iis in furorem aguntur. Parietes læues ſint, æquales, neque ſupereminentes, neque feſtucas aut aliquid exertum habentes. neque picturis exornentur: pictura enim parietum mentem turbat. nam præ oculis falſa quædam ſimulacra obuerſantur, & quædam non eminentia tanquam eminentia manibus contrectant: omníſque occaſio citra cauſam manuum agitationem prouocat. Cubilis longitudo & latitudo moderata ſit: quò neque in ampliori volutari iactaríque poſsit, neque à nimis angu-
E ſto delabi. Stragulæ veſtes glabræ ſint, vt ne floccos colligere in mentem veniat. In molli lecto decumbant: nam durum ſtratum neruis ingratum eſt. Non minimè autem inter cæteros ægrotantes phrenitici neruis laborant: facilè enim conuelluntur. Amicisſimi eos inuiſant: fabulæ & ſermones animum ne vellicent: quum delectabilia omnia eſſe oporteat, illis præcipuè quorum iracunda inſania eſt. Vtrũ in tenebris an in luce habendi ſint, ex morbi natura cõiicere debemus: nam ſi ad lumen efferãtur, & quæ non ſunt cernunt, & quæ nõ adſunt cogitãt, aut pro aliis alia cognoſcunt, aut quaſdam nouas & vanas i-
F magines accipiunt, atque in ſumma, lucẽ, aut quæ in

luce ſunt,extimeſcunt, obſcuro loco eos continere præſtat. ſin ſecus ſe habeant,lucido. Bonum eſt autem ad lucem reſipiſcere,placarique inſaniam. Ne diu à cibis abſtineant. cibi verò humidiores ſunto,paucioréſque & cõtinui: nam cibi animum demulcent. Occaſio autem exhibẽdi cibi eſto in vtriuſque remiſsionibus,febris videlicet atque delirii. Quòd ſi ab inedia furant, & non deſinat febris,cibos dare non valde febrim lædentes vtile eſt. Nempe bonum eſt febrim deliriúmque in acceſſionibus remiſſionibúſque concordare, quò exhibendi cibi opportunum rempus inueniatur. In primis itaque conſiderandum eſt, ſanguis necne mittendus ſit. Si mẽtis quidem alienatio vnà cum febre à principio inuaſerit, vena in cubiti curuatura primo aut ſecundo die, media potiſſimum ſecanda eſt. Quòd ſi nonniſi tertio aut quarto die delirium accedat,vſque ad primum decretoriorum dierum circuitum venæ ſectio differenda eſt. At ſi vltra conueniens tempus,vt puta ſexto aut ſeptimo die, ſuperueniat,*venæ ſectio dimittenda eſt. multo enim ante iudicationes in acutis morbis euacuandum eſt,aut purgandum,aut aliis irritationibus vtendum. Venæ quoque inciſor ne multum ſanguinis detrahat,licet à principio ſecet. phreniticis nanque malum eſt in ſyncopã facilè mutabile. Sin autem ægrotus valde repletus ſit,& iuuenis plurimo cibo,& largiſſimo vini potu ſaginatus,hæ ad phreniticos idem rationes non pertinent: verùm iſtis & citra delirium,multum ſanguinis hauriendum eſt: longè autem minus auferendum ſi iidem phrenitici ſint. Veruntamẽ audacius vena ſoluenda eſt, ſi à præcordiis non à capite morbus oriatur: ibi enim vitæ principium eſt:caput verò ſenſus neruorúmque originis locus eſt,ſanguinémque potius à corde trahit quàm aliis diſtribuat. Igitur ſi membrum hoc affectum ſit,venam cubiti ſcindere non conuenit. quippe in illis vitiis inanire vaſa oportet, à quibus non modica noxa prouenit. Quòd ſi vires patiantur vt quantum ſanguinis ſatis eſt euacuetur,ſemel auferendum eſt: ne,dum repetendo tempus cõteritur, exhibendi cibi occaſio elabatur: quandoquidem phreniticis continuæ febres ſunt,neque remiſsiones longas habent,ſed breues & latentes ſubleuationes. Cæterùm ſi ante mediocritatem defecerit æger,ad ſecundam remiſsionem differendum eſt,niſi longo tempore pòſt ventura ſit: quòd ſi nõ ſit,vires inſtaurando odoramentis, faciei tractatione, & pedum compreſsione, protinus ſanguis detrahendus eſt: quantum verò mittendum ſit,facultas oſtendet. Eſca humida omnibus quidem febricitantibus idonea eſt, ſed phreniticis maximè: aridiores enim ſunt quàm ſi ſola adeſſet febris. Neque mulſa danda niſi bilioſi ſint: nam facilè à bilioſis naturis concoquitur. Far lotum cum aqua aut mulſa conuenit. Bonum quoque eſt ex his ſorbitiones ſimplices præbere,quales ſatureia, aut apio, aut anetho incoctis fieri ſolent. hæ nanque bonam ſpirationẽ conciliant,& vrinam cient: conducit autem phreniticis lotii excretio. Omnia olera proſunt: ſed maluæ potiſſimum lentor bonus eſt,& ad linguæ arteriæque læuorem, & ad ſtercorum deſcenſum. optima eſt beta, blitum, coronopus,cucurbita,& quicquid ſuis temporibus optimũ fuerit. Ordei verò mundati cremor liquidiſsimus quidẽ in primis nutribilior eſt: ſed tanto etiam ſpiſsior craſſiórque ſit,quanto plus temporis morbus progreſſus fuerit. Verùm in iudicationibus & paulo ante iudicationes cibus ſubtrahẽdus eſt. Si morbus longiori tempore producatur,cibos ne ſubtrahito, ſed triticea exhibeto, quò ſufficiat ægrotus:quando extremorum & volatilium carnibus in cremore liquefactis plerunque opus eſt. oportet enim hæc in elixando valde diſſolui. Ex piſcibus ſaxatiles aliis præſtantiores ſunt: atque omnino regionis illius optimos deligito. quippe aliam regionem alias piſcium ſpecies procreare creditum eſt. Vinoſæ naturæ fructus ſubtrahito,quoniam caput & mentẽ percutiunt. Verùm ſi neceſsitas vrgeat,viribus aut ore ventriculi labantibus, mala in mulſa elixa,aut in adipe toſta exhibeto: aliorũ ſingula calida aqua diſſoluito,ſi roborandi duntaxat oris vẽtriculi cauſa exhibeas: ſin autem vires quoque inſtaurare opus ſit, non vſqueadeo vinoſa facultas diſſoluẽda eſt. Cibi quidem(vt ſemel dicam)huiuſmodi ſunto. Irri-

A gandum verò caput eſt refrigerandi cauſa, oliuæ acerbæ contritæ vnguine: nam caput in phreniticis calefieri non amat. Quòd ſi vigiliæ & cogitationes ægrotum agitent, roſacei parem modum in principio miſceto: adhuc verò plus roſacei addendum,quò magis extrà intráque caput roboretur ac refrigeretur. At ſi mens labefactetur, & loquutio euariet,ſerpylli comam oleis incoquito: aut hederæ ſuccum aut ſanguinalis affundito. Si mentis verò alienatio vehementius hominem turbet, peucedanum & ſpondylium oleis inferuefacito,& aceti parum inſtillato:
B hæc enim halitus & caliditatem difflant, craſſáſque humiditates,quæ & ipſæ deliramẽti cauſæ ſunt, diſcutiunt. Cauere autem conuenit nè in ceruicem ac tendones madefactio deſcẽdat. tendonibus enim atque neruis inimica eſt. Nempe irrigandi ſemper occaſio eſt, præterquam exacerbationis initio: rarius quidem in incremento, omnium verò frequentiſſimè vigente morbo, quum maximè inſaniunt,tum maximè irrigãdum eſt humore frigido: atque æſtiuo tempore, multo magis refrigerato, hyeme verò, tepido. Vt miteſcat autem delirium, poſca
C aut conyzæ decocto cum ſpongia facies fouenda eſt: deinde œnanthino aut crocino vnguine linenda: quinetiam nares & aures iiſdem imbuẽdæ. hæc enim ſomnũ alliciunt. Siquando iſti pernoctant, neque interdiu ſopiuntur,ſed penitus intenti ſunt oculi atque inſtar cornu rigentes, iactantur autem, & è lecto proſiliunt, iis ſomnus & quies conciliandi ſunt: primùm quidem caput roſaceo mero irrigãdo,aut amaracino,cum ſucco hederæ,aut ſerpylli,aut etiam ſertulæ decocto. Magis autem ſoporiferũ eſt papauer in oleo elixum,capitis ſincipiti ſuperdatum,
D aut in aqua faciei per ſpongiam impoſitum. Ipſæ quoque integræ herbæ(ſi proximè lectæ fuerint) virides ceruicalibus ſubiiciendæ ſunt. craſſant enim madefaciúntque ſpiritum aridum tenuémque, & caliginem quandam ſenſibus obducunt: graue autem & torpens eſt caligo: id verò eſt ſomni principium. At ſi valentioribus auxiliis egebũt,ipſa etiã papaueris lacryma ex aqua frons inungẽda. quinetiam nares ea linendæ, & in aures infundenda eſt. Contrectatio pedum ſuauis ex oleo: capitiſque attactus efficax eſt,ſed potiſſimum ſi tempora aureſque ſcalpan-
E tur. nam & ferarum iram furorémque aurium & temporum mollis attrectatio coercet. Cuique verò vſitata ſomnum accerſunt: nautis in cymba decubitus,& maritima nauigatio,& littorum ſonus,& vndarum murmur,ventorúmque bombus,& maris nauiſque redolentia: muſico tibiarum exercitatio quietem affert,aut lyræ cantus aut citharæ,aut meditatio puerorum canentium: ludi autem magiſtro puerilium fabellarum enarratio. Atque ita aliis alia animum demulcentia ſomnum inſinuant. Cæterùm præcordiis ac ventri madefactiones & cataplaſmata ad-
F hibeto, ſi phlegmone ſubſit atque durities, flatúſque diſtendat. Oleum quoque ex oliua bene matura,nequaquã acerba,iniicito: id enim craſſum eſt,& viſcidum, & calefaciens. Hæc vtique in inflammatione facienda ſunt. Iniiciatur verò in ipſa anethum,aut conyza: bonum quoque eſt ſi ſimul omnia. Quòd ſi adſit etiam inflatio,cumini & apii ſemina adiicito,& quæcunque lotium flatúſque prolectant: necnon & nitrum cribratum inſpergito. Verùm ſi in iecore vitium dolórque fuerit, lanas ab oue ſordidas accipito,oleum verò acerbũ,aut roſaceum, & ſapã Græcã
G aut Creticam admiſceto: ſertulámque incoquito, atq; omnibus in vnũ ſuccum permixtis iecur irrigato. Ad lienẽ verò oleũ cum aceto bene facit, aut ſi magis quàm prius turbet,poſca,& pro lanis ſpongia mollis adhibeatur. nam mirũ in modũ his gaudet miteſcitq; lienis. Porro ſi præcordia interius ſint,ſurſumque trahantur, & circuntenta cutis ſit,optimum hoc remedium erit loco vnguinis, aut vnà cum ipſo craſſo tantundem opportunum eſt. cunila verò & roſmarinus incoquantur: anethum quoque non iniucundum erit. Quòd ſi cataplaſmatis tempus erit ido-
H neum, oleis quidem iiſdem in iiſdem affectibus vtendum eſt: materia ſit autem,lini ſemen, fœnum Græcum, ordei tenuis farina. Bonum eſt autẽ & faba,& eruũ, ſi vẽter intumeſcat: pariter & miliũ torrefactũ,in ſacculo poſitũ,leue molléq; fomentũ eſt: pinſitũ verò & aqua intercutẽ laborantibus,cum melle & oleo & lini ſemine cata-

plaſma bonum eſt. Flores autẽ & herbæ & ſemina quæcũque à me in irrigationibus poſita ſunt, & in cataplaſmatibus eadem ſunto. Mel verò & cum ipſis bonum eſt, vt aridà cogantur, miſceantúrque ſqualentia, atque vt calor diutius permaneat: ipſum quoque ſolũ bonũ eſt pro cataplaſmate ſemicoctum, & ad irrigandũ, ſi cum aliquo humore liquetur: mollit enim, calefacit, flatus lotiúmque euocat, & ardores obtũdit. Nam hæc quoque mulſa epota præſtat: hiſque plura & meliora, ſi interius arteriã, pulmones, pectus, & ventrẽ ſubeat. Aſſiduè verò aluus irritanda eſt glandulis, aut illitionibus (ſæpius enim ſicceſcit) vt à capite materiæ detrahantur, & à pectore halitus difflentur, & alui purgamenta excernantur. Quòd ſi multis diebus vẽter ſuppreſſus fuit, ipſum mulſa, oleo & nitro ſubluere op⁹ eſt. Verùm ſi nõ ſatis phlegmones exhalationes deſierunt, cucurbitulam affigens incidito qua parte phlegmone extumuit, & maior apparet: vnã autẽ aut duas affigito, prout phlegmone ſignificauerit, & vires præceperint: & ſanguinis detrahendi copiã ab his cõiectare oportet. exceſſus enim ſyncopæ author eſt. Primo quidẽ aut altero die madefactio eadẽ eſto, tertio verò ceratũ cũ aliquo ex oleis ad irrigandum aptis imponito. Deinde epithemata in inflãmatione, ſi facultas ſit, ex hyſſopo, fœno Græco ex mulſa decocto, terebinthi arboris reſina, & cera: olea verò in iiſdẽ eadem. Quòd ſi nihil iſtis delirium remittat, tõdere caput neceſſe eſt: ſi lõgiſsimi crines ſint, primũ dimidios: ſi breuiores, ad cutim. Poſtea, prius refectis viribus, cucurbitula vertici capitis affigenda eſt, ſanguiſque hauriendus: verùm prius inanis cucurbitula interſcapulo adhibeatur. Cæterũ quoniã thoracẽ in omnibus acutis morbis medicari oportet (nam prorſus ipſe cũ corde & pulmone laborat) primũ quidẽ ob ſpiritus modò calidi, modò frigidi neceſſitatẽ, præterea ab ardenti febre, & tuſsi, & humorũ prauitate, & neruorũ cõmunione, & oris ventriculi noxa, necnõ ſuccingẽntis mẽbranæ, & ſepti trãſuerſi vitio (cor enim ſi maiori aliquo malo oppreſſum ſit, nunquã ſaneſcit) in phreniticis vtique & hæc in primis mitiganda ſunt. ſiquidem nõnullis mẽtis alienatio ab aliquo eorũ quæ in pectore ſunt, vitio exoritur. ea verò ſunt, ſpiritus calidus & ſiccus, ſitis acris, ignis intolerabilis, qui vndique in thoracẽ cõfluit, & prauitas quidẽ à domeſtico calore cõmutato & maior & moleſtior prouenit. Ab aliis etiã mẽbris in thoracẽ cõtributio fit: extrema nanque frigida ſunt, caput, pedes, ac manus: ſuper hæc autẽ thorax eſt. igitur humectãdi refrigerãdiq; auxilio eget. Humectatio quidẽ fit ex oleo in quo chamæmelũ, aut nardus incocta ſit. Æſtate verò & ſapa Græca bene faciet. At ſi epithematibus vti deceat, palmulæ vino auſtero maceratæ, deinde cõtuſæ in placentã cũ nardo, polenta atq; œnanthe, ſuaue pectori cataplaſma fuerint. Refrigerant quoq; mala pinſita cũ maſtiche & ſertula: quæ omnia cera & nardo excipiantur. Sin autẽ & os vẽtriculi torpeat, & à cibis abhorreat, ſuccũ abſinthii aut comãvnã cũ his terito: ipſo etiã in oleo incocto præcordia irrigato: & aquã in qua maduit, aut ipſius ſuccũ ante cibũ propinato, duos ſcilicet aquæ illius cyathos, *aut ſucci, ad amaræ fabæ magnitudinẽ, ex aquæ cyathis duobus. At ſi os ventriculi ardor malè habet, nõ ratione morbi, ſed ita vt ipſũ dũtaxat ab acrib⁹ ſalſiſq; humiditatib⁹, ſiue à bili mordeatur, atq; ſiti perareſcat: lac aquæ admixtũ in cibis exhibẽdum, heminæ videlicet dimidiũ vno aquæ cyatho temperatum: atque ita huiuſce lactis plurimũ ſorbeat, nõnihil etiã cũ pane aſſumat. Veruntamen ſi ardor hominẽ torqueat, & ſitis, & anxietas, & furẽs inſania, & frigidæ cupiditas, propinanda quidem frigida eſt, ſed non tanta quanta in ardore morbo abſque phrenitide propinatur. In iſtis enim timendum neruis eſt: itaque danda eſt, vt ori ventriculi ſubueniatur. pauca verò ſatis eſt: parum enim potãt phrenitici. Cæterùm ſi in ſyncopam prolabantur (nam & hoc accidere ſolet, viribus euaneſcentibus, in ſudorem liqueſcente homine, omnibus humoribus extrorſum impetũ facientibus, tenore ac ſpiritu fathiſcẽtibus) tunc cura delirii poſthabetur: ſed quum metus ſit ne in vaporem humiditatémque homo diſſoluatur, vnicum ſubſidium vinum eſt. celeriter enim ſubſtantiam alendo inſtaurat: & quoquouerſus ad extremitates vſque permeat, tenori te-

A norem apponit, & ſpiritum torpentem expergefacit, frigiditatem calore temperat, laxantem madorem adſtringit, extrorſum erumpentia atque diffluentia coercet, olfactu ſuaue delectat: vires demum fulcire ad vitam prorogandam poteſt: atque in inſania ad animum demulcẽdum optimum eſt. Hæc omnia epotũ vinum ſimul præſtat. iracundia nanque molleſcente animo conquieſcit: atque ipſimet ad recreandas vires cibos accipiunt: quinetiam ſeipſos ad voluptatem replent. Nempe ſi iam plus temporis morbus extrahitur, & febris ignaua eſt, & delirium B in fatuitatem vertitur, & præcordia non vſqueadeo læſa ſunt aut tumore, aut inflatione, aut duritia, ſed in capite potiſsima morbi cauſa eſt: audacter lauare oportet, atque ſæpius caput perfundere. habitus nãque ſanabitur, & caput diſſlabitur, & omne corpus exhalabit. Atque ita ſiccitas obtũditur, & ſenſus caligo diſcutitur, & mens ſtabilis atque inconcuſſa firmatur. Hæc vtique ſunt tollendi morbi præcepta.

CVRATIO LETHARGICORVM, ID eſt veternoſorum, Cap. II.

C Lethargici, *id eſt veternoſi*, in luce & ad ſolis radios collocẽtur (morbus enim nihil aliud eſt quàm tenebræ) & magis in loco calido habeantur: ipſius enim cauſa eſt inſita frigiditas. Cubile agitabile ſit: ſtragulæ veſtes, parietum picturæ, omnia ſint varia, quæcunque viſum prouocare queunt. multus habeatur ſermo: pedes premẽdo tractentur: vellantur pili: membra ſcalpantur. Si altus ſopor obtineat, vociferandum eſt: iracundè increpandus eſt æger, iis quæ timere conſueuit, deterrendus: quæcunque prius optabat expectabátque, annuntianda ſunt: omnia D ad ſoporem diſcutiendum, contrà atque in phreniticis, moliẽda. Quod ad veternoſorum euacuationem attinet, hæc nouiſſe oportet: ſi alteri morbo, vtpote phrenitidi, ſuccedat veternus, venã ne ſoluito: neque alicunde multum ſanguinem educito: ſed ventrem ſubluito, non ſolùm ſtercoris educendi cauſa, ſed etiam vt aliquid à ſuperioribus partibus reuellatur, & à capite deriuetur. Igitur multum inſit ſalis & nitri. Optimum verò ſit ſi ſublutioni caſtorium inſpergas. imum enim inteſtinum veternoſis frigidum eſt, & ad excretionẽ emortuũ. Quòd ſi non per E ſucceſsionẽ ſed ſuopte ingenio veternus incipiat, & æger plenus eſſe videatur: ſi ſanguinis *plenus*, vena in cubiti curuatura ſecanda eſt: ſi pituitæ aquoſæ, aut aliorum ſuccorum, purgare opus eſt cnico ex ordei cremore, aut nigro veratro ex mulſa inter initia, ſi mediocriter purgare velis. Sin autem copioſius, medicamenti quod hieram, *id eſt ſacram*, vocant, pondo drachmas duas ieiuno dato cum mulſæ cyathis tribus: atque tantiſper expectãs quoad purgatio confecta ſit, tunc cibos, ſi opportunum ſit, exhibeto: ſin minus, in poſterum diem alimentum differto. Nõ- F nunquam ſanè & veſperi hieræ drachma cum aquæ aut mulſæ cyathis duobus diſſoluta, in tempore datur. Nempe inedia malum eſt, malum eſt & cibi multitudo. Igitur exiguo cibo vti ſingulis diebus oportet: neque ſubitò ac penitus ieiunandum eſt. os enim ventriculi per totum diem refectione caloréque indiget. Quinetiã cibus eſto attenuans, & aluum leniens, in iuſculis magis quàm leguminibus, gallina, cenchride. *Herba verò Mercuriali aſsiduè vtitor: acetúmque affundito, & ſuccis iniicito, ſi fortè ſucco ptiſanæ vtendum ſit. Bonum autem ſpiritũ red- G dit vrinámque citat fœniculum, apium, olera, aut horum ſemina. Item porrum acrimonia ſua proficit, & braſſica cum oleo & garo. Optimè facit & cuminum dulce cum braſsica ad flatus dirigendos & lotium euocandum. Veſica enim atque venter in quolibet morbo irritant atque infeſtãt. Irrigationes capitis tales fiãt quales & in phreniticis. Vtriſque enim ſenſus pleni halituũ ſunt: quos refrigerando, adſtringẽdóque, roſæ atq; hederæ ſucco propulſare neceſſe eſt, aut dirigere per tranſpirationẽ extenuatibus: exẽpli cauſa, ſerpyllo, aut aceto cum roſaceo. Si nerui H doleãt & totũ corpus, ſed multo magis extrema frigeſcãt, caput ceruicémq; caſtorio cũ anethino oleo inũgito, atq; irrigato. quinetiam ſpinã eodem Sicyonio, aut gleucino, aut veteri oleo admixto perfundito: necnõ & *manus ad humeros vſque, & pedes vſque ad inguina perungendi ſunt. Nonnullis quoque veſica eſt humectanda: quæ tan-

quam neruus patitur: & tanquam vrinæ iter laborat: inſuper humorum acredine vexatur: bilioſum enim lotium eſt.Sin autem maior tremor adſit, & conuulſionem minetur,neceſſariò & Sicyonium oleum capiti ſuperfundẽdum: ſed breuis eius vſus eſto.Quòd ſi præcordia inflammata ſint,cutis verò tumida,inflata,diſtentáque , aut introrſum vergentibus præcordiis concaua efficiatur: madefactiones & cataplaſmata eiuſmodi ſint cuiuſmodi in capite de phreneticis comprehendimus .Cucurbitula minimè vtitor,ſi à phrenitide in hanc labem incidit: audacius verò cucurbitula vti poteris ſi ab initio morbus iſte inuaſerit.Sin autem atra lingua ſit, & tumor in præcordiis appareat,cucurbitulam affigere neceſſe eſt. poſtquam verò interuallo temporis ſenſus purgati fuerint, & alia facilius feret,capitis vertici applicare: quandoquidẽ ea parte euacuare ſine vlla virium moleſtia poſſumus: & flatus ſupra infráque eliciendi ſunt.Veternus enim flatus colligit: & in ventriculis & in toto corpore ignauia,marcor animæque defectus conſpicitur. Motus autem ac vigilia diſcutiendi facultatem habent. Rutam igitur viridem cum melle & nitro contritam illinito. ſic enim magis flatus digerit: cũ his verò & terebinthinæ reſinæ pars vna miſceatur.Fotus quoque flatus prouocat aut cũ ſordidis calentibúſque lanis,aut cum aſperis panniculis veteribus atque attritis: aut cum ſpongia ex aqua, vbi hyſſopum,aut origanum,aut pulegium,aut rhyte incocta ſit. Euocant autem flatus & quæcunque ante cibos propinantur. quæ vtique pituitam bilémque ab inteſtinis & ſtomacho educunt. Hyſſopum in mulſa elixum , dictamum Creticum,origanum,acria quidem ſunt , ſed eductoria. Adiantum,graménque flatus & lotia erumpere faciunt. Si manus & caput contremiſcant, caſtoreum dimidiæ drachmæ pondere ex mulſæ cyathis tribus ad plures dies bibendum eſt: ſi bibi verò non poſſit, ad demoliendam calamitatem, cum olei cyathis tribus,in quo ruta incocta ſit,duplum in imum inteſtinum infundatur : ídque per plures dies faciendum.Vltra verò vtilitatem quæ ex hoc prouenit,(nam ſuprà infráque flatus expellit,& nonnullis vrinam ſtercúſque detrudit) ſi fortè in omne corpus dilabens penetrat,firmi atque robuſti nerui efficiũtur,& habitus ad calidum ſiccúmque permutat: morborúmque conſtitutiones conuertit.Optimè etiam proficit ſi in nares inſpiretur: nam & ea ex parte ſpiritus ſternutamentis educit: & quemadmodum per veſicam vrinam expellit, ita & per nares mucum.Hos autem effectus hoc loco ſuaui caliditate præſtat, & melius quàm alia ſternutatoria, ſcilicet quàm piper,veratrum,radicula,euphorbiũ. Nam hæc ad primum atque vltimum attractum immitia ſunt, & caput ſenſúmque perturbant. Caſtoreum verò paulatim adhibitum calefacit,quum & alioqui capiti conducat: quandoquidẽ nerui vndique ex capite oriuntur:morbis autem neruorum caſtoreũ medetur. Cæterùm ipſum cum aliquo aut aliquibus ex ſuprà comprehenſis admiſcere non ingratum fuerit.nam ſi admixtum ſit,non protinus quidem caput mediocriter conturbauerit, diutius verò caliditatem accenderit.Nares prorritatione humidæ reddantur,odoramenta applicentur,acria quidem ad ſenſum,ſed facultate calida: quale ipſum caſtoreum eſt, aut thymbra,aut pulegium,aut thymum,viridia, aut arida aceto perfuſa.Acribus pharmacis pedes genuáque illinantur.Materia eſto calefaciẽs,& ex adiectione mordẽs. nam vtroque veternoſis opus eſt ad calorem excitãdum atque vigiliam. Primùm igitur vrtica crura verberato. tenuiſſimæ nanque vrticæ partes adhærentes nõ diu perſeuerant:*ſed pruritum & dolorem non grauem inferũt: mediocriter verò ſtimulant & tumefaciunt, & calorẽ excitant.Quòd ſi hæc vehementiora fieri volueris, lemneſtidis atq; euphorbii pares portiones cum vnguine gleucino illinito.Optimum quoque eſt ſcillæ crudæ laminis perfricare, ſed à mẽbris omne oleoſum detergere oportet: quodlibet enim acre minimè mordax eſt admixtum cum vnguine,niſi id medicamentoſum ſit,*quale eſt cyprinum,aut gleucinum,aut Sicyonium.Si præter hæc altus adhuc ſopor occupet,proderit ſyluaticum cucumerẽ ex aceto tritum,& æquæ ſinapis portioni admixtum imponere.Acre verò eſt id cataplaſma,celeritérque ruborem

A concitat: celeriter quoque calefacere poteſt. Verùm ne puſtulas vulneráque efficiendo periculũ inferat,frequenter detrahendum eſt cataplaſma , atque nunquid horum acciderit inſpiciendum.Hæc vtique ad ipſius torporem ac veluti demortui languorem diſcutiendum, quolibet morbi tempore,præter exacerbationum inuaſiones, molienda ſunt.Quòd ſi iam ſenſum recuperet, pondus tamẽ aliquod in capite inſit,& ſonus aut bombus obſtrepat, etiam per os pituita elicienda eſt.Maſtichen in primis mãdendam exhibe,vt continenter expuat: poſtea rurſum v-
B uam taminiam,granum Gnidium:ſed omnium maximè ſinapi,& quoniam vſitatum eſt,& quoniam inter alia magis pituitam educit: ac ſiquis ſponte ipſum deuorauerit, quæ in ventriculo ſunt,diſiicere poteſt: poteſt etiam aluũ madefacere,& flatus excernere. Etenim aliquando caſu hæc mihi euenerunt, quum homo quidam me conſentiente ipſum deuoraſſet.Bonus autem magiſter eſt experientia.opus eſt verò & & ipſum periculum facere. * imperitia nanque timoris & cautionis cauſa eſt. Caput quoque poſtquam ad cutim detonſum fuit, niſi magnopere
C proficiat, vt tranſpiret,radendum eſt: quinetiam ad vſum acrium medicaminum,vt eius quo ex lemneſtide cõſtat, aut hydar,aut thapſia,aut ſinapi humidum ex aqua cum dupla panis portione in linteolo veteri illitum capiti ſuperdãdum eſt: quúmque horæ ſpatio ibi permiſſum fuerit,ſpongiis calidis fouere opportunum fuerit.Item ex vſu erit & lauatio, omnibus iam,aut ſaltẽ plurimis & præcipuis ad morbi depulſionem adhibitis, adhuc tamen corpore torpente: vbi & geſtatio proderit, & frictio, & quælibet lenis corporis agitatio.

D
DE CVRATIONE MARASMI, id eſt tabis, Cap. III.

Iſtos ſanè ſi & tabes malè habet , ocyus ſuccurrendum eſt,ad balneum deducendo,& corpus dimouendo.Tabis quoque lac medela eſt,& nutricatio, * & ventris calefactio, & veſicæ lenitio. Quinetiam eadem huic vitio quæ & catocho,expediunt: ſimilis enim atque eadem eſt horum morborum ſpecies.Caſtoreum vtique iſtis opportunius eſt atque lenius & potui datum,& illitum,& in inteſtinum infuſum. Mulieribus autem qualia his ſimilia
E ab vtero vitia oriantur,in libro de muliebribus morbis à nobis diſputabitur.

DE CVRATIONE APOPLEXIAE, Cap. IIII.

Apoplexia validus planè morbus eſt.*nam in omnibus exanimes ſunt,quorum & corpus & mẽs ſtupet. Si ægrotus ſenex ſit(quibus familiare id vitium eſt)nõ liberatur,& morbi magnitudine & ætatis miſeria oppreſſus.Quibus autem notis morbi magnitudo coniectanda ſit,antea à nobis poſitum eſt. Si iuuenis æger ſit , debilis
F eſt apoplexia,non tamen facilè remouetur.tentãda igitur curatio eſt.AEquale ſanè adiutorium,vtpote magno affectui magnum remedium,miſſio ſanguinis eſt:niſi quis plus quàm cõueniat mittendo delinquat.modum autem coniectare difficile eſt:nam ſi paulo plus detraxeris , hominem planè ſtrangulaſti:(ad vitam enim tuendam his vel paucus ſanguis efficaciſsimus eſt: quum ſit vitæ corporiſque alimenti fomes)ſi minus detraxeris quàm cauſa poſtulat,nihil magni per magnum auxilium contuleris: adhuc enim cauſa permanet.Sed præſtat minus detrahendo delinquere: nam ſi minus detractũ eſſe viſum ſit, ali-
G qui verò optimi ſucceſſus apparuerint,iterũ venã reſcindere cõgruens fuerit:ſcindenda eſt autẽ vena in concauo cubiti.hæc enim in ſiniſtro fluida eſt.Simul quoque in puſilla apoplexia & reſolutæ partes cõſiderandæ ſunt , in ſiniſtróne an in dextro latere reſolutio ſit: à ſalubribus enim partibus(vt dicere mos eſt)ſanguinem haurire oportet.hâc enim ſanguis facilè delabitur:hâc etiã à læſis partibus materia deriuatur.Igitur ſi abſque euidẽti cauſa attoniti reddantur,ſic de ſecãda vena ratiocinãdum eſt.At ſi ab ictu,aut delapſu,aut cõprehenſione in hanc labẽ in-
H ciderint,in aliud tẽpus res differenda eſt:nõnullis verò ad medelã atque vitam id ſolũ ſatis fuit.Cæterùm ſi frigiditate multa, & torpore , & ſenſuum abolitione hominem occupante, vena minimè ſcindenda videatur, ſubducenda aluus eſt, vt multitudo ab inteſtinis extrahatur,

(plerunque enim ex voracitate & crapula in morbum
talem prolabuntur) vtque humores caput occupantes re-
uellantur.Sublutio planè acris eſto, pituitam, bilémque
ſubducens.Igitur nitrum ſolum ne habeto,ſed etiam eu-
phorbium trium obolorum pondere,(qui eluendæ aluo
modus vſitatus eſt)&cucurbitæ agreſtis interanea,aut cē-
taurii comæ decoctum ex oleo,aut aqua.Optima quoque
ſublutio fuerit,mellis conſuetæ portioni ruta adiuncta,&
cum vnguine elixa,& terebinthi arboris reſina, & ſal pro
nitro,& hyſſopi decoctum.Quòd ſi per hæc ſubſidia pau
lum excitatus homo fuerit,aut febre correptus, aut ſen-
ſum ab illo marcore ſuſcipiens, aut arteriæ bono pulſu
reſtituto,aut facie vtcunque meliora ſignificante,ſpes ſa-
lutis concipiēda eſt,audaciúſque ſubueniēdum. Interim
igitur roboratis viribus,purgatorii medicaminis,quod ſa
crum vocant,ieiuno maximè quidem integra potio dā-
da eſt: ſin vires prohibeāt,dimidium cum mulſa.& æger
in lectica ſupinus collocatus agitādus eſt,ſenſim eum qui
ferunt geſtantibus:frequenter verò,quò laſſitudo arcea-
tur,interquieſcat: ac,ſi aluus liquida ſit, libens admittito:
ſin ſecus,aquæ aut mulſæ cyathos duos potui dato.Sin au
tem & dum purgatur nauſeabundus ſit,id ne prohibeto.
nam & illa diſtentio vigorē quendam ad expergefacien-
dum præſtat, & pituitæ vomitus morbi cauſam euellit:
ſenſum verò,& caput,& neruos repurgat ſacrum quod vo
catur medicamen.De qualibet itaque ab initio admini-
ſtrāda purgatione ſatis diſſeruimus. Totum verò homi-
nem lanis inuolutum oleo Sicyonio perfundere oportet,
aut gleucino veteri:aut ſingulis ſeorſum,aut ſimul mixtis.
Sed optimum fuerit ad conſpiſſanda olea ceræ parū col-
liquare: atque iſta nitri ac piperis mixtione valētior red-
denda eſt: ſint verò tenuiter contrita & cribrata.At mirā
habet vim ad reſolutos caſtoreū,etiā illitum cum aliquo
ex antedictis oleis: ſed longè potentius eſt ſi cum mulſa
potui detur: portio verò tanta ſit quantam in veternoſis
nouimus.Coniectare autem oportet & ætatem ægrotan-
tis,& mentem,an pluribus diebus bibere ſit paratus.Nē-
pe inunctiones irrigationibus præſtant, facilius ferūtur,
& magis proficiunt: neque enim dilabentes lectū & ſtra-
gula inquinant:*ægrotis verò id inutile eſt: illæ autē in-
hærētes corpori in colliquatas partes à calore ſorbentur.
quinetiam & ipſarum perpetuitas conducibilis eſt. nam
irrigatio diffluit. Inunctionum autem materia eſt quæ-
cunque à me ſuprà dicta ſunt: cum ipſis verò caſtoreum.
Accipitur itaque reſina terebinthi arboris,euphorbium,
lemneſtis, *hoc eſt adarce*, pyrethrum æquis portionibus:
piperis,galbani dimidium,nitri Ægyptii triplum: ceræ
quantum ad liquida conſpiſſanda ſatis ſit.Cæterùm me-
dicamina multo magis quàm hæc,varia, & multo plura
ſeorſum loco ſuo tradita ſunt.Epiplaſmata quoque duris
diſtentiſque partibus ſuperdāda.Horum*ſylua eſt,lini ſe-
men,fœnum Græcum,farina ordei,mel: oleum vbi ruta
aut anethum incocta ſint: althææ radix pinſita,& in mul
ſa vſque ad ceræ mollitudinem decocta. Sunto verò &
tractabilia,& temperatura ſuauia.Siquidem adhuc febre
vacant,aut leuiter febricitāt,poſthabita caloris cura hæc
facienda ſunt: at ſi febres acutæ ſunt, & reliquus morbus
iis leuior eſſe videtur, febres verò in diſcrimē adducūt,
ad has & victus rationem & reliquam curationem con-
uertere oportet. Alimentis itaque ſummè tenuibus & fa-
cilis coctionis veſcendum eſt, atque opportunitas nunc
magis obſeruanda.Et per totam curationem in exacer-
bationibus ſubtrahere,atque penitus in febres animum
intendere oportet.Quum morbus autem diu trahitur, &
caput in cauſa eſt,cucurbitula occipitio affingēda,& ſan-
guis largiter hauriendus plus enim quàm venæ ſectio
proficit,& vires nequaquam labefactat. Sed prius inter
ſcapulas inanem cucurbitulam admoueas, vt in contra-
rium eius quæ in occipitio eſt ſuccos reuellat.Nempe in-
terdum & gula reſoluta eſt, in qua ſola attonitis ſalutis
præſidium collocatur, deuorandis ſcilicet alimentis, &
medicaminibus tranſmittendis.neque enim inediæ fa-
miſque tantummodo periculum inſtat,verumetiam tuſ-
ſis,difficilis ſpirationis, atque ſtrangulatus. Nam ſiquis
intra os liquidum cibum infundat,in arteriam ſubterla-
bitur,quum neque tonſillæ ad impulſum ciborum con-
A cidant,neque epiglottis in proprium locum ſubſidat,quæ
arteriæ operculum à natura facta eſt.Quapropter opus eſt
mulſam aut ſuccum longa myſtila infundentem, ſuprá-
que arteriam attollentem,in gulam demittere: id quoq;
enim ad deglutiendum inſeruit. Verumenimuero ſi æ-
grotus iam morti proximus ſit,ipſius adeò ceruix ſpiri-
túſque congelaſcunt. ideo ceruicem & mentum calefa-
ctoriis illinito & foueto.Fruſtra verò laborant atque im-
periti illi ſunt quicunque ſub mento cucurbitulam,vt gu
la dilatetur,affigunt:quandoquidem non dilatatione ad
B impoſitionem ciborum, ſed ad deglutiendum compreſ-
ſione opus eſt.dilatat autem cucurbitula: & quum deuo-
rare velis,prohibet,reuellens ac retrahens: quum remit-
tendum potius ſit,quò in deuorando cōſtrictio fieri poſ-
ſit.Inſuper arteriam repleri, vt ſtrangulatio fiat, periculū
eſt.neque etiamſi hac & illa in parte gutturis affixeris,
quicquam prodeſt.muſculi nanque & nerui & tendones
& venæ ante ipſum poſiti ſunt. Veſica vtique & laxū in-
teſtinum inter ſe proxima,interdum ad excernēdum de-
bilitantur,reſoluuntur,recrementorúmque ſemper plena
C reperiuntur.veſica verò & in maximam molem extume-
ſcit.Interdum autem ita reſoluuntur vt purgamenta cō-
tinere nequeant. per ipſa enim tanquam inanima ſuper-
uacua delabuntur. Tunc igitur inſtrumentum quod ca-
thetera vocāt,in veſicam demittere haud ſanè tutum eſt:
ne corrumpatur enim veſica,atque homo cōuellatur,diſ-
crimen impendet. ſed præſtiterit cremore haud multo
aluum ſubluere: quúmque ſtercus ab inteſtino eiectum
fuerit,iterum iniiciendum eſt cum oleo caſtoreum.Spes
autem vnica omnium pariter reſolutorum,ſeparatímque
D ſingularum partium eo vitio laborantium, in oleum in-
ſeſſio fuerit.quomodo verò ipſa adminiſtretur,in ſermo-
ne de diuturnis morbis exponetur.

DE CVRATIONE ACCESSIONIS epilepticæ, id eſt comitialis, Cap. V.

EPilepſiæ, *id eſt comitialis morbi*, primus caſus pernicio-
ſus eſt, ſi acutè morbus inuadit:nonnunquam enim
& vno die hominem perdit. Periculoſæ etiam ſunt per
circuitus exacerbationes: vnde factum eſt vt in acutorū
E numerum comitialis morbus poneretur. Quòd ſi malo
aſſueſcat homo,& morbus tenaciter adhærens occupet,
non ſolùm diuturnus,verumetiam nonnullis perpetuus
efficitur.nam ſi ætatis florem vigorémque excedit, con-
ſeneſcit cum ægro commoritúrq;.Quotquot igitur me-
dicamina vt diuturno morbo conueniunt,in ſermone de
diuturnis comprehendentur: quotquot autem ad mortis
celeritatem euitandam facienda ſunt,horum plura in ſer-
mone de attonitis tradidimus,venæ ſectiones,alui ſublu-
tiones,inunctiones, cucurbitulas. hæc enim vt homo ex-
F pergiſcatur,valentiſsimè efficiunt. Quotquot autem pro-
lapſui peculiaria adiutoria inueniuntur, ea in præſentia
docebimus. Pueris itaque, quibus ex corruptione aut ex
vehementi refrigeratione inuſitata hæc labes inceſſit,
vomitus aut cibi,aut pituitæ,aut aliorum quorūdam ſuc-
corum prodeſſe conſueuit. pennæ autem irino vnguen-
to delibutæ nauſeam excitant: veruntamen & irino non
vſque ad conuulſiones tonſillæ ſunt illinendæ. Compri-
mere quoque leniter ilia opus eſt,puerum in ventrem ſu-
ſpenſum conuertendo. hæc enim figura ad vomitum ha-
G biliſſima eſt.at ſi vellatur aut diſtorqueatur inferior ma-
xilla,aut manus & crura iactentur,aut vnà cum toto cor-
pore oculi diſtendantur,manibus perunctis tractādo de-
mulcere conuenit: obtorti oculi dirigendi ſunt: rectæ
partes ne torqueantur,ſuauiter continendæ: frigida mē-
bra lanis antiquis ſordidis, attritíſque panniculis fouen-
da.Sedem præterea melle cum rutaceo oleo inūgito,aut
cum nitro,aut reſina liquida cum his mixta: hæc quoq;
leuiter intra anum intrudito.flatus enim proliciunt. fla-
tuum autem excretio huiuſce morbi in pueris medela
H eſt.Porro ſi deglutire valeant, pharmacum iſtud exhi-
bendum eſt, cardamomi pars, æris combuſti ℈. hæc ex
mulſa propinato.aut enim euomunt vnà cum humori-
bus ventriculum infeſtantibus, aut aluus ſubducitur. O-
ptimum quoque eſt huiuſmodi linctuarium,cardamomi,
ſinapis,hyſſopi comæ par modus,iridis radicis pars cum

nitro duplo,piperis pars tertia:omnia cum melle permiſceto,& maxillā diducens in os effundito:interius etiam, quàm vbi ſunt tonſillæ, quò deglutire valeant, iniicito. Hæc adeo pueris expediunt.Iuuenibus autem & hæc quidem proſunt, verùm potentiora etiam his medicamina ad vomitum deligenda ſunt,vt narciſsi,bulbi,ſinapis, & hyſſopi pares partes,æris &piperis dimidio minus quàm priora,cum melle miſcens exhibe. Hæc profectò ad leuandam exacerbationem abundè fuerint: quæ verò ad propulſandum morbum facient, in ſermone de diuturnis morbis perſequemur.

DE CVRATIONE TETANI, ID eſt rigoris, Cap. VI.

IN præſentia lectum mollem,tractabilem, læuem, ſuauem,calidúmque eſſe neceſſe eſt.neruos enim inflexiles,duros,rigentéſque morbus efficit: quinetiam cutis tota ſqualens aſperáque corpori obtenta eſt: palpebræ natura verſatiles vix oculos conniuendo protegunt: oculi intenti ſunt,in profundo conuoluti:necnon & artus ſunt deligati,ob diſtentionem immobiles. Ægroti domiciliū calidum eſto,ſi æſtas ſit,citra ſudorem,aut reſolutionem: ad ſyncopam enim morbus inclinat.Neque verò ad alia magna remedia cunctanter accedendum: haud enim differendi datur occaſio .Quapropter ſiue ob refrigerationē abſque manifeſta cauſa rigor inuaſerit, ſiue ex vulnere,ſiue ex abortu mulieri inceſſerit, venam in cubito reſcindito: curans in deligando brachio laxiorem compreſsionem fieri,ſectionémque leniter & facilè expediri. ſiquidem iſta neruorum conuulſionem cient. Semel etiā cruor, citra defectum animæ frigúſq; extremorum, mediocriter effundatur. Neque inedia æger maceretur: res enim frigida ſiccáque fames eſt. Propinetur itaque mulſa ſpiſſa,meracior, & ptiſanæ cremor cum melle.Iſta nāque & tonſillis comprimendo minimum dolorem inferunt,& gulæ deglutiendo lenia ſunt & facilia, & ad molliendam aluum molliſsima,& ad vires inſtaurandas valētiſsima. Omne corpus lanis inuoluito oleo gleucino aut crocino madentibus,in quibus aut roſmarinus,aut conyza,aut artemiſia incocta ſit: atque omnia & facultate & ad tactum calida ſunto.Oblinere autem corpus vnguine conuenit,quod ex lemneſtide, *quam adarcem eſſe putamus, quód in ſtagnis naſcitur*, & euphorbio, & nitro, & pyrethro conflatum eſt: his verò & multum caſtorei adiiciatur.Bene quoque fuerit tendones lanis contingere, & ſecundum aurem & mentum loca perungere. nam partes hæ maximè patiuntur ac diſtenduntur. Præterea leuibus calefactoriis fouendi ſunt tendones & veſica, per ſacculos milium torrefactum includentes, aut bubulas veſicas olei calidi ſemiplenas: quò locis quæ fouentur, ſecundū latitudinem applicari valeant. Interdum coegit neceſſitas vt capiti fomenta adhiberentur: quod neque ſenſibus vſqueadeo tutum eſt,neque neruis ſalutare.ſenſib⁹ enim quandam caliginem offundit,multis halitibus ipſos petētibus: neruos autem replet.Quocirca modo fouēdi quātutiſsimo vtendum eſt,atque materia haud ita multum fœdè olens deligenda.Vtique materia eſto oleum in veſicis in duplici vaſe citra nidorem ferueſactum: aut ſales tenues in ſacculo.milium enim ac lini ſemen tactu quidem lenia ſunt,ſed halituoſa & graueolentia. Ratio verò fouendi,huiuſmodi eſto: tendonibus reſupinato ægro, fomenta vſque ad verticem ſubiicienda ſunt: vlterius verò ad ſinciput ne procedito. Iſte nanque locus omnibus ſenſibus communis eſt,ab ipſóque,tanquam ex fonte,omnia adiumenta,omnes noxæ ſcaturiunt. Quòd ſi epiplaſmata tendonibus ſuperdanda ſunt,erectum occipitiū eſto:nam ſi magis ſurſum verſus impoſueris, caput exhalationibus complebis.Materia ſit autem epiplaſmatum, lini & fœnigræci ſemina. Poſt epiplaſmata verò vtilis fuerit cucurbitula occipitio ab vtroque ſpinæ latere adhibita.Sed parcè admodum flāma accendatur: nam quæ ab labris cucurbitulæ fit circumpreſſio, doloris conuulſioniſq; author eſſe ſolet.Igitur diutius trahere præſtat,ac molliter magis,quàm plurimum breui tempore.ſic enim tibi in conuexum locus ſine dolore attolletur,qui concidendus eſt.Scopus autem modi ſanguinis extrahendi tibi vires ægrotantis proponantur.Hæc vtique rigoribus

A qui ſine vlceribus fiunt,remedia conueniunt. At ſi ex vulnere conuulſio facta ſit, pernicioſum profectò id eſt, ægréque de ſalute ſperari poteſt: nihilominus tamen opē ferre decet: quandoquidem nonnulli & adhibitis remediis mortem euitarunt. Oportet ſanè vltra cæteram medelam,& vlceribus conſulere cúm calefacientibus, quæcunque à me iam dicta ſunt,irrigando,& fotibus,& cataplaſmatis,& medicamentis quæcunque & facilè calorem excitent,& humectando pus abundè moueant. Vlcera enim in rigore ſicca & ſqualida ſunt. B Accipito ergo thuris mannam,polii comam,terebinthi piníque arborū reſinam,althææ radicem, & rutam conyzámque herbam: hæc in cataplaſmatis commiſcere opus eſt,alia liquādo, alia quæ pulucrea ſunt,inſpergendo,alia in oleo prius macerando:althæā verò in mulſa antè contuſam decoquito. Inſpergendum eſt etiam vlceri caſtoreum:neque exiguus inde in totum corpus calor emanabit.Horrores enim ab vlceribus prodeuntes malefici ſunt. Perungendæ quoque ſunt nares caſtoreo cū crocinovnguento permixto:quinetiam caſtoreum trium obolorum pondere aſſiduè bibe- C re expediet.Verùm ſi ab hac potione gula laboret, interiicienda eſt laſerpitii radicis exhibitio, ponderis tanti quanti & caſtoreum dandum eſſe diximus: aut myrrhæ dimidio minus quàm laſerpitium:ſed omnia cum mulſa potanda præbeantur. Quòd ſi Cyrenaici laſerpitii lacrymæ copia tibi fiat,hanc opus eſt melle cocto inuolutam ad erui magnitudinem deuorandam dare.ita enim optimum factu eſt,quò palatum præteriens ægrotum lateat. acris eſt enim,ructúmque inſuauis ac fœdè olens excitat. Si neque hac ratione deuorari poſſit, in mulſa eliquata D propinetur. omnibus enim potionibus quæcunque calefacere,humectare,diſtentionem laxare,& neruos remollire aptæ ſunt,hæc haud dubiè valentior eſt. Cæterùm ſi nihil ægroti deglutiāt,in anum caſtoreum cum oleo dādum eſt: hoc etiam anus cum vnguine aut melle illinendus: hoc item veſica irriganda, & cum cera, vt craſsius reddatur,perungenda.Sin autem flatum ſtercúſque educendi tempus adſit,purgatorii,quod hieram, *id eſt ſacram*, vocāt, drachmas duas cum mulſa & oleo in ſedem eiicito.Nam præterquam quòd illa euocat,inteſtinum etiam E & inferiorem ventrem calefacit ac fouet.varium nanque & calidum medicamentum hiera eſt.

DE CVRATIONE ANGINAE, Cap. VII.

DVAE anginæ ſpecies reperiuntur,altera cúm caliditate, & magna tonſillarum inflatione, & extrorſum verſus tumefactione:(quinetiam lingua, gurgulio, & omnes adiacentes particulæ in tumorem efferuntur) altera iſtis locis collapſis & ſubmiſsis efficitur: ſed interius cōpreſſio maiore ſtrangulatu diſcruciat: vt interna inflam- F matio ad cor vſque pertinere videatur.Huic quamcelerrimè occurrendum eſt.nam & hac celerrimè ægroti rapiuntur.Igitur ſi crapula & ebrietas in cauſa ſunt, eodem die inferius humorem iniicito: íſque duorum generum ſit: alter vſitatus, quo ſtercora educantur: alter eiuſmodi vt aliquas à tōſillis pectoréque humiditates euellere poſſit.neque tamen in cæteris efficacior meraciórque eſto: ſed centaurii & hyſſopi decocta infundenda ſunt.hæc enim & pituitam educere ſolent. Si tenuis autem victus præceſſerit,ſcindere cubiti venam expediet: & latior ſe- G ctio,quò maiore cum impetu,copioſiórque ſanguis emanet,facienda eſt. Huiuſmodi nanque profuſio minimè quidem ad caliditatem mitigandam ſatis eſt: ſed ſtrangulatum ſoluere,& reliqua omnia diminuere valet.Haud ignobile quoque adiumentum præſtat ſi ad animæ vſq; defectum ægrum perduxeris,vſque eo tamen dum ne anima deficiat.quandoquidem nonnulli ſecta vena ab animi deliquio vita exceſſere.Item vinculis ſuprà talos & genua cōſtringentes opitulabimur. Optima quoque ſunt vincula ſupra brachialia verſus cubitos, & ſupra cubitos H verſus humeros. At ſi deglutiendi via expeditiſſima ſit, elaterium & cum mulſa,& cum ſero lactis, quantum ad purgandū hominē ſatis ſit,præbeatur. aliis enim purgatoriis elaterium in his ægrotis præſtantius eſt.Conferunt etiam cneorum *ſeu thymelææ*, & ſinapi: ſiquidem hæc ambo ventrem repurgant.In quibus verò inflationes de-

uorationem impediunt, linguam ad palatum reflectens,
ipſius venas reſcindito: quòd ſi promptè multúſque ſan-
guis defluat,inter alia remedia hoc magis proderit. Irri-
gationes vtique locis inflammatis primùm quidem ad-
ſtringentes,quò retrorſum materiæ labantur,conueniunt.
quamobrem lanæ ſordidæ cum hyſſopo vino madentes,
aut oleo ex immaturis oliuis expreſſo accipiantur.Quin-
etiam cataplaſmata irrigationibus ſimilia ſunto:exempli
cauſa palmulæ vino madefactæ, tunſæque cum roſarum
foliis. Quò ſit autẽ viſcidum & molle cataplaſma, etiam
ordei farina admiſceatur: aut lini ſemen,& mel,& oleũ:
vt omnium mixtura fiat.Quòd ſi ad ſuppurationem ve-
niat,calida admouenda ſunt: quibus & in altera anginæ
ſpecie vtendum eſt.adeſto igitur fœnigræci farina,& mã
na,& reſina,quæ liquari poſſunt, & polii coma inſperga-
tur.necnon & fomentum calidum adhibeatur, ſpongiis
in decocto lauri baccarum hyſſopique madẽtibus. Ad
pus autem mouendum efficaciſſimus eſt columbinus fi-
mus, tenuiter per criſeram, *id eſt lineum ſacculum,* inſtar
pulueris tranſmiſſus,ac ſuperinſperſus. idem & caninus
eodem modo præſtat.Ex mulſa verò,cum lentis, aut hyſ-
ſopi,aut roſarum,aut palmularum,aut ſimul omniũ de-
cocto,collutiones fiant.Illinendum præterea totum os eſt
vſque ad intimas fauces,ſimplicibus quidem,vt mororũ,
aut malorum punicorum aqua maceratorum ſucco, aut
palmularum decocto: compoſitis verò medicamentis,vt
diamoro,*quod uocant,*aut eo quod ex beſaſa, *id eſt ruta ſyl-
ueſtri*, & ſucco rhoi componitur: aut diachelidonio, *id eſt
ex hirundinibus confecto medicamento.*Sin vlcera cruſtoſa ſint,
collutiones & gargariſmi fiant ex hyſſopi in mulſa deco-
cto,aut pinguium ficorum in aqua: præter hæc amylum
percolatum in mulſa,aut in ptiſanæ tragive cremore. Si
angina cum concidentia,quæ erat altera ſpecies,occupet,
ab interioribus extrorſum omnia euocanda ſunt, & hu-
mores,& caliditas,& omnis caro,vt totũ foras extumeat.
Proinde calidæ irrigationes ſunto cum ruta & anetho,ni-
tro inſperſo;& cum his ſuperius memorata cataplaſmata.
Proficit etiam ceratum ex nitro & ſinapi ad calorem ex-
citandum ſuperdare: calor autem exterior huiuſmodi
vitium tollit,ſed in collo tumor extuberat.Tumor autem
foras in ſublime elatus à pulmonis inflammatione libe-
rat,intus verò abditus anginam patientibus pernicioſum
malum eſt.At quicunque ſtrangulationem ab angina ve-
rentes,quò laxius ſpiritus duceretur, arteriam ſecuerunt,
non ſanè experimento rem comprobaſſe vidẽtur. Quip-
pe caliditas inflammationis maior ex vulnere efficitur,
ſtrangulatum adauget,tuſsimque commouet.Quinetiam,
ſi alioqui periculum id euaſerint, vulneris oræ in vnum
coaleſcere nequeunt: ambæ enim cartilagineæ atque in-
ter ſe inglutinabiles ſunt.

DE CVRATIONE VITIORVM
columellæ.
Cap. VIII.

VItiorum quotquot columellam infeſtant, aliqua per
ſuccisionẽ curare neceſſe eſt:(ſed de eorũ chirurgia
diſputare ad præſentẽ locũ non attinet)aliqua, vtpote a-
cuta, medicamẽtis ſananda ſunt.nam facilè ſtrangulãt,&
difficultate ſpiritus aliqua iſtorum hominẽ perimunt.Ta
lis eſt vtique quam vuam, & quam columnam dicimus:
vtraque enim cum inflammatione,craſsitie,lõgitudinéq;
ſuboritur,ita vt in arteriam pendulæ fiant. AEquabili ſa-
nè craſsitudine à baſi ad ſummũ vſque palatũ columna,
inæquali verò vua conſtat.huius enim ad palatum baſis
gracilis eſt, in extremo teres & craſſa,rubens aut liuida.
idcirco & vuæ appellationem id vitium ſortitũ eſt. Qua-
propter his maturè opem ferre decet: celerrima nanque
à ſtrangulatu pernicies impendet. Proinde ſi ægroti iu-
uenes ſunt,à vena cubiti ſanguis detrahendus eſt: vtque
largius euacuetur,maiore plaga vena aperiatur. ſiquidem
huiuſmodi ſanguinis detractio à ſtrangulatu, tanquam à
laqueo,ægrotantem liberat.Subluenda quoque aluus eſt
mitiori lotione primùm, deinde aliâs atque aliâs acrio-
re, vſqueeo dum aliquid à ſuperioribus partibus deriue-
tur.Circundentur & vincula adſtringentia extremis cru-
ribus ſupra malleolos & genua necnon & humeris ſupra
brachialia atque cubitos.Quòd ſi ſtrangulatio inualeſcat,

A cucurbitula occipitio atque pectori adglutinetur, & iſta-
rum aliqua incidãtur: omniáque adminiſtrentur quæcũ-
que à me in capite de angina præcepta ſunt, quũ eadem
in vtroque vitio ſit mortis ratio.Iiſdem præterea intra os
medicamentis & adſtringentibus & mollientibus, & ex-
teriori fotu,& cataplaſmatis,& oris inunctionibus vten-
dum eſt.Circum columnam verò aut circum vuam ad-
ſtrictorium rhoi ſuccum, acaciam melle aut aqua diſſo-
lutam,hypocyſtida,terram Samiam,Lemniámve, aut Si-
nopicam rubricam,atque omphacium ponito.Si vlcero-
B ſa ſit vua,gummi & amylum roſarum aut palmularũ de-
cocto liquefacta, itẽ ptiſanæ aut tragi cremor adhibean-
tur.At in columnæ curatione aliquanto plus valentiorũ
medicaminum adiicito,quæ ex myrrha,coſto atque cy-
pero componantur. Nam id genus acria columna tolerat.
Verùm ſi nonnullis locus iſte purulentus effectus eſt,atq;
palati oſſa computruerunt,hi longo temporis interuallo
vitã finiũt.Sed horũ auxilia nobis alio loco præcipiẽtur.

DE CVRATIONE PESTILENTIVM
in faucibus morborum, Cap. IX.

C HOrum vitiorum curatio cum aliis tonſillarum affe-
ctibus quâ communis eſt,quâ propria.In inflamma-
tione & ſtrangulatu purgatio per clyſteres,venæ ſectio,ir-
rigationes,cataplaſmata,fotus,deligationes,cucurbitulæ,
omnia demum eadem atque in his cõueniunt. Illitiones
autem acriorum medicamentorum faciendæ ſunt: neq;
enim vlcera quieſcunt,neque cruſtæ in ſuperficie fiunt.
Verũ ſi ab his ſanies ad interiora deſtillet, celeriter par-
tes, etiamſi integræ erant,vlcerantur: celerriméque vlce-
ra interius depaſcendo ſerpunt atque hominẽ perimunt.
D *Porro igne vitium adurere,quum in ſuperiori parte ſit,
imprudentis eſſe propter iſthmum iudico. Sed medica-
mentis igni ſimilibus, quò & depaſtio coerceatur, & cru-
ſtæ decidant,vtendum præcipio.Ea verò ſunt,alumen cũ
melle,galla,balauſtium,arida cum mulſa.Hæc eadem ca-
lamo,aut penna,aut craſſo & oblongo caule, quò medi-
camina ad vlcera perueniant,inſpiranda ſunt.Optima ſa-
nè eſt & chalcitis vſta cũ* trita Cadmia ex aceto. eſto au-
tẽ Cadmia portione dupla:& rhei radix cum aliquo hu-
more.Præterea ne vlcerum compreſſio fiat cauendũ eſt:
E ab ea nãque & humeſcunt,& magis exedunt.Hac de cau-
ſa opus eſt medicamenta arida inſpergere penna, liquida
verò liquentiſſima reddentem in gurgulionem infunde-
re.At ſi cruſtæ iam reſoluuntur,& vlcera rubida fiunt,tũc
conuulſionis maximè periculum ſubeſt. reſiccãtur enim
plerunque vlcera,& cum his nerui diſtenduntur. Itaque
lacte cum amylo,& ſucco ptiſanæ,aut tragi,aut lini ſemi-
nis, aut fœnigræci, remollire madefaceréque conuenit.
Quibuſdam & columella vſque ad palati os exeſa eſt:quin
etiam tonſillæ ad baſim vſque & epiglottida. ac propter
F cicatricem deuorare neque ſolidum quicquam,neque li-
quidum poterant.Sed & ipſum quod bibebat, interdum
repercuſſum,hominem fame necauit.

DE CVRATIONE PLEVRITIDIS,
id eſt morbi lateralis, Cap. X.

NVlla moræ atque dilationis in pleuriticis, quin
protinus valenti remedio ſuccurramus,datur occa-
ſio.Febris enim peracuta ad perniciem properat: dolor
quoque ſuccingentis membranæ in peius vrget, necnon
& tuſſis pectus capútque concutiens vires proterit. Quo-
G circa eodem potiſsimum die vena cædenda eſt. Sin autẽ
ex ingurgitatione ciborum potúſque ægritudo proue-
nerit, inedia diem vnum ægroto imperanda. pòſt, ſan-
guinem à vena mittito quæ in cauo cubiti eſt, non eius
*qui ſecundum rectum inceſſum inflammatis coſtis op-
ponitur: præſtat enim maximè procul abducere.Sangui-
nem verò ne vſque ad animæ deliquium fundito. nam ſi
refrigeratum corpus animo deſtituitur, pulmoniam in-
uadere periculum eſt.Humores enim exteriori calidita-
te attractionéque priuati,in penitiores partes relabuntur.
H Item pulmo rarus,calidus,ad trahendúmque valẽtiſsimus
eſt: coſtis etiã proximus,earúmque doloris eſt particeps.
Verùm morbi pulmonis pleuritidi ſuccedentes non vſ-
quequaque ſalubres ſunt: pleuritis verò à pulmonis vo-
mica exoriens benignior eſt. Quapropter quum medio-
criter ſanguis effluxerit,interiecto ad recreandum homi-

nem temporis ſpatio, iterum detrahere opus eſt: ſi bene
quidem habeat,eodem die,quum longa remiſſio fit: ſin
minus,poſtridie. Quòd ſi neque febris remittat, (ſæpe e-
nim diem vnum febris occupat,& augetur) tertio die in
ſecunda remiſſione,in qua & cibi dandi ſunt,ſanguinem
mitte,totum hominem vberius perungens, coſtiſque o-
leum molle infundens,cum calido vnguine ex rutæ ane-
thive decocto.Ipſum verò latus admodum leniter irrigã-
dum eſt:ſed nonnullis & dolor & inflammatio erupit, vt
eorum locorum affectus eſſe videretur: quum tamen id
interiorum vitiorum incremẽtum ſit. At in præſentia de
alimonia,quemadmodum & de vniuerſa curatione, quò
nihil in ea delinquatur,ſermonem habeamus.in alimen-
tis enim medicamenta ponentur: quinimò in alimentis
medicamenta ſunt.Itaque genere calidus humidúſque ci
bus eſto,lenis,æquabilis,migmatodus,*id eſt bene permixtus*;
diſſolutorius, pituitam ſoluendi extenuandique pote-
ſtatem habens. Proinde cibariis omnibus ptiſana ante-
ponatur: initio quidem, quò ipſius craſſamentum ſoli-
dúmque reiiciatur,in cremorem percoletur, ſolóque cũ
melle condiatur.ab ipſa verò vſitata ad voluptatẽ varie-
tatémque parandam medicamina remoueantur.in hac e-
nim ægritudine ſolus cremor ſatis eſt. Quippe humecta-
re,calefacere,pituitam ſoluere & detergere,per ſuperiora
ſine moleſtia,quæcunque euocanda ſunt, euocare, facilè
quoque ventrem ducere ſola ptiſana poteſt.Ipſius verò le
nitas blanda eſt,& ad deuorandum habilis: ipſius etiam
lentor caliditates mitigat,membranas mundat,tuſſes cõ-
coquit, omnia emollit:tales ordei virtutes ſunt.Halica ve
rò ſecundum gradum occupat:quæ quum pauca quædam
cum ptiſana communia poſſideat, ob ea probatur, opti-
máque cenſetur.Lentor enim, lenitas, ſuauitáſque in de-
uorando vtrique communes ſunt:in cæteris omnibus ha
licam ptiſana antecellit:ſed ea quoque ſimplex cum mel-
le ſolo conficiatur. Tragi præterea boni ſunt. Deterior i-
pſis oryza eſt:quoniã ſiccat & exaſperat, potiúſque coſta-
rum purgationem ſupprimit quàm facilem reddit. Opti
mus quoque eſt panis aridus, contuſus, per ſubcerniculũ
tranſmiſſus,bene temperatus,concoctu facilis:cum mulſa
quantum ſatis eſt alimenti præbet.Nempe ſi iandiu mor-
bus producitur,cum dictíſque cibariis homo labare cœ-
pit,ptiſana ex ordeo præbeatur bene trita,bene cocta:cõ-
diatur verò anetho,ſale,& oleo tenui,puro, non viſcido,
non exaſperãte. At non multum olei cum ptiſana coque-
re præſtat:nam & ſorbitionem pinguem reddit,& praui-
tatem oleum deponit:longa enim decoctione in cremo
rem ordei abſorptum amplius non apparet. Item porrũ
cum ſua coma,& amygdala amara cũ cremore incoquan
tur. Ita nanque ferculum ad ſpirationem expediendam
cõmodum medicamentoſúmque ab his efficitur. Porri
autem cum cremore comeſti vtilitatem iuxtà delectatio-
némque ſummam adferunt.Iam verò & ouorum bonum
ſuccum creãtium opportunitas adeſt.acſi humida copio-
ſáque per os materia feratur, ſulfur ignem nõ expertum,
nitrúmque in oua inſpergito. Sed mirificè proſunt oua
nuper à gallina edita,ex igne,igne carentia:quippe à ma-
tre caliditas ineſt igne quidem humidior, ſed ægrotanti
familiarior,vtpote animali ab animali.Sin autem pituita
glutinoſa ac tenax ſit,in oua oleum infundito,ac reſinam
ſiccam pineã,quò ſulfur melius reddatur,inſpergito:nec-
non & terebinthi reſinam eliquato. Piper præterea in o-
uis,in ptiſana,in omnibus epulis,& quæcunque piperi ſi-
milia ſunt,bene proficiunt.Inter carnes extremi pedes in
cremoribus eliquati,columbæ,gallinæ elixæ:porcorũ ce-
rebra cum omento quidem toſta, ſine illo verò, nidore
vacantia.Si inter ſpirandum æger ſtrepitum non reddit,
dandi ſunt etiam marini piſces aut ſaxatiles, quicquid o-
ptimum regio ferat. Verùm vt neque cupiditate delin-
quat,neque victus tenuitate contabeſcat,ex fructibus ma
lum concedito in aqua aut mulſa elixum, aut cum adipe
aſſatum: ſed corium & interiora aſpera cum ſeminibus
abiiciantur.Tempore quoque illo *quod horam Græci nominãt*,
fici & alii id genus fructus concedantur:quatenus ſcilicet
innoxii ſunt,quin potius adiumentum præſtant. Hæc ſa-
nè de alimentis abundè ſint. Lateri autem lanæ ſuper-
dentur ſulfure fumigatæ, vnguine imbutæ, in quo ane-

A thum rutáve incocta ſit.Igitur his latus madefaciendum,
cataplaſmatiſque ante cibi aſſumptionem tegendum eſt.
Præter vſitata cataplaſmata ſertulam in mulſa elixam ac-
cipito,cui papaueris carnem incoctam commiſceto,mã-
næ quoque puluiſculum inſpergito.At ſi humidius ſputũ
copioſúmque reiicitur,lolii farina, aut irionis cõmiſcen-
da eſt,& nitrum inſpergendum. Cæterùm ſi morbus pro-
ductior ſit,dolor eſt pertinax, & humida ſit expurgatio,
tunc purulentum hominem fore ſperatur: itaque ſinapi
& cachrys cataplaſmatis admiſcenda ſunt.Sed ſi penitio-
B res locos ægroti frigidos eſſe perſentiunt,acetum effundi
to:illud autem efficere operæpretium eſt, vt cataplaſma-
tum calor diu efficax permaneat. melior eſt enim id ge-
nus caliditas quàm cataplaſmatũ innouatio. Proinde ca
lefactiones in ſacculis ex huiuſmodi,vtpote ex milio,fiãt;
aut ex calẽti oleo in veſica incluſo.Omnis verò fotus ma
chinatio,ne pondera dolori dolorem adiiciant,leuis eſto.
his enim leuibus,& aſſumpto cibo, quum dolor infeſtat,
vti nihil prohibet.Iam verò poſt hæc etiam admouendæ
cucurbitulæ occaſio adeſt: ſed hoc poſt ſeptimum diem
C facere optimum fuerit:ante ne feſtines.haud enim placi-
di morbi ſunt quicunque ante ſeptimum cucurbitam re-
quirunt.Eſto autem magna,omni ex parte lata,dolentem
locum ambire valens:quippe quum haud interius deſcen
dat dolor,ſed in latitudinem diffuſus ſit.At flãma ſub cu-
curbita multa eſto,quò non ſolum attrahat,verumetiam
ante ignis extinctionem calefaciat. Extincto igne ſcarifi
candum eſt,tantúmque ſanguinis quantum vires permit
tunt,detrahendum:multo verò plus eſto quàm ſi alia de
cauſa de præcordiis ſanguinem haurires:nã maximè per-
D ſpicuũ eſt quod in lateris morbo vexatis à cucurbita per-
cipitur adiumentum. Sal quidem aut nitrum in ſcarifica
tionibus mordacia ſunt ac dolorifica, ſed ſalutaria. Qua-
propter conſiderandæ ſunt hominis vires & ingenium:
nam ſi forti animo ac tolerans ſit,ſal inſpergendus eſt,nõ
ipſis vulneribus ita vt ipſa contingat,ſed ſuper linteolum
oleo madidum inſpergatur.id verò ſuper locum ſcarifica
tum extendito. humiditates enim ex ſalis colliquatione
manantes minus quàm ſal mordaces ſunt.Sed multo oleo
perfundendum linteolum eſt,quò huius lenitate morſio-
E nis dolor retundatur.Secundo die autem cucurbitam af-
figere mirificè iuuat,vt & ex vulneribus tenuis quædã ſa-
nies extrahatur:id verò priore cucurbita multo eſt effica
cius,multóque magis vires cõſeruat. neque enim ſanguis
aut alimentum,ſed ſanies emanat.Atque id quidem faci-
to quum prius vires exquiſitè perpẽderis.Die tertio cera-
tum cum cyprino oleo & rutaceo imponito.Quòd ſi vlte
rius purgatione ſputa indigeant,in ceratis reſinã eliqua-
to,aut ſulfur ignem non expertum admiſceto,atque iterũ
fotũ loco adhibeto. Porro modus cucurbitæ talis eſto:
F fictile vas habendum eſt,leue,lateri congruens,latum:aut
æneum.Id pronum in labra dolentibus locis circumponi
to:flammam verò multam cum oleo ſubiicito, quò viuẽs
flamma in longum tempus ſufficiat. Vaſculi autem oras
carni ne imprimito, ſed ad difflationem tranſitus aliquis
eſto, quominus ſuffocata flamma extinguatur. Diutius ve
rò illam accendere expedit.nam intra vas illud incluſa ca
liditas optimum fomentum eſt,& bona ſudoris prouoca-
tio.Neque verò medelam inferioribus partibus adhiben
dam negligere oportet:viris quidem in anum,rutaceum
G oleum,mulieribus autem & in vterum infundendum eſt.
Perpetuò ſanè quæ bibuntur ac deuorantur ſumto, mulſa
cum ruta & ſucco ptiſanæ,ſi continẽter tuſſit,vt in alimẽ-
to medicamentum ſit.Verùm ſi nondum alimenti præbẽ
di tempus adſit,aliquod compoſitum,picerium *Græcis di-
ctum*,accipiatur,ex variis conſtans,cum melle ad conſiſtẽ-
tiam decoctum. Globulos autem fabæ magnitudinẽ æ-
quantes turbinatóſque dare oportet ſub lingua continen-
dos,huc atque illuc iactandos:vt non deuorabile, ſed eli-
quabile ſit.Suaue quoque eſt id quod ex papauere cũ mel
H le ac ſertula campana medicamen conficitur, lene atque
ſomniferum.Hæc vtrique & ante cibi aſſumptionem, & aſ
ſumpto cibo,& poſt ſomnum ipſum præbenda ſunt: ſed
ieiuno medicamentoſa adhibeantur: quale eſt quod hæc
accipit,vrticæ,lini ſeminis, amyli, nucis pineæ, cuiuſque
contriti cyathum,amygdala amara numero vigintiquin-

que, totidem & piperis grana. oportet autem hæc torrere, ac trita cum melle ad eclegmatis temperaturam permiſcere: horum detur myſtila vna. Sin liquida crudáque excreat, myrrhæ pondo drachmas duas, croci pōdo drachmam vnā, piperis grana quindecim, cũ mellis pōdo libra ſubigito. Id ſanè medicamentum & ante cibi acceptionẽ, myſtilæ dimidiatæ menſura dari debet. Bene facit in longo lateris morbo, quando & oxymel dare conuenit, ſi ſpirandi vrgeat difficultas. Frigidam verò aquam quicunque medici pleuriticis conceſſerunt, neque qua ratione id fecerint aſſequi valeo, neque experimento cōfirmare: quippe ſiqui à frigida periculum euitarunt, hi profectò mihi nō laborare pleuritide viſi ſunt. Verùm apud vetuſtiores etiam medicos ſpecies quædā cōcurſus pleuritis *ſeu lateralis morbus* vocabatur: quum bilis eſſet excretio, cum dolore lateris, & exigua febre, vel etiam ſine

A febre. Huiuſmodi ſanè affectus nomẽ quidẽ pleuritidis, rem verò non obtinet. Quinetiam ſpiritus nonnunquam in latere concluſus ſitim, dolorem prauũ, mollémque caliditatem excitat: id quoque vitiũ ignari homines pleuritin nuncuparunt. his nempe frigida aqua remedio eſſe poterit: quum proſpera vtentis fortuna, extincta ſitis erit, bilis ac ſpiritus per inferiora ſubducetur, & dolor & caliditas exhalabunt. Verùm in lateris inflammatione, & ſuccingentis membranæ tumore, non ſolùm frigida aqua ſed etiā frigida reſpiratio noxia eſt. Itaque ſi ex prius traB dita medendi ratione incolumes redduntur pleuritici, paulũ tamen adhuc tuſsiunt, & caliditas ſubinde repetit, atque infeſtat, ad hæc penitus diſcutienda maturandum eſt. aut enim quæ relinquuntur, recidiuas faciunt, aut ad ſuppurationem conuertuntur.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI DE MORborum acutorum curatione

Liber II.

Iunio Paulo craſſo Patauino interprete.

LIBRI SECVNDI CAPITA.

Curatio pulmonariæ, Cap. I.
Curatio reiectionis ſanguinis, Cap. II.
Curatio cardiaci affectus, Cap. III.
Curatio choleræ, Cap. IIII.
Curatio voluuli, Cap. V.
Curatio acutorum iecoris affectuum, Cap. VI.
Curatio acuti morbi venæ & arteriæ dorſi, Cap. VII.
Curatio acuti renum morbi, Cap. VIII.
Curatio atutorum veſicæ vitiorum, Cap. IX.
Curatio vuluæ ſtrangulatus, Cap. X.
Curatio ſatyriaſis, Cap. XI.

DE CVRATIONE PVLMONARIAE. Cap. I.

PEracutum lethaléque malum eſt inflammatio repletióque pulmonis: quas ſtrangulatus breuis conſequitur. Igitur æquis reſiſtentia viribus, maturéque ferenda ſubſidia ſunt. Protinus in cubito venæ C aperiantur, ſiue vtraque, in dextra videlicet ac læua manu, idque potius: ſiue vna tātũ, & ea maior, quò ab vtraque pulmonis regione humiditatum reuulſio, non tamen vſque ad animi deliquium fiat: ſtrangulatum enim animi deliquiũ auget. Cæterùm ſi vel paulum reſpirauerit, tunc ſupprimendus ſanguis eſt, ac denuo poſtea mittendus. nam ſi à ſanguine morbi cauſæ prouenerint, eas venæ ſectio tollit. Atqui ſeu pituita, ſeu ſpuma, ſeu quæuis alia humiditas tumefaciat, venarum inanitiones ampliorem pulmonis locũ ad reſpirationis tranſitum efD ficiũt. opus eſt autem humores & flatus poſt venæ ſectionem deorſum verſus trahere, nitro, melle, ruta, reſina terebinthi liquida ſedem oblinendo. Sed miſſionis ſanguinis loco, ſiquod maius impedimentum ſit, acrem ſuccũ per clyſterem in ſedem immittito: vt puta ſalem cum nitro, aut terebinthi reſinam cũ melle. Ruta quoque in oleo, & hyſſopum in aqua decocta, item cucurbitæ ſyluaticæ carnes interiores in aqua excoctæ conueniunt. Præterea inanes cucurbitulæ egregiè faciunt, ſi tergo, dorſo, præcordiiſque vbique adhibeantur. quòd ſicubi pectus carnulẽE tum ſit, quominus circum oſſa cutim cucurbitula incumbens affligat, ibi eam affigito. nam ſi ad quācunque partẽ corporis humores diſtrahantur, & ſpiritus ad extima euocetur, quibus pulmo opprimitur, aliquod mali ſolamẽ inuenias. omni enim ex parte pulmonaria obſidenda impugnādáque eſt. Verùm neque vllum ex iis medicamentis quæ ore ſumpta conducũt, deſpiciẽdum eſt: quippe ea eſt natura pulmonis vt ſiue rectè valeat, ſiue ægrotet, ad ſe humores alliciat. Quocirca eiuſmodi medicamẽta præbeātur quæ humores ad tranſpirandũ attenuent, lubricos fluF xiléſque ad extrudendũ efficiant. Propinetur quidem celeriter iuuandi cauſa nitrum cũ hyſſopi decocto, aut muria cũ aceto & melle, aut ſinapi humidũ cũ mulſa. Singulis autẽ iridis radicẽ & piper inſpergere auſo bene cedit: item hæc arida cribrato, & cum melle exhibeto. Quòd ſi interdiu inſomnes ſint, & noctẽ quoque totā peruigilent, ne hominẽ furor corripiat metus eſt: variiſque ſomnificis medicamẽtis, niſi ægritudo remittat, vti decet: quò medicamẽta in tẽpore data morbi acerbitatẽ leniant & obtũG dant. multa verò ſoporifera ſunt. At ſi in ſtrangulationis impetu, iámque aduentante interitu, medicamẽ præbeas, apud tuos cōtribules mortis eius author appellaberis. Alimẽta pariter eiuſmodi eſſe debẽt, acria videlicet, tenuia, craſſitudinẽ diſſipantia, extergẽdiq; facultatẽ habẽtia. inter olera porrũ, aut cornicis pes, aut vrtica, aut braſſica in aceto incocta: inter frumẽtacea verò, ptiſanæ cremor, parum origani aut hyſſopi, necnō piperis, ſed plus nitri, loco ſalis, accipiens. Alica præterea mulſæ incocta prodeſt. Omniáque per elixationem flatũ abiiciant: flatus enim vomica pulmonis laborantibus infeſti ſunt. Vinum (ſi febre vacāt) quod haud ita multũ aſtringat, potui detur. quippe denſat corpora adſtrictio: iſtis verò membra potius laxāda ſunt, ſputique eductioni ſtudendũ. Sed in totum potus modicus eſto, quũ pulmoni madefactio inimica ſit: quoniam à gula atque ventriculo trahit. Thorax autem lanis oleo imbutis cũ nitro aut ſale contegatur. Optima inunctio eſt ea quæ ex adarce fit. Sinapi etiā aridum & cũ cerato humido prodeſt. Atque in ſumma, & humores & calor & ſpiritus foras educendi ſunt. huic rei opitulantur acriũ olfactus atque illitio, & extremorũ deligatio. Hæc faciẽti niſi morbus cedat, de hominis valetudine actum eſt.

DE SANGVINIS REIECTIONIS curatione, Cap. II.

OMnes ſanguinis effuſiones haud mite vitiũ ſunt, nō modi ſolùm ratione, vt ſi per fracturā aut eroſionẽ, verũetiam ſi per rarefactionẽ effunditur: neque ſi ex pectore, aut pulmonibus, aut ſtomacho, aut iecore fertur, periculoſum eſt: è capite verò ſi defluit, minorẽ noxā adfert. ſanguinis enim exitus eſt. ſanguis autẽ, omniũ eſt alimentum, omniũ calor, omniũ color: terrorémque incutit, ſanguinem ab ore vtcunque manantẽ intueri: malúmque eſt ſi à primario viſcere, peius verò ſi ob fracturā aut eroſionem profunditur. Huius itaque vitii medicus ad opem ferendā maturet neceſſe eſt. In primis quidem aerẽ frigidiorem ad reſpirationẽ deligito: cōclaue non titubans, cubile firmũ, quò nullam in partẽ quatiatur, inhabitet: concuſſiones enim malũ exaſperant. Stratũ ſolidũ, haud multum cedens, neque profundũ, neque calidũ eſto. poſitus figuráve corporis erecta ſit, ne ſermocinẽtur, néve ſermones audiant. Animi abſit perturbatio, ſed contrà oblectamentis leniatur. ſiquidem id genus ægrotos magna animi conſternatio corripit: quis enim vomens ſanguinẽ mortẽ inſtantem non perhorreſcat? Igitur ſi ſanguine referti ſũt, & venas prominentes habent, in qualibet ſanguinis profuſione venam pertundito. nam ſiue ex fractura, ſiue ex

eroſione profluit,ſectio venæ conducit. Sin rarefactio in
cauſa eſt,ne multitudo venam effringat metuēdū: cædē-
da eſt autē caua in cubito vena.Etenim ex hac facilè ſan-
guis effluit, & ipſa ſectioni expoſita eſt: vtque per plures
dies ſanguis innoxiè decurrat,cōmodè aperta ſeruatur.in
omnibus autē,omniū(vt ita dicā)præcipuorū viſcerū hæc
eſt ſanguinis via.vena vtiq; hac ſuperior,necnō & hæc,v-
nius in brachio venæ ambæ propagines ſunt.quare nihi-
lo plus ſuperior quàm media emolumenti adfert.nā pro-
paginū ignari ſunt quotquot ſtomacho & iecori ſuperio-
rē venā copularūt.Sin à liene ſanguis fertur,ſiniſtræ ma-
nus venam illā quæ inter minimū anularémq; digitū ſi-
ta eſt,reſcindito:quandoquidē medicorū nonnulli eā ad
lienē vſque pertinere arbitrātur:verū & hæc ipſa inter cu
biti venas inferioris propago eſt. Cur itaq; potius eā quis
prope digitos quàm in cubiti curuatura proſcindat, quū
hoc in loco amplior ſit, & ad effluxum habilior? Prorſus
quidē ante animæ defectū ſanguis cohibendus eſt, atque
haud ita multus auferendus:nā & ipſa cruoris per os effu-
ſio ſatis hominē labefactare poteſt:aſſiduè verò poſt pau
cū detractū ſanguinē,iterū detrahito & eodē die, & po-
ſtridie,necnō & perendie.At ſi ægrotus tenuis & inops ſā
guinis ſit,venā ne ſcindito.Hæc de ſanguinis miſſione a-
būdè ſint.Succurrendū eſt etiā extremorū deligaturis,pe
dū quidē,ſupra malleolos& genua,manuū verò,ſupra bra
chiale & cubitū.faſcia ipſa lata ſit,quò ſit validior,neque
dolorē moueat conſtrictio.Nēpe locis vnde ſanguis erū-
pit,lanas ouiū ſuccidas imponito,&humore perfūdito,vt
pote auſtero vino,& roſaceo aut myrtino oleo.Si cruoris
effluuiū vrget,lanarū vice ſpōgiæ admouēdæ ſunt:& pro
vino acetū infundito, locúmq; myrtino ſubūgito: in o-
mnibus autē ſpongiis,acaciæ,aut hypocyſtidis,aut etiā a-
loes ſucci aridi ſint.optimè facit & omphacium aceto li-
quatū.Quòd ſi irrigatio ſordida ſit,ægréq; feratur,empla-
ſtris vti cōueniet:cutim enim circūtendūt, ac veluti ma-
nu corripiūt:quinetiā ipſorū facultates refrigerare,exſic-
caréq; magnopere valēt.Infinitæ verò aliæ aliis experimē
to cognitæ vires inſunt: ſed optima emplaſtra ac tutiora
ſunt quæcūque acetū habent,& ſalicis foliorū ſuccū, nec-
non & bitumē,& æruginē, & alumē, & thus & myrrhā,&
æs vſtū,& æris ſquamam:atque in ſūma quæcunq; huiuſ-
modi emplaſtra ſunt,emplaſtris ſordidæ lanæ,aut ſpōgiæ
pauco aceto perfuſæ ſuperdētur.Sin emplaſtrorū diſtētio-
nem ferre nequeunt, id genus epithema facito: palmulæ
pingues nigro vino auſtero maceratæ ad mazæ,*id eſt pla-
centæ*,craſſitudinē conterūtur: poſtea acacia trita,& mali
coria inſpergūtur:hæc omnia pāniculo trito ac veteri il-
lita,pectori inducūtur.Itē polentā vino aut aceto perfuſā,
necnō lentis farinā tenuē per incerniculū trāſmiſſam ce-
rato ex vnguēto roſaceo facto excipiēs imponito: cū quo
& ſymphyti radicē tuſam & cribratā admiſceto. Aliud e-
pithema hæc recipit,Brabilorū i.*prunorū damaſcenorū*,agre-
ſtium radices in aceto incoquito,ad ſpeciē placentæ con-
tundito,ac rhoi,cōmis,myrti paulū miſceto. ex his vtiq;
alia aliis, prout medicaminū efficacia, lenitate, odore o-
pus eſt,miſcenda ſunt:ſiquidē & ægrotantibus gratificari
decet.Hæc nimirū exterius applicāda remedia ſunto. At
his præſentior medela in potionibus deuorandiſque con
ſiſtit,vt proxima vulneratis partib9 medicamina ſint.Por
ro triplex iſtorū forma eſt,vt vel fluxionis ductus ligent,
cogendo vaſcula & cōprimēdo: vel defluentē humorem
craſſum cōpactúmque efficiant,quò licet tranſitus pateāt,
ne deſtillet:vel exſiccēt incurſus in ſede antiqua ſanguinē
retinentes,vt ne effluuio loci exhauſti ita permaneāt,exū
datióque ibi ſit quò facta eſt effuſio. In venarū quidē ra-
refactione adſtrictio ſatis eſt:ipſæ nanque ceu ſitula noua
imbecilla in rarefactionibus perfluūt.Diuiſionibus verò,
vt labia cōmittantur,adſtrictio quoque medetur:ſed ma-
ioribus valentioribúſq; medicamētis vtēdū. Verūenim-
uero ſi ſit eroſionis modus,neq; per adſtringentia vlceris
oræ cogantur,ſed vulnus dehiſcat, neque ex cōpreſſione
in vnū redire valeat,ſanguinē atque calorē congelare ne-
ceſſe eſt.nam iſtorū immobilitate concretionéque pro-
fluuiū coercetur. Poſca igitur rarefactis ad adſtringēdū
ſatis eſt:neq; enim ſanguis effluēs purus eſt,ſed ipſius ſa-
nies per oſtiola parua dilabitur. atque huiuſmodi poſca

A neque adeo multa neque frequēter egemus: nōnnullis &
exterius admota remedia abūdè fuerūt. Quinetiam pal-
mularū aut ſiliquarū eſculentarū decoctū potui datū ſo-
lum quoſdam liberauit.Eſto autē acetum ex vini adſtrin-
gētis genere,quod,ſi nō medicatione, tempore ſaltē acre
adſtringénſq; euaſerit. Verùm in vulnerū dilatationibus,
præter poſcā medicamēta primùm ſimplicia adhibeātur,
vt plantaginis,aut ſāguinalis herbæ,aut ſeridis ſuccus,ſin
gulorū portio æqua cū poſca: quòd ſi adhuc plus effluat,
hypocyſtidis,aut acaciæ ſiccorū,cuiúſque pōdo drachmā
B in tres poſcæ cyathos inſpergito:optimè verò facit & vuæ
acerbæ ſuccus.At ſi calamitas hæc ſemper in peius irrite-
tur,gallā tritā,& rubi radicē arefactam,& lapidē ex mari;
coralliū quod vocant,aridū tuſúmque cōſpergito.Verùm
rhei radix ad refrigerandū, ſiccandum, adſtringendum,
omniáque facienda, his efficacior eſt: ſed hæc quoque
cum poſca ſola præbetur. Sin auxilia maiora requirūtur,
radicis huius pondo tres obolos, ſeridis atque plantagi-
nis ſuccis, qui trium aut quatuor cyathorum menſuram
compleant,iniicito. In eroſionibus autem prorſus ad-
C ſtringentia adhibere tenta: quò dilabentem ſanguinem
concretum compactúmque reddas, & ſuſcipientia mem
bra conſtringas: vt procul à vulnere venæ concidant, &
occludantur.Quinetiā quæ bibuntur, tenacia ſunto, con-
cretionem efficere valentia.Succū igitur coriandri ex a-
ceto propinato,item & leporis,aut inuli,aut hœdi coagu-
lum.Sed multum ne cōcedito:nam iſtorum aliquod nō-
nunquam plus quàm conuenit datum,hominē iugulauit.
coriandri quidē ſucci ne minus ſemicyatho cum tribus
poſcæ cyathis præbeatur:coaguli verò tres oboli,ſummū
D quatuor. Adhæc huiuſmodi fluoris ſanguinei ſpeciebus
& terra Samia efficaciter ſubuenit,& Eretrias, & aſter qui
vocatur,valde cādidus, & rubrica Sinopica, & ſigillū Le-
mnium.Iſtorum pondus minimum drachma,maximum
drachmæ tres,cū decocto aliquo præbeatur,vt palmularū
aut ſiliquarum edulium,aut rubi radicum.Sin arteria ex-
aſperatur,proptereáque tuſſiunt, in Cretica ſapa id genus
terræ inſpergantur. Egregiè ad arteriam leniendam & a-
mylum facit:nam cum læuore & glutinandi poteſtatem
habet.Si profuſio ſanguinis vrget,ſemel in die ante cibi
E aſſumptionem dandum eſt: ſin minus,& ſecundo &tertio
ſub veſperam.Ex medicamentis quoque ſiccis catapotia
fieri poſſunt ex melle ad conſiſtentiā decocto,qualis eſt
galla trita.optimus eſt etiam rhous, quo in obſoniis vti-
mur,vinacea,acuti rumicis ſemen, per ſe ſingula,& ſimul
omnia.Hæc vtique & ſub lingua ad perpetuam eliquatio-
nem habenda ſunt.Gummi etiam cū planta *porri & ſpi-
næ lacryma proſunt. Variorum ſanè medicamentorū infi
nita eſt experientia, varii etiam vſus: vt paſtilli ex Ægy-
ptia ſpina,& paſtilli ex electro, & eius qui croceus appel-
F latur:quorum apparatus proprio loco expoſitus eſt. Porro
quum febris abeſt,omnia in medicamētis audēda ſunt,
& multa & multoties exhibendo. Si febre vexantur,(ple-
runque autem corporum inflammationibus febres ſu-
perueniunt) neque affatim eruptio ſupprimenda eſt, ne-
que in acceſſionibus medicamenta potui danda: quoniā
multi celerius febre quàm ſanguinis effuſione conſu-
muntur.Alimenta varia ſunto, ſpeciéque medicamentis
ſimilia.quinetiam in cibis medicamenta reperiuntur.ne-
que enim in vno duntaxat cibo omnia alimēti bona in-
G uenire facile eſt.Atqui ſi non vnus cibus ad medicationē
ſufficit,nō vno propterea vti ob ſatietatem facile eſt, ſed
per varia eundum:iam enim diuturna valetudo facta eſt.
Itaque ſi adſtringetia ſint alimenta,& facultate refrigeran
tia,& ad tactum quoque frigida eſſe debent. calor enim
ſanguinem prolicit.Alica lota,oryza in poſca: ſin acetum
tuſſim exaſperat,palmularum decoctum,panis aſſus, præ-
aridus, contuſus,atque in farinæ ſpeciem redactus & cri-
bratus: atque ex his omnibus cum oleo ſorbitio fiat.item
tymbra ſale condita,& rhous cibis aſpergatur.Quòd ſi a-
liqua in re ægrotanti morem gerere placeat,coriandrum,
H ſi gratum ſit,delectationis cauſa concedito: aut aliquod
ex ſeminibus vrinam mouentibus,facilémque ſpirationē
reddentibus.Leus vtique, ſi profluuium ſanguinis vrgeat,
cum plantaginis ſucco præbeatur: ſi non vrgeat,à ſucco
abſtineto:quippe qui nec concoctu facilis,neque guſtaui

iucundus eſt. iſtis verò minimè omnium ægrè concocti-
lia danda ſunt.At ſi ob ſanguinis effuſionem mortem in-
ſtare verearis,tunc iniucunda,cōcoctu difficilia;quinetiā
immania ſint licet ea quæ ſalutē adferunt: propterea gal-
la arida trita lēti ſiccæ & frigidæ adſpergatur:oua coquē-
do craſſiora effecta,cum mali Punici corio, aut galla,exhi
beto.tale vtique neceſſariò in medicamine alimentū eſt.
Potus omnino parciſſimus eſto:nam ſicco victui humor
inutilis eſt.Hæc nimirum adhibēda ſunt,ſi adſtringere ac
refrigerare ſtatueris:ſi verò ſanguinem ac ſpiritū craſſio-
rem efficere,lac,amylum& alica proſunt:modò cum amy
lo,modò cum alica lac miſceto. horū temperatura, vt ne
ſit liquida ſorbitio,ad concretionem perueniat.Cæterùm
ſi adhuc magis craſſare adſtringeréque cupias, alicam cū
palmulis decoquito:ad ſpiſſandum autem amylum lácq;
optima fuerint,& far Tyrrhenum cum lacte,craſſum quū
ſit,viſcidum & glutinoſum.Hœdi verò coagulū in deco-
cta liquida,cauſa concretionis affundito, ſicut in lac quo-
que,vt ad recentis caſei temperaturam deueniat.His craſ-
ſius eſt milium,vt far,in lacte decoctū.inſpergantur autē
galla & mali corium.Verùm exiccantium aut craſſantiū
mediocritates coniectura aſſequi oportet:id genus nanq;
tuſſim mouent. Siccitatis quoque excellentia nonnullis
& venas lacerauit.Si bene cedit curatio, ſanguíſque com-
peſcitur,in contraria paulatim adiiciēdo fiat mutatio:at-
que (vt dici ſolet)ne quid nimis: huiuſmodi enim vitia
facilè reuerti ſolēt,ac maligno ingenio prædita ſunt. Iam
verò hominē inſtaurare,carnéque replere, & nouas cica-
trices ſolidare neceſſe eſt geſtationibus,mollibus frictio-
nibus,peregrinationibus,animi oblectamentis, cibis va-
riis atque vſitatis.Hæc vtique faciēda ſunt, ſi à ſanguinis
exitu vulnus coaluit, & congruenter locus ſanatus eſt:ſin
vlcus relinquitur,purulentúmque fit,altera deliberatione
opus eſt;ſiquidem& iterum profuſio ſanguinis redit.Ve-
rùm de hoc affectu in ſermone de diuturnis morbis diſ-
putabimus.

DE CVRATIONE CARDIACORVM, aut ſyncopæ,

Cap.III.

IN ſyncopa medicum prouidentiæ ſedulò nauare ope-
ram neceſſe eſt.futuram enim ſi proſpexeris,& præſen-
tia tibi feſtinanter opem ferent,& ipſam,antequam inua
dat,propulſabis:præſentem verò non facilè euadūt ægro-
tantes.Solutionem nāque naturæ,ſyncopam eſſe diximus:
inſtaurabilis autem non eſt diſſoluta natura.Hanc igitur
maximè quidem futuram arcere:ſinminus,ſaltem nuper
incipienti reſiſtere debemus.Præſciēda verò ea ſunt quæ
de acutis morbis diſſeruimus, quando & cauſas & ſigna
explicauimus.Nā febris ardens initiū eſt:febrem ardentē
ſigna peſſima conſequuntur,ariditas,vigilia, caliditas vi-
ſcerū,qualis ab igne prouenit.extimæ partes frigent:ma-
nus pedéſque extremi frigidiſſimi ſunt: reſpiratio in at-
trahendo longa eſt.ſiquidem frigidi aeris,quoniam ignē
expirant,auidi ſunt:arteriæ motibus exiguis creberrimis
tremulíſque agitantur.Ab his itaque ſumpta coniectura,
& ab aliis quotquot à me inter ſigna comprehenſa ſunt,
ipſi ab initio ſyncopæ occurrendum eſt. Quapropter niſi
hæc omnia impediant,habitus,ætas,anni tempus, homi-
nis timiditas,vena cædenda eſt.Quòd ſi multa prohibeāt,
quæ numerum inſignem,& magni faciendū conſtituant,
vtpote lingua aſpera & ſicca & nigra (omnia enim inte-
riora ſigna noſcuntur) in omnibus facultas perpendenda
eſt,niſi prius morbo, doloribus, inedia labefactata ſit.ſi-
quidem non defectu tantùm, verumetiam ſtrangulatu
proſternitur.At vbi præ multitudine ſyncopa fiat,& inflā-
matio aliqua inſignis in præcordiis, aut iecinore appa-
reat,nequaquam procraſtinare expedit.Secanda eſt igitur
vena caua in cubito:per minutas ſectiones,id eſt ſcarifica
tionem,etiam ſanguis detrahendus eſt,quò facultas haud
ita inſignem iacturam faciat.copioſum enim ac ſubitum
naturā vitiat.Quinetiā multo minus ſanguinis quàm in
aliis occaſionibus,hauriendum eſt. nam in ſyncopa ſi vel
minimum erroris committitur, ad interitum ducit. Pro-
A tinus igitur ad vires inſtaurandas alimentum dare con-
uenit.Natura enim,priorum repulſa, & nouorū adiectio-
ne lætatur.Vtique ſi miſſionem ſanguinis facultas nō ſuſ-
tinet, inflammationéſque infeſtant,cucurbitula tūc mul
to ante morbi iudicationem ei admouenda eſt. in iudi-
catoriis enim diebus ſyncopa incidere ſolet:in iiſdem ve
rò circuitibus & naturæ iudicant,& morbi interimunt. Si
vini potandi neceſſitas homini incidit,diligenti cōſide-
ratione opus eſt:neque enim vſqueadeo tuta eſt in inflā-
mationibus vini potio. ſiquidem vini potio inflamma-
B tione laborantibus dolores auget: inflammatione vacan-
tibus,naturæ incrementum adfert. Sed antequam ſemel
aut iterum cucurbitulam affixiſti,& ad membra relaxan-
da,& ad ſanguinis facilem exitum vtilis eſt: nonnullis &
poſt cucurbitulæ ſecundam affixionem bene fecit. Hoc
verò in caſu & parſimonia vtendum eſt.nam & in cucur-
bitulæ vſu,nimiæ ſanguinis effuſionis idem periculum a-
dimus:euacuationibus autem per clyſterem duntaxat ad
inueterata ſtercora eiicienda opus eſt:ſed facultatis ratio-
nem habeto.Capitis irrigationes frigidæ,quotquot mihi
C in ſermone de phrenitide relatæ ſunt,paulùm mediocri-
tatem excedentes adhibeantur.Aer mundus, ad inſpiran-
dúmque frigidior deligendus: viſus plantarum, picturæ,
aquarúmque aſpectu oblectandus:& hæc omnia iucundè
ſuauitérque intuenda: amicorum præſentium loquutio-
nes ſint ioculares atque ridiculæ. Súmma ſit in ægrotātis
corpore quies,in animo hilaritas.Odoramēta ſuauia, quæ
capitis ſenſum non grauent,adhibenda: quinetiam grati
odoris alimenta naribus offerantur, qualis polenta eſt a-
qua aut aceto reſperſa, aut panis calidus recentiſſimè co-
D ctus.Nempe vino haud copioſè os colluatur, neque pror-
ſus denegetur.Potum frequentiorem quàm aliis, & ma-
gis aſſiduè his cōcedito.Eſca per totū diem ſit leuis, con-
coctilis,plerunque triticea,necnon ægrotanti iucunda, li-
cet paulo deterior:iſtis enim magis quàm aliis gratifican
dum eſt:quandoquidem haud minimè ad ſtomachi reſo-
lutionem id morbi genus aptum eſt. Inedia verò aut fa-
mes nequaquam prodeſt: ſatis enim morbus ipſe omnia
cōſumere & exhaurire poteſt.Porrò quum iam circuitus
ad iudicationem peruenit,humiditas verò iugulum fron
E témque irrorat,extrema algent,arteriarum pulſatus mini
mus eſt,frequentiſſimus,veluti repens, ac tenore debilis:
tum paulum quid alimenti triticei ſumendum,vinúmque
euidenter deguſtandum eſt.Sed caput irrigationibus præ-
munire oportet pariter & veſicam. Hæc verò auxilia in
tractatu de phrenitide à nobis memorata ſunt. Vinum v-
tique non pleno ore,neque ad ſaturitatem vſque ingurgi-
tandum eſt.Aliqui ſanè importunè repleti,poſtea inappe-
tentia,atque cibi potúſque accipiēdi impotentia,vita ex-
ceſſere:multis autem ſatis largèveſcentibus,natura iam re
F ſoluta ad mortem euitandam alimentorū copia nihil pro
fuit:in ventriculū quidem cibis delabentibus, ſed ad re-
creandas vires à ventre nō aſcendētibus.Alimēta ſanè va
ria ſint oportet,plerunq;triticea,quò ſorberi potius quàm
mādi apta ſint:ſi ſolida ſunt,lubrica ſaltē efficiantur. Oua
neque valde cōcreta, neq; torrefacta ſint,ſed omnino ſo-
liditatis expertia. Panis buccellæ vino madētes & calefa-
ctæ duæ tréſue initio præbeantur. Pòſt autē omnia frigi-
da miniſtrētur,niſi forſan interius phlegmonædeliteſcat.
Vinum odoratū,haud ita multum adſtringens,quàm mi-
G nimè craſſū deligatur:ex Græcis Chiū aut Leſbiū,& quot-
quot alia inſulana tenuis ſunt tēperaturæ: ex Italicis autē
Surrentinū,aut Fundanum,aut Falernū,aut Signinum,ni-
ſi vehementer adſtringat: atque ex his omnibus illud vi-
tandum eſt quod peruetuſtum aut valde nouum ſit.Nem
pe detur primò calidum non minus cyathis quatuor,an-
te iudicationem: neque plus cotyla, ſiue hemina, quan-
uis bibax homo ſit.deinceps cibo exhibito, ſi inflamma-
tio permiſerit,iterum frigidūvinum,quod ſiti medeatur,
propinandum. At ſi neceſſitas vrgeat, vino non ſolo, ſed
H cum cibo vtendum eſt: verùm ne mentem vinum lædat,
cibus ante ſumendus eſt,& poſt hæc abſtinendum.Si poſt
aliquod temporis interuallum dormire velit, quies con-
cedenda eſt.Verùm ſi multus ſudor emanet, arteriæ iam
micare deſinant, vox acutior reddatur, & pectus calore
deſtituatur,

deſtituatur, vini quãtum potare poſſit concedendum. in ſolo enim vino refrigeratis ſpes vitæ poſita eſt. Vinũ itaque ſit vſitatum, & modò id ægrotus tantùm bibat, modò cibum cum vino aſſumat. id autem per interualla fiat, ad tollendam laſſitudinem quæ tum ex morbo, tum ex cibo prouenit. nam qui exiguas vires habent, & poſt aſſumptum cibum valde laborant. Igitur & ipſum decet forti eſſe bonóque animo, & medicum ſuaui oratione eum ad bonam ſpem cohortari, varióque alimento & vino opitulari: necnon & alia efficaci medela vti opus eſt, & ad ſudores coercendos, & ad vires inſtaurandas, vt penè extinctæ reuiuiſcant. Quapropter pectoris ſiniſtræ mammæ palmulæ in vino maceratæ cum aloe & maſtiche ſuperdentur: ceratum verò cum nardo factum iſta excipiat. quòd ſi iſtud durũ ſiccúmque fiat, aliud epithema imponendum: mala cotonea, extracto ſemine, & quicquid durũ eſt, contuſa polentæ odoratæ admiſceto: poſtmodum abſinthii & myrti comã, acaciã quoque & mannam cribratas permiſceto: ſimúlque omnia ſubacta œnanthino cerato excipito. Si per hæc ſudor nõ ſupprimatur, vuæ acerbæ ſuccus miſcellæ addẽd⁹ eſt. ſuccus igitur iſte quẽ Græci omphaciõ vocãt, quũ maxime acerbus eſt, & acacia, & gummi, & rhous eſculẽtus, & alumẽ, & palmulæ, & roſarũ ſuccus bene olẽs, ſimul omnia cũ nardo & labruſcæ pinguiori parte, pectori ſuperponantur. huiuſmodi nãq; epithema iuxtà refrigerat & adſtringit. Decũbat verò æger in aere frigido, aut & ad vrſam domus vergat: at ſi & frigida boreæ aura afflabit, malè ſpirantẽ animũ excitabit. Moretur autẽ & prope virentia prata, fontéſque, & obſtrepentes riuos: nã & ab his emanãs bonus halitus, & mẽtis delectatio animã fouet, & naturã ſuſcitat, vitǽque reſtituit: quinetiam cibi potioniſque deſideriũ laceſſit. Cæterùm ſiquis ob inopiam hæc aſſequi nequeat, imitari oportet & auram frigidam, ramorum bene olentiũ voluptariis flabellis, & tempus vernum, foliis ac floribus præſentibus humum ſternentes. Operimentum quoque leue ſit & obſoletum, vt aerẽ quidẽ accipiat, calorem autem pectoris exhalare permittat. optimũ verò eſt vetus linteũ. Ceruices quidem & iugula & pectus polenta cõſpergito, vt odoris ſuauitate nutriat, ſiccitate coerceat: item & polline quidem corporis raras partes contegito: necnõ & faciem terra Samia lineo ſacculo cribrata & raro linteolo incluſa reſpergito, vt minutiſſimus puluis in frontem & malas excutiatur: calx præterea extincta & gypſum exuſtum perlineum paruum ſacculum (quẽ Græci criferam vocant) tranſmiſſa, ſudore madentibus iniiciantur. Compreſſit ſudores nonnunquã & ſpongia ex frigida, faciei admota: dilabentes enim humores cogũtur, & cutis raritas conſpiſſatur. Prodeſt etiam ſedẽ inũgere, vt frigidus flatus & ab alimento exortus effundatur. Item reuocandus excitandúſque eſt extremorũ calor illitu gleucini olei aut Sicyonii, quod ex agreſti cucumere efficitur, cum pipere, caſtoreo, nitro, & cachry: modicum ceræ in eis eliquando, vt inunctio membris inhæreſcat. Illitio quoque ex limneſtide, *id eſt adarce* euphorbio, & lauri bacca, calorem exſuſcitat: pariter & bulbi crudi, illi inquã qui exigui & rubri ſunt, cũ pipere & aceti fæce læuigata, valentiſſimum pedibus cataplaſma imponitur: ſed intra horæ ſpatium illud frequentiſſimè auferendum eſt. inſtat enim periculum vlceris & veſicarum. Porro ab his ſpes affulget ita ægrotãtem perniciem euaſurum. Quòd ſi omnia ſecundum rationem medicus præſtet, rectéque omnia cedant, cum ſyncopa, ſi inflammationes quoque adſint, diſcutiuntur: ſudor nuſquam effluit: calor in quamlibet corporis partem ad extremos vſque pedes & ſummas nares diffuſus reuiuiſcit: facies vegeto colore decoratur: pulſatus in magnitudinẽ efferũtur, nihil tremuli, ſed vehementes: vox autẽ cõſueta reuertitur, & canora eſt: ipſéq; prorſus viuidus efficitur: laſſitudinẽ quidẽ haud exiguã percipit, verùm dormire etiam cõſpicitur. Atque ſi ipſum ſomnus occupauerit, cibaria planè concocta erunt, ſenſus mali obliterabitur, naturǽque vis egerminabit, & reuireſcet: quúmq; à ſomno expergiſcitur, bene ſpirat, leuis eſt, expedit⁹ & robuſtus: reuocat autẽ in memoriã

A morbũ ceu quoddã ſomniũ. At nonnulli ſunt quib⁹ febres obſcuræ, tanquã morbi reliquiæ, remanẽt: nonnũquã & inflãmationes modicæ, & lingua arida, & ſudoris priuatio: præterea rigẽt, torpẽt, diſſoluũtur. hi ſane in tabẽ prolabũtur. Tunc verò tempus terendũ nõ eſt quiete & victu tenui, ſed ad motiones æger traducẽdus per geſtationes, frictiones, & lauacra, quò vitæ reſiduum à morte vindicetur, augeatur, ac recreetur. Propinandũ verò eſt etiã lac, maximè mulieris quæ proximè peperit, puerúmque nutrit. hi nanque alimento vt nuper in B lucem editi pueri, egent. Si lactis humani copia non datur, aſinæ quæ nõ pridem peperit lac accipito: tenue eſt enim ac fluxile huiuſmodi lac. Poſthæc ad reſumptionem & ad conſueta æger ducendus eſt.

CVRATIO CHOLERAE, Cap. IIII.

IN cholera, eorum quæ eiiciuntur ſuppreſſio mala eſt: cruda enim ſunt. quare nos oportet ea facilè ſpontéque exeuntia libenter permittere: ſi non exeant, incitare, aquam tepidam ſorbitioni dantes, aſſiduè quidẽ, ſed paucam, ne tentiones inanes in ſtomacho fiant con- C uulſioni ſimiles. Si torquentur inteſtina, & pedes frigeſcunt, irriganda eſt aluus calido vnguine, in quo ruta cuminúmque incocta ſint, vt flatus digerantur diſſipentúrque. Lana quoque imponenda eſt, & pedes inungendo molliter fricare oportet, contrectando magis quàm premendo. ſed genibus tenus hæc fiant, vt caliditas quæ abierat, reuocetur. Hæc verò tantiſper facienda ſunt donec ſtercora per inferiora deiiciantur, & ſuperius bilioſa efferantur. Sin autem omnia antiqua ſtercora deiecta fuerint, & bilioſi humores tranſ- D ierint, bilioſúſque vomitus & diſtentio adſit, faſtidium, anxietas, virium labefactio, tunc frigidæ aquæ cyathi duo aut tres propinandi ſunt ad ventris adſtrictionem: vt retrogradus humorum curſus cohibeatur, vtque ſtomachus ardens refrigeretur. Aſſiduè verò id, quum potam aquam vomuerit, facito. Facilè quidem frigida in ventre incaleſcit: verùm eam ſtomachus euomit, à calida pariter ac frigida dolore affectus. ſemper autem frigidum potum expetit. Porro ſi arteriarũ motus ad paruitatem lapſi fuerint, necnon aſſiduè & frequenter micent arteriæ, ſudor circa frontem & iu- E gula & qualibet corporis parte ſtillatim effluat, alui profluuium non ſiſtatur, & ventriculus adhuc euomat cum diſtentione & animi deliquio, parum vini odorati & adſtringentis aquæ frigidæ infundendum eſt: vt præ odore ſenſus excitetur, ob eiúſque potentiam roboretur, & corpus ob nutricationem recreetur. vinum enim celeriter ſurſum petit, vt retrogradum humorum fluxum coerceat: tenue verò eſt, vt facilè diffuſum naturæ ad ſanitatem recuperandam opem ferat: validũ F quoque, vt vires dilabentes fulciat atque ſuſtineat. Inſpergenda eſt etiam nonnunquam recens & bene olens polenta. Verumenimuero ſi omnia vrgeant, ſudor & tẽtio non ſtomachi modò, ſed etiã neruorum, ſingultus inanis, & pedes contendantur, & aluus multa excernat, & homo caliget, & pulſatus arteriarum ad immobilitatem vergant, tunc eiuſmodi ægroti ſtatum præuertere opus eſt. Quòd ſi iam adſit, frigidæ ac vini multum præbẽdum eſt: & nequaquam meracius, ne fiat ebrius, ac ne lædantur nerui: ſed cum cibo & panis buccellis G madefactis. Præbere quoque aliã eſcam conuenit, qualis à me in capite de ſyncopa tradita eſt, itẽ ὀπώραν στύφουσαν, *i. fructus mollioris corticis adſtringẽtes*, ſorba, meſpila, mala cydonia, vuã. Cæterùm ſi omnia euomit, & ſtomachus nihil retinet, ad calidas potiones & cibaria recurrendũ. nonnullis enim hæc mutatio vomitionem compeſcit: calida verò, calidiſſima ſunto. Sin horum auxiliorum nullum proficit, cucurbitula in interſcapulo affigenda eſt, atque infra vmbilicum. verùm aſſiduè cucurbitulæ mutandæ ſunt: nã ſi diutius permaneãt, dolorẽ cient, periculúmq; eſt ne veſiculas excitẽt. Profuit iterdũ & auræ motus ſuauis, vt & ſpiritus reuiuiſcat, & cibus in vẽtriculo remoretur: vtque melius ægrotus ſpiret, meliúſq; arteriæ micẽt. At ſi hæc in peius labãtur, vẽtri pectoriq; talia ĩponẽda ſũt qualia & ad ſyncopã ſuprà memorauim⁹: palmulæ vino madefactæ, acacia, hypocyſtis.

hæc roſaceo cerato excepta,linteolóque illita,vētri imponito:pectori autē maſtichē,aloem,abſinthii comam tritam cum cerato nardino ſuperdato:aut œnanthē toti pectori inſpergito.Pedes verò & muſculos, ſi cōuellātur,Sicyonio,gleucino aut veteri oleo cum exigua cera perungito: caſtoreo quoque reſpergito. Porro ſi frigidi etiam pedes ſint, vnguine ex adarce & euphorbio inungito, & lanis obuoluito,& manuum palpatione foueto:quinetiā dorſi ſpinā,tendones,& muſculos,necnō & maxillas iiſdem inungere expedit. Quòd ſi poſt hæc ſudor & vēter ſuppreſſi fuerint,& ſtomachus cibos admittat,neque euomat,pulſus magni & validi ſint,& cōuulſio deſinat, ſed calor vbiq; increſcat,& extrema infeſtet,ſomnus verò omnia concoquat, ſecundo die aut tertio ſoluēdus eſt æger,&ad conſueta mittēdus. At cōtrà ſi omnia vomitu reiiciat,ſudor perēnis effluat, frigeat laborans,& liuidus fiat, pulſus etiā propè extincti ſint,& vires cadant:quū ita,inquā,ſe habuerit,inde honeſtam fugam capeſſere bonum eſt.

CVRATIO VOLVVLI, Cap. V.

IN voluulo dolor eſt perimens ob inteſtinorum phlegmonen.diſtentio adeſt, & inflatio: celerrima ac fœdiſſima pernicies impendet. nonnulli enim deſperata ſalute ægrotantes mortem euidentem tantummodo formidant: aliqui verò in voluulo ob cruciatus acerbitatem mortem expetunt: quocirca neque remedium vllum morbo inferius neq; debilius à medico adhiberi opus eſt. Verùm ſi morbi cauſam inflammationem eſſe inuenerit, venam in cubito magna ſectione aperiat, quò multus ſubitò ſanguis,inflāmationis alimentum,vel vſque ad animæ deliquium effundatur.Etenim hoc vel ſedandi doloris, vel ſtuporis ac ſenſus priuationis initium eſt.In voluulo autem recreatio eſt ac reſpiratio,vel ad breue tēpus (licet præ ignorantia)tormenti dilatio:quandoquidem hominibus ita viuentibus mori beatum eſt: medicū autē cuiquā mortē inferre nefas ducitur.Sed fas eſt interdum,quū præſentia mala euadi non poſſe manifeſtè præuideat,grauitate capitis torpida ægrotū ſopire.Sin abſque inflāmatione ob corruptionem,aut ingēs frigus, voluulus prouenerit, venæ ſectio dimittenda eſt: reliqua autem omnia faciēda. Cōſulēdū eſt igitur vt à potu aquæ tepidæ frequēter euomat,oleū multū bibat, deinde rurſum euomat. Flatus inferiꝰ irritamētis educēdi. irritatoria quidem ſunt,cyclamini ſuccus,&nitrū,aut ſal:flatus autem euocant cuminū & ruta. igitur his omnibus cū reſina terebinthi ſedē oblinere oportet,& ſpōgiis fouere: aut hæc per clyſteres infundere cū oleo, melle & hyſſopo, & cucurbitulæ ſylueſtris carnis decocto. Quòd ſi ſtercꝰ excretū ſit, iterum oleū calidū cum ruta iniiciendum: id enim ſi intus moretur,fomentū inteſtinis propitium eſt: præterea dolentes locos oleo in quo ruta & anethū abundè incocta ſint, perfundere conducit. Adhibeatur & fotus ex lentibus figulorum aut fabrorum ferrariorum, aut ex milio & ſale vſtulatis. Cataplaſmata verò præter vulgata ſunto,lolii farina,& cuminum, & hyſſopi aut origani coma. Cucurbitulæ quoque leues quidē, ſed frequentes,aliæ iuxta alias,abdomini &iſibus ad inguina vſque admoueantur:quin & à tergo coxēdicibus ad renes vſque & dorſum. vbique enim quiſque omnia dolorem leuantia faciens iuuat.Præbibat autem cumini aut rutæ decoctū, & Sinonis,aut vnà cū his aliquod ex anodynis appellatis medicamentis. Infinita autē alia ab aliis probata experimento inuenta ſunt.Bonum verò eſt & ex viperis medicamētū, plus cōſueta portione potui datū.Cæterū ſi neq;dolor remittitur,neq;flatꝰ,neq; ſtercus deiicitur,purgatorium pharmacum,quod hierā vocant, neceſſariò dandum eſt. aut enim ſimul cum pituita & bile pharmacum vomitu expellitur:aut deſcendit,flatum,dura ſtercora,pituitam,bilē(ipſius mali fomēta) ſecum educens.Alimenta exhibeantur aluū ducendi vim habentia,iuſcula gallinarum, oſtreorum inſigni pulchritudine præditorum, ordei cremor cum multo oleo decoctꝰ, quod à principio ante decoctionē infuſum ſit:habeat verò cuminum, nitrum,porrum cū coma.Aut medela adhibeatur cum aliquo iure vētrem ſubducente, cochleæ valde elixæ, *& ipſarum ſuccus.

A Itellinæ aqua potui detur, ſi febricitet, cum aſaro, aut nardo,aut cachry excocta:nam hæc flatus eliciunt, vrinam cient, & ſpirandi poteſtatem facilem reddunt. At ſi dolor abſit,vinū etiā bene facit,vt inteſtina calefiāt, vtque vires labantes confirmentur. Prodeſt etiam fœniculi radicis decoctū,ſi bibatur, & adiantū, & cinamomum: ſin ad abſceſſum inflammatio conuertatur,huic opem ferre ſatius fuerit medicamentis abſceſſui conuenientibus vtentem: ea verò in libris de longis morbis B deſcripta ſunt,vbi colici affectus ſanatio traditur.

CVRATIO ACVTORVM IECORIS VITIORVM, Cap. VI.

IN iecore ſanguinis creatio eſt, & in totum ſanguinis à iecore emanatio: ac omnino iecur eſt veluti ſanguis gelatus:ideo phlegmonæ hoc loco acutiſſimæ fiunt.hac enim in parte alimentū reſidet. Sin vſpiā alibi phlegmone conſtiterit, non vſqueadeo acuta eſt: aduena eſt enim ſanguinis accurſus. in iecur autem non C opus eſt aliunde effluere: nā ſi obſtructio aliqua exitus occludat, iecur effuſione priuatū repletur, abundátque ſanguine:alimēti verò ad iecur trāſitus adhuc patet. aliud eſt enim iter alimenti à vētriculo & inteſtinis in omne corpus. Quocirca euacuare facilè oportet, venā cubiti ſecādo,multū quidē ſanguinis,ſed nō ſemel totum detrahendo.Inedia primùm iubēda eſt,poſtea cibi paucitas,vt & medicamētis ingrediētibus iecur inane pateat.Inſuper medicamētis exterius appoſitis,quæ in iecore aceruata ſunt diſcutere oportet. Igitur illinatur aloe,aut nitro:lanæ œſypo ſordētes admoueantur.Refri- D geratione quoq; opus eſt:iecur enim ſanguine accenditur:nā ſanguis calidꝰ eſt.Huiuſmodi ergo cataplaſmata ſūto:accipiatur farina loliacea, aut irionis,aut hordei, & ſeminis lini:ex humoribꝰ autē vinū acidū,cydoniorū ſuccus,capreolorum vitis,labruſcæ maturæ,aut oleū cū ea. Itē cū ſpongiis fomentū fiat ex decocto baccarū lauri,lētiſci,pulegii,iridis.Per iſta mitigato morbo,cucurbitula maior applicetur, vt ex omni parte hypochōdrio circūdetur:atq; altiꝰ circūcidēda cutis, vt multū ſanguinis effundatur.Nonnullis aurē hirudines q̄ ſcarificatio- E nes magis placēt.nā eius beſtiolæ morſus altiꝰ penetrat: verùm eroſiones quoq;maiores facit:vnde & ſanguinis effluuiū ægrè ſupprimitur: quùmq; ſanguinis potu ſaturata hirudo ceciderit,cucurbitula eſt applicāda. ab intimis enim partibus tūc attrahit. Quòd ſi ſatis euacuatū ſit,vulnera medicamentis ſanguinē coercētibus morſúq; carētibus obtegēda ſunt,vt araneorū telis: manna aloéque inſpergēda:panis cū ruta aut ſertula aut althææ radicibus elixus ſuperdandus.tertio verò die ceratū cū myrobalano aut abſinthii coma &iride cōuenit.Quin- F etiam & malagmata vocata medicamenta talia eſſe debent vt extenuare, aut rarefacere, aut vrinam ciere valeant. Optimum ſanè eſt medicamentum ex ſeminibus conſtans quorum omnibus medicis experientia perſpecta eſt: bonū eſt & illud in quo aut ſampſuchus aut ſertula ponitur. Cibi tenues ſunto,labiles, lotium mouentes,penetrabiles:alica cum mulſa,& ſorbitio ex ea, cum ſale & anetho. Ordei verò cremor & detergendi facultatem habet:at ſi & dauci ſeminum nonnihil addatur,ad vrinā laceſſendā præſtātior eſt. ſubducit enim G per alueolos qui à iecore in renes pertinent: opportunus verò eſt à iecore effluētibus illuc trāſitus,& vaſorū laxitate & itineris rectitudine. Idcirco & cucurbitulis ea nos trahere oportet eo loco vbi renes ſunt, ſecundum os coxendicis applicantes. Cæterùm & hi vnguine cum ruta, aut odorato iunco, aut calamo aromatico irrigandi ſunt. Per hæc vtique ægrotum poſſe mortem effugere ſperandum eſt. Sin ad ſuppurationem conuertatur,pus mouētibus medicamētis vtitor quotquot à me in ſermone de colicis, literis prodētur. Quū H pus autem iam genitum fuerit, quomodo incidēdum, quomodóque medendum ſit,alio loco ſcriptis mandabimus.Eadem nobis &de ſplene ſcripta ſunto, ſiquādo & inflammationis acutæ calamitas eum inuaſerit.

CVRATIO ACVTI MORBI DORSALIS VENAE ET ARTERIAE, Cap. VII.

VEnæ concauæ,craſſǽque arteriæ,quæ ſecundū dorſum extenduntur, inflammationem ardoris ſpeciē

maiores noſtri appellauerunt: nam & ardoribus ſimiles affectus in ambabus oriuntur; ignis acutus & acer, faſtidiũ,ſitis,anxietas, pulſus palpitans in præcordiis, & in *auerſa parte dicta* metaphreno, & quotcunque à me in volumine de ſignis relata ſunt. Nempe & in ſyncopam tendit ignis, quemadmodum & in ardoribus: ſiquidem venæ radicatio (vt ita dicam) iecur eſt: arteriæ verò principium cor. Haud abs re igitur exiſtimes eorum viſcerum ſupremas partes maximè ad vitam facientes ægrotare. Etenim cor arteriæ calorem impertit, venæ autem ſanguinem iecur infundit. Amborum verò magnorum viſcerum magna ſunt germina, ipſæ videlicet phlegmonæ. Venas itaque in cubito protinus cædito, multúmque ſanguinis; ſed non ſemel totum mittito. imò & bis & ter,& alio die, quò interim vires inſtaurentur, repetito. Deinceps cataplaſmatis vtitor, & cucurbitulam præcordiis, vbi eſt arteriæ tranſitio, necnon & inter ſcapulas(nam ibi quoque pulſationes ſunt) affigito, liberiúſque ſcarificato, & multum ſanguinis detrahito: haud enim ita facilè ex horum vaſorum inanitione in animæ defectum homines cadunt. Verùm & aluus præter conſuetudinem valde ſuppreſſa, ad lubricitatem per clyſterum molliores infuſiones eſt reuocanda. Acribus autem minimè vtitor: nam hi facilè in febrim incidunt à muria & nitri liquatione. ideo lini ſeminis & fœni Græci ſuccus eſto,& radicum maluæ decoctũ,quod ad prouocãdũ & ad mordẽdum ſatis eſt. Extremas partes,pedes videlicet & manus,gleucino oleo, aut Sicyonio, aut ex adarce vnguine excalfacito. nam partes iſtæ in ipſis valde frigeſcunt. Præterea ante cibos potui dato quæ lotium euocant, meon, aſarum, abſinthium: nitrum quoque inſpergito. Sed omnium valentiſsima eſt cucurbita, & cinamomum, ſiquis eius copiam habeat. Lac iſtis & alimenti & medicinæ vim præbet: (etenim refrigeratione indigent,quũ in eorum viſceribus veluti quidam ignis exæſtuet) & dulci alimento, necnon & multo in parua mole. has nimirum virtutes alimenti lac obtinet. Eſto autem mulieris quæ proximè peperit, & duobus lactis cyathis vnus aquæ admiſceatur. lac etiam bubulum optimum eſt: tertio loco caprinum ponitur. Cibaria concoctu facilia præbeantur, plerique ſucci, fœniculi radix, & apii ſemen: indatur & mel. aqua verò quæ bibitur,iſta habeto. Oportet etiã ſudores elicere, & vbiq; difflationes humidas & fluxas facere. Caput ſicut in ardentibus febribus irrigetur. Epithema pectori & ſiniſtræ mammæ, quale in ſyncopa, ſuperdetur. Cubile,rectus decubitus: vt omnia iis ſimilia ſint quæ in ardentibus febribus fiunt. *Exercitatio modica ad ſudores euocandos, necnon & balneum,ſi iſte interius exardeſcit. neque enim iudicationibus huiuſmodi vitia ſoluuntur, etſi ardoris ſpecies ſunt.

CVRATIO ACVTI MORBI IN RENIBVS, Cap. VIII.

PEracuta ſanè in renibus inflammatio exoritur. ſimul enim inflammantur à iecore in renes diſcurrẽtes venæ: cum illis autem & iecur, quum haud ita prælongæ ſint,ſed valde latæ, adeo vt renes proximi iecori ſuſpẽſi eſſe videantur. Verùm & vrinæ retẽtio inflammationi ſuperuenit,vehementiam inflammationis adaugẽs: nã renũ caua lotii non exeuntis alluuione replẽtur. Porro idẽ & in calculis euenit, ſi in renibus calculus vrinæ canalium laxitate maior oriatur, qui non egrediẽs inhæreſcit,atque ſic & ipſe vrinam intercludit. Cæterùm de calculorũ creatione, in libris de longis morbis ſermonem habebimus, quomodo aut nõ coaleſcãt, aut iã concreti exterantur comminuantúrque: de calore autem atque obſtructione, quæcunque celeriter enecant, in præſentia differemus. Si calculi iam conflati ſunt, adéſtque inflammatio, venã cubiti, niſi ætas præpediat, ſecato: bene fluidus autẽ multúſque ſanguis exeat: neque enim phlegmonæ tantùm euacuatione mitigãtur, ſed etiam calculorũ intruſiones vaſorum inanitione laxantur: quinetiã per mictũ calculi elabuntur. Poſtmodũ irrigationibus gleucini aut Cyprini olei,& fomentis & cataplaſmatis particulæ remittũtur. Artemiſia verò herba & iuncus & odoratus calamus in cataplaſmatis eſto.

A Deinde cucurbitulã renibus in regione coxẽdicis adhibeto: maximè nãque ab eã parte euacuatio profluit. Aluus præterea ducatur per clyſteres cum lubricis & viſcidis potius q̃ acribus, ex maluæ, aut fœnigræci cremoribus: nonnunquã verò medicamẽta ante cibos vrinam citantia dẽtur, qualia in vitiis iecoris narrata ſunt: pariter & cibaria ſimilia, cõcoctu facilia: cruditas enim iſtis noxã adfert. Optimũ ſanè lac eſt, maximè quidẽ aſinæ: ſecundò, equinũ: ouillũ autẽ & caprinũ confert, quatenus lac eſt. *Si pauperes ægroti ſint, eos lauare ſati* eſt:
B ſin minus, in decocto herbarũ deſidant, vmbilico tenus ſolio repleto. Verùm ſi ad pus vergat, quibus cataplaſmatis ac medicamentis vtendum ſit, multis in locis ſuperius traditũ eſt. At ſi calculus inſtiterit, fomẽtis vtiq; & cataplaſmatis iiſdẽ vti oportet. Calculi verò medicamentis potabilibus conterẽdi ſunt, ſimplicibus quidẽ, ſio & prionite (*aſplenum puto*) herbis cum oleo aut aceto eſculento decoctis: earum quoque ſucco potui dato: cõpoſitis autẽ, ea antidoto quæ *biſtimus appellatur, & ea quæ ex viperis conſtat; & beſtia quæ coſxinos, *id eſt cri-
C brũm*, dicitur, & quotcunque experientia optima eſſe comprobauit. Geſtationes iſtis,& corporis cõcuſſiones, ad mouendũ propellẽdúmque calculũ, bene faciunt: nã calculorũ in veſicã tranſitus ingẽtes dolores concitat: q; ſi inde exciderint, dolor tollitur, vt neq; per ſomniũ dolorẽ ſentire ſibi videri ſoleant: quinetiã tanquam ex ineuitabilibus malis animus perterritus ſoluitur.

CVRATIO ACVTORVM VESICAE AFFECTVVM, Cap. IX.

ET veſicæ acuta vitia renalibus ſimilia proueniunt,
D phlegmone, & vlcera,& lapides,& grumorum obſtructiones. à quibus vrinæ ſuppreſſio & ſtillicidium exoritur: ſed in hoc membro acutior dolor eſt, interitúſque celerrimus: veſica enim neruus latus eſt. At renes veluti concrementũ ſanguinis, iecoris ſpeciem habẽt: in quibus & grauiſſimi & maximè miſerabiles morbi incidunt: vnde *Mars cum maximis cruciatibus miſeris mortalibus ingruit. Protinus igitur vẽtris ea pars laxa quàm ceneona Græci vocãt, ſecãda eſt, multóque oleo cum ruta & anetho veſica eſt irriganda. Si cõcretus
E ſanguis doloris impeditæque vrinæ author ſit, oxymel bibere debet, aut calcis parum cum mulſa, quò grumi diſſoluantur: deinde quæ vrinã mouent,& herbæ,& ſemina exhibenda. Sin ex ſanguinis effuſione periculum inſtet, abſque vlla cunctatione ei magis q̃ cæteris ſubueniendũ: neque enim id leue diſcrimẽ eſt. Nẽpe medicamina ſanguinẽ coercentia opẽ ferunt: opẽ fert autẽ veſicæ refrigeratio, ex roſaceo & vino irrigatio,& cum lanis ſuccidis obuolutio. Epithema bonũ eſt, palmulæ ex vino cũ malo Punico, aut ſucco rhois. Verùm ſi auerſa-
F tur epithemata grauia, & vehementes refrigerationes, (cauẽdũ eſt enim ne veſica natura frigida tenuiſque, ita multũ refrigeretur) eã gleucino illinito, aut acacia, aut hypocyſtide ex vino. A ſpongiis verò, niſi valde vrgeat ſãguinis eruptio, abſtineto. Eſcæ triticeæ, coctu faciles, bonum ſuccũ gignentes, lotiũmque educentes præbeãtur, quales à me in capite de renibus cõprehenſæ ſunt: lac, vinũ dulce, theræũ aut ſcybellite. Medicamenta potabilia ſunto, vrinaria, bene olẽtia, fluxilia, & id genus alia. Vtiliſſimũ vtique veſicæ remediũ cicadæ ſunt, ſuo
G quidẽ tẽpore, toſtæ, pro cibo exhibitæ: extra tẽpus autẽ, aridæ, tritæ cũ aqua: ſed radicis nardi parũ cũ cicadis elixetur. in iiſdem quoque loco balnei ad veſicæ laxamentum æger deſidat. Quòd ſi lapillorum interpoſitio mictum impediat, oriculario ſpecillo lapis amouendus eſt, vrinàque educenda, niſi adſit phlegmone: in phlegmonis nanque neque meatus inſtrumentum admittit: præterea oriculario ſpecillo vulnerãtur. At ſi expediri medicatio nequit, homóque doloribus conſumitur, locum eum qui ſub glande eſt, ceruicémque veſicæ
H incidito, vt lapis excidat, atque vrina effundatur. Ac deinde potiſſimum medendum eſt ad cicatricem vulnus ducẽdo: ſin minus, *ῥοιάδα τοῦ πύου, id eſt puris effluuiũ*, factam eſſe, pro futura hominis vita, ſatius eſt quàm vt tormẽtis miſerrimè cruciatus intereat.

CVRATIO VVLVAE SVFFOCATIONIS, Cap. X.

VVlua in mulieribus mēbranis extentis hinc atque inde ſecundū ilia cōtinetur;ac perinde atq; animal vitia in olfactu patitur: nam ad bene olentia delectationis cauſa ſe recipit, fœdè olentia contriſtantiáque præ moleſtia refugit. Igitur ſi aliquid ſuperius triſte offeratur,vulua ad naturalia deſcendit:ſi extrà, oſtio naturalium opponatur,retro ſurſūmque recedit: nonnunquam verò in hoc aut illud latus ad lienem aut iecur mouetur: ad receſſum eius autem contractionémque, membranulæ,vt in nauibus vela,cedunt atque conſentiunt.Hæc verò illi & propter inflammationem eueniunt: nam ſi eius ceruix afficitur atque intumeſcit, fit prominentior. Si in fundo exoritur inflammatio, ſurſum repit: ſin ad pedes foras vergat,turpis & immunda res eſt, dolores adferens & contriſtans. Præterea difficulter ambulare poteſt, & in latus & ſupina decumbere, niſi pedes mulieris phlegmone laborēt. At ſi ad ſuperiora vulua recurrerit,quamocyſſimè hominē ſtrangulat. vrget autem,ſpiritum comprimens: neque enim prius conqueri & clamare, & opem à ſtantibus petere valet, quòd nonnullis iiſque pluribus reſpiratio, nonnullis autem vox celerius intercipitur. Par eſt itaque eos qui his miſeriis interſunt, priuſquam mulier intereat,medicum accerſere: verùm ſi fortè aliquando occurreris,cognita phlegmone venam ſcindito,præcipuè quidem eam quæ in malleolo: quæ ſi non bene fluida ſit,eam quæ in cubito eſt,petito. Sed à vena malleoli ſanguinis miſſionem repetito. Alia verò omnia adminiſtrato quæcunque ſtrangulatui & citra inflammationem ſubueniunt: qualia ſunt manuum ac pedum vincula ad torporem vſque adſtringentia:fœdè olentium olfactus,vt liquidæ picis, capillorum, lanǽque, exuſtorū: flāmæ in lucerna extinctæ nidoris,caſtorei, quod præter fœditatem odoris neruos etiam refrigeratos calefacit: lotium præterea vetus,vel demortui fere corporis, ſenſum magnopere ſuſcitat, & vterū ad inferiores partes abigit. Porro medicamēta odorata naturalibus ſunt imponenda: vnguentum verò lene ſit & minimè tactū vellicans,nardus,aut bacchar Ægyptium, aut vnguentum ex malabathri Indicæ arboris foliis compoſitum, aut cum aliquo odorato vnguine tuſum cinamomum: atque ex his muliebres locos oblinito. Quòd ſi ex his fuſile medicamen confletur,illud in vuluam infundito. anum quoque flatuū eductoriis inungito. per clyſteres quoque non acres,ſed molles, viſcidos lubricóſque humores indito, vt ſtercora ſolùm eiiciant, ſedéſque vtero ampla vacuáque remaneat. id ſuccus althææ,fœnigræci ve præſtabit. ſertulam verò aut ſampſuchum cū oleo decoquito. Cæterùm ſi maiore vi aut depulſione vulua egeat,tūc validæ mulieris aut viri bene tenacis manibus hypochondrium comprimatur,aut faſciis adſtringentibus ſuccingatur, quò in anguſtum locus redigatur, neque iterum ſurſum verſus vulua procurrat. Item naribus apprehenſis ſternutamenta citentur: quibuſdam enim ſternutamento & contentione vulua in propriam ſedem redire poteſt. In nares autem puluis inſpiretur ex radice lanariæ, aut piperis, aut caſtoris. Item leues cucurbitulæ in feminibus, ilibus, coxis inguinibus,attrahendæ vuluæ cauſa defigantur: amplius & dorſo inter ſcapulas, ſtrangulatui ſubueniens, admoueto. Sin à phlegmone ſtrangulatus proueniat, vena ad pubem veniens ſcindenda eſt, multūmque ſanguinis fundendum. Item faciei frictiones, capillorum euulſiones, vt mulier ad ſe redeat, ſimul bene facient: at ſi vel parum tolerare poterit, in decocto aromatum deſidat,odoratiſque ſuffumigetur. Ante cibos,caſtorei A paulum bibat,& hieræ paulum cum caſtoreo. Quòd ſi ferre valet,lauetur, & in tempore ad antiquos vſus reuertatur:détque operam mulier vt quamfacillimè mēſes elabantur.

CVRATIO SATYRIASIS, Cap. XI.

NEruorum in virilibus inflammatio penis tentiginem facit, cum appetitu cōtriſtationéque in actu venereo: fiunt autem diſtenſiones neruorum conuulſioni perſimiles,nūquam mitigabiles. Quin & ipſo cōcubitu ſedari non poteſt iſta calamitas. Mentis quoque B alienatio ſequitur: nam primùm quidem impudentes euadunt,dum caſum ſuum licentioſè narrant: audaces enim eos coeundi inſatietas efficit. Poſtea verò quum affectus iſte deſierit,tunc ad ſe redeunt, & mente optimè conſtant. Igitur omnium horum cauſa venam in cubito & in talo aperias,& multum cruoris ac ſæpe detrahas. neq; enim id tēporis intēpeſtiuū fuerit,& ad mētis ſtupefactionē,& ad inflāmationis remiſſionē,& ad caloris viriliū mitigationē faciendā,animæ deliquiū adferre: quippe ſāguis mult⁹ calorē & audaciā valde C accēdit,inflammationem alit,mentis perturbationem confuſionémque, veluti eſca ignē, procreat. Omne corpus etiam medicamento quod hieram, *id eſt ſacram*, vocant, purgato. neque enim purgatione ſolùm egent,ſed etiā leni medicatione: vtrunque autem præſtare hiera poteſt. Inſuper genitalia, & lumbos,& πλιχάδα, *id eſt locos inter femina & inguina*, * & locum inter anum & ſcrotū,& teſticulos lanis ab oue detonſis adhuc ſordentibus obuoluito. ſed lanas roſaceo ac vino perfundito: partéſque iſtas multa irrigatione madefacito, ne ab lanis D caliditas oriatur: imò natiuus calor à frigida humorum poteſtate obtundatur. Eiuſmodi quoque cataplaſmata ſuperdanda: panis cum plantaginis herbæ ſucco, & ſolano, & ſeride, & papaueris foliis, idque genus aliis quæcunque torporem frigoráque iniiciunt: necnon & ſimilibus virilia, & locos inter inguina & femina, & coxas illinito, cicuta ex aqua, vel vino, vel aceto: item mandragora, aut acacia: & ſpongiis vice lanarum vtitor. Interea ſubluenda aluus eſt maluæ decocto,& oleo, & melle: omnia verò acria vitentur. Defigantur in E coxa cucurbitulæ, aut in abdomine. Optimæ ſunt autem & hirudines ad ſanguinem deorſum attrahendum. Et ſuper vulnera cataplaſma imponatur micæ panis cū althæa. Poſtea in aqua deſidat, vbi artemiſia, ſaluia, conyzáque decoctæ ſint. At ſi longiori tempore vitium extrahatur, neque multitudo ſecundum proportionem minuta fuerit,& neruorum conuulſionis metus adſit, (nam facilè in his affectibus conuelluntur) curandi rationem mutare opus eſt: quippe calefacientia admouēda ſunt, gleucinum ſcilicet oleum aut ſicyonium pro F roſaceo. Lanis autem mundis & cataplaſmatis tepefacientibus partes illæ contegendæ: quandoquidem neruorum inflationes nonnunquam huiuſmodi curatio mitigauit: amplius & caſtoreum cum mulſa bibitum. Cibaria, parum nutrientia frigidáque ſunto: pauca triticea, plurima olera, malua, bliton, lactuca, cucurbita elixa, cucumis maturus elixus, pepo ſuo tempore collectus. A vino & carnibus longo temporis interuallo abſtineto: ſiquidem vinum eſt neruorum calefactio, animæ remollitio, voluptatis reuocatio, genituræ creatio, G venerisq; excitatio. Hæc à me in acutos morbos remedia ſcripta ſint. Oportet autem & iuuenem medicum, ipſum ſuo marte aliqua ſibi comparare, neque omnia ex alienis commentariis depromere. Hoc ſanè pacto acuta vitia fiūt, vt ordine ſingulis quæ ſcripta ſunt, aut omnibus vti valeas.

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI,

De morborum diuturnorum curatione

Liber I.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

PRIMI LIBRI CAPITA.

Procœmium Cap. I.
Curatio cephalææ, Cap. II.
Curatio vertiginoſorum, Cap. III
Curatio morbi comitialis, Cap. IIII.
Curatio melancholiæ, Cap. V.
Curatio furoris, Cap. VI.
Curatio neruorum reſolutionis, Cap. VII.
Curatio phthiſis, id eſt vlcerũ pulmonis, Cap. VIII.
Curatio purulentorum, Cap. IX.
Curatio pulmonis abſceſſuum, Cap. X.
Curatio aſthmatis, Cap. XI.
Curatio pulmonariorum, Cap. XII.
Curatio vlcerũ iecoris, & effuſionis puris, Cap. XIII.
Curatio lienis, Cap. XIIII.
Curatio morbi regii, Cap. XV.
Curatio cachexiæ, Cap. XVI.

PROOEMIVM, Cap. I.

IN longinquis morbis dilatio medelæ mala eſt: nam ob cunctationem in vitia inſanabilia prolabuntur. Inflatio ſanè ita habet vt nõ facilè ſecedat ſi ſemel inuaſerit: at ſi & diutiùs trahitur, temporis ſpatio vires acquirit, & nonnunquam euenit vt cõmoriatur. Exiguos quoque morbos maiores excipiunt: quúmque priores diſcrimine vacarẽt, eorũ ſoboles pernicioſa exoritur. Itaque nullo pacto ægrotũ ſilere cõuenit, ne morbus deprehẽdatur erubeſcentẽ, neque aufugere, vim curationis metuentẽ: neque medicum pigrũ eſſe ignauúmque oportet. vtrunque enim ad morbum inſanabilem efficiendũ conſentit. Nonnulli autem ſunt ægroti qui præſentium, necnon & futurorum ignoratione, ad finẽ vſque cum morbo degunt. Nam plerique neque pereunt, neque futurã mortem ſuſpicantur: quocirca neque ſe medici fidei cõmittunt. Horum probatio ex cephalæa colligitur, de qua prius ſermonem inſtituam.

CVRATIO CEPHALAEAE, Cap. II.

CAput quanto ad vitam magis neceſſarium eſt, tanto difficiliori ægritudine laborat. Atque morborũ capitis inuaſio quidem tolerabilis eſt: (nam parum dolent, aures ſonãt, grauitas adeſt) at ſi intẽdantur, finis eſt mortiferus. Igitur exiguos dolores ne ſpernito. nam & exiguis medicamẽtis in quibuſdã diſcuſſi ſunt. at ſi plus tẽporis extrahũtur, maiores cruciatus ſuperueniũt. Propterea vena cubiti incidẽda eſt. ſed duobus antè dieb[9] vinum bibat. tantum autem ſanguinis detrahito quantum eius vires tibi coniectanti oſtenderint: * verùm nõ ſemel totũ detrahere magnopere expedit. Porro quorum vires copioſam ſanguinis detractionem patiũtur, iis ipſis continuò morbus diſcutitur: atque id omnibus longis ægritudinibus conuenit. Tribus autem quatuórve diebus interiectis liberalius alendi ſunt. Deinceps purgatorium *quod uocant* hieram, cùm mulſa propinandum: ea enim à capite morbi alimentum maximè abducit. modus verò medicamenti quatuor aut quinque drachmarum pondo eſto. Quòd ſi bene purgauerit, tũc lauandus eſt, & vinum exhibendũ, & vires augendæ. Poſtea iterũ vena frõtis recta ſcindẽda eſt: hæc enim eſt opportuniſſima ſanguinis detractio. modus autẽ eſto hemina, aut paulo plus. neque vltrà ſanguinẽ mittito, quoniã vaſa inanire non expedit. Deinde capillis nouacula detractis cucurbitulã priorẽ vertici affigito, alterã inter ſcapulas citra ſanguinis effuſionẽ admoueto: & eã quæ in vertice fixa eſt, liberius ſcarificato, quò ſanguis vberius attrahatur, & partes profundiores incidantur. remedia nanque ad oſſa vſque penetrãtia cephalæã iuuant. Quòd ſi vulnera cicatricẽ ducãt, arteriæ ſecẽtur: duplices aũt ſũt, aliquæ poſt aures paulo vlteri[9], propriiſq; motionib[9] produũtur: aliæ verò auriũ arteriæ prorſũ verſus ſitæ ſunt, aurib[9] proximæ. nã *inſtrumento dicto* antitrocho adducũtur: verùm hæ quoq; propriis pulſationib[9] innoteſcũt. nẽpe maiores oſſibus vicinæ ſecẽtur: hæ nanque vtilitatẽ adferũt. Adiacẽt & aliæ ſingulis aurib[9] oppidò tenues, quas incidere prorſus inutile eſt. Modum verò

A incidẽdi in libris* de manuũ operationibus expoſui. Cæ
terùm poſt medelam in cephalæa, morbo comitiali, &
vertigine, vtque ſemel dicam, in omnibus capitis vitiis
(prius ventre, aut purgatorio, quod deuoretur, aut cly-
ſtere euacuato) pituita euocãda eſt, modò è naribus per
ſternutatoria, modò ex ore per ducẽtia pituitã. Species
autẽ ſternutamenta citãtiũ ſunt, piper, radix herbæ la-
nariæ, fibri teſticulus: hæc quidẽ ſunt vulgata & cõmu
nia: ad læuorẽ autẽ terito, & cribrato, & calamo aut craſ
ſiore pennæ anſerinæ caule inſpirato. His efficacius in
B attrahẽdo violentiúſque euphorbiũ eſt, cũ aliquo ipſo-
rum admixtum. Quinetiam cùm oleis miſcetur, gleu-
cino ſcilicet, aut Sicyonio, *id eſt ex cucumere ſyluatico,* aut
cum vnguento ex ſtyrace. redditur autem magnopere
liquidum vt fuſile ſit. Infunditur per naſi fiſtulam: hæ
verò geminæ ſunt, atque ab vno canali cognatæ & co-
hærentes, adeo vt ſemel vtriſque infundendũ ſit. neque
enim tolerabilis eſt alterutri[9] naris ſigillatim dilatatio.
nã protin[9] caput accẽditur, & acerb[9] dolor inuadit. Quæ
autẽ per os pituitã eliciunt, hæc ſunt, ſinapi, granũ cni-
C diũ, piper, vua taminia: id præſtãt vel mixta, vel ſingula.
Cæterùm quoniã & ipſa mãdere & expuere aſſiduũ eſt,
idcirco & cũ aqua aut mulſa aut poſca permixta danda
ſunt: atq; os eluẽdũ. ad tonſillas enim impulſo humore
extẽtoque collo expirationis flatu abluatur. Poſteaquã
pituitã quantãlibet eduxeris, permulta aqua calida la-
uandũ caput atque perfundendum: vt perſpirabile at-
que difflabile reddatur. ingẽtes enim obſtructiones fi-
unt. Cœna frugalis & ſimplex eſto: in qua & vinum ad
ſtomachi reſtitutionem ſumatur. ſiquidem & ipſe ma-
D gno dolore vexatur. Interea verò vbi vires ægri ſtabi-
liueris, lotione per clyſterem vſitata opus eſt: in qua ni-
tri multum inſpergatur, aut reſinæ à terebintho arbo-
re pondo drachmæ duæ eliquentur. Poſtridie ſanguis è
naſi interioribus detrahatur. intro enim prælongũ in-
ſtrumẽtũ immittitur quod cateiadiõ vocãt, aut illud cui
ſtoryne nomen eſt. aut, ſiquis horum copiã non habue-
rit, pennæ anſerinæ caulem craſſiorem ſumere debet,
eiúſque neruoſam partem denticulatim inſtar ſerræ in-
cidere, atque ſic in narem vſque ad ethmoeidỹ *oſſa quæ*
E *ob cribri ſeu colatorii ſimilitudinem ſic uocantur,* immit-
tere: deinde vtraque manu agitare, quò locus à den-
tibus inſculpatur, ac vulneretur. Facilis eſt autem ac co
pioſus ſanguinis curſus: nam graciles venæ hîc deſinũt,
corporáque hac in parte mollia ſunt, & ſectioni habi-
lia: verùm & multos nares vulnerandi modos vulgus
nouit, herbas ſcilicet aſperas, & arida lauri folia nari-
bus imponentes, aut digitis eas fortiter agitãtes. Quum
verò quantum ſatis ſit euacuaueris, quod erit heminæ
dimidium, coercendus ſanguis eſt ſpongiis & poſca: aut
F aliquod aridum, quod ſiſtendi ſanguinis vim habeat,
naribus inſpirandũ, galla aut ſciſſile alumen, aut balau
ſtiũ. Verumenimuero poſt hæc remedia ſiue dolor ca-
pitis perſeueret, ſiue deſinat, oportet ad finẽ huius me-
dicationis peruenire: quoniã id malum ſæpe reuerti ſo-
let, & in ſuo vigore conſiſtens plerunque deliteſcit. Ita-
q; nouacula deraſis capillis, (quãdoquidẽ & hoc capitĩ

prodeſt)ferramentis candentibus vrendum eſt,ſi in ſu-
perficie ad muſculos vſque peruenias:ſin oſſe tenus pe-
netrare velis,à muſculis caueto.nam muſculi exuſti ner
uorum diſtentiones ciẽt:quòd ſi in ſumma cute vſſeris,
vinum odoratum albũ cum roſaceo infũdere ſatis eſt:
pittacium verò madefactũ per triduũ ſupra cruſtas extẽ
dito:quòd ſi cruſtæ altius deſcendant, porri comã cum
ſale tritã linteolóque illitam ſuperdato. Tertio die cru
ſtis ſummã cutim tantùm occupantibus ceratum ex ro-
ſa, profundioribus autem lentem ex melle imponito.
Sed quæ medicamenta cicatrici ducendæ ſint,alio loco
*deſcripſimus. Nonnulli ſuper frontem,ea in parte vbi
futura eſt quæ corona dicitur, cutim oſſe tenus incide-
runt: illúdque aut exterentes, aut excidentes vſque ad
meditullium(quod diploe nominatur)ad carnis reple-
tionem perduxerunt.alii & oſſa ad membranam vſque
perforarunt. Verùm id genus remedia temeraria ſunt:
nihilominus tamen adhibentur,ſi omnibus aliis tenta
tis adhuc cephalæa perſeuerat,& æger eſt animoſus,vel
corporis robur excellit. Nempe ſi paulatim ad ſanitatẽ
acceſſio fiat,exercitationes recto corpore pectori hume
riſque adhibeantur,manuum fiat geſticulatio,halteres
iaciãtur,ſaltu corpus moueatur,atque in his peritè cor-
pus torqueatur:primò & poſtremò crura fricentur,me-
dio tempore caput: picatio aſſiduè picem inſpergendo
adminiſtretur. item caput rubrificandum, nonnunquã
ſinapi cum duplo pane affricãdo,ne intolerabilis ignis
excitetur: nonnũquam medicamenta ſimul illinendo,
quale eſt illud quod ex adarce, & euphorbio & pyre-
thro componitur. Proficit autem & ad dolorem in tem
pore ſedandum, & ad radicem mali extirpandam,tha-
pſiæ ſuccus,& medicamina cum ipſa iungenda, quot-
cunque cutim tumefaciunt, & varis ſimilia tubercula
excitant. Victus ratio in ſingulis dolorum generibus
tenuis eſto: exiguus potus, & aquæ potio ante vllã me-
delam potiſſimum adhibeatur. Ex toto verò ab acribus
temperet, cepis,alliis,& ſucco laſerpitii.à ſinapi autem
non penitus: ſiquidem eius acrimonia, præterquam ꝙ
ſtomachi vim roborat,capiti quoque haud ingrata eſt,
pituitam fundens ac difflãs, aut ad inferiora deturbãs.
Leguminum peſſima faba eſt, & eius ſpecies piſa,&
quæ à Græcis nuncupantur ochri, & dolichi:*illi, cicerculæ folio*
ſimiles:hi,faſeoli aut lobi à nonnullis uocitati: ſecũdo loco poni
tur lẽs: quæ nõnullis cõcoctionis excretioníſque virtu
tibus prædita eſt, ſed caput replet, dolorémque conci-
tat: nihilominus cum pipere elixa, ſpernenda non eſt.
Far lotũ haud ingratum eſt cum vino & melle, quan-
tum ad condimentum ſatis ſit:& ex ipſo conflata ſorbi-
tio,& eius ſemina in ſimplici iuſculo decocta. Vtique
bona ſunt & in caryceia *condimento à Græcis ita dicto*, ſemi-
na cari,coriandri,aneſi: apii verò ſemen iis anteferen-
dum.mentha herba,& pulegium,præterquam quòd be
ne olent, quandam vim habent & vrinam mouendi,&
flatus per inferiora expellendi. Inter carnes vetuſtæ o-
mnes damnantur: nuper interfecti galli carnes laudan
tur. Inter aues torquatus palumbus, columbus, & aliæ
quæcunque haud ita multum pingues ſunt, ſuum extre
mitates, lepus aſſatus. Bubula ouilláque caro craſſum
ſuccum creat, & caput replet. Hœdus non penitus ma-
lus. Lac & caſeus caput dolore vexant. Ex piſcibus ſaxa-
tiles deligendi,& quotquot in ea regione optimi cen-
ſentur. Olera elixa quidem ea aſſumantur quæ lo-
tium & ventrem citant, malua, blitum, beta, aſparagi,
acris verò & braſſica eſt:at inter cruda,lactuca omnium
eſt optima. Radices autem etiam elixæ prauæ ſunt.radi
culæ,rapæ,paſtinacæ vrinam mouent, ſed caput explẽt.
ſiſarum flatus edit, & ventriculum tumefacit. Vinum
album, tenue, dulce, admittatur, tantum adſtrictionis
habens quod aluũ non remoretur. Omnia bellaria capi
ti inimica, *quin & palmularum omnegenus. ficus au-
tẽ & vua demulcent, & quicquid ea parte anni quã ὀ-
πώραν Græci vocãt,bonitate præſtat.ſed quibuſcunque,vel
etiã iuuãtibus,ſatiari,malũ eſt. Peior eſt cruditas:labo-
res minus quàm cruditas nocent: nihilominus & ipſi
ſunt detrimentoſi. Deãbulationes matutinæ aluo prius
exonerata citra ſpiritus difficultatem bene feruntur:

A optimæ ſunt etiam & à cœna. geſtatio longa per loca
non ventoſa conueniet,atque vbi ſol caput non feriat.
ei nanque ſirius officit. Vſus veneris capiti ac neruis
labem accerſit. Peregre proficiſcatur ægrotus in regio-
nes calidiores ex frigidioribus,& in ſicciores ab humi-
dioribus. Confert & nauigatio, & in mari vitæ tradu-
ctio: &,ſiquis ſit maris accola,in ſalſa aqua frigida la-
uari,in mari natare,& in arena volutari, victúmque ex
mari quærere proderit. Doloris verò capitis qui hetero
B crania nominatur,eadem medicamina ſunto.nã quæ to
ti capiti remedia conducunt, eadem ſingulis eius par-
tibus adhibere bonum eſt. Quibuſcunque verò per
hæc morbus depulſus non fuerit, iis reliquum vt ve-
ratro vtantur,vtpote vltimo atque valentiſſimo omniũ
remedio.

CVRATIO VERTIGINOSORVM, Cap. III.

ET ſuccedit cephalææ vertigo, & ipſa per ſe pro-
priis de cauſis oritur, ſi profluuium ab hæmor-
C rhoidibus coercetur, ſi è naribus ſanguis non effluat,
qui prius effluere conſueuerat, ſi corpus non diffletur
aut ſudore, aut labore antea fatigatum. Igitur ſi à ce-
phalæa ducit originem, ea medendi ratione vti debe-
mus quæ ad cephalæam ſupra expoſita eſt. quibus au-
tem violentius cum vltimis remediis occurrendum ſit,
poſterius explicabo. Sin ab aliqua humorum ſuppreſ-
ſione morbus inciderit, vſitata excretio mouenda eſt.
naturæ nãque ſalutare eſt materiæ recurſus. At ſi iſta tar
dat, malum verò increſcit, in aliis quidem ſuppreſſio-
nibus aut ſanguinis è naribus manare aſſueti,aut ſudo-
D rum, ſanguis mittendus eſt è vena cubiti: ſin ab iecore
multis humoribus affluente, aut à liene, aut ab aliquo
ex viſceribus in medio corpore poſitis vertigo prode-
at, cucurbitulæ ſubueniũt. Sed quantum ex vena de-
fluit, tantundem per has ſanguinis eſt detrahendum.
ſanguis enim eſt cauſæ alimentum, quemadmodum
& ventriculus. Deinceps capitis remedia ſubiungenda:
*vena cubiti recta,aut naſi arteriæ vtrinque in angulis
ſecandæ,cucurbitula vertici affigenda,caput radẽdum,
rubrúmque faciendum: pituita è naribus per ſternuta-
E toria,aut ex ore (quemadmodum docui) euacuanda:o-
mnia denique modò in cephalæa narrata adminiſtran-
da:dũtaxat adiicitur cyclamini ſuccus,aut anagallidis,
in nares fundendus. Poſteaquam verò medicaminũ ca-
pitis ad finẽ perueneris,deinde quotquot efficaciora ad
vertiginoſos inueniũtur,ea ſunt adhibẽda. Vomitibus à
cœna,necnon vomitibus ab eſu radicularũ vti poſtea de
cet:quinetiã ad veratri aſſũptionẽ hæc præparatio fue-
rit.nam præexercendus eſt ſtomachus,quũ vehemẽtio-
ribus vomitoriis vti volumus. Pituita quoq; in præſen-
F tia magis attenuatur,& ad veratrum bene funditur. Ve
ratri exhibendi modi plures ſunt:vt validioribus quidẽ
ſuccurrat,ad magnitudinẽ *amæ,*id eſt placentulæ*,aut pau-
lo craſſius eſt incidendũ:& cum farre loto aut lẽte aſſu-
mitur pondo drachmæ duæ. imbecillioribus autem &
gracilioribus decoctum cum melle propinatur: duarũ
aut trium myſtillarum modus eſto.quis verò ſit faciẽdi
modus,alio loco declarabitur. Inter ſingula autem re-
media æger cibis reficiendus eſt, quò ea quæ interim
incidunt,ſuſtinere valeat. In acceſſionibus quoque ſic o-
G pitulandũ eſt:deliganda ſunt crura ſupra talos & genua,
& manus brachialia, brachiáque infra humeros prope
cubita. Ad caput irrigãdum facit roſaceum cum aceto.
oleo verò incoquito ſerpyllum, aut ſpondylium,aut he
deram,aut id genus alia.fricentur extrema,& facies.ol-
faciat acetum,pulegium,mentham, aliáque eiuſmodi
ex aceto. Inter dentes aliquid apertionis cauſa impona-
tur: nonnunquam enim maxillæ colliduntur & cohæ-
reſcunt.in tonſillis fiat titillatio,vomitus citetur: nam
interdum reiecta pituita æger à tenebris excitatur. Ha-
H ctenus ad acceſſionis leuamen & tenebrarũ diſcuſſionẽ
dictũ ſit. At de vniuerſa victus ratione tã in curando ꝙ
poſt curationẽ hæc noſtra ſentẽtia eſt: Somnus multus
æquè atque inſomnietas inimica ſunt:multus enim ſo-
mnus ſtuporẽ capitis ſẽſibus iniicit:vaporũ exuberãtia tor
pet omnis actio. Hi planè grauitatis & ſonorũ in auribus,
& ſplendorũ quorũdã oculis obuerſantiũ cauſæ,morbi

verò indicia ſunt. vigilia verò cruditatem facit,
alimentum ſubtrahit, laborem adfert, corpus contri-
ſtat, *mentem labefactat: propterea faciléque furere
atque atra bile vexari iſti conſueuerunt. Mediocris au-
tem ſomnus ad alimenti diſtributionem, & ad laborũ
diurnorum leuationem vtilis eſt. Aluo ad excretionẽ
conſulendum: nam difflationis cauſa potior aluus eſt.
Iterum crurum frictio per aſpera linteola vſque ad ru-
borem, deinde dorſi & laterum, poſtremò capitis adhi-
benda. ab his ambulationes circa initia & finem lenio-
res, mediæ verò acriores. Quies, cõſiſtentia ſpiritus poſt
ambulationes eſto. Vocem leniter exercere oportet,
grauibus vocibus vtentem, ſonum edere. acutæ nãque
voces, capitis diſtentiones, temporum palpitationes, ce
rebri pulſationes, oculorum inflationes, auriúmque
tinnitus efficiunt: mediocriter acuta vox edita capiti
prodeſt. Poſtea verò geſtationis tẽpus adeſt ad difflan-
dam totam capitis grauitatem opportunæ. Longa ſit au
tem, verùm citra fatigationem, neque in tortuoſis re-
gionis tramitibus, neque aſſiduis itineris flexibus ge-
ſtatio fiat: quoniam ſic vertigines oboriuntur: ſed re-
ctæ & longæ & lenes, ac * ſuperioribus locis geſtatio-
nes fiant. Si quidem * ita aſſueti ſint, optimum panem
ſolum aſſumant, quantus exercitationibus impedimẽ
to ne ſit. prius enim concoctum eſſe oportet. caput &
manus exercendæ, horúmque frictiones faciendæ. In
iis verò leniter agendum, vt caliditas excitetur, & ca-
ro augeatur, & vires reſtituantur, poſtea ſuum ipſius
caput erectum fricato, diutius hunc laborem ſuſtinens.
Quin & exercitationes ad ceruicis vſus, & ad manuum
agilitatem faciunt, ſi ſcienter fiant. ſurſum attollendo
caput atque oculos exercere oportet. Manuum exerci-
tatio fit aut diſcorum iactu, aut certando cæſtibus, aut
pugnis. pila verò parua & magna detrimento eſt. nam
capitis & oculorum circumuolutiones atque intentio-
nes vertigines adferunt. optimè faciunt ſaltus & curſus.
omnia velocia exercitia cruribus conueniunt, & omnia
roborant. Frigida lauatio illuuie, illuuies autem cali-
da lauatione melior. Aſtringere, denſare, ſiccare caput
frigida lauatio efficaciſſimè poteſt: & hic ſalubris ſta-
tus eſt. humectare, ſoluere, tenebras offundere valentiſ-
ſimè calida lauatio poteſt: & hæ capitis morborum cau
ſæ ſunt. tales ſunt & auſtri auditui graues. exercitatio-
nibus quies ſuccedat, vt perturbationem ſedet. Capitis
preſſiones ad cutim poliendam faciunt. Aquæ, aut a-
quati vini propinatio eſt res optima & ad manum. co-
ma olerum aſſumatur quæ ventrem molliunt, maluæ,
betæ, bliti. Liquamen bonum ſtomacho, ori ſuaue, al-
uum leniens, neque graue capiti, ex thymo, aut thym-
bra, aut ſinapi conficitur. Oua hyeme calida, æſtate fri-
gida, putamine ſpoliata, non toſta præbeantur. Oliuæ,
palmulæ, ſalſamentum * rectè conditum. Alica elota
cum aliquo dulci, quantum condiẽdi cauſa aſſumi de-
bet. Poſt hæc ſal adhibẽdus. Ociũ ſit & quies ab audien
do & loquendo. ambulationibus vtatur ſub aere perſpi
rabili. Delectat autem locus aut arboribus conſitus, aut
herbidus. Vtique vertiginoſus quum ad cœnam acce-
dit, maximè iterum in frigida lauetur, parum vnguine
corpus ſublinens: ſi nolit, at crura tantùm. cœna triti-
cea eſto, quale eſt itrion, *quod eſt placentæ genus*, aut
ſorbitio ex alica, aut ptiſana flatu vacans, per elixatio-
nem concoctu facilis. Medicamenta verò ſuauiorem
ptiſanam reddentia, ſunt, piper, pulegium, mentha, ce-
pæ aut porri paulum, neque tantum vt innatet: acetum
verò acre vtiliter aſſumit. Carnes ex pinguibus anima-
libus non pingues, ſuũ pedes & capita. volatilia omnia,
ſed multitudinem coniectura metiri oportet, lepus &
venatio. gallina in promptu habetur, & iuuat. Omnia
bellaria caput dolore infeſtant * præter palmulas, aut
maturas ficus, aut vuas. ſi flatibus homo vacet, hæc be-
ne facient. In ſecundis quoque menſis vtiliter ea ſu-
muntur quæ facilè concoquũtur, ſi nidore vacant, & le-
uia ſunt. Poſtea deambulatio, mentis hilaratio, in quie-
te ad ſomnum conuerſio adhibenda.

CVRATIO MORBI COMITIALIS, Cap. IIII.

A INgentibus medicamentis atque valẽtiſſimis in mor-
bo comitiali opus eſt. nam quoties eius in mentem
venit, non modò laborioſum malum, & periculi plenũ,
ſed etiam generis morbi fœditatem & calamitatis op-
probrium exhorremus. atque ita exiſtimo, ſi ſe mutuò
in acceſſionibus ſpectantes ægroti, quæcunque patiun-
tur cernerent, non vltra vitam ducere tolerarẽt. verùm
quæ ſingulis atrocia fœdáque inſunt, ſenſus priuatio
intuendíque ſublata facultas abſcondit. Cæterùm me-
dendi rationem naturæ facilitatem ſequi optimum eſt,
B quando per ætatis mutationes in longè melius homi-
nem permutat. Quoniam ſi vſitatus malo victus, in quo
morbus alitur, deſierit, non vlterius hominem infeſtat.
ſimul enim cùm priore victus ſpecie morbus recedit.
Igitur ſi caput occupauit, inhabitat. quocirca omnia
quæ à nobis in capite de cephalæa relata ſunt, facere
neceſſe eſt, detrahendo ſanguine & corpore purgando.
Venæ autem & quæ in cubito, & frontis recta, ſecandæ
ſunt: cucurbitula admouenda. non eſt autem vſque ad
animi deliquium ſanguis detrahendus: ciet enim mor-
C bum deliquium animæ. Arteriæ omnes, & ante & poſt
aures incidendæ. inter hæc omnia excellens purgatio
facienda purgatorio quam hieram vocant, atque iis
quæ è capite pituitam eliciunt: ſed multo valentiora
ſint medicamenta. ſiquidem iſtorum habitus eſt dolo-
rum patiens: hilaritas verò & bona ſpes id genus ægros
miſeros reddit. Opus eſt etiam ignem capiti inferre:
proficit enim. In primis os perforare vſque ad ſecundã
laminam oportet: deinde ceratis cataplaſmatíſque vti
tantiſper donec membrana ab oſſibus receſſerit. Tere-
D bra nudà oſſa circuncidere conuenit: ac ſi paulum reſi-
ſtant, vſque ad ſpontinam auulſionem perſeuerandum,
quouſque nigra nonnunquam iſtorum & craſſa mem-
brana inuẽta fuerit. Quúmque per putrefactionẽ vel e-
tiam purgationem audacter curante medico vulneri
cicatrix inducta fuerit, ægrotus morbum euaſit. Maxi-
mè omnium capitis ad ruborem vſque frictiones valẽt:
vſitatæ quidem quæcũque à me ſuperius traditæ ſunt:
valẽtior eſt autẽ quæ fit per cãtharides. ſed tribus die-
bus antequã his vtamur, lac, vt veſica muniatur, bibẽ-
E dum eſt: cantharides enim magnopere veſicam lædunt.
Hæc abunde ſint, quum caput affectum eſt. At ſi mediæ
corporis partes cauſam præbent, & ab his morbus exo-
ritur, (rariſſimè autẽ iſta fiunt: potius enim mediæ par-
tes in conſenſu morbi trahuntur à capite, vtpote ab in-
genti malo, quod ægritudinis initium eſt) vtcunque igi
tur res habeat, & in his vena cubiti ſoluenda eſt: à viſce
ribus enim materiæ curſus eſt. Quinetiam iſti magis
quàm alii purgandi ſunt & hiera, & cneoro, *id eſt thyme-
læa*, & cocco Gnidio, *quæ chamelæa dicitur*. hæc enim pitui-
F tam extrahunt. Peropportunum autem ipſis remedium
eſt cucurbitula. Epithematum verò & cataplaſmatum
ſylua omnibus perſpecta eſt, & ea vbique ſcribere ſu-
peruacuum ducimus: niſi quatenus eorum vim noſſe
conueniat, quòd ſcilicet iis extenuare, per halitus dige
rere, fluxa ſpirabiliáq; corpora reddere oporteat: item
concoquentibus medicamentis calidis, aridíſque, & v-
rinam mouentibus, in nutritione & in medicatione v-
tendum: ſed omnibus præſtat fibri teſticulus ſæpius in
menſe ex aqua mulſa potus. Præterea quæcunque ex va
G riis compoſita medicamenta idem præſtant, adhiben-
da ſunt, ex viperis compoſita antidotus, & Mithridatica
ex pluribus conſtans, necnõ & * Byſtini antidotus biben
da eſt: quandoquidem hæ concoquendi facultatem ro-
borant, vtiles humores creant, & vrinæ mouendæ aptæ
ſunt. nam quæcunque ſimplicia medicamenta ſcribere
opus eſſet, hiſce continentur antidotis, cinamomum,
caſia, folia malabathri, piperis, ſeſelíſque omnia gene-
ra. & quodnam ex valentiſſimis remediis in iſtis com-
poſitis non reperies? Fama eſt & vulturis cerebrum, &
H crudæ fulicæ cor, & domeſticos feles comeſos, morbũ
diſcutere. At ego iſtorum periculum non feci. Nõnul-
los autem vidi, * nuper iugulati hominis vulneri phialã
ſubiicientes, atque inde hauſtum cruorem bibentes. O
ingentem neceſſitatem, quempiam ſuſtinere, malum
malo piaculo depellere! atqui ex ea ad ſanitatem necne

iſti peruenerint, nemo verè mihi affirmare poteſt. Quin & quendam authorem legi qui humanum iecur epulandum apponi præcipiebat. Sed hæc illis ſcripta ſunto qui ad hunc vſque miſeriæ terminum peruenerunt. Præterea & victu opitulandum eſt, & ſingulis remediis quæ aut ab aliis, aut ab ipſomet ægro fieri poſſunt. vtique in hoc caſu nihil ſpernendum eſt, nihilque temere faciendum, maximè quælibet exigua adhibendo quæ penitus proſint, nihil verò lædant. Etenim ſpectacula non ſpectanda, & ſermones, & edulia, & ſuffimenta plurima morbum patefaciunt. Igitur omnia diligenter conſiderāda ſunt. Somnus multus craſſitudo eſt, ociū, nebula ſenſuum: bonum verò mediocritas. Alui excretio à ſomno, præcipuè flatuum ac pituitæ, res optima. Ambulationes longæ commodæ ſunt, non flexuoſæ, bonum ſpiritum reddunt, ſub arboribus myrto aut lauro, aut inter acres & bene olentes herbas, calamintham, pulegium, thymum, mentham: maximè quidem agreſtes & ſponte naſcentes: ſin harum copiam non habeat, inter humano cultu procreatas. Inter has quoque, geſtationes longæ, & ipſæ rectæ, fiant. Itinera facere bonum eſt non ſecundum fluuium, ne delabentem aquam intueatur: vertiginem enim aquæ fluxus adfert. neque vllum qui in orbem voluatur, neque turbinem qui circumagatur, inſpiciat. eſt enim imbecillior quàm vt firmum ſtabiliat ſpiritum. nam ſimul cum circulo vertitur: circumuolutio autem vertiginem & comitialem morbum accerſit. Poſt geſtationē lenis deambulatio, poſtea quies: vt agitatio in geſtatione cōtracta ſedetur. Ad hæc exercitationes manuum fiant, extremis ſudario ex crudis linis confecto inuolutis. Inunctio non valde pinguis ſit: frictio lēta quidem, ſed durior, denſandi cauſa: tumidi enim & craſſi ſunt plurimi. in medio verò totius frictionis caput erectū perfricetur. Exercitationes ad ceruices & humeros pertinentes, manuum commotio: omnia quæcunque à me de vertiginoſis dicta ſunt adminiſtrentur. Satis verò hîc ex copia ibi deſcripta poſitum eſt: præterquam quòd velociores horum exercitationes eſſe oportet ad ſudorem mouendum, calorémque excitandum. hæc enim omnia extenuant. Verùm & in omni vita oportet excandeſcentiam iracundia vacantem iniicere. Alimēta omnia ex craſſis leguminibus, mala: triticei verò panes ſicciores præbendi, alica elota, & ex ea ſorbitiones. Sed medicamenta voluptatis cauſa eadē cùm ſuprà poſitis ſunto: nūc autem plura ex acrioribus ponito, piper, zingiber, libyſticum. Liquamina verò ex aceto & cumino & ſuauia ſunt & vtilia. A carnibus quidem maximè in totum abſtineat: ſin minus, in curatione ſaltem. in refectione verò carnes deligātur quæcunque ſunt natura leues: quales ſunt volatilium, præter anatem: & concoctu faciles, vt lepores, ſuum pedes, ſalſamentum. Et poſt hæc ſitis vtilis eſt. vini paulum bibatur albi, tenuis, odorati, quod lotium mouet. Elixorum olerum aſſumantur quæcunque facultate acria extenuant, & vrinam citant: qualis eſt braſſica, aſparagus, vrtica: crudorum autē lactuca, *ea parte æſtatis quàm horam Græci medici nominant. Cucumeres autem & pepon viro quidem robuſto ſuperuacua, nonnullis verò guſtatione tenus præbenda. mala eſt enim horum multitudo, quum frigida ſint atque humida. Fici viridis & maturæ vuæ vſus conuenit. Ambulationes, poſt eas animi oblectatio moleſtia carens iuuat. Iracundia vtique & venus noxiæ ſunt. effectus enim, morbi ſimilitudinem adducit. At nonnulli medici de concubitu falluntur. nam quoniam naturalis in virum tranſitus aliquantum proficit, puerorū naturam intempeſtiuo cōcubitu violarunt, tanquam citiùs eos roboraturi. ſed iſti à natura ſpontè præfinitum tempus, in quo omnia remedia fiunt, ignorant. Hæc enim ſingulis ætatibus propria ſimul opportunis temporibus creat. in tempore nanque concoctiones ſeminis, barbæ, canorum. Quis igitur medicus naturæ commutationem ſeminum à principio, tum præfinitum ſingulis tempus variauerit? Quin & in morbi naturam impegerunt. nondum enim in tempore quidam veneri dare operam cœperunt, antè immaturitate rei noxam acci-

A pientes. Vitam autem degere oportet in regionibus calidis & ſiccis. ſiquidem res frigida atque humida hic morbus eſt.

CVRATIO MELANCHOLIAE, Cap. V.

NVm ſanguinem detrahere expediat, deliberatione indiget in melāncholicis. ex quo humore morbus oritur, quinetiam ex non pauca multitudine cacochymiæ, *id eſt malorum ſuccorum*. Itaque ſi in iuuenili ætate quis morbo corripitur, & veris tempore, vena in dextro cubito media cædenda eſt, vt à iecore ſit opportu-
B num effluuium. id enim viſcus ſanguinis fons eſt, & bilis generatio: vtrunque verò, melancholiæ alimentum. Cædenda eſt, inquam, licet ſint graciles & ſanguinis inopes: ſed paulum ſanguinis mittendum, quatenus videlicet venæ ſectionem vires ſentiant, ſed nullam noxam earum tenor accipiat. Nam etſi craſſus, & bilioſus, & concretus, & ater, qualis amurca, ſanguis eſt, nihilominus ipſe naturæ prædium eſt atque alimētum. Quocirca ſi plus quàm decet ſanguinis effuderis, natura cibi penuria de propria ſede prolabitur. At ſi ſanguine
C refertus eſt æger, plerunque quidem non vſqueadeo malus ſanguis eſt, vena tamen vtique ſecāda eſt. Verùm non eodem die, ſed aliis diebus repetendo, quantum ſatis eſt ſanguinis detrahatur: eodem verò die modum ſanguinis mittendi vires declarabunt. Medio tempore, quo aliam euacuationem ſuſtinere valeat, liberalius nutriatur. Opus eſt autē & vētriculo & ipſi quoque ægrotanti & laboranti opitulari. eum verò ſi atra bilis vrget, per diem vnum prius tenuiter nutrito ægro, nigri vera-
D tri pondo drachmæ duæ ex aqua mulſa præbeantur. id enim bilem atram expurgat: necnon & thymi Attici coma, & ipſa bilem atram educit. Commodiſſimum eſt autem ſingulorum partem, vt ex vtroque duarum drachmarum pondo fiat, exhibere. Poſt purgationem lauetur, vinique paulum bibat, & alia in cibis iucunditas concedatur. ſtomacho enim ac viribus laborioſa purgatio eſt. Poſtea iterum ad media faciendus tranſitus. quum prius verò cataplaſmate atque irrigatione laxaueris, cucurbitulam iecori & ventriculo aut eius ori admoueas. nanque hæc detractio multo quàm ſectio
E venæ eſt opportunior. Tergis quoque inter ſcapulas cucurbitulam affigito: ſiquidem eo loco ſtomachus adhæreſcit. Deinde rurſum reficiendus æger. atque ſi alimentum vires inſtaurauerit, caput radendum: cui poſtea cucurbitula affigenda eſt. huius enim morbi inter alios prima ac maxima cauſa in capite eſt. Porro neque ſenſus ipſi à noxa immunes ſunt: nam inde ipſorum exortus atque initium eſt. commutantur igitur & ipſi, ægritudinémque participant: vtique nonnulli & ſenſibus delirantibus corruptè ſentiunt. At ſtomacho potiſ-
F ſimum ſuccurrendum eſt: quum & ipſe malè habeat, & in ipſo bilis atra reſideat. Igitur abſinthii ſuccum ab exiguo incipiens ad fabæ vſque magnitudinem aſſiduè deuorato. id enim ne bilis gignatur impedimento eſt. Bene facit & aloe. nanque ipſa ad inferius inteſtinum bilem deducit. Nempe ſi recens malum ſit, neque multum homo à naturali ſtatu diſceſſerit, alia huic medela opus non eſt: ſed reliqua victus ratione vtendum, & ad priſtinum habitum recuperandum, & ad exactam mali purgationem faciendam, & ad vim corroborandā: quæ
G omnia ne iterum morbi reuertantur efficiant. Victum autem in refectione conuenietem poſterius exponam. Si ab his paulum debilitatus morbus denuò inualeſcere viſus fuerit, vehementiora medicamenta requirit: neque in aliud tempus differendum eſt. Verùm ſi à coercitis mulierum menſibus, aut in viro, à ſuppreſſo hæmorrhoidum profluuio morbus creatus eſt, irritandi ſunt loci, & aliquid ſoliti excrementi profundendum. Si cunctatur, neque deſcendit in aliam quampiam partem ſanguine prolapſo, morbus verò exacerbatur, eua-
H cuatio facienda eſt, & à talis incipiendum. Quòd ſi non quantum ſatis eſt ſanguinis inde manauerit, cubiti quoque vena ſecetur. Interiectis autem reficiendi cauſa tribus aut quatuor diebus, hieram, *id eſt ſacram*, quæ purgatorium medicamentum eſt, potui dato. Ad hæc cucurbitam mediis corporis partibus applicato, iecori

videlicet affigens. Sed maturanda negotia ſunt, ac celeritas adhibenda. exiguis enim medicamentis morbus non obſequitur: ſi magnis autem non vincitur, ſed reſiſtit, tunc firma ſede melancholia nititur. Quòd ſi penitus totum corpus occupauerit ſenſus, mentem, ſanguinem, bilem, neruos etiam corripuerit, & ipſa inſanabilis efficitur, & aliorum morborum corpori ſobolem inſerit, furoris, neruorum diſtẽtionis, reſolutioniſque: quæ ſi à melancholia proueniunt, ſanationem vtique accipere nequeunt. Quamobrem ad hoc malum propulſandum veratro vtendum eſt: ſed antequam veratrum ægrotus accipiat, ſtomachum ad vomendum exerceat, & humores extenuet, & corpus fluxile reddat. Vomitiones autem hæc præſtant, nonnunquam ieiuno ſtomacho, nonnunquam radice prouocato. Docebimus verò & modum & materiam, docebimus & veratri ſpecies, & vtendi rationem: item quo pacto ſingula & diſtinguere & ordinare prius oporteat, & quo pacto in vomitionibus ſubueniẽdum ſit, indicabimus. Incredibile eſt autem, niſi ab his funditus cõuulſus eſt morbus, at multorum ſaltem annorum interuallo non ſopiri. plerunque enim poſtea melancholia rurſum ſuboritur. Quòd ſi iam firmas radices egit, nihil iam vltrà differendum eſt: ſed quæ ad veratrum pertinent, omnia adminiſtranda. Nempe ægroti omnes ſanari non poſſunt: (medicus enim deorũ potẽtiam anteiret) verùm dolores ſedare, morbos intercipere, atque obſcurare, medico fas eſt. Itaque nimirum iis quæ poſuimus adhibitis, medici defatigantur, ſéque aliud quicquã facturos negant, atque duas cauſas, aut morbum inſanabilem eſſe, aut omnia ſe remedia tentaſſe prætexunt. Nihilominus tamen *ſacram ex aloe medicinã ſubinde præbere haud alienum eſt: ſiquidem opportunum melancholiæ ſubſidium adfert, ſtomacho & iecori ſubuenit, bilémq; deiiciens, mirificè prodeſt. Quinetiam maluæ ſeminis pondo drachmã ex aqua propinare optimum eſſe, quidam experientia compertum habuit. Infinita præterea ſunt ſimplicia medicamenta, quorum aliis alia vtilia ſunt. Poſt id genus labores demum reficiẽdus æger eſt: quibuſdam enim, quandiu medicatio adhibetur, tãdiu morbus permanet, quanuis labefactatus ac debilis: at ſi homo carnes reſarciat, ac vires inſtauret, ſimul omnia morbi veſtigia obliterantur. nam potẽtia naturæ ſanitatem, imbecillitas morbum parit. Propterea ad refectionem conuertatur ægrotans, in aquis ſponte calidis ſæpe commorans. medicamenta enim quæ in his ſunt ingenita, opem ferunt, bitumen videlicet, aut ſulphur, aut alumen, ac multo his plures aliæ facultates. Bona vtique eſt humectatio, morbi ſqualorem tollens, & curationis vexationem mitigans. Raræ autem ac molles carnes ad ægritudinis remiſſionem maximè faciunt: verùm ſiccæ ac denſæ melancholia laborantibus carnes ſunt. Inunctio pinguis cum leni frictione adhibeatur. cum multo autem oleo, hæc contineat * *

Multa deficiunt.

* panes loti cum vino aliquo dulci, Theræo, Cretenſi, & Scybellite, quod Pamphyllum vocant: aut vinum & mel quæ iamdiu permixta fuerint. oua & frigidiora & calida, putaminibus nudata: non pingues carnes, vim detergendi habentes, porcorum pedes & capitis partes: auium alæ pingui carentes: venatio, vt leporis, caprearum, damarum carnes: fructuũ autumnalium quiſquis optimus fuerit. Stomachi ſubuerſioni conſulẽdum eſt ante cibum, quominus deuoratus reiiciatur. quare ante omnes cibos mulſæ cyathi dimidium dandum eſt, bibitúmque, per vomitum reddendum, quò ſtomachi excrementa purgentur. ſic enim cibus in ventriculo firmus reſidet. At medicamina neceſſariò educendorum purgatoria, ſunt pini fructus & vrticæ, ſemina coccali & piperis, amygdala amara: mel eis conſiſtẽtiam præbeat. Sin exſiccare volueris, optimè proficit myrrha, & iridis radix, & medicamẽ ex viperis, & Byſtini, & Mithridatis antidotus, & id genus alia propè infinita. Exterius apponenda ſunt cataplaſmata, quorum materia eſt ſertula, & papauer, & terebinthi lacryma, & hyſſopum, & oleum ex roſis, aut ex œnanthe. cera autem hæc omnia cogan-

A tur. Inunctio pinguis, geſtationes, deambulationes, & alia quotquot carnes reficiunt, & vires inſtaurant, & naturam in antiquum ſtatum reuocant, adminiſtrentur.

Sextum & ſeptimum caput deficiunt.

DE CVRATIONE PHTHISIS, ID EST vlcerum pulmonis, Cap. VIII,

carens principio & fine.

* quemadmodum in naui & tranquillitate. nam ſi rectè habuerit ægrotans, in mari geſtatio fieri poterit: atque ibi vitam deget. cum vlceribus enim quiddam

B ſiccum marina ſalſugo communicat. à geſtatione quiete conceſſa, vtẽdum in præſentia pingui oleo. poſt frictiones oleum cum aceto infundatur, paulum primò, deinde adiiciendum vſque ad heminas quinque aut ſex, aut multo plus etiam: ſinminus, at ſaltem quãtum quis ferre poterit. multoties enim vel id ſolum pro omni alimento ſatiſfecit. Lac verò aſſumptu ſuaue, potu facillimum, nutritu ſolidum, & qualibet eſca à pueritia familiarius eſt: præterea viſui colore delectabile, medicamen arteriam non aſperans, guttur læuigans, ad eii-

C ciendam pituitam facilem ſpiritum reddens, inferiorẽ exitum lubricum efficiens, vlceribus dulce ſubſidium, & quolibet alio benignius. Siquis multum lactis potat, nullo alio eget alimẽto. in morbo enim bonum medicamen eſt lac. eiuſdem & alimentum efficitur. nam hominum lacte veſcentium nationes frumentum non edunt. optima verò eſt cum lacte & puls, & bellaria, & alica lota, & quæcunque edulia ex lacte fiunt. quòd ſi & alia eſca indigeat, eiuſdem generis eſto. ptiſanæ cremor concoctu facilis, tenuis materiæ eſt. eatenus verò con-

D diendus erit quatenus abſorptu facillimus ſit. ſiquid etiam ſaporis iucunditatem adferens capiat, & illud medicamentum eſto: qualis eſt liguſtici coma, pulegium, mentha, ſalis exiguum, acetum, aut mel. Si ventriculus non concoquit, huiuſmodi exhibenda ſunt: at ſi nihil ventriculo tale exhiberi neceſſe ſit, omnibus ptiſana præſtantior eſt. Licet & ptiſanam in alicam permutare. minus enim flatuoſa, & concoctu facilior eſt, ſi quemadmodum & ptiſana exterſa deglubitur. In humidioribus faba vlcera purgat, ſed flatibus redundat. item pi-

E ſum & ochrus, qui & quanto pauciores flatus citant, tanto minus vlcera purgant. Itaque medicus coniecturis ductus, prout præſentia poſtulãt his vti debet. iſtorum quoque condimenta ſunto quotquot de ptiſana memorata ſunt. At oua, ex igne quidẽ aquea calida, ſed ex animalibus nuper edita optima ſunt, priuſquã eam *

Reliqua huius capitis uſque ad XIII caput deficiunt.

DE CVRATIONE VLCERVM IECORis, & puris ab eo effuſionis, Cap. XIII.

carens principio & fine.

F * in iecore vlcus perniciosum inſit. periculoſiſſimus autem eſt qui in vẽtrem fit ſaniei confluxus, ſi ſtomachum occupet, qui viam ſuperiora petentibus præbet. Alimentum enim vitæ cauſa eſt: ipſius verò alimenti dux eſt ſtomachus. inſuper medicamẽta intimis corporis partibus ſtomachus diſtribuit. Quapropter ſi ad quælibet deuoranda malè ſe habeat, celerius ægrum morbo atque fame conſumi neceſſe eſt. Hæ ſunt cuiuſque loci, quò ſe pus conuerſurum eſt, inter ſe differẽtes notæ. Nam ſi per inteſtina delabitur, tormina vexant,

G aluus liquida eſt, pituita & bilis fertur: deinde cruẽtum virus circunfluens, aut humiditas aquæ ſimilis, in qua crudæ carnes demerſæ lotæque fuerint. Si pus in veſicam defluit, grauitas in renibus lumbiſque ſentitur. ac primò lotium multum & bile infectum, poſtea turbulentum, nullam hypoſtaſin, *id eſt ſubſidentiam*, continens, inconſtãnſque decurret: ad extremum verò & ſedimen album apparebit. Sin ad ſtomachum ſurſumuerſus pus rapitur, tunc orietur nauſea, odium cibi, vomitus pituitæ, aut bilis, defectus animæ, vertigo vſqueeo donec

H pus erumpet. Præcipuum ſanè fuerit in aliam partem auertere. praua enim hæc via eſt. Quòd ſi pus violẽtius feratur, omnia facienda ſunt, ſtomachóque ſuccurrendum eſcis, medicamentis, victúſque ratione. Sed omnia leniter adhibenda. Medicamentis quidem vt ſinus effringatur, ſtudẽdum eſt. herbam itaque hyſſopum cum

mulſa potui dato, & marrubii comam, ipſam quoque cum mulſa & ſucco abſinthii. Hæc vtique, quò humores extenuentur, & viæ lubricæ reddantur, & purulenta corpora facilè rumpantur, ante cibos bibere expedit. Dandum eſt & aſininum lac bilem non generans, bene nutriens, in caſeũ non ſpiſſeſcens: quæ lactis virtus eſt. Adhæc ægrotanti gratificandum in cibo & potione: quos, etſi paulo deteriores iuuantibus ſunt, nihilominus tamen concedito. nam ſtomachus nauſeam mouenti & contriſtanti humori tranſitus erit. ſiquidem nonnullos puris exitus offendit. Cauendum eſt etiam ne ieiuni ſint: quúmque aliquid cibi capiũt, illud purũ ſincerúmque ſit. Opus eſt autem & in cæteris effluuiis diligentiſſimam ſtomachi curam ſuſcipere: quãdoquidem ipſe omnibus medicamentis iter præbet. Meminiſſe quoque iecoris oportet, vbi vlcerum radix eſt. Porro ſi pus in veſicam impetum facit, vrinã citantibus eliciatur: vtputa aſari radice, phu, adiãto, & meo, potabilibus. hæc enim ex mulſa potui danda ſunt. Byſtinivtique varium medicamentum, & quod ex veſicario ſolano conficitur, & quotquot experimento aliquibus probantur, optima ſunt. Verumenimuero ſi per inteſtina educere malis, tibi lac eductoriũ eſto, præcipuè quidẽ aſinæ: ſin id non adſit, capræ, aut ouis. Succi autem lubrici & abſtergẽtes præbeantur, qualis eſt ordeaceus. Opſonia ſunto, piper, zingiber, liguſticum. Vtq; ſemel de omni victus ratione abſoluam, in qualibet puris eruptione alimenta ſint boni ſucci, ſtomacho vtilia, concoctionem facilè admittentia: ea verò ſint aut cremores, aut ex lacte pultes, & cibi ex amylo, & bellaria cum lacte.

CVRATIO LIENIS. Cap. XIIII.

SCirrhi in liene geniti diſcuſſiones non facillimæ ſunt. quòd ſi & ab hoc oriundi morbi proueniãt, vtpote aqua intercus, aut malus habitus, inſanabile malũ effectum eſt. Hac ratione verò ſcirrhis medicus opem ferre debet: orientes auertere, & nuper incipientes diſcutere oportet: inflammationibus autem reſiſtendum. Siquidem ſcirrhi inflammationibus ad difflationẽ tendentibus veluti hæreditario iure ſuccedunt: hæc enim inflammationis germina ſunt. Porro iis remediis vtendum eſt quæ à me in ſermone de acutis morbis relata fuerunt. Si tibi omnia facienti in inflammatione ſcirrhus immaneat, igni quoque ſimilibus ad molliendam duritiam vtitor: irrigationibus ex aceto, oleo & melle. Sed lanæ vice, panni lintei complicati accipiantur. Hîc vnguentariæ glandis puluis cribatus inſpergendus eſt: & cataplaſmatis quammolliſſimis *

* *

ARETAEI CAPPADOCIS MEDICI DE morborum diuturnorum curatione

Liber II,

Cuius prima quinque capita non uertit Craſſus.

SECVNDI LIBRI CAPITA.

Curatio hydropis, i. aquæ inter cutem, Caput I.
Curatio diabetis, ſiue vrinæ profluuii, Cap. II.
Curatio calculorũ & vlcerũ in renibus, Cap. III.
Curatio vitiorum veſicæ, Cap. IIII.
Curatio gonorrhœas, i. ſeminis profluuii, Cap. V.
Curatio vitiorum ſtomachi, Cap. VI.
Curatio ventriculi affecti, Cap. VII.
Curatio colicorum, Cap. VIII.
Curatio dyſenterias, ſeu difficultatis inteſtinorum, Cap. IX.
Curatio lævitatis inteſtinorum, Cap. X.
Curatio affecti vteri, Cap. XI.
Curatio morborũ in articulis & coxendice, Cap. XII.
Curatio elephantiaſεως, Cap. XIII.

* * *

CVRATIO DIABETIS, ID EST VRInæ profluuii, Cap. II.

DIabetis, *id eſt urinæ profluuij*, morbus, hydropis ſpecies eſt, quod ad cauſam & habitum attinet: loco vnde humor effluit, ſolo differt. Nam peritonæum conceptaculum eſt aſcitis, nec defluuium habet, ſed illic permanens exundat: in diabete verò idem eſt à patiente lapſus humoris, eadémque colliquatio: in renes autem & veſicam exeundo fertur effuſio. aqua intercute laborantes hac via procedunt, ſi à morbo conualeſcant: ac bonum eſt ſi cauſa ſoluatur, nec ponderis duntaxat leuatio fiat: his autem maior ſitis adeſt. humidum enim defluens exſiccat. Remedia ad colliquationem ſedandam eadem quæ ad hydropas valent: ad ſitim verò medicina magna eſt opus. ea enim omnium dolorũ genere maxima eſt. &, ſi humidum bibant, meiẽdi prouocatio eſt: adde quòd & effluens his humor ſecum abducit ea quæ de corpore colliquat. Opus eſt igitur medicamentis ſitim depellentibus. ſitis enim magna eſt, ac potus inſatiabilis cupiditas. nullus enim potus quantus quantus is fuerit, ſiti medeatur. Omnino ſtomacho, vnde ſitis fons ſcaturit, ſuccurratur neceſſe eſt. Igitur vbi hiera purgaueris, epithematis vtitor, nardo, maſtiche, palmulis, malis cydoniis crudis. horum quidẽ ſuccus cum nardo & roſaceo ad humectandum optimus, caro verò cum maſtichis & palmulis cataplaſma fiat. Cum cera verò & nardo vnguento horum mixtio bona eſt, vel ſucci acaciæ & hypocyſtidis, tum ad humectandum, tum ad cataplaſmatis fouẽdum. Cæterùm & aqua quæ potui dabitur, cum pomis decoquatur. Alimenta ſint, lac, & cum eo cibaria, amyli, alicæ, ſorbilla, vinum adſtringens, ad ſtomachum roborandum: idque ſi meracius ſit, præſtat ad euaporandos & diſiiciendos alios humores. nam ſitim ſalſi pariunt: vinum verò vnà & adſtringens & refrigerans, migratione pariter & temperatione. ad vires autem prodeſt etiamſi vinum dulce ſit vt ſanguis, ad eius procreationem. Variæ medicinæ eædem adhibeantur, theriaca, Mithridatica, quæ ex fructibus mollioris corticis (quos opωram Græci vocant) conficitur, & alia hydropi conducentia: itémque vniuerſa victus vitæque ratio eadem eſto.

CVRATIO CALCVLORVM ET VLcerum in renibus, Cap. III.

DE inflammatione & ſanguinis eruptione, & quicũque à renibus affectus acutè perimunt, in libris de morbis acutis ſcripſi: de exulceratione, calculorúmque ortu, quæ vtplurimum ſenibus commoriuntur, nunc potiſſimùm ſcribo, ad curationem quamproximè poſſum accedens: ſin minus, ad laborantium nonnullam mitigationem. Calculorum igitur procreationem è fœcũda ſterilem reddere nemo poteſt. facilius eſt enim vterum à pariendo prohibere quàm calculoſos renes calculis vacuare: ad exitum quoquomodo procurandum auxilia quærenda ſunt. Itaque ſi calculi conſidant, remedia dicam. nam valde tum ægroti dolent, inſuper & torminibus, & voluulo coli, & vrinæ ſuppreſſione mortem obeunt. contigui enim ſunt renes & colum. Nam ſi calculi inſiſtant, inſitque præterea lotii ſuppreſſio ac voluulus, vena malleoli quæ rectà reni reſpondet, ſecetur. Nam ſanguinis è renibus fluxiones, calculorum inhæſiones cohibent. inflammatio enim colligata tenet omnia: euacuatio autem, ſolutio eſt phlegmones. lumbíque humectandi, vbi renum locus eſt. adhibeatur verò veteri vel recenti oleo rhyte. Anethi quoque comæ

ad vrinam ciendam prodeſt, & libanotis, aut ſampſuchum: iis autem aqua inſpergenda eſt. parum enim inunctiones eſſent. cæterùm & iis fouendum, coriis bubulis infuſo anthemidis oleo. Cataplaſmatum ſylua cum farinis eadem eſto. Soluit & nonnunquam calculos inſiſtentes cucurbitula leuis: ac optimum fuerit ſi ſuper inflammatione ſcarifices. Quòd ſi etiamnum tibi hæc facienti ſuperſtites calculi maneant, in oleum homo deſcendat. Id enim ſimul omnia confert: tepor quidem emollit, quadâmquetenus ad lentitiam adducit: acrimonia promptè mordet: quæ quidem & calculorũ exitui proſunt, eóſque prouocãt. E ſimplicibus pharmacis potui dandæ ſunt radices, phu, meon, aſarum: herbæ, prionites, petroſeli, ſium: ẽ variis, vnguenta quæ capiũt nardum, caſiam, myrrham, cinamomum * * * *

cicatricem obducet ſinapi, & cruſtæ ab igni obductæ, & quæ antea dixi epithemata. Diæta verò, inunctio, nauigatio, & vita in mari acta, omnia renum affectibus remedia ſunt. * * *

CVRATIO PROFLVVII SEMINIS, Cap. V.

GOnorrhœa, *id eſt ſeminis profluuium*, quæ malorum omnium cauſa eſt, haud cunctanter ſoluẽda eſt, tum propter morbi turpitudinem, tum propter colliquationis periculum, tum propter ſucceſſurorum liberorum procreationis neceſſitatem. Ac primùm quidem, quemadmodum communis fluxus, ſananda eſt medicamentis adſtringentibus partes veſicæ & fluentibus locis propinquas, atque refrigerantibus lumbos, ilia, pudenda, teſticulos, ne diu genitura diffluat: deinde rurſus vniuerſum corpus calfaciendum, vt excrementa ſiccentur. Adſtringunt igitur & macerant, & ab oue ſuccida lana, & vnguinoſum roſaceum vnguentum, aut œnanthinum, cum albo vino odorato, ſed ſenſim calorem excitando: oleum commune, & melilotum cum eo feruefactum, & ſampſuchum, & libanotum, aut conyza. Optima eſt & anethi coma, & multo magis thyte. His autem ad cataplaſmata vtitor, ordei & erui farinis & irionis ſeminis. nitrum quoque: mel verò ad omnium conſpirationem & connexionem. Talia etiam ſunt cataplaſmata quæcunque rubefaciunt, & ionthos *id eſt uaros* cient, & fluxionem deriuant, & locos tepefaciunt. tale eſt cataplaſma viride, & quod ex lauri fructu conficitur. Caſtoreum quoque frequenter bibendum, & de radice halicaccabi quantum drachma põdo pendet, & mẽthæ decoctum. Ex variis medicamentis, quod ex pipere gemino conficitur, Symphonis item & Philonis antidotum, optimum: & quod ex fera quæ ſinchus appellatur, ad potionem paratur pharmacum, & Byſtini antidotum, & quod ex ſerpentibus viperis conficitur. Vniuerſum autẽ victus rationi tribuendum, concedendum & credẽdum eſt, exercitationibus & ambulationibus & geſtationibꝰ. hæc enim habitum ad calorem conuertũt, quo affectui eſt opus. Quòd ſi temperãs ſit rerum venerearum, & frigida lauetur, ſpes eſt fore vt celerrimè homo virilem habitum induat.

CVRATIO LABORANTIVM STOMACHI vitio, Cap. VI.

IN aliis morbis poſt curationẽ diæta ad vires & robur corporis, bona concoctio eſt: ſtomachi affectibus laborantibus ſolis hæc vitioſa eſt. quonam igitur pacto hæc comparetur dicam. Nam geſtationum, deambulationum, exercitationum, declamationum, & alimentorum concoctionem adiuuantium quod ſatis eſt, prodeſt quidem ad debellandum ſtomachi cibos faſtidiẽtis vitium: ſed id concoquendi longam imbecillitatem tollere non poteſt, nec maciem corporis in corpulentiam conuertere: multo verò magis proficiat ægrotantibus, ſi gratificetur, & puriter omnia faciat, ac cupiditatibus eorum indulgeat medicus in rebus quæ nõ magnopere lædunt. Eſt enim id optimum,* niſi rerũ valde iuuantium appetitu moueantur. Medicamenta potui danda ſunt, ſucci, abſinthium, nardinum vnguẽtum, theriaca, petroſelini fructus, & zingiberis & piperis, & ſeſelios. Hæc ad concoctionem valent, etiam pectori ad adſtringendum impoſita, nardi, maſtichæ, aloæ, acaciæ, & ma-

A lorum cydoniorum ſuccus. Ipſæ quoque malorum carnes contuſæ cum palmulis, epithema eſt adſtringens. Quinetiam alia quæcunque in diabete ad ſitis ſedationem mihi commemorata ſunt. eadem enim & his & illis ſitim prouocant: tametſi ſtomachicis conſtitutio ſtomachi ſiticuloſa minimè ſit.

CVRATIO COELIACORVM, ID EST VENTRIculo laborantium, Cap. VII.

SI ventriculus ciborum digerendorum impotens ſit, diffluat autem alimentum non coctum, non mutatũ, B crudum, nihilque ad corporis molem trãſeat, cœliacos hos appellamus, refrigerato nimirum intus innato calore, quominus coquat, & viribus quæ diſtribuunt alimenta debilitatis. Ventriculus igitur primùm quiete & inedia labores remittat oportet. ita enim eò vires recurrunt. Si verò multitudo eorum quæ ſtomachus acceperit ſubeſſe videatur, ieiunis nauſeis ex aqua vel mulſa vtendum eſt. Ventriculus autem contegendus, & vt adſtringatur, rigandus lanis ab oue ſuccidis, ac vnguinoſo roſaceo vnguento, aut œnanthino, aut melino, o- C ptimum quoque ſi & lentiſcino, hypocyſtide etiam aut omphacio. Cum his etiam cataplaſmata adhibeantur, calida quidem tactu, ſed viribus adſtringentia. Atque ſi alicubi ad iecoris vel ventriculi os tentiones aut inflammationes ſint, cucurbitula admota incidere oportet: & ſunt quibus id ſolum ſufficiat. Vbi verò ceratis ad cicatricem vlcera perducta fuerint, & ad duritiem peruenerint, eò hirudines beſtiæ admouendæ: deinde epithemata concoctionem iuuantia imponenda, quale eſt quod ex ſeminibus conficitur. ſi chamæleõtis radicem D habeat, optimum eſt. vbique lauri fructus inſint. malagma etiam quod viride appellatur, & meum, quod myſterium eſt, *id eſt arcanum*. Ea enim emolliunt & laniant, & calorem cient, viſceráque flatibus euacuant, quibus ad adſtringendum eſt opus. cæterùm & ſinapi, limneſtis, & euphorbium, & omnia talia quæcunque refrigerationem amoliuntur, calorem autem reuocant. Talia quoque ad adſtringendum medicamenta potui danda ſunt. primùm quidem vſui eſt arnogloſſi ſuccus cum aqua myrtis aut cydoniis malis adſtricta. optimus quo- E que acinus vuæ omphacinæ, vina vehementer adſtringentia: deinde medicamenta quæ vẽtri medicantur: potiones quotquot ex zingibere, & pipere, & fructu ſylueſtris petroſelini conficiuntur: quod ex viperis feris conſtat, maximam vim concretionis habet. Si verò his nihil aut parum proficiatur, vomitibus ex radiculis vtitor. ſin autẽ & his albi veratri radicem per noctem vnam includas, valentiſſima tibi fiat purgatio, tum ad humores frigidos purgandos & expellendos, tum ad calorem reſtaurãdum. Cæterùm & victus ratio vitáque F hoc modo moderatæ ſunto: noctu ſomni, interdiu deãbulationes, declamationes, geſtatio vel in lauris, vel in myrtis, vel in thymo. nã in perſpiratione ac reſpiratione, ad bene cõcoquendum medicamẽti vis aliqua ineſt. exercitationes corporis, frictiones, manus geſticulatio, halteribus iaciendis, thoracis & ventriculi laſſitudines, ante cibos potationes. minimè enim ad vires parandas expeditus eſt panis. his addatur frictio ad huborẽ vſque, deambulationes ſegn * *

Capita quæ ſequuntur uertit Craſſus.

G

DE CVRATIONE MORBORVM IN ARTICVLIS & coxendice, Cap. XII, *carens principio.*

* ciborum & raphanorum plerunque: deinde ad veratrum veniendum eſt. in his victus ratio aliarum affectionum communis eſt: & poſt victus rationem inunctio, lauatio in frigida marina, præcipuè quidẽ omnibus articularibus vitiis communia medicamenta ſunt. nam & podagricis veratrum mirificè, ſed in primis morbi inuaſionibus ſuccurrit. Quòd ſi multis iam annis in- H ueterauit, vel à maioribus per ſucceſſionem deſcendit, ægrotum ad mortem vſque comitatur. Artuum exacerbationibus hoc ſanè pacto ſubueniendum eſt. lanæ ex oue ſordidæ adhibeantur: irrigationes fiant ex roſaceo & vino: nonnullis & ſpongia ex poſca profuit. Ad hæc cataplaſma fiat, panis ſumatur cum refrigerãtibus,

vtputa cucurbita & cucumere. Accipiatur & cucurbitula tenuis, & plantago herba,& roſarum folia. Necnō & ſideritis dolorem ſedat cum pane & muſco: & ſymphyti radix,& pētaphyllos herba, *quinquefolium* R*omani uocāt*: & marrubium,quod foliis eſt tenuibus. huius decoctū quidē infuſum,dolorem leuat: ex ipſa verò herba,cum panis micis,aut cum ordei farina, cataplaſma fiat. Malorum quoque citriorum pars non apta cibo cum polēta magnopere ſubuenit:fici aridi & amygdalæ cum aliqua farina. Hæc vtique eſt refrigerationis materia. Et hoc quidem remediorum genus aliud alium iuuit, & idem interdum alium atque alium. Nonnullis verò cale facientia remedio ſunt:atque idem remedium aliâs alii opitulatur. Peruulgatum eſt autem & hoc ad dolorem tollendum proficere. Capram oportet herbam iridem ad ſatietatem depaſci, deinde interpoſito tēpore quantum ad pabulum in ventriculo cōficiendum ſatis ſit,capram immolare,atque intra eius ventrem in fimo pedes ægrotantis occulere. Demum infinita ſunt medicamenta. ægrotos nanque ſibiipſis remedia parare vrgens impellit calamitas. Sed medicorū auxilia in propriis libris conſcribentur.

CVRATIO ELEPHANTIS, Cap. XIII.

MOrbis, quò diſſoluātur, maiora eſſe remedia opus eſt. ſed quænā medela excogitari poterit quæ elephantem tam ingēs malum expugnare digna ſit? Neque enim in parte vna aut viſcere vno inhæreſcit,neque aut intus duntaxat labes occulitur,aut extra prorumpit: ſed & in penetralibus totum hominem occupat, & exterius totum amplectitur. Triſte profectò & viſu terribile ſpectaculū. feræ nanque ſpecies eſt. ac vnà cum his viuere, vnà cibum capere,perinde atque in peſtilentia, formidoloſum eſt. etenim per inſpirationis communionem facilis infectio eſt. Quid igitur quiſpiā in arte medica inueniat, quod huiuſce mali dignū remediū cōtineat? Verumenimuero omnia conferre ſimul oportet, medicamēta,& victus rationē,& ferramēta, & ignē. Hæcque ſi nouo & oriēti affectui adhibueris,ſanationis ſpes affulget: ſin ad ſummū ſuæ creationis aſcendat, in viſceribúſq; ſtabilis ſedeat,quando & in faciē inuadit, tunc de ægri ſalute ſpes omnino abſciſſa eſt. Itaque venas in cubito ambas incidito, & venas in malleolis eodē die. tēporis enim interiectio atq; ſeparatio fūdēdo vbertim ſanguini,& recreandis viribus aptior eſt. Nam ſanguinē ſæpe & multum mittere operæpretium eſt, quippe qui vitii huius alimentum ſit. exigua verò ipſius pars eſt optima,quæ naturæ cibum præbeat. Idcirco qua ratione prauum inquinatúmque detrahatur,atque interim corpori familiare ac bonum procreetur, cōiectandum eſt: quoad alimenti penuria morbus prius fatigetur. noua enim eſca applicata corpori ſpatio temporis antiquam obſcurat atque debilitat. Poſtea medicinā ſacram non ſemel propinato: quin omnia ſæpius iterāda ſunt, & reſumptio,& ad priora reditio. Eſto & alia medicamentoſa in cibis purgatio: ſicut antea de curatione doloris coxendicis diximus. Lac etiam promiſcuum atque indiſcretum,ſed largius, ad aluum molliēdam potui detur. Verùm quintā aquæ partem, quo lac totum dilabatur atque deſcendat,adiicito. At ieiunos primò ad vomitum celerius ducito, deindeà cibis iterū, poſtea aſſumptis raphanis. frequenter autē atque aſſiduè omnia fiant. Veratrum quolibet tēpore, ſed potius vere atque autumno diebus alternis exhibeto: atque idem in proximum annum repetatur. Cæterùm ſi morbus inualuerit,potabilia medicamenta,quotquot quis cognouerit, potanda præcipiat. multa enim ac varia adhibere medicamenta eſt operæprecium. Atqui & ego quotquot mihi cognita ſunt literis mandabo. Cedriæ cyathum vnū, braſſicæ duos miſcēs dato. Aliud. Sideritidis ſucci cyathus vnus,trifolii cyathus vnus,vini & mellis cyathi duo. Aliud. Dētis elephanti ramentorū drachma cum vini Cretici cyathis duobus. Quinetiā viperarum reptilium,ferarum carnes, & ipſæ in paſtillos conformatæ bibūtur. oportet autem & caput & caudā ad quatuor digitorum ſpatium præcidere, reliquum vſque eo

A elixare donec ſpinæ ſeparentur. carnes verò in paſtillos
redactas in vmbra frigefacere,qui potioni,quemadmo-
dum & ſquilla, exhibeantur. Ipſæ quoque viperæ in cœ-
na opſonio dentur: quas coquere & condire perinde ac
piſces,opus eſt. At ſi medicaminis illius varii ex vipe-
ris compoſiti facultas adſit, id pro omnibus, quando-
quidem omnia ſimul continet,bibendum eſt. Præterea
corpus detergendum eſt,tumoréſque calefaciendi. Alia
item medicamenta ſunt innumera Celtarum,quos hac
tempeſtate Gallos vocant. Nitroſis quoque illis factitiis
B globis quibus velaminum ſordes expurgāt, ſaponém-
que vocant, illis inquam globis corpus in balneo de-
tergere optimum eſt. Et portulaca, & ſedum cum aceto
bene facit. Rumicis etiam radicum decoctum cum ſul
phure ignem non experto,ſummopere deterget. Illud
item varium ex alcyonio trito,& nitro,& aceti fæce cō-
buſta,& alumine fiſſo,& ſulphure viuo & cocto, & iri-
de, & pipere. forſitan autem omnia pro ſingulorum vi-
ribus miſcenda ſunt. Aliquibus verò & hoc æquis por-
tionibus compoſitum inſpergentes perfricabimus. Fa-
C ciei tumoribus, ſarmentorum cinerem alicui ferarum
adipi admiſcens illinito, leonis videlicet,aut pantheræ,
aut vrſi: ſin his careas, *chenalopecis. *eſt autem χηναλώπηξ*
Latinè ad uerbum uulpanſer: at κυναλώπηξ canē L*aconicū ſigni-*
ficat, ex uulpe & cane natum. ſimile enim in diſſimili, quē-
admodum ſimia homini, mirificè prodeſt. Itē ammo-
niaca gutta cum aceto, ex plantaginis aut ſanguinalis
herbæ ſucco,& hypocyſtis, & lycium. Si carnes liueant,
prius,quo locus ſucculentus reddatur,ſcarificandus eſt.
At ſi ab acribus fluxionibus exulceratas partes lenire
D volueris,fœnigræci aut ordei cremoris decoctum mol
le abſterſorium eſt: item ex oleis roſaceum, aut lenti-
ſcinum. Aſſiduæ verò lotiones & ad corporis madefa-
ctionem, & ad noxiarum humiditatum difflationem
mirè proficiunt. Eſca munda eſto, boni ſucci creatrix,
cōcoctu facilis,ſimplex: & victus ratio prorſus rectè in-
ſtituta ſit in ſomno & vigilia,in ambulationibus & lo-
cis deligēdis. Exercitationes adhibeātur,curſus,conuer
ſiones corporis,peræ *aut ſacculi* iactus. omnia hæc citra
laſſitudinē aptè & cōgruenter intendātur. Eſto & vocis
E emiſſio,ſpiritus opportuna exercitatio. Veſtis eſto mun
da,non modò vt aſpectu iucūda ſit,ſed quoniam etiam
ſordida cuti mordacia ſunt. Ieiuni abſinthite vinum po
tent. Oppidoquam vtilis eſt & panis ex ordeo, & ſalſa-
mentum tempeſtiuum,& exiguum quid maluarum,aut
braſſicæ ſemicoctum,cum cumini liquamine. In cœna
ſtaphylini radix apponatur, & alica, cum vino & melle
antiquo mixtis: & marina quotquot ventrē ſubducunt.
tellinorum iuſcula,oſtrea,erinacei,& ex piſcibus ſaxati
les: ex terreſtribus feræ,lepus,aut ſus: inter aues, perdi-
F ces omnes, palumbes, columbi, & quæcunque opti-
ma in illa regione inueniuntur. Inter fructus arboreos
admittantur ὡραῖοι. *qui à Græcis ita dicuntur quòd eá parte*
anni matureſcant quam iidem ὥραν appellant. Vina dulcia vi-
noſis meliora. Balnea iuuant ſponte calida,ſulphuroſa.
Vita in aquis diu ducenda eſt: & mare & nauigatio
conueniunt. Præterea per veratrum purgationes fiant:
album quidem, ſuperiorem ventrem, atrum verò, in-
feriorem purgat. Quin & album veratrum non vomi-
tum tantùm molitur,ſed etiam omnium ſimul purgā-
G tium medicamentorum efficaciſſimū eſt, non multi-
tudine & varietate excrementorum: (id enim & affe-
ctus ille qui cholera dicitur, præſtare ſolet) non diſten
tionibus & violentia in vomendo, (ad hoc enim &
nauſea & mare validiora ſunt) ſed potentia & quali-
tate non vitioſa. quippe quæ laborantibus ſanitatē red
dit per exiguam purgationem,& modicam intentionē.
Vetuſtorum præterea morborum omnium firmis radi
cibus inhærentium, ſi cuncta alia medicamina viribus
inferiora ſint,id vnicum remedium eſt. ſiquidem igni
H facultate perſimile eſt album veratrum: & quod ignis
exurens facit, eo plus veratrum interius diſcurrens o-
peratur: videlicet facilem ſpirationem ex difficili, ex
pallido colore floridum,& ex macie corpulentiam.

RVFFI EPHESII MEDICI de appellationibus partium corporis humani, Libri III,

Eiuſdem tractatus De veſicæ ac renum affectibus.

Eiuſdem fragmentum libri De medicamentis purgantibus.

Horum librorum primus à Iunio Paulo Craſſo Latinitate donatus eſt, reliqui autem duo ab alio.

LIBRI PRIMI CAPITA.

Vnde cuiuſque artis tradendæ initium ſumendum ſit, Cap. I.
Quæ prius & quomodo docere author velit, Cap. II.
Diuiſio corporis in maximas partes, Cap. III.
De ſuperioribus capitis, & faciei exterioribus partibus, Cap. IIII.
De oculi exterioribus partibus, Cap. V.
De faciei infra oculos partibus, Cap. VI.
De reliquis faciei partibus, Cap. VII.
De ore, in eóque contentis, Cap. VIII.
De collo, eiúſque partibus, Cap. IX.
De ala, humero, brachio, & manu, Cap. X.
De thorace & eius partibus, Cap. XI.
De genitalibus marium, & eorum partibus, Cap. XII.
De fœminarum genitalibus, Cap. XIII.
De dorſi oſſibus, Cap. XIIII.
De reliquis vſq; ad inguina partibus, Cap. XV.
De partibus ab inguinibus vſque ad extremos pedes, Cap. XVI.
De interiorum membrorum appellationibus, Cap. XVII.
De capitis tunicis, oſſibus ac ſuturis, Cap. XVIII.
De quibuſdam capitis oſſibus, Cap. XIX.
De muſculis quibuſdam & proceſſibus in capite, Cap. XX.
De foraminibus caluariæ, Cap. XXI.
De cerebro, membranis, neruis, ſpinalique medulla, Cap. XXII.
De oculis, Cap. XXIII.
De prima & ſecũda colli vertebra, oſſe ypſiloeide, gulatonis, aſpera arteria, gutture, & bronchiis, Cap. XXIIII.
De cordis partibus, membraniſque pectoris, Cap. XXV.
De glandulosis carunculis, Cap. XXVI.
De ventris inferioris partibus, Cap. XXVII.
De iecore, & in eo contentis, Cap. XXVIII.
De liene, renibus, veſica, vrinariis, ſeminariiſq; vaſculis, Cap. XXIX.
De muſculis lumborum, Cap. XXX.
De genitalibus fœminarum locis, Cap. XXXI.
De teſtium tunicis, aliiſque partibus, Cap. XXXII.
De venis, Cap. XXXIII.
De arteriis, Cap. XXXIIII.
De neruis, tendoribus, cartilaginibus, membranis, tunicis, adipe, carne, & medulla, Cap. XXXV.
De humoribus excremẽtiſque corporis, Cap. XXXVI.
De fœtu, & ad eum pertinentibus, Cap. XXXVII.

RVFFI EPHESII DE APPELLATIONI-bus partium corporis humani

Liber I.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

VNDE CVIVSQVE ARTIS TRAdendæ initium ſumendum ſit, Cap. I.

QVID in arte citharæ pulſatoria primùm didiciſti? Singulas fides pulſare, credo, atque nominare. Quid in grammatica primùm percepiſti? Vnũquodque elementum cognoſcere ac nominare. Igitur & alias artes à nominibus docere incipiunt: & ferrarius faber, & alutarius cerdo, & carpentarius in primis ferri nomen, & inſtrumenti, & aliorum omnium ad artem facientium nomina tradũt. Quinetiam grauiores artes nónne & ipſæ à nominibus pari ratione docendi exordium capiunt? Quid enim primum in geometria accepiſti? Punctum ſanè & lineam, & planum, & ſuperficiem, & figuram triãgulam, & circulũ, aliáque id genus, quidnam ſint dignoſcere, rectéque appellare. Viſne igitur & medicinalẽ facultatẽ à nominibus exorſus perdiſcere? ac primùm omnium, vt ſingulas corporis partes appellare conueniat, deinde & reliqua quemadmodum ſermonis proceſſus connexióque requiret agnoſcere? Aut tibi ſatis eſſe videtur, me, ceu mutum, quæcunque doceri poſtulas, tibi oſtendentem explicare? Mihi verò id non melius eſſe, téque ipſum hoc pacto diſcere, & alterum docere, haud facile eſſe videtur. Atque de his quidem ſic mea fert opinio.

QVAE PRIVS ET QVOMODO DOcere velit, proponit, Cap. II.

CÆterùm audiẽs, & in puerum hunc reſpiciens, memoriæ quæ ſenſui patent commendato. Ante omnia vt interiora appellanda ſint, animal quodpiam D homini quamſimillimum diſſecantes, inſtruere te conabimur. Nihil enim impediet, tametſi non omnia omnibus ſimilia ſint, quominus ſummam ſaltem cuiuſque doceamus. Verùm priſcis temporibus in humanis corporibus talia generoſius oſtendebant.

DIVISIO CORPORIS IN MAXImas partes, Cap. III.

MAximæ corporis partes, hæ ſunt, *κεφαλὴ caput*, *αὐχὴν collũ*, *θώραξ thorax*, *χεῖρες manus*, & *σκέλη crura*. *Θώρακα* autem vocamus non ſolùm eam partẽ quæ *ἀπὸ τῶν κλειδῶν à iugulis* vſque ad *ὑποχόνδρια præcordia* pertinet, E verumetiam totum illud quod intra iugula pudendáque concluditur.

DE SVPERIORIBVS CAPITIS ET faciei exterioribus partibus, Cap. IIII.

KΕφαλὴ *caput* vocatur & quod capillatum eſt, ſeparatim, & ſimul cum facie. Capillati autem prior pars, *βρέγμα ſinciput*, auerſa verò *ἰνίον occiput* nominatur. Partes à lateribus ſincipitis poſitæ, *κόρσαι* & *κρόταφοι tempora* dicuntur. Quod autem in medio capite eſt, vbi maximè capilli inuoluuntur, *κορυφὴν uerticem* vocamus: par- F tem ſub ſincipite, *μέτωπον frontem*: iuxta tempora, pilorũ exortus, *ἴουλοι lanugo* dicuntur. Occipitis autem capilli promiſſi *χαῖται crines* vocitantur. Vltimæ frontis rugæ, *ἐπισκύνιον*: quod oculis attrahimus quando nobiſcum aliquid altius cogitamus, aut veremur. Alii verò partem ſub ſuperciliis carnoſam, *ἐπισκύνιον* vocauerũt. At *ὀφρύες ſupercilia* hirſutæ frontis extremitates ſunt: quorum interſtitium, *μεσόφρυον Latinè glabella, quòd glabrum ſit*, dicitur. Sub ſuperciliis, *βλέφαρα palpebræ, quas etiam genas uocant* alterũ ſupra, alterũ infrà, ſita ſunt. Ab iis prodeuntes pili, G *πτίλοι* & *βλεφαρίδες cilia* nominantur. harum extrema, quum nos dormimus ſeſe contingentia, *στεφάναι corona* & *χηλαὶ ungulæ*. Superioris palpebræ ſuperficiei quod ſuperimpendet, *κοῖλον cauum*: illi autem reſpondens inferius, *ὑπόκοιλον ſubcauum*. quod quidem & in aqua inter cutem & alioqui in prauo corporis habitu, & in longin-

A quo hæmorrhoidum effluuio, & antiqua mulierum menſtrua purgatione, nonnunquam etiam inchoantibus lippitudinibus, intumeſcere conſueuit. Huiuſmodi verò lippitudines mitiores eſſe videntur: propterea & id genus affectus, quoniam *τῶν κοίλων* tumor eſt, *κοιλοϊδιᾶν* dicitur. At cauæ ſuperioris inferioríſque palpebræ extremitates, *κανθοὶ anguli*, alter maior, ad naſum vergẽs: minor alter, tempori propinquus.

DE OCVLI EXTERIORIBVS PARtibus, Cap. V.

B QVod verò aſpicitur in medio *ὀφθαλμοῦ oculi*, *ὄψις* & *κόρη uiſio & pupilla* nuncupatur. *γλήνην* etiam ſimulacrum in pupilla apparens vocant. Quod autem pupillæ contiguum eſt vſque ad album, *ἶριν*: & pro colore quem habet, *μέλαν nigrum*, aut *πυῤῥὸν rufum*, aut *γλαυκὸν cæſium*, aut *χαροπὸν fuluum* nominant. At *στεφάνη corona* nigrum ambit, & ab albo diſtinguit: quæ circulus & copula tuuicarum oculi eſt. Earum ſanè prima, duabus naturis prædita, duo quoque nomina gerit: *κερατοειδὴς* quidem *cornu formam habens* in medio, & vſque ad iri- C dem: (hæc enim eius particula expolitis cornibus aſſimilatur) candida verò eſt altera pars omnis, qualis & aſpicitur: nihil mediæ natura neque colore ſimilis. Ipſi autem vocata *ἐπιδερμὶς* ſuperincumbit, qua in iuuenibus & ſenioribus, & in affectu qui *χήμωσις unguis* dicitur, abſcedẽte atque elata, rufus color cernitur. Aliæ autem tunicæ qua ſint nomenclatura præditæ, paulo inferius in animalis diſſectione explicabitur.

DE FACIEI INFRA OCVLOS PARtibus, Cap. VI.

D SVb oculis inſurgentia oſſa, *ὑποφθάλμια*, alii *ὑπώπια ſubocularia* nominant. A meſophryo *id eſt ſuperciliorum medio interſtitio (quod glabellam uocari diximus)* deorſum verſus *ῥὶς naſus* protenditur: cuius foramina *ῥώθωνες* & *μυκτῆρες nares*, ab Atticis *μύξαι* etiam appellantur. Sed Hippocrates pituitoſum excrementum per ipſa diſtillans, *μύξαν*, *Latini mucorem*, Athenienſes verò *κόρυζαν* appellant. Cartilagineum illud quod foramina diſtinguit, eſt *ῥινὸς διάφραγμα naſi interſeptum*. Partes oſſeæ quæ vtrinque ad malas vergunt, *ῥινὸς ῥάχις naſi dorſum*. Extrema verò hinc E atque inde huiuſce oſſei faſtigii, *πτερύγια pinnæ*. Iſtæ in vehementiore ſpiritus difficultate, & alioqui quum voluerimus, agitantur. Carneum illud ante naſi ſeptum in labia deſcendens, *κίων columna*, naſi autem extremitas, *σφαιρίον globulus* appellatur. At ſub columna in ſuperiori labro cauitas, *φίλτρον quaſi amoris illicium*: ſed totum id ſuperioris labii quod eſt ſub naſo, *ὑποῤῥίνιον*. Deinde *χείλη labia* duo, quorum extrema, *πρόχειλα q. d. prolabia, uel antelabia, aut antelabiaria*: qua parte autem committuntur, *προστόμιον* vocant: inferioris autem labii cauitatem, *νύμ-* F *φην*. Aurium foramen per quod voces exaudimus, *ἀκοὴν auditum* appellarunt: partem pẽdulam, *λοβὸν fibram*: quam etiam ſolam auris particulam nomen habere, cæteras verò nomine carere dixit Ariſtoteles. At medici illis quoque nomina impoſuere: *πτερύγιον* quidem *pinnã*, ſupremam partem quæ lata eſt atque decliuis, appellantes: *ἕλικα* autem, totum illud quod abhinc aurium extremam oram ambit: *ἀνθέλικα* id quod in medio cauitatem extollit: *κόγχην* poſt *ἀνθέλικα* cauum: oppoſitam verò cõchæ eminẽtiam iuxta tẽporis fines, *τράγον hircum*, G helicis autẽ finem qui ſubbreuis eſt, *ἀντιλοβίδα* vocant.

DE RELIQVIS FACIEI PARTIBVS Cap. VII.

TOta capitis prior pars, *πρόσωπον facies* dicitur, *μῆλα malæ* ſub oculis, faciei eminentiæ ſunt, vbi pudoris ſedes eſt, maximéque ibi rubor oſtenditur. Poſt *μῆλα* autem habẽtur *παρειαὶ*, dictæ etiam *σιαγόνες* & *γνάθοι maxillæ*, quarum altera, ſuperior, altera, inferior eſt:

inferioriſque maxillæ quod in acumen definit, γένειον, & *ἀνθερεὼν mentum*. Sub eadem inferiore maxilla, carnoſa pars, λαυκανία dicitur: ſed nonnulli hanc quidem carnoſam partem, ἀνθερεῶνα, at λαυκανίαν cauum iugulo proximum appellauerunt. Barbæ prima ſub temporibus germinatio, ἴουλος *lanugo*: primus eius in ſuperiori labro exortus, προπωγώνιον *q.d. probarbium*: qui pili poſtea adaucti, μύστακες appellantur. Sed in ſummo mento pili, πάππος; ſub mento autem, ὑπήνη.

DE ORE ET IN EO CONTENTIS, Cap. VIII.

Στόμα *os* tam prima labiorum diuiſio quàm latum illud vſque ad fauces patens ſpatium. In ore autem cum alia ſunt, tum etiam ὀδόντες *dentes*, quos nonnulli κραντῆρας appellant: horum autem primores quatuor, τομεῖς *inciſores*, κυνόδοντας autem *caninos dentes*, eos qui ſequũtur, vtrinque ſinguli: μύλους verò & γομφίους *molares & paxillares* qui ſunt poſt caninos, vtraque ex parte quini. σωφρονιστῆρας, (*q.d. moderatores. Latinè autem genuinos*) qui intimi ſunt & vltimi, quòd tum naſcantur vtrinque ſinguli quum *homines* incipiunt σωφρονεῖν, *moderati eſſe*. Totidem & ſuperioris maxillæ eadémque nomina ſortiti ſunt dentes. Maxillarum autẽ colligatio, χαλινὸς *habena*: at τράπεζα *menſa*, extremitates latæ molarium: ὁλμίσκοι autem *mortariola*, & αἱ τῶν γνάθων κοιλότητες *maxillarum cauitates* in quibus dentes defixi ſunt, appellantur. Οὖλα *gingiuæ*, circa radices dentium, carunculæ ſunt. Linguæ autem ῥίζα *radix* quidem vnde ipſa exoritur, nominatur: at id muſculoſum quod ore continetur, eſt γλῶσσα *lingua*, αὐχὴν *ceruix* quod ſequitur: παρασυνεια autem, quæ ab vtroque linguæ latere ſunt. ὑπογλωσσίς, pars linguæ inferior: ἐπιγλωσσὶς, quod intimum eſt gutturi operculum quoddam impoſitum, ne, quum deuoramus, quippiam in pulmones irruat: ſed quum ſpiritus ducitur, ne tranſeuntem aerem impediat, ſublimis attollitur. Οὐρανὸς verò *cælum*, & ὑπερῴα *palatum*, concaua eſt ſuperioris maxillæ pars: κίων *columna*, & γαργαρεὼν *gurgulio*, quidam ex palato proceſſus, quem Ariſtoteles σταφυλοφόρον *q.d. uuiferum* nominauit: quoniam ea parte inflãmata, σταφυλῇ *uuæ* quiddam ſimile pendere videtur. σταφυλὴν enim *uuã*, non partem, ſed affectum nominari oportet. Φάρυγξ vel φαρύγγεθρον, *fauces*, omnis ea capacitas quam inter deuorandum dilatamus, vocata eſt. Propterea & Homerus dixit,

— φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος, Ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι. *Id eſt, Faucibus erupit uinũmque humanáque membra.* Neque enim ex arteria aſpera & pulmone cibum potũmque Cyclops euomit: id enim dicere mirum in modum rude, fatuúmque eſt. Παρίσθμια & ἀντιάδες & μῆλα *tonſillæ*, dicuntur carnoſæ quædam glanduloſæque partes, vtrinque à lateribus faucium poſitæ. Hæc numero quatuor ſunt, duæ in ſummo gutture vtrinque, reliquæ inferius locatæ.

DE COLLO, EIVSQVE PARTIBVS, Cap. IX.

INfra caput eſt τράχηλος *collum*, quod & δέρην & αὐχένα *ceruicem* vocãt. ὑποδερὶς eſt in priori parte τῆς δέρης *colli* poſtremum. In priori item colli parte βρόγχος eſt, & τραχεῖα ἀρτηρία *aſpera arteria*, per quam ſpiritus ducitur. τοῦ βρόγχου eminentia λάρυγξ *guttur* eſt. At in poſteriore colli parte τένοντες *tendones* ſunt. Ταῖς κλεισὶ *iugulis* proximum cauum Homerus λαυκανίαν vocauit: ſed medici ἀντικάρδιον & σφαγὴν *q.d. cordi oppoſitum & iugulationem* appellant: quæ autem à tendonibus ad humeros pertinent, ἐπωμίδες. ὦμος verò *humerus* brachii caput eſt, quod τῇ ὠμοπλάτῃ *lato ſcapularum oſſi* inſeritur, & cum toto etiam articulo copulatur. At humeri κοτύλη *acetabulum*, eſt lati ſcapularum oſſis cauitas. Lata ſcapularum oſſa, ὠμοπλάται vocata, ea ſunt quæ tergo incumbunt: quorum intermediæ eminentiæ, dicuntur ipſorum ῥάχις *dorſum*. Ακρώμιον, iuguli ſcapularúmque oſſis copula eſt. Eudemus verò oſſiculum perexiguum eſſe dixit ἀκρώμιον. Κλεῖδες *claues, quæ & ligulæ*, ſub imo collo oſſa ſunt cum pectoris oſſe commiſſa, humeros ſcapuláſque, ne in pectus cadant (vt aliis contingit animalibus) prohibentia. nam cætera animalia iugulis priuata ſunt. Quocirca & latiſſimi pe-

A ctoris homo eſt.

DE ALA, HVMERO, BRACHIO, ET manu, Cap. X.

MAσχάλη *ala* ſub humeri articulo cauitas eſt, in quã ſæpe humerus luxatione delabitur. μάλην verò appellare haud Græci ſermonis eſt. aliquid autem ſub ala celantem ferre, ὑπὸ μάλης ἔχειν *ſub mala habere* dicunt. Βραχίων *brachium* Latinis id quod ſequitur humerum, dicitur. Huius circa humerum rotunditas, caput βραχίονος

B eſt. Interior iuxta τὸν ἀγκῶνα *cubitum* eminentia, quam nonnullos imperitè ἀπόφυσιν πήχεως putare dixit Hippocrates, & ipſe alterum humeri caput eſt. Poſt humerum totus articulus, acutúmque illud cui reclinati incumbimus, ἀγκὼν à quibuſdam, ab aliis ὠλέκρανον vocatur: Dores autem Siciliam incolentes κύβιτον *cubitum* appellant. Quin & Epicharmus cubito ferire, κυβιτίζειν *quaſi dicas cubitizare* dixit. Oſſium verò brachii quod ſubiicitur, πῆχυς *cubitus*, ſuprapoſitum verò, κερκὶς *radius* eſt. hæc ad τὸν καρπὸν *brachiale* protenduntur: poſt quem lata pars

C & compacta, μετακάρπιον & ταρσὸς *palma* Latinè nominatur. Sequuntur δάκτυλοι *digiti*. Χεὶρ *manus* totum illud eſt quod ab humero pendet, & extremum quo apprehendimus. Ex digitis, μέγας *magnus*, *Lat. pollex*, eſt ab aliis ſummotus: alter, λιχανὸς *index* inter quatuor primus. tertius, μέσος *medius* vocatur. quartus, παράμεσος, *Latinè anularis*: vltimus, μικρὸς *paruus*. Ipſorum oſſa, σκυταλίδες *ſcuticulæ*, & φάλαγγες *internodia*: primi articuli, προκόνδυλοι, medii, κόνδυλοι, poſtremi, μετακόνδυλοι. Vnguinum initia, ῥιζωνυχία *radices unguium* vocãtur. Internæ digitorum

D ſũmitates, ῥᾶγες *acini*, & κορυφαὶ *uertices*. Carnoſa pollicis pars ſub manus cauo inſurgens, στῆθος *q.d. pectus*. Spatium quod inter indicem pollicémque intercedit, carnoſúmque eſt, ſub quo manus in cauum ſubſidet, θέναρ dicunt: ὑποθέναρ verò, quod ſub quatuor digitis eſt. Sed omnẽ manus interiorem latitudinem θέναρ *uolam* Hippocrates vocaſſe mihi videtur.

DE THORACE, ET EIVS PARtibus, Cap. XI.

E Απὸ δὲ τῶν κλειδῶν, *A iugulis autẽ*, στῆθος *pectus* prior pars eſt: medium autem in quod coſtæ ſubeunt, στέρνον appellant. Auerſa verò colli pars vſque ad id quod μετάφρενον vocatur, νῶτον *tergum* eſt. μετάφρενον inter tergum lumbóſque, vbi renes adhæreſcunt, locatum eſt. ὀσφὺς verò *lumbi* vltima pars dorſi eſt. Carneæ in pectore eminentiæ, μαστοὶ *mammæ*, & τιτθοὶ *ubera* vocantur. τοῦ μαστοῦ *mammæ* extrema pars, θηλὴ *papilla*. Primum verò in pubeſcendo incrementum, κύαμος *faba* dicitur: totum autem tumorem, ἄσκωμα, *Latinè utrem ſiue uber* vocant: ſed in

F mulieribus magis propriè. Πλευρὸν *latus*, illud totum quod ſub ala eſt appellatur: oſſa verò, πλευραὶ *coſtæ*: inter coſtas ſpatia, μεσοπλεύρια *q.d. intercoſtalia* nominantur. νόθαι πλευραὶ *ſpuriæ coſtæ* ſunt quæ ad τὸ στέρνον *pectorale os* non perueniunt. Sub pectore cauum, στόμα κοιλίας *uentriculi os* dicitur: quod alii προκάρδιον *quaſi dicas antecordium*: nonnulli verò καρδίαν *cor* appellauerunt: doloréſque ibi orientes, καρδιωγμοὺς *cordis morſus* & καρδιαλγίας *cordis dolores* eſſe dixerunt. Spuriarum coſtarum extremitates, χόνδροι *cartilagines* ſunt. Muſculoſæ autem partes ſub car-

G tilaginibus collocatæ, ὑποχόνδρια, *quaſi dicas ſubcartilaginea. Latinè præcordia à quibuſdam uocantur.* Κοιλία *aluus* ac γαστὴρ *uenter* deinceps locatur: ἐπιγάστριον ſuper ventrem poſita cutis appellatur. Eius media cauitas, ὀμφαλὸς *umbilicus* eſt, venarum, per quas infans alitur, ſegmentum. Vmbilici pars media, ἀκρόμφαλον: cutis autem vmbilicum ambiens, quoniam corrugata ſenectutem ſignificat, γραῖα *uetula* appellatur. Sub vmbilico ὑπογάστριον *abdomen* eſt, & ἦτρον *aqualiculus*. Huic cõtigua pars vſque ad pudenda, ἐπίσιον *pecten* atque ἥβη *pubes* dicitur: alii ἐφήβαιον

H vocant.

DE GENITALIBVS MARIVM, ET eorum partibus, Cap. XII.

TΩν αἰδοίων *genitalium membrorum* quæ in maribus ſunt, propendens particula, καυλὸς *caulis* ac σῶμα eſt:

quæ autem non pendet, ὑπόστημα *ſedimentum*, & κύστεως τράχηλος *collum ueſicæ*. Lineam per medium diſcurrētem, alii τράμιδα, alii ὄῤῥον appellarunt. Colis extremitas, βάλανος *glans* eſt. cutis eam tegens, πόσθη *præputium*: præputiique extremum, ἀκροπόσθιον, *quaſi dicas, ſummum præputij*. Cauernula verò per quam ſemen vrináque profunditur, οὐρήθρα, & πόρος οὐρητικὸς *urinarium iter* nominatur. οὐρητῆρα autem ne dicito: οὐρητῆρες enim alii ſunt, per quos ſcilicet à renibus in veſicam vrina delabitur. ὄσχεος *ſcrotum* ea cutis eſt qua δίδυμοι *id eſt teſtes, ad uerbum gemini*, inuóluuntur. διδύμους autem aut ὄρχεις appellare nihil intereſt. Geminorum quod ſuprà eſt, κεφαλὴ *caput*, quod infrà, πυθμὴν *fundum* vocatur. Pars ſcroti laxior, λακκόπεδον, à quibuſdam ἀχάδαρον, ab Athenienſibus λακκοσχέας nominatur. Inter ſcrotum & ſedimentum & femur locum πλιχάδα vocant. & pro διαβαίνειν *tranſire*, διαπλίσσειν, pro περιβάλλειν *id eſt circum*, ἀμφιπλὴξ enuntiant. Sophocles verò & de draconibus hoc verbo vtitur, dicens, Θαιρὸν ἀμφιπλὴξ εἰληφότι, *id eſt, Cardinem circum comprehendentes*: perinde acſi dixiſſet, περιβεβληκότι τὸν θαιρὸν, *circumplexi cardinem*.

DE GENITALIBVS MVLIEBRIBVS, Cap. XIII.

MVliebris autem pudendi quod ſuprà eſt, κτεὶς *pecten* dicitur. Id triangulum eſt, & imi ventris terminus. ab aliis ἐπίσιον appellatur. Pudendi rima, σχίσμα *fiſſura*: muſculoſa in medio caruncula, νύμφη, & μύρτον, ab aliquibus ὑποδερμίς, ab aliis κλειτορὶς nominatur: laſciuéque eam tractare, κλειτορίζειν dicunt. μυρτοχείλας verò vtrinque poſita carnoſa corpora. Cæterùm hæc Euryphon κρημνοὺς *q. d. rupes* vocat: ſed noſtræ ætatis medici μυρτοχείλας appellant πτερυγώματα, *q. d. alas*: τὸ μύρτον verò τὴν νύμφην.

DE DORSI OSSIBVS, Cap. XIIII.

THς ῥάχεως *dorſi* oſſa, σφόνδυλοι *uertebræ* ſunt, quos etiam Homerus ἀστραγάλους *talos* vocat: tota autem vertebrarum compago ἄκανθαν *ſpinam* conſtituit. Extremum lumborum, ἱερὸν ὀστοῦν *os ſacrum* eſt: id ab aliquibus etiam ὑποσφόνδυλον *q. d. ſubuertebrum* dicitur. Eius vltimū oſſiculum κόκκυξ *cuculus* eſt.

DE RELIQVIS VSQVE AD INguina partibus, Cap. XV.

SVb coſtis molles partes, λαπάραι & κενεῶνες *ilia* vocantur. Deinde τῶν λαγόνων *ilium* oſſa: quorum excauata capita, κοτύλαι *heminæ & acetabula*, πυγαὶ autem *clunes*, ac ἑδράναι *ſedilia*, poſt lumbos carnoſæ partes: quoniam illis ſedendo innitimur: ab aliis γλουτοὶ *nates* dicti ſunt: ſub quibus ὑπογλουτίδες *quaſi dicas ſubnaticulæ* iacent.

DE PARTIBVS AB INGVINIBVS vſque ad extremos pedes, Cap. XVI.

BOΥβῶνες *inguina* femorum priores partes ſunt, prope ἥβην pubem poſitæ: neruus autem ad acetabulum pertinens, ac totus articulus, ἰσχίον *coxendix* dicitur. Femorum internæ partes, παραμήρια *femina* ſunt: inter femina autem loca, μεσομήρια *interfemina*. Muſculi genibus inhærentes, ἐπιγουνίδες *quaſi dicas geniculares* vocātur. Os autem ſuper genu poſitum, ἐπιγονατὶς *patella* eſt. Hippocrates verò ἐπιμυλίδα vocauit. γόνυ *genu* articulus eſt femur τῇ κνήμῃ *crari* committens. ἰγνύα *poples* poſterior pars eſt, in quam genu inflectimus. γαστροκνημία *ſura* magnus muſculus eſt, vnde latus neruus oriens ad calcem tendo factus adhæreſcit. Oſſium verò cruris quod interius eſt, κνήμη *ſura* nominatur, anterius autem, ἀντικνήμιον *tibia*. Sed Herophilus ſuram, κερκίδα *radium* etiam appellauit. Vtriuſque oſſis extrema pedi inſerta, σφυρὰ *malleoli* ſunt: ἀστράγαλοι verò *tali* non rectè vocantur. ſiquidem & humanus pes talum ſub malleolo abditum, non conſpicuum habet. πτέρνα *calx* poſtremum pedis rotundum eſt: πέδιον & ταρσὸς *planta*, pars prior & ampla eſt: στῆθος verò *pectus*, pars inferior poſt cauum, vnde naſcuntur digiti, vocatur. Iſtos autem perinde vt manus digitos appellare, aliáque manuum digitis communia recenſere, nihil eſt quod impediat.

A

DE INTERIORVM MEMBRORVM appellationibus, Cap. XVII.

IGitur quæ oculis aperta ſunt, ô fili, ſubiectáque his oſſa, in hunc modum nominare decens eſt. Interiora autem corporis membra, ſimiam diſſecantes, propriis nominibus illuſtrare tentabimus: quandoquidem ipſa oſſibus, muſculis, extis, arteriis, venis, neruis, ad naturam hominis proximè accedit: ſecundò alia πολυσχιδῆ *multifida*: tertiò, ἐκ διχηλῶν ἀμφόδοντα, *ex biſulcis utrinque dentata*. Non vtrinque dentata, ac μώνυχα *ſoliungula*, longiſſi-
B mè ab hominis ſimilitudine ſummota ſunt. Quòd ſi aliquid de membris interioribus, exteriora tradentes, memorauimus, idem bis repetere vlterius opus non fuerit.

DE CAPITIS TVNICIS, OSSIbus ac ſuturis, Cap. XVIII.

ASpice itaque ſub τῷ κρανίου *caluariæ* cute tunicam: hāc περικράνιον, quòd τὸ κράνιον *caluariam* obuoluat, vocant: quam verò alia oſſa ambientem tunicam videbis, περιόστεον, *quaſi dicas circumoſſalem*. Quà oſſa caluariæ
C committuntur, ῥαφαὶ *ſuturæ* ſunt, quæ duarum ſerrarum compagem imitantur. Earum vnā quidem rotunda eſt, ſincipútque circumcidit, altera occiput, tertia medium verticem diducit. quibuſdam etiam hæc, ſincipitis ſuturam tranſiens, frontémque ipſum ſecans, meſophryo terminatur. Binæ aliæ in temporum oſſibus, ſquamarum in modum totis oris paulatim extenuantur, atque ita inferiora oſſa ſuperioribus leniter inſidunt. Ipſis autem vetuſta quidem nomina deſunt, ſed nuper à quibuſdam Ægyptiis medicis, Græcam linguam malè do-
D ctis, impoſita ſunt, ſincipitis ſuturam, στεφανιαίαν *quaſi dicas coronariam*, occipitis, λαμβδοειδῆ *id eſt* λάμβδα *Græcæ literæ ſimilem*, mediam verò, ἐπιζευγνύουσαν *coniungentem*: temporum autem ſuturas, λεπιδοειδεῖς, *quaſi dicas ſquamarum formam habentes*, appellantibus. Iidem & aliorum oſſium partibus ab antiquis innominatis, nomina indidere: quæ ego, vt aliis noſtri ſeculi medicis innoteſcant, non prætermittenda iudicaui.

DE QVIBVSDAM CAPITIS OSSIbus, Cap. XIX.

E INter caluariæ oſſa meditullium, διπλόην nominant: vbi verò naſi initium eſt, crebra ibi foramina, ἠθμοειδῆ *cribri ſpeciem referentia* vocantur. Per ea indubiè πταρμὸς *ſternutamentum* & μύξα *mucus* propellitur. Nonnulli & hac parte nos in cerebrum ſpiritus attrahere confirmant. Proxima auribus oſſa, ob firmitudinem λιθοειδῆ *lapidea* nomen habent. ab vtroque enim latere ſingula oſſa dura ſubalbidáque ſunt, magnitudine caput maximi manus digiti æquantia, per quæ auditorii meatus perforati ſunt. Alii propendentes in occipitium eminen-
F tias, λιθοειδεῖς *lapideas* appellant: idque non rectè. Inanes enim & cauernoſi, & minimè ſolidi, nomini non reſpondent. Ab auditoriis autem meatibus ad malas pertinentes proceſſus, ζυγώματα *quaſi dicas iugamenta* nuncupantur.

DE MVSCVLIS QVIBVSDAM ET proceſſibus in capite, Cap. XX.

TOὺς μῦας *muſculos* caua τῶν κροτάφων *temporum* replentes, κροταφίτας *temporales*: qui inferiorem maxillam amplectuntur, μασσητῆρας *manſores* vocant. Tenues illi
G & oblongi, deorſúmque verſus fauces vergentes proceſſus, στυλοειδεῖς *columniformes* dicti ſunt. Eudemus autem illos gallorum calcaribus aſſimilat, ac ſine appellatione relinquit.

DE FORAMINIBVS CALVARIAE, Cap. XXI.

FOramina permulta quidem per κρανίον *caluariam* perforata ſunt, quæ omnia (duobus exceptis quæ τυφλὰ *cæca* appellantur) nomine vacant. Inter ſe autem medici altercantur vtranā hoc nomine appellanda ſint: nū illa
H quæ prope maximū caluariæ foramē adiacēt, per quod ὁ νωτιαῖος μυελὸς *ſpinæ medulla* in vertebras delabitur: an illa quæ prope auditorias cauernas, & paulo prius iuxta maxillæ articulos ſunt. Sed neq; illa neq; hæc adeo cæca ſūt quin ea in magnū ſpinalis medullæ cauū peruadāt, hæc, ſub τὰ ἠθμοειδῆ *foramina cribrum repræſentantia* ſubeant. Ac

per ipſa omnia nerui tranſire conſpiciuntur: de quibus in diuiſionibus ſermo habebitur. verùm ideo ipſi cæca dixiſſe viſi ſunt quòd non in rectum excauata eſſe cernantur.

DE CEREBRO, MEMBRANIS, NERVIS, ſpinalíque medulla, Cap. XXII.

INtra caluariam ὁ ἐγκέφαλος *cerebrum* continetur. Id μήνιγγες *membranæ* circumuoluunt, altera craſſior robuſtiórque, oſſi proxima: tenuior altera, & firma quidem, ſed priore minus, quæ cerebrum contingit. Summa cerebri pars, κιρσοειδὴς *varicoſa* appellatur: inferior atque poſterior, βάσις: à baſi oriens proceſſus, παρεγκεφαλὶς *cerebellum*. Ipſius cerebri cauernæ, κοιλίαι *uentriculi*. Ventriculos interius obuoluens tunica, χοροειδὴς *ſecundinis ſimilis* cognominatur. Herophilus autem & μήνιγγα χοροειδῆ *membranã ſecundinis ſimilem* appellat. Germina à cerebro enaſcentia, νεῦρα αἰσθητικὰ *nerui ſenſorij*, & προαιρετικὰ *electorij* ſunt: per quos ſenſus & voluntaria motio fit, omniſque corporis actio perficitur. Horum autem neruorum quidam à ſpinali medulla, & ex ipſam cingente membrana expullulant. Νωτιαῖον verò *dorſalem* & ῥαχίτην *ſpinalem*, omnem pariter per vertebras defluentem medullam nominant.

DE OCVLORVM TVNICIS, Cap. XXIII.

OCuli tunicarum primam inter extima conſpicuáque membra, κερατοειδῆ *cornularem* ſuperius nominauimus: ſecunda ῥαγοειδὴς atque χοροειδὴς dicitur: qua parte τῷ κερατοειδεῖ *cornulari* ſubiicitur, ῥαγοειδὴς, quòd exterius læuore, interius aſpretudine, τῇ ῥαγὶ *uuæ acino* ſit perſimilis: qua verò albam tunicam ſubit, χοροειδὴς vocatur: quoniam venulis referta, χορίον fœtui circundatum *id eſt ſecundinas* repræſentat. Deinde tertia humorem ὑαλοειδῆ *à uitri ſimilitudine ita uocatum* continet. hæc antiquo vocabulo, propter tenuitatem ἀραχνοειδὴς appellata eſt: *Latinè aranealem dicere auſis*. at quoniam Herophilus eam ἀμφιβλήστρῳ *reti* contracto aſſimilat, nonnulli & ἀμφιβληστροειδῆ *reticularem*, alii ab incluſo humore *qui uitri gerit ſimilitudinem*, ὑαλοειδῆ nominarunt. Quarta membranula guttam quandam humoris κρυσταλλοειδῆ includit. Hæc antiquitus nomine caruit: à poſteris φακοειδὴς, *quaſi dicas lenticularis*, ob figuram: κρυσταλλοειδὴς verò à contento humore, cognominata eſt.

DE PRIMA ET SECVNDA COLLI VERtebra, oſſe ypſiloeide, gula, tonis, aſpera arteria, gutture, & bronchiis, Cap. XXIIII.

PRimam colli vertebram, ὀδόντα *dentem* appellare mihi videtur Hippocrates. Sub tõſillis oſſiculum, gutturis caput continens, quidam à figura τοῦ Υ ψιλοῦ, ὑψιλοειδὲς appellauerunt: cæterùm Herophilus, quoniam tonſillis aſſideat, παραστάτην *aſſeſſorem* vocat. Secundæ vertebræ proceſſus ſurſum ac prorſum verſus ſpectans, πυρηνοειδὴς *ab oliuæ nuclei ſimilitudine* dictus eſt. Iter illud per quod cibi potionéſque in ventriculum deſcendunt, στόμαχος & οἰσοφάγος *gula* eſt. Nerui ab vtroque eius latere, τένοι: cæteráque ſenſoria atque fibroſa, pariter τόνοι (*tenores in Latinum uertere liceat*) dicuntur. Aſperæ arteriæ ſummum, βρόγχος *guttur* eſt. ramuli ad eius plexum creati, βρόγχια, & σήραγγες *cauernæ*, & ἀορταὶ nominantur.

DE CORDIS PARTIBVS, MEMBRAniſque pectoris, Cap. XXV.

CAloris, vitæ, arteriarúmque motus initium, καρδία *cor* eſt. Eius ſumma pars, κεφαλὴ *caput* dicitur: infima & acuta, πυθμὴν *fundum*: cauitates, κοιλίαι *uentriculi*, quarũ craſſior & læua, ἀρτηριώδης *arterioſa* eſt: tenuior & dextera, φλεβώδης *uenoſa*: læua, capacior. Ab vtroque autẽ capitis latere ceu alæ prominentes, cauæ, molles, & ad totius cordis motum agitabiles, ὦτα καρδίας *cordis auriculæ* ſunt. Cor circumplexa membrana, περικάρδιος dicitur. Ex membranis pectoris quæ ipſum in duas diducunt partes, διαπεφραγμένα τοῦ θώρακος *interſepientes thoracis* appellantur: quæ coſtas interius veſtiunt, ὑπεζωκότες *ſuccingentes*. Membrana quæ pectoris viſcera ab inferioribus A disiungit, διάφραγμα *tranſuerſum ſeptum*, & φρένες vocatur.

DE GLANDVLOSIS CARVNCVLIS, Cap. XXVI.

EK τῶν ἀδένων *ex glandulosarum carnium* genere, (multæ autem ſunt) aliquæ in collo, nonnullæ ſub alis, quædam in inguinibus, aliæ in μεσαραίῳ vocato reperiuntur: quæ, carnes quædam leuiter ſubpingues ac fragiles ſunt. Inter has & vocatus θυμὸς numeratur: qui in regione capitis cordis locatus eſt, ſeptimæ colli verte- B bræ inſidens, aſperæque arteriæ extremo, qua cum pulmone committitur, adhæreſcens: non in omnibus tamen inuentus eſt.

DE VENTRIS INFERIORIS PARtibus, Cap. XXVII.

SVb tranſuerſo ſepto γαστὴρ *uenter* eſt: cuius ſumma pars primáque κοιλίας *uentriculi* nomen habet. deinde primus inteſtini exortus, πυλωρὸς *oſtiarius*, *ſeu ianitor* dicitur. Poſtea ieiunum inteſtinum, ſemper alimento priuatum: vnde ipſi nomen quoque νῆστις fuit. Iſti conti- C guum, τὸ λεπτὸν ἔντερον *gracile inteſtinum* eſt. Ex gracili biceps prodit exortus. Vocatur autem altera eius pars, τυφλὸν *cæcum inteſtinum*, quoniam reuera cæcum eſt: altera, κῶλον, & ἡ κάτω κοιλία, *laxum inteſtinum & uenter inferior*. quod Homerus νείαιραν etiam appellat. Totum autem inteſtinorum vinculum ac firmamentum, μεσεντέριον ac μεσάραιον vocatur. Ἀραιὰν verò ventrem & omne inteſtinum veteres appellabant: ex quo ad hæc vſque tempora hoc nomen μεσάραιον deriuatum eſt. *Latini lactes appellaſſe uidentur*. Poſt κῶλον *grande inteſti-* D *num*, eſt τὸ ἀπευθυσμένον *rectũ*, iuxta ſedẽ ac principẽ. Quod ex orbiculato vẽtriculi fũdo egerminat, ipſúmq; & aliquam cæterorum inteſtinorum partem velat, ἐπίπλοον, *quaſi dicas ſupernauigans*, *Latinè omentum*, nominatur. A renibus exoriens membrana, omnibúſque prætenta inteſtinis, περιτόναιος. At prope inteſtini primum exortum poſita caro præpinguis glanduliſque interſtincta, πάγκρεας vocata eſt.

DE IECORE ET IN EO CONTENtis, Cap. XXVIII.

E ADextera ventriculi, ἧπαρ *iecur* eſt. Iecoris autem quæ tranſuerſum ſeptum & περιτόναιον attingunt, κυρτὰ *conuexa*: quæ autem infrà ventriculo inhæreſcunt, σιμὰ *caua* dicuntur. Sub maxima eius fibra, χολῆς ἀγγεῖον *bilis uaſculum* ſitum eſt, cuius media & anguſta particula, αὐχὴν *ceruix* eſt: infima, πυθμὴν *fundum*. Iecoris porta ἡ φλὲψ *uena* eſt, per quam alimentum illabitur. Quæ in ſacrificiis autem aruſpices πύλας *portas*, τράπεζαν *menſam*, μάχαιραν *gladium*, & ὄνυχα *unguem*, appellant, in homine quoque (ſed obſcura atque incerta) reperiuntur, ad nullúmque F que medicinæ profectum neceſſariò nominantur.

DE LIENE, RENIBVS, VESICA, vrinariis ſeminariiſque vaſculis, Cap. XXIX.

VEntriculo à ſiniſtra σπλὴν *lien* incumbit: cuius craſſiſſima ſummáque pars *dicitur* κεφαλὴ *caput*. prope vltimas autem coſtas νεφροὶ *renes* duo: ex quibus duo οὐρητῆρες *urinæ ductus* veſicam intrãtes prodeunt. Κύστις verò *ueſica* conceptaculum eſt in quod vrina è renibus per οὐρητῆρας delabitur. A veſica eſt τράχηλος *ceruix*, & τὸ ὑπόστημα G *ſedimentum*, & βάσις, & reliqua commemorata ſuperius. At σπερματικὰ ἀγγεῖα *ſeminaria uaſcula* quatuor ſunt: duo κιρσοειδῆ *uaricoſa*, duo ἀδενοειδῆ *glãduloſa*, quæ & γόνιμοι φλέβες *genitales uenæ* vocatæ ſunt. Varicoſorum partes illæ quæ teſtibus adiacent, παραστάται *aſſeſſores* dicuntur. quidam verò omnia παραστάτας appellari nihil laborant. Cæterùm an hæc eadem in fœminis perinde vt in maribus cõſtituta ſint, contẽplãdum eſt. Fœminas varicoſis aſſeſſoribus carere Herophilus planè exiſtimat: nos verò in pecudis vtero è teſtibus enata vaſcula, atque vtrin- H que varicis inſtar reuoluta conſpeximus. Hæc autem in vteri cauum perforata ſubibant, è quibus mucoſus quidam humor, ſiquis exprimeret, emanabat: magnáque erat opinio hos ſeminarios eſſe canales, & eorum generis qui varicoſi nuncupantur. Id autem vt ſe habeat, diſſectiones ſeorſum declarabunt.

DE MVSCVLIS LVMBORVM, Cap. XXX.

INtra lumbos muſculi, ψόαι nominãtur: qui ſoli etiam in dorſo lumbis agnati ſunt. Iſtos aliqui νευρομήτρας (*legitur & νευρομήτρας, pro quo alii νεφρομήτρας reponunt:*) alii ἀλώπεκας *uulpes* cognominãt. Atque hoc illud eſt quod in libro Cnidiarum ſententiarum ſcriptum eſt, Si renum autem morbus vexat, notæ hæ ſunt, Si lotium craſſum purulentúmque ſit, ſi dolor lumbos, ilia, inguina, ſeménque torqueat. tũ verò & ἀλώπεκας *uulpes* malè habeat. Vnde iam conſtat quanti iſta ſcire interſit: quò ea quæ ſic cognominantur agnoſcas. Clitarchus exteriores dorſi muſculos, ψόας, & νευρομήτρας, & ἀλώπεκας appellari, falſò opinatur.

DE GENITALIBVS FOEMINARVM LOCIS, Cap. XXXI.

GEnitale autem mulieris membrum, μήτρα & ὑςέρα, *uterus uuluáque* vocatur. Hippocrates & δελφὺν & γονὴν *genituram* dicit. Eius ſurſum verſus vtrinque proceſſus, κεραῖαι & πλεκτάναι *cirri*, ſunt ipſum exterius ſuſtinentia vaſa: medium atque ſupremum, πυθμὴν *fundum* eſt: quæ vtrinque ſunt, ὦμοι *humeri*. Eius extremitas αὐχὴν *ceruix*, atque τράχηλος *collum*. colli os, ὁ πρῶτος πόρος *primus meatus*. Hippocrates ἀμφίδιον, à ſimilitudine rotundi ferri quo præfiguntur aratra, vocat. Deinde cauum quod ſequitur, *multis appellationibus exprimitur. dicitur enim* γυναικεῖος κόλπος, *muliebris ſinus, muliebres loci, uterus, ac uulua.* Sed totum genitale cum exterioribus, αἰδοῖον *pudendum, obſcœniorique uocabulo, cunnus.*

DE TESTIVM TVNICIS, ALIISQVE PARTIBVS, Cap. XXXII.

AT circa teſtes tunicæ ſunt: ἐρυθροειδὴς vna, δαρτὸς altera nominatur. neruus quoque cum arteria concauus ad teſtem peruenit, qui κρεμαςὴρ *q.d. ſuſpẽſor* vocatur. venulæ pariter ad teſtes, vnde nutriuntur: hæque teſtiũ altrices nominantur.

DE VENIS, Cap. XXXIII.

ALiarum quoque venarum nomina (vt ſemel dicam) hæc ſunt: ſi gracilẽ tunicam habent, ſanguinéque complentur, φλέβες *uenæ* ſunt. omnes verò magnæ venæ κοῖλαι *cauæ* appellantur. Poſtea inter medicos vſus obtinuit vt ea vena quæ à iecore in renes propagines mittit, κοίλη *caua* diceretur. In ea Praxagoras initium eſſe febrium affirmauit: ſolámque eam κοίλην *cauam* ipſe nominauit: cæterùm alii & eam quæ ſurſum in cor per tranſuerſum diſcrimen euadit. Alii & hanc & priorem vnico vocabulo ἡπατῖτιν, *quaſi dicas iecorariam:* à liene exeuntem, σπληνῖτιν, *quaſi dicas lienariam*, vocitant. Cæterùm non quemadmodum in iecore, ita & in liene ſurſum verſus deorſúmque in ſiniſtra parte diſcurrens vlla vena reperitur. Qui verò id afferunt, impudenter mentiuntur: quandoquidem venulæ in lienem pertinentes, & graciles ſunt, & ibidem in liene finiuntur. At Philiſtio Italus medicus, pro Dorienſium eam partem incolentium more, quaſdam venas quæ per tempora in caput aſcendunt, ἀετοὺς *aquilas* vocat: venas autem à corde illico naſcentes, δρακοντίδας Hippocrates nominat. Herophilus venam craſſiſſimam grandiſſimámque ex corde pulmones petentem, ἀρτηριώδη *arterialem* appellauit. In pulmonibus enim contrà atque in aliis res habet. nam venæ in his validæ ſunt, proximéque ad arteriarum naturam accedunt: arteriæ contrà imbecillæ, venarúmque naturam ſapiunt. Omnium autem quos nouerim primus Dionyſius Oxymachi filius ἐπανθισμοὺς (*quaſi dicas efflorescentias*) nomẽ nouũ adinuenit: aítque Eudemus ἐπανθισμὸν venam appellari. Sed mihi Dionyſius rem quidem venæ ſimilem, ἐπανθισμὸν, non idem tamẽ venam atque ἐπανθισμὸν, ſed quoddam aliud aduentitium ſanguinis receptaculum, vocare viſus eſt: idque ipſe ita eſſe teſtatus eſt, eodem loco ſæpius φλέβα, ἐπανθισμὸν & ἀρτηρίαν inculcans ac repetens. neque enim ſi rem eandem φλέβα & ἐπανθισμὸν putaret, ita vnquàm loquutus eſſet. Nam etſi nihil aliud ἐπανθισμὸς quàm φλὲψ eſt, nihilominus ipſe aliter ſenſit atque appellauit.

DE ARTERIIS, Cap. XXXIIII.

ARτηρίας præterea vetuſtiſſimi Græci φλέβας *uenas* vocauerunt: quúmque σφύζειν τὰς φλέβας *uenas micare* di-
A cebant, ἀρτηρίας intelligebant. arteriarum enim micare *ſeu palpitare* munus eſt. Eas etiam ἀορτὰς & πνευματικὰ ἀγγεῖα *ſpirabilia uaſa*, & σήραγγας *cauernas*, & κενώματα *inanitates* & νεῦρα *neruos* appellarunt. ἀορτὴν verò eam præcipuè Ariſtoteles vocat quæ per dorſum omnium maxima fertur. Hanc παχεῖαν *craſſam* Praxagoras appellare cõſueuit. Cauas autem per collum ſubeuntes, καρωτίδας (*uel, ut alii legunt*) καρωτικὰς, *quaſi dicas ſoporales, uel ſoporiferas*, antiqui nominarunt: quoniam compreſſæ hominem ſopore grauabãt, vocémque adimebant. Cæterùm noſtro
B ſeculo non arteriarum, ſed neruorum ſenſoriorum adiacientium, id vitium eſſe compertum eſt. Quare ſi nomen permutare volueris, nihil peccati admiſeris.

DE NERVIS, TENDONIBVS, CARTILAGINIBVS, membranis, tunicis, adipe, carne, atque medulla. Cap. XXXV.

TA νεῦρα *nerui* à cerebro ſpinæq; medulla prodeũtia, προαιρετικὰ *actiui*, αἰσθητικὰ *ſenſorii*, προαιρετικὰ *electiui*, atque τόνοι: qui circa artus ſunt, συνδετικὰ *copulatiui* dicuntur: craſſæ autem ex occipitio propagines, quæque ad
C calcem è muſculo naſcentes feruntur, τένοντες *tendones*. Χόνδροι *cartilagines* ſunt, in quos oſſa degenerant, neruis duriores. Υμένες *membranæ* tenuia ſunt velamenta, χιτῶνες *tunicæ*, craſſiora. Πιμελή *adeps*, pinguiſſima eſt alimenti concretio. Σὰρξ autem *caro* in viſceribus illud eſt quod inter vaſcula concretum reperitur, ſubtegmen quoddam, ac veluti receptaculorum texturæ fartum, quo inania eius ſpatia compleantur. In muſculis σὰρξ, pars fibroſa ac firma eſt, & quæ in vlceribus oſſiúmque cauis recens concreſcit. Μυελὸς verò *medul-*
D *la*, ὁ μὲν ἐν τῇ ῥάχει, *qui quidem eſt in ſpina*, ῥαχίτης *ſpinalis*, ὁ δὲ διὰ νώτου, *qui autem eſt per dorſum*, νωτιαῖος *dorſualis* vocatur. has etiam ambiens membranula, νωτιαία dicitur. Medulla intra caluam contenta, ἐγκέφαλος *cerebrum* eſt: ſed in aliis oſſibus, ὀςίτης *oſſalis* vocatur: ſiue in magnis inſit cauis, vt in femore atque humero: ſiue ἐν σήραγξιν, *id eſt anguſtis foraminibus, ſeu cauernis*, vt in coſtis ac iugulis.

DE HVMORIBVS EXCREMENTISQVE CORPORIS, Cap. XXXVI.

E AIμα *ſanguis*, calidiſſimus eſt flauiſſimúſque ſuccus: φλέγμα *pituita*, album, craſſum ac ſubſalſum excrementum eſt, quod quum reſiccatur, nigreſcit. χολὴ ξανθὴ *bilis flaua* amarum eſt ac flauum excrementum. πρασοειδὴς *porracea* acris eſt, atque ſubuiridis. ἰώδης verò *æruginoſa, uel potius uiolacea*, eſt valde mera atque ſincera. μέλαινα autem *atra* ſanguinis craſſamentum eſt. Alii nigrum ſanguinem, μέλαιναν *atram bilem* vocant. Reliqua excrementa huiuſmodi ſunt. Σίελος *ſaliua*, oris eſt humiditas. Μύξα *mucus* ſalſum eſt cerebri purgamẽtum.
F Ιδρὼς *ſudor*, eſt per omne corpus effuſa humiditas. Οὖρον *urina*, eſt nitroſus humor in veſicam delabens. Φῦσαι *flatus*, eſt in inteſtinis ſuperuacuus ſpiritus. Κυψελὶς aurium ſordes, *quas cerumina aut marmorata ueteres* Latini *appellitabant*. Καταμήνιον *menſes* in mulieribus ſunt menſtrua per vuluam ſanguinis excrementa, quæ quum alba ſunt, non καταμήνιον vltrà, ſed ῥοῦς *profluuium* nominantur. Γάλα *lac* eſt quæ fit in mammis alimenti concoctio. Σπέρμα *ſemen* & θορὴ & γόνος *genitura* idem ſignificant. Id verò eſt ſpiritus ſimul atque alimenti genera-
G trix ἐν τοῖς παραστάταις *aſſeſſoribus* concoctio. Praxagoras peculiari quodam modo χυμοὺς *ſuccos* nominauit, γλυκὺν *dulcem*, ἰσόκρατον *æqualiter temperatum*, & ὑαλοειδῆ *uitreum*: hos à pituitæ ſpecie ſic vocauit. Item ὀξὺν *acidum*, νιτρώδη *nitroſum*, ἁλυκὸν *ſalſum*, & πικρὸν *amarum*: hos ita vt guſtatus iudicat appellauit. Alios præterea, πρασοειδῆ quidem *porraceum* ex colore, λεκιθώδη verò *uitellinum*, ex craſſitudine, alios quoque, ξυςικὸν quidem, *raſorium aut uellicatorium*, quia efficit raſionem ſeu vellicationem: ςάσιμον verò *ſtabilem, ſeu fixum*, quòd in venis inhæreãt, neque in
H carnem permanent, quòd illi ςάσιμοι χυμοὶ tenues venoſique ſint. In ſumma totum illud liquidum Praxagoras χυμὸν appellat: at Mneſitheus quod liquidum eſt, χυλὸν *ſuccum* nominat, ſed guſtatilem qualitatem, ſiue in arido ſiue in liquido poſitam, χυμὸν *ſaporem* vocat. Θερ-

μαείας autem *calorem* atque πνεῦμα *ſpiritum* Zeno idem eſſe cenſuit: ſed medici diſtinxerunt, πνεῦμα, quod ſpirando trahimus, θερμαςίαν verò, ſpiritus eliſionem appellantes. Alii vitæ quoddam principium calorē eſſe dixerūt.

DE FOETV ET IIS QVAE AD EVM PERtinent, Cap. XXXVII.

TO βρέφος *fœtus* membranis inuoluitur, quarum tenuem ac molliorem ἄμνιον vocat Empedocles, *deducta ab ἀμνὸς, id eſt agnus, appellatione.* Inde Eileithya dea quæ partui præeſt, ἀμνιὰς mihi cognominari videtur, non à Cretæ (vt alii exiſtimant) quodam portu. Nos hāc tunicam diſſecantes, humoris cuiuſdam longè illo qui in ſecundis continetur mundioris plenam inuenimus: accuratéque æſtimantibus, veluti quidam fœtus ſudor videbatur. Per οὐραχὸν verò *urinaculum* humorem quendam in χορίον *ſecundas* inſtar vrinæ tranſfundi cognouimus. Sed ἄμνιος interius fœtui, ſecundæ autem exterius vuluæ, breuis atque venoſa tunica, adhærebant. E ſecundis ὀμφαλὸς *umbilicus* oritur, ex duabus venis totidémque arteriis compoſitus, & ex quinto appellato vracho *urinaculo*, breui vaſculo, vtrinque cauo, è veſicæ fundo in ſecundas intrante.

Plurima in homine reperta, huiuſmodi appellationibus inſignire oportet. quòd ſiquid in his omiſſū fuerit, non ideo tamen plurima, ob pauca quædā conniuētibus oculis præterita, aſpernari conueniet.

RVFFI EPHESII MEDICI DE CORPORIS humani partium appellationibus, alter liber I.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

QVAE IN ALTERO LIBRO PRIMO CONTINENTVR.

Quæ ſit libri neceſſitas, Cap. I.
Quæ ſint maximæ corporis partes, Cap. II.
De capite eiúſq; partibus vſq; ad naſum, Cap. III.
De naſo & aliis faciei partib⁹ vſq; ad labia, Cap. IIII.
De oculorum partibus, Cap. V.
De malis, maxillis, & mento, Cap. VI.
De aurium partibus, Cap. VII.
De ore, & in eo contentis, Cap. VIII.
De collo, & eius partibus, Cap. IX.
De epomide, humero, ſcapulis, alis, & reliquis vſque ad extremam manum, Cap. X.
De pectoris ac dorſi partibus, Cap. XI.
De ventris, ſeu alui partibus, Cap. XII.
De virilis membri partibus, Cap. XIII.
De fœminarum locis, Cap. XIIII.
De dorſi oſſib⁹, extremíſque eius partib⁹, Cap. XV.
De inguinibus, crurīſque totius vſque ad extremum pedem partibus, Cap. XVI.

QVAE SIT LIBRI NECESSITAS, Cap. I.

SI QVIS fidibus canendi artem doceri cupiat, ante omnia fides peritè tractare, ſinguláſque propriis nominibus appellare diſcat neceſſe eſt. Grāmatiſtæ ante legēdi cæteræq; doctrinæ ſciētiā, elemētorū nomina pueros prædocēt. Necnō in geometria, quid linea ſit, quid ſuperficies, quid planū, q̄d figura triāgula, quid circulus, id genúſq; alia, quóq; rite nomine appellentur, prædiſcere opus eſt. In aliis itidem artibus prænotiones vocabulorum ſimiliter edocent. Medicam itaque artem capeſſere optātibus, elemēta prius tradere perquam neceſſarium eſſe duxi, vt quæque videlicet corporis pars rectè nominanda ſit: quādoquidem diuiniſſimus Hippocrates in libro qui inſcribitur De locis in homine, ita loquitur, Corporis autē natura, ſermonis in medicina principium eſt. Nos igitur etiā à ſimplicioribus exteriúſque aſpectui ſubiectis exorſi, eorum prænotiones appellationéſque trademus.

QVAE SINT MAXIMAE CORPORIS PARtes, Cap. II.

MAximæ corporis partes, κεφαλή *caput*, αὐχὴν *collū*, θώραξ *thorax*, χεῖρες *manus*, σκέλη *crura*. Thoracem nō ſolùm à iugulis ad præcordia vſque, ſed totū à iugulis vſque ad genitalia vocamus.

DE CAPITE EIVSQVE PARTIBVS, vſque ad naſum, Cap. III.

KΕφαλὴν *caput*, quod capillis intectum eſt, ſimul etiā cum facie & alia ſic appellantes comprehendimus. Prior capillata pars, dicitur βρέγμα *ſinciput*. in quo & ſutura eſt quæ στεφάνη *q. d. corona* vocata eſt, quoniam ipſi στεφάνους *i. coronas* circū ponimus: poſterior ἰνίον *occiput*. Partes ab vtraque ſincipitis parte, κρόταφοι & κόρσαι, *tempora*. Pars media qua maximè cōuoluūtur capilli, κορυφὴ *uertex*. Sub ſincipite ſitū eſt μέτωπον *frons*. In tēporibus, pilorum exortus ἴουλοι *lanugo*. poſteriores occipitis pili χαῖται, *ꝗ noſtri crines dici poſſunt*. Vltima frōtis ruga ἐπισκύνιον. Partes frontis pilis hirtæ ſunt ὀφρύες *ſupercilia*. horū media ītercapedo μεσόφρυον *glabella*. inde porrigitur ῥὶς *naſus*.

DE NASO ET ALIIS FACIEI PARTIbus vſque ad labia, Cap. IIII.

EXtremum τῆς ῥινὸς *naſi* dicitur σφαίριον *globulus*. Quod naſum in duas cauernulas diſtinguit, appellatur διάφραγμα, *interſeptum*. A globulo carnoſum quiddam in labium deſcendens eſt κίων *columna*. Naſi cauitates ab vtroq; interſepti latere, per quas olfactus præſtatur, μυξωτῆρες *nares* vocantur. Naſi πτερύγια *alæ, ſeu pinnæ*, ſunt ea quæ ambiunt huiuſmodi cauitates. Sub columna ſubſidens cauitas ſupra labium, φίλτρον *amatorium* dicitur. Totum verò quod infra naſum ſupra labia eſt ὑπορρίνιον appellāt. Deinde labia duo, quorū ſumma, πρόχειλα, *q. d. prolabia*: quâ committuntur autem, πρόστομιον.

DE OCVLORVM PARTIBVS, Cap. V.

SVb ſuperciliis ſūt ὀφθαλμοὶ *oculi*. quæ oculos cōtegūt, ſunt βλέφαρα, *palpebræ*. harum altera, ſupra, altera infra eſt: quarū in conniuēdo cōgreſſus ταρσοὶ vocātur: pili ex palpebris nati βλεφαρίδες, *cilia*. Tarſorū extrema, κανθοί: magn⁹ naſo, exigu⁹, tēpori finitim⁹. Κόραι ſūt αἱ ὄψεις: γλῆναι, oculorū media, per quæ videmus. Alii ὄψιν id vocāt quo videmus, κόρην autem & γλήνην, ſimulacrū in pupilla cōſpicuum. Poſt hæc autē, quæ ſunt nigra, cæſia, aut ſplendida, à colore nominātur iris: κύκλος circulus eſt prædicta albo continuans. Sub oculis loca, ὑπώπια, *ſubocularia* vocantur.

DE MALIS, MAXILLIS, ET MENTO, Cap. VI.

HIs hypopiis inſurgentes eminentiæ ſubiacēt, vocatæ μῆλα *malæ*: quæ per pudorem erubeſcūt. Sub his ſunt eæ quæ vocātur παρειαὶ & σιαγόνες & γνάθοι, *maxillæ, ſeu mādibulæ*: quarū inferioris extremū in acutū deſinēs, eſt γένειον *mentum*. à quo vſque ad inferius labiū os fit rotundū atque prominens. Sub mento carnoſa pars ἀνθερεὼν ſeu λευκανία dicitur: verùm alii anthereona, hanc partem: leucaniā verò, cauitatē iuxta iugulū appellant.

DE AVRIVM PARTIBVS, Cap. VII.

ΩΤα *auriculæ*, eminētiæ ſunt ab vtroq; tempore iuxta extrema collocatæ. quarū cauernulæ, πόροι ἀκουστικοὶ *meatus auditorii* vocantur: per quos audimus ſcilicet. Harum inferiores carnoſæque partes ſunt λοβοὶ *fibræ*: ſuperiores cartilaginoſæque, πτερύγια *pinnæ*: ἕλικες, quæ deinde circunferentiā ambiunt: ἀνθέλικες verò, in medio poſt helicem extumeſcentes prope cauitatem particulæ. Cauitas ipſa, concha dicitur: conchæ oppoſita prope tēporis finem elatio, τράγος, *i. hircus* vocatur: huic oppoſita ex craſſiore anthelice, ἀντίτραγος.

DE ORE, ET IN EO CONTENTIS, Cap. VIII.

ΣΤόμα *os* eſt prima labiorum diuiſura, & reliqua omnis vſque ad fauces inanitas. In ore & alia quædā ſunt, & ὀδόντες, *dētes* quorū priores octo τομεῖς *inciſores* dicūtur: at hos ſequentes quatuor, κυνόδοντες *canini dentes*: reliqui omnes viginti ſunt μύλαι *molares*. Horū extremi atq;

interius cōditi, σωφρονιστῆρες, *i. moderatores aut tēperatores* nūcupātur: qui tū oriūtur quū incipimus σωφρονεῖν. *i. ſapere. genuinos Latini uocāt.* Dentes circūplexæ carunculæ, ſunt οὖλα, *gingiuæ*: quorum cōmiſſura, χαλινὸς *habena* dicitur. Latæ molariū dentiū ſummitates, τράπεζαι *menſæ* nominantur. Maxillarū cauitates, in quibus dētes defixi ſunt, ὁλμίσκοι *mortariola*, atque φατνίαι *præſepia*. Linguæ exortus ῥίζα *radix* vocatur: αὐχὴν ceruix, quod ſequitur: eius ſummū προγλώσσιον, *quaſi prælinguiū dixeris*: ei⁹ latera, παρακολουθεῖα, *i. aſſequentia*. Quod eſt infra linguā, eſt hypogloſſis: at epigloſſis, quod interi⁹ ſupra guttur eſt arteriæ aſperæ tegumētū, quò inter deuorandū nihil in pulmones decidat: inter ſpirandū verò, ne ſpiritus aſcenſum impediat, extollitur. Quod ſupra linguā in orbē cauū eſt, dicitur οὐρανὸς *cælū*, vel ὑπερῷα *palatū*. quæ deinde ſuperi⁹ pēdet caruncula, eſt κιονὶς *columella*: quam alii γαργαρεῶνα *gurgulionem*, alii σταφυλὴν *uuā* vocitarunt. Ipſi ſubiicitur caput τοῦ βρόγχου. *i. aſperæ arteriæ*.

DE COLLO, ET EIVS PARTIBVS, Cap. IX.

Deinde τράχηλος, ſiue δειρὴ, *collū*, cui⁹ prior pars, βρόγχος & aſpera arteria: circa mediū prominētia, λάρυγξ *guttur*: auerſa pars, αὐχὴν, *ceruix*, & ἰνίον, *occipitiū*: prope iugula cauum, anticardium & σφαγὴ *iugulatio* nuncupatur.

DE EPOMIDE, HVMERO, SCAPVLIS, alis, & reliquis vſque ad extremā manum, Cap. X.

A Tēdone autē ad ὤμοις *hmeros* pertinētia ἐπωμίδες nominātur. ὦμοι *humeri* capita ſunt eorū oſſiū quæ βραχίονες dicuntur. *à noſtris humeri etiam uocantur.* ὠμοπλάται *ſcoptula operta, ſiue lata ſcapularum oſſa*, tergo impoſita lata oſſa ſunt: quorum media eminentia, ῥάχις *ſpina* eſt. Κλειδῶν *iugulorum* & ὠμοπλατῶν *latorum ſcapularum oſſium* copulæ, ἀκρωμία dicuntur. Cōtiguæ ſūt κατακλεῖδες, *q. d. claues. Latinis iugula.* Μασχάλη *ala*, eſt ſub humeris cauitas, in quā frequēter humer⁹ luxatus delabitur. Deinde humerus eſt, qui brachion à Græcis vocatur. Articuli angulus quo nitimur inclinati, ἀγκὼν eſt, ſiue ὠλέκρανον, *cubitus*. Quod ſequitur, eſt πῆχυς *ulna, ſiue lacertus, ſiue brachiū*: quod terminatur καρπῷ *brāchiali*: poſtea μετακάρπιον *palma*. Deinde ςῆθος χειρὸς, *manus pectus* (alii ὑποθέναρον vocāt) ſub pollice eſt. Poſtea eſt man⁹ cauitas *quæ uola nominatur*. Ex digitis vnus ab aliis diſtās, μέγας dicitur, *magnus. dicitur & pollex*. At λιχανὸς, *Lat. index*, inter alios quatuor primus eſt. alter, μέσος *medius*. tertius, παράμεσος, *i. medio proximus. Latinè autē anularis*. vltimus autē, μικρὸς *paruus*. Digitorū oſſa, σκυταλίδες *ſcuticulæ*, aut φάλαγγες, *phalanges, à quibuſdā internodia* vocātur. Eorū curuaturæ, κόνδυλοι. ſed primæ, προκόνδυλοι, vltimæ, μετακόνδυλοι. *omnes à Latinis nodi uocati ſunt.* Ονύχων *unguium* initia, ῥιζωνυχία *unguium radices* appellantur. Digitorū extrema, ῥᾶγες *acini* aut κορυφαὶ *cacumina*. Interſtitiū anularis ac pollicis, eſt θέναρ. Hippocrates autē totum hunc locum thenar appellaſſe viſus eſt: *qui locus apud Latinos uolæ nomen habet.*

DE PECTORIS AC DORSI PARTIBVS, Cap. XI.

Ἀπὸ δὲ τῶν κλειδῶν *à iugulis autem* in parte priori eſt ςῆθος *pectus*, & ςέρνον. At νῶτον *tergum* poſterius à ceruice ponitur. Deinde quod appellatur μετάφρενον, *hoc eſt pars è regione ſepti poſita*. Sequuntur ὀσφύες *lumbi*, pars dorſi infima. Carnoſæ autē eminētiæ quæ ſub pectore ſunt, vocātur μαςοὶ & τιτθοὶ *māmæ*. quarū ſūmitates, θηλαὶ *papillæ*: totū

A quod ſub ala deorſū verſus protēditur, eſt πλευρὰ *latus*. oſſa verò, πλευραὶ *coſtæ*, & σπάθαι. quarū primæ inter ſe cōmittūtur ad terminū ςέρνου, *i. oſſis pectoris*. Qua cor ſitū eſt ſeptū trāſuerſum, aliqui φρένας, aliqui προκάρδιον *q. d. ante cor poſitū*, aliqui καρδίαν *cor* nominant. Poſt ipſū, eſt τὸ ςόμα τῆς καρδίας, *uētriculi oſtiū*. Inter coſtas ſpatia, μεσοπλεύρια *intercoſtalia* vocātur. Coſtæ νόθαι *ſpuriæ* ſūt quæ nō interſe coeunt: harū extremitates ſunt χόνδροι, *cartilagines*.

DE VENTRIS SEV ALVI PARTIBVS, Cap. XII.

B Muſculoſæ partes ſub cartilaginib⁹, ὑποχόνδρια *ſubcartilaginea, à quibuſdam præcordia* dicūtur. Deinde eſt κοιλία *aluus, quā alii uentrē nomināt*. Cutis autē quæ ſuper ventrē eſt, dicitur ἐπιγάςριον, *q. d. ſuperuentrale*. Media cauitas eſt ὀμφαλὸς *umbilicus*. ei circūdata cutis vocatur γραῖα, *i. uetula*, quòd ea corrugata ſenectam adeſſe ſignificet. Quod eſt ſub vmbilico, vocatur ὑπογάςριον & ἦτρον, *abdomē ac ſumen*. Quod poſtea ad genitalia vſq; pertinet, ἐπίσιον aut ἐφήβαιον *pubes ac pecten* dicitur.

DE VIRILIS MEMBRI PARTIBVS, Cap. XIII.

C Τῶν αἰδοίων *genitaliū* maris quod pēdulū eſt, ςῆμα, *coles Latinè peniſq;* dicitur: quod nō pēdet, ὑπόςημα *hoc eſt ſedimētū*, aut περίναιος. eius extremū eſt πόσθη, *præputiū*. ὄσχεος *ſcrotū* quo teſtes continentur, appellatur: eorum ſuperior pars, κεφαλὴ *caput*, inferior, πυθμὴν *fundum* appellatur. partem laxiorem ſcroti λακκόπεδον dicunt.

DE FOEMINARVM LOCIS, Cap. XIIII.

Τῶν αἰδοίων τῆς γυναικὸς. *i. muliebriū locorū* pars ſuperior eſt κτεὶς, *pectē*: σχίσμα *fiſſura*, prima diuiſio. In medio ſita muſculoſa caruncula, μύρτον, aut νύμφη, *nympha*: μυρτόχειλα verò, à lateribus collocatæ pinnæ.

D DE DORSI OSSIBVS, EXTREMISQVE eius partibus, Cap. XV.

Τῆς ῥάχεως *dorſi* oſſa ſūt σφόνδυλοι, *uertebræ*. vniuerſa vertebrarū compago ἄκανθα *ſpina* dicitur: cuius infima pars ὀσφὺς *lumbi*: poſtremúmque dorſi eſt ἱερὸν ὀςοῦν *ſacrū os*: quod aliqui ὑποσπόνδυλον, *i. ſubuertebrā (ut uerbū uerbo reddatur)* appellarūt. Huius extremū eſt κόκκυξ, *cuculus*. A lūborū lateribus ſunt γλουτοὶ, *nates*. Poſt lūbos carnoſæ partes, πυγαὶ *clunes* appellantur: ἑδράνα etiam *quòd ſedendo commodæ ſint* nominantur.

E DE INGVINIBVS, CRVRISQVE TOTIVS, vſque ad extremum pedem, partibus, Cap. XVI.

Βουβῶνες *inguina* ſunt femorū principia. τῶν μηρῶν *femorū* partes interiores ſūt παραμήρια, femina. Quæ partes inter has perinæúmq; ſunt, πληχάδες dicūtur. Muſculi ad genua tēdentes, ἐπιγουνίδες Græco nomine vocātur: oſſa ſuperiaciētia, ἐπιγονατίδες. Hæc Hippocrates μύλας *molas* vocat, *Latini patellas*. Γόνυ *genu* eſt femoris cū crure cōnexio: ſub quo eſt ἰγνύα, *poples*. γαςροκνημία *ſura* eſt poſterior magnus cruris muſculus, vnde latus neruus ad cal-
F cem tēdit: oſſiū verò poſterius, itidē κνήμην *ſuram*: prius, ἀντικνήμιον dicito. Extrema pedibus propinqua, σφυρὰ, *malleoli*, à nonnullis ἀςράγαλοι *tali* (ſed non rectè) dicūtur. Tali tamē & ipſi adſunt, ſed non oculis conſpicui. Πτέρνα *calx* poſterior eſt pedis rotunda pars, poſt quā cauum pedis eſt. poſt hoc verò, πεδίον *planta ſeu ueſtigium*. Cui oppoſitum ſupremum ταρσὸς eſt. Totum verò pedis ſitum πέζαν Græci vocant. Pedum digiti, manuum digitis appellationibus reſpondent.

RVFFI

RVFFI EPHESII DE APPELLATIONIBVS partium corporis humani liber II.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

PRIMI LIBRI CAPITA.

Libri continuatio, atque propoſitum, Cap.I.
De cerebro, eiúſque tunicis,& enatis, Cap.II.
De oculi partibus, Cap.III.
De eis quæ ore continentur, Cap. IIII.
De pharynge, id eſt aſpera arteria, & gula, & pulmone, Cap.V.
De iecore, bilis conceptaculo,& venis portis vocatis, Cap.VI.
De liene, Cap.VII.
De corde,ab eóque enatis,&adiacẽtib⁹, Cap. VIII.
De pectoris partibus,& ſepto trãſuerſo,Cap.IX.
De gula, & ventriculo, Cap.X.
De inteſtinis,& lactibus, Cap.XI.
De renibus,vrinariiſque meatibus, Cap.XII.
De omento, Cap.XIII.
De ſeminariis cõceptaculis,& ſemine, Cap.XIIII.
De ſcroto,teſtib⁹,eorúmque mẽbranis,Cap.XV.
De vtero, Cap.XVI.
De venis,arteriis,multíſque aliis corporis particulis, Cap.XVII.

LIBRI CONTINVATIO, ATQVE PROPOSITVM, Cap. I.

POſteaquam extimarum corporis humani partium appellationes expoſuimus, deinceps continuata ſerie ad latentium internarúmque notitiam trãſeamus:quippe quum à viris ſapientibus homo, mundus quidam exiguus appelletur,cæleſtis ordinis æmulus,in membrorum fabrica, actionibúſque præſtandis varium effectuum artificium poſſidens. Quemadmodum igitur reliqua medicinæ præcepta , ita & quæ ad diſſectionis artem faciunt,referenda ſunt.Quamobrem artis principia,ac veluti fundamẽta illuſtrioris doctrinæ cauſa iacientes, quẽ ſitum mẽbris natura tribuerit, eorúmque ſimul nomina explicabimus.

DE CEREBRO, EIVSQVE TVNICIS ET enatis, Cap.II.

ITaque in capite intra caluariæ concauum ſuis cũ velaminibus includitur ἐγκέφαλος *cerebrũ*, próque corporis mole longè maius in homine quàm in cæteris animantibus reperitur.Eius ſubſtãtia pulticulæ ſimilis eſt, viſcida atque præcãdida: poſt id in occipitio παρεγκεφαλίς *cerebellum* collocatur. Tunicarum prima caluariæ oſſibus affixa eſt,quæ pulſatorio etiam motu cietur: altera cerebro circundata ipſum diſſipabile conſeruat, eiúſque fragile corpus in vnũ cogit ac retinet: vtraque neruoſa membranoſáque eſt,exiguo interſitorum vaſculorum ſenſu prædita.interius cõdita, motu caret:exterior, mobilis atque craſſior eſt. A cerebro medullæ proceſſus exoritur per caluariæ foramẽ in occipitio erumpẽs, per vertebrarúmque omnium caua ad extremam vſque delabitur: neque propria tamen cerebri ſubſtantia eſt, ſed emanatio,quæ ſpinalis medulla vocatur. Meatuum verò proceſſus ſunt à cerebro neruoſi ad ſingula ſenſoria, vt ad aures naréſque, & huiuſmodi alia propagati. vnus autem à baſi prorſum verſus in duos diuiſus progreditur,& ad vtrũque oculũ pergit: qua parte quæ vocatur πύελις, *peluis*, atque inſtar foueæ iuxta vtramque narem faciei cauitas:vbi tunicarum oculum componẽtium plexus efficitur.

DE OCVLI PARTIBVS, Cap.III.

EArum tunicarum prima, nimirum ab ordine prima, à colore verò cãdida vocata eſt: quemadmodum & cicatrices eius candorem indicantes oſtendunt. Tunica igitur prima,cãdida vocatur:& κερατοειδής,cornicularis ſiue cornea:aut propter firmitatem,aut quoniã interius conditus humor per hãc,tãquam per corniculum, pellucet:aut quòd inſtar cornu in corpuſcula χιτῶνας vocata *i.fibras aut filamenta*,reſoluitur.Secunda verò primæ per appenſionem vſque ad vocatam coronam adnexa eſt, quæ media dehiſcit,atque orbiculari cauo perforatur: cauatum autem corpuſculum exterius,qua corniculare attingit,læue terſúmque eſt: in auerſa parte aſperum,vt inquit Herophilus, quale vuæ acini corium eſſe ſolet. vaſculis perplexa hæc tunica eſt: quæ ſecunda,ab ordine,τετρημένη *perforata*, à ſtructura,à ſimilitudine ῥαγοειδής, *Latinè acinalis aut uualis*: χοροειδής etiam,quod inſtar χορίου(*id eſt ſecundarum*)vaſculis ſit multis irrigata, nominatur. Tertia ab eodem meatu progreſſa tunica humorem oui albo ſimilem vitreúmque appellatũ includit.Eſt hæc prætenuis, vocatúrque ab humoris concretione ὑαλοειδής *uitrea*:à tenuitate,ἀραχνοειδής *aranealis*,à vaſculorum contextu figuráq;,ἀμφιβληστροειδής,reticularis:quippe quæ ex anguſto in latũ diffunditur,ſinuatúrque: quò quartam tunicã humorem cryſtallo ſimilem continentem inuoluat.cuius dimidium prominet, ſecundæ tunicæ foramini contiguũ,dimidiũ cum araneali cõmittitur. Hæc igitur tunica, δισκοειδής,*id eſt diſco ſimilis*,aut φακοειδής *lẽticularis* à figura vocatur:aut à cõcreto humore κρυσταλλοειδής. Nempe quidam hanc neque tunicam appellandam eſſe cenſent:nam membranoſam quandam congelationem eſſe dixerunt.

DE IIS QVAE ORE CONTINENTVR, Cap. IIII.

DEinceps ad ea quæ in ore latent deſcendamus.Lingua primùm, turbinata figura conſideretur, à lato in anguſtũ gracileſcens,à faucibus radices ducens, carnoſo & quodammodo neruoſo corpore,in cibis atterendis deuorandíſque mobilis:præterea & ad articulatæ vocis creationem emiſſum aerem ſecundum animi inclinationem conformans,guſtatoriúmque ſenſum particípans.In huius baſi ἐπιγλωττίς vocata exoritur, ceu quædam exigua lingua,ſupra eius latitudinem aſſurgens,in faucibus,ex latiore baſi in anguſtum finiens, cartilaginea materia conſtans,faucibúſque cognata. hæc aſperæ arteriæ operculũ , & ciborum in gulam deſcenſus iter quoddam eſt. Supra epiglottida autem ſupernè κιονίς *columella* dependet,ex palati partibus ſecundum eius foramina exoriens.Hæc vocatur etiam σταφυλή *uua*,ab extremitatis rotunditate,nullã magni faciendam vtilitatem adferens. vnde fit vt ea reciſa,nulla corporis actio vitietur.In penitioribus autem ab vtraque linguæ parte affixa ſunt παρίσθμια *tonſillæ*,numero ſex,corpore glanduloſa,figura ſubrotunda, natura facilè mutabilia atque diſſipabilia,membranulis quibuſdam altius inſertis conuoluta.Ex his, quatuor ab vtroque latere cernũtur,duo verò cerni vix queunt. Vocata ſunt autem παρίσθμια quod in anguſto meatu ſitæ ſint.veteres enim locorum anguſtias ἰσθμούς appellabant.ἀντιάδας verò *quaſi contrarias dicas*, idcirco etiam nominabant quoniam ore aperto ἀλλήλαις ἐναντίαι *id eſt inter ſe contrariæ*, præſertim quum inflãmatæ ſunt,appareant.

DE PHARYNGE, ID EST ASPERA ARteria, & gula,& pulmone, Cap.V.

INde à palati ac linguæ partibus duo itinera patefiunt.horũ prius φάρυγξ vocatur:inter hoc & colli vertebras στόμαχος *gula* eſt. Pharynx cartilaginoſus eſt,atq; in orbẽ patẽs,ſuperi⁹ latior,infrà verò anguſtior:deſcẽdẽs autem κατὰ τὰς κλεῖς, *per iugula*, appellatúmque ἀντίστερνον, *i.ſpinam dorſi quæ pectori opponitur*,in medios pulmones inſeritur:ipſóſque anulis quæ βρόγχια vocant intexit.Huiuſmodi membrum aſpera arteria, quòd iſtis anulis aſperata ſit,dici meruit:βρόγχος etiam à quibuſdam vocatur,ad aeris inſpirando ducti tranſitum, vocémque edendam, à natura cõſtitutus. De ipſo ὁ πνεύμων *pulmo* ſuſpenditur,

rarus ác peruius, pectoris inanitate concluſus: idem globoſus eſt, muriſque caudæ figuram repræſentans. In *λοβοὺς fibras* quinque diducitur, colore cinereo atq; ſubalbido: aſſidua motione cõcutitur, follis morem in ſpiritus trãſitu retinens. quippe ſpiritus per aſperam arteriam in bronchia tractus, per pulmonis ſpiramenta intra pectoris cauum elabitur: atque iterũ foras ab hoc per naturalia foramina propellitur.

DE IECORE, BILIS CONCEPTACVLO, & venis portis vocatis, Cap. VI.

AB vtriſque præcordiis iacent *σπλὴν* & *ἧπαρ, lienis & iecur.* ſub pulmone à dextris iecur eſt, tranſuerſo diſcrimini magis appenſum, poſteriori parte in gibbũ aſſurgens. In quatuor aut quinque fibras dirimitur, colore lentis: ad rubicundius tamen vergit, venoſo corpore iuxtà atq; ſanguineo. Venas autẽ quæ cauæ per diaphragma, *id eſt interſeptum,* ad cor tendenti committũtur, *στόματα* & *πύλας, ora & portas* vetuſti ſcriptores nuncuparũt. Sub conuexa parte puſillum quoddam vaſculum veſicæ ſimile defixum eſt, neruoſum, felliſque inibi geniti capax: à quo ſanè meatus quidam nerueus per lactes ad inteſtina contendit: per quem paulatim bilis in inteſtina delabitur, excrementáque felleo colore ſuffundit, atque ipſa depellendi cupidinem infert. Hoc intercluſo itinere, aurigo futura portenditur, bile per omne corpus effuſa. quocirca albidæ cretaceæque deiectiones exeũt. Eſt autem præferuidum igneúmque iecur, plurimũ ad ſe alimenti attrahẽs, ac finitimis partibus cõmunicans: idcirco ſiniſtris dextræ partes viribus præſtant.

DE LIENE, Cap. VII.

AT lienis iecori contrarius, in ſiniſtris præcordiis iacens, opponitur, ad humani veſtigii longitudinẽ protentus: ſuperius rotundus & robuſtus, infrà contractus & gracilis, medius anguſtior: vini fæcis colore perfuſus: laxus ac foraminulentus, cõceptaculis multis implicitus: ignauũ membrũ, nullóque fungẽs miniſterio.

DE CORDE, AB EOQVE NATIS, ET adiacentibus, Cap. VIII.

PVlmonis fibris circuntegitur *καρδία cor,* intra pectus ſedẽ habẽs, ſecundũ mediũ, magis tamẽ ad ſiniſtram declinãs: & ſub ſiniſtra mãma collocatur, *pinei nuclei effigiẽ adeptũ, & à lata baſe in mucronẽ inſtar turbinis acuminatũ: muſculoſum natura atq; neruoſum, pulſatorio ſemper motu percitũ, mediũ inane, duob⁹ manifeſtis finibus concauũ, altero in dextris, qui ſanguineus, quòd multitudine ſanguinis affluat, appellatur: altero in ſiniſtris, ſpirituoſo, quoniam ſpirituum copia redundat, nuncupato. inde fit etiam vt ſpirituum agitatione moueatur. Membranis præterea vtrinque latioribus, auricularibus vocatis cor præcingitur, quoniam ad auriũ imaginem cordis lateribus inhærent, & prominent. Ab ipſo verò plura conceptacula naſcuntur, & venæ, & arteriæ: è quibus omne corpus vaſculis tanquam riuis emanantibus irrigatur. Membrana præterea quadam cor veluti ſepimento vallatur, cui *περικάρδιος* nomen eſt, neruoſa, tenui, & quæ motu à corde trãſfuſo palpitat.

DE PECTORIS PARTIBVS, ET SEPTO tranſuerſo, Cap. IX.

HÆc omnia complectens *θώραξ pectus,* ex cartilaginibus componitur, atque oſſibus quæ in coſtis, pectorali oſſe atque dorſi ſpina reperiuntur. neruorum etiã carniúmque particeps, extra carnoſior, interius neruoſus eſt. qua etiam parte ſuccingente membrana veſtitur. At *διάφραγμα interſeptum, ſiue tranſuerſum ſeptum,* obliquũ pectori, qua coſtæ finiuntur, ſubtenditur. Id ita vocatum eſt quòd viſcera in pectore abdita ab inferiorib⁹ *διαφράττει, id eſt interſepit.*

DE GVLA ET VENTRICVLO, Cap. X.

A Superioribus igitur corporis partibus (quemadmodum ſuprà retulimus) ſimul cum aſpera arteria enaſcitur, ſecúſque ipſam protenditur *στόμαχος gula,* ab eiſdem vtique partibus incipiens, non ſimiliter autem deſinens. Hæc tubæ imaginem amplitudine refert, ſuprà anguſtior, infra verò, quâ cum *κοιλία ventriculo* committitur, capacior. hoc quippe nomine *ἡ ἄνω κοιλία ſuperior uenter* natura neruoſa vocata eſt. Munere autem ſicci humidique alimenti deuorandi gula fungi-

A tur: cuius examen ipſa acutiſſimo ſenſu prædita facit. Ventriculus itaque à gula exoriens, ſub medio interſepto, ad læuam magis reflexus collocatur, ab anguſto ore in latam capedinem ſinuatus: cuius conuexum extra in abdomen vergit, ſimum verò, dorſum reſpicit. Longè neruoſior quàm gula ventriculus eſt atque amplior. ipſe nimirum intus accepta collocans, non magnopere ſe dilatat: ſed cibi ingreſſui cedens, eius deſcẽſum ſe cõſtringendo inſequitur, quum ad alimenta ſuſcipienda à natura creatus ſit.

B DE INTESTINIS ET LACTIBVS, Cap. XI.

A Ventriculo inteſtina prodeunt, in plures orbes implicita, ad excipiẽda cibaria quæ ab eo delabuntur, formata. horum vnum idémque ab ipſo vocato proceſſu ad rectum ac ſedem vſque iter pertinet. inter quæ primum eſt quod oſtiarius, aut dodecadactylus dicitur: oſtiarius quidem, quòd in ventriculo poſita, tantiſper dum ſunt coacta cuſtodiat: quum remiſſa ſunt autem, tunc & oſtiarius cum inteſtinis aperitur: quemadmodum ani muſculus ſphincter vocatus, *id eſt adſtrictor,*
C remittitur. Dodecadactylus autem à duodecim digitorum lõgitudine vocabulum accepit. neruoſa ipſius craſſáque ſubſtantia eſt. Huic appellatum ieiunum contiguum eſt, aliis inteſtinis carnoſius, ſemper ferè alimenti penuria laborans: vnde ieiuni quoque appellationem adeptum eſt: quòd in ipſo videlicet alimentum vt in ventriculo & inteſtinis aſſolet, non inueniatur. Poſtea gracilia quæ vocantur inteſtina, prolixa, in multas ſpiras conuoluta, tredecim cubitorum longitudinem æquantia, collocantur, & ſub vmbilico in abdominis
D regione ponuntur. Sub his omnibus cæcum inteſtinum & colon eodem loco exoriuntur: cæcum quidem rectà in dextrum inguen ſpectans, altera ex parte obſtructum: colon verò, *quod maius inteſtinum Latini uocant,* à dextris enaſcens, ſupernè ſeſe circumuoluens, in iecur præcordiáque adductum incidit: deinde lienem ſiniſtrúmque ile petens, poſterius cum recto inteſtino coniungitur. id nonnulli & inferiorem ventriculum nominarunt, in quo etiam plurima cibi pars in ſtercus vertitur. Omnium poſtremum eſt rectũ, cæteris carnoſius: rectámque
E ſedem (vnde & nomen accepit) ſortitum eſt. in anulum autem & ſphinctera vocatum, *id eſt adſtrictorem,* deſinit, eum quidem, neruoſum & durum, hunc autem, carneum atque rugoſum, infimum omnium collocatum. Inter inteſtina medii lactes ſunt, quos Græci meſenterii atque meſaræi vocabulo inſigniunt.

DE RENIBVS, VRINARIISQVE meatibus, Cap. XII.

NΕφροὶ *renes* circa vltimas dorſi vertebras ſiti ſunt, numero duo, figura rotundi, colore lenticulæ, & quaſi
F ſubcinereo. dexter paulo altior grandiórque inuenitur. denſo ſqualidóque corpore conſtant: ſauciati ineuitabilem mortem adferũt. In penitis cauiſque eorum partibus membranulæ ſunt inſtar cribri, foraminibus plurimis pertuſæ. vnde meatus duo exeuntes veſicæ ſummitatem intrant, per quos vrina in veſicam tranſfunditur, indéq; foras expellitur. hos paulo antè *πόρους meatus* nominauimus.

DE OMENTO, Cap. XIII.

O Ἐπίπλους *omentum* inteſtina contegit, præpingue, du-
G plicique membrana contextum. ipſum idcirco natura condidit vt inteſtinis *ἐπιπλέων ſuperfluitans* ea aduerſus ambientis peritonæi duritiã remolliret. reciſum aut vulneratum vitæ diſcrimine vacat.

DE SEMINARIIS CONCEPTACVLIS, & ſemine, Cap. XIIII.

AT *σπερματικοὶ πόροι ſeminaria itinera* ſecundum renes, quatuor deſcendunt: bini rectà tendentes, quos & *παραστάτας* & *ἀδενοειδεῖς aſſeſſores & glanduloſos* nonnulli vocant: bini *κιρσοειδεῖς uaricoſi,* quòd *κίρσου uaricis* more circunflectantur. Intra hos fœcundum ſemen gignitur, grandinoſum craſſúmque: quare & ipſos nonnulli *γονίμους φλέβας genitales uenas* appellare voluerunt. In alteris autem eſt infœcundum dilutúmque ſemen, quod ſimul cum priore eius nutriendi cauſa excernitur. Verùm ab vtraque parte coniugata ſimul, vtraque à dorſo deſcendunt: ſed ſterilia vaſcula cum veſicæ ceruice coaleſcũt,

varicoſa verò per inguina teſticulorum tunicas ſubeũt. Quapropter eunuchi ſemen quidem ſed infœcundum è glandulosis fiſtulis eiiciunt: è varicoſis verò, exciſis teſtibus, ſeminis profuſio ſeruari non poſſit.

DE SCROTO, ET TESTIBVS, EOrúmque membranis, Cap. XV.

OΣχεος *ſcrotum*, & tota ea laxitas eſt in qua teſtes continentur, & magis propriè exterior carnoſa pars. Ex membranis cõſtat, exteriore quidem, darto vocata, (quæ rugoſa eſt) interiore autem, erythroeide. Nempe ſcrotum & dartos communia amborum teſtium inuolucra eos ſuperioribus partibus ſuſpendũt: ſed erythroides ſibi ipſi adnectit, atque in orbẽ teſtes amplectitur, priuatim ſeorſúmque ſingulos inuoluens. Ipſi teſtes autem ex pulticulæ ſimili materia conſtant, humidíque neruoſa admodum firmáque membrana includuntur.

DE VTERO, Cap. XVI.

MVliebre autem genitale membrum, quod μήτρα *uulua & uterus* vocatur, inter conceptacula eximiũ eſt: inter veſicã rectúmque inteſtinum poſitũ eſt, huic incumbẽs, illi ſubditum: medicinalis cucurbitulæ figuram æmulans. hoc loco venerei congreſſus exercentur.

DE VENIS, ARTERIIS, MVLtíſque aliis corporis particulis, Cap. XVII.

Φλέβες *uenæ* receptacula ſunt ſanguinem cõtinentia, per quas ſanguis in omnes corporis partes diffunditur. Arteriæ, ſpiritus & quodammodo etiam ſanguinis receptacula ſunt: in quibus fit ὁ σφυγμὸς, *motio quæ pulſus communi uocabulo dicitur*: & à corde excluſus ſpiritus per ipſas in omnem corporis molem diſpellitur. Πιμελὴ *pinguitudo*, eſt alba oleoſáque concretio, quam στέαρ *adipem* etiam nominant. Ἀδένες *glanduloſæ carnes*, concretiones quædam ſubpingues atque carnoſæ ſunt, peculiariter cauis locis inſitæ: alis dico, & inguinibus, necnon & lactibus. Ὀστᾶ *oſſa* coagmenta quædam ſunt ſolida, ſanguine & ſenſu carentia, per quæ actiuæ atque electoriæ motiones perficiuntur. Μῦς *muſculus* corpus eſt firmũ ac denſum, non ſimplex, ſed ex neruis, venis, arteriiſque compoſitum; ſentiendi particeps, officium voluntariæ motionis obiens. Χόνδροι autem *cartilagines* cõcretiones ſunt mediæ inter oſſa neruóſque naturæ. oſſibus enim molliores, neruis duriores ſunt, præcipuè oſſium extremitatibus coaleſcentes. Νεῦρον *neruus* corpus eſt ſimplex atque denſum, volũtarii motus inſtrumẽtum, obtuſi, dum inciditur, ſenſus. Secundum Eraſiſtratum quidem & Herophilum ſenſorii nerui ſunt: Aſclepiades autem ipſos ſenſu vacare teſtatus eſt. Cæterùm ſecũdum Eraſiſtratum quum gemina neruorum natura ſit, αἰσθητικῶν videlicet & κινητικῶν *ſenſoriorum atque mouẽtium*, αἰσθητικοὶ qui caui ſunt, in cerebri membranis originem habẽt, κινητικοὶ in cerebro ac cerebello. Dixit autem Herophilus aliqua νεῦρα eſſe προαιρετικὰ, *id eſt aliquos neruos eſſe uoluntati obedientes*, quorum à cerebro ſpinalíque medulla ſit origo: aliquos, qui ab oſſe orientes in os inſeruntur: aliquos à muſculo in muſculum tranſeuntes, qui articulos etiam copulant. Μυελὸς *medulla*, ſubſtantia eſt vnguinoſa & exanguis, quæ ſemper in oſſium cauis includitur.

RVFFI EPHESII MEDICI DE APPELlationibus partium corporis humani, liber III.

Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

TERTII LIBRI CAPITA.

De oſſibus capitis, & ſuturis, & cauis, Cap. I.
De colli vertebris, humeris, ſcoptulis opertis, & eorum proceſſibus, Cap. II.
De iugulo, oſſibus humeri, brachii, & manus, Cap. III.
De dorſi lũborúmque vertebris, & coſtis, Cap. IIII.
De coxa, femore, & reliquis vſque ad extremum pedem oſſibus, Cap. V.

DE OSSIBVS CAPITIS, ET SVTVRIS, & cauis, Cap. I.

POſteaquam interiorum locorum naturam nomináque pro viribus ſuperius expoſuimus, modò de oſſibus ſermonem ſubiiciemus. Κρανίον igitur *caluaria*, qua parte vocata ſcaphula eſt, globoſũ cernitur, in vertice extuberans, in ſincipite ſubcraſſum aliquantulum, & latũ, atque per oſſis iniectum duplicatum, circa tempora compreſſum: plerunque ſuturis quinque diuiſum: vna in vertice in poſteriorem partem tẽdente, quæ λαμβδοειδὴς *à literæ lãbda ſimilitudine* nomen habet. Altera autem orbiculari, in ſincipite, quæ στεφανιαία dicta eſt. *q. d. coronaria, quòd coronæ formam imitetur*: quæ ibidem terminata finitur. Tertia à lambdoeide rectà verticem partita, coronariæ vocatæ coniungitur. Duæ præterea ſunt ſecundum aures in temporum ſedibus λεπιδοειδεῖς *ſquamoſæ* dictæ, nõ in profundo, vt reliquæ, ſtructuras habentes. Priori ex parte ſunt cauernæ, ſedes oculorum, πυελίδες dictæ, *q. d. peluiculæ. nos autẽ arculas uocamus*. Inter has naſi os inſurgit, intra quod os ἠθμοειδὲς *à cribri ſimilitudine ita cognominatum*, multis foraminibus cauum, reconditur. Facies præterea oſſiũ, coagmentationes tales habet: infra ſuperciliũ vnam, duas ab naſi oſſis obliquis lateribus: quartam, inferiorẽ maxillam ſeparantem: quintam, in palato iugalibúſque oſſibus: duas alias quæ vix cerni queant, in malis. At caluaria ab inferioribus partibus concaua foramina profunda rotundáque habet, per quæ ſpinalis medulla deſcendit.

DE COLLI VERTEBRIS, HVMERIS, ſcoptulis opertis, & eorũ proceſſibus, Cap. II.

COlli ſeptem vertebræ ſunt inter ſe congruenter inſertæ. harum prima capiti motum exhibet, reliquæ immobiles ſunt. Poſtea humerus eſt, deinde ſcoptula operta, figura triangula, pectoris coſtis poſterius ad tabellæ imaginem incumbit: & qua parte latiora ſunt, ibi etiam tenuiſſima: qua verò anguſtiora, ibi & craſſiora & robuſtiora, in ſinum quendam ſubſidentia, in quem humeri caput cõiicitur. Ab eo ſinu proceſſus exigitur, ceu ſpina quædam, *ab anchoræ hamique ſimilitudine* ἀγκυροειδὴς & ἀγκιστροειδὴς nuncupatus. cum quo iuguli extremum per cartilaginem coaleſcens committitur.

DE IVGVLO, OSSIBVSQVE HVMERI, brachii, & manus, Cap. III.

AT iugulum in tribuli formam effigiatum, inſtrumento illi quod cathetera maſculinũ Græci vocãt, perſimile eſt: cũ oſſe autem pectoris, cúmque lato ſcapularum oſſe connectitur. Ipſa verò iugulorum media pars, ſigma Græcæ literæ ſimilis, cum prima dorſi vertebra coniungitur. Humerus prælongus ac teres eſt, ſuperiorique parte, quæ humeri caput dicitur, tumidior. id dimidium in verticillato ſcapularum oſſe reconditur. At inferi⁹, quâ cubito deligatur, inæqualis eſt, duóſque vtrinque proceſſus pugillis ſimiles habet: medium, cauum: à prioribus quidem partibus minus, à poſterioribus autem magis contractus eſt. Brachiũ duo ſunt oſſa, πῆχυς *cubitus* & κερκίς *radius*. Radius, ſuperior breuiórque: & primò tenuior rotũdo & leniter cauo capite exiguum humeri exteriuſque tuberculũ recipit. Cubitus, inferior longiórque, & primò plenior eſt, atque in manus articulo brachialis extremum admittit. Radius vtique, qua brachiali adnectitur, duobus finibus cauus eſt, altero recto, quo firmatur articulus, altero à latere, in

ad figu-

quo rotundum cubiti caput inſeritur. Porro brachiale ad figuram turbinis ex octo oſſiculis coagmẽtatur. Poſt hæc phalanges ſunt, prælonga oſſa digiti formam habentia. Deinde oſſa digitorum, σκυταλίδες, *id eſt ſcuticulæ, à Latinis internodia nominata*, in ſingulis digitis terna inter ſe inæqualia: præter pollicem, quippe qui à baſi duobus tantùm oſſibus nititur.

DE RELIQVIS VERTEBRIS, ET coſtis, Caput IIII.

POſt ſeptem colli vertebras, ſunt dorſi duodecim, lumborum quinque vertebræ: vt omnes, quatuor & viginti ſint. Ita verò inſtructæ paratæque ſunt vt introrſum verſus, qua viſcera contingunt, læues ac circunductiles, exterius aſperæ ſpinoſæque ſint, carne ingenita obrutæ, à lateribus in menſæ formam explanatæ: omnes in medio concauæ, vnicum in ſuo corpore cochleæ inſtar foramen habẽtes, per quod (vt ſuprà diximus) ſpinalis medulla demittitur. in tranſuerſis præterea proceſſibus parum deſidẽtes ſinus habent, qui cõſtarum extrema recipiunt. Nempe coſtarum aliæ ſuperius inflexæ inſtar fornicis, inter ſe deinde in interiora leniter flexæ committuntur: aliæ, obliquæ occurſantes, poſtea cartilagineæ factæ, ſpinæ ſpuriæq; coſtæ nominantur, & maiorem quàm in ſuperioribus circuitũ ex cõcurſu minorẽ faciũt. Reliquis omnibus vertebris vltima præſtat, quod & ſacrũ os ſecũdũ antiquorũ cõſuetudinẽ appellam⁹, qui omnia magna, ſacra nominabãt.

DE COXA, FEMORE, ET RELIquis vſque ad extremum pedem oſſibus, Cap. V.

AB vtroque autẽ huius vertebræ latere, coxarum oſſa poſterius extẽduntur, ſuiſque extremis oſſi pubis (cui pectini nomẽ eſt) cartilagine coaleſcẽtia deligantur. Hæc figura lata ſunt ac ſubrotũda, interdũ etiã anguſta ac craſſiore. Id genus oſſa ſinus verticillatos non exactè penetrãtes ſed profundos habent, κοτύλας *acetabula* vocatos. in eos femorũ capita cõiiciũtur. At femora, prælõga, valẽtiáque oſſa ſũt à coxis ad genua vſq; pertinẽtia, tereti figura, atq; in exteriore parte gibba. Ab inferioribus autẽ, quâ genua attingunt, tuberoſis globis intumeſcunt, adeo vt vtrinq; in rotunda capita conſurgant: media verò ſinuata ſunt, quò facilius excipi à tibiis poſsint: quæ triangulæ, & in ſummo capite lateſcẽtes, leniter in ſinus deſidẽt, in quos extuberantes femoris eminentias recipiunt: ipſius verò tibiæ prominentia in ſinum femoris inſeritur. At ab exteriori parte os alterum quod ſura rectè nominatur, appoſitum eſt, tibia gracilius, non proximum femori, infrà breuius, qua etiam parte tumidius eſt: eámque nonnulli vulgares ἀστράγαλον, *talum*, vocari aſſeuerant. Vtrunque os autem, ſura videlicet ac tibia, in fine multa cartilagine vnita continetur. Sed tibiæ femoriſque commiſſuræ os incumbit, ἐπιγονατὶς dictũ, *Latini patellam, ſeu molam uocant*. Hoc diſci figuram repræſentat, & ſuperfluitans medium ſitum eſt. verùm in curuando crure, ad tibiam magis accedit: quum autem extenditur, ſuper vtrunque os cadit. In partibus malleolo proximis tibia paulum gracileſcit, atque in extremo ad ſigma Græcæ literæ ſpeciẽ ita æqualiter diſtat vt proceſſus duos, alterum oblongum, alterũ breuiorẽ habeat. at maioris proceſſus caput interius eſt, & alterius enata carne occulitur. Cũ ſuræ autem extremo coniungitur, quod vlterius procedens exteriorem (vt modò dixi) tumorem oſtendit. Quapropter huiuſmodi oſſa ad ſigma literæ formam media dehiſcunt: in quo hiatu talus deliteſcit. Hic ſecundum partem quatrionem, allachium vocatam, ſurſum vergit: & ea quidem imis tibiæ ſuræque proceſsibus adiacet: verùm os ἐπὶ πτερῶν vocatum ſuperimpoſito illi ſuræ oſsi, quod *à figura* κυβοειδὲς *cubicũ* nominatur, ad cauitates incumbit: vt oſsis ἐπὶ πτερῶν, quod vocant, inæqualitates occludantur, cartilagineque circundatæ deligentur. Anterior autẽ ipſius rotunda particula in cauitatem cuiuſdam oſsis quod ex illis eſt quæ ταρσὸν vocatum cõſtituunt, & à cauitate nauiculare dictũ fuit, inſeritur. Ex octo autem oſsiculis, inæqualibus angulis tarſus inſtruitur. Ipſi plãta ſubiicitur è quinque oſsibus compoſita, in medio tenuibus, in ſummo craſſeſcentibus, ſurſum verſus exurgentibus: vnde & à terra, caua cernuntur. Poſt hæc deinde ſunt σκυταλίδες *digitorum oſſa, quæ Latini uocant internodia*, ad eorum quæ in manu ſunt ſimilitudinem comparata. Oſsium figura, ſitus, & nomina pro viribus à nobis explicata ſunt.

RVFFI EPHESII DE VESICAE RENúmque affectibus.

PROOEMIVM. Cap. I.

SIngulatim perſcribam morbos omnes qui veſicæ & renibus innaſcuntur: eóſque vt præſcire & medicare conueniat. Ac in renibus quidẽ haud temere vnquam peracuti morbi obueniunt, tam exitiabiles tamen ibi quàm qui maximé. ſiquidẽ hulcera inibi coalita & ſuppurata, proceſſu temporis exitio compluribus extiterũt. Nã licet renes, quum inflammatione tentantur, peradmodum doleant, non tamẽ morbus acceleratur. Veſicæ verò inflãmationes acutiores ſunt. his enim laborantibus promptius contingit vrinas intercipi, febricitare, delirare, & multa itidem euomere mera & impermixta. Acutiores etiam ſunt reliqui veſicæ morbi: nanque pernicioſior locus eſt, quique quamprimum ab infantia morbis ſolet eſſe obnoxius, atque acutis admodum. Renum verò doloribus citius & grauius vexantur ſenes quàm iuuenes. Communiter autẽ omnia renũ ac veſicæ vitia, tractatu moroſa ſunt, præſertim ſi hulcus inſuper acceſſerit. Lotiũ enim continẽter influẽs, vnà extimulat, & ad cicatricem perduci nõ patitur. Quæ huiuſmodi quũ ſint, & prædiſcere & curare oportet.

SIGNA RENVM LABORANTIVM inflammatione, Cap. II.

INflammationis renũ notæ ſunt, dolor infra lumbos, vt incedẽdi, aut erigẽdi ſui ægrotis poteſtas negata ſit: &, ſi ſternuerint, aut quocũque modo ſuccuti contigerit, cõtinuò lamentantur: & reclinati in ventrẽ nõ ſufferunt, reſupini dolore videntur nonnihil releuari. renes enim lumborũ teneritati continentes ſunt & proximi. Porro cuiuis hunc in modũ affecto tolerabilius eſt placidè iacere atq; acquieſcere. Nam corpus inclinando, dolor ingraueſcit, cruciatúſque cum cæteras partes permeant, tum hepar ſupernum afficiunt. renes nanque magnæ venæ communione illi malum ſuum communicant, præſertim ſi horũ dexter inflammatione tentetur: eſt enim hic ipſe iecori propinquior, & eius particulam & ſegmentum attingit: ſiniſter verò paulo remotior & demiſſior exiſtit. Alii verò dolores veſicam vſque & genitalia protenduntur, & ii quidem continui, ſed diſſipati lumbos, crura, & ilia exagitant. Ægrotantibus interim extrema frigent, tibiæ, & pedes præcipuè: meiunt aſſiduè & difficiliter, principio tenuia & aquoſa, inualeſcente verò phlegmone rubicundiora. Et quũm eo ſtatus progreſſum eſt, femora & clunes extenuantur atque graciléſcunt, tibiæ debilitantur, & quibuſdam ſuppurantur renes. nam bona ex parte ita finiuntur. Sed de ſuppuratis paulo pòſt tractabitur.

CVRATIO PHLEGMONES, Cap. III.

INflammationibus ita medendum: ægroti in lecto cõponendi ſunt quammolliſsimè, & primum diem abſq; cibo tolerandi. Non tamen ſicut in aliis inflammationibus conducunt extremæ inediæ: ſed aliquid aſſumẽdum potius, obſeruando quum ſe febres intenderint, & quando relaxarint. Nec tantùm illis proſunt ieiunia quantum nocent morſus intemperati lotii. Primis autem diebus ſuſtentandi ſunt ſorbitionibus dilutis, & aquæ potu. mulſo verò eos abſtinere oportet, niſi iam tum vrinas ciere conſultum ſit: quod initio fieri mihi nõ probatur, anteaquam liquidò conſtet dolores eſſe ſopitos: quo tempore equidẽ per vrinas purgare operæpretiũ fore iudicarim.

DE CLYSTERE, Cap. IIII.

QVòd ſi aluus vacuanda ſit, nihil tale moliri oportet quale illud vacuandi genus quod medicamentis inuentũ atq; excogitatũ. Eluẽda tantũ eſt iniecta aqua calda, aut maluæ, aut lini, aut ſiliciæ decocto, cui olei admixtum ſit quantum vſus exigit. Nec verò ita magna copia

immittẽda eſt,ne inteſtina completa renes comprimant. Subducta aluo ſi necdum concedat dolor,lanam oleo cali do delibutam circumpones, atque illic reſidere patiêre. Nec abs re fuerit rutam, hibiſcum, anethum, & artemiſiam oleo incoquere.

DE VENAE SECTIONE, Cap. V.

ACrius ægrotantibus vena ſecundum cubitum ſecanda eſt, & ſiquid inflammationis reliquum ſit,emplaſtra illinenda ſunt, primùm ex farina mulſo incocta, aut telino. Poſtea admiſcere conueniet chamæpytis, polii, abrotoni,vitis nigræ, rutæ, abſinthii, centaureæ,artemiſiæ & triſſaginis folia:adhæc aſari,& iunci odorati.Tum non amplius emplaſtra mulſo incoquere, ſed muſto, aut vino melitite:adiicere etiam cum ſuperiorum aliquo, farinæ duplum:paulo plus etiã,ſiquis efficacius cupiat, admixta cera ſicca, & contuſa. Bene facit præterea hoc Chryſippi emplaſtrum,quod ita conficitur:Galbani, reſinæ terebinthi,polii,farinæ erui, ſingulorum pondo drachmæ quinquaginta:iridis ſiccæ ſiciliqui duo:cerati ſuauiter olentis hemina:farinæ tritici ſextarii dimidium.Hæc muſto decocta illinito,nephriticis quidem ponè, antè verò, veſica laborãtibus.Tum ſi nec emplaſtris cruciatus lenietur,admouendæ ſunt cucurbitulæ tum lumbis,tum partibus infra ilia,& ſcarificatione ſanguis detrahendus. Poſtea adhibenda ſunt fomenta ex ſpongiis,faciendúmque vti æger ſupra aquam caldam deſideat, in qua papauer,anthemida, arundinem iuncúmque coxeris. Cæterùm prius impletis oleo & aqua veſicis,reclinandus erit, fouendúſque molliter & delicatè.Poſtremò his locis ſuperponere proficiet tum cerata ex Cyprino oleo,vnguento roſaceo,tum malagmata odoris ſuauitate quamiucundiſſima.

CONTRA VEHEMENTES CRVCIATUS remedia, Cap. VI.

QVum dolores infeſtant, hæc medicamenta ebibẽda ſunt:Seminis fœniculi grana vicena,opii,aut panacis Herculei radicis ſeſquiſcrupulũ,ſertulæ campanæ momẽtum,cedriæ & ſcapi papaueris exuſtulati ſemiobolũ,ſtyracis tantundem,apii quantum tribus digitis comprehendi poteſt, meconii quanta eſt erui magnitudo: horum vnũquodque ſubtiliſſimè tritum,ex aqua dulci potandum exhibeto. Actutum enim iuuabit,quantumuis dolor ſæuiat, & mollis ſomnus obrepet. Poſtea quũ tempeſtiuum eſſe videbitur, his rebus partes radentur quæ vrinas mouent.

DIVRETICA NEPHRYTICIS, Cap. VII.

HÆc ſint quæ vrinas ducant:apii radix ,chamæpitys, caſia, meum,cinamomũ,polium, petroſelinum, & gramen:hæc in aqua coquenda ſunt,& cum vino aut mulſa propinãda.Prodeſt etiam echinorum marinorum eſus. Inter olera fœniculus,apium, daucus, raphanus diſcoctus, & agreſtia omnia vtiliter aſſumuntur.bellè enim excitãt meiendi voluntatem:&cumprimis paſtinaca,crithmum, ſcandix.Ac talibus expectandum vrinas copioſas & craſſas fore,atque eiſdẽ pulchrũ quod ſubſidit: quod, ſiquod aliud, morbum diiudicat: quæ verò aqueæ, puræ & perſpicuæ redduntur,iudicandi ſui maiorem adferunt difficultatem.

SVPPVRATIONVM ET INFLAMmationum ſanatio, Cap. VIII.

INflammationes hoc modo perbene quis curarit. Porro quibus ſuppurati ſunt renes,iam ilia intumuere,& renes ipſos vehemẽs ardor inceſſuit,fulua, & temperata meiũt, nec iam tam acres ſunt cruciatus quàm antea,cæteroquin grauiores,& pulſantes:febres non ſtatæ, ſed erraticæ, atq; horridæ. Illis ſuppurata vtplurimum in veſicã erumpunt, quæ rupturarum eſt potentiſſima. aliquando in inteſtinũ abſceſſus rumpitur,ibi ſe alleuãte purulenta materia,& putreſcente.Praxagoras referebat viſum ſibi quendam qui per ſedem vrinam excreuiſſet,ſuperuixiſſétq; annis duodecim:ânne etiam pluribus, (quòd tũc temporis ipſe diſceſſiſſet,nec de eo quicquã audiſſet poſtea)ignorare.Sunt alii quibus abſceſſus collectio extrorſum abrumpitur,& aliorum cauernas peruadit,quas pure & lotio compleri neceſſum eſt,ibique illuuiem adhæreſcere: deinde progreſſu temporis in anum extrudi, atque illac foras tendere.

A Nonnullis verò extra renes frangi cunctatur, & illic ad multum tempus remanet,vſquequo exuratur,aut quocũque modo ſe diſcindat.Quibus autem in veſicã effunditur,illi principio mucoſa & cruenta meiunt,inſtar apoſtematis exciſi: deinde pro vlcerum competentia atque ratione.Nam ſi malignè exaſperẽtur, vt in aliis hulceribus putreſcentibus vſuuenit, multa redduntur fœtida,liuida, & mucoſa, atque etiam quædam carunculæ oblongæ ſimiléſque membranis abſiſtunt. ſin hulcera maligna non

B extiterint,pus album,& æquabile, ſine graueolentia & copia paucum excernitur.Iam verò ſi ren ad ſuppurationem inclinare videbitur(videbitur autem prædictis ſignis)maturandum eſt quoad eius fieri poteſt,inſubidè atque diligenter,& ita viam quandam moliri atque comminiſci ad puris exitum,quod ſæpius in veſicam diuertitur.Proinde ſpongiis identidem fouere oportebit,& locũ farina hordeacea cum ficuum decocto oblinere : verùm ficus eaſdẽ in mulſo aut vino decoquere conſimiliter oportebit. Bonum erit etiam ficus ipſas tenuando,& diducendo admiſcere,& comam tuſam abſinthii quin & chamelææ,iridis,

C bryoniæque radicem excretam.Hæc ſiquidem tum mitiſicant,tum vrinas proliciunt. Expedit autem meiendi facultatem prouocare. ideo ægroti erunt inuitandi vt aliquid horum bibant quæ vrinas cient.ad quem vſum accommodatiſſimum erit amerinæ ſemen ex vino aut mulſo potum.Conferet quoque ferulæ radix,& anchuſa, & arum,ſiue vnumquodque per ſe datum, ſiue cum vno horum aut altero permixtum.

D DIVRETICA QVAE ABSCESSVS frangunt, Cap. IX.

PRodeſt etiam illud, Origani & dauci ſextarium,pſeudodictami eandem menſuram in vinum album odorúmque coniicito atque recondito. Quum verò neceſſe habebis,ſumes cyathos quatuor, & affuſo aquæ dimidio, permixtâque drachma ex foliculis rutæ ſubtiliſſimi pulueris,propinabis.hoc pus educet, & vrinas copioſè. Si tamen omnia tentanti labor fruſtra ceſſerit,necdum ruptũ ſit empyema,clyſteriis acribus ventrem eluere oportebit.

E Conſtãt autem ex veratri nigri diluto, in quo etiam permaduerint raphanus,allia,& pulpa colocynthidis. Licebit quoque in muria,vel aqua marina, vel aceto macerare:tũ pauco oleo admixto,vt lubricum ſit,his rebus aluum perfundere,iubereque vt quàm poterint diutiſſimè retineãt. Eo ſæpe purulenta collectio frangitur, & cõſaneſcit:nihilominus tamen ſpongiis vſque fouere conuenit,& emplaſtra inducere, vt dolor omnis minuatur, & pus ex facili profluat.

F QVAE MOVENDO VRINAS HVLcera detergunt, Cap. X.

DAnda itidẽ ſunt quæ per vrinas purgant, hulceris habita ratione:quod ſi tractabile ſit (id autem denotãt febres,& dolores leuiores, & quæ in vrinis apparẽt æquabilia,alba,& inodora,cum facilitate meiẽdi) mitiora exhibeantur.Cuius generis ſunt,peponis ſemen, palmarum decoctũ,iris excepta melle,& ipſum mel per ſe. Et ſiquis valentius purgare volet,vſurpet capilli Veneris decoctum cum aqua mulſa,galbanum,opopanacem, reſinã terebin-

G thi:tum in aqua liquefaciat,atque vbi aqua referbuerit & ſubſtiterit,percollet:& ex mulſo aut vino bibendum exhibeat.Hæc quidẽ hulceribus minus moroſis atque difficilibus auxiliantur.

CATAPLASMATA HVLCERIBVS putreſcentibus, Cap. XI.

ADuerſus maligniora hulcera valẽtioribus opus eſt, & intro aſſumptis,& foris admotis:intus quidẽ, quæcũ que iam dicta ſunt ad rumpendas collectiones cõueniẽt, & cuminũ Æthiopicum cum vino dulci,ruta cum melle

H & vino, cachrys cum ſemine porri ex vino molli & delicato.Extrà verò proderit erui farinam in vino & mellẽ coctam illinere,& roſas aridas tritáſque cum lente & melle,aut baccas myrti,alicui horum incoctas.Quippe hæc & id genus omnia hulcerũ putredines inhibent : verùm oportet totos lumbos & ilia perlinire. Bonũ etiam aliquo

medicamentum inijcere eorum quæ dyſenterica appellãtur,ſi vehementius depaſcatur hulcus: ſi verò præ dolore & inflammatione pus foras prodire nõ poteſt,abluere oportebit tenui cremore ptiſſanæ; & lacte: & huiuſmodi tepida fomenta adhibere,& ſupra aquã tepidã ſedentem collocare.ita enim percõmodè exierit. At ſi propter craſſamentum retardetur, bibendum decocturam apii chamæpityi,abſinthii atque origani.hæc taliter faciẽda ſunt.

DE LACTE. Cap. XII.

POſtmodum bibendum lac cum melle, cumprimis aſininum, aut equinum. ſiquidem eius magnus vſus eſt ad hulcerum mundiciẽ. Quando autem nihil amplius repurgari indigebunt,& pauca ſubluuies effluet, morſuſque vrinarum retundentur,atque homo corpus recuperare & pingueſcere laborabit, tum lac bubulũ citius quàm ouillum obtuleris. craſſum enim magis,& minus fluidũ. Dabitur verò ad duas, tres, pluréſve heminas. Nec cibi quicquam prætera ingeretur,quoad ſumptum hoc percoctum ſit & mitificatum. Quinimmo ſerum ipſum lactis tum inteſtinorum hulcerũ efficaciſſimum eſt remediũ, tum grauiter manantibus hulceribus mitiſſimum accidit, & ſub manu corpus alit,maximè in ſyntecticis, *hoc eſt defectis & quaſi ſtrigoſis,* quorum plurimi intereſt vt ad habitiorem corpulentiam quamprimùm reducantur. Quapropter ſiue hac victus ratione,ſiue alia procures vti nephriticus pingueſcat,nihil aberrabis.Itaque cubantem & molliter fricare & quotidie expediet: alere autem, initio lacte,vt dictum eſt, & ſorbili ptiſſanario,amylis panibus, farina elota & incocta lacti ac placentis ſuminalibus,confractis in capi iuſcula pinguia:dabis etiam pulmẽtaria ex ciceris,phaſeolis atque eruis: ſed eruum prius oportebit (vt ita dicã)edulcare,hoc eſt macerare vt amarorẽ deponat, & per ſe decoquere, aut cũ aliquo dictorũ leguminũ.

DE OLERIBVS. Cap. XIII.

OLera conuenientia iis de quibus agitur,malua, lapathum,blitum,portulaca,aſparagus, cucurbita, coctus cucumis,& lactuca cocta:prodéſtque nihil crudum comedere.Hæc autem & ventrem leniter ſubducũt, & hebetant vrinarum acrimoniam.atque in proceſſu iam ad plenum extinctis febrium ardoribus,& corpore refecto,carnibus cibare oportebit.

DE CARNIBVS. Cap. XIIII.

CArnes in hoc morbo laudo hœdorum,agnorum, carnem ſuillam probo,aues tenellas,ex piſcibus ſaxatiles coctos,quin & ſquatinas,raias leues,torpedines; & cætera A id genus chartilagineorum.

DE SECVNDA MENSA. Cap. XV.

ET ſiquid in longo morbo bellariis opus ſit, à carycis abſtinendum:hulceribus enim aduerſantur.veſcendũ verò palmis,nucibus auellanis,ſtrobulis & vua paſſa:amygdala etiam toſta danda ſunt ex melle,vinúmque bibendum mellei coloris. Acetum autem atque omnem ſalſilaginem,in poculentis atque eſculentis iuxta,vitare oportet.Hæc igitur ſunt eorum quibus renes dolent pulmenta & edulia. Quod autẽ ad reliquam vitæ rationem atti- B net,confert minimè feſtinantem, ſed tardè atque otioſè eos ad exercitia motúſque producere. nanque agitatio cum aliis exulceratis omnibus, tum renum hulceribus vehementer eſt inimica.Conducit igitur quietum reficere atq; recreare omni vitæ mollitie voluptuaria; frictionibus quamleuiſſimis,balneis & integumentis.

QVAE VOMITIONEM EXCITENT. Cap. XVI.

REpletionibus ſubortis faciet ſatis illáſque leuabit fotus per ſicca & vomitus:per inferna vacuare vel de- C trahere nihil eſt neceſſe,præterquam dictorum ciborum quotidiana retrimenta: ac ne impendiò vomẽdo crucietur,impera vt intra modum repleto ventriculo vomat,aſſumpto etiam eorum aliquo quæ nauſeoſa ſunt & vomendi appetitionem mouent:cuiuſmodi ſunt pinguia & dulcia,& prægrandes cucumeres:qui ſi nõ ſint ad manũ, ſubſtituantur eorum ſemina melle intrita,& pulticula:potúſque dulcis ſuper his ingeſtus largiter.Nec ſolùm aduerſus ſaturitates &expletiones vomitionem commendo,ſed etiam mihi videtur (ſiquis fortè periclitari audeat) vomẽ- D do ſæpius,non modò renum hulcera,verumetiam eius loci vitia omnia breui poſſe conſanari.Poſtmodum autem quum vſqueadeo proceſſum erit,vt iam ex morbo reualuiſſe compareat,& motiones ſalutariter poſſe perpeti,primùm ſpatiari poterit paulatim & modicè,idque per planitiem:ſtatus verò fugiet,curſus,ſaltationes, ſubitáſque declinationes, & inflexiones corporis.Deinde quo firmior & valentior in dies euaſerit,eo plus deambulationibus exercitationibúſque aliis licebit apponere. Alia exercendi E ſui genera ſunt,colluctationes manuum,frictionéſque leui attactu & manu ſuſpenſa.Ea quidem eſt in nephriticis viuendi præceptio:nunc,ſi ſuppuratio foras eruperit,an etiam manus tractatione atque opera vtendum ſit nécne, luculenter apparet. Antiquitus ſuppurata inurebant, aut decacuminabãt, *hoc eſt, ſcalpello deputato faſtigiũ reſecabant,ut pus proflueret.* ✱

EIVSDEM RVFFI EPHESII FRAGMENTVM
De medicamentis purgantibus.

✱ Et ſoboli procreandæ conferre videtur.

Filicula pituitam,bilem aquáſque detrahit:danda excepta mulſo aut aqua,raſa radix,ad drachmas duas.Non minus eſt ſalubre bullitam ad ſalgama,ſiue cum ſalſamento, ante prandium comedere. purgat item non moleſtè cum ptiſſana & cum iure auis domeſticæ decocta: bella fuerit purgatio,vt quæ adoleſcentibus etiam ſatiſfaciat:in morbis verò nihil tanta purgatione opus eſt.

Iris quidem pituitam,mucoſa excremẽta, atque etiam bilioſa deducit:quin & ſanguinem & melãcholiã trahit, ſi præter modum dederis.Quare ſola vt mediocriter purget,cyathi dimidium ſufficiet: admodum enim ſtomacho eſt ingrata.Radicis verò dandæ drachmæ ſeptem in mulſo,lienoſis,quotidiana & quartana febre laborãtibus, anhelatoribus,tuſſientibus,& colicis.

Colocynthis pituitam purgat,& bilem meram.Eius pulpæ danda eſt drachma vna in mulſo: ſiquis tamen mitius purgare volet,ſemen eiiciendum eſt,& affuſo vino dulci intra corticem,lento igne coquendum,quouſq; rectè incaluerit. tum iis propinandum offeratur quos non potẽter exinanire conueniat,& quorũ cutẽ liuidæ papulæ deformarint.In totum verò colocynthis prodeſt ſuſpirioſis, laterum doloribus inueteratis,capitis cruciatibus, ſingultibus,& aduerſus obtuſam aciem oculorũ. Etſi enim oppidoquàm amara eſt medicina,tamen in poſterum efficit vt illis ſit vſus cibi gratior.

Calcifraga,aquoſa, pituitoſa bilioſáque vacuat: drachmis duabus in mulſo pota ſufficit.

Peplos & peplis gentilitate & figuræ cognatione proximæ,in purgando pituitam & bilem extrahunt cũ flatibus pro copia:ſiccatæ etiam,benignè purgant.

F Aloe celeriter purgat,nec verò vt abſinthium,gratiſſima eſt ſtomacho. eius duæ drachmæ cum mulſo potæ ſufficiunt: pituitam & bilem attrahit. Bonum conſimiliter quotidie eam aſſumere à prandio.humores ſiquidem permeat& ſubducit,nec cibi digeſtionem abolet:præterea non ſiticuloſum reddit, ſed famelicum.Terere autẽ oportet cum braſſicæ aut lapathi ſucco,& formare catapotia partim ciceris, partim fabæ magnitudine: & quũ exinanire collibuerit,duo aut tria ingerere. Conueniẽt etiã eius globuli cum reſina apparati,aut cũ melle cocto, eo- G rum cauſa maximè quibus intolerabilis eſt amaritudo. Quinetiam ſcãmonio vtiliter admiſcetur,aut eorum alteri quæ ſtomachi diſſolutionem faciunt:præterquã quòd febres quotidianas ſanat,arquatis,& iocinoris vitiis ſubuenit:cibi faſtidia & cruditates emendat in hominibus, & perinde in mulieribus:fuiſſétque optimum medicamentum pueris, niſi amarũ eſſet ſupra modum: puerilis enim ætas à rebus vſqueadeo amaris vehementer abhorret.

Hippophaes & hippophæſtum pituitã,bilem,aquáſque purgant largiter:hippophæſtum aquæ vitia. Præcipuè co- H mitialibꝰ datur,ſideratis altera manu,aut crure,obliuioſo,

difficulter ſpiranti, & iis qui rectà ſpirare coguntur: adhæc iis omnibus quos perpetuus variúſque tremor exagitat. Si valentius purgare volueris, dabis ſucci per ſe obolos tres: ſin autem ex eo quod cum farina erui conficitur, drachmam vnam ex mulſo. ſed ad omnia efficacius hippophæſtum: ideo dandum minore copia.

Clematis pituitam & bilem purgat: eius fructus ad drachmam vnam exhibendus eſt cum mulſo.

Pycnocomum biliosa detrahit. eius radicem comedendam dato: ipſa enim per ſe purgat. rotunda eſt, exiguo malo admodum ſimilis.

Vites purgant tum bilem, tum pituitam. dantur drachmis duabus. Satiuæ vſus eſt inſignis contra morbum caducum, & inſaniam: ſyluestris verò ad aquam inter cutem.

Thymus, epithymum, amaracus, & cunila, bilem atram pituitámque purgant: ſed ad omnia plus poteſt epithymum. tritum & cretum dandum eſt in vino dulci, ſemũciæ cum ſiciliquo menſura, aut etiam maiore. Egregiè enim humores trahit: ac, ſi à medicamento ſtatim prandere velis, nihil iuſtam purgationem impediet: manè verò purgare oportet cum oxymelite ſale adiecto. Confert etiam epithymum inflammationibus, & interaneis morbis, crudis, & iis quibus hepar aut lien prægrauatur, atq; etiam difficiliter ſpirantibus. Thymus detrahit melancholiam & pituitam affluenter. Comæ eius acetabuli mẽſura cum melle danda ſuſpiriosis, tuſſi inueteratæ, & iis qui humores craſſos in ventriculo continent.

Amaracus ſiccus drachmis quatuor melle exceptus, admixto ſale, eandem vim habet: ſimiliter & origanum. Dãda ſunt ſicca acetabuli menſura cum mulſo.

Papauera leniter ſubducunt: ſeminis vtriuſque ſufficit acetabulum in mulſo.

Cucumeris radix epota facit ad aquã inter cutem, purgat pituitam & bilem: verùm ſucci ex radice ſatis eſt triũ obolûm pondus: corticis triplum: elaterii quantum paulo póſt.

A Heliotropium minus, quod tricoccũ dicitur, pituitam purgat, purgat & bilem. ſatiſfacit manualis faſciculus decoctus moderatè ex aqua, & potus affuſo vino.

Seſamoides minus pituitam quoque & bilem ducit. ſeminis menſura, acetabuli dimidium.

Tithymallus helioſcopios (eſt autem omnium eſularũ imbecillimus) detrahit etiam ipſe bilioſa & pituitoſa recrimenta: ſiue ſuccum, ſiue ſemen, ſiue folia dederis. eſt tamen ſuccus efficacior, ſecundo loco ſemen, extremo folia. Succi verò drachmæ pondus ſatis eſt. ex aliis detur B quantum vires ferunt. Purgat itidem cypariſſias, ſed cum maiore efficacia: idcirco minus dandum. Inter eſulas quæ eſula propriè dicitur, potentiſſima: nam ſeminis ſi ſolum expreſſum ſuccum intra caryeam dederis, purgabit inſigniter: folia perinde, perarida, & mulſo ſoluta, quanta eſt (ſemiſſe minus) menſura acetabuli.

Chamelæa pituitam bilémque vacuat: folia terere oportet, & melle cocto excepta exhibere. acriter enim mordet. Nõnulli abſinthium admiſcentes, in catapotia di- C gerunt: pondus idoneum drachmæ duæ. Braſſica marina, vt cætera olera, cocta & condita eſtur: ſtomachúmque peſſimè ſubuertit, & celeriter perturbat.

Lathyreos comeſta grana decem faciunt ſatis: guſtatu dulcia ſunt, & pituitam & bilem affatim detrahunt. ſufficiunt etiam ſucci ex mulſo liquati, terni oboli. Folia etiã licet ad eundem vſum iuſculo gallinaceo incoquere, aluũ ſiquidem ſubducunt: ſed non cum tanto ſucceſſu.

Agaricum pituitam bilémque deducit, ſed ſegniter. vtiliſſimum eſt hepati, lieni, pulmonibus, anhelatoribus, a- D cidum ructantibus, & iis qui articulorum morbo, & capitis grauedine vexantur: conuenit etiam ſingultibus, morbo caduco, & mulierum doloribus. pondus eſt ſiciliquum ex mulſo, aut poſca.

Euphorbiũ aquoſos quidẽ humores bilioſóſq; detrahit,*

ALEXANDRI TRALLIANI

de arte medica libri duodecim,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM GVILielmum Heſſorum Landgrauium, Comitem in Catzenelbogen, Sigenheim, Dizii & Nidæ:

IOANNIS GVINTERII ANDERNACI MEDICI in Alexandri Tralliani libros à ſe verſos præfatio.

QVVM in veteri cõſuetudine & more poſitum ſit, princeps Guilielme illuſtriſſime, vt homines eruditi laborum ſuorum patronos & defenſores contra maleuolos quærant atque comparent, cogitaui tibi aliquod profeſſionis meæ & doctrinæ opus nuper elucubratum, ſub tuo nomine & authoritate in publicũ emittere: vt & tutius ſit à vitilitigatoribus, & plus gratiæ apud literatos acquirat. Sunt autem duodecim Alexandri Tralliani libri Græcolatini: quos antea quidem Petrus Caſtellanus ex regia Gallorum bibliotheca Græcos in lucem edendos curauit, nos autem poſtea in Latinam orationem conuertimus: & quæ in illis adhuc præter accuratas aliorum annotationes deſiderabantur, ex antiquis codicibus ſumma tum fide, tum diligentia reſtituimus. Atque vtinam nobis in eo labore per omnia ſatiſfacere potuiſſemus, quem communis potius vtilitatis ſtudioſorum, quàm priuatæ gloriæ ac laudis gratia ſuſcepimus. Meretur certè optimus ille medicinæ author vt priſtino ſuo nitori & dignitati aliquando reſtituatur: cuius in docendo iudicium, fidem, diligentiam, artificium & ordinem ſatis admirari nequeo: quum alii qui eum ætate præceſſerunt, vel etiam ſequuti ſunt (pace illorum dixerim) medicinam potius in aceruum quendam inſignem accumulaſſe, quàm accuratè tradidiſſe videantur. Scribunt nonnulli Alexandrum hunc patrum memoria iatroſophiſtam: alii initio quidem ſophiſtam, poſtea verò iatron, hoc eſt medicum, excellentiæ ratione appellatum fuiſſe. ſed quibus id faciant authoribus, non oſtendunt: nec ego magnopere cum illis contendendum eſſe puto. Hoc certè mihi videtur, cognomentum hoc iatri, Alexandro, etſi longè omnibus ſuæ ætatis medicis ingenio atque eruditione excelluerit, internotionis potius gratia fuiſſe inditum, quòd multi tunc Alexandri appellarentur: præſertim quum poſteriores tam Græci quàm Arabes eum Alexandrum duntaxat nuncuparint. Quòd ſi ætatem qua ille floruerit inquiramus, Oribaſio quidem Aëtióque poſteriorem fuiſſe conſtat, vt quorum nominatim aliquoties meminerit: Paulo autem AEgineta priorem extitiſſe, inde cognoſcitur, quòd hic illius, vt idonei ſcriptoris, medicamentorúmque ipſius mentionem faciat. Atque ita Alexander veluti medius inter illos, nempe non multo poſt Iuliani imperatoris tempora, vixiſſe, rectè dicetur. Hic inquam author clariſſimus, vt in arte medica cognoſcenda faciendáque excellentior fieret, & conſummatus, non diu in patria ſua Tralle, ciuitate Lydiæ, aliâs celebri, atque erudititiſſimis hominibus, liberaliſſimíſque ſtudiis affluenti, permanendum: ſed omnes cunctæ Græciæ partes, Italiam, Galliam, Hiſpaniam peragrandas ſibi eſſe cenſuit: vnde etiam diuerſarum gentium vocibus ſæpe vtitur, quæ non exiguam eius in arte paſſim diligentiam teſtantur. Poſt longas autem peregrinationes, ad ſcribendi ſtudium ſe contulit, & experimenta quæ longo vſu atque periclitatione ex morbis collegerat, in duodecim commentarios hoſce redigenda putauit. quibus omnium propè morborum curationem tam accuratè perſequitur, nihil vt amplius in eis requirere poſſis. Nam vt veteres medici Græci omnes & recentiores multa de curandis morbis ſcripſerint, nemo tamen (pace iſtorum dixerim) therapeuticen accuratius illo, melioríque artificio, & apto magis ordine docuit, eámque maiore vſu atque experientia comprobauit. Galenus quidem de omnibus medicinæ partibus copioſiſſimè tractauit: ſed quod ipſe in aliis reprehendit, pleraque confuſius indiſtinctiúſque, nec vno in opere, de vniuerſis affectibus, vt res exigebat, commentatus eſt. Oribaſius medicinam quidem in compendium redigere Iuliani imperatoris iuſſu conatus, totum ferè Galenum in ſeptuagintaduos libros coegit: vnde etiam ſimia Galeni appellatus eſt. Verùm quum hoc opus grandius cerneret quàm vt à multis comparari poſſet, idem rurſus in octo ad Euſtathium filium libros tanta breuitate redegit, vt pleroſque morbos in eis non attingat, neque cauſas aut ſigna obſeruet: ne dicam quòd integram ſæpe curationem omittat. Paulus deinde AEgineta ſuum de medicina volumen ſcribendum ſuſcepit, vt ex omnibus ipſe quaſi faceret temperamentum, neque prolixum, neque nimis ſuccinctum: ſed in hoc quoque eſt quod eruditi requirant. Aëtius poſtremò, eandem penè ſcribendi rationem quam coæuus ipſius Oribaſius obtinet: multa quoque ex aliis mutuatus eſt, ſuíſque inſeruit liberius, nulla adeo diſtinctione aut ratione ſæpius adiecta. Verùm hæc ego non dico vt veteres illos medicos (quorum vtinam merear eſſe diſcipulus) ſugillem, aut reprehendam: ſed quòd Alexander hic Trallianus omnia diligentiſſimè perſcrutatus ſit, morborum cauſas, indicia, differentias & internotiones: item quòd alia atque alia medicamenta, variáſque eorum parandorũ rationes, & exhibendi tempora & modos præſcribat, necnon victum vnicuique vitio congruen-

tem curioſiſſimè indicet. Quàm vtilis hic author ſcholis futurus ſit, optimè intelligent qui tum alibi, tum in Marpurgi academia celebri medicinam profitentur. Inter quos doctiſſimus ille Dryander, vetus meus amicus & familiaris, ſummum meritò locum obtinet. Quicquid igitur in hoc authore Græco (non ſolùm in plus mille locis antea deprauato, ſed etiam inſigniter mutilo) vel emendando, vel inſtaurando impendimus, tuo nomini, clariſſime Princeps, imò totum Alexandrum Græcolatinum nuncupamus. Primùm quidem, quòd ſingularem tuam in me beneuolentiam ac propenſionem iampridem animaduerterim: cui etiam chariſſima quæque, imò vitam ipſam committere non dubitem. Deinde, quòd bonas literas, earúmque ſtudioſos ſummo amore & ſtudio proſequaris, atque apud illuſtriſſimum principem Philippum patrem tuum promoueas, iuues & tuearis. Qua quidem voluntate nihil vel animi tui vis prudentius, vel fortuna præſtantius habere poteſt. Ac verè princeps nobilitatis cenſeri debet, cui præclarum alioqui genus, excellénſque natura, & vitæ ratio doctrina illuſtratur: proximus, qui tametſi hac deſtitutus eſt, tamen eos qui præditi ſunt amat. Quemadmodum enim ſtirpes feræ & agreſtes cultura & curatione miteſcunt, & in aliam quaſi naturam degenerant: ita hominum animi ſæpe rudes, barbari & feroces, literis & honeſta educatione humani, mites & benigni erga omnes redduntur. Hoc nimirum inclytus princeps ac heros pater tuus intellexit, qui non modò generoſiſſimos liberos ſuos literis & doctrina erudiri, ſed etiam toti ſuæ regioni ludos doctiſſimorum hominum refertos, paſſim aperiri voluit: vbi tum nobilium, tum ciuium, externarúmque nationum iuuentus ingenii cultum ac eruditionem præclaram capeſſeret. Quo nomine vniuerſæ Cattorum genti gratulor: gaudeo literis, quæ in poſterum etiam patronum te & tutorem habituræ ſint. Interea hos labores noſtros in communem ſtudioſorum medicinæ vſum, optime princeps, ſuſceptos, ne contemne: dum aliquando maiores digniorésque tua amplitudine comparauero.

ADMONITVS ESTO LECTOR, TITVLOS CAPItum libri cuiuſque, unà etiam cum titulis appendicum capitibus annexarum, *in calce huius operis Alexandri quærendas eſſe: quò typographus illas eo conſilio reiecit, ut inde te ad paginas in quibus ſinguli haberentur, remittere poſſet.*

ALEXANDRI

ALEXANDRI TRALLIANI
liber primus,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

DE ALOPECIA, Cap. I.

ALopecia vitium eſt quo capillis fluentibus,caput nudatur ac glabreſcit.Non autem ex vna, ſed varia & multiplici cauſa trahit originem. Quippe tum ex pituita calefacta,ac in ſalſam qualitatem cõuerſa,tum ex bile & humore melancholico naſcitur.Efficiens igitur affectus cauſa conſiderari, & internoſci,atque ita tandem curatio ipſius tentari admouerique debet. NOTAE. Cauſa vitii efficiens ex pilorum colore internoſcitur. Etenim flaui bilioſam humorum vitioſitatem ſuperare indicant:nigri,humorem melancholicum:albi,pituitam. Sic igitur diſcernere licet quo recremento ſuperante vitium in capite prouenerit. CVRATIO. Curare igitur hoc modo conuenit :Humorem vitioſum,ſi quidem copioſus ſuperet,expurgato,bona prius victus ratione vſus: ſin exiguus extiterit, medicamenta quæ ſaliuam mouent,(ἀποφλεγματισμοὺς Græci appellant) & ſola præſidia quæ partibus inducuntur,ſufficient. At in quibus vitium inueterauit, valentioribus auxiliis potius vtitor:in quibus autem nõ multo antè affectus ipſe obtigerit, imbecillioribus ſimul & ſimplicioribus curationẽ tentabis.Quoniam igitur remediorũ alia ſimplicia, alia ſunt compoſita,primùm à ſimplicioribus auſpicemur: ex quibus is qui vires ipſorum nouerit,etiam compoſita facere medicamenta poteſt.

De ſimplicibus medicamentis.

Alcyonium igitur vſtum,& ex veteri oleo tritum, ſi loco illinatur,probè alopeciis medetur:atque id ſubinde in iis expertus ſum qui non longo tẽpore hoc vitio detenti fuerant.Similiter facit etiam arundinis cortex,ac radices eius combuſtæ:item amygdalæ amaræ totæ ignem expertæ. Vtiliſſima quoq; eſt haſtulæ regiæ radix,& abrotonũ: adhæc fimus caprarũ,earúmque vngues crematæ,& ex aceto in læuorem detritæ.Iam thuris lacryma etiam accuratè pluribus dieb⁹ læuigata bene facit. Adhuc efficacius id præſtabit ſi ad ſolem pluſculis diebus ſtudioſè læuigata fuerit.Vel herbam verbenacã probè detritam ex aceto illinito:vbi partem cui induces, nitro prius bene infricaueris,& linteolo abſterſeris. cõmodius enim ita operabitur.Inſuper thuris lacryma,& muriũ ſtercus,pari portione aceto læuigata,pilis citò producendis faciunt. Præſtat autem locum prius irritare cui remedia inducentur, raphani radicibus,& cepis trãſuerſim inciſis:atque ita remedio vti. ALIVD. Item erinacei terreſtris cinis pice liquida exceptus,illitúſque,pilos reddit, ac ſtatim alopeciæ vitio medetur. ALIVD. Pari modo facit etiam ranarum cinis,pice liquida exceptus,& illitus. ALIVD. Pyrethrũ læuigatum vnà cum felle vitulino illinito,continuè id faciens etiam contra diuturnos affectus. ALIVD. Stercus felinum ex aceto oblinito:præſtans eſt remedium, & naturali vi huic vitio valde aduerſatur.

De medicamentis compoſitis.

Æris vſti drachmæ duæ, ſulphuris viui drachmæ duæ, haſtulæ regiæ drachmæ duæ:læuigata ex ouorũ luteo,loco prius infricato illinantur. ALIVD. Nuces auellanas integrè combuſtas ex oleo læuigato, partíque prius raſæ illinito. ALIVD. Adipis vrſini vnciæ duæ:adarcæ vnciæ tres:muſcerdæ vnciæ tres,picis liquidæ vnciæ tres, olei ex lucerna vſti drachmæ duæ.Hoc excepta, loco prius raſo iniungito. ALIVD. Aceti acris vncia:alliorum,olei roſacei,ſingulorum vncia. Partem ægram panniculo laneo infricatam oblinito. ALIVD. Ranarum vnciæ tres,muſcerdæ, corticis arundinis, cineris, picis liquidæ, porri ſeminis,ſingulorum vncia. Cedrino oleo excepta illinuntur.

DE CAPILLIS FLVENTIBVS, Caput II.

CApilli multis de cauſis fluunt:etenim ex inopia materiæ quæ ipſos nutrire & generare poteſt,item ex mea-**A** tibus denſatis & rarefactis,& ex prauorum, recrementorum purgatione interdum accidit.Quoniam igitur cauſæ quæ defluuia capillorum efficiunt, non ſimplices ſed diuerſæ exiſtunt,oportet vnicuique obſiſtere,atque ita conuenientẽ curationẽ adhibere.Si enim ex magna ſiccitate capillorum defluuia accidant,& quòd recremẽta illos nutrientia conſumantur, tunc frequentius æger lauari debet,cibóque nutriri humido,boníque ſucci,& qui promptè in corpus diſtribui poſſit, nihil autem habeat ſalſum aut acre.Vinum ei non liberaliter permittere, præſertim **B** merum:neque multam venerem concedere oportet. *Balneum autem hunc in modum adhibendum eſt.*

De balneo ad idem.

Balneum eſto temperatum, quod non valde calidum vel aerem vel ſolium habeat.Accipiant autem ægri aquã temperatè calidam, vngántq; caput multo hydrelæo: nõ autem ſapone aut nitro caput abſtergant.Quippe id agendum nõ eſt ſi capillorum defluuium ob inediam euenerit.Sin autem ex meatuum raritate & humorum digeſtione,& veluti extra cutem elabentibus quæ ipſos nutriunt **C** recrementis accidat,non alienum eſt tunc vti remediis quæ refrigerant & aſtringunt liberalius, ſimilique victu, qui nihil acre in ſe contineat, dilatandis aperiendíſque meatibus efficax:cuiuſmodi ſunt eruca, naſturtium, porrum,cepa & allium.Hæc enim omnia defluuio ex dẽſatis infarctíſque meatib⁹ orto ſunt idonea.Lactuca autẽ, malua, oua,panis ſiligineus, in temperatam aut frigidam aquam tinctus,pepones,cucumeres,piſces dura carne præditi,ſuilla caro non pinguis,& maximè bubula, pedes bubuli,iſicia,pectines & buccina,iis quibus ob cutis raritatẽ **D** pilus defluit,conueniunt.Vino hi,& potiſſimũ veteri,abſtineant. Balneum verò ingreſſi,aqua frigida caput perfũdant:ac rurſus in frigidæ ſolium deſcendentes,ex fluente canali aquam frigidam copioſè capite recipiant,roſaceóque ipſum,aut omphacino,aut melino,aut myrteo perungant.Hac enim victus ratione degentibus ipſis non modò defluuium naſcens impedietur,ſed etiam alii capilli enaſcentur.Porro ſi ob meatuum denſitatem,pilorum generatio prohibeatur,tunc iis potius vti conuenit quæ rarefacere poſſunt,& moderatè calefacere: atque tunc etiã **E** magis quum tempus fuerit hybernum,& æger in frigidis locis degerit:vel etiam ſi temperamento frigidiore ſit & magis pituitoſo præditus. At quia rarefacientia materiã quidem euocant,non ſinunt autem ipſam inhærere,& pilos nutrire ac generare,miſcere his conuenit tum quæ cutim roborare,tum quæ denſare paulatim queãt, vt mixta in remedio facultas eſſe deprehendatur,nempe attractrix ſimul & altrix retentríxque: ex præſenti quidem caliditate,attractoria:ex frigiditate verò,retentoria. Multa igitur ſunt medicamenta quæ vires ex variis naturis conflatas **F** habeant:ex quorum numero exiſtit ladanum,oleum lentiſcinum,omphacinum,& myrteum.Sunt etiam complura ad rarefaciẽdum apta,vt ranarum cinis,cepa,alcyoniũ, thapſia,euphorbium,ſinapi,& quæ ſunt eius generis: quibus omnibus vti poteris ſi valentiorum quidem vim remittas,imbecilliorum autem intendas.At ſi ex recrementorum capitis purgatione capillorum defluuium acciderit,nihil prorſus curioſè tentandum eſt, quemadmodum in iis qui ex morbo ſe recolligunt.Sufficit enim ſolùm ſi bonus ſanguis deinceps generetur, & æger in naturalem **G** ſtatum ex morbo reuertatur.

Medicamentum ex ladano.

Ladanum myrteo oleo & vino maceratum, dum mellis habeat craſſitiem,capiti ante balneũ, & poſt illud,inungito.Satius autem eſt etiam polytrichum, quod nonnulli adiantum vocant, dimidio ladani ponderi adiicere, & myrteo oleo exceptum illinere. Quòd ſi hyems fuerit,& æger caput temperamento frigidum habeat, etiam paulum calefacientia & rarefacientia remedia ad-

iungito:vt nardinum modicum, & cyprinũ, vel aliud te- A nue & odoratum medicamentum. ALIVD. Anemonæ florem tritum ex oleo illinito. ALIVD. Verbenacam rectam cum radicibus ſiccatam tritámque, tenuiſſimo cribro incernito:deinde mixtam oleo, vt ſordiũ craſſitudo fiat,æreo vaſe reponito:& quum opus erit, ex oleo vtitor.

QVOMODO CAPILLI NIGRESCANT, Cap. III.

Gallarum,acaciæ, ſquamæ æris,chalcãthi,aluminis pares modos in vrina pueri venerem non experti,diem B vnum macerato:deinde pilis deterſis illinito: & caput linteo ad triduum ligato. Vſu compertum eſt. ALIVD. Nucum viridiũ corticis vncias tres, ilicis fructus vncias ſex,vini nigri ſextarios tres,ad tertias decoquito, ac vbi id quod reliquum eſt expreſſeris,cum olei myrtei ſextario ſubigito. Vtitor quotidie. ALIVD. Vini nigri vetuſtiſſimi vncias tres in vas plumbeum coniicito:& raſuræ plumbi vncias duas in eo dies quindecim macerari ſinito:deinde oleum primi meriti ſuperfundito:& ſubigẽs illinito,præcipuè in viris. ALIVD. Gallas coctas tritáſ- C que capillis nocte ac die obducito:à lecto autem ſurgens aqua frigida abluito.

Vt capilli rufi tingantur & flaueſcant.

Myrrhæ partem vnam,ſalis floris partem vnam diligẽter læuigato,& redigito ad ſordium craſſitudinem:ac caput,vbi exterſeris,medicamento illinito,ſinitóque noctẽ & diem,& deinde abluito. ALIVD. Lupinos crudos ex aqua inungito: item iunci anguloſi folia,herbæ lanariæ(quæ ϛρούθιον Græcis dicitur)ſucco macerato, atque eo D diluto vtitor.

Vt capilli flaui fiant.

Argenti ſpumæ vncias quatuor, terræ Creticæ vncias quatuor, calcis viuæ vncias quatuor, aquæ quantum ad ſordium craſſitiem faciẽdam ſatis eſt inungito, apponitóque betæ folia ad dies tres aut quatuor: deinde medicamenta abluito.

Vt capilli nigri flaueſcant.

Floces vini in balnei ſordes mittito, & in ſpiſsitudinẽ cerati redacta,ſub ſomnum illinito: & manè capilli flaueſcunt. E

Tinctura qua capilli fiant colore aurei.

Aluminis drachmæ ſex, ſandaracæ drachmæ ſex,croci drachmæ duæ,thapſi qua tinctoresvtuntur(Romani herbam rubeam appellãt)drachmæ duæ: lixiuii piliariorum ſextarii quatuor.Lixiuium cum thapſo incoquito vſque ad dimidias,deinde arida adiicito:& poſtquam vſus fueris,abluito aqua decocti fœnigræci, & hordei,cuminiq;.

Quomodo capilli albi fiant.

Verbaſci albi florem comburito,ac ex aceto maceratũ in ſaponem miſceto,eóque pilos abſtergito. ALIVD. F Verbaſci ſeminis,aluminis rotundi,raphani corticis, ſingulas vncias cõtundito,miſcetóque glutinis taurini (quæ taurocolle à Græcis dicitur)drachmas quatuor : ac vtitor.

DE PORRIGINE, Cap. IIII.

Porrigo eſt,vt compendioſè dicam,vbi tenuia & furfuracea corpuſcula ex capitis ſuperficie, aut etiam ex reliquo corpore,citra exulcerationem plurimũ reſoluuntur:vnde etiã Græcis pityriaſis appellata eſt.Naſcitur hoc vitium inde quòd prauus quidam humor pituitæ ſalſæ, aut bilioſæ,& melancholici ſanguinis ſurſum ad caput e- G uectus fuerit.Si igitur talia in toto ſubſiſtant corpore, ipſius antea ratio curáque habenda eſt: deinde ſic ad ea quæ partibus admouentur remedia deſcẽdendum. Si verò nullum in vniuerſo corpore recrementum conſpiciatur,etiam ſola tum quæ à veteribus medicis, tum quæ à nobis inuenta ſunt,medicamentorum auxilia, probè curare affectum poſſunt. CVRATIO. Cretæ cimoliæ aqua prius maceratæ ſuccum betæ miſceto, & illinito, & ſinito dum inaruerint: deinde vbi ablueris, thuris lacrymam tritam ex vino & oleo inungito,ac ſinito quouſque H deficcetur:aut herbam pedicularia, quæ ſtaphis agria dicitur, ex oleo perungito. ALIVD. Ad humidiores autẽ porrigines,muria aut lupinorum diluto abluito. Eſt enim hoc medicamentũ experimentis &vſu cõprobatũ.

Ad pediculos & lendes.

Nitri,ſandaracæ,herbæ pedicularię, ſingulorũ vncia, ex oleo myrteo inungitur. ALIVD. Herbæ pediculariæ vnciæ duæ,ſandaracæ vncia, ex oleo & vino trita, toti corpori inungentur. Ad idem facit etiã terra Samia, quæ Græcis ἀϛὴρ dicitur,& nitrum ex oleo.

AD PSYDRACIA ET EXANTHEMATA quæ in capite gignuntur, Cap. V.

Pſydracia , exigua capitis tubercula ſunt, puſtulis ſimilia , quæ ſummam cutem excedunt. Exanthemata verò,ſuperficiariæ cutis exulcerationes ſunt, ſubrubicundæ & aſperæ.Vtrunque vitium præſidiis infrà poſitis exteritur. CVRATIO. Argenti ſpumæ, ceruſæ, ſingulorum vnciæ quatuor: aluminis,rutæ foliorum viridium,ſingulorum vnciæ duæ. ex aceto myrteóque oleo inungentur.Magis autem proficiũt ad ea quæ humiditate ſcatent.

AD VITIA CAPITIS SCABIOSA & ſanioſa, Cap. VI.

Rvta & alumine detritis ex melle vtitor in capite priꝰ raſo. Si verò cutis à capite recedat,oleæ folia cocta ex melle inducito.

AD VLCVSCVLA CAPITIS DENSA ET rubra,papillis ſimilia, à quibus ſanies reſoluuntur. Cap. VII.

Capite prius raſo, abſterſóq; aqua &nitro, ſulphure viuo ex hominis vrina contrito,vtitor.

Aliud ad capitis vitia.

Argenti ſpumæ,ceruſæ,ſingulorum drachmæ duodecim: ſulphuris viui drachmæ octo. Cerato myrteo exceptis vtitor. ALIVD. Cretam ſutoriam (quæ melanteria Græcis dicitur)cum aceto inungito.

DE ACHORE, Cap. VIII.

Achor vitium eſt quod in capitis extima cutẽ exiguis foraminibus oboritur,ex quibus humor ſaniei quæ Græcè ichor dicitur,ſimilis emanat: ideo etiam malum illud achor Græcis appellatur: *noſtris, manantia ulcera*. Eſt autem id quod defluit,interim bilioſum , aut pituitoſum: interim etiam melancholicum.Internoſcere igitur principalem cauſam oportet.non enim eadem in omnibus eu ratio exiſtit. Nam quum recrementum quod ſuperat, bilioſum eſt,tenue ſubſtantia exiſtit quod emanat,& colore ſubpallidum.Sin autem non tenue ſubſtantia, & colore ſubpallidum,ſed craſſum & viſcoſum extiterit, id quod redundat,pituita eſt,& achorem efficit.Quòd ſi nihil horum fuerit,loca verò vnde humor effluit,dura magis,cutim excedentia,& ſtrictiora appareant,vt ne quicquam ab eis effluat, aut vix exiguum , intelligito melancholicum ſubeſſe recrementum,quod achorem pariat. Cæterùm etiam obſeruari debent cauſæ quæ præceſſerunt,temperamentum ægri,ætas,&guſtus.Etenim amarorem ſentiunt quibus cauſa eſt bilioſa: ſalſam autem qualitatem,quibus eſt pituita ſalſa : acidam verò, quibus humor melancholicus.Iam ex tactu internoſcere poteris. calidior enim tibi apparet,in quibꝰ eſt bilioſum:frigidior autem,in quibus pituitoſum: minus autem frigidus,in quibus melancholicum.Ita ſanè internoſces humores achorem parientes. CVRATIO. Curare hos oportet ſimiliter ac eos qui alopeciæ vitio tenentur,ſi quidem corpus vniuerſum humoribus copioſis ſcateat(quod plethoricum dicitur)& vitioſis(quod cacochymum)purgare id totũ prius, eiúſq; ſollicitudinem habere, poſtea ad particulares medicinas peruenire conuenit.

DE FAVO, Cap. IX.

Sciendum eſt, etiam fauum ſimile eſſe achoribus vitium, magnitudine tãtùm differens. Nam foramina meatuum vnde humor emanat, apium fauis reſpondent: vnde etiam Græcis κηρίον apud veteres nominatum eſt.In achoribus autem dictis,non videntur meatuum foramina ex quibus humor in eis emanat. Quæ igitur ad achoras dicta ſunt,ea in fauo quoque recitare conuenit. Quoniam verò multa ſunt quæ aduerſus achoras proficiũt, diſtinguere conuenit quæ eorum ſint valentiora, magiſque diſcutiant: rurſus quæ repellant,quæ verò mixtam facultatem habeant.Dicamus igitur quibus in affectibus quæ

potius medicamenta adhibenda ſint. Incipientes ſanè achoras,vbi totum corpus prauis humoribus aut copioſis liberum fuerit,medicamenta aſtrictoria repulſoriáque curant: qualia ſunt myrrha,piceæ cortex,& rubi folia illita: item plantago,oleaſtri ſuccus,ſalicis folia floréſque, & polygonium. Difficilium autem achorum incrementis obſiſtūt ea quæ ſimul repellunt id quod influit,ſimul etiā concoquunt,& id quod continetur diſcutiunt,quū mixta facultate ſint prædita:quibus poſt principia vti conuenit. Huiuſmodi verò ſunt,myrteum oleum , lentiſcinum,ruborum aut portulacæ ſuccus ex oleo,ladanum cum vino illitum,cyperus,& lenticula. At ſuperficiariis & exiguis achoribus auxiliantur quæ mediocrem facultatem obtinent,& nihil quod irritet diſcutiēdo indicant. Id præſtat terra Cimolia,Cretica,& Samia:item pompholyx,ſpodiū, ſpuma argenti , cadmia , adiantū cum roſaceo, fœnigræci decoctum, malua cum vino & farina ſubacta, ac nonnulla validiſsimis viribus, vt etiam achoras à craſsis admodum & viſcoſis humoribus infarctiſque cuti cōtumaciter poſsint euacuare. Talia ſunt,ſales,chalcitis ; fæx vini cremata,ſandaracha,calx viua. item acetum quamacerrimum,præſtantiſsimum ad achoras eſt medicamentum. Optimè etiam diſcutit radix lilii, cucumeris, bryoniæ & aſparagi.

Medicamenta ad achoras dolorificos.

Quum multa ſanies excernitur,& dolor vehemens affligit,cataplaſma conuenit ex lente læuigata, coctáque cū mellis momento: aut ex pane cum coriandro,aut plantagine,aut ſolano,aut ſeri,aut polygonio,aut perdicio herba. Scire autem licet, quum acceſsiones remittunt, partem affectam tondendam eſſe, & abſtergendam fœnigræci decocto,aut betæ,ſimiliúmque,ex aqua.

Medicamentū ad achoras,& totius corporis eruptiones, quæ exanthemata dicuntur.

Ceruſæ drachmæ ſex: argēti ſpumæ drachmæ quatuor: ſulphuris viui drachmæ ſex:ceræ drachmæ ſex: olei roſacei aut myrtei quod ſatis eſt, vt ceratū liquidius efficias. Sicca cerato miſceto,& caput inūgito. ALIVD. Plūbaginis, ſulphuris viui paria pondera. Læuigatis affundito roſaceum, aut myrteum, aut lentiſcinum, vſquedum ſordium fiat craſsities:& illinito.

Aliud efficacius ad achoras peculiare.

Argenti ſpumæ drachmæ viginti:calcis viuæ drachmæ quindecim:aceti hemina,olei myrtei vnciæ quatuor. Sicca teres diligenter ex aceto: poſtea ſuperfundes oleum, & vteris.

DE DOLORE CAPITIS, Cap. X.

Dolor capitis, qui Græcis κεφαλαλγία dicitur, accidēs eſt multis ex cauſis ipſum efficientibus proueniens. Etenim ſæpe & à qualitate ſola,& à copia,interdum ab vtriſque ſimul contingit: breuiter, quamcunque dixeris præcedentem ſiue coniunctam cauſam,hanc quoque dolorem capitis facere deprehendes. Quoniam igitur non vna cauſa exiſtit,ſed diuerſæ quæ dolorem capitis excitent,neceſſe eſt variam quoque curationem adhibere, ad ſingulas ipſas reſpiciētes: atque idcirco à curatione illius doloris qui ex qualitate contractus eſt auſpicemur. Sciēdum itaque eſt, vehementiſsimos capitis dolores ex efficientibus qualitatibus proficiſci,& præcipuè calida: qui verò à ſiccitate proueniunt,æquè vehementes non ſunt. Nam humidæ qualitates,quantum ad ipſas attinet, nullū prorſus dolorem inferunt,niſi acrimonia fuerit coniuncta. At vbi humores non calore,aut frigiditate, ſed copia infeſtant,tum diſtentionis,tum obſtructionis dolores pariunt,maximè ſi craſsi & glutinoſi fuerint. Incipiamus igitur curationes perſequi,initium facientes ab iis capitis doloribus qui à præcedentibus cauſis atque externis cōſtituuntur.

Notæ doloris capitis ex inſolatu contracti.

Eorum qui inſolatu & calida intemperie capite laborant,indicia omnibus nota & in confeſſo ſunt. Nam cutis horum ad tactum calidior apparet: quumprimum manum ei admoueris,ſine mora aridior deprehenditur. Oculos ægri habent rubentes, frigidæ aſperginibus ſuper caput datis oblectantur: & nō ſolùm hoc facientibus dolor mitigatur, ſedetiā maximū percipitur adiumentum.

Curatio doloris ex inſolatu concitati.

Quòd exuſti in ſole refrigerantia requirunt, omnibus eſt manifeſtum: ſed illa quæ etiam tenuem facultatem obtinent,cuiuſmodi eſt oleum quoque roſaceum inunctum,paulo aceti adiecto. Magis enim adhuc penetrare roſaceum poteſt ſi cum aceto illinatur. Quòd ſi calor amplius ſuperare videatur,etiam refrigerantium vim intendere conuenit,admiſcendo ſemperuiui ſuccum, aut ſerpylli,aut parietariæ,aut portulacæ, aut lactucæ ſylueſtris, aut ſereos,aut intyborum,aut cucurbitæ,aut roſarum, aut vuæ acerbæ,aut polygonii ſuccū,aut mali punici, & præſertim acidi,aut aliorum ſimilium: ſiquidem conſideraueris,refrigerantium, ita vt non magnum torporem inducant,aut aſtringant,vt dictum eſt. Vitare igitur oportet etiam propter hoc,mandragoræ oleum, & quæ ex capitibus papaueris, & liquore eius parantur, niſi antea eis vti propter multas vigilias coacti fuerimus: atque tunc, cum multa cautione modicè offerri debent. Quum igitur perfecerimus quod res poſtulat, ſtatim refrigerātium vſum fugiemus,maximè in corporibus quæ excrementis ſcatent, & quibus grauitatis ſenſus in capite percipitur. Accidit enim frequēter vt caput in iis quibus id humorum copia præditis ex inſolatu repletur, cucurbitulæ inſtar ſuperflua ad ſe attrahat: ſicut in illis quibus ex inſolatu ſimul etiā humores infarcti impactique in capite ſunt, valde refrigerantia vitari debent,oleum autem adhiberi chamæmelinum,recenter potius præparatum. Sin autem vetuſtas vitium occuparit, adiicere ipſi etiam roſaceum oportet,duas quidem partes chamæmelini, vnam autem roſacei: vel cōtrà,vel etiam æquali portione. Aliâs enim alia quantitas conuenit,eóque definiri non poteſt. Condiſcere igitur omnia oportet,quemadmodum vera Hippocratis doctrina præcipit,atque ita variare quantitatem, reſpiciendo ad ætatem,anni tempus,regionem, habitum corporis,& temperamentum. Hanc regulam attendens, exquiſitam quantitatem conſequêris.

De cerato ad idem vitium.

Sin autem calida in his intemperies perſeueret, neceſſariò vtemur etiam ceratis ad refrigerandum efficacioribus, maximè roſaceo,cui adiectum ſit paulum aceti , aut ſucci portulacæ,aut perdiciadis,aut cuiuſpiam alterius ex iis quæ ſuperius recitauimus. Oportet autem ſemper cerā prius lauare, aqua frigida adiecta,vbi ad ignem reſolutā probè liquefeceris : atque id faciendum eſt non ſolùm priorem aquam mutādo,ſed etiam poſtea puram immittendo. Poſt hoc autem,oleum roſaceum ceræ admiſceto, aquam(vt diximus)& acetum,aut ſuccum aliquem ſuperfundens,quouſque ambo bene commixta fuerint. Ceratum ſic confectum,in tenue linamentum illitum, toti capiti applicato,præſertim temporibus,vt medicamenti vis tranſmittatur: capillos autem auferre conuenit, & medicamentum crebrius mutare. Vbi enim ſic nos egerimus, ſuperans intemperies ad temperiem repentè conuertitur.

De capitis dolore qui ob calidam intemperiem perſeuerat.

Quibus calida intemperies cōſtanter perſeuerat, in his ea quæ prædiximus agenda ſunt. Quum verò nihil profecerint,etiam neceſſariis & valentioribus remediis vtendum eſt: inter quæ habetur etiam paſtillus, cuius mixtura ita habet.

Paſtillus ad diuturnum capitis dolorem, & calidam intemperiem.

Croci drachmæ quinque:chalcanthi drachmæ decem: aluminis ſciſſi drachmæ ſedecim: myrrhæ drachmæ tres: omphacii drachmæ tres: chalcitidis,gummi,ſingulorum drachmæ tres: vini auſteri quod ſufficit. Terito diligenter,ac in paſtillos redigito. quum vſus poſtulat, ex poſca diluito,ac vtitor ad intemperies calidas,iam inueteratas. Quòd ſi vigiliæ ægro obuenerint, ſuccum papaueris potius obiicito. Ita enim vtriſque, & intemperiei ſimul, & vigiliæ,rectè medeberis.

De capitis dolore qui ex calida iecoris intemperie prouenit.

At ſi capitis dolor frequenter inde quòd iecur ſit calidum,oriatur,dum ſcilicet ardeſcit ipſum,vaporéſque ſurſum ad caput exhalant,neceſſe eſt vniuerſam curationem

ad id quod præceſsit accommodare: extrinſecus ſanè,aut melinum oleum,aut roſaceum,aut hydrelæum,aut ceratum:intus autem,cibum præſertim liberaliorem, qui refrigerare queat,& ægrè confici.hora ſecunda aut tertia,panem in aquam tepidam intinctum aſſumere, ne vapores ſurſum erumpant:aut citrum,aut malum,aut aliud quoddam refrigerans:iiſque cibi vice vtantur,& aquam frigidam bibant,præcipuè ſi eius potioni aſſueuerint. Sin minus,certè ad medium cibi ſumpti,aut cum vino,aut abſq; vino ea offeratur.Breuiter,vniuerſum victum talem inſtituant.Ita quoque in iis qui ſtomachum calidiorem,ventrem,aut lienem habent,agere conuenit.

De capitis dolore ex frigida intemperie orto.

Qui verò capitis dolorem ob frigidam intemperiem conceperunt, hi omnia illis contraria experiuntur quibus ex inſolatu caput indoleſcit. Etenim neque caput tactu calidum deprehenditur, neque facies rubeſcit, neque arida & collapſa apparet,ſed ecōtrario plena & pallida. Ita verò internoſces qui ob frigiditatem denſationemque capitis dolorem ſuſtinent.Cæterùm & victus ratio,& cauſæ primariæ ac præcedentes, ſi diligenter perſcruteris,manifeſtam tibi diſcretionem adferent. CVRATIO. Curare igitur generatim quidem calefacientibus oportet: cæterùm verò pro intemperiei magnitudine remedium quoque variandum eſt: interdum rutaceum oleum capiti inducendo,aut laurinum,aut irinum, aut nardinum,aut opobalſamum: quod etiam maximè proficit in quibus dolor ex craſſiore & viſcoſa magis pituita oritur. Illinire autem conuenit frontem ipſorum & tempora medicamento cyphonio,& iis quæ ex pipere & euphorbio componūtur.Multa autem ſunt ab authoribus prodita ex quibus licet,ſi parare oportet, vnicuique vtile ac idoneum deligere. His igitur ſi vinum tenue dederis, aut aliud quoddam extenuans calefaciénſque, non nocebis.Nam omnia ipſos iuuant quæ mediocriter extenuare & calefacere poſſunt: & geſtatio motúſque in equo, balineæ calidiores,& apophlegmatiſmi. Sin autem affectus inueteraſcit,etiam vomitus è radiculis raphani prodeſt.At in quibus qualitas citra copiam moleſta eſt, non opus erit eiuſmodi medicamentis. Vt autem inueteratos affectus promptè curare poſsis,vtitor eo quod columbarum ſtercus recipit. Habet autem ipſius compoſitio in hunc modum:Piperis albi,crocomagmatis, ſingulorum drachmas duas:euphorbii recentis drachmas ſex: ſtercoris columbini drachmam vnam ſemiſſem: aceti acerrimi quod ſatis eſt.Locum affectum prius perfricatum vt caleſcat,inungito. Vbi autem medicamentum validius eſt quàm corpus ferat,remittere vim ipſius oportet, admiſcendo ei amyli momentum,& lac muliebre,quum vti volueris.Rurſus autem vbi vim eius intendere libet, abſinthii paulum admiſcebis ex aqua dilutum.

De dolore capitis,ex vitio ſtomachi contracto.

Nec verò dolor in capite primario affectu laborante perpetuò accidit,ſed interim etiā ex ventre ipſo frequēter,aut ſtomacho,aut alia quadam particula, aut flatibus vapores quoſdam ſurſum mittentibus ſuperuenit.

De dolore capitis quem bilioſus humor inuexerit.

Si igitur capitis dolor ſubinde ex humoris bilioſi abūdantia naſcatur,curatio eius medicamētis quæ bilioſum humorem purgant & ſubducunt, adminiſtrari debet: verùm vt probè hunc vacuare poſsis,humidiore prius victu opus eſt,balneiſque temperatis,vnctionibus,& aquæ potu liberaliore.Ita enim diffuſa bilis,& veluti imbecillior facta,facilius à medicamento ipſam trahente vacuabitur. Si igitur bilioſus humor copioſus nimium & calidus fuerit,ita agere oportet,ac liquorem ipſius, potiſsimum ſcāmoniæ,cum modica aloe,aut abſinthio,aut roſarum ſucco,aut rhodomelo exhibere. Si verò non abundare tibi magis amaræ bilis humor,ſed in ſtomachi tunicas, veluti ſpongiam aliquam,abſorptus apparet, medicamenta ex ſcammonia vitari debent,& omnino quæ valde calefaciunt.Dari autem ipſis debet aut abſinthii dilutum, aut ipſa aloe,aut medicamentum picra, ſiquæ etiam craſsities bilis permixta tibi videatur.

Curatio, ſi viſcoſi fuerint humores ſtomacho inſidentes.

Sin autem humores viſcoſi in ſtomacho redundent, & in flatus diſſoluantur,doloriſque authores fiant,ad ea quæ validè extenuant tum in cibo,tum in medicamentis, veniendum eſt:cuiuſmodi eſt etiam apii radicis, aut hyſſopi dilutum. & ſuperfundenda inungendáque ſunt quæ corroborant & calefaciunt: vt nardinum vnguentum,vel gleucinū,vel marciatum dictū. Quòd ſi magna humorū
B inſidentium copia extiterit, non ſolis remediis quæ partibus inducuntur vti oportet, ſed prius extenuata probè materie,exhibere etiam quæ pituitam purgare queant: aut oxymeli, tum ſimplex, tum quod Iulianum dicitur, caput,ſtomachum,& totū corpus purgare efficax: vel catapotia quæ colocynthidem recipiunt. Purgare autem non modò ſemel,ſed etiam bis oportet. Neque enim viſcoſus humor vacuationibus vniuerſis ac vna vice factis cedit,ſed potius per interualla paulatimque, & crebrius repurgari medicamentis debet.

De dolore capitis in febribus oboriente.

C Obuenit etiam capitis dolor iis qui vehementer febricitant:verùm conſidera diligenter num criſis ratione, an non,oriatur. Conſtat enim quòd ſi capitis dolor huius gratia contingat,vt in iis qui ſanguinem ex naribus profundunt, aut vomunt, nihil tentare oportet, aut tumultuari,aut curationem adhibere.Nam ea quæ admouentur,præterquam quòd nihil iuuant,etiam naturam ſubinde impediunt: id enim propter febris vehementiam & malignitatem accidit. ac omnia agenda ſunt vt febris vehementia mitigetur.Cæterùm capitis quoque cura ha
D beri debet,roſaceum ipſi ſuperfundendo, interim per ſe, interim cum aliquo refrigerante, vt ſerpyllo,aut hedera, aut roſis,aut ſemperuiuo. Quòd ſi vigiliæ vrgeant,etiam decocto chamæmeli, capitum papaueris & hederæ cum oleo roſaceo ſuperfundatur: ac frons ſomniferis inungatur, aut ſucco lactucæ, aut paſtillo trigono, aut crocode: aut ſummatim, omnia quæ adhibentur,leniendi,refrigerandi,& ſomnum inducendi vim obtineant.

De dolore capitis ex vino.

E Dolor capitis qui etiam ex vino ſuſcitatur,facilè diſcutitur.Nam quumprimum cauſam didicerimus,conuenit ante omnia vino interdicere, & medicamentis vti quæ refrigerant, & vapores repellunt. Tale autem eſt præſtantiſsimum roſaceum,aut per ſe,aut cum aceto,vel ſucco hederæ,vel braſsicæ.Nam huiuſmodi non ſolùm ſiccant,ſed etiam naturali quadam facultate vino aduerſantur.vnde etiam ipſa braſsicæ folia, ſi capiti applicentur, bene faciunt. oportet autem ea prius aqua calida madefacere,atque ita illigare. Iam conuenit etiam ipſam braſſicam decoctam ſemper comedere.Quinetiam lenticula
F his auxiliatur,præſertim qui humidiorem habent ventriculum.Adhæc mali punici grana ſuper cibum comeſta ipſos iuuant: ac mala ſimiliter piráque aſſumere, & frigidam aquam bibere cōfert. At qui imbecilliori ſtomacho ſunt præditi,iis etiam paulum vini propinare, præſertim aquoſi,(quale eſt Cnidium,Samium, & Sareptinum) conducit: nullum autem vinum ſit vetuſtum. Nam præterquam quòd caput nonnihil feriat,etiam vaporis quippiā ad ſuperiores partes effert. Panis autem ex aqua eſui his aptiſsimus eſt: item halica cocta, oua tenera, columbarū
G & gallinarum alæ,gallorum teſticuli,turdus: breuiter, vniuerſus cibus eſto boni ſucci,ſtomacho vtilis, & qui vapores arceat.

De dolore capitis ex ictu.

Dolor capitis etiam ex ictu aut caſu accidit,inflammatione in illo ſubſiſtente: quare etiam curatio eius magno ſtudio tractanda eſt. Quippe periculum inducit, dum humores copioſius ad ipſum confluunt.Si itaque oborta inflammatio ſolam cutem ambiat, & non vlterius adhuc procedat, nihil negotii eſt ſed dolor etiam qui circa ca-
H put contingit facilè diſcutietur: ſin autem tanta & tā valida vrget vt etiam membranam caluariam ambientem in conſortium doloris pertrahat,(frequenter autem cerebri quoque membranam quā meninga Græci appellant) haud exiguum erit periculum. Nam conuulſiones magna

parte & deliria comitantur,vt mortē ipſis maximè præcipitem inducant. Vt igitur magnas inflammationes oboriri prohibeamus, neceſſe eſt curationē à ſanguinis miſſione incipere:ita nanque influxus reuelletur. Porro vacuatione facta,& corpore toto recrementis libero, deinceps etiā parti admouere auxilia oportet, & capitis ipſius curam habere, oleo dulci perfundendo, lanis contegendò,fouendóque omni ex partè, vt ne caput, hoc eſt neruorum origo,rigeat. Vino autem per initia ipſos, & carnibus arcere conuenit,& in totum,omnis victus purus & recrementis expers eſſe debet, præſertim ſi etiam febris tibi vehemens eſſe videatur. tunc enim tanquam illius ratione ptiſſanæ cremorem, lutea ouorum,maluam decoctam,lactucam, intybum & cucurbitam exhibere oportet. Quòd ſi vigiliæ vrgeant ; etiam chamæmelino oleo & roſaceo perfundere debemus: ſubinde verò etiam vtriſque cōmixtis vti,plus & minus à magnitudine inflammationis,ægri temperamento & ætate conſideratis. Ita ſanè, vbi inflāmatio citra hulcus obuenerit,curationem moliri conuenit.Sin autem hulcus quoque infeſtet,tunc eiſdem ſanè vti non dehortabimur: ſed præterea etiam roſaceo cum melle,aut tetrapharmaco, item ceratum ad inflammationem arcendam efficax,& medicamenta cōmodè imponuntur,præſertim anemone.hæc enim variis modis auxiliatur,& linamentis illita & ſuperinducta.Talis enim curatio exiſtit quum inflammatio hulceri coniuncta fuerit.Dicetur autem abſolutius quum de vulneribus capitis aliarúmque particularum propriis,ſermonē habebimus.

DE CEPHALAEA, Cap. XI.

GRauis quidem affectus, & vehementer dolorificus eſt, vt etiam ipſæ oculorum radices indoleſcant. eſt quoque diuturnus,& leui occaſione excandeſcit exacuitúrque.Nam qui hoc malo detinētur,alii vini paulo meracioris potione,alii odore quodā,vt ſtyracis, aut thuris, nonnulli ab ipſo luminis ſplendore feriuntur, vt in tenebris magis contenti ſint quàm in lumine degere.Fit autē potiſſimùm hic morbus etiam ex diuturna membranæ caluariam ambientis,aut cerebri membranarum inflammatione. item ex obſtructione & crudiorū craſſiorúmque humorum copia, interdum etiam ob magnam humorum in alto deſidentium acrimoniam.Frequenter ob calidam quoque intemperiem malum hoc naſcitur,capite ſcilicet ſpatio temporis imbecilliore facto, atque ob id promptè humores ſuſcipiente: nonnunquam verò ab inferioribus recrementa quæ inueniuntur, cucurbitulæ inſtar attrahente. Diligenter itaque attendendum vt in aliis quoque affectibus, & animaduertendum eſt qua ex cauſa naſcatur, & generationis trahat originem: nempe ex copiáne an particularum cerebri inflammatione quapiam,vel obſtructione,vel acrimonia inueterata. Sic nāque morbus,ſi modum aut tempus inſpexeris, arte facilius ſolui poterit.

Notæ ipſius hæ ſunto.

Si igitur magna grauitas in particula percipitur, conſtat non ſolùm qualitatem,aut vapores aliquos,ſed materiæ copiam obſtructionis eſſe opificem: id quod manifeſtius cognoſces ſi præter omnia à me dicta, totū ægri corpus conſideres,naturáne plethoricum ſit,an minus: item,ſi omnia quæ præceſſerunt perpendas. Vbi enim ſic vniuerſa circumſpexeris,firmius internoſces.

Notæ cephalææ quæ propter cerebri inflammationem naſcitur.

Si igitur grauitatis ſenſus & pulſatilis dolor ortus fuerit, clarum eſt,cephalææ affectum propter inflammationem quandam euenire.

Notæ cephalææ ex ſpiritu.

Quòd ſi tenſionem ſolam citra grauitatem & pulſum æger ſentiat,manifeſtum eſt rurſus, affectum ex flatuoſo inſidente ſpiritu fieri.

De dolore ex acrimonia proueniente.

At ſi nullum ex his infeſtet,roſio autem ſolùm incidat, dolorē ex acri & bilioſo humore excitari intelligas.

Notæ doloris ex calida intemperie creati.

Sin autem nullum ex his cauſa morbum capitis pariēs
A exiſtit,calor autem circa caput percipitur, atque id natura calidius temperamento eſſe videtur,& cauſæ quæ præceſſerunt,calidiores,collige potius ex omnibus, calidam quoque eſſe intemperiem, quæ ab infernis recrementa cucurbitulæ alicuius modo ad ſe attrahat, efficiátque vt caput facilè repleatur humoribus. CVRATIO. Qui ſanè hunc in modum bona internoſcendi ratione ac via vtuntur, inueteratos cephalææ affectus ſanare poſſunt. Si enim morbus ex copia fiat,totius primùm corporis curam habere debemus,initiò id quod ſuperat commodè
B vacuantes,vel per ſanguinis miſsionem, vel purgationē. Sin autem totum corpus non fuerit plethoricum, ipſum verò caput potius cauſam præbere videatur, eo quòd natura ipſum iniuriis & repletioni ſit opportunum, poſsítq; attrahere quodcunque in ventre contentum inuenerit, à toto quidem corpore abſtinendum eſt,neque venam ſecare prorſus aut purgare oportet: ſed in primis ipſi tanquam primario affectu laboranti proſpiciendum. Et ſi quidem humores infixos frigidos eſſe ſuſpiceris, ſiue à caliditate attractos, ſiue ex imbecillitate illic natos, ſu-
C perfundere ipſum & irrorare oleo conuenit, aut herbis in vino decoctis non admodum calidis, ſed quæ robur quoddam habeāt ad caput firmandū, quale eſt oleū ex acerbis oliuis expreſſū, quod omotribes dicitur: cui adiiciantur capreoli hederæ,aut ſerpylli,aut menthæ viridis. Procedente autem tempore, etiam ex calidioribus admiſceto ſiſymbrium,aut pulegium,aut folia lauri, aut calaminthen.His igitur medicamentis, eorúmque ſimilibus vtēdū eſt:præſertim in hyeme,& maximè vbi ſuperantē intēperiē frigidā eſſe apparet, & humores qui capiti in-
D ſident,viſcoſi fuerint & craſsi.Nam illa infixos humores ſtrenuè diſcutiunt,& caput corroborant, vt ne ipſum infirmetur,neque recrementa quæ ex vētre in reliquas corporis partes diſtribuuntur,promptè ſuſcipiat. caput enim frequenter non adeo calidum eſt vt ipſum recrementa corporis poſsit attrahere,ſed propter imbecillitatem illis repletur,ſuſcipiens magis quàm attrahens.Ita illis ſanè, ſi humores qui capiti inſident frigidiores fuerint,agendū cenſeo.

Curatio,ſi dolor à bile procreatus fuerit.

E Quòd ſi humores calidi & bilioſi exiſtant, tum oxyrrhodino, hoc eſt aceto & oleo roſaceo tepido, tum eo medicamento quod ex papaueris capitibus(vnde Græcis διακωδιῶν dicitur) & roſarum decocto paratur, caput ſuperfundas:adiiciens præterea etiam ea quæ leniter diſcutiunt, vt hederam,aut ſerpyllum, aut chamæmelum herbam,aut chamæmelinum oleum. Ac lauēt ægri,aqua temperata *hoc eſt tepida* vtentes, abſtergantúrque ptiſſanæ cremore,aut vitellis ouorum, tepidam ſuperfundentes aquam.Nam calida admodum & feruens, præterquā
F quòd nihil præſidii adfert,offendere ipſos & irritare ſolet. Vbi verò caliditatis feruor conquieſcit, non alienum eſt etiam mellis exiguum vnà cum vitellis ouorū, & vnctionibus moderatis,quæ abſtergere & expolire poſſunt, admiſcere.Nam omnia nimiū calida his ſunt inimica, ſiue ſmegmata ſint,ſiue apophlegmatiſmi. Quippe bilioſa recrementa ab humectantibus mediocriter tū balneis, tum medicamentis magis diſcutiuntur quàm plus æquo ſiccantibus & calefacientibus: quia ex eiuſmodi magis ſpiſſeſcunt quàm diſsipentur. At in quibus craſsi & non
G admodum calidi ſunt humores, in iis conſulo ne admodum ſubitò ad ea quæ diſcutiunt feraris:mitigare autem potius materiā moderatis vnctionibus & balneis debet, atque ita deſcēdere ad efficaciora, quæ extenuant & diſcutiunt,vt quæ ex nitro & ſinapi conficiuntur. Declinā te autem affectu,etiam frictione capitis linteis adhibita vti oportet:præcipuè in balneo,prius nimirum capillis adēptis: item per vices iis quæ ſternutamenta prouocāt: primùm ſanè ſimplicioribus,deinde valentioribus. Vt autē is qui parare illa velit,promptè inueniat, explicanda etiā
H hic putaui:quorum ſcriptura in hunc modum habet.

Errhinum,hoc eſt,medicamentum quod naribus inditur, caput purgans, ad lippitudinem & morbum comitialem efficax.

Melanthii drachmæ octo, ſalis ammoniaci drachma,

Elaterii drachmæ quatuor. Trita excipiantur oleo Sicyonio, aut myrteo, aut irino, aut Cyprino, vt cerati habeat craſſitiem. Repoſito igitur in pyxide cornea, vtitor: ſubungens nares, attrahere iubeto. Hoc errhinũ nõ modò confert diuturno capitis dolore affectis, ſed etiam iis qui lippitudine infeſtantur, & comitialibus. Educit enim facilè ſiquid viſcoſum in cerebro & craſſum inhæreat: præterea etiam quod ex cyclamino cõſtat, nihilo minus proficit: habet autem huius quoque ſcriptura hoc pacto.

Errhinum ex cyclamino.

Cyclamini ſicci drachmæ octo: nitri rubri drachmæ quatuor. Sin autem loco nitri, elaterium iniicias, præſtãtius euaſerit. Vtitor autem in hũc modũ. Tritum ipſum probè, per arundinem inſpirato: præcipiens ſurſum inclinando attrahere: deinde rurſus deorſum vergendo, etiam id quod congregatur, expuere.

Epithema ad diuturnos capitis dolores.

Vtitor etiam epithematis in capite & vnctionibus in diuturnis affectibus, quæ diſcutiendi vim obtinent: quorum è grege eſt & hoc quod frequenter experimentum probauit: ſcriptura eius in hunc modum habet.

De cerato.

Irini vnguenti, peucedani, caſtorei, ſingulorum drachmæ: baccarum lauri drachmæ duæ: rutæ ſurculorum drachmæ quatuor. Excipiantur cerato quod ex roſaceo paratum eſt: ac capite deraſo, per totum ipſum imponito. Sin autẽ acceſſio magna orta fuerit, mitigantibus & mediocriter reficiẽtibus vtitor, ex quibus hoc habetur.

Smegma ad capitis dolorem.

Liquoris peucedani drachmæ ſedecim: liquoris papaueris, aniſi, mẽthæ, myrrhæ, ſingulorũ drachmæ duæ. Aceto excipiantur, fiátque vnguentũ. In dolorib⁹ immoderatis, caput eo illinito. His & ſimilibus vti conſilium eſt, in quibus propter craſſos humores & ſpiritum flatulentum dolor gignitur.

In quibus qualitas doloris cauſa eſt.

At ſi dolor ex calida qualitate oriatur, clarum eſt ea adhibenda eſſe quæ etiam ex bilioſo humore dolentibus conuenire diximus, citra miſſionem ſanguinis, aut purgationem, aut omnino qualecunque tandem vacuans remedium adhibitum. Porro ſi affectum ex ventris retentione prouenire contingit, omnibus modis is cibo & leniter purgare potentibus ſubduci debet. ſunt autem huiuſmodi multa, tum ipſe ſal. Quare ſi aluus ob viſcoſos humores cohibetur, hanc compoſitionem mixturámq; dato. Salis Ammoniaci drach. duas: piperis, drach. euphorbii drach. Dato ex ouo, aut ptiſſana drach. duas aut quatuor, aut ſcrupulos tres aut quatuor. Quib⁹ autem venter non ob viſcoſos humores adſtringitur, in iis vtitor medicamentis quæ ſcammoniã recipiant. Habet autẽ horũ cõpoſitio in hũc modũ, Salis cõmunis torrefacti drach. tres: piperis drachmæ duæ, ſcãmonii, drachma. Dato ex ouo, pane, & quomodocunque velis, cochlearium. Nam hi ſales admodum leniter ac citra moleſtiam ventrem purgare & emollire ſolent. Vtitor his cum fiducia, tum illis quæ euphorbium recipiunt. Quòd ſi venter citatior ſit, & caput magis ob ſiccitatem doleat, nititor eum cibo, potu & medicamentis ſiſtere. At ſi affectus ex vigilia & ſolicitudine eueniat, iis quæ ſomnum inducunt, & laborantes omnino leniunt, curari debet. Summatim, remedia ſemper ad cauſam morbum facientem accommodato, ac vtitor prædictis bona ratione ac via. Ita nanque inueteratus ac contumax affectus, diligenti artificio & commodis præſidiis adhibitis, ex toto euincetur.

DE HEMICRANIA, Cap. XII.

SÆpe dimidia capitis pars indoleſcit, ita vt dolor circa dimidiam caluariam incipiat. Atque generatur hic quum recrementum aliquod ibi infixum aut impactum tum in flatus reſoluitur, tum loca ſingulis diebus, aut vno interpoſito, aut duobus, irritat, pro ſubiecta ſpecie motus ſumens initium. Si igitur totum corpus recrementis liberum tibi apparet, capiti proſpicito, ipſique particularem curationem adhibeto. At ſi copiato toti corpori faceſſit negotium, tunc

A multifariam attendendum eſt, & internoſcendum quis vtique humor ſuperans exiſtat. Conſtat enim & vacuationem eius tentandam eſſe, &, ſi ſanguis fuerit, per venæ ſectionem detrahendum: ſin alius quiſpiam humorum fuerit, purgatione recrementi quod moleſtat, ſuccurrendum.

De hemicrania ex conſenſu.

Si hemicrania ſtomachi affecti conſenſu oriatur, vel dum ipſe in concoctione infirmatur, vel quum materiam in ſe bilioſam vel pituitoſam continet, nec

B humores hi probè coquuntur, perpende rurſus vtrum ex calida intemperie, aut frigida proueniat. Si igitur ex frigida intemperie, calefacientibus ei proſpicere oportet: ſin ex calida, frigidis & contemperantibus.

Si dolor ex frigida ſtomachi cauſa dimidiam caluariæ partem exerceat.

Quòd ſi dolor ex frigida ſtomachi cauſa factus apparet, primùm vtitor fomentis ex vino & oleo, quod Græcè œnelæon dicitur, nardo, gleucino, ſtyrace, ma-

C ſtiche: deinde etiã epithematis, Polyarchio aut Philagrio, & Marciato dicto, quod flatus in ſto[...]ho ſubortos ſtrenuè poteſt diſcutere. Cibus eſto eiuſmodi qui calefaciat ſimul & extenuet, necnon robur apponat. Hydrogarum igitur his eſt idoneum, quod copioſius aniſum receperit. Confert etiam oxymeli potum, & porra cocta, in cibo ſumpta. Item quod ex malis cotoneis conficitur, piper & gingiber recipiens. Auxilian-tur ipſis etiam quæ ex hyſſopo, aniſo, dauco & apio pro pinantur. Ex oleribus, ſcandix, gingidium, aſparagi pa

D luſtres, & beta cum ſinapi, & cappares. Allium verò diuturnos frequenter dolores diſcuſſit, quemadmodum etiam ſalſamentum, & encathera dicta, & coriax.

Catapotia quæ Græcè vocãtur κόκκοι διὰ κολοκυνθίδος, hoc eſt grana ex colocynthide.

Iuuat hos & vomitus à cibo, & purgatio quæ fit ex catapotiis quæ colocynthidem & euphorbium recipiunt: compoſitio ipſorum ita habet. Aloes ſeſcuncia: euphorbii ſeſcuncia: colocynthidis medullæ, ſcammoniæ, gummi, ſingulorum vncia: bdellii Scythici

E ſeſcuncia: nitri Alexandrini ſeſcuncia: Veratri nigri corticis vncia. Excipito ſucco braſſicæ, aut citrii, aut rhodomeli, ac dato ſcrupulos ſex. Tũ verò non vniuerſa, ſed per vices ipſa exhibeto, atque ſic ad perfectum modum peruenias. Nam non minus quàm hiera, humores ex alto euocare poſſunt: cæterùm etiam non ſuperficiariam vacuationem moliuntur, ſed ex alto, & veluti ab ipſa radice recrementa extrahunt: & ſiquis rectè vſus fuerit, non modò hemicranicum, ſed etiam vetuſtum dolorem, ſtomachicos affectus, morbos comitiales, ar-

F ticularios, & coxendicum vitia ſanare poſſũt. Hoc pacto quidem dolori, ſi ob viſcoſos humores in ſtomacho excitatos prouenerit, mederi oportet.

De hemicrania quæ ob bilioſum in altera capitis parte contractum humorem naſcitur.

Si bilioſus humor dolorem pepererit, ſumant ægri ante omnia panem ex aqua tẽperata, vt quæ ſupra modũ ipſis auxilietur. Cæterùm etiam malua & lactucæ comeſtæ proſunt: in vniuerſum, cibus ſit humectans, & balnea temperata: poſtremò purgatio quæ ex picra & ſcam

G monia, & aliis quæ bilem citra magnum dolorem purgare ſolent, adhiberi debet.

Epithemata.

Similiter etiam vnctiones quæ extrinſecus imponũtur, non ſint nimium calidæ: in totum, vniuerſa medendi ratio eiuſmodi adhibeatur qualis etiam in capitis doloribus præcepta eſt: nam eædem genere cauſæ exiſtunt, niſi quòd capite laborantes, diuturniores valentioréſque habeant. Vt autem remedia vnicuique cauſæ idonea promptius inuenire queas, etiam horum deſcri-

H ptiones tibi ſubiungam.

Vnctiones aduerſus dolores ex craſſis viſcoſiſque humoribus in dimidia caluariæ parte ortos.

Euphorbii partem vnam: caſtorei tantundem: aqua excepta, auri iuxta partem dolentem imponito, ac ſtatim in balneũ ire, & lauare conſueto more præcipito.

Hoc admodum generoſum auxilium eſt, & cum fiducia eo vtitor. Iam maximum hoc quoque eſt quod recipit atramentum ſcriptorium. Habet autem deſcriptio eius in hunc modum, Euphorbii drachmæ quatuor: atramẽti ſcriptorii drachmæ quatuor: myrrhæ troglodyticæ drachmæ tres: croci drachmæ duæ: crocomagmatis drachmæ duæ: piperis albi drachmæ tres: aceti quod ſatis eſt: vt hæc probè læuigentur, & craſſities ſordium ſimilis fiat: atque hoc illinito, à medio ſuperciliorum incipiens, vſque ad tota tempora, præcipuè ſi locus pilis careat: & quum refrigeratus fuerit æger, hoc rurſus inungito eodem in loco ad tertiam vſque vicem. Oportet autem ipſum mane inungere, vt auxilium vim ſuam probè exercere poſſit, quouſque ille lauaturus eſt. Verùm caueto ne, quãdo æger illinitur, medicamentum oculos ingrediatur. nam ſpongia vtens, dextrè id quod illitum eſt abſterges. Vbi ex balneo æger venerit, rurſus ſimili modo ſæpius illinito, donec in totum dolore liberetur: atque eo diſcuſſo, per interualla iterum medicamento vti debes, ne in eundem denuò morbum incidat. His maiora præſidia ad longos validóſque dolores inuenire non licet. Ad moderatiores autem vnctione vtitor, quæ ceram & euphorbiũ habeat. mixtura ipſius hæc recipit, Olei Sabini ſextarios quinque: ceræ vncias tres: euphorbii vnciam. Hoc vtitor, dimidiam frontis partem cum temporum muſculo ante balneum illinens. Facit hoc præcipuè ad dolores ex frigidis affectibus ortos. Porro inuenies alia quoq; multa à veteribus prodita: verùm hæc ſola ſufficiunt, plurimis experimentis comprobata.

In quibus dolor ob bilem contrahitur.

Qui ex bile dolorem experiuntur, iis abunde eſt etiã paſtillus crocodes illitus, & trigon: adhæc terra Ægyptia, omnéſque vnctiones quæ ex roſaceo & chamæmelino oleo parantur, modico aceti adiecto, aut quodam ſucco mitigatorio. His & ſimilibus medicum qui recta curandi ratione nititur, vti oportet.

DE PHRENITIDE, Cap. XIII.

Qvòd ſanè phrenitis acutiſſimus periculoſiſſimúſque ſit affectus, omnibus eſt in confeſſo: vnde autem conſtituatur, & quo affectu cerebro laborante, & quæ curatio conueniat, de hoc omnes diſſentiunt. Dicamus igitur etiam nos quæ ſit exquiſita phrenitis, quæ eius cauſa, & quomodo inernoſci debeat. Plerique enim ipſorum in diſcernendo eam potiſſimùm, non mediocriter decepti ſunt, vt etiam eos qui delirãt, exiſtimarent phreniticos: quum res ſit longè diuerſa.

Quæ ſit cauſa phrenitidis.

Exquiſita igitur phrenitis à flaua bile naſcitur, quum ipſa in cerebrum aut eius membranam diſtributa inflammationem excitauerit. Priuſquam enim diſpenſata infixáque fuerit, non prhenitidem, ſed delirium producit. Atque hoc in acutarum magna parte febrium ſtatu ac vigore accidere conſueuit: deinde rurſus in declinationibus ceſſare: atque id delirii propriũ eſt, quòd febres per tota earum tempora non perſeuerent, ſed conquieſcant: phrenitis autem ſemper perduret. Eſt autem ipſius non vna tantùm ſpecies, ſed etiam multiplex. Alia ſiquidem ex pallida bile conſtituitur, quæ mitior exiſtit. Sin autem ex flaua bile, quæ & multo vehementior, febres quoque maiores inducit. Iam alia quoque, efferata dicta, naſcitur bile flaua immoderatius excalefacta, & plus æquo aduſta. NOTAE futuræ phrenitidis. Futuram phrenitidem vigiliæ potiſſimùm continuæ & intenſæ, ſomníque turbulenti præcedunt: ægri exiliunt, & ſomniorum imaginationibus interdum detinentur, vt etiam nonnulli ſe futura ſcire ſuſpicentur, & velint prædicere. Præcedit etiam vt ægri quæ dicũtur obliuiſcantur. Nam quum familiaribus præcipere quædam incipiunt, ad alia conuertuntur, eorum quæ ab initio iniuncturi erant, obliuiſcentes. Item quum reſpondent, ferociores ac iracundiores quàm prius apparent: magnam & crebram reſpirationẽ edunt: pulſus habent paruos, & duros: atque occipitio frequenter indoleſcunt. Quòd ſi affectus increuerit, vt parum ipſi à phrenitide abſint, fixis oculis cernũt,

A eóſque admodum ſqualidos & rubentes habent: necnon pituita eis inhæreſcit, ac lacrymæ ex vtriſque profluunt. Sin autem vitium magis intendatur, incipiunt & floccos carpere, & feſtucas legere: neque reſponſionem manifeſtam dare poſſunt, & linguam multo magis ſcabram habent, febréſque ſicciores: interdum & tremuli ſunt, exareſcente cerebro, eiúſque neruis: & ægrè ſentiunt, vt etiam quum ipſi excitentur, vix aut nequaquam exaudiant. Eiuſmodi ergo & tot, eorum qui propriè phrenitici exiſtunt, ſigna habentur. Cerebrum B igitur ſtatim per initia morbi cauſam habuit: non enim alia quadam parte affecta, quæ propriè phrenitis eſt cõtrahitur: quemadmodum nonnulli phreniticos ob ſepti tranſuerſi inflammationem fieri exiſtimarunt: quod verum non eſt: ſed & ipſum cerebrum, vbi inflammationem ſenſerit, valida efficit deliria, vt phrenitidi reſpondeant.

Quomodo delirantes à phreniticis diſcernere oporteat.

Qui propriè phrenitici exiſtunt, à delirãtibus ex par- C tium conſortiis diſtinguuntur, quòd ipſis febris adſit perpetua, oculi ſint cruenti, ſanguis è naribus profluat, & caput ſit calidius. Nam qui ſepto tranſuerſo laborãt, iis caput non eſt adeo calidum vt præcordia ipſúmque ſeptum: ægrè magis ſpirant, & inæqualem valde ſpirationẽ edũt. Diſcernes autẽ phreniticos ab inſanientibus, eo quòd inſania quidẽ, quæ Græcè mania dicitur, citra febrim: phrenitis autem, vt diximus, ſemper cum febri ſpectetur. Hæc quidem ſunt ſigna eorum qui propriè phrenitici dicuntur: in quibus etiam flaua bilis ſola, ſi- D ne alia materia, defixa, affectum peperit: quemadmodum etiam, ſi pituita flauæ bili coniuncta fuerit, eiuſmodi, falſa phrenitis appellatur, & vigilem ſoporẽ, qui Græcis agrypnon cωma vocatur, excitat. SIGNA phrenitidis falſæ. Noſces autem phrenitidem ex humorum mixtione factam, inde, quòd etiam ſymptomata quæ ſuperueniũt, mixta ſint, referentia eandem naturam illorum quæ cauſam eandem habent. Etenim vigilant ſimul, & in altum ſomnum deferuntur, rurſúſque paulatim delirant, & ſomno alto ſoporoſóque preſ- E ſi, cum tumultu excitãtur, & illis qui ipſis loquũtur, inordinata verba & inſaniam teſtantia reſpondent.

De inueteratis iam phreniticis.

At quòd hæc per morbi initia & breui tempore accidere cõſueuerunt, noſſe cõuenit. Vbi verò morbus in vetuſtatẽ inciderit, & vires fuerint debilitatæ, exigua ipſius indicia apparent, vt nonnulli aliam quandam phrenitidis ſpeciem eſſe arbitrentur: non eſt autem alia, ſed ægri per initia quidem turbulenti fiunt & furibundi, tanquam bile ſtatim ad ſuperiora tendente, & F cerebrum excitante: poſtea autem, hecticis febribus ſimiliter, æquabili intemperie in totum cerebrum diſperſa, non amplius valde perturbantur, & inordinata furioſáque nugantur, ſed iacent, neque vocem edere propter imbecillitatem potentes, neque decubitus figuram mutantes, neque validè exilientes: manus ſolummodo inordinatè iactitant, vt quidam ignorantes, ægrum quærere aliquid, &, ſi inueniat, velle continere ſuſpicentur: nonnulli autem ipſorum ne palpebras quidem propter vires iam antè defatigatas aperire poſ- G ſunt. Sin autem aliquando etiam aperiant, vbi pauliſper reſpexerint, ſtatim rurſus propter infeſtantẽ humorẽ cõniuent. Verùm hæc ſigna adhuc infirmãte ipſorũ facultate ſuperueniũt, nec aliã adhuc phrenitidis ſpeciẽ oſtendit id, quòd pulſus ſit imbecillis, durus, exiguus & anguſtus, ſed etiam ad omnes magna ex parte phreniticos pertinet, præcipuè inueteratos. Hæc igitur indicia ſunt quibus phrenitici cognoſcuntur: deinceps autem quomodo curationem ipſorum optimam adhibeas, iã perſequamur. CVRATIO phreniticorum. In o- H mnibus propriè phreniticis, ſi vires robuſtæ ſunt, & nihil aliud prohibet, ſanguinis detractio adhibẽda eſt, tãquã primũ omniũ & maximũ futurũ præſidiũ. Sin autẽ repugnet æger, (quod ſæpe accidit) vt nolit brachiũ permittere medico, omnino conandum tandem eſt ex recta in fronte vena ſanguinis miſſionem moliri.

Facis autem id rectè ſi collum artificioſè faſcia lanea conſtringas,vt vas attollatur. Ita nanque ſi feceris,ſanguis ſtatim vena ſecta,citra impedimentum cum ſpiritu erumpet. Ego ſanè magna adeo phrenitide correptum curaui,& niſi multi fortéſque famuli eũ continuiſſent, & vinculis vndequaque conſtrinxiſſent, neutiquam ne in frõte quidẽ venã ſecare potuiſſẽ:adeo ferociter agitabatur,omniáque faciebat quæ inſanientes ſolẽt:atque ſi gladiũ habuiſſet,non paucos qui ei aderant,iugulaſſet. Quia verò bis ſanguinem detrahere moleſtũ eſt viſum, ideo tantùm initio euacuauimus quantũ ei ſatis erat futũrum,etiãſi ſecunda vice iterum emiſiſſemus. At mirabile erat vacuatione facta,quàm feſtinaret ex riuo ſuperbibere, ſimul autem adſtantes etiã aſpergebat,vt riſum quoque ideo vulgo excitaret. Verùm hic quidẽ celeriter curatus eſt, alia quoque ratione ac cura conuenienter ei adhibita. Sic igitur agendũ eſt ſi venam in cubito ſecare non liceat. Poſt ſanguinis vacuationem parti quoque remedia inducenda ſunt, & caput oxyrrhodino madefaciendũ, ne ipſum,quũ calidũ ſit, liberalius humores attrahat, atque idcirco eis repleatur. Aceto autem ea quæ mitigant & ſomnum conciliare poterunt,admiſcere conabimur. At quum morbus viget,& vigilias mentíſque alienationem inuehit,adhuc magis ſuccurrendum eſt, & largius oxyrrhodino caput implendum,& decocto chamæmeli, papaueris capitũ, ſerpylli,hederæ: rurſúſque oxyrrhodino ſuperfundendũ: itẽ ea quæ odorẽ mouent, naribus adhibenda,necnon vnctionibus vtendũ, vt omni ratione vigilias excindamus,ſomnúmque ægro accerſamus: quod ſolum & maximũ eſt delirantium & cuiuſuis morbi remediũ. Quòd ſi his adminiſtratis, vigiliæ & alienationis ſymptomata perſeuerent, dato ei potumedicamentũ quod *à papauerũ capitibus* diacodion Græci appellant, ad omnia futurũ vtiliſſimũ. Non ſolùm enim vigiliis, ſed etiã febri medetur:præterea caput tanquã ab igne aduſtum refrigerare poterit. Sin autẽ nihil admodũ impellit vrgétque,nolim medicamentũ diacodion exhibere: præſertim ſi neque phrenitis quædã germana eſſe videatur, ſed etiã pituitæ nonnihil particeps ſit, vt ipſa quoque falſa nominetur: tunc caueto ne idipſum vel aliud quoddam ad ſoporẽ torporémque inducendũ efficax offeras. Sin autẽ vires quoque imbecillæ fuerint, tunc maximè vitabis nequid torpori ſomnóque inducendo accõmodũ exhibeas. Nã in iis qui infirmas vires habent,nõ vulgaris noxa,imò interdũ mors taliũ potionẽ comitatur. DE HABITATIONE. Cõſiderari debet etiã habitatio in qua deget æger,vt aerẽ neq; admodũ craſſum, neque humidũ frigidúmque, aut nimis calidum habeat, ne capiti meatuũ denſatio aut repletio perueniat, ſed tẽperatus exiſtat, quò animalis ſpiritus temperie ipſius refocilletur ac relaxetur. Sit autem magis lucidus quàm tenebroſus, vt æger per huius ſenſum ad conſuetorum perceptionem ac conſcientiam perueniat. Quare & amici nonnulli admodum familiares ei aſſiſtant,vt etiam increpantes ipſum propter ea quæ facit,reuereatur. Neque verò domeſticus,aut cognatus,cuius cauſa aliquando triſtetur, aut cui iraſcatur, ingredi debet. quippe hoc irritare ægros, & commouere ſolet: & vt valde perturbetur, manifeſtam præbet occaſionẽ. Sed nec amici frequentes & copioſi ad eum ingrediantur: quippe turbam tantùm ei excitant. præterea aerem quoque craſſum efficiunt, frigidos emittentes ſpiritus. Iã non violenter mouendus eſt, ſed leniter, ne in lecto propter imbecillitatẽ concutiatur: hoc enim, ſiquid aliud,ægrũ irritat,& ſomnũ impedit. Ii verò qui adſunt, omnia ipſius mẽbra citra violentiã teneant, lenitérque perfricent,& præſertim inferiora: atque tunc magis vbi conuulſiones ægro oboriũtur,artus vinculis excipiantur. Quippe hoc materiã ad inferna prouocat: præterea conuulſiones lenit. Satius autẽ eſt inferiora quoq;, vbi perfricata fuerint,fouere,atque ſic deligare vt materia quæ fotu ſimul & fricatione accita fuerit, ad ima potiꝰ deriuare poſſit. Nihil autẽ facere oportet ante febriũ declinationẽ:longè verò antequã inuadant,id præſtandũ.

A Iã cucurbitulæ adhiberi, præſertim ante acceſſionẽ,debent,vt materiæ ſurſum vergentis impetus per reuulſionem coerceatur. Simili modo etiam epithemata ſemper eis admouere oportet quæ non nimis frigida ſint, neque rurſus calida,ſed potius tepida. Qui enim viſcera largius fomentis excalfecerunt, maxima hi mala ægris accerſerunt, materiam ſubitò ac vniuerſè commouentes,vt ad ſupernas partes profecta caput admodum repleuerit, vnde vehemens alienatio mentis prouenerit: nonnunquam etiam ſopor qui κάρος dicitur: ita vt rur-
B ſus iis opus fuerit quæ excitare poſſunt, ſternutamenta prouocantibus,tum frictionibus. Quare viſcera validiores fotus non requirunt,præſertim in iis qui vehementiori febri laborant:item quibus copia humorum ineſt, & caput affectum. Sufficit igitur ſolum lini ſemen hydrelæo incoctum, aut cum chamæmeli iure blandũ & tepidum viſceribus obducere. Ita enim feruor mitigabitur,& viſcera diſtenta laxabuntur,atque ideo etiã febres erunt mitiores. DE VICTV.

Conuenit autem inter medicandum,vt contulerit,e-
C tiã victus rationi vt maximè neceſſariæ,animũ adhibere. Multi nanque ipſam negligentes,ignorant quantum noxæ & adiumenti ægro adferri poſſit. Vtinã verò etiã rectè medicari ſcirent,tempúſque inquirerent, aut ordinem,aut qualitatem,aut quantitatem:verùm nullum horum attendẽtes,ſingulis vicibus, quũ ægrũ accedũt, viſceribus faceſſunt negotium,aut perfundẽdo, aut obducẽdo,aut omni tẽpore parando,etiã cum copia, interim quoque quũ cruditas vrget:præſertim quum ſapiẽtiſſimus Galenus manifeſtò clamitet, neque cataplaſma-
D tis,neque aſperginibus quouis tempore vtendũ eſſe,niſi in ſolis illis quibus nullum in toto corpore excremẽtum,aliáque ſuperflua exiſtunt: reliquis autem omnibꝰ extremum eſſe malum. Verùm hæc quidẽ ii qui non bene mente ac ratione conſtant,faciunt:nos autem quæ ex veteribus didicimus, ſimul etiã ſiquid ratio facere nos rectè admonet,iam exponamus. Ptiſſana igitur primùm omnium victus ratione phreniticis remediũ adhibeatur,optimè prius decocta. Detur autem ſolus ipſius cremor:quem ſi non libenter aſſumant ægri, cum granis i-
E pſam ſine aliquo cibo capiant: ſin ea oblectentur, adiicere conuenit ſolum hydromeli exiguũ,aut hydroroſatũ,aut rhodomelũ. Hydromeli verò maximè Cybyraticum,vt inimicũ ipſis, vitare oportet,& oxymeli. Quòd ſi minus gratam habẽt ptiſſanam, (multi enim ne nomẽ quidẽ illius libẽter audiũt)exhiberi ipſis oportet auenæ cremorem,ſi inueniatur,aut citrii. At ſi in totum ſorbitiones auerſentur,panem in aquam calidam intingito: non minus enim q̃ ſorbitiones iuuabit. DE OLERIBVS. Ex oleribus edant intybũ,& maluã coctã: inte-
F rim etiã crudã,ſi caliditas nimium ſuperare videatur,& æger ſiticuloſus ſit,vigiliiſq; admodũ prematur. Ita nãque adiuuabis. Præterea etiam magis ſi lactucæ ſemina,cucumerum medullã & peponum exhibeas. Vbi cõcoctio apparuerit,etiam piſces aſſument,vt erinaceũ & pectines. DE POMACEIS fructibus & potu. Ex fructibꝰ ſumãt duracina,perſica,ceraſia,mala,&punica: ſed hæc raró. Bibere autem ipſos crebrius,&paulatim aquam tepidam conducit. neque enim multam potionem appetunt:neque iuuantur ſi cumulatè bibant. Fri-
G gidam autem aquam vitare oportet, eo quòd tuta non ſit. Nam ſi inflammatio circa ſeptum tranſuerſum aut aliam quampiam particulam, inuenta fuerit, non exiguum periculum ſequitur. Quanuis enim frigidæ potio mitigare ipſas videatur, tamen maiores poſtea & malignas febres excitat, vt etiam alienatio mentis augeatur: breuiter omnia ad deterius maligniúſque conuertantur. Quare tutius eſt tepida potius quàm frigida aqua vti. Noui autem me etiam hydrelæo vſum, in quibus ſiccitatem immodicam, & bilem ſuperio-
H ra occupare, nihílque ab inteſtinis notatu dignum excerni viderem: hinc calor mitigatus fuit, & viſcerum intentiones inflammationéſque relaxatæ: bilioſa per aluum & vomitiones excreta,vt æger non multis adhuc diebus ad vniuerſum prorſus morbum

depellendum indigeret. Etenim omnia quæ ipſi admouebantur remedia, tunc adminiſtrabantur quum totum corpus recrementis eſſet vacuũ. DE BALNEO. Lauare eos & perungere conuenit quibus iam vacuatio facta eſt, & quantitas totum corpus non offendit, verùm ſiccitas & vigiliæ plurimæ vrgent. Et, ſi febricitet æger, nihil nocebit ei ſi ita lauetur, præcipuè etiam quum balneum temperatum adhibitum fuerit, vt neque aer ſit igneus, neque ſolium nimis calidum. Qui autem febris metu eos non lauant, maximè offendunt. nam ægri vigiliis magis torquentur balnei abſtinentia, adhuc magis etiam animo turbantur. Lauandi igitur ſunt, quemadmodum comprehenſum eſt. Sic enim balneo vtentes, ad bonam temperiem reuertuntur, & in poſterum delirio & affectu febrim incendente liberantur. DE VINO. Quin & vinum quod ſitim reſtinguat, dare phreniticis audendum eſt, in quibus multæ vrgent vigiliæ, & vires ſunt imbecillæ: febres autem nondũ vehementiam neque ardorem habent, ſed quædã concoctio vrinarum quoque in eis apparet. Præterea illis potius cum fiducia dandum eſt qui per ſanitatem quoque vinum amare conſueuerunt, & os ventriculi imbecillum, & natura frigidius obtinent. In his enim tempeſtiua eſt vini potio, & omnibus mente alienatis, ſi modicè aſſumatur. Nam ferociam ipſorum mutat; & ferinos mores ad hilaritatem trãſfert, ſomnúmque conciliat, eo quòd cibum celeriter concoquat, & in totum corpus diſtribuendum adiuuet. In quibus igitur nulla feruens inflãmatio, aut magnus admodum calor præcordia infectet, & vires infirmentur, audacter vinum ipſis exhibeto. Maius enim ex eo cõmodum erit quàm quæ noxa fore putetur. Si enim vires recollectæ fuerint, & non collabi permiſſæ, omnia tentare poſſumus, & multifariam ægro ſuccurrere. Collapſis autẽ ipſis vigilia, omnis medicorum curatio deſperata erit. Quare metiri conuenit, & noxam quæ ex vino expectatur, & commodum: atque ſi plura fuerint, quæ permittunt, propinari debet, minorem offenſionem contemnendo. Fieri enim haud poteſt vt id quod iuuat, aliqua etiam parte non noceat. Medici autem eſt, eiuſmodi tum metiri, tum iudicare. Nam ſi vniuerſa moderatè, quantitate, qualitate, ordine & tempore adhibeantur, totam artem abſoluunt, conſummántque, & finem bonum imponunt.

DE LETHARGO, Cap. XIIII.

GEnuinus ac germanus lethargus, queẽadmodũ phrenitis, ſedem quidẽ habet cerebrum, materiam autẽ phrenitidi contrariam. Nam ex pituita ſuperante naſcitur, quæ ipſũ humectat, & validè adeo madefacit vt ægri eorum quæ dicuntur nequeant meminiſſe, ſed palpebris ſemper conniuere velint, & conquieſcere, vel prorſus in ſoporem, (qui Græcis caros dicitur) ab humiditate ſimul & frigiditate, quæ ſpiritum animalem ſuffocat, & torpidum efficit, perducantur. NOTAE veri lethargi. Si igitur humor qui lethargum parit, ſolus ſit pituitoſus, genuinus lethargus naſcitur, atque omnia hæc accidentia inducit. NOTAE falſi lethargi. Sin autem non ſola in capite pituita, ſed etiam bilis fuerit, neceſſe eſt ſymptomata quoque mixta fieri, vt ægri nonnunquam vigilent, nonnunquam altiſſimo ſomno premantur, aliâs delirent. Ambo enim faciunt, & conniuent palpebris, & manus mouent, tanquam contingentes quædam, eáque tenere non potentes. Qui igitur moderatius degunt, nonnullis ipſos inclamantibus, interim palpebras aperiunt, & rurſus conniuent. Sin autem admodum imbecilles ſint, & valde morbo vincantur, nullatenus exaudiunt, neque palpebras mouent: pulſúſque habent raros, exiguos, & obſcuros. Sic igitur facile eſt ipſos internoſcere. Dicamus autem quomodo curare oporteat. CVRATIO. Quũ omnia accuratè inſpexeris quæ veteres nobis præcipiunt, nempe ægri vires, habitum, aliáque, vt ætatem, & totius corporis ſtatum, ita tandem huc venies vt ſanguinis detractionem ante omnia adhibeas, niſi quid ex commemoratis tibi aduerſetur, & præcipuè vires. Vbi verò totius corporis curam habueris, etiam remediis quæ partibus inducuntur, ægro ſuccurres, omnem capiti diligentiam adhibens: vt & vapores, ne ſurſum ferantur prohibeas, & eos qui iam eo irruperint diſcutias. Maximè autem hoc præſtat acetum cum oleo roſaceo, *quod Græci appellant* ὀξυῤῥόδινον, caput corroborans, præſertim inter affectus primordia, ne deinceps multos vapores ad ipſum ſurſum tendentes, facilè recipiat. Quoniam igitur materia quæ in cerebro continetur, pituitoſa eſt, & ſuperans cauſa humida & frigida demonſtratur, miſcere & incoquere ea oxyrrhodino quæ extenuare etiam ſimul poſſunt, expedit, nempe vel peucedanum, vel caſtoreum, vel pulegium, vel calaminthen, vel thymum. Ac frons illinenda eſt aut caſtoreo, aut pilis humanis crematis, læuigatiſque ex aceto. Huiuſmodi enim valde proficiunt, excitántque, forſan etiam naturali quadam facultate lethargo contraria. Quòd ſi affectus perſeueret, & ægri difficulter excitentur, vtendum eo eſt quod ſternutamenta mouet, ſtruthio dicto, vel cum caſtoreo, vel pipere, vel euphorbio, vel epithymo, nunc quidem inſpirantes, aliâs penna illinentes. Verùm id cõtinuè faciendum non eſt, quippe vires eorum laborant, & adhuc magis caput repletur. Cæterùm crura perfricare, & oleo Sicyonio perũgere oportet: interim ſolam ipſam ſcillam ex aceto læuigatam cruribus obducere. Hoc enim etiam eos qui in ſomnum valde altum & veternoſum deferuntur, excitare ſolet. At ſi affectus & malignus eſt, & inueteraſcit, capillos adimito, vngitóque tum caput iis quæ exaſperare ac vellere cutẽ poſſunt, vnà cum caſtoreo, datóque ipſis potui caſtoreũ præ omnibus: idque faciendum eſt præſertim hora vna ante acceſſionẽ. Etenim extenuat, & corpus quod perfrixit, & prope eſt vt totum emoriatur, recalfacit fouétque. Ego ſanè noui multos, eo morbo victos, hoc ſolo remedio mortem euaſiſſe. Item per ſe exhibitum proficit, adhuc autem magis cum oxymelite. Quòd ſi æger recrementis plenus fuerit, etiam cum aliquo ad ventrẽ ſubducendum efficaci, præſertim ſcammonia, dari debet. Sufficit autem vnum ſcammoniæ ſcrupulum, aut paulo plus minúſve, pro virium ratione, duobus caſtorei ſcrupulis adiicere. Iam verò non ſolùm auxilia extenuantia eſſe debent, ſed etiam cibus talis exhiberi. Quare ſuccus quoque amygdalarum ex melle coctarum præbendus eſt, ac ptiſſana quæ habeat comam porri, aut apii, aut hyſſopi: niſi ægri vehementer febricitent. Si enim febris vehemens fuerit, abunde eſt etiam ſolius apii radix, & oxymeli ſimplex, tũ ex ptiſſana, tum per ſe ſolum. Salutares ſunt etiam micæ panis ex apomelite aut hydromelite datæ. At hydromeli Cybyraticum dare ipſis non oportet: imò neque Cnidium prorſus, morbo adhuc concoctionis experte. Vbi verò concoqui inceperit, nihil obſtat & lauare ipſos, & vini paulum exhibere: præſertim à ſanguinis miſſione, ventris ſubductione, & mediocri totius corporis purgatione. Verùm balneum timeri non debet, niſi recremẽtorum copia ſubſit. nã quæ in cute hærent ſuperflua, magis balnei calore moderato digerentur. Ego certè noui me quoſdam ita laborantes, neque ſuſpicere præ multo ſopore potentes, neque hoc ipſum quòd lauarentur percipientes, poſtquam à ſeptem diebus in balneum duxiſſem, magis ab eo excitatos inueniſſe, vt reſpicere, loqui, nonnullóſque adſtantium agnoſcere potuerint. Quare ſi vires robuſtæ appareant, in balneo lauandum eſt: ſin imbecilliores, vt æger laſſitudinem, aut calorem balnei ferre nequeat, domi lauato vaſe quodam aqua calida repleto, in quo æger collocetur ita vt ſedeat, capite aquã excedẽte. Facile autẽ eſt eiuſmodi vas ex lignis parare. Non madefaciet autẽ caput æger, quoniã præterquã ꝙ nihil à calidæ ſuperfuſione iuuatur, etiã animæ defectionẽ celeriter ſuſtinet. Sic igitur, donec ſemel aut bis lotus æger fuerit, agendũ eſt: deinceps tandẽ ad balneũ ducere ipſum, & conſuetis nihil ſuſpicantẽ abſtergere conuenit. Eiuſmodi curatio etiam in iis qui

veternoſo ſopore (quem κάρον vocant) premuntur, tentanda eſt. neque enim ea multum variabit, neque cauſa. At noſſe oportet, caron in anteriore potius capitis parte conſtitui: quare etiam ſenſoriæ ipſorum vires magis oblæduntur. Cæterùm oritur ob vehementes quoque dolores, vt quibus ſpiritus animalis diſſipetur, & concidat: item contuſionibus hoc accidens euenit, ſiquis cerebri membranam lamina ænea, (quã inde quòd membranam tueatur, meningophylaca Græci appellant) negligenter continens deligauerit. Sic etiam accidit ſi quis os vehementius contundens, medium cerebri ventriculum compreſſerit. Sed de horum curatione nunc ſcribere tempeſtiuum non eſt. Peculiares enim hæc curationes requirunt: ac differemus de his dicere in eum locum vbi de fracturis agemus: nunc autem de morbo comitiali verba facere inſtituimus.

DE MORBO COMITIALI, Cap. XV.

Morbus comitialis, qui epilepſia Græcis dicitur, vnus quidem & ipſe ex longis affectibus habetur, qui excellentem diligentiam ſtudiúmque requirat: &, ſi per initia neglectus fuerit, frequenter ii qui eo detinentur, commoriuntur. Nam capitis vitium eſt, vbi ſenſus motúſque origo habetur: quòd autẽ capitis morbus ſit, teſtatur hoc quod per acceſſiones ægris contingit. Neque enim audire, aut videre, aut intelligere prorſus, aut meminiſſe alicuius poſſunt, ſed omni deſtituti ſenſu iacent, mortuis non diſſimiles: quapropter etiã Græci epilepſiam quaſi comprehenſionem, vitium hoc nominarũt, quòd videlicet ægri rerũ obliuiſcantur, & ſenſus eorum detineantur. Cæterùm hoc ipſum vitium nõ nulli vocarunt etiam morbum ſacrum, quòd cerebrum ſacrum & honoratũ ſit: alii verò morbum Herculeum, quòd validus ſit, & contumax ad amouendum: alii aliter nominarunt. verùm non oportet omnia ſcribere, ſed illa potius quæ inſtituto conueniunt. Hæc enim magis ſcire conuenit, eíſque inſiſtendum: id quod nos etiam facturos promiſimus. Morbus igitur comitialis tribus modis generatur: vel enim capite primariò laborante, vel ſtomacho, vel alia quadam particula affecta, & prauitatem in ea ſubſiſtentem ad caput remittente.

SIGNA morbi comitialis, ex ſtomacho orĩetis.

Morbum comitialem à ſtomacho proficiſci teſtatur quòd continua plerúnque in eo gignatur & turbatio quædam, & roſio: item quòd morbi acceſſionem tũ potius ægri ſentiunt, irritantúrque, quum tardè ipſos cibũ ſumere, aut nullum, contingit. SIGNA comitialis morbi, ex alia particula contracti. Qui verò ob particulam quampiam concidunt, diſtibutionẽ mali ad ſuperiora fieri, manifeſtò percipiunt: & id quod futurum ipſis eſt prædicunt, quum diſtributio vitii ad cerebrum vergere incipit. Accidit autem hic affectus etiam pueris, præſertim humidioribus: qua de cauſa nonnulli puerilem ipſum nominarũt. SIGNA morbi comitialis, ex primario capitis affectu excitati. Qui primario capitis affectu laborãt, omnibus ſunt manifeſti. Etenim grauantur capite: oculi obſcurãtur & caligãt, tardéque ſentiunt. At hic affectus pueris potiſſimùm accidit. nos igitur à puerili ætate ĩcipiẽtes, reliqua perſequamur. Quòd ſi infans eſt, vel etiam lac aſſumit, nihil moliendũ eſt, neque agendũ, quantũ ad curationẽ attinet. Subſequens enim ætas, & calor augeſcens ſuperfluã in capite humiditatem, replẽtémque ipſius ventriculos diſcutit. Attamẽ iuuare nos, curámque habere oportet, vt lac nutricis benignum ſit, & recrementis liberũ. Nã quod vitioſum & craſſum eſt, valdè ſolet naturã impedire. Fiet autẽ pro bũ boniqueſ ucci, ſi nutrici animũ adhibeas, & exercitiis vt ipſa & mediocriter exerceatur, & cibis boni ſucci vtatur. Si igitur lac fuerit tenue, paulo ipſum craſſius efficere conuenit: ſin craſſum, extenuare quibuſdã, quale eſt fœniculũ, aut anethũ, aut aniſum, aut eruca, aut ruta, aut porrũ. Omnia autẽ hæc dũ viridia ſunt aſſumantur. nam ſicca, quũ magis ſint acria, plus vteri vaſa aperiunt, & nimias ſanguinis mẽſtruorũ vacuationes incitant: quo nihil eſt deterius. Nam hinc neceſſe eſt etiam

A lac imminui, dum ſanguis purgatione decreſcit. quare etiã venus nutricis pueris lactẽtib⁹ eſt nocẽtiſſima: quippe lac hinc tenue & fœtidi odoris fieri neceſſe eſt. ſin autẽ cõtingat etiã cõcipere, adhuc multo fit pernicioſius: ac cauendũ eſt ne illa omnino nutrix puero mãmillam porrigat, ſed alia potius quærẽda eſt quæ lac habeat benignũ. NOTATIO lactis. Internoſcitur autẽ lac colore, ſubſtãtia & odore: colore quidẽ, vt & albiſſimũ ſit, & nihil habeat liuidũ, aut fœtidũ: ſubſtãtia verò, vt nihil admodũ tenue, aut craſſum, aut caſeoſum cõtineat.

B nã tale cõuulſiones potiſſimùm generare ſolet, & neruos obſtruere. Quare etiã vinũ mediocriter tenue nutrici propinãdũ eſt, recremẽti expers, & boni ſucci efficax. Motũ laborémq; ſemper ante cibũ ſubire debet. Ita quidẽ, ſi infans adhuc lactet, nutrici proſpiciẽdũ eſt, vt lac ipſius bonũ euadat: ſi verò reliquo tẽpore moueri velit, mediocriter id agendũ eſt, exercitandũ, ludendúmque: atque ſic cibus ſumendus. Neque verò lauare continuè debet, ſed vitare hoc, maximè à cibo. itẽ ne bibat ſtatim à balneo, præſertim meracũ: nihil enim ipſis adeo eſt no

C ciuũ. Vnctione autẽ vtatur & frictione ante cibũ. nam exercitatio ſecundũ cibũ nõ modò ſic affectis, ſed etiã omnibus inimica. Cæterùm in frictione primùm à brachiis auſpicari oportet, deinde tãdẽ ad pectus & ventrẽ venire, poſt hæc ad crura deſcẽdere, ac plus ipſa valẽtiúſque perfricare, vt etiã recrementa quæ ſurſum vergunt, per eiuſmodi ad inferna reuellas. At aliis particulis perfricatis, tuncdemũ & caput fricari debet. prius enim nõ conuenit, ne omnia ad ipſum trahantur. Poſt exercitia & frictionem non ſtatim æger in frigidum aerẽ proce-

D dat, in eóque verſetur: ſed vbi diſtulerit donec calor ſenſim perſpirauerit, & ſpiritus cõtinuitas remiſerit, ita ad conſueta prodeat, cibúmque conuenientem ſumat. Panem igitur rectiſſimè aſſatum, optimè fermentatũ, & præſertim clibanarium, quatenus fieri poteſt, eſſe conducit. hic enim ſuperflui expers, & minus eſt recrementitius. Capiat autem ex eo vnam, aut duas vncias, præcipuè ſi puer temperamẽti ſit magis melancholici, ex aqua feruente, in qua ſit coriandrum: ita enim comeſtus, humorũ vapores ad cerebrum ferri prohibet:

E quod maximum eſt cõmodum, & ab affectu præſeruat. At ex oleribus edat betam, maluam, præcipuè autẽ caucalidem, gingidium, porra decocta: intybum verò ſi mi ſceatur, hos iuuat. Condimentum oleris eſto ex olei mo dico, & ſale admodum mediocri. Ex volatu ægri edãt gallinã cohortalem, phaſianos non pingues, anſerũ alas, attagenas, paſſeres, turdos, & turtures: verùm ex his quoque minus pingues. Anates autem, & quæ in paludibus deguñt, auerſentur. Iura ſint ſincera. Quòd ſi cruditas quæpiam ægro acciderit, aut diſtentio à flatu in ven

F tre excitetur, adiiciantur grana piperis nouem, aut vndecim, & aniſi paulum. A carnibus omnino puerum abſtinere bonum eſt, præcipuè ſuillis & bubulis: voluptatis autem cauſa, aut etiam alio vrgente vſu, modicas accipiat, & raro: ſed quæ non ſint pingues, & decoctum potius quàm ius: intingátque carnem in garum ex pipere, aut ſinapi. Nam iſtud, etſi vim habeat inciſoriam, tamen ipſum auerſandum eſt, eo quòd nonnihil caput repleat. quare etiam non conſulo cepas & daucum aſſumere, nec ſmyrneum, vt replendi capitis efficax. Iam apiũ

G vitandũ eſt, ceu naturaliter comitiales offendẽs. Ex piſcibus exhibeantur qui ſuperfluitate vacant, vt pſeſſa, ſturnũ, merulã, aut ſcorpiũ, aut ſcarũ: pingues autẽ auerſentur & cetaceos, vt ſcombrum, pelamidas. hi enim omnes craſſum terreſtrémque & inimicum naturæ ſuccum congregant. Ex fluuiatilibus ſumant potiſſimum anadromos, *ita dictos à Græcis quod ex mari in fluuios conſcendant*: atque hos non admodum continuè. Decoctioni ipſorum adiiciatur paulum piperis, aut oxymelitis. nam talis decoctio craſſum ipſorum humorem no

H xiúmque tollit. At eorum qui teſtaceam cutẽ habent, eſum cauere oportet, eo quòd frigidi ipſi ſint, & craſſũ humorem pariant. Sin autem ex erinaceo quoque ſumere per interualla cupiant, non alienum eſt: quippe habet aliquid quod vẽtri ducẽdo, ſtomachóq; firmãdo, &

vrinæ citandæ faciat:verùm hæc ſumere oportet ex calido quodam vino factitio, aut abſinthite, aut condito. hoc enim innocens eſt. At carnes vitari debent donec in totum morbus fuerit diſcuſſus, & præſertim ſuillæ: ſimiliter etiã legumina, præcipuè lenticula. Sin autem æger illa velit ſumere, admiſceatur extenuãtiũ aliquod, vti pulegium,aut piper, vt craſſities mixtura horũ tollatur. Fructus verò cauere admodum ſalubre eſt:ſin autem voluptatis gratia ægri cupiant aſſumere, modici offerantur,& magis à cibo:ita enim minus nocebunt.Iã pleraque bellaria fugiant,vt nuces,& palmulas:piſtacea verò & vuas paſſas ſuper cibum ſumant,præſertim quæ leuem adſtringendi vim habent. Placentis in totũ abſtineant, & contuſis quæ pini nucleum recipiant. Quæ verò ex amygdalis aut piſtaceis compoſita ſunt,admittuntur:talia nanque vim quandam pituitam purgantem obtinent. Vinum quantum ad affectum attinet,circuncidendum eſt,vt quod caput repleat,præcipuè vetuſtũ: ſtomachi autem gratia, vt concoctioni auxilietur, non abs re eſt mediocriter ipſum aſſumere. Vina autem factitia,quæ propomata Græci dicunt,rarò offerri debẽt, præter ſolum abſinthites,quod ſtomachum firmare, & recrementũ quod in eo continetur,extenuare atque expellere poteſt. Talis quidem victus ratio puero adhibebitur:hæc autem medicamenta.

Auxilia medicamentorum ad comitiales.

Vbi manè ſurrexerit æger,& aluũ deiecerit, extenuans quoddam ita aſſumet: hyeme quidem decoctũ hyſſopi,quod magnum poteſt adferre iuuamentum: ac plerique ſolo hoc decocto vſi cõſanuerunt, vt nõ amplius ſecundùm aut tertiùm in eundem morbum inciderint. quippe viſcoſa & craſſa recrementa incidit, & non permittit vel in ſtomacho vel in thorace recrementum in craſſitiem coire, ac ſpiſſari: aliud enim per vrinas, aliud per aluum probè expellit. Hoc ſanè decoctum æger capiat per ſe,aut cum oxymelite,in hyeme potius,& autumno:per æſtatem verò rarius. At anethi decoctum cũ oxymelite,vt dictum eſt,exhibebis. Quòd ſi puer tempe ramento ſit magis melancholico, ſumet etiam epithymi decoctum,eo quòd id quoque humorem iſtũ probè ſubtrahat.

De medicamentis purgantibus.

Si puer eius quoque ætatis ſit vt purgans medicamentum ferre queat,porrigantur ea quæ pituitam & recrementum melancholicum expurgant. Hieram ſanè ad huiuſmodi etiam affectus valere, quum talem euacuet humorem,teſtimoniis authorum probatum eſt:verùm ætas valde iuuenilis efficaciam eius non tolerat, vt cuius vires illa ſuperet. Vigentibus autem ætate,& validis viribus præditis, & melãcholicis vtiliter exhibetur. Præſtat igitur iuuenibus, epithymi potius momentum cum picra præbere. Etenim ex humore quiddam ſubducit,& prius extenuat:atq; ita antidoto quod theo doretum dicitur purgare conuenit. Vt autem hoc quoque antidotum probè reliquum corpus purgare queat, ipſi pendenti ſcrupulos quatuor, adiiciantur colocynthidis ſiliquæ tres aut quatuor: vel etiam, ſi multum, quinque: ſcammoniæ ſiliquæ quinque,aut ſex,aut plures,pro ægri viribus,vt moderata ſit euacuatio. Ac multos noui quos eiuſmodi ſola purgatio ſanauerit. At ſi prauitas humoris adhuc infeſtet,affectuſque perſeueret, etiam catapotiis à me confectis vtantur,quibus nihil valentius inueni. Habet autem mixtura eorum hoc pacto. Aloes,ſcammoniæ,gummi, colocynthidis,bdellii,ſingulorum ſemuncia. Capiat ex his æger pro viribus ſcrupulos tres, aut quatuor: adultis autem, etiam ſex ſcrupulos dato:&,ſi plures porrexeris,nihil nocebis:adeo leniter & tutò purgant. Nec comitialibus modò, ſed etiã vertiginoſis, & articulariis,ſiquid aliud,auxiliãtur: excipiantur autem braſſicæ ſucco. A purgatione confert etiam iis quæ ſaliuam mouẽt vti: vt ſiquid craſſum adhuc & viſcoſum contineatur,id quoque per palatum eliciant. Itaque bene vacuant & paſtilli, ſi manducentur, qui recipiunt hyſſopum,pulegium,aut piper. Præterea magis adhuc proficit etiam ſola gargarizatio, quæ in hũc modum paratur, Hyſſopum herbam accipito,item

A pulegium, origanum, & ficus ſiccatas ſeptem, aut nouem:atque his ad tertias decoctis, & cochleariis duobus inde ſic cum ſapa mixtis, ante cibum gargarizando ſaliuam ducito. Poſtquam hãc ſic purgaueris,balneum eo die tanquam noxium futurum caueto. Secundum purgationem verò, & apophlegmatiſmum, conuenit præſeruationis cauſa etiam vomitionibus vti. Etenim illæ quoque humorem qui quotidie colligitur euacuant, nec permittunt in vnum cumulari. Profunt igitur etiam quæ ante cibum mouentur: ſed multo vtiliores
B quæ poſt cibum,multóque magis adhuc quæ ex rapha ni radicibus, eſcis pinguioribus, repletione ciborum, eorũmque dulcium eſu,& ebrietate ſolicitantur. Nam eiuſmodi vomitus, ſiquid craſſum in ſtomacho & viſcoſum inhæreſcens inueniant,omne diſcutiunt ac liberant. Atque hæc ſanè eo modo in omnibus comitialibus agenda cenſemus. CVRATIO eorum qui ex ſtomachi affectu,comitiali morbo corripiũtur. Si ſtomachus affectus fuerit, inſpiciendum eſt qualis in eo humor generetur: & ſi quidem bilioſus, omnia tentare
C oportet, vt ne in poſterum bilem ei producere concedamus,abſinthii potu, & picra antidoto. Accipiet etiam panis exiguum ex aqua admodum calente ad horam ſecundam aut tertiam. Et ſummatim,in quibus flaua bilis circa ſtomachum generatur,replétque caput,in his neceſſe eſt totum victum & tepidum & contemperantem adhiberi, qui nihil habeat acre, aut pingue,aut oleoſum,aut ſalſum: hoc enim bilem parit. At ſi frigidus ſtomachus pituitoſum congreget humorem,atque hinc caput malè ſimul afficiat, & conuulſionem indu-
D cat, conſilium eſt per ea quæ leniter calefaciunt & corroborant, ei proſpicere, vt os ventriculi bis aut ter in menſe perfundatur oleo,præſertim chamæmelino,gleu cino & abſinthino. Adiiciantur autem his & ſtyrax & maſtiche. Hoc nanque magis adhuc calefacere,& quod imbecille eſt, firmare poterit, vt etiam probè coquat: quo nullum eſt in omnibus quidem affectibus, præcipuè verò comitialibus,præſtantius. CVRATIO eorum qui ex alia particula comitialem morbum experiuntur. Sin autem nec ſtomachus,nec caput morbi ha-
E beat originem,conſidera num ex alia quadam particula hic ſumat initium. Nam alii à ſuperiore pedis parte, (quæ tarſos Græcè dicitur)alii à tibia,alii ex alia particula morbi acceſſionem ſentire viſi ſunt. Et ſi quidem tale conſpectum fuerit, etiam illi potiſſimùm parti proſpicito,& totam ei curationem admoueto. Ego ſanè vidi quendam lectorem in hunc morbum incidiſſe, qui quum ei euenturus erat, auras quaſdam frigidas à ſuperioris pedis parte ad cerebrum aſcendentes percipere ſe dicebat. Quũ igitur hunc catapotiis pituitam & me-
F lancholicum humorem vacuantibus antea purgaſſem, impoſui parti affectæ etiam quæ exulcerare illam,extenuare & calefacere poſſunt, vt hinc ipſa & ſudauerit, & humida quædam non pauca ex eadem manifeſtò emanarint: atque hoc vbi nos feciſſemus, adoleſcens ſanus euaſit. Erat autem auxilium quod ei impoſitum erat, ſanaueràtque, lepidium herba. Idem nanque etiam alia quædam præſtant,ſed nullum adeo vt ea herba. Poſt huiuſmodi iam curationem adhibitam, etiam vomitus moueri, & pituita per os educi debet. In palæſtra
G verò exercitationem pro virium ratione æger, vt maximum bonum, et præcipuè ante cibos,aggrediatur. Moueatur autem non ſolùm ambulatione, ſed etiam equitatu, primùm ſanè mitiori, poſtea verò vehementiori quoque. Atque exercitii modus ſit, quum reſpiratio eius qui exercetur,frequẽtior euadit. vbi enim hoc ſenſerit, corpus non amplius exercere oportet. Ab exercitatione balneis dulcis aquæ vtatur, ſed non con tinuis,verùm ſemel aut bis in ſeptimana: & ante cibum potius quàm poſt illum. nec diu in balnei aere immo-
H retur,ſed etiam ſitulas calidas ſtomacho quidem & cru ribus ſuperfundat,paucas autẽ in caput,eáſque tepidas, &totum corpus aqua non nimis calida detergeat:caput admodum moderatè perfricet. Ingreſſus autem ſolium caput nõ intingat ſæpi⁹,ſed bis aut ter. In frigidæ labrũ ingreſſus,primùm caput aqua modica ſuperfundat, at-

que ita in illud deſcēdat,vt ipſum neque vapores ex toto corpore aſcendentes ad ſe rapiat, neque excipiat: & operimentis inuolutus, rurſus aquā manibus excipiat, frontémque ipſius aſpergat. Vinū ſtatim à balneo meracum bibere cautio eſt:nihil enim adeo affectum excitat. quare cauenda eſt meraci potio,præſertim comitialibus. Hæc ſanè in eum modum agēda ſunt:atque hoc victu non modò puer,ſed etiam is qui ætatis eſt florentis,ſuſtineri debet. Quòd ſi morbus vetuſtus & contumax fuerit,vt mitiora cōtemnat remedia,tunc iis quoque vtendum erit quæ largius extenuant, & totum affectum excindūt:præſertim ea purgatione quæ veratrum album recipit,cuius deſcriptio ſic habet.

Medicamentum purgans ex veratro albo.

Baccarum lauri purgatarum ſiliquæ octo: alypiadis, piperis albi,euphorbij,veratri albi,ſingulorum ſiliquæ octo.Hæc omnia contuſa, ſinguláque ponderata, quemadmodum etiam ſcriptum eſt, dato vna vice ex colocynthidis diluto,quod in hunc modum parabitur. Colocynthidē probè prius purgatā, vt nihil interni ſeminis,neque lanuginis relictum ſit, ſapa repleto, ſinitóque ipſam in calido cinere à veſpere vſque ad primū diluculum pernocteſcere: atque ita dato vt auxilium maximum, & quod vomitu plurima valde craſſa & viſcoſa recrementa purget. Quare etiam vomitus adiuuari debet,quum ægri nauſea premūtur, aut cōturbantur, paulum mulſæ ſuperſorbendum dando:&,ſi nauſeantes nihil notatu dignum ſurſum eduxerint, etiam pennis ad ſtomachi turbationem vtēdum eſt, copioſiorem adhuc mulſam propinando. Ita enim minori cum moleſtia recrementa quæ ſtomacho infixa ſunt,ſurſum emolientur.Secundùm purgationem,panis exiguum mulſo intinctum dato: balneum autem die vno aut altero vitabis. Cæterùm hoc ſciendum eſt, quòd in iis qui os ſtomachi imbecillum & bene ſenſile habent, non veratrum album,ſed potius nigrum purgationi iniiciendum ſit. Sic enim datū, ſine moleſtia purgabit,& proficiet,præterquam quòd neque violentos vellicatus inducet.Ego etiam hiera probè purgaui, & lapide Armeniaco,tribus eius ſcrupulis datis, & profeci: verùm in comitialibus inueteratis nullum adeo efficax inueni vt hoc potiſſimum medicamentum purgans: multóſque noui, deſperatos ab aliis medicis,vel hoc ſolo perſanatos fuiſſe.A purgationibus deinde etiam antidota quædam ſumi debent,quæ refocillare vires, & ſiquid meatibus inſideat,extenuare poſſunt.Tale eſt tum quod hermoclimax appellatur,tum theriaca.Atque hæc ſanè variis mixturis conſtant, & ægrè comparantur. Inter ſimplicia verò & facilè acquiritur & valentiſſimum eſt pyrethri radix contuſa & melle excepta, ſi detur cochliari vno per interualla,donec vndecies exhibueris.Experientia probatum eſt auxilium: ne ipſius vilitatem contemnas.

Quæ naturaliter ad comitiales valent.

Hæc igitur de comitialibus dicta ſunt, quæ & nos cognouimus,& longa experientia docuit:verùm quum nonnulli naturalibus, *quorum ratio haberi nequit*, quæque alligari ſolent,oblectentur, eiſque vti deſiderent, & reuera id quò intendunt aſſequantur, conueniens exiſtimaui,ſtudioſis de his quoque nonnulla percenſere, vt medicus omni ex parte ad opem ægris ferendā ſit inſtructus. Archigenes igitur in libris quos κατὰ γένος inſcripſit, præcipit his verbis, Per acceſſiones, omnes partes continere oportet, quemadmodum etiam eos qui per circuitum rigorem experiuntur,ſinguláque mēbra vnctis manibus moderatè continēdo, in rectum dirigere,oculos ipſorum leniter attrectantes, & demulcentes:præterea ſanguinem ipſis hoc tempore dimittere.Vbi verò acceſſio finierit,omnia membra perungenda veſtimentíſque fouenda,& caput multo oleo calente ſuperfundendum. At ſi cum graui ſomno, (quæ cataphora Græcè dicitur) in comitialem morbum prolabantur,in ſindonem aut aliud veſtimentum coniectos dimoueri agitarique præcipito. Pūcta autē qualibet ægri ipſius parte, ſanguine os oblinito: & expergiſcet. Poſt

A acceſſiones tota quidē morbi exciſio medicis in huiuſmodi rebus exercitatis cōmittenda eſt:verū citra ſuperuacaneā curioſitatem ac curam hæc facere conabimur, ſed æquum eſt, prænuncia morbi indicia, & remedia quæ ipſum coarguant,antea explicare.

Indicia quibus comitiales agnoſcantur.

Comitialis hoc modo noſci debet. Ægrum pelle caprina opertum mari intingito:ſtatim enim concidet. aut loto ipſius capite,ex cornu caprino nares eius ſuffito,ac cadet.Idem etiam præſtat lapis gagates,igni prius B admotus,& naribus inditus:concidet enim. *Ex alio exemplari ſic,* Zingiberis modicum naribus indito, & inde cadet.

Ex Apollonii commentariis facilè paratu medicamentum,ſi quidem comitialis eſt curabilis.

Poſtquam conciderit æger,admoueto ei thymum: & ſi apprehendat,curabilis eſt:ſin minus,non. Ad prænoſcendum comitiales hoc quoque produnt, nempe quòd venæ ſub lingua ipſorum ſitæ virides inueniantur. C CVRATIO ex ſecundo Theodori. Comitiali collapſo,vbi à magnis pedum digitis ſanguinem lancinatu extraxeris, labra & frontem ipſius inungito: & inde reſurget.Apollonius autem inquit, rectè dari ſanguinem ipſorum potioni: vino autem abſtinēdum.hoc apud Xenocratem inuenies. ALIVD. Hoc quoque mirificè facit, Duo lapilli in hirundinum pullis diſſectis inueniuntur,quorum vnus quidem niger, alter verò albus exiſtit: comitiali collapſo eos imponito, ac ipſum excitabis:nigrum verò cuti alligato. At hirundi- D nes dicuntur primo pullo hos lapillos dare,qui non facilè inueniuntur, niſi vniuerſis pullis diſſectis. ALIVD. Chamæleontem in oleo coquito,donec intabuerit, & oleum ſpiſſeſcat:conſumpto autem animali, oſſa ipſius ſelecta in locum ſolis expertem reponito, ac comitialem collapſum in ventrem conuertito, oleóque dorſum à ſacro oſſe vſque ad primam vertebram inungito:ac ſtatim excitabitur.hoc vbi ſepties feceris,ex toto ægrum liberabis.oleum autem in pyxide reponito. ALIVD. Alii verò inquiunt, comitiales, vbi agniti E fuerint, curari debere quēadmodum Archigenes præcipit.Primariò igitur in victu congrua aquæ potione vtendum eſt, carnibus abſtinendum, & venere. Iam vnctiones quæ adhiberi debeant, ab expertis obſeruatum eſt. Hæc quoque illis cōueniunt. Muſtelæ iecur ſine felle cum dimidia aquæ hemina ieiuno ad tres dies propinatur.Referūt autem quidam, partem auis oſſiphagi crematam potu morbum tollere: atque hæc ſanè ex Archigenis libris decerpta ſunt. ALIVD. Aliud quod in tertio Strato prodidit, iſtud eſt. Cani diebus F quatuordecim incluſo oſſa tantùm deuoranda dato: quintodecimo die ex albo canis ſtercore cochlearium duorum inſtar comburito,ac diebus quinque propinato. ALIVD. Hoc quoque in Thuſcia à ruſtico quodam accepi,qui dicebat aliquem caſu morbo liberatum fuiſſe.Rutam enim ſyluaticam, quam rure habebat,contundebat:& vbi conſeruus eius lunaticus concidiſſet, ipſe rutæ odore plenus,aggreſſus nares ægri continebat:vnde ille excitatus, non amplius comitiali morbo laborabat. Expertus autem erat hoc, etiam in alio, G morbóque eum liberauerat. Atque ego ſæpius ita hunc affectum curaui. Mirabile igitur & eximium medicamentum eſt,quod nulli communicabis.

Ex quinquageſimo octauo Theodori Moſchionis,ad comitiales.

Herbæ pediculariæ,quæ ſtaphis agria Græcè dicitur, drachmæ octo:caſtorei drachmæ quatuor:liquoris peucedani,pyrethri,ſingulorum drachmæ duæ. Pediculariam contundito,ac in veſicam ouillam,aut caprillam, in qua adhuc vrina ſit,depoſitam,ſiccari curato: deinde H contuſam incretámque,aliis admiſceto,ac ex mulſa pro viribus dato. ALIVD, quod accepi ex Gallia. Galli gallinacei teſticulos in puluerem tritos, ex aqua & lacte ieiuno propinato,idque diebus quinque facito: vino autē abſtinendum eſt. ALIVD, à Marſino Thrace acceptum. Gladiatoris occiſi, aut alterius cuiuſpiam

mortis rei panniculum cruentum comburito, ac cineri vinum miſceto: vbi ſepties hoc dederis ægro, liberabis. Hoc inſigni experimēto ſæpe probatū eſt. ALIVD, ex iis quæ Stratonis libris adiecta ſunt. dicit autem Orpheum authorem eſſe. Solani radicem luna declinante acceptam tundito, ac eam potui dato, primo quidē die ſemel, deinde bis, poſtea ter, tandem quater: atque ita ordine, donec quindenis vicibus eam inſumpſeris. Arcanum autē eſt hoc, & multis mirabile. ALIVD. In Hiſpania hoc ad comitiales didici. Caluariam aſini diligenter crematam contundito, incernitóque, & in pyxide habeto. Quum vſus poſtulat, dato drachmam vnā. In alio inueni, drachmas duas, ex aquæ frigidæ hemina. Priuſquam autem medicamentum dederis, ſabinam herbam læuigato, datóque potui ex ea drachmas tres cum aquæ hemina. In alio habetur, Cochleare vnū ieiuno ad dies duos dato, quando tempus eſt ſubnubilum. Ac paucis interpoſitis diebus exhibeto id quod ex caluaria aſini paratur. At priuſquam aliquid ex prædictis offeras, caput ægri ad dies tres purgato vt infrà ſcriptum eſt. Herbæ pedicularıæ, ſinapis, ſingulorum drachmæ quatuor, pyrethri drachma, ſalis ammoniaci drachma: contuſa, & cribro ſecreta, in puluerem redigito: datóque mandēdum poſt diem vnum, ac finito ægrum hianti ore pituitam emittere: eſt autem hoc valde mirificum. QVAE ALLIGANTVR, & naturaliter comitialibus obſiſtunt, ex comment. Archigenis. His autem quæ alligantur vtendū eſt ad affectum, vt Aſclepiades medicamentarius prodit. Clauū cruce fixum brachio ægri alligato, & liberabis. Zalachtes autem hæc ait, Lapis iaſpis *à fumo quo infectus non pellucet*, capnias appellatus, ad omnia capitis & mentis vitia alligatur: & is contritus ſi cum humore illinatur, hæc efficiet euidenter & mirificé. Oſtanes autem inquit, Corallium & glycyzidem, ſolaniqué radicem luna inclinante collectam, illigatámque in linteolum lineum, appendito. ALIVD. Iaſpis ſimilis callaino, digito impoſitus geſtatur, & liberat: eſt autem pretioſus. ALIVD. Democratem Athenienſem ferunt, quum adoleſcens eſſet, & morbo comitiali teneretur, ad Delphos profectū fuiſſe: eúmque rogaſſe deum, quum plerique ei offerrēt alliganda morbo contraria, quali ex eis vteretur: ac Pythiam reſpondiſſe,

Quos madidis cerebri latebris procreare capella
Dicitur humores, vermem de vertice longum.

Vel ſic,

De grege ſume capræ maiores ruris alumnæ
Ex cerebro vermes, & ouis dato tergora circum
Multiplici vermi pecoris de fronte reuulſo.

Democrates quum hæc audiuiſſet, expendebat quid tūc deus loqueretur. quum autem ipſe profectus ad Theognoſtum Democratium nonageſimumoctauum annū iam agentem veniſſet, oraculum huic denunciat: ille autem vehementer miratus dei prudentiam, vatis Pythiæ obſcuritatem, & obliquum dictum, ſententiam oraculi manifeſtauit: gregariarum, inquit, caprarum caput naturaliter multis vermibus iuxta cerebri baſim plenum efficitur: ac ſternutamentis animali obortis, multi vermes in nares capræ inſiliunt. Oportet igitur veſte ſubſtrata, ne terram attingāt, illos excipere, vnum, vel tres, & indutum pelle nigræ ouis tenero collo alligare. Atque hoc ait morbo naturaliter aduerſari. ALIVD ad idem, quod in libro Stratonis ſcriptum eſt: dicitur autem Moſchionis. Aſini frōs cuti alligata, geſtatáque, morbo liberat. ALIVD. Clauum ex nauigio confracto exemptum, in brachii ornamentum latum concinnato, vt imponatur os ex corde cerui, & ſiniſtro brachio circundato. Poſtquam autem ceruo viuo cor exemeris, oſſiculum, quod in eo explicato ceu carunculam concretam arundine ſtatim ſine mora inuenies, ſiccato: ac vbi reliquū proieceris, facito vt prædictū eſt: ac miraberis. ALIVD. Linteum ex naue confracta, iam attritum inueteratúmque, dextro brachio ad ſeptem hebdomadas alligato: in quibus aliàs * & æger liberabitur. Concidet autem, ſi pilos aſini & mulæ in ſuffitum offeras. Pyrethrum quum naribus ipſius inſpi-

A rauerit, ſi quidē ſanabilis ſit morbus, ſternutabit æger: ſin autem curari nequeat, non item. ALIVD. Corallium ex cerebro aſini alligato. glycyzidis radicis, & ſolani, declinante luna, granum vnum dato: primò autē vnum, deinde duo, poſtea quatuor, donec quindecim exhibueris. Iam chryſolithos probè facit: itē iaſpis, aerium colorem habens, aut perſimilis callaino, digito geſtatus, idem præſtat. Hæc ſanè à veteribus dicta ſunt, tanquam naturaliter, *hoc eſt, latenti natura*, efficacia. At quæ nos edidimus, ſecūdum certam quandam viam
B & rationem, quam Græci μέθοδον vocant, dicta ſunt: ac conuenit peritum omni modo auxiliari, tum naturalibus vtendo, tum ſcientifica ratione, & methodo artificiali: quódque rectè dici ſolet, omni modo properandū eſt vt longo morbo & prauo ægrum liberes. Mihi ſanè omnibus vti placet: quia verò plerique hoc tempore indocti accuſant eos qui vtuntur naturalibus, caui ne continuè iis quæ naturaliter operantur vterer, conatúſque ſum artificioſa via & ratione morbos ſuperare: ac noui non modò comitiales, ſed etiam alios morbos pleroſq;
C victu & medicamentis fuiſſe perſanatos. Quare etiam nunc conſulo vt is qui velit comitialem euadere, hoc potius nunc à me dicto victu, & medicamentis vtatur: nec ſucceſſu fruſtrabitur. Iam efficax in commemoratos, etiam ſolare cyphi potum inueni, præſertim à purgatione. Oportet autem ſemel propinare, deſinente luna: idque facere dum in totum morbus fuerit diſcuſſus. Nihil autem minus confert, vbi curatus quoque fuerit, præſeruationis gratia ipſum porrigere, quouſque tutam & firmam morbi liberationem videris, & nullæ ipſius
D reliquiæ ſuperſtites maneant. Quinetiam præcaueri in comitialibus omnino debet ne vllo modo affectum irritemus. Maximè omnium vitanda eſt cruditas, vt maximum malum: in cœna, aut prādio, etiam ſuſpicio cruditatis: item ne cibus tardè ſumatur, & bilis commoueatur, cauendum eſt. Adhæc fugienda potio ſtatim à balneo, vt diximus, præſertim meraca: vina valde vetuſta, & nouella admodum, adſtringentiáque: item lactis potus, caſeúſque, & ſiquid ex lacte præparatur. necnon fœtida. Inſuper vitandum ne ægri prorſus in huiuſmodi lo-
E cis commorentur, ſuffimentáque plurimum odorētur, neque è ſublimi defixis oculis diutius cernant: neque admodum caput operiant, calefaciántque: præterea ne in ſole immorentur, aut vbi ignis eſt plerunque: ad hæc, ne in balneo tardius deſideant, & caput calida rurſus aqua abſtergant, concoctionéque non obita rurſus lauent. Inſuper ne à cibo dulce quodpiam eſculentum aut poculentum aſſumant. Quippe hoc etiam affectum irritat, præcipuè in quibus flaua bilis ſtomacho innaſcitur. Nam hos temperato victu alere conuenit: non quē-
F admodum eos qui pituitoſum humorem congregant, per illa quæ omnifariam extenuant humores, & calefaciunt. Hæc ſiquis accuratè conſeruet & tueatur, non opus habebit alio quoquam auxilio, & maximè illis quæ dolorem mouent, periculúmque vitæ inferunt: nōnunquam etiam arteriæ ſectione, caluariæ aduſtione, & aliis quæ cruciatum & ſupplicium magis quàm curationem multis conciliant.

DE RESOLVTIONE PARTICVLARUM, Cap. XVI.

G Reſolutionis vitium, quod Græci πάρεσιν & παράλυσιν nominare conſueuerunt, nihil aliud eſt quàm ſenſus & motus priuatio. Differt autē ab apoplexia, quòd ipſa quidem totius corporis ſenſus & motus abolitio, cum principiis animæ functionum noxa, & quodammodo mors accidit: Reſolutio autem eſt, qua dimidia pars corporis, vel vna emoritur, vel etiam particulæ quædā neruoſæ obſtructæ, ita vt vel cerebrum, vel ſpinalis medulla ab affectu ſit immunis. Vbi igitur prius animaduerteris vnde inceperit, & vnde cauſa prouenerit, ita tan-
H dem curationem tentato. Fieri enim nequit vt qui cauſam, aut quod ſit vitium, ignoret, morbum infeſtātem poſſit excindere. NOTAE. Si igitur ex ſuperioribus particulis quædam affecta fuerint, nempe oculus, aut naſus, aut lingua, aut quædam in facie, cōſtat ipſum cerebrum morbo eſſe implicitum, eique primariò ſuc-

currẽdum eſſe. Si igitur nulla ex prædictis partibus ſenſu, aut motu, aut vtroque læſa fuerit, neceſſe eſt, ſpinalem medullam ægrotare, aut aliquem neruorum ex ipſo procedentium affectũ eſſe, ſtatuere. Attẽdito igitur diligenter quæ ſit pars affecta, & vnde initium trahat, aut à qua vertebra id aut neruo recipiat: atque illi curationem adhibeto: non autem, vt vulgò, ſymptomatibus tantùm obſiſtito. Itaque reſolutas particulas ſic internoſcere conuenit, animum ſcientiæ anatomicæ aduertendo. CAVSA reſolutionis. Cauſam reſolutionis effectricẽm magna ex parte internoſcere licet ex craſſo, viſcoſo, frigido, interdum etiam terreſtri & melancholico humore conſtitui. Sciẽdum eſt autem, vitium hoc ex qualitate calida aut ſicca proficiſci, vbi calida intẽperies ſanguinem & humores nimium torrefecerit: ſimiliter etiam ob frigidam qualitatẽ ſolam. Quoniam igitur cauſa diuerſa eſt quæ reſolutionis affectum pariat, inſpiciendum internoſcendúmque diligenter eſt copiane ſit an qualitas ſola: non parum enim intereſt. Si nanque copia & craſſities, neceſſe eſt adhibere quæ extenuãt, & humoris qui reſolutionem excitarit, vacuationem moliuntur. At ſi qualitas ſola fuerit calida & ſicca, tunc extenuantia calefaciẽtiáque, (omnia enim eiuſmodi natiuum humorem conſumunt) magis adhuc aſſant materiem, craſſiorémque reddunt. Liquet igitur cõtraria qualitati remedia inducenda eſſe, hoc eſt refrigerantia & humectantia omnia: ad frigidam verò neceſſariò ea quæ calefaciũt, applicari debent. Quæ quum ita habeant, dicamus quomodo etiam curatione vtẽdum ſit, ab effectu qui ex copia prouenit, prius exorſi. CVRATIO. Si quidem igitur copiam ſanguinis ex notis deprehendas, liquet moderatam eius euacuationem ante aliam curationem vniuerſam adhibendam eſſe. Non enim conuenit in his multum ſanguinis, etiam ſi abundet, detrahere: ſed ad auxilia potius quæ locis inducuntur perueniendum eſt. Si nanque in facie affectus conſtiterit, ante omnia capiti proſpiciendum eſt. Conſtat enim principio affecto, meritò etiã faciei partes oblæſas eſſe. Neceſſariò igitur omnia quæ caput euacuãt, ipſumque recrementis liberum reddunt, adhiberi debent: quemadmodum apophlegmatiſmis quoque, perfrictione, dropacibus, & omnibus vtendum eſt quæ extenuare & aperire poſſunt. Quòd ſi pituitoſior ſanguis fuerit, iis quæ pituitam per os educunt: ſicut etiam quum magis melancholicus, illorum vſus eſt quæ hunc humorem emoliuntur. Optimè verò ad vtraque facere poſſunt & catapotia quæ ex colocynthide parantur: quorum deſcriptio hæc eſt.

Catapotia διὰ κολοκυνθίδος.

Aloes hepaticæ, colocynthidis, ſingulorum vncia: euphorbii ſemuncia: veratri nigri vncia: bdellii, gummi, ſingulorum vncia: nitri Alexandrini ſemuncia. His ſemper vtitor quũ humorem melancholicum aut pituitam purgare volueris. Nihil enim adeo humores ex alto euocare, & neruos laborantes caputque expurgare poteſt, vt horum catapotiorum compoſitio. Sufficit autem ex eis vſque ad ſcrupulos quatuor, aut ſex, pro ægri viribus, exhibere Ad integrum verò modum veniendũ non eſt, ſed paulatim à duobus aut tribus ſcrupulis exorſi, ipſa porrigemus. Si igitur affectus recens fuerit, æger autem ſæpe facilis ad vomitum, medicamentorum potionem auerſetur, nullum aliud præferendum, ſed his vtendum eſt. Nam præter id quòd non facilè euomuntur, materiam quoque citra moleſtiam purgant, & commodè ex alto euocant. Arbitror autem nullum ſtatim alio remedio opus habiturũ, ſiquis ipſis rectè vti poſſit. At ſi affectus longo tẽpore ægrum moleſtarit, & moderatioribus medicamentis non obtemperet, ſed his cõtumaciter reſiſtat, etiam omnibus potius quæ aperire & extenuare poſſunt, vti conuenit. Vbi verò materiam tenuem & fluidam reddideris, medicamentum hiera aſſumi debet, quæ à me paratur, quum ſit præſtantiſſima & tuta, periculique expers: deſcribitur autem in hunc modum.

Hiera tuta, *hoc eſt, quæ ſine periculo ſumi poteſt.*

Aloes ſcrupuli quatuor: *in alio octo*: folii ſcrupuli A decem: agarici ſcrupuli octo, *in alio exemplari decem*: polypodii ſcrupuli octo: piperis albi ſcrupuli quinque, piperis longi ſcrupuli octo, piperis nigri ſcrupuli quinque: caſiæ ſcrupuli octo: opoponacis, amomi, croci, ſagapeni, caſtorei, ſingulorũ ſcrupuli quinque: ſcammonii lacrymæ ſcrupuli dece: ammoniaci ſuffiminis totidẽ: petroſelini Macedonici, ariſtolochiæ, veratri, ſingulorum ſcrupuli quinque: marrubii ſicci ſcrupuli octo, chamæpityos, bdellii, colocynthidis, ſingulorum ſcrupuli octo. Integrum antidoti modum, ſi qui- B dem abſque melle habes, dato ſcrupulos ſeptem: ſin autem cum melle, ſcrupulos duodecim, aut paulo plus minuſve. Non oportet autem adiicere extrinſecus alterius ſcammoniæ, modo. Multi nanque arbitrati ſe promouere medicamentum ad euacuandum, ita faciunt, ignari quòd inutile magis ipſum reddunt. Non enim volumus id protinus ad ventrem deferri, ſed potius in membra diſtribui, in corpore immorari, extenuare recrementum, & emendare: item meatus dilatare, vt obſtructiones neruoſorum adaperiantur, & ſpiritus qui in C eã mittitur, purus ſuppeditetur. Quare medicamentum vacuatorium efficere non licet, præſertim in pituitoſis, ſed contrà ex ſcammonia adimere conandum eſt, augere autem potius colocynthidis pondus. At totus modus potui ſtatim à primo die dari non debet, ſed partiri in tria, exhiberique primùm drachma: deinde tribus diebus interpoſitis, drachmæ duæ, admixta ſalis hemina: piperis autem minus, quod ſit admodum ſubtiliter detritum. Conſilium enim nobis eſt vt medicamentum (ſicut diximus) diſtribuatur, nõ ſpiſſetur. Quum paucis D diebus ſalem ægro differre iuſſeris, dato ruſus ei tres drachmas, deinde rurſus aliis paucis diebus interiectis, offerto ipſi drachmas quatuor: ita nanque iuuabis ægrũm, & ſimul medicamenti vim, ac quanta qualiáque efficere ſoleat, admiraberis. Vulgares autem ipſum occultant, ignorantes ipſius vſum. Scire verò licet quòd ſi vires ægri robuſtæ ſint, vereri non oporteat quinque drachmas exhibere, interdum etiam ſex: magiſque ſi æger omnibus ex æquo humoribus ſcateat, *qui Græcè plethoricus dicitur*, ætate vigente, & temperamento humi- E dus ſit. Ita curandi qui reſolutionem ex humidorum viſcoſorúmque & craſſiorum humorum copia ſuſtinuerunt.

Si reſolutio ex ſola fiat qualitate.

At ſi non copia, ſed qualitas potius cauſa fuerit morbi effectrix, vbi quidem ſiccitas ſimul cum caliditate infeſtat, refrigerantibus ſenſim & humectantibus potionibus & cibis vtendum magis conſulo: vt cremore ptiſſanæ, aut auena, aut chytro. Inter olera, intybis, aut lactucarum caulibus. Admiſceatur autem his tum aſpara- F gus paluſtris, tum radix apii. Aues comedantur propè omnes, præter nimium pingues, vel quæ in paludibus aluntur. Inter piſces, nimirum ſaxatiles potius: teſtacea verò deuitentur, præter pectines & erinaceos. Interdicantur etiam legumina omnia, præſertim halica. Inter fructus, pomaceos vniuerſos comedant, magis ficus, vuas, ſemen peponum, & mala: punica verò, perſica, duracina, ſycomori fructus, & quæ vocantur mala aurea, caueri debent. Summatim, vniuerſus victus qui refrigerare ac contemperare poteſt: præterquam quòd nihil admo- G dum recrementitium aut craſſi ſucci habeat. Vinum bibant aquoſum, & non adeo vetuſtum, vt quod magis exſiccet, & neruos offendat. Quare etiam vinis factitiis interdicatur, præterquam roſato & violato. at ſi fieri poſſit, etiam citra vinum æger degat, ſola tepida aqua vſus: id multo quoque melius eſt. Bibant autem qui aſſueuerunt, etiam in medio cibi, aquam frigidam cum vino. Talibus igitur purgans aliquod medicamentum præbere commodum non eſt. vniuerſa nãque ipſis inimica ſunt, præſertim hiera, & quæ euphorbio conſtant. Nam H præterquam quòd nihil iuuant, ſiccitatem neruorum adhuc magis augent. Noui ſanè ego quendam reſolutionem ex mœrore, multa ſolicitudine & inedia expertum: deinde ſumpta hiera, adeo læſum vt totus ipſe immobilis fieret, & propemodum interiret: niſi in contrarium mutatus fuiſſet, & humectantibus omnibus tum

potionibus,tum cibis, & aliis quæ temperatum ipſum
reddidiſſent,vſus fuiſſet:maximè verò balneis complu-
ribus,vnctione ex hydrelæo, mutatione aeris tēperati,
& omni hilaritate.Etenim triſtis erat,ad iram procliuis,
à medicamēto nimirum excitatus, & qui flauam bilem
collegiſſet. Hac ſanè ratione, ſi qualitas fuerit præſer-
tim intemperies calida, vitari debent cibi acriores : ad-
huc autem magis quæ medicātem vim purgantémque
obtinent.Nam præter id quòd nihil inueniunt quod ex
corpore euacuent,magis adhuc aliam intemperiem re-
generant.Pari modo etiam in frigida intemperie præ-
ditis,medicamentis purgantibus vtendum non eſt,quū
ſolo victu tales curari poſſint. His igitur & vinum mo-
deratum vetuſtius, allia, porra,tum per ſe, tum cum ſale
comeſta, apium,petroſelinum, daucus, item quæ piper
recipiant. adhæc vnctiones calefacientes conueniunt,
præſertim circa ſtomachum adhibitæ : quale eſt etiam
Marciatum.habet enim medullam ceruinam, ſtyracem,
& neruos vehementer iuuare poteſt:quemadmodum o-
leum quoque rutaceum,& cum ipſo, & cum alio,refri-
geratos neruos probè excalefacit. Sin autem morbus in
vetuſtatem incidit, etiam aquæ naturales, *hoc eſt, quæ
ſponte ſua calidæ ex terra proſiliunt*, quantum ad frigidita-
tem attinet,ſunt ipſis accomodæ. Verùm diu eis immo-
randum non eſt:neque bis die lauandum,ſed permitten
dum vt in frigidum quoque ſolium deſcendant,ne ipſi
ſuprà modum exſiccentur,ſed mediocriter etiam adiu-
mento quod ex ipſis prouenit,fruantur. Ita ſanè reſolu-
tionē quæ propter intēperiem accidit, pro viriū ratio-
ne curare conuenit. Cæterùm autem deinceps explice-
mus,quibus remediorum auxiliis, in quibus corpori-
bus ad morbum depellendum vti magis expediat.

De oculorum reſolutione.

Quòd ſi igitur oculus fuerit affectus,in primis capiti,
(vt diximus)proſpiciēdum eſt,apophlegmatiſmis, per-
frictionibus & reuulſionibus,cucurbitulas in poſterio-
rem capitis partem adglutinando, trahendo, & ſcarifi-
cando,ſi copia ſubiecta requirat. At ſi affectus remanet,
etiam dropaces ſuperciliis imponantur: quippe trahunt
ex alto,calefaciúntque partes affectas,& recreant:necnō
ſcirrho induratas excitāt,remolliúntque, vt muſculi re-
focillati in naturalium actionum memoriam reuertan-
tur.Porro vtantur etiam ſucco betæ, cum melle ipſum
naribus infundentes. Itèm ſuccus anagallidis bene facit.
Quinetiam ad ſternutamentum prouocandum efficaci-
bus medicamentis hoc in affectu vtendum eſt: herba la
naria præſertim, *quæ Græcè ſtruthion appellatur*: vel euphor
bio cum caſtoreo,vel tribus ſimul coniunctis.

De labro reſoluto,aut gena.

At ſi labrum reſolutionem expertum ſit, aut gena,
aut maxilla, apophlegmatiſmis potiſſimùm vtendum
eſt quæ ſtaphide agria,maſtiche & pipere conſtant:item
perungere iis quæ ex ſinapi fiunt,confert: necnon paſtil
lis qui hyſſopum,aut pulegium,aut piper recipiūt. Hæc
valent vt acriora,& emortuum ſenſum reuocant. Pro-
deſt ipſis etiam nucum pinearum crematarum vapor.
permittendum autem eſt vt affecti vaporem hunc inſpi
rent.valde enim hoc facientes adiuuātur.Quòd ſi mor-
bus inueteraſcens copia infeſtare videatur, etiam venas
ſub lingua incidere oportet. Saluberrimum enim illis
hoc eſt auxilium qui in faciei particulis reſolutionem
experiuntur. Vnctionibus autem vtaris ex caſtoreo,me-
dulla ceruina, & ſtyrace confectis. Omnibus hoc auxi-
liatur,præſertim reſolutionem in maxillaribus muſcu-
lis expertis. In aliis verò regionib9, vt manu,ſtomacho,
aut veſica,non ſolùm hoc,ſed etiam Lyſiponium dictū
valde efficax eſt remedium,cuius ſcriptura hæc eſt.

Scriptura Lyſiponii.

Caſtorei, euphorbii, piperis,ſingulæ vnciæ:ſuffimi-
nis ammoniaci,opoponacis,galbani,ſingulorum vnciæ
duæ: medullæ ceruinæ vnciæ tres : terebinthinæ vnciæ
ſex:ceræ libra:olei veteris tantundem: olei taurini, iri-
ni,gleucini,cyprini,ſingulorum vnciæ tres. Hoc auxi-
lium eſt vtiliſſimum ad omnem reſolutionem, & per ſe
& cum rutaceo oleo. Epithematis autem,tum eo quod
διὰ δαφνίδων, tum quod Apollophanis dicitur, aut eo

A quod cōſtat caſia,vel ſampſucho,vel cachryi.Et in ſum-
ma iis vtendū eſt quæ ex alto euocare humores,& cruē-
tare cutem poſſunt. His etiam in coxendicibus affectis,
neruis difficulter ſentientibus,& in iis qui ſtercus reti-
nere nequeunt, vti decet. Iam verò iniectiones quæ ex
euphorbio,caſtoreo & nitro conſtant,item quæ allium
rutam & cuminum vnà cum oleo incocta habent, iſtis
opitulantur. At ſi muſculi ſedis reſolutionem ſuſtinue-
rint, per inſeſſus ipſis & ſuffimigia ſuccurrendum eſt.
Ad hanc rem præſtantiſſimus eſt lapis molaris:oportet
B autem ægrum veſtimentis contectum,infundibulo ipſi
ſubiecto vaporem aſcendentem excipere.Lapis verò vbi
ignitus fuerit, vino aſpergatur. His & ſimilibus reme-
diorum auxiliis,ſolo vſus modo immutato, in affectis
particulis vtendum eſt.

DE MELANCHOLIA, Cap. XVII.

NOn vna quædam melancholiæ cauſa eſt, neque v-
nus humor vitii parēs,ſed plures,& aliâs aliter mu
tati. vnde neque omnes eadem ſymptomata ſuſtinent,
neque ſimiliter eiſdem imaginationibus agitantur,
C ſed alii ipſorum rident ſemper, & cum hilaritate ima-
ginantur:alii cum ira & contentione, iis qui phrenitici
appellantur,ea in re conſimiles : quidam ipſorum cum
torpore multo ac ſegnitie,vt ipſi loqui nolint, ſtultorū
modo,quos Græci vocant μωρούς. nonulli opinionibus
addicti ſunt, & ſe futura prædicere arbitrantur. hi verò
mortem deſiderant:illi iugulari optant, alii metuunt.
Atque ex his quidam ipſorum interualla morbi tempo
ribus quibuſdam habent,vt etiam cōſueta adminiſtret:
alii in continua dementia ſunt. At nō ſolùm variis qui-
D buſdam motibus ſymptomatum ipſis oborientium dif
ferunt,ſed etiam affectorum locorum ratione. Hi qui-
dem ſolùm ipſum cerebrum morbo affectum habent,
illi verò etiam reliquum totum corpus: alii autem ven-
trem ſolum,& præcordia.Quoniam igitur cauſæ melan
choliæ,& particulæ affectæ differentes ſunt, item quæ
mouent,quæque infeſtant has accidentia, ideo conue-
niens ſtudioſis exiſtimo vt ſingula intelligere,& vnde
fiant,nitantur. Quare internotiones ipſorum accuratè
nobis exponendas eſſe duximus. Ita nanque tum mede
E ri rectè,tum morbum ſuperare,etiamſi difficilis fuerit,
poterimus. SIGNA melancholiæ ex ſanguinis co-
pia naſcentis. Internoſces autem melancholiam ex co
pia ſanguinis fieri,primùm ſanè ſi ad ipſum ægri tem-
peramentum reſpicias. Nouimus enim hirſutos nigró-
que colore,& habitu tenues, multo facilius quàm can-
didos & craſſiores,melancholia corripi:adhæc eos ma-
gis qui ætate vigent,tenui victu vtuntur, iracundi ſunt,
& vitam curis, triſtitia & mœrore plurima ex par-
te tranſegerunt. Adhæc interrogare conuenit num ali-
F qua ſolitæ vacuationis retentio obuenerit, in viris qui-
dem ſanguinis per venas ani, *quæ hæmorrhoides Græcè dicun-
tur*, profluentis:in mulieribus autem, menſtruæ purga-
tionis.Et ſi in corpore verus grauitatis ſenſus ineſt, fa-
cies quoque inſpici debet,num multo quàm antea ru-
bicundior ſit,venæque magis turgeſcant,& intētæ ſint.
Hæc enim ſi deprehenduntur, ſanguinis copiam, quæ
vapores ad caput tranſmittat, ſuſpicari oportet. Sin au-
tem quædam vanarum imaginationum interualla ipſis
obueniant,vt etiam conſueta quoque opera aliquantiſ-
G per velint attingere, adhuc magis tum melancholiæ
ſpeciem accidere ſuſpicabimur,quum ex euaporatione
ſanguinei humoris originem trahat, offendátque cere-
brum. Ac ſimile quid ægris contingit cuiuſmodi iis
quibus oculi ſuffunduntur, accidit. Quòd ſi cum riſu
vanæ imaginationes oriantur, humorem qui offendit,
non admodum vitioſum eſſe, & rodentem, ſola autem
copia nocere. CVRATIO. Si igitur notatio,id
quod offendit,ſanguinis copiam eſſe,tibi ſuggerat, at-
que ob hanc,talem melancholiam ſuperuenire,dum va-
H pores inde (vt diximus) ſpiritum animalem turbidum
reddunt,& eiuſmodi excitāt imaginationes,ante omnē
aliam curationem,ſanguinis miſſio adhibenda eſt. Dif-
ferendum enim hîc non eſt, quum metus ſit ne, dum
nos diutius expectamus, vapores cerebri corpus magis
inalterēt:vel etiam lōgius immorati, ventriculos ipſius

interiores obſtruant. Paucis itaque diebus, vbi ægrum cibo boni ſucci & temperato traduxeris, nequaquam concedens vt carnes & ea quæ ſanguineum humorem generare poſſunt, omnino aſſumat, ad ſanguinis vacuationem venito: & ſi vires robuſtæ ſunt, quantùm ſatis eſſe putaueris, ſtatim detrahito. Frequenter enim vniuerſa euacuatio efficit vt nonnihil etiam ſpiritus qui vapores tranſmittit, euacuetur & diſſipetur. Sin autem vires multam prima vice euacuationem non tolerant, neceſſe eſt tunc non modò ſemel, ſed etiam bis, & ſæpius, quantum licet, paulatim auferre. Quòd ſi à brachio vacuatio fieri nequit, tentandum eſt eam à poplite & tali partibus moliri. atque hoc magis in muliebribus corporibus faciendum eſt: quippe menſtruam purgationem prouocat. Quum autem venas cubiti non manifeſtas inueneris, eas quæ commemoratis locis ſubiacent, incidere tunc oportet. nam ad affectum prædictum ſanguinis vacuatio eſt neceſſaria. Nihil igitur minus iuuabis, ex quacunque parte ſanguinem detraxeris, quum etiam omnia ſimul vacuentur: quemadmodum diuus Hippocrates ait, Confluxus vnus, conſpiratio vna, omnia conſentientia. CVRATIO melancholiæ ex infarcto impactóque ſanguine ortæ. Si humoris ſanguinei materies cerebro impacta fuerit, tunc audacter venam in fronte ſecato. Nam poſt totius corporis vacuationem, ſi loco iam remedia adhibeas, nihil nocebis. At ſi circa caput aliquid moliri cogites, priuſquam totum corpus recrementis liberum reddideris, offendes magis quàm iuuabis, copioſiorem materiam ad locum affectum attrahens. Hac ſanè ratione iis qui ex ſola ſanguinis copia melancholia laborare inceperunt, mederi conuenit, vbi nondum ad rodẽtem, acrem aut bilioſam, aliàmve quandã humoris intemperiẽ manifeſtò immutatus fuerit. Nam ſi horum aliquid ſuſtinuerit, hi non amplius cum riſu imaginationes habent, ſed contrà feras ac furioſas admodum acceſſiones experiũtur. Quare per initia affectum excindere tentandum eſt. inueteratus enim, & veluti in naturam conuerſus, incurabilis propemodum euadit: & tali morbo affecti, nõ melancholia tantùm laborant, ſed etiam per circuitus inſaniunt. Nihil enim aliud eſt inſania quàm melãcholiæ ad maiorem feritatem intenſio. INDICIA melancholiæ quam ſanguis acrior bilioſiórque excitauit. Cognoſces autem ex notis quas prædiximus, non amplius vapores ſanguineos, ſed magis melancholicos, aut acriores ſurſum efferri. Quòd autem ægri iracundi magis turbidique & minus placidi ſint, id bili, non autem ſanguini tribuendum eſt. Cæterùm quod temperamentum ægri calidius ſit, & ſiccum, ætas vigens, quódque victus præceſſerit calidior & acrior, aliàque his cognata, clarius tibi indicabunt, ſanguinem ad bilioſiorẽ magis naturam eſſe conuerſum. Nam humores diuerſis modis commouentur, & aliàs aliam qualitatem recipiunt. Siquidem in bilem cõuertuntur multa inedia, continuo ſalſorum ciborum eſu, aut validis curis: ad ſanguineum autem humorem magis vergunt, ex largioris vini vſu, & quodam valentium ciborum appetitu, & liberalioribus balneis. Sin autẽ duos quoque humores ſuperare contingat, vtrunque horum accidens oboritur. interim nãque rident ægri, interim ferocius loquũtur, & aliàs alios motus, interuallàque & acceſſiones habẽt: quemadmodum in febribus accidit quæ circuitu mouentur: atque in his nonnunquam hoc humore cerebrum repleri, nonnunquam illo, pro diuerſis ipſorum mutationibus, motibúſque. CVRATIO melancholiæ quæ à bilioſo & acriore ſanguine naſcatur.

Si igitur ex his quæ diximus indiciis, bilẽ ſanguini in vaſis admixtam eſſe ſuſpiceris, ad ea quæ huiuſmodi humorem vacuant, ſtatim veniendum eſt. Hoc autem probè facies, ac purgatio tibi commodè ſuccedet, ſi paucis antè diebus homini cibo temperato & humidiore nutrito medicamentum ad bilem ducẽdam efficax porrigas. Sic enim humor etiam qui offendit, medicamento purganti facilè cedet, ita vt vincatur potius quàm illius vim euincat. Nam vt in craſſioribus humorib⁹ cibi qui extenuant & calefaciunt, vtiliter adhibentur, ita etiam

A tales eiſdem ad euacuationem magis idonei reddẽtur. Vbi verò eos qui à bilioſo ſanguine infeſtantur, humido (vt diximus) & tẽperato victu alueris, medicamentũ exhibeto. Sit autem picra, quæ recipit liquorem ſcammoniæ: verùm picræ quidem ſcrupulos ſex, ſcãmoniæ verò liquoris ſiliquas octo, aut paulo amplius minúſve ponito. Quòd ſi æger medicamentum ſolutum nolit aſſumere, fiant catapotia: ſin hæc quoque per ſe inuitus capiat, vino, aut ouis molliſſimis excipiat, ita vt vitelli membrana leuiter aperta, in medio illa coniiciantur. ſic B enim æger ſine moleſtia & placidè omnino ea accipiet. Cæterùm ſi tali dato medicamento corpus non abundè ſatis vacuatum eſſe deprehendas, poſt paucos dies, & victum humectantem rurſus adhibitum, balneo vtitor, & quiete: ægrúmque iterũ purgato, aucto paulo magis medicamenti pondere. ſic enim optimè feceris, in quibus melancholia non ex ſanguine in bilioſam naturam conuerſo, & plus ſatis excaleſcente, & toto fere nimis aduſto prouenerit. Qui enim calidioribus antidotis aut purgationibus in tali melancholia vſi ſunt, præſertim C hiera, ægros magis furioſos atque inſanos reddiderunt, dum ſanguinem ad ſiccius & acrius conuerterent. Præſtat igitur tales ſimplicioribus adhuc medicamentis, quæ corpus totum nequeant calefacere, repurgatos, humectanti cibo permittere. Nouiſtis autem vos, me quoque pleroſque ita laborantes, victu potius quàm medicamentis vſum perſanaſſe. Verùm eſto cibus (vt ſummatim dicam) ptiſſana potiſſimùm, quæ manè cum granis ipſis, aut circa horam ſecundam aſſumatur: in prandio, etiam piſces ſaxatiles, gallina cohortalis, atque alia D quæ volatu fidunt, præter paluſtres: item ex teſtacea cute præditis, pectines, aſtaci & erinacei: inter olera, lactuca & intybus, omni modo comeſta, adhæc malua: alia verò omnia vitentur, præſertim braſſica, & agreſtia olera. Ex fructibus pomaceis peponum & cucumerum medulla: ſimiliter etiam inter vuas, dulces, & dura carne præditæ: ex malis, quæ non aſtringunt. Ficus autem vitentur, aut modicè aſſumantur: atque hæc ſunt omnia. nam talia fere non poſſe obeſſe, vſu probauimus. At ex placentis vniuerſis aſſumere quid, prorſus cauendum E eſt: item quæ ex garo & caſeo præparantur. Nam omnia quæ in hunc modum cõficiuntur, bilioſum humorem magis augent, & nimis exaſſant. Vinum (ſi vſus quoque poſtulauerit) Chryſatticum, eiúſque modicum, propinabis. Huius inopia, præferri debent quæ nihil aſtringens habent, ne ipſa ad caput vapores tranſmittant. Huiuſmodi ſanè victus ipſis præſcribatur. Etenim ſi quid ex particularibus deſideretur, hoc quoque medicus intelligens, iis quæ dicta ſunt, prudenter adiiciet: atque per ſe inuenire poterit num carnibus & balneis æger indigeat, F aut augens aut minuens quantitatem non nimis ſubitò.

De balneo.

Dulcium balneorum vſus, ſiquid aliud, ipſis opitulatur. Aliam nanque partem bilis diſcutere, aliam humidorum qualitate contemperare, totum verò corpus aqua calida ſuperfundere, caput tepida potius, & luteis ouorum abſtergere, ac vniuerſum ſanè corpus hydrelæo, caput autem roſaceo vngere conuenit. Aer quoque ſit temperatus, pari modo calidæ labrum: atque ægri in G eo immorentur diutius, ac in calidam deſcendere cogantur: omnino etiam, ſi æſtas fuerit, in ea diutius inſideant. A balneo non ſtatim bibant vinum, ſed aquam tepidam: atque ita vt antea prædiximus cibum ſumãt. dormituris, rurſus tepida offeratur. Hoc ſanè victu eos qui ex bilioſo ſanguine & calido admodũ melancholia laborare incipiunt, nutrire conuenit. Notandum verò eſt, veteres in capite talium melãcholicorum, cucurbitulis & pulueribus acrioribus vſos fuiſſe, cruentare ipſum cupientes: alios etiam hirudinibus: nos autem in H omnibus huiuſmodi, talia fugiamus. Nam præterquam quòd nihil ipſos iuuant, adhuc etiam magis intemperatos & ſicciores reddunt. Tunc autem iſta fieri debent quando materia violenter ad cerebrum profecta & craſſior impacta fuerit, vt aliis cedere medicamentis repugnet.

De melancholia quæ à ſanguine melancholico naſcatur.

Accidit igitur,nonnullos melancholia potiſſimùm laborare,quum ſanguis plus ſatis aduſtus, vapores immoderatius capiti tranſmittit, animalémque in eo ſpiritum permutat. Vapores autem à melancholico potius humore excitari inde noſces quòd æger triſtitia præter rationem,mœrore & metu afficiatur, optétque mortẽ, & auerſetur eos qui maximè videntur eſſe amici : ſuſpicionéſque falſas habeat, quaſi nonnulli velint eum interimere,aut gladio arrepto,aut medicamento exhibito. Nouimus autem eiuſmodi humorem etiam alias infinitas,peregrinas & multiplices imaginationes inducere poſſe, & quòd alii ſe vas fictile eſſe putent, alii corium, alii gallum etiam, vt vocem illius imitentur: quemadmodum alii luſciniam ſe eſſe credant, & plorent quòd ityn perdiderint:alii verò quòd cælum geſtẽt tanquam Atlas,ac metuere dicant ne collabatur,& non ſolùm illum,ſed etiam omnes ſimul conterat. Ego mulierem vidi quæ ea imaginatione vexabatur vt mediũ manus ſuæ digitum conſtringeret,tanquam in ipſo totum geſtaret orbem. Plorabat autem illa quoque,verita nequādo digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret,& omnia ſtatim interirent. Iam alios plerosque vidimus,quorum ſuperfluum eſt, fortè etiam ſuprà vires noſtras,omnium velle meminiſſe: verùm hæc appoſuiſſe ſufficiet quæ iis potius qui à melancholico humore originem morbi trahere inceperunt,ſolent euenire. Quapropter ſi morbus ex triſtitia aut ſolicitudine quadam præcedente,aut alio animi affectu cœperit,cõſiderare tunc oportet imaginationis ſpeciem,aut rationem,aut aliud quiddam eorum quæ ſubitam mutationẽ efficere poſſunt. Plurimi nanque ſic curati ſunt quodammodo, vel quum vidiſſent audiuiſſéntque ea quæ conſequi deſiderabant. Ita ergo Philodotus medicus quendam qui ſibi caput amputatum eſſe, quòd tyrannus factus fuiſſet,putabat,caſúmque deplorabat, curauit:impoſito repentè capiti ipſius plumbeo pileo,vt grauitatem ſentiens,caput ſe recepiſſe rurſus putarit, gauiſúſque ſit plurimum, atque ideo vana imaginatione liberatus. Iam mulierem quidam curauit melancholia laborantem, hoc pacto:quum putaret illa ſerpẽtem ſe deuoraſſe, vomitum medicamento citauit, atque in id quod reiectum fuit, paruam beſtiam per omnia imaginationi illius,& deſcriptæ à vana imaginatione feræ ſimilem impoſuit. Quare huius quoque affectum,quia ob triſtitiam eius quod putarat,euenit, gaudium nimirum ſubitò accedens diſſoluit. Adhæc aliam quandã,ex longa viri peregrinatione, melancholia correptam, & iracundè omnibus reſpondentem vidi : ſed & ipſa eodem modo ſanata fuit. nam maritus illius peregrè reuerſus, nulli prædicens,neque aliquandiu differens, ſed ſubitò ingreſſus,ſeipſum illi oſtendit. Præter ſpẽ igitur ipſum mulier cõſpiciens,atque ita amplexa, multóque gaudio affecta,ſubitò omni metu liberata eſt, rurſúſque ad ſtatum naturalem rediit,vt nulla alia indigeret curatione. Sic igitur,niſi affectus longo alio tempore infeſtauerit, tales imaginationes curare oportet,omni modo omníque artificio vtentem,præſertim vbi malum à manifeſta quadam & veluti primaria cauſa occaſionẽ habuerit.

De melancholicis iam inueteratis.

Si morbus inueterauerit, & imaginatio in habitum abierit,nihil adeo magnum, aut ratio, aut aliud quoddam artificium efficere, & ægrum iuuare poterit. Neceſſe autem tunc eſt & mentem arti adhibere, & conſiderare num à ſanguinis miſſione,an à purgatione, vel etiam ab vtroque ſimul incipiendum ſit: & ſi quidem vtriſque opus fuerit,ſanguinis detractione prius vtendũ eſt. Poſt ſanguinis vacuationem, ægri vires cibo boni ſucci & temperato, balneíſque dulcis aquæ recreandæ: deinde ſic recollectis ægri virib⁹, ad humorum noxiorum vacuationem veniendum. Paretur autem his purgatio ex epithymo,& modico ſero lactis. Epithymi quidem ſint ſcrupuli duodecim:ſeri lactis autem cochleare. quòd ſi tempus ſerum lactis non habeat, ex mulſa dentur. Paucis diebus interpoſitis,offerto rurſus epithy-

A mum,adiiciens ei picram:ſint autem epithymi ſcrupuli ſex,& picræ totidem. At ſi etiam poſt hanc purgationẽ inſaniæ & melancholiæ ſymptomata adhuc perſeuerẽt, nihilóque minus ægrum infeſtent,à nouem,aut longiſſimùm decem diebus, ad valentius purgantia tranſito, præcipuè hieram Galeni. hæc enim vtraque obtinet:varios expurgat humores, citra moleſtiam & turbationẽ. Purgatione autem facta, inſpicienda rurſus ægri mens eſt:& ſi quidem melius habere videatur,(cognoſces autem hoc nimirum inde quòd metus & triſtitia intempe- B ſtiua iam ceſſarint, & moderatiores manſuetioréſque potius euaſerint)audacter rurſus eadem purgatione vtitor:iiſdem nanque inſiſtentes, curationem quoque ita rectè peragemus. Quòd ſi hiera data,melancholiæ imaginationes nihilominus infeſtare videantur, tunc ſine vlla cunctatione lapidem Armeniacum dare feſtinato. Noui enim ex veteribus antiquiores ad veratrum album properaſſe, vbi affectum ab aliis purgationibus nihil penè imminui conſpicerent : verùm ego lapidem Armeniacum veratro albo præfero : atque licet vten- C tem ipſo, experientia cognoſcere quomodo præterquã quòd efficaciter,etiam ſine moleſtia & periculo purget : quorum nihil veratrum album habere nouimus.

Quomodo lapis Armeniacus exhibeatur.

Si igitur res poſtulat,non modò infrà per aluum, ſed etiam per vomitus purgationem fieri, lapidem illotum exhibere conuenit:ſit autem modus ipſius,ſcrupuli tres aut quatuor,aut paulo amplius minúſve, pro virium ſimul & copiæ humoris noxii ratione. At ſi æger purga- D tione per vomitum non admodum indigere videatur, ſed per imum ventrem totum vitioſum humorem exire conducat, tunc lapidem eluere oportet, vſque ad duodenas vices. Vbi enim ſic fecerimus, neque turbationẽ ſtomachi aut compreſſionem lapis excitare poteſt, ſed etiam minori cum moleſtia nigrum terreſtrémque humorem vacuabit,vt paucis præteritis diebus, adiumentum ex eó nobis acceſſiſſe percipiamus. Dato autem ex hoc ſcrupulos quinque, aut ſex vtplurimum,ex aqua tepida, ſemper ex cognatis dictis coniectura deprehendẽs E an plus minúſve exhibere debeas. Quòd ſi ægrum etiam bis adhuc requirere ſuſpiceris, cum fiducia rurſus exhibeto. Neque enim calorẽ habet aut ſiccantẽ admodum, aut aliã quampiã ipſi inſidentẽ amarã & venoſam qualitatẽ, vt æger ideo medicamẽtũ bibere detrectet. Sin autem nonnulli humidũ aliquod medicamentũ ſumere auerſentur, (multi enim in totum nõ ſuſtinent ſolutum medicamentum aſſumere) in catapotia lapidẽ redigere oportet. Si verò libet,etiã picræ aliquã inſignẽ partẽ admiſceto, aut etiã ex aliis quibuſdã quæ purgationẽ ma- F gis promoueant,& non renitantur. Ne autem is qui parare velit horum confectionem, inquirendo laboret, viſum mihi eſt ea de cauſa etiam horum compoſitionis meminiſſe. habet autem in hunc modum.

Deſcriptio catapotiorũ ex lapide Armeniaco.

Picræ ſemuncia:epithymi ſemuncia: agarici ſcrupuli quatuor:lapidis Armeniaci ſcrupuli quatuor:ſcãmoniæ vncia:caryophyllorũ grana viginti. Contuſa excipiantur rhodomelo,aut ſucco citrii, aut rhodomelite : dentur ſcrupuli duo,plurimùm quatuor. Notandum verò G eſt,hæc,præterquam quòd ſtomachum corroborant,ſimul etiã varios humores, præſertim terreſtrẽ & melancholicum,citra moleſtiam purgare poſſe. Idẽ igitur lapis(vt diximus)& potus,& in catapotia redactus,ad purgandũ eſt efficax. Nec amplius quærendũ eſt num ſuffocatio quædã aut ſyncope ſubſequutura ſit, quemadmodum id ex albo veratro fieri contingit. Neque neceſſe eſt nos antea ægros præparare medicamentis quæ metu ſuffocationũ aſſumere conſuerunt:quorũ amplius nunc meminiſſe opus non eſt:illa verò admonẽdi gratia ſcri- H bimus, quæ etiã nunc facere ſolemus in conſuetis magna parte purgationibus, vbi illæ plus minúſve moueri videantur. Si igitur minus quàm par eſt purgauerint, mulſam dare conuenit, & tẽpore interpoſito hoc victu nutrire,aut cremore ptiſſanæ,aut pane,aut colũbæ iure, aut gallinacei, quod non multum olei adiectũ habeat.

Sin autem

Sin autē purgationē copioſiorē fieri cōtingat, vt etiam conuulſiones ſuperueniant (multis enim hoc accidit) & ſi nō animaduerſione dignum quid euacuatum fuerit, quòd ægri neruos habeant natura ſicciores imbecillioréſque, aquam liberaliter ſuperfundito, multóque vtitor hydrelæo, ac panem ex vino diluto, aut omphacomelite, aut aqua frigida porrigito. Sin autem aquam frigidam bibere cupiat, adhuc magis ipſos iuuabit. Vtile eſt etiam malum Punicum, mala & pira ante cibum, & gallinarum ventres. Vbi verò nutrieris, quies & ſomnus ægro indici debent: poſtquam vires receperit, ad balneum ipſe ducendus, quòd aerem habeat temperatum: concedendúmque vt non modò in calidæ ſolio, ſed etiam frigidæ labro diutius immoretur. At veſtimentis indutum rurſus ipſum nutries pane ex vino aut omphacomelite, *quod ex uuis ſemiacerbis & melle deſpumato paratur.* reuerſo autem domum permittendum vt conquieſcat, & omnino obdormiſcat. quippe hoc ſemper omnibus purgatis euenire conſueuit: præſertim autem iis qui largius vacuati fuerint, vt tum ſuauius, tum altius obdormire cupiant. A ſomno vires ipſorum recreare oportet, & permittere vt cum amicis familiaribus colloquantur. Atque vbi ipſos conſentanea reſpondere deprehendis, ratiocinationéſque firmas habere, & barbaricū morē depoſuiſſe, adhuc etiā magis copioſum alimentum porrigito, perdices, gallinas, phaſianos, qui

A non ſint pingues, & paſſeres ſimiliter. Vitentur autem omnia eſculenta quæ in paludibus proueniunt: ex piſcibus, cetacei, præterquam ſaxatiles. Poſtquam verò cibo boni ſucci vſi fuerint, & veluti bonum fundamentum iecerint, ita rurſus ſecundum tres aut quatuor dies olera deinceps aſſumant, intybum, lactucam, maluam, & paluſtres aſparagos moderatè. Abſtineant autem braſſica, & omnibus quæ melancholicum humorē pariunt, vt eruca, ſinapi, allio. Ex carnibus bubula potiſſimùm, & ceruina, ac omnibus ſummatim ferinis: item panibus B ſordidis, garo, & vinis vetuſtis, auſteriſque. Sic iam ægrum victu, & balneorum vſu vires recreare, loca mutare, intimis conuerſari amicis, ac facere quæ etiam prius ipſi grata erant, & ſpectaculis intereſſe permittito. Ita enim ex purgatione, victu boni ſucci & benigno, aliáque animi oblectatione, toto corporis habitu corroborato, mutatóque, furioſum & amarum morbum exuere poterit. Quòd ſi reliquiæ quædam ipſis ſuperſint, & æger non admodum mundam habere mentem appareat, rurſus expectata bona aeris temperie, auxilia debet repete- C re, initium à primis faciens, à quibus etiam antea incipiendum diximus. Atque hæc paulatim facito, confidens quòd etiamſi affectus difficilis & propè inſanabilis exiſtat, iiſdem ipſis inſiſtendo peritè, & vt rationi conſentaneum eſt, omni tamen ægrum morbo amaro moleſtóque liberabis.

ALEXANDRI TRALLIANI Liber II,

Iohanne Guinterio Andernaco interprete.

DE CVRATIONE OCVLORVM, Cap. I.

E T S I iam in aliis quibuſdam libris oculorū vitia perſequutus ſim, quomodóque illa cognoſci debeant, & D quæ eorum ſint cauſæ atque curationes, item diuerſa ipſorum collyria, vſúſque horum modum & confectionem: hîc tamen ſimiliter eadem quoque ſummatim & breuiter perſtringere, operæpretium mihi viſum eſt, vt ne, qui in hunc de medendi ratione librum inciderint, aliunde quæ oculis conducunt colligere cogantur. Vt igitur in aliis multis, ita in oculorum quoque vitiis primùm docere conuenit quomodo vniuerſa internoſci debeant, deinde curationem ſubiungere. Quare E nunc à dolore qui oculis accidit exordiemur. nihil enim adeo excruciat vrgétque artem ad curationem, vt vehemens dolor oculos affligens. Si igitur vehementiores acrioréſque dolores oculos comprehendant quàm vt æger ferre queat, ne collyriis ad torporem inducendum efficacibus, vt plerique, confidas. Multi nanque opium quoque inſtillare auſi, præterquam quòd nihil prorſus dolorem mitigarint, etiam valde adhuc offenderunt. Quapropter cauſam efficientem inſpicere oportet, & eam conſiderando, ita quoque curationis F ſpeciem definire. non enim vna eſt cauſa efficiens, ſed multæ ac variæ. Sola materiæ copia influens dolorem poteſt excitare, necnon qualitas: ſubinde verò etiam vtrunque, & qualitas ſimul & quantitas. Videndum porro eſt vnde id quod influxit procedat, num ex toto corpore, an ex ſolo capite: item, vtrum per arterias an à venis, vel vtriſque profluat. Adhæc, quale vtique ſit quod influit. vel enim ſanguis potius, vel bilis, vel pituita, vel humor melancholicus, vel ſpiritus flatulentus eſt, quod influxerit: præterea humor noxius, vnúſne G ſit an duo commixti. Fieri enim poteſt vt vnius tantùm influxus inflammationem dolorémque vehementem, & duorum ſimul etiam compoſitum tumorem excitarint. Quoniam igitur differentes ſunt cauſæ, artificem ad ſingulas ſe accommodare oportet: præcedat autē internotio, quæ ad rectam curationē deducit.

QVOMODO ſanguineus humor inflammationem excitaſſe noſcatur. Sanguineum itaque humorem influxiſſe, ac inflammationem concitaſſe, ex ſpecie ac forma ipſius tibi conſtabit. Omnia nanque rubra & ſanguinea ſunt, facies rubens & tumidior, venæ latiores, grauitatis ſenſus, pigritia ad conſuetas actiones. Quòd ſi præter hæc neque lacryma rodens & acris appareat, adhuc etiam magis ſanguinem influxus cauſam eſſe, & inflammationem peperiſſe putato. CVRATIO. Si igitur ſanguis cauſa tibi inflammationis effectrix eſſe apparuerit, venam ſecare humeralem oportet. Sin billioſi & acres humores cum ſanguine, etiam purgationem paulo poſt ſanguinem dimiſſum adhibeto, ac medicamentis vtitor, intus quidem iis quæ non rodunt, & leniſſimis: extrinſecus autem illis quæ concoquere inflammationes poſſunt, quorum etiam compoſitiones vobis exponemus. DE REMEDIIS quæ extrinſecus imponuntur. Lac muliebre cum vitellis ouorum & roſaceo ſuperimpoſitum, mirificè lenit, inflammationéſque oculorum admodum feruentes concoquit. Similia præſtant etiam violæ folia. Ad maximas autem inflammationes tumidioréſque benefacit & crocus cum mica panis, luteiſque ouorum, ac roſaceo. Idem faciunt etiam palmulæ, præterquā quòd fluxionis curſum ſiſtūt, cum meliloto, croco, glaucio, ouorum luteis ſeptem feruefactis, & oleo roſaceo.

AD VEHEMENTES dolores, & maximas epiphoras. Roſarum recentium drachmæ quatuor, croci drachma: excipiantur meliloti in vino dulci decocti iure. DE COLLYRIIS. Cataplaſmatis igitur in inflammatis extrinſecus vtendum eſt. quæ verò illini & inſtillari debeant, hæc ſunt: verùm ſcire prius oportet ea quæ inflammationem experiuntur, mitigatoriis, lenioribúſque & non reprimentibus collyriis demulcenda eſſe: deinde etiam quæ reprimere poſſunt, ſic adhibenda vt primum quidem admiſceamus ea teneris ac mollibus, poſtea verò cōcoctione

facta, etiam ſinceris. Quum enim feruor inflammationis & multa aſperitas finierit, ægri citra moleſtiam quoque aſtringentia ferre poſſunt. COLLYRIVM mitigatorium Trypherum, ad eos qui collyriorum roſionem ferre nequeunt; præſertim ad affectus recentes. Cadmiæ combuſtæ, ex lacte muliebri reſtinctæ, (mihi autem melius viſum eſt, prius lotam comburere, atque ſic lacte extinguere) ceruſæ lotæ, ſingulorum drachmæ ſedecim; croci drach. tres; opii drachma, tragacanthi drachmæ duæ. Aqua pluuiali excipito: vſus eſt ex ouo. Facit etiam ad puſtulas oculorum, *quæ Græce φλύκταιναι dicuntur.* ALIVD, & ipſum longè leniſſimum. Cadmiæ drachmæ quinque, ceruſæ drachmæ quatuor, pompholygis drachmæ duæ, opii drachma, tragacanthi drachmæ tres. Aqua pluuialis ad excipienda adiicitur. Hoc inflammationes admodum ardentes & dolorificas citra roſionem mitigare, plurimis conſtat experimentis. ALIVD egregium, quod breui paratur. Cadmiæ combuſtæ & aſinino lacte extinctæ vnciæ quatuor, ceruſæ vnciæ duodecim, terræ Samiæ (*quæ ἀςὴρ Græcis dicitur*) tragacanthi, mandragoræ, amyli hordeacei, lactucæ caulium ſucci, gummi, ſingulorum drachmæ duæ: opii drachmæ tres, ouorum duodecim albumina. ALIVD collyrium quod ſpongarium dicitur, ad maximos oculorum cruciatus, (celeriter enim mitigat) in hunc modum habet. Amyli, ceruſæ, ſingulorum drachmæ quatuor, opii obolus, gummi drachmæ duæ. aqua pluuialis adiicitur: vſus ex lacte eſt.

DE COLLYRIIS reprimentibus, quæ etiam monohemera dicuntur. Reprimentium collyriorum, & quæ *ab uno die* monohemera dicuntur Græcis, duplex quædam differentia exiſtit. Maiora igitur ipſorum vim habent diſcutiendi & reprimendi moderatam, vt ipſa etiam ad incipientes lippitudines citra roſionem accommodari, tum inſtillando, tum inungendo, poſſint. Quare etiam imbecillioribus, & cæſiis oculis potius, mollique carne præditis, & mulierum faciebus inſcribuntur. cuiuſmodi ſunt quæ ex lycio, croco & glaucio temperantur. Præter has igitur compoſitiones medicamenta vobis quæ valentiorem aſtringendi vim habent explicabo, vt etiam in diuturnioribus ac inueteratis vti liceat. At in validiore lippitudine & vehementiore, talia ſunt idonea quæ ex vino parantur, quibus germina quoque oliuarum cum reliquis odoramentis quæ calefacere & ſiccare poſſunt, inieci. Quum igitur talis ſit collyriorum differentia, de iis quæ mediocriter reprimunt, & ad incipientes lippitudines conueniunt, prius agamus: deinde ſic, quæ plus aſtringunt, & efficacius repellunt, perſequamur.

COLLYRIVM reprimens mediocriter, monohemerum. Hoc, & Medicum, & *à dolore mitigando ἀνώδυνον* appellant. Repellit igitur per initia, ſi inungatur, & inſtilletur ex ouorum albumine, frequenter etiam quum lauamus: adhæc prodeſt ad epiphoras, acres fluxiones, & cicatrices veteres diruptas. Repurgat enim, & cicatrices etiam tenues abluit, vt mireris. Ego vtor hoc & puluere & collyrio cum ouo: ſarcocollæ, glaucii, croci, ſingulorum drachma, tragacanthi drachma. aqua pluuialis adiiciatur. ALIVD. Glaucii drachmæ octo, ſarcocollæ drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ, tragacanthi drachma, opii drachma ſemis: aqua pluuiali excipiantur. ALIVD ad eadem præſtantiſſimum, & vſu probatum. Roſarum tenerarum drachmæ quindecim, croci drachmæ octodecim, tragacanthi drachmæ ſeptem, opii dolum non experti drachmæ duæ, ſpicæ nardi drachmæ duæ, gummi drachmæ ſeptem: aqua pluuiali excipiantur. Ex iiſdem illitum collyrium Nili, quod diarrhodon inſcribitur, ad ardorem facit. ALIVD Muſarium dictum, ex tomo Hieratica. Hoc quoque collyrium eſt præſtantiſſimum, quod eadem vt prædicta vim obtinet, niſi quòd fluxionum curſibus repellendis efficacius quàm illa exiſtat. habet autem in hunc modum: Amyli drach. quindecim, glaucii drach. octo, ſarcocollæ drach. quatuor, croci drach. duæ, myrrhæ drach. gummi drachmæ duæ. Ex aqua pluuiali vtitor. ALIVD, Polydeuci cognomento, quod nos ſæpe ſumus experti. Roſarum viridium ſucci quod ſufficit: croci drachma, ſarcocollæ drachmæ duæ, glaucii drachmæ quatuor, gummi drachma, opii drachmæ quatuor, tragacanthi drachma. Gummi contundito primum; adiecta tragacanthæ drachma. Glaucium, ſarcocolla, opium, læuigata roſarum ſucco excipiantur. ALIVD collyrium quod Medicum vocatur, admodum ſtrenuè repellens, ſtatim per initia inunctum.

Glaucii drachmæ octo, ſarcocollæ drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ; tragacanthi drachma, opii drachma ſemis. aqua pluuialis adiicitur. Ego hoc abundè ſum expertus, vt etiam ſi cum alio quodam mitigatorio inſtilletur. ALIVD ſiccum collyrium quod διὰ κρόκου dicitur, ad incipientes lippitudines.

Glaucii, ſarcocollæ, croci, aloes, ſingulorum drachma. Hoc etiam vt præſeruante vti oportet; quippe repellit omnem oculi turbationem ſubunctum. His igitur prædictis in eum modum vtendum eſt. reprimunt enim omnem turbationem ſi per initia ſublinantur, & non diu inhæreant: nam diuturnior ipſorum vſus aſperitates in palpebris excitat, atque in affectum pertrahit.

DE COLLYRIIS quæ alio modo monohemera appellantur. Deinceps autem dicamus etiam de collyriis quæ alia ratione monohemera nuncupantur: quorum vis eſt valentior, magiſque poteſt reprimere & aſtringere. quare etiam in iis fluxionibus quæ citra exhulcerationem fiunt, & inflammationibus, vti oportet: quorum deſcriptio in hunc modum habet. PRIMARIVM monohemerum, quod *à uino* διὰ οἴνου vocatur. Æris combuſti drachmæ vigintiquatuor, cadmiæ drachmæ ſedecim, lacrymæ papaueris drachmæ octo, croci drachmæ octo, myrrhæ drachmæ octo, gummi drachmæ quadraginta. Vino Mendeſio excipiantur. ALIVD giluum, quo vtor, Cerycium dictum. Cadmiæ drachmæ viginti, æris combuſti drachmæ ſedecim, opii drachmæ octo, croci drachmæ octo, acaciæ drachmæ vigintiquatuor, gummi totidem. ALIVD ad eadem efficax, cognomento Theophilion, habet hoc pacto: Cadmiæ drachmæ ſedecim, croci drachmæ ſex, myrrhæ drach. quatuor, nardi Indicæ drach. quatuor, acaciæ drach. octodecim, gummi drachmæ vigintiquatuor, æris combuſti drach. ſedecim, opii drachmæ tres. ALIVD, quod xerocollyrium vocatur, reprimens, hac mixtura conſtat: Cadmiæ, acaciæ, gummi, ſingulorum drachmæ ſedecim, æris combuſti, lacrymæ papaueris, myrrhæ, ſingulorum drach. quatuor. aqua pluuialis adiicitur. ALIVD collyrium reprimens, admodum generoſum, monohemerum. Stibis eloti drachm. octo, cadmiæ drach. octo, æris combuſti & eloti drach. quatuor, aloes drachmæ tres, myrrhæ drach. quinque, acaciæ rufæ drach. duodecim, opii drachma. Vtitor cum fiducia ad fluxionum impetus, poſtquam toti corpori proſpectum fuerit. COLLYRIVM quod magnus Hermolaus dicitur. Æris combuſti drachmæ octo, cadmiæ totidem, ſpicæ nardi ſeſquidrachma, croci drachm. quatuor, myrrhæ drach. quatuor, aloes drachm. octo, lycii Indici drachm. duæ, acaciæ, gummi, ſingulorum drach. viginti, opii drach. quatuor. aqua pluuialis adiicitur. Mirabiliter repellit & extenuat inflammationes. ALIVD collyrium Hermolaus, quod *ab oleo* δι' ἐλαίου dicitur. Cadmiæ drach. ſex, æris combuſti drach. ſex, myrrhæ drachma ſemis, aloes ſeſquidrachma, opii drachma ſemis, croci drachma, gummi, acaciæ, ſingulorum drachma vna & ſemis, olei veteris ad excipiendum ea, drach. quatuor. aqua pluuialis adiiciatur. COLLYRIVM Nicariũ cognomẽto. Valde opitulatur omni fluxioni, & chemoſi, pũcturiſque, & mẽbranarũ excreſcẽtiis, itẽ craſſæ pituitæ angulis oculorũ inhærenti, ſtaphylomatis, myocephalis, cruſtis, & omni affectui benefacere cõpertum eſt. At vilitatem medicaminum ne contemnas. Æris combuſti drach. ſedecim, cadmiæ drach. viginti, gummi

drach. trigintaduæ, medicamenti drach. trigintaſex. Aqua pluuialis additur. Eſt autem medicamenti cõfectio hæc, Succi centaurei drach. duæ, ſapæ Creticæ pars vna. Coquito ſarmẽtitiis lignis in olla recẽti, donec ſordium craſſitiem habuerint:& ex ouo inſtillato illis qui quod aſtringit non ferunt. Aliâs ex aqua bene facit:per initia autem ipſo aquato vti oportet. ALIVD quod pilarium vocatur. Cadmiæ combuſtæ, æris vſti & eloti, ſingulorum drach. duæ: opii, acaciæ rufæ, ſingulorum drach. tres, ceruſæ drach. ſex, myrrhæ drach. tres, amyli, tragacãthæ, gummi, ſingulorum drach. duodecim. Pluuialis aqua additur. Egregiè admodum repellit ac mitigat pinguior eius vnctio. Quum iam explicauerimus qui ſanguinis miſſionem requirant, & de conuenientibus ipſis (ſi vſus poſtulet) collyriis, perſcribamus etiam qui ex ipſis purgationem deſiderent.

SI DOLOR EX BILIOSO ET ACRI humore naſcatur, Cap. II.

AN igitur dolor aliquis ex bilioſo & acri humore prouenerit, clarum tibi ex multis euadet. Primùm ſanè inde quòd totum corpus plethoricum non apparet, ſed potius vitioſo etiam humore præditum. ad hæc, quòd non ſolùm anguli, ſed etiam malæ vehementer ex influxu rodantur, ægrique videantur vri, exiliántque, roſionem non tolerantes. Quùm igitur morbum ex his atque illis quæ præceſſerunt internoueris (nam triſtitia plurimùm, curæ, inſolatus, ira, & acrium eſus præcedũt) cum fiducia curationem aggredere. licebit enim celerrimè vel ſine collyriis affectui mederi. CVRATIO.

Si igitur bilioſa humorum prauitas in toto corpore ſuperare videatur, iis quæ totum corpus purgant liberántque recrementis vtitor. Sin autem recrementa acria non in toto redundent corpore, ſed qualitate potius quàm quantitate peccare videantur, ſolis balneis dulcis aquæ, & temperatis, ægrum citra dolorem liberabis. Quòd ſi etiam obediens æger fuerit, cibo quoque leniſſimo mitiſſimóque & craſſo vtatur: vt orpho, & aliis duríoribus piſcibus, glauco, buccinis, aut iſicio ex ipſis parato, aut bulbio, aut ſturnio: ex oleribus, intybo, aut malua: inter fructus pomaceos, malis, peponibus, vua dulci. Ficus autem lippitudine laborantibus aſſumere neutiquam conſulo: habent enim quidpiam quod oculos irritet commoueátque. At citriorum carnem ſine cortice ante cibum potius celeriúſque aſſumant: aquã tepidam magis quàm vinum bibant. ſin autem hanc bibere nolint, Chryſaticum ipſis dato, aut dulce Bithynum, ac alia quæ humores craſſiores efficiunt, obtundúntque. At ſi ægri inobedientes victus rationem non obſeruẽt, (quemadmodum plerique ſunt, præſertim barbari) tum collyriis vti neceſſe eſt, atque ex eorum numero quæ non rodant, ſed acrimoniam queant obtundere: ex quibus primum eſt quod ex pompholyge paratur. Deſcriptio eius in hunc modum habet. COLLYRIVM ad acres fluxiones efficax. Pompholygis lotæ, piperis, ceruſæ lotæ, plumbi cremati & eloti, amyli, ſingulorum drach. vigintiquinque, gummi albi drach. quadraginta. Aqua pluuiali excipiatur. Horũ quodque poſt combuſtionem eluere oportet, donec aquæ mixtũ non amplius nebuloſum inde aſcendat: deinde ſiccata etiam pondere appenſo miſcere: læuigatis ſimul diebus pluſculis, amylum & gummi ad excipiendum illa, adiicere conuenit. nam ſi cum aliis amylum quoque ſuperiniiciatur, facilè aceſcit. Hoc collyrium laudatiſſimum eſt, cum aliis multis de cauſis, tum maximè quòd nihil torpori faciendo efficax habeat admixtum: quemadmodum ſunt alia multa quæ ex opio & mandragoræ ſucco & ſimilibus torporem inducentibus, partem recipiunt, quorum copioſior vſus noxius exiſtit. Licet autem, ſi vſus requirat, nonnihil ex repellentibus ſæpe admiſcere, aut ex mitigantibus, quantum quis affectui infeſtanti conuenire putauerit. Aliâs enim aliter idonea menſura inuenitur.

SI OBSTRVCTIO SOLA OCVLOS exerceat. Cap. III.

A SI inflammatio ex ſanguinis craſſioris magiſque pituitoſi obſtructione citra corporis repletionem facta ſit, ſanguinis miſſio aut purgatio adhiberi non debet: ſed potius vinum aliquod ex iis quæ in corpus facilè diſtribuuntur, ipſis propinari. Etenim poteſt hoc & ſanguinẽ diſſipare, humorémque impactum diſſoluere, & particulæ imbecillitatem corroborare, vt nõ amplius humores recipiat. Satius autem eſt in huiuſmodi affectibus, vbi in toto corpore copia non eſt, (vt diximus) ægrotantem temperato prius balneo lauare, meatus ex-
B calfacere, & laxare, atque tunc vinum exhibere. Ita enim potio facilè in totum corpus partéſque ſuperiores diſtribuetur, vt nonnihil eorum quæ obſtructionem pepererint, non modò calore ipſius, ſed etiam motus celeritate extenuet & expellat: ſimúlque etiam particularum (vt diximus) imbecillitatem confirmet, vt ipſæ quoque partem aliquam illorum quæ inſidẽt, extrudere poſſint. Hæc igitur internoſcendi ratio eſt, ad quam obſeruandam optimus medicus requiritur. At ſi vini potione vti metuat, fomentum potius ex calida, quum ſit tutiſſi-
C mum, & præterea internotioni conferat, admoueatur. Quum enim, vbi foues partem, nihil influit, conſtat totum corpus recrementis eſſe vacuum. ac fomentis inſiſtẽdum eſt: nam affectum in totum diſcuties. Sin autem humor influit, & dolor paulum remiſſus iterum intendatur, vacuatione indiget, nempe ſanguinis miſſione, aut purgatione: vbi corpus quidem magis eſt plethoricum, ſanguinis miſſione: vbi autem vitioſis humoribus & recrementis ſcatet, purgatione. His etiam aquoſam mulſam inſtillare conuenit: atque tunc multo magis
D quum craſſiores pituitæ enaſcentes oculum premunt. Nihil enim adeo extenuat, craſſámque pituitam naſci prohibet, vt mulſa, & ea collyria quæ vim diſcutiendi & inflammationes concoquendi obtinent.

DE DENSITATE, Cap. IIII.

QVòd ſi etiam denſitas quædam in meatibus extiterit, hanc quoque mulſa poteſt dilatare, & meatus aperire, vt æger mirificè & ſubitò dolore liberetur, eo quod inſidet (ſiue humor, ſiue ſpiritus ſit) diſſipato. At ſpiritum eſſe qui diſtendat meatus, fa-
E ciátque dolorem, hoc indicat quòd neque inflammatione, neque roſione vrgente oculi intolerabiliter doleant, diſtendantur & rumpi videantur. Ego ſanè quendam ita affectum mulſa curaui, quum nullum ex iis quæ mitigant, dolorémque leniũt, ſopire cruciatum poſſet, ſed etiam maiorem quàm antea fuerit, excitaret. Quum igitur expoſuerimus quínam ſanguinis miſſione indigeant, qui verò purgatione, item qui vtriſque, ſupereſt vt deinceps etiam de balneis, fomento, vini potione, i-
F tem de hulceribus, tum quæ cum inflammatione affligunt, tum quæ cum ruptura & eroſione, necnon myocephala, & ſtaphylomata experiuntur, & (vt dicam breuiter) de omnibus quæ inueteratos habent affectus, de cicatricibus, albuginibus, pterygiis, ſycoſi, & ſuffuſionibus incipientibus, agamus.

DE EXHVLCERATIONE ET INFLAMMATIONE, Cap. V.

SI igitur hulcus ſimul & inflammatio oculum exercet, clarum eſt curationẽ quoque mixtam deſidera-
G ri per ea quæ inflammationẽ mitigare poſſunt & cõcoquere. Talia autẽ ſũt tũ quod à *thure* διὰ λιβάνου Græcis dicitur, tũ cygnos, tũ quod ex amylo fit, tũ quod ceruſa & terra Samia, quæ aſter dicitur, cõſtat. Hæc omnia tum eroſiones, tum hulcera, fluxione ex acri humore facta, perſanant. habet autem ſcriptura horum in hunc modum. COLLYRIVM CYGNOS. Leniſſimum hoc eſt collyrium ad magnos oculorum dolores, & acres fluxionum impetus. Conuenit autem iis qui collyriorum roſionem ob corporis mol-
H liciem & imbecillitatem non ferunt. Cadmiæ drachmæ ſedecim, ceruſæ elotæ drachmæ quadraginta, amyli, acaciæ, tragacanthæ, opii, ſingulorum drachmæ duæ. Aqua pluuialis adiicitur, & ad excipiendum ea, ouorum trigintaduo albumina. COLLYRIVM

Libianum. Cadmiæ combuſtæ & elotæ drachmæ duæ, ceruſæ totidem, amyli drachmæ duæ, cineris pompholygis drachmæ octo, terræ Samiæ (quæ aſter dicitur) drachmæ octo, plumbi combuſti & loti; tragacanthæ, ſingulorum drachmæ octo; gummi drachmæ tres: aqua læuigato, & excipiendis illis, ouorum viginti albumina adiicito. *in alio, opii drachmas duas.* Hoc collyrium longè eſt vtiliſſimum: valet ad oculorum puſtulas, ardores, rupturas, puris colluuiem, chemoſes, magnos dolores; multóſque affectus, cicatrices exterit. In ſumma, multi eſt vſus, facitque ad omnia prædicta, maximè ad inflammationes quæ cum hulcere infeſtant. Similiter etiam id quod διὰ λιβάνου inſcribitur, ad eadē facit, præſertim ad vehementes oculorum chemoſes.

COLLYRIVM διὰ λιβάνου, ad chemoſin efficax.

Cadmiæ, thuris, ſingulorum drachmæ viginti, ceruſæ drachmæ quadraginta; opii drachmæ ſex: aqua pluuiali excipiuntur. Confert etiam glaucium ex aqua, ſi extrinſecus illinatur: ſed non ſtatim per initia chemoſis, verum à quinque aut ſex diebus, vbi huius cōctio facta fuerit. Atque id ſum expertus. COLLYRIVM Vranium. In quibus influxus non adeo calidus eſt, bene hoc facit, ad puſtulas, rupturas, procidentias, ſtaphyloмata, puris colluuiem, eroſiones, nomas, & carbunculos. Terræ Samiæ torrefactæ vnciæ tres, pompholygis vncia, Cadmiæ lotæ vncia, ſtibis vnciæ duæ, ſquamæ æris elotæ vnciæ quatuor, opii drachmæ ſex, gummi vnciæ quatuor. aqua pluuialis adiicitur. At ſi cum hulcere inflammatio vrgeat, & lacryma influens copioſa fuerit, miſceto lenioribus paululū ex iis quæ repellere poſſunt. ſin autem acris fuerit, ea quæ à roſis diarrhodon inſcribuntur. Quòd ſi non eſt admodum calida lacryma, etiam exiguum ex Hermolao collyrio, vel eo quod dicitur pilarion, vel ex illis quæ monohemera, aut achariſta nuncupantur: quorum etiam mixturas vobis expoſui: & ſiquid omiſſum fuerit adſcribemus. Iam mali Punici granum, ſi exprimatur in oculum qui carbunculo afficitur, valde opitulatur. Qui id expertus erat, dicebat à diuina ſe apparitione per inſomnia edoctum eſſe. QVAE CICATRICES exterunt. Quæ ex ſmegmatis cicatrices exterere ſolent, hæc quoque callos abolere poſſunt, craſſáſque cicatrices. Sūt igitur multa quæ id præſtare queant. Anemonæ omnis ſuccus cicatrices oculorum exterit. Similiter etiam centaurei minoris ſuccus ex melle abſtergit. In magis autem vetuſtis cedria quoque vſi ſunt. Hæc etiam ſchirroſas albugines, *quæ Græci leucomata quoque appellant*, largius extenuat. Nitrum ex oleo veteri læuigatum diligenter, & illitum, probè facit: item ſepiæ teſta combuſta, & ex melle contrita. Inter collyria verò hoc quoque admodum probè & leniter abſtergit, quod recipit mamyræ, ſuffiminis ammoniaci, myrrhæ Troglodyticæ, crocodili terreſtris fimi. Omniū æquales partes in collyrium redigito, & vtitor tanquam experimentis probato. COLLYRIVM diathece, ad hulcera mirabile. Confert etiam vetuſtis: præſertim autem hulcera maligna & albugines exterit atque extenuat. Quare etiam ad myocephala valet, aliáſque plurimas laude dignas vires obtinet. hæc autem recipit Cadmiæ combuſtæ & elotæ drachmas vigintiquinque, ſtibis drachmas quinque, ſpicæ nardi drachmas tres, croci drachmas tres, caſtorei, ſquamæ æris, ſingulorū drachmas duas, æruginis drachmas quatuor, æris combuſti drachmas tres, piperis, ceruſæ, lycii, opii, thuris, opobalſami, ſingulorū drach. quatuor: lapidis ſchiſti, caſiæ ruſæ, ſingulorū drachmas duas, æruginis ſcoleciæ drach. duas, chalcanthi drachmas duas, myrrhæ drachmas duas, gummi drachmas viginti, ſucci fœniculi drachmam, fellis caprilli drachmas quatuor. vino Amynæo læuigato, & vtitor. COLLYRIVM Chionion. Ceruſæ drachma vna, ſalis ammoniaci drachma vna, ammoniaci thymiamatis drachmæ tres, ſepiæ teſtæ drachma vna ſemis. Præſtantiſſimum eſt remedium, & ſubinde vſu probatum. COLLYRIVM nardinum Zoili. Stibis cremati & eloti drachmæ octo, æris combuſti drachmæ octo, ceruſæ com-

A buſtæ & elotæ drachmæ octo, ſpicæ nardi drachmæ tres, folii drachmæ tres, croci drachmæ ſex, opii drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ duæ, cadmiæ combuſtæ & elotæ drachmæ octo, lycii Indici drachmæ ſedecim, myrrhæ drachmæ quatuor, acaciæ ruſæ drachmæ viginti, caſtorei drachmæ ſex, aloes totidē, gummi drachmæ viginti. aqua pluuialis adiicitur. Hoc collyrium ad affectus admodum veteres bene proficit. Etenim ea quæ ab hulceribus proueniunt & albugines extenuat, & curſum fluxionis repellit. At in iis qui roſionem ipſius nō
B tolerant, miſcere ei lenia quoque collyria oportet. Ita nanque vſus ipſius moleſtiæ expers, & tutior fiet.

COLLYRIVM hydares, hoc eſt aquoſum, egregiū.

Facit ad oculos purulentos, ſycoſes, chemoſéſque & fluxiones. Vtendum eo dilutiore. Cadmiæ drachmæ ſedecim, æris vſti drachmæ nouē, lapidis ſchiſti, aloes, nardi Gallicæ, ſingulorum drachmæ octo. Haud noui an collyrium hoc ſit præſtantius ad oculos purulentos, chemoſes, & fluxionum impetus, quæ epiphora dicitur. Oportet autē eo vti aquoſo, etiā poſtquam finierit magna
C intemperies, & fluoris acrimonia. ſin autem intemperies acrimoniáque fluxionis oculum infeſtet, lenibus collyriis paululum ex eo per initia admiſceto, deinde amplius: & poſtremò per ſe ad affectus commemoratos cum fiducia vtitor. COLLYRIVM Heraclium.

Confert hulceribus admodum cauis, & vbi carne obducta fuerint: tenues & obſcuras cicatrices efficit, præterquam quòd etiam ipſas tingere poteſt. Plumbi combuſti & eloti drachmæ quatuor, croci drachma, gummi drachmæ duæ, ſpodii eloti drachmæ quatuor: ſquamæ
D ſtomomatis, piperis, ſingulorū drachma. Aqua pluuialis additur. DACNERON, *hoc eſt mordicans* collyrium, ad viſum acuendum. Hæc igitur commemorata, ad cicatrices & diuturnos affectus, quum ſint detergentia, conueniunt. Deinceps autem eorum quoque ſimiliter mentio facienda eſt quæ *ab acuendo uiſu* Oxydorcia Græcis dicūtur, ad caliginoſos oculos accommodata. Quoniam autem in prouectis etiam ætate viſorii ſpiritus imbecillitatem emendat, & actione reddit vegetiores, incipientéſque oculorum ſuffuſiones diſſoluit, pri-
E mariò ei appellatio indita eſt cynopticon, *quaſi caninum uiſum præſtans.* Æris combuſti drachmæ trigintaduæ, piperis drachmæ ſedecim, cadmiæ drachmæ octo: *alids inueni additionem drachmæ nouem,* myrrhæ, croci, ſingulorū drachmæ quatuor, gummi drachmæ vigintiquatuor, opii drachmæ quinque. A qua exceptis vtitor.

HYGROCOLLYRIVM ad hebetudinem oculorum, & alia multa efficax. Pōpholygis elotæ cochlearia ſex, opobalſami cochleariū, mellis cochlearia duo, vini non gypſati, veteris & albi, quod ſatis eſt. Pompho
F lyx probè admodū læuigata primùm iniici debet: mox opobalſamum miſceri, deindè mel, poſtremò omnium vinum. Poſt miſturam igitur vſque ad dies tres diligenter læuigato, atque ſic in vas vitreum coniicito: & quum vti voles, vas agitato, atq; ſic ſpecillo ſublinito: vbi concoctio facta fuerit, oculos calida abluens. ALIVD, vt poſſis etiam ſolem citra noxam intueri. Iaſpin album, magnetem viuum, ſapphyrum aurei coloris, achaten, Hæmatiten, Chamæmelum, Hieraciadem, liquorem conyſæ tenuis: omnia hæc æquali pōdere accepta, in col
G lyrium tenue redigito, & ſubungito. PVLVIS Seuerius cognomento, ad viſus acumen. Cadmiæ drachmæ tres, ſalis ammoniaci ſeſquidrachma, folii drachmæ tres, piperis drachmæ ſex. In puluerem redacta ſublinito: facit etiam ad aridam lippitudinem, *quam Græci xerophthalmiam appellant.* PVLVIS cui nomen eſt à lumine Phῶs, ad hebetudinem oculorum, & dolores fluxionéſque dentium efficax: Cadmiæ drachmæ octo, ſalis ammoniaci drachmæ quatuor, croci drachmæ duæ, piperis drachmæ tres, folii, auripigmenti, ſingulo-
H rum drachma vna & ſemis. valde bonum. ALIVD admodum idoneum ad ſcabioſos oculorum affectus, pruritus, hebetudines, palpebras aſperas, fluxiones antiquas, oculorum cicatrices, & pterygia: quo vtor.

Cadmiæ, chalcitidis combuſtæ in pane, ſingulorum drachmæ quatuor, croci drachma, piperis drachmæ

duæ, auripigmenti drachmæ quatuor, ſalis ammoniaci drachma. Læuigata ſubungito, medicamentum per membranam à cornu dictam ceratoeidem applicans.

ALIVD ad hebetudines & incipientes oculorum ſuffuſiones. Baccarum lauri excorticatarum drachmas viginti: læuigato ex vrina pueri venerem non expertí, cum gummi drachmis duabus. ſuffuſos quidem, ex vrina, alios autem ex aqua inungito. ALIVD.

Fel hyænæ cum melle & coniza illinito. ALIVD.

Fel perdicis cum melle & ſucco fœniculi illinito. Admodum efficax etiam ad incipientes ſuffuſiones collyrium Proteus exiſtit: & quod Thalaſſeros dicitur, ad hebetudinem: & incipientes ſuffuſiones & callos exterit. ALIVD. Fel aquilæ bene facit per ſe & cum melle illitum. Scribendum eſt etiam prophetæ Hygrocollyrium.

DE NYCTALOPE, Cap. VI.

AD eos qui ſerò non cernũt (quos Græci nyctalopas appellant) nitro ex aqua fluuiali trito vtitor.

ALIVD. Fel hirci ex melle illinito: tollit vitium paucis diebus. ALIVD ad idem. Iecoris hircini ſaniem, quæ, dum aſſatur, effluit, colligito, atque hac eos oblinito. Idem autem iecur comedendum dato, & vaporem eius dum aſſatur, oculis apertis excipere iubeto.

ALIVD, ad aſperas palpebras. Collyrium Trachomaticum, quod palpebrarum excreſcentias admodum probè extenuat: hæc autem recipit, Cadmiæ drachmas ſedecim, lapidis hæmatitis, lapidis ſchiſti, ſingulorũ drachmas quadraginta, æris cõbuſti drachmas viginti, æruginis drachmas octo, opii drachmas quatuor, ſeminis papaueris drachmas ſedecim, gummi drachmas trigintaduas. Semẽ papaueris læuigabis, ſuccũmq; exprimes, atque ex eo collyriũ factũ inſtillabis. Aduerte autẽ quomodo eo in Trachomaticis collyriis vtare. Si enim hulcus cum aſpritudine palpebrarum eſſe cõtigerit, ſatis eſt ipſas potius inuerſas ita abſtergere, aut mucrone ſpecilli, aut ficulneis foliis. Nonnulli verò etiam ſepiæ teſta, aut pelle aſperiore vtuntur: alii rurſus collyriis ex pumice ſublinũt. Quũ igitur ſubſederint palpebræ & extenuatæ fuerint, tũc demũ etiã hulceribus proſpicito, applicans aut Libianum, aut Vranion, admixtis eis, ſiquid influit, etiam repellentibus: ſin autem nihil vrget, Theodotiũ. Hac enim methodo & ratione vtentes, hulcera à fluxionibus conſeruabimus, & citò ad cicatrices reducentur. PVLVIS ad incipientes ſuffuſiones.

Veratri albi drachma, piperis albi drachmæ quatuor, ammoniaci ſuffiminis drachma ſemiſſis. raphani ſucco læuigata ſinito refrigerari, & rurſus tritis vtitor, vt mira præſtantibus. AD TINGENDAS albugines valde generoſum. Chalcanthi drachmæ quatuor, ſpinæ Ægyptiæ, gallæ, ſingulorum drachmæ quatuor: aqua exceptis vtitor. COLLYRIVM quod magnum Theodotium vocatur, valẽs ad magnos dolores, & inueteratos affectus. Hoc collyrium cicatrices callóſque exterit, item ad myocephala aliáque multa notatu digna, mirabiliter valet: Cadmiæ, opii, chalcitidis, croci, aloes hepaticæ, caſtorei, folii thuris, ſingulorum drachmæ duæ, ſtibis drachmæ quinque, acaciæ totidem, æris combuſti drachmæ quatuor, myrrhæ troglodyticæ drachmæ quatuor, ſpicæ nardi drachma, ceruſæ drachmæ octo, gummi drachmæ quadragintaquatuor. Aqua pluuialis additur, nonnulli autem vinum quoque adiiciunt. COLLYRIVM hecatombe valet ad cicatrices craſſas, & incipientes ſuffuſiones, latas pupillas (quas platycorias vocant) item caligines, pterygia. & tenuis lacrymæ curſum extenuat, detergit, purgat & repellit: Cadmiæ combuſtæ & elotæ, æris vſti & eloti, ſingulorum drachmæ octo, ſtibis combuſti drachmæ quindecim, acaciæ rufæ drachmæ quindecim, aloes drachmæ quatuor, caſtorei, lycii, ſpicæ nardi, croci, opii, myrrhæ, ceruſæ, ebeni ſcobis, chalcitidis, ſingulorum drachma: roſarum drachma ſemis. aqua pluuialis adiicitur. Hoc maximum eſt collyrium, & plura præſtat quàm promittit.

XEROCOLLYRIVM faciẽs ad ſycoſin, putre-

A dines, & carnis excreſcentias: Cadmiæ drachmæ quatuor, chalcitidis drachmæ octo, piperis grana quindecim, nardi gallicæ drachma. Cadmiam & chalcitidem ex vino terito, ſiccatóque, & nardo tunc in fuliginem redactæ omnia miſceto, ac vtitor vt præſtantiſſimo remedio. HYDROCOLLYRIVM efficax ad oculos purulentos: mirificè valet etiam ad ſordida hulcera, & myocephala: Chalcanthi, croci, myrrhæ, ſingulorum vnciæ quatuor, mellis libra ex ſucco ſenecionis parato. Ego autem ex vino Aſcalonite

B noui me hoc temperaſſe.

De mulſa.

De mulſa quoque mentionem facere duxi neceſſarium, vt ex qua magnos longo temporis vſu & experientia ſucceſſus ſim expertus. Nam hulcera ſordida, & præſertim maligna, carbunculorúmque naturam referentia, hac etiam ſola perſanaſſe me ſcio: item eos qui pus iam in alto congregarant, & immodicè dolebant, necnon illos qui in ſiderationem, (*quam Græci σφάκελον dicunt*) inciderant. Adhæc vbi viſcoſi humores, aut craſſiores conſtricti vel impacti

C hærent. Ignoro autem an quis medicamentum hoc præclarius, aut efficacius, aut blandius inuenerit. Præcipuè verò valet etiam in quibus multa pituita craſſior oculis innaſcatur. Nam præterquam quòd ipſam purgat, & ſine dolore eluit, non ſinit eam rurſus procreari. Præſtat hac vti quàm ſpõgia, & cõtinuè palpebram mouere, vt quæ exaſperet, dolorémque faciat. Noui enim lippitudines ex craſſiore pituita ortas, etiam nullum prorſus collyrium admiſiſſe: mul-

D ſam autem ſolam ipſis gratam fuiſſe, & collyrii vſum abundè ſatis expleuiſſe. Scire autem conuenit mulſæ parandæ vtendǽque præſertim rationem ac modum, efficere vt etiam ipſa multo his plura præſtet. Non enim ipſa meraca & craſſa confici debet, ſed ita vt guſtu exiguum obſcurúmque dulcedinis ſenſum linguæ præbeat, præcipuè quando non ſolùm exhulceratio, ſed etiam inflammatio mixta appareat. At non expedit vt ſolo ſpecillo vſus mulſam inſtilles, ſed multo adhuc ſatius ſi etiam vitreo quodam &

E anguſtiori vaſe mulſa repleto, id perficiatur. Quanto enim quis ea copioſiore vſus fuerit, tanto magis opitulabitur. Quæcunque enim in tunicis continentur, ſiue craſſior pituita, ſiue etiam recrementum acre, hæc manere intus nequeunt, ſed proiiciuntur, & à mulſa abſtergentur. Vtẽdum ea confidenter ad quodcunque res poſtulat. neque enim aſtrictionem habet, vt oculum denſet & exaſperet: neque frigiditatem, vt torporem inducat, ac materiam conſtringat, aut rupturam, aut eroſionem, aut aliam quampiam duritiam,

F aut acrem qualitatem excitet. Propter hæc etiam, ſi collyrio quis vti velit, confert hac primùm oculos abluere, atque ita illa admouere quæ vnicuique curationi congruunt. Nullus enim adhuc metus erit, vbi oculus recrementis ex mulſa liberatus fuerit: & ſi res exigat, etiam alia multa, experimenta & præclara prodita inuenias. Verùm ne longius ſermo protrahatur, ſufficiunt hæc quoque iis qui vires intelligunt, vt inueniant alias quoque omnes quæ ipſi adſunt facultates, non modò ad tales oculorum affectus, ſed etiam ad alias

G totius corporis curationes. AD STAPHYLOMATA excellentiſſimum: Chalcitidis, croci, ſingulorum drachma, mellis drachmæ quinque, aquæ quod ſufficit. COLLYRIVM Maximiani.

Collyrii Cygni partes duæ: collyrii Hermolai magni & parui ſingulæ partes: hæc tria accuratè in puluerem redigito, & tenui in creta cribro aqua excipito, ac in collyrium redactis, in omni magno dolore non ſtatim per morbi initia, ſed vbi vehementior euaſerit, & in ſtatu ſit, vigiliáſque induxerit, vtitor. Nam

H præter id quòd dolorem ſinit, etiam ſomnum cõciliat: valet etiã ad oculos purulentos, *quos Græci hypopyos appellant*, myocephala, & ſtaphylomata. Vſus eius eſt ex ouo: melius autem habet ſi oculis ſublinatur quàm ſi inſtilletur. Item ſub palpebris vtendum eſt, ſi quæ ſcabricies

ipſos infeſtet: verùm in myocephalis & purulentis, poſt inunctionem mendicamenti, oculum deligare oportet aut panniculo linteo in aquam frigidam intincto, aut ſpongiam, & ipſam aqua imbutam, quæ ambiēs habeat linamentum, ne oculus aduſtionem experiatur.

DE CARBVNCVLIS QVI IN OCULIS EXCITANTUR, Cap. VII.

QVoniam carbunculi & oculis & reliquo corpori accidunt, neceſſe eſt horum quoque curationem explicare, qua via & ratione adminiſtretur. Quippe quum ex ſanguine nimiū torrefacto trahāt originem, meritò dolores, ſyderationes, & magnas inflammationes oculis inferūt, vt periculum ſit ne etiam toti excidant. Interdum verò conuulſiones quoque & deliria, propter cerebri, & membranarum eius viciniā, pariunt. Quare vacuatio per ſanguinis detractionem ante omnia in huiuſmodi adhibenda eſt, vena cubiti potius ſecta quæ humeralis nominatur: vel, ſi fieri poteſt, ea quæ directè oculum reſpicit: per interualla autem, & paulatim. Non alienum eſt etiam per aluum purgationē moliri, ſcāmoniæ lacrymam pro ægri viribus exhibentes: ita vt eam ex cremore ptiſſanæ ipſe aſſumat. Noui enim quoſdam ægros ne odorem quidem ipſius ferre. nam ad vomitum ſtatim incitantur: quod in iis qui lippitudine laborant, longè peſſimum eſt, dum tunicæ in eo ſint periculo ne ex diſtentione rumpātur. At poſt has euacuationes, ſiquidem etiam totum corpus tibi acrioribus ſuccis obnoxium eſſe appareat, lauare ſtatim balneis temperatis, & dulcis aquæ, nō abs re fuerit, & caput leniter admodum detergere, ſi opus ſit, vitellis ouorum, cum ptiſſanæ cremore, & exigua ſapa. Nam ſi oculos ipſorum vehemēter moueas, fluxionem proritabis. Ne concedas autem vt æger diu in calido aere moretur, neque caput frequenter in calidæ ſolium intingat: vtraque enim oculis ſunt nociua, frigida ſanè, vt noſtis, quū ſuperficiem denſet, & recremēta includat, plurium dolorum cauſa efficitur: calida verò quum rarefaciat, fluxiones admodū mouere cōſueuit. Sūma igitur & extrema in omnibus morbis, præſertim autem oculorum, fugere oportet. Similiter caue ne caput oleo inungas. nā quum id meatus impleat obturétque, efficit vt ipſum non perſpiret, idque fluxionis cauſam præbet. Subinde verò etiam quum oculos ingreditur, cruciatū excitat, acriter ipſos rodens. At balneum egreſſo, iubeto vt tepidam aut ptiſſanam per ſe, aut cum aliquo eorum quæ ipſam dulcem reddere queant, aſſumat: dico cum rhodomelite, aut hydromelo, aut chryſatico, præſertim primis diebus, ſi æger ſtomachum quoque nimia humiditate debilitatum habeat, vel ſi etiam per ſeipſum ſumere abhorreat. Domum profectus æger, per initia quidem dierum cibum recrementi expertem edat, vt lactucas, quæ marulia & thridacinas appellant: itē intyba, aliàs cruda, aliàs etiā decocta. Præter hæc etiā fruct⁹ *quos Græci oporas propriè, nos poma uocamus*, maturos & dulces aſſumet. Nam adeo recentibus ex balneo, omnis (vt ſummatim dicam) victus refrigerans & humectans conuenit: vbi autem opportunū tibi viſum fuerit, cibum deinceps mutato, datóque piſcem molli carne præditum, & aſſum & elixum. Sit autem ſturnus, pſitta, bugloſſus, & ſiquid eiuſmodi inter piſces idoneum inueneris. Procedente tempore tranſeundum eſt ad gallinam cohortalem, priuſquam ad ipſius pullos, ad pectus phaſiani citra pinguedinem, anſerum alas: ſic vt omnium eiuſmodi decoctio ſit recrementi expers, citra condimentum acre aut ſalſum. At quū fluxionis tenuis curſus eſt, qui frequens alimentum deſideret, admiſceri debent quædam frumentacea gallinis, vt halica, aut chondrus, aut ptiſſana, aut ſuminalis placenta, *quæ itrion dicitur*, aut ſimilago, aut micæ panis, aut oryza: ſi hoc quoque requiritur, vt etiam venter impediatur ſiſtatúrque. Finitis tandem doloribus, & fluxionis impetu, ſi ægrum etiam copioſiore cibo indigere intelligas, carnes ſuillas quoque, præſertim pedes, offerto: vinum autem tenue, bene album, odoratum, & aquoſum ipſis exhiberi debet. Vbi iam affectus declinare videtur, moderatione in cibo & potu obſeruata, hæc ſanè ceu in victu aſſumi debent: auxiliis autem hiſcè vtēdum. In primis igitur cognoſcendum, collyriorum vſum tales quidem affectus per initia non ferre, quum plurimum ab eis offendantur: verùm mulſa aquoſiſſima vtendum eſt, aut ſucco fœnigræci ter quatérve, aut etiam ſæpius, ſi ſucci per decoctionē extracti iure exiguo adiecto indigeat. Extrinſecus autem cataplaſma ex palmulis, croco, & mica panis inducetur. Porro vbi immodicus ardor affligit, & cruſta adeſt, vt etiam palpebras depaſcatur, plantaginem minorem aut maiorem cum mica panis obducito. Etenim refrigerat, & duritiem carbunculi emollit. Nihil minus etiam proficit perdicias, præſertim ſi membranæ rhagoïdis procidentia vrget, totiúſque oculi diſtētio, ſyderatio, & mult⁹ dolor. Herba autem impoſita deliganda eſt: ſic enim efficax eſt: quoniā etiam oculi peculiarem ſitum recipiunt, vbi & myocephala & ſtaphylomata in eis naſci cōtingit: verùm hoc raró euenit. Nam carbunculo intereunte, totus ſimul oculus perit, tunicis totis diruptis, & humoribus effuſis. quod in magnis carbunculis euenire ſolet. Sin autem hoc non comitetur, ſtaphylomata verò aut myocephala (quemadmodum dictum eſt) gignantur, tum etiam collyriis ad talia inſcriptis, & præſertim magno diarrhodo vtendum eſt, cuius ſcripturam hanc vobis appoſui.

COLLYRIVM diarrhodon, magnū cognomēto.

Roſarū viridiū quibus vnguis ſit detractus, drachmæ duæ: cadmiæ cōbuſtæ & elotæ drachmæ quatuor: croci drachmæ ſex: opii, ſtibis, ſingulorū drachmæ tres: æruginis drachmæ quatuor: ſquamæ æris drachmæ duæ: nardi Indicæ drachma: myrrhæ drachmæ tres: gūmi drachmæ vigintiquatuor. aqua pluuialis additur. Nos frequēter ſumus experti: cōfert ad magnos dolores, puſtulas, ardores, ſtaphylomata, procidentias, oculos purulētos, item ad veteres & diuturnas fluxiones, contumacéſque affectus. COLLYRIVM quod ab ouis δι' ὠῶν Græcis dicitur, opitulatur carbunculis, vlceribus, procidentiis, oculis purulentis & fluxionibus. Spodii, croci, amyli, tragacāthæ, ſingulorum drachmæ octo. Excipito ouorum octo albuminibus. hoc eodem die & vno illitu mēbranæ oculorū proficit. COLLYRIVM diarrhodon aliud, oculis purulentis, ſtaphylomatis, myocephalis, & lippitudinibus in ſphacelum degenerantibus vtile, in ſtaphylomatis quidem, ex lacte, in aliis autem, ex ouo: Cadmiæ cōbuſtæ & elotæ drachmæ octo: æris vſti drachmæ quatuor: roſarum ſiccarum drachmæ quatuor: opii thebani drachmæ duæ: croci Siculi drachma: lapidis ſchiſti drachmæ duæ: gummi drachmæ ſex: vino marinæ experte aut palmulato excipiantur. Sufficiunt ſanè & hæc ad affectus commemoratos. Sunt autē aliorū quoque collyriorū deſcriptiones, quæ eiuſmodi præſtare queant, præſertim collyrium Diathece, Theodotium, & quæ ſimiliter componuntur. At ne etiam nos, dum hæc ſcribimus, omnia collyria in memoriam reuocantes, ſermonem producamus, vbi pauca de pterygiis & ægilopibus adiecerimus, orationem de oculis abſoluemus. AD PTERYGIA & ſycoſes.

Chalcanthi, ſalis ammoniaci, gummi paria pondera, aceto læuigata in collyrium redigito, & vtitor.

ALIVD. Lacrymam populi arboris, cum duplicato melle illinito. ALIVD. Sepiæ teſta cremata, læuigatáque, ſimul cum ſale foſſititio, excreſcentias carnis in oculis & pterygia conſumit. ALIVD ad palpebrarum ſcabricias. Sepiæ teſta ignem non experta, in collyrii modum concinnatur, & infricatur. Ita enim collyria purgantia vim ſuam magis oſtendunt.

AD RHYADAS, Cap. VIII.

RHyas fit angulo imminuto: interdum etiam prorſus abolito: &, ſi hoc fieri contingat, talis rhyas curationem non recipit. Inſpiciendum autem eſt conſiderandúmque totum corpus: et, ſi vitioſis ſcatet ſuccis, purgare nimirum ipſum oportet, atque ita, quæ mediocriter aſtringunt, ei adhibere: commixtis illis

quæ carnem augere poſſunt:qualia ſunt quæ ex vino pa-
rãtur collyria,ſi contẽperẽtur iis quæ ex glaucio & cro-
co cõſtant. puluis autẽ probè facit qui diacrocus appel-
latur:item aloe ſola potius inſperſa. Oportet autem vi-
no eam prius lauare,atque ita in pollinem redactam i-
pſam inſpergere,ſic vt paulatim admoueas. ALIVD
bene faciens ad ægilopas. Alterci folia viridia affatim
in vino decocta, & læuia,frõti impoſita,bene auxilian-
tur:item vinũ ſolũ per ſe,probè opitulatur,ſiquis ſpon-
giam eo imbuens, continuè frontem attingat. Quòd ſi
alumen etiam vino inieceris,ſimúlque coxeris, vinum
reddes adhuc efficacius, & quod magis ſiccare poſſit,
necnon reprimere. ALIVD ad ægilopas. Ægilopas
ſtatim ab initio conſiſtentes, lenibus medicamentis &
ſiccantibus curare oportet. Nam à rodentibus aut acri-
bus malè afficiuntur,& ad ampliorem tumorem perue-
niunt. ALIVD ad incipientes ægilopas. Ad incipiẽ-
tes ægilopas proficit glaucium & crocus, ſi vnà cũ ſuc-
co perdiciadis illinantur: mutare autem continuè me-
dicamentum oportet. Ego ſanè incipientes iam,& non-
dum in pus conuerſos,horum vſu,ne in ſuppurationem
A mutarentur prohibui. ALIVD. Halica ex aceto co-
cta,non modò incipientes ægilopas, ſed etiam inuetera-
tos iam & in pus conuerſos mirabiliter ſanauit. Cæte-
rùm læuigata probè imponi debet: quòd ſi etiã pus in-
hæreſcens deprehendatur,rumpit ipſum,& vſque ad os
penetrat: adeo validum eſt medicamentum. Hoc ſo-
lo quoque vſus, non modò ægilopas, ſed etiam diu-
turnos ægilopas curaſſe me noui. ALIVD. Ru-
ta ſatiua vnà cum lixiuio quod primùm diſtilla-
rit,læuigata,probè admodum ægilopas tollit,curátque.
B Per initia quidem hoc præſidium eis impoſitum mo-
dicè rodit, poſtea verò non item. Ac mirum eſt,quem-
admodum vnum quoddam ex adurentibus,ita etiã hoc
medicamẽtum vſque ad os penetrare, & ne cicatricem
quidem indecoram relinquere. ALIVD vſu pro-
batum. Internam arundinis membranam,id quod ro-
tundum circa nodos inueniri conſueuit,acceptam mel-
li iniicito,ac particulæ affectæ imponito,mutans quo-
tidie quater. Vbi locum probè repurgaueris,mulſa cum
ſpongia oculari abluito. Adhæc prædictam arundinis
C membranam per ſe imponito,ac miraberis.

ALEXANDRI TRALLIANI
Liber III,

Iohanne Guinterio Andernaco interprete.

DE AVRIVM AFFECTIBVS, Cap. I.

AVRIS multis admodum & variis vi-
tiis ſubiicitur. Etenim ex frigida ſæpe
& calida intemperie,nonnunquam etiã
ex viſcoſorum humorum obſtructione,
& ſpiritu flatulento, necnon inflamma-
tione extra ipſius meatum aut intus cõ-
ſtituta:adhæc ex calidi ſanguinis biliosi influxu,&aliis
de cauſis valde multis laborat:de quibus omnibus dice-
tur,conueniẽtibus ſingulorum notis adiectis. Incipia-
D mus igitur primùm à dolore, quoniã hoc potiſſimùm
accidens artẽ ad curationem incitat. SI DOLOR
ex obſtructione eueniat. Quia verò dolor, & à craſſio-
ris ſpiritus obſtructione,& viſcoſis craſſiſque humori-
bus,quibus non patet exitus,generatur, neceſſe eſt cau-
ſam doloris effectricem diſcernere. INTERNO-
TIO vtrum ex ſpiritu an viſcoſis humoribus,vel inflã-
matione,aurium dolor excitetur. Dolorem ex craſſio-
rum viſcoſorúmque humorum obſtructione potius cõ-
citari,artificioſa quis coniectura hinc deprehenderit ꝙ
E æger capitis ſentiat grauitatem: item quòd cibi præce-
dentes & potus ſuccos frigidiores & magis humidos
procrearint. At ſi diſtentio quidem orta fuerit,grauita-
tem verò in capite vel aure neutiquã percipiat,ſpiritum
flatuoſum & craſſum, qui non inueniat exitum, dolo-
ris cauſam potius exiſtimandum eſſe,manifeſtò cõſtat.
Sin autem grauitatis ſimul,& diſtentionis,caliditatis &
doloris pulſatilis ſenſus oriatur,inflammationem effi-
cientem eſſe cauſam doloris qui à ſanguinis excalefa-
F cti influxu originem habuerit, bona ratione exiſtima-
re licet. Ac venam in cubito prius ſecare oportet: dein-
de ſic ad auxilia digredi quæ inflãmationes ſedare præ-
dicantur. Clarum verò eſt, id in aliis quoque humori-
bus fieri debere,ac ſpectari vtrum humores quantitate
an qualitate offendãt. Et ſi quidem copia dolorem pa-
rit,ea ſanè quæ bilioſa eſſe videntur,victu contempera-
re oportet, lactuca, cucumere, intybo, pepone, malis,
malua:& inter piſces,dura carne præditis,& iis quæ bi-
lioſum calidúmque humorem permutant. Similiter au-
G tem pituitoſum extenuare & cibo & medicamentis cõ-
uenit. Vbi enim ſic nos agimus,humores qui ſuperant,
medicamentis purgantibus facilè excutiẽtur: & ea quæ
applicantur,præſentius oſtendent adiumentum. CV-
RATIO doloris ex humorum obſtructione & ſpiritu
contracti. Si itaque dolor ex inflammatione propter
obſtructionem oriatur, conſtat his rectè applicari quæ
abſtergere & incidere ſunt idonea: quale eſt aphronitrũ,
mellis & aceti paulo ei mixto. Item fel ouillum ex oleo
his admoueri conuenit. Salutare etiam amygdalinum
oleum fuerit. ALIVD. Porri ſuccus, ſi inſtilletur,
per ſe bene facit,& cum mellis momento. ALIVD.
Ceparum ſuccum cum melle mixtum inſtillato. A-
LIVD. Origanum tritum ex melle & lacte muliebri
infundito. ALIVD. Fel caprinũ cum porri ſucco ve-
D hemẽtioribus obſtructionib⁹ admoueto. Multa verò ſũt
& alia à veteribus prodita,tũ ſimplicia,tũ cõpoſita me-
dicamenta,quæ obſtructionibus ex humoribus aut ſpi-
ritu flatuoſo ortis accõmodari poſſunt: ex quibus faci-
le eſt deinceps complura deligere,vbi cauſa quæ offen-
dit, cognita nobis fuerit. Deligenda verò potius quæ
abſtergere, incidere & purgare citra vehementem ro-
ſionem ſolent. Verùm huiuſmodi vitare conuenit in
illis in quibus dolor magnus, & copiæ ſuſpicio ſubeſt.
Frequenter enim talia etiã fluxionis excitatæ cauſã præ-
E bent,vt & aures magis fluxione laborent,& dolor am-
plius irritetur. In quibus autem non multus vrget cru-
ciatus,ſed diuturna quædam affectio apparet, & ea quæ
dicuntur,æger difficilius audit,in huiuſmodi non alie-
num eſt etiam illis vti quæ largius rodere & abſterge-
re poſſunt: quorum è numero eſt dracunculi ſuccus,aſa-
ri,& pæoniæ,atque his ſimilia.

Ad obſtructiones ſine dolore incidentes.

Veratri albi drachmæ duæ,nitri drachmæ ſedecim:cro-
ci drach. tres. Læuigata in paſtillos ex aceto redigito,
F ac vtitor ad obſtructiones quæ ſine dolore obueniũt:i-
tem in grauiter audientibus. ALIVD. Veratri ni-
gri radices ex aceto & melle læuigatas inſtillato. Notum
verò eſt nullum frigidum medicamentum auri adhibẽ-
dum eſſe, ſed prius concalfacta, & multo magis quum
aurem denſatam obſtructámque fueris ſuſpicatus. A-
LIVD. Peucedani liquor, cum irino oleo, aut amy-
gdalino, vel betæ ſuccus cum felle taurino læuigatus,
inſtilletur. ALIVD. Floccum felle taurino imbu-
tum læuigatúmque auri imponito. ALIVD. Fel
G bubulum,aut ouillum inſtillato, aut capræ vrinam con-
tinuè infundito.

Ad grauem auditum & dolorem compoſitum medicamentum.

Myrrhæ drachma:thuris drachmæ quatuor: amygda-
larũ amararũ purgatarũ grana viginti: aphronitri dra-

chma;croci drachmæ quatuor,opii drachmæ tres,galbani drachmæ duæ.Galbanum cum amygdalis ſeorſim læuigatur,excipitúrque aceto cum reliquis.vtitor in magno quidem dolore,ex roſaceo:in graui antē auditu,ex aceto. ALIVD multis vtile,probatum medicamētum,præſertim in vlceribus vetuſtis & depaſcētibus;itē in iis qui ex flatuoſo ſpiritu & viſcoſis humoribus admodū grauiter audiunt,vt etiam in ſurditatē prolapſuri ſint.Bene autem proficit etiā ad veteres ſonitus & ſibilos cedria hieratica læuigata ex aceto. Vtitor ad prædicta omnia,infundens per ſpecillum, aut panniculum inungens, aut ſtuppam,aut lanam, aut vt voles excogitare.Eſt enim medicamentum valde efficax.

De dolore ex frigida cauſa naſcente.

Quòd ſi dolor frigidis ventis & humidioribus,balneíſque eiuſmodi prægreſſis,ortus fuerit,conſtat etiam horum curationem facilem eſſe : ac iis quæ calefaciunt medicamētis vti oportet.Multa verò ſunt vel inter ſimplicia quæ hoc præſtare queant, quemadmodū & præſtantiſſima nardus per ſe excalfacta, & ruta oleo incocta. Porro ad maximas perfrictiones piper quoque ex oleo bene facit.Item euphorbium, ſimiliter allium,cepa,lauri folia,ſtyrax,caſia,calamus odoratus,irinum oleum, amaracinum, laurinum, & opobalſamum. Sic igitur doloribus ex frigida intemperie natis mederi conuenit.

De dolore ex calida intemperie.

Dolorem qui à caliditate aut humore acri excitatur, contrariis ipſum quoque curare oportet,pro cauſæ effectricis magnitudine, id quod conuenit, accommodantes.Itaque ad mediocres intēperies optimè facit etiā oui albumē,quemadmodū in oculis,ſi tepidū paulatim cū lacte muliebri infundatur.Pari modo cum quodā collyrio dolorem ſopiente,quod anodynō appellatur:ſuccus quoque perdiciadis ſtrenuè valet,& per ſe, & cū exigua parte roſacei mixtus. Idē præſtat roſa cū aceti momēto, præſertim in feruente admodū & ignea intēperie.Pari modo etiā ſuccus ſolani,coriandri & haſtulæ regiæ,plurimum auxiliatur. ALIVD. Buccina quæ carnem viuam habeant, tria cum oleo amygdalino incoquito, ac vtitor. Naturaliter autem hoc idem præſtant aſelli qui iuxta ſitulas inueniuntur: item terræ inteſtina conſimiliter.

DE INFLAMMATIONE QVAE MEAtum auditorium intus obſederit, Cap. II.

Siue meatus auris ſiue alia ipſius quæpiā interna particula frequenter inflammatione laboret,acutiſſima pericula viciuia regionis & genere ſubſtantiæ inducit. Etenim neruus qui internam auris ſuperficiem ſublinit,quum ſit ſenſibilis, validos dolores acutóſque excitat,vt etiam cerebrum in conſenſum perducat:vnde febres & deliria ſic affectis oboriuntur,interim verò etiā lethales.Ac iuuenes quidem ex acutiſſimo ipſis euenięte dolore,aut delirio, aut ortis febribus, intereunt: ſenes autem febri quidem non ſubinde corripiuntur, neque affectu conuulſorio,neque delirio.Nam quum humor qui ſuperat,frigidior ipſis pariter & craſſior exiſtat,ipſe ſibi ligamentum factus,in affecta parte manet. Atque idem longo tempore ſuppuraſcere incipit,& vires paulatim debilitatæ, antequam ille concoctus fuerit,mortem inferunt.Materia enim dum non euincitur, tandem ad partes principaliores confluit. In iuuenibus non celeriter ſuppuraſcit:nam acumen doloris generationem puris præuertit.At ſiquando etiam inflammatio in pus conuerti videatur,ægri dolore liberantur, & ſalutem conſequuntur. CVRATIO inflammationis. Ad inflammationes moderatas ſanè conducit roſaceum ipſum, & per ſe,& cum modico aceto infuſum:ſimiliter etiam glaucium in cote ex modico aceto detritum,tepidúmque infuſum: adhæc eodem modo omnia quæ ex glaucio & croco parantur, etiam ipſa moderatis inflammationibus medentur:item ramentorum quoque cucurbitæ ſuccus ad maximos eryſipelaceos affectus & per ſe & cum roſaceo auxiliatur: adhæc glaucium æquali pondere cum opio mixtum,& ex lacte muliebri infuſum, ſimiliter feruidas inflam-

A mationes, maximóſque dolores lenire conſueuit. Eodem modo & caſtoreum in magnis doloribus, ſi æquale opio miſceatur,læuigetúrque ex ſapa, & auri tepidum iniiciatur,generoſè lenit.Conſtat autē opium deligendum eſſe vetus,eo quòd nos magnam ipſius in torpore inducendo facultatem vitemus. Ego enim noui quendam ſolo vſum opio,& vocem & ſenſum ægro ademiſſe, vt ne opobalſamo quidem, aut aliis quibuſdam calidis iniectis;homo amplius reſtitui potuerit. Quocirca ſi etiam quis ob multum dolorem opio aut alio
B quodam torporis faciundi vim habente vti coactus fuerit,ſemel ipſum aut iterum offerre conuenit:poſtea verò caſtoreum cum oleo tepido iniicere, & extrinſecus lanam oleo calido,aut nardino, quod adipem anſerinū habeat imbutam, omni ex parte circundare, ſi torporem ex frigidis contractum curare moliaris. At quum mediocris eſt inflammatio,& non admodum feruida, vbique non eſt febris valde calida,æger non ſit ætatis vigentis,etiam paulo tetrapharmaci (quod nonnulli baſilicum appellant) miſcere nardinū vnguētum, ſi hyems
C fuerit:ſin autem æſtas, roſaceum oportet. Pulchrè verò iuuat & adeps anſerinus, aut phaſianorum, ipſi adiectus. Fiat autem quemadmodum etiam diuiniſſimus Galenus docet, cuius verba ita habent, Ego verò magno dolore conflictantibus nullū medicamentū infundo, neque lana extergo,experientia edoctus, ſatis eſſe ne attingere quidem meatū auditoriū quo tēpore dolor infeſtat. Specillo igitur lana inuoluto foueo dolentes hoc medicamento,moderatè adeo in clyſtere auriculario tepefacto, vt interrogantibus nobis ægrū nū
D tepidum ei videatur, & calidius adhuc ipſum ferre poſſit,eo caliditatis illud perducam vt neutiquā offendatur.Itaque ſpecillū in medicamentū ſic præparatum intingens,& iuxta meatus initiū leniter deponens, in altū fluere ſinito,ac deinde iterū atque iterū & ſubinde intingens,idē hoc facito,nullo tempore interpoſito. Notum verò eſt, ſi hoc factum fuerit, omnino aliquid etiam foras effluxum iri,meatu auditorio toto repleto. Hoc igitur quàm licet modeſtè excipito, meatum non attingens.Poſtquā verò abundè foueris,meatu qui me-
E dicamento repletus eſt relicto, mollem extrinſecus lanam imponito ori meatus, totíque auri. At ſi opus ſit rurſus fouere,lana quæ extrinſecus impoſita eſt,ſenſim ablata, rurſus ſimiliter facito, cauēs quatenus fieri poſſit, ne aliam quoque corporis partem quandam attingas. Atque huic mentem adhibeto, ceu maximo aurium curationis præcepto. Hæc igitur prodidit Galen9, præcipiens nobis vt in omni dolorifica inflāmatione hac vtamur,nulla diſtinctione appoſita.Ego autem potiùs iuuenibus(vt dixi)& calidis temperamento,item in
F quibus admodum feruens eſt inflammatio, ſubinde verò etiam cum febri, vtendum vobis dedi : præſertim ſi ægrum æſtatis tempore, & in regione calida, laborare contingat. Præſtat autem, ſi fomento quoque ob vehementiam dolorum vti res poſtulat, illud in his per ſpongias calente aqua imbutas adhiberi. FOMENTVM ad aurium dolorem quod per ſpongias & aquam calidam applicatur. Fomentis per ſpongias aqua calida imbutas,& abundè expreſſas vtendum eſt: item iis quæ per cucurbitulam fiunt. Hæc autem,inie-
G cta ei prius aqua calida, deinde euacuata,dolenti auriculæ applicatur.vapor enim quidam ex ea mitis ingrediens, dolorem ſolatur. Præterea illis vti fomentis expedit quæ ex vaporibus per arundines perforatas adhibitis conſtant. Oportet autem alteram arundinis partem auris ſinui accommodari:alteram verò in olla quæ operculum habeat perforatum,& vndique cōſtrictum. Sit autem in ea abſinthium aquæ incoctum, vt vapor qui ſurſum aſcendit,auris meatui occurrat:collum porro ſuper ollam inclinare debet: auri verò lanam foris o-
H mni ex parte ſuperimponere,& probè tueri,ne ambientes loci adurantur. DE CATAPLASMATIBVS. Si externa videantur inflammatione tentari, nō alienum eſt etiam farinam ordeaceam, aut triticeam ſæpe,aut vino dulci,& adſtrictionis experti incoctam,cataplaſmatis modo inducere. Maximè verò cataplaſma-

tibus & ſpongiis vtendum eſt in quibus materiam ſuppurari ſuſpicamur. Si enim eiuſmodi quippiam contigerit, tunc etiã ex farinæ polline cataplaſmatibus vti & tetrapharmaco oportet: aliis ei ceratis, quæ ex adipib9 componũtur, interdum admixtis. Magis autem feſtinãdum eſt vt inflammationes à ſuppuratione tueamur: id quod præſtare poterimus, ſubiectis vſi medicamentis. AVRICVLARE anodynum valde bonum ſi frequenter infundatur, vbi & inflammatio & diſtentio vrget, & vehementes admodum dolores infeſtant. Adipis anſerini aut gallinacei drachmæ ſex, opii, myrrhæ, croci, ſingulorum drach. duæ. Cum fiducia vtitor, valde bonũ eſt. ALIVD ad inflammationes non admodum feruentes: Butyrum, mel, hyſſopum, pari portione omnia tepida inſtillato. Valet etiã ad ſordida hulcera, & inflãmatione obſeſſa. ALIVD ad dolores qui ex inflammatione proueniunt, atque in hoc fere ſunt vt in pus mutentur. Argenti ſpumæ, ceruſæ, ſingulorum vncia: thuris, iridis, reſinæ terebinthinæ, ſingulorum vnciæ tres, colophoniæ vnciæ quatuor, ceræ, olei, ſingulorum libra, adipis anſerini recentis libræ duæ, ſucci lini ſeminis quod ſufficit. Confert etiam furunculis & podagricis affectibus. ALIVD ad inflammationes ex ictu & fluxione ortas. Butyrum recens liquatum inſtillato, necnon adipem anſerinum & lac muliebre, ſoluta. ALIVD. Lac muliebre cum croco læuigatum extrinſecus illinito, præſertim vbi rubra eſt inflammatio: ſin autem dolorem quoque moueat, confert etiam opium exiguum mixtum illinire. ALIVD. Argenti ſpumã, glaucium, crocum ex aqua læuigato, & ſapa illinito. ALIVD. Pſyllium tritum ex aqua inducito. ALIVD. Ceruſam, coriandri ſuccum, aut ſolanum, mixta inungito. ALIVD. Lenticulam coctam cum mica panis obducito, in quibus etiã hulcus eſt cum inflãmatione. ALIVD. Malum Punicum coctum cum mica panis in iiſdem affectibus applicato. Prædicta ſanè ad inflammationes quæ citra hulcus vrgẽt, iuuant: ac feſtinãdum vt eas potius diſcutiamus. Quòd ſi hulcus quoq; fieri cõtingat, vel etiã antea acciderit, medicamẽtis vtẽdũ eſt quæ nunc ſubiungam. habent autem in hunc modum.

Ad aurium hulcera.

Glaucium, lycium, & meconium, *quod eſt papaueris lacryma*, trita ex melle auri imponũtur, & hulcera inflãmatione obſeſſa leniunt. ALIVD ad diuturna auriũ hulcera. Cedria melli mixta inũctaq; bene proficit. ALIVD ad eos qui multũ puris habẽt. Miſy crematum in olla, tritũmque inſpirato. ALIVD. Ceruſa cũ melle vtitor: ſordida valde purgat. ALIVD. Aloe & croco aqua ſolutis vtitor. ALIVD. Thuris lacryma vino ſoluta vtitor: hoc etiã carnẽ inducit. ALIVD. Spodiũ læuigatũ inſpirato: prius autem mulſa aut lenticulæ decocto aurem eluito: aut roſis ex vino coctis cũ melle ſubluito: aut oleæ foliis contuſis ſucco expreſſo cum melle vtitor. AD HVLCERA valde ſordida depaſcẽtia. Vinũ vrinãmque pueri impuberis melli mixta inſtillato. ALIVD ad eadem admodum efficax. Sandarachã tritam mellíque mixtam inſtillato: aut penicillum è lucerna, quod ellychiniũ vocant: probiſſimè vnctũ, meatui demittito. Optimè facit, purgat, ſiccat, ad cicatricẽ ducit, & dolorem aufert: cum fiducia vtitor. ALIVD. Scoriam læuigatã ex aceto, coctámque, ſenſim auri inſtillato. ALIVD compoſitum. Chloræ, *hoc eſt uiridis* emplaſtri partem vnam: paſtilli ex caſtoreo partes duas: roſacei quod ſatis eſt, mixtis vtitor: aure prius mulſa elota.

Ad ſordida hulcera, in quibus pus effluit, & caro excreſcit, in hunc modum habet.

Æruginis raſæ, aluminis, ſingulorum drachmæ duæ: thuris drachma: mellis heminæ duæ, aceti hemina. Incoquito, dum mellis fiat craſſities, ac vtitor, inſtillans, aut penicillum circumlitum in meatum demittens. ALIVD ad eadem valde commodum. Alumen ſciſſile ex aceto læuigatum, dum mellis habeat craſſitiem, excipito lana delicatiore, & quum refrixerit, intra meatũ auditorium demittes. ALIVD. Cyphios ſcrupuli tres: aphronitri ſcrupuli duo: collyrii diarrhodon ſcru-

A puli quinq;: lycii indici ſcrupuli quatuor: vino excepta, aut ſucco perdiciadis, inſtillato. Bene proficit, deſiccat, ab inflãmatione & dolore hulcera vindicat. Idem verò præſtat etiam ſuccus perdiciadis cum melle tepefactus, & ad craſſitiem ſenſim redactus, ſi eo penicillũ imbuatur, imponatúrque meatui. Quòd ſi liquidius ipſum infundis, probè valet etiam ad ſanguinem ex aure prorumpentem.

Ad valde vetuſta hulcera.

Myrrhæ drachmã, thuris drachma, marrubii ſucci B drachmæ quatuor: nitri Alexandrini drachmæ duodecim, vrinæ apri drachmæ viginti, nucum Põticarum drachmæ viginti, capnelæi, caſtorei, croci, opii, ſingulorũ drachmæ quatuor: amygdalã octodecim. His læuigatis, ex roſaceo & amygdalino oleo, acetóque modico, vtitor.

Ad aures diruptas contuſáſque ex ictu.

Panis calidi micam cum exiguo mellis tritam imponito. ALIVD. Myrrham detritam ex vino tenui inungito. ALIVD. Cochlearum ceruices tritas & C myrrhæ dimidiam partem imponito. ALIVD. Mannam thuris læuigatam inſpergito. Sin autem opus ſit deligare, violẽtia in his ligamina vitanda ſunt, & diligenter immutanda quæ imponuntur. Hoc enim nocet, & fluxionum cauſam præbet.

DE SONITV AVRIVM, Cap. III.

SOnitus partim ex flatuoſo craſſóque ſpiritu creãtur, partim etiam ex humore obſtructo: interdum ob locorum imbecillitatem, quemadmodũ in iis qui ex morbo ſe recolligunt, accidere cõſueuit. Iam fiunt etiam ex D multo ſenſus acumine, præterea ratione criſis, in quibus nihil adhibendum eſt. Si igitur ſonitus nunc excitentur, nunc ceſſent, & ſpatio interpoſito rurſus reuertantur, intelligito ex ſpiritu, cui facilis nõ patet exitus, prouenire: maximè ſi præceſſerint cibi, qui flatus generare poſſint, & multæ cruditates. An verò tale propter viſcoſos craſſóſque humores accidat, inde cognoſces quòd neque repentè oboriantur ſonitus, ſed paulatim increſcant: inſuper quòd etiam grauitas percipiatur, præceſſerintque cruditates, balneorum intempeſtiuorum vſus, E & alia quæ crudos humores generare ſolent. Ad ſonitus igitur conſtantes & diuturnos, aures ex aceto & melle nitróque eluito. ALIVD. Veratri albi, caſtorei, ſingulorum drachmæ duæ, croci drach. tres. Redactis in paſtillum, & ex aceto detritis vtitor. ALIVD. Caſtorei, ſeminis cicutæ pares portiones: ex aceto læuigatas, tepidas immittito. Hoc quoque valet præcipuè in iis qui ob magnam ſentiendi vim ac facultatem vapores ſurſum aſcẽdentes percipiunt. ALIVD. Euphorbium ex oleo cyprino læuigatum, calefactũmque adhi- F beto: valet præſertim ad inueteratos aurium ſonitus & tinnitus.

Ad aurium ſonitus qui ex morbo prouenire conſueuerunt.

In iis autem qui ex morbo aurium ſonitus experiuntur, vbi eas abſinthii decocto foueris, acetum & roſaceũ infundito, raphanique ſuccum cum roſaceo, aut veratrũ nigrum cum aceto iniicito.

De iis quorum aures ſordibus repletæ ſunt.

G Cardamomum & nitri paulum cum ſiccatis ficubus, granis exemptis, quæ Græci cechramidas appellant, excepta, in collyria redigito, ac in auris meatum demittito: tertio quoque die auferto. educit enim multas ſordes, & abundè leuat. Hoc etiam ad excreſcentias carnis conducit. ALIVD. Nitri torrefacti puluere aurem obturato, atque ita rurſus acetum ſuperinſtillato: poſtero die calente hydrelæo eluito.

Si aqua in aurem inciderit.

Quòd ſi aquam auri incidere contigerit, fac vt æger H vno pede, qua parte auris affecta eſt, ſubſiliat, ad eam inclinando. ita nanque facilè excernitur. Cæterùm extrahit etiam id quod valde infixum eſt, ſiquis ore aurem exugat, id quod per arundinem quoque fieri poteſt. Vbi verò exuxeris, etiam oleum calidum irinum aut amygdalinum inſtillato.

Si lapilli,aut alia quædam in aurẽ inciderint.

Si lapillus,aut faba,aut aliud quiddam in aurem incidat,ſpecillum lana inuolutum in reſinam terebinthinam,aut glutinoſum aliquod intingito: ac vbi in aurẽ inieceris, leniter protrahito, ac ſternutamentum excitans,os & nares obturato. Nam ſpiritus intentione quæ ita fit,id quod intus impactum eſt expellitur. Hoc autem continuè facito, diligentia adhibita vt quamprimum eximatur. Sin autem neque ſic exciderit, inflam matione oboriente conuulſiones ſæpe comitantur, vt etiam ægri de vita periclitentur. Quare oleum quoque tepidum frequenter infundere oportet. ſic enim lo cis inflammatione liberatis,id quod inſidet, facilè eximetur: ac vbi inflammationes ſolutæ fuerint,mulſa eluere aures confert. Quippe id quod incidit, ſubinde per liquida explicatur, & volſella promptè extrahitur. Iam nonnulli fiſtula auri impoſita,ore exuxerunt,eóque modo attrahentes eximere potuerunt. Ante omnia verò oleo tepido,ſternutamentis(vt dixi)& mulſa vtendum eſt.vbi enim ſic nos egerimus, facilè etiam ſpecil lo,& quocunque tandem prædictorum voles, ex alto id quod inhæret educetur.

Aduerſus aurium vermes.

Vermes aurium corrumpit quidem & oxelæum ſi inſtilletur, & capparis ſuccus: ſimili modo etiam calaminthæ ſuccus,ſiquid aliud,omnem dolorem, quum inſtillatur,mitigat. Item veratrum album aurium vermes tollit,ſi cum vino læuigetur,inſtilletúrque. ALIVD. Abſinthio decocto ex vino aurem eluito, aut marrubio, & centaureo ſimiliter: adhæc ſcammoniam aceto ſolutã,vel abſinthii ſuccum,aut ſulphur,nitrúmque cum raphani ſucco inſtillato.

DE AVRIVM DOLORIBVS EX DEfluxione,quæ catharros appellatur,

Cap.IIII.

Hoc ſcire in vniuerſum & cauere oportet,ne ſubitò in doloribus qui ob defluxionem eueniunt, parti remedia adhibere feſtines. Nam præterquam quòd nihil iuuant, etiam magis adhuc materiam attrahunt, &vt copioſius ad affectas particulas poſt concoctionem feratur,irritant. Quare in eiuſmodi & lauandum eſt,& cucurbitulis in occipitio vtendum:maximè ſi etiã grauitatem circa caput & ruborem in facie ſentiant:adhæc ſi æger vinum bibere ſoleat.Sin autem nihil horum extiterit, verùm corpus ſiccum & gracile ſit, influxióque acris, victu vtendum craſſo temperatóque, otio & quiete. magis autem balneis,& iis quæ ſomnum inducunt: quorum in numero eſt medicamentum *à papaveris capitibus* ὅ[illegible] κωδυῶν dictum,quod humores acres,ſiquid aliud,concoquere, craſſiores facere, & contemperare poteſt.

SI SANGVIS EX AVRIBVS PROFLVAT, Cap.V.

Qvòd verò ſanguinis ex auribus profluuia fieri con tingat,& pericula quædam interdum comiten tur,idque nõ ratione criſis, hoc quoq; in mor bis valde multis videre licet, præſertim capite robuſto & materiam foras propellente: quemadmodum etiam natura hoc per nares & alias quaſdam particulas facere conſueuit. Si igitur poſt concoctionem id ſpectaueris, naturæ impetus prohiberi non debet:quoniam ægri ſalus eſt, vbi hoc ipſa tentauerit.Quòd ſi vires interim de iici,multa vacuatione orta,aut aliàs periculum inducẽte,contingat,tunc ægro ſuccurrendum eſt, & immoderatus ſanguinis curſus reprimendus. Sunt autem multa quæ hoc efficere poſſunt, & præcipuè hæc. MEDICAMENTVM quod ſanguinis profluuium reprimit. Rubi & gallarum aceto incoctarum ſuccum auri infundito. ALIVD ad idem. Succum perdiciadis tepefactum infundito. ALIVD, ne ſanguis in auribus co eat in grumos. Porri ſuccum cum aceto mixtũ frequẽ ter infundito.

DE SVRDITATE, Cap.VI.

At ſi auditus in totum offenſus fuerit,quam copho ſin Græci nominant,*nos ſurditatem*, ac quibuſdam ſanè ipſa ſine febri,quibuſdam verò etiam cum febri ſu

A peruenıat,quæ ex bilioſo quidem humore impetũ ad ſu periora capiente accidit,hæc facilius curationem recipit,aut ventre naturaliter moto, aut medicamento ægris dato quod bilioſum humorẽ vacuare ſoleat: quæ verò ex viſcoſis craſſiſque humoribus ad aures decumbentibus generatur,vt in lethargis,cataphoris,cephalæ is diuturnis, aliiſque affectibus accidit, ea omnis difficulter ſolui poteſt,& ægri magna ex parte ei cõmoriuntur. Valde igitur affectui reſiſtendum eſt,initium faciẽ do ab imi ventris purgatione,quæ petetur ex oxymeli

B te Iulianio dicto,& hiera:frequentiùs autem ex ſalibus qui recipiunt euphorbium,vel qui à nobis parari ſolẽt. Videntur quidem humiles & ſimpliciores, verùm magnas vires obtinent, etiam ad alia multa efficaces. habet autem ipſorum cõpoſitio in hunc modum. HALATIVM, *quod eſt medicamentum ex ſale*. Ammoniaci drach. duæ,piperis drach.vna, euphorbii drachma:dan tur pro virib⁹ ſcrupuli quatuor aut ſex,ex ouis,aut mulſa,aut olere,aut quomodocunque ipſos exhibere velis. Vtiles ſunt vertiginoſis quoque, & quibus menſes reti

C nentur. Vbi iam ventrem inanieris, tandẽ etiam ad ea tranſito quæ ſaliuam per os educunt. itẽ ad ea quæ per nares humores prouocãt & extrahũt,quæ errhina dicũtur:necnon ad ea quæ ſternutamenta ciere ſolent. DE APOPHLEGMATISMIS. Hi præſtantiſſimi ſũt apophlegmatiſmi qui ex herba pediculari & ſinapi cõ ſtant, ſi ex eis fiat gargarizatio. DE IIS quæ ſternutamenta mouent. Ex ſternutamenta mouentibus, ea conueniunt quæ ex pipere,ſtruthio (*nobis dicitur herba lanaria*) veratro albo,herba ranunculo,pari portione con

D ſtant.Quæ autem naribus infundũtur,ex cyclamini ſuc co & melle commixtis ſunto. ALIVD.Probè facit etiam puluis hic per arundinẽ inſpiratus, iſta recipiẽs: Cumini ſicci drach.octo,iridis drach.quatuor, nitri ru bri drachmã,elaterii drachmam. Trita in læuorem narib⁹ inſpirato. nã caput copia infeſtatũ egregiè leuat.Iã aures etiã benè purgat medicamẽtũ quod ex centaureo, colocynthide & veratro cõficitur,ſi narib⁹ infundatur. AD GRAVEM auditũ & ſurditatẽ. Veratri nigri,caſtorei, ſingulæ drachmæ. aceto exceptis vtitor. Cõue

E niunt autem his etiam quæ ſuperius ad grauem auditũ & obſtructiones dicta ſunt. Talia verò habentur etiam quæ ex ſuccis, nitro & cedria componuntur. Præterea ſuccus chamelææ efficaciſſimus exiſtit, & ad maximas ſurditates cõprobatus. Quòd ſi affectus perſeuerat,vomitu quoque vtẽdum,qui ex veratro moueri ſolet.Poſt euacuationes,& vomit⁹,medicamẽta quæ per nares mo uent,item quæ affectis partibus imponuntur, etiam exercitationem per equos adhibeant, præſertim eã quæ curru obiri ſolet: & loca mutent. deligito autem mari

F tima potius quàm mediterranea. & balineas naturales dulcibus præponito:harum inopia,confert etiam in ma rinis aquis corpus abſtergere. Adhæc caput, præſertim quibus graue eſt & repletum,exſiccare ſalubre eſt:præterea hirudinibus, ſinapiſmis, & cutis perfricatione vtendum. Quidam verò non ſolùm hæc,ſed etiam arteriæ inciſionem poſtea adhibuerunt, & extrema tubicinalis calami parte in auris meatum impoſita,ita modulati ſunt. Alii verò per magna tintinnabula inſonarunt, ac alii aliis machinis excogitatis vſi ſunt. Nam in ma

G gnis affectibus,etiamſi multa remedia nihil notatu dignum facere videantur,tamen excogitanda ſunt:nec labor ad ſuccurrẽdum detrectari, nihilque omitti debet. Pleraque enim non raro præter opinionem ſuccedunt.

DE PAROTIDIBVS, Cap.VII.

Avrium affectus iam perſequuti,deinceps opportunè de parotidibus agemus. Scire igitur nos oportet plurimas parotidum eſſe differentias. quædam enim ipſarum,ratione criſis, concoctione iam apparen

H te fiunt:quæ neque prauæ, ſed potius curatu faciles exiſtunt,multóſque magnis periculis liberarunt. Aliæ verò ex copia cruda contingunt,quæ naturam grauant,ſimul & nonnihil irritãt: quare etiam procedente tempore periclitantur,& medicis multa tentantibus,vix ad ſuppurationem aut concoctionem perueniunt. Accuratè igitur inſpici debet tum qualitas tum quantitas

materiæ influentis,& parotidas excitantis. Nonnullæ ſiquidem ipſarum ex copioſo humore, calidiore & bilioſo, vt nonnullæ rurſus ex craſſiore & frigido,generantur. Ex his ipſis rurſus,quæ quidem ex copia calidio reconſtituuntur, magnos quibuſdam & vehementes cruciatus inducunt: quæ autem ex ſubtili, eryſipelata, neque grauantes, neque meatus arctantes: quæ autem à craſſiore ſanguine originem traxerunt,grauant.Quæ autem à magis melancholico & craſſo prouenerunt, grauant quidem, ſed neque ruborem habent, neque dolorem adeo ipſæ inferũt: tumorem autem ſcirrhoſum repræſentant,quemadmodum illæ quæ à pituita traxerũt originem, laxũ tumorem, *qui οἴδημα Græcis dicitur*. Quoniam igitur ipſarum qualitas quantitáſque diuerſa eſt, diligenter eam inſpicere & ſic ad curationem congruã venire expedit.

Curatio parotidũ quæ à copia ſãguinis cõſtituũtur.

Incipiamus igitur à parotidibus quæ à ſanguinis copia generantur. Quando itaque ex tali humore conſiſtunt, neceſſe eſt tumores magnos & rubros apparere, doloréſque euenire continuos, vehementes,& periculoſos. Antequam igitur vllam curationem parti adhibeas, ad ſanguinis miſſionem procedendum eſt. Qui enim nulla vacuatione præmiſſa, ſtatim ad inducenda cataplaſmata tranſierũt,aut ad aliud quod diſcutere aut extrahere parotidas poteſt,(cuiuſmodi ſunt quæ ex fermẽto & viſco parantur) hi manifeſtò authores extiterunt cur ægri ſtrangularentur. Quare ſi nihil aliud in paroti dibus ex craſſioris ſanguinis copia conſtitutis impedit, ad ſanguinis miſſionem venire oportet: atque ita cum bona fiducia offerre qualecunque medicamentũ quod affectui conuenire exiſtimaueris. DE CATAPLASMATIS. Cataplaſmata igitur in maximis & doloríficis inflammationibus cõueniunt,quæ hordeacea farina & ſemine lini conſtant. Sin & durities quædam fuerit,ficus ſiccas,adipem ſuillum & lapathum adiicere oportet. Conſtat autem cataplaſma coqui debere ex iure fœnigræci, chamæmeli,althææ,& ficuũ ſiccarũ. Tribus diebus poſt cataplaſma inductũ,emplaſtro quæ ad Mnaſæum authorem refertur, admodũ leniẽti, & ad ea quæ in ſcirrhum induruerunt,diſcutienda,emolliendáſque durities bene efficaci, vtitor. Hæc autem recipit ceræ libram,axungiæ porcinæ libram,colophoniæ vncias ſex, argenti ſpumæ libras duas,vini lecti heminas ſex. Paratis vtitor. non minus autem hoc quoque medicamentũ quàm prædicta valet. Habent autem in hunc modum: Terebinthinæ libram,maſtichæ,ceræ, ſingulorum vncias tres,olei gleucini & myrtei quod ſatis eſt. Medicamentum in aquam marinam coniicito. Optimè facit etiam emplaſtrum diamelitos per ſe, & cum pſittacio. Pari modò etiã pæonia in ſuperficiariis parotidibus, & quæ ex ſanguine originem trahunt,rectè adhibetur: verùm in in iis quæ altius deliteſcunt, & in quibus cutis eſt denſa,craſſiórque materia, ſi nitri paulum,& dracunculi radicẽ cataplaſmati iã dicto admiſcueris, præſtantius adhuc,magiſque diſcutiens medicamentum efficies, quemadmodum ſi ammoniacum adiicias. CVRATIO earũ in quibus tumor eſt ſcirrhoſus. In quibus magna quædam durities apparet, aut picem liquidã,aut ſeuũ taurinũ,aut hircinũ,aut vitulinũ,aut ceruinũ,aut bdelliũ,aut ſtyracẽ cõtinuè addere expedit. Hæc enim omnia duros ſcirrhoſóſq; tumores diſſipare & emollire poſſũt. Deligẽdũ igitur ex his eſt quod vnicuiq; cõpetet,vbi tumoris diſcutiendi molliẽdiq; ſpes eſt. Cæterùm oleũ quod parotidib⁹ ex frigido ſubortis & durioribus ſuperaccommodabitur, aut irinum, aut Sicyonium eſto: quemadmodum rurſus calidioribus roſaceum,aut chamæmelinum. Clarum verò eſt calidiora medicamenta melius adhiberi, vbi febris non adeſt,etiam in diuturnis affectibus,qualia ſunt tum Ariobarzanium,tum diaſtruthiũ appellatum:quorum deſcriptiones vobis ſubieci, ne eas aliunde conquirere cogeremini. EMPLASTRVM ariobarzanium ad ſcirrhoſos affectus efficax. Spumæ argenti libras tres,& ſeſcunciã: ceruſæ libram & vncias quinque, aquæ marinæ vncias vigintiquinque,olei veteris ſeſquilibram, buccinorum

A combuſtorum vncias ſeptem & ſemiſſem, ceræ rufæ vncias nouem,terebinthinæ vncias ſex: thuris vncias tres, & ſcrupulos tres cum dimidio. MEDICAMENTVM diaſtruthiũ ad eadẽ: Herbæ lanariæ *quæ ϛρουθιον Græcis dicitur*, vnciæ quatuor, ammoniaci ſuffiminis vnciæ quatuor, ſpumæ argenti vnciæ quinque, reſinæ piceæ libra,ceræ libra, ariſtolochiæ rotundæ vnciæ quatuor,galbani vnciæ quatuor,ſquamæ æris totidem,mannæ thuris vnciæ quatuor,aceti ſcillitici heminæ tres, olei veteris ſextarii quatuor. Oleum,argenti ſpumam,&

B acetum coquito dum manus non inquinent: deinde lebete humi poſito, adiice herbam lanariam, ammoniacum,ſquamam,& galbanum: deinde rudicula agitans, adiungito mannam thuris, & ariſtolochiam, coquitóque donec in craſſitiem coierint. Lebete autem ab igne ſublato, moueto. Quidam acetum poſtea ſuperinfundunt. Hoc medicamentum cõfert parotidibus, & præcipuè ſtrumis:auxiliatur etiam ſcirrhoſis, duriſque condylomatis, neruorum vulneribus, incipientibus panis, viſcerib⁹ ſcirrho induratis, & ſtomachi abſceſſibus.to-

C phos diſſoluit: in ſumma, medicamentum eſt multis accommodatum.

Quomodo tumor in pus conuerti notetur.

Si tumor nihil quod notari poſſit, imminui ex medicamentis,& cataplaſmatibus diſcutiendi facultate præditis appareat,ſed etiam dolor perſeueret, neceſſe tandem erit vt ad ea quæ ſuppurationem excitare, & materiam poſſunt concoquere, digrediamur: id autem præſtat cataplaſma quod ex farinæ polline conſit. Lapathum & axungia porcina in hydrelæo coquũtur. Por-

D ro materiam in pus iam mutari, inde tibi innoteſcit quòd rigor præter rationem & febris nunc oboriatur, quæ prius non erant,dolórque maior vrgeat. Poſtquam igitur in pus tranſierit,materia mutata, tunc etiam magis non modò cataplaſmatis, ſed etiam medicamentis quæ puri generando ſunt idonea, vtendum eſt. Ex ſimplicibus igitur ad huiuſmodi apta eſt & aqua tepida, cõtinuè per fotum adhibita,nunc quidem per ſe, nunc autem cum ſapa magis adhuc proficiet. quinetiam triticea farina his incocta prodeſt. ſimiliter & halicæ fari-

E na,ſed in humidis magis tumoribus: eadem ratione etiam panis purus plus quàm ſordidus præſtat. Item pix læuigata ex oleo, adeps vitulinus & ſuillus abſque ſale confecti proſunt. Nam qui ſalis participes ſunt,ad diſcutiendum magis valent. Sunt autem alia quoque nõ pauca ſimplicia,quæ ſuppurationi conferunt,verùm ad cõpoſita tranſire commodius eſt. Multa itaque ſunt etiam alia cataplaſmata quæ ex farinæ polline parantur, ſed nullum præſtantius eo quod à nobis confectum eſt. Recipit autẽ axungiæ libram,oua anſerina quatuor, ſapæ

F vncias quatuor,farinæ pollinis libram. Hæc probè læuigata,& in panniculum illita applicato,continuè immutans. Ego autem, vbi farinæ pollinem cum ſapa & axungia coxiſſem,ac poſtremò oua adieciſſem,multo lenius medicamentum effeci. Inſuper hoc quoque medicamẽtum quod ſequitur, probè adiuuat vt celerius fiat ſuppuratio, & humores crudi coctioniſque expertes concoquantur. Idem etiam humores in pus conuerſos extrahere conſueuit:quin & humorem inſidẽtem per tenues & à viſu remotos meatus latenter elicere, vt cicatrices

G poſtea tenues & quodammodo obſcuræ appareant. Hæc autem recipit fermenti libram, ceræ vncias octo, apochymatis vncias 4, ſalis communis vncias 4, galbani vncias quatuor, ſalis floris, piperis,ſingulorum vnciã: ſeui taurini vncias quatuor,ſaponis Gallici vncias tres, reſinæ piceæ librã. Hoc medicamentum ita præparatũ non ſolùm parotidibus, ſed etiam aliis abſceſſibus accommodatur,vbi affectum vtriſque indigere putaueris, nempe vt humores in pus iam mutati excernantur: qui autẽ mutati non ſunt,concoquantur. ALIVD. Eadẽ

H quæ hoc efficere poteſt etiã medicamentũ quod cuminũ recipit,cui⁹ ſcriptura ita habet, Farinæ hordeaceæ tenuis admodũ vnciæ 27. ſalis communis vnciæ 5,picis vnciã,ceræ vnciæ 9,nitri,cumini,reſinæ frictæ, ſingulorũ vnciæ quinque,olei vnciæ octo,althææ vnciæ quinque, cremoris ptiſſanæ libra, cremoris ſeminis lini libra,

Arida vino in læuorẽ redigito, & quæ liquari poſſunt, ipſis ſuperfũdito: cremorib⁹ autẽ ſeminis lini & ptiſſanæ diligenter coctis, vt nõ aduratur, medicamẽto hoc cum fiducia generatim vtitor in parotidibus, aliiſque abſceſſibus. Etenim maturat, diſcutit, rumpit, conglutinat celeriter, & dolentia lenit. ALIVD medicamentum *ex farinæ polline*, quod διὰ γύρεως dicitur. Bene facit etiam medicamẽtum ex farinæ polline, quod hæc recipit, Adipis porcini vncias ſex, ceræ vncias duas, ouorũ duorum albumina, mellis tantundem, farinæ pollinis quod ſatis eſt. Ceram primùm cum adipe liquefacito, deinde vbi ſoluta fuerint, tepefacta ouorum albumina moderatè adiicito, ac melle pilæ indito, probè ſubigito: atque ita paulatim farinã vſque ad mediocrem craſſitiẽ, & ea quæ ſoluta ſunt, ſuperiniicito, rurſúſque diligenter tritis, ſic cum fiducia vtitor, illinitóque. valde enim diſcutit, lenit, rumpit, purgat, & in totum abolet. Facit etiã angina detẽtis. ALIVD medicamentum διὰ σηρικος. Ad eoſdem affectus valet etiam medicamentum quod ex ſerico paratur: hæc autem continet, Serici libram, olei heminas quatuor, quod eſt ſextarii dimidium: coquito dum manus non inquinet. Ad multa efficax eſt medicamentum. ne contemnas ſimplicium vilitatem. Iam id quod à nobis paratur medicamentum ex melle, conducit, ſi cum ſuperiori diaſericos miſceatur, vt partes quinque ſint medicamenti diaſericos, duæ autem eius quod ex melle conficitur. Interdum verò etiam per ſe poſitum proficit. eſt enim in multis comprobatum. Habet autem in hunc modum. Lixiuii primarii (hoc eſt piliariorum) vnciæ ſex, corticum nucum vnciæ duæ, ſaponis Gallici vnciæ ſex, aphronitri albi vnciæ ſex, mellis vnciæ tres, olei veteris libra, ceræ vnciæ tres, terebinthinæ vnciæ ſeptem. hoc diſſoluit, ſquamas educit, & multis eſt vtile. Hæc ſanè moderatis inflammationibus conueniunt, in quibus dolor vehemẽs multúſque nõ vrget, & tumores rumpere cogitamus, neque calorem magnum excitare oportet.

De parotidibus quæ ex biliosa fluxione naſcuntur.

At ſi parotidem ex tenui feruentíque ſanguine & in bilioſam naturam cõuerſo generari contigerit, id quoque tum ex aliis multis, tũ nihilo minus inde licet cognóſcere, quòd tumor ſit rubicundior, igneus & eryſipelati perſimilis, ægérque videatur tanquam ardere, & tangẽtes manifeſtam caliditatẽ percipiant. In iis igitur ea quæ ouis, chamæmelo & ſapa conſtãt, admoueri debẽt, quæ in febricitantibus parare conſueui: item ceratũ febribus abolendis efficax, (ambroſia dicitur) cuius compoſitio hæc eſt: Croci ſcrupuli quatuor, ſpumæ argenti vncia, olei roſacei, ceræ, ſingulorum vnciæ quinque, adipis porcinæ vnciæ duæ, mellis vncia, cremoris ſeminis lini quod ſatis eſt. Ho c qu oue medicamentum calidis affectibus opitulatur: ſcriptura eius ita habet, Ceræ vnciæ quinque, olei chamæmeli vnciæ duæ, roſacei tantundẽ, ouorũ lutea ſeptẽ, farinæ fabaceæ vnciæ quatuor. Paratis vtitor. ALIVD præſtantiſſimum ad idem. Altercum, lapathum, cum axungia læuigata obducito, bis die aut ter immutans. ALIVD. Ceræ vnciæ ſex, colophoniæ vnciæ ſex, olei vnciæ quatuor, foliorũ perdiciadis vnciæ ſex. Oleo paratis vtitor. Iam pſyllium quoque per ſe coctum & applicatum, proficit, nonnunquam ouis adiectis. Quinetiam medicamẽtum diachyleῦ confert, quod hæc recipit, Argenti ſpumæ læuiſſimæ libras quatuor, olei, ceræ puræ, ſingulorum libras ſeptem, ceræ Tyrrhenicæ librã, reſinæ piceæ vncias quatuor, ſucci pſyllii libras tres. Succum pſyllii ita parabis: Pſyllii vncias tres in aquæ fontanæ libras ſex coniicito, & die præcedenti aqua macerato, in ſequenti, igne vehementi coquito, donec iuris hœdini craſſitiem habuerit, & acceptum percolato quicquid ſubſederit: citò enim coaleſcit. deinde rurſus in lebetem recipito, iterúmque percolato. Atque ita calefaciens parato, donec trium librarum pondus receperit: deinde ſic argenti ſpumam per ſe læuigatam habeto: poſtea in vas æreum cum oleo & ſuccis iniicito, mouetóque, lẽto igne incoquens, vſque ad ſpiſſitudinẽ quæ manus intinctas non inquinet. Inde humi ab igne poſitis, ceram & reſinã piceam immittito: ac vbi no amplius inquinauerint, ſublata in pilã defundito, & rudicula emollita, exceptáque in pelle, reponito, ac in quibus viſum fuerit vtitor. DE CATAPLASMATIS. Optima etiã ſunt cataplaſmata quæ ex palmulis, mica panis, luteis ouorum, glaucio, croco, & farina hordeacea conficiũtur. Etenim concoquunt, etiã ſiqua durities igneæ inflãmationi cõiũcta inueniatur. Nonnulli ſanè iis quoq; vſi ſunt quæ ſolanũ recipiunt: ego verò huiuſmodi auerſor, quemadmodũ B & illa quæ alumen & aliud quid adſtringens continẽt: quippe materiam in alto non ſine periculo repellunt.

Ad parotidas œdematodes.

Ad parotidas ex pituita prouenientes, quæ nihil habent dolorificum aut renitens, digredi tempeſtiuũ eſt. In his igitur competit terra cimolia inducta, & lapathũ iniectum, ita nimirum vt priùs butyro inungatur. Item calx lota inuncta probè tumores œdematodes diſcutit. Adhæc erui cum melle applicati, aut mulſa, valde ſiccantẽ diſcutiẽtémque vim obtinent. DE VICTV. C Victu congruo maximè, & ſubiecto affectui, cauſæque eius effectrici accommodato, in primis vtãtur. Nam in parotidibus quæ ex bilioſo humore concitantur, temperatus victus & refrigerans conuenit. Cremor itaque his expedit, (præſertim per initia inflãmationis, quum adhuc eſt dolorifica) tũ ptiſſanæ, tum halicæ, & ſimilaginis inſigniter decoctæ, quemcunque ex prædictis cremoribus æger aſſumat. Similiter etiam ouorum lutea his idonea ſunt, maluæque caules. At inflãmatione declinante, etiam piſces ſaxatiles, pulli columbini, & gal- D linarũ cohortaliũ alæ cõducunt. Eiſdẽ etiam in aliis parotidis differentiis ægros vti oportet. Qui autem ſine febribus exiſtunt, inter initia ſi piſciculum, aut aphratũ, aut columbum aſſumpſerint, nihil offendentur.

DE NARIVM AFFECTIBVS, Cap. VIII.

Tumores quidem præter naturam, polypi naribus obueniunt, hulcera verò ozænæ, necnon excretiones naturæ contrariæ, quas aut critica febrium ſolutio, aut copia, aut venæ eruptio excitat. Primùm igi- E tur de ozæna dicturus ſum, quæ ex acriũ putridorũmque humorum colluuie procreatur: qui ſi acres tantum exiſtant, hulcera curatu difficilia, non tamen grauiter olentia contrahere ſolent. Curatio ſanè vtriuſque huius vitii ozænæ & polypi eſt communis: nempe caput primùm reſiccare, eique robur adiicere. Cõſtat enim hæc ex eo propter humorum malignorum redundantiam naribus influere. Quomodo autem caput totum corroborandum ſit, ne quicquam ex ipſo ſuperfluum infernis partibus influat, ſubinde comprehenſum eſt. F Quum igitur caput validum robuſtũmque reddideris, tunc ipſis naribus remedia applicabis. Itaq; capiti prius deraſo, emplaſtrum ex ſalicibus, aut barbaram, quod bitumen & picẽ recipit (maximè à Galeno, ac certè à nobis probatũ) imponito. Item optimũ quoque eſt quod ex anemone conficitur. Adhæc etiam proprium medicamentum quod ex cochleis in hunc modum paratur, Myrrhæ, thuris, ſingulorum vncia, cochleæ integræ quæ petris adhæreſcunt, numero quinque. His in pila tritis, ceram & albumina ouorum duorum addito, com- G miſcetóque, ac medicamentum capiti cum linteo diebus nouem continuis inducito: &, ſi malis humoribus ſit infectum, tertiò id adhibeas: poſthæc parti remedia induces. Malorum Punicorum tria ſunt genera, auſtera, dulcia & acida, quæ adhuc recentia ſigillatim contundere oportet, totáque accuratè confringere, vt ſuccus ab ipſis exprimi poſſit: quem vbi modicè decoxeris, ſi liquidior paulo appareat, ſtanneo vaſe repones. Quod verò craſſum ex ipſis ſolidũmque reliqueris, rurſus in pila exquiſitiſſimè contundes, vt iterum poſſit H læuigari, ac collyria inde fingi, quæ narium eius qui curatur meatui accommodentur. Demittentur autem in narium meatum, in quo polypus deliteſcit, & citra roſionem, doloríſque conſenſum, quem acria medicamenta efficiunt, longioris tẽporis ſpatio ipſum abolebũt. At ſi humidior molliórq; polypus tibi appareat,

maiorem

maiorem portionem ex auſteris malis Punicis iniicias: ſi durior, ex acidis. Quoniam verò moleſtum eſt perpetuò collyrium ſuſtinere, licet etiam quandoque intermittere: atque interim ſuccum anteà expreſſum in nares infundere, ſimúlque ore hiante illinire, qua parte palatum verſus nares perforatur, penna aut ſpecillo lana inuoluto. Ex aridis medicamentis noui quandoque diphrygi polypum citra roſionem longiore tempore conſumptum. Adhæc non vnum genus pulueris exiſtit, ſed etiam quod ex quatuor metallicis componitur, chalcantho, chalcitide, ære cremato & miſy. accipias hæc æquali ſingula pondere, & ſeorſim teras ex aceto, poſtea omnia ſimul miſceas, ex vino ſubigens, donec glutinoſum fiat medicamentum ad mellis ſpiſſitudinem. Deinde in ollam recentē coniicias, quam operculo impoſito, lutóque oblitā in furnum demittas, vt in carbones illa redigantur. Furno exempta cū vino teras, atque iterum ſimiliter torrefacias, redigáſque in puluerem, eúmque reponas, & quum neceſſitas poſtulat vtaris. Hic puluis polypos admodum inueteratos conſumit. Nec parum confert ipſis & prædictum collyrium, quod ex malis Punicis componitur, aridum, minutiſſimè tritum, & inſpiratum, aut nucleo ſpecilli impoſitum. Atque hæc omnia maximè facienda ne vnquā affectæ particulæ medicamentum deſit. facilè enim ab humiditate abſtergitur: Quemadmodum igitur in lippientibus, ita in his quoque perpetuò medicamentum imponere oportet: vt quod facilè ab influēte humiditate abluatur. At ſi quis eunuchus nullum medicamentum adferri ſuſtineat, ſed ab omnibus irritetur, roſas ſiccas contuſas tritáſque diligenter, impones, ac citra roſionem pariter & mirificè operabuntur. Verùm ſæpe adhibenda eſſe iſta medicamenta conſtat, lauandáque ſtudioſè ex ſucco nuper dicto. Porrò vlcera narium paſtillis curabis, quales ſunt, Andronius, Paſſionius, Polyides, aut Bithynus, aut is quem ego compoſui: interim ex vino dulci ipſos diluens, interim auſtero, nunc ætate mediocri, nunc veteri: aliàs ex aceto, aut vinoſo, aut ſimpliciter acido, aut etiā acri admodū &, vetuſto, vſu medicamentorum ab affectuum accidentibus ſecundum prædictas indicationes inuento. Quū opulentus quidam me rogaret vt medicamentum quod in ozænæ curatione adhiberem, eſſet odoratum, hedychroo dicto vti cogitaui, falerno veteri ipſum diluens: ac mirum eſt quàm citò affectus ſanitatē receperit. Hedychroi autem confectio explicata eſt in Theriacæ antidoti deſcriptione, quam Galenus memoriæ prodidit. Iam emplaſtrum ex pipere albo, & oleo roſaceo ſolutū, & naribus illitum, omnia vlcera mirabiliter perſanat. Liquet autem in huiuſmodi affectibus, conſiderata cuiuſque corporis natura, ſanguinem, ſi nihil impediat, mittendum eſſe, nec nō medicamentum purgans offerendum. Cæterùm victus ratio quoque obſeruari debet, & caput radi, ſiccarique medicamentis, & pituita per os educi.

Ad ſanguinis profluuium ex naribus.

Platani pilulas collectas in vmbra ſiccato: vbi deſiccaueris, ſuper aſperum quēpiam pannum in diſcum proiicito, illiúſque extremitate confricato. Sinminus, in quodam ex pilis ſetiſve confecto affricato, & ſemen pilularū proiicito: lanuginem autem inde collectam, vaſe fictili recenti reponito. Quum vſus exigit, lanuginē platani impoſitam fiſtulæ arundinaceæ, cui geniculi ſint adempti, excauata autem ſit qua parte imponitur, ægro reclinato, naribus inſpirato, ac ſtatim ſanguinis profluuium ſiſtet.

ALIVD. Chalcanthum diligenter tritum reponito: in vſu carptum linamētum in medicamen intingens, naribus dimittito. ALIVD. Spongiam nouam pice cruda imbutam comburito: eámque linamento tortili exceptam naribus immittito. ALIVD. Putaminis oui triti pars vna, gallæ Aſianæ pars vna: tritas linamento tortili aqua perfuſo, aut aceto excipiens imponito. Adhæc puluis xanthos dictus, quo ego vſus ſum: Chalciditis cōbuſtæ drachmæ centum, chalcanthi cremati drachmæ quinquaginta, miſyos toſti drachmæ vigintiquinque, æris vſti drachmæ duodecim & ſemis. Terito & vtitor.

ALIVD. Myrrhæ, miſyos Cyprii, chalcāthi, ſingulo-

A rum drachmæ ſeptem: corticum pini, ſquamæ æris, mannæ, thuris, ſingulorū drachmæ quatuor: æris cremati, chalcitidis, ſingulorum drachmæ quindecim: calcis viuæ drachmæ octo, gypſi torrefacti drachmæ quatuor. Terito & vtitor. ALIVD. Stibis, chalcitidis, ſingulorum drachmæ ſex: mannæ, thuris drachmæ duæ, reſinæ terebinthinæ frixæ drachmæ quatuor. In puluerem redigito, & vtitor. Quòd ſi in naribus peſſimus ſit odor, myrrhæ, acaciæ, amomi, ſingulas drachmas teres, cernéſque, & melle cocto excepta, ſummo narium ſepto aut cartilagini aggluti- B nari præcipies.

AD LIVORES FACIEI, Cap. IX.

Liuores faciei meliloti & fœnogræco decocto fouebis: poſtea collyrio Diarrhodωn illines. Ad recētes autem liuores cataplaſma ex farina fabæ cum melle induces. Liuores porro cum inflammatione, aqua calida fouebis, & cataplaſmate ex lenticulis decoctis obduces.

C DE DENTIVM AFFECTIBVS, EX Galeno, Caput X.

Dentium affectuum alii ſanè omnibus euidenter apparent, quemadmodum quum perforati fuerint, aut nigruerint, aut attriti ſint, aut neque frigida, neque calida ſuſtinent, ſed ob vtrūque aut alterum ſolum dolor aliquis ipſos inuadit: alii verò nō apparent in ipſis manifeſtò, ſicuti quum æger ipſe ſentire ſe dolorem affirmat qui in alto dentis corpore oboritur. Aduerſantur enim nonnul- D li, dicentes dentem, quum os ſit, citra dolorem affici, quēadmodum quum lima exceſſus ipſorum præſecare cogimur, aut ob aliam quampiam occaſionem, de quibus paulo pòſt tractabo. nunc enim citra rationalem naturalémque demonſtrationem cogito iis atteſtari qui dentem ipſum dolere pronunciant. Etenim ego quoque dolorem paſſus, mentem diligenter adhibebam, ceu qui iam prius de hac controuerſia audiuiſſem: ſentiebámque manifeſtò dentem non modò dolere, ſed etiam pulſare, carnibus inflammatione obſeſſis ſimiliter: vnde etiam admiratus E ſum an hic quoque affectus quē vocamus inflammationem, in dente qui lapideam durámque ſubſtantiam obtinet, poſſit oboriri. Quinetiam alio tempore dentis dolore affectus, palàm perſenſi, non ipſius dentis ſed gingiuarum eſſe dolorem, idque quum inflammationem experirentur, vt etiam citra compreſſionem dolerent. Imò & vicinitate dentium, quum duri ſint, augeſcere dolorem ob compreſſionem deprehendi, tanquam vtriuſque doloris ſenſum expertus, alium ſanè in gingiuis, alium verò in ipſorum dentium ſubſtantia manifeſtò noui: & atteſtor iis F qui dentes ipſos nonnunquam dolere dictitant. Præterea nerui qui dentis radici inſeritur, dolorem excitari interim, rationi conſentaneum eſt: dum ille imaginationem confuſam incertámque multis præbeat, quaſi dens ipſe doleat. Etenim & hoc manifeſtò mihi accidiſſe deprehēdi: & quòd exigua adhuc doloris pars dēte exempto permanet, id ob nerui inflammationem contingit, qui leuatur duntaxat inde quòd non amplius tendatur, à commiſſura qua oſſi tendenti inhæſit liberatus, reſpirationémque nonnullam habeat, & quòd medicamina quæ adfe- G runtur attingat.

De gingiuarum dolentium curatione.

Gingiuis autem ex inflammatione dolentibus præſentiſſimum eſt medicamentum oleum lentiſcinum, ſi calore temperatum in ore contineatur. Sit autem recens. nam vetuſtum tanto recenti deterius eſt quanto vetuſtius. Vas in quo illud calefit, in alio maiore collocetur, quod aquam abundè calidam contineat. Maximè igitur H hoc gingiuarum inflammationi conuenit, necnon ſi in alia quoque parte tum membranæ linguam integentis, tum eius quæ totum os ſuccingit, dolor ob inflammationem oriatur, hunc lentiſcinum mitigat. quippe citra moleſtiam & aſperitatem repellit quam pleraque auſtera obtinent, diſcutitque citra roſionem.

De dentium doloris curatione.

Dentium dolore affecti os aceto calido,acri,cum galla colluant:aut halicacabi radice cum aceto & galla, aut tedis pinguibus in aceto feruefactis, aut tithymalli radice in vino vſque ad dimidias decocta, aut alterci radice oxymeliti incocta,colluito. ALIVD quamprimum dolorem dentium finiens. Alliorum nuclei quinque,thuris maſculi oboli tres,myrti ramuſculorum faſciculi duo. Hos foliis ademptis priuatim terito, ſimiliter & allia & thus:deinde hæc ſimul in recentem ollam coniiciens, infundénſque aceti heminam,coquito,tedacea rudicula cõtinuè agitans,quouſque ad dimidias peruenerint:&ſic tedis vtitor. Oportet autem liquorem medicamenti ſupra locum dolentem diutius tenere: idque tamdiu fieri debet vſquedum ille fuerit conſumptus. Porro in maximis dentium doloribus mirificè valet ſerpentis exuuium in cinerem redactum,quod ex oleo in mellis ſoluti ſpiſſitudinem cogens,dẽtem purgatum,partéſque omnes ambientes circunlinito, & foramini dentis intromittito. Item origanum cum nitro terito, ac puluerem gingiuis inſpergito:ac mox ceſſabit dolor. Adhæc liquorem Cyrenaicum & piper æquali pondere cum galbano denti imponito. ALIVD anodynum ad dentes dolore infeſtatos eroſóſque.eſt etiam tuſſi efficax remedium. Liquoris papaueris drachmæ duæ,piperis albi triti cribratique drachma,myrrhæ drachmæ duæ, ſtyracis drachmæ duæ,galbani drachma, ſapæ ad excipiẽdũ,quod ſatis eſt: contundito ſimul,& in catapotia redigito,denti circunlinens,& foramini imponito. ALIA AD dentes molares compoſitio,eadem hora dolorem finiens. Piperis, pyrethri, liquoris tithymalli,galbani, ſingulorum drachma: læuigata galbano excipito, & foramini dentis eroſi imponito. ALIVD idoneum. Liquorem aut radicẽ ipſam laſerpitii, aut galbanum cum pipere inſerito:aut opium cum galbano aut opoponaco indito,inuoluitóque: ac iuuabis. ALIA Mylice,qua vtor. Aluminis ſciſſi drachmæ quatuor,piperis albi drachmæ duæ,opopanacis oboli quatuor,ſereos oboli quatuor, gummi macerati in aqua drachmæ duæ, ceræ totius ponderis duplicata portio.In aqua calida diſſolues ceram, & ſic vtêris. PASTILLVS ad dentium dolores. Aluminis ſciſſi drachmæ quatuor, piperis drachmæ tres, pyrethri drachmæ duæ,alterci ſucci drachmæ quatuor.Terito,& ex aceto fingito paſtillos,& in ore continendos dato. ALIVD ad dentes mobiles. Gallæ drachmæ duæ & ſemis, myrrhæ drachmæ duæ, mali Punici corticum totidem. Ex aceto vtere. ALIVD ad laxos dentes, nigróſque, & gingiuas fluxione tentatas. Gallæ drachmæ duæ,myrrhæ, aluminis ſciſſi,ſingulorum drachma: iridis drachma. In puluerem redigito, & vtere. ALIVD ad dentes mobiles,& gingiuas eroſas:digito autem loca attinges. Salis ammoniaci,aluminis rotũdi,ſingulorum drachmæ duæ, myrrhæ drachma.In puluerem redactis vtitor ALIVD ad dentium eroſiones. Cornu ceruini cremati, ſalis ammoniaci,ſingulorum libra:maſtichæ,iunci odorati, ſingulorum vnciæ duæ:piperis vncia,coſti vnciæ quatuor,folii vnciæ quatuor.In puluerem redigito,& vtere. ALIVD, vt dentem digitis apprehenſum tollas, antea probè purgatum, Roſam,gallam,ſtaphida agriam,alumen ſciſſum, ſulphur viuum,piper longum, pari pondere miſcebis: & redactis in puluerem cedriæ vncias quatuor addito, & cũ cera denti ſuperimpones.

Dentifricia Galeni.

Nonnulla ex dentifriciis à me compoſitis,vſu probata & efficacia generoſa prædita,viſa mihi ſunt digna quæ literis mandarem: ac primùm ea quæ frigidis affectibus dentium medentur,ſiue ob immoderatam frigidæ aquæ potionem,ſiue ex fructibus pomaceis à niue refrigeratis, ſiue aliis quibuſdam eſculentis,aut poculentis,ſiue præterea ex humore frigido è capite in ipſos dentes influente contractis. Itaque ex humore perfrigeratos, vehementer adiuuat apophlegmatiſmus, *hoc eſt medicamentum pituitam per os educens.* Eos autem qui citra humorem frigefacti ſunt, hoc ſolo medicamine quod nunc referetur, curare oportet. Eóque etiam poſt apophlegmatiſmum vti ſatius eſt,vt non ſolùm noxium humorem euacues, ſed etiam affectum ab eo naſcentem perſanes. Compoſitio medicamẽti hoc pacto habet: Duas herbas,quarum alia ſideritis, alia perdicias nominatur,domi ſenſim citra ſolis obiectũ ſiccato,vt neque humidæ adhuc neque ſiccæ exiſtant:& tantum vrito vt quumprimum contundi confringique poterint,ab vrendo ceſſes. nam facultas earum nimia aduſtione corrumpitur. In alia autem ollula comburetur ſal foſſititius cum alumine rotundo, Attico melle ſubactus: deinde cum aliis hæc mixta contundẽtur,& in creta probè tenui cribro rurſus conterentur in mortario. Præſtantius enim erit medicamentum quanto accuratius fuerit læuigatum. Vti autem eo oportet ſolos dentes fricando, vt vicinæ non attingantur, niſi hæ humiditate ſcateant. nam medicamentum vim habet ſiccatoriam: idoneum ſanè eſt gingiuis humidis, inimicum autem ſiccis. Attamen radices dentium poſt gingiuas eo perfricare conuenit, quemadmodum etiam ipſos dentes. Cæterùm eorum quæ ad huius medicamenti compoſitionem ſpectant,talis eſt temperatura. Herbarum combuſtarum drachmæ ſedecim, ſalis combuſti cum alumine drachmæ vndecim. Sit autem herbarum æquale pondus antequam comburantur,ſal quadruplo alumen ſuperet: aliorum verò nullum vratur. Arida iniiciantur,prout ſubſcripta habet temperatura, Origani comæ drachmæ duæ, piperis drachmæ duæ,pyrethri drachmæ duæ,coſti drachmæ tres,apii ſeminis drachmæ tres,iridis Illyricæ drachmæ quinque, menthæ ſiccæ drachmæ duæ, cornu ceruini aut caprini cõbuſti drachmæ duæ,ſeſeleos,hyſſopi,ſingulorum drachmæ duæ.Si odorum ipſum eſſe voles,caſiæ aut amomi drachmas duas miſceto:ſi regi præpares, cinnamomi drachmã vnam iniicias.

Ad mobiles dentes.

Callitrichi ſeminis vſti libram, aluminis ſciſſi & rotundi,ſingulorum vnciæ tres: ſpicæ nardi vnciæ duæ, folii vncia, piperis albi tantundem, pyrethri vnciæ quinque: contuſis læuigatíſque ſimul omnibus gingiuas vſque ad dentium radices attingito.

ALEXANDRI TRALLIANI
Liber IIII,

Iohanne Guinterio Andernaco interprete.

DE ANGINA, Cap. I.

Angina, ſiquod aliud quoque vitium, acutiſſimus morbus exiſtit. Nam ægros laquei funiſque modo ſtrãgulare ſolet: vnde etiam Græcis meritò Synanche appellata eſt. Quoniam igitur acutiſſimus eſt affectus, & ſtatim mortem inducit, neceſſe eſt etiam protinus ad curationem feſtinare. Verùm quũ in omni recta curatione internotionẽ præcedere oporteat,conuenit tum ſubſtantiã ipſam affectus, tum cauſas eius,tũ differentias, tum notas vniuſcuiuſque cognoſcere. Ex veteribus igitur medicis antiquiores magna ex parte omnem inflammationis circa gulam ſpeciem, ſiue intus, ſiue foris ſuffocatum minetur, Sy

nanchen nominarunt : poſteriores autem inflammationem quadrifariam diuiſerunt, ac internam quidem muſculorum in ſuperiore gutturis parte inflammationem, Cynanchen vocabant, externam verò, Paracynanchen : pari modo internam faucium, quæ pharynx dicitur, inflammationem, Synanchen appellabant, externam verò, Paraſynanchen. Quæ quum ita habeāt, dicamus iam etiam curationem vnicuique ſpeciei conuenientem. Scire igitur in vniuerſum oportet, neque reprimentem ſolam medendi rationem hiſce affectibus conferre, neque diſcutientem, ſed mixtam requiri: & tem porum ratione habita, aliàs repellentia, aliàs diſcutientia admiſcenda eſſe. Et ſi quidē morbi fuerit initium, & fluere adhuc materia videatur, tunc repellentia potius miſceri debent: ac in ſtatu, potiore ex parte diſcutientia: in declinatione verò, ea quæ valentius diſcutiant. Qui enim ſola laxatoria ratione vſi ſunt, ſiue intus, ſiue foris, hi inſignium malorum authores extiterunt. Vel enim ſuffocationem acutiſſimam intulerunt, vel inflammationem auxerunt, vt his obortis æger poſtea vix reſpirauerit, ſeruatúſque ſit. Non ſolùm autem temporibus animum, ſed etiam facultati auxiliorum aduertere oportet. Etenim imbecilliora molliorâque medicamenta iis qui teneriorem delicatiorémque habitum obtinēt, accommodatius quis obtulerit, nempe eunuchis, pueris, mulieribus, & horum ſimilibus: valentiora autem, durioribus & fortioribus cor poribus. Etenim quemadmodum duriora corpora à refri gerantibus per ſanitatem affecta non ægrotant, ita rurſus, vt in naturalem ſtatum reuertantur, valentiora neceſſariò remedia item requirunt: at molliori habitu prædita contrarium experiuntur. quippe imbecilliora medicamentorum auxilia citra noxam offenſámque tolerantiā valentioribus autem læduntur, eo quòd vires ipſorum non ferant. Quare diligenter attendēdum eſt vbi ſanè vires medicamentorum remittere, vbi verò intendere oporteat, vt quod remedium adhibetur, contrarium quidem ſuperanti affectui, familiare autem & amicum ægrotantis habitui fiat. Dicamus igitur iam quæ medicamenta ſimpliciora ſint & imbecillia, quæ rurſus valentiora: item quando ipſis mixtis, quando rurſus ſinceris ac puris vti conueniat. DE MEDICAMENTO *quod à moris διὰ μόρων Græcis dicitur.* Simplicius igitur medicamentum ex mororum ſucco & melle paratur, facítque ad incipiētes, tonſillarum, vuæ, faucium, & ſummatim ad omnē mediocrem partium guttur ambientium inflammationem, præſertim in corporibus molli carne præditis, & cādidioribus. Compoſitum verò non modò in principiis ſed etiam in ſtatu inflammationis valet. Valentius autem magíſque diſcuſſorium efficitur ſi myrrham quoque receperit. Ac plerique inter initia ſic cum myrrha parant: præſtaret autem in ſtatu quando & diſcutere & concoquere oportet. tunc ſi etiam medicamenti Diabeſaſa, aut alterius quoque cuiuſpiam antidoti diſcutiētis paululum adieceris, multo efficacius medicamentum reddetur. At ſi inflammationis feruor iam deſierit, durities autē quædam adhuc remaneat, tunc quoque ſulphuris & nitri momentum tali medicaminis miſturæ adiungere conuenit: ac ad diſcutiendum diſſipandúmque ſiquid craſſum viſcoſumque in alto corporis hæreſcat, nitri drachmæ ſex ſufficiunt, ſulphuris drachma vna. Quòd ſi ægri roſionem non tolerēt, ſed & ſtomachum imbecillem habeant, eúmque ſubuerti à medicamenti perunctione putent, in his nitrum & ſulphur vitare oportet, contentos ſola mixtura medicamenti Diabeſaſa, aut pulegio, & origano, aut calaminthe, aut hyſſopo, aut pipere. Porro ne fauces ab his exaſperentur, confert dulcis radiculæ ſuccū admiſcere. Ita nanque multi vſus & innocētius in omnibus erit medica mētum. Nā in iis qui medicatas qualitates nō ferunt, mitiora auxilia opitulàtur. Cæterùm ne rurſus aliunde compoſitiones quærere ii cogantur qui illas parare cupiunt, has ipſorum compoſitiones in præſentia explicandas cen ſui. COMPOSITIO medicamenti ex moris, *quod διὰ μορων* Græcè dicitur. Mororū ſucci heminæ ſex, croci, myrrhæ troglodytidis, aluminis, ſingulorum ſcrupuli ſex: omphacii totidem, mellis ſextarii dimidium. Sinito mororum ſuccum, horam vnam vbi decoxeris, refrigerari, paulùmque ſpiſſari. Poſtea adiecto melle, iterum ad tertias decoquito. Vbi refrixerint, rurſus arida miſceto. ALITER diuiniſſimus Galenus medicamentum ex moris parauit. Mellis libra, ſucci mororū heminæ quinq;, croci drachma, myrrhæ drachma, omphacii drachma, vini auſteri heminæ quinque. Quòd ſi omphacium tibi deſit, in vicem eius rhu ſuccum immittito. Succus eius per ſe antea coqui vſque ad ſordium ſpiſſitudinem debet, deinde ſic mel adiici: vbi coxeris, atque lebetem ab igne ſublaturus es, tunc tandem ſicca iniicito, coquitóque donec omnia in vnitatem probè coierint. Talis eſt compoſitio quæ ex ſucco mororum cōſtat. Fructus autem mororum ſylueſtrium ſuccus ſi paretur, præſtantiſſimum eſt medicamentum : item malorum cotoneorum ſuccus. horum verò penuria, etiam pirorum ſylueſtrium, meſpilorū, prunorum Damaſcenorum, ſorborum, & prunorum ſylueſtrium. Clarum porro eſt, in aſtringentibus fructibus copioſius mel admiſcendum eſſe, interim duplum, interim triplum. Atque hæc omnia medicamenta ſunt ſtomacho amica, periculóque vacant, & ſi deuoret aliquis, etiam mo deratis inflammationibus conueniunt. Ac licet hiſce ſuccis admiſcere ea quæ in ſucco mororum quoque deſcripſimus. At medicamentum ex ſucco nucum paulo eſt valentius: imò & quæ ex moris rubi, malo Punico & cotoneis parantur, tum corroborantem, tum ſtomacho amicā vim obtinent. hæc autē in hūc modū cōponūtur. CONFECTIO medicamenti ex nucibus, quod Diacaryon dicitur. Vigentis nucum fructus cortices externi circūcidi, ſtatimque in pila contundi debent: ſuccus per linteū colari: vbi decoxeris, mel ei moderatè miſceri, vt in medicamento Diamoron proditum eſt, & rurſus vſque ad melleam ſpiſſitudinem incoqui. Ita nanque ipſo per ſe ſine aliqua mixtura rectè vti licet in pueris & mulieribus magis per initia. Sin autem myrrham quoque ei admiſcueris, eo poteris in ſtatu quoque vti : & ſi ſulphur nitrúmque adiicias, etiam in declinatione: item in quibus durities & conſtrictio arteriam aſperam, eiúſque ſummā partem obſidere diximus. Huiuſmodi ſanè eſt etiam confectio quæ ex ſucco nucum paratur, quemadmodum & medicamenti quod ex moris & aliis fructibus conficitur. Vſus eſt aliorum quoque medicamentorum, quibus maximas Cynanchas etiam curare licet, de quibus deinceps dicturus ſum. Ac primùm ſanè vobis exponam medicamentum præſtantiſſimum, valde efficax, quod pleroſque multis periculis liberauerit: id quod etiam ego ſum expertus. Habet autem in hunc modum: Iridis vncia, balauſtiorum vncia, piperis vncia, croci vncia, rhu Syriaci vnciæ duæ, vini ſextarii tres, ſapæ ſextarius, mellis libra, aluminis vncia. Hoc remedio licet quouis tempore vti, præſertim in quibus etiam excalefacere aliquid oportet, & ea quæ vehementer impacta ſunt, extenuare. Hoc ſanè auxilium multis experimentis optimum eſſe deprehendi. Iam verò ſalutare eſt etiam id quod *διὰ βησασῶ, hoc eſt ex rutà ſylueſtri* paratur. Vocant ipſum ab hirundinibus Diachelidonωn, & à ruta, Diaharmala.

Antidotum Diabeſaſa, quod ad malignas deſperatáſque inflammationes inungitur.

Aniſi, ſeminis apii, ameos, iunci rotundi floris, aluminis, iridis Illyricæ, Beſaſa, (quod nonnulli Harmala appellant, quidam verò agreſtem rutam) ſingulorum vncia: caſiæ, crocomagmatis, roſarum ſiccarum, ſingulorum vnciæ duæ: hederæ, pullorum hirundinum cineris recentis, ſingulorum vnciæ tres: ſpicæ nardi, amomi, ſingulorum vnciæ quatuor: croci ſeſcuncia, gallarum omphacitidum numero octo. læuigatis cum melle vtitor. Atque hoc ſolo in mediocribus vitiis vti licet, ac remittere ipſius vim, admiſcendo ei aut amylum, aut roſas ſiccas, aut terram Creticam, aut Lemniam, quam Græci Sphragida *hoc eſt ſigillum*, nominant, aut farinam hordeaceam, aut alia eiuſmodi quædam moderata

quomodocūque ad præſentem affectum ſufficere aliquis A
exiſtimauerit.Item augere vires ipſius poſſumus,vbi effi-
caciore medicamento vtendum eſt, adiiciētes ei nitrum
& elaterium. Vocant autem ita ſuccum cucumeris ſyluati
ci:fimúmque hirundinum crematum, & non crematum.
Quinetiam ſi caninum ſtercus album miſcueris, quod ca-
nes ex oſſium eſu deiiciunt,validum ſic quoque medica-
mentum efficies.Quòd ſi humanum etiam ſtercus miſcue
ris combuſtum & non combuſtū,multo valentius adhuc
medicamentū reddes:quod ex cōbuſto fit,imbecilliuseſt.
Cæterùm & pro temporum ratione nonnulla medicamē- B
ta admiſcere oportet, quemadmodum & ſalem ammo-
niacum:quando non ſolùm reprimentia,ſed etiam diſcu-
tientia requiruntur.At ſi bryoniæ quoque radicem adie-
ceris, longè adhuc magis diſcutiens medicamē effeceris.
Conſtat autem in illis vtendum eſſe eis quæ valde diſcu-
tiunt,in quibus nihil influit, ſed inflammationes & duræ
& ſcirrhoſæ exiſtūt.Multi etiam ſinapi præparatum,quod
continuè edunt,opſonia in id intingentes, oxymeliti mi-
ſcuerunt:deinde ita tepidum ægro gargarizandum exhi-
buerunt: poſtea illito medicamento Diabeſaſa, mirabili- C
ter inflammationem ſcirrhoſam adiuuerunt. Nam in o-
mnibus fluxionibus curſum quidem reprimere,id autem
quod in partē decubuit,diſcutere oportet, ne ſpiritus via
interclusa obſtructáque ægrum tanquam ex graui laqueo
ſtrangulari cōtingat.Validam autem perunctionem red-
des ſi antidoto huic Diabeſaſa tria quædam admiſceas.
Multos id ſeruauit,vt ne venæ ſectione aut purgatione in-
diguerint. Erant autem tria hæc,caninum ſtercus,huma-
num,& elaterium,ſingula duarum drachmarum inſtar in
vnciam antidoti Diabeſaſa coniecta. Ac amplius ex eis D
pro ægri viribus& habitu,adiicere conuenit.Quòd ſi nō-
nulli humano ſtercore,vt abominando,vti recuſent, duo
duntaxat ſufficiunt,elaterium & caninum ſtercus,ſi illina
tur.Bene enim facit cum melle : ac vbi non licet inunge-
re,calamo inſpiratum idem præſtat.At ne ſtercus fœdi ſit
odoris,curato vt canis triduo antè oſſa comedat.Ita enim
& albū eſt,& nō fœdi odoris.Humanū verò ne fœdi odo-
ris ſit efficies,ſi puerū cuius ſterc⁹ ſumpturus es,trib⁹ die-
bus antè, ne deiectio minus cocta ſed cohærens inuenia-
tur,lupinis coctis nutrias,quos etiam vnà cum pane tex- E
tuaceo probè cocto nō copioſos edere ſolemus.Porro ſter
cus ex prima pueri deiectione & ſecunda proiicere opor-
tet:quod autem ex tertia deſcendit,accipere,eóque vti nō
liquido,ſed ſicco cum melle.Hæc etiā ſapientiſſimus Ga-
lenus & Philagrius,aliique multi veterum teſtantur,ac ex-
perientia nos ita edocuit.Recentiores autem humano nō
vtuntur,tanquam abominabili:canino magis,vt quod ni
hil fœdi odoris habeat,poſſitque idem præſtare . Quòd ſi
neque hoc vti velint,prædictis antea à nobis inunctioni-
bus inſiſtāt, nēpe ei quæ hirundinibus cōſtat,& quæ rhu F
accipit, mirifico auxilio. Sed miſcēda eſt ea quæ ex hirū-
dinibus paratur,ei quæ ex ſucco nucum cōſtat. quæ enim
ex ipſo paratur,ſeorſim vſurpare oportet. Sciendum autē
eſt,medicamentum Diabeſaſa nō ſolùm ad gutturis affe-
ctus,ſed etiam alios multos proficere . etenim ſtomachi-
cis cœliacíſque affectib⁹medetur, præſertim ſtomachicis
& dyſentericis,etiamſi caninum ſtercus receperit,quod&
ipſum per ſe dyſenteriis medetur,ſi lacti calculis marinis
candentibus cocto admiſceatur.Nihil minus faucibus,ton
ſillis, & vuæ inflammationem ſuſtinētibus medetur,cum G
ſucco vuæ acerbæ,nucum corticum, cornorum,ilignearū
glandium,ſorborum,item Ægyptiæ & Antheræ mixtum.
Non autem obſcurum eſt, per initia inflammationum , &
quum inflammatio adhuc vrget,magis adſtringentia ad-
iicienda eſſe: quum autem ſtatus eſt , & diſſipare oportet,
ea quæ diſcutiunt.Iam alias quoque multas facultates ca-
ninū ſtercus habet:etenim medetur aphthis, vlceribus an
tiquis,& quæ cicatricem ægrè recipiunt , quorum omniū
mentionem facere non opus eſt . nam ex prædictis alias
quoque ipſius actiones deprehēdes.Sin horum ſit inopia, H
ſubſcriptis admodum bonis & paratu facilibus vtendum
eſt. AD ANGINAS. Raphani ſemen læuigatum ſi
ex oxymelite gargarizetur, valde proficit : nam multam
humiditatem inducit. ALIVD gargariſma , angina
preſſis ſalutare,quo Stephanus pater meus vſus eſt,& ego.

Spinæ Ægyptiæ drachma,iridis drachma ſemis, dulcis
radiculæ tantundem, furfuris frumenti quantum manu
comprehendi poteſt,roſæ ſiccæ pauculæ, palmulæ Nico-
lai quinque aut ſeptem.Sapa aut aqua coquantur,& ex de-
cocti iure cum mellis momento ſingulis horis æger gar-
garizet. ALIVD. Sinapi perunctum probè facit. Hu-
ius meminit Dioſcorides.notum verò eſt id valere aduer
ſus eos qui duriore habitu ſunt,inueteratóque,non autem
multum feruidas inflammationes experiuntur. ALIVD
ad eoſdem affectus. Picem liquidam,nitrum cum melle
pari portione,cedriæ momētum miſceto: ac egregiè diu-
turnis & iam indureſcentibus inflammationibus opitu-
latur. ALIVD gargariſma. Salicis folia ex aqua cocta,
donec colorem mutauerint,ad gargarizandum dato.Hoc
craſſa auellit,iuuátque. ALIVD. Furfurum & ficuum
ſiccarum decoctum ad os colluendum dato,præſertim in
quibus tonſillæ inflammationem ab initio ſenſerint. A-
LIVD. Lenticulæ,roſarum,palmularum decoctarum iu-
ra gargarizent.Hoc inter initia magis faciundum eſt.
ALIVD. Æris combuſti & eloti drachma , nitri rubri
drachmæ duæ:melle excipito , & mediocriter in vaſe æ-
reo decoctis vtitor.Optimè facit in ſtatu.Item abſinthiū
cum melle egregiè iuuat. ALIVD ad anginas vlceris
expertes & inueteratas. Euphorbii drachmæ duæ, mellis
ſextarii quarta pars: vbi mel antea probè decoxeris,eu-
phorbium adiicito,fingitóque catapotia, & ex ouo circū-
linito,ac duo deuoranda porrigito. ventrem ex facili ſol-
uent,& ſuffocationem arcebunt.Valde efficax eſt medica
mentum,& ad inflammationes ex viſcoſis craſſiſque hu-
moribus ſine vlcere contractas accuratè valet. DE ſan-
guinis miſſione. Angina infeſtatis venæ quidē ſectio-
nem ante omnia adhibere neceſſe eſt, ſed nō vniuerſam.
Nam particulares vacuationes cauſam potius ex ipſis lo-
cis affectis elidunt:quare etiam tertiò & quartò ipſum de-
trahere oportet,animi defectionem ſolùm vitantes. Ni-
hil enim aliud æquè hos offendit vt animi defectio, quæ
efficit frequenter vt materia tota in altum cōfluat,& poſt
miſſionem ſanguinis,ſi nullus laxitatis ſenſus oriatur, ſed
cibi & aeris tranſitus adhuc impediatur,etiam venas lin-
guæ ſubiectas incidere ne graueris : neque in craſtinum
differas,ſed eodem id die facito.Ego ſanè noui me,quum
vſus valde vrgeret, venam manè aperuiſſe : diluculo lin-
guæ ſubiectas ſecuiſſe:& veſperi ex cremore ptiſſanæ la-
crymam ſcammoniæ exhibuiſſe:atque ita laqueum ex in-
flammatione ortum vix potui diſſoluere.Iam alium quē-
dam noui me,poſtquam duorum brachiorum in cubito
venas ſecuiſſem,repurgaſſe , ſequenti die non expectato.
Erat autē purgatio,liquor tithymalli ſtatim ex herba ex-
preſſus,humidus adhuc,& nōdum exſiccatus,habebat au-
tem trium ſiliquarum pondus.Hæc facere oportet in qui-
bus vires robuſtæ ſunt,æger ætate viget,& affectus vehe-
menter dominatur,vt nullas admittat inducias.Noui etiā
iugulares venas à me ſectas eſſe , quum linguæ ſubiectas
non inuenirem,ac plurimum adiuuiſſe.In muliere autem
venas ad talum aperui,quum ipſam menſibus non purga-
ri cognoſcerem,atque illinc potius ei morbi occaſionem
obuenire : ac duplex ægrotanti commodum ex eo ſubſe-
quutum eſt,nempe conſuetarum vacuationum admoni-
tio,& affectus liberatio. Idem etiam in viris tentandum
eſt,ſi ipſos ſanguinem per venas in ano extantes vacuare
ſolitos didiceris. DE CVCVRBITVLA. Scire hoc
quoque vos oportet, cucurbitulis in his etiā affectibus v-
tēdū eſſe:verùm vbi iā materia influere deſierit,neque af
fectū circa caput totúmque corpus eſſe ſuſpicemur. Nam
quando materia influit,& loca fluxionibus tentantur, re-
primentia potius & repellentia quàm attrahentia admo-
ueri debent.Poſtquam verò influxus ceſſauerit , opúſque
tandem ſit materiam quæ in affectas partes inciderat,diſ-
cutere,tunc conuenit & cucurbitulas & fomenta appli-
care:quòd ſi res poſtulet,etiā cataplaſma. Nihil enim me-
tuendum erit vbi totum corpus recrementis liberū fue-
rit,ne alia quædā materies aliunde ad partes affectas de-
fluat. Conſtat autem cucurbitulas ipſum quod in particu-
lis continetur, & ſolum adfert diſcrimen, ad ſuperficiem

extrahere poſſe. DE IIS quæ extrinſecus imponuntur. Extrinſecus autem iniicere conuenit ceruici lanam oleo madidam,aut cerata tenera ex cera, butyro & adipe anſerino conflata. DE cataplaſmatis. Cataplaſmatis vtendum eſt iis quæ inflammata diſcutiunt & concoquunt, nempe ex ordeacea farina,ſemine lini,palmulis ex aqua coctis, item croco & mica panis, ſimul incoctis. Vitari debent cataplaſmata quæ tantùm laxant,& validè repercutiunt.Quòd ſi inflammatio vetuſtior duriórque appareat,etiam confert tunc adiicere ficus ſiccas,lapathum,adipes,& nitri paulum.quippe materiam extrahere oportet:quod etiã natura moliri feſtinat. DE FOMENTO. Adhæc fouere inflammationes vetuſtas,ſcirrhoſáſque, alienum nõ eſt,chamæmeli, aut althææ decoctorum aqua calida: &,ſi laurũ adieceris, præſertim in frigidis humoribus & contumacibus, qui in altum deſederint, multo magis proficies. DE VICTV. Victu vtantur ægri primũ omnium mulſa aquoſa,quæ vniuerſa præſtare poteſt, nẽpe extenuare, & purgare,partim per vrinas, partim etiam per ventrem. Dari etiam ipſa debet quibus thorax aut pulmo fluxionem ſuſcepit,& thoracis pulmoniſque regio anguſtia premitur,ac propè eſt vt inflammatio, peripneumonia,& quodammodo alia cynanche oriatur. Donec inflammationes moderatiores fiant, & thorax reſpirauerit,mulſam exhibere non deſines.A tertio die etiam cremor ptiſſanæ offerendus eſt,qui & ipſe omnem facultatẽ obtinet: quippe abſtergit,incidit,nutrit, & inflammationum feruorem refrigerare poteſt. At inflammatione iam extenuata,& moderatiore facta,neceſſe eſt etiam lutea ouorum molliſsima,non autem multa exhibere. Nam copioſo alimento ſtatim anguſta premuntur,& rurſus ſtrangulatu periclitantur.Quare inflammatio,vt magnum malum, in his vitari debet: non enim tantùm ex parciſsimo cibo,quantum à copioſiore periclitantur. Talia etiam de angina dicta ſint.Puto autem nihil omiſſum eſſe alterius curationis gratia:quòd ſi aliquid etiam prætermiſſum ſit, hoc quoque inuenire poteris, ex iis quæ vniuerſim dicta ſunt inquirens.

ALEXANDRI TRALLIANI Liber V,

Iohanne Guinterio Andernaco interprete.

DE TVSSI, Cap. I.

TVſsis,quemadmodum ſpirandi quoque difficultas,& ipſa accidens eſt, & diuerſas cauſas efficiẽtes habet. Nonnunquã enim ex calida intemperie, nonnunquã verò à frigida,aut ſicca,aut humida ſumit exordium.Non ſolùm autem ex nuda qualitate,ſed etiam materia influente ſimiliter conſtituitur,dum humor omnis qui influit,aut calidam,aut frigidam,aut aliam quampiam qualitatem aſſumpſerit. At ſcire hoc quoque oportet,tuſſes non cauſa tantùm,ſed etiam locis inuicem differre: ac aliâs ſanè ipſarum primario affectu,aliâs cõſortii lege prouenire.Quoniam igitur tuſsis non vnam ſed multiplicem cauſam ſortita eſt,conuenit etiam nos omni ſtudio eniti vt cauſam eius effectricẽ internoſcamus,diſcernamúſque. nam apud omnes hoc in confeſſo notúmque eſt,citra internotionem non poſſe rectè curari. SIGNA tuſsis ex calida intemperie concitatæ. Quum igitur ſola intemperies calida vrget tuſsientes,etiam calorem meritò per eiuſmodi quandam qualitatem, vtpote intemperiem calidam,ſentiunt, & aerem frigidum reſpirare deſiderãt,iuuantúrque magis aeris inſpiratu quàm aquæ potione,& facies rubicunda magis & caput apparet.Quòd ſi igitur ſola adeo nuda qualitas fuerit,nihil penè aut nequaquam expuunt. Sin autem expuunt,ſputum ſalſam habere qualitatem, aut fumoſum colore,aut leuiter bilioſum, idque modicum admodum & tenue,apparet.Sic enim licet tuſſim ex calida intemperie natam ex præſentibus ſignis internoſcere. Nihil verò minus etiam ex iis quæ præceſſerunt, hoc fieri poteſt,nẽpe inſolatu magna ex parte, balneis calidis, victu calefaciente,& voluptatibus potius quàm ſolicitudine.

De tuſſi ex frigida intemperie procreata.

Qui ob frigidam intemperiem(nempe frigidam in thorace qualitatem)tuſſiunt,vultu & capite lõgè ſunt calidiores: ſiticuloſi verò non ſunt,neque ſalſum expuunt:à refrigerantibus offenduntur,calefacientibus iuuantur: acidũ magis quàm amarorem magna ex parte ſentiunt: ac præcedit hos potius frigiditas quàm ardor ſolis,item intempeſtiuorum balneorum,potuum & ciborum frigidorum vſus.Ita ſanè tuſſes quæ ex frigida cauſa aut calida obueniunt,internoſcuntur.

De tuſſi ex ſicca aut humida intemperie orta.

Siccæ verò humidǽque intemperies effectiuis ſimiliter qualitatibus internoſcuntur. Differunt autem inuicẽ, eo quòd efficientes qualitates euidẽtiſſima ſigna habeãt, materiales obſcuriora:nec opus eſt eadem iterum repetere.Porro tuſſes quæ ex influxa materia ſuperueniunt, ea re innoteſcũt quòd copioſa expuantur,vel etiam manifeſtæ fiunt quòd per defluxum ex aliis materiam tranſmittentibus,originem ſumant.Vnde verò & ex quibus particulis materiæ tranſmittantur,hîc quoque diſtinguendum eſt: obſeruandúmque num ex capite id quod tuſſim mouet,an etiam ex aliis, & quale influat. Nam pulmo ſubinde offenditur,vt qui primus ſit,deinde thorax, aut latus, aut ſeptum tranſuerſum,aut alia quæpiam particula.Dicamus igitur quomodo hæc quoque particulatim internoſcantur,ſimul autem & curentur, vt ſermo de tuſſi omni ex parte perficiatur,nihílque omittatur,& medicus qui ad curationem vrgetur,omnia facilius inueniat. NOTA quòd ex capite materia influit.Si igitur ex capite defluxio fuerit,irritationem quandam in vua vel aſpera arteria cõcitari neceſſe eſt.

INDICIA INFLAMMATIONIS in pulmone, Cap. II.

SPirandi difficultas,& febris acuta ſuperueniens,interdum etiam lingua ſcabra,genæ rubræ, grauitatis ſenſus,præterea ſi etiam nihil penè expuatur,& ægri difficulter ſpirent,inflammationem neceſſariò in pulmone ſubortam eſſe ex his omnibus indiciis ſuſpicari cõuenit. Sin autem ſitis quoque vehemens præter hæc ſigna pariter affligat,ægérque calorem multùm in thorace percipiat, vt frigidum inſpirare aerem deſideret,adhuc magis feruidam in pulmone eſſe inflãmationem exiſtimabimus: quòd ſi bilioſum expuatur,non autem grauitas adeo, aut anguſtia,ſed calor potius ſentiatur,eryſipelas in pulmone eſſe manifeſtò cognoſcitur.Pus ſanè deprehenditur & ex ipſo ſolo colore,& ex aliis indiciis vnde nos illud internoſcere didicimus:ab odore,ſi concremetur:& quòd diſſoluitur,ſi in aquam mittatur: item quòd non ſubſidit, quemadmodũ pituita crudúſque humor.Si igitur in thorace continetur, cum ex aliis quidem multis deprehenditur,tum verò etiam quòd grauitas in pectore percipiatur,& quòd ipſum,quum in ſubitis conuerſionibus circũfluit,ſtrepitum elidere frequẽter audimus. Hæc igitur ad oſtendendum pus in thorace contineri,abundè ſufficiũt. At ſi ad prædicta pleuritis quidem præceſſerit,nihil autẽ notatu dignum ſputo educatur, idque violenter fiat, pus in thorace comprehendi omnibus eſt manifeſtum.

DE TVBERCVLO QVOD PHYMA dicitur,in pulmone contracto, Caput III.

SI phyma in pulmone neglectum fuerit,accedet ſanè omnino anguſtia,& ſpirandi difficultas,nunc quidẽ ſubita,nunc autem paulatim augeſcẽs,ita vt æger ipſe conſueta obire poſſit.Adhæc nihil is expuit,neque ſtrepitum aliquem aut ſtridorem ſuſtinet.vt quæ euenire nequeant, dum pituita adhuc incocta ſit,& nondum reiiciatur.

INDICIA QVVM VISCOSI HVMORES in pulmone continentur, Cap. IIII.

Qvum verò æger anguſtiam ſubitò citra moleſtiã febris, ſitimque multam percipit, ſtridorem autẽ quendam cum tuſsi experitur, interdum etiam humoris eductionem, craſſum viſcoſúmque in pulmone humorẽ cõtineri, & ex capite aut alia quadam particula eò confluxiſſe liquet. Caput verò, materiæ thoraci influentis cauſam exiſtere, inde manifeſtò internoſces quòd irritatio quædam & gargariſmus circa vuam præceſſerit. Hæc ad internoſcendum diuerſas tuſsis ſpecies, & affectuum qui in thorace aut pulmone conſtituuntur, ſufficiunt. Sunt autem & alii de quibus poſtea agetur, vbi etiam de exulceratione, ruptura & eroſione ſcribere cogemur. At quod ego ſpectaui, non prætereundum ſilentio eſſe, ſed vobis quoque exponendum duxi. nam viſum mihi eſt peregrinum & admirabile. Vir quidam calculum exquiſitè figuratum expuit, non craſſum humorem & viſcoſum, ſed reuera calculum: non aſperum, ſed etiam valde læuem, durũ & renitẽtem, vt in terram quoque proiectus, ſonum ederet. Hic vir longo tempore tuſsi vexatus, nõ potuit ne valde tuſsiret liberari, quouſque calculum expuiſſet. Vtebar autem victu temperato, humectante, & potius refrigerãte mediocriter: erat enim & curis deditus, & habitu tenuis, vt hoc etiam tabidis ipſe reſponderet. Et niſi his vſus fuiſſem, puto illum ſimiliter iis qui tabe laborarunt, interiturum fuiſſe. Meminit etiam cuiuſdam diuiniſsimus Galenus, qui non calculum, ſed grandinibus ſimilia expuerat; item aliorum quorundam qui ſimilia bili colore ſputa reiecerant. Ac miror quomodo ipſe nullo refrigerantium vti voluerit, ſed hæc quidem vitarit, calidã autem potius curandi rationem adhibuerit. Nam & Mithridatium ipſis offerebam, inquit, pariter & athanaſiã, &(quæ adhuc magis ſiccare poteſt) theriacam, omniáque alia antidota ad ſuſpirioſos inſcripta, quæ acribus quibuſdam & extenuantibus medicamentis conſtant. Atque ea ſe non ſolùm in vno viro, ſed etiam in compluribus vidiſſe dicit. Nullus autem eorum quibus eiuſmodi acciderunt, mortẽ effugere potuit, ſed omnes quũ paulo longiore tempore aut breuiore perduraſſent, interierũt. At re ipſa verũ eſt quod ille de Archigene prodidit, difficile enim eſt, homo quum ſit, non etiam in multis aberrare, qui nonnulla prorſus ignorauerit, nonnulla etiam negligentius conſcripſerit. Atque hæc dicere de tam ſapiente viro auſus non fuiſſem niſi veritas confidenti me eſſe animo incitaſſet, atque ego rurſus impium eſſe ſilere cenſuiſſem. Nam medicus, quũ id quod ſibi videtur arripit, & nõ explicat, valde alios offendit, & impietatẽ exercet, magnóque errori imprudens ſeipſum ſponte implicat. Verùm illud agendum eſt, quod (inquit) Ariſtoteles dixerit, Amicus quidem Plato, amica verò etiam veritas: duobus autẽ propoſitis, veritas præferri debet. Cæterùm vt particulares medicamentorum in tuſsim efficaciũ materias facilè inuenire, & affectui quem ſigna tibi ſuggerunt, accommodare poſſis, conſentaneum putaui, poſt notationes & generalem medendi rationem, etiam auxiliorum differentias vobis interpretari, adiecto exquiſito ipſorum pondere, ne opus ſit ab alio ea diſcere, ſed hinc id quod quæritur colligatur.

Bechica, *hoc eſt ad tuſsim idonea*, quibus vtendum ſit.

In quibus id quod ex ſupernis influit, tenue eſt & acre, thoráxque recrementi copiã non habet, ſtyrace, myrrha, melle deſpumato & vino exceptis, vtitor. Fingito etiam catapotia eruorum inſtar, vtitórque noctu, pilulas duas aut tres, aut vnam exhibens, virium ratione ſemper habita. Nam quũ moderatè offeruntur, præſtantiſsima ſunt vtiliſsimáque, & veteres tuſſes à tenui fluxione concitatas perſanant. ALIVD. Papaueris lacrymæ, myrrhæ, galbani, pari ſingulorum pondere melle excepto vtitor. ALIVD. Galbani, caſtorei, opii, piperis, paria pondera contuſa excipito, fingitóque catapotia, ac eodem modo vtitor, in quibus non admodum tenuis eſt influxus, ſed etiam thorax recrementa continere videtur, & non admodum opus eſt torporem inducere. ALIVD. Styracis vnciam, opii drachmam, galbani ſemunciam, terebinthinæ ſemunciam: redigito in capatotia, ac ſimiliter ipſis vtitor. ALIVD bechicum, in quibus acris influxus eſt, & thorax mediocrem repurgationem poſtulat.

Nucleorum pini vnciam, palmularum carnis vncias duas, iridis ſeſcunciam, amygdalorum dulcium vncias duas, tragacanthæ vnciam, melle Attico excipito, & vtitor, cochlearium exhibens. ALIVD. Roſarum viridium drachmæ octo, nucleorum pini drachma, terebinthinæ drachmæ duæ: vuarum paſſarum dulcium drachmæ quatuor: mellis quod ſufficit. ALIVD ad tenuẽ admodum & acrem influxionem. Alterci ſeminis drachmæ duæ, nucleorum pini drahcmæ ſex, croci drachmæ duæ: ſapa dulci excipito, fingitóq; catapotia eruorũ inſtar, & dato noctu. ALIVD quod in mixto affectu valet, vocatur autẽ Hygia. Ammeos vncia, aniſi ſeſcũcia, opii drachmæ duæ, tragacanthæ, nucleorũ pini torrefactorũ, ſingulorũ drachmæ quatuor. Arida læuigato, miſcetóque cũ tragacãtha. Hanc autem & opium prius aqua macerare oportet, deinde læuigata mixtáque in paſtillos conformare, qui ſinguli drachmam pendant. Siccatos in vmbra cũ mulſa exhibeto. ALIVD bechicum. Styracis, croci, galbani, opii, ſingulæ drachmæ, nucleorum pini drachmæ quatuor. Fingũtur catapotia fabæ Ægyptiæ inſtar, ac datur pilula in noctem: ac vna nocte interpoſita, altera exhibetur, ſi vtique vſus poſtulat. Ita nanque valens & vtile medicamentum eſt ad acres & tenues fluxiones, vt multos ex vno curatos nouerim, quanuis longo tempore fluxionibus laboraſſent. Hoc medicamentum dãdum non eſt niſi ſolis probis, & prudenter artem exercẽtibus. ALIVD ad plura efficax. Myrrhæ Troglodytidis drachmæ ſex, alterci drachmæ quatuor, opii totidem, cynogloſſæ herbæ corticis drachmæ quatuor ſemis. Corticẽ in ſole bene ſiccato, miſcetóque cum reliquis: opium verò aqua macerato: fingitóq; paſtillos, & pro virium ratione exhibeto. Confert etiam cruenta ſpuentibus, dentium fluxionibus, vrinarum ſtillicidiis, veſicæ doloribus: ſummatim, iis qui vehementi fluxione laborant, colicis & lienoſis. ALIVD bechicũ, quod Myſterium dicitur.

Croci, caſtorei, ſeminis alterci, opii, ſtyracis, ſingulorũ drachmæ quatuor: melle exceptis vtitor. præſtantius autẽ fit ſi pro quaternis duas alterci miſceas. Facit etiã cœliacis: nam continuas fluxiones impedit.

Ad tuſſes in quibus multus acríſque influxus eſt: præſtat etiam ne in bilem ille conuertatur.

Dulcis radiculæ bene purgatæ & elotæ vnciæ tres ſemis, tragacanthæ vnciæ tres, ſucci dulcis radiculæ vncia, amyli vnciæ tres, ſucci lactucæ vnciæ duæ, ſemis. Coniicito tres ſemuncias dulcis radiculæ in ollam in qua ſint aquæ puræ ſextarii ſeptem, & coquito vſque ad tertias: deinde vbi refrigeraueris ex aqua, in quandam purã patellam coniicito, atque ſic vncias tres tragacanthæ addito, curatóque ipſas vſque ad matutinum tempus incoqui, & puro mortario indita, adiectóque ſucco dulcis radiculæ & lactucæ, contundito, incernitóque cribro. Mane vtraque miſceto: poſtea ſi craſsius euadit, Chryſatticũ vinum addito, emollitóque donec mellis craſsities fiat. Dato cum fiducia ieiuno cochlearia tria, ſiue ſiccitas, ſiue aliud quidpiam fluxionis cauſa extiterit. Hoc medicamẽtum Iacobo Pſychreſto adſcribunt, viro magnifico, & Dei in arte obſeruãtiſsimo. Vocabatur autẽ Pſychreſtus quia alimento humectãnte vteretur: atque hoc facere videbatur, quum vulgus hominum rerum ad ſe non pertinentium curioſum eſſe, pecuniæ deditum, & ſemper in triſtitia & curis per totam ipſorum vitam agere videret. Hactenus de iis qui tenui fluxione & acri infeſtantur, eóque tuſsiunt. Porro ſunt & alia multa tum à diuiniſſimo Galeno, tum aliis prodita: verùm ſatis eſſe putauimus, non copiam medicamentoum, ſed quæ longo vſu à nobis ſunt comprobata, explicare. Itaque antidotum quod diacodειῶν vocatur, nihil minus eos qui acribus tenuibúſque fluxionibus moleſtantur, iuuare ſolet: quare huius quoque ſcripturam exponendam eſſe duxi.

DIACODειῶΝ, vt diuiniſsimus Galenus ipſum parauit: Papauerũ capita decẽ in aquæ ſextariũ coniecta

prius macerato,ſi quidem fuerint humidiora mollioráq; vſque ad vnum diem noctémque: ſin autem duriora & ſicca fuerint,longiore tempore quàm vno die.Satius autem eſt nondum dura accipere: & humida admodum etiã reiicienda eſſe conſtat.Quippe ſicciora ſuccum modicum habent;humidiora verò multu m quidem, ſed nõ coctum,aquoſum & imbecillem: quare etiam ea quæ ex humidis valdè locis petuntur,repudianda eſſe liquet.Coctionis finis eſto nõ quum tertia aut quarta, aut omnino huiuſmodi quæpiã aquæ portiũcula relicta fuerit,verùm quumprimum tota intabuerint, ſuccus exprimi debet, & non amplius incoqui: atque dimidia mellis pars ei admiſceri,& igne fumi experte vſque ad mellis Attici ſpiſſitudinem decoqui. coctio ex aqua pluuiali aut fontana fieri.Vſus autem ipſius iis qui ſomno indigẽt,accõmodatus eſt:quibus etiã ea quæ ex opio parantur,frequenter offerre cogimur. Requirunt autem eiuſmodi potiſſimum medicamenta illi quibus fluxio tenuis à capite in aſperã arteriam defluit,quæ propter tuſſes inſequentes dormire non permittit.In his ego medicamenti confectionem ex ſapa parare conſueui:ad talia verò abũdè coctum eſt medicamentum,quum papauerum capita vſque ad aquæ dimidias incocta fuerint:ac præſtat ipſum,vbi fluxio admodum ſubtilis tuſſim fecerit,ex paſſo Thebano & Cretico quàm melle decoquere,vt quod extenuantem vim obtineat:vitarique debet ipſum tunc quum tenues defluxiones, quæ Græcè catarrhi dicuntur, intendat, augeátque. Dulcis autem radicula medicamento,dum coquitur, miſcẽda eſt,vt ſimul incoquatur:verùm illius inopia, ſuccus eius qui ex Creta adfertur. At ſi in thorace copia quæ ex capite fluxerit contineatur,confectio quæ ex melle paratur vtilior exiſtit . Nam vt ægri ſomnum, ita etiam ſputi eductionem requirunt,quæ melle efficitur . Quapropter ei quod magis vrget inſiſtens,quum æger in ſomnum inciderit,vel id quod ex melle,vel illud quod abſque eo cõſtat,exhibebis:interim ambo miſcebis, huc ſpectans in miſtura vt ex altero amplius, eo quod vrget poſtulante , iniiciatur . At moderatus medicamenti modus eſto, inſignis duorum cochlearium menſura: augebíſque ipſum, aut minues, pro morbi magnitudine , & ægri cui offers, ætate,anni tẽpore,& regione . Si enim ad frigidius vergãt, pauciſſimum exhibebis:ſin autem ad calidius, copioſius. Porro quòd ad defluxionis quantitatem & qualitatẽ reſpiciẽs,plus vel minus exhibebis,cuiuis manifeſtũ exiſtit.Hoc enim in omnibus præſidiis eſt commune.

De tuſſi,& medicamento diacodιῶν.

Tanta etiam de medicamẽto diacodιῶν à nobis dicta ſint,quod aliis quoque multis affectibus conducit . Nam ardore febrili æſtuantibus prodeſt:item ſi immodica ſitis vrget:ſi vigiliæ infeſtant,ſi ſudores ob tenues acréſq; humores affligunt,vt propè in ſyncopẽ æger incidat: adhæc ſi eryſipelas in thorace exiſtit.Præterea iis opitulatur quibus vertigines ob calidos vapores ex ventre, aut corde, aut iocinore aſcendentes oboriuntur:necnon quibus gingiuæ,fauces & tonſillæ, ex acribus humoribus fluxiones experiuntur,dentéſque dolent:inſuper iis quos vehementes lippitudines,ſideratio,dolores,vigiliæ,& fluxiones ex tenuis & acris humoris curſu excitatæ torquent, præſens eſt remedium,ſi pro viriũ ratione exhibeatur. Nam gargarizatũ ad multa admodum valet,quorum numerũ memoria tenere difficile eſt:ſed tantùm intelligere ſatis eſt, in omni calida intemperie,ſi moderatè & vt res poſtulat propinetur,ceu aliud etiam quoddam,præſentiſſimũ adferre præſidium poteſt:quemadmodum & vitam frequẽter adimere, ſi viribus valde infirmis porrectum fuerit, quúmque recrementorum copia in thorace continetur: quare magna diligentia & animaduerſione ipſum præbere conuenit.Præſtat autem vbi talis ſuſpicio fuerit , nempe abundantiæ aut imbecillitatis cauſa,neque copioſum, neque per ſe ipſum exhibere.Etenim licet ipſa tuſſim lenire videantur,ac ſomnum accerſire,attamẽ thoracis anguſtiam adaugent,vt multi ceu laqueo ſtrangulẽtur.Quare præſtat minus ex eo ſemper dari,& præterea extenuãtia aut abſtergentia ei miſcere, vt oxymeli , aut quod ex marrubio conficitur:& tunc potiſſimũ in quibus id quod influit,tenue eſt(vt diximus) & acre: ſi enim tale quid ſit, nihil inde nocebis ſi antidotum dederis . Nã ea quæ tenuia ſunt,mediocriter craſſa reddit & contemperat, dolorémque hinc prouenientem finit.

Quo victu nutriri debeant qui ex tenui & acri fluxionẽ tuſſiunt.

In quibus tenuis acríſque fluxio thoracem infeſtat , iis ptiſſana,lutea ouorum,gallinarum alæ,teſticuli gallorum, piſces dura carne præditi,& præſertim iſicia ex ipſis confecta,nempe orpho,glauco,ſepia,& buccino,dari debent: ſin autem pectines adſint,etiam hi offerentur. Nam hunc cibum, bonum habere ſuccum , vim contemperantem & mediocriter ſpiſſantem cum dulcedine,etiam deprehendes.Inter olera, malua & cocta & non cocta his eſt aptiſſima:item lactucarum caules ſimiliter,& intybi.Hæc autem largius exhibere conuenit,vt quæ etiam ſubamarum aliquid habeãt,vnde tum refrigerare tum obſtruere poſſũt. adhæc carnes quoque ipſos aſſumere quales velint , alienum non eſt:item pectora boum,ouium ventres, pedes & roſtra,anſerúmque alas & ventres. Inter legumina præponi debet halica cum aliqua aue, aut carnibus, item fabæ coctæ:quòd ſi etiam tempus ferat, virides dare alienum non eſt.quippe hæ ſpiſſant,& contemperare infinitis modis poſſunt.Ex fructibus autẽ pomaceis dulcia mala præbere,magíſque à balneo,conducit.ſic enim ſi aſſumantur magis iuuant.Aſſa verò ſuper cibum comedere commodius eſt.In menſis ſecundis caſtaneæ aliis præferri debẽt. nam vtcunque ipſas eſſe velis, affectus hos iuuant,magíſque coctæ.Palmulas autem,& vuas paſſas,ſi dulces ſint,neque multas,neque frequenter largiri oportet. Quòd ſi germina fœnigræci etiam frequentius ipſis dederis,non magis offendes,vt quod vim quandam humoris qui pertinaciter thoraci inhæreſcit,repurgandi obtineat.Potione tẽperata vtendum eſt, ſi æger quoque calidus fuerit:ſin autem frigidus temperamento , frigidam quoque bibere ipſis audacter permittendum. Quòd ſi vinum eis gratum eſt,propina etiam Chryſatticum modicum,& Bithynum, & magis dulce aliquod vinum . At balneis vtantur quàm licet tepidiſſimis,& in caput plures ex tepida ſitulas recipiant:vngántque totum quidem corpus hydrelæo , caput autem roſaceo:& in aquæ frigidæ ſolio diutius immorentur.Quũ enim ſic nos agimus, tum id quod iã in thoracẽ incidit,celeriter educetur,tum nihil aliud in poſterũ influet,quum caput calorem præter naturam depoſuerit , & humor qui influebat,tuſſimque irritabat,mediocriter craſſus ſit effectus.

Quæ medicamenta conueniant iis qui à craſſioribus humoribus tuſſi laborant.

Quum iam de iis quibus tenues humores in thoracẽ & pulmonem defluunt,tractauerimus,de viſcoſis etiam craſſiſque humoribus reſpirationis partes infeſtantibus perſequamur. Duplici autem modo auxilia hoc in commentario vobis interpretatus ſum, vno quidem,ſimplicia & paratu facilia,vt naturam viréſque eorum accuratè intelligẽtes,noſipſi quoque medicamenta componere poſſimus, quæ magnitudini & qualitati infeſtantis morbi conueniant: altero verò , compoſita quæ longo nos vſu & experientia comprobauimus. SIMPLICIVM medicamentorum expoſitio. Strobilus viridis mulſæ incoctus , piceæque fructus , & dulcis radicula , ipſa ſimiliter cocta , caſtorei ſuffimen in carbonibus excitatum, & per inſpirationem attractum . Maximè enim iuuat pulmonis,thoraci , cerebrique affectus. Humidos & frigidos capitis ac thoracis morbos etiam ſpica nardi ſanat, eo quòd ſiccare poteſt. item adiantum , vel amygdala amara , pulegium , ſatureia , & ficus pingues . His omnibus vtendum eſt in quibus thoracẽ & reſpirationis particulas viſcoſi humores & craſſi obſtruunt infeſtántque:cauenda autẽ quæ his valentiores vires obtinent. Hæ nanque particulæ non requirunt ea quæ efficacem habent actionem,præſertim in quibus pus expuitur . talia enim econtrario deſiccant.quare etiam quæ vrinam mouent inimica ſunt,quum ſputi eductionem è thorace impediant.Nam vbi ſeroſum per vrinam trahitur,excremẽta reſpirationis partib[9] infixa ægrè ſurſum educi poſſunt, præſertim vbi magis quàm par eſt torrentur & deſiccescunt.Quapropter conſulo,in quibus infarctus humor eſt,

aut pus in thorace continetur; inciſorium quidem medicamentum exhibere, reſtinguere autem ipſius vim, ne valde calefaciat,ſiccétque,admiſcendo ipſum ſuccis quibuſdam,aut liquoribus aliis ſimul incoquendo aut contemperando, magíſque ſi æger ſicciorem temperaturam habitúmque tenuiorem habere videatur: præterea ſi febris adfuerit,tunc humidiora & modicè calefacientia offerre conuenit.Quũ medicamentũ quod exhibebitur, tale euaſerit,ſuperflua excrementa reſpiratoriis inhærentia, facilè & citra impedimentũ eductioni parebũt. Victu ex hyſſopo,& pulegio,vel thymi turionibus ſiccis, vel catapotiis vti non oportet,niſi tantũ in illis qui frigidis,viſcoſis,craſſiſque humoribus ſcatent:adhæc qui tẽperamento humidiore & frigidiore præditi videntur:etſi cibo copioſiore balneiſque intẽpeſtiuis antea vſi fuerint. In talibus enim omnes qui nos præceſſerunt medici,ex ſinapi aphronitro & ſulphure compoſita adhibuerunt. quorum etiam confectiones ad propoſitum affectum accommodari licet,maximè ſi pro temperamento, conſuetudine & ægri viribus accuratè auxilii facultatem & intendamus & remittamus.

Compoſita medicamenta ad tuſſim,extenuantia.

Marrubii ſucci ſextarius,mellis Attici tãtundem.In duplici vaſe coquuntur vſque ad vnũ ſextarium, paratáque vitreo vaſe conſeruantur, & cochlearia duo manè & veſperi exhibentur.Hoc remedium tuſſim ſanat,etiamſi inueterata ſit, & pus in thorace contineatur. ALIVD. Spicæ nardi,croci,piperis,marrubii,ſingulæ vnciæ,gingiberis ſeſcuncia,mellis,vini,vtriuſque ſextarius. Marrubium cum vino vſque ad dimidias coquito, deinde reliqua mixta incoquito,donec mellis fiat ſpiſſitudo, ac manè & veſperi vtitor. ANTIDOTVM διὰ πρασίου,tuſſientibus,phthiſicis,purulentis, cibum faſtidientibus efficax. In omnibus cum fiducia vtitor:eſt enim multo vſu vſu probatum. ſcriptura eius habet in hunc modum. Hyſſopi Cretici ſcrupuli ſex,apii vnciæ ſex, citrii medullæ vnciæ ſex,calaminthæ vnciæ ſex,iridis Illyricæ vnciæ quatuor,roſarum ſiccarum libra vna ſemis,dulcis radiculæ ſucci tantundẽ,pulegii libra,capitũ papaueris ſyluatici vnciæ decem,marrubii viridis vnciæ ſex,palmulæ Nicolai quinquaginta, ficus pingues 25. nuclei pini virides quinque,ſapæ primariæ ſextarius,mellis primi meriti ſextarii tres, aquæ fontanæ ſextarii ſedecim. Coquito ad aquæ tertias, deinde medicamentis ſic proiectis,mel & ſapã adiicito,coquitóque ad mellis ſpiſſitudinem. Exceptis vtitor ad prædicta audacter.nam valde nobile eſt & multo vſu probatũ remedium. BECHICVM,*hoc eſt ad tuſſim efficax*, quod *ab eruis* δι' ὀρόβων Græcis dicitur. Palmularum pinguium ſeſquidrachma, iridis drachma, croci drachma,piperis drachma,erui ſeſquidrachma,mellis deſpumati quod ſatis eſt.Contuſa incretáque melle excipito,datóque ieiuno cochlearium:quòd ſi amplius infeſtetur,porrige etiam alterum. ALIVD. Sinapis torrefacti & eloti paria pondera melle deſpumato excipito, ac ad tuſſes diuturnam perfrictionem expertas vtitor. ALIVD eiuſdem facultatis. Sinapis, piperis communis, ſingulorum ſcrupuli ſeptem,mellis ſextarii quatuor. Hæc contundito,deinde melle emollito, in vnitatem cogito, fingitóque pilulas: mane &veſperi exhibeto.Valẽs eſt medicamentum, & præſtantiſſimum, vt propterea ipſum à Deo datum eſſe,ſermone ſit celebratum. ALIVD.Coſti vncia, cardamomi, caſtorei, opopanacis, ſingulorum drachmæ duæ,croci,galbani,piperis albi,ſingulorum drachma:mellis quod ſatis eſt:datur fabæ Ægyptiæ inſtar ex aqua.Confert hoc etiam iis qui pus iam educere meditãtur. ALIVD quod vehementer calefacit,ex Commẽtariis Magni. Eruorum farinæ ſemuncia, ſeminis lini torrefacti vncia, pulegii vnciæ duæ, nucleorum pini, althææ radicis,hyſſopi,ſingulorum vncia:vuarum paſſarum quibus acini ſint exempti, vnciæ duæ ſemis. Dulcis radiculæ decocto excipito,& cum fiducia etiam in febricitantibus vtitor. ALIVD, & ipſum ſimiliter inſigne. ucleo rum pini vncia,tragacanthæ vncia,palmularum carnis vnciæ duæ, iridis vncia, amygdalorum dulcium

A vnciæ 2.mellis Attici quod ſatis eſt excipito,datóq; cochleare. SVFFIMEN ad tuſſim,quod ex ſtercore leporis paratur. Reſinæ terebinthinæ,auripigmenti, ſtercoris leporini pares modos in collyriũ redigito,& carbonibus abiegnis & terebinthinis fumum excitato ad triduum,ſi vires permiſerint,& affectus ex omnibus notis apparuerit frigidiſſimus, atque id quod influit, tale ad amuſſim exiſtat. Nam in quibus calidus eſt affectus,talib⁹ vti periculoſum eſt. ALIVD bechicum vtile,ad impertiendum facile,& ad cruenta ſputa,ſpirandique difficultatem efficax.

B Iridis Illyricæ drachmæ quatuordecim, myrrhæ Troglodytidis drachmæ duæ,ſtyracis calamitis vncia,vuarũ paſſarum acinis purgatarum drachmæ octo.Cum fiducia vtitor,fabæ Ægyptiæ magnitudinem exhibens. ALIVD ſuffimen. Thuris,ſandaracæ,medullæ ceruinæ,paria põdera.Omnia læuigata in paſtillos cogito, & per infundibulum dies tres ſuffito,ſeruatóque ægrum domi, odorata ei adhibens.rectè autem facies ſi primo die ter ſuffitum excites,ſecundo bis,& tertio ſemel.Si paſtillo in panniculum coniecto fumum excites,longè præſtantius hoc redC des medicamentum.Multis experimentis eſt probatum.

ALIVD eiuſdem facultatis. Thus maſculum,maſtichen,medullam ceruinã,ſandaracam,ſtyracem omnia pari portione ad fumum excitãdum incendito, vbi prius vinum merum propinaueris. PASTILLVS fumo excitando idoneus,quo vtor ad veteres frigidóſque affectus. Dauci,cardamomi,ſinapis,abrotani,ſandaracæ, omnium pares portiones ſumito, ac cum fiducia per infundibulum vtitor. BECHICVM antidotum,ad frigidos affectus ſaluberrimũ. Piperis,baccarum lauri,thymi, ſingulorum vncia: mellis quod ſufficit. Dantur duo D cochlearia mane. BECHICVM valde bonum.

Pulegii,maſtichæ ſingulorum drachmæ quatuor,piperis drachmæ duæ, mellis deſpumati quod ſatis eſt. ALIVD bene faciens, præſertim ad tuſſes vetuſtas. Marrubii ſucci libram, olei omphacini libram: mixta pro viribus dato. Valet etiã inſigniter ad ſputa cruenta. ALIVD. Vbi porrorum ſucco admiſcueris mellis deſpumati libram, dulcis radiculæ ſucci, hyſſopi, ſingulorum vncias duas,amygdalorum expurgatorum vncias duas, & ſemiſE ſem,piſtaceorum purorum& torridorum vncias duas,nucleorum pini purgatorum & torridorum vncias duas, ſeminis vrticæ vnciam,ſeminis lini torrefacti ſemunciam. Valet ad tuſſientes, & præſertim iis qui viſcoſa educunt.

ALIVD tuſſientibus & ægrè ſpirantibus idoneum. Nardum Gallicam contuſam melli adiicito,& nucis auellanæ inſtar ex ea dato. ALIVD valde egregium. Vuæ paſſæ domeſticæ vncias 2.ſtaphidis agriæ ſcrupula duo,piperis ſcrupula quatuor.Fingito catapotia,& vtitor ad vuluæ perfrictiones. PILVLAE bechicæ,*hoc eſt tuſſi efficaces*.

F Opii,ſtyracis,caſtorei,terebinthinæ, ſulphuris viui, ſingulæ vnciæ.Datur pilula vna,aut duæ,aut tres,pro viribus. His ſemper vti cõuenit in quibus tuſſis eſt diuturna,multáſque vigilias inducit.

Ad tuſſim veterem & phthiſin.

Marrubii teneri ſucci ſextarii octo vſque ad dimidias coquantur,deinde picis liquidæ ſextarius ſuperfundatur: ac vbi vnitas facta fuerit, nardi Syriacæ læuigatæ vnciã adiicito, croci obolum,pompholygis Cypriæ obolũ, thuG ris vnciam,piperis longi, lapidis hæmatitis, ſingulorum drachmas duas.In eclegma redactum, lingendum pro viribus dato.Admodum prodeſt iis qui in pulmone vlcus experiuntur, & qui per totam tuſſim pus excreant: item ſtomachi & inteſtinis affectibus opitulatur. Cæterùm ad eiuſmodi affectus etiam ſuperfuſionibus & emplaſtris vti non eſt alienum,à ſimplicioribus primùm incipiendo. Abundè auxiliatur oleum chamæmelinum, ſi thoraci inungatur,nunc per ſe,nunc anethino ei addito,adipe anſerino,butyro,œſypo liquido,& rutæ turionibus.Quòd ſi vH ſus requirat,etiã lanas ſordidas ipſis imbutas pectori imponere vincit.Atque hæc ſatis opitulari poſſunt craſſis viſcoſiſque humoribus thoraci tuſſientiũ infixis. Si emplaſtris quoq; indigeant,etiã horũ ſcripturas exponã,quæ & ipſe in eiuſmodi affectibus variis modis ſum expertus.

Emplaſtrum ad tuſſim efficax.

Terebinthinæ vnciæ ſex,œſypi liquidi vnciæ quinque, ceræ vnciæ duæ, iridis contuſæ,vnciæ tres, olei Cyprini vnciæ tres. ALIVD valde bonum:confert etiam ægrè ſpirantibus. Butyri vnciæ ſex,adipis anſerini vncia,adipis taurini vnciæ ſex, œſypi vnciæ quatuor, galbani vnciæ quatuor, opopanacis vnciæ quinque, caſtorei vnciæ tres,ceræ vnciæ ſex,euphorbii vnciæ quinque,adipis ſuilli veteris vnciæ duæ.In emplaſtri formam redacta, thoraci imponito. Bene facit etiam emplaſtrum Peganera;

A & Anethine, & quod *à baccis lauri* διὰ δαφνίδων *Græcis* dicitur.

Catapotia ad tuſſim.

Styracis,opii,myrrhæ,ſingulorum ſemuncia: opobalſami,croci, vtriuſque drachmæ duæ. Fingito catapotia ad magnitudinem erui:dormituro deglutienda dato. ALIVD. Gingiberis vncia,piperis albi vncia, galbani, caſtorei,croci,opii,ſingulorumvncia:ſtyracis ſemuncia.Fingito catapotia eruorum inſtar;& dormituro exhibeto.

ALEXANDRI TRALLIANI

Liber VI,

Iohanne Guinterio Andernaco interprete.

DE PLEVRITIDE, Cap. I.

PLeuritidem voco quæ propriè pleuritis eſt.non enim omnis lateris dolor, pleuritis nominatur. Nam quæ propriè pleuritis exiſtit,membranæ coſtas ſuccingentis inflammatio eſt:vnde etiam febrim inducit acutam,vtpote corde vicino, & cõſortii lege condoleſcente.Si igitur febrim acutam, ſpirandi difficultatem,dolorem punctorum,& tuſſim deprehẽderis,tunc illum exquiſitè pleuriticum eſſe dicito cui omnia hæc acciderint.Febricitant autem ſpirántque difficulter etiam qui iecoris inflammatione laborant, latere diſtenduntur,indoleſcunt,& ex conſenſu tuſſiunt: verùm punctionẽ non ita percipiunt,neque pulſum durũ habet.

Quomodo pleuritici ab hepaticis diſcernantur.

Diſcernes autem eos tum peculiari dolore,tum pulſibus potiſſimùm.Etenim pleuritici pulſum habent qui ſerræ modo tactum ſecet,& durum:iecore autem affecti,nequaquam:ſicut nec qui pulmone laborant,ob particularũ mollitiẽ quicquã tale obtinent:imò neque tuſſes pleuriticis & iocinoroſis ſimiles exiſtunt. Etenim pleuritici & tuſſi vehementiore premuntur,& ſtatim excreant:tem poris autem proceſſu,omnia deinde colorata expuunt,quod etiam humorem qui inflammationem pepererit indicat. Nam rubrũ quum eſt, ſanguineum humorem notat:quẽadmodũ etiam omne ſubflauum,bilioſum,album,viſcoſúmque,pituitoſum:nigrum autem,melancholicum teſtatur. At hepatici irritatur quidem ad tuſſim, ſed nihil excreant.Scire autem te volo, etiam pleuriticos nonnullos tuſſire,& nihil emoliri:verùm hinc non cenſere omnino eum eſſe hepaticum oportet qui tuſſit quidem,non autẽ excreat.Nam pleuritis quoque contumax concoctúque difficilis eſſe poteſt, quæ maximè etiam periculoſa exiſtit.Iam inflammatio quoque inferius in mendacibus coſtis ſubſiſtere poteſt,vt nihil ad thoracem pertingat, quẽadmodum etiam inflãmatio externa. Nihil enim in his affectibus excreatur, ſed magna ex parte, niſi humores qui inflammationem excitarunt,fuerint diſcuſſi,in abceſſum conuertuntur:rarúmque id eſt.Animũ igitur aduerte ſimul omnibus,& faciei colori.Pallidi nanque ſunt plurimum iecore affecti,quod pleuriticis non adeo accidere conſueuit.Hoc ſanè modo pleuritici internoſcendi ſunt.

CVRATIO pleuriticorum. Cæterùm curare ipſos oportet,ad vires & naturam ipſam morbi reſpiciendo. Si nanque ſanguineum eſſe qui inflammationem fecerit humorem indicia ſuggerunt, ad venæ ſectionem venito, præſertim ſi in ſupernis partibus conſtiterit, vt iugulum quoque detrahat vehementer. Si nihil horum fuerit, ſed etiam dolor imam ſepti trãſuerſi regionem affligat, aluũ purgare cõuenit,vt diuiniſſimus Hippocrates nos docuit. Ne igitur temere ſanguinem dimittas, neque purges,vt vulgò faciunt, niſi exquiſitè didiceris humorem qui inflammationem pepererit,copioſum eſſe,& in toto corpore ſuperare. Etenim cum alia quoque multa copiam tibi indicabunt,tum verò maximè fomentum quod loco admouetur.Si igitur fomentorum & ſacculorum vſu dolor moderatior euadit,vt etiam æger manifeſtò recreationẽ

B ſentiat,copiam non eſſe intelligito,ac cum fiducia fomẽto vtitor,& auxilia parti inducito.diſcuties enim id quod offendit,quódque inflammationem excitarit. Quòd ſi nihil horum euenerit,ſed dolor potius,præterquã quod nihil cedit,adhuc etiam validior appareat; conſtat copiam exiſtere quam particulæ incaleſcentes ad ſe attrahũt.Hoc igitur vbi manifeſtum fuerit,ne differas,ſed potius nulla mora interpoſita, vacuationem adhibeas qualemcunque ex iis quæ ſuperius commemorauimus,expedire ſuſpiceris.Vulgares autẽ noſtri temporis medici cauent ne pleu-

C riticum aliquando purgent:ad ſanguinis autem miſſionẽ, tanquam inculpatam & tutiorẽ,confugiunt. Verùm ſciẽdum eſt pleroſque,præſertim in quibus non adeo magna ſanguinis copia in venis ſuperare videatur,iuuiſſẽ,locum acutiſſimo ſcalpello probè ſcarificaſſe.Conuenit autẽ cucurbitula quoque poſt cutẽ inciſam vti, vt quod in ea cõtinetur,ex alto extrahatur:atq; hoc facto mirari licet quomodo inde etiam dolor,qualiſcunque fuerit, licet vehementiſſimus,conquieuerit,vt neque fomento,neque alio præſidio indiguerit. Hoc medici priuatique omnes vſi

D ſunt,longa id experientia edocti:& iuuant. Commodius autem eſt & tutius, in quibus parua copia eſt euacuanda, hac vti curatione,vtpote validiſſima: atque in omnibus auxiliis ſic agere præſtat:vtitor autem fomentis humori ſuperanti familiaribus. Si nanque ſanguineus fuerit, iis quæ diſcutiunt ſiccántque, ita vt non calefaciant admodum,quale eſt ex miliis fomentum: ſin autem bilioſum, ſpongiis ex aqua calente ſolis cum herba chamæmelo vtendum: quòd ſi pituitoſior fuerit, ex ſale & foliis lauri, aut eruis torrefactis,aut lanis oleo anethino imbutis: ſin

E melancholicus abundet,fomento potius ex furfuribus in iure chamæmeli decoctis. Hoc fomentum excellentiſſimum eſt,& propè ad omnem dolorem conuenit.Nam licet ipſum etiam calidius efficere,admiſcendo,ſi vſus poſtulet,amplius vel altheam,vel anethinũ oleum loco chamæmeli,& intendere ipſum: itẽ lenire quomodocunquẽ velis,pro affectus propoſiti ratione. At fomenta ex poſca, & præcipuè quæ rodens aliquid continent, vehementer auerſor:ſiquidem materiam repellunt: quæ autem valde ſunt acria,inflammatis fluxionem excitant.Ceratis ex adi-

F pibus,& fomẽtis lenibus admodum,quatenus licet, inter initia potiſſimùm vtitor: vbi verò concoctio apparuerit, nihil nocebis ſi etiam emplaſtro calefaciente vtaris, quale eſt quod ex melle paratur,per ſe & cum adipe ſuillo adhibitum.Similiter etiam Peganera dictum inteſtinos affectus admodum diſcutit,& per ſe & alicui horum admixtum. Bibant omnium maximè aquoſam admodum mulſam:nullum enim aliud auxilium ita pleuriticis accommodatum inuenias. At ſi febris vehemens admodũ fuerit,ne ſic quidem, ſi valde ſit aquoſa, quicquam noce-

G bit. Similiter autem loco mulſæ vtitor apomelite, quẽadmodum etiam mulſa,paululũ,quotieſcunque æger grauiter tolerat excreationem, tepidum ex eo ſuperſorbere præcipiens.Quòd ſi magis rurſus in ſputo educendo laboret,vtitor etiam oxymelite,præſertim quod marrubium habeat incoctum.Fugito autem diacodιῶν,& Philoniũ, aut aliud quoddam leniens medicamentum.Maxima na-

que pericula inducunt, dum omnia humores eductioni contumaces reddunt, præterquam quòd etiam vires proſternant, reddántque emortuas. Sin autem dolor vehemẽs & intolerabilis vrgeat, vel etiam vigiliæ multæ viribus robuſtis torqueant, prædictis vti alienum non eſt, vt vires ipſæ nimiis vigiliis periclitantes recolligantur. Sin imbecillitas virium fuerit, vitato prorſus torporis inducendi efficacia. DE VICTV. Cibo vtatur cremore ptiſſanæ largiter decocto, donec id quod flatuoſum eſt depoſuerit. Niſi enim probè coctus fuerit, præcordia ipſa quoque inflat, quemadmodum etiam alia legumina. Quòd ſi humor ægrè educatur, amygdala purgata læuigatáque ptiſſanæ incoquenda cõmiſceto. Tunc enim humor qui in thoracem fertur, magis eductioni parebit. Sin autem æger non vehementer admodum febricitet, & inflammationis feruor ceſſaſſe videatur, cum fiducia etiam vrticæ ſemen cum hyſſopo ſimul ptiſſanæ incoquendum adiicito. Nam hæc craſſiora & viſcoſa magis recrementa largius extenuare poſſunt: cremorem autem amygdalorum per ſe exhibeto, paulum ei mellis adiiciens. Commodius eſt, manè ptiſſanæ cremorem, veſperi amygdalorum ſuccum offerre. At ſi vires imbecilliores appareat, panis quoque puri micas ex apomelite, aut hydromelo, aut hydroroſato porriges. Nam quod Cibyriacum vocatur vitabis, vt quod febres irritet, & caput feriat, vt etiam faciat deliria. Multo ſatius eſſet, ſi vires admodum imbecillæ viderẽtur, paulum Cnidii vini dare, aut hydromeli quod à Cibyra adfertur. Sin autem micæ panis ægro ſint ingratæ, dulces potiones ſunt aſſumẽdæ, & iuſculum quod ſine oleo paratur, ex ſola gallina, & modicis panis micis, ſi vires infirmæ ſint, & æger cibum faſtidiat. Aſſumat etiam piſciculum, præſertim turdum, virium ratione habita. eſt autem piſcis & tener & humidus, concoctu facilis: & ſi fortè ipſum ptiſſanam marinam nomines, non erraueris: adeo recrementi expers eſt alimentum quod ex ea capitur. Pectines autem dictos ac omnia teſtacea cute prædita fugito, vt craſſi ſucci & ſputi eductionem vehemẽter impedientia. Similiter etiam olera vitabis, niſi lingua ſcabra ſiticuloſáque, & febris ingens appareat. tunc enim abſurdum non eſt, aut maluæ, aut intybi decoctum exhibere. Similiter & malũ dulce dari debet: malum autem Punicum, & quodcunque aſtringens fuerit, ceu thoraci inimica repudiato. Item frigidum ſiquod actione exiſtat, fructúſque pomaceos vitato. Tepidam verò exhibeto, & non (vt vulgò) bilioſam ipſam eſſe putato. quippe hoc ridiculum exiſtit. Accuſant manifeſtò Hippocratem, ignorantes quomodo hoc dictum ſit. Calorem igitur experiẽtibus, vehementer ſiccis, & febri laborantibus, quis hac præſtantius inuenerit, quæ & bili reſiſtere, & euincere eã queat, ſiquis cibos etiam ad nutriẽdum efficaces offerat? quoniam ipſa per ſe, vt quæ ſimplex exiſtat, neque nutrire, neque humectare propriè ægrum poteſt, ſed tum ſiccũ tum amarum ipſum inediæ potius ratione efficiet. Itaque cum vino, mulſa, & aliis cibis ipſam conferens, hoc dixit. quare tepida reprehendi non debet. ipſa nanque eſt quæ efficit vt & alii cibi tum concoquantur, tum celerius in corpus diſtribuantur. Atque hoc eſt quod dicit, Humiditas, alimenti vehiculum. Quare non deſinas tepidam exhibere, interea dum cibus & aliæ potiones exhibentur. Id nanque ipſe docuit, qui dixerit mixtam quidem mulſam vel apomeli commodius exhiberi, quoniam per ſe ſola non alit, neque medicamentum eſſe poteſt: omnia autem præſtat cum aliis cibis, omniúmque ciborum vehiculum exiſtit. Nihil enim ſiccum, neque medicamẽtum ſine humore in altum peruenire poteſt, ſed in ſuperficie permanet, nullam actionem oſtendens: vbi verò humidiorum alicui commixtum fuerit, tunc etiam in altum penetrare poteſt, ac frigiditatem aut caliditatem largitur. Quare aqua, etiamſi aliqui eam non vt alimentum exiſtimarint, eo quòd ſimplex exiſtat, attamen ipſa etiam ſola vniuerſa nutrienda curat, & in corpus alimentum deducit, diuiſa continet, & in vnitatem redigit. Si enim & terram ſiccam & diſperſam adunit, continuámque hanc reddit, vt diuerſa perficiantur vaſa: adhæc ſi panem ipſum, qui comeditur, quũ ſatina eſt, componit, maximam vim obtinet: & nihil adeo contulerit aut animantibus, aut ſtirpibus, vt humor, vt ex quo etiam generatio exiſtat. atque id ſemper obſeruandum eſt, quòd & alia ipſe potiſſimùm vnit & cõtinet. Hoc igitur victu pleuritici tractandi ſunt, ſi aliud nullum accidẽs adfuerit. Sin autẽ ſuperuenerit aliquod, huic quoque occurrendum eſt: verbi cauſa, ſi cum dolore etiam inflammationem latus infeſtare contingat, & venter non ſecũdum naturam ſed inordinatè excernat, vt vires quoque deiiciantur, tunc & ventri proſpicere neceſſe eſt, neque temere venam ſecare, neque alio quoquam auxilio vti, niſi ventri tum ſuperfuſiones, tum epithemata, quæ ipſum confirmare & retinere poſſunt, accommodare. Si dolor etiam lateris vrgeat, nec is negligi, ſed amborum ratio haberi debet. Stomacho igitur & ventri ea quæ corroborant, lateri autem, quæ calefaciunt & laxant imponẽtur. Sed ita agendum eſt vt nihil planè laxans, aut iecur, aut ventrem attingat. DE DOLORE & medicamentis. Itaque ſi dolor immoderatus eſt, & febris vrget, ſuperfuſiones & fomenta lenia, quæque non rodunt, extrinſecus ſemper accõmodare oportet: ſin autem is non eſt vehemens, cerata & epithemata. Salutaria ſunt ad huiuſmodi medicamenta, tum quod *ab adipibus* diaſteatωn appellatur, & quod *à manu* χεὶρ vocatur, tum per ſe, tũ cũ eo quod diamelilotum dicitur, mixtum. Vbi verò declinauerit inflammatio, & non amplius admodum ferueat, bene facit etiam peganera dictum, & quæcũque diſcutere omnino & extrahere poſſunt quæ in alto hæreſcunt. Præcipuè vbi febris non eſt, calidioribus omnibus & epithematis & potionibus vtendum eſt. Itaque caules braſſicæ cum radicibus cremati, optimè laterum doloribus faciunt. In cinerem igitur redacti, adipe ſuillo veteri excipi, atque ſic affectæ particulæ imponi debent. Proinde vbi febris non vrget, hiſce medicamentis vti conſilium eſt, potionibus autẽ ex coſto & bdellio Arabico. DE DECOCTV. Quandoquidem cum plerique omnes, tum diuiniſſimus etiam Hippocrates ptiſſana, alii verò mulſa, oxymelite & ptiſſanæ cremore ad ſputum educendum vſi fuerint, ſcire conuenit quibus ſingula exhiberi debeant. Si igitur bilioſi ſunt ægri, ſolo etiam ptiſſanæ cremore cõtenti eſſe, & crebrius copioſiúſque ipſum aſſumere debẽt: ſin autem auerſentur ptiſſanæ cremorem, & non libenter capiant, alio quoque vtentur, præſertim auenato. Vim enim quæ humores ex thorace & pulmone purget & educat, haud minorem quam ptiſſana (ſi non etiam aliquanto ampliorem) obtinet. Tepida verò his idonea eſt, eo quòd humoris ſiccitatem humectet: item apomeli magis etiam quàm mulſa: & in ſumma quodcunque humectat ita vt neque refrigeret aut calefaciat vehementer, ſed abſterſorium quippiam obtineat. Nihil enim commodius eſt pleuriticis quàm medicamentum quod humectare ſimul & abſtergere poteſt. Sin autem id quod expuitur, viſcoſum pituitoſúmque fuerit, vt ob id ægrè educatur, idque magna tuſſi, in his decocto ex iride & dulci radicula, necnon eo quod ex marrubio fit & oxymelite, adhæc mulſa vtendum eſt, ægri virium, & eius quod excreatur educitúrque copiæ & facultatis ratione habita. DE PVRGATIONE. Aluus non modò clyſteriis, ſed etiam medicamentis ad eam molliẽdam efficacibus ſubducenda eſt, ſi corpus vitioſis quoque ſcatere ſuccis, & recrementis plenum appareat, vt hinc etiam dolor, antequam auxilia ſint admota, intendatur magis quàm decreſcat, & circa imas particulas cruciatus excitetur. Fieri autẽ debet purgatio, ſi corpus bilioſum fuerit, ex lacryma ſcãmoniæ. neque enim calida eſt admodum, ſicut alia purgantia. Dari autem debet modicum ex ea, & paulatim, vires & materiæ redundantis quantitatem obſeruando. Quòd ſi bilioſum non ſit, ſed pituitoſum potius, tunc illis vti conuenit quibus diuiniſſimus Hippocrates præcepit, aut peplio, aut veratro nigro, interim pulucrem ex ptiſſanæ cremore exhibendo, vt etiam nos ſubinde fecimus. Compoſitio ipſius in hunc modum habet: Veratri nigri ſine medulla, drachmæ quatuor, ſcammoniæ drachma, gummi drachma, braſſicæ ſucco excipito, fingitóque ca-

tapotia quæ ciceris magnitudinem habeant. Pueris dato pilulas quinque, robuſtis ſeptem, ætate vigentibus quindecim, mulieribus vndecim. Scire autem oportet hæc etiam lippitudine & regio morbo laborantibus exhiberi, ac bene facere, ita vt ſtomachum omnino non ſubuertant. Danda autem ea ſunt à cibo potius. Ita nanque citra noxam moleſtiámque purgationem molientur. A

ALEXANDRI TRALLIANI Liber VII,

Iohanne Guinterio Andernaco interprete.

DE SANGVINIS REIECTIONE, Caput I.

Haud noui an alius æquè difficilis ſit affectus vt ſanguinis excreatio. Nō enim ipſa per ſe, dum immoderatam vacuationem inducit, vitam adimere conſueuit, ſed peſſimorum longorúmque morborum magna ex parte cauſa redditur. B Quare incumbendum eſt, vt vitium hoc prius internoſcamus vnde cauſam traxerit,& quo in loco inciderit, atque ita curationem tentemus,neque eam differamus. Quippe mora & dilatio cum in omnibus morbis nociua eſt, tū verò magis in ſanguinis eductione plurimum nocet. Scire igitur hoc ante omnia conuenit, ſanguinis reiectionē tribus de cauſis palàm excitari, vaſorum ruptura, eroſione,& quum ora illorum adaperiuntur. Cognoſces autem ſingulos dolores hoc pacto. QVOMODO ſanguinis reiectionem ex vaſorum ruptura fieri deprehendamus. C

Qui igitur ex ruptura vaſorum ſanguinis reiectionem experti ſunt, primùm inde ſanè cognoſcere poteris quòd cauſa aliqua primaria anteceſſerit, vtpote aut vox violenta, aut caſus, aut ictus vehemēs, aut ſi pondus aliquod graue æger ſuſtinuerit, aut etiam in vehementi frigore verſatus ſit, aut copiam ſanguinis congregarit, aut flatus multi eum diſtenderint. hæc enim frequenter vaſorum rupturam in particulis excitare abundè poſſunt. SIGNA reiectionis ſanguinis quæ exeſo vaſe accidit. At quæ ſanguinis reiectiones exeſo vaſe eueniunt, quod κτ' διάϐρωσιν Græci vocant, primùm ſanè inde cognoſces quòd excreationes paulatim fiant: deinde quum vaſa magis exedun- D tur, multus ſimul vacuetur: poſtea verò, & quòd præceſſerit aut diſtillatio, aut ſalſorum & valde acrium eſus, aut triſtitia immoderata, aut inedia. Quòd ſi etiam cum ſanguine carnoſæ quædam particulæ ſiue mēbranoſæ permixtæ appareant, ſine dubio ſanguinis reiectionem particulis quæ reſpirationi ſeruiunt exeſis fieri exiſtimandum eſt. SI SANGVIS ore vaſis patefacto erumpit. Sin autem ore vaſis adaperto ſanguinis expuitio e- E uenerit, primùm ſanè inde notatur quòd nihil præceſſerit, vt quū vaſe exeſo ſanguis reiicitur fieri diximus, ſed potius humidioris calidioriſque victus, & frequentium balneorum abuſus: item ex eo quòd æger in calidioribus ædificiis præter conſuetudinem, aut loco calidiore immoratus fuerit. Nam ſi horum prædictorum aliquod adfuerit, ſputúmque ſanguinis modicum & paulatim fiat, ſanguinis curſum patefacto vaſorum ore accidiſſe cognoſcito. Hac igitur ratione cauſam vnde ſanguinis eductio initium traxerit, internoſcere potueris: locum verò vnde profluit, in hunc modum notabis. QVOMODO locus affectus agnoſcatur. Si quidem ſanguis multus & vniuerſus vnaque vice eductus fuerit, ſubflauus magis, ſpumoſuſque, & citra dolorem, his indiciis ex pulmone reiectionem eius fieri noſcendum eſt. SIGNA quum ex thorace effertur. Quòd ſi dolor aliquis circa thoracem oriatur, neque exiens ſanguis flauus fuerit, neque copioſus admodum, & vniuerſus feratur, thoracem affectum eſſe putabimus. Effertur autem ſanguis ad ſuperiora per pulmonem, quemadmodum in ſuppuratis, quibus inter thoracem & pulmonem continetur. SIGNA quum ex faucibus erumpit. Cognoſces autem non ex infernis partibus, ſed ex faucibus & arteria reiici, ſi excreando ſolùm ægri,& validè tuſſiendo expuant: quemadmodum rurſus ex ore reiici teſtatur ſi ſpuendo ſolùm,& ex gula euomendo, non tuſſiendo, neque ſcreando efferant. Ita igitur cauſam vnde ſanguinis fiat eductio,& locos affectos internoſcere licet: deinceps autem de curatione ipſorum tractare nos oportet.

CVRATIO reiectionis ſanguinis quæ propter rupturā accidit. Quum igitur ſanguis ob rupturam vaſorum ſurſum eruperit, vena cubiti omni modo ſecari debet: vacuatio autem nō vna vice, verùm duabus tribúſve horis interpoſitis tētari: præſertim ſi primaria cauſa copia ſanguinis fuerit, aut ſpiritus multi & flatulenti collectio. Sin autem ætas quoque ægri floreat,& vires appareant robuſtæ, cum fiducia plus ſanguinis auferendum eſt. Iuuat ipſos nihil minus etiam ex imis corporis partibus ſanguinis detractio. Noui autem ego me, quum venæ cubiti in conſpectum non veniſſent, etiam ex venis in talo ſectis ſanguinem dimiſiſſe, & multo magis profeciſſe. Nam materiæ ad longinquiores partes prouocatio firmiorem multo reuulſionem efficit. Sanguine detracto ægrum cōquieſcere cogito, compellitóque ne magnam reſpirationem edat: vbi verò reſpirauerit, aquoſam poſcam ipſi ſuperſorbere præcipito. Simul enim hinc accidit vt & grumi diſſoluantur curſúſque ſanguinis tum repellatur tum impediatur. DE CIBO. Sit autem omnis cibus qui & leuiter aſtringat,& mediocrem obturandi vim habeat. Cremor igitur halicæ aut ptiſſanæ his eſt idoneus: longè autem melior valentiórque erit ſorbitio, ſi amyli frumentacei & mali cotonei paulum cremoribus ſimul incoquas. Hoc nanque modo & obturabit magis,& leuiter aſtringere poterit: quod etiam maximè in iis requirimus qui ob rupturam vaſorum ſanguinem expuunt. Inopia verò ptiſſanæ, etiam eo vtantur qui apud Romanos vocatur Farris cremor, vel eo qui ex ſimilagine ipſa valenter decocta factus eſt. Item micæ panis tepida aqua imbutæ, & ouorum lutea, ſiquid aliud, his ſunt accommoda. At neque ſorbitiones, neque aliorum ciborum quippiam calidum offerre conuenit, ſed omnia potius ſint temperata,& ad frigidius declinantia. Item placenta ſuminalis, non alienus his cibus eſt, ſed & ipſa opitulari poteſt, ſi abſque ſale & multo oleo confecta fuerit. Ex oleribus aſſumant ægri maluam, antea citra ſalem probè elotam: item lactucam decoctam, in poſcam aquoſam ipſam intingentes: ſimiliter & intybum & portulacam. Horum inopia, poſt ſeptimum diem etiam gallinas non admodum pingues ſumant: quin & perdicum, attagenarúmque pectora comedant, necnon gallorum teſticulos. Etenim præterquam quòd valenter breui tempore nutriant, augeántque vires, adhuc etiam læuigandi obturandique facultatem obtinent. Quòd ſi venter copioſiora excernat, aſſi quoque citra ſalem ſumantur. Sic nanque comeſti ventrem non perturbant, quum id quod ſeroſum in eis eſt, inter aſſandum abiecerint: & præterea etiam ſuauiores redduntur. Iam anſe-

F G

rum non adeo veterum alæ offerantur, necnon ventriculi ouáque ipſorum, abiectis albuminibus. Etenim cum probè nutriunt, tum obturandi facultatem habent: ſed non ægrè concoquuntur, vt quidam calumniantur. Vbi ſanguis expui deſierit, etiam pedes ſuum, & piſces ſaxatiles, aceto inter coquendum adiecto, offerantur: ex leguminibus autem halica & chidron, admodum decocta, eáque pſa ex longiore interuallo, & quum non vehementer ægri febricitãt. Nam vbi febris abeſt, etiamſi lac ſimul incoctum ipſis dederis, nihil nocebis, præſertim iis qui etiã per ſanitatem lac aſſumere cõſueuerunt. Ex fructibus pomaceis exhibeantur qui modicè aſtringant, vt mala (præcipuè cotonea) decocta, pyra, ſorba, meſpila: & ſi admodũ ſiticuloſi fuerint ægri, etiam pepones, & cucumerum medulla, vuáque penſilis exhiberi debet. A ficubus, bellariis, piſtaceis, maximè amygdalis, & malo Punico abſtineant: rarò autem nucleos pini & vuas paſſas ſimul aſſumant, eáque ipſa poſt ſanguinis reiectionem. DE POTV. Potui autem aqua tepida per totum morbi curriculum exhibeatur, eáque non calida, ſed temperata, quemadmodum etiam dicetur. Quòd ſi diu tepidæ potioni inſiſtere nequeant; imbecille ſe ventriculi os habere dicentes, concedendum ipſis etiam paulum omphacomelitis, aut hydrorosati, aut hydromeli ex cotoneis, ſemel aut bis aſſumere: in aliis horis rurſus tepidam, aut poſcam aquoſam. DE MEDICAMENTIS. Talis ſanè eſt victus ratio: adhibeantur autem ipſis auxilia, præſertim iis qui exquiſitũ obſeruare nequeunt: ac primùm ſimplicioribus vtẽdum, deinde etiam valentibus, ſi opus fuerit: & vt abſolutè dicam, remedia pro affectus magnitudine, & ægri viribus metiemur: atque ita eis exhibebimus. Sunt porro medicamenta eiuſmodi quæ & ratio & experientia cõteſtantur. Habent in hunc modum: Symphyti radicum decoctum, ſanguinis ex ruptura vaſis reiectiones cohibet. Portulacæ ſuccus epotus, præſtantiſſimum eſt & efficax remediũ. Quòd ſi herbam ipſam aſſumere ſuſtineant, ita quoque adiuuantur. Adhæc rubi fructus & flos, necnon quercus liber, qui cortici ſubeſt, & tunica glandis putamini ſubiecta. At propter potionis eius aſperitatem ne ſubſtantiam quidem ipſam aſſumere, ſed illius ex aqua potius decocti ius propinare vincit. Rhus ipſe quoque valde conducit. Lentiſci tenerorum foliorum ſuccus admodum commẽdatur. Polygonii ſuccus, non modò ad ſanguinis ex ruptura fluorem, ſed etiam ad omnes propemodum, & per ſe, & cum Lemnia terra (quam ſigillum dicunt) inſigniter prodeſt. Samia quoq; terra, quæ aſter dicitur, aduerſus omnes ſanguinis reiectiones, aut cum aliquo prædicto decocto potu conducit. Porri ſuccus cum portulacæ ſucco æquali modo, & aceti modico, potus, ſanguinis ex ruptura fluxiones pulchrè cohibet. His igitur, eorúmque ſimilibus ad ſanguinis reiectionem idoneis vtendum eſt: verùm commodiſſimum eſt ea ante ſanguinis eductionem, & poſt eam non modò ſemel ſed etiam ſæpius exhiberi, & tunc potiſſimùm in quibus ſanguinis reiectio continuè moleſta negotium faceſſit. DE IIS quæ extrinſecus admouentur. Extrinſecus autem thoraci accommodentur etiam ſuperfuſiones per lanas ex roſaceo, aut melino, aut myrteo, cum aceti modico, aut vino auſtero, non nimis veteri: immutentur autem crebrius. Non perſeueranter impoſitæ, non poſſunt non excalfieri: atque hinc rurſus ſanguinis commotio & irritatio quæpiam orietur: quapropter eas mutare conuenit. DE MEDICAMENTIS. Vbi ſanguis reiici deſierit, dolor autem thoracem affligat, non abſurdum eſt medicamenta applicare quæ leniunt ſimul & leuiter exſiccant. Præcipuè autem ad eiuſmodi affectus conferunt quæ ex metallicis & aceto parantur: quale eſt tum Ambroſia, quod etiam crebrò parare conſueuimus: tum quod *à ſalicibus* διὰ ἰτεῶν dicitur, & Barbara. Ad teneriora corpora, & quæ dura medicamenta ferre nequeunt, etiam phœnicine, *quod eſt palmulatum*, cum cera modica, roſaceo & aceto ſolutum: adhæc medicamentum quod ad Mnaſæum refertur: atque ipſa iam dicta medicamenta & Barbara, & Diaiteων, ſi probè ſoluta fuerint, fiántque ſic cerata, lenia & valde idonea tenerioribus imbecillioribúſque corporibus erunt auxilia.

DE compoſitis medicamentis, quæ ad ſanguinis ex ruptura profluuium per os ſumuntur.

Quòd ſi & dolorem vrgere contingat, & ſanguinis reiectio non ceſſauerit, compoſitis etiam vtere medicamentis, quæ & ſanguinis profluuio accommodari poſſunt, dolorem lenire, vigilias tollere, & aluum citatiorem cohibere. Propter hoc enim medicamenta etiam multæ miſturæ à veteribus inuẽta ſunt, vt ad diuerſos caſus oborientes aliâs aliud medicamentum nos quoque applicare poſſimus. Compoſitio ipſorum ita habet: Thuris vncia contuſa, increta, & in tenuiſſimum pollinem redacta, cochleari dato ex poſca, aut decocto lentiſci, aut myrti, aut lenticulæ, aut ſucci mali Punici. ALIVD.

Terræ Samiæ drachmæ quatuordecim, tragacanthæ drachmæ quatuordecim, amyli totidem, gummi drachmæ duodecim, opii drachma. Ex ſucco plantaginis aut polygonii exhibetur, ſi febris vrget: ſin autem febris abeſt, ex poſca. Datur hic paſtillus non ſolùm ad ſanguinis reiectionem, ſed etiam in quibus dolor vehemens thoracem affligit, & aluus citatior eſt: item ad alia etiam multa benefacit. ALIVS paſtillus ad ſanguinis reiectionem. Terræ Lemniæ, quæ ſphragis, *hoc eſt ſigillum*, dicitur, thuris, amyli, terræ quæ Aſter vocatur, coralii, gummi, aluminis ſciſſilis, ſingulorum drachmæ quatuor: ſymphyti, acaciæ rufæ, ſingulorum drachmæ tres. Succo porri excipito, fingens paſtillos qui ſcrupula tria ſinguli pendant, datóque ægris, reſpiciens non modò affectum, ſed etiam ad vires. Diſſoluito autem paſtillum aut ex poſca, aut ſymphyti rubive decocto. Hoc medicamentum eſt ad ſanguinem reprimendum, admodum vſu probatum, ipſóque cum fiducia ad implicatos affectus vti conuenit. ALIVD valde bonum. Gummi, acaciæ, ſingulæ vnciæ: aluminis vnciæ quatuor: decocto cotoneorum excipito, fingitóque catapotia, & ſub lingua tenenda dato. Hoc potiſſimùm confert ad eos qui ſanguinem ex faucibus & aſpera arteria reiiciunt. Sin autem hoc læuigatum iis etiam qui ex thorace & pulmone ſanguinem reiiciunt, exhibeas nihil minus auxilii cõferre ipſis poteſt. QVVM ſanguis exeſo vaſe reiicitur. Quòd ſi reiectionem ſanguinis vaſe exeſo fieri ex quibuſcunque tandem partibus, vel pulmone, vel thorace, vel faucibus contingat, non amplius medicamentis aut cibis aſtringentibus admodum, aut acidis, ſed potius iis qui contemperare, mutare, & alterare humoris qui eroſionem excitarit, acrimoniam poſſunt. Vitanda autem eſt ſanguinis miſſio: nam magna ex parte corpus eorum qui ſic ex eroſione ſanguinem reddunt, gracile, perſiccum, & habitum eius aſſamentorum ſimilem, huícque vitio, nec non phthiſico affectui opportunum deprehendes. DE CIBO. Hos ptiſſana potius alere conuenit, quæ grana quoque habeat: ſimiliter etiam halica, cui nihil adſit aut ſalſum aut acidum, imò nulla alia tenuis qualitas, ſed econtrario quæ magis implentem obturantémque ipſam reddere queant, vt amylum frumentaceũ, aut maluam. Quòd ſi ægri non febricitent, & lac & tragacantha dabitur. Ex oleribus edant quæ refrigerare & humectare ſolent, vt intbum, troximum, lactucam, & maluam. A ſeptimo die iis qui infirmas habent vires, etiam ex gallinis, præſertim cohortalibus, pectora citra ſalem offerre expedit. Rarum ſiquidem eſt non etiam calorem iis oboriri qui ſanguinem vaſe exeſo expuunt, præcipuè qui fluxionis originem ex triſtitia, aut curis quibuſdam, aut inedia, & labore ampliore, aut vigiliis, aut diſtillatione tenui & acri habuerunt. Si enim horum aliquod præceſſerit, non modò gallinæ, ſed etiam vuluula & pectuſculum his conueniunt: item piſces dura carne præditi, & iſicium ex ipſis paratum: ſimiliter aſtaci quoque bis in alia atque alia aqua cocti: item pedes ſuilli cocti: & omnia ſummatim quæ humoris thoraci & pulmoni influentis acrimoniã obtundere, & craſſiorem efficere poſſunt. Quapropter his etiam pomacei fructus humectare potentes, dandi ſunt, vt peponum caro, vua penſilis, mala non aſtringentia. A cucumeribus autem omnino abſtineant. QVID agendum ſit in iis qui ſanguinem ob acris humoris diſtillationem expuunt. Proſpiciendum

etiam

etiã capiti eſt,præſertim vbi acris influxus ſanguinis reie-
ctionẽ pepererit. Fieri enim nequit vt tuſſis deſinat, aut
affectæ particulæ non exedantur, niſi acris tenuiſque ex
capite influxus ceſſauerit.id quod probè fiet ſi quæ refri-
gerare & humectare poſſunt, capiti admouerimus. Ita
nanque calor ipſius deſinit vt etiam acria recrementa in
ſubiectas partes defluere nequeant. Quum enim ipſum
adeo frigidam intemperiem obtineat, tam acre & cali-
dum influere,& reſpirationis vas aut particulam aliquam
exulcerare nequit. Iniiciatur itaque his in caput roſa-
ceum, & per ſe, & cum frigida aqua modica, quò in al-
tum penetret. Finiet autem calorem qui ex inferioribus
materiem elicit, attrahit, & gurgulioni, thoraci, & pul-
moni tranſmittit. Ad balneum ægri ducendi ſunt quum
hoc agendum eſt, roſaceúmque vel oxyrrhodinum fri-
gidum ſuperfundendum, & in ſolio, etiamſi maximè ca-
lidum eſſe contigerit, frigidã aquãpro ratione intempe-
riei ſuperantis, capiti ſuperiniicere moderatè oportet.
Verùm hoc agere conuenit in quibus ſanguinem è capi-
te deferri conſiderauerimus: item in quibus ſanguinis
ſputum ex gingiuis ob humorem acrem exedentem ac-
cidit. Hi ipſi admonendi ſunt vt in ore contineant ro-
ſaceum,aut lentiſcinum,aut poſcam: item collutionibus
vtantur ex alterco,& radice ſolani,aut ſemperuiuo,aut ro
ſis,aut hydroroſato,& horum ſimilibus. Ego itaque in
hunc modum curandos eſſe cenſeo qui diſtillatione ob
calidam intemperiem laborant, & ſanguinem expuunt:
quòd humor qui è thorace fertur,acris ſit & erodens. Mi-
ror autem quomodo diuiniſſimus Galenus nullo hume-
ctante & refrigerante medicamento vſus ſit, ſed contrà
ſtatim ab initio ſiccantibus & calefacientibus: etſi cau-
ſam reiectionis quæ ob eroſionem fit, accuratè nouerit.
Si igitur hæc ita habent, annon etiam præſtaret efficien-
ti cauſæ reſiſtere, & potius humectantibus refrigeranti-
buſque ſtatim inter initia vti? deinde ita, ſi copiam quo-
que vitioſi humoris eſſe ſuſpicetur, vacuare per ea quæ
acribus & bilioſis recrementis purgandis ſunt idonea,&
caput intemperatum, non adhuc intemperatius reddere,
& ea quæ in thorace ſunt, acriora efficere, tum theriaca,
tum thapſia, tum columbarum ſtercore, & balneis ſiccis
vſum, vt neque capiti vel pauciſſimum oleũ, neque cor-
pori iniici permittat? Hæc enim omnia acrem qualita-
tem adaugent, & eroſionem magis intendunt quàm cu-
rent.Nam quæ contemperare & lenire poſſunt,immode-
rationémque rodendi & exedendi particulas prohibere,
etiam tuſſim mitigare poterunt, atque omne temperatũ
conſeruare. Quid autem corpori quàm hoc, eſt præſtan-
tius? vbi nanque temperatum totum euaſerit, & acrimo-
niam influxus abiecerit, etiam iis quæ celerrimè eroſio-
nem lenire poſſunt,modicè ſiccantibus, & ad cicatricem
ducentibus vti licet. Ego ſanè noui frequenter me ſine
theriaca aliiſque pretioſis antidotis multos curaſſe, le-
nibus vſum medicamentis, & præſertim lapide hæma-
tite. Vſus autem eo ſum in iis qui largius ſanguinem re-
iiciebant,cum ſucco mali Punici,& granis,vel cum ſucco
polygonii:in quibus autem ſanguis non copioſè euacua-
batur, etiam ex aqua ſola tepida. At læuigare ipſum cu-
rioſè oportet,vt in tenuiſſimum puluerem redigatur, ſit-
que aëreus, & vento perſimilis. Dedi ex eo ſcrupula qua-
tuor,& paulo amplius minúſve. Exhibui etiam iis qui pus
expuere inceperant: ac mirum eſt quomodo vlcus exſic-
carit,ſanaueritque,vt non amplius pus generaretur,neque
æger à tuſſi infeſtaretur. Spectaui autem & alium quen-
dam ex iis quibus vas exeſum erat, non modò particulas
quaſdam ex faucibus,ſed etiam aſperam arteriã expuen-
tem: ac mirum quomodo in hoc quoque lapis hic maxi-
mam efficaciam indicauerit. nam & hic curatus eſt, no-
bis non admodum etiam ſperantibus. Exhibui autem æ-
gro potui medicamentum frequentius, vt commodius
diſtribueretur. Quare quũ crebrò ipſum bibiſſet, tandem
ſumere ipſum faſtidiuit. Excogitaui autem huiuſmodi ra
tionem: Redactum in tenuiſſimum puluerem panniculo
linteo impoſui, & diligenter ipſum vndiquaque conſtri-
ctum colligatúmque, in poculo quod vinum odoratum

A modicum haberet,ſuſpendere permiſi, idque per totam
noctem iam inde ab ipſo veſpero: extraxi autem tenuem
aëreámque eius partem, vt æger ſolam vini qualitatem
perciperet. Ex hoc bibere,quantum manè libenter habe-
bat,ei præcepi: atque hoc ſanè agendo, bibendóque con-
tinuè,ſanitatem recepit. Hoc autem morbo liberatus,idẽ
præſeruationis cauſa facere pergebat, bibebátque,donec
etiam corpore probè refecto, conſueta agendo,viribus
ſe conſtare ſentiret. Hæc de lapide hæmatite hactenus à
me viſa,& vſu comprobata conſcripſi: item quòd medi-
B camenta calefacientia,vel ſiccantia,& acriora,iis qui ſan-
guinem aut pus ex diſtillatione propter calidam intem-
periem expuunt,offerre non oporteat, ſed lenibus potius
medicamentis ad curandos eos ſit vtendum. Quòd ſi hæ-
matites lapis alicui non ſuppetat, vtatur Armenia bolo
præſtantiſſima,aut Samia terra,aut Lemnia, quæ ſphragis
(*hoc eſt ſigillum*) dicitur, ſi ſit germana. Qui enim nunc,lu-
tum macerant, deinde paſtillos formant, tanquam Lem-
niam ſphragidem medicis exhibent: hi autem ſucceſſu
eius fruſtrati,antiquos tanquam de eo mentitos accuſant.
C Sunt & alia medicamenta ſimplicia & compoſita,quibus
ii curioſè vti debent qui ſiccam & acrem qualitatem ſuſ-
tinent. Quanuis enim tantum non poſſunt opitulari
quantum hæmatites,tamen eroſionem adhuc latius ſer-
pere non permittunt. Porro exhibeas etiam ægro illa, vt
longiore tempore viuere poſſit,qui nõ admodum à mor-
bo afflictus ſit & debilitatus. Quin nec hoc exiguum be-
neficium eſt, robur aliquod ægro accommodare, & ne
quid deterius experiatur. Quid igitur? (dixerit aliquis)
quando medicamento ex viperis vtendum erit? Pronun-
D tiamus igitur,manifeſtò illis rectè exhiberi quos ob fri-
gidam intemperiem,non autem ſalſam qualitatem præ-
pollentem,diſtillatio infeſtat,& id quod influit, frigidũ,
pituitoſum, non autem ſalſum apparet. In his enim the-
riaca etiam vti præſeruationis gratia alienum non eſt: i-
tem iis quæ extrinſecus exaſperare, & vellere cutem ſic-
caréque poſſunt, vt ne particulæ fluxionem experientes,
validámque adferentes tuſſim, interdum rupturam quo-
que pariant. Ego itaque noui me cuidam talium qui eiuſ-
modi fluxionem in thorace etiam ex frigida intempe-
E rie ſuſtinerent, candenti quoque ferro in capite vti præ-
cepiſſe: ac quũ æger id promptè feciſſet, mirum quomo
do omnia ſimul ceſſauerint, & copia quæ influebat, hu-
mida,& tuſſis. In poſterũ verò æger à fluxionibus in tho-
racem liber ac immunis permanſit. His ſunt aquæ calidæ
naturales vtiliſſimæ: quemadmodum etiam illis qui ex
calida intemperie diſtillationem ſuſtinent, aduerſæ:& o-
mnia,vt prædictum eſt,quæ calefaciunt & deſiccant. Præ-
caueant autem omnes qui ſanguinem expuerunt, vt ne
rurſus in eadem incidant,ambulationem largiorem,cor-
F poriſque exercitium,exclamationem,iracundiam,copio-
ſiorem venerẽ, eſum apii quod vocatur Macedonicum,
aut ſalſamentem, aut caſeum veterem. Hæc enim maxi-
mè iis qui ſanguinem exeſo vaſe reiiciũt,inimica: quem-
admodum rurſus ſatietas, cruditas,vinum meracum, ci-
bi flatulenti,indignari,pondera manibus attollere,& ven
trem cohiberi,vel conſuetas ſanguinis euacuationes, o-
mnibus quibus ob rupturam ſanguis reiicitur aduerſan-
tur. Inſolatum verò,& in calida domo conuerſari,aut ca-
put largius in aquam calidam intingere,aut inungere,aut
G ipſum contegere, illi potiſſimum deuitent quibus ſan-
guis ex naribus aut per palatum copioſus erumpere ſolet.
Pari modo etiã quibus ore vaſis adaperto ſanguis erum-
pit,caueant balneum magis continuum, ebrietatem, &
calidiores cibos. Omnes autem lacte vtantur,mollique &
recenti caſeo,præſertim caprillo aut bubulo. Neque enim
medicamentum, aut cibus, aut aliud quidpiã adeo accõ-
modum ipſis eſt aut vtile,atque lac. Et qui per initia ſolo
ipſo cõſtanter longiore tẽpore vſi ſunt,omnes in totũ cõ-
ſanuerunt. Noui autẽ quendã qui quũ toto anno ipſum &
bibiſſet & comediſſet,interim cũ frumẽtaceo aliquo,aut
ſimilagine, aut libo ſuminali, aut halyca,aut lente,aut pa
nico incoquens: quúmque ita agendo à vino abſtinuiſſet,
liberatus fuerit & puris ſputo, & ne poſtea in phthiſin

inciderit. Tantum etiam de ſanguinis reiectione dictum à nobis ſit: putóque abundè ſufficere.

DE PVRVLENTIS, QVOS Græci ἐμπυηματικοὺς vocant,

Cap. II.

QVoniam verò poſt ſanguinis reiectionem, puris ſputum, magna ex parte interuentu inflammationis, ſecundum Hippocratis ſententiam, comitari ſolet: neceſſe eſt nos, communionem orationis ſequentes, de inflammatione quæ in pulmone & particulis reſpiratoriis conſtituitur, pertractare. SIGNA quum inflammatio in pus conuertitur. Omnia in vniuerſum indicia ſuppurationis talia exiſtunt. Febris vehementior quàm antea: rigor præter rationem, & grauitatis potius quàm doloris multi ſenſus. Vbi hæc tibi apparuerint, naturam materiem ſubiectam in pus mutare ſcito: & ſiquidem facultas efficiens robuſta fuerit, etiam pus non adeo viſcoſum repertum iri, & vomicam tunc intra thoracem circa decimumquartum diem futuram eſſe. Sin autem craſſius quoque pus vltra dies prædictos inuentum fuerit, & ægri vires infirmiores etiam circa quadrageſimum, aut ſexageſimum, & longius, vomicæ eruptio expectanda eſt. Summatim pro copia & qualitate materiæ, ægríque viribus, vomicæ eruptionem futuram expectato. Et ſi quidem intra thoracem pus illapſum, diutius intus manſerit, & non fuerit vſque ad quadraginta dies expurgatum, vt diuiniſſimus ait Hippocrates, in phthiſin peruenit, pulmone ipſis antea puris acrimonia exulcerato, & computreſcente. Internoſci autem debet locus affectus, ſi æger interrogatus dicát dextram thoracis partem eſſe calidiorem, magíſque grauitatem ſentire, tanquam aliquid ex ea pendeat, quando in alterum latus inclinauerit. DE VICTV. Victus igitur omnibus purulentis varius conuenit, pro diuerſitate puris eius quod expuitur, & craſſitie ipſius & tenuitate, item pro vomicæ eruptionis modo: ad hæc pro particulæ ipſam comprehendentis natura, & ægri viribus, aliis aliter tranſmutatis, ſi id quod expuitur, bilioſum fuerit. Qui igitur bilioſum pus expuunt, his etiam cremor idoneus eſt ptiſſanæ, ſi ſuperſorbeatur, cremórque auenæ. Quòd ſi vires imbecillæ ſint, cremor halycæ, aut typhæ, aut zeæ: ſin autem nihil eiuſmodi fuerit, neque aluus citata, etiam ſuccus amygdalarum, vel per ſe, vel cum prædictorum cremorum aliquo mixtus. Aluo autem citata nihil prorſus exhibeatur ex iis quæ amplius ipſam irritare poſſunt, neque potus, neque cibus eiuſmodi. Nam id genus affectibus aluum fluxione tentari moleſtum eſt: quare etiam cremor ptiſſanæ plus quàm amygdalorum, item mulſa, decoctum dulcis radiculæ, iridis, & fœnigræci, necnon oxymeli, magis quàm omnia alui fluorem citat. habet enim aliquid quod etiam inteſtinum abradat. Iuſcula autem ex aqua tepida, aut halycæ, aut ſimilaginis, niſi admodum febricitent, exhiberi magis expedit. At quum ſputum fieri craſſius, & bilioſum abieciſſe, necnon reiectioni contumax fieri incepiſſe deprehendis, tunc rurſus ad aquoſam mulſam, aut apomeli tranſire conducit, exhibendo ipſum paulatim, & non vniuerſum. Vſus nanque ipſius innoxius erit, & plurimum iuuare poterit: magíſque ſi etiam pus quod expuitur, fœdi odoris & ſordidum fuerit. Sin autem tale illud eſſe appareat, fœnigræci cremorem cum palmulis pinguibus decoctum dare confert: horum inopia, ficus quoque ſiccas modicas incoquere. Etenim & humorem ſimul egregiè proiiciunt, & eductioni facilem reddunt: necnon etiam quæ vlcus inflammant, leniunt. Conſtat autem palmulas, aut ficus ſiccas, in tertio fœnigræci iure incoquendas eſſe. Præſtat ſi etiam mellis paulum admiſceas, vbi cremorem exhibiturus es. Hunc quidem ante cibum potius dato: mulſa verò quouis tempore exhibita, nihil ægrum offendit. VIRIBVS infirmis quid agendum ſit.

Vires quoque maximè attendendæ ſunt. Nam ob earum imbecillitatem accidit vt humor ægrè reiiciatur, dum ipſæ quæ in thorace hærent exprimere nequeunt. Cura igitur illarum habenda eſt maior, iniiciendo ptiſſanæ cremori aut columbam aut pullum. Exhibeto autem ægris etiam gallorum teſticulos, vt ne vires deiici permittas. Imbecilles enim, in valde facilibus quoque concoctu diſtribuendis & probè conficiendis, laborant. Quia verò ex facili coquuntur, & ventrem ipſi perturbant, habent autem nonnihil etiam quod ſtomacho aduerſetur, aſſos exhibere conuenit, vt quod ſeroſum in eis eſt effluat: id quod probè fit ſiquis ipſos, dum aſſantur, acu pungat. Sic etiam cerebella porcellorum aſſa præbere ſatius eſt, ſale modico ipſis aſperſo: quoniam & ipſi ſtomacho aduerſantur, ventrémque perturbant. Quare iis qui vires habent infirmas ſolis ipſi exhibendi ſunt: præterea anſerum alæ, ſuum peduncull, halyca cocta cum amygdalis, piſtaciis, vuis paſſis, & quæ alia probè nutrire ægros poſſunt. Auctis autem viribus, contrà ad ſolidiorem cibum tranſeundum eſt. Quòd ſi diuturnior affectus fuerit, & corpus totum alimentum non ſentiens contabeſcere manifeſtò inceperit, neque thorax multum puris contineat, etiam ſolum ipſis lac dari debet, ſi non vehementer febricitent. ſi enim multo infeſtante calore exhibeatur, non item nutrire aut humectare poterit. Nam ab eo quod contra naturam eſt vincitur, & in alienam corruptricémque qualitatem mutatur. Vbi calor febrilis moderatior euaſerit, lac ipſis exhiberi debet. QVALE lac & quando offerendum ſit.

Sin id quod reiicitur, expurgatione adhuc indigere tibi videatur, & non modò ſordidum & fœdi odoris exiſtat, aſininum omnibus aliis antecellit: quippe etiam eo quòd porbè purgat, omnia vincit. Item equinum ipſis propinandum eſt, quod aſinino ad omnia ſit perſimile. Quare etiam ægrè ſpirantes eo adiutos ſubinde conſpexi, quũ opportunè eſſet datum. Omnia enim quæ pulmonis cauernis infixa ſunt, reiectioni reddit morigera. Adiectum autem eſt Opportunè, vt quum hos febris non infeſtat, neque acceſſionis tempore exhibeatur. Quòd ſi ægri horum animantium lac nolint aſſumere, dabitur ipſis ſecundo loco bubulum aut caprillum. Etſi enim lac horum non adeo purgantem vim obtineat, tamen nutriendo amplius quiddam aliis præſtare poteſt. Porro ne lactis potio ægri ventriculum corrumpat, ſatius eſt ipſum ſupra carbones incoquere. ſic enim decoctio bonam ſeroſi partem auferet, vt etiam ipſum ad vẽtrem retinendum magis quàm alia efficax euadat. Sin autem calculos fluuiales candentes, excuſſóſque, vt puluerem non contineant, iniicias, aut ferramenta eodem modo ignita, commodius adhuc & vtile efficies. Cæterùm variis modis lac ipſum comedant, interim cum ſimilagine, aliâs cum libo ſuminali, aut oryza, aut halyca cum ouorum luteis. Sic enim appetitus quoque conſeruabitur, & vſus lactis, qui omnia poteſt, faſtidioſus non erit. Etenim vlcus purgare, carne obducere, & totum corpus plus quàm vniuerſa nutrire poterit. DE PANE.

Panis offeratur textuaceus, calidus, ſi id quod expuitur, humidum valde & aquoſum exiſtit: ſin autem cõtumax ad reiectionem fuerit, etiam in vinum dulce aut mulſum intingent. quòd ſi febris vrgeat vehemẽs, in hydromelũ, aut mulſum. Sin autẽ ægri dulce faſtidiãt, etiam quædam tenuia vina, aut Sareptinum aut Cnidium, aut Sabinum ſincerum, aut Adrianum ex tepida propinabitur, ſi illi maximè etiam ſiticuloſi ſint & ſicci. DE OLERIBVS.

Olerum radices quidem iniectæ purgare pus & craſſius reddere poterunt. Sumantur autem radices porrorum ex vino, deinde ex mulſo bis percoctorum. Aſſumatur etiam Sinapidion dictum, ante cibum. Si craſſum & copioſum pus appareat, ab omni oleraceo nutrimento abſtinere confert, eo quòd humidum ipſum ſit & recrementitium. Sin autem ægri libenter aſſumant, etiã braſſicam percoctam, & paluſtrem aſparagum, præſertim agreſtem, comedant: magis enim proficit. Quòd ſi nihil huiuſmodi fuerit, æger autẽ vehemẽtius ſiccũ, aut bilioſum, aut ſalſum expuere videatur, neceſſe eſt humidiore vti cibo, & magis inter olera intybo, vel malua. Etenim quũ lubricitatem habeat, arteriam læuiget, lentore blanda ſit.

& mediocriter extenuet, ſputum ad reiiciendum facile reddit, præterquam quòd corpori etiam temperiem conciliet. Finita autem febri, vel etiam imminuta, refrigerãtibus vtendum non eſt: quippe ad ſputum emoliendum educendúmque in eiuſmodi victu diu perſiſtere non expedit. DE AVIBVS. Ex auibus comedant ægri gallinam cohortalem, phaſianos non pingues, perdices ſimiliter, attagenas, turdos, & alios rurales paſſeres, ex decocto. nam iura vlcera magis detergent, ventrémque humidiorem efficiunt, & febres intendunt. Verùm quum omnes non diu eiuſmodi cibum tolerent, pro viribus laborandum eſt vt neque multum olei, neque ſalis iniiciatur: ea verò quæ ad vſum præſentem conueniunt, iuſculis miſceamus. Si nanque ſanguis qui expuitur ſordidus fuerit, etiam mel & porrum adiiciendum eſt: ſin autem purus tibi appareat, tunc ex glandibus quoque caſtaneæ, & libũ ſuminale, aut halyca, aut ſimilago indetur: quemadmodum ſi etiam vlcus appoſitione vel impoſitione opus habeat, cibo miſceatur lens Ægyptiaca excorticata, vel braſſica percocta, vel quod ab Alexandria adfertur phaſiolũ exiguum, vel quod dicitur zizula, vel panicum. DE PISCIBVS. Inter piſces præponantur (ſi quidem vomicæ factæ rupturam promouere voluerimus, & id quod expuitur fœdi odoris ſit & ſordidum, indigeátque repurgatione) piſces muria conditi: & præcipuè quæ encathera dicitur, ſemel aut bis loco medicamenti dari debet. Nã ſiquis immoderatius ipſis vtatur, magis os vaſorum adaperit, & humidiora excrementa efficit. Quòd ſi nullum tale fuerit, ſed bilioſum appareat, ab omnibus quidem ſalſis cibis cauendum eſt: edant autem maximè omnium ſaxatilem piſcem ex iure, anetho tãtùm aſſumpto. Sin autẽ craſſum & viſcoſum id quod effertur exiſtat, præterea nauſea etiam quædam ægrũ torqueat, ex oxymelite decoctio parabitur. DE TESTACEA cute præditis. Alimentum ex teſtaceis non valde iis qui in thoracis regionibus vlcus habent, & pus expuunt, vtile exiſtit: tamen quum ſalſus humor eſt & bilioſus, tunc pectines, aut buccina, aut aſtacum, aut locuſtas, quæ Græcis καράβοι dicuntur, dare non eſt alienum. Sin autem ſordidum vlcus fuerit, & paulatim pus efferatur, eo quòd perfecta eruptio circunfuſi humoris facta non ſit, etiam erinacii modicum ſumere non prohibeto: habet enim aliquid quod & aperire & repurgare poteſt. DE LEGVMINIBVS. Inter legumina ptiſſanam quæ vim habet abſterſoriam, ſimiliter & auenam, febricitantibus quidem rectè dari conſtat: ſin autem calor non infeſtet, etiã halycam quæ habeat aut piſtacia, aut amygdala, aut vuas paſſas, aut nucleos pineos. Si vlcus ſordidum & fluidum appareat, fabas quoque aut phaſiola, aut lentem interim per ſe, interim verò cum ptiſſana decoctam, optimè nimirum exhibes, quemadmodum prædictum eſt, febri in totum propè finita. DE FRVCTIBVS pomaceis. Quòd huiuſmodi affectibus fructus pomacei admodum vtiles ſint, non medicis tantùm, ſed etiam omnibus idiotis eſt in confeſſo. Veruntamen quum cibi quoque faſtidium ægros comitatur, paulo deteriora ex pomis deligere cogimur. quare etiam mala & pira admodum matura, cucumerum medullam, aut peponem, ſi febris potiſſimùm aut ſitis affligat, ſputúmque bilioſius inueniatur, exhibere commodum eſt. nam medulla peponis nõnihil abſterſorium obtinet.

DE BELLARIIS.

Bellariorũ cibus vtilis eſt, vt qui thoracis affectibus abſtergendis vim quandam habeat idoneam. Itaque amygdala, aut piſtacia, aut vuæ paſſæ, aut nuclei pinei, & quæ ex his conficiuntur placentæ, aſſumantur. Verùm non copioſus ex his cibus dari debet. nam etſi abſtergere poſſint, ægrè tamen concoquuntur, & propter oleoſam ipſorum partem alios cibos in ventriculo corrumpunt. Tantum etiam de victu ipſis idoneo dictum eſto: deinceps autem perſequi oportet quæ item medicamenta compoſita iis qui pus in thorace habent, bene ſint accommodata. Dicta igitur ſunt vniuerſa propè, vbi de tuſſi egimus, plurimáque illic ſcripta antidota reperies purulentis quoque efficacia. Sed hic etiam eorum mentionem faciemus quæ propriè ad purulentos conueniunt, ità vt prius ſimpliciora auxilia exponamus, deinde ſic cõpoſita quoque in memoriam reuocemus. Hyſſopum igitur cũ melle bene facit: ſimiliter etiam thymum, aut iris contuſa, aut erui fricti ex butyro, aut pulegium: omniáque hæc ſeorſim contuſa, aut cum melle mixta ſi exhibeantur, bene faciunt: nam generoſè repurgant. AD PVRVLENTOS. Ad omnia thoracis vitia, & eos qui tabe detinentur, quibúſque arteria affecta eſt, admodũ ſalutare & ſuaue medicamentum eſt quod ſequitur: Cinnamomi, myrrhæ, ſingulorum drachmæ quatuor: thuris drachma, dulcis radiculæ ſeſcuncia, tragacanthæ vnciæ ſex, nardi Indicæ drachma, ammoniaci drachmæ quatuor, croci drachma. melle excipito. AD EA quæ in thorace hærent, & omnia recrementa. Nucem pineam, quæ copioſam reſinam peculiarem ſibi circundatam habeat, cum marrubio recenti coquito: deinde mellis modicum decocto miſceto: & rurſus hoc vſque ad melleam craſſitiem incoquito: ac ad thoracis pulmoniſque affectus vtitor. AD PVRVLENTOS, phthiſicos, & eos qui ex pulmone aut thorace, aut membrana ſepti tranſuerſi, fæculenta & ſordida expuunt. Item ad eos qui iam phthiſin ſentiunt, optimum præſidium: habet autem in hunc modum:

Semperuiui ſucci, paſſi Cretici, mellis Attici, ſingulorum cyathi duo, vrticæ ſeminis contuſi vncia, cucumeris ſatiui ſeminis vncia, cupreſſi ſeminis vncia. Omnia ſimul vſque ad dimidias coquito, ſorditiéſque proiicito. iuri decocti cyathum picis liquidæ addito, coquitóque ad mellis ſpiſſitudinem: necnon nardi Syriacæ drachmã admiſceto, thuris drachmas tres, croci drachmas duas, piperis albi drachmas duas. Fabæ inſtar lingendum dato. Quòd ſi affectus prædicti vehementer increſcant & intẽdantur, nucem pineam torridam adhuc, probè contuſam, coniectámque in ollam recentem, aquæ quod ſatis eſt ei ſuperfundens, incoquito vſque ad tertias, & percolato, iure in vicem reliquæ aquæ vtitor. ANTIDOTVM valde efficax ad ſtomachi fluxionem, & eos qui difficulter glutinoſa excreant, tuſſi laborantes, & peripneumonicos: opitulatur celeriter, etiam ſine noxa. Croci, folii, ſingulæ drachmæ: marrubii, iridis, piperis albi, pulegii, hyſſopi, ſingulorum drachmæ duæ: erui farinæ ſextarius, amygdalorum amarorum ſextarius: mellis exquiſiti ſextarius. Vtitor vt longè optimo remedio. ANTIDOTVM διὰ πρασίου, hoc eſt ex marrubio, optimè humores thoraci infixos, omniáque vt prius repurgans. Hyſſopi, marrubii, pulegii, calaminthæ, ſingulorum vnciæ duæ: dulcis radiculæ vnciæ tres, iridis, ſcillæ, helenii, ſingulorum vnciæ duæ: nucleorum pini tantundem. Triduum aqua macerato, coquitóque ad tertias, & melle adiecto, vſque ad craſſitiem incoquito. Tantum etiam de medicamentis diuturna thoracis & pulmonis vitia repurgantibus. Scire autem licet, poſt purgationem vlcera ſtudioſè ſiccanda eſſe. Nam vbi recrementis libera fuerint, coaleſcunt, & carne replentur. In poſterum his conueniunt aeris mutationes, nauigatio, & naturalium aquarum vſus, ſi ſint corpulenti, & non immodicè à morbo extenuati. Tunc enim, præterquam quòd nihil iuuantur, etiam magis à ſiccante offenduntur. Quare ſatius eſt dulcibus vti balneis, vnctione, oleo Sabino, & adipe. Ita nanque ex eiuſmodi vniuerſis particulas infirmas, & extenuatas, præcipuè ſi lactis potu vtantur, recolligunt, reficiúntque.

DE AFFECTIBVS ORIS ventriculi, Caput III.

OS ventriculi, quod ſanè etiam ſtomachũ, quidam autem veterum cor appellarunt, vbi offenſionem acceperit, infinita & varia accidentia hominibus inferre ſolet. Nam epilepſiam *id eſt morbum comitialem*, conuulſiones, grauem ſoporẽ, qui caros dicitur, triſtitiam intempeſtiuam, metũ, melancholiam, alienam appetentiam, cibi faſtidiũ, nauſeámque, vomitus, ciborum corruptiones, inteſtinorũ tormina, vteri & veſicæ dolores, interim etiam vigilias,

mentis alienationes,curas intempeſtiuas,& extremorum frigiditatem inducit.Adeo eſt ſenſile, vocátque in doloris cõſortium,vicinitate quidem,cor,cognatione autem, cerebrum. Quoniam igitur ſtomachus talium & tot vitiorum author efficitur,obſeruandum eſt quinam ſtomachi ipſius propriè ſint affectus,qui verò per accidens.Vbi hi accuratè diſtincti fuerint, ad curationem ita veniendum eſt. DE FRIGIDA intemperie. Frigidam oris vẽtriculi intemperiem manifeſtò licet inde cognoſcere,ſi æger nõ ſitiat appetátque magis cibos quàm potus. Si verò non ſolùm qualitas quæ offendat ſed etiam humorum quorundam frigidorum intemperies exiſtit, omnia ſanè eadem ipſis accident quæ in frigida qualitate eueniunt:præter hæc autem,etiam alia. Etenim in hac ægri vomunt pituitam,& quum cibum aſſumunt,retinere nequeunt:poſt vomitum,ſtatim alium appetunt,quemadmodum canes:quare etiam tales caninum habere appetitum dixerunt. Hac igitur ratione, ſiue intemperies quædam frigida ſola os ventriculi offendat, ſiue etiam copia materiæ,caninum quoque eſſe appetitum ſtatim licet internoſcere. Quoniam verò non vna quædam cauſa caninum appetitum efficit,ſed diuerſæ, nẽpe frigida intemperies,vt diximus,& humor pituitoſus qui in ſtomacho continetur,multáque admodum caliditas,& retentricis in toto corpore facultatis imbecillitas, internoſci antea debet quæ prior immoderatam nunc ciborum appetentiam pariat. Nam curatio inueniri nequit niſi cauſa morbi effectrix prius ſit comperta. Si igitur immoderatum ciborum deſiderium ex multa caliditate oriatur, contraria magis iis qui ob frigiditatem immodicam appetunt,euenire videntur. Neque enim ſiti carent, neque acidum humorem vomunt. quippe immoderata caliditas tale quid accidere non permittit,vt quæ omnia facilè in vaporem diſſoluat, & per latentem perſpiratum diſſipet,digerátque. vnde etiam aluus his magis aſtricta eſt quàm citata. At iis qui ob retentricis in vniuerſo corpore facultatis infirmitatem laborant, cibi minimè cocti, copioſi,& ſubinde alterationem non experti, excernuntur. Quare etiam tales continuis illorum corruptionibus laborant. CVRATIO canini appetitus ex frigidate prouenientis. Qui igitur ob frigiditatem aut pituitæ abundantiam immoderatius appetunt, curabis nimirum contrariis vtendo, nempe calidioribus, præſertim vino mero,cibis pinguibus, & omnibus oleoſis: phaſianorum quidem femoribus, & carnibus ſuillis. Hæc enim comeſta prius exaturant ipſos,& immodicam eorum appetentiam obtundunt, vt in poſterum copioſiorem cibum nolint aſſumere. CVRATIO canini appetitus ex caliditate naſcentis. Quòd ſi canina cibi cupiditas,ob multã caliditatem ægros teneat, vinum quidem ipſis dandum non eſt,ſed cibi qui ægrè conficiantur. His nanque calida valde,inimica ſunt,vt piper,& quæ ex eo parantur,hydrogarum, conditum. Alia verò quæ præterquam quòd refrigerant,etiam difficulter confici poſſunt, dari debẽt: vt ſternium,vuluula,& vaccarum pedes. CVRATIO canini appetitus ex retentricis facultatis imbecillitate.

Sin autem ex retentricis facultatis imbecillitate naſcatur,omníque(vt ita dicam)intemperie,vbi notaueris antea quæ cauſa offendat, tandem ad curationem congruã venito. Nam aſtringentia ſemper offerre velle, ad indoctos medicos pertinet. Maximè igitur ob frigidam intemperiem retentrix facultas diſſolui conſueuit, atque ideo aduerſus hanc magis inſiſtendum eſt: interdum verò etiam ob ſiccitatem retentrix facultas deiicitur,éſtque ipſa curatu difficilis. CVRATIO retentricis facultatis ex frigiditate infirma. Si igitur frigida intemperies negotium ventriculo faceſſere, ex iis indiciis,vnde eam internoſci debere diximus,appareat, patet omnino calefacientibus eſſe vtendum,non modò cibis eiuſmodi, ſed etiam medicamentis. Conuenit igitur ipſis inter olera quidem, braſſica ter cocta ex vino, comeſtáque: necnon artytica,caulis & rapa ſimiliter: ex frumentaceis,polenta, puls, halica cum vino,typhe,olyra,zea. Inter aues, perdices,attagenes,anates:ex carnibus paucæ,vt caprina, & leporina.Fructus autem pomaceos maiori ex parte deuitẽt. Inter bellaria verò vuas paſſas, vt maximè ſalutares, aſſumant.reliqua omnia repudient.Victus igitur,vt breuiter dicam talis eſto. Porro vnctiones & epithemata accommodẽtur quæ conſtant ladano,maſucha,myrrha,aloe, & abſinthio: potiones autẽ,quæ ex ſpica nardi & rheo fiunt, item quæ ex malis conſtat,gingiber recipiens:adhæc antidotum Eſdra,&theriaca potiſſimúm.nam ipſa omnium maximè eiuſmodi affectus concoquere & ſanare poteſt. Ex balneis conueniunt quæ aerem calidiorem & ſolium habeant:reliquo verò tempore procedente,& morbo iam decreſcente, etiam naturales aquæ calidæ ad perfectam liberationem adhibendæ, præſertim quæ mediocrem habent aſtrictionem. Exercitia his ſunt vtiliſſima, geſtationes, nauigatio, & longa peregrinatio. Hæc enim omnia totum corporis habitum in priſtinum ſtatum recolligunt, corroborántque, vt alimentum probè continere & concoquere poſſit,moderatóſque cibos appetat. CVRATIO retentricis facultatis ob calorem imbecillæ.

Panis igitur in his commodiſſimus eſt, ſi ex mero aſſumatur:item oua dura circa horam tertiam aſſumpta: inter olera,intybus,lactuca,& malua: ex auibus, gallina cohortalis,non admodum cocta: anſerum præſertim alæ & pectora,item phaſianorum:reliqua autem omnia deuitẽt. Ex piſcibus edant dura carne præditos, vt orphum, glaucum,ceridem,cuculum,octapedem,& ſepias: ex teſtaceis, aſtacos,buccina, pectines & cochleas. Ex leguminibus, phaſiolum, fabam,oryzam. Ex fructibus pomaceis,mala dulcia,citria,vuam dura carne præditam, peponum carnẽ,cucumerum medullam,ſycomora, rhodacina, & Perſica.Item balineæ dulcis aquæ conferunt: nam naturales his ſunt inimicæ. Tantum etiam de retentrice facultate à calida intemperie affecta.

DE GRANDI FAME QVAE βούλιμος Græcè dicitur.

Caput IIII.

Βούλιμος Græcè dictus, vt etiam nomen indicat, magna eſt fames. Fit autem,vt ratio ſubindicat, ab immoderato oris ventriculi calore & imbecillitate:vnde niſi alimentum immodicè aſſumant ægri,animo deficiunt concidúntque. Hoc igitur quum etiam plerique idiotæ ſciant,ſtatim iis quæ odorem mouent vtuntur,ad vitalem facultatem,quæ diſſipatur, recreandam, recolligendámque. Ex iis autem quæ odoratum mouent,panem potiſſimùm vino imbutum, carnes porcinas aſſas, hœdinas, & ſummatim ea quæ nidoroſum odorem habent, & bene conditum offerunt. Continent autem eorum extrema, & pungunt vndiquaque,aures perfricant, & maxillas ex capillis attrahunt.Reuerſis ad ſe,&defectione animi finita,panis vino imbutus ante omnia dari debet: deinde ſic etiam alii cibi.Reliquo tempore celerius nutrire,& quicquid ægrè mutatur conficitúrque, ipſis exhiberi oportet: necnon quod refrigerare & confirmare poteſt. Ab eiuſmodi nanque adiuuãtur,& temporis proceſſu ad bonam temperiem reuertuntur. Nonnulli etiam opium grandi fame laborantibus cum aqua frigida exhibuerunt, vt excedentem calorem reſtinguerent. Verùm talia vos cauere adhortor: cibis autem qui ægrè elaborantur mutantúrque, potius vtamini. Noui mulierem quandam quæ quum multa & immodica aſſumeret, omniáque concoqueret, & nunquam ſaturari ſe diceret, roſionem verò in ſtomacho experiretur, & capite doleret,puluerem purgatorium accepit: erat autem is hiera. Facta igitur euacuatione, vermẽ proiecit, qui longitudine duodecim cubitos & plures habere putaretur: atque tunc immoderata & furioſa appetentia conquieuit. Innotuit igitur,non bulimon, ſed beſtiam fuiſſe quæ ad cibum ſumendum cõpelleret,omniáque conſumeret.

DE ANOREXIA, ID EST CIBI FAſtidio, Caput V.

SCiēdũ eſt cibi quoq; faſtidiũ aut ex intemperie quadã aut humoribus in ſtomacho cōtentis excitari. Neceſſe igitur eſt vnũ è trib⁹ perficere: aut humores euacuare, aut contēperare, aut mutare, & quũ ipſi craſſiores exiſtũt, extenuare. Quapropter ipſos aut vomitu, aut per alũũ euacuabis. Si itaque æger ad vomitũ procliuis fuerit, per ſuperiora: maximè verò ad huiuſmodi remediũ cōfugiendum eſt ſi humores tenues, & non admodũ craſſi fuerint, videantúrque affixi & adhæreſcere.

Quomodo vomitus ſolicitari debeat quibus humor tenuis & bilioſus in ſtomacho cōtinetur.

Quòd ſi humores noxii per vomitus euacuãdi tibi videatur, caue ne medicamẽtis ad vomitũ ciẽdũ efficacibus vtaris: ſed humectãtibus potius cibis & potionib⁹, vtpote copioſa aqua tepida, idque frequenter. Sic nãque recrementitius humor facilè ſupernatabit, educetúrque. Etenim mulſa etſi vomitũ moueat, tamen in eiuſmodi ipſa vitari debet, vt quæ intēperiem aliquã latentẽ corpori inſinuet: quare rectius ages ſi tepida ſola vtaris. Sin autẽ ægrũ quoq; luteis ouorũ, aut cremore ptiſſanæ nutrias, priuſquã tepidã exhibueris, deinde exiguo tẽpore interpoſito, ita vomitũ potius prouocaueris, is ſine noxa erit & vtiliſſimus. Eo ſanè modo vomitus, ſi æger ad illum inclinatior fuerit, accōmodari debet: ſin autẽ difficulter vomat, cauẽdũ eſt ne ſtomachus plurimùm vellicetur, vel ad id compellatur. nã ſi largius vellices diſtendáſque, magis appetitũ ſubuertes. Satius igitur eſt in eiuſmodi materiã ad ventrem prouocare, humectando primùm liberaliore & temperato cibo. ita nanque materia purgantibus promptè obedire poterit. At medicamentum aliquod purgans ex iis quæ corroborare poſſunt, paulatim exhibere oportet: vtpote picram, aut vnũ ex his antidotis, vel quod malis cotoneis conſtat, vel quod rhodomelite, quũ ſint medicamẽta abſque noxa, & ſtomacho idonea. Ne autem ipſa apud alios quærere grauemini, deſcriptiones eorum hic quoque exponẽdas putaui. Habent porro in hunc modum. MEDICAMENTI purgantis, *διὰ μήλων*, *hoc eſt ex malis cotoneis*, confectio. Malorum cotoneorum libra, citri corticis vnciæ ſex, mellis ſeſquilibra, ſcãmoniæ vnciæ duæ, piperis vncia, aquæ pluuialis puræ ſextarii tres. Vſu probatum eſt. Inſtar oxymelitis coquito, poſtremò ſcammoniam adiicito, piper inſpergendo: datóque cochleare vnũ aut duo. ALIVD purgans ex malis cotoneis cōprobatũ. Mala cotonea octo, ſcammoniæ vncia. Mixta fermento extrinſecus obducito, ne ſcãmonia per meatus penetrare poſſit. Vbi aſſa probè fuerint, ſcãmoniã cũ malis citra fermẽtum læuigato, adiicitóque mel, ac ruſus læuigata vaſe vitreo recondito, ac dato cochleare vnũ, vel duo, prout purgare volueris. MEDICAMENTI purgãtis diarrhodomelitis deſcriptio. Roſarũ ſucci libra, ſcammoniæ vncia, agarici drach. quatuor & ſemiſſis, piperis ſcrupuli duo, mellis vnciæ ſex. Lento igne coquito, & quum in craſſitiem coierint, tunc ſcammoniã, piper, agaricum adiicito, & vtitor. Dentur pro viribus cochlearia quinque aut ſex.

Si cibi faſtidiũ ex viſcoſis humoribus naſcatur.

Sin autem ex viſcoſis humoribus cibi faſtidiũ ortũ fuerit, neceſſe eſt deinceps ad contraria reſpicere, quæ extenuẽt & incidant, præterea etiam abſtergãt: atque ex his vt accipiãt ægri adhortãdi ſunt. Capparis igitur ad huiuſmodi ſalutare eſt remediũ, elota probè, & ex oxymelite parata: proſunt etiã oliuæ ōnes quæ ex muria aut oxymelite cōdiũtur. At ſinapi his vehemẽtius extenuat, cũ oxymelite & aceto comeſtũ: ſummatim quæ ex oxymelite aut muria, aut garo, probè offeruntur. Porro quibus ſtomachus nimiũ refrigeratus eſt, etiã medicamẽta ex pipere & gingibere cōfecta porrigere neceſſe eſt: ex quorum numero etiam id habetur quod ex malis cotoneis paratur, adiectũ habens piper, myrrhã, aut liguſticum, aut coſtum, aut pulegium. Alii aliter ipſum parãt: omnium verò optima cōpoſitio eſt, qua etiã diuiniſſimus Galenus vſus eſt, quam in capite reperies vbi de cibi faſtidio ex frigida intemperie naſcente agitur. Quòd ſi largius detergere volueris, etiã oxymelite Iuliano dicto vtitor: quidam verò ipſum Lonchino philoſopho adſcribunt. Hoc oxymeli valde mirificum eſt, vt non ſolùm quæ in ſtomacho hærent detergere, ſed etiã quæ iecori, lieni, thoraci & capiti infixa ſunt, amoliri poſſit: morbum quoque comitialem, alióſque multos diuturnos affectus ſanet. Verùm & confectionem, & vires quæ ipſi inſunt, in præſentia omittentes, reliqua perſequamur. Etenim in aliis capitibus, tum deſcriptionem oxymelitis, tum quæ titulo promittat, explicauimus. His igitur per os medicamentis vtendum eſt: extrinſecus autem, vnctionibus quæ concalefacere ipſum, & corroborare poſſunt, quale eſt etiam quod Marciatum vocatur: deinde verò epithematibus, tum baio, tũ eo quod Euodes à grato odore dicitur. Porro quum longè optima ſint & paratu difficilia, confectionem ipſorum & materiam hîc ſubieci. STOMACHICVM quod dicitur Baium. Caſiæ drachmæ quatuor, iridis ſcrupuli octo, iunci rotundi floris ſcrupuli octodecim, herbæ ſabinæ ſcrupuli octo, bdellii ſcrupuli trigintaduo, maſtichæ vnciæ duæ, ceræ vnciæ ſex, terebinthinæ vnciæ tres, piceæ reſinæ torrefactæ ſeſquilibra, amomi ſcrupuli trigintaduo, nardi vnciæ ſex, œnantharii vnciæ octo, aloes vncia, cardamomi vnciæ duæ, caryophylli vncia, balſami vnciæ duæ. Læuigatis aridis, ea quæ liquari poſſunt adiicito: deinde arida ipſis, quum liquida adhuc ſunt, inſpergito, excipitóque. EVODES. Hoc quoque præſtantiſſimum eſt epithema, longo vſu probatum. Croci ſeſcuncia, bdellii ſcrupuli nouem, aloes vnciæ duæ, myrrhæ totidẽ, folii vncia, propoleos vnciæ tres, terebinthinæ totidem, thuris vnciæ duæ, ſtyracis vncia, maſtichæ vnciæ duæ ſemiſſis, ſpicæ nardi vncia, cardamomi vnciæ duæ, hedychroimagmatis, *hoc eſt facis unguenti* ſeſcuncia, ammoniaci vnciæ ſex, ceræ libra, colophoniæ libræ duæ, opobalſami vnciæ ſex, palmularum totidem: confectis vtitor. DE CIBI faſtidio ex calida intemperie. Cibi faſtidio ex calida intemperie excitato, victum qui refrigerantibus conſtat, profuturum eſſe liquet, præſertim illa quæ aceto parantur, poſcam, oxygala, & quæ apud Romanos vocatur melca, lactucas, ĩtybũ, & aquã per ſe frigidã, ſi moderatè bibatur, & quæ econtrario intẽperiei calidæ ſuperanti reſiſtũt. Nã immoderata frigiditas vires corporis emortuas reddit, & deiicit: vnde etiã cibi faſtidii cauſa efficitur. DE IIS qui ob immoderatã frigiditatẽ cibos faſtidiũt. Qui igitur ob frigiditatẽ cibos faſtidiunt, his hydrogarũ dari, vinũ vetus, cōditũ, decocta rutæ, & aniſi, & ſepæ allia eſui offerri debẽt: potui verò antidota quæ validè calefaciunt: ex quorũ numero eſt etiã theriaca potiſſimũ, quũ ſtomacho ſit idonea, & maligna contẽperet, vnde etiã iis quos humida recrementa, maligna & praua infeſtãt, rectè hoc antidotũ exhibetur, vt vna quoque vice datũ, appetitum abolitum frequenter reuocauerit. Quinetiã ius colũbæ, & vuarũ paſſarũ cōducit. Quũ enim & ipſæ ſtomacho ſint gratæ, cōtẽperéntq; maligna, & cruda cōcoquãt, etiã præter id quod nō ſubitò corrũpuntur, nutriunt. Nihil autẽ hoc eſt præſtãtius quàm vt idẽ & alere, & intẽperies, quæ ſtomachũ exercent, curare poſſit.

DE SITI, Cap. VI.

SCiendum eſt, eodem quoque modo accidere, vt bibere ægri deſiderent. Nam vel propter ſtomachi ſiccitatẽ, vel multã caliditatẽ, immoderatius potũ appetũt, ſitiũntque vehementer: interim verò ſitis non propter ventriculi os tantùm quibuſdam, ſed etiam ob calorem iecoris, pulmonis & ieiuni inteſtini accidit. Etenim quæ pulmonis vitio contingit, non tantùm à refrigerantibus, quantùm aeris ambientis inſpiratu adiiuuatur: ac ardentes febres maiorem potus appetentiam, ob immoderatum calorem inferunt. Quemadmodum igitur immoderata ſitis ex intemperie quadam frequenter oritur: ita ſciendũ eſt etiã propter vitioſos quoſdã humores in ore vẽtriculi putreſcentes, qui ſurſum exhalent, eam excitari. Itaque ſuperantẽ humorẽ qui in ventriculo continetur, non modò refrigerantibus, ſed etiã aliis ad illum idoneis medicamentis abſtergere & repurgare conuenit. Si igitur humor qui in illo habetur, bilioſus fuerit, aliquod refrigerãs humectánſque adhibeto: quemadmodũ etiam ſi pituitoſus fuerit, & id quod

redundat,facitque ſitim,ſalſũ fuerit,ea quæ huiuſmodi
humorẽ repurgent &abſtergãt,offerto. Ego ſanè noui,
huiuſmodi ſitim à ſalſa pituita ortam,per ſalſos cibos ſi
nitam fuiſſe, vt ſalſamenta, coryacum, encatheram,
& capparem.Quare non ſemper refrigerantibus hume-
ctantibúſque vtedum eſt,ſed vbi cauſam accuratè diſtin
xeris atque internoueris, ita tandem congrua adhiben
da curatio eſt.Proinde iis qui ex ſiccitate ſitiunt,hume-
ctãtia: illis autem qui ob caliditatem, refrigerãtia: aliis
verò qui ob ſalſam pituitam, detergẽtia conueniunt.

Ad eum qui ſtomachum æſtuantem habet,& ve-
hementer ſitit.

Archigenes igitur diuiniſſimus, ſiquis alius,quũ ea
quæ ad medicinæ tractationem pertinent,reipſa docere
ſtuduiſſet,eis qui ardorem in ſtomacho ſentiũt,aquam
frigidam ſuperbibere præcipit: præſertim etiam ſi ro-
ſionem in eo experiantur, & animo ex calore nimio,ci-
bique faſtidio deficiant:aut vuæ acerbæ ſuccũ, aut ma-
lorum cotoneorum,aut cucumeris ſatiui ſemen cum a-
qua frigida,aut mali Punici dulcis,aut acidi ſucci,cũ a-
quæ pari menſura,aut ramuſculum menthæ læuigatum
ex aqua frigida,aut roſaceum oleum ſimiliter cum fri-
gida,aut Perſicorum immaturorum ſucco,aut roſarum
ſiccarum decoctum, aut lactucæ ſemen albæ cum aquæ
frigidæ cyathis quatuor.Nos autem compoſitis quoque
vſi ſumus,non medioeri ipſa vſu experti,quorũ etiã de-
ſcriptiones ampliter vobis exponem⁹.Ordine ita habẽt.
CATAPOTIA ad ſitim arcendam. Cucumeris ſatiui
ſeminis drachmæ octo,tragacanthæ drachmæ ſex.Tra-
gacanthum ouorum recentium albumine diſſoluito,ac
ſemen cucumeris tritum ei adiicito: miſcénſque in cata
potia redigito. Siccata in vmbra,ſub lingua tenenda da
to,& humor qui inde diſſoluitur,deuoretur. ALIVD.
Dulcis radiculæ, cucumeris ſatiui ſeminis, portulacæ,
ſingulorum drachmæ duæ. Ouorum albumine excipi-
to,formatóque catapotia erui magnitudinis,ac linguæ
ſubmittito. ALIVD ad febricitantes,quibus parum
bibere conducit:item ad inſolatus, & profectiones vbi
ſitis vrget. Dulcis radiculæ ſucci drach. ſex, cucume-
ris ſatiui ſeminis drachmæ quatuor, tragacanthæ dra-
chmæ duæ.Læuigata in vnũ miſceto, &albuminibus o-
uorum adiectis ſubigito, ſingitóque catapotia, & vti-
tor,ſub lingua continenda exhibens. ALIVD. Por-
tulacæ ſeminis,cucumeris ſatiui ſeminis, portulacæ ra-
dicis corticis,ſingulorũ drachmæ quatuor: dulcis radi
culæ ſucci drach. duæ, tragacanthæ drachmæ quatuor.
Ouorum albuminibus excipito, formatóque paſtillos,
qui ſinguli drachmam pendant, datóque vnum ſub
lingua tenendum. DE IIS quæ ad ardorem ſtoma
chi extrinſecus imponuntur. Extrinſecus autem veſicã
aqua frigida aut niue repletam, vel cucurbitæ ramenta
iniicito:aut ſeſamum aqua maceratum, læuigatúmque
cum oleo roſaceo miſceto, ac febricitantibus applica-
to:aut mali folia viridia, aut mala cotonea, aut *palmu-
larum glandes uocatas* phœnicobalanos,aut meſpilum cum
cerato, aut caſeum recentem cum polenta inducito: in
ſumma, omnibus vt in cardiacis vtitor.

DE IIS QVI ATRAM BILEM COLLI-
gunt, & inflatione ſtomachi laborant,
Cap. VII.

QVibus præcordia & ſtomachus inflãtur,melancho
licis in eum recrementis confluentibus,ſpon-
gias aceto quamacerrimo imbutas imponito:
& ſi poſt has malum remanſerit,alumen liquidum cum
chalcãtho læui,melle modico exceptũ applicato:aut he
dere foliis in vino coctis ſtomachũ obducito: aut ſter-
core bouis armẽtariæ ſicco,ex vino cocto. At ei qui in-
flationem ſtomachi potiſſimùm experitur,calaminthæ
decoctum ex aqua,modico mellis deſpumati & piperis
adiecto,potui dato.Flatus ſanè diſcutit.non confert au-
tem ad calidas intemperies,& ea quæ ex nimia aduſtio-
ne generantur vitia:ſed potius illis qui melãcholico hu
more laborant opitulatur. MEDICAMENTVM
διὰ ὀπωρῶν,hoc eſt ex fructibus pomaceis confectum,ad
ſubuerſionem ſtomachi, cœliacos & dyſentericos effi-
cax. Mala cotonea decẽ,rhus rubri ſextari⁹,aquæ cõgii

A ſeptẽ,ſorba quinquaginta,meſpila totidẽ. Fructus cõtu
ſi,coniectíque in aquam coquentur curioſè,ac vbi diſſo
luti fuerint, liquor exprimetur,rurſúſque incoquetur,
abiectis fructuũ ſordib⁹:& quũ tertia liquoris pars reli-
cta fuerit,adiicito mellis Attici libras quatuor:coquitó
que in prunis, ac moueto continuè: vbi ſpiſſitudinem
acceperint,ſublata reponito. Dato ante cibum cochlea-
re vnum,aut duo. EPITHEMA ad ſtomachum flu-
xione tentatum,febri æſtuantibus & colicis, qui ſtoma
cho conſortii lege laborant,& cibum reiiciunt idoneũ.
B Myrrhæ,croci,aloes,maſtichæ, abſinthii ſucci,ſtyracis,
ſingulæ vnciæ:ceræ,nardini olei, palmularum patetarũ,
ſingulorum ſeſquilibra:vini Adriani quod ad palmulas
irrigandas ſatis eſt.Quidam autem ceræ & nardini ſingu
lorum libras tres iniiciunt, & ſiccis in læuorem detritis
vnà cum ſtyrace liquata miſcent, ac læuigatis vtuntur:
nos autem ſingulorum ſeſquilibram iniicimus,ac fit
præſtantius. ALIVD ad eos qui ſtomachum habent
imbecillem, quique cibum retinere nequeunt. Palmu-
larum patetarum vnciæ tres,œnanthæ,ceræ,ſingulorum
C libra: maſtichæ,thuris infecti,ſingulæ vnciæ:vini quod
ſatis eſt. Palmulas ex vino læuigato. arida ſimul terito:
deinde vbi ceram liquefeceris, cum nardini vnciis tri-
bus ceratum efficiens, arida in puluerem redacta exci-
pito, atque in vnum cogito. ALIVD epithema ſi-
militer ſtomachũ corroborans. Œnanthe,omphacii,ro
ſarum florum, aloes hepaticæ,acaciæ,gallæ, balauſtio-
rum,mali Punici,phœnicobalani,ceræ tractæ,olei lẽti-
ſcini, ſingulorũ vnciæ ſex: vini ſpathitis quod ſatis eſt:
malorũ cotoneorũ adipe inuolutorũ,carnis aſſæ vnciæ,
D croci,abſinthii,ſingulorũ ſeſcũcia: vnguenti melini vn
ciæ octo. Vino odoro ſubactis vtitor. ALIVD ad
ſtomachum fluxione laborantem & ventrem.Gallæ om
phacitidis drach.4, nitri drach. ſex, alcyonii drachmæ
quatuor,ſereos vnciæ tres. ALIVD. Vuarum paſ-
ſarum decoctũ potui ipſáſque vuas eſui dato. DE anti
dotis, ad eos qui ob frigidam intemperiem cibum non
concoquunt. Præſtantiſſimum hoc eſt medicamentum,
quod per os exhibetur,plurimis experimẽtis probatum.
Helenii vnciæ 4,fœniculi ſeminis vnciæ tres, piperis vn
E ciæ duæ,petroſelini ſeminis vncia,mellis Attici crudi ex
quiſiti libræ duæ:huius penuria,alteri⁹ deſpumati. Ego
autem adieci etiam erucæ ſeminis vncias duas, atque in
omnibus mihi optimè ſucceſſit:nec non miſcui ſinonis
Syriaci drachmas duas,ſeſeleos totidem, mellis vncias
ſex, vel etiam plures. Maximum hoc eſt præſidium, &
ad multa vtile. Non enim ſolùm inflationem ſtoma-
chi & cruditatem ſentientibus confert, ſed mulierum
quoque menſes educit. Ego verò vſus ſum etiam in æ-
grè ſpirantibus,& præter opinionem profecit. Dãtur co
F chlearia duo mane,aut veſperi dormituro,ex diluta vini
potione: (præſtat autem diluta potio idem quod nectar)
mane verò ex aqua.Facit enim ructus ſuaues,& omnituſ
ſi confert: item iis qui à capite in thoracem fluxiones
experiuntur: ſummatim omnibus inteſtinis affecti-
bus.Reddit etiam appetentiam ciborum ampliorẽ qui-
bus ipſa interierat: necnon qui in veneriis offenſionem
experti ſunt,iis deſiderium illorum excitat,ſi cõſtanter
illo vtantur. ALIVD ad eoſdem affectus Diamelõ.

Malorum cotoneorum purgatorum,& poſtquam cõ-
G tuſa fuerint,expreſſorum ſucci ſextarii quatuor, gingi-
beris vnciæ quatuor,piperis albi vnciæ tres, piperis ni-
gri vnciæ duæ,mellis ſextarii quatuor.Succus cum mel
le vſque ad huius ſpiſſitudinem incoqui debet: deinde
ſic arida cõtuſa, & tenui cribro increta adiici.Eo in vicẽ
rhodomelitis vtor. ALIVD Diamelõ. Cotoneorum
ſucci ſextarii duo, mellis tantundẽ,aceti ſextarius & ſe-
mis. Hæc ad prunas moderatè coquantur, deſpumen-
túrque: deinde gingiberis in puluerẽ redacti vnciæ tres
adiiciantur, piperis albi vnciæ duæ, & rurſus ad mellis
H craſſitiem lento igne incoquantur.Quòd ſi purgãs hinc
medicamentum efficere velis, lacrymæ ſcammoniæ vn-
cias tres adiungas: ſin autem abſque ſcammonia pare-
tur, imbecillitate ventris laborantibus auxiliatur.nam
iecore & ventriculo affectis vtiliſſimum exiſtit. Dari au
tem debet maximè cochlearii menſura ieiuno, aut ve-

ſperi autē ſomnū.nihil offēdit etiā ſi à cibo exhibeatur: præſtat autē duabus aut tribus horis ante cibum:confert enim ad cibi faſtidium,& eos qui nō bene concoquunt. Nunc quidem ſic,nunc abſque ſiccorum puluere, ſucco malorum cum aceto & melle ſolùm cocto vt prius. In calida intemperie loco rhodomelitis ipſo vtor,præſertim vbi vinum dare cautio eſt. AD STOMACHVM cibum vomitu reiicientem. Aloes,roſarum ſiccarum,ſingulorum drach. decem: teruntur, dantúrque cochlearia tria aut quatuor. Quòd ſi humorem ſtomacho inſidentem, repurgare velis, ſcammoniæ aut maſtichæ, ſingulorū drachmas quatuor admiſceto.repurgat enim optimè & ſine moleſtia.

AD INFLATIONEM STOMACHI, ET INteſtinorum:item ad eos qui cibum non concoquunt, iecorarios,tuſſi vexatos,præſertim quos frigida cauſa infeſtat, Cap. VIII.

PIperis vnciæ tres, liguſtici,ameos, ſingulorū ſeſcūcia:epithymi puri ſeminis,pulegii ſicci,ſingulorum vncia:mellis deſpumati quod ſatis eſt. Quidam verò etiam apii ſeminis vnciam adiecerunt, rutæ ſeminis ſemunciam. Datur cochleare. ALIVD ad inflationem,dolorem,omnémque ſtomachi cruciatum efficax.

Lacrymæ papaueris drach.duæ, piperis, caſtorei,ſingulæ drachmæ:petroſelini ſeminis drach.quatuor,nardi Syriacæ drachma. Ex his in tenuiſſimum puluerem redactis,cochleare vnum aquæ calidæ ſeſquicyatho inſpergito, additóque mellis quod ſufficit. Hoc antidotū tepidum,mane & veſperi propinato.Robuſtis autem copioſius dato. nam ad leniendum dolorem & humores concoquendos efficax eſt, præſertim ad mulieres viróſque cœliacos, inflationes & cruditates, item ad febres & præcordiorum dolores, necnon ad febres ex cruditatibus contractas, tuſſes, laterum dolores, conuulſa, ac ad vrinam mouendam conducit. ALIVD antidotum optimum. Spicæ nardi, piperis,ſingulorū vncia:caſiæ fiſtulæ,coſti, ſingulorum vnciæ duæ.Datur ex aqua mane & noctu:non modò ſtomachicis, ſed etiā iecoroſis & nephriticis confert. vtitor hoc medicamento cum fiducia. ALIVD ad idem. Piperis, petroſelini,ſingulæ vnciæ: cumini ſemūcia.Datur à balneo. STOMACHICVM quod etiam ad colum proficit. Iridem Illyricam contuſam, incretámque ex aqua calida potui ieiuno dato: poſt cœnam autem ex vino diluto.Modus eius eſt,drach.tres.Ne ipſum contemnas: nam probè auxiliatur. ALIVD ad alia quoque vitia ſalutare. Liguſtici,ameos,apii ſeminis,cari,ſingulorum drach.tres,piperis grana triginta, mellis quod ſatis eſt.Dato ieiuno & ante ſomnum. ANTIDOTVM ſtomachicum,quod picra dicitur. Iunci rotundi floris,xylobalſami, maſtichæ,ſpicæ nardi,aſari,croci,ſingulorum drachma vna & ſemiſſis: cinamomi veri drach.ſex,caſiæ drach.tres,aloes hepaticæ lotæ & ſiccatæ drach.centum. ALIVD ſtomachicum,etiam ad inflationem vtile. Petroſelini Macedonici ſeminis, cumini,ſingulorum vnciæ quatuor. Æger ieiunus & veſperi ex modica aqua tepida ſumat.

DE AFFECTV CARDIACO, Cap. IX.

CArdiacus quoque affectus ſtomachi vitium eſt: quod accidit vbi humores praui, rodentes & virulenti in ore ventriculi collecti fuerint,aut eò confluxerint.Si igitur quidam os ventriculi ſenſibile habere deprehendantur,ſtatim intereunt, dum immodicam humorum roſionem ſuſtinere non potuerint. frequenter etiam lubrici ſurſum ad os ventriculi aſcendentes, cardiacos affectus,immodicas animi defectiones & ſyncopas excitant,vt nonnulli ſtatim quum à lumbricis roduntur, intereant. Quapropter non ſemper repentinas oris ventriculi ſyncopas à prauis humoribus fieri cenſendum eſt,ſed etiam lumbricorum indicia requirēda. Nam hæ beſtiæ adeo repentinam mortem, & ſyncopas non minus quàm pernicioſi humores inferunt.

DE CARDIALGIA, QVASI DICAS cordis dolore, Cap. X.

A QVi ergo prauos rodentéſque humores in ore ventriculi continent,atque ideo propè in ſyncopen incidunt, his primùm omnium illos cibos offerre conuenit qui præterquam quòd refrigerēt, etiam particulam reſolutam poſſint confirmare. Itaque probè refrigerāt corroborántque tum mali Punici grana comeſta,tum ſuccus eorum: adhæc mala non admodum dulcia,ſed mediocriter aſtringentia, pira Perſica, rhodacina,vua quæ auſterum frigidúmque ſuccum obtinet,& panis ex aqua frigida tepidáque ſumptus, ſi æ- B gri temperamento valde calido fuerint, & humores qui continentur,rodentes nimium & acres exiſtant.His igitur inter initia ad cardialgiam vtendum eſt:reliquo autem tempore paulatim ipſis offerri debēt quæ ægrè concoquūtur,& noxiorum humorum roſioni & acrimoniæ reſiſtunt:cuiuſmodi ſunt bulbium,ſternium, aſtaci, iſicia,pectines,buccina,ventriculi anſerum, ſuum vngulæ ac petioli:in ſumma,quæ nō citò corrumpuntur, ſed etiam vitioſum humorem ſuperantem oppugnant, euincúntque.Cæterùm his quoque, quum affectus ceſſa- C uerit ac conquieſcit, ſemper vt citius cibum ſumant conſulendum eſt. Nihil enim adeo ipſis confert vt ſi non tardè cibum capiant, ſed circiter tertiam horam aut quartam,panem ex tepida aut frigida aqua ſumant, aut malum,aut citrium,abſque ipſius cortice. Hæc ſanè cardialgiam expertis conueniunt.Ex medicamētis autē idoneum eſt quod Glycy dicitur,cuius cōfectio in hunc modum habet: Aceti ſeſquiſextarius, corticis radicum fœniculi vnciæ ſex,aloes hepaticæ vnciæ tres:mellis Attici ſeſquilibra. dantur cochlearia duo aut tria. Hoc me- D dicamentum emollit,& confirmat ventrem,præſtantiſſimúmque eſt,vt quod nō ſolùm cardialgiæ, ſed etiam incipientibus epilepticis, & hypochondriacis,aliiſque plurimis affectibus medeatur,quorum nunc meminiſſe tempeſtiuum non eſt. Noui autem antidotum quoque διὰ ἀνακαρδίων dictum,& picram, eiuſmodi vitiis auxiliari: ſed nullum æquè vt hoc medicamentum. Tātum de cardiaco affectu,,qui ex rodētium prauorúmque humorum acrimonia naſcitur,dictum ſit: deinceps autem de aliis quoque agamus accidentibus quæ in ore ven- E triculi,aut humorum ſuperantium qualitate aut copia eueniunt.

DE NAVSEA ET VOMITV, Cap. XI.

VOmitus quoq; vt nauſea ſtomacho accidere videtur: verùm ſingula ipſa à diuerſis cauſis procreantur,nēpe à copia, & praua rodentique qualitate. At copia quidem naturam ad vomitum grauando irritat, praui autē humores rodendo affligēdóque.Huc itaque conſilium dirigas vt copioſos quidem euacues, prauos F autem & vitioſos contemperes mitigéſque, & malignitatem ipſorum imbecilliorem reddas:præſertim vbi bilioſi fuerint & melancholici: pituitoſos autem extenues,ſi craſſi viſcoſique tibi appareant. Proinde ſi crudi humores in ſolo ventriculo redundent, & non ex toto corpore influant, medicamentis purgandi non ſunt. quippe ſolus etiam victus abſolutam ipſis curationem præſtare abundè poteſt, & humores in ipſo contentos immutare.Sin autem ex toto corpore vētriculo influāt, tunc medicamentis vtendum maioribus. Interdum e- G nim & ſanguinis miſſio requiritur,ſi is ſuperare videatur: & purgatio, ſi magna humoris prauitas exiſtat. Quòd ſi ambo videantur abundare, tum venam ſecare, tum purgare oportet. Dicamus igitur prius de iis quæ in ventriculo continentur, deinde ſic de illis quæ ex toto corpore ipſi influunt tractabimus. CVRATIO vomitus & nauſeæ. Internoſcendum igitur eſt antea humoréſne ſint infixi,an ad meatus remittantur, an ad fundum ſint impliciti. Si quidem æger acidam qualitatem percipit,ſcire licet humorem noxium,frigidum po- H tius exiſtere:vtrum verò ad meatus tranſmiſſus, vel tunicis adhæreſcat,vel in fundo ventriculi fluitet innatétque, id curioſè inquirendum eſt, & quomodo excerni debeat, cognoſcendum. Si etenim vomitus ſtatim poſt nauſeam obortam, etiam citra violentiam comitetur, humorem noxium in lato ventriculi ſpatio eſſe, non

dubiè cenſendum. Sin autem nauſea quidem excitata fuerit, nihil autem notatu dignum per vomitiones eſſe ratur, humores noxios, vel quum billioſi ſunt, vel ſeroſi, in ore ventriculi abſorptos eſſe, vel quum viſcoſi ſunt, ipſi ori ventriculi infixos eſſe intelligito: quoniam ſubinde accidit vt venter quidem nihil habeat recrementi, ſed id ab aliis particulis, aut iecore, aut liene, aut alia quadam in ipſum recipiatur: deinde quum grauatur, aut roditur, ad vomitionem incitetur. Neceſſe autem eſt hoc quoque diſcernere. QVOMODO internoſcatur humor qui euomitur, vtrum in ventriculo gignatur an aliunde influat. Si quidem vomitus crebrior & intēſus nullo inſigni ſpatio interpoſito vrget, humorem qui per illum reiicitur, in ventriculo potius generari ſciēdum eſt: ſin autem ſpatium notatu dignū intercedere videatur, neque vomitus frequentius infeſtet, id quod reiicitur, ex aliis potius influere exiſtimandum. Conſidera igitur totum corporis habitum, aliáque indicia, atque ſic curationem aggredere, ſiue ſanguinis miſſionem, ſiue purgationem adhibens. Fieri enim nequit vt aut humor ſuperueniens, aut vomitus, aut quæ infeſtat nauſea, conquieſcat, niſi totum corpus recrementis liberum prius reddideris: ſi quidem ipſum cauſam influxionis præbet.

Curatio quum billioſus aut melancholicus humor vomitum aut nauſeam excitat.

Poſtquam igitur diligenti obſeruatione deprehenderis bilioſum eſſe quod in ſtomacho gignitur, nauſeam aut vomitum faciens, primùm contemperanti medendi ratione vtendum: deinde vbi contemperaueris, humoris praui acrimonia lenienda eſt: atque ſic ad abſtergendum eum tranſibis, vel per aluum, vel per vomitus euacuādo. Dato igitur ipſis ptiſſanæ cremorē, qui vtraque præſtare poteſt, tum acrimoniā lenire, tum repurgare & abſtergere. Etenim aquoſa quoque mulſa vacuat & quæ ſtomacho inhærent abſtergit, ſed calidum quippiam obtinet. Quòd ſi igitur vitioſus humor feruens magis eſſe & acrior apparet, vt etiam febrim inducat, fugito quidem mulſam, & ſiquid aliud calidum eſt quod abſtergere poſſit: vtitor autem ptiſſanæ cremore, aut tepida. Etſi enim vim abſterſoriam non habeat, tamen humectat, meatus dilatat, in bonam temperiem deducit, & acrimoniam ipſorum obtundit: qua ratione plurimum iuuat. Reliquum autē non per ſe vomitu reiicitur, ſed omnino aut qualitatis ipſorum, aut ſubſtantiæ particeps factum educitur: atque hoc in ſordidiſſima ſpongia fieri cernimus. Etenim aqua non probè eam purgaret, ſimúlque ipſa attraheretur, niſi præterquam quòd meatus conniuentes laxet dilatétque, recrementi etiam ſiccitatem humectare poſſet atque diſſoluere. Quare in quibus id quod affligit bilioſum fuerit & melancholicum, tepidæ potio maximè omnium ſuccurrit. Si enim viſcoſum & vehementer affixum exiſtit, exiguo indiget adiumento intus, vt citius reiiciatur. quippe aqua tepida etiam ſola craſſos humores diſſoluit: eóque propinari debet, ſi pituita affixa ſit, & valenter inhæreſcat, præſertim ſalſa & vetuſta, ſiccíſque medicamentis & calidis intēpeſtiuè datis, (vt vulgò faciūt) torrida duráque euaſerit. At ſi humores non admodum bilioſi ſint, febris autem infeſtare videatur, tunc mulſa vtitor, & iis quæ plenius poſſunt abſtergere. Quòd ſi humor victum contemnere videatur, deinceps etiam medicamētis vtitor, aut antidoto quæ Picra dicitur. Nam valēter ipſum bilioſa quæ tenacius impacta ſunt, & melancholica recrementa purgare poteſt. At qui medicamentum aliquod exhibiturus eſt, diligenter conſiderare debet ne quandoque calida intemperies in ſolidis particulis præpolleat. Nam ſiquid tale fuerit, & antidotum ipſum tūc exhibueris quum calidæ & ſiccæ particulæ exiſtunt, hecticorum affectuum & tabis quæ maraſmus dicitur, author euadis. Quare illis danda eſt in quibus materia praua ſtomacho aliùnde remittitur, ita vt ſolidæ particulæ natura calidæ & ſiccæ non ſint.

Curatio pituitæ ſtomacho affixæ, & nauſeam excitantis.

Hoc modo, ſi recrementum bilioſum & melancholicum fuerit, curatio tentanda eſt. Sin autē acida & dulcis pituita affixa videatur, tunc nimirum extenuātibus vtendum medicamentis, præſertim oxymelite, raphani radicibus, capari, ſinapi, coryaco, & medicamento ex malis cotoneis, quod recipit zingiber & petroſelinum Macedonicum. nam ab eiuſmodi omnis humor pituitoſus & crudus concoquitur. His etiam moderata inedia confert, item ſomnus & quies. hoc enim victu pituita non ſolùm alteratur extenuatúrque, ſed etiam in ſanguinem benignum probumque conuertitur, vt eiuſmodi quoque humor per inopiam alimenti nutrire poſſit. Si enim acida fuerit pituita, etiam dulcia offerri debent: ſin autem ſalſa fuerit quæ inhæreſcit, conſiderato rurſus vnde ſalſa exiſtat. Quippe videtur interdum etiam ex ſeroſæ ſubſtantiæ commixtione ſalſa: interdum verò non propterea, ſed ob calidam quoque intemperiem, quæ ipſam torrefacit. Nam pituita incaleſcens, & ſalſa, & craſſa perpetuò redditur. Quòd ſi igitur ob calidam intemperiem ſalſa tibi facta appareat, humectante & tepida potius curandi ratione vtitor. Etenim non à calefacientibus, ſed humectantibus refrigerantibuſque diſſoluitur: ſicut etiam ſal & nitrum. Hæc enim, vt à caliditate concretionem ſortita, non igne, ſed aqua reſolui poſſunt. Hoc ſanè pacto, ſi pituita affixa fuerit, auxiliari oportet.

Curatio ſeroſi tenuíſque humoris ſtomacho infixi.

Sin fuerit ſeroſus, tenuíſque, & non nimium ventriculo impactus, haud curioſum eſſe oportet ac ſolicitū: verùm ſatis eſt etiam ſolo vomitu ex liberaliore tepidæ potu vti, vel cremore ptiſſanæ ventrem recrementis liberare. Si verò à multa humiditate imbecillius & reſolutum os ventriculi tibi videatur, cóque faſtidire, magíſque cibum vomere cupiat: tunc iis quæ ſenſim exſiccant, aſtringuntque leuiter, vtitor. quale eſt & malum cotoneum toſtum, fermēto circundatum, ſi per ſe comedatur: item medicamentum quod ex ipſo conficitur, quo placentæ loco omnes vtūtur, & multifariam ipſius compoſitionem præparant. Nonulli enim ſolum piper miſturæ ipſius adiiciunt: nonnulli etiam zingiber, petroſelinum, & coſtum: alii verò caryophyllum. Verùm hæc quidem pluſquam oportet medicata ſunt. Iam vtile eſt etiam quod recipit piper & zingiber. Nam hæc quoque particulam imbecillem abunde firmare & calefacere poſſunt: quorum vtrorumque calor & acrimonia recrementum in ſtomacho & ventre immutat. At ſi id quod ſupereſt recrementum, tenue nimium & acre videatur, caueto quidem à calidis, adhibeto autem quæ corroborant & aſtringunt, nihil quod manifeſtò calefaciat habentia, quale eſt ſimplex antidotum ex malis cotoneis confectum, quod ex ſucco ſolo mali cotonei & melle paratur. Quippe hoc & multum corroborare, & omnia bilioſa acriáque recrementa contemperare poteſt: atque idcirco infirmo & calido ſtomacho, humoréſque in bilem commutanti accommodatum eſt. His etiam caſtaneæ ſunt idoneæ, meſpila, ſorba valde matura, fabæ elixæ ex poſca, halica, & Phaſii piſſariū. In ſumma, quæ corroborare ſenſim, & leuiter aſtringere, necnō exſiccare modicè nō ſolùm in cibo, ſed etiam inter medicamenta poſſunt.

DE INFLAMMATIONE STOMACHI, Cap. XII.

QVomodo igitur humores, tum qui ſola intemperie vitiati in ventriculo continētur, tum qui aliunde influunt, internoſci & curari debeant, abundè hactenus explicatum eſt: reliquum verò eſt vt de aliis humoribus deinceps agamus. Vbi ſtomachus inflammationem ſuſtinuerit, magna opus eſt diligentia: quoniam maximum morbum & neceſſitatem corpori adfert. Mixta igitur curatio in ipſo potiſſimùm tentanda eſt, & non quemadmodum in minus principalibus, reſoluente & laxatoria medendi ratione vtendum. Nam periculum non exiguum comitabitur, neque æger alimentum ſentiet, neque appetere id amplius poterit. Adiiciatur igitur vnà cum laxantibus etiam corroborans aliquod, nempe abſinthii paulum, aut maſtichæ. Atten-

dēdum autem quonam opus ſit, atque eius copia inten-
di magis debet. Si igitur laxantia requirantur, adiicito
fotui etiam chamæmelum: ſin autem ægri non vehe-
menter febricitent, etiam gleucinum, adipem anſerinū,
& ſapam. Quòd ſi imbecillitas quædam fuerit & reſolu-
tio, non adeo laxantium aliquod fotui addito: ſed potius
curationem ex melino & vino tentato; abſinthium, ro-
ſas, œnanthen, mala, palmulas in vino macerans. Summa-
tim, ad id quod vrget, roborantia & laxantia, aliâs aliter
augemus. Non ſolùm autem fotus, ſed etiam cataplaſma-
ta & medicamenta in hunc modum excogitare oportet.
DE MEDICAMENTIS quæ extrinſecus impo-
nūtur. epithemata Græci vocant. Galenicum. Quū mo-
derata quidem eſt inflammatio, ſufficit etiam Galeni ce-
ratū, quod hæc recipit: Olei nardini per hyemem vncias
octo, per æſtatem vncias ſeptem: ceræ albæ vncias octo,
maſtichæ vnciam, aloes ſemunciam. Sin autem ſtoma-
chus magis corroborari poſtulet, etiam aloem augeto,
vnciam ex ea iniiciens, aut ſuccum abſinthii, aut œnan-
then, aut ſuccum capreolorum vitis admiſceto. Quòd ſi
ſtomachus non admodum deiectus videatur aut imbe-
cillis, epithema Nuſei applicato, aut philagrii per ſe, aut
cum mica panis inducito. Sin durior videatur inflam-
matio, & emollientia adhuc requirere, etiam hoc quod
Diamelilotωn dicitur, applicandum eſt. Corroboranti au-
tem ſimul & emollienti vtitor, eo quod à me ſolet para-
ri, cuius deſcriptio in hunc modum habet: Thuris, ab-
ſinthii, ſingulorum vnciæ quatuor: ammoniaci ſuffimi-
nis vnciæ ſex, ſtyracis vnciæ ſex, ceræ libra, olei nardini
libra, vini falerni quantum ſatis eſt. Arida pridie vino
macerato, deinde trita validè, nardino & cerato adiici-
to: ac vtitor vt medicamento admirabili, vt quod emol-
lire ſimul & robur ſtomacho adhibere queat. ALIVD,
quod idem præſtare poteſt. Maſtichæ, aloes, croci, myr-
rhæ, ſingulorum vncia: ceræ vnciæ ſex, ſucci abſinthii
vnciæ duæ, ſtyracis ſemuncia, olei nardini libra. Quòd
ſi inflammationem ſtomachi diuturniorem eſſe, conti-
gerit, vtitor iis quæ vocantur copta. Hæc enim ad inuete-
ratas inflammationes magis commendantur. COPTA
ad ſtomachi duritiem. Propolis vnciæ ſex, ſtyracis vn-
ciæ duæ, maſtichæ vncia, terebinthinæ ſemuncia, fæcis
nardini quod ſatis eſt. ALIVD malagma bonum, ad
ſtomachi duritiem, fluxionem, & dolorem faciens, vt æ-
ger tribus horis eo leuetur, ſentiátque manifeſtò adiu-
mentum. Habet autem eius ſcriptura hoc pacto. Ceræ
Ponticæ vnciæ ſex, terebinthinæ vnciæ tres, myrrhæ, o-
poponacis, ſingulorum vnciæ duæ: aloes vnciæ tres, alu-
minis ſciſſi vncia, galbani vncia. Myrrham vino læuiga-
to, & arida iis quæ liquari poſſunt inſpergito: ſplenium
autem ſit digitorum quatuor.

De iis qui inflammationem à frigido humore experiuntur.

Ad ſtomachi perfrictiones ſimul & inflammationes,
optimum eſt medicamentum quod *à grato odore* euo-
des appellatur: cuius confectiones variæ ſunt: ſed cuius
ego experientiam habui, hæc eſt: Croci ſeſcuncia, colo-
phoniæ libræ duæ ſemis, opobalſami, palmularum, ſin-
gulorum vnciæ ſex: aloes, myrrhæ, terebinthinæ, thuris,
ſingulorum vnciæ duæ: folii vncia, propoleos, ſtyracis,
ſingulorum vnciæ tres: ſpicæ nardi vncia, cardamomi vn
ciæ duæ, fæcis hedychroi ſeſcuncia, ammoniaci ſuffimi-
nis vnciæ ſex, ceræ ſeſquilibra. Huic autem nullum præpo
nas, in quibus frigida magna intemperies, duritia quæ-
dam, & pituita eſt, item dolores & diſtenſiones fiunt. Nō
ſolùm autem ad ſtomachum, ſed etiam iecur, & inteſtina
inflata, & ad eos qui cœliacos dolores ſuſtinent, idoneum
exiſtit. DE MEDICAMENTO Diamelilotωn, &
hieratico. Huius quoque deſcriptionem hîc expoſui,
vt qui requirunt, facilè inueniant: ſimul autem pluribus
appoſitis, id quod ad vſum vrgētem commodius eſt de-
ligant. Deſcriptio eius in hunc modum habet: Nardi Gal-
licæ, iunci anguloſi, myrrhæ, ſingulorum drachmæ de-
cem: cardamomi drachmæ octo, meliloti drach. 40. cro-
ci drachmæ octo, amomi drachmæ 50. ammoniaci ſuffi-
minis drach. 40. cyphios hieratici drach. ſedecim, tere-
A binthinæ drach. octo: ceræ mina, vini odorati hemina.
Confert hoc quoque non modò ſtomachicis, ſed etiam
iecoris doloribus, aliiſque multis affectibus. ALIVD
malagma polyarchium. prodeſt peripneumonicis, ieco-
roſis, hydropicis, lienoſis, nephriticis, veſicæ & vuluæ af-
fectibus, & omni neruorum dolori. Ceræ, reſinæ tere-
binthinæ, bdellii, cardamomi, ſingulorum mina, iunci
anguloſi, myrrhæ, croci, cinnamomi, meliloti, thuris, am-
moniaci ſuffiminis, ſingulorum drachmæ vigintiquin-
que, nardi Indici drachmæ ſex, olei Cyprini hemina: vi-
B ni Italici quod ſatis eſt. Vtitor interim meraco, inte-
rim cerato ex Cyprino ſoluto. ALIVD. Ab-
ſinthii ſucci, œnanthæ, nardi, ſingulorum vnciæ
tres: maſtichæ vnciæ quatuor, ceræ vnciæ ſex. Ceram li-
quefacito: nardum atque alia læuigata cerato raſo exci-
pito. ALIVD epithema ad dolorem ſtomachi. Sul-
phuris viui, maſtichæ, ſingulorum vnciæ duæ: ceræ ſeſqui
libra, olei irini tantundem. ſulphur & maſtichen in læ-
uorem trita, & ea quæ liquari poſſunt liquefacta, pilæ de-
mittito, & rurſum emollitis vtitor. AD OMNEM ſto
C machi inflammationem, duritiem, & præſertim in qui-
bus perfrictio & hydropicus affectus incipit: in ſumma,
in quibus inflantur præcordia. Styracis Iſaurici, aloes
hepaticæ, ſingulorū vnciæ tres: terebinthinæ vnciæ qua-
tuor, ladani vnciæ duæ, bdellii pellucidi vnciæ tres eu-
phorbii recentis vncia: item adipis ſuilli recentis aut a-
dipis anſerini purgati vnciæ quatuor: croci Afri vnciæ
tres, nardini Libyci vnciæ duæ, ceræ Ponticæ vnciæ duo-
decim, alliorum purgatorum vnciæ tres, vini odorati
quod ſufficit. ILLITVS ſtomachi, & vnguentum ad
D frigidam intemperiem, Marciatum. Multa igitur ſunt
etiam alia ad frigidam intemperiem celebrata medica-
menta; tum ſimplicia, tum compoſita: verùm præſtat
omnibus quod Marciatum appellatur, & odoratius eſt
quàm Decamyron & Pentamyron, præterquam quòd e-
mollit, ſi fortè duricies quæpiam extiterit, corroborát-
que ſtomachum. Confectio eius hæc recipit: Styracis ca
lamitis, ceræ, ſingulorum vnciæ tres: medullæ ceruinæ
vnciæ duæ ſemis, terebinthinæ vncia, hyſſopi vnguenti
liquidi vncia, opobalſami ſeſcuncia, ſi recens ſit: ſin mi-
E nus, etiam duæ miſceri debent: olei nardi vnciæ ſex.
COMPOSITIO Marciati generoſi. Styracis calamitis
vnciæ tres, medullæ ceruinæ vnciæ tres, aloes hepaticæ
vnciæ duæ, maſtichæ vnciæ duæ, olei nardi vnciæ tres, o-
pobalſami vnciæ tres, ceræ vnciæ quinque. Parato, ac v-
titor longè optimo & paucis cognito medicamēto. VN
GVENTVM Myracopon. Idem his præſtare Myra-
copon iſtud poteſt: maiorem autem calefaciendi vim
obtinet. quare vbi frigida intemperies magis præpollet,
hoc potius vti conuenit. Parandum autem eſt ipſum hoc
F pacto: Croci, vnguenti Syriaci, opobalſami, ſingulæ vn-
ciæ: mellis vnciæ tres, myrrhæ, ammoniaci ſuffiminis, ce-
ræ Ponticæ, ſingulorum vnciæ tres: terebinthinæ ſeſcun-
cia, euphorbii vncia. AD STHOMACHVM per-
frictionem expertum intinctus, qui Embamma Græcis
dicitur. Baccarum iuniperi, piperis, ſingulorum vnciæ
duæ: gingiberis vnciæ quatuor, petroſelini vncia, mellis
quod ſatis eſt. Vtitor vt præſtantiſſimo. DE ANTI-
DOTIS ſtomachicis. Paſtillus Amazonum. Hic pa-
ſtillus multo vſu probatus eſt, in quibus dolores validi &
G conuulſiones ſtomachum exercent. nam abunde ipſas
mitigat potus: necnon auxiliatur. Habet autem in hunc
modum: Apii ſeminis drachmæ ſex, aniſi totidem, ab-
ſinthii drachmæ quatuor, myrrhæ, piperis lōgi, cinnamo
mi, caſtorei, opii, ſingulorum drachmæ duæ. Læuigato ex
aqua, fingitóque paſtillos qui ſinguli pendant drachmā.
dato ſtomachicis cū vini factitii, quod πρόπομα Græcis
dicitur, cyathis ternis: cholericis & cibū vomentibus, ex
frigida: cœliacis & dyſentericis, cum myrtorum decocto:
lienoſis autem, ex oxymelite. Item ad alia multa valet hic
H paſtillus, & præſertim vomentibus, quíque roſionem ex
prauis ſtomachi & ventris humoribus ſentiunt, ſatis re-
ſpondet. Atque hæc ſunt nobiliſſima quæ multis experi-
mentis comprobauimus. Cæterùm hoc quoque ſciendū
eſt, omnem duritiem aut ſtomachi, aut iecoris, aut lienis,

aut alterius cuiuſpiam particulæ, à diuerſis cauſis & non ab vna excitari.Etenim ſiccitas,aut caliditas, ſi præceſſerit,humoréſque reddat craſſos, tumorem duriorem efficit, & perfrictio ſimiliter. Accuratè igitur incumbẽdum eſt vt ex ſignis præcedẽtibus & iis quæ aſſident,ac præcipuè temperamento,internoſcamus,atque ita medicamen ta adhibeamus.Si enim præceſſerint triſtitiæ,curæ, labores,animi deiectiones,pauci cibi & calidiores ; potúſque, huiuſmodi duritiem ex nimia humorum aduſtione potiùs factam eſſe cognoſcemus. Neceſſe igitur eſt in talibus affectibus,vt medicamentis ægros curemus quæ tepidam aut temperatam qualitatem obtineant, non autem calefaciant, & emollire poſſe titulo admodum promittant.hæc enim iis qui tumorem ex frigiditate in ſcirrhum coactũ habent,cõtulerunt nec de huiuſmodi ambigere dubitaréque oportet. Dictum nanque eſt ab Ariſtotele, aliiſque præſtantiſſimis viris antiquis, ſingula quæ concreta & in ſcirrhum indurata ſunt,à contrario eius quod concretionem peperit diſſolui: nempe quod à calore & ſiccitate concretum eſt, ab humectãtibus ipſum & refrigerantibus diſſolui oportere, quemadmodum in nitro & ſale fieri cernimus. Omnia nanque hæc à caliditate magis torrentur atque indurantur, ex aqua verò diſſoluuntur:quemadmodum rurſus,quæ à frigiditate concreuerint,ab igne reſoluuntur: id quod videre in glacie & niue fieri licet,dum ab ſole & igne diſſoluuntur. Quare adhortor vt animum adhibeatis,& ne,vt plerique medici, citra iudicium remedia adhibeatis, titulis ipſorum ſolis acquieſcentes.Ego ſanè noui viſcerum duritiem humectantibus & temperatis me curaſſe, nempe balneis & hydrelæo vſum : necnon roſaceo oleo & chamæmelino, ſimiliter etiam balneis temperatis, quemadmodum in aliis ſuperfuſionibus ex nardino, gleucino & anethino oleo:item Marciato, & horum ſimilibus : adhæc victu calefaciẽte,vtpote pipere cibis iniecto,& aniſo, & aliis quæ eiuſdem ſunt facultatis : inſuper potione ex ſpica nardi, aſaro,& id genus antidotis, quæ extenuare & calefacere poſſunt.Quoniam igitur non pauca à contrariis euenire ſolent,attendendum eſt diligenter.etenim acores in ſtomacho ſubinde non ſolùm ex frigiditate, ſed etiam calore oriuntur.Nouimus autem pleroſque medicos putare,omnem acorem à ſola frigiditate prouenire: quã de cauſa ſemper his calefacientia adhibent. Video rurſus multos etiam à refrigerantibus cibis adiutos fuiſſe, qui antea à calefacientibus plurimum offenderentur. Nam vinum potius ipſis magis aceſcebat quàm calidiores potiones factitiæ,quæ ex pipere aut aniſo,aut alio quodã huiuſmodi parantur medicamento.Quare talibus repudiatis,contrariis vſi,temperata aqua largiore,cibis boni ſucci,& qui ægrè confici poſſunt, vt bulbio & ſternio, aut anſerũ ventriculis, & iuuencæ pedibus,ex poſca: & ex piſculentis,orpho,iſiciis,pectinibus, oſtreis non coctis : celerrimè tali affectu liberati ſunt,vt neque acidos ructus, neque aliam cruditatem in poſterum ſuſtinerent. Ex talibus igitur vniuerſis coniectura aſſequi licet,idem accidens à contrariis ſæpe cauſis oboriri. Quemadmodum autem in acido ructu,ita rurſus cura habenda eſt vbi æger amaritudinem cauſatur,& non ſtatim humidis in totum & refrigerantibus vtendum . Fieri nanque poteſt vt viſcoſi abundent humores,in quibus bilis, dum ad ſuperiores partes effertur,huiuſmodi conſenſum, etiamſi nõ admodum copioſa fuerit,ægro præbet. Omnes igitur arquatos amaritatem percipientes videre licet,attamen nõ omnes à refrigerantibus adiuuantur. Multi ſiquidẽ etiam alliis liberalioribus vſi,arquato liberati ſunt, ita vt neque reliquo tẽpore amaritudinẽ perceperint.id quod meritò accidit,quũ neque ab eadẽ cauſa arquati fiant,ſed alii ob iecoris inflãmationẽ,alii ex ventriculi intẽperie,alii à viſcoſis humoribus:ſed hi curari nequeunt niſi extenuantibus & calefacientibus.quemadmodũ rurſus cõſiderandũ eſt,etiam in iis qui copioſiora expuunt, & frigidum putantur ſtomachum habere.Non enim eiuſmodi à copioſa in totum humiditate accidit, quũ etiam ob caliditatẽ euenire poſſit.Nam quũ ieiunant,& cibo modico vtuntur,hoc ſæpe experiuntur,nec deſinunt ſaliuam emittere,

A & copioſa expuere, donec cibum aſſumant. Clarum autem eſt id accidere dum caliditas humores qui in alto latent diſſoluit. Poſtquam enim natura cibum concoquens,oblatum inſumpſerit, tunc rurſus quæ appoſuit diſſoluere cogitur:atque idcirco copioſiora ſpuunt,humiditate quæ in alto hæreſcit liqueſcente. Quòd autem ob calorem crebrius expuere ipſos accidit, videre licet in lignis quum comburuntur : quippe humor ex eis deſtillat, nimirum igne id quod aquoſum in illis continebatur
B euacuante.Idem etiam in carnibus, dum aſſantur potiſſimùm, euenire cernimus. DE CVRATIONE. Curandi ergò ſunt qui ob calorem copioſa expuunt, cibis refrigerantibus,& qui difficulter confici poſſunt : quemadmodum rurſus eos qui ob humiditatem, calefacientibus. Opus igitur viro eſt in arte omnifariam exercitato, qui exquiſitè cauſam diiudicare queat. Etenim idem accidens à contrariis(vt diximus)cauſis oritur. Quare plerique rigorem & frigus in corpore ſentiunt, quidam ſanè à crudis humoribus qui in eo ſuperant,quidam verò ob
C ſiccitatem & inediam:alii propter bilem: quemadmodũ alii rurſus in externis partibus ob magnam inflammationem,quæ calidum ſanguinem totum ad ſe attrahit, perfrigeſcunt. Multa ſanè etiam alia exempla licet adducere quòd eadem res à contrariis(vt dictum eſt) ſubinde cauſis efficitur : verùm hæc quoque ſufficiunt. Nam in febrium curationibus copioſius de hac re agetur: quia medici plurimùm ab eis decipiuntur,errántque.

DE SINGVLTV, Cap. XIII.

D QVum ſingultus etiã,ſtomachicus ſit affectus,his coniungere eum decet,vt omnis ſtomachicorum diſputatio in idem ſit collecta. Nam totus ſtomachus conuulſorio more,dum nonnulli mouentur, affici videtur, vbi facultas ipſius expultrix illic largius ad recrementa quæ inſident,grauant & rodunt,expellenda incitatur. Non rarò in euacuatione etiam, ipſa ob ſiccitatem comitatur, nimirum vt in dyſentericis , vel quocunque alio modo largius euacuatis, & febri tentatis immodica, tale fieri fieri ſpectamus. Fit autem vt etiam ob acrem quam-
E piam qualitatem homo ſingultiat : ſicut qui hydrogarum aſſumpſerit , aut aliud quid eiuſmodi roſionem inferens, ac magis vbi ſtomachus quoque eſt ſenſibilior. Atque hæ ſanè ſingultus cauſæ, tot & tales exiſtunt:curari autem ipſæ remediis ad cauſam eum facientem propriè accommodatis debet. Si enim cauſæ fuerint viſcoſæ & craſſæ,extenuantibus & incidentibus vtendum eſſe conſtat.Incidit autem probè acetum quoque ſolum, ſi modicè ſorbeatur, & præcipuè quod vocatur ſcilliticũ: item oxymeli,quod ex eo temperatur.Adieci autẽ huius
F quoque compoſitionem optimam, quæ multis conferre poteſt, præſertim ſtomachi affectibus & inflationibus, acidiſque ructibus. eſt autem hæc: OXYMELITIS confectio. Scillæ partis internæ tenerioris libræ duæ: aceti acris albi ſextarii quindecim : piperis vnciæ duæ, dauci Cretici ſeminis, fœniculi ſeminis, cumini, ſingulorum drach.4 : apii ſeminis drachmæ octo, petroſelini Macedonici vnciæ duæ,laſeris vnciæ duæ:gingiberis vncia, pyrethri vncia : nardi Gallicæ drachmæ 4, liguſtici drach.4.hyſſopi Cretici drachma,pulegii drachma:mẽ-
G thæ viridis faſciculus,apii viridis faſciculus, cardamomi drachmæ duæ, rutæ viridis turiones quinque,mellis ſextarius, folii drachmæ quatuor, coſti vncia, ſapæ ſextarii duo: agarici,ſpicæ nardi, amomi, ſingulorum vncia. Omnia hæc contuſa diligenter, ſeorſim habeto, & ſcillam in acetum coniectam per dies ſeptem macerari ſinito: deinde ea ſublata, reliqua omnia contuſa, vbi validè leuigaueris vnà,acetóque indideris, alios dies ſeptem ſini-
H to:deinde per linteolum denſum expreſſis,etiam ad affectum prædictum vtitor. Cæterùm & raphani radices in ipſũ intingere conuenit,vomitúmque ciere. Adhæc mulſa,& ſpicæ nardi vtræque decoctum potu ipſis auxiliatur: necnon panis ex condito comeſtus. Omnia nanque hæc adhibui,&in magno adeo ſingultu vt æger è lecto exilire cogitaret,profeci. Vſus autem ſum præter hæc etiam extrinſecus in ſtomacho,caſtoreo, ſtyrace & maſti-

che,oleo ipſa incoquens, & ſtomachum vehementer ex eo fouens. agitabam autem inter coquendum oleum rutã. Porro caſtoreum,& potum & olfactum in his probè opitulatur:itē nardus Gallica, aſarum, ſpica nardi,aniſum, cuminum,& ligufticum. Quòd ſi recrementa rodentia & corrupta fuerint, iis vtendum eſſe conſtat quæ contemperant,& ſimul id quod rodit abſtergere poſſunt. Vinũ autē his circuncidendũ eſt,atque omnia acria decocta temperata autem aqua vtendũ, & pane ea imbuto,ptiſſanáq; copioſa,& piſciculo qui aceti paulũ habeat, & pullis columbarum: atque huiuſmodi ſingultientes purgandi nõ ſunt. Sin autem ob euacuationem aut febrim ſingultus accedat,non dubiè etiam firmiter perſeuerãs, (tunc enim ob ſiccitatem immodicam affectus oritur) talis meritò quidem periculoſus eſt. Quare in eiuſmodi humectantibus & refrigerantibus auxiliis,præſertim temperata aquã creberrima, vnctione, & omnibus quæ euacuatis adhibentur,vtendum. Noui autem quendã ex iis qui ob hanc intemperiem ſingultiunt, frigida ſorbitione conſeruatũ. At in inflammatione, ea quæ actu frigida ſunt vitari debent: magis etiam continuè tepida vtendum, paulatim eam ſorbendo. extremas autem manus calidiſſimas frequentius madefacere oportet:& pedes deligare continerèque,non eſt alienum. Inſuper ſternutamēta accommodare in quibus maximè humida ſtomacho infixa ſunt. Ita nanque ſpiritus, dum in anguſtias redigitur,& violentia incidit,humorem qui in ſtomacho continetur propellit. Adhæc ſuperfuſionibus ad ſtomachum vti cõfert, in quibus potiſſimùm etiam inflammationem illius aut iecoris eſſe conſideraueris:vena prius ſecta, niſi omnino vires diſſuadeat. Talibus igitur cũ ratione& artificio vtēdum eſt,ita vt animum aduertas tempori,ordini,qualitati,& aliis omnibus quibus celeberrimi medici aduertendum eſſe putarunt. At ſi multis atque multis tentatis æger nihil ſentiat adiumenti ſolatiique, dum nihil ex iis quæ ab arte ſuppeditantur, morbi difficultati ſuccurrere poteſt,etiam naturalibus quæ alligantur vti alienum nõ eſt,vt ægrum conſeruemus. Etenim impium eſt talem deſerere, & prohibere ea quæ ægro ad ſalutem conferunt, quum etiam diuiniſſimus Galenus,& qui eum præceſſerunt,his ſint vſi. Quare ſapientiſſimus ille Didymus in libro qui Octatomus vocatur,ſcriptũ reliquit. ALIVD.

Feſtucam,aut lapillum, aut fimum ex terra ſublatũ,ſingultientis capiti,ipſo ignorante,impoſito, ac ſtatim ſingultus deſinit. In Cyrene hoc quoque didici. ALIVD.

Singultiens contineat manu ſiniſtra calculos ſuffragiorum quadraginta,& capiti ſuperimponat:ac ſtatim ſingultire deſinet. Caſtoreum autem alligatum citò ſingultum finit. Adhæc cuminum quoque panniculo lineo inditum brachiali ſiniſtræ manus alligato: hoc Æthiopes ad Auſtrum habitantes facere dictitant: Cretenſes teſſeram manibus continere, ℥ ρ ζ γ, & naribus offerre. Nonnulli verò panis fracti micam auri ſingultientis tacitè imponunt, & fragmentum olfaciunt,liberantúrque:alii verò rutam ex vino aut mulſa coctam potui præbent: alii apium aut caſtoreum,aut daucum Creticum, aut aſarum; aut nardum Gallicam,ſingula priuatim aut ſimul cum mulſa, vel decocta,potui:aut laſer olfaciendum exhibent. Eximiè facit etiam gargarizatio,& aurium oriſque detentio. Non autem oportet pleraque contemnere,ſed omnia etiam cum alia curatione, quam ars præſtare iubet, adhibere.

DE CHOLERA, Cap. XIIII.

QVòd cholera ſanè acutiſſimus ſit affectus, ſyncopen inſignem,immodicámque virium reſolutionē inducens,omnibus in confeſſo eſt. Idcirco accuratè internoſci,& celerrimè curari,meritò poſtulat. Etenim dilatio in omnibus acutis morbis nociua eſt: in hoc autem affectu,etiam exigua ac leuis curandi mora,haud ſimplicem offenſam,ſed etiam abſolutam ſubinde tabem, quæ phthiſis dicitur,conciliat. Choleram itaque,immoderatam eſſe perturbationem,quæ per aluũ & vomitum propter ſtomachi ſubuerſionem offenſionémque proueniat, intelligendũ eſt. Ne autē quis affectũ hunc ideo cholerã vocari putet quòd ὑπὸ χολῆς *.i. à bile* omnino fieri cõſue-

A uerit,ſed quia materia quæ per ventrem adfertur,ex inteſtinis videtur excerni. Inteſtina verò choladas veteres appellabant,vt etiam Homerus teſtatur his verbis, *κέχυντο χαμαὶ χολάδες. quod eſt, Fuſa erant humi inteſtina*, huius gratia etiam affectum choleram nuncuparunt. At non ſolũ de vna fit cauſa,ſed etiam multis,nempe ob copioſiorem cibum aſſumptum,&,quia concoqui non potuerit, corruptum:item ob prauorum humorum aut ciborum, aut potionum,præſertim ſtomachum offendentium, qualitatem:qualis eſt & pepon, & pingues dulcéſque & oleoſi

B cibi. Gignitur etiam ex copia bilis, naturam ſurſum aut infrà ad exercendum irritantis: necnon ob nonnulla frigida applicata,vt epithemata quædam,aut frigidarum aquarum vſum,ſi eas bibant,aut in eis diu natauerint. Quæ quum ita habeant,neceſſe eſt etiam de curatione tractare quæ ad vnamquanque huiuſmodi cauſam accommodetur. CVRATIO eorum qui ex copia ciborum cruditate laborarunt, inciderúntque in choleram. Si igitur ciborum corruptio per initia tibi appareat, & æger nihil

C fere per ventrem aut vomitum excernat,ſed nauſeet vellicetúrque, tunc ipſis exhibere conabimur quæ potius vomitũ prouocare largius poſſunt: qualis eſt mulſa, quæ ambo ſine noxa præſtare poteſt,nempe & aluum & vomitum incitare. Quòd ſi verò mulſam non libenter ſumãt, tepida aqua ipſis liberalior dari debet,atque vomitus ſollicitari aut digitis,aut pennis anſerum ex hydrelæo in os inditis,donec corrupta abundè euacuata tibi eſſe videantur. Et ſi quidem ita tibi apparuerit vt nullum recrementum ex iis quæ iam in ventre corrupta fuerant,copioſum remanſerit,ſomnum ægris præcipere oportet, quietémque; & præcordiorum fotum. Quũ igitur hæc imbecillia

D ſunt,dulce oleum calidum iniectum adiuuabit: per hyemem autem etiam nardinum,vel gleucinum,vel marciatum. At vacuatione poſt ſomnum finita, neque febri vrgente,ad balneum duci debent, paulatímque cibo refici, ita vt cruditas tantùm vitetur. Niſi enim quid impedimenti fuerit,celerrimè rurſus ad naturalem ſtatum reuertuntur:qualia neque ſtomacho affecto accidunt, ſed corruptione ob copiam ciborum oborta:vnde neque huiuſmodi propriè choleram nominant. CVRATIO

E choleræ ex vitiato ſtomacho prouenientis.

At ſi non ex ciborum copia,ſed inanitione, aut imbecillitate ſtomachi prægreſſa euenerit, quæ etiam propriè Cholera vocatur, quũ ſit immoderata per ventrem vomitúmque(vt diximus)euacuatio, ſtomachus vitiatus atque imbecillis refici iis deuoratis ſi(fieri poteſt)debetquæ cor roborent & recreare queant, nempe victu & medicina. Dicamus igitur prius de victu qui hoc præſtare poſſit, atque ita tandem de vnctionibus quæ extrinſecus imponuntur. DE VICTV. Panis igitur his ante omnia i-

F doneus eſt,ſi ex vino detur,aut myrteo,aut omphacomelite,aut palmatiano, ſiue Sareptino: præſertim ſi æger nõ febricitet,ſed etiam perfrixiſſe videatur, & imbecillis ſit viribus,copioſioréſque pepones comederit. Hi enim quũ ſtomacho pluſculum aduerſentur, vomitúmque immoderatius comeſti moueant, choleræ affectum gignunt. Quòd autem vomitum cieant, & ſtomacho ſint inimici, experientia id licet cognoſcere. Nam ſi duos ſicci ſeminis ſcrupulos illi qui vomitu opus habet potui offeras,videbis eum qui deuorauerit ex ipſis,nauſeare vellicarique,

G & ſtatim in vomitum prorumpere. At ſi æger febricitet quidem,ætate autē floreat, neque ſtomachus eius à frigidis,ſed potius pinguibus,aut dulcibus,aut oleoſis ſubuerſus fuerit,& ructus nidoroſi oriantur,his panis nõ ex vino ſed omphacomelite,aut Cibyriaco hydromelo,aut poſca, aut hydroroſato,dari debet, permittique vt paululum ex his ſorbeat. Quòd ſi vomitus perſeueret diutius,etiã menthæ decoctum,vt ſaluberrimũ medicamētum, ipſis dandum eſt. Etenim præterquam quòd ſtomacho illa grata ſit,etiam naturaliter ad hunc affectum accommodata eſt.

H Sin autem vires vrgeant, & extremorum perfrictiones, conuulſionéſque,& animi defectio oriatur, ſalutare eſt etiam vinum decocto admiſcere. Nam vinum omnium maximè ſubitò & celeriter vires callapſas refocillare po-

teſt: ac multos noui, ex ſola illius potione præter ſpem A
mortis periculũ euaſiſſe. DE VNCTIONE. Particulas autem refrigeratas perfricare irino vnguento cõuenit,aut gleucino, aut nardino, aut populeo, aut Sicyonio,aut quodam alio quod recipit præſertim caſtoreum & medullam ceruinam. Hæc enim omnia iis qui conuelluntur & propè perfrigeſcunt, admodum ſunt cõuenientia. DE EPIPLASMATIS, ſiue cataplaſmatis.

Vtendum etiam eſt epiplaſmatis,quæ ad eos præſertim idonea ſunt qui cibum non continent,panis ſiligineus ex vino coctus,oleo melino adiecto, & polenta ſimiliter ex B
vino myrteo incocta: quòd ſi deſideretur myrteum, ex vno prædictorum,aut palmatiano,aut Tyrio,aut Sareptino.Prius autem decoquatur in eo abſinthium Ponticũ, roſæ,mala cotonea, palmulæ, iuncus rotundus ſiccus, & œnanthe: ſi tempus autem patitur, etiam capreoli vitis. deinde ſic polenta coquatur. Inter coquendum adiiciatur etiam maſtiche,& melinum oleum.Hæc enim omnia ſunt apta tum ad corroborandum,tum ad prohibendum ne aliud in ipſum influat. DE EPITHEMATIS.

Multa ſunt ad huiuſmodi affectus prodita: quorum C
autem nos habemus experientiam,hæc ſunt: EPITHEMA διὰ οἰνάνθης laudatiſſimum. Œnanthæ drachmæ duæ,omphacii drachmæ quatuor,ſtyracis item drachmæ quatuor,acaciæ drachmæ octo, roſarum ſiccarum drachmæ octo,gallæ omphacitidis drachmæ quatuor, palmularum drachmæ ſex: vini auſteri,olei myrtei,picis, ſingulorum drachmæ ſedecim.Hoc medicamentum ad hepaticas dyſenterias,vomitiones,& eos qui cibum retinere nequeunt, præſtantiſſimum exiſtit. EPITHEMA
quod ex malis conſtat, διὰ μήλων Græcè dictum. At ſi D
multis in ventre collectis flatibus tormina & diſtentiones oboriantur, ratio eſt etiam cucurbitulas admouere. hæ enim non ſolùm leniunt, ſed etiam plurimum iuuãt. Iis etiam cõferunt qui cibum non retinent, ſi ſtatim quũ æger illum aſſumpſerit, ſtomacho agglutinentur. Nam validè retrahendo,vomitum fieri prohibent: præterea ſi diutius adhærent, etiam concoctionem iuuant, & ventrem,ne amplius profluat,cohibent. At calidioribus citra ſcarificatum vti conducit: ſin autem inflammatio quædã diuturna & ſcirroſa circa præcordia orta fuerit,tunc cum E
ſcarificatu eas admouere non eſt abſurdum.

DE IIS QVI OB BILIS COPIAM choleram ſunt experti.
Cap. XV.

QVòd ſi bilis copioſior nunc ſurſum, nunc infrà choleræ affectum excitet,clarum tibi erit eam ex roſione & caliditate circa ventrẽ ac præcordia ampliore percipi:ea verò quæ per aluum & vomitus efferuntur,omnia etiam eſſe bilioſa, ægrum vehementer ſitire, & linguam F
habere ſcabram.Si æſtas fuerit,& æger iuuenis, calidiore victu primùm vſus,multo magis ex his veram notionem manifeſtámque conſequêris, quòd affectus prædictus ex bilioſi humoris abundantia procreatus fuerit. CVRATIO. Cauſam itaque efficientem obſeruans, per contraria ſemper curabis,quæ refrigerare & humectare poſſunt,cibos,potus, & epithemata quæ eiuſdem ſint facultatis. Proinde ptiſſanæ cremor refrigeratus his eſt idoneus: item lactuca eodem modo refrigerata, paulo aceti adiecto:ſimiliter etiam intybus & troximus: item panis G
ex aqua aſſumptus.Inter teſtacea,pectines, & buccina lota ſæpius: item bulbium & ſternium:aſtacus biſcoctus, & piſces duri,quódque ex ipſis fit iſicium: necnon anſerum & gallinarum cohortalium ventriculi. DE FRVCTIBVS pomaceis. Ex fructibus conducit is qui non admodum maturuit, & mediocrem habet aſtrictionem: præſertim mala,pira, mala Punica, & vua penſilis. DE H

BELLARIIS. Ex bellariis,caſtaneæ & vuæ paſſæ expediunt. DE POTIONE. Potus his omnium maximè aqua frigida conuenit,quæ non vniuerſa, ſed paulatim,& in cibi ſumendi medio tempore bibatur. Quòd ſi ex ſymptomatis nimium infeſtantibus vires imbecilliores fieri contingat, non alienum eſt hydromelum & omphacomeli eis exhibere,aut paulũ vini vel Sabini,vel Cnidii. Sin autem vigiliæ quoque multæ infeſtauerint propter ſiccitatẽ quæ ex inanitione accidit, diacodeιων, quod ex ſapa Cretica paratur, dare ipſis quoque commodum eſt: & quũ ſomnum capturi ſunt,paululũ ex eo prædictis potionibus admiſcere. DE IIS quæ extrinſecus imponuntur. Imponantur autem ſtomacho & præcordiis ſemperuiuum & lactuca,cum mica panis roſaceóque excepta.Item ceratum probè confectum, optimè & maximè iuuat: ſi tempus ferat,capreolorum vitis,aut vuæ acerbæ, aut polygonii ſuccus ei miſcebitur. Præſtantius enim erit,& ad ea quæ volumus efficacius. Etenim refrigerat, corroborátque, & id quod in ſtomachum influit repellit:necnon inferiorem ventrem cohibet, totúmque corpus ad bonam temperiem mutat, & appetentiam excitat.hæc omnia aliáque plura præſtare poteſt.Hac igitur ratione ipſos curare oportet,in quibus & vomitus copioſiores crebrioréſque fiunt,& venter immoderatius excernere,atque conuulſiones ſyncopáſque inducere videtur, vt æger de vita periclitetur, dum immoderatior per vomitus & aluum excretio accidit.

DE CHOLERA,QVAE CITRA NOXAM excitatur, Cap. XVI.

QVòd ſi bilis ad excreationem procliuis, naturam irritare videatur, nihil autem mentione dignum vel per aluum deſcendat,vel per vomitũ erumpat,non abſurdum eſt tunc etiam medicamento purgante vti,quod humorem bilioſum purgare queat,præcipuè ſi æger iuuenis fuerit,& priori tempore purgari conſueuerit,nunc autem ceſſauerit. Maximè igitur hoc efficere poteſt citra noxã ſcammoniæ liquor ex poſca,cum exiguo admodum mẽthæ ſucco,aut hydroroſato,aut hydromelite datus. At ſi bilis in ventriculi tunicas abſorpta fuerit, etiam picra ipſis exhiberi debet, adiecta ei ſcammoniæ lacryma, prout ægri vires permittunt. His igitur ad corpus purgandum vti debemus.Vbi vacuatio facta fuerit, & totũ corpus deinceps recrementis vacuum, vt nihil in ventrem poſſit influere,nauſeæ ſtatim ceſſabũt, & cibus qui offertur non corrumpetur,prauitate humoris iam euicta, minoréque facta:& in totum corpus diſtribuetur, ipſũmque probè nutriet,vt æger ſequenti tempore immunis à morbo & ſanus conſeruetur.Cæterùm noſſe oportet, frictionem per manus adhibitam,quietam, calidam & mitem, iis omnium maximè qui choleram ſuſtinent conducere. præterea etiam extremorum deligaturam: &, ſi quidem aluus vrget,plura brachiis,& iuncturis quibus illa cũ manibus committuntur,vincula iniicienda eſſe: ſin autem vomitus,tum femora,tum talos conſtringi, & paululum ipſa diſſoluendo,rurſum deligari oportere. Si pedes refrigerari aut conuelli ſpectaueris, etiam permittes vt calidæ ipſos aquæ imponant,ac fouebis quouſque particulæ incaluerint,vehementérque rubeſcant. A fotu,lanis quoque obtegẽtur,ne refrigeſcant. Atque hæc potius fieri debent quum etiam vomitus vrget, & materia ſurſum erumpere videtur,quemadmodum diximus,brachia vehementer vincire,& ſuperfundere iterum oportere, ſi aluus item vrſerit:vt materiam ſemper in contrarium reuellamus.Necnon alia quæ dicta ſunt,diligenter adminiſtrari decet. atque eo pacto choleræ curatione non fruſtraberis. acutiſſima nanque ſi oboritur, ſubitò periculum inducit.

ALEXAN-

ALEXANDRI TRALLIANI Liber VIII,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

DE INFLAMMATIONE IECORIS, Caput I.

QVòd ſanè, vt omnis inflammatio ex feruenti ſanguine trahit originem,ita etiam ea quæ in iecore oboriri ſolet, exordium ſumat,omnes fatentur. Quomodo autem ipſa internoſci debeat, diſcernique num ipſi iecori propriè acciderit; an tunicis ipſius,vel muſculis extrinſecus ambientibus, conſiderare oportet. Et,ſi iecur inflammatur, inſpiciendum rurſus eſt & inquirendum gibbane potius an caua ipſius pars, vel etiam vtraque ſimul affecta ſit. Si enim id cognitum diſcretúmque probè fuerit, curatio quoque celeriter ſineque impedimento adminiſtrari poterit. NOTAE an gibbam iecoris partem inflammatio obſideat. Si igitur inflammatio in gibbis conſtiterit, facilè internoſci poteſt,præſertim ſi magna ſit. Nam ſecundum ambitum circumſcriptum inflammationis ſpecies ferri tunc videtur: ac febrim inuehit ardentem, vomitum bilioſum & æruginoſum: frequenter iugulum detrahit, tuſſiculam mouet,ſeptum tranſuerſum coarctat, & grauitatis potius quàm inflammationis ſenſum infert. Si enim in tunicis aut ambientibus vaſis conſtiterit, acriorem dolorem excitat. Quare ſi vniuerſa iecoris inflammatio magna fuerit,ita ipſam noſſe tum oculis ipſis, tum tactu, tum aliis prædictis indiciis expedit. Quòd ſi inflammationem non magnam ſed exiguam eſſe contigerit, ægrè ipſa internoſci poteſt. Neque enim febrim ſtatim inducit, niſi inſignem quandam magnitudinem acquiſierit: neque oculis hæc ſpectari,neque tactu manifeſtò cognoſci,ſed ex aliis ipſa animaduerti poteſt. Si nanque æger, vbi nos præceperimus vt magnam reſpirationem edat, grauitatem ſe quandam & dolorem percipere dixerit, inflammationem exiguam interius in iocinore, aut circa eius gibba exiſtere ſciendum eſt. SIGNA inflammationis cauam iecoris partem occupantis. At ſi in caua iecoris parte inflammatio conſtituta fuerit, inde cognoſcitur quòd tumor primùm in imis potius quàm in ſupernis partibus conſpiciatur, atque hinc animi defectio ſuccedat: imò etiam corpus alimentum non ſentiat, pallidum & tenue appareat, vt tandem ipſo refrigeſcente etiam aquæ ſubter cutem ſuffuſio deinceps ſequatur. Ita ſanè inflammationem caua iecoris infeſtantem, ab ea quæ gibba exercet, diſcernere conuenit. At in muſculis inflammationem tempeſtiuè cognoſcere licet. Nullum enim ex prædictis accidentibus ægri ſuſtinent:& præterea inflammatio è directo muſculorum figurata conſpicitur:necnō extrinſecus manifeſtò conſpectui ſe offert,non quemadmodum in caua iecoris parte intus deliteſcens. Curare autem eam oportet ita vt toti corpori proſpiciamus. Si nanque ſanguis in vniuerſo eo ſuperet, curatio protinus adminiſtranda eſt,& non differēda, (periculoſum enim) ſed vena axillaris incidi debet. Quòd ſi hæc ſecari non poteſt,ex ſupernis vacuatio omnino tentanda eſt. Qui enim vacuationem adhibere, & totum corpus recrementis liberare neglexerunt,hi maximorum malorum ægris authores fuerunt. Vel enim accidit vt materia in pus ex medicamentis intempeſtiuè adhibitis conuertatur, aut tem poris ſpatio ſcirroſa & ad diſcutiendum contumax fiat. Propter hæc igitur omnia cauendum eſt ne cataplaſmata & ſuperfuſiones inducamus priuſquam totum corpus à recrementis liberum fecerimus. Itaque ſanguis mitti debet: poſt miſſionem victus inſtitui recrementorum expers, mitis,qui nihil habeat acre,præſertim inter initia. nam feruens inflammatio nihil huiuſmodi tolerat. Quare commodius eſt ab id genus decoctis abſtinere, ac non vti iis quæ vidētur aperire,eo quòd partes inflammatæ fluxiones

A inde magis experiantur & augeſcant. Itaque cremor ptiſanæ his eſt idoneus,qui habet vim & aperiendi & abſtergendi, præterquam quòd affectas partes non affligit aut calefacit. Similiter etiam auenæ cremor accommodus eſt. Iis autem qui hæc auerſantur,& chytron & amygdala dari debent: oua autem prohibenda, eo quòd craſſi ſint ſucci & flatuoſi: micæ verò panis,aut coctæ,aut elotæ,verùm non copioſæ,aſſumi. Reliquis omnibus frumentaceis interdicendum eſt, vt ſimilagine, libo ſuminali,pulte, quæ Græcè poltos dicitur,& placētis,item pin B guibus & teſtaceis, præter erinacium: & rarò admodum pectines, atque tunc dare conuenit quum æger bilioſus eſſe apparet,ſitique & vigiliis conficitur, inflammatione feruenti & eryſipelacea torquetur. His & intybi & troximi,& cichoria,& ſonchi,& teneræ betæ, necnon columbus & piſcis cum iure decocti conueniunt. Dulcia verò omnia & recrementitia prohibeto. nam viſcera largius hinc augeſcentia,in tumorem attolli videre licet,non ſolùm in gallinis & ſuibus, ſed etiam omnibus brutis animalibus. Quare dulcia & aſtringentia ſimiliter cauere oportet. C nam eo quòd conſtringunt contrahúntque tumores,ad diſcutiendū difficiles ipſos reddūt:ob quod neque malum Punicum,neque alium fructum pomaceum, imò neque vinum maximè competit: vt quod omni feruenti inflammationi in totum ſit aduerſarium. Quod autem aſtrictionis expers eſt, magis proficit in quibus ſola obſtructio citra inflammationem exiſtit. Tantùm de victu dixiſſe ſufficiat. Offerenda igitur prius ſunt quædam ſimpliciora,ex quorum numero eſt radicis apii dilutum, & oxymeli,quum inflammatio concoqui incipit. Nam per D vrinas materia ſubtrahitur, tumórque imminuitur. Si igitur & febris mitior fieri,& concoctionis ſigna tutiora appareant,cum fiducia,etiam ea quæ largius incidere, & obſtructa aperire poſſunt,exhibeto: cuius generis eſt aſarum,mæum,& nardus Gallica. Compoſita autem probè faciunt hæc quæ ſoluere ſimul inflammationes, & dura emollire poſſunt: item quæ magnas citra febrim obſtructiones poſſunt diſcutere: quorum etiam confectiones exponere eſt neceſſarium.

DE OBSTRVCTIONE IECORIS, Cap. II.

E OBſtructiones iecoris vniuerſæ hinc innoteſcunt quòd neq; febris, neque feruor in locis affectis adſit: grauitas autem & ſola diſtentio in cauis iecoris partibus ſenſu percipiatur. Quum igitur obſtructionem eſſe animaduerteris,cum fiducia medicamentis vtitor quæ incidunt & extenuant: quibus etiam in particulis ſcirro indureſcere incipientibus vti conſulo. Ac ſcirri vbi materia quæ particulis impacta eſt, prius emollita diſſolutáque fuerit, medicamentis tunc indigent quæ obſtructa F liberare poſſunt. Qui enim ad ea quæ reſerare ſolent deſcenderūt priuſquam tumor fuerit emollitus,hi adiumētum quidem ex eis attuliſſe viſi ſunt, tenui ſolo, ſiquod eſt,diſcuſſo: poſtea autem obfuerunt. Nam humores nimium exſiccati aſſatique,lapidum inſtar concreuerunt,adeo vt non amplius diſcuti potuerint. Dicamus igitur de vnoquoque,qualia ſanè ad inflammationem tantùm,qua lia item ad obſtructionem conueniant, quæ rurſus indureſcentia diſſoluere & emollire queant.

G

De inflammationis iecoris curatione.

Laborantes inflāmatione iecoris,malis cotoneis, farina hordeacea, & fœnogræco decocto obducito. Etenim præterquam quòd robur inſinuant, etiam duritiei diſcutiunt,emolliúntque. Ad maximas inflammationes, in quibus etiam ſtomachus affectus eſt, & latera diſtenta ſunt, palmulas citra medullam contuſas diligenter,

& cum pari cerato roſaceo,in pila legitimè vnitas, paulo roſacei ſuperfuſo, applicato. Iam ceratum bene facit quod recipit hæc,ammoniaci, ceræ, ſingulorum drachmas octoginta:croci drachmas quatuor, olei Cyprini heminam.Ceratum deraſum reliquis admiſceto.

ALIVD ad inflammationes non admodum feruentes.

Sampſuchi viridis drachmæ vigintiquatuor : thuris drachmæ quatuor, ceræ, reſinæ piceæ, ſingulorum drachmæ ſedecim:olei Cyprini heminæ ſex, mellis heminæ quatuor.Quæ liquari poſſunt,liquefacito,& aridis in pila probè læuigatis addito. ALIVD epithema ad inflammationes feruentes, non modò muſculorum, ſed etiam ipſius iecoris,multis admodum experimentis comprobatum. Abſinthii comæ, nardi Gallicæ, aſari, croci, ſingulæ vnciæ: iridis, myrti, ſtyracis, bdellii, ſuffiminis ammoniaci, ſingulorum vnciæ duæ : medullæ vitulinæ vnciæ quatuor,cerati lentiſcini libræ quatuor. Adhæc Apollophanis epithema optimè facit, ſiquis ipſum commodè parauerit:habet autem in hunc modum. APOLLOPHANIS malagma ad iecorarios. Ceræ, iridis Illyricæ,bdellii,ſingulorum drachmæ octuaginta:ammoniaci ſuffiminis totidem,reſinæ terebinthinæ drachmæ quadraginta,mannæ thuris totidem. Contundito, & irino pilam ſubungito. EPITHEMA ad inflammationem iecoris. Aloes vnciæ tres, maſtichæ vncia, ceræ vnciæ tres, olei nardini ſiue melini totidem. Sin autem voles,vt magis corrobores, miſceto aloen pari maſtichæ pondere.Ita & ſtomacho & iecori quod mediocrè ſuſtinet inflammationem, conueniens eſt medicamentum: quemadmodum etiam quod micas panis recipit: item anethine & ambroſia : necnon quod Diamelilotων dicitur,ſi hismiſceatur:adhæc quod diachamæmelων vocatur.

AD INFLAMMATIONES ſcirroſas. Ad tumores ſine febribus, præcipuè diuturnos & ſcirroſos, etiam Anemone medicamentum valet, & Ariobarzaniū, & quod vocatur Helladicum, omniáque copta bene faciunt.Atque horum ſcripturas apud multos proditas inuenire licet.Vt autem lector promptè inueniat, nec differre cogatur,hic quoque exponenda vobis cenſui, maximè illa quorum experiētiam accepimus. HEPATICVM optimum,faciēs etiam lienoſis, & quibus ſtomachus eſt diſtentus:nobiliſſimum medicamentum & blandè emolliens, adeò vt nullum ei comparari queat. Ceræ drachmæ ſeptuagintaquinq;, ſampſuchi quinquaginta, fœnigræci torrefacti totidem, piperis albi vncia,nitri octo,terebinthinæ drachmæ ſeptuagintaquinque,Cyprini libra, vini hemina.Sicca contundito,incernitóque, & ad triduum vſque in vino macerata, ſimul vnito: deinde ea quæ liquari poſſunt, liquefacta, iis quæ in pila ſunt ſuperfundito, emollitáque diligenter,reponito.Quum vſus poſtulat, medicamenti partem vnam miſceto, atque ita imponito. EPITHEMA odoratum, quod euodes dicitur,ad iecoris & ſtomachi inflammationes egregium.

Croci ſeſcuncia,bdellii drachmæ nouē:aloes, myrrhæ, ſingulorum vnciæ duæ,folii vncia: propoleos vnciæ tres: thuris vnciæ duæ :ſtyracis vnciæ tres: maſtichæ vnciæ duæ ſemis,nardi vncia, cardamoni vnciæ duæ,fæcis hedychroi ſeſcuncia,ammoniaci ſuffiminis vnciæ ſex : ceræ libra, colophoniæ libræ duæ : opobalſami vnciæ ſex: palmularum totidem.Haud noui an in duris & frigidioribus affectibus medicamentū hoc ſit præſtantius. COPTON ad duritiē & ſtomachi iecoriſque reſolutionem inſigne. Propoleos vnciæ 6,ſtyracis vnciæ 2,maſtichæ vncia: terebinthinæ ſemuncia:fæcis nardinæ quod ſatis eſt. DE antidotis hepaticis. Tantū de medicamētis.reliquū eſt vt eorum quæ experti ſumus antidotorum & puluerum mentionem faciamus. HEPATICVM Athanaſia dictum, ad nephriticos & arquatos valēs: item ſudores mouēs. Croci drach.duæ,cinnamomi,nardi,caſiæ, myrrhæ,iunci odorati floris,ſingulæ drachmæ: melle Attico excipiuntur. fabæ Græcanicæ inſtar febricitantibus ex hydromelo datur. Non conuenit autem calidis intemperiebus, ſed potius frigidis ſimul & humidis. PASTILLVS hepaticus, qui etiam ſimul arquaticis auxiliatur. Aniſi,apii ſeminis,aſari,amygdalarum amararum purgatarum, abſinthii, ſingulorum drachmæ qua-

A tuor.Parantur ex aqua,formantúrque paſtilli,& datur drachma ex aqua. Adhæc chamæmelum cum vino & melle datum,ſubitò iecoris inflammationem ſanat. Antidotum hepaticum ad magnas iecoris obſtructiones & ſcirroſos affectus,vſu comprobatum. Piperis ſeſcuncia, ſpicæ nardi ſcrupuli tres,aloes ſcrupuli ſex, fœnigræci ſcrupuli ſex,eupatorii ſeſcūcia,maſtichæ ſcrupuli tres,ammoniaci,coſti,ſingulorum ſcrupuli ſex:aſari ſcrupuli ſex,mellis ſeſquilibra.Datur cochleare vnum ex condito.Hoc valet iis quos calida intemperies infeſtat, imò in quibus e-
B tiam viſcoſi humores obſtructionem pepererint. AD IECORIS obſtructionem puluis nobilis, quem frequenter dedi. Coſti,eupatorii,ſingulorum partes duæ, piperis pars vna. Datur ad triduum ex vino Aſcalonite dimidium.Qui autem aſſumit, in dextrum latus ad horam dimidiam decumbat.Veſperi ſimiliter capiet: abſtineat autem qui medicamento vtitur,aceto,glandibus,leguminibus,oleribus,rapa,& aliis quæ flatus pariunt.

Ad magnam iecoris & lienis obſtructionem, adeo vt
C etiam inſignes duritias emollierit.

Ammoniaci ſuffiminis ſcrupuli quatuor,thuris ſcrupulus.datur ex condito per triduum,benéque facit. Nam cauſas per ventris euacuationem educit, & eos qui aqua inter cutem laboraturi ſunt, ne morbo corripiantur prohibet.Hoc ego ſubinde ſum expertus. ALIVD ad iecoris obſtructionem. Capparis radicis partes duæ, coſti pars vna.datur iis qui febri carent,ex vino : febricitantibus autem,ex tepida. ALIVD comprobatum, quod
D *à lepore*, διὰ λαγωοῦ dicitur. Coſti,fœnigræci, piperis, leporini ſtercoris:omnium paria pondera contundes, incernéſque,& probè læuigabis. Datur cochlearium, ſi febris abſit,ex vino : febricitantibus autem,ex tepida.Iubeto ægris vt in dextrum decumbant latus. ALIVD Diabacanu. Coſti,bacani,ſingulæ vnciæ : folii ſcrupuli octo,piperis albi ſcrupuli ſex, ſpicæ nardi totidem : mellis quod ſatis eſt.Datur cochleare cum miſtura conditi in balneo.atque hoc eſt comprobatum,præſertim ad obſtructiones à viſcoſis & craſſis humoribus conflatas. Vt
E autem medicamentum quodcunque velis,ad ſubiectum affectum accommodatum componere queas,ægri vires, temperamentum ætatum, & ſingula alia, quæ etiam ſapiens ille ſenex obſeruare docuit, reſpiciens, ſimplicia expoſui medicamenta, vt & eorū facultas tibi citò ſuppetat,& alia ex eis facilè quomodocunque velis conficias.

Simplicia ad iecur medicamenta.

Viticis ſemē iecori ſcirroſo & obſtructioni obnoxio opitulatur: centaurii minoris ſuccus potus, & extrinſecus
F impoſitus : plantaginis ſiccæ radices & folia, multóque magis ſemen: aſparagus myacanthinus, præſertim radices & ſemen:glycyzidiæ radix ſimiliter,lauri radicis cortex ex vino odorato potus : item nucleus pineus, cicera, erythrodani radix, & eupatorium : præterea robur particulæ ipſi inſinuat: adhæc lupinorum amarorum decoctum,cum ruta & pipere potū,& extrinſecus impoſitum: inſuper iris,piſtacei ſemen,marrubium,amygdala,& dracunculi radix,viſcera purgant,craſſos & viſcoſos humores extenuant.Iam carpeſium, polium & chamædrys ob-
G ſtructa aperiunt,& craſſitiem humorum extenuant: ampeloprafon ſimiliter, agaricum,& anthemiſium (quod etiam dicitur chamæmelum) præcordiis vtiliſſimum,ſiquid aliud, exiſtit.

DE IMBECILLITATE IECORIS, & dyſenteria,

Cap. III.

QVum dixerimus quomodo inflammatio & obſtru-
H ctio vel ſcirrus curari debeant, exponamus etiam qua ratione ei medendum ſit, atque internoſcendum quando nihil horum experitur, ſola autē intēperie infirmatur. NOTAE. Quòd ſi igitur attractrix facultas eſt imbecillis, ea quæ per aluum deiiciuntur, in cremorem, quem chylum vocant, probè quidem redacta, eo quòd

venter nullo affectu laboret: liquidiora autem inueniuntur, quia diſtributio in iecur minus perfecta fuerit. At ſi facultas alteratrix infirma exiſtat, deiectiones carniũ recentium loturæ ſimiles videbis: atque hic affectus hepatica dyſenteria vocatur. Itaque vulgares medici, vbi eiuſmodi quippiam conſpexerint, nihil ſoliciti, nec internoſcere valentes vnde imbecillitas oriatur, ſtatim quæ ad iecur ſunt inſcripta medicamẽta adhibent, præſertim quæ robur adiicere & confirmare poſſunt: extrinſecus quidem cataplaſmata quæ ex aloe, balauſtio, malicorio, myrrha, & œnanthe conſtant: intus autem rheum barbaricum, & Xylomacer dictum, necnon theriaca, atque alia quædam antidota. Nonnulli autem ipſorum ventrem extrinſecus ſpiſſamentis & paſtillis curare non dubitant, maximè offendentes. nam ex huiuſmodi corrumpũt magis viſcus, magiſque infirmum & intemperatum reddunt. Verùm non ita conuenit: ſed prius inquirendum ac inueſtigandum eſt quæ intemperies cauſæ ſit effectrix. Atque hac diligenter animaduerſa, ita victus inſtitui aduerſus affectum debet qui ab internotione ſuggeritur. Quippe iecur non ex calida ſolùm intemperie, ſed etiam ex frigida & humida qualitate, item ex vtraque ſimul, infirmum redditur. Subinde verò ob prauam quoque materiem ingraueſcens, & propter obſtructionem læditur. Interdum etiam inflammatio vnà cum frigida intemperie miſcetur, mixtúſque affectus & varius efficitur. Dicamus igitur eũ modum quo optimus medicus ſingula internoſcere debeat.

De calida intemperie.

Ex calida intemperie iecorario affectu laborantes internoſcere multis indiciis licet, præſertim quòd æger valde ſitit, bilémque vomit, ſæpe verò etiam æruginoſa: & quòd deiectiones eiuſmodi apparent: linguam habet ſcabram, corpus ſiccum & gracilius videtur, tanquam iecore colliqueſcente, & in cruentas ſanies contabeſcente: tẽporis autem ſpatio, etiam ex ipſa ſubſtantia tandem particulæ longè fœtidiſſimæ deferri cernuntur. His igitur notis calida intemperie laborantes animaduertere conuenit. Cæterùm ex temperamento ægri, ætate, anni tempore, & prægreſſo victu, reliquum licet firmioris cognitionis gratia capere, atque hinc internoſcere. Nam temperamento calidi ſunt, & tenues habitu, pilóſque denſos habent, curis dediti, & animo iracundi.

De frigida intemperie.

Qui verò ex frigida iecinoris intemperie laborant, neque ſitiunt vehementer, neque bilem vomunt, neque amaritudinem in ore, ſed potius acorem ſentiunt: item deiectiones alui, neque bilioſum, neque fœdi admodũ odoris, neque colliquationis aliquid, ſed veluti ſanguinem craſſiorem & nigro ſimilem continent. His etiam vultus non collabitur, & reliquum corpus temperamentúmq; ad frigidius magis inclinare videtur. Adhæc præcedens victus talis, ſi perſpicias, deprehenditur: item vita ocioſior, balnea copioſiora, & intempeſtiua, eáque poſt cibum. Ex his atque aliis conſimilibus indiciis frigidam intemperiem iecoris notare ac internoſcere poteris.

De ſicca intemperie.

Sicca autẽ iecoris intemperies corpus ſiccius teſtatur & tenuius, ſitim magis conciliat, & deiectiones alui paucæ & craſſiores apparent.

De humida intemperie.

At humida iecoris intẽperies neque ſitim efficit neque ſiccitatem, ſed magis etiã linguæ humiditatẽ. Nam nulla ſitis vrget, & vultus totúmque corpus diu non collabitur: poſtea autem deiectiones ventris plurimæ apparent. Scire porro licet quòd materiales qualitates, ſi cum effectricibus miſceantur, hæc indicia demonſtrent.

Quomodo calida iecoris intemperies curetur.

Calida igitur iecinoris intemperies refrigerantibus auxiliis curari debet: illa verò in totum remedia deligenda ſunt quæ præterquam quòd refrigerant & abſtergunt,

A etiam aperire iecoris meatus, & corroborare præterea ipſum poſſunt, efficiúntque vt alimentum celeriter per totum corpus diſtribuatur. Itaque cremor ptiſſanæ his eſt idoneus, ac panis cui adiecta ſit inter coquendum radix apii, intybus, cichorium, ſonchus, & his adhuc magis troximum. Quoniam verò in prædictis oleribus vis amara & aperiundi obſtructos iecinoris meatus exiſtit, vti his oportet. Nam hæc facultas etiam calidas iecoris intemperies admodum iuuat, & frigidas non offendit. non enim intẽſam habet frigiditatem, ſed mitem, & quæ me-
B dium iam attingat, vt quis citra noxam ea & cum fiducia vti poſſit. Omnia nanque recipit quorum maximè vſus eſt in iis qui imbecillum adeò iecur habent vt neque contineat alimentum, neque exactè inalteret, vel etiam in corpus diſtribuat. Ego ſanè noui multos qui hepaticas dyſenterias euaſerint, hoc adeò vſos olere. Neque enim ſemel tantùm, ſed etiam ſæpe ipſum comedere eodem die conuenit, & mane & veſperi, tum ex decocto, tum ex condimento. Coriandrum autem ipſi inter coquendum miſcere oportet. Quòd ſi quædam obſtructio-
C nis ſuſpicio in gibba aut caua parte iecoris fuerit, tunc etiam apium ſimul incoquere præſtat. Nam præterquàm quòd ſuaue eſt & gratum, concoquitur etiam, & in iecur magis diſtribuitur. At oua in omnibus huiuſmodi affectibus, præſertim dura, vitari debent: & halyca, niſi propter vires collapſas aut faſtidium refectione vtẽdum ſit, atque tunc apii radicem cum ea incoquere conuenit. Cõmodius igitur eſt, niſi neceſſitas quædã vrgeat, nunquam halycam tali morbo laborantibus dari, neque chydron, aut typhen: verùm omnibus cibis ptiſſana & panis prædi-
D ctáque olera præferenda ſunt. Inopia verò olerum, lactuca quoque dabitur, & ex iure & ex condimento, cum radice apii & betæ percocta. Vtilis enim eſt per ſe, & cum malua ſuauior euadit, commodiórque ſi acetum inter coquendũ recipiat. Ex iis quæ volatu nituntur, gallina cohortalis deligi potius debet, quæ & ex iure comedatur, & cum oleribus coquatur. Multa verò iura, præſertim pinguia, & quæ habent aut cuminum aut oryzam, aut aliud quoddam condimẽtum, vitare ſemper oportet. Nam eiuſmodi confectiones impediunt & concoctionem & diſ-
E tributionem, quũ humor adhuc bilioſus ſuperat. Iam ex perdice alimentum his conuenit, phaſiani non pingues, & anſerum ventres: ex ſylueſtribus nonnulla, vt attagenes: raro turdi, aut turtures, aut ex paruis paſſerculis aliqui. Anates in totum fugere oportet, ac omnia quæ in paludibus degunt, quǽque ſiccam & melancholicam carnem obtinent, raro, aut nequaquam offerri debent. At calidas intemperies nihil ex his comeſtum iuuat. Ex piſcibus, præcipuè marinis, ſaxatiles offerendi ſunt, in puro mari degentes, vtpote turdus piſcis, ſcarus, pſitta, mulus, chry-
F ſophrys. Qui verò calorem habent leniorem, validáſque vires, iis lupus, orphus, ceris, & iſicium ex ea paratum exhiberi debet, quod nihil habet gari aut vrticæ, aut alia quædam. Nam iſicium ita confectum, præterquam quòd nihil iuuat, adhuc etiam magis eos qui copioſiſſimè veſcuntur lædit. Ex quadrupedibus pulmones dandi ſunt, & craſſa ouium inteſtina, quæ Græci inſtitores ea vendentes, chordas appellant. verùm illi etiam lienem & cor eis admiſcent, vt quæ ægrè corrumpantur, & calidæ intemperiei queant reſiſtere. Vbi non admodum magna
G eſt intemperies & bilioſa, humórque citra aliquam obſtructionem magnam aut inflammationem vitioſus, ibi cibos offerre conuenit qui ægrè conficiantur, & validos. Cæterùm dare his quoque oportet, ſi tempus permiſerit, fructus pomaceos, peponum dulcium carnẽ, admodum dulcia mala, & cotonea bene matura, eáque aſſa probè, aut cocta cum gallina. Ne autem mala, dum aſſantur, adurantur, ſed diutius ad aſſationem ſufficiant, duréntque, fermentum extrinſecus vndique ipſis obducetur, atque ſic ipſa furno demittentur. Malorum Punicorum grana,
H & ante cibum modicum, & cum pane dare conuenit. Nam iecur admodum imbecille & ſtomachum collapſum firmare poſſunt, etiamſi æger maxima ſiti conficiatur. Tunc enim vuam quoque dura carne præditam, & citrium molle ipſis porrigere oportet: item

ceraſia, pira vel meſpila conferunt, aut ſemel aut bis exhibita. Nam continuus omnium aſtringentium vſus, & ſiccare, & ventrem inferiorem obſtruere, cohiberéque poteſt ne ſtercus facilè efferatur. Quare aſtringentia cibi ratione, crebrò offerre, & extrinſecus obducere cautio eſt. Ex bellariis plurimùm exhibeto vuas, præſertim quæ vocantur Lariſſenæ. Nihil enim hepaticis dyſenteriis adeò opitulatur vt vua paſſa, quæ omnia bona continet, vt nō putreſcat, vt corroboret, vt præter boni medicamenti facultatem etiam nutrire poſſit, & quodcunque prauum vitioſúmque inuenerit, in benignum conuertat. Reliqua verò omnia, nuces, piſtacia, & nucleos pineos vitare oportet, vt inimica. Caſtaneæ verò tutò ſumentur: nam boni ſucci ſunt, & non citò à calidis intemperiebus corrumpuntur. Tantum etiam de hepatica dyſenteria quæ ex calida intemperie naſcitur, dictum eſto. In vniuerſum autem illi cibi magis ſunt deligendi qui probè diſtribuuntur, & robur temperiémque inducunt, & vim abſtergendis viſceribus aperiendíſque efficacem habent: qualem ſi non obtineant, aliâs autem temperati ſint, adiicere eis hunc oportet, vt probè iecoris meatus pertrāſeant. Dicamus igitur cremorem ptiſſanæ ad hoc idoneū eſſe: ſubinde verò & grana ipſius, & olera, maximè intybus, & his adhuc magis troxima ad idem congruunt. Quare etiam per ſe, & cum gallina aut perdice, aut ventriculo anſeris, dari poſſunt: aut cum carne, quadam gratia ſimul incoqui. Cæterùm olera iam cōmemorata, elixa aut cruda offeruntur, prout æger bene afficitur, & vſus morbi poſtulat.

DE HEPATICA DYSENTERIA EX frigida intemperie,

Cap. IIII.

QVòd vniuerſalis curatio per calefacientia adhibeatur, omnibus eſt manifeſtum: verùm quæ potius ex particularibus deligi debeant, hæc quoque medicum ſcire conuenit: ac faciemus ſanè hoc, à victu exorſi. Quum igitur frigida intemperies affligit, & panem calidum exhibere comedendum per ſe & ex vino Tyrio, aut Berytio, aut Sareptino, aut Cnidio expedit, frequenter etiam ex Aryſino, quum & æger febricitat, & frigida intemperies magna apparet, quæ iecur & ſtomachum obſederit. Ego ſanè noui me alicui, cuius viſcera & ſtomachum refrigerata coniecturis deprehenderam, conditum cum pane aut typhe dediſſe, & plurimum adiuuiſſe. Oportet autem remedia magis minúſve calefacientia pro frigiditatis obtinentis magnitudine accommodare. Ex oleribus braſſicam ter coctam eſſe potius conuenit, interim ex vino, aliâs conditam, vel per ſe, vel cum intybo, aut troximo, interim cum gallina, aut perdice, aut attagene, aut turdis: item ventriculos anſerum, iſicium, & carnem aſſam, ſed raro, quum ægri alios cibos faſtidiunt. Non enim offerendi ſunt frigida intemperie laborantibus cibi qui ægrè conficiuntur. Secunda ratione etiam milium affatim coctum, & puls ſimiliter idonea eſt. Teſtacea verò his exhibenda non ſunt: nam calidis temperaturis talia conueniunt. Ex piſcibus vtiliter datur turdus, coſſyphus, ceris, chryſophrys, & omnium maximè mulus. Hi nanque etiam aſſi adhibiti omnibus conducunt, & magis ſuper prunas aſſi. Caſtaneæ mediocriter aſſæ, ſi non admodum crebrò edantur, iuuant. ita nanque comeſtæ nihil frigidum obtinent, & præterea fluxiones obtundunt, vt quæ mediocrem craſſitiem roſionis expertem poſſideant. Dato autem & vuas paſſas: quoniam omni (vt ſummatim dicam) quacunque tandem intemperie citra inflammationem infirmo familiares cibi exiſtūt, vt qui iecur confirment, &, ſi malignum quid in eo contineatur, in benignum commutēt. Piſtacia autem & amygdalæ in hepaticis dyſenteriis caueri debent, eo quòd facilè corrumpantur, & oleoſa ſint, promptéque in bilem mutentur, & recrementum aſperius reddant, vt hinc venter magis crebriúſque irritetur. Hæc etiam de hepatica dyſenteria quæ ex frigida intemperie prouenit, dicta ſunto. At materiales qualitates, vt ſiccitas & humiditas, eiſdem cibis curari poſſunt, ſi illos ſtudeamus exhibere qui neque manifeſtò calefacere, neque refrigerare ſolent, ſed medii quodammodo quum ſint, etiam ſecūdum efficientes qualitates humectare aut ſiccare ſolent. Dicamus autem quæ inter medicamēta aut antidota hoc præſtare queāt,

Quæ hepaticæ dyſenteriæ ob calidam intemperiem ortæ conferant.

Citrii ſucci cyathū cum mulſa dato, aut ſerios ſuccum ſimiliter, aut cichorii. Sin autem intemperies non admodum calida eſt, etiam ſuccos olerum cum vino tenuiori dato. nam & abſterſoriam vim obtinent, & generoſè aperiunt. Quare ſi humidus ſuccus non adfuerit, ſiccum inſpergito: catapotia autem ex eis contra huiuſmodi affectus fingere oportet, quæ hæc recipiunt: Cichorii radicis drachmas quatuor, chamæpiteos radicis drachmas quatuor. Tundito, excipitóque melle cocto, & nucis Ponticæ inſtar dato, & aquæ calidæ cyathos tres ſuperbibendos præbeto. Iis autem qui valde calida viſceris intemperie laborant, roſaceum, aut melinum, aut hydroroſatum, aut ſerios ſucci cyathos duos quotidie potui dato. DE FOTV ad calidam iecoris intemperiem. Fotus ad calidam iecoris intemperiē optimus adhibetur ex oleo chamæmelino & nardino. Nam ante cataplaſmata omnino melius proficit. Cataplaſma autem in hunc modum conficies. Croci macerati in vino Aſcalonio & triti drachmæ quatuor, plātaginis ſiccæ, tritæ incretǽq;, drachmæ duæ, lenticulæ farinæ vnciæ quatuor, aut polentæ. Coquantur igne lento in aqua & oleo roſaceo. Tepidiſſimum ſic iecori & ſtomacho ſuperimponitur. ANTIDOTVM Cyphoides ad frigidas iecoris intemperies vtile. Croci, cinnamomi, ſingulorum drach. 4: myrrhæ drach. 2. bdellii drach. 4. bituminis drach. tres: iunci odorati floris drachmæ tres, calami drachmæ duæ, caſiæ drachma, nardi drachma, terebinthinæ drachmæ ſedecim, mellis heminæ dimidium, vuæ paſſæ carnis drachmæ centum ſexaginta. Vino vuam paſſam, bdellium & myrrham macerato: reſinam liquefactam melli miſceto: deinde omnia cōmixta læuigatáque reponito. Excellētiſſimum hoc eſt medicamentum, & plurimum id in hepaticis dyſenteriis expertus ſum. Etenim ſiccat, corroborat, diſcutit, & prauas ſanies putridáſque emēdat corrigitque. conſtat enim aromatis, & vua paſſa, quæ & nutrit, & naturalem habet ad iecur proprietatem. DE FOTV & cataplaſmate.

His fotum ex oleo anethino aut ſampſuchino adhibeto: poſt fotum, cataplaſma ex ruta contuſa, melanthio, cymino, & ariſtolochia longa. Adhæc puluis horum coquatur cum melle, & vino modico Aryſino, oleóque Cyprino. Sit autem mel diutius cum aromatis coctum, vino ſimul adiecto, vt paſtillus fiat: atque ſic oleum poſtea miſceto. Quòd ſi nimia ſit iecoris imbecillitas, fotus primùm ex abſinthio, epithymo & oleo ſupradicto, adhiberi debent. Similiter & cataplaſma, cui addendus eſt roſarum ſiccarum puluis, & pro aloe palmulæ & cotonea inducenda. EPITHEMA tonoticum hepatis, (id eſt quod iecur corroborat) & inflammationes concoquēs.

Ammoniaci ſuffiminis, meliloti, ſingulorū vnciæ tres: œnanthæ, caſiæ, myrrhæ, croci, aloes, abſinthii ſucci, nardi, folii, ſingulæ vnciæ: maſtichæ Chiæ, ſtyracis, amomi, ſingulorum vnciæ duæ: ceræ libræ duæ, nardini quod ſatis eſt. FOTIO ad eos quos imbecillitas cum obſtructione infeſtat. Braſſicæ decoctum, & rhus Syriacum tenuiter læuigatum, mixtúmque, potui dato, & miraberis.

DE COELIACIS, PHILOMENIS,

Cap. V.

CŒliacus affectus generatur dum venter præ imbecillitate cibum concoquere & corpori diſtribuere nequit. Quare liquidæ, & non bene concoctæ, varii coloris, necnon cruentæ fæces, velut ex vaſe diſtillantes, per aluum excernuntur. Nihil igitur mirum eſt quòd ſanguis non probè concoctus in ventrem recidat, retentrice facultate amiſſa, aut vitiata: vnde longo tempore frequens ventris reſolutio cum aſſidua deiectione perdurat, corpus extenuatur, vigiliis conſumptum: cruditas roſióque, & tormina ventris & cibi faſtidium comitantur.

CVRATIO. Cœliaci ita curantur vt qui ventris profluuium (quod Græci diarrhœam appellant) experti ſunt. Cibi eis cōueniunt qui non nimis aluum reprimūt, ſed qui aſtringentes facilè concoqui, & in totum corpus diſtribui poſſint: qualis eſt panis bene elaboratus, in textu probè coctus, vinóque aſtringenti intinctus: necnon lenticulæ & oryzæ ſorbitiones. Piſces autem dura carne præditi exhibeantur. Ex auibus, quæ non ſunt pingues, præter paluſtres. Quin & panem cum malis cotoneis & myrtis coctum damus: item vitella ouorum aſſa, & aceto intincta: adhæc lac ſciſſile exhibemus. Proſunt etiā carnes leporinæ, aut ferinæ, ac alia quæ in fluidis affectibus enumerauimus. Hic morbus curatione initiò adhibita facilè tollitur, poſtea verò difficilius: vbi autem inueterauerit, tardè remouetur. Primis duobus tribúſve diebus à cibo abſtinere oportet: præcordiis fomenta quæ modicè aſtringant, corroborentque, ex vino, & oleo roſaceo, aut myrteo, aut melino, aut lentiſcino imponere: deinde cataplaſmata ex palmulis, polenta, malis cotoneis, aloe & abſinthio. Bene facit etiam plantago trita, lentiſcus & polygonium, cum tritici farina aut polenta mixta. Ad dolores autem cum ardore excitatos, (quod rarius ſolet accidere) oxymeli præparetur: atque ſic vtaris cataplaſmate quod ex palmulis & lini ſemine confectum eſt, hoc pacto: Palmulæ ex vino maceratæ terentur: lini ſemen aut farinam cum melle & oleo modico coques, & quū in vinum coierint, pilæ in qua palmulæ habentur, iniicies: vbi iam probè commixta fuerint, in balneo vteris calidis. Item ceratum oleo myrteo & palmulis mixtum applicabis. Hoc quoque profluuium deſiccat. Emplaſtra his proficiunt διὰ ἰτεῶν, panacea, iceſion, & maximè omnium δι' οἰνάνθης: adhæc clidion, cuius confectionem in capite de profluuio ventris explicauimus. Atque de externis remediis hæc à nobis dicta ſint. Cæterùm de potionibus nunc agendum eſt. POTIONES cœliacis accommodæ. Quinquefolii radicis decoctum potui dari debet: item rubi radicis ſimiliter, necnon ſalicis arboris. vuæ autem Amineæ ſiccæ acini potioni inſpergātur. Nonnulli etiam hypocyſtidis ſuccum, acaciam rufam, lycium Indicum, & mala Punica vtriuſque generis adiecerunt: alii balauſtium quoque tritum potui inſpergunt: alii gallæ aut malicorii puluerem. His autem ad dyſentericos vti ſolemus. Siſtunt quidem ea ventrem, ſed penè omnia ſtomacho aduerſantur, cibique faſtidium mouent, & concoctionem impediunt: qua de cauſa rarius ad hæc vitia dari debent. Nos in hoc affectu cataplaſmata inducimus, & eodem die potionem hanc exhibemus. Siliqua Græca, ſemen plantaginis, & vuæ domeſticæ ſiccæ acini, in aqua decoquuntur, ac ius ipſorum potui conuenit. Quin & paſtillos ad hunc morbum propriè dicatos dare licet.

PASTILLVS ad cœliacos optimus. Semen apii in lenticulæ decocto tribus diebus maceratur, poſtea teritur, gummíque ei adiicitur: & ex ſucco plantaginis paſtilli formantur, qui ex quinquefolii aut rubi radicis decocto exhibentur. Seminis plantaginis, lapathi ſylueſtris ſeminis, ſingulorum ſeſquidrachma: hypocyſtidis ſucci, acaciæ, ſingulæ drachmæ: gummi oboli duo. Teruntur omnia, & ex papaueris decocto paſtilli fiunt, qui ex aqua potui dantur, & ab inferioribus partibus iniiciuntur.

PASTILLVS ad cœliacos, ſtatim aluum aſtringens. Myricæ fructus drachmæ quatuor, acaciæ rufæ, opii, ſingulæ drachmæ: rhus Syriaci, myrti nigræ foliorum, ſingulorum drachmæ quatuor: mellis drachma. Fingito paſtillos, & cum oui aſſi vitello vtere. Quū autem potui daturus es, ex rubi radicis corticum, myrtorum & cotoneorum decocto propinato. Iam ipſum decoctum bibere licebit. DE INVETERATO cœliaco affectu. Quū cœliacus affectus inueterauerit, aut remedia quæ ex alto noxium humorem euocare ſolent, aut ſolæ frictiones ſine vnctione tunc adhiberi debent, quibus commodius auxilia adminiſtrantur, vt coxis brachiiſque, citra oleum per aſpera lintea: deinde nitrum particulis ſuperinſpergi debet, admixto lapidis Aſii, aut pyritis, aut teſtæ veteris aſſæ puluere, æquali nitri pondere. Poſtea vnguentum ropacinum, & aliquando ipſe dropax particulis accommodabitur: primùm quidem coxis, deinde brachiis, poſtea ſpinæ dorſi, poſtremò pectori & præcordiis. Similiter etiam ſinapiſmus in eum modum imponi debet, ac celerius ad ſanitatem peruenietur.

DE TENESMO, Cap. VI.

TEneſmus, recti inteſtini affectus eſt, quem comitatur conatus & implacabilis deſidendi cupiditas, cum flatibus. Deſcendunt autem per aluum mucoſa, cum graui diſtentionis ſenſu: necnon aquoſa, & interdum poſt recrementa ſanguis diſtillat. CVRATIO. Teneſmus curatur fomentis, & fœnigræci altheæque radicum decocti iure in aluum dato. Quinetiam anus huius vaporem ex vaſe ſuppoſito pannis circundata ſuſcipiet. Vtimur etiam oleo roſaceo, butyro & adipe anſerino cum modica cera ſolutis, & anum interius inungimus: item ex pice brutia ſuffitum ei accommodamus. Iniici autem debet lac cum melle, vt mucoſa expurgentur, aut lenticulæ decoctum cum melle. Poſt hæc, aſtringentia iniicies, vt roſæ, myrtorum & corticis pini decoctum. Item erycæ ſemen ex roſarum decocti cyathis duobus, cum butyro, oleo roſaceo aut myrteo, per aluum iniicies. Adhæc penicillum tetrapharmaco ex oleo roſaceo ſoluto illitum: aut puluerem plumbi ex oleo roſaceo tritum, cum modico ceræ, & lentiſcino oleo calido, ano indes. Cæterùm ſacculos calentes pectini, lumbis, vel ano ſubiicies. Cibos autem boni ſucci, concoctu faciles & leuiter aſtringentes adhibebis.

DE ALVI PROFLVVIO QVOD ῥευματισμός Græcis dicitur, ex libris Philomenis,

Caput VII.

ALuus tùm in febribus, tum citra febres profluuio laborat. In febri autem difficilior eius eſt curatio, animaduerſionémque & coniecturam diligentem requirit. Nam inter initia, naturæ aliena & noxia ſalubriter euacuare conatur, ipſa nimirum natura ad ſuperfluos incommodóſque humores reiiciendos vndiquaque cogente. Idque aliâs in ſtatu febris, aliâs in declinatione: nunc quidem cum magna profuſione humorum, ſubitáque & critica, qua febres ſoluuntur: ſæpe verò paulatim & multis perſeuerat diebus, & penè in ipſa declinatione conſiſtit. Ac tunc profluuium aut ſiſti non debet, quia natura omnes ſuas vires intendit: aut motus eius adiuuari. nam ſi quis ventrem conſtringere volet, magnam excitabit ægritudinem. Vidimus enim ventrem initio affectus ad quartum quintúmve diem profluxiſſe, & poſtea fluorem aut per ſe aut medici auxilio ſubſtitiſſe, vnde ægri in magnum periculum inciderunt, ita vt phrenitici aut lethargici efficerentur, doloréſque capitis aut pernicioſæ in eis parotides excitarentur. Quare initio ea quæ corporis cōmodo atque vtiliter excernuntur, minimè reprimere cōuenit, ne materia ſurſum educta humorum, ſupradictos affectus generet, ſed ad ſtatum vſque contemperari cibis debent. Vbi verò diutius iam profluuium perſeuerarit, non modò ſuperflua euacuans, ſed etiam habitum colliquans, viréſque conſumens, tunc ſanè ei reſiſtere medicamentis expedit. Attendendum autem num aluus nimiū, an modicè, aut certè non profluat. Magna quidem reſolutio coerceri, parua leuius contineri debet. Aſtricta autem aluus relaxanda eſt aut iis quæ per os aſſumuntur, aut quæ per anum immittuntur, aut quæ extrinſecus imponuntur, donec criticus dies ſuperuenerit. Nam bilioſus humor ſolis cibis mollientibus, magis vt deſcendat quàm in corpore retineatur, eſt ſolicitandus. Si enim bilioſus aut in ventre aut in inteſtino collectus retineatur, exitúque prohibeatur, loca ambientia offendit, ſtomachum ſubuertit, caput replet, viſcera inflammat, febres magis accendit, ſitim auget, omniáque prædicta ſymptomata in capite excitat: ſummatim totum morbum grauiorem efficit. DE LACTE. Lac igitur in tali affectu, ſi febris non vrget, caprinum aut bubulum tepidum, ſiue recens mulctum, ſiue coctum ad

ignem,ita vt ſemper agitetur,donec ad tertias redigatur, potu auxiliatur: aut quod per ſilices fluuiales ignitos, aut candentes ferri laminas in ipſo extinctas, coctum fuerit, iuuat. Alii etiam mel in eo coquunt:alii mel coctum ei iniiciunt, atque ſic propinant: ſpuma verò dum lac coquitur, penna aut cochleari auferri debet. Hoc nullum præſentius remedium ad bilioſas ventris fluxiones inueniri licet. Quibus autem venter ſæpe profluere ſolet, his lac merum plus nocere quàm auxiliari ſolet.Quare quarta pars aquæ lacti miſcenda eſt,coquique vnà ad dimidias debent,atque hoc modo exhiberi. Hæc quidem ad bilioſas fluxiones conueniunt.Ad alias verò vbi prodeũt, fotus ex oleo & vino adhibeatur: ſit autem oleum omphacinum,aut roſaceũ,aut melinũ.Efficacius his eſt myrteum,tertia aut quarta vini parte admixta. fotus autem magis aſtringentes ſunt ex myrteo, in quo decoctæ ſint gallæ,malicorium,quinquefolii radices teneræ, cupreſſi pilulæ.Lanáque ſicca præcordiis impoſita,ventrem calefacit & deſiccat: necnon lana oleo puro imbuta, aut cumini puluere inſperſo,aut apii ſemine, aut vtriuſque æquis partibus mixtis iuuat. nam vrinam prouocat, & fluxiones eò diuertit.Hæc ſanè profluuio ab inteſtinis deriuando conueniunt.Præterea fomenta illis, ſiue dolores experiantur, ſiue eo careant, adhibebis. nam fluxiones deſiccant,maximè ſacculi ex milio aut panico facti: mirificè autem faciunt etiam ex ſale compoſiti & ordeo torrefacto.Quòd ſi profluuium ſit immoderatius, ſacculi ex ſale ventri imponantur, ex ordeo autem ad dorſum: ſi verò non immodicum neque frequens vrgeat, contrà ſacculos ex ordeo ventri, ex ſale factos dorſo applicabis. Cæterùm etiam anus his ſacculis foueri debet, aut luto pauimenti calefacto æger inſideat, aut cimoliæ terræ calenti,vinóque reſtinctæ,aut ſordibus balneorum vino dilutis,molli lana circundata. nam calor ipſe introrſum adminiſtratus opitulatur.Item ſpongia aqua calente madefacta & expreſſa ſubiiciatur,vt quæ vapore ſuo anum adiuuet:vt etiam lanæ oleo imbutæ,anóque ſubiectæ,auxiliantur.Poſt primos dies exactos,ſi quidem dolores in inteſtinis conſiſtentes vrgeant,neceſſe eſt inflammationem ibidem aut tumorem exiſtere. Tunc igitur cataplaſma ex tritici & lini ſeminis,aut milii,aut panici farina adhibendum,mellis,vini & aceti modico adiecto.Aſtringens autem fiet,melle cũ modico vini & aceti admixto: poſtea vbi coctum fuerit, paulum mannæ, thuris, aut malicorii,aut gallam inſperges. Quum verò nullus dolor affligit,magis aſtringentia adhiberi debent epithemata: cuiuſmodi palmulis conſtant, cum acacia, aut alumine,aut hypocyſtide:aut quæ balauſtia recipiant,aut coctum malicorium. Adhæc ceratum cum oleo myrteo, quod ex ſuprà dictis,vel mannam thuris,vel gallam adiectam habeat.Alii quoque emplaſtra aſtringentia conficiunt.optima verò ſunt epithemata, clidium Mnaſæi, & δι' οἰνάνθης.Clidium ſanè hoc modo conficitur: Gallæ omphacinæ,hypocyſtidis,aluminis rotundi,acaciæ,rhus culinarii, malicorii ſicci,apii ſeminis,ſingulorum vncia:viſci quercini,ammoniaci thymiamatis, ſingulorũ drachmæ quatuor:picis ſiccæ,ceræ, ſingulorum vnciæ duæ: olei myrtei aut lentiſcini vnciæ duæ .Gallam & malicorium contuſa cribratáque in vini cyathis nouem decoquito,vſque ad tertias aſſiduè agitans: deinde in mortarium coniecta terito, ac reliqua ſimiliter in puluerem redacta inſpergito.Ammoniacum verò aceto dilutum, viſcum cum modico oleo emollitum, pici ac ceræ ex reliquo oleo liquatis,ab ignéque ſublatis,adiicito,ac in vnum cogito: necnon iis quæ contriueris affundito,tunditóque fortiter:ac vtitor. EPITHEMA ex œnanthe, mediam inter cataplaſma & emplaſtrum naturam obtinẽs, ad inteſtinorũ fluxiones, ſtomachi faſtidia, & reſolutiones ardóréſque efficaciter opitulatur. Œnanthæ ſiccæ,gallæ,acaciæ,roſarum ſiccarum,omphacii, ſingulorum vncia: aluminis rotundi,aloes,ſingulorum vnciæ duæ:rhus Syriaci vnciæ quatuor,olei myrtei,ceræ,picis,ſingulæ libræ: vini Falerni,aut Aminæi,quod ſatis eſt.Sicca ex vino terito, deinde quæ liquari poſſunt adiicito. Ad ventris igitur profluuia medicamenta & ſimplicia & compoſita hæc ſunto. Cæ-

A terùm extremas corporis partes,nempe brachia & crura, faſciis lineis aut laneis deligari debent, fouerique, ſi frigidæ ſunt,calidis vnguentis & oleis, vt Sicyonio, & oleo veteri,cui adiectum ſit pyrethrum,piper, nitrum, & baccæ lauri,item ceræ ſolutæ modicum,vt ſit acopum:quinetiam ex oleo communi hoc medicamentum conficere licet. Huc faciunt etiam medicamenta quæ Græci *à laſſitudine* acopa appellant, ex euphorbio & liguſtico parata. Calefaciunt enim,& roſionem in articulis, quũ illinũtur,

B excitant. DE CIBIS. Ciborum alii aluũ aſtringunt, alii humores craſſos reddunt,alii contemperant, alii ſiccant,conſumúntque materiam: quorum facultates diſcernere conuenit.Ex frumentis oryza aluum magis retinet, ſi ex aqua adiectis palmulis decoquatur: ſi febris abeſt, ex vino aquoſo & auſtero.Similiter & pultes ex ea factæ &ex halyca,quibus aliqui gallinæ aut malicorii puluerem inter coquendum admiſcent: nos autẽ rhun culinarium, aut mala cotonea adiicimus,ſimúlque cum pulte ſubigimus. Iam fit etiam pulticula ex pane Alexandrino trito

C incretóque, & ſic cocta ad ventrem retinendum efficax eſt: necnon polenta ex milii farina diutius decocta. Iuuat etiam lenticula bis cocta,cum modico ſalis, aceti & olei condita, aſſumptáque. fit autem melior ſuauiórque ſi mala cotonea aut oryzam admiſceas. DE OLERIBVS. Ex oleribus expediunt intybus aut plantago,aut blitũ nigrum.Hæc enim & per ſe,& cũ lẽticula cocta aut cum oryza,bene iuuant.Quin & braſſica bis cocta, ita vt ſecunda vice aceti momentum adiiciatur,multum in fluidis affectibus proficit. INTINCTVS. Intinctus hoc

D modo conficitur:Cuminum cum ſalis momento, aceto & oleo, præparato.Id quod edendum eſt, his intingi debet. DE PISCIBVS. De piſcibus mentionem facere opus non eſt,quum omnes fere aluum citent,paucis quibuſdam exceptis:quales ſunt mænides, mulus, ſcarus, & erythinus,ſupra carbones aſſati: necnon ſcorpio piſcis aſſus,& cum cumini intinctu aſſumptus. Præterea oſtrea cum teſtis ſuis aſſata,exhibitáque,aluum comprimunt.

DE AVIBVS. Ex auibus maritimæ potius & ſylueſtres ſolæ deligẽtur, vt merulæ,turdi,perdices,turtures

E & columbæ: ex domeſticis autem gallinarum pulli aſſi, ſed prius elixi, ventrem aſtringunt. Magis etiam aſtringentes ſunt ſi myrtorum aut ſorborum puluis carni ſuperinſpergatur: aut ex fructibus autumnalibus,(qui ὀπῶραι Græcis dicuntur) corna vel omphacium ſimul incoquatur: adhæc medicamẽtum quod *à fructibus pomaceis* δι' ὀπωρῶν Græci vocant, quemadmodum ea quæ ex cotoneis,aut ſorbis, aut immaturis piris, item ex malo punico præparantur:præterea vuæ quæ fictilibus reconduntur,aut cum ſuis foliis inuoluuntur, aut quæ ex fune ſuſ-

F penduntur. Cibi igitur ad ventris profluuium tales exhibeantur. DE POTV. Potui verò aqua pluuialis bene cocta exhibeatur:ſed neque ante cibum,neque quum hunc æger aſſumit, ſed aliquod ſpatium intercedet.Neque verò vniuerſa, ac vna vice, ſed paulatim ac modicè dari debet.Quòd ſi quinquefolii herbæ radices ſimul incoquantur, præſtantiſſimum fiet auxilium: item ſi rubi radices vnà coquantur,magis aluum aſtringent. Nonnulli plantaginis ſemen contritum, & acinos ſiccos in puluerem redactos, incretóſque, aut ſorba detrita ſimiliter

G admiſcent. Multæ igitur aliæ quoque potiones & ſimplices & compoſitæ ad ventris profluuium idoneæ habentur:ſed eas nunc prætermittimus. Nam de iis potionibus quæ dyſentericis expediunt,poſterius agetur, vbi de dyſenteria tractabimus.Vinum in declinatione, hoc eſt inflammatione remittente, & febri, confidentius dandum eſt auſterum,Surrentinum, Albanum,Tygrianum,Marſicum,& ex Italia Aminæum,vel alia aſtringentia, quæ diuerſis locis naſcuntur, experimentiſque probata ſunt.

DE BALNEO. Balneum ex nitro abſque oleo conuenit. Iuuat enim nitri vſti puluis corpori in balneo

H ſuperinſperſus, vt modicum ruborem inducat, ſummáque vellicet,& fluxionem ex alto ad ſe attrahat: atque ita cutem vellicatam in balneo perunges, vt meatibus adapertis, profluuium alui in diuerſum reuellas, retraháſque.

DE DYSENTERIA EX VENTRIS PROfluuio excitata, quæ rheumatica dicitur,

Cap. VIII.

RHeumaticam dyſenteriam, humorum ex meſaraicis venis ad inteſtina curſum dicimus. Nam ciborum ingeſtorum chylus, *hoc eſt cremor*, dum in ſanguinem ibi mutatur, ad inteſtina refunditur, atque ita vnà cum bile mixtus excernitur, nec poteſt ob huius acrimoniam in ventre retineri, ſed ab inteſtinis foras propellitur. atque hæc eſt cauſa dyſenteriæ rheumaticæ, cuius hæ ſunt notæ. NOTAE dyſenteriæ rheumaticæ. Acres variique humores per aluum excernuntur, ſitis magna vrget, corpus colliqueſcit, & cibi faſtidiũ torquet. Aliquando etiam roſiones inteſtina & ventrem affligunt, quòd ſi hic affectus diutius perſeuerauerit, ad exulcerationem inteſtinorum perueniet, quæ propriè dyſenteria dicitur.

CVRATIO. Ventris & inteſtinorum profluuium aſtringentibus cataplaſmatis curabis, & lac ad dimidias coctum potui dabis. ſit autem non minus quàm hemina. Quin & aqua pluuialis modica propinari debet: necnon panis ex aqua aut lacte maceratus dari. Poſt tertiũ diem pani adiicias vuas quæ in vaſis fictilibus aut vitreis reponuntur, vel pira vel mala cotonea cocta, vel ſorba vel meſpila. Quin & paſtillos lacti admiſcere licet: ſin autem ægri lac bibere recuſent, pulticulas ex oryza, aut auena, aut milio, aut pane Alexãdrino exhibebis. Ptiſſanam quoque aut lenticulam, aut oua in poſca cocta, nec non vitella ouorum aſſa ſuper prunas cũ rhu & aceto porrigito. Quinetiam olera bis cocta, panémque bis coctum, & auiculas, vt ſuprà dictum eſt, necnon vinum aſtringens ſimiliter exhibeto. Quòd ſi affectus inueteraſcat, malitioſúſque euadat, & vires conſumantur, curatio adhibenda eſt quæ corpus nutriat, & illas reficiat confirmétque. SIGNA dyſẽteriæ rheumaticæ, quæ pro loco affecto & excrementis variat, Philomenis. Dyſenteriam rheumaticam locorum & recrementorum expulſionis ratione variare, omnes propè antiqui medici conſentiunt. Si inteſtina vlcus aut inflammatio quædam obſideat, hæ notæ præcedũt. Inter initia morbi, cruenta, deinde ſanioſa excernuntur: multis primò ramenta, poſtea pinguia deſcendunt, & (ſi malignus fuerit affectus) fæculẽta, fœdi odoris: poſtreſtremò vbi in cancrum iam degenerauerint, varia excrementa, & nigra, cum quibuſdam putridarum carnium laminis per aluum redduntur. Quinetiam febris cum multa ſiti comitatur, necnon cibi faſtidium, vnde corpus emacreſcit: tormina quoque cum ſonitu inteſtina exercent, dolórque ingens & vigiliæ ægrum infeſtant.

CVRATIO. Dyſentericus affectus diuturnus eſt, & magna parte tenaſmus eum præcedit. quod ſi fiat, inteſtinorum exulceratio fiet acrior. Plurimum autem in recto inteſtino, aut colo, aut certè in tenuioribus inteſtinis excitatur, modò cum febre, modò ſine febre: nunc cum dolore, nũc ſine dolore. Quũ febris affligit, curationem impedit, vlcera reddit putrida ſordidáque: necnon inflammationes & cancros excitat, quando diuerſis ipſa curatur modis, cibiſque tum qualitate tum quãtitate accommodis, maximè quandiu febris augeſcit. In declinatione autem, cibi neque nimis ſicci, neque plus æquo humidi ſunto. Sicci augent febrim, humidi profluuiũ mouent: ideo in vtróque animaduerſio eſt adhibenda. Nam quantum exhiberi debeat, ex viribus ægri maximè æſtimandum eſt. Dyſentericus enim propter inteſtinorum & ventris imbecillitatem haud multum poteſt concoquere, præſertim quũ febricitat. In inflammatione, quum maximus excruciat dolor, ne pigeat cataplaſmate calente vti, vt quod interdum & illam tollit, & fluxum reprimit: quemadmodum illis ſolet contingere quos medio-cris torquet exulceratio. Nos igitur initiò ægrum accedentes, præſertim ſi febris non adſit, talem adhibemus curationem. Primis duobus diebus abſtinentiam indicimus; &, ſi iuuenis ille fuerit, tempúſque & vires permittant, venæ ſectione in brachio adhibita ſuccurrimus, non minus ſanguinis quàm heminas duas detrahentes. His etiam cibos præbemus temperatos: nempe tribus die

A bus tranſactis lac propinamus: quòd ſi verò ſectio venæ prætermiſſa fuerit, poſt duos dies exactos lac potui damus. Hæc autem facimus quum malum à leui occaſione ſumpſerit originem. DE LACTE. In primis igitur lactis calefacti, & inter coquendum ſæpius agitati, cyathos tres exhibemus, & poſt horas duas tantundem rurſus potui damus. Quibuſdam etiam tertiò offerimus, vt integra hemina abſumatur: & ſi eo die repletus æger videatur, cibo eum abſtinere iubemus. Hoc igitur modo bilis educitur, & humores corrupti, modicè purgantur,

B mitigantúrque. Poſtea mediam heminam in duas partes diuidimus, & ſimiliter vt ſuprà exhibemus, duabus horis interpoſitis: atque ſic iterum tertiò duas heminæ partes aut tres vna vice præbemus. Tribus horis poſt lactis potionem interpoſitis, pulticulam, aut panẽ ſiccum, aut palmulas Thebaicas, aut micas panis cum lacte exhibemus. Lac igitur quouis morbi tempore eligi debet caprillum: huius autem penuria vaccinum. Aſininum verò & equinum minus, vtpote magis ſeroſa. Manè igitur cyathi tres exhibentur, deinde viridis caſeus hoc modo có-

C fectus cibi loco datur. Exprimitur is manibus fortiter, & aqua feruens ei ſuperfunditur. Id autem fit ter quatérve, melle admixto, præſertim cocto: quũ inſpiſſatur, eſui exhibetur. nam, ventrem admodum conſtringit, & vlcera purgat ſanátque. Verùm iis dari debet qui febri carent, magnúmque ex eo ſenties adiumentum. Febricitantibus non tam facilè lac dandum eſt, vt quod in ventriculo aceſcat & corrumpatur, aut ex calore in caſeum coaleſcat: vnde maiores cruciatus, viſcerum tenſiones, capitis dolorem, & cibi faſtidium excitat. Quare vt citra no-

D xam febricitantibus exhiberi queat, præſertim pueris, magíſque iuuenibus quàm ætate iam prouectis, exactius à nobis dicendum eſt. Miſcemus igitur lacti, aquæ pluuialis aut fontanæ bonæ quartam partem, ac illud ad leues prunas ac cineres aut lento igne ad dimidias incoquimus, ſine intermiſſione agitantes. Ex hoc cyathos tres aut quatuor potui damus. Quemadmodum autem febricitãtibus citra caſeum dari expediat, aliàs indicabimus. Nam is febribus omnino eſt inutilis: illis porrò qui febri carent, lac etiam citra aquæ admixtionem coctum por-

E rigemus: coquemus autem donec totum in eo ſerum cõſumatur. Nonnulli etiam vſque ad tertias coquendum putant: nos verò, donec ter quatérque ebulliat, atque tũc ab igne tolli præcipimus. Quin & calculos tres rotundos ſolidóſque ex fluuio collectos, in ignem ex lignis quernis ſiccis extructum coniicimus, ac candentes admodum in vas quod lac continet, paulatim demittimus, ita vt quum vnus tollitur, alius iniiciatur. atque lac ita coctum Græci σχιστόν, *hoc eſt ſciſſile*, nominant. Hoc igitur modo confectum dyſentericis, ventris fluxum expertis, &

F cœliacis exhibetur. facies autem hoc quater aut quinquies. vbi ebullire deſierit, nõ ſolùm iis qui febri carent, ſed etiam febricitantibus propinabis. Idem hoc ferrei orbiculi candentes in lac demiſſi, non ſegnius, immò etiam efficacius quàm calculi præſtant. Hac igitur ratione lac dyſentericis propinari debet. nunc autem cibus à nobis ægro præſcribendus eſt. DE CIBO. Ex frumento igitur pultes exhiberi conuenit. halyca verò plus omni alimento nutrit, magíſque concoquitur: oryza minus quàm halyca, ſed plus ventrem aſtringit. Hinc etiam

G pultes magis reprimunt quàm quæ ex farre conficiuntur: ad hæc ex milio & panico paratæ valentius nutriunt, & recrementa craſſa reddunt. Item ex Alexandrino pane contuſo, cretóque, huc referri debent: ſimiliter ex chidro torrefacto pultes faciunt. atque hæ duæ ſpecies ex poſca cum ſale modico & oleo anethino parentur. Porro omnibus pulticulis in vicem olei adipes anſerinos aut gallinaceos aut caprinos immittes. Quòd ſi roſiones venter experiatur, & birioſa ſint quæ excernantur, ex lacte pulticulas parabis: verùm in primis halyca, aut oryza, aut far in

H aqua decoquatur: deinde excoletur, exprimatúrque: poſtea lactis modico addito, leuiter illa prunis coquantur. Vbi ſuccus conſumptus fuerit, lac iterum paulatim adiunges, & tertiò & quartò, donec percoquantur: quibus momẽtum ſalis addes, & ſine oleo comedenda porriges.

admiſcebis autem pultibus, ſi libet, rhun Syriacum, grana mali Punici acidi trita, & mali cotonei orbiculos repurgatos, ſorba ſicca contuſáque, omphacium ſiccatum: nec nō acinos vuæ tritos. Sunt qui etiam gallam detritam inſpergant: verùm ea ſtomacho aduerſatur. alii verò aquæ hæc iniiciunt in qua pultes decoquentur: ſed præſtat in aqua vnde pultes fiunt, ſorba, aut pira cruda maturáve, aut mala cotonea, aut meſpila, aut ſiliquas, aut palmulas Thebaicas contuſas ſimul incoquere. Præterea pultibus indetur gummi, amylum, & cera recens inſtar mellis: ſimiliter puls ex caſeo recenti, cribro validè percolato confecta, eſui offertur. DE CIBI faſtidio. Qui verò malè affecti cibum faſtidiunt, pultéſque auerſantur, iis dato halycam, aut oryzam ex aqua paratam, in qua prius palmulam, aut pruna Damaſcena, aut ſorba, aut meſpila, aut ſiliquas, aut mala cotonea, aut pira immatura decoxeris.

LEGVMINA. Ex leguminibus lenticula magis aſtringit: ſed cortex eius auferri debet, eo quòd cruditatem & profluuium incitet. Quidam enim modicè eam macerantes, corticem detrahunt, atque ſic in pila ſubactam tenuiore cribro incernunt: quidam aquæ calidæ immittentes, paululum manibus confricant, donec totus cortex decidat. Commodius autem fiet ſi, vbi ſemel atque iterum ea ebullierit, in pilam demittatur, ac poſtquam refrixerit, manibus conteratur. ſic enim accuratius purgatur. Vbi cortex fuerit detractus, rhun Syriacum, & adipes ſupradictos, olei vice, necnon aceti momentum adiicies, aut mali Punici acidi grana contrita, ſaliſque modicum. At lenticulam ad ſorbitionem decoquens, plantaginem, aut betam nigram, aut intybum ſimul miſcebis: decoctum interdum cum oryza aut farre, aut malis cotoneis coctis tritiſque & bene permixtis, pultis modo inſpiſſans eſui exhibebis. Nonnulli cum cortice ipſo lenticulam decoctam validè terunt, ſuccúmque exprimunt: hunc linteo puro diligenter percolant, & cum pane Alexandrino aut chydro bene cocto in pila terunt: atque inde pultes conficiunt, aceto ipſas condientes. DE PTISSANA.

Ptiſſana per ſe quidem ventrem non aſtringit: vt quæ illum magis laxet, & facilè aceſcat, melle præſertim condita, quando etiam largius aluum ſubducit. oportet igitur ipſam diu torrefactam cum aqua pluuiali, veſperi in ollam recentem demittere: hanc bene coopertam in furnum prunis ardentibus plenum collocare, atque iis inuolutam per totam noctem ſinere. Quippe ſoluitur ptiſſana ex ipſo vapore, pinguiſque & glutinoſa efficitur. Manè verò mel ſeorſim ei miſcebis, & leniter coques: item chydro addito, iterum ſimul incoques horis duabus tribúſve. Atque hoc modo parata eſui dabitur. nam tum cibus tum medicamentum eſſe videtur. DE OLERIBVS.

Olera magis aſtringentia ſiccioráque conueniunt, intybus vterque, plantago, beta nigra cocta, & bene expreſſa, tritáque, & aceto condita. Ea verò quæ cruda edi poſſunt, cum pane ſumantur. Braſſica bis cocta recrementa inſpiſſat. detur itaque ex aceto, ſale & oleo condita. Aliqui ſecundam eius coctionem in poſca moliuntur. DE PISCIBVS. Ex marinis piſcibus haud multi dyſentericis conueniunt: aliqui verò ſanis hominibus aſtrictionem alui pariunt, profluenti autem aluo non expediunt. Scarus igitur coctus, & aceto cuminóque conditus aſſumitur. Mænides autem & erythinus tenui ſale aſperſi, modicè aſſentur in cratere mundo, & ſic exhibeantur. Nonnulli etiam mulos ſimiliter paratos offerunt: ſed hi humores varios generant, naturámque in iis turbare ſolent qui imbecilli ſunt ventre præditi. Oſtrea verò cum ſuis teſtis aſſata, concoctionem iuuant; & ventrem reprimũt.

DE CARNIBVS. Carnes vniuerſæ dyſentericis ſunt inutiles, eo quòd multum nutriant, & tardè concoquantur. Ex auibus maximè ſylueſtribus exhiberi poſſunt turdi, perdices, turtures, merulæ, ſturnus: interdum & columbæ, præſertim earum pulli: verùm nihil pingue aut concoctu difficile dari debet. Coquētur autem primùm in poſca, deinde aſſabuntur: præſtat ſi ipſis euiſceratis iniiciantur myrta, aut ſorba ſicca, tritáque, aut minutim inciſa, aut meſpila, aut pira viridia, aut mala cotonea, & poſtea conſuantur, coquantúrque, ac deinde aſſentur. Quadrupedũ carnes vitandæ ſunt: porcini tamen lumbi aut hœdini in aceto macerati, voluptatis gratia ſumi poſſunt. Sic oua gallinacea in poſca elixa, donec indureſcant, proſunt: magis autē aſtringunt vitelli ex eis ſuper prunas aſſi, contuſique cum aceto & rhu Syriaco. His rhus aut malicorii modicum, aut galla, aut omphacium rectè miſcebitur. hæc enim ventrem validè contrahunt. Nonnulli etiam pedes vitulinos in ptiſſana per totam noctem incoquũt, donec vngulæ diſſoluătur: vnde cremor ptiſſanæ ſpiſſus fit & glutinoſus, qui modico aceto conditus eſui exhibetur, ac ventrem egregiè ſupprimit. Verùm illis dari debet qui concoquendi facultatem validam obtinent. nam imbecillem ſtomachum perturbat magis, & amplius profluuium excitat. Atque hactenus de animalibus.

DE FRVCTIBVS pomaceis. Pomacei igitur fructus dulces, flatus generant, & ex humiditate ſua facilè aceſcunt, eóque prohiberi debent. dabuntur autem aſtringentes, cuiuſmodi ſunt ſorba, corna, pira viridia, meſpila, mala cotonea, aut vuæ in vaſis fictilibus reconditæ, aut cum foliis ex fune ſuſpenſæ, donec acini ipſarum comminuantur. At cũ omnibus pomaceis fructibus panis mandi debet, eo quòd facilè corrumpantur. Mali Punici grana ſanis aluum aſtringunt, ægris autem non item, ſed dulciora in ſtomacho euadunt, corrumpuntúrque. Palmulæ Thebaicæ etiam, fortiter manſæ cum pane, ventrem reprimunt. De cibis hæc ſufficiunt. POTIONES ſimplices ventri tenendo idoneæ. Cæterùm hæ potiones dari poſſunt. Nardus Indica pota ventrem comprimit: myrrha electa fabæ inſtar in catapotiis data idem præſtat: necnon ſemen lapathi ſylueſtris ex aqua tritum, ſimiliter facit. item coaguli leporis drachma potu iuuat. Cornu ceruini vſti lotique cochlearia duo cum tragacantho potui dantur. adhæc galla, malicorium & polygonium: coquantur autem ex aqua vſque ad tertias. Ladanum ex vino auſtero potui ſimiliter dato: præterea acaciam rufam, hypocyſtidem, lycium Indicum, terram Samiam, terrámque aſtera dictam, Lemniam ſphragidem, & balauſtia trita. Decoctum ipſorum ſtomacho aduerſatur: eóque virium ratione habita, validο exhiberi debet, non autem febricitanti, aut dolorem experto, aut imbecilli ſtomacho.

De falſa imperitorum medicorum opinione, & paſtillis.

Plerique imperiti medici mox inter initia paſtillos, vel antidota ex opio, aut alterco aut nigro papauere, aut mandragora, dare non dubitant, eo quòd ſomno dolorem leuare dicuntur. Falluntur autem ipſi dum ægros accepta potione tota nocte dormire, & ventrem retineri conſpiciunt. quia quum dies illuxerit, inutilis labor deprehenditur. talia enim humores in vnum congregantia, ſine intermiſſione excernunt: capitáque grauantia, & vires offendentia, ventrē reddunt fluentiorē. Nunquam ergo ea medicamenta dari debent niſi fortè neceſſitas vrgeat. Poſt ſimplicia verò, compoſita exhibeantur, quorum confectiones trademus quæ à nobis vſu ſunt probatæ. PASTILLVS ad eoſdem. Balauſtium, acacia, hypocyſtidem, lycium, terram Samiam, terram quæ Aſter dicitur, opium, æquali ſingula pondere ex ſucco plantaginis in paſtillos rediges qui tres obolos pendant: vnum manè duabus horis ante cibum, & interdum dormituro, cum ternis aquæ cyathis exhibebis. Iam paſtilli διὰ κοραλλίου, δι' ἠλέκτρου, & διὰ πιτύας, mirificè fluorē reprimunt, & ventrem conſtringunt, ſanguinem quoque reiicientibus & tabidis vtiles. PASTILLVS διὰ κοραλλίου. Acaciæ rufæ drach. 3, hypocyſtidis drach. 4, plantaginis ſeminis drachmæ tres, balauſtii drachmæ 4: gummi, thuris, amyli, ſingulorum drachmæ quinque: roſæ foliorum drachmæ duæ, roſæ ſeminis drachma, opii drachmæ duæ, coralii totidem, pſyllii decocti cyathus. His omnibus ſimul tuſis, paſtillos drachmæ ponderis effinges, dabiſque ex vino cum quinquefolii herbæ decocto. PASTILLVS διὰ ἠλέκτρου. Succini, iridis Illyricæ, croci, maſtichæ, ſingulorum drachmæ trigintaquinque: opii drach. tres, pſyllii concreti drachmæ quadragintaquinque: ſic conficito. Pſyllii herbæ ſeminis cyathos tres in aquæ pu-

tæ ſextarios Italicos quinque coniicito, coquitóque ad
tertias,& ab igne tollito:vbi decoctum refrixerit, medi-
camentá in ipſius ſextario triduum macerato, paſtillóſ-
que formato qui drachmam pendant, ac ſingulos ex a-
quæ tribus cyathis offerto. PASTILLVS ex coa-
gulo qui Diapityas dicitur. Gallæ, hypocyſtidis, aca-
tiæ rufæ,ſingulorum drachmæ duæ: opii drachma, coa-
guli leporis aut hinnuli, terræ Samiæ,ſingulorum dra-
chmæ duæ:aquæ pluuialis quod ſatis eſt. Paſtillos fingito,
datóque ſingulos ex aquæ ternis cyathis. PASTIL-
LVS ex ſeminibus, διὰ σπερμάτων dictus. Aniſi, fœni-
culi ſeminis,ameos, papaueris albi ſeminis, ſingulorum
drachmæ tres: opii Thebaici,malicorii, ſingulorum dra-
chma: alterci ſeminis drachmæ duæ, apii ſeminis dra-
chmæ tres: croci, florum roſarum, gallæ,ſingulorum dra-
chmæ quatuor. Arida in puluerem redigito: opium ve-
rò in aqua macerato, fingitóque paſtillos qui ſeſquiſcru-
pulum pendant. Dato autem ad tuſſim,ex mulſa:ad διάῤ-
ῥοιαν,cum cremore oryzæ: iis verò qui cum tuſſe ſan-
guinem reiiciunt,ex poſca: ad profluuium ſanguinis, ex
decocto lentiſci: ad nauſeam, ex aqua abſinthii:ad inte-
ſtinorum tormina,& ſtomachi inflammationem,ex mul-
ſá: ad dyſentericos & cœliacos, ex roſæ decocto. Dabis
autem ſingulos paſtillos mane & veſperi. PASTIL-
LVS crocodes. Caſtorei,myrrhæ,ſingulorum drach.
duæ: croci, opii, ſingulorum drachmæ tres:aniſi, alterci
ſeminis,apii,ſingulorum drachmæ octo: dauci Cretici,
ſtyracis, ſingulorum drachmæ quatuor. Opium & myr-
rham in aqua macerabis,cætera in puluerem rediges,ſty-
racem aqua dilues in qua opium & myrrha maduerint:
deinde ſtyracem cum iis quæ macerata ſunt ſubigēs, &
puluere ſiccorum adiecto paſtillos formabis, qui obolos
duos aut tres pendant. Dantur ieiunis, & in cibo & poſt
cibum: in cibo autem ſæpius, & ante illum. Valde enim
ſunt mirabiles, ſtomachi dolorem leniunt, acidos ructus
finiunt, cruditates diſcutiunt, ventrem aſtringunt, cœ-
liacos & alui tormina mitigant: quin & dolorem capi-
tis tollunt ſi cum aceto & oleo roſaceo fronti illinantur:
adhæc aurium affectus,& dentium cruciatus,cum ſucco
perdiciadis herbæ in foramen illorum demiſſi,adiecto
galbano,perſanant:necnō lippitudines addito tetraphar-
maco diſcutiunt. Quin & cubitum eunti ſomnum ſua-
uem potu conciliant, defluxionem reprimunt: ſimiliter
etiam articulariis doloribus ſuccurrunt: menſes ſi nimiū
fluant,reprimunt. Præterea cū myrti decocti ternis dra-
chmis poti,narium fluorem ſiſtunt, necnon hæmorrhoi-
das, omniáque profluuia:ad diſtillationē capitis,& ſtran-
gulatum vteri,cholericóſque affectus,cum rubi decocto,
aut vino auſtero,in quo aniſum, aut myrtum, aut ſorba
macerata ſint,exhibetur. Cōmodè dantur etiam in mor-
bis qui circuitu repetunt,præſertim cum rigore. Suman-
tur autem hora ante acceſſiones, ex aquæ ternis cyathis.
Conferunt quoque cibos vomentibus,& iis qui tuſſiunt,
ex ſapa aut melle cocto dati;item phreniticis,inter initia
adhibiti: ſtomachicis autem,cum tragorigano triti, ex
roſarum decocto,aut vino myrteo,aut mēthæ ſucci dra-
chmis ternis poti. Dyſentericis prodeſt cum ſorborum,
aut cotoneorum, aut rubi decocto. Iam in puluerem re-
dactus, cum ouo ſorbili exhibetur ſimiliter & cœliacis,
vel omni ventris aut aliarum partium profluuio condu-
cit. Confert ex hoc etiam vuam propendentem cum a-
qua gargarizare. Ad veſicæ dolorem, cum aquæ calidæ
cyathis duobus:& ad ſanguinem ſpuentes,cum aceti cya-
tho vno & aquæ frigidæ duobus potus cōducit. Hoc etiā
paſtillo poto veſicæ exulceratione liberatos nouimus.

PASTILLVS clidion. Nardi Indicæ, croci, ſingu-
lorum drachmæ octo: aloes, thuris,aniſi, roſarum ſicca-
rum,iridis, ſingulorum drachmæ duæ: acaciæ, myrrhæ,
hypocyſtidis,lycii Indici,tragacanthi,opii,piperis,ſingu-
lorum drachmæ quatuor: (alii autem iniiciunt opii dra-
chmam vnam)aquæ quod ſatis eſt. Paſtillos finges qui o-
bolos duos aut vnum pendant, dabíſque ex vino myr-
teo. PASTILLVS ad dyſentericos,ſanguinem ſpu-
entes,& muliebrem ſanguinis fluxum. Hypocyſtidis,
pſyllii,terræ Samiæ, gallæ omphacinæ, acaciæ rufæ, ſin-

A gulorum drachmæ octo: ex aqua pluuiali paſtillos fingi-
to,& vtere. Dyſentericis drachmas duas cum cremore o-
ryzæ,aut lenticulæ,aut horum ſimilium, per anum inii-
cies. Spuentibus verò ſanguinem, drachmam cum aquæ
frigidæ hemina potui dato. In muliebri ſanguinis fluxu
ſimiliter eum cū halycæ cremore naturalibus infundes,
aut peſſum ex lana,ſolani aut ſimilis cuiuſdam herbæ
ſucco diluto intinctum inſeres. CATAPOTIA ad
dyſentericos. Myrrhæ,opii, ſingulorum drachmæ duæ:
gallæ omphacinæ drachmæ quatuor, aliâs duæ: ex aqua
B catapotia fingito,datóque noctu terna,& mane totidem.

CATAPOTIA ad dyſentericos, & omnem ventris
reſolutionem. Gallæ omphacinæ non perforatæ, opii,
ſingulorum oboli tres.ex aqua finges catapotia erui ma-
gnitudinis.Noctu ex vitello oui,aut myrti ſucci bina aut
terna dabis. Alii ex gallis duplum iniiciunt. POTIO
ad dyſentericos. Quercus corticis recentis drachmas
ſex in ollam nouam coniicito, additóque vini auſteri
ſextarios duos, & coquito vſque ad dimidias: & ſublato
cortice,cyathos duos potioni ieiuno dato. GLANS
C quæ ano ſubiicitur,ad teneſmum & dyſenteriam. Myr-
rhæ,thuris,opii,croci,æqualia pondera ex aqua terito,co-
latóque,& glandes formato nuclei pinei magnitudinis,
aut paulo maiores,& ano ſubiicito. ALIA glans ſiue
collyrium,ad dolores mitigandos. Galbani, ſtyracis,ſin
gulorum drachmæ duæ: opii drachma. Collyria fingito
vt ſuprà, & ano ſubdito. ALIVD collyrium quod
ſubiiciatur,ad teneſmum & dyſenteriam valde efficax.

Opii drachmæ quatuor,myrrhæ drachmæ octo, croci,
caſtorei,ſingulorum drachmæ ſex: thuris drachmæ qua-
D tuor: ex vino Attico collyria fingito. QVAE per in-
feriora iniiciuntur,ad dyſentericos, magnóſque dolores
vel inflammationes: ἐνέματα à Græci vocata. Seuū ca-
prinum curatū liquato,& per inferiora iniicito: lac vac-
cinū cum medulla & oleo infundito: cremorē ptiſſanæ
tepidū indito,& ſimiliter lac tepidū,& oleū roſaceum cū
butyro:oleū roſaceū & butyrum cū albumine ouorū: vel
aquā in qua lini ſemē decoctū ſit.Quòd ſi vigiliæ vrgeāt,
roſarum folia in aqua decoquantur, atque huius decocti
ius cum ouorum vitellis iniicito. Tragacanthum ex ro-
E ſarum decocto ſolutum, cum tantillo cremoris oryzæ
per inferiora iniicies: itē acaciæ partes duas, cremoris o-
ryzæ tres: in ea ſimul myrta ad mellis ſpiſſitudinem co-
quito, ac omnibus mixtis, per anum drachmas quatuor
indito. Ad dyſentericos eos potius qui profluuio non la-
borant,iniicere conuenit Lycii Indici lacte caprino ſolu-
ti drachmas duas. ALIVD melius. Lactis caprini
cyathos ſeptem aut octo, amyli drachmas quatuor, lycii
drachmas duas: mixta ſimul iniicito. ALIVD.
Ex ſeuo hircino cū oryza aut farre cocto iniicies. Hæc
F ſanè per initia iniici debent: quòd ſi cācer inteſtina oc-
cupet,ſuccus lenticulæ cū melle optimo,præſertim Ponti-
co,proficiet.interim alumen rotundum admiſcebis:nam
illa purgare, hoc ſiccare poteſt. Sin autem latius cancer
ſerpat,vt etiam putridæ particulæ deſcendant, in his mu-
ria ex ſale ammoniaco ventrem ſubluere conuenit:dein-
de paſtillum Fauſtinum iniicito, qui recipit,calcis viuæ,
ſandaracæ,auripigmēti, ſingulorum drachmas quinque:
chartæ combuſtæ drachmas triginta. Paſtillos ex vino
fingito, qui drachmas quatuor ſinguli pendant: iniicito
G autem cū myrti, lenticulæ, aliorúmque ſimilium deco-
cto,aut cū vino. PASTILLVS Marcelli magnificus.

Chartæ combuſtæ drachmæ duæ, auripigmenti dra-
chmæ quatuor: ſquamæ æris cremati totidem, opii dra-
chmæ duæ, croci drachma,calcis drachmæ quinque,alu-
minis ſciſſi drach. quatuor, ſandarachæ drach. ſex, om-
phacii drach.tres. Ex vino myrteo aut ſapa Cretenſi pa-
ſtillos formato, qui ſinguli drachmam pendant, & cum
myrti decocto in aluum dato. PASTILLVS ſine
opio & calce,dyſentericis accommodus.purgat enim, &
cicatricem inducit. Malicorii drachma,gummi, hypo-
cyſtidis,rhus Syriaci, ſingulorum drachma: lycii Indici
drachmæ quatuor, amyli totidem,acaciæ drachma. Hæc
omnia conteres,& ex aqua cui myrtum incoxeris, paſtil-
los finges:quúmque vſus poſtulat,ex cremore oryzæ, aut

lenticulæ,aluo infundes. Quòd ſi primum medicamentũ nihil dolentem iuuerit,conſiderato num ex nigra bile affectus ſit concitatus,qui peſſimus eſt & periculoſus. Oportet igitur medicamentum quoque fortius efficere, quod recipiat ſalis ammoniaci partem vnam, ſpinæ Ægyptiæ partes tres,veratri nigri partem vnam. Spinam & veratrũ in aqua decoques : & ſic poſtea ſalem decocto adiicies,anóque infundes.Si mortis periculum inſtare videris,ſandaracham poſtea & calcem viuam æquali pondere admiſcebis.Hæc enim proſunt vbi nimia putredo oborta fuerit,vt paulatim in ſaniem cõuertatur. Quin & Muſæ paſtillus cum melle & vino adhibitus opitulatur. Quòd ſi inflammatio rectum inteſtinum obſideat ; lactis & cremoris halycæ,ptiſſanæ,farríſque iniectio,dolores,illámq;mittigat.Si non magna fuerit alui profluxio,oleum ano inditum lenire ſolet.Hoc autem in iis fieri debet qui enemata continere nequeunt.In illis verò qui retinent, muriam plerique iniiciunt: alii ſalis ammoniaci heminã vel plus minúſve medicamento admiſcent. Nos muriæ in qua oliuæ albæ conditæ ſunt,heminam iniicimus, atque rurſus dimidiæ horæ ſpatio aut paulo maiori poſt deiectionem interpoſito,paſtillum in anum damus : qui ſic retinetur, quanuis nuda vlcera inueniat. Hæc dyſentericorum, qui ex ventris profluuio fiunt,curatio tota exiſtit.

DE INTESTINORVM EXVLCERAtione, quæ propriè dyſenteria Græcis dicitur, Cap. IX.

VEteres, dyſentericos illos vocare conſueuerunt in quibus neque iecur eſt affectum, neque alia quæpiã particula quæ morbum hunc afficiat, ſed ipſorum tantũ inteſtinorum exulceratio exiſtit:quæ ſi negligatur, etiam vlcera corpus depaſcentia (Græci Nomas vocant)interdũ putredinem quoque generare ſolent, & interitus periculum ægro inducere : vbi verò accuratè internoueris quibus in particulis morbus hic conſtiterit,ita ad conuenientem affectus curationem venire oportet. Non parum autem intereſt tenuiáne inteſtina an craſſa exulcerata ſint. Nam ſuperioribus affectis, curatio quæ per os adhiberi ſolet,cõmodior exiſtit:quemadmodum rurſus humilioribus infeſtatis,vel ſi circa rectum inteſtinum noxa inciderit,illa medendi ratio competit quæ medicamẽtis per aluum inditis ſubiectíſque adminiſtratur. Prius igitur ab internotione auſpicabimur. nam qui optimè internoſcit, optimè medetur. NOTAE exulcerationis in craſſis inteſtinis. Notæ eorum quibus craſſa inteſtina exulcerata ſunt,hæ contingunt.Roſiones in imis partibus,& crebra deſidendi cupiditas, quæ Græcè teneſmos dicitur. ſimul autem cum hac excretio comitatur. Nequaquam enim in his ramenta & ſanguis in deiectionibus permixta ſunt:verùm ſupra ſtercus guttæ potius ſanguinis, & naturalis inteſtinorum pinguedo effertur. Præterea etiã quæ excernuntur,carnoſa apparent:quoniam inteſtinorũ quoque ſtructura non tenuis & membranoſa, ſed carnoſior potius à natura condita eſt.Cæterùm conſiderato doloris quoque magnitudinem,vt quæ & ipſa multum ad internotionem conducat: obtuſior enim & non acutus dolor eos infeſtat qui craſſis inteſtinis laborant. NOTAE ſuperiorum inteſtinorum affectorum. In tenuibus contraria horum magna ex parte eueniunt. nã roſione infeſtante,non ſtatim ſed poſt aliquot horas æger ad excernendum vrgetur. Præterea etiam vulneris ſanguis deiectionibus permixtus eſt, & dolor multo acrior exiſtit: itẽ quæ per aluum procedunt,neque pinguia,neque craſſa apparent,ſed tenuia & membranoſa accuratè obſeruantibus videntur. SI IN mediis inteſtinis exulceratio exiſtat. Quum neque deiectiones iis quæ ab vlcere manant,admodum permixtæ,neque omnino diſcretæ apparent,coniiciendum eſt,in mediis potius inteſtinis affectũ exiſtere.Similiter etiam ex tempore excretionis & dolore,ſi non ſtatim poſt roſionem æger, neque multis horis interpoſitis ad deiectionem exurgat, neque dolor vehemens ſit admodum,neque rurſus inſenſilis,exulcerationẽ ad media potius inteſtina pertinere notandum eſt. Quæ quum ita habeant,reliquum eſt vt quomodo curatio fieri debeat perſcribamus.Sed conſiderãdum eſt num morbus hic ex primario ipſius inteſtini exulcerati affectu, an alterius particulæ affectæ conſenſu prouenerit.Nam accidit etiam vt ex toto corpore frequenter excrementa ferãtur,vel propter colliquationem,vel ob humorum vitioſitatis abundantiam natura expellente. In quibus negotiũ ægris faceſſere non expedit,vt quæ à facultate nos diſpẽſante pulchrè fiant,prohibere feſtinemus. Indicium autẽ huius eſt,quòd æger excretione facta ſeipſum robuſtiorẽ ſentiat: & quum medicus deiectiones cohibere cogitat, videatur quidem paululum proficere, verùm non longè pòſt duplo copioſiora excrementa defluant: quare in huiuſmodi affectibus naturæ auxiliari oportet. Si enim propter copiam tale euenerit,tunc etiam ſanguinis miſſionẽ adhibere non eſt alienum,interdum etiam purgationem. Ac ſanguinis quidem euacuatio paulatim adminiſtretur: & id quod euacuari debet, neque vniuerſum, neque copioſum educatur,vt ne ægri vires imbecilliores hinc reddantur.Similiter etiam purgationem non vniuerſam,ſed & ipſam per vices tentabimus. Ad huiuſmodi conuenit Theodoretum, quod & ſanare ægrum & obſtructione liberare abunde poteſt. Dantur ſcrupula quatuor, aut ſex, plus aut minus,pro ægri viribus, totum corpus reſpiciendo,& nonnunquam per ſe, aliâs cum ſcãmoniæ lacryma, ſiliquis ſex aut ſeptem. Atque hic rurſus ægri viriũ ratione habita,purgationis miſtura fieri debet. Adhæc etiã aloe probè lota,bene facere admodum creditur,præſertim in quibus iecur corroborare volumus.accidit enim vt affectus hic,etiam particula iſta infirmante, aut inflammationem experiunte,quemadmodum & liene, & ventriculo,& venis meſeraicis tali morbo affectis dyſenteria excitetur.Conuenit igitur(ſicut diximus)vt vbi prius internouerimus accuratè num morbus ex conſenſu prouenerit,ita tandem conuenienter curemus. QVID agendum ſit quum vlcus in recto inteſtino excitatum fuerit.

Vlcere rectum inteſtinum ex acribus bilioſiſque excrementis,aut aliunde miſſis,aut in ipſum inteſtinum abſorptis,infeſtante, neceſſe omnino eſt teneſmos comitari, & crebras deſidendi ſine ſtercore cupiditates, ita vt deiectiones ramentoſæ aut cruentæ exiſtant. Tali ergo mederi victu potius humectante, hoc eſt inter olera quidem intybo & malua,conuenit: ventrem horum facilẽ ad deiiciendum retinere,vt ſtercus citra impedimẽtum tranſiens, ceu medicamen aliquod ſalutare,vlcera ſiccare purgaréque poſſit.Curare igitur oportet ne deiectio admodum acris neque dura exiſtat : ac potiones eiuſmodi vnctionéſque in talibus vitiis admouendæ ſunt vt venter omni ex parte facilè ſoluatur.Noui enim quoſdam damaſcenorum copioſiore eſu dyſenteria abſolutè curatos fuiſſe,ſtercore citra impedimentum ab ipſis per aluum deiecto: item alios quamplurimis vuis aſſumptis. Verùm tutò expendendum eſt:aluo nanque commodè deſcendenti,ea quæ corrumpunt,exhiberi non debẽt, ſed medio vtendum victu:qualis eſt intybus,ſi coctus & non coctus edatur,etiamſi ægri maximè febricitent : item panis ex aqua tẽperata,aut vino valde aquoſo, ſi vires imbecillimæ eſſe videantur.Luteis autem ouorum, neque admodum mollibus,aut duris etiam, ex decocto veſcendum. Poſt primos dies etiam ſuum petioli idonei ſunt, cum troximis,aut intybis,aut braſſica percocta,aut libo ſuminali tenui,aut halyca bene cocta. Quando verò deiectiones liquidiores ſentimus,vel cucumerem ſumere ipſos permittito,vel gallinã abſque ſale copioſiore,aut garum. Sin autem multa quædam fuerit caliditas, & æger temperamẽto iuuentutis vigeat,tunc etiam iſicium ex piſce ipſi dandum eſt:iuuabit enim amplius. Sit autem inteſtinum ex piſcibus dura potius carne præditis,vt orpho, aut glauco, aut ceride. Porro deiectiones omnibus idoneas ſeruare conuenit, craſſius id quod influit & obtuſius reddendo: extrinſecus autem vtendum eſt lẽtiſcino, præſertim flatibus imum ventrem diſtendentibus,& profluuio quodam deiectionum non adeo bilioſarum aut acrium vrgente. Oleum hoc eſſe debet non admodum vetuſtum : ſin autẽ fuerit, adiiciatur huic ſapa, aut vinum odoratum, tenue. Similiter etiam ſtomachus vino melino irrigandus eſt. Adhæc vtatur æger maximè inter initia balneo crebriore,& calidiore ſolio : magíſque ſi aquæ potio & frigido-

rum ciborum eſus præceſſerit,ac pituitæ ſuſpicio ſit. Hoc ſi contigerit,paulum ad calidiorem victus rationem inclinandum eſt: & vinum exhibendum Sareptinum, aut Tyrium, aut ex iis quæ in Campania naſcuntur, Britianum aut Palmarianum. At ne te decipiant ea quæ deiiciuntur, quemadmodum vulgares pituitam illa eſſe putantes. ſæpe enim eiuſmodi deſcendunt,interim ſanè à raſura;aliàs ab acrimonia albedinem nitorémque inteſtinorum deradente:ac vocant eiuſmodi ignorantes pituitam, & frigidum humorem. qui meritò quum in notatione decipiantur,etiam calidioribus ægrum cibis vti potius compellũt. atque euenit multo magis inteſtinum ob malam medicantium rationem deràdi & intumeſcere. Idcirco non ſolùm ab excrementis, ſed etiam prægreſſo victu & natura ægri, accuratè internoſcas quòd pinguedo reuera excernatur,vel à raſura. Ita etiã ipſe totũ victum inſtituito, nũc ad calidius nunc ad frigidius,ea quæ adhibentur,conuertens. Hæc ſolùm de victu dicta ſint qui exulceratione ſuſtinentibus conuenire poteſt, non ſolùm in recto inteſtino,ſed etiam in omni dyſenteria. QVIBVS enematis in recti inteſtini affectu vtendum ſit. Si recens ſit vlcus,& purgatione indigeat, eluere ſola aqua mulſa per clyſterẽ oportet: ſin autem ſuſpicio quædã fluxionis extiterit,adiiciatur aquæ lenticula,roſæ,rubi radix, atque ita per clyſterem eluatur. Puro autem vlcere facto,ſimplicioribus primùm vtitor,vt amylo,Lemnia ſphragide,hoc eſt ſigillo, & cremore oryzæ. Quòd ſi vlcus fluxionem experiri videatur,amylo etiam,acacia vino macerata,& ſucco plantaginis admiſceatur. Probè autem facit etiam terra Samia,quæ dicitur aſter, in eiuſmodi affectibus. At ſi carnem inducere opus ſit,lacryma thuris quoque adiiciatur. fit enim optimum medicamentum,quod carnem generare,& vlcera ad cicatricem perducere poſſit. Componitur autem in hũc modum: Lemnii ſigilli,terræ Samiæ, pompholygis,acaciæ,lacrymæ thuris,gummi ſingulæ vnciæ. trita vino vna miſtura inſpergito: nam bene proficit.

PRAESTANTISSIMA quæ ano ſubiiciuntur, lõgo vſu à nobis cũprobata. At in quibus crebra deſidendi cupiditas,multǽque vigiliæ vrgent, vt etiam hinc vires infirmentur, bene quoque faciunt quæ Græci hypotheta appellant,ex quibus & hæc multis adeo experimentis probauimus. ſcriptura ipſorum in hũc modum habet: Croci,thuris,myrrhæ,glaucii,ſingulæ vnciæ:acaciæ vnciæ duæ,vini quod ſatis eſt ad læuigandum. Penicilla nucleis pineis ſimilia,paulo oblongiora formato,ac dextrè ſubiicito. ALIA GLANS, quæ etiam Clidion nominatur,ad teneſmos & alui profluuia efficax: nam doloris leuationem adfert quumprimum apponitur, ſomnum ſuauem inducens. Myrrhæ Troglodytidis,glaucii,opii, ſingulorum drachmæ duæ: vino modico odorato excipito, ac nucum pini magnitudine formato,ſubiicitóque. Eximiè confert iis qui teneſmo infeſtantur. CATAPLASMA ad recti inteſtini inflammationem. Micarum panis ſiliginei aqua maceratarum,croci,olei roſacei,oui toſti,palmularum Nicolai ſapa maceratarum purgatarúmque: omnium æqualem modum probè læuigatum duplici panniculo illinito,ac vbi calefeceris,tepidum ano ſubiicito. Confert etiam roſaceum per ſe ſtuppa iniectum,impoſitúmque:item in balneo illitum. Similiter decoctum roſarum & lenticulæ tepidum per ſpongiam, & quæ his ſunt ſimilia adhibeto. Hæc ſanè recto inteſtino exulcerato inflammatóque,& crebris deſidendi cupiditatibus cõducunt. SI CRASSA aut media inteſtina exulcerata ſint. Si exulcerationem ſuperius quàm rectum inteſtinum eſt,& crebram deſidendi cupiditatem fieri contingat,ſaniéſque putridæ appareant, tum etiam efficacibus vtendum & iniectionibus & glandibus, necnon iis quæ extrinſecus inducuntur:verùm illa etiam quæ prædicta ſunt, glandium numero aſcribantur. Atque hæc ſanè vſu ſatis ſumus experti. MEDICAMENTVM quod in dyſentericis ano ſubiicitur. Vbi inteſtinum prædicto lenticulæ, roſarum & aliorum ſpiſſamentorum decocto antea per clyſterem elueris,& veluti ſpongia abſterſeris,hoc ano ſubiiciendum eſt,quod iſta recipit: Croci, myrrhæ,lacrymæ papaueris,thuris maſculi, pares portiones. Hoc prioribus ſimiliter paratum,ano ſubiicitur: item

A colicis bene facere creditum eſt. PASTILLVS dyſentericus. In quibus vlcus & nome quædam magna inteſtina affligit,neceſſe eſt paſtillis vti ex auripigmento,ſandaracha,& calce. Sunt autem plerique ad huiuſmodi affectus inſcripti, è quibus eſt & Fauſtinus, & δι᾽ ἀρρογλώσσου dictus:ſed nullus adeo validè vlcera depaſcentia lenire ſolet vt qui à me paratur paſtillus: cuius vim plerique præſtantiſſimi medici in ipſis operibus admirati ſunt:recipit autem hæc. Auripigmenti,ſandarachæ, ſquamæ æris, ſingulorum drachmas quatuor. Læuigatis ipſis collyriorum B inſtar per æſtum caniculæ,ita adiicito opii drachmã, calcis viuæ drachmas duodecim,balauſtii,hypocyſtidis ſucci,chartæ combuſtæ,ſingulorum drachmas decem. Læuigato rurſus ex vino myrteo,aut ſpathite, aut Aminæo,ad dies viginti: excepta in paſtillos redigito, datóque viris drachmas tres,mulieribus duas,pueris vnam:ac refrigerato in vmbra,vtitórque. præſtantior autem paſtillus fit ſi vetuſteſcat. Porro in hunc modum ipſo vtitor: poſtquam ex decocto lenticulæ clyſterem ægro prius inieceris,tem-C pore interpoſito ſic cum cremore oryzæ paſtillum cum modico adipe hircino immittas,ex vino generoſo antea læuigatum. Modus autem eſto eius quod immittetur,miſturæ dimidium. Cæterùm ægrum prius nutrito,atque ita medicamentum ei indito, ac continendum permittito. Poſt hunc paſtillum, alterius meminiſſe ſuperfluum eſt. Tantum de dyſenteria ob exulcerationem craſſiorũ aut mediorum inteſtinorum proueniente dictum eſto.

SI DYSENTERIA in tenuibus inteſtinis conſtituatur. Quòd ſi eroſionem in tenuibus inteſtinis fieri contingat,medicamenta potius quæ per os aſſumuntur dare D conuenit. Eiuſmodi autem ſunt, inter ſimplicia quidem, Lemnium ſigillum ex poſca potum: item lac caſeoſum in omnibus vẽtris fluxionibus acribus ſaluberrimum eſt remedium. oportet autem prius decocto candentes calculos marinos iniicere,ac rurſus ſenſim coquere,donec maior ſeroſi recrementi portio conſumpta fuerit:nonnulli etiam ferramenta potius candentia prius calculorum vice lacti iniecerunt. Quum enim ferrum aſtringens quippiã habeat,hoc impertit ei, ac magis ad retinendum ventrẽ efficax reddit. Nonnulli etiam caninum ſtercus tenuiſſi-E mum ei admiſcuerunt. Verùm hoc ratio non exigit vt faciamus,quum & cibi & medicamenta à natura nobis donentur, necnon herbæ quæ cum aceto coctæ potæque vẽtris fluorem deſiccent. Commodius autem erit, admixto ei quodam ex iis quæ dyſenteriæ & cœliacis affectibus conueniunt,& in igne fumi experte frixa ſunt. Quæ verò iniiciuntur,ſunt hæc,rhus rubrum,ſuccúſque eius,omphacium, malicorium, galla, & cochlearum toſtarum cinis. Apti verò ſunt etiam acini vuarum,myrta,meſpila,corna, & cotonea. Portulaca verò dyſentericis ſalutaris cibus eſt; F ſuccus ipſius potus efficacior. Plantago ſimiliter caloribus potiſſimùm conuenit:item rubi ſemen & flores, necnon lenticula bis aut ter decocta,exhibitáque. Iã in quercu liber qui cortici & ligno intercedit, aut tunica putamini glandis ſubiecta,potui ægris propinantur. Mori fructus ſubitò exſiccatus,medicamentum fit abundè aſtrictoriũ, vt etiã dyſenteriæ & cœliacis affectibus opituletur. Contunditur autem miſcetúrque obſoniis: quemadmodum rhois ſemẽ,ſi ex aqua ipſum,aut vino,aut vt dilutum quis bibere voluerit, cœliacos & dyſentericos adiuuat. Porro G etſi aliorum complurium ſimplicium medicamentorum meminiſſe liceat,ſatis tamen eſt ad ſubiectam materiam iſta deligere,& contra præſentem affectum eadem componere. Non abſurdum autem eſt etiam ea nos meminiſſe quæ frequenter ſumus experti. MEDICAMENTA compoſita ad dyſentericos & cœliacos. Medicamentũ quod ex fructibus pomaceis conſtat,prædicto affectui eſt commodiſſimum. in quibus etiam potiſſimùm intemperies ventris,iecoris,aut ſtomachi exiſtit, quæ inteſtina magis fluxionibus opportuna reddit. Mala Punica integra, H mala cotonea, ſingula viginti:roſarum ſiccarũ ſextarius, prunorũ ſylueſtrium ſextarii duo,ſorborum aluum aſtringentium ſextarii duo, pira & mala triginta, rhus Syriaci ſextarii tres,ſiliquæ,quas Græci Xylocerata dicunt, quadraginta:myrtorum nigrorum ſextarius, muſti Aminæi, quod ſatis eſt:decoquito omnia teſta, aut cacabo, donec

mellis habuerint ſpiſſitudinem:coniicitóque in vas ſictile,& quum vſus poſtulat,exhibeto. CATAPOTIA ad dyſentericos & cœliacos. Gallæ omphacitidis non perforatæ,opii,ſingulorum vnciæ duæ,petroſelini vncia. Excipito aqua,fingitóque catapotia,ac dato ciceris inſtar, ad vires reſpiciens,etiam modum coniicito. Hoc medicamentum calidis admodum intemperamentis opitulatur,calidioribus autẽ etiam cremor ptiſſanæ cum polenta & vino potus.At in quibus iecur valde infirmum eſt, & ventri fluxionem tranſmittit, aut obſtructionẽ laborans diſtributionem impedit,bene facit etiam picra:omnium maximè aloe elota, & in catapotia redacta.Porro ad dyſenteriam ex frigiditate contractam, groſſi potæ mirum eſt quàm conueniant.oportet autem ipſas vaſe æreo comburere,atque ita ex eis quod tribus digitis comprehendi poteſt exhibere:atque id tertiò facere. Detur autem ex vino generoſo,præſertim in diuturnis affectibus ac validioribus agricolarúmque corporibus. DYSENTERICVS paſtillus per os datus,ad omnia interna,omnémque fluxionem valẽs. Aniſi drachmæ duæ, alterci drachmæ quatuor,apii ſeminis totidem, opii drachmæ duæ: febri carentibus,ex vino:febricitantibus autem & ſuperioribus inteſtinis affectis,ſi multæ vigiliæ vrgent, ex aqua datur. Potus verò ante medicamenta quæ inferius induntur,ſtomachum ab enematis ſuberti non ſinit.

De epithematis & vnctionibus.

In dyſentericis affectibus,ab illis vnde morbus excitatus ſit,per totam curationem incipiendũ eſt, & ægro ſuccurrendum. Solet enim mortis periculum comitari, tum copia excrementorum,tum frequentia deſidendi, & quæ ex his ſequitur virium imbecillitate & cibi faſtidio. Vnde non ſolùm contentum eſſe oportet iis quæ per os exhibentur, & per enemata iniiciuntur: ſed etiã per ea quæ extrinſecus imponuntur,opitulari conandum eſt. Conueniunt igitur potiones,& epithemata,quorum compoſitiones exponendas vobis cenſui. EPITHEMA dyſentericis & cœliacis efficax. Alterci albi ſeminis vnciæ quatuor,aniſi, roſarũ floris, rhus Syriaci,hypocyſtidis ſucci,balauſtiorum,ſingulorum vnciæ duæ:opii,croci,ſingulæ vnciæ.Hæc ſingula ex vino myrteo læuigata mixtáque ſimul,in paſtillos redigito,atque in vmbra refrigerato. Quum vſus poſtulat,contundes & incernes quantum ſatis eſt.Palmulis patetis excipito,ac in linteolum illita imponito. CERATVM optimum. At in quibus ſtomachus potiſſimùm infirmus fluxionem inteſtinis tranſmittit,hoc quoque vtitor cerato quod iſta recipit: Palmularum pinguium vnciam , maſtichæ tantundem , aluminis liquidi vncias ſex,aloes vnciam,vini & roſacei quod ſatis eſt:confecta diligenter,imponito. EPITHEMA dia œnanthes. Hoc quoque medicamentum ad dyſenteriã bene facit,in quibus etiam os ventriculi affectum eſt, & inteſtinis fluxionem tranſmittit.Œnãthes drachmæ duæ, vuæ immaturæ ſucci drachmæ quatuor,ſtyracis totidem: acaciæ drachmæ octo,roſarum ſiccarum totidem , gallæ omphacitidis drachmæ quatuor , palmularum drachmæ ſex,vini auſteri,& olei myrtei quod ſatis eſt , picis drachmæ ſex,ceræ drachmæ ſedecim.Mirabiliter confert.

EPITHEMA ad teneſmos potiſſimùm , & cruentas excretiones cum frigiditate. Ceræ vnciæ ſex,picis, croci,aloes,acaciæ,amomi,aniſi,ſingulæ vnciæ:ſtyracis ſeſcũcia,adipis vnciæ quatuor,carpobalſami totidem,gleucini vnciæ duodecim. VNCTIO dyſenterica. Rhei drachmæ quatuor, omphacii drach. duæ , hypocyſtidis,gallarum,myrtorum,ſingulorum vnciæ quatuor. Vino myrteo excipito.Bene facit illitum,& iecori robur adiicit. Item oryzam ex vino tritam oblinito,& ante & poſt. Hoc ad teneſmos ex frigiditate contractos omnium maximè valet:adhæc Maſuchas cum malicoriis,gallis,acacia, myrrha,ladano,aloe,iunci rotundi floribus, roſis, ſpica nardi, & horum ſimilibus conuenire admodum ad huiuſmodi affectus creditur. Oportet autem artificem ad dyſenteriæ ſpeciem etiam remedii miſturam accommodare:vt ſi vitium ex calida quidem intemperie prouenerit,frigidorũ facultas præpolleat: ſin autem ex frigida cauſa, calefaciẽtium roborantiúmque modus intendatur. Talis porro eſt materia omnium odoratorum, vt calamus aromaticus,

A iunci odorati flos,ſpica nardi,atque his ſimilia cataplaſmata:in quibus inteſtinorum maximè fluxio moleſta eſt; ordeaceam farinam,ſapam & acetum coquito plurimùm,& obducito.Hoc & ad ſanguinis profluuium mirificè confert:item ex polenta & prædictis odoratis medicamentis cataplaſma ſimiliter facere creditur. Oportet autẽ ex vino aſtringenti,vt lentiſcino,aut melino,coctum,tepidum apponere.At ſcire licet,fieri non poſſe vnquam vt inteſtinorum exulceratio curetur niſi quis materiam ex aliis particulis influentem,prius coerceat.Accidit enim(vt dictũ
B eſt)etiam dum viſcera expurgantur,aut inflammationem aut imbecillitatem experiuntur,inteſtina fluxique laborare,exulcerarique: adhæc ob totum corpus contabeſcens, interdum quoque ob caput materiam tranſmittens,& ſtomachum fluxioni obnoxium,id euenit.Nam in iis qui dyſenteria per conſenſum totius corporis contabeſcentis laborant,vitandi ſunt paſtilli qui ex ſandaracha, calce & ſimilibus parantur, intemperatum magis corpus reddẽtes, magiſque ipſum colliquantes. In illis autem vtendum ipſis tantùm eſt in quibus deiectiones depaſcentis & putri
C di vlceris efferri videntur. Ego ſanè quendam conſpicatus ex iis qui contabuerant,à paſtillis ei oblatis magis irritari,iuſſi hæc quidem abiicere, balneis autem potius vti, & cibis refrigerantibus,vt pepone ſine medulla, intybis, bulbio & iſicio:atque hoc victu citra medicamentum, ægrum morte ipſi expectata liberaui. Ac multos alios qui vlceribus curatu difficilibus & magnis infeſtarentur, victu etiam ſolo ad ſuperantem intemperiem accommoda to curatos noui.Non igitur feſtinandum eſt(vt dixi)vlcus depaſcens, cum foris, tum intrinſecus & antidotis & pa-
D ſtillis medicari.

DE LIENIS AFFECTIBVS, EX libris Philagrii, Cap. X.

QVemadmodum & reliqua corporis viſcera,ita & lien intemperies experitur. Nam refrigeſcit,calefit, ſicceſcit & humectatur. Deinde vt omnibus intemperierum generibus affligitur,ita & alios ſæpe morbos ſuſtinet. Nã obſtruitur,augeſcit,& inæqualiter intumeſcit,extenuatur, ad partes aliquas protenditur,inflammatur, indureſcit, &
E ſcirro obducitur.Nunc igitur ſingulas eorum notas & curationes perſequemur. NOTAE frigidæ intemperiei.

Lien frequenter intemperie,præſertim frigida & humida laborat:idq; magna parte ex cibo & potu frigido ſubinde aſſumpto:qualia ſunt aqua frigida, oſtrea,bulbium, caro porcina,fructus pomacei copioſi variique, præcipuè per æſtatẽ.Quippe calor in liene ex his,præſertim ſi ex locis humidis proueniant,imminuitur: necnon balnei vſu poſt cibum, & venere non modò frequenti, & ampliore quàm res poſtulat, verùm quum ſtomacho cibis potũ ve
F repleto,& crudo adhuc exercetur. Nam frigida intemperies facilius quàm calida(vt dictum eſt)in liene augeſcit: præſertim autem in illis corporibus quæ humoribus redundant, cruciantur doléntque,tumore partis præter naturalem modum adaucto.His color non ex toto niger,ſed ſubliuidus & plumbeus accidit. SIGNA calidæ intemperiei. Calida lienis intemperies maximè ex febribus & nimio ſolis æſtu contrahitur. In febribus enim ſanguine accenſo lien extenditur & intumeſcit : & quia natura rarus eſt,ideo ſanguis aduſtus ferueńſque in eum defluẽs,
G in magnum tumorem ipſum extollit,diſtenditque. Æſtas enim & calida aeris conſtitutio lienem offendunt, quum homo plus iuſto fuerit calefactus.Quemadmodum igitur in hyeme frigidi aeris,ita & humidi & ſicci qualitates facere conſueuerunt . Quæ ex præcedentibus aere , cibo & potu proueniunt,à prudente cognoſci poſſunt : quia hinc defluxiones augentur,flatꝰ generãtur,& morbi increſcũt.

CVRATIO calidæ & ſiccæ intemperiei. Calida & ſicca intemperies frigidis & humidis adiuuatur auxiliis, ſiue extrinſecus,ſiue intus per cibos & potus adhibitos.Ex
H oleribus conueniunt lactuca,blitum,atriplex,cucurbita:item cremor ptiſſanæ. Balneum autem aquæ dulcis admoueatur.Extrinſecus oleum roſaceũ,melinúmque , & ex eis epithemata confecta proſunt. Adhæc etiam ſuccus vuæ immaturæ,aut portulacæ , aut ſemperuiui , & teneri vitis turiones. CVRATIO frigidæ & humidæ intẽperiei.

Frigidæ

Frigidæ humidæque intemperiei calida & ſicca præſidia conueniunt: verùm ſicca & frigida intemperies magis quàm humida & frigida conſiderari debet: quibus illa extrinſecus adhiberi oportet medicaméta quæ cũ butyro, cera noua, œſypo, oleo cyprino vel irino, conficiuntur, aut horum ſimilibus, cum adipe anſerino, vel porcino recenti, addito ſtyrace & ammoniaco pingui: quibus admiſceatur herbæ buglosſi, aut dulcis radiculæ ſuccus. Quin & balneorũ vſus, & oleorum, ſi inungantur, prodeſt: item oleum nardinum cum prædictis medicamentis, & croci modicum, vnde lienis vires inſtaurentur, adhibendum eſt. De iis quæ extrinſecus calefacere & humectare poſſint, abunde ſit dictũ. Obſeruandum autem ne fortè corpus humoribus plenum ſit: & dum ipſum incaleſcit, humor in liene augeſcat: & ſi tibi manifeſta copiæ ſigna apparuerint, æger euacuari debet, & ſic tandem ſanari intemperies. Cibi vtiles ſunt qui optimum ſanguinem generant, gallinæ domeſticæ, phaſiani, perdices, & omnes aues quæ in mõtibus degunt, pullique colũbarum. Ex pedeſtribus probatur caro porci, qui mediæ fuerit ætatis: hœdus, & ipſe mediocris. Ptiſſanæ cremor cum melle optimo & pipere modicè conditus, vtiliſſimus eſt. At conuenit vt viſcera omni inflammatione vacent, ne à mellis calore aut ſiccitate offendantur. Nam dulcia omnia naturaliter præcordiis & viſceribus ſunt inimica: eóque etiam vinis calidis & humectantibus, præſertim natura dulcibus, abſtinere conuenit. CVRATIO calidæ & humidæ intemperiei. Itaque ad calidam nunc & humidam intemperiem tranſeamus. Externa eius curatio vtiliſſima eſt quæ medicamentis conſtat ſiccantibus, nempe ex alumine, pice liquida, aceto, foliis roſarum, oleo roſaceo, manna thuris, œnanthe, & gallis omphacinis compoſitis. huiuſmodi enim adſtringentia adhiberi debent. Intus autẽ curabitur intẽperies cibis non pinguibus, qui ſanguinem ſicciorem frigidiorémque reddant, qualis eſt caro ceruina. Lẽticula verò, quia melancholica eſt, & ſanguinem craſſum generat, prohibenda eſt: oryza & nux auellana rectè aſſumuntur: necnon panis ex ſimilagine lota confectus, caſeus recens, & lactaria: carnes recentes, hœdina & anſerina. Item ex herbis, ſpondylium, aſparagus, bryonia, & ſalſamenta omnia. Verùm his non crebrò vti conuenit, vt quæ ſpatio temporis melancholiam procreent, & ſanguinem craſſum manifeſtè producant. Vinum autem ſit adſtringens, calida temperatum. De compoſitis intemperiebus hæc dicta ſint: nunc de ſimplicis intemperiei curatione agemus. DE ſimplicis intemperiei curatione. Simplex intemperies, aut calida, aut ſicca, aut frigida, aut humida, cui ex compoſitis ſupradictis intemperiebus, cibi & potus ſimplices & compoſiti, vel medicamenta quæ bonos & mediocres humores gignant, offerri debent. CVRATIO HVMIDAE intemperiei. Humidæ intemperiei optimum eſt medicamentum ſalis flos, ſiue per ſe ſolus, ſiue cum aliquo ſimplici cerato imponatur. Solus enim calefactus, & in veſica aliqua exceptus, lieni adhibetur. Quin & ſalſugo, & ſalis ſpuma cum cerato quopiam ac modico aceto permixta, commodum humidi lienis affectui medicamentum præſtabunt. Proderit & quinquefolii radix, & plantago ſicca, & alumen ſciſſile, adeò in teſta vſtum vt quod in ea adſtringens eſt abiiciat. Poteris etiam ipſe medicamentum ex plantaginis foliis, radicibúſque quinquefolii, ac flore ſalis, pari vel impari modo permixtis exceptíſque, componere medicamentũ, aceto quod ſatis eſt adiecto, & pice ſicca in poſca liquata: nec nõ cera alba, & ſuffimine ammoniaco, & modico roſaceo additis. Galenus lienis ſcirrũ flore ſalis ſanari dixit, idque bene. non enim ad intemperiem ſolùm facere cenſendus eſt, ſed etiã tumores ex craſſis humoribus & viſcoſis induratos iuuare ſolet. cõſumit duritiem, & fortiter extenuat. Eã verò de qua diximus intẽperiẽ deſiccari tantũ oportet: ad quod optimè facit medicamentum ex ſalicis ſucco confectum. Inciſus enim ſalicis arboris cortex lacrymam emittit, quam vni aut alteri ex prædictis medicamentis admiſcebis, ac efficacius

A medicamentum reddes. Verùm ante mẽdicamẽtum fricationes optimè conueniunt, vt quæ humidam lienis intemperiem poſſint diſcutere. CVRATIO ſiccæ intemperiei. Sicca intemperies frictione adhibita diſſolui poterit, nutriri, & humida effici. Huic prodeſt balneum dulcis aquæ, item vnctio ex dulci oleo applicata: præterea ptiſſanæ cremor ad vngendum eſt vtiliſſimus: vel ſi quæ eſt talis frictio corporis qualem in podagræ curatione dicemus. CVRATIO frigidæ intemperiei. Frigidæ lienis intemperiei quæ

B adhiberi debent non ſunt exigua, præſertim quæ iã dicta ſunt. Licet etiam vnguenta calida, & epithemata applicare, ſimiliter & cerata & myracopa. Talia ſunt etiam acopa quæ ſiccitatem & frigiditatem oleo ſimplici mixta perſanant. CVRATIO calidæ intemperiei. Calidam intemperiem oleum roſaceum ſolum, aut melinum, & quæcunque ex his cõponuntur medicamẽta, tũ cerata, tum epithemata, diſcutiũt: præter hæc, ſuccus omphacii, portulacæ, ſemperuiui, & teneræ vitis palmites, ſimiliáque.

C

DE LIENIS INFLATIONE, Cap. XI.

INflatio ex ſpiritu generatur: & quemadmodum in aliis corporis partibus, ita in liene tumor naturæ cõtrarius excitatur: id quod accidit ex leguminũ, aut bulborum, aut palmularum caſtanearũmve eſu, aut ficuum, vel malorum, vel mellis, dulciſque vini vſu. Hæc enim omnia non modò lienem inflant ſpiritu, ſed etiam colum, meſenterium, ventrem & ſtomachum flatibus diſtendunt.

D Facilè autem deprehendere licet an ex cibis tãtùm inflatio excitetur. nam ſi ex his nihil aſſumptum fuerit, ad aliam cauſam morbus referri debet. Quòd ſi lien flatibus diſtendatur, & in amplum tumorẽ attollatur, ægérque interrogatus, id ſe citra pondus & loci ipſius grauitatem ſuſtinere dixerit, tunc ex cibis frigidis malum accidere cognoſces. Quando enim lien ex toto flatibus repletur, *κλύδωνας, id eſt ad uerbum fluctuationes*, vbi paulo liberaliorem potum aſſumpſerit, experitur. Vt enim in vtre aqua, ita in ventre copioſior

E potio ſonitum elidit quum agitatur. Si autem qui inflantur, frigidos cibos aſſumant, frequenter eructant, poſtea autem ſingultiunt. Quòd ſi nihil horum in ventre contingat, lien autem tendatur, pungatúrque citra aliquam grauitatem, flatuoſos ſpiritus eſſe putato. CVRATIO inflationis. Iis igitur qui intumeſcunt, medicamentum dioſpoliticum dari debet. Piper enim & cuminum calefaciunt: ruta flatus diſcutit, & partem affectam iuuat, humoréſque pituitoſos imminuit: nitrũ ventrem

F ſubducit: mel ſimiliter purgat, calefacitque, & humores extenuat. Pari modo etiam medicamenta faciunt διὰ καλαμίνθης & διὰ τριῶν πεπέρεων. Epithema verò διὰ σπερμάτων, *ſic uocatum quòd ex ſeminibus conſtet*, huic malo auxiliatur. Iam melanthium, apii ſemen, aniſum & petroſelinum, trita pani apud piſtores inſpergi debent: eadem ex vino pota lienis inflationem tollunt. His etiã ceſtrum, adiantum, & polypodium modicè adiicientur, præſertim quum lien indureſcit. Tunc ſcolopendriũ quoque & ſplenidion herbæ ex

G vino potui dantur vtiliter. Itaque liene inflato, prædictis potionibus & epithemate diaſpermatωn vtêris. hæc enim adhibebis ſi hydropicus morbus inde non ſubitò accidat: ſin autem repentè prouenerit, tunc nullo modo hæc conueniunt. Nam hydrops tympanites plerũque inter initia oriri ſolet: quod vbi acciderit, medicamenta tum quæ inflationẽ tollunt, tum quæ calefaciũt, ſi adhibentur, affectũ magis augẽt. Nam multi dũ medicamẽtis eum deſiccare vellent, maiorem duritiem excitarunt. Potui verò dare eis viticis ſemen torrefactum, petroſelinũ, melanthiũ, aniſum & ſiſon, expedit. His enĩ

H ſingulis lienis duritia & ſcirrus in eo factus curatur: & ſi flatibus plenus ſit lien, dantur illa aut ex aceto, aut oxymelite, aut poſca. Porro ſunt & alia huic vitio accommoda, vt ſerpyllum, thymus, lauri cortex, origanum, calaminthe ſicca & viridis, piper, rutæ (maximè

ſylueſtris)ſemē,peucedanum,præſertim ipſius liquor:coſtum,cardamomum,marrubium,eryngium, centaurium minus,præſertim ipſius ſucc⁹:chamædrys & chamæpitys. Ex his enim medicamentis aut vnum duntaxat, aut duo triáve,aut ſimul etiã omnia,inflationi potu bene faciũt. A

INDICIA INFLAMMATIONIS LIENIS EX ſOLO ſANGUINE, Cap. XII.

QVòd ſi ſanguinis copia in lienem confluxerit, & ex eo inflammatio indidem orta fuerit,dolórque cum B tumore & tenſione,& multa grauitate vehemẽter vrgeat, interim obſtructio membri excitatur, vnde ſcirrum & inflammationem plerunque contrahit: interdum etiam ſine dolore augeſcit,durúſque efficitur.quod tactu ſubinde cognoſcere poſſumus: quippe tangentibus facilè apparet.Item quum ex duritie in mollitiem largiorem deductus fuerit, attollitur adeò vt ſuper muſculos qui extrinſecus incumbunt excreſcat. Ego enim ſæpius vidi non ſolùm ventrem & ſtomachum, ſed etiam dextram præcordiorum partem,& pubis pectinem, lienis tumore C occupari. Hippocrates memoriæ prodidit, ſanguinis in liene abundantia ventrem indureſcere, corpus humoribus vigiliiſque extenuari, & faciem emacreſcere. Nam ex liene ipſo carnes colliqueſcunt,& magna ſitis vrget.In primis enim lienis tumor apparet humidior, dum ſcilicet humor adhuc fluit: vbi verò collectione facta induruerit,neceſſe eſt vt iugulum non ſentiat alimentum, & venæ in muſculis foras prodeant,color melãcholicus aut pallidus fiat,& aqua ſubter cutẽ ſubſequatur. SIGNA inflammationis ex humore billioſo. Vbi bilioſus flu D xus in lienem decumbit, totum corpus calidum, & non ſine febri eſſe videtur, oculi tincti ſunt, vrinæ coloratiores,acréſque,aut flauæ,aut rubræ exiſtunt: ægri ſitibũdi frigidam bibere appetunt,animo ſunt abiecto, citò furiunt,os habent amarum, cibum faſtidiunt, vigiliis torquentur & ventris turbatione, linguam habent flauam, atque alia id genus ſimilia quæ bilem teſtantur. SIGNA inflammationis ex humore melancholico.

Paulatim in his color melancholicus fieri videtur,præſertim facta iam inflammatione, cutis & vrina nigrior E efficitur.In toto corpore bilis atra abundat, gingiuæ nigræ apparent, ſitis vrget: &, ſi ægri frigidam potionem aſſumpſerint, magis cibum appetunt. INDICIA inflammationis ex humore pituitoſo. At ſi humor pituitoſus in liene collectus inflammationem peperit,color pallidus aut eius naturæ ſimilis inuenitur, oculorum, linguæ & cutis corporis: ægri non ſitiunt,ſed cibos appetunt,ſi pituita nõ ſalſa in liene fuerit. Hoc ergo ſcire licet quòd ex pituita quotidie febricitant: ex bile tertio die: ex melancholia quarto. CVRATIO inflãmationis. F

Nunc de inflammatione lienis curanda agendum eſt. Ac primùm vniuſcuiuſque humoris ſigna cõſiderari,atq; ſic tandem curatio adhiberi debet.Recidiuæ autem gratia,non magna ſolicitudine,nec pluribus verbis opus eſt. nam vbi illa ſemel curata fuerit,non facilè reuertitur:rarius enim quàm alia viſcera,lien inflammatione conflictatur. Hoc autem curandum eſt vt pro humoris natura ex quo generata eſt,conueniens,non autem contraria,adhibeatur curatio. Num enim cibi potúſve aliqui morbo occaſionem dederint,aut aliquid extrinſecus acceſſe- G rit,omnia internoſcere oportet. Similiter ocioſine ægri fuerint,an exercitio ac labore ſe fatigauerint, an balneis frequẽter aut nũquã vſi ſint,aut ex accidẽtine an à parẽtib⁹ hũc affectũ ſuſtineãt. His diligẽter examinatis ſi inflammatio lienem exercet,primùm ſanguis detrahi,deinde purgationes adhiberi,poſtea medicamenta extrinſecus imponi debent. Primùm ſanè vtendum appellatis epelatis,*id eſt iis quæ aluum ſubducunt*. nec non clyſteriis. Vomitu autem tentanda purgatio eſt,quum humores in vẽtriculum influunt,ibique ſupernatant. tunc enim citra H vllam moram purgare eos oportet. Quòd ſi venæ ſectio omnibus viſceribus inflammatis præſentiſſimum eſt remedium, maximè certè in lienis inflammatione adhibenda eſt, ſi nihil contrà ſuadeat, nempe ætas, aut vires aut locus,aut conſuetudo, aut aeris conſtitutio, aut præcedens ciborum cruditas, aut magnũ ventris profluuiũ. hæc enim in ſola iſta cauſa dilationem ſuadent. Sin autem ætas aut vires non prohibeant, venam brachii ſiniſtri interiorem ſecabis: ſi ea non appareat, media ferienda eſt:ſi ne ipſa quidem in conſpectum proueniat,humeraria incidenda eſt:ſi nec ipſa quoque cõſpiciatur,ea quæ minimo digito vicina eſt aperiri debet. Etſi verò hinc minus ſanguinis euacuetur,tamen quantulacunque inde tentata inanitio,præcipuum lieni ad ſanitatem adiumentum eſt.Quum ſanguis fluit,attendendum eſt valdéne rubens ſit, & purus, an liuidus.Nam ſi liuidus eſt,aut æquo rubentior,copioſior auferri:ſi purus ac ſincerus, paucior debet.Verùm ſic extrahendus eſt ne vitalis facultas deficiat. DE IIS quæ aluum ſubducunt. Poſt ſanguinis miſſionem ea dari oportet quæ aluum ſolent ducere,quorum formam habes ſuperius expreſſam. Sunt enim leuia medicamenta alui ducendæ idonea, vt herba mercurialis, polypodium, cnicus,atque his ſimilia.

DE FOMENTIS. Tempeſtiuum igitur eſt vt de aſtringentibus medicamentis nunc dicamus,quæ corpori iam euacuato rectè accommodantur. Quare conuenit poſt euacuationem fomenta ex eis adhiberi, primùm quæ humores influentes reprimant,deinde quæ hos particulæ impactos diſcutiant,digerántque:ita tamen vt etiã quæ lienis robur, quo actionem ſuam obit, conſeruent, admiſceantur.Si quidem modicus fluxionis ſit impetus, mediocria præſidia:ſin validus,valida applicabũtur, quæ citra noxam calefaciant. Vbi igitur non vehemens vrget inflammatio,vino auſtero,& oleo quodam tenui, vt lentiſcino aut melino,lienem fouebimus. Sin autem vehementior vrgeat,omphacino,aut roſaceo:quæ ſi nõ adſint,turiones oleæ,aut rubi,aut meſpili,aut mali,aut mala ipſa,ex oleo lentiſcino aut melino cum vino mixto coquentur: & ſi hoc non ſatis proficiat,thymus, origanum, & nardinum oleum imponetur. At ſi humores valde calidi lieni influxerint,aut febris quædam ſuperueniat, lanam ſuccidam tenui quodam oleo cum vino mixto copioſo imbutam ſuperimpones. Hanc nolentibus, omphacio admiſcebis roſarum flores, aut cyperum, aut œnanthen, aut ſpinæ Ægyptiæ ſemen. Mediocris ſanè inflammatio per initia hoc modo curanda eſt. Sin autem nimius calor infeſtet, admouenda ſunt olea qualia diximus:& acetum cum vino, aut certè vinum auſterum oleis eſt admiſcendum. Et attendendum ne caput feriat: vt quod facilè huius ſenſu in febri admodum ardenti offendatur. Quare ſapam aut vini dulcis modicum oleis admiſcere conuenit. ſin autem craſſior ſapa exiſtat, aqua admiſcenda eſt. Porro ſi frigidus humor inflammationem excitauerit, adiicienda ſunt pulegium, thymus,& origanum,vt quæ vim quandam euacuãtem cor roborantémque habeant.His autem non adeò frequenter vt vino & oleis vtemur. DE CLYSTERE.

Ad euacuandũ autem ventrem per morbi initia, vel in augmento,clyſteria adhibenda ſunt: atq; tũc magis quando calor non nimium ardens vrget. Ex mulſa autem & nitro,necnon aphronitro & ſale,euacuatio tentari debet.Verùm iniectio medicamentorum ab inferioribus partibus non ſemel tantùm, ſed bis térve ſingulis diebus fiet: multo autem magis quando ſanguinis detractio prætermiſſa fuerit. DE CIBO. His temporibus ſolo ptiſſanæ cremore æger nutriendus eſt: illius penuria,aqua & ſolo pane: ipſámque aquam calidam bibat,& oxymeli. Si calore æſtuet, aqua non ex toto calida,ſed modicè refrigerata offeretur. Hæc per initia ad ſtatum vſque fieri debent. DE STATV.

Quum morbus iam in ſtatu eſt,poſt fomenta cataplaſmata eis inducemus, vbi prius euacuati fuerint. Noxa enim omnino ſequetur ſi corporibus nondum humorum copia liberatis,calida medicamenta adhibeantur: vel ſi crudus aliquis humor ex nimia crapula, vel copia ciborum collectus fuerit,aut ſi ægri craſſis cibis repleti, vt conchyliis, aut purpuris, aut ſepiis, aut pectunculis, aut polypis, aut oſtreis, aut vuluis porcinis vel agninis, aut carnibus porcinis, aut ſalgamis & congelatis pin-

guioribus, & multum frigidis: adhæc ſi in otio degerint, & poſt cibū lauarint: præterea ſi pauperes pane copioſo, lenticulis, vel carnibus bouillis, vel ouillis, item piſcibus qui humorem melancholicum & copioſum ſanguinem generant, vſi fuerint. Qui igitur tali cibo nutriti venæ ſectionem ſubductionémque ventris detrectant, iis talia cataplaſmata adhiberi non debent. nam humor horum caliditate collectus copioſior, hominem occidit. Quum igitur morbum in ſtatu eſſe videris, clyſtere aluus ducenda eſt: vbi autem febris iam declinauerit, abſinthii decocto ex oleo lienem fouebis: huius penuria, ea quæ non nimium amara ſunt aut adſtringentia adhibebuntur, quale eſt oleum roſaceum aut melinum. At ſi tenſio vel dolor ſine ardore partem exerceat, iridis quoque & cyperi modicum, aut ſimile quippiam oleo iniectum conuenit. Nam hæc virium lienis conſeruandarum facultatem obtinent. Optimum verò eſt vt quotidie, ſemel aut bis, ſatiſque diu adhibeantur. Tertiò enim ex oleo fouere vitandum eſt. id quod de cataplaſmate quoque adhibēdo obſeruare oportet. DE MEDICAMENTO purgante, aut decocto, aut iniectionibus. Quum æger meliuſculè habuerit, mutanda ſunt auxilia, venter lenibus medicamentis per os aſſumptis ſubduci debet, quæ ex ptiſſana cocta aut ex aqua potui dantur. Quin & oxymeli ad hoc commodè accipitur, vt quod mediocriter cum aqua temperatum ſit. Vteris igitur & mulſa ſimul, & apomelite, & ad vrinam ciendam idoneis potionibus: qualia ſunt apii & aſparagi radicum cum aqua decoctarum iuſcula. At per aluum inicies ptiſſanæ cremorem cui incoxerit polypodion, thymus, origanum, medulla cucurbitæ ſylueſtris: necnon veratrum nigrum, centaurium minus, cnicum, capparis cortices, & alypum. deinde nitrum, mel, & oleum admiſceri debet. Cucurbita ſylueſtris pituitam educit: cnicus & veratrum nigrum atrā bilem: thymus, alypum & centaurium, flauam. Per initia modicè his vteris: proceſſu autem temporis validiores purgationes, non ſolùm per aluum, ſed etiam per os exhiberi debēt, nempe epithymū, cnicū, polypodiū, alypi ſemē, & granum cnidium. Cnicus coctus flauam bilem educit: polypodium humores mixtos, quemadmodum & capparis cortex, & centaurium. Verùm iſta paulatim adiecta potioni ex ptiſſanæ cremore aut oxymelite dare ratio eſt. admiſceantur autem ptiſſanæ inter coquendum cnicus, polypodium, & veratrum nigrum. Quòd ſi loco ptiſſanæ halycam in cibum aut alia craſſi ſucci aſſumere præcepetis, lien prorſus in ſcirrum obdureſcet, nullóque modo, aut certè vix, ſanari poterit. At lien & iecur per initia inflammationis, & dum ipſa confirmata eſt, fortiore medicamento purgari ſine periculo non poſſunt. Nam iecur ex inflammatione intumeſcēs, anguſtos meatus obtinet, & medicamentum purgans humores in eo collectos nequit educere. Lien inflammatus inter initia purgari poteſt. nam ex toto corpore ſuperfluos humores attrahit, & affectus purgatione diſcutitur, vel minuitur. Validis autem purgationibus lien ante ſtatum & poſt irritatur: imò neque extrinſecus in ſtatu inflammationis valentioribus vti medicamentis expedit, vt affectus mutetur aut diſcutiatur. Nam tota eius ſubſtantia non in melius, ſed in deterius magis vergit, duriórque euadit. Quare dum morbus in ſtatu eſt, lenibus vti medicamentis oportet: qualia ſunt quæ modicè calefaciunt, & humectant, non ea quæ deſiccant. Cataplaſmata igitur & fomenta quæ diximus, adhiberi debent. Corpus antea euacuatum his adiuuatur, quando humor qui in eo ſupernatat incaleſcit. Quod vbi cognoueris, & morbus in ſtatu eſt, cataplaſmata inducenda ſunt. DE PARANDO cataplaſmate. Quum ergo morbum in ſtatu eſſe deprehenderis, cataplaſma applicabis. Si natura ægri calida, & humor fuerit bilioſus, cataplaſma ex medicamentis mediocriter calidis parari debet: vt ex lini ſemine, & oleo chamæmelino: cui adiiciatur hordei aut fabarum farina. hæc enim modicè calefaciunt. Sæpius autem, vt noſti, artomelite cum aqua in liene vſi ſumus: interim acetū quoque addidimus. Quòd ſi pars inflammata non multum incaleſcat, & neceſſe ſit humorem diſcuti, tutò fœnūgræcum ſine aqua prædictis admiſcere licet: & ſiqua ſcirroſa inflammatio fuerit, aut craſſi humores in liene generati, aceto veteris: necnon amara lienoſis admiſcebis. Nam lien ex iecore craſſum in ſe humorem recipit: ob quod ei abſinthium, & cappares in cataplaſmate, & acetum, vbi morbus declinauerit, expediunt: quando etiam purgans medicamentum augere conuenit. DE CIBO & potu. Cibi leuiores, & vinum tenue albúmque exhibebitur. Hæc enim aluum ſubducunt, & vires lienis corroborant: necnon febrim per vrinas diſcutiunt. Suillæ autem carnes, & ouillæ, item halyca, oua, piſces pelagii & paluſtres, adhæc aues quæ in paludibus & aquis degunt, prohiberi debent: non autem illæ quæ ſiccis locis aluntur. Quos enim liene craſſis infarcto humoribus laborantes, medici imperiti carnibus quadrupedum nutriunt, & in ſtatu morbi ouis ſorbilibus, & halyca, nonnunquam etiam ſorbitionibus ex tritico aut halyca, iis plus noxæ ex cibis quàm adiumenti afferunt. Nam halyca niſi in declinatione vtilis non eſt. In hoc autem tempore non ſolùm ea ſed etiam potiones exhiberi debent quæ craſſos humores per inflammationem auctos extenuent, viſcoſos incidant diſcutiántque, obſtructos aperiant, lieni infixos relaxent, & ipſum lienem corroborent. Cuiuſmodi ſunt ſcolopendriū, & capparis cortex, vel alia quæ poſtea à nobis dicentur quum de lienis ſcirro agemus. Nam de his duabus herbis Galenus hoc modo ſcriptum reliquit, Quale medicamentum iocinori eſt abſinthium, tale eſt lieni capparis cortex: quale rurſus iocinori quod vocant eupatorium, tale eſt lieni ſcolopendrium. ſiquidem ſimilibus genere medicamentis vtrunque viſcus indiget.

DE EPITHEMATIBVS. In ſtatu vel declinatione, Nili epithema commodè admouetur. Plus autem ceræ in ſtatu adiiciendum eſt, præſertim in molli corpore. Epithema quod à me confectū eſt, recipit bdellium, aloen, thus, crocum, œſypum, ceram, ac alia medicamētá quæ ibidem ſcripta habentur. In declinatione verò inflāmationis plurima ſunt & alia epithemata, quæ adhiberi poſſunt, ex ammoniaco & bdellio compoſita. In ſtatu ergo quum inflammatio æſtuat, Nili epithema oleo chamæmelino & cerato, cui aceti modicum adiectum ſit, diſſoluere oportet. Conſulimus etiam adhuc vt hoc cerato ſicut oxelæo vtaris cum lanis ſuccidis, & lieni impōnas: ac, ſi tenſione laboret, liberabitur. Itaque per initia oleo tenui, non aqua, particulam ſuperfundes, neque ſi æger in acceſſione deſideret: ſed ex aceto, vino & oleo, quibus ceræ modicum interim ſit admixtum, fouebis. Item hyſſopo, cerato interdum vtimur, & furfuribus ex vino aut aceto, aut poſca, aut aceto & melle, aut hydrelæo, decoctis. Admiſcemus etiam cataplaſmati pulegiū, thymum, origanum, folia lauri, ſaluiam, artemiſiam, ſalem & nitrum. At ſi ea quæ dixi negligentius adhibeantur, inflammatio in ſcirrum degenerabit: de quo nunc verbā faciemus.

DE LIENIS SCIRRO, Cap. XIII.

POſt lienis inflammationem magnus contra naturam tumor & durus accidit, tangenti reſiſtēs, necnō intēperies quædā in eo apparet: verùm copia ſubſtātiæ ſcirrū lienis excitat. vel enī humor eſt infix⁹, aut flatuoſus ſpirit⁹, aut vtriq; ſimul mixti, vnde liē præter modū augetur, & à naturali recedit magnitudine. Internoſcēs autē humorē & flatū his indiciis. Si flatus eſt, tactui reſiſtit pertinaciter, & liē pūctionē tētionémque experitur: ſin autē grauitas cū pōdere in præcordiis ſiniſtris percipiatur, ex prædictis ſignis flat⁹ cū humore mixtos in liene eſſe ſcias, idque per initia. Nā poſtea morbo inueterato, humorib⁹ frigore nimio aut ſiccitate induratis, ſcirrus generatur. Aliquādo accidit vt liē etiā citra inflāmationē in magnū tumorē attollatur. Hæc enim eo modo ſolēt euenire. Duritia autē nō accedēte, tētio grauitáſq; ſimul & pūctiones validæ oriūtur. Scirrus igitur ex humore & flatu mixtus eſſe videtur, quemadmodum etiam ſoli humores tumorem laxū ſimul & punctiones validas in liene efficiunt.

CVRATIO ſcirri. Noſti curatum à me fuiſſe militem, qui dum ad me veniret, totam lienis regionem barbaricis ferramentis candentibus inuſtam habebat: quem duobus tribúſve diebus medicamentis per os da-

m.ii.

tis purgabam, & deinde diligentem ei curam in ſingulis conuenientibus remediis offerendis adhibebam.

DE CIBO. Priſſanæ cremorem quotidie in cibo porrigebam oxymelite conditum, & piſces ſaxatiles. Ex auibus autem gallinas, perdices, ac alia concoctu facilia, boni ſucci, & probè macerata. Prohibebam ei quæcunque viſcoſos & craſſos humores generant: ſimiliter & carnes bouillas, ſuillas, ouillas, caprinas & hœdinas: item aues quæ in aquis paluſtribus degunt, omnéſque piſces paluſtres, & pelagios, præſertim qui duras & craſſas, non albas carnes obtinent: adhæc polypos, mulos, ſepias, orphos, oſtrea, conchas, bulbos, placentas ex melle & chidro, & quæcunque inflant, duráque & craſſa, vel cruda ſunt. Vinum improbatur craſſum, nigrum, & aſtringens: dandum autem eſt quale Hippocrates præcipit, quod neque craſſum, neque valde frigidum, neque calidum exiſtat. Hoc igitur modo cibus eſt adminiſtrandus.

DE POTV. Potui verò dabam vinum in quo capparis radicem, ſcolopendrium, & myricæ radicum corticem decoxeram: initio quidem ſingulas herbas per ſe exhibebam, deinde ex poſca, aut oxymelite, aut ſolo aceto coctas: interdum etiam in puluerem redactas cum ſupradictis liquoribus citra coctionem per interualla dabam, idque non plus quàm duobus vel ternis diebus. Quin & oxymeli purum per totam hyemem propinabam: nonnunquam cum aqua calida, in qua prædictæ herbæ decoctæ fuerant, ante & poſt cibum, die & noctu, quandocunque volebat æger, potui offerebam.

DE MISSIONE ſanguinis.

Vere primùm ineunte, quum æger multum ſe recollegiſſet, & lien decreuiſſet, videbatur mihi potiones medicaminum efficaciores præſtari debere, quæ lienem euacuare poſſent: qui quum magis imminueretur, fortiora medicamina exhibebam. Ac mox inter initia veris, ſanguinem ex brachio ſiniſtro copioſè detrahebam, & poſt dies vigintiquinque hoc medicamento quod ſequitur, vtebar. Spicæ nardi, capparis radicum corticum, myricæ foliorum, aſpleni herbæ, ſquamæ ferri, ſingulorum drachmæ octodecim: myrobalani drachmæ decem, ammoniaci ſuffiminis drachmæ octodecim, polytrichi drachmæ ſex, ſtœchados drachmæ quatuor, ſcolopendrii drachmæ tres. Ex oxymelite paſtillos drachmam pendentes ſingulos fingebam, ac vnum oxymelite dilutum potui dabam. Poſtea verò quum lien probè eſſet explicatus, medicamenta ad ciendam aluum dabam, ac otioſos humores validioribus, nempe hieræ diacolocynthidos drachmis tribus euacuabam. Inchoante iam æſtate non tres drachmas, ſed quatuor exhibebam, ita vt à prædictis medicamentis nullo die diſcederem. Vbi ſanitati propemodum eſſet reſtitutus, cyclamini radicis drachmam ex mulſa deinceps, ſemel aut bis, poſt ſingulas potiones offerebam. Nam ea vitioſos humores ex liene per ſudores expurgat, calidis extrinſecus operimentis admotis, vt medicamentum fiat efficacius.

DE IIS QVAE LIENEM corroborant. Lienem ſæpe potione quidem ex ſcolopendrio & cappare, epithemate verò ex auripigmento, alumine & ſimilibus corroboramus. Nam hoc medicamentum medium inter frigidum & calidum exiſtit, cuius & aliorum vtilium confectiones hîc ſubiungemus.

POTIO ad lienoſos probata. Ammoniaci ſuffiminis, pulegii, ſingulas drachmas, cum aceto potui dato.

ALIA potio. Salicis corticem medium, & folia eius cum duobus aquæ ſextariis ad dimidias coquito, datóque potui ad triduum.

EPITHEMA malacticum.

Hoc medicamentum molliendi facultate præditum eſt, commune iocinori, lieni, abſceſſibus, ſtrumis, parotidibus articulis, calcibus quoque ſuppuratis, aut aliter dolentibus, item torſionibus ventris. Conficitur autem hoc modo: Bdellii Scythici, adipis porcini, ammoniaci ſuffiminis, iridis Illyricæ, ſingulorum drachmæ ſedecim: opopanacis, cachryos, ſtyracis, thuris, galbani, ſingulorum drachmæ octo: piperis grana centum ſexaginta: ceræ drachmæ quadragintaocto, terebinthinæ, fæcis olei irini & vini, ſingulorum quod ſatis eſt. Hoc medicamentum contunditur, emolliendi viribus donatum. neque enim aliud magis eo emolliens duritias reperies. Paratur autem non dilutius, ſicut alia. nam in pila tunditur, cera aliiſque medicamentis adiectis. Inter tundendum, piſtillum fæcibus olei irini illinitur, donec tota mixtura perficiatur. Sit autem ammoniacum recens, ſtyrax pinguis, bdellium Scytichum: opopanacem eis admiſceto, omnia ſimul conterens, & vtitor.

MALAGMA Amythaonis. Hoc ad præcordiorum tenſiones conducit, necnon articulis prodeſt qui difficulter mouetur: lienem cõſumit, duritias emollit & diſcutit. Recipit autem hæc: Ammoniaci ſuffiminis drachmas ſedecim, ceræ totidẽ, terebinthinæ drachmas octo, bdellii totidem: thuris drachmas quatuor, myrrhæ totidem, galbani drachmas octo, olei Cyprini heminas ſex. Myrrham, bdellium, thus in vino prius macerabis: ammoniacum aceto diſſolues: omnia in pila contundes, oleo Cyprino (vt ſuprà dictum eſt) ipſam inungens. Hæc duo malagmata emolliunt.

ALIVD epithema. Quod nunc ſubiungam, prædicto eſt longè efficacius, fortiúſque ad diſcutiẽdum & extenuandum, tollendúmque duritias: quemadmodũ quod ex ſtercore caprillo, & opopanace ſimul cum aceto paratur. Nam id quoque diſſoluit & extenuat, vacuátque non modò inſpiſſatos humores & viſcoſos, ſed etiã ipſas partes corporis ſolidas: quoniam caprillum ſtercus ex aceto, (vt Galenus memoriæ prodidit) ſcirroſis tumoribus, qui ex craſſis fiunt humoribus, vtiliſſimum exiſtit. Altera igitur confectio inſcribitur,

MALAGMA Aſclepiadæ. Ceræ ſeſquilibra, colophoniæ vnciæ ſex, galbani vnciæ tres, opopanacis vnciæ ſex, propoleos vnciæ tres, ammoniaci ſuffiminis vnciæ ſex, olei heminæ duæ: aceti ſextarii duo, ſtercoris caprilli vnciæ tres, thuris totidem, myrrhæ vnciæ tres. Ammoniacum ex aceti ſextario teres: huic adiicies thus, myrrham, opopanacem, ſtercus caprillum, teréſque iterum: propolim verò cum galbano in pila tundes. ceram & reſinam ex olei heminis duabus liquabis: vbi coierint, propolim adiicies, agitabíſque frequenter: & quum in vnum omnia coacta fuerint, ab igne ſublata, refrigerari ſines, & derades: deinde iis quæ in puluerem redacta ſunt inſperſis, miſcebis vniuerſa, & in vſum condes. Hæc enim ſunt medicamenta diſcutiendi emolliendique viribus prædita.

EPITHEMA lienem imbecillem corroborans. Medicamentum quod ſuprà ex auripigmento & alumine fieri dictũ eſt, ad lienis imbecillitatem valere dixi, quod militi cuius mentionem feci ſæpius, impoſui. Recipit autẽ hæc: Ceræ Tyrrhenicæ drachmas nonagintaſex: reſinæ piceæ drachmas ſedecim, reſinæ frixæ drachmas nonagintaſex, auripigmẽti ſciſſi drachmas ſedecim, aluminis ſciſſilis drachmas duodecim. Metallica terito ex aceto acri: quæ liquari poſſunt, ex modico oleo liquato: ac refrigeratis ſicca adiicito: mixtis vtitor. Hæc enim ſunt quæ homini illi exhibueramus.

EPITHEMA lienoſum & hepaticum, quod vtriuſque viſceris obſtructiones diſcutit. Ceræ, terebinthinæ, hyſſopi Attici, iridis Illyricæ, ſingulorum drachmæ ſex. Quæ terẽda ſunt, terito: & quæ liquefieri poſſunt, liquato: ſicca ſuperinſpergito, ac vtitor. Quòd ſi ſudor ſuperueniat, & tollere eum voles, detergito, & abſinthino oleo partem perunges: ac ſudore ſublato, illo vteris.

SI LIEN flatu diſtenditur & intumeſcit. Quòd ſi lien ex prædictis ſignis flatu tendi, aut durus ſcirri modo pungi, & citra vllam affectæ partis grauitatem dolere cognoſcatur, mirificè auxiliatur electuarium dioſpoliticum, quod in hunc modum paratur. Rutæ viridis pridie decerptæ, piperis, cumini, ſingulæ drachmæ, nitri drachma ſemis, & quarta eius pars. Si aluus adſtricta fuerit, nitri drachmam iniicies, cuminum verò ex aceto per triduum macerabis: poſtea ſiccatum in puluerem rediges: omnia cum melle bono & deſpumato miſcebis, & in vaſe vitreo repones. Datur ex eo cochleare vnum. facit enim ad inflationes ventris viſcerúmque, appetentiam ventriculi excitat, concoctionem promouet, pituitam extenuat, aluum emollit, acidos ructus aufert, vitia pectoris, lateris, iecoris, lienis & renũ mitigat. Simili modo accõmodata ſunt vẽtris, ſtomachi, iecoris & lienis

affectibus medicamenta διὰ καλαμίνθης, & διὰ τριῶν πεπέρεων, necnon διὰ σπερμάτων. Adhæc cucurbitulæ in ventrem defixæ adiuuant. præterea vtiliſſima ſunt, melanthium, petroſelinum, aniſum, & cuminum, ſi pani commiſceantur, vel cum aliis dentur cibis, præſertim infantibus. Magis autem ex vino dari debent, vel in puluerem redacta inſpergi. Conuenit etiam ceſtrum, adianthum, & polypodium, præcipuè quum magna lienis durities apparet: tunc etiam ſcolopēdrium & aſplenon vino admiſcere expedit. Porro nūc de lienis inflatione ex Galeni opere de ratione medendi quædam excerpta adſcribam, vt ipſi morbi cauſæ accommoda antidota, vel paſtillos, vel epithemata, quæ ipſe expertus eſt, & nos vſu & periclitatione comprobauimus, adſcribamus.

GALENI verba de lienis ſcirro & inflatione. Lienem ſcirro obnoxium non modò extrinſecus medicamentis efficacibus, ſed etiā potionibus validiſſimis curare conuenit, vt quæ citra moleſtiam toleret: ex quorum numero optima habentur capparis radicis cortex, ſcolopendrii & myricæ tum radix tum germina: omnia verò eiuſmodi in aceto & oxymelite coquere conuenit. At ſæpenumero lien tangenti quidem reſiſtere videtur, non tamen ſcirroſus, ſed flatuoſus potius tumor exiſtit, cui medicamentum emplaſticum mixtæ facultatis, quod prius abſinthii oleo madefeceris, imponere oportet: quale eſt quod ex ſulphure & alumine conſtat. Sunt denique plurima huiuſmodi ex iis quæ in medicamentariis libris prodita ſunt, huc accommodata. Attende autem non ſolùm mixtorum medicaminum facultatem, ſed etiam miſturæ copiam. Nam in liene flatuoſo tumori obnoxio, magíſque in œdematibus, etiamſi multum aluminis adhibueris, nihil offendes: verùm in ſcirroſis, diſcutiendi facultatem ſuperare conuenit, paulum autem eius quæ aſtringit admiſceri. Quum igitur ex numero ſimplicium, & ſponte naſcentium medicamentorum flos ſalis talis ſit natura præditus, lienes ſcirro obductos ſanat ſi extrinſecus ipſis in veſica applicetur.

EPITHEMA iecoris & lienis. Epithema iecoris & lienis hæc recipit: Aluminis liquidi vncias ſex, ſulphuris viui totidem, nitri rubri, ammoniaci ſuffiminis, mannæ thuris, capparis radicis corticis, ſingulorum vncias ſex: picis ſiccæ, reſinæ aridæ picræ, ſingulas libras: olei Cyprini vncias ſex: aceti quod ſatis eſt. Hoc ad tales viſcerum affectus efficacia nobile eſt.

EPITHEMA hypotherion. Sunt alia quoque epithemata lienoſis & hydropicis accommodata, quæ vocantur hypotheria. Hæc enim humiditates ex alto eliciunt, dolores & ſcirros diſcutiunt. Reſinæ aridæ libræ quatuor, ceræ libræ duæ, picis ſiccæ totidem, aluminis liquidi, nitri rubri, ſulphuris viui, mannæ thuris, ſingulorum libra: aloes vnciæ ſex, pyrethri, ariſtolochiæ, cardamomi, viſci quercini, ammoniaci ſuffiminis, bdellii, vuæ amomi, cucumeris ſyluatici radicis, liquoris ſycomori, ſingulorum quadrans: aceti ſeſquiſextarius. Alumen, ſulphur, nitrum terito: ammoniacum ex aceto diluito: ſiccis in puluerem redactis liquida ſuperiniicito. Obſeruare autem in his oportet, & medicamentum ex alumine & ſulphure idem quod ſuperiora præſtare. Necnon epithema διὰ σπερμάτων lienis inflammationi medetur, tum per ſe impoſitum, tum cum alumine & ſulphure mixtum auxiliatur. Ipſum verò μάλαγμα διὰ σπερμάτων flatuum ſubſtantiam tollit, collecta diſſipat, reliqua purgat & diſcutit. Adſcripſi autem duas malagmatis prædicti confectiones.

PRIMA confectio διὰ σπερμάτων. Cardamomi, meliloti, herbæ ſabinæ, baccarum lauri, nardi Gallicæ, ſampſuchi, iridis, radicis panacis, radicis cyperi, nitri, caſiæ, fœnigræci, ſeminis apii, aniſi, thuris, ſtyracis, myrrhæ, ammoniaci ſuffiminis, terebinthinæ, ſingulorum vnciæ tres: ceræ, mellis olei cyprini, ſeui taurini, ſingulorum libra: vini quod ſatis eſt. Facit ad ſtomachi, iecoris & lienis inflationem.

ALTERVM epithema διὰ σπερμάτων, ad idem. Cardamomi, iridis, cyperi, ſampſuchi, aniſi, nitri, ameos, apii ſeminis, fœnigræci, baccarum lauri, ammoniaci ſuffiminis, ſingulorum vnciæ tres: ſeui taurini hemina, ceræ vnciæ decem, colophoniæ hemina, mellis libra: conficito, & vtitor. Licet autem & æquale pondus aut paulo amplius medicamenti ex alumine & ſulphure confecti admiſcere.

POTIONES ad lienem ſcirro induratum. Quibus lien in ſcirrum dureſcit, & calorem ſiccitatémque ſuſtinet, his vtiliter dantur myricæ folia, aut turiones ipſius, aut radices: item aſplenon herba, & anchuſa. Hæc enim neque ipſa calorem in ſe vehementem obtinent, neque lienem magis excalefaciunt, præſertim ſi cum oxymelite exhibeantur. Per initia earum decoctum, procedenti autem tempore tritas ipſas ex poſca dare oportet. Huius generis ſunt & ſalicis folia, cortex, radíxque: quin & chalybis ſquama, quā illa in fabrilibus officinis, dum ignitur & malleo tunditur, abiicit, ex aquæ miſtura potu conuenit. hæc enim lienem fortiter imminuit, reprimítque. Vinum autem, & poſca in qua candens ferrum extinctum ſit, iis qui teneram carnem habent, & febri carent, conueniunt: poſtea verò etiam agreſtioribus hominibus, qualis miles ille fuit. Mentionem ergo faciemus potionum in quibus ferrum extinguitur. Itaque inter initia magnis affectibus, & minus duris corporibus expediunt: inſequentibus autem diebus plurimis ordine dari debent. Nonnulli admiſcēt ſquamæ chalybis ferri, abſinthii comas, & piperis modicum, ne potio ſtomachum offendat. Melius autem erit ſi pelecinum & hemionitis herbæ in tali intemperie miſceantur: quemadmodum in frigidis contrà, caſia, coſtum, ſerpyllum, aniſum, & his ſimilia iniicientur. In calida ergo intemperie duæ illæ herbæ ſuperius dictæ præberi debent. Nam ambæ efficaces ſunt, vt quæ maximum lienem conſumant, intemperiem minuant omnino, nec augeri permittant. Frigidæ autem & ſiccæ intemperiei, chamæpitys, chamædrys, gentiana, myrobalani, calaminthe, peucedanum, acorum, ſcordium, trifolium, hypericum, vitex, liquor peucedani, centaurium vtrunque ſiccum, eíſque ſimilia, ſcolopendrium, & farina lupinorum medentur. Alia verò ex vino, aqua, & oxymelite bibuntur. Phœnicobalanus autem, quem & myrobalanum nominant, niſi ex poſca bibatur, mox reuomitur. Hoc modo ſingula (vt dixi) adhiberi debent.

DE PASTILLIS. Ex plurimis paſtillis qui ſtomachum non offendunt, hoſce tres ſelegimus. Ac primus ſtomacho idoneus eſt: vtitor autem eo ad omnem lienis affectum. facit & ad conuulſiones, tormina, inflationes, & muliebria vitia. Myrrhæ drachmæ ſex, nardi Indicæ drachmæ quatuor, aut pro nardo Indica, iniicies nardi Gallicæ drachmas ſex, coſti totidem, opopanacis, dictamni, peucedani radicis corticis, capparis radicis corticis, periclymini radicis corticis, ammoniaci ſuffiminis, ſingulorū drach. quatuor: nōnulli iniiciūt etiā iridis drach. duas & ſemiſſem. Ex oxymelite paſtillos fingito qui obolos duos pendant, ac dato ſingulos cum oxymelitis vncia. Noſter autem paſtillus, de quo aliàs dictum eſt, valde efficax eſt, ac mirificè omnibus lienoſis affectibus, præcipuè vbi tumor eximius & ingens durities infeſtat, vtilis: dabis hunc quoque pueris, præſertim ſi mellis multum admiſceatur. Tertius iam paſtillus ſubiungetur, quo melior inueniri nequit: nos eum frequenti vſu probauimus. Capparis radicis corticis, myricæ foliorum, aſpleni herbæ, ſquamæ ferri chalybis, ſeminis pelecini, ſingulorum drachmæ ſex: myrobalani drachmæ decem, ammoniaci ſuffiminis drachmæ octo, ſtœchados drachmæ decem, abſinthii Pontici drachmæ tres, ſcolopendrii totidem. Fingito paſtillos qui drachmam ſinguli pendeant ac dato vnum ex oxymelite.

EPITHEMA. Epithema à me confectum hîc tibi ſubiicio, ad diuturnos & frigidiores lienis affectus optimum. Myrobalani, œnanthes, ammoniaci ſuffiminis, bdellii Scythici, capparis radicis corticis, floris, ſalis, ſingulorum drachmæ quadragintaocto: opoponacis pinguis drachmæ octo, ſtyracis, mannæ thuris, ſingulorum drachma: viſci quercini drachmæ duodecim: ceræ drachmæ vigintiquatuor. Ammoniacum cum ſalis flore diſſoluito: capparim verò, myrobalanum, ac mannam cum aceto tundito: reliqua autem iuxta ignem emollito, & in pila tundito. trita eis adiicito, vnito, & vtitor.

Hoc medicamentum bene facit lienoſis. nam duritias & tumores eius maturat,conſumit,diſſipat,& ſcirrum digerit.Quin & ipſi myrobalani ſoli in pila contriti impoſitique iuuant optimé. Item chamædrys & verbenaca, cum axungia veteri impoſitæ,opitulantur.

De tuſſi lienoſorum.

Si tuſſis ex tenui & acri defluxione facta lienoſis ſuperueniat,medicamento *διὰ κωδυῶν*,aut paſtillo trigono pro-

A hiberi debet.Adhæc epithemata lieni applicãda ſunt quæ extenuare poſſunt. Quòd ſi his vti cauſa quædam impediat, ſincipiti fomentum ex paſtillo quodam, aceto & oleo roſaceo ad mellis ſpiſſitudinem temperato,inducendum eſt.Optimè huc conferet paſtillus crocodes ex aceto & oleo roſaceo dilutus, ſincipitique impoſitus. Nam tenuem fluxionem ardentem acrémque refrigerãdo cõtemperat,& tuſſim finit,ſomnúmque conciliat.

ALEXANDRI TRALLIANI Liber IX,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

DE AQVA INTER CVTEM, Cap. I.

AQua inter cutem, quæ Græcè hyderos dicitur, & ipſa longus quidam affectus eſt,ex iecore adeo refrigerato proueniẽs, vt ipſum non amplius deinceps cibos in ſanguinem, ſed in alienam qualitatem,aut in aquam,aut pituitam,aut flatum trãſmutare poſſit. Atque idcirco trifariam aquam inter cutem conſtitui diximus:ac vocant eam ſanè quæ à tenui & ſeroſo humore contrahitur,Aſciten:quæ verò à flatu in toto corpore generatur,tympaniam:quæ rurſus à pituitoſo humore per totum corpus excitatur,Ana ſarca,alii Leucophlegmatiam appellarunt.Notum verò eſt,has quoque cu randas eſſe vbi prius internouerimus:ſiquidem internotio rectæ curationis fundamentum eſt.

DE ASKITE, Cap. II.

ASkites igitur inde internoſci debet quòd fluctuationes excitantur ex humore qui veluti in aſco .*i.utre* quodã contẽtus circũuoluatur:Tympanias autẽ,quòd vbi nos ferimus ventrem, tympani modo ſtrepitum quendã elidere videatur:Anaſarca verò hinc deprehẽditur quòd æger ſarxas.*i.carnes*habeat emortuo corpori ſimiles,& totũ corpus intumeſcat:ac vbi nos digito id imprimimus,cauitas oboriatur:quũmq; imprimere deſierimus, non ſtatim in priſtinum reuertatur.Cæterùm ſingulæ hæ aquæ inter cutem ſpecies,aut primario affectu,aut cõſortii lege fiũt. Nam ob lienem vitioſis humoribus præditum, maléque affectum,item ob colum,meſenterium,vterum,renes,veſicam,muliebrem fluxum, mẽſium retentionem,pulmonis refrigerationem,ſeptum tranſuerſum, & multas alias particulas,ſuperuenit:quæ ſingula prius internoſcere cõuenit,deinde ſic curationem aggredi.Quibus igitur aqua inter cutem refrigerato iecore aut pulmone oborta fuerit,hos ſimul tuſſis magna ex parte inuadit, ipſique nihil notatu dignum expuunt,ſed irritantur tantùm.Accidit etiam alui retentio,quòd inflammatio viſceris, humiditatem vẽtris exhauriat. Veſicæ autem & meſenterii propria indicia erunt,nempe ventrem magis profluuiis infeſtari, necnon corruptionibus continuis,& inteſtinorum roſionibus. Nam hæ,dum bilis excernitur,comitantur: gignũtur autem ipſis meritò etiam bilis recrementa, dum cibi ab inflammatione inteſtina exercente euacuantur.At eorum qui ob pulmonis affectum aqua inter cutem laborant,indicia ſunt quòd tuſſis potiſſimum excitetur, cor refrigeretur,totúmque corpus & pedes omnium maximè intumeſcant.Atque hæ aquæ inter cutem ſpecies tabidis potiſſimùm obueniunt. Diſcernes autem eos qui ob lienem malè affectum hoc morbo laborant. Iam alios quoque ob tabem hydropicos fieri,facilè deprehendes ſi internoſcendi vias ac rationes frequenter ſequaris. DE CVRATIONE. Omnium curatio à vacuatione incipienda eſt,ſed aſcitæ quidem dicti, aut tympaniæ, à ſola purgatione: cui autem ana ſarxa nomẽ eſt,is venæ ſectionem interdum requirit, vt qui ex ſanguinis frigidi copia naſcatur.Ac frigiditatis quidem ratione, illa non indiget:ſed quoniam copiæ detractio naturam leuat,vt hæc minorem illam effectam facilè ſuperet,non alienum, ſed rationi conſentaneum eſt,hîc quoque venæ ſectione vti. Videmus enim quòd etiam ignis externus,quum à lignis viridibus propemodum extinguitur, refocillatur rurſus,

ſi illa quæ ipſum ſuffocabant auferantur. Hydropem igitur ana ſarxa & vena ſecta interdũ & purgatione curare

B oportet.Dicamus autem particularem quoque ipſorum curationem,& quando perfricare, madefacere, cataplaſmatis obducere,& quando medicamentis & quibus poſt ſanguinis miſſionem vti oporteat. Nam ante omnem aliam curationem ipſa venæ ſectio,vt dixi,adhibenda eſt, ſi vires permittant.Si enim imbecilles ſint, tunc ſanguinis detractio vitari debet, etiamſi aliàs indigere videatur.Licet enim poſtea commodè ſanguinem detrahere, vbi vires recreatæ fuerint, & copia vitioſi humoris paulatim aliis quibuſdam(præſertim picra dicta)leuata.Nam

C hoc medicamentum ſimul & aperire & corroborare viſcera poteſt:qua etiam re maximè indigemus.Poſt vſum verò eorum quæ aperiunt,& meatus ampliores efficiunt, materiámque fluxilem reddunt, tranſito deinceps ad ea quæ paulo valentius purgare queant. At hoc non vna vice faciundum eſt,ne vires deiiciantur. Etenim, quanuis id quod vacuatur recrementitium eſt, tamen vniuerſa ac ſubita mutatione magis offendit. Satius igitur eſt paulatim & tutò euacuare quàm feſtinando perturbandóque, vnà cum morbo etiam ægrum è medio tollere. Pulchrè

D igitur purgant,ſambuci ſuccus cum condito potus, item lathyrides,& æris ſquama: verùm nullum adeò vt illud quod recipit chameleæ foliorum, ſquamæ æris,& aniſi, ſingulorum drachmam. Dato ex aqua per initia quidem drachmam vnam: viribus autem recollectis, etiam duas drachmas exhibeto,plus minúſve paulo. ac totum medicamenti modum,abſolutúmque,ad vires reſpiciens,metire. Rurſus à purgatione illa porrigito quæ aperire poſſũt: maximè paſtillum qui ex amygdalis conficitur. Adeo enim hunc incipientes hydropicos aperire citra noxam vi

E di,vt continuò potus iecoris ſcirros diſſoluerit. In hunc autem modum paratur. CONFECTIO paſtilli ex amaris amygdalis: Aniſi, ſeminis apii, amygdalarum amararum, abſinthii,gummi, ſingulorum drachmæ quatuor:aquæ quod ſatis eſt.Hoc ſanè paſtillo ad obſtructiones ex craſſis viſcoſiſque humoribus contractas,& in quibus non vehemens aliquis dolor viſcus affligit,vtitor.Sin autem dolores aliqui inteſtina, ventrẽ & præcordia exerceant,etiam paſtillum Amazonum dictum præbeto. Etenim dolorem lenit,& vim aperiendi mitigandique obti-

F net.Crebrius autem in huiuſmodi,decocto ſeſelios vtitor, aut caſiæ,aut ſpicæ nardi,aut aſari,& cataplaſmatis quæ recipiunt farinam fœnigræci & ordei, abſinthiũmque plurimum contuſum. Hoc nanque ſuper omnia auxiliatur. nam robur viſceri inſinuat, & humores in alto hærentes citra roſionem leuiter deſiccat.Habeat autem & cuminum contuſum,aniſum,maſtichen,nardum Gallicam, rutæ ſemen, & mel. Semina in vino coquantur: ſic enim multo commodius erit. Vbi iam viſcera emollita & rarefacta ad dies quinque aut ſeptem fuerint, vtitor etiam

G epithemate quod mixtam habet facultatem,vt viſcus poſ ſit & firmare & emollire: ex quorum numero eſt & hoc quod iſta recipit:Croci drachmas decem, aloes, maſtiches,ammoniaci,bdellii,ſingulorum drachmas octo: ſtyracis drachmas quatuor, ceræ drachmas nonagintatres, adipis anſerini drachmas ſedecim, hyſſopi liquidi drachmas trigintaduas, Cyprini quod ſatis eſt. Sin autem æſtas fuerit,& laborans aqua inter cutem febricitet, etiam

roſaceum & vinum ſiccis in vnitatem cogendis adiiciantur. At ſi non ſolùm iecur,ſed etiam lien & ſtomachus tumorem & duritiem habere videantur, detrahito cum fiducia paulum ſanguinis,præſertim ſi praui quoque humoris copia in venis ſubſiſtat,& vires non aduerſentur, ſed & æger vigentis ſit ætatis,& tempus non admodum frigidum. Sic vacuatio tentanda eſt,& adeo ſenſim vt natura quæ à copia grauatur,reſpiret.Etenim animi defectiones,præterquam quòd vires deiiciant, etiam aliam frigiditatem viſceri imponunt. Quare magnam & accuratam obſeruationem habere conuenit, atque ita ſanguinem hydropicis iuuandi gratia detrahere audendum. Etenim intempeſtiua ſanguinis miſſio in aliis quoque periculum inducit: in hydropico autem interdum etiam mortem. In quibus igitur & maxima eſt obſtructio, & inflammatio ſcirroſa, vireſque robuſtæ, in his vacuationem ſanguinis ante omnia alia præſidia, præſertim valẽtia,adhibeto:ex quorum numero etiam hoc exiſtit.

AD LIENIS & iecoris duritiem validum medicamentum. Ammoniaci ſuffiminis, bdellii, iridis Illyricæ,ſingulorum drachmæ ſedecim: ſtyracis drachmæ octo, adipis vitulinæ drachmæ duodecim, opoponacis drachmæ octo, piperis grana centum ſexaginta, ceræ drachmæ quadragintaocto,irini fæcis quantum ſatis eſt: vini quod ſufficit. Non oportet autem emollientibus tantùm medicamentis vti, neque diſcutientibus, ſed etiam iis quæ tumorem reprimere poſſunt. Scriptura eorum in hunc quoque modum habet: Ceræ drachmæ centum nonagintaquinque,picis aridæ drachmæ centum nonagintaſex, alumini liquidi drachmæ nonagintaſex, aloes drachmæ quadragintaſex, nitri,mannæ thuris, ſingulorum drachmæ nonagintaſex:pyrethri drachmæ viginti octo,ariſtolochiæ drachmæ vigintiquatuor, ammoniaci totidem,cardamomi drachmæ vigintiocto, viſci quercini drachmæ vigintiquatuor,olei totidem, aceti quod ſatis eſt. Itaque cataplaſmata & epithemata huiuſmodi iis adhibeantur qui aqua inter cutem, quæ ana ſarxa dicitur, laborant,ita vt viſcera eorum diſtenta ſint, & obſtructionem duritiémque maximam experiantur. In quibus igitur moderata eſt obſtructio, benefacere diximus paſtillum ex amygdalis: in maximis autem, etiam valentioribus antidotis vtendum eſt. AD SCIRROSOS iecoris affectus. Croci,ſpicæ nardi, coſti, iunci odorati floris,cinnamomi,ſingulorum drachmæ duæ: zingiberis drachma,mellis Attici deſpumati drachmæ vigintiquinque:Dato drachmam ex mulſo. Præſtantiſſimum hoc eſt remedium,& viſcera valenter expurgat.

DE ASKITE ET TYMPANITE, Caput III.

OMnia commemorata medicamenta etiam aliis aquæ inter cutem ſpeciebus,nempe aſkitæ & tympaniæ,citra ſanguinis detractionem,conueniunt. Nam his purgationes potius,& quæ aquam per aluum repurgare ſolent, omnia congruũt. Nihil minus etiam perfricationes quæ ſale,oleo immaturo,ſicyonio & cyprino, adhibentur. At frictio moderata fieri debet,ne alia materia ex alto vi attrahatur:ſed quæ in ſuperficie corporis tantùm continentur,diſcutiantur. Vtendum autem ad hæc eſt medicamẽtis quæ non modò diſſipare, ſed etiam reprimere tumorem poſſunt.Græci hæc à iecore vocant ἡπατικά. Itaque veteres multa prodiderunt, ac licet hæc apud pleroſque deſcripta inuenire. Cæterùm præſtantiſſimum validiſſimúmque inter ea etiam hoc eſt cuius compoſitio recipit, Reſinæ torrefactæ drachmas tercentum octuagintaquatuor:ceræ,picis ſiccæ, ſingulorum drachmas centum nonagintaduas: aluminis liquidi, nitri, ſulphuris, mannæ, thuris,ſingulorum drachmas nonagintaſex: pyrethri drachmas vigintiocto, bdellii drachmas vigintiquatuor, ammoniaci ſuffiminis totidem, cardamomi drachmas vigintiocto, viſci totidem, olei drachmas vigintiquatuor,aloes drachmas quadragintaſex,ariſtolochiæ drachmas vigintiquatuor, aceti quod ſatis eſt. Nihil autem minus valet etiam hoc ad diſcutiendum & comprimen- A dum. ALIVD. Chalcanthi,nitri ſpumæ,aloes, ſingulorum vnciæ tres ceruſæ, olei, ſingulorum vnciæ decem:aceti acerrimi quod ſatis eſt.Sicca ex aceto læuigato dum mellis fiat craſſities. Ceruſam autem cum oleo coquito, vſquedum ſpiſſeſcat,vt manus intinctas non inquinet:tunc ceram iniicito, atque ita particulatim in pila emollitis vtitor. Eſt hoc medicamentum multis experimentis probatũ,quod nõ ſolùm ad aquã inter cutem, ſed etiam alios pleroſque affectus vtile exiſtit. Etenim lienẽ conſumit,abſceſſus ad ſuppurationem perducit, furunculos, B & humores in articulis contentos, item hydrocephalis,atheromati,ſcirris,& parotidibus conducit:necnon ad alia plura grandia vitia mirabiliter valet.Ne igitur ſimplicium medicaminum vilitatem aſcitæ congruentium cõtemnas,etiam in quibus non magna durities viſcera & iecur affligit.Sin autem durities in eis extiterit,vtitor cataplaſmate quod poſſit viſcera emollire,& omnes humores qui in penitiore omenti & peritonæi regione habentur diſcutere.Porro vtitor eo quod etiam ad alia multa proficit:confectio eius ita habet:Ceræ,reſinæ piceæ,picis bry- C tiæ, nitri rubri, baccarum lauri ſiccarum, adipis taurini, ammoniaci ſuffiminis,mannæ thuris, ſingulorum libra: vbi ea quæ liquari poſſunt liquefeceris, arida liquidis inſpergito,& vtraque miſcens,pilæ indito, ac tritis diligenter vtitor.

Ad tympanicos,& quibus iecur ſcirro induratum eſt.

Ad tympanicos, & quibus iecur ſcirro induratum eſt, D medicamentum etiam antè ſcriptum valet.Multo autem magis illa parari debent quæ & flatus diſcutere, & duros affectus emollire probè poſſunt. Habet ſcriptura huius in hũc modum, Reſinæ aridæ libra, picis, ceræ, ſingulorum drachmæ duodecim:aluminis liquidi,ſulphuris,nitri, ſingulorum libra,mannæ thuris vnciæ tres, olei veteris vnciæ duæ.Ex aceto læuigato,donec ſordium habeant craſſitiem:atque ſic vbi liquefeceris quæ liquari poſſunt,& vtraque in pila paululum ſubagitaueris,mannam inſpergito,& læuigatis plurimum vtitor. Hæc de medicamentis E & alia curatione dicta ſunto.Deinceps autem de victu agamus,qui & primas & ſupremas curationis partes in omnibus potiſſimùm affectibus, maximè verò etiam in periculoſiſſimis,obtinet: in quorum numero aqua inter cutem quoque habetur. Siue enim primario affectu, ſiue aliarum partium conſenſu hæc contracta fuerit, non ſine iecoris vitio vnquam conſtitui potuit.Quoniam igitur iecur cibum in ſanguinem conuertit,totique corpori tranſmittit, idcirco ſimul proſpiciendum prorſus eſt vt & alimentũ quod ad ipſum peruenit, facile ſit ad diſtribuẽdũ, F & nequaquam impediatur quominus in corporis partes diſpenſetur. Quare optimum ipſis alimentum eſt panis furnaceus, qui ſemina flatibus diſcutiendis apta contineat,vt aniſi,aut cumini, aut fœniculi, aut ſinonis ſimiliter:interdici autem ipſis etiam copioſus panis debet. Si enim probè fuerit fermentatus, non poteſt craſſitiem & id quod obſtruit continere.At oleræ ſumi debent,ſi febris abſit,quæ calefacere& extenuare queant:quale eſt apium, petroſelinum, daucus, eruca, pulegium, rapa, caucalis,& quæ ex his tenuia & calida extiterint,alia magis, alia mi- G nus in id efficacia. Ex auibus præponi debent feræ manſuetis,vt palumbus,turtur,turdus:& ex minutis paſſerculis,qui non ſunt pingues. Inter piſces conueniunt ſaxatiles: at horum ius ſit excrementi expers, quod inter coquendum aſſumat aniſum,aut piperis paululum. Ex carnibus moderatè comedant,& eas potius quæ nõ ſunt pingues,præcipuè ferinas,vt ceruinas,aprinas, & caprearum. leporinæ verò prohiberi debent. Paretur autem earum ius cum cibo quodam extenuante. Aſſas maximè, ſi gratæ ſunt,aſſumere ipſos alienum non eſt. Teſtacea, vt aſta- H cum,vel buccina, vel pectines, raro & modicè ſolius voluptatis gratia offerre conuenit. Quantum enim ad affectum attinet,& præcipuè in quibus calida non eſt intemperies,aut febris,continuus ipſorum vſus interdici debet. At leguminibus ipſos, maximè tympanicos, abſtinere

oportet: ſimiliter etiam placentis omnibus, quæ ex lacte
& ſimilagine parantur. Bellaria verò aſſumere nõ eſt ab-
ſurdum, amygdala, aut piſtacia: vuas autem paſſas, & pal-
mulas raro. caſtaneæ verò, & nuces in totum prohibendæ
ſunt. Vinum aſſumant Tyrium, vel Aſcaloneum, præſer-
tim vetus, & ſenium reſipiens: hoc verò etiam vrinas pro
uocat. Quod autem medicamentum hoc præſtãtius cõ-
modiúſque ad aqua inter cutem laborantes inuenire po
teris? Ex factitiis autem vinis ſumant abſinthites; præ-
cipuè quod ſpicam nardi copioſiorem recipiat, vel apia-
tum: aliis autem abſtineant. Porro motus, ſiquid aliud,
hydropicis conducit: præcipuè qui fit per mare, equum,
& lecticam. Iis autem qui viribus conſtant, etiam itio eſt
vtiliſſima. At perfricatio hydropicis adhiberi debet po
tiſſimùm, vt externos corporis meatus rarefaciat, humo-
res extenuet & diſcutiat. Nihil enim adeò hydropicos
offendit vt denſitas meatuum; quæ flatus & humores
congregatos non ſinit diſſipari; ſed ipſi in ventrem
& membranam quæ *quòd omnibus inteſtinis circuntenda-
tur*, *Græcis* dicitur περιτόναιον, recurrunt. Itaque fricare hos
conuenit interim ſiccis manibus, interim cum ſale &
oleo; interdum etiam cum Sicyonio aut Cyprino. Bal-
neorum vſus hydropicis, præſertim frigida intemperie
præditis, noxios eſſe, ſcire licet: quoniam & ipſa, vt didi-
cimus, refrigerare magis quàm calefacere poſſunt. Quũ
itaque lauantur, vtile eſt viſceribus iniicere medicamẽ-
ta quæ diſcutere queant & extenuare: qualis eſt erui fari-
na, atque ſal, aut nitrum, aut aliud quid ad diſcutiendum
efficax. Multa verò ſunt etiam alia à veteribus medica-
menta tradita quæ diſcutere poſſunt: ac licet eiuſmodi
examinare, & vtiliſſima quæque ex ipſis deligere. Talis
ſanè victus iis qui aqua inter cutem ſine febri laborant,
præſcribi debet.

DE IIS qui aqua inter cutem cum febri laborant.

Quòd ſi aqua inter cutem laborantes etiam febricitẽt,
admodum calidis auxiliis vtẽdum non eſt, neque in vi-
ſceribus, neque in cibis, aut potibꝰ, aut antidotis, aut pur-
gationibus: ſed abũdè eſt ex oleribus aſſumere intybum
& troximum, aut caucalidem, aut rapam his mixtam: itẽ
cichorium maximè, aut apiorum radices. Dato autẽ ipſis
& porra decocta ſubinde, & paluſtres aſparagos. Ita verò
etiam continuum antidotorum vſum, præſertim ſiccio-
rum & acrium, in hydropicis vitare oportet: item ex pur-
gantibus ſimiliter calida admodum medicamenta pro-
hibere. nullum enim valde calefaciens, ipſos iuuare po-
teſt. Nam eiuſmodi medicamenta ſitim ipſorum augẽt,
& febrim incendunt, & cauſas inflammantes, magis ad-
huc exurunt, intẽdúntque malum. Quare aqua inter cutẽ
ex acutis morbis profecta nõ poteſt nõ inflammationes
habere in ipſa perſeuerantes. Nihil enim adeò interual-
lorum expers eſt vt febris: ac mirũ quòd neq; aqua inter
cutem ipſis oboriens, calorem ægrorum extinguat, ne-
que febris omnem aquam inter cutem exhauriat, ſed ab
aqua ſimul & igne ambo contineantur, vt vndiquaque
dubia fiat curatio, ſiue calefacere, ſiue refrigerare quip-
piam velis. Quippe neceſſe eſt vt refrigerantia omnino
aquam inter cutẽ adaugeant, calefaciẽtia rurſus, febrim.
Satius igitur eſt in huiuſmodi mixtam curationem ad-
hibere, & ei quod magis vrget, quatenus licet, inſiſtere.
At vbi febres vehementiores apparent, tunc refrigeran-
tibus potius vtendum eſt, nec metuendum ea tunc exhi-
bere. Quomodo enim finietur febris niſi à contrariis?
Imò neque aqua inter cutem ceſſauerit vnquam niſi pri-
us calor præter naturam deſierit: etenim iis, ſi diutius im
moretur, aquam inter cutem parere poteſt. Omnis nan-
que ſiue calida intemperies, ſiue frigida longius protra-
hatur, ſuperétque, vires deiicit & nutritionem. Itaque quũ
ægri alimentum quod diſtribuitur, non amplius in ſan-
guinem tranſmutant, neceſſe eſt vt in vaporoſam quan-
dam & prauam ſubſtantiam conuertatur. Porro quòd a-
qua inter cutem etiã ex colliquatione naſcatur, diuiniſ-
ſimus quoque Galenus confitetur. Videmus autem colli-
quationẽ à calore potius quàm frigiditate oboriri. Qua-

A re omnia & quæ præceſſerunt morbum, & quæ nunc ad-
ſunt, obſeruanda puto: ac vbi præſentem intemperiem
internoueris, ita ad curationem audacter accedas, non
autem vulgarium opinionem ſequaris: nempe aqua in-
ter cutem laborantes quouis modo calefaciendos eſſe.
Neque enim hoc verum eſt. nam ego pleroſque etiam à
refrigerantibus medicamentis interdum adiutos eſſe
conſpexi: atque id euenire poſſe conſtat. Quum enim o-
mnes particulæ à caliditate contra naturam orta ad bo-
B nam temperiem reuertantur, neceſſe eſt vt etiam iecur
probum ſanguinem generet, nullatenus impeditum.
Quemadmodum igitur dixi, ſemper conandum eſt vt
ſpeciem morbi inueſtigemus, & cauſam quæ aquam in-
ter cutem efficit, accuratè deprehendamus. Nam quæ
Hippocraticæ artis methodi vocantur, hæ ſunt: nempe
contraria contrariorum ſemper eſſe remedia. Poſtquàm
igitur omnibus aqua inter cutem laborantibus victum
vnicuique aptum & conuenientem præſcripſeris, ita ad
ea accedito quæ ipſos purgare poſſunt; non vniuerſim &
vna vice, ſed paulatim, vt diximus. Ex frigida quidem
C intemperie aquam inter cutem expertos, calefacienti-
bus: imò neque hos cibis nimium ſiccantibus, aut me-
dicamentis acrioribus ſtatim curare, ſed per vices, & à
mediocribus primùm inchoare oportet: deinde ſic ad
valentiora, & ea quæ magis calefacere & extenuare poſ-
ſunt, progredi. Nam calefacientia nimium, ſi vniuer-
ſa ac vna vice aſſumantur, totum potius habitum colli-
quant quàm abundantem humorem euacuent. Ita verò,
etiamſi refrigerantibus vti oportebit, à mediocribus in-
cipiens, particulatim naturæ adiicere conator, atque hoc
D pacto ad magis refrigerantia accedito. Poſtquam igitur
ipſos purgaueris vt conuenit, etiam ad balnea & motus
mediocres ducito. Sed pituitoſos & temperatura frigi-
diores ſatius eſt naturali balneo committere. Graciles au-
tem, ſiccos & febricitantes, potabilis & dulcis aquæ la-
uacro, vnctione, mutatione aeris, & omni hilaritate re-
creare oportet. Ita nanque accidit vt congruo vtentes
victu, ad priſtinam rurſus temperiẽ reuertãtur: vt etiam
iecur non amplius aquam, ſed benignum ſanguinem in
poſterum generare queat.

E

DE AFFECTIBVS RENVM, Cap. IIII.

CAlculi qui in renibus generantur, à viſcoſis craſſiſ-
que humoribus igneo renum calore nimium aſſis
gignuntur. Eſt itaque materialis calculorum cauſa, hu-
mor craſſior: efficiens autem, ignea caliditas, ſicut etiam
in externis videmus. Nam ex igne & tali materia idonea,
figuli omnia vaſa conficiunt, ita vt ne ab aqua quidem
vnquam diſſolui poſſint. Quæ quum ita habeant, procu-
F randum eſt ne materia in renibus craſſior generetur, ne-
que ipſi ignei & intemperati fiant. Niſi enim horum ali-
quod extiterit, nunquam calculus conſtitui poterit.
NOTAE calculi. An autem reuera calculus ſit qui do-
lorem pariat, in hunc modũ diligenter internoſcito. Et-
enim eadẽ accidunt indicia cũ colico dolore cruciatis, tũ
renũ calculo affectis: & præſertim circa initia ſignis æ-
grè diſcernuntur. Etenim in vtriſque vomitus excitan-
tur, ventris retentio, flatus & diſtenſiones vſque ad ſto-
G machum & iecur pertingunt. Etſi verò eadem vtriſque
accidant, tamen artificem medicum non latuerint. Siqui-
dem in colicis multo plures vomitus, & crudi & pituito-
ſi oriuntur, aluus & flatus magis retinentur: in nephriti-
cis non adeò, ſed etiam inter curandum ſæpe excernunt,
interdum citra curationem quoque flatus erumpunt, &
aluus deiicit: quod nequaquam in colico dolore contin-
git. Cæterùm vrinas quoque diligenter conſiderare con-
uenit. nam maximam in his diſcretionem ad amuſſim
inuenire licet. Quippe in colicis pituitoſius copioſiúſque
ſedimentum, in nephriticis minus redditur: & ſi accura-
H tè conſideres, arenoſa quædam in vrinis deprehendes,
quæ colico tentatis non eueniunt: & dolor magis grauis
& vno in loco infixus nephriticis apparet: quod colicis
non accidit. Hoc igitur pacto nephriticos laborantes cal

culo, & colicos internoſcere & diſcernere inuicem opor
tet. CVRATIO calculoſorum. Calculo affecti in
acceſſionibus quidem, medicamentis curari debent
quæ laxare, lenire, & præterea comminuere, & calculum
educere poſſunt. Omnium igitur optimum eſt balneum,
vt quod non ſolùm mitiget, ſed etiam curare poſſit. Nam
colicos frequenter ſolummodo lenit, nephriticos autem
vtraque ratione iuuat. Porro ad loci vnctionem chamæ-
melo ægri vtantur in balneo, & in calida copioſiore ſo-
lióque diutius immorẽtur, nõ ſemel autẽ tantũ die, ſed e-
tiam bis & ter lauare expedit. Sæpe etiam in frigidam,
ſi æſtas ſit, deſcendant: linteis autem iam inuoluti, deco-
ctum cardui cum apio, aut aniſi momento bibant. Sin au
tem dolor perſeueret, & calculi excretio nequaquam ſuc-
ceſſerit, etiam decoctum radicis quinquefolii herbæ
adhuc linteis circundati bibant. Nam valde gratum & ef
ficax exiſtit: verùm extra balneum per ſe & cum oxyme-
lite ſumi debet. Quòd ſi quinquefolii radicis copia non
detur, eryngii decoctum, aut eryſimi & prionitidis plu-
rimum potu proficit. Extrinſecus autem ſacculi ex fari-
nis frumentaceis, maximè etiam decocto chamæmeli, al
theæ, ſertulæ campanæ, & oleo chamæmelino, admouea-
tur, ſed ita vt frequentius mutentur. At ſi farinæ deſint,
panniculis laneis, & ipſis interdum oleo dulci, aliàs cha-
mæmelino imbutis, vtendum eſt: atque ita calefaciendo
variare illos crebrius oportet. Cæterùm aluus clyſteriis
duci debet non admodum acribus, ſed potius quæ co-
pioſius oleum recipiãt, poſſintque laxare & comminue-
re citra acrimoniam. Tale eſt altheæ decoctum, fœnigræ
ci, ficuum ſiccarum, furfurum, chamæmeli, & oleum cha-
mæmelinum. In calidioribus admodum, etiam ptiſſanæ
cremores cum roſaceo, chamæmelo, & luteis ouorũ com
poſiti. Mitigant enim, & bonã locis tẽperiem inſerunt: &
morbi cauſam minuẽtes, eos qui cõtinuè calculoſi ſunt,
ne affectu corripiantur prohibent. Sin dolor permaneat,
& calculus ægrè excernatur, ad valentiora medicamenta
tranſito. Eiuſmodi eſt ſanguis hircinus, quem probè refri
gerare, refrigeratum tundere, cribro incernere, atque ſic
calculo laborantibus exhibere conuenit. Item cicadas ſi-
militer ſiccatas contuſáſque dare expedit: verùm alæ &
pedes ab eis tolli debent: atque ita ipſas ægro exhibere
in balneo, quando iam is in frigidæ ſolium deſcendit.
Commodius autem erit ſi medicamentum ex mulſo aut
condito læuiges. Ne igitur contemnas: eſt enim validũ.
Hæc quidem ſimplicia exiſtunt: ex compoſitis autem
hoc eſt præſtantiſſimum: Spicæ nardi, piperis, ſingulo-
rum vncia: caſiæ, fiſtulæ, coſti, ſingulorum vnciæ duæ. Ex
aqua noctu & mane dato. At efficaciſſimum longéque va
lidiſſimum eſt medicamentum quod ex hircino ſangui-
ne hoc pacto exhibetur: Quum vua matureſcere incepe-
rit, ollæ recenti aquam iniicito, eámque decoquito, vt
quod terreſtre eſt abiiciat: ac hirco iugulato, ſanguinis e-
ius medium olla excipito, ita vt neque eum qui primus
effluxit, neque poſtremum accipias. Ac vbi coaleſcere
permiſeris, minutim in olla ſolum incidito, reticulo au-
tem tenui, aut raro linteo contectum ſub dio exponito,
vt à ſole & luna illuminetur, ac ſicceſcat: cura adhibita ne
madefiat. Læuigatum diligẽter in pyxide adſeruato: quũ
vſus poſtulat, cochleare plenum ex paſſo Cretico dato.
Hoc igitur tale eſt, & nos non pauco tẽpore id ſumus ex-
perti. Cæterùm hircus qui iugulatur, ætate vigẽti eſſe de-
bet. erit autem talis circa annum quartum. Cæterùm fo-
lia fœniculi, grati odoris gratia, amomum, & huiuſmodi,
hirco antequam occidatur, comedenda obiici debent. E-
go autem cũ myrrha Troglodytide cremata, in maximis
doloribus noui me exhibuiſſe, & calculũ grandem quem
comminuerat, per vrinam expuliſſe. Indicabat autem co-
pia ſegmentorum concretam ipſam particulam per lo-
tium fuiſſe redditam. Hoc medicamentum præterquam
quòd comminuit calculos, etiam dolorem lenit, nec alios
ſinit generari: vnde etiam Manus Dei appellatur. At ſi hir
cinum ſanguinem deſideras, vtitor medicamento quod
ex condito paratur. Habet autem in hunc modum.
CONDITVM nephriticum. Spicæ nardi, phu, ſaxifra
gæ, betonicæ, aſari, lini ſeminis, petroſelini, ſingulæ vn-
ciæ coſti, folii, ſingulorum ſemũcia. Cochleariũ pulueris

A in conditum mittito, ac ante horam prandii propinato.
Comminuit calculos, & per vrinam proiicit, vt non am-
plius alios renaſci permittat. DE ANODYNIS.
His & ſimilibus, quum dolor vrget, & calculi impacti ſũt,
ſanitatis tempore vtendum non eſt, ne renes fiant intem
perati. Quòd ſi dolor remanet, & magnum imminet pe-
riculum ne vires à vigiliis & conſtanti dolore deiician-
tur, accedito etiam ad antidota: quæ præterquam quòd
mitigant, etiam ſomnum inducere poſſunt: item quæ ex-
tenuant & calculos comminuunt: quale eſt Philonis, itẽ
B panacea dicta, & theriace nõ antiqua, per ſe vel cum Phi-
lonio mixta. Præſtat enim lenire dolorem, & viribus ita
recreatis, ad valentiora quæ calculos confringere queat,
rurſus accedere. DE SANGVINIS miſſione. At ſi
copiam ſubeſſe aut inflammationem vnà cũ calculi ob-
ſtructione ſuſpiceris, venæ omnino ſectionem prius ad-
hibeto. Ita nanque haud delinques ſi medicamentum of-
feras. Laxatione enim facta, & meatibus rarefactis, multò
magis auxilia quæ adhibentur, propriam vim oſtendent.
Noui igitur etiam vnum ſolum ex prædictis auxiliis ad
C abſolutam morbi curationem ſufficere. Memini autẽ di-
uerſorum, vt penuria vnius altero vti poſſis. Cæterùm li-
cet etiam ex diuerſis id quod congruit pro magnitudine
morbi, viribus, & ægri habitu, inuenire. At in præſidiorũ
copia, quædã calculos ſanè iam factos comminuũt, alio-
rum verò pluriũ generationẽ promouent. nã effectricẽ
calculorum cauſam adaugent, dum renes intemperatos
igneóſque per calefacientia reddunt, vt promptè alios aſ-
ſare calculos poſſint. Ne igitur hoc fiat, ſtudioſè vitari de-
bent admodum calida & acria medicamenta. At ſi neceſ
D ſitas quædã incidat ſemel aut bis hiſce vſus, & conſequu-
tus id quò tendebas, deſiſtere rurſus ab ipſis debes, & nõ
(vt vulgò factitant) vti ipſis per ſanitatem præſeruationis
gratia velle, ne craſſior aut frigidior materia, quæ ad cal-
culorũ generationem idonea eſt, congregetur: ſed contrà
ſtudendum eſt vt bonã temperiẽ cõciliemus, & extenuã-
tibus citra magnum calorem vtamur, quale oxymeli eſt,
adiantum, decoctũ paluſtris aſparagi & graminis, radix
apii & eryngii, & quinquefolii herbæ: itẽ plantaginis ra-
dix & folia, magiſque adhuc ſemẽ ipſius: & cicerum ius,
E glycyſidis ſemẽ, & amygdala. Verùm neque his cõtinuè
vtendũ, ſed tunc ſolùm quũ ſuſpicio quædã fuerit mate-
riam craſſiorem in renibus cõgregari. Bibere autẽ opor-
tet ante omnẽ cibũ aquã tepidã. nihil enim renes adeò
recrementis vacuos tẽperatóſque reddit, vt non amplius
calculos procreare poſſint. nam temporis ſpatio igne-
us ipſorum calor à tepore aquæ extinguitur. Quare probè
faciunt qui bibunt etiam in medio cibi aquam, aut vinũ
refrigeratũ, aut roſaceũ, aut violatũ. Nã cõditum quouis
modo prohiberi debet, quemadmodum etiam hydroga
F rũ, atque omnia quæ ex pipere conſtant: & nõ ſolũ acres
ſed etiã craſſi ſucci cibi vitabuntur, vt halyca, libũ ſumi-
nale, ſimilago, oua dura, placentæ, & quæ ex lacte paran-
tur, ipſúmque lac & caſeus: item vina admodum nigra &
auſtera. Adhæc cauendum ne ægri culcitris indormiant
ex anſerũ plumis confectis. hæ ſiquidem renes valde ca-
lefaciunt. Præterea ne multum ſtent, magis verò ſtuden-
dum vt vel moueantur vel conſideant. Vitandum autem
eſt ne tardè cibũ ſumant, nec eum qui non cõcoquitur, co
pioſũ iſiciũ, & ex piſcibus cetacea, vt thynnos, pelamidas,
G ſcombros, cephalos, & teſtacea, præter pectinem & echi-
num. Ex hoc verò etiam frequenter ſumendũ eſt ſi fieri
poſſit. nam præterquã quòd bonam temperiẽ inducit, e-
tiam vrinæ citandæ vim obtinet. Aſtacum verò & bucci-
num raro aſſumere præſtat: oſtreis in totũ, & pinguibus
carnibus & auibus interdicendũ: ſimiliter etiã earũ quæ
in palude degunt cõtinuus eſus prohiberi debet. Aſſumi
verò & anſerũ alæ, & ex auiculis nõ pingues, paſſerculi vi
rides, pyrgitas, *à turribus in quibus nidificatur ita uocatos*,
& ſimilia. Ex fructibus comedant, & cucumerum, primã
H maximè medullã, peponúmq;. Ficus autẽ ſiccas & virides
aſſumãt, vuámq;, mala duracina, pira nec copioſè, nec cõti
nue. Hæc generatim mẽbratimq; ſecũdũ methodũ ſciẽti
ficã expoſita tibi ſũto. Quoniã verò aliqui etiã veterũ q
naturalia de contraria rerũ facultate ſcripſerunt, nõnul-
la quæ calculos iam factos præter opinionem abſtergere

A promittant,& in poſterum non amplius gigni concedāt, prodiderunt, neceſſarium duxi,quædam eorum enumerare,præſertim virtutis ſtudioſorum gratia, vt hominem conſeruent,morbúmque ſuperare poſſint.Honeſtū enim eſt morbum vincere ,& omni machina ægris ſuccurrere. Præterea etiam diuiniſſimus Galenus, qui ne eſſe quidē incantationes putauit, ex longo tempore multóque vſu plurimum ipſas poſſe deprehendit. Audi igitur verba ipſius quæ de medica Homeri tractatione reliquit. habēt autem ea in hunc modum, Nonnulli igitur putant incā-
B tationes,anicularum fabulis eſſe perſimiles, quemadmodum ego quoque diu exiſtimaui : temporis autem proceſſu,ab iis quæ euidenter apparent perſuaſus ſum vim in ipſis eſſe.nam in percuſſis à ſcorpio,adiumentum ſum expertus. nihil autem minus etiam in oſſibus gutturi infixis,quæ incātatione ſtatim expuebantur. ac multa præclara ſingulæ habent incantationes, quum inſtitutum cō ſequuntur.Si igitur diuiniſſimus Galenus & alii plerique veterum teſtantur, quid prohibet nos quoque,quæ experiētia cognouimus,& quæ ab amicis ſinceris accepimus,
C hæc vobis cōmunicare?Multa igitur ſunt & alia, ſed nullum ita vt annulus ex ære Cyprio cōfectus. habet autem in hunc modū. NATVRALIA. Æs Nicanū aut Cyprium,quod igni in totum non admotum fuerit, accipito: quod in ipſo metallo æris inuenitur,veluti teſſerā facito,vt in digito appareat: & vbi in ea inſculpſeris leonē, & ſemilunam,& ſtellam,huius circulo nomen beſtiæ cōſcribito, & incluſam aureo annulo geſtato in minore digito medico,iuxta minimum.

DE INFLAMMATIONE RENVM, Cap.V.

D Quòd ſanè inflammatio in vniuerſum ex copia materiæ in particulas præſertim carnoſas influentis generetur,omnibus in confeſſo eſt: ac conuenit hoc ſcienter perpendere,num id quod influxerit,ſola copia, an qualitate tantùm, aut vtroque ſimul offendat: copia quidem,vt quum ipſe ſanguis probus eſt & ob nihil aliud quàm ſolam abundantiam,obſtructionem excitat, particulā diſtēdit,& in ſublime attollit : qualitate autem ſola, vt quū exiguus exiſtit, bilioſus,& nimis acer,aut craſſus viſcoſuſque,aut terreſtris & melancholicus.Sin autem etiā copio-
E ſum ſit quod influxit,malique ſucci,tunc particulā vtroq; modo offendi contingit,& à copia diſtēdi, & à qualitate ipſam infeſtante affligi.Quare conſiderādum eſt num ex toto corpore influat, an à quadam ſuperiore particula, vt liene, iecore,aut alia . hinc enim maximè variat curatio. Nam ſi totum corpus videatur plethoricum, *hoc, eſt omnibus ex æquo ſuccis repletum*, toti proſpicere prius oportet, deinde parti : ſi quidē ſanguis ſuperare videtur, venæ ſectione: ſin autē vitioſus quidam humor, purgatione quæ humorē præpollentem educere poteſt. Hæc autem fieri
F debet vbi tutò illum cibo antea tractaueris,& ſolutu facilem paraueris, ptiſſana,piſcibus, intybis,& omnibus humectantibus contemperantibúſque:ſin autem craſſus ſanguis fuerit, & nihil habens acre, cibis ex oxymelite, & decoctis extenuantibus incidentibúſque.Verum quū magna ex parte ea quæ incidunt,etiam rodant,partéſque inflammatas irritent, curandū eſt omnino vt quæ roſionis expertia ſunt deligantur. Sunt itaque & alia incidentia, quæ nihil acre neque moleſtum obtinent: verùm nullum adeò vt aquoſa mulſa.Poſtquā igitur craſſa prius ita exte-
G nuaris,vel acria contemperaueris, tunc eorum purgationem quæ offendunt molitor, ſi tibi vtraque ratione peccare videatur, & ſola virtus vitioſum humorem euincere ac ſuperare nequeat. Fugere nāque omnia hæc oportet quæ inflammare poſſunt & purgare, partes inflāmatas purgare:quia cautio eſt,præſertim inter initia,& quū humores adhuc ſūt crudi,& inflāmatio feruet.At nullā adeò partem offendere poſſunt vt renes & veſicā. nā recremēta prōptè in ipſa potius recipiunt quàm aliquid ex eis diſcutiatur,niſi cōcoctio eius quod inflāmatur,& totius ma-
H teriæ fieri deprehēdatur. Ita ſanè, ſi multa ac vitioſa materia tibi appareat, agendū eſt.Sin autē nō multa in toto corpore eſſe videatur,ſed potius exigua & acris,feruénſque,vitari debēt vrinā cientia,etiāſi nō rodant, & mulſa: vtendū autē magis aqua tepida copioſiore, quæ acrimoniā obtundit,& roſionem eluit, atque in corpore diutius

A remanēs,caliditatē extrahit,& dolorem mitigat qui magis fluxionē promouere ſolet.Quare ſi acrimonia offendat,non verendū eſt liberaliorē potū offerre. nā hæc copioſior iflāmationes ex acrimonia prouenietes iuuat.Eas enim quæ ex copia materiæ contrahuntur, vrinæ mouēdæ efficacia non admodū opitulātur. Quippe alia quoq; materiam craſſiorē cū vrinis ſimul in affectas partes attrahunt : quæ quū tranſitum non inuenit, in ipſis affectis locis immoratur. DE AVXILIIS loco inducendis.
B Extrinſecus ſanè refrigerantia admouere,præſertim inter initia,&feruente adhuc inflāmatione,cōuenit:ſi quidem id quod inflāmationē excitat, bilioſum fuerit.Multa igitur ſunt quæ hoc præſtare queāt: ſed nullum adeò efficax vt ceratum,quod recipit roſaceum,& aceti paulū,ſuccúmque polygonii aut portulacæ.At in morbi incremento etiā diſcutiēs aliquod admiſcendū eſt,vt chamæmelū,aut recentes adipes,aut medicamēti διὰ χυλῶν modicum.Declinatione autē facta, etiā ea miſcebuntur quæ plus diſcutiant.At ſi materia quæ inflammationē excitauit,craſſior tibi appareat,iuuandū eſt extenuantibus citra roſionē,&
C extrinſecus chamæmelo,& cataplaſmate ex hordeacea farina, & lini ſemine,decoctis in iure chamæmeli, ſertulæ campanæ, abſinthii,altheæ,& momento ſapæ. Caue autē ne multo fotu partē calefacias,ſed mitiore calefactione vtitor.Quemadmodum igitur multa calefactio vitanda eſt, ne materia quæ in parte inflāmata continetur, in pus conuertatur:ita etā renum inflāmationes iis quæ multum refrigerant, ſæpe quamprimū indurantur. Quare omnia extrema vbique fugienda ſunt,præſertim in renib⁹ inflāmatione tentatis.Balneis ſanè,priuſquam copiam va-
D cuaueris,vti properādū nō eſt: vbi verò toti corpori proſpexeris,etiam balneis excalefacientibus tutò vteris.

De inflammatione renum in pus conuerſa.

Inflammationem quæ in pus conuertetur, prius hinc internoſces quòd nulla occaſione oborta febres aut perfrictiones quædam citra rationem & inordinatè ſuperueniant. nam dum pus generatur, dolores febréſque magis eueniūt quàm quum generatū eſt.Deinde ad hoc, quòd æger quum in ſanam partem inclinat,grauitatem magnā ex affecta potius ſentire ſe dicat, ac anteaquā inflamma-
E tio in abſceſſum perueniſſet. Cæterùm etiamſi pus apparuerit,non aliunde ipſum excerni ſuſpiceris niſi ex renibus. Etenim dolor qui anteceſſit, & grauitatis ſenſus,exquiſitam internotionem, & indubitatam demonſtrationem ſimiliter repræſentant.Quādoquidem verò ex aliis quoque locis compluribus pus excernitur, omnia tibi ſigna manifeſtè exponam quibus id deprehendere licebit, ex quibuſnam illud, à renibúſne an veſica, an vrinariis meatibus,an etiam à pulmone,vel alia quadam particula, ſiue reſpirationi,ſiue nutritioni dicata,prodeat.etſi enim
F rarò, tamen ex ipſis quoque pus excernitur. Quod igitur pus à ſuperioribus partibus effertur, omnino cum vrina ipſa accuratè permixtum inuenitur : ſin autem ab inferioribus excernatur, etiam ſedimentū in fundo matulæ potius ſubſidere deprehendes. At ſi ex mediis particulis feratur,media quoque puris miſtura & non exquiſitè permixta apparet. Obſeruato autem ea quæ vrinis permixta ſunt,& in eis feruntur : vt quæ prorſus locum affectum tibi indicent. Si nanque ex veſica proueniant, par-
G ticulas laminis ſimiles in vrina ferri reperies:ſin à renib⁹, carnoſas.Cæterùm etiam dolor peculiaris,& quæ præceſſerunt,& omnia quæ ſimul comitantur, tum locum affectum,tum morbum indicabūt, reddéntque valde manifeſtum. DE CVRATIONE. Qui pus excernunt,lenibus & abſtergentibus curandi ſunt: ex quorum numero eſt etiam mulſa aquoſa, & cremor ptiſſanæ,cum modico melle:item adiantum, & ſemen cucumeris cum chryſattico.Adhæc paſtillus διὰ φυσαλλίδων, *hoc eſt ex ueſicariis*, & lac aſininum, præſertim iis qui vlcere in veſica laborant, necnon bolus Armenius, potu proficiunt :inſuper
H equiſetum,& præterea gramen valde conferunt. Vrinarii verò meatus vlcera granulis vel paſtillis citra roſionem ſiccantibus magis quàm extenuantibus curantur. PVLVIS nephriticus,ad vrinæ difficultatem & calculum.
Altheæ ſeminis,lini ſeminis, vtriuſque ſemuncia : vrticæ ſeminis ſcrupuli ſex, ſpicæ nardi,carpobalſami, ſingulorū

ſcrupuli ſex: paliuri ſeminis ſemuncia,vitri vncia. A-LIVD,quo etiam ipſe vſus ſum. Agarici vncia,altheæ ſeminis ſemuncia,lini ſeminis tantundem, vrticæ ſeminis, carpobalſami, paliuri ſeminis, vitri, ſingulorum ſcrupuli ſex. Dato ex puluere ſcrupulum cum chryſattico:aut eryngii, graminis,cucumeris ſeminis,& atractylidis herbæ decocto. DE VICTV. Obſeruari etiam victus omnino debet:& non vt vulgò, ſolis medicamentis confidēdum.Idoneus igitur eſt cremor ptiſſanæ, & auenæ, ſolus cum chryſattico,aut roſato, aut mulſo,aut paſſo Cretico,aut Ladaceno,aut Scythopolito.Quòd ſi verò æger non libenter dulce vinum bibat, aut hydromelum, aut Cnidium,aut Sareptinum,aut Tyriū aſſumat,ſed modicum.Copioſum enim vlceribus fluxionem inflammationémque excitat. Vtiliſſimæ his ſunt vuæ paſſæ cometæ, amygdala, nuces pineæ cum paſſo, ſi calculis non laborant: (ſolet enim in renibus eos generare) item oua gallinarum cohortalium tepida & molliſſima ſi edantur, valde proficiunt.Ego ſanè noui quendam qui oua,quamprimum eſſent poſita,ſorbebat citra coctionem:dicebátque ſe plurimum adiuuari,& roſiones ac dolores qui circa veſicam oriebantur,mitiores fieri,vt ferre poſſet, affirmabat.Adhæc erinacius lotus,ſi per ſe,aut cum chryſattico,aut hydromelo dulci comedatur:item pectines elotæ, & aſtacus,in alia atque alia aqua, poſtquam purgatus fuerit,decoctus,vtiliſſimè ſumitur. Ex oleribus autem intybus,& braſſica ter cocta ex vino comeſta,niſi id quod effertur pus, acrius fuerit & rodens. Iam lupini ſalis expertes conducunt,quum vim calculi confringendi vlceráq; abſtergendi habeant. item germina fœnigræci eſu proſunt:adhæc cuminum ſatiuum modicè ſumptum. Caſtaneæ autem elixæ aut aſſæ valde cōferunt, præſertim quū id quod effertur, tenue & bilioſum extiterit: quum verò craſſum & impactum vt vix excerni queat, à cibis craſſi ſucci abſtinendum.

QVOMODO VRINAE STILLICIDIVM agnoſcatur, curetúrque.

SI acrimonia quædam in vrinis & totus habitus ad acriorem bilioſiorémque fuerit conuerſus,coniiciendū prorſus eſt, ſtillicidium ob roſionem quæ ex acrimonia prouenit excitari: ſin autem nihil tale fuerit, ſed contrà & vrina magis alba appareat,& ea quæ præceſſerunt,frigidiora, tum victus,tum balnea, frigida potius intemperies veſicæ cauſari debet,quæ vrinam non ſinit euincere. Hæ quidem ſtillicidii cauſæ ſunt,quibus illud efficientibus curatio conuenienter adhibenda eſt.Si quidem acrimonia fuerit,humectantibus & contemperantibus,nullo calido aut ſalſo vtendum eſt. Omnino igitur ptiſſana his vtilis eſt per ſe,& cum modico hydromelo,aut chryſattico: interdum etiam cum lacte, vbi magna pars acrimoniæ finierit. quoniam lac corrumpitur ſi qualitate ſicca & acri præpollente multum exhibeatur.His apta ſunt etiam continua balnea,& aqua tepida ante cibum,& cucumerū medulla,& pepon,& germina fœnigræci,& vua dulcis,vinúmque dulce, quale eſt Bithynum.In ſumma,quæ contemperare poſſunt,& obtundere acrimoniam.

De ſtillicidio ex frigiditate.

At ſi ſtillicidii vitium ob frigidam intemperiem fieri contingat,iis quæ calefacere poſſunt,& in victu,& in medicina,vti neceſſe eſt. Vinum igitur calidius his eſt idoneum, mulſum,abſinthites & aniſatum,potu & eſu. Inter olera,apium,porrum decoctum,daucus,& quicquid citra roſionē calefacit. Vnctione verò vtantur, anethino aut gleucino,aut marciato,& aquis naturalibus.Interdū ſcordii & artemiſiæ decoctum ad ſtillicidium & difficultatē vrinæ bene facit,vbi nō eſt multa acrimonia aut inflammatio. QVOMODO difficultas vrinæ agnoſcatur curetúrque. Vrinæ difficultas partim cum dolore, partim ſine dolore oritur. Si igitur vrina vix & cum dolore excernitur, ſcire licet veſicam morbo laborare: ſin autē cū roſione vehementi etiam pus excernatur, & citra grauitatem, vlcus eſſe in veſica ſuſpicandum eſt. Si verò grauitatis ſenſus quidam fuerit obortus,ſuſpicabimur magis aut inflammatione aut abſceſſu ipſam infeſtari. At ſi abſque grauitate dolor aut diſtenſio ſola in veſica percipiatur, cognoſcito retentionis cauſam eſſe ſpiritum copio-

A ſum ac flatulentum. Si æger nullum dolorem, aut tumorem,aut diſtenſionem circa veſicam ſentiat,ſcito obſtructionem,aut inflammationem, aut calculum in renibus vel meatibus vrinariis exiſtere. Quomodo autem internoſci omnia & curari debeant, antea explicatum eſt,quū de renum inflammatione, abſceſſu,atque aliis eorum affectibus diſſerebamus: atque eadem nunc repetere ſuperuacuum. Attamen vt facilè inuenias,hic quoque nonnullorum mentionem faciemus. Ad obſtructionem vrinarum quæ ex viſcoſis humoribus naſcitur,bene facit e-
B tiam compoſitum oxymeli & mulſa, & decoctum rhamni quod ex radice ipſius fit: item origani decoctū mirificè iuuat: ac magis adhuc ſi magna obſtructio fuerit, vt vrinæ retineantur, efficax eſt corticis tithymali decoctum, incidit, & aperit. Vbi verò inflammatio eſt,his abſtinendum: lenibus autem & concoquentibus vtēdum eſt, qualis habetur etiā aquoſa mulſa, & quæ inflammationes,ſi extrinſecus applicentur, maturare ſolent. Ad renum calculos,ſi magni ſint, vt per eos vrinarum facta ſit retentio, pulchrè auxiliatur pæonia herba
C ex mulſo pota. Datur autem ex radice ipſius ſcrupulorum duorum aut trium inſtar. Item quinquefolii decoctum magis proficit,& eryſimum,& ſerpyllum ſiccum, & medicamentū quod ex hircino ſanguine & cicadis conficitur.Omnia verò hæc etiam veſicæ calculos peculiariter confringere credita ſunt. Compoſitorum quoque mētionem iam fecimus.

DE CALCVLIS IN VESICA NASCENTIBUS, Cap. VII.

EOdem modo calculi in veſica naſcentes,quo etiam ii qui in renibus proueniunt,per circuitus infeſtāt. Ve-
D runtamen veſicæ calculi pueris magis quàm viris generantur: neque à tanta caliditate, ſed materia potius craſſiore,& ad gignendos calculos, promptéque ab inſita caliditate concreſcendos, idonea.Proinde craſſitiei potius per extenuantia occurrendum eſt,ne multa materia craſſa congregetur:quam meritò parit colligitque & voracitas inordinata, & commotiones corporis poſt cibum factæ. INDICIA calculi ex vrinis. Vrinæ crudæ & colore ſubalbidæ conſpiciuntur,ſedimentum eſt arenoſum,
E & ſcabiei ſimile.præterea ægri naturalia ſcalpere, aut ea violenter & ſæpe diſtendere ſolent, atque tunc magis quum ad vrinarum excretionem vrgentur. CVRATIO. Medicamenta igitur valida ad veſicæ calculos etiam antea ſunt explicata. dicentur autem nunc quoque efficaciora adhuc,longóque tempore & experiētia prius inuenta & comprobata. Sanguis caprillus,ſi extrinſecus illinatur,calidus maximè confert: commodius autem eſt ſi etiam ſuper veſicam ſanguinem hirci imponas: longè verò optimum ſi in calido balnei aere illinas, atque ita
F deliges. Valet autem ipſum non modò ſemel, ſed etiam ſæpe,& per interualla. SCABIOSAE veſicæ indicia.

Scabiem veſicæ inde notato quòd furfuraceæ quædā particulæ in vrinarum liquore appareāt:diſcernes autem eas ab iis quæ ex venis deferuntur.Etenim & venæ, nonnunquam etiam totum corpus, ſubinde tāquam ſcabiem quandam in febribus immoderatis, *quas κνύσεις dicunt*, ſuſtinent,ac efferuntur ex eis furfuracea.Siquidem igitur vrina tenuis ſubſtantiæ fuerit, & magis acris,ſcito veſicæ ſcabiem eſſe. Curari debet purgantibus,& poſtremò ſic-
G cantibus, vlcúſque ad cicatricem perducentibus. Eſt igitur affectus difficilis, & propè inſanabilis,vt nullum aduerſus ipſum valeat medicamentum. Attamen auxiliari oportet,& nō deſperare,ſed victu,medicina,& omni modo ſuccurrere conuenit. Itaque lac aſininum cōtinuè datum,his admodum opitulatur.Huius autem inopia,etiam caprillum datum, & potu & eſu,non ſolum,ſed etiam cū quodam frumentaceo aut pane, aut ſimilagine, aut libo ſuminali, aut halyca,aut chidro. Proſunt his etiam oua molliſſima, & peponum cucumerúmque medulla. In ci-
H bo autem nuces pineæ recentes, vuæ paſſæ, & ſemen cucumeris,item quæ ex huiuſmodi parantur: ita vt participent etiam anodyna,aut cicutam,aut opium,propter immodicum dolorem. Verùm non vtendum eſt adeò frequenter anodynis,niſi pro virium ratione. MEDICAMENTVM ad ſcabioſos veſicæ affectus & difficulta-

tem vrinæ & inflammationes efficax. Nuces pineæ viginti, cucumeris ſatiui ſeminis grana quadraginta, amyli, ſpicæ nardi, ſingulæ drachmæ: apii ſeminis drachmæ decem. In aquæ ſextario nardus & apium coquuntur: deinde decoctum miſcetur prædictis. Dantur cochlearia duo.

DE DIABETE, Cap. VIII.

Diabetes appellatur quum vrina immoderatius excernitur, frequẽter ſimulatque potus aſſumitur: quale etiam lienteria affectis accidit, vt cibi excernantur, & ne paululum quidem in ventriculo euinci alterarique & corpus nutrire poſſint. Quare aliqui non diabetem modò affectum nominant, ſed etiam in vrinas profluuium, eo quòd potus ſtatim profluit. Quoniam verò immoderatè ægri ſitiunt quum humidum omne excernatur, affectum etiam Dipſacum nuncuparunt. Talis igitur eſt, & variam appellationem ſortitur. Fit autem ob retentricis renum facultatis imbecillitatem, & propter attractricis robur, quæ ob caliditatem non humores ſolùm venarum, ſed etiam totius corporis, immoderatius attrahere compellitur. Quapropter aduerſus hanc quoque intemperiem pugnandum eſt, atque ſic tota curatio tentanda, refrigerando quidem partem, & confirmando: contemperando autem totum corpus & humectando. quoniam id neceſſariò ſiccum ob largam vrinarum excretionem deprehẽditur. Cõuenit igitur potionem his ampliorẽ ſolita dare, vt neque in totum ſitim fieri permittamus: & cibi qui difficulter conficiuntur, vt ne facilè in vrinam cõuertantur, attenuentúrque. Nam iecur calidius acriúſque euadens, ventrem ſicciorem efficit, dum ciborum humiditatem attrahit & exhaurit. quare his neceſſariò datur copioſior cibus & craſſus, vt perdurare poſſit. Itaq; halyca his aptiſſima; ſi cum roſato, aut chryſattico, aut rhodomelo, aut hydromelo, aut modico Sareptino, aut Tyrio, aut Cnidio ſumatur. Ex oleribus intybi, aut troxima, aut lactuca. Inter carnes vulua, & omaſum, pedes præſertim bubuli aut roſtra. Ex piſcibus, iſicium, orphus aut alius quidã dura carne præditus: item peponum caro ſemine eiecto, & mala admodum dulcia. Fugere autem oportet ſalſa omnia & acria: nullúſque in iuſcula coniiciat aut aniſum, aut cuminum, aut omnino eiuſmodi aliquod ſemen, vel ea quæ vrinas prouocant. Item erinacium aſſumere cauendũ eſt, aut amygdala, aut piſtacia, aut ficus ſiccas, aut palmulas: caſtaneas verò comedere alienum non eſt.

DE SEMINIS PROFLVVIO, Cap. IX.

Seminis profluuium accidit interim à copia ipſius, facultatem retentricem in vaſis ſeminariis contentam grauante, vt ſemen non amplius retinere poſſit: interim ex ſeminis acrimonia & tenuitate. Inquirendus igitur eſt & ſeminis color & ipſius ſubſtantia, adhæc cauſæ prægreſſæ, tum victus, tum ſuperior vita. Si igitur venerem exercere conſueuerit, & crebriore vti cõcubitu, nunc autem continentius & purius innocentiúſque degat, ſine dubio à copia id ſuſtinet, dum particulæ illam ferre nequeunt: ſi autem nihil tale fuerit, ſemen autẽ quod excernitur, biliosius multóque acrius eſſe appareat, ſcito geniturã magis ob tenuitatẽ irritari & defluere: magna autem ex parte etiam ob retentricis facultatis imbecillitatem ipſos comitatur. CVRATIO. Quum igitur genituræ profluuium ex copia prouenit, omnino abſtinendum eſt copioſis cibis, præſertim qui generant bilem & ampliores flatus, irritántque materiam, vt procliuius foras efferatur. Multa autem eiuſmodi ſunt tum inter cibos, tum inter medicamenta. Inter cibos quidem nuclei pinei, fabæ, cicera, bulbi, eruca, rapa, & præſertim ſemen ipſius potum,

A quemadmodum & dauci maioris ſatiui ſemen, & mẽtha.

QVAE medicamenta ſemen gignant. Quæ inter medicamenta ſemen gignunt, etiam ad venerem incitant. Vrticæ ſemen potum, & coſtus ex mulſo, venerẽ mouet: orcheos radix (quam nonnulli teſticulum canis appellant) maior, potu libidinem promouet: item ſatyrium & ſcincorum partes quæ circa renes habentur, tanquam naturalibus arrigẽdis efficaces bibuntur. QVAE ſiccẽt genituram. Hæc igitur eorúmque ſimilia vel in cibũ coniicere, vel omnino bibere cauendum eſt: eſſe autem B oportet quæ naturali vi copioſioris ſeminis procreationi aduerſantur, ſemẽnque potius extinguũt: ex quorum grege eſt viticis ſemen torridum, & non torridum: necnon folia & flores ſubſtratu idem præſtare poſſunt: lactucæ ſemen ex aqua potum eadem efficere, & genituram cohibere ſolet: vnde etiam venerem ſomniantibus exhibetur. ſimiliter canabis quoque ſyluatici ſemen genituram deſiccat ſi ſubinde potetur. Orcheos (quã nonnulli canis teſticulum vocant) minor radix, potu ſemen cohibet: plum- C bum lumbis impoſitum venerem ſomniantes iuuat, nymphææ radix & ſemen, veneris inſomniis opitulatur. Quibus autem immoderatius profluit, iis ex vino nigro auſtero pota prodeſt. Item periclymeni folia & ſemẽ genituram deſiccant, ac nõnullos aiunt multo huius potu infœcundos fieri. In vniuerſum igitur refrigerantia & ſiccantia, in quibus eſt ſeminis copia, & facultas retẽtrix infirma, deligi debent tum in cibis, tum in medicamentis: vitari autem flatuoſa quæ etiam calefaciant. Flatus expertia commendantur quæ ſimul non valde calefaciunt. At ſi tenue & acre ſemen eſſe contigerit, danda quidem ex D prædictis medicamentis quæ refrigerant ſiccántque, maximè verò cibus obſeruandus eſt. Nam hi contemperantia refrigerantiáque, & balnea temperata requirunt, vt genitura ſenſim craſſior & temperata reddita, non amplius effluat. Rutam quoque, quum calida ſit, genituram craſſam reddere compertum eſt. Quare etiam ad cõtinua veneris inſomnia & ſemen conſumendum proficit: & tota ipſius ſubſtantia non ſolùm temperamento, peculiariter ad hoc valet.

DE PRIAPISMO, Cap. X.

E Eadem etiam in priapiſmo laborãtibus tentanda ſunt, abſtinendúmque à cibis calidioribus, qui materiam in ſpiritus reſoluunt, & aperiunt arterias tendentes in pudendum, quod fiſtuloſum exiſtit, & ſpiritibus qui ipſum diſtendere & inflare poſſunt, ſuſcipiendis aptum. Quare non ſolùm calefacientibus, ſed etiam viſcoſum humorẽ parientibus, aut multi ſeminis efficacibus, ægrum abſtinere cõuenit: necnõ omni ſpectaculo ac turpi conſuetudine & imaginatione: vt omnis motus qui naturã ad memoriam renouandam incitare poteſt, vndiquaque circũ- F cidatur. Multi igitur hoc quum obſeruaſſent, in totum affectu liberati ſunt. Qui verò præter victum calidum humidúmque, quo ſemẽ rurſum gignebatur, etiam à turpibus deſideriis non ceſſarunt, hi poſt mortem quoque, rectam intenſámque habere particulam deprehenſi ſunt. Itaque ceratum roſaceum cum aqua frigida & paulo aceti ſubactum his auxiliatur. Valde autem frigida, præſertim quæ aſtringunt & torporem inducunt, cauere oportet, ne affectus difficilis ad diſcutiendum reddatur. Bibãt verò quæ genituram infirmare poſſint, præſertim nym- G phææ ſemẽ & radicem. nam naturali vi his aduerſari nõ ſolùm temperamento quodam, ſed etiam tota ipſius ſubſtantia, obſeruatũ eſt. Motu vtãtur ægri, & frictione partium ſuperiorũ: item alteribus & ſphæra exerceãtur, quò materia in diuerſum retrahatur, & ſpiritus flatulentus digeratur.

ALEXANDRI TRALLIANI

Liber X,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

DE COLICO AFFECTV, Caput I.

GRAVIS quidam morbus & dolorificus, colicus affectus exiſtit: præterea etiam difficulter internoſci poteſt. Ac quòd quidem vehementes cruciatus inducit, meritò id colo, *id eſt pleniori inteſtino*, accidit: quia denſum ſit, craſſum, & neruoſum, ac nihil quod in illud confluit, facilè diſcuti poſſit, quemadmodum in tenuioribus inteſtinis. Ægrè verò internoſcitur rurſus, eo quòd aliis etiam particulis eiuſmodi accidentia, cuiuſmodi colo dolentibus, eueniant. Ne igitur in curatione quiſpiam aberrando fallatur, neceſſe eſt nouiſſe nos, & prius diſcernere, colúmne ſit quod afficitur, an alia quædam particula, & qui in eo affectus contingant, & quomodo ſinguli priuatim debeant internoſci. Neque enim vnus quidam affectus in eo conſtituitur, ſed multi & diuerſi. Nam huiuſmodi morbus ex frigidis humoribus, & bilioſis, vel pituita in ſubſtantia ipſius proueniente, aut aliunde influente, item ob inflammationem, ſicci ſtercoris retentionem, flatuum copioſiorum craſſiorúmque peruicaciam, & ob alia infinita, non modò primario affectu, ſed etiam vicinarum ei particularum conſenſu generatur, nempe veſicæ inflammationem experiuntis, renum, iecoris, lienis, ſepti tranſuerſi, ventriculi, & ilium. Verùm alui & inteſtinorum retentiones conſortii lege incidentes, colicos affectus nominare non conuenit, quorum, vbi de eileo (quod nõnulli etiam chordapſum appellare cõſueuerunt) mentionem faciemus. Nunc enim inſtitui morbos qui primario affectu in ipſo ſolo conſtituuntur, perſequi. Quoniam verò affectus qui colo & renibus dolentibus incidunt, magnam habent ſimilitudinem, vt nonnunquam etiam eruditi medici in diſcernendis ipſis laborent, neceſſarium eſt de hoc primùm tractare, quomodo ſanè inter ſe reſpondeant, qua autem re differant: vt diſcreto ac notato vtroque affectu, nullum in curando errorem committamus.

QVOMODO colicos à nephriticis diſcernamus. Primùm ſanè colicis dolores magis continui & validiores quàm nephriticis incidunt: deinde etiam vomitus copioſiores, magis continui & pituitoſi: item venter his multo magis quàm nephriticis aſtringitur, vt neque flatus omnino tranſire poſſit. Non enim dolor circa ipſum colum modò in eo affectu excitatur, ſed etiam alias vicinas particulas comprehendit: interdum verò totum quoque ventrem: quod in nephriticis non accidit. nam dolor in ipſis incitatus, non alios atque alios locos inuadere conſpicitur. Quapropter manifeſta etiam hinc differentia quam cum nephriticis habent, eſto. Cæterùm vrinæ ſimul craſſiores quidem in colicis, aquoſæ verò in nephriticis per initia videntur; proceſſu autem temporis arenoſæ: quod in colicis non accidit. Adhæc in colicis quidem ſimulatque ventrem excernere contigerit, protinus etiam dolor conquieſcit: quod in nephriticis non comitatur, ſed etiam poſt excretionem nihil minus remanere videtur. Atque hoc ſanè modò ipſi diſcernuntur, conuenítque vt animaduertentes ea, & accuratè internoſcentes, ita ad curationem perueniamus. Nam ſi in tantis affectibus temere medicamenta adhibere audeamus, maximorum malorum, interdum etiam mortis authores erimus. Cognoſces autem hoc pacto affectus qui colo quoque diuerſis rationibus incidunt.

De colico dolore ex frigido humore contracto.

Quum igitur frigidus morbus exiſtit, aut pituita inteſtino inſidet, grauitatis circa ipſum ſenſus oboritur: ægri citra febrim degunt, & ſtercus ipſis quum excretum fuerit, bubulo ſimile videtur, non ſubſidens in matula, tanquam à ſpiritu geſtatum: ac plerique ipſorum humorem excernunt pituitoſum, & potius vitreum. Hæ ſanè ipſorum ſunt notæ. Cæterùm cauſæ etiam prægreſſæ adhuc firmiorem exhibebunt tibi internotionem. Nam magna ex parte præcedit ipſos continuus frigidorum ciborum, & potionum, balneorúmque intempeſtiuorum vſus: necnon otium & repletio. Hæc ſanè notatio eorum eſt qui ob frigidam intemperiem colico laborant. Deinceps autem de victu ipſorum totáque curatione pertractare oportet.

B Panis itaque his aptiſſimus eſt ſiligineus, qui ex iure radicis apii, vel anethi, vel cumini, vel aniſi coquatur, recipiátque vini modicum quod tenuis ſit ſubſtantiæ. Nam dulcia omnia & aſtringentia multa, aduerſiſſima ipſis ſunt & nocentiſſima. Noui autem me panem ex condito quod plurimum piperis haberet, exhibere iuſſiſſe, ac maximum attuliſſe iuuamentum.

DE OLERIBVS. Ex oleribus, eſſe ipſis conducit apium, & porrorum coctorũ capita. Salutaris his eſt etiam caucalis, & paluſtris aſparagus, item porra valde copioſa. Norũt autem C hoc omnes, ipſa edocti experientia, non paruam ex ipſis vtilitatem prouenire: atque ideo vulgus quamprimùm dolorem aliquem in ventre percipit, ne interrogans quidem medicos, ſtatim hæc offert: præſertim agricolæ loco maximi medicamenti hoc cibo vtuntur.

DE AVIBVS. Ex auibus, columba, perdix, & gallina cohortalis conuenit. breuiter quæ non ſunt excrementitia, nec pinguia, ea mediocriter eſſe conuenit. Habeat autem horum ius aniſum, aut cuminum modicum, aut porrum, aut apium incoctum, aut piper.

D DE PISCIBVS. Piſces proſunt ſaxatiles, qui & ipſi ſemen aliquod flatibus digerendis idoneum adiectum habeant. Si verò etiam cum alliis libenter ægri aſſumant, permittendum ipſis eſt. hoc enim modo alimentum ex eis proueniens, à flatibus alienum, & minus noxium erit.

DE CARNIBVS. Carnibus, ſi fieri poteſt, donec in totum curati fuerint, abſtineant: ſimiliter etiam leguminibus. Ptiſſanam verò ipſos aſſumere alienum non eſt, vbi aliquid flatibus diſcutiendis efficax ſimul concoctum fuerit: vt radix apii, aut coma porri, aut E pulegium, aut origanum, aut aniſum, aut piper, aut amygdala. Vbi enim ſic coquitur, vim refrigerandi amittit: diſcutiendi autem flatus, abſtergendique & extenuandi largius excrementa, aſſumit.

DE BELLARIIS. Inter bellaria conuenit his amygdala aſſumere, præſertim ſuccum ipſarum, adiecto paulo mellis & piperis. Sic enim craſſa viſcoſáque recrementa magis adhuc extenuari poterunt.

DE VINO. Vinum ſit album, quod facilè in corpus diſtribuatur, aſtrictionis expers, detúrque potiſſimùm quibus flatuum copiam vehemẽtem F dolorem excitaſſe conſiderauimus. His enim, etiamſi ipſum meracius exhibeas, magis opitularis.

DE VINIS factitiis, quæ propomata dicuntur. Ex factitiis vinis, quæ propomata appellant, præſtantiſſimum eſt conditum, & apiatum, aut aniſatum, aut liguſticatum, aut abſinthatum, aut citratum, aut maſtichatum, omnia enim hæc ob frigidos humores dolentibus mederi poſſunt.

DE BALNEO. Continua dulcis aquæ balnea nihil adeò doloribus ex frigiditate aut craſſis humoribus excitatis conferunt. nam huiuſmodi G aquis illi mitigantur tantùm, non curantur. Didicimus autem dulcium aquarum facultatem, refrigeratoriam qualitatem & humectantem potius obtinere. Quare etiam aer calidior præparari debet, & calentis aquæ ſolium: item affecti loci calidioribus vnguentis illiniri, aut anethino, aut gleucino, aut marciato, & ſuperinſpergi nitrum, aut ſinapi: partéſque affectas & totum corpus ſenſim perfricari decet. Sin autem oblectentur ægri, permittẽdum etiam vt marmoribus ignitis fouean-

tur: nam hoc faciendo, & iuuantur ſimul, & leniuntur dolores. Quòd ſi in naturalibus quoque aquis lauare velint, magis adhuc curantur, & in totum conſaneſcunt, præſertim ſi fuerint ſulphuratæ & bituminoſæ: ac vt ex eiuſmodi aquis bibant ipſis concedendum. Habent enim vim abſtergendi, & expurgandi ſiquid viſcoſum tum ventriculo tum inteſtinis infixum deprehendatur: ac ſubinde reſtituunt, totúmque morbum prorſus perſanant. Tantum de victu dictum ſit, putóque hæc ipſa omnibus prudentibus ſufficere. Si enim quippiam à nobis quoque ex prædictis omiſſum ſit, licebit facilè ad ſimilia medicamenta tranſire. Dicamus autem deinceps etiam quæ auxilia longis experimentis affectum iuuare, lenire, & in totum curare poſſe nouerimus.

FOMENTA. Itaque fomenta in frigidioribus longè ſunt accommodatiſſima quæ ex ſale, milio & ordeo parantur: in quibus autem non adeo opus eſt diſcutere & ſiccare, his conueniunt etiam ſacculi ex furfuribus. Verùm in qua aqua furfures coqui debent, anethum prius ebulliet copioſius, chamæmelum, althea, pulegium, lauri & baccæ & folia, artemiſia, ſampſuchus, & ſiquid aliud his ſimile inuenitur. Adiiciendum igitur coctioni etiam chamæmelinum, aut anethinum, aut Cyprinum oleum. atque his ipſis loca dolentia inungi debent: ſalutare enim eſt. Cæterùm iuuat ipſos maximè etiam vnctio ex Pentamyrio, aut Marciato: præterea magis ex eo quod vocatur Piſſelæum: quo etiam ruſtici apud nos vtuntur, & valde iuuantur. Oportet autem non ſolùm pubem & lumbos inungere, ſed etiam tomentum eo repletum ano demittere: ac multos hac ratione vſos celeriter ſanari, non ſolùm viros, ſed etiam mulieres & pueros, nouimus. Alexandrini raphanino oleo vtuntur, & multum adiuuantur. Scire autem licet, niſi dolores fomentis adhibitis diſcutiantur, non diutius calefacere oportere, neque vehementioribus vti fomentis. Quippe humores magis ſiccantur, viſcoſique fiunt, flatulentos ſpiritus & diſtenſiones pariunt, multóque vehementiores adhuc dolores efficiunt. Quòd autem largius calefacta ſpiſſeſcunt, ſal, nitrum, alumen, aliáque multa teſtantur. Itaque ſi dolores calefacientibus non ſoluuntur, ſed inualeſcunt, tunc vehementioribus quidem fomentis abſtinere, iis autem quæ viſcoſa & craſſa recrementa extenuant repurgántque, vti conuenit. Probantur in his quæ ex euphorbio conficiūtur: etenim niſi aliquid ex iis quæ celeriter penetrare queāt admiſceatur, periculū eſt, vt quippiam poſſit quod datur efficere. Multa igitur ſunt quæ id præſtare queant: ſed nullum adeò vt catapotia quæ à nobis ad hæc parari ſolent: ac in ileo me vſum noui, laudémque reportaſſe. Habet autem ſcriptura ipſorum in hunc modum: Aloes, euphorbii, granorum cnidiorum, carnis ſcāmoniæ, ſingulæ vnciæ. Ego autem ſic vſus, id quod volui ſum aſſequutus. Dentur ſcrupuli duo, aut plures: quidam adiecerunt etiam agaricum, atque ita exhibuerunt. Horum compoſitio in eum modum habet: Aloes, lacrymæ ſcammonii, ſingulæ ſemunciæ: agarici ſcrupuli quatuor, granorum cnidiorum carnis ſcrupuli tres, euphorbii ſcrupuli octo: abſinthii ſucco excipiantur. His eorúmque ſimilibus vtendum eſt etiam in frigidioribus temperaturis, & in quibus multa pituita inteſtinis contenta tum dolorem, tum alui retentionem efficit. At per initia purgandi ipſi non ſunt: verùm vbi humores prius extenuatos diſſolutóſque ſenſeris, & nullam amplius inflammationem inteſtina vrgere. Ita enim illis vſus, non erraueris, neque metues vllum periculum futurum, materia iam concocta, & ad euacuationem idonea. Qui enim auſi ſunt humores, dum crudi ſunt, aut inflammatio colum exercet, purgare, vel efficacibus vti, hi ignorant ſe ægrotantibus authores fieri & periculorum & mortis.

DE INSESSIBVS. Aquæ inſeſſus optimum eſt horum remedium. etenim affecta mitigat curátque: præſertim ſi aliquod ſemen, aut herba flatibus diſcutiendis efficax, ſimul incocta fuerit, vt apium, aniſum, cuminum, althea, lauri folia, ruta, ſampſuchus, & artemiſia. Ita enim ſi aqua præparata fuerit, ad omnia vtilis erit, ſiue alueo inſidentes ægri ſuperfundi velint, ſiue in ſolia deſcendere poſſint.

DE EPITHEMATIS. Poſt fomenta, ſuperfuſiones, & inunctiones, confert tandem his etiam epithematum vſus, ex quibus eſt διὰ μελιλώτων dictum, διὰ σπερμάτων, & διὰ σαμψύχου: atque his magis polyarchium. Hoc autem in calidioribus temperamento vtendum eſt, non mero, ſed diluto, cui cerati modicum & chamæmeli ſit adiectum. Ita nanque intolerabilis ipſius acrimonia, blandior temperatiórque euadet, & in totum multo vtilius medicamentum reperietur.

DE INIECTIONIBVS. Iniectionibus quoque, ſi dolor perſeueret, vti neceſſe eſt: vbi mediocris quidem vrget, ſimplicioribus: ſin validior, iis quæ magis adhuc lenire, & humorem infixum extenuare poſſunt. Simplicius igitur eſt oleum ipſum per ſe calefactum: vbi autem ſemen aliquod ad flatus efficax & adipem anſerinum receperit, blandius exiſtet. Parabitur autem ipſum hoc pacto: In oleo tenui ſemina quædam flatibus diſcutiendis apta, vt aniſum, apium, cuminum, aut fœniculum, & his ſimilia coquito: deinde vbi oleum per linteolum colaueris, adipem anſerinum ſalis expertem in eo liquato. Huius autem inopia, etiam gallinaceo ei mixto, iniectione ſic vti alienum non eſt. Agitetur oleum rutæ ramuſculis, non modò ſemel, ſed etiam iterum, & tertió. Quòd ſi dolor remanet, validius quoque medicamentum adhibere oportet: ex quorum numero eſt etiam quod ſuccis herbarum conficitur. habet autem in hunc modum: Fœnigræci, ſertulæ campanæ, anethi, altheæ, ſeminis lini, ordei torrefacti, chamæmeli ſicci, pulegii, ſingulæ libræ. Herbis in ollam recentem aut in cacabum coniectis, aquæ ſextarios duodecim miſceto: ac vbi diebus quindecim macerari ſiueris, ſic ipſa coqui curato: deinde ſuccis percolatis, herbiſque proiectis, ſumito ſucci libras duas: adipis anſerinæ, medullæ ceruinæ, ſtyracis, mandragoræ ſucci, butyri, terebinthinæ, ſingulorum vncias ſex: thuris maſculi, alterci ſeminis, aloes, cyclamini ſucci, ſingulas vncias. Parato quemadmodum decet, & ſeruato: vbi vſus poſtulat, medicamenti cochlearia duo, aut tria, oleo anethino mixta iniicito. Siue enim inflammatio quæpiam fuerit, ſiue humor qualiſcunque, hunc adimit & ſubducit, doloréſque excindit.

ALIA, vehementer generoſa. Aloes, caſtorei, ſingulorum vncia: cyclamini ſucci recentis ſemuncia, opii tantundem. Parato vt dictum eſt: quum autem vſus poſtulat, cum oleo anethino etiam adipis anſerini paululum iniicito. Validum eſt medicamentum: ne contemnas propter ſimplicium vilitatem.

ALIA, ad vitreos frigidóſque humores efficaciſſima.

Terebinthinæ, medicamenti διὰ χυλοῦ, butyri, caſtorei, latioris cumini, ſingulorum vnciæ ſex, baſilici vnciæ duæ, baccæ lauri quinquaginta, allii ſpicæ tritæ & læuigatæ totidem, rutæ manipulus, olei Cyprini libræ quinque. Simplicia quidem hæc ſunt: conficiantur autem in iſtum modum: Cyprinum oleum & Sabinum in cacabum mittito, & admixto eis vini ſextario, caſtoreum, latius cuminum, baccas lauri, allium & rutam vſque ad dies tres in eo macerato, & poſt hæc lento igne coquito, donec vinum abſumptum fuerit. Vbi autem ab igne ſuſtuleris, oleū percolato: deinde accepta, terebinthinam, baſilicum, butyrum, & medicamentum διὰ χυλοῦ ſenſim calefacito, quouſque miſceantur: deinde vaſe reponito, ac vtitor, cochlearia duo, aut tria, cum modico adipis ex eo capiens. Mirabile eſt auxilium, vt quod dolores vehementes admodum etiam mitiget, præterquam quòd nihil habet torpori inducendo accommodatum.

ALIVD præſtantius enema, craſſos viſcoſóſque humores purgans. Recipit autem ariſtolochiā rotundam contuſam, ſalem torrefactum & læuigatum, mæū herbam, ipſam quoque contuſam, oleum fœnigræci, oleum rutaceum, oleum anethinum. Ad herbarum autem cochleare vnum, etiam ſalis tantundem in oleum coniicies. Hoc admodum pituitam ſoluit, & non modò colicos, ſed etiam iſchiadicos ſtrenuè iuuat.

ALIA INIECTIO, ILEIS quoque efficax.

Nitri Alexandrini inſtar ſemunciæ, vel etiam ampliori,

oleum & aquam calidam admiſceto. Omnia permixta heminæ menſura iniicito: ac miraberis quomodo excernat quodcunque inuenerit ſtercus durum, ſiue viſcoſum craſſúmque humorem pituitoſum, intus contentum. Ego etiam in ilioſis eâ vſus ſum, ac ſucceſſit, vt omnes ſimplicitatem & efficaciam medicamenti admirarentur. ALIA admodum benefaciens.

Styracis, caſtorei, myrrhæ, opii, ſingulæ vnciæ. Omnibus mixtis, quum vſus poſtulat, fabæ Ægyptiæ magnitudinem capito, & cum oleo rutaceo, adipéque modica iniicito. Hæc etiam ſomnum conciliat, & vehementes dolores, ſiquid aliud, mitigare poteſt: pluribus ipſam experimentis probaui. QVAE PER os dentur, etiam iis qui ex frigido & pituitoſo humore dolent. Quoniam autem multi per anum curari non ſuſtinent, partim metu, partim etiam præ multo dolore erubeſcentes, neceſſe eſt his potui exhibere quæ ad colicos dolores facere creduntur. Multa igitur ab omnibus veteribus prodita ſunt: quorum autem nos quoque experientiam habuimus, optimè valentium, horum omnium ſcripturas vobis exponam, à ſimplicioribus, & quæ ad mediocres dolores facere inſcribuntur, auſpicatus. SIMPLEX MEDICAMENTVM vſu compertum. Marrubii herbæ decoctum potui cum mulſo dato: aut baccas lauri læuigatas nouem, aut quatuordecim, & cortice bene detracto, ex vini cyathis tribus propinato. vſu approbatum eſt. ALIVD, quod etiam nephriticis confert. Ex rhamni foliis ſuccum extrahito, ac in vnam ſucci miſturam grana piperis ſeptem aut nouem indito: mellis cochlearia duo. Tepida ægro in balnei ſolio potioni dato, ac miraberis quomodo poſt exiguum tempus æger dolore liberetur. Hoc etiam ad nephriticos valet, qui laborant obſtructione, aut calculo, aut craſſiore humore. Polii decoctum ex vino bibendum dato: ſimiliter etiam hyſſopi, & dictamni, item petroſelini & aniſi conducit.

ALIVD valde generoſum. Origani ſcrupulum dato ex vna miſtura aſcalonitis, aut alterius vini tenuis. Comprobatum eſt auxilium multos magnis doloribus liberaſſe. ALIVD, & ipſum valde bonum. Caſtorei partes duæ, origani pars vna. Datur febri carentibus, ex mulſo: febricitantibus autem, ex mulſa. ALIVD ad idem. Fœniculi ſeminis, aniſi, ſpicæ nardi, ſingulæ vnciæ: apii ſeminis, ameos, caſiæ, ſingulæ ſemunciæ. Hoc & nephriticis, & colicis, & hydropicis ſalutariter datur.

ALIVD præſtantiſſimum, etiam ad aliud efficax.

Cardamomi interioris ſeminis vncia, amomi vuæ vncia, ſpicæ nardi, fœniculi corticis, aut foliorum papaueris albi, coſti albi, nardi Gallicæ, piperis albi, cumini Æthiopici, menthæ ſiccæ, ſeminis aſari, ſingulæ vnciæ: myrrhæ Troglodytidis drachmæ quatuor, ſcammonii totidem: mellis deſpumati quod ſatis eſt. Mixta excipito, datóque nucis auellanæ magnitudinem arquatis deuorandam: colicis autem cum hydromelitis frigidi cochleariis duobus. Scire licet, medicamenti pondus non ſolùm nucis auellanæ, ſed etiam iuglandis inſtar dandum eſſe, præſertim ilioſis, & qui ſeipſos propter immoderatos dolores huc & illuc proiiciunt. Vt autem ſemel dicam, in quibus vires robuſtæ ſunt, & dolor vehemens vrget, nihil reueritus, cum fiducia etiam maius quàm nucis auellanæ pondus dato. Nihil enim habet quod ad torporem inducat, vt Philonium, & alia quædam antidota: ſed quia noxium humorem purgat & ſubducit, doloris mitigationem conciliat. Item theriacæ antidotum ad dolores ex pituita & vitreo humore naſcentes magnificè facit. Datur auellanæ modo ex mulſa. Ego ſubinde quum his illam obtuliſſem, ſucceſſum conſequutus ſum. Sin autem quis eam etiam per interualla ſemel menſe bibat, ſanus ex toto euadit, & in poſterum malo non tentatur. At Philonium antidotum dolores ſanè ex frigida cauſa contractos mitigat, non medetur: bilioſos autem, & cacochymia, *quæ humorum prauitas eſt*, affectos non ſo-

A lùm lenit, ſed etiam maximè iuuat, ſi modicè exhibeatur, & pro virium ratione. Præterea Marcellium antidotum, præterquam quòd magnam torporis inducendi vim obtinet, dolores ſedat. ſcriptura ipſius ita habet: Croci drachmas octo, ſulphuris viui drachmas duas, opii drachmam ſemis, cinnamomi drachma, piperis albi drachmæ viginti, mellis Attici quod ſatis eſt. Dato nucis auellanæ magnitudinē, ex aqua calida. Hæc de enematis & antidotis interpretatos, quum multa eorum opio atque aliis torporem inducentibus conſtent, B neceſſe eſt etiam de his tractare, quando, & quomodo, & in quibus ipſis vti oporteat. DE ANODYNIS enematis, paſtillis & antidotis. Torporem facientia medicamenta quæ & ex opio & altero componuntur, non temere admouere properandum eſt: verùm, ſi quidem humores qui dolorem pariunt, tenues & acres fuerint, cum fiducia adhibere oportet, nullam inde noxam fore ſuſpicantes: ſin autem craſſi ſint, & viſcoſi, torporem inferentium vſus vitari debet. Etſi enim doloris ea leuationem adferre videantur, tamen efficiunt vt dolor C poſtea diutius permaneat: putóque bona ratione ipſa non conferre. Nam quum meatus ex medicamentorum quæ torporem faciunt frigiditate condenſentur, conſtringantúrque, & recrementa ſpiſſeſcant, neceſſe eſt etiam totum affectum magis adaugeri, & ad diſcutiendum difficilem reddi. Multi igitur quum in eiuſmodi affectibus ea iterum atque tertiò dediſſent, effecerunt vt partes læſæ emorerētur reſoluerentúrque: interdum verò etiam mortem omnino induxerunt. Propter hæc omnia (vt dixi) medicamenta torporem facientia, teme- D re colicis ex frigida intemperie infeſtatis offerre properandum non eſt, niſi magnus quidam dolor & vehemens, qui ſyncopes periculum minetur, id nos facere compellat. Si igitur vires tibi robuſtæ appareant, & dolor grandis admodum, vrgénſque, tunc ſolum exhibere, idque ſemel oportet. Nam calidiore temperatura præditis, & ob tenuem acrémque humorem dolentibus, torporem excitantia medicamenta, præterquam quòd nihil nocent, adhuc etiam magis opitulantur, dum tenuem, acrem & bilioſum humorem craſſum red- E dunt, ad concoctionem perducunt, ad bonámque temperiem conuertunt. DE VOMITV. Vomitus ob frigidum humorem dolentibus vtiliſſimus eſt, præſertim qui à raphani radicibus, item cibis ſalſis, dulcibus & copioſioribus petitur. Simul enim cum vomitu etiam ſiquid viſcoſum eſt, craſſum & pituitoſum, educitur: nec ſinit copioſum collectum rurſus inteſtinis influere, qui aliorum iterum dolorum author fiat. Oportet autem non ſolùm in ipſo morbo vomitum ciere, ſed etiam quando conquieſcit, id faciundum eſt.

F DE SINAPISMO, & dropace. Similiter & cutis vellicatus, cruentationéſque ſinapi excitatos, & dropaciſmos conuenire arbitror, præſertim in tali morbo iam inueterato. Nam quū affectas partes calefaciant, ſiquis per interualla ipſis vſus fuerit, recrementa in extimam cutem eliciunt. Sin autem puſtulas exiguas, & bullas aquæ plenas, *quas* ψυδράκια *Græci appellant*, fieri contingat, terreri non debes. At diuturnos affectus & perſeuerantes, iis potius ſolui medicamentis accidit quæ violentiora eſſe videntur. Hæc autem non in acceſ- G ſionibus, ſed interuallis, magis præſeruationis gratia adhibere conueniebat, ne permitteret adhuc ægrum ad affectus admonitionem reuerti. DE MOTV.

Motus quoque, & omnis exercitatio inſigniter iis conferunt qui diutius tali morbo laborarūt, & frequentius eo corripiuntur, ſiue pedibus, ſiue per equum, ſiue etiam nauigio mouere corpus velint: item palæſtra, & totius corporis perfricatio, locíque mutatio, & longa peregrinatio. Hæc enim omnia extenuant, diſcutiūntque, & totum corpus excrementis liberum reddunt, vni- H uerſum habitum corroborantia, vt in poſterum affectæ partes frigidum humorem colligere nequeant: imò, neque aliunde influentem promptè in ſe recipiant.

De colico dolore ex flatibus contracto.

Iis igitur qui ob copiam flatuum cruciantur, congruunt fomenta quæ ex milio & furfuribus modice adhibentur: quæ oleis tenuibus & calidioribus, adiecto aliquo flatibus diſcutiendis medicamento, vel ſemine, conſtant. Nam horum aliquo per aluum indito, ſtatim flatuum copia erumpit, & dolor inde conquieſcit. Maximè verò iuuat ipſos etiam cucurbitula bene grandis circa vmbilicum admota, vt nonnulli curationis celeritatem admirati, cogitarint magia quadam & non ratione artis, leuationem doloris ipſis obtingere. Conſtat autem etiam in hoc victum calidiorem magis adhuc præponendum eſſe.

De colicis qui ex ſtercoris duri obſtructione dolent.

Eos verò qui ob ſtercoris duri obſtructionem colico dolore vexantur, multo hydrelæo potiſſimùm & mulſa curare, atque eadem propinare ipſis conandum eſt. Ita nanque ſtercus quod exſiccatum iam induratumque fuerit, ex continuo iniectionum vſu humidum euadens, ad infernas partes delabi & excerni poteſt. Ac omnem victum humidum his conuenire notum eſt, maximè eum qui ventrem ſubducere creditur. Itaque alypias herba oleribus incocta, ſimiliter parthenium, mirabiliter aluum ſubducere videntur: item veteris galli ius. Oportet autem, ventre ipſius explicato, ſaléque & anethi coma repleto, coniectum in aquam copioſam tandiu decoquere donec admodum diſſoluatur, & intabeſcat. Si verò cum eo quoque polypodii vnciam coxeris, ius magis adhuc aluo ducendæ erit: ſi vinum etiam aut mulſum adieceris, multo ipſum ſuauius & ad alui deiectionem efficacius reddes. Quoniam verò nonnulli vſi ſunt etiam folle fabrili, & catapotiis ex plumbo factis, (nihil enim aſſumptis antidotis ac iniectionibus magnum quid præſtare potuerunt) neceſſe eſt de hoc quoque nonnihil dicere. Nam ſi citra inflammationem præcedentem frigidus colicus ileoſuſque affectus ſit, tunc curatione per vtrem vtendum eſt: ſin autem inflammatione prægreſſa adſtrictio alui oborta ſit, hæc curandi ratio, præterquam quòd nihil iuuet, maximè etiam nocebit. Accommodetur autem vſus ipſius in hunc modum. Canalem medicum folli fabrili adaptato: & quum hoc feceris, ipſum aperito, quouſque totum flatu repletum conſpexeris, atque tunc demum ceu in clyſtere ventum intrò immites, & vtrem comprimes. Deinde ex momento nitri & hydrelæo clyſterem iniicies. nam omnia quæ in ventre & inteſtinis continētur, vnà cū clyſtere euacuabūtur, vt admireris, ſiue ſtercus, ſiue humor, ſiue ſpiritus flatulentus fuerit id quod incluſum erat. Pari modo etiam catapotiis ex plumbo vti licet: ſed quum nulla inflammatio infeſtat, præcipuè inter initia. Nam progreſſis iam diebus aliquot, & laxa quadam mollicie, concoctionéque apparente, meo iudicio, etiam catapotia ex plumbo, & quæ euphorbio conſtant, tunc dari poterunt, & obſtructionem pulchrè diſcutere.

De colico affectu ex calidis & biliofis humoribus naſcēte.

Quū hactenus de colico dolore ob flatuū copiā cō tracto, itē de eo qui ex frigidis & craſſis humoribus prouenit, tractauerimus: iam tandē etiam de iis qui ob biliofos & acres humores hoc morbo corripiuntur, agemus, exorſi hîc quoque ab ipſorum internotione. NOTAE colici doloris ob calidos bilioſóſque humores excitati. Noſces rurſus colicos cruciatus ex calidis bilioſis & acribus humoribus concitari, quòd interna morderi, exuri, & lancinari videantur: item quòd lingua arida ſit, & ſitis vigiliæque vrgeant, & ſingulis diebus magna ex parte acceſſio inuadat: vrina ſit acris, & quæ per aluum excernuntur, bilioſa copioſáque. Adhæc, quòd cibis calidioribus, potionibus, & medicamentis ægri magis irritentur, & plures ipſorum non ſine febri agāt. Tales igitur notæ colici affectus ob bilioſos & calidos humores prouenientis habentur. Curare autem contrariis nimirum conuenit, quæ refrigerare & humectare poſſint. CVRATIO colici affectus, ex calidis bilioſiſque humoribus orti. Cremor ergo ptiſ-

A ſanæ, ſi per ſe offeratur, nullam habens mixturam aut porri, aut copioſioris ſalis, his eſt vtiliſſimus. Nam abſque ſale calorem refrigerare, & bilioſum abſtergere, ſiquid aliud, poteſt, præſertim copioſior, & ſæpe exhibitus: adhæc ouorum recens poſitorum lutea aſſumpta. DE OLERIBVS. Olera his commodiſſima ſunt, ſi & cocta & non cocta exhibeantur: his adhuc magis lactucæ grandes, & auctæ, ſi probè refrigeratæ exhibeantur. Dari autem debent hæc iis potiſſimùm quos vigiliæ vrgent, & calidiore temperamento præditis, & ætate vigentibus. B Porro omne pomum quod refrigerare & humectare poteſt, his datur vtiliter: nec vlla ſuſpicio eſt ægros hinc offenſum iri. Cucurbitam verò ſolam metuere oportet, eo quòd ipſa naturali quadam vi colo aduerſetur, vt omnes teſtantur. Ego itaque noui non ſolùm iuniores, ſed etiam ſenes paucis diebus huiuſmodi victu curatos fuiſſe. Adhæc frigida aqua vſus ſum, in quibus vires robuſtas, & principales particulas illæſas deprehendi. ac ſcio leuaſſeme omnino dolorem, & totum morbum, C ne amplius reuerteretur, prohibuiſſe: idque quum æger antea crebris acceſſionibus corriperetur. Illi verò potiſſimùm immunes ab acceſſione poſtea manſerunt, qui præterquam quòd vino abſtinerēt, etiam ab acribus omnibus in poſterum ſe continebant, perſeuerabantq; in aquæ potionis & victus refrigerantis vſu. At in quibus aut principalis particulæ inflammationem ſuſpicatus, aut vires infirmas eſſe, aquam frigidam dare metui, in his etiam roſaceum copioſum ac refrigeratum, per inferiora me iniiciſſe noui, ac D plurimum profuiſſe. Adieci etiam ſubinde adipem anſerinum, ac præſidium attuliſſe ſenſi. Porro ob bilis acrimoniam & immoderatam roſionem, necnon ramentoſa quæ per aluum excernuntur, probè facit etiam cremor ptiſſanæ vnà cum chamæmelo iniectus, & lutea ouorum ſimul cum roſaceo his per aluum indita. DE PISCIBVS. Ex piſcibus ſumi debent duriore carne præditi, vt ceris, orphus, glaucus, ſcorpius, caris, coccyx, ſepia, & loligo. DE TESTACEIS. Ex teſtaceis, pectines, oſtrea, cochleæ E marinæ. Vtilis ipſis etiam erinacius exiſtit, vt qui præterquam quòd contemperet, refrigeretque, præterea etiam ſtomacho gratus eſt, aluúmque & vrinam mouet: quibus nihil eſt præſtantius. DE CARNIBVS. Ex carnibus potiſſimùm dare conuenit quæ difficulter conficiuntur, vt pedes bubulos, & ventriculum: item ſuum vuluam, & vngulas probè coctas, refrigeratáſque. DE FRVCTIBVS pomaceis.

Inter fructus melopepones omnibus aliis pomis præferendi ſunt. Ne autem os ventriculi ſubuertatur, F miſcere ipſis aceti paulum oportet, quum aſſumentur. Adhæc aliud quoduis pomum à flatibus alienum, & dulce, modicè voluptatis gratia ſumere alienum non eſt. Ex placentis aut bellariis nihil prorſus offerri iis debet qui à bile roduntur, & colico dolore cruciantur. DE BALNEIS. Balnea dulcis aquæ his adhibeantur, præſertim ætate vigentibus, & calidiore temperamento præditis. ſit autem aer temperatus, & calidæ aquæ ſolium. Cæterùm partes quidem affectæ vngantur chamæmelino, totum verò corpus hy- G drelæo. Cauendum autem ne oblinantur nitro, aut ſampſucho, vel omnino acri quodam vel calido: item ne affecta perfricentur, fomentíſque obducantur. Et ſalſæ aquæ, aut nitroſæ, & in ſumma, aquarum natura-lium vſus vitari debet. Reuerſi à balneo non ſtatim vinum ægri bibant, ſumant autem cremorem ptiſſanæ, aut aquam tepidam: in medio verò cibi, ſi velint, recentatam dictam bibere ipſis permittendum, ipſámque aquam frigidam: ac potu eius iuuantur. At vino ſi in totum abſtinere poſſent, vtile eſſet: ſin autem nolint, H eo quòd ex toto vini abſtinentiam ferre nequeant, concedendum ipſis tenue & aquoſum. DE MOTV. Exercitiis autem, geſtationibus, omnique motu per interualla morbi, neque multis, neque validis vtantur. Neque enim ferunt, ſed ſtatim intemperati & acriores redduntur, vbi largius exercitiis

vii fuerint. Abſtineant autem ab ira, omnique cura, quatenus licet, & omnis generis laſſitudinibus. Ita nanque temperanter ac in omni hilaritate degentes, moleſtum & excruciantem coli dolorem euadere poterunt.

DE PVRGATIONE. Quòd ſi purgatione interdum vti in iis qui ob biliosum acrémque humorem colico dolore afficiuntur, oporteat, obſeruandum eſt ne vllũ adhuc medicamentũ quod acre quid obtinet, offeratur, vt euphorbiũ, aut cnidiũ granum, aut lathyrides, aut veratrũ. Hæc enim omnia præterquã quòd nihil hos iuuant, præterea etiam tormina & roſionem pariunt, & aliam bilem excitant. Vtile igitur his eſt antidotũ quod picra dicitur. Si nanque bilis quæ dolorem roſionémque inducit, inteſtinorum ipſorum tunicis affixa tibi videatur, ipſa per ſe picra eis dari debet: ſin autem non ſolùm in tunicas abſorpta eſt, ſed etiam in ſpatio continetur, ac aliunde frequenter influit, tunc antidotum nõ per ſe exhibẽs, ſed adiectis ei ſcammonii lacrymæ ſcrupulis duobus, aut paulo ampliori aut minore modo, ipſos purgabis: necnon theodoreto, admixta ei ſcammonii lacryma. Quòd ſi æſtas fuerit, etiam rhodomeliti aut rhodomelo ipſam adiicientes, aut hydroroſato, ſic purgare ipſos conuenit. Valde enim iuuantur, non ſolùm quòd infeſtante dolore leuentur, ſed etiam quòd totum prorſus affectum euaſerint.

DE COLICIS doloribus ob inflammationem inteſtinorum contractis.

At ſi colicum affectum ob inflammationem inteſtini fieri contingat, nequaquam purgationem in his, præſertim inter initia, & quum illa nondũ ad cõcoctionem peruenerit, exhibere audebis. Qui enim medicamenta ventri ducendo apta præbere non dubitarunt, ægrotantibus periculorum authores & mortis extiterunt. Accidit nanque vt datum medicamentum humores ex illæſis ac ſanis particulis trahat, & tranſmittat affectis. Quũ autem hæ id quod illatum eſt nequeant propellere, neceſſe eſt dolorem, vigilias & tormina augeri: quibus omnibus increſcentibus, in ileoſum morbum incidere. Neque enim aliud eſt ileos quàm colici affectus intenſio ac incrementum. Quapropter purgatio inflammatione tentatis danda non eſt: venæ autem ſectio adhibenda, & paulatim ex toto corpore vacuatio tentanda: eo quòd vniuerſa inanitio tantum præſidii non adferat quantum quæ paulatim fit. Porro ſi propter inflammationis magnitudinem etiam vrinas ſupprimi contingat, venam & in talo & in ſuperiore pedis parte ſecare non eſt alienum. ſæpe enim quum hoc nos feciſſemus, & alui & vrinæ excretio ſequuta eſt. Alimento in his vtendum eſt, cremore ptiſſanæ, aut auena mediocriter. item iniectione per aluũ ex cremore ptiſſanæ, chæmæmelo, ſucco lini ſeminis, & hydrelæo, præſertim ſi etiam febris vehemens vrgeat. rarum nanque eſt colo inflammationem ſuſtinente, febrim non oboriri. Quæ extrinſecus imponentur, temperata ſint, nihil acre habentia: è quorum numero eſt etiam chamæmelinum oleum, & ex farina ordeacea linique ſemine epithemata: necnon cerata ſimiliter, quæ componuntur ex chamæmelino, cera, roſaceo, & luteis ouorum. Fiat autem ponderum æqualitas eiuſmodi: Ceræ vnciæ quinque: chamæmeli vnciæ duæ, ſemis, farinæ fabaceæ, roſacei, ſingulorum vnciæ duæ ſemis: lutea ouorum quinque aut ſex, ſucci lini ſeminis quod ſatis eſt. Oua & farina læuigentur, atque tunc ceratum refrigeratum iniiciatur, ac omnia ſubigantur, quouſque inuicem commixta fuerint, ac in vnum coiiſſe videantur. Hoc & renibus & veſicæ inflammatæ pulchrè auxiliari poteſt.

DE BALNEO. Balnea igitur continua, priuſquam totum corpus recrementis vacuatum fuerit, adhibenda non ſunt. Poſt ſanguinis autem vacuationem, etiamſi dolor vrgeat, balneo vti abſurdum non eſt. Si verò vires refragentur, in alueum ægri deſcendent, corpus oleo chamæmelino illinentes. Vino, ſi inflammatio adhuc feruet, & febres præpollent, abſtineant: vbi concoctionis notæ apparuerint, etiã vires imbecillæ videantur, non alienum eſt ipſis vinum tenue & aquoſum propinare. Scio igitur quòd ſiquis prædictis curandi methodis vtatur, non vllo alio extrinſecus remedio opus habebit. Verùm quum pleríque eorum qui per circuitus colico dolore afficiuntur, præſertim diuites, neque bibere omnino medicamentum, neque ventrem clyſteriis curari volunt, naturalibus autem quæ alligari ſolent, dolorem ipſorum abigere nos cogunt: conatus ſum etiam de his vobis mentionem facere, quorum & ipſe experientiam habui, & quæ à veris amicis iuuare poſſe cognoui. Ac præſtantiſſimos veterum teſtatos illa inuenimus, vt neque ars experientiæ & miſericordiæ expers eſſe cenſeatur, neque medici ab honeſtate & conſenſu doloris alieni eſſe videantur, tanquam ignorantes naturam, & à ſenſu doloris aliorum affici, & ſimul condolere.

MEDICAMENTA naturalia quæ alligari ſolent aduerſus dolores colicos. Medicamentum alligatorium, certum, cuius & nos periculum fecimus, ac omnes propemodum præſtantiſſimi medicorum comprobarunt. Stercus lupi, ſi fieri poſſit, qui oſſa vorauerit, in canalem includito, ac dato in dextro brachio, aut femore, aut lumbis, per acceſſionem geſtandum: cauens ne dolente parte neque terram, neque balneum æger attingat.

ALIVD, etiam ipſum probatum. Alauda comeſta idem optimè præſtat. Thraces, viuente adhuc alauda, cor eximentes, alligatorium faciunt, femori ſiniſtro ipſum circundantes.

ALIVD naturale comprobatum. Ex porci inteſtino cæco id quod mammoſum eſt accipito, ac myrrha inuolutum, ligatúmque in pelle lupina aut canina, dato geſtandum luna abeunte à ſole: ac miraberis.

ALIVD alligatorium. Herculem erectum, ſuffocantem leonem in lapidem medicum inſculpito, ac incluſum in annulum aureum, geſtandum dato.

IDEM rurſus. Alauda combuſta læuigatáque, & cochleariis duobus aut tribus ad dies tres aut quatuor propinata, admodum colicis affectibus auxiliatur.

ALIVD valde efficax. Vmbilici infantis nuper nati præciſi paululum in argentum aut aurum includito, cum modico ſale: qui geſtat hoc alligatorium medicamentum, dolore prorſus non corripietur.

ALIVD. Iecur caprillum combuſtum læuigato, datóque ex vino potui: multum ipſis auxiliatur.

ANNVLVS ad idem. Annulum ferreum accipito, ac circulum ipſius octangulum efficito, atque ita in octangulum inſcribito, Φεῦγε φεῦγε ἰοὺ χολὴ, ἡ κορύδαλος ἐζήτει. *hoc eſt, Fuge fuge heu bilis, alauda quærebat.* Subiectam autem figuram in annuli caput ſcribito  Huius magnam habui experientiam, ac abſurdum putaui tantum medicamentum naturali vi colico aduerſum, non vobis tradere. Sed admoneo vos ne quibuſlibet huiuſmodi oſtendatis: virtutis autem ſtudioſis, & qui eiuſmodi poſſunt conſeruare, communicate. Quod etiam Hippocrates diuiniſſimus quum nouiſſet, præcepit his verbis, Res quæ ſacræ ſunt, ſacris hominibus oſtenduntur: profanis autem non fas eſt. Paretur autem præfiguratus annulus decimoſeptimo, aut vigeſimoprimo die lunæ.

ALIVD naturale, ad colum efficax, vſu probatum. Lupi ſtercus in tenuiſſimum puluerem tritum, incretúmque, ex aquæ calidæ cochleari dimidio, laboranti dato.

ALEXANDRI TRALLIANI
Liber XI.

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

DE PODAGRA, Cap. I.

PODAGRÆ affectum ex multis diuerſiſque originem trahere, in primis ſciendum eſt: vnde, meo iudicio, propter generationis varietatem, neque internoſci probè, neque abſolutam curationem conſequi potuit. Hac autem ex re morbus moleſtam triſtémque de ſe opinionem acquiſiuit, nempe quòd nequaquam arte medica vnquam curari poſſit. At ego aſſeuero, ſi & differentiæ & ſpecies ipſius, quot & quales exiſtant, probè internoſcantur, facilem curatu medicis futurũ. Dicamus igitur jam notas ipſius, deinde ſic etiam curationes perſequamur. Speret autem vnuſquiſque quòd ſi animum diligẽter ſcriptis à me intendat, multos iuuabit, non modò morbi principia ſubeuntes, ſed etiam diu iam eo conflictatos. Multæ igitur cauſæ ſunt quæ moleſtam podagram progignunt. Etenim ſanguis qui in ſinus articulorum confluxerit, calidus, tum ipſos, tum compages ac ligamenta diſtendens, vehementem dolorem excitare ſolet. Similiter etiam bilis, quæ frequenter inter neruos & ligamenta influxerit, inflammando ſimul & diſtendendo, magnos cruciatus adferre conſueuit. Præterea pituita, dum in prædicta loca ſe inſinuauerit, validioris doloris cauſa efficitur, dum ſimul cum frigiditate ipſa & arctat & diſtendit. Eadem ratione etiam humor melancholicus, non modò refrigerãdo & premendo, ſed etiam quòd grauitatis ſenſum efficiat, haud moderatas parit acceſſiones. Porro fluxiones non ſolùm ob materiæ influxum articulis oboriri ſolent, ſed etiam propter nudam qualitatem ſolam, calidam & frigidam: adhæc ſiccitas & humiditas fluxiones ſubinde concitat. Quare diligenter (vt diximus) obſeruandum eſt quæ exquiſitè cauſa ſit morbi effectrix, ac remedium vnicuique conueniens accommodãdum.

Si podagra à bilioſo humore naſcatur.

Incipiamus igitur de dolore verba facere qui ob bilioſum humorem naſcitur. etenim magna ex parte, quũ eiuſmodi humor ſuperat, fluxiones in articulos decumbere conſueuerunt. Noſces autem an humor qui influit bilioſus ſit, inde quòd nullus manifeſtus tumor articulis oboriatur. Deinde, quòd æger igneam potius caliditatem quàm diſtenſionem aut grauitatem quandam inſidentem percipiat: præterea quòd particula dolens colore rubro ſpectetur, & refrigerantibus quidẽ oblectetur, iuuetúrque magis ab ipſis quàm calefaciẽtibus. Cæterùm etiam cauſæ quæ præceſſerunt, item ægri ætas, temperatura, anni tempus, regio, atque alia quæ didicimus, ſuperantem humorem indicabunt bilioſum eſſe & calidum. Si igitur humor qui articulis influit, acris & bilioſus eſſe, ex indiciis quæ commemorauimus, tibi appareat, liquet ſanguinis vacuationem adhibendam non eſſe: ſed medicamento potius bilem ducente vtendum, vbi prius acrimoniam humoris aut roſionem humectaris, & contemperaueris. Non ſemel autem, verùm ſæpe, ſi res poſtulet, æger purgandus eſt: ita nanque articulos à recrementis & fluxionibus tutos ſeruare poteris ſi materiam ſuperantem, non vniuerſam ſed per vices ſubtrahere ſemper coneris. DE MEDICAMENTO bilioſum humorem expurgante. Sit autem medicamentum purgans ſimplicius, quod nõ adeo calidum quiddam habere debet: quale eſt etiam quod ex ſucco roſarum paratur, quod odoratu gratũ & deuoratu ſuaue apparet, ſtomachum autem non ſubuertit. Nam huius quoque cura in omnibus fluidis affectibus haberi debet, vt ne ventriculi os ab iis quæ aſſumuntur offendatur. ipſi nanque infirmanti omnes nerui conſentiunt, & fluxionibus tentantur. Habet autem ſcriptura in hunc modum: Roſarũ ſucci ſextarii duo, mellis ſextarii quatuor, ſcammonii torrefacti vnciæ quatuor: omnia ſimul incoquantur vſque ad mellis ſpiſſitudinem, & ſcammo-

A nia in puluerem redacta eis adiiciatur. Summus medicamenti modus eſt, cochlearia quinque: minor, cochlearia duo: medius, tria. At maior aut minor medicamenti dandi modus, ex copia aut abundantia humoris definiatur. ALIVD ad idem. Ad eos verò qui os ventriculi paulo frigidius habent, non eſt alienum etiam piper ei admiſcere. Habet autem ſcriptura huius in hunc modum: Roſarum ſucci libra, ſcammoniæ vncia, agarici drachmæ quatuor, piperis ſcrupuli duo, mellis vnciæ ſex. Lento igne incoquito, ac, vbi in craſſitiem coierint,
B tunc ſcammoniam, agaricum & piper adiicito, atque ita vtitor. Dantur cochlearia quinque aut ſex, pro virium ratione. ALIVD purgans, ex malis cotoneis.

Mala cotonea octo, ſcammonii adiecta vncia: extrinſecus fermento obducito, aſſatóque. Vbi probè ipſa aſſata fuerint, mellis quod ſatis eſt adiicito, vt neque craſſũ, neque valde liquidum euadat: ac dato ex eo cochlearia duo aut tria, prout vires ægrotantis poſtulãt. Talia quidem ſunt purgantia, iis qui potione ipſorum oblectantur accommoda. At ſi potu aſſumere nolint, etiam cata-
C potia ex liquore ſcammonii fieri debẽt. Habent autem in hunc modum: Abſinthii drachmæ tres, ſcammonii ſcrupulus. Admixto roſati modico, fingito catapotia, ac dato ſimplicem compoſitionem: interim verò duplicatam, pro ægri viribus & humoris copia. Hoc ſanè modo eos quorum articuli bilioſi humoris fluxione laborãt, purgare conuenit. Verùm non ipſi ſoli corpori proſpiciendum eſt, ſed etiam particulas affectas refrigerare ac mitigare conandum, vt ne propter immodicum ardorem, aut magnum articulorum dolorem, particulæ ma-
D gis fluxionibus tententur. Etenim caliditas partium affectarum materiam ad ſe allicere, & dolorem rurſus excitare ſolet. Huius igitur gratia ambobus proſpicere, refrigerare & lenire properandum eſt, vt particulæ temperatæ & doloris expertes reddantur. Ad quod præſtantiſſimum in his eſt roſaceũ, ſi quotidie affectis partibus inducatur, & ſenſim infricetur. Melius itaque feceris ſi luteum oui admiſceas, & veluti in vnctionem redacto affectas ita partes perfrices, tum veſperi ante ſomnum, tum rurſus mane. Idem verò hoc etiam ad præcauẽdum
G morbum tempore ſanitatis valet, ſiquis ſomnum initurus, & mane progreſſurus, quotidie vtatur. At hoc non ſolùm agendum eſt, ſed etiam aliis omnibus refrigerantibus, & articulos corroborantibus vtendum, de quibus paulo pòſt dicetur. In præſentia verò à victu exordiamur, docentes ipſum nihil calidum, aut quod bilem omnino creare poſſit, recipere debere. Sic igitur & toti corpori & affectis particulis prouidere oportet. Cæterũ & victus obſeruandus eſt, vt ipſe & refrigerans & humectans exiſtat. Cauendum autem quicquid calefaciens
E valde, bilioſum quid procreare poſſit. ALIVD ad eos qui tardius purgantur. Roſarum ſucci vnciæ tres, ſcammonii, mellis, ſingulorum vncia: tithymalli lacrymæ ſcrupuli tres. Datur cochlearium vnum vel duo, ſecundum ægri vires. Hoc medicamentum ad multa valet, tertiana laborantes, arquatos, & lippitudine affectos: atque ſine moleſtia noxáque ſumitur: necnon acre exiſtit. Cum fiducia ipſum dato, quomodocunque velis, præſertim febricitantibus cum ptiſſanæ cremore.

DE OLERIBVS. Inter olera aſſumantur in-
F tybus, lactuca & malua. Sin autem eis oblectẽtur, etiam bletum, chryſolachanum, ſonchus, & quodcunque refrigerare & humectare poteſt. Braſſica verò, naſturtiũ, eruca, porrum, & allium, vt inimica vitari debent.

DE AVIBVS. Ex auibus offerantur phaſiani, gallinæ cohortales nõ pingues, attagenes, perdices, merulæ, turdi. DE PISCIBVS. Piſcium ſaxatiles præſertim, & alii quibus ſubſtantia alba, friabilis natura, & nihil pingue habet. Paluſtres autem vitẽtur. At omnia condimenta recrementis vacua ſint, neque olei,

neque ex acribus ſeminibus multum recipiant. DE ISICIO. Iſicium verò quod ex his paratur, vtile quoque eſt, præſertim ex durioribus confectum, vt orpho, ceride, teuthide, ſepia, pectinib⁹. Teſtacea exhibere metuendum non eſt. DE CARNIBVS. Ouillarum carnium decoctum aſſumant, & maxime ventriculi boum. Similiter noui quoſdã qui ita fluxione copioſiſſima & acri laborabat, maxime carnibus bubulis adiutos. Dicebant enim non amplius ſe continuè aut vehementer pedibus dolere, quemadmodum quum tenui victu vterentur: eſſe autem pedes bubulos, & ventres, magis quam decoctũ. Porro erat hic ætate florida, calido temperamento. DE LEGVMINIBVS.

Inter legumina exhibeantur tum ipſæ fabæ virides, tum ſiccæ leniter feruefactæ: item phaſeolũ Alexandrinum, præſertim maceratũ, & fœnigræci germina. Ad hæc halyca & ptiſſanam aſſumere alienum non eſt. Reliqua verò legumina ipſos vitare ſatius eſt. DE FRVCTIBVS pomaceis. Fructum pomaceum ſiccum æſtiuum, admodum dulcem & maturum, offerte cõſulo circa horam ſecundam, aut tertiam: præſertim Perſica, aut rhodacina, & vuam duram, & non aſtringentem, damaſcena, mala dulcia, citria purgata, & excorticata probè: Pirum verò, malum Punicum, aliáque omnia rarò aut nequaquam offerri debent. DE TRAGEMATIS.

Ex bellariis caſtaneas potiſſimùm ſumere conducit: non autem nuces, aut pineas, aut amygdala, imò nec placẽtas, aut liba. Omnia enim hæc iis ſunt noxia quorum articuli bilioſi recrementi fluxionibus infeſtantur. DE MOTV. Moueantur autem ægri mediocriter citra magnam laſſitudinem, & ante cibum potius quàm poſt. Nam laſſitudo his maximè aduerſatur, vt quæ articulos largius excalefaciat, incendátque, vt ipſi alia rurſus materiem ex longinquioribus particulis ad ſe attrahant, arripiántque, atque ideo cauſam fluxionibus ſuppeditent. DE BALNEIS. Balnea dulcis aquæ his conducunt: atque ea quæ veſperi adhibentur, magis quàm matutina. Nam poſt cibum ſumptum, maximam vim ad calidorum intemperiem corrigendam obtinet, præſertim in gracilibus, ſiccioribus & acrioribus corporibus. Nam in eiuſmodi, ſi quotidie balnea adhibeas, non eis nocebis, ſed plurimum etiã adiuuabis. At priuſquam æger in calidum balnei aerem ingreſſurus ſit, confert ei pedes prius aqua frigida irrigare. Vbi verò mediam domum balnei ingreſſus fuerit, deinde modicè ſudauerit, ſitulæ tepidæ ei ſuperfundentur: atque ita totũ corpus hydrelæo perungi oportet. Porro balnei aerem temperatum eſſe cõuenit, ſimiliter etiã lauacri ſolium. Poſt vnctionem ex tranſitu ſtatim in calidæ ſolium æger ingredietur. Quòd ſi etiã frigidam aquam influere contingat, pedes ſcaturigini ſubmittat, priuſquàm in ipſum deſcendat. Egreſſus rurſus è thermis, deſcendere omnino in frigidæ ſolium debet: &, ſi æſtas fuerit, & oblectetur, in ea natet. Veſtimentis autem indutis, pedibus iterum aqua frigida iniiciatur. Reuerſus à balneo in domum æger non ſtatim bibat vinum, præſertim merum: ſed ptiſſanæ cremorem aut tepidam aquam prius aſſumat. In medio autem prandii, ſi æſtas fuerit, aquam frigidam: ſin autem hyems, temperatam bibat. DE VINIS factitiis. A vinis factitiis abſtineant: ſin autem oblectentur, ſumant aut roſatum, aut abſinthites, ſimiliter refrigerantes, quemadmodum Romani facere conſueuerunt id quod vocatur recentatum. Ita ſanè præſeruari debent ii qui bilioſi humoris fluxionem in articulis experiuntur. At ſiquando rurſus aliquem fluxionibus corripi contigerit, eo quòd negligentius ipſe (vt veriſimile eſt) victus rationẽ obſeruarit, tali via ac modo vti debet, ac nullum calefaciens offerre, ſed quæ magis refrigerantis ſunt facultatis: ex quorum numero habentur pſyllium, ſolanum, portulaca, altercum, ſemperuiuũ, lactuca, & paluſtris lenticula. Sed hæc ſanè omnia per ſe læuigata, & præſertim viridia, dolores qui in acceſſionibus oriuntur, abundè lenire poſſunt: adhuc etiã magis ſi paucis farinis ordeaceis vel vnum ex prædictis vel duo admiſceas. At ne ſicceſcant, vtile eſt etiam roſaceum cataplaſmati adiicere: ac frigida omnia his adſe-

A rantur, mutentúrque crebrius, vt frigiditas permaneat. Scire autem licet, ſemen pſyllii, ſi aqua maceretur, & diligẽter ſubigatur, viſcoſumque fiat, & ordeaceis farinis permiſceatur, mirabiliter dolores mitigare, feruorem & ardorem doloris extinguere, & affecta loca ad temperiem bonam reducere. Si igitur herbarum copia habes, commodum eſt his vti: ſin autem tempus non permittat, harum loco cerato roſaceo mitigare, quod pulchrè aduerſus calidas intemperies reſiſtere poteſt, præſertim ſi frequentius immutetur: verùm ceram refrigerare ſe-
B mel atque iterum oportet, priorem aquam mutando. Validius ipſum reddes ſi vuæ acerbæ ſuccum, aut portulacæ, aut albumina ouorum, & ptiſſanæ cremorem admiſcueris. Porro ad intemperies non admodum ardentes optimè facit etiam ceratum ex lomento factũ. Habet autem hoc pacto: Ceræ vncias quinque, chamæmelini, roſacei, ſingulorum vncias duas, & ſemiſſem: lomenti ſemunciam, ouorum octo lutea. Hæc primùm læuigato, deinde facto cerato, in pila miſceto: exceptis vtitor frequẽtius. At ſi magnus quidam dolor vrgeat, etiam me-
C dicamenta quæ ex croco, ſucco coriãdri, glaucio, & exiguo opio parantur, adhibere conuenit: verùm ſoluere ea ex poſca oportet. Cæterùm ſciendum eſt, epithematum & vnctionum quæ torporem inducunt, liberaliorem vſum cauendum eſſe, vt quæ magis offendant quàm iuuent. At ſi ob vehementem dolorem æſtúmque ipſis vti cogamur, animus diligenter adhibẽdus eſt ne huiuſmodi auxilia diu incũbere permittamus: verùm ſiue vnctiones, ſiue pharmaca eſſe quæ adhibentur, acciderit, conãdum eſt, ſtatim ſimulatque feruor doloris finierit,
D ipſa prorſus auferre. Vniuerſa nanque hæc diutiùs inhærentia, torporem & mouendi difficultatem in articulis excitare ſolent. Si igitur, dum nos ipſis immoderatius vtimur, eiuſmodi fieri contingat mouẽdi difficultatem vel torporem, tunc commodum eſt vti etiam medicamento διὰ χυλῶν ex chamæmelino ſoluto, vel δι' ἀλθαίας. Hæc enim omnia concoquere ſolent, & morbos ex intẽpeſtiuo frigidorum vſu oborientes reſtituere. Medicamenti δι' ἀλθαίας ſcriptura eſt talis. MEDICAMENTVM δι' ἀλθαίας. Fœnigræci, ſeminis lini, al-
E theæ, ſingulorum vncias quatuor. Hæc omnia triduo ex nouem aquæ ſextariis in vaſe æneo macerabis, deinde coques, vt quàm craſſiſſimus eorum ſuccus fiat: percolabis eum, exprimeſque fortiter, & libras duas eius ſumes: olei autem veteris totidem cacabo iniicies, coquéſque lento igne, donec ſuccus conſumatur, & ſolũ oleum remaneat: iterum colabis, indéſque cacabo mũdo, & appones igni. Huic addes ceræ, colophoniæ, ſingulas libras: galbani boni vncias quatuor. Sublatum ab igne ceratum vaſe condito, & vtitor. Confert etiã quòd à mul-
F tis paratur: verùm hoc multum ſum expertus, nõ ſolùm in podagricis, ſed etiam viſceribus induratis, & aliis ſimilib⁹ multis. Vbi verò refrigerati articuli incaluerint, & proprio rurſus agi motu incœperint, robur etiã particulis adiiciendum, ne ſubitò in poſterum fluxionibus tententur. Erit autem hoc cõmodius ſi palmulato cum aceto roſaceo liquato vtamur. Inopia autem roſacei, id quod ex immaturis vuis fit oleum proficiet. Verùm prius conuenit ipſum mollius imponere, quod mitem habeat ſubſtantiam: poſteaverò quũ articuli mouẽtur,
G etiam dura glutinantium craſſitiem ſortita admouere, rationi conſonum eſt. At ſi medicamenta ferre æger nequeat, (multi enim ſunt qui medicamentis impoſitis grauentur) non alienum in hiſce vti etiam aliis quibuſdam quæ affecta cõfirmare poſſint. Sunt igitur permulta, præſertim ſuccus acaciæ cum poſca illitus: item lycium vnà cum croco, & glaucium: necnon ſuccus perdiciadis ſimul cum poſca illitus validam vim obtinet. Sunt autem & alia ſimilem his facultatem conſequuta: ſed hæc quoque ſufficiãt, quæ pauca ſanè prædictis eſſe
H videntur, ſed validam vim repræſentant. Et ſiquis ipſis etiam per ſanitatem vti velit, confidat ipſas particulas, quæ prius iniuriis affici, & crebris fluxionibus tentari cõſueuerãt, ſanas & à fluxionibus liberas cõſeruatũ iri.

Si podagra ex pituita prouenerit.

Hoc igitur modo curari debent qui ex bilioſo hu-

more,calido & acri,fluxiones experiũtur.At ſi id quod influit,pituitoſum eſſe contingat,& fluxus frigidus in affectis particulis percipiatur, neque ipſæ rubræ, neque feruidæ ſint,ſed magis extenſæ, calidis quidem iuuentur, frigidis autem moleſtentur lædanturque:præterea ſi etiam vita ipſorum quæ præceſſit, frigida fuerit, humorem magis pituitoſum eſſe qui articulis influit, indicatur. Nam ocium magna ex parte præcedit potius quàm exercitia,item creber plurium ciborum& vitioſos ſuccos generantium vſus, vt iſiciorum, aſtacorum, aut buccinorum,aut pectinum,aut polypodum,aut leguminum, aut plurium pomorum, & intempeſtiuarũ lauationũ. Si igitur hæc quoque præter alia indicia, id quod influit,frigidum & pituitoſum eſſe tibi oſtenderint, cum fiducia tandem ad curationem ipſius accedito.

DE CVRATIONE. Dicamus igitur iam quomodo etiam frigida podagræ ſpecies curari debeat. Quòd igitur influxus qui ex frigido humore pedibus accidit,calefacientibus ſemper indigeat remediis,omnibus manifeſtum eſt.Quia verò id quod in partem defertur,non ſemper eſt ſimile copia,vel qualitate,vel ſubſtãtia,,ſed aliis quidem id quod influit,copioſum,aliis autem exiguum,& quibuſdam craſſum, quibuſdam tenue,& his in ſumma cute,illis circa membranas interiores, neceſſe eſt nos quoque ita ſimiliter ad qualitatẽ & quantitatem affectus præter naturam reſpicientes, tum copiam,tum qualitatem,tum(vt ſimpliciter dicã)omnẽ curationis modum morbo indicato accommodare. Si igitur id quod offendit pituita eſſe tibi videatur, hanc ante omnia medicamẽtis in id efficacibus euacuare neceſſe eſt.Non enim fieri poteſt vt qui remediis parti inducendis vtitur,aliquid ferat adiumenti,niſi totũ corpus primùm recrementis liberum reddiderit.At ſi quod offendit, non modò pituitoſum fuerit, ſed etiam ſanguineus ſimul humor abundans appareat, vtraque fieri debent:ſed venæ quidem ſectio prius, deinde ſic virib⁹ recreatis, ad medicamentum purgans veniendum eſt, quod pituitam craſſam & non ſeroſam attrahere poſſit; quemadmodum plerique faciunt, lathyridas, liquorẽ tithymalli, & granum cnidium ipſis exhibentes:qui dũ tenues pituitas euacuãt,authores magis læſionis quàm auxilii fiunt, qui humores craſſiores adhuc magis ſiccos & ad diſcutiendum contumaciores reddant.Itaque talia ſemper vitari debent: ſin autem etiam dederit aliquis,admiſcere ipſis quædam extenuãtia oportebit. Sic enim talium miſtura vacuationem quæ ex ipſis prouenit,innoxiam ac tutam reddet. Certè oxymeli Iulianiũ tale eſt, ex iis quæ extenuant compoſitum, repurgánſque non modò ſiquid tenue, ſed etiam craſſum, articulis affixum & inſinuatum exiſtit. Hæc porro eſt ipſius compoſitio.

OXYMELI Iulianium. Rutæ,origani,lathyridum,tedarum, alypiadis,ſcyllæ, ſurculorum ſambuci,pulegii, ſingulorum vnciæ tres: comæ thymi vnciæ quatuor:anethi,mãdragoræ radicis, ſingulorum ſemuncia:iridis,folii,coſti,ſpicæ nardi,aſari, veratri albi,hyſſopi,amomi,hyperici,cumini, ſingulæ vnciæ:agarici, polypodii, epithymi, aniſi, ſingulorum vnciæ duæ:rheu pontici ſeſcuncia.Lathyridas, coſtum,granũ cnidium, & ſpicam nardi cocto oxymeliti inſpergito. Sint autem aceti ſextarii decem aut tredecim,mellis ſextarii quinque Herbas triduum in aceto macerari ſinito,deinde ſic excoctis, dum amplius dimidio conſumptum fuerit,mel adiicito,inſpergitóq;: deinde quæ inſpergi debent, granum cnidium,lathyridas, coſtum,& ſpicam nardi,ſimul læuigata excipito,ac pro viribus vtitor.Modus ſummus eſt vncia,minor ſcrupuli octo.Ita ſanè plerique parant.Ego verò tantùm in oxymelite agaricum in tenuiſſimum puluerem redactum inſpergens,ſuauius & minus moleſtum effeci. Frequenter autem ipſi ſcammoniam adiecimus quum validius purgare vellemus. at ſi non libenter ægri oxymeli aſſumãt, catapotia ipſis dato ex ouis. Sint autem eiuſmodi vt poſſint & ipſa viſcoſa craſſique ſucci recrementa ex articulis purgare. Multa igitur talia habentur: maiori autem in vſu ſunt quæ à nobis in hunc modum conficiuntur: Aloes hepaticæ, colocynthidis, veratri nigri corticis,

A ſingulæ vnciæ:euphorbii,nitri, ſingulorum ſemunciæ ſucco braſſicæ,aut malorum, aut citrii excipiuntur. Vtitor pro virium ratione. Præſtat autem non modò ſemel,ſed etiam frequenter ipſa exhibere. Neque enim craſſiora recrementa vniuerſa ac vna vice extrahi poſſunt, ſed paulatim, & per vices. Nam hoc pacto ex frequenti ipſorum vſu extenuatur ſiquid craſſum viſcoſumque intus hæret,& idoneum magis trahentibus ad euacuationem redditur.Cæterùm ſciendum eſt,ipſa nõ modò præſeruationis gratia, per morbi interualla dari

B debere; ſed etiam in ipſius circuitu. Nam acceſſionem valde mitigant,dum materiam ex partibus affectis eliciunt, nec in poſterum fluxione tentari ſinunt. Poſt purgationes antidota etiam nonnulla exhibere conuenit,quæ viſcoſa craſſáque recrementa extenuare probata ſunt.Iuuantur autem his omnium maximè qui natura pituitoſi ſunt, humidóque & frigido tẽperamento præditi:quemadmodum rurſus offenduntur valde qui ardoribus æſtuant,curis & vigiliis per totam vitam cõficiuntur. Multa igitur ſunt antidota quæ validam vim

C habeant, oſtendántque crebrò maximam in pituitoſo & humido temperamento præditis efficaciam.Sed ego nullum præſtãtius eo quod διὰ κοραλλίου dicitur inueni. Nam præterquam quòd nihil in potu habet inſuaue, præterea etiam efficax & abſque periculo exiſtit. Non enim immoderatè ſiccat, ſed eo quòd in altum penetrans viſcoſos affixóſque articulis humores extenuet,vtilitatem indicat. Habet autem antidoti deſcriptio in hunc modum:Corallii ſcrupuli ſex,myrrhæ Troglodytidis vnciæ quatuor, caryophylli ſcrupuli duodecim,

D rheu Põtici vncia,folii dolũ nõ experti ſcrupuli duodecim,pæoniæ radicis vncia,ariſtolochiæ lõgæ vnciæ duæ, ariſtolochiæ rotundæ tantundem,ſpicæ nardi vnciæ 4. Hæc optima & ſincera deligens, ne medicamentum iis quæ promittit fruſtretur,contundito,& tenui admodũ cribro incernito,datóque ægro ſcrupulum mane ex tepida,& à cibo abſtineat horis ſex: initium autem antidotum hoc exhibendi ab ipſis Ianuarii calendis fiat,capiàtque æger primùm quotidie per dies centum, & intermittet triginta,deinde iterum bibet per dies cẽtum,

E & quindecim intermittet.Quum ducẽtos ſexaginta abſoluerit,potiones autem ducentas aſſumpſerit,dabis iterum alternis diebus,& in centũ ſexaginta diebus potiones octuaginta aſſumet. Et poſtea rurſus in ducentis ſexaginta diebus octuaginta potiones abſoluet, ſingulas duobus diebus interpoſitis aſſumens, donec trecentæ ſexagintaquinque potiones aſſumptæ fuerint.Caueat autem qui bibet, iram, venerem, vini aſtringentis vel admodum dulcis potum, omniáque acria olera:piſciũ capita, cancros, aſtacos, ſepias, ſmylas,betas,carnes le-

F porinas,legumina omnia,præſertim fabam. Tale ſanè eſt antidotum,& qui morbo in totum liberari velit, cũ fiducia ipſo vti debet. Quoniam verò (vt diximus non omnibus ſimiliter pituitoſus humor ſuperat, neque idem omnium temperamentum,conſtat omnes vno antidoto curari non poſſe,ſed alios imbecillioribus,alios efficacioribus: neceſſariũ mihi viſum eſt & vtile, non modò vnius, ſed etiam diuerſorum mentionem facere, vt is qui ea ad ſuperantem vitioſum humorem accommodare velit, ex eis quod ipſi appareat commodum ac

G ſalutare deligat.

ANTIDOTVM Heraclidis philoſophi, in multis valde probatum. Spicæ nardi, folii, ſingulorum vnciæ duæ, gentianæ Creticæ,ariſtolochiæ lõgæ,ariſtolochiæ rotũdæ,myrrhæ Troglodytidis,ſingulorũ drach. 4: baccarũ lauri excorticatarũ drach. 4. rheu Põtici drach. 4. Summus modus antidoti eſt drachma:licet autem plures dare; vt medicus qui exhibet conſiderauerit,etiam ad omnia reſpiciens. Verùm hoc antidotum non ſimpliciter initiò dãdum eſt,ſed tempore conuenienti. Optimum autem & primum antidoti

H exhibendi tempus eſto incipiente vere, & ſole arietem tranſeunte:ſin autem aliquid hoc in tempore dare prohibeat,iterum circa extremam autumni partem dare incipito. Verùm ſatius eſt id tentare in frigidiore temperamento præditis,incipiente potius vere:in calidiorib⁹ autem, quum autumnus iam deſinet. At quotidiana

dandi ratio matutina eſto,ſi concoctio probè obita in-
ueniatur: ſinminus, differatur. In illo autem die capiet
circa horam ſecundam aut tertiam,quum ructum purio
rem & recrementis liberum percipit. A medicamento
ad horam fere quintã,à cibo motuque abſtineat:in quie
te & hilaritate animi permanens, ab omni ira ſeipſum
conſeruans, vt ne medicaminis diſtributioni ſit impe-
dimento. Etenim hoc ſemper curandum eſt, in his autẽ
adhuc magis. Quemadmodum enim in multis ſucceſ-
ſus magnum adiumentum conciliat, ita etiam fruſtra-
tio maximam moleſtámque noxam inducit. Sit autem
quotidianus exhibendi modus drachma: & non inter-
mittas antidotum vſque ad menſes ſex bibere. Quòd ſi
verò dilatio quædam aſſumendi medicamenti orta fue
rit, intermiſſum diem compenſare oportet. Ego autẽ
aſſeuero, in iis qui pituitoſo & humido ſunt tempera-
mento,etiam ad annũ vſque in medicamento exhiben-
do perſeuerari vtiliter. Quanto enim diutius in illo ſu-
mendo quis perſiſtet, tanto magis ſuperare morbum
ac euincere poterit. Cæterùm poſt hæc data antidota,cõ
ſulo omnino per interualla duorum aut trium mẽſium
corpus purgari,eo quòd vitioſus humor admonitionem
morbi generationémque iterum excitat. At ſi æger con
tinuam purgationem vitet,ſaltem antidotum quod an-
tea per interualla capiebat,ſumat,præſertim vere & au-
tumno. Ita nanque faciens aliquis,à recrementis & flu-
xionibus liber in poſterum euadet, non amplius ſuffo-
cationem aliquam neque aliud periculũ metuens. Sciẽ-
dum autem, illos maximè periclitari qui poſt quintum
aut ſeptimum annum huiuſmodi antidota aſſumere vo-
luerunt:qui verò incipiente affectu vſi ſunt,deinde etiã
purgationibus,poſt ipſius diſceſſum, nullum periculũ
deprehenderunt. ANTIDOTVM podagricum A-
gapeti, & ipſum præclarũ,quo multi ſanati ſunt. Spicæ
nardi,iridis,myrrhæ Troglodytidis,anagallidis quæ cæ
ruleum florem profert,pæoniæ radicis, ſingulorum vn
ciæ duæ:caſiæ,croci,mæi,folii,maſtiches,aſari,erythro
dani,ſingulæ vnciæ: damaſonii,ariſtolochiæ longæ &
rotundæ, ſingulorum vnciæ quatuor: caryophylli ſe-
muncia, phuſeſcuncia,aloes hepaticæ vnciæ tres. Detur
drachma: æger ad annum vſque ſumat. Quũ tanta de
remediis vniuerſalibus dixerimus,tranſeamus deinceps
ad auxilia quæ partibus imponuntur:initium ſumentes
ab iis quæ doloribus ex frigida intemperie contractis
conueniunt. CATAPLASMATA quæ locis ex fri
gido humore dolentibus admouentur. Quum medio-
cris quidem dolor eſt,in iis etiam braſſica confert,ſi cõ
ciſa obducatur:item apiorum folia, ſimiliter etiam co-
nyzæ. Sin autẽ dolor vehemens ortus fuerit vt ferri non
poſſit,in his vti cataplaſmatis oportet, præſertim miti-
gantibus: qualia ſunt quæ farina fœnigræci,ſeminis li-
ni, lolii, & melle modico conſtant. Fœnigræci farinæ
ſint partes tres,lolii pars vna:non diſſuadeo,etiam cice-
ra ipſis ſimul admiſcere. Cæterùm coquito ipſa ex vino
tenui & calidiore,nardinóque vnguẽto,& Cyprino mo
dicè incocto,præſertim hyeme: tunc enim,etſi calidius
quippiam ipſis adiicias,non offendes, ſed etiam potius
iuuabis. Nam ad dolorem leuandum diſcutiendúmque
efficacius erit id quod admouetur. Miſceantur igitur
ipſis,ſi quidem opus erit etiam paulo adhuc calidius ca
taplaſma efficere, tum folia lauri,tum alia molliſſima:
& conyza ſimiliter, aut apium, aut ſmyrnium, & quæ
alia eiuſdẽ ſunt facultatis. Verùm cataplaſmatis portio
ſit maior: multo autẽ minor iuris ex his decocti,quod
cataplaſmati admiſceatur. Si enim plus herbarum adie-
ctum fuerit, præſertim inter initia acceſſionum, pluri-
mum nocere ſolet. Cõmodius igitur eſt in declinatio-
nibus, iis quæ magis diſcutiunt vti: prius autem lenire
expedit. At ſi æger dolorem, quũ cataplaſmata imponũ
tur,immoderatum eſſe & intolerabilem dicat, neceſſe
eſt tunc vti ſuperfuſionibus quæ diſcutiant ſimul & re-
pellant:ex quorum numero vnum etiam hoc eſt frequẽ
ter in multis celebratum. habet autẽ hoc pacto:Ex ace-
to acerrimo decoquito thymum,origanum,ſatureiam,
& calaminthen,in mõtanis potius locis decerptam. Vbi
igitur herbæ coctæ probè fuerint,omnémq; vim ipſarũ

A exuerint,tunc aceto reliquo adhuc calido accepto parti
culas affectus ſuperfundito. Non modò enim ſemel, ſed
etiam ſæpe experientia probatum eſt:ac mirum quòd in
calidis quoque fluxionibus adhibitũ profuerit, & de-
fluxionem rurſus alteram oriri prohibuerit. Vbi verò
dolor poſt ſuperfuſionem moderatior euaſerit, etiã ce-
ratis,ſi res poſtulet, vti licet, non ſolùm quæ ſummam
cutem infeſtãtia,ſed etiam in alto fixa calefacere & diſ-
cutere queant. Ac primùm ſanè cõducit ceratum quod
ex ſtruthio paratur, & vim mitigatoriam digerentém-
B que obtinet,admouere. Confectio eius ita habet. CE-
RATVM ex ſtruthio. Suffiminis ammoniaci, lactis
vaccæ nigræ,ſingulorum vnciæ tres: ſeminis lini vnciæ
octo:oua quatuor. His in læuorem tritis,ammoniacum
ex lacte macerato, læuigatóque:deinde addito colopho
niæ vncias tres, adipis ſtruthii vncias duas ſemiſſem.
Confectis vtitor. ALIVD vehementer bonum. E-
pithema quod ex euphorbio paratur, validũ eſt ad am-
pliores perfrictiones, & intolerabiles ex his dolores cõ
tractos:necnon articulorum infarctus,obſtructionéſq;.
C Habet autem eius cõpoſitio hoc pacto: Olei veteris ſeſ-
quilibra,ceræ,nitri Alexandrini, terebinthinæ electæ,
ſingulorũ libra: euphorbii vncia, iridis Illyricæ vnciæ
duæ,fœnigræci farinæ ſeſquiſextari⁹. Nobile eſt medica
mentum,& in multis eiuſmodi affectibus frequẽter ap-
probatum. Etenim ſummam cutem diſcutit & vellicat,
trahitque ex alto quæ impacta ſunt,& diſcutit,dolorem
excindit,&(quod omnium optimum eſt)manus nõ in-
quinat, & ſine moleſtia aufertur. Noui autem ipſum
quoque euphorbium,vnà cum oleo & cera incoctum,
D etiam magnos dolores à frigido humore natos mitigaſ
ſe. At mirari non debemus quòd euphorbium, quum
ſit adeo calidum & rodens,commendemus tanquã do-
lores lenire poſſit. Sunt enim nõnulli cruciatus qui im-
mutari nequeunt niſi aliquod acrius ipſis admoueas. I-
taque ratio neque horum quicquam miratur, neque v-
tentes damnat: quemadmodum nec quum videt contra
ria quædam ex dulcibus aquis in vehementi defluxio-
ne adhiberi, ſed conſiderat nimirum & diſcernit pro-
bè,methodúmque admiratur. Vt enim ex tenui,roden-
E ti & acri humore dolentibus balnea iure profuerunt:
(partim enim diſcuſſerunt,partim etiam ad bonam tẽ-
periem redegerunt) ita rurſus frigidorum humorũ de-
fluxiones expertis,qui articulorum membranas dolere
dicant & diſtendi, meritò vſus eorum quæ cutem cale-
faciunt,rodunt & vellicãt,profecit. Ego ſanè noui quẽ-
dam ſolo ſinapi in huiuſmodi, dum maximè vrgerent
acceſſiones, vtentem, dolore liberatum. Admiſcebat ei
frequenter ficus ſiccas, & acetum, eáque ſubigens em-
plaſtri figura,medicamentum ſic imponebat. Ac alium
F ſimiliter ſpectaui medicamẽto διὰ κανθαρίδων vſum, ac
maximas gratias agebat. Nam puſtula quæ à medicamẽ
to fiebat,rupta,multus humor excernebatur:atque hoc
eueniente, plurimum iuuari ſe dicebat. Item διὰ σκορ-
δων, *quod ex alliis conficitur*,aliis profuit, aliis obfuit: ipſá-
que ſola allia inducta,& præſertim quæ cruſtam faciũt,
apud barbaros iſcæ dicuntur. Ego verò non laudo hu
iuſmodi medicamenta quum per ſe admouentur. no-
cent enim maximè,etiamſi lenire videantur, quum ni-
hil habeãt quod emolliat,extrahátque refrigeratos hu
G mores,& admodum infixos. Nam id quod tenue eſt ſo-
lum per ea exhalat:craſſum autem & terreſtre relinqui-
tur, vt quod manere & articulis infigi ac adhæreſcere
compellant. Præterea magis exſiccant, & ſiccante ipſo-
rum vi atque calefactoria, quæ ineſt ſinapi & acribus
omnibus,nimiũ aſſant. Quòd autẽ hoc euenit, nulli nõ
conſtat: nam omnes ſolis adeo acribus medicamentis
quæ nihil habent emolliens, vſi,præſertim initio, &
quum vrgeret copia,articulos nacti ſunt ad motum diſ
ficiles,& poſt longum tempus eò reuertentes vt potue-
H rint incedere. Conſultius igitur eſt his ſolis non vti,aut
eum qui vtitur, ſtatim tranſire ad illa quæ diffundunt,
emolliunt,incidunt, & in altum penetrant, vt articuli
rurſus veterem motum per hæc iterum poſſint recipere.
Siquis vnius auxilii facultatẽ habeat quod ambo præ-
ſtare queat,bene habet:ſin min⁹, licet etiã particulatim

ipſis vti, interim ſanè laxantibus & diſcutientibus,(ita nanque materia tandem diffundi poterit)interim extenuantibus vellicantibúſque affectas partes, omnem in alto repoſitam articulis materiã ſubtrahere. Porro nequis compoſita medicamenta ex aliis colligere veteribus cogatur, neceſſarium eſſe duxi etiam horum compoſitiones apponere. Nam medicus qui non in operib⁹ exercitatus eſt, neque multos veterum commentarios commodè poteſt euoluere. VNCTIO ſimplex diſcutiens, & induratos articulos reſoluens. Olei populei,ceræ,adipis anſerini,ſingulæ vnciæ:euphorbii ſcrupuli quinque.Ceram cum oleo populeo liquefacito,deinde adipem adiicito:cocta refrigeratáque in pilam diffundito,ac euphorbium detritum paulatim inſpergito, rurſuſque oleum populeum ſuperfundens,læuigato vſque ad cõſiſtentiã neq; craſſam admodũ, neq; liquidã. VNCTIO *quæ δ[illegible] κισσοῦ ab hedera* dicitur,ad eadẽ. Olei veteris libræ decẽ,cupreſſi galbuli vigintiquinq;, ſabinæ viridis libra,roris marini viridis libra, lauri virẽtis baccæ cẽtum, fœnigræci ſextarius, altheæ viridis libra, corticis pinei tãtundem. Hæc contuſa in aquæ ſextariis ternis ad triduum macerato,deinde adiicito oleum,coquitóque dum aqua fuerit inſumpta: poſtea oleo percolato, adiungito ceræ libram, colophoniæ tantundem, hederæ lacrymæ vncias quatuor. Hæc ex vino aſcalone admodum generoſo læuigato,atque ita omnibus exceptis,vtitor vt præſtantiſſimo & mitigatorio medicamẽto.At hoc valentius, quod vetuſtis vitiis etiam conuenit,eſto id quod Lyſiponium dicitur.Habet autem eius deſcriptio in hunc modum: Caſtorei vncia, euphorbii vncia,piperis,ſuffiminis ammoniaci, ſingulorum vnciæ duæ : opopanacis,galbani,medullæ ceruinæ,ſingulorũ vnciæ duæ:terebinthinæ reſinæ vnciæ ſex, ceræ libra,irini, gleucini, cyprini,laurini, ſingulorum vnciæ tres:olei veteris libra. ALIVD efficax, & in duris corporibus,& valde vetuſtis vitiis: quinetiam articulos recenti cicatrice contractos diſſoluit. Adarcæ,opopanacis,caſtorei,galbani,terebinthinæ,piperis,ſingulorũ vnciæ quatuor:œſypi,ceræ, ſingulorum vnciæ duæ,euphorbii vncia,ſtyracis,thapſiæ,ſingulorum vnciæ quatuor:pyrethri vnciæ tres, ceræ rufæ libra, olei Cyprini vnciæ tres, tedacei vnciæ ſex, laurini olei vnciæ octo, olei veteris vncia,nardini libra,olei amaracini libra,balſami vnciæ tres. Hæc deſcriptio ſtrenuè valet ad particulas reſolutas. Obſeruandum verò eſt ne in ſiccioribus calidioribúſque corporibus vtamur: ſed in iis qui carnẽ habent iniuriis minus opportunã & duriorem, quæq; ex longo tempore ob craſſos viſcoſóſque humores malè habent,vt particulæ fluxionem expertæ nequeãt diſtendi, neque ideo moueri. SI PEDES tumoribus pituitoſis laxiſque infeſtantur. Si laxi tumores ſint, *quos Græci οἰδηματώδεις appellãt*,in quibus humor qui influxit,neque craſſus & terreſtris exiſtit,ſed laxus & mollis, tangentibus ſtatim digitis cedens, ſpiritum flatulentũ & pituitam humidam aquoſámque fluere ſuſpicamur. In his igitur conueniunt potiſſimùm & ceratum quod ex ſale paratur & vnctiones.In quibus autem illitus aut vnctiones nihil proficiunt, his etiam fomenta ex ſale torrefacto frequentius mutata, aptè accommodantur. Etenim ab ipſis non modò leniuntur, ſed etiam plurimùm adiuuãtur. Ego ſanè noui Romæ quẽdã virũ lõgè clariſſimum,qui fomento ex ſale ſemper vteretur, atq; hinc valde mitigaretur.Quòd autem hoc opitulatur,omnibus eſt manifeſtum : nunquam enim læſionem aliquam articulorum, neque tophum excitaſſe inuentum eſt.Confert porro his etiam calidiore balneo & ſicciore vti:item nitro tenui,ſale,& iis quæ cutẽ rodere, vellicare & extenuare poſſe,necnon humiditatem intus cõtentam attrahere deprehenduntur. Sunt autem multa à veteribus inuenta : nos verò etiam huius pulueris magnum fecimus experimentum. SMEGMA aut pulnis egregius: vocant autem quidam ipſum Indum, alii Aſclepium. Puluis qui tophos emendat,atque ad laxos tumores,cum aceto inductus, bene facit:necnon ad eos qui humidum caput & thoracem habent,item ad leprã valet,alphũ,ſpirandi difficultatẽ,& aliorũ vitiorũ quæ ex capite aut thorace originẽ trahũt, cauſas repellit : omninóq; vitiatã materiẽ & copioſam diſcutit: ruborẽ in cute vehemẽtẽ excitat,humores prauos vitioſóſq; impactos & ferinos digerit, articulariis & ſtomachicis accõmodũ.Et qui perpetuò ipſo vtitur,podagra laborare nõ permittit, vel coxæ dolorem experiri : itẽ ad pruriginoſa impetiginoſáque corpora facit, pilos extenuat,ac vocatur *ἰσόθεος,quaſi dicas, æqualis Deo*: quoniam etiam ad elephãticos conducit. Habet ipſius compoſitio in hũc modum. DESCRIPTIO pulueris Indici. Salis Cappadocici, ſalis communis,ſalis amari, ſalis ex nitri fontibus,ſalis tragaſæi,nitri Alexandrini,aphronitri,pumicis,adarcæ, ſingulæ libræ: lapidis aſii floris,aluminis liquidi,aluminis ſciſſilis,nardi Gallicæ, veratri albi & nigri,herbæ lanariæ, ſpheculæ, *hoc eſt fæcis uini*,combuſtæ,radicis chamæleontis,ſulphuris viui,ſtaphidis agriæ,ſinapis,aluminis,iunci anguloſi,piperis, terræ cimoliæ,ſeminis viticis,baccarum lauri ſiccarum, gallæ omphacitidis,lupinorum farinæ,lomenti fabarum,cumini,ſingulorum omnium vnciæ tres : pyrethri, iunci rotundi floris,thuris maſculi, gummi, iridis Illyricæ, cucumeris ſylueſtris,radicis ſiccæ, marrubii ſicci, ſepiæ toſtæ,fœnigræci,cnici, grani cnidii,coſti,pulegii, graminis ſicci,prioniæ,ſingulorum vnciæ tres : ſampſuchi vncia,folii vnciæ duæ.Sales & nitrum olla recenti ſuper ignem torreto:reliqua ſiccata cõtundito, incernitóque. Vtantur autem ægri ſubinde in balneo: quum iam ſudare inceperint, tunc caput decocto radicis ſalicis abſtergi curato.Hic puluis præſtantiſſimus eſt, & valde efficax,præterquam calida intemperie affectis, & fluxionibus ex bilioſo & acri humore,necnon calido ſanguine excitatis. omnibus autem aliis fluxionum vitiis accommodari poteſt.Iis etiam pſilothra in balneis adhibere admodum conducit qui ex pituitoſo humore podagrà laborãt:maximè in quibus ſumma cutis extenuari deſiderat. PSILOTHRVM nobile ad podagram, *quo pili abolentur*. Thuris, maſtiches, lapidis aſii floris,pumicis toſti,alcyonii,ſtaphidis agriæ, cimoliæ,veratri,ſampſuchi,ſpumæ argenti,amyli,ſingulorum vnciæ tres:ſpicæ nardi vncia, caryophylli vnciæ duæ.Vtitor puluere, aut cũ cremore ptiſſanæ & oryzæ,vniuſcuiuſque ſeorſim coctæ: ſit autẽ menſura vtriuſque æqualis. & ſaponis Gallici vnciis ſex ex cremore ſolutis calefactiſque antea. Pulueris cochleària quinque inſpergito,calcis viuæ & incretæ libram,auripigmenti,ſandarachæ,ſingulorum ſeſcunciam: ac vbi penna probaueris, vtitor.Hæc ſanè valida etiã in maximis tumoribus adhibere conuenit:ad moderatos autem tumores laxos, etiã loliacea farina cum aceto inducta,probè auxiliatur. Similiter etiam adeps ſuillus cum calce viua in pila ſubactus,vt malagmatis ſubſtantiam induat,optimè diſcutit laxos tumores, omnéſque inflammationes, præſertim in genibus:item mala Punica acida cocta,læuigatáque, & poſt coctionem applicata : quin & ipſa theriace ſi cũ vino quodam tenui illinatur,probè diſcutere comprobata eſt. Tantum de podagra ob pituitoſum humorem prouenientẽ interpretati,dicamus etiam quomodo dolor ex ſanguine in articulis obortus curari poſſit.

Si podagra ob ſanguineum humorem conſtituatur.

Quòd ſi humorem qui in articulos confluxerit, ſanguineum eſſe ſuſpicemur, vbi quidem nihil prohibet, vacuationem quæ per venæ ſectionem adhibetur,tentato.Hac enim ratione multos noui aut in totum morbo liberatos,aut rarò fluxionibus correptos,eo quòd non neglexerint, ſed veris ſtatim initio ſanguinem ſibi detrahi curarint,non ſolùm vacuandi,ſed etiam præſeruationis cauſa id facientes.Abſtinendum eis à cibis valentis materiæ,& qui ſanguineum humorem magis adaugent. Norunt igitur hæc, etiamſi ego non ſcribam,omnes medici,quòd carnes cunctæ, & ex his adhuc maximè ſuillæ,& vina dulcia,in vniuerſum omne alimentum copioſum, animi hilaritas, & motus mediocris,id efficere ſolent.Si itaque ambo obſeruet quiſpiam,nempe vt vere ineunte ſanguinis vacuationem adhibeat, & cibis illum copioſum gignẽtibus abſtineat, corpus au-

tem continuè etiam exerceat,impigérque ad omnẽ motum fuerit,quomodo is hac ratione non liber à recremẽtis erit?quando autem vacat recrementis, quomodo non fluxionum expers permanebit, quum nihil ſit quod adhuc in articulos defluere poſſit?Cæterùm vtantur tales tepidæ aquæ potu magis, omnique ratione victus refrigerante, & quæ ſanguinis generationi aduerſari queat. Ac multos noui ex his, qui quum vino tantùm abſtinerent, non amplius morbum fuerint experti.Hac ratione copioſum vinum multo ſanguine præditis inimicum eſt.Commodum igitur eſt ipſos talia deuitare, atque ſi in totum negligant, certè vere & æſtate hæc obſeruare conentur. Hæc igitur generatim facere conuenit in quibus defluxio à ſanguinei humoris copia prouenire cõſueuit. Quoniam verò nonnullos etiam ex victu parum obſeruato defluxione corripi contingit, neceſſe eſt ideo curationes particulares interpretari, quibus inflammatione obſeſſis opitulari oporteat.

De remediis quæ locis inflammatis inducuntur.

Sciendum igitur eſt vtraque in particulis fluxione iam tentatis præcipienda eſſe,nempe vt id quod in inflammatione continetur, refrigeremus & diſcutiamus. Optimè igitur in his valet cataplaſma quod ex ſemperuiuo paratur,aut cortices mali Punici, rhus & polenta in vino cocta inductáque.Etenim id quod influit repellere,& quod iam continetur, diſcutere,& exſiccare ſtatim abũde poſſunt:item particulis imbecillis robur adiicere, vt ea quæ ad ipſa mittuntur,rurſus remittant. Porro coqui ex vino probè debent mali Punici cortices, & ſemperuiuum. Accuratè verò læuigata,vnà ſimul cum polenta miſceri. Liquidum autem ipſum remedium & læuigatum mediocriter affectis particulis imponere conducit: æſtate quidem frigidum, hyeme autem tepidum. Itaque per initia acceſſionis,& quum dolor adhuc moderatus eſt, hæc adhibere vincit: ſin autem auctus fuerit, fomento ex cera, *quod κηρεμβροχὴ dicitur*,vtendum eſt. Habet in hunc modũ: Sapæ partes duæ,roſacei pars vna,ceræ minimum: vt fomentum tantummodo craſſius efficiat. Excipiantur autẽ omnia lanis ſuccidis, imponantúrque per hyemem quidem tepida, in æſtate verò frigida. At ſi inflammatio in alto fuerit,etiam nitri paulum,& olei dulcis,loco roſacei, ſapæ admiſceto,magiſque proficies. Si dolor remanet, etiã cataplaſmate ex braſſicæ foliis vtêris, habẽte in hunc modum:Foliis braſſicæ coctis læuigatiſque diligẽter fæcem aceti, ouorum crudorum lutea duo, & roſacei paulum adiicito: ac mixta omnia ſimul læuigatáque inducito,continuè immutans medicamentum. Ac vehementes dolores multum lenies, benéque facies ſi etiam ſpongiã vino mediocriter aſtringente imbutam affectis particulis ſuperimponi iuſſeris:ſin tale vinum deſideretur,poſca madefactam. Non autem ſuperfundantur partes iis quæ ex polline farinæ aut ordeacea farina conſtant. Omnia enim hæc iſtis ſunt inimica, præſertim in quibus copia articulos offendit, dolorémque excitat. In quibus enim totum corpus recrementis vacat, non alienum eſt,quum magnus dolor vrget,etiam cataplaſmatis ex farina ordeacea vti: ſint autẽ farinæ quidem ordeaceæ partes duæ,ſeminis lini pars vna.immutentur frequentius.Humidioribus autem,& non admodum feruentibus vtendum,quẽadmodum medici faciunt,nõ ſolùm articulos,ſed etiam alias particulas admodum ardentibus farinis obducentes:ignari ſe cutẽ magis adurere & ſiccare quàm aliquid humoris ſubiecti diſcutere. Porro quòd cataplaſmata, quæ largius coquuntur, præſertim quæ oleum in coctionẽ recipiunt,magis ſiccent,manifeſtum eſt ex piſcibus & carnibus quæ oleo friguntur: quippe ſiccantur & torrentur.Non conuenit igitur temerè cataplaſmata ardentia & feruida inducere, niſi totum corpus ſit recrementis vacuum:neque quum adhibes,ardentibus vti & feruidis. Ego verò affirmo ne aſtringentibus quidem & repellentibus in affectis partibus vtendum eſſe,niſi totũ prius corpus recrementis liberaueris. Nam quod articulis influit, ne ad principales particulas recurrens ſuffocationis cauſa fiat ægro, periculúmque mortis adferat, metuendum eſt.Siue igitur diſcutientibus,ſiue repellentibus vti velis,

A totum corpus recrementis vacuare properato. DE TOPHIS. Quoniam verò etiam tophi,*qui Græcis πῶροι dicuntur*, pleriſque articulis fluxione tentatis oboriuntur, ſiue ex inordinato quorundam ciborum eſu, vnde incoctus & crudus humor colligitur, ſiue continuò torporem facientium, & anodynorum,*hoc eſt dolorem tollentium* medicaminum vſu, conſentaneum eſt vt ſciamus quibus etiam in his & quando vtendum ſit medicamentis quæ tophos diſſoluere prædicantur. Si igitur calida intemperies materiam nimium adaſſans atque adurens, tophos B generare videatur, calefacientibus in his & acribus medicamentis vti non oportet. Etſi enim hæc procreatos iã lapides diſſoluere videbuntur, tamen efficiunt vt etiam alii calculi obnaſcantur. Quare ſiquis his ad lapillos iam creatos diſcutiendum vtatur,ſtatim rurſus ad ea quæ mediocriter calefaciunt, & modicè diffundunt diſſoluúntque, tranſeat: abſtineátque in poſterum ſiccantibus tum cibis, tum antidotis,quæ corpus calefacere & immoderatius ſiccare ſolent.omnia enim iſta tophos magis his generant quàm diſſoluunt. At quibus non adeſt calida in- C temperies,ſed frigidiores, craſſiores,crudioréſque potius humores in articulis inſeruntur, his omnia hæc quæ & extenuare & calefacere poſſunt,opitulãtur: & ſiquis ipſis vti velit,hic etiam natos iam lapillos conſumere, & ne alii naſcantur prohibere poterit. Ego ſanè noui quendam magnos tophos in articulis expertum cõſanuiſſe,adeò vt etiam citra impedimentum incederet, eo quòd antidotum continuè aſſumeret. Antidotum verò quod per totum annum bibebat, hoc eſt. ANTIDOTVM ad tophos. Centaurei vnciæ quinque,chamædryos vnciæ no- D uem,hyperici totidem: ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, petroſelini,agarici,phu dulcis,mæi,ſingulorũ vnciæ tres: ſpicæ nardi vncia. Excipito melle, datóque ex tepida aqua. Ac alium quendam noui qui quum tophos habere incepiſſet,non alios amplius naſci permiſit, eo quòd decoctum biberet, cruda craſſáque recrementa extenuans. Erat autem decoctũ quod bibebat, ex huiuſmodi herbis compoſitũ: origano & chamæpity, quarũ neutra calido & bilioſo recremento præditis conuenit. At quia magna auxiliorum quæ tophos diſſoluere conſueuerunt, differẽ- E tia exiſtit,(alia ſiquidem ex acribus admodum conficiuntur,alia ex iis quæ magis emolliunt diffundúntque largius) commodum eſt vt horum quoque diſcrimina vobis exponamus, vt pro diuerſis ægrorum temperamentis, & tophorum articulos obſidentium magnitudine & malitia,liceat vobis medicamenta vnicuique congrua, ex iis quæ hoc loco à me cõſcripta ſunt deligere. CERATVM excellentiſſimum,tophos articulorum diſſoluẽs, adeò vt neque an oborti fuerint, adhuc appareat. Aphronitri vnciæ octo, terebinthinæ vnciæ duodecim, ceræ vnciæ F quindecim, olei veteris vncia vna & viginti, lixiuii quo piliarii vtuntur lanis ſuccidis abluendis(quod etiam nonnulli στρῶτον στακτὸν appellant)vnciæ ſex. Vtitor vt præſtantiſſimo & vſu probato. ALIVD vſu probatum. Aphronitri, terebinthinæ, lixiuii quo lanæ ſuccidæ abluuntur, propoleos; ſingulorum vnciæ quatuor: ceræ vnciæ nouem, colophoniæ libra, olei veteris vnciæ ſedecim. Mixtis vtitor, & in tophis & abſceſſibus admodum ſubitò auxiliãtur. Commoda igitur hæc ſunt, & plurimis experimentis comprobata: ſed his ad- G huc multo efficacius eſt quod ex cinnabari, ſalis flore, & aliis plurimis metallicis paratur, cuius deſcriptio hoc pacto habet. MEDICAMENTVM διὰ κινναβάρεως. Argenti ſpumæ libra, olei veteris ſextarius, ſquamæ æris vncia,æris combuſti vncia, cinnabareos ſcrupuli octodecim, magnetis viui vncia, lapidis phrygii drachmæ ſex, lapidis pyritis vncia,thuris vncia,aloes vnciæ duæ ſemis, galbani ſeſcuncia,cadmiæ vncia,diphrygis vnciæ duæ,æruginis raſæ vncia,ſuffiminis ammoniaci ſemuncia,lapidis onitis Scythici ſcrupuli octodecim, lapidis hæmati- H tis vncia,propoleos libra,ſeſcuncia:lapidis perdicitis vncia,betonicæ vncia vna,ſcrupuli octo:gentianæ vncia,ariſtolochiæ longæ ſemuncia, chamæleontis nigri vncia, dictamni ſeſcuncia, reſinæ ſiccæ libra vna & ſemis,adipis ſtruthiocameli libra.Lapides cum ſpuma argenti teruntur ſeorſim, adiectis ſalis floris libris duabus,donec omnia

diſſoluantur. Hoc medicamentum plurimis experimentis probatum eſt, non ſolùm in condylomatis, ſed etiam ſtrumis, ramicibus aquoſis, hydropicis, lienoſis, aliiſque plurimis & maximis vitiis, quorum hîc mẽtionem facere ſuperfluum eſt. Hoc ſolùm ſciẽdum eſt, ad omne id vitium accommodum appellari, eo quòd in varios vſus ipſum adhiberi, omnes medici confitentur: ac mirum eſt, idem, præterquam quòd non calefacit, etiam articulos nõ valde exurere, ſed etiam tophos in ipſis diſcutere ſolere. Hoc ſanè efficax eſt medicamentũ, ſed nõ facilè paratur. At quod ex auellanis cõſtat, *quod διὰ λεπτοκαρύων Græcè dicitur*, ambo cõſequitur: etenim & facile paratu eſt ſimul, & efficaciam obtinet. Compoſitio eius in hunc modum habet. MEDICAMENTVM διὰ λεπτοκαρύων. Lixiuii piliarii vnciæ ſex, auellanarum vnciæ nouem, aphronitri, ſaponis Gallici, ſingulorum vnciæ quatuor: mellis vnciæ tres, ouorum albumina ſex, olei veteris libra, ceræ vnciæ decem, terebinthinæ vnciæ ſeptem. Licet medicamentũ multis vtile efficere ſi interim vires ipſius remittas, interim intendas. Moderatius nãque erit & corporibus mollioribus accommodatum ſi medicamenti quod ex melle fit, partes duas adiicias, vnam verò medicamenti iam dicti: item ſi emplaſtrum δι' ἀνεμώνης adiunxeris, vbi id quod ex melle conſtat deſideratur. Erit tibi etiam hoc pacto blandum, & citra roſionem efficax ad maximos tophorum affectus, varióſque corporũ habitus, vt nõ multis & diuerſis auxiliis indigeant. Quæ quum ita ſint, non opus eſt multorum medicaminum hîc meminiſſe. Noui autem ego me emplaſtrum ex ceruſa factum medicamẽto adieciſſe, eo quòd æger ipſius roſionem minimè ferre poſſet. ac mihi opus pulchrè ſucceſſit: nam vtriſque æger oblectabatur, tum lenitate tũ efficacia medicamenti. Siquis igitur ita cõſiderare velit, licet ei tutò & citra noxã, ipſum, prout corpora ſenſilia ſunt, & pro diuerſis habitibus vitiiſque admouere. Ipſe verò diuiniſſimus Galenus meminit etiam ſe tophos veteri caſeo diſſoluiſſe. Habet autem vſus hoc pacto: Vſus ſum in articulario tophos in ipſis articulis habente, caſeo antiquiſſimo acerrimóque, in ſuillæ carnis ſalſæ decoctũ intincto: ac in pila ſubactũ tophis impoſui, & valde profuit. Nam cute vltro citra ſectionem dirupta, particulas promptè & citra noxã quotidie tophis liberauit, refecitque.

DE ANTIDOTIS anodynis, *id eſt quæ ſomno dolorem leuant*, & medicamentis purgantibus. Quoniam verò nonnulli, ſiue ob maximam rerum neceſſitatem, ſiue quòd dolorem ferre nequeant, omnino requirunt vt medicamentum aliquod ipſis dolori leuando idoneum exhibeamus, commodum erit etiam de his tractare, quando & quomodo ipſis vtẽdum ſit: item antidota ab ipſis expoſita, quot ſimplicia, quótque compoſita exiſtant. Cerata igitur extrinſecus ex opio parata, quæ veteres etiã à dignitate χλιοχύτους vocare dignantur. Verùm ego, etſi vim mitigatoriam habent, non ipſis adeò vti conſulo niſi magna admodum vrgeat neceſſitas, & calida valde intemperies. Bibunt autem nõnulli etiã id quod vocatur διὰ ἑρμοδακτύλου, aiúntque doloris leuationem inde fieri, dum ex ventre quædã aquoſa euacuat, vt etiam ægri ſtatim inambulare velint. Atq; hoc eſt verum, raróque id quod titulo promittit, non euenit: ſed habet etiam aliquid quod offendat, quoniam efficit vt ii qui bibunt, crebrius fluxione irritentur. Hoc igitur ne fiat, nonnulli admiſcuerunt cuminum, maſtichen, gingiber: alii verò etiam euphorbium, arbitrati illud refrigeratorium quippiam & torporis inducendi efficax obtinere. Alii non adeò verum hoc eſſe dictitant. non enim ita purgare poſſet ſi tantam refrigerandi facultatem haberet, vt torporem queat inducere. Sed falſum eſſe arbitror. omnes enim qui biberunt, eo die ſtomachum cibis qui offeruntur non oblectari cauſantur. Idonea igitur ſunt quæ ex cumino, gingibere & pipere participant, & malitiæ ipſius qua ſtomachum offendit, reſiſtunt: ſed nullum adeò vt aloe ipſi adiecta opitulari poteſt. Ego huius compoſitionem & eorum quæ veteres inuenerunt, vobis exponam: ne ignoremus nos, neque ab aliis ea diſcere cõgamur, ſed is qui velit pro arbitrio vti, hinc queat facilè colligere. DESCRIPTIO purgantis medicamẽti δι' ἑρμοδακτύλου ſimpliciſſima. Hermodactyli drachma, gingiberis ſiliquæ nouem, piperis ſiliquæ duæ, aniſi totidem. hæc omnia vna vice dantur. Sin autem ventrem copioſius ſubducere cogitas, ſcammoniæ quatuor ſiliquas admiſceto: & citra moleſtiam purgat, ægróſque dolore leuat. ALIVD δι' ἑρμοδακτύλου. Hermodactyli vnciæ tres, cumini ſcrupuli tredecim, gingiberis ſcrupuli duodecim, piperis ſcrupuli decem. Dantur ſcrupuli quatuor. ALIVD ad idem. Hermodactyli ſcrupuli quatuor, gingiberis ſcrupuli ſex, cumini ſiliquæ quatuor, piperis ſiliquæ quatuor, aniſi ſiliquæ quatuor, lacrymæ ſcammonii ſiliquæ octo. Dantur ſcrupuli quatuor ex mulſo. Hoc medicamentum efficit vt ægri ſtatim incedãt. Satius autem eſt ipſis dare morbo incipiẽte, vel declinãte. ALIVD valde bonum, experientia à nobis probatum. Aniſi, cumini, ſingulorũ ſcrupuli 12. piperis albi & nigri, ſingulorũ ſcrupuli 2, gingiberis ſcrupuli 4, euphorbii ſcrupuli 4, maſtichæ ſcrupuli ſex, caſiæ ſcrupulus, hermodactyli ſiliquæ quatuor. Hæc omnia vna vice ex aqua tẽperata dantur. ALIVD quod Iacobus Pſychreſtus exhibebat. Hermodactyli ſcrupuli quatuor, ſcãmonii ſcrupuli duo: dato potui ex aqua tepida, vbi ægrum victu prius commodo præparaueris. EGREGIVM antidotum quod Theodotius philoſophus exhibebat. Hermodactyli ſiliquæ quatuor, cumini Æthiopici ſcrupuli quatuor, aniſi ſcrupuli tres, ſii herbæ ſcrupuli ſex, agarici ſcrupuli tres, muſci ſiliqua, phu ſcrupuli tres, maſtichæ ſcrupuli duo, gingiberis ſcrupuli tres, ſpicæ nardi ſcrupuli duo, cnici ſcrupuli ſex. Dantur ſcrupuli quatuor cum hydromelite. Præſtantiſſimum eſt hoc medicamentum, ac plurimum à multis aliis medicis comprobatum. Oportet autem etiã ægrum victu prius præparare, atque ita duo vel tria ouorũ lutea, panis exiguum, & gallinæ pectus exhibere: deinde hora vna interpoſita, aut multùm duabus, ad balneum ducere: ac loto reuerſóque domum, ita antidotum vt prædictum eſt, debito pondere propinare. Hæc ratio victus in omni medicamento exhibendo vtilis experientia apparuit. Neque enim hoc pacto medicamẽtum ſtomachum attingit, ſed etiam ventrem longè facilius poteſt ſubducere. Tantum in hermodactylo nos experti ſumus, ac medicos noſtri temporis exhibere ſpectauimus. atque ego longo tempore his vſus ſum. Poſtea autem, aloen ei admiſceri vtiliter, ſum expertus, ac tẽtaui orbiculos potius fingere quàm potionem offerre. Etenim præterquam quòd ægris dolorem auferunt, etiam prohibent ne crebris ipſi fluxionibus afficiãtur. Deſcribuntur ipſa in hunc modũ.

CATAPOTIA ex hermodactylo & aloe. Aloes ſcrupuli duo, ſcammonii ſcrupuli quatuor, cucumeris agreſtis ſeminis ſemuncia, hermodactyli ſemuncia. Dantur ſcrupuli quinque aut ſex, pro viribus. ALIVD eadem efficiens, tum in articulariis, tum habitu pituitoſioribus:

Aloes, colocynthidis, ſcammonii, ſingulorum ſemũcia: hermodactyli vncia, ſcrupuli quinque aut ſex: catapotia fingens, pro virium ratione dato. Quum autem emollientia aluum catapotia efficere voles, hoc pacto componito.

CATAPOTIA emolliẽtia. Aloes ſiliquæ quinque, lacrymæ ſcammonii ſiliquæ ſeptem, hermodactyli ſiliquæ tres, cucumeris agreſtis ſeminis ſiliquæ tres. Omnia trita excipito roſato, aut rhodomelo: fictáque catapotia dato non modò podagricis, ſed etiam aliis quorum aluũ cogitas ſubducere. Omnia enim nihil adferũt moleſtiæ, nihílque ingratum ac inſuaue, quum deuorãtur, obtinẽt. ſciendum autem, non ſolùm potionem ex hermodactylo ad podagrici doloris leuationem parari, ſed etiam alia eſſe pleraque, ex quorum numero antidotum ex coronopodio quoque habetur. quod & ipſum meo iudicio non ita vt hermodactylus ſtomachum offendit: mitigat autẽ ſimiliter, ſi non amplius, certè non minus. Datur quaternis ſcrupulis, interim quidẽ per ſe, interim verò cũ piperis granis quadraginta. Multi ſanè in hunc modum compoſuerunt: alii verò etiam pluribus adiectis vtilius medicamentum reddiderunt. Deſcriptio ipſius ita habet.

ANTIDOTVM διὰ κορωνοπόδου, Gingiberis ſcrupuli duo: piperis ſcrupulus, agarici ſcrupuli tres, cnici partis interioris ſcrupuli quatuor, coronopodii radicis ſcrupuli ſex,

Contuſa incretáque reponito. At ſciendum eſt drachmã eius exhiberi:iis autem qui difficilius purgantur,ſiliquas vigintitres,vel amplius,vel minus. Subducit aluũ omnino ſepties,vel ſæpius. Poſt euacuationem ægrum in balneum deduces : à balneo nutries ouis & pane. Hoc quoque ſcire oportet,medicamentum iſtud etiam in magnis acceſſionibus datum,dolores mitigare. ALIA potio.

Hæc,ſtatim vt accepta eſt,in ipſa acceſſione ægrum dolore leuat. Paratur hoc pacto, Eryſimi ſeminis ſcrupuli quatuor, gingiberis ſcrupuli ſex, coronopodii radicis, amomi,piperis,ſingulorũ ſcrupuli ſex. Redigantur omnia in puluerem,qui ad ſummum ſcrupulis ſex exhibeatur ægro, pridie concoctione bene obita vel ex roſato, vel ex poſca. Nihil minus ſolet dolores lenire etiam medicamẽtum ex myuro herba, præterquam quòd ſtomachum non vitiat,aut articulos offendit. Deſcribitur autem hoc pacto. MEDICAMENTVM ex myuro herba. Sii herbæ,agarici,myuri herbæ,ſingulæ vnciæ. Dentur ſcrupuli quatuor : miſceatur potioni vna vice dandæ ſcrupulus euphorbii, ac exhibeatur cum mulſo aut chryſattico generoſo. ALIVD generoſum, probatum. Aniſi,propoleos,ſingulorum ſiliquæ duæ:gingiberis ſcrupuli quatuor,euphorbii totidem, maſtiches ſcrupuli ſex,caſiæ ſcrupulus,hermodactyli ſiliquæ quatuor. Hæc omnia potui dato vna vice ex tepida. ALIVD quẽmadmodum Iacobus Pſychreſtus. Hermodactyli ſcrupulus,lacrymæ ſcammonii ſcrupulus. Ægro prius humidiore victu nutrito datur ex tepida. ANTIDOTVM podagricum quod vocatur climax. Agarici vncia,phu vnciæ duæ, petroſelini vnciæ tres, meu vnciæ quatuor, hyperici vnciæ quinque, gentianæ vnciæ ſex, ariſtolochiæ vnciæ ſeptem, centaurii vnciæ octo, chamædryos vnciæ nouem, mellis quod ſatis eſt. Datur hoc ad annum.

ALIVD antidotum quod eodem modo podagricis ad annum datur. Podagricum, medens pedum, articulorum,capitis,ſtomachi,oculorum,iecoris, lienis & renum dolori. Curat etiam difficultatem vrinæ, & callos in articulis concretos ſummè diſcutit. Eſt autem medicamenti temperatura hæc. Rheu Pontici vncia, agarici vnciæ duæ, phu vnciæ tres, petroſelini Macedonici vnciæ 4, meu vnciæ totidem, hyperici vnciæ ſex, gentianæ vnciæ ſex, ariſtolochiæ vnciæ ſeptem,centaurei vnciæ octo, chamedryos vnciæ nouem. Dantur viris ſcrupuli 2,mulieribus vnus. Parato autem in hunc modum: Hæc in pilam coniecta, contuſáque ſingula priuatim, miſceto omnia, & rurſus pilæ indita contundito, atque ita probè incernito,ac vtitor vt à nobis per ſingulos menſes ordinatum eſt:menſe Ianuario dato diebus quinque, alternatim: Februario diebus quinque, alternatim: Martio diebus quinque,alternatim: Aprili diebus quinque, alternatim:Maio dieb⁹ 3,alternatim:Iunio duob⁹ diebus,alternatim:Iulio vno die: Auguſto vno die: Septembri vno die: Octobri duobus diebus alternis: Nouembri duobus diebus alternis : Decembri 4 diebus alternis. Atque ſic per menſes duodecim, dies trigintaſex anno vertente abſoluito. At abſtinendum eſt mero,carne ſuilla,bubula,leporina,item braſſica, ſinapi,& crudis omnigenis oleribus, hydrogaro. Bene autẽ concoquat æger qui medicamẽtũ aſſumet,pedes aqua calida lauet,& oleo inungat:lactis potione quam tempus exhibet abſtineat. DE MITIGATORIIS medicamentis quæ locis affectis admouentur. Hęc igitur ſi per os exhibeantur,dolores mitigare ſolent : eorum verò gratia qui non tolerant, ſiue quòd ſtomachus ſit affectus, & ea quæ exhibentur continere nequeat, ſed protinus in vomitum erumpat, ſiue propter metum, & alterius medicinæ ſuſpicionem aliquam,exponenda cenſuimus quæ & ratione & experientia vtilia nobis eſſe demonſtrata ſunt. Habent autem in hunc modum. CERATVM quod in acceſſionum ſtatu imponitur, dolore liberans. Croci,lacrymæ papaueris,ſingulorum vnciæ quatuor:panis, ceræ, ſingulorum libra, olei ſextarius. Crocum & lacrymam vino macerato,panem verò aqua:ac vbi expreſſeris, diligenter miſceto lacrymæ & croco prius læuigatis: deinde ceram cum oleo liquefactã reliquis miſceto. ALIVD ceratũ quod ſimiliter in ſtatu applicari poteſt. Ceræ vnciæ quatuor, argẽti ſpumæ vnciæ duæ,cerußæ tantundem,roſacei,ſolani ſucci, ſingulæ libræ : ſucco, quouſque ſoluta fuerint, excipito. ALIVD ceratum,& ipſum mitigatorium, ad omnem inflammationem feruidam efficax. Opii drachmæ quatuor, cerati roſacei libra: lacte muliebri opium terito, atque ita ceratum in pila miſceto, ac vtitor vt longè optimo. CERATVM mirabile & vſu probatum,de quo etiam alii multi teſtati ſunt. Olei veteris ſextarios duos in cacabo lignis fermentaceis coquito, donec vehementer ebulliant : & turpænæ marinæ viuæ libram vnam adiicito, coquitóque donec olei prædicti modus iterum aut tertiò efferueſcat, deinde talpæ animalis (quod nonnulli calamitem vocant) ſanguinis vncias quatuor : ac cum turpæna incoquito donec carnes ab ea reſolutæ fuerint:& ſublata deinde ab igne refrigerato,percolatóque,ac vitreo vaſe reponito. quum vſus poſtulat,olei quod ſufficit,paululum miſceto: ac vbi diſſolueris, ceratum molliſſimum facito, ac in linteolum illitum imponito. Coquito autem oleum, vt præſcriptum eſt,in domo ſubterranea, menſis Martii die quinto, nequaquam diem differens:ita nanque bene ſuccedet. Tantum de epiplaſmatis dolorem tollentibus & mitigatoriis diximus. HALATIA ad cõcoquendũ. Salis cõmunis libra,piperis vnciæ 3,gingiberis vnciæ 2 : origani vnciæ 2, hyſſopi ſeſcuncia,thymi ſeſcuncia,ſeminis apii ſeſcuncia, folii,erucæ ſeminis,laſeris,ſpicæ nardi,petroſelini, ſingulorum ſeſcuncia : fœniculi vncia, ſalis ammoniaci libræ duæ:in puluerem redigito,ac vtitor. ALIVD. Fœniculi, hyſſopi, petroſelini, caſiæ,liguſtici, rheu Pontici, myrrhæ, laſeris, ſingulæ vnciæ: piperis vnciæ duæ, ſalis ammoniaci ſextarius. ALIVD Buphati. Piperis vnciæ tres, gingiberis vncia,laſeris ſemuncia, aniſi vncia,coſti vncia, ſalis cõmunis libræ 2, panis quod ſatis eſt.

ALIVD. Salis cõmunis libra, ſalis ammoniaci libræ duæ: piperis albi vnciæ tres, piperis nigri tantundẽ:gingiberis vnciæ duæ:cnici vncia,ameos ſeſcũcia,laſeris vnciæ 2,folii vnciæ 2,aniſi ſeſcuncia, origani vnciæ duæ ſemis,hyſſopi vncia,thymi vncia & ſemis,petroſelini ſeminis ſimiliter,erucæ ſimiliter,piperis lõgi vnciæ ſex,ſpicæ nardi vnciæ duæ,cumini, ſeſeleos ſingulæ vnciæ.

Naturalia diuerſa ad pedum fluxionem.

Quoniam nonnulli,quum neque in victu perſeuerare, neque medicinam tolerare poſſunt, cogunt nos in podagra vti naturalibus & iis quæ alligantur, vt optimus medicus omni ex parte inſtructus ſit, & multifariam ægris omnibus opituletur, huc deſcendi. Quum autem multa ſint quæ id præſtare queant,vſu tantùm longo probata ſcribimus. MEDICAMENTVM naturale ad fiſtulam pedum, admodum celebre, & à multis comprobatum. Neruos onagri & apri & ciconiæ ſumito, ac plicatis inde chordis,dextros quidẽ neruos dextris ægrorũ pedibus, ſiniſtros autẽ ſiniſtris alligato, ac ſtatim dolorem leuabis. Vbi autẽ dolor conquieuerit,non amplius alligabis, ſed vbi rurſus dolorem ſenſerit :ac miraberis quòd neque dolor, neque aliud quid periculoſum ſubſequatur : quemadmodum multos attonitos fieri conſpicimus vbi pedes fluxionibus tentari deſierint. Nonnulli verò ciconiæ neruos aliis non complicant,verùm retinent, mittúntque in phocæ pellen, ac illigant chordis ſeorſim abſque neruis ciconiæ plicatis,pedibus ægri ſimiliter illigant,dextros dextris,ſiniſtros ſiniſtris,quum luna eſt in occaſu,vel in ſigno ſterili,& Saturnum ingreditur. MEDICAMENTVM præſeruans à podagra & morbo articulario. Torpedinem viuam cum oleo & aqua in vas æreum & cacabum coniicito,ne oleum vſtum ſtrepitum edat, ac herbam narciſſum luna deſinente collectam adiungito, ipſámque cum animali incoquens, vſquedum tota diſſoluatur, & oſſa nudentur,tunc tandem oleum ab aqua paulatim ſeparabis. Omnia facito luna deſinente,vngitóque ægrum ter die:& ſi quidem articuli dolẽt patiũtúrque,curantur:ſi verò nõ dolẽt,præſeruat eos ne vnquã doleãt. Id autẽ facito,vngitóque ad dies tres, luna omnino deſinẽte. nã ſi in alio tẽpore hæc facias, nõ ſuccedet.

ALIVD probatũ. Puellæ virginis primis mẽſtruis inquinatũ panniculũ illinito,ac vbi ſic aliquãdo feceris,podagra non laborabis. ALIVD quod pedes & manus

præſeruat. Neruos vulturis ex cruribus ac ſummis pedibus collectos, ad talos ægri alligato, curans vt neruos dextri pedis vulturis dextro ægri pedi alliges, & ſiniſtros ſiniſtro. Similiter etiam cubitorum, manuum, & humerorum neruos, aláſque. ALIVD. Leporis tali ſi alligẽtur, articularios affectus admodum alleuiant: oportet autem leporem viuum relinquere. Melius facit etiam cutis vituli marini, ſi pedibus ſubſternatur. Quin & verſum Homericum, Τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δὲ στεναχίζετο γαῖα. *Id eſt, Concio turbata eſt, ſubter quoque terra ſonabat*, ſi aurea lamina ipſum ſcribas quum luna eſt in Libra: præſtat autẽ multo ſi in Leone inueniatur. Itẽ magnes lapis geſtatus articulariorũ dolores curat: ſimiliter etiam aetites ſi geſtetur. præterea cotyledonis radix. Item ſanguis hirundinis illitus podagricos dolores mirificè lenit.

Ad podagram.

Vbi initio videris pedes inflammari, allium læuigatum quotidie ipſis inducito, non ſoluens donec fuerint exulcerati: deinde vrinæ pueri impubis, quam calculis marinis candentibus incenderis, omnia iniicito, & vtitor: poſtea ſi abſinthio pedes obducas, adeò efficax eſt vt non amplius podagra infeſtet. REMEDIVM à podagra præſeruans. In laminam auream, luna deſinente, quæ ſequuntur inſcribito, & neruis gruis inuoluito: deinde ſimili canaliculo ipſam includito, geſtatóque ad talos. meu, treu, mor, phor, teux, za, zon, phe, lou, chri, ge, ze, on. Quemadmodũ ſol in hiſce nominibus firmatur, & quotidie renouatur, ita hoc figmentum confirmatur, quemadmodum prius, Iam, iam, citò, citó. ecce enim magnum nomen dico, in quo conquieſcentia firmãtur. Iaz, azyph, zyon, threux, bayn, choog. Firmate hoc figmentum vt erat primùm, Iam, iam, citò citó. AD PODAGRAM quæ nondum contraxit nodos, admirabile & probatum.

Chamæleontis caput & pedes ipſius, extimáque pedum vel genuum præcidito, & quæ ex dextro pede habentur, ſeorſim ſeruato: & rurſus à ſiniſtro pede, extrema ſimiliter præcidito, ſeruatóque & ipſa priuatim: ac vbi duos digitos dextræ manus pollicẽ & annularem impreſſeris vngue chamæleontis, ſimiliter & ſiniſtræ manus ſecundum digitum notaueris vngue chamæleontis, inquinans ſan- A guine digitorum dextræ manus extrema dextra chamæleontis, ſiniſtræ autem manus ſanguine, ſiniſtra animantis extrema: in exiguum canalẽ includito, ac geſtato, dextra quidem animantis extrema dextro pede, ſiniſtra autem ſiniſtro, vſquedum æger curatus fuerit. At chamæleontem præciſis extremitatibus adhuc viuentem panniculo lineo puro inuolutum attingito ad ſolis exortum. Sin autem cõtingat manus quoque prædicto affectu cruciari, attingito etiam manus, ac in exiguos canales indito, curabíſque ipſas: facito autem hoc luna deſinente.

B PODAGRICVM naturale. Cornubus ouillis crematis, & ex vino in pila detritis, dextro cornu dextrum pedem inungito, & ſiniſtro ſiniſtrum: & dolores podagricos mitigabis. ALIVD ad podagram & omnem fluxionem. Herbam ſacram, quæ eſt altercum, quum luna eſt in Aquario aut Piſcibus, effodito ante ſolis occaſum, radicem non attingens: vbi effoderis ipſam duobus ſiniſtræ manus digitis, pollice & medico, dicas, Loquor tibi, loquor tibi herba ſacra: cras voco te in domum Philiæ vt ſiſtas fluxionem pedum & manuum huius viri vel huius C mulieris. Sed adiuro te per nomẽ magnũ Iaoth, Sabaoth: Deus qui terram firmauit, & fixit mare fluuiis abundans fluentibus, qui exſiccauit vxorem Loth, & fecit eam ſtatuam ſalinariam, accipito ſpiritum matris tuæ terræ, & vires eius, & ſiccato fluxionem pedum aut manuum huius viri, aut mulieris. Craſtino die, ante exortũ ſolis, accepto oſſe cuiuſcunque animantis mortui, effodito radicem, & accepta ipſa dicito, Adiuro te per ſãcta nomina, Iaoth, Sabaoth, Adonai, Eloi: ac in ipſam radicem ſalis pugillum coniicito, inquiens, Vt ſales hi non augebuntur ſic neque D affectus huius viri aut huius mulieris. Item extremã radicis partem ægro alligato, cauens ne madeſcat, reliquũ verò ſuſpendito ſuper cruſtam diebus tercentum ſexaginta. Quum iam de cõuenientibus podagricis auxiliis, curandi ratione, & vſus illorum modo, præterea de naturalibus quæ experimentis probauimus præſcripſerimus, finem libro feliciter imponemus. AVXILIVM podagricum valde bonum. Myrrhæ ſiccæ ſextula, hermodactyli ſextulæ duæ, trita incretáque potui ex vino veteri in balneo exhibeto.

ALEXANDRI TRALLIANI Liber XII,

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

DE FEBRIBVS, Cap. I.

QVVM poſtulaueris à me, chariſſime Coſma, vt curationes quas in diuerſis morbis frequenter ſum expertus, tibi exponerem, non grauatè obtemperaui: vt qui fatear iure me gratiam vtriſque & tibi & patri tuo pro beneuolentia, quam ſubinde mihi benignè præſtitiſtis, debere. Hic enim protinus ab initio non in artis modò operibus, ſed etiam in vniuerſis vitæ negotiis commodus mihi fuit adminiſter: tu verò, quum apud barbaros degeres, neutiquam me propter caſus euentúſque rerum quæ nos vrſerunt, negligendum cenſuiſti. Quare etiam ſenex in poſterum vobis morem gero: & quum non amplius laborem ferre poſſim, librum hunc conſcribendum, & experimenta quæ longo vſu atque exercitatione in hominum morbis à me ſunt comperta, in commentarium redigenda putaui. Oblectabit autem non pauciſſimos qui hæc citra inuidiam inſpicere voluerint, accurata iſta docendi ratio, breuitáſque ſimul & perſpicuitas dictionis. Studui enim (quantum licuit) verbis vti communibus, magiſque perſpicuis, vt etiã G vulgaribus liber eſſet dictione ipſa facilis & explicatus. Exordium itaque à diariis febribus ſumemus, diuiniſſimi Galeni doctrinam pro viribus hîc quoque imitantes.

E Quòd ſanè febris eſſentia ſubſtantiáque, & natura nihil aliud ſit quàm tum cordis tum arteriarum calor naturali contrarius, à præſtantiſſimis medicorum, Galeno potiſſimùm & Hippocrate, eſt demonſtratum. Quare huc Eraſiſtrati opinionem adducere, Aſclepiadíſque, & aliorum medicorum chorum, ſuperuacaneum exiſtimaui. Quòd autem rationi conſentit, febrim à corde potius quàm ab alia corporis noſtri particula proficiſci, multis licet argumentis colligere. Siquidem febris natiui caloris eſt mutatio: natiuus autem calor in corde exiſtit. conſtat etiam F febrim in corde ſedem habere. At quoniam febris eſt nõ ſolus abſolutè calor naturali contrarius, ſed in materia quadã ſubſiſtit, materia verò triplex genere in nobis habetur, manifeſtum eſt quòd febris quoque in tribus conſiſtere materiis cognoſcetur: in ſpiritibus nempe, humoribus, & ſolidis particulis. Si igitur ſpiritus immutatus fuerit, febrim parit ex illo prouenientem, *quam Græci ἐφημερινὸν, nos diariam appellamus*: ſin autem humores, eã quæ putredini fertur accepta: ſi verò particulæ ſolidæ, hecticam efficiunt. Dicamus itaque de vnaquaque, quid ſit, & quomodo ſpecies eius dignoſci optiméque poſſit curari. Exponamus autem primùm diariam, vtpote omnium ſimpliciſſimam, quæque ſimul vniuerſis magna ex parte hominibus ſuperuenire conſueuerit.

Diariarum notæ.

Febres diariæ quum ex ſpiritibus habeant originem, nihil ſtabile neque firmum continent, ſed vti celeriter generantur, ita etiam ſoluuntur: vnde & diariæ vocatæ ſunt, ad vnum vſque diem aut paulo diutius interdũ durantes. Notari verò ipſæ hoc pacto debent, ex tactu, vrinis, & præterea etiam pulſibus. Ex tactu enim caloris copia nobis innoteſcit, quum is ſola quantitate increuerit, vt ſpectare licet etiam calorem qui in balneo excitatur. Ex vrinis autem, quoniam his per initia morbi manifeſtas concoctionis notas repræſentant, quod in nulla aliarum febrium ineſſe ſolet. Ac pulſus harum celerem arteriæ & eleuatam diaſtolen, tardiorem verò ſyſtolen obtinent. Nam refrigerium magis quàm recrementorum expurgationem requirunt. Iam eiuſmodi febres ſtatũ quoque habent æquabiliorem, & declinationem quæ in purum interuallum perfectámque integritatem deſinat. Habentur autem aliæ quoque notæ febrium quæ ob ſpiritus conſtituũtur: verùm hæc quoque abundè ſpeciem febris declarare vobis, & aliis à febribus poſſunt ſecernere.

DIARIARVM curatio. Diariæ febres quum communem habeant generationem, quantum ad ipſas attinet, communem quoque curationem recipiunt. At quoniam non vna earum cauſa, ſed plures & variæ eſſe ſolent, de his dicendum arbitror. Etenim laſſitudo, frigus, repletio, inedia, vigiliæ, ciborum in ventre corruptio, vlcera, & omnes (vt ita dicã) antecedẽtes cauſæ haſce febres producunt. Quandoquidem igitur non vna febris diariæ efficiens cauſa exiſtit, ſed plures, conuenit etiam vt nos nõ paucas quaſdam curationes, ſed cõplures vnicuique ſpeciei conuenientes exponamus.

De iis qui ex laſſitudine febricitant.

Qui ob laſſitudinem febricitarunt, plerunque medicos non expectant, ſed ſtatim vbi febrim declinaſſe ſenſerint, ad balneum proficiſcuntur, tanquam à natura quadam edocti optimum præcipuúmque remediũ eſſe defatigatis lauacrum. Hoc autem plerique etiam medicorum inconſideratè faciunt, & nulla ratione habita ad lauacra tranſmittunt: vnde interim non paucos inſigniter offendunt. Si nanque corpus recrementis vacuum, neque plethoricum, aut vitioſis obnoxium ſuccis inuentũ fuerit, maximè iuuantur, nec alterius indigent curationis. Quibus autem corpus omnibus ex æquo ſuccis ſcatet (plethoricum appellant) & vitioſis infeſtatur, (quod cacochymum dicitur) putredinique eſt opportunum, vt hinc non modò ſpiritus, ſed humores quoque antea incaluerint, viceuerſa plurimum offenduntur, & in febres putridas prõptè incidũt, præſertim ſi victu vſi ſint minus curioſo. Ne igitur idem nobis quod illis accidat, primùm notas earũ perſequi oportet. Nonnullæ igitur earum ſunt exquiſitæ, nonnullæ verò, non exquiſitæ quum ſint, in putridas prolabuntur. Sic enim nunc & lauare & nutrire probè, nunc cõtrà nõ lauare, rectè poterimus. CVRATIO eorũ qui ex laſſitudine febricitant. Quoniam ex laſſitudine febricitantes, diligenter planè humectandi ſunt & refrigerandi, fiet id commodè balneis temperatis, victu & vnctionibus quæ nullam diſcutiendi vim obtinent. nam in his omnia facere oportet quæ humiditatem potius augere quàm ex corpore auferre poſſunt. Quare neque corpus multum perfricare, neque tepida ex ſolo oleo vnctione, ſed ex hydrelæo magis vti oportet. Quippe id liberalius quàm ipſum oleum per ſe humectat, & penitius in corpus ab aqua tranſmittitur: refrigerátque articulos excalefactos, & feruidos ex nimio labore effectos. Quocirca neque vngere in aere calido neque perfricare conuenit: ſudoribus enim manantibus ne humectare quidem prorſus vnctio poterit, vt quæ cũ eis à corpore decidat. Præſtat autem (meo iudicio) multa tepida ſudorem eluere, & ægrotantem in exteriorem domum egreſſum ſtrigili abſtergere, atque ita hydrelæo perungere: deinde exiguo ſpatio interpoſito intrare ipſum, & in calentis aquæ ſolium deſcẽdere, ita vt neq; integrã omnino horã in aere perſeueret, ſed tãtùm trãſire videatur. Sic enim humectabitur, & metuendum non erit ne peruſtus incenſúſque ab aere, aliam rurſus febrim acquirat. Hæc ſanè medendi ratio omnibus ex laſſitudine febricitãtibus cõducit, præſertim

A iis qui calidiore ſunt tẽperamento. Ignoro igitur cur diuiniſſimus Galenus oleo quidem tepido duntaxat vſus fuerit, aquã verò ei miſcere vitarit. licet enim & frigidã ei aquã, præterea etiã tepidã admiſcere. In ſũma, vt cuiuſq; tẽperamẽtũ eſt, caloriſq; & ſiccitatis ex laſſitudine ortæ exceſſus, ita quoq; vnctione vtẽdũ erit. Quòd ſi verò iterũ rurſus lauare ægros volueris, eodẽmq; modo perũgere, & in calidæ ſoliũ demittere, & in eo aliquãdiu ĩmorari, valde quidẽ ipſos hac ratione iuuabis, vt reuerſi à balneo, laſſitudinis õniſq; intẽperiei prorſus obliuiſcãtur. Atq; hac B ratione etiã in iis vtẽdũ erit qui ex vigiliis febricitarũt, item qui ex mœrore, & in illis qui ex morbo ſe recolligunt. Reſtat nunc vt de his ſermonem inſtituamus quibus cruditas ſuperueniens febrim diariam excitauit.

De iis qui ex cruditate febricitant.

Cruditas ex caliditate, magis autẽ ex frigida intẽperie generatur. Notatur facilè ex ructu, nidoroſo quidẽ in iis quibus caliditas cruditatẽ induxit: acido verò, quibus frigiditas illã peperit. At nõ ſolũ ructus, ſed etiã aliæ omnes notæ attẽdẽdæ ſunt, ætas, inquã, tẽperamẽtũ, ſtudia vitæ, C & reliqua totius victus ratio. Neq; enim ſi ructus eſt nidoroſus, calidã iã quoq; cruditatẽ eſſe prorſus ſuſpicabimur. Interdũ enim ex ingeſtorũ etiam qualitate fuit excitata, vel quũ ægri ipſi nidoroſum aut melleũ quid in cibo antea aſſumpſerint. Quin nec acidus ructus omnino ſuſpicionem nobis præbet vt frigidã intemperiem dicamus: quippe etiã acidus cib⁹ & acerbus frequẽter effecit vt ructus acidus appareret, interim verò caliditas quoq;: nã acidus ruct⁹ nõ ſolũ ex frigiditate, ſed calida etiã intẽperie generatur: fieriq; nõ poteſt vt eiuſmodi ceſſet ructus niſi D quis refrigerãte victu vſus fuerit. Cõuenit igitur cruditates ex omnibus iã cõmemoratis internoſcere: atq; vbi ſic diſcretæ fuerint, firmam earum curationem aggredi.

De ciborum corruptione ex caliditate & nidoroſo ructu proueniente.

Qui ſanè ex caliditate ciborum corruptionem, nidoroſámque cruditatẽ ſuſtinuerunt, eáque de cauſa in febrim diariam inciderunt, iis non calefacientes cibi aut potus adhiberi debent. Etſi enim exiguo tempore mitigari leniríque videbũtur, flatibus qui infeſtabãt diſſipatis, poſt- E ea tamen occaſionem præbent vt febris diaria magis incendatur: interim verò vt etiã febris quæ ex humorũ putredine oriri ſolet, rurſus ſubſequatur. Ne igitur hæc eueniant, cõgrua victus ratio præſcribẽda, & curatio quæ ecõtrario repugnet, adhibenda eſt. Quippe fieri nequit vt affectus qui infeſtat, ex toto conquieſcat, & veluti radicitus excindatur, vbi cauſa quæ ipſum efficiebat, prius non fuerit ſublata. Quare ſi tibi cibus qui ad nidoroſam cruditatem inclinauerit, ſuſpendi adhuc in ventriculo videatur, tunc potioni aqua calida potiſſimùm eſt ſumẽda. Hæc F nanque partem humorum eluere, abſtergere, & ad inferiorem ventrem propellere, partẽ verò vt in corpus etiã diſtribuatur præparare, & præterea ſpiritum iam ſiccum incenſúmque tẽperare & lenire, meatúſque laxiores efficere poteſt. Haud noui an quis hoc præſtantius remediũ, iis qui ex calida intemperie cruditate laborarunt, eóque in diariam febrim inciderunt, excogitare poſſit. Quòd ſi verò cibi corrupti non in vẽtriculo hærere tibi videatur, ſed per aluum egeri, rurſus hîc nõ ſolùm nõ impediri, ſed etiã adiuuari debet, quò ea quæ corrupta ſunt, per ventrẽ G potius queãt excerni: ſin autẽ immoderatius per aluum ferãtur, rodántque inteſtinũ, etiam hîc ad balneũ ægros ducere cõuenit, & vẽtris iecoriſque regionẽ potiſſimùm vino melino perũgere, & pane ex aqua calida nutrire. porro iniiciatur in eam & apii & coriandri radix: verùm apiũ nõ multũ decoquatur, ſed protinus antequã ferueſcat auferatur. nõ ſemel autẽ eã in calidã, ſed ſæpius intingas. Si verò caliditas aut inflãmatio quæpiã ventriculũ obſederit, neq; radix apii, ſed coriandri tãtùm immitti debet: vel offa panis calidæ iterum aut tertiò intincta, eſui per H ſe exhibeatur. At ſi venter copioſius profluxerit, vt deinceps vires debilitentur, etiam omphacomeli, aut hydromelum aut hydroroſatũ dabitur. Sin autẽ nulla inflãmatio ventriculi os obſidere videatur, vini Cnidii aut Sabini, quod exiguã habeat aſtrictionẽ, momentũ propinari ipſis debet. Sin vires nullã noxam expertæ fuerint, caue

ne vinum permittas, præcipuè calidiore temperamento
præditis. Si nanque nidoroſa cruditas ex calore acciderit,
conſtat magis eam in calidioribus auctum iri ſi vino vti
voluerimus. Ac mirari mihi ſubit quomodo diuiniſſi-
mus Galenus in opere de medendis morbis, calefacienti-
bus remediis vſus fuerit. Nā antidotū *quod à triplici pipere
Græci διὰ τριῶν πεπέρεων appellant*, & illud quod ex malis
cotoneis paratur, exhibere ipſis permittit: extrinſecus
autē rurſus ventriculo purpurā nardino, abſinthio & ma-
ſtiche imbutā applicare. Atque hæc calida imponere iu-
bet, ne ventriculi robur diſſoluatur. Ego verò ea neutiquā
calidiore affectu preſſis conuenire arbitror. Atq; hæc ne-
quaquā dico contradicēdi ſtudio, ſed quòd ita mihi veri
tas habere videatur, quā ſemper cuiuis præponendā cen-
ſeo. Si enim nidoroſus ructus & cruditas à caliditate pro-
uenerit, conueniebat (vt arbitror) cōtrariis hanc remediis
moderatè vtentes, ita medicari. Sin autem à calidioribus
pinguibúſque cibis orta fuerit, etiam ſic victus contrari⁹
qui modicè refrigerare poſſit, inūgi debebat. In ſumma,
didicimus, omnia quæ naturam exceſſerunt, cōtrariis cu-
rari oportere, & rutaceū oleū, & ſiquæ alia eſt calida inie-
ctio, adhibere diſſuadeo: atq; hoc cauendū eſt in quibus
corruptio & febris ex calida intēperie ſunt ſubſequutæ.

De iis qui ex cruditate febricitant, humore
magis acido proueniente.

Hactenus de iis qui ob nidoroſum ructum febricita-
runt, egimus: nunc autem dicamus etiam de illis qui ex
frigida intemperie in cruditatem inciderunt. Acida cru-
ditas non adeò celeriter febrim ſolet accendere: ſi verò
etiam febrim excitare contigerit, perpende & diſquire
num quandoque etiam calida intemperies acidum ru-
ctum procrearit. fit enim interdum vt is nō ſolùm ex fri-
gore, ſed etiam caliditate frequenter oboriatur. Idem ſi-
quidem in externis quoque videmus. Accidit enim in ca
lidis pariter & frigidis admodum domiciliis vt vinum
nonnunquam in acidum conuertatur. Similiter autem in
fermento quoque idem ſpectare licet. hoc etenim in ca-
lidioribus retentum domiciliis, in acorem mutatur: idē
verò experitur vbi à gelido aere fuerit refrigeratū. Qua-
re vnum idémque accidēs à contrariis cauſis generatur.
Attendere igitur oportet ſigna, tum præſentia, tum quæ
præceſſerunt, vt ex omnibus poſſis cognoſcere quæ tan-
dem ſit cauſa, calidáne an frigida, atque ita ad curationē
venire. Quare ſi acidus ructus ex caliditate prouenerit,
refrigerantibus & potu & cibo vti conuenit, præcipuè iis
qui reſiſtere poſſunt, & non facilè corrumpi. Quapropter
neque cremor ptiſſanæ, neque halycæ ipſis eſt exhiben-
dus: facilè enim corrumpuntur, & in ſtomacho ſuperna-
tant ſuſpenduntúrque: vnde etiam accidit vt ipſi magis
aceſcāt. Itaque piſces qui dura carne ſunt præditi, his ex-
pediunt, & gallinæ ex decocto aut ſimplici iure paratæ:
adhæc iſicia ſimiliter dura, cuiuſmodi ſunt quæ ex bucci-
no & glauco, orphóque piſce potiſſimùm conficiuntur.
Nec mireris quòd hæc dicam: qui nanque ex calida intē-
perie acores experiuntur, eos, etiamſi pedem bubulum
exhibeas, non offendes, imò iuuabis quoque. Ego ſanè no
ui quendam, quum longo tempore acorem experiretur,
his me cibis perſanaſſe: præterea etiam oſtrea non cocta,
& duracina exhibui, omníque alimento quod refrigera-
ret, & ægrè corrumperetur mutaretúrque, ſum vſus.

De acido ructu qui ex frigida intemperie naſcitur.

Quòd ſi acidus ructus non à calidiore ſed frigidiore
intemperie originem traxerit, tunc potius victus calefa-
ciens & antidota conueniunt, cuiuſmodi ſunt tū quod ex
malis cotoneis conficitur, tū quod *à triplici pipere, διὰ τριῶν
πεπέρεων nominatur*: adhæc fomentum ex nardino. Quæ i-
gitur diuiniſſimus Galenus in nidoroſo ructu fieri præce-
pit, ea ego ōnia iis poti⁹ q ex frigida intēperie cruditatē
ſunt experti, cōuenire, & nō aliter habere poſſe arbitror.

De febribus diariis quæ ex obſtructione
generantur.

Febris diaria ex viſcoſis etiam craſſiſque humoribus
naſcitur, dum nimirum excremēta propter meatus occlu
ſos non perſpirāt, fiúntque acriora. Aduertere igitur ani-
mum hîc & internoſcere oportet, ſoláne copia ac craſſi-
ties ſola, & humorum lentor obſtructionem effecerit. Si
enim copia pepererit, ante omnia ſanè per ſanguinis miſ

A ſionem vacuatio tentanda eſt: deinde ſic particularibus
vtendum præſidiis quæ laxare, diſcutere vel extenuare
poſſunt. Nam ſi vacuatione omiſſa laxantibus quiſpiam
aut diſcutientibus vti voluerit, malorum magnorum au-
thor erit. quippe obſtructionem multo adhuc maiorem
reddet, diſcutiētibus ante concoctionem aut euacuatio-
nem vſus remediis. Quòd ſi non copia, ſed viſcoſi craſſi-
que humores obſtructionem procrearint, ſanguis mittē-
dus non eſt, ſed decoctis potius quibuſdam vtēdum quæ
extenuare poſſunt, ita vt non calefaciant. Nec adhibenda
B iis quæ vulgares medici temere audent, ſerpyllum, aut ca
laminthen, aut hyſſopum, aut origanum, aut rutam: igna-
ri quòd multo magis offendant quàm iuuent ægros. Etſi
enim materiam attenuare nonnihil videantur, alia tamē
ratione offendunt, dum febres reddunt acriores. Quare
illa potius quærere conabimur quæ abſtergere & atte-
nuare citra caliditatem nouimus. Hoc autem in numero
habetur oxymeli, quod & generoſè abſtergit & febres nō
exacuit. Atqui nec hoc in omnibus verum exiſtit. in qui-
bus enim craſſa recrementa occaſionem morbi præbent,
C quæ & obſtructionem excitarint, & febrim accenderint
diariam, à calore aut ſiccitate craſſitiem aut lentorem cō
ſequuta (quemadmodum in rebus plus æquo coctis aut aſ
ſatis nimium fieri cernimus) neque his oxymeli exhibē-
dum eſt, neque in quibus ſiccius eſt temperamentum, aut
mœrores quidam, aut laſſitudines, aut ira, aut ſolicitudo,
aut vigiliæ præceſſerunt. Etſi enim talia non admodum
calefaciant, tamen ſiccando, materiam adhuc magis
craſſam faciunt quàm (vt arbitrantur) attenuent. Quæ
enim à ſiccitate coacta fuerint, & craſſiora quàm pri-
D us euaſerint, nunquam eiuſmodi ſiccans aliquod me-
dicamentum attenuare poteſt. Ego ſiquidem in huiuſ-
modi temperamētis ſubinde ſpectaui quòd oxymeli cui-
piam propinatum, pro eo quòd vrinas prouocare debet,
retentionem potius & obſtructionem materiæ pepererit,
vt hinc etiam febres magis fuerint auctæ. Verùm quum
vulgares iſti cauſam ignorent, ad alia eam referunt. Qua-
propter illis tantùm exhiberi debet oxymeli in quibus
cruda craſſáque & frigida recrementa hærent: adhæc qui
pituitoſo & frigido ſunt temperamento: in quibus etiam
E cruditates, repletiones & otioſa potius vita præceſſerit. In
his nanque ipſis idoneum exiſtit, & ſiquod viſcoſum in-
hæret & craſſum, à frigidis ſignis aut potionibus colle-
ctum. Ex omnibus autem aliis quæ medici ipſis in bal-
neo ad extergendā cutē, (vt ſaponem, mel & aphronitrū)
præcipiunt, hæc magis attenuare, & meatus obſtructos li-
berare poſſunt. Veruntamen in calidioribus tempera-
mentis non ſolùm ab oxymelite, ſed aliis quoque deco-
ctis quæ ſiccare aut calefacere poſſunt, abſtinendum cen-
ſeo: victu autem vtendum humido magis & temperato,
F qui nihil ſiccum & acre in ſe habeat. Quare ptiſſana & fo
ris & intus eſt eis aptiſſima, vt quæ præterquam quòd hu
mectet, etiam abſterſorium nonnihil & attenuatorium
obtineat. Admiſceatur autem ei apomelitis paululum.
nam id quoque abſterſorium quippiam citra vllum calo
rem poſſidet. Iam piſces hiſce conueniunt: quippe alimē-
tum inde proueniens, & probè concoquitur, & nequaquā
meatibus inhæreſcit: adhæc gallinarum cohortaliū alæ,
& lactucarū caules, intybi, & troxima. Hac igitur victus
ratione illi ſuſtentandi ſunt in quibus recrementa ter-
G reſtria magis, & craſſiora quàm fuerint, à calore facta
cenſueris. Sin autem nihil tale fuerit, pituitoſiora ve-
rò ea tibi appareant quæ obſtructionem excitarint, tunc
confidenti animo etiam decoctum apii, aniſi, adianti,
& oxymeli non modò ſimplicius, ſed etiam compoſitū
propinato. Nam in frigidioribus temperamentis, & in
quib⁹ materia pituitoſior eſt & humidior, in his id quod
à diuiniſſimo Galeno dicitur, veriſſimum exiſtit, nem-
pe quòd oxymeli tum abſtergit generoſè, tum febres nō
exacuit: in naturis autem bilioſioribus & magis melan-
H cholicis, rariſſimè exhibendum. Porro quòd in viribus iā
magis debilitatis nullus eo vti debeat, id quoque iis con-
ſtare arbitror qui Hippocratis ſcripta didicerūt, & experiē
tia quoq; perceperūt quòd vim etiā radēdi inteſtina ob-
tineat. multas ſiquidem noxas & commoditates conti-
net. Ac diligenter, is qui velit aut oxymeli, aut herbarum
dilutum, aut aliud quoddā inciſorium curationis gratia

exhibere,tum facultatem eius quod propinatur,tum quãtitatem,tum qualitatem,tum ordinem,tum ne temere & indiſtinctè in omnibus vtatur remediis, diligenter cognoſcere debet. Hoc enim ad præſtantiſſimum quenque medicum pertinet, vt omnia perquirat, curioſéque examinet,& præſidia conſideratè diſtinctéque admoueat.

DE FEBRIBVS EX PVTREDINE creatis, Cap. II.

QVòd omnes febres continentes ex materia quæ eas incendit intra vaſa ſubſiſtente & putreſcente generantur,omnibus in confeſſo eſt. Atque idcirco etiam cõtinuationem habent, neque rigorem mouent qui in externam cutem feratur, ſenſibiléſque particulas rodat,vt in iis quæ intermittunt fieri ſolet: vnde in continẽtibus ſi, inquit,rigor ſuperueniat, bonum eſt indicium. Atque hoc in ardentibus,*quas καύσους Græci appellant*, etiam videre licet. Docuit autem nos id quoque diuiniſſimus Hippocrates,vbi ait, Si ei qui ardente febri laborat rigor ſuperueniat,morbi ſolutio expectanda eſt. Porro ſunt nonnulli qui etiam febres intermittentes intra vaſa conſiſtere, quemadmodum & continentes,arbitrentur, ac nihil prorſus loco,ſed quantitatis & qualitatis ratione differre. Etenim in continuis & multam & craſſam eſſe materiam exiſtimare conuenit, atque ideo neque extra vaſa emitti poſſe: intermittẽtium verò,tenuiorem,& vt in extimam cutem efferatur magis idoneam. Porro huiuſmodi,etiã intermittẽtib⁹ accidere,& materiã extra vaſa putreſcere, vrinæ quoque teſtantur: quippe materiam ipſam quæ iãdudum computruerit repræſentant. Atque hinc ſanè integra morbi tempora coniectura deprehendimus, quando ſcilicet concoctionis initium morbus habet, quando incrementum & ſtatum. Alii verò non de loco ſolùm in quo conſtituuntur, & generatione quam febres habent, diſſentiunt,ſed etiam de materia ipſa vnde procreantur. Nonnulli etenim in vniuerſum febres ex bile incẽdi dixerunt,quũ febris res quæpiam calida ſit & ſicca,talis autem bilis quoque exiſtat,ad generandos huiuſmodi affectus accommodata. Alii verò ipſorum non bilem ſed pituitam cauſantur, eo quòd hæc rurſus ad putreſcendum obturandúmque non parum eſt idonea, quum humida ſit & craſſa. Iam hoc quoque nobis indicat ipſum pituitæ vocabulum,*quod φλέγμα Græcè dicitur, à uerbo φλέγειν, quod eſt inflammare.* nam phlegma,eo quòd inflammet ipſum & calefaciat,dictũ eſt. Atque hoc ſanè palàm eſt abſurdũ. Cæterùm de humore melãcholico nõnulli opinati ſunt, nunquã ipſum febrim poſſe incendere,eo quòd frigidus ipſe ſit natura & ſiccus,nihilque habeat humidi aut calidi vnde putredines generentur. Nihil itaque mirum eſt quoſdam putare melancholicum humorem neutiquã planè putredinẽ recipere. Nõ deſunt & qui in vniuerſum febrim nunquam à putredine fieri pronuntiarint. nam humores in venis exardeſcere nõ putrefieri dictitant. Si nãque hoc eſſet(inquiunt)cur tandem non etiam lumbrici, aut aliæ quædam beſtiæ in vaſis,ſi putrefactio eſt, gigni cernuntur, quemadmodum in ventre & aliis particulis? Quinetiam in externis omnibus hoc ſpectare licet,quòd quæ putreſcunt,variarum rerum ſpecies generare ſolent, quarum nulla vnquam per vrinas excerni viſa eſt. Dicẽdum igitur eſt putreſcere & incendi, vt videre id licet in pice & bitumine,aut arundinibus,aut chartis,aliiſq; multis fieri quæ promptè ab igne afficiuntur,incenduntúrq;. Sic igitur nonnulla,etiam ſcintillam modicam nacta,magnam & immenſam flammam excitarunt, vt non ſolùm vicina,ſed etiã omnia longius ſita cõbuſſerint. Tale quid tiam in nobis(inquiunt)accidit. incipit enim ſpiritus inflammari atque exardeſcere. non enim iam computreſcere ipſum quoq; dicendũ eſt: quia niſi ſpiritus humectãtia & refrigerãtia quæ ipſũ contẽperare & mitigare poſſint conſequatur, etiam vicina depaſcitur. Atque ex his ipſis ille nimirũ primus eſt qui ad hoc magis idoneus inueniri poterit. Non ſolùm autem de putreſcenda in vaſis materie (vt opinor)diſſentiunt, ſed etiam de putrefactionis modo. Alii ſiquidem ipſam ex calido & humido, nimirum humiditate,fieri dixerunt, ad vetera & putrefacta ligna reſpicientes. Sic enim res habere videtur,ac puto vtroſque vera dicere,fierique nonnunquam etiam putredinem ex ſiccitate, magis autem aduſtione. Nonnulli verò medicorum nullam prorſus in venis putredinem fieri,ſed magis in ventre exiſtimarunt. Eius autem rei fidem faciunt tum ex vermibus qui in eo generantur, tum ex recrementis ſubductis, quæ & malum odorem & ad putredinem nihilominus inclinationem repræſentent. Indicant hoc quoque vomitus,(inquiunt)qui crebrò tam perfectè febres exciderunt,vt æger non amplius malam acceſſionem ſit expertus. Iam alios rurſus à febri liberatos ex vna & ſola ſorbitione vel iniectione conſpexiſſe. Verùm non ex his modò,ſed aliis quoque multis,accuratè videre licet quòd venter etiam febrium ex putredine ortarum cauſa exiſtat. Forſan autem aliarum quoque fons & origo ipſe propriè exiſtit.

NOTAE febris ex putredine. In primis ſanè ſcire conuenit febres quæ ex putredine oriuntur,non ſolùm ab externa cauſa, ſed etiam ex diariarum febrium degeneratione originem habere. Cognoſces autem febrium degenerationem ex tribus hiſce notis potiſſimùm: prima ſanè eſt quòd febris diaria quæ præceſſit, non in purum deſinat interuallum: ſecunda, quòd ſtatus non fiat ad tolerandum facilis: tertia,quòd ſtatus non deſinat madore aut ſudore. Hæc ſunt indicia manifeſtiſſima quòd febris diaria in putridam tranſierit. At in qualem febris ſpeciem degeneratura ſit, hac ratione & coniectura colligere & internoſcere oportet. Si nanque pallidus æger fuerit,vigiliis torqueatur,curis afficiatur,& ætate floreat,ſcito bilem totam,tertianam excitaſſe febrim: ſin autem albus & vita otioſus exiſtat, quotidianam eſſe putato: quemadmodum etiam,ſi plumbei coloris,quartanam. Atque hæ ſanè notæ ſunt febrium diariarum quæ in putridas degenerarũt. Cæterùm verò etiam generatim comitatur eas id quòd nulli aliarum febrium adeſt, vt rigor,aut horror, aut frigus ſuperueniat, præcipuè intermittentibus. Nam in continentibus nihil horum euenit: verùm etiamſi cõtingat aut rigor,aut horror,in ſemitertianis tale incidit. Adhæc inæqualis pulſuũ motus & caliditas has potiſſimùm ſequitur,& quòd multas *ἀναδιπλώσεις, id eſt reduplicationes*,præcipuè efficiat: imitetúrque columbarum ſtercus, quod ſecundum putredinis ſucceſſionem ignem accendit,ac rurſus conquieſcit. Iam rodens qualitas & ipſa maximum febrium ex putredine ortarum indicium exiſtit. Apparet etenim in hecticis quoque,ſed in alto magis deliteſcit: ex putredine verò ortis febribus rodens qualitas per extimas partes maximè percipitur. Inſuper maxima & certiſſima nota eſt, etiam pulſuum ſyſtole citatior,& vrinarum cruditas: nam in diariis ſemper concoctæ apparent. Tantum etiam de febribus ex putredine internoſcendis dictum ſit.

De curatione febrium continentium.

Continentes febres ſolerti diligentia curari debent: ſubitóque id faciundum quod internotio dictauerit, ſiue ſanguinis miſſionem, ſiue purgationem requirat. Maximum enim incommodum eſt cùm in omnibus morbis,tùm verò in continentibus, dilatio. Nam febres vehementiores redduntur dum putredo augeſcit, & vires imbecilliores fiunt,vt quæ febrium magnitudinem non amplius ferre poſſint, neque præterea magnorum præſidiorum aliquod ad curationem admittere queant.

INTERNOTIO. Qui igitur ſanguinis miſſione indigent,eos hoc pacto internoſcere tibi licet, Vrinas habent rubras,turbatas & putridas, multúmque acres: oculos birioſos & rubros,totum corpus graue: venas latiores,& earum torulos quàm antea tumidiores. Cæterùm etiam cauſæ quæ præceſſerunt,humorem redundantem tibi indicabunt, præcipuè victus ratio. Nam ægri calidioribus magna ex parte cibis,potibus,vino liberaliore & magis vetuſto, carnibus pinguibus vſi deprehendũtur. Multi verò ex inedia aut ira in continentes febres quæ ob putredinem naſcuntur, inciderunt,alii ob ſanguinis venarum in ano extantium(*αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant*)retẽtionem. Alii verò ob ſanguinis copiã potius hæc habẽt indicia: nonnulli ex bile ſuperflua pallidi ſunt magis & nigriores. Quando autẽ humores etiã plus æquo aduſti fuerint,tũc ipſis vrina adhuc magis pallida & ſubĩde nigrior apparet,& deiectiones ſimiliter acres & bilioſæ. Hoc igitur modo humores q. redũdãt, qualéſq; ſunt, cognoſcere

O.iii.

oportet. CVRATIO. Itaque febres ex putredine & ſanguinis abundantia ortæ, venæ ſectione curari debent: non tamẽ minus etiam iis qui à bile infeſtantur, ſanguinem detrahes, ſiquidem turgẽs, ad purgationẽ idoneus craſſior, & copia tibi peccare videatur. Nã perſpiratu diſcutere materiam intus latitantem & putreſcentem conducit: quippe minor efficitur; nec permittendum vt ea propter copiam & craſſitiem meatibus infarciatur & putreſcat. Quòd ſi venæ ſectionem non poſſis ob vires ægri imbecilliores; aut quòd is ſanguinem dimittere metuerit, adhibere, tunc magis ad victus rationem quæ refrigerare poſſit & humectare, necnon attenuare & diffundere adeò citra calorem queat, reſpicito. Poſtquam verò hoc feceris, & materia multo minor, & concoctionis notas habere videatur, tunc audacter aquam frigidam exhibeto.

DE FRIGIDAE potu. Atque id facies potiſſimùm ſi æger aquam bibere conſueuerit, adhæc ſi nec inflammatio, aut ſcirroſus tumor, aut laxus, *quod οἴδημα dicitur*, particulam quandam poſſideat. Si enim ex his aliquod apparuerit, aquæ potio vitanda eſt. DE INFLAMMATIONE eryſipelacea. Quòd ſi inflammatio feruens & eryſipelacea fuerit, tunc frigidæ potum exhibere ne tentaueris. Prædicito autem id quod futurum ſit, nempe quòd feruor febris extinguetur quidem neceſſariò, ipſa verò tota non prorſus diſcutietur, ſed tempore aliquo procedente, febris reliquiæ adhuc ſuperſtites tutò & particulatim diſſoluentur. Ego ſanè noui aquam me frigidã alicui dediſſe qui eryſipelate infeſtaretur, ardentique & continua febri laboraret, ac vehementiam febris ex ea reſtinxiſſe, eripuiſſéque periculo, ne ex intempeſtiuis cataplaſmatis & inunctionibus interiret, quæ medici ſemper in omnibus ſolent adhibere. NOTAE inflammationis eryſipelaceæ. Sciendum eſt eos qui ardente febri laborant, ob eryſipelaceam inflammationem magis quàm alios ſitire, veſtimenta à corpore proiicere. Euidentius autem hoc eſt indicium quòd etiam tertio quoque die acceſſionem validiorem experiuntur, & recrementa per aluum bilioſa & ſaniei ſimilia excernant. At qui in pulmone inflammationem eryſipelaceam ſentiunt, non adeò vehementer ſitiunt, ſed frequẽtem magnámque reſpirationem edunt, genas habent rubentes, linguam ſcabram & delirant, frigidúmque aerem magis appetunt, magiſque ab eo quàm frigidæ potu iuuantur. Hãc autem iis potius qui in alia parte inflammationem habent eryſipelaceam, offerre conuenit: illis autem quorum pulmonem hæc exercet, frigidum aerem, vt à quo etiam iuuẽtur, ad ſpirandum magis procurato.

DE CAVSO, HOC EST ARDENte febri falſa, Cap. III.

SCire hoc quoque oportet, duas eſſe febris ardentis ſpecies, vnam ſanè veram & exquiſitam, quæ omnia commemorata habeat, ſitim vehementem, deiectiones bilioſas, linguam ſcabram & nigricantem: falſa autem, & ipſa quoque ſitim adfert, ſed non adeò vehementem & intẽſam, neque linguæ nigrorem: neque excrementum per aluum excernitur bilioſum, ſed magis corrupta: neque amaritudo in guſtu ex pituitoſo humore ſalſóque potius ſuperante percipitur: vnde etiam periculoſa magis eſt quàm febris germana. Quapropter veris febrib⁹ ardẽtib⁹ exquiſitiſq;, quũ à flaua excitẽtur bile, aquæ frigidæ potio magis conuenit, aliáque omnia quæ refrigerare etiam extrinſecus facultate & actu poſſunt. Quibus autem ex pituita origo eſt, his frigida potio exhiberi non debet, ac nulla quæ actu refrigerant: verùm illa potius quæ mitem calorem tepidúmque ſortita ſunt. cuiuſmodi exiſtunt epithemata etiam ſola quæ ex lini ſemine parantur: ſubinde verò etiam quæ ex hordeacea farina aquæ incocta, cui chamæmelum & melilotum adiecta fuerint, conficiuntur. Nam lintea lanea iuri herbarum quas diximus decoctarum intincta, magis conueniunt. At clarum eſt quòd etiam oleum quoddam, cuiuſmodi eſt chamæmelinum, roſaceum & omphacinum, decocto rectè accommodatur. Intelligendum autem eſt huiuſmodi epithemata nõ ſolùm falſis, ſed etiam germanis febribus ardentibus cõducere, falſis tamen amplius. Quæ enim & facultate & actu refrigerant, ea germanis potius competere: cuiuſmodi ſunt etiam lexipyreta, quæ ex roſaceo parantur. quibus adiectus quoque ſit ſuccus herbarum refrigerantium, cotyledonis, oxalidis, lactucæ, atriplicis, portulacæ, plantaginis, & aliarum complurium. Quum igitur differentias ipſarum notaueris, & materiem vnde accenduntur, ita etiam intelligito quatenus refrigerare, & quomodo id quod corruptum eſt expurgare debeas. AD STOMACHVM ardore æſtuantem. Quibus ſtomachus ardore æſtuat, probè faciet aqua frigida cum roſaceo ſubacta, & extrinſecus impoſita: aut ſeſamum aqua maceratũ, deinde cum roſaceo diligẽter læuigatum. Item ceratum roſaceum bene facit, cui admixtus ſit portulacæ & vuæ acerbæ ſuccus pari portione. Sin autem totũ quoque corpus cerato inducto humectaueris, valde commodabis.

QVOMODO febres ex ſanguineo humore prouenientes notari debeant. Febres quæ ex ſanguinei humoris putredine accenduntur, inde cognoſces quòd mitis ſtatim calor ad primum manus tactum percipitur, qui nihil habeat rodens & acre, qualis in febribus deprehenditur quæ ex flaua bile plus ſatis aduſta excitãtur. Apparet etenim in febribus etiam ex pituita putreſcente creatis, ſtatim per initia calor tum mitis, tum vaporoſus: ſin autẽ quis manum diutius admoueat, paulo pòſt rodẽs caliditas tactui occurrit, veluti per colum quoddam aut cribrũ ſurſum emergens. Vbi igitur febres ex ſanguine orientes internoueris, ſtatim per initia (vt dictum eſt) venam ſecato: eos autem qui ex bile febricitant, purgato potius, ſi materia tibi ad excretionem procliuis videatur, & febris quæ inuadit, vehemens non fuerit. Noui autẽ me etiam acuta laborantem febri purgaſſe: verùm huiuſmodi multam diligentémque notationem & animaduerſionem requirunt: & medicum qui animo fuerit confidenti. Abundè verò eſt etiam ſanguinem duntaxat mittere, eo quòd tutius efficaciúſque ſit remedium, & refrigerante ac humectante victu, atque huiuſmodi vnctionibus in poſterũ vti. DE VICTVS ratione. In omnibus ſanè ptiſſanæ cremor idoneus exiſtit: ſed in germanis quidem & perurentibus febribus, *quas καύσους Græci appellant*, ſitim vehementẽ adferentibus, etiam refrigeratũ cremorem cõcedere oportet, ac cerata ſimiliter parare ex aqua frigida, roſaceo & refrigerãtibus: in falſis autem nequaquam: verùm ſufficiunt omnia tepida & temperata, & nullum ex iis quæ vehementer refrigerare poſſunt habentia. Porro lactucæ caules refrigeratas, oua, ſimilitérque intybum agreſtem & domeſticum, & cucurbitas iis qui perardenti febri laborant, omnia exhibere conducit. Oxymeli verò his dari prorſus non debet, nec multiplicia ac varii generis omnino decocta, vt quæ grauiter febricitantibus omnia ſint inimica. Porro ſi multis ægrum vigiliis conflictari acciderit, tunc ei antidotum, *quod διὰ κωδυῶν, à papaueris capitibus Græci appellant*, offerendum eſt. Quippe vbi deuoratum fuerit, ſomnum inducit, & febrium vehemẽtiam ardorémque obtundit. Quòd ſi verò etiam falſis febribus ardentibus ob vigilias, aut mentis alienationem ægro moleſtam, dare ipſum cogaris, cum momento apomelitis ei admixto exhibeto. Sic nanque metuendũ non eſt ne medicamentum frigiditate materiam reddat craſſiorem. Ego rhodomeli & hydroroſatum aquæ mixtum, ac roſatum ipſum per ſe, refrigeratum, iis potiſſimùm qui iecoris ardorem ſentiebant exhibui. DE BALNEO.

Lauandi ſunt qui feruida & perardenti febri laborant, in domo potiſſimùm, vbi ſolium habeatur tepente aqua plenum, vt totum ægri corpus vndequaque ab aqua operiatur. Non autem adiunges ei aliam præterea, neque omnino ipſam commouebis, vt quæ vires digerat & conuellat. Quare neque imbecillis admodum viribus præditos in ſolio lauare conuenit, quod apud Romanos tinam ingredi dicitur: illi verò in id deſcendent quorum vires diſſolutioni & digeſtioni quæ ex tepida prouenit, obſiſtere ac tolerare poſſunt. Tantum de ardentibus & continentibus febribus dictum ſit: putóque hæc abũdè ſufficere. ſi enim ex particularibus quippiam prætermiſſum fuerit, ex iis quæ generatim membratímque dicta ſunt, reliquum ipſe tibi inuenire poteris.

De ſyncope quæ in febribus accidit.

Viriũ ruinæ, *quas Græci συγκοπὰς appellant*, ſubitò in ægris

oriuntur, aut ex crudiorum humorum præſertim os ventriculi grauãtiũ copia:aut ex bilioſis nimiúmque tenuibus,& quifacilè diſſipantur,humoribus:interdum verò etiam dum ad os ventriculi confluunt,vt hac quoque de cauſa vires conuelli proſternaríque contingat.Quoniã igitur virium ruinæ non vna ex cauſa, ſed tum ex crudis, tum ex tenuibus bilioſiſque humoribus oboriuntur, videndum eſt quomodo horum differentiæ diſcerni notaríque debeant.Niſi enim diſcrimina internoueris, fieri non poteſt vt remedia ad vnamquãque cauſam rectè accommodes. NOTAE febrium in quibus humorum crudorum copia ſyncopen inducit. Qui ſanè ob crudiorum humorum copiam in ſyncopen incidunt, primùm ſanè faciem habent tumidiorem,pallidiorémque: os vẽtriculi totúmque ventrem flatibus diſtentum,adhæc pulſus exiguos,raros & tardos:inſuper ructus ſuſtinẽt acidos, habitúmque pituitoſiorẽ repræſentant.Iam ea quæ præceſſerunt,clarius tibi humorem ſuperantem indicabunt. Nam cruditates tunc continuæ plurimùm præcedunt,otia, intempeſtiua balnea, leguminum fructuúmque fugacium,& carniũ repletio,viníque craſſioris ſiniſter vſus. Hoc igitur modo qui ex crudorum humorum abundantia ſyncopen experiuntur,internoſci debent. NOTAE eorum qui ob bilioſos tenuéſque humores ſyncope conflictantur. Qui ob bilioſos tenuéſque humores ſyncope laborant,hac ratione internoſci poſſunt.Primùm ſanè facies ipſorum ſqualida eſt & ſicca,pulſus exigui,inæquales & inordinati apparebunt: deiectio autem bilioſa eſt, vigiliæ magis quàm in aliis vrgent,ſitíſque affligit. Iã ex aliis quoque multis notis diſcerni poſſunt,præſertim verò iis quæ præceſſerunt. Solicitudines enim & triſtitia, cibúſque modicus,iſque ex vitioſis & acribus aſſumptis, hos præcedere magna ex parte conſueuit. Sic igitur ipſi internoſci debent. CVRATIO eorum qui ſyncope periclitantur. Curandi ſunt qui ex crudorum humorũ copia in ſyncopen incidunt,tenui victu, atque omnibus quæ extenuare poſſunt. Salubre igitur eſt, quantũ ad copiam attinet,vacuationem per ſectam venã moliri,eámque rurſus iterare:imò non permittere vt humores crudi rurſus in corpore redundent.Metus enim eſt ne vires proſtratæ humorem crudum nequeant cõcoquere,& diſtribuere.Satius igitur arbitror vt vacuationem potius vitemus.Sin autem humor vſqueadeo ſuperauerit vt periculum ſit ne vires ſuffocentur,non abſurdum eſt tunc ex copia modicum ſubtrahere,& grauatas ipſas leuare. Videmus enim plerunque id etiam in igne euenire. Quippe quũ is propemodum à viridibus lignis extingueretur,ſubinde paucis adẽptis,rurſus illuxit,& iis quæ ipſum ſuffocabant,ſuperior euaſit.Quapropter ſi vires robuſtæ, & copia quæ offendit,admodum ampla fuerit, in eum modum eſt agendum: ſin autẽ imbecillæ fuerint,& cruditas multa ſubſit,frictionibus incumbendum, atque iis quæ ſenſim extenuare ac diſcutere, crudóſque humores & incoctos poſſunt cõcoquere. Tale verò eſt chamemælũ, vt quod rarefaciat,diſſipet,& cauſas morbi cõcoquat. At frictionem incipere cõuenit à cruribus deorſum: deinde ad totam ſpinam & brachia tranſeundum eſt:poſtea rurſus à brachiis ad inferiores partes & pedes:idque frequentius faciundum eſt, ita vt virium ratio habeatur. Quum enim nõnulli ſæpe immoderatam magis frictionẽ adhibuiſſent, vires ſubitò digeſtæ diſſolutæque fuerunt.Ego ita quendam ex inſcitia fricantium in ſyncopen prolapſum conſpexi. iuſſerat enim ille,continuè integrum diem & noctem ipſum perfricari,& à cibo omni ad quintum vſque diem abſtinere: deinde quum impiè hoc ipſe faceret,æger qui non potuit vtrunque, tum defagationem,tum inediam in alios quinque dies tolerare, ſyncope interiit. Conueniebat enim(meo iudicio) eum qui tam immoderata frictione, & acribus oleis in vſum adhibitis tantam cruditatem diſcutiendam putabat, non prorſus à cibo ægrum continere adeò, neque rurſus nimium eo grauare,ſed ab immoderata frictione deſinere. Nam vbi fames,laborandum nõ eſt:ſicut inter omnia hoc quoque prudens ille ſenex pronuntiauit. Haud noui quid etiã diuiniſſimo Galeno in mentem venerit quòd ita faciũdum eſſe præcipiat. Frictionibus autem immo-

A deratis vtendum,oleúmque ſicyonium inducendum:ac inediam imperet.Nam hyſſopum ipſis vnà cum modico melle bibere præcipit,nihilque aliud ad ſeptimũ vſque diẽ aſſumere.Quis,ô dii immortales,vires adeò validas eſſe cogitare poterit,qui ſimul omnia,& inediã & frictionẽ pariter ferre queat?Mihi ſanè meli⁹ videtur & moderatius,perfricare,& rurſus nutrire,ad vires reſpiciẽdo, cremore ptiſſanæ,aut halycæ cum oxymelite,& pane in vinum tincto,vbi vires admodum imbecillæ appareant. Nã vtrũque faciendo, vt interim ſanè ex copia humorũ B nonnihil perfricationem diſſipemus,deinde rurſus cõmodum alimentum, quod concoqui facilè, & in partes corporis diſtribui poſſit,ſubſtituamus, tum vires conſeruari, tum crudi humores probè concoqui poterunt.

DE VINO. Vinum dare febris quidem cauſa nõ oportet,verùm ob crudiorem materiam ſuperantem,eorum quæ ſenſim extenuare & calefacere poſſunt, vſus exiſtit. Nihil itaque abſurdi eſt,tenue,quódque in corpus facilè diſtribuitur,& nullam manifeſtam aſtrictionẽ aut dulcedinem obtinet,exhibere:ætate verò nõ nimium re- C cens,neque vetus eſto, neque calore nigrum, ſed potius ſubfuluum & album,& ſubſtantia tenue. Cupimus enim vt quamprimum in venas totúmque corpus diſtribuatur,præſertim quum vires & collapſas & in periculo interitus conſtitutas recreare feſtinamus. DE BALNEO. Qui ex humorum cruditate ſyncope laborant, non ſunt,opinor, ad balneum citò ducendi. Nam materia quum craſſior ſit & copioſa, nondúmque extenuata, eóque diſcuti nequeat,inde magis meatibus infarcietur, & febres augebit. Vbi igitur humores extenuati fuerint, D & concoctio iam appareat, ita tandem lauare ægros,& cibo leuiter calefaciẽte nutrire oportet, vtpote porro probè cocto cum opomelite,& piſcibus,ſi fieri poteſt,ſaxatilibus:ſin minus,fluuialib⁹,quos Græci anadromos appellant,ex oxymelite, & gallinarum cohortalium alis. Poſtquam vires ex his auctæ fuerint, citra noxam deinceps cibi offerri poſſunt qui valentioris ſint ad nutriendum materiæ. CVRATIO eorum qui ob tenuium humorum putredinem ſyncope conflictantur. Qui ex ſubtiliorum humorum putredine in ſyncopen incidunt, eos E conſtat contrario modo curandos eſſe victu qui humores craſſos reddat, & ægrè in partes digeratur. Cremor igitur halycæ iſtis cõuenit,& panis hydroroſato aut omphacomeliti intinctus:item gallorum teſticuli, citrum, intybus,lactuca,aſtaci,pectines,buccina,erinaceus, aphratum mala,malũ punicũ,pira. Atque hæc nõ vna vice, ſed particulatim & ex interuallis offerre conuenit, vt etiam id quod ratione alimenti datur, non grauet in ſyncope vires,ſed potius augeat. DE VINO. Vinum his aquoſum dari debet,quale eſt Cnidium, aut Sareptinum, F aut generoſum Sabinum: non ſit ætate nimis vetuſtum, ſed aquoſum adeò,neque merũ bibatur. Quin & vnctio adhibeatur quæ nullam habeat vim cutis laxandæ,aut rarefaciendæ efficacem, ſed econtrario dẽſandæ & corroborandæ:cuiuſmodi etiam eſt oleũ melinum.Puluerum verò eiuſmodi vſus eſto,qualis roſarum flos, ipſæque roſæ,ſi inſpergantur,exiſtit: præcipuè quando etiam ſudores copioſius erumpunt, & æger in ſyncopen incidit, viréſque ad ſummam imbecillitatem perueniunt.

De animi defectione

G Quoniam verò animi quoque defectiones ſyncopas inducentes ægris contingunt, viréſque repentè deiiciunt,conſentaneum eſt vt de his quoque generalius diſceptemus:deinde ita quæ etiam nobis tempus intelligẽda obtulit,apponemus iis quæ à diuiniſſimo Galeno ſunt prodita.Ipſa igitur defectionis animi res vna eſt, cauſæ verò ipſius multæ,& vnaquæque ipſius ſpecies propriam obtinet.At de omnibus nunc ſcribere non licet: affectus autẽ qui ſimul comitantur, ſeorſum curari non poſſunt. Tantum igitur in præſenti libro de iis dicemus,quomo- H do quis acceſſionibus ſubitò incidẽtibus queat reſiſtere.

DE IIS qui ob ſubitas vacuationes animo deficiunt. Qui igitur ob choleram,inteſtinorum læuitatem,& alias ſubitas vacuationes animo deficiunt,iis aquam frigidam aſpergere oportet,nares cõprehendere,os ventriculi perfricare,ſtomachum ad vomitionẽ turbare, aut di-

gitis aut pennis inditis. Imò & manus & crura ligare cõuenit,ac deligaturæ plures vehementioréſque eſſe debent:in ſuperioribus quidẽ partibus, ſi deorſum vergat euacuatio: in imis autem, ſi ſurſum erumpat. Cæterùm vinum aqua frigida dilutum, ſyncopis medetur quæ ob vacuationes vno impetu factas,& virium diſſolutiones eueniũt, maximè quũ defluxiones in ventriculum decubuerint: ſed inſpiciendum eſt nunquid vinũ prohibeat. Balneæ fluxionibus quidem in ventriculum idoneæ ſunt,verùm ſanguinis fluorem vehementer irritant: adhæc eis qui ob copiam ſudorum animo deficiũt. atque hi ratione maximè cõtraria curabuntur.cutis enim horum refrigeranda,aſtringẽda,non laxanda eſt:ac vinũ his potiſſimùm frigidum exhiberi,nihilque prorſus calidum offerri debet:imò neque ligare imos artus, neque ad vomitum cogere oportet, ſed ventorum ingreſſus ad eos potius moliri conuenit,ac domus aerem ad refrigerantem & aſtringentem qualitatem cõuertere, myrtique & vitium capreolis,& roſis pauimentum inſternere. Horum nullo vtêris vbi fluxiones in ventrem tendunt.nam fluxio augeſcit quantum cutis denſata fuerit. Qui igitur ob vacuationes diſſoluuntur,iis hoc pacto ſtatim ſuccurrendum eſt.

De iis qui ex copia humorum animo deficiunt.

Quibus ex copia animus deficit, non ſimiliter tractari debent, verùm artus in illis quamplurimum perfricare calefacere,& deligare conuenit:vino autẽ cibóque,& balneis,ſi febricitent,abſtinere.Satis eſt eis etiã mulſam potui dare in qua thymum, aut origanũ, aut pulegium, aut hyſſopum decoctum ſit:conducit etiam oxymeli.

De iis quæ ex vtero animi defectionẽ experiuntur.

Et quæ ab vtero diſſoluuntur,pari modo, præterquam oxymelite, curandæ ſunt. ac crura potius quàm brachia earum deligare,ac fricare oportet. Quemadmodũ enim quibus ſanguis ex vtero immoderatè profluit,earũ mamilis cucurbitulas defigere ſolemus, ita quibus vterus ſurſum & ad latus attractus eſt, inguinibus feminibúſque admouebimus: naribus, ea quæ fœtidiſſimum odorem mouent:vteris autẽ,odorata,& quæ laxare poſſunt ac calefacere,adhibebimus.

De iis qui ob imbecillem ſtomachum animi defectionem experiuntur.

Quòd ſi ſtomachus imbecillis fuerit,atque ideo anim⁹ deficiat, obduci quidẽ debet iis quæ roborãdi vim habent: cuiuſmodi parantur ex palmulis,vino,polentis,croco,aloe,ac maſtiche:perfundi autem oleo abſinthite,melino,maſtichino,& nardino.

Si ardor ſtomachum infeſtet.

Si ardor ſtomachum exerceat, refrigerãtium aliquod miſceri debet, vt ſuccus cucurbitæ, lactucæ, portulacæ, ſolani, ſeridis, & vuæ acerbæ. is quidem non aſtringit ſolùm,ſed etiam confirmat. Iam aqua frigida tempeſtiuè iis data quibus ſtomachus ardore æſtuat,frequenter profuit. ſin autem intempeſtiuè exhibeatur,valde nocet: atque idcirco potius quãdo dari debeat,accuratè internoſcẽdum eſt. Vinum autem calidum imbecilli ſtomacho, ſi nihil aliud obſtabit, rectè exhibetur. Iam extremorũ frictio tales quoq; inſigniter adiuuat. Quòd ſi ex his melius habuerint, ſi ardorem quidem in ſtomacho ſentiũt, ad balneum celerrimè ducendi:qui verò frigiditatem aliquam percipiunt, his medicamentum διὰ τριῶν πεπέρεων, ipſúmque piper ſolum & abſinthium propinari debet:qui ex vitioſis humoribus, ventriculi os rodentibus, animi defectionem ſuſtinẽt,his aqua calẽte & hydrelæo dato vomitus præcipitur. Sin autem æger difficulter vomat,ipſas ſtomachi regiones,pedéſq; & man⁹ prius oportet fomentis calefacere. Sin vomere nequeat, digitis aut pennis in os inditis ad id prouocandi ſunt. Si ne ſic quidem potuerint,rurſus eis oleum calidum quamcopioſiſſimum exhibere conuenit. Solet autem frequenter hydrelæum non ad vomitum incitare, ſed ventrem emollire:idque nõ exiguũ in præſentia præſidium affert. Quare ſi æger non ſua ſponte ad vomitum procliuis eſt, arte is ſolicitari debet, maximè autem rebus quoque appoſitis id præſtare conandum eſt. At ſi vacuatio ex his prouenerit,abſinthii turionib⁹ decoctis mulſa parari,potiúſque dari in ſequenti tempore vinum quoque debet: & particulæ variis modis tum externis epithematis, tũ abſinthii potione roborari. Non tamen id per initia facere præcipio,ſed poſtea, quũ venter fuerit purgatus. Vbi verò humores in eo continentur,neutiquam eum aſtringere,ſed fomentis tantùm calefacere,vt antea comprehenſum eſt,oportet.

Si ob pituitam animus deficiat.

Vbi pituita frigida copioſáque in ſtomacho collecta fuerit,is oleo in quo abſinthii turiones decocti ſint,liberaliter fouẽdus eſt: deinde verò mel, piper, & antidotũ quod dioſpolites dicitur:ac vniuerſa victus ratio inciſoria adhibeatur.

Si ob frigiditatem animi defectio eueniat.

Qui ob validas perfrictiones animo deficiunt, eos ſimiliter ac grandi fame infeſtatos curabis, nẽpe vt omni modo eos calefacias,tum vino calida diluto, tũ cibis calori excitãdo efficacib⁹ exhibitis. Adhæc perfricare eos & ad ignem calefacere expedit.

Si ob caliditatem animus deficiat.

Defectiones animi ob caliditatem ampliorem prouenientes,refrigerãtibus,& iis quæ roborare poſſunt, curare oportet. Incidũt autẽ hæc iis potiſſimùm qui in aere ſuffocato & balneis diutius ſunt immorati. Roborabis igitur ipſos ſi quamprimùm aquam frigidã potioni exhibeas,refrigeria ventilando excites,& in aerem ducas: os ventriculi perfrices, vomitúmque prorites: deinde verò & vinum & cibos offeras.

Si ob igneas inflammationes animus deficit.

Qui ob inflammationis magnitudinem & febrium malitiam animo deficiunt, quum in acceſſionibus perfrigeſcunt,eorum artus valenter perfricare,& calefacere crura,& brachia deligare oportet:vigiliæ indici ægris,oomniſque cibus & potio circuncidi debet. Optimũ autem in his eſt prænoſcere quando futura ſit acceſſio: vt hoc ipſum,antequam illa inuadat,efficere poſſis. At qui ex ſiccitate & inedia in ſyncopen per acceſſionum initia concidunt,optimũ eſt iis antea proſpicere. Si enim horis duabus aut tribus ante acceſſionem cibo dato pedes & manus contineri iuſſeris,nõ interibunt. Oportet autẽ cibos eſſe qui facilè & concoqui & in corpus diſtribui poſſint. Si verò etiam vehemens aliquod periculum ſubeſſe conſideraueris,vinũ mox exhibebis, maximè quod chondro incocto ſuperfuderis: ſi panẽ quoque in chondri vicem offeras,idem valet. Quòd ſi mediocris ſyncope expectetur,neque vinum dari debet: verùm abundè tunc eſt malum Punicum, aut pirũ, aut malum, aut aliud quoddam pomum aſtringens cibo miſcere. Et ſi ob hæc acceſſionem moderatè ferant,quum rurſus cibum offers non neceſſe eſt pomis vti. Hæc quidem agenda ſunt ſi id quòd futurum eſt prænoueris. Illis autem qui repentè in periculum incidũt,vinum exhibebis,panémque calidũ, & cum eo chondri valde exiguum. Si enim copioſius cibos etiam concoctu difficiliores ita affectis dare velis, non modò in ſyncopen incident,ſed etiã ſuffocabuntur.

Si ob nobilis particulæ obſtructionem animus deficit.

Quibus ex inſignis particulæ obſtructione anim⁹ deficit,oxymeli propinatur:& qui ex hyſſopo,origano,pulegio & melle tum potus,tum cibi inciſorii conficiuntur, exhiberi debent. imò etiam artus & fricare & deligare vincit. Iam prodeſt quoque cientibus vrinam vti, cuiuſmodi ſunt ea quæ ex anetho,fœniculo,apio, ſpica nardi, dauco,& ami,parantur. Ex quibus quum manifeſtũ iam commodum apparuerit,vino etiam vtẽdum albo, tenui, & non valde vetuſto. OBSTRVCTIONIS notæ.

Deprehendes huiuſmodi obſtructiones cum ex aliis pulſuum inæqualitatibus, tum verò ex iis maximè quæ ex magnitudine,paruitate, vehementia & obſtructione cernũtur deprehẽduntúrque,cõcurſu,vt vocant, plethorico non præſente. Sunt etiam in quibus pulſus ob magnas huiuſmodi affectiones intermittentes redduntur.

Quum animus ob ſectionem abſceſſus aut rupturam deficit.

Quibus propter rupturam abſceſſus,aut ſectionem,vacuationémque vno impetu factam,animi defectio orta fuerit,hos quamprimum odoratis recreare oportet: pau-

lo autem pòſt ſorbitionibus concoctu facilibus alere.

Si ob gaudium, aut mœrorem, & ſimilia, item ſi ob dolorem animus deficiat.

Qui verò ex triſtitia, aut gaudio, aut metu, aut attoniti in animi defectionē inciderint, eos poſtquam odoratis admotis, naribuſque comprehēſos reſtituerimus, ad vomitum cogemus. Pari modo qui ex vulneribus, ac doloribus articulorum, neruorum, & muſculorum tendinum deficiunt, quamprimum recreare oportet: poſtea affectus quoque curationem aggredi.

Si ob ileon aut colum animus deficit.

In colicis affectibus, aut ileoſis, aut aliquo eorum qui adeò magnos cruciatus inducunt, comitantes animi defectiones, affectarum partium fotu potiſſimùm conquieſcunt.

Si ob virium imbecillitatem animus deficiat.

Sin autem ex propria facultatis quæ corpus regit, imbecillitate, animæ defectio contingat, quæ intemperiem illarum partium comitatur vnde vires ducunt originem, contrariis curabitur, calefaciendo quidem frigidas, refrigerando autē calidas: atque in aliis ſimili ratione. Facultas igitur quæ vitalis dicitur ex corde proficiſcitur, quam ex obſcuris pulſibus cognoſci demonſtratū eſt: quæ autem ex iecore prouenit, cruentis deiectionib⁹, quæ per initia quidē aquoſæ & tenues, poſtea verò amurcæ inſtar craſſæ fiūt. At quæ ex cerebro trahit originē, quam nōnulli ſingulari vocabulo animalē nuncupant, ex voluntarii motus imbecillitate cognoſcitur.

DE FEBRE HECTICA, Cap. IIII.

Qvum immodicus feruor humiditati ſubſtantiali quæ ſolidis particulis ineſt, ſuperuenerit, non tamē hæc diſſipata fuerit, verùm ſalua adhuc in eis perſeueret, ſempérque ferueat, & nullam declinationem habeat, tūc huius febris ſpeciem hecticam nominant.

De maraſmode & hectica.

Quòd ſi humiditas ſubſtantialis in nobis conſumatur, huiuſmodi febris *à marcore Græcis* maraſmodes appellatur. Sin autem in totum conſumpta fuerit, aut torrefacta, tunc abſolutè maraſmus conſtituitur: vnde hectica quidem non adeò difficilem curationem recipit, torrida autem ac marcida nullam. Ne igitur difficilibus curatu tanquam facilibus per ignorantiam manum admouea-
E mus, & ſperato ſucceſſu fruſtremur: neque rurſus curatu facilia, ceu deplorata vitemus, vnaquæque ipſarum ſpecies ab altera diligenter nobis eſt diſcernenda, vt hæ ſingulæ etiam optimè internoſci queant. QVOMODO diaria ab hectica diſcerni queat, & notari. Hecticæ febres, quemadmodum diariæ, frequenter etiam ipſæ ab externa cauſa naſcuntur, & non ſemper à febrium ob putredinem ortarum tranſitu. At ſcire licet, caloris qualitatem in hecticis quidem acrem & ſiccam eſſe, in diariis autem mitiſſimā, atque celeriter tactui occurrere, & quo-
F dammodo circunfundi. Iam ex vrinis quoque has licet facilè diſcernere: nam ſi perfecta concoctio per initia tibi appareat, tūc diariā febrim eſſe putato: quū autē cibus quidem ſumitur, nulla autē concoctio apparet, hecticam ſuſpicari oportet, quæ etiam ex pulſibus notatur. Nam in diariis magni ſunt & celeres, in hecticis autem exigui & obſcuri quū ſint, virium imbecillitatē portendunt. Iā numeris horarū inuicem diſcernuntur: nam horis decem aut duodecim præteritis, ſi febris nō conquie-
G uerit, hecticam fore potius exiſtimandum eſt. QVOMODO hectica à putridis diſcerni debeat. Quòd ſi febris interuallum prorſus nullū habeat, adhæc neque obſcurior aut vehementior fiat, ſed eodem modo firma ac conſtans, hecticam hanc eſſe putato. Nam in putridis & incrementum & imminutio accidit: augmentum quidē in ſtatu, imminutio autem in declinationibus. QVOMODO continens ab hecticis diſcernatur. Etſi verò continentes hac ratione ſimiles hecticis videantur quòd & ipſæ nec augmentū nec imminutionē recipiunt: atta-
H mē caloris qualitate & pulſibus ab illis diſcernūtur. ſiqui dem continētium calor non eſt ſiccus & acris, quemadmodū in hecticis, ſed etiam in ſumma cute magis apparet. Ac in continentibus pulſus ſanè magni & celeres exiſtunt, in hecticis autē exigui & obſcuri. Hoc ſanè modo

A hecticas ab omnib⁹ ex putredine ortis diſcernere poteris. NOTAE hecticarum maximæ. Maxima verò nota eſt hecticarum, quòd à cibo caloris incrementum fieri videatur: non eſt autem incrementum, ſed caliditatis in alto celatæ occultæque argumentum. Quippe in his tale fieri contingit quale in calce. etenim vt ignis in hac celatus, ab iniecta aqua deprehenditur: ſic etiam in hecticis cibus aſſumptus calorem in alto deliteſcentē foras euocat.

NOTAE hecticæ in maraſmodem febrim tranſeuntis. Maraſmodis febris ab hectica profectæ ſigna, etiam ex
B ipſa ſola ægri facie omnibus manifeſtiſſima exiſtūt. Primùm enim color viuus ac ſanguineus, *quem Græci χροιᾶς ἄνθος, hoc eſt florem coloris appellant*, non amplius in eis ſeruatur: ſed nigrior quodāmodo, exaridus, & ab immodica febriū caliditate ſqualid⁹ apparet. cutis verò frontis validè diſtēditur, & palpebræ grauātur, ceu in iis qui dormituriunt. non autem eſt ſomnus, ſed potius imbecillitas muſculorum qui palpebras ſurſum attrahere ſolēt: vnde etiā pituitas craſſas *quas λήμας uocant Græci*, aridas ob naturalium facultatum impotentiam in oculis habēt: præcor-
C dia intenta ſunt: non autem quòd ipſa verè ſint intenta, ſed quia membranæ & nerui tenſionem quādam ob ſiccitatē ſuſtinuerint. Nam tali de cauſa imaginatio quædā nobis oritur, vt præcordia & inflammari & diſtenta eſſe putemus. Ac pulſus in eiuſmodi duri ſunt, & exigui ſimili ex cauſa, & frequentes propter vſus neceſſitatem, obſcuri ob imbecillitatē: graciles, quia in latū extēdi nequeunt. At quid opus eſt talia ſigna commemorare, quum hæc adeò euidenter maraſmodem febrim repræſentare nobis
D poſſint? Quū igitur moderatiores ſint per initia, valētiores autē vbi radices iam egerint, etiā id quod nōdum eſt per id quod iam eſt, maraſmum fieri ſignificat. Poſtquam omnium iam hecticarū notas expoſuerimus, ad curationem modò digrediemur. CVRATIO febris hecticæ.

Hecticam ſi probè curare cogites, victu vtere qui humectet & refrigeret, eo quòd etiam non aliunde occaſionem accepit quàm ex humiditatis quæ ſolidas ipſas partes in primis nutrire poteſt indigentia. Verùm quia refrigerantia diuerſam ſortiuntur facultatem (etenim alia plus, alia minus ſunt efficacia) ſciendum eſt quibuſ-
E nam aqua, & aliud quoddam refrigerans, & quibus quidem magis, quibus autem minus dari debeat: item quibus nullo modo offerre oporteat: adhuc tempus quo exhiberi conueniat: item quos ſanè tum intus, tum foris refrigerare, quos verò ſolummodo extrinſecus oporteat. Quum enim ita nos omnia diſtinxerimus, etiam curatio hecticarum, quāuis ſit operoſa, tum facilis, tum prompta ad ſanationē efficitur. QVIBVS frigida dari debeat.

Si quidem igitur æger primariò in hecticam febrim inciderit, atque non ex acutorum morborum tranſitu originem traxerit, cum fiducia cremorem ptiſſanæ potio-
F ni offerto, & panem in aquam tinctum lactucáſque, ac omni cibo vtitor. Poſt cibum aquam frigidam, quantum velit, potui dato. Cauere enim hic febris inſultus & metuere non oportet. neque enim remiſſionem aut acceſſiones, quemadmodū in febribus ex putredine ortis, inuenire licet. Ita ſanè agendum eſt ſiquando ipſa febris hectica per ſe ac primariò fuerit, ægrique vires imbecillæ, & non alia febris ex putredine creata ei ſit admixta. QVIBVS frigidam dare non oporteat. Perpende
G rurſus num quandoque febris hectica inflāmatione magna præcordia infeſtante, aut putredine quadam in venis apparente, aut crudioribus humoribus excitata fuerit. Fieri nāque poteſt vt hectica ſit febris, & vt quædam ex putredine prouenientium ipſam adulterauerit. Si igitur tale quid fuerit, aqua dari non debet: & præſertim ſi nulla concoctio in vrinis appareat, neque inflammatio feruens, & magnitudine inſignis: præterea ſi vires ægri ſint imbecillæ. QVANDO frigida exhibeatur, etiam inflammatione infeſtante. Sin autem inflammatio feruēs admodum fuerit biliofa, eryſipelacea, frigida rectè exhibetur. Ego ſanè noui me cuidam tali affectu laborāti, æſtuantique ardore, frigida exhibita plurimum profuiſſe, ita tamen vt prædixerim ægrū paulo diutius morbo conflictaturū. quod etiam accidit: tardius enim vires recolligebat, euaſerat autē, ita vt quum febris eſſet aucta,

A hectica in maraſmodem inciderit.Hac autem ratione,e-
tiam ſiquæ ex putredine ortarũ admixta fuerit,& præci-
puè ex ardentium genere, frigida potui exhiberi debet:
Neque verò ſimpliciter in his dabitur,ſed quũ bonæ cõ-
coctionis notæ in vrinis iam apparuerint, tunc offerre
conducit. DE HECTICIS febribus quæ ex aliis in
eas tranſeuntibus mutatíſque generantur. Quòd ſi he-
ctica ex acutis morbis in eam cõmutatis oboriatur,(ma-
gna enim ex parte maraſmodes hecticæ ſuccedunt, vbi
ardentes febres non rectè curantur) frigidæ potu interdi
B cetur, præſertim immoderato. Nam corpore iam antea
extenuato, imbecillique ſimul & excarni reddito, tum
propter tempus quo illa excepta eſt, tum propter arden-
tium febrium intemperiem,neceſſe eſt duplicem comi-
tari noxam:aut validam virium deiectionem interitúm-
que,aut refrigerato corde,caloréque natiuo protinus abo
lito,maraſmum ſenio perſimilem, quem meritò ex mor-
bo ſenium vocabãt, ſubſequi. hic enim & frigidus & ſic-
cus exiſtit,nequaquam febrim inducẽs. Quare neque re-
frigerantia, ſed potius humectantia ſimul & calefaciẽtia
C requirit. QVOMODO externis remediis ſuccurren-
dum iis ſit quibus frigidam dare non licet. Catapla-
ſmatis igitur, fomentis, ceratíſque refrigerantibus in o-
mnibus quidem febribus rectè vtimur in quibus aquæ
potio dari nequit,aut ob virium imbecillitatem, aut ob
corpus plus æquo extenuatum,carnibúſque deſtitutũ. In-
ſpicito autem num etiam hectica maraſmodes iam exci
tata ex affecta particula primariò duxerit originem. Ete-
nim ex inflammatione iecoris, ventris, meſaræi, renum
& coli, adhæc ob diuturnas vteri,thoracis, pulmonis, ſe-
D pti tranſuerſi,& aliarum partium inflammationes proue-
nire ſolet.Quare inſpiciendum eſt animaduertẽdúmque
qua in particula febrim maraſmodem ſubſequi contige-
rit, eíque potius remedia ad refrigerandum humectan-
dúmque efficacia adhibebimus, vt ipſum veluti ignis ſo
mitem extinguas.Multa igitur ſunt in id efficacia,ſed nul
lum ita vt ceratum roſaceum. Quippe ſolidas partes refri
gerare & humectare poteſt, ac tueri ne humiditas quæ
modica in eis adhuc ſupereſt,prorſus intereat.In hunc au
tem modum conficitur: Ceræ quadrans, roſacei vnciæ
E ſex.Cera ſemel aut bis lauatur:deinde vbi in aqua frigida
ſoluta fuerit, roſaceo ſic adiicito: ſed ex hoc ſeruato in-
ſtar vnciæ, paulo plus aut minus. & quum ceratum lẽto
igne probè ſolutum fuerit,ſinito ipſum refrigerari: dein-
de ex cerato portionem acceptam in pila ſubigito, inte-
rim relicti roſacei, interim aquæ frigidæ momentum in
pilam cõiiciens,donec totum roſaceum inſumptum fue-
rit,ac cerato probè mixtum eſſe conſpexeris.Quòd ſi etiã
ouorum albumina adiicere volueris, præſtantius adhuc
erit remedium.Pari modo ſi cremorem ptiſſanæ adiun-
F xeris,melius adhuc efficies.Oportet autem linamẽta cre-
brius mutare, nec permittere vt medicamentum diutius
corpori adhæreſcat,neque multum incaleſcat:quippe mo
ra imbecillius redditur. Ceratum hoc ad multa eſt vtiliſ-
ſimum,nec eo temere vti oportet.Ego ſanè hoc frequen-
ter vſus,incipientes hecticas citò diſcuſſi, ne adauctæ ma
raſmodem febrim inferre potuerint. Oportet autem in
his quoque vſui iſtius inſiſtere,& non eum detrectare,ſed
etiam crebrius adhibere, aliâs vt ceratum inducentes, a-
liâs liquidius reddentes, hydroroſato, *hoc eſt oleo roſaceo*
G *aquæ mixto*, copioſè diluendo. Ita nanque hoc præſidio
inſtar vnctionis vti licebit cum omni in corpore, tum
præcipuè in conſumptis & extenuatis: ac non modò ſe-
mel in die,ſed etiam bis ita,præſertim in viſceribus, vti
conuenit.Quoniam autem iterum illinemus, ratio eſt vt
etiam ſecunda vice vnctum abſtergamus. DE FO-
MENTO. Fomentis vtendum eſt, ſucco lactucæ, vuæ
immaturæ,portulacæ,ſolani,& vmbilici Veneris.Præſtat
autem ſuccos etiam refrigeratos, & præſertim niue,ſupe-
raccommodare.Quòd ſi nobilis quædã particula inflam-
H matione tentetur, ſuccos non per ſe ac ſeparatim, verùm
oleo omphacino admixto, aut chamæmelino, aut etiam
roſaceo,aut ſimul omnibus,inducere conabimur. At tho
raci remedia non nimis refrigerantia admoueri debent,
niſi multus feruor aut inflammatio in eo ſpectata fuerit.
Verùm ne ſic quidem linamenta diutius inhærere ſine-
mus,eo quòd pleroſque ab immodica ipſorum refrigera
tione haud mediocrem non ſolùm reſpirationis,ſed etiã
vocis noxam expertos nouimus. DE DOMO in qua
æger decumbet. Non ſolùm autem refrigeriis quæ ex-
trinſecus admouentur, ſed etiam aeris mutandi ad frigi-
dius artificio auxiliari tentabimus. Si igitur æſtas fuerit,
in ſubterranea domo æger decumbet, & pauimentum a-
qua frigida copioſè conſpergetur,vt aer hinc frigidior e-
uadat, Iam aqua ex aliis vaſis in alia decidat: nã medio-
cris huius ſtrepitus etiam ſomnum prouocat. Præſtat ad-
huc ſi aerem ita immutes, vt non modò refrigerare cor-
pus,ſed etiam corroborare poſſit.id quod fiet ſi pauimẽ-
to iniicias refrigerantium aliqua,aut roſam, aut ſemper-
uiuũ,aut rubum,aut lentiſci turiones,aut vitis capreolos,
aut ſimile quiddam, tum ad refrigerandum, tum ad ro-
bur inducendum efficax. Huiuſmodi ſanè aer omnibus
quidem hecticis conducit: maximè verò quibus pulmo
& cor igneum ardorem primariò ſenſerit. Etenim à cibo
& potu refrigerante non tantùm iuuantur quantum à fri
gidi aeris inſpiratu: contrà maius à cibo ſentiunt com-
modum quàm ab aere,ſi iecur & vẽter,aut alia quæpiam
particula fuerit affecta.Ita ſanè, vbi æſtas fuerit,aerem ad
frigidum mutari oportet: vbi hyems, calidior parandus
non eſt.quomodocũque enim frigidus fuerit, nihil ipſos
offendit. Reliquum verò corpus ſolummodo moderatè
cooperiri oportet, vt ne pluribus tegumentis incaleſcat,
& æger ideo virium defectionem aliquam ſuſtineat.
DE BALNEO. Et balneum iis conducit qui hecti-
ca febri laborant, quæ per ſe fuerit, & non cum aliqua ex
humorum putredine prouenientium coniuncta inuenia
tur. Tunc enim offenduntur, & nequaquam iuuantur,
præſertim ſi crudis adhuc humoribus lauare quis ipſos
voluerit. Neque minus læduntur ſi inflammatione nobi-
les particulas obſidẽte, etiam modicè id facere tentaue-
ris.Sciendum autem,non modò hectica febri laboranti-
bus,ſed etiam frigidis, ſiccíſque intemperiebus, & ſenio,
ex morbo balneum conferre. Habent enim balnea hoc
quoque admiratione dignum quòd & calidas & frigidas
intemperies iuuare poſſunt. In ſumma, ſiquis diuerſos il-
los lauandi modos nouerit,is(meo iudicio) etiam omnẽ
intemperiem mutare in contrarium poterit. Eſto igitur
temperatus aer,vnctio & ſolium. Eluere autẽ oleum con-
uenit, ac ſtatim quum æger in exteriorem domus partẽ
ingreſſus fuerit, corpus perungi: verùm diutius in aere
morari non debet:oleum autem viſceribus potius ſuper-
fundi.Egreſſus æger in frigidæ ſolium quod non aquam
frigidam, ſed lactis more tepentem habeat, perunga-
tur. Circundatus autem operimẽtis, nõ admodum diu in
eis immoretur. Quum veſtem iam induet, rurſus totum
corpus vngatur. Valde enim hoc iuuare ipſos poteſt: quo-
niam humiditatem quæ à balneo accedit, diu retinere
oportet, & non ſinere vt promptè ex corpore defluat. E-
greſſus æger ex balneo,aut cremorem ptiſſanæ, aut haly-
cæ,aut lac aſſumat: ſin autẽ ſitis vrgeat, etiam quum ad-
huc operimentis inuolutus eſt,non recuſes aut lac, aut a-
liud quoddam alimentum exhibere. Etenim tunc potius
in vniuerſum corpus diſtribuitur, quum attrahitur. DE
LACTE. Lac igitur omnibus hecticis, præſertim in
maraſmum deſinentibus,ſiquid aliud,idoneum eſt.Qua-
propter etiam iis valde conueniens eſt qui vires habent
imbecilles,neque alimentum poſſunt attrahere:& hoc ſo
lum in corpus diſtribui, trahíque,non parum accommo-
datè poteſt. Itaque lac muliebre primum locum obtinet,
ſecundum verò aſininum. Verùm quoniam ægrè nõnul-
li hoc aſſumunt,caprillum ipſis dandum eſt,quod mediũ
fere exiſtit,& magis poteſt nutrire.Conſtat autem,etiam
curam animalis habendã eſſe,vt nutriatur domi hordeo,
myrti,lentiſci,& quercus foliis.ita enim lac non amplius
corrumpitur. Nam huius ſolicitudo habenda eſt, vt ne
hecticorum aluus ſubducatur,præcipuè eorum qui ex fre
quenti ſyncope,& diuturna vacuatione alui,in maraſmo-
dem febrim inciderunt.Quamobrem quibus venter im-
becillis eſt,& facilè ſubducitur,in his etiam lac bis coque
re,vel etiam fluuiales lapillos in id cõiicere oportet.Red-
duntur autem igne cãdentes, vt ſeroſum à lacte per ipſos
diſſoluatur.At qui lac ſolum nolint aſſumere, etiam cum

ptiſana,aut halyca, aut chytro ipſum decoctum exhibeto: adhæc cum itrio, *hoc eſt libo ſeminali*, & ſimilagine, pari modo bis coctũ offerto. Præterea magis adhuc illis lac exhiberi debet quibus etiam venter copioſiora & bilioſiora deiicere videtur. Procedente autẽ tempore, vbi febres mitigatæ fuerint,& vires aliquo modo inſtauratæ, molliſſimum & recentem caſeum ex eo coagulatum dare ipſis non alienum eſt.Quatenus enim vires augeri cernimus,eatenus nos quoque cibis adiiciemus. DE VINO. Vinum iis qui frigidam ſiccámque intemperiem in ſolidis particulis habent;& maraſmo ex morbo(vt vocant)detinentur,exhibere neceſſe eſt, vt quos calefacere ſimul & humectare oporteat. quæ omnia vinum moderatũ præſtare ipſis poteſt. Qui verò cum febri marceſcũt, præſertim qui macie torrentur,iis vinum dare cautio eſt: vt quod eis,ſiquid aliud,maximè aduerſetur.

SI EX SYNCOPE MARASMVS OBtigerit, Cap. V.

QVi ex ſyncope maraſmo contabeſcunt, iis quantum ſanè ad vires collapſas & perfrictionem frequenter comitantem attinet,vinum offerri debet: quoniam verò etiã caliditas naturæ contraria,febriſque præterea eis adeſt,& perfrictio quidem interdum conquieſcit,rurſus autem febris ſuperuenit, ac ſummatim quum periculum ſit ne aliâs aliter æger intereat, nunc à perfrictione,nunc à febri: neceſſe eſt tum demum ad vrgẽtem cauſam reſpicere, ac nonnunquam vinum tempeſtiuè præcipere,nonnunquam verò rurſus id diſſuadere. DE TESTICVLIS gallorum. Teſticulos gallorum *quos Græci ὄρχεις & παραστάτας appellãt*,dare his oportet.Perpetuò enim omnibus hectica laborãtibus commodi exiſtunt, quum abundè nutrire & vires augere poſſint, vbi probè concocti fuerint. Quapropter id alimentum ſemper exhibendum eſt vbi vires nondum ad extremum collapſæ fuerint.Quod enim præſidium deinceps eſſe poteſt ſi vires alimentum non concoquant, ſuperéntque? Quippe nequaquam cibus vires augebit, ſed natura,quæ omne alimentum & concoquere,& mutare,& corpori apponere conſueuit. DE FRVCTIBVS pomaceis.

Fructus pomaceus,*qui ὀπώρα Græcis dicitur*, quia ſanè humectat,ideo hecticis cibus eſt accommodatus.Quoniam verò omnes propemodum,non ſolùm humectare, ſed etiam refrigerare ſolent, idcirco rurſus dicẽdum non eſt vniuerſim omni hectico conuenire.Illis enim qui calida & ſicca intemperie laborant, & omnibus qui maraſmo contabeſcunt & torrentur,congruè frigida & humida victus ratio adhibetur,maximè peponum medulla,& cucumerum: item mala duracina, & ceraſia his ſunt idonea. Qui autem frigida intemperie detinentur, & in ſenium ex morbo inciderunt,iis inutilia. Reliqui verò pomacei fructus qui non adeò refrigerant, ſed potius calefaciunt, & humectãt modicè,exhibere non eſt abſurdum: nempe vuam maturam, valde dulcem, præſertim quæ paſſa eſt,ac malum valde dulce, & ficum admodum maturam. nam hæc probè concocta, propemodum nihil nocet. Si igitur venter nihil nos impediat, plus iuſto excernens, cum fiducia cibos commemoratos exhibeto. Si nanque tale quippiam fuerit, & aluus magis quàm conuenit profluere videatur, his quidem abſtinendum in præſentia, dandum autem Punicum modicè aſtringens, aut pirum, aut malum eiuſdem qualitatis, præſertim ante alium cibum. nam ſi à cibo ſumantur,aluum ſubducunt. Ac cibi qui ſtomacho potius & cordi corroborando ſunt vtiles, maraſmo ex ſyncope contabeſcentibus, & omnibus hecticis dari debent. Si hi quoque ſiti & vehementi febri laborare videantur,etiam ipſis fructus pomacei refrigerantes opportunè offeruntur. Breuiter,omnia ad id quod magis vrget accommodari debent.Hanc enim rationem animaduerſionémque obſeruans, nunquam aliquem offendes,neque ſi pomaceum fructum,aut alium quẽpiam cibum exhibeas. Nam omnia quantitate, qualitate,tempore, ordine, & vtendi modo, aut bene aut malè adminiſtrantur.

De marcore,qui maraſmus Græcè dicitur.

Si tabes,*quam Græci vocant μαρασμόν*, reuera humidi- A tatis quæ in ſolidis partib⁹ ſubſiſtit, abſolutus exiſtit interitus, nullam medicinam recipit.Propter hoc igitur nonnulli medicorum meritò decepti in diſcernendo, putarunt ſe verum maraſmum curaſſe. Etenim fieri poteſt vt tenuitas carnium,maciéſque, & veluti colliquatio earum reſarciatur:primariam verò humiditatem, & quæ ſolida ipſa nutrire poteſt,prorſus abſumptam perditámque non licet reſtituere. Sic enim ſenium quoque ſanari nequit, vt quod naturalis ſit tabes.Quemadmodum igitur ſeniũ nulla medicina tolli poteſt,ſic neq; ea quæ reuera tabes. B Attamẽ propter humanum benignũmque artis auxiliũ, contendere cum morbis oportet, & non ceu deploratos omnino relinquere. Interdũ enim, vbi quis naturam dextram nactus fuerit,& tabes incipiat, nõdũmque ſolidas partes torruerit,ſperatum ſucceſſum conſequi poterit:ſin autem minus, quanto magis æger affectus eſt, tanto minus agendum.Nam deſperatis,malóque victis,manus admoueri non debent.

DE TERTIANA, Cap. VI.

TErtiana quidem facilis curatu eſt:quum autem à me- C dicis illis qui nulla ratione & via vtũtur,malè tractatur,non difficilis modò curatu, ſed etiam inſanabilis interdum redditur.Conſtat igitur,cibum humectantem refrigerantémque in omnibus eſſe præſcribendum, quũ tertiana contemperamento pura & germana exiſtit, & à ſola bile excitatur. Itaque ptiſanæ cremor ſuper omnia vtilis ipſis cenſetur: atque hoc vſi nonnulli vſque ad criſin, *hoc eſt morbi ſolutionem*, optimè ſuperſtites vitæ manſerunt.Sin autem minus oblectentur ptiſana,etiam auenæ cremor ipſis dabitur:ac lactucæ aut intybi caulibus vten- D dum. Quòd ſi febris non fuerit vehemens, & quædam notæ concoctionis appareant,etiam gallinarum alæ,& piſciculus molli carne præditus cõcedi poteſt. Vrinæ in his prouocari debent, maximè apii radicis & adianti diluto. Nam anethi decoctum etſi vrinas mouere probè poſſit,vitare tamen ipſum magis oportet in germanis tertianis,& in quibus calidius ſicciúſque temperamentum habetur:præterea ſi ægri ſolicitudine & vigiliis cruciantur, nam in his omnibus offenſa maior quàm vtilitas prouenire ſolet. Abſinthii etiam decoctum maximè vitãdum E eſt,quando calidum & ſiccum ægri temperamentum habent. Noui autem ego etiã nõnullos colliquationem expertos, quòd ſeorſim illud immoderatius aſſumpſiſſent, & non vitaſſent. Contigit enim, quorundam ſanè partes ſolidas ſicciores deprehendi,quorundam verò bilem efferueſcentem, non quantitate, ſed qualitate potius offendere: alium aut igneam intemperiem, aut inflammationem in ore ventriculi ſentire.In his itaque omnibus talia vitanda ſunt,& tepida liberaliori magis ante cibum vtendum. Nihil autem minus etiam in alio tẽpore potio exhi- F benda.quippe hæc humectat,feruorem refrigerat, meatúſque laxat.Quare ex his omnibus accidit, hanc quidem partem bilis per ventrem excerni, aliam verò per vrinas, quæ antea detinebatur,& propter caliditatis feruorem,& propter nimiam decoctorum aduſtionem nõ potuit expurgari.Miror autem quomodo Galenus,qui artem legitimè,ſiquis etiam aliorũ medicorum,exercuit,adeò indiſtinctè ſcripſerit,vt dicat, exquiſita tertiana correptis abſinthii dilutum à ſeptimo die propinandum eſſe.Ego verò falſis tertianis potius dedi, mixto ei oxymelitis momẽ- G to.Sic enim pituitæ miſcellam & citra noxam magis extenuat,& leuiter purgat: vt non vſus veniat origani, aut hyſſopi, aut calaminthæ, aut pulegii. quæ omnia acriora ſunt,& valde periculóſa, crebróque febrim iã magis accendunt.Hæc igitur vniuerſa vitare magis oportet, & tũc audacter offerre quando pituita bilem lõgè ſuperauerit, & temperamentum ægri frigidius fuerit, vitáque otioſa præceſſerit,& alia omnia quæ humorem frigidiorem ſuperantem efficiunt. Sin autem humor qui abundat, contrarius horum fuerit,tum his abſtinendum eſt: vtendum verò illis potius quæ extenuant, & acceſſiones vehemen- H tiores fieri nõ cogunt. DE POMACEIS fructibus.

Pomaceos fructus,*quos ὀπώραν Græcis appellari diximus*,exquiſitis tertianis liberaliter exhiberi conuenit:nempe vuam dulcem, Perſica cocta & nõ cocta, peponúmque medullam:præſertim autem ſi etiam ægri ſiti vexentur. Ego

ſanè noui,me frequenter ægros,ne amplius acceſſione febris infeſtarentur, impediuiſſe, quum peponas probè refrigeratos vna hora ante incurſum morbi aſſumere iuſſiſſem,& rurſus aquã temperatã copioſam, & quantam potuerint,peponi ſuperbibere præcepiſſem. Sequutus itaq; eſt non multo poſt aquam epotam aliquibus ſanè ſudor, aliis copioſæ bilis per aluum. Offendi autem ego pleroſque Romæ medicos, qui ne nomen quidem peponum, tanquam bilem procreantium,proferre audebant.Quum itaque ego cuidam aliquando, & ſitienti vehementer, & æſtu flagranti,defatigatóque,iniunxiſſem vt peponem aſſumeret, quidam præſens medicus exclamauit, Homo, cur ægrum magis vis occidere? annon didiciſti quòd pepon bilem producat?Lege Galenum De alimentis,vbi dicit manifeſtò, peponem comeſtum cholericos efficere. Laboraui igitur ego non parum vt iis perſuaderem qui intellectu aſſequi poterant,Galenum non dicere hîc ipſos pepones bilem creare, ſed choleram efficere. Choleram autẽ vocabant, ſtomachi ſubuerſionem cum vomitu, & perturbatione ventris:ac cholericos,quibus hæc accidũt. nam pepon reuera habet aliquid ſtomacho contrarium. Quare etiam copioſior comeſtus vomitum, ventris perturbationem,& præterea perfrictionem,ac totius corporis conuulſiones excitat. At melopepon nihil horum facere cenſetur: non enim habet adeò quod ſtomacho aduerſetur: imò neque pepon modicè comeſtus. Proinde tertiana febri detentis cum fiducia dari debet, necnon iis qui ardente febri, *καύσω Græcè dicta*,& calida intemperie laborant, ſiue in renibus, ſiue in iecore, vel in ſtomacho,vel capite. Nihil enim eiuſmodi intẽperiebus æquè aduerſari poteſt,debellare & euincere,vt pepõ,aut qui dicitur melopepon. quomodo enim ea quæ refrigerant & humectant, bilem parere poſſint, non video.Vbi autem peponum facultas tibi deeſt, etiam cauliculi lactucarum refrigerati,& cucurbitæ,item cucumerum medulla,Perſica coctionem non experta, ſed in vaporem ſuſpenſa,& ab eo ſolo cocta, velutíque condita, ſubſtitui poſſunt:eiſque & ſimilibus ſemper vti licet. Iam in oleribus, & pomaceis fructibus etiam omnibus deligere oportet quæ refrigerare queant,& humectare, conuenienter ea pro vniuſcuiuſque temperamento, & morbi magnitudine,accommodantes. DE BALNEO. Balneum,vt maximum præſidium,ipſis præbẽdum: maximè calido & ſicco temperamento præditis,& qui crebris vti lauacris cõſueuerunt:nec concoctio omnino expectanda eſt,ſed vbi ſiccitas vrget,etiam ante concoctionem lauare conuenit. Modus autem lauandi talis eſto: Poſtquam æger in temperatum aerem ingreſſus fuerit, modicè ſudarit, & tepidas aquas acceperit, ita oleo non modico perungatur. Quid enim corpus bile exardeſcens humectare aut refrigerare probè,præterquã aqua,poteſt? Præſtat igitur aquã tepidam admiſcere. ſic enim refrigerare & humectare magis,& in altum corporis penetrare percipitur. Vnctio autem adhibeatur non in domo quæ calidum aerem habet,ſed in exteriorem eius partem reuerſo, quam etiam *à molliendo* malacticen appellant: deinde poſt illitionem hydrelæi, aut hydrochamæmeli. Nam ſi bilis multa, & præcipuè craſſior ſit,non alienum eſt in vicem olei communis etiam chamæmelino vti, quod vim diſcutiendi multo habet ampliorem.Sed nõ diu æger in aere immorabitur,verùm celerrimo tranſitu tantùm vſus in tepidũ calentis aquæ ſolium deſcendet, in eóque diutius ſubſiſtet. Egreſſus autem ex domo calida, monendus vt in aqua frigida immoretur: & ſi bene habuerit, etiam iliunium indices: operimentis verò iam ſumptis,vt aquæ tepidæ quantum velit, paruo ſpatio interpoſito bibat, hortandus eſt. Nam à potione ſudores copioſos effundi videbis:interim verò etiam bilem per vomitum reiici, vt æger quamprimum ex iis quæ ſuperueniebant, morbo fuerit liberatus. Reuerſus autem in domum, ſi pepo non adfuerit,aut alimentum quod diximus ſumat, aut lactucarum cauliculos,aut cucurbitas, aut cucumeres,aut ptiſſanam. Cæterùm aquam tepidam non modò ſemel, ſed etiam bis & frequenter dare expedit,& nihil metuere.In hoc nanque morbo aqua tepida maximum eſt præſidium. Tentabimus autem in declinatione potius exhibere,& ante acceſſionem: interim verò etiam in acceſſione. Noui ſiquidem acceſſionibus ſubtrahi debere, vt diuiniſſimus Hippocrates inquit: ac verum eſt, quantum ad hoc attinet, etiam quum nihil vrget. Frequẽter enim cogimur propter cauſam vrgentem, non tepidam modò aquam,ſed etiam cibum in ipſa acceſſione offerre. In illis autem hoc agendum eſt qui immoderatum ſtomachi habitum & virium imbecillitatem habent, vt inſultus magnitudinem ferre nequeat, ſed ſyncopen minetur. Noui igitur ego in iis qui immoderatè roduntur, tepidam me aquam propinaſſe:deinde vomitu oborto,& bile copioſiſſima excreta, iſtorum beneficio acceſſionem conquieuiſſe. Vt autem illa aucta fuerant, ita etiam alia decreſcebant,& aqua temperata & bile euacuata.

Quomodo tertiana diſcernatur, germana ac veráne ſit an falſa.

Tertianas illas germanas eſſe cenſendum eſt quibus omnia quæ cognata dicuntur,conſenſerint: ætas dico,regio,conſuetudo,temperamentum, ſtudia, & victus ratio. Poteſt autem ſenex quoque tertiana infeſtari, quæ omnem tertianæ germanæ ſpeciem, omnémque modum conſeruet. Ego ſanè meis oculis hæc in ſene quodam conſpexi,qui flauam bilem vomeret,ſimilitérque per aluum excerneret, vehementer febricitaret: atque idcirco acceſſio cum valido rigore eum inuadebat, ac declinatio multis ſudoribus accidebat:detinebatur autem acceſſione horis fere decem,aut duodecim. Huius alii ſanè familiares, eo quòd ſenex eſſet, decoctum ei bibere præcipiebant,ac omnia illa facere quæ falſis tertianis(vt aiunt) idonea exiſtunt:feréque interiiſſet æger decoctis ex hyſſopo,origano & pulegio aſſumptis,niſi quis ſubitò ex periculo ipſum ſubtraxiſſet, iubens eum etiam pepones aſſumere,& lactucas, & ptiſſanam, quæ nihil curioſum habent operoſumque, ac omnem alium victum qui humectaret ac refrigeraret, vt in tertiana exquiſita, non deceptus ætate,quòd ſenex eſſet, ſed potius toto tẽperamento.Habuerat enim iam inde ab initio igneam intemperiem,quam alii propemodum omnes poſtea ad amuſſim conſeruabunt. Quare naturam ægri & cauſas præcedentes maximè attendere oportet:nihil autem minus, imò etiam omnium maximè,febris ſpeciem. Ego autem neque tertianarum falſarum victus rationem in omnibus vt veram & vtilem commendo, quam Galenus in libris ad Glauconem philoſophum præcipere videtur:iniiciẽs omnino ptiſſanæ piper,aut origanum, aut hyſſopum.Etenim huiuſmodi plerunque periculoſa ſunt, & febres vehementiores accendunt: idque magis adhuc ſi temperamentum corporis calidius inueniatur, & pituita mitior quàm bilis,& quæ non adeò calefacientia requirat.Quippe ſatis erat in his vti & non multis valde refrigerantibus & iis quæ ſenſim extenuare citra calorem poſſunt, qualis eſt radix apii expurgata,vt non particeps ſit radicularum: item ptiſſana ſimiliter,interim adiũctum habens apium aut aniſum,aut comam porri,aut mellis,& aceti momentum. Quòd ſi non admodum in ſincera ac falſa tertiana fuerit,nullus horum vſus eſt: verùm abunde eſt,ſola ptiſſana per ſe vti, & id quodennioſum eſt contemperare: quod pituitoſum,diſſoluere:non autem ſiccantibus compingere, ac cogere:quemadmodum ii factitant qui piper & hyſſopum præcipiunt,eò quòd illa videantur extenuare. Oportet autem diligenter animum aduertere,eum qui humectãte victu vſus ſit, vt quum humores ab illo diſſolutos viderit, ſtatim euacuandis eis extrahendíſque incumbat, medicamento exhibito quod non magnam calefaciendi vim obtineat.Eius autem generis multa ſunt, & quæ ex oxymelite ſimplicius parantur, & quæ ex ſucco roſarum modico, agarico,& ſcammoniæ lacryma. Quando igitur humores compendioſè ſubducendi ſunt? nimirum quum diffundi iam eos & turgere tandem conſpexeris, vt diuiniſſimus Hippocrates ſcriptum reliquit.

Quomodo humores diffundi,diſſoluíque,iàmque ad excretionem incitari cognoſcatur.

Materiam ſubiectam temperato aut humectante victu diſſolui inde cognoſces quòd quũ per initia eſſet immobilis,nunc aliquo modo agitari incipiat, atque aliàs in alium locum deſcendere, interim ad os ventriculi & inteſtina

inteſtina: interim etiam ad articulos aut cutem. Peritum igitur animaduertere hunc humorum motum, & obſeruare diligenter oportet, & dare aliquid quod eos ſubducat, antequam oberrantes noxam intulerint, in partem aliquam nobiliorem decumbentes. Verùm vulgares medici nihil horum norunt, vt qui motiones humorum diſcernere non laborent. vnde fit vt contraria faciant. Poſtquam igitur hæc viderint, ſtatim ad ea prorumpunt quæ ſiccare humores & craſſos facere poſſunt. Atque huiuſmodi quidem aſtrictoria ſunt medicamenta, ſimilémque victum præcipiunt: vnde accidit vt humores inde craſſiores redditi, neque purgantibus facilè cedant medicamentis, neque obediant. Conuenit igitur vt qui humores diſſolutos nouerit, non modò ſemel exhibeat quæ per aluum ſubducere poſſint: ſed etiam rurſus humectante victu vſi, & diſſoluentes ſiquæ ſiccæ & craſſæ reliquiæ ſubſint, iterum leuiter expurgent. Ita enim humoribus modicè ſubtractis, etiam ſolus victus morbum in totum euincere, mutare, & ad bonum ſtatum deducere poterit, vt nulla alia medicina indigeat. Quòd ſi opus erit, licebit etiam epithematis ſimplicioribus vti, & ſuperfuſionibus, & quum concoctio apparere incipit, & longè antequam acceſſio expectetur. Ita nanque erunt tum efficaciora, tum magna ex parte acceſſiones expectatas diſcutient. Quoniam autem purgãtibus vtendum eſt, vt ea promptè & compendioſè inuenias, bonum eſſe duxi, etiam compoſitionem ipſorum hîc apponere: in hunc autem modum habet.

RHODOMELI purgans.

Roſarum ſucci ſextarii duo, mellis ſextarius, ſcammoniæ torrefactæ vncia. Omnia ſimul coquuntur. Summus medicamenti modus eſt cochlearia quatuor; medius tria, minor duo. Hoc non ſolùm tertianariis propinari debet, ſed iis etiam qui lippitudine & alio quodam modo ex bile & calida intemperie ægrotant.

ALIVD rhodomeli purgans.

Roſarum ſucci ſextarius, ſcammoniæ vncia, agarici drachma, piperis drachmæ duæ, mellis vnciæ ſex. Ad ignem lentum coquantur, & vbi in craſſitiem coierint, adiicito ſcammoniam, agaricum, & piper: ac vtitor. Datur inſtar cochlearium quinque aut ſex. Hoc ſolis conuenit qui falſa tertiana detinentur. habet enim nonnihil quod etiam pituitam ſubducat, quum agaricum & piper receperit. Noui autem purgaſſe me etiam medicamento quod corticem mali citrii reciperet, & eo quod ex malis cotoneis paratur, & horum penuria, ſola vſum ſcammonia. Quòd enim ipſa non modò bilem ſed etiam pituitam potius euacuat; manifeſtum eſt. ſiquis temperato & humectante victu vſus, pituitam diffundat, vacuabit hanc quoque ſcammonia, nec indigebit iis quæ agaricum aut cucurbitam ſylueſtrem recipiunt. Quare etiam ſiquis recto victu vſus falſam tertianam ſcammonia purgare velit, non delinquet. Hæc quoque hactenus de tertiana breuiter à nobis dicta ſunto. Non enim ſumus ignari, veteres quoque de his ſcripſiſſe, & nemo eà de cauſa culpandus erit. Quæ enim nobis quoque tempus, & longa experientia noſcenda obtulit, hæc æquum cenſui amicis & medicis ea nos poſtulantibus exponere, quæ quidem paucula exiſtunt, ſed magnam vim continent. Nam methodi prædictæ non in tertianis tantùm, ſed in aliis quoqus multis morbis accommodari poſſunt.

DE QVOTIDIANA, Cap. VII.

QVòd quotidiana febris ex pituita trahit originem, omnibus in confeſſo eſt: quippe neque acuta febris eſſe his apparet, neque ſitis valida vrget, neque perurens quid & ſiccum habere ſub primo ſtatim contactu percipitur, ſed magis vbi manus diutius immoratur, caliditas fuliginoſa ex alto emergere deprehenditur: ac pulſus bona ex parte exigui & rari exiſtunt: incrementum non velox, ſed longiore tempore detinet: ſudores qui in ipſis oboriuntur, nunquam purum oſtendunt interuallum, quale in tertiana aut quartana frequenter apparere videmus. Iam manifeſtius adhuc febris ſpeciem etiam ex præcedentibus cauſis cognoſces, ſi non obiter, ſed multa cum diligentia inquirere & examinare omnia coneris. Etenim cruditates plurimùm, crapulæ, & balnei immoderati vſus, interdum iecoris quoque & ſtomachi perfrictio præcedit. Hæc igitur eum attendere & diligenter conſiderare oportet qui febris ſpeciem velit cognoſcere. Nam interdum indicia omnia ſimul adſunt, interdum non: quippe in germanis exquiſitiſque febribus vniuerſa propè inueniũtur, in falſis autem non omnia, ſed quædam ipſorum adſunt; quædam non ſemper, propter varias ipſarum cauſas. quare etiam maxima diuerſitas in curando deprehenditur. In hunc itaque modum interno ſci debent. Quin & diuiniſſimus Galenus, Rufus, & plerique alii veteres de hac re copioſius tradiderunt. Nos autem deinceps etiam de curatione agamus. Nam curandi ratio ab illis prodita in quæſtionem aliquam vocatur, num videlicet vera in omnibus exiſtat.

DE CVRATIONE.

Quòd febris quotidiana, vt quæ ex pituita naſcatur, extenuantium incidentiúmque vſum requirat, verum exiſtit. ſi enim craſſa eſt & viſcoſa, extenuantibus indigebit. Duplex autem horum differentia eſſe cernitur: quædam enim inciſoriam vim obtinent, ita vt ſimul egregiè calefacere poſſint: quædam autem incidendi quidem, nõ autem valde calefaciendi poteſtatem habent: quædam in totum non calefaciunt. Quibus igitur in hoc morbo vti oportet? iiſne quæ calefacere poſſunt, an illis quæ citra calorem extenuant? Videtur enim diuiniſſimus Galenus indiſtinctè Glauconi philoſopho præcipere vt extenuantibus vtatur. Conueniebat autem, meo iudicio, quum maxima ſit differentia, diuiſione ac diſtinctione vti, quibus in quo vtendum ſit. Neque enim pituita huius vnde febris accenditur, vnam habet ſpeciem: alia enim eſt ſalſa, alia acida, alia vitrea: vtraque verò, frigida & craſſa: ac ideo quòd particulis ſit impacta, febrim excitauit. Meritò igitur etiam extenuantia ad curationem deſiderat: ſalſa verò non ſimiliter. ſiquidem & caliditas & ſiccitas hoc ei præſtat. Calidam autem ipſam quoque eſſe conſtat inde quòd inteſtinum rodat radátque, & grauiſſima tormenta, *quas δυσεντερίας Græci uocant*, nihil minus etiam quàm bilis, (quum huius quoque qualitatem receperit) ſuſcitet. Nam humores non ſecundum materiam ipſorum, ſed etiam ſecundum qualitates eis ſubiectas operantur. hæ ſiquidem aduerſus ipſas pugnãt, & operantur. Ac pituita ſalſa, etiamſi videatur humida, tamen conſtat facultate ſiccam eſſe, quẽadmodum etiam aquam marinam. Iam alia multa imaginatione quidem ſunt humida, facultate autem ſicca. At quòd pituita ſalſa nequit per ea quæ inflammant ipſam ſiccántque, extenuari quandoque & diffundi, ſed potiùs adhuc etiam craſſior effici, manifeſtò hoc teſtantur nitrum, ſal, & iura ſalſa. quippe hæc caleſcentia, craſſiora reddũtur. Nam id ab Ariſtotele ipſáque experientia probatum eſt, ea quæ à calore coacta fuerint, non à calore, ſed à contrario diſſolui poſſe. Hæc igitur etiam in corporis humoribus conſiderari debent: & ſi quidem ſalſi ſunt, non calefacientia, aut quæ admodum ſiccant, aut extenuare poſſunt, adhibere oportet: quæ vulgares in eis faciunt, raphani radiculam ipſis exhibentes, piper, ſalſamentum, capparim, & decocta, quæ vehementer extenuant, & antidota quæ aduerſus eiuſmodi offeruntur. Hæc ſanè oportebat iis potius quotidianis quæ à frigido atque acido humore prouenerunt, imperare: quippe ab eiuſmodi adiuuantur. Ego ſanè noui crebrò me omnia hæc in quotidiana quæ à frigida humidáque & acida pituita incenſa fuit, obtuliſſe: in quibus autem ſalſum aut bilioſum quid admixtum fuerit, in his magna ex parte extenuans quiddam exhibuiſſe, præſertim ſi etiam ægri temperamentum calidius erat. Minimè verò eiuſmodi medicamenta per initia morbi ægrotanti exhibere conuenit, quum ſalſus adhuc humor ſuperat præpollétque, & ægri corpus fuerit intemperatum. Sin autem etiam huiuſmodi aliquo vti oportebit, eo quòd æger appetat, aut vt appetẽtia reſtituatur, temperato prius victu vtendũ erit: ac vbi cõcoquere æger incœperit, tunc ei permittendũ vt aſſumat tũ cibos, tũ potus qui leuiter extenuẽt & calefaciãt, vtpote apii turiones porrique, & piperis exiguũ, vini momẽtum, eiúſque albi, idque non frequenter. nam vſus eorum liberalior noxius eſt. Verùm laborandum eſt vt humores ad concoctionẽ perueniant, neque in vetuſtatem venire ſinendi, ſed pur-

gandi. Quum enim in corpore diutius inſident, magis adhuc ab omnibus præſidiis quæ calefaciunt, videnturque extenuare, craſſi fiunt, vt nõ amplius ne medicamentis quidem ad purgandum efficacibus promptè cedant, quum difficiles ipſi ad motum, & terreſtres magis ab ipſis euaſerint. Noueris autem hanc ad purgationem eſſe opportunitatem temporis, & commoditatem. Frequenter enim vrinarum notæ à præſumpto victu & temperata potione mutantur, atque tunc huiuſmodi vrinas incoctas eſſe ab iis qui id non nouerunt, cenſeri videmus. At quia frequenter accidit materiam in totum corpus diffundi, & aliàs aliter, aut per ſudores, aut vomitũ, aut ventrem, diſſipari, ideo vrinæ etiam ſedimenti expertes vulgo apparent. Satius igitur eſt conſiderare & diſcernere quando potius materia extenuari, diffundi, ad excretionem incitari, & ex loco in locum tranſire incipit: atque ita demum purgare oportebit, non ſolis vrinis animum adhibentes. Verùm vniuerſam purgationem adhibere non cõuenit, ſed per vices & interualla. Ita nãque accommodari debet morbis qui ex craſſioribus humoribus generantur, ac ſenſim extenuare & leuiter purgare materiæ copiam oportet, quoad ſatis eſſe videbitur. Nam ſi æger aſſumat medicamentum quod copioſius purget, magnã corpori intemperiem conciliat, & potius nocet quàm iuuat, magiſque in iis adhuc qui calidiore temperamento & bilioſiore præditi ſunt.

QVANDO ſalſis vtendum in quotidianis febribus. Qui iecur aut os ventriculi habent refrigeratum, & acidam pituitam vomunt, tenẽtúrque quotidiana, his, etiam calidioribus cibis, ſi voles, vti non alienum eſt. Humidus enim & frigidus ſtomachus vniuerſa extenuantia citra noxam tolerat. Auſus igitur ego quandoque ſum in quodam qui quotidie febris accessionem experiretur, & pituitam vomeret, ſalſis vti, & piſce ſale condito, *qui Græcis* ἰλκωτηρὰ *dicitur*: item hydrogaro, porri decocti iure, & vino aquoſo: ac mirificè conualuit, ita tamen vt & ori ventriculi, vnguentis epithematibúſque ei extrinſecus applicatis, & moderato totius corporis calore conciliato ei proſpexerim. Non alienum eſt, hæc quoque in quotidianis tentare, ac pituitæ qualitatem & quantitatem obſeruare, atque ita conuenientem vnicuique victum præſcribere. Quemadmodum enim non vna pituitæ eſt ſpecies; ita neque vnam victus rationem eſſe oportet, ſed vnicuique ſpeciei idoneam. Ac in omni medicina idem præſtandum eſt, & id quod vnicuique congruum eſt & ſalutare quærendum eſt. Vt autem iis qui medicamenta quærit, promptè ea poſſit inuenire, & non aliunde cum antidota, tum purgationes colligere cogatur, expoſui hic diſcrimina, adiuncta etiam diſtinctione, qualia in quibus vſurpare potiùs oporteat.

DE FOMENTIS & cataplaſmatis. Fomentis autem & cataplaſmatis per initia ſtatim vti feſtinandum non eſt, neque quũ copia humorum in toto corpore ſuperat. Metus enim eſt ne dum viſcera nimium incaleſcunt, laxantúrque, confluxus quidam ad partes affectas decumbat, & adaucta illuc inflammatione, præterquam quòd nihil proficimus, magis etiam offendamus. Quod ii quoque faciunt qui, priuſquam totum corpus recrementis fuerit liberatum, cataplaſmatis & ſuperfuſionibus vti non verentur. Ego itaque noui etiam inflammationes quæ non erant, ob præcipitem ipſorum vſum ſuperuenire. Ne igitur officiamus, laborandum eſt copia iam imminuta, & quum iam concoctio quædam in vrinis apparere incipit, calefacientia, aut laxantia, ſi vſus requirat, viſceribus inducere. Fugito autem fomenta, aut cataplaſmata, quæ laxare tantùm & quæ repellere poſſunt, mixtam verò confectionem ipſorum parato. Et ſiquidem viſcera infirmiora & defluxionibus opportuna videantur, ægérque faſtidiat, aſtringentium & roborantium vires intendere oportet: ſin autem inflammatione aut dolore vexentur, laxantia potius. Summatim vtriuſque (medicamenti tum laxantis, tum repellentis) vires pro cauſa vrgente, & intendere & remittere conuenit.

De ſtomachi imbecillis & mediocriter inflammatione laborantis fomento.

Ad quinas vini partes miſceto omphacii quaternas, chamæmeli binas, & maſtiches momentum. Quòd ſi inflammatio feruens appareat, etiamſi gleucinum aut nardinum adieceris, nihil nocebis, ſed plurimum quoque iuuabis. Sin autem os ventriculi non infirmum æger habere, aut cibum non faſtidire videatur, loco vini decoctum fomento admiſceas, glandémque vnguentariam, & fœnũgræcum prius in illo decoquendum curato. Hanc quoque animaduerſionem in cataplaſmatis ſeruare ratio eſt, vt mixta in ipſis fiat curatio: & vtrobique ſanè anethinum, aut Cyprinum, aut nardinum cataplaſmati ſemper adiiciantur. At ſi acoris aut frigiditatis in ſtomacho ſenſus eſt, etiam in decocto in quo illa parantur, nardum Gallicam, abſinthium & anethum adiungere eis oportet. Quum ſalſum humorem vomunt ægri temperamento calidi, ſolum quoque chamæmelinum oleum adiicere ſemper, & maſtiches momentum inſpergere conducit. At tempus cataplaſmatum eſto hora ante acceſſionem, abſque plurimo potu, & impoſita non diu inhæreſcant. Quippe omnia, ſiue fomẽtum, ſiue cataplaſmata fuerint, etiamſi maximè ea quis ex medicamentis omnibus quæ robur adferre poſſunt, apparare potuerit, tamen ſi diutius corpori incumbant, virium reſolutionem & imbecillitatem efficiunt. Tantum de fomentis, & cataplaſmatis dictum ſit. Si enim particularium quoque nonnihil prætermiſſum ſit, id ratione quis adinuenire poterit, ſi omnia conſideret, & animum ad id quod conducit intendat.

DE PVRGATIONE. Materia iam attenuata diffuſáque oxymelite, & aliis quæ in cibis extenuare ſolent, & decoctis & cataplaſmatis adhibitis, tunc demum ad purgandum eam venito: valde enim à vacuationibus adiuuantur. Non oportet autem vniuerſè ipſos purgare, ſed per vices, & ſimplicioribus: hinc demum aliquanto valentioribus. Quum enim materia ſit craſſa, haud facilè iis cedit quæ vniuerſam celerémque vacuationem præſtant. Agarici igitur ſcrupulos tres aut quatuor ex melle exhibeto: interim etiam plus aut minus, pro ægrotantis virium ratione, & humoris qui ſuperat quantitate: quippe pituitam educit, nec morbum inueterari ſinit.

ALIVD. Et granum Cnidium, ſi poſt concoctionem datur, diuturnis quotidianis medetur. Adhæc catapotia quibus ego ſemper & in quartanis & aliis affectibus vti ſoleo, bene faciunt in veſperam data. Habes ipſorum deſcriptionem alibi quoque proditam: hæc autem recipit, Aloes vnciam, cucurbitæ ſylueſtris vncias duas, ſcammoniæ vnciam, euphorbii ſemunciam, veratri nigri corticis vnciam, bdellii vnciam, gummi vnciam, nitri Alexandrini ſemunciam. Succo braſſicæ excipito, datóque ex eis ſcrupulos quatuor, aut quinque: nihil metuens aut torſionem, aut nimiam purgationem. Vacuant ſine omni moleſtia non modò pituitam, ſed etiam humorem melancholicum; eóque circuitus quartanos finiunt. Dato hæc catapotia, granorum inſtar figurata, in quibus multa cruditas, crapula & vita otioſa præceſſit, temperamentúmque eſt pituitoſius, & quod nihil ſiccum aut acre obtinet. Nam in eiuſmodi tutò dantur: & qui hæc aſſumunt, valde adiuuantur.

ALIVD QVOD citra moleſtiam ſumitur, à ſale dictum Græcis halatium, admodum efficax. Gingiberis, petroſelini Macedonici, epithymi, laſeris, cumini, apii ſeminis, liguſtici, ſingulorum vnciæ quatuor: ſcammoniæ vnciæ tres, & ſemiſſis: ſalis communis & torrefacti vnciæ quatuor.

ALIVD, vt ſcriptura halatiorum habet, præſtantius. Gingiberis ſemuncia, petroſelini Macedonici, epithymi, laſeris, apii ſeminis, ameos, cumini liguſtici, piperis, ſingulorum drachmæ duæ: ſalis torrefacti vnciæ duæ, ſemis: ſcammoniæ ſeſcuncia. Dato veſperi in febrium interuallis, quandocunque velint. At ſi aluum emolliri velis, ſcrupulum vnum dato: ſin autem id largius efficere, duos. & in viris robuſtioribus quidem ſcrupulos ſeptem exhibeto: pueris autem & mulieribus grauidis, & in ſumma imbecillis, ſcrupulos tres aut quatuor. Ita ſine omni moleſtia & periculo offerẽtur. Licet etiã cũ pane dare, & ex poſca, & olerib⁹. Attamẽ præſtat in morbis qui per circuit⁹ reuertũtur cũ ptiſſanæ

cremore ipſum præbere. Tantum etiam de purgationi-
bus dictum ſit.

De antidotis ad quotidianas.

Styracis calamitis,iridis Illyricæ,myrrhæ, ſingulorum
drachmæ quatuor:opopanacis,piperis,galbani,opii,ſingu
læ drachmæ. Hæc trita omnia in vnitatem cogito, ad-
miſcens eis mellis quod ſufficit : ac dato fabæ Ægyptiæ
inſtar ante acceſſionem in lecto decumbenti , perunctó-
que ex oleo & pipere granis decem : iuxta verò appoſitæ
ſint prunæ.Hoc ſomnũ & ſudores excitat, leuátque, præ-
cipuè eos qui multa cruditate ſcatent. ALIVD.

Agarici,gentianæ,ſingulæ drachmæ.Dantur cum mul-
ſa ante acceſſionem. Hoc mediocriter extenuat , meatus
infarctos aperit , & materiam per aluum & vrinas mode-
ratè ducit. ALIVD. Decoctum chamædryos iis
quos quotidiana febris circuitúſve affligit,potioni dato.
Vrinas multas ducit , & leuat . aptum ergo illis qui non
valde febricitãt, neque temperamento calido ſunt & ſic-
co. ANTIDOTVM ad quotidianas , faciens e-
tiam ad quartanas. Opii,opopanacis, caſtorei, ſemi-
nis dauci,ſingulorum drachmæ quatuor : læuigatis pau-
lum mellis adiicito:viris obolos tres,pueris duos exhibe-
to.Vtitor autem hoc tanquam admirabili ex mulſo hora
ante acceſſionem,& præſertim in iis quos ſalſa pituita nõ
vrget, & quibus bene calidum ſiccúmque temperamen-
tum ineſt.

De vnctione.

Vnctione vtemur ita vt ad horroris febríſque magni-
tudinem & ægri vires reſpiciamus. Si nanque multa per-
frictione & horrore infeſtante , febris non adeò tibi ve-
hemens appareat, neque vires imbecillæ,ſed robuſtæ, ma
gis vtitor validis vnctionibus quæ externam cutem cale-
facere,ad ruborem perducere & extenuare poſſunt.Si cõ-
trà, neque vires validæ , neque frigus multum , ac febres
vehementes fieri videntur,tunc iis vtendum erit quæ cu
tem modicè extenuant,& rarefaciunt.Dicamus igitur de
vnctionum differentiis, hoc ipſum præterea diſtinguen-
tes, quænam valentiora, quæ verò imbecilliora exiſtant.

VNCTIO valida. Pyrethro,pipere,& nitro,pari
portione cum pulegii momento in vnitatem coctis,& ex
oleo contritis,ſummas corporis partes & ſpinam perungi
to.Sin autem frigus etiam in ea percipitur , mirifica eſt
vnctio , & valde proficit vehementem perfrictionem
morbique vetuſtatem expertis. ALIA mediocris.

Piperis grana tria,& micam thuris, in læuorem trita ex
oleo illinito. ALIA. Nitro ex oleo trito ſummas
ægri partes, ſpinámque , tum in balneo , tum extra illud
perfricari iubeto. mouet enim ſudores , & iuuat. A-
LIA valde bona,& multis experimentis comprobata.

Artemiſiæ crocodiliadis , adipis crocodili fluuiatilis,
ſingulorum vnciæ ſex:olei ſextarius. Coctis ex oleo æ-
grum,& præſertim eius ſpinam, ante acceſſionẽ vngito,
ac miraberis efficaciam.Nam abs re eſt etiam odoratum
quid admiſcere,eo quòd vnctio ingrati ſit odoris, & con
traria quadam ratione operetur. ALIA, in qui-
bus febres vehementes vrgent , & frigus moderatum ap-
paret,efficax. Spumæ lebetum in balneis efferueſcenti-
tium oleum admiſceto , dũ viſci craſſitudo fiat: vngitó-
que corpus antequam febris inuadat. Idem naturaliter
præſtat.

Naturalia quæ corpori alligari ſolent.

Lapis aëtites cum ad alia plurima , tum ad rigores qui
per circuitus reuertuntur, & præſertim ad quotidianas fa
cit,ſi corpori alligetur. ALIVD quod appendi ſo-
let, multis experimentis à me probatum. In folium
oleæ ex communi atramento inſcribito, Ca, Roi, A. Ca-
pito autem folium oleæ ante ſolis exortum , & collo ſuſ-
pendito. ALIVD naturale ad quotidianas.

Animalculum quod deſidet , & texit, vt muſcas vene-
tur, bene facit ſi linteolo illigetur, & ſiniſtro brachio ap-
pendatur.

DE QVARTANA,
Cap. VIII.

QVartanæ febris non vna eſt ſpecies , ſed multiplices
& diuerſæ exiſtunt. Etenim alia ex flaua bile nimiũ
aduſta,alia ex fæculento ſanguine naſcitur. Non ſolùm au
A tem materia,ſed etiam loco in quo conſtituuntur , inui-
cem differunt:hæc enim in vaſis, illa in liene potius ſub-
ſiſtit. Quoniam igitur diuerſæ ſunt ſpecies , curationis
quoque modos diuerſos,& non vnum(ſicut vulgares ar-
bitrantur)eſſe oportet. Nam quæ ab humore melancho-
lico creatur , meritò calefacientibus humectantibúſque
iuuatur.Quæ verò ex nimia bilis aduſtione prouenit, hu-
mectantibus & refrigerãtibus,vt peponibus,vua, oſtreis,
piſciculis,aqua,& breuiter concoctu facili & bonum ſuc-
cum pariẽte victu,ac balneis tepidis tractari debet. Mihi
B itaque frequenter ſubit mirari quomodo diuiniſſimus
Galenus in omnibus non alium quendam victum quàm
qui calefacere ipſos & ſiccare poſſit, præcipere videatur.
Præbet enim ipſis antidotum διὰ τριῶν πεπέρεων, & quod
διοσπολίτης dicitur:item liquorem Cyrenaicum,& theria-
cam:& in cibo, ſalſamentum & piper. hoc autem potiſſi-
mùm quotidie bibere iuſſit.In vniuerſum præcipit abſti-
nere iis quæ refrigerant & humectant : eo quòd humor,
inquit,morbum efficiens, frigidus exiſtat. Verùm etſi hu
mor melancholicus calefacientia deſideret, non tamen
C neceſſariò etiam ſiccantibus indiget, ſi quidem frigidus
eſt, & ſiccus. calefaciẽtibus enim & humectantibus opus
habebit. At nõ videtur etiã humectantium aliquod pror
ſus velle præſcribere , ſed econtrario omnia quæ ſiccant
aſſántque nimium , & humorem craſſiorem potius red-
dunt. Nam quæ videntur magis extenuare , quum ſint e-
tiam paulo calidiora quàm vt mediocriter extenuent,pò
ſtea terreſtres magis,& multo quàm prius craſſiores effi-
ciunt,dum humiditatem quæ in eis ſubſiſtit exugunt,in-
ſumúntque,vt natura ideo recrementa lentius excoquat.
D Didicimus enim , concoctiones omnémque vitæ origi-
nem calido fieri & humido.Id quod etiam in externis vi-
dere licet . nam fructus & ſingulæ ſtirpes à pluuiis & ſolis
calore producuntur. Et præterea omnia quæ præter natu-
ram exiſtunt,contraria ad curationem requirunt: quæ ſe-
cundum naturam ſunt,ſimilia potius. Quare hoc eſt præ-
ſtantiſſimi medici officium vt calidum quidem refrige-
ret,ſiccum autem humectet: frigidum calefaciat , & hu-
midum ſiccet:in ſumma, vt ea quæ ſunt vitia ac affectus,
contrariorum vſu euincat,ac omnia quæ res poſtulat, cu-
E rioſè perſequatur:omníque arte & ratione,tãquam in bel-
lo decertans, ægrum conſeruet. Siquando igitur accidat
ægrum ſicciore quoque vti victu , vel quòd appetat, vel
etiam quòd ita laborans ſiccantia medicamenta aut ci-
bos requirat,nempe hydrogarum,vel conditum,vel eiuſ-
modi aliquod præſidium, conſulo & tunc , vbi ſemel aut
bis eo fuerit vſus,ac corpus modicè incaleſcat , rurſus ſta-
tim ad victum per initia inſtitutum , qui leniter hume-
ctare & calefacere poſſit,reuerti . Ita enim neque ea quæ
calefaciunt,aſſumpta multum adeò nocere poterunt : &
F præterea humor qui natura ad mouendum difficilis &
ſiccior erat, ab humectantibus facilius ſolui poterit, vt i-
pſe remiſſus poſt diſſolutionem & quodammodo excer-
ni incitatus à medicamentis quæ benignè euacuant,citra
noxam paulatim ſubtrahi queat. Etenim ſic agendum eſt
in craſſioribus ſiccioribúſque humoribus , ac humectare
ipſos & diſſoluere conuenit : nec diutius diſſolutio eorũ
expectanda eſt , ſed protinus ad purgationem ipſorum
properandum:&,ſi adhuc res poſtulat, rurſus humectãdo,
tum balneis,tum victu,ita ſubducere expedit.

G De quartana quæ ex nimia flauæ bilis
aduſtione excitatur.

Quòd ſi quartana non tibi à ſicco frigidóque humo-
re,ſed potius bilioſo & plus ſatis aduſto excitari videa-
tur,tunc potius refrigerare potentibus vti oportet:ſi qui-
dem æger etiam natura calidus ſimul & ſiccus, ætate vi-
gens,& frigidæ potioni aſſuetus appareat: adhæc, ſi anni
tempus ſit æſtiuum. Interim verò ſi etiam curæ, vigiliæ,
triſtitia , ira,& acrium medicamentorum vſus præceſſe-
rint. Hæc enim omnia bilioſam & ex aduſtione nimia
H quartanam generare poſſunt. In his igitur non peccaue-
ris ſi potionibus & cibis frigidis vtaris, vt peponibus , ſi
tempus dederit , duracinis , intybis & lactuca. breuiter
non offendes ſi omnia agas quæ in germana tertiana
tentaueris . Nulla enim alia ratione humor qui à ca-
liditate & ſiccitate inſpiſſatus fuerit , euinci poteſt niſi

quædam refrigerantia humectantiáque aſſumpſeris: quemadmodum etiam quæ à frigiditate inſpiſſata ſunt, à calefacientibus. Hæc igitur (vt diximus) vniuerſa calefacientia, etſi extenuare videantur, tamen inſpiſſant præterea. Quare in his offerenda non ſunt, vt quæ eiuſmodi humorem craſſum reddant magis quàm extenuent, præſertim quæ vehementius calefacere & inſpiſſare prædicantur. Quare neque in quartana cataplaſmatis vt ſuperfuſionibus, fomentíſque vti ſtudebimus. Quippe vnctio ſola, quæ ex copioſiore hydrelæo paratur, frequentius à balneo & cibis temperatis adhibita, calorem abundè contemperare ac lenire poteſt, & ſiquæ in iecore durities eſt, hanc quoque laxare. Sin autem res poſtulauerit, ipſo quoque ſolo potius vti oportet, vel etiam chamæmeli decocto, in quo abſinthii turiones, palmulæ pingues & melilotum deferbuerint. Noui me in quartana etiam frequenter epithematis vſum, tempore quidem opportuno, vt in tertiana ante acceſſionem, ex farina hordei, lini ſemine, & decocto chamæmeli, ac multum profeciſſe, vt æger non amplius acceſſionem expertus fuerit. Præſertim autem in quartana quæ ex nimia bilis aduſtione concitata erit, ac in pueris temperamento calidioribus, in quibus inflammatio quæpiam præcordia exercet, talia probari videntur. At ſiquis etiam in frigida quartana (ſic enim appellanda eſt quæ ex frigido & ſicco humore melancholico excitatur) epithemate item calidiore ante acceſſionem vtatur: hic item maximum adiumentum ſentiet, vt etiam ſubitò febris conquieſcat, quanuis moleſtam acceſſionem ægrum experiri contigerit. Satius autem eſt ſiquis etiam toto antea vacuato corpore, epithemate omníque alio particulari præſidio vtatur. Qui enim toto corpore adhuc ſordido ac impuro, vel cataplaſmata inducere, vel perfundere aggrediuntur, hi inſignium malorum authores fiunt. Cæterùm quartanas ex aduſta bile conſiſtentes purgare decet, corpus prius humectando pleniore cibo, & quiete: quæ verò ob humorem melancholicum procreantur, humectare quidem eas oportet: (ſiccus enim humor ille exiſtit) ob terreſtrem verò eius partem, & frigidam, tum calefacere, tum extenuare conuenit. Purgationem autem non per febris initia, ſed quũ concoctio iam apparet, moliri debemus. Ita porro etiam, ſi ægrum ſanguinis vacuationem requirere cenſebis, vt ex quo humor melãcholicus procreetur, poſt ſtatum hunc auferes, quandò humor etiam à natura excerni ſolet, vtpote concoctus. Sic autem natura leuata, reliquias materiæ euincit. Quum igitur concoctio in vrinis tibi apparet, medicamentum purgans, nempe quod ex rhodomelite conficitur, bilem & humores nimium aduſtos ſine moleſtia educens hoc præſtare debet. Habet autem in hunc modum.

PVRGATIO ex rhodomelite.

Succi roſarum ſextarii duo, mellis ſextarius, ſcammoniæ torrefactæ vncia. Omnia ſimul coquuntur, dantúrque ad ſummum cochlearia duo, vel minus. At ſi humor bilioſus non admodum calidus & ſiccus, ſed craſſior, à pituitoſo humore adulteratus eſſe videatur, paulum agarici prædicto rhodomeliti adiiciendum erit: atque in eum modum hîc quoque leuiter purgari debet. Vt autem promptè componas medicamentum, paréſque, ſubſcribam eius quoque mixturam, quæ ita habet: Roſarum ſucci libra, ſcammoniæ vncia, agarici vnciæ quatuor, piperis ſcrupuli duo, mellis vnciæ ſex. Ad ignem lentum hæc coquito, ac vbi in craſſitiem coierint, adiicito ſcammoniam, & piper, atque vtitor. Nam ſine omni adeò moleſtia vacuat, præterquam quòd non multum calefaciat.

PVRGATIO quæ ex malis cotoneis paratur.

Mala cotonea octo impleto ſcammonia, cuius modus ſit vncia, & extrinſecus ea fermento oblinito, atq; ſic aſſanda dato. Vbi aſſata probè fuerint, adiicito mel probè læuigatum, ac vtitor pro virium ratione, in febribus quartanis quæ à bile excitantur, & in iis qui generoſam purgationem ferre nequeunt: atque in pueris magis & mulieribus. nam citra omnem prorſus moleſtiam purgat. Sin ipſum efficacius reddere voles, in iſtum modum parato: Scammoniæ vnciam, petroſelini Macedonici vnciam, piperis albi vnciam, agarici ſemunciam, ſucci cotoneorum vncias ſex, ſucci citriorum vncias tres, mellis libram. Dato inſtar vnciæ. Succum cum melle coquito, atque ita pulueres læuigatos inſpergito, ac in pyxide recondito cum fiducia. Eſt enim præſidium in multos vſus accommodatum, vt quod non ſolùm bilem, ſed etiam pituitam & humorem melancholicum repurgare probè poſſit. Atque idcirco quartanis quoque falſis exhibere licet: in illis autem magis quorum ſtomachus affectus neque cõcoquere bene, neque appetere cibum poteſt: necnon iis qui quotidianis infeſtantur. Hac de cauſa variis in mixturis ad omnia præparare conducit.

DE VOMITV.

Vomitus omnibus vtiliſſimus eſt, præſertim iis qui humores craſſos in ore ventriculi continent. Nam craſſitiem extenuat, & vt concoquatur celeriúſque diſcutiatur efficit. Optimum autem tempus ad vomitum eſt, acceſſione incipiente: quoniam etiam tunc humores, quum materiæ mouentur, & illi in ſtomachum confluunt, illúmque rodunt, nauſeam excitant. Dato eis mulſam non nimis aquoſam: ita nanque procliuius ad excretionẽ prorumpent. Qui autem valde lenti ſunt, & difficulter auelli poſſunt, ægrius excernentur. Ac pennis præcipuè anſerinis vtendum eſt, vt maiori irritatu vomitus omnino proueniat. Si enim ex lentis humoribus aliquid ſurſum eductum fuerit, ſtatim etiã acceſſio minuetur, tum ſpatio temporis, tum ſimul mora ac conſuetudine. Ego enim noui me hoc modo inueteratas quartanas diſcuſſiſſe, vt nonnullæ ipſarum ſuperata iam deteriore parte conquieuerint.

DE SALSAMENTIS.

Salſamentis autem in illis nimirum quæ ab humore melancholico excitantur, & in quibus ſtomachus vitioſis humoribus ſcatet, aut multa lienem vrget obſtructio, vtendum eſt. Maximè hîc commendatur etiam encathera dicta, & quæ Alexandrinorum buridia ſunt, mænomenia, & membridia. Oportet autem eum qui horum aliquod aſſumit, aliquandiu ſitim tolerare, & nullam potionem ingerere, vt efficere quid poſſint, & vim ſuam corpori imprimere: deinde vbi ita viribus deſtituitur æger vt ſitim ferre nequeat, tunc vinum Aſcalonites aut Gazites dilutum, quantum libet, propinare licet. Ego itaque noui quendã ex iis qui quartana ex terreſtri & frigido humore laboraret, ita vſu huius rationis victus liberatum, vt etiam per aluum humorem ſuperantem excreuerit. Erat autem id quod excreuerat adeò valde nigrum, vt nonnullis medicorum metum incuteret, non modò ob colorem, ſed etiam propter copiam euacuatam. Verùm quòd æger paulo pòſt morbum facilius ferre inceperit, & quòd lien qui antea maximus erat, paruus euaſerit, effecit vt omnes bene ſperarent, & nihil amplius metuerent. Sciendum verò eſt quòd cibi enumerati, & quicquid abſtergere & extenuare mediocriter poteſt, etiam quũ concoctio incipit apparere, humidioribus temperamento, frigidioribus & bene habitis dari debent. Etenim humores tunc magis & repurgantibus & extenuantibus promptè obediunt. Qui enim per initia, quum materia planè eſſet incocta, extenuantibus vel purgantibus vſi ſunt, hi præterquam quòd nihil eorum quæ ſuperabant in corpore, vacuare potuerint, etiam ſicciores craſſioréſque humores effecerunt. Si itaque talis ſit quartana quæ à frigido & terreſtri humore concitetur, ita agere oportet: ſin autem à bilioſo humore, exuſto & in cinerem redacto, prouenerit, omnia contraria, quæ humectare aut refrigerare poſſunt, tentare conuenit: balneum dulcis aquæ adhibere, & cibos concoctu faciles. In ſumma, quemadmodum diuerſas habent ſpecies, ita quoque differentem ipſarum victum præſcribere oportet.

De antidotis.

Nonnulli veteres quartanariis etiam antidota dederunt, ac multas variáſque deſcriptiones ab ipſis proditas inuenire licet. Quin & diuiniſſimus Galenus ea memoriæ prodidit: ſed nulla videtur vſus diſtinctione: vnde plerique quũ eis quæ titulo ipſa promittebant perſuaſi, deinde nõ exquiſita diſcretione exhibuiſſent, maximæ offenſionis & periculorum authores extiterunt. Miror ſanè cur antidotũ ex liquore Cyrenaico paratũ, omnibus cõuenire dixerit, iubeátque frequenter eo vti. Atqui nõ videtur res ſic ſe habere. neq; enim citra offenſionẽ quis ipſũ hominibus calido, ſicco & bilioſo temperamento præ

ditis, & in quartanam ex nimia aduſtione prolapſis, bibendũ m dederit. Attamen nec ea quæ ex ſulphure viuo & pipere confecta ſunt, neque theriace antidotum dari debet. hæc enim vniuerſa iſtis aduerſantur. Quare præſtat, eis, ſi fieri poteſt, nullum antidotum exhibere: verùm ſufficit, victu potius refrigerante & contemperante, necnon iis quæ ſuperflua repurgant, frequentius vti. Sin autem antidoto interim vti cogaris, illa potius in quartanis ex aduſtione nimia ortis propinanda putes quæ conſtant ex opio, cicuta, & alterco: item quæ vrinam prouocare poſſunt, ita vt non valde calefaciant: ídque in eis præcipuè quos vigilia & ſitis comitatur. Nam ſomnus ante acceſſionem obueniens, frequenter impediuit ne acceſſio in totum oboriretur: aut effecit vt moderatior ea fieret. Porro vt antidota à me dicta facilè inueniãtur, neceſſarium duxi compoſitiones exponere, maximè illorum quorum etiam antea in quartanis, quæ ab humore melancholico excitantur, multam habui experiẽtiam.

ANTIDOTVM ad quartanas quæ ex humore melãcholico cõſtituũtur. Caſtorei, papaueris, myrrhæ, piperis albi, liquoris Cyrenaici, ſingulorũ drachmæ quatuor, Liquorem læuigatum, & aqua maceratum reliquis adiicito, fingitóque catapotia, & dato ante acceſſionem ieiuno, aut cœnato, ex aqua. Præſtat ſi ægrum ipſum etiam perungas, nempe oleo calido quod nitrum admixtum habeat.

ALIVD, etiam ad quotidianas efficax. Opopanacis, opii, caſtorei, alterci ſeminis, ſingulorum drachmæ quatuor. Læuigatis paulum mellis admiſceto, datóque adultis quidem dimidiæ drachmæ inſtar: pueris autem, hora antequam inuadat acceſſio, obolos duos. ALIVD ad quartanam. Liquoris Cyreniaci, piperis, myrrhæ, rutæ folia, ſingulorum drachmæ quatuor. Detritis, probéque mixtis, ante acceſſionem ex oxymelite vtitor.

ANTIDOTVM achariſtõ, quod facit ad multos interiores affectus, præcipuè verò ad quartanas. Croci vncia, opii vnciæ ſeptem, galbani vnciæ ſeptem, caſiæ vnciæ tres, ſtyracis vnciæ ſeptem, myrrhæ vnciæ quatuor, caſtorei vnciæ ſeptem, coſti vnciæ tres, piperis vnciæ quatuor, ſpicæ nardi vnciæ ſeptem, mellis deſpumati quod ſufficit. Datur fabæ Ægyptiæ inſtar ex mulſa ante acceſſionem.

ANTIDOTVM, quod & ipſum mirificè ad quartanas valet. Styracis exquiſiti drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ duæ, opopanacis drachmæ quatuor, iridis ſeſquidrachma, piperis drachmæ ſex, galbani drachma, lacrymæ papaueris drachma. Datur fabæ Ægyptiæ inſtar melle exceptum hora ante febris acceſſionem.

De paſtillis.

Paſtillus inſignis admodum ad quartanas. Opii veteris, rutæ foliorum, ſingulorum drachmæ duæ: croci drachma, alterci foliorum drachmæ duæ. Contuſa, increta, læuigatáque in paſtillos redigito, qui ſinguli ſcrupulos duos pendant. Ac dato horis duabus ante acceſſionem ex poſca, pro ægri virium ratione. PASTILLVS alius, bene faciens admodum ad quartanas. Piperis albi, ſeminis dauci Cretici, pares portiones. Contuſas incretáſque, ante acceſſionem ex multa aqua calida cochlearii menſura dato. Hoc pleroſque, quum ſimplicius ſit, adiuuit quartanarios. PASTILLVS alius præſtantiſſimus, vt nullus alius, ſuccurrens curánſque celerrimè: elicit enim ſudores, atque ita morbo diuturno ægrum liberat. Opii drachma, piperis longi, caſtorei, ſingulæ drachmæ. Mulſo conformentur. Dato ſingulis obolum ex oxymelite lotis, & in lecto repoſitis. Hoc multos ſudores euocat, & magna ex parte bis aut ter potum liberat. Hæ omnes validæ ſunt antidotorum vires, ad calefaciendum & attenuandum efficaces. Quare etiam quartanis potius (vt diximus) conueniunt quæ melancholico & terreſtri humore excitantur, adulterantúrque à pituita. Non autem continuè, ſed per longa interualla exhiberi debẽt. nam liberalior eorum vſus, humores multo adhuc ſicciores craſſioréſque efficit. Tutius autem dantur quum concoctio iam apparuerit, & vires ſunt robuſtæ, ac ægri multam ad hoc inclinationem habẽt, qui & à nobis medicamenta ſumere conſueuerunt, & nos pharmaca ſibi offerre compellunt. Sunt enim nonnulli non modò barbari, ſed etiam alii plerique, opinione ac ratione aliena præditi, vt etiam ſecari vrique præ omni medicina malint: ac eos qui hæc faciunt, ſcire aliquid arbitrantur, inuitántque ſtudioſè in ædes ſuas: & præſtantiores hoſce medicos cenſent quàm qui victum præſcribunt. Si igitur noſtrûm aliquis dare quid eis cogatur, qui calido ſiccóque temperamento ſunt, & ex nimia flauæ bilis aduſtione quartanam experiuntur, illa offeret antidota quæ vim non adeò acrem & calidam poſſident, ſed quantum licet hac vacant: & ſi fieri poterit, refrigerantia potius, & ad ſomnum inducendum, ſenſimque extenuandum efficacia obtinet. qualis eſt etiam Xenocratis paſtillus, cum ad alia pleraque vtilis, tum verò eximiè & ad quartanas & ad tertianas. Deſcriptio ipſius in hunc modum habet.

PASTILLVS ad quartanarios ex nimia flauæ bilis aduſtione. Seminis papaueris hortenſis, lacrymæ papaueris, ſingulorum ſcrupuli duo: alterci albi, ſucci dulcis radiculæ, ſingulorum ſcrupuli ſex: ſtyracis, aniſi, ſingulorum ſcrupuli quatuor: croci, caſtorei, corticis mandragoræ, ſingulorum ſcrupuli tres. Arida contuſa, incrẽtáque, ſucco, ſapa, vel paſſo Cretico veteri excipito, ac vtitor cum fiducia, in iis præcipuè quos vigilia comitatur, aluus profluit, os vẽtriculi fluxione laborat, & dolor colum exercet. ALIVD ſimplicius. Decoctum ſcorpiuri herbæ mirificè propè omnibus auxiliatur, ſi ante acceſſionem bibatur. Iuuat enim non modò ratione naturali, ſed etiam quia materiam per aluum & vomitus educit. DE LAPIDE armeniaco. Lapis qui Armeniacus dicitur, ſiue lotus, ſiue illotus offeratur, quatuor ſiliquarum pondere mirabiliter ad omnem quartanæ ſpeciem valet. Nam humorem melancholicum, vt nullum aliud præſidium, euacuat: ſed lotus quidem aqua, per inferiora magis purgat: illotus autem, per vomitiones citra calorem, non quemadmodum alia. Si verò nonnulli lapidis potionem odio habuerint, in catapotia redigito, his medicamentis eis adiectis: Aloes ſcrupuli quatuor, epithymi ſcrupuli tres, agarici ſcrupulus, lapidis Armeniaci ſcrupulus, cariophylli grana quinque, ſcammoniæ ſcrupuli quinque. Excipito ſucco citrii, aut crocomelo, aut rhodomelo, aut rhodomelite. Dantur ſcrupuli duo. Proficiunt etiam catapotia ex epithymo abſque ſcammonia. Habẽt autem in hunc modum: Abſinthii ſucci drachmæ quatuor: medullæ cucurbitæ ſylueſtris drachma, aloes drachmæ duæ, maſtichæ drachmæ tres, epithymi drachmæ duæ. Dantur noctu catapotia. Bene faciunt etiam ad mendaces quartanas, quæ paulum quoque pituitæ habent admixtum. ALIVD antidotum mirificum ad multa efficax, maximè verò quartanis. Vetuſtum capitis dolorem finit, vertiginoſúmque affectum, comitiales acceſſiones & vigilias ſopit: inſaniam, *quæ μανία dicitur*, ſedat: magnos oculorum dolores lenit: fluxionem dolorémque dentium diſcutit: ſpirandi difficultatem, omnémque aſthmatis cauſam abigit: tuſſi vetuſtæ, peripneumoniæ & pleuritidi medetur, tum ſiccæ, tum humidæ: omne à pulmone humiditatis vitium diſſipat: ſputa tenuia mitigat, & eductione paratiorem ex hydromelite potum efficit. Sin autem quis ſanguinem ſpuerit, ex oxymelite, aut poſca, aut polygonii ſucco aut plantaginis drachmarum duarum inſtar dato, pro ægri viribus ponderi paulum quiddam adiiciens, aut detrahens. Cæterùm hoc antidotum ſtomachi eſt præſidium. Nam ex humiditate flaccidum, imbecillémque aſtringit & firmat, cibóſque ob vomitiones non continentem roborat, pũcto omnes ventriculi inflationes per ructus diſcutit, punctorios iecoris dolores mitigat, & arquatis morbis auxiliatur. Nam vnamquanque partem ad priorem naturam reuocat, & atræ bilis morbum, quæ melãcholia dicitur, diuturnum & turbulentum, vigiliáſque leuat: lienis grauitatem ſubtrahit, & faciei colorem reſtituit pituitam, bilem per inteſtina detrahit: caliditatem inteſtinis partitam ſuggerit, diſtributionis meatus aperit, vrinas ſegregat, & veluti renes inuadit, atque ita ex eis tum arenas, tum ſanguinis grumos ad veſicam propellit: renibus ac veſicæ medetur: vrinæ difficultatem reprimit. Omnibus porro prædictis affectibus potu aſſumptum opitulatur. In ileoſis autem morbis & cœliacis hæc potio veluti viam præparat, inueteratum ſtercus ſubducit, vetuſtámque inflam-

mationem reſoluit, tormina lenit, diſtenſionem vaſorũ remittit, & quietem inducit, non veterni more, ſed ſomno concilians. Qui igitur per os id aſſumere nequeunt, his iniicito per aluum cum fœnigræci ſucco: & dolore liberat. Iam plurimum auxiliari poteſt vteri (vt aiunt) calamitatibus. Quippe dolores quoque ex partu ſolatur, & vigilias moleſtiſſimas imminuit: elationem diſtenſionem que vteri mollit: morboſam purgationem reficit, recreatque, & anguſtos vaſorum meatus dilatat: ſanguinis in vterum profluuium acutius magiſque ſubitum, non modò potu reſtringit, ſed etiam vino calente in ipſam infuſum ſiſtit: item vocis abſciſſionem, & neruorum contorſiones potu mitigat. Vtimur eo in articulariis, & podagricis, ac plurimum id opitulari ægris compertum eſt. Maximè verò inuenias medicamẽtum vim iſtam in virulentis, non modò ſi per os exhibeatur, ſeruare, ſed etiam ſi locis oblæſis illinatur, proficere. Ac in vehementibus periculis vtroque modo antidoto vtendum eſt. Itaque non ſolùm in continuis febribus ardentibuſque, & colliquantibus, *quæ συντηκτικαὶ Græcis dicuntur*, ex aqua vel mulſa ſumitur: ac maxima titulus eius promittit. Datur ægris drachmæ inſtar hora vna aut duabus ante acceſſionem. In quartanis autem copioſiore vtor medicamento, eo quòd diuturnius malum inhæreat, & ægrè refici poſſit. Qui medicamentum hoc donauit, incomparabile ipſum eſſe affeuerabat. Hæc eſt ipſius compoſitio: Myrrhæ ſcrupuli ſeptem, ſpicæ nardi ſcrupuli tredecim, croci ſcrupuli quindecim, caſtorei ſcrupuli quatuor, opii ſcrupuli octodecim, amomi ſcrupuli quatuor, aniſi ſcrupuli decem, petroſelini Macedonici ſcrupuli quindecim, apii ſeminis ſcrupuli 12, iunci quadrati floris ſcrupuli 9, caſiæ Ægyptiæ ſcrupuli 4, piperis albi ſcrupuli 4, piperis nigri ſcrupuli quindecim, ſiſonis Syriaci ſcrupuli duodecim, ſtyracis ſcrupuli ſex, ſeſelios ſcrupuli quatuor, hedychroi magmatis, *id eſt fæcis*, ſcrupuli quinque: mellis deſpumati quod ſatis eſt. Styracem dilatatum melle ſoluito, arida ſuper inſpergens: opium verò ex ſapa macerato, donec mellis fiat ſpiſſitudo: atque ſic reliquis adiicito. DE BALNEIS. Sciendum eſt, balneis quoque ſic vtendum eſſe, ad vnamquanque ſpeciem reſpiciẽdo: calidioribus quidem, in iis quæ ex humore melancholico excitantur: temperatis autem potius, in illis quæ ob nimiam humoris bilioſi aduſtionem proueniunt: adhæc exercitiis ſimiliter, & frictione, ſed minus in calidioribus. DE VNCTIONE. Præterea vnctio interdum quidem adhibenda eſt ex oleo Cyprino, aut gleucino in frigidioribus: chamæmelino autem, vel oleo dulci, aut hydrelæo in calidioribus. In ſumma, pro varia huius ſpecie, diuerſa quoque curatio adhibeatur. Frictionem autem, vt maximum præſidium (ſiquid aliud) adhibere conuenit, nunc copioſiorem, nunc pauciorem. Satis igitur ſunt & dicta iam re media, & vniuerſa victus ratio, ſiquis omnino perſeueranter vti velit, diuturnæ quartanæ medebitur. Quoniam verò nonnulli negligentes metuũt ne morbus diutius moretur, & multis corripiantur acceſſionibus, omnibus deſi derant vti, & naturalibus ſimul, & iis quæ alligantur, neceſſarium duxi propter huiuſmodi hæc quoque exponere, ſiquid à nobis ex longo temporis vſu & experientia cognoſci potuerit. MEDICAMENTVM quod ap pendi ſolet ad quartanas, ſæpe à nobis multis experimentis comprobatum. Scarabæus quartanarios curat: oportet autem ipſum viuum extrinſecus fuluo linteolo firmiter alligatum, collo ſuſpendere. dicunt autem hoc ipſum præſtare ſi ita appẽdatur. Eſt hoc quoque verum, vſu multo compertum: Lacertam viridem appendito: item ex vnguibus ægri, tum manuum, tum pedum, exiguum præciſum (ſicut facere ſolent, quibus vngues præciduntur) rufo panniculo iniicito, & in eo firmiter illigatum ita appendito, ac rurſus appenſam ipſam reſoluito, vnde etiam capta fuerit. Referunt quoque, ſiquis ex gena hirci pilos acceptos ægro adalliget, mirabiliter quartanæ poſſe mederi. Omnium verò naturalium medicorum teſtimoniis confirmatum eſt, ſanguinem qui primus à virgine fuerit excretus naturaliter, quartanæ aduerſari: ſimiliter etiam corruptæ ſanguinem efficere, ſiquis ipſum ægro ad brachiale dextræ manus, aut ad eiuſdem brachium alliget. Noui ego quendam qui hac ratione vtens quartanam cu rauerit: dabat mulieri parienti pallium ægrotantis ferendum, quod ille interius ferebat, illotum, & iam perſpirabile: poſtea à partu pallium recipiens, ægro ferẽdum rurſus præbebat. Ac quartana non amplius in poſterum affli gere, mirabiliter contrarietate quadam, & ratione arcana deprehendebatur. EX LIBRIS Aëtii de eryſipelaceis viſcerum affectibus. Eryſipelaceus affectus nõnunquam viſcerum alicui oboritur qui febrim ardentem & hecticã inferat: & ſi quidem eryſipelas ventriculum obſideat, hinc febris incenditur *quã λειπυρίαν Græci nominãt:* ſin autem iecur infeſtet, typhodẽ: ſi pulmonem exerceat, erymodem. Huiuſmodi verò febris primùm refrigerantibus & humectantibus tum cibis tum potibus, & iis quæ exterius imponuntur, indiget. Quoniam igitur hectica febris alteri morbo non eſt commixta, balneum requirit, quemadmodum etiam alii omnes calores & ſiccitates. Quòd ſi eryſipelaceus affectus viſcera vrgeat, abſtinendũ quidem balneo in totum, frigida autem in morbi vigore ſtrenuè vtendum eſt. Ita nominare cõſueuimus, quum vna vice & frigidiſſimam & multam dederimus. Verùm ante ſtatum frigida non vtemur, niſi ab ægro, qui & frigidæ potioni aſſueuerit, & ſitim ferre nequeat, coacti fuerimus. Extrinſecus igitur imponi debent quæ refrigerant. &, ſi nihil proficiunt, tunc etiam frigidam potionem dare, aut potius cibos refrigerãtes oportet. Maximè omniũ conueniunt teneræ & dulces lactucæ: eluantur autem liberaliore aqua frigida. Optimè quidem ita ſumptæ proſi ciunt: quoniam verò inſuauitatem ipſarum, ſi ita ſumantur, gratiorem nonnunquam reddere coacti ſumus, aceto copioſiori aquæ frigidæ mixto, intingere illas permittemus. Acetum autem ſit tale quod ab omni vitioſa qualitate prorſus receſſerit. Extrinſecus etiam ipſæ lactucæ ſuc cus accommodari poteſt: imò & ſemperuiui, & ſeris, portulacæ, atriplicis, ſolani & plantaginis, cum pane ſicco trito, & modico roſaceo bono, ſimilibuſque refrigerãtibus. Præſtantiſſimum quoque eſt quo nos vtimur, ex vuis acerbis, & rhoe. Humorem enim ipſorum expreſſum in pi lam cum portulaca viridi coniicimus: deinde contuſum exprimimus, & coniecto in vas liquore, & orificio exactè obturato, vas in aquam frigidam mittimus: præſtaret autem ſi vas etiam niue obduceretur. In vſu miſcemus polẽtæ hordei tenuiſſimæ: deinde maceratum, vt liquidius ſit, linteo duplici illinimus, imponimúſque præcordiis, ita vt non diu ſinamus inhærere: ſed poſtquam tepidum euaſerit, hoc quidem tollentes, alterum imponamus, idque perpetuò conſequenter facientes, donec æger altas corporis partes quodammodo refrigerari ſenſerit, & ſiti minus crucietur. Miſcemus autem nonnũquam etiam oleum omphacinum, & roſaceum, vbi eryſipelas inflammatorium præcordia torſerit. Atque hæc ſanè de febriũ curatione abundè dicta eſſe arbitramur.

TITVLI CAPITVM LIBRI CVIVSQVE ALEX. Tralliani, vnà cum titulis appendicum capitibus annexarum, & quota pagina quæri debeant.

TITVLI CAP. LIBRI PRIMI.

Cap.I.

DE ALOPECIA, Col.133. Notæ, Ibidem. Curatio, Ib. De ſimplicibus medicamentis, Ibidem, Aliud, Ibidem, Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.

De medicamentis compoſitis, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.

Cap.I I.

DE CAPILLIS fluentibus, Col. 133. De balneo, ad idem, 134.

Medicamentum ex ladano, Ib. Aliud, 135. Aliud, Ib.

Cap.I I I.

QVOMODO capilli nigreſcant, Col.135. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.

Vt capilli rufi tingantur & flaueſcant, Ib. Aliud, Ib.

Vt capilli flaui fiant, Ib.

Vt capilli nigri flaueſcant, Ib.

Tinctura qua capilli fiant colore aurei, Ib.

Quomodo capilli albi fiant, Ib. Aliud, Ib.

Cap.I I I I.

DE PORRIGINE, Col.135. Curatio, Ib. Aliud. Ib.

Ad pediculos & lendes, 136. Aliud, Ib.

Cap.V.

AD pſydracia & exanthemata quæ in capite gignuntur, Col.136. Curatio, Ib.

Cap.V I.

AD VITIA capitis ſcabioſa & ſanioſa. Col.136.

Cap.V I I.

AD VLCVSCVLA capitis denſa & rubra, papillis ſimilia, à quibus ſanies reſoluuntur, Col.136. Aliud ad capitis vitia, Ib. Aliud, Ib.

Cap.V I I I.

DE ACHORE, Col.136. Curatio, Ib.

Cap.I X.

DE FAVO, Col.136

Medicamenta ad achoras dolorificos, 137.

Medicamentum ad achoras, & totius corporis eruptiones quæ exanthemata dicuntur, Ib. Aliud, Ib. Aliud efficacius ad achoras peculiare, Ib.

Cap.X.

DE DOLORE capitis, Col.137.

Notæ doloris capitis ex inſolatu contracti, Ib. Curatio doloris ex inſolatu concitati, 138. De cerato, ad idẽ vitium, Ib.

De capitis dolore qui ob calidam intemperiem perſeuerat, Ib. Paſtillus ad diuturnum capitis dolorem, & calidam intemperiem, Ib.

De capitis dolore qui ex calida iecoris intemperie prouenit, Ibidem.

De capitis dolore ex frigida intemperie orto, Col.139. Curatio, Ib.

De dolore capitis ex vitio ſtomachi contracto, Ib.

De dolore capitis quem bilioſus humor inuexerit, Ib.

Curatio ſi viſcoſi fuerint humores ſtomacho inſidentes, 140.

De dolore capitis in febribus oboriente, Ib.

De dolore capitis ex vino, Ib.

De dolore capitis ex ictu, Ib.

Cap.X I.

DE CEPHALAEA, Col.141. Eius notæ, Ib.

Notæ cephalææ quæ propter cerebri inflammationẽ naſcitur, Ib.

Notæ cephalææ ex ſpiritu, Ib.

De dolore ex acrimonia proueniente, Ib.

Notæ doloris ex calida intemperie creati, Ib. Curatio, Ibidem.

Curatio ſi dolor à bile procreatus fuerit, Col.142.

Errhinum, hoc eſt medicamẽtum quod naribus inditur, caput purgans, ad lippitudinem & morbum comitialem efficax, Ib. Errhinum ex cyclamino Col.143.

Epithema ad diuturnos capitis dolores, Ib. De cerato, Ib. Smegma ad capitis dolorem, Ib.

In quibus qualitas doloris cauſa eſt, Ib.

Cap.X I I.

DE HEMICRANIA, Col.143.

De hemicrania ex conſenſu, Col.144.

Si dolor ex frigida ſtomachi cauſa dimidiam caluariæ partem exerceat, Ib.

Catapotia quæ Græcè vocantur κόκκοι διὰ κολοκυνθίδος, hoc eſt grana ex colocynthide, Ib.

De hemicrania quæ ob bilioſum in altera capitis parte contractum humorem naſcitur, Ibidem, Epithemata, Ibidem.

Vnctiones aduerſus dolores ex craſſis viſcoſiſque humoribus in dimidia caluariæ parte ortos, Ib.

In quibus dolor ob bilem contrahitur, Col.145

Cap.X I I I.

DE PHRENITIDE, Col.145

Quæ ſit cauſa phrenitidis, Ib. Notæ futuræ phrenitidis, Ibidem.

Quomodo delirantes à phreniticis diſcernere oporteat, Col.146.

De inueteratis iam phreniticis, Ib. Curatio phreniticorum, Ib.

Cap.X I I I I.

DE LETHARGO Col.149. Notæ veri lethargi, Ib. Notæ falſi lethargi, Ib. Curatio, Ib.

Cap.X V.

DE MORBO COMITIALI, Col.151

Signa morbi comitialis ex ſtomacho orientis, Ib.

Signa comitialis morbi ex alia particula contracti, Ib.

Signa morbi comitialis ex primario capitis affectu excitati, Ib. Notatio lactis, Col.152

Auxilia medicamentorum ad comitiales, Col.153

De medicamentis purgantibus, Ib. Curatio eorum qui ex ſtomachi affectu, comitiali morbo corripiũtur, Col. 154. Curatio eorum qui alia particula comitialẽ morbum experiuntur, Ib.

Medicamentum purgans ex veratro albo, Col.155.

Quæ naturaliter ad comitiales valent, Ib.

Indicia quibus comitiales agnoſcantur, Col.156

Ex Apollonii commentariis facile paratu medicamentum, ſi quidem comitialis eſt curabilis, Col.156 Curatio ex ſecundo Theodori, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.

Ex quinquageſimooctauo Theodori Moſchionis, ad comitiales, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ex iis quæ Stratonis libris adiecta ſunt: dicit autẽ Orpheũ authorem eſſe, Col.157. Aliud, Ib.

Quæ alligantur & naturaliter comitialibus obſiſtunt, Ex commentariis Archigenis, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud ad idem, quod in libro Stratonis ſcriptum eſt: dicitur autem Moſchionis, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Col.158.

Cap.X V I.

DE RESOLVTIONE particularũ, Col.158. Notæ, Ib. Cauſa reſolutionis, Col.159. Curatio, Ib. Catapotia διὰ κολοκυνθίδος, Ib. Hiera tuta, *hoc eſt, quæ ſine periculo ſumi poteſt*, Ib.

Si reſolutio ex ſola fiat qualitate, Col.160

De oculorum reſolutione, Col.161.

De labro reſoluto, aut gena, Ibidem. Scriptura Lyſiponii, Ib.

Cap.X V I I.

DE MELANCHOLIA, Col.162

Signa melancholiæ ex ſanguinis copia naſcentis, Ibidẽ. Curatio, Ib. Curatio melãcholiæ ex infarcto impactóquẽ ſanguine ortæ, Col.163. Indicia melancho-

liæ quã ſanguis acrior bilioſiórq; excitauit, Ib. Curatio melancholiæ quæ à bilioſo & acriore ſanguine naſcatur, Ib. De balneo, Col.164.
De melancholia quæ à ſanguine melancholico naſcatur, Col.165.
De melancholicis iam inueteratis, Ib.
Quomodo lapis Armeniacus adhibeatur, Col.166. Deſcriptio catapotiorum ex lapide Armeniaco, Ib.

CAPITA LIBRI SECVNDI ET APPENDICES.

Cap. I.
DE CVRATIONE oculorum, Col. 167. Quomodo ſanguineus humor inflammationem excitaſſe internoſcatur, Col.168. De curatione, Ib. De remediis quæ extrinſecus imponuntur, Ib. Ad vehementes dolores, & maximas epiphoras, Ib. De collyriis, Ib. Collyriũ mitigatoriũ Trypherũ, ad eos q̃ collyriorũ roſionẽ ferre nequeũt, præſertim ad affectus recẽtes, Col.169. Aliud, & ipſum longè leniſſimum, Ib. Aliud egregium quod breui paratur, Ib. Collyrium quod ſpongiarium dicitur, optimum, Ib. De collyriis reprimentibus, quæ etiam monohemera dicũtur, Ib. Collyrium reprimens mediocriter monohemerum: hoc & Medicum & Aceſodynum appellant, Ib. Aliud, Ib. Aliud ad ea præſtantiſſimum, & vſu probatum, Ib. Aliud Muſarium dictum, ex tomo Hieratica, Ib. Aliud Polydeuci cognomento, quod nos ſæpe ſumus experti, Col.170. Aliud collyrium quod Medicum vocatur, admodum ſtrenuè repellens, ſtatim per initia inunctũ, Ib. Aliud ſiccum collyrium quod διὰ κρόκυ dicitur, ad incipientes lippitudines, Ib. De collyriis quæ alio modo monohemera appellantur, Ib. Primarium monohemerum, quod à vino διὰ οἴνυ vocatur, Ib. Aliud giluum quo vtor, Cerycium dictũ, Ib. Aliud ad eadẽ efficax, cognomento Theophilion, Ib. Aliud, quod xerocollyriũ vocatur, reprimens, Ib. Aliud collyriũ reprimẽs admodũ generoſum, monohemerum, Ib. Aliud collyriũ, quod magnus Hermolaus dicitur, Ib. Aliud collyrium Hermolaus, quod ab oleo δι' ἐλαίου dicitur, Ib. Collyriũ Nicariũ cognomẽto, Aliud quod Pilariũ vocatur, C.171.
Cap. II.
SI DOLOR ex bilioſo & acri humore naſcatur, Col.171 Curatio, Ib. Collyrium ad acres fluxiones efficax, Ib.
Cap. III.
SI OBSTRVCTIO ſola oculos exerceat, Col.171.
Cap. IIII.
DE DENSITATE, Col.172.
Cap. V.
DE EXVLCERATIONE & inflammatione, Col.172. Collyrium Cygnos, Ib. Collyrium Libianum, Ib. Collyrium διὰ λιβάνου, ad chemoſin, Col.173. Collyrium Vranium, Ib. Quæ cicatrices exterunt, Ib. Collyrium diathece ad vlcera, Ibidem. Collyrium Chionion, Ib. Collyrium nardinum Zoili, Ib. Collyrium hydares, hoc eſt aquoſum, egregiũ, Col.174. Collyrium Heraclium, Ib. Dacneron, hoc eſt mordicans collyrium, ad viſum acuendum, Ibidẽ. Hygrocollyrium ad hebetudinem ac alia multa efficax, Ib. Aliud, vt poſſis etiam ſolem citra noxam aſpicere, Ib. Puluis Seuerius ad viſus acumen, Ibidẽ. Puluis cui nomen eſt à lumine Phos, ad hebetudinem oculorum ac dolores fluxionéſque dentium, Ib. Aliud valde idoneum ad ſcabioſos oculorum affectus, pruritus, hebetudines, palpebras aſperas, fluxiones antiquas, oculorum cicatrices, & pterygia, quo vtor, Ib. Aliud ad hebetudines & incipientes oculorum ſuffuſiones, Col.175. Aliud, Ib. Aliud, Ib.
Cap. VI.
DE NYCTALOPE, C.175. Aliud, Ib. Aliud ad idẽ, Ib. Ad aſperas palpebras, Ib. Puluis ad incipientes ſuffuſiones, Ib. Ad tingendas albugines valde generoſum, Ib. Collyrium quod magnum Theodotium vocatur, ad magnos dolores & inueteratos affectus, Ib. Collyrium hecatombe valẽs ad cicatrices craſſas, & incipiẽtes ſuffuſiones, &c. Ib. Xerocollyriũ faciẽs ad ſycoſin, putredines, & carnis excreſcentias, Ib. Hygrocollyrium efficax ad oculos purulentos: mirificè facit etiam ad ſordida hulcera, & myocephala, Col.176. De mulſa, Ib. Ad ſtaphylomata excellentiſſimum, Ib. Collyrium Maximiani, Ib.
Cap. VII.
DE CARBVNCVLIS qui in oculis excitantur, Col.177. Collyrium diarrhodon magnum cognomẽto, C.178. Collyriũ quod ab ouis δι' ὠῶν Græcis dicitur, Ib. Collyrium diarrhodon, Ib. Ad pterygia & ſycoſes, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud ad palpebrarum ſcabricias, Ib.
Cap. VIII.
AD RHYADAS, Col.178. Aliud bene faciens ad ægilopas, Col.179. Aliud ad incipiẽtes ægilopas, Ib. Aliud, Col.180. Aliud, Ib. Aliud vſu probatum, Ibidem.

CAPITA LIBRI TERTII ET APPENDICES.

Cap. I.
DE AVRIVM AFFECTIBVS, Col.179. Si dolor ex obſtructione eueniat, Ib. Internotio vtrum ex ſpiritu, an viſcoſis humoribus, vel inflammatione, aurium dolor excitetur, Ib. Curatio doloris ex humorum obſtructione & ſpiritu contracti, Ibidẽ. Aliud, Col.180. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.
Ad obſtructiones ſine dolore incidentes, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.
Ad grauem auditum & dolorem compoſitum medicamentum, Ib.
De dolore ex frigida cauſa naſcente, Ib.
De dolore ex calida intẽperie prouenĩete, Ib. Aliud, Ib.
Cap. II.
DE INFLAMMATIONE quæ meatũ auditoriũ intus obſederit, C.179. De curatione ĩflãmationis, Ib. Fomentum ad aurium dolorem, quod per ſpongias & aquam calidam applicatur, Col.182. De cataplaſmatis, Ib. Auriculare anodynum, valde bonum ſi frequenter infundatur, vbi & inflammatio & diſtenſio vrget, & vehementes admodum dolores infeſtant, Col.183. Aliud ad inflammationes non admodum feruẽtes, Ib. Aliud ad dolores qui ex inflammatione proueniunt, atque in hoc fere ſunt vt in pus mutentur, Ib. Aliud ad inflammationes ex ictu & fluxione ortas, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Ad aurium vlcera, Ib. Aliud ad diuturna auriũ vlcera, Ib. Aliud ad eos qui multũ puris habent, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Ad vlcera valde ſordida & depaſcentia, Ib. Aliud ad eadem admodũ efficax, Ib. Aliud, Ib. Ad ſordida vlcera, in quibus pus effluit, & caro excreſcit, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib. Aliud ad valde vetuſta vlcera, Col.184.
Ad aures diruptas cõtuſáſque ex ictu, Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.
Cap. III.
DE SONITV AVRIVM, Col.184
Ad aurium ſonitus ex morbo prouenientes, Ib.
De iis quorum aures ſordibus repletæ ſunt, Ib. Aliud, Ibidem.
Si aqua in aurem inciderit, Ib.
Si lapilli, aut alia quædam in aurem inciderint, Col.185.
Aduerſus aurium vermes, Ib. Aliud, Ib.
Cap. IIII.
DE AVRIVM doloribus ex defluxione quæ catarrhos appellatur, prouenientibus, Col.185.
Cap. V.
SI SANGVIS ex auribus profluat, Col.185. Medicamẽtum quod ſanguinis profluuiũ reprimit, Ib. Aliud ad idem, Ib. Aliud, ne ſanguis in auribus coeat in grumos, Ib.
Cap. VI.
DE SVRDITATE, Col.185. Halatium, quod eſt

medicatū ex ſale, Col.186. De apophlegmatiſmis,Ib. De iis quæ ſternuntamenta mouent,Ib. Aliud,Ibidē. Ad grauem auditum & ſurditatem, Ib.

Cap. V I I.

DE PAROTIDIBVS, Col.186.

Curatio parotidum quæ à copia ſanguinis conſtituuntur, Col.187. De cataplaſmatis,Ib. Curatio earum in quibus tumor eſt ſcirroſus, Ib. Emplaſtrum Ariobarzanium,ad ſcirroſos affectus efficax,Ib. Medicamentum Diaſtruthiων ad eadem, Col.188.

Quomodo agnoſci debeat quum tumor in pus conuertetur,Ib. Aliud,Ib. Aliud medicamentum ex farinæ polline,quod diagyreos dicitur, Col.189. Aliud medicamentum diaſericos, Ib. De parotidibus quæ ex bilioſa fluxione naſcuntur,Ib. Aliud præſtantiſſimū ad idem,Ib. Aliud,Ib. Aliud ad parotidas, Col. 190. Ad parotidas œdematodes,Ib. De victu,Ib.

Cap. V I I I.

DE NARIVM AFFECTIBVS, Col.190.

Ad ſanguinis profluuium ex naribus, Col.191. Aliud, Ib. Aliud,Ib. Aliud,Ib. Aliud, Ib. Aliud, Ib.

Cap. I X.

AD LIVORES faciei, Col.191.

Cap. X.

DE DENTIVM affectibus,ex Galeno, Col.192.

De gingiuarum dolentium curatione,Ib.

De dentium doloris curatione,Col.193. Aliud quamprimum dolorem dentium finiens, Ib. Aliud anodynū ad dentes dolore infeſtatos, eroſóſque: eſt etiam tuſſi efficax remedium, Ib. Alia ad dentes molares compoſitio,eadem hora dolorem finiens,Ib. Aliud idoneum,Ib. Alia mylice qua vtor,Ib. Paſtillus ad dentium dolores, Ib. Aliud ad dentes mobiles,Ib. Aliud ad laxos dentes,nigróſque,& gingiuas fluxione tentatas, Ib. Aliud ad dentes mobiles, & gingiuas eroſas:digito autē loca attinges,Ib. Aliud ad dentium eroſiones, Ib. Aliud,vt dentem digitis apprehenſum tollas, antea probè purgatum Ib. Dentifricia Galeni, Col.194. Ad mobiles dentes, Ib.

CAP. LIBRI QVARTI ET APPENDICES.

DE ANGINA, Col.193.

De medicamēto quod à moris diamorων Græcè dicitur, Col.195. Compoſitio medicamenti ex moris, Ib. Aliter diuiniſſimus Galenus medicamentum ex moris parauit,Col.196. Cōfectio medicamenti ex nucibus, quod Diacaryων dicitur, Ib.

Antidotum diabeſaſa, quod ad malignas deſperatáſque inflammationes inungitur,Ib. Ad anginas, Col.197. Aliud gargariſma,Ib. Aliud,C.198. Aliud,Ib. Aliud, Ib. Aliud,Ib. Aliud,Ib. Aliud,Ib. Aliud,Ib. Aliud ad anginas vlceris expertes & inueteratas, Ibidē. De ſanguinis miſſione,Ib. De cucurbitula, Ib. De iis quæ extrinſecus imponuntur,Col.199. De cataplaſmatibus,Ib. De fomento,Ib. De victu,Ib.

CAPITA LIBRI QVINTI ET APPENDICES.

Cap. I.

DE TVSSI,Col.199. Signa tuſſis ex calida intemperie prouenientis, Ib.

De tuſſi ex frigida intemperie procreata,Ib.

De tuſſi ex ſicca aut humida intemperie naſcente, Ib.

Nota quòd ex capite materia influit,Ib.

Cap. I I.

INDICIA inflammationis in pulmone, Col.200.

Cap. I I I.

DE TVBERCVLO quod phyma dicitur,in pulmone contracto, Col.200

Cap. I I I I.

INDICIA quum viſcoſi humores in pulmone continētur, Col.201. Bechica,hoc eſt medicamenta ad tuſſim idonea,quibus vti conuenit,Ib. Aliud,Ib. Aliud,Ib. Aliud,Ib. Aliud bechicum, in quib⁹ acris influxus eſt,& thorax mediocrem repurgationem poſtulat, Col.202. Aliud ad tenuem admodum & acrē influxionem,Ib. Aliud quod in mixto affectu valet: vocatur autem Hygia,Ib. Aliud ad plura efficax, Ib. Aliud bechicum,quod myſterium dicitur,Ib. Ad tuſſes in quibus multus acriſque influxus eſt : præſtat etiā ne in bilem ille conuertatur,Ib. Diacodειων, vt diuiniſſimus Galenus ipſum parauit, Ib.

De tuſſi & medicamento Diacodειων, Col.203.

Quo victu nutriri debeant qui ex tenui & acri fluxione tuſſiunt. Col.204.

Quæ medicamenta conueniant iis qui à craſſioribus humoribus tuſſi laborant,Ib. Simplicium medicamentorum expoſitio, Ib. Compoſita medicamenta ad tuſſim,extenuādi facultate prædita,C.205. Antidotū diapraſιου,tuſſientibus,phthiſicis, purulentis, cibū faſtidientibus efficax.In omnibus cum fiducia vtitor.eſt enim multo vſu probatū,Ib. Aliud,Ib. Bechicum, hoc eſt ad tuſſim efficax , quod ab eruis, Diaorobων Græcis dicitur,Ib. Aliud, Ib. Aliud,Ib. Aliud, Ib. Aliud quod vehementer calefacit, ex commentariis Magni,Ib. Suffumigiū ad tuſſim,quod ex ſtercore leporis paratur,C.206. Aliud bechicū vtile,ad impertiēdum facilè,& ad cruenta ſputa, ſpirandique difficultatem efficax,Ib. Aliud ſuffumigiū, Ib. Aliud eiuſdem facultatis, Ib. Paſtillus fumo excitando idoneus, quo vtor ad veteres frigidóſq; affectus, Ib. Bechicum antidotum ad frigidos affectus ſaluberrimū, Ib. Bechicum valde bonum,Ib. Aliud benefaciēs, præſertim ad tuſſes vetuſtas,Ib. Aliud tuſſientibus & ægrè ſpirantibus idoneum,Ib. Aliud valde egregiū, Ib. Granula bechica,hoc eſt tuſſi efficacia,Ib. Ad tuſſim veterem & phthiſin, Ib. Emplaſtrū ad tuſſim efficax,Col.207. Aliud valde bonū,conferens etiam ægrè ſpirantibus,Ib. Catapotia ad tuſſim, Ib.

CAP. LIBRI SEXTI ET APPENDICES.

DE PLEVRITIDE, Col.207. Aliud,Ib. Curatio pleuriticorum,Ib. De victu,Col.209. De dolore & medicamentis, Col.210. De decoctis,Ib. De purgatione, Ib.

CAPITA LIBRI SEPTIMI ET APPENDICES.

Cap.I.

DE SANGVINIS reiectione, Col.211. Quomodo ſanguinis reiectionem ex vaſorum ruptura fieri deprehēdemus,Ib. Signa reiectionis ſanguinis quæ exeſo vaſe accidit,Ib. Aliud,Ib. Quomodo locus affectus cognoſcatur,Ib. Signa quum ſanguis ex thorace effertur,Col.212. Signa quum ſanguis ex gutture erumpit,Ib. Curatio reiectionis ſanguinis quæ ob rupturam accidit,Ib. De cibo,Ib. De potu, Col.213. De medicamentis,Ib. De iis quæ extrinſecus admouentur,Ib. De medicamentis,Ib. De cōpoſitis medicamentis quæ ad ſanguinis à ruptura profluuiū per os ſumuntur,Col.214. Aliud, Ib. Alius paſtillus ad ſanguinis reiectionem, Ib. Aliud, ib. Quum ſanguis exeſo vaſe reiicitur,Ib. De cibo, Ib. Quid agendū ſit in iis qui ſanguinem ob acris humoris deſtillationem expuūt, Ibidem.

Cap. II.

DE PVRVLENTIS, Col. 217. Signa quum inflāmatio in pus conuertitur,Ib. De victu, Ib. Viribus infirmis quid agendum ſit, Ib. Quale lac & quomodo offerendum ſit,Col.218. De pane, Ib. De oleribus,Ib, De auibus,Col.219. De piſcibus , Ib. De teſtacea cute præditis,Ib. De leguminibus,Ib. De fructibus pomaceis , Ib. De bellariis, Ibidem. Ad purulētos, Col.220. Ad ea quæ in thorace hærēt, Ib. Ad purulentos, phthiſicos & eos qui ex pulmone,aut thorace, aut membrana ſepti tranſuerſi, fæculenta & ſordida expuunt,item ad eos qui iam phthiſin ſentiunt,optimū præſidiū, Ib. Antidotum valde efficax ad ſtomachi fluxionem , & eos qui difficulter

glutinoſa excreant,tuſſi laborantes & peripneumonicos,opitulatur celeriter etiam ſine noxa,Ib. Antidotum diapraſſis, hoc eſt ex marrubio,optimè humores thoraci infixos,omniáque vt prius repurgat,Ib.

Cap.I I I.

DE AFFECTIBVS oris ventriculi,C.220 De frigida intemperie,Col.221. Curatio canini appetitus ex frigiditate prouenientis,Ib. Curatio canini appetitus ex caliditate naſcentis,Ib. Quomodo canina cibi appetentia ex retentricis ventriculi facultatis imbecillitate proueniens curari debeat,Ib. Curatio retentricis facultatis ex frigiditate infirmæ,Ib. Curatio retentricis facultatis ob calorem imbecillæ, Col.222.

Cap.I I I I.

DE GRANDI fame,quæ bulimos Græcè dicitur,C.222.

Cap.V.

DE CIBI faſtidio,quod Græci anorexiā appellāt,C.222. Quomodo vomitiones in illis ſolicitari debeant quibus humor tenuis & bilioſus in ſtomacho continetur, Col.223. Medicamenti purgantis Diamelon, hoc eſt ex malis cotoneis,temperatura, Ib. Aliud purgās ex malis cotoneis comprobatum,Ib. Medicamenti purgantis diarhodomelitos deſcriptio,Ib. Si cibi faſtidium ex viſcoſis humoribus naſcatur,Ib. Stomachicum quod dicitur Baium,Col.224. Euodes, Ib. De cibi faſtidio ex calida intemperie, Ib. De iis qui ob immoderatam frigiditatem cibos faſtidiunt, Ib.

Cap.V I.

DE SITI, Col.224. Ad eum qui ſtomachum ardore æſtuantem habet, & vehementi ſiti conflictatur, Col. 225. Catapotia ad ſitim arcendam,Ib. Aliud ad febricitantes quibus parum bibere cōducit:item ad inſolatus & profectiones vbi ſitis vrget,Ib. Aliud, Ib. De iis quæ ad ardorem ſtomachi extrinſecus imponuntur,Ib.

Cap.V I I.

DE IIS qui atram bilem colligunt,& inflatione ſtomachi laborant, Ib.

Medicamentum Diaoporon, *hoc eſt, ex fructibus pomaceis confectum*, ad ſubuerſionem ſtomachi, cœliacos & dyſentericos efficax, Ib.

Epithema ad ſtomachum fluxione tentatum,febri æſtuātibus,& colicis qui ſtomacho conſortii lege laborant, & cibum reiiciunt idoneum,Col.226 Aliud ad eos qui ſtomachum habent imbecillem,quíque cibum retinere nequeunt,Ib. Aliud epithema ſimiliter ſtomachum corroborans, Ib. Aliud ad ſtomachum fluxione laborantem & ventrem,Ib. Aliud,Ib. De antidotis ad eos qui ob frigidam intemperiem cibum non concoquunt,Ib. Aliud ad eoſdem affectus Diamelō, Ib. Aliud Diamelon,Ib. Ad ſtomachum cibum vomitu reiicientem, Col.227.

Cap.V I I I.

AD INFLAMMATIONEM ſtomachi & inteſtinorum,item ad eos qui cibum non concoquunt, iecorarios,tuſſi vexatos, præſertim quos frigida cauſa infeſtat, Col.227. Aliud ad inflationem,dolorē,omnémque ſtomachi cruciatum efficax,Ib. Aliud,Ib. Aliud, Ib. Stomachicum quod etiam ad colum proficit,Ib. Aliud ad alia quoque vitia ſalutare, Ib. Antidotum ſtomachicum quod picra dicitur,Ib. Aliud ſtomachicum,etiam ad inflationem vtile, Ib.

Cap.I X.

DE AFFECTV cardiaco, Col.227.

Cap.X.

DE CARDIALGIA,quaſi dicas cordis dolore, Col.227.

Cap.X I.

DE NAVSEA & vomitu,Col.228. Curatio vomitus & nauſeæ, Ib. Quomodo internoſcatur vtrum humor qui euomitur, in ventriculo gignatur, an aliunde influat, Col.229.

Curatio quum bilioſus aut melancholicus humor vomitum aut nauſeam excitat, Ib.

Curatio pituitæ ſtomacho affixæ,& nauſeam excitantis, Ibidem.

Curatio feroſi tenaciſque humoris ſtomacho infixi, Col.230.

Cap.X I I.

DE INFLAMMATIONE ſtomachi, Col.230. De medicamentis quæ extrinſecus imponuntur, epithemata vocant, Galenicum,Col.231. Aliud quod idem præſtare poteſt,Ib. Copta ad ſtomachi duritiem, Ib. Aliud malagma bonum ad ſtomachi duritiem,fluxionem,& dolorem,faciens vt æger tribus horis eo leuetur,ſentiátque manifeſtò adiumentum, Ib.

De iis qui inflammationem à frigido humore experiūtur, Ibidem.

De medicamento Diamelilotu, & hieratico, Ib.

Aliud malagma polyarchium,prodeſt peripneumonicis, iecoroſis,hydropicis,lienoſis,nephriticis,veſicæ & vuluæ affectib⁹,& omni neruorū dolori,C.232. Aliud,Ib. Aliud epithema ad dolorem ſtomachi,Ib. Ad omnē ſtomachi inflammationem, duritiem,& præſertim in quib⁹ perfrictio & hydropicus affectus incipit:in ſumma,in quibus inflantur præcordia, Ib. Illitus ſtomachi,& vnguentum ad frigidam intemperiem,Marciatum,Ib. Compoſitio Marciati generoſi,Ib. Vnguētum Myrocopon,Ib. Ad ſtomachum perfrictionem expertum intinctus,qui Embamma Græcis dicitur,Ib. De antidotis ſtomachicis,paſtillus Amazonum, Ib. De curatione, Col.234.

Cap.X I I I.

DE SINGVLTV,Col.234. Oxymelitis cōfectio,Ibi.

Cap.X I I I I.

DE CHOLERA, Col.235.

Curatio eorum qui ex copia ciborum cruditate laborarunt,incideruntque in choleram, Col.236. Curatio choleræ ex vitiato ſtomacho prouenientis,Ib. De victu,Ib. De vnctione,Col.237. De epiplaſmatis, Ib. De epithematis,Ib. Epithema diacænāthes laudatiſſimum,Ib. Epithema quod ex malis cotoneis conſtat, dia melōn dictum, Ib.

Cap.X V.

DE IIS qui ex bilis copia cholerā ſunt experti,Col.237. Curatio,Ib. De fructibus pomaceis,Ib. De bellariis, Col.238. De potione,Ib. De iis quæ extrinſecus imponuntur,Ib.

Cap.X V I.

DE CHOLERA quæ citra noxam excitatur, Col.238

CAPITA LIBRI OCTAVI ET APPENDICES.

Cap.I.

DE INFLAMMATIONE iecoris, Col.239. Nota an gibbam iecoris partem inflammatio obſideat, Ib. Signa inflammationis cauam iecoris partem occupantis,Ib.

Cap.I I.

DE OBSTRVCTIONE iecoris, Col.240. De inflāmationis iecoris curatione,Ib. Aliud ad inflāmationes non admodum feruentes, Col.241 Aliud,Ib. Apollophanis malagma ad iecorarios, Ib. Epithema ad inflammationem iecoris,Ib. Ad inflammationes ſcirroſas,Ib. Hepaticum optimum,facit etiam lienoſis,& quibus ſtomachus eſt diſtentus,nobiliſſimū medicamentum,& blandè emolliens, adeò vt nullum ei comparari queat,Ib. Epithema odoratum quod Euodes dicitur, ad iecoris & ſtomachi inflammationes egregium,Ib. Copton ad duritiē & ſtomachi iecoriſque reſolutionē inſigne, Ib. De antidotis hepaticis, Ib. Hepaticum Athanaſia dictū,ad nephriticos & arquatos valet,item ſudores mouet, Ib. Paſtillus hepaticus,qui etiam ſimul arquaticis auxiliatur, Ib. Antidotum hepaticū ad magnas iecoris obſtructiones, & ſcirroſos affectus vſu comprobatū,Col.242. Ad iecoris obſtructionem puluis nobilis,quem frequenter dedi,Ib. Ad magnam iecoris & lienis obſtructionem, vt etiam inſignes duritias emollierit, Ib. Aliud ad iecoris obſtructionem,Ib. Aliud comprobatū,quod

a lepore, dialagos dicitur, Ib. Aliud diabacaniou, Ib. Simplicia ad iecur medicamenta, Ib.

Cap. II.

DE IMBECILLITATE & dyſenteria hepatica, Col.242. Notæ, Ib.
De calida intemperie, Col.243.
De frigida intemperie, Ib.
De ſicca intemperie, Ib.
De humida intemperie, Ib.
Quomodo calida iecoris intemperies curetur, Ib.

Cap. IIII.

DE HEPATICA dyſenteria ex frigida intemperie, Col.245.
Quæ hepaticæ dyſenteriæ ob calidam intemperiem ortæ conferant, Col.246. De fotu ad calidã iecoris intemperiem, Ib. Antidotum Cyphoides, ad frigidas iecoris intemperies vtile, Ib. De fotu & cataplaſmate, Ib. Epithema tonoticon, quod iecur corroborat, & inflammationes concoquit, Ib. Potio ad eos quos imbecillitas cum obſtructione infeſtat, Ib.

Cap. V.

DE COELIACIS Philomenis, Col.246. Curatio, Col.247. Potiones cœliacis accommodæ, Ib.
Paſtillus ad cœliacos optimus, Ib. Paſtillus ad cœliacos, ſtatim aluum conſtringens, Ib. De inueterato cœliaco affectu, Ib.

Cap. VI.

DE TENESMO, Col.248. Curatio, Ib.

Cap. VII.

DE ALVI profluuio quod Græcis ῥευματισμὸς dicitur, ex libris Philomenis, Col.248. De lacte, Ib.
Epithema ex œnanthe, mediam inter cataplaſma & emplaſtrum naturam obtinens, Col.249.
De cibis, Col.250. De oleribus, Ib. Intinctus, Ib. De piſcibus, Ib. De auibus, Ib. De potu, Ib. De balneo, Ib.

Cap. VIII.

DE DYSENTERIA ex ventris profluuio excitata, rheumatica dicta, Col.251. Notæ dyſenteriæ rheumaticæ, Ib. Curatio, Ib. Signa dyſenteriæ rheumaticæ, quæ pro loco affecto & excrementis variat, Philomenis, Ib. Curatio, Ib. De lacte exhibendo, C.252. De cibo, Ib. De cibi faſtidio, Ib. Legumina, Ibidẽ. De ptiſſana, Ibidem. De oleribus, Ibidem. De piſcibus, Ib. De carnibus, Ib. De fructibus pomaceis, Col.254. Potiones ſimplices ventri tenendo idoneæ, Ib.
De falſa imperitorum medicorum opinione & paſtillis, Ib. Paſtillus ad eoſdem, Ib. Paſtillus diacoralliou, Ib. Paſtillus diaelectriou, Ib. Paſtillus ex coagulo, qui diapityas dicitur, C.255. Paſtillus ex ſeminibus qui diaſpermaton dicitur, Ib. Paſtillus crocodes, Ib. Paſtillus clidion, Ib. Paſtillus ad dyſentericos ſanguinẽ ſpuentes, & muliebrem ſanguinis fluxum, Ib. Catapotia ad dyſentericos, Col.256. Catapotia ad dyſentericos, & omnem ventris reſolutionem, Ib. Potio ad dyſentericos, Ib. Glans quæ ano ſubiicitur ad teneſmum & dyſenteriam, Ib. Alia glans ſiue collyrium ad dolores mitigandos, Ib. Aliud collyrium quod ſubiiciatur, ad teneſmum & dyſenteriã valde efficax, Ib. Quæ per inferiora iniiciuntur, ad dyſentericos, magnóſque dolores, vel inflammationes. enemata Græci vocant, Ib. Aliud melius, Ib. Aliud, Ib. Paſtillus Marcelli magnificus, Ib. Paſtillus ſine opio & calce dyſentericis accõmodus. purgat enim & cicatricẽ inducit, Ib.

Cap. IX.

DE INTESTINORVM exulceratione quæ propriè dyſenteria Græcis dicitur, C.257. Notæ exulcerationis in craſſis inteſtinis, Ib. Notæ ſuperiorum inteſtinorum affectorum, Ib. Si in mediis inteſtinis exulceratio exiſtat, Ib. Quid agendum ſit ſi vlcus in recto inteſtino excitatum fuerit, Col.258. Quibus enematis in recti inteſtini affectu vtendũ ſit, Col.259. Præſtantiſſima quæ ano ſubiiciuntur, longo vſu à nobis comprobata, Ib. Alia glans quæ etiam clidion nominatur, ad teneſmos & alui profluuia efficax, nam doloris leuationem adfert quamprimum apponitur, ſomnum ſuauem inducens, Ibidem. Cataplaſma ad recti inteſtini inflammationem, Ibidẽ. Si craſſa aut media inteſtina exulcerata ſint, Ib. Medicamentum quod in dyſentericis ano ſubiicitur, Ib. Paſtillus dyſentericus, Col.260. Si dyſenteria in tenuibus inteſtinis conſtituatur, Ibidem. Medicamenta compoſita ad dyſentericos & cœliacos, Ibidem. Catapotia ad cœliacos & dyſentericos, Ib. Dyſentericus paſtillus per os datus, ad omnia inteſtina, omnémque fluxionem valens, Ib.
De epithematis & vnctionibus, Ib. Epithema dyſentericis & cœliacis efficax, Ib. Ceratũ optimum, Ib. Epithema diacœnãthes, Ib. Epithema ad teneſmos potiſſimùm, & cruentas excretiones cum frigiditate, Ib. Vnctio dyſenterica, Ib.

Cap. X.

DE LIENIS affectibus, ex libris Philagrii, Col.261. Notæ frigidæ intemperiei, Ib. Signa calidæ intemperiei, Ib. Curatio calidæ & ſiccæ intemperiei, Ibidẽ. Curatio frigidæ & humidæ intemperiei, Ibidem. Curatio calidæ & humidæ intemperiei, Col.263. De ſimplicis intẽperiei curatione, Ib. Curatio humidæ intemperiei, Ib. Curatio ſiccæ intemperiei, Col.264. Curatio frigidæ intemperiei, Ib. Curatio calidæ intemperiei, Ib.

Cap. XI.

DE LIENIS inflatione, Col.264. Curatio inflationis, Ib.

Cap. XII.

INDICIA INFLAMMATIONIS lienis ex ſolo ſanguine, Col.265. Signa inflammationis ex humore bilioſo, Ib. Signa inflammationis ex humore melancholico, Ib. Indicia inflãmationis ex humore pituitoſo, Ib. Curatio inflammationis, Ib. De iis quæ aluum ſubducunt, Col.266. De fomentis, Ib. De clyſtere, Ib. De cibo, Ib. De ſtatu, Ib.
De medicamento purgante, aut decocto, aut iniectionibus, Col.267. De parando cataplaſmate, Ib. De cibo & potu, Col.268. De epithematibus, Ib.

Cap. XIII.

DE LIENIS ſcirro, Col.268. Curatio ſcirri, Ib. De cibo, Col.269. De potu, Ib. De miſſione ſanguinis, Ib. De iis quæ lienem corroborant, Ib. Potio ad lienoſos probata, Ib. Alia potio, Ib. Epithema malacticum, Ib. Malagma Amythaonis, Col.270. Aliud epithema, Ib. Malagma Aſclepiadæ, Ib. Epithema lienem imbecillum corroborans, Ib. Epithema lienoſum & hepaticum, quod vtriuſque viſceris obſtructiones diſcutit, Ib. Si lien flatu diſtenditur & intumeſcit, Ib. Galeni verba de lienis ſcirro & inflatione, Col.271. Epithema iecoris & lienis, Ib. Epithema hypotherion, Ib. Prima confectio diaſpermaton, Ib. Alterum epithema diaſpermaton ad idem, Ib. Potiones ad lienem ſcirro induratum, Col.272. De paſtillis, Ib. Epithema, Ib. De tuſſi lienoſorum, Col.273.

CAPITA LIBRI NONI ET APPENDICES.

Cap. I.

DE AQVA inter cutem, Col.273.

Cap. II.

DE ASCITE, Col.273. De curatione, Ib.
Confectio paſtilli ex amaris amygdalis, Col.274. Ad lienis & iecoris duritiem validum medicamentum, Col.275. Ad ſcirroſos iecoris affectus, Ib.

Cap. III.

DE ASCITE & tympanite, Col.275. Aliud, Col.276.
Ad tympanicos & eos quibus iecur ſcirro induratum eſt, Ibidem.
His qui aqua inter cutem cum febri laborant, Col.277.

Cap. IIII.

DE AFFECTIBVS renũ, Col.278. Notæ calculi, Ib.

Curatio calculoſorum,Col.279. Conditum nephriticũ, Ib. De anodynis,Col.280. De ſanguinis miſſione, Ib. Naturalia,Col.281.

CAP.V.

DE INFLAMMATIONE renum,Col.281. De auxiliis loco inducendis, Col.282.

De inflammatione renum in pus conuerſa, Ib. De curatione,Ib. Puluis nephriticus ad vrinæ difficultatẽ & calculum,Ib. Aliud,quo etiam ipſe vſus ſum, Col.283. De victu, Ib.

Cap.VI.

QVOMODO vrinæ ſtillicidium agnoſcatur, curetúrq; Col.283.

De ſtillicidio ex frigiditate,Ib. Quomodo difficultas vrinæ agnoſcatur,curetúrque, Ib.

Cap. VII.

DE CALCVLIS in veſica naſcẽtibus,Col.284. Indicia calculi ex vrinis, Ib. Curatio,Ib. Scabioſæ veſicæ indicia,Ib. Medicamentum ad ſcabioſos veſicæ affectus, difficultatem vrinæ & inflammationes efficax,Ib.

Cap.VIII.

DE DIABETE, Col.285.

Cap.IX.

DE SEMINIS profluuio,Col.285. Curatio, Ib. Aliud,Col.286. Quæ ſiccent genituram, Ib.

Cap.X.

DE PRIAPISMO, Col.286.

CAPITA LIBRI DECIMI ET APPENDICES.

Cap.I.

DE COLICO affectu,Col.287. Quomodo colicos à nephriticis diſcernamus, Ib.

De colico dolore ex frigido humore contracto, Ib. De oleribus,C.288. De auibus,Ib. De piſcibus, Ib. De carnibus,Ib. De bellariis,Ib. De vino,Ib. De vinis factitiis quæ propomata dicuntur,Ib. De balneo, Ib. Aliud, Col.289. De inſeſſibus,Ib. De epithematis,Col.290. De iniectionibus, Ib. Alia vehementer generoſa, Ib. Alia ad vitreos frigidóſque humores efficaciſſima,Ib. Aliud præſtantius enema, craſſos viſcoſóſque humores purgans, Ib. Alia iniectio ileis quoque efficax,Ib. Alia admodum benefaciẽs, Col.291. Quæ per os dentur etiam iis qui ex frigido & pituitoſo humore dolẽt,Ib. Simplex medicamẽtum vſu compertum,Ib. Aliud quod etiam nephriticis cõfert,Ib. Aliud valde generoſum, Ib. Aliud,& ipſum valde bonum, Ib. Aliud ad idem, Ib. Aliud præſtantiſſimum, etiam ad aliud efficax, Ib. De anodynis,enematis,paſtillis & antidotis,C.292. De vomitu,Ib. De ſinapiſmo & dropace,Ib. De motu, Ib. De colico dolore ex flatibus contracto, Ib. De colicis qui ex ſtercoris duri obſtructione dolent,Col.293. De colico affectu ex calidis & bilioſis humoribus naſcente,Ib. Notæ colici doloris ob calidos bilioſóſque humores excitati, Ib. Curatio colici affectus ex calidis bilioſiſque humoribus orti, Ib. De oleribus, Col.294. De piſcibus,Ib. De teſtaceis,Ib. De carnibus,Ib. De fructibus,Ib. De balneis,Ib. De motu, Ib. De purgatione, Col.295. De colicis doloribus ob inflammationem inteſtinorum contractis, Ib. De balneo,Ib. Medicamenta naturalia quæ alligari ſolent aduerſus dolores colicos,Col.296. Aliud,etiã ipſum probatum, Ib. Aliud naturale comprobatũ, Ib. Aliud alligatorium,Ib. Idem rurſus, Ib. Aliud, valde efficax,Ib. Aliud,Ib. Annulus ad idem, Ib. Aliud naturale,ad colũ efficax,vſu probatum, Ib.

CAPITA LIBRI VNDECIMI ET APPENDICES.

Cap.I.

DE PODAGRA, Col.297.

Si podagra à bilioſo humore naſcatur, Ib. De medicamento bilioſum humorẽ expurgante, Ib. Aliud ad idem,Col.298. Aliud purgans ex malis cotoneis, Ib. Aliud ad eos qui tardius purgantur, Ib. De oleribus, Ib. De auibus, Ib. De piſcibus, Ib. De iſicio, Col.299. De carnibus,Ib. De leguminibus, Ib. De fructibus pomaceis,Ib. De tragematis, Ib. De motu,Ib. De balneis, Ib. De vinis factitiis,Ib.

Si podagra ex pituita prouenerit,Ib. Medicamẽtũ δι' ἀλθαίας,C.300. De curatione,C.301. Oxymeli Iulianiũ, Ib. Antidotũ Heraclidis philoſophi,in multis valde probatum,C.302. Antidotũ podagricũ Agapeti,& ipſum præclarum,quo multi ſanati ſunt, Col.303. Cataplaſmata quæ locis ex frigido humore dolentibus admouentur,Ib. Ceratum ex ſtruthio, Col.304. Aliud vehementer bonum, Ib. Vnctio ſimplex diſcutiẽs, & induratos articulos reſoluẽs,C.305. Vnctio ex hedera ad eadem,Ib. Aliud efficax & in duris corporibus & valde vetuſtis vitiis: quinetiam articulos recẽti cicatrice contractos diſſoluit,Ib. Ad œdematicos pedum tumores,Ib. Smegma aut puluis egregius.vocãt autem quidam ipſum Indum, alii Æſculapium, Ib. Deſcriptio pulueris Indici,Col.306. Pſilothrum nobile ad podagrã,Ibidẽ. Si podagra ob ſanguineum humorem conſtituatur, Ib. De remediis quæ locis inflãmatis inducuntur, Col.307. De tophis, Col.308. Antidotum ad tophos, Ib. Ceratum excellentiſſimũ tophos articulorum diſſoluens,adeò vt neque an oborti fuerint adhuc appareat, Ib. Aliud vſu probatum, Ib. Medicamentum diacinnabareos, Ib. Medicamentum dialeptocaryων,Col.309. De antidotis & medicamentis anodynis, Ib. Deſcriptio purgantis medicamenti diahermodactylου ſimpliciſſima, Ib. Aliud diahermodactylου, Col.310. Aliud ad idẽ, Ib. Aliud valde bonum vſu probatum,Ib. Aliud Iacobi Pſychreſti,Ib. Egregium antidotum Theodoſii philoſophi,Ib. Catapotia ex hermodactylo & aloe, Ib. Aliud eadem efficiens,tum in articulariis, tum habitu pituitoſioribus,Ib. Catapotia emollientia,Ib. Antidotũ diacoronopodιου, Ib. Aliud,Col.311. Medicamentũ ex myuro herba,Ib. Aliud generoſum probatũ,Ib. Aliud Iacobi Pſychreſti,Ib. Antidotũ podagricum,Climax,Ib. Aliud antidotum quod ita podagricis ad annum datur, Ib. De mitigatoriis medicamentis quæ locis affectis admouentur, Ib. Ceratũ quod in acceſſionum ſtatu imponitur, dolore liberãs, Ib. Aliud ceratum quod ſimiliter in ſtatu applicari poteſt,Ib. Aliud ceratum,& ipſum mitigatorium, ad omnem inflammationem feruidam efficax, Col.312. Ceratum mirabile & vſu probatum, de quo etiam alii multi teſtati ſunt,Ib. Aliud, Ib. Halatia ad concoquendum, Ib. Aliud,Ib. Aliud Buphati,Ib. Naturalia diuerſa ad pedum fluxionem,Ib. Medicamẽtum naturale ad fiſtulam pedum, admodum celebre, & à multis comprobatum,Ib. Medicamentum præſeruans à podagra & à morbo articulario, Ib. Aliud probatũ,Ib. Aliud quod pedes & manus præſeruat, Ib. Aliud,Col.313. Ad podagrã,Ib. Remediũ à podagra præſeruans, Ib. Ad podagrã quæ nondum cõtraxit nodos,admirabile & probatum, Ib. Podagricum naturale, Col. 314. Aliud ad podagram & omnem fluxionem,Ib. Auxilium podagricum valde bonum, Ib.

CAPITA LIBRI DVODECIMI ET APPENDICES.

Cap. I.

DE FEBRIBVS, Col.315.

Diariarum notæ, Col.315. Diariæ curatio, Ib.

De iis qui ex laſſitudine febricitant, Ib. Curatio eorũ qui ex laſſitudine febricitant, Ib.

De iis qui ex cruditate febricitant,Col.316.

De ciborum corruptione ex caliditate & nidoroſo ructu proueniente, Ib.

De iis qui ex cruditate febricitant, humore magis acido proueniente, Col.317.

De acido ructu qui ex frigida intemperie naſcitur, Ib.

De febribus diariis quæ ex obſtructione generantur, Ib.

Cap. II.

DE FEBRIBVS ex putredine creatis, Col.319. Notæ febris ex putredine, Ib.

De curatione febrium cõtinentium,Ib. Internotio,Ib.

curatio, Col.321. De frigidæ potu,Ib.
De inflammatione eryſipelacea, Ib. Notæ inflammationis eryſipelaceæ, Ib.

Cap.I I.

DE CAVSO,hoc eſt ardente febri falſa,Col.321.
Ad ſtomachum ardore æſtuantem,Col.322. Quomodo febres ex ſanguineo humore prouenientes notari debeant,Ib. De victus ratione, Ib. De balneo, Ib.
De ſyncope quæ in febribus accidit, Ib.
Notæ febrium in quibus humorum crudorum copia ſyncopen inducit, Col.323.
Notæ eorũ qui ob bilioſos tenuéſque humores ſyncope conflictantur, Ib.
Curatio eorum qui ſyncope periclitantur, Ib. De vino, Ib. De balneo, Col.324. Curatio eorum qui ob tenuium humorum putredinem ſyncope conflictantur, Ib. De vino, Ib.
De animi defectione, Ib. De iis qui ob ſubitas vacuationes animo deficiũt, Ib. De iis qui ex copia humorum animo deficiunt, Col.325.
De iis qui ex vtero animi defectionem experiuntur,Ib.
De iis qui ob imbecillem ſtomachum animi defectionẽ experiuntur, Ib.
Si ardor ſtomachum infeſtet, Ib.
Si ob pituitam animus deficiat, Col.326.
Si ob frigiditatem animi defectio eueniat,Ib.
Si ob caliditatem animus deficiat, Ib.
Si ob igneas inflammationes animus deficiat,Ib.
Si ob nobilis particulæ obſtructionẽ animus deficiat,Ib. Obſtructionis notæ, Ib.
Quum animus ob ſectionem abſceſſus aut rupturam deficit,Ib.
Si ob gaudium,mœrorem,&ſimilia, item ſi ob dolorem animus deficiat, Col.327.
Si ob ilium aut colum animus deficiat, Ib.
Si ob virium imbecillitatem animus deficiat, Ib.

Cap.I I I I.

DE FEBRE hectica, Col.327.
De maraſmode etiã hectica,Ib. Quomodo diaria ab hectica diſcerni queat & notari, Ib. Quomodo hectica à putridis diſcerni debeat,Ib. Quomodo continens ab hecticis diſcernatur, Ib. Notæ hecticarum maximæ, Col.328. Notæ hecticæ in maraſmodem febrim tranſeuntis, Ib. Curatio febris hecticæ, Ibidẽ. Quibus frigidæ potio dari debeat, Ib. Quibus frigidam dare non oporteat,Ib. Quãdo frigida exhibeatur, etiã inflammatione infeſtante,Ib. De hecticis febribus quæ ex aliis in eas tranſeuntibus mutatiſque generantur, Col.329. Quomodo externis remediis ſuccurrendum iis eſt quibus frigidam dare nõ poſſumus, Ib. De fomento, Ib. De domo in qua æger decumbet,Col.330. De balneo,Ib. De lacte,Ib.
De vino, Col.331.

Cap. V.

SI EX SYNCOPE maraſmus obtingit, Col.331.
De teſticulis gallorũ, Ib. De fructibus pomaceis, Ib.
De maraſmo,Ib.

Cap. VI.

DE TERTIANA, Col.332.
De pomaceis fructibus,Ib.
De balneo, Col.333.
Quomodo tertiana diſcernatur,germana ac veráne ſit an falſa,Col.334. Quomodo humores diffundi diſſolui que & iam ad excretionem incitari cognoſcantur, Ib. Rhodomeli purgans,Col.335. Aliud rhodomeli purgans,Ib.

Cap.V I I.

DE QVOTIDIANA,Col.335. De curatione,C.336. Quomodo ſalſis vtẽdũ in quotidianis febribus, C.337. De fomentis & cataplaſmatis, Ib.
De ſtomachi imbecillis & mediocriter inflammatione laborantis fomẽto,Ib. De purgatione,Col.338. Aliud, Ib. Aliud quod citra moleſtiam ſumitur,à ſale dictũ Græcis halaciũ,admodum efficax,Ib. Aliud, vt ſcriptura halaciorum habet,præſtantius,Ib.
De antidotis ad quotidianas,Col.339. Aliud,Ib. Aliud, Ib. Antidotum ad quotidianas, faciens etiã ad quartanas,Ib.
De vnctione,Ib. Vnctio valida,Ib. Alia mediocris,Ib. Alia, Ib. Alia valde bona, & multis experimentis cõprobata,Ib. Alia in quibus febres vehementes vrgẽt, & frigus moderatum apparet efficax, Ib.
Naturalia quæ corpori alligari ſolent, Ib. Aliud quod appendi ſolet,multis experimentis à me probatum,Ib. Aliud naturale ad quotidianas, Ib.

Cap.V I I I.

DE QVARTANA, Col.339.
De quartana quæ ex nimia flauæ bilis aduſtione excitatur,Col.340. Purgatio ex rhodomelite,C.341. Purgatio quæ ex malis cotoneis paratur,Ib. De vomitu, Col.342. De ſalſamentis,Ib. De antidotis,Ib. Antidotum ad quartanas quæ ex humore melancholico cõſtituuntur,Col.343. Aliud etiam ad quotidianas efficax,Ib. Aliud ad quartanam,Ib. Antidotum acharifton,Ib. Antidotum quod & ipſum mirificè ad quartanas valet,Ib. De paſtillis,Ib. Paſtillus inſignis admodum,ad quartanas febres valens,Ib. Paſtillus alius probè admodũ faciẽs ad quartanas, Ib. Paſtillus alius præſtantiſſimus vt nullus alius, ſuccurrens, curánſque celerimè. elicit enim ſudores,atque ita morbo diuturno ægrũ liberat,Ib. Paſtillus ad quartanarios ex nimia flauæ bilis aduſtione,Col.344. Aliud ſimplicius, Ib. De lapide Armeniaco, Ib. Aliud antidotum mirificũ ad multa efficax,maximè verò quartanis, Ibidem. De balneis, Col.345. De vnctione, Ibidem. Medicamentum quod appendi ſolet ad quartanas, ſæpe à nobis multis experimentis comprobatum, Ib.
Ex libris Aëtii de eryſipelaceis viſcerum affectibus, Col.346.

PAVLI AEGINETAE DE re medica libri ſeptem.

Iano Cornario medico phyſico interprete.

Titulos capitum cuiuſque libri, in fine operis inuenies, appoſito etiam numero paginæ (vel potius columnæ) in qua ſinguli habentur.

Varia item quæ ad hunc authorem illuſtrandum faciunt, ibidem quærenda ſunt.

ORNATISSIMO VIRO D. MICHAELI Meienburgo, Northuſienſi conſuli, & compatri ſuo chariſſimo, Ianus Cornarius medicus phyſicus S. D.

SI vllum aliquod ſtudiorũ genus eſt, conſul grauiſſime, quod æquè omni vtriuſque ſexus ætati, ſummis & infimis, diuitibúſque pariter ac pauperibus, & vtilitatẽ de ſe exhibet, & neceſſariò ab omnibus expetitur, id, eſſe ſtudium conſeruandæ ſanitatis, neminem negare audere arbitror: quum hoc, ſupra communem experientiam, tot in vita vulgata dicta cõfirment: inter quæ etiam illa circunferuntur, Vt ſanitate vita nihil melius habet: &, Nõ eſt viuere, ſed valere, vita. Atque ego admodum adoleſcens in eam ſententiam deueni. nam quum puer domi ſatis negligenter, quod ad victum attinet, educarer, & puer adhuc à patre ad externas ſcholas emitterer, vſque ad adoleſcentiæ fere finem, corpore non adeò firmo fui, ſed quod ex facili afficeretur ob victus iuſti negligẽtiam: imò (vt rectius dicam) partim ignorantiam, partim inopiam. Quod ipſum quum non ita tardè intelligere inciperem, circa annum ætatis decimumoctauum, animũ ad medicinæ (quam & conſeruandæ ſanitatis & amiſſæ recuperandæ, ſiue curandorum morborum artem eſſe audieram) ſtudia adieci, non admodùm probantibus id parentibus ac amicis, qui ſacris literis & pietatis religioni me addicere conabantur. His itaque etiamſi obſecundandum ducerem, tamen magis literarum ac linguarum ſtudio inhærens, per aliquot annos ita progreſſum faciebam, vt ſi omnino ſacris initiandus eſſem, non ita ineptus ad hoc viderer: & medicinam tamen neutiquam negligebam, ſed profeſſores publicos audiebã, non velut artis aſſecla, ſed (vt verum fatear) velut explorator, & prout ætas ferebat, velut arbiter aliquoties his aures præbens. Et quanquam iudicio meo non ita confiderem, vt quid de huius ſeculi medicina ſentirem, publicè proferrem, & eſſet quædam quoque reuerentia publicè docentiũ qualiacunque videlicet didiciſſent, tamen non obſcurè intelligebant illi quibus me aſſociabam, nõ videri mihi ſatis ſanum eſſe hoc tum authorũ tum profeſſorum genus quod tunc ſcholas medicas occuparet. Prælegebatur autem Auicenna, qui princeps totius artis habebatur ac appellabatur: prælegebatur Raſis, & præſertim nonus ipſius ad Almanſorem liber, in quo abſoluta curandorum omnium morborum ratio proponi ferebatur. Allegabantur interim alii ab aliis faciendæ medicinæ, ſiue (vt vocabãt) practicæ ſcriptores recẽtiores, Bertrutius, Gatinaria, Guainerius, Valeſcus, & aliorum innumerabilis turba. Sed inter præcipuos producebatur Arculanus, quẽ alii Herculanũ vocant. At Græcorũ medicorum, velut Megarenſiũ, nulla ratio habebatur, niſi obiter mentio incidiſſet Hippocratis, ac Galeni & Dioſcoridis. Nã reliqui penitus ignorabantur, & nec nati ſciebantur: & illorũ ſcripta nec Græca nec Latina extabãt, niſi ꝙ trãſlationes quædã corruptiſſimæ pariter ac barbariſſimæ ex Galeno, à paucis magni theſauri loco poſſiderẽtur: & æquè vitiati, ac nõ ſatis Latini, Hippocratis exigui mole libelli haberentur, alter Aphoriſmorum, alter Progonſticωn, qui aliquando itidẽ in ſcholis prælegebãtur, vbi magni illi principes vltro his locũ ceſſiſſent. Quòd itaque hoc authorũ ac profeſſorũ medicorũ genus, nec ſanum nec rectũ eſſe iudicarem, ex linguarum ſtudio, quod tum in Germania florere incipiebat, aſſequi mihi videbar. Quum enim omnes relatos authores barbariſſimos eſſe viderẽ, vt nunquã quod dicere aut docere vellent, ſatis intelligendũ exhiberent: & publici profeſſores adhuc illis longè inferiores per omnia audirentur, non dubitabam Græcos medicos optima ſcripta prodidiſſe, & maximè dolendũ eſſe iudicabam, eorum nihil ad nos extare, aut haberi quod ſciri poſſet. Itaque etiamſi toto pectore à ſcholarũ doctoribus abhorrerẽ, & barbaros illos authores auerſarer: tamẽ nomine arti dato, eo progreſſus ſum vt medicinã aliquot, annis exercuerim vltra citráque Oceanũ magnum, apud Liuones, Rutenos, & in illuſtrium principũ Megalopyrgeum ducatu ac aula, vtens quidem barbaris illis magiſtris præuiis, (quid enim aliud facerẽ in meliorũ egeſtate?) ſed ſperans quotidie fore vt aliquando inciderẽ in optimos artis authores, Græcos ſua lingua loquentes. Et hac de cauſa quũ per Belgas ad Anglos, & rurſus ab his per Gallias peregrinatus, Italiã petere conſtituiſſem, vbi Baſileam perueni, commodùm reperi illos penitus interiiſſe creditos medicos Græcos, Hippocratem, Galenũ, Paulũ AEginetam, Dioſcoridẽ, ex Aldina Venetiis officina excuſos, & ad Iohannem Frobeniũ, qui paulo antea è viuis exceſſerat, perlatos, ita vt hi in officina Frobeniana (cuius tum Hieronymus Frobenius ſucceſſor & hæres erat) eo modo eſſent vt doctis ac ſtudioſis nõ ſolùm legendi illos, ſed etiam vtendi larga facultas exhiberetur. Atque ego quidem ſi mox Baſileæ reperiſſem qui longa peregrinatione exhauſtos loculos mihi largo auro repleuiſſet, & veſtitũ aliámque ſupellectilem partim detritam, partim diuenditam, ac velut viæ onus relictam, luculenter ſuppeditaſſet, (ſicut ſanè reperi paulo pòſt illic qui ob medicinam vtrunque offerrent ac exhiberent) tamen tam magno gaudio neutrũ admiſiſſem, quanto me affecit optimus vir Hieronymus Frobenius, qui vbi me ignotũ ſibi penitus, familiariter excepiſſet, & in amicitiam recepiſſet, de Græcis illis authoribus apud ſe extantibus edocuit, & ipſos paulo pòſt vtendos dedit. Horũ itaque vſus Italiæ viſendæ deſiderium plurimum mihi mitigauit, & me per integrum annũ Baſileæ

retinuit,qui erat à Septembri anni viceſimioctaui, vſque ad Septembrē anni viceſiminoni,ſuprà Chriſti nati maioris numeri annos mille quingētos. Quo tempore quū Eraſmus Roterodamus in ea vrbe viueret,(etiamſi ob tumultuantem rempub.poſtea inde Friburgū Briſgoæ ſe cōferret) multi quotidie docti homines ac ſtudioſi adoleſcentes,ex Italia & Gallia,aliiſque regionibus ad illum & videndū & ſalutandū affluebant. quos etiam vt mihi familiares facerem,ex illius & aliorum doctorum hominum Baſilienſiū ciuium familiaritate contingebat.Inter hos autem non poſtremus I.Heruagius fuit,qui defuncto Frobenio, & in toro matrimoniali & in officina ſucceſſit, & poſtea multos bonos authores,& nunc Paulū hunc typis excudit.Ex illo porro tēpore reprobatis ac reiectis medicis illis barbaris,quos per totos nouē annos ſequutus eram,totum me ad Græcam medicinam cōtuli, Græciſque medicis me totum addixi, quos & ſequor, & ad quorū imitationem medicinam exerceo: & iam per vigintiſex annos Germaniæ noſtræ perſuadere perſeuero,hos eſſe veros medicos & rectos artis medicæ authores, ipſorum maximè lingua legendos ac ſequendos. Et vt non eſſet quod quererentur aliqui vel de Græcæ linguæ ignorantia, aut horum authorum difficultate,conatus ſum Græcos illos medicos facere Latinos,non obſcura & perplexa, ſed lucida & explicata vſus illorum in Latinam linguam tranſlatione. Extat itaque Hippocrates noſter Latinus,magnæ doctrinæ,ingentis vtilitatis,immēſæ difficultatis opus,ſupra duo millia annorum ab omnibus in Latina lingua deſideratū, & à nullo vnquam feliciter ante nos tentatum.Extat Galenus totus magna ex parte per nos Latinè loquens,& reliquis aliorum trāſlationibus noſtra opera caſtigatis.Extat Aëtius,qui totam medicinam ſedecim libris includere conatus eſt. Prodibit breui noua noſtra Dioſcoridis tranſlatio, noſtris itidem emblematis illuſtrata. Nunc verò damus Paulum AEginetam, qui idem quod Aëtius, ſeptem libris efficere ſtudio habuit.Et ad hunc acceſſerunt noſtri dolabellarum libri ſeptem, quibus difficiles & obſcuros ac aſperos eorum librorum locos explicamus,illuſtramus ac dedolamus:non ad hunc alioqui authorem ſolum intelligendum conferentes,ſed etiam ad multos alios Græcorum medicorum locos: quemadmodum etiam antea commentarios medicos in Galeni quidem libros κτ' τόπους conſcripſimus,ſed quos ad omnem veterem Græcam & Latinam medicinam rectius intelligendam vtiliſſimos eſſe iudicamus. Hæc ad te Michael Meienburge publica hac præfatione recenſere viſum fuit,non in aliquam gloriationis ſpeciem,ſed vt ſtudiorum meorum ratio omnibus conſtaret,& quòd nihil opis aut operæ omiſerim vt recti ac veri veteres medici in lucem reuocarentur, barbara ac corrupta medicina exularet:& in ſumma vt(quantum in me eſſet) rebus mortalium iuuandis,ſanitati conſeruandæ,morbis depellendis, amplus ac ſpatioſus campus aperiretur, qui ſanè in relatis authoribus verſari volentibus, vndiquaque amœniſſimus comperietur. At verò quid his præſtandis effecerimus,nulli iactamus. Per omnem fere Europam diſperſis his authoribus, nuſquam deſunt qui optimam veterem medicinam expaſſis vlnis excipiant,& omni ſtudio proſequantur: ſed obſurduerunt tamen magna ex parte publicæ ſcholæ, nec ſana conſilia admittunt, ſed antiquam ſuam cantilenam canunt, & cum Gryllo grunnire & in luto ſe volutare malunt quàm priſtina forma exuta, homines puritati ac recti amantes conſpici. Sunt rurſus alii qui Græcos medicinæ authores & ipſi recipiunt,& recipiendos cenſent, & vt recipiantur,etiam ſuam operam ſtrenuè nauant:ſed Arabum medicorū iugum, velut ad quod aſſueuerunt (vt ego quidē arbitror)excutere non audēt.Quibus ſanè precor vt inæquali illo partim Græco,partim Arabico iugo ſe minus grauari ſentiant: verùm iis qui nos ſequi volent, ſatis erit Græci iugi onere premi, aut potius ſuauitatem eius experiri, & ſub optimis artis magiſtris eò eniti vt exhauſti laboris iucundiſſimi fructus ipſis contingant,qui ſunt ſanitatis tutela,& morborum medela.Hos enim fructus longè iucundiſſimos proferunt nobis Græci illi medici ſcriptores,vt apud nullos alios quærere,nec aliunde deſiderare ſit opus. Et alioqui præſtabilius eſt de fontibus haurire quàm de riuis, etiamſi inde deriuentur.Ad horum medicorum præſcriptum reformata velim pharmacopolia Europea, & quoquouerſum ſe latiſſimè Romanum imperium extendit. Nam quod de bello dicitur,Multa ſunt in bello inania,id multoverius de noſtri ſeculi officinis medicamētariis dici meretur, Multa ſunt in pharmacopoliis inania. Et vt nihil dicam de iis ſiue ſimplicibus ſiue compoſitis medicamentis quæ tempore exoleuerunt,& præ ætate vires ſuas amiſerunt,neque de iis quæ falſa pro veris agnita vſurpantur, neque de iis quæ quum vera ſint & rectè ſe habeant, aut non rite parantur,aut non prout debent in vſum veniunt: tot ſyruporum ac iuleporum barbaris nominibus appellatorum inutilis oneroſáque turba, tot aquarum,per fornacis vim de ſimplicibus medicamentis extortarum,rudis indigeſtáque moles pharmacopolia tenet, quæ non alio quàm calonū ac lixarū impedimētorúmque bellicorū loco haberi meretur:quū Hippocrati ptiſſana, cū familiaribus naturæ humanæ potionibus,vino,aqua,aqua mulſa,aceto mulſo,ſuffecerit,velut iuſtus exercitus, ad omnes morbos acutos expugnandos. Ad Hippocraticum itaque præſcriptum, velut ad Polycleti regulam, reformanda omnia illa ac vſurpanda eſſent, neque vlterius progrediendum quàm in quantum Galenus & reliqui,quos dixi,Græci medici nobis præuios ſe exhibuiſſent.Neque enim dubium alicui eſſe debet,Græcos medicos Hippocratis verbis perſuaſos,vt modum non ita nimium excederent,ſe continuiſſe, & contrà, Arabas ac Mauros iiſdē ver-

bis inductos,latius euagatos eſſe, & tot variarum potionum & aquarum deſtillatarum formas excogitaſſe ac inuexiſſe. Verba Hippocratis ex libro de ratione victus in morbis acutis, poſtquā de ſuprà relatis docuit,hæc ſunt,Cæterùm de reliquis potibus,qualis eſt hordeacea aqua,& qui ex herbis fiunt,& qui ex vua paſſa,& vuarum expreſſarum retrimentis,& ex tritico & cnico, & myrti baccis,& malo Punico,&de aliis,vbi alicuius ipſorum vſus contigerit,ſcribetur circa ipſum morbum,quemadmodum etiam de aliis compoſitis medicamentis. Atque hæc non ſub præcipientis (neque enim tantum mihi ſumo) ſed ſub monentis perſona , à me dicta accipi volo : vt ii qui memoratis pharmacis vti volent, diligenter expendant quos ſequantur, & quibus in morbis & in quibus corporibus ac temporibus ea propinent , & cautiſſimè circa multiplicem eorum vſum ſe gerant. At verò ſicut in pharmacopoliis multa ſunt inania,ita magna fiducia quidam noſtra ætate per annos iam plus minus quinquaginta,ad vnius medicamenti vſum ſe contulerunt: & primùm quidem aduerſus vnum quendam, variarum tamen ſpecierum morbum, nouum creditum, & Gallicum appellatum, quem ego vetere eſſe,& λειχήνων nomine Græcis venire,& apud Plinium & apud Galenum mentagram appellari non dubito:poſtea verò in communi aduerſus omnes , ita tamen vt alii aliorum purgantium & digerentium ac vires corroborantium medicamentorum vſum,ad vnius illius primùm per ſe vſurpati, ligni Guaiaci appellati, & ebeni generis non malè iudicati , vſurpationem adiungerent. Atque ego ſanè omnes qui hoc medicationis ductu vſi ſunt medicos noui plures ex ægrotis ἄϊδι προϊάψαι quàm curaſſe ad integram ſanitatem reſtitutos,ſiue hoc morbi malignitati, ſiue ægrotorum fato, ſiue medicorum imprudentiæ adſcribi debet.nihil enim definio:ſed vt hinc nouorum & incognitorum medicamentorum(niſi quatenus felix iterum atque iterum facta experientia docuit) vſus periculum cognoſcatur,in medium adduco.Item profectò nouitatis ſtudium nuper adeò etiam radicis Chinæ vſum inuexit : radicis quidem nec admodum nobilis, nec ſatis cognitæ, ſed cui tamen aliqui non paruum quid amplius tribuūt in omnibus morbis curandis quàm ipſi ligno Guaiaco. Sed quem in talibus exoticis inuehendis ſperabimus finem,ſi ita procedet nouarum rerum experiendarum libido? quæ recens etiam ſpartam parillam ex India apportauit, cuius ſtirpis item vt ſuperiorum decoctum,omnia morborum genera,& in primis Gallicum,ſanare creditur.Ego certè vt nihil temere affirmandum,neque quicquam leuiter contemnendum puto,iuxta id quod Hippocrates dixit,μηδὲν εἰκῆ,μηδὲν ὑπερορᾶν : ita illud quod idem circa morbos exercere iubet , cautiſſimè obſeruandum duco.ἀσκεῖν, inquit , περὶ τὰ νουσήματα δύο,ὠφελέειν,ἢ μὴ βλάπτειν : maximè quum compertum ſit,quædam etiam præſenti ſua commoditate,longum in poſterum ac grauius malū inducere. Proinde Græcos medicos,velut optimos & cautiſſimos magiſtros, & maximè admiror , & libentiſſimè (dicam etiam feliciſſimè)ſequor,& aliis ſequendos eſſe iudico.Et hac de cauſa poſt illos ſuprà relatos,etiam Paulum AEginetam ad Latinos trāſcribendum ac publicandum duxi , velut veræ ac ſanæ medicinæ certiſſimum exemplum.Hunc autem authorem peculiariter tibi,compater chariſſime,dicare volui, tum ob præceptionum in ipſo breuitatem, tum ob totius operis non oneroſam adeò molem, vt tibi familiaris & in multo vſu eſſe poſſit : id quod neutiquā in iſtis maximè occupationibus tibi negligēdum eſſe noſti,ex Hippocrate edoctus,qui dicit, Virum prudentem,ratione apud ſe inita,quòd maximi pretii res eſt hominibus ſanitas, noſſe cōuenit quomodo ex ſua ipſius intelligētia in morbis vtilitatem capiat. Noſſe autem conuenit ea quæ à medicis & dicuntur,& adhibentur corpori ſuo , eáque diiudicare poſſe. Et quanquam mox in eodem loco,libri περὶ παθῶν principio,ſubiiciat,Atque hæc ſingula hactenus noſſe ſatis eſt,quatenus idiotæ contingere poteſt : tamen tibi in literis, ſapientiæ ac eloquentiæ ſtudio tantam claritudinem adepto , non hactenus noſſe,ſatis eſſe debet aut poteſt , ſed pro eo amore quo recta & hæc noſtra ſtudia colis, longè altius ad ſanitatis tuæ curam te immittes. Sed ſtultum ſit me præſcribere modum ei qui iam multis annis à prima adoleſcentia , in maximis rebus ad conſilium adhibitus ſit , vt in te ac prudentia tua plurimum ſitum eſſe omnibus conſtet, quò patriis regionibus pax, religioni concordia,& Germaniæ tranquillitas contingat.Hoc itaque vt(felicem ſucceſſum Deo Optimo Maximo largiente)efficias, vel ego maximè omnibus votis expecto. Nihil enim libentius in hac ingraueſcente ætate videā quàm vt virtuti & rectis ſtudiis ſuus honor,pietati ac religioni ſuus cultus reſtituatur:bonis rectè factorum præmia,improbis contraria cōtingant. Ad quas res omnes his turbulentiſſimis tēporibus miſerrimè afflictas ac interciſas,aliquando (&,vt ſperamus,breui) reparandas,tu plurimum cōferre poſſe & collaturus eſſe crederis. Neque enim ſine his duabus rebus,præmio videlicet & pœna,reſpublica in integro ſtatu cōtineri poteſt. Et ſicut Plato dixit extremū iniuſtitiæ terminum eſſe ſi,qui iuſtus non ſit, pro iuſto habeatur:ita extremus impietatis & malitiæ terminus eſt haberi aliquem pium & bonum,qui talis non ſit. Quod verò ad me attinet, vt non dubito quin hoc meū officium tibi hunc meum laborem inſcribendi ac dicandi,gratum tibi ſit futurum , ita mihi ſatis eſt ſi viciſſim intellexero, memoriam nominis noſtri eſſe apud te integram , cui vt à prima noſtra mutua cognitione ſemper,ſic nunc ita turbatis rebus vel maximè,rectè probari cupio. Vale.Zuiccauii,Calend.April. M. D. L V.

PAVLI AEGINETAE IN SVVM OPVS

PRAEFATIO.

NON ſanè quòd à veteribus quid circa artis tractationem prætermiſſum ſit, ad huius operis compoſitionem perueni, ſed compendiariæ doctrinæ gratia. Vice verſa enim ab illis quidem rectè ac citra defectum omnia elaborata ſunt: recẽtiores verò, ſupra hoc quòd neque omnino ipſos attingere ſtudent, etiam garrulitatem ipſorum damnant. Qua de cauſa ad hoc opus adornandum progreſſus ſum, quòd iis qui ipſum, velut par eſt, habere volent, commentarii ac monumenti vſum exhibebit, mihi verò exercitationis loco fuerit. Abſurdum enim eſt, rhetoras compendiariis iudicialibus libellis ad profectionem paratis vti, in quibus vniuerſarum legum ſummæ continentur ad vſum expoſitæ: nos verò tales negligere, & quidem quum illi non ad modicum ſolùm, ſed longum etiam tempus, conſiderationem differre poſſint, nos autem nunquam, aut valde rarò, eiuſmodi facultatem habeamus. nam neceſſitas in quibuſdam morbis ſæpenumero ſolicitudinem requirit neutiquam differendam. Quapropter rectè Hippocrates temporis occaſionem præcipitem pronuntiauit. Illos equidem in ſolis fere vrbibus negotiorum vſus vrget, in quibus etiam librorum luculenta adeſt copia: at medicis non ſolùm in vrbibus aut agris, aut deſertis quibuſdam regionibus, ſed etiam in mari ſæpe, in ipſis nauibus, repentina morborum neceſſitas ingruit, in quibus dilatio mortem aut omnino periculum extremum inducit. Cæterùm omnem medendi methodum, aut omnem particularem materiam memoria tenere difficillimũ eſt, aut etiam omnino impoſſibile. Quare hoc compendium ex veteribus collectum confeci. neque enim meas fœturas in ipſo propoſui, paucis quibuſdam exceptis, quæ inter artis opera & vidi & experientia cognoui. Verùm in pluribus præclaris verſatus, & maximè in Oribaſio, (qui & ipſe totum librum in quo omnem tuendæ ſanitatis rationem tradidit, inſtar florum aliunde decerpſit. nam poſt Galenum & adhuc iuniores fuit) optima ex his delegi, nullo (quantũ eius fieri potuit) morbo prætermiſſo. Etenim Oribaſii opus illud in ſeptuaginta libros diſtinctum, omnem artis doctrinam in ſe continet. At non facilè parabile eſt tantæ molis opus, ad multos adeò verſus extentum. Epitome verò compendio omnia huius tractans, ad filium Euſtathiũ ſcripta, multos morbos penitus non habet, & reliquorũ tractationẽ imperfectā cõtinet, ita vt iam cauſæ, iā cognitionis ſigna, quandoque etiam ſufficiens curatio deſit, itémque alia quæ mentionẽ ſui fieri poſtulant. At verò præſens noſtrum ſcriptum, & ſigna, & cauſas, & curationes omnium morborum ſimilarium, inſtrumẽtalium, & eorum qui in vnionis ſolutione conſiderantur, comprehendit, non modò ſummatim, ſed etiam diffuſè, prout res ipſa exigit. Et ante horum aggreſſionem, totam tuendæ ſanitatis ex victu rationem expoſuimus. Poſtremum verò librum de medicamentis tum ſimplicibus tum compoſitis conſcripſimus.

QVÆ IN VII. TOTIVS OPERIS LIBRIS CONTINEANTVR.

IN primo omnem tuendæ ſanitatis comperies doctrinam, & affectionum ætatibus, temporibus, temperamentis, & quibuſdam aliis peculiarium præſeruationem ac correctionem, & alimentorum omnium vires ac vſus per capita expoſitos.

In ſecundo febrium omnium doctrina habetur, præmiſſis iis quæ ad ipſam conferunt, nempe ex recrementis, & diebus iudicatoriis, & aliis ſignis, ſubiectis item ſymptomatis ad febres conſequentibus.

In tertio de affectionibus in locis conſiſtentibus tractatur, initio à ſummo capite facto, ita vt ad ſummos pedes, vſque ad ipſos vngues deueniamus.

In quarto de affectibus extrinſecus corpus impetentibus, & velut in propatulo conſiſtentibus, agitur, non quidem in certis ſed in pluribus partibus: in quo etiam de lumbricis & dracunculis dicitur.

In quinto de venenum iaculantium plagis ac morſibus tractatur: in quo etiam de morſis à cane rabido, & aquæ formidinis affectu agitur. Item de morſis à cane non rabiente, & de morſis ab homine. Ibidem quoque de venenis, & auxiliaribus aduerſus ea medicamentis habetur.

In ſexto omnia ad chirurgiam pertinentia recẽſentur, tum circa carnem, (vbi & de telorum extractione agitur) tum circa oſſa: in quibus etiam de fracturis & luxatis ſermo habetur.

In ſeptimo omnium medicamentorum vires continentur, primùm quidem ſimplicium, deinde verò compoſitorum, & præſertim eorum quorum in aliorum ſex librorum decurſu mentionem fecimus, maximè maiorum & compoſitionis appellationem adeptorum. Neque enim placuit nobis in illis ſparſim omnes compoſitiones collocare, quò & doctrina minus perturbata eſſet, & vt quis vnam aliquam quærens, aut etiam plures ex nobilibus cõpoſitionibus, facilè reperiat. Ad finem verò quædam ad componenda medicamenta conducentia, & ſuccedaneæ inter ſe ſpecies referuntur, ita vt totus liber in doctrinam de ponderibus ac menſuris abſoluatur. Primum igitur librũ iam exordiemur.

Iano Cornario medico phyſico interprete.

DE IIS QVAE ACCIDVNT PRAEGNANtibus,& quo victu vti debeant, Cap. I.

QVandoquidem ex iis quæ prægnãtibus accidunt,hæc maximè ipſas diuexãt, humorum crudorũ redundantia, aſſiduus vomitus,ſputatio, oris vẽtriculi morſus, & ciborum faſtidium,commodum ſanè fuerit ipſis conſilia præſcribere.Conueniunt itaque deambulationes, cibi non valde dulces, & vina fulua, odorata, quinquennia, & potus moderatus. Hæc enim omnia humorum crudorum redundantiæ & vomitus remedia ſunt. At medicamẽti loco,polygonum herbam aqua coctam bibant, & anethũ ſimiliter, & Ponticam radicem, quæ vernacula lingua rha vocatur. Hæc & poſt & ante cibum ſumant. Foris autem œnanthen, & balauſtium,& mali Punici florẽ,& ſmyrnii comam, & fœniculi ſemen,aut omnia hæc ſimul, aut prout miſcere volueris,cum palmulis & vino veteri, præcordio cataplaſmatis vice impones.Cæterùm oris ventriculi morſus alleuandi ſunt aquæ calidæ potu,& placida deãbulatione, & præcordio molli lana intecto.Cibum verò auerſantes, ad variorum eduliorum & ad voluptatem paratorum, itémque amyli ſucci eſum,inhortari oportet. Hoc autem potius iis obtuleris quæ terram edere cupiũt, velut in pica appellata affectione contingere ſolet,quæ circa tertiũ maximè fit imprægnationis menſem: eo quòd fœtus tũ non poſſit totum id quod pro alimenti ratione ad vterũ affertur cõſumere,nimirum imbecillior, ita vt ex hoc ipſo variæ in ſtomacho ſuperfluitates redundent.Vnde etiam varia & abſurda appetunt,velut carbones extinctos, & cimoliam terram, & alia multa. Hac enim de cauſa etiam appellationem hanc affectio ipſa adepta eſt, ob picæ animalis varietatem, aut quòd etiam illa ſæpe hac affectione corripitur. Commodant autem & labores, & longiores peregrinationes. Verùm quæ delicatè vitã degere conſueuit, ea,vbi prægnãs eſt, repentinas motiones nõ bene tolerat.Quin & acria aliquãdo guſtare,& maximè ſinapi,commodum eſt cibum auerſanti. At verò ad pedum tumores præcipuum eſt anthyllidem aceto maceratam alligare,& braſſicæ folia in latum ſuperponere: & terram cimoliam cum aceto illinire,& alumen ſimiliter cum aceto.Bonum eſt etiam malorum Medicorum (quæ & citria appellantur) decocto ex aqua pedes lauare.

DE NVTRICE, Cap. II.

DEligenda eſt nutrix nullum morbum habens, neque anicula valde,neque iuuẽcula.Sit autẽ natu minima, annorum vigintiquinque: natu maxima, trigintaquinque.Et habeat pectus magnũ, & mãmas magnas,& papillas neque cõniuẽtes, neque auerſas.Reliquũ autẽ corpus neque pingue ſit valde, neque nimis tenue. Magnũ verò cõmodũ fuerit infanti ſi nutrix nõ ita multo antè pepererit,& præſertim maſculũ.Vitare porro debet nutrix valde ſiccantia,&ſalſa,& acria,& acerba,& acida, & amara vehemẽter calefaciẽtia,& valde graueolẽtia:itémque inſigniter iucũdos odores, & cõdimenta,& alia acria.Abſtineat etiam nutrix à venere: & laboret per manus & humeros, & molam verſet,& texat.Et puerum vlnis geſtans circunferat,qui tamen iam ſit trimeſtris aut quadrimeſtris.

DE LACTE NVTRICIS, Cap. III.

LAc optimum eſt quod moderatum eſt craſſitudine, copia, colore,odore,ſapore.Commodum eſt etiam id quod pollicis vngui inſtillatum, dum ad lucem conſideratur, inflectendo vnguem, neque citò neque tardè defluit. Præſtat etiam ſic lac probare: Infundatur lac in vas vitreum,& coaguli moderata copia immittatur,ac digitis cõteratur:atque ita donec coaguletur dimittatur.ac deinde cõſideretur an caſei minus in ipſo ſit quàm ſeri.Tale enim lac inutile eſt: contrarium verò,concoctu difficile. Optimum verò eſt id quod vtraque habet moderata.

QVOMODO VITIOSVM LAC CORRIgatur, Cap. IIII.

LActis vitia hoc modo corrigere oportet. Si quidem craſſius fuerit,vomitu pituita extrahẽda eſt: optimus autem eſt ab aceto mulſo.ſed & laboribus ante cibos attenuare oportet. Commoda ſanè hîc ſunt & origanum, & hyſſopum,& ſatureia,& ſcandix, & thymus, & raphani modicum,& ſalſamentum vetus,cum aceto mulſo.Si verò acrius fuerit ac tenuius lac,à multis laboribus nutricẽ leuare oportet, & ſorbitionibus ac carnibus porcinis nutrire: & ſapam bibẽdã dare,ac vinum dulce.At ſi lac imminuatur, ſorbitiones exhibẽdæ ſunt, ac largior victus, & vinum dulce dandum,& pectus ac mammæ confricãdæ.His verò etiam cucurbita medicinalis affixa commoda exiſtit. Cæterùm quòd medicamẽta ad lactis generationem efficacia ſint noui,non tamen aſſiduum ipſorum vſum probo. violentius enim colliquant.Sunt autem, fœniculi radix & ſemen in ptiſſana cocta: & cytiſi folia in vino nigro,aut ptiſſana:& melanthiũ in paſſo, & anethũ, & paſtinacæ radix ac ſemen. Oportet autem calida aqua prius rigata,ita exhibere. Omne verò vitioſum lac, ſiue craſſum fuerit,ſiue acre,& graueolens,vbi nutrix prius id emulſerit, ita puerum admoueat:neque vnquam acre ieiuno exhibeat. verùm graueolentias & vinum odoratum & cibus iucundus corrigere poterit.De lacte verò in caſeum coagulato, in tractatione de mammis libro tertio dicetur.

EDVCATIO PVERI, Cap. V.

PRimum alimentum recens nato infanti mel exhibere oportet: poſtea verò lac præbere bis in die,aut ad ſummũ ter.Quum autẽ & ipſe prõptus fuerit ad accipiẽdum,& ſpem exhibuerit concoctionis, tunc iam etiam cibus dandus eſt qui non repleat.Si verò nobis non animaduertentibus repleti fuerint,ſomnolẽtiores ſtatim & ſegniores fiũt,& tumor in vẽtre adeſt & flatus, & vrinæ ſunt aquoſiores.Ex quibus ſignis repletione deprehẽſa, nutrix nihil exhibere debet, donec fuerit conſumpta. Sufficit autem bienniũ lacte nutrire. Deinde ad cibos tranſgredi.

DE PVSTVLIS PVERO ERVMpentibus, Cap. VI.

QVæ circa cutem puero erumpunt,primùm quidem patienter ferre oportet: vbi verò probè omnino eruperint, tunc iam curare,ita vt ad lauacra nutrix immittat myrtum,aut lentiſcum aut roſas: deinde roſaceo aut lentiſcino vtatur,& cerato cum ceruſa.Sed & nitro mollius extergat.nam fortiora non feret. Optimum eſt etiã nutricem dulciore victus modo vti. Optimum item eſt & puerum ita nutriri vt neque ipſum nimis impleat, neque rurſus valde famem ferre ſinat.Quòd ſi aluus puero ſupprimatur,mel ad cibũ affuſum ſimul coquito:ſi verò neque ſic obediat,terebinthinã ad ciceris magnitudinẽ adiicito.At ſi liquidior fuerit aluus,milium maximè offerendum eſt.

DE TVSSI ET GRAVEDINE PVERI, Cap. VII.

SI quando tuſſis aut grauedo puerum vexet, mellis illitiones adhibeantur. Oportet itaque ipſam,vbi multa calida aqua lauit,caput quoque multo melle illinere:deinde linguã leniter digito comprimere. multam enim pituitam vomet.

DE PRVRITV, Cap. VIII.

SIquis pruritus puerum infeſtarit, fomento vtendum eſt & vnctione larga ex oleo cocto, modica cera in ipſo eliquata.

DE DENTITIONE, Cap. IX.

DEntiunt quidem pueri circa ſeptimũ menſem: contingunt autem tunc inflammationes gingiuarum, maxillarum & tendinum, & aliquando conuulſiones. tunc igitur nihil puero exhibendum eſt quod manſu opus habeat. Digito verò gingiuæ aſſiduè in lauacro cõtrectẽtur, ac molliantur adipe gallinaceo, aut cerebro leporino. Prominentibus autem iam dentibus, delicatarũ mollium lanarum circuniectu vtendum eſt, ad collum, caput & maxillas, ita vt eædem ex oleo dulci calido irrigentur, & oleum quoque auditoriis meatibus inſtilletur. Tunc verò etiam victus luculentior puero dandus eſt, idémque calida lauandus. Et ſi quidem alui profluuiũ habuerit, conãdum eſt vt venter epithematis impoſitis adſtringatur quæ maximè ſiſtũt: cumino lanæ inſperſo, aut aniſo, aut apio. Bonum eſt & roſarum ſemen admiſcere, & in ſumma, calidè reſiccare. Si verò nihil deorſum ſubeat, melle in glandulam efformato aluus leniter irritetur: aut calamintha trita cum melle illinatur. At verò conuulſionibus puerorũ maximè auxiliari videtur heliotropiũ, ſi in aqua coquatur, & puer in hac lauetur. Prodeſt etiam irino, aut Cyprino, aut Sicyonio oleo vti, & in ſumma, calefacere. Quando verò emergentibus dentibus & digitos mordet & vulnerat, bonũ fuerit iridis radicẽ raſam & nõ valde ſiccã ore continere. Hoc etiã vlceribus auxiliatur. Prodeſt & butyrũ cum melle illitum. Gingiuarum autẽ pruritus ſalſamenti veteris caro ſedat.

DE APHTHA VLCERE, Cap. X.

FIt & vlcus puero quod aphtha appellatur, modò ſubalbidum, modò ſubrubrum, quandoque nigrum, veluti cruſta, quod peſſimũ eſt, & maximè lethale. Auxiliatur autem iris cum melle, & ſi ſiccã inflare velis. Item roſarum folia tuſa, & flos roſarum, & crocus, & myrrhæ parum, & galla, & thus, & thuris cortex, & ſimul ſingulatimque melle excepta. Poſt hæc aqua mulſa, & mali Punici dulcis ſuccus.

AD FEMORVM INTERTRIGINES, Cap. XI.

FEmorũ intertrigines myrto arida, & roſis, & cypero inſpergito.

AD AVRIVM HVMIDITATES, Cap. XII.

AVrium humiditates ſiccat lana alumine imbuta indita: aut vinum mulſum, aut vinum vetus inſtillatũ, aut crocus cum vino tritus.

DE SIRIASI, Cap. XIII.

SIriaſis eſt inflammatio partium circa cerebrum & mẽbranas ipſius. Conſequitur ad hanc ſincipitis cauitas, itémque oculorum, cũ pauore ac ſiccitate corporis. Auxiliatur autem ipſis luteum oui cum roſaceo impoſitum ſincipiti ad modũ lanæ cõuolutæ, ita vt frequẽter alteretur. ALIVD ad ſiriaſes. Folia heliotropii ſcorpiuri appellati, ſincipiti impoſito. Item cucurbitæ ramenta, & cucumeris peponis pelliculam quæ eius carnem ambit. aut ſolani hortenſis ſuccum cum roſaceo.

VICTVS INFANTIVM ET RELIQVArum ætatum, vſque ad inclinatam, Cap. XIIII.

INfantes & à lacte amotos, in remiſſione ac hilaritate ſinere oportet: exercitia verò & alimenta leuiter exhibere. A ſexto autẽ & ſeptimo anno, & pueros & puellas literatoribus lenibus ac humanis tradere oportet. hi enim cum remiſſione ac gaudio docent. at animi remiſſio ad bonam corporis nutritionem multum confert. Duodecimum annum egreſſos pueros, ad grammaticos iam ire ac geometras, & corpus exercere neceſſe eſt. Verùm à decimoquarto vſque ad tres annorum ſeptenarios, cõuenit exercitiũ in diſciplinis, & in philoſophicis doctrinis inſtructio. Sed & exercitationes plures aſſumere conuenit, propter corporis robur: quo & anima & corpore laborantes, ab impetu in venerem impediantur. In his etiam vinum contrahendum eſt. Cæterùm in vigore ætatis, victus perfectus & animæ & corporis cõuenit. quapropter exercitiis omnibus vtendum eſt, maximè iis quibus quiſque aſſuetus eſt, & alimentis ſufficientibus ac probè alentibus. At in declinante ætate, victus & animæ & corporis remiſſus congruit. Nam & exercitia A qualiacunque fuerint, pro horũ ratione ſubtrahẽda ſunt, & alimenta ſenſim contrahenda, quum habitus ipſorum frigiditatis principium accipiat.

DE FRICTIONE PRAEPARATORIA, Cap. XV.

ANte exercitia corpus moderatè calefacere oportet frictione per lintea facta. Deinde per oleum fricãdum eſt nudis manibus, donec probè caluerit & mollitum fuerit corpus, & florido rubore rubuerit, & ad tumorem perductum fuerit.

B

DE EXERCITIIS, Cap. XVI.

EXercitium eſt motus vehemẽs: vehementiæ terminus eſt, reſpirationis mutatio ad denſitudinem. Exercitia verò præparant partes inſtrumentales, vt ne facilè offendi poſſint, & robuſtas ad actiones efficiunt. Faciũt etiam alimenti attractionem fortiorem, & alterationem promptiorem, & nutritionem meliorẽ, propter exorientem caliditatem. Expurgãt quoque meatus, & ſuperfluitates euacuant, propter fortem ſpiritus motum. Quãdoquidem igitur diſtributioni alimenti opitulãtur, non oportet C crudorum ac incoctorum neque ciborum neque humorum copiam, aut in ventre aut in venis contineri. Periculũ enim eſt ne ad omnes corporis partes attrahãtur priuſquam concocti commodi fiant. Clarũ itaque eſt etiam ante cibos exercitia aſſumi debere. Verùm notæ opportuni exercitis temporis ex vrinarũ colore colliguntur. Nam quæ aquoſa eſt, incoctum adhuc ſignificat diſtributum ex ventre humorem: fulua verò & biliosa, iamdiu concoctum eſſe: moderatè autem pallida, recens factæ concoctionis ſignum eſt. Tunc igitur ad exer D citia ducere oportet, & veſicæ & vẽtris recremẽtis prius deiectis.

DE EXERCITIORVM SPECIEBVS, Cap. XVII.

OMnibus exercitiis commune hoc eſt quòd caliditatis augmentũ animantibus ex ſeipſis efficiunt: proprium verò in ſingulis ſpeciebus ineſt. Etenim validum exercitium, hoc eſt violentum, muſculos ac neruos ad robur præparat. Talia autẽ ſunt, fodere, & maximo onere ſublato, aut in eodem loco manere, aut paululum pro- E gredi, ac velut deambulare. Huius generis ſunt, & per funem manibus ac pedibus nitendo aſcendere, & plurima alia huiuſmodi. At verò velocia, ſine robore ac violentia ſunt: talia ſunt, curſus, & vmbratilis pugna, & ſummis manibus decertatio, & per follem, & per magnã ac paruã pilã exercitiũ. Cõpoſitũ autem fit ex valido ac veloci. nã quæ exercitia valida ſunt, iis velut vehementibus vti quis poterit, ſi veloces motus addat. Præterea exercitia alia lumbos magis quàm manus aut crura exercent: alia ſpinam, aut thoracem ſolum, aut pulmonem. Exerce F ri autem oportet quandiu ad tumorem corpus attollitur, & floridũ exiſtit: & quandiu motus prompti & æquales ac concinni fiunt. In hoc autem & ſudorem calidum videbis vapore admixto. Tunc verò primùm deſinere oportet vbi vnũ ex relatis fuerit alteratũ, veluti, verbi cauſa, ſi corporis tumor cõtrahi videatur, ſtatim quieſcẽdũ eſt: ſimiliter ſi coloris floriditas marceſcat, ceſſandum eſt. Quin & ſi motus omnino remittere videantur, ſtatim ceſſandum eſt: & ſi circa ſudorem mutatio aliqua fiat aut in copia, aut in qualitate. Si enim minor aut fri- G gidior fiat, ceſſare oportet, oleóque circunfuſo de cætero recurare: deinde recuratoria frictione vti, velut pædotribæ facere ſolent.

DE FRICTIONVM SPECIEBVS, Cap. XVIII.

FRictio dura, denſare, mollis ſoluere poteſt. Quare corpora vltra modum exoluta, duriter fricãda ſunt, adſtricta verò, molliter. Si verò moderato corpore quis præditus ſit, clarũ eſt quòd neque molliter, neq; durè fricandus is ſit, ſed, quantũ eius fieri poteſt, exceſſibus vtriſque vitatis. Etenim multa & dura frictio, corporis tumorem H deprimit: modica autem & mollis, vice verſa in tumorẽ eleuat. At verò tres differentiæ frictionum ſecundum quantitatem, tribus differentiis ſecundũ qualitatem cõplicatæ, coniugationes nouem efficiunt, velut ſubiectum eſt. nam vna ſecundum quantitatem, multa videlicet, tri

bus ſecundum qualitatem complicata, duræ dico & molli & moderatæ in duritia, tres differentias facit: & rurſus modica, iiſdem tribus complicata, alias tres. Moderata A verò in quantitate, iiſdem tribus complicata, alias tres: velut ſubiecta tabula oſtendit.

QVANTITAS.		QVALITAS.
Multa Multa Multa	&	Dura Mollis Moderata
Modica Modica Modica	&	Dura Mollis Moderata
Moderata Moderata Moderata	&	Dura Mollis Moderata

DE VOCIS EXERCITIO, Cap. XIX.

INter vocis exercitia, iucunda ac concinna modulatio nihil ad ſanitatem conducit: verùm grauiorum vocum ſonus vtilis eſt. quare in hoc ſe exercere oportet. Sic enim plurimus aer in reſpiratione in corpus tractus & thoracem & ventrem diducit, & meatus totius corporis dilatat ac diſparat. Quapropter in ipſis lectionibus, redundantium humorum excretiones facit, iis quidē qui maiore contentione legunt, magis, & per ſudores: iis verò qui lenius contendunt, per occultam de tota corporis mole contingentem trāſpirationem. Contingit enim vt propter attenuationē, multarum ſuperfluitatū quæ ſcreatu reiiciuntur, & ſputorum, & muci, & pituitæ excretio ac conſumptio fiat. Proinde iis qui caliditate opus habent propter frigiditatem, quódnam aliud commodius auxilium contingere poſſet quàm actio illa in trāſpiratione? Quare ſæpe legere oportet, toto corpore remiſſo, & carne diffuſa, ita vt de induſtria arteriam ac reliquos ſpiritus tranſitus ad raritatem diſparemus, & grauiores voces ſonemus. Vtendum eſt autem vocis exercitiis & actionibus neque temere, neque inconſideratè: imò neque quū prauis ac corruptis pleni ſumus humoribus, neque in magnis & manifeſtis ſtomachi cruditatibus, ad vocis exercitium deueniendum eſt, vt ne maior diſtributio corruptorū humorum ac vaporum in corpus fiat.

DE LASSITVDINIBVS EX EXERcitiis, Cap. XX.

LAſſitudo vlceroſa ex recrementorum tenuium ſimul que acrium copia fit: tenſiua verò nullum quidem memorabile recrementum corporibus incumbere indicat, verùm circa muſculos & neruos affectio quædā contingit, in qua tendi ſibi videntur. Inflammatiua verò laſſitudo, in qua velut contuſas aut inflāmatas ſentimus partes, tunc accidere ſolet quum excalfacti muſculi aliquid de circunfuſis ſibi ſuperfluis recrementis attraxerint. Eſt & alia affectio quarta, cuiꝰ generatio ex eo eſt quòd muſculi vltra quàm conuenit ſiccantur, adeò vt denudatum corpus appareat ſqualidum ac contractum, & ad motus pigrum. Curationem porro vlceroſa laſſitudo habet, recrementorum diſcutionem, permultam ac mollem frictionem cum oleo multo, quod nullam adſtrictionem habet. Altera laſſitudo tenſiua ſcopum curationis habet laxationem. Laxatur autem id quod diſtentū eſt, frictione modica ſimúlque molli, cum oleo velut ex ſole calenti, requie item ac omni quiete, & balneis temperatis, & diutiore in aqua calida mora. quare ſi etiā bis aut ter ipſum laueris, plus profeceris. Tertia laſſitudo inflammatiua tres curationis ſcopos habet, ſuperflui euacuationē, diſtenti laxationem, & inflammationis refrigerationem. Oleum itaque multum tepidum, & molliſſimæ frictiones, & in temperatis aquis longiſſima mora, tales laſſitudines ſanant: ſic autem & quies multa, & vnctiones aſſiduæ. Quarta affectio in prima quidē die nihil diuerſum à prioribus poſtulat, præterquam calidiorem aquam, vt leniter cutē conſtringat: in ſecunda verò die exercitio recuratorio opus habet. Exiliant autē ſtatim in balneis in frigidæ aquæ ſolia. Omnes porro laſſati boni ſucci cibo opus habent.

DE CVTIS ADSTRICTIONE, Cap. XXI.

ADſtrictio fit aut ex obturatione, aut ex denſatione meatuum. Et obturatio quidem fit ob copiam aut craſſitudinē crudorum & incoctorum humorum: denſatio verò, aut per frigefacientia, aut adſtringētia, aut ſic- B cantia. Statim autem cognoſcitur vbi ſe exuerint, ex decoloratione alba, vnà cum duritia ac denſitate corporis: in ipſa verò exercitatione, ex eo quòd difficulter caleſcunt. Curatio huius affectionis eſt calefactio. itaque aſſiduis exercitiis vtendum eſt, & balneis calidioribus: mora verò in frigido ſolio non ſit diuturna, neque ipſa aqua valde frigida ſit. Vbi autem ſe induere volent, ex aliquo moderatè calefaciente vngantur, veluti oleo dulci ac tenuium partium. At verò denſitates cutis ſatis ſanat oleum anethinum, præſertim ſi viride fuerit anethum: itémque C oleum ex populo nigra.

DE LASSITVDINIBVS SPONtaneis, Cap. XXII.

QVandoquidem ob acrium recrementorum vitium vlceroſa fit laſſitudo, ſi quidem omnino modicus fuerit vitiatus humor, exercitiū ſufficiet recuratorium: ſi verò maior & per profundum, talem non amplius ad exercitium ducemus, neque omnino ad vllum motum: verùm quieſcere ac dormire iuſſum, per totam diem in abſtinentia cibi conſeruabimus: deinde ad veſperā pin- D guiter vncto, & temperata calida loto, cibum boni ſucci ac ſorbilem modicum dabimus: & neque à vino ipſos prohibebimus. vinū enim ſemicrudos humores, ſiquid aliud, coquit. Si igitur ex relatis ſedatum fuerit ſymptoma, ad conſueta munia obeunda pro ratione homo reducatur: ſi verò etiam poſtera die adhuc permāſerit, de fortiore auxilio iam conſiderandum eſt. Nam ſi vires fuerint robuſtæ, ex duobus alterum, aut venā ſecare aut purgare conuenit, diſcrimine facto vtro magis auxilio opus habeat: ſi verò vires debiles fuerint, vena quidem nequaquam ſecanda eſt, ſed purgatio moderatè facienda. Si ve- E rò crudi humores multi fuerint, neque vena ſecetur, neque purgetur, neque exerceatur: imò neque omnino moueatur, neque lauetur, verùm in omni quiete ſeruetur, & edulia & potiones ac pharmaca exhibeantur attenuātia, & ſecantia, citra minifeſtam calefactionem. Victus itaque ſit ex aceto mulſo, ita vt aliquando etiam parū ptiſanæ & aquæ mulſæ exhibeamus. Quando verò etiā præcordium omnibus talibus eleuatum eſt & inflatum, & facilè inflantur, quicquid tandem ingeſſerint, præſtiterit aliquid piperis cum alimento dare. Melius etiam fuerit F dioſpolitico vti medicamento, & ſimplici illo ex tribus piperis generibus cōpoſito. Sed & acetū mulſum cōmodiſſimū ipſis eſt. Potu verò vtātur fauorum cremore cocto, maximè vbi exacuerit, & vinis leniter acidis, & eduliis attenuantibus citra calefactionem: qualis eſt & capparis ſi ex aceto mulſo, aut ex aceto & oleo ſumatur. At verò tēſiua laſſitudo, vbi citra exercitia oboritur, multitudinem indicat ſolidas animalis partes diſtendentem. Clarum autem eſt, ſi ſanguinis fuerit multitudo, optimū eſſe aut venam ſecare, aut malleolos ſcarificare. Cæterùm inflammatiua ſpontanea laſſitudo, neque paucarum ho- G rarum tarditatē ſuſtinet, nedū duorū aut trium dierum.

Statim enim febrem inducit vehementiſſimam; ſi non quis præoccupauerit ſanguinem detrahendo. Præſtat autem,ſi id fieri poſſit,bis detrahere vna die, priore vice ita euacuando vt ne in animi deliquiũ incidat homo:ſecunda verò vice neque animi deliquium vereri conuenit. At ſi vena iis ſecta nõ fuerit,bona fortuna ita affecti opus habent vt ſeruentur.

VICTVS SENVM, Cap. XXIII.

SEnectus ſicca eſt & frigida: correctio verò eius fit per calefacientia, ac humectantia vnà cum calefacientibus. Oportet autem & fricare citra laſſitudinem: cibum autem dare debilioribus ter in die, circa horam tertiam parum panis cum melle Attico:& poſtea hora ſeptima,vbi defricti, & exercitiis conuenientibus ſenectuti exercitati, & loti fuerint, primùm exhibere quæ aluum molliunt, deinde piſces aut auiculas,poſtea in cœna ea quæ optimi ſucci ſunt & ægrè corrumpuntur. Nec verò prohibeo vinis ex melle præparatis vti, & maximè in iis ſenib⁹ in quibus ſuſpicio aliqua eſt generationis calculorũ in renibus, aut etiam podagræ: tunc verò in ipſum iniiciendũ eſt petroſelinum.Si verò quandoque pituita in ventre generata, de neceſſitate deligamus aliqua illam ſecantia, ſtatim ad humectantem victum tranſire oportet: dandæ verò ſunt ipſis etiam maturæ ficus ante reliquum cibum: in hyeme autem caricæ, ſi nullum ſymptoma circa dextrum præcordium ſentiatur. Quandoquidem verò ſeroſa ac pituitoſa recrementa circa ſenum corpus coaceruantur, mictionem quotidie promouere oportet, & ventrem ſubducere, maximè per oleum abſorptum ante cibos. Clarum autem eſt quòd omnia oleracea ante cibos edere oportet ex oleo & garo: itémque oliuas, ex muria, & damaſcena. At aluo amplius ſuppreſſa, etiam mercurialis ſatis eſt efficax & cnicus.facit & terebinthina:de hac autem quandoque nucis Ponticæ magnitudinem ſumere oportet,quãdoque duarum aut trium. Eſt & oleum per clyſterem infuſum aluo ſuppreſſæ commodiſſimum.

AD RVGOSVM CORPVS, Cap. XXIIII.

COrpus erugat erui farina, viti albæ admixta. ALIVD ſmegma quo frequenter corpus confricari debet. Ficus pingues vnà cum bryonia tundũtur, & farina erui, & ſepiæ teſtæ vſtæ adiiciuntur, atque hæc modico melle inſtillato excipiuntur.

VT IVCVNDVM ODOREM ſpiret corpus, Cap. XXV.

QVò verò iucundum odorem ſpiret corpus, ad idem vnguentum cupreſſi comam admiſcere oportet ſiccam tuſam,aut pini corticem. Verùm eius meminiſſe cõuenit vt manè poſt indutas veſtes parum caſiæ aut ſabinæ deguſtent.

VT RECALESCAT HABITVS, Cap. XXVI.

QVandoquidem verò etiam habitui opitulari oportet, medicamento defrictorio inſperſili ferueſaciente in balneo dum lauatur, vtatur. Habeat autẽ id calaminctham, ſampſuchum, hyſſopum, baccas lauri, rorem marinum, lapidem pyriten, ſalem, fæcem vini vſtam, nitrum & pumicem, ſingula pro ratione,& parum ſinapis, & ſtaphidis ſylueſtris,& grani Cnidii. Verùm à balneo acopo vtatur calefaciente,& bibat vinum fuluum vetus,& propoma ex vino mulſo, pipere & ruta,ac ſimilibus.

AD COLOREM VITIATVM, Cap. XXVII.

COrporis colorem vitiatum minuit vita hilaris, & cibus gratus, cui admiſcere oportet radiculas & porrũ, & viride cicer. Bonum autem colorem facit mali Punici dulcis ſuccus abſorptus: bonum eſt etiam oleum, cocta diutius in ipſo bryoniæ radice, hoc quoque corpus erugat. Cæterùm in medicamenta defrictoria admiſcere oportet paſtillos factos ex farina aliqua detergente, & ex bulbo narciſſi, & bryoniæ radice. Bonum colorem inducunt, ſicui copia detur, amygdali amaræ & radix & fruct⁹,ſi in aqua coquatur, atque hac quis pro balneo vtatur.

AD LIVORES, Cap. XXVIII.

LIuores oboriri in ſenibus prohibere oportet, cutem ipſorum craſſam faciendo, ita vt non facilè lædi poſſit,& habitum valde calidum reddendo. Quò verò citius decedant, ſale vtendum eſt in balneis ad denigratam partem: ſed & ſpongiis raphani aut abſinthii decocto imbutis, ſouere prodeſt.

DENTIBVS PRAESERVANDIS, Cap. XXIX.

DEntes non diſcedẽt ſiquis hæc faciat: Vitare oportet primùm ciborũ corruptiones: vitare etiã aſſiduum vomitum: vitare quoque cibos qui dentibus non ſunt commodi, ficus ſiccas, & mel coctum, valde durum, & palmulas quæ ægrè teruntur, & omnia quæ glutinum habent,& quæ vix franguntur, adeò vt dentes commoueãt: & quæ dentibus ſtuporem inducunt, & perfrigida ac putrida omnia. Oportet etiam poſt cœnam, dentes perpurgare.

VT NE GRAVIS SIT AVDITVS, Cap. XXX.

VT ne grauis ſit auditus, primùm ſordes in meatu expurgare oportet: per temporis autem interuallum linamentum dropace intinctum in ipſum demittere,& appreſſum extrahere. nam ſimul & meatus expurgatio fit, & ſimul auditus prouocatio. Poſtea lana ad erui magnitudinem obuoluta meatum ad diẽ obturato: & deinde, ea extracta, ad dies aliquot oleo amygdalino, aut nardino, aut chamæmelino, aut adipe anſerino cum modico felle bubulo illinito. Rurſus autem tẽpore interpoſito, ſinapi & ficus terito, & factum ex iis collyrium, ad horas duas indito: & poſtea hocquidem eximito, infundito autem oleum in aſphodeli radicis cauitate ferueſactum.

AD CALIGINEM OCVLORVM, Cap. XXXI.

VT ne caliginem habeant oculi, quum in aquam frigidam te immergis, diutius apertis ſuſpice: hinc enim robur viſui accedit. Nec verò lectionibus talem offendere oportet. Caueant autem à vino craſſo ac dulci,& cibis qui diutius ſupernè manent,& qui ægrè concoquũtur,& liquidam materiam generant lentam & craſſam, erucas item & porrum, & omnia quorum acrimonia ſurſum attollitur. Vitare etiam oportet decubitum ſupinũ diutiorem,& frigus,& ventos contrarios,& fumũ,& puluerem. Ipſis autem oculis aquam hoc modo factam quotidie inſtillare conuenit. Ad menſis & diei vnius ſpatiũm, fœniculum viride in vas fictile forinſecus pice oblitum mittito, & aquam pluuiatilem affundito, & poſteà exempto fœniculo, aquam repoſitam ſeruato, ac vtitor.

DE REPLETIONE, Cap. XXXII.

IN cibis maximè delinquitur circa repletionem. nam etiamſi ventriculus probè concoquat, venæ tamen nimium implete affliguntur, diſtenduntur, rumpuntur, obturantur,& flatu plenæ fiunt,& valde grauantur. Peſſimũ autem eſt in morbis, venarum repletionem eſſe: at ventris repletio quandoque ſurſum euacuat id quod redundat, quandoque deorſum per ſeceſſum:& in ſumma, debilior eſt repletione venarum. Et tamen neque hæc admittenda eſt: verùm ſiquis plura ingeſſerit, ſtatim vomere oportet. Periculum enim eſt ne facta concoctione impleat venas, & hoc magis ſiquis aſſiduè circa ciborũ ingeſtionem intemperans, nullam euacuationem excogitet. Vomere igitur oportet priuſquam cibi corrumpantur. Si verò aliqua impedimenta ſint ad vomitum, ſi quidẽ fluat aluus, ſæpe prodeſt: ſin minus, diutius dormire,& aquam calidam frequenter bibere. Facta autem ſufficienti concoctione,& maximè facta etiam alui egeſtione, lauare oportet,& fomenta adhibere, & ſalſamentum modicum edere,& potionẽ aquoſam bibere. Si verò neque egeret quiẽquam, neque citò coquet, inſupérque reliquũ corpus graue,& ægrum ad motum & ſomnolentum fuerit, & pigrities quædam præter rationem detinuerit quoque mentem, hæc ſigna ſunt repletionis venarũ: qui verò ob hæc laſſitudine premuntur, his quieſcere conducit donec ea quæ in ventriculo ſunt concoxerint, & poſtea laboribus euacuare.

DE EBRIETATE, Cap. XXXIII.

EBrietate detentis vomitus conuenit ſtatim obortus. Oportet autem & largam aquã inſuper bibere, itémque aquam mulſam, & vomere donec quamplurima re-

iecerint,& morſus obtuderint. Poſt vomitus autem ſolio vtendum eſt cum larga vnctione : reliquo verò tempore quieſcendum,ita vt ſub tegmine dormiant longiſſimo tempore, donec temulentia ſoluatur.

DE IIS QVI CIBOS CORRVMpunt, Cap. XXXIIII.

COrruptione ciborum in ventre contingente, quibus quidem ſubeunt corrupta ,ii magnum viaticum ad ſanitatem habent : quibus autem non ſubeunt , iis irritatio facienda eſt per ea quæ citra moleſtiam ſubducunt, Cæterùm ita affectis vomitus ante cibum conferunt, ex vini potu & dulci vino ac paſſo inducti . Conſulendum autem ipſis eſt vt nullum nidoroſum , aut graueolentem, aut omnino facilè corruptioni obnoxium cibum ingerant,ſed eos qui boni ſucci ſunt eligant. Iis verò qui hoc modo habent , etiam per moderata temporis interualla ventris ſubductiones conferunt per ea quæ moderatè purgant.

DE VENERE, Cap. XXXV.

EX venere hæc commoda emergunt : repletionem euacuat,corpus leue exhibet, & ad incrementum promouet,& virilius efficit: circa animam verò, impeditam ratiocinationẽ ſoluit,& impotentem iram remittit. Quare etiam melancholico, ſiquod aliud,remedium commodiſſimum eſt,coire. Redigit item ad moderatiorem mentem eos qui etiam alio modo inſaniuerunt : & morbis pituitoſis optimum eſt : quidam etiam quum cibos auerſarentur,ad eos accipiendos promptiores inde facti ſunt : & quidam à ſeminis per ſomnum aſſidua profuſione liberati ſunt. Naturæ verò ad venerem idoneæ ſunt calidiores ac humidiores,atque hæ magis quàm aliæ in venerẽ procliues ſunt:minimè verò victus ſiccans ac perfrigerans, & ætas ſenilis,& tempus autumni. Oportet itaque victum humidum ac calidum eſſe. ſit autem & laborum & ciborum moderatio. Quemadmodum autem moderati labores cõueniunt,ſic etiam moderata venus . nam & ad opus excitat,& facilitatem quandam conſuetudini exhibet. Requirit autem coitus,ſi quicquam aliud,etiam alimenti copiã. quare edulia quæ multum nutriunt cõmmoda fuerint. Ex piſcibus autem polypi:nam & aliàs ad venerẽ irritare creduntur.& quæcunque mollium generis exiſtunt. Ex oleribus,horminum,irio,eruca,& rapum:& hæc velut medicamenta. Ex leguminibus fabæ & cicer, ochri, dolichi, piſa, ſupra luculentum alimentum etiam flatu implent. Proinde ruta quia flatus concoquit ac diſſipat, ideo etiam coitus hebetat. Magnopere autem laudo botros vuarum. humectant enim,& ſanguinem flatu implent, qui ſanè ad venerem impellit. Qui venere vſurus eſt, repletiones & cruditates vitet: ſed & laſſitudines vitandæ ſunt, & vomitus ac purgationes prægreſſæ: ſimiliter & alui profluuiũ repẽtinum. nam inueteratũ venus reſiccat. At verò vehemẽtes veneris appetentias non laudo , ſed tunc magis reniti iubeo,& maximè eos qui morbum aliquem habent. Optimum igitur fuerit coitu vti poſt exercitia,& balnea,& moderatum cibum. nam & ad robur conducit,& perfrigerationes ab eo vrgẽtes minus fiunt. Tempus autem ad coitũ oppor tunũ eſt poſt cibum, velut dixi, ante ſomnum. obdormienti enim ſtatim ſedatur laſſitudo:& hoc tempus etiam commodum eſt ad liberos gignendos , tum ob alias cauſas,tum quòd mulier dormiẽs geniturã magis cõtinet.

AD IMPOTENTES AD COITVM, Cap. XXXVI.

PVdenda aſſiduè vnguine illinere oportet cui pars de radice narciſſi modica addita ſit,aut de Cnidio grano, aut pyrethro,aut ſtaphide ſylueſtri, aut ſemine vrticæ , aut aniſi. Præbibendũ autem eſt piper,aut ſatyrium,aut eruca, aut cnicus,aut omnia ſimul. Edere verò oportet ante cibũ bulbos rubicundos paruos aſſatos,cum ſale &oleo,aut ſcillæ marcidæ parum:ſed & compoſitis deſcriptis auxiliis ad hæc vtendũ eſt:quin & laſciua ſcripta ſæpe legere prodeſt.

DE IMMODICO COITV, Cap. XXXVII.

QVandoquidem ex frequentiore coitu, rarius & frigidius,& ſiccius & debilius fit corpus , ea quæ denſant nimirum,& calefaciunt,& humectant,ac corroborant,

A adhibere oportet. Iis igitur qui immodicè venere vſi ſunt, conuenit tegmen,tepor,quies, ſomnus multus,donec corporis cõcitatio remiſſionem accipiat, & ſeipſos ab imbecillitate recolligant.

DE SEMINIS REDVNDANTIA, Cap. XXXVIII.

QVidam ſemen multum calidum coaceruantes, deinde ad venerem accedentes,ipſúmque excernẽtes, & corpus debile habent,& ſtomachum exolutum,& attenuãtur ac reſiccantur:ſi verò rurſus propter hæc à venere abſti-

B neant,& capite grauantur,& anxii fiunt:deinde ſtatim per ſomnum ſemen profundentes,eadem perpetiuntur. Oportet itaque nihil ex iis quæ ſemen augent exhibere ,ſed & cibos & medicamenta accipere quæ ipſum corrumpunt: & poſt balneum lumbos illinere oleo roſaceo , melino, & omphacino. Præſtat autem hæc ipſa craſſiora facta illinere, admixta cera,& ſucco aliquo ex perfrigerantibus, ſem peruiui videlicet, & ſolani,& cotyledonis,& pſyllii. Et his quidem per æſtatem,aliis autem temporibus,tum aliis,tũ lactucæ ſucco,& lini ſemine in aqua cocto. nã & hoc per-

C frigerantem ſuccum facit. Sed & lamina plumbea lumbis ſubiecta,ſeminis per ſomnum profuſionem prohibet : & herbæ frigefacientes,cum ruta , & ſummis teneris viticis virgultis ſubſtratæ,idem faciunt:viticis item ſemen,& rutæ,ſi edantur. Vitare autem oportet ne lumbi vehemẽter perfrigerentur,vt ne renes lædantur.

DE PERFRIGERATIS, Cap. XXXIX.

PErfrictione multa facta, ita affectos in calidis locis reclinare oportet,illitos Cyprino aut irino. Poſtea verò

D vbi paululum recalfacti fuerint, dandum eſt piper,& myrrha, cũ vino dulci odorato veteri : aut ſuccus Cyrenaicus cum vino aut aceto:aut pyrethrum , aut caſtorium cum aceto. Alimentum autem exhibere oportet calidius.

DE ADVSTIS A SOLE, Cap. XL.

ADuſtione in ſole facta,decumbere in locis qui probè perflantur cõuenit:proluere autem faciem,& manus, & crura aquis frigidis. Si verò ſiti vexentur,bibere aquam frigidam,quibus id facere in conſuetudine exiſtit. Atque hæc paulatim facere oportet,& non aceruatim. Cibum autem accipere modicum,qui facilè in corpus diſtribui poſ-

E ſit: atque eum humidum magis quàm ſolidum aut frumentaceum.

DE PITVITA IN SVPERNO VENTRE redundante, Cap. XLI.

SI vnquam in aliquem incidiſti qui nutrientes cibos oblatos auerſaretur,& à cibis abſtineret, & ſi cogeretur accipere,nauſeabundus fieret : ſolos autem acriores (ſi tamen & hoc faceret)admitteret, & neque his delectaretur, ſed ventre inflaretur & nauſearet,& ſolis ructibus paululũ alleuaretur:corrumperet autem quandoque etiam ipſos

F acceptos cibos ea corruptione quæ fit in acorem:omnino cognoſce ſummam curationis in his auxiliis ſitã eſſe quæ ventris pituitam extergere poſſunt. Ego itaque noui quẽdam ita affectum , à radiculis cum aceto mulſo acceptis, craſſiſſimæ pituitæ copiam fidem excedẽtem vomuiſſe, & eveſtigio penitus ſanum euaſiſſe.

QVOMODO QVIS FACILE VOMAT, Cap. XLII.

QVandoquidem iis qui aſſiduè vomunt multa abſurda accidere ſolent,commodum fuerit modos refer-

G re per quos facilè vomere datur. Nam & pituitam euacuat & caput alleuat,& quandoque etiam prohibet vt is qui auidius cibum accepit , cruditate nõ laboret,& qui vinum vberius bibit,non lædatur. Sint igitur ea quæ ingeruntur, nõ acerba & ſicca,ſed partim dulcioris ac humidioris modi,partim acrioris. Inter hæc autem radicula laudatur ,& eruca,& ſalſamentum vetus,& origanum viride , & cepæ ac porri parum. Vomitus etiam promouẽt ex leguminibus, ptiſſana mel admixtum habens, & decoctum freſarũ fabarum,& carnes pingues: verùm ita vt nõ ſolùm ſuccos

H ipſorum accipias,ſed etiam totam molẽ deuores. Ne itaque circa mãducationẽ multũ tẽpus teras,ſi vomere voles : ſintque omnia per cocturam mollia. Manifeſtum verò eſt quòd etiam ex vinis eligenda ſint dulciora : hæc enim magis innatant. ſed & potu tepidiore vtendum eſt.

Oportet autem & amygdalas melle tinctas edere,& placẽtas tunc guſtare, & peponis ac cucumeris ſemen madefactum cum melle accipere. Facit etiam cucumeris radix trita cum melle. Qui verò fortioribus vti volunt, narciſſi bulbum in aqua coquũt, & cum hãc vinum miſcent. Vomitum mouet quoque irinum vnguentum,ſi-quis illitis ex eo digitis proritet. Ad vomitionem etiam pertinet,non remittere, neque ceſſare inter vomendum: & os colluere, & faciem poſca aut aqua abluere. nam & dentibus confert,& caput alleuat.

DE SVBDVCENTIBVS ALVVM, ET vrinam mouentibus in ſanis, Cap. XLIII.

VEteres quidam ad ſanitatem ſatis eſſe putabãt quotidie euacuari per ventrem & vrinas inculpatè ac ſufficienter, pro ciborum ac potuum ingeſtorum copia. Et ſi quidem euacuationes pro ratione fiebant, laudabãt: ſin minus,opitulabantur, mictioni quidem, per ſcandicem & apium,aſparagum,petroſelinum,aniſum, calamintham, origanum, abſinthium, graminis ac cardui radicem, cytiſum, adiantum, in aqua cocta, ita vt decoctum cum vino biberetur. hæc enim ſanguinem per vrinam purgant, & non exiguam vtilitatem exhibent. Verùm ventri opitulabantur, terebinthinam dantes oliuæ magnitudine deuorandam dormituris: ſi verò magis ſubducere volumus, de rheo parum admiſcemus. Commoda autem ſunt ad ventris ſubductionem oua ſorbilia, & ex oleribus,betæ,maluæ & cochlearum iuſculum. Et fortaſſis hæc ſuffecerint.Maiorem verò vim habet Mercurialis in aqua cum ſale cocta,& in cibo accepta,& decoctum ipſius in potu: & ſambuci folia eodem modo:& polypodii radicis drachmas duas ſalſamentis inſpergere, aut in ptiſſana ſorbere. Sed & lactis ſerum cum ſale, aut melle, trium aut quatuor heminarum menſura: & galli veteris iuſculum, tum per ſe,tum cum cnici drachmis duabus. Quandoque etiam aloes cicerum trium magnitudinem poſt cœnam ſumere prodeſt: optimum eſt & epithymũ cum vino potum, poſt moderatam cœnam. Qui verò vehementiore enacuatione opus habet,veris tempore manè epithymi drachmam ex aceto mulſo bibat.

DE INFVSIS PER CLYSTEREM, Cap. XLIIII.

CÆterùm in iis qui aluum ægrè ſolubilem habent,& quorum ſtomachus debilis ſubducentia per os non admittit,infuſis per clyſterem vtendum eſt,pituita in inteſtino incumbente,his quæ fiunt ex decocto caricarum, & betarum,& nitri,& radicis cucumeris ſylueſtris,& melle,& oleo chamæmelino,aut anethino: ſi verò ſiccitas magis ineſt, iis quæ fiunt ex althæa,fœnogræco, chamæmelo,& oleo ac modico melle. Et quandoque oleum per ſe heminæ dimidiæ mẽſura immiſſum, quod opus eſt præſtat. Sed neque hoc aſſiduè faciendum eſt, ne natura his aſſueſcens ſpontaneæ excretionis obliuiſcatur.

DE GLANDIBVS, Cap. XLV.

VTimur & glandibus ſæpe,ſtercorum excretionis gratia, & in iis quibus id quod per clyſterẽ immiſſum eſt non excernitur. Formantur autem glandes ex ſale toſto, & melle ac nitro. Sed & thymus cocto melli miſcetur. Formantur etiam ex reſina terebinthina, & nitro, & quandoque etiam grano Cnidio moderato.Excitant autẽ morſus: quapropter oleo partes inungendæ ſunt.Quin & pyrethrum aut piper admiſcetur, & conueniunt reſolutis,& inflationibus ex frigiditate. At centaurium miſcetur pici & cerato, & eſt commodum reſolutis pudendis. In infantibus autem & ſalis granum inditur. Efformatur quoque ficus cum nitro.

QVAE COMMANSA, AVT NARIBVS INdita ac illita,pituitam à capite ducant, Cap. XLVI.

HVmores in capite per ſputa vacuamus,ſi quidẽ modicè hoc facere voluerimus, piper maſtichæ admiſcentes: ſi verò amplius vacuare volumus,pyrethrum, aut ſtaphidem ſylueſtrem mandere iubemus. Sed & anemones omnis radix,ſi manducetur,pituitam prouocat, & radicis capparis cortex. Seroſum itaque recrementum per talia euacuatur. Craſſum verò & pituitoſum ſinapi cum aceto mulſo gargariſſatum euacuat: aut ſapa origano aut

A hyſſopo in ipſa cocto. Ego autem hanc ad ſinapi cum aceto mulſo admiſceo. Si verò cerebrum à muco expurgari opus fuerit, acribus medicamentis irritantes, ipſum proliciemus: quorum aliqua etiam ſternutationem mouent. Purgat itaque per nares anagallidis vtriuſque ſuccus,& anemones cuiuſuis & betæ.Sed & cucumeris ſylueſtris foliorum ſuccus naribus infunditur,tum ipſe per ſe, tum cum betarum decocto,aut ſucco. Verùm ſternutatio in crudis humoribus circa thoracem & pulmonem,& caput contentis, non conducit. At oris illitio talis eſt.Saponem cum betæ ſucco illine,circa palatum ac columellam

B probè facit.idem etiam naribus inditur. Sæpe verò vſus ſum parabili medicamento, melanthio naribus illito, quandoque pridie acri aceto id macerans, deinde poſtera die rurſus cum aceto terens,& naribus infundens:quandoque oleo veteri idem melanthium tero, & ſimiliter vtor. Atque ſic ipſo vtitur & Archigenes in narium obturatione. Priore verò cum aceto Crito vtitur in morbo regio.

QVAE MENSES DVCANT, Cap. XLVII.

C OMnia quæ vrinam cient,etiam menſes ducunt:radicis braſſicæ decoctum, perſeæ radix, ruta, chryſanthemum, dictamnũ, erucæ ſemen. Mouent etiam ſubdititia ad os vteri appoſita, velut eſt ruta trita cũ melle, aut porri ſuccus,aut ſcordium tritum appoſitum,aut myrrha trita ex vino,aut leporis coagulum.

SVDORIFICA, Cap. XLVIII.

EX ſudorificis eſt chamæmelon ſiccum tritum oleo inſperſum,ita vt cutis contentè ex eo defricetur,ſeſeli,pyrethrum, roris marini ſemen, aniſum,ſimiliter oleo

D inſperſa, nitrum toſtum & non valde tenue, cum oleo: ſalis flos oleo permixtus, ſuccus Cyrenaicus aqua dilutus, ad defrictionem corporis aſſumptus, & ciceris magnitudine in potu acceptus. Similiter & calamintha cum aqua mulſa pota,&forinſecus cum oleo affricta.

DE AERE, Cap. XLIX.

OPtimus aer eſt exactè purus. talis autem fuerit qui neque ex ſtagnorum aut paludum exhalatione, neque ex aliquo barathro venenoſam auram remittẽte turbatur: ſic autem & is qui ex aliqua cloaca magnam vr-

E bem expurgante turbatur, malus eſt: quin & qui nebuloſus eſt,bonus non eſt. quemadmodum & qui in cauo loco vndiquaque montibus altis concluſus, nullam auram admittit. Qui igitur hoc modo prauus eſt, omnem ætatem,& omne temperamentum ſimiliter lædit, quemadmodum bonus prodeſt. At verò circa qualitatem differentia, caliditatem dico & frigiditatem, & ſiccitatem & humiditatem,nõ ſimiliter ſe ad omnes habet.Nam temperatis corporibus temperatus aer commodus eſt:intemperatis,is qui contrariam temperiem habet.

F DE AQVIS, Cap. L.

OPortet etiam aquarum virtutis ac vitii peritum eſſe. multi enim vſus ſunt aquæ præ omnibus fere rebus aliis, ad omnem victus rationem. Noſſe itaque oportet optimam aquam omnis qualitatis exortem eſſe, tum in ſapore,tum in odore. Statim autem hæc & iucundiſſima eſt bibentibus, & aſpectu pura. Quum autem & de præcordiis citò ſecedit,ne quærere quidem meliorem oportet.Nam quæ in præcordiis morantur,&ventrem feriunt, & inflant, & grauant, prauæ cenſendæ ſunt. neque enim

G calefiunt citò,neque perfrigerãtur tales aquæ. Sed & quæ in ipſis coquuntur, tardiſſimè ac peius coquuntur. Præſtàt itaque experimento talem aquam iudicare.Qui verò etiam per notas cognoſcere volet, ex iis quæ referentur iudicet.Etenim quæ ad ſeptentrionem conuerſæ ſunt, & à ſole auerſæ,tardi tranſitus ſunt & inconcoctiles, & calefiunt & perfrigerantur tardé. Quæ verò ad orientem per meatum aliquem aut terram puram excolantur, celerrimèque calefiunt, & celerrimè perfrigerantur, eas optimas eſſe ſperandum eſt.Bonæ ſunt & quæ æſtate frigidiores, hyeme calidiores exiſtunt. Quidam etiam pondere

H probant,leues meliores eſſe putantes: verùm hoc ſi cum aliis relatis eſt,laudatur: ſolum autem non ſatis eſt vt ſit bonarum aquarum ſignum. Leuiſſimæ autem(velut Hippocrates ait)ſunt pluuiales, dulciſſimæ item ac limpidiſſimæ & tenuiſſimæ,eò quòd à ſole id quod leuiſſimum ac

r. i.

tenuiſſimum eſt abripitur.Educit autem ſol nõ ſolùm ex aliis aquis, ſed etiam ex mari & ex corporibus.Quapropter etiam facillimè omnium putreſcunt, vt quæ ex diuerſis qualitatibus conſtent. Nemo verò ſuſpicetur peſſimã eſſe aquam quæ facilè putreſcit. alterationis enim facilitas virtuti magis quàm vitio adſcribitur. Quare ſi aqua optimarum aquarum notas habens, facilè quoque putreſcat,optimam ipſam eſſe putandum eſt : quum tamen in iis qui biberunt mutare incipit, raucedinis & tuſſis & grauis vocis cauſa exiſtit.Ex ipſis verò pluuialibus aquis æſtiua & cum tonitruo delapſa melior eſt quàm procelloſa.Peſſimæ autem ſunt à glacie & niue:nam circa aquæ congelationem quicquid tenuiorum partium eſt exprimitur.Bonum autem fuerit etiam paluſtres & graueolentes, & eas quæ abſurdas qualitates habent, per cocturam in melius mutare, atque ſic bibere: itémque vino permiſcere,adſtringentes quidem dulciore,reliquas autem acerbiore. Quaſdam etiam colare cõducit, limoſas,&ſalſas,& bituminoſas. At valde frigidas poſt cibum bibere oportet,& neq; aceruatim. Quidã verò cibos etiã ac potus inuenerunt aduerſus aquarum vitia: & aliqui quidem cicerum decoctum præbibunt, aut etiam ipſum cicer edunt. Aliqui verò caucalidas ſimiliter cum aliquo piſciculo coctas,& fœniculum eodem modo:alii verò betas & cucurbitas prius edunt cum ſale & vino diluto.

DE BALNEIS, Cap. LI.

LAudo quidem in frigida aqua lotionem,non dico autem ipſam conferre iis qui vulgari victu citra delectum vtuntur,ſed ſolis iis qui exactè vitam degunt,& laboribus ac cibis prout conuenit vtuntur. Satis eſt autem pleriſque quandoque perfrigerari amplius opus habentibus,innatare aliquando per æſtatem,ſi iuuenes fuerint,& carnoſi,& frictionibus prius excalefacti. Sint autem neq; ex venere,neque aliâs delaſſati,neque cruditatem,aut vomitum, aut ventris euacuationem, aut vigilias perpeſſi. periculoſum enim eſt ſiquis ita ſimpliciter vtatur. At calidum balneum optimum eſt & tutiſſimum, laſſitudines ſoluens & plenitudines diſcutiens, excalefaciens,leniens, molliens,flatus diffundens vbicunque incubuerint, & ſomnum inducens, & carnoſitatem inducens. Eſt autem & aptiſſimum ad vſum & viro & fœminæ,& puero & ſeni,& magiſtratum gerenti & priuato.

DE BALNEIS NATVRALIBVS, Cap. LII.

EX balneis naturalibus aliqua ſunt nitroſa, aliqua ſalſuginoſa, aliqua aluminoſa, aliqua ſulphurulenta, alia bituminoſa, alia æroſa, alia ferroſa: quædam verò ex iis compoſita. Omnium igitur naturalium aquarum vis eſt ſiccatoria ac calefactoria in totum, & maximè conueniunt humidis ac frigidis.Priuatim verò nitroſa,& quæ ſalem habent,capiti congrua ſunt, & thoraci fluxione infeſtato,& ſtomacho humido,& hydropicis, & tumoribus ex morbis & pituitoſis. Aluminoſa verò, ſanguinis reiectionibus, & ſtomacho vomenti, & mulieribus quæ inordinatè purgantur,& frequenter abortiunt.At ſulphurulenta neruos molliunt ac calefaciunt, & dolores mitigant:verùm ſtomachũ effœminãt ac auertunt.Bituminoſa autẽ caput implent, & ſenſuũ organa lædũt:calefaciũt autẽ perſeueranter, & temporis progreſſu molliunt. Æroſa verò ori,tonſillis, vuæ, & oculis inſigniter commodãt. Ferroſa autem ſtomacho &ſpleni vtilia ſunt.Oportet autẽ deſeſſus in aquam citra tumultum facere, quò vis ipſius remiſſo corpori allapſa immergatur.

DE VICTV TEMPORIBVS ANNI SINgulis conueniente, Cap. LIII.

BOnum eſt & ad anni tempora habito reſpectu victus rationẽ conſtituere:& hyeme quidem pluribus laboribus vti,& plura comedere,præſertim quum conſtitutio fuerit aquilonaris. nam ſi auſtrina fuerit,laborandũ quidem eſt ſimiliter, ſed pauciores cibi ac potus exhibendi ſunt,& in ſumma,corpus ſiccum faciẽdum eſt penitus tẽpore humido, quemadmodum calidius in frigido. Edere autem oportet carnes calidas, & olera,& vinum bibere copioſius. Verùm vere ingruente,alius per vomitus, alius per ventrem euacuetur,& alius venam ſecans ſanguiA nem detrahat,prout quiſque conſuetus & paratus fuerit. At æſtate quies conducit,& laborum & alimentorum imminutio: & vt frigidioris modi ſint cibi: & potu largo vti; & omnia facere quæ ad refrigerationem & ad humiditatem conferunt. Circa autumnum verò, quandoquidem penitus eſt inæqualis & inordinatus, & omnigenos inducit morbos, valde cautè victum conſtituere oportet, ita vt nequis circa frigiditates delinquat,& à venere ac frigida potione continentiſſimus exiſtat. Et manè quidem frigidum aerem, in meridie verò æſtuoſum B declinet. Et pomis non nimis impleatur. lædunt enim non copia ſolùm, ſed etiam humoris vitio, & quòd flatũ inducant. Nam & optima ex ipſis, ficus & vuarum botri, flatus pariunt, ſiquis non ante alios cibos accipiat, & cibos corrumpunt: ſi verò præſumantur, neque inflant, neque corrumpunt. Cæterùm frigidiore euadente aere, pro ratione calefacere corpus oportet, & omnia facere velut hyeme accedẽte. Quin & bonum fuerit poſt æquinoctium euacuatione aliqua ex prædictis vti, quò nihil ſuperflui in corpore detentum, in hyeme fiat moleſtum.

C VICTVS NEGOTIOSAM VITAM degentium, Cap. LIIII.

EVm qui in negotiis vitam degit cõſiderare oportet an in priore vita exerceri cõſueuerit, aut iã ſe exercens,moderatè talem conſuetudinem ferat: vt ne ægrotet ex eo quòd aſſiduè probè tranſpirat.Talem enim corporis naturã ad aliã cõſuetudinẽ penitus trãſferre nõ oportet, in iis qui ex multo tẽporis interpoſiti interuallo ægrotant.Si vero aſſiduè quis ægrotare videatur, & hoc ob humorum copiam,ſcopus tibi ſit per totam ſalubrem D victus rationem,quò moderatos humores habeat: ſi verò ob humores vitiatos, quò optimos. Ex iis igitur qui humorum copiam coaceruant, eos qui ſtatim balneum ingreſſi ſunt, poſtea frictione vti & parum moueri exhortabimur.Qui verò iam talia fecerunt,paulatim etiam ipſos hæc augere conſulemus:verùm de cibis detrahere, & parum nutrientes ingerere.At eorum qui humores vitiatos coaceruant nõ vnus eſt ſcopus,quia neque humorũ vitiatorũ vna ſpecies. Quidã enim frigidiores ac pituitoſiores coaceruant:quidam calidiores ac bilioſiores, E quemadmodũ alii atrabiliarios. Abſtinẽdum itaque vnicuique eſt à cibis ac potibus qui humorẽ eũ qui in ipſis coaceruari ſolet promptè generãt. Verùm in omnibus his commune auxilium eſt ventris ſubductio.

VICTVS ITER FACIENTIVM, Cap. LV.

IN profectionibus facillimè quis verſabitur ſi vnctus ſit, & non ita contentè ac pertinaciter iter faciat:inſupérque æſtate faſcia molli, latitudinis ſex aut ſeptem di-F gitorum, lõgitudinis autem,non minoris quàm quinque cubitorum, lumbos vſque ad laterum mollitudinem circundatus. Sed & baculus commodus eſt ad profectionẽ. nam in decliuibus locis præmiſſus corpus pronum, quaſi conto quodam,ſuſtentat: in accliuibus autẽ,dum quis ipſi innititur,motum corporis ad accliuem locum faciliorem facit. Quiete igitur in profectionibus contingente,vnctio,& modica cibi alicuius æſtiui oblatio,& potus moderatus hac hora conuenit:& poſt prandium,ante itineris ingreſſum quies. Si verò quis proficiſci cogatur, & G ſitiat, polentam tenuem in aqua cum modico ſale bibat. Cæterùm ardores & ſolem vereri oportet,& vt ne corpus nudum ſoli exponatur, ſed contectum, vt ne in itinere reſiccatum induretur. Sic enim & laſſitudo minus contingit,& relatarum affectionum nulla ſimiliter inciderit. At vbi hyems frigida eſt,ante profectionem ventre euacuato, & vnctione facta, aliquem ſatis multum cibũ hybernum,& exiguum potum ſumere conuenit: & circundare faſcia longiore nõ ſolùm lumbos,ſed bene ac probè etiam ſpinam ac pectus. Vbi verò quieſcit,ſi in tali re-H creatione frigus multum fiat, neque vngi, neque cibum neque potum capere melius eſt,neque aliam quampiam refectionem, ſiquis in eo loco permanere velit. Poſt longas autem profectiones,& alios fortes labores,etiamſi quis laſſitudinem non ſentiat, curare ipſum oportet veluti laſſatos. Sic enim minus moleſtiarum acciderit.

VICTVS NAVIGANTIVM, Cap. LVI.

VOmitibus qui primùm nauigantibus contingunt, neque facile neque vtile eſt reſiſtere.plerunque enim omnibus prodeſſe ſolent. Oportet autem poſt vomitum non multa neque vulgaria edulia exhibere, ſed aut lente vti ſicca & cocta,modicum pulegii habente,aut pane trito in vino aquoſo ac odorato. Potu verò vtendum eſt modico ,eóque aut villo penitus aquoſo,aut aceto mulſo. At lentem coquere oportet,& vbi mollis facta fuerit,probè terere,deinde ſiccare,atque ſic invaſe fictili componere. Si verò ad longius tempus vomitus fiant plures,vehementiore cibi ſubtractione vtendum eſt,& ipſo potu modico,aut aceto mulſo cum aqua,thymo in ipſo macerato, aut pulegio,aut aqua cum polentæ polline: aut villo odorato aquoſo ſimiliter cum polline polentæ. Cæterùm ad moleſtos in nauibus odores,aut mala cotonea olfacere oportet,aut thymum,aut pulegium. Sed & quamminimũ in mare aſpicere oportet,donec ad conſuetudinem perueniat quis conuerſationis in mari. Ad aquas item reſpiciendum eſt,vt neque turbatæ, neque graueolentes, neq; ſalſæ ſint.

DE CARNIVM IMMINVTIONE, Cap. LVII.

QVum ad immodicam carnoſitatem egreſſum fuerit corpus, eliquare ipſum ac imminuere oportet. Oſtenſum autem eſt quòd calidior ac ſiccior temperatura gracile efficit corpus. Talem igitur in craſſis inducere conuenit, ſi ad moderationem reduci debent. Didiciſti autem quòd exercitia velocia & acuta, & diæta attenuãs, & eiuſmodi medicamẽta, & animæ curæ, temperamentum calidius ac ſiccius reddunt,& per hoc , etiam corpus tenuius.Quis igitur ſit victus attenuans, manifeſtum eſt. Medicamenta verò vehementiora ſunt,rutæ ſemen,(maximè ſylueſtris)vnà cum corymbis,ariſtolochia rotunda, centaurium tenue,gentiana,polium: & quæ ex vrinã ciẽtibus fortiora ſunt,velut petroſelinum.ſingula enim hæc tum per ſe,tum inter ſe mixta,humores attenuare ac euacuare poſſunt.Sed & ſal ex vſtis viperis abundè attenuat, & theriace.Diſcutit autem & attenuat oleum illitum,cui ſylueſtris cucumeris radix ſit incocta: itémque althææ ac gentianæ,& panacis & ariſtolochiæ radix oleo incocta. ſed & polium & centaurium. Oportet autem cibum non ſtatim à balneis dare, ſed vt prius dormiant permittere. Præſtat autem balnei aquam ex diſcuſſoriam vim haben tibus eſſe,ſi quidem ex natura talem habeamus,qualis eſt aqua Mitylenes: ſin minus, ſalis florem aquæ marinæ admiſcere oportet,& vino vtendum eſt tenui ac albo. quin & frictio ſicca per lintea exterſoria craſſiora,attenuare poteſt.At pro exercitiorum ratione , etiam pauciores cibos offerre oportet.Prodeſt & inſolatio carnoſis.Oportet autem neque præpotationibus ipſos vti : & melius eſt ſemel tantùm in die cibum capere.Quin & corpus fricandũ eſt nitro ac ſale aſperiore. Nitrum itaque multum in balneis attenuat,verùm modicum irritamento eſt ad bonã corporis nutritionem.Attenuat & hæc mixtura,piperis & petroſelini duplum,aſari & aniſi dimidium. Hæc & ad vrinam & ad aluum mouendam commoda eſt.

QVOMODO ATTENVATOS RENVTRIRE oporteat, Cap. LVIII.

QVos renutrire volumus attenuatos , iis vinum dabimus craſſum : edulia verò quæ craſſi ſucci ſint, & exercitia tarda,& frictionem moderatam , & in ſumma,omnia relatis contraria adhibebimus. Commodum eſt ipſis etiam picari per tres aut quatuor interpoſitos dies. Si verò ieiunus lauetur , ante balneum linteis corpus defricare oportet, donec rubefiat. Et poſtea frictione dura,nõ tamẽ multa, cutẽ ſpiſſare,quò dẽſam ac durã efficiamus. Oportet autẽ decoloribus & alimentum non ſentientibus iracundiam inducere & commotiones animales.

QVOMODO QVIS PARTES CORPORIS attenuatas curare poſſit, Cap. LIX.

QVi in quibuſdam partibus attenuantur,plerique ob diuturnam ipſarũ quietẽ,aut fracturarum deligationis modum,ad hanc affectionem deueniunt.Oportet igitur facultatem in parte ipſa corroborare , & largum

A ſanguinem attrahere,ex moderatarum frictionum vſu,& motibus conuenientibus , & moderata calidæ aquæ affuſione.Hæc autem facere oportet donec pars rubicunda facta attollatur,& antea quàm conſidat deſinere.Quin & picationem adhibere oportet iuxta relatos ſcopos:vbi verò frigiditatis ſenſus circa attenuatam partem fuerit, linteis & aliquo calefactorio medicamento ipſam confricare oportet. Vſus autem ſum aliquando thapſia, quandoque cum melle illinens,quandoque cum cerato.

DIGNOTIO OPTIMI TEMPERAMENTI, Cap. LX.

B TEmperatiſſimus eſt homo vbi corpore apparuerit exactè medius inter omnes extremitates, gracilitatẽ videlicet ac craſſitiem,molliciem ac duritiem,caliditatẽ ac frigiditatem,humiditatem ac ſiccitatẽ:&in ſumma,vbi & naturales & animales actiones inculpatas habuerit, & vbi item medius eſt inter glabrũ ac hirſutum, & nigrũ colore ac album : & vbi pilos habuerit, dum puer eſt,fuluos magis quàm nigros: in ætatis autem vigore , vice-uerſa.

C DIGNOTIO CORPORVM DISTEMPERATORUM, Cap. LXI.

QVæcunque corpora moderato calidiora ſunt,& dentes citius producent,& ſimiliter augeſcent. Apparẽt autem tangentibus calidiora:& pinguitudinis minus habent:verùm colore ſunt valde rubicunda, & nigros pilos habent,& moderatè hirſuta ſunt,& amplas venas habent. Si verò quis ſimul ſit pinguis ac craſſus , & venas amplas habeat,hic propter conſuetudinem , non natura pinguis eſt.At frigidioris tẽperaturæ ſigna ſunt frigiditas ad cõ-

D tactum,glabritudo,pinguitudo: color autem talibus vnà cum capillis fuluior eſt. Si verò multa eſt frigiditas, liuidus quodammodo eſt & plumbeus:ſed & anguſtas venas habent. Gracilis autẽ ſiquis ſit,talis nõ ex neceſſitate , ſed ob conſuetudinem factus eſt.Sicca verò temperies & durior eſt & gracilior quàm temperata & hirſuta.Durities itaque penitus inſeparabilis eſt à ſicca tẽperatura. Gracilitas autem non ſolùm ſequitur ad naturales tẽperaturas, ſed etiam ad acquiſitas,ex longa conſuetudine factas. Signum autem duritiei eſt æger motus,& quod corpus ex-

E ſiccantibus ſiccum ac ſqualidum redditur.Humida temperatura in cæteris quidẽ ſimilis eſt temperatæ , ſed mollior ac carnoſior. Et ab hac inſeparabilis eſt mollicies: quẽadmodũ etiã craſſitudo non ad naturalem ſolùm tẽperaturam ſequitur,ſed etiam ſi ex longa quadam conſuetudine conflata eſt. Proprium autẽ humiditatis ſignum, grauari corpus ab humidioribus. Cæterùm calida & ſicca temperatura extremè hirſuta eſt,& capitis pilos multũ augeſcentes & nigros & multos in iuuenili ætate habet. Progreſſu verò temporis etiam caluities ſequitur: & ve-

F næ amplæ ſunt, quemadmodũ & arteriæ magnæ ſunt, ſimúlque vehementiſſimè pulſant. Quin & firmum & articulatum,& muſculoſum , & pinguitudinis exors eſt totũ corpus , & cutis dura ac nigrior. At ſi frigida & humida ſit temperies,thorax anguſtus eſt , quemadmodum & totum corpus pilis nudum:cutis verò tenera & alba, & pili ſubfului,maximè in iuuentute: & ſeneſcentes non caluescunt.Statim autem & timidi ſunt,& minimè audaces & ſegniores: & obſcuras venas habent, & craſſi ſunt ac pingues,& femoribꝰ ac muſculis imbecilles, & inarticulati.

G Sed & blæſi fiunt. Verùm humiditate ac frigiditate amplius aucta, color vnà cum pilis fuluus ſit: ſi verò plurimum augeſcant, liuidus. Calida & humida temperies mollior & carnoſior eſt quàm optima. Si verò plurimum fuerit aucta, putredinoſis morbis promptè corripitur. Si verò paulo humidior,multo verò calidior fuerit,tales moderatis paulo molliores ſunt ac carnoſiores,non paulo autem hirſutiores: ſed & ad contactum non paulo calidiores. Nigri autẽ ſunt ipſis pili,& caro pinguitudinis exors. Si verò frigiditas cũ ſiccitate pariter fuerit aucta , natura

H durum & gracile ac album corpus habent , & non muſculoſum, ac inarticulatum , & pilis nudum : ad contactum autem,frigidum . Pinguitudo tamen ipſis , etiamſi graciles ſint,per carnem diſperſa eſt.At capillorum & corporis color ad frigiditatis menſuram reſpõdet. Mores animæ ſunt,puſillanimitas,timiditas & triſtitia. Ve

autem in ſumma dicam, in coniugatis temperaturis ſemper qualitatis prædominantis notæ præualebunt.

DE CAPITIS FORMATIONE; Cap. LXII.

PArum caput prauæ cerebri ſtructuræ propriũ ſignũ eſt: magnum verò non neceſſariò bonæ. ſi enim propter inſitæ facultatis robur quæ bonam & multam materiam formauit, factum eſt, bonum ſignum eſt: ſi verò propter ſolius materiæ copiam, non bonum. Proinde diſtinguendum eſt iuxta figuram, & ea quæ ab ipſo oriũtur. Iuxta figurã quidẽ, ſi concinnum eſt: ſemper enim hoc bonum ſignum eſt. Ex iis autem quæ ab ipſo oriuntur, ſi validam ceruicem habet, reliquiſque oſſibus optimè diſpoſitũ eſt, & ſi neruoſum in ipſo genus vniuerſum habitius ac plenius eſt & firmum: &, ſi oculi acrem viſum habeant. At acuminata capita defectuoſam habẽt circa occiput aut frontem eminẽtiam, aut vlterius quàm conuenit auctam. Plerunque igitur velut magnum, ita etiam hæc capita reprehendenda comperiemus: raró verò & ex his aliqua bona ſũt, formãte facultate forti exiſtẽte.

CEREBRI TEMPERAMENTI NOTAE, Cap. LXIII.

TEmperatum cerebrum animales actiones moderatas habet, itémque recrementa, & minimè ab omnibus externis lædetur. Talibus capilli capitis, dum infantes ſunt, ſuffului: pueris autem, ſubflaui: perfectis autem flaui fiunt, medium modum inter exactè criſpos & ſimplices tenentes: non tamen facilè calueſcũt. Si verò calidius moderato fuerit, omnia etiam circa caput & calidiora & rubicũdiora erunt, & venæ oculorũ ſenſui expoſitæ. Capilli verò his genitis ſtatim in capite fiunt: ſi quidem multo fuerunt calidiores, nigri, & fortes, & criſpi: ſi verò nõ multo, ſubflaui primùm, deinde nigreſcũt: progreſſu autẽ ætatis calueſcunt. Recrementa verò his ſunt pauca, & inculpatè ſani ſunt. Replentur autem & grauantur capite à calefacientibus eduliis ac potionibus, & odoribus, & forinſecus allabentibus. Tales tẽperaturæ breui ſomno cõtentæ ſunt, & hoc neque admodum profundo. At frigidioris quàm conuenit cerebri notæ ſunt recrementa plura circa proprias effluxiones, capilli recti, fului, durabiles, & facilè à frigidis cauſis læduntur, & defluxionibus ac grauedinibus aſſiduè corripiuntur: & oculorum venæ viſum effugiunt, & ſomnolentiores quodammodo exiſtũt. Siccioris autem cerebri notæ ſunt recrementa in meatuum effluxionibus nulla, & ſenſuum ſinceritas: & vigilantiſſimi ſunt: & capillos robuſtiſſimos, & citiſſimè vbi geniti ſunt, producũt, criſpos magis quàm rectos: breui autem calueſcunt. At humidioris cerebri capilli ſimplices ſunt, & omnino non calueſcunt: & ſenſus turbulenti ſunt, & recrementorum copia adeſt, & ſomni multi ac profundi. Cæterùm cálido & ſicco cerebro exiſtente, à recrementis liberi ſunt, & ſenſibus integri ac vigilantiſſimi, & citò calueſcunt. Prima tamen pilorum generatio celerrima ipſis eſt ac pleniſſima, habéntque pilos nigros, & calidi ſunt ad contactum capitis, & rubicundi vſque ad vigoris tempus. Si verò humiditas affuerit caliditati, & parum quidem exceſſerint ambæ moderationem, bonus color adeſt, & calor: & in oculis venæ magnæ. Recrementa verò plura moderatè concocta, & capilli recti & ſubflaui, & non facilè calueſcunt: replentur autem & grauantur capite è calefacientibus & humectantibus. Vbi verò ad ampliorem humiditatem ac caliditatẽ peruenerint, morboſum fit caput, & facilè à calefacientibus ac humectantibus læditur. Nec verò diutius vigilare poſſunt: poſtquam autem obdormierunt, imaginationibus per ſomnia turbantur: & viſus caliginoſus eſt, & ſenſus nõ ſinceri. At verò frigidæ ſimúlque ſiccæ cerebri temperaturæ frigidum ac decoloratum caput faciunt, & oculorũ venæ in ipſis non extant, & à frigidis cauſis promptè læduntur. quapropter etiam inæqualiter ſani ſunt. Senſus autem ipſis in iuuentute quidem ſinceri ſunt & inculpabiles, verùm progreſſu tẽporis citò marceſcunt. Et in ſumma, omnia circa caput citò ſeneſcunt: & capilli ipſis genitis vix emergunt, atque ii macri ac fului. Porro humidæ ac frigidæ temperaturæ cerebri ſoporoſos & ſomnolentos efficiunt, & ſenſibus deprauatos, & recrementis abundantes, & quibus caput facilè perfrigeratur ac repletur, & qui defluxionibus ac grauedinibus facilè corripiuntur: non tamen calueſcunt tales.

VENTRICVLI TEMPERAMENTI notæ, Cap. LXIIII.

VEntriculi natura ſiccioris notæ ſunt, ſi citò ſiticuloſi fiant, & modicus ipſis potus ſufficiat, & grauentur vberiore, & fluctuationes habeant, ſi id quod redundat innatet, & eduliis ſiccioribus gaudeant. Humidioris autem, ſi non ſiticuloſi fiant, & vberiorem humorem citra moleſtiam ferant, & eduliis gaudeant humidioribus. At calidior natura ventriculus concoquit melius quàm appetit, & magis quæ dura ſunt, & difficulter alterantur. Gaudet autem calidis eduliis ac potibus, neque à frigidis quicquam læditur, ſi moderatus fiat ipſorum vſus. Frigidior autem natura venter bene quidem appetit, non autem bene cõcoquit, & maximè edulia quæ ægrè alterantur ac frigida ſunt. Facilè itaque in ipſo aceſcunt, & gaudet quidem frigidis, læditur autem facilè immodico eorum vſu. Cæterùm ex morbo contractæ ventris intemperaturæ in hoc differunt à naturalibus, contrariorum nimirum appetentia, non ſimilium. Si quidem igitur probè concoquit ventriculus, temperatus eſt: ſi verò non concoquit, intemperatus. Verùm ſi quidẽ nidoroſos fecerit ructus, immodicus eſt ipſi ac feruidus calor: ſi verò acidos, viceuerſa: & qui ægrè concoctilia probè concoquunt, eorum immodicus eſt calor. Debilis autem in iis eſt qui hæc quidem non concoquunt, piſces autem coquunt. Conſiderare autem oportet num ob aliquem humorem aliũde influentẽ hoc ſymptoma fiat: nã pituitoſis ructus acidi fiunt: bilioſis autẽ nidoroſi, viroſi, aut peregrinæ quædam qualitates. Communia verò ſymptomata accidunt nauſeæ. Verùm ſi quidem praui humores in capacitate ventris innatarint, redundant ac vomitu reiiciũtur: ſi verò in corpore ventris, circa tunicas ipſius contineantur, inanibus ad vomitum nauſeis fruſtra lancinant.

PVLMONIS DIGNOTIO, Cap. LXV.

NOn ſolùm venter ſiticuloſos & non ſiticuloſos efficit, & frigidi ac calidi potus appetentes, ſed viſcera etiam in thorace, cor & pulmo, & hepar. Et ſanè bibentes non ſtatim ſitire ceſſant, & frigidus paucus potus ſitim ipſorum magis ſiſtit quàm multus calidus. Refrigerat autem ipſos etiam multus aer inſpiratus, qui nihil alleuat ex ventre ſiticuloſos. Sic autem & qui contrario modo affecti ſunt, à frigida inſpiratione ſenſibiliter læduntur: & maximum indicium hoc eſt frigidi pulmonis. ſed & pituitam excreantes, cum tuſſi expuunt. Verùm pulmonis ſiccitates ſuperfluitatibus carent, & vocem puram habent, quemadmodum humiditates obſcuram & raucam vocẽ efficit: & vbi amplius aut acutius loqui volũt, ſuperfluitates ipſis incurrunt.

CORDIS NOTAE, Cap. LXVI.

COrdis rabidioris ſigna ſũt reſpirationis magnitudo, & pulſus velocitas ac dẽſitas, quãdoq; audacia, ac furioſa ferocia. Eſt etiam ipſis thorax hirſutus, maximè pectus, & quæ circa præcordia iis propinqua ſunt. Magna verò ex parte & totum corpus calidum, niſi hepar magnopere reluctetur. Quin & thoracis amplitudo, caliditatis nota eſt, niſi & hîc magnopere cerebrum renitatur. At frigidius cor pulſus habet moderatis minores: & tales timidi ſunt natura ac puſillanimes & ſegnes, & glabrum ipſis pectus eſt. Siccius autem cor pulſus efficit duros, & animi concitationem nõ facilem, ſed feram & ægrè ſedabilem: & plerũq; totũ corpus ſiccius, ſi nõ hepar reluctetur. Humidioris autẽ ſigna ſũt pulſus molles, & mores ad irã procliues, ac facilè ſedabiles: & totum corpus humidius, niſi hepar obſtiterit. Calidi porro ac ſicci, pulſus duri ſunt & magni, & veloces ac denſi: & reſpirationes magnæ & veloces ac dẽſæ. & hi omniũ maximè hirſuti ſũt pectore, & circa præcordia: verũ ad actiones impigri ac animoſi, & audaces ac tyrannicis moribus præditi. nam & ad irã celeres ſunt, & in ipſa pertinaces. Si verò humiditas cum caliditate præualuerit, minus quidem hi hirſuti ſunt prædictis, verùm ad actiones expediti. Non tamen ferus eſt ipſorum animus, ſed ſolùm ad iram procliuis: ſed & pulſus magni & molles, & veloces ac denſi. Humidioris autem ac frigi-

dioris cordis pulſus ſunt molles:mores puſillanimes,& timidi ac pigri.Sunt autem hi pectore pilis nudo, & minimè furioſi fiunt, quemadmodum etiam ad iram nō ſunt procliues: at frigidum ac ſiccum cor pulſus duriores ac paruos facit. Hi omnium maximè ab ira alieni ſunt: verùm irati iram conſeruant. Sunt autem pectore maximè omnium depiles.

HEPATIS TEMPERAMENTI NOTAE, Cap. LXVII.

Hepatis calidi notæ ſunt,venarū amplitudo, flaua bilis copioſior:tempore autem vigoris,etiam atra. Calidior eſt ipſis ſanguis, & propterea etiam totum corpus, præterquam ſi cor reluctetur:præcordia & venter hirſuta ſunt. Frigidioris autem notæ ſunt, venarum anguſtia,pituita copioſior, ſanguis frigidior, totus corporis habitus frigidior,niſi à corde calefiat:præcordia & venter pilis nuda.Siccioris verò,ſanguis craſſior eſt,& paucior:venæ duræ,& vniuerſus corporis habitus ſiccior. Humidioris autem notæ ſunt ſanguis copioſior & humidior,venæ molliores:ſic & totum corpus,niſi cor reluctetur. At verò calidi ſimulque ſicci hepatis ſigna ſunt,præcordium hirſutiſſimum, ſanguis craſſior,ſimulque paucior, & amara bilis plurima: in vigore verò ætatis,etiam atra, venarum amplitudo & duricies:ſic & totum corpus calidum ac ſiccum.nam caliditas ex corde proficiſcens frigiditatem ex hepate proficiſcentem ſuperare poteſt, quemadmodum etiam frigiditas caliditatē: at ſiccitatem hepatis cor humidiùs ad contrarium mutare non poteſt. Manifeſtum itaque eſt quòd vbi amborum principiorum temperaturæ in idem concurrerint, totum corpus exactè iuxta illas afficitur. Calidum verò ac humidum hepar minus quàm calidum ac ſiccum,præcordia hirſuta facit: verùm plurimum ſanguinem, & venas magnas, & habitum humidum ac calidum,ſi non cor reluctetur. Si verò amplius vtriſque qualitatibus naturalem modum exceſſerit, facilè putredinoſis ac mali ſucci morbis tales corripiuntur, & hoc adhuc magis ſi plurimū aucta fuerit humiditas,paululum autē caliditas: ſi verò viceuerſa modicè aucta fuerit humiditas,plurimum verò caliditas, vitioſi humores minimè in ipſis gignuntur.Frigidius autem ac humidius hepar præcordium depile habet, & ſanguinem pituitoſiorem efficit, vnà cum venarum anguſtia:& totum corpus ſimiliter frigidius ac humidius,ſi non à corde ad cōtrarium tranſferatur.Frigidum verò ac ſiccum hepar,corpus modici ſanguinis & anguſtarum venarū facit, & frigidius quoque:& præcordium pilis nudum,niſi & hic cor ſuperarit.

TESTIVM TEMPERAMENTI DIgnotio, Cap. LXVIII.

Teſtium temperamentum calidum,venereum eſt, fœcundúmque ac maſculorum generationi aptum, & citò genitales partes hirſutas facit.contingit autem & vicinas partes.frigidum verò viceuerſa: & humidum quidem,multi ſeminis eſt ac humidi:ſiccum autem,pauci ac craſſi. At calida & ſicca temperatura moderatè, craſſiſſimi ſeminis eſt ac fœcundiſſima, & celerrimè ad coitum ſtimulat animal ſtatim ab initio. Tales itaque celerrimè hirſuti fiunt circa genitales partes, & omnes circumcirca ſitas,ſurſum vſque ad vmbilicum, deorſum vſque ad media femora. Multum igitur concitata eſt talis temperatura ad venerem,& celerrimè ſatiatur,& ſi cogatur,læditur. Si verò humiditas caliditati copuletur, hirſuti quidē minus tales ſunt,ſed magis ſemine abundant: nō tamē plus quàm alii appetunt, ſed multæ veneri minore detrimento ſufficiunt. Si verò ambo & humiditas & caliditas multum fuerint auctæ,neque ſine noxa à venere abſtinent.At ſi humidi ac frigidi temperamento teſtes fuerint, partes circumcirca pilis nudæ ſunt, & tardè rem veneream agere incipiunt,& neque ad actionem procliues ſunt. aquoſum autem & tenue eſt ipſis ſemen & infœcundum,ac fœminarū generationi aptum. Siccum autem & frigidum temperamentum,ſimile quidem eſt in reliquis ſuperioris: verùm craſſius eſt ipſis ſemen,& omnino modicum.

DE OMISSIS, Cap. LXIX.

Singulæ in nobis partes propriam quandam temperiē ac vim habēt: & omniū notas nunc dicere non eſt ne-

A ceſſarium,quum infinitæ fere ſint,compendiaria doctrina hic inſtituta. Quum autē de iis dixerimus quæ maximè præ reliquis totum corpus ſibi coafficiunt, etiam de aliis per eandem methodum ratiocinationem facere iubemus, ita vt ex iis quæ excernuntur, & reliquis ipſarum actionibus ac ſymptomatibus tēperamenta ipſarū cognoſcamus. Tēpus itaque iam poſtulat vt ad intēperierum totius corporis correctionem ſermonem conuertamus.

CALIDAE CORPORIS INTEMPERiei correctio, Cap. LXX.

B Quandoquidem in calidis intemperaturis bilis ſuperat,ſi quidem deorſum ipſa ſubierit,manifeſtū eſt quòd nihil moliri oportet: ſi verò ad ſupernum ventrem feratur,per vomitus ipſum euacuare, poſt exercitia, ante cibum,ab accepta aqua tepida. Melius autē ab ipſis exercetur non velox & concitatū exercitium, ſed tardius ac mollius.Quidam verò vehemēter calidi,neque omnino opus habent, ſed ſatis eſt ipſis deambulatio ac balneum. hi autem & poſt cibum balneis gaudent. Qui verò cum ſiccitate calidi ſūnt,humectante diæta opus habent, C ex humectantibus eduliis,& balneis, & abſtinentia exercitiorū cōcitatorū ac multorū: quare per æſtatē & citius lauentur,& rurſus ſecunda vice poſt cibum.Prodeſt iis etiam frigidæ potus: maximè autem contraria eſt ſiccis temperamentis venus.Abſtinere etiam ipſos oportet maximè à laſſitudinibus & ardoribus,& curis ac vigiliis. At humidæ natura temperaturæ in puerili ætate morbis ex defluxione & plenitudine ac putredine corripiuntur. Opus itaque exercitiis pluribus, & exacta in ventriculo concoctione, & per vrinas excretione. quapropter ſi etiam D ante cibum bis ac ter lauentur, & naturalibus aquis calidis vtantur, maximè opem ſentiūnt.Sed & ea quæ defluunt à corpore, procurare oportet, per balnea & exercitia multa,& per excretiones ante cibum per vrinas ac vētrem factas.Nihil autem vetat & apophlegmatiſmis, pituitam à capite detrahentibus, aliquando, & purgationibus vti: eduliis item boni ſucci, & vini vrinam prouocantis potu.

FRIGIDAE INTEMPERIEI CORrectio, Cap. LXXI.

E Frigidarum intemperierum tres ſunt differētiæ, quarum peſſima eſt ſicca. Quod enim tēporis progreſſu ſeneſcētibus contingit,hoc ſtatim ab initio iis adeſt: itaque humectare ipſos oportet ac calefacere. Continget autem hoc exercitiis moderatis,& alimentis humidis ac calidis,& vini calidioris potu,ſomno vberiore,& prouidentibus nobis quò recrementa quæ quotidie in corpore generantur, omnia excernantur. Venus autem omnes ſicciores lædit, & maximè eos qui cum ſiccitate frigidi ſunt: ſolis autem calidis & humidis innoxia eſt. Prauæ F ſunt etiam frigidæ intēperaturæ cum humiditate, & hæ maximè fluidis morbis corripiuntur. prodeſt autem ipſis illuuies & exercitia plura,& victus attenuās, & vnctiones moderatè calidiores.Qui verò frigidiores quidē ſunt natura, moderatè autem habent temperamentum ſiccitatis ac humiditatis, eorum caliditatem excitare ac corroborare oportet, & in totius victus ratione quæ ad humiditatem ac ſiccitatē attinet,id quod medium eſt eligere.

SICCAE INTEMPERIEI CORRECTIO in ventriculo,velut exempli cauſa: deinde G etiam reliquarum intemperierum, Cap. LXXII.

Sicca intemperies quædam eſt vbi ſolidæ eſſentiæ ſimilaria corpora ſicciora fiunt,quæ etiam incurabilis eſt: altera,ſiccitas eſt eſſentiæ ex humore compactæ. Ad has tertia eſt,quum propria humiditas ex qua partes nutriuntur,penitus perditur: continetur autem hæc in omnibus animalis partibus inſtar roris in ipſis diſperſa. Hanc autem ipſis partibus apponere impoſſibile eſt citra alimentum, & propterea difficillima taliū affectionum curatio H eſt.Alia verò eſt iuxta paruas arterias ac venas conſiſtens. Has ſiccitates curare conuenit ita vt ſingulas ſimilares partes, ex humectante alimento, propria humiditate impleamus. Balneum igitur commodum eſt temperatum, ægro diutius in aqua moram trahente. Poſt balneum verò ſtatim lac dandū eſt aſininum recens mulctū-

Oportet & mellis tepidi parum lacti admiſcere, & poſtea quieſcere permittere vſque ad ſecundum balneum. Tūc autem fricare oportet moderatè ac pinguiter,an exactè confectum ſit datum lac,ex ructibus ac ventris mole cōiectura facta. Moderatum autem eſt tempus à primo balneo vſque ad ſecundum, horarum æquinoctialium quatuor aut quinque,ſi tertiò ipſum lauare velis: ſin minus, plurium. Et ſanè illinere ipſum oportet oleo,antequam induatur,à ſingulis balneis.Si quidem igitur lacte delectetur,& à ſecundo balneo ipſum dabimus: ſin minus,ptiſſanam exactè coctā, aut halicam inſtar ptiſſanæ præparatam. Deinde rurſus quieſcere iuſſum, ad tertium balneum ducemus,aut contrà,ad cœnam.Panis autem ſit probè præparatus, clibanites,purus. Obſonium autem,ex piſcibus in petroſis aquis degentibus quiſpiā, aut aſellus ex iure albo. Quod verò in ſumma de cibo dicam,ſit concoctu facilis & nutriens, minimè viſcoſus ac ſuperfluitatibus abundans.Potus autem ſit vinum aquoſum album, purum,modicum,aquæ admixtionem ferēs, modicè adſtringens. Maximæ igitur ſiccitatis hæc curatio eſt: verùm moderatæ ita exquiſito victu non habent opus,& pleniorem diætam ſufficere licet. Ponatur autem ſimilis priori ſiccitas,ſed admixta ſit ipſi moderata frigiditas.In hac ad calefaciētium materiam mutationem faciemus, & relatis apponemus,in lactis quidem vſu,plus mellis:vinum verò minus priore aquoſum dabimus.Sed & ipſa edulia calidiora danda ſunt,non ſolùm ex naturali temperatura,ſed etiam à recenti qualitate: & nardinum vnguētum aut maſtichinum frequenter illinendum.Quòd ſi frigiditas multa ſit vnà cum ſiccitate,primùm quidem affectionem grauiſſimam eſſe ſcito,& quæ ægrè corrigi poſſit:verùm iiſdem vtere,& per ſe melle cocto ac deſpumato:vinum autem elige vetuſtius. Optimū autem pharmacum in talibus eſt id quo aſſiduè picatores vtuntur, & ex ipſo ventrem illinere oportet,& dum adhuc calidū eſt auellere.Prodeſt autem talibus etiam puer carnoſus condormiens, vt ſemper ſupernum ventrem contingat. Miſceatur autem conſequenter ad ſiccitatem moderata caliditas. In hac primum victus ductum ſeruabimus, ita vt mel prorſum non guſtent. Vinum autem accipiant minimè vetuſtum: edulia verò tepida, & lactoſa, *hoc eſt lactei teporis*, exhibebimus , & ventrem omphacino aut melino oleo illinemus. Cæterùm hos contentioſius perfrigerare, periculo non vacat,quum febrilis quodammodo hæc ſit affectio vbi caliditas redundarit.Ponatur rorurſus præualere calidam intemperiem,admixtam autem eſſe ipſi humiditatemt:talem intemperiem aquæ frigidæ potu curauerimus.Commodus autem eſt adſtringētium eduliorum vſus.Sint & hæc citra caliditatem auſtera:at humida intemperatura ſola conſiſtente, ſiccantia edulia,citra caliditatem ac frigiditatem opitulantur:& ad hæc inopia conſuetorum potuum.Humidæ verò cum frigiditate intēperaturæ optimæ medelæ ſunt acria omnia. Adiiciantur autem iis etiam adſtringētia, abſque hoc vt manifeſtè frigefaciāt.Optima verò medela & his eſt modicus potus, & hic ex vinis vehementer calefacientibus. Atque intemperierū quidem ex qualitatibus obortarum, eiuſmodi curationes exiſtunt. Quandoquidem verò humiditas in capacitate ventris contenta, aut in tunicis ipſius imbibita,intemperaturam efficit, commodum fuerit etiam de his dicere.Prior itaque affectio ſi quidem ſemel conſtiterit,per vomitus purgata,facilè ſedatur : ſi verò rurſus ex alia quadam aut aliis partibus influxerit, exacta cognitione opus habet, curatio verò ſtatim ſequetur. Vniuerſam enim curationē loco affecto adhibere oportet: prouidere autem in tantum ſolùm iis quæ ſuſcipiunt, vt non facilè influentia ſuſcipiant.Id verò contigerit per adſtringentia,& per ea quæ totum corpus ad bonum habitum perducunt.At verò vitiatos in tunicis ventris humores per moderatè purgantia educemus:quale eſt aloe, & medicamentum ex ipſa cōſtans,picra cōfectio ab amaritudine appellata.Si verò viſcoſa pituita ventri fuerit infarcta,prius ipſis danda ſunt quæ hanc ſecant: deinde ſic purgandum.Si tamen ad hoc aptus ſit,à radiculis acceptis vomat. Quòd ſi neque viſcoſus neque craſſus fuerit humor, ſufficit etiam à ptiſſanæ ſucco vomitus, & ab aqua

A mulſa.bibatur etiam abſinthii ſuccus in aqua mulſa.Porro ad hanc proportionem etiam intemperies in aliis partibus factas curare oportet,ita vt humoribꝰ idoneas effluxiones inuenias. Si verò neq; effluxionē habeat pars ſenſui expoſitā , per reſolutionē in vaporē euacuare oportet abūdātes in ipſo ſeroſos atque reliquos humores: quēadmodū etiā ſi ſpiritus flatuoſus fuerit id quod continetur.

DE ALIMENTORVM FACVLTAtibus, Cap. LXXIII.

QVum de alimentorum facultatibus doctrina,pars ſit
B tractationis tuendæ ſanitatis, iam quoque ad prædicta de illis ſubiungemus, paucis quibuſdā ante particularem de ipſis doctrinā præmiſſis. nam,ſiquid aliud, alimentorum facultates noſſe oportet. Quæ igitur attenuantem vim habent, tranſitus meatuum ab obturatione liberant,& viſcoſa impacta detergunt, & craſſa ſecant ac attenuant:verùm iis qui diutius in ipſorum eſu perſeuerant,ſeroſas ac bilioſas ſuperfluitates congregāt: etſi ad huc amplius quis immoretur,atrabiliarius ſanguis redditur.Proinde ab aſſiduo ipſorum vſu abſtinere oportet, &
C præſertim eos qui bilioſum habent temperamentum. Solis enim iis competunt qui pituitam & craſſum crudúmque ac viſcoſum humorem coaceruarunt.Quæ verò craſſefacientem vim habent, abundè quidem alunt, &,ſi in vētre ac hepate cōueniēter cocta fuerint, boni ſucci ſanguinē generāt: verū ſplenē & hepar obturāt. Ex iis autē aliqua ſūt ſolùm craſſi ſucci,velut lēticula:quædā viſcoſa, velut maluæ : quibuſdā ambo cōtigerūt,vt & craſſi ſucci ſint & viſcoſa,velut teſta intectis.Securior itaq; eſt attenuans victꝰ ad ſanitatis præſeruationē quàm is qui magis craſ-
D ſefacit. at quum parū ille nutriat,firmitatē ac robur corporibus non addit. Et oportet aliquando etiā multū nutrientia moderatè exhibere,vbi quis indigentiam deprehenderit. Maximè verò citra periculum hæc acceperint qui exercitiis dediti ſunt, & qui quantum volunt dormiunt. Omnes verò qui ante cibos ſe exercere non poſſunt, craſſi ſucci alimenta fugiant.Sed neque otioſi talia alimēta admittant. Maximum autem malum ad ſanitatis cuſtodiam otium perpetuum exiſtit: quemadmodum ſanè moderatus motus maximum bonum.Quæ verò edulia
E medium inter craſſefacientia ac attenuantia habent,omnium optima ſunt,& moderatū compage ſanguinem generant. Tale igitur alimentum corporibus noſtris conueniens eſt: nociuum autem id quod mali ſucci eſt, quod ſemper fugere oportet. Sed & varietatem alimentorum vitare melius eſt, & præſertim ſi ex contrariis ſunt facultatibus.nam accepta non conuenienter concoquuntur.

DE OLERIBVS, Cap. LXXIIII.

LActuca manifeſtè perfrigerat & humectat: quapropter etiam ſomnifica eſt. quantum verò eius in oleri-
F bus exiſtit, probè nutrit,& boni ſucci ſanguinem gignit. Sed & intubus frigidi ac humidi temperamēti eſt, ſed minus quàm lactuca. Malua frigefacit quidem,ſed non manifeſtè:magis autem humectat,vnde etiam ventrem ſubducit. hoc autem etiam ob viſcoſitatem quam in ſe habet. Beta extergendo aluum ſubducit : quare etiam ſtomachum mordet ſi amplius edatur. obturat autem hepar & ſplenem. Braſſica bis cocta ſi edatur,ventrem cohibet : ſemel autem non diu cocta, & cum oleo,garo,aut ſale accepta,magis ſubducit : quemadmodum ſuccus i-
G pſius magis quàm lenticulæ ſuccus purgat. Adhuc autem magis marina braſſica manifeſtè aluum mollit, vt quæ ſalſuginoſa ſit & amara. Sed & Alimum amplioris ſalſuginoſæ qualitatis particeps ventrem ſubducit : verùm magis quàm braſſica ſtomacho commodat, vtpote moderatæ adſtrictionis particeps : lac autem & ſemen generat. Blitum & atriplex humida quidem ſunt, & aluum ſubducunt, verùm parum nutriunt. Spinoſa omnia, velut carduus, & atractylis, & huiuſmodi, ſtomacho commoda ſunt:excepta cinara . hæc enim quum dura ſit, malum ſuccum generat . quapropter optimum eſt coctam ipſam
H exhibere cum oleo, garo & coriandro. Apium & hippoſelinum , ſion & ſmyrnium , vrinam omnia ciēt: verùm ſmyrnium magis aromaticum eſt, & acre, ac vrinam ciens, & mulieribus menſes mouet. Apium autem & hippoſelinum iucundiora ſunt, ideóque ſtomacho

commodiora. Eruca calida eſt,& ſemen gignit: quapropter & venerem & capitis dolorem excitat. Naſturtium & ocymum,& ſinapi, calida ſunt & acria,& maximè naſturtiũ: ægrè verò cõcoquũtur, & ſtomacho incõmoda ac mali ſucci ſunt. Vrtica tenuiũ partiũ eſt,& aluũ ſubducit, ac parũ nutrit. Gingidiũ ſimile eſt ſcandici, adſtringentis & amaræ nõ paucæ particeps qualitatis. Eſt & ſtomacho commodum, vt etiam cibum auerſantibus aptum ſit ſi cum aceto edatur: verùm modicum alimentum corpori exhibet. Cæterùm ſylueſtria olera extremè vitioſos ſuccos generant. Capparis autem appetentiam cibi excitat,& hepar ac ſplenem ab obturatione liberat, & pituitã ſubducit: vtẽdum autem ea eſt cum aceto mulſo, aut cum aceto & oleo, ante reliquum cibum.

DE ASPARAGIS, Cap. LXXV.

BLiti, lactucæ, atriplicis, maluæ & betæ planta humida eſt, aſparagus autem, ſiccus. Rapum autem & ſinapi, radicula, naſturtiũ, pyrethrum, braſſica,& alia calida, plantam ſiccam, aſparagum autem humidum habent. At verò fruticoſarum plantarum aſparagi,& paluſtris & hortẽſis & qui à bryonia eſt, ſtomacho quidem commodi ſunt, & vrinam cient, verùm parum nutriunt: ſi verò concoquantur, magis nutriunt quàm olerũ aſparagi. Similiter & chamædaphnes aſparagus.

DE RADICIBVS ESVI APTIS, Cap. LXXVI.

BVnias, quod & rapum appellatur, bis coctum in cibo acceptum, non minus quàm aliæ plantæ nutrit: verùm ſi aſſiduè accipiatur, craſſum ſuccũ gignit. Bulbi adſtringunt, extergunt, appetentiam cibi faciunt, ſtomachum corroborant,& viſcoſa in thorace probè educunt. Verùm bis cocti alunt magis, ſed minus probè educunt. amaritudinem abiicientes: generant & ſemen, & venerẽ ſtimulant in vberiore vſu: flatus quoque faciunt ac tormina inducunt. Qui verò cum oleo & garo educuntur, iucũdiſſimi ſunt,& flatus non generant, & probè nutriunt, ac facilè concoquuntur. Paſtinacæ, dauci & cari radices minus quàm rapa nutriunt, calidæ autem & aromaticæ palàm ſunt,& vrinam cient. Abutentibus autem & malos ſuccos gignunt,& communi radicum ratione ægrè concoquuntur. Quidam paſtinacam ſylueſtrem daucum appellant, quæ magis vrinam promouet. Radicula attenuatoriæ ac calidæ eſt facultatis: verùm ante cibum edere ipſã oportet, cũ aceto aut garo, ventris ſubducẽdi gratia: nequaquam poſt cibum. Cepa, alliũ,& porrum, acrẽ vim habentia, calefaciunt corpus & attenuant, & craſſos in ipſo humores ſecant:& bis cocta quidem parum nutriũt, non cocta autem, omnino non alunt: allium tamen magis obturationes aperit, ac diſcuſſorium eſt. Ampelopraſon ſiccius eſt quàm porrum, vtpote ſylueſtre. In ſumma, ex oleribus quæ cruda eduntur, magis vitioſum ſuccum gignunt quàm cocta, & ampliore ſuperflua humiditate participant. Quæ verò ad repoſitionem muria aut acida muria aſſeruantur, ſtomacho commoda ſunt, & appetentiã excitant, & crudos humores ſecant: verùm ægrè concoquũtur, & abutentibus prauos ſuccos gignunt.

DE TVBERIBVS ET FVNGIS, Cap. LXXVII.

TVber ſuccum qui ex ipſo redditur, qualitatis exortẽ habet, frigidiorem autem & craſſum. At fungi frigidi ſunt,& pituitoſi, ac mali ſucci. Ex iis autẽ boleti innocentiores ſunt,& qualitatis exortes, probè cocti. Secundi ordinis ſunt Ammanitæ. Cæterùm à reliquis fũgis abſtinendum eſt. multi enim ex ipſis lethales ſunt. Sed & ipſi boleti, ſi crudiores edantur, ſæpe periculi cauſa exiſtunt.

DE FRVMENTACEIS, Cap. LXXIII.

EX frumentaceis appellatis chondrus probè nutrit, & viſcoſum ſuccũ generat: verùm lotus prauus eſt, quoniã promptè craſſeſcens inconcoctus manet: melior autem eſt ſuccus ipſius totius probè cocti, inſtar ptiſſanæ. Halica in reliquis chõdro ſimilis eſt, magis autem aluum cohibet. Triticum coctum in cibo acceptum ægrè cõcoquitur,& flatuoſum eſt: ſi verò concoquatur, alimentũ fortiſſimum exhibet. At ſi in panem cogatur, flatuoſitatem & difficultatem concoctionis deponit, ob fermentum &

A ſalis participationẽ. Verùm ex panibus magis alit ſiligineus, deinde ſimilaceus: tertio loco, ex toto collatus, cui nihil furfurum deceſſit. Sordidus autem panis minus quidem nutrit, ſed magis per ventrem ſubit. Amylum parum nutrit, velut etiam panis lotus. Hordeum frigidam & exterſoriam vim habet:& coctum quidem velut ptiſſana humectat: toſtum autem, velut in polenta, ſiccat. At polenta in æſtate ante balneum pota ex aqua, ſitim ſedat. Panis hordeaceus friabilior eſt, & parum nutrit. Maza ægrius concoquitur,& flatuoſior eſt quàm hordeacei panes: verùm ſi mel addatur, aluum ſubit. Auena calida eſt, & parum nutrit. Milium & panicum, frigida ſunt & ſicca, B & parum alunt,& ventrem ſiſtunt: per omnia tamẽ miliũ panico melius eſt. Oryza ægrè cõcoquitur, & parum nutrit,& aluum ſiſtit. Ptiſſana ſic coquitur: vna pars ipſius ad quindecim aquæ partes iniicitur, oleúmq; moderatũ admiſcetur, & poſtquam intumuit, etiã acetum additur: vbi verò exactè cocta eſt, etiã ſal tenuis inditur. In quibuſdam porrum quoque & anethum ipſi admiſcent. Similiter autem velut ptiſſana, etiam auena & chondrus coquitur.

DE LEGVMINIBVS, Cap. LXXIX.

EX leguminibus lenticula mali ſucci eſt, & atram bilẽ parit: verùm ipſa quidem,& maximè bis cocta, ventrem ſiſtit: decoctum autem ipſius, cum oleo & garo potum, ventrem promouet. Admiſcere autem oportet ipſi thymbram; aut pulegium, propter flatuoſitatem. Fabæ leues ſunt, flatuoſæ, aut exterſoriæ: faba Ægyptia noſtrate faba humidior eſt,& ſuperfluitates gignit. Piſum, laxũ qui D dem eſt, non tamen ita flatuoſum. Cicer flatuoſum eſt & exterſoriũ,& ſemen gignit,& venerem ſtimulat, ac calculos atterit: toſtum verò flatuoſitatem deponit, ſed ægrè concoquitur. Lupini ægrè concoquuntur, & difficulter aluum ſubeunt,& crudum humorem gignũt. Fœnũ græcum calefacit,& ventrem promouet, ſi ante cibum accipiatur. Ochri & phaſeli præmacerati, vt radices producãt, aluũ ſubducũt, ante cibum cum garo accepti: & nutriũt magis quàm fœnum græcum. At phaſioli (qui etiam do- E lichi appellantur) ſi integri cum ſiliquis virides edantur, magis recrementitiam ſuperfluitatem generant.

DE FRVCTIBVS FVGACIBVS, Cap. LXXX.

CVcurbita frigefacit & humectat,& aluum ſubducit: modicè autem nutrit. Pepon, totus quidem mali ſucci eſt,& frigidus,& humidus, & vomitorius: ſi verò non concoquatur, etiam choleram efficit. Semen autem ipſius vrinam ciet, & calculos in renibus atterit; & in totum abundè exterget. Melopepon minus quàm pepõ omnia hæc poſſidet. Cucumis autem minus pepone frigidus F ac humidus eſt, verùm magis vrinam ciet,& ægrè concoquitur, ac mali ſucci eſt etiamſi concoquatur. In ſumma verò omnes fugaces fructus frigefaciunt & humectant, parum nutriunt,& mali ſucci ſunt.

DE FRVCTIBVS ARBORVM, Cap. LXXXI.

FIcus & vuæ velut principatum inter omnes pomorũ ac autumnales fructus obtinent. nam & minus mali ſucci ſunt,& magis nutriunt. Ex iis autem ficus meliorẽ ſuccum habent,& magis alunt,& aluum ſubducunt, vrinámque cient, & renes expurgant, præſertim valde maturæ: ac ipſæ caricæ. Flatuoſæ autem ſunt, & ſanguinem G non bonum gignunt, quapropter etiam pediculos generãt, ſiquis frequentius ipſis vtatur. At vuæ ſi non ſecedãt, neque concoquũtur, ſed & crudum humorem generant: ſi verò ſecedant, moderatiores ſunt. Vuæ paſſæ calidiores vuis ſunt,& ſtomacho cõmodiores, & magis nutriũt: minus autem aluum ſubducũt. Mora (quæ & ſycamina) valde humectant, perfrigerant moderatè, & aluum ſubducunt prima accepta:& non valde ſtomacho incommodant, ſed parũ alunt. Ceraſa quæ dulciora ſunt, aluũ ſubducunt, ſed ſtomacho incommoda ſunt: quæ verò adſtri- H ctione participant, minus ſtomacho nocent, aluum autẽ ſubeunt. Eadem ratio etiam in vuis, moris, ac pluribus aliis habetur:& in ſumma, quæ adſtringũt, prima ſi ſumũtur in cibo aut potu ante alium cibum, ventrem ſiſtunt. Quibus verò ob debilitatẽ venter cohibetur, iis, ſi acce-

perint ea quæ mollire ſolent,velut olera,aut piſces,aut hu
iuſmodi quædam, & poſtea ingeſſerint adſtringẽtia,per
hoc quòd corroborant hæc ipſum,deorſum propellunt,&
ad excretionem excitant . Pini fructus, ſtrobilus appella-
tus,boni ac craſſi ſucci eſt,& probè nutrit , non tamen fa-
cilè concoquitur.Perſica mali ſucci ſunt , & aceſcunt , ac
facilè corrumpuntur. Quapropter prima danda ſunt,eo
quòd promptè ſubeant , & nõ corrumpantur per moram
in ventre. Præcocia & rhodacena & Armenia, meliora
ſunt Perſicis : neque enim aceſcunt, neq; ſimiliter corrũ-
puntur:ſunt autem & iucunda.Mala dulcia aliis ſunt cali-
diora,& facilè in corpus diſtribuuntur,& præſertim ſi aſ-
ſentur aut coquantur : acida verò frigidiora ſunt, ſed hu-
mores in ventre magis ſecant : auſtera ſtomachum robo
rant,& ventrem ſiſtunt:& his adhuc magis cydonia.Pira
magna ac matura,adhæc etiã magis alunt. Mala Punica
frigefaciunt,ac parum nutriunt. Meſpila & ſorba magis
adſtringunt,& fluenti aluo commoda ſunt.Palmulæ ſto-
macho commodant,ſi non valde fuerint pingues:verùm
aluũ ſiſtũt, & craſſos ac viſcoſos humores generant,& ca-
pitis dolorem inducunt.Oliuæ druppæ ſtomacho nocẽt,
pinguem ſuccum generant : colymbades autem muriá-
que conditæ,ſi ante cibum ſumantur, appetentiam exci-
tant,& aluum ſubducunt, & amplius quæ cum aceto & a-
ceto mulſo præparantur.Nuces regiæ minus alunt quàm
auellanæ,& magis ſtomacho commodant:virides nuces
humidiores ſunt,& aluum ſubducũt.At ſiccas ſiquis aqua
maceratas interna membrana denudet, conſimiles ipſas
viridibus efficiet.Amygdala incidẽdi ac attenuãdi vim
habent. quapropter viſcera & thoracem expurgãt, & ad-
huc magis ea quæ amara ſunt:ſimiliter etiam piſtacia , &
amplius hepar obturatione liberant. Damaſcena ventrẽ
ſubducunt ſi ante cibum edantur cruda, & in aqua mulſa
cocta:ſerica ægrè concoquuntur,ſtomacho incõmodant,
& parum alunt.Siliquæ ægrè concoquuntur, & aluum ſi-
ſtunt,& malum ſuccum gignunt. Sycomora perfrigerãt,
& humectãt manifeſtè . Citrii mali externa pars acris eſt,
& difficulter concoquitur:quæ verò velut caro ipſius eſt,
nutrit quidem, ſed & ipſa ægrè concoquitur : at interna
pars,ſiue acida,ſiue aquea fuerit,multum frigefacit.Glan-
des alunt non minus quàm frumentacea,verùm difficul-
ter cõcoquuntur, & craſſi ſucci ſunt,ac tardi tranſitus:ca-
ſtaneæ per omnia his meliores ſunt.

DE ANIMALIBVS, ET PRIMVM
volatilibus, Cap. LXXXIII.

ANimalia volatilia alimentum minus quàm quadru-
pedia,& præſertim ſues,exhibent. Facilius autem cõ-
coquitur ipſorum caro,& magis à perdice,& attagene , &
pullo columbino,& gallina ac phaſiano : at turdorum ca-
ro,& merularum,& auicularum paruularũ,inter quas ſunt
etiã pyrgitæ *à turribus appellati*,durior eſt. Et iis adhuc ma-
gis turturis, & palumbi , & anatis caro. Multo enim diffi
cilius concoquitur,& durior ac fibroſior caro pauonis eſt.
Verùm anſerum & ſtruthiocameli caro omnibus relatis
difficilius concoquitur , & ſuperfluitatibus abundat,ex-
ceptis alis.hæ enim non minus quàm aliarum auium bo
ni ſucci ſunt . Gruum autem caro fibroſa eſt & dura.In
ſumma,iuniora volatilia vetuſtis humidiora ſunt , facili⁹
concoquuntur,& magis alunt,ac per aluum ſubeunt. Co-
cta verò aſſis ac in ſartagine frictis ſimiliter præſtant : &
quæ ex ſiccis ac montanis locis ſunt, facilius concoquũ-
tur, & ſuperfluitatibus carent magis quàm ea quæ in pa-
luſtribus nutriuntur.

DE OVIS, Cap. LXXXIII.

GAllinarũ ac phaſianorũ oua omnium optima ſunt
anſerum autem & ſtruthiocamelorũ,non bona .Ex
omnibus autem recentia vetuſtis meliora ſunt: & tremu-
la quidem magis nutriunt, ſorbilia verò magis ſubeunt,
& faucium aſperitates leniunt:reliqua omnia ægrè con-
coquuntur,& tardè tranſeunt,& craſſum ſuccum gignũt,
exceptis ſuffocatis appellatis. Hæc autem fiunt,cruda cum
garo & vino ac oleo ſubacta , & in duplo vaſe moderatè
compacta. Talia enim facilè concoquuntur,boníque ſuc-
ci ſunt. Peſſima autem ſunt in ſartagine fricta.

A DE PEDESTRIBVS ANIMALIBVS,
Cap. LXXXIIII.

EX pedeſtribus animantibus ſuillæ carnes reliquis e-
duliis magis alunt,eo quòd & ſapore & odore fami-
liaritatem quandam ad humana corpora habent : velut
quidam qui per ignorantiã humanas carnes guſtarunt, co
gnouerũt. Alimẽtũ autẽ quod ex illis cõtingit, viſcoſum
eſt,& nõ facilè diſcutitur ac trãſpirat. Oouilla caro ſuper-
fluitatibus abundat, & mali ſucci eſt : caprina acris eſt &
mali ſucci . Peſſima autem eſt hircorum , & ad conco-
B ctionem & ad ſucci bonitatẽ. Bubula atrabiliaria eſt. Le-
porina craſſi ſucci,ſed minus quàm ouilla ac bubula. Cer
uina dura eſt,& difficulter concoquitur. In ſumma, recẽ-
tia animãtia ac iuniora,humidiora ſunt & molliora,& fa
cilius concoquuntur quàm vetuſta:ita & caſtrata non ca-
ſtratis, & ſaginata gracilibus præſtant.

DE PARTIBVS ANIMALIVM,
Cap. LXXXV.

EXtremæ partes neruoſæ ſunt, & pinguitudinis exor-
tes,& excarnes:& propterea viſcoſæ ſunt,& parũ alũt,
C & ventrẽ ſubducunt : exceptis volatilium extremis parti-
bus, propter multam ſiccitatẽ. Roſtra & aures cartilagino
ſa ſunt ,& ægrè concoquuntur . Lingua laxa eſt,exanguis,
ac pauci alimenti . Glandulæ iucundæ ſunt & friabiles:
verùm iucundiores ſunt quæ in mammis exiſtunt, & ma
ximè ſuum , vbi plenæ fuerint lacte . Hæ etiam nutriunt
non minus quàm carnes . Renes & teſtes viroſi odoris ac
ſaporis ſunt,& ægrè concoquũtur: verũ ſaginatorũ gallo-
rum teſtes iucũdi ſunt,& bonũ alimentum corpori præ-
bent: quemadmodum taurorum,& hircorum,& arietum
D ægrè concoquuntur,& mali ſucci ſunt. Cerebrũ pituito-
ſum eſt,& craſſi ac mali ſucci,tardè tranſit,ægrè cõcoqui-
tur,ſtomacho incõmodat,& nauſeã parit:ſi verò probè cõ
coquatur,ſatis nutrit: medulla pinguis & iucundior cere-
bro eſt,ſed in reliquis ſimilis. Pinguedo & adeps parum
nutriunt, & ſtomacho nocent. Cor & hepar craſſi ſucci
ſunt,ægrè concoquuntur,& tardè tranſeunt : ſed ſuillum
hepar reliquis melius eſt. Splẽ praui ſucci & atrabiliarius
eſt:pulmo facilius concoquitur velut laxus,minus autem
nutrit, & pituitoſus eſt. Ventriculus, vterus , & inteſtina,
E dura ſunt, & ægrè concoquuntur, & pituitam generant.
In ſumma, ſylueſtrium animalium alimentum ſiccius eſt
& minus ſuperfluitatibus abundans quàm domeſticorũ.
Sanguis omnis difficulter cõcoquitur, & præſertim craſ-
ſus ac atrabiliarius,qualis eſt bubulus. Leporinus autẽ ve-
lut iucundiſſimus,in pretio eſt,& multis hic mos eſt vt
ipſum coquant cum hepate : quidam etiam cum aliis
viſceribus coquũt. Aliqui & iuuenis porcelli ſanguinem
edunt:ac caprarum ſanguinem ab aliquibus edi, etiã Ho-
merus nouit.

DE LACTE, Cap. LXXXVI.

F LAc ſi concoquatur,nutrit quidem,ſed gingiuas & dẽ
tes lædit. Quare poſt ipſum acceptum,primum aqua
mulſa,deinde vino adſtringẽte os colluere oportet. Ca-
pitis etiam dolorem inducit, & præcordia ac ventrẽ in-
flat,& in renibus calculos generat. Et quod quidem liqui
dius eſt,minus nutrit,ſed magis aluum ſubducit: craſſius
autem viceuerſa , magis nutrit , & minus ſubit. Mode-
ratum autem compage caprinum eſt:quemadmodum ſa-
nè ouillum craſſius : & ſtatim quidem poſt partum , te-
G nuius eſt: progreſſu autẽ temporis craſſius ac deterius fit.

DE LACTIS POTV, Cap. LXXXVII.

LAc bibens ab aliis cibis abſtinere debet , donec con-
coctum fuerit,& deorſum ſucceſſerit. Præſtat igitur
mane bibere recens mulctum, & ab ipſo accepto , cibis
abſtinere,& tunc quoque laboribus nimiis aliquid detra
here.nã in laborãtibus neceſſe eſt ipſum aceſcere. Quare
leniter deambulare melius eſt,& interim vigilantes quie
ſcere. Sic enim facienti primùm ſecedit:eo autem excre-
to,aliud bibat:& ſi hoc ſeceſſerit,rurſus aliud . Ab initio
igitur probè purgat, non quidem ita multum de reliqua
H mole,ſed quæ intus ſunt in ventre. Poſtea verò iam in-
greditur in venas,& optimè nutrit,& non amplius per al-
uum ſecedit. At verò in bilioſis fluxionibus,& in colliqua
tionibus ad ventrem nutantibus , lac coctũ dare oportet.

Coquere autem oportet primùm leniter ac paulatim, vt ne pars quædam diffundatur,pars verò conſumatur: poſtea verò magis atque magis coquere, cauendo vt neque amburas,neque caſeum ex ipſo facias. Optimè verò caue bis hoc ſi & molliter coques,& quod motu diſparatur,vndique derades. Mouere autem oportet ferula leui ac tenui: & ſiquid ad ollæ labia ebulliat,etiam hoc ſpõgia repurgare. ſæpe enim hinc etiam reliquum corruptum eſt. Hoc igitur modo velut dictum eſt lac coquere oportet, donec æqualiter craſſius ac dulcius crudo euadat.Quin & per ignitos ſilices in lac immiſſos exhauritur ac conſumitur id quod in ipſo eſt tenue ac ſeroſum: ſed & hoc alui fluxionibus & maximè bilioſis conuenit.

DE LACTE SCISSO, Cap. LXXXVIII.

SEroſa lactis pars à caſeoſa, vehementiore ad ignem luculentiorem ac nõ fumoſum coctura ſeparatur: deinde per colum aut panniculum exactè excolatur.Et ad ſerũ quidem mel moderatum,aut acetum mulſum moderatum,aut ſal admiſcetur,& ad ventrem ſubducendum exhibetur,in vigore ætatis conſiſtentibus, vſque ad ſextariorũ duorũ menſurã: iunioribus autẽ,non minus ſextario.Cæterùm lac per ignitos ſilices immiſſos,aut per ferri immiſſionem craſſefactum, & ad dyſenterias & ventris fluxiones rectè dari poteſt.

DE CASEO, Cap. LXXXIX.

OMnis caſeus acris eſt,& ſitim excitat, & ægrè concoquitur,& mali ſucci eſt,& calculos generat. Melior autem eſt recens,& laxus,& mollis,& iucundus,& moderati ſalis particeps:contrarius verò,peſſimus.

DE PISCIBVS, Cap. XC.

QVòd omnis piſcis frigidioris ac humidioris ſit temperamenti, manifeſtum eſt: verùm omnibus aliis præſtant petroſi appellati,vt qui facilè concoquantur, & boni ſucci ſint, & moderatè humectẽt, vbi nõ habuerint carnem duram. Verùm ex non petroſis, pelagii multum præſtant iis qui in limo nutriuntur, aut iſtic vbi flumina in mare incurrunt. Deteriores autem his ſunt qui in ſtagnis & mari ſtagnante aluntur. At particulatim capito, vbi pelagius fuerit, moderatè iucundus eſt, & minus ægrè concoquitur, & bonum ſuccum gignit: verùm ſanguinem tenuiorem ac debiliorem generat. ſimiliter etiã lupus. Sed & mullus ipſe,ſi pelagius eſt,durior aliis piſcibus ac friabilior eſt,& facilè concoquitur,& alit,& iucũdus eſt & non pinguis.

DE TESTACEIS, Cap. XCI.

PIſces qui teſta integuntur, ſalſum & crudũ humorem generant: ex iis autem oſtrea molliſſimam carnem habent,& magis ſubeunt.Chemæ verò,& purpuræ, vngulæ, ſpondyli,buccina,cochleæ,& quæcũque talia,dura.Et quæ molli teſta integuntur,velut gammari, paguri, cancri,locuſtæ & ſquillæ, ægrè concoquuntur,& nutriunt, & ventrem ſiſtunt,ſi ſæpe in aqua dulci coquãtur.Omnibus autem teſtaceis ſuccus ineſt qui ventrem ſubducit: quare etiam cochleis terreſtribus.At quum hæc duram carnem habeãt,quæ ægrè concoquitur & nutrit,ac malum ſuccũ generat,quidam iuſculum per oleum ac garum condiẽtes,ad alui ſubductionem ipſo vtuntur.Cæterùm echini, *ſiue erinacei* moderatè perfrigerant, & modicè alunt, & vrinam cient.

DE MOLLIBVS, Cap. XCII.

MOllia piſcium genera,velut ſunt polypi, ſepiæ,loligines,dura ſunt, & ægrè concoquuntur, & magis polypi.Salſum autem ſuccum modicum habent: ſi verò concoquantur,modicum alimentum corpori præbent.

DE CARTILAGINEIS, Cap. XCIII.

EX cartilagineo genere torpedines & paſtinacæ mollem ac iucundam carnem habent, & citò ſubeuntẽ, facilẽmque concoctu,aut nutrientem. Raiæ verò & leuiraiæ,& ſquatinæ,ac huiuſmodi alia, duriora ſunt, & ægrè concoquuntur,& magis nutriunt.Nam in vniuerſum animalia quæ duram carnem habent,& ægrè concoquũtur, & magis alunt:vbi verò concoquũtur, multum ac ſolidũ alimentum exhibent.

DE CETACEIS, Cap. XCIIII.

CEtacea, velut balænæ, vituli marini, libellæ, delphines, & magni thuni, durã & ægrè cõcoctilẽ ac craſſi

A ſucci carnem habent.Si verò ſale aſſeruantur talia, moderatiora fiunt. Sed & ex aliis piſcibus qui humidiores ſunt, & ſuperfluitatibus abundant,etiã ad inueterationem magis idonei ſunt.Verùm in ſalſamentis talis eſt differentia qualis eſt piſcium ex quibus fiunt.

DE VINI FACVLTATE, Cap. XCV.

QVI ſanitati ſtudet,eum etiam vini facultatẽ cognoſcere oportet: etenim in ſumma omne vinum nutrit:verùm rubrum & craſſum magis quidem nutrit, nõ autem boni ſucci eſt. Dulce verò, & ipſum quidem nu-
B trit,non autem ſtomacho commodat. Adſtringens autẽ, ſtomacho quidem commodat,ægrè verò diſtribuitur, & minus alit: adhuc verò minus, album. Optimum autem vinum eſt colore fuluum:vetuſtius autem calidius eſt ac ſiccius quàm nouum.Hæc vini facultas eſt in ſumma. At verò vinum calorem qui in nobis eſt ſuſcitat, & propterea concoctiones meliores fiunt,& ſanguis bonus: alimẽtum autẽ deducit,vt quod quoquouerſus penetrat. Quapropter & ex morbis attenuatos, habitiores efficit. nam & ciborum appetentes facit,& pituitam attenuat,& bilẽ
C per vrinas expurgat,& bonum colorem inducit.Sed & animi hilaritatem ac iucunditatem conciliat,& robur exhibet.Atque horum quidem bonorum cauſa eſt vinum moderatè potum, contrariorum verò, immodicum. Et propterea ebrii mutantur, & delirant, & in grauem ſomnũ delabuntur. Quare fugere immodicum adeò vini potum oportet.quanquam longiore temporis interuallo interpoſito,liberaliter bibere conducat: purgationem enim per vrinas largam mouet,& ſudores profundit. Me-
D lius autem eſt ad hæc etiam vomere,aqua mulſa præſumpta,vt ne minimum quidem ab ipſo lædamur. Qui verò vini potationi indulget, reliquo cibo non valde ſe expleat.Dum verò potat,interim braſſicam edat, & bellaria guſtet,præſertim amygdala. Hæ autem etiam capitis dolores leuant,& vomentibus nequaquam moleſtæ ſunt. Præſtat quoque abſinthii cremorem ante potationes ſumere.præ omnibus enim crapulam maximè arcet. Si verò aliqui ex vino morſum percipiant,frigida aqua bibẽda eſt:& poſtridie rurſus abſinthii cremor ſumẽdus. Deambulationibus item ac frictionibus, & balneo, & pau-
E ciore cibo reficiantur.

DE MELLE ET AQVA MVLSA, Cap. XCVI.

MEL coctũ magis nutrit quàm aluum ſubducat:nõ coctum, viceuerſa. Et frigidis quidem ac humidis temperaturis confert,calidis autem in bilem tranſit. Sed & aqua mulſa non valde commoda eſt amara bile abundantibus,vtpote in bilem tranſiens ipſis. Conducit itaque in talibus naturis aquõſiorem dare aquã mulſam. Incommoda eſt & iis quibus viſcera facilè læduntur.Præ-
F parare autem aquam mulſam oportet vel octupla portione aquæ ad mel admixta, atque ſic coquere donec ſpumare deſinat. Aſſiduè verò ſpumã ab ipſa auferre oportet,ſtatim ſimúlque vbi oborta apparet.

DE SOMNO, Cap. XCVII.

COnſequens eſt vt poſt omnia de victus ratione relata,etiam de ſomno quid dicamus,eo quòd etiam poſtremus omnium plerunque admittitur. Somnus itaque (vt breuiter dicam)animalium facultatum quies eſt, bona humiditate cerebrum rigante contingens.Quòd ſi re-
G ctè admittatur, multa bona facere poteſt. nam & cibos concoquit,& humores excoquit,& dolorem mitigat, laſſitudinéſque lenit,& diſtentorum laxitatem efficit. Sed & animalium affectionum obliuionem inducere poteſt, & emotam mentis rationem corrigere. Tempus ſomni optimum eſt poſt cibum: ſed diurnus nõ omnibus cõmodus eſt. non enim ſufficit ad perfectam ciborum cõctionem id tempus in quo dormiunt. Interrupta autẽ ante tempus concoctione,ex meridie ſurgentes,ſæpe ructum acidum habent, ſæpe etiam flatibus implentur.
H Quidam etiam fluctuationes habent, niſi aut ob conſuetudinem,aut quòd ſufficienter dormierunt,hæc ipſis non fiant.Optimi verò ſunt ſomni nocturni. ex natura enim, noctis humiditas & quies,ad ſomnum procliuis, concoctionem perfectam efficit. Nam poſt nocturnos ſomnos maximè ad excretionem feſtinamus. Terminus igitur

temporis ſomni ſit,ciborum perfecta concoctio, quæ tũ ex ructibus,tum ventris contractione cognoſcitur: poſt quam neque vigiliæ inutiles ſunt,recrementorum ex cõcoctione ſeceſſum efficiente.

DE VIGILIA, Cap. XCVIII.

Vigiliæ quæ in ægrotantibus iam, aut ob dolorẽ, aut ob febrem,aut ſymptoma aliquod acutius fiunt,curationem in tractatione febrium habebunt.Verùm nũc de ſanorum vigilia dicendum eſt. Si igitur aut ob triſtitiam,aut curam,aut aliquam animalem affectionem vigilarint,primùm quidem triſtitiam, & id quod moleſtũ eſt,quantum eius fieri poteſt,recidemus,poſtea etiam iucundorum ſonorum auditu, cogitationem ab illis abducemus.Et quidam ſanè ſonum aquæ placidũ ad hoc machinantur, quo deliniti ad ſomnum deducuntur. Sed & balneis,maximè veſpertinis,vbi probè concoxerint, vtãtur:& victu humectante,velut lactucis,& ſimilibus. Et papaueris nigri quandoque folia viridia opſoniis admiſceant & piſces concoctu faciles edant,vinóque vberiore tenui non vetuſto vtantur.Vbi verò reclinari volunt, roſaceo caput vngant,aut oleo in quo papaueris capita aut mandragoras incocta ſint. Quin & anethinum oleum nõ vetuſtum ex ſomnificis eſt.Noui & poſt prægreſſam laſſitudinem,quietem derepente ſuccedẽtem,ſomnum induxiſſe:ſed & coitus moderatus idem hoc effecit. Alii ſi aut caput aut pedes perfrigerẽtur, facilè in ſomnum delabuntur.Si verò ob multitudinem,aut malitiã cibi, ſtomacho grauati vigilarint,(nam & hoc factum eſſe nouimus:quemadmodum rurſus alii præter conſuetudinem à cibo abſtinentes,aut modicum cibum capientes vigilarunt) conſiderare hoc,& cauſam recidere oportet.

DE SOPORE GRAVI, Cap. XCIX.

At ſi viceuerſa in profundum ac altum ſomnum delabuntur,à frequentibus balneis ipſos arcebimus,& à perfrigerãte inunctione.Apophlegmatiſmis autẽ pituitam per os detrahẽtibus vtemur. Et in ſumma,ad calidiorem ac ſicciorem & modicam victus rationẽ ipſos trãſferemus, quũ hæc affectio à frigidiore,magna ex parte, & humidiore materia cerebrum perrigante, oboriatur.

DIOCLIS EPISTOLA PRAESERuatiua, Cap. C.

Diocles Antigono Regi ſalutem.

Qvandoquidem contigit tibi vt omnium regũ maximus muſicus ſis, & plurimo tẽpore vixeris,omníſque philoſophiæ peritus ſis, & in mathematicis diſciplinis primas teneas,arbitratus ſum eam philoſophiæ partẽ quæ de ſanitate tuẽda tractat, regiã eſſe,& ad te priuatim pertinere.Itaque præſcripſi tibi vnde morbi hominibus oriũtur,& quibus præcedẽtibus ſignis,& quomodo quis ipſis opitulari poſſit. Nam neque tempeſtas vnquam in cælo conflari poterit non præcedentibus ſignis quibuſdam, quæ nautæ ac reliqui multi experimenti homines ſequuntur:neque affectio in hominis natura vnquam cõflari poterit non ſigno aliquo præcedente. Tu verò iis quæ à nobis dicuntur perſuaſus, certitudinem ipſorum aſſequeris. Hominis corpus in quatuor partes diuidimus,caput thoracem,ventrẽ,veſicã. Quum igitur affectio circa caput diutius futura eſt,vertigo præſignificare ſolet,& capitis dolor,& in ſuperciliis grauitas,aurium ſonitus,temporum pulſationes: oculi manè tument, cum viſus hebetatione:nihil olfaciunt, & dentium gingiuæ attolluntur.Quum itaque huiuſmodi quippiã præſignarit,caput purgare oportet, nullo quidem medicamento, ſed hyſſopi aut origani capitibus acceptis,tritis, ac in ollula cum paſſi aut ſapæ hemina dimidia feruefactis.Hoc ieiunus ſorbẽs,os eo collue,& gargarizando humores detrahe.Hac curatione non eſt alia leuior in affectionibus circa caput.Optimum eſt & ſinapi aqua mulſa calida dilutum:hoc ieiunus ſorbens gargariſſa,& humores detrahe.Cæterùm caput cõtectum præcalefacere oportet, quo liquata pituita facilè fluxioni obediat. Qui verò talia ſigna negligunt,iis hi morbi ſuccedere ſolent, lippitudines,glaucomata oculorum, aures rumpuntur, ſtrumæ in collo fiunt,cerebri corruptio,grauedo,angina, capitis vlcuſcula manantia,achores appellati,teredines,vua, capillorum defluxio,capitis vlceratio,dentium dolor. At vbi

A circa thoracem quid futurum eſt,ex his aliquid præſignificare ſolet:Sudor contingit per totum corpus ac thoracem:linguam craſſam habent,ſalſa aut amara,aut biliosa ſpuunt,ſub coſtis aut ſcapulis dolores fiunt citra occaſionẽ,hiatus oris aſſidui,vigiliæ,ſuffocationes,ſitis,ex ſomno animus triſtis,perfrigerationes pectoris & brachiorũ, manuũ tremor.Iis autem hoc modo prudenter auxiliari oportet:Vomitus fiat quamoptimè à cœna abſque repletione,ſine medicamento. Commodi ſunt & ieiuni vomitus, quos aliqui vocant ſyrmaiſmos. Oportet autem B eum qui ita vomere volet, radiculas tenues præſumere, naſturtiũ,erucã,ſinapi,portulacã,atque deinde accepta aqua tepida,ſic vomere.Qui verò talia ſigna cõtẽnũt,eis hi morbi ſuccedere ſolent,pleuritis,peripneumonia,melancholia, febres acutæ,phrenitis,lethargus,febris ardẽs,ſingultuoſa. Poſtquã verò circa ventrẽ affectio aliqua diutius conſiſtere parat,ex iis aliquid præſignat: Aluus prius contorquetur,& ipſa in ſeipſa turbatur: cibi ac potus amari apparent,genua grauantur, lumbos flectere non poſſunt:dolores ſunt totius corporis, citra occaſionem: torC por crurum,febriculæ paruæ. Quum horum quid præſignificarit,aluum mollem præparare oportet cum victu, abſque medicamento.Sunt autem plura & ſecura,ex quorum vſu falli non poſſis. Betæ aqua mulſa coctæ,allium coctum,malua,rumices,mercurialis,placentæ ac dulciaria ex melle. omnia enim aluum ſubducunt. Si verò aliquod ſignum augeſcat,cnici ſuccum ad omnia decocta admiſceto.iucundiora enim fiunt,& periculo vacant.Cõmoda eſt & braſſica leuis aqua multa cocta: huius ſuccus bibitur cum melle & ſale,ad quatuor heminarum mẽD ſuram.Cicerum quoque aut erui cocti aqua,pota ieiuno, eodem modo facit.Qui verò talia ſigna negligunt, has affectiones incurrere ſolent,alui profluuium, dyſenteriã, lienteriam,voluulum,coxendicem,febrem tertianã, podagram,ſyderationem,hæmorrhoidas, articularem morbum.Porro vbi circa veſicam aliqua affectio diutius cõſiſtere volet, hæc præſignant: à paucis cibis repleri ſibi videtur,flatus ſunt,ructus, decoloratio totius corporis, ſomni graues,vrinæ liuidæ,& vix prodeuntes: tumores circa pudenda fiunt.Quum igitur tale quid præſignificaE rit, vrinam cientibus odoratis ſecuriſſimè auxiliari oportet.Licet autem fœniculi & apii radices macerare in vino albo odorato,& hoc bibere quotidie ieiunum manè duorum cyathorum menſura,cum aqua in qua commaduit daucus,ſmyrnium,helenium:quicquid taliũ habueris.omnia enim proſunt. Item cicerum maceratorum aqua pota cum vino,eodem modo.At negligentibus talia ſigna,hæc ſuccedere ſolent:aqua intercus, ſplen magnus, hepatis dolor,calculus,renum affectio, vrinæ ſtillicidiũ, ventris repletio.Cæterùm in omnibus talibus ſignis, inF fantibus lenes curationes adhibere oportet, maioribus, efficaciores. Scripſi autẽ tibi etiã de mutationibus tẽporum per annum,in quibus ſingula fiunt, & quæ in corpus aſſumere te oporteat,& à quibus abſtinere.Incipiã autem à ſolſtitio hyberno. Solſtitium hybernũ auget in hominibus defluxionem ac humiditatem, vſque ad æquinoctium vernum.Oportet igitur cibos calidiores aſſumere,& parcius bibere,& vinum meracius bibere,& ab origano macerato potare,& venere vti:ſunt autem ad æquinoctium, dies nonaginta. Æquinoctium vernum auG get in hominibus pituitam, & dulces ſeroſos ſanguinis humores,vſque ad Pleiadum ortum:vtere igitur odoratiſſimis & acribus cibis,& labori deditus ſis,& venere vtere.Sunt autẽ vſq; ad Pleiadũ ortũ dies quadragintaſex. Pleiadum ortus auget in hominibus bilem fuluam, & amaros ſeroſos humores,vſque ad ſolſtitium æſtiuũ. Vtendum itaque eſt dulcibus aluũ ſoluentibus,& quamminimũ coeundũ. Sunt autem ad ſolſtitium æſtiuum dies quadragintaquinque. Solſtitiũ æſtiuũ auget in hominibus bilem atram,vſque ad æquinoctium autũnale. VteH re igitur aqua frigida,& odoratis omnibus: & quãminimũ venere vtere, aut minore læſione quàm de venere ſcriptũ eſt admitte.Sunt autẽ ad æquinoctiũ autumnale dies nonagintatres. AEquinoctiũ autumnale auget in hominibus pituitam ac tenues fluxiones,vſque ad Pleiadum occaſum.Oportetigitur fluxiones detrahere,& acer-

rima ac odoratiſſima exhibere, & quamminimè vomitũ facere,labori deditum eſſe,& à coitu abſtinere. ſunt autẽ ad Pleiadum occaſum, dies XLVI. Pleiadum occaſus auget in hominibus pituitam,vſque ad ſolſtitium hyber- A num. Proinde acerbiſſima exhibere oportet, & vinum bibere quamiucundiſſimum, & pinguibus vti, ac labori deditum eſſe. Sunt autem ad ſolſtitium hybernum dies quadraginta quinque.

PAVLI AEGINETAE DE RE MEDICA Liber II,

Iano Cornario medico phyſico interprete.

DE FEBRIBVS, EX GALENO & aliis pluribus, Cap. I.

POſt ſanitatis tuendæ doctrinam,ad ægrotantium iam correctionem progredientes,à morbis ſimilarium partium, velut ſimplicioribus,initium ſumemus. Tales autem ſunt maximè qui febriles appellantur. Rurſus igitur Oribaſii ex Galeno compendiaria tractatione quammaximè, imò etiam aliorum plurimorum vtentes, nos quoque pauciſſima quædam relicta apponemus.

QVOT ET QVAE CAPITA IN FEBRIlibu maximè morbis inquirere oporteat, Cap. II.

PRimùm quidem inquirere oportet an ſalutaris ſit morbus, aut pernicioſus: & ſi ſalutaris,vtrum acutus, aut diuturnus. Atque hæc quidem etiam in aliis magnis C morbis inquirenda ſunt. Et tertiò, vtrum aceruatim iudicabitur, (quod maximè febriũ proprium eſt) aut particulatim ſoluetur.

PRINCIPIVM MORBI QVOD DIcatur,ex Galeno, Cap. III.

NOn idem eſt capitis dolor,& febris: quemadmodũ neque vigilia, & ciborum inappetentia, & totius corporis grauitas,aut laſſitudinis ſenſus. Verùm ſingula hæc aliud quiddam à febre ſunt, & febrem annuntiant. D Febris irruẽs,& præſertim acuta,neque nos neque idiotã aliquẽ latere poteſt. Detur autẽ(ſi ita voles)etiã ipſã latere:at mirum fuerit ſi vltra horam ægrum lateat. Quapropter illud tempus principium morbi eſſe dicemus quando manifeſtè febrire auſpicati debuerunt.

VNDE COGNOSCENDVM SALVTAriſne ſit morbus aut pernicioſus, Cap. IIII.

PErnicioſa ſigna ſunt,facies cadaueroſa, naſus acutus, oculi caui,& reliqua ab Hippocrate relata,ſi hæc non ex vigilia, aut vacuatione,aut inedia acciderunt. Et lucis E ſplendorem fugere,aut lacrymari, non ex aliqua externa cauſa,neque oculis propriam affectionem habentibus: & alterum oculum minorem apparere: aut etiã albas ipſorum partes rubicundas,aut liuidas, aut nigras,aut etiam ſordes in ipſis: & in ſomnis albas oculorum partes apparere,palpebris foris non commiſſis,niſi multa euacuatio facta fuerit,aut hoc ſymptoma ipſis ex conſuetudine ſit: & dentibus frendere,aut delirare, aut floccos legere,aut feſtucas decerpere. Attendendũ eſt & ad decubitũ. nam F ſupinum decumbere,& velut reſolutum, aut etiam de lecto defluere ad pedes,extremæ debilitatis ſignum eſt. Et adhuc peius,frigidum reſpirare ex naribus & ore: & pulſuum obſcuritas ac denſitas,& deficere ipſos, & ſudare ad animi deliquium,pernicioſum ſignũ eſt. Si igitur omnia relata ſigna, aut plura ex iis apparuerint,aut etiã paucio ra,verùm valida,nullo præſente ſalutis ſigno,mors euitari non poteſt. At ſpiratio bona, & pulſus bonus, & mente valere,& bene ſe habere ad ea quæ offeruntur,& facies & decubitus ſimilis ſanorũ,bona & euaſuri ſigna ſunt. Et in ſumma,quæ maximè ſunt cõtraria naturalib⁹, pernicioſa G ſunt: quæ verò ſimilia,ſalutaria. Cæterùm de prænotione ex vrinis,alui egeſtionibus,& ſputis,paulo pòſt dicetur.

VNDE COGNOSCIMVS ACVTVM, aut diuturnũ morbum, Cap. V.

MOrbi tempus ex quatuor notis cognoſcitur,ex mor bi ipſius motu, ex ægrotantis habitu, ex pulſibus, ex febrium ſpecie. Ex morbi motu,hoc modo: Si quidem quatuor particularis exacerbationis tempora citius & in minimo tempore præterierint,peracutus fuerit morbus, cuius extremus terminus eſt ſeptimus dies: plerunque verò quarto die iudicatur. Si verò in ampliori quàm hoc eſt tempore,ſed vt non excedat duodecim horarum ſpa- B tium,acutus præindicatur, qui intra decimumquartum diem iudicatur. At ſi ad plures horas ſe extendat,vt principium ſolum & augmentum in maiore diei ac noctis tempore perficiat,talis morbus diuturnus eſt. Quòd ſi nõ habeat morbus particulares exacerbationes, ſed ab initio ad finẽ vſque velut vna ſit exacerbatio,(queadmodũ in febribus continentibus)etiam hunc ex acutis eſſe dixeris. Cæterùm ex ægrotantis habitu hoc cognoſcetur, Si facies,aut etiam reliquum corpus,moderatam iam habeat contractionem, acutum morbum indicat: ſi verò penitus contractum non eſt,neque conſidit, diuturnus erit. copia enim materiæ indicatur longiore tempore cõcoquendæ. At verò ab arteriarum motu ſic, Magnus & vehemens & celer & denſus pulſus acutum morbum indicat: contrarius diuturnum. Verùm ex febrium ſpecie cognoſcitur,quatenus calidæ & ardentes acutum morbum indicãt:molliores & velut deliteſcentes intus, diuturnũ.

QVOMODO PRAENOSCAMVS AN iudicabitur morbus,aut ſoluetur, Cap. VI.

EX iam relatis etiã hoc prænoſcimus,nimirũ ex febriũ ſpecie ac tẽpore, & fortaſſis in totũ ex febrium ſpecie. Calidæ enim & ardẽtes,& breuis temporis ſunt,& per excretiones iudicari tales ſolent: molliores autem, & diutius durant,& in abſceſſus plerunque erumpunt. Et ex relatis manifeſtum ſit quòd non ſolùm quando morbus iudicatur,prænoſcimus, ſed etiam quomodo iudicabitur. Nam acutis magis per excretiones cõtingunt iudicationes,quemadmodum diuturnioribus per abſceſſum.

DE IVDICATORIIS DIEBVS, Cap. VII.

IVdicatorii dies partim frequenter & fideliter ac bene ſoluũt,perfectè item,& manifeſtè, & cum certis notis: partim contrario modo. verùm decimuste rtius mediũ quodammodo locum habere comperitur. Et ſunt quidẽ ex ipſis qui iudicare ſolent,ſi vel modicum naturæ impetum nanciſcantur, velut eſt ſeptimus & decimusquartus: multi verò in vehementibus quidem motibus iudicant, aliàs autem nõ poſſunt. Quin neque omnes boni,ſimiliter boni ſunt: neque omnes mali, ſimiliter mali: neque iuxta ordinem, vtilitatem aut malignitatẽ habent. Primi igitur ordinis de numero bonorum ſunt, hoc modo: Optimus omnium eſt ſeptimus & decimusquartus. His proximè accedit nonus,& vndecimus, & viceſimus: & huic propè accedit decimusſeptimus, & quintus: & poſt hos quartus:& poſt hunc tertius, & decimusoctauus. Verùm his contrarii ſecundi ordinis ſunt hi. Peſſimus, & cum periculo & obſcurè iudicans, velut ex diametro ſeptimo oppoſitus, ſextus eſt. Huic autẽ ſimiliter octauus, & decimus poſt quos duodecimus, & decimusſextus, & decimusnonus. Inter hos autem medium locum habet decimustertius, vt qui non ſimiliter reiici poſſit velut ii qui in ſecundo ordine ſunt,neque ſimiliter his qui primi ordinis ſunt ſoluere ſoleat. Atque hoc quidem ordine dignitatis Galenus vſus eſt: verùm iuxta numerorũ ordinẽ boni ſunt,tertius,quartus,quint⁹, ſeptimus,nonus,vndecimus, decimusquartus, decimusſeptimus, decimuso-

ctauus, viceſimus:mali verò,ſextus,octau⁹,decimus,duodecimus,decimusſextus,decimusnonus:mediū autē locū habet decimustertius. Ex his iudicatoriis quidā etiam aliorum indicatorii ſunt,quos Hippocrates etiam contemplari iuſſit,& contemplandos nominauit,eo quòd iudicationes in alio iudicatorio die futuras præindicent, & cōtemplandas exhibeant: velut eſt quartus, qui futuram in ſeptimo die iudicationem præiudicat, ſi ſudores aliquos, aut humiditates,aut eiuſmodi quaſdam particulares euacuationes aut ſignificationes prius non factas efficiat, aut etiam concoctionis ſigna oſtendat. At Galenus etiā ſexti indicatorium eſſe dicit diem quartum, etiamſi ille nō ſit bonus. Verùm vndecimus decimiquarti indicatorius eſt,& decimusſeptimus viceſimi. Itaque vſque ad decimumquartū diem contentioſiſſimæ iudicationes fiūt: proximè verò ipſis accedunt quæ vſque ad viceſimum fiunt. Quæ verò poſt viceſimum vſque ad quadrageſimū,paulatim contentionem remittunt. Sunt autem primæ dignitatis, viceſimusſeptimus, triceſimusquartus,& quadrageſimus. Poſt hos verò viceſimusquartus, triceſimusprimus, & triceſimusſeptimus. Sed reliqua intermedia multitudo,à viceſimo vſque ad quadrageſimum in totum non iudicat: quemadmodum omnes poſt quadrageſimum diem penitus exoluti ſunt,concoctionibus magis ac abſceſſibus,non iudicationibus ſoluentes morbos. Proinde reliquos poſt quadrageſimum diem penitus cōtemnere videtur Hippocrates: ſexageſimi tamē ac octuageſimi,& centeſimi viceſimi rationem habet. Poſt hos autem,alios morbos in ſeptem menſibus, alios in ſeptem annis iudicari dicit,alios(vt veriſimile eſt)in duobus aut tribus annorum ſeptenariis.

QVOD IVDICATORIA SIGNA IN principio apparentia,mala ſint,

Cap. VIII.

COncoctionis ſigna nūquā malè apparēt. omnis enim cōcoctio natura præualēte cōtingit,& propterea ſemper bona exiſtit. At iudicatoria ſigna quādoque malè apparēt,eo quòd iudicatio ambigua eſt,& modò bona,modò mala contingit: quemadmodum antea de iudicatoriis diebus dictum eſt. Neque igitur in principiis, neque in augmentis,ipſa apparere oportet, ſed in vigoris tempore in quo natura morbo ſuperior euadit.

QVOMODO FVTVRAM IVDICAtionem prænoſcere oporteat,

Cap. IX.

SI augeantur & anticipent exacerbationes, & multo vehementiores fiant,& per tertium diem ſignificationē de ſe præbeant,& ſigna concoctionis in vrinis, aut alui egeſtionibus,aut etiam ſputis comperiantur,omnium maximè breui morbus iudicabitur: ſi verò lentè moueantur,& eadem hora irruant quotidie contingentes exacerbationes,poſt longius tempus futuram iudicationem expecta. Sed & eorum qui à rigoribus vehementer febricitant,vt ſolutio fiat fieri non poteſt,antequam rigor mitigetur. Nam hoc nihil remittente, contingere nequit vt iam vigorem morbus acceperit. quapropter multo minus declinatiouem ſperare oportet.

QVOMODO INSTANTEM IVDICAtionem cognoſcamus, Cap. X.

MOleſta morbi tolerantia omnem iudicationē præcedit: & ſi quidem in die iudicabitur,noctu præcedit: ſin noctu,in die. Et ſymptomata accedunt, velut eſt capitis dolor qui prius non fuit,& collum cōdolet,& præcordium reuellitur,& ſpirandi difficultas repentina, & alia multa difficilia ſymptomata prius nō facta apparent. Et ſi his contingentibus pulſus non conſiderint, ſed magis in altum tollantur,& vehementiores fiant, cōfirmétque etiam inſuper iudicatorius dies,& hic maximè ex bene iudicantibus,non ſolùm futuram iudicationē, ſed etiam ipſam bonam expecta. Nec verò conſterneris inter hæc ſi delirantem hominem aut exilientem videris. nā & hæc lationis humorum ſurſumuerſus ſigna ſunt, quēadmodum rurſus deorſum alia,& imi ventris morſus, & tormē circa vmbilicum,& lumborum dolor, & murmuratio. Quandoque etiam alia eiuſdem generis ſigna apparent: & adhæc ſi per hæmorrhoidas æger vacuari cōſueuit,etiā huius circuitus tēpus concurrit Similiter & de menſibus,ſi mulier fuerit quæ ægrotat, nihil abſurdi eſt per talē rurſus euacuationē fieri iudicationē. Sed & ſudores ex prægreſſis(velut veriſſimile eſt)madorib⁹,& præſertim in die indicatorio factis, & ex meatuū apertione prænoſcēdi ſunt. Cæterùm euacuationē per ſupernas partes, ex his maximè cognoueris. Inſpicere enim iā ad prædicta oportet: etiam ægrotantis faciem: & ſiqua in ipſa pars palpitet,aut venæ in temporibus pulſent, aut gena, aut naſus,aut oculus rubicundior fiat,magis ſperandū eſt. Si verò etiam inuiti lacrymentur, aut etiam ſplendores oculis obuerſari imaginentur, & manus ad nares adhibeant velut ſcalpturi, tunc quidem non amplius fluxurum ſed iam fluentem ſanguinem videbis. Vbi enim ſemel atque iterum ſcalpſerint, erumpit. Morſus autem ſtomachi,& inferni labii tremor, iudicationem per vomitum ſæpe nobis indicauerunt. Et hæc quidem ſufficiunt. Accedit autem ad hæc & ægroti ætas,& natura,ſpem cōfirmans,& inſuper anni tēpus,& præſens conſtitutio. Si enim adoleſcēs fuerit ægrotus,aut aliâs natura calidus,aut multi ſanguinis,adhuc magis ſperabis: ſi verò etiam antea ipſi ſanguinis euacuatio aut ægrotanti, aut ſano contigit(velut antea diximus)hoc vel ſolum efficiens eſt ad ſanguinis eruptionis ſpem exhibendam. Quòd ſi etiam tempus anni videris æſtatem, aut non quidem æſtatem, ſed aliâs calidam præſentem aeris conſtitutionem: & ſæpe illo tempore per ſanguinis eruptiones fuerint iudicati:& plenum ſanguine corpus fuerit, & conſuetarum excretionum ſuppreſſio: & hæc ſpem tuā augere poterunt. Similiter autem & de reliquis euacuationibus ratiocinari oportet. Si verò horū quidem nihil viſum fuerit, verùm moleſta morbi tolerantia in quodam iudicatorio poſt viceſimum diē fiat,& hoc morbo in vigore cōſiſtēte:& dolores in quibuſdam articulis,aut circa aures, aut etiam in aliis partibus fiant,aut non quidem dolores, ſed ſudores particulares iuxta aliquam partem aſſiduè oboriātur: per abſceſſum iudicationē expectare oportet, & circa illā maximè partem abſceſſum futurū vbi ſudores,aut dolores, aut tumores facti fuerint.

QVOMODO FACTAM OPTIMAM iudicationem cognoſcamus,

Cap. XI.

SI quidem euacuatio conueniens poſt concoctionem fiat, & febris ſoluatur in eo qui iudicatur, & idem ab aliis ſymptomatis liberetur, & pro ratione euacuationis coloratior fiat,& pulſum meliorem habeat,& ad exurgendum robuſtior euadat, &,quod omnium ſecuriſſimū eſt, bona tolerantia conſequatur, hæc optima eſt iudicatio: ſi verò quid ex his defecerit, tātum ab optima abeſt quāta fuerit vis eius quod deficit.

DE PVLSIBVS, EX GALENO,

Cap. XII.

PVlſus eſt motus cordis & arteriarum, per diſtentionē ac contractionem contingens. Vſus eius duplex eſt. Per diſtentionem enim,qua velut expanditur ac aperitur arteria,frigidus aer ingreditur,ventilans & ſuſcitans vitalem firmitatem: vnde etiam animalis ſpiritus generatur. Per contractionem autem, qua arteriarum extremitates ad medium conniuent ac conſidunt,excretio fuliginoſarum ſuperfluitatum contingit. Hæ verò arteriæ oblonga ſunt vaſa caua,velut venæ,& duas tunicas habent, tū propter relatum motum, tum quòd ſanguinem & ſpiritum continent: & enaſcuntur quidem ex corde,diſperguntur autem per omnes corporis partes. Omnes igitur arteriæ eodem modo pulſant & inter ſe & cum corde, vt ex vna de omnibus rationem inire poſſis. Non tamē fieri poteſt vt omnium motum quis ſimiliter ſentiat, ſed earum quæ ſunt in excarnibus corporis partibus,prōptius: obſcurius autem earum quæ ſunt in carnoſis. Neque autem decentiorem, neque vſui commodiorem aliam attigeris ſi eas quæ ad manuum iuncturas ſunt omiſeris. Eſt igitur primum genus pulſuū quod circa motus tēpus & in diſtētione & in cōtractione conſideratur. Differētiæ ipſius ſunt, velox,tardus & moderatus. nam quicquid mouetur, aut velociter,aut tardè,aut medio modo,in tēpore mouetur.

Velox itaque eſt qui in modico tempore, per multũ ſpatium mouetur: tardus,qui in multo tempore, per modicum ſpatium mouetur: moderatus, qui medio modo circa motum ſe habet. Alterum genus eſt circa diſtentionis quantitatem. Quandoquidem enim omne corpus tres habet dimenſiones,longitudinem, latitudinem, & profunditatem:corpus autem eſt etiam ipſa arteria, tres habere & hanc dimenſiones neceſſe eſt. Verùm dum ſecundum naturam ſe habet animal, moderatè ipſam vndequaque diſtendi comperies: vbi verò præter naturam ſe habet,aliquando deficit,aliquando excedit aliquid, iuxta quamcunque tandem dimenſionem. In hoc autem meminiſſe oportet qualis erat pulſus naturalis: & ſi quidem latitudine maior comperiatur, latum vocare: ſi verò longitudine,longum:ſi profunditate,altum. Clarum verò eſt quòd etiam contrarios ipſis,& naturali minores,iuxta eandem rationem nominare oportet,anguſtum,breuem,& humilem. Ex iis verò qui in omnibus dimenſionibus ſimiliter ad ſtatum præter naturam mutantur, is qui penitus imminutus eſt,paruus:qui auctus,magnus appellatur. Tertiũ genus pulſuum eſt circa facultatis firmitatem. Differentiæ ipſius tres ſunt, vehemens, languidus,& moderatus. Vehemens eſt qui tactum medici robuſtè ferit: languidus,qui ægrè & debiliter:moderatus,qui medio inter hos modo,quem quidam naturalem eſſe putauerunt: nam ex ira & exercitiis vehementiorem fieri pulſum dicunt qui non ſit naturalis. Verùm iis Galenus ſe oppoſuit, non durabilem, ſed qui promptè tranſmutetur, eſſe dicens eum pulſum qui ob non naturales cauſas vehementior efficitur:qui igitur vehementior eſt,& non promptè mutatur, hic naturalis & moderatus fuerit. Quartũ genus eſt circa inſtrumenti,corporis arteriæ dico,compagem. Differentiæ huius item tres ſunt: aut enim durius eſt naturali inſtrumẽtum,& vocatur pulſus durus:aut mollius,& mollis dicitur:aut medio modo ſe habet, & iuxta hoc moderatus appellatur. Quintũ genus pulſuum eſt iuxta quantitatem humoris arteriæ: differentiæ ipſius ſunt,plenus, vacuus,& moderatus. nam & omne vas aut plenũ eſt,aut vacuum, aut moderatum humorem habet. Plenus igitur pulſus eſt(velut Archigenes definit)qui ſolidiorem exhibet arteriam,& occurſum ipſius humore refertũ: vacuus autem,qui bulloſam arteriæ excitationem facit, vt ad digitorum impreſſionem,progreſſus per vacuum occurrat. Hæc quinque pulſuum genera iuxta vnum arteriæ motum conſiſtunt. Quandoquidẽ verò qualitas caloris cordis magis quodam modo manifeſtè circa arteriam apparere videtur, voluerunt & hoc genus pulſuum ſextum ad prædicta annumerare. Ex reliquis generibus, tum quæ iuxta vnum, tum quæ iuxta plures pulſus ſumuntur, eſt & quod circa quietis tempus cõſiſtit, & quod circa rythmũ & quod circa æqualitatem ac inæqualitatem,& quod circa ordinẽ ac ordinis turbationẽ. Quod igitur circa quietis tempus conſiſtit, & ſeptimum eſt à primo; diuiditur in denſum,rarum,& moderatũ. Quũ enim arteria duplici motu moueatur ex contrariis motibus compoſito,neceſſe eſt ipſi etiam duplices quietes coincidere,alteram poſt diſtentionem ante contractionem, alteram poſt contractionem ante diſtentionẽ:quam etiam ſenſu percipi poſſe quidam negauerũt. Quare inter duos motus,vna quies media intercedit. Cui igitur multum eſt quietis tempus, hic rarus eſt:cui breue,dẽſus:quum medium,moderatus. Octauum genus pulſuum circa rythmum conſiſtit. Eſt autem rythmus in ſumma, habitus aut proportio temporis ad tempus. In pulſu verò,(velut aliqui volũt) tẽporis motus ad tempus quietis,velut diſtentionis & contractionis, ad aliquam intercedentem quietem. Verùm iuxta aliorũ ſententiam,temporis motus ad motum, velut diſtentionis ad contractionem:aut quietis ad quietem,velut internæ ad externã. Differentiæ rythmi primæ duæ,pulſus boni rythmi, & ſine rythmo. Quum autẽ dico Sine ryhmo, non nullum habentem rythmum dico:hoc enim fieri nõ poteſt:ſed eum qui malum rythmum habet: quemadmodum ſine voce & ſine collo eſſe dicimus eum qui malam vocem & malum collum habet. Pulſus autem ſine rythmo triplex differentia eſt. alius enim præter rythmum

A eſt,moderatam habens boni rythmi peruerſionem:alius alterius rythmi,amplius peruerſus: alius extra rythmum, qui bonum rythmum penitus corrumpit. Velut(exempli gratia)ſi in puero notas colligere velis,proprius ætati puerili pulſus iuxta rythmum contingens, boni rythmi pulſus appellatur: qui verò rythmum corrũpit,ſine rythmo. Et corrumpens qui quidem propinquæ ætatis rythmum aſſumit,pulſus præter rythmum appellatur: qui verò ætatis vigoris,alterius rythmi dicitur: at qui neque huius ætatis rythmũ conſeruat, extra rythmũ nominatur. No-
B num genus pulſuum eſt quod in omnibus relatis generibus reperitur, circa æqualitatem ac inæqualitatem conſiſtens. Hoc aut in vno pulſu aut in pluribus conſideratur: & hoc à plurium congregatione ſyſtematicum appellatur,de quo velut manifeſtiore primùm dicẽdum. Æqualis igitur pulſus eſt qui conſequenter æqualis eſt, aut magnitudine,aut firmitate,aut velocitate,aut aliquibus aliis generibus,aut etiam omnibus. Inæqualis verò eſt qui conſequenter inæqualis eſt. Si enim (verbi gratia) omnes cõſequenter magnitudine æquales fuerint, æqualis magni-
C tudine talis pulſus vocatur. Si verò primus & ſecundus & tertius æquales apparuerint,quartus autem inæqualis,clarum eſt quòd talis pulſus magnitudine inæqualis appellatur. Huius generis ſunt & intermittens & intercidens. nõ enim ſolùm circa vnũ aut plures magnos vnus apparet minor:ſed aliquãdo etiã totus motus penitus perit:& intermittẽs pulſus dicitur: quemadmodũ alter,intercidens huic contrarius, quum expectata quiete intermedia, velut ſuperfluus quidã incidit. Si verò ſecundus paulo minor fiat primo,& tertius ſecũdo,& quartus tertio,in æqua-
D litate, & hoc vlterius contingat, tales pulſus Myurizontas & Myuros, *hoc eſt decurtatos* appellant, à figuris in acutum deſinentibus nomen tranſferẽtes. Et qui quidem ex ipſis perpetuò minuuntur,& nũquam à tali affectione ceſſant, in abſolutam motus interceptionem deſinunt: & vocamus ipſos Decurtatos deficientes. Qui verò ceſſant, duplicem differentiam habent: quidam enim ex ipſis, paruitatẽ eam in qua primùm ceſſarunt,ſeruant ſemper:quidam verò rurſus augentur,aut ad æqualem ei quæ ab initio fuit magnitudinem redeuntes, aut ad minorem, aut
E ad maiorem: atque hi,decurtati recurrentes appellantur. Fiunt etiã in vnius pulſus inæqualitate decurtati pulſus, de quib9 paulo pòſt ſuo loco dicetur. Ac huiuſmodi ſanè eſt cõgregatoria appellata pulſuũ inæqualitas. Quæ verò in vno pulſu conſiſtit,aut circa vnã arteriæ partem,aut circa diuerſas cõtingit: velut in tempore motus, circa vnam quidem arteriæ partem inæqualitas dicitur,quum aliter inceperit & aliter deſierit moueri arteria, circa vnũ digitum:incipiens quidem,velocior,deſinens autem,tardior,aut viceuerſa. Hoc autem trifariam contingit,aut cõ-
F tinuo manente motu,aut interciſo, aut recurrente & veluti bis feriente. Si quidem igitur continuus manẽs,& nõ interciſus, à velocitate ad tarditatem, aut viceuerſa mutatus fuerit,inæqualiter velox talis pulſus eſt & dicitur. Si verò interciſus quieuerit, & de cætero velocior appareat, dorcadiſſans appellatur, metaphora à dorcade animante accepta,quæ ſaltando ſublimis in aere conſiſtit, & improuiſum quendam ſecundum motum priore velociorẽ facit. At ſi poſt diſtentionem recurrerit,& prius quàm cõtrahatur penitus,iterum tactum ferierit,talis pulſus,bis fe-
G riens appellatur. Huiuſmodi verò quippiam & in incudibus fieri videre datur, quum mallei quidẽ ſemel per manum incuſſi ipſos ferierint, verùm incudis renixu reſilii, rurſus aut etiam tertiò feriant. Non ſolùm autẽ circa motus tempus,inæqualitatem circa vnam plagam,in vna arteriæ parte fieri cõtingit, ſed etiam circa facultatis firmitatem: non autem circa dimenſionum quantitatem. non enim fieri poteſt vt idem pulſus in eadem parte magnus ac paruus fiat: neque circa aliud pulſuum genus, ſed in partibus diuerſis. Cæterùm circa diuerſas arteriæ partes in vno pulſu, inæqualitas duplex fit: quando-
H que continuo manente motu, & circa aliquos digitos arteria velocius mota, iuxta aliquos tardius: quandoque verò etiam interciſo, vt aliqui digiti motum deprehendant, aliqui non. Sed & circa diſtentionis

quantitatem, inæqualitas in pluribus partibus manifeſta eſt. Cuius generis ſunt decurtati, circa vnam plagam & nutantes & circumnutantes. Si enim circa interiorem digitum, magnus & qui in gibbum eleuetur pulſus occurrens, hinc iuxta rationem minuatur, ita vt circa exteriorem arteriæ partem ad ægroti pollicem minimus appareat, myουrus, *id eſt decurtatus*, appellatur, ad ſimilitudinem caudæ animalis muris: aut μειουrus, quòd in ſtar caudæ decurtetur ac imminuatur. Si verò circa medios digitos, magnus & qui in gibbũ eleuetur occurrens, vtrinque minuatur minor apparẽs: hũc Archigenes nutãtem & circumnutantem appellauit, clarè declarare volens circa diſtentionem breuitatem, cum vtriuſque extremitatis velut nutatione. Non enim velut aceruatim reciſis, ſed velut inflexis vtrinque partibus, ad breuitatem contractus eſt, quũ ſit magnitudine decurtatus circa vtraſque partes. At vbi inæqualitas circa magnitudinẽ, vt aut maturius aut tardius contingat, aſſumpſerit, & vndoſi & vermiculantes pulſus fiunt. Si verò etiam poſitus differentiã aſſumpſerit, & conuulſorii & agitatorii appellati conſtituuntur. Incipiendũ igitur eſt ab vndoſis, in quibus nõ ſimul apparet circa talem inæqualitatem tota arteria diſtendi, ſed aliqua ipſius pars primò, aliqua ſecundò, aliqua tertiò, alia quartò, motu continuo manente, ad eleuationis vndarum ſimilitudinem. Et quidam in directum tendentem vndam habent, quidam ad obliquum declinantem, & quidam in breui ſecundum longitudinem dimẽſione altitudinem magnam habent: quidam viceuerſa: & aliqui latitudinem, aliqui anguſtiam. Similiter autem & circa velocitatem & firmitatem inæqualiter ſe habent. Si verò vndoſus totus ad paruitatem imminuitur, vermiculans appellatur, vermiculi greſſui ſimilis. Quẽadmodũ autem vndoſum pulſum minorem factum vermiculans excipit, ſic vermiculantem formicans, quum pereũtibus motibus multis, in vnum & eundem penitus paruum deſierit. Appellatus autẽ & hic eſt à ſimilitudine ad animal formicã, tum propter paruitatem, tum propter motus ſpeciem. Eſt enim valde paruus formicans, quo minor alius non exiſtit. Similiter autem & languidiſſimus omnium ac denſiſſimus: non tamen velox, velut Archigenes putabat. Huic propinquus eſt pulſus hecticus appellatus. Quẽadmodum enim febris hectica, ita etiam pulſus hecticus eſt, qui nullam magnam mutationem facit, ſed ſemper ſimiliter manens, connecténſque velut ab initio incepit, & nunquam deſinens, toto habitu morboſè mutato. At verò conuulſorii pulſus, dum vtrinque ab extremitatibus retrahuntur, & tenduntur ac conuelluntur, velut chordæ cuiuſdam intentæ ſenſum exhibere videntur. Verùm in agitatoriis nihil tale eſt, ſed maior in iis diſtentio eſt, vt quædam arteriæ partes vno & eodem tempore ſurſum ferantur. Et ſanè motum ipſorum iaculis quis maximè aſſimilare poſſit, quæ vehementer emiſſa, dum vibrantur ac agitantur, celeriter feruntur. Porro pulſus ſecantis quippiam modo ſe habens, tunc eſt quum pars aliqua arteriæ diſtenta eſſe apparet, aliqua verò non, duriore nimirum ipſa apparente. Habet etiã quid agitatorii hic pulſus, & velox quidem eſt ac denſus, non autẽ ſemper magnus. Decimũ ſupra relata pulſuum genus eſt quod ex inæqualitate generatur, & circa ordinem ac ordinis turbationem conſiſtit. Nam ordinatus ac inordinatus, ſecto inæquali in æqualem iuxta circuitus & in penitus inæqualẽ, ex vtroque ſegmento generationem habent: ordinatus quidem, circa æqualitatẽ circuitum: inordinatus autem, rurſus circa abſolutam inæqualitatem. Etenim æqualis pulſus, penitus eſt etiam ordinatus: (ſi quidem conſequenter æqualem ipſum eſſe diximus) inæqualis autem, non penitus inordinatus. Si enim æqualitatem corrumpat, circuitum autem aliquem ſeruet: velut verbi cauſa, in quantitate diſtentionis, ſi duos contingat fieri magnos & vnũ paruum: deinde rurſus duos magnos & vnum paruum, & ſic conſequenter: vocabitur talis, inæqualis quidem, verùm ordinatus. Si verò ad hoc quòd æqualitatem corrũpit, neque ordinem aliquem inæqualitatis conſeruet, ſupra inæqualitatem etiam inordinatus eſt: ſimiliter etiam in aliis generibus. Cæterùm ex inordinatis quidam per

A totum inordinati ſunt, neque minimum quendam circuitum conſeruantes: quidam verò iuxta circuitus ordinati. Nam in quantum continuum ordinem nõ ſeruant, vocabuntur inordinati: in quantum verò per longum, circuitum quendam ſeruant, iuxta circuitus ordinati: velut ſi cõtingat duos fieri magnos & duos paruos, deinde tres magnos & tres paruos, & quatuor magnos & totidem paruos: & rurſus velut reflectentes, duos magnos & duos paruos, & tres magnos ac totidem paruos, & conſequenter eodẽ modo. Illud porro ſciendum eſt, vniuſcuiuſque a-
B liorum contrariorum medium quendam eſſe: verùm æqualis & inæqualis medius nullus eſt, neque ordinati & inordinati: præterquam ſi iuxta circuitus ordinatum, medium dicere velis inter ordinatum & inordinatum. Et aliorum omnium medii, ſecundum naturam ſe habent, excepto eo qui inter vehementem & languidũ medius eſt: inter hos verò æqualis ſolùm ſecundum naturam eſt: alii autem præter naturam, & inæqualis, & ordinatus, & inordinatus. Hæc ſunt genera pulſuum omnia, & differẽtiæ ipſorum ſecundum genera. Quidã verò etiam alia
C duo ad hæc annumerant, alterum circa poſitionem arteriæ, iuxta quod ſurſum ac deorſum, & ad dextra & ad ſiniſtra traducta eſſe videtur: alterũ, quod circa hoc vt aut maturius aut tardius contingat, cõſiſtit. Ex quibus vndoſos & agitatorios pulſus eſſe diximus. Et nos quidẽ breuis compendii ergô, ſimplices tãtùm differẽtias tradidimus: verùm ex relatis facilè has componentes, etiam compoſitas inueniemus. Cæterùm cõſequens fuerit etiã cauſas pulſus mutantes referre, ad quas ſequitur etiam prænotio quæ ex ipſis contingit. Initium autem à magnitudine
D ſumemus, quoniam hæc aliis manifeſtior exiſtit. Magnus itaque fit pulſus aut ob vrgentem neceſſitatem, quæ eſt caliditas in corde redundans, externam appetens refrigerationem, & velut ventilationem: aut ob corporis gracilitatem, velut paulo pòſt oſtendemus. Augeſcit autem caliditas, aut propter naturales cauſas, velut ætatem vigoris, aut puerilem, aut ſimpliciter calidum tempus, item & regionem, & temperaturam calidiorem: aut ob cauſas non naturales, velut aerem nos ambientem calidiorem, balnea calida, exercitia, cibos, vinum, medicamenta calidio-
E ra: aut propter cauſas præter naturam, velut intemperiem calidam, aut humorum putrefactionem, aut iram, aut ſimiles. Diſcernes autem ſingularũ cauſarum pulſum, ex eo quòd cauſæ naturales durabilem & quæ ægrè tranſmutetur magnitudinem faciunt: reliquæ verò facilè mutabilem, adeò vt etiam adhuc tangente te ſæpe, aut omnino paulo pòſt, penitus diſcedat. Et magnis quidem pulſibus propter balnea calida etiam mollitudo accedit: quemadmodum rurſus iis qui ob calidam & maximè cum ſiccitate coniunctam intemperiem tales ſunt, duritia. Qui verò moderatè ſe exercuerunt, aut defricti ſunt, medio
F modo ſe habent circa duritiem ac molliciẽ. Verùm partes circa pectus calidiores magis habent: quod ſanè etiã iratis contingit. At magnis pulſibus ob vinum, aut cibũ, aut iram, ad magnitudinem etiam vehementia accedit. Quicunque verò occultare ſtudent iram, aut aliud quid factum ab ipſis, citra medici permiſſionẽ, (quemadmodum ille qui calidum accepit medicamentum, & celare id voluit medicum, ſimul cum tactu manus interrogantem) iis ad magnitudinem manifeſta inæqualitas adeſt.
G Ad hoc verò etiam ægroti mores ac conſuetudo nõ parum conferunt ad dignotionem. Conſuetudo quidem, medicamentis dedita: mores autem, improbi, & ad ſuſpicionem eximendam callidi. Qui verò ob humorum putrefactionem magnus eſt, is ad magnitudinem etiam contractionem magis feſtinantem habet. Cæterùm ad hoc vt magnus fiat pulſus, non ſolùm neceſſitas ſufficit, ſed opus eſt etiam facultate inſeruiente, & moderato inſtrumento, iuxta duritiem ac molliciem. Aucta itaque in corde caliditate ob quamcunque tandem ex relatis cauſis, primùm quidem fit magnus pulſus: vbi verò non
H ſuffecerit neceſſitati magnitudo, ſtatim ipſi etiam velocitas accedit. Si verò neque ſic ſuffecerit, etiam denſitatem aſſumit. Parui autem & tardi ac rari pulſus à contrariis fiunt. At verò vbi à magno & veloci ac denſo ad

cõtrarios mutatio cõtingit, neceſſitate nimirũ deficiẽte, nõ amplius id quod primùm in pulſu factũ eſt, etiam primùm ceſſat: ſed id quod poſterius acquiſiuit, primùm abiicit, ſtatim quidem euadens rarus, deinde tardus, poſteà etiam paruus. Si verò amplius deuenerit ad tarditatem ac paruitatem, rurſus raritas in denſitatem tranſit, quò per ipſam neceſſitas perficiatur. Atque hæ quidem ſunt magnitudinis, & velocitatis, ac denſitatis, & contrariorum ipſis pulſuum cauſæ. Coniungenda verò his eſt & mutatio pulſus circa vnam ſolùm dimenſionem. Latitudo igitur ſolùm augetur, propter humiditatem maximè redundantem, aut ſecundum naturam, aut etiã ab externis cauſis: quemadmodum altitudo propter inſtrumenti mollitiem, facultate ad hoc coadiuuante. Longitudo verò ob ſiccitatem, & circumſitarum carnium eliquationem, manifeſtò fit, aliis dimenſionibus collapſis. Non enim longiorẽ quàm ſecundùm naturam, fieri arteriam contingit. Et talem ſanè pulſum magis propriè gracilem quis appellarit, quemadmodum contrarium ipſi, ſecundum latitudinem ac profunditatem ſolùm auctum, amplùm. Cõtrariis autem harum affectionibus pulſus quandoque incidit, & iuxta aliquam aut aliquas dimenſiones impeditur, humilis aut anguſtus aut breuis apparẽs, quum talis non ſit: ſed ob pinguedinis alicuius craſſitudinẽ, aut carnibus aut membranis impedientibus: quandoque etiam totus paruus apparet, quum reuera non ſit paruus, & languidus ſimiliter. Et quid dico? ſæpe enim abſoluta pulſus interceptio quibuſdam eſſe viſa eſt per omnes arterias, quum re vera non eſſet, & præſertim negligentius tangentibus; ſed propter carnium copiam latente motu, qui verè languid⁹ exiſtit. Nõ eni fieri poteſt vt perfecta pulſus interceptio contingat viuente adhuc homine: quemadmodũ rurſus in excarnibus etiam pulſus parui videntur eſſe magni. Eliquato igitur vehementer corpore, & quæ circa ſpinam eſt arteria, ſæpe contingentibus ſummum ventrem, motum ſignificat: & quædam aliæ in artubus, quæ prius inconſpicuæ erant. Quapropter omnes cauſas diligenter animaduertere oportet, nequa nos lateat dignotio. At verò pulſus vehemẽs præ robore facultatis fit, ſi nulla ex reliquis cauſis reluctetur, velut neceſſitas exoluta, aut inſtrumenti duritia. Languidus autem pulſus, debilis facultatis vel ſolius ſoboles eſt, etiamſi nulla alia cauſa adſit. Nam vehemens pulſus omnibus cauſis opus habet ad ſui generationem: verùm lãguidum vel ſola debilitas efficit. Qui igitur ab initio vehemens eſt, ad ætates, & tempora, & regiones, & temperaturas temperatas conſequitur: lãguidus autem ad intemperatas. Qui verò ex languiditate ad vehementiam tranſit, facultate ex prægreſſa debilitate corroborata contingit. Corroboratur autem vel per ea quæ in ipſo ſunt corpore, velut humorum concoctionem, aut excretionem, aut iram: vel per externa, velut vina, cibos, exercitia, & quæ intemperiem corrigunt. Exoluunt autẽ facultatem inediæ, vigiliæ, euacuationes immodicæ, triſtitiæ, curæ, dolores maximè animi deliquia inducentes, & quæ intemperiem efficiunt. Quidam verò inexercitati durum pulſum putauerunt eſſe vehementem: verùm qui ratiocinatione & tactu exercitatus eſt, eum non fefellerit. Nam vehemens pulſus plerunque cum magnitudine in altum tollitur, robuſtè tactum feriens: durus autẽ magnitudinem nõ ſuſcipit, propterea quòd arteria ægrè cedit. durus itaque fit pulſus propter inſtrumenti duritiam. Hãc autem frigiditas immodica, aut ſiccitas, aut tenſio ab inflãmatione, aut cõuulſio efficit. Statim autẽ ad duritiam & paruitas & velocitas, quandoque etiã denſitas pro magnitudine, ob neceſſitatem conſequitur. At mollis pulſus ad humiditatem arteriæ ſequitur. Hanc autem humidiorem efficiunt, ex iis quæ præter naturam nõ ſunt, cibi humidiores, & balnea plura, & ſomni multi, & victus delicatior, & animi iucunditas: ex iis verò quæ præter naturam ſunt, ſopores, lethargi, hydropes, & reliqui morbi pituitoſi. Porro plenus pulſus, aut humorum copiam, aut ciborum, aut vini potus redũdantiam indicat: quemadmodũ vacuus contraria. aut enim inediã, aut vacuationẽ. Quòd ſi calidius occurrat arteriæ corpus, multam in corde caliditatem, reliquo corpore perfrigeſcente, aut conuulſoriam aliquam arteriarũ affectionem ſignificat, per vio-

A lentum motum caleſcentium. Verùm Archigenes dicit arteriæ locum propriè in ſtupore correptis, catochis appellatis, calidiorem reperiri: velut quibus conuulſio imminet cum graui in ſomnum delatione. At verò rythmi ratio ſi æqualis eſt in motu ac quiete, totius corporis temperiem indicat, quantum in ſeipſo: aut non magnam mutationem, velut in puerili ætate, & corporibus alioqui tẽperatis. Si verò longius fuerit quietis quàm motus tempus, caliditatem prædominari indicat: velut in ætate vigoris, & iis vicinis: quẽadmodũ ſanè in ſenilibus corpo-
B rib⁹ æqualiter frigidis lõgius eſt motus tẽpus quàm quietis. Id autem ſciendum eſt, inæqualitatem circa rythmũ menſuram eſſe eius quæ circa velocitatem ac denſitatẽ conſiſtit: hanc autem velut materiæ ratione ad rythmũ obtinere. Intermittẽtes & intercidentes pulſus fiunt dũ premitur & velut grauatur facultas: verùm intercidentes, minorẽ læſionẽ, deficiẽtes maiorem indicant. Et in ſumma, facultas quæ premitur ac grauatur, ad inæqualitatem ac ordinis turbationẽ, pulſus mutat, tum ad aliã omnem, tum ad eam quæ circa vehementiam & magnitudinem
C contingit. Quum autem decurtati pulſus duplices genere demõſtrati ſint, (aut enim in congregatoria inæqualitate, aut in ea quæ fit circa vnum ictum, reperiuntur) deficientes quidem extremam facultatis collapſionem indicant: redeuntes autem & recurrentes, etiam ipſi imbecillem quidem, ſed adhuc repugnantem & reſiſtentem ac renuentem declarant. Qui verò circa vnum ictum decurtati ſunt, & nutantes ac circumnutantes appellantur, in iis qui paulatim emarcuerunt maximè ſunt, & in inflammationibus non ſolutis: imò & in plurimis quomodocũ-
D que marceſcentibus exiſtunt, dum corpora circa arterias cõſumuntur. Inæqualiter veloces & dorcadiſſantes pulſus ad febriles maximè caliditates conſequuntur. Verùm ſi quidem principia diſtentionis exoluat pulſus, & finem ipſius ac contractionis principium acceleret, putredinẽ præualentem indicat, natura ad fuliginoſarum ſuperfluitatum excretionem feſtinante: ſi verò viceuerſa, contractionis principium exoluat, ad diſtentionem autem magis feſtinet, caliditatem magis prædominari ſcito, refrigerationem appetentem. Conſequitur ad hos in febre e-
E tiam denſitas plerunque, quandoque etiam magnitudo, ſi nõ facultas aut inſtrumẽti duritia impediat. Augeſcẽte verò arteriæ duritia, & facultate nõn debili exiſtente, bis feriens fit pulſus. At vndoſus ad humidiores affectiones maximè ſequitur, & ex his magis ad hydropes ſubtercutaneos, & lethargos, & peripneumonias. Vbi verò ſolui inceperit facultas, adhuc tamẽ interim modicè reſiſtit, vndoſus in vermiculantẽ tranſit: extremè verò ipſa collapſa, & hunc formicãs excipit. Hecticus pulſus propriè tabeſcentibus, & alioqui marceſcentibus adeſt. Cõuulſo-
F rius pulſus fit neruorum principio inflammatoriam quandam affectionem habente, velut in phreniticis & comitiali acuto correptis: quando etiam moriuntur ita affecti dum adhuc calidi ſunt, contrario planè modo iis qui ſyncope corripiuntur. illi enim dum multum frigidi ſunt, adhuc viuunt. Agitatorius autem fit pulſus, quum neceſſitas quidem opus habet magna diſtentione, & robur vitale operari poteſt, ſolum autem arteriæ corpus contradicit, quod præ duritia ad magnam diſtentionem eleuari non poteſt: quemadmodum in inflammationibus ma-
G gnis, & diuturnis obturationibus. Porro pulſus ſecãtis quippiam modo ſe habens, in totum inflammationem ſignificat, & maximè alicuius neruoſæ partis. Non minus autem & pleuritidis proprius eſt, ſi remiſſus eſt, mollis & facilè concoquendæ: ſi intentus, difficilis & ægrè concoctilis, quæ cũ debiliquidẽ viriũ facultate, acutè periculoſa eſt: cum forti verò, diuturno tempore concoquetur. Aut enim in ſuppurationẽ ſæpe trãſit, aut tabidus marcor ipſã excipit. Illud autem noſſe oportet, quòd ad inæqualitates ordinis turbatio ſequitur: raro verò inuenire datur inæqualem pulſum ordinatum. Et ſanè minores læſiones, inæ-
H quales & ordinatos: maiores, inæquales & inordinatos pulſus efficiunt. Atque hæ quidem ſunt ſimplices pulſuũ cauſæ ac prænotiones. Ex iis autem & compoſitæ nõ difficulter inueniuntur, velut etiam in ſermone de differentiis ipſorum diximus.

DE ALVI EGESTIONIBVS, Cap. XIII.

ALui egeſtionum optima eſt mollis & cōpacta,& quæ tēpore conſueto,quo in ſanitate prodibat,egeritur: talis autē eſt ſubfulua,cum conuenienti compage,& non valde graueolens:quæ verò præter hæc,bona nō eſt.Quæ igitur ſimilis colore eſt iis quæ in cibo accepta ſunt ,& tenuis,& ſine humorum exſuccatione , & citò progreſſa, incocta eſt.Quæ verò fulua & meraca,in principio quidē biliosiorem indicat morbum: ſi verò circa declinationē talis excernatur,corpus commodè expurgari indicat.Cū virore pallida,æruginoſæ bilis nota eſt:nigra, aut atræ bilis,aut ſanguinis iſtic aduſti. Liuida, frigiditatem quandam ,& internarum partium non leuem mortificationē indicat.Pinguis,colliquationis pinguitudinis quæ eſt in corpore,nota eſt: quemadmodū rurſus viſcoſa deterior pingui eſt,& animalis partium colliquationem indicat. Quæ verò valde graueolens eſt , non exiguam ſignificat putrefactionem. In omnibus autem his,ſi non iuxta acceptum cibum qualitas fuerit eorum quæ egeruntur, hoc modo affectionem conſiderare oportet. Omnium verò peſſima & pernicioſa eſt alui egeſtio quæ nigra eſt,& liuida,& pinguis,& citò progreſſa.

DE VRINARVM SIGNIFICATIONE, Cap. XIIII.

QVemadmodum in alui egeſtionibus,ſic etiam in vrinis,regula ſanorum vſi,de ægrotis ſignificationes ſumemus.Vrina itaque optima eſt quæ ſanorū vrinis ſimillima eſt : talis autē eſt ſubfulua & ſubflaua:ſtatim verò & craſſitudinem moderatam hæc habet.Quum autem triplex vrinarum turbatarum differentia ſit,(aut enim mictæ tales,paulo pòſt ſubſidunt,aut perpetuò ſimiliter manent:aut puræ excernuntur,& poſtea turbantur) tertia ex relatis mala eſt,prima moderata, in medio autem ambarū ſecūda. Quæ verò extremè cruda eſt,hoc eſt quæ exactè aquoſa eſt, velut deſperatæ concoctionis ſymptoma, venoſi generis eſt. Vbi verò etiā citò exit ,vrinæ profluuium quod diabetes vocatur, oboritur. Atq; hæc ex crudis vrinis peſſima eſt : cōſequens eſt tenuis adeò ac alba velut aqua.His proxima eſt alia vrina quæ in multis morbis apparet,propè admodū accedens ad vinum tenue & album.Ab hac conſequitur ſubpallida:pallida verò fuerit etiam ſubfulua, & concoquitur iam pro coloris ratione. Verùm & craſſitudine in tantū ab aqua ſecedere ipſam oportet(ſi probè concoqui debeat)quantum colore.Si verò colorem ſecundum naturam exactè ſeruans, ſubſidentiam albam ac læuem & æqualem ac multam habet,concoctionis quidem exactæ nota eſt, verùm copioſum crudum humorē expurgari indicat. Sed etſi moderatè craſſior fuerit, & ſubſidentiam aliquam habuerit , non penitus iā cruda eſt. Si enim aut farinæ craſſiori,aut laminis, aut furfuri ſimiles,aut liuidas,aut nigras, aut pallicātis viroris,aut graueolentes ſubſidētias habuerit,præter hoc q. omnis huiuſmodi cruda eſt, etiā aliàs pernicioſa exiſtit. At verò vrinæ boni coloris,ſimúlque aut ſubſidentias albas,& læues,& æquales,aut nubeculas quaſdam conſimiles,aut quædam in medio innantantia facientes , omniū vrinarum optimæ ſunt:& maximè quarum ſubſidētia talis fuerit. Secūdo loco ſunt quarum innatātia talia ſunt: tertiò, quarum nubeculæ.Et in ſumma,quæ in vrinis vtiliter feruntur,quanto magis deorſum ſubſiderint , tanto meliora exiſtunt.

DE SPVTORVM NOTIS, Cap. XV.

QVæcunque ſputa ſubflaua ſunt,& ſubfulua,& ſubſpumoſa ac tenuia , ſolius cruditatis notæ ſunt , & nullū grauius malum indicant. Quæ verò meraco modo flaua ſunt, & fulua,& ſpumoſa , & cum virore pallida, viſcoſáque ac rotūda,& his magis adhuc nigra, mala ſunt. Nam ſanguine ſolùm excepto,quiſquis aliorum humorū meracus fuerit,malam affectionem indicat,quæ ex flammea caliditate ortum habet. Cruenta igitur ſputa moderata ſunt,flauæ verò aut atræ bilis , horrenda. Verùm inſpicere inſuper oportet etiam eductionis ipſorum modū. Si enim facilè expuātur,manifeſtum eſt talia eſſe bona, contraria verò,mala. Perfectæ itaque concoctionis no-

A ta eſt,ſputum læue,album,& æquale,& compage neque liquidum ,neque nimis craſſum: abſolutæ verò cruditatis nota eſt,id quod omnino non expuitur.Si verò expuatur quidem ,ſed tenue, concoctionis languidæ ſignum eſt. Sin autem meracum fuerit, fuluum aut flauum , non bonum eſt:ſi verò liuidū,aut æruginoſum,aut nigrum, perniciociſſimum.

DIARIARVM FEBRIVM COGNITIO AC CVRATIO, Cap. XVI.

B FEbrium diariarum proprium & inſeparabile ſignum eſt vrinarum concoctio in prima die.Sed & caliditatis iucunditas,,proprium ac inſeparabile talium febrium ſignum eſt. Verùm poſt primam febris ſolutionem , certiorem cognitionem habebis. nam & artériarum motus tunc per omnia aſſimilatur ſanorum motui , quum nulla alia febris ad naturalem ſtatum reuertatur : & ægri bona tolerantia,magnum etiam ipſa ſignum eſt.Facilè verò his febribus corripiuntur ii quibus defluxiones corporis nō ſunt vaporoſæ , ſed acre quiddam & velut fumoſum habent: hi autem ſunt calidi ac ſicci temperamento , & o- C mnino ex amara bile biliosi. Eos igitur qui ex laſſitudine febrierunt,pinguiter ſimúlque molliter fricare oportet, ac lauare:qui verò ob ſiccitatem,minus quidem illis fricare,ſed plus lauare.Ex curis autem, & mœroribus , & vigiliis,& ira illapſos,lauare non ſæpe, ſed oleo multo tepido minimum adſtrictionis participāte parum fricare,& vt mos eſt lauare.Ex ardore verò febri correptos , ſtatim ab initio frigefacientibus curare oportet ,& balneis pluribus:minimè autem oleo largo,ac frictione.Frigefaciētia ſint,roſaceum,& oleum omphacinū abſque ſale præ- D paratum.Verùm hæc ipſa vehementer frigefacta ſincipiti affundere oportet,& declinante febre lauare. Si verò quis perfrigeratus febrierit,& hunc lauare oportet in declinationibus. At ſi vnà cum grauedine ac defluxione febriant , priuſquam cōcoquantur illæ,lauare non oportet. Verùm eos qui ex ardore febriunt,etiam illo præſente lauare conuenit:qui verò ex frigiditate,iis caput rigandum eſt moderatè calefacientibus , velut eſt irinum ac nardinum.In quibus autem meatuum cutis coarctatio febrem efficit, iis conueniunt balnea dulcium aquarum tempe- E ratarum,& frictio rarefactoria,& exercitia,& victus ſucci dulcis.Si verò ob inediam fiat febris, prima exacerbatione inclinata ad balneum inducantur,& oleum plurimum tepidum affundatur, leniſſiméque defricentur , & plurimum temporis in ſolio calido immorentur. Vbi verò egreſſi ſunt,& vires refecerūt,ad balneum rurſus inducātur:& poſtea calidam aquam bibant, & ptiſſanæ ſuccum, quandoque etiam lactucæ:& teneræ carnis piſces ſumant ex albo iure. Communis autē victus ſpecies in omnibus ſit boni ſucci, facilis cōcoctu, nuſquam circa meatus hæ- F rens.Vinum dandum eſt aquoſum & aſpectu & facultate. Oportet autem circa primum primæ exacerbationis febrilis inſultum,aliquando horum aliquos nutrire, in quibus corporis intemperies ad caliditatem ac ſiccitatem emota febres accendit.Qui verò ex glandularum inflammationibus febriunt, ne interrogant quidem medicum quid facere oporteat : verùm hulceris ex quo inflāmatio oborta eſt,prouidentia habita,circa exacerbationis declinationem lauātur. Conuenit autē ipſos prohibere à vino donec inflammatio fuerit ſoluta,& tenuiore victu vti.

G

PVTREDINOSARVM FEBRIVM cognitio, Cap. XVII.

PVtredinoſarum febriū cognitio cōtingit ex eo quòd nulla externa laceſſens cauſa præceſſit. Sed & quòd à rigore incepit, neque ardore, neque frigore vehementi prægreſſo , proprium & hoc ipſum eſt febrium putridarum:quemadmodū etiam pulſus compreſſio. Sic autē nominãt , quū incipiēte exacerbatione ſatis paruos ac ipſos inæquales habēt pulſus. hoc enim præcipuè taliū febriū proprium eſt.Quin & maxima putridarum febrium no- H ta eſt caliditatis qualitas.Fumoſa enim eſt,vt tactum perrodat:proprium item maximè harum febrium eſt,vrinarum cruditas,& languida concoctio. Magna verò & memorabilis nota concoctionis in primis vrinis, nunquam in talibus febribus apparet.

PVTREDINOSARVM FEBRIVM curatio, Cap. XVIII.

SI vires robuſtæ fuerint, febrienti ex putrida febre ſtatim vena ſecanda eſt, ſi abſit cruditas ventris: verùm viribus debilibus, aut ætate impediente venam non ſecabis. Poſt ſanguinis autem euacuationẽ, putrefacta expurgare oportet per vrinas, ventrem, & ſudores. Si verò ſua ſponte aliquando impetum ad os ventris fecerint, etiam per vomitus: alioqui præter naturam irritare nõ oportet. Eligendæ verò ſunt materiæ quæ circa hoc vt calefaciãt ac ſiccent, relatas euacuationes efficere poſſunt: velut eſt ptiſſanæ ſuccus, aqua mulſa, acetum mulſum, fauorũ cremor coctus, & apii radix. Quum autem aluus nõ ſubit, aquam mulſam cum oleo per clyſterem infunde. At totũ corpus rarefacere non conuenit ante euacuationem: facta autem euacuatione, rarefacere licet aliquo tepidam habente caliditatem, quale eſt chamæmelinum. In hoc tempore etiam vinum aquoſum potum omnes excretiones mouet: & balneum temperatum ex aqua dulci. Cæterùm vbi magnitudo febris reſiſtit, neque vino, neque balneo vtendum eſt, neque vnctionibus rarefacientibus: ſed frigida aqua in his febribus cõmodè bibitur, ſi non quid impediat etiam hanc. Si igitur facultates virium robuſtæ fuerint omnes, & febris ardentiſſima, & concoctionis ſigna manifeſta, frigida confidenter danda eſt. Si verò etiam carnoſus fuerit, & conſtitutio aeris calida ac ſicca, & in ſolium aquæ frigidæ ipſum immiſeris, non lædetur. Moderata verò ſi eſt febris, & vires robuſtæ, vnà cum cõctionis ſignis, talibus balnea proſunt, & vini potus, & rarefacientia vnguenta.

TERTIANARVM COGNITIO, Cap. XIX.

FEbris tertiana quæ ex flaua bile mota generatur, ſtatim ab initio rigorem non exiguum inducit, qui à quartanario rigore differt eo quòd pungi ac vulnerari corpus videatur: in quartanis autem inſultus vehementẽ perfrigerationem habet. Verùm quotidianas febres neque præcedit rigor, ſed perfrigerantur ſolùm. Eſt autem & in tertianis ordo pulſuum exactus. Infert autem ſitim circa vigorem, vehementem, & hominem perurit, & paulo pòſt in vigore conſiſtit, & calor vndiquaque æqualiter extentus eſt. Si verò manum adhibeas, iuxta primùm occurſum caliditas multa & acris occurrit, quæ velut cũ vapore quodã effertur: vincitur tamẽ paulo pòſt ſub manu eiꝰ qui perſeuerat. Vbi verò bibit, ſtatim ſanè copia calidi vaporis per cutem exurgit, nuntians ſudores. Vomitus autẽ bilis compareret, aut venter deorſum erũpit, & bilioſa mingunt. Poſt hæc ad febris quietẽ definit, vbi exacerbationis tempus non plurium quàm duodecim horarum fecit. Eam igitur quæ intra duodecim horarũ tempus quieſcit, tertianam exquiſitam nominamus: quæ verò diuturniorem exacerbationem habet, eam ſimpliciter tertianã vocamus: quæ autem longiſſimè extentam exacerbationem habet, exiguum verò interuallum, eam rurſus vocamus tertianam extentam.

TERTIANARVM CVRATI[O], Cap. XX.

TErtianã exquiſitã velut à flaua bile oriẽtẽ, humectare ac frigefacere oportet, & quod in vẽtrem cõfluit, per vomitus ac deorſum euacuare, ſed & per vrinas ac ſudores via aperta deducere. Vẽter itaque mollibus infuſis moueatur: vrinæ verò apio & anetho in potionibus maceratis promoueantur. Et ſi concoctionis ſigna appareant, confidenter iam etiam abſinthium dato. Balnea ex aqua calida potabili conueniunt, & neque nitrũ, neque ſal, neque ſinapi in balneis aſpergatur: ſed oleo quammaximè calido affuſo circumcirca, in ſoliũ immittito. Eos autẽ qui balnea amant, etiamſi bis laueris, nihil deliqueris. Si verò etiam concoctionis morbi ſigna appareant, non peccaris ſi ſæpe laueris. Vinum, priuſquam concoquatur morbus, penitus prohibendum eſt: vbi verò cõcoqui incepit, tenue & aquoſum ac modicum prima die dato. Et cibi qui humectant ac frigefaciunt commodi ſunt. Abſtinẽdũ eſt à melle, ſinapi, ſalſamento, & natura calidis. Atque hæc quidem veterum curatio erat: & nihil miri eſt, quum illius temporis homines in exercitiis [& alimenti

A inopia degerent: nunc verò ordine peruerſo, bilis vtplurimum pituitæ admixta reperitur. Proinde plurimæ tertianæ aut citra rigorem fiunt, aut valde paruus rigor ipſis contingit: itaque etiam curationis ratio euariat. Neque enim balneum, neque plenior ac ſolidior aliquis cibus, ante concoctionem tertianariis cõuenit, præterquam panis micæ, & oua, & ſimilia.

TERTIANARVM SPVRIARVM curatio, Cap. XXI.

LAuare in tertianis ſpuriis in principiis commodum
B non eſt, ſed quando iam ſigna concoctionis apparẽt: neque quotidie nutrire, ſed ſatis eſt alternis diebus. Quies autem & calefactio partium circa præcordium ipſis conducit, & ſorbitiones concoctu faciles, & infuſa ad infernã aluum nõ mollia. Et ſi ſanguinis detractione opus ſit, neque hæc relinquenda eſt. Totus autem victus ſtatus, non in totum perfrigerans ac humectãs ſit, ſed etiam de modo qui magis ſecet, inſuper aſſumat. Maximè autem conuenerit ipſis ptiſſanæ ſuccus, pipere inſperſo, aut hyſſopo, aut origano, aut nardi ſpica. Sed & aquæ mulſæ piper in-
C iicito, & coctam bibendam dato: itémque alia quæ vrinã cient, exceptis vehementer calefacientibus ac ſiccantibus. Abſinthium autem maximè poſt ſeptimum diẽ dandum eſt: quin & acetum mulſum multis in potu profuit, & aliquod ex iis quæ moderatè aluum ducunt. At vomitus à cibis acceptis cõmodiſſimus eſt iis qui in hac febre diutiorem moram trahunt.

QVARTANARVM COGNITIO, Cap. XXII.

D QVartana inſultum facit cum multa perfrigeratione, vtpote quæ ex frigido humore, atra bile, originẽ habet. Sed & calorem & ardorem febrilem non habet, velut tertiana: imò neque bilis vomitus conſequitur. Adhæc ſi tenues & albæ & aquoſæ vrinæ fuerint, quartana febris fuerit: præcipuum verò quartanæ ſignum eſt pulſus paruus & rarus. Sed & autumno plerunque initium habent, at erroneas febres ſuccedentes: & quãdoque ad formam per quartam diem maximè reuertentem conſiſtit: quandoque etiam per plures dies iuxta circuitus quoſdam exacerbatur.

E

QVARTANARVM CVRATIO, Cap. XXIII.

EX quartana ægrotãtes leniter tractare oportet, neque medicamentum aliquod forte adhibendo, neque euacuationem, ſi non ſanguis valdè redundare appareat, quãdo ſanè venam ſecare conuenit. Victum autem flatus exortem & bonum exhibere, & ventrẽ per conſueta mollire: ſi verò hæc nihil efficiant, infuſis per clyſterem vti, mollibus primùm, poſtea verò acribus. A porcinis carnibus ægri prohibeantur, & ab omnibus quæ viſcoſa ſunt
F & tardè tranſeunt, & à frigefacientibus & humectãtibus eduliis omnibus. Vino vtendũ eſt tenui & albo, ac moderatè calido: ſalſamẽto itẽ & ſinapi: & per dies aliquot, medicamentum ex tribus piperis generibus conſtans ſumere oportet, & dioſpoliticum appellatum: ſed & ſi piper ſolum ex aqua quotidie accipiant, rectè fecerint. Quum autem in morbi vigore æger fuerit, tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt, ſtatimque iubendum vt diu conquieſcat, & viſceribus proſpiciendum per mollientia & laxãtia. Conſequenter autem vrinam cientibus vtendum, & ſi conco-
G ctionis ſigna apparuerint, tunc confidendum, & atros humores euacuantibus vtendum, nõ ſemel ſolùm; ſed ſæpe: poſt vehementem autem purgationem, etiam ex viperis medicamentum dato, & alia quæ ad tales febres laudantur: inter quæ eſt & illud familiare nobis, & omnium laudatiſſimum, quod ſuccum Cyrenaicum recepit.

QVOTIDIANAE COGNITIO, Cap. XXIIII.

QVotidiana nequaquã cum rigore irruit prima die, ſed progreſſu temporis perfrigeratio magis quàm
H rigor fit: ægrè autem calefcit, & diuturnum incrementum habet. Non tamen ægrotos perurit, neque multã ac denſam reſpirationem facit, neque efflare, aut frigidam bibere cogit. Fiunt & pituitoſi vomitus, & quæ per ventrem euacuantur, frigidiora, crudiora, & aquoſiora, in his febribus cõperies. Et circa primos dies minimè exudãt,

neque ad febris quietem deueniunt. Sed & ex pallido albidus eſt his color: vrinæ verò tenues & albæ,aut craſſæ, & turbatæ ac rubræ.

QVOTIDIANAE CVRATIO,
Cap. XXV.

QVotidianam curantes,primis diebus aceto mulſo vtimur, & iis quæ vrinam bene promouere poſſunt. Et vniuerſa victus ratio incidendi vim habeat. Verùm circa rigorem ventri proſpicere oportet, & præſertim oſculo ipſius, deinde etiam vomere iubere à radiculis ac cibis acceptis: & pituitam ſubducentibus vti multum ac diu,donec ſedetur.

DE HEPIALO FEBRE, ET RIGORE calefcere nequeunte,
Cap. XXVI.

VItrea pituita omnium pituitarum frigidiſſima, ſi im putrefacta manens, in toto corpore redundarit, rigorem caleſcere nequeuntem abſque febre efficit. Nam in febribus quæ ex humoribus accenduntur, putrefactio quammaximè febrilem calorem accēdit. Si verò putreſcat,atque hoc per totā ipſam contingat(quod rarum eſt) C propter immodicam frigiditatē,quotidianæ febris cauſa fit. Quum autem ex dimidio computruerit, non per totam eſſentiam ſuam æqualiter, ſed partibus quibuſdam putreſcentibus, quibuſdam imputrefactis manentibus, hepialon febrem efficit, in qua rigent ſimul ac febriunt. Et imputrefactæ quidem humoris partes, per totas venas diſperſæ, aut etiam per reliquū corpus, rigorem faciunt: putrefactæ verò febrem accendunt. Dicitur autem hepialos,tranſlatione à voce ἤπιος & ἁλὸς(id eſt à miti, & mari)facta: quum mite quidem appareat mare,horrendum D autem ſit vbi perturbatum eſt. aut ab eo quòd ἠπίως,id eſt leniter, ἀλεαίνει, hoc eſt calefacit. Proinde & hæc febris quum quotidianarum generis ſit, nimirum à pituita oborta, illarum curationi ſubiicitur ſecundum ſpeciem: præterquam quòd tanto calidioribus ac magis ſecātibus auxiliis quàm prædicta quotidiana opus habet, quanto hæc pituita frigidior quàm illa exiſtit. At rigor ille qui caleſcere nequit, adhuc magis calefacientibus opus habet quàm hepialos febris. Medicamentum itaque ex tribus piperis generibus, & quod ex calamintha conſtat, & E quod ex ſucco Cyrenaico paratur, his conueniunt,& quæ ex caſtorio ac ſimilibus parātur auxilia. Latiorem autem horum curationem reperies capite XLVI, de immodico rigore ac perfrigeratione.Porro lipyriæ & fumoſæ, & quæcunque præter relatas,febres dicuntur,quum ex relatarum genere ſint, curationes quoque de illis dictas ac diſcendas exigunt.

DE CONTINVIS FEBRIBVS,
Cap. XXVII.

FEbres continuæ eiuſdem generis ſunt cum ſingulis F intermittentibus:cum tertiana exquiſita,ardens:cum quotidiana, ea quæ quotidie exacerbatur, verùm ad febris quietem non deſinit.Sic cum quartana,ea quæ quarto quoque die exacerbatur. Nam febris ardens exquiſita, omnia alia tertianæ exquiſitæ ſigna ſeruans, in hoc ſolo ab ea differt quòd cum rigore non irruit,neque ad febris quietem deſinit. Et ea quæ quotidie exacerbatur, omnes notas ſimiliter velut exquiſitæ quotidianæ habet, verùm eo quòd non deſinit in febris quietem,ab eiuſdem generis quotidiana differt. Eodem modo etiam ea quæ quar- G to quoque die exacerbatur, ſed ad febris quietem non deſinit,eiuſdem generis eſt cum quartana. Continua igitur febris eſt quæ ad febris quietem, priuſquam perfectè ſoluatur, non deſinit. quum verò nec declinatio aliqua apparuerit, generis quidem ardentium & hæc febris eſt, verùm acumine ab ipſis differt.

CONTINENTIVM FEBRIVM COGNITIO ac curatio, Cap. XXVIII.

COntinentium (ſynochos Græci vocant) febrium generatio ex ſanguine eſt,quādoque feruefacto ſolùm, H quandoque etiam putrefacto ob obturationem. quapropter exacerbatio ipſis ad finem vſque vna eſt. Signa verò ſunt, pulſus maximi & vehementes, & veloces ac denſi,& æquales,non mordaces: vrinæ à naturalibus non ita valde deficientes. Curatio eſt per venæ ſectionem,vſ- A que ad animi deliquium. Si verò talibus vena ſecta non fuerit, febricitantes ad extremum periculum deueniunt. Quòd ſiquid prohibeat vt euacuatio per venam ſectam fieri non poſſit,aliis auxiliis obturatione liberantibus vti oportet, quæ & multitudinem ſanguinis euacuant, & febrium feruorem mitigant. Quum verò in ipſis concoctionis humorum notas videris, & neque in principali parte inflammatio aliqua aut tumor laxus aut durus fuerit, neque pars aliqua frigida, vt ad ipſam læſio irruat ac decumbat,confidenter frigidam dato, & maximè ſi æger B frigidæ potor fuerit.

ARDENTIVM FEBRIVM COGNITIO,
Cap. XXIX.

FEbribus ardentibus hæc ſymptomata accedunt, lingua ſicca, aſpera ac nigra:morſus ventriculi, egeſtiones alui pallidæ:ſitis vehemens,vigiliæ, quandoque verò etiam delirium.

ARDENTIVM FEBRIVM CVRATIO,
Cap. XXX.

EX duobus alterū fieri neceſſe eſt ſi ardens febris per- C fectè ſolui debet, aut vt bilioſi humores excernantur,aut extinguantur.Excernuntur igitur per ſudores, aut vomitus,aut infernam aluum: extinguuntur per frigidæ potum,per quem nos omnes ardentes febres curauimus. Verùm hac febre affectos, neque ex aqua ſolùm, neque ex aqua mulſa ſola victum inſtituere conuenit: ſed aqua mulſa aquoſa cocta ipſis danda eſt. Oportet enim ita ægrotantes, ex ſolis potionibus victum habere. Balneum verò iis ſolis conuenit qui citra inflammationis aut eryſipelatis tumorem febri ardente laborant: ſi verò etiam D concoctionis ſigna habuerint, multo magis ipſis conducet.Qui verò ob ſalſum humorem,ardentem febrem habent,eis non cōducit. Hos verò etiam ptiſſanæ ſucco nutrire conuenit.

FEBRIVM EX ERYSIPELATIS AFFEctione cognitio ac curatio,
Cap. XXXI.

FEbres ex eryſipelatis(hoc eſt ignis ſacri) circa viſcera affectione, cognoſcuntur ex loci & feruore excellenti & dolore vehementi,inſupérque ſiti, ac ardore immo- E dico: & in ſumma, ex ſignis acerrimæ bilis cum pauco ſanguine putreſcentis. Curare verò oportet hoc modo: Abſtinere quidem à balneo in totum oportet. Aqua verò frigida circa vigorem morbi vtendum eſt, maximè contentioſa,hoc eſt frigidiſſima. Verùm in principio vtendum ea non eſt, ſed forinſecus imponenda frigefacientia.Et ſi nihil effecerint, etiam intra corpus vt ea æger ſumat cogendus eſt. Maximè autem ipſis conueniunt lactucæ,& quæ his parem vim habent. Forinſecus autem & ipſe lactucæ ſuccus commodus eſt,imò etiam ſemperuiui,& quæcūque alia frigefaciunt.Optimo verò quam- F maximè vtimur tali: Liquorem alicuius frigefacientis expreſſum in mortarium iniicimus,cum portulaca: deinde contuſū exprimimus: vſus verò tēpore, admixta modica polenta ſubigimus, atque ita in vas indita, in frigidam aquā immiſſo vaſe perfrigeramus. Et poſtea linteū duplicatum in his imbutum, forinſecus præcordiis imponimus,non diu immorari ſinentes,ſed aliud frigidum imponentes. Miſcemus aliquando & oleū omphacinum.

HECTICARVM FEBRIVM COGNITIO,
G Cap. XXXII.

HEctica febris non in humoribus & ſpiritu ſolo conſiſtit,ſed ſolidis etiā partibus: verùm doloris exors eſt,& febrientes neque febrire omnino ſe putant. Neque enim calorem ſentiunt, omnibus partibus æqualiter in ipſis excalfactis. Duplex autem febrium hecticarum ſpecies eſt: quædam enim ex ardentibus febribus plerunque fiunt,aut vſqueadeo extentis vt temporis progreſſu humorem corporis cordis conſumpſerint: aut etiam manente adhuc multo. Illæ itaque non ſolùm hecticæ ſunt, ſed iam etiam marcoroſæ. Quæ verò manente adhuc hu- H miditate fiunt,hæ cordis corpus occupantes, hinc incenduntur: quemadmodum lucernarum flamma ex funiculo, manente adhuc in lucernis oleo. Et hæc quidem vna eſt ipſarum generatio. Altera verò, quum ab initio ſtatim irruerint,primam generationem diariis ſimilem ſortitæ,

ob triſtitiam, & iram, & laſſitudinem ampliorem ſimul
cum ardore factam. Has igitur non difficile eſt curare.
Eas verò quæ ad marcorem deueniunt, ſanare impoſſibi-
le eſt. Et ſanè quæ in marcorem incidit hectica febris, fa-
cillimè cognoſci poteſt. Oculos enim immodicè cauos
conſpicies, & gramas in ipſis reperies ſiccas, & ſqualidam
quandam affectionem. Periit autem & coloris ipſorum
vitalis flos, & frons ſicca eſt ac circumtenſa. Et plerunque
palpebris nictãt, quemadmodum ad ſomnum procliues.
eſt autem hæc affectio non ſomnus, ſed vigilandi impo-
tentia. Et tempora collapſa ſunt. & quidnam aliud quàm
oſſa & cutis ſolùm exiſtũt? Et ſi denudatas inſpexeris par-
tes circa ventrẽ, neque aliquod inteſtinum, neque viſcus
aliquod ſaluum eſſe putes: & præcordium vehementer
retractum eſt, & cutis ipſis extremè arida eſt. Pulſus graci-
lis eſt, & denſus, ac durus. Caliditas autem circa primum
occurſum languida: verùm paulo pòſt vim acrem ac ero
ſiuam declarat. Quandiu igitur aliquid humiditatis ſer-
uatur, hectica febris ſolùm eſt: vbi verò ad id periculi de-
uenerit vt non amplius quicquam eiuſmodi humiditatis
ſuperſit, exquiſitus iam marcor conſiſtit.

HECTICARVM FEBRIVM CVRATIO, Cap. XXXIII.

HEctica febre laborantes ſtatim ab initio alimento
opus habent, propter humorum mordacitatem. Ma-
xima autem medela eſt victus humectans. Oportet ita-
que quammaximè per ptiſſanæ ſuccũ & per halicæ ſor-
bitiones nutrire, panéque inſuper exhibito, ægrum mo-
derato frigidæ aquæ potu curare, vbi neque inflammatio
aliqua ipſi aderit, neque humorum putrefactio. Et ſi ma-
gnam inde læſionem fore cõiectes, frigidæ quidem ex-
hibitionem inhibere oportet, verùm auxiliis frigefacto-
riis quæ extrinſecus imponuntur vti. Sed & balnea ita af-
fectis per omne tempus commoda ſunt.

DE SEMITERTIANIS, Cap. XXXIIII.

QVum tertiana quidem cum rigore irruat, quotidia-
na verò ſine rigore, febris quæ ex vtriſque mixta eſt,
horrorem inducit qui rigore quidem minor res eſt, ma-
ior autem perfrigeratione, & ſanè dum temperantur ex-
tremitates conſiſtit. Itaque neque abſonũ nomen huic fe
bri indiderunt qui hemitritæum, *hoc eſt ſemitertianam*,
appellarũt. Duplex autem eſt generationis ipſius modus,
aut duabus exacerbationibus vno tempore coincidenti-
bus, aut ambabus ſtatim ab initio inter ſe permixtis. Quũ
itaque tertiana prædominatur, horridior febris fit, & cir-
ca acceſſionem etiam aliquid rigoris aſſumit. Statim au-
tem talis & calidior eſt & ardentior, & quendam bilis vo
mitum, aut alui egeſtionem, aut ſudorem inducit. Vbi ve
rò altera pituitoſior præualet, extremarum partium fri-
giditates prædominãtur, pauci autem ſunt horrores: non
tamen ſiticuloſi ſunt, neque æſtuoſi. At ſi æquales magni-
tudine fuerint, tertiana intermittens, & quotidiana con-
tinua, exacerbationis quidem inſultus cum horrore fit,
& quum pituitoſa prædominatur febris, contractiones
fiunt ac horrores: ſi verò calidior præualuerit, aceruatim
excaleſcunt. Ac talis quidem eſt ſemitertiana exquiſita,
ex æqualiter forti duarum febrium mixtura oriens, ter-
tiana intermittente, & quotidiana continua. Quæ verò
exquiſita non eſt, aut bilioſum humorem vberiorem ha-
bet, aut pituitoſum: quæ ſanè etiam magis facilè curari po
teſt, quum paucior humor promptè ſuperari poſſit tum
ab vberioris prædominio, tum ab artis auxilio. Si enim
pituita præualuerit, auxiliis de quotidiana relatis maximè
vtimur: ſi verò bilis flaua, iis quæ de tertiana dicta ſunt:
ita vt in vniuerſum aduerſus id quod vrget inſtemus, &
tamen neque alterum omnino negligamus.

DE POPVLARIBVS MORBIS, Cap. XXXV.

POpulares & communes morbos nominant eos qui in
multos ſimul incidunt: quorum veluti generatio, ita
etiam cauſa communis eſt. Communia igitur edulia pra-
ua tales morbos pariunt: communis item aquæ vitiatæ
potus, & labores immodici, & labores conſueti intermiſ-
ſi, indigentiæque ac repletiones, vbi vel fames graſſata
eſt, vel largior rerum prouentus contigit. Sed & locorum
A naturæ communes morbos ſæpe induxerunt, quandoque
paluſtrium, quandoque barathrum vicinum habentium
quod exhalationem venenoſam ac prauam remittit. At-
que hæc quidem frequenter contingere ſolent. Verùm
ambiens nos aer mutat temperamenta, ſiue immoderatè
calidior, ſiue frigidior, aut ſiccior, aut humidior fiat. Nam
reliquis cauſis neque omnes ſimul obnoxii ſumus, neque
per totum diem occurſamus. Aer verò nos ambiens, &
extrinſecus omnibus circũfuſus eſt, & per inſpirationem
attrahitur. Neceſſe autem eſt vnà cum ipſius ſecundum
B temperamentum alterationibus, etiam animantiũ cor-
pora coaffici. Qui igitur hæc nouit, non ſolùm futuros
morbos ex vnaquaque cõſtitutione prænoſcet, ſed etiam
fieri prohibebit, ad immoderata ambientis aeris tempe-
ramenta contrariam victus rationem excogitans. Quæ-
cunque igitur corpora propinqua ad hoc ſunt vt in mor
bũ aliquem incidant propter propriã intemperaturã, ea
à ſimili ambientis nos aeris temperatura læduntur. Quæ
verò contrario modo temperata ſunt ad aerem, ſupra hoc
quòd nihil iniuriæ accipiunt, etiam meliora fiunt, tem-
C peramenti immodeſtiam contraria immodeſtia caſti-
gante. Et qui hoc nouit, ſanitatem conſeruabit contraria
corporibus adhibens, quandoque refrigerationibus vtẽs,
(ſi ita opus fuerit) quãdoque calefactoriis: ita vt aquæ in-
ductionibus, & otio, & ciborum inopia, & potus redun-
dantia refrigeret: tegumentis autem & laboribus, & cibo
vberiore, & potu parciore calefaciat. Sed & rogo ingenti
extructo ac incenſo, aerem ad caliditatem ac ſiccitatem
multum tranſmutare quis poterit, ſi antea humidus ac fri
gidus fuerit: quemadmodum Acronem Agrigentinum
D feciſſe dicunt.

DE PESTE, EX RVFI SCRIPTIS, Cap. XXXVI.

OMnia horrendiſſima in peſte fieri poſſunt, & nihil
occultatum manet, quemadmodum in ſingulis mor
bis. Nam & deliria fieri poſſunt, & bilis vomitus, & præ-
cordiorum diſtentiones, dolores, ſudores multi, extrema-
rum partium frigiditates, profluuia alui bilioſa, tenuia,
flatuoſa: vrinæ aquoſæ, tenues, bilioſæ, nigræ, malas ſub-
ſidentias habentes, & ea quæ in medio innatant peſſima,
E ſanguinis de naribus ſtillationes, ardores in thorace, lin-
guæ torrefactæ. Siticuloſi ſunt, anxii, vigilantes: conuul-
ſiones violẽtæ, & alia multa praua. Si verò ſolerti ingenio
quis præſtet, futurã peſtẽ prænoſcet, attendens & tempo-
ribus prauis, & ſtudiis hominum ad ſanitatem non con-
ducentibus, & aliis animalibus prius pereuntibus. Quum
itaque hæc conſideraueris, inſuper & illud tecum expen-
de, quale ſit præſens tempus, qualis item vniuerſus annus.
hinc enim comperies quomodo victus rationem opti-
mè cõſtituas. Verbi cauſa, Debebat eſſe, ſi rectè res fieret,
F tempus ſiccum, nunc verò humidum factum eſt: neceſſe
igitur eſt per victum reſiccare, quo excedens humiditas
conſumatur. Habenda autem eſt & alui cura. Quibus verò
ſupernus venter pituitam habet, vomitibus euacuare o-
portet: quibus autem ſanguis excedit, venam ſecare. Cõ-
moda eſt etiam per vrinas purgatio, & quæcunque aliæ,
& quæ fit per totum corpus. Si verò etiam ardore æſtuet
æger, & flamma ad pectus vſque aſcendat, non alienum
fuerit & frigefactoria pectori adhibere, & frigidæ potũ
exhibere, nõ paulatim, (plus enim exurit) ſed aceruatim,
G vt flammam extinguat. Si autem ardor internas partes oc
cuparit, extremæ verò partes & cutis ſuperficies frigidæ
fuerint, & præcordium diſtendatur, & ventriculus colli-
quamenta partim ſurſum, partim deorſum mittat, & vi-
giliæ affuerint, & delirium, & linguæ aſperitates, his ca-
lefactoriis opus eſt, quò caliditas ad ſuperficiem corporis
trahatur, & ſiquo alio modo fieri poſſit vt caliditas ex
profundo ad externas partes educatur. Vtendum & hac
quæ præſumitur potione: Aloes partes II. ammoniaci thy
miamatis partes II. myrrhæ partem I. Hæc trita in vino
H odorato fabæ magnitudine dentur, quotidie videlicet.
Haud ſcio (inquit Rufus) an ſit quis qui ex hoc potu non
à peſte immunis ac ſuperior euaſerit. Hæc quidẽ Rufus.
Verùm Galenus ad peſtilentes putredines Armeniacum
bolum in potu, & ſimiliter ex viperis theriacam magno-
pere prodeſſe ait. Profectò in peſte quæ Romæ graſſata

eſt (inquit) omnes mortui ſunt quibus neutrum horum profuit.

DE IIS QVI OB CRVDORVM HVMORVM copiam in ſyncopen incidunt; Cap. XXXVII.

QVidam febricitare incipiunt ex magna crudorum humorum copia collecta, vnà cum hoc quòd os ventriculi malè affectum eſt. His inflatum eſt præcordium, & totum corpus maiorem naturali molem habet. Et color aliis ad albidiorem & aquoſiorem ſpeciem mutatur; aliis ad nigriorem ac liuidiorem. Nulli talium ſanguinis detractio citra maximum detrimẽtum fieri ſolet, & quidem quũ opus habeant euacuatione: imò neque venæ ſectionem, neque purgationem ferunt; vt qui etiam ſine his derepente animo concidant. Curare igitur ipſos oportet per frictionem. Incipere verò ſtatim ab initio morbi cõuenit, primùm à cruribus ſupernè deorſum, per lintea moderatè aſperiora: deinde etiam totæ manus confricentur ſupernè deorſum. Poſtquam autem artus ſatis calidi apparent, & timor fuerit laſſitudinis ſenſus, oleo laxante vtendum eſt: abſtinendum autem ab adſtringentibus. Hyemis verò tempore, etiam diſcuſſorio vtendum eſt: quale eſt oleum Sicyonium ac chamæmelinum. Defrictis autem iam plurimum artubus, oleum quidem detergeatur: verùm ad ſpinam totam progreſſus fiat, & hæc ſimiliter fricetur, deinde rurſus ad crura tranſgreſſio fiat; & ex his rurſus ad manus, & poſtea ad ſpinam, ita vt per totum diem id agamus. Cõmodiſſima his eſt aqua mulſa in qua coctum eſt hyſſopum. Et neque cibos ipſis, neque ſorbitionem, neque aquam dare oportet, neque permittere vt omnino largius bibant, ſed ſola aqua mulſa contenti ſint per primos tres dies, ita vt per ſucceſſionem fricemus, & illud ſolum tempus remittamus in quo ſomnus ipſos occuparit. Si quidẽ igitur pulſus ipſis valde paruus & fortiter inæqualis eſt, extremũ periculum imminet, & facere oportet ea quæ dicta ſunt, nihil aliud curioſius conando: ſi verò firmitatem moderatè habeat, & non probè prodeant alui excrementa, infuſum per clyſterem confidenter adhibe. Si verò ſuperfluitatum impetus amplius quàm oportet in ventrem fiat, primùm quidem amplius aquam mulſam coquito: (minus enim ſubducit) ſi verò adhuc amplius aluus ſubeat, neque ſic ſiſtere oportet, verùm pro aqua mulſa ptiſſanæ ſuccum dare: at ſi adhuc ferri perſeueret, ſorbitione ex halica, nutrire. Quòd ſi debilitatem ex pulſu didicerimus, & vires collapſas, panem ex vino diluto dare conuenit, neque ventre, neque hepate inflammato. Nam ſi inflammatæ fuerint hæ partes, corpore crudis humoribus repleto, deſperatus eſt æger. Si verò quandoque perceperis ſatis craſſos eſſe humores, acetum mulſum ſemper pro aqua mulſa dato: ſi quidem æſtas eſt, & aquæ frigidæ potor ſit æger, frigidum acetum mulſum huic dato: hyeme verò calidum. Aduerſiſſima ſunt his balnea, & aer nos ambiens multus calidus, aut frigidus. Hæc igitur facienda ſunt à prima die, vbi ipſe inceperis curationem. Si verò vbi iam animo concidunt, vocatus fueris, partibus his de quibus dixi non inflãmatis, panem quidem dato ex vino non multum, ſtatim autem ad frictionem procedito, & iuxta relatum modum vtitor. Porro in quibus propter flauam bilem quæ os ventris læſit, ſyncope contingit, frigidum potum aſſumere oportet, vinũmque tenue, fuluum ac vetus exhibere.

DE IIS QVI OB TENVES HVMORES in ſyncopen incidunt, Cap. XXXVIII.

QVi verò ob tenues humores animo concidunt, contrario prædictis modo curandi ſunt. nam & ſigna notoria contraria his comperies. Nutrire igitur paulatim aſſiduè oportet. Sed & hos incurabiliter affectos eſſe putandum eſt, quum hepar ipſorum aut venter inflammationem habuerit, languentibus iam viribus. In his affectionibus lethalis cõſtitutio celeriter fit in facie. Et ſanè nutrire ipſos neceſſariũ eſt: ſimiliter etiam ſuperficiem corporis denſare, quemadmodum ſuperiorum rarefacere. Parandus quoque aer frigidus, & adſtringentibus inungendi ſunt. Cibi dandi ſunt non valde diffluentes. Dandus itaq; panis eſt, & ſorbitiones ex halica, & fructus auſteri qui ægrè corrumpuntur, tum per ſe, tum cum pane. Commodum his eſt vinum aquoſum, quod ſtatim ab initio poſt cibos aſſumatur.

DE ALIIS OCCASIONIBVS OB QVAS ſyncopæ fiunt, Cap. XXXIX.

SVnt & aliæ occaſiones ob quas homines animo concidunt, quatuor numero, dolor vehemens, vigiliæ, euacuatio immodica, & in delirantibus aliquando ipſe motus. His quintam ſi voles adde, principiorũ intemperiem. Celerrima igitur pernicies inſtat corde affecto: conſe-**B** quenter autem cerebro, parum verò hepate.

DE DOLORE, Cap. XL.

DOlor igitur ſtupefactorius ob frigidam fit affectionem: pulſatorius autem proprius eſt magnæ inflammationis. Si verò velut ab aculeo infixo aut velut à terebello forari ſe quis putet, craſſi inteſtini hæc doloris ſpecies eſt. Verùm in renibus cum grauitate quadam dolor eſt in vno loco firmatus, circa lumbum dextrum aut ſiniſtrum, retrorſum magis: in colo verò dolor ex eo loco ad locũ tranſit. Punctorius conſiſtit circa pelliculas. Perſul-**C** tans dolor non ſolùm vehementiſſimis alterius tantùm capitis partis doloribus contingit, ſed etiam antiquis capitis doloribus, cephalæis appellatis. Eſt autem dolor perſultans, quum velut à radice primariò affectæ partis initium ſumens, citò in circunſitas fertur. Diſtendentes vtrinque dolores neruorum ſunt, quando & dolent, & ad ambas extremitates diſtenduntur. Minimè enim ad latitudinem diſtentos dolores *nerui ipſi habent: tenſiuos autem & ſtupefactorios dolores inducit membrana ſub cute extenta. Quæ verò inter carnem ſunt membranæ, **D** dolores velut diuellentes faciunt. Sunt enim multæ, & inæqualiter inſitæ; & ipſam carnem ambientes. At circunſitarum oſſibus membranarum dolores profundi ſunt, & ipſorum oſſium dolentium imaginationem inducunt. Quum igitur nulla externa doloris cauſa apparuerit, prægreſſum victum conſidera. Aut enim fuerit præter conſuetudinem otioſior, aut cibis pluribus homo vſus eſt, aut multum nutrientibus, aut conſueta excretio ſuppreſſa eſt. Si enim quicquam horum, aut etiam omnia apparuerint, humorum multitudo cauſa eſt doloris, & quam-**E** celerrimè hominem euacuato. Sic enim cum omni ſecuritate tibi licebit iis quæ fluxiones repellunt vti, in partibus dolore affectis. Si quidẽ igitur ſanguinis multitudo fuerit quæ diſtendit, ſtatim vena magna ſecanda eſt prope affectam partem: vitioſis autem humoribus ſolis infeſtantibus, purgatio fiat: ambobus autem concurrentibus, vtriſque euacuationibus vtendum eſt, vena prius ſecta. Si verò his factis dolor remanet, manifeſtum ſanè eſt circa partem affectam impactum eſſe id quod moleſtat: manifeſta eſt etiam curatio per diſcuſſoria futura **F** medicamenta. Eodem verò modo & dolores ob flatuoſum ſpiritum obortos curabimus, placantes ipſos magis attenuantibus eduliis, infuſiſque per clyſterem cataplaſmatis, irrigationibus ac fomentis, rarefacientes corpus illum continens. Si verò tumor grauans aut premens dolorem efficiat, tumor curandus eſt: ſin ob mordacem humorem dolor fiat, aduerſiſſima his ſunt attenuantia ac calefaciẽtia. Anethum igitur in oleo coctum, dolorem eximit, & ſomnum inducit: & viride magis quàm ſiccum.

DE COLLIQVATIONE, Cap. XLI.

G QVum quid per ventrem excernitur, non à cibo aut potu accepto, ſed ex humoribus ex toto corpore in ipſum confluentibus, (quod ſimile quidem eſt bili quæ aſſiduè per vomitum reiicitur, ac per aluum ſecedit: differt autem ab ipſa, fœtoris graueolentia, & quòd egeſtio fuluior apparet, & craſſitudinem habet ſtrigmentitiam, aliquando etiam oleoſam, aut adipoſam) ſyntexis, *id eſt colliquatio* appellatur morbus. Nam recens compacta pinguedinis ac carnis eſſentia, à febri ardente reſoluitur **H** ac colliquatur. Diutius verò perſeuerante malo, ex ipſis etiam ſolidis partibus aliquid colliqueſcit. In hac peſſima febre frigidæ potus remedio eſt, ex frigidiſſimo fonte petitæ. Talia verò eſſe oportet etiam cataplaſmata & epithemata frigefacientia, tum thoraci, tum præcordiis impoſita. Perfrigerãtes quoque cibi exhibendi ſunt.

DE VIGILIIS IN FEBRIBVS, Cap. XLII.

SI vigiliæ nimium infeſtauerint, manus & crura deligari iubebimus eo tempore quo ad ſomnum conuerti ſolent,& vigilare. Tunc autem aperire & claudere palpebras cogimus,donec ſufficienter fuerint fatigati: dein de repentè ſoluimus ligamenta; & lucernam tollimus; & multam quietem eſſe iubemus. Quòd ſi fortiter incumbant vigiliæ in exacerbationis remiſſione, facies proluenda eſt papaueris nigri capitum decocto: idem etiam olfaciendum eſt. Et papaueris albi corticem toſtum tritum,& mandragoræ radicem tritam, æquis portionibus cum vino & roſaceo, in malagmatis formam redige, ac fronti impone. Serpyllo item cum melliloto in paſſo cocto vtere: & hoc in ipſis quoque exacerbationibus. Aut trita papaueris capita pane excipientes, cum roſaceo aut cerato imponimus. Sed & cibus quodammodo curioſior ſit,& ſorbitionibus papaueris albi ſemẽ adiiciatur, trium cochleariorum menſura. Olera verò parentur; papaueris nigri,ſi affuerint,foliis adiectis viridibus, quantũ tribus digitis capi poteſt: ſin minus, tria aut quatuor capita ſicca ſimul incocta eximantur. Si verò neque ſic in ſomnũ deferantur,papaueris ſucco aut mandragoræ ſucco oblinantur. Sed & eclegma quod ad delingendum ex capitibus papaueris componitur, & maximè id quod ex ſapa conſtat,ſi cochlearii vnius aut dimidii menſura bibatur, ſæpe ſomnũ conciliauit. In quibus autem caput non facilè repletur, vtendum eſt,ſi vigiliis infeſtentur, in declinationibus tali ſuffumigio: Folii,amomi, coſti, zarnabo,ſingulorum vnciam vnam: carpobalſami drachmam vnã,ſtyracis, ammoniaci thymiamatis, bdellii Scythici, radicis mandragoræ,ſucci papaueris tantundem. ſuffito in lignis cupreſſinis.

CVRATIO SOMNI GRAVIORIS, Cap. XLIII.

FAciem ſpongia poſca lactei teporis imbuta detergere oportet, & extremas partes fortiter deligare. Odoramenta adhibeantur inciſoriam vim habentia. Et in exacerbationũ remiſſionibus cucurbitæ dorſo ac ſpinæ efficaciter affigantur. Perſeuerante verò morbo, etiam ſternutatoria in exacerbationum remiſſione adhibeantur. Sit autem & ciborũ materia ſecandi ac diuidẽdi vi prædita,velut in ſanitatis præceptis diximus.

CVRATIO DOLORIS CAPITIS IN febribus, Cap. XLIIII.

CApitis dolore in febribus vexante, poſt conuenientem ſuperflui vacuationem, circa exacerbationũ declinationes vnctione capitis vtendum eſt, primùm ex oleo communi acerbo ac crudis adhuc oliuis expreſſo,aut roſaceo: admixto ad ipſum etiam aceto pauciſſimo, æſtate quidem,& in febre ardente,frigido: hyeme verò,& in non ardente febre, calido aut tepido. Coquatur aliquando in oleo etiam ſerpylli ac polygoni ſuccus. In æſtate etiam calices papaueris,aut ipſum papauer: quẽadmodum rurſus hyeme, peucedani parum. Perſeuerante dolore in fronte, ſi ſinciput nudum fuerit, cataplaſma huic adhibendum eſt ex polentæ polline, & polygono, aut ex pane ſimiliter ac roſis,aut modica myrto,aut ſerpyllo. Quoſdã etiam pulegium admixtũ magis leuauit. In quibuſdam verò etiam,quum feruoris ſenſus eſſet, pſyllium polentæ admixtum profuit: aut etiam per ſe in coctura ad viſci formam redactũ, & aſſiduè permutatum, & coriandrum ſimiliter cum polenta. Sed & aloe cum aceto illinitur, & myrrha & ammoniacum ſimiliter & crocomagma. At pulſatiles dolores ruta & mẽtha cum pane difflat, adſtillato etiam roſaceo. Si verò ad relata dolor non ceſſerit, primùm caput ad cutem attondere oportet: deinde pinguioribus irrigationibus per totum ipſum vtendum eſt: poſtea cucurbitæ affigendæ ſunt occipitio, & extremæ partes deligandæ ac confricandæ. Commodæ ſunt & hirudines appoſitæ. Cæterùm ſi defluxio aliqua,aut grauedo illapſa, capitis dolorem accenderit, iis quæ ad hæc proprio loco deſcribentur auxiliis vtendum eſt: ſi verò à locis circa ſtomachum vapores exhalantes caput læſerint, etiam his proſpiciendum eſt quemadmodum ex ordine ſubſcriptum habetur.

DE STOMACHI AFFECTIONVM CVratione, Cap. XLV.

SI imbecillis fuerit ſtomachus, cataplaſmatis corroborare potentibus vtemur: qualia ſunt quæ palmulis conſtant; vino; polenta,croco,maſtiche, & aloe. Irrigationes autem adhibebimus ex abſinthio,& oleo melino, maſtichino,nardino,& vino. Et ſi ſtomachus exuratur, admiſcenda ſunt etiam frigefacientia aliqua, veluti eſt cucurbitæ ſuccus,& lactucæ,& portulacæ,& ſolani,& intybi, & vuæ acerbæ. Si verò aliquid inflammati circa viſcera appareat, etiam ex laxatoriis quædam admiſcenda ſunt: ad irrigationes quidem, oleum chamæmelinum ac Cyprinum:& de adipe, gallinaceus ac anſerinus: bdelliũ item aut ammoniacum,aut ſimilia: ad cataplaſmata verò,apii ac fœnigræci ſemen, althææ ac chamæmeli flos. Et in ſumma,compoſitam hæc facultatem habeant ex laxatoria tenuium partium,& amara,ac adſtringente.

DE IMMODICIS PERFRIGERATIONIbus ac rigoribus in febre, Cap. XLVI.

RIgoribus qui iudicatorio modo fiunt, reſiſtere non oportet, neque certamen exoluere. Sed & perfrigeratio quæ ex ſudore oboritur, promptè ſedatur, & nihil moleſtat. Si verò perſeueret rigor,aut perfrigeratio(à frigidiore verò & multa pituita maximè oboritur) primùm artus pluribus modis conſtringẽdi ſunt: deinde primùm illinendi oleo chamæmelino, aut Cyprino, aut irino. Si verò maiore auxilio opus ſit, piper quoque oleo admiſcendum eſt,aut roris marini ſemen,aut adarce, aut caſtorium: & frictio mollis totius corporis adhibẽda eſt. Quò verò non facilè oleum defluat, non ineptum eſt ceræ parum in ipſo liquare. Quòd ſi rigor recaleſcere non poſſit, fortioribus etiam acopis ex his cõpoſitis, & dropacibus, ac ſinapiſmis vtendum eſt, & alia inſuper fomenta conuenienter excogitanda. Sed & acriora odoramenta conueniunt, calaminthe, pulegium, hyſſopum. Quin & ante febris acceſſionem,aqua mulſa bibenda eſt in qua piper & ruta ſint incocta. Et ſucci Cyrenaici milii magnitudinem cocto melle efformati, duabus ante exacerbationẽ horis dabimus: ſimiliter & ſilphii ſucci. Sed & id quod ad quartanas ex ſucco Cyrenaico cõponitur, multis profuit. Et qui in olei multi calidi ſolia ſe demiſerunt(inquit Archigenes) rigores pertinaciter hærẽtes excluſerunt. At Galenus ante acceſſionem febris, cutem abrotonio defricare iubet,aut calamintha ſicca, aut conyzæ foliis & floribus,aut coſto,aut pyrethro,vtriſque his cum oleo. Et aut omnino non,aut ſaltem minus rigebunt.

DE SVDORIBVS, Cap. XLVII.

SVdores iudicatorios admittere oportet vſque ad ſufficientem euacuationem, ita vt etiam adiuuemus moderata calefactione ac quiete,vt ſudorem non abſtergeamus:(alius enim alium ducit) & calida oris collutione ac ſorbitione,& ſomno. Sed & remiſſos ſudores ſimiliter vt iudicatorios adiuuabimus. Quæ igitur ſudores ducunt auxilia, libro primo, capite quadrageſimooctauo ſufficienter relata ſunt. Poſtquam verò ſudores amplius proruperint, tunc detergere oportet, & tegumenta leuare ad refrigerandum. Laſſitudinem enim inducunt nimium erumpentes,adeò vt ſæpe ad ſyncopen adduxerint. Tenue igitur ſit amiculum & madefactum, & aer frigidior: ſomnus quoq; ac vẽtilatio aſſumatur. Et myrtus nigra trita corpori inſpergatur,& ſimiliter galla, & pini cortex. Electrum item ac polenta, cum vino adſtringente, partibus admittentibus imponantur, & ſpongia poſca imbuta facies detergeatur. Archigenes autem & calcem viuam, & fæcem vini vſtam, tum in his, tum in rigore recaleſcere nequeunte aſſumit. Ambo enim hæc (inquit) dum incaleſcunt,reſiccantur. Irrigare etiam medias corporis partes iubet ſucco plantaginis, aut coriandri, aut portulacæ, aut braſſicæ,quò compactæ ſudores arceant. In ſomno verò, in cimolia terra aqua diſſoluta, pinguefiunt linteola, & ſubiiciuntur dorſo ac thoraci. Illinendum eſt autem totum corpus roſaceo,aut melino,aut myrteo, aut lentiſcino,aut ceratis ex his paratis. Idonea enim magis ſunt his pinguia,eo quòd obſcuros meatus obturãt, humoris tranſitum prohibentia. Manifeſtum verò eſt quòd & cibus

ſiccior his conducit,& vina moderatè adſtringentia. Verùm à pluribus potionibus, & præſertim humidioribus, & à frequentibus oris collutionibus abſtineant. Si verò id fieri poteſt, etiam geſtationes aſſumantur, in frigidiore aeris conſtitutione. extremæ autē partes his maximè perfrigerentur. Qui verò per expreſſionem fiunt ſudores: (hi autem ob dolores aut cōuulſiones contingunt) eos & deligatione,& fotu extremarum partium, & panniculorum laneorum defrictione leuiter curare oportet.

DE TVSSI IN FEBRIBVS,

Cap. XLVIII.

TVſſi in febribus, præſertim cum rigore orientibus, reſiſtere oportet. nam per tuſſis inſtantiam labans alioqui febris erigitur. Dandæ igitur ſunt confectiones ſub lingua tenendæ, ex melle cocto coactæ, quæ linguæ ſubditæ eliquantur, atque inde hypoglottia vocantur, & id quod bonam ſpirationem impedit diſſoluunt. Tempus vſus ipſarum eſt circa exacerbationum vigores, & deinceps vſque ad modicum tempus ante acceſſionem. Detur item aqua mulſa cocta. In quibus verò neruorum genus ſuſpectum non habes, temporis progreſſu confidenter etiam acetum mulſum dabis: ſin minus, hyſſopi decoctum. Hoc etiam rigentibus auxiliatur. Dabis item caſtorium, ſi febris non ſit ardens. hoc & neruorum generi conducit. Eclegmata verò deligantur ex pini & ſtrobuli nucleis, iride, ſemine lini, amygdalis amaris, & vrticæ ſemine. Pleraque ex his etiam cibis admiſceantur. Sed & reſina terebinthina in ouo detur. Forinſecus autem thoraci & partibus circa arteriam lana ſulphurata imponatur. Oleum verò, aut rutaceum ſit, aut irinum, aut anethinum. Ligamentum quoque robuſtum in longum deligatum tuſſes exactè cohibet: in mediis dico ac extremis partibus. Nec præter rationem eſt, tuſſis gratia vti ſtaphide ſylueſtri, ita vt vnà cum vuis paſſis aut cum maſtiche manducetur. Quin & extremæ partes defricandæ, contrectandæ ac deligandæ ſunt: deinde rurſus exoluenda illa in contrarium protractio. Si verò ob febris acrimoniam tuſſis irritat, gargariſmate ex aqua tepida vtendum eſt. Sed & frigida ſæpe profuit. Conferunt & ex poſca gargariſmi,& ex palmularum, aut roſarum, aut radicis dulcis decocto. Viſceribus autem ac ipſi cordi ea quæ moderatè frigefaciunt imponenda ſunt.

DE STERNVTATIONE,

Cap. XLIX.

STernutationes ſæpe vexant in febribus illabentes. nā & caput replent,& vires proſternunt: quibuſdā etiam ſanguinem erumpere faciunt, atque alias eiuſmodi turbationes inducunt. quare ipſis reſiſtere oportet. Irruentem itaque ſternutationem cohibet confrictio naſi, frontis,& oculorum, oſcitatio item, & palati diligens frictio, ructus, laterum mollitudinis intentio, capitis eleuatio, conuerſio ad latus, ſummarum partium contrectatio, muſculorum mandibularium inunctio, olei calidi in aures infuſio, puluini calidi ſub mentum ſubditio. Vitare autem oportet repentinam ex ſomno excitationē, fumum, puluerem, acriores odores, piperis, caſtorii, ſinapis, menthæ. Lenis eſt odor mali ac polentæ: nam ſternutationum elapſum obtundit. Idem faciunt & ſpongiæ marinæ nouæ. Cæterùm impetu ad ſternutationē oboriente, & ſternutatione non prodeunte, labia quieſcant, & acriores odores aſſiduè experiatur,& mens remittatur.

DE CIBORVM INAPPETENTIA,

Cap. L.

SI ob vitioſos humores ciborum inappetentia oboriatur, cibi ac potus illi dandi ipſis ſunt qui tales humores detergere,& aut per vomitū, aut per infernam aluum excernere ſolent: aut temperare & meliores efficere poſſunt. Horum materiam habes in præcedente hunc libro, qui primus eſt totius operis. Si verò ob virium debilitatem inappetentes ſunt, quandoquidem omnis virium facultas propter partium intemperiem debilis eſt, intemperiei ſpeciem per contraria curare oportet. Variegationem itaque de inappetentia tractationem, inter ſtomachica libro tertio trademus. Verùm in febricitantibus ſtatim ab initio appetentiam odoramentis recuperare conandum eſt, maximè aqua in qua polenta ſubacta eſt,

A aut poſca, aut vino diluto, aut fructus alicuius odorati ac adſtringentis decocto. Vnctione item leni, & moderata totius corporis frictione ac contrectatione, & faciei prolutione, ac modicæ aquæ abſorptione. Sed & digitorum immiſſione ſtomachus lancinatus, conuerſus quodammodo ad hoc eſt vt cibum admitteret, & præſertim vbi bilioſum quid aut acetoſum eductum eſt. Poſt primos dies, etiā cataplaſmatis forinſecus ſtomachus inuitetur, quæ parata ſint ex palmulis, malis, œnanthe, abſinthio, aloe. Cibi verò præparentur plures & ſimplices, & frumen

B tacei,& qui ex alia materia alterationes quaſdam habeāt, non tamen procul ab vſu febrium recedant. Inter quos fructus quoque pomorum numerari poſſunt, qui non facilè aceſcunt, neque valde dulces ſunt, ſed maturi: & non vſque ad ſatietatem, ſed ſolùm vt appetentiā ad alios cibos irritent. Adſint autem ipſis dum cibum capiunt, qui leniſſimi ſint, & compeſcere ipſos ac cohibere poſſint. Remotis iam febribus, ſi etiam in refectionibus inappetentia permaneat, ſiſarum coctum cum aceto mulſo,& lactuca,& oliuæ muria conditæ,& capparis,& ſalſamētum,

C & bulbi, & quicquid ſtomacho commodum eſt, excogitetur, ita vt & illos cibos in memoriam reuocent in quibus, dum ſani eſſent, maximè immorabantur. Deambulationes etiam ac geſtationes, & vociferationes, & dropaciſmi,& frictiones,& exercitia aſſumantur. Sed & prǽpotationes ſucci abſinthii, aut aloes. Aceti quoque ſcillini myſtri menſura abſorpta probè facit.

DE MAGNA FAME,

Cap. LI.

D SI verò ad magnam famem, bulimon appellatam, ciborum inappetentia deueniat, hoc eſt vt excellenter animo linquantur, hos reuocabimus tum aliis odoramentis, tum ſuillis carnibus aſſatis, & hœdinis: & in ſumma omnibus nidoroſum odorem habentibus, nimirū vbi acumen febrium iam præteriit. Et extremitates ipſorum deligare, ipſóſque excitare oportet, & maxillas pungendo, & capillos aut aures vellicando. Reuocatis autem panem ex vino diluto dabimus, aut aliud quid ex iis quæ facilè diſtribui poſſunt.

DE CANINA APPETENTIA,

E Cap. LII.

ETſi hoc ſymptoma non ita valdè in febribus accidat, ſed aliquando poſt ipſas, tamen tum aliâs, tum ob cognationem quam ad ciborum inappetentiam habet, non malum fuerit & de immodica dicere appetentia, quum ambæ modum excedant. Quandoquidem igitur à pituita acida hæc affectio maximè oritur, iis quæ hanc ſecant ac detergent vtendum eſt. Sunt autem talia dulcia & ſalſa,& alioqui deterſoria calefacientia. Vinum igitur ipſis dare oportet largum, & multum calfaciens: talia autem

F ſunt fulua colore, aut rubra, citra adſtrictionem. Magis verò dulciora danda ſunt, etiamſi non ſitiant. Quum autem ad prandium accedunt, primùm pinguia ipſis dare oportet, & alia omnia multo oleo præparata, nihil auſterum, aut adſtringens habentia. Hæc enim etiamſi non palàm ipſam impugnent cauſam, tamen incontinentem ad cibos impetum diſſoluunt: verùm abſtinentia ab his, pituitæ in ſtomacho collectionem minuit. Et ſalſamenta danda ſunt. Poſtea verò prædicta vina largè bibant. Si enim longiore tempore ita fecerint, ſedatur.

G DE SITI, Cap. LIII.

SItim admodum paruam, propter ſiccitatem aut caliditatem partium fieri putandum eſt, per quas potus humor ex ore ad ventriculū defertur. Et medela quidem ſiccitatis, eſt ſomnus: caliditatis autem, vigiliæ. Aliqui tamen ſiticuloſi ex vino fiunt, & ob eduliorum caliditatem: & horum medela eſt frigidæ potus. Appetunt autem vitioſas qualitates, quemadmodum etiam cibos, iuxta rationem prædominantis vitioſi humoris. Cæterùm inextinguibili correptos ſiti, ex qua etiā mortui ſunt, aliquan-

H do vidi quoſdā qui viperas dipſadas appellatas ediſſent: & qui vino veteri ſe inebriaſſent: atque hos qui in naui, in qua aqua deficeret, eſſent. nam qui ex ipſis marinam bibere auſi ſunt, omnes perierunt. At in febribus ſitim mitigare ſolet capitis irrigatio ex frigidiſſimo oleo, aut roſaceo, quæ cum delapſione inſtar ſalientis aquæ con-

tingit. Optimè verò ad ſitim facit lactucæ nigræ ſemen A commanſum, & glycyrrhiza appellata, & cucumeris ſemen ore detẽtum. Dato etiam ſitim eximens catapotium hoc, Cucumeris ſatiui drach. octo, tragacanthæ drach. 4. Tragacantham ouorum crudorum recentium albumine diſſolue, & vbi diſſoluta fuerit, ad cucumeris ſemen antea tritum adiice: & ex ſimul tritis ac emollitis catapotia efforma, eáque in vmbra ſicca, & vnum ſub lingua tenendum præbe, ita vt diſſolutum liquorem abſorbeat. Dato etiam cremorem malorum Cydoniorũ, aut pirorum, aut meſpilorum, aut pampinorum vitis; abſorbendũ: aut mali Punici ſuccum. B

DE LINGVA ASPERA, Cap. LIIII.

Linguæ aſperitatem humectare oportet ita vt ſeminis lini decoctum ægros in ore continere iubeamus. Efficacius autem erit ſi myxæ cum lini ſemine fuerint coctæ. Sed & digito in hoc ſucco tincto, & lingua cõfricta, os aqua pura colluant, aut ſpongia detergeant, deinde roſaceo illinant. Sed & ipſum roſaceum melli admixtum egregiè efficax eſt. Et portulacæ ſuccus ore detentus, & C rhus qui obſoniis inſpergitur, aquæ mulſæ mixtus probè facit. Et damaſcenorum, & myſclii (hoc eſt myxæ) offa in ore retenta, & linguæ obuoluta, & lactucæ cauliculus. Archigenes verò, Sal Indicus, inquit, colore quidem & compage ſimilis communi ſali, ſapore verò mellito, lentis magnitudine, aut ad ſummum fabæ, arroſus, vehementer humectare poteſt. Decumbant autẽ in latus: (ſupinus enim decubitus reſiccat) & os claudant. nam & hiare, humorem ſiccat. Sternutationes quoque accerſitæ, omnibus aliis magis efficaciter linguas humectant. D

DE NAVSEA, Cap. LV.

Qvum abſque eo quòd aliquid quod vomitum moueat ingeſſit, nauſeabundus fit æger, manifeſtum eſſe opinor vt ratiocinemur prauos humores ventriculum infeſtare. Quidam verò lancinantur quidem, non autem vomunt quicquam, in ipſis tunicis humore imbibito. Si igitur pituitoſi ſunt humores, coquere ipſos oportet, homine in quiete & inedia ac ſomnis ſeruato: ſi verò tenuiores, vomitus ipſos eiicit, qui aliquando ex ptiſſanæ ſucco contingit, aut aqua mulſa. Qui verò viſcoſi ſunt ac E craſſi, attenuantibus opus habent, quale eſt acetum mulſum, & ſimilia. Quòd ſi humiditas praua in tunicis imbibita eſt, amara ex aloe confectio commoda eſt: verùm quæ adſtringunt, plurimum lædunt: quemadmodũ rurſus vbi humiditas multa eſt citra prauam vitiationem, quæ adſtringunt commodiſſima ſunt. Verùm medicamentum ex aloe ad marcorem perducit: at ſi frigiditas humiditati adeſt, ad adſtringentia admiſcẽda ſunt etiam calefacientia. Signum autem frigidam eſſe affectionem, F eſt non ſitire, neque ardorem ſentire.

DE BILIS VOMITV, Cap. LVI.

Bilem vomentibus cataplaſmata adhibendum eſt ex palmulis, malicorio, galla, coctis in vino aut poſca, pane ſimul contrito. Sed & acacia, & hypocyſtis, & balauſtium & rhus cataplaſmati admiſceantur. Et cucurbita cum multa flamma affixa magnopere prodeſt. Cibum verò ſæpe paulatim dabimus. Cæterùm in iis qui atram bilem vomunt, & ſtomachum inflatum habent, ſpongias aceto acerrimo calido imbutas impone, aut hederæ folia G in vino cocta appone.

DE SINGVLTIBVS, Cap. LVII.

Singultus fit aut ob repletionem, aut ob euacuationem, aut humoribus acribus ſtomachum mordẽtibus, quibus vomitu reiectis ſedatur. Multi verò, etiam vbi medicamentum ex tribus piperis generibus conſtans acceperunt, ſi ſtatim vinum inſuper bibant, ſingultiunt. Quòd verò etiam aliqui cibum corrũpentes ſingultiant, ex confeſſis eſt. Sed & à rigore multi ſingultiunt. Proinde in iis qui ob plenitudinem aut mordacitatem ſingultiunt, ſuf- H ficientem medelam eſſe vomitum comperiemus: calefactionem autem in iis qui ob frigiditatem. Quum verò ob repletionem factus fuerit ſingultus, violenta opus habet euacuatione. hoc autem præſtat ſternutatio. At ſingultus ob euacuationem, ſternutatio non ſanat. Dare verò ſingultientibus oportet rutam cum vino, aut nitrum in aqua mulſa, aut ſeſeli, aut daucum, aut cuminum, aut gingiberim, aut calamintham, aut nardum Celticam. Atque hæc quidem ſunt auxilia eorum qui ob ciborum corruptionem, aut ob frigiditates, aut ob repletionem ſingultiunt. Verùm iis qui ex plenitudine ſingultiunt, ob frigidos ac viſcoſos humores, caſtorii obolos tres dato ex poſca bibendos. Idem etiam forinſecus cuti ad ſtomachũ impoſitũ prodeſt, cum oleo Sicyonio, aut antiquo. Conuenit etiam acetum ſcillinum, aut acetum mulſum in potu. Sed & detentio ſpiritus magnopere commodat.

DE ALVO SVPPRESSA AC LAXA in febribus, Cap. LVIII.

Qvæ reſiccatam aluum promoueant, in primo libro relata ſunt, quantum opus erat. Quandoquidem verò & in febribus hanc humectari contingit, hic de hoc dicendum venit. Multi enim non pro febris ratione, ſed propter ſolum hoc ſymptoma perierunt. In principio igitur ſuſtinere oportet ea quæ prodeunt; ita vt nihil reſiſtamus aduerſus ea quæ ex corruptione ac cruditate efferuntur. Verùm vbi vltra modum euacuatio contingit, cohibere conuenit. Et ſi quidem acriora prodeant, oportet ea quæ exhibentur boni ſucci eſſe, & alioqui etiam craſſiora. talia autem ſunt, ſorbitiones ex halica ac ptiſſana. Sed & balnea his commoda ſunt, poſt morbi concoctionem. Vbi verò pituitoſiora & fluida feruntur, viceuerſa ſicciores ſint ac calidiores cibi, quantum febres permittunt. tales autem ſunt qui ex condimentis calfactoriis parantur. A balneis autem his abſtinendum eſt, ſi non quid aliud cogat. Quòd ſi debilis ſit concoctoria facultas, adſtringentibus eduliis & auxiliis vtendum eſt. Eduliis quidem, in quæ maximè mala Punica, aut poma, aut pira, aut meſpila ſint iniecta: aut etiam his ipſis, & vino tenui odorato adſtringente. Auxiliis autem, ex cataplaſmatis polentæ, palmularũ, abſinthio, roſis, myrti baccis, & conſimilis materiæ. Conſiderandum verò in quibus maximè partibus imponenda ſint cataplaſmata: circa ſtomachum dico aut infernam aluum: quandoque etiam circa lumbos imponimus. At cruentas excretiones reprimunt ac reſiccant cataplaſmata ex thure, aut polentæ pollen cum thure, aut manna vino aut poſca ſubacta. Acriorem verò humiditatem per infuſum clyſteris edulcare oportet, quandoque per ſolam aquam, quandoque per ptiſſanæ, aut halicæ, aut oryzæ, aut tragi ſuccũ: atque hoc non ſemel, ſed ſæpe. Poſtea verò admiſcendæ ſunt & roſæ ſiccæ, aut myrti baccæ, aliquando etiam gallæ. Et ouum vnà cum roſaceo, & vino tenui adſtringente, aut roſarum decocto infuſum, aut etiam ſedi appoſitum, promptitudinem ad excernendũ hebetat ac retũdit. Vbi verò frequens contingit ad egerendum ſurrectio, glomer ex calidis ſtaminibus ad ſedem efformatus apponatur.

DE SANGVINIS STILLATIONE, ET ſanguinis è naribus eruptione, Cap. LIX.

Qvandoquidem ſanguinis ſtillatio plenitudinem in toto corpore aut in capite ſignificat, ob expreſſionem contingens, aut ob meatuum denſationem: amplior autem excretio plenitudinem laxare ac minuere poteſt: iuxta rationem verò, ipſam facere licet inde vnde naturæ impetum habet: hac ratiocinatione facta, auſus fui in deſtillationibus quarta die contingentibus, per typham, velut mos eſt, vaſa in naribus ſauciare. Verùm non oportet modico fluxu contentum eſſe, ſed iuxta vires detrahere. Cæterùm ſpontaneas in febribus per nares ſanguinis eruptiones, ſi iudicatorio modo fiant, ſuſtinere oportet: ſi verò immoderatè ſanguis feratur, reprimere conari. Deligentur igitur primùm validè extremæ partes, & æger ita figuretur vt ſublime caput habeat. Videtur autem & præputii pudendi virilis deligatio, ſanguinis è naribus eruptiones peculiariter cohibere. Non autẽ emungat, neque irritet locum, ſed grumũ congelari ſinat. Et naſus ſpongia poſca imbuta detergeatur, & cuneolus ex linteo in narem vnde ſanguis erũpit, indatur, facta prius illitione ex aliquo ſanguinem ſiſtente. At horum medicamentorum materiam, ac reliquam curationem, in tractatione de locis affectis, libro poſt hunc ſequenti, abundè proponemus.

DE ANIMI DELIQVIO, Cap. LX.

IIs qui ex cholera, bile ſupernè ac infernè prodeunte, & ob alui profluuia, & propter alias multas & aceruatas euacuationes exoluuntur, aquam frigidam aſpergere oportet, & nares apprehendere, & os ventriculi confricare, & vt vomant iubere, ſtomachúmque lancinare aut per digitos, aut per pinnas immiſſas. Sed & fortiter multis ligamentis deligare, vbi quidem per infernas partes euacuationes fiunt, manus: vbi verò per ſupernas, crura. Excogitare inſuper in iis quibus ſanguis erumpit, figuram ſurſum vergentem citra dolorem. Eſt & cucurbita affigenda, ita vt ad contrarias iis quæ euacuantur partes retrahamus. Sanat etiam vinum aqua temperatum exolutiones ex aceruatis euacuationibus obortas, ſi non viſcerum inflammatio, aut capitis vehemens dolor, aut affectio aliqua mentem emouens, aut febris ardens, in B morbo crudo prohibeat. Nam in his vinum magna detrimenta inducit. Et ſi quidem æſtas fuerit, & æger calidi temperamenti, & aquæ frigidæ potor, frigida danda eſt: ſin contrà, calida. At verò iis qui ob ſudorum copiam animo linquuntur, cutem denſare oportet, velut antea dictum eſt, & flatuum frigidorum acceſſus excogitare. Verùm fluxionibus in ventrem nihil horum conuenit, præterquam vt ventri & ſtomacho corroborantia adhibeamus, & hos lauemus. Balnea enim fluxionibus in ventrem commodiſſima ſunt, ſed ſanguinis eruptiones & ſudores vehementer exaſperant. Cæterùm eos qui ob plenitudinem animo linquuntur, à vino & cibo abſtinere oportet, & à balneis, ſi febricitarint. In potu detur aqua mulſa, in qua thymus, aut origanum, aut pulegium aut hyſſopum ſint incocta. Commodum his eſt & acetum mulſum. Si verò propter prauos humores in ſtomacho C contentos animo linquantur, vomere ipſos iubeto ex aqua & oleo, digitorum aut pinnarum immiſſione. Si vomere nequeant, oleum optimum bibant. hoc ſæpe etiam per infernam aluum euacuat. Sed & abſinthium his pro-A deſt. At ſi ob ſtomachi debilitatem exoluantur, iis quæ corroborare ipſum poſſunt vtendum eſt, velut antea in capite de ipſo dictum eſt: & extremas partes defricare oportet, & eos qui ardore exuſti ſunt, ad balneum ducere: perfrigeratis verò, medicamentum ex tribus piperis generibus conſtans, & ipſum quoque piper dare. Qui verò ob ampliorem caliditatem, aut ob ſolis ardorē, aut quòd in balneis moram diutius traxerunt, animo linquuntur, eos curabis frigidam aquam aſpergens, & ad ventum conuertens, & ſtomachum fricans, & vinum ac cibos exhibens. Si verò propter inflammationis magnitudinem, aut malam febris afflictionem, in acceſſionū inſultibus in animi deliquium incidant, & perfrigerentur, artus fortiter fricare oportet & calefacere, ac deligare, & vigilare iubere, & à cibo abſtinere. Hæc autem & ante exacerbationem facienda ſunt. Iis verò qui propter ſiccitatem ani-B mo linquuntur, duabus aut tribus horis ante exacerbationem cibus dādus eſt, aut halicæ ſuccus, aut panis ex aqua, cum mali punici granis, aut pomis, aut piris. Si verò magnum periculum timeatur, etiam vinum detur. Sed & in iis qui derepente animo linquuntur, ita faciendum eſt. Et vbique cauſam ob quam animi deliquium contingit, conſiderare oportet, & aduerſus hanc inſtare. Quandoque tamen etiam ſymptomatis maior cura habenda eſt, ſi quidem periculum aut mortem minetur.

VLCERATIONIS CIRCA OS SAcrum curatio, Cap. LXI.

ET hæc affectio in febribus maximè diuturnis, propter decubitus diuturnitatem contingit. Quum igitur locus rubicundus fieri incipit, circulum laneum iuſtæ magnitudinis loco ſubdemus: poſtea verò roſaceum aut C myrteum ceratum, quod ſpumam argenti aut ceruſam recipit, imponemus. Inflammatione autem oboriente, panis cataplaſma cum ſolano, aut polygono, aut plantagine, aut braſſica tenera. Si verò vlceratio paſcendo proſerpat, lenticula cocta cum malicorio imponatur.

PAVLI AEGINETAE DE RE MEDICA Liber III,

Iano Cornario medico Phyſico interprete.

DE CAPILLORVM AFFECTIONIBVS.

DE ALOPECIA, OPHIASI, AC caluicie, Caput I.

QVEMADMODVM plantæ aliquæ ob humoris inopiam reſiccatæ corrumpuntur, aliquæ verò ob humoris alieni ab ip-D ſarum natura attractionem: ita etiam in capillis fieri ſolet. Nam ob humorū inopiam caluicies contingit. propter vitiatos autem humores alopecia & ophiaſis, figura ſolùm inter ſe differentes: nam in ophiaſi ſerpenti ſimilis pars læſa apparet: verùm alopecias, ex eo quòd hæc affectio frequenter vulpeculas infeſtet, nominauerunt. Ex colore igitur cutis, redundantem humorem coniectantes, euacuatione per purgatorium medicamentum prius vtimur, deinde localibus auxiliis curationem abſoluimus. Si igitur color E cutis nigrior aut albidior factus fuerit, per hieram antidotum purgamus, quæ & pituitam & atrabiliarium humorem euacuat: ſi verò pallidior, catapotia ex aloe dabimus. Vniuſcuiuſque ex his deſcriptionē in libro de compoſitis medicamentis reperies. Poſt totius corporis euacuationem apophlegmatiſmo pituitam per os detrahēte vtendum eſt, non ſemel, ſed ſæpe, ex aceto, ſinapi ac melle. Melius autem eſt ſi in aceto origanum quoque aut pulegium, aut thymus, aut hyſſopum maceretur. Sed & in aliis circa caput affectionibus eadem methodo vtendum F eſt, ita vt primùm redundantem humorem euacuemus aut per purgationem, aut per venæ ſectionē, ſi etiam ſanguinis redundantia fuerit, deinde ſic ad localem curationem procedamus.

AD ALOPECIAS. Vbi nitro præparaſti, & linteo aſpero aut potius lana exterſiſti, & ad ruborem defricuiſti, verbenacam in ſole cum aceto tritam illine. Aut alcyonium aſperrimum vſtum ac tritum, cum oleo lucer-D narum illine: aut arundinis radicem, aut amygdalæ amaræ corticem vſtum, oleo aut adipe vrſino exceptum illine. Moderata igitur ſunt hæc: fortiora verò quæ ex euphorbio & thapſia, & adarce, cum oleo laurino trita, aut pice liquida. ALIVD. Herinaceorum marinorum teſtas vſtas vrſino adipe excipe, & loco ex nitro præparato illine. ALIVD. Piperis, ſtercoris ouilli ſicci, irionis, ſeminis erucæ, ſingulorū drachmas quatuor, veratri albi drachmas tres, ſtercoris murini drachmā vnā: excipe felle taurino, aut hircino, aut ſuillo. ALIVD, experi-E mento cognitum, ad alopeciam: Radicis mandragoræ, ariſtolochiæ, radicis ari, ceræ, picis liquidæ, ſingulorum vncias octo, axungiæ porcinæ non ſalſæ, nerii herbæ cordis, *ſiue internæ partis*, parum. Axungiam & nerium coquito donec herba flacceſcat: deinde facta excolatione herbam abiicito, & reliqua ad axungiam adiicito ac coquito. poſtea ceram & picem liquidam addito, & confidenter in ſole vtitor. Et vbi vlcera ad cicatricem perducta fuerint, caput vulpeculæ vrito, & cum ipſo alcyonium, anchuſæ nigræ folia: omnia trita ſupra illitionem ſupernè iniici-F to, quò capiti pili ſuccreſcant. ALIVD. Capitis muris vſti partem vnam, teſtarum buccinorum marinorum partē vnā. Cū axūgia porcina in olla coctis vtere. potes & ſicca ipſa īſpergere. MEDICAMENTVM ex thapſia,

ad omnes

ad omnes veteres affectiones:Euphorbii, thapſiæ,bacca-
rum lauri,ſingulorum vncia vna: ſulphuris viui vnciæ di
midium, veratri vnciæ dimidium,ceræ vnciæ dimidiū,
olei laurini,aut cicini,aut veteris,quantum ſatis eſt.In for
tioribus,etiam naſturtii vncia vna,& alcyonii vncia vna.
Hoc non ſolùm ad alopeciam, ſed etiam ad omnem diu-
turnam perfrigerationem facit.Vbique verò præparatio-
ne per nitrum & defrictione vtendum eſt in alopeciis:&
pili aſſiduè radendi. Multos enim noui per ſolam defri-
ctionem & aſſiduam raſuram pilos produxiſſe. AD cal
uitiem & pilorum augmentum. Ex Critone.Leporū ven-
tres quinque ſiccatos,in teſtaceo vaſe diligenter torreto,
& ad hos tertiam virgultorum myrti partem accipito, a-
caciæ fructus, acaciæ ſucci,rubi canini,ſingulorum tan-
tundem,adianti vncias tres.Hæc omnia tundito,ac tenui
cribro excernito: deinde adipis vrſini libris quatuor ad-
ditis,& adipis phocæ totidem,cōtundito,& plumbea py-
xide recepta ſeruato. Vſus autem tempore,quocunque vo
les vnguento diſſoluito. CONSERVANTIA pilos.
Polytrichi partem vnam,ladani partes duas,vino & myr-
teo oleo excipe,ac vtere. ALIVD. Anemonæ florem
tritum cum oleo illine.Idem etiam pilos nigros facit.
ALIVD. Verbenacam rectam cum radicibus ſiccatam
ac contuſam tenui cribro excute,& admixto oleo,vt ſtri-
gmentitiam craſſitudinem accipiat, in æneo vaſe re-
pone: & liquefactis pro oleo vtere. AQVA pi-
los augens:eadem etiam nigrefacit. Aquæ pluuialis ſe-
xtarios ſex,rhois Alexādrini ſextarios tres,polytrichi tri-
entē, herbæ Sabinæ triētē,ladani vnciā vnā,myrti vnciā
vnam,cucurbitæ ſiccæ vnciā vnam. Hæc ad dies viginti
in vaſe vitreo madeſcere ſinito,bis per diem tædacea ſpa
thula mouēs: deinde pectinem in aqua tinge,ac quotidie
vtere. Sed & althææ ſemen in balneo affrictum capillos
conſeruat ac auget.Similiter & oleum illitum, in quo al-
thææ ſemen coctū aut impoſitum fuit. PILOS atte-
nuantia. Foliorum fici,corticis vitis agreſtis albæ, pumi-
cis,teſtarum buccinorum,terræ cimoliæ,ſingulorum mi-
nam vnam. Omnia in ollam nouam crudam immiſſa,&
olla luto oblita,in camino torreto,ac terito: & aphronitri
minā dimidiā,gallis omphacinis triginta adiectis ac tri-
tis excipe,ac vtere. ALIVD. Aphronitri minæ dimi-
dium, pumicis torrefacti minæ quartam partem, alumi-
nis ſciſſi,iridis ſiccæ,comæ myrti ſylueſtris nigræ,radicis
bryoniæ,ſingulorum drachmas quatuor: lupinorum cru-
dorum molitorum cōgii quartam partem.Vtere ſine pin
gui. AD defluos capillos. Aloen cum vino nigro auſte-
ro illine,aut purpuræ opercula cū oleo cocta, aut myrrhā
& ladanum cum vino & oleo myrteo, aut caprinum ſter-
cus in teſta vſtum tere,cum oleóque præraſis illine.

QVAE CRISPOS CAPILLOS FA-
ciunt,& quæ eoſdem tingunt.Ex Cleopa-
træ ſcriptis, Cap. II.

DEfricto prius capite, ſpodyliū radix cū vino meraco
capillis illinatur. ALIVD. Præraſo ac confricto
capite, nucem pineam recentem ſumito, & in cinerem
exurito,& in mortarium coniectam terito, myrteum vn-
guentum affundēs,donec mellis ſpiſſitudo fiat: atque ſic
illinito. ALIVD. Baccarum myrti ac betæ pari men-
ſura vtere,cum oleo affricans. ALIVD. Gallas vigin-
ti,adianti ſextantem,in aqua marina ad mellis craſſitudi-
nem tere:& vbi capillos vrina aut lixiuia prius confricue-
rit,& aqua calida abluerit, ad biduum medicamentum
hoc illinat:& vbi ipſum continuit ita, tertia die abluat,&
ſiccatos capillos vnguento myrteo inungat.Hoc tenerum
facit & criſpum ac nigrum capillum. Criſpior autem fiet
ſi præraſus vtatur. A CANIS præſeruantia,& alia de-
nigrantia.Olei acerbi ſextarios tres,ſpicæ nardi drachmā
vnā, vnguis aromatici drachmas quatuor, floris iunci
rotundi odorati drachmas quatuor.Coquito cum oleo,&
ſeorſim habeto acaciæ ſucci vnciā vnā,vino diſſolutam,
ac probè tritam.Quum autem olei tertia pars reliqua fue
rit,excolato,& ad acaciā admiſceto. Vaſculo excipito, ac
vtitor,quotidie illinens. ALIVD. Nucum viridium
corticis quadrantem,radicis ilicis quadrantem, vini ni-
gri ſextarios tres: coquito ad tertias,exprimito,& quod ſu
pereſt, cum olei myrtini ſextario vno commiſceto. Vſus

A eſt quotidianus. AQVA capillos denigrans. Gallæ ſex-
tariū vnū,rhois coriarii ſextarios duos,baccarū myrti ni-
grarū ſextarios duos,liguſtri foliorum tantundem,cinna
ræ manipulum,capitum papaueris tātundem, aquæ lacu-
ſtris ſextarios duodecim.Ad multos dies præmacerata,ad
tertias coquito,& prius defrictis illinito: quin & ſiccatos
capillos cimoliæ acetabulo vno & calcis viuæ pari men-
ſura illinito.Hæc autem betarum coctarum ſucco diſſo-
luta illinantur:deinde cuſtodiæ gratia, betæ folia ſupernè
imponito,& vbi ſatis diu hæſerint,in balneo abluito. VT
B fului pili tingantur,& flaui fiant. Myrrhæ partem vnam,
floris ſalis partem vnam,diligenter tere,& facta ſtrigmē-
ti ſpiſſitudine,præfrictum caput medicamento illine, &
per diem ac nocte ſine,& tunc abluere iube. ALIVD.
Lupinos crudos cum aqua illine. ALIVD. Spumæ ar-
genti drachmā vnā,terræ Creticæ drachmas quatuor,cal-
cis viuæ drachmā vnā: cum aqua ad ſtrigmenti craſſitu-
dinem redacta illine,& betæ folia ſuperimpone ad duos
aut tres dies,& ablue. VT nigri capilli flaui fiant. Vini
fæcem in balnei ſtrigmenta mittito, & cerati craſſitudi-
C ne facta illinito,vbi dormire voles: & manè flaui fiunt.
ALIVD. Liguſtri folia in herbæ lanariæ ſucco macera-
to,& cremore vtitor. TINCTVRA aurum referens.
Aluminis drachmas ſex,ſandarachæ drachmas ſex, croci
drachmas duas,thapſi qua tinctores vtūtur, (quā Roma-
ni herbam rubiā vocāt) drachmas octo,lixiuii pileatorii
ſextarios quatuor.Lixiuiū & thapſum contuſam ad dimi
dias coquito,& liquorem exprimito,& cum hoc alumen,
ſandaracham & crocum diluito,& in vas vitreum mitti-
to.Vſus autem tempore præfrictis illinito.Vbi verò com
D biberint,ex fœnigræci,ordei ac cumini decocto abluito,
ita vt aqua tepida ſufficienti ſapone addito prius obleue-
ris. ALIVD. Fæcem vini vſtam, & oleum balaninum,
ſimul mixta,pilis illine. ALIVD. Saponem Gallicum
cū aqua ſingulis balneis affricet. ALIVD valde præ-
ſtans: Rhois rubri ſextariū vnum, gallarum ſeſquilibrā,
ſtercoris murini ſextantē, herbæ auri colorem referentis
(quam Romani rubiā vocant) ſextantē, polytrichi faſci-
culos duos, abſinthii faſciculū vnū, lupinorum decor-
ticatorū cyathos duos, aquæ ſextarios ſeptem: omnia in
E vas vitreum coniecta,ad dies nouem macerari ſinito,per
diem bis agitando:vſu verò poſtulante, quod ſatis eſt ex-
colato, & in hoc ſpongiā imbutā capillis affricato,& hu-
mectatos combibere ſinito.Vbi verò reſiccati fuerint,ſa
pone in calida aqua diſſoluto abluito. VT pili albi fiāt.
Verbaſci albi florē vrito,& aceto ſubigito,& ad ſmegma
admiſceto. ALIVD. Verbaſci feminis drach. vnā,alu-
minis drach. vnā,corticis raphanorū drachmā vnā,cōtū-
dito, & glutinis taurini drachmas quatuor admiſceto.

DE AFFECTIONIBVS CVTIS CAPI-
F tis, Cap. III.

De porrigine,ſiue furfuribus.

POrrigo,tenuiū ac furfuri ſimiliū corpuſculorū ex ca-
pitis aut ex reliqui corporis ſuperficie eliquatio eſt,ci
tra exulcerationem. Fit autem vitioſo humore ad caput
allato,aut pituita ſalſa,aut bilioſo,aut atrabiliario ſangui-
ne.Poſt euacuationem igitur totius corporis (velut dictū
eſt)ſubſcriptis compoſitionibus vtendum eſt. Cimoliam
aqua præmadefactam ad betæ ſuccum admiſce,illine, &
G donec reſiccetur ſine: deinde ablue, & thus cum vino ac
oleo tere,ac illine: poſtridie verò ſtaphidē ſylueſtrē cum
oleo illine. ALIVD. Nitri,fæcis vini vſtæ,myrobala-
norum, ſingulorum librā vnā:ſtaphidis ſylueſtris ſeſqui-
librā. Vino diſſoluta capiti affricato. Si verò reliquum
corpus prurituū habeat,ſicca. Verùm ad humidiores por
rigines,muria,aut lupinorum decocto, ad abluendum v-
tere. Huius multam experientiam habeo. AD pſydra-
cia & puſtulas capitis. Pſydracia paruæ extuberantiæ
ſunt puſtulis ſimiles, in ſuperficie ac ſumma cute extan-
tes. Puſtulæ verò,ſuperficiariæ ſunt exulcerationes, ſub-
H rubicundæ & aſperæ. Ambo verò curantur ſubiectis
cōpoſitionib[9].Spumæ argenti drachmas quatuor,ceruſæ
drachmas quatuor, aluminis drachmas duas, foliorum
rutæ viridium drachmas duas: aceto & oleo myrteo tri-
ta illine. ALIVD. Rutam & alumen trita cum mel-
le,capiti præraſo illine.Si verò cutis capitis diſcedat,oleæ

folia cocta cũ melle impone. ALIVD. Spumæ argenti, ceruſæ, ſingulorum drachmæ duodecim: ſulphuris viui drachmæ octo: cerato myrteo excipe. AD capitis vlcuſcula dẽſa ac rubicũda, paruis papillis ſimilia, à quibus ſanies eliquatur. Præraſo capite, & cum aqua ac nitro præfricto, ſulphure viuo cum vrina humana trito vtere, aut melanteriam cum aceto illine.

De achoribus, *id eſt ulceribus capitis manantibus,* & ceriis, *id eſt fauis.*

Ex affectionibus quæ in capitis cute fiunt, eſt & Achor, vlcus manans, quod tenuibus valde foraminibus cutem erodit, per quæ ſanies redditur viſcoſa. Similis ipſi in ſpeciem affectio eſt quam ceriõ, *id eſt fauum,* vocant, eo quòd foramina habet maiora, melleam humiditatem continentia, velut apum faui. Generatio his eſt ex nitroſa ac ſalſa pituita. Victum itaque conſtituant ex boni ſucci cibo, ab omni acri ac ſalſo abſtinentes, & præſertim ſi inflammata ſit affectio. Et poſt conuenientem redundantis humoris euacuationem, præraſis pilis, bis aut ter, aut ſæpius fomentũ aquæ calidæ adhibe, in qua cocta ſit myrtus, aut rubus, aut lens, aut lupini amari, aut aſparagi radix. Quũ verò amplior ſanies fluxerit, ſalicis folia cum aqua aut cũ lẽticula, pro cataplaſmate impone. Illitiones autẽ ſint, terra cimolia, aut Cretica, aut Samia, aut põpholyx, aut ſpodiũ, aut argẽti ſpuma, aut Cadmia, aut charta vſta, aut ſiccum ex charta medicamẽtũ: omnia cum aceto. Smegmate verò vtendum eſt hoc: Sulphuris, herbæ perdiciadis, & ſaponis æquales partes. Cõpoſita hæc ſunt: Spumæ argenti drachmæ ſedecim, foliorum rutæ drachmæ octo, ſtaphidis ſylueſtris drachmæ quatuor, atramenti ſutorii drachmæ duæ, cũ aceto ac myrteo oleo ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem redacta, illine. ALIVD. Sandicis drachmæ quatuor, myrrhæ drachmæ quatuor, ſulphuris viui drachmæ duæ, mannæ thuris drachmæ quatuor, cum oleo veteri illine. AD achoras ſanie manantes recremẽtum argenti, aut plumbaginem tritam inſperge. ALIVD ad achoras & humidã ſcabiem. Roſarum rhododaphnes trientem, ſulphuris viui trientem, picis liquidæ trientem, picis ſiccæ trientem, ceræ ſexuncem, olei myrti quod ſatis eſt. Verùm in pueris lacte exoluta illinito.

De ficis.

Ficus nominant eruptiones vlceroſas, rotundas, ſubduras, rubicundas, ad quas conſequitur dolor. Naſcuntur hæ plerunque in capite, ſed & reliquo corpore. Optimum in iis medicamentum hoc eſt: Aluminis ſciſſi, floris æris toſti, glutinis taurini, ſingulorũ æquales partes, cum dupla æris ſquama: terito cũ aceto, & illinito. Commodant & mænarum capita vſta, & bulbi cocti, & cinis aceto permixtus. AD ficoſas in capite ac mento puſtulas, medicamentum ſiccum: Miſyos drachma vna ſemis, chalcitidis drachmæ duæ ſemis, ſquamæ æris drachma vna, aluminis ſciſſi drachma vna. Hoc ſiccũ loto large impone, ac ſine. Sequenti die rurſus loto ac ſpongia deterſo impone. craſſiſſimum enim vlceris tectorium decidit: & rurſus ſequẽtibus diebus idẽ facito: intra paucos dies abſque cicatrice ſanat: verùm non parum vexat hoc medicamentum. AD pediculos in capite: Lupinorum in aqua coctorum cremorẽ confricare iube: aut ſtaphidem ſylueſtrem, aut ſandaracham, aut ambo trita, cum oleo veteri aut aceto illine: aut piperis parum, vt ne exulceret cum oleo: aut hederæ ſuccum cum melle, aut ſinapi cũ aceto, aut cedriã aut picem liquidam cum alumine, aut baccarũ lauri expreſſum retrimẽtum, aut oleum raphaninum. Ego autem ſtaphidem ſylueſtrem cum aceto & oleo tritam illeui, & ſemper ſucceſſum ſenſi.

DE CAPITIS DOLORE, Cap. IIII.

Capitis dolor qui grauiſſimum ſymptoma eſt, aliquãdo ex ſola qualitate intemperata oboritur, aliquãdo etiam ob humorum copiam, aliquando ex vtraque cauſa: quandoque verò & ob externam laceſſentem cauſam, vel ob ardorem extrinſecum, aut frigiditatem, aut ebrietatem, aut plagam. Vehementiſſimi igitur capitis dolores per actiuas ac efficientes qualitates fiunt, & maximè per calidam. Qui verò ob ſiccitatem fiunt, vehementiam non ſimiliter habent. At humida qualitas, quantum in

A ipſa eſt, omnino doloris exors eſt: præterquam ſi cum caliditate, aut frigiditate, aut humorum copia, cõiuncta fuerit. Itaque de capitis dolore in febre contingente, in præcedenti de febribus libro dictum eſt: de aliis verò nunc dicemus.

De capitis dolore ex ardore ſolis.

Iis qui caput ex ardore dolent, cutis ad contactum calida & ſiccior ſtatim ad primum occurſum apparet, & oculos rubicundos habent: gaudent etiam frigidis perfuſionibus ac vnguentis, & ex iis opem ſentiunt. Curatio verò iis conuenit B ea quæ ad dolentes caput in febribus relata eſt. Perſeuerante verò dolore, ſubſcriptis cataplaſmatis vtendum eſt: Fronti ac temporibus adhibita conueniunt, panis ex poſca & roſaceo, quandoque cum amygdalis, au roſis ſiccis aut teneris, aut cum mentha, pulegio admixto, aut panis cum Perſici foliis. facit & ocymum tritum cum aceto & roſaceo: aut hederæ corymbi aceto cocti, & cũ roſaceo triti: aut ad ſerpylli in aqua decoctũ, farinam triticeam admiſceto: aut cardamomum toſtum ac tritum cum aceto & roſaceo: aut fermentum cum roſaceo, C aut iris ſicca cum aceto. Singula verò ex iis aſſiduè permutentur. inefficacia enim ſunt vbi diutius morã traxerunt. PASTILLI ad capitis dolorem ob calidam intemperiem. Croci drachmæ quinque, atramenti ſutorii drachmæ decẽ, aluminis drachmæ ſedecim, myrrhæ drachmæ ſeptem, omphacii drachmæ tres, chalcitidis drachmæ tres, gũmi drachmæ tres, vini auſteri quod ſatis eſt: vtere cum poſca. Si verò etiam vigiliæ adſint, ex ſomnificis aliquid admiſce.

De dolore capitis ex frigida intemperie.

D Et ſigna & curatio eorum qui ob frigiditatem caput dolent, contraria ſunt iis qui ob ardorem. nam & incontracta & decolorata ipſorum facies eſt, & frigidis neque gaudent, neque ex ipſis opem ſentiunt. Horum autem cognitionem confirmabunt & victus ratio & reliqua eiuſdẽ ordinis. Inunctio igitur ſit, oleum rutaceum, laurinum, irinum, nardinum, aut etiam balſami ſuccus, & maximè ſi craſſiores & viſcoſæ fuerint ſuperfluitates. Oportet autẽ frontem ex hoc illinere, & ex iis quoque quæ ex pipere ac euphorbio parantur. Dãdum eſt & vinum tenue, & iubendum E vt motu vtantur, & balneis calidis, & quãdoque etiam vomitu à radiculis acceptis. In quibus verò qualitas eſt abſque humorũ copia, diutius durãs, vteris & hoc medicamẽto, Piperis albi drachmæ duæ, crocomagmatis drachmæ duæ, euphorbii recentis drachmæ ſeptem ſemis, ſtercoris columbini drachma vna ſemis, aceti acerrimi quod ſatis eſt: loco præfricto illine affectam partem.

De iis qui ob bilioſum humorem caput dolent.

F Signa quidem ſimilia ſunt iis qui ob ardorem: verùm accedit ipſis maior morſus, & faciei pallor, & quandoque etiam oris amaritudo. Ætatibus autem vigoris & temperaturis calidioribus, & vitæ curis oneratæ, & iis qui bilẽ flauam coaceruant, hæc affectio magis contingere ſolet. Balneis igitur temperatis, & vnguentis, & aquoſo potu, in iis vtendum eſt: & vniuerſa victus ratio humidior ac boni ſucci aſſumatur. Cæterùm bilioſus humor euacuãdus eſt abſinthii cremore, aut per aloen, aut per picram antidotum, per ſeipſam, aut cum modica ſcammonia, & per G catapotia ex aloe. Frons autem illinatur paſtillo croceo, aut trigono, aut aliquo conſimili.

De dolore capitis per conſenſum.

Si quidem ex toto corpore per conſenſum afficiatur caput, illi proſpiciendum eſt, ita vt & aduerſus intemperiem, & contra materiam ſuperantem inſtemus. Et ſi quidem plenitudo fuerit, & maximè in venis, venam ſecabimus: ſi verò magis qualitas, purgatorio medicamento vtemur. At ſi alicui parti per conſenſum coafficiatur, velut hepati, aut ventri, aut ſtomacho, his auxilia adhibenda H ſunt. Et ſi quidem calida in ipſis fuerit intẽperatura, panem ex vino aquoſo dabimus, aut etiam ſorbitiones ex alica. Forinſecus autem irrigationes moderatè refrigerantes ac corroborantes adhibemus, velut antea dictum eſt. Si verò propter viſcoſos & craſſos humores in

ſtomacho contentos,caput doluerint, etiam hos expellemus,acetū mulſum bibere exhibentes,tum ſimplex, tum Iulianium.Et decoctionibus ex hyſſopo & origano,& calidioribus adhuc quàm hæ ſunt,& quæ magis ſecare poſſunt,vtendum eſt : vomitu item à radiculis & irrigationibus calidioribus,& cataplaſmatis.

De dolore capitis ex vino.

Si incoctum adhuc maneat vinum,iubendi ſunt vt vòmant ab aquæ tepidæ potu: ſi verò etiam poſt concoctionem caput doluerint, refrigerantibus ac repulſoriis vtemur,velut eſt roſaceum,& per ſe & cum aceto: aut hederæ aut braſſicæ ſucco. Sed & ipſa braſſicæ folia calida aqua rigata, & capiti circundata ac alligata,naturaliter ebrietati reſiſtunt: quin & feruefactam braſſicam edere oportet:& lenticula iis prodeſt, & præſertim iis qui humidiorem ventrem habent. Alicam item,& mala Punica, & poma ac pira edant,& aquam bibant.

De dolore capitis ex plaga.

Iis qui ob plagā caput dolent,ſi non omnino in ſuperficie plaga conſiſtit,ſtatim venam ſecabimus,& cōuenientibus capiti irrigationibus vtemur,ex lanis nimirum oleo dulci imbutis,capitéque ex ipſis contecto. A vino autem & cibis ſolidioribus abſtineant, maximè ſi febriant. Et in ſumma, velut ad inflammationem partium neruoſarum,& maximè cerebri membranarum,curationē adaptabimus.Si verò etiam vulnus factum fuerit,& hoc conuenienter curabimus.

Malagma ad capitis dolorem.

Ceræ drachmæ ſeptem , olei amygdalini quadrans, terebinthinæ drachmæ octo,æruginis raſæ,cimoliæ,chalcitidis, ſingulorū drachmæ quatuor: pumicis drachmæ tres,æris vſti,ſquamæ ſtomomatis,ſingulorum drachmæ duæ. Si verò durius eſſe videatur,oleo amygdalino molliatur.

DE CEPHALAEA, CAPITIS DOLORE ANTIQUO,& de Hemicrania,dimidiæ capitis partis affectione, Cap.V.

VTraque harum affectionum,perſeuerans capitis dolor eſt,qui ſtrepitibus,clamoribus,clara luce,vini potū,& iis qui caput replent odoribus exacerbatur : putántque ita affecti ſibi caput percuti, aliqui totum, aliqui altera parte , quos etiam Hemicranicos nominant. Et quibus quidem intra caluariam affectio conſiſtit,iis dolor ad oculorum radices pertingit : quibus autem extra eſt,circa ipſam caluariam dolent.Dolores igitur cum grauitate,plenitudinem indicant:cum morſu,humorum aut vaporū acrimoniam:cum pulſationibus,inflammationē. At qui cū tēſione , ſi quidē abſque grauitate & pulſu fuerint,ſpiritus tenuis ac flatuoſi copiam:ſi cum pulſu,membranoſi corpuſculi inflammationem:ſi cum grauitate,plenitudinem intra membranas contentam.Si verò etiā putrefactus humor calidior ſit, etiam cum febre caput dolent.Febriunt autem omnino & qui ob inflammationem dolent. Proinde vbi totum corpus humoribus plenū eſt, venam ſecare oportet, virium reſpectu habito , & infuſis per clyſterem vti acrioribus Si verò adhuc redundare ſanguis videatur,etiam per nares vena aperta euacuādi ſunt, quantum ſatis eſſe videbitur. Deinde hiera exacuta danda eſt: & deinde vtendum apophlegmatiſmis pituitā per os detrahentibus: & euacuationibus per nares, inditis in ipſas errhinis appellatis, velut eſt elaterii ſuccus, qui cum lacte infunditur,aut etiam ſiccum elaterium quod inſufflatur : item cyclamini ac porri ſuccus. Compoſita verò hæc ſunt. ERRHINON ad diuturnos capitis dolores,lippitudines,& morbum comitialem : Melanthii drachmæ octo,ſalis ammoniaci drachmæ quatuor, elaterii drachmæ quatuor : trita excipe oleo Sicyonio, aut irino, aut Cyprino,vt cerati craſſitudo fiat:& nares inde cōtīge. ERRHINON quod inſufflatur.Cyclamini ſiccæ drachmæ octo,nitri rubri drachmæ quatuor. Si verò pro nitro elateriū cōieceris,adhuc melius eſt.Per ſtipulā inſufflato. Vtere quoque epithematis capitis & vnguētis,vbi diuturnior eſt affectio,his. EPITHEMA ad cephalæā: Vnguēti irini,peucedani,caſtorii, ſingulorū drachma vna, baccarū lauri drachmæ duæ,ramulorum rutæ drachmæ quatuor. Excipe cerato roſaceo, & raſo capiti per totum A ipſum impone. Cæterùm mulier quædam in hemicranicis, etiam hoc vſa,mirificè ſucceſſum ſenſit:Radicèm cucumeris ſylueſtris viridem in tenues partes conciſam , & abſinthium , in aqua & oleo, donec flacceſcerent,coquebat. Et aqua quidem cum oleo calidis affectam partem moderatè rigabat : radicem autem & abſinthium terebat,atque ita trita imponebat.Et per hoc ſolum hemicranicos & cū febre & ſine febre curabat.Si verò exacerbatio conſequatur maxima , vt dolorem ferre non poſſint, vtere etiam iis quæ mitigare & ex alto euocare ac B meatūs trāſmutare poſſunt,quale hoc eſt. VNGVENTVM ad cephalæā: Succi peucedani drachmæ ſedecim , ſucci papaueris, aniſi, hyoſcyami, croci,myrrhæ,ſcammoniæ, ſingulorum drachmæ duæ. Excipe aceto,& fac paſtillos. Vſu verò expetēte, cum aceto aut poſca illine eos qui ob craſſos humores,aut ſpiritū flatuoſum,dolent. Sed & dropace & ſinapiſmo vtendum eſt. Itémque ex thapſia paſtillo. Quin & medicamentum ex atramento ſcriptorio mirificè in eadem cauſa auxiliatur, & vtendum eſt eo in iis, velut in libro de compoſitis medicamentis dicetur. C Sed & hoc mirandum eſt ad hemicranicos ob craſſum ac viſcoſum humorem: Euphorbii partem vnam , caſtorii tantundē: aqua excepta in aurem inde eam quæ eſt à dolente parte:& in balneum introire iube , & vbi paululum immoratus eſt,ita aſſumere,& cōſueto modo lauare. Hoc modo experientia cognitum eſt. Non abſurdum autem fuerit etiam oleo ipſa excepta in aurem inſtillare. Et medicamentum ad coxendicum morbum deſcriptum, diuturnos quoque capitis dolores & hemicranicos perfectè ſedat. AD hemicraniam diuturnam. Allii drachmæ D quatuor, ceræ drachmæ duæ, axungiæ veteris drachmæ duæ,cātharidum drachmæ duæ:veſperi impoſita,pernoctare ſine. Manè verò puſtulam rumpe , & parygro appellato emplaſtro cura. ALIVD. Baccarum lauri decorticatarum drachmæ duæ,foliorū rutæ drachmæ duæ, ſinapis drachma vna:aqua diluta impone. At verò iis qui à frigidis cauſis infeſtātur cōmodiſſimum hoc eſt,adeò vt ſæpe,ſemel ante balneum illitum , citò affectionē percurarit,ita vt poſt balneū penitus ſanus æger euaſerit. Olei Sabini libra vna ; ceræ quadrans,euphorbii vncia vna.Ex E hoc dimidiam frontis partem illinito,iuxta temporalem videlicet muſculum.Verùm in quibus nō multa frigiditas eſt,gallæ & crocomagmatis æquales partes vino tritas illine. Iis verò qui ob calidos vapores aut humores caput dolent,medicamēta ex euphorbio ne adhibeto. APOPHLEGMATISMVS pituitā per os detrahēs ad cephalæā. Sinapis triti & in ſuccū redacti cū aceto & melle, triens , ſtaphidis ſylueſtris drachmæ quatuor , pyrethri drachmæ quatuor: tuſa,cribrata & mixta, in ſole gargariſſanda præbe.Si verò ob bilioſum humorē,aut aliquā in F temperiē , cephalæa ſit diuturna, antea de capitis dolore relatis vtendum eſt. At ſi etiam poſt hæc dolor perſeueret,& neque cucurbitulis, neque hirudinibus prætermiſſis,& diſtributio per arterias ſuſpecta ſit,nihil abuſrdi eſt, etiam arteriarum retrò aures ſectione vti. Verùm in humidioribus etiam balnea naturalia rectè aſſumuntur.

DE PHRENITIDE, Cap.VI,

PHrenitis,membranarum cerebri inflammatio eſt,aliquando etiam ipſo cerebro ſimul inflammato , ali G quando caliditate præter naturā in ipſo cōſiſtente. Cauſa verò morbi eſt,aut ſanguis redundans, aut flauæ bilis humor:quandoque verò etiam flaua bilis ſuperaſſata, & in atram tranſmutata , quando ſanè grauiſſima phrenitis exiſtit. Aliquando etiam cerebrum ex ſepto tranſuerſo per conſenſum affectum , per diſperſos in ipſo neruos, affectionem ſuſtinet. At verò quæ circa ardentiſſimarum febrium vigores , & quæ ex ſtomachi per conſenſum affectione contingit mentis emotio, phrenitis non eſt, ſed ſolum delirium. Conſequuntur in iis qui pro H priè phrenitici ſunt,vigiliæ quidem in totum : quandoque verò etiam ſomnius turbulentus, adeò vt exurgant & exiliant, & furioſè clament, qui quidem ob ſanguineum humorem affecti ſunt , cum riſu : qui verò ob flauam bilem,cum ferocia : quemadmodum qui ob atram bilem, furioſè adeò vt cōtineri non poſſint: obliuiſcuntúrque &

eorum quæ dicuntur & quæ fiunt ab ipſis. Et oculos ſanguinolentos habent, ipſóſque fricant; quandoque ſquallidos, quandoque lacrymantes, aut gramiis oppletos: & lingua exaſperatur, & ex naſo ſanguinis deſtillationes fiunt, & floccos legunt, & feſtucas venantur, & febrem acutam habent per totum morbi tempus, febre in alto malignè latitante: & pulſus paruos ac languidos cum quadam duricia habent: & reſpiratio magna eſt & rara, cerebro primariò affecto. Si verò per conſenſum ex ſepto trãſuerſo phrenitis fiat, & reſpiratio inæqualis eſt, & præcordia reuelluntur, & caliditatem multam habent: ſicut rurſus iis qui ex cerebro affecti ſunt, partes circa faciem calidæ & ſubſanguinolentæ ſunt, & plenas venas habent. Quòd ſi etiam pituitoſus humor admixtus fuerit bilioſo, quemadmodum cauſam, ita etiam nomen compoſitum acquirit. vigilans enim ſopor appellatur. Bilioſo etenim humore ſuperante, tales vigilantes phrenitici ſunt: pituitoſo verò rurſus prædominante, ſoporoſè rurſus in ſomnum delabuntur. Vetuſtiores Galeno catochõ, *id eſt ſoporis detentionem*, appellauerunt: catochen verò & catalepſin, *id eſt apprehenſionem*, recentes. CVRATIO phrenitidis. Si quidem vires permittunt, venam cubiti ſecare oportet ſtatim, & multum ſanguinis detrahere. Si verò delirans æger manum non porrigat, aut, etiãſi porrigat, timor ſit ſanguinis eruptionis, dum poſt euacuationem manus ſæpe lancinatur, ex eo quòd furioſè æger turbatur: rectam in fronte ſecantes venam, ſemel ſufficienter detrahamus. Et infuſis per clyſterem vtemur, ex oleo aut roſaceo, cum ptiſanæ ſucco. Vigiliis autem ſuperantibus, roſaceo, aut roſaceo cum aceto caput inungemus, aliquãdo calida aqua prius ipſum perfundentes, & medicamẽtum ex papaueris capitibus dabimus, ſi non vires debiles prohibeant: ſed & alia ad vigilias ex ſuprà relatis huc transferenda ſunt. Decumbat autem æger in loco lucem ac temperiem moderatam habẽte, & in quo non ſint variæ picturæ: hæc enim turbationem inducũt. Ingrediantur autem eò ad ipſum amici grati, & commodè cõpellent, quãdoque leniter placantes, quãdoque etiã auſterius perterrentes. Alimentum verò primùm ſit aqua mulſa, deinde ptiſſanæ ſuccus, & ſorbitiones ex alica, cum aliqua iucunda potione, velut eſt fauorum cremor, aut hydroroſatum, aut rhodomelũ, aut dulce hydromelũ. Nã quod à Cebyra adfertur hydromelũ vinoſum in paruis vaſis, reprobãdũ eſt, vt quod peiora detrimẽta quàm vinũ in talibus inducat, & præſertim in capitis affectionibus, & ante cõcoctionem. Et panẽ ex aqua lotũ exhibeamus, & intyba ac lactucas coctas. Si verò multus feruor ſit, etiã cruda hæc danda ſunt, & cucumeris internã partem dare conuenit, itémque peponis, & rhodacena, ac cõſimilia. Ab aqua frigida hos abſtinere oportet, maximè ſi ex ſepti tranſuerſi conſenſu cauſam affectionis compererimus. Si verò vrina ipſis ob dementiam (velut veriſimile eſt) ſupprimatur, fomentum adhibebimus, & oleo & aqua calidis pectinem ac veſicam perfundemus: deinde digitis manus ad locos admotis, ad mictionem irritabimus, & decumbentibus ipſis reliquum corpus oleo calido illinemus. Nam in quiete, quantum eius fieri poteſt, conſeruãdi ſunt, ſi valde diuites fuerint, vt à famulis cõtineantur: ſin minus, vinculis conſtricti. vires enim concidunt ex inordinato motu. Sed & propter alium modũ, ligamentis pedes prius perfuſi conſtringantur ac contrectentur, reuulſionis videlicet gratia. Si verò longior & ægrè ſolubilis fiat affectio, ab iis quæ ſoporem inducunt abſtinendum eſt. Addẽda verò ad capitis irrigationes ea quæ diſcutere ſolent, velut eſt mẽthæ ſuccus, aut ſerpylli, aut calaminthæ, aut rutæ: & tunc quoque errhinis in naſum datis vtendum eſt. Poſt ſeptimum verò diem, ſi viſcera fuerint inflammata, cataplaſmatis ex ſemine lini & cruda ordeacea farina, cum aqua & oleo mitigabimus. Poſtea verò etiam cucurbitas leues, aut etiam cum ſcarificatione adhibebimus, tum his ipſis, tũ occipiti ac ſpinæ. Si verò corpus ſqualidum & aduſtum eſſe cõiectaueris, etiamſi adhuc febricitent, balneis aquæ potabilis & largiore illitione vtendum eſt: & vinum dandum te-

A nue, ac parum aquæ ferens, ad virium refocillationem, nequaquam verendo mentis emotionem ex ipſo, velut par eſt, futuram. Aut enim nõ cõtingit, declinatione inſtante, aut, etiamſi fiat, facilè ſedatur. Procedẽte verò declinatione, etiam geſtationibus vtendum eſt, & conueniente virium refectione. Faciendæ ſunt autem virium refectiones, ita vt caueant ebrietates, iras, ciborum corruptiones, & præ omnibus ſolis ardores.

DE CEREBRI INFLAMMATIONE, Cap. VII.

B CErebrum inflammatum ſæpe intumeſcit, adeò vt ſuturæ in capite diſparentur: & dolor maximus ac perſeuerans conſequitur, & anxietas multa: & rubor circa faciem multus conſiſtit cum tumore, & oculi pronui fiũt, & caput intumeſcit. His venam ſecare oportet, & de cubito euacuare: ſed & ex naribus & venis ſub lingua ſanguinem euacuare oportet. Vtere etiam irrigationibus & cataplaſmatis ad capitis inflammationes idoneis, quæ humectare ac concoquere poſſunt.

DE CEREBRI ERYSIPELATE, Cap. VIII.

C FIT & eryſipelas, *id eſt ignis ſacer*, in cerebro, & æger hæc patitur: Dolet caput totum, & flammas in ipſo eſſe putat: & facies ægroti frigida eſt ac ſubpallida, & os ſiccatur. Proinde ita affecto venam ſecato, & maximè venas ſub lingua diducito, & frigefactoria adhibeto, quib⁹ etiam ad alia eryſipelata vtimur.

DE LETHARGO, Cap. IX.

LEthargus, qui læſio eſt partis animæ rationalis, locũ quidem eundem habet quem etiam phrenitis, cere-
D brum dico: materiam verò contrariam. Ex pituita enim humidiore ac frigidiore cerebrum perrigante oboritur. Conſequitur lethargicos febris debilis, non valde mordax, cum delatione in ſoporem. Pulſus iis magni & rari ac vndoſi ſunt, reſpiratio valde rara ac debilis: & ſomnolenti ſemper ſunt, & ægrè excitari poſſunt, & difficulter reſpondent, etiamſi interrogentur, & obliuioſi ſunt ac mente moti. Hiant aſſiduè, & quandoque hiantes permanent, velut qui os claudere obliuiſcantur. Egerunt per aluum plerique humidiora: quibuſdam verò viceuerſa
E venter reſiccatur. Vrinas mingunt quales ſunt iumentorum. Quidam etiam tremunt & exudant. Porro ſoporis ſpecies quæ κάρος appellatur, quum ex eadem ſit materia qua lethargus, ab hoc differt eo quòd febris ſoporẽ illũ præcedit, & vehementior eſt, ſequitur autẽ ad lethargũ. Differũt item in eo quòd ſopor etiam ad alia ſymptomata ſequatur: (nam & ad febrium exacerbationes ſæpe accedit, & ad morbum comitialem, & ad cerebri compreſſiones, aliquando oſſe in fracturis, aliquando membranarum cuſtode anteriorem cerebri ventriculum cõ-
F ſtringente) lethargus verò propriam quandam conſtitutionem habet. CVRATIO lethargi. Permittẽtibus viribus, etiam hic venam ſecemus: ſi verò nõ permittãt, infuſis per clyſterem acribus vtemur. Ægrũ autẽ in domo ampliore reclinabimus, quæ moderatã habeat lucẽ, & caput irrigabimus oleo cui caſtoriũ ſit admixtũ. Quidam pro oleo, roſaceo cũ aceto, vnà cum caſtorio vtũtur, corroborantes ſimúlque calefacientes per hoc, caput. Reliquũ verò corpus, & maximè extremas partes, oleo veteri illinunt, & cũ nitro toſto, aut pyrethro, aut pipere, aut
G grano Cnidio vellicãt. Poteſt & ceratũ ex iis cũ caſtorio factũ in vſum aſſumi. odoramenta verò adhibebimus, thymum, aut origanum, aut pulegium aceto tritum. Os autem, & partes circa palatum, ſinapi trito cum modico melle illinemus, ita vt etiam per digitos pituitam affixã auellere conemur. Si verò admiſerint, etiam apophlegmatiſmo vtere aceto mulſo, cum hyſſopo, aut pulegio, aut origano, aut etiam ipſo ſinapi. In potu verò dato aliquod ex iis quæ citò trãſeunt, *quæ ὀξύπορα Græci appellant*: & maximè dioſpolitici cochlearium vnũ cum poſca. In
H diuturnis ac tremulis, etiam caſtorium dandũ eſt, ſcrupulorum duorum aut trium pondere. Si verò copia humoris ſit, & nõ aliud quid impediat, etiã ſcãmoniæ ſcrupulũ vnum caſtorio addemus. Perſeuerante verò affectione,

raſo capite fomentum adhibere oportet ex ſale & milio, ac ſimilibus in ſacculis, ſinapiſmis itẽ in capite, & ſternutatoriis vti: deinde cucurbitas occipiti affigere, partim leues cum multa flamma, partim cum ſcarificatione. Naturales etiam excretiones aſſiduè irritare oportebit infuſis per clyſterem, & vrinam cientibus. Pecten autem oleo rutaceo, aut Sicyonio, cum modico caſtorio rigetur. Frequentius quoque irritanda eſt deglutitio, ita vt calidæ aquæ aliquam ex iucundis potionibus, maximè fauorum cremorem admixtũ, per anguſti oris vaſcula inſtillemus. Et ſi alicubi circa medias partes inflammatio aliqua fuerit, etiam hæc curanda eſt per irrigationes ac cataplaſmata. Naribus autem admouendum eſt ſinapi aceto tritum, aut caſtorium vſtum. Alantur ex ptiſſanæ auenæ, aut alicæ ſucco, cum aceto mulſo aut ſale aut pulegio, quãdoque quotidie, quandoque alternis diebus. Poſt cibum extremæ partes deligentur, aut etiam multum refringantur: & crura vellicentur, & quandoque pili ex ipſis violentius euellantur, quò excitentur: ſed & rubificationes femorum ac crurum ſæpe commodant. Declinante verò affectione, ſtatim geſtationibus conuenientibus vtendum eſt, & ad balneum deducantur, & refectoriæ diætæ ductus conuenienter aſſumatur.

DE CATOCHO, ID EST SOPORIS detentione, ſiue vigilante ſopore, CAP. X.

HVius morbi conſtitutionem in capite de phrenitide iam diximus: ſigna verò (vt in ſumma dicam) communia quodammodo ſunt phrenitidis ac lethargi, iuxta materiam prædominantem euariantia: particulatim autẽ hæc: Detinetur æger ſupinus, extentus, & quandoque ſubtumidam ac liuidam moderatè faciẽ habet, velut lethargici. quandoque rubor in ipſis effloreſcit, & ſupernã palpebram ſibi reuulſam eſſe putant ac eminere, vt neque nictare poſſint. Nequaquam autem reſpirare videtur, ſed velut mortuus iacet: pulſum habet paruum & languidum, & vehementer denſum: & vrinæ & aluus ſuppreſſa ſunt, aut modicè feruntur: & qui moderatè habent, infuſum aliquem liquorem deglutiunt: victi verò, ad nares relidunt. Qui igitur pituita bilem ſuperante affecti ſunt, eos à lethargicis diſcernimus eo quòd neque tument, neque liuidum colorem habẽt, velut lethargici, præterquam modicè ſanè, & quòd moderatè exudant. In maiore verò periculo verſantur quibus vigiliæ multæ adſunt, & vrina ſupprimitur, & ſpirandi difficultas intenditur, & exudant, & quibus potus ad nares reliditur. At ſi mulier ita affecta fuerit, diſcernetur ab ea quæ vteri ſtrangulatione correpta eſt, ex eo quòd naturaliter iacere videtur, & loquentes ſentiat, & quòd excitatur, & rurſus in ſomnum delabitur. Aliquando verò ſoporis detentionem aliud eſſe dicunt à vigilante ſopore, quòd non amplius compoſitam, ſed ſimplicem quandam cauſam habeat. Frigidiorem enim & ſicciorem materiam, quæ poſteriorem cerebri vẽtriculum obturauit, eam affectionem efficere: qua correptus æger derepente, in illa figura manet in qua correptus eſt, ſtãs videlicet, aut ſedens, aut clauſis oculis, aut vidẽtibus & apertis. Quapropter etiã catochos, *id eſt detẽtos*, ipſos veteres appellarunt: recẽtiores autem cotochen, & catalepſin, *id eſt apprehenſionem ac detentionem*, appellauerunt affectionẽ ipſam. Curatio verò ſimilis relatis eſt, ſed euarians iuxta ſymptomatũ diuerſitatem. CVRATIO catochi.

Et nunc quoque venæ ſectionem adhibere oportet, & maximè in quibus facies rubicũda eſt, viribus rurſus cõſentientibus, aut infuſis per clyſterem vti quandoque excitantibus, pituita prædominante: quandoque mitigantibus, bile redundante. Eodem modo etiam aliorum auxiliorum ductu vtendum eſt, & ſimiliter nutriendum, quandoque quotidie, quandoque alternis diebus. Eſt autem valde periculoſa affectio ſi ob aliquod cibi aut potus peccatum fiat. In his itaque cogere ipſos oportet vt ſtatim vomant, & in cibi contractione cuſtodire, & aluum irritare, & irrigatione viſcerum ex cumino aut ruta vti. Qui verò propter ebrietatem affectione correpti ſunt, poſt ſolutam crapulam, humidiore alimento curẽtur: talis eſt ptiſſanæ ſuccus. Caput quoque conuenientibus illitionibus rige-

A tur, ſi æſtas fuerit, frigidis: ſi hyems, tepidis: ſi verò crapula nequaquam ſoluatur, neque ad ſobrietatem redeat, pro deſperato relicto ipſo, longè fugere oportet.

DE AMISSIONE MEMORIAE AC RAtionis, & de ſopore ac fatuitate, CAP. XI.

MEmoriæ amiſſiò aliquando per ſe contingit, aliquãdo etiam cum aliqua rationis læſione: quemadmodum etiam rationis læſio per ſe prius contingit, & deinde
B de memoriæ læſio ſequitur: vtriſque verò affectis, fatuitas appellata conſiſtit. Cauſam verò habent communem, conſiſtentem ac conſtituentem ipſas intemperiem. Verùm ſi hæc humida ſolùm fuerit, & memoriæ & rationis vitiationem inducet, & torpores, & in ſomnum delationes, & ſomnos lõgos ac profundos: ſi verò cũ frigiditate, ſopores & lethargos: eodem modo etiam ſiccitas, ſola quidem vigilias inducit: cum caliditate verò, deliria & phrenitidas. Conſiſtunt autem hæ intemperaturæ quandoque in humoribus, quandoque in cerebri ventriculis,
C aut in ipſius vaſis, aut in diſperſa humiditate, aut in ipſo cerebri corpore, aut etiam muſculis tẽporalibus tale quid perpetientibus: ſi verò humores fuerint inter ſe permixti, etiam affectionem talẽ inducent. Vtrùm autem ſimplex ſit aut compoſita intemperies efficiens, ex eorũ quæ excernuntur ſpecie cognoſces. Nam quòd memoriæ & rationis amiſſio ex frigiditate proueniat, ſcimus: an verò cum humiditate aut ſiccitate cõiuncta ſit, ex his quæ excernuntur diſcemus, & ex ægri habitu ac temperamento, & ex victus ratione, temporéque anni ac regione. CVRATIO.
D Si quidem frigida fuerit intemperies, calefacere oportet: ſi verò cum humiditate, etiam ſiccare: ſi rurſus cum ſiccitate, humectare, ſimùlque calefacere. Eodem modo etiam in intemperie calida, frigefacere: ſi verò etiã ſiccitas ſit, etiam humectare: ſi cum humiditate, frigefacere ſimùlque ſiccare. In quibus autem ſanguineum humorem redundantẽ compereris, venam ſecare, aut infuſis per clyſterẽ vti acribus, deinde etiã hierã dare, & apophlegmatiſmis vti, & vnctiones adhibere capiti, frigefaciẽtibus ac ſiccantibus ad oleum admixtis, roſis, inquam, ac
E myrto, & lentiſco, ac ſimilibus: ſed & toti corpori proſpiciendum eſt. Si verò ex ardore ſolis ac laſſitudine oborta fuerit intemperies, vtendum eſt irrigatione capitis ex aceto & roſaceo, & reliquo ductu frigido ac humido, tum aliâs, tum in cibo ac potu. Si verò ſoporis ſpecies caros appellata, ad fatuitatem aut obliuionem accedat, etiam huic proſpiciendum eſt, velut antea in lethargicis diximus, vbi etiam diſcrimen ipſorum expoſuimus.

DE VERTIGINOSIS, CAP. XII.

VErtiginis affectio ex frigido ac viſcoſo humore ce-
F rebrum occupante conflatur, vnde ex parua occaſione promptè etiam hi concidunt, quandoque dũ circumagi quædam vident forinſecus, velut rotas aut turbines: aut dum etiã ipſi circumaguntur: quandoque verò etiam capite calefacti, dum commouentur humores in ipſo, aut etiam ſpiritus: aliquando verò dum anteriores cerebri ventriculi comprimuntur circa caluariæ fractæ perforationes: in quibus etiam vehementes dolores fiunt. Præcedit autem in iis qui ex primaria capitis affectione afficiuntur, dolor in ipſo vehemens, & ſopor, & aurium ſoni-
G tus: & quibuſdam olfactus læditur, quibuſdã guſtus. Qui verò ex oris ventriculi conſenſu afficiuntur, eos cõſequitur oſculi ventris morſus, & nauſeæ quoque concomitãtur. CVRATIO. Vertiginoſos in aggreſſione conſiſtentes excitare oportet, & idoneorum odoramentorum vſu, & frictionibus, & conſimilibus. Vbi verò in remiſſione ſunt, ad deſtruendam affectionem, venam primùm ſecare oportet, deinde per hierã purgare: & tempore interpoſito, infuſo per clyſterem acri vtendum eſt ex centau-
H rii aut colocynthidis decocto. Poſt tales autem euacuationes, lancinandum eſt caput localiter per cucurbitas occipiti affixas, cum ſcarificatione: & poſt hæc pituitam per os detrahentibus ac ſternutatoriis vtendum eſt. Verùm in quibus caliditas capitis & aurium ſonitus eſt, vtpote vaporibus calidioribus per arterias alla-

bentibus, etiam arteriarum ſectionem aſſumimus retro aures,quemadmodum in chirurgica tractatione dicetur.

DE MORBO COMITIALI, Cap. XIII.

MOrbus comitialis qui conuulſio eſt totius corporis, cum principalium actionum læſione, aliquando in ipſo cerebro conſiſtentem cauſam habet,aliquando in ipſius ventriculis vniuerſis.Hæc autem,eſt quandoque pituitoſus,quandoque atrabiliarius humor.Quin & propter os ventriculi per conſenſum oboritur:(quemadmodum etiã in colicis, velut in tractatione de illis dicetur) aut etiam ex aliarum partium diſtributione, aura aliqua frigida ad cerebrum perueniente,aliquãdo à crure, aliquãdo à digitis manus. Viſus eſt quoque aliquando ab vtero in aliqua muliere,quo tempore prægnans fuit, poſt partũ autẽ ſedatus fuit. Fit hæc affectio maximè pueris,& ex iis amplius recẽs editis:poſtea verò etiam adoleſcẽtibus, & in vigore conſiſtentibus: minimè autem adultis & ſenibus.Præcedit igitur in comitialibus corporis & animæ ſeditio inuoluntaria, & triſtitia, & familiarium obliuio, & inſomniorum viſiones turbulentæ, & capitis dolor, & repletio capitis aſſidua,(maximè ex iracũdia)& faciei pallor,& linguæ motus inordinatus:quidã etiam ipſam mordent. At in iis qui per conſenſum ex ſtomacho afficiuntur,etiam ipſius ſtomachi palpitatio præcedit, & agitatio ac morſus:& in inediis aut dilatis cibis exacerbantur. Inſtante verò iam ſymptomate,collapſio ipſis derepẽte cõtingit,& conuulſio,& quandoque nihil ſignificans exclamatio. Præcipuum verò ipſorum ſignum eſt oris ſpuma, quum reliqua etiam aliis morbis quodammodo cõmunia ſint. Quibuſdam autem etiam vrina & ſtercus inuoluntariè excernitur,aliquibus etiam ſemen. Quum igitur in aliquibus acutiſſima ſit affectio, citò occidit,tum exacerbationum aſſiduitate,tum ſymptomatis vehementia. In quibuſdam verò in longum extenditur, adeò vt ſi non circa pubertatem aut lunares purgationes,aut imprægnationes,ſoluta fuerit,aut ſi poſt hoc tempus contracta fuerit,plerunque commoriatur,præterquam ſi conuenientẽ curationem conſequatur. Declarãt autem comitiales ſuffita hæc,bitumen,lapis Gagates,cornu caprinum. In cibo verò acceptum hepar hircinum,& hepatis dum aſſatur odor. CVRATIO. Si adhuc puer infãs fuerit qui ægrotat,nihil curioſè moliri oportet:nã & ætate ad bilioſiorẽ ac ſicciorem conſtitutionem tranſeunte, & victu ad moderationem commutato, plerunque ſua ſponte affectio ſedatur.Oportet autem victus rationem non ſolùm infantibus,ſed etiam nutricibus ac lactantibus proſpicere. Qui verò poſt puerilem ætatem in comitialem illapſi ſunt,his conuulſas ac diſtortas partes pinguiter irrigare oportet, deligaréque ac dirigere: deinde diſparato ore, digitum aut pinnam oleo irino illitam immittere,ad pituitæ eductionẽ.Oportet etiam odoramentis ſenſum irritare, veluti peucedano,ſucco Cyrenaico, bitumine, pice cedræa. Poſt exacerbationes,ſi nihil impediat, vtendum eſt venæ ſectione in cubiti flexura: ſi verò nihil remittat exacerbatio,extremæ partes ſinapiſmo integantur, & cucurbita præcordiis affigatur. ſi neque ad hæc remiſſio cõtingat, minimum ſpei eſt: & tamen confidens medicus caſtoriũ per vim ori infundat,& Cyrenaicum ſuccum cum melle & aceto: & per ſedem infundat centaurii decoctum aut colocynthidis. Qui verò exurgunt ab ipſo morbo comitiali,poſt refectionem purgatione per hieram euacuandi ſunt. Atque hæc ſanè eſt recentis & acuti morbi comitialis curatio. Cõſequenter autẽ quæ ad inueterati deſtructionem commodant, trademus.Affectos itaque in aquæ potu diu continere oportet, & in curationis aggreſſione venam ſecare, ſi nihil prohibeat: & interpoſitis quatuor aut quinque diebus,corpus reficere, & ſic purgatorio medicamento euacuare, maximè quidẽ veratro nigro, aut colocynthide,aut certè ſcammonia. Oportet autem veratrum citra internam partem tuſum ac cribratum, aquæ mulſæ cyathis quinque vel ſex inſpergere,aut melle cocto excipere cum modico pipere. Colocynthidem verò eiecto ſemine, medullam adhuc habentem paſſo exple, & per totã noctẽ ſine. Mane verò paſſum euacuatũ bibendũ præbe. Vtendũ etiã purgatorio medicamẽto ex veratro

A albo. Eſt autem hoc, Baccarũ lauri depuratarum drachmæ octo,piperis albi drachmæ octo,alypiadis drachmæ octo, euphorbii drachmæ octo,veratri albi drachmæ octo.hæc pro vna vice præbe cũ paſſo quod eſt in colocynthide: probè per vomitus purgat.Poſt ſufficientem purgationẽ lauare ipſos oportet. Tertio poſt die cucurbitæ affigendæ ſunt cum ſcarificatione præcordiis ac dorſo: deinde multis diebus interpoſitis,& corpore refecto,hiera ex colocynthide danda eſt,poſtea capiti ac occipiti cucurbitæ affigantur. Sequenti die cataplaſma adhibeatur ex pane B cocto in aqua mulſa, & contrito cum amygdalis amaris, aut ſerpyllo,aut mẽtha,aut calamintha,aut ruta: & ad tres dies hoc faciendum eſt.Et poſtea caput radatur,& peucedani ſucco in aceto diſſoluto, in quo ſpondylium coctum eſt,illinatur. Interpoſitis autem rurſus aliquot diebus, & corpore refecto,antidoti ex colocynthide obolos nouem in aqua mulſa dato:& rurſus interpoſitis diebus antidotũ dato,deinde ſternutatoriis vtere. Et poſt quinque aut decem dies caſtorium in aqua mulſa præbe: & rurſus interpoſito tempore,centaurii & colocynthidis decoctum per C clyſterem infunde,deinde rurſus hieram præbe, & conſequenter pituitam per os & nares detrahentibus vtere, deinde ſinapiſmum capiti adhibe. Oportet item acrium eſu tempeſtiuè vti. Prodeſt his & acetum mulſum ſcilliticum quotidie bibere,& mel in qua ſcilla contabuit,cochlearii menſura. Victus ratio his conuenit incidendi ac attenuãdi vim habens, & proinde capparis & ſalſamentum aſſiduè in cibo competit. Abſtineat autẽ à carnibus, & leguminibus,& vino largiore, veneréque multa, ac à balneis, & à ſinapi,& à potu ſtatim poſt balneum, præſertim vini D meraci. Vtantur exercitiis & frictionibus,ita vt poſtremũ omniũ caput defricẽt. CVRATIO comitialis ex ſtomacho oborti. Si verò ſtomacho primariò affecto affectio fiat,bonã concoctionẽ ægroto proſpicere oportet, & circa tertiam horam panem diligenter præparatum exhibere,ex vino diluto leuiter adſtringente ac albo. Dato etiam iis de medicamento ex oloe,bis aut ter ſingulis annis. Noui autem,inquit Galenus,puerum quendam qui omnino non correptus fuit à morbo ex quo radicis pæoniæ geſtabat magnam ac recentem partem de collo ſuſ- E penſam. Sed & agaricum comitialibus prodeſt, ſeſelique ac ſpondylii ſemen ac radix,& ariſtolochia rotunda ex aqua pota. Auxiliatur etiam iis magnopere ſcarificatio crurũ,ſi frequẽter adhibeatur. CVRATIO comitialis ex aliqua parte oborti. Quũ ſymptoma futurum eſt, vbi ſenſerint,partem, ſiue manus ſit ſiue pes, laqueo ſuperpoſitam fortiter apprehendere oportet: in remiſſionibus autem curationem moliri, ex vſtoriis medicamentis aliquod parti adhibendo,velut eſt lepidium & quæ ex cantharide conſtant,& ſimilia. Acetum quoque mulſum F Iulianium comitialibus magnopere prodeſt,particulatim materiam excutiens.Poſt omnia relata & theriaca & balnea naturalia locum habent.Per totum verò vitæ tempus caueant maximè cruditatem,& nutrimenti ingeſtionem ante concoctionem,& cibos craſſi ſucci,& cibi dilationẽ, & vehementem ad venerem impetum, & multi vini potum,& potum poſt balneũ, (velut dictum eſt)præſertim vini meraci,& vina valde vetuſta ac craſſa, & acria odoramẽta,& quæ caput replent,& ne intentè inſpiciant ex alto,& ne diutius moram trahant in balneo, & ne caput G ardori ſolis exponant.

DE MELANCHOLIA ET INSANIA, & his qui numine afflati putantur, CAP. XIIII.

MElancholia delirium quoddam eſt citra febrem, ex atrabiliario humore qui mentem occupauit, maximè oriens,quandoque ipſo cerebro primariò affecto, quandoque vnà cum toto corpore permutato. Sed & tertia melancholiæ ſpecies eſt,quam flatuoſam & hypochõdriacam, *id eſt præcordialem*, nominant, ex inflammatio- H ne præcordiorum circa ſtomachum oborta,quæ aliquando auram quandam prauam, aliquando etiã de humoris eſſentia partem ad cerebrum tranſmittunt. Signa omnia communia ſunt, timor, triſtitia, hominum auerſatio, & quòd putant aliqui ſe animalia bruta eſſe, & illorum voces imitantur:aliqui verò vaſa teſtacea ſe eſſe putant, &

ne frangantur timent:& quidam ex ipſis cupiunt mortē: quidam verò rurſus timent ne moriantur: & aliqui ſemper rident, aliqui plorant. Quidam verò etiam putant ſe ab aliquibus maioribus poteſtatib᷒ impeti,& futura prædicere,velut numine afflati: quos etiam priuatim numine afflatos nominant.Propria verò ſigna melancholicorum per conſenſum totius corporis ſunt,gracilitas corporis, & nigritia,& hiſpiditas,& habitus atrabiliarius,aut ex natura, aut acquiſititius, per curas quaſdam aut vigilias, aut vitioſorum ciborum ingeſtiones, aut hæmorrhoidū aut menſium ſuppreſſionem.Eos autem qui propter præcordia melancholici ſunt, cruditates declarant, & acidi ructus,& ardor ac grauitas ipſorum: & quòd reuulſum eſt præcordium,& aliquando etiam inflammatum, maximè circa initia: deinde vbi hæc maiora fiunt, ſequuntur melancholica ſymptomata.Et hæc leuantur concoctionibus aut excretionibus, aut flatibus pluribus, aut vomitibus, aut ructibus. Nullo verò ex his aut omnino paucis ex ipſis contingentibus,ſigna melancholica apparentia cerebrum primariò affici indicant,ex atrabiliario humore.Si verò aliquando flauæ bilis nimium aſſatæ mutatio in atram fiat,maniā,*id eſt inſaniam*,appellatam,inducet: in qua ferino modo furiunt,adeò vt eos qui minus prouidè cum ipſis cōuerſantur interficiant. CVRATIO. Eos igitur qui ex primaria cerebri affectione melancholici ſunt,per balnea aſſidua & boni ſucci ac humidum victum curare oportet,vnà cum conueniente animi iucunditate, citra aliud auxilium, vbi nondum ob temporis longitudinem humor affligens,difficulter euacuari poteſt:nam ſi contrà habet,fortiores & magis variegatas medelas adhibere oportet.Purgare igitur ipſos conuenit ab initio epithymo aut aloe.Horū enim,etiamſi modicum ſingulis diebus acceperint,maximè prodeſt, & leniter ſubducit. Purgatione igitur facta(velut dictum eſt) abſinthium dandum eſt ita vt modò herbam in aqua maceres & coquas, & inde cyathos duos exhibeas:modò ſucci drachmæ dimidium aqua liquefacias,ac aſſiduè præbeas.Sed & aceti acerrimi parum inſuper ſorbeat dormitum iturus: pleraque etiam obſonia in hoc tincta edat: præſtat autem aceto admixtā eſſe ſcillam,& polium, & tenuem ariſtolochiam. At verò vbi in incipientem morbum propter totius corporis cōſenſum(velut dictum eſt)incideris, & corpus fuerit compactum,omnino à venæ ſectione incipiendum eſt. poſt ſectam autem venam; refectis viribus deorſum purgare oportet per cucurbitam ſylueſtrem, & per veratrum nigrum,medicamento dato. Sed & hæmorrhoidum ora aperiemus,& menſes prolicìemus,ſi ob horum ſuppreſſionem affectio fuerit oborta. Commodæ ſunt etiam vrinā cientes facultates,& ſudorū purgationes. Si verò ob præcordiorum afflictionem conſtiterit affectio, etiam horū curam habere oportet, & fouere ipſa irrigando, rutæ,anethi,abſinthii,pulegii,ſeminis viticis & baccarum lauri decocto. nam hæc & dolores mitigant,& flatus minuūt. Coquantur autem in oleo,& imponantur:habeant etiam horum cataplaſmata,ea quæ ad flatus faciunt,apium, aut aniſum,aut cuminum. nec malum eſt & cyperum, & iridem,& rorem marinum in cataplaſmata addere.Sinenda verò ſunt hæc,vt diu incumbant, etiam per diem, & vbi cibum accepit,& vbi ieiunus adhuc eſt. Poſtquam autem detraxeris,aliud operimentum, lanam latam imponito. Sed & cucurbitis vtere,ad flatus quidem, leuibus: ad dolores verò & inflammationes,ſcarificatione facta. Cæterùm curationi attendendo,neque ſinapis oblluiſcere,vtereque etiā acribus ſmegmatis,& dropacibus, & in dorſo & ad ventrem. In inueteratis porrò optimum auxilium eſt purgatio ex veratro per vomitum. Victus autē omnibus melācholicis boni ſucci & moderatè humidus conuenit,ita vt vitent bubulas ac ceruinas carnes, & lenticulam,& braſſicam,& cocleas: vina item craſſa ac nigra, & in ſumma, omnia quæ atram bilem generant. CVRATIO inſaniæ.Inſaniētes quoque ſimiliter veluti melancholicos curabimus: priuatim verò horum capiti roſaceum, & acetum roſaceum adhibebimus: & vena ipſis ſecta,per picram antidotum purgabimus: hirudinibus quoque ad caput vtemur.Maximè autē ipſis prodeſt hippomarathri radix ac ſemen,ſi in aqua bibantur. Bryoniæ item radicis drachma vna cū aqua, quotidie.Si verò delirantes ad purgatoria medicamenta bibenda induci nequeant,admiſcēda ſunt ipſa latēter quandoque eduliis ipſorum,nimirùm buccellis,aut caricis,aut palmulis: quādoque etiam potibus. Præ omnibus verò aut vinciantur in lecto,vt ne mali quippiam faciant ſibiipſis, & iis qui ad ipſos accedunt: aut intra ſportam cancellatim textam concluſi,in lecto ex alto ſuſpenſo in altum attollantur.

DE INCVBO, CAP. XV.

Ephialtem,*id eſt incubum*, aliqui à viro nominatum eſſe dicunt, aut ab eo quòd ii qui in hac affectione conſtituti ſunt,aliquem ſibi inſilire ac incumbere imaginantur.Themiſon autem decimo epiſtolarum libro πνιγαλίωνα, *id eſt ſuffocatorem*, nominauit, à ſuffocando videlicet nomine impoſito. Conſiſtit autem circa crapuloſos,& aſſidua cruditate laborantes. Iis verò qui in hac affectione conſtituti ſunt adeſt æger motus, & torpidus ſenſus in ſomnis,ſuffocationis imaginatio,& velut irruente aliquo oppreſſio,cum exclamādi impotentia,aut vociferatione nihil ſignificante. Quidam verò imaginantur etiam audire ſe eum qui in ipſos irruit, & venerem appetere,verùm fugere,digitis ad apprehendendum contractis. Cauendum igitur eſt malum ab initio: nam vbi diu durat,aſſiduè nocte irruens,magnos morbos, ſyderationem,aut inſaniam,aut comitialem denuntiat, vbi ad caput feratur cauſa.quæ enim comitiales interdiu, ea incubo oppreſſi dormientes perpetiūtur.Oportet igitur venā ſecando,& purgationes adhibendo, totum affecti corpus euacuare.Maximè autem opitulatur his veratrum nigrū drachmæ vnius pondere;ſi ſcammoniæ obolos tres admiſceas,& quædam odorata,aniſum,daucū, petroſelinū. Sed & ex cucurbita ſylueſtri hiera magnopere auxiliatur: eſt autem Rufi.Victus ſit tenuis:& flatuoſa vitare oportet. Opitulatur ipſis & pæoniæ ſemen: ex eo verò quindecim grana nigra cum aqua trita,aſſiduè bibenda dato.

DE LYCAONE, AVT LYCANTHROPIA, CAP. XVI.

Qvi λυκανθρωπία corripiūtur,noctu exeunt,per omnia lupos imitantes,& ad diem vſque circa monumenta verſantur. Cognoſces autem ita affectum ex his ſignis: Pallidi ſunt,& obſcurè vident,& oculos ſiccos & linguam ſicciſſimam habent, & ſaliua ipſis omnino non prodit. Sunt etiam ſiticuloſi,& tibias,eo quòd frequenter impingāt,incurabiliter vlceratas habent: ac talia quidē ſunt ſigna. Verùm noſſe oportet melācholiæ ſpeciē eſſe λυκανθρωπίαν,quā cc urabis tempore acceſſionis venam ſecans, & ſanguinem vſque ad animi deliquium vacuans, & boni ſucci cibis ægrum nutriens. Vtatur etiam balneis dulcibus.Deinde lactis ſero ad triduum vſus, etiā purgatione per hieram ex colocynthide iterum atque iterum vtatur:poſt purgationes autem ,theriaca quoque è viperis vtetur, & reliqua quæ de melācholia dicta ſunt adhibebis. Inuadente verò iam morbo, irrigationibus ſomnum inducere ſolitis vtēris, opio quoque nares illinens, dum ad ſomnum ſe conuertunt.

DE AMANTIBVS, CAP. XVII.

AD cerebri affectiones etiam amores adiungere nihil abſurdi eſt, quum curæ quædam exiſtant. cura autem,animi affectio eſt, ratione in motū delaſſante cōſtituta.Comitantur autem amantes hæc:Oculi caui ſunt, & non lacrymantur, verùm apparent velut voluptate ſint repleti. Et palpebræ ipſis frequenter mouentur: & quum reliquæ corporis partes non collabantur, ſoli oculi in amantibus contrahuntur ac concidunt. Pulſus autem amantium propriùs nullus eſt,velut quidam arbitrati ſunt, ſed qualis eſt curioſorum. Vbi verò eius quod amant recordatio incidit,aut per auditum,aut viſum,& præſertim derepente,tunc anima turbata, pulſus alterari contingit, & neque æqualitatem ſecundum naturam neque ordinē conſeruare.Hos igitur triſtes & vigilantes, quidam ignorantes affectionem,illuuie & quiete & tenui victu conſumpſerunt: verùm ſapientiores, comperto amore, ad balnea & vini potum,geſtationeſque ac ſpectacula,& ad audiendas fabulas animum ipſorum abducunt.Quibuſdā verò etiam timorem impendere oportet: namqui ſemper amori vacant, ægrè deſinentem affectionem habent,

Oportet igitur & contentiones aduerſus aliquos excitare, pro vitæ à ſingulis delectæ propoſito, & in totum ad alias curas rationem transferre.

DE SYDERATIONE, SEMISYDERAtione, ſiue reſolutione, CAP. XVIII.

COmmuni neruorum principio affecto, quum ex hoc omnes corporis partes ſimul & motum & ſenſum amiſerunt, ἀποπληξία, *id eſt ſyderatio*, appellatur affectio, ita vt ſimul etiã principales actiones læſæ ſint: ſi verò circa alteram partem obturatio fiat, ſemiſyderatio & reſolutio vocatur. At ſi circa vnam aliquam partem læſio conſtiterit, illius partis affectio dicetur. Itaque Hippocrates ait, Syderatum ipſi crus fuit. Seruatur igitur in ſyderatis breuis quædam reſpiratio, quæ ſi multũ à naturali actione euariauerit, maximam affectionem inducet: ſin parũ, breuem: peſſima verò eſt quum intermittit, aut etiam cũ magna violentia contingit. Cõſtituitur autem affectio aceruatim, frigida pituita principaliſſimos cerebri ventriculos implente. Si verò medullæ ſpinalis principium totum ita affectum fuerit, omnes infra faciem partes reſoluentur, ipſa illæſa manente, eo quòd ſenſum & motum partes quæ in ipſa ſunt, à cerebro accipiunt: ſi verò ex dimidia parte, ſemiſyderatio illarum partium oboritur. At ſi olfactus patiatur, aut anterioribus cerebri vẽtriculis intemperiem adeptis, aut meatibus in oſſibus (quæ inſtar coli ſunt) obturatis, talis affectio cõtingit. Syderati itaque iacent ſine voce, ſine motu, ſine ſenſu, abſque febre. Præcedit affectionem, capitis aceruatus & acutus dolor, & venarum iugularium eleuatio, & vertigo, & ſplendores oculis obuerſantes, & extremarum partium frigiditas præterrationem, palpitationéſque totius corporis, & æger motus, & dentium ſtridores inter dormiendum: mingúntque velut æruginoſa, & nigra pauca, & farinæ craſſæ similẽ ſubſidentiam habentia lotia. Contingit autem affectio circa ætatem ſenilem, pituitoſioribus temperamẽtis, & tali victu vſis. Si verò quandoque in iuuentute & tempore æſtatis oborta fuerit, magnã neceſſitatem indicat. CVRATIO. Syderationis affectio nunquam aut raro curatur. præſentem enim mortem minatur. Si verò etiam ſoluta fuerit, plerunque cum partis alicuius corporis reſolutione diſcedit. Eis itaque qui quomodocunque curari poſſunt, ſtatim vena ſecanda eſt, & ſi remiſſionem aliquam habuerint, repetita ſectione detrahere ſanguinem oportet, eadem aut ſequenti die. Ventrem quoque acri infuſo per clyſterẽ ſubducere, muria ac melle permixtis: deinde oleo multo ſulfurato totum corpus illinatur: & caput oleo chamæmelino, aut anethino, in quo coctũ ſit ſpondyliũ, aut calamintha. Inſtillanda eſt quoque aqua mulſa, & odoramenta adhibenda, opopanax, ſagapenum, galbanum, aut caſtorium. Oportet etiam ore violenter aperto, digitum aut pennam immittere oleo imbutam, ad eiiciendũ ea quæ in ipſo hærent. Perungẽda etiam eſt ſedes iis quæ flatus educunt, dandúmque acetũ mulſum, aut aqua mulſa in potu. Vtemur item pituitam per os detrahentibus, ex thymo aut origano coctis in aceto. Remiſſione verò cõtingente, tenerum & ſucculentum, & qui facilè diſtribui poſſit, cibum exhibebimus. At vocis priuatione permanẽte, & viribus permittentibus, etiam cucurbitas occipiti affigemus cum ſcarificatione, &, ſi fieri poſſit, etiam præcordiis: deinde geſtentur ſella, aut lectica, aut penſili lecto. Frequentius etiam adhibenda ſunt ſternutatoria, & pituitam per os detrahentia. Poſt diem decimumquartũ ad reliquas geſtationes perducemus, & vocis ac loquelæ curam habebimus, & veterem fauorum cremorem dabimus, cum micis panis, aut alica: & poſtea dandum eſt etiã modicum de hiera. Poſt viceſimamprimam diem ad balneum ducemus, & vinum vetus bibendum dabimus, calida aqua inſtillata. Et de cætero per balnea & vnctiones faciemus refectiones. degant autem, ſi id fieri poſſit, in maritimis locis. CVRATIO reſolutionis. At ſi reſolutio fuerit partium omnium, aut aliquarum, citra principalium actionum affectionem ac læſionem, etiam hìc moleſtantem humorem euacuare oportet, qualiſcunque tandem fuerit. Deinde danda hiera, quæ & caſtorii partẽ habet, initio facto à dimidia drachma, cum pauco melle

A & aqua calida diſſoluta, aut per ſe, aut piperis ſcrupulo dimidio addito: deinde quatuor diebus interpoſitis exhibeatur drachma perfecta, & poſtea ſeſquidrachma, deinde duæ & tres. Et rurſus totidem diebus interpoſitis dentur drachmæ quatuor, ſi modò æger ſumere poſſit, adiecto mellis cochleario vno. Ipſis autem partibus imponere oportet medicamenta quædam diſcuſſoria, vnà cum iis quæ rubificare poſſunt, adiecto ad hæc caſtorio, aut pipere, aut pyrethro, aut roſmarini ſemine, aut euphorbio. Ad hæc proſunt irrigationes ex oleo rutaceo, aut Sicyo-

B nio, aut veteri. Cibi ſint frumentacei, ſorbiles, aut alioqui concoctu faciles, & non recrementitii. Cucurbitæ affigãtur partibus reſolutis, ſi multæ fuerint, particulatim: ſi paucæ, vni. Poſt cucurbitas cataplaſmata conueniunt ex pice, aut reſina, aut manna thuris: optimè verò facit artemiſia ſimul cocta, & calamintha, & conyza, & nitrum. Admiſceatur & aquæ parum, quæ & ipſa in coctura conſumatur. Aluus rurſus ſubducatur per aloen, aut polypodium, aut ſcammoniam, aut per pultem ex colocynthide. Fiant etiam pingues illitiones ex oleo vetuſto, in quo ſcilla in-

C ueteratur ad dies quadraginta ad ſolem. Si verò hoc non adſit, coques in oleo ſcillæ ſextantem, & illines: aut roriſmarini ſemine ſimiliter præparato vtere, & ceræ vnciam adde, vt ne diffluat. Quòd ſi etiam galbani, caſtorii, euphorbii, adarces, & nitri, ſingulorum ſemuncia addatur, medicamentoſius reddetur. Commodat etiam exquiſitè batrachium herba, ſi in oleo cocta ad ſolem inueteretur. Potiones conueniunt, caſtorii drachma, vna opopanacis magnitudo fabæ deglutita. Mirificè facit & ſagapenum erui magnitudine in aqua mulſa, & caſtorium cum opo-

D panace, & ſucci Cyrenaici milii magnitudo: prodeſt & ex tribus piperis generibus antidotus. Vtemur etiam acopis calefacientibus, & pituitam per os detrahẽtibus. Poſt decimumquartum diem, ſolidiorem victũ exhibebimus: & multa oboriente vtilitate, ad balneum ducemus. Poſt triceſimum, dropacem adhibere conuenit, & ad balneũ ducere, & de cætero cataplaſmata ex ſinapi imponere ita vt in iis quibus & motus & ſenſus periit, attendamus ne nimium adurantur, eo quòd ſenſum non habent. In iis autem qui ſenſus participes ſunt, rubificationes ſolùm ad-

E hibere oportet. Verùm poſtquam intumuerint, ad balneũ ducere oportet, & ceratis mollibus curare: ſed & à vena vomitu vtantur, & à radiculis præſumptis. Geſtentur quoque ſella, aut curru qui manibus aut iugo trahitur: de cætero verò ad naturalia balnea ducãtur. Victus autem cõuenit ſiccior, & modicus potus, & frictio: ſiccos itaque cibos edant, & ſitim quantum poſſunt ferant.

De reſolutis per laxationem aut diſtentionem.

Quandoquidem partes reſolutæ aut conuelluntur aut laxantur, & hoc aut à repletione aut ab euacuatione, rur-

F ſus attentione opus eſt, quando ſanguinem detrahere oportet, & quando non: & deinde in laxatis, adſtringentia ad laxantia admiſcere, & frictionem intentam facere. In contrariis autem, laxantibus ſolùm vti, vnà cum hoc vt molliter fricemus. Habeat autem oleum in laxatis parum nitri, & fæcis vini vſtæ tritæ additum. Perfundantur autem vehementer aqua calida, & maximè marina, in qua coctæ ſint lauri baccæ, aut viticis germina, aut ſampſuchus, aut tale quippiã. Si verò æſtas ſit, natent etiam in mari. Rubificationes autem iis maximè conueniunt: pro-

G inde cædantur etiam partes ferulis, aut vrticæ ramuſculis: ſi verò permaneat reſolutio, carnem inter articulos mediam laxatam attrahere oportet, & cauteriis paruis ac tenuibus tranſmiſſis vrere. Contractis autem partibus aſſiduè dropacem imponere oportet.

De reſolutione in ſingulis partibus conſiſtente.

Reſolutio partium quæ ex nerui diuiſione contingit, incurabilis eſt: quæ verò ex intemperie aut humore aliquo oboritur, in communi quidem ex relatis remediorũ

H facultatibus opem ſentit: ſunt autem & propriæ quædam ad ſingulas ex ipſis, quas ſubiiciemus. In iis igitur qui canino modo conuelluntur, maxillam in contrariam partẽ per capiſtri deligaturam reduces. Conuenit & ſanguinis detractio à vaſis ſub lingua, & cucurbitæ primo verticulo affixæ, & pituitam per os detrahentia, & purga-

tiones per narium infuſa. Noſſe igitur oportet,nō eam maxillam quæ diſtorta apparet, reſolutam eſſe, ſed oppoſitam. At ſi deglutitio reſoluta eſt, cucurbitas mento affigere oportet,& medicamenta illinire ex caſtorio,& ſagapeno,ac ſucco Parthico:prodeſt & acrium gargariſmus. Si verò lingua reſoluta eſt,ſecandæ ſunt in ipſa venæ, & cucurbitæ mento affigendæ, & apophlegmatiſmis ex ſinapi vtendum,& exercitiis linguæ. Quòd ſi vocis inſtrumenta reſoluta ſunt,thoraci adhibere auxilia oportet, & ſpiritus detentione ac vociferatione vti.At in ſupercilio-rum aut palpebrarū reſolutione, vnctiones ſimiliter pro-ſunt:ad finē verò etiam ſutura ſurſum verſus. Si verò veſica reſoluta eſt,ſiue ſupprimantur vrinæ, ſiue inuoluntariò excernantur,pectini & intercapedini inter anū & ſcrotum medicamenta adhibeantur. In ſedem verò oleum rutaceum infundatur,aut Sicyonium,cum butyro, & caſtorio ac galbano,aut opoponace,aut ſilphii ſucco: ſed & in veſicam tranſmiſſa hæc per colem,magnificè profuerunt, aut etiam ſola ſuffecerunt. Quin & ex centaurio ac colocynthide in inteſtinum infuſa per clyſterem, cum oleo Sicyonio,commoda ſunt.Commodant etiam vrinā cientia in potu, & caſtorium ſimiliter.Et præ omnibus catheteris inſtrumentum immittendum eſt in iis qui nihil vrinæ emittunt:& inſeſſus, & cataplaſmata ex laxātibus adhibenda.In iis autem qui inuoluntariò excernunt,adſtringente ductu vtendum eſt per corroborantia auxilia: cibis verò ſiccis, & aquæ frigidæ potu.Verùm in refectionibus,etiā rubificationibus, & naturalibus balneis frigidis vtantur.At verò eos qui in ſpina reſoluti ſunt, ex vulnere aut caſu,aut luxatione verticuli,ſi lethalium ſignorum cōcurſiones adſint, curare impoſſibile eſt:ſi verò coles reſolutus fuerit, iis quæ ad veſicam relata ſunt vtendū eſt, & ad eaſdem partes,& ad lumbos.Inſuper autem & tentiginem cientibus vtemur.Incommodum iis eſt lac,caſeus,& reliquæ placētæ:lactucæ item,ac reliqua olera.Recto porro inteſtino reſoluto,in quo aliquando inuoluntariò ſtercus excernitur,aliquando ſupprimitur, iiſdem vtendum eſt.& quandoque per clyſterem immittenda nunc ea quæ adſtringunt,velut eſt cupreſſi,lentiſci,rubi decoctū: nunc ea quæ laxant,velut eſt adeps ſuillus & anſerinus, & oleū maluæ:interdum autem mordentia, velut eſt muria, aut colocynthidis aut ſimilium decoctum. nihil enim ita ad motus prodeſt velut varia moliri. Si verò frigiditatē ſentiant, etiam acopon ex euphorbio,oleo dilutum,per clyſterem immittatur. Cæterùm artus reſoluti,cum communi curatione,flectantur,ac fricentur, & extendantur iuxta relatum modum. Plurimum enim ſpei in frictione ſitum eſt.

De reſolutione ex colico morbo oborta.

Noſtra ætate colicus quidam morbus homines vexauit,in quo abſoluta motus priuatio in artubus conſequebatur,& maximè in iis qui ſuperſtites euaſuri eſſent. Verùm ſenſus tact⁹ illæſus cōſeruabatur(velut veriſimile eſt) iudicatoria quadam tranſitione ex alto contingente.Vnde ſua ſponte rediit pleriſque motus temporis progreſſu. Qui verò difficilius curari potuerunt, his ſimpliciores ex relatis illitionibus profuerunt.Præcipua verò ad ipſos cōperta ſunt acopa, & id quod ex populo nigra fit, & quod ex abiete paratur:multis verò etiam corroborātia,& moderatè frigefacientia,magnopere profuerunt.

DE CONVVLSIONIBVS, CAP. XIX.

AD tractationē de reſolutione,de conuulſionibus ſermo conſequitur,eo quòd ambæ neruorum ſunt affectiones:quapropter etiam de tremoribus conſequēter dicetur.Quum igitur ab initio, aut non longè poſt initium morbi,exorſæ fieri conuulſiones paruerint, ex repletione generationem habent: quum verò poſt ſudores multos,aut vomitus,aut alui egeſtiones,aut ſanguinis eruptiones,aut vigilias,aut famem,aut motus multos & vehemētes,ob euacuationem ſiunt ac conſequuntur:& vbi aliquē ſanum derepente cōuelli cōtigerit, neceſſe eſt à repletione fieri.Si verò ex febribus ardentibus reſiccatum fuerit totum corpus,& nerui, & deinde ob ſiccitatem conuulſi fuerint,maximum hoc malum eſt,& fere incurabile. Primùm igitur deligare oportet partes quæ contrahuntur,

A ita vt cedant,& inordinatis reſiſtere motibus, defricaréque oleo rutaceo,aut Sicyonio,aut veteri, aut aliquo huiuſmodi,& aquam mulſam præbibēdam dare. Et qui quidem ob euacuationem conuelluntur,oleo, aut aqua & oleo calido perfundendi ſunt.Nulla autem re prohibente, etiam ad balneum abducemus, temperatóque ſolio vtemur,cum oleo ac frictione molliſſima. Nutriemus ipſos ſorbitionibus ex chondro & alica, & vinum tenue, aquoſum,& quod facilè diſtribuitur, dabimus, præterquam ſi
B febriant: tunc enim ptiſſanæ ſucco vtemur, & ſomnum conciliabimus. At verò conuulſiones ob plenitudinem aut inflammationem obortas,curabis plenitudinem euacuando:inflammationem autem, propriis ipſius auxiliis perſanando.Fit etiam conuulſio quum vomentes vehementius lancinantur.Opitulatur autem conuulſis acanthi radix,& ſpinæ albæ ſemē potū,itémq; ſpinæ Ægyptiæ:ſed & centaurii tenuis ſuccum quidam bibendum dant, quū ob repletionem conuulſio cōtingit.Non ſolùm autem bibendum dato,ſed etiam forinſecus ad cutem illinito ca-
C ſtorium cum oleo Sicyonio.Si verò non ſedetur,cucurbitas affigito cum ſcarificatione:ſi quidem crura contrahātur,ad coxas & vltimum verticulum:manibus autem conuulſis,& dorſo,& primo ipſius verticulo,& ei quod humero ſuperincumbit. Si tamen toto corpore ab affectione immuni, labium contrahatur, aut palpebra, aut lingua, graue ſymptoma putandum eſt, & quod magnos timores afferat,etiamſi affectæ partes paruæ eſſe videantur. In iis igitur detractiones ſanguinis ab occipitio,& à primis verticulis faciendæ ſunt.

D DE TETANO, ID EST DISTENTIONE, eiúſque differentiis, CAP. XX.

TEtanus,quum & ipſe conuulſio quædam ſit,velut cōpactis corporis,& maximè ſpinæ,muſculis oboritur, ex frigido humore intrinſecus ac forinſecus cōcreto. Vnde affecti neque ſeipſos flectere poſſunt: verùm quum in anteriorem partem corporis partes tenduntur, affectio ἐμπροσθότονος appellatur: quū in poſteriorem, ὀπισθότονος: vbi verò æqualiter in vtranque partem tenduntur, tetanus affectio nominatur. At Pelops has affectiones tentionem & diſtentionem eſſe dicit muſculorum ac neruorū
E circa collum,per quos inclinatio,& nutus,& conuerſio capitis contingit.Verùm ſi circa poſteriores colli muſculos conſiſtat affectio,ὀπισθότονος, ex contingente: ſi verò circa anteriores, ἐμπροσθότονος:ſi circa vtroſque,tetanus appellatur. Cauſam autē repletionem eſſe dicit muſculorum, ex ſpiritu & aere craſſo ac nebuloſo. Dicit autem frigidū valde ipſum eſſe ac congelatum, & propterea ægrè mobilem:vnde non ſicca potius his fomēta, ſed humida cōuenire.Atque hæ quidem ſunt tetani differentiæ. Cæterùm curatio communis quædam eſt, & iuxta has differē-
F tias non euariat.Optimum igitur omnium auxilium ipſis eſt febris inſuper accedens, quæ ab initio nō fuit. Signa horum ſunt,reſpiratio ſuſpirabūda,& pulſus rarus ac paruus:& quandoque etiam riſus Sardonius ipſis contingit: & rubor in facie eſt, & oculi ipſis in mole maiore apparent:& aut omnino non mingunt, aut velut aqua ipſis emittitur,aut vrina ſubcruenta,bullas quaſdam habens:& aluus reſiccatur,& vigilantiores ſunt,& præ conuulſionibus ſæpe periclitantur ne ex lecto excidant:& quandoque etiam ſingultire incipiunt:& dolent alii caput, alii ſcapu-
G larum nexus,& lumbos:quidā ex ipſis etiam tremuli fiūt. Facit porro affectionem,quanquam rarò,etiam laſſitudo, & humi dormitio, & grauis oneris eleuatio, & caſus, & vulnus,& vſtio,& plaga,& alia quæ eandem læſionem neruis inducere poſſunt.Curare verò ipſam oportet velut cōuulſiones ex euacuatione obortas. CVRATIO tetanorum. Qui tetanica diſtentione conuelluntur, in principio venæ ſectionem adhibeant,& partes lanis oleo imbutis tegant,Sicyonio,aut caſtorio,cum oleo veteri: aut etiā veſicam amplam oleum calidum habentem tendinibus
H imponant,& cucurbitas cum ſcarificatione: nam leues nō xiæ ſunt. Affigantur autem & ceruici, & vtrinque ad ſpinam,& muſculoſioribus pectoris partibus, & præcordiis, & ad veſicæ ac renum locum. Nec parcè detrahendum eſt: ita tamen vt non aceruatim detrahamus,ſed particu-

latim.Sudores autem lanis oleo imbutis excipere ac ab- A ripere oportet,vt ne latenter nobis non animaduertentibus perfrigerent.Si verò diuturnus fiat tetanus,bis in die in olei ſolium demittantur: non tamen in ipſo moram trahant. nam olei ſolium maximè vires exoluit. In potu danda eſt aqua mulſa tepida ad dimidias decocta, & panacis drachma vna robuſtis:ſin min⁹,obolos tres, aut minimum,obolum vnum.nam quòd ſtomacho incommodat, id in ipſo quis vereri poſſit. Dandum eſt & ammoniacum,& ſucci Cyrenaici erui magnitudo: cocto melle oblita deuoretur.Et radicis ſilphii cochlearia duo tribus B aquæ mulſæ cyathis inſperſa dantur, aut cum ipſius decocto: aut myrrhæ drachma vna ex aqua mulſa, aut hyſſopi decocto.Minimè omniū verò offendit,& efficaciſſimum eſt,vt demus caſtorii cochlearia duo aut tria,diuiſa ipſius copia. Non enim offendet etiamſi poſt cibum ex ipſo dederis: ſed & ipſum potum, & reliqua lentè ac paulatim accipiant.Nam quum difficulter deglutiant,in nares potum relidunt,vnde vehemēter lancinati ad conuulſionem irritantur. Sedes oleo rutaceo cum opopanace illinatur,& eadem per clyſterem immittantur. At verò C frigidæ affuſionem (velut Hippocrates dicit) quum maximè temeraria ſit, & propterea à poſterioribus dānata, etiam nos reprobamus. VNGVENTVM. Nardini ſextarius vnus, ceræ ſextans, folii, amomi, ſtyracis, maſtiches, ſingulorum vncia vna: caſtorii, adarces, euphorbii,piperis,ſingulorum vncia vna:ſpicæ nardi, opobalſami,ſingulorum vncia vna. POTIO ad opiſthotonicos: Radicis panacis,piperis albi, coſti,myrrhæ, ſucci papaueris,ſingulorum æquales partes, dato araci magnitudine ad ſomnum. Facit & ad recta ceruice ſpirantes.Sit D porro victus iis attenuans,& qui facilè coqui ac diſtribui poſſit,& penitus ſine recrementis.

DE TREMORIBVS, CAP. XXI.

TRemor,in vniuerſum quidem ob neruorum debilitatem fit:(hoc autem teſtatur ſenilis ætas) verùm particulatim multæ cauſæ hunc efficiunt. Nam & ob frigidam fit intemperaturam, & ob frigidæ aquæ potum, & præſertim in febribus intempeſtiuè acceptæ: inſuperque ob frigidorum ac viſcoſorum humorum abundantiam, & ob copioſiorem vini vſum. Qui igitur ex delictis pa- E làm tremunt,ab iis quæ læſerunt abſtineant:perſeuerante verò tremore in febribus,primùm totū corpus oleo Sabino irrigetur: verùm in acceſſionum remiſſionibus, vetuſto,aut Sicyonio. Extremæ verò partes præillitæ, lanis mollibus integantur,deinde affigantur cucurbitæ, à primo verticulo vſque ad ſpinam & lumbos, infectis antea partibus vnà cum præcordiis,crudā ordeacea farina. Tegantur autem & hæ partes lanis veteri aut Sicyonio oleo imbutis.Si verò diuturnæ fiant febres,alternis diebus in olei aut aquæ & olei ſolium inſideant, & mollibus fri- G ctionibus vtantur.Si verò affectio prorogetur, & frigiditas ſit ſuſpecta,aqua mulſa cum caſtorio præbibenda detur,& calidis locis geſtatio fiat. Cæterùm cibum qui facilè concoqui ac diſtribui poſſit dabimus,primùm ſorbile, poſteà etiam volucres,& piſces mollis carnis. Solutis autem febribus lauent,ita vt frigidæ ſolium & vini potum vitent. At ſi craſſorum ac viſcoſorum humorum copia fuerit,ſecantibus & attenuantibus vtendum eſt: quale & hoc eſt,rutæ ramulorum,ſpondylii,ſingulorum quantum tribus digitis prehendi poteſt:caſtorii,nitri, ſingulorum obolos duos.Dato quotidie cochleariū vnum cum aceto mulſo,ad triduum ieiunis:aut panacis & piperis,ſingulorum grana quinque in aquæ mulſæ cyatho vno bibenda præbe.Simplicia verò quæ tremulis præbibenda dantur, proſunt hæc: Caſtorium, leporis cerebrū in cibo,althææ radicis decoctum, damaſonii foliorum drachmæ quatuor in aqua mulſa,eupatorium cum aqua.Si verò prædominetur frigiditas,etiam Zoſimi vnguento, & acopis ad reſolutiones deſcriptis, & vnctionibus ac rubificationibus vtemur,exercitiis item ac defrictionibus. Eos verò qui ob vini potum tremunt, à vino abſtinere oportet do nec penitus liberentur.

DE OCVLORVM MORBIS, ET PRImùm de dolore,ex Galeno, CAP. XXII.

QVum dolores vehementiores in oculis fiunt, conſidera ex quānam affectione oculum dolere contingit in inflammationibus. Aut enim eo quòd mordetur vehementer ab influentiū acrimonia,aut quòd repletæ tunicæ tenduntur: aut propter craſſorum humorum, aut ſpirituum flatuoſorum intenſionem,dolores vehemē tes in ipſis fiunt. Morſus itaque per purgatoria vacuando curare oportet,& oui candidum infundendo. Concocta verò iam inflammatione,& corpore à ſuperfluitatibus libero,conuenientiſſima iis ſunt balnea. At inflammationes ob repletionē,& per ſanguinis euacuationem, & per ventris ſubductionem,& infernarum partium frictionē, curare conuenit:intenſiones autem, toto corpore præeuacuato, & humorum momento deorſum reuulſo, conſequenter localibus diſcuſſoriis curandæ ſunt. Fomenta igitur ipſis adhibere oportet, & fœnigræci decoctum infundere. Verùm in quibus intenſio eſt ſanguinis craſſi in oculorum venulis, citra plenitudinis affectionem in toto corpore,iis vini potu vtendum eſt quod & percalefacere poteſt,& euacuare, & obturationes reſerare.

De turbatione,& ophthalmia,id eſt lippitudine propriè appellata.

Turbatio quidem humiditas eſt oculi, & caliditas cū rubore præter naturam, quæ non ex corpore, ſed ab aliqua forinſecus cauſa contingit,velut à ſole, fumo, puluere,vento.Quare etiam citiſſimè ſoluitur,dum cauſa ſummouetur. Eſt & lippitudo,quædam perturbatio, non ſolùm forinſecus,ſed etiam citra manifeſtam cauſam oboriens, & permanens vſque ad tertium, aut quartum, aut quintum diem. Curatur autem facillimè,forinſecus irritantium cuſtodia, pauci cibi vſu, aquæ potu, deambulatione,& facili alui ſolutione.

De inflammatione,

Si verò inflāmatio relicta fuerit in oculis poſt totius corporis euacuationem, ſublitionibus vtendum eſt per ea quæ humorum illationem repellere poſſunt, & irritationem mitigare:quale eſt collyrium Nili ex roſis, aut etiam Chiacum, & nardinum.Inflammata verò tunica agnata, collyriis monohemeris *ab vnius diei vſu appellatis* vtendum eſt, cum oui candido infuſis. Poſtridie, ſi nō inflammatio intendatur, nardinum illinatur: fomento verò vtendū eſt ex decocto meliloti ac fœnigræci.Quòd ſi craſſus ſit humor qui lippitudinem facit, medicamētis vtemur quæ neque meatus obducunt, neque humores craſſos faciunt,ſed diffundere,& humectare ac excernere poſſunt:velut eſt collyrium Chiacum.Si verò circa caput impacti ſunt humores, cucurbita occipiti affigatur, aut ſcarificatio fiat, aut hirudines fronti adhibeantur ad dolentem oculum. Et cataplaſma fiat ex pane puro aqua madefacto,cum modico roſaceo: aut ex polenta in capitum papaueris decocto cocta,eodē modo. Sed & efficaciore vtendum eſt cataplaſmate, ex croco,& meliloto, & palmularum carnibus,& coriandri foliis teneris, & ouorum vitellis aſſatis,& micis panis ſapa madefactis, & modico roſaceo,contritis iis in papaueris capitum decocto. Sed & papaueris ſemen aliquando admiſcemus, doloris ſedandi gratia.Si verò magna ſit doloris neceſſitas,etiam opii minimum quiddam admiſcendum eſt: verùm citra maximum dolorem, reprobanda ſunt quæ torpefaciunt. At ſi moderata fuerit inflammatio,aloen per ſe,aut aqua, G aut oui candido diſſolutam illine:quo verò etiam paratū ſit auxiliū, croci drachmas ſex,aloes drachmas ſedecim, gūmi drachmas nouem,aqua pluuiali excipe, & collyria effinge. Quin & ex croco diacroca appellata collyria, ad lippitudinum initia commoda ſunt. At in quibus tumor eſt laxus & exalbidus,& circa palpebras, & circa tunicam agnatam, citra tunicarum læſionem,bene faciūt & liquida vocata collyria,quæ ex croco,& atramento ſutorio ac melle parantur.Sed & hoc optimum eſt.

Collyrium liquidum,dolorem eximens.

H Melanteriæ coriariæ,mellis Attici, ſucci fœnigræci,æquales ſingulorum partes coquito ad ſpiſſitudinem mellis: deinde per ſpecilli nucleum ſiue caput ſummum ambos angulos continge.

Ad fluxionum illationem impetuoſam.

Ad fluxionum impetuoſas illationes in principio conducit inedia,& aquæ potus, & præ omnibus,veneris abſtinentia: & aluus ſubtrahatur, & poſca aquoſa facies proluatur,maximè ſi feruens fuerit fluxio:ſinminus, atramento ſutorio cum melle frons & palpebræ illinantur. Quidam verò atramentum ſutorium aqua dilutum proluendum exhibent: verùm in iis qui abſque inflammatione fluxione infeſtantur, aut cum inflammatione, tamen vt ſupra caluariam ſtructura affectionis conſiſtat, agglutinatoriis vtendum eſt in fronte, ſimplicibus quidem,vitis foliis viridibus,aut rubi ſucco, aut portulacæ, aut malorum cotoneorum ſucco,cum tenui polenta, aut galla trita cum vino,ac tenui polenta,aut cicuta, aut pſyllio cum aqua, aut ſolano, aut cochleis vnà cum teſtis tritis impoſitis à tempore ad tempus: & in ſumma,adſtringentibus & perfrigerantibus.Compoſitis autem his,Pollen tritici,& myrrha,aut thus, cum oui candido illinatur: aut Samia terra cum myrrha,& manna,ſimiliter cum oui candido. Verùm in frigidioribus fluxionibus, ſulphuris viui,bituminis,picis,colophoniæ, ſingulorum drachmæ duæ:Muſæ item paſtillus, & aſter,& conſimiles probè repellunt:& theriaca vino adſtringente diluta, & fronti illita,frigidas fluxiones ſiſtit. Hæc tamen,etiam pota magnificè his prodeſt. Supra ipſum verò oculum, lanam, aut linteum tenue oui candido imbutum impone. Et caſeus recens ſimiliter oculo impoſitus acres maximè fluxiones cohibet:& collyria ſiſtentia appellata,illita, & aquoſa inſtillata,hoc faciunt.Si verò per profundum & ſub caluaria conſiſtat humor, & ad longum tempus extendatur, poſt vniuerſales euacuationes, & errhinis, & apophlegmatiſmis ad pituitã detrahendã vtendum eſt,& raſura, & rubificationibus capitis. Verùm in his etiã chirurgias in capite aſſumunt, vaſorum videlicet diſſectionem,& arteriarum ſectionem,& hypoſpathiſmum,& circum caluariam inciſionem,& vſtionem in vertice ad os vſque: ſed & cucurbitæ ſincipiti affixæ cũ ſcarificatione, influxionem reuellere poſſunt. Signa verò fluxionũ extra caluariam ſunt,diſtentiones vaſorum circa frontem & tempora,& velut vinculum capitis,& quòd ſiccantia agglutinatoria proſunt.His verò nõ præſentibus, influxione moram trahente, & ſternutamentis aliquando vexantibus, ſub caluaria humorem eſſe putandum eſt.

De chemoſi.

Chemoſin dicunt,quum præ inflammatione vehemẽti,ambæ palpebræ euerſæ fuerint,vt oculi vix ab ipſis cõtegantur,& candidum oculi ſublimius fuerit quã nigrũ, & rubicundum,& multam nigri partem occuparit.Curare verò ipſam oportet venæ ſectione,& medicamẽto purgatorio,&collyrio ex roſis albo, & ſpodiaco, cum lacte muliebri,aut candido oui: eodem etiam oblinendæ ſunt palpebræ,& tempora,& frons: fomentis quoque & cataplaſmatis vtendum eſt mitigatoriis.Remittente verò inflammatione illinantur acriora,velut eſt viride ex roſis.

De ſugillationibus ac inflationibus.

Sugillatio eſt ruptura venarum membranæ agnatæ, ex plaga maximè oboriens.Inſtillare igitur ipſis oportet ſanguinem palumbi aut columbæ,aut lac muliebre calidũ, modico thure cum ipſo trito: aut muriã inſtilla, & præſertim quæ eſt ex Cappadocico ſale: & fomento vtere ex decocto hyſſopi. Verùm ad tumores circa oculos factos ob plagas,facit fomentum aſſiduum ex poſca,& ſpongia ex poſca incumbens. Medicamentum verò illitioni accommodatum hoc eſt:Lapis ſpecularis vſtus, & columbinum ſtercus,æquis portionibus vino aut aceto trita.Cataplaſma autem fit ex caſeo recenti, aut raphani cortice, aut vuà paſſa,exemptis vinaceis,ſingulis in poſca,aut in aqua mulſa.Eadem faciunt etiam ad inflationes.

Ad inflationes pruriginoſas,& ſcabras lippitudines.

Inflatio,tumor eſt palpebræ laxus.Scabra verò lippitudo, pruriginoſa palpebræ ſcabies eſt, ex ſalſo ac nitroſo humore oborta. Conuenit igitur ipſis poſca, & lentium decoctũ,itémque roſarum, vt iis fomenta fiant.Collyriũ autẽ liquidũ hoc: Æris drachmæ ſex,miſyos toſti,myrrhæ, ſingulorũ drachmæ tres:croci drachma vna femis,piperis drachma vna,vini Chii, & paſſi Cretici, ſingulorũ ſeſquicyathũ:coquito ad mellis ſpiſſitudinẽ. Hæc eſt Eraſiſtrati pãchreſtos ob omnimoda vtilitate appellata, faciens etiã ad anginã, & vlcera in ore,& in pudendo, & ad aurium dolores.Inungant autem & oleo palpebras, vbi dormire volent:abſtineant ab acidis,& ſalſis,& acribus.

De dura lippitudine,& de ſicca lippitudine.

Lippitudo dura,duricies eſt, & difficilis oculi motus, cũ dolore ac rubore,citra humiditatẽ.Fouere igitur ipſos aſſiduè oportet ſpongiis ex aqua calida,& ad ſomnum ituris imponere palpebris ouum cum roſaceo, aut anſeris adipem,ita vt fugiamus frigida & indurantia. Tegatur autem & vngatur caput, & aluus ſubducatur. Lippitudo verò ſicca,eſt pruriginoſa oculorum affectio,citra fluxionẽ:curare oportet ipſã balneis,& vnctionibus,& boni ſucci victu.In cõmuni verò,vtriſque conueniunt medicamẽta acria,vt & lacrymas prouocent,per quas & duricies remittetur,& ſiccitas humectabitur. Talis autem eſt & panchreſtos Eraſiſtrati,& collyrium diacenteton appellatum, & quod ſtratioticum vocatur.

De palpebræ euerſione.

Palpebræ euerſio contingit aut ob cicatricem, aut ob nimiam carnem excreſcentem. In diuturnis igitur euerſionibus ob nimiam carnem excreſcentem, æruginem raſam toſtam tritam adhibe, aut plumbum vſtum & lotum:aut vtraque pariter, æruginem & plumbum admoue.Nam ex cicatrice obortam palpebræ euerſionem, ſi quidem omnino curetur,chirurgia ſanat.

De ægilope & anchilope.

Ægilops abſceſſus eſt inter magnum oculi angulũ & naſum,qui & rumpitur,& in fiſtulã abit,ſi neglectus fuerit,vſque ad os ipſum. Priuſquam verò in vlcus eruperit abſceſſus, anchilops vocatur.Bene igitur faciunt glauciũ & crocus, ſi cum perdiciadis ſucco imponãtur. Verùm aſſiduè alterare oportet, & ad tranſmutationẽ nõ peruenient. ALIVD. Alica cocta in aceto,& probè trita,non ſolùm incipientes,ſed etiam in pus tranſmutatos ſanat, & rumpit,& ad os vſque ſubit:huius vſu non modò ægilopas,ſed & anchilopas curabis. ALIVD. Ruta ſatiua cũ lixiuio protoſtacto,ex cinere calce adiecta parato trita,cocta ac impoſita,valde probè extirpat ægilopas, & ad os vſque ſubit,ab initio mordens,poſtea nõ item: &(quod mirum eſt)neque cicatricem indecoram inde ferunt. ALIVD. Cochleas cum teſtis tritas impone, aliquando etiam aloen & myrrham admiſce, anteaquam in pus ægilops tranſmutatus fuerit. Sed & poſtquam ruptus fuerit, ipſum reſiccat.

De trachomate,ſycoſi,ac tyloſi.

Trachoma, aſperitas intra palpebram eſt: huius intẽſiò vt velut inciſuras habeat,ſycoſis *a ficus ſimilitudine* vocatur. Vbi verò diu durauit & callum contraxit, tyloſis, *id eſt calloſitas*,nominatur. Collyriis itaque vtendũ eſt, tum eo quod ex vino,tum eo quod ex duobus lapidibus paratur: ſed & ipſo hæmatite lapide per aquam loto ac ſubiecto palpebra confricatur. Quin & Harmation collyriũ cum modico cygnario, aut eo quod ex croco conſtat, ad hæc etiam ſcabris lippitudinibus citra exulcerationem cõducit,ſi inuerſa palpebra illinatur. Si verò durus ſit callus,& his non cedat,inuerſam palpebrã per pumicem rademus,aut per ſepiæ teſtam, aut fici foliis, aut etiam per inſtrumentum blepharoxyſton ab hac opera appellatum.

De grandinibus.

Grando, lenti humoris circa palpebram concretio eſt, cui ammoniacum aceto tritum cum galbano illines.Facit & terebinthina cerato excepta.

De Crithe,*id eſt ordeolo.*

Ordeolum,abſceſſus paruus eſt iuxta palpebræ marginem oblõgus.Oportet igitur ipſum cera alba fouere, aut de muſca capite abiecto, reliquum corpus affricare, aut ordei cremore perfundere.

Ad pediculos in palpebris.

Expurgatis prius pediculis,aqua marina tepida proluere oportet, deinde marginem ſubſcripto medicamento cõtingere. Aluminis ſciſſi partes duas,ſtaphidis ſyueſtris partem vnam:tritis vtere.

De madaroſi, aut milphoſi.

Defluuium pilorum palpebræ hæc affectio eſt. Poſt totius igitur corporis curam, ſmegmatis calliblepharis, *ab ornandis palpebris uocatis*, vtere: aut terræ ampelitidis, croci, celticæ, ladani, ſingulorum æquales partes tere, ac vtere. ALIVD. Stibii toſti loti drachmā vnā, plumbi vſti loti drachmas quatuor, croci drachmas quatuor, nardi Indicæ drachmas tres, tritis vtere: hoc etiam ſcabioſos oculos ſanat. ALIVD Neapolitæ, ad milphoſes, & diuturnas palpebrarum affectiones. Stibii, Cadmiæ, Chalcitidis, miſyos peregrini, ſingulorum partes æquales contundito craſſiore modo, & melle ſubacta torreto, ac tritis vtitor.

De ptiloſi.

Ptiloſis craſſities eſt palpebrarum calloſa, rubicunda, quibus contingit etiam ſæpe pilorum defluuium. Præter relata igitur, etiam hoc ſummè facit: Stercus murinum vſtum ac melle contritum illine.

Ad pilorum ſuperciliorum defluuia.

Oleo aut adipe anſerino illitis digitis plumbum confricato, & hoc illinito. ALIVD. Hoc etiam ſubnigros facit: Nuces auellanas vſtas cum caprino aut vrſino adipe confricato. ALIVD. Hoc etiam ad barbarum alopecias facit: Hyoſcyami drachmæ duæ, ſtercoris murini drachma vna, polytrichi drachma vna, vnguenti irini cochlearia quatuor. Ad reliqua probè trita vnguentum admiſce, & fomento prius adhibito illine. Si verò præraſeris, magis efficax eſt.

Ad pilos palpebrarum pungentes, trichiaſin appellatam.

Pilis pungentibus præeuulſis, locū ſanguine ranarum per ſe ſtatim illine, aut cum cinere chamæleonis albi: aut cimicum ſanguinem, aut fumariæ inter ordeum naſcentis ſuccum, cum gummi: aut tellinarum ſalſarum cinerem cum cedria, aut loti cinerem, aut alumen liquidum, phorimum appellatum, aut ricini à cane auulſi ſanguinem. Valde efficax eſt.

Pilos agglutinantia.

Pilos introrſum refractos glutinat bitumen, maſtiche, colophonia, glutinum, cochleæ glutinoſitas.

De carnis in angulo magno, incremento ac decremento.

Encanthis, naturalis in magno angulo carunculæ incrementum appellatur: & rurſus huius decremētum, Rhœas. Incrementum igitur iis quæ ad palpebræ euerſiones relata ſunt, & ſimilibus vſtoriis aut corrodentibus conſumpſeris: non tamen totum, vt ne rurſus decrementum fiat, ſed ad naturalem vſque magnitudinem. Decrementum verò, tota quidem carne conſumpta, aut à parum artificioſa chirurgia, aut per medicamēta, incurabile eſſe ſcias: ſi verò pars ipſarum imminuta fuerit, moderatè adſtringentibus & incarnātibus ipſam renutriueris. Qualia ſunt quæ fiunt ex croco, glaucio, & aloe, & collyria ex croco, & hyoſcyamos in vino coctus ac impoſitus, & modicum alumen cum vino.

De vlceribus.

Vlcerum in oculis genus quidem vnum eſt, differentiæ verò particulares plures. Nam quod in corniformi membrana cauum & anguſtum ac purum vlcus eſt, *βόθριον, id eſt foſſula*, cognominatur: quod verò latius bothrio eſt, minus autem profundum, Cœloma vocatur. Argemon autem, vlcus dicitur in iridis circulo obortum, circumcirca occupans, vt circa externam iridis partem rubicundum appareat, circa internam verò, album. Epicauma verò, vlcus eſt ſordidum, & impurū, ac cruſtoſum, quod dum repurgatur, ſæpe humores in oculo effluunt. Sed & aliæ plures vlcerum differentiæ ſunt, de quibus in communi dicemus. Si igitur cum inflammatione vlcus cōſtiterit, etiā curatio per ea quæ inflāmationē mitigare ac concoquere poſſunt, facienda eſt, vnà cum proprietate quā vlcus requirit. Talia verò ſunt collyria, libyanū, & cygnus, & pelaria appellata, & aſter, & ſimilia: & quæ ex amylo & terra, *Samia* aſtere *dicta*, & ceruſa, componuntur. Omnibus autem magis dolorem ſedare nouimus collyriū Nilamonis: ſed in ipſius vſu nō diu immoramur, propter vehementem ſtupefaciendi facultatem. Optimum eſt & collyrium ex decoctis, quod neque habet vim ſtupefaciendi. Si verò cum fluxione vlcus fuerit, ex collyriis ad illam commodis aliquod admiſcebimus: quale eſt quod ex hydra fit, & chiacum, & cygnus fuluus, & quæcunque repulſoriam, non mordacem vim habēt. Quòd ſi ſordida vlcera fuerint, aqua mulſa moderatè aquoſa, & fœnigræci decocto vtemur, tum per ſe, tum cum collyriis ad hoc facientibus, acrioribus quidem vlceribus exiſtentibus, Seueriano, & eo quod ex fœnigræci ſucco paratur: non acribus autem, diaſmyrnis & nardinis. Verùm purgata vlcera probè ad cicatricem perducere ſolet collyriū Cleō, ad hoc quòd etiam cicatricem concolorem efficit.

De prolapſu oculi.

Prolapſus eſt pronuentia tunicæ acinoformis, ex corroſione aut ruptione corniformis tunicæ oborta: quæ ſanè vbi adhuc parua eſt, vt muſcæ capiti ſimilis ſit, Myocephalon vocatur: amplius autem aucta, ad acini vuæ ſimilitudinem, Staphyloma: plurimum verò, vt vltra palpebras excedat, μῆλον: ſi verò calloſum factum fuerit, hoc clauus appellatur. Si igitur modicè ad capitis muſcæ ſimilitudinem prolapſus factus fuerit, reſtringentibus ac repellentibus compoſitionibus vtendum eſt, chiaco videlicet collyrio, & fuſco, & nardino, & Theodotio, & eo quod ex oleæ frondibus fit & quod ex cornu. Spongiam quoque poſca aut vino adſtringente, aut roſarum decocto imbutam, aut etiam ſplenium, citra compreſſionem deligare oportet. Principatum autem habet ad prolapſus & vlcera omnia olympiacum ſiue olympus appellatum collyrium, cum ſucco oleæ, aut polygoni, aut polii. Eadē hæc etiā clauis conducunt, & ſtaphylomatibus, priuſquam inalbeſcant: vbi verò alba aut calloſa facta ſunt, incurabilia exiſtunt.

De ſuppurulentis.

Suppurulenta fit aliquando corniformis tunica, quandoque per profundū, quādoque in ſuperficie, vt vngui ſimile figura pus ſit: quare etiā affectionē *ὄνυχα, id eſt unguē*, appellāt. Scopus igitur curationis eſt, aut pus diſcutere per ea quæ moderatè hoc faciunt, velut eſt aqua mulſa, & fœnigræci ſuccus, & quæ ex ipſo parantur collyria, & Libyanum, & quæ ex thure fiunt: aut rumpere & repurgare per fortiora, qualia ſunt collyria diaſmyrna, & hygidium appellatum. At verò ad purulentos abſque vlceratione, etiā hoc liquido collyrio vtendum eſt. Atramenti ſutorii, croci, ſingulorū drachmas octo, myrrhæ drachmas quatuor, mellis librā vnā. Quin & puſtula, quum ſit corniformis tunicæ eminentia, humore quodam ſtrias ipſius ſubexcoriante, purulentorum curationi ſubiicitur. Liquidū Baſſi, ad oculos ſuppurulentos: Croci, aloes, myrrhæ, ſingulorum vnciā vnā, vini quadrātem, mellis optimi ſexuncem. Crocus cum modico vino teritur, deinde aloe & myrrha: & vbi craſſa facta fuerint, adiicito mel, & vnita in vitreo vaſe repone. Vtere autem bis in die: ſi verò res vrget, ter. Nam oculum ſimul & purgat, & incarnat, ac cicatrice includit.

De cicatricibus ac albuginibus.

Quæ in ſuperficie in oculis fiunt cicatrices, quidam hoc ipſo nomine ſolùm cicatrices, quidam nubeculas vocant: quæ verò in profundo cōſiſtunt, albugines. Horū medelæ ſunt ea quæ affricta detergent. Nubeculas itaque anemones ſuccus deterget, & parui centaurii ſuccus cum melle. Diuturniores autem cedria attenuat, & æs ſolum, aqua tritum velut collyrium, & collyria exterſoria, quale eſt id quod ex cornu fit, & quod Rinarion appellatur, & Hecatombe, & ſimilia. Albugines verò nitrū cum oleo veteri tritum diligēter, ac illitum, probè exterit, & ſepiæ teſta vſta, & cum melle trita. Ex collyriis autem hoc probè & leniter exterget: Mameræ, ammoniaci, thymiamatis, myrrhæ troglodyticæ, ſtercoris crocodili, ſingulorum æquales partes: fac collyrium & vtere: aut crocodili terreſtris ſtercus aqua tritum, ac in collyria redactum, illine. Bene autem feceris ſi ſalem Cappadocicū aqua diſſolueris, & cum hac aqua collyria ad albugines commoda inſtillaueris.

Cicatricum tinċturæ.

Gallæ,acaciæ,ſingulorum drach.quatuor, atramenti ſutorii drach.duas:vtere.Collyrium verò hoc: Florum mali Punici,id eſt cytinorum,atramenti ſutorii, acaciæ, gummi,ſingulorum drach.quatuor: ſtibii,gallæ, ſingulorum drach.duas:tere cum aqua. Si flores mali Punici non adſint,membranoſum illud quod intus inter grana in malo Punico eſt admiſce.

De pterygiis.

Pterygium, *unguis à quibuſdam uocatus*, neruoſa eſt tunicæ agnatæ eminentia:enaſcēs quidem ab angulo, prodiens autem ad coronam vſque:vbi verò nimium aucta fuerit,etiam pupillam tegit. Magna igitur & diuturna pterygia per ſolam chirurgiā excinduntur: recentiora verò & moderatæ magnitudinis,etiam exterſoria auxilia conſumunt, qualia ſunt quæ ad aſpretudines ac albugines adhibentur. Ex ſimplicibus igitur ſunt, æs vſtum, aut atramentū ſutoriū cum felle porcino: probè hæc faciunt.Efficacius autem hoc eſt,Atramenti ſutorii partem vnā,gummi partē dimidiā: vino trita illinimus,aut etiā collyria formamus. Quidam etiam fel caprinū melle mixtum illinunt.

Ad pterygia,& purulentos oculos,ac hebetem viſum,Oribaſii.

Lapidis magnetis,æruginis raſæ,ſinopidis, ammoniaci thymiamatis,ſingulorū drach.quatuor: croci drach.2, mellis Attici cochlearii dimidium. Facit & ad albugines.

De carbunculatione & carcinomatis.

Carcinoma eſt affectio tunicæ vniformis,quæ dolorē habet,diſtentionem, ruborem tunicarum, dolorem punctorium vſque ad tempora, & magis ſi concuſſi fuerint: cibum etiam non appetunt, & acribus exacerbantur. Et eſt hæc affectio incurabilis,& tamen lenire affectos oportet lactis potu, & frumentaceorum,ac aliàs boni ſucci eduliorum exhibitione,citra omnem acrimoniam,& collyriorum tenerorum infuſione,velut eſt ſpodiacum, Seuerianum,& ſimilia. Prouidendum quoque eſt vt bonum ſit totius corporis temperamētum. Carbunculatio verò, etiam ipſa malignū ac cruſtoſum vlcus eſt, aliquando in bulbo,aliquando in palpebra,quemadmodum & in aliis corporis partibus,conſiſtens. In bulbi igitur carbunculationibꝰ, ab initio per clyſterē euacuare oportet primùm: deinde per lac coctum moderatè purgare, poſtea fomento per ſpongiam adhibito, farinā erui aut tritici in aqua mulſa coctam imponere,& aliquando etiam iridem tritā addere,& oculum lacte eluere. Si verò proſerpant vlcera, lenticulā cum melle imponere, aut cum malis Cydoniis coctis: ſi verò amplius depaſcendo proſerpant, oleæ folia cocta,aut malicorium coctum in vino, tritū cum melle. At ſedata nome proſerpente, & cruſta elapſa, per dicendi medicamenti impoſitionem,& puris factis vlceribus, cataplaſma ex vitellis ouorum aſſatis cū croco & melle tritis imponere oportet vſque ad cicatricem inductā. Medicamentum verò hoc eſt: Spodii drach. quatuor, myrrhæ non valde toſtæ drach.tres,obolos tres:tritis in vino Aminæo, donec ſiccata fuerint,paſſum Creticū vetus admiſce, & ſimul trita liquida pyxide fictili excipe,& inunge. Cæterùm ad carbunculos in palpebris,malū Punicū acidū totū conciſum in aceto coquito, & flaccidū factū ac probè tritū,in linteum indito:ac vtitor,bis aut ter permutans in die, & ſemel in nocte.

De mydriaſi,id eſt pupillæ dilatatione.

Quum pupilla colore quidē nihil alterata apparet, verùm multo latior quàm pro naturali modo, & quādoque viſum in totum impedit,quandoque multum,& quæ videntur ab ipſis,omnia minora eſſe putātur,Mydriaſis appellatur affectio.Cauſa verò eius ſuperfluus quidā humor eſt.Curare igitur ipſam oportet vena in cubiti flexura ſecta,aut purgatione:ſin minus,ſaltem in angulis venas diuidere,deinde cucurbitam occipiti affigere,& aqua marina faciem & oculos proluere:ſi marina deſit, muria aut poſca vti. Medicamentis verò ad puſtulas conuenientibus vtendum eſt.

De tabe & macie.

Tabes affectio eſt pupillæ quæ anguſtior & hebetior ac A rugoſior fit, & quæ videntur, maiora iis apparent. Cauſa autem eſt denſatio à ſiccitate magis oborta.Differt tabes à macie in hoc quòd tabes anguſtiorem pupillam facit:macies autem totum oculum minorem ac humiliorē efficit. Curare hos oportet exercendo,& diligenter fricādo & caput & faciem & oculos, & faciem aqua proluendo,& caput vnguento aliquo calefactorio vngendo.Oculi verò rarefaciente & acriore medicamento ſublinantur, quale eſt ſubſcriptum:Ammoniaci drach.vnā, crocomagmatis drach.quatuor,croci drach.duas, æruginis drach. B quatuor:trita in aqua in collyria efforma, ac vtere.

De nyctalope.

Nyctalopas dicunt quum interdiu quidem videre cōtingit,occidente verò ſole,obſcurius:& nocte,penitus nihil. Curare igitur & hos oportet euacuando & de cubiti flexura & de angulis: deinde purgando,aut per clyſterem vacuando:deinde pituita per os detrahenda. & ſternutationes mouendæ. Dandum eſt ante cibum hyſſopum bibendum, aut ruta: ſi verò non cedat,rurſus dandum purgatorium ex ſcāmonia ac caſtorio. Oculi verò illinantur C melle deſpumato, & claudantur ita vt etiā comprimant ipſos,ad continendum illitum liquorem.Aut aluminis vſti partes duas,ſalis foſſilis partem vnam,trita cū melle illinito. ALIVD. Hepar hircinum aſſato, & ſaniē inter aſſandum collectam illine: ipſum verò hepar edēdum præbe,& dum coquitur vaporem oculis apertis admittere iube.

De glaucomate & hypochymate, id eſt ſuffuſione.Ex Rufo.

Glaucoma & hypochyma,*id eſt ſuffuſio*, veteres vnā quā-D dā affectionē eſſe putant:poſteriores autē glaucomata,humoris cryſtallini affectiones eſſe putauerunt,qui præ humiditate ad glaucedinem tranſmutaretur: ſuffuſiones verò eſſe præterfuſionem inter tunicam corniformem & cryſtallinum humorem. Sunt autem omnia glaucomata incurabilia: ſuffuſiones autem ſanantur, ſed non omnes. Curandi igitur ſunt qui ſuffuſione tentantur, anteaquam conſiſtat affectio;ſanguinis à cubito detractione, & purgatione,& infuſis per clyſterē acrioribus, (velut ſunt quæ fiunt ex centaurii aut cucumeris amari decocto) & aluū E ſolutione frequentiore.Affigendæ etiam cucurbitæ occipitio cum ſcarificatione. Oportet etiam aquā bibere per omnem victū,& vti cibis attenuantibus:progreſſu autem tēporis conferet & pituitā per os detrahentibus vti per aliquot dies. Quibus verò veluti culices oculis obuerſantur,ex vitioſo aliquo humore,aut vaporibꝰ bilioſioribus allatis,his amarum ex aloe medicamentum aſſiduè dabimus,aut etiā per hoc purgabimus. Ad oculos verò medicamentis vtendū eſt primùm ſimplicibus, velut melle & oleo cum fœniculi ſucco: poſtea etiā compoſitis,quale & hoc eſt, Sagapeni drach.duæ,ſucci Cyrenaici, veratri F albi,ſingulorū drach.ſex: terūtur in mellis heminis octo. Nos autē (inquit Oribaſius) ſubſcripto vtimur:Succi caucalidum,chamædryos, coronopodis,ſingulorum paribus portionibus cōtritis.Faciunt etiā collyria,& quod ex ſucco fœniculi paratur,& proteus, & thalaſſerum appellatū, & quod fit ex opobalſamo. Sed & quæ ex his præparantur prodeſſe ſolent: & fœniculi decoctū in principiis affuſum prodeſt, & quod ex ſuccis fit, & opobalſamo, & melle,ac oleo,& ſimilibus.

De obfuſcatione ac hebetudine.

G Obfuſcatio eſt perfectum vtplurimum videndi impedimentum, citra manifeſtam circa oculum affectionem: hebetudo verò eſt obſcuritas videndi, ab occulta aliqua cauſa oborta. Curatio conuenit in communi ea quæ eſt ad ſuffuſos relata:priuatim verò, ſanguinis ab angulis euacuatio,& hirudinum ad tempora admotio,& infernarum partium frictiones. Temporis progreſſu, etiā ſternutatoriis vtendum eſt,& vomitibus, dum ieiuni ſunt: & ſublitionibus,primùm quidē ex melle & oleo, paribus portionibus:deinde ſubſcripto cōpoſito,Croci obolos duos,fel-H lis hyænæ drach. vnā, piperis cōmunis grana octogintaquinque,ſucci fœniculi drach.16,ammoniaci thymiamatis drach.vnā,ſiccis tritis cū ſucco,mellis cochlearia 4,adde, præpara,& ærea pyxide exceptis vtere. Ante illitionē

foueat oculos ſpongia aqua marina calida imbuta.

De ſtrabiſmo.

Infantes ex natiuitate ſtrabones curantur larua faciei prætenta,quò in directũ intueantur (eſt enim ſtrabiſmus conuulſoria affectio muſculorum bulbum mouentium) & lucerna è directo poſita,& non ex obliquo allucente: & vbi ad naſum oculi nutarint,floccos puniceos agglutinare angulis ad tempora oportet,quò ad illos intenti oculos corrigant.

De expreſſione oculorum.

Exprimuntur aliquando oculi,vt prominentes permaneant. eis igitur quibus ex ſtrangulatione expreſſi ſunt, vena in cubiti flexura ſecanda eſt. Si verò aliquo alio modo id acciderit, purgatio facienda eſt veratro nigro, aut ſcammonia. At verò expreſſiones oculorum ex dolorib⁹ partus, ſæpe quidem purgationes in partubus ſuccedentes ſoluunt: quare has procurare oportet: verùm in viris poſt venæ ſectionem,ſi non ſedetur, cucurbitam occipitio affigere,& lanam melle illitam imponere,aut floccum cum aqua, ſuperneque linteum duplicatum leniter deligare. Conducit his etiam aqua marina frigida faciei affuſa,& intybi ac polygoni ſuccus cum papaueris ſucco illitus,item alia quæ conſtringere ac contrahere poſſunt.

De confuſione.

Confuſiones ex plaga obortas, venæ in cubito ſectione, & totum oculum replendo ſanguine recens mactati turturis, aut (in illius penuria) columbæ,curare oportet: deinde lanam mollem,ouo cum vino ac roſaceo cõquaſſato imbutam imponere ac deligare.Poſtera die idem faciendum eſt,& tertia fomentum adhibendum, & lac inſtillandum,& quæ commodant imponenda: deinde ſublinenda quæ ad veteres affectiones pertinent, quale eſt collyrium Chiacum.

De myopia.

Myopes dicuntur qui ex natiuitate ea quæ propinqua ſunt vident,quæ verò longè diſtant,cernere non poſſunt. Incurabilis eſt autem hæc affectio, præ viſiui ſpiritus debilitate oborta. Cæterùm ſenes contrariã habent his affectionem: nam quæ propinqua ſunt non videntes,procul diſſita cernunt.

AVRIVM AFFECTIONES, ET PRIMVM de dolore, Cap. XXIII.

Aurium dolorem ob frigiditatem obortum, & ex tempore, & ex prægreſſo victu, aut etiam ex ægri narratione,ſi ex laceſſente aliqua externa cauſa obortus fuerit,edocti:& ex eo quòd dolor in profundo firmatus eſt,citra grauitatem,aut diſtentionem, aut feruorem, calefacientibus auxiliis curabimus,oleum rutaceum calidum,aut nardinum, aut laurinum calidum, aut amaracinum, aut foliatum, aut ſpicatum, aut commune cum euphorbio,aut pipere, aut caſtorio: aut Cõmagenum vocatum vnguentum aut opobalſamum in auditorium meatum inſtillantes: ſed & oleum in quo coctum eſt allium aut cepa,inſtillatum prodeſt. At verò dolorẽ ex calida intemperie,in quo feruorem quendam, citra grauitatem aut diſtentionem,ſentiunt,contrariis curaueris, albũ oui tritum inſtillans, quemadmodum in oculo,& lac muliebre cum aliquo dolorem ſedante collyrio: aut perdiciadis ſuccũ cum modico roſaceo:& ipſum roſaceũ,aut acetum ac roſaceum,aut ſolani ſuccum,aut coriandri, aut aſphodeli:aut oleum in quo inteſtina terræ,aut aſelli circa hydrias naſcentes incocti ſunt: aut amygdalinum oleum per ſe,aut buccinis tribusviuis in ipſo coctis.Hoc naturaliter efficax eſt. Verùm dolorẽ ob viſcoſos ac craſſos humores,& ex capitis & ex auditus ipſius grauitate, & prægreſſo victu cognoſce.Diſtentio verò ſola citra grauitatẽ, flatuoſum ſpiritum qui exitum non habet indicat. Vtendum igitur eſt in vtriſque,medicamentis obturatione liberantibus ac incidentibus, velut eſt aphronitrum cum aceto & melle, & fel ouillum cum oleo communi aut amygdalino, & porri ac cepæ ſuccus tepidus cum melle: aut origanum cum melle ac lacte muliebri tritum inſtilla. Ad fortiores verò obturationes,fel caprinũ cum porri ſucco inſtilla.In quibus autem dolor multus & diuturnus, & auditus grauitas adeſt, vtendum his eſt, velut eſt dra-

A contii ſuccus,& ari,& bryoniæ,& ſimilia. Priuatim verò ob ſpiritum dolentibus flatuoſum,cucurbita aqua calida prius feruefacta,& ad aurem appoſita, maximopere prodeſt. Si verò grauitas & diſtentio ſimul calida & dolor pulſatorius fiat, aut etiam æger febriat, aurem inflãmatam eſſe ſcito:& præ omnibus vtendum eſt venæ ſectione, deinde fomentum faciendum frequenter cum oleo dulci calido,per auricularium ſpecillum lana obductum. Inſtillandus autem eſt in meatum & anſerinus adeps & B vulpinus, aut regium medicamentum cum roſaceo, aut cyprino,aut irino.Forinſecus imponenda ſunt quæ mitigare ac concoquere poſſunt: quòd ſi dolor cogat,iis quæ moderatè ſenſum torpefaciunt vtemur. Non enim exiguum eſt periculũ, quum cerebrum vicinũ ſit auditorio neruo inflãmato. Probè igitur hoc mitigat:Opii partẽ vnã,caſtorii partes duas,cũ lacte muliebri,aut oui cãdido, aut vino dulci,tepida inſtilla.Sed & croceus paſtillus,& Aſter,& Philonis antidotus ſæpe his profuit.Oportet autem frequenter fomentum adhibere, aut ex oleo communi, C aut ex aliquo calido vnguento,ita vt in hoc ipſo lanã madefactam auri imponas,& nequaquam,quantum eius fieri poteſt,inflammatas partes contingas. Perſeuerante verò dolore,& in pus tranſituro, vtere medicamento ex lini ſeminis ſucco, inſtillans ipſum diſſolutum cum roſaceo aut chamæmelino. Porro ſi ex aqua medicata in auditorio meatu contenta doleant,ſi quidem multa fuerit, per os, aut etiam per ſtipulam, ipſam exugere oportet: ſi verò modica,hac exterſa per auricularium ſpecillum lana obductum, oleum quoddam tenuium partium inſtillare, D aut roſaceũ,aut oui cãdidũ,aut lac muliebre. Calida verò omnia moderatè eſſe oportet quæ auribus adhibentur.

Ad vlcera cum inflammatione.

Lycium & papaueris ſuccum paribus portionibus trita cum melle immitte.

Ad dolores maximos,& pus,& auditus grauitatẽ.

Amygdalas depurgatas viginti, aphronitri drach. tres, opii drach.tres,thuris drach.tres,croci drach.quatuor,galbani drach.duas,myrrhæ drach.vnã:aceto trita inſtillato, ſi dolor adeſt,roſaceo diluta: ſi purè fluãt,vino mulſo aut E aceto mulſo:ſi auditus grauitas ſit,aceto.Verùm recentia vlcera glaucium curat aceto ſolutum,& collyria quæ ex ipſo fiunt,& quæ ex roſis & croco & myrrha appellationẽ habent.Quæ verò pure manant citra dolorem, recrementum ferri cum aceto ſub caniculæ æſtu tritum.

Ad ſordium duriciem.

Nitrum aceto dilutum cum aqua infunde,& deterſione facta,nitrum aceto dilutum cum roſaceo inſtilla. ALIVD ad ſordes. Naſturtium & nitri parum,caricis exemptis granis excipe, & facta inde collyria in aurem inde, F & per triduum exime. ducit enim ſordes multas,& abunde leuat. Facit & ad carnis excreſcentias,dolores diuturnos,& vlcerationes. Aut aloes,thuris,myrrhæ,ſingulorum drachmã vnam:miſyos drachmas quatuor,cum aceto in paſtillos efformato.Vſus autem tempore,aceto & roſaceo ſolutos infunde. Itẽ Andronis paſtillum, & Neren, & Muſæ inſcriptum.

Ad diuturna vlcera.

Cedriam melle mixtã illine. ALIVD. Miſy vſtũ ac tritum inſuffla. Cæterùm ante eorũ quæ infunduntur v- G ſum,aures per auricularium clyſterem eluuntur poſca, aut aceto mulſo,aut vino mulſo,aut decocto aliquo ex repulſoriis, velut lenticulæ,aut roſarum.

Ad cruentatas aures.

Eluito quidem cum lentiſci decocto, inſtillato autem polygoni ſuccum cum pauciſſimo aceto, aut lycium,aut amurcam,aut acaciam,aut porri ſuccum.

Ad carnem excreſcentem.

Nitrum cum aqua calida,vnà cum æris ſquama, ac ſandaracha, æquis portionibus infundito: cruſtra verò in- H ducta melle repurgato.

Ad vermiculantes aures.

Eluito abſinthii,aut centaurii,aut porri decocto:inſtillato autem capparis foliorum viridium ac fructus ſuccum, aut cedriam, aut vrinam humanam veterem, aut veratrum album cum melle, aut calaminthæ ſuccũ, aut

ſcammoniam cum aceto,aut abſinthii ſuccum.Oleum autem meatui inſtillatum ad ſummum vſque, emergere ipſos facit. Melius tamen eſt oleum & acetum. Sed & ad illabentia auribus animalcula iiſdem vtere.

De calculis & ſimilibus in aures illapſis.

Lanam circum ſpecillum obuolutam terebinthina,aut gummi,aut aliquo glutinoſo tingito,& ſic ipſum extrahito: ſi verò non conceſſerit, oleum calidum frequenter meatui inſtilla,&,ſi non exciderit,aut relictum fuerit,adhuc aliis modis vtere,velut in chirurgia referetur.

De ſonitibus aurium.

Si in febribus aut harum iudicationibus ſonitus fiant, nihil moliri opus eſt ſtatim enim plerunque ſedantur.Si verò etiam poſt morbum permaneant, fomento ex abſinthii decocto adhibito,acetum ac roſaceum infundito, aut raphani ſuccum cum roſaceo, aut veratri nigri cum aceto.Verùm ad diuturnos ſonitus ob craſſos ac viſcoſos humores obortos, (cognoſces autem hoc ex eo quòd non aceruatim, ſed particulatim conſiſtunt) aceto & nitro ac melle colluito. ALIVD. Veratri nigri drachmas duas, caſtorii drachmas duas, croci drachmas tres,nitri drachmas ſedecim: fac paſtillos, & aceto tritis vtere.

Ad diuturnos ſonitus ac ſibilos.

Euphorbio cum oleo Cyprino trito ac calefacto vtitor. In iis autem qui ob multam ſenſus ſubtilitatem vapores aut flatus afferri ſentiunt, caſtorium & cicutæ ſemen tritum cum aceto inſtilla.

De auditus difficultate ac ſurditate.

Quæ ex natiuitate,aut etiam poſt natiuitatem quidem, verùm diuturniſſimæ & perfectæ ſurditates conſiſtunt. incurabiles ſunt: quæ verò non perfectæ,diuturnæ tamẽ, & hæ incurabiles ſunt, aut vehemẽter ægrè curari poſſũt. Quæ tamen obbilioſum humorem ſurſum repentẽ conſiſtunt, euacuationibus per medicamenta bilem ducentia non difficulter ſanaueris.Quidam verò etiam ſua ſpõte liberantur ab affectione, bile ipſis ſubtus egreſſa. At ob crudos ac craſſos humores conſiſtentes ſurditates,aut auditus grauitates,venæ ſectione curato,aut omnino per hieram purgato,vtens etiam pituitam per os ac nares detrahentibus,& balneis naturalibus,aut aquæ marinæ. Ad meatum verò auditorium inſtillare conuenit & ea quæ ad ſonitus deſcripta ſunt.Priuatim verò hæc.Vrinam capræ,& fel caprinum: aut fel per ſe ſolùm inſtilla, aut rutæ ſuccum cum melle,aut caſtoriũ cum oleo anethino, aut œſypum medicamentum cum vnguento nardino,aut fel caprinũ cum galbano. Aut hoc, caſtorii drach.duas,nitri veratri albi,ſingulorum drach.vnam.

Ad aurium contuſionem.

Hippocrates monet vt nihil ipſis adhibeam?.Quãdoq; dẽ verò ab ipſis affectis ſæpe cogimur,vtẽdũ his eſt. Myrrhæ,aloes, thuris,acaciæ,ſingulorũ æquales partes,cũ aceto aut oui candido illine. Aut panis calidi internam partem cum melle in pila contuſam impone:aut hoc,bitumi nis,thuris,aloes,carnium cochlearum, bulborum Aphricanorum, ſingulorũ æquales partes aceto tritas impone. Si verò inflammatio oboriatur, cataplaſma ex ſeſamo impone,aut ex alica cum aceto cocta. Sint autem leuia cataplaſmata, & citra deligationem:aut leuiter deligẽtur: & lana oleo imbuta meatui auris indatur.

De parotidibus.

Parotis affectio eſt glandularum circa aures, quæ fit dũ iudicatorio modo in febribus, materia quãdoque de capite,ab impactis in ipſo humoribus, quandoque de reliquo corpore expellitur.Si quidem igitur adhuc in profũdo hærens parotis non in mollem attollitur, adiuuabimus naturam attractoria auxilia adhibẽtes,aut etiam cucurbitam apponentes, aut frequentibus fomentis vtentes. Nam ſi in profundum recurret materia, periculum non vulgare ſequetur: ſi verò inflãmata in tumorẽ attolletur,vice verſa mitigare ac cõcoquere potẽtibus vtemur cataplaſmatis: quale eſt quod ex farina ordeacea, aut triticea,aut ſeminis lini,cum aqua mulſa,aut fœnigræci, aut althææ, aut chamæmeli decocto coquitur: itémque quod ex rumice & axungia non ſalſa paratur. Si verò etiã

A ſanguis tibi redundare videatur, euacuabis ipſum venæ ſectione,viribus præſertim permittentibus.Vbi verò tumor non diſcutitur, ſuppuratoriis medicamentis vtendũ eſt, quale eſt triticea farina cũ caricarũ decocto ac oleo, itémque ex polline conſtans, & quod ex fermento paratur medicamentum.Trãſmutato autem abſceſſu, aut per ſectionem pus excernimus, aut acri medicamẽto rumpimus: quale eſt quod ſmilium appellatur, & quod ex alliis paratur. Cæterùm mitiores parotidas etiam fomentum ex muria diſcutit,& ex apyrano medicamentum. Hoc,e-
B tiam tranſmutatum iam pus diſcutit,ad hoc dolores maximè ſedat.Verùm ad inueteratas parotidas,buccinorum aut purpurarum vſtarum cinerem,cum melle aut axungia imponemus,aut ficus aqua marina coctas, aut marrubiũ cum ſale. Induratas autem iam mollit emplaſtrum Mnaſeæ, & Ariobarzaniũ. Optimum eſt & quod ex ſucco ſeminis lini paratur. Ante hæc verò, cataplaſmata ex ammoniaco imponenda ſunt, admixta pice liquida, aut adipe taurino,aut bdellio,aut ſtyrace,aut medulla ceruina.

C DE NARIVM AC OLFACTVS AFFEctionibus, Cap. XXIIII.

Olfaciendi facultate læſa, ſi quidem vox illæſa conſeruetur,anteriorum cerebri vẽtriculorum affectionem eſſe ſuſpicandum eſt,qui aut ob nudam intemperiẽ læſi ſunt,aut ob vitioſorum humorum copiam. Si verò etiam vox ſimul læſa fuerit, laborioſior quodammodò facta, propter oſſium coliformium obturationem affectionem factã eſſe ſuſpicare, atque hoc rurſus à vitioſis quibuſdã humoribus. Vbi igitur cerebri intẽperiẽ per ſe
D pe relata cõpereris,cõtrariis auxiliis vtere. Humores autẽ per detrahentia pituitam per os euacua,& per ea quæ fortiter euacuant naribus indita: & odoramenta adhibe tenuium partium,quemadmodum in defluxionibus.Si verò plenitudinem totius corporis deprehenderis, hanc prius euacua,aut per venæ ſectionem,aut per purgationẽ per hieram:atque ſic etiã in polypode & ozæna vtere. Deinde etiam localia auxilia adhibe.Et theriace ſæpe pota magnificè profuit.Eſt autem polypus tumor præter naturam in naribus obortus,eſſentia ſua ſimilis polypi carni.Eiuſdem eſſentiæ eſt etiam carnoſitas in naribus præ-
E ter naturam producta. At ozæna vlcus eſt putredinoſum, ex acrium humorum influxu proueniens.

Ad polypos & carnoſitates.

Squamæ æris drach.octo,atramẽti ſutorii drach.ſex,ſandarachæ drach.quatuor,veratri nigri drach.duas.Inſufflas ac vtere vt optimo. nam in tredecim diebus vtilitatem ſuam manifeſtè declarat.Facit & atramentum ſutorium cum aceto. ALIVD. Malicorii drach. duodecim,atramenti ſutorii drach.decem,chalcitidis drach.octò, fellis taurini,amomi,myrrhæ,calaminthæ,marrubii,ſingulorũ
G drach.quatuor:croci drach.duas,veratri albi drach. quatuor.Vtere ſicco. ALIVD. Diphryge trito nares cõtinge,& linamento ex ellychniis nares diſtende.

Ad ozænas.

Miſyos,chalcitidis, myrrhæ, ſingulorum drach.ſeptẽ; atramenti ſutorii drach.ſex, aluminis ſciſſi, gallæ, ſquamæ æris, ſingulorum drach. quatuor, aluminis rotundi drach. duas,thuris drach. vnam,aceti ſextariũ vnum: coquito hoc totum in æreo vaſe,& mellis ſpiſſitudine in linamentis vtere. ALIVD. Æruginem & ſquamam
G æris æquis portionibus ſicca adhibeto.

Ad narium graueolentiam.

Myrrhæ,acaciæ,amomi,ſingulorum drach.vnam:melle cocto excepta, ad ſummũ narium interſeptum agglutinari iubeto. ALIVD. Amomi,myrrhæ,roſarũ ſiccarum, ſingulorum æquales partes,vnguẽto nardino exceptas ſubline. Facit & hedychroum magma cum vino.

Ad narium vlcera.

Ceruſæ libram vnam,ſpumæ argenti quadrantem, recrementi plumbi quadrantem,aut plumbi vſti: (ſint autẽ
H omnia lota) excipe vino & oleo myrteo.

Ad vlcera dulcia appellata.

Spumæ argenti drachmas quatuor, rutæ recẽtis drach. quatuor, aluminis ſciſſi drach.duas: oleo myrteo & aceto excipe.

Vali-

Sternutatoria.

Veratrum album,caſtorium,piper,herba lanaria,cycla minus,euphorbium,nitrum,cuminum,herba ſternutatoria vocata:ſingula per ſe,aut ſimul omnia.Non autem inſufflare oportet,ſed penna aut digito penitiſſimè naribus indere.Si verò ſternutatio redundet ex medicamento,ſedare oportet infuſo nardino, aut roſaceo, aut oleo dulci. Olfactu verò ſedāt ſternutationē,aniſum, ocymi feſtucæ tuſæ.Præ omnibus autē ſiccandū eſt caput ſmegmatis ex nitro & pumice: aut etiā appellato æſculapio vtendū eſt, & ſapone Conſtantini,& ſale Cappadocico, & ſimilibus.

De ſanguinis ex naribus eruptione.

De ſanguinis ex naribus in febribus eruptione dictum eſt libro ſecundo,in illarum tractatione:verùm de ea quæ aliter quomodocunque fit, & ſimpliciter ægrè ſupprimi poteſt,nunc dicetur.Chalcitidem tritā linamento ex ellychniis,aut priapi forma,aqua madefacto excipe,ac naribus inde: aut oui teſtam vſtā & gallæ dimidium ipſi admiſce:aut lycio Indico continge,aut ſtercoris aſinini vſti cinerem inſuffla,aut expreſſum de aſinino ſtercore ſuccū inſtilla: aut lapidis molaris vſti & aceto extincti vaporē olfaciat.Aut etiam meatus obducente hoc vtere : Mannæ thuris partem vnam,aloes partē dimidiā,cādido oui excipe,& per linamentum ex ellychniis vtere,forinſecus leporis pilis ad illitionem appoſitis : aut Lyſimachium appellatā in naſum indito, aut cucurbitam leuem, magnā: & perſeueranter apponito ad præcordium,è directo naris vnde ſanguis erumpit.Aut aures firmiter obturet,& frontem ſpongiis ex aqua frigida irriget.Aut cucurbita occipitio affigatur cum ſanguinis detractione. Aliquando etiam venā ſecare cōuenit,ſi nihil impediat:& extremas partes deligare,brachia præſertim ac femora, quemadmodum in venæ ſectionibus.Iubendique ſunt vt ipſa moueant,manus quidem,fricando, pedes autem,ambulādo. Dum enim venæ quæ iſtic ſunt, ſanguine implentur,vaſa circa nares ſanguine deſtituentur. Sed & ſpongia ſæpe in poſca frigida imbuta, & extrinſecus ad ſanguinem manantem narē cum adſtrictione appoſita, quod opus fuit effecit.Præſtat autem hoc facere,oblongo ad cuneoli formam linamento prius in narem ſubdito.

AD FACIEI AFFECTIONES, Cap. XXV.

AD faciemā rugis conſeruandam, thuris drach. quatuor,fuci drach.tres,ſpumæ argēti lotæ drach.octo. Omnibus in cremore glutinis piſcium contuſi diſſolutis, & in paſtillos efformatis vtere. ALIVD. Ramēti eboris drach.octo,thuris maſculi,glutinis piſciū:ſingulorum par pondus. Vtere velut dictum eſt.

Ad faciei nigredines.

Iridis,ptiſſanæ,fabæ freſæ,ſingulorū ſeſquiſextarium, ſalis ammoniaci,cornu ceruini vſti,ammoniaci thymiamatis,ſingulorū ſextantē.Aqua diſſoluta in paſtillos efforma,& rurſus aqua tritos,ante balneum illine. ALIVD. Ptiſſanæ,erui,thuris, fabæ freſæ,iridis Illyricæ, aphronitri,coſti,ſingulorum chœnicis quartam partem,amygdalarum amaras viginti efformato cum candido ouorum & lacte aſinino,& vtere velut antea dictum eſt.Facit etiam paſtillus peponatus.

Ad maculas ſolares, & lentigines.

Terræ cimoliæ torrefactæ heminæ dimidium,aphronitri toſti drach.octo,farinæ erui drachmas quatuor,ramentorum fellis taurini drachmas octo: trita affricato. ALIVD.Fæcis vini drach.decem,farinæ erui drachmas decem, fabæ freſæ drachmas decem, veratri albi drach. quinque,aphronitri drachmas decem,alcyonii drach.decem.tritis confricato.

Ad ſugillata.

Poſtquam ab initio quidem fœnigræci decocti,poſtea verò etiam meliloti decocti fomentum adhibueris, collyrium Nili ex roſis aqua dilutum illine: deinde collyriū ex myrrha.Si verò nihil efficiant hæc, collyrium ex ſandice vſtum illine, aut hyſſopum cum aqua impone : aut hyſſopo in linteolum illigato, & calida aqua tincto, fomentum adhibeto,aut cum acri muria foueto: & raphani corticem cum melle tritum imponito. Hoc etiam ad diuturna facit.Cæterùm ad ſugillata ac liuedines inueteratas, tordyli partes duas, terræ Samiæ partem vnam cū melle impone,animaduertens ne exulcerentur.

ALIVD defrictorium. Hyſſopi,thapſiæ,caſſiæ,ſingulorum drachmas duas, ceræ drach. duas, terebinthinæ drachmam vnam: impone, cauens ne exulcerentur, & propterea aſſiduè tollens.

Ad varos.

Vari,parui ac duri ſunt circa faciem tumores: eos aceto mulſo illinito ac confricato,aut ſpumam argenti cum terebinthina & modico oleo albo tritam illine affricando,aut alumen ſciſſile cum terebinthina : aut amygdalas amaras aceto tritas affricato.Ad calloſos varos hoc facit: Saponis Gallici drach. quatuor, thuris, ammoniaci thymiamatis,ſingulorum drach.vnam: aqua diluta illine, & poſt horam ablue.

Ad varos,pilos,& aſpretudines faciei.

Ceræ drachmas decem, terebinthinæ drachmam vnam,viſci drachmas duas,oleo affuſo eliquato, & hoc faciem confricato. radicitus enim tollit. ALIVD. Papauer tritum, aut pulegiū cum ſale & aceto imponito.

Ceratum Thaidis,ad faciem rubicundam faciendam.

Croci,radicis erythrodani,fuci,thuris, myrrhæ, ſingulorum drachmas duas,excipe adipe vitulino,& oleo maſtichino:deinde illinito,& tempore interpoſito,ſpongia calida imbuta detergito. Cōueniunt autē hæc ad faciem medicamenta,etiam reliquo corpori.

DE ORIS AFFECTIONIBVS, ET primùm de dentibus, Cap. XXVI.

DEntibus dolentibus citra gingiuarum inflammationem, aliquando in ipſo proprio dentis corpore,aliquando in neruo qui ad ipſos defertur,dolorem eſſe cōtingit. Vehementiſſimis igitur opus eſt medicamentis, & propterea pleraque ipſorum ex aceto acerrimo præparantur.Verùm gingiuis ob inflammationem dolentibus, optimum medicamentum eſt oleum lentiſcinum temperatum,ore detentum.Sit autem recens:nam vetuſtum tanto deterius eſt recenti quanto ætate antecellit.Seruetur autem & hic communis ratio, quòd præeuacuatum eſſe oportet humorem in toto corpore redundantem.

Ad dentium inflammationem.

Os colluant aceto in quo cocta ſit galla, aut halicacabi radix,aut hyoſcyami ſemen, aut folia,aut pulegium, aut ſolani ſuccus, aut capparis radix,aut myrti folia, aut polium,aut cucumeris ſylueſtris radix, aut rutæ folia cum aceto mulſo,aut cornu ceruinum, aut etiam acetum ſcilliticum,aut pyrethrum cum hyſſopo. In corroſum verò dētem ſtyracem cum opio indito, aut galbanum,aut ſulphur viuum cum lycio:aut hyoſcyami ſeminis cocti vaporem admittat per infundibulum.Sed & Philonis antidotus denti oblita dolorē eximit. Si verò fluxione infeſtentur dentes, myrti & lentiſci & gallæ decoctū colluāt, aut rhois Syriaci,& balauſtiorum,& malicorii.Inſpergito autem ſalis partes duas, aluminis vſti & aceto extincti ac triti partem vnam : deinde vino colluant. Cruentis verò gingiuis alumen tenue tritum inſperge, aut aloen cum vino colluant,aut rubi radicem vino feruefactā,aut rhoen Syriacum. Cruentis autem & fluore vexatis gingiuis, thunni ſalſamentum in olla exurito,vt in carbones redigatur: & cinere contingito. Siſtit autem commotos dentes aloe inſperſa, aut rhus Syriacus, aut alumen ſciſſile,aut galla,aut rubi radix, aut per ſe, aut cum vino cocta. ALIVD. Nucis viridis corticem terito, & in liquorē ab ipſo expreſſum myrrham Minnæam & alumen ſciſſile iniicito,& ſimul vnito. Vſu verò expetente infunde:& ad gingiuas immitte,ad dentis dolentis partem & ſanabitur. ALIVD. Allium,& piper,& ſtaphidem ſylueſtrē, trita linteo excipe, & in paruos globulos efforma,ac ſæpe permuta. Hoc humorem in capite purgat,& dētes curat. ALIVD ad dentes mobiles,& gingiuas fluidas,& ad omnē nomē ī ore proſerpēdo depaſcētē: Chalcitidis toſtæ drach.duodecim,Cadmiæ drach.8. Vtere ſicco cū aceto.

Ad dentem citra dolorem tollendum.

Farinā cū tithymali ſucco imponito,& ſupernè hederæ foliū addito,& ad horā finito. ſua ſpōte enim cōteretur.

Dentifricium etiam ad parulidas.

Aluminis plinthitidis trientem,ſalis ammoniaci trientem,myrrhæ,coſti,pyrethri,ſingulorũ drachmas quatuor, piperis grana octoginta. ALIVD. Sulphuris viui, piperis,aluminis ſciſſilis,ſingulorum æquales partes.

Ad parulidas & epulidas.

Parulis eſt inflammatio circa partem aliquam gingiuarum, quæ non ſoluta ſuppuratur: ſuppurata verò,ſcalpello venæ ſectorio diuiſa, linamento diſparatur. Epulis autem,eſt carnis excreſcentia ab inflãmatione, circa intimum dentem molarem,aliquando cum febre & dolore. Opus igitur habet compreſſione. quare vtendum eſt ærugine raſa,per ſe,aut cum pari galla, aut ſori cõbuſto, aut omni alumine vſto, aut galla per ſe, aut ſquama æris cum aceto trita ad ſufficientes dies,ac reſiccata.

Dentifricium.

Ariſtolochiæ radix vſta,cornu cerui vſtũ, cum modica maſtiche. ALIVD. Sal albus melle ſubactus,& fici foliis inuolutus,ac vſtus donec ad carbones redigatur. ALIVD. Buccina ſale impleta ac vſta: cochleæ terreſtres vſtæ cum melle: lanæ ſuccidæ vſtæ cũ modico ſale. His ſingulis grati odoris gratia admiſceatur,iunci odorati rotundi flos,aut nardi ſpica,aut foliũ malabathri,aut cyperus,aut iris. ALIVD, quod dentes dealbat,& gingiuas adſtringit,& iucundum odorem inducit.Pumicis, ſalis toſti, iridis, ſingulorum drachmæ quatuor, cyperi drach.quinque,ſpicæ nardi drachma vna, piperis drach. ſex: tritis vtere.

Ad dentium ſtuporem.

Ad dentium ſtuporem facit portulaca commanſa, aut oleum crudum affrictũ,aut amurca in æneo vaſe ad mellis compagem cocta,& inueterata,illita.

Ad dentes detritos.

Dentibus detritis commodant, baccarum lauri,aluminis ſciſſi,ariſtolochiæ clematitidis, ſingulorum æquales partes.

Ad gingiuas corroſas.

Floris roſarum drachmæ octo,gallarũ drachmæ quatuor,myrrhæ drachmæ duæ. Cæterùm eroſas & fluidas gingiuas ſanant,ſi colluantur,hæc:Lac aſininum, foliorũ oleæ decoctum,acetũ ſcilliticũ: ſicca verò ſi admoueantur,rubigo ferri,mali Punici flores. Ad tumidas verò & carne excreſcentes facit portulacæ ſuccus ore detentus, oliuarum colymbadũ muria, oleũ crudum calidum, aut lẽtiſcinũ, aut melinũ,aut amurca.Sicca verò,ferrugo,aut ærugo,ariſtolochiæ radix,plantaginis ſemen, diphryges, atramentum ſutorium toſtum,mali Punici flores.

Ad labia rupta.

Amurcam coctam illine. AVT hoc: Adipem anſerum cum melle & terebinthina, æqualibus portionibus: floris roſarum,œſypi,roſacei,ſingulorum parum.

Ad ranunculum appellatum.

Ranunculus,tumor eſt inflammatus,ſub lingua conſiſtens,maximè in pueris. Confricato itaque locum ex miſyos & æruginis raſæ æquis partibus ſiccis. Ad mentum verò vtẽdũ eſt emplaſtris,anthero aut ſphærio,aut parygro ex ouis: verùm in adultis venæ ſub lingua prius ſecentur. ALIVD. Facit & ad feruida oris vlcera.Æruginis raſæ,gallæ,chalcitidis, ſingulorum æquales partes. Hoc cum paſſo etiã colluí poteſt. ALIVD.Farina erui cum melle,vbi prius defricueris, gallam tritã cum melle illine,aut roſarũ flores ſimiliter:aut oleæ foliorum decoctum colluant.

Ad tonſillarum inflammationem.

Si quidem in febre inflãmatæ ſint tonſillæ,& columella,gargariſmi conueniunt ex decocto furfurũ,aut roſarũ, aut palmularum,aut myxarum,aut lenticulæ.Remittente verò inflãmatione, aut decreſcente, mel ad ipſa decocta admiſcendum eſt. quod in principiis facere nõ oportet, neque in augmentis,vt ne acrimonia ſua fluxionem aliquã attrahat. Si verò ſuppuratæ rumpãtur,aqua mulſa per ſe gargariſſetur,aut cum lentiũ aut roſarũ decocto, ita vt in iis perſeueremus vſque ad perfectã ſolutionẽ, aut etiã ſtomaticam collutionem exhibeamus gargariſſandã. At ſi peſtifera vlcera in tonſillis ſiãt,vtendum quidẽ eſt etiã

A præſcriptis: priuatim verò exhibendum eſt medicamentum ex moris,cum aqua calida,aut aqua mulſa,habens florem roſarum inſperſum,aut coſtum,aut rhoẽ: atque hæc, ſicca,aut incocta.aut glaucii foliorum ſiccorum decoctũ. Eſt quidem hoc amarũ:verùm optimè facit ſi ſuccũ,quẽadmodũ in collyria vtimur,in aqua mulſa ſolueris. Ipſius autem fruticis vſus optimus eſt ſi ſiccus inſuffletur, aut cum digito admoueatur.Conandum verò eſt vt omnino non adhibeamus manũ, aut valde leniter contingamus. B Prodeſt & paſtillus Andronius.Cæterùm poſt irritationes ab his factas,gargariſſandum eſt glycyrrhizæ decoctum, aut gargariſmus dandus qui paratur ex vino ſcybelite, & croco,& maſtiche Chia,& myrrha: deinde etiam ex amylo & tragacantha. Poſtquam autem nome depaſcens ſedata eſt,gargariſmo ex lacte ac terra Samia vtendũ eſt. ALIVD ad antiadas. Malum Punicum dulce,vnà cum putamine contundito,ac exprimito,& ſucci partes ſex ad vnam mellis admiſceto, & ad mellis ſpiſſitudinem coquito:ac illinito. ALIVD.Gallæ omphacis ſextantem, C aluminis ſciſſi vnciam vnam, ſalis ammoniaci toſti vnciã vnam: ſicca admoueto. ALIVD. Gallæ drachmæ octo, miſyos drachmæ duæ, ſalis toſti drachmæ quinque: vtere ſicco. Eſt autem antias tumor durus tonſillarum.

De columella.

Columella inflãmata vtendum eſt gargariſmis iiſdem quibus ad tonſillarum inflammationẽ,& moderatè adſtringentibus, qualis eſt mali Punici ſuccus per cochlearium, aut per inſtrumentum vuæ leuandæ commodum D ſubiectus,& per ſe,& cum melle ſatis cocto,aut radice dulci ad mali Punici ſuccum admixta.Facit & radicis dulcis ſuccus cum melle. Reprimit autem & lapis hæmatites, & Phrygius vſtus, & Ageratus,& medicamentum ex lapide Phrygio ad pudẽda deſcriptũ, & terra Samia, & Eretria,& Sinopis, & Lemnia,& omphaciũ per ſe,& cum aliquo ex relatis, & ſpinæ Ægyptiæ fructus, & alumen ſciſſum:verùm roſarum ſemen & folia mitiorem efficaciam habent. Adhuc autem mitius eſt gummi, & tragacantha, & ſarcocolla, & amylum: quibus vtendum eſt vbi magis E compreſſa fuerit,dum ab adſtringentibus conſtringitur. At ſi æqualem craſſitudinem habet, quam ſanè columellã vocant,gargariſmis fidendũ eſt iis qui ex myrrha & croco ac cypero parantur. Vitandæ verò contuſiones: & illitiones per pinnam potius fiant. Compoſitum facit hoc: Rhois Syriaci drach.quatuor,croci drach. quatuor, coſti drach.octo,ſeminis roſarũ drach.quatuor. Facit & ad gingiuas.Porro filũ lanæ purpura marina infectæ, quod obligatum eſt collo viperæ, ipſámque ſtrangulauit, deinde pro amuleto appenſum eſt, mirificè quodammodo iuuat F tonſillas,& colli affectiones,velut Galenus teſtatur.

Ad ſanguinis ex ore eruptiones.

Porri folia contuſa imponito,aut ſpongiam nouam pice cruda tinctam comburito,& trita vtitor. Commodæ verò valde ſunt etiam collutiones, roſarum ſiccarum aut viridium decoctum frigidum,aut pampinorum vitis,aut foliorum lẽtiſci,aut rubi, aut malorum Cydoniorum,aut rhois,aut vinaceorum,aut lentium.

DE ANGINA, ET HVIC VICINIS AFfectionibus:vbi & de iis qui ſtrangulantur,aut aliàs G quomodocunque ſuffocantur,

Cap. XXVII.

INternis faucium muſculis inflammatis angina fit,quæ ſynanche appellatur: externis verò, quæ paraſynanche. Eodem modo interni ſummi gutturis muſculi inflammati eam efficiunt quæ cynanche vocatur:externi verò,eam quæ paracynanche. Conſequitur ad omnes rectæ ceruicis ſpiratio, & dolor cùm ſpirandi difficultate. In aliquibus,etiam febris, rubórque faciei ac colli,& in quibuſdã tumor: & os apertum habent, & deglutire non poſſunt. H In ſynanchicis quandoque etiam ſuffocatio ſequitur. Fit etiam in pueris(rarò tamen)talis affectio, colli verticulis ex elapſu ac diſceſſu affectis: verùm illorum velut incurabilium curationem non aggrediemur. Reliquis verò ſtatim venam de cubito ſecabimus: & non aceruatim euacuabimus, ſed ſæpe, copia partita. Nam ex aceruata

euacuatione,ſi in animi deliquiũ inciderint, ſuffocationis periculum ſuccedit,aceruatim confluente materia ad affectum locum.Si verò non ſtatim leuentur,venæ etiam ſub lingua ſecandæ ſunt,aut etiam ipſa lingua ſcarificanda,ſi prominentior cum tumore appareat. Aluus quoque acriori infuſo per clyſterem eluenda eſt,& pedes aqua calida perfundendi, & deligandæ fortiter extremæ partes, & collum integendum lanis ſuccidis, aut etiam oleo imbutis: & cataplaſmata ex cruda ordeacea farina imponenda. Ab initio gargariſmis vtantur ad tonſillarum inflammationem relatis, aut ſimplici medicamẽto ex moris,cum rhois decocto.Præſtat autem ex ſylueſtribus moris eſſe id medicamentum: poſtea verò etiam compoſito ex moris aut medicamento ex nucibus iuglandibus illinantur.Vigente verò morbo,etiam nitri parum admiſcẽdum eſt,aut ſulphuris viui, niſi acrimonia aliqua id prohibeat.Sed & caninum ſtercus aridum, tritum & cũ melle illitum,optimum eſt medicamentum,&maximè quod album eſt: & ſylueſtrium hirundinum cinis eodem modo.Si diuturna fiat affectio,& illitione ex beſaſa,*hoc eſt ruta ſylueſtri*,vtendum eſt:ita vt quandoque exoluamus,quandoque intendamus ipſius facultatem, aliorum medicamentorum admixtione. Cucurbitæ quoque aut hirudines adhibendæ ſunt mento & collo:& fortioribus gargariſmis vtendum, ex iride, hyſſopo,melanthio,abrotono, glycyrrhiza, caricis in aqua mulſa coctis, aut rutæ ſucco cum lacte, aut ſinapi cum aceto mulſo. Si verò ex iis aliqua acrimonia oboriatur, dandum eſt ipſis oleum optimum calidum, aut roſaceum per ſe, aut cum ptiſſanæ aut fœnigræci ſucco gargariſſandum. Alimentum ſit aqua mulſa ad tertium vſque diem: poſt quã ptiſſanæ ſuccus, cum aliqua ex iucundis potionibus, deinde etiam ouorum vitelli liquidi. Et ex alica ſorbitionibus vtendum eſt,deglutitione directiore euadente,& cibis ægroti viribus congruis: declinatione verò apparente, ad deambulationem & balneum ducemus.Locos autem ex cerato rutaceo integemus, & reliquo refectorii victus ductu conuenienter vtemur. Ex iis verò qui ſtrangulantur, manus nõ admouebimus iis quibus iam ſpuma circa os eſt,Hippocrati credentes. Alii verò reuocantur aceto & pipere inſtillato,aut vrticæ ſemine in aceto acerrimo trito.Laborioſè verò admittunt:quare cogere oportet. Diſſolutis autem circa collum ruboribus,ſtatim ſuſpiciunt, & relaxantur.Similiter etiam in naufragis, & in ſumma in omnib⁹ qui ſuffocantur. Reſuſcitatur enim horum calor.

DE GRAVEDINE ET DEFLVXV, ET de arteriacis,ac de tuſſi, Cap. XXVIII.

COmmune habẽt hæ affectiones hoc, quòd ſuperflua humiditas ex capite ad ſubiectas partes defertur. Et vbi quidem hæc ad nares irruit, grauedo appellatur affectio:vbi verò ad fauces & palatum, ſimpliciter defluxus: ſi verò ad ſummum guttur ac aſperam delabatur arteriã, vt membrana quæ hanc intrinſecus ambit exaſperetur, raucoſa vox fit,& raucedo,& arteriaca affectio appellatur. In quibus non ſolùm ex capite, ſed etiam per vehementem vociferationem,& frigidi ſpiritus inſpirationẽ, aſperitas inflammatoria contrahitur. Diuturno verò facto morbo,& fluxione ad thoracis ac pulmonis partes delabente, tuſſes oboriuntur malignæ.Sed & ob intemperiẽ ſæpe tuſſis fit,quandoque calidam,velut in febribus:quandoque frigidam,velut in aquilonaribus conſtitutionib⁹, quæ etiam ſicca magis exiſtit.Quin & aliorum morborũ ſymptoma aliquando fit tuſſis,velut pleuriticorum, hepaticorum,tabidorum,peripneumonicorum.Galenus igitur in diuturnis tuſſibus, grandinum quarundam eductionẽ è thorace factam eſſe narrat. Alexander etiam lapidem quendam grauem, qualis eſt qui in vrinariis meatibus naſcitur,in diuturna tuſſi eductum eſſe dicit, atque inde quoque tuſſim ſedatam eſſe.Nos autem in ſanguinis reiectione lapidum excretionem vidimus: velut,vbi ad eum locum deuenerimus,exactius referemus.Qui igitur ob ardorem habent grauedinem,aut defluxum,iis caloris ſenſus circa partes contingit, & tenuium humorum fluxus per nares & per os,rubórque circa faciem & naſum. Qui verò ob frigiditatem, iis diſtẽſio fit partium circa caput & frontem,& colliformium meatuum obturatio, vt vox supernè per nares perſonare non poſſit.In diuturniore autem affectione etiam tuſſes accedunt, & pituitæ eductio, aliquando crudæ & liquidæ,aliquando cum virore pallidæ.Quibuſdam etiam febris accedit, quæ quidem ob ardorem affectis nihil prodeſt, ob frigiditatem verò affectis concoctionem efficit.

Curatio defluxus & grauedinis.

Siquidem igitur calida intemperies prædominetur, auxilia conueniunt ea quæ competunt caput dolentibus ob eiuſmodi cauſam.Sed & balneis vtendum eſt, & calida vberiore perfundendum eſt caput.Cibi verò his conueniunt ſorbiles, & oua ſorbilia,& amylum, & dulciaria liba,& ſeſama,& oryzæ,& amygdalæ, & nucis pineæ nuclei,& quæ ex lacte fiunt placentæ.Ex vinis,dulcia,& non vetuſta. Et èx capitibus papaueris medicamentum delinctile, & compoſita ad hæc auxilia. Si verò frigida fuerit intemperies,& morbus ægrè ſolubilis, modicus cibus aſſumatur, & capitis illitio per calida & tenuium partium vnguenta,nardinum ac rutaceum. Irinum verò non ſolùm illinendum eſt, ſed etiam naribus inſtillandum: quæ etiam intrinſecus thure & myrrha cum oleo illinendæ ſunt,& præſertim in iis qui grauedinem ex frigiditate habent. Quibuſdam,etiam odoramenta per linteum combuſtum,aut melanthio,aut cumino,combuſtis & linteo illigatis,profuerunt.Et cyphi ſeleniacum olfaciant, & fronti illinãt: cui etiam vnum ex emplaſtris inflammationem arcentibus agglutinetur, velut eſt Iceſium, aut Oxerum, aut Barbarum, aut Athena appellatum. Verùm ad defluxum ob frigiditatem,etiam bibere cyphi conducet. Thoraci verò illinendus eſt balſami ſuccus,ipſéque calefaciẽdus per lanas ſuccidas cum ſtyrace,& irino,aut anethino. Cibis etiam calidioribus ac concoquentibus vtendũ eſt. Materia verò iam cõcocta, etiam apophlegmatiſmus per os pituitam detrahẽs ipſis conuenit,& ſmegmata capitis, velut ſapo Conſtantini, & conſimilia.

Arteriacorum curatio.

Arteriacis verò,qui & raucoſi appellantur, conueniunt quidem & relata:priuatim verò vbi inflammatoria eſt affectio,circa arteriam & ſummam ipſius partem, in principio meatus obducentibus vtendum eſt auxiliis,donec inflammatio moderatior fiat. Talia autem ſunt quæ ex paſſo Cretico,& tragacantha, & gummi,& amylo,parantur, & pinguium palmularum decoctum, & radicis dulcis cum ſapa,ad mellis compagem: & hypoglottidum,*ab eo quòd linguæ ſubijciantur*, appellatarum vſus. Præ omnibus verò, à vini potu abſtineant hoc tempore. Vbi verò moderatior facta fuerit inflammatio,vinũ dulce ſumant, & ſorbitionibus ex melle & lacte,cum amylo aut pane ſiligineo,itémque ex amygdalis,vtantur,& butyrũ ſumant. Humiditate verò in partib⁹ relicta,ad ea quæ magis extergũt deueniendũ eſt,velut eſt faba freſa elixata, & quæ ex melle parãtur,& braſſicæ,& porrũ probè coctũ. Medicamẽta verò calidiora,& quæ ad tuſſim faciũt,ex ſapa de caricis coctis,& thure, & iride,& terebinthina,& ſtyrace, & galbano& pipere,& cinnamomo ac caſſia & his ſimilib⁹.

De tuſſi.

Sed & tuſſes eadem methodo curare oportet,ita vt hoc ſolum reſpiciamus,an etiam ob aliarum partium fiant cõſenſum,velut gurgulione aut capite deſtillante:&,ſi ad alios morbos acciderint,vt etiam horum quantũ fieri poteſt prouidentiam habeamus,iuxta relatum ac referendũ modum.At compoſitorum auxiliorum expoſitio conſequenter ſubiecta eſt.

Catapotia ad defluxum & tuſſim.

Styracis,myrrhæ,opii,galbani,ſingulorum pares partes paſſo excipe:aut per ſe tuſa in pila, ad erui magnitudinẽ redige,& tres aut quatuor aut quinque eiuſmodi pilulas dormitum ituro præbe: & paſſum inſuper ſorbeat. Hæc ad acrem & tenuem fluxionem faciunt. ALIVD. Seminis hyoſcyami drachmas 12, nucleorum nucis pineæ drachmas ſex,croci drachmas duas: excipe ſapa aut paſſo, & vtere. ECLEGMA. Mellis vnciam vnam,butyri ſemunciam,ſimul cocta dato:& hyſſopi ac ficuũ,& nucleorum nucis pineæ,& iridis decoctum ſorbeat.

Catapotia diuturnioribus.

Styracis drachmas ſex,myrrhæ drachmas duas ſemis, terebinthinæ,galbani, opopanacis, iridis, ſingulorũ drachmas duas,piperis albi,nitri,ſeminis hyoſcyami,ſucci papaueris, ſingulorũ drachmã vnã : citra aliquem liquorẽ in pila contuſa,in catapotia effingito,& velut dictum eſt vtitor.

Ad gutturis aſperitatem,& tuſſim,& ſputa cruenta.

Amygdalas amaras dealbatas vigintiquinque,ſeminis lini toſti drachmas quatuor,tragacanthæ drachmas duas, nucis pineæ nucleos triginta,oui in fermento oblito aſſati vitellum. Tragacantha aqua maceratur : totũ verò paſſo excipitur.Si verò etiam ſonus vocis fuerit fractus,mel pro paſſo admiſce, & maximè in quibus educi quid opus eſt.

Arteriaca hypoglottis ſub lingua tenenda, ad vocem abſciſſam, raucoſos, & cruenta reiectantes.

Tragacanthæ drachmas ſex,gummi drachmas ſex , myrrhæ drachmã vnã,thuris drachmã vnã ſemis, piperis albi grana viginti , croci drachmã vnã , ſucci radicis dulcis drachmas ſex, palmularum triũ carnẽ, paſſi Cretici quantum ſatis eſt. Facit etiam ipſe ſolus tragacanthæ ſuccus ſub linguam ſubditus.Cæterùm pro radicis dulcis ſucco, ipſius coctæ decoctum ad ſpiſſitudinem redactum,quadruplum reiicitur.

Arteriaca ad ſonos abſciſſos,conueniens etiam phonaſcis.

Porri capita ſex ad tertias coquito , & ipſa quidem abiicito,ad aquam verò alicæ ſuccum admiſceto, & mel, & ouorum prius coctorum vitellos tres,ſimul coquito,anethi ramulis agitando.

Ad tuſſim.

Pulegii ſextantẽ,nucleorum nucis pineæ,ſeminis cnici,ſeminis lini,ſingulorum vnciã vnã, piperis albi trientẽ:excipe melle cocto. ALIVD. Hyſſopi,pulegii,piperis, ſingulorum vnciam vnã , petroſelini vnciã ſemis, mellis heminam vnam.

Concoctorium diuturnæ tuſſis.

Mellis drachmas ſedecim , terebinthinæ drach. duas, galbani drachmas quatuordecim : ſimul cocta,ad fabarũ magnitudinem & ad nucis Ponticæ magnitudinem efformato,& iis ſuctu vtatur. ALIVD. Tuſſim ſiccam curant & arteriaca & aquæ aliquando ſorbitio feruefactæ. nam ob craſſitiẽ, pituitã nõ educentes, ex humectãtibus opem ſentiunt.Conuenit ipſis etiam hyſſopi & iridis & nucleorum nucis pineæ decoctum.

Paſtillus ſuffumigabilis ad aſſiduam tuſſim.

Styracis,piperis,maſtiches,petroſelini,ſingulorum vnciã vnã,ſandarachæ ſcrupulos ſex,lauri baccas duas,melle excepta ſuffito prunis iniecta,vt tuſſiens per infundibulum fumum inſpiret. Facit ad quomodocunque perfrigeratos.

DE RECTAE CERVICIS SPIRATIONE, anhelatione,& ſpirandi difficultate, CAP. XXIX.

QVi citra febrem ſpiritum denſum habent, velut ii qui velociter cucurrerũt , hos à ſymptomate aſthmaticos,*id eſt anheloſos*,nominãt:eoſdẽ verò,ab eo quòd thoracis figurã totà erectam ſeruant,ob timorẽ ne ſuffocentur, orthopnoïcos,*id eſt recta ceruice ſpirantes*,vocãt . Fit autem affectio,craſſis ac viſcoſis humoribus, cartilaginoſis pulmonis partibus infarctis. At ſpirandi difficultas cõmune ſymptoma eſt,& his & aliis pluribus affectionibus accedẽs.Cæterùm aſthmaticorũ curationis ſcopus eſt,cõſumere craſſum ac viſcoſum humorem per attenuantia ac extergentia medicamenta.Acetum igitur ipſis conuenit ſcilliticum,& acetum mulſum ex hoc paratum,potum:& ipſa ſcilla aſſata,trita cum melle,& ex antidotis hiera , & purgatio aſſidua ex medicamentis fortiſſimis. Et vomitus ab acceptis raphanis,& ariſtolochia rotunda pota, cẽtaurii magni radix,ſpondylii ſemen & radix,calaminthæ coma,hyſſopum,iris, melanthium. Aſellorũ ſub hydriis degentium ſextarium in fictile vas coniicito , & ad prunas torreto:dealbatos autem terito , & melle cocto exceptos,myſtri menſura ante & poſt cibum dato : ſi verò neceſſitas vrgeat, etiam venam ante omnia hæc ſecato , & pro viribus euacuato. Aluus quoque infuſis per clyſterẽ irritetur. Cataplaſma verò extrinſecus thoraci imponatur ex ficis,& loliacea ac ordeacea farina , reſina, cera, ac melle,adiectis.Inſpergatur ipſi etiam iris & mãna thuris. Nõ inutilis eſt & cruda ordeacea farina cum reſina,cera, iride,& manna. Vnguentis autem vtendum eſt calidioribus,irino,anethino,rutaceo: priuatim verò hoc,Pumicis partem vnã, fæcis vini vſtæ partes quatuor , arſenici partem vnam,floris iunci rotundi odorati partes duas,alcyonii partem vnam,aphronitri partes duas:tuſa,cribrata vnguento excipito,& ex hoc partes circa thoracem confricato.Sed & malagmatis vtendum eſt quæ ſeroſos humores trahere poſſunt.

Anheloſis potiones.

Polii,abrotoni,caſtorii,chamæpityos,ammoniaci thymiamatis,ſingulorum æquales portiones melle ſubactas dato. ALIA. Quidam aphronitri cochlearium vnum in tribus aquæ mulſæ cyathis dederunt. ALIA. Aphronitri drachmas nouem,piperis drachmam vnam , ſilphii drachmæ dimidium: dato cochlearium cum aqua calida. ALIA. Caſtorii, ammoniaci thymiamatis , ſingulorum drachmas ſex,piperis grana quadraginta : excipe paſſo , & fabæ magnitudinem præbe cum aqua mulſa. ALIA. Sinapis drachmam vnam , ſpumæ nitri obolos tres ,elaterii dichalcon, *hoc eſt oboli dimidium*. Totum hoc in paſtillos octo digere, & duos ad dies, duos præbe: purgant enim ſurſum citra moleſtiam. Verùm in iis qui ſuffocantur,aphronitri drachmas tres cum aquæ mulſæ cyathis tribus præbe,& aliquãdo cum cardamomo: & ſtatim auxiliatur.Facit & ad coxendicum morbum.

DE PERIPNEVMONIA, CAP. XXX.

PEripneumonia inflammatio pulmonis eſt,plerunque ex defluxionibus fortibus,aut anginis,aut anhelationibus,aut pleuritide,aut aliis morbis,oboriens : quandoque verò ipſa per ſe affectionem auſpicatur.Sequitur hos ſpirandi difficultas,febris acuta & ardens, grauitas & tenſio pectoris,impetus & perceptio multæ repletionis circa faciem, materia ſurſum verſus impetum faciente inſtar ignis.Rubicundæ igitur ipſis apparent malæ,& oculi tument,& cutis ſuperciliis incumbens deorſum nutat, & corniformis tunica ſubpinguis apparet : ſi verò ſigna ad maiorem ardorem inclinant, inflammationẽ ſacri ignis naturam in pulmone habere putandum eſt . In iis igitur qui ex tranſmutatione aliorum morborũ ad hunc deuenerunt,venæ ſectionem reprobare oportet , & præſertim ſi diuturni fuerint,aut etiam ab initio venam ſecuerint. Verùm in remiſſionibus infuſum per clyſterem in aluũ mittatur,quæ ægrè ſubduci poteſt.Et cucurbitæ affigantur ad pectus & ad latera , ſi nihil prohibeat , atque hæ multæ cum ſcarificatione.At ſi ſtatim ab initio peripneumoniæ affectio auſpicetur , permittentibus numeris ad hoc requiſitis,vena ſecetur:ſin minus,etiam iis ſaltem cucurbitæ affigãtur,ita vt pro viribus ſanguinis euacuationem faciamus.Sorbitiones autem accipiant ex ptiſſanæ aut alicæ ſucco cum melle,aut ex amygdalis amaris,cum ſimilagine,aut alica,ex iucũdis potionibus aliqua admixta, hydromelo,aut fauorũ cremore cocto, aut hydroroſato. Commodum eſt & butyrum recens trium cochleariorum menſura. Præbibant autem ficuũ cum hyſſopo decoctum,aut iridis coctæ in aqua mulſa, aut iridis tritæ cochleariorum duorum menſuram,inſperſam aquæ mulſæ.hoc etiam deorſum purgat. Verùm ad virium conſeruationem , frequentius potent aquã mulſam per ſe,& cũ nucleis nucis pineæ,& cucumeris ſemine. Verùm ad totũ thoracem ac coſtas laterum imponere oportet ceratum cyprinum,iridem inſperſam habens : aut ceratum ex oleo rutaceo,& iride ſicca: aut id quod ex cera,reſina, medulla,butyro,œſypo,iride ſicca,& vnguẽto nardino præparatur.

DE SANGVINIS SPVTO, CAP. XXXI.

SI quidem ex ruptione vaſorum,ſanguinis ſputum fiat, multus euacuabitur:& quãdoque ex manifeſta cauſa, velut caſu,clamore,ac ſimilibus : quandoque ex obſcura,

velut plenitudine,aut immodica frigiditate.nã frigidũ, venarum ruptorium eſſe Hippocrates ait. Si verò ex corroſione,non aceruatim ſed paulatim ſanguinis eductio fit,acribus quibuſdam & paruis eduliis prægreſſis,aut inedia,aut acri defluxu. At ſi ex vaſorũ apertione, ex relatis nihil(præterquam plenitudo aliquando)præcedit:verùm victus humidior ac calidior,& balneorum immoderatus vſus,& in valde calidis locis habitatio, his cauſa apparebit: & neque in inflãmationibus,neque in febribus, neque in doloribus erũt ita affecti velut ii qui ex corroſione: imò vice verſa lenius ferent, dum vt par eſt euacuantur.Si verò etiam hæmorrhoides aut muliebres purgationes ſuppreſſæ fuerint,etiam à periculis liberabũtur.Eadẽ bona contingent etiam iis qui ob plenitudinem ex ruptione euacuãtur, præterquam ſi propter vlcus aut immodicam euacuationem lædantur. Cæterùm ſanguinis ex corroſione euacuatio nunquam ad bonum contingit: & ſi quidem per vomitus efferatur,manifeſtum eſt quòd ex locis circa ſtomachum aut ventrem fertur, in quibus etiam per ſedem deſcendens quãdoque euacuatur: ſi verò cum tuſſi,à partibus reſpiratoriis. Verùm ſi quidẽ ſpumoſus fuerit & ſubalbidus,& per interualla efferatur, citra dolorem ac compreſſionem,ex pulmone ferri indicatur.In quibus progreſſu temporis etiam febris continua ſequetur, & maximè in iis quibus ex corroſione: & de pulmonis eſſentia aliquid,aut cartilaginoſa pars, aut vena efferetur.Noui autem aliquem ex iis qui ſanguinem ex pulmone expuunt, progreſſu temporis cum maxima tuſſi,& ſanguinis copia,quatuor aut quinque lapides expuiſſe aſperos,veluti tribulos, magnitudine verò,ſiliquarum trium aut quatuor pondus habentes:& ſtatim quidẽ alleuatus eſt, paulo pòſt autem in tabem tranſiit, & mortuus eſt.Si verò aliquãdo pituitoſa eductio fiat, cũ leuiore tuſſi,aut etiam excreatione, & quod effertur ſpumoſum fuerit ac leue,ab aſpera arteria eductionem eſſe ſcito.At ſi niger fuerit ſanguis & grumoſus, & doloris ſignificationem circa locum de ſe præbeat, de thorace elatio indicatur, tranſſumptione per pulmonem aut guttur cõtingente:quæ verò cum excreatione contingit elatio, ex partibus circa fauces per palatũ educetur. Si verò aliquãdo à capite deſtillet, cum irritatione aliqua ac tuſſi emittitur,defluente ipſo ad ſummum guttur & arteriæ caput, ita vt rurſus ſurſum efferatur. Verùm in his plerunque acris defluxus,aut capitis dolor,aut grauitas præcedit.Cõtingit etiam aliquãdo per palatum ſanguinis euacuatio, & propter hirudinem deuoratam, & adhærentem in aliqua eius loci parte. Sed de hac in tractatione de venenis dicetur. CVRATIO. Eis qui ob defluxum ſanguinem ſpuunt,ſtatim venam ſecabimus, ſi non valde acris fuerit defluxus,& moderatè pro viribus detrahemus. Extremæ partes deligentur ac confricentur cum oleo veteri calido,aut Sicyonio,capite excepto. Cibus detur frumentaceus,cui additus ſit ſuccus alicuius ex auſteris,velut mali Punici,pomorum,pirorum:aut illa ipſa ſimul coquantur. Dormire verò volenti paſtillum ex ſuccino dato: & tertia die mellis cocti parum deligẽdũ dato. Si verò hæc ſuperata fuerint, morbo diuturno facto, raſo capiti medicamentum ex ſtercore ſylueſtrium columbarum impone,& poſt tres horas ablato pharmaco, ad balneũ ducito,nequaquam illinens caput. Deinde ſorbitionibus nutrito,ad ſomnum theriacen antidotum dato: & vbi rurſus poſtridie dederis, ſimiliter confricato totum corpus, capite excepto.Huic autem ceratum ex thapſia imponẽdum eſt,aut aliud quoddam: & rurſus ſorbitionibus vtẽdum.Perſeuerante malo,etiam cucurbita ad occiput affigatur: ſi verò valde acris defluxus fuerit,venæ ſectio reprobetur.Cibis verò & auxiliis antea in capite de defluxu relatis vtẽdũ eſt, & iis quæ paulo antea relata ſunt cõmodis. At iis qui ob frigiditatẽ ſanguinem ſpuũt,thoracem calefacere oportet cum iis quæ ſimul ſiccant, & medicamentum ex duobus piperis generibus dare, vnà cum paſtillo ex ſuccino. Sed & qui ex reſpiratoriis partibus, ob ruptionem aut apertionem vaſorum, ſanguinem educunt,iis vena ſecanda eſt,ſi non ſanguinis copia feratur. Omnes porro decumbere oportet in locis ad aerem expoſitis,in lecto immobili, figura ſurſum vergente, ita vt vitent vehementem reſpirationem, & ne loquantur. Affectis autẽ locis iniiciendæ ſunt ſpongiæ ex poſca tepida:poſt ſeptimum diem lanæ ſuccidæ cum roſaceo,aut myrteo,aut lentiſcino, quandoque cum aceto, quandoque cum vino auſtero.Si verò multa elatio contingat,pollinem & mannam thuris cum aceto imponemus, aut alumen & acaciã,aut malicoriũ, aut gallam cum aceto, aut palmulas cum polẽta & malis cydoniis coctas in vino auſtero.Poſtea verò etiam emplaſtrum ex ſalicibus imponẽdũ eſt,præſertim ſi moderatior elatio exiſtat. Per os verò accepta hæc faciunt: Portulaca comeſta,(efficacior autem ſuccus ipſius eſt potus)balauſtium,rubi fructus & flos,quercus membranoſa ſub cortice pars, & quæ ſub putamine glandis eſt membrana. maximè verò his coctis vtãtur. Fagi autem & ilicis membranæ efficaciores ſunt. Samius aſter ad omne ſanguinis ſputum facit,Lemnium ſigillum,lapis hæmatites leuiſſimè tritus,cum ſucco mali Punici,aut polygoni: quantitas autem lapidis ſit ſcrupulus vnus. Cõpoſita verò hæc faciunt: Paſtillus ex ſuccino,& qui ex corallio conſtat,& qui ex Ægyptia ſpina. Itẽ puluillus ſiccus ex terra aſtere,Lẽnio ſigillo,corallio,ſymphyto,& amylo,omnibus æqualibus portionibus. Verùm in iis qui ex corroſione ſanguinem ſpuũt, & maximè defluxu prægreſſo, etiam opii partem dimidiam admiſcemus.Sed & id medicamẽtum quod accipit Samii aſteris, lapidis Agerati,Lemnii ſigilli,æquales ſingulorũ partes, commodum eſt ſi duorum cochleariorum menſura bibatur in duobus cyathis ſucci plantaginis. ALIVD. Sigilli Lemnii drachmæ ſedecim,Samii aſteris drachmæ octodecim, amyli drachmæ octo, ſarcocollæ drachmæ quatuor, gũmi drach. duæ,puluilli ex his ſicci cochleariũ vnũ:cũ decocti palmularũ cyathis duobus detur. Sorbeãt etiã poſcã frigidã,aut palmularũ,aut malorũ,aut pirorum,aut vitis pampinorum,aut eiuſmodi cuiuſdã decoctũ. Cibum verò accipiant,ſi vires vrgeant, circa ſecundam aut tertiam horam:ſin minus,circa quartam.Sit autem panis lotus ex aqua frigida,aut alica,ſiue chondrus cũ aliquo ex ſuccis adſtringentibus, velut mali Punici, aut myrti baccarum, aut omphacomelitis, aut oua ſorbilia,aut placentæ ex lacte,cum aliquo ex adſtringẽtibus. Ex oleribus intybum,cichorium,plantaginem ſumãt,cocta cum oleo crudo & aceto.Ex fructibus, mala,pira,meſpila, mala Punica,corni fructum. Potus nõ febrientibus ſit vinum aquoſum,modicũ: febrientibus aliqua ex relatis potionibus,aut hydromelũ Cebyraticũ. Ad eos verò qui ſanguinem vomunt,eodem ductu vtẽdum eſt, ſolùm vt vitemus ne frequẽter cibum capiant. Facilè enim hi curantur,eo quòd auxilia quæ præbibuntur, ſtatim ipſis partibus vnde ſanguis erumpit occurrunt. Porro ſi ſanguis in ventre in grumos coactus fuerit, coagulũ bibatur,maximè leporinum, aut lixiuium ficulnum cum aqua,aut thymus,aut thymbra cum aceto: aut etiam per lac ſciſſum euacuentur,aut per aloen. At in iis qui de palato per ſcreationem ſanguinem ſpuunt, gargariſmis ex adſtringentibus vtendum eſt,& fronti ac capiti adhibenda ea quæ iis quibus ex naribus erumpit ſanguis adhibẽtur. Atque hæc eſt ſanguinem ſpuentium curatio, quã ſtudioſè facere oportet,propter inſtãs ex immodica euacuatione periculum. Nam copia eius qui euacuatur,quẽadmodum in iis quæ mactantur, breui mortẽ inducet. Si verò affectio perſeueret,tranſitionem ad tabem minatur.Omnibus igitur ſecundum rationem peractis,& deſinente ſanguinis latione,reficere ipſos oportet,ita vt piſcẽ exhibeamus, & ex iuuenculis ſuibus pedes, & cerebella: & corpus confricemus, ac iubeamus vt vitent aſſiduum balneorum vſum, & vini potum, & iracundiam, ac venerem.

DE SVPPVRATIS ET TABE, Cap. XXXII.

SVppuratio in vacuis thoracis partibus,aut circa membranam ſuccingentem coſtas conſiſtit,quandoque ob ſanguinis eductionem vlcere ad cicatricem non perducto:(in quo etiam tabes ſtatim ſequitur, ſi ex pulmone eductio fiat)quandoque inflammatione prægreſſa,deinde

ad abſceſſum permutata, ac rupta: (quemadmodum in pleuriticis etiam aliquando contingit): aut etiam ob confluxionem ex capite obortam. Signa igitur ſuppurationis quæ adhuc colligitur, ſunt, grauitas thoracis, & tuſſis iugis ſicca cum dolore, quandoque etiam cum humiditate, ex qua etiã leuari ſibi videntur. Et febres ab initio ipſis fiunt debiles, & inordinatæ, ac quæ ægrè iudicantur: vbi verò prope ruptionem eſt abſceſſus, vehementius febriũt cum quodam horrore, & inter loquendum impelluntur dum à ſpiratione vexantur. Rupto autem abſceſſu, pus educitur, quandoque purum, quandoque fæculentum: & aliquando ſurſum rumpitur abſceſſus, quando etiam periculoſior eſt: aliquando etiam deorſum: & in quibus deorſum rumpitur, partim ad ventrem & inteſtinum tranſſumitur, partim ad veſicam, tranſſumptione per vaſa quædam contingente. Febriunt autem ſemper hectica febre vſque ad repurgationem: quæ ſi non diligenter procuretur, citò in tabem tranſit ſuppuratio, pulmone vlcerationem ſuſtinente. Qua iam conſiſtente, & genæ liueſcunt, & circa frontẽ ac collũ exudationes fiunt, & carnes colliqueſcunt, & vngues incuruantur, & pingues & exalbidi aut valde pallidi apparent. Cæterùm affectione prædominante, & venter exturbatur, & præcordium reuellitur: & ſitis ipſos diutius tenet, & cibi inappetentia: & quod effertur ſurſum, valde graueolens eſt. CVRATIO. Oportet igitur primùm quidem ſuppurationis concoctionem adiuuare & per ſpongiarum fomenta, & per cataplaſmata ex farina hordeacea, cum caricis coctis, & modica reſina, & colũbino fimo, & nitro, ac hibiſco. Adiuuat ruptionem, etiam decubitus ad latus nõ affectum. Sorbeãt autem ex interuallis aquam mulſam, & ptiſſanæ ſuccum cum melle. Qui verò robuſtiores ſunt, etiam hyſſopi ac thymi decoctum bibãt cum melle. Adiuuat item ruptionem ſalſamentorum eſus, & hieræ ex colocynthide catapotia ad ſomnum accepta. Vbi verò pus excerni cœpit, rurſus dandum eſt hyſſopi decoctum & iridis ac glycyrrhizæ. Sint autẽ hæc cocta in aqua mulſa, aut glycyrrhiza trita cũ ſeſamo: cataplaſma ſit ex polline, in aqua mulſa & oleo cocto. At ſi vlceratio ægrè repurgetur, compoſitis vtendum eſt, velut eſt quod ex marrubio paratur ſimplex ac compoſitum, & quod ex eruo, & dodecatheon, & Philoxeni appellatum. Verùm ad tabem dilapſis, porrum capitatum in alicæ aut ptiſſanæ ſorbitionibus eliquatũ dato: imò etiam per ſe bis coctum dandum eſt. Potus ſit aqua pluuia, & aqua mulſa ex illa parata. Ab initio verò remiſſionum, cataplaſmata adhibeantur ex lini ſemine ac polline, cum decocto fœnigræci aut maluæ, oleóque ac melle, & foliis althææ. Tẽpore verò progreſſo, ad cerata tranſeũdum eſt, ex butyro, & cyprino, & laurino, & iride. Sed & Mnaſeæ emplaſtro vtendum eſt. Thorace verò fluxionibus infeſtato, emplaſtrum ex ſalicibus imponendũ eſt. Præbibant etiam antea relata ad ſuppuratos ſimplicia, & quædam ex compoſitis. Cæterùm tuſſi grauiter obtinente, thymũ & hyſſopum cum glycyrrhizæ ſucco melle cocto excipe, & efformata ſub lingua tenenda præbe. Conueniet ipſis etiam Mithridatis antidotus ex interuallis, & quæ ex viperis paratur. Optimum verò his auxilium eſt Armenii boli potus, & antidotus Eſdra, non minus quàm prædicta.

DE PLEVRITIDE, CAP. XXXIII.

QVÆ propriè pleuritis dicitur, inflãmatio eſt membranæ intrinſecus coſtas ſuccingentis, cui adeſt ſpirandi difficultas, & tuſſis, & febris continua, & dolor pertingens vſque ad clauiculam & præcordium. Diſcernes autem pleuritidem ab hepatis inflãmatione, (nam & in illa omnia hæc apparent) eo quòd in pleuriticis punctorius eſt dolor: & tuſſis aliquando ſine ſputo, (quando etiã crudus indicatur morbus) aliquando verò etiam ſputum efferũt: quod indicat humorẽ morbũ efficientẽ. Rubicũdum enim & ſubcruentum educitur, ſanguine redundãte: flauum verò & cum pallore ſubuiride, bile: quemadmodum rurſus album & ſubſpumoſum, pituita: in atrabiliario verò humore, nigrius: & pulſum durum, & ſecantis quippiam modo ſe habentem, habent. At in hepatis inflammatione, neque punctorius eſt dolor, neque pulſus adeo durus: ſed & tuſſis ſemper ſicca & ſine ſputo eſt, & facies decoloratior apparet. Quæcunque verò pleuritides propter externorum muſculorum fiunt inflãmationem, (quæ ſanè neque propriè ſunt pleuritides) in his vnà cum hoc quòd neque tuſſiũt, neque ſpuunt, neque durũ pulſum habent, ſiquis manu affectum locum contingat, dolent ægroti, &, ſi non fuerit diſcuſſus tumor ſuppuratus, ad hoc deuenit vt forinſecus incidatur, quum pleuritis ex membranæ coſtas ſuccingentis inflammatione oborta ad hoc non deueniat. Illa enim, ſi non fuerit expurgata aut foras, aut intus, in ſuppurationem & multo prius in peripneumoniã tranſit. CVRATIO. Si quidem igitur ad clauiculam dolor ſe extendat, vena ipſis ſecanda eſt: ſi verò ad præcordium, purgandum. Recentiores autem omnibus venã ſecant, veriti (vt arbitror) turbationem ex purgatione. At viribus non permittentibus, neutrũ faciẽdũ eſt, ſed acribus per clyſterem infuſis vtendũ. Et ſi quidem moderatus fuerit dolor, poſt infuſum danda eſt ipſis aqua mulſa, & ptiſſanæ aut alicæ ſuccus: declinante verò affectione, porrum ad ſuccos iniiciatur: aut calaminthen, aut pulegium, aut vrticæ ſemen cum melle delingant. Verùm vehementes dolores poſt euacuationẽ mitigãdi ſunt lana calida aut ſulphurata impoſita, aut etiam fomẽtis ex milio, aut furfuribus, in ſacculis admotis: aut per calidam aquam, aut oleum in veſica. Lanæ quoque ſuccidæ imponantur cum oleo, ac vino marinã aquã admixtã habẽte, aut ſale ad ipſum iniecto. Aut cataplaſma ex medicamẽto ex ſeminibus adhibeatur, cũ decocto chamæmeli, & althææ, caricarũ, iridis & abſinthii, cũ modico melle, & oleo nardino. Circa quartũ autẽ diẽ ſorbitionibus nutrito, cum pauco melle: poſt ſeptimũ diẽ eclegma ex amygdalis & vrticæ ſemine in melle cõtritis dabimus, & quod ex butyro ac melle ſimul coctis fit eclegma: & hypoglottide ex melle cocto vtemur. Epithematis verò, & graueolente, & eo quod ex ſampſucho paratur, & rutaceo emplaſtro, ad locos dolẽtes vtemur. Sed & bulbi cum axungia impoſiti, ſæpe ſatiſfecerunt: infuſúmque ex butyro ac terebinthina ipſis per clyſterem immittatur. Ex efficacioribus autẽ eclegmatis dabimus id quod ex nucleis piceæ, amygdalis amaris, ſemine lini, nucleis pineæ nucis, & amylo, ſingulis æquis portionibus, cum melle paratur. Vigiliis ſi infeſtẽtur, medicamentum ex capitibus papaueris delingere conueniet: antidotis item, & athanaſia, ac aliis ad hoc compoſitis vtemur. At poſt decimũquartũ diẽ permanẽte affectione, cucurbitæ ipſis affigantur, & in victu tenuiore cõſeruẽtur: & poſtea declinatione facta, ad balneum ducantur, ita vt frigidũ vitent, & ſolidiore ac pleniore victu vtantur. Si verò nõ diſcuſſa ſuccingentis coſtas membranæ inflammatio tranſmutationem ad pus oſtenderit, ſupra relatis vtemur.

Ad dolores laterum ſine febre.

Laterum dolores ſine febre ſanant bdellium & coſtus, ad braſſicæ caulium vſtorum cinerem & adipem admixta. Eſt enim hoc medicamentum forti diſcuſſoria facultate præditum.

DE CORDIS AFFECTIONIBVS, CAP. XXXIIII.

COR ipſum primaria affectione affectum, longè abeo abeſt vt medicorum auxilium admittat, citam mortem inducens, & in inflammationibus ipſius, & in igne ſacro, & in tẽperamẽto vehemẽti in acutiſſimis febribus, & in ſanguinis eruptione, vbi vulneratum eſt, circa ſiniſtrum maximè ventriculum. At ex conſenſu affectum, & ex cerebro, & hepate, & ore ventris, triſtitiáque ac timore, & aliis pluribus, animi conciſionem, ſyncopen appellatam, inducit: quæ aceruata, virium collapſio exiſtit, & exolutionibus ac animi deliquiis, & pulſuum paruitate, & extremarum partium perfrigerationibus, & exudationibus cognoſcitur. Atque hæc ſanè etiam ipſa auxilium non admittit, ſi fortis exiſtit: ſi verò vires adhuc aliquo modo conſiſtunt, aliquando auxiliũ ſentit. Sed & palpitationes cordis vehementes ſæpe fiunt, ob ſanguinis in ipſo copiam aut feruorem. Hoc verò, calefactum quidem magnam & denſam efficit reſpirationem: frigefactum verò, paruam & raram. Quomodo igitur cordis ſynco-

pas in totum corrigere oporteat, in febrium ſymptomatis libro ſecundo diximus. Tantum tamen hîc addendũ eſt,quòd inualeſcente ſymptomate, poſt extremarũ partiũ defrictiones & vnctiones, & pauimenti purificationes,ac reliquum refrigeratorium ad reuocandam animã ductũ,inſpergenda eſt exudãtibus corporis partibus myrtus trita aut terra cimolia,aut ſuccinum, aut malicorium cũ thuris manna, aut Samia terra cũ gũmi. Extremis verò partibus perfrigeratis vſque ad inguina ac ſub alas,cataplaſma imponẽdũ eſt ex ſinapi, aut pyrethro,aut adarce. Cibus autem ſit panis ex aqua,aut ex vino frigido diluto,pedes ſuilli,articuli,ac roſtra,volucres, omnia frigida. Capiti ac fronti illinendũ eſt omphaciũ, aut aliquid adſtringẽdi vim habens cũ gũmi aut roſarũ decocto. Cataplaſma conuenit præcordiis & ſtomacho, ex palmulis, roſis,œnanthe,acacia,hypocyſtide,alumine.

De palpitatione cordis.

Noui quendã (inquit Galenus) qui ſingulis annis verno tempore palpitationis cordis ſymptoma patiebatur. Et poſtquam tribus annis expertus eſſet venæ ſectionem ſibi commodam, quarto anno venã ſecuit antequam ſymptomate corriperetur,& correptus non eſt, atque ſic conſequenter fecit per plures annos, vnà cum hoc quòd conueniente victu vtebatur: attamen & hic mortuus eſt ante ſenectutem, quemadmodum & alii omnes, quorũ aliqui in febribus acutis aceruatim in ſyncopen collapſi, ſimiliter mortui ſunt: aliqui verò ipſorũ etiã citra ſyncopen,ſyderationis modo,derepente vitã cõmutarunt. Plerique verò ex ita affectis ætatẽ agebant inferiorem quidẽ annis quinquaginta,verùm quadrageſimũ annũ trãſgreſſi.

DE AFFECTIONIBVS CIRCA MAMMAS, CAP. XXXV.

POſt partũ lac ſæpe velut in caſeum cõcreſcens, inflãmationes circa mãmas efficit. Ab initio igitur his vtendũ eſt: Spongiam tenerã poſca tepida imbutã ac expreſſam imponito, ac appoſitè deligato, aut palmulas cũ pane & poſca tritas: aut ouo toto vtendũ eſt, cũ roſaceo ac modico cerato, aut alumine & pſyllio cũ coriandro: aut portulacã impone,aut lapidẽ pyriten cũ cerato impoſitũ deligato. Diſtentione verò aut grumoſitate contingente,panẽ ex aqua & oleo aut vino mulſo imponito,aut panẽ cũ perdiciade viridi, vnà cũ cerato, bis in die, aut farinã fabaceã cũ aqua mulſa, aut ſapa: ſi verò grauitatẽ nõ ferãt,irrigatione ex oleo dulci calido vtẽdũ per molles lanas. Fomentũ autẽ ipſis adhibeatur ex aquæ calidæ vapore,aut fœnigræci,aut althææ,aut ſeminis lini decocto. Cataplaſma ipſis imponatur ex polline cũ lini ſemine, aut ex fœnogræco cũ aqua mulſa,aut ex ſeſamo cũ melle aut butyro trito. Reprobare verò oportet mãmarũ exſuctionẽ,vt quæ per ſuctũ amplius ad ipſas attrahit. Declinante inflãmatione,cerata adhibeantur hæc: Betã,donec flacceſcat,in oleo coquito,& ipſam quidẽ abiicito: ad oleũ verò cerã cõmoderatã adiicito,ac vtitor. ALIVD. Ouorũ crudorũ vitellos decẽ ad ceratũ admiſceto,quod habeat ceræ ſextantẽ,& vnciæ dimidiũ, & roſacei trientẽ:& ad hæc cũ ſpathula agitata, muriæ quantũ admittere poſſunt affunde,& rurſus ſpathula agitatis vtere. Cæterùm ad mãmarũ duricias facit emplaſtrũ ex mẽlle, & omnia mollientia medicamenta. Si verò tumor ad abſceſſum vertatur, iis quæ ad parotidas relata ſunt, & quæ in tractatione de abſceſſibus referentur,vtendum eſt.

Archigenis ad eroſiones mammarum cum malignitate.

Vini Adriani boni ſextarios viginti, rhois coriarii librã vnã,pilularum cupreſſi librã vnã, gallæ omphacinæ nigræ ſexuncẽ, caſſiæ ſexuncẽ. Contuſa in vino ad dies decem macerantur: deinde coquuntur, & ſpathula cupreſſina agitantur,ad dimidiæ ferme partis cõſumptionẽ: & tunc quidem herbæ reiiciuntur, ſuccus autem ad mellis ſpiſſitudinem coquitur, & vaſe vitreo excipitur. Vtere in vlceribus proſerpendo depaſcentibus meraco: ſi verò craſſius fuerit,vino humectetur. Accõmodatũ eſt medicamentum, vtpote cuius vſus aduerſus nomas in mammis reſiſtere poſſit,& ad aures purulentas, & gingiuas humentes ac putridas, & dyſenterias: mitigat etiam dolores lacte dilutum. Aliæ porro mãmarũ vlcerationes communi reliquis vlceribus modo curandæ ſunt.

Mammas conſeruantia.

Cuminum in aqua tritum mammis imponito: deinde ſpongia ex poſca extrinſecus impoſita pectus faſcia conſtringito: poſt triduum verò ablato cumino,lilii bulbos cum melle mammis imponito,& deligatos rurſus ad triduum ſinito: atque hoc ter in menſe facito. ALIVD. Cicutam tritam ad dies nouem impone,& ſpongiam (velut dictum eſt) forinſecus adhibe, & paucis interpoſitis diebus idem facito. Quin & cotis Naxiæ, *dum ferrum in ipſa acuitur*, detrimentũ, mammas virginum cõſeruat.

AD GRAVEM ALARVM FOETOREM ac exudationes, Cap. XXXVI.

ALuminis liquidi partes duas,myrrhæ partem vnam: vino diſſolutis vtere. ALIVD. Plumbaginem vſtam & vino odorato extinctam,cum vino terito, modica myrrha adiecta,donec ſtrigmentitia fiat craſſitudo: & vtitor. ALIVD. Spumæ argenti drachmas ſedecim, myrrhæ drachmas duas,amomi drachmam vnam: vino excipe. ALIVD. Aluminis liquidi drachmas octo, amomi,myrrhæ, ſpicæ nardi, ſingulorum drachmas quatuor: vino tritis vtere.

DE AFFECTIONIBVS CIRCA STOmachum,præcordia ac ventrem, Cap. XXXVII.

DE ciborum quidem in febribus inappetentia, & de fame magna,ac de canina appetẽtia,item de ſtomachi debilitate,ac animi deliquio,& inſuper de ſiti, ſingultu,nauſea,ac ſyncope,in tractatione de febribus libro ſecundo hunc præcedente ſufficienter dictum eſt,nec tempeſtiuum eſt rurſus de iiſdem ſermonem inſtituere. Cæterùm inflammationes oris ventriculi & hepatis, adſtringentium admixtione opus habent. Si enim quis per ſolũ laxatorium ductum curet,periculum vitæ inducet. Oportet igitur,ſiue oleum fuerit id quod affunditur, ſiue cataplaſma,aliquid ex adſtringentibus admiſcere, velut eſt abſinthium,nardinum aut melinum vnguentum,aut malum Cydonium incoctum. Ceratum verò quo aſſiduè vtor, hoc eſt: Ceræ albæ vncia vna, æſtate verò drach. ſeptem,aloes,maſtiches,ſingulorum drach. vna: olei omphacini,aut melini,& nardini,vſus tempore quantum ſatis eſt ad compagem. Si verò ampliore adſtrictione opus ſit,vt neque cibos retineant, admiſceatur etiam omphacii drach. vna, aut ſucci abſinthii tantundem, & tertium inſuper hypocyſtidis & œnanthes & rhois ſuccus. Cerati verò copiam augere oportet pro reliquorum pharmacorum numeri proportione. Diuturna autem iam inflammatione ac indureſcente,magis varia medicamenta adhibere oportet,quæ & aromata quædam habent,& mollitoria ac diſcuſſoria: velut eſt quod ex meliloto paratur, & philagrianum,& odoratum dictum: & viridis iaſpidis torques de collo ſuſpenſus,vt ſtomachum contingat,magnificè prodeſt. At in calidis ſtomachi intẽperamẽtis,& ardore cum exolutione aut animi deliquio,aut aliqua ciborum inappetentia,ex qualicũque cauſa, excepta febre, frigidam aquam dato cum vuæ acerbæ ſucco: aut malorum Cydoniorum decoctum,aut pampinorum vitis, aut cucumeris ſemen tritum cum frigida. Stomacho verò imponito veſicam aqua frigida plenam,aut cucurbitæ ramenta. Sed & catapotia ſitim eximẽtia dãda ſunt, velut capite de ſiti dictum eſt. Refrigeratorium autem & corroboratoriũ humecti ſtomachi hoc eſt: Foliorum roſarũ ſiccarum drach. ſex, ſucci glycyrrhizes drach. quatuor: excipe vino dulci, & fac catapotia ſub lingua tenenda. Verùm in iis qui ob pituitæ craſſitudinem calefacientibus ac ſecantibus opus habent,commodum hoc eſt, Corticis radicis fœniculi ſextans, aceti ſextarius vnus ſemis, aloes quadrans, mellis libræ quatuor. Radices cũ aceto coctæ exprimuntur, ac reiiciuntur, & mel additum ad compagem coquitur, & tunc aloe trita inſpergitur. Dato cochlearia tria cum aqua: quidam ſine aloe ipſum præparant. Et medicamentum ex calamintha in iis commodũ eſt. Quibus autem cibus aceſcit,coriandri ſeminis drach.

vnam,velut polentam aquæ inſperſam bibẽdam præbe, aut maſtiches cochlearium vnum,aut lactucæ albæ ſeminis cochlearia duo.Compoſitum verò hoc,Piperis drach. vnã, ſeminis anethi drach.tres, cumini drach. quatuor: trita dato cochlearii menſura ad ſomnum , in vino diluto.At in iis qui bilem generant atram,& ſtomacho inflatis,in aggreſſione ſpongias imponito acerrimo aceto imbutas.poſt has verò ſi permaneant affectiones,alumen cũ ære trito melle exceptum imponito. Bibant autem intybi ſuccum,aut menthã potui inſpergito.Quibus verò ſtomachus inflatur ac diſtenditur, his calaminthæ decoctũ admixto melle ac modico pipere dato.Verùm ad ſtomachi ſubuerſiones,ſucci nucleorũ , mali Punici acidi partes tres,ſucci menthæ partem vnam coquito ad ſpiſſitudinem:& ante cibum myſtrum vnum dato.

Ad ſtomachi ſaliuationem.

Acetum ſcillinum , aut oliuarum muria conditarum iuſculum,aut oliuæ frondium decoctum colluat: aut etiã minimum quid ex ipſo deglutiat.Præ omnibus verò facit aloe aqua diluta.Verùm ad eos qui cibum non continent (quos veteres priuatim ſtomachicos nominant) fœnigræci farinam & maluæ ſemen tritum ſiccum , melle admixto,pro cataplaſmate impone. Ceratum verò facit, ex cera,olei irini fæce,& caſtorio.

De ciborum inappetentia.

Ciborum inappetentia eſt ciborũ auerſatio,aut intemperie in ſtomacho exiſtente,aut humorum redundantia. Calidam autem intemperiem cognoſces & ſiti , & nidoroſis ac cœnoſis ructibus, ſi coacti aliquid ederint: & ex eo quòd frigidiora & concoctu difficilia , magis concoquere poſſunt:frigidam verò,contrariis. Neque enim ſitiunt,neque frigida ſuſtinent,& ructum acidum aliquando habent. Qui verò propter humores cibos auerſantur, qui quidem ob tenues ac mordaces hoc patiuntur,ſtomacho morſum percipiunt,& nauſeant magis,& ſitiunt.Quibus autem computruerint humores,aliquando etiam febriũt.Qui verò ob craſſos ac viſcoſos humores, morſum & ſitim omnino non percipiunt,verùm commune ſymptoma omnibus eſt nauſea. Verùm ſi in cauitate ventris fuerint humores,etiam hos ipſos reuomunt:ſi verò in tunicis ipſius infarcti aut imbibiti,nauſeant ſolùm,non vomunt,præterquam cibos ſi fortè aſſumpſerint.Qui igitur ob calidam intemperiem cibos auerſantur , iis victus ex refrigerantibus conſtituendus eſt , & maximè ex iis quæ parantur cum aceto. Panem igitur ex poſca dare his cõuenit,& ipſam poſcam bibendam,& lac acidum, & apud Romanos Melcam appellatã:(eſt autem obſonium quoddam, ex lacte)& intyba,& lactucas,& aliquando etiam frigidam aquam:omnia moderatè,iuxta præſentis intemperiei oppoſitionem.Nam immoderatus horum vſus nõ ſolùm non prodeſt,ſed etiam incurabilem ſæpe fecit affectionẽ. Qui verò ob frigiditatẽ, eos contrariis ſanare conuenit,ita vt vinũ vetus bibendum præbeamus,& cõditum,& hydrogarum, & aniſi ac rutæ & petroſelini decoctũ,& piper ex aqua calida cõmuni , aut etiam ipſum ex tribus piperis generibus medicamentũ,aut quod ex calamintha paratur.Dabis etiam theriacen ex viperis, quæ neque iis qui ob humorũ copiã cibos auerſantur , incõmoda eſt. Allium verò his & vt cibus,& vt medicamẽtũ, cõmodũ eſt. At ſi ob humorũ copiã ciborũ faſtidiũ fiat, tenues quidẽ & mordaces euacuabis aut per vomitus, aut per infernã aluum.Voment igitur facilius ſi tẽperatam aquã ,aut aquam mulſam aquoſiorem præbiberint. Melius autem ſi ante hæc humectantes cibos dederis,velut ptiſſanæ ſuccum , aut ouorum vitellos . Verùm quomodo quis facilè vomat,libro primo dictum eſt. Si verò æger difficulter vomat,melius eſt ad infernum ventrem materiam promouere , vberiore ac temperato cibo hos præhumectando. Purgatorium autẽ medicamentũ ſit, aut ex aloe amarũ appellatũ,aut id quod ex malis Cydoniis paratur,ac recipit ſcãmoniam,aut quod fit ex rhodomelite.Quòd ſi fieri poſſit vt citra ſcãmoniam ex aloes copia magis ipſos euacues,melius feceris,propterea quòd ſcãmonia eſt ſtomacho infeſta.At verò craſſos ac viſcoſos humores,ciborũ faſtidiũ inducẽtes, attenuabis ac ſe-

A cabis per acetũ mulſum,& quæ ex hoc & muria componuntur:velut eſt capparis,oliua,ſinapis,& ſimilia.Nec verò incõmoda his ſunt ea quæ ad eos qui ob frigidã intẽperiem cibos auerſantur relata ſunt,& maximè poſt euacuationẽ. Euacuabis autẽ ipſos per acetũ mulſum Iulianiũ.Forinſecus autẽ calefacere ac corroborare ſtomachũ potentibus vtendum eſt vnguentis ac malagmatis , qualia ſunt maximè & quod ex vua acerba paratur,& Marciaton appellatũ,& conſueta vnguẽta:epithemata verò,Baiũ & odoratũ,& ſimilia.Exercitia etiã ac frictiones maximè

B adhibeãtur. Cæterùm iis qui ægrè cõcoquũt ac cibos auerſantur,propter humorẽ frigidũ ac humidũ, aut talem intẽperiẽ,quæ ex malis Cydoniis parãtur cõueniunt:dico autẽ id quod meloplacuntiũ appellatur,& quod ex ſucco fit malorũ,& quod ex carnibus ipſorũ , & quod ex citrio præparatur.Malagmata verò,Marciatõ,& quod ex vuæ acerbæ ſucco paratur,& Baiũ,& polyarchiũ, & quæ eiuſdẽ cum his generis ſunt. Si verò vlcus eſt in ſtomacho aut ventre,ab omnibus abſtinendum eſt acribus cibis ac potibus & medicamẽtis : vtẽdũ autẽ mitigãtibus,velut ſor-

C bitionibus abſque oleo, & iis quæ ex amylo fiunt, & terra Samia,& Lemnio ſigillo, & lacte ac melle pauciſſimo, quò citra mordacitatẽ perpurgent. Epithema conuenit ex palmulis,& malis Cydoniis,ac polenta : ceratũ ex melino aut roſaceo,cum ammoniaco & thure : & Nilei epithema:& emplaſtrũ ex ſalicibus,ac Iceſiũ.Cognoſces autem vlcus ex eo quòd ſanguis,aut pus, aut etiã vlceris tectoriũ vomitu reiicitur. AD EXOLVTOS ac debiles ſtomachos, & propterea nõ coquentes,aut etiã cibũ vomentes: Aloes,maſucha,maſtiches, ſtyracis , ſingulorum

D ſextantem,abſinthii trientem,œnãthes quadrantẽ, glaucini ſexuncem,melini quadrãtẽ,vini quod ſatis eſt. (quidam,etiã cypheos & roſarũ,ſingulorũ ſextãtẽ).Trita hæc purpura aut lana excipiuntur, & ſtomacho imponuntur. Quidã,etiam ceræ ſexuncẽ admiſcentes , epithema ex ipſo faciunt. Ad voluuloſas ſtomachi affectiones(hoc eſt vehementes ac conuulſorios dolores)optimũ medicamẽtũ eſt Amazonũ paſtillus.At huius deſcriptionẽ,itémque reliquorum ſtomachicorum compoſitorum materiam, reperies libro vltimo,in tractatione de compoſitis medi-

E camentis.

DE VENTRIS INFLATIONE, Cap. XXXVIII.

FLatuũ in ventre generatio, humoribus aut cibis præ tepida caliditate in vapores diſſolutis contingit . nã frigiditas eo quòd attenuare ac diſſoluere nõ poteſt,nihil flatuum gignit.Vehemens verò caliditas, non attenuans ſolùm,ſed etiam diſcutiens,flatus collectionem impedit. At minor caliditas diffundit quidem ac tranſmutat cibum,verùm defectuoſius:atque inde eſt flatuum genera-

F tio. Conuenit igitur ipſos per calefactoria medicamenta attenuare, cumino in oleo cocto, & apio, & ſpondylio,& dauci ſemine.Si verò frigiditas affectioni adeſt, ruta , & lauri baccæ,& melanthium,& fœniculum in oleo coquatur,& admiſceatur bitumen,ac oleum laurinum.Quòd ſi etiam inflãmatio doloribus adſit, pro calefactoriis vteris laxatoriis,anethum coquens , ac miſcẽs adipem gallinaceum ac anſerinum.Facit etiam ad inflatos polii faſciculus coctus,aut calaminthæ decoctum, admixto modico melle,& piperis drachma vna. Atque hæc quidem ve-

G hementi dolore irruente adhibenda ſunt: in mediocri verò ſufficient fomẽta ex milio.Cæterùm cucurbita benemagna vmbilicum complectens,ſæpe aceruatim ſymptoma ſubmouet. Prodeſt ipſis etiam caſtorium potum ex poſca,& forinſecus cũ oleo Sicyonio impoſitum : & ſi cum tormine ſunt inflationes,ipſas ſanat:ſed & talus ſuillus vſtus & potus tormina ac inflationes ſanat : ariſtolochia item rotũda. Verùm dolores ob alui obturationes, aut inflationes ob craſſiciem aut ob frigiditatem , vinũ meracius potum poſt cibum ſanat.Si verò ſomnus acce-

H dat,etiam perfectè ipſas ſummouet.

DE CHOLERA, Cap. XXXIX.

CHolera,immoderata eſt ventris exturbatio , & infernè & per vomitum contingens,propter aſſiduam ciborum cruditatem . Fit autem cruditas quandoque ob

multam ciborũ prauitatẽ,quandoque ob prauorũ humorum redundantiã. Si quidem igitur nauſeat & lancinatur æger, manentibus adhuc cibis crudis in ventre, aquã tepidã ipſos bibere iubebimus,ac reuomere, digitis aut pennis immiſſis.Adiuuãda eſt etiã ventris excretio. Poſt ſuperfluorum euacuationem, quiete & calefactione partium circa præcordia vtendum eſt,per oleum dulce cum modico vino, aut per maſtichinum, aut nardinum, ſi hyems fuerit: & vt dormiant permittendum eſt. Poſt perfectam autem concoctionem, balneis vtendum eſt,& cibis boni ſucci.Si verò euacuatio immoderata fiat,ſufficiunt in principio etiam ea quæ libro ſecundo de ventris exturbatione dicta ſunt. Perſeuerante verò lationis impetu, & ventre collabente,& pulſu imminuto ac denſato, cataplaſma adhibeatur ex palmulis, cum œnãthe, & acacia, & hypocyſtidis ſucco ac malicorio. Detur autem aquæ moderatè frigidæ cyathus ſorbendus.Melius autem eſt ſi decoctum fuerit roſarum,aut œnãthes,aut rhois, aut pampinorũ vitis. Aut mali Punici acidodulcis ſuccus detur, modica mentha inſperſa. Si verò acriora fuerint quæ excernuntur,ardore ac ſiti accedẽte,cucumeris ſemen dãdum eſt cũ aquæ cyathis tribus:intybáque ac lactucas coctas in poſca, in cibo accipiant. At ſi lationis impetus ſiſti non poſſit, vinum aliquod auſterum dandum eſt,non febrientibus Palmatianum,aut Aminæum, aut ſpathites, aut omphacomelites:febrientibus verò,ex malis Punicis, rhoites appellatum, aut myrtites, aut Cebyraticum hydromelum, & in potu, & cum micis, aut alica,aut chondro.Si verò frumentacea edulia auerſentur,ex fugacibus fructibus aliquos manducantes, meſpila videlicet, aut pira,aut mala Cydonia,aut mala Punica, id quod carnoſum ac durũ eſt expuant: quòd ſi cibum non contineant, cucurbitã maximã leuem ſtomacho affigant, & hac incumbente, ex aliquo ex relatis nutriantur. Cæterùm ad conuulſorias contractiones, oleo imbuta linteola calida muſculis circundare oportet,& cerata liquida,quæ & caſtorii & Sicyonii quid habeant.Ante hæc verò,artus calida aqua perfundantur. Si verò vigiliis vexentur,ad vigilias deſcriptis vtantur: &,ſi vires non prohibeant, medicamentum quoque ex papaueris capitibus bibẽdum detur.Declinatione verò contingente, ad balneum perducantur,& reficiantur pullis gallinaceis,aut columbæ, aut pedibus ſuillis, aut ſimilibus. Quin & alui profluuium, quod ciborum corruptio eſt, plerunque ſua ſponte ſedatur,ſi non alantur ipſi vſque ad perfectam concoctionẽ, ac euacuationem eorũ quæ corrupta ſunt. Si verò perſeueret,vtendum eſt iis quæ ad choleram relata ſunt.

DE LAEVITATE INTESTINORVM, & cœliaca affectione, Cap. XL.

QVum duplex ſit inteſtinorũ læuitas,altera ob ſuperficiariam inteſtinorum vlcerationem, vel (vt aliqui ſentiunt)ob cicatricem ex dyſenteria plerunque, aut ex aliis fluxionibus obortam: altera ob facultatis cibum retinentis in ventre debilitatem:ſecundam differentiam arbitror cum cœliaca affectione copulandam eſſe. Nam in hac,debili exiſtente ventre ad cõcoquendos ac diſtribuendos cibos,læuia & cruda ac liquida egeruntur, aluo in omnibus fluxione laborante. Verùm in læuitate inteſtinorum,& tranſitus ciborum velox fit, & cruditas magis intẽta eſt,vt acceptus cibus manifeſtus fiat:& per hæc maximè à cœliacis diſcernuntur.Imponendum igitur ipſis eſt lini ſemen cum palmulis.Egregiè facit etiam lentiſcus & rubus,ſi in aceto mulſo coquantur.Si verò etiam inflatio adeſt, cuminum & anethum & ruta admiſceãtur. Augeſcente autem fluxione, adiicimus etiam mala Cydonia,alumen liquidum, acaciam, hypocyſtidem, gallam:aut quædam ex his,aut omnia. Cerata faciunt ex oleo myrteo,cum aliquo vino adſtringente.Epithemata autem,calidiora,& quod ex baccis lauri paratur, & quod ex ſeminibus.Magis autem adſtringunt, & quod ex œnãthe fit,& quod ex vinaceis,& Antylo inſcriptũ. Sed & id quod Erythrion inſcribitur mirificè facit. Diuturno verò euadente morbo, etiam dropace ad ventrem vtendum eſt,& cerato ex ſinapi, & ipſo ſinapi. In potiones conueniunt,ſimplicia quidem, plantaginis ſemen, rumicis ſe-

A men, malicorium, ſorba ſicca, vua Aminæa acerba ſicca,trium obolorum pondere: febre carentibus,cum vini auſteri cyathis ſex: febrientibus, cum aqua pluuiali. Minus autem ſtomachum offendit ventriculus gallinarum ſiccus potui inſperſus. Sed & vrinam cientia, apium, adiãtum, & ſimilia,ſi bibantur,fluxionem tranſferunt.Ex compoſitis autem eſt ſigillum Polyidæ, & paſtillus ex ſuccino,& ex ſpina Ægyptia, & Clidion appellatum,& ex ſeminibus cõſtans.Sed & hoc optimum eſt:Seminis rumicis ſylueſtris vnciam vnam ſemis, ſeminis B plantaginis vnciam vnam, ſucci hypocyſtidis drach. ſex,gũmi aut acaciæ drach.tres.Excipe malorũ Cydoniorũ decocto ad tertias redacto. ALIVD. Cumini,piperis,rhois Syriacæ,balauſtii,ſingulorũ vnciã vnam ſemis, malicorii vnciã vnam,ſilphii vnciæ dimidiũ,aut pulueris eius ſicci drach.vnã: inſpergito in potum,aut aceto mulſo admixto,dato mane ac veſperi. ALIVD. Myrti baccarum nigrarum cochlearium vnum ſemis, aniſi roſarũ ſiccarum,œnanthes,ſingulorum cochlearii dimidiũ,palmulas viginti:fac paſtillos,& præbe drach.vnam cũ aqua, C aut vino diluto.Theriaca quoque è viperis optimum iis auxilium eſt.Cibus,ſi acris & bilioſa eſt excretio,ex alica, chondro & oryza, ac ſimilibus ſit,ita vt adſtringentium quid ſimul coquatur,pirum, malũ Cydonium,meſpila & ſimilia.Coctum quoque lac his conuenit. Potus autẽ, vel vinum aquoſum tenue,aut aliqua ex iucũdis ſit potionibus. Si verò pituitoſiora excernant,ad cõtraria cibũ trãſmutamus, & ſemina quædam ſtomacho grata admiſcemus,aniſum,aut cuminum,aut apii ſemen:ſed & lenticula bis cocta ſæpe ipſis profuit,comeſta cũ modico aceto, D aut aceto mulſo: braſſicæ quoque & ipſæ bis coctæ. Præſtat autem ſecundam ipſorum cocturam in poſca facere. Vinum verò vetuſtius ac calidius bibant.

DE TENESMO, Cap. XLI.

TEneſmus aliquando dyſenteriam præcedit,aliquando etiam ipſe ſolus non diu durans ceſſat. Eſt autem affectio,ad excernendum promptitudo, quæ differri ac deuitari non poteſt,nihil educẽs præterquam pauca cruentum aſpectum habentia, aut etiam mucoſa, quæ fere totius morbi ſunt cauſa:& inflammatio laxi tumoris in E inteſtino recto oborta, incumbentis ſtercoris ſuſpicionẽ ipſis præbet,quòd excretionem quærat. At verò Galenus narrat etiam lapidem quendã per ſedem excretũ eſſe circa teneſmi affectiones. Sæpe verò etiam ob ſtercoris obturationem in tenui inteſtino conſiſtentẽ, teneſmus ſequutus eſt, ex adſtringẽtibus & meatus obducẽtibus amplius augeſcens: verùm ex infuſis per clyſterem acrioribus,velut eſt aqua mulſa cũ ſale,aut ex aliquo aluum molliente per os accepto (velut ſunt damaſcena, aut caricæ, mercurialis,ſerum lactis)ſtercore excreto, ſtatim ſedatus. F Citra igitur eiuſmodi cauſam teneſmo oborto,conuenit inflammationem cruda ordeacea farina calida,& irrigationibus ex vino,& oleo myrteo,aut roſaceo,aut omphacino,ad lumbos ac pectinem adhibitis mitigare, & mucoſa quæ inteſtino recto infarcta ſunt,per aquæ mulſæ infuſum detergere. Sed & muria infuſa per clyſterem, ſæpe quod opus fuit effecit. Satis autẽ eſt vt ſalis drach. ſex in heminam calidæ aquæ iniectis muria fiat. Mitigare verò oportet dolores ac diſtentiones per inſeſſus fœnigræci, aut maluæ,aut ſeminis lini. Sæpe verò & hic inceſſus ſuc- G ceſſum habuit: Rubi, myrti, floris mali Punici, lauri & cupreſſi ramulorum viridium, ſingulorum æquas portiones coquito in aqua:eſt autem Marcelli.At in profundo ſi eſt inflammatio ac irritationes, frumentacei ſucci cum aliquo aſtringente cocti infundantur: ſed & oleum dulce infuſum & pluribus horis retentum, dolorem ſoluit.Si verò frequens ad egerendum ſurrectio fiat, etiam glomerem ex ſtaminibus calidis ſedi apponant,aut furfures calidos in faſciculum deligatos,aut ſpongiam, aut tale quippiam.

H DE DYSENTERIA, Cap. XLII.

DYſenteria eſt exulceratio inteſtinorum, quandoque ex teneſmi tranſmutatione,aut alicuius ex relatis alui exturbationibus ortum habens: quandoque verò ipſa affectionem auſpicatur, & in ipſa excretiones fiunt pri-

mùm bilioſæ, variæ: deinde pro ratione cruentæ, & ad [A] finem ſanioſæ, quales à mortuis corporibus defluere ſolẽt. Quæ verò ab atra bile initiũ ſumit dyſenteria, lethalis eſt, cum exulceratione cancrum indicans. Si igitur vlcerationis ſigna ſtercori admixta excernantur cum doloribus ac torminibus, in tenuibus inteſtinis vlcerationem eſſe ſcito, quæ auxiliis per os acceptis maximè opus habet. Si verò ſine mixtura ſtercus exeat, craſſorum eſt inteſtinorum vlceratio, quæ infuſis per clyſterem magis cedit. Quum verò multi ſanguinis per ſe excretio contingit, affectionem ipſam, ſanguinolentam dyſenteriam vocant. [B] Excernitur tamẽ quãdoque etiam ſanguis nigrior quàm pro natura ſua, & ſplendidus, hepate non probè concoquẽte alimentum quod diſtribuitur: quin & ob debilitatem retentricis aut alteratricis ipſius facultatis, excernũtur per ventrem ſimilia carnium recens mactatarum loturæ. Hepaticam autem hanc vocant dyſenteriam; de qua in ſermone de hepate dicetur. In communi igitur, iis quæ ad cœliacos & alias præter naturam excretiones relata ſunt, vtendum eſt: priuatim verò Lemnium ſigillum, etiam depaſcendo proſerpentem iam dyſenteriam ſanat, & potum, [C] & per clyſterem infuſum, inteſtino prius per aquam mulſam eloto, deinde per muriam: & portulacæ ſuccus, commodus eſt dyſentericis potus. & ipſa portulaca cocta in poſca, comeſta. Conuenit etiã plantago, & rubi fructus ac folia, & radicis althææ decoctum, hippuris ex aqua aut vino pota, & ſuccus ipſius. mori immaturus fructus ſiccatus: & hoc magis rubi mora ſimiliter ſiccata. Siccant etiam fluxiones per aluum, oua aceto cocta & comeſta: melius autẽ eſt ſi miſcueris ipſis aliqua ad dyſenteriam commoda, & in ſartagine fricta ad edendum dederis. Vtiliſſimum eſt [D] ad hæc omphacium, rhus ruber, & ſuccus ipſius, malicorium, galla, vinacea, meſpila, myrti baccæ, corna, cochlearum integrarum vſtarum cinis. Compoſitum verò hoc: Cochlearum cineris partes quatuor, gallarum partes duas, piperis partem vnam: in puluillum redacta obſoniis inſpergito, aut in aqua, aut vino albo bibẽda dato. Generoſè auxiliatur hoc dyſentericis quibus nõdum putredinoſum factum eſt vlcus: ſed & canum qui oſſa comederunt ſtercus ſiccum, cum lacte per candentes ſilices immiſſos feruefacto potum, magnopere prodeſt. Compoſita verò, [E] paſtillus ex ſpina Ægyptia, & Philippi paſtillus, & qui fit ex cornu ceruino, & qui ex ſeminibus, & trigonus: & ex macere catapotia admiranda ſunt. Optimus eſt & hic, opii, croci, licii Indici, acaciæ, rhois, thuris, gallæ, hypocyſtidis, malicorii, myrrhæ, aloes: ſingulorum æquales portiones aqua excipe, & obolos tres præbe. ALIVD. Rhois drach. octo, gallæ, malicorii, ſingulorũ drach. quatuor, dato cochlearium vnum ex vino. ALIVD. Rhois drach. 8, gallæ, acaciæ, gũmi, ſingulorũ drac. 2: opii drach. 1. dato drach. vnam, in vino diluto. Eclegma verò ipſis conuenit hoc: [F] Myrti nigræ baccarum ſextarius vnus, rhois Syriaci ſextarius vnus, palmularum Thebaicarum lib. duæ, carnis malorũ Cydoniorum libra vna, mala Punica acida cum ipſis corticibus decem. Vini adſtringẽtis ſextarios duodecim coquito ad tertias, & excolato, ac iniicito mellis lib. ſex, & ad ſpiſſitudinem coquito, ac delingenda dato. Manifeſtum verò eſt quòd etiam cataplaſmata ex adſtringentibus erũt, quorum materiam habes. Infuſa autem per clyſterem dyſentericis commodãt, propter teneſmos vexantes, ſuccus oryzæ, aut alicæ, aut alicu- [G] ius huiuſcemodi, cum adipe caprino aut hircino, & quæ in capite de teneſmo relata ſunt. Si verò ſanguis deſtillat, infundatur ſuccus polygoni, aut plantaginis, cum acacia, aut hypocyſtide, aut tali quopiam. At ſi res vrgeat, etiam ex ſanguinem ſiſtentibus aliquod infundatur, velut eſt cinis lanarum ſuccidarum, aut ſpongiæ nouæ, pice liquida, aut ſanguine bubulo, aut alumine liquido, aut ſtercoris aſinini ſucco imbutæ, & vſtæ. Sed & Andronis paſtillus bonum medicamentum eſt, & Muſæ inſcriptus, & conſimiles. Sed & ſubdititia collyria ex efficaciſſimis exiſtunt, maximè in quibus etiam dolores circa excretionem fiunt. [H] Vlcere verò depaſcente circa inteſtina conſiſtente, quod & fœtore & putredine eorum quæ excernuntur cognoſcimus, & quòd non ſtatim ab initio, ſed poſt tempus fiat, cruſtam inducentibus infuſis vtemur: velut ſunt paſtilli Fauſtini appellati, & qui ex charta fit, & bithynus, & thronius, & qui ex ſubere paratur, per lenticulæ aut alicuius ex adſtringentibus decoctum, per clyſterem infuſi. Sed & hoc infuſum ex iis eſt quorum multam experientiam feci: Omphacitidis vſtæ, (eſt autẽ cauum illud ex quo quercina glans enaſcitur, quo coriarii vtuntur) auripigmenti, ſymphyti, rhois Syriaci, ſingulorũ æquales portiones. De his contuſis cochlearia duo excipe ſucco oryzæ, aut ſucco anchuſæ, quæ ſpinoſum & latum ac nigrum folium habet, quam chœroſpelethron, *id eſt iugerum porcinum*, vocant: & candido ouorum: ita vt de ſingulis ex æquo ſextantem aut quadrantem accipias: & per clyſterem immitte. Epithemata verò faciunt quæ ad cœliacos relata ſunt. Sed & ventris illitiones, quæ adſtringentem ac ſiccantem materiam habent, cum aliquo ex glutinoſis, gummi, thure, glutine, polline, in iis quæ cataplaſmatis ſimiles ſunt locum habeant. Cibus iis ab initio ſit lac ouis permixtum, deinde ex frumentaceis ſorbitiones, per ſe & cum lacte coctæ. Ipſum quoque lac moderatè coctum optimum eſt. Olerum vſus non eſt neceſſarius: attamen guſtanda dentur, ſeris cocta, intybus, & plantago, & braſſica bis cocta: & ex fructibus adſtringentes, carnibus ipſorum ſputo reiectis, aut iis quæ alias inteſtina exaſperare poſſunt. Si verò multa fuerit calida intemperies, etiam intybus crudus detur, & aquam frigidam ſorbeant. Reliquus verò potus ſit aqua pluuialis. Languente verò ſtomacho, etiam vinũ, poſtea verò etiam de volucribus ſicciores & concoctu faciles ſumant, & balneis vtantur dulcibus. Si verò ab ipſis fluxione infeſtentur, ſpongiam magnam, aut panis ſiliginei micas, vino Aſcalonite aut aliquo adſtringente calido imbutas, per totum ſuperiorẽ ventrem imponito, deligato, atque ſic lauare iubeto.

DE COLICA AFFECTIONE, Cap. XLIII.

COlon, quod craſſi inteſtini pars eſt, exortum quidem à dextera lateris mollitudine habet, fertur autem ad ſiniſtram inſtar cinguli: verùm dolores huic grauiſſimi fiunt, ob plures cauſas. Aut enim ob craſſũ ac pituitoſum humorẽ intra tunicas ipſius intercluſum, aut ob ſpiritum craſſum ac flatuoſum qui tranſitũ non habet, aut ob inteſtini inflammationem, aut ob acres ac mordaces humores. Qui igitur ob craſſum ac pituitoſum humorem dolent, his dolor per totum abdomen in profundo ſentitur, maximè circa coli ſitum; doloris ſenſu velut à terebellæ perforatione contingente. Tormina autem hos vexant, & ructus, & nauſeæ, & vomitus omnigeni, maximè pituitæ: & venter ipſis ſiſtitur adeò grauiter vt neque flatus pertranſeat: excretum verò quandoque ſtercus bubulo ſimile videtur, leue, & flatu plenum. Præcedit in his maximè frigidorum ac craſſi ſucci eduliorum aſſidua ingeſtio, repletióque ac cruditas, & ocium, & quæ his conſona ſunt. Iis autem qui ob ſpiritum flatuoſum dolent, tenſionis magis ſenſus contingit: qui verò ob inflammationẽ, feruoris in loco ſenſum percipiunt, & febris adeſt non ingeneroſa, ſuppreſſióque ſtercoris & vrinarum, & pulſus vexat circa ventrem, & ſitis ac ardor hos infeſtat, & nauſeæ, & bilis magis vomitus, nihil alleuantes: & in ſummã, grauiſſima hæc eſt ex colicis affectionibus, tranſitionem ad voluulum minans. At ob acres ac mordaces humores dolentibus, quemadmodum etiam iis qui ob inflammationem, ardor & ſitis & vigiliæ adſunt. Febriunt autem omnino, aut minus quàm illi, & acre lotium emittunt, & billioſa egerunt, & ſæpe in alui egeſtione magis dolent, & calidiorum eduliorum ac potuum ingeſtione magis exacerbantur. Dolores igitur ob frigidos & viſcoſos ac craſſos humores ſanare conuenit, non vehementer calefaciendo. nam à calfacientibus multum diffunduntur, & magis inflantur tales humores. Conuenit igitur ipſos ſecare ac cõcoquere per ea quæ flatus diſcutiũt, & attenuant, ac ſiccant, citra vehementem caliditatem, ab initio morbi. Stercoribus igitur ex ventre per conuenientia infuſa prius eductis, infundendum eſt oleum in quo coctum eſt cuminum, aut ruta cum adipe anſerino,

aut gallinaceo, aut radicum cucumeris ſylueſtris decoctum, cum myrrhæ drach. vna, & melle, ac oleo. Sed & oleo ſæpe communi infuſo pituita vitrea coexcreta ſtatim dolorem ſedauit. Si verò ob doloris vehementiam, etiam infuſum retineant, glandula indatur ex melle, cumino, nitro, rutæ ſemine ſicco: aut braſſicæ caulis probè deraſus, & muria maceratus, aut braſſicæ cinis melle ſubactus, aut colocynthis trita cum melle & nitro ac cumino. Sint autem glandulæ digitorum ſex, quò muſculum adſtrictorium tranſgrediantur. Illinatur etiam ſedes cyclamini ſucco, cum melle & nitro, aut centaurio cum melle & nitro. Dolore perſeuerante, ſupra relata infundatur reſinæ terebinthinæ vncia vna, aut opopanacis drach. vna, aut galbani drach. quatuor, bituminis tantundem, cum nitri drachma vna & aquæ vncia vna, & olei rutacei quincunce, aut amplius. Irrigationes autem partibus dolentibus adhibeantur ex oleo rutaceo, aut anethino, aut Sicyonio. Cataplaſma fit ex medicamento triſpermo, cum cumino, baccis lauri, apii ſemine. Epithemata ſint, & quod ex ſeminibus conſtat, & quod ex baccis lauri, & quod ex meliloto paratur, & polyarchium: inſideant autem in decocto fœnigræci, althææ, chamæmeli, artemiſiæ, anethi, lauri, & ſimilium. Sed & in oleum calidum, aut aquam & oleum demittendi ſunt. Potiones ſint abſinthium & cuminum, æquis portionibus: aut panax cum aqua, aut caſtorium & aniſum, aut piperis drach. vna, cum aceto mulſo. Dolore verò non remittente, medicamentum ex tribus piperis generibus bibendum detur, aut theriace: ſed & ſinapiſmo & dropace vtendum eſt in remiſſionibus & balneis naturalibus. A balneis autem aquæ potabilis abſtineant, niſi ob doloris afflictionem cogantur: quando ſanè præmiſſo aliquo ex relatis medicamentis lauare oportet, & iubere vt calorem admittant intra feruidos parietes, inſperſis quibuſdam nitroſis ſmegmatis. Si verò dolor vehemẽs eſt, etiam moderatè mitigantibus vtendum eſt: velut eſt paſtillus ex caſtorio, tum infuſus, tum potus, & medicamẽta eiuſdem generis. Nam vehementia ſtupefactoria vitanda ſunt, vt quæ ad breue quidem tempus mitigent, diuturniorem autem affectionem faciant, eo quòd materiam craſſefaciunt, & inteſtini meatus denſant. Attenuata verò iam pituita, per hieram amaram ipſos purgamus, aut per hæc catapotia: Aloes, euphorbii, grani Cnidii puri, ſcammoniæ, ſingulorum æquales partes. Dantur huic ſcrupuli duo. Victus autem calidior ac ſiccior his conuenit, vt qui ab initio à cibo abſtinent, poſtea verò etiam acrium eſum aſſumunt. Porrum igitur his dandum eſt coctum cum condito, & apium, & aſparagus paluſtris, alliũ crudum, maximè iis qui hæc non moleſtè admittunt: & ipſum conditum bibant, & panem ex ipſo accipiant. Poſt ea verò etiam reliqui boni ſucci & concoctu faciles cibi ipſis dentur, ita vt vitent repletionem & cruditatem. At ſi fuerit ſpiritus flatuoſus qui dolorem efficit, poſt infuſa & potiones flatus diſcutientes, etiam cucurbitæ maximæ leues, ignitæ, per totum ſuperiorem ventrem affixæ, ad curationem ſæpe ſuffecerunt. Si verò inflãmatio in inteſtino fit, venam in cubiti flexura ſecabimus: &, ſi vrinæ difficultas inualeſcat, etiam eam quæ ad malleolum eſt ſecabimus: & relatis auxiliis vtemur, exceptis acribus ac vehementer purgantibus. Verùm mitigantibus magis infuſis, & cataplaſmatis, & irrigationibus, & demiſſione in oleum vtemur, cucurbitáſque etiam his affigemus. Ceratum quoque ſuperiori ventri imponemus, quod habet ceræ quincuncem, olei chamæmelini ſextantem, roſacei ſextãtem, farinæ fabaceæ vnciæ dimidiũ, vitellos ouorũ quinque, cum ſucco ſeminis lini trito. Victum autem tenuem & febricitantium ipſis conſtituimus vſque ad inflammationis ſolutionem. Quòd ſi ob acres & mordaces doleant humores, infundatur ipſis oleum in quo coctum eſt fœnumgræcum, aut althæa, cum ſimplici adipe recenti anſeris aut gallinæ, aut etiam ptiſſanæ ſuccus cum roſaceo, aut ſuccus ſeminis lini. Detur ipſis in potu amara ex aloe antidotus: & balneis vtantur aquarum dulcium: & cibis ſorbilib⁹ ex alica, aut ptiſſana, piſcibúſq; petroſis: & in ſumma totus victus humidior ſit ac frigidior. Abſtineant autem ab acribus omnibus eduliis ac pharmacis, & ab irrigationum ac cataplaſmatum fomento, viniq; potu, & præſertim veteris. Inualeſcente verò dolore, etiam ſenſum ſtupefacientibus vtendum eſt. Minimè enim præ aliis has affectiones lædunt, vt quæ tenues & mordaces humores craſſefaciant, & moderatè perfrigerent. Porrò arbitror etiam eam quæ nũc inualuit colicam affectionem, ex talibus humoribus generatam eſſe, quæ ab Italiæ quidem regionibus initium cepit, ſed & in aliis multis Romanæ reipublicæ locis graſſata eſt, peſtilenti quadam diſtributione: in qua pleriſque ad morbum comitialem, aliis ad artuum reſolutionem, ſeruato ſenſu, quibuſdam ad ambo, delapſus contigit. Et qui quidem ad comitialem delapſi ſunt, plerique perierunt: qui verò ad reſolutionẽ, plerique ſeruati ſunt, velut in iudicatione cauſa tranſlata. Sic igitur ægrotantes medicus quidam in Italia curauit, incredibili quodam ac temerario frigefactorio victu conſtituto. Lactucas enim ipſis exhibebat non coctas, frigefaciens ipſas, intybáque ſimiliter ſupra ſatietatem edenda, vuas item & mala, & piſces duræ carnis, omniáque teſta intecta, & pedes bubulos, & bulbos, & ſimilia, nõ ſolùm potentia ſed & tactu frigida. Vinum verò rarò, aliquando tamen dabat, & frigida aqua miſcebat. Sed & frigidam aquam, aut etiam poſcam frigidam dabat; ab omni alio calido ac medio cibo abſtinens: & plurimos hoc modo præter omnem opinionem ſanauit, & ex his aliquos qui iam ad comitialem aut reſolutionem delabi cœpiſſent.

DE VOLVVLO, Cap. XLIII.

QVVM acutiſſima & doloroſa affectio ſit volulus, habet quoddam ſymptoma periculo grauius: nam ſuperati miſerrima morte pereunt, ſtercus tandem per os reddentes. Cõflatur autem affectio ex cruditatibus & obturationibus, vbi corrupta permanſerint, & ex venenoſis medicamentis, & ex inteſtinorũ ad ſcrotum delapſu, & ex inflammatione inteſtinorum, plerunque colica affectione malum auſpicata. Pueros igitur irrigationibus, cataplaſmatis, infuſis, glandulis, & fomentis, velut de colicis dictum eſt, curabimus: adoleſcentibus autem & in vigore conſtitutis, venam ſecabimus citra dilationem, repetita ſanguinis detractione: ſin minus, cucurbitas affigemus per totum ſuperiorem ventrem multas & leues: ad dolentes verò partes, etiam cum ſcarificatione. Defricentur autem & conſtringantur ipſorum artus, & tunc efficaciora infuſa adhibeantur, & in oleum calidum demiſſiones, antidotíque ac purgationes, & in ſumma, omnia ad colicos relata, exceptis iis quæ adhibentur ob acres ac mordaces humores colum dolentibus. Mirificè verò facit, etiamſi vomant, anethum coctum ac potum: poſt potum verò, pane in calidam aquam iniecto, ſtatim calida fruſta edenda dato. Cibũ verò non continentibus, rhoen & cuminũ ſimul trita, in aceti mulſi cyathis ſex bibẽda dato. At eos qui ex veneno accepto in voluulũ inciderunt, ab aquæ calidæ potu ad vomitum cogere oportet: (habes autem omnium venenorum acceptorum notas libro quinto) deinde bibendum detur oleum calidum, aut iuſcula pinguia, vt rurſus vomant. Poſt aliquot dies etiam theriace detur. Perſeuerante verò obturatione, lacte ſciſſo cum modica ſcammonia, aut aloe, aut aliquo purgatorio aluũ euacuato. Si verò ob delapſum inteſtini in ſcrotum affectio facta eſt, ſtatim ipſis ſurſum vergente figura reclinatis, delapſum inteſtinum ad inguen retrudemus, & ligamento hoc retinebimus.

DE RENVM AC VESICAE AFFEctionibus, Cap. XLV.

De calculo.

ORdinem hunc docendi perſequi nos cogit morborum cognatio. Commune enim eſt colicis, & lapidẽ in renibus habentibus, vt & ab initio aluus ſit adſtricta, & vehementer doleant, & cibum faſtidiant, & non concoquant, & tormina habeant. Proprium verò colicis quidem, vt hæc omnia magis intenta ſiant: nephriticis verò, minus: & quòd colicis circa dexteram lateris mollitudinem magis ſint dolores, & aſcendant ad ſtomachũ vſque, & hepar ac ſplenẽ: & quòd ſtercus penitus ſit ſuppreſſum,

vt neque flatus penetrent,& ſi ad neceſſitatem ipſum ex-
cernant, quòd flatuoſum ſit, ſimiliter velut bubulum : &
quòd aliquando pituita vitrea excernatur,& vrina copio-
ſior ac pituitoſa reddatur. Nephriticis autem dolor circa
ipſos renes firmatus eſt grauis, inſtar pali impacti:& teſtẽ
è directo dolent, & torpor femoris è directo fit ; raróque
ſua ſponte aluus excernit omnino autem infuſis per cly-
ſterẽ immiſſis, flatus & ſtercus bilioſus, vrinæ verò pau-
cæ & arenoſæ magis reddũtur,& meatus vrinarius eſt ad-
ſtrictus. Hæc ſunt calculorum in renibus ſigna,quæ in vi-
ris perfectis magis fiunt : at calculorum in veſica coa-
ctio,pueris magis fieri ſolet. Notæ horum ſunt, cruda &
ſubalbida vrina cum arenoſa ſubſidentia. Fricant aſſiduè
ac contrectant pudendum,& arrigunt,& aſſiduè ad vrinã
reddendam vrgentur,& vrinæ ſtillicidium habẽt. Mate-
rialis igitur calculorum generationis cauſa eſt craſſus ac
terreus humor : efficiens verò, feruida renum aut veſicæ
caliditas. Cæterùm ad renes,atterentibus calculos, & ſe-
cantibus medicamentis vtendum eſt,abſque hoc vt ma-
nifeſtè calfaciant. Talia autem ſunt,aſparagorum regio-
rum radix,& rubi radix,& vitrum vſtum, & graminis ra-
dix,& adiantum, & bdellium,radicis lauri cortex,althææ
ſemen,citer nigrum arietinum,lapides ſpongiarum,ace-
tum ſcilliticum,phu, meon,aſarum,carpeſia, ſaxifraga,ſi-
on & comeſtum & potum, cardui radix,eryſimõ,& prio-
nitis. Balneis etiam aſſiduè vtantur,& poſt balneum ſta-
tim aliqua ex relatis bibant: irrigationibus quoque & ca-
taplaſmatis, & fomentis ac inſeſſibus laxatoriis ac miti-
gatoriis vtẽdũ eſt,ex colicis ipſa trãſferẽdo. Cõpoſitæ po-
tiones ſunt:Rutæ ſylueſtris, maluæ ſylueſtris, & apii radi-
ces:coquito in vino, & expreſſum liquorẽ aqua tẽperato,
& cyathos 2 bibẽdos dato. Inſperſile verò hoc eſt:Fructus
balſami,lapidis ſpongiarum,pulegii ſicci,ſeminis maluæ
agreſtis, ſingulorum æquas portiones contundito, & co-
chlearium vnũ cum vini diluti cyathis duobus dato. Sed
& ſiccatus ſanguis hircinus,& cicadæ ſiccæ ſine alis ac pe
dibus, & lapis Iudaicus ſiue tecolithos ex vino mulſo, in
calido balnei ſolio dentur, & quæ ex ipſis parantur com-
poſita medicamenta, & poſca nephritica, & condita ad
hoc compoſita:Quin & troglodytes laudatiſſimum auxi-
lium exiſtit. eſt autem auicula ſiue paſſerculus omniũ vo
lucrium minimus,ſolo regulo excepto. Nam vt paruus ſit,
illo tamen ſolo maior eſt,& ipſi ſimilis,colore inter cine-
reum & cumvirore pallidum,tenui roſtro præditus,in pa
rietibus maximè ac ſepibus degens. Hic totus ſale ſerua-
tus, & crudus aſſiduè comeſtus, & calculos natos per vri-
nam expellit, & de cætero generari vetat. Sed & vſti to-
tius viuentis vnà cum pennis cinis, totus per ſe, & cum
pipere & folio modico,ex vino mulſo potus,idem effice-
re ſolet. Cæterùm ad dolorum acumen,& vigilias,antido
tus Sotira & Philonis,bona ſunt pharmaca. Venæ quoque
ſectio adhibita,ſæpe dolorem leuat, velocem lapidis ex-
cretionem faciens. Præſeruantia verò à calculi generatio-
ne ſint primùm boni ſucci,& moderatus cibus, & exerci-
tia:deinde à leguminum omnis generis, & à frumenta-
ceorum aſſiduo vſu prohibeantur, & à caſeo ac lacte, &
obſoniis quæ ex ipſo parantur. A vino item nigro, & car-
nium multitudine,& in ſumma, ab omnibus craſſi ſucci
cibis abſtineant, & à valde calidis & acribus,hydrogaris,
inquam,ac conditis, & ſimilibus. Hæc enim non ſolùm
nondum generatos lapides concreſcere prohibent, ſed e-
tiam iam generatos atterere & excernere ſolent. Bibant
autem acetum mulſum cum aliquo ex ſimplicioribus v-
rinam cientibus, adianti, apii,graminis decocto: & poſt
balneum ieiuni,ante vinum,aquam temperatam bibant:
& in medio prandio frigidam inſuper ſorbeant, ſi nihil
prohibeat. Si vitiatorum humorum copiam ſimul ſenti-
ant, per venæ ſectionem aut purgationem euacuentur.
Omnium verò optimum eſt ad præſeruandos calculos,
poſt balneum,priuſquam vinum aut alium cibum capiãt,
aquam temperatã bibere. Porro veſicæ calculos in pue-
ris, fortioribus auxiliis conficies, quæ ex relatis deliges.
Nimium verò aucto lapide, aut etiam iuxta veſicæ col-
lum obturato,catheteris inſtrumento,aut etiã lapidis ex-
ſectione vtendum eſt,velut in chirurgia dicetur.

De inflammatione.

A Si renum aut veſicæ inflammatio fuerit, quæ & ex fer-
uore loci cum grauitate & dolore cognoſcitur : & quòd fe
briunt, & mente mouentur,& vomunt bilioſa meraca,&
meiere non poſſunt,& præſertim veſica inflammata, ve-
na ſtatim ſecetur. Et mitigatoriæ irrigationes,ac catapla-
ſmata ex ruta & anetho, & fœnogræco, & althææ radice,
adhibeantur : & per clyſteres infuſa ex oleo, papauere, &
adipe anſerino. In veſica autem & opii obolus dimidius,
cum myrrha & croco & oleo,in ſedem immittatur. Aqua
B etiam mulſa ipſis præbibenda detur, ita vt abſtineant à
fortibus vrinam cientibus,& multo potu : præterquam ſi
acris & bilioſus humor in ipſis redundet : tunc enim &
multo potu vtendum eſt,& aceruatim, ex aliquo vrinam
cientium citra mordacitatem. Bibant item de ſeminis
lini partibus duabus, amyli parte vna, cochlearium v-
num ex aqua: cucumeris quoque ac peponis ſemen acci-
piant. Si verò feruoris ſenſum circa renes percipiant, lin-
teola ipſis iniiciantur ex vino & roſaceo,aut aqua, & ro-
ſaceo, aut melino, aut ceratum ex cera,& roſaceo, & cha-
C mæmelino,aut melino, & vitellis ouorum compoſitum,
cum modico aceto aut polygoni ſucco. Poſtea verò e-
tiam emplaſtro ex ſuccis cum chamæmelino vtẽdum eſt.
Abſtinẽdum autem à valde calidis, propter mutationem
in pus,& à valde frigidis. nam ab his renes facilè in ſcir-
rum indurantur. A balneis quoque inflammatione in-
ſtante abſtineant,& victu febricitantium & inflammatio
nem arcente vtantur.

De abſceſſu & vlceratione vrinariarum partium.

D Dolores circa laterum mollitudines, & horrores inæ-
quales, & febres inordinatæ, abſceſſum in renibus ſigni-
ficant:verùm circa veſicam abſceſſum, ſupra relata indi-
cat etiam dolor circa locum. Affectum autem renem
comperies ex eo quòd in ſanum latus decumbens ho-
mo,ex oppoſito dolet,velut rene dependente : in quibus
inſeſſibus ex aqua & oleo vtendum eſt, & cataplaſmatis
ex polline, oleo, ac reſina, aut ex erui farina cum melle:
aut ex naſturtio,aut fimo columbino,cum caricis. At ve-
rò pus per vrinas excretum,abſceſſus ruptionem & vlcus
E in parte eſſe indicat. Quandoquidem verò etiam abſque
abſceſſu partes vrinariæ vlcerantur, ob vaſis ruptionem,
aut corroſionem ex materia acri,aut ex lapidis deraſione,
diſtinguenda eſt vlceratio in renibus ab ea quæ in veſica
eſt, aut iuxta vrinarios meatus, hoc modo : Renibus ex-
ulceratis circa lumbos dolent cum grauitate, & citra im-
pedimentum vrinam emittunt, & pus vrinis admixtum
reperitur,carnoſis particulis in ipſis innatantibus. Veſica
verò vlcerata, pectinem & imum ventrem vehementer
dolent, & ægrè vrinam eiiciunt, & pus poſt mictionem
F deorſum ſubſidet, & ſquamæ in ipſo graueolentes aut la-
minoſæ feruntur:furfuraceæ verò ſubſidentiæ ſcabioſam
eſſe veſicam ſignificãt. At meatibus vrinariis vlceratis, &
puris admixtio medio quodam modo ſe habet,& pilis ſi-
milia magis in vrinis ferũtur, & dolor in medio loco in-
ter renem ac veſicam fit. Si verò pus aut ſanguis excerna-
tur,etiam citra vrinarum emiſſionem, nullius relatorum
ſed pudendi vlceratio indicatur. Qui igitur partes vrina-
rias exulceratas habẽt,aquam mulſam aut fœnigræci de-
coctum præbibant cum melle,aut cucumeris ſemen cum
G paſſo. Qui verò pus mingunt, eis detur Armeniaca bo-
lus, aut ferularum vſtarum cinis, quantum tribus digitis
prehendi poteſt, cum paſſo. Lactis quoque potus ma-
gnopere his prodeſt. Compoſita verò hæc: Seminis lini,
ſeminis cucumeris, tragacanthæ, ſingulorum drachmas
duas in paſtillos efforma. ALIVD. Nucis pineæ nucle-
os viginti,ſeminis cucumeris ſatiui grana 40, amyli dra-
chmã vnã:excipe duabus heminis decocti nardi ac ſemi-
nis apii. Archigenes autem in epiſtola ad Atticum, ad
vrinæ difficultatem vrgentem ſe accepiſſe ait, papaueris
H albi toſti drach. vnam, inſperſam in decoctum iunci ro-
tundi odorati,aut calami,aut glycyrrhizæ. Vlceroſos au-
tẽ dolores eximit hoc: Seminis cucumeris purgati grana
triginta, nucleos pineos duodecim, amygdalas amaras
dealbatas trigintaquinque,croci quantũ ad colorem ſatis

eſt: ieiunus accipiat quotidie cum lacte,aut vino protropo. Mitius autem fiet ſi pro nucleis pineis maluæ ſemen pari mēſura accipiat:ſanare verò poteſt,inquit, vlcerationes in veſica cyphi, & cyphiformes antidoti.Ego verò in vetuſtioribus hoc vtens, non opus habui variegatiore: Chamædryos,chamæpityos, ſingulorum drach. vigintiquatuor:aſari,piperis albi, ſingulorum drach.ſeptem:cinamomi drach. vnā : leniſſimè quantum eius fieri poteſt triti cochlearia duo præbeo,ex Cretico paſſo. Si verò febriat,aquæ cyathos tres.Quòd ſi morſus vlceroſus adſit,etiam amyli cochlearia duo, & ſeminis cucumeris grana quindecim adiiciens, quod expeto aſſequor. Atque hæc ex Archigene. Sed & ex phyſalide medicamenta, & antidotus ex ſemine maluæ, & ex bellariis conſtans antidotus, commoda eſt. Ad intercapedinem ani ac ſcroti, & ad pectinem imponantur cerata ex œſypo loto, butyro, adipe anſerino,ac ſtyrace.In veſicam verò infundatur per paruum clyſterem aqua mulſa aquoſiſſima,aut lac cū paucisſimo melle,aut cum cucumeris ſemine, aut oui candidum cum pompholyge,aut aliquo ex relatis medicamentis. Vlcere verò paſcendo proſerpente, paſtillus ex charta immittatur,aut bithynus, & cataplaſma ex palmulis, vua paſſa,cū galla,acacia,hypocyſtide,alumine, imponatur.

De ſanguinis ex renibus eruptione.

Renes debiles ſæpe vrinam retinere non poſſunt, ſed ampliores exiſtentes,aliquid ſanguinis ex vena emittunt, ſimúlque alias quaſdam craſſitudines. Erumpit etiā ſanguis ſæpe ex renibus per circuitum, quemadmodum in hæmorrhoidibus: euacuati verò alleuantur. In his nihil citò interturbare oportet ſi ſanguis rurſus ſiſtatur: ſi verò perſeueret,vena in cubito ſecetur,& medicamenta ad ſanguinem ſpuentes,& alias ſanguinis eruptiones, deſtinata, etiam ad renes ac veſicam, vnde ſanguis erumpit, in vſum aſſumantur. Maximè verò ſymphyti radix,& tragacantha vino macerata ipſis detur, & polygoni ac plantaginis ſuccus cum poſca, aut amygdalæ amaræ cum paſſo: aut hoc, Aluminis ſciſſi drach. vnā, tragacanthæ drach. duas,gūmi obolos quinque:excipe paſſo.Imponatur autem cruda ordeacea farina cum poſca & roſaceo,aut cataplaſma ex palmulis,& pane ſiligineo,cum acacia, aut hypocyſtide,coctis in vino adſtringente, aut poſca. At ſanguine ex veſica erumpente, etiam cucurbitis ad laterum mollitudines ac coxas affixis vtemur.Dignoſcitur autem affecta pars,dolore circa locum,aut quòd admixtus eſt vrinæ ſanguis,aut non,velut de pure dictū eſt.Si verò grumoſus factus eſt ſanguis in veſica,cognoſces quidem hoc ex eo quòd aceruatim ſuppreſſa eſt vrina poſt ſanguinis mictionem,& quòd vibices quidam ſanguinis (velut par eſt)exeūt,aut cruentæ humiditates.Dato autem artemiſiæ decoctum bibendum,& elichryſi, aut conyzæ,aut raphani ſemen,aut ſilphii ſuccum,aut cyrenaicum,aut apii ſuccum,ſingula aceto diluta : aut leporis coagulum,aut hinnuli,aut hœdi, in aceto mulſo: aut lixiuium cum oleo. & foris ſpōgia muria aut lixiuio calido imbuta imponatur. Si verò non ſoluatur,intercapedo ani ac ſcroti ſecetur,veluti in calculoſis,& grumis ſanguinis ablatis,congrua curatio adhibeatur.

De duritia renum.

Quæ verò durities circa renes fiunt,dolores quidē non amplius exhibent, verùm videntur ipſis velut ex laterum mollitudinibus pendere.Et coxæ quidēipſis ſtupore torpent: pedum verò impotentes ſunt: mingunt pauca. toto verò corporis habitu ſimiles ſunt iis qui aqua intercutē laborant.Hos igitur mollire oporter ceratis,& malagmatis,frictionibúſque ac fomentis: & vrinam cientia exhibere,& ventrem infuſo per clyſterem ſubluere.

De diabete.

Diabetes,velox eſt eorū que bibuntur tranſitus,vt quæ talia minguntur qualia pota ſunt.Quapropter etiam immodicè ſitiūt,vnde & dipſacos appellata eſt affectio quæ conflatur vbi debilis eſt facultas retentrix renum, fortis autem magis attractrix, quæ totum corpus humore priuat ob immodicam caliditatem. Aduerſus hanc igitur inſtantes,cibos plures & ægrè commutabiles,& non adeò humectos dabimus,velut eſt alica cum roſato,aut rhodomelo,aut hydromelo, aut vino non vetere,aut aliâs calido aliquo:ex oleribus intyba, ſeridem,lactucas. Ex piſcibus petroſos:& pedes ac vuluas ſuillas,pira item ac poma, & mala Punica.Bibant autem frigidam:præbibant etiam polygoni ſuccum,& helenium in vino nigro,& palmularum ac myrti baccarum cremorem. Cataplaſma adhibeatur præcordio ac renibus, ex polenta in aceto & roſaceo: item ex foliis vitis, cotyledone, helxine ac portulaca. Sudores ipſis excitentur, & vomitus,ex aquæ frigidæ potu: & ab omnibus vrinam cientibus abſtineant.Neque abſurdum eſt ab initio venam ſecare.

De vrinæ ſtillicidio, eiúſque reddendæ difficultate.

Si neque inflāmatio,neque calculus, neque aliud quicquam ex relatis adeſt,& acris fuerit vrina, & totus habitus, aut etiam reliqua ſigna bilem oſtendunt, ob hanc ſanè aut vrinæ difficultas, aut eius ſtillicidium conſiſtit: & oportet alterantibus ac temperantibus hanc vti, ptiſſanæ ſucco,piſcibus,balneis,& victu congruo, ita vt ab acribus abſtineamus,& à vino,ac exercitiis,& ab iracundia,& tarda cibi acceptione.Si verò vrinarum tenuitas, & albedo, ac reliqua ſigna frigidam indicant intemperiem, vinum calidum conueniet,& condita,& vrinam cientia medicamenta ac cibi,& inſeſſus calidiores. Si verò ſupra albedinem etiam craſſiores appareant vrinæ, pituitoſum humorem eſſe opinandum eſt qui veſicæ collum obturauit: & oportet aceto mulſo vti,& hyſſopo, ac pulegio,aut origano,aut thymo,aut ſilphio, coctis in aqua mulſa,& irrigationibus calidioribus. Siue autem humor craſſus, ſiue lapis,ſiue grumus, aut eiuſmodi quiddam obſtructionem induxit, & vrinarum tranſitū impedit, catheterem adhibere oportet,ſi non inflammatio partis adſit. At verò vrinæ in febribus difficultatem ſanat irrigatio ex rutaceo, aut anethino, aut veteri oleo. Si adſtricta ſit aluus,fœnigræci aut maluæ decoctum infundatur: inſideántque etiam hi in aquam & oleum, aut in decoctum quoddam ex relatis ſpeciebus cum oleo. Ceratum verò ipſis conuenerit hoc: Maluæ ſylueſtris radices in oleo Sicyonio cum modica aqua coquuntur,donec torrefiāt, & ipſæ quidem abiiciuntur:ad oleum verò admiſcetur rutæ ſuccus quarta parte,& ceræ,& caſtorii quod ſatis eſt. De reſoluta veſica,ad quam aliquando vrinæ difficultas, aliquando inuoluntaria vrinæ excretio ſequitur, in tractatione de reſolutione antea dictum eſt.

De permingentibus ſtratum.

Laxatio muſculi circa veſicæ collum, hāc affectionem inducit: quapropter pueris maximè contingere ſolet. In communi igitur corroborantibus quàmmaximè vtendū eſt,velut vinum ac oleum calidum eſt,ac conſimilia, ita vt vitemus vehementer frigefacientia, magis verò concalefaciamus ipſos, quantum eius fieri poteſt. nam perfrigeratio velut reſolutionis imaginem repræſentat. Naturaliter autem hæc efficacia ſunt: Galli guttur vſtum ieiuno bibendum dato ex aqua calida, aut leucanthemi flores ſimiliter,aut leporis teſtem deraſum in vinum odoratum bibendum dato, aut calamintham & myrrham ante cœnam bibēdas dato, au rutæ ſylueſtris ſemen toſtum bibendum dato ad triduum: illinatur etiam pudendum ipſius Cimolia terra cum ſucco perdiciadis.

DE HEPATIS AFFECTIONIBVS, Cap. XLVI.

QVVM varias ſuſtineat hepar affectiones,(nā & debilitate,& inflammatione,& igne ſacro,& induratis ſcirris,& abſceſſibus,& vlceribus, & obturationibus corripitur) primùm de debilitate ipſius dicendum eſt, à qua propriè hepaticos vocare affectos ſolent. Si igitur in ſuccum quidem commutata, verùm liquidiora euacuentur alui excrementa, diſtributione ad hepar defectuoſius aut omnino non contingente, ſi ab affectione immunis eſt venter, attractricem hepatis facultatem debilem eſſe opinandum eſt: ſi verò ſimilia loturæ carniū recens mactatarum, alteratricem & ſanguificatricem appellatam, At ſi ob calidam debile fuerit intemperiem,

temporis progreſſū recrementum fæculentius apparet, & valde graueolens,& bilis abunde colorata craſſa.Iam verò etiam eſſentia hepatis cum ipſa colliqueſcente, & totū corpus colliqueſcit,& febriunt,& cibū faſtidiunt, & bilē vomūt : ſi verò frigida intēperies eſt,neque aſſiduæ neq; multæ excretiones fiunt.Diuturna enim eſt affectio,&per aliquos dies venter magis aceruatim erumpet:verùm minus graueolentia erunt excrementa,velut limus ſanguinis craſſi propinquus atræ bili. Quin & plures & variegatiores colores,frigidā intemperiē indicant,& febris ipſis lāguida apparet,& facies collapſa,& magis cibos appetunt. Vtra verò harum intēperierum fuerit, ſi ſicca fuerit ipſi adiuncta,ſicciora apparent excrementa , & ſitiunt magis: ſi verò humida, liquidiora ac plura, & minus ſitiunt.porro ſi inflammatum eſt hepar , dolor in cōmuni omnibus adeſt in dextro præcordio, tranſiens ſurſum ad clauiculā vſque,deorſum ad ſpurias vſque coſtas,& febris acuta, & tuſſes ſiccæ,& ſitis,& cibi inappetentia, & ſpirandi difficultas,& lingua primùm quidē rubicunda apparet,poſtea verò nigra,vomúntque bilē,& aluus ſuppreſſa eſt.Quū autem cōſimilia quodāmodo ſint ſigna etiā in pleuriticis, differentiā ipſorū in capite de pleuritide diximus. At ſi eryſipelas *ſiue ignis ſacer* conſtiterit in hèpate , & inflāmationis ardor extenditur,& exuruntur,& marcor ſuccedit. Priuatim verò ſimis hepatis partibus inflāmatis, nauſeæ, vomitus,ciborum auerſationes,flāmei ardores, & animi deliquia intenduntur. & ſæpe perfrigerantur vt aquæ præterfuſiones hinc initium ſumant: gibbis verò ipſius inflāmatis,ad reliqua relata etiam tumor manifeſtus certa deſcriptione ad viſum ac tactum expoſitus adeſt. Atque hæc quidem ſi vehemens & magna eſt inflāmatio: ſi verò obſcura fuerit, iubebimus ægrum valde reſpirare. Et ſi circa dextrum præcordium dolere ſe dixerit, moderatā hepatis inflāmationem eſſe cenſendum eſt: ſi verò iuxta incūbentium muſculorū ſitum oblōgus inflāmationis tumor appareat, nullo ex relatis præſente, illos ipſos inflāmatos eſſe cognoſcimus.Grauitatis autē cum diſtentione ac dolore ſenſus in dextro præcordio,citra tumorem ac febrē, obturationem venarū ſignificat, qua parte venæ in porta & ſimis hepatis partibus, cum his quæ in gibbis ſunt cōmittūtur. Proinde ſi in abſceſſum inflāmatio vertatur,& dolor, & diſtentio ipſis augetur,& rigores præter rationē accedunt, & in ſiniſtrū latus decūbere nō poſſunt,hepate magis dolentes.Rupto autē abſceſſu,aut per vrinas,aut per vētrem aceruata puris excretio contingit. Si verò ad ſcirrhi duram affectionē tumor trāſmutetur,dolores quidem minuuntur, tumor autem cum duritia manifeſtus eſt. corpora verò circumſita attenuantur. Progreſſu verò temporis difficilis fit cognitio : nam aqua inter cutem accedit, & totum præcordium ab humiditate cōtegitur. Ad calidā igitur hepatis intemperiē vtendū eſt perfrigerantibus ac corroborantibus viſcus moderatè; qualis eſt ſeris & cichorium,quandoque crudūm comeſtū,quādoque coctū cum coriandro. Decoctum itē ipſius potum,& ſuccus, & ipſum adeò ſiccū aquæ mulſæ inſperſum,& ad calidas & ad frigidas hepatis intemperies facit. Intybum autē troximum appellatū,& ſonchus ex cōſimilibus ſunt. Facit & citrii ſucci cyathus ex aqua mulſa;& filicis ſuccus ſimiliter.Si verò etiā cum moderata obturatione intemperies fiat; cum vino aliquo tenui & vrinam ciente, illa dato. Catapotiū verò ſumitur hoc:Cichorii drac.quatuor, radicis chamæpithyos drach. quatuor. Excipe melle cocto,& nucis Ponticæ magnitudine præbe , & aquā calidā inſuper ſorbeat: & ex opio ac hyoſcyami ſemine facta ipſis præbibenda dētur,& ipſa Philonis antidotus. In quibus autem calor intenditur,etiā roſaceū optimū aut melinum ipſis bibendum dato.Cibum verò ptiſſanæ ſuccū, aut alicam cum hydroroſato accipiant, & panem ſimiliter ex aqua cum aliqua eiuſmodi iucunda potione. Et in ſumma, cibos moderatè perfrigerantes citra obturationem ſumant: à vino in totum abſtinentes, præterquam ſi ob aliam cauſam, velut eſt ſtomachi debilitas, vtantur,& tunc tenue quoddam , & parum aquæ ferens, aquoſum ipſis detur. Sed & ignem ſacrum in hepate ſimiliter curare oportet. At verò ſi frigida eſt intemperies, per con-

A traria procedendum eſt. Panis igitur ipſis cùm vino detur, & bis aut ter cocta braſſica : caſtaneas item guſtent, & vuas paſſas, & de gallinis quod ſatis eſt, & vinum bibant. Præbibendum verò ipſis detur eupatorium,aut aſarum,& medicamentum ex pipere,& ex deſcriptis antea ad cœliacos ac dyſentericos commoda deligantur. At confectiones cyphiformes appellatæ,ad calidas quidem intemperaturas omnino non conueniunt, niſi modicus quidam calor cum largiore humiditate fiat: verùm ad fri B gidas optima ſunt auxilia,& magis ſi cum humiditate aut obturatione hepatis fiant : ſi verò à craſſis ac viſcoſis humoribus obturatio fiat,myacantha,& maximè ipſius fructus detur,& radicis lauri cortex, & eupatorium ex aceto mulſo,aut lupinorum amarorum decocto,cum ruta & pipere. Facit & farina lupinorum pota, & radicis capparis partes duæ, coſti pars vna cum vino, & medicamentum ex cacano,ad craſſorum ac viſcoſorum humorum obturationes: iris item, & piſtaciorum fructus ac cortex, & marrubium,& amygdalæ amaræ, & paſtillus ex ipſis,dra C contii quoque ac ari radix, & agaricum, & acetum ſcilliticum,& acetum mulſum. Hepar autem lupi ſiccum tritum cochlearii menſura datum, omnibus hepatis affectionibus conducit, cum vino dulci : quin & Theodoretus antidotus optimum eſt medicamentum ; & in obturationibus hepatis, & in ſcirrhis induratis,& in diuturnis inflammationibus,in colicis item,ac morbo regio : ſimiliter & picra ex aceto mulſo. Cibi porro his dandi ſunt calidiores,& ab obturatione liberantes,velut eſt porrum ex aceto mulſo,& paluſtris aſparagus; & capparis ſimiliter. Sed & reliqua obſonia cum aliquo ex calefa D cientibus ac aperiendi vim habentibus condimentis cocta. Et vinum ſit tenue ac vetus, ita vt craſſi ſucci omnia vitemus, & balnea aſſidua, & maximè poſt cibum. Diuturna verò euadente affectione, etiam venæ ſectionem ac purgationem aſſumemus,ſi nihil prohibeat. Inflammato verò hepate citra dilationem vena ſecetur de cubito dextero, & multus ſanguis detrahatur,viribus ſufficientibus. Forinſecus autem cataplaſma imponatur viſceri, ex farina ordeacea, fœnogræco; ſemine lini cum E palmulis, aut malis cotoneis, & flore meliloti, & abſinthio,ac chamæmelino. In vniuerſum ita vt mollitoriis adſtringentia admiſceantur. Epithemata verò ſint, Nili,& odoratum, & Philagrianum, & Apollophanis, & ex melilotis,& tuſile,copton appellatum. Ad maximas autem inflammationes valde multæ experientiæ hoc eſt: Comæ abſinthii, nardi Celticæ, aſari, croci, ſingulorum vncia vna:iridis,myrrhæ,ſtyracis,bdelii, ammoniaci thymiamatis,ſingulorū ſextās: medullæ vitulinæ triēs,cerati lentiſcini lib.4. Dandū etiā ipſis acetum mulſum, & ſim F plicia auxilia; velut eſt aſarum, nardus Celtica aut Indica,iuncus rotundus odoratus, petroſelinum. Et ventrem irritare oportet per vrticam & mercurialem, cocta in cibo accepta: in declinationibus etiam epithymum ac polypodiū dentur in aqua mulſa:per clyſterē quoq; aluus euacuetur,in principio ex aqua mulſa infuſa cum ſale aut nitro : verùm declinatione contingente, miſce hyſſopum, aut origanum, aut Cnicum, aut centaurium, & colocynthidem : & in ſumma, ſimæ hepatis partes per ventrem, gibbæ per vrinas,expurgantur. Cibus verò his G detur ptiſſanæ ſuccus, in quo apium coctum eſt. Quòd ſi inflammatio ſacri ignis ſpeciem præferat, curationem antea diximus. Si verò abſceſſus fiat, ruptionem eius adiuuabimus cataplaſmate ex triſpermo, cum reſina, manna thuris,pice, althææ radicibus, fimo columbino, ſtercore caprino. Præbibendum verò detur decoctum polii, fumariæ circa ſepes naſcentis ad tertias redactum. item thlapſis decoctum, aut cichorii, & radicis chamædryos. Ruptione autem facta aqua mulſa, & quæ ad vlceratos rhenes relata ſunt. Forinſecus emplaſtrum H Mnaſææ, & reliqua mollitoria, & Iceſium imponatur, aut quod ex ſalicibus conſtat. At ſi in ſcirrhum induratum eſt hepar, modica curationis ſpes eſt, ad aquam inter cutem affectione tranſlabente, attamen ad mollitoria admiſcenda ſunt ammoniacum, bdellium, medullæ,& adipes,& quæ his parem vim habēt. Bibenda ve-

rò dentur quæ ab obturatione liberãt,& extergunt ipſum viſcus, velut eſt piper: vrinã cientia, & calculos atterentia: cũ iis quæ paulo ante ad hepatis obturationẽ relata ſunt: ciborum quoque eſu conuenienter exhibito.

DE MALO HABITV, Cap. XLVII.

PRincipium affectionis hydropicorum, malum habitum vocare conſueuimus. Curare verò ipſum oportet venæ ſectione, ſi nihil prohibeat, partita ſanguinis detractione, ad tertium vſque ac quartum diem faciendo detractionem. Euacuandi autem maximè ſunt qui ob hæmorrhoidum aut menſium purgationis ſuppreſſionem, in affectionem collapſi ſunt: quemadmodum qui ob plenitudinem humorum, à venæ ſectione abſtinere debent. Omnino autem purgandi ſunt per hieram ex colocynthide. Victus tenuis ſit & reſiccatorius: & naturalium aquarũ vſus aſſumatur, aluminoſarum ac nitroſarum magis, deinde ſulphurulentarum. Reliquum verò balneum ex longioribus interuallis aſſumant, & variis modis ſe exerceant, maximè per iatraliptas, *unctionis doctos medicos*. poſtea verò etiam veratro vtantur. Mirificè ipſis prodeſt & abſinthii præpotatio, & ſinapiſmi, & dropaces. Si verò ad hydropem affectio delabatur, ad hydropicorũ curationem deducatur, iuxta modum qui referetur.

DE AQVA INTER CVTEM, Cap. XLVIII.

HEpate vehementer perfrigerato, quandoque primaria affectione, aut inflammato, aut in ſcirrhum indurato, aut alio quopiam modo affecto, quandoque per cõſenſum cũ aliis partib⁹ ſanguificationis ſucceſſus nõ contingit, & vocatur affectio Aqua ĩtercus. In qua aliquãdo flatus copia cum pauciſſima humiditate coaceruatur, inter membranam peritonæum appellatã, ac inteſtina, adeò vt ſi verberetur ſuperior venter, inſtar tympani ſonitum edat. Vnde etiam tympanites hydrops vocatur, conflatus ab inflatione circa ſtomachum, & ventrem, & colon, & à febribus diuturnis. Quandoque verò etiam à duritia peritonæi mẽbranæ, aut vteri in mulieribus, aut ſcirrhi indurati: aliquãdo verò vice verſa, humoris copia cum pauciſſimo flatu in iiſdem locis coaceruatur, velut in vtre quodã cõprehenſa. Vnde affectio Aſcites hydrops nominatur, conflatus & ipſe ex relatis cauſis. Plerunque verò à duritia & ſcirrho, circa ſplenẽ & hepar, & à diuturnis circa inteſtina fluxionibus, in quibus ventrẽ in tumorem eleuari contingit, reliquum autem corpus alimentũ non ſentiens conſumi. Quandoque verò etiã per totã corporis molem frigidior ac pituitoſior ſanguis continetur, qui interdum ab hepate talis adfertur, interdum etiam omni corporis parte velut exaqueſcente generatur, adeò vt album ac pituitoſum appareat corpus, mortuo ſimile: & vocatur Leucophlegmatias hydrops ſub carne, aut intercus, conflatus à longis febribus, & malo ſtomachi habitu, & diuturnis hæmorrhoidibus ſuppreſſis, & à fluxu muliebri, & ſpirandi difficultate, & vigiliis præter rationem obortis, & ab aliis his ſimilibus cauſis. Curãtes igitur ipſos, in communi quidem ab euacuatione initium facimus: verùm in aſcite ac tympanite, per medicamentorum aquã ducentium exhibitionem: in intercute verò, per venæ ſectionem, maximè ſi ob hæmorrhoidũ aut menſtruæ purgationis ſuppreſſionem conflata fuerit affectio: niſi, dum in malo habitu conſtituti fuerunt, venæ ſectionem præmiſerint. Et tunc igitur velut in malo corporis habitu euacuationem partiri oportet. Deinde bubulum bouis armentarii ſtercus ſiccum exactè tritum, in poſca aut aceto mulſo coquito, & ſulphuris quarta parte inſperſa, toti ventris capacitati imponito: aut caprinum ſtercus, in vrina pueri aut capræ, ad ſtrigmenti ſpiſſitudinẽ redactũ impone. Hæc per vẽtrẽ ſummè ipſos purgãt: quin & ex fermẽto cataplaſmatis, & ex caricis, & calce, & nitro, & iride, & naſturtio, & ſulphure viuo, & ammoniaco, laurique baccis ac ſtaphide ſylueſtri: & ſylueſtrium columbarum ſtercore, aut omnibus aut quibuſdam ex his aſſumptis, cum aceto mulſo vtendum eſt. Poſt hæc epithema ſpongiola appellatũ, ex caprino ſtercore, mirificè humiditatẽ euacuat, tũ per obſcuros meatus, tũ per vẽtrẽ. Poſtea verò reſiccãtia emplaſtra imponãtur, id quod ex ſalicibus conſtat, iceſiũ, tonſoris, ex baccis lauri: aut epithema polyarchiũ, aut ex ſeminibus. Sed & hoc mirũ in modũ efficax eſt. ex profundo enim abripit humiditatem. Lapidis pyritæ drach. duodecim, ſulphuris viui drach. duodecim, ãmoniaci thymiamatis drach. duodecim, cumini drach. ſedecim, nitri drach. 12: excipe modicã cera ac terebinthina, & pelli inducta per totum ventrẽ impone. Præbibenda verò ipſis detur ſambuci radix in vino cocta, aut cucumerem ſylueſtrem in vino auſtero maceratũ, ad triduum dato, ita vt de vino cyathum vnum bibat, additione quotidie facta vſque ad cyathos tres. Multæ verò mixturæ hoc eſt: Balſami, nardi, caſiæ, cumini, glycyrrhizæ, hyperici, iunci rotundi odorati, aſari, dauci, amomi, ſmyrnii, petroſelini, calami aromatici, piperis, ſeſelis, ſpõdylii, ſingulorum æquales partes. Facit & vnumquodque ex his per ſe: ſimiliter etiam omnia vrinam cientia. Citra grauitatem verò vrinã ciet ſcilla aſſata, cum melle trita, & velut eclegma delingẽda exhibita. Poteſt etiam aquis quæ bibuntur incoqui. Bonum eſt & hoc: Internæ ſcillæ partis lib. duas in vini auſteri ſextariis tribus ad tertias coquito, & de vino bibendum dato quotidie, initio à myſtro facto vſque ad vnciam vnam. Optimum eſt & hoc ad ciendam vrinam: Aluminis liquidi magnitudinem fabæ aqua diluito, & per linteũ excolato, & ad triduũ, aut alternis diebus bibendũ dato. Cõuenit etiam his picra ex aceto mulſo, & antidotus Theodoretus, & ex amaris amygdalis paſtillus. Cæterùm aquã ducẽtia plura ſunt, experimẽto verò cognita hæc: Grana Cnidia quadraginta aut quinquaginta, aut lathyrides viginti vel triginta: aut euphorbii ſiliquæ quinque, aut 7. Aut ſquamæ æris drach. duæ, aut tres. Excipiuntur micis panis, & in catapotia efformantur. Aut corticis radicis ſambuci ſuccus potus cum condito. Aut foliorum chamelææ, & ſquamæ æris, & aniſi ſingulorum pares partes dato ex aqua, ab initio quidẽ drach. vnam, interpoſito autem interuallo, etiam duas & plures. Sed & hæc catapotia admiranda ſunt: Aloes, euphorbii, grani Cnidii, ſingulorum vnc. vnam: rhei vnc. dimidiũ: excipe braſſicæ ſucco, & catapotia efforma. Dato de his ſiliquas ſeptem aut nouem. Quin & antidotus ex caryophyllo mirificè aquam ducit. Sed & vt vinum aquã ducens ipſis demus conandum eſt. Eſt autem optimum hoc. Scillæ quadrans, ſeminis apii, capparis radicis corticis, piperis, ſingulorum drachmas quatuor, grani Cnidii decorticati drach. vna, folii malabathri pilulæ duæ. Vini optimi heminæ duodecim, mellis crudi lib. ſex: contuſa ac cribrata vino macerantur: ſcilla verò ſimul conteritur. Dantur huic cyathi tres. At poſt humoris euacuationem, etiam theriaca vtendum eſt. Bubuli quoque ſtercoris vſti cochlearii menſura, quotidie ex vino pota, magnopere prodeſt. Infuſis etiam per clyſterem vtendum eſt, niſi aluus ſua ſponte liquida egerat: tunc enim magis reſiccare ipſam conuenit. Porro in mulieribus hydropicis, etiam peſſo hoc ſubdititio ad vuluam vtendum eſt: Aniſi, cardamomi, cumini, nitri, ariſtolochiæ, fœnigræci, pulegii, ficuum internæ partis, ſingulorum pares portiones: ſuſino excepta apponantur. Poſt hæc etiam naturalibus balneis vtendum eſt perſeueranter, & arenæ ingeſtione: ab aliis verò balneis abſtineant, & vbi lauerint, in balneo vtãtur inſperſionibus ex nitro, ſale, ſinapi, calce, ac ſimilibus. Atque hæc quidem etiam citra balneum commoda ſunt, ſi ſicca cum oleo ventri affricentur. At in hydrope ſubter cutem, etiam aliis partibus ſe exerceant, quantum eius fieri poteſt, & ſicca frictione in ſole vtantur. Sed & reliquus victus ſiccior aſſumatur. Salſamenta igitur edant, & ſinapi, & allium, & ex volucribus ſylueſtres ac ſiccas. Et ex oleribus aſparagum, gingidium, porrum, ſinapi, caucalidas, & reliqua ſylueſtria: & ſalem theriacum aut Iamblichi obſoniis aſpergant. Vinóque vtantur veteri, tenui, vrinam ciente, &, ſi adſit, mari mixto: ita vt ab omni largiore potu abſtineant, & ab aqua in totum. Si verò cum febre conſiſtat hydrops, ab omnibus calidioribus & acrioribus eduliis ac auxiliis abſtinendum eſt: verùm mixtim his vtendum, aduerſus id quod vrget

inſtando.Cæterùm in tympanite hydrope,& purgatoria, & quæ totum corpus colliquant tollantur, & quæ efficacius vrinam cient. Quæ verò flatus attenuare ac diſcutere poſſunt,intrinſecus ac extrinſecus vtenda dentur:& cucurbitæ leues aſſiduè toti ventri affigātur. Qui verò hydropē aſciten habent, ſi nō relatis ceſſerit auxiliis, ad perpunctionem deducantur, quæ nulli alii hydropi conuenit.

DE SPLENE, Cap. XLIX.

QVum ſplen ab hepate trahere ſoleat atrabiliariū humorē,qui velut ſanguinis fæx exiſtit, ſi quidē attractoria huius vis debilis fuerit, aut obturatus meatus per quem prius illum traxit, ictcrus niger conflatur,dum ſanguis impurus per totum corpus fertur. Verùm ſi quidem grauitas aut diſtentio fuerit circa ſplenem, aut etiam dolor,obturatio indicatur: ſi verò nihil horum,attractoriæ facultatis debilitas. Vomitus autem atræ bilis,abſque febre & alia malignitate contingens, retentricem ſplenis facultatem debilem eſſe indicat. Expulſoriæ verò ipſius facultatis debilitas inappetentiā inducet, dum non amplius atrabiliariū recremētū ad os ventris affertur,appetentiámque excitat. Quòd ſi atrabiliarius humor in ipſo ſplene obturatur,primùm quidē inflāmatio huius fit, quam & feruor & dolor & tenſio indicat: poſtea verò etiā in ſcirrhū induratur,vbi feruor quidem ac dolor ceſſauit, manet autem tumor ac duricia.His igitur & os graueolens fit, & gingiuæ corroduntur,& vlcera in cruribus abſque cicatrice manant. In quibus hepate coaffecto, velut diximus, hydrops oboritur: intemperies itaque ipſius ſimiliter velut hepatis curabimus. Inflammatione verò præſente, vena de ſiniſtro cubito ſecetur,aut circa ſummam manum,eo quòd ex lōgiore diſtantia reuulſio fiat, aut etiam ob naturalem quandam cognationem.Deinde imponantur cataplaſmata attenuantia citra manifeſtam caliditatem,ita vt etiam nunc aliqua aſtringentia admiſceamus. Talis autē eſt ex ſua natura ſalis flos appellatus. Eſt & hoc cataplaſma admirandū:Fœnigræci triētem,farinæ ordeaceæ,naſturcii, ſingulorum vnciam vnam,ſicuum pinguium libram vnam, herbæ verbenacæ ſiccæ vnciam vnā: ficus aceto acerrimo macerare oportet, & cum aliis prius contuſis coquere, & poſtea rurſus coquere:aut ſtercus caprinū cum cruda ordeacea farina in poſca coctum imponito.Habeat autem,ſi voles, etiam ſalis florem.Vbi verò prius cyprino cum aceto modico foueris,vtere malagmatis primùm ſimplicioribus, quale eſt hoc:Ceræ ſeſquilibram,adipis taurini libram vnam,nitri quadrantem,terebinthinæ,ſeminis viticis, corticis radicis capparis,ſingulorum quincuncem:coctis quæ liquari poſſunt,ſicca inſpergito.Sed & Nili malagma optimum eſt.Si verò inflammatio in ſcirrhum delabatur, fortioribus vtendū eſt,vt etiam cutem lancinent,quale eſt quod ex ſtercore caprino paratur,& citrinum, & Machærionis, & Tonſoris,& quod ex lauri baccis conſtat,& quod ex ſalicibus.Hoc verò etiam ipſe cum ſucceſſu expertus ſum: Auripigmenti ſextantem,ſandarachæ ſextantem, ceræ,terebinthinæ,ſingulorum libram vnam, picis ſiccæ libram vnam,galbani vnciam vnam,opopanacis vnciam vnam, corticis radicis capparis, myrobalani, ſingulorum trientem,ammoniaci thymiamatis ſexuncem,nardini aut cyprini quadrantem. Sed & ammoniacum cum aceto illitū ſpleni ſæpe profuit.Itémque potum ſcrupulorum triū aut quatuor pondere, cum caſtorii ſcrupulo vno, in balnei ſolio, vbi caricas præmanducarunt ac exſpuerunt. Aut ammoniaci partem vnam,caſtorii partē vnam:dato drachmam vnam. Hæc,etiam in ſcirrhū induratis proſunt, quemadmodum etiā capparis cortex aceto tritus ac impoſitus:qui etiā bibitur cū aceto,aut aceto mulſo, & craſſos ac viſcoſos humores euacuat: quandoque verò etiam ſanguinem.Salicis quoque cortex ſimiliter illinitur.Facit & cinis ex officina fabrili, cum cruda ordeacea farina impoſitus ex aceto mulſo.Et centaurii ſuccus forinſecus impoſitus,& potus.Et lupinorum amarorum decoctum, cumruta & pipere potum, & farina ipſorum pro cataplaſmate impoſita. Et aqua in qua ſæpe ferrū extinctum eſt, febrientibus per ſe data,cyathorum triū menſura: non fe-

A brientibus, cum vini & aceti cyatho vnō. Aut rumicis ſylueſtris radicis cum ſcilla obolos tres, aut chamædryos aut ſerpylli acetabulum,omnia cum aceto,aut aceto mulſo:aut anagallidis cæruleum florem habentis ſucci obolos duos cum poſca bibendos dato. Aut acetum ſcilliticum,aut acetum mulſum.Compoſita verò hæc: Radicis panacis,ammoniaci thymiamatis,corticis radicis capparis,herbæ lanariæ,ſcillæ aſſatæ internæ partis, ſingulorum æquas portiones permiſce,& præbe drach.vnā.facit & ad anheloſos ac hydropicos. ALIVD. Myricæ fructus drach.quatuor, piperis drach. quatuor, ſpicæ nardi drach.duas,ammoniaci thymiamatis drach. duas: vtere cū aceto ſcillitico,& præbe drachmā vnā ex aceto mulſo.

B

Ad induratum ſplenem.

Cyclamini drach.viginti,bryoniæ drach. tres, dictamni drach.duas,ſcillæ aſſatæ drachmas octo,herbæ lanariæ drach.ſex,radicis capparis drach. ſex: dato de his paſtillū trium obolorum cum aceto mulſo. Quin & ex erica paſtillus commodus eſt.Cibi horum ſint attenuantes,acres, ſicci, & parciſſimus potus. Exercitia item ac frictiones & ſinapiſmi aſſumantur: quandoque etiam cucurbitæ cum ſcarificatione.

C

DE MORBO REGIO, Cap. L.

MOrbus regius,icterus appellatus,diffuſio eſt bilis in toto corpore contingens,quandoque atræ, (de quā in ſplenicis diximus)quandoque flauæ. Differentiæ verò horum plures ſunt, quorū cauſæ & dignotiones hæ ſunt: Si enim ex febrili morbo aceruatim obortus regius morbus ſedauerit febrē,iudicatorius eſt, materia ex p rof ūdo extrinſecus tranſlata conſiſtens, neque medicamentis opus habens,ſed ex balneis ac moderata frictione citò decedens.Si verò cum febre fiat & bilioſis egeſtionibus, & grauitas ſit circa dextrū præcordium inflammatio feruens indicatur ipſius hepatis,ob quam bileſcens ſanguis per totum corpus fertur. Si autem citra grauitatem feruor ſit in ipſo,ob ſolā calidam intemperiem hepatis, affectio conflatur.Si verò citra febrem fiat,ſintque albæ alui egeſtiones,veſicæ bilem ſuſcipientis affectio indicatur,aut meatibus ipſius obturatis, ſi quidem grauitas eſt circa dextrum præcordium:aut abſque hac, viribus ſuis debilitatis,ſiue attractoria eius qui ex hepate trahit, ſiue expulſoria eius qui ad inteſtina expellit. dum enim non purgatur ſanguis bilioſus, in totum corpus diſtribuitur: quemadmodum in nigro ictero diximus. Statim autem his etiamvrinæ bilioſiſſimæ abundè coloratæ prodeūt. Fit etiam ictetus ob intemperiem calidam ſolidorum corporum,dum in bilem mutantur ea quæ alimenti ratione ad ipſa deferuntur:quemadmodū in hydrope ſubter cutem conſiſtente, ad pituitoſam humiditatē tranſmutatio fit. Talis autē morbus regius cognoſcitur ex eo quòd non aceruatim ſed particulatim fit, nullo relatorū præſente.Quin & ex venenoſi medicamenti potu,& propter venenum extrinſecus ex aliquo venenum eiaculante allabens,morbus regius conflatur.Calidæ igitur hepatis intemperiei,& inflammationis ipſius,& facultatum debilitatis curationem, antea in tractatione de ipſo recēſuimus,quæ etiam citra permutationem huc tranſferenda eſt,vt ne eadem ſæpe dicamus. Obturatis autem veſicæ bilem ſuſcipientis meatibus vtriſque,aut altero ſolo, vena ſecetur in cubito dextero.Quidam verò & in his,& in illis qui ob inflammationem hepatis morbum regium cōtraxerunt, venam prope paruum digitum dextræ manus ſecant.Cataplaſmatis autem inflammationem arcētibus vtendum eſt,& ipſi per hieram purgādi ſunt. Commodi ſunt etiam clyſteres.Præbibēdum verò detur morbo regio affectis,apii,aut adianti,aut rumicis,aut ſerpylli ad tertias decoctorum decoctum: aut abſinthium potui inſpergatur. Summè verò faciunt ſucci raphani cyathi duo, cum vini cyatho vno poti: itémque ſucci cichorii cyathi duo aut tres,per ſe,& cum vino. Verùm ob hepatis inflammationem ictericis vinum mulſum bibendum præbe,aut decoctum ariſtolochiæ tenuis, aut hyperici,aut adiāti,aut herbæ lanariæ,aut rubiæ tinctorū: aut ramenti cornu ceruini drachmam vnam cum vino: aut paſtinacæ in vino ad tertias coctæ decoctum,aut ſulphu-

D

E

G

G

H

ris viui drach. vnam in ouis ſorbeant. Hæc etiam ob obturationē ictericis magnificè proſunt. Seminis autem attriplicis ſcrupuli octo, cum chryſattico aut alio paſſo, in balnei ſolio poti, ſufficientem euacuationē faciunt. Rectè etiam picra datur, & arida, & ex aceto mulſo conſtans, & Theodoretus antidotus, & ex amaris amygdalis paſtillus. Dato etiam cinamomi quantum tribus digitis prehendi poteſt in vini mulſi cyatho vno, aut aqua temperata, aut myrrhæ magnitudinem fabæ, cum piperis granis quinque, parique cinamomo. Qui verò ob calidā ſolidorum corporum intemperiem icterici ſunt, ſimplicibus frictionibus, & exercitiis moderatis, & vnctione, & balneis vtantur, & humectante ac moderatè frigefaciēte victu, ptiſſanæ ſucco, intybis, ſeride, cichoriis, piſcibúſque, ac vino tenui aquoſo. Cæterùm de iis qui ex veneni potu, aut ob venenum eiaculantium morſum, ad hanc affectionem deuenerunt, libro quinto dicetur. Porro bile circa oculos & faciem recepta, elaterii erui magnitudinē cum lacte muliebri inſtilla in naſum in balneo, & ſtatim in ſoliū dimitte, ac præcipe ne caput mergat, & poſt balneum refectorio victu dato, rurſus in nares infunde in ſole. Facit & cyclamini ſuccus, & marrubii, & melanthii: ſed & acetum acerrimum naribus attrahat dum ſedet in ſolio, & parumper nares cōprimat, & mirificè euacuabitur.

DE VMBILICI PROLAPSV, Cap. LI.

CAuſam & chirurgicam curationem vmbilici prominentis, in chirurgiæ tractatu dicemus. Quandoquidē verò & per medicamentorum vſum quidam ad naturalē ſtatum reuerſi ſunt, de hoc hîc dicendum eſt. Aluminis ſciſſi drach. quinque, fæcis vini Rhodii drach. decem, gallarum omphacinarum drach. duas: vino diluta, & ad mellis ſpiſſitudinem redacta impone, forinſecúſque ſpongiolam poſca imbutā ſuperadde, & faſcia deliga. ALIVD. Corticum fabæ freſæ, gallarum, balauſtii, ſingulorum æquales partes in aqua coquito. Vbi verò diſſoluta fuerint, diligenter trita imponito cum ſpongia, quemadmodum dictum eſt. ALIVD. Ramenti plumbi drach. ſedecim, cicutæ, mannæ thuris, ceruſæ, ſucci hypocyſtidis, ſingulorum drach. vnā: vino diſſolutis vtere quemadmodum dictum eſt.

QVOMODO QVIS IMPVBIS AC IMberbis diu permaneat, & de pudendorum ac teſtium cuſtodia, & ſimul pſilothra, Cap. LII.

CImoliæ terræ & ceruſſæ æquales partes hyoſcyami ſucco excipe, vt ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem habeant, deinde oleo lentiſcino quantū ſatis eſt addito cōcute, ac vtere. ALIVD. Cicutæ ſuccū, & ſolani, hyoſcyami, lupini foliorum tenerrimorū, & pſyllii, ſingulorum pares portiones terito, ac vtitor, vbi prius deterſeris ac laueris. Oportet autem prius aliquot diebus aquam bibere.

Pſilothron pilos diſperdens.

Aſellorum domeſticorum qui in globulum ſe conuoluunt drach. duas, ſandarachæ drach. quatuor, calcis viuæ drach. octo, aceti veteris cyathum vnum, lixiuii ficulnei cyathum vnum, coquito in olla, & vtere in balneo. ALIVD. Calcis viuæ partes duas, auripigmenti partes duas, cimoliæ partem vnam, coctis in aqua vtere velut dictum eſt. ALIVD ſimplex & ſine odore. Calcis viuæ ſextarium vnum, ſandarachæ vnciam vnam: coquito velut dictum eſt, ac vtere. Cæterùm depilatoria inter oculorum morbos relata habentur.

DE HERNIAE SPECIEBVS, Cap. LIII.

QVÆ ex peritonæi membranæ ruptione fiunt inteſtinorum delapſiones, valde graues ſunt: quæ verò ob rarefactionem, facilius curantur, pueris magis velut humidioribus contingētes: & multi ſanè ex iis citra chirurgiam, & per medicamenta quæ imponuntur, & per cōuenientem deligationem curati ſunt. Vtendum autem eſt ſúbſcriptis compoſitionibus, vbi hoc ſolum addiderimus, affectiones has ſolo loco differre. Quū enim adhuc ſupernè circa inguen, inteſtinum manet, bubonocele, *hoc*

A *eſt, inguinis ramex ſiue hernia*, appellatur: vbi verò ad ſcortum iam delatum eſt, enterocele, *hoc eſt inteſtinorum ramex* nominatur. Proinde malicorii drach. decem, gallæ omphacis drach. quinque, in vini auſteri cyathis tribus coquito, tritáque præfricto ac retruſo inteſtino imponito, vbi frigida aqua prius perfuderis. Et per dies decem ſoluito, ita vt in lecto maneat æger ad dies triginta, & cupreſſi decoctum cum vino bibat: aut pilularum cupreſſi obolos tres in vino diluto. Hoc medicamentum in pueris efficax eſt. ALIVD agglutinatorium. Radicis ſym- B phyti, ſucci marrubii, amygdalarum amararū, gūmi, ſingulorum pares portiones. ALIVD. Terebinthinæ vnciam vnam ſemis, ceræ, thuris, myrrhæ, glutinis piſciū cochlearū vnà cum teſtis, ſingulorum vnciam vnam, gluten ad triduum aceto præmacerato. ALIVD. Cupreſſi pilularum vnciam vnam, gallarum vnciam vnam, malicorii vnciæ dimidium, glutinis quadrantem, mannæ thuris vnciæ dimidium, ſymphyti vnciæ dimidiū, cochlearū vnà cum teſtis vnciam vnam: pilulas & malicoriū vino adſtringente diu coquito ac terito, & reliqua C admiſceto, & exceptis vtitor. ALIVD. Aloes malicorii, thuris, ſucci hypocyſtidis, glutinis fabrilis, picis, bituminis, ſingulorū vnciā vnā ſemis: vini dulcis, quod ſatis eſt. ALIVD variegatius, facit & ad perfectæ ætatis homines, malo non diuturno. Chryſocollæ, glutinis, taurini, ſarcocollæ, glutinis piſciū, lapidis gagatæ, lapidis hæmatites, rhois Syriaci coriarii, acaciæ, ſingulorū vnciā vnā ſemis: lapidis pyritæ, ſulphuris ignem nō experti, magnetis ſpirantis, aluminis ſciſſi, mannæ, thuris, ſingulorum vnciam vnam: picis brutiæ quincuncem, cochlearū vnà D cum teſtis vnciam vnā, recrementi argenti trientem, gallarum vnciam vnā, ſquamæ ſtomomatis ferri vnciam vnā, æris vnciam vnam, bituminis ſexuncem, olei myrtei, quod ſatis eſt. Vino adſtringente ſicca excipito, & manus non inquinante vtitor. Quòd ſi decumbere non ſuſtineant, triangulari craſſiore ligamento, quod inteſtinum adſtringere poteſt, ſecurè deligato. Abſtineant à flatuoſis cibis, & vino largiore, & aſſiduis balneis, & intēto motu, velut eſt curſus, ſaltatio, vociferatio, & ſimilia. AD hydrocelen, *hoc eſt aquoſum ramicem*, vt humor euacuetur. Pipe E ris grana centum, baccas lauri octoginta, nitri drach. viginti, ceræ drach. quadraginta, olei heminam dimidiam: exceptis vtere. ALIVD optimum. Floris lapidis aſii drach. ſex, vuæ paſſæ vinaceis exemptis ſextantem, cumini Æthiopici drach. octo, nitri rubri drach. octo, trita imponito, fomento mane ac veſperi adhibito. Quidam etiā ſulphuris drach. octo addunt. ALIVD. Calcem viuā ſtrigmento exceptam cum cerato impone, & parum nitri ad calcem admiſce. ALIVD. Braſſicæ radices vrito, & cinerem adipe porcino veteri eliquato excipito. Solui- F to autem per tertium diem. Quò verò non rurſus valde multa fiat humoris collectio, hoc malagmate vtere: Ceræ libras duas ſemis, picis trientē, ammoniaci thymiamatis trientem, aluminis liquidi vnciam vnā ſemis. Facit etiā emplaſtrum ex populo nigra, & reliqua attractoria.

DE TESTIVM INFLAMMATIONE, itémque ſcorti, & de aliis ipſorum affectionibus, Cap. LIIII.

SCorti inflammatio cognoſcitur ex eo quòd circa primùm manus contactum dolent, & quòd feruor ac du- G ricia intenta appareant. Teſte verò inflammato, neque ad leuem contactum dolent, ſed digitis innitentibus, & rubor & duricia circa ſuperficiem minus apparet. Si verò quis digitis innitatur, duricia in profundo occurrit, & febris aliquando oboritur. Propriè igitur teſtibus inflammatis cōuenit venæ ſectio circa malleolum: in communi verò omnibus cataplaſmata & cerata. Cataplaſma itaque imponendum eſt ex fabacea farina cocta in vino diluto, cum vuis paſſis pinguibus vinaceis exemptis: aut cuminum, aut aſphodeli radicem coctam ac tritam, ad parem H polentæ pollinem admiſceto ac imponito: aut lini ſemē in vino diluto, aut fœnumgræcum in aqua mulſa, aut lilii radicem in aqua mulſa, aut fæcem vini recentem cū polline polentæ, aut ſenecionem & coriandrum viride, cum vuis paſſis vinaceis exemptis. Si verò multus ſit feruor

folia hyoſcyami cum triticea aut cicerum farina imponi-
to, aut arundinis folia, aut cucurbitam crudam:ſi verò
diuturna eſt affectio cum duricia,cucumeris ſylueſtris ra-
dicem coctam in aqua mulſa & cum farina loliacea tritã
imponito. Sed & hoc bonum eſt auxilium. Vuarum paſ-
ſarum exemptis vinaceis quinquũcẽ, cicerum feruefa-
ctorum vnciam vnã ſemis, cumini vnciã vnã, ſulphuris
dodrantem,nitri vnciã vnã,reſinæ quadrantem & ſemun
ciam:terito omnia cum melle,& pro cataplaſmate vtitor.
Cerata verò hæc faciunt:Olei cyathum vnũ, colophoniæ
ſextuncem,plumbaginis,cumini,vuarum paſſarum, fari-
næ fabaceæ,ſingulorum trientem:ceræ ſextantem.plum-
baginem cum oleo coquito ad aliquã compagem,dein-
de ceram & reſinam adiicito, & ablata ab igne ſemifri-
gefacta,ad vuas paſſas tritas & ad farinas affundito. ALIVD. Olei anethini & roſacei,ceræ,reſinæ pinus,ſin-
gulorum quincuncem,cumini ſextantem & ſemunciam,
ſtercoris aſinini vnciam vnã ſemis : cuminum cum ſter-
core aſinino terito, & ceratum frigefactum admiſceto,ac
conterito ſimul,deinde linteo exceptis vtitor, lanam ſu-
perimponẽs,aut oleo omphacino, aut butyro & reſina,æ-
qualibus portionibus vtitor. Si verò ex ſudoribus vlcera
in ſcroto fiant,gallam tritã aut alumen pinguedini & fel-
li hircino inſperge, ac obline. At verò ad teſtes feruido
vlcere infeſtatos,vbi cimoliam terram cum aqua prius
illeuiſti, ſiccari permittito, & ablutione cum calida aqua
facta, myrtum ſiccam, & ſmyrnii parum terito,ac impo-
nito. Cæterùm carnium in teſtibus excreſcentias cinis
ſarmentitius cum nitro & aqua ſubactus impoſitus ſanat.
Si verò pruritus circa ſcrotum eſt, nitrum,ſtaphidem ſyl-
ueſtrem, alumen liquidum, aceto & roſaceo trita in bal-
neo illine: poſt balneum verò, oui candidum cum mel-
le illine.

DE SEMINIS PROFLVVIO, & eiuſdem in ſomnis effuſione, Cap. LV.

SEminis profluuium inuoluntaria eſt excretio aſſiduè
contingens,citra pudendi tentiginẽ, propter retẽtri-
cis facultatis debilitatem: in qua conuenit in quiete aſ-
ſeruare,ita vt lumbos & pubẽ lana conuoluta intingant,
vino,& melino oleo,aut œnanthino imbuta. Cõſequẽter
autem cataplaſma imponatur ex palmulis, malis, œnan-
the,acacia,hypocyſtide,& rhoe,ac ſimilibus.Inſideãt au-
tem lentiſci & rubi ac ſimiliũ decoctis in vino,aut etiam
aqua:cibis verò vtantur reſiccatoriis. Poſt prima verò tẽ-
pora ad exercitiũ deducantur, per quod & totũ corpus
& affectæ partes ad robur deducantur. Cæterùm ad ſemi
nis redundantiam facientia,ſufficienter relata ſunt libro
primo in tuendæ ſanitatis tractatione:vbi etiã de iis qui
coire nõ poſſunt ſcriptũ eſt. Verùm ad ſeminis in ſomno
effuſiones profuerit ipſis etiam lectus frigidior, & de-
cubitus in dextrum aut ſiniſtrũ latus, & quæcunque medi
camenta frigida lumbis ſublinuntur:qualia ſunt, corian-
drũ,cicuta,cerusſa,portulaca,omnia cum aceto.

DE SATYRIASI, Cap. LVI.

SAtyriaſis eſt palpitatio pudendi, ad inflãmatoriã quã-
dam vaſorum ſeminariorũ affectionẽ conſequens, cũ
tẽtigine:& ſi non deſinat palpitatio, ad vaſorũ ſeminaliũ
reſolutionẽ aut conuulſionem delabi ſolet: & pereunt ce-
leriter,conuulſi, moriẽtes autẽ ventre inflantur, & frigi-
dũ ſudorẽ excludunt. Contingit autẽ hic morbus (ſed ra-
rò)etiam mulieribus. Vena igitur ſtatim ſecãda eſt, & vi-
ctus tenuis ac ſine vino conſtituendus, & quotidie quidẽ
aluus mollienda eſt,vehemẽter nunquam, ſed placidè ac
leniter. Optima igitur eſt beta, & malua, & mercurialis
parum,& concharũ iuſculũ:non malũ eſt etiam ſimplici-
ter clyſterẽ adhibere. Verùm vrinas cientes medicinæ vi
tentur: lumbis autem frigefacientia adhibeantur, velut
eſt ſolani ſuccus,aut portulacæ, aut hyoſcyami, aut cicu-
ta. Neceſſe eſt etiam colem, & anĩ ac ſcroti intercapedi-
nem,ex aliquo mitigante frigefactorio illinere, velut ar-
genti ſpuma,terra cimolia,cerusſa,aceto dilutis,aut aqua,
aut vino dulci,aut ſapa. Decubitus ſupinus noxius eſt. Bi-
bat autem nymphææ radicem, & iridem, & adiantum.
Ruta autem & ſeminis profluuio & ſatyriaſi laboranti
prodeſt. Cibus detur frumentaceus modicus, & ſiti pre-

A mantur. Si verò perſeueret affectio, cucurbitæ affigantur
cum ſcarificatione: & ſi plenitudo adſit,etiam per hirudi
nes euacuatio fiat. Venter autẽ cruda hordeacea farina
integatur.

DE PRIAPISMO, Cap. LVII.

PRiapiſmus eſt auctio pudendi perſeuerans, in longũ
ac circulum intumeſcentis citra rei venereæ appetẽ-
tiã. Eſt autem flatuoſus ſpiritus qui membrũ tumefacit,
ex humoribus viſcoſis ac craſſis præ moderata caliditate
generatus. Manifeſtũ igitur eſt quòd partes calefacere nõ
B oportet,ſed leniter frigefacere, cerato roſaceo cum aqua
conquaſſato: & per chamæmelinũ ceratum pudendo ac
lumbis impoſitum. Victus & medicamenta adhibeantur
attenuantis facultatis, citra manifeſtam calefactionem.
Adhibeãtur etiam quæ naturaliter efficacia ſunt, per ex-
perientiam comperta. Nymphæa igitur etiam his biben-
da detur,& viticis ſemen & rutæ viridis obſoniis miſcea
tur. Ab initio verò hoc ne detur(multum enim calefacit)
ſed poſtea poſt aliorum attenuãtium vſum. Si euacuatio-
ne vtendum ſit,per vomitus fiat. Nam per infernum vẽ-
C trem contingentes,ſæpe fluxionem concitant ad vicinas
partes:ſed & exercitium & frictio aſſumatur,ad flatus diſ
cutiendos. Nulli ex relatis conuenit coitus, præterquam
in quibus ob huius abſtinentiam,ſemen redundare con-
iectamus.

DE MEMBRORVM GENITALIVM impotentia, Cap. LVIII.

QVI hanc affectionẽ habẽt,ad venerem nõ ſtimulã-
tur,& propterea triſtes ſunt. Cauſa autem horum eſt,
partium reſolutio,aut ſeminis inopia. Quum igitur ſemẽ
D generantia libro primo in ſanitatis tuendæ tractatione
relata ſint, itémque quæ ad coitum ſtimulent, ſecundum
ſimplicem facultatem, nunc fortiora apponenda ſunt.
Communiter igitur, acopis ad reſolutionem commodis,
etiam hîc vtendum eſt : priuatim verò, ſtellionem vſtum
terito,deinde addito oleo,dextri pedis magnum digitũ
illinito,ac coito:ſi verò ceſſare voles,digitum abluito:ſed
& ex ſtellionibus multæ mixturæ medicamẽtum efficax
eſt. Præbibenda verò dentur tentiginem cientia,velut eſt
primum hoc:Piperis, nucleorũ nucis pineæ,petroſelini,
E ramenti pudendi ceruini, terebinthinæ, ſingulorum æ-
quales partes excipe melle. ALIVD. Cicerum crudo-
rum,nucleorum nucis pineæ,ſingulorum ſextantem:eru-
cæ,piperis,ſingulorum vnciam vnam:excipe melle,dato
drach. duas cum vino. Sed & Satyriaca appellata multi-
plex compoſitio conueniet,& quæ his ſimilia ſunt. Con-
ſiderare verò oportet etiam alias affectionis cauſas, & cor
rectionem ipſis conuenientem adhibere.

PVDENDORVM AC SEDIS AFfectiones, Cap. LIX.

F VLcera in pudendis & circa ſedem,ſi ſunt citra inflam
mationem,valde ſiccantibus opus habent medica-
mentis,qualia ſunt id quod ex charta vſta conſtat,& ane-
thum vſtum ſiccum,& cucurbita vſta. Non humidis autẽ
& recentibus vlceribus etiã aloe bonũ pharmacũ eſt,ſic-
ca in puluillum redacta inſperſa:præ omnibus verò dolo-
rem eximit & nullo minus efficax eſt pompholyx. Si ve-
rò humidiora fuerint vlcera,pinus cortex per ſe, & lapis
hæmatites. Si autem & profunditas aliqua ipſis affuerit,
ad relata manna thuris admiſcenda eſt. At ſi nome depa-
G ſcendo proſerpat, lenticula imponatur cum malicorio.
Vtendum etiam emplaſtro coraco ex aceto mulſo appel-
lato,& paſtillo bithyno,& qui ex charta conſtat. Rimas au
tẽ in pudendis ac ſede iuuat reſina fricta cum roſaceo tri
ta,vt ſtrigmentitia craſſitudo fiat,admixto etiã oui vitel
lo,& opio: aut foliorum hederæ ſiccorum vſtorum cinis
tritus cum roſaceo in pulmbeo mortario adhibeatur. Pa-
ſtillus quoque ex vino & oleo,& qui ex lapide phrygio pa
ratur,valde commoda ſunt medicamenta & ad rimas &
ad ſordida circa coronam vlcera, & maximè quũ detra-
H here præputiũ non poſſunt. ALIVD ſimplex, quod etiã
acrimonias obtundit. Cadmiæ vſtæ ac lotæ ſextantem,
foliorũ roſarum exunguium ſexuncẽ: ſicca inſperge, ab-
luens prius vino. Ad condylomata verò facit hoc: Chal-
citidis,œſypi,cerati,medullæ ceruinæ,foliorum rubi,ſin-

gulorum pares portiones cum cerato,& paſtillus ex vino ac oleo ſimiliter. Si verò in cole intra pudendi foramen inconſpicuum vlcus fiat,cognoſcitur ex eo quòd aut pus, aut ſanguis euacuatur, citra mictionem. Curatur autem primùm quidem aqua mulſa aquoſa collutum, deinde lacte,poſtea admixto etiam ad lac Aſtere collyrio. Aut paſtillum album, aut eum qui ex loto fit, in plumbea pila tritum immittito,aut etiã pinna in eo tincta illinito: deinde linamentum tortum illitum indito. Optimum eſt & quod gallam recipit,& pompholygem, amylùmque,& aloen,æquis portionibus trita cum roſaceo, & plantaginis ſucco.

Ad dolores in pudendo.

Butyrum & reſinam pari modo liquata imponito, aut lini ſeminis ſucco pares partes myrrhæ & reſinæ frictæ terito ac imponito.

Ad tumidum pudendum.

Vitis foliorum tenerorum drach.vnam,ceruſſæ drach. quinque,trita impone. Vtere etiam aquæ marinæ frigidæ perfuſione,& quiete.& colis deligatione. Verrucas in pudendis, thymos appellatas, curat, & augeri rurſus non ſinit cinis ſarmentorum vitis cum aceto impoſitus. Item corticis ſalicis vſti cinis.In ſumma verò, verrucarum genera omnia, & thymus, & formicaria, & quæ quaſi ex chorda pendet,per medicamenta quidem vehementer exulcerantia auellentur,per putrefaciẽtia verò ac erodẽtia mortificantur. Propriè verò facit elaterium cum ſale impoſitum,groſſi cum aceto nitro, & farina, fici ſuccus illitus,ſmaridis caput ſalſum vſtum, ærugo cum ſulphure viuo vſta: tithymalli ſuccus illitus,ocymi folia cum atramento ſutorio: heliotropii magni ſemen cum vino impoſitum.

Ad inflammationem ani.

Ceruſſæ trientem, pompholygis aut cadmiæ teneræ vnciam vnã,thuris vnciam vnam, ſeridis ſucci heminã vnam. Dilue paulatim ſuccum inſtillans donec cõſumptus fuerit:deinde cerato facto ex ceræ ſextante, & roſacei libram vnã vbi eraſeris admiſce,& fortiter emollito. Immittito autem per inſtrumentum puris tractorium, & ſuperne deligato.Facit etiam ad rimas imflammatas, & ad vlcerationes ſedis,cum feruore aut morſu.

Ad ignem ſacrum circa ſedem.

Emplaſtri ex ſuccis libram vnam,roſacei quod ſatis eſt, panis puri libram vnam,croci vnciam vnam, opii vnciã vnam.Crocus & opium macerantur paſſo,panis aqua:deinde ad ipſa trita adiicitur emplaſtrum ex ſuccis, & roſaceum,& emollitur. Facit etiã ad calidiſſimas podagras. ALIVD faciens etiam ad inflammationem ani. Ceruſſam vino & roſaceo, in plumbea pila,plũbeo piſtillo tritam illine:aut ceruſſam & oui candidum, & roſeaceum in eadem pila, donec ſtrigmentitiam craſſitudinem habeant,trita illinito.

Ad ſedis dolores.

Hyoſcyami foliorum tenerorum, portulacæ foliorum tenerorum,micarum panis vino maceratarum, vitellorũ ouorũ aſſatorum, ſingulorum pares portiones, roſacei quod ſatis eſt. poſtquã fomentum adhibueris ad locũ ex roſarum ac meliloti decocto,cataplaſma imponito. ALIVD optimũ ad ani inflãmationes,& extuberantias. Ceruſſæ,ſpumæ argẽti,ammoniaci thymiamatis,bdellii, ſingulorum ſexuncem, terebinthinæ vnciam vnã, ceræ vnciæ dimidium. Arida ſucco ſolani,hyoſcyami,aut portulacæ terito:quæ liquari poſſunt,liquefacta admiſceto,& excipito, & roſaceo mollitis vtitor. Sed & emplaſtrum Phicotyche appellatum,& quod ex plumbagine paratur, & paſtillus ex loto,& ex halicacabo,& ex roſis,ad ſedis inflammationes,inter clara ſedis ac pudendorum medicamenta habentur.

Ad extuberantias ani.

Si inflammatæ ſunt extuberantiæ,& relatis in commune vtẽdum eſt,& priuatim hoc paſtillo: Ceruſſæ quadrantem, pompholygis vnc. vnã, ſpumæ argẽti ſextantẽ,maſtiches ſexuncem: excipe hyoſcyami ſucco. Si verò non ſunt inflammatæ, vino prælotis pilularum cupreſſi vſtarum cinerem inſperge: aut corticis cucurbitæ ſiccæ vſti, aut oſſium palmularum cinerem ſimiliter: aut teſtarum ouorum & fœniculi cinerem : aut mali Punicæ foliorum ſucco, pari vino albo admixto prolue ad dies ſeptẽ. Verùm ad calloſas extuberantias,calcem & auripigmentum cum aceto acri trita,in ſolẽ illinere bonum eſt.

De hæmorrhoidibus.

Si hæmorrhoides plus quàm oportet euacuantur, corporis habitum aquoſum fieri contingit,& vt praué cibos auerſentur.Periculum eſt etiam ſi larga ſanguinis eruptio fiat:quemadmodum etiam,ſi penitus ſupprimatur ,vnde operoſa eſt curatio.Quare quũ plures ſint hæmorrhoides, vnam relinquere oportet,purgationis gratia. Quædã verò ſunt quæ in ſuperiore parte non apparent,& propterea ægrè curantur.Cæcæ verò nihil quidem excernũt,verùm magis doloroſæ ſunt.Ad has igitur cyclam ini ſuccum illine,& aperiuntur.Ad eas verò quæ immodicè euacuantur,ſpinæ Ægyptiæ,ſambuci foliorum,artemiſiæ, ſingulorum quincuncem,ſideritidis trientem, in aquæ heminis octo,ad dimidias coquito. Deinde herbas quidem reiicito,ad aquam autẽ ſiccum hoc admiſceto: Melãteriæ, aluminis rotundi,ſingulorum drach. octo,ſpumæ argenti drach. quatuor, gallæ quadrantem,miſyos drach.duas, ſoreos drach. duas.Soluto hoc ſicco in decocto,ſeptiès in die irrigationem facito: ſequenti verò die ſimiliter alia facta eiuſdem ponderis præparatione,ſimiliter irrigationem facito:& tertia die eodem modo. Si verò reliquiæ aliquæ manſerint, quarta die per acum facta compunctione,ſi ſenſerint, aut ſanguinẽ ſuderint, decoctum quidem ſimiliter facito, de ſicco verò dimidium admiſceto.Vbi autem irrigaſti,cum ſicco contingito,quo exactè exurantur. Verùm propter inflammationem panem imponito. ALIVD. Panem purum in garo primario macerato,& in noua olla vſtum ac tritum imponito, abluens antea vino.Facit & ad extuberantias. ALIVD. Soreos drach. duas, chalcitidis drach.vnam, miſyos drachmã vnam,atramenti ſutorii drach. tres,aluminis ſciſſi drach.nouem, æris vſti drach. vnam, melanteriæ drach. vnam:vtere ſicco. Cibi verò ſint in iis quæ nimium euacuantur, qui paucum ſanguinem faciunt ac minimum ſuperfluitatis,ſiccantéſque ac adſtringentes,qualis eſt lota alica ex poſca,& oryza & chondrus.Ex oleribus intyba, cichorium,& portulaca,& vina adſtringentia. At in excæcatis hæmorrhoidib⁹ cõueniũt cibi his cõtrarii:maximè autem loliginũ, & ſepiarum,& polypodum, torpedinı́ſque ac cartilagineorum eſus probè commodat. Hæc enim ſanguinem turbant: ſed & quæ menſes ducunt, his commoda exiſtunt.

Ad procidentes anos.

Ericæ fructus,gallarum,ceruſſæ,acaciæ, ſucci hypocyſtidis,corticis pinus,thuris,myrrhæ minnææ,ſingulorum æquales partes,ſicca inſperge prælatis vino auſtero. ALIVD. Recrementi plumbi,rhois ſyriaci,ſingulorum drach.octo,floris roſarum drach.quatuor, myrrhæ minnææ drach. duas:vtere velut priore. ALIVD. Corticis pinus,mannæ thuris,ſpumæ argenti, ſingulorum drach. octo,pilularum cupreſſi ſiccarum,plumbaginis, ſingulorum drach.duas:vtere velut dictum eſt: & vrina ipſius ægri adhuc calida affuſa prodeſt.

DE VTERI AFFECTIONIBVS, ET primùm de menſium purgatione, Cap. LX.

PLeriſque purgatio menſium contingit circa decimũquartum annũ:paucis citius, circa decimumtertium, aut duodecimum:nõ paucis autẽ tardius quatuordecim annis.Tempus verò vnicuique purgationi ſtatutum non eſt.Multæ enim ad duos aut tres, plurimæ ad quinque dies purgantur: aliæ ad ſeptimum vſque diem: paucæ etiam ad duodecimum vſque purgatæ ſunt. Definunt autẽ purgari aliquæ circa quinquageſimum annum : paucæ vſque ad ſexageſimum: quibuſdam à triceſimoquinto anno,& maximè pinguibus,menſes definere cœperunt. Si igitur remoratur purgatio,circa præfinitum tempus lauato,& ſeſanum aut porrũ capitatum præbibendum dato,cum pipere & ruta ſimul coctis.Edat autem loligines, ſepias,polypos,& quæcunque eius generis ſunt.Priuatim enim ſanguinem turbant.

DE MENSIVM SVPPRESSIONE, Cap. LXI.

SVpprimitur menſtrua purgatio, aliquando toto corpore malè affecto, aliquando vbi vterus ipſe propriam affectionem ſuſcepit, propter loci frigiditatem, aut plagã, aut intemperiem ex natiuitate, aut ob acquiſititiam vexationem. Plerunque verò ex abortibus, & ob partem aliquam principaliorem primariò affectam, velut eſt hepar, aut ventriculus, aut thorax, aut eiuſmodi quædam in diuturna affectione cõſtituta. Suppreſſa verò, multarũ & diuturnarũ affectionũ cauſa fieri ſolet. Quum igitur ob aliquã viſcerũ interaneorum affectionem primariã purgatio intercepta fuerit, aut moram traxerit, maximè operæpretium eſt primariò affectam partem curare, & poſt ipſam vteri meminiſſe. Notas autem illarũ partium affectarum in ſuperioribus tradidimus: vbi verò nihil illorũ affuerit, manifeſtum eſt ipſum vterũ primariò affectum eſſe. Si igitur non prohibet ætas, aut habitus corporis, aut aliud quiddam, vena ſecetur non ante præfinitum menſium tẽpus, ſed præterito iam dies decem adiiciãtur. Detrahatur autem non plus duabus libris & dimidia, neque minus vna, ſi ſanè venam ſecuerimus: ſin minus, hiera ex colocynthide purgentur, duabus drachmis datis in ſex cyathis aquæ mulſæ. Febre verò præſente, hiera vti non expedit. Commodum autem eſt venã ſecare in primis febrium diebus: poſt purgationem reficiantur ad paucos dies. In ſequentibus autem exerceantur deambulationibus, frictionibus infernarum partium, & lauentur. Cibi conueniunt qui facilè cõcoqui ac diſtribui poſſunt, & olera humida ac dulcia omnia: ex piſcibus petroſi: ex volucribus teneriores: lactis potus, dulciaria ac mellita liba: vinum tenue, album, non valde vetus ineptæ ſunt carnes, & legumina, excepta ptiſſana. Vbi verò propinquũ eſt præfinitum tempus, ex marinis dentur cartilaginea ac mollia, velut dictum eſt, & teſta intecta: & porrum capitatum cum ruta & pipere coctum: & decoctum ipſorum bibant. tunc quoque ligamentis infernas partes adſtringant ad tres aut quatuor dies. Inſtante autem præfinito tempore, ligamenta quidem tollantur, præbibant autem myrrhæ obolum, aut fabæ magnitudinem, aut caſtoriũ ex paſſo, aut aqua mulſa: aut artemiſiæ decoctum, au ſaluiæ, poſt balneum ex paſſo & vino abſinthite. Abſinthites autem vinum per totam curationem præbibatur. Præterito autem tempore præfinito, & nulla aut nõ memorabili purgatione facta, ad malleolum vena ſecetur, & repetita detractio fiat: poſt ſeptimum verò aut octauũ diem, purgatione ex hiera vtatur: & poſt quartum diem dropacem adhibeat ad pectinem, lumbos ac femora. Et vbi per triduum aquam bibit, cataplaſma ex ſinapi ac pane madefacto, paribus portionibus imponat, vſque ad æquinoctii tempus, deinde lauet. Sequenti mẽſe caricæ pro pane admiſceãtur in decoctum fœnigræci, maluæ, pulegii, rutæ & artemiſiæ. In ſinum verò infundatur ſuſinum, aut amaracinum, & peſſus ſubdatur *ἐννεαφάρμακος, á nouem quas recipit rebus appellatus*, aut libanius vocatus. Eſt autem peſſus lana carpinata, & in rotunditatem ad digiti figurã redacta, in qua continentur medicamenta: atque hæc curatio plurimis ſuffecit ad purgationem. Si verò fortioribus opus habuerit medicamentis, ſunt hæc: Iris Illyrica pota cum vino, cyperus, ari radix, caſia, iunci rotundi odorati flos, nardus, radicis Helenii decoctũ, myrrhæ fabæ Græcæ magnitudo: hæc cum paſſo bibuntur, in aquæ mulſæ cyatho dimidio: & dictamni decocti cyathi duo, & ammoniacum, & ſagapenum. Quæ verò ſtomachum minus noxæ expoſitum habent, his & opopanacis parum in pilulam coactum & melle cocto tinctum dari poteſt. Quin & familiaria nobis ſemina menſes mouere ſolent, ſed minus: velut eſt fœniculum, cuminum, apium, daucus Creticus, ſeſeli, ammi, ſinon, cicer, cedri baccæ, & omnia vrinã cientia. Appoſita autem & ſubdita faciunt hæc: Myrrha, abſinthii aut lupinorum decocto trita, aut etiam rutæ ſucco trita, bdellium eodem modo, ſtyrax item & oleæ ſylueſtris gummi, cum rutæ ſucco ſimiliter, aut ariſtolochia longa ad collyrii formam exſculpta: ſimiliter etiam magni centaurii radix, aut veratri, aut ſcammoniæ ſuccus, & colocynthidis medulla per ſe, & artemiſia impoſita cum ruta, & galbanum ſuffitum: eadem etiam fœtus eiicere ſolent.

DE NIMIA PVRGATIONE vteri, & ſanguinis ex eo eruptione, Cap. LXII.

NImiæ purgationes mulieribus fiunt: quandoque dũ menſes augentur, & aceruatius feruntur: quãdoque in partu perfecto, quæ plerũque etiam ſua ſponte ceſſant. Frequenter autem & ex abortibus vehementer ſanguis erumpit, vt ſæpe periculum incurrant. Primùm igitur cõſtringendi ſunt artus ab alis & ab inguinibus. In potu verò danda eſt poſca non frigida, & poſca quoque affundenda, imponendæque locis lanæ multæ ex vino & oleo, aut roſaceo, aut melino, aut myrteo expreſſæ. Cibus detur chondrus lotus ex poſca, aut oryza, aut alica: hydromelũ quoque auſterum, aut omphacomeli, aut talium quiddã ipſis detur. Præbibant autem balauſtium in poſca, aut hypocyſtidis aut acaciæ ſuccum, aut lycium, aut Samium aſterem, aut vuam acerbam ſiccam, aut rheon, aut ſuberis ex Italico vaſe vſti cinerẽ: aut ſeſamũ edãt in poſca maceratum donec molle fiat. Appoſita verò & in pudenda ſubdita ſanguinis eruptiones ſiſtunt, hypocyſtidis ſuccus aut acaciæ, triti cum manna in aceto. Mirificè verò auxiliatur ſpongia vino aut pice liquida imbuta ac appoſita: aut vſtæ ipſius cinis cum aceto aut poſca appoſitus: ſimiliter etiam ſuberis ex Italico vaſe vſti cinis. Forinſecus autem impoſita proſunt epithemata adſtringentia, & cataplaſmata ex palmulis ac malis Cydoniis, in quæ addita ſunt malicorium, ilicis glandes, rubi virgulta, lentiſci folia, balauſtium, acacia, hypocyſtis, gallæ parum, alumen. Maximè autem hoc: Glutinum maceratur in poſca donec fuerit diſſolutum, deinde in robuſtum linteum inducitur, & lũbis agglutinatur. Efficaciter quoque ad hoc faciũt emplaſtra glutinatoria, velut eſt, Harmonia, Iceſium, Athena, Melinum, Indicum, & ſimilia. Peſſis autem vtendũ eſt ad ſanguinis eruptionem his: Gallæ internam partem tritam & thus aqua dilue, ac appone: aut flores mali Punici dulcis ſimiliter, aut polygonum tritum: compoſito verò hoc: Aluminis ſciſſi, gallarũ internæ partis, ſucci acaciæ, mannæ, ſingulorum drach. quatuor: ouorum aſſatorũ vitelli quinque: ſicca teruntur ſucco plantaginis, & miſcẽtur. Vſus autem tempore in peſſum laneum excipiuntur, & in roſaceum tinguntur, ac apponuntur. Sed & cucurbitæ leues, magnæ, ſæpe ſub mãmas appoſitæ, abunde reuellũt. Inſeſſus autẽ iis quibus ſanguis erumpit conueniunt hi, Iunci acuti capitulorum, myrti, róſarũ, rhamni foliorum, rubi virgultorum: ſingulorũ æquales partes in aqua coquito, & inſidere iubeto. ALIVD. Corticis radicis, mali Punici dulcis, myrti, corticis cupreſſi, ſingulorũ partes tres: gallæ partem vnã coquito in aqua ſufficiente. Cæterùm per clyſterem vterifuſorium plantaginis ſuccũ infundito, aut ſeridis, aut polygoni, aut ſolani, aut perdicii, aut pſyllii, aut hypocyſtidis, aut acaciæ. Indantur etiã hæc per lanam, aut digitum, aut ſpecillum, aut pennã in longitudinem formatam, vſque ad vteri oſculum. Sed & Andronis paſtillus per vterifuſorium clyſterem, cum aliquo ex prædictis ſuccis, aut cum vino adſtringente immiſſus, efficax eſt medicamentum.

DE FLVXV MVLIEBRI, Cap. LXIII.

FLuxus muliebris, eſt fluxio vteri per quã totum corpus expurgatur. Tali autem ſpecie præditum eſt id quod euacuatur quale eſt id quod redundat. Aliud enim eſt rubicundum, velut feroſus ſanguinis humor: aliud album, à pituita: aliud pallidum, ab amara bile: aliud aquoſum. Si verò aliquãdo ſanguis purus velut in venæ ſectione feratur, diligẽter animaduertere oportet ánne aliqua eroſio facta eſt in vtero. Notæ fluxus ſumũtur ex eo quòd aſſiduè loci humectantur, humoribus colore diuerſis, & ex eo quòd ægrota decolor eſt, alimentum non ſentit, cibum auerſatur, & in deambulando difficulter ſpirat, & tumidos oculos habet: & ex eo quòd aliquando cum dolore, aliquando ſine dolore fit, & aut cum vlceratione, aut citra vlcerationem, aut inflãmatã, aut ſordidã, aut puram.

Proinde toti corpori opitulari oportet,quum humida ſit A affectio, per ſiccantia citra manifeſtam calefactionem, & per frictiones totius corporis,& per vnctiones ex melle abunde cocto.Danda ſunt etiam vrinam cietia medicamenta,velut eſt aqua in qua aſarum & apium ſunt incocta: euacuandum quoque totum corpus per aluum.Ad hæc portulaca comeſta & ſuccus eius potus prodeſt, item balauſtium,rubi fructus & flos, quercus mēbrana illa quæ ſub cortice trunci eſt, & quæ ſub cortice ipſius glandis. hippuris rubicundum maximè fluxum ſiſtit pota ex aqua aut vino: item hypocyſtis, lentiſci fructus torrefactus B cum vino potus,Samius aſter,Lemnium ſigillum,coagulum leporis,aut hœdi,aut agni,aut vituli,aut cerui: vinacea trita,myrti baccæ, vua acerba ſicca,pinus cortex, & quæ in ſanguinis ab vtero eruptione dicta ſunt,quæ non valde efficacia exiſtunt. Quum verò cum dolore fertur, per vterifuſoriū aut aliū clyſterem,ſuccum alicæ,aut ptiſſanæ,aut tragi, aut oryzæ,infundito, cum aliquo dolorē ſedante medicamento.Et in exacerbationibus quidē mitigatoria adhibeantur:in interuallis autem (per circuitus enim aliquando affligit)ex alto euocare ac meatus tranſ- C mutare oportet per diuerſas geſtationes,deambulationes, vociferationes,vnctiones, cucurbitas, dropaces partium ſuperincūbētium,inſolationes, frictiones,pſilothra,ſmegmata,ſinapiſmos, vomitus à raphanis, victum refectorium,balnea,vinum, varium cibum.

DE INFLAMMATIONE VTERI AC declinatione, Cap. LXIIII.

INflammatio vteri fit ex pluribus cauſis. Nam & ex plaga, & menſiū ſuppreſſione,& frigiditate,& inflatione: non minus etiam ex abortu,& partu propter malam partus editionem.Sequitur ad vteri inflammationem febris D acuta,dolórque capitis ac tendinis,& baſis oculorum,iūcturæque manuum ac digitorū,& colli detractio, & declinatio ad contraria, ſtomachi per conſenſum affectio, oſculi vteri concluſio,pulſus parui,denſi. Et ſi obtuſa fuerit inflammatio,non vehementer vterum dolent: ſi verò fortis,etiam ipſe totus pulſatorio modo dolet per totum, ſi totus eſt inflammatus:ſin pars inflammata fuerit,circa hanc magis dolor de ſe ſignificationem præbet. Si enim poſteriores ipſius partes ſolùm inflammatæ ſunt, dolor E circa lumbos fit,& ſtercora ſupprimuntur ex recti inteſtini compreſſione: ſi anteriores, dolor circa pectinē fit, & vrinæ ſtillicidium,ac emittendæ difficultas,ex veſicæ cōpreſſione.At lateribus inflatis, & inguina tenduntur, & crura grauantur: ſi verò fundum ipſius inflāmatū fuerit, circa vmbilicum dolor maximè conſiſtit cum tumore. At ſi circa oſculum eſt inflammatio,circa ſupernum ventrem dolent, & digito immiſſo durum ac renitens oſculū occurrit. In curatione igitur,primùm irrigatione ex vino & oleo,aut vino & roſaceo vtendum eſt,circa pecti F nem & lumbos,per hapſos lanæ puræ, citra deligationē. Cibi abſtinentia indicitur vſque ad tertium diem: poſt quam vena ſecanda eſt in cubito,ſi nihil prohibuerit.Nutriantur autem alica ex aqua mulſa,aut pane,aut ouo ſorbili,alternis diebus.Poſt quintum diem cataplaſma imponatur ex polline,ſemine lini,fœnogræco, ex aqua mulſa in qua papaueris capita cocta reiecta ſunt,& oleo.Si verò indignetur aduerſus caliditates inflammatio, vtpote ignis ſacri naturam habens,ad melilotum in paſſo coctū ac tritum adiice vitellos ouorum aſſatorū, cum roſaceo, G aut melino,aut crocino,& impone:aut palmulas vino diluto feruefactas cū polentæ polline terito, addito aliquo ex relatis vnguentis,& imponito.Declinatione verò cōtingente,ceratum nardinum aut Cyprinum adhibeto.Per totam verò curationem,etiam inſeſſibus vtendum eſt ex decocto fœnigræci,aut ſeminis lini,maluæ,artemiſiæ, & ex oleo: in iis autem quæ ferre nequeunt calorem, ex aqua calida,affuſo roſaceo.Peſſi verò & infuſa aſſumantur ex œſypo,butyro, medulla ceruina, adipe anſerino, vnguento ſuſino, & cera Tyrrhenica. Verùm quæ calorem H ſuſtinere poſſunt, in iis etiā aureus appellatus peſſus conueniet,& enneapharmacus:quæ verò non ſuſtinēt,cum ouo,& roſaceo,& adipe anſerino aut gallinaceo. Ad feruidiores autem inflammationes, emplaſtrum ex ſuccis in duplici vaſe cum roſaceo liquefacito,& ſuccum plantaginis,aut ſeridis,aut cichorii,aut intybi miſceto:aut hoc vtitor: Adipis anſerini aut ſuilli recētis drach.quatuor, cerati roſacei aut ſuſini ſextantem, vitellorum ouorum aſſatorùm vnciam vnam,croci drach. vnam, myrrhæ obolos tres,opii obolos duos: aut pro opio, papaueris capitū decoctum.Si verò multus vexat dolor,ſucci papaueris magnitudinē fabæ,cum lacte muliebri, ac ſucco fœnigræci,apponendam præbe. Cæterùm ad inflammationes cū duritia, emplaſtrū tetrapharmacum roſaceo dilutum apponito, aut infundito. Quin & declinationes vteri circa exacerbationes quidem, ſimiliter velut inflammationes curentur: verùm in remiſſionibus & mali declinatione, iis quæ magis molliunt vtendum eſt: in inueteratis autē, iis quæ ex alto euocāt, & meatus tranſmutant. Si verò extrinſecus duritia eſt, malagmatis vtendum, eo quod ex meliloto paratur,& Mnaſææ inſcripto,& Iceſii,& melino Sarapionis, aut pyrino,emplaſtris. Victus ab initio quidē ſit tenuis: declinatione verò modica contingente, ad balneū ducantur,& pleniore cibo vtantur.

DE ABSCESSV VTERI, Cap. LXV.

SI inflammatio in abſceſſum mutatur, relata ſigna intendētur: inſupérque inordinatæ exacerbationes cum horrore ipſis fiunt, primis quidem temporibus intenſæ, cum doloribus:perfectè verò ſuppuratione facta,aliquantum remittunt.Verùm circa ruptionis tempus,& dolores acriores ſæpe punctorio modo irruere putantur,& febriculæ vehementiores vexant, & aliquando vrina ſupprimitur,aliquando ſtercus,circa affectam vteri partem impedimento contingente:aliquando verò tumor circa pubem, & velut fluctuationis ſenſus, vbi abſceſſus maior fuerit.Qui verò in expeditis locis eſt,etiam per dioptram inſtrumentum immiſſum,aut per digitorum contactum deprehenditur, ſupra hoc quòd etiam dolores vehementiores habent,propter oſculi neruoſitatem: queadmodū ſanè in fundo abſceſſus & in ſinu minorē dolorē inducit: & digitis quidem tumor non occurrit, oſculum autē gracilius comparet.Proinde quò citius ſuppuretur, auxiliū ferendum eſt cataplaſmatis ex fœnogræco,ſemine lini, hordeacea aut triticea farina,admixtis ficubus coctis, quandoque etiam columbino fimo.Sed & inſeſſibus inflammationi congruis aſſiduè vtendum eſt, & peſſis ex terebinthina, myrrha,œſyppo,& butyro. Rupto autē abſceſſu, ſi quidem ad veſicam pus delatum fuerit, lactis potu vtendum eſt, & cucumeris ſemen bibendum: ſi verò ad inteſtinum rectum eruperit, lentis ac malicorii decocto colluatur per clyſterem infuſo. At ſi ad ſinum ruptus fuerit abſceſſus,ſi quidem purum pus fuerit,roſaceum infundatur,aut oleum inalbatum, aut tetrapharmacum regium emplaſtrum, aut butyrum recens: ſi verò ſanies tenuis graueolens feratur, velut ab vlcere depaſcendo proſerpente,adſtringentius ſit infuſum, ex myrti baccis, palmulis,lenticula.Et poſt humorum excretionem,ſi inflammatio permaneat, in cataplaſmatis ac inſeſſibus perſeuerandum eſt. Cæterùm ſi circa vteri oſculum abſceſſus fiat,& non rumpatur,poſtquam tenues factæ fuerint partes puri incumbentes, ad puris excretionem per chirurgiam nos conuertemus, velut in chirurgiæ tractatione dicetur.

DE VLCERATIONE VTERI, Cap. LXVI.

VLceratur ſæpe vterus ob partus difficultatē, aut fœtus extractionem,aut corruptionem, aut ab acribus medicamentis,aut à fluxione, aut ex abſceſſibus ruptis. Si igitur expoſita fuerit vlceratio, per dioptræ vſum deprehenditur: ſi verò in profundo, ex iis quæ excernuntur.Humor enim diuerſus excernitur, inflammato quidē vlcere,paucus,cruentus aut fæculētus,cum dolore: ſi verò ſordidum eſt vlcus, copioſior, & ſanies cum minore dolore: ſi verò depaſcendo proſerpit, graueolens, niger, cum vehementioribus doloribus, & aliis inflammationis ſignis,& irritatio ad laxatoria medicamenta, ad contraria verò alleuatio. Purum verò ſi eſt vlcus, humor paucus,æqualis,ſine odore,craſſus,albus, cum ſenſus facilitate.Si igitur inflammatum eſt vlcus,iis quæ ad inflamma-

tionem relata ſunt vtendum eſt : ſi verò ſordidum, ptiſſanæ ſuccus cum melle infundatur, aut tetrapharmacum emplaſtrum cum ſuſino, aut aqua mulſa, cocto in ipſa fœnogræco, aut malua, aut furfuribus, aut lente decorticata, aut, quò magis expurgetur, marrubio, aut eruo: aut admixtam melli erui farinam, aut iridem, aut alumen rotundum, aut ſimile quiddam immittito. Hæc ipſa etiam forinſecus cataplaſmatis modo imponũtur aqua mulſa ſubacta. Peculiarius autem prodeſt hoc medicamentũ: Crocus optimus teritur cum lacte muliebri, deinde roſaceo cerato exceptus cum adipe anſerino illinitur lanæ tomento. Præſtantius hoc eſt quod etiam ad dolores conducit: Capita papaueris in paſſo diluto macerantur ad triduum, deinde coquuntur donec flacceſcant, poſtea teruntur cum foliorum roſarũ drachmis 5, croci drach. tribus: admixto capitum papaueris decocto: deinde ceræ drach. duæ cum roſaceo liquatæ affunduntur, & in peſſo apponuntur illito ex roſaceo. Facit etiam id quod ex ouis, croco, roſaceo, adipe anſerino, & medulla ceruina paratur, & emplaſtrum Ægyptium abſque ærugine mirificè ad vlcerationes facit. Si verò vlcus depaſcendo proſerpit cum inflammatione, imponatur panis purus maceratus cum aqua mulſa, oleo, althæa, fœnogræco, & palmulis pinguibus. Infundatur autem ſuccus plantaginis, ſolani, polygoni, ſeridis, primùm per ſe, poſtea cum vino auſtero aut aceto. Si autem ſine inflammatione nome depaſcitur, fortiora infundantur, velut eſt decoctum malicorii, roſarũ, oleæ virgultorum, cupreſſi, malorum Cydoniorum, rubi, baccarum myrti, lentiſci, rhamni, rhois coriarii, ex vino adſtringente: poſtea verò etiam decoctum aluminis, acaciæ, lyciæ hypocyſtidis: ex iiſdem verò decoctis fit etiam inſeſſus. Si non ſuccedit, medicamentum aridum ex charta immittito, primùm cum poſca, deinde cum aceto : aut puluillum antherum, *hoc eſt floridum*, appellatum, aut chalcitidem, aut atramentum ſutorium cum iiſdem liquoribus, item ea quæ dyſentericis conueniunt. Dato autem cibum boni ſucci modicum. Puro autem facto vlcere, & lauato, & nutrito variegatius, & vinum exhibeto, quò caro citò producatur. Peſſi vice apponatur cõfectio ex moris diſſoluta cũ cadmia, aut ladano, aut plumbagine. Forinſecus autem emplaſtrũ cicatricẽ inducens, ſuperno ventri ac coxis imponatur. Quemadmodum enim cataplaſmatum, ita etiam emplaſtrorum facultas per ocultos meatus penetrans, transfertur.

DE CANCRO VTERI, Cap. LXVII.

Cancri in vtero partim cum vlceratione, partim ſine vlcere conſiſtũt. In his igitur qui ſine vlcere ſunt, tumor reperitur circa vteri oſculum durus, inæqualis, præminens, colore fæculẽtus, rubicundus, quandoque etiam ſubliuidus: & dolent vehementer circa inguina, & ſupernum vẽtrem, & pectinem, ac lumbos, ægréque ferunt cõtactum, & variegatiorem medicationem. Si verò vlceratus eſt cancer, ad dolores, duritias, & tumorem, eroſa etiã & inæqualia vlcera conſpiciuntur, plerunque quidem ſordida, oris tumida, albicantia, turpes cruſtas inductas habentia: quæ verò puravidentur, fæculenta, liuida, rubicunda, & cruenta apparent. Excernitur autem aſſiduè ab ipſo ſanies tenuis, aquoſa, nigra, aut fulua, graueolens: aliquando etiam ſanguis fertur, & alia ſigna ad inflammatum vterum relata. Affectio igitur ipſa incurabilis eſt, velut alicubi etiam Hippocrates dixit: mitigare tamen oportet per inſeſſus ex fœnogræco & malua, & per cataplaſmata ſimilia. Valde autem mitigant in exacerbationibus malua aut althæa, in aqua mulſa flaccida facta, & cum modico roſaceo contrita ac impoſita: itémque cataplaſma ex caricis, meliloto, ruta, thure, bumiade herba cum oleo diligenter contuſa, & cataplaſma ex palmulis coctis in paſſo, additis ouorum vitellis, & polenta, aut cataplaſma ex papauere cum coriandro, aut polygono, aut ſeride. Hæc quidem in doloris vexationibus: poſtea verò ceratũ adhibeatur ex roſaceo, aut myrteo, aut œnanthino, aut melino, cum palmulis in paſſo coctis. Priuatim autem commodat id quod ex fæce in æneis vaſis in quibus aqua coquitur, ſubſidente paratur. Hæc enim fæx inſuper aſſata

A minutiſſimè teritur, & cerato roſaceo excipitur, ad emplaſtri compagem redacta. Et hæc quidem forinſecus. Intrinſecus autem mitigat locos etiam oleum. Si verò vlcerati fuerint, etiam lac muliebre infuſum, & ſuccus plantaginis tepidus : ſi verò cruentati fuerint, ſuccus polygoni cum modico thure mitigat, & peſſi ex croco, & muliebri lacte, & ſucco papaueris, & œſypo. Omnibus autem efficacius eſt, etiam ad ſedis affectiones hoc : Spumæ argenti Italicæ lotæ ſextuncem, thuris maſculi, œſypi, adipis porcini recentis, butyri recentis, ceræ Tyrrhenicæ, ſingu-
B lorum ſextantem, roſacei trientẽ. Spumã argenti ſeridis ſucco tritam liquatis adiice. Cibi dentur boni ſucci, qui facilè cõcoqui ac diſtribui poſſint : vinum ſit modicum aquoſum. Vitent acrium eſum, & ciborũ copiam. promptè enim in ipſis cibi corrumpuntur.

DE SCIRRHO ET TVMORE DVRO, Cap. LXVIII.

In ſcirrhũ induratur vterus, aliquando derepentè nulla prægreſſa cauſa: plerũque verò inflammatione prægreſſa, & neque ſoluta, neque in abſceſſum tranſmutata.
C Species autem ſcirrhi eſt etiã σκλήρωμα, *id eſt tumor durus*, in collo vteri maximè conſiſtens: qui quidem tumore ſimilis eſt, minus autem renitens, cum moderato dolore. Conſequitur etiam in his declinatio ad oppoſita, éſtque tumor pro ratione affectionis vehementer renitens, cum grauitate & ægro motu non ſolùm crurum, ſed etiã totius corporis, adéſtque ad actiones obeundas pigritia. Sequitur non probè curatas malus habitus aquoſus. In principio itaque vena ſecetur, aut purgatio aſſumatur per hieram Archigenis: deinde cataplaſmata ex caricis, hyſ-
D ſopo, nitro, & abſinthio, & cucurbitæ cum ſcarificatione: malagmata verò, polyarchium, & ex ſeminibus conſtans, & ex lauri baccis paratum : inſeſſus ex decocto caricarũ, artemiſiæ, pulegii, althææ: peſſi ex terebinthina, galbano, myrrha, iride, œſypo: dropaces item, & aquarum naturalium nitroſarum vſus, itémque bituminoſarum: viribus autem tolerantibus, etiam veratri vſus.

Peſſus mollitorius.

Ceræ Ponticæ, vnguenti nardini, ſingulorum quadrantem, irini, gleucini, Cyprini, ſingulorum ſextantem, adi-
E pis vrſini, anſerini, butyri, œſypi, medullæ ceruinæ, terebinthinæ, ſingulorum vnciam vnam. ALIVS. Polii drach. 2, myrrhæ drach. quatuor: cum vino Mendeſio trita, & irino ſubacta apponenda præbeto. ALIVS. Ceræ Tyrrhenicæ, adipis vitulini, terebinthinæ, medullæ ceruinæ, mellis Attici, olei veteris, ſingulorum æquales portiones. MEDICAMENTVM ex alto euocans: facit & ad inflationes. Vuæ paſſæ albæ exemptis vinaceis quadrantẽ, rutæ viridis foliorum ſextantẽ, aquæ marinæ ſeſquiunciã, cumini drach. 4, mellis quod ſatis eſt. For-
F matum autẽ inde peſſum Cyprino oleo intinge, ac appone: ſed & aureus peſſus, & libanius, & enneapharmacus affectioni commodant, magis verò propriè Titianus.

DE MOLA, Cap. LXIX.

MOLA quoque, in ſcirrhũ induratus tumor eſt, aliquando circa oſculum vteri, aliquando circa totum ipſum comparens, tactu lapidis duritiam referens, cũ detractione partiũ ſuperincũbentiũ, & gracilitate, decoloratione, ciborũ inappetẽtia, mẽſiũ ſuppreſſione, mã-
G marũ tumore, adeò vt cõceptus ſuſpicio in aliquib⁹ ab initio fiat, poſtea verò tẽpore diſcernũtur. Quædã etiã aquæ inter cutẽ ſuſpicionẽ de ſe exhibẽt, & hoc diſcernẽdũ eſt, tum tumoris duritia, tũ ꝗ nõ fiat ſonitus digitis illiſis, quẽadmodum in hydropicis: in quibuſdã autẽ reuera in hydropẽ tranſitio fit. Quandoque etiã incurabilis vtpluri mum fit affectio: quibuſdã etiã ſanguis fertur. In cõmuni igitur decubitus in domo parua & vmbroſa ac tenebricoſa conducit, quæ etiã moderatè refrigeret, in lecto im-
H mobili, ita vt partes ad pedes habeant ſublimiores, & in quiete. Nam motus omnẽ fluxionẽ prouocare poteſt : & tumores quidem ac duricias, his quæ ad ſcirrhos & ſcleromata relata ſunt curabimus: verùm aquæ inter cutem ſuffuſiones, per ea quæ dicta ſunt in tractatione de hydrope. Sanguinis autem eruptiones, velut ſanguinis

eruptiones, & fluxum muliebrem. Quidam tradunt molam eſſe carnem informem, ad ipſas vteri tunicas conſiſtentem, & quæ pariatur veluti fœtus. Sed & hæc ſpecies laxatorio curationis ductu tractanda eſt, vt facilius excernatur.

DE INFLATIONE VTERI, Cap. LXX.

INflatur vterus ex frigiditate, aut fœtus corruptione, aut partus difficultate, oſculo occluſo, aut ſanguinis grumo in ipſo obturato, quandoque in cauitate ſpatii ipſius flatibus concluſis, quandoque in raritatibus corporis ipſius vteri. In his ſequitur tumor pectinis, & imi ventris, cum duritia & dolore punctorio, vſque ad ſeptum tranſuerſum, & ſtomachum ac inguina perpungente: & ad digitorum illiſionem ſonitus inſtar tympani oboritur. Curare igitur oportet primùm venæ ſectione, ſi nihil impediat: deinde circa exacerbationes, inediis & irrigationibus ex oleo rutaceo, inſeſſibúſque ex decocto rutæ, pulegii, artemiſiæ, caſiæ, & ſimilibus: & cataplaſmatis ex ſemine apii, cumini, fœniculi, aniſi, ammii, & farina loliacea: cucurbitis item leuibus, & cum ſcarificatione. Moram verò trahente affectione, purgatione vtendum eſt ex picra, & hiera, & dropaciſmis ac ſinapiſmis, & balneis naturalibus. Obſtetrix autē digito prius pinguefacto immiſſo, incūbentē ſanguinis grumū, ſi ita contingat vt adſit, educat leniter, ipſum exoluens, rurſúſque cataplaſma imponatur ex ficu, nitro, & abſinthio. Epithemata verò ſint mollitoria, polyarchium, & quod ex ſeminibus paratur, & quod ex lauri baccis. Peſſi conueniunt ex ruta, melle, nitro, maximè verò hic: Ficuum pinguium contuſ rū drach. vna, cumini drachmæ duæ, aphronitri drachma vna. Verùm propter acrimoniam prius in lac tingatur. ſed & mollitorii peſſi commodi ſunt.

DE VTERI STRANGVLATIONE, Cap. LXXI.

STrangulatio vteri eſt recurſus vteri ad affectionem, per conſenſum ducens principaliſſimas partes, velut ſunt arteriæ carotides, cor, cerebri membranæ. Sequitur in affectis accedente exacerbatione, mentis languor, pigritia, crurum debilitas, faciei pallor, aſpectus triſtis: inſtante autem ſuffocatione, ſopor grauis, mentis emotio, inſtrumentorum ſenſuum apprehenſio cum vocis interceptione, crurum contractio: deinde incipiūt rubere malæ, & facies aliquantulū plena fit: vbi verò remiſſura eſt, prodit humiditas quædam ex locis muliebribus ad contactum, & murmur quoddam inteſtinorum præcedit, & ipſe paulatim laxatur vterus, atque ſic & mentem & ſenſum recipiunt. Mouetur autem morbus ſecundum circuitum velut comitialis, repleto videlicet vtero, aut ſeminaria, aut alia materia in ipſo putrefacta: & multæ quidem reſtitutæ ſunt, quædam verò in exacerbationibus derepentè perierunt, pulſibus quidem denſis euadētibus, & inordinatè ſubtremiſcentibus, deinde etiam ipſorum interceptione ſequente, modica autem humiditate inſtar roris in cute conſiſtente: verùm reſpiratione primùm obſcura contingente, deinde penitus intercidente. Abundat hæc affectio hyeme & autumno, in iuuenculis ſalacibus, ſterilibus, & præſertim ſi per medicamenta ſteriles factæ fuerint, & aliis perfrigeratis. Itaque in exacerbationibus extremas partes deligare oportet, & tota crura, totúmque corpus confricare, & velut eos qui in animi deliquium inciderunt reuocare, & odoramenta graueolentia naribus admouere, velut ſunt, funiculus lucernarius extinctus, caſtoriū, pix liquida, cedria, lanæ & panniculi vſti. Quidam etiam matulam vrinæ veteris aut egeſtionis alui, naribus adhibuerunt. Cucurbitas quoque affigere oportet ad inguina & imum ventrem, cum multa flamma, & leues, & cum ſcarificatione. Si verò prolongetur exacerbatio, etiam ea quæ flatus ducunt commoda ſunt: velut collyria in anum ſubdita, quale eſt cuminum & nitrum cum melle. Sed & infuſo per clyſterem ſtercora ſubducere oportet, vt ne ſua appoſitione premant: in ipſum verò vterum odoratiſſima vngenta infuſa, detrahere ipſum ſolent, velut eſt amaracinum, malabathrinū. Sed & ſinapi partim naribus adhibeatur, partim pedibus cata-

A plaſmatis modo imponatur. Voce quoque aſperiore quis inclamet, excitet, ac vocet ipſam: ſternutatoria etiam adhibeantur ex caſtorio, herba lanaria, pipere. Vbi verò remiſit exacerbatio, ad vomitum cogantur, & in cibi abſtinentia, aut omnino modico cibo conſeruentur. Poſt ſeptimum diem hiera ex colocynthide purgentur: poſt tertium verò diem, cucurbitas affigere oportet lumbis, & laterū mollitudini: deinde caſtorii potu vti, aliquando cum artemiſiæ decocto, aliquando cum aqua mulſa. In quibuſ- B dam enim hoc etiam ſolum ad perfectam curationem ſatiſfecit: inſeſſus autem & peſſi mollitorii aſſumantur. Atque hæc quidem ad exacerbationes: verùm ad totius corporis reparationem, à venæ ſectione initio facto, ad purgationem per hieram tranſire oportet: deinde picram ex aloe dare drachmæ pondere, cum cyathis tribus aquæ mulſæ, in aſſiduo vſu, aut ex interuallis drach. 2 cum aquæ mulſæ cyathis ſex. Vtēdū etiā dropaciſmis, & cucurbitis, & ſinapiſmis, & acopis ex euphorbio: deinde exercitiis, frictione, & vociferationibus: poſtea etiam aquarum na- C turalium balneis.

DE VTERI PROLAPSV, Cap. LXXII.

VTerus procidit rarò quidem, verùm ob plures cauſas: aut enim muliere ex alto delapſa, & ad coxas delata, ruptis pelliculis quæ ipſum viſcus continent: aut ob extractionē ſecundæ vterū ſimul attrahentis, & ipſi adnatæ, velut in partus difficultate, aut ob inartificioſam fœtus extractionē, aut ob plagā, aut ob animæ affectiones, velut liberorum amiſſione nunciata, aut hoſtium incur- D ſu, aut ob periculoſam nauigationē, aut aliquā huiuſmodi cauſam, tota corporis miſcella exoluta, vtero ſimul prolabente: aut ob reſolutionē & debilitatem partium, velut inclinata maximè ætate cōtingit. Procidit autē circa os ipſius. Quidam verò totum ipſum procidere narrant, id quod probabile non eſt. Quomodo enim reductus firmari poſſet? Oportet igitur euacuato primùm per clyſterem ſtercore, & excreta vrina, quò vndiquaque à cōpreſſione liber ſit vterus, ægrotā ſupinā collocare, altiores coxas habētem, & poplites incuruatos, cum cruribus diductis: de- E inde accipere hapſum lanæ figura & craſſitudine ſinui muliebri reſpondentē, eúmque tenui linteolo circundare, & in ſuccum acaciæ intingere, aut in hypocyſtidis ſuccum vino dilutū, & ad vterū apponere, & citra violentiā retrudere totū id quod procidit, donec tota moles ad ſinum redigatur, & forinſecus contegere pectinē ſpongia expreſſa in poſca, & decumbere facere hominem extentis ac coaptatis inter ſe cruribus, ita vt alterum alteri incūbat. Poſtea verò cucurbitæ affigantur cum plurima flamma, & ad vmbilicū, & ad vtranque laterū mollitudinē. F Odorata quoque naribus adhibeantur olfacienda. Tertia verò die, incumbente in ſinu lanæ hapſo, inſideat mulier in vinum nigrum auſterum aliquantulum tepefactum, aut in myrti, lentiſci, ac malicorii decoctum: poſtea incumbens lanæ hapſus tollatur, & alius eodem medicamento imbutus indatur. Cataplaſmata extrinſecus imponantur ad imum ventrem, ex palmulis, polenta, aut lenticula, & malicorio, cum aceto mulſo: & per tertium diem rurſus eadem fiant vſque ad perfectam curationem. Si verò vbi per tempus manſit, putrefactum fuerit id quod procidit, G auferatur id citra omnis periculi formidinem. nam totum ablatum eſſe vterum putrefactum narrant, & tamen mulierem vixiſſe.

DE OBTVRAMENTO IN VTERO, Cap. LXXIII.

FIT obturamentum circa vteri oſculum, aut ob vlcerationem prægreſſam, aut ob inflammationē in ſcirrhum induratam. Curare verò oportet inſeſſibus emolliendo, ex aqua & oleo, & fœnigræci decocto: ita vt e- H tiam ſimilia cataplaſmata imponamus, & peſſos mollitorios adhibeamus. Si verò diuturna fiat affectio, ſubuaporationibus & ſuffimentis ex aromatis vtendum eſt. Soluit obturamentum etiam paſtillus ex œſypo, nitro, & reſina terebinthina, vt quod nihil aliud ſit quàm oſculi vteri coarctatio.

NON CONCIPIENTIVM CVRATIO, Cap. LXXIIII.

IN communi quidem vtriſque,& viro & mulieri conuenit vt totum corpus in bono temperamento conſeruetur, per laborum, ciborum, balneorum, & reliquorum omnium commoderationem , &,quod maximum eſt,vt negligamus habitum pingueſcentem. Neque enim idonei ſunt pingues ad liberorum generationem, tum quòd pudendis non congruunt, tum quòd modicum etiam ſemen emittunt,neque tamen etiam attenuati. Profuerint autem ipſis omnia calefacientia , & leniter inflantia. Vinum igitur calidum moderatè accipere oportet, & ex oleribus erucam,& horminum,& eryſimum,& ſimilia: rutam autem & calamintham præ omnibus vitare. Si verò ob vitioſum aliquem humorem conceptio non fiat, hũc expurgare, aut bono victu contemperare : priuatim verò mulieribus conuenit partium circa vterum quammaximè prouidentiam habere , & menſtruam euacuationem citra impedimentum fieri.Vbi itaque prope adeſt purgatio , ciborum ac potuum moderationem quammaximè procurare oportet, ita vt etiam aliquid ex irritantibus ad purgationem accipiat,qualia ſunt odorata ac acria olera, velut eſt ſcandix,crithmum,fœniculum,apium,ſmyrniũ: vteri verò intemperies corrigere.Frigidiores itaque vteros indicat menſiũ ſuppreſſio, & victus frigidior ac craſſi ſucci,& torpor oboriens circa pectinem,lumbos ac crura:ſi verò perfectè perfrigeratæ fuerint , neque venerem appetunt. Oportet itaque ipſam tum aliis laboribus ſe exercere,tũ omnibus fomẽtis,& his quæ per ſuffitus fiũt, vti,& calorem reuocare. Neque abſonum eſt caſtorium bibere,& ſemina odorata, cuminum,aniſum, pulegii comam,& iuniperi fructum, pipere ſingulis admixto. Ipſorum verò vterorum fomenta partim vapores ſint,inſidentibus ſellis perforatis,partim calida aqua affuſa, in qua cocta ſit ſaluia,artemiſia,ruta,cyperus,pulegium,acorum,& odorata ſemina.Cataplaſmata etiã ex his ſingulis pectini adhibeantur : bonum eſt & polyarchium epithema. frictiones item pectinis & coxarum nullo minus conferunt. Vtendum etiam peſſis ſubdititiis ex myrrha,ruta,galbano & caſtorio, vbi prius fomentum aquæ mulſæ aut marinæ adhibuit.Bonus eſt ad hæc peſſus qui gone,*id eſt genitura*,appellatur. At verò calidiores vteros cõiectare oportet ex toto corpore calidiore, & mẽſibus paucis,& cũ dolore,& quòd exulcerant pudenda mulieris : corrigere autem per moderatè humectantia ac frigefacientia , qualia ſunt ex oleribus lactucæ, ac maluæ, & blitum,ac cucurbitæ,& cucumis,& pepo,& atriplex,& portulaca, & alii conſimiles cibi. Veſicæ verò & ſuperno ventri & lumbis adhibeantur frigefactoria tum cataplaſmata,tum ſuccorum illitiones.Si verò ob humiditatem vteri non concipiant, ſignum eſt quòd & humectantur circa coitus , & tenuiores ac multi deferuntur menſes. Victus autem his conuenit ſiccior, labores , frictiones partium ſupernarum, vomitus,ſiccitas & moderatio cibi. Commodum fuerit etiam acerbis medicamentis vterum corroborare , qualia ſunt lentiſci decoctum,& myrti baccarum,roſarum,rhois,floris mali Punici,rubi tenerorum virgultorum,& gallæ. Quòd ſi ſiccior ſit vterus,per contraria curetur,balnea dico,& vnctiones, & cibos humectantes ac oleraceos,vinúmque moderatum , & non valde vetus. At ſi præ humoribus craſſioribus conceptus impediatur,ſi quidem is mordax fuerit humor,purgare oportet mulierem,quemadmodum quiſque humor peculiariter id exigit,maximè verò per picram ex aloe : deinde ſerum lactis per clyſterẽ immittere,& victum cõmodiorem excogitare. Pituitoſi verò humores laboribus,& ſudorificis, & vomitibus, aut etiam infernè euacuandi ſunt. Oportet & medicamentũ hoc bibendũ dare:Epithymi,euphorbii, piperis, ſeminis dauci & petroſelini,omnia trita drachmarũ duarũ pondere exhibeto.Hoc & per ventrem probè ducit,& vterũ calefacit, quemadmodum ſæpe etiam menſes his quæ non purgantur prodire fecit. Poſtquã verò correctio ſe declarauerit,menſibus probè prodeũtibus, tunc coirẽ oportet deſinente purgatione. Quandoquidem verò etiam flatus in vtero prohibent conceptionem,ſigna quidẽ ipſorũ ex

A his quæ de vteri inflatione dicta ſunt accipere oportet: curare autẽ primùm victu parciore, deinde cumino & anetho,& apii ſemine,& ruta,& aniſo adhibitis. Aromata item pleraque exhibeantur,partim vt bibantur,partim vt apponantur. Cæterùm concluſos vteros aperire oportet, odoratis decoctis affuſis,& fomentis adhibitis ex malua, ſemine lini,fœnogræco & oleo, quandoque etiam melle. Fortioribus item,artemiſia,conyza,calamintha, pulegio, & anthemide.In peſſis verò vtantur terebinthina, nitro, cucumere ſylueſtri,elaterio,caſſia,& picis ſero.Quibus au- B tem oſculum vteri hiat,his victus,& fomenta,& medicamẽta ſicciora ac adſtringẽtia cõueniunt,mali Punici flores,lẽtiſcus,rubi radices,myrti baccæ, & quæ in humidiore cõmodant.Diſtortiones autẽ vteri fomẽtis dirigere oportet,& mollientibus peſſis ſubditis. Porro coitus cum muliere auerſa , etiam ad conceptionẽ conferre videtur.

DE FISSVRIS, CONDYLOMATIS, AC hæmorrhoidibus vteri, Cap. LXXV.

CIrca vteri oſculũ fiſſuræ fiunt ex violentis partubus: & primùm quidẽ latent ; dũ recentes adhuc ſunt ex C partu dolores:poſtea verò paulatim percipiuntur,aliquando ad manuũ contactus,aliquando etiã in coitu,quando etiã cruentæ fiunt propter confrictionẽ.Deprehenduntur autẽ ſinu diducto.Nã ruptiones in ambitu oſculi conſpiciuntur:in quibus chirurgia & mordentibus medicamẽtis reiectis,ſimplicioribus inſeſſibus & peſſis vti oportet. Conuenit etiã emplaſtrũ tetrapharmacũ dilutum:ſi verò calloſa fuerit fiſſura , medicamẽto ex charta vſto vtendũ eſt cũ roſaceo.Quòd ſi vim ipſius non ferant,iridẽ Illyricã terebinthina exceptã indito. Vlceribus autẽ ad cicatri- D cem perductis, conuenerit id quod ex Cadmia cõſtat,aut aliquod ſedi deſtinatũ,velut eſt id quod ex ſpuma argẽti paratur. Quandoquidẽ verò contingit fiſſuras diuturnas in condylomata mutari, per conſimilia callus adimatur, & condylomatũ eminẽtiæ ad cicatricẽ perducantur. Hæmorrhoides autẽ fiunt circa oſculũ aut collũ vteri, & per dioptrã inſtrumentũ deprehenduntur , ex eo quòd eminentia apparet circa exacerbationes doloroſa , cruenta,& rubicunda:in interuallis autẽ rugoſa,doloris exors,ſubliuida, ac ſtillans. In his igitur,ſi fieri poteſt , in interuallis E exciſione vtendũ eſt in volſella prehenſis : ſin minus,per medicamẽta ſaltẽ ipſas cõſtringere oportet,ita vt aliquãdo malicorio ſicco cũ galla , aut tali quopiã attingamus: aliquando his quæ in eruptione ſanguinis ex vtero relata ſunt vtamur,quæ etiã his quibus ob debilitatẽ ſãguis erũpit, conueniunt , quæ cognoſcuntur ex eo maximè quòd vterus aſſiduè cruorem remittit ex interuallis , & non ſolùm menſtruæ purgationis tempore.

DE DIFFICILI PARTV, Cap. LXXVI.

F DIfficultas pariendi fit aut circa parientem , aut circa fœtum , aut circa ſecundam , aut propter externa. Circa parientem quidem aut craſſam aut obeſam , aut quæ totum vterum paruum habet, aut dolorũ partus expers eſt , aut tumida , aut inflammationem circa vterum habet,vel in alia parte,aut quomodocũque aliàs ægrotat, aut naturaliter debilis eſt,& extrudere non poteſt, aut ante tempus parit.Circa fœtum verò,qui aut nimis magnus eſt,aut paruus,& parum grauis,aut magni capitis,aut mõſtroſus,velut biceps, aut mortuus, aut viuus quidẽ, verùm G debilis,& qui extra prodire non poſſit , aut quòd plures ſint fœtus (quinque enim viſos prodidit Herophilus) aut quòd figuram habeat præter naturam. Nam figura ſecundum naturam fœtibus eſt,prima quidem in caput, manibus ad femora extentis, ita vt è directo oſculi vteri , caput nullatenus inclinatum habeat: ſecunda ab hac,in pedes, citra inclinationẽ. Quæ verò præter has ſunt figuræ, omnes præter naturam ſunt : circa ſecundam autem,quæ aut non auellitur,propter craſſitudinem , aut etiam antea quàm oportet auellitur, propter tenuitatem . euacuato enim humore , fœtus præ ſiccitate ægrè deuoluitur. Pro- H pter externa verò,ſi aut frigiditas denſauit,aut immoderata caliditas vires exoluit,aut etiam fortuita aliqua re allapſa. Si igitur ob coarctationẽ aut velut obturationem fœtus,difficultas pariendi fiat,primũ coadiuuare oportet

per laxationem, infundendo aſſiduè oleum calidũ, cum decocto fœnigræci, aut maluæ, aut ſeminis lini, aut etiam cum ouis, mitigationis gratia: deinde cataplaſma imponere pubi, ſuperno ventri ac lumbis, ex ſemine lini cum aqua mulſa, aut aqua & oleo: & inſeſſibus ſimilibus vti. Sed & ex balneis aſſumere laxationes, ſi non febris, aut alia aliqua cauſa impediat, & parientem per lecticam mouere in aere moderatè calido. Quidam etiã concuſſiones fortes adhibuerũt, & ſternutatoria admouerũt: & quæ quidẽ timida eſt, impellatur: quæ verò inexperta eſt dolorũ partus, perſuadeatur, vt maximè fortiter ſpiritũ cõtineat, & ad laterũ mollitudines cõpellat. Quæ verò in animi deliquiũ incidit, odoramẽtis nõ offendẽtibus refocilletur: alleuata autẽ mediocriter, modico cibo nutriatur. At verò quæ obeſa eſt, in lecto prona figuretur, genibus ad femora inclinatis, quò vterus ad abdomen delatus, è directo oſculi ſit. Per digitos autẽ ceratis aut pinguedine oſculum illinatur, & leniter diducatur: & ſiqua affectio fuerit circa partes, etiam huic proſpiciatur: & ſtercus contentũ, per molle infuſum per clyſterem eiiciatur, & ſecunda aperta dirimatur aut digitis, aut ſcalpello inter ipſos occultato, præcedente ſiniſtra manu: & aliquis pinguis humor per clyſterẽ in vteri capacitatem immittatur. Si verò præter naturam figuratus eſt fœtus, naturalis figura reſtituatur, partim impellendo, partim deducendo, partim flectẽdo, partim dirigendo: & ſi quidem manum aut pedem præmiſerit, non hac parte apprehenſus extrahatur. Magis enim obturatur, aut exarticulatur, aut etiam abrumpitur: verùm digitis humero iniectis, aut coxæ ipſius fœtus pars præmiſſa ad conuenientem locum retrudatur. At ſi vnà cum obturatione, totius fœtus figura euariet, prius ipſe ab vteri oſculo in ſublimè retrudatur, deinde apprehenſus, rurſus ad oſculum dirigatur. Si verò plures vno fœtus deferantur, rurſus ſurſum ac deorſum dirigantur, omniáque fiant ſenſim ac leniter citra compreſſionem oleo locis affuſo. Tempus autem deſeſſus in ſellam eſt quum oſculum vteri apertum digito occurrerit, & præruptio prominuerit. Quòd ſi verò nõ prodierit, eo quòd mortuus eſt fœtus, aut ob aliam cauſam, ad fœtus extractionem progrediendum eſt.

DE COXENDICVM MORBO, Cap. LXXVII.

QVVM articularis morbi generis ſit coxendicũ morbus, in eo ſolo differt ab eo, quòd cauſa ipſius circa coxam firmatur: cauſa verò huius eſt craſſus ac pituitoſus humor coarticulationi circa coxam impactus. Dolor autẽ ipſis eſt à locis circa nates & inguina, vſque ad genua, in pleriſque verò vſque ad ſummum pedem pertingit. Ab initio igitur ægro oblato, poſt ſtercorum per clyſterẽ euacuationem, venæ ſectionẽ à cubito aſſumimus cum repetita detractione: ſi verò poſt tempus æger nobis obtigerit, à malleolo circa crus affectum detractionem faciemus, & circa exacerbationes hac irrigatione vtendum eſt: Cyprini cyathi octo, aceti cyathi quatuor, nitri cyathi duo, ſeminis roſmarini cyathus vnus, per lanas ſuccidas calida hæc adhibentur. Poſt hanc cataplaſma imponatur ex lupinorum amarorum farina, cum aceto mulſo, aut ex loliacea farina cum reſina, & cucumeris ſylueſtris radice, & nitro, & calamintha, & roſmarini ſemine, & lauri baccis: ſed & ſola calamintha vtiliter imponitur cum aceto mulſo, aut aqua mulſa. Emplaſtro verò mitigatorio vtendum eſt hoc: Ceræ drach. centum, terebinthinæ drach. vigintiquinque, æruginis drach. ſex, myrrhæ, galbani, iridis, ſingulorũ drach. ſex: cedriæ drach. quinque: præbibẽdus detur ſuccus Cyrenaicus erui magnitudine, aut caſtorii drach. vna, cũ opopanacis obol. tribus. Radicis autẽ capparis cortex potus, & cataplaſmatis admiſtus prodeſt: ſi verò multus eſt dolor, etiam dolorem eximentia medicamenta locum habent, velut eſt antidotus Philonis, & quæ ex duobus piperis generibus conſtat: infuſum verò hoc immittatur: Mellis ſeſquicyathus, olei ſeſquicyathus, aquæ cyathi duo, nitri drachmæ octo, terebinthinæ drachmæ quatuor. His calidis infuſis, inſuper fomentum ano adhibeatur, quò longiore tempore retineatur. Euacuat mucoſa, quandoque etiam ſanguinem, quando etiam plus prodeſt: ſi verò perſeuerauerit affectio (quod tamen raro contingit) rurſus ipſo vtendum eſt frequentius, pro aqua centaurii decocto admixto. Sanguinem euacuat etiam thlapſeos ſemen infuſum, & elaterii ſuccus, & quod ex ipſo, aut ex radicibus ipſius componitur oleum Sicyonium, & ſalſorum piſcium muria, & oliuarum colymbadum muria rectè infundi poteſt. Cucurbitis etiam ad coxam, cum multa flamma & ſcarificatione vtendum eſt, aliquando etiã hirudinibus. Perſeuerante autem affectione, ad purgationem procedendum eſt aut per hieram aut per colocynthidẽ, ita vt medullæ ipſius probè tritæ drachmæ pondus detur, in aquæ mulſæ cyathis plus minus duobus, pro viribus ægri, & prout aluo bene affectus eſt. Sit autem ruta in aqua mulſa cocta. Probè etiam hos expurgat puls ex colocynthide: in quibuſdam etiam vomitus à raphanis ab initio profuerunt. In interuallis autem dropax adhibeatur, & acopa ex euphorbio, præſertim id quod varium appellatur. Balnea verò naturalia his commoda ſunt. ſi verò non adſint, in aliis ſaltem loti, relatis acopis vtantur, & compoſitis his, tum Aſclepio appellato, tum hoc quod ex euphorbii, adarces, veratri nigri, caſtorii, pyrethri, piperis, ſtaphidis ſylueſtris, ſingulorũ æqualibus partibus paratur. Poſt balneum picis aridæ quadrans, ſulphuris viui ſextans, calido adhuc corpori inſpergatur, ipſúmque charta integatur. Si verò neque hæc profuerint, aut reliquiis morbi reſtantibus, bonum eſt etiam ſinapi cum caricis impoſitũ, aut etiam per ſe. Perfectè verò ipſos reſtituit Iberidis herbæ vſus, quam ſanè etiam lepidium, aliqui verò ſylueſtre naſturtium appellant. Quæ verò apud nos naſcitur fruticoſa, foliis lauri ſimilibus, & multo maioribus, multã de ſe experientiam dedit, non ſolùm in coxendicum, ſed etiam aliis diuturnis morbis. Æſtate autem multo efficacior eſt: ſi verò etiam folia tunc quum expetitur, non produxerit, radicis ipſius corticem contundere oportet cum adipe ſuillo, ad emplaſtri formam, deinde in linteũ denſum infarcta, dolentibus maximè locis imponere aut circa totas nates & femur, & ſinere donec nigreſcat, aut omnino liuida fiat ſumma cuticula: poſtea ipſum auferre, & loto hoc ceratũ imponere: Opopanacis trientẽ in aceti cyathis 2 diſſoluito, & cerato Cyprino excipito. Quòd ſi recuſent taliũ vrẽtiũ vſum, emplaſtris malum extirpantibus vtendũ eſt, quorũ de numero & hoc eſt: Ceræ, reſinæ, pinus, ſingulorum drach. duodecim: terebinthinæ, fimi columbarum ſylueſtrium, fæcis vini vſtæ recentis, ſingulorum drach. ſex: galbani ſeſquidrachmam. Eſt etiam de extirpantibus emplaſtrum leæna appellatum. Commoda ſunt quoque ea quæ ex lixiuio ac nitro parantur: quin & potionibus quæ ad annum bibuntur quidam vſi ſunt, ex quibus eſt & ea quæ ex quatuor rebus conſtat, chamædryos libra vna, gentianæ dodrante, ariſtolochiæ rotundæ dodrante, ſeminis rutæ ſicci ſextario vno. Hæc contuſa & cribrata quotidie dare oportet cochlearii mẽſura ieiuno, & concoctione probè facta, cum aquæ frigidæ cyathis duobus, ad annum, donec morbus ſedetur. Medicamentum quoque ex ſeptem rebus compoſitum, & quod Proclo adſcriptum eſt, idem promittunt. Exercitia faciat per deambulationes, & per aſſiduos flexus, ſaltus ac curſus. Cibus ſit attenuans moderatè, & concoctu facilis. Si verò nulli ex relatis cedat coxendicum morbus, quandoque ad ſuppurationem vertitur, quandoque laxatis neruis colligantibus, coxa ex articulo luxatur. Oportet itaque diuturna facta affectione, articulum vrere tribus aut quatuor locis, velut in chirurgiæ tractatione refeſretur, & vlcera ad plures dies conſeruare, vt ne cicatrix inducatur.

DE PODAGRA ET MORBO ARTIculari, arthritide dicto, Cap. LXXVIII.

NON ſola partium debilitas podagricam & arthriticam affectionem efficit, alioqui exacerbationes indeſinentes eſſe oporteret, in quantũ etiam debilitas ſemper ineſt articulis debilibus, neque humor ſolus: (nõ enim in articulos ſolos irrueret affectio) verùm ambo, & humor

præter naturam,& partium debilitas,morbum efficiunt.
Quum enim nutritoria partium facultas debilis fuerit
ob ciborum repletionem, conſequenter cruditates obo-
riuntur, & redundans humor in quamcunque tandẽ co-
articulationem iam antea debilem irruens,& neruos col-
ligantes diſtendens,dolorem efficit. Neque enim neruo-
rum qui voluntario motu mouentur, primariò affecto-
rum,eſt inflammatio: alioqui in locis inter coarticulatio-
nes mediis itidem ipſam fieri oporteret, velut in tibiis
mediis,aut femoribus,aut cubitis, aut brachiis. Per con-
ſenſum igitur afficiuntur etiam voluntarii motus nerui.
Quandiu igitur pedum coarticulationes ſolùm humor
infeſtat, podagra affectio appellatur: vbi verò cauſa o-
mnes corporis articulos pertranſiuit, arthritidẽ appellare
ſolent,in qua & verticula,& ſcapulæ,& maxillæ,& omnes
articuli morbo feriuntur.Quibuſdam etiam aures,& den
tes,& fauces,& quandoque etiã hepar,& ſplen,articulari-
bus doloribus participant:in quibus ſi non breui ad arti-
culos tranſlatio fiat, periculũ in modico tempore ægro-
tos corripit. Cæterùm redundans humor,quandoque bi-
lioſus, quandoque ſanguineus, aliquando atrabiliarius,
plerunque verò pituitoſus & crudus eſt, ex ciborum re-
dundantia,cruditatibúſque ac otio collectus. Moram au
tem trahens circa articulos,craſſeſcit,ac viſcoſior euadit,
vt etiam tophos appellatos efficiat: aliquando verò etiã
humor ex pluribus mixtus eſt.quare fit vt & cognitu & cu
ratu difficilis,& fere incurabilis ſit morbus. Auſpicatur
autem,& laceſſit affectionem plerunque laſſitudo immo-
dica,& deambulationes concitatæ,& equitatio frequens,
& rei venereæ intempeſtiuus vſus, frigidæ potus non con
ſuetus,frigidorum aut multorum aut malorum eduliorũ
eſus,vinum multũ: ſed & ex offenſionibus, aut impulſio-
nibus,aut luxationibus,aut aliis huiuſmodi,quidam pri-
mum affectionis experimentũ fecerunt,præcedente qui-
dem in corpore, & hactenus quieſcente materia, externa
autem laceſſente cauſa ipſam cõmouente. Triſtitiæ autẽ
& curæ,& vigiliæ,ac reliquæ affectiones, non ſolùm com
mouent, ſed etiam ipſæ generant,ſiue primariò, ſiue per
accidens, vitioſos humores. Variæ igitur ſunt velut dixi
affectionis cauſæ. Facillimè tamen,quantum eius fieri po
teſt, affligentium humorum differentiæ deprehẽduntur,
vtpote quarum notæ ex coloribus ac ſymptomatis acci-
dentibus ſumuntur. Bilioſa enim fluxio ad coloris pallo-
rem ac ruborem,etiã caloris ſenſum, & dolorem acutio-
rem efficit,& citò per cutem diſtribuitur, citra magnum
tumorem,& calfacientibus impoſitis exacerbatur,quem-
admodum vice verſa à frigefacientibus remittit. Atque
hoc quidem etiam in aliis omnibus plerunque, maximè
tamen ex bilioſo affectis humore,cõtingit: & febris ipſis
accedit ſæpe in exacerbationum vigoribus, quando etiã
ſiticuloſi ſunt.Sic autem & nigriorem in atrabiliariis repe
ries colorem: album autem & aquoſum in pituitoſis: in
quibus autem ſanguineus eſt redundans humor, in his &
dolorem intus deliteſcentem, & tardius in tumorem ſe
attollentem, velut etiam ſanguineum colorem deprehen
des. Ad firmiorem verò dignotionem conferet tibi etiã
prægreſſa victus ratio,& reliqua.

Curatio eorum qui ex bilioſi humoris fluxione laborant.

Principium curationis in his qui ex flaua bile,aut po-
tius ex qualitate affecti ſunt, affligentis humoris ſit eua-
cuatio per purgantia medicamenta, quale eſt maximè
quod ex rhodomelite paratur,& quod ex malis Cydoniis,
& quod ex picra antidoto, & catapotia ex aloe:in exacer-
bationibus autem forinſecus roſaceo vtemur cum oui vi
tello,ac vino modico,confricta inſuper leniter parte.Sed
& frigefacientes herbas adhibemus, velut eſt ſolanũ,por-
tulaca,hyoſcyamus, ſemperuiuum, lenticula paluſtris,ſe-
ris,papauer, polygonum, roſarum folia, & ſimilia:ita vt
aliquando ipſa illinamus, aliquando cum micis panis
poſca maceratis,aut cum hordeacea farina ac roſaceo ca-
taplaſmatis modo imponamus. At in inflammatione ar-
ticulorum ignem ſacrũ referente, manifeſtè mitigat cu-
curbitæ recentis cortex impoſitus,& peponis ac cucume-

A ris caro per ſe, & cum pane,& perdicii folia, itémque he-
deræ cum pane aut polline polentæ. Sed & pſyllium cum
hordeacea farina coctum feruidas inflammationes miri-
ficè mitigat: ſimiliter & roſaceum ceratum cum aliquo
perfrigerante ſucco frigefactum, & quod ex fabacea fa-
rina paratur.Habet autẽ hoc modo: Ceræ quincuncẽ, cha
mæmelini ſextantẽ & vnciæ dimidiũ, roſacei ſextantẽ &
vnciæ dimidiũ,farinæ fabaceæ vnciæ dimidiũ, ouorũ 5
vitellos. ALIVD cataplaſma. Maluas virides coctas te
B rito,& pſylliũ priuatim viſcoſũ factũ admiſceto,deinde
vitellis ouorum additis, cum oleo chamæmelino impo-
nito.Si verò multus & ægrè tolerabilis eſt dolor,etiam ex
croco,& glaucio,ac opio paratis vtẽdũ eſt, ita vt cũ poſca
ipſa teramus,& aut illinamus,aut cum micis panis impo-
namus. Galenus autem huius meminit: Succi papaue-
ris drachmas quatuor,croci drachmam vnam, cum lacte
bubulo aut caprino terito,aut panis internam partem ad-
iicito,& ex contactu roſacei emollito, ac pro cataplaſma-
te vtitor, aut opium & crocum cum lacte tritum, cerato
C roſaceo excipito.ſed & ex torpedine ceratum eiuſdem fa
cultatis eſt in exacerbationibus,& oleum ex ipſa. Quin &
hoc cõſimile eſt: Micarum panis aqua aut poſca macera-
tarum,ſemperuiui,aut ſolani,aut portulacæ,carnium pal-
mularum,ſeminis papaueris,ſingulorum pares partes: vi-
tellorum ouorum aſſatorum,& roſacei quod ſatis eſt,pro
cataplaſmate imponito. Verùm ſtupefacientibus immo-
rari non oportet,ſed eo vſque ſolùm vt doloris vehemen-
tia moderatior fiat.Nam vberior ipſorum vſus,& humo-
rum compactiones,& tofos, & diuturnas motus difficul-
D tates efficit.Poſt vſum igitur eorum quæ dolorẽ eximunt,
aut emplaſtro ex ſuccis cum chamæmelino diſſoluto v-
tendũ eſt,aut eo quod ex althæa paratur, aut aliquo huiuſ
modi medicamento. Poſtquam autem recalfacta fuerint
perfrigerata, partem corroborabimus emplaſtro phœni-
cino,aceto & roſaceo,aut vino ac roſaceo diſſoluto: ſi ve-
rò grauentur emplaſtris, acaciæ ſuccus cum poſca illina-
tur,aut lycium cum croco, & glaucio, & perdiciadis ſuc-
co in poſca.At verò victum ipſorum perfrigerantẽ & hu-
mectantem eſſe conuenit, quales ſunt ex ptiſſana & alica
E ſorbitiones,& ex oleribus,malua,lactuca,intybus,& galli-
narum domeſticarum pulli,& piſces petroſi,& erinacei,&
pectines,& ſimilia.Vitent omnia calfacientia,& quæ pal-
lidam ac flauam bilem generant, & vina vetera, fulua,ac
nigra,& repletionem. Vtantur etiam balneis potabilium
aquarum,& circa ipſas fluxiones, quantum ad cauſam at-
tinet,& abſque illis,ſi non aliud quid prohibeat. Vitent i-
racundiam,ciborum abſtinentiam,acrium eduliorum e-
ſum,ebrietatem,laſſitudinem immodicam,venerem.

F

Curatio eorum qui ex ſanguinei humoris fluxione laborant.

In quibus ſanguineus humor redundat, venæ ſectione
vtendũ eſt citra dilationẽ:imò etiã in pituitoſioribus aut
atrabiliariis,quandoquidẽ & his humor in venis quãma-
ximè cõtinetur,quantitate magis quàm qualitate lædens.
Venæ igitur ſectionẽ aſſumimus ſtatim circa primã mor
bi tentationẽ. Nam quos ſæpe iam fluxio præoccupauit,
illi læduntur magis ex ſanguinis euacuatione quàm vt o-
pem ſentiant, & magis hi quibus ex natura frigidius aut
G etiam debilius eſt corpus. Poſt ſanguinis euacuationẽ,ſi
non ſolùm ſanguis eſt qui redundat,modico tempore in-
terpoſito,etiam purgatione ex hiera vtemur.Sed & acetũ
mulſum Iulianium ex his eſt quæ hos conuenienter pur-
gant. Qui verò talia purgatoria medicamenta recuſant,
his catapotiis vtantur: Aloes,colocynthidis,veratri nigri,
ſcãmoniæ,ſingulorũ vnciã vnã,euphorbii vnc.dimidiũ,
nitri vnciæ dimidiũ: excipe ſucco braſſicæ,& præbe pro
viribus. Melius autem in malorũ Cydoniorum ſucco.
ALIVD catapotium:datur & in exacerbationibus, & in
H interuallis,& in omni humore in podagricis. Aloes ſe-
xuncẽ, agarici vnciæ dimidium,croci vnciæ dimidiũ,co-
ſti vnciã vnã,ſpicæ nardi vnciã vnã, floris iunci odorati
vnciam vnam,carpobalſami vnciã vnam,caſſiæ ſextantẽ,
ſcammoniæ ſextantẽ:epithymi quadrantẽ & vnciæ dimi-
diũ.Doſis moderata,eſt ſcrupulorũ duo,perfecta,quatuor,

Quin & ex Armeniaco lapide catapotia mirificè purgant, priuatim in arthriticis conuenientia, tum in principiis, tũ in declinationibus fluxionum, atque etiam interuallis data. Quandoquidem verò quidã ſcammoniam velut ſtomacho incommodam fugiunt, danda ſunt ipſis, & præſertim ſi pituitoſa materia redundat, hæc catapotia: Colocynthidis medullæ, veratri nigri, bdellii, gummi, aloes, ſingulorum vncia vna, nitri Alexandrini, euphorbii, ſingulorum vnciæ dimidium: dantur ſcrupuli quatuor. Ego verò pro gummi, epithymũ adieci. Quidam verò in ipſis exacerbationibus, in omnibus arthriticis purgatione ex hermodactylo vtuntur: verùm attendendum eſt, quia ſtomacho incommodus eſt hermodactylus, & anxios ac ciborũ inappetentes facit. In ſolis igitur iis qui negotiis quæ differri non poſſunt, vrgentur, ipſo vtendum eſt. compendio enim & poſt duos vtplurimum dies ſedat fluxionem, vt quis ad conſuetas functiones obeundas tranſire poſſit. Noui autem quendam qui non ipſam hermodactyli ſubſtantiam exhibet, neque aliquod medicamentum ex ipſo compoſitum, ſed herbam ipſam coquit, cum aliquo ex conſuetis pharmacis, velut aniſo, aut apio, & decoctũ bibendũ præbet: & mirum eſt quomodo per ventrem euacuati à fluxione liberantur. Oportet autẽ, propterea quòd ſtomacho incommodus eſt, (velut dixi) poſtea ſtomacho gratis & corroborantibus, cum moderata caliditate, oſculum ventris corrigere. Cæterùm Alexander purgationẽ ex coronopodio meliorẽ eſſe dicit ea quæ fit ex hermodactylo, vt quæ eãdem euacuationem & doloris ſedationem efficiat, cum hoc quòd neque ſtomacho incõmoda eſt. At verò localia pituitoſis adhibeantur: ſi quidẽ moderatus eſt dolor, braſſica viridis impoſita, & apium, & conyza, & verbenaca recta: ſi verò vehementer dolent, farinæ fœnigræci partes tres, farinæ lolii partem vnam, farinæ cicerum partem vnam, cataplaſmatis modo imponito cum aqua mulſa aut vino tenui, cum modico Cyprino, aut nardino, & maximè hyeme. Cinis item radicis & caulium braſſicarum vſtorum, cum axungia impoſitus, multis prodeſt. Verùm ad mitigãdũ dolorem, recentẽ axungiam eſſe oportet: ad diſcutiendum verò, veterẽ ſalſam. Facit & bubulum ſtercus cum farina hordeacea, in aqua mulſa coctum, aut per ſeipſum recens humidum impoſitum, cum braſſicæ foliis: ſimiliter etiã caprinum ſtercus per ſe aut cum farina hordeacea, ex poſca coctum. Quandoquidẽ verò & ex iis quæ contraria eſſe videntur quidam opem ſenſerunt, (variorum enim humorũ mixtura dignotionem excindit) materiã mixtim referemus. Prodeſt itaque ſylueſtris & hortenſis atriplex cum pane impoſita, aut verbaſci folia cum bulbis & pane trita, aut cum polẽta, aut ex cruda hordeacea farina cataplaſma. In ſumma porro, in quibus eſt obſcura cauſa, tranſitionem facere oportet quandoque ad ea quæ ſunt eiuſdem generis, aliquando etiam ad contraria, ita vt neque iiſdem immoremur, ſi non mitigationem exhibeant. Hæc enim quotidie in ipſis artis operibus videmus fieri, & idem auxilium huic quidem articulo prodeſt, alteri verò in eodem ægroto ſimiliter inflammato, non ſolùm non prodeſt eadem etiam hora, ſed quandoque etiam inſuper lædit: & quod ſanè mirum eſt, vnus & idem articulus ſæpe ab eodem auxilio nũc quidem vtilitatem percepit, paulo pòſt autem etiam inſuper inflammatus eſt. Non igitur aliquãdo fortaſſis, vbi quidẽ viſcoſa & craſſa materia obtinet, ex calidioribus opem ſentit: vbi verò acris ac feruida humoris qualitas obtinet, frigefacientibus mitigatur: & nihil miri eſt etiam frigidiorem natura materiam, inflammationis tẽpore exardeſcere ac feruere, vt bilis, ſi ita contingat, admixtionem omittam. At verò tophorum coactionem prohibet farina lupini cum aceto mulſo, aut poſca, aut Silphii, aut bryoniæ radix cum pane. Sed & hoc ex iis eſt quæ citra læſionem mitigant, ſimúlque moderatè diſcutiunt: Lycii vnciam vnam, ammoniaci thymiamatis vnciam vnam, cum vino vetuſtiſſimo trita & oleo acerbo, coquito, & farinæ fabaceæ quod ſatis eſt adiicito, moderatè cocta imponito. Poſt vigores autem tumore relicto, imponantur bulbi per ſe, aut cum polentæ polline, vſque ad lancinationem: ita enim operari ſolent. Si verò cataplaſmatis non mitigentur, irrigationibus & perfuſionibus vtãtur ad locos, maximè ſi extremæ partes fuerint, ex chamæmeli & meliloti, aut etiam centaurii decoctis. Quoſdam etiam capparis decoctum multum iuuit. Hoc autem omnium efficaciſſimum eſt: In aceto acerrimo thymum, origanum, thymbram & calamintham coquito, indéque locos affectos perfundito, non ſolùm ſemel, ſed ſæpe in die, confidenter: multis profuit non ſolùm ex pituita, ſed etiam bile affectis. Quidam & hoc obſeruarunt: Ilicis glandes tundunt, & diu coquunt, & decocto hoc extremas articulorum partes in fluxionis principio, ad multum tempus irrigant, interiores autem partes ſpongiis perfundunt, & ſtatim materiæ impetum repellunt. Hoc etiam ex bile affectis conuenit, quemadmodum etiam in aquam calidam abſque aliquo decocto demerſio. Cæterùm ad dolores & impactos articulis humores, ob intentam frigiditatem obortos, forte eſt hoc auxilium: Olei veteris libra vna ſemis, nitri Alexandrini libra vna, terebinthinæ libra vna, euphorbii vncia vna, iridis ſextans, farinæ fœnigræci ſextarius vnus ſemis. His verò etiam conueniunt quæ ad coxendicum morbum relata ſunt. Multi enim ex ita perfrigeratis, in declinationibus & ſinapi cum caricis vſi ſunt, & aliis rubefactoriis: quidam etiam medicamento ex cantharide: verùm hæc lædũt in poſterũ, ſi non aliquo ex molliẽtibus vſi fuerint, velut eſt quod ex herba lanaria paratur, & quod pyxis & quod Baſilii appellatur, & quod ex abiete fit, & quod ex populo nigra, & bromiũ, & lyſiponiũ appellatũ, & ex acopis fortiora: in quibus etiam maximè neruorum per conſenſenſum affectiones & humorum impactiones fiunt. Emplaſtrum verò ex mulæ vrina, etiam in vigoribus impoſitum, frigidioribus præſertim fluxionibus commodũ eſt: ſimiliter & ex duobus veratri generibus paſtillus. Porro ad laxos tumores conuenit fomentũ quidem ex ſale fricto, aut etiam alio modo aquæ marinæ calidæ per ſpongias perfuſio aut irrigatio: & emplaſtra ex ſale parata, item ex lixiuio, & ex nitro emplaſtra, & conſimilia his cataplaſmata poſt vigores. Victus autem ſiccior, & nihil ſuperfluitatum habens his conuenit, & ciborum abſtinentia, aut parſimonia, & balneorum aſſiduorum abſtinentia: loti verò, nitris & aliis defrictoriis vtantur. In declinationibus autem exercitiis & frictionibus articulorum maximè vtantur, & naturalibus balneis, aut etiam arenæ ingeſtione, vomitibúſque à raphanis ac cibis. Qui verò ad hoc idonei ſunt, etiam per veratrũ album euacuentur per vomitus, aut etiam per infernam aluum purgentur.

Curatio eorum qui ex mixti humoris fluxione laborant.

Qui ex mixto humore affecti ſunt, poſt ſanguinis in principio morbi euacuationem, relatis localibus auxiliis vtantur: ſi quidem bilioſior & acrior eſt redundans ſanguis, iis quæ in bilis fluxione relata ſunt: ſi verò frigidior & pituitoſior, aut etiã magis atrabiliarius, iis quæ poſt illa dicta ſunt, exceptis valde acribus: ſi verò diuturnum ſit malum, etiam his. Sed & hoc cataplaſma ab initio conuenit: Malicorium, & rhus, & polenta, in vino trita imponuntur. ALIVD. Ad folia braſſicæ cocta ac probè trita fæcẽ aceti adiicito, & ouorum crudorũ vitellos duos, & roſacei parum, & trita imponito, aſſiduè permutando. Cibos autem attenuantes & parum nutrientes ſumant. Proinde à carnibus ac leguminibus abſtineant, & à vino copioſiore ac nigro: quòd ſi fieri poſſit, etiam in totum vini potum vitent. multos enim noui qui à ſolo hoc penitus abſtinuerunt, & omnes opem ſenſerunt. Quidam enim in principio morbi perfectè liberati ſunt: quidam poſtea & raró & neque valde doloroſè exacerbati ſunt. Si igitur nihil aduerſi ex hoc contingat, aut in futurum timeatur, per totam vitam à vino abſtineant. Qui verò propter debilitatem aut perfrigerationem aliquantulum ſuccumbere apparuerint, vbi ad biennium à vino abſtinuerunt, hinc iam modicum & aquoſum perpetuò bibant. Oportet autẽ eos qui à vino abſtinent, pro vino aniſi decoctũ bibere, aut alicuius eiuſmodi ſeminis, abſtinẽdo quantũ eius fieri poteſt à fructibus pomorũ, &

reliquis perfrigerantibus,itémque à veneris vſu. Qui verò medicamentis quæ per annũ bibuntur,perfectè à morbo liberare volunt,hi pleroſque pituitoſiores ac ſuperfluitatibus abundantes iuuerunt: calidioribus autem & ſiccioribus repentinæ mortis cauſa fuerunt, materia ad inteſtinum, aut renes, aut latus,aut pulmonem, aut aliquã principalẽ partem tranſlata.Melius igitur eſt in biliosioribus,aut multo ſanguine redundantibus, vini vſum vitare,quum ex hoc nullus in relata pericula incidat. Verùm in frigidioribus & ſuperfluitatibus refertis, theriaca ex viperis vtendum eſt, ita vt bona facta concoctione frequentius ipſam ſumant hyeme,rarius autem æſtate.aut enim à morbo liberat, aut moderatiorem ipſum reddit, nullam relatarum partium lædens. Quandoquidem verò cogunt aliqui nos etiam ad relatorum antidotorũ vſum, eiuſdem generis eſſe ſcito,& quod ex Damaſonio paratur,& quod Agapeti appellatur, & inordinatum dictum, & Octaidon, *octo rebus conſtans*, & quod Proclo adſcribitur, & quod ex ſcordio fit,& quod ex corallio, & alia cõplura. Verùm ſecuriſſimum omnium, inſupérque multi experimenti eſt quod ex corallio paratur, vt quod etiam tofos in articulis iam coactos diſſoluit. Horum autem omnium & facultates,& vſus modum, & in his cautionẽ, in libro de medicamentis comperies: ſimiliter etiã pſilothrorum ad arthriticos,& compoſitiones & vſus modũ in iiſdem habitibus,pituitoſioribus dico,in vſum veniẽtium. Alii ad totius morbi excluſionem, vulpeculas totas in oleo coquentes,arthriticis medentur, partim viuas in maximum lebetem mittentes,partim mortuas. Similiter etiam hyænas coquunt, diſcuſſoriũ oleũ facientes: deinde ſolia ex ipſo complentes, & arthriticos in ipſa demittentes, & multo tempore immorari iubentes. Ex hoc autem contingit nõ ſolùm tumores circa articulos,ſed etiã totum corpus euacuari.

De tofis.

Quandoquidem etiam tofi ſæpe in articulis coguntur, aliquando ob craſſum ac terreum humorem in ipſos irruentem, aliquando etiam ob medicamentorum diſcutientium ac immodicè reſiccantium, citra emollitionẽ, vſum,id noſſe expedit, commodiora pharmaca eſſe quæ vnà cum hoc quòd molliunt,etiam diſcutere ſolent. Molliunt itaque adipes vetuſti, & medullæ, & ammoniacum, & bdellium,oleúmque valde vetus, & ſtyrax. Diſcutiunt autem & ſiccant,nitrum,ſal,lixiuium,adarce, euphorbiũ, & ſimilia. Verùm ad tofos in articulis priuatim facit caſeus vetuſtiſſimus & acerrimus,cum carnis ſuillæ pinguis ac veteris decocto tritus ac impoſitus. Erumpente enim tofo ſua ſponte,quotidie euacuatio contingit. Compoſitum autem id quod ex perna fit,experimento cognitum eſt,& dupliciter paratur,& quod à lixiuio appellatur. Sed & hoc priuatim facit:Aphronitri,terebinthinæ,lixiuii ex cinere calce addito parati, propolis, ſingulorum trientẽ, ceræ dodrantem, colophoniæ libram vnam, olei vncias ſedecim:mixtis vtere ad tofos & abſceſſus: quod verò ex cinnabari paratur, admirandum quidem & ad tofos, & ad plura alia,ſed difficulter haberi poteſt: at quod ex nucibus auellanis fit, ad hoc quòd felicem ſucceſſum habet,etiam facilè parari poteſt: & nõ ſolùm in fortioribus, ſed etiam ſubtili ſenſu præditis corporibus conuenit, ſi emplaſtri ex melle,aut quod ex anemona fit, duæ partes ad vnam ipſius aſſumantur.Si verò non adſint, etiam ex eo quod ex ceruſſa fit, æqualis portio ad ipſum admiſcetur. ALIVD ad tofos. Sandarachã tritam viſco quercino excipe,ac vtere. ALIVD. Facit etiam ad fiſtulas & ægilopas: Olei ſextarium vnum,ſpumæ argẽti beſſem, & vnciæ dimidium,auripigmenti vnciam vnam: ſpumã argenti & oleum coquito, donec nõ amplius inquinent: deinde auripigmentum valde tritum inſpergito:& prius quàm adurantur,ab igne ablatis vtitor. Quæ verò ex lapidis Aſii flore in interuallis exacerbationum imponũtur, ad omnes circa articulos conſiſtentes collectiones conuenientia,veterum teſtimonio quorundam, à toto morbo liberare creduntur. Sed & id quod ex ſalis flore paratur,in declinationibus ſimiliter impoſitum, relictos tumores diſcutere creditur.

De præſeruatione podagræ.

Podagram iam conſiſtentem,aut etiã arthritidem,corrigere operoſiſſimum eſt,citra relatas methodos: verùm eam quæ nondum facta eſt,præcauere facile eſt,ita vt ciborum detractio fiat,& eis vtatur quis qui & facilè concoquũtur ac diſtribuuntur,& nihil ſuperfluitatum habẽt, itémque vino moderato,& vt exercitiis additio fiat quãtum ſatis eſſe viſum fuerit. Auxilii verò loco, ſal in oleo tritus, & articulis affrictus,omnibus qui præcauent ne in podagricam affectionem incidant,magnificè prod eſt, ſi non valde ſiccam habuerint intemperiem. Oportet autẽ eo vti mane & veſperi per omnem vitam: ſed & poſt inflammationum declinationes eodem vtendum eſt.

AD PERNIONES IN PLANTIS AC pernis, Cap. LXXIX.

PErniones,vlceroſæ ſunt affectiones,circa manuum ac pedum digitos conſiſtentes hyemis tempore. Oportet itaque ipſos aqua marina tepida perfundere,aut betæ, aut lentis,aut erui,aut radicis aſphodeli decocto:poſt perfuſionem lentes coctas in vino tritas imponito, aut ficus tritas cum oleo imponito: aut alumen & farinam, æquis partibus in vino trita adhibeto:aut fæcem vini ſubaridã, aut bulbum recentem vino tritum imponito: aut alliũ in oleo torreto,ac reiicito,& moderata cera in oleo liquata imponito:aut malicoriũ vino coctũ ac tritum,cerato roſaceo excipito,ac vtitor, irrigatione ex lupinorum decocto præmiſſa: aut mannam, & ſulphur viuum cum melle cocto imponito. At hyoſcyami ſuccus aſſiduè illitus, ab inflãmatione ac dolore conſeruat.

Marcellium ad perniones.

Rapi radicẽ excauato, & in foſſulã excauatã ceræ ſextantẽ,& olei lentiſcini ſextantẽ indito, & in duplici vaſe, in aqua marina,aut muria,aut lupinorũ decocto coquito: & hoc quidẽ perfundito,ceratũ verò in rapo liquatũ,frigefactũ imponito. Verùm in vlceratis pernionibus, thuris,aluminis ſciſſi,rubricæ,reſinæ, æquales partes, adipe ſuillo dilutas excipe,ac vtere. Cæterùm ad vlceratos cum inflammatione, hexapharmaco, *à ſex rebus quas recipit appellato*, vtere: Olei dodrantem, adipis taurini, fellis itẽ, ſingulorum libram vnam:ſpumæ argenti ſexuncem, colophoniæ trientem,mellis ſexuncem.

Ad digitorum & totorum pedum rimas.

Picem liquidam illinito,aut cancrum fluuiatilem aut marinum in prunis exurito,& detracta teſta,cum oleo terito,& ad mellis ſpiſſitudinem redigito,& præterſis rimis inſtillato. Facit & ſcillæ pars interna oleo feruefacta, & cum terbinthina contrita: & cornu ceruinum vſtum,& adipe caprino exceptum: verùm digitos præmundare oportet,& ſic medicamenta adhibere.

Ad fiſſuras pernarum ac plantarum floridum emplaſtrum.

Calcis viuæ drach.decem,ceruſſæ drach.viginti,ceræ drach.viginti aut triginta,adipis porcini recentis ſeptũcem,colophoniæ dodrantem,ſucci ſeminis lini cyathum vnum,olei dulcis vncias quadraginta: tenerã plantam facit velut nullum aliud. ALIVD. Adipis caprini,ceræ, olei, æquis portionibus vtere. ALIVD. Malicoria in aceto cocta per quinque dies imponito: deinde circũcirca mundatis calcem cum oleo aut ſtrigmento imponito. ALIVD. Scillam in oleo coquito,& ipſam quidem torrefactam reiicito:in oleo verò terebinthinam liquato,ac vtitor.

Ad attritus pernarum ex longo decubitu.

Ceræ,olei,ſpumæ argenti,mellis, ſingulorum æquales partes. Facit etiam ad omnem vlcerationem plantarum ac calcaneorum,& volarum,& internæ digitorum partis, & hoc magis ſi vlcus propinquum vngui fuerit.

Ad ſordida in planta vlcera medicamentum quod linamentis inditur. Facit etiã ad pudendum.

Amurcæ cyathum vnum,aceti cyathum vnum,coquito in vaſe æneo ad mellis ſpiſſitudinem, & priuatim ſquamæ æris drachmas duas,mannæ drach.duas: lanarũ ſuccidarum molliũ tedæ obuolutarũ ac vſtarum cineris quantũ manu prehẽdi poteſt terito, excipitóque omnia; ac vtitor,ad vulnera quidẽ,vino dilutis, ad pudẽda verò

ac plantas,paſſo. ALIVD. Amurcæ,mellis deſpumati, ſingulorum pares portiones.hoc etiam gingiuas purgat. Ad attritus ex calceamentis facit pulmo agninus, & porcinus,& caprinus:coria à veteribus ſoleis vſta,inflãmatis quidẽ nõ proſunt,verùm ſedata inflammatione opitulãtur,aut cepam cum multo gallinaceo adipe impone, aut gallam vſtam inſperge, aut acaciam aceto dilutam illine.

AD CLAVOS AC CALLOS,
Cap. LXXX.

AD clauos præmundatos vnam aliquam ex corrodẽtibus compoſitionibus imponere oportet,aut ærugi- B nem raſam,aut ſandaracham, aut fiſtulis dicatum puluillum ſiccum,aut fiſtulare collyrium, gummi vice,ammoniaco exceptum.Eſt autem clauus rotundus, albus, claui capiti aſſimilis, circa omnes corporis partes conſiſtens, maximè tamen in plantis ac digitis pedum.Aufertur autẽ longiore tempore,etiamſi quis præminentem claui partem aſſiduè deradat ſcalpello,aut pumice deterat: ſimiliter etiam callus. Facit & lupinorum crudorum vſtorum cinis cum melle,miſy pice liquida exceptum, melanthiũ cum pueri impuberis vrina, fabæ lomentum cum aceto C coctum.Hoc autem ſæpe experimento cognitũ eſt:Cantharidum,atramenti ſutorii, caſtorii, ſingulorum æquales partes:excipiuntur terebinthina ad emplaſtri formã, & clauo præmundato imponuntur. ALIVD. Fæcis vini vſtæ, calcis viuæ, viſci, ſingulorum pares portiones cum lixiuio aut vrina pueri impuberis.

DE AFFECTIONIBVS CIRCA VNgues,& primùm de paronychia,
Cap. LXXXI.

PAronychia,*id eſt reduuia*,abſceſſus eſt circa radicẽ vn- D guis conſiſtens.Quum adhuc parua eſt paronychia, & incipiens,galla cum melle comprimit, ac conſiſtere impedit, aut Muſæ paſtillus,aut Nere,cum aqua:verùm vbi iam caro præter naturam excreuit, ſcopum habemus vt ipſam per nõ erodentia conſumamus ac rumpamus. Facit ad poronychias,aurium ſordes,& lycium. Suppuratã autem pungito,& emiſſo humore ſpongiam aqua imbutam imponito,aut lentem cum aqua tritam adhibeto,aut phœnicinum emplaſtrum cum vino,aut roſas virides,ſiue ſiccas,aqua maceratas ac tritas, aut polentam cũ aqua. E Facit etiam ad paronychias farina lupinorum melle aut vino mulſo ſubacta. Ad vlceratas autem,æruginis,ſpumæ argenti,ſingulorũ drach.quatuor,ſarcocollæ drach. quatuor:quantum ſatis eſt inſperge, & ſupernè linamentum ex vino,itémque ſpongiam impone. Oportet autẽ & carnem vndiquaque ab vngue diſparare.

De pterygiis.

Pterygium eſt nimium carnis incremẽtum,quod par- A tem vnguis operit,ex paronychia,aut alia eiuſmodi cauſa ortum habens.Ad hoc igitur,auripigmentum, & mannam,æquis portionibus inſperge, & ſupernè linamẽtum ex vino, & ſpongiam impone. ALIVD. Chalcitidis, ſquamæ æris,malicorii,ſingulorum æquales partes, excipe ficu aſſata & melle,& loco prius ex ſpiſſamẽtorum decocto rigato, impone: quòd verò de pterygio exareſcit depurga.

Ad digitorum pterygia putreſcentia,& ad pudendorum vlcera.

B Thuris drach.vnam,ſquamæ æris drach.vnam,æruginis raſæ drach.quatuor,mellis cyathum vnum, terito ad ſolem donec ſubflaua fiant, & vtere cum ſplenio, loco ex vino prærigato. ALIVD breui reſiccans ac curans pterygia:Soreos vſti drach.duas, thuris drach.duas,æruginis raſæ drach.vnam,cum melle contrita pterygio ipſi impone.Facit etiam ad reliqua horum locorum vlcera maligna,& nigredines, & putrefacta. ALIVD. Squamam æris palmularum aut ficuum carne excipe,ac vtere. ALIVD. Columbinum fimum cum polentæ polline in C paſſo coctum ac tritum,calidũ impone: ſed & æris ſquama per ſe inſperſa pterygia reſiccat. Oportet autem angulum vnguis aſſiduè per ſcalpellum eleuatum auferre, vt ne augeſcens, pterygium pungat. AD contuſos vngues: Myrti & mali Punicæ folia tenera imponito. AD ſubcruentos vngues.Farinam pice admixta imponito. VT diſcedant affecti vngues.Sulphur tritũ adipe ſuillo exceptũ imponito. VT diſcedãt ſcabri vngues. Viſci quercini,ſandarachæ,fœnigræci,ſingulorum ſextantem: cantharidum, thapſiæ,ſingulorũ vnciam vnam: aceti quod D ſatis eſt. ALIVD. Propolis Atticæ, ceræ, bituminis, ſingulorum drach.duas,ſulphuris viui drach. vnam: excipe ſine oleo,vt ne inquinẽt. Vſu verò expetente, calfactũ medicamentum vnguibus obducitur. ALIVD. Picis liquidæ,ceræ,colophoniæ,terebinthinæ,ammoniaci thymiamatis,ſulphuris viui,aphronitri, ſingulorum æquales partes, vt ne inquinent. ALIVD quod ſcabros vngues diſcedere facit abſq; vlceratione: Bituminis, auripigmẽti,ſandarachæ,ſulphuris viui,ſingulorũ drach.quatuor:excipe reſina,& vtere,exoluẽs per ſeptimũ diem. ALIVD. E Farina erui felle ouillo,aut vrina ouilla ſubacta vtere,aut calce cum oleo,aut maſtiche Chia cum opobalſamo:aut viſco atramẽtum ſutorium, & ſulphur viuum, quod ſatis eſt excipe, & pelliculæ inductum impone:aut ſtaphidem ſylueſtrẽ cum aceto tritã adhibe,aut reſinæ terebinthinæ drach.vnam,ſandarachæ duplum, ad radicem vnguis ſimul impone,ac diligenter deliga. Quum verò exciderit vnguis,ceratum myrteũ impone,cui parum additum ſit de medicamento ex reſina parato.

PAVLI AEGINETAE DE RE MEDICA, Lib. IIII,

Iano Cornario Medico Phyſico interprete.

DE ELEPHANTE, Cap. I.

ARETÆVM Cappadocem ita dicere arbitror, Auxiliorum facultatem morbis ſuperiorẽ eſſe oportere, & propterea elephantem curari non poſſe: nõ enim reperiri medicinã eo ſuperiorem. Si enim cancer qui velut elephas quidam eſt in vna parte,ex incurabilibus etiam ab ipſo Hippocrate nominatus eſt, quomodo non magis elephas,qui velut cancer quidam in toto corpore eſt,omnino incurabilis erit? Quum enim atra bilis ex qua hæc affectio conflatur, duplicem generationẽ habeat, (aut enim ex atrabiliario ac fæculentiore humore,& velut ſanguinis limo,aut ex flaua bile,vtriſque ſuperaſſatis generatur) ſubrubros quidem elephantas,mitiores quodammodo, aut(vt verius dicam) minus malignos,prima atræ bilis differẽtia efficit. Alios verò qui etiam maligniores ſunt,& totum corpus exulce- F rant, & extremarũ partium elapſus faciũt, poſterior differentia ex flaua bile nimium aſſata generata producit. Quapropter de iis qui iã morbo detenti ſunt deſperandũ eſt: vbi verò in principio eſt affectio,vt neque aliqua extremarum partiũ decidat, neque vlcerata ſit cutis ſuperficies,neque etiam tumidæ eminentiæ plurimùm inſurgant, verùm turpis ſolùm ſit facies,ita tamen vt non valde indecorum aſpectum præferat,curare tentabimus.Nõ pauci enim per ſolam capitis vſtionem, pleroſque qui ita inceperunt, prohibuerunt ne ab affectione ſuperarẽtur. G Statim igitur incipiente morbo venæ ſectione vtemur, cum repetita ſanguinis detractione, atque hoc magis in vere,quãdo maximè & gignitur affectio & exacerbatur. Paucis autem interpoſitis diebus,nouem aut decem,purgamus ipſos pulte ex colocynthide,non vna vice, ſed ſæpe,iuxta rationem medicamenti,quantitatẽ adaugentes:

purgatio quoque ex hiera iis commoda eſt. Rurſus autẽ A
diebus circiter decem interiectis, ſerum lactis ſciſſi ipſis
dandum eſt, non infra trium heminarum menſuram, ne-
que ſupra quinque. Sequentibus verò diebus lacte non
ſciſſo, aut recens mulcto alantur. Ex iis ſi quidem remittit
affectio, eodem alimento vtantur: ſi verò perſeuerat, à la-
cte abſtineant, & ab acrium eſu vomant, itémque à rapha
nis & cibis. Commoda eſt etiam poſtea ex veratro albo
purgatio, bis ſi fieri poteſt in vere, ſemel in autũno. Cæ-
terùm iis qui à malo victi ſunt, neque vena ſecetur, ne-
que veratrum detur. neque enim tranſlatio à cute ad pro- B
fundum contingit, neque imminutio materiæ ex his am
plius fit. Verùm materiam ad ventrem ac inteſtina dedu-
cere oportet, & ex alto euocantibus ac transferentibus hu-
mores vti, ſiccaréque ac adſtringere cutem. Leues igitur
cucurbitæ ad os vẽtriculi & ad præcordia affigãtur, & iiſ
dem quoque partibus dropaces adhibeantur. Pauco autẽ
tempore interpoſito rurſus reflectẽdũ eſt, initio à purga-
tione per hieram ſumpto, omiſſa venæ ſectione, ex qua
maius detrimentũ quàm vtilitas vlla futura eſſet: & hoc
circuitu ter aut quater in anno vtendum eſt, maximè vere C
& autumno. Potiones autem his conueniunt hæ: Aceti
cyathus vnus cum cedriæ cyatho vno & ſucci & braſſicæ
crudæ cyathis duobus: mixta hæc dãtur mane & veſperi:
aut ſideritidis herbæ folia arida drach. põdere, in vini
cyatho vno: aut cornu ceruini drach. vnã, & aceti ſcillini
cyathi menſuram bibendam præbe quotidie poſt matu-
tinam deambulationem: ſed & alia circa hoc tempus dẽ-
tur: aut ſcillæ aſſatæ drach. quinque in aqua mulſa, aut in
melle ad eclegmatis modũ: aut ſucci Cyrenaici erui ma-
gnitudinem, melle & butyro dilutam: aut ramenti eboris D
drachmæ dimidium cum vini cyathis duobus, aut cumi-
ni Æthiopici drach. tres cũ melle velut eclegma. His autẽ
magis opitulatur paſtillorum theriacorum drach. vna,
in vini boni cyatho vno trita ac pota: ſimiliter etiam pa-
ſtillorum ſcilliticorum drach. vna bibatur: ſed & cala-
minthæ ſuccum, velut efficaciſſimum auxilium, laudant
potum. Incipiendum autem eſſe aiunt à tribus cyathis
vſque ad ſex. Præ omnibus autem efficax eſt theriaca ex
viperis, & pota, & forinſecus illita. Si verò haberi poſſent
ipſa animalcula, nihil adeò efficax eſt velut viperarum E
carnes coctæ comeſtæ ex albo iure, facta coctura per aquã
copioſiorem, & ſalem, & porrum, & anethũ, vſque ad ſpi-
narum ſeparationem, abſciſſis prius capitibus ac caudis
ipſarum, ad digitorum quatuor menſuram, exemptis etiã
interaneis ipſarum, pelléque detracta. Quin & theriaci ſa-
les idem compromittunt, cum obſoniis ſumpti. ſic enim
ſi ipſis vtantur, contingit aliquando ſquamas aut veluti
quendam corticem de cute ipſorum diſcedere. Cæterùm
victus ratio huiuſcemodi ſit: poſt ſomnos, præfrictus &
aluo exonerata, geſtetur, & vociferetur: de inde fricetur, & F
variè exerceatur, partim ſaltu, partim, & quidem amplius,
halteribus, & follis vſu. Deterſo autem ſudore, illinatur a-
dipe vrſino, aut vulpino, aut hircino, aut volucrino quo-
piam, aut butyro recenti. Modico verò tempore interce-
dente lauetur, illinens ſuccum fœnigræci, aut ptiſſanæ,
aut modicum ammoniacum aceto dilutum. Poſt balneũ
deterſus illinatur lentiſcino, aut œnanthino, aut myrteo,
& vino modico cum alumine, aut ammoniaco, vt ſtri-
gmenti ſit ſpiſſitudo. Deterſus autem rurſus mollibus lin
teis, ad dimidiam horã quieſcat, poſt quam pota aqua im G
miſſis digitis aut pinnis vomat. A vomitu verò vinum
abſinthites aut origanites bibat. Cibi ſint, panis hordea-
ceus, aut maza ex polenta: olera verò, beta, lactuca, rapha-
nus, porrum, braſſicæ duabus aquis edulcatæ, & capparis.
Ex mari verò, oſtrea, pelorides, erinacei, pectines, tellinæ
cum betis coctæ, ſalſamentum vetus medicamenti loco.
A vino autẽ per totũ morbũ abſtineãt, itémque à venere,
ita vt pauciſſimũ ſolum, & tenue, & aquoſum vinum, iu-
xta tempus refectionis ex purgationibus ſumant: in quo
etiam acria auferantur, condimentis exceptis. Dãda autẽ H
ſunt ipſis, ptiſſana, oua, alica lota, lac, & mel cũ pane, mal-
ua, rumex, ſiſarum, piſces teneræ carnis, & ex volucribus
bono ſucco præditæ: ex fructibus, ficus, vua, & vuæ paſſæ:
ex dulciariis, ea quæ ex nucleis pineis, aut amygdalis to-
ſtis, & cnico parantur. Bis autem in die alãtur. graue enim
his eſt ſemel in die cibum capere. Cæterùm poſt curatio-
nem intrinſecam, ſmegmatis in balneo vtantur, ex deco-
cto betæ aut fœnigræci, cum aphronitro, aut ſapone, aut
myrobalano, & quandoque etiam pſilothris. Deterget e-
tiam portulaca cum aceto trita, & tenue ſemperuiuum, &
rumicis radices aceto coctæ, & alumen cum ſale, & ſandà
racha, æquis portionibus, in vino & oleo lentiſcino: & id
quod ad vitiligines deſcriptum eſt, ex alcyonio, nitro, ſul-
phure, myrti foliis, & fici ſylueſtris foliis aridis, cum ace-
to tritum ac illitum, & quod ex ſepiæ teſta vſta, & pu-
mice, nitro, cimolia toſta, gummi, & galla omphacina, pa
ribus partibus paratur, ſiccum inſperſum, aut cum aceto
affrictum. Sed & hoc mirificè facit: Rumicis radicum fa-
ſciculum plenæ manus, nitri drach. quadraginta, thuris
drach. vigintiquinque, ſulphuris drach. vigintiquinque,
cum aceto Ægyptio illinitur. Efficax eſt & hoc: Auripi-
gmenti drach. decem, ſulphuris viui drachmas octo, coſti
drach. duodecim, calcis viuæ drach. quatuor, ceræ drach.
quatuor, baccarum lauri aridarum drach. duodecim: hæc
populi foliorum ſucco, aut craſſo decocto ſubiguntur, &
mellis ſpiſſitudinem habentia illinuntur. ALIVD.
Rumicis radicum faſciculi duo in aceto coquuntur, & in
pila tunduntur ac conteruntur: deinde alcyonii libram
vnam ſumis, aphronitri beſſem, ſulphuris viui libram v-
nam, teſtarum cochlearum vſtarum trientem, chamæleo-
nis nigri radicis trientem. Cõteruntur omnia ad ſtrigmẽ
titiam craſſitudinem, deinde illinuntur, æſtate quidem in
ſole ſæpe, hyeme verò in balneo, vſque ad exudationem.
Quin & Æſculapii aridum ſmegma benè his congruit, &
omnia quæ in communi referentur defrictoria, vſque ad
ea quæ ad vitiligines deſcribuntur, quemadmodum etiã
nũc relata illis quoq; cõpetũt. At verò tumidæ eminẽtiæ
inflãmatæ aut exulceratæ illinãtur lycio Indico, aut glau-
cio, aut aloe, aut Andronio paſtillo, aut polyide ſphragi-
de. Cataplaſma imponatur ipſis ex alica cum ſucco po-
lygoni, aut plantaginis, aut helxinæ trita: ſed & Mileſiæ
herbæ viridis folia cum axungia tuſa ac impoſita, miri-
ficè opitulantur. Rubefiunt enim inde partes, verùm fa-
cilè ſedantur pane impoſito, aut cerato ex oleo amygdali-
no facto, & ad naturalem colorem reſtituuntur. Exulcera-
tis autem partibus conueniunt emplaſtra, id quod ex di-
phryge paratur, & Melinum ex vino, & coracium, & quod
fit ex aceto mulſo, & paſtillus Andronius, & põpholyx, &
cadmia. Signum porro quòd moderatior fiat totus mor-
bus, eſt quòd prima vlcera ad cicatricem perueniunt. Cæ-
terùm ad ſpirandi difficultatem in elephanticis, aſellos
ſub vaſis aquariis quinque aut ſex, ex aquæ mulſæ cya-
this tribus bibendos præbe. In communi verò etiam ali-
qua ex iis quæ ad difficulter ſpirãtes ſcripta ſunt, ipſis cõ-
ueniunt. Aquarum verò naturalium vſum, velut maximè
neceſſarium, eligere oportet, aluminoſarum præſertim &
ferroſarum, &, ſi fieri poteſt, frigidarum. Conferunt autem
ipſis eædem quoque in potu: eandem vim habet etiam
arenæ marinæ vſus, & omnia exudatoria ac ſudorifica.
Quandoquidem verò affectio ex his eſt quæ facilè per cõ-
tagionem diſtribuuntur, non minus quàm peſtis, habita-
tiones ipſorum quamlongiſſimè remouendæ ſunt ab vr-
bibus, & in mediterraneis ac frigidis locis ſtatuendæ, &
in quibus pauci homines, ſi ita fieri poſſit, verſentur: ita
vt hinc in circunſitos locos digredi poſſint, tum ſua ipſo-
rum cauſa, tum etiam nõ minus ob eos qui ipſis occurre-
re poſſint. Nam & ipſi aere commodiore vtentur, & aliis
malum impertiri non poterint.

DE LEPRA ET SCABIE, Cap. II.

VTraque harum affectionum aſperitas cutis eſt, cum
pruritu, & eliquatione, ex atrabiliario humore gene-
rationem habens. Verùm lepra per profunditatem cor-
porum cutem depaſcitur orbiculatiore modo, vnà cum
hoc quòd ſquamas piſcium ſquamis ſimiles dimittit. Sca
bies autẽ magis in ſuperficie hæret, & variè figurata eſt,
& furfuracea corpuſcula remittit. In his igitur venæ ſe-
ctionẽ aſſumere oportet, ſi corpus humorũ copia redun-
dare tibi videatur: ſin minus, omnino tamen purgationẽ
per ea quæ atram bilem euacuant. Forinſecus autẽ veteris

in communi quidem veratro vtroque, & calce lota in v-
ſum ſicca ſepoſita:vſu verò expetente, aqua diluens, ſtri-
gmenti ſpiſſitudine illine. ALIVD. Saluiæ, oleæ Æ-
thiopicæ lacrymæ,ſingulorum drach.octo, corticis radi-
cis capparis,gummi, ſingulorum drach. tredecim, illine
cum aceto in ſole: lepras autem priuatim remouent ane-
monæ appoſitæ, radix vitis albæ: compoſita verò hæc,
farinæ loliaceæ chœnicem, cardamomi albi drach. qua-
tuor,ſpumæ nitri drach. vnam, atramenti ſutorii drach.
octo, aſphodeli radicis mediæ drach.quatuor,terito in a-
ceto,& cerati craſſitudine illinito,loco ex nitro præpara-
to:& vbi exolueris,quod per tertium diem faciendũ eſt,
& aqua frigida ablueris, rurſus illine. ALIVD. Succi
radicum aſphodeli ſexuncem,ſulphuris viui,mannæ,ſin-
gulorum drach.decem:nitri drach.octo,aceto diluta illi-
ne. Ad ſcabiem verò priuatim faciunt,ſimplicia quidem,
ſtaphis ſylueſtris,lupini amari,cardamomum cum aceto,
lilii radix cũ melle,reſina terebinthina,ſulphur,cicer,ſter-
cus caprinum: compoſita verò hæc: Miſy & calcitidem,
paribus partibus cum vino illine ſcabiei humidiori. A-
LIVD. Rododaphnes folia tenera in olei ſextario co-
quito, donec torrefiant, ipſiſque abiectis ad oleum ceræ
albæ quadrantẽ adiice, & hac ſoluta frigefacito, ac ſul-
phuris viui vnciã vnam inſpergito, & in ſole aut in bal-
neo illinito:quidam cum rododaphne etiam ſcillam co-
quunt. ALIVD. Emplaſtri ex ſuccis ſextantem, ceræ
ſextantem,roſacei vnciam vnam,ſpumæ argenti quadrã-
tem,ceruſſæ quadrantem, picis liquidæ ſexuncem,recre-
menti argenti ſextantem,ſyrici ſextantem,aceti quod ſa-
tis eſt ad arida terenda. ALIVD. Ceruſſæ vnciæ di-
midium,amyli vnciæ dimidium, plumbi vnciam vnam,
lotariorum ruborum aut anchuſæ ſextantem,ceræ ſexun-
cem,roſacei dodrantem. Anchuſam cum roſaceo probe
coquito,deinde reliqua adiicito. ALIVD. Oua decem,
aut quot ad vſum ſufficiunt,in aceto acerrimo macerato,
donec putamen ipſorum molle fiat, deinde in ipſo aceto
vitellos ipſorum coquito, & cum roſaceo ac reliquo ace-
to etiam ſpumæ argenti parũ conterito,& ſtrigmenti ſpiſ
ſitudine illinito. ALIVD. Ouorum aceto macerato-
rum vitellos tres, roſacei ſexuncem, ſulphuris viui qua-
drantem. Prætritis cum aceto vitellis & ſulphuri, ceratũ
adiicito.Quin & argenti ſpuma cum aceto & roſaceo tri-
ta,vt emplaſtri formã accipiat, acriorem ſcabiem depur-
gat:ſed & ex lapato ſmegmata, &pleraque ad elephanti-
cos deſcripta ſmegmata, in communi etiam ad lepras &
ſcabiem faciunt.

DE IMPETIGINE, Cap. III.

VBI ſeroſi tenues & acres humores aliis craſſis ſuc-
cis admixti ſunt, *λειχῆνες, id eſt impetigines*, generan-
tur, quæ breui in ſcabiem ac lepram tranſeunt: quapro-
pter medicamentis vehementer ſiccantibus opus habẽt.
Proinde poſt totius corporis,ſi opus habuerit, euacuatio-
nem,ſimplicia ipſis competẽt,cicer,veratrum, erinaceus
in petris degens,pix cerato ac reſinæ admixta, crocodili
terreſtris ſtercus, & ſturnorum vbi ſolã oryzam ederint.
Multi verò hoc ſolo impetigines in mento, aut etiam a-
libi curauerunt.Triticum multum incudi feruenti impo
nunt,& defluẽtem ex ipſo liquorem adhuc calidum im-
petigini illinunt:at puerorum impetigines ſaliua homi-
nis aſſiduè confricato:ad hos facit & pruni gummi illitũ.
Inueteratæ verò impetigini viticis folia trita cum aceto
imponito,aut capparis folia eodem modo.Compſita ve-
rò hæc,ſulphur cum thure, aut cum ammoniaco, aceto
dilutum illinito.

Paſtillus ad impetigines.

Glutinis fabrilis drach.quatuor,thuris drach.tres,aceti
cyathi dimidium, aceto diſſolutos illinito. ALIVD.
Chalcitidis,gummi,ſingulorum drach. octo: ſulpuris vi-
ui,miſyos,ſingulorum drach.ſex:ſquamæ æris,acaciæ, ſin
gulorum drach.duas,cum aceto illine. ALIVD. Sul-
phuris viui,ſpumæ nitri,ſingulorum drach.quatuor, can-
chryos grana ſexaginta, terito cum aceto, & ſolam af-
fectam partem illinito,ita vt integram ne contingas: re-
ſiccatum verò abluito frigida aqua. ALIVD. Veratri
albi drach. octo, farinæ lupinorum, buccinorũ vſtorum,

A nitri,ſingulorum chœnicem,ſicca affricato. Cæterùm fe-
ras impetigines vocant eas quæ ex moderatè reſiccanti-
bus nihil opis ſentiunt,ab acrioribus verò exacerbantur.
In iis igitur medicamenta adhibere oportet multũ qui-
dem efficacia, ita tamen vt ne vehementer mordeant,
quale hoc eſt, Glaucii,thuris,alcyonii, bituminis, ſulphu-
ris,gummi,ſingulorum vnciam vnam, illine cum aceto.
ALIVD. Picem Aphricanam cum aceto coctam lique-
factam illinito. ALIVD ad impetigines & pruritum.
Atramenti ſutorii,ſulphuris viui,nitri,thuris,ſingulorum
B æquales partes,ad impetigines cũ aceto, ad pruritum cũ
vino illinito. ALIVD ad impetigines, Ammonia-
ci thymiamatis,farinæ erui ac lupini, ſingulorum pares
portiones,cum aceto.

DE PRVRITV, Cap. IIII.

PRuritum in ſenectute contingentem,perfectè ſanare
non datur,verùm ſubſcriptis mitigare potes.Qui ve-
rò ex vitiatis humoribus in aliis oboritur,eum ſanare cõ-
uenit,humores vitiatos euacuando qui ſanè fuerint bilio-
ſi,aut pituitoſi,putrefacti aut ſalſi. Cognoſcuntur autem
C ab ætate,temperamento,victu,tempore, regione, & reli-
quis eiuſdẽ ordinis. Si igitur in venis vnà cum ſanguine
redundare videantur, à venæ ſectione incipiendum eſt:
ſi verò,qualitate magis affligunt, facta per conuenientia
medicamenta ipſorum euacuatione, ad externam cura-
tionem nos conuertemus. Balneo itaque vtendum eſt o-
mnino ieiuno, quandoque etiam vbi parum cibi acce-
pit,rurſus repetenda lotio eſt.difficulter enim humectari
affectio poteſt.Defrictio verò fiat ex fœnigræci, aut betæ
aut furfurum,aut maluæ ſylueſtris & ſatiuæ,aut ptiſſanæ
D decocto: inſupérque cum farina fabarum, aut lupini,aut
myrobalani, aut cum ſmegmate peponato appellato: ſi
verò moram trahat, ſimiliter quidem lauandum eſt, fo-
mentum autem adhibendum ex decocto ſaluiæ,myricæ,
mercurialis,origani,pulegii,baccarum lauri,radicis cucu-
meris ſylueſtris,capparis:itémque ex lixiuio,& muria aci-
da: deinde inſpergatur nitrum ſiccum aut cum fæce ace-
ti,aut medicamentum quod recipit ſpumæ nitri ſextariũ
vnum,thuris,ſulphuris viui,ſingulorum libram vnam, ci-
moliæ libræ dimidium:aut hoc,aphronitri, ſulphuris vi-
ui,alcyonii vſti, æquales ſingulorum partes, adhibe ari-
das,aut cum aliquo ex relatis decoctis: ſi verò voles, etiã
veratrum ſiccum inſperge, citra pinguitudinem. Illinen-
dum autem eſt oleum & acetum,contrita in ipſis ſtaphi-
de ſylueſtri,aut ſulphure,aut ſandaracha,aut omnibus ſi-
mul,aut ſinapi cũ myrobalani expreſſæ retrimẽto,& oleo
ac aceto, aut cochleæ vſtæ ac tritæ cũ melle: aut rumicis
radices,aut ſmegmata ex ipſis parata, velut capite de ele-
phante dictum eſt,aut aliqua ex iis quæ ad ſcabiem relata
ſunt. Quòd ſi exulcerentur partes, vtendum eſt parygro
F emplaſtro,aut ex pompholygo præparato:aut ceræ vnciã
vnam in olei Cyprini cyatho vno liquato, & ſulphuris
viui vnciam vnã adiicito. ALIVD ad pruritus. Nu-
cum magnarum rancidarũ vnciã vnã, ſulphuris vnciam
vnã cum apii ſucco, tritis vtere in balneo cum multa de-
frictione.Hoc ſolum multis ſcabioſis & aliàs prurigino-
ſis ſufficit: ſed & ipſum apiũ per ſe viride tuſum ac affri-
ctũ in balneo, magnificè prodeſt. Similiter etiam perdi-
ciũ,& reſina aceris cum roſaceo ſoluta ac illita. ALIVD.
Oryſæ puræ & valde albæ quadrãtẽ,tũdito,ac cribrato, &
G aceto acerrimo ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem terito,& ſul-
phuris viui priuatim triti vnciã vnã adiicito, & probè
mixtis in balneo vtitor cum multa defrictione: at in iis
qui ſuperfluis humoribus magis abundant,ſi æquali pon-
dere ſulphur & oryzã miſcueris, melius medicamentum
effeceris.

DE LEVCE, Cap. V.

LEuce tranſmutatio eſt cutis ad colorem albidiorem,
à viſcoſa ac glutinoſa oriens pituita.Quandoquidem
verò nõ omnis leuce curabilis eſt, dignotiones ipſius ta-
H les habetò.Leucem in ſuperficie non vltra cutem perpũ-
gito,& ſi quidem ſanguis fluxerit,curã recipit: ſi verò hu-
mor lactoſus,incurabilis eſt, aut panniculo laneo aſpero
ipſam cõfricato:& ſi quidẽ rubicũdior color euaſerit, cu-
rationem recipit:ſi verò in eodem colore permanet,non

curabitur. Quin & quæ plures corporis locos occuparunt, & quæ vetuſtiores ſunt, minus curationẽ recipiunt quàm eæ quæ paucos locos tenent, & recentiores exiſtunt. Quidam igitur vſtionem per ferrum in leuce probarũt, quæ per aduſtionis modum ſolùm adhiberetur: alii verò & ex vſtione dolorẽ, & ex hac cicatricẽ veriti, quæ nõ minus quã ipſa leuce decorẽ vitiaret, cruſtã inducẽtibus medicamentis vſi ſunt, qualia etiam concolorem cicatricem efficere tradunt: alii etiã horum difficultatẽ reprobãtes, tincturas adhibuerunt, impoſturæ magis quàm vtilitatis ſtudioſi quos præ omnibus reprobare oportet, propter velocem affectionis regenerationem. Vtendum igitur eſt ſubiectis compoſitionibus: Adarces, canchryos, ſulphuris viui, ſingulorum æquales partes: ſingula tuſa, ac cribrata ſeorſum, deinde cũ aceto ſimul ad multos dies læuigata, in ſole illinito, non aceruatim, vt ne cutis exulceretur. Progreſſu verò temporis adiicitur parum quid de veratro & de galla, ſimiliter. ALIVD. Fici nigræ virgultã aceto macerato, & læuigatis, aphronitri, ſulphuris viui, myricæ fructus, ſingulorum æquales portiones admiſceto, & nitro præfrictis illinito, ac inſolato, cauendo ne exulcerentur. Archigenes autem calce viua ſufficienti ad fici folia admixta vſus eſt: aut vbi defricueris, inquit, leucas veratro albo donec exudarint, quò reliquo corpori concolores fiant, ſinopide aut meliade *terra* illine: aut acubus ſimul innitentibus perpũctione facta, donec cruorem fundant, ſinopide cum aceto illine: aut præfrictas (velut dictum eſt) fici ſucco recenti illinito, & folia ipſius aliquantum confricato.

DE VITILIGINE ALBA AC NIGRA, Cap. VI.

Vitiliginum generatio eiuſdem cum leucis ſpeciei eſt: verùm illæ ad profundum vſque corpus mutant, vt etiam pili ſimiles enaſcantur. Vitiligines verò in cutis ſuperficie conſiſtunt, præterquàm quòd etiam ipſæ moram trahentes, ad profundum vſque procedunt, vt etiam pilos albos producant propter ſubiectum humorẽ. Nam ex pituitoſo humore albæ fiunt, nigræ verò ab atrabiliario. In communi igitur vtriſque conuenit calx lota aqua ſoluta: aut dracontii radix cum aceto impoſita, ſimiliter veratrum vtrunque, lupinorum amarorum decoctũ affuſum, & farina ipſorum impoſita cum aceto aut aceto mulſo: Capparis radicis cortex cum aceto, lilii radix cum melle, cepa cum aceto illita in ſole, crocodili terreſtris ſtercus, ſimiliter etiam ſturnorum vbi ſolam oryzam ederint, ſæpiæ teſtæ vſtæ. Compoſitũ verò hoc, Alcyonii, nitri, ſingulorum ſextans, veratri albi, ſulphuris viui, ſingulorum vncia vna: quidam etiam fæcis vini vſtæ vnciam vnam addunt. ALIVD. Sulphuris viui, ſpumæ nitri, ſingulorum drach. quatuor: canchryos grana ſexaginta: terito cum aceto, & ſolam vitiliginẽ illinito, ita vt integram partem ne contingas: reſiccatum verò abluito frigida aqua. ALIVD. Farinæ lupinorum, buccinorum vſtorum, nitri, ſingulorum chœnicem: veratri albi drach. octo, ſicca affricato. ALIVD. Farinæ erui lib. duas, ſeminis erucæ, amygdalarũ amararũ, radicis cucumeris ſylueſtris, ſingulorũ librã vnã, vino mulſo læuigata illinito, & poſt horæ ſpatium ſpongia detergito. Facit ad maculas ſolares, & varos, & alias cutis maculas.

Ad vitiligines albas experimento conſtans.

Sulphuris viui ſextarios duos, calcis viuæ albæ trientẽ, candida ouorum quinque, olei nardini & aceti parum. Sulphur primùm teritur, deinde nardinum adiicitur, & rurſus teritur, atque ita acetum inſtillatur, ac rurſus teritur. Calx autem priuatim lota, ſemel & iterum atque iterum ſulphuri additur vnã cum candido ouorum, & rurſus teritur, & collectus humor diffunditur, ita vt modicũ eius relinquamus, quò vnguentum illini poſſit, atque ſic vtimur. ALIVD Archigenis: Sulphur viuum, fici folia arida, aphronitrum, alcyonium, cimoliam terram, myrtũ cum aceto adhibe. ALIVD Archigenis: Fici foliorum in vmbra ſiccatorum, ſulphuris, aluminis, æquales ſingulorum portiones, cum aceto illine: aut fici foliorũ drach. quatuor, nitri drach. duas, alcyonii vſti drach. duas cum aceto illine in balneo. Priuatim verò vitiligines nigras

A exactè tollit ſãdaracha cũ dimidia ſulphuris parte, verùm nitro præparatis hæc in ſole illinito. At verò albis, atramẽti ſutorii, æruginis, æquales ſingulorũ partes, nitri duplum, abſque pinguedine affricato: aut cãchryos, ſulphuris viui, adarces, æquales ſingulorum portiones, cum aceto affricato, ac illinito: quum autem reſiccata fuerint, fricando abluito: idem etiam ad leucas facit.

AD STIGMATA, EX LIBRIS ARCHIGENIS, Cap. VII.

Stigmata eximes ſi id quod matulæ inhæret cum acerrimo aceto illinas: aut calcis viuæ partem vnam, nitri B toſti fului partem dimidiam, cum aqua in ſole illinito: Vbi verò exulcerata fuerint, velut vlcus ad cicatricẽ perducito. At Crito ad ſtigmata inquit, Locum nitro præfrictum terebinthina integito, deinde deligatũ ad ſex dies ſinito, ſeptima verò die ſoluito, & ſtigma acu perpungito, & deterſo paulatim per ſpongiam ſanguine, tenui ſale confricato: deinde impoſitum medicamentum ad dies quinque ſinito. eſt autem hoc. Thuris, nitri, calcis viuæ, ceræ, ſingulorum drach. quatuor, mellis drach. octo: poſt-C quam enim exolueris, atramentum in medicamento reperies. ALIVD vnguentum. Piperis drach. duas, rutæ drach. quatuor, ſandarachæ drach. quatuor, auripigmenti drach. vnã, mellis quod ſatis eſt. locũ vbi nitro præparaueris illinito, & reliqua ſimiliter velut in priore facito. Soluito autẽ per triduũ, & atramẽto deterſo, rurſus illinito. Tollit enim, inquit, in diebus viginti, citra vlcerationem ac cicatricem. ALIVD creticum appellatum: Thuris drach. quatuor, nitri drach. duas, atramenti ſutorii drach. quatuor, ceræ drach. ſex, piperis drach. tres, calcis drach. D tres, thapſiæ drach. tres, auripigmẽti drach. vnã ſemis, ſandarachæ drach. tres, mellis quod ſatis eſt: vtere velut ſuperiore. Oribaſius autem ait, Ranunculus herba impoſita, aut capparis folia, ſtigmata eximunt: ſi verò in alto ſint, ac tolli non poſſint, & non multã cutem occuparint, frigido cautere cruſta inducta tollito.

DE PVSTVLIS, Cap. VIII.

Puſtulæ fiunt craſſis humoribus in cute impactis, & magis adhuc ſi ſũma cuticula denſa eſt. In quibus igitur etiã in profũdo humorũ copia ſubſiſtit, eos prius pur-E gare oportet. Siquis enim non prius hoc facto, diſcutere aggrediatur, obturabit ipſos magis quàm euacuabit per cutem. Si verò profunditas ſine ſuperfluitatibus fuerit, per cutem ipſos euacuare oportet, & non procul diſtrahere: quod contingat ſi per ventrem aut per vomitus euacuare velis. Cæterùm curationem humorũ cuti infartorum, per fomenta & calfactoria facere oportet, & præſertim vbi latæ puſtulæ fuerint: tales enim ex abunde frigido ac craſſo humore generatæ ſunt. Lauri itaque folia tenera, itémque rutæ, vtraque pari portione terito, & man-F nam thuris cum oleo dilutam addito, ac illinito: aut betã teneram coctam tritam imponito: aut ceræ drach. octo, ſulphuris tantundem, ſalis drach. ſex: arida terito, & olei cyatho dimidio affuſo, omnia ſimul coquito, factóque inde emplaſtro vtitor. Cocturæ verò aſſidere oportet. Val de bonum eſt medicamentum.

DE PVSTVLIS NOCTVRNIS, Cap. IX.

Puſtulæ nocturnæ vlcuſcula ſunt ſua ſponte enaſcentia, bullarum inſtar, ſubrubicunda, ex quibus ruptis G ſubcruenta ſanies defluit. Atque hæc quidem interdiu nõ valde infeſtant: noctu enim doloroſa ſunt magis quàm pro vlceris ratione. Silphii itaque ſuccum aqua dilutum imponito, (ſiccat enim abſque morſu) aut cicutã læuigatam impone, aut braſſicam crudam cum aqua, aut apium cum polenta tritum imponito, aut hyoſcyami folia cum melle trita, aut ſolanum per ſe, & cum coriandro viridi: aut oleæ foliis coctis cum aqua vtere, aut vuas paſſas reiectis vinaceis tritas ſplenio infarctas impone; aut adiantũ tritum cum melle. Vitare verò debent ne acria, acida, ac H ſalſa ingerant: fomenta item vitent, & balnea, & ſolem.

DE PAPVLIS SIVE BVLLIS, Cap. X.

QVAE non ſua ſponte rumpuntur papulæ ſiue bullæ, & tamẽ dolore infeſtant, eas acuta acu perforare cõ-

uenit ad commodum ſaniei defluxum, deinde humorē leniter exprimere, ita vt cutis præpoſita ſinatur: & ſi bulla repleta fuerit vulnuſculo occluſo, rurſus ſimiliter perforare oportet, & exprimere, & cutem adſtrictam ſeruare, donec ad cicatricem perductum fuerit id quod ſub ipſa eſt exulceratum. Priuſquam igitur puſtulæ erumpant, lentem coctam tritam cum aqua imponito, aut mali Punicæ virgulta calido cinere tepefacta adhibeto, & locos torreto. Si verò eruperint, & vlcus fiat, adipem ſuillum liquatum, & argenti ſpumam tritam miſceto, & linteo infarctā imponito, aut lilii radicem in aqua coctam ac tritam, cū cerato imponito.

Ad puſtulas nocturnas & bullas.

Spumam argenti, & ſulphur viuum æquis portionibus cum aceto & oleo myrteo, ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem trita, illines cum oleo & vino. Facit item & ad hæc, & ad calidas eruptiones, & ad papulas efferuentes, & ad achoras, *manantia capitis ulcuſcula*, & ad furunculos incipientes, & ad ambuſta, medicamentum ex plumbagine, & quod ex ouis paratur.

AD AMBVSTA, Cap. XI.

AMbuſta moderatè detergentibus medicamentis opus habent, citra hoc vt manifeſtè calefaciant aut frigefaciant. Proinde terra Chia, & cimolia, & Cretica, & omnis leuis terra, cum aceto non valde acri, aut aqua admixta, illita probè facit, & bullas excitari prohibet: item ouum totum crudum eueſtigio impoſitum, lana molli exceptum. nam & moderatè perfrigerat, & citra mordacitatem reſiccat: ſed & atramento ſcriptorio oblinito, aut thure aqua diluto, aut lēticula cocta trita, aut eruo integito. Cæterùm ad ambuſtiones ex aqua calida, priuſquā bullæ excitentur, oliuarum muria conditarum aquam affundito, & ipſas oliuas cum polēta tritas imponito, aut alumen ſciſſum tritum cum aceto illinito: aut fel taurinū cum aqua larga liquatum illinito, aut lixiuium affundito, aut garo, aut muria perfundito, aut bulbos liliorum, aut hyacinthi, aut narciſſi, cum roſaceo tritos, & ad ſtrigmenti craſſitudinem redactos illinito. At verò Marcellus cōpoſitum hoc tradit: Pāniculum melle imbutū, & in hordeo obuolutū exurito, & cōiicito cineris eius drach. octo, ceruſſæ drach. quatuor, butyri drach. octo, ceræ drach. ſedecim, adipis caprini drach. ſedecim, roſacei drach. ſedecim. Quòd ſi iam bullæ excitatæ fuerint, rhoem & polentam tritam cum aceto impone, aut calcem viuam cerato admixtam, & linteo infarctam impone: quin & ſphærion appellatum medicamētum ad hæc commodum eſt. Quæ verò vlcerata ſunt, porro trito intege, aut portulacā tritā cum polenta impone: aut columbinum ſtercus linteo inuolutum exure, & cinere eius oleo diluto vtere: admirādum eſt medicamentum: pinus quoque aut piceæ cortex, aut adiantum ſiccum tritum, aut myrti folia vſta trita inſperguntur. Faciunt ſingula hæc etiam cum cerato compoſita: ſed & quod anchuſæ rubicundæ radicis ſiccæ, tuſæ, tritæ trientem recipit, & ceræ albæ dodrantem, roſacei vncias octodecim: itémque quod ex ceruſſa cum modica medulla ceruina paratur: bonum eſt medicamentū.

AD EOS QVI FLAGRIS CAESI SVNT, Cap. XII.

CEruſſæ & ſpumæ argenti æqualibus portionibus, ceræ quadrupla, cum ſuſino aut roſaceo velut emplaſtro vtere: verùm prima die ſuſino ſolo per ſe vtere: aut croci drach. vnā, tragacanthi drach. vnā, ouum integrum abſque teſtis, vniēs vtere: pellis ouilla recens detracta, calida adhuc, flagris cæſis circundata, magis quàm omnia alia in vna die ac nocte curat.

VT PILI EX AMBVSTIS NASCANTVR, Cap. XIII.

PIli ex ambuſtis naſcuntur ſi fici folia in olla torrefacta cum cerato emplaſtri vice impoſueris: aut caricæ drach. octo, ſampſuchi drach. vnam: tritis cū oleo cerati craſſitudine vtere, aut lapidū præſegminis drach. centū, ſquamæ æris drach. decem, cum aqua in paſtillos efforma, & ſerua. Vſu verò expetente, partem vnam ad octo cerati partes admiſce ac dilue.

AD DESQVAMATA Cap. XIIII.

IN deſquamatis ac ſuperficiariis vlceribus, primis diebus adſtrictione vſus, aut vino, aut aceto, aut acida muria, in ſequentibus ad cicatricem inducendam vtere emplaſtris pinguibus, & ex albis iis quæ ſunt delicata. Egregiè verò facit hoc: Ceruſſæ partem vnam, ammoniaci dimidiam, myrtei quod ſatis eſt. Ammoniacum in aqua terito, & ceruſſam admiſceto, myrteum affundens, & vtere pro pingui emplaſtro, aut ad lapidum præſegmina ſquamam æris admiſceto, & myrteo tritis vtitor, aut cimoliā & argenti ſpumam cum vino & oleo cicino & myrteo terito, ac vtitor.

Ad deſquamata, intertrigines, & diuturna vlcera, & ſenilem ac teneram cutem.

Spumæ argenti chryſitidis drach. quinquaginta, ceræ drach. viginti, reſinæ, piceæ ſiccæ drach. duodecim, olei cyath. vnū ſemis. Spumam argenti & oleum coquito, ac reliqua adiicito, & ſpatula agitatis, aut etiam in pila mollitis vtitor. Cæterùm deſquamatam cutem detrahere nō conuenit, ſed inducere & imponere medicamentum. ſic enim agglutinatur, etiamſi denigrata fuerit: ſi verò denudata fuerit caro, difficile eſt cicatricem inducere, dum mordetur, & ſordidum eſt vlcus. At ſine inflammatione conſeruat deſquamata rhus ruber impoſitus, tritus cum melle, aut lentiſci coma vſta, & cum melle impoſita.

Ad deſquamata, & flagris cæſos, & articulorum contuſiones, medicamentum dolorem eximens.

Spumæ argenti, ceruſſæ, ſingulorum dextantem, ceræ ſexuncem, olei puri aut roſacei libram vnā ſemis, amyli ſextantem. Facit ad eadem etiam pelarium ex recremento argenti, & emplaſtrum ex ouis ſimiliter.

DE VERRVCARVM SPECIEBVS, FORmicaria, & ea quæ chordæ ſummæ parti ſimilis eſt, Cap. XV.

VTraque harum verrucarum, cutis eminentia eſt parua, calloſa, & vtplurimum rotunda. Verùm formicaria latum fundum habet, & ſiquis cōſcalpet, ſimilem ſenſum inducit velut à formicarum morſibus: altera verò acrochordon appellata, anguſtum fundum habet, vt ſi aſſimiles, ſummam chordæ partem depēdere putes. Has igitur extuberantias tollit elaterium cum ſale impoſitum: thus cum aceto, groſſi ficus cum aceto, farina ac nitro, fici liquor illitus, itémque tithymali, ſmaridis caput ſalſum vſtum, ærugo cum ſulphure viuo vſta, ocymi folia cum atramēto ſutorio: id quod deſtillat à ſarmentis vitis viridibus adhuc dum vruntur, ouillum ſtercus cum aceto, hirci fel illitum, heliotropii magni ſemen cum vino impoſitum, ruta cum nitro & pipere, nitrum cum vrina pueri impubis, ſtercus bouis gregariæ cum aceto.

DE GANGLIO, Cap. XVI.

GAnglium nerui cōtortio eſt, ex plaga aut laſſitudine proueniens, in pluribus quidem corporis partibus, maximè verò iis quæ mouentur, velut eſt ſumma manus, & pes. In hoc, inquit Archigenes, calcem viuam cum adipe anſerino & terebinthina imponito. Polles autem medicamento ex achate lapide vtitur. Oribaſius verò hoc, Ceruſſæ, reſinæ pinus, olei veteris, ſingulorum vnciā vnā, ammoniaci thymiamatis, galbani, ſingulorum vnciā vnam, ceræ trientem, aut diſcum, inquit plumbeū craſſiorem, veluti ſunt verticula, ganglio maiorem imponito, ac deligato. Grauitate enim diſſoluit ipſum per longius tēpus: ſed & nos hoc vtimur. Facit etiam oxerum & maſticherum emplaſtrum.

DE INFLAMMATIONE, Cap. XVII.

IN communi quidem omnes calidos & doloroſos cum ardore tumores, inflāmationes appellare ſolent: verùm prout diuerſa eſt materia quæ ipſos efficit, etiam horum differentiam euariare aiunt. Nam vbi ſanguis bonus, & craſſitie moderatus, ad aliquam partem aceruatim influxit, & ob copiam impactus eſt, fieri eam quæ priuatim inflāmatio appellatur: ſi verò bilis flaua in aliqua parte conſiſtat, herpetem: vbi verò ſanguis & flaua bilis ſimul influxerunt, eryſipelas, *ſiue ignem ſacrum*, effici. Quum autem

influens ſanguis calidus multũ fuerit ac craſſus, carbunculos producere ſolet. Proinde ab ea quæ priuatim inflãmatio appellatur initiũ ſumemus, quæ in multis ſæpe cõtingit: quæ tumor eſt rubicundus, doloroſus, renitens, & calidus, ex ſanguine (velut dixi) bono ortũ habẽs, qui quãdoque ex toto corpore adfertur, quandoque in ipſa partè redundat, vt à vaſis contineri non poſſit, ſed inſtar roris excidat in intermedios vacuos locos. Sed & ad vulnerationes ſæpe, & ad fracturas, vlceráque, ac plures alias extrinſecas cauſas, hæc affectio concomitatur. Poſtquã igitur derepentè pars aliqua citra manifeſtã cauſam prægreſ B ſam, inflãmãta fuerit, totũ verò corpus ad partẽ demittit, totũ euacuare oportet per venæ ſectionẽ, ipſam autẽ inflammatã partẽ irrigare, ac cataplaſmatis integere, non calefacientibus ac humectantibus, ſed his quæ id quod influit repellere poſſunt, & id quod in affecta parte conti netur euacuare. Cataplaſma igitur adhibere oportet ex ſemperuiuo & mali Punici corticibus in vino coctis, rho éque ac polenta compoſitũ. Si igitur dolor vehemens non eſt, hoc ad dolorẽ vtendũ eſt: ſi verò cũ maiore dolo re pars fluxione infeſtetur, neque ſic calida aqua aut oleũ C adhibeatur, aut ex farinis cataplaſmata: (inimica enim ſunt hæc fluidis affectionibus) verùm mitigare oportet doloris vehemẽtiã eo quòd ex paſſo, roſaceo, ac cera mo dica paratur, cũ lanis ſuccidis multũ æſypi habẽtibus. Excipiuntur autem & adhibentur hæc æſtate quidem frigida, hyeme verò tepida, ita vt etiam ſuperiores partibus affectis locos ſpongiã vino auſtero imbuta aut frigida poſca, circundemus. Admiſcendæ verò ſunt etiam herbæ in cataplaſmata quæ ad hoc commodæ ſunt. Helxine igi tur ad omnem inflammationem conuenit tum in princi D pio, tum in augmento, ſimiliter glaucium, atriplex, malua, lactuca & cucurbita, ad calidas impoſitæ. Faciunt quoque tribuli ambo ad inflammationes ex fluxione, braſſica verò ad induratas. Permutatione autem ex his contingente, & pure non ſubiacente, emplaſtro ex chalcitide cu rare oportet, aut ſimili aliquo ex his quæ ad fluxiones faciunt: lanã verò puram vino imbutam auſtero extrinſecus medicamento ſuperimponere. Atque hoc quidem modo inflammationes ex fluxione curabis. Eas verò quæ ob aliquam externam cauſam conſiſtunt, ſi humectes ac E calefacias, non lædes: & ſi quoque opus fuerit ſcarificare ipſas, cõmodè hoc ipſum facies. At ſi ex fluxione obortas ſcarificaris, & præſertim in principiis, magni cuiuſdã mali ægroto author fueris.

DE ABSCESSIBVS CORPORIS EX ternis, Cap. XVIII.

SI fieri non poſſit vt ſuppurationem prohibeas, panem aqua & oleo coctum imponito, aut hordeaceam fari nam ſimiliter præparatam. Pars autem perfundatur aqua F in qua althææ radix ſit cocta. Vbi verò tumor ægrè ſuppu rari, aut difficulter diſcuti poterit, cataplaſmate ex caricis vteris. Oportet autem dulces ac pingues caricas coquendo eliquare in aqua, & ſimilẽ facere aquam tenui melli, eique adiicere hordeaceam farinam. Et ſi quidem tumor diſcutiatur, verùm defectuoſius, cum caricis coquito hyſſopum, aut origanum: & ſi amplius intendere voles, ſalem ad decoctum adiicito, diligenti tamen animaduerſione habita, ne propter vehementiorem reſiccationem, pars in ſcirrhum induretur: & ſiquando tale quid videris, in aqua concoques cucumeris ſylueſtris radicem, aut G althææ, aut bryoniæ: verùm his fortior eſt, & maiore diſcuſſoria facultate prædita dracunculi radix, ſed & ipſum ex dracunculo medicamentum talia fortiter diſcutit. Quandoque igitur ſola hæc decoques, quandoque etiam caricas adiicies, farina quoque cum adipe admixta: quin & anethinum oleum diſcutiẽndi vim habet, & crudos ac incoctos tumores concoquit. Pix quoque duros ac crudos tumores omnes concoquit ſi cataplaſmatis adiicia- H tur, & hoc amplius liquida facit. MEDICAMENTVM compoſitum, quod concoctos iam abſceſſus exprimit, vt ſæpe plus in ſplenio reperiatur: non concoctos verò penitus diſcutit. Lapidis pyritæ drachmas duodecim, ammoniaci triti tantundem, farinæ fabaceæ drach. ſex, excipe reſina liquida, & pelli infarcta impone. Splenium autem ne auferas donec ſua ſponte decidat. Cæterùm non longè anteà præparare medicamentum oportet. citò enim ſiccatur. Ex his verò tumor ſi non ſit diſcuſſus, ſed pus in ipſo ſubſit, eo ſecto, & purè euacuato, de cætero oleum aut aquam adhibere vitabis. Imò etiamſi ablui opus ſit vulnus, aqua mulſa, & poſca, & vino vteris, itémque vino mulſo, & ſi inflammatio adſit, lenticulæ cataplaſmate: ſi non adſit, alio quopiam emplaſtro in talibus ſectionibus vtendum eſt, & non minimè eo quod ex chalcitide paratur. Super ipſa verò ſpongiam, aut lanam vino acerbo imbutam imponito. Vulneri verò nullum pingue medicamentum adhibeto, quale eſt id quod tetrapharmacũ appellatur. vehementer enim reſiccari opus habet.

Quæ rumpant abſceſſus.

Quandoquidem verò aliqui non ſuſtinent ferro abſceſſus ſecari, conandum eſt vt medicamentis attractoriis vtamur. Narciſſi itaque radicem tritam in aqua mulſa cum irino coctam impone, aut arundinis teneram radicem tritam cum melle: ſi verò dura fuerit, aqua mulſa prius coctam, aut ariſtolochiã cum melle impone. Rumpit autem picis ſiccæ, propolis Creticæ æqualis portio, & cicatricem inducit. DIONYSIA emplaſtrum ad abſceſſus admirandum, & ad mammas ac glandulas tumentes attractorium, per obſcuros meatus diſcutiens. Olei veteris, aquæ, ſingulorum libram vnam, coquito parum, & aphronitri ſexuncẽ adiicito, miſyos vnciam vnã aut ſextãtem, & coquito donec non inquinet: deinde addito mannæ thuris, ceræ, terebinthinæ, ſingulorum ſexuncem.

Ad neruorum abſceſſus.

Ceræ, colophoniæ, butyri, ſingulorum libram vnã, picis ſiccæ, mellis, ſingulorum libras duas, æruginis quadrãtem, viſci quod ſatis eſt. Facit item oxerum & maſtichẽrum emplaſtrum. ALIVD attractorium. Ammoniaci thymiamatis ſexuncem, ceræ, terebinthinæ, ſingulorũ trientem, ſulphuris viui quadrantem, nitri quadrantem, quin & ſimilium appellatum medicamentum, & quod ex alliis paratur, vehementer rumpunt abſceſſus iam tranſmutatos. Quod verò ex ſeminis lini ſucco conſtat, diſcutit, tranſmutat, rumpit, iuxta aptitudinem: verùm ad mitiores abſceſſus, etiam conueniunt ea quæ ad parotidas relata ſunt. Atque hæc quidem de abſceſſu ex inflammatione tranſmutato. Galenus autem dixit, aliquãdo neque inflãmatione prægreſſa abſceſſum oriri, ea videlicet quæ ex bono ſanguine generatur. Statim enim ab initio, inquit, ob alium aliquem humorem quemcunque tandem, excoriantur, & temporis progreſſu à ſubiectis abſcedunt ea quæ illum continent. Itaque etiã ſecta omnigenas humorum ac ſolidorum corporum ſpecies intra ſe habere videntur. Nam & cœno, & vrinæ, & ſanguinis grumo, & ſucco melleo, ac mucoſo, & oſſibus, & vnguibus, & capillis ſimilia corpuſcula, in abſceſſibus reperiuntur: imò etiam animalia ſæpe reperta ſunt, fermè omnibus ex putredine ortum habentibus ſimillima. Sed & lapidibus, & arenis, & teſtis, & lignis, & carbonibus, & luto, & ſtrigmento, & amurcæ, & fæci ſimilia, in diuturnis maximè abſceſſibus, ex humorum de loco ad locum impetuoſo decubitu obortis, conſiſtere dicit. Quapropter abſceſſuum corporis externorum maximè, notæ perfectiores tradendæ ſunt, & eorum qui per medicamenta diſcuti nequeunt. Abſceſſus itaque eſt corruptio ac tranſmutatio carnium, aut carnoſarum partium, velut muſculorum, venarum, arteriarum. Horum aliqui in tunica continentur, velut ſunt atheromata, ſteatomata, meliceride s: aliqui ſine tunica conſiſtunt, generis appellationem habentes, de quibus nunc agamus. Abſceſſuum generationem plerunque inflammatio præcedit, de qua diximus: quandoque verò etiam ab initio ſtatim oritur, velut paulo antè dictũ eſt. Sequitur ad abſceſſum, ardor loci vehemens, & maior tumor, magiſque quàm antea rubicundus & durus, cum punctorio colore, & pulſu, ac grauitate, vt quid ex parte pendere putetur. Quòd ſi etiã locus nobilis fuerit, febris quoque accedit, & rigor inordinatus, & noctu

maximè dolent ac febriunt:quandoque etiam inflammatio ipſis excitatur in glandulis vicinis. Vbi verò perfectus factus eſt abſceſſus,pleraque minuũtur:puncturæ autem puriginoſæ fiunt,& paulatim ſtupidæ:& tumor faſtigiatur magis in apicem acutum , & ad tactum mollis eſt, ac facilè cedit,& ſuperficies de apice detrahitur: dico autem de his qui foras rumpuntur.Si igitur ex medicamentis aut ſua ſponte rũpantur, linamentorũ ductu curentur, pure particulatim euacuato:ſin minus,aperire oportet eo modo qui in chirurgiæ tractatione referetur.

DE GANGRAENA ET CARIE, Cap. XIX.

QVVM inflãmatio non diſcutitur, neque in pus trãſmutatur,ſæpe in gangrenam ac cariem tranſit : quare & de his dicemus. Gangrænas equidem appellant mortificationes ob inflammationis magnitudinem non iam factas,ſed adhuc fieri pergentes : & ſiquis non citò talem affectionem ſanet, affecta pars facilè mortificatur , cuius pars vicinas corripit,& hominẽ occidit.Quum verò corpuſcula ita affecta penitus ſenſum amiſerint , non amplius gangrænam, ſed *σφάκελον, id eſt cariem ac corruptionem*, appellant. Hic affectus etiam oſſibus accidit, quum circũſita ipſis caro vitiatos humores ſanioſos generans,his perrigauerit illa ac putrefecerit. Perfectè itaque mortificatam partem celerrimè reſecare oportet quo loco ſanæ parti appropinquat: gangrænam verò curare, ſanguinem quamplurimùm ex affecta parte euacuãdo. Aut enim vena ſecta corruptum ſanguinem euacuare oportet , quum circa ipſam partem vena magna fuerit: aut tota cute multis ac profundis vulnuſculis impactis diuiſa,ita vt vbi ſanguinem defluere permiſerimus,aliquod medicamentum ex his quæ putreſcentibus commoda ſunt,imponamus. Sunt autem hæc:Farina erui , aut lolii, aut fabarum, cum aceto mulſo : ſi verò vehementius adhibere velis , ſalem adiicito,aut paſtillũ Andronis,aut aliquẽ ſimilẽ.Faciũt ad gãgrænas etiã veteres nuces.Repurgat autẽ ipſas vrtica,& tithymali ſuccus tempeſtiuè & moderatè adhibitus.Prodeſt ipſis etiã lupinorũ amarorũ decoctũ affuſum. Quidam verò poſt ſectionem,ſecuritatis ſectionis gratia,etiã cauterem adhibent, in quibus ſale cum porri ſucco vtendum eſt:poſtea autem ad cruſtam remouendam, cataplaſma ex pane,aut hordeacea aut triticea farina , in aqua & oleo coctum imponatur : item capitalis ſiccus puluillus cum melle:tetrapharmaco etiam ac Macedonico appellato vtendum eſt.Probè verò ſeparat cruſtas panis cum apio tritus,aut cum ocymo,aut iris,aut panax, aut ariſtolochia,aut acorũ cum melle,aut thus. Aufert etiã probè cruſtas Machærionis medicamentũ , & iſis,melle excepta in linamentis : verùm in mollibus corporibus farina erui ſufficit cum melle.

Ex Oribaſii ſcriptis ad gangrænas.

Æruginis raſæ,minii,aluminis ſciſſi,ſingulorum æquales partes aqua tritas illine. Gangrænas circumſcarificabit impoſita farina loliacea,cum raphano & ſale,quandoque etiam aceto:vua paſſa exemptis vinaceis , cum cortice,addito ſale & aceto mulſo: nucũ regiarũ nucleus:myrti folia in vino cocta trita cũ melle.Raphanus cum aceto etiam cruſtas ad os vſque rumpit.

DE HERPETE, Cap. XX.

FLaua bile citra alterius humoris admixtionem ſecreta,in parte aliqua conſiſtente , affectio herpes nominatur:& ſi quidem craſſior fuerit compage , magíſque acris , totam cutem vſque ad ſubiectam carnem exulcerat,& vocatur herpes adedens. Si verò tenuis,& minus acris,ac calida, bullas paruas in ſumma cute excitat milio ſimiles,& miliaris herpes ex ſimilitudine dicitur : verùm ex Oribaſii ſentẽtia, pituitæ cum flaua bile mixtio miliarem herpetem facit. Euacuabimus igitur totum corpus per medicamentum bilem ducens : affectis autem locis frigefacientia ac ſiccantia medicamenta adhibebimus: ab initio quidem pampinos vitis,& rubi,ac plantaginis, in cataplaſmate apponentes,poſtea verò lenticulam, híſque aliquando etiam mel ac polentam miſcebimus : itémque cataplaſma deſcriptum ad inflãmationes ex fluxione,citra ſemperuiui additionem. Vlcerata verò illinantur paſtillis paſſo ſolutis, aut vino tenui & auſtero nõ veteri,aut poſca aquoſa. Adhibeatur etiam glaucium, & huic ſimilia ex aqua:aut hoc nihil efficiente , acetum admiſceatur. Sed & plantaginis ſucco aut ſolani dilutum magnopere prodeſt,aut lini ſemen toſtum, ac vino oleóque coctum & tritum imponito,aut cimoliam ſolani ſucco dilutam illinito:& ſpumæ argenti trientem, ſucci porri cyathos ſeptẽ,ſucci betæ tantundem,trita illinito. Vbi verò diuturna iã ſunt talia vlcera,idoneus eſt Muſæ paſtillus & Andronis. ALIVD ad herpetem bulloſum. Recremento plumbi in vino auſtero trito ac illito, betæ folia in vino cocta supernè imponito , aut ceræ trientem,myrtei ſexuncem, recrementi plumbi trientem : vino tritum recrementum , reliquis liquatis cerato excipe, ac illine.Sedata autem nome depaſcente,cerato ex recremento vtere,aut lente cocta cum melle intege. Ad herpetem verò qui ſub cute eſt, recrementum plumbi rutæ tritæ ſucco excipe,aut cerato myrteo pro ruta. ALIVD. Lanæ mollis non lotæ , circum tedam obuolutæ ac vſtæ, drach. duodecim ſemis, ceræ drach.vigintiquinque: recrementi plumbi acetabuli dimidium,adipis caprini curati & loti in aqua drach. vigintiquinque, olei myrtei quincuncem. ALIVD ad herpetas vehementer depaſcentes. Malicorii mali Punici dulcis drach.ſex , ſpumæ argenti drach.ſex , lanæ non lotæ circum tedam obuolutæ ac vſtæ drach.tres , ceræ drach. 12, ceruſſæ drach. octo, thuris,aluminis ſciſſi,ſingulorum drach.1.vino & myrteo excipe.

DE IGNE SACRO, Cap. XXI.

TVmorem ex ſanguine feruente ac tenui conſiſtentẽ Galenus priuatim eryſipelas , *hoc eſt ignem ſacrum*, appellans, eum qui ex vtriſque,ſanguine ac bile,cõflatus eſt, ex ſuperantis humoris nomine ducta affectionis appellatione,nominauit. Quum enim ſanguis ſuperat,inflammationem eryſipelatoſam:quum flaua bilis,eryſipelas inflammatum appellat.In communi verò,tumorem ex ſanguine ac bile calidioribus factis productum , eryſipelas nominat. Vtro autem modo appelles nõ multum refert ad auxiliorum ſanè vſum:verùm illud noſſe expedit,operoſiora eſſe eryſipelata maximè circa caput. Quare ſi non efficax auxilium contingat , quandoque etiam ſtrangulant.Statim igitur ab initio vbi comparuerit,venam in cubito ſecato,maximè quidem humeralem:ſin minus,eam quæ inuenitur : ſi verò ob aliquod impedimentum venam non ſecemus,purgatione vtendum eſt per bilem ducens medicamentum. Atque hac quidem etiam in eryſipelatibus aliarum partium vtendum eſt , aut infuſis per clyſterem efficacioribus,illinendáque eryſipelata,partim, vt id quod influit,repellamus per frigefaciẽtia,partim vt id quod iam coaceruatum eſt,diſcutiamus,per moderatè calefacientia ac humectantia,priuſquam liuida ac nigra pars fiat,ita vt ea quæ illinuntur ſemper humida conſeruemus,per hoc vt frequentius alterentur: atque illud fieri poteſt ſi per molles ſpongias prius illita abluantur.Multus enim partis feruor citò exhalare faciens,hæc reſiccat. Opus autem habent eryſipelata ab initio velut dixi, frigefacientibus cum humiditate , abſque adſtrictione, velut eſt ſemperuiuum,& portulaca,& pſyllium, lenticula paluſtris,ſeris,cucurbita, ſolanum,hyoſcyamus, lactuca, glaucium , inſupérque apium, & rhamni folia per ſe aut cum pane impoſita,& cerata ex aqua valde frigida.Miſcetur & opii quid iſtis,& ſucci papaueris, & cicutæ & mandragoræ,& fiunt compoſita medicamenta. Fieri quoque poteſt ceratum ex cera alba, roſaceo quadruplo admixto , quod ex oleo crudo citra ſalem ſit paratum , ita vt hæc in pila emolliantur , & aquæ frigidæ affundatur quantum ſuſcipere poſſunt. Si verò etiam aceti tenuis ac pellucidi parum quid admiſcueris , melius medicamentum efficies. ſed & polentæ cum aliqua ex relatis frigefacientibus herbis,multum frigefaciunt,& palmulæ pingues cum aliqua ex illis.Illini etiam poteſt pars ceruſſa,aut cimolia, aut figulari terra,cum ſolano,aut ſpuma argenti cum roſaceo, aut chalcitide cũ oleo & paſſo, aut ceruſſa cũ aceto & lycio,aut acacia cũ aceto. Remittente autẽ feruore,vtendũ ſimplicibus quidem,ſulphure viuo & menta,cum aceto &

roſaceo, aut ruta cum abſinthio,& aceto ac oleo,aut ſpuma argenti cum porri & betæ ſucco. Compoſitis autem, priuatim quidem ad caput, hoc paſtillo: Spumæ argenti, ceruſſæ,croci,ſulphuris viui,opii cum paſſo: in communi verò ad omnes partes,minii,ſinopici, chalcitidis,miſyos torrefacti,æruginis,atramenti ſutorii, aluminis ſciſſi,ſingulorum æquales partes,vtere ex aceto. ALIVD. Sulphuris viui,ceruſſæ,opii,acaciæ,ſingulorũ æquas portiones cum aceto.

Cataplaſma ad eryſipelata,herpetas,abſceſſus,parotidas,& ambuſta.

Foliorum recentis althææ tenerorum libram vnam in aceto coctam probè terito, & addito roſacei triente,ſpumæ argenti,ceruſſæ, ſingulorum ſextante, & vncia dimidia:rurſus terito cum coriandri,aut ſemperuiui, aut ſolani ſucco: deinde adiectis micis panis,vt emplaſtri formã accipiat,imponito.Emplaſtro verò vtere hoc:Olei cecini librã vnã,myrtei librã vnã,ceræ quincuncem,ſpumæ argenti trientem, æruginis raſæ ſextantẽ: ærugo & argenti ſpuma aceto teruntur.

Ceratum ad eryſipelata & ambuſta.

Ceræ albæ trientem, roſacei quadrantem,oua ſex,perdiciadis trientem. Poſtquam verò ceſſauit inflammatio, aut diuturna fit, antea quàm liuida pars fiat, cataplaſma ex cruda hordeacea farina imponito. Si verò iam liuida facta fuerit, ſcarificetur, & cataplaſma diutius imponatur,& perfundatur aqua calida dulci, aliquando etiã marina,aut muria: quandoque etiam cataplaſmati eadẽ admiſcetur:poſtea verò relatis compoſitis vtendum eſt cum animaduerſione.nam ſi diutius permaneãt,in pus aut putredinem tranſmutatio contingit.

DE TVBERCVLO, BVBONE, ET PANO, Cap. XXII.

EX Galeni ſententia bubo,& tuberculũ, & panus,glandularum affectiones ſunt.Bubo quidẽ inflammatio: phygethlon autem, *id eſt panus*, eſt glandulæ eryſipelas inflammatum, aut inflammatio eryſipelatoſa: tuberculum verò,ad ſuppurationem citò tendens glandulæ inflammatio. Verùm iuxta alios quoſdam, in communi omnes qui præter naturam in quacunque parte enaſcuntur abſceſſorii tumores, tubercula appellantur. Dicit enim Hippocrates, Quibuſcunque tubercula in vrinaria fiſtula enaſcuntur, his ſuppuratione ac eruptione facta,ſolutio contingit.Qui igitur ex offenſionibus,aut aliis vlceribus,aut doloribus proueniunt bubones, extra periculũ ſunt: qui verò ex febribus,(qui ſanè maximè in peſte coincidere ſolent)peſſimi exiſtũt, ſiue iuxta femur,ſiue ſub alis,aut ad collum enati fuerint. Verùm priores in principio, velut omnem inflammationem, per frigefacientia ac adſtringentia auxilia repellere oportet,aut ſpongiis ex poſca impoſitis,aut lanis ex vino ac oleo crudo, aut roſaceo,aut melino,aut lentiſcino,aut myrteo: deinde diſcuſſoriis vtendum eſt. Si verò etiam totum corpus humoribus redũdet,antea euacuetur.At ſi nihil ſuperflui habeat, vlceris quidem ex quo bubo factus eſt, curam habebimus, velut in tractatione de vlceribus dicetur. Glandula autem inflammata mitigetur lanis in oleo quopiã laxatorio imbutis:ſed & totum membrum ex ipſis obuoluendum eſt. Suppuratus autem tumor non promptè diſſecetur, ſed ceratiformibus medicamentis diſcutere ipſum conemur: quale maximè eſt id quod ex apyrano paratur, & quod ex herbis conſtans,botanicon appellatur.Quòd ſi diſcuſſio non contingat, ad ruptionem procedẽdum eſt, ſimiliter vt in aliis abſceſſibus, & curandum velut illi. Cæterùm in his qui ex febribus,aut ſimpliciter ex humorum copia fiunt,repellentia vitanda ſunt,vt ne dum repellitur materia,ad profundum recurrat:ſtatim verò à diſcutientibus incipiendum eſt.Quòd ſi nihil prohibeat,velut ætas, aut vires,venæ ſectio prius in cubito aſſumatur: in loco verò vtẽdum eſt fomentis ex decocto chamæmeli, aut anethi,aut alicuius conſimilis. Reliqua verò medicamentorum materia maximè quidem ex his quæ libro tertio ad parotidas relata ſunt transferatur,nec minus ex his quæ paulo antè ad inflammationes dicta ſunt. Quemadmodum etiam panorum curatio,tũ ex his,tum ex relatis

A ad eryſipelata,inſtituenda eſt.At verò aſter Atticus herba, quã etiã boboniũ ob hoc ipſum vocant, non ſolùm impoſita,ſed etiã alligata,bubonibus auxiliari creditur.Tubercula verò priuatim diſcutiunt in cataplaſmate impoſita,adiantum,atriplex,helxine,althææ radix in vino cocta, ammoniacum cum melle mollitum, ac impoſitum, viſcum cum reſina ac cera.Rumpit autem propolis,lupini amari cum aceto impoſiti,cucumeris ſylueſtris radix, terebinthina excepta, capparis radix ſimiliter, nitrũ cum fermento aut ficubus.

B DE FVRVNCVLO, Cap. XXIII.

ET furunculus tumor eſt abſceſſorius,ex craſſis humoribus in carnoſis maximè locis conflatus, mitis quidem quùm in ipſa ſola cute conſiſtit: malignus autem quum ex ampliore profunditate emerſerit. Diſcutiunt furunculos & concoquunt hæc: Triticum commanſum ac impoſitum, maſtiche Ægyptia, vuæ paſſæ reiectis vinaceis cum ſale tritæ ac impoſitæ,aut diffundunt, aut rumpunt: aut caricas coctas in aqua mulſa imponito, aut admixtam ad caricas reſinam imponito,aut ipſas caricas,ſi
C pingues fuerint,fiſſas, aut fermentum cum nitro, aut lini ſemen cum melle,aut hyoſcyami folia trita cum butyro. Compoſita verò,id quod ex fermento paratur,& quod ex polline, & quod priuatim dothienicum à *furunculus* appellatur,conueniunt.Fomentum autem adhibe ex mollibus ſpongiis, aſſiduè in calidam aquam tinctis, atque ſic medicamenta imponito.

DE TEREBINTHO, Cap. XXIIII.

ORibaſius terebinthum tuberculi ſpeciem eſſe dicit, & incumbere ipſi supernè bullam ſiue puſtulam ni-
D gram,qua rupta id quod ſubiacet deſquamato ſimile videri:hoc verò diſſecto,pus reperiri: verùm Dioſcorides Alexandrinus ait,Terebinthi ſunt eminentiæ in cute cõſiſtentes,rotundæ, cum pallido virore nigricantes, terebinthi fructui ſimiles. Hos igitur eodem modo velut alios tuberculoſos tumores curare oportet,auxiliis ex relatis huc tranſlatis.

DE CARBVNCVLO, Cap. XXV.

SAnguine magis atrabilario euadente vbi ebulliit,& ad partem aliquam irruit, carbunculos appellatos oriri
E cõtingit:qui ſunt vlcera cruſtoſa,plerunque à puſtula,ſiue bulla ambuſtis ſimili initium ſumentia,aliquando etiam ſine hac.& exſcalpunt ſanè affecti omnino in principio ipſam partem:deinde quandoque vna, quandoque plures puſtulæ emergunt,milii ſpeciem præferentes ſua tenuitate,quibus erumpentibus ſimiliter cruſtoſum fit vlcus, ſimiliter velut à ferro candente, cruſta ipſa modò cinerei coloris,modò nigri apparente,vnà cum hoc quòd fundo adhæret,& quodammodo affixa eſt,cum depaſtione proſerpente.Reliqua verò caro, circunſita valde flammea ac
F nigra colore fit, & ſplendicans veluti pix & bitumen.Talis autem eſt exactè atra bilis: verùm carbunculi circa carnem oborti, breui circunſcribuntur. Qui verò in membranis aut neruis fiunt, diutius permanent, & affectionem per conſenſum ſubiectis locis diſtribuunt, vt etiam inflammationes eryſipelatoſæ ipſis fiant: non paucis autem ad ſuppurationem conuerſi ſunt, pleriſque etiam febres adſunt. Oriuntur etiam ex quibuſdam popularibus cauſis carbunculi. Curare igitur ipſos oportet, niſi valde parui fuerint, per venæ ſectionem, ſanguinis euacua-
G tione ad animi deliquium vſque facta. Scarificare etiam poſt venæ ſectionem non incommodum eſt,profundioribus vulnuſculis impactis, ob humoris craſſitudinem. Ad locum autem affectum moderatè repellẽtibus ac diſcutientibus vtemur. Tale autem eſt cataplaſma ex plantagine ac lenticula cocta,cui panis clibanitæ neque valdè puri,neque ſordidi,micæ teneræ ſint adiectæ:ſuper ipſum verò vlcus ex vehementibus medicamentis aliquod imponemus,velut eſt Andronis,& Polyidæ,& Paſionis paſtillus.Diluantur autem paſſo ad ſtrigmentitiam compa-
H gem.Sed & Maſſaliotæ puluillus ſiccus, aut etiam ipſe ſimiliter dilutus facit. Radix quoque dracunculi, aut ariſtolochiæ, aut ſuccus ſilphii, aut Cyrenaicus,ſingula cum aceto rectè illini poſſunt. Quæ verò ignis ſacri ſpeciem præferũt,ad eryſipelata relatis illinãtur. At quæ partes de

affectione per conſenſum ſuſpectæ ſunt, lanis ſuccidis ex vino & oleo irrigentur. Poſtquam verò quieuit ardor, cerata capitalia diluta, linamentis excepta, carbunculis immittantur. Maximè autem bonum eſt id quod ex herbis, & quod ex nitro paratur,& puluilli ſicci nomis dicati, tū per ſe, tum cum roſaceo. Permanente verò duritia vtendum eſt melino Serapionis: ſtudendum tamen eſt vt q̃ citiſſimè carbunculi ſuppurentur, ita vt bis in die, ſemel noctu, cataplaſmata ac medicamenta alterentur. Cæterùm vt eradicentur carbunculi,& à coniunctione cum vicinis adiacentibus exoluantur, mala Punica acida contuſa in aceto coquito, & flaccida terito, ac linteo infarcta imponito: vbi verò reſiccantur, aceto madefacito. Carbūculos ſuppurat ac rumpit nucis regiæ veteris nucleus, aut etiam non veteris, cupreſſi folia ac germina, & recentes ac teneræ pilulæ cum polenta: vua paſſa vinaceis reiectis, caricæ in vino coctæ, papaueris cornuti flores, ſuccus ſilphii cum ruta & modico melle, pix liquida cum vuis paſſis & ſuillo adipe.

Ad carbunculos valde bonum.

Spumæ argenti lib.1, olei veteris lib. vnam ſemis, auripigmenti vnciā vnam. Spumam argenti & oleum coquito donec non inquinent,& ſublatis auripigmentum adiicito, ac rurſus coquito donec nigrū medicamētū euadat, & in pila trito vtere linamentis illito.

Ad gangrænas, vlcera vetera, chironia, chœradas ſiue ſtrumas, podagram, feliciter verò ad carbūculos,& præſertim in palpebris.

Opii, acaciæ, miſyos torrefacti, ſquamæ æris, ſingulorum drach.2, atramenti ſutorii drach.1, ſeminis hyoſcyami drach. vnam, tritis in aqua vtere. Facit etiam probè, inquit, tetrapharmacum emplaſtrum, quintam thuris partē habens. Ad carbunculos autem in pudendis, chalcitidis, atramenti ſutorii, ſingulorum drachmas octo: aphronitri drach.2, cum aqua tritis vtere. Facit quoque ſtercus ouillū torrefactum cum melle. In Alexandria, Serapiade, quæ & orchis,& triorchis nominatur, viridi, cum micis panis vtuntur velut cataplaſmate ad carbunculos & omnia cruſtoſa. Cruſta verò elapſa, velut commune vlcus curato.

DE CANCRO, Cap. XXVI.

IN omni corporis parte cancer naſci ſolet. nam & in oculis, & in vtero, (velut in tractatione de ipſis dictum eſt)& in aliis pluribus partibus: verùm in mammis mulierum maximè abundat, eo quòd laxæ ſunt,& materiā quæ craſſiſſima eſt, promptè ſuſcipiunt. Ex atra enim bile efferuente cancri producuntur:& ſi acrior fuerit, cum exulceratione. quapropter colore nigriores ſunt inflammationibus, citra tantam caliditatem. Venæ verò replentur, & circumcirca tenduntur, ad ſimilitudinem pedum cancri animantis: vnde etiam hanc appellationem morbus habet. Quidam verò propterea quòd ita partibus adhæreat vt ægrè auelli poſſit, ſiquas apprehenderit, nominatum aiunt, quemadmodum etiam animal ipſe cancer. Verùm ob humoris huius craſſitudinem, etiā incurabilis eſt cancer, vt qui neque repelli neq; diſcuti poſſit, neque totius corporis purgationi cedat, quum ſanè etiam mitiora medicamenta impoſita contemnat, & à fortioribus exaſperetur. Fieri tamen poteſt vt incipiētes cancros augeri prohibeamus, atrabiliarium humorem euacuantes priuſquā in affecta parte cōfirmetur. Euacuabimus autem primùm ſi nihil prohibeat, per venæ ſectionē: deinde per purgationem, ab initio ex ſimplicioribus, quale eſt epithymū, quod quatuor drachmarum & dimidiæ pondere ex ſero lactis aut aqua mulſa damus: poſtea verò ex hiera quæ nigrum veratrum recipit. Ad locum verò affectum vlceratum, abſque offenſione adhibitus facit ſolani ſuccus, linteo molli duplicato in ipſo tincto ac impoſito. Oportet autem forinſecus ſupra illud lanam teneram circundare, quæ ipſa ſucco ſit imbuta,& diligenter prouidere ne illa reſiccentur, ita vt frequentius ſuccum affundamus: poterit autem in vlceratis cancris, diuturnius quis vti medicamento ex pompholyge. Neque inepta ſunt ea auxilia quæ libro tertio de vteri cancris ſunt relata.

Ad cancroſa & maligna,& ad rugoſa ſedis vlcera: itémque ad inflammationes in pudendis, aut teſtibus, aut mammis.

In plumbea pila, plumbeo piſtillo, terrā Lemniā ſphragidem appellatam, cum poſca & aqua mulſa, aut lacte, terito donec nigreſcat: aut roſaceum, aut crudum oleū, aut ſemperuiui ſuccùm, aut cotyledonis, aut lactucæ, aut pſyllii, aut vuæ acerbæ, ſimiliter terito, ac illinito. Victu verò vtatur æger, ptiſſanæ ſucco abunde, & lactis ſero: & ex oleribus malua, atriplice, blito, & cucurbita: piſcibus item petroſis, & volucribus omnibus exceptis paluſtribus.

Archigenis ad cancroſa ac maligna vlcera.

Cancrorum fluuialium vſtorum, & Cadmiæ, vtriuſque æquales portiones tritas inſpergito, aut cancrorum cinerem cum cerato imponito, aut eryſimi ſemen tritū cum melle adhibeto.

DE TVMORE LAXO, Cap. XXVII.

QVVM de tumoribus ex calidioribus humoribus conflatis tractauerimus, rurſus de cōtrariis agemus, initio à tumore laxo accepto. Quemadmodum enim ex bilioſa fluxione eryſipelas, ſic ex pituitoſa œdema oritur, qui tumor laxus eſt citra dolorem. Nouimus autem etiā aliter tumores laxos fieri circa pedes, in affectionibus aquæ inter cutem,& tabe, ac malo corporis habitu. In illis igitur tumor is laxus ſymptoma acceſſorium eſt ad affectionem eā quæ hominē detinet, nullā priuatā curationē requirēs. Sufficit enī, ſi modò quid facere velis, cōfricare crura, aliquādo cū aceto & roſaceo, aliquādo cū oleo ac ſale, aut etiam ad ipſum acetū & roſaceum ſale iniecto. Si verò ob pituitoſi humoris influxum, laxus tumor in parte aliqua conſtiterit, ſatis eſt aliquando ſpongiam aceto imbutam imponere, cum deligatione leniter adſtringente, ex infernis partibus initium habente, & ad ſupernas deſinente. Verùm nouam ſpongiam eſſe oportet. Si verò talis non ſit, eam quæ adeſt expurgare oportet cum nitro, aut potius cum lixiuio. Quòd ſi ex his tumor non ſubſidat, parum quid de alumine ammiſceatur. Commodum eſt etiam tenerrimum ellychnium eiuſmodi humore imbutum, ac impoſitum: bonum eſt etiam glaucium. Inueteratum autem laxum tumorem curabis, ſi oleo parti prælito, deinde ſpongiam lixiuio imbutam impoſueris, ac violentius adſtrinxeris. Diſcutit autem & adſtringit tumores laxos, omnis terra illita, & magis Ægyptia,& iſatis ſatiua.

DE INFLATIONE, Cap. XXVIII.

SPiritu flatuoſo quandoque ſub cute, quandoque ſub membranis oſſa circundantibus, aut muſculos ambiētibus, congregato, inflatio oritur. Colligitur etiam aliquando circa ventrem,& inteſtina,& inter hæc atque peritonæum membranam, in hydrope tympanite appellato:& differt ſanè à tumoribus laxis, & quòd non in cauā veluti foueam cedat dum premitur, velut illi, & quòd ſonitum edat, quemadmodum tympanum. Ad hoc verò q; ſpiritus non diffletur, corporum denſitudo cooperatur, vnà cum hoc quòd etiam ipſa ſpiritus ſit craſſus. Vnde etiam curationis ſcopus eſt, corporum rarefactio, & craſſi ſpiritus attenuatio, quæ per calida ac tenuium partiū medicamenta perficitur. In inflationibus igitur circa ventrem ac viſcera, oleum tenuium partium hoc efficit, in quo ruta ſit incocta, aut cuminum, aut apii ſemen: quandoque etiā cucurbita magna citra ſcarificationē, iterū atque iterum circum vmbilicum appoſita diſcutit. Si verò muſculi ob contuſionem, quemadmodum ex pulſationibus, inflati fuerint, partes valde calida & acria ægrè ferunt. Quare ab initio in mitigantibus perſeuerare oportet. declinatione verò contingente, in diſcutientibus. Vtendum itaque eſt ſapa cum modico oleo, lanis ſuccidis excepta, aut etiam cerato ex œſypo admixto: & cura adhibenda quò caliditas permaneat: nam frigiditas non cōducit. Poſtquam verò mitigatio facta eſt, acetum admiſceatur,& nitrum, aut aphronitrū,& poſtea etiam lixiuiū: poſtremum autem emplaſtra diſcuſſoria adhibenda ſunt vſque ad perfectā mali depulſionē: quale eſt & ſubiectū.

Strigmenta feruefacta primùm vt pura fiant excolato,

ac rurſus in ollam iniicito,& tritam calcem viuam inſtar farinæ inſperſam infercito,donec luti ſpiſſitudo fiat,ac vtitor. Hoc verò efficacius eſt compoſitum ex ſycomoris medicamentum.

AD LVXATA ET CONTVSA, Cap. XXIX.

AD luxatos ac contuſos articulos faciunt lanæ ſuccidæ, aut ſpongia aceto & oleo imbuta,ac impoſita. Bulborum coctorum teneræ partes cum melle, viticis folia,& ſal,& nitrum toſtum tritum cum cerato. Vtere item perfuſione aquæ dulcis,aut marinæ calidæ.Poſt ſedatam autem inflammationem ac dolores,etiam defrictione luxatarum partium vtere.

DE CARNE CONTVSIS ET SVGILLATIS, Cap. XXX.

CArne ab aliqua graui re illapſa contuſa,& paruis in ipſa venulis diſcretis, ſanguis profunditur iuxta perſultationis modum: vnde ſub cute collectus, ſugillationem, *ſiue effuſi ſanguinis ſuffuſionem appellatam*, efficit, & cute non diuiſa,velut tumor ad contactum mollis accedens ſequitur,liuidus ille,& plerunque ſine dolore.Scopus igitur nobis eſt vt contentum ſanguinem diſcutiamus, atq; hoc breui,priuſquam nigreſcat. Ab initio verò,etiam de adſtringētibus aliquid ad diſcuſſoria admiſcere oportet, eo quòd tunicæ venularū contuſæ denſari expetant. Poſtea verò etiam citra adſtringentia, ſolis diſcuſſoriis vtemur.Sed & ſugillata ab initio ſcarificātes, hoc modo deinceps curationem adhibemus:verùm ad vetera ſugillata raphanus impoſitus facit:tollere autem ipſum oportet quum mordere incipit: aut raphani ſuccus cum micis panis adhibitus.Species porro ſugillationis ſunt ſuffuſiones effuſi ſanguinis,ſub oculis contingentes, hypopia ac hypoſphagmata *appellata*: itémque ſanguinis ſub vngues decurſus,ex plaga contingens:de quibus in propriis locis dictum eſt tertio libro:verùm de his quæ in vnguibus fiunt,etiam in chirurgiæ tractatione dicetur.

DE RVPTIONE AC VVLSIONE, Cap. XXXI.

RVptiones omnino quidem cum ſanguinis ſuffuſione fiunt: ſanant autem ipſas medicamenta moderatè calefaciētia. Tale verò eſt acopon ex populo alba paratum,& quæ huic ſimilia exiſtunt. Verùm in ruptionibus in profunditate corporis,acriora & maiore ſecādi vi prædita medicamenta adhibere oportet. Commodus eſt talibus etiam cucurbitæ vſus.Si igitur ſtatim diſcuſſus fuerit ſanguis ſuffuſus,facilè concreſcit caro diſparata: ſi verò diu durauerit, & ſordes ſuccreuerit, fieri non poteſt vt de cætero ruptio concreſcat, ſed labra ſolùm inter ſe apponuntur, ita vt ex leui occaſione facilè rurſus diſparentur,& intermedius ipſorū locus humiditate quadam impleatur,& quodammodo aſſiduè ſanguinis ſuffuſio fiat ſimilis ei quæ ab initio facta eſt, præterquam quòd citius quam illa diſcutitur, vt quæ tenuem ſeroſum humorem contineat, quum illa ab initio ex ſanguine fuerit conflata. At vulſio fit, fibris quibuſdam diuulſis, & ſola mitigatione opus habet vſque ad doloris ſedationem. nō enim glutinari poſſunt. Ariſtolochia itaque rotunda, ſiquid aliud,ruptis ac vulſis commoda eſt:ſimiliter centaurii magni radix,& ipſius ſuccus,rheon item, & coſtus,& bdelliū cum aceto mulſo pota.

DE SCIRRHIS, Cap. XXXII.

SCirrhus exquiſitus, tumor eſt præter naturam, ſenſus exors,ac durus: qui verò exquiſitus non eſt,ægrum ſenſum habet:& qui quidem ſenſus exors eſt, incurabilis eſt: qui verò ægrum ſenſum habet, non quidem incurabilis eſt,non tamen facilè curatur.Fit enim à viſcoſo ac craſſo humore, qui ita partibus ſcirrho affectis impactus eſt vt ægrè auelli poſſit. Aliquādo igitur ſtatim ab initio conſiſtit ac augeſcit:plerunque verò à medicis efficitur,qui in inflammationes & ignes ſacros perfrigerarunt ac adſtrinxerunt.Si igitur quis vehementer diſcuſſoria medicamēta corporibus in ſcirrhū induratis adhibeat, etiāſi manifeſtā ſcirrhi imminutionē fecerit,tamen breui tēpore affectionis reliquias incurabiles efficiet, tenuiore quidem humiditate diſcuſſa,reliqua verò reſiccata,& veluti lapidea facta. Oportet itaque diſcuſſorium medicamentum habere aliquid etiam mollitorium, abſque hoc vt vehementer calefaciat ac reſiccet:tales autem ſunt medullæ omnes,& præſertim ceruina ac vitulina.Ex adipibus verò, leoninus,ex pardali item,ac vrſinus, deinde taurinus: de volucribus autem anſerinus, & gallinaceus,ac phaſianus. Siccior autem eſt caprinus ac hircinus: & adhæc, ammoniacum thymiama, & bdellium maximè Scythicum, & ſtyrax liquidior ac pinguis,& maſtiche Ægyptia.Si quidē igitur aliæ partes in ſcirrhum induratæ fuerint, ſemper his per ſe vtendum eſt, & medicamentis quoque ex ipſis compoſitis:verùm in tendinibus ac ligamentis,lapidem igne candefactum acerrimo aceto extinguere oportet.Sit autem lapis pyrites,ſi haberi poteſt: ſin minus,molaris.In hoc affectam partem commouere oportet, quò exhalantem vaporem ſuſcipiat:& poſtea rurſus mollitorium imponere medicamentum.Oleo tamen tenui ab initio,non aqua, partem perfundere oportet perpetuò ſingulis diebus, ita vt aliquando etiam althææ, aut cucumeris ſylueſtris radicem in oleo incoquamus. A balneo verò in totum ipſis abſtinendum eſt,aut ſaltem à frequenti. Vbi verò ſcirrhus moderatè fuerit emollitus,ammoniacum pinguiſſimum acerrimo aceto dilutum parti illinimus ad multos dies: poſt quos rurſus mollitorio vtendum eſt, quod galbanum & opopanaca pinguiſſima recepit. Talia autem maximè ſunt,id quod ex perna fit, & Amythaoni inſcriptum, itémque medicamenta ad ſtrumas deſcribenda.

DE STRVMIS, Cap. XXXIII.

STrumæ ſunt glandulæ in ſcirrhum induratæ,circa collum,& alas, ac inguina maximè conſiſtentes. In communi igitur ad relatam ſcirrhorum curationem referuntur:priuatim verò lupinorū amarorū farina ex aceto mulſo cocta imponitur, quæ etiā ad tubercula facit, aut bubulū ſtercus aceto coctū imponito.Hoc etiam in ſcirrhū īduratos tumores omnes diſcutit.Probè verò ſtrumas diſcutit calx melle aut ſtrigmēto,aut oleo,aut adipe porcino excepta,aut calcis & nitri æquales partes,naſturtii & fœni græci quadruplū,cū melle, velut malagma īponito. Hoc duras diſcutit,in pus trāſmutatas rūpit:itē loliacea farina cū colūbino ſtercore,& lini ſemine,in vino cocta.Groſſi ſylueſtres ac domeſtici, aut naſturtiū album tritum cum pice liquida,malagmatis forma imponito, aut cucumeris ſylueſtris radicis ſiccæ & lauri foliorum ſiccorum vſtorum cinerem cum terebinthina imponito, aut ſtaphidis ſylueſtris,nitri,vtriuſque æquales partes erucæ duplū, cum reſina imponito, aut ſtercus caprinum ſeu bubulū in aceto coctum,aut erui farinam in vrina pueri impuberis maceratam, & pice ac cera & oleo liquatis exceptam: aut ſerpentem mortuum in ollam gypſo oblitam coniectum,in fornacem mittito vt exuratur,& cinerem ipſius ad æqualem fœnigræci partem admiſceto,& melle exceptis vtitor.Sed & ex aſpidibus medicamentum admirandum eſt,& quod ex herba lanaria paratur, & quod ex cucumere ſylueſtri,& quod ex cedria. Strumas ſuppurat aut diffundit hoc: Myrrhæ drach.decē, ammoniaci thymiamatis drach.duæ,viſci quercini drach.octo, galbani drachmæ quatuor, propolis drachma vna, in mortario contunduntur.

Ad ſtrumas ac duritias mammarum.

Viſci elaborati,reſinæ ſiccæ,ceræ,ſingulorum lib.I:galbani quadrantem.

Ad ſtrumas vlceratas & non vlceratas.

Ceræ,reſinæ pinus,adipis porcini inſulſi,marrubii,æruginis raſæ,ſingulorum ſexuncem. ALIVD ad ſtrumas. Olei veteris libras duas, ceræ librā I, colophoniæ trientem,nitri trientem,allii capita duodecim. Allii nucleos decorticatos in oleo ad triduum macerato, deinde donec torreſiant coquito,atque ipſos quidem abiicito:vbi verò ea quæ liquari poſſunt liquefeceris, poſtquam ab igne ablata ſunt, nitrum tenuiſſimum inſpergito. Hoc etiam abſceſſus rumpit. ALIVD. Cineris ficulni ſextantem, aluminis ſciſſi vnciam vnam, aphronitri vnciā vnam,picis liquidæ ſeptuncem.

Eroſiuum ſtrumarum.

Aluminis ſciſſi,ſādarachæ,vtriuſque drach.4:ſquamæ

æris drach.vnã,auripigmenti drach.1. Siccũ hoc ſtrumis inſpergito:ſi verò cancroſæ fuerint, roſaceo ſubactis,bis in die vtitor.

DE STEATOMATIBVS ET ATHEROmatibus ac meliceridibus, Cap. XXXIIII.

QVVM abſceſſuum generis & hæc ſint,(velut in illis diximus) appellationem ſingula propriam adepta ſunt à ſimilitudine contentarum in tumoribus eſſentiarum.Eſt enim quædam ipſarum velut adeps,quædam veluti mel, & quædam pulti ſimilis. Scopi verò curationis communes ſunt, vt id quod continetur diſcutiamus, aut erodamus,aut in totum excindamus. Quidam igitur tumores tribus ſcopis ſubiacent,qui quidem tenuiorem humorem habent, velut meliceris: aliqui duobus tantùm, velut Atheroma. Nã vt & excindamus & erodamus hoc fieri poteſt: verùm ſteatomata per ſolam chirurgiam curantur,quum neque erodi neque diſcuti poſſint. Singulorum autem horum dignotionem in chirurgiæ tractatione reperies:eorum verò quæ diſcutiunt, in ſtrumarũ tractatione materiam habes. Priuatim autem meliceridas diſcutit hoc: Vuas paſſas vinaceis reiectis 20,ſquamæ æris drach.tres,fomẽto prius adhibito impone. ALIVD. Ladani,bdellii,galbani,ammoniaci thymiamatis,propolis,terebinthinæ, ſingulorum æquales partes in mortario tunduntur. Facit & ad ſtrumas,parotidas,furunculos,tubercula.Archigenes autem ad meliceridas inquit, aphronitrum & veratri duplum cum cerato duro imponito.At verò eroſiuorum vſus circunſita cute contingere non poteſt.Oportet igitur & meliceridas,& atheromata,aut etiã ſtrumas,prius cute nudare,atque hoc per vſtoria medicamenta: ex quorum numero ſimplicius eſt id quod recipit calcem viuam,ſaponem,ac lixiuium. Variegatius autẽ & quod repoſitum ſeruari poteſt, hoc eſt: Calcis drach. quatuor,fæcis vini vſtæ,nitri rubri toſti,ſingulorũ drach. 2,minii drach.1.terito cum lixiuio,& ad mellis liquidioris craſſitudinem redacta,ter feruefacito,vt quodam modo compagem acquirant, & in plumbea pyxide reponito,lixiuium inſtillans, vt ne breui reſiccetur. Facit & ad verrucas ſummæ chordæ ſimiles, & ad formicarias appellatas,pterygia,clauos,callos,cicatrices præminentes. Fæx autem vini non ſit duobus menſibus antiquior: ex hoc cutẽ illinito,& vbi ſiccare inceperit, ſpongiis abluito, ac rurſus illinito, & vbi cutis nigrefacta fuerit, rurſus abluito,ac cruſtam inducentibus illinito: cruſta verò elapſa, erodentia adhibeantur.

Eroſiuum mordacitatis ſatis exors.

Squamæ æris drach.quatuor, ſandarachæ drach.duas, veratri nigri drach.2, vtere cum roſaceo. ALIVD. Squamæ æris,ſandarachæ,ſeminis vrticæ toſti,æqualib[9] partibus ſingulorum cum roſaceo vtere. ALIVD. Erinaceorum vſtorum,teſtæ,ſæpiæ,auripigmẽti,æqualibus partibus cum roſaceo vtere: verùm circunſitas partes omnes ceruſa cum oleo illine.Bonum eſt & hoc:Calcis nõ præparatæ partes duas, chalcitidis partem vnam, auripigmenti partem vnam.

DE FAVIS, Cap. XXXV.

FAuus tumor eſt in cute habẽs perforationes, per quas melli ſimilis humor excernitur. Imponendæ igitur ſunt ipſi vuæ paſſæ cùm ruta,aut fici tenerrima folia cum melle,aut naſturtium cum lini ſemine ac melle,aut cucumeris ſatiui radix cum melle,aut ſulphur viuum cum cerato vel terebinthina. Variegatiorẽ verò curationem facies,ſi quæ libro 3 de achoribus relata ſunt, huc trãſferes.

DE SIMPLICI VLCERE, Cap. XXXVI.

QVandoquidem ſimplex vlcus diuiſio ſolùm eſt, ſiquis diuiſa contrahat ligamento circundato, coaleſcent diſparatæ partes citra vllam aliam opem. Oportet autem vbi circa alterum ſolum labiũ vlcus fuerit in obliquum euerſum,illinc deligationis initiũ facere,& ad cõtraria cõuertere: ſi verò circa ambo labia euerſum vlcus fuerit, deligationẽ ex duobus initiis adhibere oportet, atque ita labia adducere. Si enim nihil inter labia coinciderit, velut eſt pilus, aut arena, aut oleum,aut ſordes,aut eiuſmodi quiddam,vlcus omnino coaleſcet.At ſi magnũ fuerit vlcus,vt diſparata omnino contrahi per deligationem non poſſint, ſuturis primùm ipſa contrahere oportet:deinde ita deligare,& glutinatoriis appellatis auxiliis vti,quæ & collectam humiditatem reſiccare ac conſumere poſſunt,& ne alia influat prohibere.

QVAE GLVTINARE POSSVNT vlcera, Cap. XXXVII.

QVercus folia ĩpoſita, ſalicis & braſſicæ & chamæleæ fructus,folia,& cortex,plãtaginis auſterioris ſuccus, papyrus poſca aut vino macerata,& circumcirca obuoluta.Recentia verò glutinant, pinus aut piceæ folia, & cortex recens velut ligamentũ obuolutus cum aqua, aut poſca,aut vino: caſeus recens tritus.Forinſecus autem imponãtur folia rumicis,aut vitis,aut betæ,aut lactucæ. Caſeus autem ex acido lacte etiã maiora vulnera glutinat, pira ſylueſtria etiã fluxũ reprimunt. Hippuris impoſita confert, etiãſi nerui diſſecti fuerint:iſatis ſatiua in duris corporibus,etiãſi in muſculorum capitibus fuerint. Cupreſſi folia,& germina,& recẽtes pilulæ ac molles,in duris corporibus: verùm admiſcere oportet tenuiſſimum farinæ puluillum de molæ vicino pariete acceptũ, myrrha cum aqua illita, aut thus,terræ inteſtina, etiã neruos diſſectos glutinant, quinquefolii folia cum melle, allium vſtum impoſitum. Ad vetera verò vlcera anagallis facit cum cerato, itémque hordeum vſtum: ſed & ceruſſa cum cerati myrtei triplici põdere.Cæterùm ad vlcera in capite myrrham ſiccam inſpergito, & non madefacito, (citò enim ipſa contrahit) aut aloen ſiccam, aut ariſtolochiam tritã, & cum melle in vino ad moderatam craſſitudinẽ coctã, linamento illitã inde. At ex cõpoſitis glutinantibus ſunt, emplaſtra barbara, & aureum,& Nicolao inſcriptum, & quod ex ſalicibus paratur, & quod ex dictamno,& reliqua his ſimilia, quæ magna vulnera maximè glutinare poſſunt.

AD DOLOROSA AC INFLAMMATA vlcera, Cap. XXXVIII.

AD doloroſa ac inflammata vulnera opus eſt ſiccantibus ac inflammationem arcentibus medicamentis.Ex liquidis igitur optimum eſt vinum: facit etiam poſca.Si verò etiam cum ſorde inflammata fuerint,etiam aqua mulſa aquoſa. Ex ſiccis verò,in communi quidem conueniunt ad inflammationes relata, exceptis acribus ac oleoſis: priuatim autẽ hoc:Mala Punica dulcia cocta in vino,ac trita imponito. Admirandum hoc eſt & multi vſus: nam & ad capitis vlcera facit, & ad ea quæ ſunt in pudendis, & quæ in toto corpore doloroſa, & ad oculorum inflammationes. Si verò etiam ignis ſacer aut tale quid, ad vlcus acceſſerit, auxiliis ad illa deſcriptis vtendum eſt.

AD CRVDA ET NON SVPPVRANTIA vlcera, Cap. XXXIX.

REcentia,& eo ꝙ adhuc inflãmata ſunt,nõ ſuppurãtia vlcera,cõcoquũt & ſuppurant, ex ſimplicibus quidẽ aqua tẽperata affuſa,farina triticea,aut alica,aut panis,aut glutinum librorum,cũ terebinthina impoſita:cera, crocus,thus,pix,roſaceum,adeps porcinus & vitulinus: cõpoſitum verò tetrapharmacum linamentis exceptum,ac roſaceo dilutum.Vetera autẽ & calloſa concoquunt: ex ſimplicibus quidem vua paſſa,ſtyrax,galbanum, myrrha, ladanum,pix,reſina, butyrum, maſtiche Ægyptia, œſypus: compoſita verò,emplaſtrum Galeni ſine cera ex oleo cecino, linamentis exceptũ, oleo veteri aut cecino ſolutũ, & quod geminum colorem præfert,ſimiliter id quod regium appellatur,& ſimilia.

DE CAVIS VLCERIBVS, Cap. XL.

CAuum vlcus deficientis carnis expletionem poſtulat. Huius autẽ materia eſt ſanguis moderatus ac bonus. Moderationem itaque ipſius per ſufficiens alimentum acquiremus: bonum verò temperamentum per bonam ipſorum alimentorum ſucculentiam, & per bonũ tẽperamentum partis in qua eſt vlcus. Quandoquidẽ verò ſuperfluitas quæ euacuatur, quæ quidem tenuis eſt, humidius vlcus facit:quæ verò craſſior,dũ ipſi accreſcit, ſordes efficitur: ea de cauſa medicamẽtis op[9] habet quæ

moderatè ſiccant ac extergunt. Tale autem eſt thus, & farina triticea, fabacea, & erui, iris, ariſtolochia, Cadmia, panax, & pompholyx. Quum verò nihil profuerit adhibitũ incarnãs medicamẽtum, ſic quodam modo ad aliud trãſeundum eſt. Si enim copioſior ſordes apparuerit, & humidius vlcus, hinc cognoſcendum datur quòd defectuoſius ſiccauit medicamẽtum, & intendere ipſum oportet mellis admixtione: ſi verò purum & magis ſiccum repertum fuerit, plus quàm oportuit reſiccauit, & oportet oleo copioſiore dilutum ceratum adhibere. Contingit autem aliquando dum pharmacum fortius eſt, colliquari quid de carne, vt ſordidum ac humidum appareat vlcus, conſimiliter vt illa quæ defectuoſius ſunt reſiccata. Verùm hoc quod ſic colliquatur, cauius fit, & labris tumidũ, inſuperque rubicundum, & inflammationis particeps. Sæpius verò etiam manifeſtè æger mordetur: illud autem alterum ex minus reſiccantibus nihil horum conſequens habet. Putredo itaque lignorum, & maximè eorum quæ moderatam adſtringendi ac extergendi vim habent, velut eſt etiam vulnus, purgat & replet pura vlcera, aut anemonæ appoſitæ: aut pinus corticem deraſum ac tritum cum cerato linamentis illitum, cauis vlceribus & maximè recẽtibus indito: replet enim ipſa. Cõpoſita verò, vbi pura ſunt vlcera, & id quod ex oſtreis cõſtat, & illud Manethonis ex vini fæce vſta, & quod ex aloe paratur, & ſiccus puluillus melitera appellatus, & id quod recipit amyli, mãnæ thuris, alicæ, erui, æquales ſingulorũ partes: ſimiliter & quod ex thure fit, & Aphrodiſarium appellatum: Si verò quodã modo ſunt ſordidiora, capitales appellati puluilli ſicci cõueniunt. Quæ verò linamentis illita indũtur, hæc ſunt, id quod appellatur trophos, & iſis, & Athena, & quod ex atractylidibus paratur: inſupérque id quod Italicũ appellatur, & quæ experimento conſtant.

REPVRGATORIA SORDIDORVM vlcerum, Cap. XLI.

Sordida vlcera ſiue caua ſint, ſiue plana, probè repurgat ariſtolochia cum melle, terebinthina cum pari roſaceo ac melle, aut butyro pro roſaceo accepto, iris Illyrica cum melle, oliuæ muria ſeruatæ impoſitæ: ad neruoſa verò, terebinthina cum butyro eliquata. Verùm ad valde ſordida ac depaſcendo proſerpentia facit marrubium cũ melle: hoc etiã cruſtas eiicit. Compoſita verò hæc: Amurcæ coctæ, mellis deſpumati, aluminis phorimi, ſingulorũ æquas portiones. ALIVD. Serapiadis triorcheos, *hoc eſt triteſticularis*, ſiccæ, iridis Illyricæ, marrubii ſicci, ariſtolochiæ, ſingulorum drach. octo: farinæ erui drach. decẽ: vtere ſicco, & cum melle. Inſuper autem ad ſordida vlcera facit Ægyptium, & cerata ex ſale eliquata, & Indicum, & Athena, & emplaſtra viridia diluta, & ſicci puluilli ex pumice, itémque qui ex eruo parãtur, & paſtillus Melãchlorus appellatus, ſimilitérque is qui Criogenes dicitur.

AD VERMES VLCERVM, Cap. XLII.

Ad vermes in vlceribus naſcentes primum remediũ eſt vt humiditas & putredo quæ illos generat, tollatur. Necant autem vermes omnia in communi quæ ad vermes in auribus deſcripta ſunt: verùm ad eos qui in vlceribus ſunt, inquit Archigenes, ceruſſam & poliũ æquis partibus cum pice liquida illine.

DE CARNE VLCERVM EXCRESCENte, Cap. XLIII.

Caro in vlceribus excreſcens per reſiccantia vehemẽter medicamenta tollitur, quale eſt diphryges inſperſum, & æris ſquama, & teſtacea omnia vſta, & erinacei vſti ambo cum toto corpore. Verùm hæc quidem moderatè tollunt ac cõpeſcũt excreſcentẽ carnem: petræ verò Aſiæ flos vehemẽtius, & hoc adhuc magis ſori, & chryſocolla, & chalcitis, & miſy: vſta verò minus mordent, & æris flos ſimiliter: ærugo autem omnium vehementiſſimè. Sal vſtus flaccidas carnes conſumit: ſimiliter & linamẽta vulſa ex linteo facta, muria acriore macerata ac reſiccata, indita, moderatã carnem excreſcentẽ conſumunt: ærugo autẽ cũ ſpuma æris ex his ſunt quæ vehemẽter cõpeſcunt. Cõpoſitum verò rhodium ſiccum, & pſaron, & flauum appellatum, citra mordacitatem compeſcunt: at maximas carnis excreſcentias ad profundũ vſque cruſtis obducũt,

A paſtilli fauſtiani triti inſperſi, & ſiccum ſole vſtum dictũ. Quod verò recipit calcis viuæ, ſquamæ æris, & mannæ æquales portiones, & ad excreſcentia facit, & fungis ſimilia repurgat cum melle, & replèt cum cerato.

Siccum inſperſile compeſcens.

Spumæ argenti, chalcitidis, æruginis, plumbãginis, æquales ſingulorum partes. ALIVD fortiter compeſcẽs citra mordacitatem. Facit eti ãad nomas, & maximè excreſcentem in gingiuis ab inflammatione carnem; dealbat etiam dentes: Calcis viuæ lib. vnã, auripigmenti ſe-
B xuncẽ: auripigmentũ aridum terito cum aqua, & calcem lotam velut Cadmiam adiicito, & trita ſiccato, ac vtitor. Et ex paſtillis Pantolmius appellatus, & qui ad polypos deſcripti ſunt, probè vlcera compeſcunt. Ex emplaſtris autẽ viridia, & maximè id quod ex Cappadocico ſale paratur, ſimilitérque iſis carne excreſcere ſummè prohibent vlcera.

DE NOMIS PROSERPENDO DEpaſcentibus, & putredinibus, ac phagædena, Cap. XLIIII.

C Perfuſionibus vtendum eſt in vlceribus depaſcentibus ac putreſcentibus, ex aceto, & poſca, aut vino adſtringente, aut aqua frigida, aut marina, aut lenticulæ decocto, itémque malicorii, balauſtii, lentiſci, baccarũ myrti, ſpinæ Ægyptiæ, aut alicuius de aſtringentibus ac reſiccantibus. Cataplaſmata verò adhibeantur ex iiſdem, & ex erui farina, & alumine liquido, & panis ſimilaginei micis, aut gobii veteris, aut alius ſalſamenti veteris carnis illitæ, terebinthinæ liquidæ, æquales pondere partes tritas imponito, aut ariſtolochiam, & ricini foliorum ſuccũ
D æquis partibus, æruginis dimidium, cum aqua mellisſpiſſitudine illinito. Si verò cruſta non decedat, elaterii parẽ portionem ad æruginẽ admiſceto. Verùm ad putredinoſa facit ſori tritum inſperſum, & linamentum vulſum ſiccum ſuperimpoſitum, aut ariſtolochiam rotundam, & gallas pari portione, cum oleo obline, aut cucumeris ſylueſtris radicem, aut braſſicæ, aut betæ, aut rumicis folia, linteo illigata calido cinere obrue. Vbi verò mollia facta fuerint, cum ſale trita impone, valde repurgant, aut oleæ germina in vino cocta cum melle impoſito, aut chalciti-
E dem impoſito, aut apii ſemen tritum, aut lini ſemen tritum cum atramẽto ſutorio adhibeto, aut thymum, & vuã paſſam, & ficus coctas impoſito, aut fici folia trita cũ mel le, aut nitrum, & cuminum, & farinam cum melle, aut cucumeris ſylueſtris radicem, aut ſcillam coctam cum melle, aut ſoreos drach. duodecim, chalcitidis drach. decem, miſyos drach. quatuor, cum acerrimi aceti hemina dimidia terito donec reſiccentur, & exceptis vtitor, ſpecillum intingens, & in vlcere obuoluens, ſupernè verò duplum linteolum ex vino & oleo impoſito. Si verò inflammata
F fuerint, hyoſcyamum cum polenta, aut braſſicam cum melle adhibeto. AD putredines in omni loco, & nomas. Calcis viuæ, chalcitidis, vtriuſque drach. duas, auripigmenti drach. vnã: hoc etiam ad pterygia in digitis, & ad phagedænas, & ad carbunculos vtendum eſt, in pudẽdis cum melle, in reliquis ſicco, ſupernè ſplenio refinato impoſito. AD nomas omnes, & eas quæ in ore ſunt, & ad ſanguinis ruptiones, & ad carnem ſuperexcreſcentem, ſiccum panchreſtum ab omnimoda vtilitate appellatum, compeſcendo efficax: Chalcitidis, miſyos, amborum cru
G dorum drach. viginti, ſquamæ ferri drach. ſex, gallæ omphacitidis drach. octo.

Ad nomas & putredines.

Salis drach. duodecim, aluminis cuiuſcũque tandem vſti drach. vnã, ſquamæ æris, pumicis vſti, vtriuſque æqualem partem. Facit & ærugo raſa cum miſy vſto, pice li quida excepta, & ſquama ferri cum oleo. AD nomas pudendi faciunt tum hæc, tum Meliterium appellatum ſiccum, & quod ex myrto acuta fit, & quod ex charta, itémque ad omnes nomas, & coracion ex aceto mulſo, & An-
H dronis paſtillus, & conſimiles. Eadem etiam ad phagedænas conueniunt: nam & phagedæna vlcus eſt proſerpendo depaſcens ac eroſum. AD humecta ac graueolentia vlcera, Lemnia terra ſignata ex aceto, aut aceto mulſo, aut poſca, aut vino diluta ad luti compagem, illita facit,

aut cupreſſi folia,& germina,& pilulæ teneræ, aut cucurbitæ ſiccæ vſtæ cinis,aut corticis plantani vſti, aut anethi vſti,aut lanarum ſordidarum vſtarum cinis,aut plantago, aut iſatis per ſe aut cum polenta , aut peucedani radix ſicca.

DE VLCERIBVS CICATRICE INDIgentibus, Cap. XLV.

REſiccantes & adſtringentes carnem vlcerum cicatrice indigẽtium in tantum vt nõ ſolùm id quod præter naturam ſuperfluum eſt diſcutiamus,ſed etiã id quod ſecũdum naturam habet attingamus, ſuperficiem vlceris cuti ſimilem efficiemus, & vlcus ad cicatricem perducemus.Commoda verò ad hoc eſt galla omphacitis,& mali Punici cortices moderatè reſiccantes : ſed & quæcunque citra adſtrictionem ſine mordacitate ſiccãt, ea itidem ad cicatricem ducunt,velut eſt myrrha, ſpuma argenti, & oſtrea,ſi vſta fuerint. nam & hæc ſi ſicca inſpergantur , ſæpe cicatricem inducunt : pinus item cortex cum cerato myrteo,hederæ flos cum cerato,lilii radix cũ roſaceo: itẽ reſina pinus ſicca,pumex toſtus, ſquama æris, æquis portionibus ſiccis vtere.Hoc etiam comprimit : aut pumici trito,mannæ ac diphrygis, vtriuſque parum quid admiſceto,ac vtitor,aut ſpumæ argenti partem vnã , diphrygis dimidiam,cum cerato velut ſplenium impoſito. Vetera verò cicatrice includit viſcum cum thure, ærugo cum pari diphryge ac cerato myrteo,aut centaurium paruum recens cataplaſmatis modo impoſitum.Humidioribus autẽ cyperi radicem impoſito. Cæterùm ad ea quæ circa ſedẽ ac pudenda ſunt,maximè ſi inflammata fuerint,aloe vtere trita ſicca,aut cum aqua , aut ſquamã æris aut chryſocollam in ſole cum cera mollitam impoſito.

Siccum cicatricem inducens.

Oſtreorum drach. duodecim,mannæ drach. ſex , Cadmiæ drach.quatuor.Facit etiam ad nomas. ALIVD. Ariſtolochiæ drach.ſex, corticis pini drach. ſex , mannæ drach.ſex , pumicis drach. quatuor , colophoniæ drach. quatuor,iridis drach.quatuor. ALIVD. Cornu ceruini vſti drach.quatuor , corticis pinus drach. ſex , ceruſſæ drach.quatuor,æruginis raſæ drach.duas,Cadmiæ drach. octodecim. ALIVD. Florum mali Punici, atramenti ſutorii,ſingulorum drach.ſedecim : ſquamæ æris, aluminis ſciſſi,ſingulorum drach.octo:gallæ drach.vnam. ALIVD. Ceruſſæ,ſpumæ argenti,ſingulorũ drach. octo: recrementi plumbi,gallæ,myrti ſiccæ , ſingulorũ drach. quatuor.

Aliud cicatricem inducens.

Aluminis ſciſſi vnciam vnã,terito,& in aquæ ſextario vno macerato:diſſoluto verò illo,linamenta in aqua madefacito,& ſiccatis ipſis vtitor.

Emplaſtrum ſimplicioribus cicatricem inducens.

Ceræ drach.quadraginta,ſpumæ argenti drach.triginta quinque,diphrygis drach.octo, olei myrtei dimidiam heminam.Facit ad hæc etiam emplaſtrũ Phœnicinum, & ex Cadmia conſtans,& myrſinatum,ac ſimilia.Verùm ad ægrè recipientia cicatricẽ,ceræ, olei, myrtei, ſingulorum drach. ſex:Cadmiæ drach.ſex,plumbi,thuris, ſingulorum drach.duas : aluminis ſciſſi , æris vſti, ſingulorum drach.vnam æruginis raſæ drach.duas :exoluito alternis diebus.

Diuturnis,& ægrè cicatricem recipientibus.

Cadmiæ drach.octo,chryſocollæ drach. octo,aluminis ſciſſi drach.octo,æruginis,ſquamæ æris,ſingulorũ drach. vnam:reſinæ pinus drach.quadraginta, ceræ drach. centum, olei myrtei quod ſatis eſt. ALIVD. Ceræ,reſinæ pinus,ſingulorum ſexuncem:Cadmiæ ſexuncem,chalcitidis crudæ quadrantem,myrtei quod ſatis eſt. Cadmia & chalcitis vino teritur in æſtu caniculari : vtere cũ ſplenio latiore,& ſupernè linamento ac ſpongia ex vino. ALIVD. Æris vſti ſextantem, aluminis ſciſſi ſextantem, ſalis ammoniaci drach.duas,ceræ ſexuncem,colophoniæ ſexuncem,olei myrtei ſextantem , arida in ſole teruntur ad dies viginti. Quum autem mellis ſpiſſitudinem habuerint,eliquatam ac eraſam ceram cum reliquis admiſceto,ac emollito.Facit ad hæc etiam medicamentum ex

A pumice,& Iſis appellatum,& conſimilia.

DE MALIGNIS VLCERIBVS, QVAE & chironia & telephia appellantur, Cap. XLVI.

VEtera,& ægrè cicatricem recipientia vlcera, aliqui chironia appellauerũt,veluti quæ Chirone ipſo opus habeant ad ſanationem: quidam telephia, eo quòd Telephus ex eiuſmodi vlcere diu laborauit. Conſiderandum itaque nunquid & totum corpus prauis humoribus vitiatum,tales influxiones ad vlcus demittat , & redundans

B humor per cõueniẽtia medicamẽta euacuandus. Si verò etiam varix ſit,qui tales humores ad crura demittat,ſi in his vlcus exiſtat,etiam hic intercipiẽdus eſt,velut in chirurgiæ tractatione dicetur, aut etiam per venæ ſectionẽ ipſos euacuare oportet,ſanguine frequenter detracto , & deinde localibus auxiliis vti , quæ circa mordacitatem, extirpandi mali vim habent. Simplicia igitur ſunt ex pumice,& diphryge , & ſquama æris , æruginéque ac calce moderatè lota, aut alumen ſciſſum tritum inſperge , aut œſypi drach.quatuor, vuæ paſſæ drachmas quatuor, nitri

C drach. duas,prælitis melle impone,aut ſquamæ æris drachmas decem,aluminis drach. duas cum ceræ drach.decem in ſole mollito,ac impoñito. Compoſita verò hæc.

Emplaſtrum ad chironia.

Ceruſſæ beſſem,aluminis ſciſſi ſextantem , ſquamæ æris ſextantem,ſalis ammoniaci,thuris,æruginis raſæ,malicorii,ſingulorum ſextantem:calcis viuæ vnciam vnam, ceræ librã vnã,olei myrtei ſeſquilibram: arida cum vino terito.In principio hoc callos excindit, & repoſitum ſeruatur:in fine verò vſus oleo myrteo emollitum cicatricẽ

D inducit. ALIVD. Spumæ argenti lib. vnam,olei lib. duas,radicis chamæleonis nigri,ariſtolochiæ, gallæ,omphacitidis,ſingulorum vnciam vnã,galbani,ammoniaci thymiamatis,thuris,ſingulorum ſextantem,præparato ita vt viridium arundinum radicibus commoueas. Archigenis ad chironia,tum in tibiis,tum in mãmis malefica, ſtrumas,parotidas: Adipis bubuli libras tres, terebinthinæ quincuncem,mannæ ſeptuncem , terræ Sardæ appellatæ,qua pictores vtuntur,quincuncem , liquatis ad ſicca adiectis ac cõmiſſis vtere. ALIVD Archigenis, Ce-

E ræ trientem,olei omphacini ſexuncem,mannæ , aut thuris,diphrygis:ſquamæ æris , ſingulorum drach. quatuor, arida cum aceto trita, & ad mellis ſpiſſitudinem adacta, ad ceratum admiſceto,& diluto, linamento excepto vtitor. ALIVD. Ad mulierum maligna vlcera,& aliorũ qui tenerum corpus habẽt:Ceræ Tyrrhenicæ drach.octo, adipis taurini,terebinthinæ , plumbi vſti ac loti,ſingulorum drachmam vnam:vtere per linamenta cum roſaceo aut myrteo diluto.

AD CICATRICES NIGRAS,

F Cap. XLVII.

CIcatrices nigras tollit oleum impoſitum, in quo bryoniæ albæ ac nigræ radix ſit incocta , donec fuerit exſuccata,calamintha in vino cocta,ſpuma argenti lota , cũ roſaceo albo. Verùm ex impetiginibus cicatrices , itémque alias,cõcolores facit adeps aſinin⁹ illitus,erucæ ſemẽ tritum,& cum felle caprino, bubulo ac ouillo illitum,addita argenti ſpuma , talus ouillus vſtus tritus cum vino auſtero, ammoniacum thymiama cum felle ſuillo illitũ. Compoſita verò, ſpumæ argenti,mentæ, thuris, æquales

G partes cum melle. ALIVD. Nitri,ammoniaci thymiamatis,ſulphuris viui,myrrhæ,æquas portiones cum aceto albo, aut vino, aut aqua tritas illinito modicè, vt ne fiat exulceratio. ALIVD. Cimoliæ,ſtercoris columbini, ſaponis,thuris,æquales partes cum aceto.

Smegma ad cicatrices nigras.

Cimoliæ drach.octo,aphronitri drach. quinque,veratri albi drach.quinq;,recremẽti à myrobalano expreſſa re liqui drach. quatuor,in balneo affricato.

DE SINIBVS, Cap. XLVIII.

H QVVM adiacens vlceribus cutis diutius inglutinata fuerit ad ſubiecta corpuſcula, affectionem hanc Sinum appellant. Si quidem igitur ad ſupernam regionem extentus fuerit ſinus , facilè per oſculum ſanies effluit , & glutinatio facilis exiſtit; ſi verò ex inferna ſurſum ſpecta-

rit,ſanies intus manens aliquid ex cohærentibus erodit, & ſi nõ prius ad effluxionem feceris aliquam ſectionem, nihil efficies,neque incarnando, neque glutinando. At ſi circa artus fuerit ſinus,cubitum videlicet aut femur, poterit etiam ſine ſectione ex aduerſa parte glutinari, ſi decliuem figuram artus facias. Etenim ſi in cubito circa cubiti flexuram oſculum fuerit, ſummam manũ in altum extendens,ſinum ad ſubeffluxionem conuertes: ſi verò in femore ad genu,ſinus finem quis habeat,decliuem figurã facies, puluino molli popliti ſubiecto,ita vt inguẽ humiliorem poſitionem quàm genu habeat.Siquidem igitur ſinus incarnatione non opus habeat, ſtatim per fiſtulam aliquam in directum perforatam,& veſicam alligatam habentem,aquã mulſam aquoſam, ita vt bibi poſſit,in ipſum infundes, atque hoc ad abſtergendam ſaniẽ in ſinu hærentem.Verùm ad futuram glutinationẽ,vinũ, aut vinum mulſum,& deinde ad glutinatoriũ medicamẽtum procedẽdũ eſt:ſi verò cauus ſit ſinus, & incarnari expetat,primũ ſiccum ex charta medicamentum cum multo roſaceo immittito, deinde linamento vulſo oſculum obturato,poſtea verò iſidem,aut Machærionis,aut conſimile aliquod emplaſtrum,cum roſaceo cerato liquidiore dilutũ ſimiliter immittes. Vbi verò moderatè ſubincarnatus fuerit ſinus, ex agglutinantibus medicamentis aliquod impones, veluti ſi recens cruentum vulnus cures. Talia autem ſunt barbara,& gemini coloris, & fulua appellata,maximè verò omnium id quod ex oleo cicino,& metallicis ſine cera paratur, fuluum Galeni appellatum, conueniet.Verùm poſt medicamenti impoſitionẽ,ſpongia noua ex vino mulſo aut vino quammaximè molliter circundetur:& deligatio à fundo ſinus initium ſumat, & ad oſculum deſinat.Linteolorũ verò circumdationes adſtringantur quidem circa fundum ſinus citra dolorem, paulatim autem laxentur vſque ad oſculum,ita vt emplaſtrum quod forinſecus ſinum ambit,iuxta oſculum ſit reciſum,quò ſanies excerni poſſit, & aliud quoddam paruum emplaſtrum ipſi oſculo impoſitum ſit laxum,ex eodem medicamento, propter eandem effluxionem. Hoc autem ſines vſque ad ſolutionem: quam vbi tertio quoque die feceris,hoc ipſum auferes & alterabis,eo quòd toti ſinui circundatum eſt relicto. Signum verò dignotionis an ſinus profunditas glutinata ſit,hoc tibi erit,ſi benè effluxerit ſanies, modicáque ac concocta, aut ſi etiam omnino non effluxit: inſupérque ſi iuxta ipſum ſinum neque dolor ſenſilis,neque tumor ſit, ſed locus totus contractus eſt,& ſiccus,& doloris exors.Si verò etiã pus probè coctum modicum in oſculo videris, adhuc magis bonã ſpẽ habebis: ſi verò etiã prima aut ſecunda die aliqua ſanies excernatur tenuis ex ſinu, neque ſic de glutinatione deſperato.Sæpe enim medicamenti vis humiditatem ex ſubiectis partibus vehementer exprimit,qua expreſſa, loci moderatè ſicci redditi glutinantur. Tertia verò aut quarta die ab initio, ſi crudus ſaniei humor per os appareat,ſinũ non glutinatũ eſſe cognoſce,& in eodem medicamento perſeueres ſi verò(velut veriſſimile eſt) propter humiditatem aliquã diſcedat,non abſurdũ videtur etiã aliquid ex ipſo medicamento alterare.

De ſinibus attritis.

Quum tardè ſecto abſceſſu,aut propter medici imperitiam,aut propter affecti timiditatem,cutis ſinui incũbẽs, tenuis & attrita fuerit,& fieri non poteſt vt ipſa adimatur, poſt relatas infuſas elotiones, glutinatorio vtẽdũ eſt medicamento,compage quidẽ liquido,facultate verò ſicco. Tale autem eſt ex chalcitide cõſtans Phœnicinũ appellatum,oleo antiquo dilutum,vt neque durum valde ſit, neque manus inquinare deſierit, & poſtea cum vino veteri ſubactum, & circumcirca impoſitum cũ cõueniẽti deligatione.Conuenit etiam ita attritæ(velut dictum eſt)cuti, vel præcipuè mel ad emplaſtri compagẽ coctũ,ac impoſitũ.Melius autem eſt poſt impoſitionẽ ipſius linteo excepti, inſpergere ſuper ipſum per cribrum eleuatum myrrham in puluerem redactam,aut aloẽ,aut thus,aut omnia ſimul.Expertus etiam ſum centaurium tenue admirandũ ad eundẽ vſum medicamentũ:ab hoc proximum eſt ſymphytum, & poſtea iridis Illyricæ radix,poſt quam etiam erui farina. Aliquando verò etiam circa cocturam hæ mel li inſpergimus,vbi olla ab igne eſt tollenda. Præſta tamen poſtquam ablata eſt inſpergere,& deinde cõmouere donec mel tepidum fiat,atque ſic ipſum ſinui imponere,& velut dictum eſt deligare.

DE FISTVLA, Cap. XLIX.

FIſtula ſinus eſt calloſus factus, ex abſceſſibus plerũque conflatus, ex trãſlatione ab arũdinum fiſtulis appellatus. Siquidem igitur ad os deſierit, fieri non poteſt vt curetur abſque chirurgia, niſi temporis progreſſu ſquamæ aut os ſua ſponte diſcedat:ſi verò ad os non deſinat, per medicamenta quæ callos excindunt ac glutinant ſanabitur.Callos excindunt hæc:Sphõdylii radix deraſa & indita, fiſtularum callos aufert: veratrum nigrum inditum in duobus aut tribus diebus callum tollit: amurca cocta & infuſa: ſori crudum aut vſtum cum modico vino diluto infuſum:ſori & crocomagma cum aqua mulſa,aut elaterium terebinthina exceptum, in collyria efformato ac indito,aut ſilphii radicis ſuccum infundito. Conſumit etiã hoc: AEruginis drach.duodecim, ammoniaci drach. duas,aceto excipe & collyria oblonga efforma: Collyriũ quo ad callos excindendos vtor:Ammoniaci thymiamatis,atramenti ſutorii,æruginis,miſyos,chalcitidis,gummi æquales ſingulorum partes excipe aceto. ALIVD ex Heliodori chirurgia:Cadmiæ,miſyos, atramenti ſutorii, æris vſti,gummi,ſingulorum drach. quatuor:chalcitidis crudæ drach. tres,excipe pueri impuberis vrina, & collyria efforma.Vbi verò collyrium fiſtulæ indidiſti,forinſecus panis micas aqua imbutas imponito, alterando illas donec inflammatio ſedetur,& cruſta excidat. ALIVD quod in Alexandria accepi:Anchuſæ radicum,miſyos toſti,chalcitidis,æruginis,aluminis ſciſſi, atramenti ſutorii, aloes,ſingulorum vnciam vnam:cantharidas quinque, aceto trita in collyria efforma. ALIVD. Atramenti ſutorii drach.duas,chalcitidis,æruginis, ſingulorũ drach. vnam,excipe gummi ac vtere in collyria efformatis.Poſt quã verò call⁹ exciſus fuerit, ærugine cocta cũ melle puriſſimo octuplo repurga: ſed & incarnantibus poſt callũ exciſum vti oportet. COLLYRIVM incarnans: Aloes,myrrhæ,ammoniaci, cineris putaminum ouorũ vſtorum,ſingulorum æquales partes aqua tritas in collyria efformato,ac indito. ALIVD. Myrrhæ,aloes,thuris, malicorii,ſingulorum æquales partes excipe aqua: quidã felle taurino excipiunt. Incarnat etiam vuæ acerbæ ſuccus. Noui etiam quẽdam qui cedriam fiſtulis infudit,atque hoc admirando ſucceſſu. Poſt incarnationem glutinatorio vtendum eſt medicamento iuxta eum modũ qui de aliis ſinibus relatus eſt.Siverò anguſta ſit,ſimúlque longa fiſtula, inquit Galenus, & nondum videatur mihi intus in ſe callum habere, ſed ſordem ſolùm,prius lixiuiũ immiſi, atque hoc tandiu in fiſtula manere ſinens donec ſordes perfectè elapſas eſſe ſperaui,poſtea medicamentũ impoſui:erat autem id quod ex ricinino oleo cõſtans ſuperius retuli.

DE VLCERIBVS QVAE REFRINguntur, Cap. L.

QVædam vlcera vbi cicatricem receperunt, ſæpe poſt non ita multum tempus rurſus inflammantur & refringuntur.Affecto enim oſſe aliquo, aliquando caro incumbens facilè cicatricem recipit, & perfectè ſana eſſe videtur.Verùm ſanioſo humore paulatim ex oſſe in profundo corruptionem perferente, ad illam rurſus influente,inflammatio & pus accedunt quæ cicatricem refricãt. Quæ igitur eſt talium vlcerum curatio? reſiccatio tãta vt os affectum diſcedat.Facilè igitur inſidentia oſſa emergent ſi papaueris ſylueſtris & fici folia cum polentæ polline ac vino trita,pro cataplaſmate impones,aut hyoſcyami ſemen,& atramentum ſutorium paribus portionibus trita adhibebis: peucedani quoque radix ſquamas oſſiũ breui diſparat.

DE VLCERIBVS IN ARTICVLIS, Cap. LI.

ARticuli ſicciores ſunt quàm carnoſæ partes: quapropter vlcerati ſiccioribus opus habent medicamentis. Probè igitur Polyidæ paſtillus facit cum vino tritus ad

ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem, itémque alia ſimiliter vt hic reficcantia medicamenta: ſed & aqua marina & muria ſæpe ipſos perfuſos, melius affici vidimus. vtendum itaque eſt ad articulos iis quæ magis ſiccant.

QVAE SPICVLA, ACVLEOS, ET SPInas extrahunt, & conſimilia,

Cap. LII.

ACuleos & arundines, inſupérque ſpicula ac ſpinas extrahunt anagallides ambæ, ariſtolochia rotūda, ammoniacum cum melle, hyoſcyami ſemen tritum inſperſum: arundinis radicem contuſam, & admixto melle linteo infarctam, larga copia imponito: breui educit.

DE SANGVINIS TVM EX VENA tum ex arteria eruptione,

Cap. LIII.

IN partibus ex quibus ſanguis erumpit, contraria ſinibus figura cōducit, hæc autē eſt ea quæ ſurſum ſpectat: ſed neque hæc immodica exiſtat. Periculum eſt enim ne dolor oboriatur, & vas rurſus ſanguinem fundat. Nihil enim magis ſanguinis eruptiones mouet, & inflāmationes auget quàm dolor. Verùm in partibus ſanguinem fundentibus, ſtatim digitum ad oſculum vlceris circa vaſculum obde, ita vt leniter innitaris, citráque dolorē premas. Nam & ſanguinem ſimul cohibebis, & grumum in vulnere congelabis. Quin & an multum in profundo ſitū ſit vas vnde ſanguis erumpit, diligentius conſiderare oportet, & poſitionem ipſius ac magnitudinem, & an vena ſit aut arteria: poſtea verò ſiquidē paruum eſt vas, aliquo ſanguinem ſiſtente vtendum eſt. Optima ex his ſunt obſtruendi vi prædita, quæ componuntur ex reſina fricta, & farinæ triticeæ polline, & gypſo, & aliis eiuſmodi, cum oui candido ſubactis, & cum pilis leporinis impoſitis: ſi verò magnum vas eſt, hamo ipſum diſtēdere conare, & moderatè obtorque. Suppreſſo autem ſanguine, ſi quidem vena fuerit citra laqueum, iiſdem medicamentis ſanguinem ſiſtere conare: ſi verò arteria, ex duobus altero adhibito, aut laqueo cicundato, aut toto vaſe diſſecto, ſanguinem continebis. Laqueum verò aliquando etiam magnis venis circundare cogimur, quemadmodum etiam ipſas diſſecare aliquando totas, per tranſuerſum videlicet. Verùm ad hanc neceſſitatem deuenimus circa venas, quæ erectæ ex magna profunditate, ſurſum feruntur, & maximè per anguſtiā aliquam, aut principales partes. ſic enim vtraque pars vtrinque reuellitur, & vulnus ab incumbentibus corporibus occultatur ac tegitur. Tutius autem eſt vtrūque facere, & laqueum radici vaſis circundare, & inde iam ſecare. His autem factis, quamcitiſſimè incarnare vulnus, priuſquam decidat laqueus de vaſe. Si enim non citò incarnetur, ſed locus alicubi vacuus comperiatur, *ἀνδύρυσμα, id eſt uaſis dilatio*, vocatum contingit. Cognoſces autem an vena ſit aut arteria quæ ſanguinem fundit, ex eo quòd arteriæ ſanguis flauior eſt ac tenuior, & pulſatorio modo euacuatur: venæ verò ſanguis nigrior eſt & craſſior, & ſine pulſu prodit. Optimum igitur ex omnibus incarnantibus medicamentis, quæ ſanè nos nouimus, hoc eſt, quo etiam ad cerebri membranarum ſanguinis eruptiones tutiſſimè vti poſſumus, & ad colli vulnera vſque ad iugulares venas inflicta: nam & harum ſanguinem cohibet citra laqueū. Recipit autem hæc, Thuris pinguiſſimi partem vnā, aloes in mollioribus corporibus partem dimidiam, in durioribus tantundem, & pro thure, mannæ tantundem. Excipe oui candido ita ſubacta vt mellis ſpiſſitudinem habeāt, & deinde cum pilis leporinis quammolliſſimis, vaſi ac toti vlceri plurimum impone, & extrinſecus linteo deliga, ita vt primas quatuor aut quinque lintei obuolutiones ſuper ipſum vas vnde ſanguis profluit, facias, & hinc ad radicē ipſius procedas. Deinde ſolutione per tertium diem facta, ſi medicamentū tutò adhuc adhæreat, aliud rurſus circūdabis, & velut inſuper humectans rurſus deligabis. Si verò ſua ſpōte reſpuatur linamentum, radice vaſis per digitum leniter cōpreſſa, quò nihil influat, hoc quidem placidè tolles, alterū verò appones, atque ſic curabis donec vas fuerit incarnatum, ita vt figura ſurſum ſpectans ſemper citra moleſtiam ſeruetur. At verò quæ cruſtas inducunt, nudiorem partem efficiūt quàm pro natura habebat, cruſtà dilapſa, & pleriſque ſanguinis eruptio quæ ſiſti non potuit, ad cruſtarum dilapſionem conſequuta eſt. Vtendum tamen etiam iis vbi neceſſitas magna cogit. Maxima autem neceſſitas eſt vti cruſtificis medicamentis, aut cauteriis ignitis, quum ex putredinoſa eroſione ſanguinis eruptio contingit: & ſanè in talibus affectionibus, vbi quicquid putredinoſum eſt reſecuerimus, tutius eſt aut vrere ipſam veluti radicē, aut cruſtificis medicamentis vti. Hoc autem maximè in pudendis ac ſede fieri ſolet. Scopus autem in cruſtam inducentibus ſit caliditas cum adſtrictione, velut in miſy, chalcitide, atramēto ſutorio. Quæ verò ex calce viua fiūt, vehementiora quidem ſunt, ſed quia calx nō adſtringit, cruſtæ ex ipſis inductæ, citius decidunt. melius autem eſt ipſas manere. Cōtingit enim vt caro ad fundū ipſarū ſuccreſcat, & velut operculū vaſis fiat. Cæterùm in iis vnde ſic ſāguis erumpit, iſatis ſatiua inſperſa probè ſupprimit, aut gallæ vſtæ. Oportet autē ipſas igne cādefactas, aceto aut vino extinguere. In ſūma ſanguinis eruptionē ſiſtūt, ſimplicia quidē, aloe, thus, māna, Samia terra aſter dicta, ferrugo, lanarum vſtarum cinis tenuiſſimè tritus, ſtercus aſininum ac equinum, bitumē modicum, malicorium, diphryges, galla, myrtus ſicca, alumen omne, crudum & vſtum, reſina torrefacta, vitis cortex, aut folia ſicca, pilularum platani lanugo, maximè vbi cruſtam abiecerint: priuatim verò ſanguinis narium eruptionem ſiſtit, iunci acuti ſemen, vrticæ foliorum ſuccus, chalcitis, anthyllis vſta, pili leporis, ferculæ medium vſtum cum aceto, ſtercus aſininum ſiccum aut humidum, porri ſuccus cum thure ellychnio exceptus. Compoſita verò medicamēta omnis ſanguinis eruptionis ſunt & hæc: Spongiam nouam liquida pice imbutam, & bitumine oblitam, in noua olla exurito, & ad cineris partes duas, plumbi partem vnam & ſtibii partem vnam admiſceto. ALIVD. Mannæ thuris, ſulphuris viui, æquales ſingulorum partes inſpergito. ALIVD. Chalcitidis drach. octo, thuris aut mannæ eius drach. ſedecim, reſinæ frictæ drach. octo, gypſi vſti drach. octo. ALIVD cruſtam inducens, & ſanguinem ſiſtens. Chalcitidis, æris vſti, atramenti ſutorii, miſyos toſti, ſingulorum æquales partes. Sed & rhodium appellatum medicamentum, & flauum dictum, ex eorum numero ſunt quæ probè ſanguinem ſiſtunt.

DE NERVIS SAVCIATIS,

Cap. LIIII.

NErui ſauciati aut puncti inflammationem ac dolorē excellentem habent, propter ſenſus ſubtilitatē. Quare etiam febres & conuulſiones his accedunt: quibuſdam etiam delirium, propter neruorum cum cerebro cohærētiam. Quandoque verò etiam circa alios locos ſauciatæ parti vicinos, inflammationes ac abſceſſus fieri ſolent, ex ipſo neruo ſauciato, propter ipſius continuitatem. Oportet igitur cutis vulnus inglutinatū ſeruare, quo per ipſum ſanies effluant. At in pūctionibus ſi cæcæ videantur, etiam duabus diſſectionibus ſe mutuò ſecantibus inſuper concidere oportet. Verùm in adhibendis auxiliis, ſi humoribus omnibus ex æquo redundarit corpus, & inflammatio magna ſit, primùm à venæ ſectione incipiendum eſt. Si verò vitiati fuerint in corpore humores, etiam purgatione vtendum eſt. Ad ipſum autem vulnus medicamenta adhibeātur dolorem mitigantia, & effluxionem aperientia, præſertim ſi non inſuper conciſio facta ſit. Proinde aqua calida quæ aliis inflammationibus conuenientiſſima eſt, his inimica exiſtit, & præſtat oleo tenui perfūdere, quòd nullam adſtringendi vim habeat, & ad ſenſum calidum ſit. neque enim frigidum neque tepidum valde ſine noxa adhibetur. Ex medicamentis autem commoda eſt reſina terebinthina, per ſe in pueris, mulieribus, & tenera carne præditis: cum euphorbio autem emollita, in iis qui duram carnem habent, &, ſi quandoque durior ſit, reſina, cū aliquo oleo tenuiore. Cataplaſmatis verò in inflammatis ac putreſcentibus neruis vti quis poterit, farina hordeacea, aut fabacea, aut erui, in lixiuio cum aceto mulſo cocta. Verùm citra cocturam, ad punctiones etiā cerato huiuſmodi quis vtatur: Ceræ quadrantem, euphorbii vnciā vnam, aut ſtercoris columbini, in durioribus

corporibus, olei ſextantem : quandoque etiam terebin
thinæ vnciam vnam. Quòd ſi emplaſtro ſimile medica-
mentum facere voles,ad euphorbii vnciam vnam, ceræ,
& reſinæ fricæ,& olei,& picis pinguis,ſingulorum ſexun
cem adiicies:ſi verò pro reſina, propolim pinguiſſimam
addes,melius efficies.Quin & hoc ad punctos neruos cũ-
modum eſt medicamentum ; idem etiam ad rabioſi ca-
nis morſum facit:Aceti ſextar.vnũ , picis pinguis librã v-
nam,opopanacis quadrantem.Opopanaca aceto dilutum
amplius conterito,& admixta pice coquito.Hoc medica
mẽtum punctis neruis commodum eſt,non permittens
puncturæ oſculum conniuere, quemadmodum neque in
iis qui à rabido cane morſi ſunt,vlcus ad cicatricem per-
uenire : verùm ad ſola dura corpora facit. Si verò ad pue-
ros punctos aut tenera carne præditos eo vti voles,per a-
liquod diſcuſſoria vi præditum liquare ipſum potes,ama-
racinum videlicet, aut opobalſamum ; aut oleum vetus.
Conuenit etiam regium medicamentum , quod recipit
nitrum,aut calcem viuam,aut euphorbium , aut ſulphur
viuum,aut columbæ ſylueſtris ſtercus,aut opopanaca, aut
ſagapenum, aut ſuccum Cyrenaicum, aut caſtorium. Ad
libram autem medicamenti,vncia vna alicuius ex relatis
medicamentis,iniicienda eſt : probè facit ad neruos ſau-
ciatos,& maximè punctos. Poſſit autem quis ruri degens
in reliquorum inopia,propolim recentem ac pinguẽ vul-
neri indere,aut fermentum maximè vetus ſolum, & pro-
poli admixta,aut cum tithymali ſucco. Cæterùm cata-
plaſmatis ex aceto mulſo,aut lixiuio,cum farina fabarũ,
aut erui,aut cicerum , aut lupinorum amarorum, aut or-
dei,aut polentæ polline,non ſolùm in inflammatis,ſed e-
tiam ab initio ſtatim vtendum eſt. At laxantia catapla-
ſmata,in ſauciatis neruis ſẽper reprobare oportet : ſi verò
non punctus ſit neruus , ſed manifeſta ſectione vulnera-
tus,præpoſita etiam cute diſſecta,vt nudus appareat ner-
uus ,& rectus non tranſuerſus diſſectus,relatis ex euphor-
bio,& ita acribus,nullis vteris.Quum enim nudus ſit ner-
uus,vim illorum vehementem non feret. Calcem igitur
aſſumes ſæpe lotam æſtatis tempore,vberiore oleo ſuba-
ctam:bonum eſt & quod ex pompholyge paratur,& quod
ex melle,roſaceo vberiore eliquatum.Oportet autem nul-
lum ex his vulnus contingere. Subtili enim ſenſu prædi-
tus eſt neruus,& temperamento frigidus , & principaliſ-
ſimæ parti cohærens.Imò neque oleo perfundere tale vl-
cus oportet:ſordes enim inde contrahit.Detergere igitur
ſolùm ſaniẽ ſatis eſt per molles lanas ſpecillo obuolutas.
Quòd ſi ex ſententia omnia procedãt,periculo vacat paſ-
ſo madefacere.In fortioribus autem etiam polyidæ pa-
ſtillo,cum ſapa calida, in linamento vti. Poſtquàm verò
intectus eſt denudatus neruus,linamenta extrinſecus cir-
cundare oportet aliquo ad anguſta vulnera faciente, ve
lut eſt id quod ex euphorbio paratur,aut quod ex ſterco-
re columbino,ita vt etiam de ſanis partibus multum ap-
prehendamus.Si verò per tranſuerſum vulnus factum eſt,
periculum conuulſionis maius eſt, curatio verò etiam hîc
ſimilis,præterquam quòd dum recens adhuc eſt vulnus,
quidam ſuturis vſi ſunt,& aliquo glutinatorio medicamẽ
to. Verùm ſuturas non valde in ſuperficie facere oportet,
vt ne profunditas inglutinata permaneat,& rurſus non ita
profundas,vt iterum ab acu neruus pungatur. Porro in
ſumma id noſſe operepretium eſt, quòd punctiones cu-
rans medicamentum , ſi callidius eſt , nerui diſſectionem
curare non poteſt,vt qui non ſuſtineat ipſorum mordaci-
tatẽ ac ardorẽ.Neque verò id quod diſſectiones curat,pũ-
ctionibus conuenit. nam facultas ipſius ad profunditatẽ
non penetrat,quum cutis diſſectio ſit anguſta. Victus au-
tem aſſumatur tenuior , & ſtratum molle , & olei calidi
perfuſione vtendum eſt ad alas,& caput , ac collum. Si ve
rò vulnus in crure ſit,circa inguina,ac pectinẽ , & eius re-
gionis locos,oleum adhibebimus. A balneo in totum vſ-
que ad inflammationum declinationem abſtinendũ eſt,
quum nullatenus ipſis aquæ cõueniat(velut diximus) cõ-
tactus.Quandoquidem verò quidam propter conſuetudi
nem abſtinere à balneo nõ poſſunt,ſi vulnerata pars ma-
nus ſit,conandum eſt quantum fieri poteſt vt ea non rige-
tur calida aqua,& minus adhuc frigida.Si verò in pede

A ſit vulnus,quia fieri non poteſt vt non humectetur,vbi la
uare volent,ſuper ſauciatam partem emplaſtro aliquo im
poſito meatus obturante,extrinſecus rurſus ſuper ipſum
iniice linteola plura multiplicata oleo madefacta , & rur-
ſus ligamentum ex linteo forinſecus circundabis , & po-
ſtea rurſus in ipſo balneo, oleum ligamento ſuperfundi-
to,vbi neruis ſauciatus ſoliũ inſcendere volet: poſtquam
verò lauit,omnia incumbentia reiicito , & relato totius
curationis ductu vtitor. Quòd ſi contuſio ſola nerui fa-
cta ſit, ſi quidem cum contuſa cute etiam vlceratio fiat,
B cataplaſma ex fabacea farina & aceto mulſo commodum
eſt.Adiicies autem aliquando etiam erui farinam & iri-
dem. Si verò dolor contuſioni adeſt,picem liquidam ad-
miſceto:ſi verò citra cõtuſionem cutis fiat,magis diſcuſ-
ſorio oleo calido aſſiduè perfũdito,anethino videlicet,
aut rutaceo,aut irino,aut amaracino.At ſi totus neruus diſ
ſectus eſt,periculum quidem nullum ſequetur , pars autẽ
mutila fit: curatio verò ſimilis velut ad alia vlcera aſſu-
metur.Atque hæc quidẽ per ſimpliciora auxilia,in neruis
ſauciatis medela,ſufficiens eſt ad totã curationem. Qui-
C dam verò etiam multipliciter compoſitis medicamentis
ad ipſos vti ſolent , qualia ſunt,id quod ex metallicis pa-
ratur,& barbara appellata emplaſtra,& ciſſinum , & quod
ex ſenecione fit,& Melanchlorũ , & Indicum , & Harmo-
nia,& Athena,quorum & compoſitiones , & vtendi mo-
dum,in ſeptimo libro reperies. Quandoquidẽ verò ali-
qui diuites precioſis medicamentis ad ſauciatos neruos
vti expetunt, Galenus ad punctiones quidem neruorum
hæc deſcripſit:Cinamomi vnciam vnã , dictamni vnciã
vnam,mari vnciam vnã,amaraci drach. duas,ceræ beſſẽ,
D opobalſami dextantem , terebinthinæ vnciam vnã. A-
LIVD. Succi Cyrenaici vnciã vnã , ceræ quadrantem,
opobalſami vncias duodecim.Verùm ad denudatos ner-
uos hoc:Ceræ vnguentariæ quadrantem , vnguenti ſpica-
ti,aut foliati,aut nardini vncias duodecim,pompholygis
lotæ vnciam vnam,ſpicæ nardi vnciam vnã , amomi vn-
ciam vnam,folii vnciam vnã:atque hæc ſupra ſpem præ-
ſtantia eſſe Galenus dixit.

DE ARTICVLORVM DISTORtione, Cap. LV.

E ARticulorum diſtortiones,ancylas & ancyloſes appel-
lare ſolent , *hoc eſt articulorum contractiones*,ob impa-
ctos humores , aut neruorũ aliquam diſtentionem obor-
tas:in quibus molliendi ac laxandi facultate prædita re-
quiruntur.In cõmuni igitur ea quæ ad induratas in ſcir-
rhum partes , & adhuc magis ea quæ ad reſolutas relata
ſunt,iis competunt:priuatim verò perfuſio ex aqua & o-
leo ,in quibus cocta ſint lini ſemen , fœnumgræcum , al-
thæa,laurus,cucumeris ſylueſtris radix, & ipſum adeò o-
leũ Sicyoniũ.Poſt perfuſionẽ autem adhibeantur iis pri-
F mùm acopa ſimpliciora, velut eſt id quod ex populo ni-
gra paratur,& quod ex abiete. Bromium item, & Baſilio
inſcriptum,& pyxis appellatum.Poſtea etiam Ariſtopha-
neum,& Azanitæ inſcriptũ:fortiſſima verò ſunt, & quod
Lyſiponium,& quod Variũ appellatur. Ex emplaſtris au-
tem Amythaoni inſcriptum,& Anicetum appellatum. O-
ptimum verò hoc eſt :Bdellii,adipis vitulini,ammoniaci
thymiamatis,iridis Illyricæ, ſingulorum drach. ſedecim,
opopanacis,galbani,canchryos,ſtyracis, thuris,ſingulorũ
drach.octo ; piperis grana centum ſexaginta , ceræ libræ
G dimidium,reſinæ terebinthinæ libræ dimidium,olei iri-
ni,fæcis quod ſatis eſt,vini quod ſufficit : cõtunditur hoc
medicamentum. Eſt & acopõ bonum, irino aut cyprino
aut laurino dilutum.Medium verò inter acopa & empla-
ſtra locum obtinet medicamentum è perna multæ mi-
xturæ. Acoporũ autem vſus per mollem ac perſeuerantẽ
fiat affrictum ,vnà cum hoc vt etiã affecti articuli flexio-
nem ac extenſionem experiaris.

DE LAXATIS ARTICVLIS, Cap. LVI.

H LAxantur articuli ſæpe,& in diuturnis febrilibus mor-
bis,& in colicis,& reſolutis, calidiore maximè ac hu-
midiore intemperie ipſos occupante : atque hinc motus
impeditur . In quibus acaciæ ſuccus aqua dilutus ac affu-
ſus, aut rubi , aut myrti , aut lentiſci , aut vlmi radicum

corticis decoctum conuenit, aut malicorium in catapla-ſmate adhibitum, aut myrti folia cerato myrteo excepta impoſita. Corroboratione enim opus habent nerui colligantes, per adſtringentem ac reſiccantem facultatem. Talia igitur medicaméta articulis imponenda ſunt, velut eſt id quod ex ſalicibus paratur, & oxerum appellatū, & Phœnicinum, quod vinum adſtringens aut acetum inſuper aſſumpſit. Plerique verò præ frigiditate talem impotentiam fieri putantes, atque ita calidioribus auxilis vſi, maiorem noxam induxerunt.

DE LVMBRICIS, Cap. LVII.

Tres ſunt in vniuerſum lumbricorum ſpecies: vna eius qui rotūdus eſt craſſitudine, altera lati, tertia eius quem aſcarida appellant. Omnibus autem origo eſt ex cruda ac craſſa pituitoſa materia, & putrefactioni apta, qualis fere cōgregari ſolet in pueris, & aliis crapuloſis: ſed non ex calida & acri, aut atrabiliaria materia. Hæ enim quum etiam nutrimenti naturam tranſgreſſæ ſint, ad lumbricorum generationem ineptæ exiſtunt: imò vice verſa etiam corrumpendi ipſos vim habent biliofæ maximè ſuperfluitates. Si verò aliquando vnà cum lumbricis excreta fuerit flaua bilis deorſum, aut per vomitꝰ, illos quidem in inteſtinis eſſe ſcito, bilioſum autem humorem aut circa os vētris, aut in alia quadam parte cōſtitiſſe. Vniuſcuiuſque igitur differentiæ ipſorum, & ſpeciem, & ortum, & locum, & dignotionē dicemus, itémque curationem, à rotundo initio accepto.

De lumbricis rotundis.

Lumbrici igitur rotundi ſpeciem omnibus notam habent, eo quòd etiā hi magis quàm alii redundant. Conſiſtūt autē maximè circa tenuia inteſtina, appropinquātes quoque ventri, vt ea de cauſa ſæpe per os efferantur. Quibuſdam etiam per nares excreti ſunt. Abundant autem magis quàm alii in infantibus, & vtplurimū cū febre: verùm circa principia febrium orientes, ex ſubiecta corruptione ſubſtantiam habent: circa vigores autem, ex morbi malignitate: circa declinationes verò, ex mutatione vniuerſorum in melius. Nam Hippocrates ait, Bonum eſt etiam lumbricos rotundos pertranſire, morbo ad iudicationē tēdente: hi verò etiā citius perimuntur. Sequitur in iis qui lumbricos rotundos habent, inteſtinorum ac ventris morſus, & tuſſes paruæ, irritantes, ſiccæ: in quibuſdam etiam ſingultus, & ſomni cum palpitationibus, & ſurrectionibus præter rationem: quidam etiam cum clamore exurgunt, & rurſus in ſomnum delabuntur. Pulſus inæquales ſunt, & febres augeſcunt inordinatè inuadētes, cū extremarum partium perfrictione, & ter, aliquando etiā quater in die aut nocte, citra rationem, ſignificationem acceſſionis præbent. Pueris autem mañducatio, cum exerta fruſtra lingua, & dentium ſtridor contingit, & oculos claudunt, & tacere cupiunt, & excitantibus indignantur, & oculi ſubcruenti apparent, & malæ rubicundæ fiunt, & rurſus liueſcunt. Verùm hæc ad modicum tempus, & ex interuallis fiunt. Quibuſdam verò ad ſtomachum accurrētes nauſearum ac morſuū cauſæ fiunt, & ægroti cibum non appetunt, ad ſumendum verò cibum coacti, nauſeātes vix deglutiunt, aut etiam ingeſtum reuomunt. Multis etiam venter defertur cum comeſtorum corruptione, & inſtar tympani inflatur. Reliquum verò corpus præter rationem eliquatur, quum neque fames, neque euacuatio immodica facta ſit: non tamen in omnibus omnia relata ſigna quærere oportet, ſed quædam iuxta id quod exuperat, aliquando etiam plurima. Hæc autem contingunt dum animalia circa inteſtina obuoluuntur ac mordent, & dum febrilis caliditas vapores prauos ad cerebrum afſert, ex collecta in ventre putredinoſa humiditate: in quibus alicubi ambobus ſimiliter proſpicere oportet, febri, & lumbricis: alicubi modica febris ratione habita, lumbricos ſtrenuè è corpore expellere oportet. Multi enim neglecti ab ipſis corroſi ſunt, & conuulſi perierunt: alii ſe vidiſſe affirmant ipſos per inguina ægri egreſſos. Expelles autem ipſos prius occiſos: occides autē per amarorū maximè auxiliorum vſum. Quum igitur communis eſt febris & lumbricorum curatio, auxilia ſimpliciora conuenient.

A Præbibendum itaque ipſis dandum eſt chamæmeli & myxariorum decoctum, aut etiam ipſa myxaria cocta edenda danda: dandus etiam ſeridis ſuccus, aut coriandri ſemen cum aqua calida tritum, aut cum poſca, aut auriculæ muris herbæ decoctum, aut cornu ceruini ramētū, aut rubrica ſinopica leuiſſimè trita, aut olei crudi amari cochlearia duo paulatim abſorbeāt. Nam amaritudine ſua lūbricos occidit: lubricitate verò ipſos detrahens, vnà cum ſtercore egerit. Quòd ſi inflammatio ac diſtentio viſcerum ſit, cataplaſmate vtendum eſt ex ſemi

B ne lini, & farina lupini, & abſinthio, ac bryoniæ radice, cum aceto mulſo, aut etiam perfuſione ex oleo chamæmelino, vino, abſinthii ſemine, & aloe, circa præcordia adhibita. Si verò febres non vehementer vexent, mentha ad myxaria admiſceatur, ac exhibeatur: at vbi febris deſiit, aut non eſt, etiam efficaciora, velut eſt decoctum ſeriphi, aut calaminthæ, aut filicis, aut cardamomi ſemen, aut radicis mali Punicæ acidæ decoctum ad tertias redactū, aut cumini toſti, & nitri fului, ſingulorum ſcrupuli tres,

C aut ſantonicum, aut abrotonum, aut ambo ſimul cū melle in catapotia redacta, aut lupinorum amarorū ſcrupuli tres, aut braſſicæ aut erucæ ſemen tritum, aut abſinthiū, quod etiam ſolum ſæpe ſatis fuit. Dandi etiam aloes locæ ſcrupuli tres, atque hoc inter laudatiſſima habetur: fortioribus etiam illota datur. Quandoquidem verò puerā aloen non admittunt, ſupinis ipſis detentis, & ore per cochlearium diſparato, per clyſterem aliquem fiſtulam validam alligatam habentem, inuitis ipſis aloen quampeni-

D tiſſimè tranſmiſſam iniicimus. Atque hæc miranda methodus eſt in pueris ægrè admittentibus: in quibus etiam alimenta ſorbilia ſæpe hoc modo immiſimus, vbi alioqui illa non appetātes auerſantur: ſed & Cyphi, & Maſuaphiū rectè dari poſſunt, & cornu ceruinum vſtum cum pipere, ex melle aut aceto mulſo: ſed & reliqua vt ex aceto mulſo ipſis dentur conandum eſt. Præſtat autem ſi ſcilliticum fuerit acetum, & maximè in perfectioribus, aut ſinapi cum oleo & aceto. Qui verò cum alui fluxione à lumbricis infeſtantur, eis plantaginis ſuccus præbibendus dandus eſt, aut ipſa plantago ſicca. Ex æquo enim ad vtrūque efficax eſt, tum fluxionem, tū lumbricos: cataplaſma

E verò iis imponatur ex cruda hordeacea farina, filice, abſinthio, farina lupini, ſantonico, & abrotono: quin & malicorium, & acaciam, & gallam, aut balauſtium admiſcere cōuenit. Quandoquidem verò quidam amaras potiones auerſantur, ex iam relatis danda ſunt quæ non palam amara exiſtunt. Danda præterea etiam chamæpitys, marrubiū Helenium, baccæ lauri, caſia, thymus, pulegium, carpeſia, cyperus, polypodium, iris, Cnicus, erythrodanum, ſpina Ægyptia cum pipere pari, ſex ſcrupulorum pondere, in decocto menthæ, aut mori radicis ſucco, aut decocto pe-

F troſelini, ac reliquorum odoratorum ſeminum. Forinſecus autem vtendum eſt aloē cū melino oleo & vino. Hoc etiam appetentiam excitat, cuius magna cura habēda eſt. Sæpe verò admiſcendum eſt ad aloen abſinthium, aut fel le taurino implendus vmbilicus, cum aliquo ex relatis amaris, aut oleum ex rododaphne frequenter illinendum, aut cedria tum ſola imponenda, tum addito cerato ſuper totum ventrem, aut pix arida trita inſpergenda, aut mentha, aut nigella cum roſaceo illinenda, aut etiam ſeriphi decoctum iis admiſcendum, aut mali Perſicæ folia con-

G trita imponimus. Vtendum etiam ceruina medulla vnguenti modo, in vmbilico, pectine, ac lumbis: ſed & ceratum hoc adhibebimus ſi opus fuerit: Aloes, abſinthii, farinæ lupini, ſeriphi, melantii, ſingulorum ſcrup. ſex, ceræ vnciam vnā ſemis, olei chamæmelini quod ſatis eſt: arida cum bubulo felle terito. Sæpe verò ipſis per ſedem infundenda eſt aqua mulſa, quò ad dulcedinem mellis, lumbrici deorſum prolectentur. Si autem putrefacti in profundo, non excernantur, ſed magis euaporationes efficiant, ſubeducere ipſos oportet, aut aloes, aut amari ex i-

H pſa medicamenti potione, quandoquidem etiam aliàs non inutilis eſt ipſis moderata per inferna euacuatio.

De lumbrico lato.

Lumbricus latus tranſmutatio (vt ita dicam) eſt membranæ intrinſecus inteſtinis agnatæ, in corpus quoddam

animatum,atque hic excernitur ſæpe totus,ita vt incredibilẽ magnitudinẽ aſpiciẽtibus exhibeat,aut etiã per partes ſecedit,ita tamẽ vt exolutus nõ amplius generetur. Abũdat autẽ quãdoque etiã in nõ febriẽtibus : ſed & in febriẽtibus naſcitur in morbis longis, mordacitatẽ ſtomachi aſſiduã inducens,& appetentiã ciborum incontinentem. Nam id quod animatum factũ eſt,in inteſtinis adiacens,alimentum abripit, vt alio ſtatim opus ſit, & ſi id non contingat,mordentur inteſtina.Conſequitur in ipſis gracilitas corporis, & impotentia cum inæqualitate:verùm ſignum minimè omnium mendax eſt quòd vnà cũ excrementis quædam cucurbitæ ſemini ſimilia excernuntur. Cæterùm curatio ſuperiori conſona eſt.Conueniunt enim præpotationes ex acribus, & allii eſus ,& filicis aut centaurii decoctum potum , & per clyſterem infuſum,itémque calaminthæ,aut dictamni,aut pulegii decoctum. Infundatur etiam ipſis muria . Præbibant etiam hoc, quod neque iis qui ab aliis lumbricis infeſtantur inutile eſt , præſertim ſi febre careant: Nitri rubri, piperis, cardamomi, ſingulorum æquales partes. Dantur ex hoc ſcrupuli tres cum vino aut aqua calida. ALIVD ecclegma: Piperis , baccarum lauri purarũ, cumini Æthiopici,maſtiches , ſingulorum pares portiones, mellis quod ſatis eſt. Datur cochlearii menſura, mane & ad noctem dormituro:ſi verò efficacius ipſum facere voles,etiam nitri rubri tantundem addito. ALIVD. Helenii,ammoniaci thymiamatis , piperis (in alio exẽplari,filicis)ſingulorum drach.quinque,cum aceto mulſo calido : & interpoſito tempore , euphorbii drach.vnam aut duas perfectæ ætatis hominibus bibendas præbe. ALIVD. Filicis acetabulum,nitri drach.duas dato in aquæ hemina præeuacuata. Melius autem efficitur ſi parum ſcammoniæ additum fuerit. ALIVD. Corticis radicum mali Punicæ ſumma parte decorticati drach.quatuor,piperis drach. quatuor, cardamomi drach. ſex , marrubii drach.duæ.Ex melle præbeto à prægreſſo allii eſu: verùm ad perfectam affectionis depulſionem etiam theriacen exhibebis,vehementi febre non prohibente.

DE ASCARIDIBVS, Cap. LVIII.

QVIN & aſcarides (veluti iã antea diximus) ſpecies lũbricorũ ſunt, vermib[9] ſimiles,circa inteſtini recti extremas partes,& muſculi adſtrictorii partes primas cõſiſtentes,& horum locorum pruritum vehementem inducentes.Generant hanc ſpeciem vitioſa alimenta, frigiditas,& ciborum corruptio. Euacuare itaque ipſas oportet, in infantibus per glandulas ſubditas ex melle, modico ſale aut nitro:in perfectiorib[9],muria acri,aut cẽtaurii decocto cũ nitro & melle,aut decocto colocynthidis, aut abſinthii , aut chamæleonis,aut anchuſæ,aut Cnici,aut hyſſopi,aut pulegii,aut calaminthæ,aut lupinorum. Poſt infuſa per clyſteres, rectum inteſtinum ſublinatur ex ſimplicibus,acacia,aut hypocyſtide cum nitro,aut rhoe Syriaco cum alumine liquido : in his qui adſtricti ſunt , Lemnia terra ſphragide appellata, cum vino,ex compoſitis paſtillo Andronis, & ſimilibus. Sed & cedria ipſis infundatur per clyſterem multipliciter perforatum,quales ſunt vterifuſorii appellati : aut carne ſalſa quæ ad hoc apta ſit, indita,deligatione vtimur , quandiu id ſuſtinere poſſint, ita vt ea frequenter alteretur. In communi verò omnes à vermibus infeſtatos iuuant pili ichneumonis ſuffiti. alimenta ipſis ſint boni ſucci , & quæ facilè diſtribui poſſunt,& neque efficientem lumbricorum cauſam augent, neque vires imminui permittunt , quarum gratia etiam vinum dabimns aquoſum: & tum ea de cauſa frequẽtius ipſos nutriemus , tum vt ne alimento carentes lumbrici, morſus inducant: tempus autem alimenti dandi tum maximè eſt quum aliquanto adhuc lũbrici ſunt habitiores. Si verò etiam fluxio ventris affuerit,noſſe oportet magis augeri lumbricos, eo quòd alimenta non diſtribuuntur, & ſorbiles cibos ipſis exhibere oportet , aliquibus etiam adſtringentibus admixtis,velut ſunt pyra, mala,mala Punica,præſertim acida. Forinſecus autem ad ventrẽ vtendum eſt auxiliis adſtringentibus,velut ſuprà dictum eſt.

DE DRACVNCVLIS, Cap. LIX.

IN India & regionibus ſupra Ægyptum dracunculi generantur, velut lumbricis ſimilia animalcula quædã, in muſculoſis partibus,brachiis videlicet, femoribus, tibiis:in pueris verò etiam in lateribus ſub cute conſiſtunt, & manifeſtè mouentur . Deinde temporis progreſſu diuturniore, iuxta dracunculi aliquam extremitatem , locus ſuppuratur , & aperta cute, principium dracunculi foras procedit. Verùm dum attrahitur,dolores inducit, & præſertim vbi abruptus fuerit . Quapropter aliqui plumbeã molem ex dracunculo ſuſpendendam eſſe dicunt, vt ne aceruatim,ſed particulatim ex plũbi mole delapſio ipſius fiat. Alii hos damnantes,eo quòd nihilo minus ex põdere plumbi dracunculus abrumpatur,& vehementes dolores inducat, iubent partem demittere in aquam calidam, quò dracunculus ex caloris fomento foras procedat , atque ita digitis ipſum particulatim extrahere . Cæterùm Soranus neque omnino animal , ſed nerui alicuius concretionem,dracunculũ eſſe putat, qui opinionem ſolùm inducat quòd moueatur.Siue autem hoc ſit,ſiue prius illud, & Sorano & Leonidæ,& aliis viſum eſt, affuſione calidæ & cataplaſmatis cõcoctoriis in his vtẽdum eſſe,quæ ex aqua mulſa , & farina triticea , aut ordeacea parentur. Sed & emplaſtri eiuſdẽ facultatis vſum quandoque probant. Commodum autem fuerit & id quod ex baccis lauri & quod ex melle conſtat. Nam ex horum vſu dracunculus, ſiue corpuſculum illud contentum,mortificatur,& excidit: ſuppuratione verò contingente ſi non exciderit, diſſecetur cutis,& denudatum id quod continetur,auferatur,& linamenta indantur, & deinceps ſuppuratoria curatio adhibeatur.

Liber V,

Iano Cornario Medico Physico interprete.

QVAE PRAESERVENT IN COMMVNI AB omnibus venenũ eiaculantibus, Cap. I.

DE venenum eiaculantibus animantibus
dicturi, ab his quæ in communi omni-
bus talibus commodant, initium ſume-
mus, ea quæ præſeruant prius tractaturi.
Si igitur quis in locis eiuſmodi feris re-
fertis, ex aliqua neceſſitate dormire co-
gatur, in quibus maximè ſalamandræ, aut phalangia, aut
reptilia quædam abundant, horum quidem ſubterraneas
latebras, allio cum aqua trito, aut aliqua ex referendis her
bis, obturare conuenit: ſuffire verò cornua ceruina, vngu
las caprinas, aut pilos, gagaten lapidẽ, bitumen, bdelliũ,
galbanũ, cupreſſi aut cedri ramenta, melanthium, peuce-
danum, viticis folia, calaminthã, ſagapenum, caſtorium,
canchryos radicẽ, conyzã, aut aliquid ex reliquis graueo-
lẽtibus. Culices verò priuatim fugant ſuffitu, atramẽti ſu-
torii, melanthii ſylueſtris ſeminis, cumini, ſingulorum æ-
quales partes cum ſtercore bubulo. Adhæc etiam ignem
frequentius accendere conuenit: nam feræ ſplendorem
plerunque fugiunt. Stratum ſubſternendũ eſt ex aſphode-
lis, calamintha, vitice, pulegio, polio, conyza, abrotono.
Si verò fieri non poſſit vt toto quis ſtrato huiuſmodi vta-
tur, ſtrato ſaltẽ hæc circũcirca indãtur. Animaduerſionẽ
etiam habere oportet in his quæ coquuntur, & in aquis, &
vaſis vinariis, & diligenter obturando: nec verò focos
ſub quibuſdã arboribus facere oportet, præſertim picea
& pinu. In his enim ſalamandræ & erucæ lethales abun-
dant, quæ præ ignis calore caleſcentes, obſoniis incidunt,
aut etiam aliis vaſis, ſi non fuerint contecta. Qui verò ſe-
curiores eſſe expetunt, hi cerato liquidiore illinantur, ex
cera, roſaceo, galbano modico, & cornu ceruini ramento
modico, aut etiam cumino Æthiopico. Priuatim verò vt
nequis ab apibus & veſpis feriatur, prohibent maluæ fo
lia cum oleo trita illita.

CVRATIO COMMVNIS OMNIVM AB aliquo venenum eiaculante ictorum aut morſorum, Cap. II.

SI contingat vt aliquis ictus ſit aut commorſus ab ali-
quo venenum eiaculante, ſtatim exuctione vtendum
eſt. Oportet autem eum qui exucturus eſt non eſſe ieiu-
num, ſed vino os colluiſſe, & oleum in ipſo continere: de
inde ſi pars admittit, cucurbitulam commorſis affigere,
cum multa flamma ſcarificatione facta, itémque vicinis
locis. reuellitur enim vnà cum ſanguinis & flatus attra-
ctione etiam ipſum venenum. Adurere quoque oportet
& cruſtis obducere vlcerata: ſed & extremarũ partiũ præ-
ſectiones adhibere commodum fuerit ſi animal quod
momordit lethale fuerit, velut eſt aſpis, ceraſtes, vipera, &
ſimilia: quẽadmodũ ſanè narrat Galenus, vinitorẽ quen-
dam à vipera commorſum, quum feram illam cognouiſ-
ſet, ſtatim digitum commorſum falce ſibi amputaſſe, &
penitus à periculo liberatum eſſe. Si verò venenum prius
per corpus diſtribui cõtigerit, ſtatim venæ ſectione vten-
dum eſt, & maximè ſi ictus humoribus repletus tibi vi-
deatur: dandum autem eſt cum cibis edendum piper aut
allium. Vinum bibendum eſt forte, vt ex eo recentibus
vaporibus & familiari caliditate, corporis miſcella replea
tur: poſtea verò cataplaſmata adhibeantur quæ morſum
calefacere ac lancinare poſſunt, velut eſt braſſicæ aut fici
cinis aceto admixto, aut lixiuio, aut garo. Itẽ cepæ cũ polẽ
ta aut pane, & porrũ cũ ſale, aut pix liquida calida cũ ſale,
aut cedria, aut caprinũ ſtercus. Cõuenit ipſis etiã perfuſio
ex aceto calido, in quo cocta eſt calamintha, aut ex aceto
& aqua marina, aut ex aceto & muria. Imponẽdæ ſunt lo-
cis gallinæ, & magis galli, aut alia animalia reſecta calẽtia:
nã & venenũ tranſſumũt, & dolores mitigant. Sed & em-
plaſtris vtendũ eſt ex ſale, & eo quod ex canchry & adar-
ce conſtat, & in ſumma his quæ acriorẽ facultatẽ habent.

A In communi verò omnibus à quocunque tandem vene-
num eiaculante commorſis aut ictis, præterquã ſi omni-
no non ſunt læſæ partes in profundo, in potu detur ſeris,
aut erica, aut aſtragalitis cum aceto, aut bitumen, aut pali
urus eodem modo, aut paliuri decoctum, aut muſtellæ aſ-
ſiccatæ drach. 2 cum vino. hoc celebre eſt: aut teſtudinis
marinæ ſanguis, aut caſtorii drach. 1. cum vino diluto, aut
libanotidis drach. 1, aut ſicyoniæ radix, aut porri ſucc⁹, aut
chamæpitys, aut ſmyrnium, aut cinamomum, aut ariſto-
B lochia, aut viticis ſemen, aut cupreſſi pilulæ, aut ſeſeli, aut
piper, aut trifolii ſemen, aut baccæ lauri, aut cancri flu-
uiatiles toſti aut cocti: vtere etiam compoſita huiuſmodi
theriaca.

Theriace ad venenum eiaculantia, & venena, à vipe-
ris morſos, & ſcorpio ictos.

Bryoniæ, opopanacis, iridis Illyricæ, radicis libanoti-
dis, myrrhæ, ſingulorum drach. quatuor, ariſtolochiæ dra
chmas quinque, thuris, rutæ ſylueſtris, ſingulorum drach.
3, farinæ erui drach. 2: cum vino paſtillos formato, & obo-
C los tres cum vino dato: quin & purgatio omnibus cõuenit,
& exudationes facientia medicamenta, & theriaces ex vi
peris aſſumptio.

DE MORSIS A CANE RABIDO ET affectione formidinis aquæ, Cap. III.

SErmonem de morſis à rabido cane reliquis præpoſui-
mus, eo quòd animal id multum eſt, & familiare, & fre
quenter rabie corripitur, & ægrè caueri poteſt, & periculũ
ex ipſo vitari non poteſt niſi multis & commodis auxi-
liis quis vtatur. Rabiunt canes plerunque in vehementio
D ribus æſtibus: verùm (vt Lycus ait) quãdoque etiam in in-
tentis frigoribus. Rabioſi verò facti canes & cibum & po
tum auerſantur, & ſitiunt quidem vehementer, potum au
tem non admittunt: & plerunque anhelant, & aures de-
mittunt, & ſaliuam largam ac ſpumoſam emittunt, &
muti in totum ſunt, adeóque velut deſipientes, vt neque
familiares cognoſcant. Inuadunt itaque omnes ſine latra
tu, ſimiliter & feras & homines, & mordent: mordentes
autem ſtatim quidem nihil moleſti inferunt, præterquã
ex vulnere dolorem. Poſtea verò affectionem inducunt
E quæ vocatur Aquæ formido, & cõtingit cum conuulſio-
nibus & totius corporis rubore, maximè autem faciei, &
cum exudatione ac anxietate, & aquam fugiunt, ſiue vi-
deant, ſiue admoueantur: quidam etiam omnem humo-
rem. Quidam etiam latrant velut canes, & aggreſſi alios
mordent, & morſu ſuo eiuſdẽ affectionis cauſa ſunt. Por-
ro ſymptomatum aliorum cauſa manifeſta eſt quum ap-
prehenderit venenum omnes partes. Quòd verò timent
aquam, aliqui ob immodicam ſiccitatem fieri dixerunt,
nimirum humida ipſorum eſſentia penitus immutata.
F Verùm Rufus melancholiæ talem ipſis ſpeciem oboriri
pronunciauit, veneno illum atræ bilis humorem imitan-
te, quemadmodum alios melancholicos nouimus alia
atque alia timere: quæ ſanè cauſa concurrit etiam his qui
dicunt ipſos putare quòd canis qui ipſos momordit ima-
go in aquis obuerſetur. Cæterùm eorum qui in hanc affe
ctionem inciderunt, nullum ſanatum eſſe nouimus præ-
terquam vnum atque alterum ex hiſtoria nobis cogni-
tos, & hos ipſos non à rabioſo cane morſos, ſed ex aliquo
cõmorſo affectione trãſſumpta. Ante verò huius affectio-
G dis tentationem, multi etiam ex his qui à cane morſi fue-
runt, ſeruati ſunt. Hinc igitur curationis initium facia-
mus. Quando verò ſæpe id contigit vt ex eo quòd aquæ
formidinis affectio hactenus non acceſſit, (plerunque e-
nim circa quadrageſimum diem irruere ſolet: in quibuſ-
dam poſt ſex menſes. Narratur quibuſdam etiam poſt ſe-
ptimum annum accidiſſe) quidã canem qui momordit
non rabioſum eſſe opinati, vlcus ad cicatricẽ perducere
feſtinarunt, atque ſic ipſis affectionis authores fuerũt, hac
probatione vſus, vtrum rabioſi canis ſit morſus aut non,

comperies. Nuces regias probè tritas vlceri imponito, & poſtridie acceptas gallo edendas obiicito, aut etiam gallinæ. Et primùm quidem ipſas non continget: ſi verò fame vrgēte ederit, attendito. Si enim non rabioſus fuerit canis qui momordit, viuet animal quod edit: ſin rabioſus, poſtridie morietur, & tunc ad vlceris apertionem feſtinabis, & poſt paucos dies rurſus eadem probatione vteris. Et vbi animal non morietur, vlcus ad cicatricem perduces, nimirum velut ægro iam à periculo liberato. Hanc itaque probationem Oribaſius tradidit. At ſi ex relatis ſignis canem rabioſum eſſe exactè cognouerimus, aperientibus ſtatim vtemur. Primùm igitur ex aperientibus eſt id quod ex pice, aceto acerrimo, & opopanace paratur, ad ſauciatos neruos relatum. Si verò tenera cute præditus fuerit is qui commorſus eſt, irino, aut balſamo, aut aliquo huiuſmodi diluatur: aut fomēto pri⁹ adhibito, vlcera allio integito. Hoc etiam cruſtā inducit.

Siccum cruſtificum in rabioſi canis morſu.

Salis foſſilis drach. octo, chalcitidis drach. ſedecim, ſcillæ drach. ſedecim, rutæ viridis drach. quatuor, æruginis raſæ drach. quatuor, ſeminis marrubii drach. vnam. Vtere primùm ſicco, vt cruſtam inducat, deinde cum roſaceo, vt cruſtæ excidant. Seruentur autem partes non inducta cicatrice ad dies quadragintaduos.

Cataplaſma in rabioſi canis morſu oſcula ampla conſeruans.

Cepas cum ſale & ruta imponito, aut ſilphium cum ſale, aut ſalſamentum vetus, aut cinerem ſarmentitium cum oleo, aut allium, aut ſambuci folia, aut mentam, aut meliſſophyllō, ſingula cum ſale, aut nuces regias cum cepa & ſale ac melle, aut cinerem ficulnum cerato exceptum. Abluito autem vlcus chamæmelo in aqua cocto, & rumicis ſylueſtris radice. Quidam etiam ferramentis ignitis vlcus vrunt. Præbibenda verò ipſis danda ſunt ſimplicia, lycium, abſinthium, ſilphii ſuccus, chamedrys, ſcordium, polium: compoſita hæc, Cancrorum fluuiatilium ad ſarmenta vitis albæ, in cyprio aut æreo vaſe vſtorū, cochlearia duo, radicis gētianæ tritæ cochleariū 1, cū vini meraci veteris ciathis 2, ad dies quadraginta bibenda præbe. Quidā etiā ſanguinis perdicis cochlearia 2 addunt. Cancros autem augeſcente luna capere oportet ante ſolis exortum. In his verò qui eodem die non biberūt, duplam menſuram dato, aliquando etiam triplam. Quin & ex viperis theriaca rectè dari poteſt. Purgare verò oportet medicamēto ex cucurbita ſylueſtri quotidie dato, cū decocto ſaluiæ aut ſideritidis Heracleæ, quam ſanè etiam alyſſon vocant. Quidam etiam hepar canis qui momordit edendum dederunt. Victus talis aſſumatur qui ſimul obtundat ac extinguat veneni facultatē, ſimulque impediat in profundum delationem. Vtrunque autem facere poteſt vini dulcis meraci veteris & lactis potus: ſimiliter alliorum, ceparum, & porri eſus. Si verò non à principio aſſumpta fuerint auxilia relata propter aliquod impedimentum, carnis reſectionem, aut cucurbitarum admotionem, aut vlceris vſtionem non aſſumere oportet, quū iā vlcus ad profundū proceſſerit: verùm relato ex alto euocandi ductu vtendum eſt, non oborta videlicet aquæ formidinis affectione. Purgatio itē ex hiera, & ex ſciſſo lacte aſſumatur. Sudorē eliciētia exhibeātur, & dropaciſmi & ſinapiſmi fiāt particulatim per totū corpus. Efficaciſſim⁹ autem omnium cognitus eſt veratri vſus ſæpe aſſumptus.

AD NON RABIOSORVM CANVM morſus, Cap. IIII.

CAnum non rabioſorū morſus, qui & ipſi venenoſa aliqua eſſentia ac natura participāt, ſtatim aſperſo aceto, expaſſa manu percute, inſuperque nitrum cum aceto tritum ex alto ſupra morſum deſtilla, & deinde ſpongiā nouam aceto imbutam, aut etiam aceto cum nitro mixto tinctam, ad triduum impone, & deligatā ſæpe madefacito, (perfectè enim perſanat) aut erui farinā oleo ſubactā imponito, aut ſpongiā nouam, aut lanam ſuccidam aceto & oleo imbutā adhibeto, aut rubi folia cōtuſa cū aceto imponito, aut cepā tritā cū melle: aut origani comæ, & ſalis, & cæpe, ſingulorū æquales portiones cū melle: aut marrubium nigrū, quod etiā balloten vocant, cū ſale. Cæterùm ad morſus iam ſuppuratos farinam erui melle ſubactam imponito. priuatim enim ad hos facit. Inflammatos autem ſpuma argenti trita cum aqua illinito.

DE VESPIS ET APIBVS, Cap. V.

QVi ab apibus icti ſunt, eos conſequitur plagæ dolor, rubor, tumor, partium circunſitarum eleuatio, & aculeus in plaga manet: qui verò à veſpis, ſimilia quidem, verùm magis intenta, eo excepto quòd aculeus non relinquitur. Ad vtriuſque morſum facit lutum, aut ſtercus bubulum illitum, aut fici ſuccus, aut mori folia trita, aut maluæ folia, aut ordeacea farina cū aceto impoſita, fomentum item ex muria aut aqua marina.

DE PHALANGIIS, Cap. VI.

COmmorſis à phalangiis ipſe quidem locus rubicundus apparet, & puncturis ſimilis, neque tumidus, neque calidus, ſed moderatè ſubrubicundus, verùm perfrigeratus & pruriginoſus. Sequitur percuſſos perfrigeratio, tremor, corporis grauitas, ſudor frigidus, dolor intentus, pallor, vrinarum aſſidua ad excretionē irritatio: in quibuſdam vrinæ difficultas, & colis arrectio, oculi humidi, diſtentio circa inguina & poplites conuulſoria, morſus ſtomachi vehemens, linguæ obſcuritas, vomitus aquarū aut aranei telis ſimilium: quibuſdam etiam per vrinas & ventrem eadem feruntur. Et ſi in calidam aquam demittantur, dolore liberantur, & rurſus vehementer dolent. Auxilium verò ſentiunt ſi extrinſecus ipſis imponas cinerem ficulnum cum ſale trito vino ſubactum, aut mali Punicæ ſylueſtris radicem tritam, aut ariſtolochiam cum farina ordeacea aceto ſubactam. Perfundenda ſunt vlcera aqua marina calidiore, & meliſſophylli decocto: huius etiā folia imponēda ſunt. Oportet etiā balnea frequētiora adhibere, & præpotationibus vti his, abrotoni ſemine, aniſo, ariſtolochia, cicere ſylueſtri, cumino Æthiopico, cedri baccis tritis, platani cortice, trifolii herbæ ſemine, myricæ fructu: ſingulorum horum drachmas duas bibēdas præbe cum vini hemina vna. Facit & viridium cupreſſi pilularum aut foliorum decoctum, vino temperatum. Quidam etiam cancrum fluuiatilem in ſuccum redactum, cum lacte & apii ſemine exhibitum, liberare tradunt.

DE ARANEAE MORSV, Cap. VII.

ESt etiam quoddam aranearum genus quod vbi percuſſit, intentos dolores circa medium præcordium gignit, ruborem item & vrinæ difficultatem, quandoque etiam ſuffocationem. Alleuantur autem icti ab his ſi cuminum ſylueſtre Thebaicum, aut viticis ſemen, aut populi albæ folia in potu ſumant, aut allium ſolum ingerant, & vinum meracum inſuper ſorbeant.

DE SCORPII PLAGA, Cap. VIII.

A Scorpio ictis locus ſtatim inflammari incipit, vt qui durus & rubicundus, & cum dolore circumtētus fiat, & viciſſim nunc feruorē nunc frigiditatem percipiat. Et quum dolor ſequitur, quandoque leuiter affligit, quādoque augeſcit. Concomitatur ſudor, horroris ſenſus, tremor, extremarum partium frigiditas, inguinum tumor, & membri arrectio: ſæpe verò etiam flatuum cum ſtrepitu per ſedem eruptio, pilorum erectio, color fœdus, doloroſus circa ſummam cutem, quum ſenſus ita afficiatur velut ab acu punctura fiat. Sed & his confeſtim auxiliatur fici ſuccus vulnuſculis inſtillatus, & ipſe ſcorpius qui percuſſit tritus, ac plagæ impoſitus: poſtea verò ſal tritus imponatur cum lini & althææ herbæ ſemine. Auxiliatur etiam ſulphur viuum reſina exceptum aut terebinthina, ſimiliter & galbanum ad ſplenii formam dilatatum ac impoſitum, calamintha trita impoſita, & cruda farina ordeacea præparata cum vino & rutæ decocto: ſic etiā auxiliatur ſemen trifolii herbæ tritū ac impoſitum. Præbibant etiam ariſtolochiæ drach. duas, maximè corticis cum vino: gentianam item contuſam, & pulegium ſatis decoctum, & baccas lauri decem tritas, & calaminthām diutius coctam cum poſca, & cyperum cum vino: rutam eodem modo, & fici ſuccum, & ſilphiū, ſi adſit, ſin minus ſucco Parthico vtendū eſt. Facit & trifolii ſemē potum,

& ocymi ſemen: præter opinionem quoque facit argentum ſtatim plagæ appoſitum. His verò omnibus conferri poteſt balnei vſus aſſiduus cum multa exudatione, & vini potus meracior, itémque vinum aqua dilutum. Compoſita præbibantur hæc: Sulphuris viui fabæ Ægyptiæ magnitudo cum piperis granis octo in vini hemina dimidia, aut ſilphii ſuccus cũ cancro tritus in vino, aut melãthii, cumini Æthiopici, viticis ſeminis, ſingulorum æquas portiones cum vino.

Ad graues ſcorpionum ac phalangiorum plagas.

Fæcis vini drach. ſedecim, pyrethri drach. quatuor, ſeminis rutæ ſylueſtris drach. 3, caſtorii, erucæ ſeminis, ſingulorum drach. 2. excipiantur teſtudinis marinæ ſanguine. Dantur oboli quatuor cum vini meraci aut aceti cyathis tribus. ALIVD. Pyrethri, ariſtolochiæ, ſingulorũ drach. quatuor, piperis drach. 2, ſucci ſilphii drach. 1: datur fabæ Ægyptiæ magnitudo.

DE SCOLOPENDRA TERRESTRI ac marina, Cap. IX.

MOrſis à ſcolopendra, in communi locus circumcirca morſum liueſcit & attollitur, & aliquando fæculentus, rarò verò etiam rubicundus apparet. Vlceratur etiam, ab ipſo morſu initio facto, vlceratione quadam doloroſa ac ægrè curabili: adhæc etiam pruriginoſus ſenſus per totum corpus contingit. Priuatim autem his qui à marina ſcolopendra morſi ſunt, aquoſus & pellucidus quandoque tumor fit qui verò à terreſtri, rubicundus. Ipſi igitur plagæ ſalem tritum imponere oportet, aut rutam tritam, aut cinerem aceto ſubactum, aut ſcillam. Perfundere verò muria acida oportet, aut (velut Archigenes iubet) oleo multo calido, atque ſic relata imponere. In potu exhibeantur ariſtolochia cum vino, aut ſerpyllum, aut calamintha, aut ruta ſylueſtris, aut trifolium, aut ſuccus radicis aſphodeli heminæ dimidiæ menſura cum vino.

DE STELLIONE, Cap. X.

QVI à ſtellione morſi ſunt, intentè dolent, & morſum liuidum habent. Opem autẽ ſtatim ſentiunt ſi plaga cepis & alliis integatur: quin & ſi eadem edant, inſupérque vinum meracum abſorbeant, curantur: ſeſamũ etiam tritum ipſis imponitur.

DE MVRE ARANEO, Cap. XI.

AD muris aranei morſum ſequuntur dolores pulſatiles, rubores circa ſingulas dentium puncturas, puſtulæ circum morſum ſanioſo humore plenæ, & in propinquo omnia liueſcunt: & ſi puſtulæ cutis ſubexcorietur, album apparet vlcus, dilaniatis membranis neruoſis. Adhæc excidunt partes putreſcentes, nome oriente ſimiliter vt in eis quæ paſcendo proſerpunt: inſuper etiam tormen ſequitur circa inteſtina, & vrinæ difficultas, & frigidæ humiditatis circumeffuſio. Auxiliatur ipſis ex galbano ſplenium per ſe impoſitum, aut cum aceto tritum, aut farina hordeacea cum aceto mulſo impoſita: & ipſe mus araneus qui momordit, dilaniatus ac impoſitus, & pyrethrum impoſitum, aut malicorium mali Punici dulcis coctum, aut malua ſylueſtris, aut allium tritum, aut ſinapi tritum cum aceto, & muriæ calidæ perfuſio, deinde hordei vſti cum aceto cataplaſma. Præbibant abrotonum coctum cum vino, aut ſiſymbrium, aut ſerpyllum, aut erucam, aut galbanum, aut ſaluiam, aut cupreſſi pilulas teneras cum aceto mulſo, aut pyrethrũ cũ vino, aut chamæleonis radicem, aut hœdi coagulum ſiue agni, aut gentianæ radicem, aut verbenacam. Hæc etiam cataplaſmatis vicẽ præbet. Sed & ipſum murem araneum qui momordit, tritum cum vino bibendũ exhibent. Facit & hoc: Myrrhæ drach. ſex, ariſtolochiæ corticis drach. quatuor. Cæterùm ad muris aranei & ſcolopendræ morſum, ſalem cum pice liquida imponito, aut cedriã cũ melle, aut alliũ cũ fici foliis & cumino, aut calaminthæ folia, aut hordeũ cũ aceto.

DE VIPERA MARE AC FOEMINA, Cap. XII.

IN his qui à vipera tum mare tum fœmina commorſi ſunt, aut etiam à ſimilibus venenũ eiaculãtibus, ſequitur in principio quidem dolor cõmorſi loci, poſtea verò etiam totius corporis. Apparent autem in morſu duo foramina parum inter ſe diſtantia, & fluxio ex his ſanguinis & humoris ſanioſi, poſtea verò etiam oleoſi: poſtremum etiam æruginoſi ac venenoſi, quem ſanè quidam ferarũ illarum venenum eſſe dicunt. Sequuntur quoque tumores circa morſum ſubrubicundi ac liuidi, coloris circa corpus vitiatio, vertigo, ſtomachi exolutio, animi deliquium. In quibuſdam etiam vomitus bilioſus, vrinæ difficultas: & circũ morſum puſtulæ emergunt, velut in ambuſtis: & nome circumcirca depaſcens corripit, ad circũſitas partes proreptans, & gingiuæ ipſis cruentantur. Accedit ipſis etiam tremor, & ſopor, & frigida exudatio: minore verò periculo liberari videntur qui à vipera fœmina morſi ſunt quàm qui à mare: & ex his ipſis minus periclitantur qui cibum præſumpſerunt. At in curationibus præſentiſſimum auxilium eſt allii eſus, & meri potus, adeò vt ſiquis hæc ſuſtineat, alio auxilio opus non habeat. Edant etiam porrum, & cepas, & ſalſamentum acerrimum. Quidam etiam ranas cum iuſculo præparatas edendas dederunt. Faciunt quoque hæc ſingula cum vino pota, teſtudinis marinæ ſanguis ſiccus cum cumino ſylueſtri, coagulũ leporis aut hinnuli trium obolorũ pondere, ceruini pudendi ſicci drach. 1. anchuſa tenuifolia tota. Hanc etiam quidam appendunt, ſucci porri hemina dimidia ex aqua mulſa, meliſſophylli foliorum ſuccus, ruta ſylueſtris, gallinarum domeſticarũ cerebrum, panacis radix cocta cum vino, agarici drach. 1. baccæ iuniperi, aſphodeli radix, piſtacia trita, viticis ſemen, muſtelæ aſſiccatæ drach. 2, echii radix & ſuccus, cancri fluuiatiles aut marini per ſe, & cum ſtaphide ſylueſtri, & ſale, ac polio, ariſtolochiæ radix cum myrrha, & gentiana, & baccis lauri, ſingula æquis portionibus melle excepta. Sed & hoc admirandum eſt, ab Oribaſio traditũ ad viperæ morſus: Aniſi acetabulum, piperis drach. quatuor, ariſtolochiæ corticis, opii, caſtorii, myrrhæ, ſingulorum drach. 1. paſſo trita in paſtillos fabæ Græcæ magnitudinis efforma, & pro viribus præbe, cum vini diluti cyathis tribus. ALIVD ex libris Lyci, pharmacum ad viperæ morſus accommodatum. Myrrhæ, caſtorii, piperis, portulacæ, ſingulorum drach. vnam: ſeminis anethi acetabulum, paſſo trita dato. ALIVD ex libris Archigenis. Cancros viginti cum ſufficienti farina triticea in pila diligenter tundito, & calaminthes ac ſalis modicum admiſceto, & in paſtillos efformato, ac ſiccato. Vtere verò in cataplaſmate cum lacte, & cum aqua mulſa vnum bibendum præbeto. Si verò cancros fluuiatiles nõ habeas, marinis, inquit, vtere. Forinſecus autem plagæ impoſitum caprinum ſtercus cum vino egregiè auxiliatur, aut lauri folia cocta cũ oleo, aut lauri baccæ, aut calamintha, erica, ruta, apium, abrotonum, galbanum in ſplenio, origanum viride tritum: pulli gallinacei diſſecti, & calidè impoſiti, ac frequenter permutati, erui farina vino ſubacta, raphani cortex tritus, ſcilla cocta, cruda hordeacea farina cum aceto mulſo, cucumeris ſylueſtris folia cum polentæ polline, fæx vini ſimiliter cum polentæ polline, ruta cum ſale & melle, furfur in aceto coctum, cinis cũ aceto, cedria cum ſale, pix liquida cum ſale: verùm perfuſio fiat cũ trifolii decocto, aut pulegii, aut muria acida. Quũ verò ſubcruentæ factæ fuerint puſtulæ, findito ipſas ita vt ne excories, deinde multa aqua perfundito, & lenticula cocta cum melle integito, donec perſanatæ fuerint. Cæterùm antidotus ex viperis priuatim in his efficax eſt, & pota, & morſui impoſita.

DE AMPHISBAENA AC SCYTALA, Cap. XIII.

COnſimilia eueniunt etiam ex horum morſibus, & eadem auxilia opitulantur: quapropter priuatam aliquam deſcriptionem non requirunt.

DE DRYINO, Cap. XIIII.

DRyinus velut Galenus ait, in quercuum radicibus vitam degens, adeò maleficus eſt ad malè perdendum, vt ſiquis ipſum calcet, pedes ipſius excorientur, & multus tumor per tota crura fiat: & quod adhuc magis admirandum eſt, aiunt, quòd ſiquis etiam curare ipſos velit, huius manus excoriari: ſi verò quis defendendi ſe ſtudio ipſam feram occidere velit, hunc peſſimè olere dicunt, & nihil aliud olfacere. Percuſſis autem à dryino tumor

eleuatur circa locum,cum rubore,& puſtularum eruptio-ne in circumſitis partibus.Sequitur etiam quandoque a-quoſæ ſaniei excretio:concomitatur autem oris ventricu li morſus,& tormen. Conuenit ipſis ariſtolochia in vino pota,& trifolium herba,& aſphodeli radix ſimiliter acce pta,& omnis quercus fructus tritus potus:ſimiliter etiam ilicis radices contuſæ ac impoſitæ locale auxilium præ-bent.

DE HAEMORRHOO, PRAESTERE, ſiue dipſade, Cap. XV.

AB hæmorrhoo commorſis vehementes circumcir-ca incidunt dolores, qui breues penitus ac anguſtas reddunt corporis raritates, præ afflictionum continuita-te. Ex morſu autem ſanguis excernitur multus,& ſi vlla corporis parte cicatrix fuerit,erumpit,ac ſanguinem fun-dit. Alui egeſtiones cruentæ excernuntur, & qui defluit ab ipſis ſanguis,in grumos concretus eſt:dum autem tuſ-ſiunt,ſanguinem è pulmone educunt;& euomentes citra auxilium pereunt. At à dipſade morſos ardor inſedabilis corripit,& ſitis vehementer intenta, vt neque expleri poſ ſit,neque deſinat:& ægri potum abundanter trahant;& i-ta tamen affecti ſint,velut qui omnino potum non acce-piſſent. conſimiliſque corporis totius habitus conſequi-tur,velut in hydropicis propter aſſiduam potus ingeſtio-nem. Vnde & πρηςὴρ, & καύσων, *ab ardore*,aut διψὰς,*à ſiti*, appellatur.Cæterùm apud plurimos veterum,ab hæmor-rhoo & dipſade commorſi,pro deſperatis,& quibus auxi-lium ferri non poſſit, habiti ſunt. Verùm ſi iis quæ pro-prietate quadam aduerſus hanc beſtiam proſunt,deſtitu-ti fuerimus,communia auxilia experiri oportet,& ſtatim ſcarificationes adhibere,& vſtionem,&,ſi locus permiſe-rit, extremarum partium præſectionem: conſequenter verò acrium cataplaſmatum impoſitiones.Commodat & omnis acrium ciborum eſus,maximè ſalſamentorũ, me-raci item vini potus, & balneum. Hæc verò aſſiduè,& ex paruis interuallis ſæpe adhibere oportet priuſquam irru-ant morbi:nam vbi illi comparuerint, nulla penitus vti-litas auxiliorum ex medicis contingit.At localia ad mor ſus ipſos imponenda, in dipſadis quidẽ morſu deſcripta reperimus,portulacæ folia trita cum aceto,polentã & ru-bi folia trita cum melle:plantaginẽ,hyſſopũ, alliũ albũ, porrũ, rutã, vrticã. In hæmorrhoi verò morſu tum hæc, tum ad hæc vitis folia cocta cũ melle trita. Per os verò ipſius beſtiæ caput vſtum bibatur, aut allium cum oleo irino:edant etiã vuas paſſas.

DE HYDRO SIVE NATRICE, Cap. XVI.

AB hydro commorſis vlcus dilatatur, & liueſcens ma gnum fit,ſanieſque ex ipſo nigra,multa,graueolens, velut ab vlcere depaſcente,excernitur : curatio mali,tem-poris progreſſu & vix perficitur. His igitur origanum tri tum cum aqua ſubactũ, ſuper morſum imponatur, aut li-xiuium quercinum oleo mixto, aut farina hordeacea cũ melle eliquata. Bibuntur & ariſtolochiæ drachmæ duæ in vino diluto, aut poſcæ cyathi duo : deinde marru-bii ſuccus,aut decoctum cum vino,aut naſturtium ſylue-ſtre, aut haſtulæ regiæ ſemen, aut flos, aut fœniculi ſe-men cum vino. Recens etiam fauus mellis facit ſi edatur cum aceto.

DE CENCHRINA SIVE MILIARI, Cap. XVII.

IIS qui à cenchrina morſi ſunt, morſus ſimilis eſt viperæ morſui : conſequitur putredo, & defluunt carnes quæ prius velut in hydrope intumuerunt.Lethar-go corripiuntur, & in ſomnum profundiorem delabun-tur.Eraſiſtratus dicit ipſis affectum eſſe hepar,& veſicam, & inteſtinum craſſum. Refectis enim ipſis,partes hæ cor-ruptæ inueniuntur.His igitur lactucæ ſemen cum lini ſe-mine impoſitum auxiliatur,& ſatureia trita, & ruta ſylue ſtris, & ſerpyllum cum haſtula regia tritum. In potu verò eueſtigio dantur centaureæ radicis drach.duæ cum vini cyathis tribus, aut ariſtolochiæ radix eodem modo: ſimiliter item naſturtium & gentiana.

A DE CERASTE ET ASPIDE, Cap. XVIII.

TRES aſpidis ſpecies Galenus eſſe dicit:vnã quæ ter-reſtris appellatur, alterã quæ chelidonia, tertiã quæ ptyas, quæ etiam perniicioſiſſima omnium exiſtit. Nam hæc vbi collum extendit, & ſpatii longitudinem menſã eſt, collimatè venenum corporibus inſpuit. Hanc re-ginam Cleopatram peremiſſe dicit, quæ, vbi Auguſtus Antonio deuicto ipſam captiuam abducere vellet, ipſa

B beſtiæ huic ſiniſtram mammam admouit,& ab hac com morſa periit:nam ita celerrimam mortem inducit.Com-morſis itaque à ceraſte locus attollitur cum duritia & pu-ſtulis. Fluit ex morſu ſanies quandoque nigra, quando-que ſubpallida:& praſini coloris, & varicum ſpeciem præ ſe ferunt morſi,per totum corpus : & pudendum quidem intenditur, mens autem emouetur. Oculorum verò ob-ſcuratio ſuccedit : tandem autem pereunt in anteriorem ac poſteriorem partem conuulſi, velut in tetano ſolent. At ab aſpide morſis,paruus omnino apparet morſus, ſimi

C lis punctaris acus, citra tumorem : ſanguis non multus, ſed paucus niger deſtillat. Velox autem oculorum obſcu-ratio apprehendit,doloŕque corporis multiformis omni-no leuis,& non ſine voluptate conſequitur. Quapropter bene exclamauit Nicander, Perimitque virum abſque dolore. Color permutatur,& viridis ac herbaceus fit: oris ventriculi morſus modicus eſt : frons aſſiduè re-uellitur: palpebræ abſque ſenſu mouentur, velut in ſo-mni acceſſione : & in his mors corripit,ne tertia quidem diei parte dilatione facta. Vtriſque igitur compendiò au

D xilium adfert extremarum partium reſectio.Quapropter citra dilationẽ reſecanda eſt commorſa pars,ſi id fieri po teſt:aut caro circũcirca eueſtigiò concidatur, & per pro-fundũ ad os vſque excindatur,quò cõmorſas partes & his vicinas venenũ non excurrat:deinde reliqua cauteriis re ſiccentur. Horũ enim venenũ,v elut etiã baſiliſci, inſtar taurini ſanguinis,celerrimè & ſanguinẽ & ſpiritũ in arte-riis congelat.

DE BASILISCO, Cap. XIX.

ET hæc beſtia rarò in hominũ conſpectũ venit.Eraſi-ſtratus autẽ dicit, Quũ baſiliſcus momorderit,plaga

E ſubaurea fit : & conferre ipſis dicit caſtorii drach.tres in potu,eodẽ modo etiã papaueris ſuccũ.Nos autẽ nihil ho rum experti ſumus.

DE MARINA PASTINACA, ET MV-ræna, Cap. XX.

IN marinis,velut eſt paſtinaca & muræna,dignotio cõ-ſpicua eſt. ſunt enim noti piſces. Morſis ab ipſis opitu-lantur ſucci fici guttæ quatuor,aut paulo plures,cũ ſerpyl-li ramulis tribus aut quatuor potæ, itẽ quæ ad viperas de-

F ſcripta ſunt.

DE DRACONE MARINO, Cap. XXI.

MArini draconis plagã plumbo confricato,aut ſerpyl lo trito integito , aut lente cocta, aut ſulphure cum aceto, aut ipſo dracone diſcerpto : vrina verò humana ir-rigato.Abſinthiũ verò aut ſaluiã cũ vino diluto bibendũ dato , aut cremorẽ vini dulcis in quo fici ramuli cõma-duerunt,aut piſcis cerebrum.

DE SCORPIO MARINO, Cap. XXII.

G SCorpii marini plagã ſanat mullus diſſectus, & impoſi-tus: ſulphur viuũ cum aceto affrictum,baccæ lauri tres tritæ ac potæ.

PRAEPARATIO SANGVINIS TE-ſtudinis marinæ, Cap. XXIII.

TEſtudinis marinæ ſanguis ad repoſitionẽ præparãd⁹ eſt hoc modo, Teſtudinis ſuper ligneũ aut fictile vas reclinatæ ſupinæ caput citò amputato,ipſũ verò congela-tũ ſanguinẽ,in multa fruſta per harundinẽ diuidito; im-poſitóq; vaſi operculi vice cribrato , ad ſolẽ exponito , &

H reſiccatũ reponito,ac vtitor ad viperæ morſũ(velut dictũ eſt)drach.2,cũ aceti cyatho 1.ſecũda die drach.4,cũ aceti cyath.2,tertia drach.8,cum aceti cyath.3.

DE MORSIS A CROCODILO, Cap. XXIIII.

IN morſis à crocodilo,nitrum tritum cũ melle donec repurgetur vlc⁹,ĩponito:deinde melle,butyro,medulla

ceruina,adipe anſerino morſum impleto. Galenus ſe cognouiſſe dicit,eos qui à crocodilo morſi eſſent,exactè auxilium ſenſiſſe,adipe ipſorum crocodilorum vulneribus impoſito.

DE MORSIS AB HOMINE, Cap. XXV.

NON extra propoſitum opus fuerit,inter virus eiaculantia animalia, etiam hominis morſum ſcribere: ſiquidem multo maligniora aliis vlceribus apparent ea quæ hominum morſus ſunt,& maximè ſi ieiunus fuerit qui momordit,& legumina, & maximè lenticulam antea comederit. In communi igitur ea quæ de aliis venenum eiaculantibus dicta ſunt, etiam in his conuenient, ab initio morſui foriſecus adhibita,exceptis his quæ valde acria ſunt,& vrentia. Propriè verò morſu ex oleo prælito,fœniculi radicem cum melle imponito,aut fabaceā farinā cum poſca & oxyrhodino imponito , & frequenter permutato. Emplaſtro verò vtere hoc : Squamæ æris, galbani,æruginis , ſingulorum vncia vna, ceræ lib . vna, plumbaginis libris duabus, olei ſextario I. plūbago cum oleo præcocta,æruginem & ſquamam æris aſſumit,&vbi ſpiſſata fuerint,liqueſcibilia liquefacta adiiciūtur . Sedata verò inflammatione , velut commune vlcus, etiā hæc curato.

DE VENENIS, Cap. XXVI.

QVVM de animantibus venenum eiaculātibus cōpendiò docuerimus,conſequenter ad tractationem de venenis progrediemur , ſimplicia quidem expoſituri, & horum notas,ac auxiliaria medicamenta,tum in communi, tum ſingulis peculiaria producturi. Cōpoſita verò tractanda ſiquis volet ſinemus : nam variorum medicamentorum occidendi vim habentium compoſitiones quidam expoſuerunt , quæ lædere magis quàm prodeſſe legentibus poſſunt. Neque enim exacta ſigna horum in his qui ea ſumpſerunt comperiuntur, quo etiam conueniens auxilium quis ipſis adaptare poſſit.Quū verò varia hæc appareāt ex prædomināte in ipſis facultate,fortaſſis etiā id quod aduerſus illa accepta exhibetur,variū q̄s efficere poterit,ita vt quādoque ex æquo,quādoq; ex prædominante facultate,iuxta coniecturæ vſū id cōcinnet.Rurſus igitur & hic à præſeruantibus initium faciendum eſt.

DE PRAESERVATIONE A VENENIS, Cap. XXVII.

IN doctrina de medicamentis venenoſis, ea ſpecies quæ præſeruationem docet,maximè difficilis eſt,eo q̄ hi qui occultè illa exhibēt,ita rē moliantur vt etiam peritiſſimos fallant. Nā lethaliū amaritudines medicamentorum,admixtis dulcedinibus tollunt:graueolētias verò, aromatum admixtionibus:aliquando verò in morbis,dū in vtilitatem exhibere putantur talia,velut eſt abſinthiū, abrotonū,opopanax,caſtorium, ipſis venena admiſcent: quin & in cibis, velut ſunt duriora aut varia obſonia,illa admixta venena offerunt. Quare ſiquis ſuſpicionem habet,is condita edulia vitet , & omnem intentam qualitatem,dulcem videlicet,ſalſam & acidam:maximè verò aquæ quod ſatis eſt præſumere oportet. Expleta enim appetentia,de cætero facilè deprehenduntur qualitates.Sed alia quædam adhuc eſt præſeruationis ratio validior : nā eos qui tale quid ſuſpectum habent , præſumere oportet eā quæ medicamenta hebetáre ac deſtruere poſſunt,velut ſunt caricæ cum nucibus regiis , & ruta,ac ſalis grano, & mala medica,cedromela appellata.Bibant etiam napi ſemen drachmæ pondere cum vino,aut calaminthæ folia, aut Lemniam terram ſigillatam, aut rutæ folia viginti,& à nullo medicamento lædentur.Sed & antidoti quotidie præſumptæ cum vino fabæ Ægyptiacæ magnitudine,valde ſecurè præſeruant. Tales ſunt antidotus ex ſcinco, & quæ ex ſanguinibus conſtat,& Mithridatica. Hac quondam etiā ipſe rex Mithridates vſus eſt , præſeruandi à lethali medicamento gratia quotidie ipſam ſumens. Quū igitur à Romanis captus eſſet , bis poto lethali medicamēto, vbi inde vitā finire nō poſſet, gladio ſeipſum peremit. Quandoquidem verò etiam citra inſidias, ex caſu quandoque in deſertis locis, homines in noxias res incidunt,velut ſi ita contingat vt ſub arbore aliqua,pinu puta aut picea,cibū capiant , attendāt ad eā lethalia animalia quæ ex his arboribus , aut etiā ex laquearibus decidunt. Vaſa item vini, & aquæ,& in quibus obſonia coquunt,operculis tegāt , quemadmodum etiā in animantiū venenum eiaculantium præſeruatione dictum eſt.

CVRATIO COMMVNIS EORVM QVI quodcunque venenum ſumpſerunt, Cap. XXVIII.

SIqui vltro lethale medicamentum ſumpſerint, quò ſeipſos vita priuent,qualia multa in vita cōtingunt, aut etiam per inſidias aliquorum illud datum fuerit, ſiquidē manifeſtum nobis eſt id quod aſſumptum eſt , ſtatim ad auxilium conueniens deueniemus, velut in tractatione horum dicetur. Si verò datum medicamentum nobis incognitum fuerit,ſtatim ad ea quæ in communi omnibus qui medicamentum biberunt,competū t,progrediemur.Nam expectare conſequentia ſigna, omnino incurabile malum facit , quum ob auxilii tarditatem ægrè opē ſentiant.Statim igitur nulla dilatione facta,oleum calidū per ſe aut cum aqua aſſumant , & ad vomitum cogantur. Si verò oleum non adſit,butyrum cum aqua calida exhibeatur,aut maluæ,aut ſeminis lini,vel tragi,vel fœnigræci,vel ſeminis vrticæ decoctum. Non enim per vomitus ſolùm hæc euacuabunt,ſed etiā aluum ſubducent, & medicamentorum malignitati ſe opponent, vt quæ acrimonias ipſorum obtundant,& præſertim oleum.Hoc autem euidenter inde cognoſces.Si enim cutem vlcerare volueris per cantharidem,aut calcem viuam,aut eiuſmodi acre quiddam, & oleo corpus prius illeueris, hoc non exulcerabitur: imò neque adſtringere corpus potueris oleo prælitum: & alioqui vomitus non ob id ſolùm quòd noxiū euacuat,vtilis eſt,ſed quod etiam acceptum medicamentum oſtendit,ex odore, aut grumis,aut colore. Ex odore quidem & amaritudine,papaueris ſuccū : ex colore verò, ceruſſam,aut gypſum : ex grumis,lac, aut recens mactati tauri animantis ſanguinem : ex viroſitate & qualitate ac odore, leporem marinum, & ranam rubetam,vt per hæc ad remedia vnicuique congrua iter pateat. Admiſcendum porro eſt oleo,maluæ decoctum , aut anſeris adeps, aut pinguium carnium,aut gallinarum iuſculum , aut lixiuium è cinere lignorum. Facit etiam nitrum tritum cum aqua mulſa,& vinum vetus multum , & potiones ex adipe,aut butyro. Cæterùm his quæ in ventre hæſerunt per vomitus eductis , etiam id quod ad inteſtina delapſum eſt,acriori infuſo euacuabimus, poſtea verò lac bibendum detur.Moleſtia enim & vis medicata ab hoc facilè alterabitur. Dantur etiam medicamenta in communi omnibus competentia , ex quorum numero eſt rubrica Lemnia,abrotonum,agaricum, irio,eryngii radix,paſtinacæ ſemen vel calaminthes, nardus Celtica, caſtoriū, ferulæ viridis medulla , nerii(quod & rhododendron & rododaphne appellatur) flores, marrubii ſuccus, ſilphiū, aut ſuccus eius,ſagapenū, opopanax, peucedani ſuccus & radix,ariſtolochia longa,rutæ ſylueſtris ſemen,ceſtri quæ betonica appellatur , folia,ſingulorum drachmæ pondus cum vino. Facit & polii decoctum,& pix liquida delincta.Præclarè auxiliantur etiam antidoti prædictæ,& magis theriaca ex viperis. Non autem eandem vim habent ſi antè & poſt lethalia medicamenta ſumantur. Nam quæ magnitudo præſumpta ſatis eſt ad hoc vt nihil perpetiantur, ea in quadruplum aut quintuplum aucta, ſi poſt accepta lethalia pharmaca detur,prodeſt , & nō ſemel in die,ſed bis.Ita enim etiam admirando illi Galeno videtur.

ENVMERATIO SIMPLICIVM VENENORUM, Cap. XXIX.

EX venenis animalia mortifera ſunt hæc, cantharis, bupreſtis,ſalamandra,eruca pinus, lepus marinus,rana rubeta, & rana paluſtris muta , hirudines deglutitæ: ſemina verò,hyoſcyamus, coriandrum, pſyllium, cicuta, melanthium: ſucci autem,papaueris ſuccus,opocarpaſon, thapſia, elaterium , mandragoras : radices, chamæleon, aconitum,thapſia , ixias , veratrum , agaricum nigrum,ephemeron,quod aliqui Colchicū vocant,eo q̄ in Colchide naſcitur. Ramoſa & olera, ſmilax ,quā aliqui Thymiō,

Romani Taxum vocant,ſolanum furioſum, quod & doryciniō vocant,Sardonia herba,quæ ranunculi ſpecies eſt, papauer cornutum,pharicum,toxicū,ruta ſylueſtris, fungi: ab animalibus ſumpta, ſanguis tauri recens, lac coagulatum,mel quod in Heraclea generatur:metallica, gypſum,ceruſſa, calx, auripigmentum, ſandaracha, ſpuma argenti,adarce,plumbum,& hydrargyros, *id eſt argentum viuum*,appellata: ex familiaribus autem, vinum multum aceruatim à balneo potum,aut paſſum, ſimiliter etiā frigida aqua.

DE CANTHARIDE, Cap. XXX.

HIS qui cātharidē hauſerunt ſigna grauiſſima adſunt. Nā ab ore ferme vſque ad veſicā, omnia ipſis morderi videntur in guſtu verò pici aut cedriæ ſimile quid percipiunt, dextrúmque præcordium inflammatum habent,& vrinam ægrè reddunt.Sæpe verò etiam ſanguinē per vrinam emittunt. Progrediūtur autem ipſis per aluum qualia in dyſentericis ſolent, & in animi deliquia anxietatéſque ac vertigines incidunt: tandem verò mente mouentur. Auxiliatur autem ipſis vomitus ex oleo & aqua,& potus lactis, & cimoliæ drach. quatuor cum aqua mulſa,nuclei pinei,cucumeris ſemen,iuſculum bubulum pingue,aut anſerinum,aut ouillū, carnes gallinaceæ, aut agninæ,aut ouillæ,aut porcellorum, flaccidæ ac pingues, coctæ cum lini ſemine,vinū dulce multum,corticis thuris drach. quatuor.Poſt vomitiones autem infundere oportet per clyſterem ſuccum oryzæ, aut alicæ, aut tragi, aut ptiſſanæ,aut maluæ, aut ſeminis lini, aut althææ, aut fœnigræci. Quādoque verò etiam aqua mulſa cum nitro, inteſtinū detergere oportet,& illa rurſus infūdere: poſtea autem inflammatas partes cataplaſmatis ex lini ſemine & ordeo mitigare:(nam ab initio hæc lædunt) deinde etiā balneis aquarum dulciū vtendum eſt.In potu danda ſunt etiam vnguenta, irinum & roſaceum.

DE BVPRESTI, Cap. XXXI.

QVI bupreſtim hauſerunt,viroſo nitro ſimile quid in guſtu percipiunt. Cōſequitur ſtomachi ac ventriculi dolor vehemens, tumor item ventris velut in hydropicis:circuntenditur ipſis totius corporis cutis, & vrinæ ſupprimuntur. Auxiliantur ipſis eadem quæ aduerſus cantharides dantur.Priuatim verò opem ſentiunt poſt euacuationes per vomitus,& infuſa per clyſteres, ſi ficus aridas ſumant,& decoctum ipſarum bibant cum vino. Declinante verò acuminis periculo, melius habent ex palmularum Thebaicarum eſu,aut earundem tritarum potu cum lacte, aut vino mulſo, itémque ex pirorū omnis generis eſu,& ex muliebris lactis potu.

DE SALAMANDRA, Cap. XXXII.

A Salamandra accepta conſequitur linguæ inflāmatio,& mentis impedimentum,& tremor cum torpore quodam ac exolutione.Quædam corporis partes liueſcunt in orbem,ita vt ſæpe vbi intus māſerit pharmacū, putreſcentes decidant. In hac accepta, omnia faciemus quæ aduerſus cantharides: priuatim verò ipſis exhibemus reſinam pinus aut piceæ, aut galbanum cum melle, aut nucleos pini cum decocto chamæpityos, aut vrticæ folia cum liliis cocta,cum oleo:teſtudinis marinæ aut terreſtris oua cocta, ranarum iuſculum, cum quibus cocta eſt eryngii radix.

DE ERVCA PINVS, Cap. XXXIII.

ERuca pini hauſta,ſtatim dolor circa os & palatum cōſequitur, inflammatióque linguæ vehemens, & ſtomachi ac inteſtinorum dolor,cum pruriginoſæ ſenſu circumtenſionis. Ardor item per totum corpus & anxietas. His opitulandum eſt ſimiliter velut in cantharidibus hauſtis.Priuatim verò pro ſimplici oleo, melinum in his aſſumemus.

DE LEPORE MARINO, Cap. XXXIIII.

LEpore marino poto conſequitur ſapor ſimilis piſcibus viroſis.Progreſſu verò temporis ventriculus dolet, & vrinæ ſupprimuntur: ſi verò quandoque excretæ fuerint,purpurei coloris videntur.Auerſantur & odio habent omnes piſces,ſudorem excludunt graueolentem:comitatur etiam vomitus bilioſus, aliquando ſanguine mixtus.Dandum autem eſt ipſis lac aſininum,aut paſſum aſſiduè,aut maluæ radicis & foliorum decoctum. Danda etiam cyclamini radix trita cum vino,& veratri nigri, aut ſcammoniæ ſucci drach. vna cum aqua mulſa, & anſeris recens mactati ſanguis adhuc calidus: ſed & cancros fluuiatiles ſolùm in cibo admittunt. Signum porro ſalutis eſt,piſcem edere poſſe.

DE RANA RVBETA, ET PALVSTRI, Cap. XXXV.

RAna rubeta,aut etiam paluſtris rana accepta, tumorem corporis inducit, cum pallore buxeo intento. Accedit ſpirādi difficultas,& oris graueolentia, & ſingultus:quādoque etiā ſeminis emiſſio inuitis.Facilè tamē auxiliū ſentiūt poſt vomitū,ex multo vini meraci potu: itē radicis arundinis drach.duabꝰ,aut cyperi totidē acceptis. Verùm cogere ipſos oportet vt cōtentè ambulent ac currant,propter eum torporem quem in ſe habent. Lauent autem quotidie.

DE HIRVDINIBVS, Cap. XXXVI.

HIrudines cum aqua deuoratas,& deglutioni adhærētes, cognoſces quidem ex eo quòd oſculum ventriculi velut exugitur & mordetur:quod ſanè ſignum eſt hirudinem deuoratam eſſe.Quandoque verò etiam ſanguinem floridum ſpuunt dum excreant,hirudinibus gutturi affixis. Eiicit autem ipſas muria ſi ſorbeatur,& ſuccus Cyrenaicus,aut folia ſilphii,aut betæ cum aceto, aut nix cum poſca pota. Gargariſſent autem nitrum cum aqua, aut atramētum ſutorium cum aceto.Eas verò quæ gutturi affixæ ſunt extrahes,ſi in ſolium calidum ad collum vſque reſidere iubeas,& aquam frigidam ore detinendam præbeas.Egredientur enim frigidiorem aquam expetētes.Quidam cimices dederunt iis qui hirudines deuorarunt.Ego verò,inquit Galenus, alliis ſemper in his vtens, cimicibus non opus habui.

DE CHAMAELEONE, Cap. XXXVII.

QVI chamæleonem nigrum ſumpſerunt,iis vehemēs ventriculi morſus ac dolor adeſt, & cum euerſione totius corporis tremor:deinde etiam conuulſio incidit, & vomitus pituoſi ac ſpumoſi.Quibuſdam etiam ſingultus cum vocis interceptione,& faciei diſtortio. His conuenit ſuccus triticeus pinguis,calidus potus,& vinum dulce aquoſum calidum,& vomitus,& lactis potus, & molle per clyſterem infuſum, & ex cataplaſmatis fomenta. Ad eum verò qui ſtrangulationem & liuorem inducit, abſinthii potus facit,aut nitri cum aceto mulſo, aut raphanorum.Conueniunt etiam præcordiorum fomenta.

DE HYOSCYAMO, Cap. XXXVIII.

HYoſcyamus potus aut comeſtus,mentis percuſſionē velut in ebriis inducit.Facilè verè curatur, vt qui opē ſentiat aqua mulſa multa pota, & lacte, maximè aſinino,ſin minus,caprino,aut bubulo, & ficuū aridarū decocto.Faciunt etiam nuclei pinei,& cucumeris ſemen cum paſſo acceptum,& vinum ſalſum cum adipe ſuillo recenti ac paſſo,& vrticæ ſemen eodem modo,aut nitrum cū aqua.Conueniunt etiam intyba, & ſinapi, & naſturtium, & raphanus,& cepæ,& allia,ſingula hæc cum vino accepta.Verùm cogere ipſos oportet vt quieſcant, quò velut ii qui vinum biberunt concoquant.

DE CORIANDRO, Cap. XXXIX.

COriandrum propter odorem latere non poteſt. Potū verò vocem exaſperat,& inſaniam inducit, velut ex ebrietate.Loquuntur itaque qui id hauſerūt turpia dictu, & per totum corpus ipſorum coriandri odor tranſpirat. Auxiliatur ipſis poſt eductionem cum oleo aut irino (velut dictum eſt) factam, vinū meracum multum cum abſinthio & per ſe potum: oua etiam in vnum vaſculum euacuata,tritáque,ac cum muria abſorpta: ſed & muria per ſe pota, & iuſculum ſalſum ex gallina & anſere, & vinum dulce cum lixiuio acceptum.

DE PSYLLIO, Cap. XL.

PSyllium potum frigiditatem totius corporis inducit, & torporem cum exolutione ac mœrore. Auerſantur huic omnia quæ etiam coriandro hauſto.

DE CICVTA, Cap. XLI.

CIcuta pota vertigines & caligines oculorum inducit, vt eminus ne parum quidem videant: ſingultum inſuper ac mentis emotionem,& extremarum partium frigiditatem. Tãdem verò conuulſi ſuffocantur, ſpiritu qui in arteria eſt ſuppreſſo. Ab initio igitur velut etiam in alijs,per vomitus, eductionẽ ipſius facimus,poſtea infuſi euacuatorij vſu,id quod ad inteſtina delapſum eſt excernimus: & tunc velut ad maximum auxilium, vini meraci potũ deuenimus,interuallis interpoſitis,in quibus dan dum eſt lac bubulum,aut aſininum, aut abſinthium cum pipere & vino:caſtorium item,& ruta,& mentha cum vino,& cardamomi aut ſtyracis drach.vna.aut piperis,cum vrticæ ſemine,ex vino,aut lauri folia tenera, ſimiliter & ſilphium,& ſuccus ipſius cum vino & paſſo:vinum quoque dulce per ſe potum abundè competit.

DE PAPAVERIS SVCCO, Cap. XLII.

AD papaueris ſucci potum conſequitur delatio in profundiorem ſomnum cum perfrigeratione,ac pruritũ intento,ita vt ſæpe præualente pharmaco, tantus accedat pruritus vt ab ipſo excitentur:odórque medicamẽti per totum corpus diſtribuitur. His auxiliatur poſt eductionem vomitus per oleum,& poſt infuſa per clyſterẽ acria,acetum mulſum cum ſale potum, aut mel cum roſaceo calido, & meracum vinum multum cum abſinthio & cinamomo,& acetum calidum per ſe,& nitrum cum aqua,& origanum cum lixiuio,& rutæ ſemen cum pipere & caſtorio, ex aceto mulſo,aut ſatureia, ad origani decoctum cum vino.Oportet autem & hos odoramentis excitare,& in calidum ſolium immittere,& propter accedẽtem pruriginem fomentis mitigare:& poſt balneum pinguibus iuſculis vti cum vino,aut paſſo.Sed & medulla cũ oleo pota ipſis opitulatur.

DE CARPASI SVCCO, Cap. XLIII.

CArpaſi ſuccus potus ſoporem grauiorẽ inducit, & repentinam ſuffocationem.Qui hunc hauſerunt, auxilium ex illis ferunt quæ ad cicutam ſunt deſcripta.

DE MANDRAGORA, Cap. XLIIII.

SED & mandragora poto, ſtatim grauis ſopor conſequitur, & exolutio, adeóque vehemens in ſomnum delatio vt affectio nihil differat ab appellato lethargo. Conuenit his anteaquam horum quid accidat, & vomitus,& poſt hunc aqua mulſa,& nitrum, & abſinthiũ cum paſſo & vino dulci ſumptum,& capitis irrigatio cum roſaceo & aceto.Excitatio item per corporis commotionẽ, & per odoramenta,velut eſt piper,ſinapi, caſtorium, ruta cum aceto trita,pix liquida,& lucernarum funiculi incẽſi ac extincti.Quòd ſi ægrè excitari poſſint,etiam ſternutatoria ipſis admoueantur:ſed & alijs communibus auxilijs etiam in his vtendum eſt.

DE ACONITO, Cap. XLV.

ACONitum,ſtatim dum bibitur, linguam cum quadã adſtrictione edulcat, vertiginémq; maximè in exurgendo efficit,& oculorum humiditatem inducit. Grauitatem item thoracis & præcordiorum,vnà cum hoc quòd multi flatus redduntur.In his per vomitus medicamentũ educere oportet,& aluum per clyſterem ſubducere. Propinabimus autem origanum, & rutam, aut marrubiũ cũ vino,aut abſinthium,aut erucam,aut abrotonũ,aut chamælæam,aut chamæpityn. Cõueniet ipſis etiam opobalſami drach.vnius pondus cum vino, & coagulum hœdi, aut leporis,aut hinnuli cum aceto,& ferri recrementum, aut ipſũ ferrũ,aut aurũ,aut argẽtũ in vino extinctũ,ita vt vinũ hoc bibatur,& lixiuiũ cũ vino,& gallinæ coctæ,aut carnium pinguium iuſculum ſumptum cum vino. Appellatur autem chamæpitys quæ priuatim in his competit, in Heraclea quidem Pontica,vbi etiam aconitum naſcitur,holocleron, Athenis autem Ionia, in Eubœa verò Sideritis.

DE IXIA, Cap. XLVI.

IXias,quæ & vlophonon appellatur, in bibendo ocymi & odorẽ & ſaporem aliquẽ refert. Inducit autẽ linguæ inflammationem vehemẽtem, & mentis perculſionem, & omnes excretiones ſupprimit, murmura,ſimulq; ſtre-

A pitus inducens,cum animi deliquio,citra hoc vt aliquid progrediatur. Auxiliatur autem ipſis poſt largiorem per vomitum eductionem,& alui ſolutionem, abſinthij cremor potus cum vino multo,aut aceto,aut aceto mulſo, & rutæ ſylueſtris ſemen, & ſilphij radix: ſimiliterque tragorigani decoctum cum aliquo ex prædictis, aut cum lacte, aut reſinæ terebinthinæ,aut nardi,aut caſtorij,aut ſilphij, ſingulorum obolus cum vino. Conueniunt etiam nucis regiæ fructus triti cum vino,aut reſinæ,& caſtorij, & rutæ, ſingulorum drach. vna: ſimiliter chamælææ drach. B duæ,aut ſucci thapſiæ drach.duæ,cum aqua mulſa,& acetum calidum per ſe potum.

DE EPHEMERO, Cap. XLVII.

QVI ephemerum acceperunt(quod aliqui Colchicũ, eo quòd in Colchide naſcitur,appellant,aliqui bulbum ſylueſtrem) hos pruritus per totum corpus cõcomitatur,velut ab vrtica aut ſcilla excitatus, & circa internas partes morſum percipiũt,ſtomachóque vrũtur cum multa grauitate. Inualeſcente verò affectione, per aluum fertur cruentum quiddam ramentis admixtis. His auxilium C ferendum eſt velut iis qui ſalamandram hauſerunt,& per vomitus,& per infuſa per clyſterem. At verò anteaquam inualeſcat venenum,dandum eſt ipſis ſtercus foliorum, aut glandium,aut malicorij, aut ſerpylli decoctum, cum lacte bibendum,aut polygoni ſuccus,aut virgultorum vitis, aut rubi, aut ferulæ teneræ medullæ, aut baccarum myrti ſuccus cum vino:ſed & ipſæ myrti baccæ tuſæ, tritæ & in aqua maceratæ opitulantur, cremore ex ipſis accepto. Similiter facit & caſtanearũ quæ glãdes Sardianæ appellantur,media illa pellicula, cum prædictis ſuccis ac- D cepta,& origanũ cũ lixiuio potũ.Exactũ verò adeò auxiliũ ſentiũt ex lactis bubuli potu,aut eodẽ in ore detento, vt ii quibus eius copia eſt,alio nullo auxilio opus habeãt.

DE SMILACE, Cap. XLVIII.

SMilax,quæ à quibuſdam thymion, à Romanis autem taxus appellatur, pota frigiditatem totius corporis inducit,ſuffocationémque ac celerem mortem. Auxiliãtur autem iis omnia quæ ad cicutam hauſtam relata ſunt.

DE SOLANO FVRIOSO, A QVIBVSDAM dorycnio appellato, Cap. XLIX.

E DOrycnio ſiue ſolano (vt quidã appellauerunt) furioſo poto,in guſtu velut lactis qualitas quædam percipitur. Singultus adeſt aſſiduus,& linguæ humiditas,& ſanguis aceruatim reijcitur, mucoſáque ipſis per aluũ ferũtur,velut in dyſentericis ſolet.Verùm anteaquã horum aliquid conſequatur,opem ferre oportet per ea quæ ad ephemerum acceptum relata ſunt,per vomitũ dico, & infuſum per clyſterem,& quæ potum medicamentum educere poſſunt.Propriè verò ipſis auxiliatur aqua mulſa, aut F lac aſininum vel caprinum, & vinum dulce tepidum cũ modico aniſo potum, & amygdalæ amaræ, & pectuſcula gallinarum cocta,& omne conchyliorum genus crudum & aſſatum,in cibo acceptum, & locuſtæ, & gammari,& iuſcula ex ipſis pota.

DE SARDONIA HERBA, Cap. L.

SArdonia appellata herba,ranunculi ſpecies eſt,quæ pota aut comeſta mentis emotionem inducit,& cõuulſiones cum labiorum contractione, vt riſus imaginem præ ſe ferat qui ipſam hauſit.A qua affectione etiam Sar- G donius riſus,non admodum boni nominis adagio, vulgò circumfertur.In his priuatim poſt vomitum conuenit aqua mulſa multa data, & lac, irrigatióque ac pinguefactio totius corporis per calefactoria medicamenta, & ſolium ex aqua & oleo calido, ita vt poſt egreſſum ex ſolio abundè illinantur ac confricentur.In ſumma,velut ad cõuulſionem,totam curationem facere oportet.

DE PAPAVERE CORNVTO, Cap. LI.

PApauer cornutum quod potum aut comeſtum, eadẽ H ſymptomata quæ ſuccus papaueris inducit, iiſdem auxiliis ſubiacet.

DE PHARICO, Cap. LII.

PHaricum ſapore in totum nardo ſimile eſt, potum verò reſolutionem inducit cum mentis perculſione ac

conuulſione. Oportet autem poſt eductionem ipſius, cũ vino abſinthite bibendum ipſis exhibere cinamomum, aut myrrham,aut nardum Celticam,(quam aliqui Saliuncam vocauerunt)aut ſpicæ nardi drach. duas, & myrrhæ obolos duos, admixto paſſo, aut iridem, & croci florem cũ vino. Cataplaſma verò capiti præraſo adhibenda ſunt ex farina ordeacea cum ruta trita,& aceto.

DE TOXICO, Cap. LIII.

TOxicum ex eo nominatum eſſe videtur,quòd Barbari τοξεύματα,*id eſt ſagittas*, cum ipſo illinerent. Conſequitur eo poto,labiorum ac linguæ inflammatio,& inſania quæ detineri non poteſt,cum variis imaginationibus irruens,vt etiam ob id difficulter curentur, & rarò ſeruentur aliqui qui id biberunt.Oportet tamen vinculis continenter deligatos cogere, & per vim dulce vinum cũ roſaceo ipſis bibendum exhibere,& ad reuomendũ impellere.Priuatim verò rapi ſemen cum vino potum ipſis conducit,& quinquefolii radix, ſanguiſque hircinus aut caprinus , & quercus , aut phagi,aut ilicis cortex cum lacte tritus,& mala cydonia comeſta,aut cum pulegio trita ex aqua pota : amomum item , & balſami ſemen cum vino.Quòd ſi periculum ex eo aliqui effugerint , longo tamen tempore & in lectis decumbunt , & vbi ſurrexerint,velut mente conſternati reliquum vitæ tempus trãſigunt.

DE FVNGIS, Cap. LIIII.

FVngi partim genere,partim copia lædunt. Inducunt autem omnino accepti ſuffocationes,ſtrangulationibus per laqueos ſimiles:his ſtatim commune auxiliũ exhibere oportet,per oleum ad vomitum cogendo. Mirificè verò opem ſentiunt,lixiuiũ ex cinere ſarmentorum vitis,aut lignorum piraſtri,cum poſca & ſale aut nitro bibẽtes: ſed & ipſa pira ſylueſtria,aut piraſtri folia,ſi cum fungis coquantur,ſuffocandi vim ab ipſis auferunt.Ipſa quoque pira ediſſe prodeſt. Cõmodat ipſis & gallinarum ſtercus in poſca potum, ariſtolochiæ drach.vna , aut abſinthii cum vino:mel item ſi delingatur,& bibatur cum aqua,& apiaſtrum cum nitro , aut panacis radix & ſemen cum vino,& fæx vini vſta cum aqua,& atramentum ſutorium cum aceto: raphanus etiam, aut ſinapi , aut naſturtium in cibo. Quandoquidem verò quidam fungi à venenatis beſtiis afroſi, non ſolùm ſuffocant , ſed etiam vlcerant inteſtina,dandum eſt abſinthium largum, & ficuũ & origani decoctum,& aqua mulſa.Conducet etiam vomitus,& folium calidum, & cruda ordeacea farina præcordiis impoſita.

DE SANGVINE TAVRINO, Cap. LV.

SAnguis tauri recens mactati potus ſpirandi difficultatem inducit,& ſuffocationem,& meatus circa tonſillas & deglutitionem obturans, cum vehementi conuulſione:inuenitùrque in ipſis lingua rubicunda , & dentes colore infecti,& grumi inter ipſos. In iis vomitum recuſamus, eo quòd grumi magis in ſtomacho compinguntur,dum per attractionem eleuãtur. Verùm danda ſunt ipſis quæ congelationem ſanguinis diſſoluere poſſunt, & aluum ſubducere: dandi ſunt groſſi ficus ſucco pleni , cũ poſca & nitro.Facit etiam coagulum omne cum aceto, & ſilphii radix cum ſucco ſimiliter,& braſſicæ ſemen, & lixiuiũ ficulneum,& conyzæ folia cum pipere,& rubi ſuccus cum aceto. Oportet autet aluũ ſubducere.Cæterùm iis qui ſeruantur , fluida ac graueolentia per ſedem reddi ſolent.Sed & ſtomachus & ventriculus ipſorum,farina ordeacea cum aqua mulſa cataplaſmatis modo integendus eſt.

DE LACTE COAGVLATO, Cap. LVI.

QVI lac coagulatum ſumpſerunt , iis aceruatim ingens ſuffocatio imminet,eo quòd in grumos coagulatur.His in auxilium exhibere oportet ,velut antidotum, ipſum coagulum cum aceto,ita vt ſæpe hoc bibere cogãtur: calaminthæ etiam folia arida, aut ſuccum ſimiliter, aut ſilphii radices, aut ſuccum cum poſca , & thymum cum vino,& lixiuium pileatorum : ſalſi verò nihil ingerant. Inde enim lac magis congelatur , & in caſeum abit.

A ſed neque his vomere expedit. In ſtomacho enim inhærens,in grumos coagulatum ſtrangulat.

DE MELLE IN HERACLEA, Cap. LVII.

QVI mel in Heraclea Ponti naſcens ederunt aut biberunt,iis eadem accidunt quæ ab aconito ſumpto ingruunt. Cõueniunt ipſis etiam ea quæ de illo relata ſunt. Facilè autem opem ſentiunt ex vini mulſi aſſiduo potu, rutæ foliis ipſi admixtis.

DE GYPSO, Cap. LVIII.

B GYpſus pota ſuffocationem inducit lapideſcens:vnde auxilia ad fungos congrua tranſferre huc oportet, & in his maluæ decoctum dare pro oleo.Quũ enim id pingue ſit,in reuomẽdo lubricitatem inducens,corpora deradi non ſinit:gypſum enim lapideſcens hoc facit .Conuenit etiam oleum in aqua mulſa , & ficuum decoctum, & lixiuium ficulneum, aut ex ſarmentis vitis , cum vino multo,& origanus,aut thymus cum lixiuio aut aceto aut paſſo.Oportet autem & his maluæ decoctum per clyſte-

C rem infundere.

DE CERVSSA, Cap. LIX.

CEruſſa propter colorem latere non poteſt. Vltro verò accepta palatum inalbat,& linguam, & intermediam dentium partem. Inducit autem ſingultus & tuſſim , & linguæ ſiccitatem,& extremarum partium frigiditatem, cum mentis perculſione ac motus difficultate.His conuenit dare aquam mulſam, aut ficuum aut maluæ decoctũ, aut lac calidum,aut ſeſamum tritum cum vino, aut lixi-

D uium è ſarmentis vitis,aut oleum amaracinum,aut irinũ: perſicorum etiã oſſa cum ordei decocto,aut thus,aut prunorum gummi,aut vlmi liquorem illum qui in folliculis continetur ,cum aqua tepida. vomant autem ab vnoquoque. Conuenit ipſis & thapſiæ ſuccus,aut ſcammoniæ ſucci oboli tres cum aqua mulſa poti.

DE CALCE, SANDARACHA, ET auripigmento, Cap. LX.

CAlx & ſandaracha,& arſenicum,ſiue auripigmentum, pota,alui & inteſtinorum dolores inducũt ,cum mor ſu vehemẽti.Quare exhibere ipſis oportet omnia quæ tẽperare & ſoluere poſſunt,& vomenti facilitatem , & ad

E aluum lubricitatem exhibere: qualis eſt hibiſci & maluæ ſuccus,& ſeminis lini decoctum,aut tragi , aut oryzæ. Lac item multum,& aqua mulſa,& iuſcula pinguia & boni ſucci.

DE SPVMA ARGENTI, Cap. LXI.

SPuma argenti pota,ſtomachi & ventris & inteſtinorũ grauitatem inducit,cum torminibus intentis : quãdoque etiam inteſtina ſauciat grauitate,& vrinas ſupprimit. Intumeſcit autem ipſorum corpus, & plumbi colorẽ induit,indecorúmque efficitur.In iis conuenit poſt vomi-

F tum,hormini ſylueſtris ſemen cum vino potum,myrrhæ oboli tres,abſinthium,hyſſopus,aut apii ſemen,aut piper, aut liguſtri flos cũ vino. Columbarum item ſylueſtrium fimus aridus,cum nardo & vino.

DE PLVMBO, Cap. LXII.

ET qui plumbi ramenta aut loturam hauſerunt , ſimilia ſymptomata habent, & ſimilia auxilia requirunt cum iis qui ſpumam argenti biberunt.

DE ARGENTO VIVO, Cap. LXII.

G ET ὑδράργυρος, *id eſt argentum viuum* , eadem quæ ſpuma argenti inducit,& in his auxiliis iiſdem vti oportet Videtur autem ipſis prodeſſe multi lactis potus: verùm & hi vomant.

DE VERATRO ALBO, THAPSIA, ELATERIO, agarico nigro,ruta ſylueſtri,melanthio, recentibus Cacti ſpinæ pappis, Cap. LXIIII.

PRouidentia vtendum & in iis quæ ob vtilitatem exhibentur: pericula verò non minora ſæpe inducunt

H quàm alia medicamenta,qualia ſunt propoſita.Dico autẽ veratrum album , thapſia, elaterium, agaricum nigrum. Hæc enim ſuffocationem aut nimiam purgationem inducunt:in quibus ſuffocationes quidem, velut de fungis & ſimilibus dictum eſt,curabimus :nimias autem purga-

tiones iis quæ excretiones cohibere poſſunt, ſupprime- A mus. Quin & ea quæ parũ quidẽ lædere videntur, aliquandiu non negligẽda ſunt. Ex quodo autem pericula inducunt, non negligẽda ſunt. Ex quorum numero eſt & ſylueſtris ruta, & melanthium, & recẽtes pappi. Sunt autem flores ſpinæ quæ Cactos appellatur. In iis ſolus vomitus adhibitus reſtituit eos qui illa acceperunt.

DE IIS QVAE NOBIS FAMILIARIA ſunt, velut eſt vinum, & frigida aqua, Cap. LXV.

ET frigida aqua aceruata pota, & meracum multum, & dulce vinũ, maximè à balneo, aut curſu, & validis exercitationibus, ſuffocationes & dolores inducunt. In his autẽ venæ ſectio, & infuſi per clyſterem euacuatio aſſumpta, imminens periculum exoluunt.

PAVLI AEGINETAE DE RE MEDICA, Lib. VI,

Iano Cornario Medico Phyſico interprete.

PROOEMIVM DE HIS QVAE PER chirurgiam adminiſtrantur, Cap. I.

QVVM totam tractationem de iis quæ per chirurgiam adminiſtrantur, bifariã diuiſerimus, tum in ea quæ in carne aggredimur, tum in ea quæ in oſſibus, quorum conſideratio & in fracturis & in luxationibus conſiſtit, nunc ab iis quæ in carne adminiſtrantur, ordimur, conſueto nobis compendio etiam hîc vſi. Rurſus igitur ex ſuperioribus partibus initium facientes, vſtionem quæ in capite, & eam maximè quæ in vertice fit, exponemus.

DE CAPITIS VSTIONE IN LIPpientibus, ægrè reſpirantibus, & in elephante, Cap. II.

IN oculis humore ex ſupernis influente, & in difficulter ſpirantibus ob ſuperfluæ humiditatis redundantiam, quæ ex capite deorſum ad thoracem demittitur, & partes quæ iſtic ſunt, ſua aſſiduitate affligit, vſtionem circa medium capitis faciũt, hoc modo: Præraſis circa verticẽ partibus, cauteres oliuæ nucleos referentes immittunt, ad os vſque cutem adurentes, & poſt cruſtam elapſum os deradentes. Quidam verò etiam ipſo oſſe vſto, ſquamam paruam excidere faciunt, quò illinc humorum in capite perſpiratio ac euacuatio facilis contingat, ſeruántque aliquãdiu vlcus, deinde ſic ipſum ad cicatricem perducũt. At verò in iis qui ad elephantiaſin inclinationem habent, quidã quinque cruſtas in capite inurũt: vnam ab anterioribus partibus paululum ſupra ſinciput: alteram hac inferiorẽ, paululũ ſupra frontem, ad finẽ pilorum, & aliã ad occipitium, & reliquas duas, iuxta ſquamiformia dicta agglutinamenta, paululum ſupra aures, ita vt altera à dextra parte, altera à ſiniſtra fiat. Atque hoc modo per plurium ſquamarum detractionem, & multitudinem & craſſitudinem humorum exhalare faciunt, & ex capitis profunditate velut per canales educũt, & per hoc ne oculi lædantur prohibent: ſed & alium cauterem ſpleni adhibẽt, quò primariæ atrabiliarii humoris parti, per cruſtã in cutem factam, curatio contingat.

DE HYDROCEPHALIS, Cap. III.

HYdrocephalus affectus nomen habet ab humoris qui eſſentia aquoſus eſt, proprietate. Contingit hîc pueris circa ipſum partum, capite ab obſtetricibus ineptè compreſſo, aut ex cauſa obſcura, aut ex ruptura vaſis ſiue vaſorum, effuſo ſanguine in lentam ſubſtantiam commutato: aut per rarefactionem, materia perſudante, & inter cutem ac membranam caluariam ambientem delata. Nã aut inter caluariæ membranam, & cutem, humor conſiſtit, aut inter caluariæ membranam & os, aut inter os & cerebri membranam. Quibus igitur inter cutem & caluariæ membranam eſt humor, his adeſt tumor ad tactum mollis, concolor, doloris exors, in altum incuruatus, per exiguum corpuſculum ad digitorum infixum occurrẽs, facilè cedens, ac contrà renitens. Quibus verò inter caluariæ membranam & os conſiſtit, reliqua quidem ſimiliter habet, tumor autem ſolùm durior eſt, & tardè cedens, vt qui etiam per plura corpuſcula occurrat, magis etiam dolent: quibus autem inter cerebri membranam & os, his B tumor quidem erit, ſed non cedens, neque ſimiliter ad tactum mollis, & tamen violenta compreſſione impulſus cedit. Nam os infantium quum adhuc recens compactum ſit, facilè cedit, & maximè ſuturis rarefactis, ſi humoris tranſitus foras contingat. Hoc verò facilè cognoſcitur ex eo quòd humor in cõpreſſione retro redactus, in profundum decurrit. Dolor etiam iis maior eſt, & caput totum diſparatur, & frons ipſis extra proiecta eſt, & intentis oculis vident, & frequentius lacrymantur. In iis igitur chirurgiam reprobamus, etiamſi aliqui chirur- C gi terebello circumforatum os eduxerint, velut in loco de fracturis in capite dicetur. At ſi inter cutem & caluariæ membranam humor cõſiſtit, & paruus ſit tumor, vnã diſſectionem per medium tranſuerſam faciemus. Si verò inter caluariæ membranã & os, etiã maior fuerit tumor, duabus diſſectionibus vſi ſumus per mediũ ſeſe mutuò ſecãtibus: ſi verò adhuc aliquãto maior tumor ſit, etiã tribus literam η imitantibus. Cæterùm poſt chirurgiam excreto humore, & linamentis inditis, commodè deligabimus, & vſque ad tertium diem vino & oleo rigabimus. D Poſt quem diẽ ſolutione facta, per linamẽta medẽdi ductu curabimus: & ſi moram trahat os carne non obductũ, leuiter ipſum rademus.

DE ARTERIARVM SECTIONE, Cap. IIII.

IN fluxionibus oculorum diuturnis & in vertiginis affectione, arterias retro aures diſſecare conſueuimus. Præradenda igitur eſt poſterior capitis pars, & per digitos tẽtanda. Nã ex pulſu eius loci, arteriæ ſitus facillimè deprehẽdetur: & poſtea ad os vſque ſecare ipſam oportet, duorũ E digitorũ longitudinem ſectione habente, & atramento ſcriptorio antea notata. Hac verò non occurrente, trium digitorum ſpaciũ ab auribus metiri oportet, & tunc chirurgiam adhibere, & arterias per tranſuerſum diſſecare, donec & fluxus ſanguinis apparuerit pulſatorius, & organum cõtigerit os ipſum. Cæterùm poſt moderati ſanguinis fluxum, diuiſa caluariæ membrana, ne ob diſtentionẽ inflammetur, & oſſe deraſo, cuneolum ex linteo iniiciemus vulneribus, & linamentario ductu curabimus. Si verò etiam his nudum os permanſerit, ſimiliter huius raſu- F ra vtemur.

DE VASORVM EXSECTIONE ET vſtione, Cap. V.

IN dimidiæ capitis partis affectione, & in iis qui diuturna, aut etiam in acuta fluxione, calida & acri, oculos dolent, vt etiam calor circa temporum muſculos cum tumore oboriatur, vaſorũ exſectionem omnes approbarunt. Præraſis igitur circa tempora pilis, per digitos tentabimus, fomento præmiſſo, aut etiam colli conſtrictione vſi. Vbi verò vaſa ſub aſpectum venerint, ipſáque atramẽ- G to notauerimus, cutem ex lateribus, & noſtræ ſiniſtræ manus & ipſius miniſtri digitis leuabimus, & in ipſum vas ſuperficiariam ſectionem faciemus: deinde penitus inſectum, hamulíſque diſtentum vas, & per inſtrumenta mẽbranis detrahendis apta denudatum, vndiquaque exolutum attollemus. Et ſi quidem tenue fuerit, hamulo cæco

rit. Eſt item exterſoria, & vitiligines aufert cum aceto: A & alopeciis affricta citius quàm alcyoniũ pilos producit. Succus ipſius ſuffuſis oculis aut hebetibus ob craſſum humorem prodeſt.

¶ *Κύαμος, id eſt faba*, non multum à medio temperamẽto abeſt, tum perfrigerando, tum calfaciendo. Caro ipſius etiam exterſoria quadã facultate participat. Itaque expuitionibus ex thorace & pulmone conuenit. Quum autem cortex habeat quid adſtrictionis, tota faba cœliacis ac dyſentericis prodeſt in aceto cocta: in cataplaſmate verò B impoſita inflãmationes & tumores ſedat, & lac in mammis extinguit. Kyanos acrem vim habet, deprimentem ac conſumentem, itémque diſcuſſoriam ampliorem quàm eſt in Cinnabari. participat etiam adſtrictione.

Kyclaminus variam vim habet. Nam & extergit, & ſecat, & aperit, & attrahit & diſcutit. Succus itaque eius appoſitus hæmorrhoidas aperit, & duritias diſcutit cũ aliis. Verùm cum melle ſuffuſis oculis commodat, & per nares purgat, imò ventri illitus aluum ſubducit, & fœtus corrumpit. Radix tota ſucco quidem debilior eſt, vehemens C tamen etiã ipſa, adeò vt cum aqua mulſa pota trium drachmarum pondere, interna expurget. Extergit etiam cutis vitia. At verò altera cyclaminus, (quã & Ciſſanthemon vocant) quum radicem inutilem habeat, ſemen habet efficax, ita vt potum priori ſimilia faciat. Kyminum calefacientis eſt facultatis tertio ordine. Vrinam etiã ciet, & flatus diſcutit. *Κυνὸς βάτου, id eſt rubi canini*, fructus non ingeneroſè adſtringit: folia verò moderatè adſtringunt. Vitare oportet id quod fructu velut lanuginoſum eſt. nam arteriam lædit. *Κυπαρίσσου, id eſt cupreſſi*, pilulæ D ac germina ſiccantem vim habẽt, cui nihil manifeſtæ caliditatis adeſt, adeò vt vulnera magna glutinet in duris corporibus, & in flaccidis putrefactionibus humiditates in profundo citra moleſtiam depaſcatur, & inteſtinorum ramici opituletur. *Κυπερίς, id eſt iuncus quadratus*, calefacit ac ſiccat, citra mordacitatem. Vnde humidiora vlcera mirificè ad cicatricem perducit, & vlcuſculis in ore commodat. Habet etiam vim incidendi, calculóſque atterit, & vrinas ac menſes ciet. *Κύπρου, id eſt liguſtri*, folia & ramuli mixtam habẽt facultatem, diſcuſſoriam & ad- E ſtringentem, & citra moleſtiam ac mordacitatem ſiccantem: vnde decoctum ipſorum affuſum ambuſta ſanat, & feruidis inflammationibus conuenit. Feruidis item vlcuſculis oris, commanſa profunt, & ſplenicis compoſitionibus miſcentur. Kytiſi folia leniter diſcuſſoriam ac tepidam facultatem hạbẽt, quemadmodum & maluæ.

¶ *Κώνειον, id eſt cicuta*, quòd ſummè perfrigerantem vim habeat, manifeſtum eſt. *Κώνου, id eſt ſtrobili*, arboris cortex & folia, ſimilem pino vim habent: verùm acriora ſunt & efficaciora. Fructus autem quem *στρόβιλον, id eſt nucem pineam*, nominant, quum viridis eſt, habet quid ama- F rum & acre cum humiditate: quapropter affectionibus thoracis ad facilem eductionem commodat. Qui verò editur, in aqua maceratus vt acrimoniam deponat, temperatus euadit, mordacitatiſque exors eſt, ac meatus obducit. Quare etiam aſperitates læuigat.

Initium literæ Λ.

Lagopus ſiccantis eſt facultatis, & alui fluxiones reficcat. G Ladanon è ciſtho Ladano dicto fit. Nam capellæ ipſum depaſcentes, in barbis ac femoribus ſuis, id quod pinguius eſt & ſucculentum auferunt. Id collectum Ladanum exiſtit optimum medicamentum, calidum in ſecundo abſceſſu, & tenuium partium, moderatéque molliens, ac diſcuſſorium & concoctorium. Quapropter vteri affectionibus priuatim competit: habet etiam quid adſtringens: vnde defluos pilos corroborat. Lathyris ſpecies eſt tithymalli. Quidam tradunt ſuccum eius ſimiliter vt illum purgare. Verũ ſemen huius maximè purgatoriam vim habet. Lapſana, ſi edatur, malum hu- H morem generat: ſi verò in cataplaſmate imponatur, exterſorium quid ac diſcuſſorium habet. *Λάπαθον, id eſt rumex*, diſcuſſoriam moderatè vim habet. At oxylapathum ſupra hanc etiam repulſorium quid habet. Semen autem præſertim oxylapathi adſtringit, ideóque alui profluuia ac dyſenterias ſanat. Cæterùm folia contrario quodam modo ſe habent ad ſemen. Nam hæc caluum exturbant: illud autem potum aluum cohibet.

¶ Lemonii fructum vt qui auſterus ſit, cum vino dant cœliacis ac dyſentericis, & ſanguinem ſpuentibus, & ad muliebrem fluxum acetabuli menſura. Lechen qui in petris naſcitur, velut muſcus eſt, exterſoriam & moderatè frigefacientem ac ſiccantem habens facultatem. Curat autem impetigines lichenas dictas, & inflãmationes arcet. Quemadmodũ autem Dioſcorides ait, etiam ſanguinis eruptiones ſiſtit. Lichenes equorum impetigines cum aceto tritas, comitiales & omnis virulentæ beſtiæ morſum ſanare dicunt.

Leontopetali radix calidæ ac ſiccæ in tertio ordine, itémque diſcuſſoriæ eſt facultatis. Lepidium (quam etiam Iberidem vocant) ex quarto calefacientium ordine eſt: & ſimilem quidem naſturtio vim habet, ſed minus ipſo ſiccat. *Λεπίς, id eſt ſquama*, omnis fortiter ſiccat & adſtringit, & non ingeneroſè mordax eſt: verùm quæ ex ære eſt, amplius ſiccat, & magis tenuium partium eſt, habétq; aliquid æruginis, & magis ea quæ ex Cypriis clauis decutitur, quam propterea *ἡλῖτιν, id eſt clauarem*, nominant. At ferri ſquama plus adſtrictionis habet, atque hac adhuc magis ſtomomatis: vnde etiam ad maligna vlcera præſtantior eſt. Sed & carnem magis deprimit ac conſumit quàm quæ ex ære eſt. Leucacanthum, alii Polygonaton, alii Iſchiada vocant: huius radix ſecat ac ſiccat in tertio ordine, calefacit in primo. Leucas calefacit ac ſiccat tertio ordine: prædominatur tamen acrimonia.

Λευκοΐου, id eſt uiolæ albæ, totus quidem frutex exterſoriam & tenuium partium vim habet: magis tamẽ flores, & quæ ex iis ſunt ſicciores: quare & menſes mouent, & fœtus perdunt ac expellunt: & ſiquis ipſorum vim per aquæ admixtionem obtundat, etiam ad inflammationes conducent, & maximè eas quæ in vtero ſunt. Radices item eandem vim habentes, craſſiorum partium ſunt, & magis terreæ. Hæc cum aceto induratis inflammationibus proſunt.

Λεύκη arbor, id eſt populus alba, ex aquoſa ac tepida & terrea ſubſtantia conſtans, exterſoria facultate participat.

¶ Libanotides tres ſunt: vna ſterilis, duæ fructiferæ. Vim habent extergendi, incidendi, diſcutiendi ac molliendi. Harum ſuccus cum melle viſus hebetudinem ex humorum craſſitudine obortam ſanat: eius verò quæ in coronas nectitur decoctum potum, regio morbo laborantibus prodeſt. *Λιβανωτὸς, id eſt thus*, calfacit ordine ſecundo, ſiccat primo. Habet etiam modicum quiddam ſubadſtringens. Cortex ipſius manifeſtè adſtringit. Quare etiam ſiccat ſecundo abſceſſu completo. Eſt etiam craſſiorum partium quàm thus, & minus acris: vnde & ſanguinem ſpuentes, & dyſentericos, cœliacóſque ac ſtomachicos ſanat, & foris & intrò aſſumptus. Fuligo autem thuris calefacit ac ſiccat in tertio abſceſſu, habens etiam quid exterſorium quod vlcera in oculis repurgat ac extergit. *Λιγνὺς, id eſt fuligo*, quarundam rerum dum vruntur eſt, velut thuris, myrrhæ, terebinthi, ſtyracis, picis liquidæ, cedri: hæc ſiccat, & terrea ac tenuium partium exiſtit. Differentiæ ipſius ſecundum ſpeciem, iuxta vſtam materiam fiunt. Vtuntur autem ipſa maximè ad compoſitiones oculares, & ornandis palpebris deſtinatas. Præ omnibus in vſu eſt fuligo thuris, velut mitior: fortior autem eſt pini, coni, ac piceæ. Vnde ad glabras palpebras, & putridos ac eroſos & lacrymantes oculorum angulos cõmoda eſt. Liguſtici & radix & ſemen, in tantum calefaciunt vt menſes moueant: flatus item valde diſcutiunt. *Λιθάργυρος, id eſt ſpuma argenti*, medii inter metallica ordinis eſt. Quapropter velut materia ſæpe ipſa vtimur, ad alia medicamenta in compoſitiones ipſam admiſcentes. Siccat tamen moderatè, & extergit ac adſtringit: quare etiam ad femorum intertrigines commodat.

Λίθοι, id eſt lapides, omnes, quemadmodum etiam terra, ſiccant: verùm Hæmatites adſtringit & multum ſiccat, vt aſpretudinibus oculorum cõueniat, ſi abſit inflammatio, cum aqua: ſi adſit, cum ouo. Conducit etiam ſanguinis ſputo potus, & vlcera nimia carne excreſcentia deprimit,

Σχιστὸς, id eſt ſciſſilis, lapis ſimilem huic vim habet, ſed debilior eſt. Et poſt ipſum galactides: at melitites habet etiam quid caliditatis. Moroxus (quem & Leucographidem vocant) quanto his mollior eſt, eò quòd nullam habet efficacem qualitatem, tanto moderatior eſt, magiſque dolorem eximit. Quapropter in mollibus corporibus ad vlcera cicatrice inducenda, cum cerato ipſo vtuntur.

Iaſpis ſubuiridis fortiorem vim habens, cicatrices & pterygia extenuat: at viridis iaſpis ſtomacho prodeſt & appenſus & in digito geſtatus. Iudaicus lapis calculos in rhenibus atterit: vnde etiam tecolithũ iuniores ipſum appellauerunt. Pyrites ex fortiter diſcutientibus eſt ad tumores ac ſanguinis grumos hoc non præſente, mylite vtuntur. Phrygius vnà cum hoc quòd fortiter ſiccat, etiam aſtrictionis ac mordacitatis quid habet: vnde & repellit, & diſcutit: quare etiam ocularijs compoſitionibus miſcetur. Ageratus, aſtringendi ac diſcutiẽdi vim habens, gurgulionibus inflammatis prodeſt. Aſiæ petræ flos in tantum tenuium partium eſt vt flaccidas carnes citra mordacitatem reſiccet. Gagates quum multum ſiccet, inflationibus diuturnis maximè conducit. Magnetes (qui & lapis Heraclius) ſimilem hæmatiti vim habet.

Arabicus ebori ſimilis eſt, ſiccat & aſtringit. Alabaſtriten vſtum quidam ſtomachicis bibendum exhibent.

Smiris exterſoriam vim habens dentes expolit. Lapides qui in ſpongiis reperiuntur, calculos in rhenibus atterunt: ſimilem his vim habent qui in Argæo Cappadociæ monte generãtur: ſimiliter & qui Ophites appellatur, qui etiam à vipera morſis alligatus prodeſt. Oſtraciten & geoden multum ſiccare produnt, vt etiam tumores inflammatos ſanent. Cotis Naxiæ detrimentum frigefactoriũ eſſe dicunt, vt & virginum mammas, & puerorum teſtes contrahat. Quod verò ex olearia cote deteritur, exterſorium eſt, & alopeciis cõmodum. Hieraciten & Indicum lapidem aiunt appenſum hæmorrhoidũ ſanguinem ſiſtere. Saphirũ autem potum, à ſcorpio percuſſis prodeſſe: Aphroſelenũ verò comitialibus. Armeniacus aluum quidem deorſum purgat: eſt autem ſtomacho noxius.

Lithoſpermon (quod alii leioſporon, alii heraclium vocant) herbæ aetonychi dictæ ſemẽ eſt, lapidoſum, album. Hoc cum vino albo potum, calculos atterit, & vrinas ducit. *Λινόσπερμον, id eſt lini ſemen*, calidum eſt in primo ordine: medium autem inter humectantia ac ſiccantia. Si edatur flatuoſum eſt, etiamſi torreatur. *Λινόζωστις, id eſt Mercurialis*, aluum ſatis largè ſubducit: in cataplaſmate verò appoſita diſcutit. Noſſe verò hoc conuenit, quòd mercurialis ſemen eminentiis corporis præter naturam affrictum, ipſas abolere compertum eſt. Has autem eminentias vulgò narphia vocant. Oportet autem viride ſemen eſſe, & eminentias ſæpe ipſo confricare. Litrum, *ſiue Nitrum*, in medio eſt facultatis aphronitri ac ſalis: vſtum autem tenuiorum partium ac magis diſcuſſorium euadit. Et ſi intra corpus ſumatur, ſecat & attenuat craſſos ac viſcoſos humores plus quàm ſal. At chalaſtræum (eſt autem locus Theſſalonicæ Chalaſtra) acrius eſt & magis ſiccat: quare etiã ad fluxiones è capite, & ad articulorum affectiones ipſo vtuntur.

¶ Lonchitidis quæ ſemen triangulare habet, velut cuſpis, radix ſimilis dauci radici, vrinam ciet: eius verò quæ ſcolopendrio ſimilis eſt folia viridia quidem vulnera glutinant, ſicca autem cum aceto pota, lienes induratos ſanant.

¶ Lycapſi radicem vt quæ adſtringens ſit, Dioſcorides ignibus ſacris conuenire dicit ſi cum polenta in cataplaſmate imponatur: tritam verò ac cum oleo illitam ſudores mouere. Lycium ex diuerſi generis facultatibus compoſitum eſt, altera calida & tenuium partium ac diſcuſſoria: altera terrea frigida & leniter adſtringente, vt ſecundo ordine ſiccet: in calefaciendo verò ac frigefaciendo medium teneat. Quapropter velut exterſorio ipſo vtuntur in his quæ pupillis tenebras offundunt: verùm velut adſtringente in cœliacis ac dyſentericis, & vlceribus malignis: at in inflammationibus, velut diſcuſſorio. Primarium autem eſt Indicum. Lyſimachium adſtringentem facultatem prædominantem habet: vnde vulnera glutinat & ipſa & ſuccus ipſius, ſanguinémque ſiſtit, & dyſentericis prodeſt pota, & per ſedem infuſa.

Lychnidis quæ in coronas nectitur, ſemen calidum eſt & ſiccum ſecundo ordine completo.

¶ Lotus herba ſatiua (quam aliqui *τρίφυλλον, id eſt trifolium*, vocant) exterſoriam & moderatè ſiccantem vim habet: temperata autem eſt in caliditate. At ſylueſtris ſemen ſecundi ordinis eſt calefacientium, habet etiam quid exterſorium: verùm Ægyptiæ ſemen etiam in panes conficitur. Lotus arbor tenuium partium eſt, & ſiccat, & adſtringit moderaté: vnde ad fluxũ muliebrem, & ad alui fluxiones pota cõducit cum vino aut cum aqua, aut etiam per ſedem infuſa: defluos item capillos corroborat.

Initium literæ M.

Macer cortex eſt qui ex India affertur, ſiccans tertio ordine, medius in caliditate ac frigiditate. Eſt etiam adſtringens, tenuium partium: vnde cœliacis & dyſentericis conducit. Malabathri foliũ ſpicæ nardi ſimilem vim habet. *Μαλάχη, id eſt malua*, ſylueſtris moderatè diſcutit ac mollit: hortenſis vt humidior, ita debilior eſt. Semen autem tanto fortius, quanto ſiccius. Mamiras velut radicula quædam eſt herbæ, habẽs frequentes quoſdam velut nodos: hæc cicatrices & albugines attenuare creditur, nimirum quæ exterſoriam habeat facultatem.

Mandragoras tertii frigefacientium ordinis eſt: mala verò eius etiam caliditate aliqua participant, itémque humiditate. Vnde etiam ſoporoſam vim habent. At radicis cortex vehementiſſimus, non frigefacit ſolùm, ſed etiam ſiccat. interna verò ipſius pars debilis eſt. Manna thuris ſimilem thuri vim habet, remiſſam tamen, & leniter adſtringentem. *Μάραθρον, id eſt fœniculum*, calefacit tertio ordine, ſiccat primo. Quare etiã lac generat, & ſuffuſis oculis opitulatur. Maſtiche, Chia quidem calefacit ac ſiccat ſecundo abſceſſu: eſt autem compoſitæ facultatis, adſtringentis ſimúlque mollientis: vnde ſtomachi, alui, inteſtinorum, & hepatis inflammationibus conducit. Ægyptia verò nigrior quodammodo eſt, ſiccátque ac diſcutit magis, ſed minus adſtringit, ideóque furunculos diſcutit.

Μέλαν, id eſt atramentum, Indicum (vt Dioſcorides dicit) ex iis eſt quæ leuiter frigefaciunt, & rumpũt imflammationes ac tumores laxos, vlceráque purgant. Atramentum autem quo ſcribimus, ſatis etiam ipſum ſiccat: verùm ſi poſca diluatur, ambuſtis illitum ſtatim auxiliatur.

Μελαντηρία, id eſt atramentum metallicum, multum adſtringit, cum partium tenuitate. Melanthium calfacit ac ſiccat tertio abſceſſu. Eſt etiam tenuium partium: vnde deſtillationes olfactu ſanat, & ſi intrò ſumatur, flatus maximè diſcutit. Eſt etiam amarum: vnde lumbricos occidit. Extergit item ac ſecat: vnde recta ceruice ſpirantibus cõducit, & lepras deterit, & formicarias verrucas eximit, & menſes mouet. *Μέλι, id eſt mel*, calefacit ac ſiccat ſecundo ordine, & ſatis abunde extergit. Coctum minus acre & exterſorium eſt, & ventrem ſubducit, ſed magis nutrit: at amarum mel, velut & id quod in Sardonia fit, mixtam habet facultatem, terream ac calidam. Cæterùm ſaccharum quod ex felici Arabia affertur, minus dulce eſt eo quod apud nos eſt, ſed æqualem vim habet, ad hoc quòd neque ſtomacho noxium eſt, neque ſitim inducit, velut hoc noſtrum. *Μελία, id eſt fraxinus*, nota eſt arbor, cuius folia pota morſis à vipera commodant. Cortex vſtus, & cum aqua illitus, lepras remouet. Ligni ramenta pota lethalia eſſe dicunt. Melilotum mixtam vim habet, adſtringentem ac diſcuſſoriam & concoctoriam. *Μελισσόφυλλον, id eſt Apiaſtrum*, ſimilem marrubio vim per omnia habet. Memæcylon comari, *id eſt arbuti*, fructus relatus ſupra eſt in litera K.

Meſpila, quæ alii tricocca, *à tribus quæ habent granis*, appellant, acerbus admodum hic fructus eſt, & vix edi poteſt, ventrémque cohibet. Sed & germina & folia arboris ipſius abunde acerba ſunt. Medii radix aliquantum contrariam ſemini vim habet: hæc enim auſtera eſt, & fluxiones ſiſtit, vt etiam muliebrem fluxum ſiſtat. Semen autem menſes propellit, vtpote tenuium partium & inciſoriam vim habens. *Μήκων, id*

eſt papauer, multas ſpecies habet: verùm hortenſe, quod & thylacitin vocant, in cibi vſum venit, & cum panibus comeditur, éſtque moderatè ſomnificum. Quod autem Rhoeas vocatur, eo quòd ſemẽ ipſius citò defluat, id fortius quàm hortenſe eſt. Editur itaque non per ſe, ſed pauciſſimum ad copioſius mel miſcetur. Quod verò velut deſidentem ac depreſſum calicem habet, id ſemen habet nigrum & medicatum, abunde frigidum: at quod oblongiorem calicem habet, & aliàs contractiorem, id omnium medicatiſſimum eſt, vt torporem inducat vſque ad mortificationem. Eſt enim quarti frigefacientium abſceſſus tum ipſum tum ſuccus ipſius, quem per excellentiam opium appellant. Cæterùm papauer κερατῖτις, *id eſt cornutum*, exterſoriam vim habet: quare radicis ipſius decoctum potum, hepaticis prodeſt. Folia verò & flores valde ſordida vlcera purgant, & cruſtas remouent. Heracleum & ſpumoſum appellatum papauer, ſemen habet quod pituitam purgat. Μῆλα, *id eſt mala*, omnia humiditatem ſuperfluam in ſe habent ac frigidam: verùm exoluta & aquoſa, frigidiora & humidiora aliis ſunt: dulcia verò aquoſa quidem ſunt, non tamen manifeſtè frigida: auſtera frigidiora dulcibus ſunt, ſed minus humida: acida frigida quidem & ipſa ſunt, ſed humores in ventre ſecant: acerba (velut ſunt cydonia & ſthrutia dicta) frigidum ac terreum temperamentum habent, & propterea aluum ſiſtunt, & vulnera glutinant: ita etiam folia, & ſucci, & cortices arborum inter ſe differunt. Mali Perſicæ germina ac folia manifeſtè amara ſunt. Lumbricos itaque occidunt, trita vmbilico impoſita. Fructus ipſius, malum videlicet hoc Perſicum quod editur, humidum eſt ac frigidum ſecundo abſceſſu. Mali Armeniacæ fructus, quem nunc præcocia vocant, eiuſdem cum Perſicis facultatis eſt. Mei radices calidæ ſunt tertio ordine, ſiccæ ſecũdo: menſes igitur & vrinas cient. Quòd ſi tamen vberius ſumatur, capitis dolorem inducit.

Milax, aut ſmilax, & leuis & aſpera, quæ arbores amplectitur, calidæ & acris eſt facultatis. Miſy ex cruſtam inducentibus ac vrentibus cum forti adſtrictione, medicamentis eſt. Minus autem mordet quàm chalcitis, eo quòd tenuium partium exiſtit. Sed & chalcitidem & ſori, ob vetuſtatem in miſy tranſmutari Galenus dicit, mutatione ex ſuperficie incipiente.

Μολύβδαινα (*id eſt plumbago*) ſpumæ argenti ſimilem vim habet, à medio temperamento ad frigidius progreſſa.

Μόλυβδος, *id eſt plumbum*, vim habet perfrigerantem: habet etiam humidam ſubſtantiam plurimam à frigiditate compactã. Si igitur in ipſo aut vinum aut oleum crudum, aut aliquem frigefacientem ſuccum contriueris, ad vlceroſas inflammationes circa pudenda ac ſedem, optimum medicamentum habebis. Lamina porro plumbea circa lumbos geſtata, ſeminis per ſomnum effuſiones cohibet. Sed & γάγγλια, *hoc eſt neruorum in nodum coactiones*, diffundit lamina plumbea ipſis impoſita. Vſtum plumbum magis quidem ſiccat, ſed habet etiam quid amari. Si verò lotum fuerit, citra mordacitatem ſiccat, & malignorum vlcerum optimum eſt medicamentum.

Μορέας, *id eſt mori*, fructus maturus aluum ſubducit, & in medicamenta ori deſtinata, ſtomatica dicta, & ad alia quæ moderata adſtrictione opus habent, vtilis eſt: immaturus autem ſiccatus medicamẽtum valde adſtrictorium euadit. Cortex radicis arboris purgatorius eſt cum quadam amaritudine: vnde latum lumbricum necat. Foliorum autem & germinum media quodammodo eſt inter aluum ſubducentia ac ſiſtentia facultas.

¶ Μύαγρος, (*quam alii uocant melampyron*) herba eſt ſarmentitia ac pinguis. Pinguedo ex ipſa, corporis aſperitates explanare videtur. Et ſemen myagri pingue eſt, & quod in ipſo eſt oleoſum, meatus obducendi habet facultatem.

Μύακες, *id eſt mytuli uſti*, eadem quæ buccina faciunt: magis autem propriè loti, palpebrarum craſſitudinem & albugines deterunt cum melle. Caro ipſorum morſis à cane vtiliter imponitur. Μυελὸς, *id eſt medulla*, vim habet indurata & in ſcirrhum coacta corpora molliendi. Optima eſt ceruina, deinde vitulina: at taurorum & hircorũ acrior eſt, & magis ſiccat. Et quæ quidem ex artubus eſt, pin-

A guior eſt, & magis mollit: quæ verò ex ſpina, durior ac ſquallidior. Μύκητες (*id eſt fungi*) frigidi & humidi admodum temperamento ſunt. Quidam etiam ex ipſis in cibo accepti necant, & maximè qui ex ipſis naturam putredinoſa qualitate permixtam habent. Μυοσώτη (*id eſt auricula muris*) dicta eſt in alſine. Myxa fructus arboris eſt minor primo, ſed facultate ſimilis.

Myrica ſecandi ac extergendi vim habet, citra hoc vt manifeſtè ſiccet. Habet autem & aliquam adſtrictionem. Decoctum itaque ipſius lienes iuuat potum: ſanat etiam B dentium dolorem. Fructus autem & cortex ipſius prope ad gallæ facultatem accedunt. Cinis arboris magis ſiccat.

Μυριόφυλλον, *id eſt Millefolium*, ſiccantem adeò vim habet vt vulnera glutinet. Myrrha, ſiue Myrrhis, ſecundi ordinis calefacientium eſt, habens etiam quid tenuium partium: radix ipſius odorata ac dulcis eſt, menſéſque mouet, & quæ in thorace ac pulmone hærent repurgat. Μυῤῥίνη, *id eſt myrtus*, ex contrariis ſubſtantiis conſtat. Prædominatur tamen in ipſa terrea frigiditas: vnde fortiter ſiccat. At myrtis, quæ in trunco ac ra- C mis eius eminens appendix eſt, ſiccat & adſtringit vehementius: ſed & folia ſicciora magis quàm viridia ſiccant. Fructus quoque ac ſuccus ſimilem vim habent, tum foris adhibita, tum intra corpus aſſumpta.

Μῶλυ (quidam rutam ſyluestrem, alii armalan, Syri verò beſaſan vocant) tertii ordinis calefacientium eſt & tenuium partium: vnde etiam craſſos ac viſcoſos humores ſecat ac diſcutit, & vrinam propellit.

Initium literæ N.

D Naſcaphthon (quod alii Narcaphthon vocant) Indicum eſt aroma, quod ad vterum adſtrictum ſuffitur.

Νάπυ, *id eſt Sinapi*, calefacit ac ſiccat in quarto abſceſſu.

Ναρδόσταχυς, *id eſt Spica nardi*, huius radix calefacit primo abſceſſu, ſiccat ſecundo: habet etiam quid adſtringens, & acre, & ſubamarum: proinde hepati & ſtomacho conuenit foris adhibitum, & intrò potum. Vrinas item ciet, & internarum partium fluxiones ſiſtit. Indica fortior ac nigrior eſt quàm Syriaca. Nardus autem Gallica ſiue Celtica ſimilem relatæ vim habet, ſed debilior eſt, E præterquam ad vrinam ciendam: nam calidior eſt quàm illa, & minus adſtringit: at montana Nardus, quæ & thylacitis & pyritis dicitur, prædictis debilior eſt. Νάρθηκος, *id eſt ferulæ*, ſemen attenuat ac calefacit: quod verò intus velut medulla eſt, dum adhuc viridis eſt, adſtringit. Quare ſanguinem ſpuentibus & cœliacis prodeſt.

Νάρκη (*id eſt torpedo*) marina, ſi caput dolentibus adhuc viua apponatur ad caput, dolorem eximit: fortaſſis ob hoc ipſum quòd torporem inducit. Sed & oleum in quo viua cocta fuerit, illitum, acriores morbi articularis dolores mitigat. Sedem etiam prolapſam, ipſam appoſitam F reprimere ferunt. Narciſſi radix ſiccandi vim adeò habet vt etiam maxima vulnera glutinet, vſque ad tendines etiam diſſectos: habet etiam quid exterſorium ac attractorium.

Neuras (quam alii poterium vocant) ſiccantem citra mordacitatem vim habet, ita vt & ipſa neruos diſſectos glutinet. Radices autem hoc maximè faciunt impoſitæ & potæ. Nerion, ſiue Rhododaphne, ſi forinſecus in cataplaſmate imponatur, diſcuſſoriam vim habet: in- G tro ſumpta occidit.

Nymphæa vim habet ſiccantem citra mordacitatem. Proinde & ventrem ſiſtit, & genitale ſemen reſiccat. Verùm quæ albam radicem habet fortior eſt, adeò vt etiam fluxum muliebrem ſanet pota cum vino nigro & auſtero: quæ verò nigram radicem habet, exterſorium etiam quid habet quo vitiligines cum aqua illita ſanat, & cum pice liquida alopecias.

Initium literæ Ξ.

H Ξάνθιον, aut φασγάνιον, *id eſt Lappa*, ſemen habet diſcuſſoriæ facultatis. ¶ Ξυρις, ſiue Xyris tenuium partium vim diſcuſſoriámque & attractoriam habet, & nimirum ſiccantem, & magis ipſius ſemen, ita vt vrinam cieat, & ſplenem induratum ſanet. Ξιφίον, *id eſt gladioli*, radix attractoriam & diſcuſſoriam ac ſiccantem vim habet.

Initium literæ O.

Oa arbor, cuius fructus ὄα, ab aliquibus verò ὄα, id eſt Sorba, vocantur, adſtringendi vim habet, ſed minus quàm meſpilus.

¶ Oenanthem aliqui ſuccum eſſe aiunt herbæ in Arabia quæ ad Ægyptum eſt naſcentis, alii lapidem Ægyptium. Extergit autem & mordet, omnia quæ pupillis tenebras offundunt deterens.

¶ Oenanthen, plurimus vſus ſylueſtris vitis florem eſſe nouit, qui abundè adſtringit & corroborat, maximè partes circa ventrem. At Diſcorides aliam huic facultati contrariam deſcribit. Vnde & ſecundas ipſam eiicere dicit, & vrinæ ſtillicidium ac morbum regium ſanare.

Οἶνος, id eſt uinum, ex ſecundo ordine eſt eorum quæ calefaciunt ac ſiccant: quod verò admodum vetus eſt, ex tertio: muſtum autem in primo. Oeſypus in lanarum tractatione relatus eſt.

¶ Ὄλυνθοι, id eſt groſſi, acrem ac diſcuſſoriam vim habent, propter eum qui in ipſis eſt ſuccum. Cocti igitur duros tumores diſcutiunt: crudi verò verrucas formicarias, & eas quæ thymi appellantur eximunt. Oloſteon ſiccantem vim habet cum adſtrictione: vnde ipſo etiam ad ruptiones vtuntur.

¶ Omphacium ſuccus eſt vuæ acerbæ: adſtringit abundè, & ſiccat tertio abſceſſu. Vnde fluidis affectionibus, & maximè ſtomachicis, conuenit. Omagra (quam alii omotheram, alii omothurim vocant) frutex eſt arboroſus, cuius radix in cataplaſmate impoſita, fera vlcera mitigat.

¶ Onoſma, ſiue onomis, aut phlonitis, aut ononis, acris & amara eſt: vnde folia ipſius pota cum vino, fœtus necant ac eiiciunt. Onobrychis rarefacientem ac diſcuſſoriam vim habet. Tubercula itaque diſcutit, & vrinæ ſtillicidia ſanat, & ſudores prouocat. Ὄνοι, id eſt aſelli, qui ſub vaſis aquariis reperiuntur, & in globum ſe contrahunt, diſcuſſoriam ac ſiccantem vim habent. Itaque poti cum vino, vrinæ difficultatem & morbum regium ſanant. Angina laborantibus illinuntur cum melle, & ad aurium dolorem triti cum roſaceo calefacti in mali Punici putamine inſtillantur. Onyches conchyliorum Indicorum opercula ſunt. Hæc ſuffita eas quæ ab vtero ſtrangulantur excitant, itémque à comitiali prehenſos: pota verò aluum turbant. Ononis radicem habet calefactoriam circa tertium ferme ordinem. Cortex ipſius extergit ac ſecat: vnde etiam calculos atterit.

¶ Ὀξὸς (id eſt acetum) mixtæ facultatis eſt frigidæ ac calidæ, quæ ambæ tenuium partium exiſtunt: prædominatur tamen frigida calidæ. In tertio autem ordine ſiccat.

Oxyacanthos arbor piraſtro ſimilis eſt ſpecie ac facultate, habétque etiam quid tenuium partium. Fructus eius myrti baccis ſimilis eſt.

¶ Opium in tractatione de papauere dictum eſt.

Ὀπὸς (id eſt ſuccus) & Cyrenaicus & Medicus, & Syriacus, per excellentiam dicũtur. Sunt autem valde calidi ac flatuoſi: verùm Cyrenaicus omnium calidiſſimus, & maximè tenuium partium eſt.

¶ Origani omnes ſpecies ſecandi ac attenuandi, ſiccandíque ac calefaciendi vim habent in tertio abſceſſu.

Ὀρεοσέλινον (id eſt apium montanum) ſimilem apio vim habet, ſed fortius eſt. Orobanche ſicci ac frigidi temperamenti eſt in primo ordine. Ὄροβος (id eſt Eruum) calfacit ordine primo, ſiccat ſecundo. Eſt autem amarum: vnde ſecat, & extergit, & aperit obturata. Si verò amplius ſumatur, ſanguinem per vrinas ducit. Orminon marrubio ſpecie ſimile eſt, calidúmque ac moderatè ſiccum, & exterſorium. Venerem itaque ſtimulat, & oculorum craſſitudines depurgat cum melle, & tumores laxos diſcutit, & aculeos extrahit: ſylueſtre fortius eſt ſatiuo.

Oryza habet quid aſtringens: quare etiam ventrem moderatè ſiſtit. Orchis herba appellatur etiam κυνὸς ὄρχις, id eſt teſticulus canis, habétque radicem duplicẽ bulbo ſimilem. Vis, maioris quidem, humida eſt ac calida, quare etiam ad venerem ſtimulat: minoris autem, calida eſt ac ſicca. Itaque vice verſa venerem cohibet. Orchis quæ & Serapias, & ab aliis triorchis, quaſi triteſticulatus, dicitur, magis priore ſiccat. Tumores itaque laxos diſcutit, & vlcera ſordida ac putredinoſa purgat, & herpetas ſanat: ſiccata verò magis ſiccat. Quia verò ſubaſtringit, inde adeò etiam aluum ſiſtit cum vino pota.

¶ Oſiris ex qua ſcopas faciunt, amara eſt, & hepar ab obturatione liberat. Oſſa vſta diſcuſſoriam & admodum ſiccantẽ vim habent, & maximè humana, velut aiũt. Suillum certè talum vſtum, inflationes & tormina ſanare tradunt. Eſt quidã qui oſſa vſta bibẽda exhibet, & morbum comitialem ac articularẽ curat. At bubulũ talum vſtum, mobiles dentes firmare dicunt: idem cũ melle potus lumbricos rotũdos exigit: cũ aceto mulſo verò ſplenem cõſumit. Illitus etiã vitiligines λεύκας, id eſt albas, dictas iuuat: idem etiã venerẽ ſtimulat. Sed & femora bouis vſta pota, ſanguinis eruptiones & alui fluxum ſiſtũt. Ὄστρακα, id eſt teſtæ, ex fornacibus tritæ, ſiccantem & exterſoriã vim habent: vnde dentes poliunt, & cum aceto illitæ prurigines, & puſtulas, & podagricos iuuant: cum cerato verò ſtrumas diſcutiunt. Oſtreorum teſta vſta buccinorũ teſtis ſimilem facultatẽ habet, ſed minus craſſarum partium: faciei itaque vitia extergit, & dentes dealbat. Si verò lauetur, mordacitatem amittit, & humidis vlceribus ad expletionem, & cicatricem inducendam commodat.

¶ Οὖρον, id eſt urina, omnis calida & acris eſt. Sed debilima inter animaliũ vrinas humana eſt, exceptis ſuibus caſtratis. Eſt autem admodũ exterſoria, eáque aliqui in peſte pota ſeruati ſunt. Lepras item & putrida vlcera, & manantia capitis vlcera, & furfures curat: attritus quoque pedum ex offenſione, ſi non fuerint inflammati. At impubium puerorum vrina fortior eſt, ex qua etiam chryſocolla fit. Mulorum vrina in articulares compoſitiones conuenit. Camelorum & caprarum vrina aluum ſubducit, vnde hydropicis bibenda exhibetur.

Initium literæ Π.

Pancratium & ſpecie & viribus ſimile eſt ſquillæ, ſed debilius. Paliuri folia & radix aſtringunt. Vnde etiam fluentem ventrem ſiſtunt: ſed & tubercula diſcutiunt non valde calida. Fructus in tantum ſecat vt etiam calculos atterat, & expuitionibus è thorace auxilietur. Panaces heracleum eſt ex quo opopanax fit, qui tertio ordine calefacit, ſiccat autem ſecundo, mollit item ac diſcutit. At radicis cortex ſucco debilior eſt, habétque quid exterſoriũ ac incarnans. Semen eius etiam menſes mouet. At verò Aſclepium & Chironeum panaces priore ſunt calidiora: vnde ipſorum floribus & ſemine ad maligna vlcera ac panos vtuntur. Papyrus nõ vſta materia quædam eſt: vſta verò ſiccat, quemadmodum etiam charta vſta: verùm papyri cinis debilior eſt. Paronychia herba dicta ex eo eſt quòd paronychias (id eſt reduuias) digitorũ ſanet. Vis eius tenuium partiũ eſt, ſiccátque citra mordacitatẽ.

¶ Πεντάφυλλος, id eſt quinquefolium, ſiccat tertio ordine, minimè verò acris, ideóque ad multos vſus commoda eſt.

Peplos, quem alii papauer ſpumoſum vocãt: & hic frutex ſuccum habet, & purgat ſimiliter vt tithymalli.

Peplion quoque ſuccum habet, & naſcitur circa mare: & in reliquis quidem inutile eſt: verùm ſemen ipſius ſeruidum ſimiliter vt peplos purgat. Piperis radix coſto ſimilis eſt facultate: fructus autem ipſius recens germinantis, eſt piper longum, eſtque humidius ac calidum. Qui verò velut vua immatura eſt, piper album eſt, quod acrius nigro exiſtit, quum id ſit nimium aſſatum. Ambo autem calefaciunt ac ſiccant. Pepo exterſoriam vim habet: vnde caro ipſius maculas ſolares & ſimiles exterit: ſemen verò rhenes ab obturatione liberat.

Periclymeni folia & ſemen, ſecantem ſimúlque calefacientem vim habent, adeò vt vrinam cruentam excernant pota ad ſextum vſque diem: verùm ſi ad quadraginta dies bibantur, lienoſis & difficulter ſpirãtibus proſunt.

Περιστερεών, id eſt uerbenaca, in tantum ſiccat & adſtringit vt vulnera glutinet, & ſanguinis eruptionem ſiſtat.

Perſæa arbor eſt Ægyptia, cuius folia ſiccant & adſtringunt: quare & ſanguinis eruptionem ſiſtunt. Petaſites ex tertio ordine ſiccantium eſt: vnde in malignis

& phagedænicis vlceribus ipſo vtuntur. Petroſelini ſemen calidum ac ſiccum eſt tertio abſceſſu, vim ſecãdi habens: vrinam item & menſes largè ciet. Flatus quoque diſcutit. Peucedani & liquore & ſucco admodum calefaciente, diſcutientéque ac attenuante vtimur, tum pro odoramento, tum in potione, ad affectiones in pulmone ac thorace ex humorum craſſitudine obortas, & ad induratum lienem. Sed & dentibus corroſis inditus, dolorem ſtatim ſedat. Conuenit etiam affectionibus neruorum. Radix autem etiam oſſium ſquamas remouet, & maligna vlcera ſanat, calefaciens ac ſiccans ordine tertio.

Πεύκη (*id eſt picea*) ſimilem pino vim habet, ſed moderatiorem.

¶ Πήγανον, *id eſt ruta*, ſylueſtris quidem quarti ordinis eſt calefacientium ac ſiccantium: ſatiua verò tertii: ſecátque ac diſcutit craſſos & viſcoſos humores, & menſes mouet: éſtque tenuium partium & flatus diſcutit. Vnde & venerem cohibet.

¶ Pix ſicca ſecundo ordine ſiccat, minus calefaciens: liquida verò vice verſa. Habent etiam quid exterſorium ac concoctoriũ, diſcuſſoriúmque & acre. Quapropter & ſcabros vngues exigunt, & impetigines exterunt, & tumores concoquunt. Fortior autem eſt liquida, vt etiam anheloſis & pectore ſuppuratis delincta commodet. At ſicca magis vulnera glutinat. Πισσέλαιον (*id eſt oleum picinum*) ex liquida pice fit, & in ſubſtantia magis tenuium partium eſt quàm ipſa pix. Piſtaciorum fructus in cibo acceptus moderatè ſtomacho cõmodus eſt, & hepatis obſtructiones aperit, & maximè putaminum ipſius aromaticorum decoctum ex vino. Auxiliatur etiam morſis a vipera. Pityides vocãtur fructus pinorum, éſtque mixtæ facultatis, adſtringentis & acris, vnde ad expuitiones è thorace faciunt. Πιτυοκάμπαι, *id eſt pinorũm erucæ*, eandem vim habent quàm cantharis & bupreſtis. Pini cortex adſtringentem vim prædominantem habet, qua intertrigines & ambuſta inſperſus iuuat, & vẽtrem ſiſtit ſi potetur. Folia verò etiam vulnera glutinant. Pityuſam quidam tithymalli ſpeciem eſſe dicunt, quòd & ſuccum habeat, & ſimiliter vt illi purgent.

¶ Platanus humidiorem ac frigidiorem vim habet. Vnde etiam folia viridia inflãmationes quæ adhuc fiũt iuuant. Cortex autem & pilulæ magis ſiccantem vim habent, vt ille in aceto coctus dentium dolores ſanet: Pilulæ verò cum adipe ambuſta curent. At vſtus cortex magis ſiccans ac exterſorius euadit, vt lepras & humida vlcera ſanet.

¶ Πνεύμων, *id eſt pulmo*, agninus & ſuillus attritus ex calceamentis curare creditur: at vulpinus aſſiccatus ſi bibator, anheloſis: marinus autem pulmo recens tritus, podagricis & pernionibus prodeſt.

¶ Polemonium (quod alii philetærion vocãt) tenuium partium eſt, & ſiccat: vnde aliqui ad coxendicum morbum, & dyſenteriã, & induratum ſplenem, radicem eius bibendam præbent cum vino. Polium minus, quo etiam ad antidotos vtimur, tertii ordinis eſt calefacientium ac ſiccantium. Omnia itaque viſcera ab obturatione liberat, & vrinas ac menſes mouet. Et vbi adhuc viride eſt, magna vulnera glutinat. Siccum autem maligna vlcera inſperſum ipſis ſanat. Polygalon folia habet moderatè auſtera: potum autem, lac generare videtur, calidum nimirum ac humidum habens temperamentum.

Polygonatum mixtum eſt ex adſtrictione & acrimonia ac amaritudine & quadam iniucunditate quæ nominari non poteſt: quapropter neque multi vſus eſt. At radicem ipſius quidem vulneribus imponunt, & maculas faciei cum ipſo exterunt. Πολύγονον, *id eſt ſanguinaria*, habet quidem quid adſtringens, verùm prædominatur in ipſa frigiditas aquoſa in ſecundo ordine. Prodeſt itaque frigida impoſita his qui ſtomacho exuruntur, & ignibus ſacris, & inflammationibus calidis. Quum verò tale ſit, fluxiones repellit, atque ea de cauſa ſiccandi vim habere putatur. Eſt autem maſcula fortior quàm fœmina.

Polycnemon calfacit ac ſiccat ſecũdo ordine, vt etiam vulnera glutinet. Polypodium ſiccantem abundè vim citra mordacitatem habet: potum purgat deorſum.

Pompholyx citra mordacitatem ſiccat, vt cancroſis vlceribus, aliiſque malignis opituletur. Miſcetur etiam in oculares compoſitiones. Πορφύραι, vſtæ ſimilem teſtis vim habent. Opercula verò ipſarum cum oleo cocta fluentes capillos corroborant: cum aceto pota lienes tumentes ſanant: ſuffita ab vtero ſtrangulatas excitãt, & ſecundas eiiciunt. Potamogeton frigefacit & adſtringit ſimiliter vt polygonum, vt cui ſimilem facultatem habeat. Ποτέρριον, alii φρούριον vocant. Huius radices conciſæ ac contuſæ neruos diſſectos ac vulnera glutinant. Decoctum autem ipſius potum, affectionibus circa neruos opitulatur.

¶ Πράσιον, *id eſt marrubiũ*, calfacit ſecundo ordine, magis autem ſiccat. Hepar & lienem, & thoracem, & pulmonem ab obturatione liberat, menſes etiam propellit: in cataplaſmate impoſitũ extergit ac diſcutit. Sed & aliàs exterſorium eſt, ac incidendi vi præditum. Πράσον, *id eſt porrum*, mali ſucci eſt & acre: vt verò Dioſcorides ait, etiã grauia ſomnia inducit, & ventri commodat, & vrinam ciet, & attenuat. Habet etiam quid exterſorium. Nam & ptiſſanæ incoctum, in thorace hærentia educit. At ſemen ipſius in rhenales compoſitiones miſcetur. Folia habent etiam quid adſtrictionis. Vnde ſuccus ipſorũ ſanguinem cohibet. Πρῖνος, *id eſt ilex*, ſimilem quercui vim habet: ſed multò fortior quàm ipſa eſt. Propolis calefacit ſecundo abſceſſu, & moderatè extergit, habétque vim tenuium partium, & ab obturatione liberantem.

¶ Ptarmicæ folia ſternutationem mouẽt. Totus autem frutex viridis, ſugillata, & alios liuores ab humoribus ſub cutem effuſis diſcutit. Eſt enim calida & ſicca, viridis quidem ſecundo, ſicca verò tertio gradu. Πτελέα, *id eſt ulmus*, ſiccantem & exterſoriam vim habet, vt etiam vulnera glutinet. At cortex adhuc magis, ſi quum recens eſt, vulneribus velut ligamentum obducatur: ſanat item lepras cum aceto. Sed & radices eandem vim habent: quare decocto ipſarum fracturæ quæ calli inductione opus habent perfunduntur. Πτερίς, *id eſt filix*, ſiccandi vim habet, & amara eſt. Vnde & fœtus necat, & latos lumbricos occidit, quatuor drachmarum pondere cum aqua mulſa. Quia verò moderatè adſtringit, vlcera ſiccat citra mordacitatem.

Pycnocomon diſcuſſoriam & acrem vim habet. Folia igitur panos & furunculos diſcutiunt: ſemen verò ad hæc & aculeos extrahit: at radix bilem flauam purgat. Pyrethri radix vrentem vim habet, & dentium perfrigeratorum dolores mitigat, & ante rigores per circuitum repetentes affricatur cum oleo, inſupérque torpores ac reſolutos iuuat. ¶ Πυρός, *id eſt triticum*, primo ordine calefacit: verùm inter ſicca & humida medium tenet. Habet etiam quid viſcoſum, & obturandi vim habens. ¶ Πιτύα, *id eſt coagulum* omne acris & attenuãtis, ac diſcuſſoriæ, & nimirũ ſiccantis eſt facultatis. Verùm leporinũ comitiales curare ſcripſerunt, ſi cum aceto bibatur, fluxum item muliebrem ſanare, & lac in grumos in ventriculo concretum diſſoluere. Similiter autem & ſputa ſanguinis ex thorace, ipſum cohibere dicunt. At equinum coagulum cœliacis ac dyſentericis conuenire ſcripſerunt. Phocæ autẽ coagulum caſtorii vim habere.

Initium literæ P.

Ῥάκος, *id eſt panniculus* vſtus, ſi ex lana eſt, lanæ vſtæ ſimilem vim habet: lineus autem panniculus dum adhuc vritur, tenuium partium fumum edit, qui & deſtillationes in capite obturatas ſoluit, & vteris ſurſum currentibus conuenit. At vbi idem iam vſtus eſt, prope ad lanæ vim accedit. Ῥannus ſiccat ſecundo abſceſſu, frigefacit primo. Vnde herpetas & ignes ſacros ſanat non valde feruidos. Vtendum autem eſt foliis teneris. Ῥaphanus calfacit tertio abſceſſu, ſiccat ſecũdo. Sylueſtris efficacior eſt. Vtriuſque autem ſemen vehementius eſt. Diſcutiũt itaque ſugillata & alia liuefacta.

Ῥeon (alii rha vocant) compoſitum eſt ex terrea frigida, & tenuium partium aerea ſubſtantia, calidáque ac leniter acri. Vnde conuulſa & rupta & erecta ceruice ſpirationes iuuat, item liuida, diſcutiendo: at adſtringendo, ſanguinis ſpuitionibus, & cœliacis, & dyſentericis prodeſt.

Vtraque verò facultate,hepaticis. Reſinæ omnes calefaciunt ac ſiccant. Sed terebinthina primas fert, quæ diſcuſſoria & mollitoria, tenuiúmque partium ac exterſoria exiſtit: quare etiã ſcabiem ſanat. Larix quoque huiuſmodi eſt. At reſina piceæ & adhuc magis ſtrobilina, acrior quidem eſt,non tamen diſcutit plus, neque attrahit. mediæ verò inter ipſas ſunt reſina ex pinu & ex abiete.

¶Roſæ compoſitæ naturæ ſunt,ex aquoſa ſubſtãtia calida adſtringẽte & amara. Flos ipſarum adhuc magis adſtringit: vnde etiam ſiccat. Ῥodia radix calefacit in ſecundo abſceſſu, éſtque tenuium partium ac diſcuſſoriæ facultatis. Ῥοιαὶ,*id eſt mala Punica*,omnia quidem vim adſtringentem prædominantem habent, propter quam frigefaciunt ac ſiccant: verùm dulcia ambo hæc minus quàm alia habent: at auſtera magis quidem frigefaciũt, ſed ſicciora ſunt;& ſtomacho commoda: acida verò plus frigefaciunt,& inciſorium quid habent.Cæterùm nuclei magis adſtringunt ac ſiccant quàm ſuccus: & his adhuc amplius putamina, ſidia & malicoria appellata. Similem autem his vim habẽt flores cytini dicti. Ῥois coriarii vocati fructus maximè ac ſuccus,medicis in vſum veniunt. Abundè autem adſtringit,& ſiccat ordine tertio, frigefacit ſecundo.

¶Ῥύπος,*id eſt Sordes*,ex æreis ſtatuis,aut vaſis in quibus largum oleum remanet,habẽs etiam quid æruginis, diſcuſſoriam vim habet, & moderatè ſiccãtem ac mollientem. Crudos itáque panos diſcutit. At verò de ſorde in palæſtra (quam aliqui etiam paton vocant) in ſudoris tractatione dictum eſt. Cæterùm aurium ſordes reduuias ſanare dicitur.

Initium literæ Σ.

Sagapenum ſuccus eſt velut ferulæ,calidus & tenuium partium.Habet etiam quid exterſorium, vt oculorum cicatricibus ac ſuffuſionibus commodet. Salamandræ vſtæ cinerem aliqui ad compoſitiones erodentes,& ad lepras ac ſcabiem deſtinatas admiſcent. Sampſucum calefacit ac ſiccat tertio abſceſſu. Eſt autem & tenuium partium & diſcuſſorium. Sandaracha vrendi vim habet, quemadmodum etiam arſenicum. Sandyx aut Syricum,tenuium partium & ſiccantem vim habet, non tamen calidam. Σαπρέδτης,*id eſt caries*,lignorum,maximè vlmi,purgat & replet vlcera humida. Sapo exterſoriam vim habet. Sarcocolla lacryma eſt arboris Perſicæ,meatus obducens, & citra mordacitatem ſiccãs: & ob id etiam vulnera glutinat. Σαρξιφαγὴς,*hoc eſt Saxifraga*,& vrinam ciet, & calculos atterit. Satyrium, aut Triphyllon,*id eſt trifolium*, humidum eſt ac calidum tẽperamento,itémque flatuoſum:vnde ad venerem ſtimulat.Quidam etiam retro diſtentos ipſum ſanare dicunt, cum vino auſtero potum.Cæterùm in libro de Theriaca dicit Galenus, Trifoliũ quod hyacintho ſimile eſt, quum veris tempore prægnans, ſemen habet cnico ſylueſtri ſimile, tunc decoctum ipſius ſi ad phalangii aut viperæ morſum affundatur,ipſum curare. Si verò ſano loco adhibeatur, ſimilem affectionem efficit, inquit, iis qui ab horum aliquo commorſi ſunt. Σαῦρος,*id eſt lacertæ*,hepar & caput in proprio loco relata ſunt. Tota verò reſecta & impoſita ictos à ſcorpio ſanat. ¶Σέλινον,*id eſt Apium*,calidum eſt in tantum vt & vrinas cieat & menſes. Flatus item diſcutit & maximè ſemen ipſius. Seris ſubamarũ olus eſt,admodum frigefaciens ac humectans.Habet etiam quid adſtrictionis. Seriphon calfacit ſecundo ordine,ſiccat primo, éſtque ſimile abſinthio,ſed minꝰ ipſo adſtringit, & magis calfacit,ac lumbricos occidit:modicè quoque ſtomacho noxium eſt. Seſelis radix & magis ſemẽ,abundè calfacit cum partium tenuitate. Vrinas item ciet,& ad comitialem morbum & recta ceruice ſpirantes commodat. Sepiæ teſta, oſtrei teſtæ ſimilem vim habet,verùm tenuium partium eſt & magis exterſoria. Vnde ſi vſta fuerit,pterygia oculorum attenuat cum ſale foſſili:non vſta verò ſycoſes exterit affricta. Vitia item cutis detergit. Seſamoeides magnum, quod & Anticyricum veratrum nominatur, eo quòd ſemen eius ſimiliter vt veratrum purgat,hoc & reliqua facultate veratro ſimile eſt,& extergendo, & calefaciendo, & ſiccan-

A do ſimilem illi vim habet. Seſamoeidis albi ſemen calefacit,& extergit,& rumpit. Seſamum non exiguam habet viſcoſitatem ac pinguitudinem: vnde meatus obducit, & mollit, & moderatè calfacit. Seps (quam aliqui Lacertam Chalcidicam vocant)in vino pota,morſos ab ipſa ſanat.

¶Σίαλον,*id eſt Saliua*,hominum ieiunorum maximè diſcuſſoriam ac exterſoriam vim habet. Impetigines itaque puerorum illita exterit, & furunculos concoquit, ſi cum tritico commanſo imponatur: ſugillata item tollit. B Beſtiis quoque venenatis hominem occidentibus maximè aduerſatur. Sideritis heraclea,quæ etiam Helxine dicitur, relata eſt: at Achillea ſideritis illi quidem ſimilis eſt,ſed magis adſtringit.Vnde fluidis affectionibus conuenit. Σίδηρος,*id eſt Ferrum*,in aqua ſæpe extinctum, ſiccantem abundè vim in ipſam deponit.Hæc itaque pota ſplenicis competit. Si verò in vino ferrum extinctum fuerit,cœliacis & dyſentericis, & cholera morbo vexatis, ſtomachóque exolutis,vinum id potum auxiliatur.

Σίκυς,*id eſt,cucumis*,qui editur,dum adhuc viridis eſt fri-C gefacit & humectat ſecundo ordine. Et caro quidem ipſius feruentes mitigat inflammationes, ſemen autem extergit & ſecat. Vrinas itaque mouet, & nitidum corpus efficit. At ſiccus primo ordine ſiccat, & magis extergit,tum ſemen tum radix. Cæterùm ſylueſtris cucumeris fructus ſuccus,elaterium dictus,relatus eſt: ſed qui ex radice ac foliis eſt ſuccus, ſimilis quidem elaterio eſt, ſed debilior. Radix extergit,diſcutit,mollit: ſiccantem verò vim ſuccus habet. Sillybon,planta eſt ſpinoſa ſimilis chamæleoni albo, in cibi vſum veniens. At radicis i-D pſius ſuccus drachmæ vnius pondere potus cũ aqua mulſa,vomitus ciet. Silurus ſale aſſeruatus in cibo acceptus,arteriam humectam expurgat.In cataplaſmate impoſitus aculeos educit. Σιλφαὶ,*id eſt blattæ*,qui in piſtrinis vbi panes fiũt reperiũtur interanea, cocta,trita, auriũ dolores ſanant. Σίλφιον,*id eſt laſerpitium*,calefacit ſtrenué. Eſt & flatuoſum ac ægrè concoquitur. Verùm extra corpori adhibitũ efficacius eſt, & magis ſuccus attractoriam vim habens. Habet etiam vim contrahendi ac deprimendi carnem. Siſon calidus eſt,vrinam ciet,& E concoquit: menſes item ducit, & viſcera obturatione liberat. Sion calidum eſt,vrinas ciet,& diſcutit,calculos item in rhenibus atterit,& mẽſes ducit. Siſari radix cocta ſtomacho commodat,& vrinam ciet, calidáque eſt ſecundo ordine. Siſymbrium tenuium partium diſcuſſoriæque ac calefacientis & ſiccantis eſt facultatis ac temperamenti,tertio ordine. At ſemen quoque tenuium partium eſt diſcuſſoriũmque ac forte. Quare etiã ſingultientibus datur,& his quos tormina vexant,cũ vino. Siſymbrium quod & Cardaminen vocant, naſturtio ſimile F eſt: & aridum quidem calefacit ac ſiccat ordine tertio: vbi verò humidum eſt,ſecundo.

¶Scammonia calidæ eſt ac diſcuſſoriæ & bilioſorũ humorum exterſoriæ facultatis,& magis ſuccus eius,qui ſanè etiam panos diſcutit, & appoſitus fœtus perdit, & lepras educit.Ad diuturnos item capitis dolores irrigationis vice vſurpatur cum oxyrhodino. Radix pota purgat tum ipſa,tum decoctum ipſius. Cum aceto autem & farina ordeacea cocta,coxendicum morbo in cataplaſmate imponitur. Scandix ſylueſtre olus eſt calefaciens ac ſiccans G ſecũdo ordine. Vrinas etiã ciet, & viſcera ab obturatione liberat. Scinci partes circa rhenes,velut medicamentum arrigens membrum virile,bibuntur.Verùm contrarium ipſis affectum inducere videtur lactucæ ſemen cum aqua potum,itémque lentium decoctum cum melle.

Scilla ſecandi vim habet. Calefacit autẽ & ſiccat ſecundo ordine. Præſtat autem ipſam aſſatam aut coctã ſumere. Scolopẽdra marina cocta in oleo & illita,pilos abolet.Sed & contacta pruritum excitat. Scolopẽdrium eſt H aſplenon. Σκόλυμον(*id eſt Carduus*)calefacit & ſiccat ſecundo ordine. Radix ipſius copioſam graueolentem vrinam educit cum vino cocta. Sed & alarum & totius corporis graueolentias ſanat. Scordium varium eſt,vt quod amarũ ſit,& acerbũ,& acre. Purgat itaque ſimulque calefacit viſcera. Vrinas quoq; ac menſes mouet.Per-

frigerata item omnia calefacit, & vulnera glutinat ac repurgat, & ad cicatricem perducit, ſi ſiccum inſpergatur.

Σκόρδον, *id eſt Allium*, calfacit ac ſiccat quarto abſceſſu: at ophioſcordō ſylueſtre allium, ſatiuo fortius eſt. Σκοrodopraſon & ſapore, & facultate mixtum eſt ex allió ac porro. Σκοrpioeides calefacit tertio, ſiccat ſecundo ordine. Σκοrpius terreſtris crudus impoſitus, propriè plagæ auxilium affert: ſimiliter etiam ſi aſſatus edatur. At marinus fel habet vtile ad oculos ſuffuſos. Σκωρία *id eſt recrementum*, omnis metalli abundè ſiccat: ſed ferri amplius, quod decoctum ac leuiſſimè tritum cum aceto, aures pure fluidas mirificè ſanat. Sed & iis qui Aconitū biberunt auxiliatur potum cum aceto mulſo: at plumbi recrementum plumbo reſpondet, magis tamen adſtringens.

¶ Smilax aut Taxus arbor eſt venenoſæ facultatis.

Σμύρνα, *id eſt Myrrha*, ſecundi ordinis eſt calefacientiū ac ſiccantium. Vulnera itaque capitis, inſperſa ipſis glutinat: habet etiā quid amari: vnde lumbricos & fœtus necat. Extergit item, ideóque in ocularias compoſitiones miſcetur: thoracis quoque affectiones expurgat, citra arteriæ exaſperationem. At Bœotica myrrha vim habet calefactoriam, mollientem ac diffundentem. Smyrnium, alii hippoſelinum, alii apium ſylueſtre nominant, calefacit ac ſiccat tertio ordine, apio ſolùm fortius, petroſelino verò imbecillius. Menſes itaque ducit, & vrinas ciet.

¶ Sonchus adſtringit & frigefacit manifeſtè, & impoſitus, & in cibo acceptus: ſiccatus autem moderatè calefacit.

¶ Sparganium ſiccantem vim habet. Σπάρτος, *id eſt geniſta*, qua vites ligant. huius ſemen & flos pota cū aqua mulſa obolorum quinque pondere, ſupernè purgāt, velut veratrum album, citra periculum: ſemen verò etiā infernè purgat: at virgulta coxendicibus proſunt.

Σπεκλάρειον, quidam per φ Σφεκλάρειον ſcribunt, *id eſt lapis ſpecularis*, quo quidam pro ſpeculis in feneſtris vtūtur, quare etiam διαφανὲς, *à pelluciditate*, appellatur, gypſeæ ſubſtantiæ eſt: verùm vim habet ſimilem vſtis teſtis ſiue oſtreis. Σpongia noua quæ adhuc maris odorem conſeruat, vulneribus cum vino, aut aqua, aut poſca impoſita, ipſa glutinat: vſta verò acrem ac diſcuſſoriā vim acquirit: ſed & cum pice liquida aut bitumine ſi vratur, & ita ardēs apponatur, ſanguinis eruptiones ſiſtit. Spodium ſimilem pompholygi vim habet.

¶ Σταφυλῖνος, *id eſt paſtinaca*, vrinas mouet, & menſes propellit, ſemen præſertim ipſius & radix. Folia exterſoriā vim habētia, phagædenicis affectionibus conueniūt, viridia & cū melle. At ſylueſtris paſtinaca ad omnia debilior ſatiua eſt. Stachys ſimilis marrubio frutex tertio ordine calefacit. Menſes itaq; mouet, & fœtus necat, & ſecundas expellit. Στέατα, *id eſt adipes*, omnes humectant ac calfaciunt corpus humanum. Verùm iuxta diuerſum animalium temperamētum vis ipſorum euariat. Suillus itaque humidiſſimus omnium eſt, prope ad olei vim accedens: vnde etiam mordacitatem obtundit. Caprinus ſiccior eſt, & citò congelatur. Quare etiam his qui in recto inteſtino morſum ſentiunt infunditur. Anſerinus calidior & magis tenuiū partium eſt. Medium horū, gallorum ac gallinarū adeps obtinet. Leoninus omnium calidiſſimus, & maximè tenuium partium eſt: vnde etiā maximè diſcutit. Bubulus medium temperamentum inter ſuillum & leoninum habet. Vrſinus alopecias ſanat: vulpinus aurium dolores: quemadmodum viperinus pilos abolere, & oculorum ſuffuſiones impedire ne fiant dicitur. Inter omnes autem ſemper calidior ac ſiccior maſculorum adeps eſt, & ex his eorum quæ teſtes habent animalium quàm exectorum, & ætate vigentium quàm aliorum. Vetuſtate verò omnis adeps ſeipſo calidior euadit. Στίμμι, *id eſt Stibium*, ad hoc quod ſiccat, etiam adſtrictionem habet: vnde in ocularia collyria miſcetur. Στοιβὴs ſemen & folia ſiccant tertio ordine, adſtringentémq; vim habēt: vnde vulnera magna glutināt, & ipſorū decoctum dyſenterias & ſanguinis eruptiones, & aures pure manentes ſanat, & oculorum ex plaga confuſiones, **A** in cataplaſmate impoſita ſanant. Stοichas ab obturatione liberat & attenuat, extergítque ac roborat viſcera omnia & totum animalis habitum. Stratiotes aquaticus frigidam vim habet: terreſtris autem etiam quid adſtringens: vnde vlcera glutinat. Quidam etiam ad ſanguinis eruptiones ipſo vtuntur, & ad fiſtulas. Στρύχνον, *id eſt ſolanum*, hortenſe & quod editur adſtringit, & frigefacit ſecūdo ordine. Halicaccabum verò hortenſi ſimile, fructum habet qui vrinam ciet, acino vuæ ſimilem. At ſomniferri ſolani radicis cortex cum vino drachmæ **B** pondere potus, ſomnum inducit. Huius quoque ſemen vrinam ciet, éſtque tertii frigefaciētium ordinis: vnde ſi plures quàm duodecim corymbi ipſius bibantur, inſaniā facit. Quartum genus inutile eſt vt intra corpus ſumatur. Foris autem impoſitum vlcera ſerpendo depaſcentia curat, éſtque ſecundi ordinis in frigefaciendo ac ſiccando.

Στυπτηρία, *id eſt Alumen*, omne acerbiſſimum eſt & craſſarum partium. Præ aliis tamen magis tenuium partium eſt ſciſſum: poſt hoc rotundum & aſtragalotū. Craſſarum verò abundè partium eſt liquidum, & id quod pla**C**citis, & quod plinthitis nominatur. Styrax calfacit, mollit, concoquit: ad tuſſes itaque & deſtillationes ac grauedines commodat. Menſes item propellit potus & appoſitus.

¶ Σῦκα, *id eſt ficus*, aridæ quidem calidæ ſunt ſecundo ordine: verùm pingues magis concoquunt duros tumores: acriores autem extergunt & diſcutiunt. At decoctum ipſarum ad mellis craſſitudinem redactum (quod ſanè & ipſum aliqui Siræon vocant) ſimilem melli vim habet: virides ficus ſiccis imbecilliorem vim habent: ambæ tamē **D** aluum ſubducunt. Ficus autem caprificorum acris & diſcuſſoriæ ſunt facultatis, quemadmodum etiam groſſi ex ficis ſatiuis. Συκῆ, *id eſt ficus*, arbor temperamenti calidi ac tenuiū p^rtium eſt, adeò vt & liquor eius, & foliorum ſuccus, non ſolùm mordeat aut extergat vehemēter, ſed etiam exulceret, & ora venarum aperiat, & formicarias verrucas exigat: habet etiam vim purgatoriam. At ſylueſtris ficus, quam caprificum vocant, ad omnia plus poteſt quàm ſatiua. Sycomori fructus non nutrit, & ſtomacho noxius eſt. At arboris ſuccus vim habet molliē**E**tem, glutinantem vulnera, diſcutientem tumores. Bibitur autem & illinitur ad reptilium morſus, & lienibus induratis, & ad ſtomachi dolores, & ad horrores. Symphytum petræum ex cōtrariis cōpoſitū eſt facultatibus. Habet enim & quid inciſorium, quo & pus in thorace, & rhenes expurgat. Habet etiam quid quod contrahit, quod ad ſanguinem ſpuentes, & rupta ac conuulſa, & rubicundum fluxum, & inteſtinorum herniam conducit. Habet item quandam calidam humiditatem, per quam ſitim eximit, & aſperitates in arteria ſanat. At alterum ſymphytū **F** magnum, viſcoſum quid & pruriginoſum habet, ſcillæ ſimile. Vtuntur autem ipſo ad eadem ad quæ etiā petræo.

¶ Sφondylii ſemina ac radix acrem ac inciſoriam vim habent, vt anheloſos, & comitiales, & morbum regium ſanent: at radix circumraſa & fiſtulis indita, callum ex ipſis eximit. Succus floris ipſius in aures inſtillatur, diuturniſſimis vlceribus competens.

¶ Σχῖνος, *id eſt lentiſcus*, per omnes partes ſuas ſecundo ordine perfecto ſiccat. In calefaciendo ac frigefaciēdo medius eſt, in tantum adſtringens vt hypocyſtidis ſucco in **G** adſtringendo propemodum accedat. Σχοίνου *id eſt iunci rotundi odorati*, flos calefacit moderatè, ſed minus adſtringit, & à tenuium partium natura non alienus eſt: vnde & vrinam ciet, & menſes ducit, & ab obturatione liberat, in fomentis & potionibus ac cataplaſmatis aſſumptus. Et radix quidem ipſius magis adſtringit, flos autē calidior eſt. Σχοῖνος λεῖα, *id eſt iuncus leuis*, duplex eſt: ſed eius qui ὀξύσχοινος, *id eſt iuncus acutus*, appellatur, ſemen ſomnificum eſt: qui verò ὁλόσχοινος, *quaſi totus iuncus*, dicitur, eius ſemen minus id poteſt: capitis dolorem **H** inducit. Ambo autem fricta ſi cum vino bibātur, fluxiones ventris ſiccant, & muliebrem fluxum cohibent. Sori ſimilem miſyi vim habet, ſed multo magis craſſarum partium eſt quàm illud.

Initium literæ T.

Ταρίχων,*id eſt ſalſamentorum*,caro acrem & ſiccantem vim habet.A præſtere itaque vipera morſis datur,vt quãplurimam edant,& vinum bibant copioſè, & reuomant: conuenit etiam ad acrium eſum: vtiliter quoque in canis morſu imponitur, itémque in aliorum reptilium morſibus. Taurocolla (quã alii xylocollam vocãt) glutẽ eſt quod ex bubulis coriis fit,facultatémque habet admodum exterſoriam: vnde aceto diluta impetigines & lepras ſuperficiarias remouet, & ambuſta inflammari prohibet aqua calida reſoluta.Eſt etiam vulneribus commoda cũ aceto mulſo trita. ¶ Tellinæ aſſicatæ vſtæ cinerem vrendi vi præditum efficiunt, qui cedriæ mixtus ſi inſtilletur, pilos palpebrarum radicitus euulſos, rurſus naſci prohibet. Τέρμινθος,*id eſt terebinthus*, calfacit ſecundo ordine,ſiccat autem vbi viridis eſt primo ordine, vbi ſiccus, ſecũdo.Fructus autem ſiccus tertii ordinis ſiccantium eſt:ideóque vrinam ciet,& lieni prodeſt.

Τέττιγες, *id eſt cicadæ*,dantur à quibuſdam crudæ ſiccatæ tres,aut quinque,aut ſeptẽ bibẽdæ colicis cũ piperis granis eiuſdem numeri:alii toſtas ipſas bibẽdas exhibẽt iis qui veſicam affectam habent. Τεῦτλον, *id eſt beta*, nitroſa eſt:vnde & extergit & diſcutit,& per narespurgat, & hoc magis ea quæ alba eſt: cocta verò vim habet arcendi inflammationes, leniterque diſcutiẽdi. Teucrion calfacit ſecundo ordine,ſiccat tertio, incidendi ac tenuium partium vim habens:vnde & lienes ſanat.

Τέφρα,*id eſt cinis*,nõ omnis idem exactè temperamẽtum habet: ſed iuxta vſtæ materiæ differentiam euariat. Et acerborum quidem cinis, velut quercuum & ilicum, non modicam aſtrictionem habet, vt etiam ſanguinis eruptionem cohibeat,nullo alio præſente. At acrium cinis velut fici & tithymalli, acrior eſt, & magis exterſorius.

¶ Telephium calfacit primo ordine,ſiccat ſecũdo:eſt etiam exterſoriũ. Vnde ad putredinoſa vlcera cõducit:& vitiligines tũ λευκὰς (*id eſt albas*) tũ alphos dictas ſanat cũ aceto. Τῆλις, *id eſt fœnumgræcum*, calidum ſecundo ordine eſt,ſiccat primo.Quare feruidas inflammationes exacerbat: verùm minus calidas & quæ induratæ ſunt diſcutiẽdo curat. ¶ Tithymalli omnes ex quarto calefaciẽtium ordine ſunt cum acrimonia & amaritudine forti: verùm radix quum aliquo modo debilior ſit, corroſorũ dẽtiũ dolores cũ aceto ſedat.Cæterùm ſucci vehemẽtiorẽ vim habẽtes in cauernã quidẽ dentiũ indũtur, verùm reliquũ corpus ſi cõtingãt,ipſum adurũt.Quare etiã pilos auferũt vel modicè illiti:& verrucas tũ alias,tũ formicarias, & alia huiuſmodi auferunt: affectiones item circa cutem extergunt,& maligna phagedænica vlcera ſanant. Quum autẽ ſeptem ſint ipſorum ſpecies, fortiſſimi ſunt characias, & myrſinites, & qui in petris naſcitur arboris ſpecie: deinceps autem qui verbaſco ſimilis eſt & cypariſſias,deinde paralius,& poſtremùm helioſcopius. Τίτανος, *id eſt calx*, viua quidẽ vehemẽter vrit,vt cruſtã efficiat: extincta verò,vrit quidẽ ſtatim,ſed poſt dies nõ amplius. Contrahit tamen & conſumit carnes. Si verò lota fuerit, mordacitatem amittit ſæpe ex aqua lota:at ſi fuerit ea aqua marina,abundè diſcuſſoria inde euadit.

¶ Tragacantha ſimilem gummi vim habet. Tragion planta eſt in Creta,lẽtiſco ſimilis,calida ordine tertio: vim habens diſcuſſoriam attractoriámque ac tenuiũ partium. Aculeos itaque educit,& calculos atterit, & mẽſes mouet, drachmæ pondere pota. At aliud Tragion amarulentius quàm hoc, ſcolopendrio ſimile,vbique quidem naſcitur,ſed abundè adſtringit.Quare etiam ad fluidas affectiones conuenit. Tragoriganus origano vim ſimilẽ habet,aſſumpſitque inſuper aliquid adſtrictionis.

Tribulus moderatè frigefacit,ſed terreſtris in ſiccãdo fortis eſt:aquarius etiã leniter humectat. Ambo verò ad inflãmationum generationes, aliáſque influxiones conueniunt. At terreſtris fructus quum tenuium ſit partium, calculos in rhenibus atterit. Tragos frumentaceus zeæ ſimilis eſt,ſed magis ægrè concoquitur,& aluũ mollit. Τρίγλη piſcis,*id eſt mullus*, ſi aſſiduè edatur,viſus hebetudinem inducit: verùm crudus diſſectus & impoſitus,draconis marini,& ſcorpii,& aranei morſum ſanat.

Tripolii radix vim calidam habet tertio abſceſſu: eſt & acris. Trifolium,triphyllon, alii aſphaltion,alii oxytriphyllon,alii menyanthes nominant.Eſt autẽ vis ipſius calida & ſicca tertio ordine. Τρίχες (*id eſt pili*) vſti lanis vſtis ſimilem vim habent. Τρυγόνος (*id eſt paſtinacæ*) marinæ aculeus, denti debili illiſus, atterit ipſum, & excidere facit. Τρὺξ (*id eſt fex*) vini non vſta quidem compoſita eſt, abundè ſiccans ac diſcutiens. Adſtringendi verò vis,iuxta vini ex quo eſt ſpeciem,ipſi accedit. Vtendum igitur ipſa in humidioribus & fluidis affectionibus: ſed & panos diſcutit, & in turgentibus mãmis lac extinguit. Aſt vſta(quam etiam σφέκλην, *hoc eſt fæcem,ſiue fæculam*,priuatim appellant) vſtoria euadit, vt etiã vrentibus medicamẽtis admiſceatur. Vngues itaque ſcabros eiicit cum reſina,& pilos flauos facit cum lentiſcino oleo per totam noctem illita. Lota verò exterſoriis oculorum cõpoſitionibus admiſcetur. Cæterùm aceti fæx per omnia fortior eſt vini fæce,& magis adſtringit. Troglodytes paſſer eſt minimus omnium auicularum,regulo excepto:verſatúrque maximè circa ſepes.Hic & aſſatus,& crudus ſale aſſicatus, in cibo ſumptus, calculos in rhenibus atterit.Sed & vſti ipſius cinis potus,idem facit.

¶ Τυρὸς (*id eſt caſeus*) recens compactus & mollis,repulſoriam vim habet leniter perfrigerans, vt & vulnera glutinet impoſitus. At qui oxygalactinus dicitur,vltra repulſoriam,etiam diſcuſſoriam modicam acquirit,& plus glutinat vulnera. Vetus autẽ caſeus,& magis qui pinguis eſt,diſcutit, vt etiam ad tophos arthriticorum commodet,maximè cum ſuillæ carnis decocto, quæ ſalſa ſit ac pinguis.

Initium literæ Υ.

¶ Υ'acinthi radix bulbi ſpeciem habens,primi ordinis eſt in ſiccando, ſecundi in frigefaciendo. Proinde pueros diutius impuberes conſeruare creditur ſi cum vino in cataplaſmate imponatur. At ſemen leniter extergit & adſtringit. Itaque regio morbo laborantibus datur cũ vino,magis ſiccans,minus frigefaciens. Ὕαλος, *id eſt uitrum*, tritum potum cum vino tenui & albo, calculos in veſica atterere dicitur. ¶ Ὕδνα, *id eſt tuber terræ*, ſubſtãtiam magis terream habet, cum modica quadam tenuiũ partium facultate. Ὑδράργυρος, *id eſt argentum uiuum*, ad medicum vſum non ita valde aſſumitur, quum venenum exiſtat. Verùm quidam vſtum ipſum ac in cinerem redactum,aliiſque ſpeciebus permixtum,colicis & volulloſis bibendum dederũt. Υ'dropiper calida eſt herbula,ſed non velut piper. Viridis autem vnà cum ſemine in cataplaſmate impoſita, ſugillata & induratos tumores diſcutit. Ὕδωρ,*id eſt aqua*,optima,& nullam aliã ſubſtantiam admixtam habens,frigefacit & humectat iuxta propriam ſubſtantiam: verùm vbi acquiſititiam caliditatem ſuſcepit quandiu ipſam conſeruat, calefacit: vbi verò frigida fit,frigefacit. At verò quæ aliquã admixtionẽ habet,velut nitroſa,aut bituminoſa, ea admixtæ ſubſtãtiæ vim acquirit. Pluuialis autem & adſtrictionis quid habet, propter quam in ocularias compoſitiones miſcetur. Qualem verò optimam aquam eſſe oporteat, in primo libro dictum eſt. ¶ Υ'oſcyamus qui nigrum ſemen habet,& qui flauum,venenoſi ſunt. Aptiſſimus autẽ ad medicinas eſt is cuius & ſemen & flos album colorem habet, ex tertióque frigefacientium ordine eſt. ¶ Υ'pericũ duplex eſt: alterũ quidẽ Androſæmon & quod aſcyrrhõ appellatur, dictum eſt:alterũ calefacit ac ſiccat tenuiúmque partiũ ſubſtantiã habet: vnde vrinas & menſes totus ipſius fructus mouet. Si verò cum foliis imponatur viridis, vulnera ad cicatricem perducit. Arida verò folia vlcerib⁹ humidis ac putredinoſis inſperſa,ipſa ſanant. Datur etiam coxendicum morbo loborantibus bibendum. Υ'pecoon frigefacit tertio ordine, prope ad papauer accedens. Υ'pogloſſon frutex eſt: huius radix & ſuccus mollientem vim habent. Υ'pociſtis ſuccus eſt eorum qui velut cytini ad radices ciſthi itémque ciſthari appellati ſubnaſcuntur. Eſt autem efficax medicamentũ ad omnes fluidas affectiones, ſiccando ac corroborando partes. Υ'pophæſton ſpecies eſt ſpinæ fulloniæ, quemadmodum etiam Hyppo-

phaes.Huius ex capite & foliis ac radicibus ſuccus ſiccatus,trium obolorum pondere cum aqua mulſa, aquam & pituitā euacuat.Maximè autem conducit ad rectæ ceruicis ſpirationes, comitiales,& ad affectiones circa neruos.

¶Υ'ſſopum calfacit ac ſiccat tertio ordine: eſt etiam tenuium partium.

Initium literæ Φ.

¶Φακοὶ,*id eſt lentes*,ſiccāt ordine ſecundo: verùm caliditatis ac frigiditatis medium obtinent: habēt etiam quid adſtrictionis. Ipſum itaque lentis corpus ſiccat, & ventrē ſiſtit:decoctum verò propellit.Quapropter prior aqua diffunditur,vbi ſiſtendi ventris gratia lentes ſumuntur.Cæterùm lens paluſtris humectat,& frigefacit ordine ſecundo. Φalaridis ſuccus,& folia & ſemē pota,veſicæ doloribus opitulantur, nimirum vt quæ tenuium partium quid habeat, inſupérque calidum. Φalangitis nomen habet ex eo quòd morſis à phalangio opituletur.Eſt autem tenuium partium:vnde & his qui torminibus vexantur,auxiliari videtur.

¶Φελλὸς, *id eſt ſuber*,& maximè id quod eſt è vinariis vaſis,vſtum ſiccantiſſimum cinerem efficit,qui in dyſentericas maximè compoſitiones miſcetur.

¶Φilyreæ arboris folia, ſimiliter vt ſylueſtris oleæ folia adſtringunt.Commodant vlceribus in ore, ſi mandücentur,& ſi decoctum ipſorum colluatur. Hoc autem decoctum ſi bibatur,vrinam & menſes ciet.

¶Φλόμος, *id eſt uerbaſcum*, plura genera habet, inter quæ eſt etiā thryalis. Omnium folia ſiccantem & moderatè exterſoriam vim habent, & maximè eius quod auri colorem refert. Quia verò acerba ſunt, fluidis affectionibus conueniunt: quidam etiam ipſa ad dentes colluunt.

¶Φoinix(quam alii rhun vocant)herba eſt lolio ſimilis:vim habet adſtringendi. Pota itaque in vino auſtero, omnes fluidas affectiones ſiſtit. Φοῖνιξ,*id eſt palma*,arbor,fructum quidem habet iam maturum,moderatè calidum & corroborantem,& ſtomacho gratum, ſiue intrò ſumatur,ſiue foris imponatur: verùm quod reliquum eſt in ipſa,abunde adſtringit: vnde ſtomachicis & hepaticis compoſitionibus admiſcetur. Omniū autem maximè adſtringit id quodenaſcētis fructus velut inuolucrū quoddā eſt. Φormion tenuiū partium exterſoriámque ac attractoriam vim habet.Itaque albugines attenuat ſemen eius cum melle,& aculeos educit.

¶Φοῦ nardo ſimilem radicem habet, ſed ad plurima debiliorem:vrinas tamen magis quàm ipſa propellit,ſimiliter vt Celtica nardus.

¶Φῦκος,*id eſt fucus* frigefacit ac ſiccat ſecūdo abſceſſu, habens etiam aliquid moderatè adſtringens. Φyllites quum acerbam qualitatem habeat, non abſque ratione alui profluuia pota ſiſtit.

Initium literæ Χ.

Χαλβάνη(*id eſt galbanum*)calfacit propemodū tertio ordine,ſiccat propeſecundū,vt quæ molliētē ac diſcuſſoriā vim habeat. Χalcitis adſtringētis & acris, & vrentis ac cruſtam inducētis facultatis eſt: tenuitate verò partiū mediū inter miſy & ſori obtinet. Vſta verò magis tenuiū partiū euadit. Χάλκανθος(*id eſt atramentum ſutorium*) aqua eſt congelata in metallis in Cypro, quæ fortiſſimam adſtrictionē cum caliditate habet non ingeneroſa,& præ omnibus humidas carnes aſſeruare ac ſiccare poteſt. verùm longiori temporis progreſſu in chalcitidem tranſit. Χαλκὸς (*id eſt æs*)vſtum quidem habet quid acre, & adſtrictionis particeps eſt.Optimum igitur eſt ad cicatrices vlceribus inducendas in ſiccioribus corporibus:ſi verò lotum ſit,teneris corporibus magis commodat.

Χαλκοῦ ἄνθος (*id eſt æris flos*) tenuiū magis partium vim habet quàm æs vſtum,& ſquama ipſius.Si igitur collyriis admiſceatur,aſperitates & ſycoſes palpebrarum deterit.

Xamædrys calfacit ac ſiccat tertio ordine.Lienes itaque conſumit,& vrinas ac menſes mouet, & viſcerum obturationes expurgat. Χαμαικίσσου(*id eſt hederæ*)terreſtris flos, quum abunde amarus ſit,hepatis obſtructiones aperit.Datur etiam ad coxendicū dolores. Xamæleuce calfacit tertio ordine, ſiccat primo. Xamæleonis nigri radix calefacit ac ſiccat prope tertium

A ordinem.Extergit autem vitia cutis,& diſcutit ac mollit duros tumores, & phagedænica vlcera in cataplaſmate impoſita ſanat.At intra corpus ſi accipiatur,venenoſa eſt. Cæterùm albi radix ſimilis eſt nigri radici,ſed amarior eſt. Hæc cum vino auſtero acerabuli menſura pota lumbricos latos necat. Facit item ad hydropicos. Xamæmelum ſiue Anthemis,calefacit ac ſiccat primo ordine.Eſt & tenuiū partium,& diſcutit & laxat,& rarefaciendi vim habet. Xamæpitys ſecundo ordine calefacit,tertio ſiccat:quare viſcera & maximè hepar purgat ac
B extergit. Ducit etiam vrinas & menſes,& magna vulnera glutinat,& putredinoſa ſanat,& duritias diſcutit: decoctum ipſius etiam ad coxendicum morbū facit. Xamædrops, (ab aliis item Chamædrys appellatur, ab aliis etiam Teucrion) ſimilem Chamædri vim habet.

Xamæſyce exterſoriā & acrem vim habet:quare & formicarias & alias verrucas auferunt,tum virgulta ipſius, tum ſuccus:exterunt item cum melle craſſas in oculis cicatrices,& viſus hebetudinem & ſuffuſiones incipientes ſanant. Xamelæa exterſoriæ eſt facultatis:quare ſor-
C dida vlcera & cruſtas purgat cum melle. ¶Xelidoniū magnum calfacit tertio ordine:eſt & fortiter exterſorium.Succus ipſius ad viſum acuendū vtilis eſt,radix morbo regio laborantes ab obturatione liberat:cum vino & aniſo pota,cōmanſa verò dentiū dolores ſanat.At minus Chelidonium, quum quarti ordinis calefacientium ſit, acrius eſt, vt cutē exulceret in cataplaſmate impoſitum: ſcabros item vngues eiicit:verùm ſuccus ipſius per nares purgat.

D ¶Χελιδόνες (*id eſt hirundines*) ſi vſtæ ſint, cinis ipſarum cum melle illitus, anginoſas inflammationes ſanat: facit etiam ad viſus claritatem.

¶Χολὴ(*id eſt fel,ſiue bilis*)calidiſſimus eſt omniū aliorū animalis humorū: differt autem colore quidem, eo quòd flaua calidior eſt quàm pallida,& æruginoſa quàm flaua: verùm pro differentia animalium quæ ipſam habent,eo quòd ſuilla omnium debiliſſima eſt, vt etiam vlceribus in auribus citra mordacitatem opituletur.Hac acrior eſt ouilla,& hac caprina:huic autem ſimilis eſt vrſina & bubula:taurina verò fortior eſt, & hac hyænarum,quam ta-
E men callionymi piſcis & Scorpii bilis ſuperat,quæ oculorū ſuffuſionibus,& hebetudinibus ac albuginibus conuenit,itémque marinæ teſtudinis: at fel capræ ſylueſtris etiam nyctalopibus prodeſſe dicitur. Porro volatilium fel omne acrius eſt,& magis ſiccat quàm quadrupedum, & ex illis ipſis gallorum & perdicum fel præſtantius eſt, ſed accipitris & aquilæ fel acrius quodammodo eſt & corrodens,coloréque æruginoſum,quandoque etiam nigrum. Xondrile ſeridis ſpecies eſt & ſubamarū quid habet,quare etiam magis quàm illa ſiccat. Xon-
F dros tritico ſimilis eſt,ſed magis illo viſcoſus.

¶Xryſocolla quædam eſt quæ in metallis reperitur, quædam præparatur ita vt in æris rubri pila,piſtillo eiuſdem æris vrina pueri impubis teratur,in ardoribus ſub Cane. Hæc itaque extergit, diſcuſſoriā ac ſiccantem vim habens,magis quàm ea quæ in metallis reperitur,adeò vt etiam carnem citra mordacitatem conſumat,vlceribus itaque malignis cōuenit:ſed & ſi illam vſſeris minus mordacem efficies. Xryſocome,quæ & Chryſitis,acrem ſimúlque adſtringentē vim habet in radice, quapropter
G neque multi vſus eſt: datur tamen in peripneumoniis & hepaticis affectionib⁹ cocta in aqua mulſa: mouet etiam menſes.

Initium literæ Ψ.

¶Ψeudobunion ſpecie ſimile eſt bunio,calefacit autē & diſcutit, ac extergit.Tormina itaque & vrinæ ſtillicidia,& laterum dolores ſoluit, diſcutit item ſtrumas,cū ſale & vino in cataplaſmate impoſita. Pſeudodictamnum debilis dictamni vim habet.

¶Ψιμύθιον(*id eſt ceruſſa*) frigefacit, & meatus obducit.

H ¶Ψyllii ſemen ſecundi ordinis frigefacientium eſt, verùm ſiccando & humectando medium obtinet.

¶Ψoricum fit,ſpumæ argenti ſi duplum chalcitidis miſceatur, & hæc aceto terantur,& in nouam ollam data, fimo ad quadraginta dies obruantur,ita enim & ma-

gis ſiccat,& magis tenuium partium,minúſque mordax chalcitide euadit.

Initium literæ Ω.

Ωοῦ(*id eſt oui*)candidũ & tenue ex iis eſt quæ omni penitus mordacitate carẽt,moderatè frigefaciens:Vtendũ itaque ipſo in oculis,& in vlceribus in pudendis, & omnibus malignis. Miſcetur item ſanguinem ſiſtentibus meatus obducentibus medicamentis. Sed & luteum ſimilem vim habens, medicamentis inflammationem arcentibus miſcetur.Si verò aſſetur,magis quidem ſiccat, ſed minus mitigat: at verò aceto coctum totum ouum,ſi edatur,fluxiones ventris reſiccat:ſi verò etiam addatur aliquid ex acerbis, velut eſt galla,aut thus,aut balauſtium, atque ita in ſartagine frigatur,multo efficacius euadit. Sed & ambuſtis ſtatim auxiliatur totum ouum crudum impoſitum : at ſi ſorbile exhibeatur,thoracis affectiones cõcoquit ac mitigat,& arteriæ aſperitates læuigat. Præferendum porro eſt recens vetuſto,& gallinarum ouum reliquorum animalium ouis.

Ωcimum ex ſecundo ordine eſt eorum quæ calefaciunt. Habet autem humiditatẽ ſuperuacuam:vnde neque vtile eſt vt intra corpus ſuſcipiatur,extrinſecus autẽ adhibitum,diſcutit & concoquit. Ωcimoeides(quam aliqui Philetærion nominant)radicẽ quidem inutilem habet,verùm ſemẽ tenuium partium eſt,& citra mordacitatem ſiccat.

DE MEDICAMENTIS SIMPLICIBVS purgantibus, Cap. IIII.

Quæ bilem flauam ducunt.

ALoes drachma vna cum aqua mulſa mane detur. Qui enim veſperi dant,aut poſt cibũ, lædunt.corrumpit D enim alimentum:vacuat autem flauam bilem.Si verò minus detur, nimirum trium obolorum pondere, ſtercora ſolùm abũde euacuat. Quum verò omnia purgantia ſtomacho noxia ſint,ſola aloe ſtomacho grata eſt. Qui autẽ amaritudinem eius non ſuſtinent,his in catapotia efformata exhibeatur.Siquidem quòd purgãtia medicamenta non ſimplici aliquo temperamento euacuent,veluti caliditate,(oportebat enim omnia calida euacuare,velut eſt eſt piper quoque) ſed totius ſubſtantiæ proprietate, quomodo Magnetes ferrum trahit,demonſtratum eſt. E Cæterùm ex purgantibus ea quæ ſolùm molliunt,primo libro relata ſunt.At efficacioribus ex ipſis vtimur,aut vt materiam tranſferamus:aut vt affectionem induratam remoueamus, ac euacuemus: aut vt corpus tranſmutemus,& temperamentum ipſius euertamus:aut vt infeſtantem humorem ex ipſo educamus. Sunt etiam quidam mixti ex relatis modis,intérque ſe connexi. Vtẽdum eſt purgatoriis in iis qui vires robuſtas habent, & voluntatem conſtantem,& qui primas ætates exceſſerunt,nondum autem F ad extremas deuenerunt,& qui ſtomachum robuſtum habent,& multam inutilem materiam in corpore collegerunt,nec valde multum ſanguinem habẽt.Tempus porro purgationũ,ſi res non vrgeat, maximè vernum & autumnale eſt. Et bilẽ quidẽ educentibus vtendum eſt omni tempore,excepta hyeme:in ætate autem vigoris,& declinante,in habitibus ſiccis & muſculoſis, & nigri coloris aut rubicundi, & in viris potius quàm in fœminis, & in iis qui aſſiduè cibos corrumpunt, & ventrem ſubaſtrictum habent,& bile amara abundant,iracundíque ſunt, G & paucas vrinas excernunt,in his item qui ſiccis alimentis vtuntur ac calidis, & in affectionibus morbi regii, hepaticis, pleuriticis, phrenitide, angina, inſania, cephalæa, lippitudine, igne ſacro, lepra,febribus, & in quibus humor bilioſus abundat. Datur porro aloe capite grauatis,lippientib⁹,ſiticuloſis,& quibus in ſomnis imaginationes obuerſantur citra febrem : his etiam qui horroris diſcurſum percipiunt,& qui flatus acres excernunt, & inteſtina morderi ſentiunt, & circa ſtomachum feruorem,aut faſtidium euerſorium percipiunt, & quibus ob H recrementorum copiam infuſum per clyſterem exhiberi non poteſt.Nam abunde euacuat, totum quidem corpus non euacuans,niſi valde multa detur,ſed inſidentem inteſtinis ventríque ac ſtomacho bilem educens.At veratrũ conuenit in acutis morbis & diuturnis,qui bilem ducen-

A te medicamento opus habent,velut ſunt inſani,altera capitis parte vexati,oculos fluidos habentes, circa thoracẽ affecti: maximè autem idoneum eſt viſceribus, vtero ac veſicæ,ſi bilem ducente medicamento hæc indigẽt. Cõmodum eſt etiã in aſpera arteria diutinè affecta, ad morbum regium,ad puſtulas,impetigines, herpetas, ignes ſacros,lepras.Nigrum veratrum bilem ducit maximè flauã ex toto corpore,citra moleſtiam.Vnde etiam non grauiter febrientibus datur,& magis febre carẽtibus drachma vna radicum in aqua mulſa tritarũ aut aqua, ita vt prius B ieiunarint : aut exhibetur cum melle in catapotia efformatum.Quidam ammiſcent ipſi pulegium,aut thymbram,aut aliquod ex citò tranſeuntibus ſtomacho gratis. Scammonia ſimiliter vt veratrum purgat, & magis flauam bilẽ:verùm magis quàm omnia purgatoria, ſtomacho noxia eſt.Detur itaque non febriẽtibus,& ſtomacho bene affectis pondere obolorum quatuor, cum ſale aut pipere,aut zingibere,aut quodam oxyporo citò tranſeunte,ſtomacho grato aut cum melle: fiunt & catapotia cum gummi. Colocynthidis medulla bilem potiſſimùm C vacuat, & mucoſa non de ſanguine, quemadmodum veratrum & ſcammonia,ſed de neruis & partibus neruoſis,drachmæ pondere,in aquæ mulſæ cyathis duobus,in qua ruta ſit incocta.Teratur autem diu:nam aſpretudines ipſius internis partibus adhærentes, vlcerationes & neruorũ per conſenſum affectiones inducunt. Danda eſt iis qui caput affectum habent, aut quibus membrana cerebri,aut ea quæ caluariã ambit affecta eſt : velut ſunt vertiginoſi,alterã capitis partem dolentes, à cephalæa vexati,comitiales, ſiderati, canino modo conuulſi,diutina o- D culorum fluxione laborantes, recta ceruice ſpirantes, anheloſi, diuturna tuſſi vexati, inſupérque atrhritici, & qui circa rhenes aut veſicam affectionem habent. Elaterium ſimiliter vt ſcammonia euacuat. Eligendũ id quòd praſini coloris eſt,&leue,& non vetuſtius anno: datur triũ obolorum pondere tritum cum lactis hemina vna.

Tithymallus ducit bilem ſimiliter vt elateriũ & ſcammonia:dantur ſucci guttæ quatuor aut quinque, cum polenta ſubactæ,ita vt citò deuorentur.nam in ore detentæ diutius linguam & circumſitas partes exulcerant. La- E thyrides purgant bilem, ſicut veratrum & ſcammonia. Dentur ſeptem aut octo,& ad quindecim vſque,ita vt robuſti, & ampliore purgatione opus habentes, ipſas mandere iubeantur:debiliores autem & ſtomacho malè affecti,totas ipſas deuorent. Peplii virgulta quæ ſemper ſicca ſunt, octo obolorum pondere dãtur in aqua mulſa: ducunt bilem ſimiliter vt veratrum,flatus item erumpere faciunt. Agaricum ſimilem colocynthidi vim habet, tardè quidem operans,non autem valdè ſtomacho noxium:datur tritum duarũ drachmarum pondere cum F aqua mulſa.Sit autem albiſſimum & maximè friabile, & non ita lignoſum,neque corroſum. Iris Illyrica ſimiliter purgat, octo obolorum pondere data in aqua mulſa.Sit autẽ nõ vetuſta,nec teredines habeat. Centaurium paruum bilem & mucos purgans,priuatim coxẽdicum mordo laborantibus conuenit.Bibitur ipſius decoctum ſic vt centaurii ſeſquidrachma in aquæ hemina coquatur,donec ad dimidiam deueniat. Tragorigani flos cum ſemine datur duarum drachmarum põdere in aqua mulſa, iis quibus etiam veratrum nigrum. eſt au- G tem ſtomacho magis gratum quàm veratrum,ſed minus purgat. Chamelææ drachmæ quatuor in aquæ mulſæ cyathis duobus coctæ,vt ad quartam partẽ deueniant, ſimiliter vt veratrum purgant, aliqui chamelæam cum duplo abſinthii in catapotia efformant,ac exhibent. Ariſtolochiæ clematidis ſeminis drachma vna in aqua mulſa data purgat vt colocynthis. Polipodii radix ſicca trita aquæ mulſæ inſperſa,aut cum ipſa trita, idem quod colocynthis facit.

Quæ bilem atram euacuãt.

H Atram bilem educentibus vtendum eſt præcipuè in melancholicis, iis qui facilè exacerbantur,iracundis,homines auerſantibus,aut in ſecceſſu degentibus, & in iis qui vbi à morbo ſe recolligunt,purgatione opus habent, in autumno feruente,in habitibus ſiccis, ac parum mu-

ſculoſis. Epithymum optimum eſt ex iis quæ atram bilem euacuant: dantur ex ipſo drachmæ quinque tritæ cũ ſeri lactis hemina. Epithymbrõ quod ſuper thymbrã naſcitur, ſimiliter vt epithymũ euacuat,ſed debilius eſt. Pulegiũ atrã bilem ducit,acetabuli mẽſura in aqua mulſa potum. Tragorigani heracleotici eadem menſura ſimiliter vt pulegium vacuat,ſed ambo ſicca. Alypi ſemen atram bilem deorſùm purgare dictum eſt, ſi pari copia velut epithymum ſumatur cum ſale & aceto: verùm inteſtina velut Dioſcorides ait,leniter exulcerat. Eſt autem(vt arbitror)ea quæ nunc alypias appellatur:datur in aqua mulſa. Parthenium ſimiliter ſiccum potum eadem ducit. Alyſſon cum ſale potum ſimiliter vt hæc purgat.

Quæ pituitam euacuant.

Iis quæ pituitam educunt vtendum eſt in frigidioribus habitibus,& his qui conſenuerunt, & hyeme, item in reſolutis,& ſideratis,& qui laxis tumoribus intumuerunt,in his quoque qui multam pituitam in ventre aut in thorace aut ſtomacho habẽt,& in muliebri fluxu. Cõueniunt etiam multa emungentibus, & craſſa excreantibus,cibúmque faſtidientibus,& coxendicum morbo laborãtibus, vbi articulus ſubmucoſus aut pituitoſus fuerit: maximè autem conueniunt hydropicis, ex ea ſpecie quæ propriè intercus dicitur, laborantibus. Styracis albi drachma vna cum reſina terebinthina æqualis ponderis pota, pituitam euacuat: oleæ radicis cortex drachmæ pondere cum vino aut aqua: item pyrethri oboli nouem cum aqua: lychnidis ſeminis drachmæ duæ: cyclamini radicis drach. vna, cum aqua mulſa: ſcordii drachmæ duæ cum melle: chamæpitys trita & in catapotiis data: ſquamæ cypriæ drachma dimidia cum pari reſina in catapotiis: hæc validius pituitam purgat: foliorum lauri viridium ſeſquidrachma: cucumeris ſylueſtris radicis corticis oboli duo: ricini grana quadraginta,qui crotones appellantur,decorticata eduntur, & ſimiliter faciunt: apii dimidium id quod ad radicem eſt, (& ab aliquibus Camæraphanus vocatur) ſi edatur: bdellii drachmæ duæ cum aqua mulſa,priuatim verò gummi oculis fluidis commodum eſt.

Quæ aquam euacuant.

Aquã educẽtib⁹ vtẽdũ eſt in hydropicis ex aſcite hydrope laborãtibus,& in mulieribus à fluxu albo infeſtatis,& iis qui fluida vlcera habent. Squamæ cypriæ drachma vna cum aqua mulſa pota,aquam ducit, verùm aceti parum inſuper ſorbere oportet, vt ne reuomatur. Granum cnidium decorticatum tritum cum melle cocto deuoratum, vt ne gulam ſiue tranſglutitionẽ contingat, aquam ducit. Danda ſunt grana viginti, aut vigintiquinque, aut triginta,fortioribus quadraginta. Euphorbii drachma vna cum melle cocto deuorata, pituitam ducit,magis tamen aquam. Lonchitidis ſeminis oboli octo,cum aqua mulſa aquam ducunt. Cneorum ſimiliter aquam purgat, cum polenta voratum. Cnici ſeminis drachmæ quinque contritæ,cum ptiſſana concoquuntur, addito pauco ſale, & ſorbentur. Ammoniaci thymiamatis drachmæ duæ in aqua mulſa potæ aquam ducunt. Quidam ſplenicis ipſum cum poſca exhibent.

DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS purgantibus, Cap. V.

Catapotia ex aloe, Colocynthidis medullæ partem vnam,ſucci abſinthii partẽ vnam, aloes partẽ vnam, ſcãmoniæ partes duas, cum aqua in catapotia efformato ciceris magnitudine: dantur ex his grana vndecim. Acetum mulſum Iuliani, Rutæ quadrantem,origani quadrantem,comæ thymi trientem, anethi ſeſquiunciam,iridis vnciam vnam, radicis mandragoræ ſeſquiunciam, agarici ſextantem, tedarum pinguium vnciæ XII, grani Cnidii trientem,lathyridum quadrantem, alypiadis quadrantẽ, polypodii ſextãtẽ,folii vnc. I, coſti vnciã I,ſpicæ nardi vnciam vnam, rhei Pontici ſeſquiunciam,ſcillæ quadrantem,ſambuci virgultorum quadrantem,canopi, qui eſt ſambuci cortex,quadrantem,aſari vnciam vnam, pulegii quadrantem,epithymi ſextantem, veratri ſextantẽ,acori ſextãtẽ,ſii vnc.I,amomi vnc.vnã,hyperici vnciã vnam,cymini vnc. I, aniſi ſextãtẽ,aceti ſextarios X, mellis ſextarios V. Herbas ad triduũ in aceto macerato, deinde facta coctura,donec plus quàm dimidium inſumatur,mel adiicito:& facta colatura lathyridas addito,coſtum item & granũ cnidium & ſpicam nardi tritam:aut ſi voles,poſtquam acetum mulſum perfectè fuerit coctũ. Doſis perfecta eſt vnc.vna,aut pro viribus. Facit ad podagricas affectiones,& ad comitiales,& in quibus euacuare ſimúlque ab obturatis amouere opus eſt craſſos humores.

Purgatoriũ aquam ducens ex Caryophyllo. Aloes, epithymi,caryophylli,grani cnidii,petroſelini,rhei Pontici,ſingulorum ſemunciã,euphorbii ſcrupulos quatuor, mellis quod ſatis eſt: datur cochlearii menſura. Purgatorium ex rhodomelite,Alexandri, Roſarũ ſucci ſextarios duos,mellis ſextariũ vnũ,ſcãmoniæ trientẽ. Doſis perfecta cochlearia quinque,minor cochlearia duo, media cochlearia tria. Aliter, Mellis libram vnã, roſarũ ſucci lib.vnã, piperis drach. duas, ſcammoniæ drach. octo, maſtiches drach.quatuor,zingiberis drach.duas. Aliter, quo ego vtor, Spicænardi,aſari,epithymi,ſingulorum ſemunciam in aquæ hemina per triduum macerato,& moderata facta coctura, roſarum ſucci ſextarii dimidium ad aquam adiicito,& mellis ſextarii dimidiũ,& facta ad compagem vſque coctione, ſcammoniæ ſeſquiunciam addito. Purgatorium ex malis cydoniis, Malorum cydoniorum aſſatorum trientem, piperis ſemiunciam, ſcammoniæ drach.I,mellis quincuncem: ex tritis præbe cochlearium vnum,aut pro viribus. Purgatorium ex malo citrio,ſtomacho gratum. Mali citrii corticis & carnis librã vnã in aquæ ſextario vno ſemis ad tertias coquito,& mellis ſextar.dimidio adiecto, ad mellis ſpiſſitudinẽ coquito,& piperis lõgi vnc.I,ſcãmoniæ in fermẽto toſtæ vnc.I.terito ac inſpergito. Buccellatus purgatorius, Scammoniæ toſtæ vnc.I,piperis & ſeminis apii, ſingulorum ſcrup.I,fœniculi,aniſi,ſingulorũ vnc. I, mellis libr.I. De moderatè toſtis dato vnc.I, in condito. Oliuæ purgatoriæ. Scammoniæ vnc.I,piperis vnc.I, epithymi,cymini torrefacti, petroſelini, foliorũ rutæ,mentæ viridis,ſingulorũ drach. IIII,ſilphii drach.I, palmularum quincuncem,mellis quincuncem, aceti heminas II, oliuarum colymbadum muriæ innatantium,fiſſarum videlicet,ſextarium I. Quidam etiam gari modicũ addunt. Dantur ex his V, aut VII, aut IX. Paſtillus purgatorius. Scammoniæ drach. IIII,euphorbii drach. IIII, folii drach.II,piperis drach. II, mellis libram I. Datur vncia I.

Poſca purgatoria & ſtomacho grata. Cumini,fœniculi,ſingulorum vnc.I:pulegii, apii, aniſi,ſingulorum ſemunciam:epithymi,ſcammoniæ, ſingulorum vnc.I: ſalis ſextantem. Doſis perfecta ſcrupuli II.in poſca. Quidam euphorbii ſcrup.IIII, adiiciunt. Vinum purgatorium in hydropicis, Scyllæ quadrantem,apii ſeminis ſexuncẽ,piperis drach.I,capparis radicis drach. IIII, grani Cnidii decorticati drach.I,folii malabathri globulos II. vini heminas XII, mellis ſextar. III. Scillam contuſam in vino macerato,reliqua trita ammiſceto. Sal purgatorius, Salis communis torrefacti drach. VI, apii ſeminis, zingiberis, panis ſicci, ſingulorum ſcrup.VI. aniſi, piperis,ſingul.ſemunciã:ſcãmoniæ,epithymi,ſingulorũ vnc.I. Datur cochleariũ vnũ. Purgatoria ex Hermodactylo podagrica, Hermodactyli quadrãtẽ,aniſi,cumini Æthiopici, ameos, thymi corymborũ,piperis albi,zingiberis,ſingul. ſcrup. III,epithymi ſemũciam. Doſis,ſcrup.IIII. Aliqui ſex dãt. Dantur mane cũ cõdito,aut aqua mulſa,aut mero feruefacto. Aliter eadẽ purgatoria. Hermodactyli vnc.vnã, cumini Æthiopici,aniſi,agarici,zingiberis,ſingul.ſcrup. VI,maſtiches ſcrup.II,ſpicæ nardi ſcrup.II,moſchi ſiliquã I,cnici ſcrup.II. Dantur ſcrup.IIII.cum hydromelo. Scammoniam reprobamus eo quòd ſtomacho noxia ſit.

Si verò ampliore euacatione opus ſit, miſce ad doſim ſcammoniæ ſiliquas tres: datur loto. Catapotia ex lapide Armenico, quæ in morbo articulari maximè dantur. Aloes trientem, ſcammoniæ ſexuncẽ,agarici vnc.vnã,epithymi vnc.vnã,lapidis Armenici ſcrup.duodecim, caſiæ vnc. vnã, ſpicænardi vnc. vnã, ſcillæ aſſatæ ſexuncem,croci ſcrup. duodecim. Excipe rhodomelite. Dan-

tur ſcrupuli duo.

Purgatoria ex coronopodio,faciens ad quæ etiã ea quæ ex hermodactylis, ſtomacho cõmoda. Zingiberis ſcrupuli duo,piperis ſcrupulus vnus, agarici ſcrupuli decem, Cnici internæ partis ſcrupuli quatuor,coronopodii radicis ſcrupuli ſex:dãtur ſcrupuli tres. Iis verò qui aluũ ægrè ſolubilẽ habẽt ſiliquæ vigintitres quæ faciunt omnino ſeptem,aut propemodũ octo obolos: & poſt euacuationẽ vbi lauiſti,ex ouis & pane nutrito.

Purgatorium ex Cyrenaico ſucco, ad febres quartanas, Succi cyrenaici,piperis,zingiberis,rutæ foliorum, ſingulorũ drachmã vnã : datur nucis Ponticæ magnitudine.

Pulticula purgatoria,faciẽs ad tumefactos,elephantiacos præcipuè, & in quibus craſſum ac viſcoſum humorẽ quis exigere velit.Colocynthidas duas reſectas ſemine euacuato,& demiſſa medulla,oleo dulci ipſas expleto, impoſitiſque reſectis ab ipſis operculis,per diem ac noctem ſinito: poſtera die euacuato oleo, colocynthidas in aquà donec flacceſcant coquito:deinde ipſas quidem reiicito, oleo verò ad aquam admixto, veratri nigri obolos tres adiicito,& ſcammoniæ drachmam vnam.Cum iis autem pulticulã ex ſimilagine, aut panem ſiccum tritum coquito.Poſtea ex hac,ægro ſimplici antea victu vſo, dabis nucum ponticarum octo aut decem magnitudine, aut ad ſummum quatuordecim, & aquam calidam bibendam.

DE CVSTODIA EORVM QVI PVRGANtur,& quid ſit faciendum iis qui ex ſumpta purgatione non purgantur.Ex philagrio. Cap. VI.

IN omnibus efficacibus in ſumma purgatoriis,homini ſimplici antea victu vſo, ieiuno & probè facta concoctione medicamẽtũ dato,& vt ad perfectã vſq; purgationem ne dormiat prohibeto : motum etiam moderatum ſi fieri poteſt, faciat, & ab omni cibo ac potu tunc abſtineat,ad perfectam vſque purgationem. Si verò inediam non ferant,aut propterea quòd os ventriculi in ipſis facilè bilem concipit, ob longam inediam prægreſſam , aut aliam quandam eiuſmodi cauſam, dandus eſt ipſis panis ex vino aquoſo,aut ptiſſanæ aut alicæ ſuccus, nõ vbi iam euacuatio incepit,vt ne corrumpatur,ſed ſtatim poſt medicamenti potum . Sic enim aliquando etiam grauitate ſua, adcelerem medicamenti motum cooperatur. Si tamen quis poto quocunque tandẽ aluũ ſubducente medicamento,non purgetur,neque euacuetur,ſi quidem nihil moleſti adeſt,nihil ſollicitum eſſe oportet. Si verò res vrgeat,ob magnitudinem morbi,aut æger lãcinetur, & diſtendatur,& velut ſerra ſecetur,neceſſario ſtatim infuſum per clyſterem adhibetur.Si verò neque ſic obediat aluus, ſi quidem corpus morſum ſentiat,& velut euertatur,lauare & largo oleo illinire oportet:ſi verò repletũ ſit,& grauetur,venam ſecare: præſertim ſi multo ſanguine homo abundet,& oculos rubicundos ac prominentes,non naturaliter,ſed aduentitio modo,ob potum medicamentum, habeat.At ſi nihil horum infeſtet,ſed morſus & lancinatio adſit,à balneo ſtatim nutrire oportet,& vinũ largũ bibẽdũ exhibere, & interim clyſterẽ adhibere,ſi nõ ſedetur,& rurſus lauare. Sit autem oleũ quod per clyſterẽ infunditur rutaceum,aut ex alio quopiam flatus diſcutiente paratum.

DE HIS QVI NIMIVM PVRGANTVR, Cap. VII.

EOrum qui nimium purgantur cutis confricetur, & calida lauetur, ante balneum dato vino tenui fuluo ac flauo,(tale enim celerrimè ad diſtributionem procedit) & pane madido,ac malis Punicis. Quòd ſi perſeueret euacuatio,artus deligentur, ita vt vincula ex ſupernis deorſum procedant, & aſtringant, & quid ſanguinis ac ſpiritus intercipiant. Detur etiam modicum de theriaca ex carnibus viperæ bibendum.Tranſilit enim ad cutem , & humorum in ventrem lationem breui reuellit,& quod venenoſum ac medicatum eſt in purgatoriis medicamentis,id obtũdit.Et ſi hæc deſit,de paſtillis theriacis, & amplius de paſtillis ex ſeminibus, & de antidoto philonio appellato dabis. Sed & cucurbitis ad ſtomachum vtendũ eſt,& cataplaſmatis ex polenta & vino mulſo: poſt hæc epithematis adſtringentibus vtendum.Maximè autem vtilitatem ſentiunt ex totius corporis frictionibus, & medicamẽtorũ potionibus. Abſtineant præterea ab aere frigido ac calido valde. Ille enim materias ab externis intrò compellit, & fluxũ auget:hic verò diſcutit & exoluit vires.Si verò ob morſũ inteſtinis irritatis euacuatio augeatur, prædicta cataplaſmata imponantur , & hebetãtia per clyſterem infundantur, adeps nimirum anſerinus, & vinum dulce,oleum nardinum & ſimilia.

DE HIERIS ANTIDOTIS, Cap. VIII.

HIera Antiochi, Chamædryos,agarici,colocynthidis medullæ,ſtœcadis, ſingulorũ drach.x, opopanacis,ſagapeni,petroſelini,ariſtolochiæ clematidis, piperis albi,ſingulorũ drach. quinque,cinnamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ Troglodyticæ,croci,folii,ſingulorum drachmas quatuor,mellis quod ſatis eſt.

Alia hiera, Colocynthidis medullæ drach.xx,ſcillæ aſſatæ, agarici, ammoniaci thymiamatis, veratri nigri corticis,ſcammoniæ, hyperici, ſingulorum drach. tres: epithymi polypodii ſicci, bdellii, aloes, chamædryos, marrubii,caſſiæ,ſingulorũ drach.octo, myrrhæ Troglodyticæ,opopanacis,ſagapeni,piperis cõmunis,& longi & albi,petroſelini,cinnamomi,croci,caſtorii, ariſtolochiæ lõgæ,ſingulorum drach. quatuor,mellis quod ſatis eſt.

Hiera Iuſti. Epithymi drach.duodecim,marrubii,ſtœchadis.chamædryos, veratri nigri,ſcammoniæ, agarici, piperis longi,ſcillæ aſſatæ,ſingulorum drach.ſedecim: euphorbii,colocynthidis medullæ, aloes,croci, gentianæ, petroſelini,ammoniaci thymiamatis,ſagapeni,ſingulorũ drachmas octo:opopanacis,polii, cinnamomi, myrrhæ, ſpicæ nardi,floris iunci rotũdi odorati,pulegii, ſingulorum drach.IIII: ariſtolochiæ longæ & rotundæ,ſingulorũ drach.II,mellis quod ſatis eſt.Doſis ſcrupuli II,aut III, aut IIII,cum aqua mulſa & ſale.

Hiera Galeni,Chamædryos,piperis longi, piperis albi, ſtœchadis,veratri nigri,ſcammoniæ, ſpicæ nardi,ſcillæ aſſatæ,(quidam etiam epithymi)ſingulorũ drach.XVI,myrrhæ,croci, ammoniaci thymiamatis,euphorbii,ſingulorum drach.VIII,excipe melle.

Hiera Rufi, Sycioniæ, ſiue colocynthidis medullæ drach.VIII, chamædryos drach.x, ſagapeni drach. VIII, petroſelini drach. v,ariſtolochiæ rotundæ drach.v,piperis albi drach. v,cinnamomi drach.IIII, aut caſſiæ drach. VIII,ſpicæ,croci,polii,myrrhæ,ſingulorũ drach.IIII, mellis quod ſatis eſt.

Hiera Archigenis, Marrubii,agarici,chamædryos,colocynthidis medullæ,ſtœchadis,ſingulorũ drach.x, opopanacis,ſagapeni,petroſelini,ariſtolochiæ rotũdæ,piperis albi,ſingulorũ drach.v:cinnamomi,ſpicæ nardi,myrrhæ, folii,croci,ſingulorum drach.IIII:arida tundito ſimul ac cribrato.Opopanacem & ſagapenũ & myrrhã contuſa, in pila,cum aqua mulſa nocte vnà macerato, deinde terito, & arida adiicito,& melle optimo excepta,in vitreum aut plumbeũ vas reponito: hic modus communis eſt omnibus hieris.Doſis autẽ ipſarũ perfecta drach. IIII. Aſſumat autẽ & ſalis drach.I,& mellis cyathos duos, & aquæ quãtũ ſatis eſt. Quòd ſi magis purgatorias efficere volumus eas quæ ſcammoniam non habent,ad has quoque ſingulas obolus vnus,de ipſa admiſceatur.

ILLITIONES SEDIS ET VMBILICI PVRgatoriæ, Cap. IX.

ILlitio ſedis ad flatus prouocandos.Ruta cum melle conteritur vt vnus ſuccus fiat,& penitiſſimè intra ſedem illinitur. Efficaciſſima fit ſi parum cumini,& nitri,aut ſucci cyclamini aſſumpſerit.Sed & lanæ tomento excepta in ſedem inditur, aut melle addito glans efformatur. flatus enim prodeunt inde multi qui alleuationem faciunt.

Illitio ſedis ventrem mouens,appellatur Chezananca, *id eſt Cacacoga.* Alumen cum melle tritum concoquitur donec fuluum fiat,& cum hoc ſedes illinitur. facilè enim multa quidem,ſed non citra laborem educit.

Vmbilicaris illitio aluũ ſubducens,Cyclamini drach. IIII, nitri drach.III,veratri nigri & albi, vtriuſque drach. duas,colocynthidis drach.tres,ſcammoniæ drach.II, elaterii ſucci drach. IIII, grani Cnidii drach.IIII, caricarum

pinguium ſextantem,fellis taurini vnciā I. Alia optima,

Elaterii,lathyridum, galbani,cyclamini,veratri nigri, ſingulorum drach. IIII, colocynthidis medullæ drachm. VIII,cucumeris ſylueſtris recentis,ſcammoniæ,grani Cnidii,ſingulorũ drach.II. tithymalli drach.II,terebinthinæ drach.III. Excipe hæc felle taurino, & velut vnguento vtere.Quidam ceræ ſeptunce addito,& olei ſicyonii quantum ſatis eſt,velut emplaſtrum impoſuerunt.

MEDICAMENTA VOMITORIA, ET ſumendi veratri modi, Cap. x.

Vomitibus vtuntur etiam ſani, ab alimenti aut humorum copia grauati: ſed & hi qui ex acuto morbo ægrotant, quum à pituita aut tali quodam humore infeſtantur. Verùm vomitoriis medicamentis vt vtantur, neque ſanis, neque ex acuto morbo ægrotantibus permittendum eſt:ſed in affectionibus diuturnis,& maximè induratis, & quæ forti exactione opus habent, velut eſt podagra,morbus comitialis à ſtomacho oriens,elephas,hydrops, melancholia, & conſimiles. Contraria autem ſunt vomitoria medicamenta ſanguinis ſputis, & ſtomacho malè affectis,& qui ſuffocari ſolent.Promptiſſimum itaque ex vomitoriis medicamentis eſt oleum cyprinum,ſi digiti aut pennæ in ipſum tingantur, & in gurgulionem immittantur. Sed & nardi Celticæ radicum drach. VII,in aqua mulſa potæ,fortiter ſurſum purgant.Similiter etiam ceſtri V aut VI, drach. in aqua mulſa potæ, & daphnoidis folia III, viridia,trita,ac comeſta. Elaterii quoque obolus I, in aqua potus, pituitam & bilem ſurſum purgat: & ſtaphidis ſylueſtris grana XV, cum aqua mulſa craſſa. Ex bulbis item hi qui conſueto more eduntur, ſi crudi edātur, & narciſſi bulbi cocti, ſurſum purgant. Apii quoque radicis pars ea quæ ad aerem vergit, ſi edatur, ſurſum purgat. quidam ipſam chamæraphanum vocant. Quæ verò ad radicem eſt, deorſum purgat: tota verò ſi edatur, ſurſum ac deorſum. Raphanides verò minus qui dem prædictis purgant, ſed vtilius. Oportet autem ipſas dum acres valde ac recentes ſunt, in tenuia fruſta concidere, & duabus aut tribus horis antea in aceto mulſo maceratas quotquot poſſunt ſumant, ita vt ter aut quater à cœna vomant, & ſemel ieiuni. Sæpe anteminſuper ſorbeant acetum mulſum. Vbi verò duabus horis obambulauerint,aquam tepidam bibentes, immiſſis digitis aut pinnis vomant.

Modi ſumendi veratri. Veratrum dandum eſt diutinè ægrotantibus, & ex forti morbo, & qui ex aliis auxiliis ſalutem deſperarunt, eo quòd morbus omnibus ipſis ſit fortior. Dandum autem ſiue aſſiduè vexarit morbus, velut hydrops,elephas,malus habitus,reſolutio, & ſimiles: ſiue per quoſdam tēporis circuitus repetat,velut comitialis,& podagra.Quum autem multi ſint ſumēdi veratri modi, ſimplicior & potior præparatio ad ſumendum veratrum,hic modus eſt. Poſtquā raphanidas prius arundine perpunxeris, veratri albi optimi radicum ſurculos feſtucaceos in fiſſuras impingito, & vbi noctē permanſerint,ipſos tollito: raphanidas autem conciſas cum aceto mulſo dato iuxta relatum modum, aſſueto nimirum antea ad vomitiones ægroto, & relatis horis interpoſitis, vt inſuper ad vomendum cogantur. Præcipuus autem ſumendi veratri modus hic eſt, Veratri optimi ſextantem in aquæ hemina, quinque antea diebus maceratum, coquito donec tertia aquæ pars reſtet. Expreſſo deinde veratro, ad aquam æqualem mellis modum admiſceto, & facta ad craſſitudinem coctura, dato ægroto antea iuxta relatum modum ad vomitum exercitato, ita vt idem ſit ieiunus, & bene concoxerit, & aluum deorſum exonerauerit, aut ſua ſponte, aut etiam ſemel atque iterum infuſo per clyſterem immiſſo pro viribus. Efficaciſſimus porro omnium modus talis eſt, Radices veratri ad ſeſami magnitudinē concidito(nam in puluillum redactæ,actionis efficacia ſtrāgulant) & debilioribus quidem cum ptiſſanæ, aut alicæ, aut eiuſmodi cuiuſdam ſucco,veratri ſummùm drachmas II, minimùm drachmam I, coquito, & bibendum dato. Robuſtioribus autem,cum aqua calida,aut aqua mulſa. Incipit

A purgatio poſt tres aut quatuor horas.Quibus tardius incipit, ii melius purgantur. Si verò vomitiones tardè prodeant,aqua mulſa bibenda data,ad vomitum cogantur, immiſſis item pinnis in oleum tinctis. Si neque ſic vomant, in balneum abducantur. At vbi vomere incœperint, ſiquidem pro ratione euacuatio fiat, nihil amplius moleſtiæ exhibere oportet: ſi verò lancinentur,aut etiam conuellantur, aquam & oleum bibenda dato. Nam hinc & deorſum per ventrē ſubductio ipſis contingit(id quod B etiam aliàs in iis qui veratrum ſumunt aliquādo contingere ſolet) & medicamenti coaceruationem facilius ferunt. Quòd ſi animi deliquium ipſis accidat, odoramentis refocillentur.Sed & ad alia,velut veriſimile, accedentia ſymptomata,ſimiliter congrua adhibere oportet. Cæterùm multa contingente euacuatione, nutriātur, & dormire permittantur, aliàque velut in iis qui nimium purgantur dictum eſt fiant. Si verò perſeueret adhuc, cucurbitæ ſtomacho affigantur,& artus deligētur. At ſi pro ratione euacuatio fiat, aqua mulſa ipſis bibenda detur mo- C deratè,quò ſuperfluitates ex medicamento eluat.Et paulo pòſt cibus concoctu facilis exhibeatur. Porro in iis qui ſuſpecta habent per os medicamenta, & tamen omnino veratri vſu opus habent, Antylus tali quodā infuſo per clyſterem vtitur, Veratri albi drach.II, in aquæ ſextar. I maceramus, & per diem ac noctem manere ſinimus:ſequente verò die veratrum in aqua ad dimidias coquimus, deinde hanc per ſedem infundimus, vt vomitum cōcitet. Surſum purgat paulo debilius quàm veratri potio. Poſt ſufficientem purgationem, glandula acri D ſubdita excretionem irritamus,quò infuſum reddatur, & ipſi non amplius vomant. Et poſt excretionem, aquam mulſam ſemel aut iterum infundimus, quò inteſtina eluantur. Idem Antylus ita dicit,Fit etiam glandula (inquit)ex veratro albo tuſo ac cribrato,deinde melle cocto excepto,ſimiliter purgans ſupernum ventrem, quemadmodum infuſum ex veratro purgat. At verò probatior eſt hic modus: nam in nobis ſitum eſt vt moderemur purgationem. Sit itaque veratri pondus drachmarū duarum:ipſa verò glans lanæ tomento ſolidiore obducatur E aut obligetur.Et caput tomēti extrinſecus per ſedem propendeat, quò poſt ſufficientem purgationem, glandem extrahere nobis liceat. Hic modus perfectiſſimè purgat, & neque ſuffocationem, neque aliud quoddam periculum inducit.

DE DIVERSIS ANTIDOTIS, Cap. XI.

Præfatio,à Galeno libris de Antidotis præmiſſa.

Compoſitiones medicamētorum quæ affectiones curant,& non foris imponuntur,ſed intra corpus ſumūtur,veteres F medici Antidotos vocant. Tres autem ſunt iſarum differētiæ: quædam enim lethalium medicamētorum gratia exhibentur: quædam ob beſtias venenum eiaculantes: quædam affectionibus ex malo victu obortis auxiliantur.Aliquæ triplicem vſum promittunt,quemadmodum etiam ea quæ theriaca appellatur.

Hedychroi in theriacam ingredientis præparatio Aſpalathi radicis corticis, calami aromatici, coſti, aſari xylobalſami,phu,amaraci,maſtiches,ſing.drach. VI, carpobalſami drach.II, mari drach. XVI, floris iunci rotundi G odorati drach. II, cinnamomi drach. XXIIII, amomi, caſſiæ,rhei,ſing.drach.VIII,nardi Indicæ,folii, ſingulorum drach.XII,myrrhæ drach.XXIIII,croci drach.XII: vino bono excipe,& paſtillos efforma digitis opobalſamo tinctis.

Paſtillorum ſcilliticorum præparatio, Scillam luto aut farinæ maſſa oblitam moderatè aſſato, & acceptis internæ partis ipſius partibus duabus, & farinæ erui parte vna,terito,& ſimiliter paſtillos efformato.

Paſtillorum theriacorum præparatio, Viperas quatuor aut quinque fuluiores ac recens captas ſumito, & de ipſis ad caput & ad caudam,quatuor digitorū magnitudinem H amputato, & tota pelle interaneiſque ipſarum ablatis, reliqua in noua olla cum anetho & ſale coquito, donec ſpinæ de carnibus diſcedant: deinde ablatis ac diligenter à ſpinis purgatis carnibus, puri panis æqualem portionem ipſis admiſceto, & trita ſimiliter in paſtillos

effformato,digitis opobalſamo tinctis,& invmbra ſiccato.

Theriacæ Antidoti præparatio, Paſtillorum ſcilliticorum drach. XLVIII, paſtillorum theriacorum drach. XXIIII, hedychroi drach. XXIIII, cinnamomi drachmas XXIIII, piperis communis drach. XXIIII, ſucci papaueris drach. XXIIII, roſarum ſiccarum drach. XII, ſcordii, buniadis ſeminis,iridis Illyricæ, agarici, glycyrrhizæ, opobalſami,ſing.drach.XII, myrrhæ, croci, zingiberis, rhei Pontici,quinquefolii radicis,calaminthæ, marrubii, petroſelini,ſtœchadis,coſti, piperis albi & longi, dictamni, iunci rotundi odorati floris, thuris maſculi, terebinthinæ,maſtiches,caſſiæ nigræ,ſpicæ nardi,ſingul.drach. VI, polii floris,ſtyracis, apii ſeminis, ſeſelis, thlaſpis, ammii, chamædryos, chamæpityos, hypociſtidis ſucci, malabathri, nardi Celticæ, mei,gẽtianæ,aniſi,fœniculi ſeminis, Lemniæ ſphragidis,chalcitidis toſtæ,amomi,acori, balſami, phu Pontici, hyperici,acaciæ, gummi, cardamomi, ſingul.drach.IIII,dauci ſeminis, galbani, ſagapeni, bituminis,opopanacis,caſtorii, centaurææ, ariſtolochiæ clematidis,ſingul.drach.II.mellis Attici libras X,vini Falerni ſextar.II.Opium,hypociſtidem,myrrham,ſagapenum, ſtyracem,acaciam,opopanacem,in pilam mittito, & modico melle affuſo, tundens diſſoluito, deinde vino adiecto vt ſupereemineat, ad triduum macerato, poſtea reliqua tuſa vnito, mel ipſum deſpumetur. Reponitur in argentea aut vitrea vaſa non valde plena: & opercula ſingulis diebus demuntur. Vſus ipſius eſt, ſi res vrget, in morſis à beſtiis venenatis, & iis qui venenum acceperunt,poſt ſeptimum à præparatione annum, nucis Ponticæ magnitudine, cum vini cyath.III, ita vt bis in die bibatur: ſimiliter etiam iis qui ab aliqua obſcura periclitati ſunt cauſa, vt corruptio in corpore lethalis medicamenti qualitatem ſit imitata, quemadmodum in peſtilentibus conſtitutionibus maximè fieri ſolet: ſemel in die datur. At in aliis affectionibus poſt decennium ipſius vſus eſt, & vſque ad viceſimum annum. In tuſſi verò & thoracis aut lateris doloribus, non febrientibus,cum vino mulſo,febrientibus,cum aqua mulſa,datur ad noctem fabæ Ægyptiæ magnitudine. Sanguinem ſpuentibus, ſi recens eſt malum, in poſca: ſi diuturnum, in ſymphyti decocto datur fabæ Ægyptiæ magnitudine mane & veſperi. Inflatis & torminoſis aut cœliacis datur mane ex aqua calida, fabæ Ægyptiæ magnitudine. Appetentiam intenſam excitat. A rigore, perfrigeratione, & bilis vomitu,ante acceſſiones pota liberat. Mẽſes mouet,& mortuos fœtus eiicit, fabæ Ægyptiæ magnitudine pota cum aqua mulſa, aut paſſo, in quo ruta aut dictamnum coctũ eſt. Facit etiam ad vocem abſciſſam, & per ſe & cum dupla tragacantha, ex vino mulſo aut paſſo pota, & ſub lingua detenta,& eliquata. Splenicis & hepaticis datur ex poſca: ſi ſcirrhi duritia adſit, ex aceti mulſi, aut aceti ſcillitici ſeſquicyatho: nephriticis cum aceto mulſo fabæ Ægyptiæ magnitudine: dyſentericis tantundem cum rhois decocto, mane & veſperi. Ad viſus quoque hebetudinem ſummè facit hoc modo, Antidoti & opobalſami ſextantem cum mellis cyatho miſceto,& paulatim illinito. Detergit etiam dentes. Plerique etiam præſeruationis gratia ipſam accipiunt in nouilunio fabæ Græcæ magnitudine, vbi probè concoxerunt, cum mellis cochleario vno, & aquæ cyathis II. Similiter etiam in profectionibus ipſa vtũtur,quum vitiatum aerem aliquem, aut aquas ſuſpectas habent,in locis vbi iter faciunt.

Sales Theriaci.

Viperas ſumito recens captas quatuor, deinde ſalis ammoniaci aut cõmunis modium Italicum vnum in pilam mittito,& cum ipſo hæc in craſſas partes cõtundito, Gentianæ ſeſquilibram, ariſtolochiæ rotundæ ſeſquilibram,centaurii tenuis comæ lib.II, cardamomi, marrubii,ſingulorum ſexũcem,ſcordii,apii, chamædryos Creticæ,ſingulorum lib.I, rutæ ſatiuæ ſeminis ſextar.II. Mellis Attici menſura ſufficiente hæc vnito, & dimidiam ipſorum partem in ollam nouam dato, deinde quatuor viperas viuas adiicito, inſupérque ad ipſas etiam ſcillas teneras recentes minutim conciſas addito, atque ita reliquam dimidiam partem ſuperioris mixturæ ſuperiniici- A to,& olla diligenter operta,tribus aut quatuor foraminibus operculum ipſius perforato, quò vapor per ipſa exhalans, aſſationis modum tibi ſignificet. Primùm enim apparebit fumus multus, exiens caliginoſus ac valde turbatus, ſignificans quòd ignis iam feras ipſas contingat: atque tunc tu diligenter caue nequid de hoc fumo inſpires, dum aer à viperarum exhalatione inficitur. Deinde quum ceſſauerit vapor, & flammam quandam exilem conſpexeris per foramina egredientem,tunc ſanè quamoptimè aſſatas putato, atque ſic ollam ab igne ablatam, B per totam diem ac noctem perfrigerato: poſtea aperito, & exemptos carbones diligenter tundito,& cribrato cum his mixturis,Rutæ ſylueſtris ſeminis, hyſſopi Cretici,ſingulorum dodrãtem, ſeminis fœniculi,nardi Celticæ, ſtachyos Scythicæ,ſingulorum ſexuncem:petroſelini Macedonici, malabathri, foliorum, ſingulorum trientem, amomi, racemi, hormini ſeminis toſti, ſingulorum quadrantem:origani cacuminum,thymi cacuminum,ſingulorum ſextantem:baccarum iuniperi,piperis albi, & longi,ſingul.lib.I,ſilphii radicis dextantem, ſeminis coriandri, C zingiberis non perforati, ſatyrii ſeminis aut radicis, pulegii, ſeſelis Maſſilienſis, menthæ, ſingulorum ſexuncem,caſſiæ fiſtulæ ſextãtem,cinnamomi vnc.I. Cæterùm ego præparaui vt beſtias non exuſſerim, ſed paſtillos ex ipſis paratos, velut in theriaca expoſui, cum iis quæ cum beſtiis vruntur miſcui, & hoc propterea vt quam in ſe habent amaritudinem,eam in vſtione deponant. Tãtam autem menſuram paſtillorum adieci quantam coniectura aſſequi potui quatuor viperas habere. Et euaſerunt reuera optimi.

D Antidotus Mithridatica ex ſcinco, Myrrhæ Troglodyticæ,zingiberis,cinnamomi,ſing. drach.X, ſpicæ nardi,thuris,thlaſpeos,opobalſami, floris iunci odorati, coſti,ſtœchadis,ſeſelis,galbani,terebinthinæ, piperis longi, caſtorii, ſucci hypociſtidis, ſtyracis, foliorũ malabathri, ſingulorum drach. IIII, caſſiæ nigræ, polii, piperis albi, ſcordii, dauci ſeminis, carpobalſami, cypheos, bdellii, nardi Celticæ,gummi,petroſelini, opii,cardamomi,fœniculi ſeminis,gẽtianæ,foliorum roſarum, ſingul. drach. VIII,dictamni,aniſi,acori,phu,ſingulorum drachmas III, E mei Athamãtici,acaciæ,ventris ſcinci, hyperici ſeminis, ſing.drach.I.S.vini & mellis quantum ſatis eſt.Præparato ſimiliter vt theriacam. Galenus dicit hãc ad eadem facere ad quæ etiam theriaca, exceptis iis qui à vipera morſi ſunt.nam ad hos theriaca efficacior eſt.

Antidotus ex ſanguinibus,faciẽs ad omnia venenum eiaculantia, & ad lethalia medicamenta, Piperis albi & longi,coſti,acori,phu,aniſi,dictamni Cretici,ſingulorum drach. II, amomi,opobalſami,ſeminis rutæ ſylueſtris,ſeminis fœniculi,cumini Æthiopici,anethi,ſanguinis anatis maſculi ſicci, ſanguinis hœdi, ſanguinis anſeris, F ſanguinis anatis fœminæ, buniadis ſylueſtris ſeminis, ſingulorum drachmas III,gentianæ radicis,trifolii, iunci odorati floris,thuris,roſarum ſiccarum,ſingulorum drach. IIII,cinnamomi drach.II, ſcordii drach.VIII, petroſelini, polii,myrrhæ,nardi, ſingulorum drach.VI, caſſiæ drach. III,ſucci Cyrenaici drach.III,ſtœchadis drach. V.aſari drachmas II, ammoniaci thymiamatis drach. III, mei Athamantici drach. II, agarici drach. II, carpobalſami grana XX,mellis cocti quantum ſatis eſt.

G Acetum mulſum ſimplex, Aceti acerrimi albi ſextar. I,aquæ ſextar.II,Mellis ſextarium I. Coquito ad liquidioris mellis compagem, mel inter coquendum deſpumans.

Acetum ſcilliticum, Scillæ albæ conciſæ,& in vmbra ſiccatæ ad dies quadraginta, rurſúſque purgatæ, minam vnam, aceti boni ſextarios XII. Hæc ſimul in vas mittito, idque opertum ad dies ſexaginta ad ſolem exponito,poſt quas ſcillam expreſſam abiicito: acetum autem excolatum in aliud vas tranſfundito. Quidam ſcillæ mi- H nam I, in aceti ſextarios VI mittunt: alii viridis ſcillæ idem pondus in acetum coniiciunt, & ad menſes ſex ſimul in vaſe eſſe ſinunt. Et eſt hoc magis inciſorium. Facit autem ad fluxiones circa os, ſi colluatur, & ad multas internarum partium affectiones,ſi bibatur,exceptis iis quæ cum vlceratione conſiſtunt: facit item ad plura alia.

Acetum mulſum ſcilliticum, Scillæ partium internarum tenerarum libr.ɪɪ, aceti acris albi ſextar. xv, piperis, petroſelini Macedonici, ſingulorum ſextantem, dauci Cretici,ammii,aniſi,nardi Celticæ, liguſtici, aſari, cardamomi,ſpicæ nardi,amomi, rhei Pontici, ſingul.ſemunciam, ſeminis fœniculi, cumini,ſilphii, zingiberis, pyrethri,hyſſopi Cretici,coſti,pulegii,ſingulorum vnc.ɪ, mēthæ viridis faſciculum ɪ,rutæ viridis ramulos v, mellis Attici ſextar.ɪ, ſapæ ſextār. ɪɪ, apii viridis faſciculum ɪ. Internas ſcillæ partes albas contuſas in acetum mittito, & ad dies ſeptem ſub caniculæ ardoribus macerari ſinito: deinde exempta ſcilla, ſicca quidem iam contuſa, viridia autem non contuſa, in acetum dato, & rurſus poſt ſeptem dies omnibus excolatis, mel & ſapam ad acetum addito,& ad compagem coquito, vitreóque vaſe excipito. Vtere hoc auxilio & ieiunus velut potione quæ ante cibum ſumi ſolet,& cum cibo ad intinctus.Eſt enim longè vtiliſſimum.

Medicamentum Galeni ex ſcilla, faciens maximè ad comitiales. Scillam in tenues partes manibus confractam, in vas quod mel habuit conijce, & id probè opertum in loco ad meridiem conuerſo, ſub Caniculæ ardoribus expone: poſt quadraginta dies ab ortu caniculæ, ſolue,& ſcillæ corpus effluxiſſe comperies.Exceptum itaque ſuccum ipſius optimo melle condito, & his ſingulis diebus cochl. ɪ præbeto, pueris paruum, perfectis magnum.Sed & ipſum ſcillæ corpus cum melle terito, indéque cochlearium exhibeto. Eſt autem hoc facultate poſterius ſucco.

Philonis Antidotus, Piperis albi drach.xx, hyoſcyami drach.xx,ſucci papaueris drach.x,croci drach.v, pyrethri,euphorbii,ſpicæ nardi,ſing. drach.ɪ,mellis Attici, aut alterius boni probè cocti, quod ſatis eſt. Dato perfectis nucis Ponticæ magnitudinem,minoribus fabæ,pueris ciceris. Medicamentum eſt quod dolorem maximè ſedat,& ſomnum inducit.

Athanaſia dolorem ſedans pleuritica,Oribaſii, Caſſiæ drach.vɪɪɪ,ſpicæ nardi, amomi, croci, opii, ſtyracis, myrrhæ,coſtis, ſingul. drach.ɪɪɪ, mellis deſpumati quod ſatis eſt.Doſis eſt eadem quæ Philonis antidoti.

Antidotus ex duobus piperis generibus,ſimilem vim habens, Cardamomi,caſtorii,opii,ſingul. drach.ɪɪɪ,myrrhæ,coſti,piperis albi,& longi, galbani, ſingul. drach. ɪɪɪ, croci drach. ɪɪɪ. Excipe melle cocto, & præbe fabæ magnitudine.

Antidotus ex papaueris capitibus, & ſapa, Capita papaueris viridia non aquoſa, vɪɪɪ,aut x, poſtridie vt decerpſeris, cum glycyrrhizæ vncia vna, in ſapæ ſextario vno,ad diem vnum macerata coquito donec flacceſcant, & vbi moderatam habuerint hæc compagem, ab igne ablata vaſe excipito, ac vtitor in febrientibus qui vigiliis infeſtantur, & ſi de capite in thoracem tenuis fluxus fertur.

Antidotus ex papaueris capitibus,& melle, Capita papaueris(velut dictum eſt)& glycyrrhizæ vnc.ɪ,in aquæ pluuialis aut fontanæ ſextario ɪ, donec flacceſcant coquito ac exprimito, & ad decoctum mellis ſextarium dimidium adiicito,& ad ſpiſſitudinem coquito. Datur his qui cum doloris mitigatione, & ſomni inductione, inſuper etiam expurgatione & exterſione opus habēt eorum quæ in thorace aut circa pulmonem & renes hærent.

Antidotus ex papaueris capitibus compoſita, Aquæ in qua capita papaueris iuxta relatum modum cocta ſunt, ſextar.ɪ,vini dulcis heminas ɪɪ, mellis libr.ɪ,croci, hypociſtidis ſucci, ſingul. drach. ɪɪɪɪ, coquito ad compagem. Cæterùm ea quæ ex melle,& capitibus papaueris,& malis cydoniis paratur,ſtomacho gratior eſt: verùm efficacior eſt ſi vnà cum papaueris capitibus, etiam melilotum & glycyrrhiza in aqua coquantur.

Eclegma ex marrubio ſimplex, ad tabeſcentes maximè, Comæ marrubii lib.ɪ,in aquæ heminis vɪ ad tertias coquito, & abiecta herba, parem mellis menſuram aquæ adiicito,& ad mellis ſpiſſitudinem coquito, indéque cochl.ɪ.præbeto.

Eclegma ex marrubio compoſitum, Comæ marrubii,iridis Illyricæ,hyſſopi,pulegii, glycyrrhizæ, apii, ſingulorum ſextantem, caricarum pinguium quadrantem, nucleorum nucis pineæ refinatæ quadrantem. Contundito in craſſas partes ſicca, & cum caricis in aquæ ſextar. ɪɪɪ,macerata, ad tertias decoquito: deinde ad excolatam aquam mellis libr.ɪɪ adiicito, & ad mellis compagem vſque coquito.

Eclegma ex eruo, Amygdalarum amararum ſextantem,farinæ erui trientem,hyſſopi triētem, iridis ſemunciam, nucleorum pineorum torrefactorum ſextantem, mellis ſextar.ɪ,aut quod ſatis eſt.

Eclegma dodecatheon, Iridis Illyricæ trientem, erui trientem,hyſſopi ſextantem,ſeminis vrticæ ſextantē, glycyrrhizæ ſextantē,fœnigræci ſextātem, bulborum trientem,ſeminis lini torrefacti trientē,melanthii ſcrup.xvɪɪɪ, pulegii ſcrupul. vɪ, nucleorum pineorum torrefactorum ſextantem,piperis ſcrup.vɪ,mellis quod ſatis eſt.

Antidotus Sotira, Spicæ nardi ſcrup.xxxɪx,myrrhæ ſcrup.xxvɪɪ, croci ſcrup.xxxvɪɪ, caſtorii ſcrup. xxxɪx, petroſelini ſcrup. xʟv, aniſi ſcrup. ɪx, apii ſcrup. vɪɪ, floris iunci odorati ſcrup. xxxvɪ, caſſiæ ſcrup. xɪɪ, piperis longi ſcrup.xɪɪ,ſeminis ſinonis ſcrup.vɪ, ſtyracis ſcrup.xvɪɪɪ, amomi ſcrup.xɪɪ,ſeſelis ſcrup.xɪɪ,hedychroi ſcrup.xvɪɪɪ, coſti ſcrup.xvɪɪɪ,mellis quod ſatis eſt.

Medicamentum ad tuſſim,ex ſtyrace, Amomi,caſſiæ, ſingul. ſextantem, ſtyracis, ſpicæ nardi, ſingulorum ſeſquiunciam,croci, piperis albi, ſingul. vnc.ɪ, mellis ſextar.ɪ.Exhibe cochlearium vnum.

Medicamentum Philoxeni,ad ſuppuratos & fluxiones diuturnas, Terebinthinæ drachm.xxvɪɪɪ, nardi drach. xvɪ,myrrhæ ſtactæ drach.vɪ,cardamomi,bulborum, ſingul. drach.vɪ, croci drach. xɪɪ, galbani drach. xvɪ, amygdala amara ʟxxx. mellis heminam: bibitur ex aqua fabæ Ægyptiæ magnitudine.

Antidotus Eſdræ,multi vſus. eſt enim ex iis quæ valde ſiccant. Amomi ſcru.vɪ,croci ſcru.xvɪɪɪ,ſeminis dauci ſcrup. ɪ. S. fœniculi ſeminis ſcrup.ɪɪɪ, caſſiæ ſcrup. ɪ.S. floris iunci odorati ſcru.ɪɪɪɪ.S. cinnamomi ſcrup. ɪɪɪ,hypociſtidis ſucci ſcrup.ɪɪɪɪ.S.ſulphuris ſcrup.v,ſeminis papaueris ſcrup. v, pyrethri ſcrup.ɪɪɪ, petroſelini ſcrup. ɪ. S. iridis Illyricæ ſcrup.vɪɪ.S. hyoſcyami ſeminis ſcrup.xɪɪɪ. S.ſpicæ nardi ſcrup.vɪɪ. S. ſeminis rutæ ſcrup. ɪ. S. anethi ſcrup. ɪɪɪ, cardamomi ſcrup.ɪɪɪ, roſarum ſiccarum ſcrup. ɪɪɪɪ.S. floris nerii (eſt autem velut ſiliqua, ex qua roſa rododaphnes emergit) & roſæ ipſius, ſingul. ſcrup.ɪɪɪ, rhei ſcrup. vɪ, gentianæ ſcrup.vɪ, hedychroi ſcrup.ɪ. S. tragacanthæ ſcrup.xv.Lycii ſcrup.vɪ, foliorum citrii ſcrup.vɪ, ſeminis ocimi ſcrup.ɪ.S.aniſi ſcrup.ɪɪɪ,coſti, myrrhæ,ſingul.ſcrup.vɪ,bdellii ſcrup.xvɪ,ſucci artemiſiæ ſcrup.xɪɪɪ. rhois Syriaci ſcrup.xxv.S. aſari, ventris mergi, lapidis iaſpidis,ſingulorum ſcrup.ɪɪɪ,piperis ſcrup.xv,caſtorii ſcru. ɪ.S. cimoliæ ſcrup. vɪ, ſiſonis ſcrup.ɪx, ſtyracis ſcrup. ɪx, opobalſami ſcrup.xɪɪ, ſeſelis herbæ ſcrup.ɪ. S. mellis vncias xxvɪɪɪ,vini quod ſatis eſt.

Medicamentum ex malorum cotoneorum carnibus, Malorum cotoneorum purorum libr.ɪɪɪ, concoquuntur in vini veteris ſextar.ɪɪɪ,deinde teruntur, & adiiciuntur ipſis trita hæc, piperis, aniſi, liguſtici, ſingul.vnc.ɪ. Quidam etiam zingiberis vnciæ dimidium addunt.Quidam pro vino acetum ſumunt. Medicamētum ex malorum cotoneorum ſucco, ad proſtratam appetentiam & ægrè concoquentes commodum, Malorum cotoneorum maturorum ſucci ſextar.ɪɪ,mellis boni ſextar.ɪɪ,aceti ſextar. ɪ,zingiberis quadrantem, piperis albi ſextantem: ad ſpiſſitudinem coquito. Hoc ad perfrigeratos præparat Galenus.In quibus autem,inquit,bilis abundat, citra piperis & zingiberis admiſtionem præparato.

Meloplacuntii (*id eſt placenta ex malis cotoneis*) præparatio, Malorū cotoneorum purorum lib.vɪ, coquuntur in vino donec flacceſcant: deinde ad excolata ac trita quidam adiiciunt mellis libr. vɪɪɪ, & ad lentum ignem coquunt,mouētes ſubinde ferula, donec totum manus non inquinet,& tunc contuſa hæc adiiciunt,piperis quadran-

tem,aniſi quadrantem, petroſelini vnc.I. Quidam etiam zingiberis vnc.I, & maſtiches vnc. I. deinde mixta in placentas ſemunciales efformant,& cum lauri foliis componunt.

Cydonatum friabile fruſta integra habens, Malorum cydoniorum purorum in fruſta conciſorũ libræ 8. coquuntur in vini ſextariis 8. moderatè vt non diſſoluantur, deinde admiſcentur ipſis mellis deſpumati lib. 8. piperis beſſis, petroſelini, aniſi, ſingulorum quadrans, zingiberis quincunx, ſpicæ nardi ſeſcuncia, caryophylli vncia vna: omnia hæc contuſa & moderatè cocta, ad iuſculi ſpiſſitudinem tollito, & vbi perfrigerata ſunt, fruſta ſimul cum iuſculo componito.

Antidotus ex tribus piperis generibus. Piperis cõmunis, albi, longi, ſingulorum drach. 7. zingiberis, aniſi, cacuminum thymi, ſingul. drach. 2. mellis quod ſatis eſt. Alia Oribaſii, Piperis albi ſextantem, piperis nigri, longi, ſpicæ nardi, cinnamomi, ammii, caroi, hyſſopi, ſeſelis, dauci, petroſelini, ſingul. vnc. I. zingiberis drach. 4. mellis libr. 3.

Alia, Piperis communis quadrantem, albi vnc.I, longi vnc.I. petroſelini, cinnamomi aut caſſiæ duplum, zingiberis, ſingulorum vnc.I mellis vnc.21. aut quantum ſatis eſt: ego etiam thymi cacuminum vnc. I, admiſcui.

Dioſpolites. Cumini aceto macerati ac torrefacti vnc. I, piperis, zingiberis ſingul. ſextantem, rutæ viridis vnc.I, S. nitri drach. II.S. Excipe melle. Medicamentum ex calamintha, Petroſelini, pulegii, ſeſelis, calaminthæ, ſingulorum quadrantem, apii ſeminis vnc.I, cacuminum thymi vnciã I. liguſtici trientem, piperis vnc.II. mellis quod ſatis eſt.

Medicamentum ex citrio, ad ægrè concoquentes.

Aceti heminas 3, citrii ſiue medici mali carnis lib. I, hyſſopi, rutæ, origani, ſingul. faſciculum. Hæc per diem ac noctem macerata in aceto coquuntur ad tertias, & expreſſa abiiciuntur: ad acetum autem mellis ſextar. I. admiſcetur, & rurſus ad mellis ſpiſſitudinẽ coquitur. quod vbi factum eſt, aſari, mei, piperis albi, ſingul. ſextans infarcitur. Datur inde cochl. I, mane, & ad ſomnum.

Picra Galeni, Aloes drach. c, xylobalſami, maſtiches, croci, ſpicæ nardi, aſari, cinnamomi, ſing. drach. VI. Quidam etiam floris iunci odorati, & caſſiæ, ſingul. drach. VI, addunt. Datur ex aqua mulſa drach. I.

Picra ex aceto mulſo, ad ſtomachicos, vterum, & hydropem, Aloes trientem, folii ſextantem, coſti, caſſiæ, amomi, iridis, ſingulorũ drach. I, corticis radicis fœniculi libr. I, maſtiches, nardi Celticæ, zingiberis, ſingulorum drach. I, piperis drach. I, mei drach. I, aceti ſextar. I. S. mellis ſextar. I. S. fœniculum in aceto vbi prius coctum eſt abiicitur: deinde mel adiicitur, & facta ad mellis compagem coctura, reliqua trita inſpergantur.

Medicamentum optimum ex hepate lupino, Gentianæ, chamæpityos, petroſelini, marrubii, fellis vrſini, ſinapis, ſcolopendrii, radicis panacis minii, rubiæ, ſeminis braſſicæ, ariſtolochiæ longæ, piperis albi, ſpicæ nardi, coſti, erucæ ſeminis, eryngii radicis, polii, echii, eupatorii, baccarum iuniperi, hepatis lupini, enulæ, ſingulorum æquales partes melle cocto excipe. Datur nucis Ponticæ magnitudo cum vino mulſo cocto.

Theodoretus ex anacardiis, Anacardiorum vnc. I. S. croci, caſſiæ, folii, ſpicæ nardi, caryophylli, mei, agarici, floris iunci odorati, rhei, epithymi, ſingulorũ drach. IIII, acori, piperis, ſingul. vnc. I. S. aloes quadrantem, ſaxifragæ, maſtiches, iridis Illyricæ, ſingulorum vnc. I. S. myrobalanorũ vnc. I. mellis, libr. I, aut quod ſatis eſt. Theodoretus abſque anacardiis, Aloes drach. LX, agarici drach. XXIIII, croci, caſſiæ, rhei Pontici, acori, cinnamomi, maſtiches, ſingul. drach. X, coſti, ſeminis rutæ, piperis albi, ſingul. drach. VIII, ſpicæ nardi drach. III, xylobalſami, aſari, chamædryos, mei, ſingul. drach. IIII, mellis quod ſatis eſt. Quidam etiam his addunt anacardia II. Doſis eſt drach. II, cum aqua mulſa.

Cyphoides, ad hepaticos, & thoracis affectiones, Vuæ paſſæ carnis drachmas XXV, croci drach. I, calami drach. II, bdellii drach. II.S. cinnamomi obol. III. nardi obol. III, iunci odorati drach. II, myrrhæ drach. IIII, terebinthinæ drach. IIII, aſpalathi ramenti obol. XII, mellis drach. XVI. vini quod ſatis eſt. Cyphoides aliter, Alexandri, Croci, cinnamomi, bdellii, ſingulorum drach. IIII, myrrhæ, calami, ſingulorum drachmas II, aſpalathi, floris iunci odorati, ſingulorum drachmas III, caſſiæ, nardi, ſingulorum drachmam I, terebinthinæ drachmas XVI, vuæ paſſæ carnis drachmas CLX, mellis heminam, I.S. vini Chii quod ſatis eſt. Medicamentum ex Cacano hepaticũ. Cacani vnc. I, coſti vnc. I, folii ſcrup. VIII, piperis albi ſcrup. VII, ſpicæ nardi ſcrup. VI, mellis quod ſatis eſt. Datur cochl. I, cum conditi potione.

Zopyrius, Myrrhæ drachmas V, croci, caſſiæ, ſingulorum drachmas IIII, cinnamomi drachmas III, ſpicæ nardi drachmas II, floris iunci odorati drachmas II, piperis albi drachmam I. S. thuris drachmam I, coſti drach. I. Mellis quod ſatis eſt.

Pœonia, Styracis calamitæ drach. 6. thuris, amomi, croci, ſingul. vnc. I. S. ſpicæ nardi drach. 6, folii drachmas 2. piperis albi drach. 6. piperis communis drach. 8. myrrhæ vnc. I. coſti vnc. I. mellis quod ſatis eſt.

Catapotia hepatica, Doſithei, Aloes vnc. I. ſpicæ nardi, folii, coſti, ſingul. ſcrup. 2. agarici ſcrup. 8. maſtiches ſcrup. 13. epithymi ſcrup. 4. rhei ſcrupul. I.

Acetum mulſum ad ſplenem, Capparis radicis corticis, ſcolopẽdrii, ſpicæ nardi, aſari, iridis, floris iunci odorati, floris iunci quadrati, aniſi, cumini, fœniculi, acori, fructus ericæ, ſingul. vnc. I, foliorum myricæ, foliorũ ſalicis, radicis apii, dendrolibani, ſcillæ, ſingulorum ſextantem, aceti ſextar. 3. mellis ſextar. 3. ammoniaci thymiamatis quadrantem. Præparato velut ſcilliticum, dato cochl. 2. Acetum mulſum, faciens ad calculoſos. Saxifragæ, betonicæ, graminis, adianti, ſpicæ nardi, carpeſiæ, aſari, eryngii, ſingul. vnc. I. petroſelini Macedonici, rutæ ſeminis, ſingul. vnc. S. fœniculi viridis, ſcillæ aſſatæ, chamædaphnes, ſingulorum ſextantem: capparis radicis corticis quadrantem, ſii ſextantem, aquæ, aceti, mellis, ſingul. ſextantem.

Poſca calculos atterens, Pulegii, maſtiches, ſeminis apii, menthæ ſiccæ, ſingulorum vnc. I, ſalis communis torrefacti lib. I, ſeminis coriandri, ſpicæ nardi, aniſi, ammii, ſingul. ſcrup. VI, folii ſcrup. IIII, piperis albi vnc. S. aut cõmunis, vnc. I, lithoſpermatis ſexuncem, betonicæ ſexuncem, aceti boni ſextar. V. Omnia tuſa, cribrata ac leuiſſimè trita, per triduum aceto admiſceto, & per dies XL inſolato. Vſus autem tempore, ex cicere nigro, & aſparagorum radice, apióque & adianto decoctum parato, & ad ipſius temperaturam aceti heminas II, adiicito, ægróque in calido balnei ſolio bibendum præbeto. Quidam verò relatarum ſpecierũ puluilli ſcrup. XII, cum poſca ex prædictorum relatarum herbarum decocto mixta exhibent, & nihilominus efficax eſt medicamentum.

Conditum calculos atterens, Piperis albi, ſaxifragæ, ſpicæ nardi, lithoſpermi, betonicæ, ſingulorum vnc. I, petroſelini, folii, ſingulorum vnc. I, S. ſeminis rutæ ſylueſtris, vnc. S. mellis ſextar. I. Vini Aſcalonitæ ſextar. XVI.

Medicamentum ex hircino ſanguine, Quum vua inceperit matureſcere, hirci ætate vigentis ſanguinem accipe, & in ſole ſicca, déque ipſo cochl. II, præbe calculoſis cum paſſo Cretico. Quidam etiam amomi & folii ſingul. quadrãtem admiſcent: alii etiam myrrhæ ſcrup. IIII.

Antidotus renalis ex cicadis, Lithoſpermi, acus piſcis vſti, ſeſelis, ſingulorum vnc. I, ammii, cucumeris ſatiui ſeminis, ſaxifragæ, vuarum paſſarum exemptis vinaceis, ſeminis altheæ, phaſeoli albi, lyncurii, ſingulorum vnc. S. ſpicæ nardi, phu, mei, lapidum ex ſpongiis, ſingulorum drachm. I: adianti, ſeminis paliuri internæ partis, ſii ſicci, radicis rubi, graminis, polypodii, ſingulorũ drachmas III: hircini ſanginis ſiccati (velut dictum eſt) ſcrup. VI, cicadarum ſiccarum, ademptis capite, alis ac pedibus, trientem, piperis albi drach. VI, mellis cocti quod ſatis eſt. Datur nucis Ponticæ magnitudine in condito, aut decocto tribuli, aut ſaxifragæ, aut ſinonis, aut radicis aſparagorum, aut graminis, aut quinquefolii, aut radicis herbæ lanariæ.

Antidotus ex lithoſpermo, Lithoſpermi, betonicæ,ſaxifragæ, petroſelini, piperis albi, æquales portiones.Excipe melle.

Antidotus ex ſemine porri, Piperis albi ac nigri,dauci Cretici,cucumeris ſatiui ſeminis,fœniculi ſeminis,porri ſeminis, petroſelini Macedonici, pyrethri, zingiberis, folii, ſingul.vnc.I.Mellis quod ſatis eſt.

Antidotus ex tecolitho, Spicæ nardi, hyſſopi, tecolithi,ſingulorum ſcrup.VIII, piperis ſcrup.XII,zingiberis, petroſelini,coſti, ſaxifragæ, ſingul.ſcrup.VI, caſſiæ, ſeminis apii ſingul. ſcrup. III, cyperi ſcrup. VI, ramenti eboris ſcrup. IIII, cardamomi ligni ſcrup. VI, lithoſpermi ſcrup.IIII.Mellis quantum ſatis eſt.

Antidotus ex ſemine maluæ ſylueſtris, Cucumeris ſatiui ſeminis drach. XII, hyoſcyami ſeminis drach. VI, cicutæ ſeminis drach.III (alii VI,habēt)opii,fœniculi, maluæ ſylueſtris ſeminis,croci,ſingulorum drach.III,ſeminis apii drach. VI, caſſiæ drach. IIII, amygdalas X, nuces regias X, nuces Ponticas X, aſari drach. IIII. Excipe paſſo Cretico,& obolos III, præbe non febrientibus,cum ſapa. Quidam melle excipiunt.

Medicamentum renale ex bellariis, ad veſicæ ac renum vlcerationem. Vuæ paſſæ albæ vinaceis exēptis,nucleorum pineorum recentium ſing.ſextātem, cucumeris ſeminis decorticati,baccarum myrti,exempto oſſe,amygdalarum amararum, palmularum pinguium, ſeminis apii,ſeminis papaueris,croci,ſing.drach.I.myrrhæ ſextantem.Ex paſſo drach.I,ieiuno bibendam præbe.

Antidotus Satyriaca, Zingiberis,ſatyrii ſuperioris,ſingulorum drach.VIII, ſcinci caudæ,mei, aſari, petroſelini, cardamomi,ſeſelis,ſingul.drach.IIII, ſeminis erucæ, cinnamomi,ſingul.drach.III, hormini, piperis albi, ſeminis cnici,ſingulorum drach.II,floris iunci odorati,ſpicæ nardi, ſingulorum drach. I, ſanguinis hircini myſtrum. Datur drach.I.cum vino,debilioribus cum lacte.

Catapotia ex xylomacere,ad dyſentericos, Xylomaceris,opii,rhei, ſingul. ſcrup. VI, gallæ, myrrhæ, ſingulorum vnc.I Excipe vino ſpathite.

Antidotus ex corallio, podagrica, Rhei barbarici, pæoniæ,myrrhæ Troglodyticæ,ſpicæ nardi,ſingul.ſextātem, folii vnc. I, caryophylli grana XV, anagallidis ruſſeum,*id eſt puniceum*,florem habentis, quam vocant corallium,vnc.S.ariſtolochiæ lōgæ trientem,& rotundæ trientem. Datur ſcrupulus I quotidie,cōcoctione probè facta. Incipere verò oportet ab æquinoctio autumnali,quod eſt circa XXIIII,diem menſis ſeptembris,& ſumere deinceps ad dies quinquaginta, & intermittere dieb9 XIX. Atq; ita facito donec impleti fuerint dies quibus ſumis,CCCLXV. Sub Cane porro in totum vacato,hoc eſt à XXIIII,Iulii vſque ad Auguſtum cōpletū.Abſtinendū eſt autē à venere,carnibus maximè porcinis,ſalſamento,garo,beta,dauco,mentha,lactucis coctis,& peponibus: A piſcibus capitonibus,gobiis, mollibus & teſta intectis: & ab omnibus leguminibus,& ab omnibus ſimpliciter craſſum ſuccum habentibus, & à vino nigro ac vberiore. Lauent autem quotidie,& exerceant ſe aut pedibus, aut equo, aut vehiculo. At verò qui ſicciore habitu præditi ſunt, hi etiamſi pleniore victu vſi fuerint,non læduntur.

Antidotus podagrica,Agapeti, Folii,rhei barbarici, croci, ſpicæ nardi, myrrhæ Troglodyticæ, coſti, chamædryos, ſingulorum ſextantem, aloes hepaticæ quincuncem,hyperici,pæoniæ, ſingulorum quadrantem, ariſtolochiæ longæ,phu,mei,damaſonii, anagallidis, ſingulorum trientem. Vtendi modus idem eſt qui eius quæ ex corallio conſtat.

Antidotus atactos podagrica, Folii,mei,damaſonii, anagallidis cæruleum florem habentis,rubiæ, maſtiches, croci,caſſiæ, aloes hepaticæ, gentianæ, chamædryos, ſingulorum vnc.I,caryophylli,aſari,piperis albi,& nigri,ſingul. vnc.S. ſpicæ nardi,myrrhæ, rhei barbarici, pæoniæ radicis, ariſtolochiæ longæ, & rotundæ, ſingul. ſextantem. Vſus idem eſt.

Antidotus Procli podagrica, Facit etiam ad coxendices. Chamædryos dodrantem,cētaurii beſſem, ariſtolochiæ ſeptuncem, gentianæ ſexuncem, hyperici quincuncem,petroſelini Macedonici trientem,mei quadrantem,agarici ſextantē,phu vnc.I. Mellis Attici heminas II.

Medicamentum ex VII rebus conſtans,ad eadem, Hyperici,ariſtolochiæ longæ,ſingul. vnc.I,cētaurii, chamæpityos,agarici,ſingul.quadrantē, chamædryos ſexuncem, gentianæ quincuncem. Quidam etiam petroſelini vnc.I, mellis heminam.I.Datur drach.I.

DE PASTILLIS,

Cap. XII.

Paſtilli ab orbiculari figura Trochiſci nominantur. Species ipſorum tres ſunt. quidam enim bibuntur, quidam per ſedem infunduntur, quidam illinuntur. Ex iis igitur qui bibuntur,quidam ſiſtunt aluum,aut ſanguinem,aut alium quendam fluxum, perfrigerando, aut adſtringendo, aut meatus obducendo, aut ſiccando cohibentes: velut eſt is qui ex ſpina Ægyptia conſtat,& qui ex ſeminibus,& conſimiles. Quidam dolorem eximunt,aut quòd ſenſum torpefaciūt, velut eſt croceus:aut quòd diffundunt,velut ii qui ex aromatibus conſtant.Quidā ſplenem, aut renes, aut hepar ab obturatione liberant, velut eſt is qui ex amygdalis amaris paratur. Ex iis autem qui per ſedem infunduntur, quidam acres humores obtundunt, vt in dyſenteria: velut ſunt qui ex pompholyge & amylo & terra Samia conſtant, & per ptiſſanæ aut huiuſmodi alicuius ſuccum infunduntur.Quidam alui aut ſanguinis fluxiones ſiſtunt, velut qui ex alumine, acacia, & omphacio,parātur:qualis eſt paſtillus Philippi,aut ex ſpina Ægyptia conſtans,qui cum ſucco roſarum aut plantaginis infunduntur. Quidam vrunt, in dyſenteriis depaſcendo proſerpentibus conuenientes,ex ſandaracha,arſenico,calce,charta vſta compoſiti,qui cum lentium aut oryzæ ſucco infunduntur,inteſtino prius muria infuſa eloto, ita vt ægroti prius cibum ac potum acceperint,vt nequid de medicamentorum facultate ad ſtomachum rapiatur. Vtiles autem ſunt maximè paſtilli qui infunduntur, in affectionibus infra vmbilicum. altius enim vis ipſorum non progreditur. At verò qui illinuntur, ſimilem quidem vim habent cum iis qui infunduntur: verùm qui adſtringunt, ad herpetas faciunt, puſtulas, intertrigines,ſanguinis eruptiones, vlcera fluida, quemadmodum paſtillus Andronis & Polyidæ. Qui verò obtundunt, carbunculis & malignis vlceribus conueniunt, velut eſt albus,& qui ex lotariis conſtat. Qui verò vrunt,velut relati, & qui Fauſtiani appellantur, in depaſcentibus in pudendis ac ano vlceribus. In pterygiis item & carne excreſcēte conducunt.

Paſtillus after, Croci,opii,caſtorii,ſpicæ nardi,caſſiæ, myrrhæ,ſigilli Lemnii, corticis mādragoræ, ſingul.trientem:dauci, apii,aniſi, ſeſelis, ſeminis hyoſcyami, ſtyracis ſingul.drach.VIII.Terito cum vino.

Paſtillus trigonus, Seminis apii,ſeminis hyoſcyami, ſingulorum drach.II, aniſi drach.IIII,opii,drach.III, Cum aqua terito.

Paſtillus ex ſeminibus, Aniſi, ammii, fœniculi ſeminis,ſingul. drach.IIII,ſeminis apii,opii, ſeminis hyoſcyami,ſingul.drach.II.Excipe aqua trita.

Paſtillus croceus, Aniſi,dauci Cretici ſeminis,ſingul. drach.IIII, myrrhæ, caſtorii, ſingul.drach.II, croci,opii, ſingul. drach.III, ſeminis apii, ſtyracis, ſingul. drach.IIII, hyoſcyami ſeminis drach.VI. Terito cum aqua.

Paſtillus ex roſis, Acaciæ,gummi, floris roſarum, balauſtiorum, ſucci hypociſtidis, gallarum,ſingul.drach.III, roſarum viridium ſucci,ſeminis plantaginis,ſingulorum drach.I.Lycii Indici drach.I.

Paſtillus ex corallio, Seminis hyoſcyami,thuris,ſingulorum drach.VIII,terræ Samiæ,corallii,minii ſinopici, opii,ſingulorum drach.IIII.amyli,balauſtiorum,ſingulorum drach.II.Excipe ſucco polygoni.

Paſtillus ex ſuccino, Phyllii quincuncem, maſtiches trientem,ramenti electri,iridis,croci, ſingulorum trientem,opii ſextantem.

Paſtillus ex ſpina Ægyptia, Spinæ Ægyptiæ, rhois, thuris, acaciæ, aluminis ſciſſi ſucci, hypociſtidis, gallæ, Lemnii ſigilli, corallii,ſymphyti, terræ Samiæ aſteris appellatæ,aloes,ladani,æquales partes vino excipe.

Paſtillus quem Galenus Aphrodiſiaſticum Clidion inſcribit. Cytinorum mali Punici,ſpinæ Ægyptiæ, balauſtiorum,hypociſtidis ſucci,acaciæ,ſingulorũ drach. v i:Lycii,rhei Pontici, opii,ſingulorum drach.i i i i: myrrhæ drach. i i. Excipe vino myrtite, aut decocto roſarum, aut myrti baccarum.

Clidion Oribaſii, ad dyſentericos & cœliacos, Gallæ omphacitidis drach. v i i i,opii drach.i i i i, cum aqua efformato catapotia,& tres aut quatuor præbeto.

Paſtillus ex cornu ceruino,ad dyſentericos & ſanguinem ſpuentes. Cochlearum drach.x i i,cornu ceruini vſti,gallæ toſtæ, acaciæ toſtæ, ſingulorum drach.v. obol. x i i, baccarum myrti nigrarũ drach.x v, opii torrefacti, ſucci hypociſtidis, ſingulorũ drach. v,œnanthes drach. v i,mandragoræ radicis ſucci,terræ Samiæ aſteris,ſingul. drach.x i i: rhois obſoniorum drach. x i i i i, malicorii toſti drach.v i i thuris drach.v i i i, piceæ corticis torrefacti drach. x i i i i, hyoſcyami ſeminis toſti drach. x, rhois coriarii ſextar.i i, vini nigri quantum ſatis eſt ad coquẽdum rhoem, quò vinum craſſiſſimum fiat. Hoc autem percolato reliqua excipiantur,& paſtilli formentur.

Paſtillus Amazonum, Seminis apii,aniſi,ſingulorũ drach. v i,abſinthii comæ drac.i i i i,myrrhæ,piperis, opii, caſtorii,ſing.drach.i i, cinnamomi drac.v i.Excipe aqua.

Paſtillus ex amygdalis amaris, Aniſi,apii ſeminis, aſari, amygdalarum amararum, abſinthii comæ, æquales ſingulorum partes aqua excipe,& paſtillos drach. i,efforma.Dato non febrientibus,cum vino mulſo,febricitantibus,cum aqua mulſa.

Paſtillus ex erica ſplenicus, Ericæ fructus drach. i i i i,piperis albi, nardi Syriacæ, ammoniaci thymiamatis,ſingul. drach.i i. Ammonia cum aceto diſſoluitur, & ſiccis adiicitur, & efformantur paſtilli drach. i. Datur autem paſtillus vnus cum aceti cyatho vno.

Paſtillus ex veſicariis, Seminis cucumeris ſatiui decorticati trientem, hyoſcyami ſeminis, cicutæ, ſing.ſextantem,fœniculi,rumicis ſeminis,croci,nucleorũ pineorum,amygdalarum amararum, opii,ſingul.vnc.i: phyſalidum (*hoc eſt veſicariorum*) ſextar. i i i, vini quod ſatis eſt.

Paſtillus Philippi,ad dyſentericos, Balauſtiorum, acaciæ,ſucci hypociſtidis,opii,rhois,thuris,myrrhæ,croci,gallæ, aloes,rhei Pontici,malicorii, baccarum myrti, ſingul. drach.i i i i:excipe vino auſtero,& efforma paſtillos obol.i i i.Dato non febrientibus,cum vino, febrientibus, cum aqua mulſa.

Paſtillus Muſæ, Aluminis,aloes,myrrhæ,atramenti ſutorii, ſingulorum vnc.i. S. malicorii, crocomagmatis, ſingulorum drach.v i,excipe vino.

Crocomagmatis præparatio, Croci ſextantem,roſarum,amyli,myrrhæ,aloes,thuris,gummi,ſingul. vnc.i, coſti,ſpicæ nardi,ſingul.drach.i, excipe vino.In crocino oleo etiam alia crocomagmatis præparatio habetur.

Paſtillus Nere,ex libris Heræ, Myrrhæ,aloes,croci, ſing.drach.v i i,aluminis ſciſſi drach.centũ,excipe aqua.

Polyidæ ſphragis. Aluminis ſciſſi drach.i i i i,thuris drach.i i i i, myrrhæ drach. v i i i, atramenti ſutorii drach. i i,cytinorũ drach.x i i, fellis taurini drach.v i(alii drach. x v i habent)aloes vnc.i,vino auſtero excipe.

Paſtillus paſionis, Squamæ æris drach.x i i,æris vſti, ſalis ammoniaci,aluminis rotundi, æruginis raſæ, thuris, ſingul.drach.v i i i,vini quod ſatis eſt.

Paſtillus Andronius, Cytinorum drach.x,myrrhæ drach i i i i, gallarum drach. v i i i, ariſtolochiæ rotundæ drach.i i i i,atramenti ſutorii,croci,aluminis ſciſſi, crocomagmatis,miſyos,thuris,ſingul.drach.i i:cum vino acerbo aut aceto terito.

Paſtillus Fauſtini, Auripigmenti drach.x i i,ſandarachæ drachm.v i, calcis viuæ drachm.v i i i, chartæ vſtæ drach.i. cum baccarum myrti ſucco aut decocto excipe, & forma paſtillos, & per clyſterem in ſedẽ infunde cum baccarum myrti,& lentium,& radicum rubi decocto.

Paſtillus ex charta, Chartæ vſtæ lib.i i,calcis, auripigmenti,ſandarachæ,ſing.vnc.i,excipe ſucco plantaginis.

Paſtillus thron⁹ Marcellius dictus, Chartæ vſtæ drach. x,ſandarachæ, auripigmẽti,ſquamæ æris,aluminis ſciſſi, ſingul.drach.i i i i, balauſtii drach.i i i, opii drach.i i, calcis viuæ drach.x x, omphacii drachmã i, ſucci hypociſtidis drach. i i i, vino myrtite excipe, & efforma paſtillos ponderis drach.i i i i.Et vbi coxeris in vino malicoriũ,& myrti baccas,& roſas,ad tertiæ partis conſumptionem, præbe in ſex cyathis vini paſtillũ vnũ aut ſimpliciter drach.i i i i.

Paſtillus ex ſubere, Gallarũ vſtarum,chartæ vſtæ,ſuberis vſti,panis vſti,ſing.drach.x. In alio exemplari habetur etiam cornu ceruini vſti drach.x v, auripigmenti drach i i,ſandarachæ,calcis,ſingul.drach.x v: acaciæ,ceruſſæ,ſing.drach. v,ſpumæ argenti drach.i i i.Vino terito.

Paſtillus Bithynus, Malicorii drach.x, cadmiæ quadrantem,ariſtolochiæ,gallarum,radicis panacis, iridis,atramenti ſutorii,aluminis ſciſſi,chalcitidis,miſyos,ſquamæ æris, mannæ thuris, (aliqui etiam coſti) ſingulorum vnc.i.S.Excipe aceto.

Paſtillus ex caſtorio, ad vlcera,& nomas depaſcẽtes, & fluxiones. Croci,aloes,thuris,ſing.vnc.i, cytinorum,aluminis ſciſſi,caſtorii,mannæ thuris, æruginis raſæ,ſing. vnc.i,minii Sinopici lib.i.Excipe vino veteri.

Paſtillus ex caſtorio,ad colicos. Myrrhæ,caſtorii,ſing. ſcrup.v i,croci,opii, ſing.ſcrup.i x,aniſi, ſeminis apii,ſeminis dauci,ſing.vnc.S.ſeminis hyoſcyami drach.x v i i i.

Paſtillus ex vino & oleo, ad ſedem & pudenda. Ceruſſæ dextantem,ſpumæ argenti quincuncem, thuris,recrementi plumbi,aluminis ſciſſi,ſingul. ſextantem.Vino maris experte terito. Vſus autem tempore vino & roſaceo,aut vino & myrteo oleo diſſoluito.

Paſtillus ex lapide Phrygio,ad pudẽda. Lapidis Phrygii vſti & extincti ter,primùm butyro aut roſaceo,ſecundò vino,tertiò melle, ſextantem , florum roſarum trientem,malicorii vnc.i.

Paſtillus ex lotariis, ad ſedem & pudenda. Ceruſſæ, amyli,glaucii, croci, aluminis, æquales portiones terito cum ſucco lotariorum,aut vino.

Paſtillus albus, Terræ aſteris trientem,pompholygis, ceruſſæ, amyli, ſingulorum ſextãtem,opii ſcrupulos i i i i. Excipe aqua.

Paſtillus ex Halicacabo, Spumæ argẽti drach.x x i i i i, ceruſſæ drach. x i i,aut x x i,halicacabi drach. v i i i, atramenti ſutorii drach.i i i,aluminis ſciſſi drach.i i i i. minii ad colorem quod ſatis eſt.Excipe aqua.

Paſtillus ex duplici veratro, qui idem etiam ex duplici acacia. Acaciæ nigræ & fuluæ, glutinis fabrilis(in alio glutinis piſcium) ſingulorum trientem, ammoniaci thymiamatis,glaucii,aloes,ſingul.ſextantem, thuris maſculi, veratri nigri & albi ſingul. vnc.i. Excipe aceto ſcillitico: vſus autem tempore eodem aut communi diſſoluito, illinitóque ante & poſt balneum.

Paſtillus Criogenes, Myrrhæ,æris vſti,ariſtolochiæ rotundæ,æruginis raſæ,ſquamæ ſtomomatis ferri,verbenacæ rectæ,aluminis rotundi,ſingul.vnc.i. Aceti quod ſatis eſt. Verbenacam colligere oportet quum ſol eſt in Ariete. Fit etiam emplaſtrum hoc modo, Paſtilli,ceræ colophoniæ,olei,æquales portiones,aceti quod ſatis eſt ad terendum paſtillum.

Paſtillus melanchlorus, Myrrhæ,aloes,ſquamæ æris vſtæ,auripigmenti,aluminis ſciſſi & rotundi,iridis,chalcitidis,miſyos,ſalis foſſilis,atramẽti ſutorii, ceruſſæ,nitri, ſpumæ argenti,panacis radicis,cadmiæ, malicorii, gallarum,ariſtolochiæ rotundæ,ſquamæ ſtomomatis ferri, æruginis raſæ,ſingul. vnc. i. aceti quod ſatis eſt. Fit etiam emplaſtrum hoc modo, Paſtilli ſextantem, colophoniæ, ceræ, olei, ſingulorum ſexuncem : aceti quod ſatis eſt ad terendum paſtillum.

Paſtillus pantolmius, ad chironia & maligna vlcera, itémq; ad fluxiones. Caſſiæ,æris vſti,ceruſſæ,ſpumæ argenti,æruginis raſæ,aluminis ſciſſi,rotundi,liquidi & lateritii, panacis radicis, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, malicorii,atramenti ſutorii, portulacæ, iridis aſtragalitidis, chalcitidis, miſyos, ammoniaci thymiamatis, ſalis ammoniaci,rubiginis ferri, ſquamæ æris, aloes, diphrygis,thuris,gallarũ, ſarcocollæ, plumbi vſti, foliorũ oleæ, ſoreos,myrrhæ,melanteriæ liquidæ,balauſtiorum, ſpinæ Ægyptiæ,ſulphuris viui,nitri,rhois rubri, rhois Syriaci,

chryſocollæ,rhois coriarii,acaciæ,ſalis ſpumæ,omphacii, auripigmenti,æquales ſingulorum portiones, cum aceto terito ſub Canis ardoribus,ad dies XXX.

Paſtillus Nymphodoti, Aphronitri vnciā I,nitri Alexandrini,ſaponis Gallici,ſingulorum vnciam I,ſalis Cappadocici,maſtiches,gallarū,ſingulorū drach.IIII, foliorum roſarum,amomi,amyli,ſingulorum vnciam I, folii drach.I, aluminis ſciſſi,coſti, ſingulorum drach. II, vini myrtitæ quod ſatis eſt.

Paſtillus ex thapſia, ad hemicraniam, Succi thapſiæ drach.XVI,myrrhæ drach. VIII, opopanacis, euphorbii, ſingulorum drach. VI,nitri, ſucci Parthici, ſingulorum drach.IIII,piperis,ſagapeni, ſingulorum drach. II, aceti quod ſatis. Vſu expetente,aceto illinito, & poſt horas ſex lauato.Si verò remiſſiore vti velis,æquali cerato excipe, illine,& per diem ac noctem ſine.

Paſtillus ſubdititius,ad dyſenteriam & ani dolores, Terræ aſteris,amyli,ſingulorum quadrantem,croci ſextātem,acaciæ,tragacanthæ,ſingulorum vnciam I, caſtorii, thuris,lycii,ſingulorū vnciæ dimidium: in calidioribus etiam opii vnciæ dimidium.Excipe ſucco pſyllii,& paſtillos oblongos efforma.

DE PVLVILLIS QVI INSPERGVNtur,& de ſmegmatis, Cap. XIII.

ARida medicamenta quæ & puluilli, & cataplaſmata ab inſperſione vocantur, partim vlceribus conueniunt,partim cuti adhibētur.& ex iis quæ vlceribus cōueniunt,quædam caua vlcera incarnant, quædam carnē ſuperexcreſcentē deprimunt, quædam cicatricem inducunt,quædam vrunt ac erodunt, quædam ſanguinem ſiſtunt. Quæ igitur incarnant, aut ſordida purgando id faciunt,velut ſunt quæ conſtant ex eruo,ariſtolochia,iride, panace, myrrha,thure,aloe: aut ſuperfluam humiditatem reſiccando, velut ſunt quæ ex ære,diphryge,ſquama æris, charta vſta,picæ cortice,& ſpina conſtant. Hæc autem etiam cicatricem inducunt,aut acrimonias & mordacitatem obtundendo, velut quæ parantur ex pompholyge, amylo,ceruſſa,fæce vini vſta, lapide ſpeculari, oſtreis vſtis,terra Samia,& ſimilibus,& quæ ex his compoſitorum vires habent. At ex iis quæ ſuperexcreſcentem carnē deprimunt,mitia quidem ſunt quæ ex ſquama æris, miſyi, chalcitide vſtis,& galla fiunt. fortiora autem quæ ex atramento ſutorio,ærugine,miſyi,chalcitide non vſtis. Vrentia verò & erodentia,ex calce & auripigmento,& ſandaracha,& fæcula,quæ eſt fex vini vſta,componuntur.Omnia verò hæc ſi in tenuiſſimum puluillum redacta vlceribus inſpergantur,minus mordacia fiunt. Quanto verò magis craſſas partes habēt, tanto magis mordent.Quæ verò ſanguinem ſiſtunt,aut adſtringendo,aut perfrigerando, aut ſiccando, aut meatus obducendo,aut vrendo,aut cruſtam inducendo ſiſtūnt,quorum materiam in capite de paſtillis tradidimus. Porro ex his quæ cuti adhibentur, quædā extergūt & exterūt, velutque ex cimolia,pumice, fabæ lomēto,ordeaceo fermento,peponū carne, ſalis flore cōſtant:quædam attenuant ac diſcutiunt, velut ex veratro, alcyonio,ſulphure,ſtaphide ſylueſtri,ſinapi,pyrethro, roſmarini ſemine,limnitide ſiue adarce, & ſepiæ teſta parata.Sed & hæc vbi calcem & auripigmentum aſſumunt cum aliquo humore,pilos abolēt,& ſmegmata fiūt: quædam verò capiti adhibētur,vt fluxionem quæ ex ipſo deferrur reſiccent,velut ſunt quæ ex nitro, ſale, galla, malicorio & ſimilibus fiunt.Omnia autem ſmegmata cuti nō illitæ adhibere oportet.

Puluillus capitalis, Erui quincuncem, iridis vnciam v-nam ſemis, mannæ vnciam vnam ſemis, ariſtolochiæ, ſquamæ æris,ſingulorum vnciam vnam ſemis. Alius. Piceæ corticis drach. VI, thuris drach. IIII, pumicis drachmas IIII,iridis drach.II,reſinæ ſiccæ drach. VI, ariſtolochiæ drach. II.

Puluillus ex aloe, Aloes drach.VI,erui drach.VIII, mannæ drach.IIII,gallæ drach.III, aluminis ſciſſi drachmas XII.

Puluillus ex fæce vini vſta, Manethonis, Cadmiæ vſtæ & lotæ vnc.I, terræ aſteris vnc.vnā,fæcis vini vſtæ trientem,lapidis ſpecularis trientem,thuris trientem. Quidam

A etiam amyli trientem addunt.

Melitera Oribaſii, Chalcitidis,ſquamæ æris,gallæ,balauſtiorum,erui, ſingulorum quadrantem, ariſtolochiæ longæ vnciam vnam,malicorii,aluminis ſciſſi,ſingulorū vnciæ dimidium.

Puluillus ex oſtreis, Cadmiæ, thuris, ſingulorum vnciam vnam,oſtreorum vſtorum quadrantem.

Puluillus ex thure, Spumæ argenti,thuris, ſquamæ æris, rhoidarii,amyli,ceruſſæ,ſingulorum æquales portiones.

B Aphroditarius puluillus, Thuris,ſquamæ æris, rhoidarii,amyli,ceruſſæ,ſingulorum æquales partes.

Rhodia ſanguinem ſiſtens,& ad nomas & carnem ſuperexcreſcentē. Gallæ crudæ drach.VI, gallæ vſtæ & extinctæ vino ſiccæ drach.XII,ſquamæ æris nigri, ſin minus rubri,drach.VIII,atramenti ſutorii drach.XXIIII,aluminis ſciſſi drachmas vigintiſeptem ,terito ad dies ſufficientes.

Puluillus flauus, Chalcitidis vſtæ drach.XL,atramenti ſutorii drachmas octo, miſyos vſti drachmas X. æris vſti drachmas V.

C Puluillus pſarus,Miſyos quincuncem, gallarum trientem,chalcitidis ſextantem,ſquamæ æris ſextantem, atramenti ſutorii vnciam vnam,æruginis raſæ ſextantem.

Puluillus ἡλιοκαής,id eſt ſole uſtus,adurens, Auripigmēti libram vnā,calcis viuæ libras II, terito cū aqua in diebus ſub Cane,deinde ſiccatis vtitor.

Puluillus floridus, Cyperi drach.VIII,myrrhæ drach. XII,ſandarachæ drach.III,florum roſarum drach.II, croci drachmam vnam,crocomagmatis,aluminis ſciſſi, iridis

D Illyricæ,ſingulorum drachmas duas.

Puluillus ex charta, ad nomas oris maximè,& vlcera in pudendis, Squamæ æris, chartæ vſtæ, ſingulorū drachmas VIII,auripigmenti, ſulphuris viui, ſingulorū drachmas XII,plumbi vſti drach.VI. Ad humectiores putredines vtere ſicco:verùm ad ſiccas roſaceo ſubacto: quandoque etiam melle cum roſaceo.

Puluillus ex oxymyrſine, ad eadem, Rhois coriarii ſextantem, foliorum oxymyrſines,ſandarachæ,ſingulorū drach.VIII,foliorum ſalicis ſiccorum,malicorii, ſingulo-

E rum drach.VI,aluminis ſciſſi,chryſocollæ,aloes,chalcitidis crudæ,ſquamæ æris, auripigmenti, ſalis communis, ſingulorum drachmas quatuor.

Puluillus Maſſaliotæ, Nitri toſti,chryſocollæ,lapidis Aſii,ſandarachæ, miſyos, chalcitidis, aluminis ſciſſi, diphrygis,ſingulorum æquales partes, vtere ſicco.

Smegma aridum puluillus Æſculapius. Baccarū lauri,nitri Alexandrini,ſalis fricti,ſalis Cappadocici,ammoniaci thymiamatis,aphronitri, pumicis,ſingulorū libram vnam:veratri nigri,herbæ lanariæ,pyrethri,fæculæ, quæ

F eſt fæx vini vſti,ſtaphidis ſylueſtris, ſinapi,cyperi,aluminis ſciſſi,floris iunci odorati,iridis,gallarum, ſingulorū ſexuncem:ſampſuchi libram vnam,ſeminis viticis, pulegii,farinæ fabaceæ,& lupinorum,ſingulorum ſexuncem, chamæleonis nigri,ſulphuris,gummi,thuris,piperis, cucumeris ſylueſtris radicis,marrubii,cimoliæ,pæoniæ, teſtæ ſepiæ,fœnigræci,folii,coſti,cumini,euphorbii, ſpicæ nardi,ſingulorū quadrātē. At Alexāder etiam hæc addit, Salis ex nitri fontibus, ſalis tragaſii, ſingulorum libram vnam,adarces vnciam vnam,aluminis liquidi, Celticæ,

G cnici, grani Cnidii,graminis ſicci,bryoniæ ſiccæ,ſingulorum quadrantem.

Smegma peponatō, Thuris,maſtiches, ammoniaci thymiamatis,ſingulorum vnciam vnam, tragacāthæ vnciā vnā ſemis, ſucci vuæ acerbæ dodrantem, peponis ſeminis recentis,quadrātem,ſemidalis ſextarios V,ouorum albumina XXI,iridis trientem.Quidam etiam veratri nigri ſextantem.

Aliter,Critonis.Lomēti modiū vnū, ſimilaginis ſextarios IIII,trifolii, myrobalani,iridis Illyricæ, ſingulorum

H libras IIII, ammoniaci thymiamatis librā I,coſti librāvnam, ouorum albumina VII, peponum carnis ſextarios duos,ſucci vuæ acerbæ ſextarios duos. Miſce,& efformatos paſtillos ſicca, deinde tuſis cribratis vtere.

Aliter, Tragacanthæ, thuris, maſtiches, ammoniaci

ff.iiij.

thymiamatis,ſingul.drach.x,ſucci vuæ acerbæ drach.v, ſemilaginis ſextarios v,albuminis ouorum vnciam vnā, peponum carnis dextantem.Præpara vt dictum eſt.

Smegma caput fluidum reſiccans. Nitri Alexandrini fului quincuncem,ſalis communis toſti vnciam vnā ſemis, ſalis Cappadocici vnciam vnā.Hæc aceto acerrimo ſubacta in ſacculum lineum mittito,& vrito in camino, donec ad carbones redigantur:deinde refrigeratis ac tritis affricando vtere,vinum adſtillans in balneo.

Sapo Cōſtantini. Roſarum ſiccarum,aloes,gallarum, malicorii,malabathri, ſarcocollæ, ſingulorum quadrantem,balauſtiorum myrrhæ,ſandarachæ,ſpicæ nardi, ſingulorum ſextantem, coſti vnciam vnam,ſaponis Gallici libram vnam.Excipe decocto lupinorum.

Puluillus depilatorius,podagricus. Maſtiches, thuris maſculi,ſtaphidis ſylueſtris,veratri albi, ſpumæ argenti, ſingulorum quadrantem,folii,amyli,veratri nigri, floris lapidis Aſii,ſingulorum vnciam vnam,halcyonii, pumicis toſti,cimoliæ,ſampſuchi,ſingulorum quadrantem,ſpicæ nardi vnciam vnam:quidam,etiam aloes vnciam vnam.His contuſis,puluillum in vaſe adſeruato. Vſu autē expetente,oryzæ & ptiſſanæ ſuccum in ollam mitte,& poſtquam efferbuerint,iniice puluilli vnciam vnā ſemis, ſaponis Gallici vnciam vnam ſemis,auripigmenti,aluminis ſciſſi,ſingulorum vnciam vnam ſemis,ſandarachæ vnciam vnam ſemis,calcis viuæ recentis libram vnam. Vtatur illitione ter in mēſe,die lunæ nono,decimonono,& viceſimonono, per annū vnū.Poſt hunc ſemel in menſe, viceſimonono lunæ die.

ILLITIONES ORIS, Cap. XIIII.

QVanto rarior ac mollior cute eſt ſuperficies tunicæ in ore,in tantum etiam ſtomaticorum quæ ori illinuntur medicamentorum vſus euariat. Ab initio igitur inflammationis,medicamentis id quod influit repellentibus opus eſt,qualia ſunt,arida quidem,omphacium,galla omphacitis,rhois ſuccus & hypociſtidis,alumē, piceæ & thuris cortex,balauſtia,& in ſumma omnia adſtringentia,excepta iniucūda & venenoſa facultate.Liquida verò, ſuccus mororum,tum rubi,tum eorum quæ ſycamina appellantur: nucum item viridium corticis ſuccus, & malorum Punicorum maximè acidorum,& malorum Cydoniorum,& muſtum Aminæum.Mel autem in principio, vt permaneant ac durent ſolùm medicamenta,miſcetur. Quum verò cōſtiterit humor,cōcoquētia & moderatè diſcutientia admiſcēda ſunt,qualia ſunt crocus, & myrrha, & radicis dulcis ſuccus. At per totum hoc tempus quod inter vigorem ac declinationem intercedit, mixto quodam ex ambobus opus eſt, quod & repellat,& diſcutiat: ac primùm quidem præualeant repellentia deinde diſcutientia. Verùm in declinatione ſolis diſcutientibus citra adſtrictionem vtendum eſt,qualia ſunt nitrum & aphronitrum,origanum,hyſſopum, thymus,calamintha, iris, beſaſa,& ſimilia. Liquor autem tunc ſireon,*id eſt ſapa*,ſit, tum quæ ex muſto cocto,tum quæ ex caricis & palmulis fit,& ipſum muſtum dulce cum melle. Quum verò velut reliquiæ ſuperfuerint inflammationis, etiam ſulphur viuum admiſcendum eſt.Coquere autē primùm oportet liquorem cum melle,ad mellis liquidioris ſpiſſitudinem: deinde ſic arida leuiſſimè trita inſpergere, & poſtea moderatè coquere,donec omnia exactè vnita fuerint, & tūc vitreis vaſis excipere.

Illitio ſtomatica ex moris, ſimplex, Mororum ſucci ſextarios tres, præcoquito vt tertia pars conſumatur, & mellis ſextarium vnum adiicito, ac coquito ad craſſitudinem mellis.

Stomatica ex moris, compoſita, Mororum ſucci heminas VI,coquito ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem, deinde trita admiſceto,croci drachmā vnā,myrrhæ drach. duas,ſucci vuæ acerbæ drachmam vnam, aluminis ſciſſi obolos tres,mellis heminam vnam, & ad ſpiſſitudinem coquito.

Stomatica ex moris rubi, Sed & ex rubi moris illitio ſtomatica ſimiliter præparatur,& magis adſtringit.

Stomatica ex nucibus ſimplex, Nucum viridium corticis cōtuſi ſucci heminæ v, mellis heminā vnā. Coquitur velut ea quæ ex moris fit.

Stomatica ex nucibus compoſita, In principio quidē& vigore inflammationū in ore,ad prædictas menſuſucci ac mellis admiſcere oportet croci & aluminis,ſingulorum drach.1,myrrhæ drach.1. verùm in declinatione ad diſcutiendum,nitri drach.1, ſulphuris drach.1.

Stomatica ex ſucco mali Punici,Malorum Punicorum nucleos non habentium dulcium, ſucci ſextar.4. malorū Punicorum acidorum ſucci ſextar. 2,mellis ſextar.1.myrrhæ Minnææ drach.8.crocomagmatis,gallæ,ſingulorum drach.8.aluminis ſciſſi drach. 4. iridis Illyricæ drach. 8. omphacii drach.6. Præpara velut eam quæ ex moris fit. Eadem aliter, Malorum Punicorum vnà cum putamine contuſorum ſucci ſextarios VI,mellis boni ſextarium vnum, aluminis ſciſſi vnciam vnam,myrrhæ vnciæ dimidium.

Stomatica ex muſto, Muſti ſextarios VI,gallæ, aluminis ſciſſi,ſingulorum drach. duas,croci,myrrhæ,ſingulorum drach.vnam.Si quidem mitigare voles,dulce ſit muſtum:ſi verò repellere,auſterum. Quod verò medium eſt, mediam quodammodo inter hæc vim habet.

Stomatica AEgyptia. Mellis libram vnam,olei beſſem, terebinthinæ ſextantem, croci drach.IIII. In duplici liquantur vaſe.

Stomatica ex beſaſa. Seminis aniſi,ſeminis apii, floris iunci odorati,ſeminis ammii,aluminis ſciſſi,iridis Illyricæ,beſaſa (quod aliqui harmala vocant. eſt autem ruta ſylueſtris)cinnamomi,myrrhæ Troglodyticæ,croci,gallæ, ſingulorū vnciā vnam,ariſtolochiæ lōgæ,caſſiæ,crocomagmatis,roſarum ſiccarum, ſingulorum vnciam vnam:coſti,cineris hirundinum recentis,ſingulorum quadrantem: nardi Indicæ, amomi, ſingulorum vnciæ S. mellis quantum ſatis eſt.

IVCVNDAE ET VTILES POTIONES, Cap. XV.

IVcundæ ſimúlque vtiles potiones,partim ex vino cōponuntur,iniectis in ipſum ſpeciebus quibuſdam,velut pipere,abſinthio,caſſamo,& pluribus aliis, ex quibus etiam aliquando appellationes accipiūt: quādoque melle admixto,quādoq; nō:partim ex aqua,in qua decoquūtur mala,aut roſæ,cum quibuſdam ſuccis,velut vuæ acerbæ,malorum Punicorum, myrti baccarum. Admiſcetur his mel optimum deſpumatum,& conſeruationis & iucūditatis gratia,quandoque etiam vtilitatis. Excepto auſtero & vinoſo hydromelo, quod in paruis vaſis à Cebyra affertur.hoc enim noui etiam citra mel parari, quemadmodum rurſus apomeli ex melle ſolo & aqua,citra aliam aliquam ſubſtantiam.Sed & quæ ex vino componuntur, quæ ſanè propomata appellantur,mellis deſpumati ſextarium vnum ad quatuor vini ſextarios accipiunt,& componuntur ita vt non coquantur. Quæ verò ex aqua & ſucco parantur,ſi quidem coquantur,vnum mellis ad tres liquoris accipiunt,cuius duæ fere partes in coctura conſumuntur: ſi verò non coquantur, vnum mellis ad duos liquoris accipiunt. Quæ verò non coquuntur, eas omnino inſolare ſatis diu oportet,& maximè omphacomeli. Coquere porro eas quæ ex aquis fiunt cōuenit,eo quòd propter debilitatem facilè mutantur.Omnes autem teſtaceis vaſis paruis picatis excipere oportet, eàque probè cooperta reponere in locis ſupra terram, vſque ad cōcoctionem. Vtendum autem eſt attenuantibus, & aqua probè permixtis.Omphacomeli verò poſtquam efferbuerit velut muſtum,& rurſus quieuerit,tunc operire oportet. Iis igitur quæ ex vino componuntur,in non febrientibus vtimur maximè,aut ſolius voluptatis gratia: exceptis iis quæ ex ſcammonia,aut grano cnidio,aut huiuſmodi purgatoriis parātur: aut etiā gratia affectionū eiuſmodi in quibus etiā medicamēta ipſis iniecta per os ſumere quis poſſit.Quæ verò ex aquis aut ſuccis quibuſdam, in febricitantibus:quandoque velut iucundis condimentis, quū morbus non permittat ipſis vt vino vtantur:quādoque etiam prout affectionibus conuenit,quemadmodum apomelite,ad educendum ſputum, aut mouendam vrinam, aut molliendam aluum, aut attenuandum humorē: hydromelo & hydroroſato,in ſiticuloſis & febre ardente, &

exolutis ac ſtomacho malè habētibus:omphacomelite & myrtite,& rodoſtacto, & rhoite,in cœliacis & dyſentericis,vomentibus item,ac aliis fluidis affectionibus.His autē etiam pro collutionibus ſæpe vtimur in oris affectionibus.

Hydromelon ex ſucco malorum, Malorum Cydoniorum purorum contuſorum ſucci ſextarios duos, mellis ſextarios tres, aquæ ſextarios VI. Coquito deſpumans ad tertiæ partis conſumptionem. Aliud, Malorum Cydoniorum conciſorum purorum libras V, in aquæ fontanæ ſextariis X coquito, donec flaccida fiant, & ablata ab igne,vbi frigefacta fuerint colato, & expreſſa mala abiicito.Aquam autem menſurato, & ad ipſam mellis dimidium menſuræ admiſceto, rurſúſque coquito deſpumās, donec octaua pars fuerit cōſumpta.Quidam etiā ex dulcibus malis ſimiliter componunt hydromelum.

Hydroroſati cumpoſitio, Roſarum ablatis vnguibus libras quatuor,aquæ ſextarios quinque, mellis ſextarios duos.

Rhodomeli præparatio, Succi malorum Cydoniorū ſextarium vnum,roſarum libras III, mellis ſextarios tres, aquæ ſextarios V.Quandoquidem verò mala eodem quo roſæ tempore non inueniuntur,oportet ipſas roſas ſuo tēpore cum melle cōponere,& vbi mala apparuerint,totam compoſitionem facere.

Omphacomelitis præparatio, Succi vuæ acerbæ ſextarios III,mellis ſextarium vnum.Permixta inſolato ad dies quadraginta,aut coquito.

Myrtitæ præparatio, Succi baccarum myrti ſextarios tres,mellis ſextarium vnum. Coquito donec tertia pars fuerit conſumpta.

Apomeli ex philagrio, Fauorum melle plenorum alborum libram vnā,aquæ fontanæ libras tres ſemis. Confracto fauo aquam cum melle vnitam coquito,donec ſpuma ipſius, & quod velut ceroſum ſupernatat, particulatim ablatum fuerit,& tunc refrigerata diligēter vaſis excipito.

Rhodoſtacti compoſitio, Roſarum adēptis vnguibus ſucci ſextarios duos,mellis ſextarium vnum. Coquito deſpumans ad quartæ partis conſumptionem.

Rhoitæ præparatio, Malorum Punicorum ſucci ſextarios tres,mellis ſextarium vnum. Coquito ad tertiæ partis conſumptionem.

COLLYRIA ET ADGLVTINATORIA, Cap. XVI.

VAria eſt medicamentorum ocularium materia: nam & ſpiſſi & liquidi ſucci,& ſemina,& fructus, & plantarum partes,& metallica his iniiciūtur. Ex quibus quædam acria mitigant,& velut meatus obducunt, vt eſt pōpholyx,ſpodium,amylum,plumbum, Samius aſter, Cadmia,omnia lota,& oui cādidum:quibus præuacuato capite vtendum eſt.Si enim repletum fuerit, periculum eſt ne præ diſtentione rumpantur tunicæ oculorū. Quæ verò his contraria & acris naturæ ſunt,ea ab obſtructione liberant,& diu adſtricta euacuant, quemadmodum ſucci, Cyrenaicus & medicus,& ſagapenum & euphorbium, & ſimilia. Quædam verò ſordida vlcera extergunt, velut ſquama æris,æs,chalcitis,miſy,ſori,flos æris, & ſtibium, vſta omnia:quædam iis vicina exterſoria appellantur,velut eſt auripigmētum,ſandaracha,lapidis Aſii flos:quædā adſtringunt.Et quæ quidem moderatè hoc faciunt, multiplici vſu lippitudinibus & vlceribus & fluxionibus cōueniunt,velut roſarum folia,& flores,& ſemen, ſpica nardi,folium,crocus,glaucium, & hypociſtis.Quæ verò adſtrictionem fortiorem habent, in compoſitiones viſum acuentes maximè miſcentur,velut omphacium,acacia,balauſtia,cytini,gallæ : quædam cōcoquūt & diſcutiunt,velut myrrha,crocus,caſtorium,thus,fœnigræci ſuccus. Ex compoſitis porro ocularibus medicamentis,quædam effinguntur,& plaſta ſimpliciter appellātur:quædam, arida collyria,quædam liquida exiſtunt. Quæ igitur in maſſas coacta effinguntur,omnes prædictas materias ſuſcipiunt, & omnibus affectionibus conueniunt. Præparanda igitur ſunt maximè vere. æſtate enim vis ipſorum tranſpirat:hyeme verò dum horridæ ac rigidæ ſunt ſpecies,non permiſcentur.Conterere autē oportet affuſo humore, nō aceruatim,vt ne metallica ſubſidāt, aromata autē ſupernatent:ſed paulatim vt ad ſtrigmentorum modum conterantur.Sit autem aqua pluuialis,tum ob partium tenuitatem,tum ob moderatam ipſius adſtrictionem, ſi nō vino aut ſucco quodam teruntur.Et rurſus conterere oportet metallica quidem multo tempore: quæ verò ex ſuccis conſtant,modico.Poſtremùm verò poſt ſufficientem læuigationem,adiiciendum eſt gummi, & efformatæ maſſæ reponendæ in æneis aut vitreis vaſis.Vtendum autem iis quæ ex ſuccis conſtant ſtatim. Metallica verò temporis tractu meliora fiunt. At verò arida collyria quædam cōſumunt ac exterunt callos, ficus,pterygia,& ſcabricias, quæ ex chalcitide & ærugine & miſy componūtur: quædā lacrymas ducunt,obturationibus & hebetudinibus viſus conuenientia,quæ & ex his,& ex pipere ac ſpica nardi conſtant : quædam præſeruant, eo quòd influxiones ab oculis arceant,velutſunt quæ ex Phrygio lapide,& ſarcocolla,glaucio,aloe,Cadmia,ſtibio & croco parantur. Atque hæc omnia in tenuiſſimum puluillum trita ac læuigata oculis a pponātur. Cæterùm liquida collyria parantur quidē ex melle Attico,opobalſamo,oleo quod tenuiū partium eſt ob vetuſtatem,fœniculi ſucco,felle diuerſorū animaliū,ſucco Cyrenaico,& pluribus aliis. Commodāt autem ad viſus hebetudinem,& ſuffuſiones incipientes, attenuantia,calefacientia,& purgantia. Vtendum autem & his,& omnibus acribus, capite non repleto, in ſereno, puro,boreali, non valde frigido,neque nimis calido aere nos ambiente. Porro quæ agglutinatoria appellantur, parantur quidem ex meatus obducentibus, & glutinantibus, & conſtringentibus, aut frigefacientibus, aut adſtringentibus,aut ſiccantibus,velut eſt pollen, manna, terra Samia,myrrha,cochleæ,acacia,opium,cum oui cādido.Agglutinantur autem fronti, in quibus nō ſub caluaria humor,ſed extrinſecus conſiſtit.

Collyrium monohemeron, ad incipientes & veteres lippitudines, Acaciæ drach.XXXVI,gūmi drach.XXXII, Cadmiæ drachmas XXIIII, æris vſti & loti drachmas octo,opii drachmam vnam.Vino auſtero terito : diſcutit & ſiccat.

Collyrium Chiacum, Minii Sinopici,gallæ omphacitidis,croci,roſarum nouarum exūguium floris,quē thylaca vocamus,gummi,ſingulorum quadrantem:opii vnciam vnam.Vino Aminæo aut Falerno, aut Chio auſtero terito.Sit autem vinum maris exors.

Collyrium cygnarium, Cadmiæ vſtæ & lotæ ſexuncem,ceruſſæ lotæ triētem, pompholygis trientem,amyli ſextantem,tragacanthæ,opii torrefacti,gummi,ſingulorum ſextantem,aqua pluuia terito.

Cygnus fuluus, Cadmiæ vſtæ & lotæ ſextantem,terræ aſteris ſextantem,ceruſſæ trientem,pompholygis beſſem,amyli ſextantem,opii ſextantem,acaciæ, tragacanthæ,ſingulorum vnciam vnam, gummi trientem, aqua pluuia.

Cygnus albus, Cadmiæ vnc. XV, ceruſſæ vnc. XVII, opii drach,VIII,thuris drach.VII,amyli ſeptuncem,gummi drach.XIII,aqua pluuia.

Pelarion ad vlcera, Cadmiæ,ceruſſæ,ſingulorum drachmas XXIIII,acaciæ,opii,ſingulorum drach.XVIII, gūmi,tragacanthæ, amyli, ſingulorum drach. IX, myrrhæ drach.tres,æris,croci,ſingulorum drach. I,S. aqua terito.

Collyrium fuſcum ad ſuppuratos oculos,& magnas affectiones, Cadmiæ teneræ drach.XXIIII,ceruſſæ drach. XVI,æruginis raſæ drach.XII,ſtibii drach.VIII, aluminis ſciſſi drach.III, chalcitidis vſtæ drach.III, nardi Indicæ drach.IIII,omphacii drach.II,æris drach.vnam, ſquamæ æris drach.VIII,fructus ericæ drach.XIII, ſucci papaueris drach.XXIIII,croci drach.IIII,caſtorii drach.III,myrrhæ drach.VI,lycii Indici,acaciæ,gummi,ſingulorum drach. IIII,roſarum recentium drach.II.S. Vino Falerno aut Surrentino,aut Aminæo,aut Chio auſtero terito. Illinitur ter in die,aquoſum in fœnigræci ſucco dilutum, deinde cū ouo aut lacte,poſtremò cum aqua,craſſius.

Collyriū ex decoctis, Cadmiæ vnc. XVI, ceruſſæ beſſem,amyli,opii,tragacāthæ,acaciæ,ſingulorum ſextātē,

gummi ſexuncem. Terito cum decocto roſarum ſiccarũ, meliloti, capitũ papaueris, glycyrrhizæ, pari ſingulorum menſura.

Collyrium ex hydria, *id eſt uaſe aquario*, repulſoriũ. Toſi, qui in vaſis calefactoriis æneis reperitur, libras tres, Cadmiæ vſtæ & lotæ libram vnam, ceruſſæ lotæ, põpholygis lotæ, terræ aſteris lotæ, ſingulorum ſexuncem, thuris vnciam vnam, myrrhæ vnciam vnam, ſucci ſeminis lini, pſyllii, ptiſſanæ, fœnigræci, ſinguloru libram vnã, tragacanthæ ſexuncem, gummi libram vnam.

Collyrium Nilamonis, Cadmiæ vnciam vnam, pompholygis trientem, ceruſſæ libram vnam, tragacanthæ, gummi, opii, ſingulorum trientem. Aqua pluuia.

Collyrium Spodiacum, ad inflammationes, fluxiones, & chemoſes, Thuris, ſtibii, ſingulorũ drach. c, Cadmiæ, ceruſſæ, ſingulorum drach. xxiiii, terræ Samiæ, ſucci papaueris, ſingulorum drach. tres, gũmi drach. quindecim: terito cum oleæ ramulorum ſucco. Hunc autem ſuccum ſic facito: Teneriora oleæ folia lota, in mortario moderata aqua effuſa tundito, & per linteolum exprimito.

Collyrium ex oleæ ramulis tenerum, Thuris drach. iiii, ſtibii drach. xv, Cadmiæ drach. vigintiocto, ceruſſæ drach. quadragintanouẽ, terræ Samiæ drach. octodecim, opii drach. ſex, gummi drach. vnã, plumbi vſti & loti drachmas octo. Excipe ſucco ramulorum oleæ.

Collyrium ex oleæ ramulis fuluum, Æris vſti drach. duodecim, ſandycis vncias vigintiquatuor, foliorum oleæ ſextantem, opii ſextantem, gummi dextantem. Vino ſpathite aut Aminæo excipe.

Collyrium ex myrrha Claudiacum, Glaucii, ſarcocollæ, ſingulorum drach. xlviii, croci drach. xxiiii, opii myrrhæ, lapidis hematitæ, ſingulorum drach. vi, tragacãthæ drach. xlviii, gummi drach. xvi. Vino Italico excipe: vſus eſt cum ouo. Aliud ex myrrha, ad rhyadas & ægylopas, Cadmiæ lotæ, lapidis hematitæ, loti, ſingulorum drach. xxviii, myrrhæ, ſpodii Cyprii, ſingulorum drach. xxiiii, opii drach. viii, croci drach. iiii (alii drach. octo habent) piperis albi grana xxx, gummi drach. xvi: vino Italico excipe. Vſus eſt cũ ouo, in recentibus aquoſum adhibetur.

Collyrium Stacticon, proſechii, Cadmiæ, gummi, ſingulorum drach. viginti, ſtibii, atramenti ſutorii, ſingulorum drach. octo, opii drach. xiiii, æruginis raſæ drach. x, piperis albi drach. vi, croci drach. octo, miſyos crudi drachmas octo, opobalſami drach. iiii. Aqua.

Collyrium hygidium, Ammonii. Cadmiæ, æris, ſinlorum drach. xvi, ceruſſæ, caſtorii, aloes, croci, ſingulorũ drach. quatuor, ſquamæ drach. quinque, roſarum floris, plumbi vſti, ſingulorum drach. octo, lycii drachmas tres, lapidis ſciſſi drach. iiii, opii drach. x, acaciæ drach. xl, gummi drach. xlviii. Aqua.

Collyrium Olympiacum, aut Olympus, Acaciæ, ſpicæ nardi, thuris, ſingulorum drach. octo, æris vſti ac loti, ſtibii vſti ac loti, ceruſſæ vſtæ ac lotæ, Cadmiæ, ſingulorum drach. xii, myrrhæ, opii torrefacti, ſingulorum drachmas quatuor, croci drach. v, æruginis raſæ drach. iii, lapidis ſciſthi, ſquamæ rubræ, lycii Indici, omphacii, ſingulorum drach. vnam, caſtorii floris roſarum, ſingulorũ drach. ii, palmularum drach. iiii: oſſa palmularum vſta numero quinque, gummi quincuncem. Aqua pluuia. Verùm in aqua macerẽtur per tres dies ac noctes, calami aromatici, ſeminis hyoſcyami, roſarum ſiccarum, ſingulorum drachmæ iiii, folii drach. vna.

Collyrium Nardinum, Cadmiæ, croci, gummi, ſingulorum drach. xxxvi, æris vſti drach. xviii, ſtibii, acaciæ, ſingulorum drach. xxx, nardi Syriacæ drach. xii, opii, myrrhæ, ſingulorum drach. xvi. Aqua.

Collyrium Theodotium paruum, Stibii, acaciæ, ſingulorum drach. xx, æris vſti drach. octo, ceruſſæ drach. iiii, myrrhæ drach. iiii, æruginis drach. duas, aloes, ſucci papaueris, lycii, ſingulorum drach. vnam. Aqua pluuia.

Collyrium rhinariõ, Lapidis hematitæ, lapidis ſciſti, ſingulorum drach. xvi, æris vſti, Cadmiæ, æruginis, ſingulorum drach. viii, opii drach. v, chalcitidis drach. duas, gummi drach. octo. Vino.

Xyſter. Pumicis vſti, miſyos vſti, oſtreorum vſtorũ, ſingulorum ſexuncem, Cadmiæ, opii, chalcitidis vſtæ, croci, aloes, hepaticæ, caſtorii, folii, ſingulorum drachmas ii, ſtibii, acaciæ, ſingulorum vnciam vnam, æris vſti trientẽ, myrrhæ Troglodyticæ drach. quatuor, ſpicæ nardi drachmam vnam, ceruſſæ drachmas octo, gummi drach. iiii. Aqua pluuia. Quidam etiam vinum miſcent.

Hecatombe, ad cicatrices craſſas, Cadmiæ vſtæ & lotæ, æris vſti ac loti, ſingulorum drach. octo, ſtibii vſti, acaciæ fuluæ, gummi, ſingulorum drach. quindecim, aloes, gallæ, æruginis vermiculatæ, caſtorii, lycii, ſpicæ nardi, croci, opii, myrrhæ, ceruſſæ, ramenti obeni, chalcitidis, ſingulorum drachmam vnam, roſarum drachmas lx. Aqua pluuia.

Collyrium ex cornu. Ex Galeno. Plumbi vſti, cornu ceruini vſti, ſingulorum ſextantem, ceruſſæ, ſquamæ æris, amyli, thuris, teſtæ, ſepiæ vſtæ, æruginis, myrrhæ, gummi, ſingulorum vnciam vnam. Aqua pluuia.

Collyrium ex thure, Thuris ſexuncem, Cadmiæ, pompholygis, terræ aſteris, amyli, gummi, ſingulorum quadrãtem, ceruſſæ ſexuncẽ, ſquamæ æris trientem, tragacãthæ trientem, opii ſexuncem. Aqua pluuia.

Collyrium Libyanum, Cadmiæ lotæ, amyli, ſingulorũ drach. xii, ceruſſæ drach. duodecim, ſpodii, põpholygis, terræ aſteris, plumbi vſti ac loti, tragacanthæ, ſingulorum drach. viii, opii drach. duodecim, gũmi drach. quatuor. Aqua pluuia & ouorum xx albumina: quidam etiã myrrhæ drach. iiii addunt.

Aſter, Magni, Pompholygis, Cadmiæ, ceruſſæ, ſingulorum drach. xvi, plumbi drach. octo, amyli drach. xviii, thuris drach. x, terræ aſteris drach. xii, myrrhæ drach. ii, tragacanthæ, gummi, ſingulorum drach. viii. Aqua.

Collyrium Vranium. Terræ aſteris lotæ quadrantem, ſpodii loti vnciam vnam, gummi trientem, ſtibii vſti ac loti ſextantem, ſquamæ lotæ vnciam vnam, opii drach. ſex, Cadmiæ vſtæ & lotæ drach. ii. Aqua pluuia. incarnat & repellit.

Collyriũ ex fœnigræci ſucco, Cadmiæ, tragacãthæ, ſingulorum beſſem, ceruſſæ vncias xxx, amyli vnc. xxx, opii vnciam vnam, cum ſucco fœnigræci terito.

Collyrium Cleonis, Pompholygis, plumbi, ſingulorum quincuncem, croci vnc. i, S. ſquamæ ſtomomatis ferri vnciam vnam, gummi ſextantem. Aqua pluuia illinitur aquoſum.

Collyriũ ex roſis vnc. lxxii, Roſarũ viridiũ vnc. lxxii, Cadmiæ vſtæ & lotæ drach. xxiiii, æruginis raſæ drach. ii, ſpicæ nardi drach. i, ſquamæ æris lotæ drach. ii, ſtibii vſti ac loti, opii, myrrhæ, ſingul. drach. iii, croci drach. viii, amyli drach. ii, gũmi drach. xxiiii. Aqua pluuia.

Collyrium album ex roſis, Cadmiæ vſtæ & lotæ, ceruſſæ lotæ, ſingul. lib. i, amyli, opii, tragacanthæ, ſingul. quadrãtẽ, aloes vnc. i, S. gũmi quadrãtẽ, croci vnc. i. S. roſarum exunguium ſexuncem. Aqua.

Collyrium ex aloe, Cadmiæ, ceruſſæ, aloes, ſingulorũ dextãtẽ, roſarũ viridiũ ſexũcẽ, amyli quadrãtẽ, opii vnc. i, tragacãthæ ſextãtem, gũmi quadrantem. Aqua pluuia.

Collyriũ crocinum ex roſis, Spicæ nardi, roſarũ ſiccarum, aloes, ſingul. drach. ii, hyoſcyami albi drach. i. S, croci drach. iiii. S. glaucii ſexuncẽ, ſarcocollæ ſexuncem, opii drach. ii, tragacanthæ vnciam vnam. Aqua pluuia.

Collyrium Nili ex roſis, Roſarum tenerarum drach. quatuor, croci drachmas duas, papaueris obolum vnum, gummi drach. quatuor. Aqua pluuia.

Linceus viſum acuens, Cadmiæ, æris vſti, ammoniaci thymiamatis, ſingul. drachmas xii, myrrhæ, lapidis hematitæ, opii Thebaici, ſingul. ſexũcem, aloes hepatitidis, fellis taurini, galbani, ſagapeni, ſingul. drach. iiii, æruginis raſæ, opopanacis, ſalis ammoniaci, ſingulorũ drachmã vnam, gummi drach. ſex. Aqua pluuia.

Proteus ad eadem, & cicatrices attenuat, Cadmiæ, ceruſſæ, chalcitidis crudæ, ſingul. drach. xl, piperis drach. i. S, ſucci Cyrenaici drach. viii, croci drach. xii, opii Thebaici drach. x, ſagapeni drach. xii, oleæ AEthiopicæ drach. xii, auripigmenti, aluminis ſciſſi, ſingul. drachmas octo, myrrhæ drach. xii, ammoniaci thymiamatis drach. xx,

opopanacis drach.xvi,opobalſami drach.x, gũmi drach. xx.aqua pluuia.

Collyrium ex ſucco fœniculi, Cadmiæ drach.xvii, atramẽti Indici drach.xvi,piperis longi drach.tredecim, & albi drach.duodecim,ſucci Cyreniaci drach.viii,opobalſami drach.ſex,ſpicæ nardi drach.ſex,ſagapeni opopanacis,ſingulorum drach.v:opii drachmas iiii,euphorbii drachmam vnam,gummi drachmam vnam. Terito cum ſucco fœniculi.

Collyrium ex opobalſamo, Cadmiæ,ceruſſæ,ſingulorum drach.octo, omphacii drach. quatuor, piperis albi drach.ſedecim,opii drach.iiii,opobalſami, gummi,ſingulorum drach.xvi. aqua pluuia.

Thalaſſerus, Cadmiæ beſſem,æruginis ſextantem, atramenti Indici beſſem,piperis albi trientem, ſucci medici vnciam vnam,opobalſami ſextantem,gummi ſexuncem.Aqua.

Collyrium Harmation, Ammoniaci thymiamatis, æris vſti,corticis thuris, ſingulorum drach. iiii, æruginis drachmam vnam,gummi drach.quatuor. aqua pluuia.

Collyrium malabathrinum, quod & Iſotheon, Cadmiæ drachmas ſedecim,æris vſti & loti drach.xiiii, opii lycii Indici,malabathri, nardi Indicæ,croci,aloes, ſingulorũ drach.duas,caſtorii drachmas octo, myrrhæ drach. quatuor,acaciæ,ſtibii, ſingulorum drach.xl. Aqua. Vſus cum ouo eſt.

Collyrium craſſius ex vino, Cadmiæ,lapidis hematitæ & ſcifthi,ſingulorum drach.quatuor, æris vſti drach. xxx:chalcitidis drach.xxxii,ſeminis papaueris drachmas xiii,papauer aqua feruefacito,& expreſſum ſuccum adiicito,& vino ſpathite aut Aminæo terito. Aliud ex vino, AEris vſti,Cadmiæ placitidis, ſingulorum dodrantem,lapidis hematitæ loti ſexuncẽ,croci,myrrhæ, aloes, ammoniaci thymiamatis,ſingulorum quadrantem, lycii Indici,ſpicæ nardi,ſingulorum vnc.S. piperis albi grana cl,acaciæ fuluæ dodrantem,gummi quadrantem. Vino falerno aut Aminæo terito.

Collyrium ex duobus lapidibus,ad aſpritudines, Lapidis hematitæ,& ſcifthi, caſſiæ,ſingulorum drach. xviii, æris,Cadmiæ,opii,æruginis raſæ, ſingulorum drachmas nouem,gummi drach. nouem, chalcitidis vſtæ drach. ſex.Aqua.

Collyrium aridum præſeruatiuum, Galeni, Lapidis Phrygii in tenues partes conciſi, & vſti in ollula donec partes igneſcant,& butyro non veteri extincti, deinde rurſus ſimiliter vſti, & vino Falerno extincti, & tertiò vſti,& melle extincti ac ſiccati,librãvnam,æris vſti,piperis albi,folii, ſingulorum vnciam vnam, ſtibii vnc.i.S. Et vbi omnia læuigata fuerint, & reponere pharmacum voles,ſucci balſami non craſſi,(prohibet enim hic aridũ fieri medicamentum)ſed luci diſſimi vnciam vnam adiicito. Vtendum autem eſt ipſo, ſolis palpebris inducto ſpecillo,ita vt tunicæ non attingantur,ſed ſolas palpebras apertas medicamentum contingat: ſublinendú mque eſt non ſemel,ſed ſæpe,ante & poſt cibum,& magis vbi iam ſenſu percipitur lippitudo. Mirum enim eſt quomodo præſeruet præ omnibus aliis medicamentis.

Collyrium aridum ex croco, Sarcocollæ drach.octo, croci drach.quatuor,glaucii drach. quatuor: ſæpe in die illinito. Quidam etiam aloen addunt. Aliud aridum, ad lippitudinem ſiccam, ſycoſin, putredines & ſuperexcreſcentem carnẽ, Cadmiæ drach.x,chalcitidis drach. xx, piperis grana xv,nardi Celticæ drachmam vnam. Cadmiam & chalcitidem terito cũ vino, & vbi reſiccata fuerint,reliqua adiicito, & in tenuiſſimum puluillum redigito.

Collyrium liquidum ex Caucalide, Succi caucalidis, chamædryos,coronopodis, quandoque etiam othonnæ, æquales ſingulorum portiones.Eſt autem othonna chelidonium magnum. Aliud, ad ſycoſes, & vlcera in angulo oculi magno, & carnem excreſcentem, Miſyos toſti drach.ſex,atramenti ſutorii drach.quatuor, mellis Attici ſextarium vnum.

Collyrium liquidum panchreſtos Eraſiſtrati,admirandam vim habens ad oculorum affectiones, tonſillas, pudenda,& aures pure manantes, AEris drach. ſex, miſyos toſti,myrrhæ,ſingulorum drach.tres,croci drach.i.S. piperis drachmam vnã.vini Chii & paſſi Cretici,ſingulorum heminam i.S. Omnia cum vino terito donec arida euaſerint, & infuſo paſſo coquito ad mellis ſpiſſitudinẽ.

Adglutinatoria oculorum fluxione infeſtatorũ, Terræ Samiæ,mannæ,thuris,myrrhæ, æquales partes oui cãdido exceptas,& linteolo inductas, fronti imponito.

Aliud, Hyoſcyami ſeminis drachmam vnã,opii drachmam vnam,myrrhæ drach.duas, croci drachmam vnam,pollinis drach.quatuor,ouorum aſſatorum vitellos duos.Oui albumine excipito.

DE EMPLASTRIS, ET IIS QVAE IN cocturas ipſorum mittũtur,ex Antylo,& de ceræ ad oleum addendæ modo,

Cap. XVII.

EX medicamentis quæ in emplaſtra mittuntur, quædam ſunt terrea, veluti ſunt metallica, & lapidum ac terræ ſpecies,fæces,cinis,cõchylia:quædam oleoſa,quædam lacrymæ,quædam liquabilia,quædam ſucci,partim ſpiſſi, partim liquidi: ſemina verò & herbas & radices paucas recipiunt. Ipſa autem emplaſtra partim ſunt vulneraria,quæ inde quòd cruentis vulneribus cõpetunt,cruẽta appellamus,itémque glutinatoria,& fracturaria. Hæc ex ſiccantibus non ſummè, ſed ſecundi ordinis completi, & tertii incipientis componere oportet: qualia ſunt, ſalix, quercus, cupreſſus, piceæ ac pini cortex, myrrha, thus,bitumen,aloe,ariſtolochia, cinis ſarmẽtorum vitis, ceruſſa,ſpuma argenti, & plura ex metallicis. Coquuntur autem ad compagem manus non inquinantem. Partim verò cicatricem inducunt,quæ etiam ipſa ex ſiccantibus cõponũtur,efficacioribus quàm glutinatoria habeãt, velut ſunt æs vſtum,& ſquama ipſius,& ferri ærugo, chalcitis,flos æris vſtus,alumen,galla,plumbago, Cadmia, pumex,& oſtreacea: partim diſcuſſoria, ex calefacientibus ac ſiccantibus moderatè,velut eſt ariſtolochia,thapſia,oleum vetus & raphaninũ,mel,opobalſamum,pix,terebinthina,galbanum,ſal vſtus,ſalis flos: partim mollitoria, ex ſpuma argenti,& adipibus,medullis, oleo veteri,propoli, ammoniaco,ſtyrace,galbano,bdellio,maſtiche, terebinthina,altheæ & cucumeris ſylueſtris radice: partim ſiccãtia,ex ſulphure,nitro,ſale,cinere, & bitumine: partim attractoria,ex ſale,nitro,propoli,ærugine, fermẽto, ſtercoribus,ſulphure,terebinthina:partim concoctoria,ex cera, ladano, vua paſſa,amomo,croco,thure, pice, maſtiche AEgyptia,ſtyrace,myrrha,galbano,butyro,œſipo, adipe, ærugine: partim ſuppuratoria, ex aqua & oleo, polline, pane triticeo,alica,butyro,adipe ſuillo ac vitulino,thure, pice,reſina: partem mitigatoria,ex ſpuma argenti, ceruſſa, oleo, anetho, chamæmelo, amylo, cera alba. Porro cruenta emplaſtra recentibus adhuc vulneribus ac fracturis imponere oportet,ita vt auxilium inſuper ipſis feramus,ſpongiis poſca madidis ſupra ipſa ſplenia deligatis:& tertio quoque die ſoluamus, rurſúſque eadem ſplenia,& non alia imponamus.At mollitoria,attractoria,diſcuſſoria, inſupérque concoctoria, & ſuppuratoria, poſt cataplaſmatum & ceratorum vſum adhibẽtur: mitigatoria verò etiam ab initio ſtatim in ſummis doloribus cõmodant. Cæterùm de coctura ipſorum conſequenter dicemus.

Emplaſtrum regium tetrapharmacũ, Ceræ colophoniæ,picis, adipis taurini,ſingulorum pares portiones.

Emplaſtrum ex ſemine lini, diſcutit & rumpit, Olei veteris libras duas, ceræ vncias xx, colophoniæ, adipis porcini,ſingulorum lib.i.S.ſpumæ argenti libram vnam,ceruſſæ ſexuncem,ſucci ſeminis lini ſexuncem,pollinis vnciam vnam,thuris trientem.

Emplaſtrum ex melle, Spumæ argenti,ceræ,olei, ſingulorum libras quatuor,terebinthinæ libras duas,mellis, adipis taurini,ſingulorum libram vnam. Aliud, Spumæ argenti libras ſex,olei lib.v.S.colophoniæ lib. vii,S. ceræ libras iii,S.mellis libras tres.

Emplaſtrum ex ſucco, Spumæ argenti libras ſex, olei, æſtate libras ſeptem, hyeme libras nouem, fœnigræci ſextar.S.ſeminis lini ſextar.S.altheæ libras tres. Altheam &

ſemina coquito in aquæ ſextariis xx, donec parum reſtiterit, & ex ipſa libras quatuor ad oleũ miſceto, ac coquito donec bullæ quieuerint: deinde argenti ſpuma leuiſſimè trita inſperſa, lento igne coquito donec manus non inquinet.

Emplaſtrum ex polline, Pollinis, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum libram vnam, reſinæ piceæ, ceræ, adipis porcini, ſingulorũ lib. II, ſucci ſeminis lini quantum ſatis eſt.

Emplaſtrũ ex herbis, Rumicis, olei ſtrigmẽtitii, anchuſæ quæ χοιροσπέλεθος vocatur, *id eſt iugerũ porcinum*, (eſt autem Onoclea) ſeptem neruos habentis plantaginis, ſingulorum quadrantem, olei libras ſex, adipis porcini libras ſex: herbæ in oleo coctæ abiiciuntur, reliqua cum oleo eliquantur.

Emplaſtrũ ex aſphodelis, Radicis aſphodeli ſucci lib. vnam, roſacei, chamæmelini, adipis anſerini, ſingulorum ſextantem, adipis porcini quadrantem, ceræ trientem.

Emplaſtrum ex fermento, rumpens abſceſſus, Fermẽti, axungiæ, ſingulorum ſexuncem, ſalis trientem, reſinæ piceæ quadrantem, ceræ trientem, aphronitri vnciam vnam, ammoniaci thymiamatis ſextãtem, mellis ſexuncẽ, ſaponis ſextantem.

Dothiene emplaſtrum, Ammoniaci thymiamatis lib. vnam, nitri Alexandrini ſexuncem, aphronitri ſexuncem, adipis taurini libras duas, ceræ libras duas, terebinthinæ libram vnam, olei veteris vnciam vnam, aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex ſtruthio, diſcutiens ſtrumas, Spumæ argenti, ſtruthii, ariſtolochiæ, ſingulorum trientem, galbani, ſquamæ æris, aloes, ſingulorum vnciam vnam, mannæ ſextantem, ammoniaci thymiamatis ſexuncem, reſinæ piceæ vncias ſedecim, aceti ſcillitici ſextarios quatuor: ad ſicca terenda.

Emplaſtrum ſmilium, ad abſceſſus, Olei veteris librã vnam ſemis, ſpumæ argenti, nitri rubri, ſalis ammoniaci, lixiuii ficulnei protoſtacti, reſinæ, ſingulorum libram vnam, galbani, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum quadrantem, atramenti ſutorii trientem, ceræ ſexuncem, æruginis, opopanacis, ſingulorum vnciam vnam, aceti quod ſatis eſt. Spumam argenti & æruginem in oleo coquito donec non inquinet: deinde ita reliqua adiicito.

Emplaſtrũ ex alliis ruptoriũ, Ceræ ſexuncẽ, colophoniæ trientẽ, reſinæ piceæ quadrantẽ, adipis taurini trientem, nitri fului vnc. I. S. allii capita pura viginti, olei ſext. dimidiũ. Allium in oleo coctum abiice, & reliqua miſce.

Emplaſtrum ex apyrano diſcuſſorium, Adipis anſerini & phaſianorum, ſingulorum quadrantem, olei veteris vnc. XXVI, pſyllii quadrãtem, ſeminis vrticæ, radicis apyrani viridis, ſingulorum libram vnam, ceræ albæ dextantem, emplaſtri ex ſucco ſextãtem, terebinthinæ vnciam vnam. Radicem in tenuia fruſta conciſam, cum pſyllio in oleo macerato, itémque vrticæ ſemen per diem ac noctem, & tunc vbi coxeris, ipſa quidem abiicito, liquabilia verò reſoluta ad oleum admiſceto.

Emplaſtrum πύρινον (*id eſt triticeum*) ad duritias & ſcirrhomata, Althææ, palmularum ſiue nicolaorum, ſingulorum libras duas, fœnigræci, ſeminis lini, ſingulorum ſextar. S. chamæmeli, meliloti, elates, ſingulorum ſexuncem, vini Aminæi ſextarios VI, ſpumæ argenti libram vnam, ceruſſæ, colophoniæ, ſingulorum libras duas, ceræ terebinthinæ, ſingulorum libram vnam, olei veteris lib. V, aquæ lib. II, panis ſicci tuſi & cribrati lib. V. Herbæ in vino coctæ exprimũtur, & in expreſſo ſucco panis maceratur: ſequẽti die ſpuma argẽti & ceruſſa in aqua teritur, deinde adiecto oleo donec nõ inquinet coquitur, poſtea adiiciuntur reliqua. Ablatis ab igne adiicitur panis, & fortiter ſpathula agitatur. Additur inſuper & æruginis raſæ, & floris ſalis, ſingulorũ ſexunx, iridis, ariſtolochiæ, ſingulorum ſexunx, terebinthinæ libra vna.

Pelarium ex recremento argenti, ad deſquamata & alia ſimilia, Ceræ, adipis taurini, ſingulorum quincũcem, recrementi argenti ſexuncem, colophoniæ trientem, picis, olei, ſingul. ſextãtẽ. Argẽti recremẽtũ ſiccũ teritur cũ vino aut fœnigræci ſucco. Quòd ſi recremẽtũ argẽti nõ adſit, plumbagine vtimur.

Emplaſtrum ex althæa, in podagricis & aliis duriciis, Succi fœnigræci, & ſeminis lini, & althææ, ſingulorũ lib. III, olei lib. II. Coquito donec ſuccus fuerit conſumptus, & adiice colophoniæ lib. I, terebinthinæ lib. I, lacrymæ hederæ quadrantem. Poſtquam verò hæc ſoluta fuerit, ablatis ab igne, iniice ceræ lib. vnam, galbani triẽtem: ambo ſimul contuſa & diſſoluta, ſpathula agitato.

Emplaſtrum κίσσινον, (*id eſt hederaceum*), ad ſauciatos neruos, & puncturas maximè diuturnas, Squamæ rubræ trientem & vnc. S. thuris vnciam vnam, miſyos vnc. I. S, chalcitidis drach. IIII, aceti heminas VI. Terito in ſole æſtiuo, donec acetum fuerit conſumptum: deinde ſolutis admiſce ceræ beſſẽ, olei vnc. XVIII, lacrymæ hederæ, galbani, ſingulorum quadrantem. Si verò diuiſus & nudus ſit neruus, pro galbano terebinthinæ ſextantem adiice.

Emplaſtrum melanchlorum, ad eadem, & ad cruenta vulnera, Malicorii, æris vſti, gallæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſalis ammoniaci, ſquamæ æris, aluminis ſciſſi & liquidi (alii pro liquido rotundum habẽt) iridis, miſyos, atramenti ſutorii, chalcitidis, æruginis raſæ, Cadmiæ, aloes, myrrhæ, thuris, radicis panacis, ſpumæ argenti, ceruſſæ: omnia æquis portionibus teruntur æſtate in ſale cum aceto ad dies ſufficientes, & in paſtillos effinguntur. Emplaſtrum autem fit hoc modo, Medicamenti huius ſumitur ſextans, ceræ ſexunx, olei beſſis. Si ſauciati ſunt, nerui, oleum ſit vetus: in aliis autem commune.

Emplaſtrum ex ſenecione, Succi ſenecionis lib. II, olei veteris lib. I, S. olei cyprini triẽtẽ, axũgiæ veteris lib. I. terebinthinæ vnciã vnã, galbani vnc. S. reſinæ piceæ vnc. S. æruginis, thuris, œſipi medicamenti, ſingulorum vnc. I, ſquamæ æris ſcrup. octo, ceræ dextantem, picis naualis vnc. XIIII. Oleum cum ſucco ad ſtrigmentitiam compagem coquito, addito etiam adipe porcino: arida verò cũ Cyprino terito. Galbanũ cũ cera tundito, & in ollã adiicito. Picem naualem ſi arida fuerit, tritam ac cribratam ponderato ac inſpergito: ſi verò conteri non poſſit, cum parte olei diſſoluta coletur, & tunc omnia miſceantur.

Emplaſtrum Mnaſææ diſcuſſorium, Ceræ, axungiæ porcinæ, ſingulorum lib. I, colophoniæ ſexuncem, ſpumæ argenti lib. II, vini boni lib. IIII.

Emplaſtrum ariobarzanium, ad eaſdem affectiones, Spumæ argenti vnc. I. S. ceruſſæ lib. I, & quincũcem, aquæ marinæ vnc. XXV, olei veteris lib. I. S. buccinorum vſtorũ ſeptuncem, & vnc. S. ceræ fuluæ dodrantem, terebinthinæ ſexuncem, thuris quadrantem, & ſcrup. III. S.

Emplaſtrum ex dracunculo, Ceræ, colophoniæ, picis ſiccæ, axungiæ, reſinæ, ſingulorum lib. IIII, ammoniaci thymiamatis lib. II, radicis dracunculi lib. V. Radix arida trita, reliquis diſſolutis inſpergitur.

Emplaſtrum pſittaciõ, Ceræ, colophoniæ, adipis porcini, hyoſcyami foliorum tenerorum, aut ſucci eorundẽ, ſingulorum æquas portiones. Verùm in Alexandria ſumuntur ceræ lib. II. S. hyoſcyami lib. II, axungiæ lib. II. S, colophoniæ lib. I, & magis diſcutit.

Emplaſtrum myrſinatum, Argenti ſpumæ, ceruſſæ, ſandycis, plumbi vſti & loti, ſingulorum vnciam vnam, ceræ ſexuncem, olei myrthei libram vnam, vini quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex ceruſſa aut ex ouis, Ceræ albæ ſexuncem, roſacei lib. I. S. ſpumæ argenti ſextantem, ceruſſæ ſextantem, amyli quadrantem, albumina ouorum V.

Emplaſtrum parygron, Oribaſii, Spumæ argenti vnc. I. S. ceruſſæ vnc. I. S. ceræ trientem, pinguedinis ſuillæ ſeptũcem, colophoniæ dodrantem, ſucci ſeminis lini, olei, ſingulorum dextãtem. Mirificè facit ad calcaneorum rimas. In vlceribus autem, inquit, vitant: nam graueolens euadit.

Emplaſtrum ex Cadmia, cicatricem inducens, Chalcitidis vſtæ ſextantem, Cadmiæ, mannæ, ſingulorum vnciam vnam, ceræ, colophoniæ, olei myrti, ſingulorum libram vnam, vini quantum ſatis eſt.

Emplaſtrum φοινίκινον, (*id eſt palmulatum*) Axungiæ veteris libras II, olei libras tres, ſpumæ argẽti libras tres, chalcitidis crudæ ſexuncem. Chalcitis primùm cum oleo prælæuigetur in pila commoda, aut etiam in ſole.

Poſtquam autem ſtrigmenti ſpiſſitudinem acceperit,etiã ſpuma argenti prius trita adiiciatur, poſtea etiam adeps: & vbi probè contriueris, ad lentum ignem coquito donec non inquinet,palmarum ramis velut ſphatula agitãs.

Emplaſtrum ex anchuſa, ad ambuſta, Ceræ albæ dodrantem, roſacei vnc.xvIII. His liquatis anchuſæ purpureæ radicis ſiccæ leuiſſimè tritæ triens inſpergatur.

Aliud. Anchuſæ radicis viridis,marrubij comæ,ſingul.quadrantem,Coquito in olei dodrante,& abiicito.Ad oleum autem ceræ albæ quincuncem adiicito, ac diſſoluito.

Emplaſtrum pompholygerum, Pompholygis ſextãtem,ſpumæ argenti quadrantem, cum ſucco ſeminis lini terito,& ad hæc liquata ac frigefacta,ceræ ſexuncem,adipis anſerini aut gallinari ſextantem, olei chamæmelini ſexuncem adiicito.

Emplaſtrum phycotyche,dolorem eximens,ad ſedem deſtinatum, Thuris vnc.xvII. myrrhæ ſeptuncem,opii drach.IIII.aluminis ſciſſi drach.II.butyri drach.IIII.ouorum aſſatorũ vitellos IIII.cadmiæ vſtæ & lotæ drach.IIII. pompholygis drachmas vI. ceræ Tyrrhenicæ drach.vIII. adipis anſerini drach.xvI.medullæ ceruinæ drachmas xI. plumbi vſti & loti drach. vIII. lapidis hæmatitæ drach. I. œſypi liquidi drach.IIII.Arida terito cum vino Italico, & liquata miſceto.

Emplaſtrum Amythaonis, ad diſtortos ac conuulſos articulos: eſt etiam attractoriũ,Ammoniaci,ceræ,bdellii,ſingul.drach. vIII. terebinthinæ, iridis Illyricæ, galbani,ſingul.drach.xx.

Emplaſtrum Ariſtophanium,mollitorium, Picis lib. IIII.picis naualis lib.II.ceræ lib.I.opopanacis vnc.I. aceti heminam I.

Emplaſtrum ex plumbagine, ad calidas affectiones, Plumbaginis trientem, ſpumæ argẽti ſextantem, ceruſſæ ſextantem, ceræ beſſem, olei myrtei lib.II. arida cum vino teruntur.

Emplaſtrum Coracum, ex aceto mulſo, ad pudenda deſtinatum & ad nomas,Gallæ ſextantem; ſquamæ vnc.I. S.chalcitidis,thuris,ſing.vnc.I. Terito cum aceto ad dies ſufficientes,deinde mellis quincũcem miſceto. Seorſum autem ceratum parato,ex myrtei aut roſacei ſextante, & adipis taurini beſſe,ceræ triente, terebinthinæ vnc.I.Miſceto,ac ſimul conterito,& vtitor, velut eo quod ex charta conſtat,tum per inſtrumentum ad pus trahẽdum aptatum,tum per linamentum.

Emplaſtrum ex aceto & oleo; Spumæ argenti partem I.olei,aceti,ſing.partes II.quidam verò III accipiunt.

Emplaſtrum ex Achate,diſcutiens ac molliens, Lapidis Achatæ ſemiuſti vnc.I.S.ceræ quincũcem;reſinæ frictæ quadrantem,olei vnc.I.

Emplaſtrum Iſis, ad cruenta vulnera, glutinans; incarnans &purgans, Squamæ æris,æris vſti,ariſtolochiæ rotundæ,ſing.drach.vIII. aluminis ſciſſi drach.vI. ſalis ammoniaci drach. vIII. thuris drach. vIII. ammoniaci thymiamatis drach. vIII. myrrhæ drach. xII. aloes drach. xII. galbani drach.xII.ſucci radicis dracunculi drach.vIII. ceræ lib.I.colophoniæ lib.II.olei veteris quadrantem, aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum Athena,ad vlcera ſordida,impacta,& neruos ſauciatos, Malicorii,æris vſti,gallarum,ariſtolochiæ rotundæ & longæ,ſalis ammoniaci, ammoniaci thymiamatis,ſquamæ æris, aluminis ſciſſi & rotundi, iridis, miſyos,atramenti ſutorii,chalcitidis,æruginis raſæ,cadmiæ, aloes,myrrhæ,propolis,galbani,ſingul.vnc.I. ceræ drach. cc.picis drach. cc. colophoniæ drach.c. olei ſexuncem, aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex dictamno, glutinans, ad canum morſus & vlcera omnigena, Spumæ argenti lib. II. ſquamæ æris vnc.I.S.olei veteris ſext.II. diphryæ quadrantẽ, gentianæ vnc.I.S.ariſtolochiæ,æruginis raſæ,ſingul.vnc.II.S. dictãni,æris vſti,ſing.vnc.II. S. colophoniæ lib.I.mãnæ, galbani,aloes,ſing.quadrantem, ammoniaci thymiamatis ſexuncem,propolis ſextantem, ceræ ſexuncem & vnc. S. Oleũ cum ſpuma argẽti primũ coquere oportet, donec non inquinet, deinde ab igne ablatis iniicere æruginẽ & ſquamã æris,& rurſus coquere donec nõ inquinet, & rurſus ablatis reſinã & ammoniacũ cribratũ adiicere,& mouere donec feruere deſinat, ad ignémq; apponere, & vbi parum efferbuerint,æs & diphryges immittere, & rurſus coquere donec ſpiſſentur:deinde cerã indere, eáque donec non inquinet cocta, propolim adiicere, & paulo pòſt aloen,mannam, dictamnum, ariſtolochiam, gentianam, ſingula trita inſpergere vbi parum ſunt perfrigerata.

Emplaſtrũ Barbarum, ad cruenta vulnera, & fracturis callos obducit, Bituminis Iudaici,picis ſiccæ,ceræ,reſinæ,ſingul. lib.I. terebinthinæ ſextantem, ſpumæ argenti vnciam I.ceruſſæ vnc.I. S. mannæ ſextantem,opopanacis ſextantem, myrrhæ ſextantem, olei quadrantem, aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex ſalicibus, glutinatorium, & quod ſanguinem ſpuentibus, & pectore ſuppuratis in thoracẽ imponitur, Miſyos,chalcitidis,ceruſſæ,æruginis,gallæ,aluminis ſciſſi & rotundi, melanteriæ, ſing. ſexuncem, ceræ lib.II.reſinæ piceæ lib.II.picis lib.II.malicorii ſexuncem, bituminis lib.II.foliorum ſalicis lib.II.olei roſacei trientem,atramenti ſutorii ſexuncem:aceti quod ſatis eſt.Quidam etiam terebinthinæ dodrantem.

Emplaſtrum Nicolai, ad cruenta vulnera; ſinus glutinans, Squamæ æris trientem,æruginis raſæ vnc.I.ſpumæ argenti vnc.I.S.ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſing.vnc. I. aluminis ſciſſi & rotundi, ſing.vnc. I. atramenti ſutorii vnc.I. ſulphuris viui vnc.I. gallæ omphacitidis trientem; ſalis ammoniaci vnc.I. miſyos vnc. I. origani vnc. I. chamæleonis vnc.I.cadmiæ racemoſæ vnc.I. veratri albi vnciam I.peucedani quadrantem,ſeminis apii ſextãtem, radicis ſymphyti vnc.I.S.ceruſſæ vnc.I.S. ſucci mandragoræ vnc. S. chalcitidis vnc. I. S. Samii aſteris vnc. I. thuris maſculi vnc.I.aloes vnc.I.bdellii ſextantem,opii Thebaici ſextantem, myrrhæ Troglodyticæ vnc.S. ammoniaci thymiamatis vnc.I. fœnigræci ſexuncem, ſucci perdiciadis ſexuncem,ceræ flauæ lib.III.colophoniæ lib.II. reſinæ piceæ lib.I.bituminis lib.I. maſtiches ſexuncem, picis nigræ lib.II.olei veteris lib.I.ſtyracis vnc.I.opopanacis vnciam I.S.aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrũ Iceſium,ad ſtrumas,& abſceſſus,& ſplenem, & articulos,& ad coxendicum morbum, Spumæ argẽti drach. cxx. olei veteris ſextar.II. aceti ſextar.I. æruginis drachmam I. S. corticis piceæ drach. vIII. chamæleonis cum radice drachmas xvI.euphorbii drachmas xvI.ſucci hypociſtidis drachmas xvI. propolis drachmas xvI.myrrhæ drachmas xvI.helenii drach.xvI.pyrethri drachmas xvI.ceræ lib.III.

Emplaſtrum Neronis, ad plagas, & omnem carnoſarum partium dolorem, Olei veteris lib.I.S. ſpumæ argẽti lib.I.ceræ,reſinæ piceæ,ſingulorum ſeptuncem & vnc. S. ammoniaci thymiamatis trientem, ceruſſæ trientem, galbani,mannæ thuris,myrrhæ,thuris,ſingul. vnc.I.

Emplaſtrũ oxerũ multiplicis vſus,Picis ſiccæ lib.II. ceræ lib.I.ammoniaci thymiamatis vnciã.I. terebinthinæ lib.S.galbani ſextantẽ,mannæ ſextantẽ, aceti ſextar.I.S.

Emplaſtrum aceratum (*id eſt ſine cera*) Galeni, glutinat & concoquit,ſuppurãs vlcera,cum ricinino aut veteri oleo diſſolutũ, velut medicamentũ quod linamentis illinitur, Spumæ argenti lib.III.olei ricinini aut veteris lib. IIII.aceti acerrimi lib.II.ſquamæ æris nigræ, chalcitidis, æruginis,ſingul.ſextantem.Spumam argenti cum oleo coquito ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem,deinde metallica pluribus diebus cum aceto trita adiicito.

Emplaſtrũ ex metallicis,Chalcitidis vnc.I.miſyos ſextãtẽ,ſquamæ æris quadrãtẽ,thuris quadrãtem ,colophoniæ ſextãtẽ, galbani vnc.I.S. ceræ lib. vnã; olei vnc.x v. aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum Harmonia,ad fracturas,Chalcitidis trientem,ſquamæ æris ſextantem,& vnc.S.æris vſti vnc.I.thuris ſextantẽ, olei lib.I.aceti lib.I.Coquito metallica in aceto & oleo donec non inquinent,deinde thus adiice.

Emplaſtrũ melinũ Serapionis,Spumæ argẽti lib.I.ceræ ſeptũcẽ, ammoniaci thymiamatis quadrãtem, & vnc.S. galbani,æruginis,ſingul. drach.I x. colophoniæ ſeptũcẽ; myrrhæ drach.I.olei heminam vnam.S. Spumam argenti-

ti coquito cum oleo, donec non inquinet, deinde reliqua adiicito.

Emplaſtrum Anicetum, glutinans, diſcutiens, ſquamas ſeparans, & ad diſtortiones, Baccarũ lauri, iridis ſiccæ, thuris, ſingul. drach. LX. æris vſti drach. XX. nitri, ſalis, ammoniaci thymiamatis, ſingul. drach. XX. pyrethri, ſtaphidis ſylueſtris, ſeminis roriſmarini, grani Cnidii, ſinapis, ſtercoris colũbini, ariſtolochiæ, cumini, æruginis, cyperi, ſeminis erucæ, ſingul. drach. VIII. aceti heminas XII. Terito ſub canis ardoribus donec acetũ fuerit cõſumptũ: deinde decocti caricarum craſſiſſimi dodrantem adiice, & ex permiſtis paſtillos finge, & exſicca. Vſu verò expetẽte, ex ipſis paſtillis ſextantẽ cum aceto tere, & reſinæ quadrantem, ceræ Tyrrhenicæ ſextantem, olei ſextantẽ admiſce.

Emplaſtrũ ex lolio, Picis lib. II. reſinæ piceæ dodrantẽ, ceræ Tyrrhenicæ quincuncem, olei quadrantem, bituminis cribrati ſextantem, farinæ lolii ſextar. I. aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex ſucco ſycamini, Spumæ argenti, picis aridæ, adipis, ſingul. beſſem, terebinthinæ quadrantẽ, ceræ quincuncem, æruginis raſæ, opopanacis, galbani, ſingul. vnc. I. olei ricinini, aut ſuſini, aut veteris valde, heminam I. picis liquidæ hemin. I. ſucci ſycamini cuiꝰ fructus ſycomora vocantur heminam vnam.

Emplaſtrum duplicis coloris, Æris vſti, aluminis ſciſſi, ammoniaci thymiamatis, ſingul. vnc. I. ceræ lib. I. colophoniæ lib. I. adipis porcini lib. I. aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrũ Indicum, ad nomas & ſanguinem ſpuentes, Ceræ, reſinæ frictæ, picis ſiccæ, bituminis, liquidi zacynthii, ſingul. lib. I. ceruſſæ, chalcitidis, miſyos, melanteriæ, aluminis ſciſſi & rotundi, gallæ omphacitidis, malicorii, ſingul. ſexuncem, aceti quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex cinere aſpidũ, diſcutit ſtrumas & podagras, Terebinthinæ, lapidis Aſii, bituminis Iudaici, ſingul. drach. CCCLX. ceræ, baccarum lauri, ammoniaci thymiamatis, aphronitri, adipis vitulini, ſing. drach. CCCXL. lapidis pyritæ, calcis viuæ, ſingul. drach. CXL. cineris aſpidum drach. CXL. olei veteris heminas II. Medicamento perfrigerato cinerem inſpergito. Paratur etiam ſine cinere, eo quòd aliqui ipſum auerſentur, & nihilominus efficax eſt propter Aſium lapidem.

Emplaſtrum leæna ſiccans, & diſcutiens, Ammoniaci thymiamatis, plumbaginis, ſingul. drach. C. ſinapis drachmas VIII. radicis chamæleonis drach. XVI. colophoniæ drach. C. ſquamæ æris, radicis herbæ lanariæ, euphorbii, æruginis, ſingul. drach. VIII. ariſtolochiæ drach. XVI. pyrethri drach. VIII. olei veteris heminã vnam, & raphanini quod ſatis eſt.

Aliud leæna, ex alto euocans, & humores euacuans, Atramenti ſutorii ſextantem, auripigmenti vnc. I. veratri nigri, thoracum cantharidum, ſingul. drach. I. S. ſandarachæ quadrantem, ceræ lib. I. S. reſinæ frictæ lib. I. olei heminas duas.

Emplaſtrum Macedonicum, Ceræ, colophoniæ, picis, adipis taurini, thuris, ſingul. æquales partes liquefacito, & ab igne ablatis thus inſpergito.

Emplaſtrum ſphærion, ad feruida, Ceruſſæ, ſpumæ argenti, calcis viuæ, ſingul. quadrantem, ceræ vnc. I. S. nitri Berenicarii, roſacei, ſingul. vnc. I. liquefacta aridis affundito, & pilulas formato. Vſu verò expetente, olei ſexuncẽ cum ceræ ſextante liquefacito, & medicamenti vnc. I. addito, & ſpathula agitato. Frigefactum autem cum aquæ dodrãte collidito. Ego verò etiã roſacei quadrãtẽ addo.

Emplaſtrum ex ochra, inflammationes arcet, tũ iis qui ſua ſponte, tum qui in iudicio torti ſunt. Ochræ Atticæ lib. II. cretæ lib. I. ſpumæ argẽti beſſem, vino terito, ceræ, colophoniæ, picis, reſinæ piceæ, ſingul. lib. I. terebinthinæ beſſẽ, olei lib. II. hæc ſimul in maſſas formato. Reſoluuntur autem hoc modo, Ceræ lib. I. olei veteris lib. III. medicamenti lib. I cum vino conquaſſato.

Emplaſtrum ex cedria, glutinans, diſcutiens, exterens, Ceræ, picis ſiccæ, ſingul. lib. I. colophoniæ beſſem, cedriæ ſexuncem, liquefacta ſimul coquito donec non inquinent.

Aliud mollitoriũ, Ceræ, picis, ſingul. beſſem, colophoniæ drach. XXV. propolis drach. XVII. cedriæ drach. XX.

Emplaſtrum è pumice cicatricẽ inducẽs, Olei myrtei lib. II. ceræ lib. I. pumicis vſti & vino extincti drach. VI. ſquamæ ſtomomatis drach. VI. æris vſti, cimoliæ, ſingul. drach. V. Supra linamenta adhibetur, & ſpongia ex aqua ſuperimponitur.

Emplaſtrum παῦλα, (*id eſt quies*) ad ſtrumas & inguinũ tumores, Ceræ, colophoniæ, nitri, ſingul. lib. I.

Emplaſtrum ex nitro ad carbunculos, Nitri torrefacti quadrantẽ, ceræ, olei, colophoniæ, ſingul. vnc. vnã S. ſucci cyrenaici aut medici drach. X. imponitur linamentis exceptum dilutum.

Emplaſtrum ex anemona, Anemonæ exunguis ſextantem, ceræ quincuncem, olei trientem, reſinæ quincũcem & vnciæ dimidium, colophoniæ lib. II. S.

Emplaſtrum Machærionis, viride, ad coxendicũ morbum, articulos compactos, abſceſſus: Opopanacis, galbani, æruginis, myrrhæ, iridis, ammoniaci thymiamatis, ariſtolochiæ, ſingul. vnc. I. terebinthinæ, ceræ, olei omphacini, ſingulorum ſeptuncem. Aliud viride ſimplex. Reſinæ lib. III. ceræ lib. I. æruginis raſæ lib. S. thuris drach. XXV. Aceti quod ſatis eſt. Aliud viride, faciens ad vlcera humecta, & carnem ſuperexcreſcentem. Colophoniæ ſexuncem, æruginis raſæ vnc. I. S. ceræ ſextãtẽ, ſalis Cappadocici vnc. I. roſacei ſextãtẽ, aceti quãtũ ſatis eſt.

Emplaſtrum rutaceum, ad pleuriticos. Rutæ viridis lib. I. butyri lib. I. S. terebinthinæ vnc. XV. opopanacis quadrantem, galbani quadrantem, olei anethini lib. I.

Emplaſtrum ex lixiuio, ad coxendicum & articulorum morbum & ad tumorem laxum, Ceræ, olei veteris, lixiuii per calcem excolati, ſingul. lib. I. reſinæ frictæ, nitri Alexandrini, nitri albi, terebinthinæ, ſingul. ſexũcẽ, nitra cum lixiuio terito.

Emplaſtrum ex nitro, ad abſceſſus, & tumores induratos, Olei veteris, ceræ, aphronitri, ſaponis, lixiuii, ſingul. lib. I. terebinthinæ ſexũcem, galbani, propolis, ammoniaci thymiamatis, ſingul. vnc. I. præpara velut præcedens.

Emplaſtrũ ex ſale, Ceræ trientem, olei lib. I. ſalis communis trientem, aphronitri triẽtem, ceruſſæ beſſem, aceti ſextantem, ad arida conterenda. Aliter, Salis communis, nitri, ſingulorum trientem, ceræ, olei veteris, ſingulorum ſexuncem, aquæ marinæ quod ſatis eſt.

Emplaſtrum ex perna: ſoluit tophos, Pinguedinis pernæ ſuillæ veteris, ammoniaci thymiamatis, caſei veteris bubuli aut caprini, adipis taurini, picis naualis quæ de nauibus deraditur, & apochyma appellatur, ſingul. lib. I. medullæ ceruinæ beſſem, œſypi cerati quadrantem, olei cyprini ſexuncem. Vini Ægyptii quantum ſatis eſt.

Emplaſtrum ex Cinnabari ad tophos & alios omnis generis induratos tumores: appellatur pampates. Spumæ argẽti lib. I. olei veteris ſext. I. ſquamæ æris vnc. I. æris vſti vnc. I. cynnabaris ſcrup. XVIII. magnetis viuẽtis vnc. I. lapidis Phrygii drach. VI. lapidis pyritæ, Cadmiæ, æruginis raſæ, thuris, ſingul. vnc. I. diphrygis ſextantẽ, aloes vnc. I. S. galbani vnciam I. S. lapidis onitæ Scythicæ ſcrup. XVIII. lapidis hæmatitæ vnc. I. propolis lib. I. ſcrup. XXVIII. ceræ vnc. XVII. lapidis perdicitæ vnc. I (Aliud exemplar perdiciatæ habet) betonicæ vnc. I. ſcrup. VIII. gẽtianæ vnc. I. ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſingul. drach. IIII. chamæleonis nigri vnc. I. dictamni ſcrup. XLII. reſinæ ſiccæ lib. I. adipis ſtruthiocameli lib. I. lapides cũ ſpuma argenti terito, adiiciens floris ſalis lib. II. particulatim, donec totum fuerit læuigatum.

Emplaſtrum ex nucibus auellanis ad tophos articulorum approbatum, Lixiuii per calcem excolati ſexuncẽ, nuclei nucum auellanarũ ſextantem, aphronitri ſexuncẽ, olei veteris lib. I. ſaponis gallici trientem, mellis beſſem, candida ouorum VI. ceræ dextantem, terebinthinæ ſextãtem: terito cum lixiuio.

Ceratum ex torpedine, ad podagrã, dolorem eximẽs, admirandum. Quinto menſis Martii die in domo ſubterranea, in ollam olei communis ſextar. II. mittito, & cum lignis vitis coquito, vbique ebullierit, torpedinis piſcis marini lib. I. iniicito, & ſanguinis talpæ animalis quod à

quibuſdã aſphalax, ab aliis Madaniudã dicitur, triẽtem: & ſimul coquito donec carnes piſcis diſſolutæ fuerint aut frictæ: deinde ad excolatum oleum adiice ceræ moderatum modum, quò ſpiſſitudo quamtenerrima cerati fiat, quod in linteolum infractum imponito.

Emplaſtrum ex vrina muli podagricum, Vrinæ muli maſculi ſextar. IIII. ſpumæ argẽti lib. II. olei veteris minam I. Diu omnia terito vt ſtrigmentitia euadant, & coquito donec non inquinent.

Emplaſtrum ex lapidis Aſii flore, Philagrii, ad tumores duos, Peucedani radicis, floris lapidis Aſii: qui ſi nõ adſit, ſalis, ammoniaci thymiamatis, lanarum ſuccidarum vſtarum, ſingul. vnc. I. ariſtolochiæ rotũdæ, pumicis, ſtercoris canini, æruginis raſæ, ſquamæ æris, miſyos, ſingul. ſcrup. XVIII. caſtorii ſcrup. XVIII. myrrhæ quadrantem, aceti acerrimi quadrantem, ceræ vnc. XII. S. reſinæ piceæ, picis brutiæ, ſingulorũ vnc. XVIII. S. ſcrup. VI. olei veteris quantum ſatis eſt.

Aliud ex eodem, Galeni, Ceræ, terebinthinæ, ſingulorum libram vnam, lapidis Aſii, mannæ, ſingulorum quadrantem, olei cyprini ſextantẽ, aquæ pileatoris quantum ſufficit.

Emplaſtrum ex flore ſalis, ad arthriticos in declinationibus, Terebinthinæ, reſinæ frictæ, reſinæ piceæ, ceræ, ſingulorũ lib. I. picis ſiccæ, aluminis ſciſſi, floris ſalis, ſingulorum lib. S. Coquito in duplici vaſe.

Emplaſtrum nutrix, carnem in vlceribus generãs: Roſacei, terebinthinæ, mellis, ſingulorum ſextãtem, ceruſſæ, butyri, ſingulorum vnc. I. Alii etiam thuris vnc. I.

Emplaſtrum Italicum, purgans ſordida vlcera, & incarnans, Fici ſylueſtris tenerum corticem in oleo coquito, & abiicito, & in oleo ceræ fuluæ quantum ſufficit liquato. Vtere, linamentis illito.

Emplaſtrum arrigendi vim habens, Satyrii pudendi ceruini, caudæ ſcinici, ſingul. drach. II. ſeminis erucæ, pyrethri, ſeminis roriſmarini, ceræ, ſingul. drach. II. terebinthinæ drach. I. oua paſſerum Troglodytarum tria, ſtelliones tres, olei laurini aut irini quod ſatis eſt. Stelliones viui in aceto macerantur ad dies XL. vaſe infimo defoſſo.

Emplaſtrum aureum, ad cruenta vulnera, Thuris, aluminis ſciſſi, ſingul. ſextantem, colophoniæ, reſinæ, ſingulorum lib. I. olei quadrantem, auripigmenti ſextantem. Auripigmentum cum aceto teritur.

Emplaſtrum ad fracturas, Oribaſii, Picis brutiæ lib. I. & trientem, ſpumæ argenti lib. I. & trientem, thuris beſſem, terebinthinæ quincuncem, adipis taurini lib. I. & trientem, galbani, opopanacis, ſingul. vnc. I. ceræ trientẽ, olei veteris lib. I. aceti quincuncem.

Emplaſtrum ad fracturas, & cum vulnere & ſine vulnere. Ex Heraclida, Picis aridæ minam I. ſpumæ argenti minam I. mannæ minæ S. adipis vitulini minam I. ceræ Tyrrhenicæ vnc. XXVI. opopanacis drach. VIII. æruginis raſæ, æris cyprii, ſingul. quintam & decimam minæ partẽ, terebinthinæ minam I. S. olei ricinini aut veteris heminam I. aceti heminæ S.

Œſypi liquidi medicamenti præparatio, Meliloti trientem, cardamomi ſextantem, lanarum valdæ ſordidarum ſexuncem. In vini ſextar. II. ad triduum macerata coquito donec parum ſuperſit, & facta collatura, ad vinum olei quadrantem miſceto, & coquito donec parum de vino reſtet, & tunc iniice colophoniæ dextantem, terebinthinæ dextantem. Quidam etiã ceræ dextantem miſcent, & hyſſopi herbæ vnc. I cum aliis coquunt: alii lanas vino lauant, & vinum cum ſorde, quam etiam pinon vocant, ſiccant. Vſu verò exigente, ex ipſo quadrantẽ coniiciunt, & reliqua velut dictum eſt.

De ceræ ad oleum addendæ modo.

Si velis vnguenta præparare velut ea quæ acopa vocãtur, quadruplum oleũ ad ceram immittes: ſi verò quemadmodũ in fracturis, molle ceratum efficimus, duplum. At ſi medicamẽtum emplaſtri forma facere voluerimus, tunc æqualem olei modum ad ceram miſcebimus, ſi aer ambiens moderatus fuerit: ſin cera vetus ſit aut ſquallida, & aer ambiens frigidus, paulò plus olei ſit quàm ceræ: quemadmodum vbi cera pinguis fuerit, & aer ambiens
A calidus, paulò copioſior cera quàm oleum ſit. Hoc autem paulo plus, duodecima pars ſit, in vtramque à medio & æquali modo partem. nam tunc XI. aut XIII. olei vncias, ad ceræ lib. vnam miſcebis.

Ex Antylo, de coctura medicamentorum quæ in emplaſtra mittuntur, Spuma argenti in medicamentorum cocturis cum oleo coquitur. Oportet autem ipſam tritam, rurſum cum oleo læuigare, vt ſtrigmẽtitia euadat, & poſtea ſic coquere ad lentum ignem, indeſinenter mouendo. Principio igitur intumeſcit, & in bullas exurgit. Vbi ve-
B rò propè acceſſit ad ſufficientem cocturam, colore fæculẽtior fit: modum autem cocturæ accipit, quum ex tumore conſidet, & non amplius manus inquinat. Plumbago ſimiliter vt ſpuma argenti coquitur: modus cocturæ ipſius eſt non ſolùm vt non inquinet, ſed etiam vt ex igneo colore in fuluum & valde floridum tranſeat.

Æs vſtum coquitur non à principio immiſſum, ſed vbi ſemicoctum iam eſt emplaſtrum: modus cocturæ eſt ſi non valde modicum immittatur, vt colore præualeat, & emplaſtrum fuluum efficiat. Squama æris coquitur
C vt æs, & eodem tempore immittitur, & eandem cocturæ rationem habet. Niſi enim color eius præualuerit, & emplaſtrum fuluum effecerit, nondum iuſtam cocturam habet. Sed & ferri ſquama eodem tempore iniicitur, & fuluum colorem inducit. Sori & diphryges immittuntur etiam ipſa in medio cocturæ. Modus autem diphrygis idem eſt qui ſquamæ æris, vt colore præualeat: ſori verò nullum proprium habet modum. Omnibus autem communis modus eſt vt non inquinans ſiat emplaſtrum.

Chalcitis ſimiliter vt æs coquitur, & cocturæ ipſius mo-
D dus eſt vt fuluius quodammodo & magis Puniceum faciat emplaſtrum. Flos æris ſimiliter vt æs coquitur: modus autem cocturæ communis eſt. Atramentum ſutorium in media coctura immittitur. Et dum coquitur, liuidiorem emplaſtri colorem facit: ſi verò non ſint alia quæ ipſi reluctentur, nigrum emplaſtrum facit. Miſy in fine iniicitur. proprium autem modum nullum habet.

Auripigmentum & ſandaracha in fine cocturæ immittuntur. Plumbum vſtum in media coctura iniicitur. Ceruſſa in alba emplaſtra in fine inditur: (ſic enim
E colorem conſeruat, & magis albefacit) verùm in nigra à principio. dum enim amplius coquitur, nigrum euadit.

Ærugo in viridia emplaſtra poſt cocturam iniicitur. In quibuſdam verò omnino non in ollam immittitur, ſed ad ipſam in pila læuigatam & manentẽ reliqua euacuantur. At in melini coloris emplaſtris, vbi ſemicocta eſt præparatio iniicitur. moderatam enim cocturam adepta, melinum colorem inducit. Verùm in iis quæ duplicem faciem ac geminum colorem præferunt, ſtatim ab initio æruginem incoquimus. Perſeuerans enim in coctura, pri-
F mùm melinum colorem inducit, deinde duplicem faciem repræſentans, poſtremò fuluum colorem efficit.

Alumen plerunque poſt cocturam iniicitur: proprium cocturæ modum nullum habet. Minium immittitur in fine. Cadmia & Pompholyx iniiciuntur in principio. Sal & Nitrum in medio cocturæ, ſulphur in fine. Coctura verò ipſius emplaſtra nigrefacit. Terra omnis & lapides immittuntur plerunque in fine: pumex item in fine. Conchylia quoque vſta in fine iniiciuntur. Oleum ſi in principiis iniectum fuerit ad reſinã aut picem liquidam, emplaſtrum non ſpiſſatur. Oportet igitur vbi
G ſpiſſata fuerint quæ coquuntur, ita oleum iniicere. Pinguedines reliquas nõ ſalſas circa mediam cocturam immittere oportet. Ex vnguentis irinum cocturam fert, Cyprinum & roſaceum minus: reliqua penitus nõ. quare in fine cocturæ immittenda ſunt. Cera nõ coquitur per ſe ſola: (cõburitur enim) neq; cũ reſina liquida aut pice liquida, (inſpiſſata enim manet) ſed aut oleo puro, aut oleoſo alicui, cũ quodã metallico cocto ſuperiniicitur aut reſinæ aut pici præcoctæ, & prius ſpiſſatæ cũ aliis quæ iniici debẽt. Reſina ſicca cũ cera iniicitur. Liquida verò præ
H omnib⁹ aliis ipſa per ſe ipſam coquitur, ſi nõ valde modica aſſumatur. Pix præ aliis omnib⁹ immittitur. Mod⁹ autẽ liquidæ eſt vt dũ coquitur ſpiſſetur: ſiccæ verò maximè cũ aceo, vt nõ amplius bullas emittat, neq; intumeſcat.

Pix naualis trita, & ſuperfluitatibus quæ in ipſa ſunt per cribrũ ſeparatis, coĉto emplaſtro inſpergitur: ſi verò mollis fuerit, cum oleo diſſoluitur: verùm prior ratio exaĉtior eſt, eo quòd in poſteriore pondus non ſeruetur. Bitumẽ coquitur à principio immiſſum: non autẽ oportet ipſum læuigare, quoniã aſpretudines ficus granis ſimiles habet: quare in acaſſas partes frangatur, & in aceto coquatur, ita vt ne moueatur, donec non amplius bullas emittat. Ego verò (inquit Timocrates) in oleo coxi, & ſucceſſit. Propolim mollire oportet & coquere. nam ex coĉtura penitus non cõfunditur. Si verò etiam ceram emplaſtrum ſuſcipiat, cum cera propolim, quemadmodum etiam galbanum, contuſim iniicere oportet. Ammoniacum circa mediam coĉturam iniicitur. Oportet autem, ſi teri ac cribrari poteſt, tenue hoc inſpergere: ſin minus, cum humore aliquo læuigare, & ſic iniicere. Si quidem ad cruenta vulnera deſtinatum ſit emplaſtrum, cum aceto aut vino: ſi verò fiſtulare ſit, aut ſtrumis dicatum, omnino cum aceto: (ſi verò molle, qualia ſunt ea quæ ad annum parantur) cum aqua: deinde ita læuigatũ aliis perfrigeratis affundere, vt ne efferueſcant. Opopanax iniicitur longè poſterius ammoniaco. Omnino verò modica coĉtura opus habet. Galbanum coĉturam omnino non fert. Sed vbi non inquinans faĉtum fuerit emplaſtrum, tollas ab igne oportet, & ipſum mollitum iniicere. Sagapenum in mortario tunditur, & vbi tenerum fit cum emplaſtro emollitur, poſtquã ab igne fuerit ablatum. Aloe inſpergitur poſt coĉturam. Papaueris ſuccus pridie in modica aqua maceratur, deinde in pila teritur, atque ſic ad ipſum infunditur etiam emplaſtrum. Thapſia poſtrema inſpergitur, aut cum humore aliquo teritur. Bdellium læuigatum inſpergitur, poſtquam ab igne ablatũ eſt emplaſtrum. Si verò pingue ſit, & læuigari non poſſit, ſimiliter vt ſagapenum contuſum ipſum, & ad emplaſtri formã redaĉtum, cum emplaſtro molliemus poſt coĉturam.

Thus & manna in fine coĉturæ inſperguntur, trita cum modico melle, aut aceto, aut aqua, aut vino, ſi humorem ſuſcipiat emplaſtrum. Myrrha perfeĉta iam coĉtura iniicitur. Semina, radices & herbæ nullam coĉturam ſuſtinent: ad trita igitur, & in pila permanentia, liquata affunduntur.

DE MALAGMATIS ET EPITHEMATIS, Cap. XVIII.

Malagmata appellata partim mediis corporis partibus imponuntur diu iam inflãmatis, aut induratis, aut feruentibus, aut perfrigeratis, aut fluxione laborantibus: partim articulis cõpaĉtis, aut neruis perfrigeratis, aut etiã aliis in ſcirrhũ induratis partibus conueniũt. De his igitur & in capite de emplaſtris diĉtũ eſt, & in capite de acopis dicetur. Ex his autem quæ mediis partibus cõueniunt (quæ ſanè etiam propriè epithemata appellantur) ea quidem quæ ſtomacho & hepati adhibẽtur, qualiacunq; tandem fuerint, etiam corrobrante facultate per adſtringentia opus habent. nam ſine his periculum vitæ ſequitur, quum illa cõmunia ad vitam conſeruandã opera habeant: vnde ex aromatibus maximè cõponuntur. Stomacho igitur aut non concoquẽti, aut debili, aut inflato, epithemata ex ſeminibus, & meliloto, & aloe, & abſinthio, & ſampſucho, & nardo, & maſtiche imponuntur: hepati verò, ex myrobalano, ammoniaco, adipib9, & chamæmelino: ſpleni autẽ, quæ ex calce, auripigmento, cappari, ſalicibus, cardamomo, ærugine, ammoniaco, & aceto parantur: quòd ſi fluxione laborent partes circa ventrem, quæ ex œnanthe, alumine, melino, & aliis adſtringentibus cõponuntur. nam & hæc per abuſum in cõmuni malagmata appellant, etiamſi contrariam iis quæ mollire poſſunt facultatem habeant. At vbi feruent viſcera, velut in febribus ardentibus, malagmata ex croco, roſaceo, ſucco ſeminis lini, aut ſoridis aut polygoni, adipe ſuillo, & ſpuma argenti conueniũt: perfrigeratis verò, quæ ex opobalſamo, folio, caſſamo, pipere, parantur: thoraci autẽ in ſanguinis reieĉtionibus, adſtringẽtia & ſiccantia, ex alumine, & ſalice, & bitumine cõpoſita conueniũt: in tabe verò, ea quæ ex baccis lauri, marrubio, cardamomo, & calce fiunt.

Malagma ex meliloto, Croci, nardi Celticæ, cyperi, cardamomi, iridis, myrrhæ, ſing. ſextantem, meliloti lib. I. ammoniaci thymiamatis lib. I. ceræ lib. III. terebinthinæ lib. I. cyprini lib. III. gleucini lib. II. bdellii ſexuncem. Quidam etiam cypheos ſextantem, vini quod ſatis eſt.

Malagma Polyarchion, ex libris de compoſitione medicamentorũ ſecundũ locos, Galeni, Ceræ, terebinthinæ, bdellii, ammoniaci thymiamatis, cardamomi, cyperi, ſing. minã. I. meliloti, amomi, nardi Indicæ, croci, myrrhæ, thuris xylocinnamomi, ſing. drach. XXV. olei Cyprini heminã I. vini Italici quantum ſatis eſt. Præpara & vtere quandoque meraco, quãdoque reſoluto cũ cerato cyprino. Polyarchion aliter, Xylobalſami, coſti, iridis, cyperi, myrrhæ, floris iunci odorati, cardamomi, thuris, ſpicæ nardi, maſtiches, ſtyracis, bdellii, amomi, folii, croci, caſiæ, pyrethri, ariſtolochiæ longæ, ſing. vnc. I. ammoniaci thymiamatis vnc. I. S. reſinæ friĉtæ quadrantem, terebinthinæ lib. I. medullæ ceruinæ ſextantem, ceræ lib. II. opobalſami ſexuncem, vini beſſem.

Malagma Philagrianum, Croci vnc. I. S. aloes, ammoniaci thymiamatis, bdellii, ſtyracis ſing. vnc. I. adipis anſeris ſextantẽ, œſypi medicamenti trientem, palmularũ ſextantem, libr. I. nardini ſexuncem, melini ſexuncem, vini quantum ſatis eſt ad arida terenda.

Malagma odoratũ, Croci, aloes, maſtiches, abſinthii, ſtyracis, œnanthes, caſſami, caryophylli, ſing. quadrantẽ, nardini libr. I. ceræ libr. I. melini ſexuncem, palmulas XII. vini quod ſatis eſt.

Malagma Baion, Cardamomi, caſiæ, œnanthes, Celticæ, balauſtiorum, propolis, ſing. ſcru. VIII. herbæ Sabinæ, caſſami, amomi, ſing. ſcrup. VI. floris iunci odorati ſcrup. XVIII. iridis ſcrup. IIII. caryophylli ſcrup. I. S. ſuffimenti liliacei ſextãtem, thuris, myrrhæ, ſing. vnc. I. ladani ſexuncem, bdellii, maſtiches, aloes, nardini, lentiſcini, ſing. vnc. S. reſinæ aceris, reſinæ piceæ, terebinthinæ, ſing. quadrantem, opobalſami vnc. I. ammoniaci thymiamatis ſcrup. VI. ceræ ſextantem. Succulenta & arida contuſa oleo œnanthino terito. in alio exemplari etiam piperis ſcrup. XVIII. habentur: quidam etiam moſchi ſcrup. I. habent.

Malagma Galenium, Croci vnc. S. aloes vnc. I. maſtiches quadrantem, ſeminis abſinthii ſcrup. VIII. œnanthes ſcrup. VIII. palmulas magnas III. ceræ quadrantem, olei melini ſexuncem.

Malagma Brythrion, Styracis quincuncem, malorum Cydoniorum vnc. XX. maſuchæ aut maſuaphii, croci, ſingul. drach. X. micarum panis, cypheos, ſing. drach. V. œnãthes ſextantem & vnc. S. caſſami, abſinthii, ſing. drach. X. caryophylli ſcrup. XV. ammoniaci thymiamatis ſcrup. X. opobalſami ſcrup. VI. S. nardini quincũcem, colophoniæ, gleucini, melini, ſing. dextantem, roſacei drach. X. propolis quincuncem, terebinthinæ dextãtem, mellis cochlear. X. folii drach. X. ſpicæ nardi drach. X. ceræ ſeptuncem & vnc. S. vino Falerno aut Amminæo terito.

Malagma Nili ſplenicum, & ad omnem duritiam, Ceræ lib. I. ammoniaci thymiamatis lib. I. olei cyprini lib. I. croci vnc. S (alii vnc. I. habent) aceti quod ſatis eſt.

Malagma Citrinum, Ceræ, colophoniæ, ſing. lib. I. ammoniaci thymiamatis, auripigmenti, calcis, aluminis, aceti, ſing. cyath. VIII. arida terito cum aceto.

Malagma Tonſoris, Picis ſiccæ libram I. ceræ, reſinæ piceæ, ammoniaci thymiamatis, nitri, baccarũ lauri ſiccarũ, adipis taurini, ſing. lib. II. farinæ fœnigræci ſextar. I. pollinis ſext. I. radicis chamæleonis nigri aridæ lib. I.

Malagma ex ſtercore caprino, Oribaſii, ad ſplenicos, hydropicos, hepar induratũ. Cyprini aut vetuſtiſſimi olei lib. III. ceræ lib. II. S. Pilularum ſtercoris caprini, baccarum lauri decorticatarum, iridis Illyricæ, ſingulorum ſextarios decem, terebinthinæ libram vnam, ſinapis, nitri, cyperi, ſeminis raphani, corticis radicis capparis, ſingulorũ quadrantem, colocynthidis medullæ ſextantem, fœnigræci vnciam vnam: quandoque arida excipiuntur liquatis, quãdoque aceto ſubaĉta. Si verò fluat venter, colocynthis non addatur.

Malagma ex ſtercore caprino, ſpõgiola ad hydropicos, Picis brutiæ libras II. S. nitri libram I. colocynthidis medullæ, pyrethri, opopanacis, grani Cnidii ſingulorũ qua-

drantē,corticis radicis, capparis,thuris,iridis,adipis tau-rini,elaterii,ſquamæ æris,ſeminis apii, lathyridum,ſing. ſexuncē,baccarum lauri, ſextar. S. farinæ fœnigræci vnc. S.fellis taurini ſextantem,olei cyprini ſextar.S.ceræ lib.i. refinæ frictæ lib.iii.caprini ſtercoris montani,ſeminis roriſmarini,cyperi,cardamomi,ſingul.ſexuncem.

Malagma ex baccis lauri, Ceræ reſinæ,picis,baccarum lauri,adipis taurini, ſingul. libr. i. nitri, ammoniaci thymiamatis,ſingulorum ſexuncem,aceti quod ſatis eſt.

Malagma ex ſeminibus, Cardamomi,cyperi,herbæ Sabinæ, nitri, baccarum lauri, caſſiæ, meliloti, fœnigræci, nardi celticæ,ſeminis apii,ſampſuchi,aniſi,radicis panacis, thuris, ammoniaci thymiamatis, terebinthinæ, ſingulorum quadrantem, mellis, ceræ, nardini, ſingul.lib.i. adipis taurini lib.i.

Malagma fœtidum,pleuriticum, Reſinæ piceæ lib.i. ceræ,rutæ viridis,cyprini,ſingul.ſexuncem, ſulphuris viui,opopanacis,ſagapeni,ſingul.drach.iiii. quidam etiam galbani drach.iiii.

Malagma ex ſampſucho, Ceræ lib.i.terebinthinæ lib. ii. ſampſuchi, baccarum lauri,fœnigræci, ſingul.ſextar.i. nardini quod ſatis eſt.

Malagma Apollophanis,ad hepaticos, Ceræ drach. lxxx.terebinthinæ, mannæ, ſingul.drach. xl.Irini fæce conquaſſato, & pilam illinito.

Malagma copton,*id eſt quod contunditur*, ad ſtomachi & hepatis duriciam, Propolis ſexuncem,ſtyracis ſextātem, maſtiches vnc.i.terebinthinæ vnc.S. fæcis nardini quantum ſufficit.

Malagma ex œnanthe, Oenanthes,aloes,croci,acaciæ, aluminis ſciſſi, roſarum ſiccarum, ſucci abſinthii, gallæ, omphacii,rhois Syriaci,mannæ,ſingul. drach.i.olei myrtei,ceræ,ſingulorū lib.i.palmulas magnas v. vini Aminæi quod ſatis eſt.

Malagma Antylium, Aluminis ſciſſi vnc.S.aloes vnc. i.maſtiches ſcrup.i. œnanthes ſcrup. vi. omphacii ſcrup. viii. roſarum ſiccarum ſcrup. viii. rhois Syriaci ſcrup. x. ſpinæ Ægyptiæ ſcrup.x. balauſtiorum ſcrup.xx. gallarum ſcrup.xv.ceræ quincuncem,olei melini quod ſatis eſt.

Malagma ex vinaceis, Croci,ſandicis,œnanthes,ſingul.vnc.i.aluminis ſciſſi trientem,balauſtiorum,omphacii,roſarum floris,baccarum myrti aridarum, ſing.ſextātem, ceræ albæ lib.i. olei melini lib. ii. malorum Cydoniorum trientem, palmulas Nicolaos x. vini Aminæi quod ſatis eſt : vinaceorum aridorum beſſem. In vſu medicamenti quadrantem cum ceræ vnc.i.permiſceto.

Malagma Anethinum, Anethi viridis ſexuncē,meliloti ſextantem, chamæmeli ſextantem, papaueris capita viridia x. Coquito,& decocti lib.iii. & totidem olei miſceto ac coquito:& vbi conſumptum fuerit decoctum,adipis porcini recentis lib.ii adiicito,& ſeorſum ſcillæ aſſatæ internæ partis ſextantem, & medullæ ceruinæ ſextātem terito,ac omnia miſceto.

Malagma Ambroſia,finiens febrem, Spumæ argenti lib.i.adipis porcini recentis ſexuncem, ſucci ſeminis lini ſexuncem,ceræ albæ dodrātem, roſacei lib.i. mellis quadrantem,croci vnciam i.quidam etiam vitellos ouorum crudos x.

DE ACOPIS, ILLITIONIBVS, DROPACIBVS AC SINAPIſMIS, Cap. XIX.

Acopa dicuntur ex eo quòd primariò ad laſſitudinis ſenſum inuenta ſunt,velut eſt tenſiuus, vlceroſus, & is ſenſus qui oſſa laſſare videtur : verumetiam aliis pluribus conueniunt. Quædam enim ex ipſis calfactoria ſunt, quædam mollitoria, quædam lancinantia. Calefactoria igitur ex pipere,pyrethro,roriſmarini ſemine,& ſimilibꝰ parantur, neruorúmque affectionibus conducunt, & perfrigerationibus vehementibus, & quæ difficulter recaleſcunt : mollitoria verò ad duritias & ſcirrhos, & compactos articulos,quorum materiam in capite de emplaſtris indicauimus.At lancinantibus quæ ex adarce,& roriſmarini ſemine,& euphorbio, & grano Cnidio ſimilibúſque componuntur,in diuturnis affectionibus,& quæ ægrè exigi poſſunt, & in quibus ſinapiſmus etiam conuenit vtimur. Cæterùm omnia acopa ſpiſſitudinem inter cerata & emplaſtra mediam habere conuenit.Sed & illitiones acopis conſimiles, liquidiorem quodammodo compagem habent. At dropax duplici modo præparatur,altero velut emplaſtrum, altero velut malagma : quidam etiam calidum ipſum illinunt; verùm materiam acopis & emplaſtris ſimilem recipit. Vſum autem exhibet cataplaſmatis,diuturnis conueniens affectionibus, iiſdem quibus & ſinapiſmus.Sed & antè ſinapiſmum adhibetur, vt corpus ad ſinapim præparet : & poſt ſinapiſmum, vt affectionis reliquias excindat. Sinapiſmus porrò materiam non habet variam, ſed efficaciſſimus eſt in diuturnis maximè affectionibus poſt deuictam aliorum auxiliorum facultatem competens.Commodat autem maximè cephaleæ, alterius capitis partis affectioni, comitiali morbo, vertiginibus,inſaniæ,capiti adhibitus: verùm in anhelatione, rectæ ceruicis ſpiratione,& tuſſi veteri,thoraci. At in diuturna deſtillatione, etiam caput cum thorace ſinapiſmo integendum eſt. Sed & ſtomachum & ventrem, in diuturnis ipſorum affectionibꝰ,ſinapiſmo integimus. Eſt & conueniens auxilium coxendicibus,& podagris,& omni parti reſolutæ, aut aliàs perfrigeratæ, vt ægrè recalfieri poſſit. Modus autem operationis medicamenti ſit, vt æger quidem vehementer doleat,caro verò liuidior ac lætior fiat, & vt poſt balneum leniter puſtulæ erumpant : ſi verò etiam ſenſus perierit,animaduertere oportet,& frequentius retegendo conſiderare. nam non percipientes, immodicè ſe vri ignorāt:quin & in acutis morbis lethargicos,& aliàs in profundiorem ſomnum delatos,& ſoporе detentos, ſinapiſmis integimus, in principio iñ cruribus: vbi verò materia ſtatū acceperit in capite. At in perfrigeratis vt recalfieri non poſſint, crura & cubitos ſinapiſmo integimus.Porrò vitandus eſt ſinapiſmus in iis qui febre continua laborant,& iis qui vlcus habent:itémque in cartilaginoſis & excarnibus partibus. Comburuntur enim & denigrantur aliquando partes excarnes, dum ſinapiſmo integuntur.

Acopon bromium, Ceræ,colophoniæ,reſinæ, ſinguli lib. i. adipis porcini trientem, butyri ſexuncem,althææ, fœnigræci,ſeminis lini, ſingul.libr.ii. olei libr.i.galbani ſextantem, & vnciæ S. Succum cum oleo coquito donec multa ſucci pars fuerit conſumpta, & reliqua cum cera & galbano adiicito.

Acopon varium, Succi althææ,fœnigræci,& ſeminis lini,rutæ,cumini, ſingulorum lib.ii. medullæ ceruinæ libram i.olei veteris libram i.adipis anſerini, opobalſami, nardini, ſingulorum libram i.ceræ, colophoniæ, reſinæ, ſingulorum libram i.S. euphorbii, terebinthinæ, opopanacis, ſingulorum ſexuncem, caſtorii quadrantem. At herbarum ex quibus ſuccus fit, ſingularum libra vna ſumatur,& coquatur velut præcedens.

Acopon Azanitæ, Adipis porcini lib.ii.adipis taurini, reſinæ,colophoniæ,œſypi medicamenti,ceræ,ſingulorū lib.i.galbani quadrantem.

Acopon Baſilii, Althææ,chamæmeli,meliloti,ſeminis lini, ſingulorum vnc. i. S. amomi quadrantem, Hæc macerantur in vini Aſcalonii aut Cilicii ſextar. viii.ad triduum,& ad mellis ſpiſſitudinē coquuntur: deinde ſucci lib.v.cum olei veteris lib.iiii. S.coquuntur,donec modicum ſucci ſuperfuerit,& adiicitur butyri ſexcunx, terebinthinæ triens, adipis anſerini vnc.xv. medullæ ceruinæ cum modico oleo tritæ quincunx,ceræ albæ lib.iii.

Acopon Lyſiponion, Piperis,ſtyracis,caſtorii, maſtiches, aloes, helenii,iridis, ſingulorum trientem,euphorbii,coſti, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, ſampſuchi, thuris,cyperi,caſſiæ fiſtulæ,ſeminis roriſmarini, ſingulorum quadrantem, adarces, amomi, bdellii, xylobalſami, ſingulorum ſextantem,malabathri,ſpicæ nardi,pyrethri, croci,ſingulorum vnc.i.opobalſami lib.i. nardini, cyprini,gleucini,ſingul.lib.ii.ceræ lib.i.

Acopon fœtidum, Ex opere Galeni de compoſitione medicamentorum ſecūdum genera, Ceræ,terebinthinæ, ſingul. drach. xxiiii. galbani, ammoniaci thymiamatis, ſingulorū drach.vi.olei hemi.ii.medullæ ceruinæ drach. viii:vtere merаco & reſoluto. Aliud fœtidum,terebin-

thinæ drach.L VI.ceræ drach.XXVIII. œſypi, mellis,ſingul. drach. VI. medullæ ceruinæ drach. VI. ammoniaci thymiamatis,galbani,aphronitri,baccarum lauri,ſingulorũ drach.VI.olei veteris ſextar. I. Vini cyath.II. Quidam etiã caſtorii drach.III.

Acopon Barbaricum ex euphorbio, ad coxendicum morbum, & multa alia: Opopanacis vnc.I. ceræ Tyrrhenicæ lib.I. terebinthinæ lib. II. S. galbani vnc. I. ammoniaci thymiamatis ſextãtem, euphorbii, caſtorii,piperis albi,ſingul.ſextantem,medullæ ceruinæ trientem, œſypi trientem,limnitidis(eſt autem adarce)vnc.S.olei ſtyracini,laurini,irini,amaracini, ſingul. ſexuncem, olei veteris lib.II.hedychroi ſexuncem.

Acopon pyxis appellatum, Colophoniæ lib.I.S.terebinthinæ beſſem,ammoniaci Thymiamatis quadrãtem, thuris dodrãtem,olei veteris lib.II. ſucci ſeminis lini lib. I.lactis bubuli lib.I.adipis anſerini ſexuncem,butyri beſſem,albumina ouorum,XXIIII. præparata reponito in vaſe buxeo.

Acopon ex abiete, Galeni, Seminis abietis maturi modium Italicum I. hoc eſt ſextar. XVI. olei lib. XV. ceræ lib.IIII.reſinæ ſtrobilinæ aut terebinthinæ trientem, Semen abietis contuſum in oleum iniice, & vbi permiſeris in ipſo XL.diebus,expreſſum reiice, & reliquis ammixtis vtere,& ad ſpontaneas laſſitudines, & reſolutiones, & articulorũ perfrigerationes. Si verò vſus neceſſitas vrgeat, ſemen abietis cum oleo coquere oportet, admixtis vt ne comburatur,etiam aquæ ſextar.IIII.In podagricis & articularibus affectionibus. Aliter idem. Olei hemi.XXV. hoc eſt ſextar.XII.S.ſeminis abietis modium I.hoc eſt ſextarios XVI. reſinæ abiegnæ quadrantem, reſinæ ſtrobilinæ aut terebinthinæ quadrantem,ceræ libr.I.

Acopon ex populo nigra, ad eaſdem affectiones. Pro abietis ſemine, parem menſuram ſeminis populi nigræ coniicito,& reliqua ſimiliter vt illud præparato.

Illitio zoſimi, ad tremores celebris, Reſinæ piceæ ſexuncem, ceræ trientẽ, olei veteris lib.I. opopanacis ſextantem, adarces vnc.I. euphorbii vnc. I. nitri trientem, aphronitri teneri triẽtem. Nitrum,euphorbium, adarcen cum vino terito, deinde opopanacem adiicito, ac ſimul læuigato. Seorſum verò liquabilia cum anchuſa liquato, quo inde colorem ſumant,& perfrigerata excipito.

Dropax Gallus, Oribaſii, Colophoniæ thus redolentis, reſinæ piceæ & lignoſæ appellatæ quæ in ſola Italia prouenit,picis naualis, picis ſiccæ, ſing.lib.IIII. ceræ lib. IIII.reſinæ frictæ vnc.XV.picis brutiæ lib.II.nitri lib.I.bituminis,galbani,adarces,pyrethri,ſingul.ſexuncem,opopanacis,euphorbii, veratri albi, piperis, ſingul.trientem, ſulphuris viui quadrantem, caſtorii, ammoniaci, ſtaphidis ſylueſtris,ſingul.ſextantem,olei Sicyonii lib.I.opobalſami ſexuncem. Aliter Simplex, Ceræ lib.I.picis ſiccæ lib.I.S. picis brutiæ lib.I. reſinæ piceæ lib. I. S. reſinæ frictæ lib.I.& trientem:loco ex nitro præparato imponito.

Sinapiſmi præparatio, Caricas pridie in aqua tepida macerare oportet, & poſtera die probè expreſſas fortiter terere: deinde acre ſinapi (quale eſt Syriacũ & Ægyptiũ) per ſe terere, cremore ficuum affuſo, & permixta in maſſas cogere:ita vt ſi vehementem ſinapiſmum facere velimus, duas partes ſinapis ad vnam caricarum miſceamus: ſi debilem, vice verſa:ſi verò moderatum,æquales partes. At ſi antea quàm teratur ſinapi aceto maceretur(velut quidam faciunt)debilius euadit. Cæterùm poſt ablatum ſinapi, & poſt balnei vſum, ſi dolor vehemens aut rubor ſuccedat,& bullæ ac puſtulæ erumpant,maluæ aut fœnigræci ſuccum cum roſaceo, linteolo in his imbuto, imponemus:deinde cerato roſaceo cum ceruſſa vtemur. At in reſolutis,in quibus ſenſus oblæſus eſt, frequentius animaduertere oportet, detegeréque ac inſpicere. nam non percipientes ſæpe immodicè combuſti ſunt. Sed & caprini ſtercoris pilulæ cum aceto impoſitæ, efficaciores ſunt quàm ſinapi, & maximè in coxendicum morbo laborantibus.

Illitio ex atramento ſcriptorio, rubificans propriè, & maximè eos quibus dimidia capitis pars dolet, ex Alexandro.

Euphorbii,atramenti ſcriptorii, ſing. drach.IIII. myrrhæ Troglodyticæ,crocomagmatis, piperis albi, ſingul. quadrantem,croci drach.II. Aceti quantũ ſatis eſt vt hæc probè terãtur,& craſſitudo ſimilis ſtrigmento fiat: & tũc illinito,initio ſumpto ab intermedia ſuperciliorum parte vſque ad totum tẽpus, maximè ſi locus pilis nudus ſit. Et vbi ſiccata fuerint, rurſus illinito, & quum bene opus ſuum peregerit auxilium hoc, in balneum hominem deducito.

OLEORVM ET VNGVENTORVM PRAEparationes variæ, Cap. XX.

EX vnguentis & oleis vnguentoſis quædã ſunt ſimplicia, in quibus vna ſpecies oleo iniicitur: quædã præparantur, & ex pluribus compoſita ſunt. Et ex ſimplicibus, quædam ex floribus in oleum poſitis fiunt, velut eſt roſaceum,chamæmelinum, ſuſinum: quædam ex fructibus & ſeminibus:quædam etiam ex germinibus quibuſdam, velut rutæ, quæ etiam cum oleo coquuntur, quum nullus flos cocturã admittat: quapropter magis inſolãtur. Verùm ſiquidem fortem & durantem odoris iucunditatem habeant,ſi pluribus diebus inſolentur, magis tenuiũ partium & magis vtilia fiunt, velut roſaceum & chamæmelinum.Qui verò flores debiliores ſunt,& facilè diſcutiuntur, hi minus ferunt inſolationem, vt qui promptè tranſpirẽt,velut lilium & viola. Ex iis autem quæ ex fructibus & ſeminibus fiũt, quædam ipſis totis in oleum cõiectis fiunt,velut melinum:quædam cõtuſis aut mollitis, & oleoſo quod in ipſis eſt ſeparato, aut expreſſis ipſis in cochleis,aut per aquam calidam, ſic vt ſeparatio fiat: velut quod ex nucibus fit,ſeſaminum,amygdalinum, lentiſcinum,laurinum,ricininum, raphaninũ, & huiuſmodi. Quæ verò ex plãtis aromaticis fiunt,potiſſimùm ita præparantur vt illæ in oleo coquantur cum vino, aut muſto, aut aqua,& excolentur:ad oleum verò ammiſceãtur ſucci quidam,quandoque etiam adipes,aut medullæ. Ex talibus autem quæ exactè oleoſam compagem habent,ſimpliciter vnguenta aut vnguina dicuntur, velut gleucinũ, nardinum, ſicyonium, cyprinum. Quæ verò acoporum compagem habent, ceram aut reſinam, aut tale quid aſſumentia,Myracopa appellantur,quemadmodum eſt decamyron,& Amaracinum,& his ſimilia. Et quædam ſanè vna vice coquuntur, quæ materiam non ita variam habent, quemadmodum metopium, maſtichinum, ſicyonium: quædam per duas,aut tres, aut quatuor iniectiones,ita vt primùm contumaciora coquantur,velut eſt aſpalathus,ſpathe,arbor thuris,laurus: deinde aromata,folium,ſpica nardi,amomũ,herba Sabina: poſtremum ſucci,adipes & medullæ:& ſi ita contingat, cera & reſina inciantur.At opobalſami ſuccus omnino non coquitur, ſed poſt perfectã cocturam, refrigerato mediocriter vnguẽto immittitur.Sed & ex ipſis vnguentis quædam omnino non admittunt cocturam,ſed ſolùm permiſcentur,velut Mendeſium. Quidam porro viride vnguentum facere volentes,tingunt ipſum poſtquam ab igne ablatũ eſt, in V.olei ſextariis, æruginis raſæ tritæ probè vnc.I.S. immittentes,velut in cyprino & amaracino. Cæterùm ſimplicia vnguenta vim habent ſpecierum quæ in ipſa iniiciuntur,aut ex quibus contuſis facta ſunt, quum oleũ velut materiæ rationem in ipſis obtineat. At eorũ quæ varia ſunt,tota natura ad caliditatẽ vergit. Verùm quædã vehementer calida & mollitoria ſunt, vt etiam articulis diſtortis ac compactis conueniant, velut eſt Metopium, Mendeſium,Marciaton. Moderatius autem eſt pentamyron,quemadmodum rurſus decamyron fortius,vt etiam ſuperficiem radat: quædam verò moderatè quidem calida ſunt,ſed tenuium partium, ideóque & mitigant & cõcoquunt,velut eſt ſuſinum, amaracinum, irinum, crocinum,foliatum:quædam ad hoc calefaciunt, ſatis abundè ſiccant,& ſecandi vim habent, velut cyprinum & Sicyonium:quædam verò calida quidem ſatis ſunt,verùm magis corroborant, vnde ſtomacho maximè, & viſceribus exolutis conueniunt. Talia ſunt,maſtichinum,nardinum, gleucinum. Magis tamen corroborat quod fit ex vuæ acerbæ ſucco,omphacio appellato. At quibuſdã vnguentis propter odoris iucunditatem ſolùm, mulieres vtun-

tur, vt eſt foliatum, ſpicatum, commagenum,& ex moſco facta,moſcolea dicta.

Roſaceum. Roſarum rubrarum exunguium & per diẽ ac noctem ſiccatarum quadrantem,olei omphacini ſextarium,Italicum vnum: vaſe diligenter cõſtricto vt ne trãſpirent, inſolato ſub dio ad dies quadraginta. & tunc reponito nõ in pauimento,ſed in tabula. Quidam pro inſolatione, vas in puteum demittunt ad dies quadraginta, eo quòd ex frigiditate conſeruetur odoris iucunditas:alii ipſum vas in terra defodiunt.

Chamæmelinum. Floris chamæmeli citra alba folia, per diem ac noctem ſiccati ſextantem,olei ſextarium,Italicum vnum. Vas linteo ſimplici contegito vt tranſpiret, & hoc quoque ad dies quadraginta inſolato,poſt quas ſecurè opertum reponito.

Anethinum. Comæ anethi viridis ſiccatæ vnciam vnam,olei dulcis ſextarium,Italicum vnum:ſimiliter inſolato. Fieri etiam poterit pro temporis occaſione Anethinum,ſi inſolatum non adſit. Sicci enim anethi comã cũ oleo in duplici vaſe coquimus, & vtimur: fit etiam Chamæmelinũ ſimiliter. Verùm debiliora hæc ſunt illis quæ ex viridibus fiunt,& inſolantur.

Liliaceũ,quod alii Suſinum, (fortaſſis ideo quòd in Suſis repertum ſit)foliorum liliorum alborum ſimiliter ſiccatorum ſextans,in ſextariũ olei Italicũ vnũ mittitur, & exactè cõſtringitur vt ne tranſpiret, & per triduum inſolatur. Poſt quod tempus primis excolatis ac abiectis,alius ſextans iniicitur ad aliud vſque triduum, atque ſic reponitur.

Suſinum compoſitum, Olei ſextarios tres, calami aromatici quincuncem, myrrhæ quincuncem, cardamomi quadrantem,foliorum lilii exunguium & ſiccatorum lib. vnam,cinnamomi quadrãtem, croci Cilicii quincuncẽ: tota præparatio in tres iniectiones diuidatur. Et primùm quidem myrrham & calamum vino ad dies quinque maceramus,ac ter in die mouemus, & tunc cum oleo ad breuiſſimum tempus coquimus: deinde cardamomũ ad triduum aqua maceramus,ſimilitérque mouemus, & rurſus coquimus cum oleo ad vnam horam: poſtea colantes,ad oleum purum tertiam liliorum partem iniicimus: & poſt triduum excolantes,alteram tertiam liliorum partem iniicimus:& rurſus poſt triduum excolantes, & priora abiicientes, poſtremam tertiam liliorum partem cum croco trito immittimus. Poſt aliud autem triduum, excolato oleo cinnamomum contuſum iniicimus,aut pro ipſo, Arnabo, aut caſiæ duplum,aut carpeſium, atque ſic reponimus.

Violaceum. Violaceum præparant alii purpurearum, alii crocinarum, alii albarum violarum foliorum exunguium quadrantem iniicientes in olei omphacini ſextarium Italicum vnum: & adſtricto vaſe exactè vt ne tranſpirent,inſolant ad dies decem,ter ipſas violas poſt triduũ ſemper,velut lilia permutantes. Sed & ad repoſitionem paucas violas exactè ſiccas iniiciunt.

Melinum. Hoc paratur ex malis cydoniis, forinſecus panniculo deterſis, & vnà cum corticibus in fruſta conciſis,deinde libris III. ex ipſis,in ſextar.x. Italicos olei omphacini iniecto,& inſolato ad dies quadraginta.

Seſaminum oleum fit, contuſis aut mollitis ſeſamis, aut per ficellas in cochlea expreſſis, aut in aqua calida oleo ipſo ſeparato,& in vitreis vaſis repoſito.

Raphaninum. Et hoc eodem modo in Ægypto,fit, ex ſemine raphanorum tenues radices habentium tuſo,& oleo ſeparato.

Ricininum. Et hoc eodem modo in Ægypto fit ex ſemine ricini quod croton vocatur, ſimiliter tuſo, aut mollito.

Ægirinum ex populo nigra. Circa veris tempus hoc fit,quum multa circa ſemen eſt reſina. Nam grana populi nigræ contundunt, & horum trientem in ſextarium I. olei dulcis iniiciunt,& ad dies quadraginta inſolant, aut in duplici vaſe ad horas III. coquunt,& ſic excolatum reponunt.

Amygdalinum. Fit & hoc, velut prædictum,tuſis amygdalis amaris puris,& modica aqua inſtillata,& oleo ſo ſeparato,velut dictũ eſt. Quidã tuſorum amygdalorum ſextantem,in olei dulcis ſextar. Italicum I. immittunt, & in duplici vaſe coquunt.

Amygdalinum,quod & Metopium. Ægyptii qui hoc oleum inuenerunt, Metopium ipſum appellauerunt, eo quòd galbannũ recipit. Planta autem ex qua fit galbanũ, Metopiũ vocatur. Recipit hæc, Olei omphacini ſextar. xx. amygdalorum amarorum lib. II. cardamoni lib. I. floris iunci odorati,calami aromatici, carpobalſami,ſingul. lib. I. myrrhæ,galbani,ſingul. ſexuncẽ,terebinthinæ lib. II. Vini odorati ad maceranda in ipſo arida ſextar. IIII. Mellis Attici lib. III. Reſinam & galbanum cum parte olei trita ac diſſoluta, reliquis coctis iniicimus, & tunc mel addimus. Quũ verò omnia exactè permixta fuerint,dum leuiter calidum adhuc eſt medicamentum, ab igne tollimus & excolamus. Frigeſcens enim craſſum fit.

Balaninum. Sed & Balaninum ſimiliter vt ſimplex amygdalinum fit, non ab his quæ in quercubus naſcuntur glandibus, ſed ex his quæ vnguẽtariæ glandes & myrobalani appellantur.

Quod ex nucibus fit oleum,itidem velut relatum, ex veteribus nucibus fit.

Laurinum. Purum quidem laurinum ſimili modo vt relata, ex lauri fructu fit: verùm quod mixtum eſt, hoc modo paratur: Ad oliuarũ maturarũ ſextar. v. baccarum lauri ſextar. I. iniicitur, terũtúrque omnia ac exprimuntur. Quidam æqualem ex ambobus menſuram ſumunt ac miſcent.

Lentiſcinum. Et hoc ſimiliter vt laurinum paratur ex lentiſci fructu, duplici modo, & per ſe, & cum oliuis non maturis,ſed acerbis.

Maſtichinum. Simpliciſſimum quidem fit, maſtiches Chiæ vnc. I. in olei omphacini ſextar I. iniecta,& in duplici vaſe cocta. Quidã etiam abſinthii & ſtyracis ſingul. vnc I. iniiciunt.

Maſtichinum variegatius, Olei ſextar. I. helenii lib. v. xylobalſami lib. x. floris iunci odorati lib. v. cardamomi lib. VII. maſtiches lib. v. xylomaſtiches lib. VIII. terebinthinæ lib. III. comæ abſinthii lib. I. Vini odorati ſextar. v. aquæ ſextar. x. Arida vino triduo antea macerata,ad oleũ & aquã miſcentur,& coquũtur horis VI. & tunc maſtiche & terebinthina iniicitur, & exactè permixta excolantur, & refrigerata vaſis excipiuntur.

Sicyonium ſimplex, Hoc fit radicis cucumeris ſylueſtris ſextante in olei ſextar. Italicum I. coniecto, & in duplici vaſe coctura facta.

Sicyonium compoſitum, Olei ſextar. x. radicis cucumeris ſylueſtis deraſæ lib. I. ſerpylli, meliloti,ſingul. ſexuncem,tedarum pinearum pinguium,althææ, ſingul. quincuncem,ſcolopendrii ſexuncem,fœnigræci ſextar. II. fœnumgræcum die vna in aqua præmaceratur, deinde excolatur,& prædicta iniicitur vnà cum oleo, & vini ſextar. II. & ad omnia cocta, medullæ ceruinæ cũ modico oleo tritæ triẽs immittitur,& adipis gallinacei triẽs. Et excolatum oleum vaſis excipitur. Quidam poſt cocturam inſolant ipſum ad dies quadraginta.

Sicyonium aliud efficacius, Succi elaterii ſextar. III. ariſtolochiæ rotũdæ & longæ,ſtyracis,helenii,hyſſopi, iridis,colocynthidis,pulegii,origani,Cyperi,dendrolibani,centaurii,foliorum lauri,ſingul. ſextantem,olei ſextar. v. Mixta coquito, donec parum ſucci ſuperſit.

Cyprinum ex Poſidonio. Olei ſextar. xxv. Cyperi, helenii,iridis,ſing. lib. I. ſampſuchi,hyſſopi, ſeminis viticis, ſaluiæ, ſing. quadrantem, floris Cypri ſiue liguſtri lib. I. Reliqua omnia in vino die vna macerata coquuntur cũ oleo ad horas VI. Ad excolatum autem oleum liguſtrum iniicitur,ſi quidem adſit, viride cum teneris ramulis nõ contuſis, ſin minus ſiccis cum modica aqua contuſis, & coquitur ad ſeſquihorã. Si verò velis ipſum tingere, vbi ab igne adẽptũ eſt,æruginis puræ vnc. I. ſemis iniice. At Poſidonius acrimoniam æruginis fugiens poſt cocturam inquit,Demittito oleum in cacabo non oblito ſtanno per triduum, & tingetur facultate ipſius non læſa.

Cyprini alia deſcriptio, Foliorum liguſtri, foliorum lauri iridis,cyperi,ſaluiæ, ſingul. quadrantem,dendroli

bani, ariſtolochiæ lóngæ,ſeminis viticis,ſingul.trientem A
helenii, aſpalathi, ſingul. ſexũcem, rutæ ſextantem, cu-
preſſi ſextantem, olei ſextar.x.Hæc in vino præmacerata
cum oleo coquito, & excolato oleo rurſus xylobalſami,
xylocaſiæ, ſingulorum trientem inii cito,ſampſuchi, cu-
mini,myrti,ſtyracis,maſtiches,ſingulorum quadrantem,
opopanacis ſextantẽ,floris liguſtri ſexuncẽ, æruginis vn-
ciam vnam.

Amaracinum. Helenii lib.x.xylobalſami lib.xx.cype
ri libras octo,floris iũci odorati,aſpalathi,herbæ Sabinæ,
ſingulorum libras octo,opopanacis, ſeminis amaraci, ſin B
gulorum libras duas:olei primarii ſextarios LXXX.vini o-
dorati ſextarios quinque.Reliqua omnia vino præmace-
rata primam habeant iniectionem,ſecundam herba Sabi
na & illa quidem horis ſex coquantur,hæc tribus: quidã
etiam hoc tingentes æruginis quadrantem iniiciunt.

Irinum. Iridis,aſpalathi, cyperi, ſingulorum libras v.
opopanacis quadrantem, anchuſæ ſextantem, olei ſexta-
rios triginta,aquæ ſextarios xv. quidam etiam floris iũ
ci odorati ſexuncem adiiciunt, & caſiæ quadrantem,xy-
lobalſami ſexuncem,Celticæ ſexuncem. Omnia contuſa, C
aqua & oleo præmacerentur ad dies quinque,& in dupli-
ci vaſe coquantur ad horas ſex,& reponãtur.

Crocinum,in quo etiam alterum crocomagma: Olei
omphacini odorati libram vnam,calami aromatici quin
cuncem,myrrhæ troglodyticæ quincũcẽ,cardamomi ſe-
ptuncem, croci cilicii ſexũcem.Primæ iniectionis ſit ca-
lamus & myrrha,quæ trita vino macerantur per triduum,
& ter in die palmacea ſpathula agitãtur: deinde cum oleo
coquantur:ſecundæ cardamomum pridie aqua macera-
tum,tertiæ crocus vino maceratus. quidam cum croco e- D
iam alium myrrhæ quincuncem adiiciũt, & excolatum
oleum purum reponunt. Specierum autem fæcem ſubſi-
dentem totam in paſtillos efformant ac ſiccant, habént-
que medicamentum illud quod Crocomagma vocant.

Mendeſiũ.Inde dictum eſt quòd in Ægypto inuentum
ſit,vbi & Mendes colitur.Recipit olei balanini libras de-
cem,(in alio ſunt ſextar.x)myrrhæ,caſiæ fiſtulæ,ſingulo-
rum quadrantem,terebinthinæ libras decem(in alio ſunt
ſextar.x)cinnamomi quadrãtem. Hoc non coquitur, ſed
arida iniecta per dies ſexaginta mouentur: deinde liqua E
ta in olei parte terebinthina immittitur, & poſtea rurſus
per alios ſexaginta dies mouetur, atque ſic reponitur.

Marciatũ. Maſtiches, ceræ, ſtyracis, ſingulorum qua-
drantem,œſipi medicamenti vnc.S. opobalſami vnciam
vnam ſemis,nardini,gleucini,olei omphacini, ſingulorũ
quadrantem,medullæ ceruinæ vnciam vnam ſemis, tere-
binthinæ vnciam vnam.

Vnguẽtum ex vua acerba,Iniectio I. Aſpalathi,ſpathæ
palmularum,meliloti,iridis,floris iunci odorati,xylobal-
ſami,roſarum ſiccarum,calami aromatici,ſingulorũ qua- F
drantem,olei omphacini libras decem,ſucci vuæ acerbæ
ſextarios decem.

Iniectio II. Folii,amomi,ſpicæ nardi, coſti, caryophyl
li,caſiæ,caſſami,ſingulorũ quadrantem:in alio etiã arna-
bo quadrantem:vini quod ſatis eſt.

Iniectio III. Thuris,ammoniaci thymiamatis,ſtyracis,
bdellii,myrrhæ,maſtiches,ſingulorum quadrantem,vini
quod ſatis,ceræ albæ quincuncem, opobalſami ſexuncẽ:
quidam beſſem. Primæ iniectionis medicamenta in ſuc
co vuæ acerbæ & oleo,die vna præmacerantur: ſecundæ G
verò iniectionis in alia pelui,in vino Aminæo,aut alio ve
teri & odorato.Moueto quotidie ſpatha palmacea ter, in
dies tres:poſt quos in cacabo ſtanno oblito coquito. Pri-
mùm primæ iniectionis medicamenta donec parum de
vuæ acerbæ ſucco ſuperſit:deinde ſtatim quæ ſecũdæ in-
iectionis ſunt cum vino immittito. Melius autem eſt fa-
cta prius colatura,ſic ipſa ad purum oleũ iniicere, & poſt-
quam cocta fuerint,donec pauciſſimum vini reſtet,vt ne
comburatur oleum, ablatum ab igne excolato: & rurſus
ad oleum purum,tertiæ iniectionis medicamenta ſuccu- H
lenta prius cum vino,quale dixi,in mortario trita iniici-
to,ſtyrace excepto.Hic enim cum aliis iniectus facilè ſol-
uitur:& ad prunas coquito donec bene habere viſa fue-
rint,& ablata ab igne refrigerari ſinito. Poſtridie ad oleũ

A diligenter excolatum, & ſufficienter calefactum ſuper i-
gnem,ceram iniice,& ablata ſpathula commoue, & vbi
refrigerata fuerint,opobalſamũ adiice, & in vaſis vitreis
repone.

Gleucinum. Iniectio I. Olei ſextar.x.muſti Aminæi
ſextar.VI.aſpalathi triẽtem,ſpathæ palmaceæ ſexuncem,
floris iunci odorati ſexuncem, meliloti trientẽ,roſarum
vnc. I. myrrhæ quadrantem, foliorum lauri ſextantem,
dendrolibani ſexuncem, xylobalſami ſexuncem,helenii
ſexuncem,ariſtolochiæ longæ quadrantẽ, iridis quadran
B tem.Hæc in muſto macerato.

Iniectio. II. Celticæ trientem, caſſami ſextantem,
cyperi caſſiæ, ſpicæ nardi, aſari, amomi, coſti, ſampſu-
chi, ſingul. quadrantem, calami aromatici, caryophyl-
lorum,folii,ſingul. vnc.I.cardamomi triẽtem, vino ode-
rato macerato.

Iniectio. III. Maſtiches trientem: myrrhæ troglody-
ticæ,bdellii,ſingul.ſextantẽ, ladani quadrantem, ſtyracis
liquidi,thuris maſculi,ſing.trientem,opobalſami ſexun-
cem. Quidam etiam croci ſextantem.Præparato velut id
C quod ex vua acerba fit, excepta cera. Verùm hìc per VII.
dies,duarum iniectionum ſpecies macerare oportet.

Nardinum Cyzicenum. Iniectio I. Olei primarii
ſextar.x.aſpalathi,cyperi,helenii,iridis,xylobalſami,ari-
ſtolochiæ,cardamomi,floris iunci odorati,ſingul.ſexun-
cem,ſampſuchi trientem, herbæ Sabinæ ſextãtem,Qui-
dam etiam calami aromatici ſextantem. Hæc in vini o-
dorati ſextar.IIII. macerato.

Iniectio II. Caſſiæ, Caſſami arnabo, ſing. ſextantem,
ſpicæ nardi quadrãtem,caryophylli vnc. I.coſti,amomi,
D ſing. ſextantem. quidam etiam celticæ ſextãtem. Et hæc
in vino macerãtur. Iniectio III. Myrrhæ Troglodyticæ,
aloes,thuris,ſingul. ſextantem,ſtyracis quadrantem, ma-
ſtiches trientem, opobalſami ſexuncem.Quidam etiam
croci vino triti vnciam I. Præparato & hoc velut di-
ctum eſt.

Decamyron. Spicæ nardi, folii, euphorbii, piperis
coſti,adarces,ſing. vnc.I.maſtiches vnc. I. S. opobalſami
ſexuncem,nardini lib.I.ceræ ſexuncem.

Pentamyron.Styracis vnc.I.maſtiches ſextantem, ce-
E ræ albæ quadrantem,opobalſami trientem,nardini quin-
cuncem.

Foliatum. Folii quadrantem, amomi vnc. I. caſiæ
ſexuncem, ladani vnc. I. piperis albi grana quadraginta,
myrrhæ troglodyticæ drach.I. Contuſa & cribrata rurſus
in pila læuigato,olei nardini lib.I. adiecta. Quo verò ni-
grius pharmacum reddatur,nucum iuglandium cortices
vſtos ac tritos in mortario, adiicito, deinde opobalſami
cochlearia tria admiſceto,ac vtitor.

DE OENANTHARIIS, Cap. XIX.

F NOn quòd œnanthen recipiant hæc œnantharia ap-
pellata ſunt:(quædam enim œnanthẽ omnino non
recipiunt) ſed propter vinum, & florem liliorum,hãc ap-
pellationem adepta ſunt. Vſus œnanthariorũ apud quoſ-
dam iucundi odoris tantùm, & deliciarum gratia aſſu-
mitur, qui ipſis vtentes poſt balnea eis profunduntur, &
ſpongiis his imbutis menſas detergũt.Verùm apud rectè
vtentes etiam auxilia fiunt in his qui exoluuntur, & ſyn-
copem incidũt, ſi ad cataplaſmata ſtomachum corrobo-
rantia admiſceantur,& in his qui ex morbo febrili maxi-
G mè ſe recolligunt, qui poſt egreſſus è balneis profundun-
tur ipſis, & naribus adhuc valde inſpirantibus ipſa admo
uent.Trahuntur enim in profundum,& animalem ac vi-
talem ſpiritum corroborant. Commoda ſunt etiam his
qui ſe præſeruant, ne in peſtilentes morbos incidant,
quum æris mutatio huiuſmodi apparet.Eſt autem Poſido
nii tale quod Meſopotamenum vocat.

Oenantharii Meſopotameni præparatio. Caſiæ,
myrrhæ,thuris,folii amomi,maſtiches,coſti,carpobalſa-
ſami, opobalſami, ſingul. quadrantem, ſtyracis pinguis
H trientem, vini odorati Aminæi Italici ſextar. x. Omnia
contuſa & cribrata, ſtyracem verò in tenues partes diui-
ſum, in vas amplioris componito, cum lilii foliis pridie
ſiccatis & exunguibus,alternatim locatis.Sint autem lilia
numero CCC. Deinde adiice vinum & opobalſamũ ante

iniectionem mixta ac commota, & obturato oſculo vaſis inſolato ad dies quadraginta. Et vtere à balneis, poſt refocillationem ex morbis, & reſpergito ex ipſo domum & & vaſa: tingito item in ipſo ſpongias, & ad faciem apponito.

Aliud, ſicut nos parare ſolemus, Coſti quadrantem, ſpicæ nardi, arnabo, caryophylli, ſing. vnc. I. amomi quadrantem, caſiæ œnanthes, calami, ſingulorũ dodrantem, ſtyracis, opobalſami. ſingul. trientem, lilia ccc. Vini Falerni ſextar. X. præparato ſimili modo.

DE SVFFIMENTIS ET CYPHIS, Cap. XXII.

CYpheos materia media eſt inter paſtillos qui bibũtur, & antidota. Vtimur ipſis quandoque ad ſuffitus, iucundi odoris gratia, quemadmodum etiam thymiamatis ac ſuffimẽtis. Quandoque verò olfacimus ipſa ad concoquendas deſtillationes, & grauedines remouendas, & ad cerebrum perpurgandum, & ad præſeruationem à peſtilentibus affectionibus. Sed & per os ſumuntur, tum ob eadem, tum vt quæ circa thoracem hærent concoquãt, & ad frigidiores in hepate affectiones. Vnde etiam Cyphiformes antidotos dictas veteres inuenerunt. Miſcentur etiam in compoſita medicamenta, maximè epithemata & antidotos. Thymiama, *id eſt ſuffimentum roſarum*. Coſti, amomi, myrrhæ, caſiæ, ſingul. vnc. I. ſtyracis, maſtiches, chiæ, bdellii, onychum, muſci, ladani, ſing. drach. II. roſarum purarum vnc. XXIX. opobalſami, vini quod ſatis eſt.

Suffimentum Liliaceum. Liliorum exunguium lib. I. ſtyracis primarii dodrantem, ſpicæ nardi quadrantem, coſti, caryophylli, amomi, maſtiches, onichum vſtorum, mellis, ſing. vnc. I. S. opobalſami quincuncem, vini quod ſatis eſt. Terito ac efformato in paſtillos.

Cyphi magnum quod Solare vocant, ex rebus XXXVI. Styracis, myrrhæ, bdellii, ladani, aſpalathi, helenii, ſing. ſexuncẽ, nardi Celticæ, folii cupreſſi ſeminis, ammoniaci thymiamatis, nucis pineæ, ſplãchni, aut pro ipſo onychũ magnorum II. carpobalſami, ſingul. quadrantem, caſiæ, iridis, ſeſelis ſphagni, Cyperi, cardamomi, calami aromatici, ſingul. quincũncem, roſarum ſiccarum, croci, ſpicæ, nardi, herbæ Sabinæ, radicis aſphodeli, (alii ſuccum habent) ſingul. trientem, lacaphthi (eſt autem pini, aut alterius cuiuſdam arboris cortex) dodrãtem, coſti, floris iunci odorati, ſingul. ſextãtem, baccas iuniperi magnas quadraginta, & paruas L. amomi, terebinthinæ, palmularum purarum, ſing. lib. I. caricarum exemptis granis, vuarum paſſarum exemptis vinaceis, ſing. lib. II. mellis deſpumati lib. V. Poſidonius etiam vini odorati ſextar. III.

Aliud. Cyphi Lunare appellatum, ex rebus XXVIII. Bdellii, helenii, ſingul. ſeptuncem, iunci rotundi ſextantem, ſphagni quincũcem, baccas iuniperi paruas L. cardamomi quincuncem, aſpalathi ſeptuncem, caſiæ fiſtulæ quincuncem, ſpicæ nardi ſextãtem, cyperi quincuncem, aſphodeli radicis, Sabinæ, ſing. trientẽ, ſeminis cupreſſi, nardi Celticæ, malabathri cum foliis, roſarum ſiccarum, ſingul. quadrantem, coſti, croci, ſingul. ſextantem, ladani, myrrhæ ſingul. ſeptũcem, caricarum pinguium, vuarum paſſarum exemptis vinaceis, ſing. lib. II. nucum pinearum beſſem, terebinthinæ lib. I. ſtyracis ſeptuncẽ, palmularum pinguium lib. I. mellis lib. S. vini odorati quod ſatis eſt.

PRAEPARATIO MASVCHAE QVAM aliqui Maſuaphium vocant, Cap. XXIII.

MElilоti dextantem, xylobalſami, aſpalathi, herbæ Sabinæ, myrrhæ, amomi, floris iũci odorati, foliorũ lauri, ſtactes, ſtyracis, calami aromatici, ſampſuchi, ſingulorum ſextãtem, iridis quincuncẽ, folii, croci, ſingul. vnc. I. opobalſami vnc. S. gummi lib. I. roſarum ſiccarum ſexuncem, vini quod ſatis eſt.

DE PESSIS, EX ANTYLO, Cap. XXIIII.

PEſſi ſiue Tali, vtero adhibentur. Differentiæ ipſorum ſecundum genus tres ſunt. quidam enim molliunt, quidam adſtringunt. quidam oſcula venarum aperiunt. Mollientibus igitur, in vteri inflammationibus, vlcerationibus, perfrigerationibus, recurſibus ſurſum verſus, auerſionibus & inflationibus vtimur. Parantur autem ex cera Tyrrhenica, cyprino, ſuſino adipe anſerino aut gallinaceo, butyro inſulſo, reſina vſta, medulla ceruina, fœnogræco, & quæ eiuſdem generis ſunt. Aperiẽtibus autẽ oſcula venarũ, quum purgationẽ ſuppreſſam reuocare voluerimus, aut vteri cõcluſionẽ aut cõtractionẽ corrigere. Parãtur hi ex melle, artemiſia, dictamno, braſſicæ ſucco, radice dulci, porri ſucco, ruta, ſcammonia, & ſimilibus. At verò adſtringentes contrariũ his qui aperiũt, vſum exhibent. Nam fluxũ muliebrẽ cohibẽt, & expaſſum vterum contrahunt, & prolapſum repellunt. Verùm materia adſtringentiũ antea indicata eſt in tractatione de collyriis & paſtillis. Oportet autem ſtrigmentitiã & paulo craſſiorem facere peſſi ſpiſſitudinem: deinde lanam linamento anguſto ſimilem duplicatam in medicamentum tingere, & ad vteri oſculum apponere, ita vt filum oblõgum habeat annexum, quo peſſus facilè extrahi poſſit, vbi id viſum fuerit.

Peſſus Croceus ad inflammationes, & auerſiones, duriciáſque ac inflationes: Ceræ albæ, medullæ vitulinæ, ſingulorum drach. XVI. medullæ ceruinæ drach. XI. adipis anſerini drach. VIII. adipis gallinacei drach. VIII. maſtiches drach. IIII. œſypi medicamenti drach. III. mellis drach. II. croci drach. VIII. roſacei quod ſatis eſt. Crocum cum lacte muliebri terito.

Peſſus Areus molliens optimus. Croci drach. I. œſypi drach. I. medullæ ceruinæ drach. II. terebinthinæ, ceræ, adipis anſerini. ſingul. drach. III. ouorum aſſatorum vitellos XVI. irini & roſacei ex æquo quod ſatis eſt.

Peſſus Libanius, mẽſes ducit, & ad vterinas affectiones egregiè conducit, Vnguenti nardini ſexuncem, ceræ Tyrrhenicæ quincuncem, vnguenti ſuſini trientem, adipis porcini recentis quadrantem, adipis anſerini, gallinacei, medullæ ceruinæ, vnguenti amaracini, ſingulorum ſextãtem, adis taurini, terebinthinæ, œſipi, ſingulorum vnciam vnam. Liquatur in duplici vaſe, quemadmodum etiam omnes alii peſſi.

Peſſus enneapharmacus, Vnguenti roſacei, recinini, terebinthinæ, ceræ, mellis, adipis anſerini & bubuli, medullæ ceruinæ, butyri, ſingulorum æquales partes.

Peſſus Titianus emolliens, Ceræ ſexuncem, colophoniæ trientem & vnc S. adipis taurini triẽtem, ammoniaci thymiamatis trientem. Ammoniacũ cum aqua terito.

Peſſus Ægyptius, Mellis, terebinthinæ, butyri, roſacei, aut ſuſini, croci, ſingulorum partem. I. Verùm in non inflãmatis & ſordidis, etiã æruginis dimidia pars additur.

Peſſus Genitura appellatus, ad concipiendum. Butyri ſexuncem, œſipi medicamenti, medullæ ceruinæ, adipis anſerini & gallinacei, terebinthinæ, aloes, ſingulorum quadrantem, ceræ Tyrrhenicæ ſexũcem, roſacei libras II. myrrhæ, caſiæ, ſingulorum ſextantem, ſpicæ nardi vnciã I. mellis quantum ſatis eſt.

DE MEDICAMENTIS INTER SE VIciſſim ſuccedaneis. Ex Galeno, Cap. XXV.

IN Alexandria, inquit, quum, muliercula quadã periclitante, quæſiuiſſem lychnidẽ, nec reperiſſem, ſi non ſtatim pro lychnide, acanthii ſemine comperto vſus eſſem, periiſſet mulier. Quare rogatus à ſodalibus, ad hãc ſuccedaneorum inter ſe viciſſim medicamentorum deſcriptionem iuxta ordinem literarum, deueni, ab hoc ipſo initiũ facturus.

A

ACanthii ſemine,lychnis.
Abrotono,origanum.
Agallocho,calamus aromaticus.
Agarico, epithymum,aut euphorbium.
Agrioſtaphide,palmulæ Syriacæ.
Anchuſa,hyacinthus.
Acacia,lentiſci ſuccus.
Acantha,acanthæ ſiliquæ.
Acanthi ſiliquis,acantha.
Aconito,iridis ſylueſtris radix.
Acoro,aſari radix.
Alumine,ſal foſſilis.
Alumine ſciſſo,malicorium.
Actæa,glaucium,aut fimus ouillus.
Acte è ſambuco, acantha.
Alicacabo, ſolani fructus.
Aloe,ibidis fructus.
Aloe Indica,aloes viridis folia,glaucium, lycium,aut cẽtaurium.
Ammio,aniſum.
Amianto,aphroſelinon.
Amylo,pollen ſiccus.
Amygdalis amaris,abſinthium.
Ammoniaco thymiamate,propolis.
Adipe vulpino,vrſinus.
Adipe ceruino,anſerinus.
Adipe vitulino,adeps porcinus vetus.
Adipe hyænæ,adeps anſerinus,aut vulpinus.
Adipe crocodili,adeps canis marini.
Amomo,acorus.
Aniſo, daucus.
Araco,ſeſamum.
Argemona,ſeriphium.
Ariſtolochia,clematitis ſicca.
Ariſtolochia rotunda,ariſtolochia longa.
Armala,naſtortium Babylonicum.
Armenio,atramentum Indicum.
Azaro,zingiber.
Aſio lapide,lapis gagates,aut ſal ammoniacus,aut ſandaracha.
Aſpalatho,ericæ fructus,aut viticis ſemen.
Aſphodeli radice,betæ ſuccus.
Abſinthio, abrotanum.
Auripigmento,ſandaracha.

B

BItumine,pix liquida,aut terra ampelitis.
Balauſtio, hypociſtis aut cytini.
Balſamo,myrr ha ſtacte.
Bdellio,ſphagnus aromaticus.
Beſaſa,ſemen rutæ ſylueſtris aut hortenſis.
Bupreſti,blattæ capite detracto.
Butyro,lactis bubuli concrementum.
Buccinis,oſtrea.

C

CAdmia,leucographis Ægyptia.
Calamo aromatico,ſphagnus.
Calamintha, ſylueſtris mentha.
Cantharidibus, phalangia.
Capparis radice,ericæ aut myricæ radix.
Cardamomo,cyperus, xylocarpaſum.
Caſia,cinnamomi dimidium,aut herba Sabina.
Caſtorio,ſilphium.
Canchry,lauri baccæ, aut pyrethrum.
Cedria,baccæ cedri.
Cedri baccis,ladanum.
Calce viua,adarce.
Ceraunio,leucographis.
Cera,faba freſa cum propoli cocta ac trita.
Ceruſſa,plumbi recrementum,ad plumbum vſtum.
Chamædry, rumicis ſylueſtris radix.
Cicuta,pſyllii ſemen.
Chamæmelo,anthemis.
Chamæleonis ſucco,ſalicis ſuccus.
Chalcantho,ſquamæ æris.
Cinnabari, rhodoides.
Cinnamomo,caſiæ duplum,aut herbæ Sabinæ duplum.
Clinopodio,heliotropium.
Cnici ſemine,viticis ſemen.
Colocynthide,ricini ſemen.
Colophonia,pix naualis.
Corallio,moly, aut ſymphytum.
Coſto,ammoniacum,cedri baccæ,helenium.
Cotyledone, onocardium.
Chryſanthemo,aphrodiſias.
Croco,crocomagma.
Crocomagmate,aloe Indica.
Cumino Æthiopico,melanthium.
Cynoſbato,ſolani fructus.
Cypero,iuniperus magna,aut carda momum.
Cyphi,carica vſta.
Cornu cerui,cornu capræ.

D

DAmaſonio, carpeſium,aut calamintha.
Dauci ſemine,laueris ſemen.
Dictamno,pulegium,aut ſaluia.
Diphryge,miſy torrefactum,aut lapis Phrygius,aut æs vſtum,aut lapis pyrites.
Dorycnio,hyoſcyami ſemen.
Dracunculo,aron.

E

EBeno,loti arboris lignum.
Ebiſci radice,radix papyri.
Elaterii ſucco,porri ſuccus,aut eiuſdem herbæ ſuccus.
Elleboro nigro, ſtruthii radix.
Enneaphyllo,potamogiton.
Epithymo,colocynthidis ſemen.
Ericæ fructu, galla omphacitis.
Eryſimi ſemine,ſtruthium.
Erinei foliis,folia mori.
Erucæ ſemine,eryſimi ſemen.
Eupatori o,chamæpitys.
Euphorbio,ſtercus columbæ ſylueſtris.
Eruca pini, veſpæ cum cedria.

F

FÆce vini vſta,ſandaracha.
Felle viperæ, fel ichneumonis.
Felle cameli,fel ſtellionis.
Felle muſtelæ,fel ſimiæ.
Felle hyænæ,fel perdicis.
Filice,vrticæ ſemen.
Folio,ſpica nardi,aut iris Illyrica.

G

GAlbano, ſagapenum.
Galla,myricæ fructus.
Gentiana, helenium.
Gentianæ radice, apii aromatici radix. eſt autem petroſelinum.
Glycyrrhizæ ſucco,ſuccus mori.

H

HEderæ ſucco,ſuccus Perſicus.
Hyacintho, flos iſatidis.
Hyoſcyami ſemine,cynoſbati fructus.
Hypociſtidis ſucco, acaciæ ſuccus.
Hyperico,anethi ſemen.
Hippuride,chamæpitys.
Heliotropii ſemine,rapi ſemen.
Hormini ſemine,ſemen lini.

I

IRide Illyrica, helenium aromaticum.
Iunco aromatico,cardamomum aut cinnamomum.
Iunco,polygoni radix.
Iuniperi baccis,cyperus.

L

LAdano,ſampſuchus.
Lathyride,granum Cnidium.
Lapathi radice,radix pyrethri.
Lauri baccis,ſerpyllum aridum.
Lapide Aſio,gagates lapis.
Lapide Phrygio,lapis argyrites aut pyrites.

Lapide pyrite,lapis pyrobolus.
Lapide magnete,lapis Phrygius.
Lentiſco,terebinthus.
Lepidio,erythrodanum.
Lepidii radice,folia capparis.
Lepore marino,concha marina.
Lemnio ſigillo,ſandaracha.
Leucoii flore,ſtruthion.
Lini ſemine,fabarum ſuccus.
Liguſtici ſemine, radix eiuſdem, aut paſtinacæ, aut laureris ſemen.
Loti ſemine,betæ ſemen.
Lychnide,acanthii ſemen.

M

Malabathro,caſia,aut cupreſſus pilulas ferens,aut ſpica nardi.
Malua,fœnumgræcum.
Mandagrora,dorycnium,
Malis cydoniis,melilotum.
Manna,thuris cortex.
Maſtiche,lentiſci ſuccus.
Medulla cerui,adeps ceruinus,aut medulla vituli.
Medulla vituli,œſypus,aut medulla cerui.
Meliloto,lotus ſylueſtris.
Melle,ſapa.
Melle Attico crudo,mel deſpumatum.
Meo,myrobalanus.
Mendeſio vino,vinum Italicum.
Miſy torrefacto,diphryges.
Miſy Cyprio,ochra Cypria.
Mentha,calamintha.
Molybdæna,ſpuma argenti.
Mori ſucco,rubi folia.
Myrobalano,peucedanum.
Myrteo vino,mori ſuccus.
Myrteo oleo,lentiſcinum aut melinum.
Myrrha Troglodytica,calamus aromaticus.
Murium ſtercore,muſcæ pari menſura.

N

Napi ſemine,rapi ſemen.
Nardo Syriaca,iuncus aromaticus.
Nardo Indica,nardus Celtica.
Nucleis pineis,cucumeris ſemen.

O

Ochra,miſy cyprinum.
Ocimo,ſiſymbrium.
Ocimoide,mentha ſylueſtris.
Œnanthe,omphacium ſiccum.
Omphacio,rhois ſuccus.
Oleæ lacryma,hypociſtidis ſuccus.
Oleæ Æthiopicæ lacryma,acaciæ partes duæ.
Oleo ricinino,laurinum aut vetus.
Oleo veteri,ſycionium, aut duplum olei coquito cum adipe ſuillo veteri.
Onocardio,pſyche herba.
Opopanace, caſtorium, lac ſycamini, (*id eſt mori*) pix liquida.
Ornithogallo,anthyllis.
Oryza,farina hordeacea.
Oſtreis,buccina.
Ouorum vitellis aſſatis,medulla cerui.
Œſypo medicamento,medulla vitulina.

P

Panacis radicis vncia vna,opopanacis drach. i.
Pipere,zingiber.
Pipere albo,nigrum duplicatum.
Perſææ foliis ſiccis,roſas ſiccas.
Peucedano,glycyrrhizes ſuccus.
Picelæo,pix liquida.
Pice brutia liquida, bitumen, pix vernacula abunde, aut communis pix cocta cum aceto.
Pice liquida,opopanax.
Polii ſemine,erucæ ſemen.
Polygoni ſucco,ſuccus plantaginis.
Polypodio,chamelæa.
Polytricho,abſinthium.
Pompholyge,cadmia vſta.
Potamogitone,ſerpyllum.
Populæ nigræ ramulis,ſampſuchus.
Propoli,ladanum ammoniacum.
Pſyllio,lens paluſtris.
Pyrethro,zingiber aut lapathi radix.
Phu,ſphagnos.
Phyco, *id eſt fuco*,anchuſa.
Pulegio,hyſſopus.
Pumice,terra Cretica.
Plumbo vſto,ceruſſa.

R

Rapo,heliotropium.
Raphanino oleo,ricininum.
Rheo,centaurinum.
Recremento plumbi,recrementum argenti.
Recremento Cyprio,melanteria Ægyptia.
Reſina colophonia,pix naualis.
Reſina pini,terebinthina.
Reſina picea ſicca,ſagapenum.
Reſina terebinthina,reſina pini.
Radice lapathi,radix cinnaræ
Radice cinnaræ,radix aſphodeli.
Roſis ſiccis,folia perſeæ ſiccæ.
Rhodoide,ſinopis rubrica.
Rhoe Syriaco,lapathi radix.
Rhoe culinario ſicco,ſampſuchus.
Rubigine ferri, recrementum ferri,aut ſquama ferri, aut ſpuma argenti.
Ricino,ſordes è palæſtra.

S

Sagapeno,galbanum,aut reſina picea ſicca.
Sabino oleo,ricininum oleum,
Salamandra,lacerta viridis.
Saluia,calamintha.
Sampſucho,rhus culinarius.
Santonico,abrotonum,
Satyrio,erucæ aut ſaluiæ ſemen.
Serapiade,pæoniæ radix.
Serpyllo,potamogiton,aut pyrethrum.
Semperuiuo,folia aut ſuccus lactucæ.
Sepiæ teſta,pumex.
Seſamo,ſemen lini.
Seſamoide,quod ab amarantho expreſſo reſtat.
Scammonia, colocynthis,ricini ſeminis pars interna, lathyris.
Scinco,ſatyrium.
Scilla,bulbus.
Sinapi,naſturtium.
Sio,(*id eſt lauere*)aſparagi aut liguſtici radix.
Siſone,aniſum.
Siſymbrio,ocimum.
Spodio,pompholyx.
Spodio Cyprio, cinis foliorum oleæ.
Stibio,ſquama æris.
Stœcade,chamædrys.
Sori,diphryges aut melanteria.
Struthii radice, elleborus niger,aut euphorbium.
Sale ammoniaco,ſal Cappadocicus.
Salis flore,ſandaracha.
Styrace,caſtorium.
Symphyto,centaurium.
Sinone Syriaco,petroſelinum Macedonicum,
Syrico,ſpuma argenti.
Sphagno,iuncus odoratus,herba Sabina.
Sphōdylio, ſpodium Cyprium, aut cinis foliorum oleæ.
Suſino oleo,oleum fœnigræci.
Succo balſami,myrrha ſtacte, ſuccus carpaſi, fructus balſami.
Succo Thebaico,ſuccus papaueris.
Succo ſalicis,ſuccus hederæ nigræ.
Succo carpaſi,ſuccus myrrhæ.
Succo cyrenaico,ſuccus Syriacus,laſer,aut ſilphii ſuccus.
Succo papaueris mandragoræ ſuccus.

Succo mori arboris,hederæ ſuccus.
Succo Perſico,hederæ ſuccus.
Succo peucedani,glycyrrhizæ ſuccus.
Succo rhododaphnes,viſcum quercinum.
Succo fici,ſuccus mori.
Succo Syriaco,ſuccus mori.
Sulphure viuo,ſandaracha.
Stercore felis,ſtercus ichneumonis.
Stercore vulturis,columbæ ſtercus.
Stercore lupi,ſtercus caninum.
Stercore turturis,ſtercus columbæ.

T

Terebinthina,maſtiche,aut reſina ſtrobilina.
Terra tenera,plumbago.
Terra aſtere,terra cimolia.
Terra Erethriade,calx Thebaica.
Terra Cretica,terra Erethria.
Terra Samia,leucographis Ægyptia.
Terra Megara,ſpuma ſalis.

Thapſia,naſturtii aut erucæ ſemen.
Thapſiæ ſucco,chamæleonis nigri ſuccus.
Thermuntiade,lycopſis.
Troxinus(id eſt intubis)maiulium appellatū,ſiue lactuca.
Thure,terra ampelitis.
Thuris cortice,manna thuris.

V

Verbenaca,chamæleuce.
Vino Italico,vinum Mendeſium.
Vino Rhodio,vinum auſterum.
Vino Syriaco,vinum Rhodium.
Vua acerba,malicorium,aut galla omphacitis.
Vua paſſa ſatiua,palmulæ Syriacæ caro.
Viſco quercino,chamæleo albus.

X

Xylobalſamo,radix leucoii.
Xylocarpaſo,cinnamomum.

Z

Zingibere,pyrethrum.

DE PONDERIBVS ET MENSVRIS, Cap. XXVI.

Pondus, grauitatis menſu indicatur: menſura autem, vaſculi capacitate: vaſculum verò,tum aridæ tum liquidæ quantitatis menſura exiſtit. Quare tres omnino dimenſæ quantitatis ſunt differentiæ: vna quidem, ponderis: altera verò,rerum aridarū,vtpote quæ velut in aggerē accumulatur: tertia autem,liquidorum. Cæterùm quum penè infinita pondera ac menſuræ, tum pro locorū tum pro eorum qui eis vtuntur conſuetudine, exiſtant, de iis ſaltem quæ omnibus maximè familiaria ſunt nobis ſermo erit.

Verùm quum quidam non integris literis, ſed per notas hæc ipſa pondera ac menſuras ſignificent, præſtiterit fortaſſis & nos in hac parte veteres imitari, atque primùm characteres ipſos declarare. Primùm igitur litera χ, vbi α literam habuerit incumbētem,chalcum (*id eſt æreum*) ſignat, hoc modo, χα. ſi verò ο ipſi χ incubuerit, choa (*id eſt congium*)demōſtrat,ſic, χο. ſi οι, chœnicē, χοι. ſi η,cheman, χη. K verò litera ſi incumbens ε habeat,& linea recta inferiorem ipſius apicem per obliquum ſecet,ceration (*id eſt ſiliquam*)ſignificat,hoc modo, κε. Quòd ſi υ ipſi K incumbat, cyathum ſignificat, ſic κυ. ſi verò ο, cotylam (*id eſt heminam*) κο. Porro linea circumflexa quam nihil aliud circunſtat, & quæ omnino per obliquum ponitur, obolum denotat, ↪. Si verò duæ ſunt lineæ quas nihil circunſtat, duos obolos ſignant, ⇆. qui gramma (*hoc eſt ſcrupulum*) faciūt,quod per literam ſ quæ ρ adiectum habet, denotatur,recta amplius linea ipſum ρ ſecante,hoc modo, ſρ. Duæ autem lineæ iuxta alteram extremitatem conſertæ, angulúmque conſtituentes, ad ſimilitudinem duorum apicum qui in ipſius K literæ pictura, ad rectam lineam adſcribuntur, drachmam ſignificant, quæ & holca cognominatur, hoc modo, <. Propriè autem holca per λ literam notatur, ο litera medium eius occupante, hoc modo λο. Quòd ſi ι litera ad λ apponatur, libra ſignificatur, λι. Aliqui tamen alteram ipſius λ lineam per obliquum alia linea ſecantes, libram denotant,ſic λ. At verò litera Γ intra angulum ſuum ο literam habens, vnciam ſignificat, Γο. μ autem iuxta medium ipſius ν habens, minam denotat, μν. Si verò υ habeat,myſtrum, μυ. ſi ε, medimnum, με. ſi ο, modium, μο. Porro τ literam ρ complectens, & υ incumbens habens, tryblium ſignificat, τρυ. ξ. autem ſupra ſe ε habens,xeſten(*id eſt ſextarium*)deſignat ξε. Si verò ο habeat ſuprà ſcriptum, oxybaphum(*id eſt acetabulum*) ξο. Aliqui tamen xeſten per ξ denotant recta linea diſſectum, hoc modo, ξ. η autem incumbens μ habens, heminam indicat, ημ. K verò cum ρ connexum,incumbente ipſis litera μ, ceramium ſignat, κρμ.

DE PONDERIBVS.

Mna (id eſt mina) Attica & Ægyptia habet vncias	XVI.
Mina Romana habet vncias	XX.
Libra vncias	XII.
Vncia drachmas	VIII.
Drachma ſcrupulos	III.
Scrupulus obolos	II.
Obolus ſiliquas	III.
Siliqua æreos ſiue æreolos	II, duáſque tertii partes.

Ita vt obolus æreolos VIII complectatur.

DE MENSVRIS LIQVIDORVM.

Italicum ceramium habet choas VIII.
Chus,ſiue congius,ſextarios VI.
Sextarius cotulas II. quæ & tryblia appellantur.
Cotyla,ſiue tryblium, magna myſtra III, acetabula verò IIII.
Magnum enim myſtrum continet acetabulum I, & tertiam ipſius partem.
Acetabulum verò ſeſquicyathum habet.
Cyathus chemas paruas aut myſtra parua II habet.

Quòd ſi velis liquidorum iuxta pondus ſcire dimenſionem (multæ enim rerum liquidarum differentiæ iuxta lancis momentum exiſtunt)idipſum ex olei, vini,& mellis exēplo docebimus. Mel igitur vino grauius eſt quarta ampliúſque decima parte, quod fere totum tertiam eius partem facit.Habet enim eadem mellis ad vinum menſura, totum vini pondus, accedente inſuper tertia eius ponderis parte.Ad oleum autem mel dimenſum,dimidia eius parte ponderoſius exiſtit. habet enim totum olei pondus, atque inſuper dimidiam eius ponderis partem. Vinum verò nona parte oleum excedit. habet enim pondus ipſius totū, ampliúſque nonam eius pōderis partem. Quæ res vt magis euidēs & manifeſta fiat,omnium menſurarum pondus ſigillatim ſubiecimus velut in tabella depictum:ita vt manifeſtè conſtet, quòd per pōdera quæ ſingulis menſuris ſubiecta ſunt, oleum,vinum, & mel ex ordine demonſtrantur.

Olei	Vini	Mellis
	CERAMIVM ITALICVM HABET	
Libras LXXII.	libras LXXX.	libras CVIII.
	CHVS SIVE CONGIVS HABET	
Libras IX.	libras X.	libras XIII,& dimidiam.
	SEXTARIVS HABET	
Vncias XVIII.	vncias XX.	vncias XXVII.
	COTVLA SIVE HEMINA HABET	
Vncias IX.	vncias X.	vncias XIII, & dimidiam.

	MAGNVM MYSTRVM HABET	
Vncias III.	vncias III. ſcrup. VIII.	vncias IIII, & dimidiam.
	ACETABVLVM HABET	
Drach. XVIII.	vncias II. ſcrup. XII.	vncias III, ſcrup. IX.
	CYATHVS HABET	
Drach. XII.	ſeſquiunciam,ſcrup. IIII.	vncias II, drach. II.
	PARVVM MYSTRVM HABET	
Drach. VI.	ſcrupulos XX.	drach. IX.

Oribaſius autem iuxta Adamantium,ſextarium Italicum,vini quidem iuxta menſuram,vncias XXIIII, habere ait: iuxta pondus verò,lib.I.vnc.VIII.ſextarium autem mellis,librarum duarum & dimidiæ pondus habere tradit.

De menſuris aridorum.

Ægyptia Artaba continet modios III.
Modius Ægyptius & Italicus habet chœnices VIII.
Chœnix ſextarios II.
Sextarius ſemiſextarios II. qui & heminæ appellantur.
Hemina autem habet cyathos VIII.
Atticus medimnus continet hemiecta XII.
Hemiectum autem ſeu ſemodius,chœnices IIII.Quo fit vt medimnus habeat modios VI. chœnices XLVIII. ſextarios XCVI.
Cæterùm pondus harum menſurarum non facilè eſt proferre,quòd immenſa diuerſitas rerum aridarum iuxta lancis inclinationem exiſtat.

Finis librorum ſeptem Pauli Æginetæ,Iano Cornario Medico phyſico interprete.

Pondera Latina ab interprete vſurpata.

Libra	habet	Vncias XII.
Deunx		Vncias XI.
Dextans		Vncias X.
Dodrans		Vncias IX.
Bes, vel Beſſis	habet	Vncias VIII.
Septunx		Vncias VII.
Sexunx,vel Semiſſis		Vncias VI.
Quincunx		Vncias V.
Triens		Vncias IIII.
Quadrans	habet	Vncias III.
Sextans		Vncias II.
Vncia		Drach. VIII.
Semuncia		Drach. IIII.

S. hæc nota dimidium pondus cuiuſque ponderis ſignificat,hoc eſt Semis. Reliqua pondera ac menſuræ iuxta Pauli traditionem vſurpata ſunt.

CLARISSIMO IVRISCONSVLTO D. IVSTO STVDÆO, PRÆSVLIS FVLDENSIS CANcellario,& compatri ſuo chariſſimo, Ianus Cornarius medicus phyſicus, S. D.

QVAS in Paulum Æginetã ſcripſi dolabellas, eas tibi, clariſſime Studæe, inſcriptas mittere volui,& iudicio tuo permittere, viri pro hac ætate & grauis & prudentis:& cuius non ſolùm in reſpondendo de iure, ſed in omnibus bonis ſtudiis iudicium exactiſſimum eſſe ſcio,& à nemine improbari poſſe, qui modo de ſe rectè ſentire velit. Harum autem dolabellarum ſcribendarum hæc mihi occaſio fuit: Extãt aliquot aliquorum aliquoties repetitæ Pauli tranſlationes, in quibus illi iuxta illud δευτέρων ἀμεινόνων, ſatis declarant ſe non tam alios aut me quàm ſeipſos præoccupaſſe ac præuertiſſe. Nam de me non obſcura fama fuit,& apertè fateor ante annos vigintiquatuor hanc tranſlationem me inſtituiſſe, ſed hactenus libenter illis ceſſiſſe, vt qui nullius gloriæ inuideam, neque vllius vtilitati quicquam detractum velim. Quòd ſi teſtibus res probanda ſit, ſunt apud me literæ Andreæ Alciati iuriſconſulti doctiſſimi ac clariſſimi viri, ex Biturigibus Baſileam ad me anno Chriſti M. D. XXIX. nonis Maii datæ, in quibus maximus ille vir,& tum recens inſignis nobis amicus, hortatur me vt Pauli Æginetæ pauculos illos libros promulgem. Id enim eſſet, inquit, & Hippocratem, & Galenum, & Oribaſium compendio edere. Sed & Hieronymus Frobenius ſequenti anno poſtquam à Baſilea digreſſus in patria viuerem, ea de cauſa vnà cum literis huc inhortantibus, etiam alterum dedit ad me Pauli Græcum exemplar. Tantis itaque viris etiamſi denegandum non putarem,& alterius authoritas me impelleret, alterius benignitas etiam inuitaret, ceſſi tamen hactenus illis libenter,& neque adhuc è ſtudioſorum manibus excuſſas illorum tranſlationes volo. Sed quia neque adhuc illos ſibiipſis ſatis placere video,& palàm ſuam in multis locis partim hæſitantiam partim ignorantiam vltro confiteri, edere tandem etiam volui meam tranſlationem, eámque ſeptem dolabellarum libris dedolatam ac læuigatam, vt de nulla aſpretudine conqueri quis poſſit, qui non ipſe ſpinas inducat, ad nullas alioqui hìc offenſurus. Itaque nõ aliis ſolùm noſtram hanc tranſlationem lecturis noſtræ dolabellæ vtiles erunt, ſed etiam his qui aliorum tranſlationes legent: imò ipſis etiam illarum authoribus vtilitatem de ſe exhibebunt hanc vt locos in quibus hæſitant,& ignorantiam ſuam cõfitentur, tandem hinc aſſequantur: tantum abeſt vt ægrè ferre debeant aut poſſint hanc noſtram operam, niſi quis ipſe ſibiipſi inuideat bona. Neque verò quiſquam noſtra tranſlatione grauari poteſt, quum nemini inuito obtrudatur, ſed liberè expoſita nullos ad ſe cogat, volentes ſaltem etiam ipſa velit ac expetat. Qui gemmarum ſtudio tenẽtur, non vnam aliquam ex vno illarum genere habere contenti ſunt, ſed multas eiuſdem generis & coemere & inter ſe conferre ſolẽt: mirificam oblectationem ex eo haurientes quòd alteram alteri præſtare intelligere ſe putant, etiamſi non parum ſæpe contingat vt ſplendidiore politura aut mangonum impoſtura fallantur, & deteriorem meliori præferant. Simile ſtudium cenſeri debet eorum qui vnius & eiuſdem generis libros, ab aliis atque aliis conuerſos, ac veluti mangoniſſatos, coemunt, atque inter ſe conferunt. Optimus autem arbiter is eſt qui iudicio non fallitur, ſed eum librum qui præſtantiſſimus eſt, eligit ac ſequitur: reliquos eo loco habet, vt ſi pretium optimi illius amplius æſtimare libeat, deteriorum collatione id faciat: quemadmodum inter gemmarum genera nullum eſſe aiunt in quo altera alteram ita coarguat ac deprimat: veluti ſi Turcica appellata ad alteram Turcicam adhibita diiudicetur. Proinde ſi hanc aleam etiam noſtrum hunc Pauli Æginetæ tranſlationis librum ſubire cõtigerit, ſicuti nullius iudicium formido, doctorum etiam expeto: ita tua, Iuſte Studæe, cenſura deteriorem illum videri malim quàm aliorum nec doctrina nec iudicio præſtantium, omnibus aliis præferri. Atque ea gratia vel maximè tum ipſum noſtræ tranſlationis librum, tum noſtras in illum dolabellas ad te mittere volui, vt intelligeres quod iudicio ſtóque cadóque tuo. Nec enim tibi, chariſſime cõpater, ſolùm dolabellas noſtras inſcriptas eſſe putabis, ſed etiam ipſam noſtram his præpoſitam Pauli tranſlationem: quæ, etiamſi peculiariter Michaeli Meienburgo Northuſenſi COS. inſcripta eſt, tamen is vir eiuſmodi eſt vt te non illibẽter ad conſortium admiſſurus ſit: ſicut neque tu illum grauatè ad dolabellarum poſſeſſionem tecum communem admittes. Vt enim ambos compatres in ſpirituali liberorum meorum regeneratione habeo: ita erga vtrunque amorem meum ex æquo & coniunctim apud omnes publicè teſtatum facere volui. Vale, Zuiccauii, Calend. April. M. D. LV.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI
Dolabellarum in Paulum AEginetam liber primus.

ΠΑΥΛΟΥ πόνον με γνῶθι, τῆς γῆς τὸ πλέον Διαδραμόντος, φωτὸς ἐκ τῆς Αἰγίνης. Duobus iābicis ſenariis præmiſſis & ſe & patriam ſuam, ſimúlque peregrinationis ſtudium declarat, & opus hoc ſibi vendicat. Peregrinationem certè, velut rem laudatiſſimam & medico valde neceſſariam, producit: vt non temere poeta Homerus etiam de Vlyſſe ſuo prædicarit, Multorum mores hominum cognouit & vrbes: nec ab re tam ſæpe ex omni occaſione Galenus peregrinationes ſuas inculcarit. Et nos quoque rerū medicarum experiendarum gratia admodum iuuenes maximam Europæ partem peruagati, de peregrinationis laude orationem ſcripſimus ac edidimus.

In præfat. *Quare hoc compendium ex ueteribus collectum confeci.* Ingenua eſt confeſſio, non ſua ſed veterum placita ſe collegiſſe ac proferre profitentis. Honeſtum eſt magnos duces ſequi, honeſtum eſt aliena ſcripta vſurpare: ſed turpiſſimum eſt illa pro ſuis edere, neque per quem profeceris fateri. Si autem Paulus Ægineta non ſine magna laude horum librorum collectionem ex prioribus medicis fecit, & Græcè ſcriptis eadem lingua tranſcribendis, iiſdémque verbis vſurpandis, nomen inuenit, & hoc ſtudium prior etiam Galenus tum alibi, tum vel maximè in libris κατὰ τόπους, itémque κατὰ γένη inſcriptis, cum gloria exercuit: expendant ſtudioſi quid gratiæ illis debeatur qui ex alia lingua in aliam bene tranſferunt bonorum virorum bona ſcripta. Ego in hac ſeculi improbitate, ſi hinc veniam conſequutus fuero, gloriam nihil morabor.

Ibidem. *Qui & ipſe totum librum in quo omnem tuendæ ſanitatis, &c.* Græca lectio hîc corrupta eſt, quæ ſic habere debet, καὶ αὐτοῖς πᾶσαν ἀπαιδίσαντι βίβλον, ἐν ᾗ πᾶσαν τὴν ὑγιεινὴν δίηλθεν ὑποτύπωσιν.

Ibid. *Tantæ molis opus ad multos adeo uerſus extentum.* Veteres verſuum multitudine librorum magnitudinem æſtimabant. Scribebant autem libros certis chartarum cancellis ac veluti carceribus incluſi, vt ad margines non excederent: quem modum etiam impreſſores librorum hodie ſequuntur: atque hinc non difficile erat colligere quanta verſuum multitudo ad quantam libri magnitudinem deuentura eſſet, & ex eo tum πολύστιχοι, tum ὀλιγόστιχοι libri vocabantur. Meminit Galenus ſæpe aliâs, & libro primo Anatomicarum aggreſſionum, his verbis, Λύκου τὸ σύγγραμμα νῦν ἡμῖν ἐκομίσθη, μικροῦ δεῖν εἰς πεντακισχιλίους στίχους ἐκτεταμένον.

IN CAPVT PRIMVM.

Columna 345. litera A. *Hæc maximè ipſas diuexant, humorum crudorum redundantia.* In Græcis exemplaribus falſò legitur τὸ περισσαίνειν. legendum enim eſt τὸ περισσεύειν, id eſt ſuperfluis humoribus abundare, qui non perfectè ſunt concocti. Ita enim Galenus libro nono Anatomicarum aggreſſionum exponit, τὰ μὴ κατεργασθέντα (inquit) τελέως τῆς τροφῆς, ἃ καλοῦσιν ἰδίως περιττώματα. Sed diligenter animaduertendum vt inter περιττώματα & περιπτώματα diſtinguamus. Sunt enim περιπτώματα eadem quæ περιπτώσεις, fortuitæ occaſiones & caſus, quo modo Empirici primum conſpectum περίπτωσιν appellabant, quòd ex improuiſo in res ipſas inciderent. Vocantur etiam περιπτώματα, συμφοραί, hoc eſt clades & calamitates. Sic vſurpauit Plato in Protagora, ὁ μὲν ἀγαθὸς ἀνὴρ γένοιτ' ἄν ποτε καὶ κακὸς, ἢ ὑπὸ χρόνου, ἢ ὑπὸ πόνου, ἢ ὑπὸ νόσου, ἢ ὑπὸ ἄλλου τινὸς περιπτώματος. Sed exemplaria impreſſa habent περιττώματος.

Ibid. lit. B. *Et mali Punici florem.* Exemplaria habent καὶ κύπισον. ſed res ipſa indicat legendum eſſe καὶ κύτινον. præcedunt enim œnanthe & balauſtium. Eſt autem κύτινος mali Punici ſatiui flos, ſicut balauſtium, ſylueſtris. Habent autem vim ſiccantem ac adſtringentem, quæ hîc nimirum requiritur.

IN CAPVT TERTIVM.

Ibid. lit. G. *Commodum eſt etiam id quod pollicis ungui inſtillatum.* Græcus codex corruptus hîc eſt: legatur ſic, Χρήσιμον δὲ ἐστι καὶ τὸ ἐπὶ τοῦ ὄνυχος ἐπισταζόμενον τοῦ μεγάλου δακτύλου, ὑπὸ τὴν αὐγὴν θεωρούμενον, ὅταν ἐν τῷ κάμπτειν τὸν ὄνυχα, μήτε ταχέως μήτε βραδέως ἀπορρέῃ. χρήσιμον δὲ δοκιμάζειν καὶ οὕτως. Horum verborum ſententiam Dioſcorides ita expreſſit, ἔστι δὲ καλὸν γάλα, τὸ ὁμαλὸν τῇ παχύτητι, καὶ συστρεφόμενον ὅταν ἐπισταγῇ ὄνυχι, hoc eſt, Quod in orbem obuoluitur vbi vngui inſtillatum fuerit.

IN CAPVT OCTAVVM.

Col. 348. lit. G. *Siquis pruritus puerum infeſtarit.* Videtur ὀδαξισμὸν de totius corporis pruritu vſurpare, non de eo qui gingiuis contingit, vbi dentes producere pueri propemodum incipiunt, velut Hippocrates 3. aphor. 25. dicit, & οὔλων ὀδαξισμὸν appellat qui (velut Galenus ait) pruritus quidam eſt cum breui quadam offenſa. At hoc loco ὀδαξισμὸς ſine adiectione οὔλων, de totius corporis pruritu dici videtur. Quomodo etiam Galenus vſurpauit libro quinto de ſanitate tuenda, ἤτοι γὰρ ὀδαξούμενα, ἢ πρός τινος ἔξωθεν ἀνιώμενα, &c. de pueris pruritum ſentiētibus loquens. Ad hunc itaque pruritum Paulus hîc oleum coctum illinendum præſcribit, quod ἄπεφθον appellat, & τῷ ἀνέφθῳ opponitur. quod etiam in commentariis medicis oſtendi. Ad gingiuarum autem pruritum, ſequenti capite ſalſamenti veteris carnem probat.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Col. 349. lit. F. *Folia heliotropij ſcorpiuri appellati.* In Græcis exemplaribus deeſt hîc vox σκορπιούρου, in quibus habetur ἡλιοτροπίου τοῦ καλουμένου φύλλα. Quòd autem vox illa deſit, indicat Græcæ orationis ratio, & confirmat Dioſcorides, qui heliotropium maius ſcorpiurum appellari dicit, & folia ipſius σειριῶσι παιδίοις ὠφελίμως ἐπιπλάττεσθαι teſtatur. Aëtius item lib. 4 cap. 13. expreſſis verbis habet.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Col. 350. lit. E. *Aut paululum progredi, ac uelut deambulare.* Græca lectio corrupta, ſic reſtituatur, ἢ μένειν κατὰ χώραν, ἢ προβαίνειν μικρὸν, καὶ οἷον περιπατεῖν. Et paulo pòſt rurſus legatur, καὶ τὸ διὰ κωρύκου, μεγάλης τε καὶ τῆς μικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον. Et non longè deinceps legendum eſt, καὶ αἱ κινήσεις ἕτοιμοι τε ὁμαλοὶ καὶ εὔρυθμοι γίνονται. ita enim manifeſtè habet Galenus libro ſecundo De tuenda ſanitate, vnde hic deſumpſit. Eſſe autem & magnam & paruam pilam Galenus oſtendit, qui de paruæ pilæ exercitio priuatim libellum conſcripſit. Et vtriuſque pilæ ludus hodiéque extat. Sed & libro ſecundo De ſanitate tuenda primùm coniunctim magnæ ac paruæ pilæ mentionem facit, & paulo pòſt, ſicut hîc apud Paulum, ita iſtic μεγάλης vox excidit: quæ omnino reponenda eſt, ſicut primùm habita fuit. Eſt autem ex corrupto Galeni loco Pauli locus expreſſus, haud ſcio an non ſatis animaduertente ipſo etiam Paulo. nam etiam ipſius æuo Galeni lectionem corruptam fuiſſe, & ſic tranſcripſiſſe ipſum apparet. Porro σκιομαχίαν accipio vmbratilem pugnam, qua quis priuatim domi aut ſub vmbra, non in propatulo ſe exercet, ac veluti præparat ad iuſtam pugnam aliquando publicè faciendam. Corycum autem follem eſſe, (id eſt pellem ſiue membranam inflatam, aere ac vēto incluſo turgidam) minimè dubitandum puto, ex illo adeo poetæ Martialis loco, Ite procul iuuenes, mollis mihi cōuenit ætas. Folle decet pueros ludere, folle ſenes. Nam & Galenus & Paulus exercitiū hoc follis, inter velocia, quæ nec robur nec violētiam requirunt, connumerāt.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

Col. 351. lit. A. *Grauiorum uocum ſonus utilis eſt.* In Græco habetur, ὁ δὲ τῶν βαρυτέρων ἤχων φθόγγος χρήσιμος. Sed legendum eſt, βαρυτέρων φθόγγων ἦχος. Et paulo antè habetur, ἡ μὲν ἀμέλεια χρηστοφωνία. Legendum eſt, ἡ μὲν ἐμμέλεια καὶ χρηστοφω-

νία. Et rurſus paulo inferius, Τοῖς μὲν οὖν ἐντόπρον ἀναγνώσκουσι, legendum eſt, τοῖς μὲν συντονώτερον. Et mox pro ἀνακαθερμασίας lege θερμασίαις. Et mox corruptiſſimus locus ſic reſtituatur, καὶ τὰς βαρυτέρας φθέγγεσθαι φωνάς. χρηστέον δὲ ταῖς διὰ τῆς φωνῆς ἐνεργείαις, &c. Hanc lectionem ſequuti ſumus ac expreſſimus: quod dico vt calumniæ occuram. Sed & mox deeſt dictio integra χυμῶν. Sic enim legendum eſt, ὅπως αὖ μὴ πλείων ἀνάδοσις τῶν διαφθειρομένων χυμῶν ἢ ἀτμῶν, &c.

IN CAPVT VICESIMVM.

Ibid.lit.D. *In qua tendi ſibi uidentur.* Legendum eſt in Græco, καθ' ἣν τείνεσθαι δοκοῦσιν. Sed expreſſum habetur τίκτεσθαι. Et mox pro eo quod habetur, ὅταν ἐκθερμανθέντες ἱκανῶς, &c. lege ἐκθερμανθέντες οἱ μύες, &c. Et inferius vbi legitur, οὕτως δὲ καὶ ἡσυχία πολλὴ, καὶ μάλιστα συνεχὴς, legendum eſt, καὶ ἀλείμματα συνεχῆ. Ad finem huius capitis vbi legitur, ὡς συνάγειν ἀτρέμα, deeſt vox τὸ δέρμα, quæ omnino adſcribenda eſt. Et mox lege, ἐκπιδάτωσαν δὲ εὐθέως ἐν τοῖς λουτροῖς εἰς τὰς ψυχρὰς δεξαμενάς. ἀχύμου δὲ ἅπαντες οἱ κενοπωμένοι δέονται τροφῆς. Vide Galenum libro tertio ὑγιεινῶν.

IN CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Ibid.lit.F. Principium huius capitis ita legatur, Ἐπειδὴ δὲ δεῖ καὶ τῇ ἕξει ἀμύνασθαι, τρίμματι λουόμενος πυρεσσῶν χρήσθω. τρίμμα dixit hîc puluillum ita detritum vt commodè inſpergi ac affricari corpori poſſit. talibus autem in balneis vtebantur. Quid verò fuerit τρίμμα & ὑπότριμμα, quo in cibis vſi ſunt, & ad placentas & ad piſces coquendos, in commentariis medicis in Galenum κατὰ τόπους ſcriptis docuimus. Ibidem etiam de propomatis dictum, quorum potum hoc loco Paulus præſcribit: quanquam vt ad τρίμματα redeam, videtur ea vox non ita rectè hoc loco legi, & ῥύμματι vocem pro τρίμματι reponendam eſſe libentius adſtruxerim. Sunt autem ῥύμματα eiuſmodi puluilli inſperſiles ad exterendas corporis ſordes & maculas, aut etiam ad vitiatum colorem tollendum, & bonum reparandum. Ita enim ſequenti capite viceſimoſeptimo ipſorum vſus habetur. Habent autem appellationem ἀπὸ τοῦ ῥύπτειν, id eſt ab extergendo & mundando. Et ex hoc ordine ſunt etiam ſaponum genera hodierna, itémque quæ ſmegmata appellãtur. De quorũ vſu iuſto Galenus tertio commentario in librum Hippocratis De victus ratione in morbis acutis tradidit. Ac ne κόλλικες quidem alterius quàm ῥυμμάτων ac ῥυπτόντων generis ſunt, velut Paulus apertè oſtendit, materiam ipſorum declarans: niſi quòd maioris ac minoris efficaciæ ratione, hæc omnia inter ſe differunt, & formam quoque diuerſam præferunt. κόλλικες enim puſtillorum forma conflantur, ac velut conglutinantur: velut Hippocrates libro De internis affectionibus docet, ξυμφυρῆσαι ταῦτα, inquit, μέλιτι καὶ ὄξει, εἶτα πλάσαι κόλλικες: quanquam de diuerſi vſus puſtillorum genere loquatur.

IN CAPVT TRICESIMVM.

Col.354.lit.B. *Linamentum dropace intinctum.* Græcam lectionem ſic emendare oportet: ſic enim Latinæ verſioni reſpondebit, καθιέναι λίνον εἰς αὐτὸν καταβαφὲν τῷ δρώπακι, καὶ προσαιτεῖσθαι ἐξέλκειν. ἅμα γὰρ τοῦ πόρου ἐκκάθαρσις γίνεται, καὶ ἅμα τῆς ἀκοῆς προσκλήσις· μετὰ δὲ ταῦτα ἔλαιον ὀρόβου μέγεθος, &c.

IN CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Ibid.lit.D. *Nec uerò lectionibus talem offendere oportet.* Legendum enim eſt in Græcis exemplaribus, Μὴ λυπεῖσθαι δὲ μηδὲ ἀναγνώσει τόνδε. Et mox rurſus corruptum locum ſic emenda, Καὶ ὅσαι δύσπεπτοι, καὶ ὑγραὶ γίνωσιν ὕλην ἀργὴν καὶ παχύν. At locus de fœniculi cremore rectè habet in Græco, quemadmodum Latinè expreſſimus.

IN CAPVT TRICESIMVMSEXTVM.

Col.355.lit.G. *Aut ſemine urticæ, aut aniſi.* Habent quidem exemplaria Græca conſtanter, ἢ σπέρματος κνίδης, ἢ τῆς ἄγνου, id eſt ſeminis vrticæ, aut viticis: ſed quum viticis ſemen & in cibo & in potu, & forinſecus etiam ſubſtratum, flatus diſcutiat, & ideo ad caſtitatem conferre creditum ſit, atque hinc etiam apud Græcos ἄγνος appelletur, non videtur huic loco competere, & fieri potuit vt pro τοῦ ἀνίσου voce, τῆς ἄγνου vocis lectio ſuppoſita ſit. Aniſi ergo lectionem amplexi ſumus, quod antè nos Copus quoque fecit. Idem aniſum ſuprà capite nono pro ſuppoſititio anetho repoſuimus, vbi dixit, Conãdum eſt vt venter epithematis impoſitis adſtringatur quæ maximè ſiſtunt, cumino lanæ inſperſo, aut aniſo, aut apio. Nam Dioſcorides aniſum ſiſtere aluum teſtatur.

IN CAPVT TRICESIMVMOCTAVVM.

Col.356.lit.C. *Viticis item ſemen & rutæ ſi eduntur.* In Græcis habetur, Καὶ σπέρμα τοῦ λίνου καὶ πηγάνου ἐσθιόμενα. Facilè autem fuit vt λίνου vox pro λύγου ſupponeretur, propter ſcripturæ vicinitatem, & maximè ſiquis λύγον eandem quàm ἄγνον eſſe ignoret, aut nõ ſatis animaduertat. Quòd autem λύγος (id eſt vitex) huc competat, ex 36. capitis de dolatione didicimus: quòd verò lini ſemen huc ineptum ſit, ex eo conſtat quòd flatuoſum eſt, & quòd ad venerem ſtimulos facere id Dioſcorides tradit, maximè ſi cum pipere & melle in placentam coactum edatur.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Col.357.lit.A. *Ad uomitionem etiam pertinet non remittere, neque ceſſare inter uomendum.* Hanc eſſe Græcorum Pauli verborum hoc loco ſententiam, quotidiana experientia docet. Qui enim vbi ſemel vomere inceperint, rem non vrgent, ſed moram interponunt, hi ſemper magis atque magis inepti ad amplius vomendum fiunt, ſummóque labore ac difficultate id educunt quod primum impetum ſequuti facilè euomuiſſent. Græca lectio ſic habere debet, ἐμετικὸν δὲ καὶ τὸ μὴ ἀνιέναι μήτε διαλείπειν ἐπὶ τοῖς ἐμέτοις, τό, τε σῶμα διακλύζειν, &c.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Col.358.lit.B. *Saponem cum betæ ſucco illine.* Hoc loco σίναπι vocem falſò legi dudum in commentariis medicis in Galenum κατὰ τόπους oſtendi, & pro ea σάπωνα vocem reſtituendam eſſe docui, ex locis Galeni vnde Paulus hæc tranſcripſit. Animaduertit hoc etiam Gulielmus Copus Baſilienſis, aut certè rectam lectionem in ſuo exemplari repertam expreſſit.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Ibid.lit.C. *Aut ſcordium tritum appoſitum.* Habent Græca exemplaria σκόρδου λείου προστιθεμένου, & hoc vt reliquis correſpondeãt, videtur eſſe legendum, σκόρδον λεῖον προστιθέμενον. Sed dum σκόρδου ſiue σκορόδου (id eſt allii) & σκορδίου vim ac vtendi modum expendo, σκορδίου lectio mihi magis arridet, vt legatur ſcilicet, σκόρδιον λεῖον προστιθέμενον. Nam ſcordii vſum vt ad vteri oſculum apponatur, Dioſcorides palàm præſcribit, προστεθεῖσα, inquit, ἡ πόα ἔμμηνα κινεῖ. At allii comæ decoctum, ad inſeſſus idem ducendis menſibus ac ſecundis prodit.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Col.359.lit.B. *Quaſdam etiam colare expedit, limoſas, & ſalſas, & bituminoſas.* Hæc eſt exemplarium Græcorum lectio, nec de eius integritate quicquam dubitaremus ſi non Copus ambiguos nos reddidiſſet, qui pro Et bituminoſas, quod in Græco eſt, καὶ ἀσφαλτώδη vertit, idque cum polenta, quaſi μετ' ἀλφίτων legiſſet. Sic enim vertit, Neque non prodeſt quaſdam aquas percolare, vt limoſam, aut ſalſam, idque cum polenta. Dubium itaque eſt an in ſuo exemplari Græco ita habuerit velut conuertit, aut ad illud Plinii libro viceſimoquarto capite primo reſpexerit, Nitroſæ aut amaræ aquæ, inquit, polenta addita mitigantur, vt intra duas horas bibi poſſint. De qua re quum in commentariis medicis dixerimus, hic rurſus admonere voluimus, ne temere præteriiſſe locum hunc videremur.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMPRIMVM.

Ibid.lit.B. *Eſt autem & aptiſſimum ad uſum & uiro & fœminæ, & puero & ſeni, & magiſtratui & priuato.* In Græco ſic habetur, Ἔστι δὲ καὶ ἁρμοδιώτατον πᾶσι, καὶ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ, καὶ παιδίῳ καὶ πρεσβύτῃ, καὶ ἰδιώτῃ. Videtur itaque deeſſe vox quæ

opponatur ἰδιώτῃ,vt quum vir mulieri,ſenex puero oppoſitus ſit,habeat quoque idiota ac priuatus homo ſibi oppoſitum magiſtratum aut principē virum. Proinde vocem ἄρχοντι vel ſimilem aliquam hoc loco reponendā eſſe ducimus.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMQVARTVM.

Col.360.lit.D. *Ex his igitur qui humorum copiam coaceruant,eos qui ſtatim balneum ingreſſi ſunt,poſtea frictione uti,& parum moueri exhortabimur.* Hoc loco vna vox corrupta totam ſententiam impeditam fecit,ac obſcurauit.Si igitur pro voce πρότερον leges προτρεψόμεθα,habebis ſanam lectionem,quam ego expreſſi.Hoc autem faciendum eſſe indicat ſequentis periodi verbum συμβουλεύσομεν.At vox πρότερον in re iam facta nullum locum habet.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMOCTAVVM.

Col.361.lit.G. *Et poſtea frictione dura,non tamen multa,cutem ſpiſſare,quò denſam ac duram efficiamus.* Græca lectio corrupta ſic reſtitui debet ex Galeno libro ſexto ὑγιεινῶν,κἄπειτα τρίψει σκληρᾷ μὴ πολλῇ πιλοῦντας τὸ δέρμα,πυκνὸν καὶ σκληρὸν ἐργαζέσθω. At quod mox ſequitur de iracundia inducenda,ad colorem reparandum,& vt alimentum non ſentientibus, rurſus ſanguis in vaſa ſubter cutem colligatur, ex Hippocratis doctrina eſt, qui libro ſecundo Epidematum ſectionis quartæ in fine ſic ait,ὅτι τῇ δεύειν ὀξυθυμίην ἐμποιέειν,καὶ χρώματος ἀναλήψιος ἕνεκα, καὶ ἐγχυμώσιος,& addit,καὶ ἀθυμίας καὶ φόβους, καὶ τὰ τοιαῦτα.atque hæ ſunt commotiones animales, Paulo σφενικήσεις ψυχικαὶ dictæ. Videtur tamen prior illa de frictione lectio,iuxta Aëtii lib.4.cap.33.lectionem item reſtitui poſſe,hoc modo,κἄπειτα τρίψει χρῆσθαι μὴ πάνυ σκληρᾷ,ἵνα μὴ πιλοῦντες,τὸ δέρμα πυκνὸν καὶ σκληρὸν ἐργασώμεθα.Vult enim Aëtius duram quidem eſſe frictionem adhibendam, non tamen ita valde vt penitus cutem ſpiſſemus,ſed vt denſa ſolùm ac dura reddatur. Sequitur autem Paulus non minus frequenter Aëtii quàm Galeni verba,veluti etiam in ſequenti capite quinquageſimonono;locus Pauli corruptus,apud Aëtium integer habetur,iuxta quem etiam reſtituendus eſt hoc modo,ταῦτα δὲ ποιεῖν μέχρις ἂν ἐρυθρὸν γενόμενον τὸ μέρος μετεωρισθῇ, καὶ πρὶν συμπέσῃ παύεσθαι.δεῖ δὲ καὶ τῇ τῶν πιττωτῶν φαρμάκων χρῆσθαι κατὰ τοὺς εἰρημένους σκόπους.ὅταν δὲ αἴσθησις ψύξεως περὶ τὸ λελεπτυσμένον μέρος ὑπάρχῃ,&c.

IN CAPVT SEXAGESIMVMPRIMVM.

Col.362.lit.F. *Et craſſi ſunt ac pingues,& fœmoribus ac muſculis imbecilles,& inarticulati.* In Græcis exemplaribus habetur, καὶ μηροῖς καὶ μυσὶν ἀδέρστοι,id eſt fœmoribus ac muſculis indiſtincti.Sed corrupta eſt lectio ex vocū vicinitate,ſcribendúmque ἄρρωστοι.Ita enim Aëtius habet.At verò quod mox ſequitur de calida & humida temperie , Sed & ad cōtactum non paulo validiores : non ad plenum terminare videtur inſtitutam de hac temperatura tractationem. Non tamen putandum eſt,neceſſariò ea quæ Galenus habet huc transferenda eſſe,(non enim hoc fuit Pauli inſtitutum)ſed & ex Galeno, & aliis optima,& quæ ſibi ſufficere videbantur,tranſcribenda duxit.Itaque hoc loco ſatis eſt ſi hæc verba ex Galeni arte medica,itémque Aëtio libri quarti capite quinquageſimooctauo adſcribantur,nempe poſt,καὶ μὲν δὴ καὶ ἁπτομένοις οὐκ ὀλίγῳ θερμότεροι,vt ſequantur hæc verba,μέλαιναι δ᾽ εἰσὶν αὐτοῖς αἱ τρίχες,καὶ ἡ σὰρξ ἄπιμελος. Periodus autem quæ ſequitur in Galeno & Aëtio,omitti poteſt,vt quam etiam Paulum omiſiſſe credam, vt qui ſatis eſſe duxerit de hac tota tractatione admonere ad finem,quod in coniugatis temperaturis prædominantis qualitatis notæ ſemper præualerent,alioqui etiam alia multa quæ reliquit vltro,adſcribenda ipſi fuiſſent.

IN CAPVT SEXAGESIMVMQVINTVM.

Col.364.lit.D. *Et ſanè bibentes non ſtatim ſitire ceſſant.* Hoc loco quaſi ex abrupto Paulus ad potum progreſſus eſſet, quædam deeſſe videri poſſint,quæ & Galenus & Aëtius habēt: ſed ſiquis compendii ſtudium in hoc authore cōſiderauerit,integram,ſufficientem,ac minimè mancam lectionem habebit : niſi quòd ὀλίγον vox deeſt,vbi legendum eſt,καὶ τὸ ψυχρὸν ὀλίγον ποτόν.Sequitur enim ex oppoſitione πολὺ θερμόν.At verò vbi paulo pòſt conuertimus, Verùm pulmonis ſiccitates ſuperfluitatibus carent,& vocem puram habent: in Græcis exemplaribus corruptè legitur καθαρὰ τῷ φλέγματι, pro integro καθαραὶ τῷ φθέγματι. Sic autem legendum eſſe indicat vox obſcura & rauca,quæ videlicet puræ prægreſſæ opponitur.Sed & Aëtius libri quarti capite ſeptuageſimoſexto apertè vocem φθέγματι habet, etiamſi etiam in Galeni arte falſò φλέγματι legatur. Sed huiuſmodi infinita tùm ex Latino toto adornato à nobis Galeno,tum etiam ex Græco à nobis correcto ſuſtulimus.

IN CAPVT SEXAGESIMVMSEXTVM.

Ibid.lit.G. *Et tales timidi ſunt natura, & puſillanimes,& ſegnes.* In Græco legendum eſt , pro καὶ μάλιστα εἰ,ex Galeno, καὶ μελληταὶ καὶ,id eſt(vt verti) ſegnes: quanquam in Galeni arte μελιταὶ falſò legatur.Aëtius pro ea voce relicta,aliam eadem ſignificatione vſurpat,καὶ ῥᾴθυμοι inquit.Falſò autem aliqui his locis Galeni ac Pauli legunt ἀμεληταὶ, id eſt negligentes,velut ipſi exponunt,ſignificatione non multum diuerſa:ſed hi ἀμελεῖς,non ἀμεληταὶ dicuntur,qui impigri ſunt, & μεληταῖς opponuntur.

IN CAPVT SEXAGESIMVMSEPTIMVM.

Col.365.lit.D. *Si uerò uice uerſa modicè aucta fuerit humiditas,plurimum uerò caliditas,uitioſi humores minimè in ipſis gignuntur.* Hæc tota fere periodus ex Græcis exemplaribus intercidit,& neque in Aëtio integra habetur. Neceſſariò autem redintegranda eſt lectio ex Galeni arte:nam alioqui nec ſententia cohæret,neque omnino vera eſt. Sic ergo pro καὶ κακόχυμοι γίνονται,legendum eſt,εἰ δὲ ἔμπαλιν,ἐπ᾽ ὀλίγον μὲν αὐξηθείη τὸ ὑγρὸν,ἐπὶ πλεῖστον δὲ τὸ θερμὸν,ἥκιστα κακόχυμοι γίνονται.Atque hāc lectionem vt rectam ipſe expreſſi.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM.

Col.366.lit.D. *Sed & eà quæ defluunt à corpore procurare oportet.* Hæc verba in Græco ita leguntur , καὶ τῶν ἀποῤῥοιῶν δὲ προνοεῖν χρή:hoc eſt,Sed & defluxionibus proſpicere oportet:quò ſcilicet contingant,non vt ne cōtingant:id quod verba ſequentia indicant,quibus modi proſpiciendi vt defluxiones contingant præſcribuntur,per balnea videlicet & exercitia multa,& per excretiones ante cibum per vrinam ac ventrem contingentes:itémque per apophlegmatiſmos & purgationes. Sunt enim ἀποῤῥοιαὶ defluctiones recrementorum ac ſuperfluitatum totius corporis,per omnes partes excrementis euacuandis deſtinatas contingentes,per ſudorem item ac inſenſibilem tranſpirationem decedentes.Plato verò etiam ſemen ſpinalis medullæ ἀπόῤῥοιαν dixit. Has itaque defluxiones tantò magis hoc loco procurare Paulus iubet quanto plus eiuſmodi recrementorum ac ſuperfluitatum in humidis natura temperaturis generatur. Eſt autem tranſcriptus hic locus ex libro ſexto Galeni De tuenda ſanitate,& habetur quoque apud Aëtium libri quarti capite nonageſimoſexto.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVMSECVNDVM.

Ibid.lit.G. Principium huius capitis paucis verbis corruptum eſt. Proinde integram lectionem Græcam adſcribemus,quam ſequuti ſumus & expreſſimus.Quòd ſiquis longiorem tractationem requirit, habet eam apud Galenum libro ſeptimo methodi,& Aëtium libri noni capite triceſimo ſexto.Paulus compendio(vt ſolet) vſus, ſic tranſcripſit, τῆς ξηρᾶς δυσκρασίας ἡ μέν τις ἐστὶν ἐν τοῖς τὰ ἐκ τῆς στερεᾶς οὐσίας ὁμοιομερῆ σώματα γίνεσθαι ξηρότερα, ἥτις καὶ ἀνίατός ἐστιν· ἡ δὲ τῆς ὑγρᾶς παγείς οὐσίας, καὶ τρίτη γε πρὸς ταύταις,&c.Et paulo pòſt ſequitur quarta ſic legenda,ἄλλη δὲ κατὰ τὰς μικρὰς ἀρτηρίας τε καὶ φλέβας συνιστα μένη.Reliqua quæ in hoc capite corrupta ſunt,minutiora ſunt,& ex noſtra conuerſione emendari poſſunt. Quidā etiam loci antea à nobis in commentariis medicis explicati ſunt.in his autem dolabellis aſperos tantùm locos,nec ſatis adhuc politos,& qui moram Latina noſtra legenti iniicere poſſint,dedolare inſtituimus.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVMSEPTIMVM.

Col.369.lit.F. *Quandoquidem fungi fere noſtris ignoti ſunt, quod ad ſpecies uidelicet ac differentias ipſorum attinet.* Duas

ipſorum ſpecies hoc loco à Paulo propoſitas expendemus,quæ ſunt ex multis illis differentiis quās noſtri nouerunt,& ſuis nominibus cognitas in eſum aſſumunt.proinde boleti quos βολίτας Græci vocant, nomen Latinum apud nos ſeruant,contractum tamen,& ex triſyllabo fere monoſyllabum factum.boltz enim aut boltze appellantur.De his Plinius ait,In opimis quidem eſt is cibus:ita enim legi debet ex fide manuſcripti vetuſtiſſimi apud me codicis: & non, Optimus quidem eſt is cibus.Quomodo enim optimum cibum diceret,cuius diſcrimen, periculum, ac venenum ipſe ſubiungit?Quos verò Amanitas Græci vocant,& ſecundi à boletis ordinis faciunt,ex hoc ipſo vſu & nomine quoque leue ſaltem indicium præbente,eos eſſe exiſtimo qui Morchen vulgò noſtrati appellantur,de quibus etiam prouerbium fertur,in eos qui nō ſui & iuſti temporis commoditatem ſentiunt, ſed alieni à ſe temporis incommoditate affliguntur. Succeſſum,inquiunt,habēt qualem Amanitæ in Maio. prodeuntes enim ſub veris initiū Amanitæ, ad menſem Maium penitus euaneſcunt.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVMOCTAVVM.

Ibid.lit.G De chondro & alica quid ſentiam,in commentariis medicis abunde explicaui, itémque de panum generibus,ordeo,polenta,ac ptiſſana,quæ mihi viderentur expoſui,locis authorum adductis qui ſententiam meam confirmarent.His itaque vtatur qui volet,faſtidiat,reiiciat,ac damnet qui ſequi nolet, mea nihil referre puto. Hìc verò de maza adiiciam,eſſe ipſam farinam ordei coctam,quæ quò magis tenuis albáque ac pura eſt, tantò citius in ventriculo alteratur,& melius concoquitur diſtribuitúrque,& promptius nutrit. Quandoque etiam ex ordeo fricto (id eſt polēta) parabatur,ſimplici facta in aqua coctura,pingui aliquo addito,vt planè nihil ſit aliud maza quàm vt Germani vocant, ein muſs van gerſten mel. Quòd ſi eadem maza cum vino dulci aut ſapa diutius ſubigeretur,τελτὴν Atticis appellabatur: velut Galenus libro primo De alimentis teſtatur: quæ verò ſic parata non eſſet,ἄτεπτος μάζα vocabatur,& hæc multi vſus apud Hippocratem eſt:& libro ſecundo De diæta,de ipſa ita ſcribit, μάζα προσφυρηθεῖσα ῥαντὴ, ἄτεπτος κοῦφοι καὶ διαχωρέει καὶ ψύχει. καὶ ψύχει μὲν ὅτι ψυχρῷ ὕδατι ὑγρὴ ἐγένετο. διαχωρέει δὲ ὅτι ταχέως πέσσεται. κοῦφοι δὲ ὅτι πολλὸν τῆς τροφῆς μετὰ τοῦ πνεύματος ἔξω ἀποκρίνεται.Hæc recta eius loci lectio,quam etiam nuper in omnium Hippocr.operum conuerſione expreſſi.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVMNONVM.

Col.370.lit.D. *Ochri & phaſeli præmacerati.* In Græcis hoc loco φασίολοι falſò legitur. Differunt enim phaſeli à phaſiolis. Et phaſelum quidem idem eſſe quod λάθυρον (id eſt cicerculam) Galenus quoſdam aſſerere dicit. At φασίολον vocari etiam δόλιχον & λόβον (id eſt ſiliquam) idem libro primo De alimentis teſtatur. Ochron verò eruiliam Latinis dictam eſſe doctis quibuſdam placet.Nobis interim ea quæ de his authores tradunt boni conſulenda ſunt, donec ad certiorem rerum cognitionem perueniamus.Meminit etiam Hippocrates libro 2.De diæta, & Theophraſtus in octauo de hiſtoria plantarum.

IN CAPVT OCTVAGESIMVM.

Ibid.lit.F. Fructus fugaces dixi eos qui non durant, neque apti ſunt ad repoſitionem, quos eadem de cauſa, velut ab his qui durare poſſunt ac reponi,diſtinguentes,ὡραίους καρποὺς Græci vocant, non ſolùm quòd ὥρα appelletur ipſis id tempus quo proueniunt,ſed quòd ſint temporarii,ac minimè durent. ὥραν autem nominare Græcos id tempus in cuius medio Canis oritur,& eſſe id tempus quadraginta dierum, Galenus libro ſecundo De alimentis author eſt. Cæterùm quod ad finem huius capitis conuertimus, In ſumma verò omnes fugaces fructus frigefaciunt & humectant, &c. in Græcis exemplaribus corruptè legitur, καθόλου δὲ πᾶσα ὀπώρα,&c. non enim de ὀπώρᾳ,ſed de ὡραίοις ipſi ſermo eſt.proinde ſic lectio corrigenda eſt, καθόλου δὲ πάντα ὡραῖα ψύχει τε καὶ ὑγραίνει,καὶ ὀλιγότροφά ἐστι καὶ κακόχυμα. At de ὀπώρᾳ (id eſt de pomorum fructibus autumnalibus)ſequenti capite agit & alioqui de his intelligi in vniuerſum non poteſt quòd frigefaciant & humectent,quum quidam ex ipſis calidam ac ſiccam vim habeant. Significat autem ὀπώρα non ſolùm fructus,ſed etiam tempus in quo hi fructus proueniunt. Eſt autem id tempus Canis ortus, quod principium ὀπώρης eſſe Galenus libro commentariorum in Hippocratis aphor.tertio,in aphoriſm. 14. prodit,& declarat hoc in libro περὶ ἀχυμίας,his verbis,ἐμπλησθεὶς δὲ μετὰ τῶν ἡλικιωτῶν ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ τῆς ὀπώρας ἁπάντων τῶν ὡραίων, ἐνόσησα τὸ φθινοπώρου νόσον ὀξεῖαν. Vnde apparet etiam fugaces fructus partim ὥρας,partim ὀπώρας tempore produci,vſque ad ipſum Arcturi exortum,qui principium autumni eſt:& rurſus ὀπώρας temporis fructus partim ſub oporam partim ſub autumnum prouenire, vt non malè autumnales fructus appellentur Latinè,quum ὀπώρης tempus Latinam appellationem non habeat. poſſunt etiam malorum ac pomorum fructus appellari. Nam & Hippocrates μήλων vocem ad ὀπώρην adiecit in libro De morbis internis,de aqua intercute à ſplene orta loquens, quam ex huiuſmodi cauſa maximè fieri dicit, ὅταν,inquit, φάγῃ συκῶν χλωρῶν καὶ μήλων ὀπώρην. Sunt tamen etiam ex pomorum ac arborum fructibus, qui fugaces dici poſſunt, Perſica,& mora præſertim.

IN CAPVT OCTVAGESIMVMPRIMVM.

Col.371.lit.A. *Præcocia, & rhodacena, & Armenia, meliora ſunt Perſicis.* Quod hoc loco ῥοδάκινα ſit legendum, & non δωράκινα,itémque infrà libri tertii capite ſexto,multis argumentis ac coniecturis vſus, libro ſecundo commentariorum medicorum aſſerui.Ea ſicui rectè habere videntur,ſequatur: ſin minus,nullus prohibeto vt quis à me diſſentiat.Ego ſanè adhuc in ea ſum ſententia, Rhodacena Græcis hæc Perſica dicta eſſe, & non δωράκινα ſiue δωράκια, ita vt ex Latinis duracinis, Græci nomen ſumpſerint:ſed omnino vice verſa,vt apud Latinos Rhodacenorum nomen in duracinorum appellationem corruptum ſit.Quo verò clarius adhuc cognoſcatur Rhodacena eſſe Perſicorum genus,& non δωράκινα ex rhodacenis per metatheſin corrupta,adſcribam Simeonis cuiuſdam Sethi appellati verba, quæ in libello De ciborum facultatibus ad Michaelem ducem Conſtantinopolitanum Imperatorem ante annos propemodum quingentos ſcripſit,Ροδάκινα,inquit, οἱ μὲν ἐν τῇ τρίτῃ τάξει τεθήκασι τῶν ψυχόντων τε καὶ ὑγραινόντων· οἱ δὲ ἐν τῇ πρώτῃ, οἱ δὲ ἐν τῇ δευτέρᾳ· ὃ καὶ ἀκριβέστερον. ἀπογεννῶσι δὲ χυμὸν φλεγματικὸν, καὶ δύσπεπτα τυγχάνουσι, καὶ ταχέως ἐν τῇ γαστρὶ διαφθείρονται. καὶ διὰ τοῦτο οἱ συνεχέστερον κατακόρως τούτων μεταλαμβάνοντες, πυρετοῖς ἁλίσκονται. βλάπτουσι δὲ πνιγώδει τινὶ καὶ τὰ νεῦρα. δεῖ δὲ ταῦτα πρὸ τῆς ἄλλης τροφῆς προσφέρεσθαι, καὶ ἄκρατον τούτοις ἐπιπίνειν. τὰ δὲ ἐξ αὐτῶν πέπειρα τὴν γαστέρα προτρέπουσι· τὰ δὲ ἄωρα, ταύτην ἐπέχουσι· τὰ δὲ ξηρὰ, πλεῖον. ὁ δὲ χυλὸς τῶν φύλλων πινόμενος αἰρεῖ τὰς ἕλμινθας, ὡσαύτως καὶ τῷ ὀμφαλῷ ἐπιτιθέμενος μετὰ τῶν φύλλων. διεγείρει δὲ τὰ ῥοδάκινα τὴν τῆς τροφῆς ὄρεξιν, λυσιτελεῖ τε τῇ φλεγμαινούσῃ γαστρὶ, καὶ τῇ γεύσει προσηνῆ εἰσιν. ἐμποιοῦσι δέ τι ὀρρῶδες τῷ αἵματι εὔσηπτον. καὶ μετὰ μίαν πολλάκις ἢ δύο ἀπογεννῶσι διὰ τὴν σῆψιν πυρετοὺς, οὐ κατὰ τοὺς ἀπὸ τῶν λεγομένων πραικοκίων γινομένους, (ἐκεῖνοι γὰρ ὀλιγοχρόνιοι καὶ ἀδιάλυτοι) ἀλλὰ χρονίους καὶ δυσλύτους. δεῖ δὲ παρατηρεῖσθαι τὸ ἐπιπίνειν τούτοις ὕδωρ, ἢ ὀξεῖαν προσφέρεσθαι τροφήν. Ex his verbis clarum fit rhodacena Perſici mali ſpeciem eſſe, atque ego quidē ea eſſe puto quæ Germanis pro locorum varietate alibi melotten,alibi cartomelen,alibi marillichen appellantur. Æſtate proueniunt, quum reliqua Perſica autumnum expectent. Galenus Rhodacenorum appellationem non nouit,ſed libro ſecundo De alimētis, de Armeniacis ac præcocibus loquens,ex Perſicorum genere hæc eſſe ait,quæ tamen illis bonitate præſtent, quum neque ſimiliter in ventriculo corrumpantur, neque areſcant:id quod etiam Paulus de ipſis hoc loco teſtatur: quanquam infrà libro ſeptimo mali Armeniacæ fructum,nunc præcocia vocari dicat,& eiuſdem eſſe cum Perſicis tradat facultatis,vt illic vnum & eundem fructum eſſe aſſeruerit,hic duos diuerſos quidem,ſed tamen Perſicorum generis, & his præſtantiores. Proinde ſi nouerimus qui fructus ſint hodie qui præcocia vocentur, itémque qui Armenia,in nulla de his amplius ambiguitate hærebimus.Sunt itaque præcocia,ceraſa illa ad Rhenum obrincana ſiue Rincauiana, alicubi etiam Maguntiaca appellata.Nam hinc ad multos locos tranſmittuntur, & non ita in multis Germaniæ locis naſcuntur, aut nota ſunt. Proueniunt autem ſub ipſum menſem Maium primi omnium fructuum arboreorum. Ab his proxima prodeunt Ar-

menia ſiue Armeniaca,nec ipſa hodie Perſicorum,aut etiam velut ab aliis factum eſt,prunorum generis iudicata, ſed ceraſorum generis facta,aut certè ceraſorum appellationem ſortita, & vulgò amarellen, corrupta vt apparet ex Armeniis voce,appellata.Atque hos fructus experientia cognitum eſt non ſimiliter vt autumnalia illa perſica, neque in ventriculo areſcere,neque corrumpi,ſuntque inſuper ad eſum iucundi,velut Paulus ex libro ſecundo Galeni De alimentis, de ipſis teſtatur. Quò verò de præcocibus certius cognoſcamus, eſſe eos fructus quos indicauimus, ſuprà citati Simeonis ex eodem libro verba adſcribemus, Πραικόκια εὔφθαρτα μέν εἰσι. τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν ἀπογεννώμενον αἷμα, μοχθηρόν ἐστιν. εἰσὶ δὲ ψυχρὰ καὶ ὑγρὰ κατὰ τὴν δευτέραν ἀπόστασιν, καὶ τῶν ῥοδακινῶν κακοχυμώτερα· προτρεπτικὰ δέ ἐστι δηλονότι γαστρὸς, καὶ τὴν ξανθὴν καταπαύουσι χολὴν, μήπω πέπειρα ὄντα. συνεχέστερον δὲ μεταλαμβανόμενα, πυρετοὺς ἀπεργάζονται. δεῖ δὲ ταῦτα πρὸ τῶν ἄλλων ἐσθίειν. ὑστέρως γὰρ ἐσθιόμενα ἐπιπολάζει ταῖς τροφαῖς, καὶ φθείρουσι ταύτας τῇ εὐφθάρτῳ αὐτῶν φύσει. Porro reliqui fructus hoc loco à Paulo propoſiti ſatis noti hodieque ſunt fere omnibus.Serica ſaltem ignota ſunt, & non ea ſunt quæ eſſe exiſtimarunt etiam docti quidam,inter quos & Ruellius eſt,qui omnem ſtirpium hiſtoriam ex vtriuſque linguæ authoribus nuper diligenter congeſſit.De his ergo videamus.Serica itaque ægrè concoqui,ſtomacho incommodare,& parum alere Paulus hic dicit,& planè ex Galeno tranſcripſit, qui libro ſecundo De alimẽtis fere in hanc ſententiam de Sericis loquitur, Non habeo quod de his,inquit,teſtimonium præbeam,quòd aut ad ſanitatis conſeruationem,aut morborum curationem faciant.Eſt enim edulium mulierculárum & puerorum effrænatorum, quod parum nutrit, ægrè concoquitur, ſimúlque nec ſtomacho commodum eſt.Hæc & nihil amplius de Sericis Galenus. Nam verba quæ ſequuntur, τροφὴν δηλονότι καὶ αὐτὰ δίδωσιν ὀλίγην τῷ σώματι,redundant.antea enim τὸ ὀλιγότροφον de ipſis prædicauit. Nec præterea quicquã de ſericis apud Græcos ac Latinos ſcriptores reperio, vno Plinio excepto, qui alterum Tuberum genus à colore ſericum dictum ſcribit.Quò verò quid ſint Tuberes de quibus ſimul cum Ziziphis agit,cognoſcamus, Plinii locum libri decimiquinti capite decimoquarto adſcriptum expendemus, Æquè peregrina ſunt Zizipha & Tuberes, quæ & ipſa non pridem venére in Italiam.Hæc ex Africa, illa ex Syria.Sextus Papirius quem conſulem vidimus, primus vtraque attulit diui Auguſti nouiſſimis temporibus,in caſtrorum aggeribus ſata, baccis ſimiliora quàm malis, ſed aggeribus præcipuè decora,quoniam & in tecta iam ſyluæ ſcandunt. Tuberum duo genera, candidum & à colore Sericum dictum. Ex his Plinii verbis primùm intelligimus Zizipha & Tuberes diuerſa malorum genera eſſe,& ex diuerſis regionibus in Italiam allata, deinde Tuberum duo genera eſſe,alterum candidum, alterum item à colore Sericum appellatum.Accipio autem eum ſerici colorem qui ſerici natiui,puri,& adhuc crudi eſt,qui ſanè ſubflauus exiſtit.Ab hoc itaque colore,Serica pomorum generis fructum,aliàs Tuberes appellatum,nomen habere Plinio referente credo, & non alia eſſe Plinii Serica quàm ea quæ Galenus loco ſuprà citato σηρικὰ dixit,itémque Paulus hic ex eodem tranſcripſit,facilè animum induco,quum non alia apud vllos populos eſſe ex vllis ſcriptoribus conſtet.Aut vt Serica hæc eadem ſint quæ & Zizipha,haud ſcio qua fide docti quidam(velut dixi)inducti ſibi perſuaſerint. partim enim ſimpliciter pronũciant, Galeno eſſe Serica quæ alio nomine Zizipha dicuntur, partim veluti hoc iam ipſis dato, recentiorum Græcorum ſententiam de his diuerſam à Galeni traditione producunt,& ſeipſos implicant,dum diuerſis rebus diuerſas facultates à diuerſis authoribus attribui non animaduertunt: partim Arabas medicinæ ſcriptores Græcorum recentiorum ſententiam ſequutos,quod tamen illos latuit,grauiſſimè coarguunt, & ignorantiæ damnant: quæ omnia ex eo conſequuta ſunt quòd Serica à Galeno damnata,& Zizipha à poſterioribus laudata,eundem fructum eſſe putauerũt: rectè an ſecus,ipſi viderint.Nobis ſatis eſt vt noſtram opinionem tueamur,qua Zizipha à Sericis diuerſa eſſe,argumentis adductis nixi aſſerimus,de quibus quid etiam Simeon ille ſentiat adſcribamus,Ζίζυφα, σύμμετρά ἐστι τῇ ὑγρότητι καὶ τῇ θερμότητι. ἰδιότητα δὲ ἔχουσι τὸ τὴν δριμύτητα καταπαύειν τοῦ αἵματος. χρηστὸν δὲ χυμὸν γεννᾷ, καὶ κενοῖ τὸ ὀρρῶδες τοῦ αἵματος· λυσιτελεῖ τε τὸ τούτων ἀπόζεμα πρός τε βῆχας καὶ δυσπνοίας, καὶ τῷ στήθει, καὶ τοῖς νεφροῖς, καὶ τῇ κύστει· κρείττονα δὲ τὰ μείζονα. τοιαῦτα δέ εἰσι τὰ ἐδώδιμα· καταπαύουσί τε τὸν ἀπὸ δριμέων χυμῶν ἔμετον· πλὴν δύσπεπτά εἰσι, καὶ ἁπλῶς βλαπτικά, καὶ διὰ τοῦτο κρεῖττον τῷ τούτων χρῆσθαι ἀποζέματι. Hæ Ziziphorũ facultates ſunt,quas Galenus Sericis nõ attribuit, vt qui de diuerſo fruct⁹ genere loquatur. Quid igitur? Sericáne Galenus nouit,Zizipha nõ nouit?& poſterior ætas Zizipha nouit,Serica non nouit?Galenus & Serica nouit,& Zizipha:& de Sericis quidẽ ea quæ ſuprà adduximus prodidit: de Ziziphis verò eodẽ libro inter ſylueſtriũ plantarum fructus mẽtionem facit. Quibus omnibus in cõmuni adſcribit quòd parũ alunt,& mali ſucci ſunt: atque hoc eſt quod etiam Simeon de ipſis dixit δύσπεπτά εἰσι καὶ ἁπλῶς βλαπτικά. At reliquas facultates à Simeone relatas,ex cultu Ziziphis poſtea acceſſiſſe credibile eſt,quum inter agreſtes relatæ ſint à Galeno arborum plantas,vt quæ centum plus minus annis ante ipſum in Italiam venerint,& ſemper in dies ampliore cultu mitigata ſint, & hunc vſum adepta quem de ipſis Simeon prodidit,etiam hodie pharmacopoliis nota ſunt,Iuiubas vocant. Fructus eſt vuam paſſam fere referens externo aſpectu,rubeus tamẽ etiam vbi eſt ita arefactus,oſſiculum habẽs in meditullio paruum, & in eo nucleum exiguum: atque hoc eſt quod Plinius dixit,Baccis ſimiliora quàm malis.Serica verò qui poſt Galenum nouiſſet & Paulum, nondum legi.Palladius tuberes quidem nouit,ſed ſerica eorum genus non prodit.

IN CAPVT OCTVAGESIMVMOCTAVVM.

Col.373.lit.C. *Coquere autem oportet primùm leniter ac paulatim, ut ne pars quædam diffundatur, pars uerò conſumatur.* Hanc eſſe huius loci ſententiam intelligunt omnes qui vnquam lac coxerunt,aut coqui viderunt.Proinde corruptam lectionem quæ ſic habet,Ἑψεῖν δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἡσυχῇ καὶ ἐπ᾽ ὀλίγον, ὡς μέρος μέν τι διαχωρῆσαι, μέρος δέ τι τακῆναι,hoc modo emendare oportet,ἑψεῖν δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἡσυχῇ καὶ ἐπ᾽ ὀλίγον, ὡς μὴ μέρος μέν τι διαχυθῆναι, μέρος δέ τι τακῆναι. Hæc lectio ſanam ac rectam ſententiam exhibet,quam expreſſi. Nec longiore declaratione opus eſſe puto iis qui verba & rem expendere voluerint. Quòd verò tenue & ſeroſum in lacte per ignitos ſilices iniectos exhauriatur ac conſumatur, omnes Græci medici prodiderunt.Meminit rurſus Paulus infrà libri tertii capite quadrageſimoſecundo, & libri ſeptimi capite tertio:atque ibi κάχληκας vocat quos hic κόχλακας appellat.Sunt autem hi lapides ſilices nobis dicti. Non eſſe autem alios lapides accipiendos,Galenus libro decimo ſimpl.pharmac.apertè docet: ἐμβαλλομένων, inquit, διαπύρων λίθων· εἰσὶ δὲ χρὴ τούτους οὓς ὀνομάζουσι κάχληκας.Hippocrates quoque ita vſurpat libro ſeptimo Epidematum,in Eratolas filio dyſenterico, ὀῤῥοποτήσαντι δὲ καὶ γαλακτοποτήσαντι ἐν κάχληκι πεπυρωμένῳ, μετριώτερα ἐγένετο τὰ ἀλγήματα καὶ τὰ ὕφαιμα,hoc eſt(velut nuper in tota Hippocratis ſcriptorum à me facta conuerſione expreſſi)Vbi ſerum & lac bibiſſet, ſilice candefacta immiſſa,dolores & ſubcruentæ egeſtiones moderatiores fiebant.Sed in Græcis exemplaribus falſò ἐν γάλακτι πεπυρωμένῳ legitur,pro ἐν κάχληκι πεπυρωμένῳ.Dioſcorides libro quinto etiam calcem ἐκ τῶν κοχλάκων fieri dicit, σκευάζεται δὲ, inquit, ἐκ λίθων κοχλάκων καιομένων:ſed hodie peculiaris lapis effoditur ad calcem parandam, qui & calcarius inde à noſtris appellatur.At hic vt ignitus lacti immittatur ineptus eſt.

IN CAPVT CENTESIMVM.

Col.375.lit.F. *Temporum pulſationes,oculi mane tument.* In Græcis codicibus habetur, νυγμοὶ κροτάφων, οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ τὸ πρωῒ δακρύουσι.Sed vetuſtiſſima quædam tranſlatio σφυγμοὶ legit pro νυγμοὶ,& pro δακρύουσι habet οἰδέουσι,quam nos ſequuti ſumus.

Ibid.lit.H. *Angina,capitis ulcuſcula manantia achores appellati, teredines.* In Græco lectio eſt corrupta.habet enim συνάγχη, νύκλωρ, τερηδόνες.Vox itaque νύκλωρ & per ſe nihil hoc loco ſignificat,& nec ad anginam præcedentem, nec ad teredines ſequentes referri poteſt.Proinde pro νύκλωρ legendum puto ἄχωρ,cuius vlcuſculi rationem & etymon in commen-

tariis medicis oſtendi. Videntur autem non ineptè ἀχῶρες teredinibus præmiſſi. Sunt enim τερηδόνες, oſſis capitis caries, ob quam cutis de capite alia atque alia parte diſcedit, velut Hippocrates libro ſecundo de morbis docet. Vetus tamen illa tranſlatio cuius proximè mentionem feci, videtur πνιγμὸς legiſſe pro νύκτωρ. habet enim ſuffocationem, quæ & ipſa non malè anginam ſequitur.

Col.376.lit.A. *Commodi ſunt & ieiuni uomitus, quos aliqui uocant ſyrmaiſmos.* Galenus in gloſſis Hippocraticis συρμαῖσμον purgationem moderatam eorum quæ in ventre ſunt eſſe dicit. Et in ſecundo commentar. in librum Hippocratis De articulis, moderatas euacuationes, ſiue per ſedem ſiue per vomitum fiant, veteres συρμαϊσμοὺς vocaſſe ſcribit. Proindè etiam Paulus ieiunos vomitus ita aliquos appellare dicit, nimirum non ab accepto cibo, ſed dato medicamento ortos.

Ibid.lit.F. *Et parcius bibere, & uinum meracius bibere.* In Græcis pro ἀκρατέστερον legendum eſt ἐγκρατέστερον, id eſt parcius, & non plenius ac liberalius, quum alioqui corpus fluxionibus ac humoribus ſit obnoxium. Sed tamen ἄκρατον, id eſt vinum meracum, bibere, ad humorum videlicet concoctionem, præcipit, quod ἀκρατοποτεῖν appellat.

Ibid.lit.H. *Vtere igitur odoratiſſimis ac acribus cibis.* Græcè quidem habetur, χρῶ τοῖς ὀπωδεστάτοις καὶ δριμέσι, id eſt vtere ſucculentiſſimis & acribus cibis. Verùm nec acria cum ſucculentis cohærent, nec tempus æquinoctii verni pituitam augens, ſuccoſos cibos expetit. Legendum igitur eſt χρῶ τοῖς εὐωδεστάτοις, pro τοῖς ὀπωδεστάτοις: & rurſus eadem ratione, legendum eſt paulo pòſt in æquinoctio autumnali, καὶ προσφέρεσθαι δριμύτατα καὶ εὐωδέστατα, non autem (vt iam habẽt impreſſi codices) δριμύτατα καὶ ὀπωδέστατα. Atque ita legit quoque veteris illius tranſlationis author, qui vtroque loco odoratos ac acres cibos habet.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI
Dolabellarum in Paulum AEginetam liber ſecundus.

IN CAPVT SEPTIMVM.
Columna 378.litera G.

VERVM *iuxta numerorum ordinem boni ſunt, tertius, quartus, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, decimusquartus, decimusſeptimus, decimusoctauus, uiceſimus.* Hoc loco deſunt in Græcis exemplaribus, ἑβδόμη, ἐννάτη, & ἑπτακαιδεκάτη. qui dies ſinguli ſuis locis reponi debent. Nam ordinem numerorum hoc loco oſtendit, dignitatem verò paulo antè ex Galeno appoſuit. Galenus autem hæc omnia de diebus iudicatoriis diligentiſſimè conſcribit, quarto commentariorum in librũ primũ Hippocratis de morbis popularibus: & in commentario in ſecundum librum Aphoriſmorum, in aphor.23, ac 24. & longè clariſſimè in tribus illis libris quos priuatim de diebus iudicatoriis inſcripſit.

IN CAPVT DVODECIMVM.

Col.380.lit.G. In octauo pulſus genere quod circa rhythmum conſiſtit, Græca lectio corrupta eſt ac manca, quæ ex libro primo Galeni de pulſuum differentiis reſtitui poteſt, eo modo quo ego ſententiam expreſſi, ita vt non Galeni lectionem ad verbum ſequamur. Galenus enim in vniuerſum de omnibus ætatibus exemplum propoſuit: Paulus autem id ad puerilem ætatem more quodam ſuo contraxit. Sic ergo rectam lectionem repones, οἷον σημειωσώμεθα ἐπὶ παιδίου, ὁ μὲν ἴδιος τῆς παιδικῆς ἡλικίας κατὰ τὸν ῥυθμὸν γινόμενος σφυγμὸς, εὔρυθμος καλεῖται· ὁ δὲ διαφθείρων, ἄρυθμος. καὶ τοῦ διαφθείροντος, ὁ μὲν τὸν τῆς πλησίον ἡλικίας ῥυθμὸν μεταλαμβάνων, παράρυθμος· ὁ δὲ τὸν τῆς ἀκμαστικῆς, ἑτερόρυθμος· ὁ δὲ μηδὲ τὸν ταύτης διασώζων, ἔκρυθμος προσαγορεύεται. Hæc lectio Pauli integra eſt & genuina.

Ibid.lit.B. In eodem capite, in nono pulſus genere, vbi de inæqualitate quæ in vno pulſu conſiſtit, agit, vna vox corrupta totam ſententiam vitiat. Sic autem habent exemplaria, ὥσπερ ἐπὶ τῆς κινήσεως τυχὸν, hoc eſt, velut verbi cauſa in motu: quæ lectio etiamſi recta eſſet, tamen τυχὸν legi oporteret. nam hac voce etiam paulo anteà vſus eſt. Sed recta lectio illa non eſt, verùm ita legi debet, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ τῆς κινήσεως χρόνου, hoc eſt velut in tempore motus. Quòd autem hæc genuina lectio ſit, ex verſu ſequente vndecimo conſtat, vbi de tempore motus dictum velut repetens ait, Οὐ μόνον δὲ κατὰ τὸν χρόνον τῆς κινήσεως, τὴν κατὰ μίαν πληγὴν, ἐν ἑνὶ μορίῳ τῆς ἀρτηρίας, ἀνωμαλίαν ἐγχωρεῖ γενέσθαι, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν τόνον τῆς δυνάμεως. οὐ μὴν οὔτε κατὰ τὸ ποσὸν τῆς διαστάσεων· οὐ γὰρ οἷόν τε τὸν αὐτὸν σφυγμὸν ἐν ταυτῷ μορίῳ μέγαν τε καὶ μικρὸν γίγνεσθαι, οὔτε κατ᾽ ἄλλο γένος, ἀλλ᾽ ἐν διαφέρουσι μορίοις κατὰ διαφέροντα δὲ μόρια τῆς ἀρτηρίας ἐν ἑνὶ σφυγμῷ ἀνωμαλία γίνεται διττή. Hunc locum etiam ideo totum ac integrum adſcripſi, quod in Græcis codicibus corruptiſſimè legitur.

Ibid.lit.D. In eodem capite, quo loco in catochis arteriæ locum propriè calidiorem reperiri dicit, velut quibus conuulſio imminet cum graui in ſomnum delatione, Græca exemplaria falſò habent, καθάπερ τοῖς παθησομένοις μετὰ καταφορᾶς. Legẽdum enim eſt, καθάπερ τοῖς σπασθησομένοις μετὰ καταφορᾶς. Ita enim habetur apud Galenum libro quarto De pulſ.cauſis.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Col.399.lit.D. *His proxima eſt alia urina, quæ in multis morbis apparet propè admodum accedens ad uinum tenue ac album.* In Græcis exemplaribus deeſt vox vini, quam & ratio adſcribendam eſſe monet, & prægreſſa mẽtio eius quæ tenuis eſt adeo ac alba velut aqua, cõfirmat, & Galenus, vnde hic locus ſumptus eſt, teſtatur libro primo De iudiciis. Sic ergo legendum eſt in Paulo, ἐν πολλοῖς νόσοις φαινόμενον ἐγγὺς ἱκανῶς οἴνου τοῦ λεπτοῦ καὶ λευκοῦ.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ibid.lit.H. *Perfectæ itaque concoctionis nota eſt, ſputum leue, album, &c.* Hoc loco tres voces corruptæ in codicibus Græcis ſententiam vitiarunt. legendum enim eſt γνώρισμα pro γνωρίσματα, & mox ὑπόπτυσμα pro ὑπόπτυσμα: & poſtea legendum, εἰ δὲ πτύοιτο μὲν, ἀλλὰ λεπτὸν, pro eo quod falſò habetur, εἰ δὲ μὴ πτύοιτο μέλαν, ἀλλὰ λεπτόν. Hæc clariora ſunt quàm vt rationem expetant, & ex Hippocrate, Galeno, ac Aëtio conſtant.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Columna 400.lit.C. *Frigefacientia ſint roſaceum, & oleum omphacinum abſque ſale præparatum. Verùm hæc ipſa uehementer frigefacta ſincipiti infundere oportet.* In Græcis exemplaribus legendum eſt, τὰ δὲ ψύχοντα, ῥόδινον ἔστω, καὶ ἔλαιον ὀμφάκινον χωρὶς ἁλῶν ἐσκευασμένον. ψύχοντα δὲ αὐτὰ σφοδρῶς καταχεῖν δεῖ κατὰ τοῦ βρέγματος, &c. Atque hoc ex Aëtio, qui ex octauo libro methodi Galeni, etiam quomodo frigefacere ipſa oporteat, docet libri quinti capite ſexageſimoprimo: nimirum vt vas in quo continetur oleum, ſuſpendatur in puteum, ita vt aquam contingat: aut vt aquæ frigidæ ſalienti vas ſubdatur, aut vt nix forinſecus vaſi circundetur. De quibus modis etiam in commentariis in librum ſecundum Galeni κατὰ τόπους ſatis multa dixi: quemadmodum quoque de oleo abſque ſale præparato, in primo cõmentariorum, in idem Galeni opus. Quo loco etiam memini pro oleo abſque ſale, in Græcis medicis ſæpe ſuppoſitum eſſe, oleum citra olearum germina præparatum, ob vicinitatem ſcripturæ, ἄνευ θαλλῶν, pro ἄνευ ἁλῶν, & viciſſim. Hoc certè Pauli loco rectè legi χωρὶς ἁλῶν (id eſt ſine ſale) ex multis Galeni locis oſtẽdi poteſt, vt ex 8.meth. vnde Paulus trãſcripſit, & ex his quoque in quibus ad ſimiles affectiones eo vtitur: ſicut in ſecũdo κατὰ τόπους, vbi oleũ roſaceũ

ex oleo omphacino χωρὶς ἁλῶν præparato, ad capitis dolorem ex ardore obortum, commodum eſſe ſcribit. Et primo κατὰ γένη, ad inflammationes & ignes ſacros, roſaceum ex oleo omphacino ἀνάλου (id eſt inſulſo) præparatum laudat. At libro tertio ὑγιεινῶν, vbi ſic ait, καὶ μὴν δὴ καὶ τῶν ἄλλων ἐλαίων ἁπάντων οὕτω γνωρίσεις τὴν δύναμιν, ὅσα τε καταχρηστικῶς ὀνομάζεται, καὶ ὅσα σκευάζεται δι' ἁλῶν, ἢ ῥιζῶν, ἢ βοτανῶν, ἢ βλαστῶν, ἢ φύλλων, ἢ καρπῶν, & interpres Linacer conuertit, Quin & reliquorum omnium olei generum ita deprehendas vires, etiam quæcunque per abuſionem nominant, ex ſale, ex radicibus, ex herbis, ex germinibus, ex foliis, vel fructibus, propterea videlicet quòd hæc habent. Hoc ſanè Galeni loco ego libentiſſimè legerim διὰ θαλλῶν, id eſt ex oleæ germinibus, pro δι' ἁλῶν, id eſt ex ſale: vt ſicut oleorum quæ ex radicibus & herbis, & germinibus, & foliis, & fructibus præparantur mentionem facit, ita primùm eius nomenclaturam feciſſe putandus ſit quòd ex oleæ non fructu ſed germinibus exprimitur. Non tamen mutaui receptam lectionem in proxima Galeni totius Latina per me facta editione, vt hîc loco ita ferente admonerem ſatis eſſe duxi. Porro paulo pòſt hoc Pauli loco habetur, Εἰ δ' ἅμα καταῤῥῷ πυρέττοιεν, &c. vbi legendum eſt vna voce adiecta, Εἰ δ' ἅμα κορύζῃ καὶ καταῤῥῷ πυρέττοιεν, id quod ex Galeno, & Aëtio libri quinti capite ſexageſimotertio conſtat. Sed & mox δίαιτα γλυκύχυμος, legenda eſt, pro γλυκύθυμος, ex libro octauo methodi, quanquam Aëtius λεπτὴν δίαιταν habeat. At quod mox ſequitur, Vbi verò egreſſi ſunt, & vires refecerint, ad balneum rurſus inducantur: & poſtea calidam aquam bibant, & ptiſſanæ ſuccum, &c. corruptè legitur in exemplaribus Græcis: quod verò nos expreſſimus integrũ eſt, & habetur partim apud Galenũ, partim Aëtium libri quinti capite 65. hoc modo, Ἐξελθόντας δὲ καὶ ἀναλαβόντας τὴν δύναμιν, εἰσάγειν ἐκ δευτέρου εἰς τὸ λουτρὸν, καὶ μετὰ ταῦτα πιεῖν θερμὸν ὕδωρ διδόναι, καὶ πτισάνης χυλὸν, &c.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Ibid. lit. G. *Sed & quod à rigore incepit, neque ardore, neque frigore uehementi prægreſſo.* In Græcis exemplaribus hoc loco particula μὴ redundat. Legendum enim eſt, καὶ τὸ ἀπὸ ῥίγους δὲ ἄρξασθαι τὸν πυρετὸν, &c. ex Galeno primo De differentiis febrium.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Col. 401. lit. B. *Quum autem aluus non ſubit, aquam mulſam cum oleo per clyſterem infunde. At totum corpus rarefacere non conuenit ante euacuationem.* Græcorum exemplarium & malè diſtincta, & falſa eſt hoc loco lectio. Sic enim habent, Μὴ διαχωρούσης δὲ τῆς κοιλίας, κλύζειν μελικράτῳ. δι' ἐλαίου δὲ ὅλον τὸ σῶμα πρὶν μὴ κενῶσαι μανοῦν οὐ χρή. Recta autem & diſtincta lectio eſt apud Galenum vndecimo methodi hoc modo, Μὴ διαχωρούσης δὲ τῆς κοιλίας κλύζειν μελικράτῳ μετ' ἐλαίου. τὸ δ' ὅλον σῶμα πρὶν μὲν κενῶσαι μανοῦν οὐ χρή. Hanc ſententiam habet etiam Aëtius libri quinti capite ſeptuageſimoſexto, his verbis, Μὴ διαχωρούσης δὲ τῆς γαστρὸς, κλύζειν χρὴ μελικράτῳ μετ' ἐλαίου μόνον. τὸ δὲ ὅλον σῶμα ἔξωθεν πρὶν μὲν κενῶσαι, διαφορεῖν οὐ χρή. Porro ſicut hic locus vitiatus habetur in Paulo, & rectè legitur in Galeno: ita vice verſa locus paulo inferius rectè legitur in hoc capite Pauli, vitiatus autem habetur in Galeni exemplaribus paulo pòſt præcedentem locum libro methodi vndecimo. Paulus ſic habet, μετρίου δὲ ὑπάρχοντος τοῦ πυρετοῦ, καὶ τῶν δυνάμεων ἰσχυρῶν, ἅμα τοῖς πέψεως σημείοις, ὠφελεῖ τοῖς τοιούτοις βαλανεῖα, καὶ ἡ τοῦ οἴνου πόσις, ὅσα τε τῶν ἀλειμμάτων μανωτικά. At in Galeno reliqua rectè, ſed καὶ τῶν δυνάμεων οὐκ ἰσχυρῶν falſò legitur, contra omnem rationem, contra Græcæ orationis vim, quæ præcedens negatum cum ſequenti affirmato per particulam ἅμα non copulat, denique contra ipſius etiam Galeni ſententiam, quam paululum progreſſus his verbis explicat, Εἰ δὲ μηδὲ τὰ τῆς πέψεως εἴη σημεῖα, μηδὲ τὰς δυνάμεις ἰσχυρὰς ἔχειν φαίνοιτο, στοχάσασθαι τὸ ἀδύνατον· ὥστε οὔτε λούσαις αὐτὸν, οὔτε ἀλείψαις τοῖς μανωτικοῖς φαρμάκοις, οὔτε οἶνον δώῃς, οὔτε ψυχρόν. Quare recta hîc eſt Pauli lectio, Galeni verò vitiata: ideóque ſic reddidimus. Moderata verò ſi eſt febris, & vires robuſtæ, vnà cum concoctionis ſignis, &c.

IN CAPVT VICESIMVM.

Ibid. lit. H. *Atque hæc quidem ueterum curatio erat.* Hic locus rectiſſimè legitur in Græcis exemplaribus, ea ſententia quam ego expreſſi, ſi vna tantùm particula εἰ mutetur in ἐν, & ſic legatur, Ταῦτα μὲν ἐπὶ τῶν παλαιῶν, καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν, ἐν γυμνασίοις μᾶλλον καὶ τροφῆς ἐνδείᾳ τῶν τότε διαιτωμένων ἀνθρώπων. Nihil enim hîc deeſt quod ex Galeno, aut Oribaſio, aut Aëtio ſit farciendum, ſicut cætera ex iiſdem Paulus tranſcripſit: ſed hunc locum Paulus de ſuo attexuit, curationem tertianæ ſuo tempore à veterum curatione euariare docens, prout victus ratio immutata eſt. Non puto autem alicui dubium eſſe quin ἐπὶ τῶν παλαιῶν ſignificet veterum temporibus, quum etiam ἐπὶ Ὁμήρου, Homeri tempore accipiamus.

IN CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Col. 402. lit. E. *A porcinis carnibus ægri prohibeantur; & ab omnibus quæ uiſcoſa ſunt, & tardè tranſeunt, & à frigifacientibus ac humectantibus eduliis omnibus.* Hoc loco videri poſſit corrupta eſſe Pauli lectio, vbi à frigefacientibus & humectantibus eduliis quartana laborantes prohibendos eſſe dicit, quum tamen humida & vt febri & vt ſicco, atræ bilis humori competant, vt proinde pro ὑγραινόντων voce, ξηραινόντων legi debere ſuſpicio oboriatur, nimirum quòd à frigidis & ſiccis eduliis prohibendos eſſe quartanarios præceperit, non à frigidis ac humidis. At huic ſuſpicioni ita occurrendum eſt, Sicut frigidis eduliis interdicit Paulus in quartana, velut incommodis frigido atræ bilis humori, quum tamen commodent febri, iuxta illud Hippocratis, Cõtraria contrariis curantur: ita humidis interdicit, velut incommodis atræ bili, vt humori, etiamſi febri commodent, iuxta illud Hipp. ſect. 1. aphor. 16, Victus humidi omnibus febricitantibus conferunt. Porro ſicut frigida & humida prohibet hac qua dixi ratione: ſic calida & ſicca concedit, velut commoda frigido atræ bilis humori, etiamſi vtraque incommoda ſint febri, in quantum febris eſt. Non igitur ξηραινόντων vox pro ὑγραινόντων legi poteſt, ſicut quibuſdam ex artis ratione viſum eſt: non enim prohibuit ſiccantia edulia, ſed humectantia, velut oſtendimus. Et ſiccantia ipſum non prohibere indicio ſunt ſalſamenta & ſinapi, quorum vſum mox deinceps præſcribit, quæ ſiccantem vim habent. Proinde recta hæc Pauli lectio eſt qua iubet εἴργειν αὐτοὺς τῶν ψυχόντων καὶ ὑγραινόντων ἐδεσμάτων πάντων. & iiſdem verbis apud Galenum libro primo curandi methodi ad Glauconem, & apud Aëtium libri quinti capite octuageſimoquarto habetur. Nec ſatis conſtat an Leonicenus in Galeni tranſlatione ipſe ex ſua ſententia, aut exemplaris ſui præſcriptum ſequutus, ξηραινόντων verterit: aut poſtea aliquis pro ſuo arbitrio humectant in exſiccant commutarit. Cæterùm ad finem huius capitis habetur medicamentum quod ſuccum cyrenaicum recipit. ſed lectio corrupta, ex Aëtio libri quinti cap. 84, reſtitui poteſt, hoc modo, Ἐν οἷς δεῖ καὶ τὸ σιλφίου ἡμῖν ἁπάντων δοκιμώτατον ὀποῦ τοῦ κυρηναϊκοῦ λαμβάνειν.

IN CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Col. 403. lit. E. *Porro lipyriæ & fumoſæ, & quæcunque præter relatas, febres dicantur, quum ex relatorum genere ſint, curationes quoque de illis dictas ac dicendas exigunt.* Eiuſdem generis eſſe hepialos & lipyrias febres Galenus libro de inæquali intemperie prodit, pro minoris ac maioris ratione, ita vt in vtriſque immodicum frigus ac calor percipiatur: non tamen in eodem loco, ſed calor intrinſecus circa viſcera, frigus in externis partibus omnibus. Videtur itaque λειπυρίας πυρετὸς dictus à leni & miti febris feruore, quaſi λεῖος πυρετὸς, aut λείας πυρὰς ἐπιφέρων: quanquam hæc originatio non adeò conueniat ei, quòd eodem loco pernicioſas febres ardentes itidem tales velut lipyrias eſſe dicit: & quòd in commentario quarto ſuper aphoriſm. Hippocratis 48. ſymptomata illa, vt exteriores partes frigidæ ſint, & interiores vrantur, tantùm in ardentibus febribus pernicioſis, aut maligniſſimis veluti lipyriis, accidere dicit. Hippocrates autem febrem ardentem in lipyriam tranſire, & poſtea in hepialum mutari ſcribit: cuius hæc ſunt verba in libro de

iudicationibus, φιλέει δὲ καὶ εἰς λειπυρίην περιίστασθαι, καὶ λαμβάνει μάλιστα τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ ἐξηπιδοῦται. At verò quas fumoſas appellaui, τυφώδεις Græcè dicuntur, ἀπὸ τοῦ τύφεσθαι, id eſt à fumigando, eo quòd ita ſuccenſæ ſint vt velut ligna quæ ardent ita vt fumum edant, etiam ipſæ fumigent, lento videlicet motu progreſſum facientes: quod declarat Galenus libro primo de iudiciis in fine. Conſiderandũ eſt, inquit, quiſnam ſit in morbo motus, hoc eſt vtrum acutè aut lentè, καὶ οἷον τυφόμενον κινοῖτο, id eſt fumigans moueatur. Eandem item ſimilitudinem amplius explicat libro ſecundo De differ.febr. fine, τύφεται πυρούμενον, inquit, δίκην ξύλων ὑγροτέρων ἀθρόως ἐπιβληθέντων ὀλίγῃ φλογί. Loquitur de ſanguine qui poſterius ex aliis partibus, ad eam in qua iam calor accenſus eſt & augetur, influit: atque primùm quidem fumigat, eo quòd iam putrefactis ſuperfluitatibus miſceatur, & quòd impactus nõ perfletur: poſtea verò ſimiliter vt priores illæ ſuperfluitates putreſcit, ita vt omnia tandem febrilem caliditatem accendant. De eo item qui afficitur hoc modo, loquẽs, ὑποτυφόμενον ipſum appellat, quaſi in quo nondum plenè accenſa febris adhuc fumiget. Porro τῦφος etiam ſtuporem ſignificat, vnde τυφώδης dicitur ita affectus, Hippocrati libro quarto morborum popularium: & τυφομανία, mixta ex phrenitide & lethargo affectio, velut Galenus in gloſſis Hippocratis exponit. Verba Hippocratis hæc ſunt, μετὰ πλειάδων δύσιν ὁ θεράπων τοῦ ἀθηναίου ὑπὸ τεταρταίου ἁλισκόμενος τυφώδης ἱδρύνθη· ἕτερος τὴν αὐτὴν ὥρην ἀληθεῖ τυφομανίῃ. Habent tamen exemplaria Hippocratis impreſſa τυφλώδης, & τυφλομανίῃ falſò, ſicut etiam in eodem libro non longè à fine, τυφλώδης rurſus pro τυφώδης habetur. Porro Aëtius libro quinto cap. 89. diſtinctionem inter has febres talem facit, Fiunt, inquit, aliquando ignis ſacri affectiones circa aliqua viſcera, febrem ardentem & habitualem inducentes. Et ſi quidem circa ventrem fuerit ignis ſacer, febrem ex his locis accenſam lypyriam nominant: ſi verò circa hepar, τυφώδη, id eſt fumoſam: ſi circa pulmonem, κρυμώδη, id eſt algidam. Sed horum fidem apud authorem relinquimus.

IN CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Ibid.lit.G. *Continentium (ſynochos Græci uocant) febrium generatio ex ſanguine eſt.* Tametſi continens vox idem ſignificet quod continua, tamen continuas febres, συνεχεῖς Græcis dictas, appellare nobis viſum fuit, quæ ſunt eiuſdem generis cum ſingulis intermittentibus ſiue interpolatis. Eſt enim tertiana continua & intermittens, & quartana continua & intermittens, & quotidiana continua ac intermittens: continentes autem, id eſt συνόχεις, eas quæ ex ſanguine ortum habent, quandoque feruefacto ſolùm, quãdoque etiam putrefacto propter obturationem. Nam quum neque Græci certam ac Græcam huius febris appellationem habeãt, licebit puto etiam nobis generaliorem vocem ad certam ſpeciem adſtringere: quod etiam ante nos Linacer in vertenda Galeni methodo fecit. Quòd autem non Græcũ nomen ſit σύνοχος, ſed ſolœciſmum redoleat, & à quibuſdã huic febris ſpeciei ea gratia impoſitum ſit vt ne ſine nomine relinqueretur, Galenus nono methodi docet his verbis, ἐφ' ὧν γὰρ αὖ ὁ παροξυσμὸς εἷς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι παντὸς διαμένων εἰς πολλὰς ἡμέρας ἐκτείνεται, συνόχους ὀνομάζουσι τοὺς τοιούτους πυρετούς· οὐχ ἑλληνικῷ μὲν ὀνόματι χρώμενοι, σολοικίζειν δὲ ἑλόμενοι μᾶλλον ἢ καταλιπεῖν ἀνώνυμον αὐτῶν τὴν ἰδέαν.

IN CAPVT TRICESIMVMSECVNDVM.

Col.404.lit.G. *Duplex autem febrium hecticarum ſpecies eſt.* Hic locus & in Paulo corruptè habetur, & in Galeno libro primo De diff.febr. parum integrè legitur. & in Aëtio ſermonis ſiue libri 5. cap. 92. defectuoſus eſt. Nec putandũ eſt Paulum aut Aëtium quædam omiſiſſe compendii gratia, quum ſiquid hoc loco omittatur, ſententiam vitiet. Nec rurſus putandum Aëtium adieciſſe de ſuo quod Galenus non habuerit, ſed ſcriptorum qui de linea ad aliam lineam aberrarunt, incuria factum eſt, vocũ etiam ſimilitudine occaſionem errandi præbente, vt in omnibus his non integra ſit lectio, quæ in hunc modum eſt omnibus ex æquo reſtituenda, quam etiam Latinè expreſſimus, Διττὸν δέ ἐστιν εἶδος τῶν ἑκτικῶν πυρετῶν. οἱ μὲν γὰρ ἐπὶ καυσώδεσι πυρετοῖς ὡς τὰ πολλὰ γίνονται, ἤτοι μηκυνθεῖσιν εἰς τοσοῦτον ὡς ἐκδαπανῆσαι τῷ χρόνῳ τὴν ἰκμάδα τοῦ τῆς καρδίας σώματος, ἢ καὶ μενούσης ἔτι συνεχῆς. ἐκεῖνοι μὲν οὖν οὐχ ἑκτικοὶ μόνον εἰσίν, ἀλλ' ἤδη καὶ μαρασμώδεις· οἱ δ' ἔτι μενούσης τῆς ὑγρότητος γιγνόμενοι, τὸ σῶμα τῆς καρδίας καταλαμβάνοντες ἐντεῦθεν ἀνάπτονται, καθάπερ ἡ τῶν λύχνων φλὸξ ἐκ τῆς θρυαλλίδος, ἔτι μένοντος τοῦ ἐν τοῖς λύχνοις ἐλαίου, &c.

IN CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

Col.405.lit.G. *Quæ ſanè etiam magis facilè curari poteſt.* Tametſi exemplaria impreſſa partim ἀνίατος, partim δυσίατος habeant, tamen ratio & res adeò ipſa indicat legendum eſſe εὐίατος. Nam ſi incurabilis eſſet, quid opus fuiſſet curationis rationem & modum ſubſcribere? quid item aduerbium μᾶλλον adiicere attinebat ad vocem priuationem ſignificãtem, & rem penitus negatam? At ἀνίατος vox eſt neque Paulo, neque reliquæ Græcorum medicorũ ſcholæ familiaris.

IN CAPVT TRICESIMVMQVINTVM.

Col.406.lit.A. *Verùm ambiens nos aer mutat temperamenta, ſiue immoderatè calidior, ſiue frigidior, aut ſiccior, aut humidior fiat.* In Græcis exemplaribus deeſt vox ἢ ξηρότερος, quam & ratio reponi iubet, & Aëtius expreſſè habet.

Ibid.lit.C. *Ita ut aquæ inductionibus, & otio, & ciborum inopia, & potus redundantia refrigeret: tegumentis autem & laboribus, & cibo uberiore, & potu parciore calefaciat.* Quod hoc loco, Et potu parciore dixi, in Græcis codicibus corruptè legitur, καὶ ποτε ἡσσόνι. Eſt enim legendum καὶ ποτῷ ἐλάσσονι Sicut enim ad diuerſas & contrarias qualitates inducendas, opponit aquæ inductioni tegumenta, ocio labores, ciborum inopiæ, cibum vberiorem: ſic etiam potus redundantiæ refrigeranti opponit potum parciorem calefacientem. Atque hæc eſt genuina ac recta huius loci ſententia. At verò aquæ inductiones non accipiẽdæ ſunt, quaſi ſupra corpus aut vllam corporis partem, eam induci aut ſuperfundi velit, ſed eas locis cœnaculorum, conclauium, ac habitationum induci vult, ita vt aut pauimentis inſpergatur, aut etiam in vaſis apertis deponatur, aut per canales inducatur, quo ſalientis modo, labro ſuppoſito excipiatur. His enim modis aer mirificè refrigeratur. Cæterùm paulo pòſt deeſt vox ψυχρὸν in Græcis Pauli exemplaribus. Sic enim legendum eſt, μεταβάλλειν ἐπὶ τὸ θερμὸν καὶ ξηρὸν τὸν ἀέρα, πῶς ὑγρὸν καὶ ψυχρὸν ὄντα. Ita ſanè & ratio dictat, & Aëtius libro quinto cap. 94. habet. Quod verò hic Paulus Acronem Agrigentinum feciſſe tradit, id Aëtius Hippocrati quoque attribuit. Meminit item eius Hippocratici facti Galenus ad Piſonem de Theriaca. Acronem verò Hippocrate vetuſtiorem facit Suidas, ipſúmque cum Empedocle Athenis vixiſſe ſcribit.

IN CAPVT TRICESIMVMSEXTVM.

Ibid.lit.E. *Linguæ torrefactæ, ſiticuloſi ſunt, anxij, uigilantes, &c.* In Græcis exemplaribus ἄσηροι vox legitur corruptè pro ἀσώδεις. Quòd autẽ duplices ſint ἀσώδεις, alteri cũ cibi faſtidio nauſeabundi, alteri anxii, & variis modis ſe iactantes in lecto, in commentariis medicis ex Galeno docui. De poſterioribus hìc loquitur Paulus: nec habet vox ἄσηροι vllam huc pertinentem ſignificationem. Sed & mox legitur συνεὶ δὴ pro συνετὸς εἴη, deeſtque vox προγνῶσαι. Totum itaque hunc locum Græcè ſic leges, ex Aëtio libro quinto capite 95. Γλῶσσαι καταπεφρυγμέναι, διψώδεις, ἀσώδεις, ἄγρυπνοι, σπασμοὶ βίαιοι, καὶ ἄλλα πονηρὰ πολλά. εἰ δέ τις συνετὸς εἴη, προγνῶσαι μέλλοντα ἥξειν, &c. velut textus habet, & ego conuerti.

Ibid.lit.G. *His calefactorijs opus eſt, quò caliditas ad ſuperficiem corporis trahatur, & ſiquo alio modo fieri poſſit ut caliditas ex profundo ad externas partes educatur.* Ex Aëtio hic locus ita Græcè legi debet, Τούτοις θερμασμάτων δεῖ, ὥστε ἑλκυσθῆναι τὸ θερμὸν ἐπὶ τὴν ἐπιφάνειαν τοῦ σώματος· καὶ εἰ δή τινι ἄλλῳ τρόπῳ οἷόν τε ἀνάγειν τὸ θερμὸν ἐκ βάθους πρὸς τὰ ἔξω. Sed & paulo ante hunc locum vbi legitur, καὶ ἡ φλὸξ ἄχρι στήθους, deeſt vox quæ item ex Aëtio adſcribenda eſt, ἀνήει.

Ibid.lit.G. *Vtendum & hac quæ præſumitur potione, Aloes partes duas, ammoniaci thymiamatis partes duas, myrrhæ partem unam. Hæc in uino odorato fabæ magnitudine dentur, quotidie uidelicet.* In Græcis codicibus legitur, ἐν οἴνῳ εὐώδει δοτέον ὅσον κυάθου ἥμισυ, ita vt vini menſura, non medicamenti pondus, aut modus, aut quantitas ſit expreſſa, quum tamen non multum referat vini ne plus aliquanto aut minus quis accipiat. At vt medicamenti certus modus ſumatur multum refert, de

incerta mole myrrhæ ſimplæ,ad duplam aloen, itémque duplũ ammoniacum thymiama, quam molem quiſque prout libet augere ac minuere poteſt.Neque enim de medicamento menſura dimidii cyathi accipi debet,aut poteſt. Proinde legendum arbitror, ὅσον κυάμου μέγεθος: primum quòd facilè fieri potuerit vt ex decurtata ſcriptura κυάμ. μεγ. is qui tranſcripſit,legendum putarit κυάθου ἥμισυ,maximè quum vini mentio proximè fieret:deinde quòd fabæ magnitudo conueniens modus eſſe videatur huius medicamenti quotidie ſumendi,nõ purgationis,ſed humorum à corruptione aſſeruandorum gratia: poſtremùm quòd vox ὅσον quantitatem ponderis aut molis ſignificet,non menſuram,aut capacitatem vaſis alicuius.Porro huius medicamenti loco hodie ſunt in vſu catapotia,ſiue pilulæ communes dictæ, ſiue de tribus rebus.Conſtant enim aloe,croco & myrrha,ita vt quædam officinæ æquale omnium pondus ſumãt: quædam myrrhæ ſimplum,aloes & croci duplum:quædam aloes duplum,croci & myrrhæ ſimplum:prout authorum primorum aut vtentium,aut etiam præſentium medicorum vſus obtinuit. Differentia in hoc eſt quòd in his pilulis crocus pro ammoniaco,haud ſcio qua ratione aut quo errore,ducas Arabibus medicis,recipitur: & quòd pilulæ deglutiuntur,medicamentum hoc ex vino bibitur.Nam quod ad pondus attinet,pilularum doſis in communi eſt drachma vna.Qui verò in peſte quotidie vtuntur,minus ſumunt,drachmæ nimirum tertiam aut quartam partem,ita vt à quibuſdam neque hic fabæ magnitudo excedatur.

IN CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

Col.407.lit.A. *Et totum corpus maiorem naturali molem habet.* Tametſi Paulus hoc loco legat, ἐν ὄγκῳ τε μείζονι τοῦ κατὰ φύσιν τὸ σῶμα τῆς γαστρός ἐστι: tamen Galenum 12.methodi, & Aëtium lib. 5.capite nonageſimoquinto ſequuti, legere maluimus & expreſſimus,ἐν ὄγκῳ μείζονι τοῦ κατὰ φύσιν ὅλον τὸ σῶμά ἐστι.Nam & oris ventriculi moles cerni non poteſt,& ſiquid ea parte tumidius foris appareat,hoc inflati præcordii nota quæ præceſſit,ſatis indicatum fuit. Sed & color qui ſequitur ad totum corpus pertinet,non ad vẽtriculi oſculum.Deeſt autem & eo loco Paulo vox vna ex dictis authoribus reſtituenda,vt ſic legatur,ἔστι δὲ οἷς ἐπὶ τὸ μελάντερον καὶ πελιδνότερον. At mox ſiue legas,εἴγε καὶ χωρὶς τούτων, vt Galenus habet, ſiue οἵτινες καὶ χωρὶς τούτων,vt Aëtius,ſiue οἱ δὴ καὶ χωρὶς τούτων,vt Paulus,δὲ in δὴ mutato,rectam lectionem habes.

Ibid.lit.D. *Et illud ſolum tempus remittamus in quo ſomnus ipſos occuparit. Si quidem igitur pulſus ipſis ualde paruus, & fortiter inæqualis eſt,extremum periculum imminet,& facere oportet ea quæ dicta ſunt,nihil aliud curioſius conando.* Hæc omnia in Græcis exẽplaribus deſunt,nec compendii gratia à Paulo omiſſa ſunt,ſed ad explendam ſententiam neceſſaria exiſtunt. Et ſequẽs periodus,εἰ δὲ πόνου μετρίως ἔχοι,&c.indicat priorem illam deſiderari.Ex Galeno itaque & Aëtio locis paulò antea citatis adſcribantur Paulo hæc verba,Καὶ μόνον ἐκεῖνον ἀνιέντας τὸν καιρὸν ἐν ᾧ περ ἂν ὕπνος αὐτοὺς καταλάβοι.εἰ μὲν οὖν ὁ σφυγμὸς αὐτοῖς σφόδρα μικρὸς καὶ ἀνώμαλος ἰσχυρῶς,ἔσχατος ὁ κίνδυνος,καὶ χρὴ περιέπειν τὰ λελεγμένα,μηδὲν ἄλλο περιεργαζόμενον.

Ibid.lit.F. *Aduerſiſſima ſunt his balnea,& aer nos ambiens multus calidus aut frigidus.Hæc igitur facienda ſunt à prima die,ubi ipſe incœperis curationem.* Et hæc omnia deſunt in Græcis exemplaribus, neceſſariò ad perficiendam ſententiam requiſita, & non breuitatis ergô à Paulo relicta, ſed ab exſcribente prætерita. Nam etiamſi multa legantur in Galeno ac Aëtio quæ Paulus libenter tranſiliuit,tamen hæc ſine ſententiæ detrimento omitti non poſſunt. Sic ergo lectio compleatur,Ἐναντιώτατα τούτοις ἐστὶ βαλανεῖα,καὶ ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀὴρ ἱκανῶς θερμὸς ἢ ψυχρὸς γιγνόμενος. ταῦτα μὲν οὖν περικλείειν ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρας ὅταν αὐτὸς ἄρξῃ τῆς θεραπείας.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM.

Col.408.lit.B. *Verùm in rhenibus cum grauitate quadam dolor eſt,in uno loco firmatus, circa lumbum dextrum aut ſiniſtrum, retrorſum magis.In colo uerò dolor ex loco ad locum tranſit.* Hæc quoque deſunt in Græcis exẽplaribus, ex tranſcribentis incuria relicta.Neque enim ſine his ſententia integra eſt,& non compendium ſed diſpendium eſſet, relinquere ea quæ ad ſententiæ perfectionem referunt. Ex Galeni itaque libro ſecundo De locis affectis, & ex Aëtii libri quinti capite centeſimo, ſic ad verbum legendum eſt,(inde enim ad verbum etiam præcedentia ac ſequentia Paulum trãſcripſiſſe apparet) Ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῶν νεφρῶν μετὰ βάρους τινὸς ἐστὶν ἡ ὀδύνη,καθ' ἕνα τόπον ἑδρασμένη,κατὰ λαγόνα δεξιὰν ἢ ἀριστερὰν,ὀπισθεν μᾶλλον. ἐπὶ δὲ τοῦ κώλου μεταβαίνει ἡ ὀδύνη τόπον ἐκ τόπου.Sed & paulo pòſt ex memoratis Galeni & Aëtii locis,legendum eſt hoc modo, πονώδης δὲ καὶ ναρκώδης ἔστι φέρει τοὺς πόνους ὁ ὑπὸ τῷ δέρματι τεταμένος ὑμὴν· οἱ δὲ μεταξὺ τῆς σαρκὸς,οἷον διατιτρῶντας. Etiamſi in Aëtio vitioſè legatur γαστρὸς pro σαρκὸς,& reliqua lectio corrupta ipſi ex Paulo reſtitui poſſit. Porro quod paulo pòſt,Placantes ipſos magis attenuantibus eduliis,conuerti,in Græcis eſt προσλιπαρoῦντες; quod ſignificat placantes, mitigantes: neque neceſſe eſt aliam vocem exquirere quæ pro hac ſubſtituatur. At verò quod mox ſequitur,Si verò tumor grauans aut premens dolorem efficiat,tumor curandus eſt,accipiendum de tumoribus forinſecus in corpore obortis,& non de aliqua externa illapſa corpori mole,quæ aut grauaſſet aut contudiſſet.quomodo enim de hac mole ſubiũxiſſet,τὸν ὄγκον ἰατέον? Sed clarior eſt adhuc,qui inſuper addit quibus rebus tumor is ſit curandus,Aëtius,τὸν ὄγκον ἰατέον,inquit,διὰ τῶν λεπτυνόντων καὶ ἀραιούντων.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Ibid.lit.G. *Craſſitudinem habet ſtrigmentitiam, aliquando etiam oleoſam,aut adipoſam, ſyntexis(id eſt colliquatio)appellatur morbus. Nam recens compacta pinguedinis ac carnis eſſentia,à febre ardente reſoluitur ac colliquatur.* In Græcis exemplaribus lectio corrupta ſic reſtituatur ex Aëtii libri quinti capite nonageſimo,& libri noni capite triceſimooctauo, Καὶ πάχος ἔχον γλοιῶδες,ἐνίοτε δὲ καὶ ἐλαιῶδες ἢ πιμελῶδες, σύντηξις καλεῖται τὸ νόσημα.ἡ γὰρ νεοπαγὴς οὐσία τῆς πιμελῆς καὶ τῆς σαρκὸς ὑπὸ πυρετοῦ διακαοῦς ἀναλύεται καὶ τήκεται.Sed & mox integra vox deeſt, & vna corruptè legitur, nempe γῆς pro πηγῆς. Sic ergo integra lectio reſtituatur,ψυχροῦ πόσις ἴασίς ἐστιν ἀπὸ πηγῆς ψυχροτάτης.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Col.409.lit.A. *Tunc autem aperire & claudere palpebras cogimus.* In Græcis exemplaribus legendum eſt ex Aëtio libri quinti capite centeſimo decimoſexto, διοίγειν δέ ποτε καὶ μῦσαι ἀναγκάζομεν τὰ βλέφαρα. Quòd ſiquis ex Oribaſio legere maluerit,διοίγειν δέ ποτε εἰ μύσειεν ἀναγκάζομεν τὰ βλέφαρα,verba quidem habebit diuerſa,ſed in eandem tamen ſentẽtiam tendentia,nimirum vt ægris per hoc fatigatio inducatur.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

Ibid.lit.E. *Poſt conuenientem ſuperflui uacuationem.* In Græcis falſò habetur, μετὰ τὴν προσήκουσαν τῶν πυρετῶν κένωσιν.Legendum eſt enim περιττῶν.hæc enim vacuantur, non πυρετοί.Ita etiam libri tertii capite tertio, πυρέττοντος pro περιττεύοντος falſò legitur.

Ibid.lit.F. *Cataplaſma huic adhibendum eſt ex polentæ polline.* Græca exemplaria habent κατάπλασμα ἐκ παλαιοῦ ἀλφίτου: ſed facilis fuit lapſus,vt παλαιοῦ pro πάλης arriperetur.Eſſe autem ἐκ πάλης ἀλφίτου legendum docet Aëtius libri quinti capite centeſimo decimoquinto. Non enim præſcribunt veterem polentam, ſed ipſius polentæ pollinem, quæ πάλη & παιπάλη Græcis dicitur.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Col.410.lit.C. *Si uerò perſeueret rigor aut perfrigeratio.* Leuis & nullius momenti error in Græcis exemplaribus, fecit vt tota ſententia huius loci corrumperetur.Græcè ſic habetur,ἐπὶ μόνου δὲ τοῦ ῥίγους ἢ τῆς περιψύξεως οὔσης. Legendum autẽ ἐπιμόνου, vt ſit vna vox.Hæc & alia huiuſmodi hactenus non attigi,neque in poſterum adducam, quum ex ipſa noſtra tranſlatione ſatis cognoſcantur,& talibus dedolandis immenſus præſegminum aceruus futurus ſit.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Ibid.lit.G. *In ſomno uerò in cimolia terra aqua diſſoluta pinguefiũt.* Græcè legitur κιμωλία ὕδατι διαλυθεῖσα παιγνόμενα δρᾷ,καὶ

Sed legendum eſt pro ὁρᾷ ἡ vox ῥάκη. Cimolia enim quum aqua reſoluitur, pinguitudinem quandam remittit, quam ἔμφυτον κεκλημένην (vt Dioſcorides ait) in ſe habet. Cimoliam itaque in ſomnis dorſo ac thoraci per panniculum aut linteum ſubiici vult Paulus, ſicut antea etiam ventilationem per flabellum cum ſomno aſſumendam eſſe dixit. alioquin enim ſomnus ſine his machinamentis non ſudorem prohiberet, ſed magis adiuuaret. Nam antea docuit indicatorios ſudores tum aliis faciendis, tum ſomno adiuuandos eſſe.

Col.411.lit.A. *Qui verò per expreſſionem fiunt ſudores.* Sudores per expreſſionem (id eſt κατ' ἔκθλιψιν) fiunt qui per vim quandam ex doloribus aut cõuulſionibus eliduntur, & quos anxietas quædam excludit. Eos autem deligatione & fotu extremarum partium, & panniculorum laneorum defrictione curare præcepit. Sed corrupta eſt in Græcis codicibus lectio, quæ habet ἀποψύχει διὰ ῥακιδίων ἐρέων. legẽdum enim eſt ἀποψήξει, à verbo ψήχω, quod tero, τρίβω, tergo, ſcabo, frico ſignificat. Et alioqui vox ἀποψύχει nihilhuc pertinens ſignificat, niſi pro deſiccare accipias, & ἀποψύξει legas. & fortaſſis pro ἐρέων legendum eſt ἀραιῶν, vt raros panniculos accipiamus.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMNONVM.

Ibid.lit.F. *Vitare autem oportet repentinam ex ſomno excitationem, fumum, puluerem, acriores odores, piperis, caſtorei, ſinapis, mẽthæ. Lenis eſt odor mali ac polentæ.* Hæc Græcè ad verbum ita leguntur, φυλάττεσθαι δὲ αἰφνιδίαν ἐξ ὕπνου διέγερσιν, καπνὸν, κονιορτὸν, τὰς δριμυτέρας ὀσμὰς, πεπέρεως, καστορίου, νάπυος, ἡδυόσμου. πρᾳεῖς ἡ μήλου καὶ ἀλφίτου ὀσμή. Dubium itaque eſt primùm an ἡδύοσμον (id eſt mẽtham) vitare iuſſerit, velut quæ acris calidáque ac tenuium partium ſit, atque iſtis facultatibus velut alia quæ enumerauit, ſternutationem irritet: aut diſtinctione poſt vocẽ νάπυος facta, ἡδυόσμου vox ad πρᾳεῖς & ſequentia coniuncta legi debeat, quomodo poſterioris editionis lectio habet: maximè quum Aëtius lib. 6. cap. vltimo in fine apertè tradat, mẽthæ olfactum ſedare ſternutationes. παύει, inquit, καὶ τὸ ἡδύοσμον ἡ τὸ ἡδύχροον ὀσφραινόμενον. Deinde ambiguum eſt an μῆλον vox rectè legatur. Nam quum multa ſint malorum genera facultatibus diuerſa, non videtur ita ſimpliciter debuiſſe pronunciare mali odorem lenem ſiue gratum eſſe: deinde diuerſiſſimi generis odores, mali & polentæ non ita commodè coniunxiſſe videtur: vt proinde ſuſpicio ſit, pro μήλου voce legendum eſſe ἀμύλου, quum amylum & natura & viribus polentæ vicinius ſit, & acria leniendi vim habeat. Hæc proponenda duxi, non quòd omnino improbem aut tollam veterem lectionem, ſed vt ſollicitos faciam rei medicæ ſtudioſos, artémque exerentes, quò diligenter etiam rectè tradita conſiderent ac expendant, atque ita non temere quæuis, ſed experientia quoque prius cognita, in vſum aſſumant.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMPRIMVM.

Col.412.lit.D. *Si verò ad magnam famem (bulimon appellatam) ciborum inappetentia deueniat, hoc eſt, ut excellenter animo linquantur, hos reuocabimus.* Legitur quidem hoc loco ὑπερβάλλουσαν ἀτροφίαν, hoc eſt vt excellenter non ſentiant alimentum: ſed quum præcipua eorum qui bulimo corripiuntur affectio in hoc ſit vt animo linquantur cum extremarum partium perfrigeratione, & ſpiritus defectione (velut Aëtius libri noni capite ſexto docet) videtur etiam hîc legẽdum eſſe ὑπερβάλλουσαν ἀψυχίαν, velut etiam reddidi, maximè quum ſequatur, τούτους ἀνακλησόμεθα, id eſt hos reuocabimus. Non enim reuocantur, ac veluti ad vitam reparantur niſi ἀψυχοῦντες, & qui λειποθυμοῦσι. Eſtque ἀψυχία idẽ quod λειποθυμία, velut etiam Hippocrates lib.1. De morbis muliebribus vſurpat. Quòd ſi tamen ἀτροφίαν legendum eſſe quis contendat, neque is aliam ſententiam inducere poterit quàm vt accipiamus, adeò vehementer alimentum non ſentiri vt inde deliquium animi conſequatur. Reuocatis autem panem ἐν κράματι (id eſt vino diluto) exhibet: ſed falſò in Græcis vna vox ἀκράματι habetur.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMTERTIVM.

Ibid.lit.G. *Appetunt etiam vitioſas qualitates, quemadmodum etiam cibos.* Sic ſanè habent exemplaria Græca, μοχθηρῶν δὲ ἐπιθυμοῦσι ποιοτήτων, ὥσπερ καὶ σιτίων. At vox σιτίων facit vt videri poſſit rectius legi ποτῶν quàm ποιοτήτων, vt accipiamus eos & potus & cibos vitioſos appetere. Sed repugnat conſtans lectio exemplariorum, etiamſi fieri potuerit vt ob vicinitatem vocum, ποιοτήτων pro ποτῶν ſuppoſita ſit: deinde & ratio colligit, & experientia confirmat, nõ potus tantùm eos vitioſos, velut etiam cibos, appetere, ſed varias res quæ nec in cibi nec potus vſum veniunt, ſed in ore ſaltem teneri, aut manducari poſſunt, ex partibus animalium, ſtirpium & terrarum, imò etiam rerum abſurdarum, iuxta prædominantis vitioſi humoris proportionem. Quin & ſi potus ac cibos tantùm eos appetere, velimus accipere, tamen etiam ſic ποτῶν vox melius ſub voce ποιοτήτων intelligi poteſt quàm expreſſè pro ipſa remota reponi. Quòd ſi Galenum lib.1. De ſympt. cauſis ſequi voluerimus, vtram vocem maluerimus rectè legemus. Nam vtraſque voces eodem loco non ita multo facto diſcrimine vſurpat. Et Paulum inde hæc & ſequentia mox deſcripſiſſe apparet, vnde etiam vera lectio peti poteſt.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMQVARTVM.

Col.431.lit.C. *Et damaſcenorum & Myſclij, hoc eſt myxæ oſſa in ore retenta.* Græca exemplaria hîc ſunt corrupta. ſic enim habent, καὶ δαμασκηνὰ καὶ μυσκλίου, τοῦτο δέ ἐστιν ἡ μύξη, τὰ ὀστᾶ. Poteſt autem recta lectio reſtitui ex Aëtio qui lib. 5. cap. 118. ita habet, καὶ δαμασκηνοῦ δὲ ἢ μυξαρίων τὸ ὀστέον κατεχόμενον ἐν τῷ στόματι παραμυθεῖται. Proinde ita Pauli lectio habere debet, καὶ δαμασκηνοῦ καὶ μυσκλίου, τοῦτο δέ ἐστι τῆς μύξης τὰ ὀστᾶ. Eſt autem myxa fructus non multum diſſimilis pruno damaſceno, ita vt alter pro altero agnoſci poſſit. Hodie in pharmacopoliis Sebeſten vocant. Vtriuſque oſſicula illa interna in quibus & nucleus eſt, hîc in vſum præſcribuntur. Meminit porro paulo pòſt Salis Indici, qui colore quidem & compage ſimilis ſit ſali communi, ſapore verò mellito. Quibus verbis declarat ſe nihil aliud præſcribere quàm Zuccharum hodie appellatum granoſum, illud & candidum appellatum: quod ipſum etiam Dioſcorides nouit, & Saccharum appellat, & lib.2. deſcribit, ſpeciem eſſe mellis in India ac felice Arabia concreti, quæ in harundinibus reperiatur, compage ſimilis ſali, & quæ ſub dentibus ſimiliter vt ſal atteratur. Sed & Paulus lib.7, Sacchar appellat, & ex felice Arabia afferri dicit: quod minus quidem, inquit, dulce eſt melle quod apud nos eſt, ſed paribus viribus præditum, ſupra hoc quòd neque ſtomacho ingratum eſt, neque velut hoc ſitim inducit. Quæ verba Paulus ex Galeno lib.7. ſimpl. medica. tranſcripſit: ſicut Galenus ſua partim ex Dioſcoride ſumpſit. Plinius quoque lib.12. cap.8. eandem ſentẽtiam his verbis exponit, Saccharum & Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, ampliſſimum nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantùm vſum. Hæc omnia quum hodierno appellato Zuccharo probè conuenire videantur, non libet mihi diuerſum genus hodierni Zucchari à Saccharo illo veterum credere: etiamſi tempus & locos & vſum & parandi modum aliquantum immutarit. Sed de hac re amplius quiddam lib.2. Emblematum in Dioſcoridem, emblemate 71, dicemus.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMOCTAVVM.

Col.441.lit.B. *In principio igitur ſuſtinere oportet ea quæ prodeunt, ita ut nihil reſiſtamus aduerſus ea quæ ex corruptione ac cruditate efferuntur.* In Græcis exemplaribus deſunt hoc loco duæ voces ad explẽdam ſententiam neceſſariæ, nempe πρὸς τά. Sic ergo legendum eſt, ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν δέχεσθαι δεῖ τὰ κομιζόμενα, μηδὲν ἀντιβαίνοντας πρὸς τὰ ἀπὸ διαφθορᾶς καὶ ἀπεψίας φερόμενα. Cæterùm quod ad finem huius capitis habetur, ἀγάθιον ἐπικείσθω προσπεπτωμένον τῇ ἕδρᾳ ἀπὸ θερμῶν στημόνων, integrum eſt, & bonam ſententiam exhibet, ſiquis voces rectè arripiat. Eſt autem ſententia ea quam ego expreſſi his verbis, Glomer ex calidis ſtaminibus ad ſedem efformatus apponatur. Eſt enim ἀγάθιον glomus ſiue glomer, id eſt globus ex ſtaminibus (quæ στήματα vocantur) factus, noſtrum vulgus ein vveber klůel appellat. Talem itaque glomum ex ſtaminibus ac filis factum ita efformari vult vt ad ſedem aptus ſit, & appoſitus prohibere poſſit ne ita frequens ad egerendum ſurrectio contingat. Meminit etiam lib.5. cap.41, in fine.

IN CAPVT

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMNONVM.

Col.402.b.lit.G. *Per typhã uelut mos eſt,uaſa in naribus ſauciare.* Quandoquidẽ ſtillatio ſanguinis,quæ videlicet guttatim ſanguine è naribus ſtillante contingit,aut per expreſſionem (id eſt violentiam quandam plenitudinis vrgentis ac impellentis)aut ob meatuum denſitatem(id eſt διὰ πύκνωσιν τῶν πόρων)velut Aëtius lib. 5. capite 124. dicit,fit, etiamſi in Paulo τῶν πόρων vox deſit:hanc ſanè meatuum denſationem rarefacere vult,atque ſic ſtillationem in largiorem fluxionem commutare,& hoc ſauciatis vaſis naribus per typham.Eſt autem Typha harundinis ſpecies ea quæ frequens vbique occurrit in ſtagnantibus locis ac paludibus,vulgus noſtrum kolben,& roricht kolben appellat. Hæc itaque Typha inditur in nares,& acie ſua vaſa ſaucians ſanguinem elicit.Aëtius citato iam loco idem per graminis coliculum molitur.διὰ καυλίων ἀγρώστεως,inquit,ὡς ἔθος τρῶσαι τὰ ἐν τοῖς μυξωτῆρσιν ἀγγεῖα.& lib.6.cap. nonageſimoquinto, graminis florem aut ſummam eius aſperiorem partem naribus indere iubet,& obtorquere donec ſanguis erumpat.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI
Dolabellarum in Paulum AEginetam liber tertius.

IN CAPVT PRIMVM.

Columna 411.litera E.

ALIVD *experimento cognitum ad alopeciam. Radicis mandragoræ,&c.* Hoc medicamentum in nullo alio medico Græco,quod ſciam,reperitur:& vocibus obſcuris,& Paulo non ita familiaribus proditum, meritò tanquam ſuppoſititium eſt ſuſpectum. Ac primùm quidem ponderis lectio corrupta eſt.habetur enim χ η'.quod ſanè pondus ſi congiorum octo menſuram accipiamus, in immenſam molem excreuerit medicamentum.Aut igitur vltro hoc pondus author obſcurauit, aut corruptè legitur,pro genuino pondere λο η'.id quod Latinè expreſſi : deinde habetur ἀξυγγίου χοιρείου ἀπάστου. Neque ſatis conſtat quid per ἀπάστου vocem ſignificare velit,ἀπεράπευτον ne(id eſt nõ curatam) aut ἄναλον,id eſt non ſalſam. At quum πάσσειν inter cætera ſignificet etiam ſalem inſpergere,ἄπαστον non ſalſam conuerti:& alioqui inſulſæ axungiæ vſus hoc loco potior quàm ſalſæ axungiæ videtur. Poſtea nerii herbæ cordis ſiue internæ partis parum habet,hoc modo, νηρίου τῆς βοτάνης καρδίας ὀλίγον.Nerium itaque fruticem , qui & rhododaphne & rhododendron appellatur, obſcurat herbæ appellatione:& dum cor eius herbæ accipere iubet,etiam de parte nos ambiguos facit.Puto tamen ramorum nerii internã partem ſiue medullam accipiendam eſſe,ſicut in ſcilla internam partem ac medium καρδίαν Græci medici vocant.Putatur autem nerium eſſe fruticem,noſtris olander appellatum.Cætera clara ſunt,niſi quòd ἀποσπρθύσας corruptè legitur pro ἀποσμήξασας.eſt autem ἀποσμῆξαι excolare.

Ibid.lit.F. *Aliud.Capitis muris uſti partem unam,teſtarum buccinorum marinorum partem unam.* In Græcis codicibus ita legitur,ἄλλο. κυνὸς κεφαλῆς κεκ. μ. α. ὄστρακα ῥούσιον ἐκ τῆς θαλάσσης μ. α. Tametſi non improbo coniecturam, vt ob ſcripturæ vicinitatem, κυνὸς vox pro μυὸς voce ſuppoſita ſit,maximè quum Galenus quoque lib. 1. κατὰ τόπους muris caput & non canis habeat: tamen ſicut paulo antea vulpeculæ caput vſtum recipiebat, ſic caninum quoque hoc loco recipiendum eſſe,præſcripſiſſe videri poteſt,vtrũque ob vim vehementer reſiccantem ac exterſoriam.Eodem modo, ſicut pro vocibus ὄστρακα ῥούσιον,legendum puto,ὀστράκων κηρύκων:(nam eadem etiam paulo inferius in hoc capite habentur)tamẽ nolo etiam penitus ὄστρακον ῥούσιον reiicere.fortaſſis enim legendum eſt, ὀστράκων ῥουσίων ἐκ τῆς θαλάσσης μ. α. id eſt teſtarum ruſſearum ex mari partem vnam.Tametſi verò res obſcura ac incerta pro certa tradi non poſſit,tamẽ ſuſpicor ῥούσιον dixiſſe ruſſeum,Latina voce vſurpata.quemadmodum Conſtant.Cæſar lib.2.de agricult. cap.24 . ῥουσίζοντα ἴα dixit ruſſei coloris violas.Et Paulus lib.7. cap.11.in antidoto podagrica ex corallio,anagallidẽ,τὸ ῥούσιον ἄνθος ἔχουσαν(id eſt Puniceum florem habentem)dixit.Et tamen neque ſic ruſſeæ teſtæ ex mari,aliæ erunt quàm conchyliorũ ac concharum; atque adeò ipſorum buccinorum.Sed hæc coniectura noſtra ſit,qui nolui locum ab omnibus ſilentio præteritum,relinquere intactum,ſed quod in præſens videretur communicare.Addam porro & aliam coniecturam: Poſſit fieri vt recta lectio ſit,ὀστράκων ἐχίνων ἐκ τῆς θαλάσσης.Nam Galenus lib.1.κατὰ τόπους,inter huius generis medicamenta à Critone prodita, Erinaceorum marinorum teſtas vſtas habet.Sed ſint hæc coniectantis ac diuinantis, non afferentis ac affirmantis. Neque enim mox mutanda eſt lectio expreſſa,ex eo quòd alius ſcriptor diuerſum quid habet: niſi penitus conſtet ineptam ac inutilem eſſe lectionem eam quæ ab altera variat.Proinde etiam in ſequentibus nihil opus eſt adducere diuerſam lectionem Galeni , aut Oribaſii, aut Aëtii, vbi non palàm res ipſa reclamat. Poſſunt enim poſteriores etiam in his quæ ex aliis vſurpant,aliqua demere,aliqua addere,pondera etiam ac menſuras mutare, alia contuſa,alia torrefacta aſſumere,& totius medicamẽti formam alterare,prout ipſis ex vſu fore viſum fuerit. Siquid igitur à nobis aliter quàm Græcè habetur,conuerſum eſt,id velut certum à nobis receptum eſt,nequis de ſingulis à me reddendam rationem expectet.Non minima enim commentarii pars,ipſa recta tranſlatio haberi debet,vt quæ etiam iuſti commẽtarii vice eſſe poſſit. Quòd ſiquis tamen aliquid hìc deſideret,is multa huc pertinentia in lib.1.commentariorum meorum medicorum in Galenum κατὰ τόπους ſcriptorum reperiet;& meminerit nos hìc ſaltem dedolare ea quæ priùs ita ſecta ac parata fuerunt vt dolabellam tantùm requirerent.

Col.413. lit.D. *Deinde pectinem in aqua tinge,ac quotidie utere.* In Græcis habetur,τῇ δὲ ἐπιούσῃ καταβάπτων εἰς τὸ ὕδατιον καθ' ἕνα,χρῶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν.Ex quibus verbis ego nullam commodam ſentẽtiam aſſequor. Neque enim καθ' ἕνα ad pilos referri poteſt,quum ſint τρίχες fœminini generis.Neque fieri poteſt vt quis ſingulos pilos hac aqua tingat. Quũ autem neque hìc authorem reperiamus ex quo Paulus tranſcripſit,coniectura vſi,nõ eſſe legendum καθ' ἕνα ſtatuimus, ſed literarum vicinitate corruptam eſſe lectionem iudicamus, & pro ea τὸν κτένα legendum eſſe credimus.Nam & per pectinem hac aqua tinctum pili commodè infici poſſunt;& ſimiles aquas,aut potius cremores,hodiéque multis in vſu per pectinem eſſe ſcimus.

Ibid.lit.E. *Aliud. Aphronitri minæ dimidium, pumicis torrefacti minæ quartam partem.* In Græcis pondera hæc corrupta ſunt.Legitur enim ἀφρονίτρου μνᾶς ζ'. κισσήρεως ὀπτῆς μνᾶς δ'. Tanta harum rerum moles nullam penitus congruentiã cum ſequentibus habet,quæ quatuor drachmarum pondere ſumuntur.Suppoſitũ itaque eſt μνᾶς ζ'. pro μνᾶς ς'. & rurſus μνᾶς δ'.ſuppoſitum eſt pro μνᾶς τέταρτον.Nam mox etiam lupinorum χ τέταρτον , id eſt quartam congii partem habet.Atque hic ſcripturæ modus frequens occurrit in medicis Græcis,vt litera δ'.non numerum quartenarium, ſed quartam rei cui adiecta eſt partem ſignificet.

IN CAPVT SECVNDVM.

Ibid.lit.F. *Aliud.Gallas uiginti,adianti ſextantem.* In hoc medicamento Græca lectio corrupta ſic emendetur,pro χείθαλλον,lege τρίχες θαλλοῦσι,& pro ὀξηραίνοντα ἀλέφειν,lege ξηραίνοντα ἀλείφειν.

Col.414.lit.A. *Aqua capillos denigrans.* In hac aqua falſò legitur μήκωνος καπνίων,pro μήκωνος κωδύων,veluti cõuerti. Sed & ſequentium diſtinctio iuxta noſtræ tranſlationis rationẽ in Græcis facienda eſt. Vſus autẽ eſt & hìc Latina voce,

ὕδωρ λάκκαῖον,aquam lacuſtrem appellans.Niſi fortaſſis potius Latini λάκκον Græcam vocem,lacum ſuum fecerunt.

Col.414.lit.C. *Thapſi qua tinctores utuntur,quam Romani herbam rubiam uocant,drach.* VIII. *lixiuij pileatorij ſextar.* IIII. Hæc in Græcis ſic habentur, θάψου ᾗ τινι οἱ βαφεῖς χρῶνται,ἣν οἱ Ῥωμαῖοι ἔρβα ῥουβίαν καλοῦσι < η. κονίας πιλοποιητικῆς < δ΄. Legendum autem πιλοποιητικῆς ξε δ΄.velut res ipſa indicat. Et accipiendum lixiuium pileatorium ſiue peleariorum, hoc eſt eorum qui pileos ex lana faciunt, velut in comment.medicis inter alia lixiuiorum genera docui. Quod verò herba ea quæ Latinis Rubia vocatur,Græcis appelletur θάψος(velut hîc Paulus habet)hoc apud nullum alium Græcum authorem legi:imò neque θάψον pro vllius herbæ appellatione adhuc reperi. Thapſum addita voce barbaſſum vulgus herbariorum nouit, ſed hæc thapſus φλόμος Græcis eſt, & verbaſcum Latinis, vnde barbaſſi vox corrupta eſt. At hanc thapſum non velle indicare Paulum inde colligimus quòd paulo pòſt φλόμου(id eſt verbaſci) bis mẽtionem facit:& quòd hæc thapſus,Rubia Latinis non appellatur.Et rubiam quidem Latinis dictam ἐρυθρόδανον eſſe,apud omnes pro certo habetur,& in Dioſcoride rubiæ appellatio addita legitur.an verò hanc Paulus velit, & hîc thapſum appellet, ambiguum facit,quod etiam ipſe libro ſeptimo erythrodanum radicem rubram tinctorum eſſe dicit, quemadmodum quoque Dioſcorides.Verùm de thapſo appellata à ſe,mox ita ſcribit,βοτάνης χρυσιζούσης ἣν Ῥωμαῖοι ῥουβίαν καλοῦσι.Non enim videtur conuenire vt eadem modò rubra radix,modò herba auri colorẽ referens appelletur.Heſychius thapſum lignum eſſe ſcribit quod aliqui Scythicum appellent,& quòd etiam fluuius apud quem naſcitur,Thapſus appelletur.Huic ligno attribuit quòd tingat,& quòd lanas & capita eo flauefaciant.Vnde etiam Thapſinum, flauum vocetur. Sed apponam ipſius verba,θάψινον,τὸ ξανθὸν,ἀπὸ τοῦ ξύλου τῆς θάψου,ὃ βάπτει,ᾧ ξανθίζουσι τὰ ἔρια καὶ τὰς κεφαλάς.τοῦτο τινὲς σκυθικὸν λέγουσι. καὶ ὁ ποταμὸς παρ' ᾧ φύεται τὸ ξύλον θάψος καλεῖται. At vt Paulum de ligno loqui non putemus, facit quòd & herbam vocat,& quòd rubia non appellatur.Eò ergo tandem deuenimus vt rubeam quã aliâs ἐρυθρόδανον dixit, peculiari ſuæ ætatis vocabulo,θάψον ab ipſo dictam eſſe ſuſpicemur:non tamen vlterius id facturi quàm donec rectius quid aſſequuti fuerimus.Habet porro mox in eodem medicamento,κελυδρίου ſο β΄.Neque ſatis conſtat an quid in rerum natura ſit quod κελυδρίου voce ſignificetur. Proinde & hîc coniectamus,μυοσκελυδρίου ſο β΄. legendum eſſe,hoc eſt murini ſtercoris ſextantem.Sunt enim μυοσκελύδρια eadem quæ μυόχοδα.procliue autem fuit vocem ob ſimilitudinem corrumpi: & Galenus libro primo κατὰ τόπους,inter ſimplicia medicamenta ad alopecias facientia, muris ſtercus habet: & Paulus ipſe murinum ſtercus alopeciis conuenire libro ſeptimo teſtatur: & alioqui ſi celydrium vertas, ſatis indicas neque quid Græcè legas, neque quid Latinè reddas,te intelligere.

IN CAPVT TERTIVM.

Col.415.lit.E. *Ad ficoſas in capite ac mento puſtulas medicamentum ſiccum.* Quod ſiccũ dixi medicamentũ,in Græcis codicibus habetur τὸ ξυράφιον,ſed falſó.legendum enim eſt ξηρίον. nam ita mox appellat linea ſequenti, λούσας μὲν ὕδατι, inquit, ἐπίπασσε δαψιλὲς τὸ ξηρίον,id eſt,hoc ſiccum loto largè impone.Vocantur autem ξηρία medicamenta quæ arida & in puluillum detrita inſperguntur ac imponuntur ita veluti ſunt ſicca. Et de his peculiariter libri ſeptimi capite decimotertio agit.De hoc verò ſicco puluillo,quòd non parum vexet hoc medicamentum,dicit,ἅπτεται οὐ μικρῶς,inquit.Significat enim ἅπτεσθαι hoc loco contactum moleſtum,nempe irritare,ſtimulare ac vexare.

Ibid.lit.G. *Aut ſinapi cum aceto.* In Græcis legitur,ἢ σινάπιδι μετ' ὄξους. Sed falſó. neque enim huc facit μάλιστα σινάπι,ſed σήπιᾳ,quod ipſum etiam ex aliis medicamentis ad pediculos facientibus declaratur.

IN CAPVT QVARTVM.

Col.416.lit.B. *Aut hederæ corymbi aceto cocti,& cum roſaceo triti.* In Græco lege ἢ κισσοῦ κόρυμβοι ἑφθοὶ ἐν ὄξει συλλεανθέντες ῥοδίνῳ.Reliqua rectè habent:niſi quòd in capitis dolore ob frigiditatem, poſt τά τε σημεῖα, in Græcis deſunt voces, καὶ ἡ θεραπεία.velut ex ſequentibus patet.

Col.417.lit.A. *Et decoctionibus ex hyſſopo & origano,& calidioribus adhuc,&c.* In Græcis exemplaribus deeſt vna vox ἀφεψήμασι.Ita enim legendum eſt,καὶ τοῖς δι' ὑσσώπου τε καὶ ὀριγάνου ἀφεψήμασι,καὶ τούτων ἔτι θερμοτέροις,&c.

IN CAPVT SEXTVM.

Col.419.lit.B. *Bilioſo etenim humore ſuperante,tales uigilantes phrenitici ſunt.* In Græcis codicibus parum integra eſt lectio,partim tranſpoſitis,partim deficientibus quibuſdam vocibus,velut ex capite decimo deinceps huius libri apparet. Sic ergo legendum eſt,καθόλου μὲν γὰρ χολώδους κατακρατοῦντος χυμοῦ,φρενιτίζουσιν οἱ τοιοῦτοι ἀγρυπνοῦντες· τοῦ δ' αὖ φλεγματώδους,κωματωδῶς καταφέρονται. οἱ δὲ παλαιότεροι τοῦ Γαληνοῦ κάτοχον τοῦτο τὸ πάθος προσηγόρευον, κατοχὴν δὲ καὶ κατάληψιν οἱ νέοι.

IN CAPVT NONVM.

Col.420.lit.D. *Pulſus his magni & rari ac undoſi.* Habent quidem exemplaria impreſſa, id quod ac vndoſi dixi, καὶ κλονώδεις,id eſt ac agitatorii: verùm & ratio horum pulſuum quam ſuprà libro ſecundo Paulus tradidit, & experientia ipſa,inſupérque Galenus teſtatur legendum eſſe καὶ κυματώδεις,id eſt ac vndoſi. Nam & in libello De pulſibus introductorio,& lib.4.De pul.cauſis, Vndoſum pulſum palàm lethargicis Galenus attribuit.Et alioqui procliue fuit κλονώδεις vocem pro κυματώδεις ſupponere,ob ſcripturæ vicinitatem.

Pag.422.lit.B. *Per anguſti oris uaſcula inſtillemus.* Græcè eſt,ἐπιρραίνονται διὰ τῶν βομβυλίων.Sunt enim βομβύλια anguſti oris vaſa per quæ guttatim aliquid inſtillari poteſt.Vtitur hac voce etiam Hippocrates libro tertio de morbis non procul à fine,μετὰ δὲ τὰ λουτρά,inquit,καὶ οἶνον γλυκὺν καὶ ὑδαρέα προσπίνειν,μὴ ψυχρὸν,ὀλίγον,ἐκ βομβυλίου οὐκ ἀρυστάμου.hoc eſt (vt nuper in edita Hippocratis conuerſione noſtra Latina reddidimus) ex anguſti oris pocillo. In Græcis tamen exemplaribus deeſt vox οὐκ.Galenus in gloſſis Hippocratis, à ſonitu quem edit dum guttæ ex eo prodeunt,nominatum eſſe dicit,cuius hæc ſunt verba,βομβύλιον ἔκπωμά τι στενὸν ἔχον τὸ στόμα ἢ πῶμα,παρὰ τὸ βομβεῖν ὠνομασμένον. Germanis ein engſterlein appellatur,alicubi etiam à ſono & vitri materia, ein klungkerglefflein.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Col.423.lit.E. *Oportet autem uictus rationem non ſolùm infantibus,ſed etiam nutricibus ac lactantibus proſpicere.* Græca lectio luxata hoc modo reſtituatur,χρὴ δὲ τῆς διαίτης μὴ μόνον αὐτῶν τῶν βρεφῶν,ἀλλὰ καὶ τῶν γαλουχῶν προνοεῖσθαι.

Ibid.lit.H. *Mane uerò paſſum euacuatum bibendum præbe.* In Græcis pro κεράσαντα legendum eſt ἐράσαντα,hoc modo, ἕωθεν δὲ ἐράσαντα τὸ γλυκὺ,διδόναι πίνειν.Significat enim ἐρᾶσαι,κενῶσαι & euacuare:& eſt frequens eius verbi apud medicos Græcos, itémque reliquos ſcriptores vſus: ſicut etiam compoſitorum, κατερᾶσαι, ἀπεράσαι, ἐξεράσαι. Sed loci ferè ſunt corrupti ex verbi ignoratione. Galenus libro quarto ſimplicium medicamentorum vbi de vinis inſolandis loquitur,καὶ μετὰ ταῦτα κατερῶντες ἐν ὑπερῴοις οἰκήμασι.Legitur tamen in hactenus impreſſis codicibus,καθαιρούντες falſó. Hippocrates libro quarto de morbis, καὶ τὴν κεφαλὴν βαρέεται, καὶ ἐξερᾷ, καὶ πυρεταίνει. Vbi ἐξερᾷ pro ἐξεμεῖ & per vomitum ἐκκενοῖ, vſurpat. At in Aldino ἐξερᾷ habetur, quod in Baſilienſi codice rectè legitur. Plutarchus in præceptis ſalubribus, τοὺς μὲν ἐμέτους καὶ τὸ πιεῖν αὐθις φαρμακείας καὶ περιεργίας, μηδὲν ἐκπαραβάλλοντας, ἀλλ' ὅσον ἀπεψίαν ἐκφυγεῖν αὐτόθεν ἀφιέντας ἀπραγμόνως τῷ πλεονάζοντι τὴν ἀπέρασιν. τὴν ἀπέρασιν euacuationem per vomitum dixit. Meminimus etiam in commentariis medicis. Porro mox ſequitur purgatorium medicamentum ex veratro albo, in quo haud dubiè pondera nimia ſunt,ς΄. rerum quæ ſingulæ octo drachmarum pondere recipiuntur. Ego vel ſcrupulos vel ſiliquas legendum puto,imò omnino ſiliquas legendas eſſe cenſeo, vt ſit totum medicamenti pondus duarum drachmarum,& ſiliquarum quatuor.Hoc enim cõmodè pro vna vice,cum paſſo quod eſt in colocynthide, ſumi poteſt.

Et facilè fieri potuit vt < character pro Κξ charactere ſupponeretur. Non tamen mutaui lectionem vulgatam, ſententiam meam de ea adſcripſiſſe contentus.

Col.424.lit.D. *Ex quo radicis pæoniæ geſtabat magnam ac recentem partem, de collo ſuſpenſam.* In Græcis deeſt hoc loco vox μέρος, quæ reſtituta integram ſententiam efficiet, hoc modo, ἐξ οὗ τῆς ῥίζης τῆς γλυκυσίδης ἐφόρει (λέγει δὲ τὴν παιονίαν) μέγα καὶ πρόσφατον μέρος ἐξαρτώμενον τῷ τραχήλῳ.

Ibid.lit.E. *Quum ſymptoma futurum eſt, ubi ſenſerint partem.* Hoc eſt vbi perceperint ac cognouerint partem, non quæ afficitur (ea enim propriè eſt cerebrum) ſed quæ (velut ſuprà dixit) auram aliquam frigidam ex ſe ad cerebrum diſtribuit, ſiue ea manus ſit, ſiue pes, laqueo ſuperpoſitam partem apprehendere ac adſtringere oportet, atque ſic ne ad cerebrum aſcendat ac perueniat prohibere. Et hanc ſententiam etiam ipſa verba Græca exprimunt.

Ibid.lit.F. *Et cibi delationem, & uehementem ad uenerem impetum, & multi uini potum.* Inter ea quæ Paulus hîc ad finem capitis de morbo comitiali vitare iubet, habetur καὶ τὴν ἐκμόχλωσιν. Et ſanè multum ac diu torſit nos quid per ἐκμοχλώσιος vocem ſignificare vellet. Vocem autem corruptam eſſe non dubito. Nam ſiue à verbo ἐκμοχλεύω venit, τὴν ἐκμόχλευσιν legendum eſt: ſiue ab ἐκμοχλέω, ἐκμόχλησιν ſcribendum fuit. Significat autem verbum ἐκμοχλεύω, emoueo, expello, excutio. Sic linea tertia præcedente, de aceto mulſo Iuliano dixit, κατὰ μέρος ἐκμοχλεῦον τὴν ὕλην, hoc eſt (velut reddidi) particulatim materiam excutiēs. At hoc loco, ſiue ἐκμόχλευσιν ſiue ἐκμόχλησιν legamus, ambigui ſumus de qua emotione ſiue excutione loquatur: & neque ex præcedente βραδυπεψίᾳ, neque ex ſequente πολυοινίᾳ, quas item cauere iubet, ſatis intelligere datur quid per ἐκμοχλεύσιος vocem ſignificare ac vitare nos velit. Si enim ciborum vehementem expulſionem vitare nos voluiſſet, largam habuiſſet copiam verborum quibus id clarius ſignificare potuiſſet, nec ad ita obſcuram, & aliâs ab ipſo non vſurpatam vocem deueniſſet. Si verò morbi aut materiæ ipſius expulſionem cauere nos voluiſſet, καὶ τὴν τῆς ὕλης ἐκμόχλευσιν, aut τὴν τῆς νόσου ἐκμόχλευσιν dixiſſet. Si verò corporis commotionem ac agitationem indicare voluiſſet, videtur potius dicturus fuiſſe, ἢ τὴν τοῦ σώματος ἐκμόχλευσιν, etiamſi ſimpliciter κίνησιν ſignificantius dicere potuiſſet. Quare eo tandem coniectura progreſſus ſum, non τὴν ἐκμόχλευσιν, aut τὴν ἐκμόχλησιν legendum eſſe, ſed τὴν ἐκμάχλωσιν, à verbo ἐκμαχλόω, quod ſcortor & ad venerem feror ſignificat: quod verbum etiamſi inuſitatum ſit, tamen iuſta forma de ſe verbale nomen ἐκμάχλωσιν facit, per quod hoc loco Paulus vehementem ad venerem impetum indicare voluit, vt ſit idem ἐκμάχλωσις quod μαχλοσύνη, id eſt venus & ſcortatio. Atque vt hanc putem eſſe veram huius loci lectionem ac ſentētiam, ex eo inducor quòd etiam ſuprà à vino largiore, veneréque multa, abſtinendum eſſe dixit. Sed non volo diutius valere hanc coniecturam quàm donec rectiorem & lectionem & ſententiam fuerimus aſſequuti.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Col.426.lit.A. *Aut intra ſportam cancellatim textam concluſi, in lecto ex alto ſuſpenſo, in altum attollantur.* Hoc modo conuerti verba Græca quæ ſic habent, ἢ ἐωρείσθωσαν ἐν κλινιδίῳ, ἔνδοθεν γυργάθου τινὸς, ἐξ ὕψους ἀπηρτημένῳ. Eſt enim γύργαθος σκεῦος πλεκτόν. In tali ergo concluſi tales, lectis ex alto ſuſpenſis ſeruabantur.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Col.428.lit.H. *In his igitur qui canino modo conuelluntur, maxillam in contrariam partem per capiſtri deligaturam reduces.* Græca lectio hîc corrupta eſt, quæ ex Aëtii libri 6. cap.30, & infrà ex lib.6. Pauli cap.92. reſtituenda eſt hoc modo, ἐπὶ μὲν οὖν τῶν κυνικῶς σπωμένων, ἐπιδέσεις εἰς τὰ ἀντικείμενα περιάγουσα διὰ φορβείας προσαγορευομένης ἁρμόσει, καὶ ἀφαίρεσις, &c. Eſt autem propriè φορβεία (velut Græci dictionarii exponunt) περιστόμιον, καπίστριον, dictum ἀπὸ τοῦ φέρειν βίᾳ. Vnde etiam Latinis capiſtrū à capiēdo dictū eſt, & ſignificatur eo tam id quod Germanis ein halffter appellatur quàm quod ein maulkorb. Abſyrtus de pullis equorum, πληρώσαντας τοὺς ι' καὶ η' μῆνας, τότε φορβείαν αὐτοῖς περιτιθέντας. Ab huius equini capiſtri ſimilitudine dicta videntur capiſtra quæ muſici ori obligabant ad ſpiritus impetum coercendum, & faciei deformitatem occultandam ac ornandam. Plutarchus in libro περὶ ἀοργησίας, de Marſya, Καὶ ὁ Μαρσύας, ὡς ἔοικε, φορβειᾷ τινὶ καὶ περιστομίοις, βίᾳ τοῦ πνεύματος τὸ ῥαγδαῖον ἐγκαθεῖρξε, καὶ τοῦ προσώπου κατεκόσμησε καὶ ἀπέκρυψε τὴν ἀνωμαλίαν. Hinc igitur & deligaturā mandibulam ad contrariam partem reducentem φορβείαν appellat. At verò paulo pòſt, vbi conuerti, At in ſuperciliorum aut palpebrarum reſolutione, in Græcis legendum eſt, ἐπὶ δὲ ὀφρύων ἢ βλεφάρων, videlicet ex Aëtio.

IN CAPVT VICESIMVM.

Col.430.lit.E. *Vnde non ſicca potius his fomenta, ſed humida conuenire.* Græcum exemplar Aldinum vna voce corruptum, totam ſententiam hanc corruptam, imò penitus nullam exhibet. Sic enim habet, ὅθεν καὶ τὰς ξηρὰς, μᾶλλον πυρίας τούτοις, ἀλλὰ τὰς ὑγρὰς ἁρμόττειν. At hanc lectionem dum Baſilienſis editio emendare ſtudet, magis adhuc vitiatam expreſſit. Sic enim habet, ὅθεν καὶ τὰς ξηρὰς μᾶλλον πυρίας τούτοις, ἀλλ' οὐ τὰς ὑγρὰς ἁρμόττειν, hoc eſt, vnde etiā ſicca magis his fomenta & non humida conuenire. Quæ ſententia nec pro ratione ſpiritus ac aeris craſſi ac nebuloſi facit, qui inſuper frigidus valde ac congelatus & ægrè mobilis eſt: nec curationi quæ ſequitur reſpondet, vt quæ mox ab initio lanas oleo imbutas adhibere iubet, & veſicam amplam oleum calidum habentem imponere. Quanquam Aëtius libri ſexti capite triceſimonono, non ſolùm hoc humidum fomentum in vſum præſcribat, ſed etiam ſicca duo, alterum ex ſale fricto, alterū ex milio in ſacculis adiungat, etiamſi hæc ambo ſimul ſicca ſacculo excepta adhiberi poſſint. Ad hunc itaque fomentorum tum humidorum tum ſiccorum vſum reſpexiſſe videtur Pelops, quem Paulus hîc citat, & humida magis fomenta probaſſe, non tamen ita vt ſicca penitus damnarit, his verbis quorum ſententiam ego reddidi, & hoc modo legenda eſſe ſentio, iuxta eas quas attuli rationes, ὅθεν οὐ τὰς ξηρὰς μᾶλλον πυρίας τούτοις, ἀλλὰ τὰς ὑγρὰς ἁρμόττειν.

Col.431.lit.A. *In potu danda eſt aqua mulſa tepida ad dimidias decocta.* Græca exemplaria habent, ποτιστέον τε ὑδρομέλιτι λιπαρῷ εἰς ἥμισυ ἑψηθέντι, id eſt, In potu danda eſt aqua mulſa pinguis. Sed ego λιπαρῷ pro χλιαρῷ ſuppoſitum eſſe puto, ob ſcripturæ vicinitatem. Neque enim ex eo quòd ad dimidias cocta eſt pinguior euadit, aut etiam valde craſſior: quòd ſi intelligere nos voluiſſet, nō vtique λιπαρῷ, ſed παχυτέρῳ voce vſus eſſet. Sed ſit hoc ex coniectura. Porro quæ paulò poſt ſequitur frigidæ affuſio, eſt apud Hippocr.5.aph.21.

IN CAPVT VICESIMVMSECVNDVM.

Col.432.lit.C. *Turbatio non ex corpore, ſed ab aliqua forinſecus cauſa contingit, uelut à ſole, fumo, puluere, uento.* Habent exemplaria Græca conſtanter pro vento, oleum. Neque quiſquam hactenus dubitauit quin rectè legatur Græcè, οἷον ἡλίου, καπνοῦ, κονιορτοῦ, ἐλαίου, hoc eſt, velut à ſole, fumo, puluere, oleo. Verùm ego ἐλαίου vocem penitus corruptam eſſe iudico, & ſuppoſititiam, pro qua ἀνέμου vocis lectio recta ſit reſtituenda. Nam quum externæ illæ cauſæ eiuſmodi ſint quibus quotidie occurramus etiam inuiti, ita vt vix ſatis cauere poſſimus ne aliquando in ſole verſemur, & foris ambulantes puluerem, domi fumum experiamur: non debuit diuerſum aliud externæ cauſæ genus quarto loco ad ſuperiora tria adſcribi, ſed tale omnino quòd illis ſimile eſſet. Talis autem eſt ventus, qui & domi & foris derepente quandoque ingruit, & oculis turbationem inducit: quæ turbatio tamen citiſſimè ſoluitur, vbi cauſa ſummouetur. At vt ne ab oleo oculi turbationem incurrant, tam facile vitare eſt quàm vt ne etiam ab alia aliqua externa re lædantur, quarū videlicet nullus eſt circa oculos vſus. Et alioqui ſi ad huiuſmodi particularia deſcendere velimus, non oleum eſſet quod velut externa cauſa turbationis oculorum fugiendū eſſet, ſed omnia acria, amara, ſalſa, acida, auſtera & acerba, in quibus generibus infinitas propemodum particulares res comprehendi, quis neſcit? quas omnes ad vitandum propoſitas eſſe oportebat. Huc accedit, quòd tantum abeſt vt oleum turbationem oculis inducat, vt id etiam ad acuēdum viſum oculis

ii, ii.

illini Dioſcorides teſtetur. Quare ἀνέμου vocis lectionem pro ἐλαίου reſtituemus, & ventum non oleum, externam turbationis oculorum cauſam eſſe accipiemus. Nam & alioqui procliue fuit obliteratam vocis ἀνέμου vocem, pro ἐλαίου voce agnoſcere.

Ibid.lit.D. *Quale eſt collyrium Nili ex roſis, aut etiam Chiacum, & Nardinum.* Græca exemplaria pro Aut etiam Chiacum, habent ἢ καὶ μηδικὸν, id eſt aut etiam Mediacum. Verùm quum Paulus libri ſeptimi capite decimoſexto nullum collyrium deſcribat quod Mediacum appellet, legendum cenſeo Chiacum, cuius ſecundo loco deſcriptionem habet, ex vino Chio appellationem habentis, & cuius quoque paulo pòſt rurſus mentionem facit, ſicut etiam Nardini. Videtur tamen non minus commodè σποδιακὸν pro μηδικὸν legi poſſe, id quod in vſuri iudicio poſitum eſſe volo. Nam & ſpodiaci deſcriptionem infrà lib.7. ad inflammationes ac fluxiones oculorum habet.

Col.434.lit.A. *Hæc eſt Eraſiſtrati panchreſtus ab omnimoda utilitate appellata.* Hoc liquidum collyrium πάγχρηστος dictum Eraſiſtrato adſcribitur, & habetur etiam infrà libri ſeptimi capite decimoſexto iiſdem verbis. Habet idē quoque Aëtius libri quinti capite octuageſimoſecundo, & libri ſeptimi capite nonageſimoſecundo. Ex quibus locis adductus, etiā apud Galenum lib.4. De compoſ.medic. ſecundos locos, cap.ſeptimi principio, πάγχρηστος legendum eſſe in commentariis medicis in idem opus à me ſcriptis probaui, & non πάγχρυσος, velut exemplaria Græca ante noſtram Græci Galeni editionem habuerunt. Nominis ratio clara eſt ex variis affectibus adſcriptis, quibus mederi traditur. Sunt autem etiam alia ocularia medicamenta in eodem Galeni libro πάγχρηστα appellata. Nouit ipſorum appellationem etiam Plinius de hæmatitæ generibus loquens lib.36.cap.20. Principatum dat, inquit, ex his Æthiopico, oculorum medicamentis vtiliſſimo, & his quæ Panchreſta appellant. Eſt inſuper & panchreſtos confectio ab eodem Galeno prodita, eiuſdem operis libri 7.cap.5. Et eodem nomine Plinius ſtomaticam ac arteriacam confectionem lib.23.cap.7. habet.

Ibid.lit.C. De palpebræ euertione, vbi habetur, Æruginē raſam toſtam tritam adhibe, aut plumbum vſtum & lotum, aut vtraque pariter, æruginem & plumbū admoue. In Græcis legitur, ἰὸν ξυστὸν φώξας λεῖον καὶ ἀποθέτου, ἢ μολύβδῳ κεκαυμένῳ, μετὰ θείου ἀπύρου, καὶ πεπλυμένῳ, ἢ ἀμφοτέροις ἴσοις τῷ τε ἰῷ καὶ τῷ μολύβδῳ. In hoc itaque loco redundant voces μετὰ θείου ἀπύρου. Nullus enim eſt hîc ſulphuris vſus, nec plumbum vt vratur, ſulphur requirit. Et Aëtius lib.7. cap. 71. eadem medicamenta prodens, ſulphuris penitus non meminit, ἰὸν inquit, πεφρυγμένον ἐπ' ὀστράκου λεαίνας ἀπόθου καθ' αὐτὸν, ἢ μόλυβδον κεκαυμένον ἴσον παραπλοκῇ.

Col.435.lit.D. *Pilos agglutinantia. Pilos introrſum refractos glutinat bitumen, maſtiche, colophonia, glutinum, cochleæ glutinoſitas.* In Græcis codicibus vitioſè legitur εἰς pro εἴσω, & κόμη pro κόλλα. Non enim vllius plantæ coma, neque κόμμι (id eſt gummi) huc facit, ſed κόλλα, id eſt glutinum. Indicat id apertè Aëtius qui lib.7.cap.68. ταυροκόλλαν pro κόλλα habet, vnà cum reliquis medicamentis hîc à Paulo proditis. Leguntur porro conſequenter in Græcis codicibus multa collyria nominibus corruptis, ſicut λειβάδιον pro λιβυανὸν, & ἰλάμων pro νιλάμων, & δι' ὕδρας pro δι' ὑδρίας. de quibus omnibus libro ſeptimo Paulus agit, & nos quoque libro ſeptimo aliquid dicemus. Hîc tamen non præteribo, ſub titulo de vlceribus oculorum ad finem corruptè legi λευκῶν pro ἑλκῶν, & mox etiam articulus τῶν deeſt. Sic ergo rectam lectionem reſtitues, δριμυτέρων μὲν ὄντων τῶν ἑλκῶν, σμηκτικωτάτῳ τε καὶ τῷ διὰ χυλοῦ τήλεως, &c.

Col.438.lit.C. Sub titulo de glaucomate & ſuffuſione, vbi conuerti, Et purgatione, & infuſis per clyſterem acrioribus, Græca exemplaria habent, καὶ καθάρσει καὶ κενώμασι δριμυτέροις. Non eſſe autem legendum κενώμασι (id eſt euacuationibus) ſed ἐνέμασι, id eſt infuſis per clyſterem, Aëtius docet lib.7.cap.51. qui apertè habet, καὶ κλυστῆρσι δριμυτέροις καὶ καθάρσεσι. Et alioqui quum particulares euacuationes à Paulo proponantur, ſanguinis detractio, purgatio, alui frequentior ſolutio, ad has etiam particularem per clyſterem euacuationem addere oportebat, & non vniuerſalis euacuationis mentionem particularibus immiſcere: niſi omnino κένωμα pro ἔνεμα dixit, quod ſanè mihi veriſimile videtur. Nam & lib. quinti capite quadrageſimoprimo & ſexageſimoquinto ita vſurpauit. Alioqui verò procliue fuit alteram pro altera agnoſcere ac ſupponere: ſicut etiam paulo pòſt tres particulæ pro vna ſunt agnitæ ac ſuppoſitæ, vbi conuerti, Teruntur hæc in mellis heminis octo. Græcè enim habetur, εἰ δὲ καὶ ἐν μέλιτος κοτύλαις ὀκτώ. Legendum autem eſt pro εἰ δὲ καὶ (quæ nihil huc pertinens ſignificant) verbum λεαίνεται.

IN CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Col.439.lit.H. *Ad fortiores uerò obturationes, fel caprinum cum porri ſucco inſtilla.* In Græcis habetur, πρὸς δὲ τὰς ἰσχυροτέρας ἐμψύξεις, &c. Verùm pro ἐμψύξεις legendum eſſe ἐμφράξεις ipſa rei tractatio docet, & ex Galeno ac Aëtio colligi poteſt. Multa alia hoc loco per totum caput non magni momenti præterimus, quæ ex ipſa tranſlatione noſtra ſtudioſi cognoſcent, & in Græcis emendabunt. Sicut vbi in Græcis eſt, δεῖ δὲ συχνῶς πνελῶντα ἢ τῷ κοινῷ ἐλαίῳ, ἢ τινι τῶν θερμῶν πνελῶν, legendum eſſe μύρων pro πνελῶν, ſatis indicat quod ſequitur ἐν αὐτῷ τούτῳ, quod ad vnguentum pertinet, & ad πνελῶν referri non poteſt, quum πνελα fœmininum ſit.

Col.440.lit.D. *Ad dolores maximos, & pus, & auditus grauitatem, Amygdalas depurgatas* x x. In Græcis legitur ἀμύγδαλα λελεπισμένα καὶ ἀφρονίτρου < γ'. Vitioſam autem eſſe hanc lectionem, & non amygdalarum & aphronitri, vtriuſque drach. III. accipiendas eſſe, indicio eſt id, quòd non adiectum eſt ἀνὰ ante pondus < γ'. Pro καὶ igitur coniunctione legenda eſt numeri nota κ'. vt viginti amygdalas accipiamus. Habet idem medicamentum Aëtius lib.6. cap. 82. ad verbum, niſi quòd ob ſcripturæ vicinitatem ν' pro κ' legitur. Quod verò mox ſequitur in Paulo medicamentū, Recrementum ferri cum aceto ſub caniculæ æſtu tritum, in Græcis corruptè habetur, ἢ σκωρία τοῦ σιδήρου λειωθεῖσα ἐπὶ χρόνου. pro ἐπὶ χρόνου itaque legendum eſt ὑπὸ κυνὸς, καύματι, ex Aëtio lib. ac capite iam dictis.

Ibid.lit.E. *Aliud ad ſordes. Naſturtium, & nitri parum.* Græca exemplaria habēt, καρδάμωμον καὶ νίτρου βραχύ. Sed legendum eſſe κάρδαμον, ex Galeno lib.3. κατὰ τόπους patet, qui in huius medicamenti deſcriptione habet, καρδάμου ἱκανὸν, καὶ νίτρου βραχύ. Item ex Aëtii lib.6.cap.79 qui habet, καρδάμου σπέρματος ὅσον ἐξαρκεῖ, καὶ νίτρου βραχύ. Mox porro ſequitur, Andronis paſtillum, & Neren, & Muſæ inſcriptum. Sed in Græcis τὴν ἥρην falſò legitur pro τὴν νήρην. Nere autē dictus paſtillus habetur lib.7.cap.16.

Col.441.lit.E. *Ad aurium contuſionem. Hippocrates monet ut nihil ipſis adhibeamus.* Hoc facit Hippocrates in libro De articulis, vbi de aure fracta agit. At in medicamento quod ad contuſas aures mox ſequitur, bulbi Aphricani rectè leguntur, & in Græcis βολβῶν ἀφρῶν malè habetur pro βολβῶν ἀφρικανῶν, id eſt pro his qui ex Aphrica afferuntur, velut Dioſcorides teſtatur, βολβὸς ἀπὸ λιβύης κομιζόμενος, inquit lib.2.

IN CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Col.443.lit.A. *Sternutatoria. Veratrum album, caſtorium, piper, herba lanaria, cyclaminus, euphorbium, nitrum, cuminum, herba ſternutatoria uocata, ſingula per ſe, aut ſimul omnia.* Græca exemplaria hîc imminuta eſſe videntur. ſic enim habent, πταρμικά, ἐλλέβορος λευκὸς, ἢ καστόριον, ἢ πέπερι, ἢ στρούθιον, ἢ ὁμοῦ πάντα. Nam nec omnia recenſentur quæ ſternutationes mouēt: nec hoc ἢ ὁμοῦ πάντα, habet ad quod referatur. Proinde vnam integram lineam ex Paulo intercidiſſe ac periiſſe arbitror, quam ex Aëtio reſtituendam cenſeo, quum vterque ſua ex Oribaſio ſumpſiſſe videatur, & Paulus etiam palàm fateatur. Sic ergo lego, πταρμικά, ἐλλέβορος λευκὸς, καστόριον, πέπερι, στρούθιον, κυκλάμινος, εὐφόρβιον, νίτρον, κύμινον, ἢ πταρμικὴ πόα ἕκαστον ἰδίᾳ, ἢ ὁμοῦ πάντα, ex Aëtii lib.6.cap.97. Porro paulo ante hunc locum habetur etiam in Græcis ἡδυχρόου μάλαγμα falſò, pro recto ἡδυχρόου μάγμα. Ita enim à Galeno & Aëtio, & omnib⁹ medicis Græcis appellatur, & deſcribitur infrà lib.7.cap.11. circa Theriaces præparationem.

Ibid.lit.C. *Aut lyſimachiam appellatam in naſum indito.* Græca exemplaria hic habent, ἢ τὴν καλουμένην λυχνίδα ἐνθὲς τῷ μυκτῆρι. Ego verò quum nullam lychnidis ſpeciem ſanguinis ſiſtendi vim habere compererim, ſæpe hæſitaui de corrupta lectione,& aliquandiu λυχνῖτιν legendum eſſe ſuſpicatus ſum. Eſt autem lychnitis phlomidis ſiue verbaſci ſpecies,quæ etiam Thryallis vocatur.Sed nec de hac apertè tradit vllus medicus Græcus, quòd ſanguinis è naribus eruptionē ſiſtat,niſi quis ex eo quod Paulus infrà lib.7.de verbaſci generibus ſcribit, quòd acerba ſunt, & fluidis affectionibus conueniunt,etiam in hunc vſum afferere ac aſſumere velit.Tandem verò in eam ſententiam adductus ſum vt λυσιμάχιον legendum eſſe credam,quod & conuerti, & pro lychnide repoſui. Nam & inſigniter adſtringit Lyſimachium, vulneráque glutinat,& ſanguinem ſiſtit,& ad ſanguinis è naribus eruptionem,herba ipſa naribus indita,ita vt ipſas obturet,conuenit.Ita enim de ipſa Dioſcorides ait, καὶ πρὸς τὰς ἐκ μυκτήρων αἱμορραγίας ἐμφραττομένη ἡ πόα ἁρμόζει. Atque hoc eſt quod etiā hoc loco Paulus dicit.Sed & Marcellus medicus Latinus, quem ex officina Frobeniana ſuperioribus annis edidimus,lyſimachium ad ſanguinem è naribus erumpentem, vtilem eſſe ſcribit,haud dubiè ex Græco quopiam authore.Polygonum,inquit cap.10,inferi naribus prodeſt: ſimiliter facit & lyſimachios herba impoſita.

IN CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Ibid.lit.E. In hoc capite medicamenta mirificè ſunt corrupta,& quanuis ex tranſlatione noſtra Græcorum exemplarium lectio genuina agnoſci ac reſtitui poſſit,tamen de quibuſdam obſcurioribus etiam fidem noſtram ſtudioſis approbare volumus.In primo itaque medicamento,Spumæ argenti lotæ drach.VIII. habentur,hoc eſt λιθαργύρου πεπλυμένου < η'.Sed exemplaria Græca habent λιθαργύρου πεπέρεως < η'. Hic error quum deprehenſu facilis ſit, quum & piper huc inutile ſit,& ſi πεπέρεως vox legi deberet,ἀνὰ < η'.ſcribi oportuerit,tamē nemo hactenus animaduertit.In ſecūdo medicamento,Iridis,ptiſſanæ,fabæ freſæ,ſingulorum ſeſquiſextarium conuerti.Sed Græci codices falſo habent, ἴρεως ἢ πτισάνης ἐρεγμοῦ ἀνὰ ξ. α ς'. Quòd autem ἐρεγμὸς non ad ptiſſanam pertineat, ſed tria diſtincta medicamenta accipienda ſint, iris, ptiſſana, faba freſa, ex Aëtii libri octaui capite 5. cognoſcimus, qui idem medicamentum his verbis habet, ἴρεως λείας, πτισάνης ἀλεύρου, κυαμίνου ἀλεύρου. Ex quo etiam id intelligimus, ἐρεγμὸν aliquando pro faba freſa,& in craſſiores partes comminuta accipi,aliquando etiam pro farina fabarum, quam etiam Lomentum appellamus. Tertium medicamentum penitus corruptum eſt. nam & ἐρεγμὸν non habet,& pondus vitiatum eſt, & medicamenta ad pondus non rectè diſtincta ſunt,& amygdalarum numerus in pondus mutatus eſt.Sic ergo recta lectio reſtituatur, πτισάνης, ὀρόβου, λιβανου, ἐρεγμοῦ, ἰλυνελίδος, ἀφρονίτρου, κόστου, ἀνὰ χοίνικος τέταρτον. ἀμύγδαλα πικρὰ κ'. Aëtius loco iam citato idem medicamentum paulo clarius habet,hoc modo, πτισάνης ἀλεύρου, κυαμίνου ἀλεύρου, ὀροβίνου ἀλεύρου, λιβάνου, ἴρεως κεκομμένης, ἀφρονίτρου, κόστου, ἑκάστου χοίνικος τέρταρον. ἀμύγδαλα πικρὰ κ'. Reliqua ex tranſlatione noſtra emendato.

IN CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Col.444.lit.G. *Aliud, Nucis uiridis corticem uetito.* Hoc medicamentum cum proximè ſequenti habetur in Aldina editione capite præcedenti:in poſteriore verò editione Baſilienſi,relatum eſt in hoc caput, ad dentium affectiones. Et vtrunque mihi videtur eſſe ſuppoſititium, & non Pauli genuinum. Habent enim verba à Paulo aliàs non vſurpata. In primo legitur σμύρνας ἀλνθ. in Aldino,in altero σμύρνας ἀληθ. Ego σμύρνας μυττάτας lego, de qua multa in commentariis medicis dixi.

Col.445.lit.F. *Remittente uerò inflammatione aut decreſcente.* Græca exemplaria habent, ἐνδιδούσης δὲ τῆς φλεγμονῆς ἢ ἀκμαζούσης. Hoc eſt,Remittente inflammatione,aut in vigore conſiſtente. Verùm & res ipſa, & verba quæ ſequuntur, ſatis oſtendunt legendum eſſe παρακμαζούσης, id eſt declinante ſiue decreſcente. Atque ita etiam habet iiſdem planè verbis etiam ſequentia Aëtius lib.8.cap.45.in mea tranſlatione.

Col.446.lit.B. *Cæterùm poſt irritationes ex his factas,gargariſſandum eſt glycyrrhizæ decoctum, aut gargariſmus dandus qui paratur ex uino ſcybelite,& croco,& maſtiche Chia,&c.* In Græcis codicibus legitur καὶ κρόκου καὶ χίας, id eſt & croco & chia. Itaque terram Chiam accipiēdi hinc quibuſdam occaſio data eſt,non animaduertentibus χίαν ſimpliciter maſtichen appellari.Hoc autem declarat Aëtius libri octaui capite quadrageſimonono,qui eadem quæ Paulus his verbis tradit, μετὰ δὲ ἐκ τῶν τοιούτων φαρμάκων γινομένους ἐρεθισμοὺς, προσφέρειν ἀφέψημα τῆς γλυκυρρίζης, ἢ τὸ διὰ σκυβελίτου, καὶ μαστίχης χίας, καὶ σμύρνης, καὶ κρόκου ἀναγαργάρισμα.

Ibid.lit.E. *Porro filum lanæ purpura marina infectæ,&c.* De hoc filo multa in commentariis medicis retuli. Habet id Galenus lib.6.ſimpl.medicament.in glycyſide ſiue pæonia.Habet & Plin.lib.30.cap.5, de ſtrumis loquens.Aliqui verò, inquit,circumligant eas lino,quo præligata infra caput vipera pependerat donec exanimaretur.

Ibid.lit.F. *Commodæ uerò ualde ſunt etiam collutiones,roſarum ſiccarum aut uiridium decoctum frigidum,aut pampinorum uitis, aut foliorum lentiſci,aut rubi,aut malorum cydoniorum,aut rhois,aut uinaceorum,aut lentium.* Horum verborum lectio malè diſtincta eſt,& corrupta in Græcis codicibus,& ῥόδων vox bis habetur,altera vice pro ῥοὸς voce ſuppoſita. Sic ergo legendum eſt ex Aëtio,& capite ſequenti, χρῆσιμα δὲ σφόδρα ἐστὶ καὶ διακλύσματα, ῥόδων ξηρῶν ἢ χλωρῶν ἀφέψημα ψυχρὸν, ἢ ἑλίκων ἀμπέλου, ἢ σχίνου φύλλων, ἢ βάτου, ἢ μήλων κυδωνίων, ἢ ῥοὸς, ἢ γιγάρτων, ἢ φακῶν.

IN CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

Col.447.lit.D. *Ex his uerò qui ſtrangulantur, manus nō admouebimus his quibus iam ſpuma circa os eſt, Hippocrati credentes.* Locus hic eſt apud Hippocratem ſecundo aphor.ſect.43. vbi exemplaria Græca Hippocratis & Galeni conſtanter habent, τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μήπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν οἷς ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα. Et conuertit vetus interpres, Strangulatorum & diſſolutorum,nondum mortuorum,non referunt quibuſcunque ſpuma fuerit circa os. Et poſt hunc Theodorus Gaza,velut putatur, Qui ſtrangulantur & euertuntur citra mortem, ſi ore ſpumant,non reficiuntur.Et Leonicenus, Strangulati atque diſſoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus ſpuma circa os fuerit. Hi omnes interpretes καταλυομένων vocem in Hippocrate legerunt ac conuerterunt: neque ſuſpicatus eſt quiſpiam de corrupta eius vocis lectione. At nos nuper in omnium Hippocratis operum facta per nos tranſlatione ac editione, re ipſa diligentius expenſa, in eam ſententiam adducti ſumus vt non καταλυομένων, ſed καταδυομένων legendum eſſe putemus, & Hippocratis aphoriſmum ſic Latinè conuertimus, Ex iis qui ſtrangulantur & ſubmerguntur, nondum autem mortui ſunt,non reconualeſcunt quibus ſpuma circa os fuerit.Quibus autem rationibus inductus ſim, huc iam adſcribendum duxi,loco ita ferente,vt interim hoc de me ſtudioſi habeant donec & hūc & alios Hippocratis locos,clarius in coniecturarū libris in Hippocratem declarauero.Primùm itaque Galenus in commētariis ſuper hunc aphoriſmum, vocis καταλυομένων nuſquam meminit,neque eam exponit,ſed ἀπαγχομένων vocem ab Hippocrate vſurpatam ſic exponit quaſi ad ſolam ἀγχόνην (id eſt laqueum)pertineat. Circumiecto,inquit,collo laqueo,cor & pulmo opus habent vt fuliginoſam ſuperfluitatem expirent. Quum autem hæc propter laqueum impediatur,totam ipſam pulmo violenter impellit,& in hoc etiam de propria humiditate aliquid ſimul extrudit. Perniciosum igitur hoc ſignum eſt,quia vim pulmonis indicat, quam patitur dum animal ſtrangulatur. Sic ſanè Galenus ſpumam in his qui laqueo ſtrangulantur, exitiale ſignum eſſe dicit:at nos non ſolùm in iis qui laqueo aut alia re laquei vicem explente ſtrangulantur ſpumam circa os apparere ſcimus,ſed etiam in his qui in aquis ſubmerguntur,quocūque caſu aut modo, aut etiam naufragio id cōtingat,ſi nondū mortui,ſed ſalua adhuc aliquo modo reſpiratione,de aquis extrahūtur. Quū itaq; & laqueis & aquis ſuffocētur ſani homines,vt ſpuma circa os appareat,Hippocr.de vtriſque hoc aphoriſmo dixiſſe mihi videtur, τῶν ἀπαγχομένων ἢ καταδυομένων. Deinde nō putandū eſt Hippocratē loqui de his qui ob morbi aut veneni violētiā ſuffocātur,

velut hoc capite Paulus dixit, In cynachicis quandoque ſuffocationem ſequi, & velut in ſideratis, & comitiali morbo correptis contingit. Nam hi reuocantur ſæpe, etiamſi ſpuma circa os ipſorum conſpiciatur. Quòd ſi ad hos vſque aphor. ſententia ſe extenderet, nec Galenus id præteriiſſet. Quare de duplici externa vi ſuffocationis, & per aquam & per laqueum, ſiue quid laquei vicem præbens, Hippocratem loqui probabile eſt: quum præter has nulla tertia reperiatur. Et proinde hoc loco etiam Paulus de ſtrangulatis & naufragis coniunctim agit. Ita etiam Aëtius lib. 8. cap. 49. Et videtur ſententia Hippocratis ad eos propriè pertinere qui aut ipſi ſibiipſis vim intulerunt, vt vel in aquas ſe ſubmerſerint, vel colla laqueo inſeruerint, qui ſanè in ipſo facto deprehenſi viuere coguntur: aut qui iudicio publico, aut etiam vi priuata, ad aquas aut laqueum damnati, aut detruſi, dum iam ſtrangulantur aut ſubmerguntur, miſericordiam reperiunt, ac vita rurſus donantur: quorum tamē nullus reconualeſcit ſi ſpumam circa os habeat. Poſtremùm ſi vox καταλυομένων, de iis qui ex ſtrangulatis diſſoluuntur accipienda eſſet, non neceſſe fuiſſet adiicere coniunctionem καὶ, quum integra ſententia ſine ipſa ſit, hoc modo, τῶν ἀπαγχομένων καταλυομένων, μήπω δὲ τεθνηκότων, id eſt, ex his qui dum ſtrangulantur exoluuntur, nondum autem mortui ſunt. Iam verò καὶ particula adiecta, non de vno aliquo modo, ſed de duplici ſermonem eſſe oſtendit, nimirum & περὶ τῶν ἀπαγχομένων, & περὶ τῶν καταδυομένων, hoc eſt & de his qui ſtrangulantur, & de his qui ſubmerguntur. Nec hìc tam aduerſari nobis id debet quòd etiam Galeni ſæculo καταλυομένων in Hippocratis aphoriſmo lectum eſt, quàm adſtipulari ac ſubſcribere dictionum ſimilitudo, quum vnius minutiſſimæ lineolæ ad quintam literam vocis καταλυομένων additione, & contrà in vocis καταδυομένων quinta litera eiuſdem lineolæ detractione, tota ſententia in alterutram partem ambigua diſtrahatur, vt etiam tot doctis hactenus viris impoſuerit.

IN CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

Col. 448. lit. B. *Cibi uerò his conueniunt ſorbiles, & oua ſorbilia, & amylum, & dulciaria liba, & ſeſama, & oryzæ, & amygdalæ, &c.* Græca exemplaria ſic habent, τροφαὶ δὲ τούτοις ἁρμόζουσιν αἱ ῥοφηματώδεις, καὶ τὰ ᾠὰ τὰ ῥοφητὰ, καὶ ἄμυλος, καὶ ἴτρια, καὶ σήσαμα, καὶ εἰσὶ καὶ ἀμύγδαλά τε καὶ ὁ τοῦ κώνου καρπὸς, &c. Quod igitur legitur, καὶ εἰσὶ καὶ ἀμύγδαλά τε apertè corruptum eſt, quum voces καὶ εἰσὶ καὶ nihil huc pertinens ſignificent, ſed ſuppoſitæ ſint pro re aliqua quæ ſimilis ſit aliis, quas hic defluxu ac grauedine laborantibus, in cibis commodas eſſe dicit. Hanc autem oryzam eſſe, tum reliquorum ciborum affinitate, tum quòd moderatè nutrit, & aluum ſiſtit inducor, & fieri potuit vt καὶ εἰσὶ καὶ voces pro recta obliterata lectione καὶ ὄρυζαι agnitæ ac expreſſæ ſint.

IN CAPVT VICESIMVMNONVM.

Col. 450. lit. C. *Elaterij dichalcon, hoc eſt oboli dimidium.* Græcè ſic, ἐλατηρίου δίχαλκον ὅ ἐστιν ἡμιοβόλιον. Eſt autē δίχαλκον pondus æreolorū duorū. Si itaque Pauli rationem de ponderibus libro ſeptimo in fine traditam vt rectam ſequi volumus, non habebimus hìc integram lectionem. ſunt enim duo æreoli quarta oboli pars, & non oboli dimidium (nam obolus æreolos octo complectitur). Quare iuxta hāc rationem non δίχαλκον, ſed δίχαλκοι β΄. legendū eſſet, hoc eſt æreoli quatuor. hi enim oboli dimidium faciunt. Quòd ſi dimidii oboli pondus ſequi voluerimus, de δίχαλκον vocis lectione nihil ſoliciti erimus.

IN CAPVT TRICESIMVM.

Ibid lit. G. *Verùm ad uirium conſeruationem frequentius potent aquam mulſam per ſe, & cum nucleis nucis pineæ, & cucumeris ſemine. Verùm ad totum thoracem ac coſtas imponere oportet ceratum cyprinum iridem inſperſam habens.* Aldinus codex hæc ſic habet, πρὸς δὲ φυλακὴν τῆς δυνάμεως, συχνότερον αὐτοὺς ποτιστέον τοῦ μελικράτου καθ᾽ μόνας, καὶ μετὰ πιτυΐδων καὶ σικύου. ἐπιτιθέναι δεῖ καθ᾽ ὅλου τοῦ θώρακος καὶ τῶν πλευρῶν, κυπρίνην κηρωτὴν ἔχουσαν ἴρεως ἐμπεπασμένης. In horum verborum lectione primùm aut deeſt, aut certè intelligi debet, vox σπέρματος poſt vocem σικύου, vt accipiamus aquam mulſam vel per ſe, vel cum nucis pineæ nucleis & cucumeris ſemine bibendam eſſe: deinde deeſt particula δὲ, ponenda poſt ἐπιτιθέναι, quæ tamen etiam abeſſe poteſt, ſi ſequentia à præcedentibus probè diſtinguantur. Atque hanc lectionem vt veram & huius loci genuinam expreſſimus. At exemplar Baſilienſe σικύου vocem non aſſequens, eam in σικύας tranſmutauit; & ſic totam ſententiam vitiauit, cucurbitas per totum thoracem & coſtas imponere iubens, his verbis, πρὸς δὲ φυλακὴν τῆς δυνάμεως, συχνότερον αὐτοὺς ποτιστέον τοῦ μελικράτου καθ᾽ μόνας, καὶ μετὰ πιτυΐδων· καὶ σικύας ἐπιτιθέναι δεῖ καθ᾽ ὅλου τοῦ θώρακος καὶ τῶν πλευρῶν, καὶ κυπρίνην κηρωτὴν ἔχουσαν ἴρεως ἐμπεπασμένης. Quòd autem de cucurbitulis affigēdis hìc non loquatur, ex ſuperioribus conſtat. Nam linea præcedenti ſexta & octaua de ipſis mentionem fecit. Et confirmat Aëtius qui libri 8. capite ſexageſimoſexto, noſtram ſententiam his verbis habet, καὶ κηρωτῇ δὲ σκέπειν τὸν θώρακα καὶ τὰς πλευρὰς διὰ πηγανίνου ἢ κυπρίνου ἐλαίου ἐχούσῃ ἴριν ἐμπεπασμένην ξηράν. Quòd verò cucumeris ſemen commodum ſit peripneumonicis, itémque pleuriticis, ex multis locis Aëtii, præſertim capite de pleuritide & tabidis, colligi poteſt, & inde etiam quòd vrinam ciendo vim incidendi ac extergendi habet.

IN CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Col. 451. lit. A. *Nam frigidum uenarum ruptorium eſſe Hippocrates ait.* De frigidi effectu, & præſertim frigidæ aquæ, itémque calidæ, multa habet Hippocrates lib. 5. aphor. & in libro de humidorum vſu, vbi vlcera gaudere calida ex cōfeſſo dicit, quia tergi adſueta ſunt, & ideo meritò frigidam grauiter ferre: eadem item ratione venas calida gaudere, eo quòd in calido ſunt: ſed adſcribam verba ipſius, τὰ δ᾽ ἕλκεα θερμῷ ἥδεται ὁμολογουμένως, ὅτι ἐν σκέπῃ εἴθισται· εἰκότως ἄρα τοῦ ἑτέρου ἄχθεται. εἰκότως ἄρα καὶ αὐταὶ αἱ φλέβες, ὅτι ἐν θερμῷ εἰσιν. At partic. 5. aphor. 24. niuem & glaciem pectori inimica eſſe, tuſſes mouere, & ſanguinis eruptiones ac defluxiones inducere ſcribit. Quem locum exponens Galenus, ait hæc duo, niuem videlicet & glaciem, maiora detrimenta quàm frigidam aquam inducere, & quia venarum ruptiones faciunt, ideo ſæpe ſanguinis eruptiones inducere: καὶ ῥήξεις, inquit, ἀγγείων ἐργαζόμενα, πολλάκις αἱμορραγικὰ γίνεται. Atque hoc eſt quod hìc Paulus dicit Hippocratem ſcribere, τὸ ψυχρὸν φλεβῶν ῥηκτικὸν εἶναι.

IN CAPVT TRICESIMVMTERTIVM.

Col. 454. lit. A. *Illa enim ſi non fuerit expurgata aut foras aut intus, in ſuppurationem, & multo prius in peripneumoniam tranſit.* Græca lectio paululum luxata, ſic reponatur, ἐκείνη γὰρ εἰ φθάσῃ μὴ ἀνακαθαρθῆναι ἢ ἐκτὸς ἢ ἐντὸς, εἰς ἐμπύημα, καὶ πολὺ πρότερον εἰς περιπνευμονίαν καθίσταται. Hæc eſt enim horum morborum ſucceſſio, pleuritis in peripneumoniam tranſit, peripneumonia in ſuppurationem thoracis, ſuppuratio in tabem. Hippocrates 5. aphor. 8, & 15.

IN CAPVT TRICESIMVMQVARTVM.

Col. 455. lit. A. *Poſt extremarum partium defrictiones, & unctiones, & pauimenti purificationes, ac reliquum refrigeratorium ad reuocandam animam ductum, inſpergenda eſt exudantibus corporis partibus myrtus trita, &c.* Quod dixi pauimenti purificationes, in Græcis eſt καθαρισμοὺς τοῦ ἐδάφους. Quanquam non καθαρισμοὺς, ſed καταρραντισμοὺς legendum eſſe putem, id eſt pauimenti conſperſiones. Sic enim Aëtius lib. 9. cap. 1. habet, Pauimentum, inquit, irroretur, ac foliis conſternatur myrti, platani, ac quercus, maximè verò vitis, atque ipſis etiam roſis. Aut igitur καταρραντισμοὺς etiam hìc in Paulo legere oportet, aut per καθαρισμοὺς vocem, non alias purificationes pauimenti accipere quàm quæ per frigidæ irrorationem, foliorúmque frigidorum reſperſionem fiunt, ad animam ex inualeſcente ſyncopes ſymptomate reuocandam. Atque hæc omnia quæ ita adhibentur, ψυχαγωγίας appellat, ὅτι οἷον ἀνάγεται διὰ τούτων ἡ ψυχὴ ἐκ τῆς συγκοπῆς. Quod autem conuerti, Inſpergenda eſt, in Græcis habetur ἐμπλαστέον, ſed falſó. legendum eſt enim ἐμπαστέον, ex eodem Aëtii loco. Hiſtoriæ porrò palpitationis cordis quæ ſequuntur in Paulo, ſunt tranſcriptæ ex 5. lib. Galeni de locis affectis. Sed in prima hiſtoria falſò habent Pauli exemplaria ἐφλεβοτομήθη, pro recto φλεβοτομηθείς.

IN CAPVT TRICESIMVMSEPTIMVM.

Col.458.lit. B. *Si uerò ulcus eſt in ſtomacho aut uentre, ab omnibus abſtinendum eſt acribus cibis ac potibus & medicamentis. Vtendum autem mitigantibus, uelut ſorbitionibus abſque oleo, & his quæ ex amylo fiunt, & terra Samia, & Lēnio ſigillo, & lacte ac melle pauciſſimo, quò circa mordacitatem perpurgent.* Hæc ſententia claris verbis in Græcis exemplaribus impreſſis habetur, habétque certam ac conſtantem rationē, cur ſorbitiones abſque oleo probet: quum ex Hippocratis in libro de vlceribus doctrina, oleum & quæcunque mollientia, oleoſa ac adipoſa medicamenta ſunt, vlceribus non conducāt, ſi non valdè iam ad ſanitatem tendant, eo quòd oleum ſit vlceri aduerſiſſimum, & ipſum ſordidum ac graue olens reddat, vt Galenus lib. 3. methodi dicit. Quapropter etiam Aëtius lib. 9 cap. 17, vbi de ſtomacho exulcerato agit, ſucco ptiſſanæ aut alicæ vti iubet, modico ammixto melle, quo per ipſum vlcera repurgentur ac extergantur. Penitus autem ſilet de oleo, vtpote ad præſentem affectionem, vt ſuccus illis, ſiue vt Paulus ait, ſorbitionibus miſceatur inepto. Quo magis temerarium iudicari debet, vnius fortaſſis exemplaris præſcriptum ſequi, & plura cum quibus ratio ipſa conſentit, relinquere: quod faciūt qui pro eo quod in impreſſis habetur, οἷον ῥοφήμασιν ἐκτὸς ἐλαίου, legendum cenſent οἷον ῥοφήμασιν ἐκ τοῦ ἐλαίου: quum neque ſoleāt Græci medici ſorbitiones vllas ex oleo appellare, ſed ex ptiſſana, alica, lenticula, & aliis huiuſmodi, in quas ſi oleum addi volunt, μετ᾽ ἐλαίου adiiciunt: ſin minus, ἄνευ ἐλαίου, aut ἐκτὸς ἐλαίου dicunt, velut Paulus hoc loco.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMPRIMVM.

Col.460 lit.G. *Sæpe uerò & hic inceſſus ſucceſſum habuit, Rubi, myrti, floris mali Punici, lauri & cupreſſi ramulorum uiridium.* Græca lectio corrupta ſic reſtituatur, πολλάκις δὲ ἐπέτυχεν καὶ τοῦτο ἐγκάθισμα, βάτου, καὶ μυρσίνης καὶ, κυτίνου, καὶ δάφνης, καὶ κυπαρίσσου κλωνίων χλωρῶν. Sed & paulo pòſt ſequitur glomeris ex ſtaminibus vſus, de quo lib. 2. cap. 58. dixi. Verùm hoc loco συμμάτων falsò habetur pro στημόνων. Aëtius lib. 9. cap. 44. eundem glomeris ex ſtaminibus vſum his verbis prodit, ἢ τὸ ἀπὸ τῶν γυναικείων ἀγαθίδας κατὰ διαδοχὴν ποιεῖ, hoc eſt (velut in Aëtii tranſlatione noſtra Latina conuerti) aut glomis texturæ gynæciorum per ſucceſſionem foueto.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSECVNDVM.

Col.461.lit.G. *At ſi res urgeat, etiam ex ſanguinem ſiſtentibus aliquod infundatur, uelut eſt cinis lanarum ſuccidarum, aut ſpongiæ nouæ, pice liquida, aut ſanguine bubulo, aut alumine liquido, aut ſtercoris aſinini ſucco imbutæ & uſtæ.* Horum verborum lectio tranſpoſita in Græcis eſt, vt ſententia non ſolùm obſcuretur, ſed etiam vitietur. Repones itaque in hunc ordinem, εἰ δ᾽ ἐπείγοι, καὶ ἴσχαιμόν τι ἐνιέναι, οἷον τέφραν οἰσυπηρῶν ἐρίων, ἢ σπόγγου καινοῦ βραχέντος πίσσῃ ὑγρᾷ, ἢ αἵματι βοείῳ ἢ στυπτηρίᾳ ὑγρᾷ, ἢ ὀνίδος χυλῷ, καὶ καυθέντος. Nouam autem vult eſſe ſpongiam, id eſt καινόν, non κενόν (id eſt inanem) ſicut exemplaria habent. Nouam enim ſpongiam ad hanc rem commodam eſſe, & contra veterem inutilem Dioſcorides teſtatur. Sequitur porro paulo pòſt, quòd omphacitis ſit cauum illud ex quo quercina glans enaſcitur: de qua re quid ſentiam, in commentariis medicis per longum oſtendi: & lib. 1. emblem. 120. in Dioſcoridem repetiui.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMQVARTVM.

Col.464.lit.E. *Mirificè uerò facit, etiamſi uomant, anethum coctum ac potum: poſt potum uerò, pane in calidam àquam iniecto, ſtatim calida fruſta edenda dato.* Horum verborum ſententia non ita accipienda eſt, velut anethi decoctum bibi velit, vt inde vomitus contingat: ſed vt ex eius potu vomitus ſiſtatur, etiamſi iam ſtercus vomant. Sic enim Aëtius lib. 9. cap. 28. apertè declarat, Potus, inquit, eis conueniens eſt anethi decoctum. eſt enim vſitatum & accommodum. A potu panem in aquam feruentem coniice, eiuſque fruſta calida confeſtim edenda præbe. Hoc enim modo ſeruabitur, etiamſi iam inſtet ei ſuffocationis periculum. Eodem loco citat quoque Oribaſii hæc verba, Anethum, inquit Oribaſius, in aqua & oleo decoquatur, atque ita bibatur: deinde fruſta panis ex aqua feruenti præbeantur. Mirum in modum enim inde iuuātur, etiamſi iam ſtercus vomant. Clara eſt vtriuſque ſententia, & alioqui aluum & vomitus ſiſtere anethi decoctum ſcribit Dioſcorides libro tertio.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMQVINTVM.

Col.465.lit.B. *Cæterùm ad renes, atterentibus calculos & ſecantibus medicamentis utendum eſt.* Inter hæc medicamenta recenſentur carpeſia, & ſaxifraga, & prionitis. Et de carpeſio quidem in commentariis medicis diximus, & meminit eius quoque infrà lib. 7 Paulus. An autem ſint carpeſia Arabum ac Mauritaniæ ſcriptoribus Cubebæ appellatæ, nondum ſatis conſtat, etiamſi magnò conſenſu non indoctorum medicorum id aſſeratur. Saxifragam autem eſſe Græcis σαξίφραγον Latinæ vocis vſurpatione appellatam, non eſt dubium. Sed Galenus lib. 5. ὑγιεινῶν, ceſtrum apud Celtas naſci dicit, & ab ipſis appellari hanc herbam σαξίφραγον. Quod etiam Galenum ſequutus Aëtius lib. 4. cap. 30 prodit. Paulus verò & de ceſtro ſeorſum lib. 7. tradit, & poſtea rurſus de ſaxifraga, quam ſaxifragam vocat, ab illa ceſtro dicta diuerſa, ita tamen vt vtranque vrinam ciere, & calculos atterere ſcribat. Et eſt vtraque illa ſaxifraga officinis hodie ſatis cognita. At prionitis quæ herba ſit me neſcire libenter confiteor, quum nullum alium Græcum ſcriptorem reperiam qui eius mentionem faciat. Proinde etiamſi eius vocis lectionem habeam ſuſpectam, tamen eam ex authore delere, & aliam ſubſtituere piaculum duxi, maximè quum exemplaria omnia in ea conſentiāt, & author operis Pandectarum medicarum prionitidis vocis lectionem agnoſcat, velut ſuo tempore ante ducentos ac triginta & amplius annos in Paulo pro genuina habitam ac receptam. Sed tamē & hìc quid ſit prionitis, neque nouit neque docet: hæc verba ſolùm in opus ſuum, etiam nuſquam aliàs ſatis purum ac integrum, referre contentus, Prionitis, inquit, eſt medicina ad lapidē, Paulus. Quanquam autem prionitidis vocem vt ſuppoſitam, habeam velut dixi ſuſpectam, tamen ipſam nec remouere, nec vt ignotam damnare in præſens volo, ſed pro qua ſuppoſitam eſſe putem indicare. Et ſit etiam hæc coniectura, non aſſertio noſtra. Bryonia vtraque quæ & vitis alba ac nigra appellatur, vim habere ciendi vrinam ac menſes, & proinde etiam atterendi lapides, ab omnibus Græcis medicis proditur, & Aëtius lib. 11. cap. 5. vbi vrinam multam ducentia recenſet, inter ipſa etiam radicis bryoniæ decoctum refert. Et mox vbi ea quæ exſuſcitant facultates ad excretionem irritando proponit, inter ea aſparagos vitis albæ habet. Et paulo pòſt, Deducunt, inquit, ad renes ea quæ calculos confringunt, peucedani radix, bryonia, apium, radicula. Ex his itaque locis coniecto fieri potuiſſe vt βρυωνία etiam hoc loco in Paulo ſcripta, ex obliteratis characteribus πριονίτις ſit facta, niſi fortaſſis eadem bryonia ac prionitis appellatur.

Ibid.lit.C. *Compoſitæ potiones ſunt.* In prima harum potionum menſura imminuta legitur in Græcis. habetur enim δίδου κοχλιάρια β'. legendum autem eſt haud dubiè κυά θ. β'. Ita etiam in ſequenti inſperſilis medicamenti potione, quod καταπαστόν, & nō κατάπλασον legi debet, falsò legitur δίδου κοχλ. ε. μετ᾽ οἴνου κεκραμμένου κοχλ. β'. Neque enim medicamenti illius quod in vinum aqua dilutum inſpergi debet, cochlearii menſura bibi poſſet, ſi duobus cochleariis vini diluti inſpergeretur. Itaque etiam hìc μετ᾽ οἴνου κεκραμμένου κυά θ. β'. legendum eſt, velut vtroque loco conuerti. Porro poſca nephritica, quæ paulo pòſt ſequitur, & φοῦσκα Paulo & Aëtio ac reliquis medicis Græcis Latinæ vocis vſurpatione appellatur, habetur infrà lib. 7. cap. 11. à Paulo deſcripta. non enim ſimplex poſca eſt, hoc eſt acetum aqua temperatum, ſed puluillus aridus qui cum poſca ſumitur ac bibitur, atque inde appellationem habet. Quod verò ſequitur medicamētum ex auicula ſiue paſſere troglodyte, longè fuſius habetur apud Aëtium lib. 11. capite 11. Licétque ex vtriſque colligere, non eſſe aliam quàm*quæ Germanis zaunſchlipfling appellatur, ex eo quod circa ſepes verſatur, aut etiam eam quæ Emmerling vocatur. Nam hoc genus per hyemen vbique apparet, velut Aëtius dicit. Et Aëtius quidem exhibere ſemel omnem vnius vſti per ſe cinerem iubet, aut modico folio & pipere ammixto, quò ſaporis iucunditate ori commendetur. Paulus verò inſuper addit liquorem vini mulſi, vt cum ipſo bibi poſſit, δι᾽ ἀκρομέλιτος, inquit, πινομένην. Legitur tamen in Græcis corruptè δι᾽ ἀκρατομέλιτος. Eſt autem ἀκρατόμελι nihil aliud quàm οἰνόμελι: ſiquidem ἄκρατον vinum meracum

appellant. Vinum autem mulſum nephriticis commodum eſſe in præcedentibus dixit, vbi etiam lapidem Indaicum, & ſanguinem hircinum, & cicadas, ex vino mulſo exhibet.

Col. 468. lit. E. *De permingentibus ſtratum.* Græcè eſt περὶ ἐνουρούντων. Dicuntur autem ἐνουροῦντες quaſi ἐν τῇ κλίνῃ aut ἐν τοῖς στρώμασιν οὐροῦντες, id eſt lectos & ſtrata permingentes, quæ affectio pueris maximè contingere ſolet, velut etiam Paulus teſtatur: & Diogenes Cynicus de ſeipſo confitebatur, vt Laërtius refert. Nam quum quidam ipſi exprobraſſet quòd aliquando falſam monetam ſignaſſet, Diogenes per adoleſcentiæ prætextum crimen excuſans, καὶ γὰρ ἐνούρουν καὶ τότε, ἀλλὰ νῦν οὔ, inquit, hoc eſt, tunc ſanè etiam ſtratum permingebam, ſed nunc non item. Sed in Græco Laërtio θᾶττον, pro καὶ τότε, falſò legitur, quæ res fecit vt docti viri multi ſentētiam non intellexerint, & ἐνούρουν θᾶττον, lotium celerius reddebam verterint: quæ ſententia Diogenis ingenium non refert. Ad hanc autem affectionem naturalia auxilia Paulus refert, id eſt quæ ex occulta quadam naturæ proprietate conducunt, non ex qualitate aliqua temperamenti. Inter ea verò habetur, leporis teſtem deraſum in vinum exhibendum eſſe in potu. legitur enim in Græco, λαγωοῦ ὄρχιν ἐπιξύων εἰς οἶνον. Sed Galen. lib. 9. κατὰ τόπους in fine, λαγωοῦ ὄρχις ἐπιζεννύμενος οἴνῳ habet, id eſt, leporis teſticulus in vino feruefactus. Et videtur vtraque lectio ſtare poſſe, ſiue quis in vino feruefactum, ſiue in vinum deraſum leporis teſtem accipere velit. Aëtius tamen item vt Paulus, ἐπιξύσας habet.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSEXTVM.

Col. 469. lit. F. *Intybum autem Troximum appellatum.* Intyba appellari Græcis τρώξιμα, in commentariis medicis clarè oſtendi, nec ſunt diuerſa genera his vocibus indicata. Rectè itaque legitur in Aldino codice, τὸ ἴντυβον ἢ τὸ τρώξιμον, ſcilicet καλούμενον, id eſt appellatum: malè in Baſilienſi, καὶ τὸ ἴντυβον δὲ καὶ τὸ τρώξιμον. Paulo pòſt hunc locum ſequitur, Cibum verò ptiſſanæ ſuccum aut alicam cum hydrroſato accipiant. Eſt autem ὑδρορόδατον, non aqua roſata, qualis hodie in vſu eſt, ab Arabibus ſiue Mauritanis longè poſt Pauli ætatem introducta, ſed compoſitio ex roſis, aqua & melle conſtans, inter iucundas potiones à Paulo relata libri ſeptimi capite decimoquinto: cum hoc hydroroſato hîc alicam accipere iubet, ſicut præcedente capite vbi de diabete agebat, cum roſato. Mihi tamē & illic roſatum, nihil aliud quàm hydroroſatum ſignificare videtur, & fortaſſis eadem compoſitio tum ῥοδάτον tum ὑδρορόδατον appellatur: aut certè iſthic ἄλικα μετὰ ῥοδάτου, falſò pro ὑδροροδάτου legitur.

Col. 470. lit. B. *Et medicamentum ex cacano, ad craſſorum ac uiſcoſorum humorum obturationes.* Medicamentum hoc ex cacano deſcribit Paulus lib. 7. cap. 11. Sed quid ſit cacanum non ſatis conſtat: ſic vt neque an cacanum aut bacanum rectè ſcribatur certum eſt, quum vtrunque reperiatur. Et in Paulo quidem hoc loco & iam commemorato βακάνου legitur: ſed idem in ſimplicium ex ordine literarum deſcriptione apertè κακάνου habet, vt etiam aliis locis cacanum legendum eſſe videatur, & alioqui procliue fuit β literam pro κ agnoſcere, & viciſſim hanc pro illa. Aëtius quoque lib. 3. cap. 147. βάκανον habet. Sed lib. 10. cap. 2 κακάνε vox bis in ſcriptis manu exemplaribus habetur. Author Pandectarū medicarum bacanum raphanum exponit. Hermolaus in corollariis in Dioſcoridem, vbi de raphano agit, dicit ſe in quodam gloſſemate reperiſſe bacanum ſemen, ſiue nucleum ſiue mucronem raphani eſſe. Sed hoc ambiguum facit Paulus, qui ſeorſum litera ρ. de raphano & eius ſemine mentionem facit, & ſeorſum de cacani radice ſub litera κ. Proinde in ſumma hæc de bacani vocis lectione & eius expoſitione reprobamus. Cacani verò lectionem omnibus illis locis pro recta agnoſcimus ac recipimus, vt ſit radix de qua Galenus ea habet quæ Paulus infrà lib. 7. recenſet, & quæ Dioſcorides lib. 4. cap. 106. de cacalia prodit. Nam & Paulus eodem loco cacaliam & viribus & vſu cacano ſimilem eſſe dixit, quum tamen eandem eſſe oporteat: etiamſi Galenus cacaliæ nomen non habeat, ſed ſimpliciter cacanum appellet, niſi locus ſit mendoſus.

Ibid. lit. G. *Fumariæ circa ſepes naſcentis.* In Aldino codice deeſt hîc vna atque altera vox. Sic enim habetur καπνοῦ τοῦ ἐν ταῖς: excidit ergo αἱμασιαῖς φυομένου. Ita enim naſci cernitur. Baſilienſe exemplar καπνοῦ τοῦ ἐν ταῖς κριθαῖς habet. cuius lectionis fidem apud authorem relinquo. quanquam ſi de re conſtat, locus naſcendi ignorari poteſt.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMSEPTIMVM.

Col. 471. lit. C. *Mirificè ipſis prodeſt abſinthij præpotatio, & ſinapiſmi, & dropaces.* Hoc loco in Græcos codices vox ab omni medicina aliena irrepſit. Legitur enim καὶ κοτταβισμοὶ καὶ δρώπακες. Quid autem faciant κοτταβισμοὶ ad mali corporis habitus emendationem, qui erant luſus in conuiuiis huiuſmodi: qui biberat, id quod in poculo reſtaret, in peluim quādam ad hoc diſpoſitam mittebat, & ex ſonitus magnitudine, de amore pueri vel puellæ alicuius erga ſe diuinabat. Proinde coniectura ad rem dropaci affinem progreſſi, vocem σιναπισμοὶ pro κοτταβισμοὶ legendam ac reponendam eſſe arbitramur, quum & facilis fuerit ab altera voce ad alteram aberratio, in obliterata ſcriptura: & ea ſit confinitas inter dropaces & ſinapiſmos, vt eodem capite Paulus de his agat lib. 7. capite decimonono. Et Aëtius libri decimi cap. 19. dropaces nominare contentus, de ſinapiſmis penitus tacuit. Habet enim eadem verba quæ etiam hic Paulus, ſola κοτταβισμοὶ voce excepta.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMOCTAVVM.

Col. 472. lit. B. *Multæ uerò mixturæ hoc eſt.* Inter hæc medicamenta ſimplicia habetur vox σμύρνης falſò ſuppoſita pro σμυρνίου. Non enim myrrha, ſed ſmyrnium huc facit, velut Dioſcorides, Paulus, & Aëtius teſtantur, itémque Galenus ipſe. Sed & paulo pòſt quod cōuerti, Aut foliorum chamelææ, & ſquamæ æris, & aniſi, ſingulorum pares partes dato ex aqua, in Græcis corruptè legitur, ἢ χαμελαίας φύλλων καὶ χαλκοῦ κεκ. ἐ. ἀνίσου τὸ ἴσον. Legendum autem eſt, ἢ χαμελαίας φύλλων, καὶ χαλκοῦ λεπίδος, καὶ ἀνίσου τὸ ἴσον. Neque enim æs vſtum, ſed æris ſquama vim ducēdi aquam habet, velut etiam linea præcedente eius mentionem facit. Et ſicut iſthic micis panis excipit, ita hîc aniſum addit, quo minus quis vſum ipſius auerſetur. Nec longè poſtea vbi folii malabathri pilulas duas verti, rurſus Græca exemplaria corrupta ſunt: habent enim φύλλου < ά. μαλαβάθρου σφαιρία β'. Legendum autem eſt ſic, φύλλου μαλαβάθρου σφαιρία β'. Nihil enim ſignificat φύλλον per ſe aliud quàm malabathri folium. proinde & φύλλου vocem per ſe, & μαλαβάθρου vocem per ſe, & ambas voces coniunctim, φύλλου μαλαβάθρου, Græci medici pro eadem re vſurpare ſolent: σφαιρία autem (id eſt pilulas) dixit eo quòd folium in pilam & globum ſit conuolutum, velut in Emblematis in Dioſcoridem amplius expoſuimus.

IN CAPVT QVADRAGESIMVMNONVM.

Col. 473. lit. E. *Vtere malagmatis primùm ſimplicioribus, quale eſt hoc, Ceræ ſeſquilibram, adipis taurini lib. 1.* Hoc loco id quod adipis taurini libr. 1. conuerti, in Græcis ſimpliciter habetur, ταυρείου λι. ά. Nam aut intelligenda eſt vox στέατος, aut fortaſſis quoniā excidit reponēda. At hæc non conſiderantibus, nec taurini adipis vim mollitoriam hîc requiſitam animaduertentibus, viſum eſt κυπρείου pro voce ταυρείου ſubſtituere manifeſto errore. Sunt & alia in Græcis corrupta quæ hoc capite habentur, quæ ſiquis corrigere volet, ex ipſa noſtra tranſlatione eius rei faciendæ copiam habet.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Col. 474. Ibid. *Fit etiam Icterus ob intemperiem calidam ſolidorum corporum, dum in bilem mutantur ea quæ alimenti ratione ad ipſa deferuntur.* Græca lectio hîc corrupta eſt, nec opus eſt exemplaria in manifeſtario adeo delicto requirere, aut ad probandum citare. deeſt autem articulus τῶν, & pro φερόμενον legendum eſt φερομένων. In hunc modum, γίνεται δὲ ἴκτερος καὶ διὰ δυσκρασίαν θερμὴν τῶν στερεῶν σωμάτων, εἰς χολὴν μεταβαλλόντων τῶν τῷ λόγῳ τροφῆς αὐτοῖς φερομένων. Poteſt tamen etiam ſic legi, εἰς χολὴν μεταβαλλόντων τὸ τῷ λόγῳ τροφῆς αὐτοῖς φερόμενον. Sed alteram ego malim lectionem. Non longè poſtea habetur paſſum chryſatticum à loco vt arbitror appellatum. Meminit eius etiam Aëtius lib. 11. cap. 13. paulo pòſt habetur, Rectè etiam picra datur & arida, & ex aceto mulſo conſtans: quod in Græcis legitur, ἥτε ξηρὰ καὶ ἡ δι' ὀξυμέλιτος. Vtriuſque au-

tem deſcriptio extat lib.7.cap.11.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Col.475.lit.C. *Aluminis ſciſſi drach.v.fæcis uini Rhodij drach.x.gallarum omphacinarum drach.11.uino diluta & ad mellis ſpiſſitudinem redacta impone.* Hoc medicamentum corruptè legitur in Græcis codicibus hoc modo, ϛυπτηρίας σχιϛῆς < ε. τρυγὸς οἴνου < η. ῥοδίνου < ι. κηκίδων ὀμφακίνων < β΄. οἴνῳ δὶεὶς καὶ μέλιτος ποιήσας πάχος ἐπίβρεχε. Sunt enim expreſſa in Græcis quatuor medicamenta,alumen ſciſſum,fæx vini,roſaceum,gallæ.Quod autem tria ſaltem legi debeant,quæ vino diluta mellis craſſitudine illinantur vel imponantur, & ratio ipſa dictat,quæ omnem pinguedinem reſpuit,& alioqui roſacei vt cum vino ad reliqua diluenda adhibeatur,nullus eſt vſus: & Aëtius lib.4. cap.26,idem medicamentum tradens, roſaceum penitus non habet,ſed alumen,fæcem vini auſteri,& gallas, cum vino ad craſſitudinem redigenda eſſe dicit ac illinēda. quare neque hoc Pauli loco roſaceū legi debet.Eſt autem temere à quodam ſuppoſita ῥοδίνου vox,qui ignorauit Rhodii vini fæcem. Diſtinxit ergo vini fæcem certo pōdere adiecto,& ῥοδίου vocem in ῥοδίνου tranſmutauit, decem drach.pondere itidem appoſito.Sic itaque rectam repones lectionem,ϛυπτηρίας σχιϛῆς < ε. τρυγὸς οἴνου ῥοδίου < ι. κηκίδων ὀμφακίνων < β΄. οἴνῳ δὶεὶς καὶ μέλιτος ποιήσας πάχος ἐπίπλαττε.Apparet autem vinum Rhodium fuiſſe auſterum , ex eo quòd Aëtius vini auſteri præſcribit fæcem.Meminit fæcis vini Rhodii Archigenes apud Galenum lib.1.capite 8.De compoſ.medic.ſecūdum locos,& ibidem non ſolùm fæx vini Rhodii, ſed etiam fæx Rhodia appellatur. Non multum verò refert an ἐπίβρεχε,aut ἐπίπλαττε,aut ἐπίχριε legas.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

Col.476.Ibid. Aliud variegatius,facit ad perfectæ ætatis homines. In hoc medicamento habetur , λίθου πυρίτου, ἀπύρου,μάγνητος φυσῶντος,hoc eſt (velut ego verti) Lapidis pyritæ, ſulphuris ignem non experti , magnetis ſpirantis. Primùm itaque ἀπύρου vox videri poſſit ad pyriten lapidem pertinere , vt lapidem pyriten ignem nonexpertum accipiamus: ſed Aëtius libri decimiquarti cap. 24. idem medicamentum,adhuc tamen variegatius,recenſens,ſeorſum lapidem pyriten habet,& interpoſitis aliis aliquot medicamentis,ἀπύρου vocem per ſe habet, vt nō ad pyriten pertineat, ſed per ſe ſulphur viuum ſignificet.Deinde magnetem ſpirantem dixit, qui validam adhuc trahendi ferrum vim habet,vt φυσῶντος vox idē ſignificet quod ζῶντος,qua Aëtius aliquoties vtitur.Temere igitur mutata eſt lectio in Baſilienſi editione,κυαΐζοντος pro φυσῶντος.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Ibid.lit.G. *Vena igitur ſtatim ſecanda eſt,& uictus tenuis ac ſine uino conſtituendus,& quotidie quidē aluus mollienda eſt,uehementer nunquam,ſed placidè ac leniter.* Hoc loco deſunt in Græcis codicibus duæ voces,quæ faciunt vt tota ſententia obſcuretur,& alienum ſenſum exhibeat,& quæ neceſſariò reponuntur ex Aëtii lib.12.cap.22.Sunt autem voces,ὑπομαλάσσειν τὴν κοιλίαν.Quibus rēpoſitis ſic legatur,φλεβοτομεῖν οὖν αὐτίκα,καὶ δίαιταν λεπτὴν τε καὶ ἄοινον ἐπιτρέπειν· καὶ καθ᾽ ἡμέραν μὲν ὑπομαλάσσειν τὴν κοιλίαν,ἰσχυρῶς μηδέποτε,ἡσυχῇ δέ.Sed & mox eodem loco legendum eſt,τῶν κοσχαρείων ὁ ζωμὸς, ex eodem Aëtio,non κοσχλιαρείων,neque κοχλίαν,velut quibuſdam viſum fuit.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM NONVM.

Col.478.ibid. *Paſtillus quoque ex uino & oleo,& qui ex lapide Phrygio paratur,ualde commoda ſunt medicamenta,& ad rimas,& ad ſordida circa coronam ulcera,& maximè quum detrahere præputium non poſſunt.* Hoc loco in Græcis pro καὶ τὸ λιθοφρύγιον,legendum eſt καὶ ὁ διὰ λίθου φρυγίου,ſcilicet paſtillus.Habetur autem lib.7. cap. 12. ϛεφάνην verò (id eſt coronam)vocat eminētem colis partem ac circulum illum cui præputium inducitur. Quod vbi ita inductum eſt vt vlcerata corona reduci ac detrahi non poſſit,hæc medicamenta commoda eſſe dicit.Intelligenda enim eſt πόσθης vox in verbo ἀποσύρειν, quum dicit,καὶ μάλιϛα ὅταν ἀποσύρειν μὴ δύνανται.Paulo pòſt vbi verti, Aut paſtillum album , aut eum qui ex loto fit,in plumbea pila tritum immittito:in Græcis deeſt vox λειώσαντας,quam ego tritum reddidi. Vult autem aliquid ex plumbi facultate paſtillis accedere.

IN CAPVT SEXAGESIMVM SECVNDVM.

Col.482.lit.C. *Aut ſuberis ex Italico uaſe uſti cinerem.* Hoc loco non legendum eſſe φακοῦ (id eſt lenticulæ)ſed φελλοῦ, (id eſt ſuberis) ex quarto ſequenti verſu ſatis admonemur.Nam ſicut hic bibendum,ita illic apponēdum,ſuberis cinerem præſcribit,non cuiuſlibet ſuberis,ſed eius quo Italica ceramia ſiue vaſa vinaria obturata fuerunt. Ex quo etiam paſtillum infrà lib.7.cap.12.habet:quanquam etiam iſthic σφακλοῦ pro φελλοῦ falſò ſuppoſitum legatur.Quod autem is fuerit ſuberis vſus,in commentariis medicis ex Plin.lib.16.cap.8.docui.Meminit etiam Galenus comment.4.in ſextum Edem.Hippocratis librum,ſuper aphor.8.Sed & iſthic τυφλοῖς πωμασθέντα,pro φελλοῖς habetur. Verùm de his plura in cōment.medicis retuli.Sed nondum tamen perſuaſi vt non hìc lenticulam neſcio quo fictili vſtam,& infra fæcem vini,aliqui accipere malint , vitiatam lectionem libētius quàm ſanè admonitionis rationem ſequentes.Non longè poſtea habentur flores mali Punici dulcis,vbi in Græcis abundat particula ἤ. legendū eſt enim, κυτίνοις ῥοᾶς γλυκείας,non κυτίνοις ἢ ῥοᾶς γλυκείας.Non enim ipſa mala,ſed flos cytinus appellatus hanc vim habet. Et paulo pòſt vbi legitur ὀξυσχοίνου κεφαλῶν μυρσίνης,&c.vox κεφαλῶν ad oxyſchœnon(id eſt iuncum acutum)pertinet,cuius capita in quibus ſemen,huc faciunt: & non ad myrtum.Et alioqui morem hunc Paulus & Græci medici habent,vt primùm vniuerſalem rei nomenclaturā faciant,& mox partem adiiciant,ſicut mox habetur ῥάμνου φύλλων,& βάτου ἀκρεμόνων.Ita & hìc ὀξυσχοίνου κεφαλῶν, & non κεφαλῶν μυρσίνης.Nam huius folia accipienda ſunt,quorum nomenclatura ſequitur poſt vocem ῥάμνου.

IN CAPVT SEXAGESIMVM SEXTVM.

Col.485.lit.D. *Si non ſuccedit,medicamentum aridum ex charta immittito,primùm cum poſca, deinde cum aceto: aut puluillum antherum(hoc eſt floridum)appellatum.* Ambo hæc medicamenta,& quod ex charta vſta, quam recipit,nomen habet : & quod antherum appellatur,ex floribus roſarum quas recipit, vt arbitror habentur lib.7.cap.13.inter medicamenta arida ac puluillos,diuerſūmque eſt medicamentum τὸ διὰ χάρτου ξηρίον,à paſtillo ex charta , cuius deſcriptio eſt eiuſdem libri capite duodecimo.

IN CAPVT SEXAGESIMVM SEPTIMVM.

Ibid.lit.G. *Affectio igitur ipſa incurabilis eſt, ueluti alicubi etiam Hippocrates dixit.* Quod vteri cancri incurabiles ſint, Hippocrates in Aphoriſmis particula 6.aphor.28.dicit,vbi de occultis cancris ſic ait, Quibuſcūque occulti cancri fiunt, eos non curare melius eſt.Si enim curantur,citius moriuntur: ſi verò non curentur, multum tempus perdurant. Ad hos cancros etiamſi curari non poſſint,priuatim cōmodare dicit hoc loco Paulus , id quod paratur ex fæce in æneis vaſis, in quibus aqua coquitur,ſubſidēte. Hæc enim fæx,inquit, inſuper aſſata minutiſſimè teritur,& cerato roſaceo excipitur ad emplaſtri compagem redacta.Quo verò certò cognoſcatur quam rem & quam adeò fæcem Paulus deſignet , Græca etiam ipſius verba adſcribam,ἰδίως δὲ συμπεφώνηται τὸ διὰ τῆς ὑποςάθμης τῆς ἐν τοῖς χαλκείοις,ἥτις ἐποπτηθεῖσα λειοτριβεῖται,καὶ ἀναλαμβάνεται,κηρωτῇ ῥοδίνῃ,μέχρι συϛάσεως ἐμπλαςρώδους.Verba ipſa ſatis clara ſunt,ſatiſque indicāt quam rem velit, quā etiam putamus nos ſatis commodè Latinè reddidiſſe.Hanc autem fæcem,etiam πῶρον(id eſt tofum) vocat lib.7.cap.16. vbi in collyrio ex hydria(id eſt vaſe aquario) πῶρον τὸν ἐν τοῖς θερμαντηρίοις ἀγγείοις ἐυρισκόμενον recipit , hoc eſt tofum qui in vaſis calefactoriis reperitur.legitur tamen falſò θεσμοφορείοις pro θερμαντηρίοις , id quod ex Galeno conſtat,qui lib.4. de compoſ.medic.ſecundum genera,inter medicamenta citra mordacitatem ſiccantia recenſet, & tofaceū illud quod in æneis vaſis calfactoriis concreſcit.Sic enim locum conuerti in mea totius Galeni operum recens facta editione, qui Græcè ſic legitur,καὶ τὸ συνιστάμενον πωρῶδες ἐν τοῖς θερμαντηρίοις ἀγγείοις. Habent tamē & hic exēplaria πυρῶδες pro πωρῶδες.

Neque referre libet quid vel hoc Galeni loco, vel illis Pauli antea citatis, interpretes conuerterant. Reponam autem & Græcam rectam lectionem in futura per me emendata Græcorum Galeni librorum editione. Quod autem ita generari ſoleat tofus in æneis vaſis, dum aqua in ipſis coquitur, experientia quotidiana teſtatur. Et Galenus commentario primo in 6. lib. ἐπιδημιῶν Hippocratis ſuper textum, In rhenem dolor grauis: & tertio commentario in eundem librum, ſuper textum, Poſt mictionem concretio pueris magis, declarat eodem modo naſci in pueris tofaceum lapidem, quo extrinſecus tum in aquis calidis naturalibus concreſcere videtur, tum in vaſis in quibus aqua quotidie calefit. Idem facit etiam libro primo De alimentis, vbi de pane loto agit. Sed adſcribam ipſius verba Græca, quæ in codicibus impreſſis corruptè leguntur, Τοῦ μὲν γὰρ ὠμοῦ χυμοῦ προσλαβόντος τὸ γλίσχρον, ὅταν αἱ κατὰ τοὺς νεφροὺς διέξοδοι στενώτεραι εἰσὶ πρὶν ὑπάρχουσαι φύσει, χρονίζον αὐτόθι τὸ παχύτατόν τε καὶ γλισχρον ἐπιμόνως ἀποτυποῦται πῶρον ὁποῖος ἐπὶ τοῖς ἀγγείοις οἷς τὸ ὕδωρ θερμαίνομεν, ἐπιτρέφεται, καὶ ὁποῖος τοῖς λίθοις περιπήγνυται κατὰ πολὺ τῶν αὐτοφυῶν ὑδάτων θερμῶν.

IN CAPVT SEXAGESIMVM OCTAVVM.

Col. 486. lit. C. *Deinde cataplaſmata ex caricis, hyſſopo, nitro & abſinthio.* In præcedentibus capitibus aliquoties ὑσσώπου vox falſò ſuppoſita fuit pro οἰσύπου voce: de quo ſemel hîc admonendum duxi, ne hæc codicum Græcorum vitiatio penitus à me prætereatur, quam in Latina noſtra tranſlatione vbique ſuſtulimus, quemadmodum etiam paulo pòſt ſublata eſt, vbi peſſi ex terebinthina, galbano, myrrha, iride, & œſypo habentur, hoc eſt οἰσύπου, non ὑσσώπου. At hoc loco in cataplaſma non œſypus recipitur, ſed hyſſopus herba, & ὑσσώπου vox rectè legitur. Nam hunc hyſſopi ad duritias in cataplaſmatis vſum, etiam Dioſcorides prodit, καταπλάσσεται δὲ, inquit, μετὰ σύκου καὶ νίτρου πρὸς σπλῆνα καὶ ὕδρωπα.

IN CAPVT SEXAGESIMVM NONVM.

Ibid. lit. G. *In quibuſdam autem reuera in hydropem tranſitio fit.* Aldinum exemplar ἐπιτείνων habet: id in poſteriore editione in ἐπιτεῖνον mutatum eſt. Sed neutra lectio recta eſt, verùm legendum eſt ἐπί τινων, id eſt in quibuſdam, & referendum ad τινὲς δὲ, quod paulo antè præceſſit.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM PRIMVM.

Col. 487. lit. E. *Faciei pallor, facies triſtis.* In Græcis eſt βλέμμα περιλίπαρον: ſed ego περιλύπηρον legendũ eſſe arbitror, id eſt triſtis aſpectus. Neq; enim video quid pingui acceptu accipiendũ veniat. Deinde ſequitur, Et facies aliquantulũ plena fit, habetur enim Græcè, καὶ τὸ πρόσωπον ὑποπίμπλαται. Suſpicor autem & hîc legendum eſſe ὑποπιμπρᾶται, id eſt & facies aliquantulum ardeſcit. Nolui tamen mutare lectionem. At quod paulo pòſt habetur, Et murmur quoddam inteſtinorum præcedit: in Græcis legẽdum eſt, καὶ βορβορυγμὸς προοδεύει τις τῶν ἐντέρων. Aëtius enim ſimpliciter habet lib. 16. cap. 68. καὶ τὰ ἔντερα βορβορύζουσι. Verùm quod legitur in impreſſis Pauli exẽplaribus, murmur fieri ſignificat, & progredi aliquod inteſtinum. quam ſententiam quum & ratio & rei experientia neget, neque Paulus prodidiſſe credi debet, vt ſic ſcripſerit, καὶ βορβορυγμὸς, καὶ προοδεύει τι τῶν ἐντέρων. Eſt autem βορβορυγμὸς ſtrepitus quidam qui bõbi ſpeciem refert, contingens vbi humiditas aliqua in inteſtinis continetur, vt Galenus lib. 3. de ſympt. cauſis docet. Quin & paulo pòſt vox ὑποσφυγμόντων rectè legitur pro pulſibus ſubtremiſcẽtibus. Non longè deinceps quod cõuerti, Velut collyria in anum ſubdita, in Græcis falſò legitur, οἷα τὰ κολικὰ δακτυλίῳ προστιθέμενα. Legendum enim eſt pro κολικὰ voce vox κολλύρια. Sic enim etiam ſuprà cap. 42, appellauit, καὶ ὑπόθετα δὲ κολλύρια, inquit, τῶν πάνυ θερμαντικωτάτων ἐστί. Videtur autem aliquis lectionem mutaſſe, qui colicas eſſe eas glandulas videret.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM QVARTVM.

Col. 489. lit. F. *Rubri tenerorum uirgultorum, & gallæ.* Hoc loco in Græcis deeſt vna vox. Legitur enim, ἢ βάτου τῶν ἁπαλῶν, ἢ κηκῖδος. Legendum autem eſt, ἢ βάτου τῶν ἁπαλῶν ἀκρεμόνων, ἢ κηκῖδος. Et mox καλῶς ſuppoſitum eſt pro καθώς. Neque legendum eſt καλῶς ὡς, vt in poſteriori exemplari emendatum eſt.

Col. 490. lit. A. *In peſſis verò utãtur terebinthina, nitro, cucumere ſylueſtri, elaterio, caſſia & picis ſero.* Hoc loco Græca exẽplaria habent, πρὸς δὲ τούτοις χρῆσθαι τερεβινθίνῃ, &c. id eſt adhæc verò vtantur terebinthina, &c. Nam quæ ſequuntur rectè habẽt. Sed verba πρὸς δὲ τούτοις corrupta ſunt ex voce vna προσθέτοις, quæ reponi debet. Sunt enim πρόσθετα quæ in peſſos aut ſimiles figuras efformata ad vterum ſubduntur. Ad hanc autem rem apta ſunt medicamenta ſubiecta, & in nullum alium hoc loco vſum. Sic verò etiam quarta linea ſequenti, ἐν τοῖς μαλακτικοῖς προσθέτοις legẽdum eſt, id eſt molliẽtibus peſſis ſubditis, & non καθέτοις.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM QVINTVM.

Ibid. lit. D. *Eminentia apparet circa exacerbationes doloroſa, cruenta ac rubicunda: in interuallis autem rugoſa, doloris exors, ſublinida, ac ſtillans.* Hæc verba in Græco ita rectè leguntur, ὑπεροχὴ φαίνεται κατὰ μὲν τοὺς παροξυσμοὺς ἐναλγὴς, δίαιμόν τε καὶ ἐνερευθὴς· ἐν δὲ διαλείμμασι, ῥυσσὴ καὶ ἀναλγὴς, καὶ ὑποπέλιον καὶ σταγγῶδες. Opponitur enim ῥυσσὴ ὑπεροχὴ ei quæ prætumida eſt ὑπεροχή: & ἀναλγὴς opponitur ἐναλγεῖ, & ὑποπέλιος τῇ διαίμῳ, & σταγγῶδες τῇ ἐνερευθεῖ. Stillat enim guttatim σταγγώδης, quum ἐνερευθὴς rubicunda manens nihil ſanguinis effundat. Atque hæc eſt genuina ſententia, quam etiam ex Aëtio colligere licet: nec eſt ex vitiatis codicibus ῥῦσιν vox pro ῥυσσήν: nec τρυγώδης pro σταγγώδης ſubſtituenda. Declarant hoc etiam verba Pauli ad finem huius capitis ſequentia. Sed & paulo pòſt corruptam lectionem, αἳ δὲ τῶν διαρρόοις δὲ αἱμορρόοις, &c. ſic emendare oportet, αἳ δὲ τῶν δι' ἀρρωστίαν αἱμορραγούσαις. id quod ſequentia declarant.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM SEPTIMVM.

Col. 492. lit. C. *Relatis acopis utantur, & compoſitis his.* Græcè legitur τοῖς τε λελεγμένοις ἀκόποις χρηστέον, καὶ τοῖς συνθέτοις νίτροις. Videtur itaque νίτροις vox corruptè legi pro τούτοις. Sequuntur enim compoſita quæ adhibenda cenſet.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM OCTAVVM.

Ibid. lit. F. *Sed & ex torpedine ceratum eiuſdem facultatis eſt in exacerbationibus, & oleum ex ipſa.* Huius cerati ex torpedine piſce marino, deſcriptio habetur infrà lib. 7. cap. 17. Appellat autem τουρπαίνην Latina voce ad Græcos corrupta, quæ alioqui Græcis νάρκη vocatur. Oleum ex ipſa ibidem habetur, & eſt id in quo cera non additur. Hac enim addita, ceratum efficitur.

Col. 496. lit. F. *Curatio eorum qui ex mixti humoris fluxione laborant.* Græci codices falſò habent περὶ τῶν ἐπὶ αἱματικῷ χυμῷ ῥευματιζομένων. Nam de his in præcedentibus per longum egit, ſicut etiam de iis quiblioſi humoris fluxione laborant. Iam verò de mixti humoris fluxione conſequenter agit, vbi videlicet vel bilioſior vel pituitoſior, vel magis atrabiliarius eſt ſanguis. Legendum igitur eſt περὶ τῶν ἐπὶ μικτῷ χυμῷ ῥευματιζομένων. Et mox, οἱ δὲ ἐπὶ μικτῷ χυμῷ πάσχοντες, id eſt, qui ex mixto humore affecti ſunt.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM NONVM.

Col. 499. lit. A. *Aliud. Amurcæ, mellis deſpumati, ſingulorum pares portiones. Hoc etiam gingiuas purgat.* Hoc medicamentum habet etiam Aëtius lib. 14. cap. 83. Sed ita vt ad amurcam & mel deſpumatum, quæ ambo duarum drachmarum pondere recipit, aluminis phorini drach. 1. adiiciat. Et fieri poteſt vt alumen ex Paulo exciderit, aut ab Aëtio adiectum ſit, vt hoc præſtare poſſet quod de ipſo teſtatur, Gingiuas, inquiẽs, purgat ac firmat. Vocem autem firmat, id eſt κρατύνει, Paulus non habet, quia nec alumen, quod id præſtat. Vide lib. 4. cap. 41.

IN CAPVT OCTVAGESIMVM PRIMVM.

Ibid. lit. D. *Aut Muſæ paſtillus, aut Nere, cum aqua.* In Græcis exemplaribus habetur, ἢ ὁ μοῦσα τροχίσκος, ἢ ἥρειν δι' ὕδατος. Corrupta itaque eſt vox ἥρειν pro νήρη. Quomodo etiam ſuprà lib. 3. cap. 23. ἥρην pro νήρην legebatur, vbi ad duritiam ſordis aurium præſcribit, ἢ τὸν ἀνδρωνος τροχίσκον, ἢ τὴν νήρην, ἢ τὸν μουσᾶ. Quòd autem Nere appelletur trochiſcus ſiue paſtil-

lus, qui his locis à Paulo præſcribitur ex lib.7.cap.12.patet, vbi clarè habetur, νήρη τροχίσκος ἐκ τῶν ἡρᾶ, id eſt Nere paſtillus ex libris Heræ. Recipit autem hic paſtillus, myrrhæ, aloes, croci, ſingulorum drach. VIII. aluminis ſciſſi drach. C. Excipiuntur hæc aqua. Nolo tamen præterire Aëtium, qui lib.14.cap.75. eandem paſtilli huius deſcriptionem recenſens, paſtillum ipſum ἶριν (id eſt Iridem) appellat, vt in dubium veniat, Iriſne aut Nere paſtillus hîc appelletur. Si itaque Iris vera eſt eius appellatio, in hoc loco Pauli, ἢ ἶρις δι' ὕδατος legendum erit: & ſuprà lib.3. ἢ τὴν ἶριν: & infrà lib.7. ἡ ἶρις τροχίσκος ἐκ τῶν ἡρᾶ. Si verò Nere recta appellatio eſt, apud Aëtium memorato loco Neren pro Iridem legemus. Res ipſa eadem eſt, appellatio ob ſcripturæ ſimilitudinem altera pro altera agnoſci ac ſubſtitui potuit.

Ibid.lit.E. *Ad ulceratas autem, æruginis, ſpumæ argenti, ſingulorum drach. IIII. ſarcocollæ drach. IIII. quantum ſatis eſt inſperge, & ſupernè, &c.* In Græcis deeſt hoc loco vox ἐπίπαττε, & καὶ. Legendum enim eſt ex Aëtii loco paulo antè indicato, πρὸς δὲ τὰς ἡλκωμένας παρωνυχίας, ἰοῦ, λιθαργύρου ἀνὰ < δ'. σαρκοκόλλης < δ'. ἐπίπαττε ἱκανὸν, καὶ ἐπίθες, &c. Aëtius tamen etiam σαρκοκόλλης < α. habet, & veriſimile eſt ita eſſe legendum: alioqui enim Paulus ἀνὰ vocem de tribus coniunctim vſurpaſſet.

Col.500.lit.A. *Et loco prius ex ſpiſſamentorum decocto rigato, impone.* In Græcis legitur προκαταιονῶν συμμάτων ἀφεψήματι. Quia verò quid per συμμάτων vocem accipiendum eſſet, non ſatis intelligeretur, quidam σήμμεως ἀφεψήματι, quidam θέρμων ἀφεψήματι legendum cenſuerunt, partim vetuſtis exemplaribus perſuaſi, partim coniecturis vſi, & neutris nobis ſatis fidem faciunt: quum nulla vetuſtas poſſit errori patrocinari, & fallaces ſint coniecturæ, & rerum quoque vſus ineptus. Eſt enim συμμάτων lectio recta ac genuina huius loci. Et habet idem medicamentum iiſdem penitus verbis Aëtius lib.14.cap.74.principio. Sunt autem σύμματα odoramenta, quibus in oleum iniectis ac maceratis præparabatur id ad vnguentum, quod poſtea aliis additis aromatis condiretur, & odore imbueretur, & vnguentum ex oleo fiebat. Sic Dioſcorides in Amaracino vnguento, σύμματα (id eſt ſpiſſamẽta) habet, xylobalſamum, iuncum rotundum odoratum, & calamum: aromata verò ad odorem conciliandum, ἡδύσματα appellata, amaracum, coſtum, amomum, nardum, carpobalſamum, myrrham & cinnamomum. Illorum igitur συμμάτων, aliorúmque ſimilium, ab expreſſò oleo reſtantium, decoctum, Paulus & Aëtius ad pterygia præſcribunt: quanquam poſſint illa ipſa etiam per ſe, non prius in oleo macerata, decoqui, & ad pterygia decoctum illud adhiberi, vt conſequenter medicamentum imponatur. Memini συμμάτων quoque in commẽt. medicorum libris, ex quibus ea quæ quis amplius expetit, requirere poteſt. Meminit & Galenus lib. 2. κατὰ γένη. Sed σιγμάτων vox falſò iſthic pro συμμάτων legitur.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI
Dolabellarum in Paulum AEginetam liber quartus.

IN CAPVT PRIMVM.

Columna 501. litera E.

SQVAMAS *aut uelut quendam corticem.* In Græco legitur falſò τινὰ ἀλωπεκῆν, id eſt quandam vulpinam pellem. Nam λοπὸν legendum eſt pro cortice.

Ibid.lit.F. *Et uariè exerceatur, partim ſaltu, partim, & quidem amplius, halteribus.* Quid ſint halteres, & quale fiat per ipſos exercitium, & quomodo differant ab alteribus (alii enim ſunt ἁλτῆρες, alii ἀλκτῆρες) in commentariis medicis per longum, & multis authorum locis adductis, diximus: & ſuperuacaneum fuerit eadem tam ſæpe vbique ingerere. De folle etiam egimus lib. 1. Paulo ante hunc locum habetur, Aut ſcillæ aſſatæ drach. V. in aqua mulſa aut in melle ad elegmatis modum. In Græco exemplari Aldino legitur, ἢ σκίλλης περὶ < ε'. Nec dubiũ cuiquã eſſe poteſt vocem περὶ corruptè hoc loco legi. Itaque in Baſilienſi editione pro περὶ ſubſtitutum eſt πεπλυμένης, quaſi ſcillæ lotæ drach. V. dare oporteat. Sed facilè eſt hîc falſam vocem redarguere, quum non ſoleat lauari ita vt metallica, ipſa ſcilla: ſed & aſſatur & coquitur, velut Dioſcorides lib.2. docet. Proinde ego ὀπτῆς vocẽ pro περὶ legendam cenſeo, & ſcillam aſſatam accipiendam. Poſſit tamen non minus rectè σπέρματος vox, pro περὶ legi, niſi pondus quinque drachmarũ nimium videretur. Aëtius enim lib.13.cap.122. Elephanticis ſcillæ ſemen trium obolorum pondere in cyatho mellis ſemicocti delingendum dare iubet.

Col.502.lit.A. *Et id quod ad uitiligines deſcriptum eſt, ex alcyonio, nitro, ſulphure, myrti foliis, & fici ſylueſtris foliis aridis.* Hoc medicamentum habetur infrà hoc lib.4.cap.6. Ex quo loco patet hîc non σμύρνης, ſed μυρσίνης legendum eſſe. Sed & Aëtius lib.13.cap.123. μυρσίνης φύλλων clarè habet. Quod verò nõ longè poſt ſequitur, Chamæleonis nigri radicis trientem, in Aldino corruptè legitur, χαμαιλέοντος ξ. τῆς ῥίζης γο δ'. Nec rectè in Baſilienſi codice χαμαιλέοντος μετὰ τῆς ῥίζης. Sed legendum eſt ex Aëtio χαμαιλέοντος μέλανος.

Ibid.lit.D. *Sed & Myleſiæ herbæ uiridis folia cum axungia tuſa ac impoſita, mirificè.* Hoc auxilium ex Myleſia herba habet etiam Aëtius lib.13.cap.124. Neque alia eſſe videtur quàm ea quam ſuprà ad coxẽdicum morbum Iberidem appellauit, lib.3.cap.77. Eſt enim idem vſus facultáſque ac effectus: & dedita opera aliquando talia à medicis obſcurantur, aliis nominibus impoſitis ipſis rebus, vt ne quæuis ſus (vt dicitur) intelligat.

IN CAPVT QVARTVM.

Col.504.lit.F. *Similiter etiam perdicium & reſina aceris cum roſaceo, ſoluta & illita.* Hæc in Græcis ſic leguntur, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ περδίκιον, καὶ ζυγία μετὰ ῥοδίνου λυθεῖσα καὶ καταχριομένη. Quam itaque reſinam aceris dixi, Græcis eſt ζυγία. Eadem enim reſina infrà lib.7. cap.18. in malagma baiũ recipitur, & iungitur cũ reſina picea ac terebinthina, vt nõ poſſit aliud ζυγίας nomine accipi quàm reſina, ſicut neque hoc loco, vbi cum roſaceo ſoluenda ac illinenda præſcribitur. Nam aliâs ζυγία ipſa arbor appellatur, quam tertium aceris genus Plinius lib.16.cap.15. facit, fiſſili ligno, cortice liuido & ſcabro. Hoc alii, inquit, proprii generis eſſe malunt, & Latini carpinum appellant. Videtur autem de Vitruuio loqui, apud quem hoc habetur. ζυγίαν autem appellant quòd ex eius materia iuga fiant. Germani aceris genus quoddam agnoſcunt, quod maſſholderbaum appellant. Memini me quoque alicubi ζυγίας δάκρυον legiſſe. in his quæ margini Aëtii adſcripta eſſent.

IN CAPVT QVINTVM.

Col.505.lit.C. *Sinopide aut meliade terra illine, aut acubus ſimul innitentibus præpunctione facta, &c.* In Græco legendum, σινωπίδι ἢ μηλιάδι, ἢ βελόναις συνερειδομέναις καταχεντήσαι. non μηδιάδι, nec συνεπιφερομέναις, velut codices habent. Quæ autem ſit terra Melias, & quæ ipſius facultas, apud Dioſcoridem lib.5. habetur.

IN CAPVT SEXTVM.

Ibid.lit.E. *Quidam etiam fæcis uini uſtæ unciam unam addunt.* Exemplaria Græca ſunt hîc corrupta. Aldinum habet, ἔνιοι δὲ καὶ σφέκλησκε. Baſilienſe ἔνιοι δὲ καὶ σφέκλης κεκαυμένης: non eſſe autem σφέκλης κεκαυμένης legendum, ex eo conſtat quòd σφέκλης vox per ſe fæcem vini vſtam ſignificat. Sic enim Paulus infrà lib. 7. cap. 11. in ſmegmate Aſclepio exponit,

σφέκλης, inquit, ἥτις ἐστι τρὺξ οἴνου κεκαυμένη. Legendum igitur eſt, ἔνιοι δὲ ϗ σφέκλης ∫ο.α΄. poſſit addi verbum προςτιθέασιν, ſed non eſt neceſſe. Mox conuerti καὶ γνίδου κόκκους ξ΄. id eſt grana ſexaginta, non ſeptem, velut in Græcis habetur ζ pro ξ ſuppoſitum. Idem enim medicamentum eodem pondere habetur ſuprà huius lib. 4. capite tertio, ad impetiginem. Et mox quod reddidi, Farinæ lupinorum, buccinorum vſtorum, nitri, &c. In Græcis falſò legitur κηρύκων καὶ νίτρου, pro κηρύκων κεκαυμένων νίτρου. non enim opus eſt καὶ coniunctione, quæ ſuppoſita eſt pro abbreuiato κε, quod ſignificat κεκαυμένων, vt ſuprà eodem cap. 3. ad impetiginem.

IN CAPVT DECIMVM.

Col. 507. lit. B. *Ad puſtulas nocturnas & bullas, ſpumam argenti, & ſulphur uiuum æquis portionibus, cum aceto & oleo myrteo, ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem trita, illines cum oleo & uino.* Græca lectio parum hìc vitiata, totam ſententiam corrumpit: ſic autem legendum eſt, λιθάργυρον καὶ θεῖον ἄπυρον ἴσα μετ᾽ ὄξους καὶ μυρσίνου λεῖα, γλοιώδη ἐπιχρίσῃ μετ᾽ ἐλαίου καὶ οἴνου.

IN CAPVT VNDCIMVM

Ibid. lit. C. *Item ouum totum crudum eueſtigiò impoſitum, lana molli exceptum.* Rectè legitur hoc loco, καὶ ὠὸν ὅλον ὠμὸν παραχρῆμα ἐπιτιθέμενον. Nam ita etiam Aëtius habet lib. 4. cap. 64. Nec opus eſt Dioſcoridis authoritatem allegare, qui de oui candido prodit, quod ambuſtis illitum eueſtigiò bullas excitari prohibeat: quum totum ouum omnibus ſuis partibus huc faciat, perfrigerans nimirum, & reſiccans citra mordacitatem. Non ergo ὠοῦ τὸ λευκὸν hìc legendum eſt, ſed (velut exemplaria omnia habent, itémque Aëtius) velut dixi, ὠὸν ὅλον ὠμὸν, &c.

IN CAPVT DVODECIMVM.

Ibid. lit. G. *Ouum integrum abſque teſtis.* In Græcis habetur ὠὸν ὁλόκληρον χωρὶς τῶν ὀρόβων: ſed corruptè legitur vox ὀρόβων pro ὀρόφων. Significat autem hìc ὄροφος ouorum teſtam, quæ eſt velut tectum & fornix ac quaſi concameratio quædam oui. At quod mox ſequitur de pelle ouilla, calida adhuc vbi recens detracta eſt, flagris cæſis circundanda, habetur apud Plinium lib. 30. cap. 15. his verbis. Verberum vulnera atque vibices pellibus ouium recentibus impoſitis obliterantur. Meminit etiam Ariſtoteles in problematis ſectio. 9. quæſt. 1. tum oui, tum pellis ouillæ, ad vibices imponendæ.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ibid. *Aut caricæ drach. VIII.* In Græcis hìc eſt, ἢ καρίκης < η΄. Nec videtur eſſe aliud καρίκη quàm carica (id eſt ficus arida) quæ aliàs Græcis quoque ἰσχὰς appellatur. Declarat id Lucianus in vitarum venditione, vbi de Epicuro quærit emptor quibus eduliis delectetur, & reſpõdet Mercurius, Dulcibus veſcitur & mellitis, ϗ μάλιστα, inquit, τὰς ἰσχάδας. Ad quæ verba ſubiicit emptor, χαλεπὸν μὲν οὐδὲν ὠνήσομαι γὰρ αὐτῷ παλάθας τῶν καρικῶν. Siue itaque à loco, ſiue aliunde nomen habet carica, Græcis pariter ac Latinis id vſurpatum eſt. Porro καρικὸν medicamentum duplex, aridum & liquidũ, habet Hippocrates in lib. de vlceribus: ſed neutrum caricas recipit, neque ex caricis nomẽ habet, ſed è Carũ gente, quibus in multo vſu fuit, appellatum eſſe videtur.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Col. 508. Ibid. *Facit etiam oxerum & maſticherum emplaſtrum.* In Græco exemplari Aldino corruptè legitur, ἡ ξηρὰ καὶ μαστιχηρά. Legendum autem eſt, ποιεῖ δὲ καὶ ἡ ὀξηρὰ καὶ μαστιχηρά. Sunt enim emplaſtra ita appellata, quorum deſcriptiones habentur lib. 7. cap. 17. Horum emplaſtrorum mẽtionem facit rurſus ſequenti cap. 18. Sed in Baſilienſi exemplari, vtriſque locis ea verba deſunt, velut nihil ſignificantia (vt arbitror) omiſſa.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Col. 509. lit. B. *Si igitur dolor uehemens non eſt, hoc ad dolorem utendum eſt.* Aldinus codex habet, ὀδύνης μὲν οὖν σφοδρᾶς οὐκ οὔσης, τούτῳ καὶ τῆς ὀδύνης χρηστέον. Legendum autem eſſe κατὰ pro καὶ, ſequentia oſtendunt. Baſilienſe exemplar habet, τούτῳ καὶ τοῖς τοιούτοις χρηστέον. Sed non ſolet ita Paulus ſimilia coniectanda relinquere, ſed palàm quæ velit exponere. Galenus certè qui innumera alia eſſe dicit medicamenta quæ iuxta hunc modum componi poſſint, dicere potuit τούτῳ καὶ τοῖς τοιούτοις χρηστέον. At quia cataplaſma quoque ipſum de quo Paulus hæc verba dicit, corruptè legitur in Paulo, veram lectionem, quam etiam Latinè expreſſimus, ex Galeni lib. 2. ad Glauconem adſcribemus, quæ ſic habet, καταπλάττειν σὺν τῷ διὰ τοῦ ἀειρῶν, καὶ λεμμάτων, ῥοιᾶς ἑφθῶν ἐν οἴνῳ καὶ ῥοῦ καὶ ἀλφίτων συγκειμένῳ. In exemplaribus impreſſis κηροῦ falſò habetur pro καὶ ῥοῦ. Cera enim huc inepta eſt: rhus verò commodiſſimus.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

Col. 511. lit. D. *Ita ut ubi ſanguinem defluere permiſerimus, aliquod medicamentum ex his quæ putreſcentibus commoda ſunt imponamus. Sunt autem hæc.* In Græcis impreſſis verba quædam deſunt, quædam corruptè leguntur. Reſtituenda autem ſunt ex 2. lib. Galeni ad Glauconem, ſicut etiam conuerti, καὶ ἐάσαντας ἀπορρυῆναι τὸ αἷμα, τῶν φαρμάκων ἐπιτιθέναι τι τῶν πρὸς τὰ σηπόμενα χρησίμων. ἔστι δὲ ταῦτα, &c. Sed & mox poſt hunc locum lege, ἐφ᾽ οἷς ἄλσι μετὰ πρασίου χυλοῦ χρηστέον, ex eodem Galeni loco, in impreſſis Pauli codicibus vox χυλοῦ deeſt.

Ibid. lit. F. *Gangrænas circumſcarificabit impoſita farina loliacea.* Græcè habetur, γαγγραίνας καταπλασσομένας περιχαράξει αἱρινον ἄλευρον, &c. Sed legendum eſt καταπλασσόμενα, & rectè ſequentur res quæ id faciunt.

IN CAPVT VICESIMVM.

Col. 512. lit. A. *Sed & plantaginis ſucco, aut ſolani dilutum, magnopere prodeſt.* In Græcis hìc vox vna οἴνῳ redundat, & facit totam ſententiam alienam. Non enim vult plantaginis ſuccum aut ſolani vino dilui, ſed glaucium ſi etiam plantaginis aut ſolani ſucco diluatur, magnopere prodeſſe dicit. Sic ergo legendum eſt, καὶ χυλῷ δὲ ἀρνογλώσσου ἢ στρύχνου διεὶς, μεγάλως ὀνίνησιν. Hanc autem eſſe rectam lectionem declarat Gal. lib. 2. ad Glauconem, εἰ δὲ καὶ στρύχνου, inquit, δεύσαις χυλῷ ἢ ἀρνογλώσσου μειζόνως ὠφελήσεις. Præmiſit autem de glaucii vſu eadem fere verba quæ Paulus quoque ante hunc locum præpoſuit.

Ibid. lit. A. *Et ſpumæ argenti trientem, ſucci porri cyath. VII. ſucci betæ tantundem.* Hìc habent exẽplaria, πρασίου χυλοῦ κυ ζ΄. Sed Oribaſius κυ. S habere. hoc eſt. S. medietatis notam pro ζ΄. ſeptenarii numeri nota, nihil miri eſt. potuit enim fieri vt vel hìc vel iſthic error à ſcriptore committeretur. Non committet tamen errorem vſurus, ſi neque ad nimiam neque ad imminutam menſuram reſpiciens, ſpumæ argenti trientem terat, de vtriſque ſuccis porri ac betæ quantum ſatis eſt affundat, quò medicamentum commodè illini poſſit. Atque hoc iudicio etiam in cæteris ambiguis tum ponderibus tum menſuris vtendum eſt. Sic paulo pòſt myrtei ſexuncem verti, id eſt ∫ο ς΄. quum tamen exemplaria habeant ∫ο ις΄. quod pondus nimium eſſe apparet, & ∫ο ς΄. legendum eſſe ex Aëtio conſtat, qui ita habet. Sed quia etiam mox in eodem medicamento falſò legitur ἡμίσυ vox, & quædam deſunt, rectam lectionem quam expreſſi adſcribam ex Aëtio lib. 14. cap. 60. Sic enim habet, ἢ κηροῦ ∫ο η΄. μυρσίνου ∫ο ς΄. σκωρίας μολίβδου ∫ο. η΄. οἴνῳ λεαίνας ϗ σκωρίαν, καὶ τἄλλα τήξας κηρωτῇ ἀναλαβὼν κατάχριε. Mox quod conuerti, Recremẽtum plumbi rutæ tritæ ſucco excipe, in Græcis legitur πηγάνου χυλῷ. Sed Aëtius pro πηγάνου habet πολυγόνου. Et videtur vtriſque vſus huc commodus eſſe, etiamſi alterum pro altero ſuppoſitum eſſe appareat. Et rurſus mox quod dixi, Lanæ mollis non lotæ, in Græcis legendum eſt ἐρίου ἁπαλοῦ, non παλαιοῦ, vt exemplaria habent, ex eodem Aëtii loco. Quod verò ſequitur, Recremẽti plumbi acetabuli dimidium, rectè legitur in Græcis, ὀξυβάφου τὸ S. etiamſi Aëtius ſeſquiunciam, id eſt ∫ο α΄. S. habeat. Nam ſi acetabuli menſura vnciarum trium plus minus ſtatuatur, acetabuli dimidium ſeſquiunciæ reſpondebit, id quod ex ponderum ratione infrà lib. 7. in fine à Paulo tradita ſatis conſtat.

IN CAPVT VICESIMVMPRIMVM.

Ibid. lit. G. *Fieri quoque poteſt ceratum ex cera alba, roſaceo quadruplo ammixto, quod ex oleo crudo citra ſalem ſit paratum.* Quod

ceram

ceram albam hîc dixi, in Græcis eſt κηρὸς τράκτος. Et quia ſæpe in Græcis medicis κηρὸς τράκτος legitur, hoc loco ſemel declarare viſum fuit quid vox τράκτος ſignificet. Τράκτος itaque appellatur κηρὸς, qui tractu ac tractatione eò deuenit vt albus euaſerit, quod quomodo faciendum ſit docet Dioſcorides lib.2. Videtur itaque vox τράκτος à Latinis ſumpta eſſe, ac Græcis vſurpata. Sicut etiam τρακτεύζω verbum exponunt dictionarii Græci τὸ λευκαίνω καὶ κατασκευάζω, id eſt præparo ac album facio. Aëtius alicubi τράκτη habet, & in eodem medicamento Paulus λευκὸν dicit. Et rurſus Aëtius aliquando κηρὸν τράκτον λευκότατον habet, vt dubium non ſit quin τράκτου voce, alba cera ſignificetur. At verò quòd roſaceum cum ſale & citra ſalem parari ſoleat, in commentariis medicis declaraui.

IN CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Col.513.lit.D. *Phygethlon autem, id eſt panus.* Hæc verba deſunt in Græcis, & neceſſariò adſcribuntur ad ſententiæ perfectionem, & habentur quoque apud Galenum lib.2. ad Glauconem, vnde hic tranſcripſit, φύγεθλον δὲ, τὸ φλεγμονῶδες ἐρυσίπελας, ἢ ἐρυσιπελατώδης φλεγμονὴ τοῦ ἀδένος. Paulo pòſt falſò legitur ἐπιγνωσθῇ pro ἐπιγεννηθῇ, vt ex eodem Galeni loco patet.

Col.514.lit.A. *Viſcũ cum reſina ac cera.* Græcè habetur, ἰξὸς σὺν ῥητίνῃ κηρωτῇ. Sed pro κηρωτῇ videtur legendũ ἐ κηρῷ. Ita enim Dioſcorides de viſco dixit, δύναται διαφορεῖν φύματα μιγεὶς ῥητίνῃ καὶ κηρῷ ἴσῳ.

IN CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Ibid.lit.C. *Et incumbere ipſi supernè bullam ſiue puſtulam nigram.* Græcè eſt, ἐπικεῖσθαι δ᾽ αὐτῆς ἄνω κάτω φλύκταιναν, &c. Sed pro ἄνω κάτω legendum eſt ἀνωτάτω, id eſt supernè, vel in ſumma parte, ex Aëtii lib.14.cap.62. Mox legẽdum eſt, τὸ ὑποκάτω, & non τῷ ὑπὸ κάτω. Et rurſus ἐοικυῖαν τερεβίνθου καρπῷ, non καρπόν. Sed hæc ex ipſa tranſlatione cognoſci poterunt.

IN CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Col.515.lit.G. *Quale eſt epithymum, quod quatuor drachmarum & dimidiæ pondere, ex ſero lactis aut aqua mulſa damus.* In Græcis impreſſis habetur pondus trientis & vnciæ dimidiæ, id eſt vnciarum IIII.S. nimirum ſic, πλῆθος ℥ο δ´. S. ἐν ὀῤῥῷ γάλακτος. At hoc pondus nimium eſſe, neque epithymo conuenire ſatis declarat ipſe Paulus infrà lib.7. cap.4. vbi drach. v. cum ſeri lactis hemina dare iubet. Legitur autem etiam iſthic corruptè, σὺν γάλακτος κοτύλῃ, pro recto, quod etiam hoc loco habetur, σὺν ὀῤῥοῦ γάλακτος. Neque enim cum lacte, ſed cum ſero lactis datur. Docet autem & Dioſcorides epithymũ drachmarum quatuor pondere dandum eſſe, aut acetabuli menſura. fieri enim poteſt vt epithymi rei leuis, & in puluillum detritæ, quatuor drachmæ acetabulum expleant. Neque multum refert etiamſi plus aliquanto ſumatur, ſed non vt vnciam aut vncias exhibeamus. Verba Dioſcoridis hæc ſunt, ἰδίως ἁρμόζον ἐπὶ μελαγχολικῶν ὀξυβάφου πλῆθος, πρὸς ὀλκὴν < δ´. Aëtius quoque lib.3.cap.29. ſcrupulos XII. exhibet, qui faciunt drach. IIII.

IN CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Col.516.lit.C. *Confricare crura aliquando cum aceto & roſaceo, aliquando cum oleo ac ſale, aut etiam ad ipſum acetum & roſaceum ſale iniecto.* Græcam lectionem horum verborum ſic emendabis, τρίβειν τὰ σκέλη ποτὲ μὲν δι᾽ ὀξυροδίνου, ποτὲ δὲ δι᾽ ἐλαίου καὶ ἁλῶν, ἢ καὶ αὐτῷ τῷ ὀξυροδίνῳ τῶν ἁλῶν ἐπιβάλλοντα, ex Galeni lib.14. meth. & 2. ad Glauc. Porro quid mihi eſſe videatur Ellychnium, de quo etiam hîc agit, ſatis multa in comment. medicis dixi.

IN CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

Ibid.lit.G. *Vtendum itaque eſt ſapa cum modico oleo lanis ſuccidis excepta, aut etiam cerato ex œſypo admixto.* Hoc loco pro ἀφεψήματι, in Græcis impreſſis legendum eſt ἑψήματι, & pro τῇ δι᾽ ὑσσώπου κηρωτῇ, legendum τῇ δι᾽ οἰσύπου, ex Aëtii lib. 15. capite ſecundo.

IN CAPVT TRICESIMVM.

Col.517.lit.C. *Verùm ad uetera ſuggillata raphanus impoſitus facit. Tollere autem ipſum oportet quum mordere incipit.* Hoc loco vna dictio vitiata, & falſò pro alia ſuppoſita, totam ſententiam corrumpit. Eſt enim διαφορεῖ ſuppoſitum pro ἀφαίρει, id eſt diſcutit, pro tolle. lege igitur, ἀφαίρει δὲ αὐτὴν ὅταν ἄρξηται δάκνειν, id eſt tolle ipſum vbi mordere incœperit.

IN CAPVT TRICESIMVM TERTIVM.

Col. 518.lit.G. *Allij nucleos decorticatos in oleo ad triduum macerato.* Allii nucleos dixi partes illas capitum allii in quas pelliculis detractis diffringuntur. Has Paulus hîc σκελίδας appellat, Galenus ſæpe πυρῆνας vocat, Dioſcorides ῥᾶγας, Aëtius ὄνυχας, id eſt vngues, Hippocrates ἄγλιθας & δαπίδας: & exponit Galenus in gloſſis Hippocraticis, ἄγλιθες, τὰ μόρια τοῦ σκορόδου τῆς κεφαλῆς. Et in voce δαπίδες ſic ait, δαπίδες vocantur magnæ lampades ardentes: per abuſum verò aliquando ſignificãt allii caput, eo quòd ex multis nucleis compoſitum, velut lampades colligatũ ſit. Latini quidam ſpicas vocant.

IN CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Col.519.lit.D. *Calcis drach. IIII. fæcis uini uſtæ, nitri rubri toſti, &c.* Hoc loco habent Græca exemplaria, νίτρου ὑγροῦ ὀπτοῦ, id eſt nitri liquidi toſti: ſed ea differentia nitri, vt quoddam liquidum ſit, non ita vſquam quod ſciam legitur. nitrũ autem rubrum ſæpe Galenus & Aëtius, itémque Paulus habent. Quare etiam hoc loco pro ὑγροῦ voce, ἐρυθροῦ legendum eſſe puto. Nam & Dioſcorides lib.5. ῥοδωπὸν nitrum præfert aliis, quòd roſeum ac rubicundum colorem habet.

IN CAPVT TRICESIMVM SEPTIMVM.

Col.520.lit.C. *Verùm admiſcere oportet tenuiſſimum farinæ puluillum de molæ uicino pariete acceptum.* Huius loci corruptam eſſe lectionem haud dubium eſt, quæ ſic habet, μιγνύναι δὲ χρὴ λελειωμένην ἀράχνην ἀλεύρου λαμβάνοντα πλησιάζοντος μύλῃ. Nam etiamſi ἄχνην pro ἀράχνην legas, & tenuiſſimum farinæ puluilllum accipias, tamen vox πλησιάζοντος nõ habet quo referatur, ſed & illi adiicienda vox deſideratur. Si itaque Oribaſium ſequi voluerimus lib.7.cap.1. ſic legendum erit, μιγνύναι δὲ χρὴ λελειωμένην ἄχνην ἀλεύρου λαμβάνοντα ἀπὸ τοίχου πλησιάζοντος μύλῃ. Atque hanc ſententiã interim arripuimus ac expreſſimus donec rectiorem aſſequuti fuerimus. Nam ſuſpicio nobis eſt, araneæ telam accipiendam eſſe, quæ vicino molæ parieti adhærens, aliquid de puluillo illò farinæ molendini in ſe ſuſcepit, maximè quum de ea tela Dioſcorides prodat, quòd ſanguinẽ ſiſtat, & vlcera in ſuperficie ab inflammatione tueatur, vt fortaſſis genuina lectio talis ſit, μιγνύναι δὲ χρὴ λελειωμένην ἀράχνην ἀλεύρου τι λαμβάνουσαν ἀπὸ τοίχους πλησιάζοντος μύλῃ. Hac enim lectione genuinum auxilium, & ex araneæ tela, & ex molendini puluillo indicatur. Verùm in præſens hoc aliis diiudicandum relinquemus. At linea ſecunda ſequenti, αὖθις πάλιν vocem pro ἀνάγαλλις ſuppoſitam eſſe, vel hoc credibile facit quòd non habeat vox αὖ πάλιν quò referatur. Anagallidem autem vtranque vulnera glutinare teſtatur Gal.lib. 6. ſimpl. pharmac. & ex eo Aëtius lib.1. Sed & mox σμύρνης vox pro μυρσίνης ſuppoſita eſt, vbi cõuerti, Sed & ceruſſa cum cerati myrtei triplici pondere. Et facit quidem huc etiam myrrha, velut paulo pòſt ſequitur, ſed cum ceruſſa & cerato non videtur copulanda, & ſi hoc faciendum eſſet, legi oportebat, καὶ ψιμύθιον δὲ μετ᾽ κηρωτῆς καὶ σμύρνης τριπλασίονος.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM.

In hoc capite mox à principio linea ſecunda, legendum eſt in Græcis exemplaribus κτησόμεθα pro χρησόμεθα. Et linea ſequenti pro ἐπὶ legendum eſt ἔτι: & quinta ſequenti pro πλεῖον legendum πλείων. Et his reſpondentem tranſlationẽ noſtram habes.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Col.522.lit.E. *Aut nitrum, & cuminum, & farinam cum melle.* Græcè ſic, ἢ νίτρον, καὶ κύμινον, καὶ ἄλευρον μετὰ μέλιτος. Nec volo in præſens reprobare hanc lectionem, ſed vehementer ſuſpicor pro καὶ κύμινον καὶ ἄλευρον, legendum eſſe,

καὶ κυάμινον ἄλευρον. Ad eundem certè modum in libello Galeni de hirudinibus & reuulſione, κύμινον ἢ ἄλευρον ὡς ἀσταστεῖον legitur pro κυάμινον ἄλευρον.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

Col.523.lit.D. *Aliud. Cornu ceruini uſti drach.IIII. corticis pinus drach.VI. ceruſſæ drach.IIII. æruginis raſæ drach.II. cadmiæ drach. VIII.* In hoc medicamento Græca exemplaria falſa pondera habent, nimirum corticis pinus vncias ſex, pro drach.VI. & ceruſſæ vncias quatuor, pro drach. IIII. & æruginis raſæ vncias nouē, pro drach.II. & cadmiæ drach.XVIII. pro drach. VIII. Hæc igitur iuxta rectam Aëtii lectionem conuertimus, & in Græcis ſubſtituenda eſſe cenſemus. Sunt autem apud Aëtium lib. decimiquarti capite triceſimooctauo. Ex eodem etiam legendum eſt in ſecundo medicamento ſequente, μυρσίνης ξηρᾶς, & non σμύρνης ξηρᾶς. Et pondus ceruſſæ ac ſpumæ argenti, ſingulorū drach.VIII. & non ſο.η. id eſt beſſem, ſiue vncias 8. Quin & in emplaſtro ſecūdo ſequenti, καδμίας ſο ϛ'. pro < ϛ' habetur: & in eodem χρυσῆς συπηρίας, χαλκοῦ κεκαυμένου ἀνὰ ſο α'. pro ἀνὰ < α'. legitur.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Col.524.lit.H. *Si verò ex inferna ſurſum ſpectarit.* In Græcis habetur, ἀνάρροπου δὲ ὄντος αὐτοῦ, id eſt ſurſum tendente ipſo ſinu. Quia verò antea dixit de eo qui ad ſupernam regionem extentus eſt, hîc de eo loquitur qui deorſum tendit. Quare καταρρόπου quibuſdam legi debere viſum eſt, aut κατάντους, velut Galenus lib.2. ad Glauconem habet. Verùm ſi ἀνάρρόπου vocem ſic accipias velut de oſculo ſinus dicat, quod ſurſum tendit, etiamſi ipſe ſinus deorſum vergat, nihil opus habebis vt mutes receptam exemplarium lectionem.

Col.525.lit.F. *De ſinibus attritis.* Sinus attritos vocant qui tenuē & attritam cutem incumbentem habent, quale eſt linteolum detritum quod ῥάκος vocatur. Vnde etiam ipſi ſinus κόλποι ῥακώδεις appellantur. Ad hos præſcribit hîc Paulus medicamentum, quod compage quidem & ſubſtantia eſt liquidum, ſed facultate ſiccum: atque hoc ita parare iubet vt neque durum valde ſit, neque manus inquinare deſierit, id eſt vt neque penitus ſit durum, neque etiam ſpiſſūm, ita vt iam non amplius manus inquinet, neque ipſis inhæreat, ſed ita liquidum vt inquinet quidem manus, ſed non defluat. hoc enim Græcis his verbis ſignificatur, ὡς μήτε σκληρὸν πάνυ εἶναι μήτε ἀμόλυντον. Sunt autem ex 2.lib. ad Glauconē tranſcripta. Dixi de vocis ἀμόλυντος ſignificatione plura in commentariis medicis.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM.

Col.526.lit.D. *Aliud. Atramenti ſutorij drachmas duas, chalcitidis, æruginis, ſingulorum drachmam unam: excipe gummi, ac utere in collyria efformatis. Poſtquam verò callus exciſus fuerit, ærugine cocta cum melle puriſſimo octuplo repurga.* In hoc medicamento quædā verba tranſpoſita ſunt in Græcis, & μελικράτου vox legitur pro μέλιτος. Sic ergo repones rectam lectionem ex Aëtii lib.14. cap.55. Ἄλλο. χαλκάνθου < β'. χαλκίτεως, ἰοῦ, ἀνὰ < α'. ἀναλάμβανε κόμμει, καὶ χρῶ ποιῶν κολλύρια. ὅταν δὲ ἐκπλωθῇ, ἰῷ ἑφθῷ μετὰ μέλιτος καθαρωτάτου ὀκταπλασίου ἀνακάθαιρε.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Ibid.lit.G. *Verùm ſanioſo humore, &c.* In Græcis vox ἰχωρῶς hoc loco corruptè legitur pro ἰχῶρος. Legendum eſt enim πάλιν δὲ ἰχῶρος ἐπιρρέοντος, &c. Et mox pro ξηρανεῖς legendum eſt ξηραίνειν.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

In hoc capite θρύπτεται falſò legitur pro κρύπτεται: & μὴν pro μὴ, vbi conuerti, Si enim non citò incarnetur, hoc eſt εἰ μὴ γὰρ ταχέως σαρκωθῇ, non autem εἰ μὴν γάρ: quanquam hæc & alia huiuſmodi ex tranſlatione noſtra cognoſci poſſint. Et mox poſt vocem μανότερον deeſt καὶ παχύτερον, vt prægreſſæ voci λεπτότερον opponatur. Quod verò reddidi, inter ſimplicia ſanguinem ſiſtentia, pilularum platani lanugo, maximè vbi cruſtam abiecerint, Græcè ſic habetur, τῶν πλατανίων τῶν σφαιρίων ὁ χνοῦς, μάλιστα ὅτε τὴν ἐπίπαγον ἀποβάλλῃ. At his verbis nō ſignificatur, lanuginem pilularum platani, tum maximè ſanguinem ſiſtere vbi neſcio quem concretum humorem abiecerint, ſed eam ipſam lanuginem tum maximè id facere vbi vaſa cruſtam inuſtam abiecerint. Nam & antea dixit, quòd cruſta dilapſa pleriſque ſanguinis eruptio conſequatur, quæ ſiſti non poſſet: & ad eam eruptionem etiam tum gallas vſtas adhibere iuſſit, quas igne candefactas aceto aut vino extinguere præcepit. Sed ſicut iſthic αὐτὰς διαπύρους, id eſt ipſas igne candefactas, τὰς κηκῖδας δηλονότι, dixit, & tamen ſunt qui ferramenta ignita aceto aut vino extinguenda eſſe accipiunt: ita hic quod dixit, ὅτε τὴν ἐπίπαγον ἀποβάλλῃ, id eſt vbi cruſtam abiecerint, αὐτὰ δηλονότι τὰ ἐσχαρωθέντα ἀγγεῖα, id eſt vaſa ipſa quibus cruſta inducta eſt: ad concretum quendam pilularum platani humorem referunt, hîc ἐπίπαγον, illic διαπύρους vocem non aſſequentes. Eſt autem ἐπίπαγος hic nihil aliud quàm cruſta, id eſt ἐσχάρα, quæ medicamento aut cauterio inducta eſt, id eſt ἐπιπηγνυμένη. Nam & ſuprà Paulus dixit, τὰ δέ γε τὰς ἐσχάρας ἐπιπηγνῦντα, id eſt, quæ verò cruſtas inducunt, & velut affigunt ac compingunt.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Col.530.lit.C *Galenus ad punctiones quidem neruorum hæc deſcripſit.* Tria hæc medicamenta habet Galenus lib. 3. compoſ. medicament. κατὰ γένη. Et quia ſingulorum ſimplicium, ipſorúmque ponderum, & componendi modi, rationem diligenter expoſuit, par eſt vt Pauli lectionem ex illo tranſcriptam, ita emendemus vt cum Galeni lectione non diſſentiat, ſed idem doceat. In primo itaque medicamento, μαράθρου vox falſò ſuppoſita eſt pro voce μάρου. Nō enim fœniculum ſed marum, in medicamentum aſſumi debet. Quid autem ſit Marum Galenus ibidem, & lib.1. De antidotis declarat. Deinde quod legitur in Græcis Pauli exemplaribus, ἀμαράκου ſο β'. legendum eſt ἀμαράκου < β'. Galenus enim expreſſis verbis dicit, ſe ne cogitaſſe quidem de amaraco ammiſcendo, ſed poſtea in diuitis cuiuſdam gratiam, etiam de illo parum quid adieciſſe, quartam nimirum partem aut quintam vnius aliorum ſimplicium quæ in hoc medicamentum recipiūtur. Quum igitur reliqua, cinnamomum, dictamnum, marum, ſingula ſingularum vnciarum pondere præſcribantur, conſequens eſt vt amaraci quarta vnciæ pars ſumatur, id eſt drach.II. in ſecundo verò ac tertio medicamento reliqua rectè habent, ſed πομφόλυγός τε ſο α'. falſò, pro πομφόλυγος πεπλυμένης ſο α'. legitur. Cera porro vnguentaria videtur fuiſſe appellata quòd ad vnguentorum vſum parata haberetur. nam Galenus pro ipſa Tyrrhenicam accipi poſſe dicit.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

Col.531.lit.D. *Nam Hippocrates ait, Bonum eſt etiam lumbricos, &c.* Hic locus eſt in libri prognoſtici parte prima, velut Galenus iuxta ſuos commentarios diſtinxit. Verùm paulo ante hunc locum in Paulo falſò legitur, ἐκ πονηρᾶς νόσου, pro ἐκ πονηρίας νόσου. Sicut etiam paulo pòſt falſò habetur, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ φαίνονται, pro καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ὕφαιμοι φαίνονται. Itémque μετὰ περιψύξεως τῶν ἄρθρων falſò legitur, pro ἄκρων voce ἄρθρων ſuppoſita.

Col.532.Ibid. *Atque hæc miranda methodus eſt in pueris ægrè admittentibus.* In Græcis deeſt vox αὕτη, & ἐστί. Legendum enim eſt αὕτη ἡ θαυμασία μέθοδός ἐστι, &c. Sicut autem hîc deſunt hæ voces, ita paulo infrà vbi conuerti, Aut ſinapi cum oleo & aceto, duæ voces redundant in Græcis. Sic enim legitur, ἢ τὸ νάπυ μετ' ἐλαίου καὶ ὄξους, κοχλιαρίου μέγεθος. Redundant itaque voces κοχλιαρίου μέγεθος. Nam & cochlearii magnitudo dici non ſolet, ſed cochlearii menſura, & neque de ſinapi, neque de oleo & aceto accipi poteſt. Verùm videtur etiam hîc in libero iudicio vſuri reliquiſſe, vt quantū vellet exhiberet, ſicut etiam pleraque alia ſine pondere ac menſura præſcripſit. Paulo pòſt vbi conuerti, Spina Ægyptia cum pipere pari ſex ſcrupulorum pondere, in decocto mēthæ, aut mori radicis ſucco, aut decocto petroſelini, ac reliquorum odoratorum ſeminum: Græcorum verborum lectio ita emēdetur, diſtinguatur, ac legatur, ἄκανθαν αἰγυπτίαν μετὰ πεπέρεως

ἴσου τῷ ς'.εἰς ἀπόζεμα ἢ δυόσμου,ἢ μορέας χυλὸν,ἢ τὸ ἀφέψημα πρασολίνου,καὶ τῶν παραπλησίων τῶν ὀδόντων σπερμ.Mox deinde habetur,ἢ μηλέας περσικῆς τὰ φύλλα, pro μηλέας περσικῆς τὰ φύλλα,hoc eſt(velut reddidi)mali perſicæ folia:ſed de talibus ne admonerem quidem, vt quæ ex noſtra tranſlatione cognoſci poſſint ac emendari, niſi eſſent qui μηλέας περσικῆς τὰ φύλλα legentes,& fraxini perſicæ folia accipientes,toto cælo aberrarent.Non enim fraxini vllius regionis,nedum perſiæ,huc faciunt folia, ſed eius mali arboris vulgò omnibus notæ perſicæ appellatæ folia de quibus infrà libro ſeptimo ex Galeno dicit,quod mali Perſicæ germina ac folia manifeſtè amara ſunt.Lũbricos itaque occidunt,trita, vmbilico impoſita.

Col.533.lit.A. *Conſequitur in ipſis gracilitas corporis, & impotentia cum inæqualitate.* Hæc verba in Græcis ſic leguntur, παρέπεται δὲ αὐτοῖς καὶ ἰσχνότης τοῦ σώματος,καὶ ἀδυναμία μετ' ἀνωμαλίας.Et habet Aëtius eadem verba libri 9. capite40. niſi quòd pro μετ' ἀνωμαλίας,legitur μετὰ βραδύτητος,id eſt cum tarditate.de quo admonendum duxi, ne de pulſu hæc verba dicta accipiantur,quaſi legendum eſſet,καὶ σφυγμοῦ ἀδυναμία μετ' ἀνωμαλίας. Non enim de pulſus, ſed de totius corporis imbecillitate loquuntur.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVMOCTAVVM.

Col.534.lit.C. *De dracunculis.* De his dracunculis Aëtius lib.14.cap.85. fere eadem verba habet. Verùm Galenus libro 6. De locis affectis,de his veluti quos nõ viderit,& qui his quæ de illis produntur non multum fidei habeat,ſic ſcribit,In quodam Arabiæ loco in tibiis (velut tradunt)naſcuntur qui appellantur dracunculi, neruoſi quidem natura,ſed lumbricis & colore & craſſitudine ſimiles.Qui igitur dicerent ſe vidiſſe hos,multos audiui, verùm quum ipſe non viderim,coniectare non poſſum neque de generatione ipſorum,neque de ſubſtantia quicquam exactè.Meminit & Theophraſtus lib.9.in fine.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI
Dolabellarum in Paulum AEginetam liber quintus.

IN CAPVT PRIMVM.
Columna 535.litera A.

AB *iis quæ in communi omnibus talibus commodant,initium ſumemus.* Hoc loco in Græcis exemplaribus deeſt vox ὠφελούντων,ad ſententiam perficiendam neceſſariò adſcribenda,hoc modo, ἀπὸ τῶν κοινῶς ἐπὶ πάντων τῶν τοιούτων ὠφελούντων ἀρξόμεθα. Et mox linea ſequenti quarta,διὰ ὑπογείους φωλεοὺς legendum.

IN CAPVT SECVNDVM.

Ibid.lit.E. *Sed & extremarũ partium præſectiones adhibere commodũ fuerit.* Græca lectio Aldina hic corrupta eſt.Habet enim καὶ ἀκρωτηριασμοῖς τι παραλαμβάνεσθω καιρόν. Baſilienſe exemplar hæc corrigere volens,fecit,καὶ ἀκρωτηριασμοῖς δὲ παραλαμβανέσθω τὸ μόριον.Sed neque hæc recta eſt lectio: verùm ita legendum eſt velut conuerti,καὶ ἀκρωτηριασμοὺς δὲ παραλαμβάνεσθαι καίριον.

Col.536.lit.A. *In potu detur feris,aut erica,aut aſtragalitis cum aceto,aut bitumen,aut paliurus eodem modo,aut paliuri decoctum.* Corrupta ſunt hic Græca exemplaria,quæ ſic habent, προποτίζειν δὲ δεῖ,ἢ ἐρείκην,ἢ ἀστραγαλῶτιν μετ' ὄξους,ἢ ἄσφαλτον,παλιοῦρον ὡσαύτως, ἢ παλαιοῦ ῥοῦ ἀφέψημα.Reſtituenda autem lectio integra in hunc modum προποτίζειν δὲ δεῖ,ἢ ἐρείκην,ἢ ἀστραγαλῖτιν μετ' ὄξους,ἢ ἄσφαλτον,ἢ παλιοῦρον ὡσαύτως,ἢ παλιούρου ἀφέψημα.Hæc ex Dioſcoride:& alioqui ἀστραγαλῖτις appellatur,non ἀστραγαλῶτις,iridis quædam ſpecies,quæ etiam ἀστράγαλος vocatur,de qua plura in commentariis medicis dixi.Deinde bitumen aut paliurum eodem modo velut aſtagalitin cum aceto dari vult,aut etiam paliuri decoctum. Legitur enim falſò παλαιοῦ ῥοῦ,pro παλιούρου.Nam neque antiquus,neque nouus Rhus huc facit,ſed paliurus eiúſque decoctum,& facilis fuit lapſus ob ſcripturæ vicinitatem.

Ibid.lit.B. *Theriace.Bryoniæ opopanacis,iridis Illyricæ,radicis libanotidis,myrrhæ, ſingulorum drachmas IIII.* Hoc loco cætera rectè ſe habent,ſed myrrhæ loco in Græcis legitur ζιγγιβέρεως,nimirum pro σμύρνης voce. Atque hic error valde frequẽs eſt in medicis Græcis omnibus,velut etiam in commentariis medicis oſtendi. Occaſio erroris inde eſt quòd Græcis nõ modò σμύρνη,ſed etiam ζμύρνη ſcribatur. De qua re in vocalium iudicio apud Lucianum conqueritur litera σ,quòd patienter tulerit,neque vnquam literæ ζ exprobrauerit quòd abſtulerit ſibi ζμάραγδον,& ademerit ζμύρναν. Sic enim in Luciano legendum eſt,ὅτι δὲ ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα, μαρτυρεῖτέ μοι καὶ αὐτοὶ,μηδέποτε ἐγκαλέσαντι τῷ ζῆτα ζμάραγδον ἀποσπάσαντι,καὶ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν ζμύρναν. Et quum ita ζμύρνα pro σμύρνα ſcriberetur factum eſt poſtea vt compendii gratia per duo ζζ denotaretur ζμύρνα.Quod compendium ignorantes, ad id diſpendii deuenerunt vt myrrham per ζζ notatã,pro ζιγγιβέρεως voce agnouerint,atque ita zingiberi pro myrrha ſuppoſuerint.

IN CAPVT TERTIVM.

Ibid.lit.D. *Poſtea uerò affectionem inducunt quæ uocatur aquæ formido.* Affectio formidinis aquæ, ὑδροφοβικὸν appellatur πάθος,eo quòd omnem aquam,aut etiam omnem penitus humorem fugiant ita affecti,ſiue videant, ſiue admoueãtur. Et eſt affectio hæc incurabilis,teſtatúrque hic Paulus(ex Dioſcoride tamen verbis tranſcriptis)ex his qui hanc affectionem inciderunt nullum ſanatum eſſe.Et de hac aquæ formidine dixit etiam poëta Ouidius,

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Sed & reliqua fere ex Dioſcoride tranſcripta ſunt, iuxta cuius lectionem etiam vocem ἑπτάετίας Paulo reſtitui, pro qua ἔτια habent Græca exemplaria,velut ad menſes ſex præcedentes ea ſit referẽda,vbi ait, Narratur quibuſdam etiam poſt ſeptimum annum accidiſſe.Ad eiuſdem Dioſcorides præſcriptum,ſed tamen magis Galeni & Aëtii,in medicamento è cancris,legendum eſt πίνε ἡμέρας μ'.non,vt exemplaria habent,δ'.Verùm hæc vberius expoſitione 2 & 3.in lib.priorẽ Dioſcoridis De beſtiis venenum eiaculantibus declaraui.

Col.537.lit.E. *Cum decocto ſaluiæ,aut ſideritidis Heracleæ, quam ſanè etiam alyſſon uocant.* Græca exemplaria falſò habent, ἣν καὶ διάλυσον καλοῦσι,id eſt quam etiam dialyſon vocant.Nam ἄλυσσον vocari ſideritidem Heracleam,ab inſigni aduerſum rabiem virtute,teſtatur etiam Aëtius lib.6.cap.24.vbi eadem quæ hic Paulus his verbis tradit,μετ' ἀφεψήματος ἐλελισφάκου,ἢ τῆς σιδηρίτιδος πόας,τῆς ἡρακλείας καλουμένης.χρῶνται δὲ αὐτῇ τινὲς καὶ μόνῃ,καὶ φασὶν ἱκανῶς βοηθεῖν. διὰ τοῦτο καὶ ἄλυσσον αὐτὴν ὀνομάζουσι. Eſt tamen etiam alia herba alyſſon priuatim appellata, vt Galenus & Paulus infrà lib.7.dicit,ab eo quòd à cane rabido morſis auxiliatur.

IN CAPVT QVARTVM.

Ibid.lit.A. *Cæterùm ad morſus iam ſuppuratos.* Græcè legendũ eſt,πρὸς δὲ τὰ ἤδη πεπυωμένα τῶν δηγμάτων. Exẽplaria habent falſò πεπυρωμένα.Sed repugnat huic voci medicamentũ quod ſequitur, itémque τὰ φλεγμαίνοντα deinceps ſequẽtia.

IN CAPVT SEXTVM.

Col.538.lit.D. *Facit & uiridium cupreſſi pilularum aut foliorum decoctum.* Græca exemplaria ſic habent, καὶ χλωρῶν κυπαρίσσου ἢ σφαιρίων τὸ ἀφέψημα. Aut igitur vox φύλλων deeſt,aut particula ἢ redundat. Si igitur vocem φύλλων recipis, habes authorem Aëtium lib.13.cap.18.Si verò ἢ vt redundans reiicis,præuium habes Dioſcoridem, qui de pilulis cupreſſi ſolùm dicit.Iuxta huius etiam præſcriptum legendum eſt , πότιζε μετ' οἴνου κοτύλης α'.& non Ϗ α', vt exemplaria habent, vbi ſingulorum drach. duas cum vini hemina vna bibendas præbet. Itémque αἴσων reponendum eſt pro αἴνθον ex eodem.

IN CAPVT DECIMVM.

Hoc loco Græca Pauli exemplaria vitiata ſunt.Habent enim capitis decimi loco,περὶ ἀσκαλαβώτου δῆγμα. Nec aliud quicquam ſubiicitur quàm ſeſamum tritum imponēdum eſſe. Et ſequitur caput 11.περὶ γαλεώτου, hoc eſt de fele.Et ſubiicitur,οἱ δὲ ὑπὸ γαλεώτου δακνόμενοι,&c.Sed hæc omnia falſó. Nam neque de felis morſu quicquam à Dioſcoride proditum eſt,neque Paulus de felis morſu hæc peculiariter tradidit.Sed γαλεώτου vox pro ἀσκαλαβώτου ſuppoſita eſt.Et debet legi decimi capitis titulus περὶ ἀσκαλαβώτου,& mox ſubiici, οἱ δὲ ὑπὸ ἀσκαλαβώτου δακνόμενοι, &c. Quod verò decimi capitis loco habetur medicamentum , ad finem illius ſubiici debet, non peculiari capite, ſed ad ſtellionis morſum pertinens.De quo vt nequis dubitet,habet omnia hæc hoc modo(velut dixi)Aëtius lib.13.cap.12.

IN CAPVT VNDECIMVM.

Col.539.lit.E. *Album apparet ulcus,dilaniatis membranis neruoſis.* Græcè legitur λευκὸν φαίνεται τὸ ἕλκος, ἀναξαινομένης εἰς ὑμένας νευρώδεις.Quæ verba nullam certam ſententiam exhibent.Ego itaque ex Aëtio colligo legendum eſſe, ἀναξαινομένων τῶν ὑμένων νευρωδῶν,ſicut conuerti.

IN CAPVT DVODECIMVM.

Col.540.lit.D. *Aliud ex libris Lyci pharmacum ad uiperæ morſus accommodatum,Myrrhæ,caſtorij,piperis, portulacæ,ſingulorum drachmam unam,ſeminis anethi acetabulum,paſſo trita dato.* Hoc medicamentum vt breue eſt,& pauca ſimplicia recipit,ita pernicioſè corruptum eſt in Pauli Græcis exēplaribus, vbi σανδαράχης vox pro ἀνδράχνης voce legitur.Nec vero integrè apud Dioſcoridem habetur,ſed ita tamen vt ſi eius lectionem ſequaris, non tantum periculum incurras. Itaque & Pauli & Dioſcoridis Græcam lectionem adſcribam,vt iudicari poſſit vtra magis ſit recipienda. Paulus ſic habet, Ἄλλο ἐκ τῶν Λύκου φάρμακον ἐπιτετευγμένον ἐπὶ τῶν ἐχεοδήκτων,σμύρνης, καστορίου,πεπέρεως,σανδαράχης,ἀνὰ < α'.ἀνήθου σπέρματος ὀξύβαφον, λεάνας γλυκεῖ δίδου.Dioſcorides ſic, καὶ αὐτὸ δὲ τοῦτο τὸ φάρμακον εὐδοκιμεῖ ἐπὶ τῶν ὀφιοδήκτων,ὃ περιέχει σμύρνης,καστορίου,πεπέρεως, ἀνδράχνης ἄνθους καὶ σπέρματος ὀξυβάφου τὸ ἥμισυ.ταῦτα πάντα λέαινε ἐν γλυκεῖ κρητικῷ. Primùm itaque in Paulo ſandaracha falſò legitur,pro andrachne,id eſt portulaca.Nam etiamſi Dioſcorides non apertè ἀνδράχνης vocem haberet,tamen nemo(arbitror)ita inconſideratus eſſet vt in medicamentū quod antidoti vice contra viperæ morſum exhibetur , admiſceret medicamentum vrendi vim habens,velut arſenicum ſiue auripigmentum , & quod infrà inter venena refertur: & alioqui ſcriptionis vicinitas fecit vt altera vox pro altera ſupponeretur. Deinde quatuor medicamentorum pondus Paulus drach.1.præſcribit,& quintum addit anethi ſemen,quod acetabuli menſura ſumēdum ſit.Dioſcorides verò quatuor tantùm medicamenta præſcribit,niſi portulacæ ſemen & florem pro duobus ſupputare velis : anethi certè ſemen penitus non habet.Atque hic vt alteram lectionem corruptam eſſe certum eſt,ita vtra recta ſit, non ſatis conſtat : quum ob ſimilitudinem quandam ἄνθους καὶ σπέρματος voces ſupponi potuerint pro ἀνήθου σπέρματος apud Dioſcoridem , aut viciſſim hæ pro illis apud Paulum.Pauli tamē lectionē interim ſequuti ſumus,donec melior lectio ſe nobis obtulerit.

Ibid. lit.E. *Pulli gallinacei diſſecti , & calidi impoſiti , ac frequenter permutati.* Hoc loco in Græcis exemplaribus vox ἐπιπλασσόμενοι falſò ſuppoſita pro recta ἐπαλλασσόμενοι,totam ſententiam corrumpit. Sic ergo rectam lectionem repones: τῶν ὀρνίθων οἱ νεοσσοὶ ἀναπτυσσόμενοι,καὶ ἐπιτιθέμενοι θερμοὶ,καὶ συχνῶς ἐπαλλασσόμενοι,id eſt frequenter permutati.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Ibid.lit.G. *Dryinus,uelut Galenus ait.* Hæc ſunt apud Galenū libro De theriaca ad Piſonem ad verbum,niſi quod verba,λέγουσι τοῦτον μοχθηρὸν ὄζειν πάνυ, (id eſt hūc peſſimè olere dicunt)in Galeno aliter leguntur hoc modo, λέγουσιν αὐτὸν νομίζειν μοχθηρὸν εἶναι πᾶν τὸ εὔφραντον, id eſt dicunt ipſum omnem gratum odorem,prauum eſſe exiſtimare. Et poteſt veriſimile videri,vtranque lectionem conſiſtere,ac ſententiam rectam, exhibere.Poteſt etiam in Paulo ὄζειν πάνυ, ex νομίζειν πᾶν corruptum eſſe,ita vt voces τὸ εὔφραντον interciderint.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Col.541.lit.B. *Ab hæmorrhoo commorſis uehementes circumcirca incidunt dolores, qui breues penitus & anguſtas reddunt corporis raritates.* Græca exemplaria ſic habent,τοῖς δὲ ὑπὸ αἱμόρρου δηχθεῖσιν ἰσχυραὶ περιωδυνίαι ἐμπίπτουσι.βραχέα δὲ παντελῶς καὶ στενὰ παρέχουσι τὰ ἀραιώματα. Appellat autem Paulus ἀραιώματα corporis raritates,quæ eiuſdem cauitatibus ſiue cauis locis ac partibus opponuntur.Sic ſanè etiam ſuprà lib.3.cap.70.vſurpauit,& cauitates cum raritatibus coniunxit, dum dixit, ποτὲ μὲν ἐν τῇ κοιλότητι τοῦ κύτους ἀπολειφθέντων τῶν πνευμάτων,ποτὲ δὲ ἐν τοῖς ἀραιώμασι τοῦ τῆς μήτρας σώματος , id eſt quandoque in cauitate ſpatii ipſius flatibus concluſis,quandoque in raritatibus corporis ipſius vteri.Dioſcorides τὰ στόματα habet pro τὰ ἀραιώματα,quem qui ſequuntur,& ſic quoque in Paulo legunt,ſententiam penitus obſcurant,quæ nunc,ſi modò quis ἀραιώματα vocem aſſequatur,euidens eſt & aperta,nimirum raritates & raras corporis partes contrahi,& anguſtas reddi præ afflictionum continuitate,ab hæmorrhoi morſu.

Ibid.lit.C. *Conſimiliſque corporis totius habitus conſequitur,uelut in hydropicis,propter aſſiduam potus ingeſtionem.* Aldinus codex habet, παραπλησία τε τοῦ ὅλου ὑφηγήματος παρακολουθεῖ,&c. Baſilienſis, παραπλησία τε τοῦ ὅλου συγκρίματος παρακολουθεῖ,&c. Et rectè quidem συγκρίματος vox legitur pro corporis concremento.Sed deeſt vox ἕξις,vt ſic legatur , παραπλησία τε τοῦ ὅλου συγκρίματος ἕξις παρακολουθεῖ.Sed & ſic deeſt adhuc quid quo ſignificetur cuinam ſimilis ſit corporis ille habitus, atque hoc puto eſſe has voces,τῇ τῶν ὑδρωπικῶν, ex Aëtii lib.13.cap.22.

Ibid.lit.E. *Plantaginem,hyſſopum,allium album,&c.* Græcè ſic,ἀρνόγλωσσον,ὕσσωπον , σκόρδον λευκόν. Verùm inuenio qui pro λευκὸν voce legerit in ſuo exemplari ἐλαφόβοσκον,ita vt non ad allium pertineat vox λευκὸν, ſed ſuppoſita ſit pro ἐλαφόβοσκον. Sed & quod mox ſequitur, Aut alliū cum irino, hoc eſt ἢ σκόρδον μετ' ἰρίνου , in illo exemplari ſcordium legitur. Nihil tamen horum mutaui,iudicio eorum qui vſuri ſunt hæc permittens.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Col.542.lit.A. *Tres aſpidis ſpecies Galenus eſſe dicit.* Hæc in lib.De theriaca ad Piſonem habentur , & nota eſt alioqui etiam hiſtoria de Cleopatra.Nec verò hoc capite quicquam deeſt quod ex Dioſcoride ſit petendū aut adſcribendum. Sed omnia quæ Dioſcorides habet,etiam Paulus tradit diſtinctius & meliori ordine,vt nihil quæri amplius poſſit,ſi ſaltem in fine capitis γάλα βοὸς in αἷμα βοὸς,iuxta Dioſcoridis lectionem mutetur.

IN CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

Ibid.lit.H. *Vtitor ad uiperæ morſum,uelut dictum eſt,drach.II.cum aceti cyat.I. Secunda die drach. IIII, cum aceti cyath.II. Tertia drach.VIII.cum aceti cyath.III.* Horum verborum lectio penitus corrupta eſt in exemplaribus Græcis, hoc modo, χρῶ ἐπὶ τῶν ἐχεοδήκτων ὡς εἴρηται, < β', μετ' ὄξους κυαθ.α'. τῇ δὲ τρίτῃ < β'. μετ' ὄξους Ϗ γ'. dictum autem eſt ab ipſo de teſtudinis ſanguinis vſu ſuprà cap.12.ad viperæ morſum: verùm quia modū & pōdus iſthic nō præſcripſit,iam hoc facit. Quia verò neque hic ex corrupta lectione id aſſequi datur,nos Aëtii lectionē ſequuti expreſſimus. Quū enim in multis

aliis locis eadem aut ſimilia tradant, videntur etiam hoc loco non diuerſa prodidiſſe. Sic ergo Pauli lectionem ex Aëtio lib. 13. cap. 24. repones, χρῶ ἐπὶ τῶν ἐχεοδήκτων ὡς εἴρηται < β΄. μετ᾽ ὄξους κυ α΄. τῇ δὲ δευτέρᾳ < δ΄. μετ᾽ ὄξους κυ β΄. τῇ δὲ τρίτῃ < η΄. μετ᾽ ὄξους κυ γ΄.

IN CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Col. 543. lit. F. *Expleta enim appetentia, de cætero facilè deprehenduntur qualitates.* Græca exemplaria ſic habent, ἀποπληρωθείσης γὰρ τῆς ὀρέξεως ἀκατάληπτοι γίνονται τὸ λοιπὸν αἱ ποιότητες. Nec video cur quis aliorum exemplarium lectione inductus, ἀκατάληπτοι legere malle debeat quàm ἀκατάβλητοι. Docet enim Paulus præcauere venena, vitanda eſſe edulia condita, id eſt τὰ κατηρτυμένα ab ἀρτύω, non vt Dioſcorides falſò habet κατηρτισμένα, à καταρτίζω: vitandas omnes qualitates intentas, dulcem videlicet ſalſam & acidam. At ſiquis famelicus aut ſitibundus ad cibum aut potum accipiendum accedat, is præ nimia appetentia non facilè deprehenderit ipſorum qualitates. Si verò aquæ quod ſatis eſt præſumat, iam expleta inde illa nimia appetentia, de cætero facilè deprehendet ſingulorum qualitates, atque ſic ipſas vitabit, & à ſe reiiciet. Deinde ἀκατάβλητοι vox non habet eam ſignificationem vt denotet nõ corripi, aut difficulter corripi à ſtomacho qualitates: ſed quia Dioſcorides ἀπεπτότατοι habet pro ἀκατάληπτοι, nec viderent quomodo concordem vtriuſque lectionẽ facerent, ad hoc deuenerunt vt illam ſignificationem ἀκατάβλητοι voci attribuerẽt, quaſi idem ἀπεπτότατοι & ἀκατάβλητοι voces ſignificarent. Ego verò neque ἀπεπτότατοι vocem apud Dioſcoridem rectè legi puto, ſed ἀτρεπτότατοι legendum eſſe coniecto, vt accipiamus, Expleta iam appetentia, de cætero minimè immutari qualitates, atque ideo facilè deprehendi, velut etiam expoſitione prima in poſteriorem librum Dioſcoridis De lethalibus medicamentis oſtendi.

IN CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

Col. 544. lit. D. *Ex odore quidem & amaritudine papaueris ſuccum.* Græca exemplaria habent, ἐκ μὲν γὰρ τῆς ὀσμῆς καὶ πικρίας, κώνειον, id eſt cicutam. hoc eſt κώνειον pro μηκώνειον. Non eſſe autem κώνειον (id eſt cicutam) legendum, indicat Dioſcorides, qui apertè μηκώνειον (id eſt papaueris ſuccũ) habet. Habere autem papaueris ſuccum inſignem amaritudinem, & odorem qui latè diffunditur, idem Dioſcorides teſtatur, & Paulus infrà cap. 42.

Ibid. lit. E. *Nerij quod & rhododendron & rhododaphne appellatur flores, marrubij ſuccus.* In Græcis falſo legitur hic νηρίτου pro νηρίου, & πράσου χυλὸν, id eſt porri ſuccum, pro πρασίου χυλός, id eſt marrubii ſuccus. Sic enim etiam Dioſcorides libro 6. habet, & lib. 3. de marrubii ſucco teſtatur. Sed & mox κέστρου τῆς βεττονικῆς legendum eſt ex eodem Dioſcoride, & non ἰουστονικῆς.

IN CAPVT TRICESIMVM.

Col. 545. lit. C. *Poſt uomitiones autem infundere oportet per clyſterem, &c.* In Græcis exemplaribus hîc falſò legitur, μετὰ δὲ τὰ ἐδέσματα, id eſt poſt cibos. Legendum enim eſt μετὰ τὰ ἐμέσματα, id eſt poſt vomitiones. indicat id claris verbis Dioſcorides, καὶ μετὰ τὸ κομίσασθαι τὰ πλεῖστα διὰ τῶν ἐμέτων, ἐνιέναι δὲ κλυστῆρος, &c. Sed & in Galeno aliquoties ἐδέσματα ſuppoſita pro ἐμέσματα, nuper ſuſtuli ex Græcis pariter ac Latinis codicibus noſtræ editionis. Velut verbi cauſa in libro de atra bile, non longè à principio, ἐδεσμάτων habetur falſò pro ἐμεσμάτων.

IN CAPVT TRICESIMVM PRIMVM.

Ibid. lit. D. *Qui bupreſtim hauſerunt, uiroſo nitro ſimile quid in guſtu percipiunt.* In Græcis exemplaribus deeſt hîc vox νίτρῳ, ex Dioſcoride & Nicandro reſtituenda, & legendum, τοῖς δὲ βούπρηστιν πεπωκόσι, δοκεῖ κατὰ τὴν γεῦσιν ὅμοιόν τι βρομῶδες νίτρῳ συνίστασθαι. Deinde ad finem capitis vbi conuerti, Declinante verò acuminis periculo, melius habent ex palmularum Thebaicarum eſu, aut earundem tritarum potu cum lacte, aut vino mulſo. Hæc verba in totum deſunt in Aldino exemplari, in Baſilienſi verò confuſè ac præpoſterè adſcripta. Tu ergo ſic rectam lectionem reſtitue, παρακμάζοντος δὲ τοῦ κατ᾽ ὀξύτητα κινδύνου ὠφελοῦνται Θηβαϊκαῖς βαλάνοις ἐσθίοντες, ἢ λελειασμένας σὺν γάλακτι πίνοντες ἢ οἰνομέλιτι. Ex Dioſcoride.

IN CAPVT TRICESIMVM SECVNDVM.

Ibid. lit. E. *A ſalamandra accepta conſequitur linguæ inflammatio, & mentis impedimentum.* Græca exemplaria habent hîc, λαλιᾶς ἐμποδισμὸς, id eſt loquelæ impedimentum. Verùm quum non ita graue malum ſit ſermo impeditus velut mens impedita, fieri potuit vt λαλιᾶς vox ſupponeretur pro διανοίας voce, quam Dioſcorides & Nicander & Aëtius 13. cap. 52. habent, quos & nos ſequuti, διανοίας ἐμποδισμὸς hoc Pauli loco legimus.

IN CAPVT TRICESIMVM TERTIVM.

Ibid. lit. G. *Eruca pini hauſta, ſtatim dolor circa os & palatum conſequitur.* In Græcis hic deeſt verbum παρακολουθεῖ, quod adſcribendum eſt ex Dioſcoride.

IN CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Ibid. *Sapor ſimilis piſcibus uiroſis.* In Græcis falſò habetur γεῦσις ὁμοία ἰχθύος βρομώδης. Legendum enim eſt vt Dioſcorides habet, ἰχθύσι βρομώδεσι. Quod verò mox conuerti, Sudorem excludunt graueolentem. Comitatur etiam vomitus biliofus, aliquando ſanguine mixtus: in Græcis mancum eſt. exciderunt enim aliquæ voces, quæ reſtituendæ ſunt ex Dioſcoride hoc modo, ἱδροῦσι δὲ δυσώδη. παρέπεται δὲ αὐτοῖς καὶ ἔμετος χολώδης, ἐνίοτε αἵματι μεμιγμένος. Et mox, Danda etiam cyclamini radix, &c. in Græcis legitur πευκεδανίου ῥίζαν. Sed cyclamini legendum eſſe ex Dioſcoridis libro ſecundo de lethalibus medicamẽtis capite octauo conſtat, itémque libro ſecundo de mate. med. capite centeſimo quinquageſimo, vbi de cyclamini radice hæc verba habet, πίνεται δὲ πρὸς τὰ θανάσιμα μετ᾽ οἴνου, μάλιστα πρὸς λαγωὸν θαλάττιον. Et rurſus, Sed & cancros fluuiatiles ſolùm in cibo admittunt, Græcè legitur, καὶ καρκίνους τε ποταμίους μόνον ἐὰν ἀνέχονται προσενέγκασθαι, vt videlicet repetatur vox δοτέον, & accipiamus dandos eſſe cancros fluuiatiles, ſi modò admittant. At non eſſe genuinam hanc ſententiam, ex Dioſcoride conſtat, qui dicit ſic, Quum nullum piſcem admittant, ſolos fluuiatiles cancros coctos edunt. Hanc autem ſententiam etiã hîc habebimus, ſi particula ἐὰν tollatur, & τε in δὲ commutetur, hoc modo, καὶ καρκίνους δὲ ποταμίους μόνον ἀνέχονται προσενέγκασθαι.

IN CAPVT TRICESIMVM QVINTVM.

Col. 546. lit. B. *Ex multo uini meraci potu. Item radicis harundinis, &c.* Græca exemplaria falſò habent λαμβάνοντες εὔκρατον πολὺ πόμα· καλάμων ῥίζης, &c. Legendum enim ex Dioſcoride & Aëtio, λαμβάνοντες ἄκρατον πολὺ, καὶ καλάμου ῥίζης. Et mox pro συντόμως legendum eſt συντόνως.

IN CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

Ibid. lit. C. *Eijcit autem ipſas muria ſi ſorbeatur, & ſuccus cyrenaicus, aut folia ſilphij, aut betæ cum aceto, aut nix cum poſca pota.* Hæc partim deſunt, partim corruptè leguntur in Græcis exemplaribus. Reſtituantur ex Dioſcor. Galeno libro ſecundo antid. & Aëtio, in hunc modum, ἃς ἐκβάλλει ἅλμη καταρροφουμένη, καὶ ὀπὸς κυρηναϊκὸς, ἢ φύλλα σιλφίου, ἢ τεῦτλον σὺν ὄξει, ἢ χιὼν σὺν ὀξυκράτῳ πινομένη.

Ibid. lit. C. *Eas uerò quæ gutturi affixæ ſunt extrahes ſi in ſolium calidum ad collum uſque deſidere iubeas, & aquam frigidam ore detinendam prabeas.* Hæc in Aldino exemplari ſic leguntur, τὰς δὲ τῷ βρόγχῳ προσφυείσας, ἐμβιβάσας εἰς ἔμβασιν θέρμινον ἄλευρον, δούς τι ψυχρὸν τῷ στόματι διακρατεῖν, ἐξελεῖς. In hac lectione duæ voces θέρμινον ἄλευρον corruptæ, fecerunt vt etiam aliqui Dioſcoridis interpretes veram illius lectionem mutarent ac peruerterent, & lupinorum farinam iniiciendam eſſe conuerterent. Legendum itaque eſt εἰς ἔμβασιν θερμὴν ἄχρι τραχήλου, velut Aëtius expreſſè habet lib. 13. cap. 56. Dioſcorides tamen voces ἄχρι τραχήλου non habet.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Col.547.lit.D. *Carpaſi ſuccus potus.* Græca exemplaria falſò habent τῆς καρπησίας ὀπὸς, pro τῆς καρπάσου ὀπός. Quid autem ſit carpaſi ſuccus,& quòd aliud ſit à carpeſio ſiue carpeſia,in commentariis medicis docui, & expoſitione decimanona,in poſteriorem librum Dioſcoridis de lethalibus medicamentis.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

Col.548 lit.A. *Aut reſinæ terebinthinæ,aut nardi,aut caſtorij,aut ſilphij,ſingulorũ obolus cum uino. Conueniunt eti ĩ nucis regiæ, &c.* Græca ſic legenda ſunt ac diſtinguenda ex Aëtio & Dioſcoride, ἢ ῥητίνης τερμινθίνης, ἢ νάρδου, ἢ καστορίου, ἢ σιλφίου, ἑκάστου ὀβολὸς σὺν οἴνῳ. ἁρμόζουσι καὶ οἱ τῆς βασιλικῆς καρύας, &c. quanquã καὶ pro ἢ habeat Aëtius,vt coniunctim illa accipienda eſſe intelligamus,quod etiam in Dioſcoride reddidi ac conuerti.Quod verò ſequitur ἢ ῥητίνης καὶ καστορίου, καὶ πηγάνου, ἑκάστου < α. ὁμοίως χαμελαίας < β΄. apud Dioſcoridem corruptè legitur, ita vt duo medicamenta, hoc & præcedens in vnum coaluerint,quæ ſiquis ſeparare velit, Paulum hîc præuium habet. At apud Galenum lib. 2.antidot. Ex quatuor his, reſina videlicet,caſtorio,ruta & chamelæa vna compoſitio paratur,ponderibus tamen auctis,hoc modo,χρηστέον δὲ τῇ τοιαύτῃ σκευασίᾳ. πηγάνου < ϛ΄. ῥητίνης < δ΄. καστορίου β΄. χαμελαίας β΄. ταῦτα τρίψας, καὶ ὄξει θερμῷ διαλύσας πότιζε. Sed hoc tamen celare nolo,in Græcis Galeni exemplaribus hactenus lectum fuiſſe χαμαιλέοντος κοχλιάρια γ΄. id autem ex Dioſcoride ac Paulo à nobis mutatum eſſe in χαμελαίας < β΄. Videtur etiam interpres chamæleonis vocis lectionem ſuſpectam habuiſſe,aut aliud exemplar ſequutus eſſe. vertit enim,Chamæpityos cochlearia tria.Sequitur mox, Aut thapſiæ ſucci drach.II.cum aqua mulſa.Dioſcorides tamen pro θαψίας voce,ἀψινθίου habet. At de abſinthii cremore antea mẽtionem fecit,vt hîc de ſucco non videatur repetiuiſſe: & thapſiam legendum eſſe non dubitem,ſi drachmarum duarum põdus non nimiũ eſſet.Dioſcorides enim lib.4.expreſſè dicit,Radicis thapſiæ obolos IIII.dari,ſucci obolos III.liquoris obolum I.Et Paulus ipſe infrà capite de ceruſſa thapſiæ aut ſcammoniæ obolos III.cum aqua mulſa exhibet. Proinde cautos eſſe conuenit talibus vſuros,quæ quum proſint aliâs, nimio vſu lædere poſſunt: qualis eſt etiam thapſia, quam infrà cap.64. Paulus etiam inter venena recenſet.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

Col.549.lit.A. *Oportet autem poſt eductionem ipſius,cum uino abſinthite bibendum ipſis exhibere cinnamomum,aut myrrham,aut nardum Celticam,quam aliqui ſaliuncam uocauerunt.* Græcorum exemplarium lectio corrupta eſt hoc modo, δεῖ δὲ μετὰ τὸ ἐξαιρεθῆναι αὐτοὺς ποτίζειν μετ᾽ οἴνου ἀψινθίῳ καὶ κινναμώμῳ, ἢ σμύρνῃ νάρδῳ κιλικίᾳ, ἣν ἔνιοι ἰσάτιν ἐκάλεσαν. Legendum autem eſt ex Dioſcoride ſic, δεῖ δὲ μετὰ τὸ ἐξαιρεθῆναι, αὐτοὺς ποτίζειν μετ᾽ οἴνου ἀψινθίτου κινναμώμῳ, ἢ σμύρνῃ, ἢ νάρδῳ κελτικῇ, ἣν ἔνιοι ἀλιοῦγγαν ἐκάλεσαν. Legitur tamen etiam in Dioſcoride falſò σερίνην pro ἀλιοῦγγαν. Quòd autem nardus Celtica appelletur ἀλιοῦγγα (id eſt ſaliunca) teſtatur Dioſcorides lib.1.cap.7. Sed & Scribonius cap.195. De pharica ſic ait, Adiuuantur verò læſi ab eo,ſaliunca(id eſt nardo ſylueſtri)quamplurima ex vino ſæpius data. Ex quibus locis etiam id indicatur,non Ciliciã, ſed Celticam nardum legendam eſſe,& neque iſatin,neque ſerinen eam appellari. Quanquam Nicander in Alexipharmacis Ciliciam nardum,ad pharicum probet.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Ibid.lit.D. *Commodat ipſis & gallinarum ſtercus in poſca potum.* Græca exemplaria habent ὠφελεῖ δὲ αὐτοὺς καὶ ἀλεκτορίδων ὠὰ ἀφεψόμενα, καὶ ἐν ὀξυκράτῳ πινόμενα, id eſt commodant ipſis gallinarum oua cocta, & in poſca pota. At oua gallinarum huc non facere,ſed ipſum gallinaceum ſtercus,ex Aëtio conſtat,qui lib.13.cap. 73. Philagrium citat his verbis, Cæterùm Philagrius gallinaceum ſtercus album,inquit, exhibemus ex poſca aut aceto mulſo. huius enim manifeſtũ habemus experimentum, quòd ad fungorum ſtrangulationes auxilietur. In Dioſcoride tamen item oua leguntur his verbis, βοηθεῖ δὲ αὐτοῖς ἀλεκτορίδων ὠὰ σὺν ὀξυκράτῳ πινόμενα. Non tamen putandum eſt Paulum falſam Dioſcoridis lectionẽ ſequutũ tranſcripſiſſe, quaſi qui ignorarit gallinaceũ ſtercus ad fungos cõmodare. Nã & hoc nouit,& lib.7.expreſſè docuit,domeſticarũ gallinarũ ſtercus ex aceto mulſo,aut aceto, aut vino mulſo potũ, facere vt ſtrãgulantes fungos renouent qui illos in cibo acceperũt:& haud dubiè etiã hoc loco rectè ſcripſit,ſicut etiã legi debet,hoc modo,ὠφελεῖ δὲ αὐτοὺς καὶ ἀλεκτορίδων ἀφόδευμα ἐν ὀξυκράτῳ πινόμενον. Sed aliquis qui aut legere non poſſet, aut non intelligeret, ἀφόδευμα vocem in ὠὰ ἀφεψόμενα mutauit,& particula καὶ addita, & πινόμενον voce in πινόμενα tranſmutata, ſententiam ſibi placentem,ſed falſam,& à re medica propoſita alienam,effinxit:id quod etiam alius in Dioſcoride fecit, vbi tamen ὠὰ ſimpliciter pro ἀφόδευμα ſuppoſita,omnes interpretes deceperunt.

Ibid.lit.D. *Et atramentum ſutorium cum aceto.* Græcè legitur,καὶ χαλκοῦ ἄνθος σὺν ὄξει,id eſt,Et æris flos cum aceto. Videtur autem legendum eſſe(velut Dioſcorides habet)καὶ χάλκανθος σὺν ὄξει,ſicut conuertimus.Et ob ſcripturæ vicinitatem ſæpe hic error committi ſolet, vt alterum pro altero ſupponatur, velut etiam in commentariis medicis oſtendimus.Quòd autem atramentum ſutorium ad fungos acceptos commodet,Dioſcorides lib.5.dixit his verbis,ἐμέτους τε κινεῖ, καὶ μύκητας λαβοῦσι βοηθεῖ σὺν ὕδατι ποθέν. Habet tamen etiam Scribonius æris florem pro atramento ſutorio cap.198. ad fungos.adiuuat & nitrum aceto dilutum & datum,eodémque modo æris flos datus.Sed & hic locus indicio eſt Scribonium Græcè ſcripſiſſe,& eius interpretem,χάλκανθον æris florem vertiſſe: de qua re multa in commentariis medicis produxi,quorum paulo antè mentionem feci.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

Ibid.lit.E. *Et rubi ſuccus cum aceto.* Ita habet poſterior editio,& Dioſcorides, καὶ βάτου χυλὸς σὺν ὄξει, & fieri poteſt vt καὶ βατράχου voces in Aldina cognitæ ſint ac ſuppoſitæ pro καὶ βάτου χυλός. Aëtius tamen ἀμάρανθον habet. Mox quod conuerti, Fluida ac graueolẽtia per ſedem reddi ſolẽt,in Græcis legitur κοπρώδη καὶ δυσώδη, id eſt ſtercoracea & graueolentia,ſed Dioſcorides ῥοώδη legit,quem ſequi malui.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

Ibid.lit.G. *Qui lac coagulatum ſumpſerunt,his aceruatim ingens ſuffocatio imminet.* Græcè legitur ἐμπνιγαδὴν ἀθρόον: ſed diſtinguendæ ſunt voces,& ἀθρόος legendum,velut conuerti. Quod autem dicit Paulus coagulum velut antidotum exhiberi aduerſus lac coagulatum hauſtum,eius rationem reddit Aëtius lib. 13. cap.75. Etenim coagulum, inquit,recenti lacte iniectum,ipſum cogit & inſpiſſat:id verò quod iam coactum eſt,ex natura ſua diſſoluit. Atque hoc eſt quod etiam Dioſcorides dicit,κοινῶς δὲ πᾶσα πιτύα πήσσει μὲν τὰ διαλελυμένα, λύει δὲ τὰ συνεστῶτα. Ad idem etiam mox ſubdit,exhibendum eſſe lixiuium pileatorum,(id eſt eorum qui pileos faciunt)& appellat hoc κονίαν πιλοποιητικὴν,ſicut etiã ſuprà lib. 3. cap.2.& infrà lib.7.cap.17.in emplaſtro ex lapide Aſio,ὕδωρ πιλοποιοῦ, id eſt aquam pileatoris ſiue pileatoriam idem vocat:hoc eſt eam aquam qua lanæ abluuntur, dum ſpiſſantur & ad pileos parantur. Eandem etiam hoc loco Dioſcorides præſcribit,πιλοποιητικὴν κονίαν itidem appellans,magno omnium Dioſcoridis interpretum & aliorum tormento,donec ex vetuſti exemplaris lectione,non πηλοποιητικὴν per η,ſed πιλοποιητικὴν per ι ſcribendum eſſe compertum eſt. Sed de hac re pluribus in commentariis medicis egimus.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

Col.580.lit.A. *Ex uini mulſi aſſiduo potu.* Græca exemplaria habent ὑπὸ ὑδρομέλιτος,id eſt aquæ mulſæ: ſed nos Dioſcoridem & Aëtium ſequuti vinum mulſum conuertimus,& procliue fuit οἰνομέλιτος vocem in ὑδρομέλιτος conuertere.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM OCTAVVM.

Ibid.lit.B. *Et origanus aut thymus cum lixiuio, aut aceto, aut paſſo. Oportet autem & his maluæ decoctum per clyſterem infundere.* Græca malè diſtincta,& partim corrupta,ex Dioſcoride & Aëtio ſic emendata leges,καὶ ὀρίγανος ἢ θύμος σὺν κονίᾳ,

ἢ ὀξεῖ, ἢ γλυκεῖ. δεῖ δὲ καὶ τούτοις ἀποκλύζειν τῷ τῆς μαλάχης ἀφεψήματι.

IN CAPVT SEXAGESIMVM PRIMVM.

Ibid.lit.F. *In his conuenit poſt uomitum, hormini ſyluestris ſemen cum uino potum, myrrhæ obol. III. abſinthium, hyſſopũ, aut apij ſemẽ, aut piper, aut liguſtri flos cum uino.* Hoc loco Græca pro ὁρμίνου habẽt falſò θερμίνου. Deinde habẽt σμύρνης < η´. nos ex Aëtio & Nicandro fecimus obolos III. poſtea ἀψινθίου & ὑσσώπου voces, ex iiſdem in ἀψίνθιον & ὕσσωπον mutauimus. Et tandem κυπείρου ἄνθος ex Dioſcoride & Nicandro in κυπρου ἄνθος conuertimus, niſi fallit nos Nicander qui κύπρου τε βλαστεῖα νεαί-θεα dixit, vt eo verſus loco κυπείρου vox legi non poſſit. De myrrhæ enim pondere nimis aucto, & de aliis quæ falſò lecta commutauimus, dubium non eſt.

IN CAPVT SEXAGESIMVM QVARTVM.

Col.551.lit.A. *Ex quorum numero eſt & ſyluestris ruta, & melanthium, & recentes pappi. Sunt autem flores ſpinæ quæ cactos appellatur.* Hæc verba in Græcis exemplaribus ſic leguntur, ὧν ἐστὶ τό, τε ἄγριον πήγανον, καὶ τὸ μελάνθιον, καὶ οἱ νεαροὶ πάπποι. ἄνθη δέ ἐστιν ἀκάνθης τῆς καλουμένης κάκτου. Et reliqua quidem rectè habent: verùm qui ſint recentes illi pappi, ſpinæ illius quæ cactos appellatur, Dioſcoridis corrupta lectio ambiguum fecit, in quo pro πάπποι voce, leguntur παγνοὶ, & pro κάκτου habetur ἄξου, ſeparata etiam à præcedentibus περὶ ἄξου tractatione, id quod etiam interpretes partim animaduerterũt, & Dioſcoridis conuerſionem Paulum ſequuti expreſſerunt. Quæ igitur ſit ſpina appellata cactos, & qui eius pappi, Theophraſtus lib.6. De plantis tradit, cuius verba quia in Græcis codicibus manca & corrupta leguntur, integra adſcribam, Ἡ δὲ κάκτος καλουμένη, περὶ σικελίαν μόνον, ἐν τῇ ἑλλάδι δὲ οὐκ ἔστιν. ἴδιον δὲ παρὰ τὰ ἄλλα τὸ φυτόν. ἀφίησι γὰρ εὐθὺς ἀπὸ τῆς ῥίζης καυλοὺς ἐπιγείους· τὸ δὲ φύλλον ἔχει πλατὺ καὶ ἀκανθῶδες. καλοῦσι δὲ τοὺς καυλοὺς, κάκτους. ἐδώδιμοι δέ εἰσι περιλεπόμενοι, μικρὸν ὑπόπικροι, καὶ θησαυρίζουσιν αὐτοὺς ἐν ἅλμῃ. ἕτερον δὲ καυλὸν ὀρθὸν ἀφίησιν, ὃν καλοῦσι πτέρνικα. γίνεται δὲ καὶ οὗτος ἐδώδιμος, πλὴν ἀθησαύριστος. τὸ δὲ περικάρπιον, ἐν ᾧ τὸ σπέρμα, τὴν μὲν μορφὴν ἀκανθῶδες, ἀφαιρεθέντων δὲ τῶν παππωδῶν σπερματίων, ἐδώδιμον καὶ τοῦτο καὶ ἐμφερὲς τῷ τοῦ φοίνικος ἐγκεφάλῳ. καλοῦσι δὲ αὐτὸ σκαλίαν. In his verbis quum tradat Theophraſtus lanuginoſa ſemina auferẽda eſſe, ſi quis περικάρπιον (quod fructum Theodorus vertit) edere velit, ſatis declaratur qui ſint pappi ſiue lanugines ſpinæ cacti, quos non negligendos eſſe Paulus monet, vt qui aliquando pericula inducunt, etiamſi parum lædere videantur. Cæterùm Athenæus lib.2. δειπνοσοφιστῶν, Theophraſti verba relata citans, ſententiam etiam ſuam addit, quid de cacto ſentiat, nimirum cacton illam eſſe Romanis dictam carduum, & eam adeò quæ κινάρα Græcis appelletur, & κάρδον ac κάκτον idem eſſe, duabus ſaltem literis immutatis. Verba eius hæc ſunt, τίς δὲ τούτοις οὐχὶ πειθόμενος, θαρρῶν ἂν εἴποι τὴν κάκτον εἶναι ταύτην τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων μὲν καλουμένην κάρδυον, οὐ μακρὰν ὄντων τῆς σικελίας, περιφανῶς δὲ ὑπὸ τῶν ἑλλήνων κινάραν ὀνομαζομένην. ἀλλαγῇ γὰρ δύο γραμμάτων, κάρδος καὶ κάκτος ταὐτὸν ἂν εἴη.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI
Dolabellarum in Paulum AEginetam liber ſextus.

IN CAPVT SECVNDVM, & TERTIVM, & QVARTVM.

QVIDAM *uerò etiam ipſo oſſe uſto, ſquamam paruam excidere faciunt.* In Græcis ἐμπίπτειν legitur falſò pro ἐκπίπτειν, id eſt excidere: ſicut etiam ſequenti cap.3. μᾶλλον pro μόνον falſò habetur, vbi cõuerti, Reliqua quidem ſimiliter habet, tumor autem ſolùm durior eſt. Nam μᾶλλον σκληρότερος, pro μόνον σκληρότερος Græcè legitur, & mox linea ſequenti quinta τοῦ ὑγροῦ falſò legitur pro τὸ ὑγρόν. Sicut etiam cap.4. ſequenti falſò habetur, τό, τε ὄργανον ἐγχυρήσῃ τὸ ὀστέον, pro ἐγχωρήσῃ τῷ ὀστέῳ. Sed hæc & alia minutiora ex noſtra tranſlatione cognoſci poterant, niſi eſſent qui de omnibus rationem expetant; quod tamen eſt præter noſtrum inſtitutum.

IN CAPVT QVINTVM.

Col.552.lit.G. *Et ſiquidem tenue fuerit, hamulo cæco id extentum & obtortum, per totum penitus excidemus, ita ut etiam pars ipſius apprehendatur.* Hic locus in Græcis exemplaribus ſic legitur, καὶ εἰ μὲν λεπτὸν εἴη, τῷ τυφλαγκίστρῳ ὑπ' ἀνατείναντες καὶ περιστρέψαντες, ὑφ' ἓν ἐκτέμωμεν, ὥστε καὶ μέρος αὐτοῦ λαβεῖν. Significat enim ὑφ' ἓν idem quod διαπὰξ & διαμπὰξ, quibus infrà in hoc libro aliquoties vtitur. Velut cap.35. vbi itidem hanc circa vaſa magna & tenuia diſtinctionem præſcribit his verbis, εἰ δέ τι διαιρεθὲν ἀγγεῖον ἐπισκοτίζοι τῷ ἔργῳ, βρόχῳ διαλαβόντες αὐτὸ, ἢ διαπὰξ ἀποτέμωμεν, εἰ μὴ μεγάλα εἴη. διαπὰξ penitus & per totum dixit, ſicut hoc loco ὑφ' ἓν, eadem ſignificatione. Vult enim parua vaſa ita diſſecari penitus & per totum tranſuerſim, vt etiam pars ipſorum apprehenſa ſimul excidatur. Atque hæc eſt vera huius loci ſententia & lectio, nulla facta verborum mutatione. Paulo pòſt legendum eſt σαρκωτικοῖς ξηρίοις, non ξηροῖς. Sunt enim ξηρία peculiaria medicamenta arida in puluillos detrita, de quibus lib.7.cap.13. agit.

IN CAPVT SEPTIMVM.

Col.553.lit.F. *In his periſcyphiſmum, id eſt inciſionem circum ſcyphium, id eſt caluariam, adhibemus.* Περισκυφισμὸς ſectio nomen inde habet quòd περὶ τὸ σκύφιον fiat. Eſt autem σκύφιον calua ſiue caluaria. Sic Paulus ſuprà lib.3.cap.22. ad impetuoſam fluxionum ad oculos allationem, ὑπὸ τὸ σκύφιον δὲ τῆς κατασκευῆς οὔσης. Et mox, εἰ δὲ διὰ βάθους καὶ ὑπὸ τὸ σκύφιον τοῦ ὑγρὸν ὑπάρχει, &c. Et rurſus, σημεῖα δὲ τῶν ἔξω τοῦ σκυφίου ῥευμάτων. Et infrà lib.7.cap.16. κολλᾶται δὲ τῷ μετώπῳ ἐφ' ὧν οὐχ ὑπὸ τὸ σκύφιον τὸ ὑγρὸν, ἀλλ' ἔξωθεν ἐστι. At huius ſcyphii mentio admonet me loci cuiuſdam Galeni, in quo σκυφῶνες vox ſuppoſititia & nihil ſignificans legitur, cuius loci rectam lectionem & Græcis & Latinis codicibus noſtræ editionis nuper reſtituimus. Quò verò ex hoc vno de multis aliis à nobis reſtitutis indicium quoddam ſtudioſi habeant, emendationis ac lectionis noſtræ hîc rationem aliquam reddemus. Locus eſt in anatomicis aggreſſionibus libro ſexto non longè à fine, vbi περὶ οὐρητῆρος (id eſt de vrinario meatu) verba facit, quæ ſic leguntur in Græcis codicibus, ὄψει τὴν φύσιν τοῦ κατ' αὐτὴν πόρου λοξοῦ τε ἅμα καθήκοντος εἰς αὐτὴν, ἐπίβλημά τε τι κατὰ τὴν ἔνδον αὐτῆς χώραν ἔχοντος τοιοῦτον οἷον ἐπὶ τῶν περιστερεῶν οἱ καλούμενοι σκυφῶνες. Quæ verba in Latina tranſlatione, tam ſæpe à tam multis caſtigata ac reuiſa, ſic leguntur, Meatus in ea naturam inſpicies, qui obliquus ſimul ad ipſam pertinet, & huiuſmodi internæ ipſius regionis operculum ſortitur, quale in columbariis ſcyphones appellati. At quis vnquam tradidit, aut cui lectũ eſt, quid ſit in columbariis σκυφῶνες: quorum ſimilitudo aliqua ſit ad operculum illud vrinarii meatus. Ego itaque primùm quidem σκυφῶνες vocem falſò ſuppoſitam eſſe iudicaui: deinde etiam περιστερεῶν vocem falſam & ſuppoſititiam eſſe cenſui. Nam ſi pro columbario dicta eſſet, περιστερώνων legi oportebat. Et neque ſic tamen qui eſſent in columbariis ſcyphones ſatis cõſtaret. Sed vt ſint iam ambæ illæ voces falſæ ac ſuppoſititiæ, nondum tamen ſatis hoc oſtenſum eſt, ſi non melior & recta lectio producatur. Verùm vnde quis producat ſi non ſupperant meliora, & rectam lectionem habentia exemplaria? Mihi ſanè illorum inopia, vnius ingenii ope nitendum fuit, cuius coniectura vſus, & pro σκυφῶνες legendum cenſeo σίφωνες, & pro περιστερεῶν legendum ſentio ἐμφερήσεων, vt hæc ſit genuina Galeni verborum lectio, quam tamen non diutius tolerari volo, vbi

quis meliorem protulerit, ὅτι τὴν φύσιν τῦ κατ' αὐτὴν πόρου, λοξοῦ τε ἅμα καθήκοντος εἰς αὐτὴν, ἐπίθημά τε τι κατὰ τὴν ἔνδον αὐτῆς χώραν ἔχοντος τοιοῦτον οἷον ἐπὶ τῶν ἐμπρήσεων οἱ καλούμενοι σίφωνες. Latina autem tranſlatio noſtra quam pro falſa repoſuimus hæc eſt, Meatus in ea naturam inſpicies, qui & obliquus ſimul ad ipſam pertinet, & huiuſmodi iuxta interna ipſius regionem operculum ſortitur, quale in incendiis fuſoria aquæ inſtrumenta, ſiphones appellati. Quòd autem Siphones, quorum vſus in incendiis ad aquam per ipſos hauriendam ac fundendam exiſtit tale intus operculum habeant quale hîc Galenus vrinario meatui attribuit, res & experientia ipſa docet.

IN CAPVT OCTAVVM.

Col.554.lit.C. *Filo uerò poſt ſubſectionem extracto.* Græcè habetur, τὸ δὲ ῥάμμα ὑποβάλλοντες κατὰ τὴν ὑποτομήν. Sed legẽdum ὑπαλλάξαντες, id eſt vbi extraxerimus. Paulo pòſt habetur τρισὶν ἢ τέτρασιν ἀφαῖς, ſed legendum eſt ῥαφαῖς. Non enim ad ſpongiarum vſum hæc verba referuntur, de quibus verbum ἀποσπογγίσαντες, quod præcedit, vſurpauit, ſed ad labia vulneris contrahenda per tres aut quatuor ſuturas.

Ibid.lit.G. *Et ouis lacti admixtis oculo infuſis mitigabimus.* Hæc verba Græci codices ſic habent, καὶ ὡς γάλακτι ἐγχύτῳ τὸν ὀφθαλμὸν παρηγορησόμεθα, id eſt, & velut lacte infuſo oculum mitigabimus. At hic loquendi modus non videtur ita aut Paulo aut aliis medicis Græcis familiaris eſſe, ſed potius huiuſmodi vt verba tranſponantur hunc in modum, καὶ ἐγχύτῳ τινὶ ὡς γάλακτι τὸν ὀφθαλμὸν παρηγορησόμεθα, id eſt, & quodam infuſo ſiue infuſili medicamento, velut lacte, oculum mitigabimus. Quare ſuſpecta eſt mihi vocum ὡς γάλακτι lectio, & (niſi penitus fallor) legenda eſt pro ipſa vna illa vox ᾠογάλακτι, vt (velut etiam reddidi) ouis lacti admixtis infuſis oculum mitigandum eſſe accipiamus. Nam Gal. lib. 4. κατὰ τόπους, lac muliebre, & ſubtenuem ouorum liquorem, & adhæc fœnigræci tum ſuccum tum decoctum ad oculorum dolores & inflammationes mitigandas vehementer commendat. Proinde etiam Paulus lac & oua ſimul mixta adhiberi iuſſit, & ἐγχύτῳ voce adiecta declarauit ita mixturam ipſorum faciendam eſſe vt infuſile redditum ex ipſis medicamentum, commodè oculo infundi poſſet. Habetur autem vox ᾠόγαλα etiam lib. 3. cap. 42. in dyſenteriæ cura.

IN CAPVT NONVM.

Col.555.lit.B. *Velut in rebus deſperatis uſtionem per medicamentum adhibemus.* In Græcis verbum falſum ὑποφορούμεθα legitur in Aldina editione: quod animaduertẽs Baſilienſis corrector ἀποφοροῦμεν pro illo repoſuit: ſed neque hoc legi poteſt, quum verbum tranſitiuam ſignificationem εἰς τὴν καῦσιν habens requiratur: id autem haud dubiè eſt ὑπουργοῦμεν: id eſt adminiſtramus, adhibemus. Quòd verò mox pro ἀναχαρῇ, legendum ſit ἀναρραφῇ, & pro αὐτοῦ voce, αὐτὴ, tum res ipſa docet, tum ex tranſlatione ſatis cognoſci poteſt.

IN CAPVT DECIMVM.

Ibid. lit. D. *Et hac aut ſponte, &c.* Græcè legendum καὶ ταύτης ἢ αὐτομάτως, &c. refertur enim ad vocem οὐλῆς, vt reſpondeat etiam ſequenti voci γενομένης. Mox quod reddidi, Si ſufficientem craſſitudinem palpebra habeat. Ipſam enim cicatricem diuidere oportet, &c. in Græcis ex tranſpoſitione ac deceſſione paucarum literarum corruptum ſic legitur, πάχος ἱκανὸν ἔχον τὸ βλέφαρον. οὐ δεῖ γὰρ αὐτὴν τὴν οὐλήν. Legendum autem integrè ſic, πάχος ἱκανὸν ἔχοντος τοῦ βλεφάρου. δεῖ γὰρ αὐτὴν, &c.

IN CAPVT VNDECIMVM.

Ibid.lit.F. *Sed & reliquam curationem uelut, &c.* Græca huius periodi verba corrupta ſunt, & deeſt vox vna τοιαύτη. Sic enim legendum eſt, καὶ τὴν ἄλλην δὲ θεραπείαν ὡς ἐπ' ἀναρραφῆς ποιητέον, πλὴν τὸ τῶν φαρμάκων τοῖς ὑπόχαις ἐν τοῖς μετώπῳ κολλᾶν. Poſſit tamen etiam ſic legi, πλὴν οὐ τῶν φαρμάκων τοῖς ὑπόχαις ἐν τοῖς μετώπῳ κολλητέον.

IN CAPVT DVODECIMVM.

In hoc capite duæ voces viciatæ totam ſententiam corruperunt. Legitur enim ἴσον pro εἴσω, & ἔξω pro ἔξω, iuxta quorum verborum lectionem integram repoſitam, conuerſionem noſtram fecimus.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ibid.lit.D. *Specilli bicipitis caput, aut auricularium ſpecillum, aut tale quoddam tenue inſtrumentum igne candefactum adigunt loco.* In Græcis hæc periodus duas voces corruptas habet. Nam pro διὰ πύρινον legendum eſt διπύρηνον: & pro ἐργάζονται, legẽdum προσάγουσι, hoc modo, διπύρηνον ἢ μηλωτίδα ἢ τι τοιοῦτον λεπτὸν ὄργανον πεπυρωμένον προσάγουσι τῷ τόπῳ. Cæterùm de variis ſpecillorum formis ac appellationibus multa in commentariis medicis diximus.

IN CAPVT VICESIMVM.

Col.558.lit.B. *Per infuſiones aquæ mulſæ, aut ſucci fœnigræci cum melle.* Fœnigræci ſuccum cum melle, vel melli additum τηλόμελι appellat, nimirum ἀπὸ τήλιος καὶ μέλιτος mixtura, facta appellatione. Ad eundem modum etiam φακόμελι vocat lenticulam melli admixtam, ſequenti capite viceſimoſecundo, & ibidem σιδιωτὸν appellat mel cui τὰ σίδια (id eſt malicorium) admixtum eſt.

IN CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

Col.559.lit.G. *Quemadmodum etiam aquam in aurem illapſam.* In Græcis deeſt vox ὥσπερ, vel ſimilis alia. Legendum eſt enim ὥσπερ καὶ τὸ ἐμπεσὸν κατὰ τὴν ἀκοὴν ὕδωρ, &c.

IN CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

Col.560.lit.D. *Filum mediocriter craſſum uelut funiculus eſt.* Græcè legitur ὅσον σφήκωμα, id eſt quantus eſt funiculus: ſed legi debet οἷον, id eſt qualis. Non enim ad longitudinem aut menſuram refertur, ſed ad cõſtrictionis modum, quo filum illud inſtar funiculi intortum eſſe debet, ea craſſitudine vt nodi in ipſo ligari poſſint. σφήκωμα enim ab adſtringendo nomen habet, à verbo σφηκόω, adſtringo. Non autem refert quàm longum ſit filum, ſed quàm craſſè intortum, ac adſtrictum, vt & nodos recipere, & in nares immiſſum, per coliformes meatus ad palatum bicipiti ſpecillo infertum trahi poſſit. Vocat autem ſpecillum biceps διπύρηνον, velut etiam cap. 13. dixi. Quare legendum eſt, ἀνείρομεν διπυρήνου τρήματι, τὸ ἕτερον πέρας τοῦ διπυρήνου, &c. non vt exemplaria habent διὰ πυρίνου. Sed & coliformes meatus ἠθμοειδεῖς πόρους appellat: ſicut paulo antè coliformia oſſa, ἠθμοειδῆ ὀστᾶ. Verùm exemplaria falſo ἰσθμοειδῆ & ἰσθμοειδεῖς habẽt. Et alii itẽ falſo ἰσθμοειδῆ legunt. Non enim ab iſthmo, ſed ab ἠθμῷ appellationem habent, quòd per ipſa velut per colum, cerebri ſuperfluitates διηθοῦνται, id eſt excolantur.

IN CAPVT TRICESIMVM.

Col.561.lit.C. *Sic tonſillæ inflammatæ, & ultra modum auctæ, & uelut induratæ.* Quod dixi, Et velut induratæ, Græcè legitur, καὶ οἷον ἀποξηρανθεῖσαι, ſed falſò. debet enim legi, καὶ οἷον ἀποσκιρρωθεῖσαι. Refertur enim ad præcedentes glandulas induratas, quas ἀδένας ἀποσκιρρωθέντας dixit.

IN CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

Col.562.lit.A. *Sæpe uerò aut ob ægri timiditatem, aut ob ſanguinis eruptionis formidinem, aut ob medicamenti præſtantiam, ferrum recuſantes.* Quod hoc loco conuerti, Aut ob medicamenti præſtantiam, in Græcis eſt, ἢ διὰ τὸ ξηρὸν τοῦ φαρμάκου, id eſt aut ob medicamenti ſiccitatem. Sed ſuſpecta eſt mihi vocis ξηρὸν lectio. Neque enim video cur medicamenti ſiccitas ad ferrũ recuſandũ inuitare debeat, quũ id mox neq; ita liquidũ eſſe velit vt defluat, neq; omnino durũ, quo facilè vuæ adhæreat: & idẽ quoq; potẽtia eò progreſſum ſit vt non ſiccitas, ſed vis vſtoria in ipſo prædicari debeat. Atq; hãc etiã à Paulo nobis cõmendatam eſſe credo, ex eo quod ſubiicit hoc medicamentũ in vna horavuã mortificare, vt hinc adeò ob medicamẽti præſtantiã ferrũ ſit recuſandũ, & non ob ſiccitatẽ. Et procliue fuit à voce κῦρος non intellecta, ad vocẽ ξηρὸν aberrare. Quare nos ἢ διὰ τὸ κῦρος τοῦ φαρμάκου legendum cenſentes, eorum verborum ſententiam reddidimus.

IN CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Col.563.lit.D. *Sed & prope ſedem abſceſſus, ante perfectam concoctionem, crudos ſecare iubet Hippocrates; timens ne in perforationem procedant.* In his quæ ad nos extant Hippocratis ſcriptis, quæ ſanè nuper Latinis hominibus ex noſtra conuerſione legenda edidi, hoc præceptum nondum reperi, alioqui facilè eſſet illinc locum hunc corruptum reſtituere. Nam in codicibus impreſſis legitur, καὶ τὰ πλησίον δὲ τοῦ δακτύλου ἀποστήματα. Quòd autem de digitorum abſceſſibus non loquatur, colligi ex eo poteſt quòd antea de articulorum abſceſſibus dixit, in quibus etiam digitorum abſceſſus cōprehendit. Quare pro δακτύλου voce, legendum eſſe videtur δακτυλίου, vt de ſedis abſceſſibus ipſum loqui accipiamus, in quibus ante perfectam maturitatem, adhuc crudis, ſectionem ex Hippocrate probat, ne videlicet in perforationem procedāt. Sic enim legendum eſt, τὸν εἰς διάτρησιν ὑποδεδόμενος φόβον, & non vt codices habēt, τὸν εἰς διὰ τριῶν ὑποδυόμενος φόβον. Nam quum loci circa ſedem humidi ſint, & larga caliditate præditi, videntur in ipſis plura corpuſcula facilè putrefieri, vnde perforationes & fiſtulas ſequi procliue eſt, vt ea propter crudos abſceſſus ſecare in illis locis melius ſit.

IN CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

In hoc capite quædam voces falſò leguntur, quarum nos rectam & integram lectionem conuertimus, & tamen ſemel hic indicium faciemus. Primum itaque φλεγματώδη falſò legitur pro φλεγμονώδη, id eſt pituitoſa pro inflammata; deinde ὠδί ω legitur pro οἰκείῳ. Et mox pro στρωτέραν, ſiue στρῶτέραν (quod in Aldino codice legitur) alii legūt στενωτέραν. Sed ego Aldinum codicem ſequutus ſum. Nam & Aëtius 15. cap. 8, ſteatomata baſin ampliorē habere dicit. Paulo pòſt χλιαρὸν falſò habetur pro χαλαρόν. Et mox tota periodus partim redundans, partim manca, ſic integrè legatur, Παραφυλαττόμενοι μόνον τὸ, τι ῥῶσαι τὸν ὑμένα, διὰ τὸ, τὸ περιεχόμενον ὑγρὸν περιχυθὲν παραποδίζειν τῇ χειρουργίᾳ, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ καταλιπεῖν, ὅ, τι παλιγγενεσίας τὰ πολλὰ κατὰ τοὺς καρποὺς καὶ σφυρὰ καὶ τὰ κινούμενα κατ' ἄρθρον, αἴτια γίνεται.

IN CAPVT TRICESIMVM SEPTIMVM.

Col.564.lit.H. *Et Galenus de ipſa dicit.* Quandoquidem hic Galeni verba ſe producere dicit, & poſtquam ea recenſuit, ad finem hæc verba ſubiicit, Hæc Galenus: ex hoc ſequi videtur omnino eadem verba Paulum ex Galeno tranſcripſiſſe, & nihil omiſiſſe eorū quæ hoc loco Galenus habet. id quod alioqui facere ſolet vbi nō citato authore, quædā pro ſuo modo ſibi accommodans tranſſumit. Eſt autem hic locus in libro Galeni de tumoribus præter naturam. Et quia in Paulo corruptus habetur, nec penitus integer in Galeno, rectam lectionem hìc adſcribam, quam & in Paulo conuerti, & in Galeni editione à me facta reſtitui, ἀρτηρίας ἀναστομωθείσης τὸ πάθος ἀνεύρυσμα καλεῖται. γίνεται δὲ καὶ τρωθείσης, ἐπειδὰν εἰς οὐλὴν μὲν ἀφίκηται τὸ ἐπικείμενον αὐτῇ δέρμα, μείνῃ δὲ τὸ τῆς ἀρτηρίας ἕλκος, μήτε συμφυείσης, μήτε συνουλωθείσης, μήτε σαρκὶ φραχθείσης. διαγινώσκεται δὲ τὰ τοιαῦτα παθήματα τῷ σφυγμῷ τῶν ἀρτηριῶν. ἀλλὰ καὶ θλιβομένων ἀφανίζεται πᾶς ὁ ὄγκος, παλινδρομούσης εἰς τὰς ἀρτηρίας τῆς ἐργαζομένης αὐτὸν οὐσίας.

Col.565.lit.C. *Vbi prius intermediam arteriæ partem ſcalpello punxerimus, & quod continetur in ea euacuerimus, &c.* Horum verborum lectio in Græcis codicibus vitiata eſt in hunc modum, νύξαντες πρότερον φλεβοτόμῳ μεταξὺ τῆς ἀρτηρίας, καὶ ἐνώσαντες τὸν περιεχόμενον. In his verbis deeſt articulus τὸ ante μεταξὺ, & pro ἐνώσαντες τὸν, legendum κενώσαντες τὸ, in hunc modum, νύξαντες πρότερον φλεβοτόμῳ τὸ μεταξὺ τῆς ἀρτηρίας, καὶ κενώσαντες τὸ περιεχόμενον.

IN CAPVT TRICESIMVM OCTAVVM.

In hoc capite ἀρυσματώδεις bis legitur falſò pro ἀνευρυσματώδεις. Et mox quod legitur σημειωσώμεθα οὕτω καὶ τὰ ἀνευρύσματα, legendum σημειωσώμεθα οὕτως ὡς καὶ τὰ ἀνευρύσματα. Et rurſus pro ἐξόχως δὲ τὸν περὶ τράχηλον, legendum eſt, ἐξόχως δὲ τῶν περὶ τὸν τράχηλον, &c.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM.

Col.566.lit.H. *Velut in ſanguinis ex naribus aut aliunde eruptione, quum non redundantia eſt quæ profluit; etiam ex oppoſitis reuulſorio modo euacuamus.* Hoc loco in Græcis duæ particulæ corruptæ, ſententiam totam obſcurarunt, imò penitus alienā inuexerunt. Falſò enim legitur ὅτι pro ὅτε, & κενοῦν pro κενοῦμεν, vt ita Græca lectio habeat, ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἐκ ῥινῶν ἢ ἄλλοθεν αἱμορραγίας, ὅτε μὴ πλῆθος εἴη ῥέον, καὶ κενοῦμεν ἀντισπαστικῶς ἐκ τῶν ἀντικειμένων.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Col.567.lit.G. *Et nihil amplius influit parti, & opus fuerit aliquid mouere, &c.* Græcorum verborum lectio malè diſtincta, & tranſpoſita, ſententiam alienam inuexit. leges ergo ſic, καὶ μηκέτι ἐπιρρέῃ μηδὲν τῷ μορίῳ, καὶ χρεία γένηται κινῆσαί τι, & cætera.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Col.568.lit.E. *Ita ut ex cauterio quod in aduerſam partem pertrudi poteſt, per unam aggreſſionem duæ cruſtæ fiant.* Græcè hic locus ſic habet, ἄχρις οὗ τὸ καυτήριον ἀντιπερίστασιν κατὰ μίαν ἐπιβολὴν δύο ἐσχάρας γένηται. Et mihi quidē videtur vox κατὰ deeſſe, vel ſimilis aliqua ante τὸ καυτήριον: deinde vox ἀντιπερίστασιν falſò legi. non enim per reflexionem & retractionem eius, duas cruſtas inuri vult, ſed per vnam cauterii impulſionem, per cutem diſtenſione geminatam duas cruſtas inducere, ita vt in aduerſam cutis partem penetrans pertrudatur. Quare vocem ἀντιπαρωσῶν hic legendam puto, pro qua facile fuit alteram ob ſimilitudinem ſupponere: vt totus locus ſic legatur, ἄχρις οὗ κατὰ τὸ καυτήριον ἀντιπαρωσὸν κατὰ τὴν μίαν ἐπιβολὴν δύο ἐσχάρας γένηται. Verùm hic locus diffuſius & clarius tractatur ab Hippocrate in libro περὶ ἄρθρων.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Col.569.lit.A. *Oportet igitur ariſtolochiæ longæ radicem oleo imbutam, ipſis per ignita cauteria uſtis, in cruſtas indere.* Hoc loco in Græcis exemplaribus impreſſis ſic legitur, δεῖ οὖν τῆς μακρᾶς ἀριστολοχίας τὴν ῥίζαν ἐλαίῳ δεύσαντας ἐντιθέναι αὐτῆς πεπυρακτωμένας τὰς ἐσχάρας. Quæ verba quia palàm videntur eſſe corrupta, mirificè hactenus multos torſerunt, aliis ariſtolochiæ longæ radicem velut penitus alienam reprobantibus: aliis neſcio quem vtendi eius modum exponētibus: & nos quoque meliorum codicum inopia, ingenii coniecturis vſi, lectionem rectam ac integram nos aſſequutos eſſe arbitramur, quam paucis mutatis & repoſitis voculis, hanc eſſe credimus, ipſámque vt genuinam etiam Latinè expreſſimus, δεῖ οὖν τῆς μακρᾶς ἀριστολοχίας τὴν ῥίζαν ἐλαίῳ δεύσαντας ἐντιθέναι καυθεῖσι τοῖς πεπυρακτωμένοις καυτηρίοις εἰς τὰς ἐσχάρας. Non tamen grauatim cedemus meliori ſententiæ. Videtur autem ariſtolochiæ longæ radicē oleo imbutam, in cruſtas propterea indere vt & inuſtas cruſtas mitiget oleum, & ipſa radix ſua tenuium partium facultate, quam ſimul exterſoriam habet, pus attractum extergeat. Non enim cruſtas ita inuri vult vt penitus penetrent. nam qui ſic inurunt, ſtatim mortē inducunt, vt paulo inferius ait: ſed mediocriter latas, eáſque neque valde in ſuperficie conſiſtentes, neque rurſus nimiū profundas, velut Aëtius ait libri octaui capite quinquageſimoſeptimo noſtræ tranſlationis. Quo loco eadem omnia ferè ad verbum habentur, quæ hìc Paulus de ſuppuratorum vſtione tradit: niſi quòd illic ariſtolochiæ non meminit, & adhuc alias duas inter octauam & nonam coſtam, vtrinque vnam inurere iubet, quæ verba fortaſſis in Paulo exciderunt. In has itaque cruſtas ariſtolochiæ radicem indendam eſſe credo, ita vt in eum modum cōfecta ſit, quò commodè cruſtæ inſeri poſſit.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

In Galeni loco quem citat, exemplaria Græca falſò habent ἀρξαμένην, pro ἀρξάμενοι, quod rectè legitur apud Galenum libro 14. methodi.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Col.570.lit.C. *At uerò Marcellus tridente aut cauterio tridentis formam habente utens, una aggreſſione ſex cruſtas inurebat.* Poſtrema huius periodi verba corruptè leguntur in Græcis, τῇ μιᾷ προσβολῇ τὰς ἐσχάρας εἰργάζετο. Deeſt enim numerus in-

ducendarum cruſtarum,atque is non ternarius(velut aliquibus viſum eſt) ſed ſenarius.per tridentem enim Marcellus ſex cruſtas inurebat vna vice;tres per cutem,tres in ſplenem.Sicut per ſimplex cauterium duæ cruſtæ inducuntur, vna in cutem,altera in ſplenem.Sic ergo legendum eſt velut etiam conuertimus,τῇ μιᾷ προσβολῇ τὰς ϛ' ἐσχάρας εἰργάζετο.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Col.571.lit.C. *Si verò ſanguis,ad prædicta ſigna,tumor etiam liuidior fuerit,carne verò ſubter enata, durior & renitens erit tumor.* Horum verborum lectio in Græcis codicibus corrupta eſt.Nam ἅμα legitur pro αἷμα, & mox σαρκός τε ὑποτροφαῖς legitur pro σαρκὸς δὲ ὑποτραφείσης.Atque ſic de ſanguine & carne diuerſa diſtinctio in vnam coaluit ſententiam , quam præcedentium verborum ſententia indicat ſic diſtinguendam ac legendam eſſe, εἰ δ' αἷμα, πρὸς τοῖς εἰρημένοις σημείοις ἔτι πελιδνότερος ὁ ὄγκος· σαρκὸς δὲ ὑποτραφείσης, σκληρότερος καὶ ἀντίτυπος ὁ ὄγκος ἔσται.

Ibid.lit.E. *Iuxta chiaſmum,hoc eſt ad literæ Græcæ χ figuram.* Χιασμὸς appellatur Græcis eadem ratione qua Decuſſatio Latinis,quum duæ lineæ obliquæ in decuſſes per medium ſe ſecantes ducuntur. Et χιασμὸς quidem vocatur,quòd literam Græcā χ figura eius repræſentet.Decuſſatio verò quod denarii numeri nota litera Latina X eandē figuram referat. Meminit vocis rurſus Paulus infrà cap.65.ſed loco corrupto,velut iſthic indicabimus:& rurſus cap.107.& cap.66. χιοειδῆ ἐπίδεσμον,vocat deligationem quæ ad literæ χ figuram obducitur,quam decuſſatam conuerti.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

Hoc totum caput miris modis corruptum eſt. Deſunt enim multa,quæ nō vltro relicta ſunt à Paulo,ſed ad explendam ſententiam neceſſaria exiſtunt,& exſcribentem fefellerunt,aut exciderunt.Sumpſit autem hæc Paulus ex ſexto libro Galenicæ methodi,ex quo loco Pauli lectio reſtituenda eſt:quod quomodo facere oporteat,particulatim indicare non eſt neceſſe,ſed totus locus ad Galeni præſcriptum corrigendus eſt.Nam & nos Galeni lectionem ſequuti,totum hoc caput inde expreſſimus.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

In huius capitis fine,duæ voces ἐρεῖσθαι βάλανον corruptæ,totam ſentētiam vitiant,quæ integra eſt ſi pro illis αἱρεῖσθαι βάσανον legatur.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

Quòd affectio retro abducti præputii,vt glandi amplius induci non poſſit,παραφίμωσις appelletur,& non περιφίμωσις,velut exemplaria Græca habent,in commentariis medicis declaraui. Opponitur enim τῇ φιμώσει, quæ affectio eſt præputij ita glandi inducti,vt rurſus detrahi non poſſit. Redundat etiam mox in hoc capite vox αἴτιον,quæ expungenda eſt,vbi in Græcis habetur,εἰ μὲν οὖν τὸ πρότερον εἶδος τῆς φιμώσεως αἴτιον γίνοιτο.Paulo pòſt vbi conuerti , Oſculum igitur internæ in ipſo partis diuidemus.Ita enim contractione ex cicatrice oborta exoluta,præputium abducemus:in Græcis deeſt articulus τοῦ,& ἐπάξωμεν falſò legitur pro ἀπάξωμεν.Mox σωλῆνα falſò habetur pro στόμα. & rurſus pro τὸ αἷμα ὁ σωλὼ,legendum τὸ ἄνοιγμα ὁ σωλὼ.Et mox pro ὥσπερ λιπόδερμον,legendum ὥσπερ οἱ λειπόδερμοι.

IN CAPVT SEXAGESIMVM.

Col. 576.lit.B. *Per totum autem curationis tempus,fœmora ſimul vincire oportet,quo auxilijs adhibitis inſeruiant.* Hic locus in Aldina editione ſic legitur,παρ' ὅλον δὲ τὸν τῆς θεραπείας καιρὸν τοὺς μηροὺς ἅμα χρὴ διασκεῖν,πρὸς τὸ τοῖς βοηθήμασιν ὑπηρεμεῖν.In hac lectione duæ voces corruptæ ſunt,διασκεῖν & ὑπηρεμεῖν. Et pro διασκεῖν quidem legitur δεσμεῖν in Baſilienſi exemplari:quam lectionem etiam nos ſequuti ſumus,ſed tamen vt etiam δεσμεῖν vocem non genuinam huius loci eſſe putemus. Sunt enim femora deliganda haud dubiè, ſed latioris ſignificationis voce & hoc & alia indicaſſe mihi videtur, nimirum voce διασκευάσθαι,quam pro διασκεῖν reponēdam eſſe credo,& accipiendum, femora ſimul ita diſpoſita eſſe oportere vt adhibitis auxiliis inſeruiant.At verò pro ὑπηρεμεῖν legendum eſſe ὑπηρετεῖν,non dubitandum eſſe puto. Nam ἠρεμεῖν,aut etiam ὑπηρεμεῖν verbum abſolutum eſt , nec datiuis τοῖς βοηθήμασι conuenit: quos caſus verbum ὑπηρετεῖν exigit.Mox poſt hunc locum,vbi legitur κἄπειτα διέλωμεν κάτω τὸν λίθον, pro λίθον legendum eſt καυλόν. Et vt ſic legatur omnino neceſſe eſt, ad ſententiam rectam obtinendam. Verùm ſiue δεσμεῖν ſiue διασκευάσθαι legas , & ſiue ὑπηρετεῖν ſiue ὑπηρεμεῖν recipias,ſententiam non ita multò diuerſam habes.Poteſt enim in verbo ὑπηρεμεῖν,præpoſitio ὑπὸ ad datiuos τοῖς βοηθήμασι referri.

IN CAPVT SEXAGESIMVM PRIMVM.

Ibid. lit.E. *Rubicunda tunica eſt natura neruoſa.* In Græcis legitur ἑλικοειδής τε ἐστὶ χιτὼν νευρώδης τὴν φύσιν, ſed falſó. Nulla eſt enim teſtium tunica, ἑλικοειδὴς appellata. Verùm vaſa ſeminaria , de quibus paulo antè dixit,ἑλικοειδῶς (id eſt pampinoformiter)ad teſtes feruntur,atque hinc vitium falſæ appellationis proceſſit.Debet autem legi hoc modo,ἐρυθροειδὴς δέ ἐστι χιτὼν,&c.

IN CAPVT SEXAGESIMVM SECVNDVM.

In hoc capite multa leuiter corrupta facilè emendari poſſunt vel ex ipſa noſtra tranſlatione,aut etiam ſine ea,velut eſt ὕπτιον ὑπὸ βάθρου ἐπιβάλλοντες, &c.pro ὕπτιον ἐπὶ βάθρου ὑποβάλλοντες: & mox καθέντες pro καθιέντες:& quod deeſt κατὰ vox ante verba,τὰ πρὸς βουβῶνας μέρη,&c.& quædam alia.Verùm vnus locus eſt qui hactenus omnes fefellit, vbi legitur τὸν λημνίσκον διὰ τῆς γύρεως ἀλλάττοντα.Quid enim hîc γύρις (id eſt pollen) facit?aut quomodo lemniſcus per pollinem alterandus aut permutandus eſt?paulo antè ſimpliciter,Lemniſcum traiicimus dixit , paulo pòſt dicit ſimpliciter , Lemniſcum auferre oportet:quid ergo id per pollinem alterandum eſſe dicit? Vnica vox γύρεως corrupta totam ſententiam vitiat, pro qua, ratione & coniectura ducti, λύσεως vocem legendam eſſe haud dubitamus. Quod vt clarius fiat, totum locum adſcribemus , qui ſic habet, ἐπιβρέχομεν δὲ ἐλαίῳ θερμῷ ἄχρι τῆς τρίτης ἡμέρας, μεθ' ἣν λύσαντα δεῖ ἐν μὲν τῷ τραύματι τῇ τετραφαρμάκῳ ἐμμότῳ χρῆσθαι,τὸν λημνίσκον διὰ τῆς λύσεως ἀλλάσσοντα,id eſt, ita vt lemniſcum in ſolutione permutemus,hoc eſt priore exempto,alium indamus. Sed & mox vbi de grammatis & cultratis cauteriis loquitur,corrupta eſt lectio,& legitur,καὶ μαχαιρωτοὺς δύο,pro καὶ μαχαιρωτοὺς δύο.& mox,τῷ μαχαιρίῳ τῷ τύπῳ καυτηρίῳ, falſò habetur pro τῷ μαχαιρωτῷ καυτηρίῳ τύπῳ,&c.Et rurſus τῷ μαχαιρίῳ τῷ καυτηρίῳ,pro τῷ μαχαιρωτῷ,&c.

IN CAPVT SEXAGESIMVM QVINTVM.

Col.579.lit.D. *Deinde rurſus hamulis infixis in intima cute.* Hoc loco exemplaria Græca habent,ἐν τῷ τετάρτῳ δέρματι, id eſt in quarta cute,ſed videtur legendum eſſe,ἐν τῷ ἐνδοτάτῳ δέρματι,hoc eſt(velut cōuerti) in intima cute.At paulo pòſt vbi ſic conuerti,Atque his ex vtraque parte viciſſim iuxta chiaſmum(id eſt literæ Græcæ χ figuram)implicatis, membranam vehementer conſtringimus,& rurſus obuolutis principiis generoſè conſtringimus,vt nullum ex nutrientibus vaſis,alimentum ſuppeditare poſſit.Græca exemplaria corrupta ſunt in hunc modum , καὶ ταύτας κατέχειν δεσμὸν ἀντεμπλέξαντες ἐξ ἀμφοτέρων τὸν περιτόναιον ἰσχυρῶς ἀποσφίγξωμεν.καὶ πάλιν τὰς ἀρχὰς περιειλήσαντες, ἐπισφίγξαντες μὲν γενναίως,μηδὲν τῶν τρεφόντων ἀγγείων ἔτι χορηγεῖν δύνασθαι.In his verbis primùm κατέχειν δεσμὸν falſò legitur , & ob ſcriptionis quandā ſimilitudinem ſuppoſitum eſt pro κατὰ χιασμὸν,id eſt iuxta chiaſmum.Quid autem ſit chiaſmus, huius libri cap. 51.dixi. Deinde pro ἐπισφίγξαντες μὲν γενναίως μηδὲν, legendum eſt ἐπισφίγξωμεν γενναίως,ὡς μηδὲν , &c . Atque hæc eſt genuina huius loci lectio , ac ſententia ea quam expreſſimus.

IN CAPVT SEXAGESIMVM SEXTVM.

In hoc capite exigua quædam non ſatis animaduerſa obrepſerūt:velut eſt quod πυρὴν σμίλης legitur pro πυρὴν μήλης:& rurſus τοῦ τῆς πυρηνοσμίλης,pro τοῦ πυρῆνος τῆς μήλης.Vult enim per ſpecilli nucleū ſiue caput & auerſam partem, non per aduerſam & acutam,membranam abdominis deprimi,non ſcindi,atque ita eminentes ab vtraque ſpecilli par-

te membranæ partes ſuturis inter ſe coniũgi. Et mox pro τείνειν ἔσω τῷ αἰδοίῳ, legendũ eſt γινέσθω τῷ αἰδοίῳ. Et quædã alia non magni momenti. Verùm quod legitur τῷ σημείῳ περιστακτέον, pro τῷ σημείῳ προστακτέον, multos hactenus ſefellit, vt ſententiam penitus alienam hoc loco exprimerent. Vult enim vſtionem fieri in his qui moderatum habitũ habent, ea profunditate vt pinguedo attingatur. Et hanc notam ſolùm in his obſeruari vult, non in macilentis, neque contra in craſſis ac pinguioribus, in quibus vtriſque hæc non eſt obſeruanda, vt quæ fallat.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM SECVNDVM.

Col.581.lit.E. *Et aut ex concretione, aut propter obturationem.* Græcè legitur, καὶ ἢ κατὰ φύσιν, ἢ δι' ἔμφραξιν. Sed pro φύσιν legendum eſſe σύμφυσιν ex ſequentibus declaratur, vbi de concretione ſola loquitur, & σύμφυσιν vocem vſurpat. Et mox, Si verò obturatio, hamulis infixis, &c. In Græcis habetur, εἰ δὲ διάτασις, falſó. Nam legendum eſſe, εἰ δὲ διάφραξις, ex ſuperioribus patet, & ea diſtinctione qua dixit, ἢ κατὰ σύμφυσιν, ἢ δι' ἔμφραξιν.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM QVARTVM.

Col.582.lit.F. *Siniſtram manum contractam, cum robuſtis ac cõſtrictis digitis pinguefactam, in uteri oſculum demittito.* Græcè ſic τὴν ἀριστερὰν χεῖρα συνηγμένων μετ' ἀρρώστων δακτύλων λελεπτυσμένην καθιέναι πρὸς τὸ στόμα τῆς μήτρας. Quum autem hæc verba nullam ſententiam huc commodam exhibeant, videtur pro συνηγμένων legendum eſſe συνηγμένην, & pro λελεπτυσμένην legendum λελιπασμένην, vt ſit ea ſententia quam expreſſi. Vult enim manum ita contrahi vt oleum in ipſa robuſtè compreſſis digitis contineri poſſit, & vteri oſculo dilatato per ipſam infundi: non ſolùm ita ipſam pinguefieri volens, vt ob lubricitatem vnctionis commodius oſculo inſeri poſſit. Sed & paulo pòſt λελεπτυσμένον falſò legitur pro λελιπασμένον. Ita etiam cap. ſequenti 75.

Col.583.lit.C. *Et eodem modo facta diuiſione, ea quæ continentur euacuentur.* In Græcis deeſt vox κενοῦν, & articulus τά. Sic enim legendum eſt, καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον διαιροῦντα κενοῦν τὰ περιεχόμενα. Et paulo pòſt vbi conuerti, Deinde vnco vno atque altero infixo attrahito. Si verò concluſum ſit vteri oſculum ob inflammationem, nulla vis inferatur: in Græcis rurſus duæ voces deſunt, ἐπισπάσθαι, & μεμυκότος δέ: atque has ratio ipſa ſententiæ exigit. Sic ergo locus totus legendus eſt, ἔπειτα ἐμβρυουλκὸν ἕνα ἢ δεύτερον καταπείραντα ἐπισπᾶσθαι· μεμυκότος δὲ διὰ φλεγμονὴν τοῦ στομίου, μὴ βιάζεσθαι, &c.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM QVINTVM.

Ibid.lit.E. *Et ipſa ſecunda ab utero exoluta.* Græcè legitur, καὶ αὐτοῦ τοῦ χορίου ἀπολελειμμένου, id eſt & ipſa ſecunda relicta: ſed falſó. Legendũ enim eſt ἀπολελυμένου, id eſt exoluta, τῆς μήτρας ſcilicet. nã ea vox præcedit, & ad ipſam relatio facienda eſt: & opponitur voci προσπεφυκός, id eſt adhærens, quæ paulo poſt ſubiungitur.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM SEXTVM.

Ibid. lit. G. *Sic igitur Hippocrates ait.* Locus eſt apud Hippocratem 6. particula aphor. vltimi. At verò quod conuerti, Paululum ſupra externum talum, in Græcis eſt, ἀνωτέρω τοῦ ἐκτὸς ἀστραγάλου. Et ex hoc loco oſtenditur etiam Græcos ἀστράγαλον & σφυρὸν voces inter ſe confundere, quum Paulus hic ἀστράγαλον τὸν ἐκτὸς, apertè dicat τὸ σφυρὸν, id eſt malleolum appellatum. Vocantur enim σφυρὰ malleoli, imæ ab vtroque latere tibiæ ſuræque partes. Sub his verò vtrinque talus continetur, ac vndiquaque tegitur, vt tangi non poſſit. Errant autem multi (inquit Galenus in libro de oſſibus) qui malleolos talos appellant. Ex quo loco apparet etiam Galeni ſeculo ἀστραγάλους appellaſſe quoſdam τὰ σφυρά. Id quod etiam ex ſecundo comment. εἰς τὸ κατ' ἰατρεῖον cognoſcitur, vbi ait, κατὰ μὲν τὴν κυρτὴν πέρατον πρόσεστι καὶ κνήμης, ἃ κακῶς ἔνιοι καλοῦσιν ἀστραγάλους. Quare minus mirandum eſt de Latinis ſcriptoribus, quòd malleolos talos dixerunt, aut propter vicinum partium ſitum vocabula confundentes, aut Græcos in hoc imitantes. Sic dixit Horatius, Quarum ſubſuta talos tegat inſtita veſte. Et rurſus, Ad talos ſola demiſſa Et Cicero, Purpura vſque ad talos demiſſa. Et Plinius ſæpe, & recentiores plerique omnes, qui quum & Græcos & Latinos veteres in hoc ſequantur, ſi non hinc laudem, certè veniam, minimè verò reprehenſionem, merentur.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM SEPTIMVM.

In hoc capite rurſus (velut antea ſæpe) διαπυρίῳ legitur pro διαπυρίῳ. Et ſatis ſit iam aliquoties id oſtendiſſe, vbi vnum adhuc locum mox à priore illo ſequentem, adſcripſerimus, in quo τῇ διὰ τοῦ πυρίου σημειώσει legitur pro τῇ διαπυρίου σημειώσει, & mox καύσαντες pro κλύσαντες. Sic autem locus integre legendus eſt, ἐφ' ὧν δὲ δύο ἢ πλέονα στόμια εἰσὶ, τῇ διαπυρίου σημειώσει μὴ πειθόμενα, κλύσαντες τὸν τόπον, &c.

Col.584.lit.E. *Siue ad ſecundam laminam uſque ſolũmodo, ſiue uſque ad medullam fuerit affectũ.* Græcè ſic legitur, εἴτε ἄχρι διαπνοῆς μόνον, εἴτε ἄχρι μυελοῦ εἴη πεπονθὸς: ſed falſó. Nam pro διαπνοῆς voce legendum eſt διπλόης, & pro πεπονθότος legendũ πεπονθός. Eſt autem διπλόη oſſis duplicati ſecunda lamina, quam Hippocrates cauiſſimam & molliſſimam ac maximè antroſam eſſe dicit, in lib. De capitis vulneribus, ἡ δὲ διπλόη, inquit, κοιλότατον καὶ μαλθακώτατον καὶ μάλιστα σηραγγῶδες. Et quod hoc loco de oſſe perforando Paulus dicit, hoc infrà cap. 90. de caluariæ oſſe repetit, εἰ δὲ, inquit, ἄχρι τῆς διπλόης τοῦ κρανίου μόνον εἴη τὸ κάταγμα, ἄχρι ταύτης καὶ μόνον τρυπητέον. Meminit etiam lib. 6. meth. Galenus. Paulo poſt hunc locum legitur ἀπόκρισιν falſò pro ἀπόπρισιν. Et mox vbi ait, ἀδυνάτων γὰρ κατὰ κύκλον περιπλεόμενα ὀστᾶ σαρκωθῆναι, legendum videtur περιπνεόμενα, id eſt quæ circumcirca flatum excipiunt, & non περιπλεόμενα, quod haud ſcio qua ſignificatione ſit accipiendum, vt oſſa circumcirca carne denudata, circumnatari intelligamus. Sed relinquatur hoc in medio.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM OCTAVVM.

In hoc capite voces quædam leuiter corruptæ, totam ſententiam vitiant, quas partim adſcribam, partim ex tranſlatione noſtra cognoſcendas relinquam. Legitur itaque τὸ ὑποκείμενον δέρμα, pro ὑπερκείμενον: & mox ἐπιβαλλόμενοι, pro ἐπιλαβόμενοι. At locus quem ex Hippocrate citat eſt in lib. De fiſtulis, quem ex noſtra tranſlatione adſcribam, vt qui Pauli locum contractius propoſitum explicet, Crudum, inquit, linum tenuiſſimum accipito, & ad palmi longitudinem quincuplicato, & pilum equinum circundato: deinde facto ſpecillo ſtanneo in ſumma parte perforato, & initio complicati in ſpecillum immiſſo, ſpecillum in fiſtulam demittito, & ſimul ſiniſtræ manus digitum indicem in ſedem indito: vbi verò ſpecillum contigerit digitum, inflexa ſumma ſpecilli parte, initium lini quod eſt in ſpecillo, per digitum adducito, & ſpecillum quidem rurſus extrahito, lini verò initia bis aut ter connectito, & reliquam lini partem intortam ad nexum deligato, poſtea verò dimiſſum ſua negotia obire iubeto. Cæterùm quantum putreſcente fiſtula de lino laxatur, tantùm intendere oportet, ac intorquere ſemper ſingulis diebus. Paulo pòſt Leonidæ locus ſic in Græcis emendatus legatur, ὅταν δὲ βαθεῖα τυγχάνῃ τὸν σφιγκτῆρα συνεγγωκυῖα, ἤτοι ἀπὸ τοῦ δακτυλίου ἀρξαμένη, ἢ καὶ ἐπὶ πολὺ κεχωρηκυῖα, ἐν δὲ τῷ σφιγκτῆρι κατεσκευασμένη, &c. Et mox pro ἐπισκόπει legendum eſt ἐπισκόπει. Et rurſus pro ὑποφαίνεται, legendum ὑποφαίνεται.

IN CAPVT SEPTVAGESIMVM NONVM.

Col.586.lit.B. *Siquidẽ conſtrictione uti uoluerimus, &c.* In Græcis codicibus hic redũdare videntur verba quædã, nimirũ τῇ αἱμορροϊδοκαύστῃ, ἢ τῷ σταφυλοκαύστῃ. Nam his inſtrumentis neque ad filum circundandum opus eſt, neque vſtionem fieri vult. Quare ego ea reliqui, nec conuerti. Locus autem Hippocratis quem citat, eſt lib. 6. aphor. 12. Ad finem capitis lectio malè diſtincta eſt & manca, quam ſic emendabis, μετὰ δὲ τὴν χειρουργίαν, μαίνῃ καὶ ἀμμωνιακῷ τῇ χαλκίτιδι, ἢ τῷ διὰ κεκαυμένου σπόγγου ἅμα πίττῃ χρηστέον· καὶ τῷ φαυστίνῳ δὲ τροχίσκῳ πρὸς τελείαν ἀπούλωσιν ἐχρήσαντό τινες. ἕτεροι δὲ ταῖς κοιλίαις, &c.

IN CAPVT OCTVAGESIMVM QVARTVM.

Ad finem huius capitis Græcorum verborum lectio ſic emendata legenda eſt, καὶ τότε λοιπὸν ἐκτεμὼν, καυτῆρας διαφανεῖς κατὰ τῶν ἀγγείων ἐπιβάλλει, καὶ ἵστησι τὴν αἱμορραγίαν, καὶ διαμοτώσας, καὶ προσφόρως ἐπιδήσας, τῇ συνήθει χρῆται θεραπείᾳ.

His tranſlatio noſtra reſpondet.

IN CAPVT OCTVAGESIMVMQVINTVM.

Col.587.lit.E. *Ad ipſas autem radices partem quandam illius incorroſam relinquit.* In Græcis hic διάσηπτον falſo legitur pro ἀδιάσηπτον, id eſt non putrefactam & incorroſam. Ad finem capitis φαρμακώδει, in duas voces φαρμάκῳ δεῖ, diſtinguendum eſt.

IN CAPVT OCTVAGESIMVMSEXTVM.

Col.588.lit.B. *Galeni uerba apponere ſatis fuerit.* Vnde Paulus hæc Galeni verba tranſcripſerit nondum comperi, niſi me exemplaria penitus fefelliſſent, alioqui facilè fuiſſet lectionem vitiatam in Paulo, ex ipſo authore reſtituere in integrum. Videtur tamen vox αἵματος deeſſe poſt vocem ἐκκριθέντος: & mox rurſus deſunt poſt particulã εἰς voces τὰ κάτω, vt ſic legatur, ἵνα ἐκκριθέντος αἵματος, ὅσῳ πῶμά τι τῶν ὑποκειμένων γίνηται τὸ τμηθὲν οὕτω μᾶλλον τοῦ ὄνυχος. εἰ δὲ κατ' εὐθὺ ποιήσαις τομὴν, ἐκ τῶν ἄνωθεν εἰς τὰ κάτω, τὸ καλούμενον ὑπόδρομον γίνεται, &c. Et ſic ſanè conuerti.

IN CAPVT OCTVAGESIMVMOCTAVVM.

Ibid.lit.G. *Alia cuſpidata & conchata appellata, uelut quæ tres cuſpides habent.* Græcè legitur, τὰ δὲ γλωχινωτὰ καὶ γελχωτὰ καλούμενα, τὰ δὲ τριγλώχινα, &c. Et γλωχινωτὰ ſignificare cuſpidata, non ambiguũ eſt. Quæ verò γελχωτὰ, incertum. Atque ego quidem κολχωτὰ legendum puto, id eſt conchata, & conchas figura referentia, ἀπὸ τῆς κόλχης facta voce: aut certè legendum eſt λογχωτὰ, id eſt lanceata, quod ſanè expreſſi. Quod verò ſequitur, τὰ δὲ τριγλώχινα, legendum eſt, οἷον τὰ τριγλώχινα. producit enim hæc velut γλωχινωτῶν exempla, ſicut etiam antea triangula, anguloſorum exemplar protulit.

Col.589.lit.A. *Alia parua unius digiti longitudine, quæ ſanè Micca in AEgypto uocant.* Græca exemplaria pro eo quod Micca verti, habent vocem μικτά. Videtur autem Ægyptiæ vocis appellatio hic à Paulo eſſe præſcripta, quæ haud ſcio an μυκτὰ ſit, aut μικτὰ, quum hæc Græca exiſtat, & illa penitus ignota. Mihi itaque μικκὰ legendum eſſe videtur, quæ vox etiamſi Græca ſit, ab Ægyptiis tamen vſurpata videri poteſt, & à Dorienſibus tranſſumpta, qui μικκὰ appellant τὰ μικρά.

Ibid.lit.E. *Cauendo ut ne neruum, aut tendinem, aut arteriam, aut aliquàm neceſſariam partem diuidamus.* Tendinem conuerti pro eo quod habent exemplaria Aldina ἢ τρύοντα. Videtur enim mihi hoc corruptè legi pro ἢ τένοντα. Poſſit fortaſſis etiam legi ἢ φλέβα, ſed τένοντα vox corruptam lectionem propius referre videtur.

Ibid.lit.G. *Omnem carnem quæ ueneno participauit.* Græcè ſic, ἅπασαν τὴν ἤδη μεταβαλοῦσαν τοῦ φαρμάκου σάρκα. pro voce μεταβαλοῦσαν legendum eſt μεταλαβοῦσαν. Et frequenter hoc occurrit in Græcis authoribus, vt verbum μεταβάλλω cum ſuis coniugiis, pro μεταλαμβάνω ſupponatur, & viciſſim hoc pro illo. Paulo pòſt ἐκκοπεύει legitur falſò pro ἐκκοπεῖ. Eſt enim ἐκκοπεὺς inſtrumentum exciſorium cuius vſus hic competit. Et inferius, vbi conuerti, Humoris albi ac pultacei per auditorium meatum euacuatio, in Græcis deſunt duæ voces, καὶ & διά. Sic enim legendum eſt, καὶ διὰ τοῦ ἀκουστικοῦ πόρου, ὑγροῦ λευκοῦ καὶ ἀθηρώδους κένωσις, &c.

Col.590.lit.G. *Si uerò partis ad partem per telum affixio fiat, uelut ſi brachium thoraci affigatur.* Græcè ſic, ſed falſò, εἰ δὲ συνήλωσις μορίου γένηται, οἷον βραχίονος θώρακι συνειλουμένου. legẽdum enim eſt συνήλωσις, & συνηλωμένου, à verbis ἡλόω & συνηλόω, quòd telo velut clauo coniunctæ partes videantur. Ad finem capitis quod dixi, Multis etiam infixa tela latuerunt, &c. Græcè ſic legendum eſt, πολλοῖς δὲ καταπαρέντα βέλη διέλαθεν. habent autem codices impreſſi falſò δήλαθεν pro recto διέλαθεν.

IN CAPVT NONAGESIMVM.

Col.591.lit.H. *Etenim capite in multis alijs partibus percuſſo, uelut in cadendo contingit, fiſſura caluariæ quæ citra ſolutionem continuitatis cutis contingit, &c.* Hic locus in Græcis codicibus mancus, paucis voculis adiectis ſic reſtituatur, καὶ γὰρ ἄλλων πλειόνων μερῶν τῆς κεφαλῆς πληγέντων, ὡς ἐν ταῖς καταπτώσεσιν, ἢ χωρὶς τοῦ λυθῆναι τὴν συνέχειαν, &c. Paulò ante hunc locũ vox πληγὴν redundat, vbi habent codices, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκτὸς μόνον πληγὴν ἐπιφαίνειαν, &c.

Col.592.lit.D. *Quòd ſi etiam diſceſſit membrana, & tu ab initio uulneratum ſuſcepiſti.* Græcè legitur, κἂν μὴ ἀπέστη ἡ μῆνιγξ, &c. Verùm ipſa ſententiæ ratio docet μὴ vocem redundare, & legendum eſſe κἂν ἀπέστη δὲ ἡ μῆνιγξ, &c.

Ibid.lit.G. *Et malleo leniter impellentes, ita ut uitemus capitis concuſſionem.* Hoc loco deeſt in Græcis verbum vnum φυλαττόμενοι. Eſt enim legendum ἠρέμως ἐπικρούοντες τῇ σφύρᾳ, φυλαττόμενοι τὸν διασεισμὸν τῆς κεφαλῆς. Et mox legendum eſt περιτρυπήσαντες τοῖς ἀβαπτίστοις λεγομένοις, id eſt terebellis ſe non demergentibus perforabimus. Qualia verò ſint terebella ἀβάπτιστα appellata, clarè mox deſcribit. Et rurſus pro κοπέων legendum eſt ἐκκοπέων. Ita enim antea appellauit, ἐκκοπεῖς videlicet, ſcalpra exciſoria. Sed & in ſuperioribus ſæpe horum mẽtionem fecit. Et mox rurſus vbi legendũ eſt, ἤ τινι τῶν μηλωτῶν ἐκκοπέων, id eſt aliquo ſpecilli formam habente exciſorio ſcalpro. Exemplaria tamen habent τινὶ τῷ σμηλίῳ τῶν ἐκκοπέων, ſed falſò, velut ex ſuperioribus patet. Quin & φακωτοῦ ἐκκοπέως mox mẽtionem facit, ex 6.lib.meth. Galeni loco adducto. Verùm horum vſus, poſt ſcalpturam per caua ſcalpra factam, hoc eſt μετὰ τὴν ἐκ τῶν κυκλισκωτῶν περιγλυφὴν, probatur. Sic autem legendũ eſt, & non vt exemplaria habent, μετὰ τὴν τῶν ἐκ τοῦ κυλίσκων, &c. Nam & in præcedentibus κυκλισκωτῶν ἐκκοπέων meminit.

Col.593.lit.C *At uerò per terebras & modiolos (chœnicidas appellatas) chirurgia à recentioribus uelut praua reprobatur.* Quale inſtrumentum ſit χοινικὶς, ſiue (vt in Celſo legitur) χοινίκιον, Celſus lib.8.cap.3. docet, modiolũ appellans, quo modo chœnicis à chœnicis menſuræ ſimilitudine Græcis appellatur, Modiolus inquit, ferramentũ concauũ, teres eſt, imis oris ſerratũ, per quod mediũ clauus ipſe quoque interiore orbe cinctus demittitur. Sed hanc deſcriptionẽ ſatis obſcurã, abunde declarat in ſequentibus, vbi vtendi eius modum præſcribit. Si vitium in anguſto eſt, inquit, quod comprehendere modiolus poſſit, ille potius aptatur. Et ſi caries ſubeſt, medius clauus in foramen demittitur: ſi nigrities, angulo ſcalpri ſinus exiguus fit, qui clauum recipiat, vt eo inſiſtente, circumactus modiolus delabi non poſſit. Deinde is habena quaſi terebra conuertitur. Eſtque quidam premendi modus, vt & foretur, & circumagatur, quia ſi leniter imprimitur, parum proficit: ſi grauiter, non mouetur. At vbi iam iter modiolo preſſum eſt, medius clauus educitur, & ille per ſe agitur. Deinde quum ſanitas inferioris partis ſcobe cognita eſt, modiolus remouetur. Ex his Celſi verbis apparet terebræ cauæ ſpeciem eſſe chœnicida, ſiue modiolum. Et hoc declarat amplius Galenus in gloſſis Hippocraticis, vbi chœnicida terebræ rectæ & acutæ opponit, quæ περιτέρειον appellatur. περιτερείῳ, inquit, τρυπάνῳ τῷ εὐθεῖ καὶ ὀξεῖ. ἔστι γὰρ καὶ ἕτερον ἡ χοινικίς. Idem Galenus vocem ὀρθοπρίονι exponit τῇ χοινικίδι. Significat autem & Hippocrati πρίων, non ferram, ſed terebram, in lib. de capitis vulneribus, vbi ſæpe πρίονος voce vtitur, & πρίονος etiam χαρακτοῦ vſum præſcribit, πρίονι χρὴ χαρακτῷ, inquit, ἐκπρίειν μὲν αὐτίκα τὸ ὀστέον πρὸς τὴν μήνιγγα. Atque ſic etiam hoc loco Paulus πρίονας, non ferras, ſed terebras appellauit.

Ibidem lit.G *Si uerò ex obſcura, plus contendere oportet.* Hic locus in Græco corruptus eſt. Nam articulus ἡ pro ἢ poſitus eſt bis, & tertio loco deeſt: & αἰτία pro ἀσιτία habetur. Sic ergo legendum eſt ex Gal. & Aëtio, εἰ δὲ ἐξ ἀδήλου, πλέον ἀγωνίζεσθαι προσήκει ἢ φλεβοτομίᾳ χρώμενον, εἰ μηδὲν κωλύει, ἢ ἀσιτίᾳ, ἢ τῇ πρὸς φλεγμονὴν ἁρμοζούσῃ διαίτῃ, quomodo ſanè & nos reddidimus.

Col.594.lit.A. *Porro denigrata membrana, ſiquidem in ſuperficie ſit nigrities, ex medicamento aliquo hanc uim habente inducta.* Græca verba huius loci corrupta ſunt, & ex veſtigiis deprauatæ lectionis ſic legendum eſſe videtur, μελανθείσης δὲ τῆς μήνιγγος, εἰ μὲν ἐπιπολῆς ἡ μέλανσις εἴη, ἐκ φαρμάκου τινὸς τῶν ταύτην ποιεῖν δυναμένων.

IN CAPVT NONAGESIMVM PRIMVM.

Ibid.lit.C. *Præterquam ſiquæ circa medium naſum partes ob impulſionem ſupereminent.* Græca hic paululùm luxata;ſic reponenda ſunt,πλὴν τῶν κατὰ μέσης τῆς ῥινὸς ὑπερεχηκότων ἐπὶ κρούσματι.ἐπὶ τούτων γὰρ,&c.

Ibid.lit.F. *Atque eo loco poſtea alteram lori extremitatem firmare.* Græca lectio hic corrupta eſt, quam ſententiæ ratione exigente,&Hippocrate in libro De fracturis monente,ſic reſtituo, κἄπειτα αὐτόθεν τὴν ἑτέραν τοῦ ἱμάντος ἀρχὴν ἀσφαλίζεσθαι.

Ibid.lit.G. *Lemniſcis dictis linamentis,ex medicamentis congruis illitis ac inditis curetur.* Græcè legitur, λημνίσκοις ἐκ μοτῶν χειθεῖσι θεραπεύειν.Sed legendum eſt λημνίσκοις ἐκ φαρμάκων ἐμμότων χρισθεῖσι,&c.Sunt enim ἔμμοτα pharmaca quæ linamentis illita in vſum veniunt.

IN CAPVT NONAGESIMVM SECVNDVM.

Hoc capite duæ voces corruptæ,ſententiam penitus peruertunt.Itaque pro ἐπιμένοντα; reponendum eſt ὑποδιελόντα: & ad finem pro τρέφειν lege ἠρεμεῖν,& ſententiam rectam,quam expreſſimus habebis.

IN CAPVT NONAGESIMVM QVARTVM.

Col.595.lit.C. *Verùm iuxta ſpinam ſuam fracturam patitur,quæ aliquando exprimitur.* Græcè habetur, κατὰ δὲ τὴν ῥάχιν αὐτῆς ὑπομένει κάταγμα,ποτὲ μὲν ἐκπιεζομένης.Non enim de dorſi ſpina accipienda eſt vox ῥάχις,ſed de ipſius ſcapulæ ſpina; quæ aliquando exprimitur.legitur tamen falſò πιεζομένης pro ἐκπιεζομένης.Ad finem capitis,vbi legitur,τῇ τε διὰ τομῆς ἀφαιρέσει,καὶ ῥαφαῖς,ὡς ἔμπροσθεν εἴρηται,deeſt verbum θεραπεύεται,adſcribendum poſt εἴρηται.

IN CAPVT NONAGESIMVM QVINTVM.

Ibid.lit.E. *Subiectis antea in directum duobus loris.* In Græcis deeſt vox δύο,legēdúmque eſt, προϋποβεβλημένων ἐπ' εὐθείας δύο πλαμώνων.

IN CAPVT NONAGESIMVM SEXTVM.

Ibid.lit.F. *Dolor vehemens punctorius,grauior eo qui in pleuriticis ſentitur.* In Græcis falſò legitur πλευρῶν pro πλευριτικῶν.Et de talibus velut euidentibus non admonerem niſi ſupinè præteriri viderem. Et in fracta coſta, & in pleuriticis, dolor punctorius eſt,ſed grauior in fracta coſta,eo quòd velut aculeo membrana coſtas ſuccingens fauciatur.

IN CAPVT NONAGESIMVM NONVM.

Col.597.lit.F. *In brachio fracto.Hippocrates extenſionem ſic fecit.* Hæc ſunt apud Hippocratem in lib.De fracturis,ſed non ita ad verbum inde tranſcripta: verùm prout ſibi commodum viſum fuit Paulus ſententiam expreſſit, tum hoc loco,tum etiam ſuperioribus ac ſequentibus:vt ex Pauli locis multum lucis Hippocraticæ obſcuritati accedat, ſiquis inter ſe conferat propius admota.Et reliqua quidem quæ in Græcis corrupta habentur hoc capite, ex ipſa tranſlatione cognoſci ac emendari poſſunt.Sed quod legitur,ὅπως μὴ τάσις τῆς γένοιτο,μήτε κίνησις ἀληθῶς σκέπασθέντι τοῦ μορίου:indicare viſum fuit,falſò legi κίνησις ἀληθῶς,pro κάμψις ἀλύπως,id quod ſententiæ ratio docet.Sicut paulo pòſt pro βραδυτέροις legendum eſt βραχυτέροις.Et mox deeſt vox ὑπαυχένιον,ante vocem μαλακὸν inſerenda,vbi legitur,τοῦ δὲ βραχίονι ὑποβεβλημένου μαλακὸν,ἔχον,&c.

IN CAPVT CENTESIMVM SECVNDVM.

Col.599.lit.G. *Oſſa verò pungentia ſurſum tracta tollimus.* In Græcis hic falſò habetur διὰ pro δὲ:& deeſt particula εἰς; vt ſic legatur,τὰ ἐπινύσσοντα δὲ τῶν ὀστέων,ὡς πολλάκις εἴρηται,ἀνασπῶντες εἰς τὰ ὑπερθεν,αἴρομεν. Et mox pro εἴρηται legendum eſt εἰρήσεται.

IN CAPVT CENTESIMVM TERTIVM.

Ibidem litera H. *Solutio enim continuitatis occurrit.* In Græcis falſò legitur,κίνησις γὰρ ὑποπίπτει τῆς συνεχείας,&c. Legendum eſt enim pro κίνησις voce,ἡ λύσις.Et mox pro hoc, καταρτίζεται δὲ τὸ μέρος,τὸ σκέλος ἐκτεθέν. ὥσπερ γὰρ δι χρὴ,&c. legendum eſt,καταρτίζεται δὲ τὸ μέρος,τὸ σκέλος ἐκτεθέντος.οὕτω γὰρ τὸ δι χρῆναι,&c.Et mox in his verbis,καὶ γὰρ μὴ γινομένης παρώσεως,διὰ τὸ μὴ ἀντισπᾶσθαι μέρος ἑκάτερον, ὑπὸ τῶν συμπεφυκότων μυῶν τε καὶ νεύρων, ἀπὸ τοῦ μηροῦ καὶ τῆς κνήμης, &c. In his verbis,inquam,abundat particula μὴ,poſt διὰ τὸ,& pro ὑπὸ legendum eſt ὑπό.Atque hæc omnia ratione & ſententia ita poſtulante reſtituta ſunt,& ſic conuerſa.

IN CAPVT CENTESIMVM QVARTVM.

Ibid.lit.C. *Similiter etiam loris infrà fracturam utendum eſt,uelut de cubito dictum eſt.* Græca exemplaria habent, ὁμοίως κἀπὶ τοῦ κατωτέρω τοῦ κατάγματος ἐπὶ πήχεων εἴρηται,ſed falſò, vt palàm apparet. deſunt enim aliquæ voces. &ſic integra lectio reſtituenda eſt,ὁμοίως κἀπὶ τῶν κατωτέρω τοῦ κατάγματος βρόχοις χρηστέον, ὥσπερ ἐπὶ πήχεων εἴρη). Sed & paulo ante hūc locum,φυλαττέτω falſò legitur pro φυλάττεται. Et mox ab initio capitis, ἑτέρῳ δὲ λεπτῷ ὄντι, &c. falſò habetur pro ἑτέρῳ δὲ λεπτοτέρῳ.

IN CAPVT CENTESIMVM SEPTIMVM.

Col.601.lit.A. *Hippocrates enim in femore & brachio fractis,eminentia oſſa penitus reponere diſſuadet.* In Græcis codicibus vnius literæ vitium,totam ſententiam alienam, & ei quam ego reddidi contrariam efficit .Legitur enim ἐκβάλλειν falſò pro ἐμβάλλειν.Sic autem legēdum eſt,ὁ μὲν γὰρ Ἱπποκράτης ἐπὶ μηροῦ καὶ βραχίονος καταγέντων ἐξέχοντα ὀστᾶ καθάπαξ ἐμβάλλειν ἀποτρέπει.Docet autem Hippocrates in libro De fracturis, modū reponendi oſſa fracta & extrà eminentia, per vectis vſum,quomodo etiam Paulus hoc loco ex ipſo tranſcripſit.& inter cætera,hæc verba prodit,quæ ex noſtra tranſlatione adſcribam,Hanc autem per vectes commotionem &extenſionem, eadem die aut ſecūda facere oportet, non autem tertia:minimè verò quarta aut quinta.Nam etiamſi non reponas,ſed aliàs moleſtiam exhibeas in his diebus,inflammationem induxeris:quanto magis ſi reponas? Cōuulſionem tamen multo magis induxeris ſi reponas quàm ſi reponere omittas.Atque hæc probè noſſe conuenit.Si enim reponenti conuulſio acceſſerit,non multa ſalutis ſpes eſt.Cōmodum autem eſt rurſus eiicere os à ſua ſede,ſi hoc fieri citra moleſtiam poſſit.Nō enim in laxioribus quàm opportunum eſt,conuulſiones ac diſtenſiones accedunt,ſed in his quæ magis extenta ſunt. Hæc Hippocrates, ex quibus totum hoc Pauli caput declaratur.

Col.601.lit.D. *Ita ut iuxta literæ Græcæ χ figuram,chiaſmon dictam,&c.* Quid ſit chiaſmos, itémque decuſſatio, ſuprà in cap.51.& 65.declaraui.Verùm ſicut illic,ita etiam hic,lectio exemplarium Græcorum corrupta eſt. legitur enim falſò,ὥστε κατὰ τὸν χεσμὸν, ἀχανίαν ἐκ πάντων γίνεσθαι,pro recto ὥστε κατὰ τὸν χιασμὸν,&c.Paulo pòſt picatum appellatum ab Hippocrate emplaſtrum,non affirmat,ſed aliquos dicere ait,id eſſe quod tetrapharmacum regium appellatur, conſtans ex rebus quatuor,cera,colophonia,pice,adipe taurino:habetur infrà lib.7.cap.17.in principio.Hippocrates tamē non emplaſtrum vocat,ſed ceratum,ἐπὶ δὲ αὐτὸ τὸ ἕλκος,inquit,ἐπιτιθέναι χρὴ πισσηρὴν,ἤτι τῶν ἐναίμων,ἤ τι τῶν ἄλλων φαρμάκων ὅ,τι ξυμφορὸν ὑπάρχει. Quòd autem πισσηρὴν accipere oporteat κηρωτὴν,& non ἔμπλαστρον, ex lib.2. De morbis muliebribus patet,vbi his verbis eius vſum præſcribit,ἢ κηρωτὴν,inquit,πισσηρὴν προστιθέναι ξὺν ῥητίνῃ. Neque ſanè multum referre videtur,ceratúmne aut emplaſtrum appelletur.

IN CAPVT CENTESIMVM DECIMVM.

Ibid.lit.B. *Ita ut partim per calidiorum adhibitionem,materiam ad partē attrahamus,partim ut alimētum ſufficiens ſuggeramus.* Hæc verba ſic in Græcis leguntur,τοῦτο μὲν,διὰ θερμοτέρας προσφορᾶς ὕλην ἐπισπώμενοι τοῦ μορίου· τοῦτο δὲ,τροφὴν ὑπάρχουσαν αὐτάρκη.Videtur itaque mihi διὰ θερμοτέρας προσφορᾶς ſignificare calidiorū rerū forinſecus adhibitionem: & fortaſſis pro θερμοτέρας legendū eſt θερμοτέρων.tales autē ſunt frictiones,& vnctiones calidiores, & calidæ aquæ affuſiones,

Ll. i.

in quibus is modus ſeruandus eſt,vt tunc deſinamus quum carnes in rubicundam molem attolluntur,velut 6.meth. Galenus docet.Quanquam προσφορᾶς vox aliâs non externam adhibitionem,ſed cibi in corpus ingeſtionem, & alimenti aſſumptionem Græcis medicis ſignificet:ſed de hac ipſum hîc non loqui , indicio eſt id quod ſubdit de alimenti ſufficientis exhibitione:& quod vox ἐπιτιθεμένοις,forinſecus admotis magis competit.

IN CAPVT CENTESIMVMVNDECIMVM.

Ibid.lit.D. *Aut uſque ad cauitatis ſupercilium delatus.* Græcè falſò legitur pro ὀφρύος voce,vox ὀσφύος. Eſt autem ὀφρὺς ſupercilium & margo cauitatis eius in quam os inſertum,cum altero oſſe articulum conſtituit.

IN CAPVT CENTESIMVMDVODECIMVM.

Ibid.lit.E. *Sic igitur dicit Hippocrates.* Hic locus ad verbum tranſcriptus eſt ex Hippocratis lib.de articulis.Verùm in multis locis corrupta eſt Pauli lectio,quam vt quis ex vera & recta Hippocratis lectione emendet, facilè eſt in tanta exemplarium extantium copia.Nos Hippocratis lectionem ſequuti ipſam expreſſimus,& trãſlationem Hippocratis noſtram,velut in noſtra totius Hippocratis cõuerſione habetur, etiam huc adſcripſimus.

IN CAPVT CENTESIMVM DECIMVMQVINTVM.

Col.604.lit.H. *Hæc autem ſani cubiti gibbi inſpectio maximè declarat.* Græcè ſic , ταῦτα δὲ μάλιστα ἡ τοῦ ὑγιαίνοντος ἀγκῶνος ἐλέγχει πάθησις.Non videtur autẽ de ſano, πάθησις (id eſt affectio ac paſſio) dici poſſe:quum ſani ad affectum collatio ſe iuxta contrariorum rationem exhibeat.Quare viſum eſt quibuſdam μάθησις legendum eſſe,vt hac voce conſideratio ac inſpectio accipiatur.Verùm (niſi penitus fallor)legenda eſt hoc loco vox ἄθρησις, quæ propriè inſpectionem ſignificat:quanquam & παράθεσις vox commodam huic loco ſignificationem exhibeat,& ſiquis ſententiam habeat , huic de voce non magnopere laborandum eſſe videatur.

IN CAPVT CENTESIMVM DECIMVMSEPTIMVM.

Col.605.lit.F. *Et quidam decepti,unius uerticuli multum emoti magnam emotionem eſſe putant:quum tamen magna emotio non rotundam,ſed angularem faciat ſpinæ flexionem.* Græca lectio huius loci corrupta in hunc modum reſtituenda eſt : καὶ νομίζουσί τινες ἀπατώμενοι ἑνὸς ἐπὶ πολὺ παραστραφέντος σπονδύλου, μεγάλην εἶναι παράστασιν, καί τοι μεγάλη παραστροφὴ οὐ περιφερῆ,γωνιώδη δὲ ποιεῖται τὴν τῆς ῥάχεως κάμψιν.

Col.606.lit.C. *Quidam uerò per appellatos aſellos extenſionem faciunt.Sunt autem aſelli hi,axes qui in erecto ſtatuto ligno uertuntur.* Quos hîc deſcribit axes,Græcis ἄξονες appellantur, & ὀνίσκοι quoque,id eſt aſelli. Germani Latinam vocem fere exprimunt.vocant enim aſpel aut haſpel,inſtrumentum vulgò notiſſimum,ſed quod tamen variis modis paratur,prout res magna eſt quam per illud efficere conamur.Hippocrates tria inſtrumenta eſſe dicit fortiſſima ex omnibus quæ homines machinati ſunt,aſelli circunductionem,per vectes commotionem , & cuneorum vſum . Aſellorum generis ſunt etiam inſtrumẽta ac machinæ illæ quibus in maritimis & magnorũ fluuiorum portibus, ad magna onera è nauibus ſubleuanda vtuntur. Vitruuius appellauit grues,& γέρανοι quoque in Græcis vocantur , & vulgus item Cranich appellat,ob colli(arbitror)in longum extentam prominentiam.At verò gruina deligatio,quam Paulus ſuprà cap.99.γερανίδα ἐπίδεσιν appellauit,à volatus gruum ordine dicta videtur.Hunc enim refert,dum humerum,ſcapulas,ac pectus cõprehẽdit,& literam Υψιλὸν repræſentat , quæ & ipſa ex gruum volatu reperta eſt per Palameden,vt Philoſtratus in Heroicis teſtatur.Vnde & illud Martialis eſt,

Turbabis verſus,nec littera tota volabit,
Vnam perdideris ſi Palamedis auem.

Ibid.lit.E. *Et poſtea tabulæ moderatæ alteram extremitatem in parietis rimam immittimus.altera uerò gibboſitatem deorſum deprimimus.* In Græcis codicibus hoc loco tota periodus excidit.Sic enim legitur , κἄπειτα σανίδος συμμέτρου τὸ ἕτερον πέρας ἐπὶ τὰ κάτω πιέζομεν.Reſtituenda eſt itaque lectio in integrum ex Hippocrate hoc modo:κἄπειτα σανίδος συμμέτρου τὸ ἕτερον πέρας εἰς τὴν τοῦ τοίχου γλυφὴν ἐμβαλοῦμεν,τῷ δὲ ἑτέρῳ τὸ κύφωμα ἐπὶ τὰ κάτω πιέζομεν.

IN CAPVT CENTESIMVM DECIMVMOCTAVVM.

Col.607.lit.B. *In his deſperata eſt curatio,callo membro iam obducto.* Græcè ſic , ἄπορος ἡ θεραπεία φθάσαντος ἤδη κυκλωθῆναι τοῦ κώλου.Sed falſó.Nam pro κυκλωθῆναι legi debet τυλωθῆναι,exigente id ſententia,id eſt callo obducto,velut cõuerti.Et mox vitioſa vox περιφέρεσι legitur,nihil ſignificans,pro qua reponenda eſt vox περιφόρησιν, id eſt circunductionem,id quod declarat participium περιφέροντες,quòd paulo pòſt ſequitur.Et paulo pòſt falſò legitur,ἐπὶ τὸν ὦμον αἰρόμενον ἔμπροσθεν διὰ τοῦ βουβῶνος καὶ τῆς κλειδὸς ὄπισθεν δὲ διὰ τοῦ αἰωπάτου,&c.Legendum enim eſt,ἐπὶ τὸν ὦμον:& pro τοῦ αἰωπάτου legendum eſt τοῦ μεταφρένου.Et mox ἐκβολῆς vox falſò legitur pro ἐμβολῆς.Et vbi poſtea conuerti, Vt dum homo extẽditur,lignum hoc inter femoris caput & interfœmineum interueniat: Græca lectio ſic habet,ὥστε ὑπὸ τούτου κατατεινομένου τοῦ ἀνθρώπου τοῦ τὸ ξύλον μεταξὺ φθάσαι τοῦ περιτοναίου,&c.Sed redundant voces ὑπὸ τούτου delendæ,& pro τοῦ τὸ ξύλον,legẽdum eſt,τοῦτο τὸ ξύλον,&c.Et rurſus,Hoc autem continget ſi paululum infrà ſumma, &c. Græcè corruptè legitur τοῦ ἢ τὰ μικρῷ κατωτέρω τῶν ἄκρων,&c.Legi enim debet,τοῦτο δ' εἴη ἐὰν μικρῷ κατωτέρω,&c. Et mox, Dum autem fit extenſio aut paſtillus, velut antea in gibboſitate diximus,aut aliquo alio inſtrumento:in Græcis hoc poſtremum, Aut aliquo alio inſtrumento, in totum deeſt,neceſſariò adſcribendum,ἢ διά τινος ἄλλου.Et rurſus , Ita vt læſum crus duobus digitis amplius quàm alterum ſit extentum.Græcè legitur falſò,ἐντεταμένου τοῦ πεπονθότος ὑπὸ τῶν στέρνων ὡς δύο δακτύλοις .Legendum eſt autem ſic , ἐντεταμένου τοῦ πεπονθότος σκέλους ὑπὲρ τοῦ ἑτέρου ὡς δύο δακτύλοις.Hippocrates enim ſic habet,τὸ δὲ σκέλος τὸ σιναρὸν τεταῦσθαι χρὴ ὡς δύο δακτύλοις μᾶλλον τοῦ ἑτέρου.Paulus enim non ad verbum ex Hippocrate tranſcripſit, ſed pro ſua commoditate ſententiam eius retulit.Et mox,Læſum femur apprehẽdat qua craſſius eſt:Græcè legitur, τὸν πεπονθότα μηρὸν κατὰ τὸ βραχύτατον,ſed falſó. debet enim , κατὰ τὸ παχύτατον legi.Sic enim etiam ſuperius dixit, τὸν πεπονθότα μηρὸν κατὰ τὸ παχύτερον αὐτοῦ, &c.id eſt affectum femur craſſiore ſui parte,&c.Et paulo pòſt, pro voce falſa ἐγγεγυμνασμένων, legẽdum eſt ἐγγεγλυμμένων, & coniunctio καὶ ante vocem ὑπηρέτου inſerenda.Reliqua ex tranſlatione noſtra emendentur.

IANI CORNARII MEDICI PHYSICI

Dolabellarum in Paulum AEginetam liber ſeptimus.

IN CAPVT TERTIVM.

RECENSENTVR hoc capite ſimplicium medicamentorum facultates, ex ordine literarum Græcarum, quem etiam Galenus ſequutus eſt, & nec nos mutare voluimus. Sub litera itaque ἄλφα, Ægyrus (id eſt populus nigra) legitur, tertio quidẽ ordine calefacit, ſed in Græcis falſò habetur, κατὰ τὴν α. τάξιν, id eſt ordine primo. Quòd autem γ' legi debeat pro α', ex Galeno patet, qui apertis verbis, ἐκ τῆς τρίτης ἀποστάσεως eſſe dicit: ita etiam Aëtius lib. 1. habet.

Col. 612. lit. E. *Quod uerò reliquum eſt, adſtringendo compingit.* Hoc de ſale legitur, ſed corruptè habẽt exemplaria Græca, τὸ δὲ ὑπὸ συνάγουσι τῇ στύψει. Legendum eſt enim, τὸ δὲ λοιπὸν συνάγουσι τῇ στύψει.

Col. 613. lit. G. *Amylum ex tritico fit puro.* Modus præparandi amylum non ſatis integrè à Paulo trãſcriptus eſt ex Dioſcoride, & contigit ipſi id quod ille dixit, Breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Neque enim ex ipſius verbis parãdi modum aſſequi poſſis, & tamen non excidiſſe, ſed vltro relicta eſſe apparet ab ipſo Paulo, quæ huc commoda eſſent. Quod tamen legitur, διηθήσαντας τὸ ὕδωρ ἔτι χέοντας χωνεύσαι τὸ πίτυρον, &c. palàm mancum eſt, & ſic explendum, διηθήσαντας τὸ ὕδωρ, καὶ ἄλλο πάλιν ἔτι χέοντας, χωνεύσαι τὸ πίτυρον, &c.

Col. 615. lit. C. *Vſta uerò ad cicatricem perducit cum roſaceo cerato.* Sic Aldinus codex habet de fuligine, ἀπουλοῖ δὲ καὶ τὰ καύματα σὺν ῥοδίνῃ κηρωτῇ: & meo iudicio rectè, quum roſaceum ceratum alioqui ad ambuſta faciat. Dioſcorides tamen κατάγματα habet, vt fortè rectius κατακαύματα legatur. At alii τραύματα legere malunt, quos ſuo iudicio vti permitto.

Col. 618. lit. E. *Gordylion, quod alij Seſeli uocant.* Dioſcorides non gordylion, ſed tordylion appellat, & alios ſeſeli creticum appellare dicit. Et ipſe quoque Paulus ſuprà libri tertii capite viceſimoquinto, tordylium appellauit. Quare Tordylion omnino vocari putarem, ſi non hic ex ordine literarum ſub litera γ relatum eſſet, vt vtraque appellatio recta eſſe videatur.

Ibidem lit. G. *Daucus, qui & ſtaphilinus dicitur.* Huius loci lectio manca eſt in Paulo. Quomodo enim ſylueſtris dauci ſeminis mentionem faceret, ſatiui ſemine præterito. Sic ergo ex Galeno & Aëtio Græca Pauli lectio reſtituatur, quemadmodum etiam conuertimus, δαῦκος, ὁ καὶ σταφυλῖνος, διττός ἐστιν. ἥμερος, οὗ γὰρ ἡ ῥίζα φυσώδης τέ ἐστι καὶ ἀφροδισιαστική. τὸ σπέρμα δὲ τοῦ ἡμέρου ἔχει καὶ αὐτὸ παροξυντικόν τι εἰς τὰ ἀφροδίσια· τὸ δὲ τοῦ ἀγρίου, &c.

Col. 620. lit. A. *Elateriũ, &c. eſt ſecundi ordinis.* Id eſt δευτέρας τάξεως: in Græcis tamẽ δεύτερον vox falſò pro δευτέρας legitur. Et mox, Si cum lacte in ipſis infundatur, conuerti, quod lego ex Dioſcoride, μετὰ γάλακτος ἐγχεόμενον. Pauli tamen exemplaria habent ἐγχριόμενον, id eſt ſi illinatur, quod ferri poſſit ſiquis leuem penitus ex naribus euacuationem, ipſius illitione facere velit.

Col. 621. lit. G. *Sed & galli antiqui cum ſale plurimum cocti iuſculum aluum ſubducit: at gallinæ uice uerſa ſiſtit.* Hæc verba ſub voce zomos leguntur in Græcis ſic, καὶ ὁ τοῦ παλαιοῦ δὲ ἀλεκτρυόνος σὺν ἁλσὶν ἐπὶ πλεῖστον ἑψηθέντος ὑπακτικὸς γίνεται. ὁ δὲ τῆς ἀλεκτορίδος τοὐναντίον ἐπικρατητικός. Ex quibus verbis apparet Paulum vocem ἐπικρατητικὸν palàm voci ὑπακτικὸν oppoſuiſſe, vt qui prius iuſculum aluum ſubducendi, poſterius eandem ſiſtendi vim habere afferat; & hoc ex Galeni libro ſecundo ſimplicium medicamentorum vnde hæc tranſcripſit, & vbi ſic legitur, ὁ γε μὴν τῶν ἀλεκτορίδων ἁπλοῦς ζωμὸς ἐπικρατητικῆς ἐστὶ δυνάμεως, ὥσπερ ὁ τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων ὑπακτικός. ἕψειν δ' αὐτοὺς χρὴ μεθ' ἁλῶν ἐπὶ πλεῖστον. Quanquam Galeni locus non hanc quàm Paulus intellexit, contrarietatem inducat, & ἐπικρατικῆς legendum eſſe pro ἐπικρατητικῆς voce ſuſpicer, vt contemperãdi vim accipiamus, quam Dioſcorides apertis verbis gallinæ iuſculo attribuit, ὁ δὲ ζωμὸς τῆς ἀλεκτορίδος, inquit, μάλιστα δίδοται ἐπικράσεως χάριν τῶν φαυλοτήτων, καὶ ἐπὶ τὸν στόμαχον πυρουμένων, λιτῶς σκευασθείς. id eſt contemperandi humores gratia, & in ſtomachi ardore. Si itaque Dioſcoridis ſententia recta eſt, ſicut rectiſſimam eſſe cenſeo, apud Galenum ἐπικρατικῆς, vel ἐπικερατικῆς vox legi debet, & non ἐπικρατητικῆς: id quod quum Paulus non ſatis animaduerteret, ἐπικρατητικὸς dixit, & τοὐναντίον de ſuo adiecit, vt omnino contrarietatem horum iuſculorum induceret, quam tamen (vt dixi) Galeni lectio non cogit. Poſſit itaque etiam Pauli locus iuxta Dioſcoridis ſententiam, & Galeni lectionem (velut dixi) emendandam, legi ac emendari, in hunc modum, ὁ δὲ τῆς ἀλεκτορίδος ἐπικρατικός. Sed nolui in præſens id facere, ſicut neque id in Galeno tum Græco tum Latino feci, ſed reliqui, contentus & hic de his locis admonuiſſe, quum etiam his longè plura in commentariis medicis prodiderim, & libro ſecundo emblemate quadrageſimo in Dioſcoridem adduxerim.

Col. 623. lit. A. *Ios (id eſt ærugo) acrem qualitatem guſtantibus exhibet, diſcutitque, ac tollit, & conſumit, &c.* In Græcis legitur διαφορητικός τε καὶ καθαιρετικὸς καὶ τμητικός. pro τμητικὸς itaque legendum eſt τηκτικὸς, quòd verti conſumit. Ita enim legendum videtur, niſi quis σηπτικὸς malit, non longè diuerſa ſignificatione. Sed & in Galeno & in Aëtio, hoc loco falſò στυπτικὸς legitur.

Ibidem lit. G. *Cadmiæ ambæ ſiccant. Sed botryitis (id eſt racemoſa) tenuiorum partium eſt: placitis craſſiorum.* In Græcis exemplaribus voces tranſpoſitæ ſunt. legitur enim, ἀλλ' ἡ μὲν βοτρυΐτις παχυμερεστέρα, λεπτομερεστέρα δὲ ἡ πλακῖτις ἐστί. Legẽdum eſt autem, ἀλλ' ἡ μὲν βοτρυΐτις λεπτομερεστέρα, παχυμερεστέρα δὲ ἡ πλακῖτις ἐστί. Sic enim Galenus lib. 9. habet, qui etiam hoc addit, quòd botryitis in altioribus fornacum partibus reperiatur collecta, vtpote leuior, placitis verò in humilioribus, velut quæ grauior exiſtat. Et mox quod conuerti, Nam in durioribus, efficacioribus opus eſt medicamentibus, in Græcis falſò στομάχων legitur pro φαρμάκων.

Col. 625. lit. F. *Acida propter ſecandi uim, pituitoſis & excrementoſis ſtomachis conueniunt.* De ceraſiis hæc dicit. Sed in Græcis, φλεγματικοῖς καὶ φλεγματώδεσι στομάχοις falſò legitur, pro φλεγματικοῖς καὶ περιττωματικοῖς στομάχοις, velut Galenus habet. Et mox conſequenter vbi de ſiliquis agit, ψυκτικῆς vox falſò habetur pro στυπτικῆς, vt Galenus & Aëtius habent.

Col. 627. lit. H. *Non in terra naſcens, ſed in cœnoſa maris parte.* De corallio ita conuerti verba quæ in Græcis ſic leguntur, οὐκ ἐν χέρσῳ φυόμενον, ἀλλ' ἐν τῷ πέλματι τῆς θαλάσσης. Non autem puto legẽdum πέλματι, vt velut de pediculo, aut planta, aut alto maris accipiatur, ſed πήλματι, vt cœnoſam partem intelligamus.

Col. 628. lit. B. *Coronopodis radix etiam ipſa cœliacis commoda eſſe, in cibo accepta creditur.* Græca exemplaria habent κωλικοὺς ὠφελεῖν. Sed Dioſcorides, Galenus & Aëtius palàm κοιλιακοὺς habent: quomodo etiam legendum eſſe, ex eo clarũ fit quòd radicem eius στυπτικὴν (id eſt adſtringentem) Dioſcorides dixit. At hic error non librarii eſt, ex ſimilitudine vocum decepti, ſed ipſius authoris Pauli: qui quum alaudam colicis opitulari antea ſcripſiſſet, mox ſubiunxit, κορωνόποδος ἡ ῥίζα καὶ αὐτὴ πεπίστευται κωλικοὺς ὠφελεῖν ἐσθιομένη.

Ibidem lit.F. *Acre guſtantibus eſt & uehementer utentibus.* Ita legendum eſt de cratæogoni ſemine,ex Galeno.Nam ψυχρῶς falſò pro σφοδρῶς poſuit quis,& χρωμένοις vocem reiecit,vt libri tertii emblemate centeſimo viceſimoſexto in Dioſcoridem notauimus.

Col.629.lit.A. *Et alopeciis affrictum citius quàm alcyoniũ pilos producit.* Hoc de cæpa dixit, ſed Græca lectio corrupta eſt hoc modo , καὶ ἀλωπεκίας θᾶττον ἀλκυονίου παρορμᾷ ταῖς θριξίν. Legendum autem ſic, καὶ ἀλωπεκίας παρατριβόμενον,θᾶττον ἀλκυονίου, &c.Ex Galeno & Aëtio.

Ibid.lit.A. *Cyamos (id eſt faba)non multum à medio temperamento abeſt,tum perfrigerando,tum calefaciendo.* Græcè ſic, κύαμος οὐ πολὺ τῆς μέσης ἀφέστηκε κράσεως, κατά τε τὸ ψύχειν καὶ ξηραίνειν.Et ſic habet quoque Galenus,vnde Paulum tranſcripſiſſe apparet,κύαμος καθ᾽ ἑκάτερα τῆς μέσης κράσεως ἐστὶν ἐγγυτάτω,κατά τε τὸ ξηραίνειν καὶ κατὰ τὸ ψύχειν. Et Aëtius ſimiliter, κύαμος κατὰ τὸ ψύχειν καὶ ξηραίνειν τῆς μέσης ἐστὶν ἐγγυτάτω κράσεως.Ab his itaque tribus attribuitur fabis medium temperamentũ, tum perfrigerando,tum ſiccando.Nec immeritò in dubium venit , quod ſit medium temperamentum quod faba habeat, tum perfrigerando tum ſiccando,quum medium videatur inter oppoſita ac contraria interuenire, & id ſit quod ab vtriſque extremis æqualiter diſtet. Quum igitur inter frigidum & ſiccum non ſit contrarietas, quomodo medium temperamentum inter ipſa eſſe poteſt? Mihi ſanè videtur pro ξηραίνειν legendum eſſe θερμαίνειν , vt inter calefaciendi & frigefaciendi vim,medium habere temperamẽtum fabam accipiamus, vt neque calida neque frigida ſit cenſenda, velut Dioſcorides dixit,κύαμος μέσος θερμοῦ καὶ ψυχροῦ ἐστί.Et poteſt vox ξηραίνειν per incogitantiam tranſcribentis in Galenum irrepſiſſe , atque ita de Galeno , per Paulum & Aëtium non ſatis animaduertentes, tranſſumpta eſſe. Poſſet tamen Galeni verborum ſententia ita accipienda eſſe videri, quòd in omnibus quatuor qualitatibus medium temperamentum faba obtineat,ita vt in ſiccando ac humectando , calefaciendo item ac frigefaciendo media ſit : & ad τὸ ξηραίνειν, contrarium eius τὸ ὑγραίνειν, & ad ψύχειν,ipſius contrarium τὸ θερμαίνειν adintelligatur. Sed non videntur Aëtius & Paulus hanc ſententiam ſuis verbis exprimere.Et in ſiccando ac humectando differentia variat, prout recentes ſunt & virides fabæ, aut contrà veteres ac reſiccatæ,quum medium illud temperamentum inter caliditatem ac frigiditatem ipſis ſit perpetuum.Huc accedit quòd Galenus paulo pòſt,fabam ἀλύπως ξηραίνειν dicit,id quod indicio eſt,non medium habere inter ſiccandum & humectandum temperamentum,ſed à medio ad primum ſiccandi ordinem progreſſum,vt intelligamus iam ratiocinando,fabam in primo ordine ſiccandi vi præditam eſſe. Atque hæc mea de hoc loco coniectura tãdiu valeat donec quis meliora producat.Porro admonet me hîc de faba locus, vt Ciceronis libro primo ad Atticum epiſtolæ decimætertiæ locum emendem ex coniectura atque ingenii arbitrio, vbi fabam mimum nulla ſignificatione legitur,pro fabulam omnium.Quia verò eodem loco vox alia corrupta habetur ἐλαφητέον, pro qua aliqui floccifacteon nulla Latinæ formationis habita ratione legendum cenſent:aliqui ridiculè illum exponunt,fugiendum more ceruorũ: ego totum Ciceronis locum integrum adſcribam, Sed heus tu,vidéſne conſulatum illum noſtrum , quem Curio antea ἀποθέωσιν vocabat,ſi hic factus erit, fabulam omnium futurum ? Quare(vt opinor) φιλοσοφητέον, id quod tu facis,& iſtos conſulatus ἀλαβητέον.

Col.630.lit.C. *Adeo ut quum aquâ mulſa pota trium drachmarum pondere, interna expurget.* Græca exemplaria πινομένη τριῶν μέγεθος habent.deeſt itaque vox δραχμῶν,& pro μέγεθος legendum eſt πλῆθος. Sic enim habet & Galenus & Aëtius. Locus eſt de cyclamino.

Ibid.lit.E. *Libanotus(id eſt thus)&c.Fuligo thuris calefacit ac ſiccat in tertio abſceſſu.* Hoc loco & in Paulo & in Galeno falſò legitur,ὁ δὲ θαλλὸς αὐτοῦ θερμαίνει καὶ ξηραίνει.Non enim de ramo aut ſurculo thuris loquuntur, ſed fuligine,quæ αἴθαλος & αἰθάλη,itémque λιγνὺς appellatur.Quare in vtroque legendum eſt ὁ δὲ αἴθαλος.

Col.631.lit.E. *Noſſe verò hoc conuenit quòd mercurialis ſemen eminentiis corporis præter naturam affrictum,ipſas abolere compertum eſt.Has autem eminentias uulgò Narphia uocant.* Quæ ſint hæ eminentiæ,& an Narphia(velut Pauli exemplaria habent) aut Carphia(velut Aëtius libro primo De mercuriali tradit)vulgò appellentur, non ſatis conſtat. Aëtii verba hæc ſunt, καὶ ταύτης τὸ σπέρμα οὕπω ξηρανθὲν διδάσκει ἡ πεῖρα, τὰ παρὰ τοῖς ἰδιώταις ὀνομαζόμενα ἐν τῷ σώματι καρφία ἀφανίζειν,ἐπειδάν τις αὐτὰ τῷ σπέρματι ἐπιμελέστερον ἀνατρίβῃ.Videntur autem alter ab altero tranſſumpſiſſe, aut vterque à quodam tertio,qui noluerit Græca appellatione vti,ſed vulgari,& alicuius gentis barbara (vt puto)vt res ipſa myſterii ſpeciẽ præferret,& non omnibus pateret.Suſpicor tamen de cicatricum eminentiis ipſos loqui,quas οὐλὰς dicere inuiderunt . certè cicatricum apud Germanos appellatio,ναρφίων vocem penitus refert.

Ibid.lit.F. *Et ſi intra corpus ſumatur,ſecat & attenuat craſſos ac uiſcoſos humores plus quàm ſal.* Hoc de nitro ſiue litro dicit, quod antea in medio eſſe facultatis aphronitri ac ſalis dixit , & nunc plus quàm ſalem ſecare & attenuare craſſos ac viſcoſos humores teſtatur.Sed in Græcis falſò legitur,πλέον τῶν ἄλλων.Non enim plus quàm alia quæ nulla relata ſunt , ſed plus quàm ſal hoc facit.Legendum enim πλέον τῶν ἁλῶν.Quòd autem tria ſint medicamenta diuerſa , quorum primum litrum ſiue nitrum appelletur,alterum nitri ſiue litri ſpuma,& Græcè ſoluta compoſitione, νίτρου ἢ λίτρου ἀφρὸς, & tertium compoſita voce aphrolitrum ſiue aphronitrũ,in cõmentariis medicis declarauimus. At de chalaſtræo nitro mentionem facit etiam Plinius,in quo tamen chalaſtricum legitur,& Plutarchus in præceptis ſalubribus.

Col.632.lit.C. *Mameras uelut radicula quædam eſt herba,&c.* Quæ ſit hodie aut illo tempore fuerit radicula Mameras, non conſtat:Dioſcorides & Galenus,& veteres non meminerunt.Mentionem eius fecit etiam ſuprà lib.3.cap.22. Paulus ad cicatrices & albugines oculorum.Aëtius item lib.12.cap.44. ad diuites podagricos velut mirabile medicamentum præſcribit,mameram aqua maceratam,deinde tritam ac illitam.

Ibidem lit.D. *Melan(id eſt atramentum)Indicum(ut Dioſcorides dicit)ex his eſt quæ leuiter frigefaciunt, & rumpunt inflammationes ac tumores laxos.* Hic locus eſt apud Dioſcoridem lib.5.ſed συφόντων falſò legitur illic pro ψυχόντων,velut rectè habet Paulus.ψυχόντων enim vox peculiariter ad φλεγμονὰς refertur,ſicut ῥησσόντων ad οἰδήματα . Quare ex Paulo Dioſcoridis lectio, & non viciſſim Pauli ex Dioſcoride emendanda eſt,niſi quis corrumpere magis quàm emendare velit.

Col.633.lit.A. *At quod oblongiorem calicem habet,& aliâs contractiorem, &c.* De papaueris ſylueſtris altera ſpecie hæc verba habet,Græcè in hunc modum,ἡ δὲ τὴν κωδίαν ἐπιμηκεστέραν ἔχουσα καὶ ἀναυξεστέραν, &c. Atque hæc ex Galeno,apud quẽ ſic legitur, ἡ δὲ ἐπιμηκεστέραν μὲν ταύτης,ὅλη δὲ αὐξανεστέρα καὶ αὐχμηροτέρα,&c.Falſò tamẽ legitur in Galeno vox αὐξανεστέρα,pro ἀναυξεστέρα.Dicit enim hanc, calicem quidem habere oblongiorem , verùm ipſam totam eſſe contractiorem & ſqualidiorem, & vox αὐχμηροτέρα declarat legendum eſſe ἀναυξεστέρα.

Ibid.lit.G. *Myagros,quàm alij uocant melampyron,&c.* Hoc loco primùm falſò legitur in Græcis codicibus μελάμπυκνον pro vero μελάμπυρον,vt ex Dioſcoride patet,ſi tamen eius lectio recta eſt: deinde ordo conturbatus eſt,&primùm habetur myagri ſemẽ:& interpoſitis mitulis, ſequitur μύαρος,οἱ δὲ μελάμπυκνον,&c.quaſi myaros alia herba ſit ab ea quæ ſemẽ illud de quo primùm dixit, producit.Reſtituatur itaque ordo Græcæ lectionis iuxta meam tranſlationem,& ne putetur alia eſſe herba quæ myaros appelletur: ſed myagron eſſe,ac appellari herbam pinguem,quæ & ſemen pingue producat, eius vſus ambo qui à Paulo præſcribitur,ſed iuxta Dioſcoridis traditionem.

Col.635.lit.F. *Opium in tractatione de papauere dictum eſt.* Hoc loco in Græcis exemplaribus vox ὄπιον ſola habetur.Deſunt autem verba,ἐν τῷ περὶ τῶν μηκώνων εἴρηται.Nam ſuprà de papauere mentionem eius fecit.

Col.636.lit.A. *Oſiris,ex qua ſcopas faciunt,&c.* Græcè ſic legitur,ὄσιρις,ἐξ ἧς τὰ κορήματα γίνεται. Et ſic habet quoque Galenus,ſic etiam Aëtius.Quid autẽ ſint κορήματα quæ ex Oſiride fiunt,,non ſatis conſtat:alii medicamẽta ad exterendam

leuigandámque cutem, κορημάτων voce accipiunt, alii pupillaria medicamenta, alii ſmegmata ſimpliciter, Plinium in hoc ſequuti, qui dixit, Smegmata mulieribus faciunt ex his: loquitur autem de Oſiridis ramulis. Nec ſatis etiam conſtat an linaria herba hodie vulgò appellata ſit ea quæ illis authoribus dicta eſt oſiris, etiamſi multi ſint in hac ſentētia. Ego verò κορήματα, neque ἀπὸ τῶν κορῶν (id eſt à pupillis) dicta puto, neque vlla medicamēta aut ſmegmata ea voce accipio, ſed nomen verbale vt appellant, eſſe iudico, ductum à verbo κορεῖν, quod verrere ac purgare ſignificat: accipióque per κορήματα, ſcopas ac verricula exterſoria, qualia etiam hodiéque in vſu ſunt ad veſtimenta purganda. Nec de Plinii lectione ſtudioſos celare volo, eſſe apud me manuſcriptum vetuſtiſſimum exemplar, quod non Smegmata vocem habet, ſed Megmata, ita vt etiam non tam clarum ſit Megmatáne an magmata ſit legendum: vt fortaſſis Plinius, Magmata mulieribus faciunt ex his, ſcripſerit, & poſtea Magmata genuina Plinii vox in ſmegmata tranſierit. Sunt autem μάγματα eadē forma ac ſignificatione, à verbo μάττειν, quod extergere ac mundare ſignificat, dicta qua κορήματα ἀπὸ τοῦ κορεῖν. Et ſint etiam hæc ex coniecturæ facultate.

Ibid. lit. G. *Periclymeni folia & ſemen, &c.* Græcum exemplar hîc corruptum eſt. poteſt autem ex Dioſcoride reſtitui vera lectio, quam ego expreſſi, vt in hunc modum legatur, ὥστε τὸ οὖρον αἱμακρίνειν πινόμενα ἄχρι ἓξ ἡμερῶν· πινόμενα δὲ ἄχρι τεσσαράκοντα ἡμερῶν, ὠφελεῖ τοὺς σπληνώδεις καὶ δυσπνοϊκούς.

Col. 637. lit. G. *Et maculas faciei cum ipſo extergunt.* De polygonato hoc dicitur: legitur tamen falſò πίλοις pro σπίλους.

Col. 638. lit. A. *Pompholyx citra mordacitatem ſiccat, ut cancroſis ulceribus, aliíſque malignis opituletur.* Hoc loco Græca exemplaria falſò habent, τοῖς σαρκώδεσι τῶν ἑλκῶν. Verùm non carnoſis vlceribus, ſed cancroſis legendum eſſe, ex eo patet, quòd ſubiicit, καὶ τοῖς ἄλλοις κακοήθεσι, quo ſignificat etiam prægreſſa cancroſa, malignorum generis eſſe. Talia verò non ſunt carnoſa. Quare legendum eſt τοῖς καρκινώδεσι τῶν ἑλκῶν. Nam & Galenus & Aëtius hoc habent quòd pompholyx εἰς τὰ καρκινώδη ἕλκη commodet.

Col. 639. lit. A. *Larix quoque huiuſmodi eſt.* In Græcis deeſt vox τοιαύτη, vt legatur, καὶ ἡ λάριξ ἐστὶ τοιαύτη. Eſt hoc in reſinis.

Ibid. lit. C. *Abundè autem adſtringit & ſiccat ordine tertio, frigefacit ſecundo.* Græca exemplaria ſic, ſed falſò, καὶ ξηραντικοῦ ἐκ τῆς τρίτης τάξεως, ῥυπτικοῦ δὲ τῆς δευτέρας. pro ῥυπτικοῦ enim legendum eſt ψυκτικοῦ. Nulli enim traditi ſunt ſecundarum qualitatum gradus ſiue ordines, ſed primarum ordines quatuor Paulus ſuprà libri ſecūdi capite ſecūdo ex Galeno propoſuit. Sed & Galenus apertè dicit Rhoem eſſe pharmacum ξηραντικὸν μὲν ἐκ τῆς τρίτης τάξεως, ψυκτικὸν δὲ ἐκ τῆς δευτέρας. Ita etiam Aëtius. Atque hæc etiamſi parua videantur, neutiquam tamen prætereunda ſunt.

Ibid. lit. E. *Cæterum in libro De theriaca dicit Galenus, Trifolium quæ hyacyntho ſimilis eſt, &c.* Hic locus eſt in libro De theriaca ad Piſonem, ex quo etiam Pauli lectio declaratur, vt melius intelligi ac emēdari poſſit. Falſò enim legitur in Paulo, τοῦ ἀέρος ἐγκύμονος, pro τοῦ ἔαρος ἐγκύμονος. Non enim de prægnante aut inturgeſcente ex aere loquitur, ſed de prægnante veris tempore. Et poſtea pro ὑγιεῖ δὲ τὸ ποτὸν προσφερόμενον, legendum eſt, ὑγιεῖ δὲ τόπῳ προσφερόμενον. Non enim in potu exhibendum eſt: ſed ſi ad ſanum locum in homine non morſo adhibeatur, inquit Galenus, ſimilem affectionem efficit, &c. Hæc in ſatyrio habentur.

Col. 640. lit. E. *Siſari radix cocta ſtomacho commodat, &c.* Hoc loco in Græcis exemplaribus duarum herbarum ſiſari ac ſiſymbrii tractatio, in vnam coaluit. Sunt enim duo ſiſymbria, quorum prioris vires ſiſaro coaluerūt: poſterius autē etiā cardamine appellatur, & mox ſequitur. Sic ergo reſtituenda eſt Græca lectio ex Galeno, Σισάρου ἡ ῥίζα ἑφθὴ, εὐστόμαχός τε ἐστὶ καὶ οὐρητική, θερμὴ κατὰ τὴν δευτέραν τάξιν. σισύμβριον, λεπτομεροῦς διαφορητικῆς θερμαινούσης καὶ ξηραινούσης ἐστὶ δυνάμεως καὶ κράσεως, κατὰ τὴν τρίτην τάξιν, λεπτομερές τε ἐστὶ καὶ διαφορητικόν, ἰσχυρόν τε τὸ σπέρμα. διὸ τοῖς τε λύζουσι καὶ στροφουμένοις δίδοται σὺν οἴνῳ. Et nunc ſequitur ſiſymbrium alterum. Et huic lectioni reſpondet noſtra tranſlatio. Sed & in poſteriore ſiſymbrio falſò legitur πρώτην pro τρίτην. Quomodo enim aridum ſiſymbrium calefaceret ac ſiccaret in primo ordine: & humidum contra ſecundo ordine? quum dubium nemini eſſe poſſit, arida eadem plus ſiccare quàm vda. τρίτην ergo lege, vt etiam Galenus.

Ibid. lit. G. *Scolopendra marina cocta in oleo & illita, pilos abolet. Sed & contacta pruritum excitat.* Quod hîc dixi contacta, falſò legitur in Græcis καυθεῖσα. Non enim vſta hoc facit, ſed ipſius contactus pruritum inducit. Legendum itaque eſt ψαυσθεῖσα, velut Dioſcorides habet.

Col. 643. lit. F. *Extincta uerò urit quidem ſtatim, ſed poſt dies non amplius. Contrahit tamen, & conſumit carnes.* De calce hæc dicit. Sed illud Poſt dies non amplius, declarat Galenus & Aëtius ſic, quòd poſt diem vnum atque alterum minus vrat ac cruſtam minus inducat. Verùm poſt tempus, cruſtam omnino non efficiat, calefaciat tamen adhuc, & carnes cōſumat. Quod igitur Paulus contrahit dixit, hoc eſt συντείνει, hoc illi θερμαίνει (id eſt calefacit) dixerunt. Nec mox, quia illi θερμαίνει habent, etiam in Paulo mutanda lectio eſt, & θερμαίνει ſubſtituendum pro συντείνει. Commodiſſimè enim & de induſtria hoc verbo Paulus vſus eſt, quod inter cætera ſignificat contraho, ita vt propè ſequatur conſumptio. Porro mox explenda eſt lectio ex Gal. & Aëtio hoc modo, εἰ δὲ πλυθείη, ἄδηκτος γίνεται ὕδατι πολλάκις πλυθεῖσα· διαφορητικὴ δὲ ἱκανῶς γίνεται θαλάσσῃ πλυθεῖσα. At paulo pòſt totum caput de trifolio elapſum reſtituimus.

Col. 644. lit. E. *Ex tertio frigefacientium ordine eſt.* De hyoſcyamo hoc dicit: ſed deſunt in Græcis codicibus voces τῶν ψυχόντων, reſtituendæ ex Galeno & Aëtio ſic, ἐκ τῆς τρίτης ὢν τάξεως τῶν ψυχόντων. Mox etiam de hyperico deſunt voces, τὰ πλαδαρὰ καὶ σηπεδονώδη, poſt vocem ἐπιπαττόμενα, & non (vt exemplaria habent) ἐπιπλαττόμενα, & ante vocem ἑλκῶν inſerendæ ex iiſdem authoribus.

Col. 645. lit. B. *Nimirum ut quæ tenuium partium quid habeat, inſupérque calidum.* Hæc verba in Græcis corruptè leguntur, reſtituendáque ſunt ex Galeno in hunc modum, ὡς ἔχουσά τι λεπτομερὲς, ἔτι δὲ καὶ θερμόν. Habentur autem de phalaride ſub litera φ.

Ibid. lit. G. *Si uerò lotum ſit, teneris corporibus magis commodat.* De ære vſto hæc leguntur, ſed Aldinus codex ſic habet, εἰ δὲ πλυθείη, τοῖς ἁπλοῖς χρησιμώτερός ἐστι. Baſilienſe verò ſic, εἰ δὲ πλυθείη τοῦ ἀπλύτου χρησιμώτερός ἐστι. Nec deſunt qui adhuc plura ex Galeno aſſuenda putent. Sed non eſt neceſſe, & integra eſt ſententia, ſi modò ἁπαλοῖς pro ἁπλοῖς legatur.

IN CAPVT QVARTVM.

Col. 647. lit. D. *Qui enim ueſperi dant, aut poſt cibum, lædunt. Corrumpit enim alimentum.* Græcè hîc legitur, διαφορεῖ γὰρ τὴν τροφὴν, id eſt digerit ſiue diſcutit alimentum. & poterat tolerari hæc ſententia, ſi de eo quod futurum erat nutrimētum accipiamus, vt hoc in corpus crudum adhuc & non concoctum diſtribui intelligamus. Verùm mihi magis arridet vox διαφθείρει, pro qua facilè potuit ſupponi διαφορεῖ. Et paulo pòſt in altera editione falſò legitur εὐχροιαν, in altera item falſò χρείαν, vbi legēdum eſt, καὶ πολλὴν ὕλην ἀχρεῖον ἐν τῷ σώματι συλλεγόντων, id eſt multam inutilem materiam, &c. Et mox vbi de aloë rurſus tractat, & dicit, ἱκανῶς γὰρ ἐκκενοῖ, ὅλον μὲν οὐ συγκινοῦσα τὸ σῶμα. Videtur pro συγκινοῦσα legēdum eſſe κινοῦσα, ex Aëtii lib. 3. cap. 24.

Col. 648. lit. C. *Colocynthidis medulla bilem potiſſimum uacuat, &c. de neruis ac partibus neruoſis.* Hîc etiamſi legant exemplaria vtcunque vetuſta, ἀπὸ τῶν πλευρῶν τε καὶ πλευρωδῶν, id de coſtis ſiue lateribus, tamen res ipſa indicat legendum eſſe, ἀπὸ τῶν νεύρων τε καὶ νευρωδῶν, & confirmat Aëtius qui lib. 3. cap. 35. de colocynthide ſic ait, καθαίρει φλέγμα καὶ χολὴν ἐμμυξώδη, ὅθεν νεύρων καὶ νευρωδῶν σωμάτων ἐστὶ καθαρτικόν.

Col. 649. lit. A. *Tragorigani Heracleotici eadem menſura, ut pulegium euacuat: ſed ambo ſicca.* Hoc poſtremū, Sed ambo ſicca,

Græcè legitur, ἄμφω δὲ ξηραί. Nec accipiendum eſt ambas ſiccandi vim habere. Non enim ex aliqua temperamenti qualitate, ſed totius ſubſtantiæ proprietate purgantia medicamenta euacuant. Quare hîc de ſiccandi vi non loquitur: ſed ambo ſicca & non viridia, exhibenda eſſe intelligendum eſt, quemadmodum etiam paulo pòſt de parthenio dicit, Parthenium ſimiliter ſiccum potum eadem ducit.

Ibid.lit.C. *Et coxendicum morbo laborantibus, ubi articulus ſubmucoſus aut pituitoſus fuerit.* Hæc verba leguntur ſub titulo, Quæ pituitam euacuant. Sed in Græcis vna corrupta vox totam ſententiam peruertit. Sic autem legitur, καὶ ἰσχιαδικοῖς ἐπειδὰν τὸ ἄρθρον ὑπόμυξον ἢ ἐλεφαντῶδές ᾖ. Quid hîc facit, aut ſignificet vox ἐλεφαντῶδες? Veræ autem lectionis vocem quæ pro ἐλεφαντῶδες reponenda eſt, oſtendit vox præcedens ὑπόμυξον, quæ ſimilem, aut non multum diuerſam ſignificatione vocem exigit: eam autem eſſe vocem φλεγματῶδες nemini dubium eſſe debet; quum iſchiadicorum articulus ſubmucoſus aut pituitoſus fieri ſoleat, non elephantioſus, velut falſò legitur.

Inter ea quæ aquam euacuant habetur granum cnidium cum melle coctò deuoratum. Eſt enim melle obuoluendum, vt ne in deglutiendo lædat. Quare legendum eſt καταποθείς, & non ποθείς, id eſt potus. non enim bibi, ſed deuorari debet. Sic etiam mox euphorbii drachma vna cum melle cocto deuorata habetur. Sed & eo loco πινομένη falſò pro καταπινομένη legitur: & rurſus Cneorum cum polenta voratum habetur, vbi in Græcis itidē καταπινόμενον legendum eſt, & non πινόμενον.

Ibid.lit.F. *Ammoniaci thymiamatis drachmæ duæ in aqua mulſa potæ aquam ducunt.* Exemplaria Græca non duas drachmas, ſed < α'. habent, quod pondus debilius eſſe videtur, & exemplaria manuſcripta < β'. habere dicuntur. Ego itaque de hoc admoneo, & liberum vſuro relinquo. Sicut etiam paulo ſuperius, ſquamæ Cypriæ drachmæ dimidiæ pondus debilius eſſe apparet, & eius item < β'. vetera exemplaria præferre dicuntur. Aëtius certè < αϛ'. id eſt ſeſquidrachmam habet.

IN CAPVT QVINTVM.

Col.650.lit.C. *Purgatorium ex malis cydoniis.* In hoc medicamento conuerti, Piperis ſemunciam, non quòd in Græcis ita legatur, ſed quòd pōdus quod legitur nimium eſſe videatur. Legitur enim πεπέρεως ℥ ϛ'. pro ſenarii itaque numeri nota ϛ'. legendam puto notam hanc S. quæ cuiuſque ponderis ac menſuræ cui adiicitur, medietatem ac dimidium ſignificat, vt hoc loco πεπέρεως ℥ S. piperis vnciæ dimidium ſignificet. Aëtius lib.3.cap.92. piperis & zingiberis ſingulorū drach.II. habet, quæ ſemunciæ dimidium faciunt. At ſicut nimium legitur piperis pondus, ita ſcammoniæ drachm.I. pondus, minus eſſe pro reliquorum modo videtur. Aëtius certè in reliquis idem pondus cum Paulo ſeruans, ſcammoniæ drach.VI. habet. Nihil tamen hîc mutaui, ſed ſiquis vti velit & parare, ei Aëtium magis quàm Paulum hac parte ſequendum cenſeo: ſicut etiam exhibendi modum ex Aëtio Paulo reſtituendum iudico. Aëtius enim cochlearium vnum dat, quomodo etiam in Paulo legendum eſt, nimirum δίδου κοχλιάριον α. ἢ πρὸς δύναμιν, & non vt exēplaria habent, κοχλιάριον ℥ α. ἢ πρὸς δύναμιν.

Ibid.lit.D. *Buccellatus purgatorius.* Hoc medicamētum non ſatis ſcio an integrè legatur. Aëtius certè lib.3.cap.100. amplius quiddam tradit, & de fermento addendo, & de torrendi modo. Appellatio à Latina voce buccea ſiue buccella facta eſt, quòd paruæ velut panum moles ac fruſta fierent.

Ibid.lit.E. *Poſca purgatoria & ſtomacho grata.* Græcè legitur φοῦσκα καθαρτικὴ καὶ εὐστόμαχος. Eſt autē vox φοῦσκα Latina facta ex poſca, quæ acetum cum aqua permixtum ſignificat, quòd Græcis vocatur ὀξύκρατον. Ex eo itaque quòd cum poſca (id eſt ἐν ὀξυκράτῳ) exhiberetur, appellationem medicamentum accepit.

Ibid.lit.F. *Datur mane cum condito, aut aqua mulſa, aut mero feruefacto.* Hæc verba de purgatoria podagrica priore legūtur in Græcis ſic, δίδοται ἕωθεν μετὰ κονδίτου, ἢ μελικράτου, ἢ ζεστακράτου. Per vocem itaque ζεστάκρατον, ego vinum meracum feruefactum accipio, vt ſit quaſi ζεστὸν ἄκρατον. Eſt enim ἄκρατον merum non mixtum.

Col.651.lit.A. *Dantur ſcrupuli III. His uerò qui aluum ægrè ſolubilem habent, ſiliquæ XXIII. quæ faciunt omnino VII. aut propemodum VIII. obolos. Et poſt euacuationem ubi lauiſti, ex ouis & pane nutrito.* Hæc de purgatoria ex coronopodio in Græcis corrupta habentur. Primum enim δόσις ℈ η. id eſt dantur ſcrupuli VIII. nimia eſt, id quod ſequentia declarant. Si enim octo ſcrupuli communis eſſet doſis, quomodo in his quæ aluum ægrè ſolubilem habent, quos δυσκοιλίους vocat, id pondus minuatur, & non potius augeatur, vt quos difficulter euacuare poſſis? Exhibet autem his ſiliquas XXIII. quas omnino facere dicit obolos ſeptem, aut propemodum octo. Nam iuxta ponderum rationem ad finem huius lib.7. traditam, tres ſiliquæ obolum faciunt, vt ita XXIII. ſiliquæ, octo obolos ad plenum efficerent, ſi vna adhuc ſiliqua adderetur. Quum autem octo oboli faciant ſcrupulos IIII quomodo his qui difficilius purgantur, minus & dimidiatum pondus, vtpote ſcrupuli IIII, exhibeantur, quum communis doſis ſit ſcrupulorum VIII? Ego itaque legendum puto, δόσις ℈ γ'. vt η' octonarii nota, pro ternarii numeri nota γ' ſit ſuppoſita. Deinde vox γαστέρας in totum eſt ſuperflua ac reiiciēda, nec poſt vocem κένωσιν locanda, & pro ipſa ὀβολοὺς vox reſtituenda, vt ſic legatur, ἡ δόσις ℈ γ'. τοῖς δὲ δυσκοιλίοις κεράτια κγ'. ἃ ποιεῖ πάντως ζ'. ἢ ὀκτὼ σχεδὸν ἐγγὺς ὀβολούς. καὶ μετὰ τὴν κένωσιν λούσας θρέψον ὠὰ καὶ ἄρτον. Hanc lectionem in tranſlatione mea expreſſi: & ex hac docemur, quum in communi ſcrupuli tres aut oboli ſex, aut ſiliquæ octodecim de hoc medicamento exhibeantur, his qui ægrè ſoluuntur dandos eſſe ſcrupulos fere quatuor, aut obolos fere octo, aut ſiliquas XXIII.

IN CAPVT SEXTVM.

In hoc capite mox à principio trāſpoſita ſunt verba quædam, quæ iuxta trāſlationis ordinem in iuſtam formam reponantur. Eſt item mox à principio corrupta lectio in hunc modum, καθόλου μὲν ἐπὶ πάντων δραστικῶν καθαιρουμένων προδιαιτήσαντα τὸν ἄνθρωπον, &c. pro καθαιρουμένων itaque legendum eſt καθαρτικῶν, vt de purgatoriis medicamentis vocem eam accipiamus. Et mox ante vocem προδιαιτήσαντα inſerenda eſt vox λιτῶς, quæ eadem ratione in prægreſſi capitis fine habebatur, vt recta ſit hæc lectio, καθόλου μὲν ἐπὶ πάντων δραστικῶν καθαρτικῶν λιτῶς προδιαιτήσαντα τὸν ἄνθρωπον, & cætera.

Ibid.lit.E. *Si uerò res urgeat ob magnitudinem morbi, aut æger lancinetur, & diſtendatur, & uelut ſerra ſecetur.* Græcè ſic, εἰ δὲ κατεπείγοι διὰ μέγεθος νοσήματος, ἢ σπαράττοιτο, ἢ διατείνοιτο, καὶ πεπρισμένος ὁ κάμνων εἴη. Per vocem itaque πεπρισμένος ſerratum accipio, qui ſe velut ſerra ſecetur affligi ſentit, à verbo πρίζω. Poſſit tamen fortaſſis non malè πεπρησμένος, à verbo πρήθω, legi, vt incenſus & velut ardens accipiatur: & vtrunque afflictionis modum veriſimile eſt non purgatis cōtingere. Ego exemplarium præſcriptum ſequutus ſum.

IN CAPVT OCTAVVM.

Col.652.lit.B. *Hiera Antiochi.* Hæc deſcriptio Hieræ Antiochi ad verbum ita habetur in Aëtii lib.3.cap.114. Nec quicquam ambiguum eſt, niſi quod & hîc & in Aëtio legitur, κρόκου φύλλων, quaſi croci folia accipiēda indicentur. Quū autem in reliquis hieris ſimpliciter κρόκου legatur, nulla facta additione, videtur omnino & hîc φύλλων vox ad crocum non pertinere, ſed diſtinctim legenda eſſe, & hoc in ſingulari numero, φύλλου, vt per ipſam folium malabathri accipiatur, quod & ſimpliciter φύλλον & μαλαβάθρου φύλλον dici ſolet. Et ſic quoque in hiera Pachii Antiochi apud Scribonium legitur. nimirum diſtinctè, myrrhæ, folii, croci: quanquam ea tota deſcriptio magis cum hiera Archigenis eadem ſit quàm cum hac quam Paulus Antiocho adſcribit, velut mox dicam.

Ibid.lit.E. *Archigenis Hiera.* Hæc Archigenis hiera nihil euariat ab illa quàm ſuprà hieræ Antiochi nomine pro-

poſuit,niſi quod in hac marrubium amplius habetur.Eſt autem eadem planè cum ea quæ à Scribonio Largo Antiocho attribuitur.Sed in Paulo πολίου pro φύλλου falſò irrepſit.Legitur enim,σμύρνης,πολίου,κρόκου, pro eo quòd legi debet σμύρνης,φύλλου κρόκου,vt ſit quod Scribonius habet, myrrhæ, folii, croci. Sequitur mox, Doſis autem ipſarum perfecta drachmæ quatuor. Sed locus hic in Aldino codice mancus eſt.deeſt enim numeri nota.At in Baſilienſe exemplari adiecta eſt nota dualis numeri β'.hoc modo,ἡ δόσις αὐτῶν ἡ τελεία < β'.Verùm non eſſe hanc rectam lectionem minimè dubium eſt. Dicit enim,Perfecta ipſarum doſis hæc eſt.Non eſt autem perfecta doſis duarum drachmarum.Nam Galenus lib.1.cap.1.τῶν κατὰ τόπους, quatuor drach.hieræ ex colocynthide ſe dediſſe dicit,& in repetita purgatione drachmas quinque.Ego itaque perfectam doſin quatuor drachmarum eſſe,atque hîc legendam eſſe iudico:quam tamen etiam augere liceat, ſi affectio pertinax ſit & rebellis. Alioqui enim & infra quatuor drachmarum pondus deſcendere licet,ad vnam vſque & ſeſquidrachmam.

IN CAPVT NONVM.

Col.652.lit.G. *Illitio ſedis uentrem mouens,appellatur Chezananca,id eſt Cacacoga.* Hæc illitio χεζανάγκη appellata videtur, ὅτι τὴν τοῦ χέζειν ἀνάγκην εἰσφέρει, id eſt, quòd cacandi neceſſitatem inducit.Itaque ad Græcæ vocis ſimilitudinem, Cacacogam appellaui.At in vltima ex his illitionibus κηρίου vox falſò (vt puto) legitur pro κηροῦ. Vult enim cum cera & oleo ad emplaſtri modum pharmacum effingere.Et ad hoc fauus mellis non ita idoneus eſſe videtur. Sit tamen per me liberum.

IN CAPVT VNDECIMVM.

Col.654.lit.F. *Hedychroi in Theriacam ingredientis præparatio.* Mirificè variant huius medicamenti hedychroi deſcriptiones,non in ponderibus ſolùm,ſed etiam ipſis rebus,apud Galenum, Aëtium ac Paulum. Et quum apud Galenum tribus locis hedychroi deſcriptio habeatur,ea quæ in primo de antidotis habetur, variat ab ea quæ eſt in libro De theriaca ad Piſonem:& rurſus ab vtriſque euariat ea quæ eſt in lib. De theriaca ad Pamphilianum, qui tamen non eſt genuinus Galeni libellus,velut ex libro ad Piſonem clarum eſt.Et cum Pamphilianica quidem concordat maximè Paulina:& tamen ex aliis amplius quàm illa habet,aſſumpſit carpobalſami drach.II.& mari drachm.XVI.& hæc ex lib.1.de antidotis,vbi tamen mari drach.II.ſaltem leguntur,& pro carpobalſami drachmis duabus,opobalſami drachm.III. habentur.Nam in lib.ad Piſonem,& marum,& carpobalſamum,ſiue pro ipſo opobalſamum,deeſt: ſicut etiam in vtriſq; Rheon non legitur, quod tamen ad Pamphilianum habetur,& Paulus præſcribit. Sed de his admonere volui ea ſaltem de cauſa vt & qui parant,& qui vſuri ſunt,recto iudicio vtatur, & ne fallantur circa effectus quos fruſtra ex his quæ deſunt ſperarint.

Quod porro dixi, Et paſtillos efforma digitis opobalſamo tinctis: in Græcis falſò legitur, καὶ ἀναπλάττε τροχίσκους ὀποβαλσάμου προκοπτόμενος. Legendum eſt enim προχριόμενος, quemadmodum paulo pòſt rurſus in paſtillis theriacis legitur.

Col.655.lit.A. *Theriacæ antidoti præparatio.* Hæc deſcriptio ad verbum eadem eſt cum ea quæ ad Pamphilianum habetur,& eſt inde,vt apparet,à Paulo tranſcripta,ſi modò quæ vel hîc vel illic falſò leguntur,ex vtriuſque collatione emendentur.Primùm itaque buniadis ſemen vtrobique legitur, ſed in Galeno ſuperfluè adiectum eſt, γογγυλίδος ἀγρίας, quod in margine adſcriptum,in contextum irrepſit,tanquam aliud ſit medicamentum, quum is qui id adſcripſit, βουνιάδος vocem per illam exponere voluerit.Eandem enim eſſe buniadem & gongylida,Galenus lib.2.De alimentis teſtatur.Deinde σχοίνου ἄνθους voces,poſt vocem καλαμίνθης redundant.habentur enim ſequenti linea poſt δικτάμνου,vbi tamē σχοίνου vox excidit,ante ἄνθους vocem reſtituenda.Poſtea piperis albi & longi lectio recta eſt in Paulo,ſed corrupta in Galeno.Legitur enim πεπέρεως λευκοῦ δραχμαὶ ς'.quum legi debeat πεπέρεως λευκοῦ καὶ μακροῦ: nam pondus drach. VI. hîc locum non habet,ſed ſequitur poſtea,voce ἀνὰ præmiſſa,velut res requirit.Deinde Paulus habet,τερεβινθίνης, μαστίχης:vbi in Galeno habetur,τερεβινθίνης,χίας.Diſtinctè ergo voces hæ legēdæ ſunt, vt nō terebinthinā aliquā Chiam accipiamus, ſed terebinthinam & chiam,id eſt maſtichen,ſimpliciter & priuatim chiam appellatam,velut etiam ſuprà lib.3.capite 26.oſtendi: niſi Paulus falſò maſtichen per χίας vocem accepit. Certè Galenus terebinthinam chiam & legit, & maximè probat,quum Andromachus in verſibus ſuis Libycam prætulerit,& maſtichen omnino nō habeat.Et mox poſt ναρδοστάχυος vocem,habetur in Galeno pondus prægreſſorum,ἀνὰ δραχμαὶ ς'.quod è Paulo excidit, & omnino reſtituendū eſt.Sunt enim nouendecim medicamenta,quæ drachmarū ſex pondere recipiuntur. Deinde poſt nardi Celticæ nomēclaturam,falſò legitur vox νάρδου repetita in Paulo,quum antea ſpicam nardi habuerit, & eo loco Galenus nardum Indicam poſuerit.Et mox in Paulo φοῦ,ὀπίου,falſò legitur,quaſi duo diuerſa accipienda ſint medicamenta. Legendum eſt autem vt Galenus habet φοῦ ποντικοῦ.Opium autem antea habuit,& ſuccum papaueris dixit.Et rurſus vbi præparādi modum leuiter perſtringit,& opium ac hypociſtidem cum aliis ſuccis ac liquoribus recenſet,Galenus non ὄπιον, ὑποκιστίδα habet,vt per opiū ſuccus papaueris antea dictus accipiatur, ſed ὀπὸν ὑποκιστίδος, vt de ſolo hypociſtidis ſucco loquatur. Verùm hîc laborare non oportet. omnia enim ſucculenta eodem modo tractantur, velut ex 1.De antidotis,& Aëtio apparet,vt recta ſit Pauli lectio,ſed breuitate ſola obſcura.Atque ſic vtriuſque deſcriptionis rectam rationem habes,qualis eſt etiam per omnia apud Aëtium lib.13.niſi quòd apii ſemen neſcio qua iniuria omiſſum eſt,aut excidit.

Quod mox in vſu Theriaces dixi, quemadmadum in peſtilentibus conſtitutionibus maximè fieri ſolet: in Græcis codicibus mancum legitur. deeſt enim vox καταστάσεων, vt ſic legatur, καθάπερ ἐπὶ τῶν λοιμωδῶν καταστάσεων μάλιστα γίνεται.

Ibid.lit.G. *Sales Theriaci.* Hæc deſcriptio corruptè & hîc & apud Galenum lib. ad Piſonem habetur. Rectiſſimè verò apud Aëtium lib.13.ex cuius lectione,& Galenica & Paulina emendari poteſt. Ego certè iuxta vtriuſque collationem,tranſlationem meam ita adornaui vt rectiſſimam ipſam eſſe putem, tum quod ad res, tum quod ad pondera rerum attinet.Nec longius reddendam mihi rationem puto;quum ea ex collatione ſatis pateat. Vnum ſaltem inſigne erratum indicabo:legitur πεπέρεως λευκοῦ,μαράθρου ἀνὰ λ. η'.pro μαράθρου igitur legendum eſt καὶ μακροῦ,ex Aëtio, quanquam Galenus nigrum piper habet. Fœniculum autem hîc locum non habet: nam antea habitum eſt ſexuncis pondere.Pondus autem librarum VIII.nimium eſt,& falſum: & pro η octonarii nota, dualis numeri nota reponenda eſt β, velut ex Aetio & Galeno conuerti. An verò Tordylion, quod Galenus ſexuncis pondere addit, Aëtius verò quadrantis, vltro à Paulo omiſſum ſit,aut aliàs exciderit,ambiguum eſt,& ego non inuentum in Paulo,vltro tranſferre omiſi.

Col.656.lit.D. *Antidotus Mithridatica ex ſcinco.* Citat hîc Paulus verba Galeni: verùm ego nondum ea reperi in Galeno,ſicut neque hanc deſcriptionem.Eſt lib.2 De antidotis deſcriptio διὰ σκίγκου λεγομένη, ſed ab hac longè euariat, vt eadem cum hac videri non poſſit.At quæ ſequitur ex ſanguinibus antidotus,habetur & ipſa eodem Galeni loco, ſed in paucioribus ab hac euariat, velut facile eſt cuiuis videre,ſiquis locos conferre velit.

Ibid.lit.G. *Acetum ſcilliticum.* Hoc loco haud dubiè falſò legitur in Græcis codicibus, σκίλλης λευκῆς, &c. μναῖ ς'. hoc eſt ſcillæ albæ,&c.minas ſex:quum mox ſequantur aceti ſextarii duodecim ſaltem. Nam ſex minas ſcillæ vix intexerint aceti ſextarii duodecim,ita amplam molem efficiunt.Quare mihi magis placet Dioſcoridis lectio, qui minam vnam ſcillæ in aceti ſextarios duodecim mittit.Declarant hoc etiam Pauli verba ſequētia,vbi ait, Quidam ſcillæ minā I.in aceti ſex ſextarios mittunt.Nam iuxta horum ſententiam,in XII.aceti ſextarios duæ minæ ſcillæ mittendæ eſſent. Proinde μναῖ α'.lego,& minam vnam conuerti.At ſicut hoc in Dioſcoride rectè,ita dierum quibus inſolari hæc debēt

numerus falſò legitur in eodem,ſed characterum ſiue literarum quæ numeros Græcis denotant fraude. ζ enim ſuppoſitum eſt in Dioſcoride pro ξ,id eſt ſeptem pro ſexaginta.Nam quæ facultas de ſcilla in acetum per ſeptem dies tranſire poſſet? Quòd autem ſexaginta diebus inſolare oporteat,declarant itidem verba ſequentia, vbi viridem ſcillam per ſex menſes inſolari dicit,quod tempus ſexaginta dies ter habet.

Col.657. lit. A. *Acetum mulſum ſcilliticum. Vtere hoc auxilio & ieiunus uelut potione quæ ante cibum ſumi ſolet, & cum cibo ad intinctus.* Græcè ſic, χρῶ δὲ τῷ βοηθήματι καὶ νῆστις ὡς προποτίσματι, καὶ μετὰ τροφῆς ὡς ἐμβάμματι. Sunt itaque προποτίσματα eadē quæ προπόματα,de quibus multa in commentariis medicis diximus,ſicut etiam de embammatis. Vſus amborum hîc clarè indicatur,& infrà cap.15.

Ibidem lit. B. *Medicamentum Galeni ex ſcilla.* Hoc habet Galenus in libello quî conſilium puero in morbo comitiali datum inſcribitur.

Ibidem lit. C. *Philonis antidotus.* In Græcis codicibus falſò legitur ὑοσκυάμου < ή.id eſt hyoſcyami drach.VIII.pro ὑοσκυάμου < κ'.Ita vt η pro κ,octonarii numeri pro vicenarii nota ſit ſuppoſita,velut clarè habetur apud Galenum lib.9. de cōpoſ. medic. ſecundū locos,vbi verſus elegiaci carminis à Philone ipſo ſcripti proponuntur, qui minimè fallere poſſunt, tum in rebus tum in ponderibus. Nam & piperis albi drach. xx. & hyoſcyami drach. xx. ſumendas eſſe his verſibus docet,

Ὁλκὰς δ' ἀργύρου οἷο πυρώδεος εἴκοσι βάλλε,
Εἴκοσι καὶ κυάμου θηρὸς ἀπ' Ἀρκαδίης.

quos verſus ego item ænigmaticè conuerti in hunc modum,

Viginti & drachmas ardentis coniice flammæ,
Et totidem fabæ poſt ſuis Arcadicæ.

Per ardentem enim flammam,piper album ſignificat,& per fabam ſuis Arcadicæ,hyoſcyamum,ex eo quòd aprum Erymanthium Hercules occidiſſe fertur,qui in Arcadum terra fuit connutritus.Reliqua rectè habent.

Ibidem litera E. *Antidotus ex papaueris capitibus & ſapa.* In hac antidoto reliqua rectè habent,& commodam ſententiam exhibent,eam videlicet quam ego expreſſi,ſi vna ſaltem dictio tollatur, quæ importunè & nulla penitus ſignificatione irrepſit.Ea autem eſt ἑψήσας,quæ legitur poſt numerorum notas ή.ή ί.Hac ſublata lectio recta hæc eſt,κωδύας χλωρὰς ἀνύδρους ή.ή ί. μετὰ τὸ ἐπαρθῆναι,&c.

Ibidem lit.G. *Eclegma ex marrubio ſimplex.* Quod conuerti,Et abiecta herba,parem mellis menſuram aquæ adiicito: in Græcis mancum legitur.deſunt enim voces,μέλιτος ἴσον,ἕψε ἕως:vt integra lectio ſic fiat, τὴν μὲν βοτάνην ῥίψον,ἐπιβαλὼν δὲ τῷ ὕδατι μέλιτος ἴσον,ἕψε ἕως μελιτώδους,&c.

Col.658. lit.B. *Eclegma dodecatheon.* Hoc medicamentum à numero rerum quas duodecim recipit, δωδεκάθεον appellatum eſt,vt quod velut duodecim deos vi ſua repræſentet.Noti autem ſunt verſus de duodecim diis Romanis,

Iuno,Veſta,Minerua,Ceres,Diana, Venus,Mars,
Mercurius,Iupiter,Neptunus,Vulcanus,Apollo.

Ibidem lit.D. *Antidotus Eſdræ.* In hac antidoto quod conuerti.Floris nerii (eſt autem velut ſiliqua ex qua roſa rododaphnes emergit)& roſæ ipſius,ſingulorum ſcrup. III. in Græcis exemplaribus ſuperfluè legitur nerii floris pondus ℈ α.S.ſequitur enim pondus eius poſt roſam ipſius ſcrupulorum III.quod indicat vox præmiſſa ἀνά. Deinde malè diſtincta eſt lectio Græca,quæ ſic legenda eſt,νηρίου ἄνθους, (ἔστι δὲ οἷον λοβὸς ἐξ οὗ αἴρεται τὸ ῥόδον τῆς ῥοδοδάφνης) καὶ τοῦ ῥόδου αὐτῆς,ἀνὰ ℈ γ'.Eſt enim idem frutex qui Nerium & rododaphne & rhododendron appellatur.Quia verò reliqua omnia ſimpliciter in hac compoſitione,ſcrupulorum pondere recipiuntur,ego etiam θείου ℈ έ.& nō ʃο έ.(vt exemplaria habent)legendum puto:& rurſus καρδαμώμου,℈ γ'.non ʃο.γ'.Quod verò ad finem σισέρεως βοτάνης legitur, quanquam alii σίρεως legendum cenſeant,tamen ego σεσέλεως lego: hoc magis pharmaco aptum per omnia quàm ſeridem iudicans.

Ibidem lit.G. *Meloplacuntij præparatio.* Huius meloplacuntii (hoc eſt placentæ ex malis cotoneis) præparatio corrupta eſt in Græcis codicibus.Sic autem legatur, μήλων κυδωνίων καθαρῶν λ ϛ'. ἑψοῦνται εἰς οἶνον ἕως οὗ πεπερωθῶσιν. εἶτα πρὸς τὰ σιρωθέντα καὶ τριβέντα ἔνιοι προσβάλλουσι λι.ή. μέλιτος,καὶ ἑψοῦσι βληχρῷ πυρὶ,κινοῦντες νάρθηκι,&c.

Col.659. lit. B. *Antidotus ex tribus piperis generibus tertia.* In hac antidoto legitur, cinnamomi, aut caſſiæ duplum, quod ſic accipiendum eſt.Cinnamomi accipienda eſt vncia vna,aut ſi non adſit,caſſiæ vncias duas ſiue ſextantem conicere oportet.Atque hoc in multis medicamentariis libris ſcriptum reperiri teſtatur Galenus libro primo de antidotis. Et ſic certè reperitur etiam in ſuccedaneis Galeni, & infrà cap.25.huius 7.lib.At non defuerūt qui illuderent huic præcepto,inter quos fuit & Quintus medicus, qui eos qui duplum caſſiæ pro cinnamomo ſumi iubēt, ſimile facere dixit iis qui in Falerni penuria,vinum è caupona duplum bibere iubēt:aut pro puro pane,duplum furfuracei edere. Verùm referuntur & aliæ leuioris modi huius Quinti facetiæ, quas adſcribam, vt & de illo dicto facilius iudicare queant ſtudioſi,& Galeni locos eo melius intelligant,ac vitiatos emendent,atque nobis qui illos in Græcis ac Latinis codicibus emendauimus,maiorem fidem habeant.Interrogatus itaque Quintus de facultate inunctionis, reſpondit facere ipſam vt quis cogatur exuere veſtes.Idem de vrinis quid ſentiret,cuidam interroganti reſpōdit,ad fullones pertinere ipſarum conſiderationem. Sed exemplaria Galeni hactenus habuerunt,γραφέως ἐστὶ καταμανθάνειν αὐτά,& verterat interpres,ad pictorem pertinere eas noſſe:quum legi debeat γναφέως,& ad fullonem pertinere.Quid enim pictori cum vrinis commune eſt? aut inde colorum rationem collegerit ſcilicet? fullones autem vrinas conſiderant humanas, & ipſis etiam vtuntur,ipſáſque quanto tenuiores ac crudiores ſunt,tanto magis probant, id quod etiam Galenus in ſecundo commentario in prorheticum Hippocratis teſtatur,vbi Theſſalicum quendam vrinas nūquam inſpexiſſe dicit,& eos qui illas conſiderarent,fullones appellaſſe.At verò idem Quintus de calido ac frigido,& ſicco ac humido, dicere ſolebat,balneatorum talia eſſe vocabula.Hæc Gal. lib. 3.de ſanit.tuenda in fine.

Ibidem lit. C. *Dioſpolites* Hoc medicamentum habet atiam Galenus libro quarto ὑγιεινῶν, ſed paribus omnium ponderibus,cumini,piperis,rutæ ac nitri.Nam zinziber quod Paulus habet,in Galeno deeſt.Deeſt etiam in Aëtio lib. 9.cap.24.Appellatio ab vrbe Dioſpoli ducta videtur, in qua fortaſſis multi vſus fuit,vt hinc Dioſpolites & Dioſpoliticum appellaretur.Sed & medicamentum ex calamintha,iiſdem Galeni & Aëtii locis habetur. Adſcribam vtriuſque deſcriptionem,vt conſenſum & diſpenſionem quiſque per ſe diiudicare poſſit. Aëtius ſic, Calaminthæ montanæ,ſeminis petroſelini,pulegii,ſeſelis,cuiuſque drach. XII. ſeminis apii; cacuminum thymi, ſingulorum drach. IIII.liguſtici drach. XVI. piperis drach.XLVIII.mellis deſpumati quantum ſuffecerit.Galenus ſic, καλαμίνθης καὶ γλήχωνος καὶ πετροσελίνου καὶ σεσέλεως,ἑκάστου ἀνὰ ʃο β'.σελίνου σπέρματος,κορύμβων θύμου,ἀνὰ ʃο δ'.ἑκατέρου,καὶ πρὸς τούτοις ἔτι λιβυστικοῦ μὲν ʃο ἑκκαίδεκα,πεπέρεως δὲ ὀκτὼ καὶ μ'.Et mihi quidem iuſtiſſima per omnia videtur eſſe Aëtii deſcriptio. In Paulo verò piperis pondus imminutum legi.Reliqua iuxta proportionem cum illa conſentire.At in Galeno vt eadem ſit proportio,calaminthæ & pulegii & petroſelini & ſeſelis,ſingulorum vncias duodecim,non duas legere oportet, & fieri poterit vt denarii nota I. exciderit.Eſt autem octupla Galeni compoſitio ad Aëtii deſcriptionem relata. Vbi enim Aëtius drachmas,illic Galenus vncias habet. Pauli verò compoſitio ad Aëtii deſcriptionem collata, dupla reperitur, excepto pipere, quod imminutum(velut dixi)in Paulo legitur.Et ſi proportio reliquorum ſeruanda eſt, haud dubiè πεπέρεως ʃο ιβ', legendæ ſunt,id eſt piperis vnciæ XII.velut etiam conuerti,& non drachmæ XII.velut codices Græci Baſilienſes habent. Nam in Aldina editione hoc διὰ καλαμίνθης medicamentum deſideratur.Has porro deſcriptiones velut inſignia quædam exē-

pla proponere volui, iuxta quorum rationem etiam in aliis compoſitionibus diiudicationem facere quis poſſit, vt non temere vel ipſe compoſitiones faciat, vel aliorum in vſum aſſumat. Habentur autem & reliqua huius capitis medicamenta in Galeno hinc inde magna ex parte, & in Aëtio quoque ſparſim, & indicato maximè loco: quod indicare volui, vt ſiquis velit collationem faciat. Nam talia omnia adferre, dolabellarum ad Pauli lectionem dedolãdam ac expoliendam inſtitutarum modum ac rationem excederet.

Ibid. lit. F. *Medicamentum optimum ex hepate lupino.* Hoc medicamentum eſt apud Aëtium lib. 10. cap. 6. in paucis ab hac deſcriptione euarians, quæ tamen libera eſſe iudicantur, vt quis pro arbitrio recipiat aut omittat. Verùm quod in Paulo legitur χ. ἀρκίου, vt arcii ſuccum accipiamus, penitus ineptum videtur. Non enim facultatem huc facientem arcion (id eſt perſonata) habet. Legendum itaque χολῆς ἄρκτου, vt Aëtius habet. Nam vicinitas ſcripturæ errorem induxit. Sed & pro μίλτου (id eſt minii voce) quam Paulus habet, Aëtius terram Lemniã recipit, quæ ſphragis dicitur. Hæc igitur etiam in Paulo intelligenda videtur. Quanquam Galenus lib. 1. antidotῶn, melius eſſe dicat vt nõ μίλτος (id eſt minium) ſed terra appelletur, quum ſit quædam Lemnia μίλτος, quæ in Lemno naſcitur, ad alios vſus commoda, non ad eos ad quos conducit ea quæ Lemnia ſphragis, ſiue Lemniũ ſigillum appellatur. De his igitur ne error committatur, diligenter diſtinguendum eſt.

Col. 661. lit. A. *Antidotus ex ſemine porri.* Hæc antidotus ex porri ſemine appellationem habet, ac dicitur, ἡ διὰ τοῦ πρασοσπέρμου. Quare etiam in ſimplicium quæ recipit enumeratione, πράσου σπέρμα (id eſt porri ſemen) & non πρασίου (id eſt marrubii) legendum eſt. Porri autem ſemen in rhenales compoſitiones miſceri, etiam ſuprà teſtatus eſt Paulus, vbi ſub litera π de ipſo egit. Quemadmodum autem hic πρασίου ſuppoſitum eſt pro πράσου, ita in ſequenti medicamento ex Tecolitho, λινοσπέρμου ſuppoſitum eſt pro λιθοσπέρμου. Non enim lini ſemen huc facit, ſed lithoſpermon, quod etiam in præcedentibus medicamentis rhenalibus habetur, & calculos frangere traditur.

Ibid. lit. B. *Antidotus ex ſemine maluæ ſylueſtris.* In hac antidoto quod conuerti, Amygdalas x. nuces regias x. nuces põticas x. In Græcis exemplaribus corruptè legitur. Deeſt enim numeri denarii nota poſt vocem ἀμύγδαλα, & deeſt vox κάρυα ante βασιλικὰ ponenda. Tria enim nucum genera recipit. Et ἀμύγδαλα nõ vocãtur βασιλικά. Sic ergo lectio recta reſtituatur, ἀμύγδαλα ι΄. κάρυα βασιλικὰ ι΄. κάρυα ποντικὰ ι΄.

Ibid. lit. C. *Antidotus Satyriaca.* Quod dixi, Datur drach. 1. cum vino, debilioribus cum lacte: in Græcis mãcum eſt. deeſt enim μετ' οἴνου. Legendúmque eſt, δίδοται < α. μετ' οἴνου, τοῖς ἀσθενεστέροις μετὰ γάλακτος.

Ibid. lit. D. *Antidotus ex corallio podagrica.* Hæc antidotus nõ ex corallio, quam ſuprà ſub litera κ, velut arboreã plantam, quæ in lapidem indureſceret, dixit, appellationem habet. Nam hoc corallium in antidotum non recipitur: ſed ex anagallide altera, quæ quia Ruſſeum (id eſt puniceum) florem habet, corallium à colore (vt apparet) appellatur. hãc enim antidotus recipit. Dixit autem ῥούσιον ἄνθος, florem eius, qui ab aliis φοινικοῦν ἄνθος appellatur, Latina vſus voce, quemadmodum etiam alibi dixi. Marcellus medicus antiquus etiam Eruum ruſſeum appellauit. In huius antidoti vſu præſcripſit abſtinendum eſſe à piſcibus capitonibus, gobiis, &c. Quod Græcè legitur ſic, ἰχθύων δὲ κεφάλων, γόμφων. Ego itaque pro γόμφων voce, κωβίων legendũ puto, vt de globiis ſtagnorũ, maximè eorũ qui fere maris ſpeciẽ præferũt, intelligamus. Nam in his degentes gobios improbat Galenus, quum contrà circa arenoſa litora verſantes & circa petroſa promontoria laudet, à ſucci bonitate, eſus iucunditate, concoctioniſque ac digeſtionis facilitate. Quia verò gobium ex eorum numero eſſe idem dicit, qui ſemper parui permanent, ego gobiorum generis eſſe puto etiam eum piſciculum, qui vulgò noſtrati kob & kaulhaupt appellatur, maximè quum etiam in fluuiis gobium degere Galenus dicat. At verò Capitones (Cephalos dictos) ex mugilum genere eſſe certum eſt, & (niſi fallor) eſt hoc genus piſcis quod ad Oceanum magnum orientalem, Cabliau appellatur: ſuperior Germania bolch vocat.

Ibid. lit. G. *Antidotus Atactos podagrica.* Ἄτακτος appellatio videtur impoſita eſſe ex eo quod extra omnem aleam poſita, in nullum ordinem redigi ſe patiatur, quemadmodum ille qui ἀκατάσκευαστος εἰμι de ſe dixit. Deeſt in ipſa vox πεπέρεως, ante λευκοῦ καὶ μέλανος voces reponenda. Sed hæc facilè erat deprehendere. Sed mirum cur non æquè facilis deprehenſu fuerit falſa lectio, μέλιτος < ε. in ſequenti medicamento ex ſeptem rebus conſtante: quum nulla ſit proportio mellis drachmarum quinque, ad ſeptem res quæ vnciarum viginti duarum pondere ſumuntur. Ego itaque μέλιτος κε α΄. lego, & conuerti, iuxta eam proportionem qua in præcedenti antidoto Procli, heminæ duæ mellis ad ſpecierum vncias quadraginta quinque adiiciuntur. Videtur tamen in iudicio medici poſitum eſſe vt mellis menſuram augeat aut minuat pro vtentis natura.

IN CAPVT DVODECIMVM.

Col. 663. lit. A. *Paſtillus quem Galenus Aphrodiſiaſticum clidion inſcribit.* Hic paſtillus habetur ad verbum lib. 7. compoſ. pharmac. κατὰ τόπους. Sicut etiam ad verbum paſtillus Philippi, niſi quod in ipſo Paulus Rhus habet, qui deeſt Galeno. Habetur illic etiam ex ſuccino paſtillus, rebus nihil, ponderibus parum euarians. Sed & reliqui fere omnes apud Galenum & Aëtium diuerſis locis ſunt: quod indico, vt ſiquis hos paraturus, aut ipſis vſurus ſit, diligenter & rerum & ponderum examinationem faciat. Appellatio Aphrodiaſtici clidii, clauiculam Veneream refert.

Col. 664. lit. A. *Paſtillus ex ſubere.* In hoc paſtillo τρύγος κε, falſò legitur, id eſt fæcis vini vſtæ, pro φέλλου κε, id eſt ſuberis vſti, ex quo paſtillus nomen habet, vt Aëtius lib. 9. cap. 49.

Ibid. lit. E. *Paſtillus Criogenes.* Hic paſtillus nomen habet ex eo quòd verbenaca quam recipit, tum colligenda eſt quum ſol eſt ἐν κριῷ, id eſt in ariete. Poteſt ad emplaſtri formam reduci per olei, colophoniæ, ac ceræ additionem, quæ res confirmat ſuprà etiam cap. 9. κηροῦ, & non κηλίου legendum eſſe, velut iſthic indicaui: quanquam etiam hic κιρροῦ pro κηροῦ legatur.

Col. 665. lit. B. *Paſtillus ſubdititius.* In hoc paſtillo quod conuerti, Et paſtillos oblongos efforma; in Græcis corruptè legitur, καὶ πλάττε ἐπὶ μήκη κε. S. Quæ verba nullam penitus ſententiam exhibent. Ego itaque legendum eſſe puto, καὶ πλάττε ἐπιμήκεις τροχίσκους: aut certè καὶ πλάττε ἐπιμήκη κολλύρια. Nam collyria etiam dici glandulas in anum ſubdititias, in commentariis medicis declaraui.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Ibid. lit. D. *Aut ſuperfluam humiditatem reſiccando.* Græcè legendum eſt, ἢ τῷ ξηραίνειν, non παρὰ τὸ ξηραίνειν. Præcedit enim ἢ τῷ καθαίρειν, & ſequitur, ἢ τῷ ταῖς δριμύτησι, &c. Et mox quod dixi, Et quæ ex his compoſitorum vires habent: legendum, καὶ ὅσα τῶν συνθέτων, &c. Nam in Græcis deeſt vox ὅσα. Et rurſus lectio malè diſtincta ac trãſpoſita, ſic reſtituatur, καυστικὰ δὲ καὶ σηπτικὰ διὰ πιτυίου τε καὶ ἀρσενικοῦ, καὶ σανδαράχης καὶ τρέκλης, ἤ τις ἐστὶ τρυγὸς οἴνου κε. συντίθεται. ταῦτα δὲ πάντα χρωστέσιτα, &c.

Ibid. lit. F. *Limnitide ſiue adarce, & ſepiæ teſta parata.* Hoc loco limnitidis vocem adarces voce addita velut expoſui, vt nequis in illorum errorem delabatur qui per limnitidem, terram Lemniam accipiunt. Eſt enim Limnitis eadem quæ & Adarce & ardacium appellatur, vt Galenus libri primi capite primo κατὰ τόπους apertè dicit. Et ipſe Paulus infrà cap. 19. in acopo barbarico exponit. Sic enim habet, λιμνήτιδος ἔστι δὲ ἡ ἀδάρκη, ſo. S. id eſt Limnitidis: eſt autẽ adarce, vnc. S. Habent tamen exemplaria iſthic falſò λιμνήστιδος. Appellatio inde eſſe videtur, ὅτι ἐστὶν οἱονεὶ λιμναῖον ἁλκυόνιον, vt Dioſcorides ait.

Col. 666. lit. A. *Melitera Oribaſii.* Hæc deſcriptio in Aldino codice ſic legitur, χαλκίτεως, λεπίδος χαλκοῦ, κικίδος, βαλαυστίων, κηροῦ ſo. γ΄. ἀριστολοχίας μακρᾶς ἀνὰ ſo. α. σιδίων, σχιστῆς, ἀνὰ ſo. S. Quum autem ceræ vſus in puluillis nullus eſſe poſſit, non

dubium eſt κηροῦ vocem falſò legi. Ego itaque ipſam remouendam,& pro ipſa ὀρόβου vocem reponendam eſſe arbitror: ex eo coniecturam faciens quòd etiam in præcedentibus puluillis eruum habetur. Lego itaque ὀρόβου, adiecta voce ἀνὰ, vt ſingulorum quadrans accipiendus indicetur. Et rurſus poſt ariſtolochiam longam ἀνὰ vocem deleo, quæ fortaſſis ex illo iuſto loco, in hunc vbi legi non poteſt, tranſiliit.

Ibid. lit. A. *Puluillus ex thure.* In hoc puluillo, itémque ſequenti aphroditario dicto, habetur Rhoidarium, quod nequaquam ſignificat malum Punicum, velut ſit diminutiuum ἀπὸ τῆς ῥοιᾶς: ſed Rhoidarium ſignificat confectionem quandam ex rhoe olere, quæ quomodo præparetur, docet Aëtius lib. 1. cap. 68.

Ibid. lit. D. *Puluillus ex oxymyrſine.* In hoc puluillo, Rhois coriarii ſextantem, conuerti. Habentur tamen in Græcis codicibus ſ ο ιβ'. id eſt vnciæ duodecim, quod pōdus vt nimiū non probo. At rhois ſextans (id eſt vnciæ duæ) ad reliqua iuſtam habet proportionem. Sed & in ſequenti Maſſaliotæ puluillo, falſò legitur ὀπίου vox. Nullus enim vſus eſt opium in his puluillis. pro ὀπίου verò lego ὀπτοῦ, vt hæc vox ad νίτρου vocem pertineat, & nitrum toſtum accipiamus.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Col. 667. lit. D. *Quanto rarior ac mollior cute, eſt ſuperficies tunicæ in ore, &c.* Græca ſic emendata legantur, ὅσῳ γὰρ ἀραιοτέρα καὶ μαλακωτέρα τοῦ δέρματος, ἡ ἐπιφάνεια τοῦ κατὰ τὸ στόμα χιτῶνός ἐστι. Et mox vbi legitur, καὶ γλεῦκος καὶ ἀμιναῖον, legendum eſt deleto καὶ altero, & τὸ pro ipſo repoſito, καὶ γλεῦκος τὸ ἀμιναῖον, vt de ſolo aminæo muſto accipiamus, quod ſanè ego id eſſe puto quod ex vuis fit quæ noſtra voce Græcam referente, Traminner beher dicuntur.

Ibid. lit. G. *Stomatica ex moris compoſita.* Hæc compoſitio fere ad verbum habetur lib. 6. Galeni de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, & apud Aëtium lib. 8. cap. 43. Niſi quòd hîc χυλοῦ vox deeſt, ad ὄμφακος vocem apponenda, aut ὀμφακίου pro ὄμφακος legendum, vt non vua acerba, ſed vuæ acerbæ ſuccus accipiatur, qui priuatim ὀμφάκιον appellatur. Sed & reliquæ ſtomaticæ hîc relatæ, iſthic habentur, ſiquis fortè vſurus aut paraturus conferre velit.

Col. 668. lit. A. *Stomatica ex nucibus.* Quod hîc conuerti, Coquitur velut ea quæ ex moris fit: in Græcis corruptè legitur ſic, ἕψεται ἕως τὸ διὰ μέτρον. Ego lego, ἕψεται ὡς τὸ διὰ μόρων.

Ibid. lit. B. *Eadem aliter.* Hîc malorum punicorum vnà cum putamine contuſorum ſucci ſextar. VI. conuerti. Debet enim in Græcis legi κοπτομένων (id eſt contuſorum) non vt exemplaria habent κεκαυμένων. Quis enim ex vſtis ſuccus colligi poſſit? Huius autem ſextarii ſex recipiuntur.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Ibid. lit. D. *Partim ex aqua in qua decoquuntur mala aut roſæ, cum quibuſdam ſuccis, uelut uuæ acerbæ, malorum punicorum, myrti baccarum. Admiſcetur his mel, &c.* Horum verborum lectio in Græcis corrupta hoc modo in integrum reſtituatur, τὰ δὲ ἐξ ὕδατος, ἐν ᾧ γὰρ ἀφεψεῖται μῆλα ἢ ῥόδα μετά τινων χυλῶν, οἷον ὄμφακος, ῥοιῶν, μύρτων. μίγνυται δὲ τούτοις μέλιτος, &c. Sed & paulo inferius tranſpoſita verba ſic reſtitue, λεπτύνουσι δὲ χρῆσθαι καὶ καλῶς κεραννυμένοις ὕδατι.

Col. 669. lit. D. *Apomeli ex Philagrio.* In hac deſcriptione pro τὸν κηρὸν, lege τὸ κνέωρον: & pro κιρρῶδες legendum κηρῶδες.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Col. 670. lit. A. *Sit autem aqua pluuialis, &c.* Hanc quam hîc conuerti ſententiam rectiſſimam eſſe, ſequentia ocularia medicamenta omnia declarant. Sed Græca lectio leuiter vitiata, ſic reſtituenda eſt, τὸ δὲ ὕδωρ ὄμβριον ἔστω διά τε τὸ λεπτομερὲς καὶ τὸ μετρίως στύφον αὐτῶν, εἰ μὴ οἴνῳ ἢ χυλῷ τινὶ λειοῦνται, ἢ τρίβειν αὐτὰ μετὰ μεταλλικά, &c.

Ibid. lit. D. *Agglutinantur fronti, in quibus non ſub caluaria humor.* In Græcis hîc falſò legitur ὑποκύφιον velut vna vox, pro tribus ὑπὸ τὸ σκύφιον. Quid autem ſit σκύφιον, ſuprà lib. 6. cap. 7. dixi.

Ibid. lit. G. *Collyrium fuſcum ad ſuppuratos oculos.* In Græcis legendum eſt, non πρὸς ὑποπίοις, velut ad ſuggilatos oculos, aut ſanguine ſuffuſos commodum medicamentum indicetur: ſed πρὸς ὑποπύους, vt ſuppuratos oculos intelligamus.

Col. 671. lit. A. *Collyrium ex hydria, id eſt uaſe aquario.* Hoc collyrium δι' ὑδρίας, & non δι' ὕδρας appellatur. Recipit enim tofum, qui in hydriis æneis in quibus aqua calefit, concreſcens reperitur. Atque hoc eſt quod conuerti ac dixi, Tofi qui in vaſis calefactoriis æneis reperitur. Sed in Græcis codicibus falſò legitur, πώρου τοῦ ἐν τοῖς θεσμοφορείοις ἀγγείοις εὑρισκομένου. Nō enim in Theſmophoriis aut cerealibus vaſis (ſunt enim θεσμοφόρεια Cereris ſacra) hic tofus reperitur, ſed in hydriis æneis calefactoriis concreſcit. pro θεσμοφορείοις itaque ἀγγείοις, legendum eſt θερμαντηρίοις. Sunt autem θερμαντήρια ἀγγεῖα, in quibus aquam calfacimus, & quæ Caldaria appellamus. Declarat hoc Galenus lib. 4. τῶν κατὰ γένη, vbi hūc tofum lapidi ſpeculari viribus ſimilem eſſe dicit, his verbis, τῆς αὐτῆς δ' αὐτοῦ δυνάμεώς ἐστι καὶ ὕαλος κεκαυμένη, καὶ τὸ συνιστάμενον πωρῶδες ἐν τοῖς θερμαντηρίοις χαλκείοις. Idem Galenus & primo & tertio commentario in ſextum Hippocratis ἐπιδημιῶν, calculorum generationem in homine, eodem modo fieri dicit quō generantur tofi in aquis natura calidis, & in vaſis in quibus quotidie aqua calefit. verba poſterioris loci hæc ſunt, αὖθις εἰς τὴν κύστιν ἀφικνεῖται παχὺ, καὶ προσπλάττεται ὅτε, ἢ γίνεται πωρώδης λίθος, ὥσπερ ἐκτὸς ἔν τε τοῖς αὐτοφυέσι θερμοῖς ὕδασιν ὁρᾶται συνιστάμενος, ἔν τε τοῖς ἀγγείοις ἐν οἷς ὕδωρ ὁσημέραι θερμαίνεται. Legebatur tamen in Galeni loco κατὰ γένη citato, πυρῶδες falſò pro πωρῶδες, antea quàm nos & Græca & Latina exemplaria emēdaremus. At verò hîc tofus, aliâs etiam ὑποστάθμη dici ſolet. Sic Paulus ſuprà lib. 3. cap. 67. τὸ διὰ τῆς ὑποστάθμης τῆς ἐν τοῖς χαλκείοις dixit, de cerato quod ex fæce in æneis vaſis, in quibus aqua coquitur, ſubſidente paratur, ſed & eo loco multa de his omnibus produximus.

Col. 672. lit. D. *Collyrium Vranium: Terræ aſteris lotæ quadrantem.* Græcè ſic, γῆς ἀστέρος πεπέρεως ſο. γ'. Falſò autem legi vocem πεπέρεως pro πεπλυμένης, vel ex eo clarum fit: quòd ſi duo medicamenta, terra Samia, quæ aſter appellatur, & piper, eſſet accipienda, particulam ἀνὰ ponderi ſο γ'. præpoſitam eſſe oportebat. Verùm nec duo medicamēta recipienda indicantur, nec piper vllum in hoc collyrio vſum præbuerit. Sed terra aſter lota indicatur, quemadmodum etiam in collyrio ex hydria habetur. Sed & poſterior editio expreſſè γῆς ἀστέρος πεπλυ. ſο γ'. habet.

Col. 673. lit. A. *Collyrium ex opobalſamo.* In hoc collyrio piperis albi vnciæ ſedecim leguntur, hoc eſt ſο ιϛ'. Quia verò nimium hoc pondus eſſet reliquorum proportione (omnia enim ſex vnciarum ſunt) mihi ſanè videtur, aut ∠ ιϛ'. id eſt drach. XVI. legendum eſſe, aut ſenarii numeri nota, in eam notam quæ dimidium ſignificat, mutanda eſſe, vt ſο ι'S. legatur, & ſeſquiuncia accipiatur.

Ibid. lit. E. *Collyrium aridum præſeruatiuum Galeni.* Hoc collyrium habet, & à ſe compoſitum dicit Galenus lib. 4. De compoſ. pharmac. ſecundum locos. Habentur ibidem etiam reliqua magnâ ex parte, quæ hîc habentur collyria, & longè quàm hîc plura, ſiquis conferre velit.

IN CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Col. 674. lit. E. *Partim concoctoria, ex cera, ladano, &c.* Inter hæc concoctoria medicamenta legitur etiā ὑσσώπου vox falſò pro οἰσύπου, quæ ſuppoſitio non parum ſequenter in Græcis medicis occurrit, velut etiam in comment. medicis oſtendimus, & ſuprà lib. 3. cap. 68.

Ibid. lit. F. *Mitigatoria uerò etiam ab initio ſtatim in ſummis doloribus commodant.* Hîc in Græcis codicibus legitur, ἐπὶ τῶν ἄκρων μᾶλλον ὀδυνῶσι, quaſi accipiendum ſit mitigatoria emplaſtra ſtatim ab initio in extremis partibus commodare. Verùm (niſi penitus fallor) pro μᾶλλον legēdum eſt ὀδυνῶν, vt intelligamus mitigatoria emplaſtra ſtatim à principio adhibenda eſſe, ſi ſummi ſint dolores, non in extremis corporis partibus, ſed his locis vbi maximè dolor hæret, & vrget. At principalium partium rationem habendam eſſe ſatis conſtat.

Col.675.lit.A. *Emplaſtrum ex herbis.* In hoc emplaſtro habetur ῥυπελαίου vox ſatis obſcura quid ſignificet. Ego tamẽ oleum illud cum ſordibus humanorum corporũ permixtum,quum & in balneis & in palæſtris ac gymnaſiis vngerentur,accipiendum putabo,donec quod melius & rectum eſt nobis ſe offeret.Deinde Anchuſam onocleam,chœroſpelethron appellari dicit,hoc eſt(vt ego vocem intelligo) iugerum porcinum: quanquam ea appellatio non temere, neque apud Dioſcoridem neque alibi occurrat. Meminit eius etiam ſuprà lib.3.cap 42. Poſtea ἑπταπλεύρου ἀρνογλώσσου voces,pro vna plantagine ſeptem neruos habente,quæ & maior à Dioſcoride appellatur,accipio.

Ibid.lit.E. *Emplaſtrum ex Apyrano.* Quæ ſit radix Apyrani,quam hoc emplaſtrum recipit,& ex qua nomen habet, nondum ſatis compertum habeo.Meminit huius medicamenti etiam ſuprà lib.3.cap.23, & lib.4. cap.22. At id quod ſequitur pyrinum(id eſt triticeum)ex pane appellatum puto.Recipit hoc,palmularum,ſiue Nicolaorum,libras duas.Sunt autem palmulæ hæ,Nicolai dactyli appellati per Auguſtum Cæſarem, à Nicolao Damaſceno philoſopho peripatetico, qui illos quotannis Auguſto inde tranſmittebat,& alioqui ipſos dactylos , & morum ſuauitate, & corporis proceritate, & rotundæ ac plenioris faciei rubore referebat.Meminit in conuiualibus quæſt. Plutarchus. Recipit emplaſtrum hoc etiam σπάθην,id eſt palmæ corticem.Sed σπάτου falſò pro σπάθης legitur. Sicut etiam vini Aminæi menſura ſextarii dimidii falſò habetur,quum non ſufficiat tam exigua menſura ad tot rerum cocturam.Ego itaque pro ξ.S.id eſt ſextario dimidio,lego ξ ϛʹ.id eſt ſextarios ſex.Redundat etiam particula ἀνὰ,ante hanc menſuram poſita.

Ibid.lit.H. *Pelarium ex recremento argenti.* Hanc deſcriptionem ad verbum habet etiam Aëtius ſer.15.capite 38.Ex quo loco docemur etiam hic legendum eſſe,πρὸς ἀποσύρματα καὶ ἄλλα ὅμοια,velut conuerti.

Col.676.lit.A. *Emplaſtrum Ciſſinum,id eſt hederaceum.* Hoc emplaſtrum ab hederæ lacryma appellatũ videtur. Quia verò hæc inter cætera quæ recipit,non habetur, excidiſſe certum eſt:ſicut etiam excidit galbanum , pro quo ad finem dicit terebinthinã iniiciendam eſſe,ſi nudus ſit neruus.Quare poſt olei vnc. XVIII. in Græcis addendum eſt, κισσοῦ δακρύου,χαλβάνης,ἀνὰ ℥ γʹ.Deeſt autem & aceti menſuræ nomen . legitur enim ὄξους ϛʹ. Ego itaque κο deeſſe puto, vt ὄξους κο ϛʹ.accipiamus.Sed & quod legitur,καὶ γυμνὸν νεῦρον,legendum καὶ γυμνὸν εἴη τὸ νεῦρον.

Col.677.lit.A. *Emplaſtrum ex anchuſa.* In poſteriore deſcriptione falſò habetur πρασίου,κόμμεως, quaſi duæ diuerſæ res,marrubium & gummi, recipiendæ eſſent: quod non ita habet . eſt enim gummi huc ineptum , vt cum anchuſa & marrubio in oleo coquatur.Legẽdum itaque eſt πρασίου κόμης, & recipienda marrubii coma. Sed & ceræ albæ ad oleum adiiciendæ pondus vnciarum quindecim nimium eſt,ſi ceræ ad oleum addẽdæ modum ad finem huius capitis præſcriptum,expendere voluerimus.Ego itaque non ℥ ιεʹ.ſed ℥ εʹ.lego,vt ſit fere æqualis ceræ ac olei modus.Manebunt autem de olei in quo herbæ coctæ ſunt dodrante,fere vnciæ quinque.

Ibid.lit.B. *Emplaſtrum Phycotyche.* Hoc emplaſtrum habetur etiam apud Aëtium lib.14.cap.2.in paucis leuiter euarians,& ceruſſam ſaltem amplius habens.Ex quo loco patet phycotychen , non phylocotychen (vt in Paulo habetur) medicamentum appellari:& ᾠῶν ὀπτῶν,non λεπτῶν legendum eſſe:οἰσύπου item, & non ὑσσώπου. quanquam ſatis obſcura appellationis ratio exiſtat. Meminit eius etiam ſuprà lib.3. cap.59.

Ibid.lit.F. *Emplaſtrum Athena.* In hoc emplaſtro bis legitur ἀλόης.pro prima itaque ſcriptura, legẽdum eſt ἁλὸς, & addendum ἀμμωνιακοῦ, quæ vox à ſcriptore relicta eſt,quia rurſus ſequitur ἀμμωνιακοῦ θυμιάματος. Aëtius lib.15.cap.13.eandem habet deſcriptionem,paululum euariantem. ſed longius euariat ea quæ eſt apud Galenum lib.2.κατὰ γένη.

Ibidem litera G. *Emplaſtrum ex dictamno.* Hoc emplaſtrum habet Galenus lib.5.κατὰ γένη. & ex ipſo ad verbũ tranſcripſit Aëtius lib.15.cap.13.in fine.Quia verò res eædem ſunt,pondera ſaltem in Paulo ab illorum deſcriptionibus euariant,neceſſe eſt res quæ in Paulo deſunt & exciderunt,ab illis petere ac adſcribere, maximè quum ipſe Paulus poſtea earum mentionem faciat,vbi emplaſtri parandi modum docet.Pro χασῆς itaque legendum eſt ἰοῦ ξυστοῦ, & poſt δικτάμνου vocem χαλκοῦ κεκαυμένου adſcribendum,cum particula ἀνὰ ante pondus inſerta: & poſt vocem μάννης adſcribendæ voces,χαλβάνης,ἀλόης,rurſus particula ἀνὰ ante pondus inſerta.Ad finem etiam pro μολυνθῇ, legendum eſt παχυνθῇ, & pro διαψυγεῖσαν,legendum διαψυχθεῖσαν.Et hæc integra eſt lectio.

Ibid.lit.G. *Emplaſtrum barbarum.* In hoc emplaſtro myrrhæ ſextantem conuerti,pro eo quòd Græci codices habent ζιγγιβέρεως ℥ βʹ.Eſſe autem zingiber ineptum ad emplaſtra,& contrà,aptiſſimam myrrham,ſatis conſtat.Vnde verò ſit ea erroris occaſio,vt zingiber pro myrrha ſupponatur, ſuprà in ſecundum libri quinti caput oſtendi. Idem error admiſſus eſt etiam in emplaſtro Nicolai ſequente,& in emplaſtro Iceſio,& in Neronis emplaſtro , vbi ſimiliter ζιγγιβέρεως vox pro σμύρνης voce falſò ſuppoſita habetur.

Col.679.lit.D. *Emplaſtrum ex cinere aſpidum.* Hoc emplaſtrum habetur apud Galenum lib.6.κατὰ γένη,& inde tranſcriptum habet Aëtius lib.decimiquinti capite decimoquinto in principio. Ex quibus locis ſatis edocemur , in Paulo falſò legi λίθου αἱματίτου,pro λίθου ἀσίου,quem vterque habet,& quem ipſe Paulus recipiendum eſſe indicat,dum ad finẽ dicit,καὶ οὐδὲν ἧττον δρᾷν διὰ λίθον ἄσιον.

Ibid.lit.F. *Emplaſtrum Sphærion.* In hoc emplaſtro nitrum Berenicarium habetur,quod quale ſit,lib.1.comment. medicorum docui.Hic Paulus ſimpliciter ſine nitri vocis additione,βερνίκιον appellauit. Falluntur itaque qui vernicem,itémque qui alumen,ea voce accipiunt.

Col.680.lit.A. *Emplaſtrum ex nitro.* In hac compoſitione legitur, κηροῦ, ἐλαίου, κολοφωνίας, ἀνὰ < αʹ S. Sed horum pondus nimis exiguum apparet ad nitri quadrantem,& ſucci cyrenaici drachmas decẽ excipiendas. Quare pro < αʹ S legendum arbitror,℥ αʹ S.& ſic etiam conuerti.

Col.681.lit.A. *Emplaſtrum ex vrina muli.* Hoc emplaſtrum habet Aëtius lib.12.cap.42. Sed olei vncias XXIIII. recipit,ad vrinæ & ſpumæ argenti æqualem modum,velut hic Paulus habet. Quare Pauli lectio , quæ ἐλαίου παλαιοῦ μυ αʹ.(id eſt olei veteris myſtrũ vnum)habet,valde mihi ſuſpecta eſt,& fortaſſis μν αʹ(id eſt mina vna)legi debet,quãuis neque ſic vnciis XXIIII Aëtii reſpondebit.Sed & ſupra oleum Aëtius adipis porcini vnc.XVI.adiicit,& parandi ac coquendi modum docet,ad quem non ſuffecerit olei à Paulo præſcripti menſura.

Ibid.lit.D. *Emplaſtrum aureum.* Ad finem huius emplaſtri legitur,ὄξει λείου τὸ ἀρσενικὸν, id eſt auripigmentum aceto terito.Eſtque hæc lectio & recta & aperta, vt mirum ſit quoſdam legere , ὄξ ἐλαίου τὸ ἀρκοῦ. quum olei pondus antea ſit expreſſum.

Ibid.lit.G. *De ceræ ad oleum addendæ modo.* Hæc quæ hinc ſequuntur vſque ad finem cap.huius, iuxta tituli promiſſionem,huc tranſtulimus,quum in Græcis habeantur poſt peſſos,ad cap.24,finem.

Col.682.lit.B. *Squama æris coquitur ut æs.* Hic locus de vtraque ſquama,vſque ad Sori & diphryges, deeſt in Græcis codicibus.Nos repoſuimus ac tranſtulimus ex Aëtii libri decimiquarti capite viceſimoquinto. Nam illic & hæc & alia quæ hic habentur,traduntur fere ad verbum.Quod autem hæc exciderint,& non vltro relicta ſint à Paulo,declarãt verba quæ de diphryge habet, velut qui ſquamæ mentionem feciſſet.Sed & in diphrygis tractatione, μέσον τῆς ἑψήσεως legendum eſt,non μετὰ:quomodo etiam in atramẽto ſutorio legitur,in quo tamen σφοδροτέραν χροιὰν legitur pro πελιδνοτέραν,velut Aëtius habet.

Ibid.lit.E. *AErugo.Perſeuerans enim in coctura,primùm melinum colorem inducit : deinde duplicem faciem repræſentans: poſtremò fuluum colorem efficit.* Hic locus in Græcis corruptus,ſic reſtituendus eſt , ἐπιτείνας γὰρ κατὰ τὴν ἕψησιν, πρῶτον μὲν μήλινον ἐπάγει· εἶτα διπρόσωπον γινόμενον τελευταῖον κιρρὸν ἀπεργάζεται τὸ χρῶμα.

Ibid.lit.G. *Cera.Aut reſinæ aut pici præcoctæ, & prius ſpiſſatæ cum aliis quæ iniici debent.* Et horum verborum lectio cor-

rupta in Græcis,ſic reſtituatur,ἢ ῥητίνη,ἢ πίσση περιεψηθείσῃ,καὶ πρότερον συστάσῃ,μετὰ τῶν ἄλλων τῶν ἐχόντων ἐμβληθῆναι.

Ibid.lit.H. *Pix.Modus autem liquidæ eſt ut dum coquitur ſpiſſetur: ſiccæ uerò,maximè cum aceto, ut non amplius bullas, &c.* In Græcis corruptè σωψῇ pro ξωὸ ὄξει,quæ lectio ſi ex Aëtio reſtituatur,reliqua omnia rectè ſe habent.

Col.683.lit.B. *Ammoniacum.* In hac de ammoniaco tractatione tres voces corruptè leguntur, γηθῆναι pro σηθῆναι,quod cribrari verti: χοιραδικὴ pro χοιραδικῇ,quod ſtrumis dicatum dixi: γλοιώσαντας pro λειώσαντας,quod læuigatum conuerti. Ex Aëtio. Sed & infrà de thure ac manna, vox γλοιωθέντα ſuppoſita legitur pro λειωθέντα, id eſt trita ac læuigata.

IN CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Col.684.lit.A. *Malagma polyarchiũ,ex libris de compoſitione medicament.ſecundum locos, Galeni.* Polyarchium hoc ad verbum tranſcriptum eſt ex lib.8.τῶν κατὰ τόπους.Sed in Græcis Pauli exemplaribus φιλωνίου vox excidit, ante ἀμώμου vocem reponenda,vt eodem pondere cum illo & ſequentibus recipiatur,nimirum < κέ.Sunt etiam aliæ polyarchiorum deſcriptiones,eodem loco,& apud Aëtium lib.9.cap.34.Sicut etiam Paulus aliam mox ſubiungit.

Ibid.lit.B. *Malagma Philagrianum.* Huius malagmatis deſcriptio finit in hæc verba, οἴνου τὸ ἀρκοῦν εἰς τὴν τῶν ξηρῶν λείωσιν. Quæ verò ſequuntur,hic locum non habent,ſed pertinent ad Crocinum,cuius deſcriptio habetur cap.20.velut clarè patet,ſiquis res ipſas,& parandi modum diligenter expendat. Quæ verò iſthic pro his habentur poſt verba οἴνῳ λεῖα,etiam ipſa aliò pertinent,& non ad crocinum oleum ſiue vnguentum,velut eo loco vberius oſtendam. Videtur hîc error accidiſſe ex chartarum in arcubus(vt vocant)diſſectione,ita vt folia diſſecta,poſtea adaptata ſint, non ad ea cum quibus antea cohæſerant,ſed ad alia.Itaque non hæc ſolùm verba,ex diſſecta, & huc non pertinente charta tranſlata ſunt, ſed & ſequentia vſque ad malagma odoratum omnia, huc non pertinent, ſed ad finem viceſimi capitis poſt crocinum locanda ſunt. Non enim malagmata ſunt,ſed olea & vnguenta, mendeſium, marciatũ,gleucinum, nardinum,decamyron,pentamyron,& foliatum: ad cuius finem pertinent ea quæ Græci codices poſt crocinum habent: ita vt hoc loco poſt malagma Philagrianum,ſequatur mox malagma odoratum, & interpoſita omnia ad viceſimum caput transferantur,& poſt crocinum locentur.Ex eodem certè errore etiam ſuprà ceræ ad oleũ addẽdæ modus,& coctūræ eorum quæ in emplaſtra mittuntur ratio,ad capitis 17 finem pertinens,poſt peſſos tranſlata fuit, ad 24. capitis finem,velut ſuprà quoque monui.Nos hæc & alia omnia ſuis locis in proprios nidos repoſuimus,& valde miramur veteres manuſcriptos codices non monuiſſe eos qui horum iactant lectionem & poſſeſſionem,quum nos hæc non ex veteribus codicibus,ſed induſtria quadam deprehenderimus,velut ſingulis locis declarabimus.

IN CAPVT DECIMVMNONVM.

Col.686.lit.H. *Acopon fœtidum,ex opere Galeni de compoſitione medicamentorum ſecundum genera.* Hoc acopon ad verbũ habet Galenus lib.7.τῶν κατὰ γένη,niſi quòd ceræ & terebinthinæ ſingulorum drach.VIII.illic leguntur,hîc verò ſingulorũ drach.XXIIII.quod triplum eſt illius ponderis.Sed & ſequens Acopon fœtidum Galenus eo loco habet,in rebus penitus idem,ſed ponderibus euarians.Ego itaque Pauli lectionem ad Galeni præſcriptum emendandam puto, & drachmas pro vnciis ſubſtituendas in his rebus quæ ſex vnciarum pondere recipiuntur. nam tot vnciarum pondus nimium eſſet ad reliquorum proportionem.At ſicut in his rebus nimium eſt pondus apud Paulum, ita terebinthinæ pondus drachmarum XVI.in ipſo eſt imminutum,& ſimiliter ex Galeno emendandum ac ampliandum, vt non < ις'. ſed < νς'. (hoc eſt quinquaginta ſex drach.)non ſedecim legantur. Eſt enim dupla proportio terebinthinæ ad ceram,quæ drach. XXVIII.pondere recipitur.Quin & barbaricum ex euphorbio acopon, ibidem habet Galenus, ex iiſdem penitus rebus conſtans,ſed pondera ceræ,terebinthinæ,& oleorum variant. Videntur tamen inter ſe apud vtrunque proportionem habere,ſiquis expendere velit.

Col.687.lit.B. *Acopon ex abiete,Galeni.* Hoc ex abiete acopon habet Galenus lib.4.De ſanitate tuenda.Et recipit, ſeminis abietis modium vnum,& olei heminas ſiue libras vigintiquinque,& ceræ lib.IIII & reſinæ abiegnæ & ſtrobilinæ,vtriuſque trientem.Et hunc modum habet etiam Aëtius lib.12.cap.44.Quare prior in Paulo deſcriptio, quæ olei lib.XV.præfert,corrupta eſſe videtur in olei mẽſura.Sicut etiam illud corruptè legitur,μόδιος ἰταλικὸς α'.τουτέστι ξ. ιβ'.Nam ξ. ις'.legendi ſunt,ſi(velut ad huius libri finem Paulus docet) modius chœnices octo, & chœnix ſextarios duos habet. Sed corruptius adhuc poſterior deſcriptio habet,τοῦ καρποῦ τῆς ἐλάτης μέτρα α'. τουτέστι λι. α'.S. Legendum itaque & hîc μέτρα α'. τουτέστι ξ. ις'. Sed & reſinæ pondus vitiatum eſt,& pro libris vnciæ legi debent,ſic,ῥητίνης ἐλατίνης ℥ο γ'.στροβιλίνης ἢ τερεβινθίνης ℥ο. γ'.Aëtius enim terebinthinæ ſolius ſexuncem indit.

IN CAPVT VICESIMVM.

Col.687.lit.C. *Suſinum compoſitum.* In hoc Suſino haud dubiè falſò legitur,καλάμου ἀρωματικοῦ λι.έ.& καρδαμώμου λι.γ'.Non enim fieri poteſt vt tanta rerum moles octonis libris recepta,ab olei ſextariis tribus comprehendatur. Nos itaque pro λι.έ.& λι.γ'.legimus ℥ο έ.& ℥ο γ'.conuertimúſque calami aromatici quincũcem, & cardamomi quadrantem, vt calamus myrrhæ, & cardamomum cinnamomo reſpondeat in pondere.

Ibid.lit.E. *Violaceum.* Hic falſò legitur, εἰς τὸν ἰταλικὸν ξ. έ.ἐλαίου ὀμφακίνου. Pro έ itaque α' reponendum eſſe indicant ſingulares caſus,τὸν ἰταλικὸν,vt de vno ſextario accipiẽdum ſit,etiamſi nullius numeri nota ſit adiecta. Et alioqui nulla eſt proportio ſextariorum quinque olei ad violarum quadrantem.

Ibid.lit.F. *Melinum.* Hic falſò vnciæ tres malorum cydoniorum in olei ſextarios decem iniiciendæ ſcribuntur. Itaque pro ℥ο γ'.legendum λι.γ'.id eſt libræ III.

Ibid.lit.G. *Raphaninum.* Hic legendum in Græcis, ἀπὸ τοῦ σπέρματος τῶν λεπτορρίζων ῥαφανίδων κοπτομένου, καὶ διακρινομένου τοῦ ἐλαίου.

Col.690.B. *Balaninum.* Græci codices ſic habent, καὶ τὸ βαλάνινον δὲ παραπλησίως τῷ ἁπλῷ ἀμυγδαλίνῳ γίνεται, ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς δρυσὶ βαλάνων.Hoc autem falſum eſſe,& nullum oleum ex querneis glandibus exprimi, ſed ex glandibus vnguentariis appellatis,Dioſcorides lib.4.teſtatur his verbis,οὗ τὸ ἐντὸς,inquit,θλιβόμενον,ὥσπερ τὰ πικρὰ ἀμύγδαλα,ἐξίησιν ὑγρὸν,ᾧ εἰς τὰ πολυτελῆ μύρα ἀντ' ἐλαίου χρῶνται.Quare Pauli locus haud dubiè corruptus eſt, & ſic emendandus velut nos quoque conuertimus,καὶ τὸ βαλάνινον δὲ παραπλησίως τῷ ἁπλῷ ἀμυγδαλίνῳ γίνεται,οὐκ ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς δρυσὶ βαλάνων,ἀλλ' ἀπὸ τῶν μυρεψικῶν καλουμένων βαλάνων. Ad eundem modum Aëtius lib.1.parare docet,& myrobalaninum appellat.

Col.690.lit.C. *Laurinum.* Et hîc Græca corrupta,ſic emendata lege,ex Aëtii lib.1. τὸ δὲ συμμιγὲς οὕτω.πρὸς ἕξ ξέστας τῶν πιπείρων ἐλαιῶν,ξέστης τῶν δαφνίδων ἐμβάλλεται α',&c.

Ibidem lit.G. *Cyprinum.* Hic falſò Græci codices habent κυπέρου τῶν ἀνθῶν λι.α'.pro recto κύπρου τῶν ἀνθῶν λι.α'.Non enim cyperi flos huic oleo nomen dedit, etiamſi ipſe quoque in hoc recipiatur, & aliàs flos iunci quadrati ac anguloſi appelletur: ſed flos cypri,id eſt liguſtri arboris non ita magnæ,& omnibus ſatis notæ ex albo flore.

Col.691.lit.A. *Amaracinum.* In hoc falſò legi,ἐλαίου περσικοῦ ξ. β'.minimè dubitabit qui vel ſpecierũ quæ immittuntur proportionem reſpexerit,vel aliorum,aut maſtichini aut irini,collationem fecerit.in illud enim olei ſextarii quinquaginta,in hoc triginta ſumuntur,vt certum ſit magnam quandam olei menſuram etiam hîc recipiendam eſſe: incertum verò quænam illa exiſtat.In Aëtio ea ſiue excidit, ſiue relicta eſt vltro,& cuiuſque arbitrio permiſſa. At Paulus præſcripſit non ξ. β'.vt exemplaria habent,ſed ξ. π'.velut ego legendum puto.

Ibid.lit.C. *Crocinum,in quo etiam alterum crocomagma.* In hunc locum poſt verba οἴνῳ λεῖα. transferenda ſunt in Græcis codicibus verba quæ ſuprà cap. 18. ad malagma Philagrianum accreuiſſe dixi. Ea enim crocini parandi modum docent,

docent,& crocomagmatis mentionem faciunt. Et non ea ſolùm verba huc tranſferantur, ſed & ſequentia omnia in illo capite ſuppoſita vſque ad malagma odoratum, quod poſt Philagrianum ſtatim iſtic ſequi debet: ita vt foliatum huius vigeſimi capitis vltimum locum teneat,& verba quæ iam falſò cum crocino cohærent, ad foliatū adiiciantur. Eius enim deſcriptionem abſoluunt. Monuit autem ſuprà cap. 12 inter paſtillos, alterius quoque crocomagmatis mentionem in crocino ſe facturum eſſe: id quod nunc hoc loco facit.

Ibid. lit. D. *Mendeſium.* In Græcis videtur legendum eſſe ἔνθα καὶ ὁ μένδης σέβεται: exemplaria tamen habent βέφεται. Et poteſt tum paſci, tum coli hircus intelligi. Viua enim animalia Ægyptii tum ſeorſim paſcebant, tum pro diis colebant. μένδης autem,& hircus & Pan, Ægyptiorū lingua vocatur. Deinde τρεβινθίνης λι. ι'.& non λι. α'. legendū eſt. Et ἑτέρας ἡμέρας ζ'.& non ζ'. ita enim ſuprà dixit,& vox ἑτέρας indicat.

Ibid. lit. E. *Vnguentum ex uua acerba.* In ſecunda iniectione huius vnguenti, falſò habent exēplaria Græca, partim β'. ἐμβολὴ φύλλου, partim β'. ἐμβολὴ διὰ καρυοφύλλου. Eſt enim ſimpliciter legendū tituli loco β'. ἐμβολή. Et deinde ſequuntur medicamenta ſecundò iniicienda, φύλλου, ἀμώμου, ναρδοστάχυος, id eſt folii, amomi, ſpicæ nardi. Sed & hîc ἀμμωνιακοῦ falſò legitur pro ἀμώμου. Hîc enim aromata iniiciuntur. Et tertio loco ſucculenta, inter quæ & ammoniacum.

Col. 692. lit. D. *Decamyron.* Hoc ſiue à decē partibus decamœron, vt Aetius habet, ſiue decamyrō, velut vnguētum decem res complectens, appelletur, non multùm refert. Ita etiam de pentamyro ſentiendum. Verùm quod in Paulo κηροῦ λι. γ'. leguntur, hoc vt corruptum, ex Aetio lib. 12 cap. 44 emendandū ducimus,& legendum κηροῦ γο. ϛ'. Ita etiam in pentamyro, pro eo quod Paulus ὀποπάνακος γο. δ'. habet, ex eodem Aetio ὀποβαλσάμου γο. δ'. legimus.

Ibid. lit. E. *Foliatum.* Græcos codices ita hoc loco emenda. Primùm legatur φωλιατὸν tituli loco. deinde ſequātur medicamenta, φύλλου γο. γ'. ἀμώμου γο. α'. (eſt autem & hîc ἀμμωνιακοῦ, pro ἀμώμου ſuppoſitum) κασσίας γο. ϛ'. λαδάνου. Et iam ſequantur quæ ad crocinum poſt voces οἴνῳ λεία, addita erant: ita vt primùm deleatur vox προσαποθέσθαι, quæ nullum hîc locum habet,& ſequatur ladani pōdus, γο. α'. πεπέρεως λευκοῦ κόκκοι μ'.& cætera vſque ad finem. Niſi quòd pro κηροῦ λι. α'. S. quod penitus in fine habetur, legendum eſt καὶ χρῶ, ex Aetii lib. 16. cap. 115.

IN CAPVT XXII.

Col. 693. lit. C. *Thymiama, id eſt ſuffimentum roſatum.* In hoc thymiamate habetur βδελλίου ὀνύχων, vt de bdellio quod onyx appellatur, aut de bdellii vnguibus accipiendum videri poſſit: de quibus multa lib 8. comment. med. produximus. Verùm quia in ſequentibus ſuffimentis & bdellium per ſe habetur, & onyches item per ſe leguntur, etiam hoc loco diuerſæ res accipiendæ ſunt,& diſtinctim legendum βδελλίου, ὀνύχων. Sunt autem ὄνυχες conchylii Indici teſta odorata in ſuffitus apta.

Ibid. lit. D. *Cyphi magnum quod ſolare uocant, ex rebus* XXXVI. Vtriuſque cypheos deſcriptiones ſunt etiam apud Aetium lib. 18 cap. 116. ſed variant aliquantùm, vt conferenti patet. Magnum, ſolare appellatur: quare ἡλιακὸν legendum eſt, non ἰλιακὸν aut νιλιακὸν, vt quidam putant. nam paruum, σεληνιακὸν, id eſt lunare, vocatur.

IN CAPVT XXV.

Col. 694. lit. F. Quandoquidem hæc de ſuccedaneis tractatio, ex Galeno tranſcripta eſt,& priores Galeni editiones ipſam valde corruptā ac decurtatā habent, appoſuimus hoc loco eā quā in noſtra Galeni operū Græcorū editione repoſuimus, pro illa quam ex Paulo rurſus in Galenum tranſſumptam apparet, quum genuina Galeni tractatio nondum extaret. Tametſi enim breuitatis ſtudioſus Paulus hæc vltrò decurtaſſe videri queat, tamen magno diſpēdio ignorantur quæ per eiuſmodi compendia publica cognitione priuantur, ac ſilentio velut ad interitum damnātur. Appoſuimus itaque genuinum (vt arbitramur) Galeni de ſuccedaneis libellum, cum Pauli præfatione, quam ſuo more decurticauit. Non ſolùm autem genuinum Galeni libellum hîc exhibemus, ſed eum ipſum etiam ſubinde vitiatū emendauimus, vera lectione reſtituta, id quod ex collatione aliorū exemplariū ſtudioſos cognoſcere malò quàm longiore mea hoc loco commentatione. Ex iis tamen quæ inſignia ſunt, pauca adſcribam, vt ſint ea ad alia iudicanda, velut exemplar & norma. Quod igitur conuerti, pro bupreſti, blattæ capite detracto, habent exemplaria, ἀντὶ βουπρήστεως σίλφαι βδέουσαι. At ego non σίλφαι βδέουσαι legendū puto, ſed σίλφαι κεφαλῆς δεούσης, aut abbreuiata ſcriptura σίλφαι κ'. δεούσης. Atq; huius meæ opinionis rationem per longū redditam habes lib 5. comment. med. Quod verò dixi pro caſtorio ſilphium, ex veteris Galeni codicis veſtigiis inductus feci, & videtur ſilphiū caſtorio viribus magis reſpondere quàm blattarū capite detracto inteſtina. Sic enim Græci codices habent, ἀντὶ καστορίου, σίλφων κ'. δεουσῶν ἔντερα (quanquam & hîc βδεουσῶν legatur.) Quidam tamen codices oſtendūt hanc lectionem ἀντὶ καστορίου, σίλφων ἢ βδελλῶν ἔντερα: quam ego in præſens in medio relinquo. Quod tranſtuli pro caſſia, cinamomi dimidiū, aut herba ſabina, ex eo rationem habet quod ſcripſit pro cinamomo caſſiæ duplū, aut herbæ ſabinæ duplū. Nam haud dubiè falſò habent Græci codices, ἀντὶ κασσίας, μαῖνα κινάμωμον διπλοῦν ἢ βράθυ: pro recto ἀντὶ κασσίας, τὸ ἥμισυ κινναμώμου ἢ βράθυ. Sed ſufficiūt hæc vel ſtudioſis ad reliqua iudicanda, vel mihi, qui corrupta ſolùm emendare & aſpera dedolare inſtitui, non de ſingulis, velut qui iuſtū commentariū ſcribat, rationem reddere, & quaſi omnino ignaris hæc concinnaſſem, omnia certo docendi ordine perſequi ac exponere.

IN CAPVT XXVI.

Col. 699. lit. E. *Porrò linea circumflexa, quam nihil aliud circunſtat, &c.* Hic locus in Græcis codicibus ſic emendetur, ἡ δὲ ἀπερίστατος περισπωμένη γραμμὴ πλαγία πρόσθεν κειμένη, ὀβολὸν δηλοῖ, ὥσπερ αἱ δὲ δύο ἀπερίστατοι, δύο ὀβολούς, ∽. Poſtea (quod dixi) magnum enim myſtrum continet acetabulum vnum & tertiam ipſius partem, in Græcis defectū habet dictionum duarū, καὶ τρίτον. Sic enim legit, τὸ γὰρ μέγα μύστρον ἔχει ὀξύβαφον α'. καὶ τρίτον. Reliqua in vniuerſo hoc Pauli Æginetæ opere, aut ex noſtra tranſlatione cognoſci poſſunt, aut per ſe ſatis leuia planáque ac expolita exiſtunt: neque dolabellis amplius adhibēdis opus habent, modò non quis ipſe non ſatis dedolatus huc accedat, & ad ſpinas nō hîc repertas, ſed à ſeipſo illatas offendat.

CASSII MEDICI MEDI-cæ quæſtiones & problemata.

Adriano Junio Hornano medico interprete.

ORNATISSIMO VIRO REIQVE MEDICAE doctori celeberrimo, Cornelio Rhemmio, olim comitis Hochſtratani medico, primario Traiectenſis eccleſiæ canonico, Adrianus Iunius medicus, S. P. D.

CVM ſuperioribus diebus à me Latii donatum iure Caſſium medicorum problematum ſcriptorem, prelo tradere ſtatuiſſem, vir clariſſime, cœpi mecum animo agitare quem opellæ noſtræ patronum ac defenſorem contra dentatos vitilitigatorum quorundam morſus parare deberem potiſſimùm: hîc tu mihi in primis occurriſti, cui noſtri ingenii primitias gratæ antiquitatis exēplo, offerrem: idque multis nominibus: tum quia optimo iure ritéque medicum medico dedicandum exiſtimarem, tum vt meam in demerendo te (qui à parentis mei clariſſimi tui à puero nuncupatione fratris, morte, alter quaſi parēs es relictus) diligentiam probarem teſtatámque facerem: tum vel maximè quòd te cumprimis iſtarũ rerum cognitione capi perſpectum haberem, vt qui nunquam non lectites dignum quod in memoriæ alueos compingatur: ſemper eruditas diſſertationes & colloquia miſceas, vt nec menſa doctis condimentis careat, víxque dilabatur abſque lectionis fructu quod ſacris impenditur tempus: imò vbique genuinis ſuis animum exaties opibus, ita vt nihil prorſus tibi cum vulgo diuitum indoctorum (quos rectè olim Diogenes aureo onuſtas vellere pecudes vocitabat) cõmune eſſe patiaris. hinc adeo factum eſt vt principibus viris ſemper placueris, illis te ceu minimè ambiguum in re medica oraculum ſalutíſque ſuæ columen vndiquaque accerſentibus: nemo non te ſalutaria medicamentorũ ſemina paſſim, Triptolemi in morē, ſpargere prædicet: omnes te ament, colāt, proſequantur, & veluti præſens numen ſuſpiciant. Sed quid tuarum laudum præconium pertexere vltrà pergo: quin potius AEgyptiorum ſacrificorum morem imitari ſtudeo, qui deos ſuos inarticulata voce colere ſolebāt, quo plurima cupientes, ſeſe potentia deſtitui ſignificarēt. Porrò quoniā libri titulus præfert inſcriptionē problematũ, vt paucula de eorũ ratione attexere nõ abs re fuerit fortaſſe, ita eruditis tuis illa auribus appendi, nõ grauatè (ſpero) feres. Problemata vocant Græci quæ in mediũ proponuntur, vt in diſquiſitionem veniant, & ad calculos vocentur omnia: idque duplici fine, vt aut doceāt quippiā aut conſtruant: quod in mathematicis præcipuè fit. Definiuit olim Mechanicus Carpus, teſtante Proclo, tantum inter problema & theorema diſcriminis, vt illud ſimplicē & illaboratam præferre propoſitionem diceret: hoc operoſam, ſolidam, atque exacto iudicio & ſcientifico compertā exploratámque. Habet autē tres ferè potiſſimas partes problema, vt quod in quæſtionis controuerſiam venit, primo loco proponat: deinceps illud rationibus argumētíſque conuincat, & velut ob oculos exhibeat: poſtremò quod demonſtratione aſſertum eſt, conflet atque adeo coagmentet. Occurrit interdum (quemadmodum attentè legenti non hunc modò, ſed & Ariſtotelis & Aphrodiſæi eiuſdem argumenti libros patebit) vt ex demonſtratione comprobatis, obiter etiā aliud theorema colligas, & quaſi lucro apponas: πόρισμα Græci appellant: quaſi dicas, lucrũ καὶ ἕρμαιον, ſiue acceſſorium cõpendiũ: quidam è noſtris corollarium vocarunt. Porro vtuntur ferè autores in hoc tradendi genere, duplici lemmatũ, quæ ad demonſtrandā rem propoſitam aſſumuntur, via: quæ aut rationi conſentaneis ac ſcientificis (ἐπιστημονικὰς illi vocant) demonſtrationibus cõprobant, aut probabilibus in dubia cauſa perſuadent. Sed hæc de problematum ratione in præſens ſufficiant. Quis autē hic ſcriptor fuerit quóve temporum tractu vixerit, nihil equidē (vt ingenuè fatear) compertũ habeo. Memorat Suidas Longinum cognomento Caſſium, magni illius Porphyrii præceptorem, qui quæſtiones & problemata Homerica ſcripſerit. Citatur & quidam medicinæ ſcriptor Caſſius Calpitanus. Vter verò huius ſit autor libri, an alius quiſpiam: & an is quē Galenus lib. 9 de compoſitione medicamentorum ſecundum locos allegat, nec ſemel hippiatrica: malim dubium ſilentio tranſire quàm temere aſſeuerando ineptiæ notā incurrere. Certè quiſquis tādem ſit, vt non infimæ in re medica claſſis, ita lectione non perfunctoria, ſed ſæpius iterata digniſſimus eſt: adderē & æquali cum veterum multis nominis autoritate, ni aliorũ cenſuræ præiudiciũ dictare primus formidarē. nihil enim hîc ferè legas quod non medicā artem è profeſſo ſapiat. Quantũ verò negotii nobis hic libellus confecerit, facilè iudicabit qui æqua cenſura noſtram cũ Græcis verſionē legendo coniunget. deprehendet enim quàm multis locis mutilus, quàm pleriſque mendis fuerit deformatus autor, vt diuinationi interdum potior dandus fuerit locus. Interim quāuis in vertendo me Ligurinis momis ſatiſfacturũ non confidā, ſaltem noſtrũ qualemcũq; laboris & fidei apparatũ, literatioribus, quibus ad Critolai libram ſincerior eruditio expenſa fuerit, non omnino improbatum iri ſpero. Tu itaque vir cordatiſſime, benigna fronte à nobis hunc libellum excipito, mole quidē exiguũ, frugis verò non vulgaris: genio licet dignũ tuo, vix tamen illuſtri tuæ dignitatis gradu, vtpote cui maiora debeantur. Interim tamen legimus frugalē pauperculæ Hecales cœnulam non aſpernatũ fuiſſe Theſea. Huius exemplo herois, vir integerrime, ſimiliter tu facito, & opellam noſtram æqui boníque conſulito. Vale feliciter, & me, quod facis, amare pergito. Lutetiæ Parrhiſiorum.

Adriano Iunio Hornano interprete.

1\. A

CVR rotunda vlcera difficilius cæteris
coaleſcunt? Herophili ſectatores ex de-
mõſtrationis geometricæ aſſertione,cau
ſam reddere conãtur iſtam,Quòd etſi cir
culares vlcerum figuræ exilẽ deſcribere
videantur ambitum, non tamen ſint re-
uera tales,ſed maius quàm apparet, occupent ſpatium.
Conſtat autem quo grandiora ea ſunt,hoc lõgius indu-
cendæ cicatrici tempus flagitare . Conſentaneum pro-
inde eſt huiuſmodi vlcera quanuis in ſpeciem exigua, B
ægrè curationem admittere.Rei tamen veritas ſecus ha
bet:imò maiora ea ipſa ſunt certó. Atque adeo illorum
rationem quadantenus euertit Aſclepiades, quum pro
didit, citius cicatricem inductum iri ſi rotundi vlceris
labra affinéſq; partes diffindas, ita vt è ſectione illa ma-
ior reddatur vlceris regio . Quod è diametro Herophili
ſcito repugnat.Si nanque vlceris magnitudo ſecundum
illius præſcriptum ægræ curationis eſt cauſa, conſequẽs
fuerat data eadem magnitudine , accedente deinceps è
ſectione & altera,multo etiam difficilius curationis opẽ C
ſuccedere.Reddit rationem hanc Aſclepiades.Ait enim
qualibet in re quaſi congenitum ac coalitum eſſe mo-
tum:motum autem vehementem ex ipſis rerum prin-
cipiis ortum habere(principia vocando eius quod mo-
uetur meditullium.) Ad hanc rem clarius afferendam
exempli vice fluuiorum igniſque motus adducit: quo-
rum vti medio loco potior vehementiórque motus in-
gruit,ita & vlceribus ratio eadem haud abs re compe-
tat. Quæ verba id ferè ſonãt : quandoquidem mouean-
tur rapidius flumina, quà vndantior eſt alueus (id autẽ D
mediæ illorum plagæ tribui indubitatum eſt,huc ſe ni-
mirum omni aquæ vi aggerente)eadémque ratio à flã-
ma ignis aliena nõ ſit(hæc enim media ſui parte agita-
tur æſtuantius,ita vt illic loci identidem magno exultet
impetu.) hanc ob cauſam, quum rotũda vlcera in vnũ
quaſi ſint compacta, & vndiquaque intra medium ceu
circino deſcripta,fit vt vehementiori infeſtentur motu.
Accidit porrò motus,quum coagmentatæ quæpiã mo-
les naturæ ductu per meatuũ anguſtias viam affectan-
tes prorumpunt, qua violenta eruptione cicatricis ob- E
litus inhibetur. His ita occurrendum, Si vehemens iſta
corpuſculorum conglobatorum moles in cauſa ſit quo-
minus obducta coeant vlcera , certè id in vigore ætatis
conſtitutis potiſſimùm vſuuenire par erat,ac propter-
ea hos ipſos tali vlcerum genere capi debere. in iis ete-
nim vt magna huiuſmodi coagmentorum eſt vis , ita
vel citiſſimè etiam agitantur : contrà in ſenio defe-
ctis,vt ſunt pauca,ita & ignauo lẽtóq; motus tractu vi-
brantur,& tamen in vniuerſum huiuſmodi iſtis vlcera
incurabiliora ſunt. Pronuntiandum igitur,Quæ figura F
in angulos quodammodo fracta conſtant vlcera , citius
cicatricem ea de cauſa ducere:quoniam ſanæ partes ſi-
bi mutuò viciniores ſunt,quà potiſſimùm angulo(vt ita
dicam)cõmittuntur:alioqui nõ è quauis occaſione cica
tricis inductionem admittunt.Poſſis huius rei documẽ
tum inde accipere quòd minori negotio curentur vl-
cera quæ oras vt non procul diductas , ita in ſpeciem
ſanas,affectas tamen habent:nam in rotundis integræ
partes ex æquo vndiquaque diſtant,plus affatim quàm
in angulari figura. Quẽadmodũ in circulo ſi ſtatuamus G
paruo ab eo interuallo puncta,rectáque linea protracta
ea coniungamus:idémque in altero , verbi gratia, tri-
quetro faciamus , deinde puſillo ab angulo interſtitii
diſcrimine ea ſimiliter vniamus , inueniemus lineam
in circulo conſertam , maiorem eſſe . Itidem res habet H
tum in rotundis, tum non in talibus vlceribus , prout
diximus.Idcirco in iis quæ angulari conſtituuntur figu
ra,facilis fit cicatricis inductio,quandoquidem minus à
ſe mutuò diffident integræ partes , ac vlceri ad vnitatẽ
reducendo conferunt non parum.quo fit vt in vniuer-
ſum ab extremis cicatrix obducere ſe incipiat,quoniam
à vicinis partibus integris opem acquirit: contrà in ro-
tundis ob æquale vndique incolumium à ſe inuicem
partium diſſidium,& ob adẽptam illis fouendæ cicatri-
cis occaſionem,haud facilè cicatrix inducitur.

2 Cur ſupremæ corporis ſedes,ad nomas,*hoc eſt depa-
ſcentia ulcera*,ſunt opportunæ, ſimiliter & concauæ? An
quia nome putrefactio eſt quædam , & ſenſus interitus
atque extinctio? Supremæ autem partes ob alimenti
penuriam calore facilè deſtituuntur,ita vt hac de cauſa
ſenſus ablationem incurrant : concauæ verò ob humi-
dæ in ipſis materiæ affluentem copiam,cuius occaſione
putredine corripiuntur.

3 Cur vlceribus ſanari,vt inflammationibus diſcuti
minuíque,incipientibus,pruritus creantur? Reſpon-
dendum quòd familiaris ſuccus potiores tunc obtinet:
quod quum ſit,alienum ex imo exigit & exterminat.
Porro autem natura quum loco cedit quod hoſtile illi
eſt & alienum,quoſdam voluptatis igniculos ſentit.

4 Cur hydropicus humore abundans copioſo , ſiti
tamen afficitur? Dicemus hanc potus appetentiam in
illis naſci quoniã humidi naturalis non aduẽtitii atq; à
natura alieni,quale ipſis cumprimis adeſt , torquentur
deſiderio.Extinguitur autẽ ea appetitio,appoſito quod
è natura eſt humido.An quoniam naturale humidum
haud in debitos diſtribuitur meatus ac conceptacula,
ſed foras propellitur atque exudat. quò fit vt haud ſecus
ac ſi non biberint,ſiti ſemper affligantur?

5 Quamobrem non ſitibundis in balnei ingreſſu ſi-
tis obuenit,& vice verſa quos ſitis habet,ab ea liberan-
tur? Quia ſiccitate oritur ſitis.Proinde ſi balneo ſitibũ
di indulgeamus, corpus ratione vitalis facultatis qua
præditum eſt,humorem ipſum per ſuperficiarios cuti-
cularéſve meatus ad ſe trahit:quo contingit penetralia
intima(è quibus potiſſimùm procedit ſitis) humefieri:
At verò balneo indulgentibus quos non moleſtat ſitis,
is qui in corpore eſt humor , per ſudorẽ promanat, eo
quòd aliam humiditatem occupare ſibique aſciſcere
nequeant.

6 Cur è iecinore,liene,pulmonibúſve laborantes,in
locum affectum minus difficulter decũbunt, quũ opor-
tuerit quà locus affectus premitur,dolorẽ incrudeſcere?
Dicendum quòd ſi in contrarium latus fiat decubitus,
quædam veluti penſilis oneris moles relinquitur: at dũ
locus patiens ita ſuſpenditur, maior certè ſentitur cru-
ciatus.

7 Quam ob cauſam in acceſſionibus in vniuerſum
ferè extrema frigore capiuntur? Quia humores eòcõ
fluũt vbi motus extat initium: id autem in mediis vi-
ſcerum penetralibus conſiſtit.Conſentaneum eſt igitur
dũ illò è qualibet corporis regione regurgitat humor,
vt ſuo etiã priuẽtur extrema, qui ad medium ceu cẽtrũ
ſe referat , eáque iam ſpoliata ſuccique indiga , neceſ-
ſariò frigore corripiuntur.

8 Voluptas quaſi diſſolutio & corporis remiſſio eſt:
id quod ſenſus ipſe atteſtatur quodammodo. Quòd etiã
ſomnus voluptatẽ pariat,nihil certius : nã eius quoque
fidẽ facit experientia:necnon & poeta qui ſæpenumero
prædulcẽ eũ nuncupat,quaſi dicas voluptatis miniſtrũ.
Si itaque voluptas corpus reſoluit , eámque & ſomnus
parit,quin potius hunc remittere quàm(quæ methodi-
corum eſt opinio)conſtipare dictitamus? Adde quòd
quæ ſcapha fit agitatio,corpus reſoluit:vnde & viciſſitu
dinaria eius vibratione in ſomnum proni cum volupta-
te quadam ferimur:hinc colligere eſt , remittere magis
& relaxare ſomnum quàm inhibere & reſtringere . An
huic ita occurrẽdum quòd non prorſus ſomni accidẽs

ſit voluptas: ſed quòd irruente ſomno hanc ob cauſam A
illa oboriatur, quoniam corpus eius beneficio in priſtinum reſtituitur ſtatũ, recedente nimirum defatigatione ex operis diurnis vigiliæ tempore nata. Porrò quòd nõ prorſus ob corporũ laxationem pariatur voluptas, hinc diſcere eſt. ſitim è ſiccitate oriri: ſiccitatẽ verò adſtrictionem inducere conſtat. Iam ſitibundi ſi quando frigidã exorbeamus, voluptate mira toti perfundimur: interim tamen præcedens conſtipatio è frigidæ cõmercio incrementum acceperit. Quemadmodum verò gelidam non dicimus relaxare eo quòd voluptatem cor- B
poribus accerſat, ita nec ſomnum idẽ dicemus factitare propterea quòd voluptatis ſit autor. Voluptas nanque creatur ob dictam à nobis paulo antè cauſam. Quæ autẽ ſcapha fieri dicta fuit agitatio, vt diſcutiendis craſſioribus partibus, ita ſenſus autori ſpiritui coagmentando cõpingendóque poteſt eſſe accommoda, nimirum turbando ſpiritum & contrahendo, dum reliqui humores à motu ceſſant: eo verò in vnum contracto, ſomnus oboriri ſolet. Nec mirãdum eſt ſi vna eadémque agitatio & corpus diſcutiendo inaniat & conſtringat ſenſificum C
ſpiritum, vti diximus. Quemadmodũ enim corpori affuſa calida, illud excitat: igni, extinguit: perinde & agitatio illa ſuperior contraria poteſt efficere. cuius generis & efficaciæ non pauca reperias contraria.

9 Qua de cauſa in capitis vulneribus, vbi eouſque deſcenderit vulnus vt cerebrum ambiens mẽbrana læſa ſit, partéſque ſauciæ iam integræ cogantur, atque ad cicatricis inductionem perueniant, tum plerunque conuulſio obuenire ſolet ex qua mortẽ illi incurrũt? Referenda cauſa ad naturalem cerebri palpitationem cõ- D
cuſſionémque, qua contingit mẽbranam oſſibus circũpoſitis (vnde exempta fragmẽta ſunt) affrictu illidi, alliſámque exulcerari. proinde facta iam exulceratione & ſordes ducente, quũ collecta illa ex vlceratione materia difflari digeriq; nequeat, propterea quòd carne iã obductæ ſint ſuperiores partes, ſimúlque quoniam dẽſior ſit, quàm quæ tranſmittere poſſit cicatrix: materiam illam exulcerationis vitio collectam, in principes cerebri regiones cõcedere, eáſque ita comprimere, vt & ſpaſmus cõſequatur, nimirum prohibita materiæ tranſpiratio- E
ne, ob cicatricis è carne à natura aliena concretæ duritiem.

10 Paſſim hoc obſeruatum eſt inter vulnera capitis, quorũ altitudinẽ cranii perforatione metimur, ea plurimum minari periculi quæ vertici quáque ſincipiti infligũtur: ex hiſce tamẽ quæ ad cicatricẽ perduci cõtingit, facilius curari iis quæ in occipite extant. Dicemus ſinciput (quæ pars capitis cæteris præſtat) perexilem habere ſubiectã mẽbranã: vnde plus hinc eſſe periculi probabile eſt. Quòd autẽ vulnera ibi loci inflicta, vbi ad ci- F
catricis inductionẽ deuenire poſſunt, minori negotio curẽtur, fit quia principes partes præſentius auxiliũ ſubminiſtrant. Quæ verò in occipite extãt, vt minus portẽdũt diſcriminis ob mẽbranã quã habet ſubſtratã carnulentã, ita difficilius curationẽ admittũt, tũ quòd concordi illo partium ſubſidio careant, tum quòd rei venereæ vſus ea loca magis exucca reddiderit.

11 Obſeruatũ eſt & illud in eius generis vulneribus capiti illatis, ſi ſponte venter deiicitur, mortem ſuccedere: ſin ratione, ſalutis portendi ſpem. Nã ſponte ſua ſolu- G
tus aluus, quoniam affectus ratione è capite ſubſiſtẽtiæ ſuæ originẽ trahit, periculum intentat, vtpote affectui ſuccumbente natura. Sin diætæ ratione aluus humecta molleſcat, tenuiori reddita materia inferiúſque concedente, capitis partes inquietatæ permanẽt: quo fit vt dũ nulla grauedine accumbente tentantur, curatio facilis ſuccedat.

12 Quam ob rem è prunarũ ardẽti ſtrue exurgens æſtus, caput prorſus grauedine ferit, è lignis non itidem? Quonia qui à prunis ſpargitur æſtus, vi calorifica coarctat, obturãdóq; cõſtringit: at alter è lignis, habet & ma- H
doris nonihil: cui⁹ indiciũ facit fumus ipſe, liquidò humoris in lignis cõtẽti argumẽtũ prodẽs. Porrò carbones in vini pauxillo haud abs re fuerit extinguere, quo aboleatur omnis ex iis noxæ cauſa.

13 Cur potiſſimùm piſcatores & id genus homines in mari agentes, vnguibus (*pterygia uocant Græci*) infeſtantur: quanuis verò & aliis hominibus id mali naſcatur, redundat tamẽ plerunque in rei nauticæ deditis? Dicendum bina eſſe pterygiorũ genera: fiunt enim partim dũ caro naturaliter oculi angulo ſubiecta porrigitur latius, atque incrementum accipit: partim quũ tenuis illa oculóque circũtenſa mẽbranula in calloſum tuber excreſcit intumeſcitque. Ea porrò in homine ægrè viſu percipitur ob prænimiam tenuitatem: at in animãtibus cæteris potiſſiméque agnis, conſpicua eſt, vtpote craſſior quàm in homine. Hæc igitur marinorum vaporũ, mordacitate ſua offendentiũ, occaſione exeditur, roditur, & in calli duritiem cũ inflammatione degenerat, ita vt hac ratione vnguis concretus producatur. Non ignoramus tamen pterygiorum vnum genus, adhæreſcere appendicis more, alterum quaſi connatum coalitúmque eſſe.

14 Cur alterius tantùm oculi affectus magis irritat? An quia quũ alter oculorum integer ſecundũ naturam ſe habeat moueátque, naturali ductu & æger mouetur? originem etenim ex vna eadémque baſi deducũt. hinc fit vt ægrum oculum concors motus exaſperet: affecto ſiquidem mẽbro ex vſu eſt imprimis quieſcere. Sin vterque eodem laboret tempore, tolerabilius fit malum: ſimul enim quietem agunt ambo, nec exacerbantur: itaque è quiete velocior ſuccedit ſanitatis adeptio.

15 Quam ob cauſam lippientibus nonnullis febris ſi ſuccedat, lippitudinem ſoluit: nonnullis non hoc modò non præſtat, vt etiam omnifariam cõciliet cæcitatem: quæ igitur eſt cauſa vt vni opem, alteri oculi perniciem adferat? Quia febris ſuperuenit ratione quadã & exemplo μετασυγκρίσεως. quare ſi intra mediocritatem conſiſtat febris, ita vt & quæ ex ea proficiſcitur, μετασύγκρισις moderatæ emolumentum ſequitur ferè. Sin cum vehementi impreſſione febris inuadat, vt motus quoque eius ſit vehementior, extremum ſequitur nocumentũ. Dicat etiam quiſpiam febrim & exiccandi natura eſſe præditam, & infarciendi artubus ſuperfluitates. Illud cõprobarit è ſiti, quæ febrientes corripit: huius argumẽtũ fuerit quòd mẽbra quæpiã ob febris ſuperuentũ excrementis ſcateant. Iam quòd lippitudinẽ ſanet febris, eſt quoniã ſuã arefaciendi vim iſta exerat, dũ fluxũ exiccat obortum. Eadẽ ſi noxã creat, infarciendo id agit planè, tũ quia loca affecta fluxibus excipiũdis ſunt procliuiora: tũ quia hoſce affluxus ingeſtos in artubus, confirmat febris & agglutinat, atque ita ex multo humorũ decubitu obfirmationeque cæcitas naſcitur.

16 Cur æſtate potius oritur lippitudo quàm reliquis anni temporibus, quũ tamẽ ea ſicca ſit & calida? Par nãque erat ob ſiccitatem temporis conditioni congruam, fluxionem nullã exoriri: nec tamen ſubſidii quicquam iidem perſentiſcunt, ex adſtrictione denſationéque quã præſens æſtus efficere poſſet. Dicemus, licet hæc æſtatem conſequantur, nihilo tamen minus plurimum lucidi aeris ſplendorem oculos perſtringendo, lædere vehementius, eo quòd omnis ſupra medium candor diſturbare ſenſúſque diſpergere ſoleat. ea de cauſa quũ tranquillã quietẽ præſcribimus, loco illam obſcuro delegamus, quo cauſam omnẽ motoriã ſubterfugiamus. Lippitudinis itaque æſtiuis diebus cauſa, vti demõſtratũ iam eſt, radians ſolis iubar exiſtit.

17 Cur quum affinitas mutua in ſimilitudine ſit auriũ inter ſe, vt & oculorũ: oculus tamen alteri in affectu cõſentit, haud itidem aures? Tum quia nõ ſimilitudine modò cõueniunt oculi, verùm & magna loci vicinia: aures verò intermedio ſpatio non exiguo diſſident: tũ quòd oculorum motus ab intrinſeco principio originẽ trahit: auribus verò extrinſecus is accedit.

18 Cur nonnulli quos lippitudo torſit, acutius vident? An non indubitatum eſt lacrymam euocantia collyria, bona ratione viſum dici acuere, propterea

quòd ex illacrymatione,&(vt ita dicā) purgatione, illis vſi clarius cernunt? Itidē vſuuenit in lacrymantibus lippitudinis vitio, ex materiæ cuiuſpiā craſſæ impacta congerie natæ,vt à purgatione terſius videant.

19 Cur quibus ſuffuſio imminet,contingit culicū, muſcarū,formicarúmque ante oculos obuerſari imagines,quæq; ei⁹generis cōſequi ſolent? An videlicet quia pro humoris cōcretione, ſimulatq; coire is incipit, ſimilia neceſſariò occurrunt phaſmata? Adde quo tempore hæc humoris impreſſio obiicitur, facultas viſoria per totū viſus organū vim ſuā exerit: impeditur tamē obſtaculo iis in locisvbi potiſſimè humeris cōcremētū incubuit. Qualis igitur humoris primòcōgelati figura extiterit,tales ſe rerum externarū ingeruntimagines.

20 Quamobrem oſcitantes minus audiunt? Quoniam in maxillarum diductu,auditus concidit inſtrumentum & comprimitur: ſimúlque circumuenitur & interpellatur ſpiritus. Hinc ſonori in auribus ſtrepitus gignuntur. Intercluſo itaque externi aeris ingreſſu,aures ſuo in excipiēdo ſono nequeunt fungi munere.

21 Cur aures oriculario ſpecillo alióue inſtrumento,fodientibus nobis, tuſſis interdum mouetur, non aliter ac irritata arteria? An quia multa ſit nō vocali modò arteriæ cum auribus affinitas:ſed etiam membris inter ſe, ita vt conſenſus ratione, vocis afficiatur organum? Excitatur porrò tuſſicula in vocali arteria.

22 Quam ob cauſam inter capitis dolore laborantes, alii acutèvoces perſentiſcunt: alii omnino ne audiunt quidem? An nimirum, ſi capitis dolores ita moleſtent vehementer vt maior fiat infarctio & obſtructio? præſertim ſi vertigo quædam præceſſerit, cōtingit nō ritè mentem ſe habere. Mens porro eſt quæ videt,quæ audit,vt veterum quiſpiam extulit, quo fit vt mente vitioſè habente ſeſe,vocem à quopiam editam excipere nequeamus:nec iniuria.

23 Cur ſurdi per nares vocem reddunt? In confeſſo eſt quòd ex priori affectione,alterius per conſenſum participes fiunt, dum quantum poſſunt aures dilatāt: quibus diductis etiam narium ſpiracula laxiora redduntur,& intercapedine non parua diſſidentia permanent. Proinde dum ſpiritus per laxam illam capacitatē fertur,haud difficulter ſonus quiſpiam áſformatur.

24 Cur multus ſomnus & peruigilium capiti grauitatem conciliant? Certè non dicemus ab illis noxā corpori accedere,quā ſunt exceſſus. Nec enim id quærimus cur à contrariis lædatur caput, verùm quam ob cauſam oboriatur idem ad amuſſim ſymptoma, è ſomni tum nimia frequentia tū immodica raritate: quæ inter ſe pugnant. Dicemus igitur ex multo ſomno hoc fieri,quoniam tranſmiſſa ad caput materia, ob adſtrictionē ſomni ratione factam, exhalare trāſpirareq; non poſſit. In peruigilio verò idem conſtituitur hac de cauſa:quia rarefactis,propter functiones per vigiliā obitas, humorib⁹, in ſublime,ſiue mauis,ad caput efferuntur vapores quidam caput grauantes. Eſt autem ratio,vt dum plus ſatis ob continuam vigilantiam tenuis redditur materia, maior etiam fiat eius tranſmiſſio: nec abſonum eſt,haud ritè diſtribui propter vigiliarum aſſiduitatem alimonias, ſed vitiari eas corrūpique. hinc adeo fit vt non tantùm multitudinis, ſed prauæ etiam qualitatis occaſione,vapores ad caput repentes,id diſtendant grauéntque.

25 Cur ſub lucente luna, vigiles quantumuis diu multúmque moram trahunt,nihil offenduntur, dormientibus verò caput obſtruitur? Quam igitur huius rei afferemus cauſam,quòd in luna ſomnum capientes capitis grauitatem incurrant, quū eius calidū ſimul & humidum ſit iubar? An hoc contingit quòd in modum ictus punctuſue ſomno ſepultos lunæ radii feriat: quippe quibus cum humiditate cōiuncta eſt grauitas: quemadmodum fit vbi cum impreſſione ſcaturigines prorumpunt. tum enim ob impreſſionem illam, ictus ritu affluxus prouenit, ita vt conſtipatio potius quàm laxitas ſequatur:ita euenit etiam vt lunæ lumine cum

A grauitate ob ſuperiorem cauſam ingrüente, impactio ſiue grauitas gignatur,conferente huc & ea quæ ex ſomno proficiſcitur obſtructione.

26 Qua de cauſa qui placido vtuntur motu, ſi capitis antea teneantur grauedine,ab ea poſt motum liberantur: at qui curſu proni feruntur, etiamſi nullum præceſſerit grauitatis indicium,incurrunt eam tamen à motu? Dicemus his quibus moderatus obitur mo- B tus,paulatim ad ima omne & alimentorum & excrementorū genus diſcedere atque detrahi: cæterùm qui violento & extorto exercitationis genere vtuntur,etiā reuerberationes refractúſque quoſdam contingere: vt nimirum delabens ad imas partes materia remittatur ſurſum cum repercuſſione quadam,non aliter ac res habet in rotūdis molibus ſolo illiſis: quas ſi placidè in pauimentū demittas,nullo facto reſultu reſtant:ſin vi ſolo impingas,in altum reſiliunt, quemadmodum in pilis videre eſt. Eadē prorſus de curſoribus eſt ratio,ma- C teria nimirū ſurſum cum reniſu relata.Præterea cōtingit in violento motu ſpiritum & retineri & intendi, adeo vt hac de cauſa grauedo naſcatur.

27 Cur in rectum qui fiunt motus,vertiginem nō pariunt,quum circulares in gyrum curſus id faciant:in tantum vt arbitrentur iſti omnia exteriora ſecum rotatu circumagi? Dicemus rectos motus non prohibere materiei tranſpiratum, circulares verò non permittere eam difflari,irruente nimirum cum turbinis impetu aere & tranſpirationem inhibente. Adde quòd motui D corporeo reſpondet ad vnguem circularis in nobis humorum motus.hi nanque cum corpore ſimul circumacti,occluſa perſpirandi via,ob rationem memoratam; poſtquam motus.cauſa quieſcit,in orbem iam tū moueri incipiunt: vnde talis motus in cauſa eſt cur humores præter naturam aliquid concipiant ac repræſentari credant. Sic auruginoſi externos imaginantur colores pro affectus in oculis conſiſtentis ratione.Itidem qui ſuffuſione laborant nihilnon ſubrubrū autumant. Itā quoq; in circulari fit motu,vt omnia in gyrum rapi E credantur: agitato ſiquidem qui in oculo eſt humore, iam tum fit vt is ſequatur conceptus atque imaginaria arbitratio. Porrò oculus,vt pro cōfeſſo habetur, humores continet,aqueum,(qui lacrymarum fons eſt)cryſtallinum & vitreum:iſtique omnes tranſlucidi ſunt & albidi. Præterea prima tunica alba eſt,at in tenuitatem deſinit in oculi medio,vbi nigrum cernitur, non tamen colore(vt dicimus)eſtcandida,verùm tota pellucida,etiam eo in loco. Nec illud ignotum eſt quòd ſecunda tunica,atra natura exiſtens,corneæ ſit ſubſtrata: non toti tamen. Relicta enim eſt plaga perſpicua,quà F ſe viſus exerere poſſit,quō in loco pupilla eſt. Ex his omnibus ſimul coactis,quæſtionis ratio elucèſcit.

28 Cur quibus ſuperior inferiórue palpebra deprimitur,geminari obiecta videntur, quod ebriis potiſſimùm accidit? Fit quia viſorius ſpiritus diſtractus diuiditur.Id autem quodammodo euenit citra depreſſionem,vt ſpiritus ex vtroque oculo promanantes, dū in rem ſubiectam ingruunt,pariter obtueantur. Quando verò alter oculorum deprimitur, non iam amplius in G rem ſubiectam pariter,ſed diſpartito ac ſeorſum quilibet appellunt. Huius(ſi placet)ita poſſis documentum capere. Appoſito ſiquidē qui oculum premat digito, ſi alterū,nō preſſum ſcilicet,obiecta manu præcludas, euaneſcet gemina obiectorum apparitio, quantúcunque depreſſare pergas.Hinc patet ſpiritus viſifici ſeparatione diſtractionémue pro cauſa habendam: ſicut & ebriis multiplici res obuerſantes varietate ſpectantur.

29 Cur ſub aquis vocem non excipimus æquè vt per parietes: quanuis horum interſepimenta coactiora ſint & duriora? Quia naturam habet aqua peculiarē H vt aer ſubire vel depreſſus nequeat,at quando per parietem loquimur, eo quòd auribus nihil incumbat oneris,veriſimiliter certè aere ex aduerſo verberato traiicientéque per intermedium parietis aerem, fit vt percellatur iſte: atque hinc verba excipimus.

30 Quamobrem in acutorũ morborum declinatione parωtides ferè naſcũtur (quas ſunt qui *Διοσκούρυς, hoc eſt geminos*, etiam appellant, à fauſto, vt arbitror, ſalutis oſtento) eæq; à malo abſoluũt? Non fugit nos, in morbis grauibus, quædam veluti illorum prooemia, vt inappetentias, oriri: attamen vbi robur colligi confirmarique incipit, appetentes plus aliquanto redduntur ægri, oblatóque iam alimento vberiori, maxillas mouere coguntur: dúmq; in mandendo rictus diducitúr, naſci ſolet inflammatio: ex eius autẽ in loco obfirmatione, parωtis ſuppullulat,

31 Aurium inuerſæ fibræ, mortem in acutis morbis portendunt. Cauſa eſt iſta. Emortuo enim illic ſanguine, par eſt plus ariditatis eas partes contrahere. Natura etenim ſanguinis habent perquam parum. Eadem autem ſtud fit ratione qua in chordis ſolet. His ſiquidem vt humoris deliquium, contractionis eſt cauſa, ſic in aurium fibris quoque aſſolet.

32 Cur mellis fauus primordio amarus, dulcedinem perfectus contrahit? Quia magna indicatur naturæ ad contrarium mutatio, quum præſertim fauus cum dulcis, tum amarus ad amuſſim, in ſuo genere abſolutus extiterit.

33 Cur in facie vari prodeũt ferè in ipſo ætatis flore vigoréque (quapropter & *ἀκμάς, id eſt vigores*, idiotarum vulgus eos nuncupat?) Hi profectò, vt totã faciẽ quod diximus, occupant, ita circa nares ſcaturiunt liberalius. Manifeſtum eſt id augmenti ratione fieri, nam vigoris tẽpore appoſitio & agglutinatio ex alimentis validius ſuccedit. Iam quum quælibet particula vi inſita portionem alimoniæ ſibi tranſmiſſam conficit, facies tota, potiſſiméque narium loca, alimẽtum ſibi naturæ diſpenſatione diſtributum, in carnem conuertere nequeunt, eáque ratione efficitur vt reliquum eò delati humoris, alienam à natura ſubeat qualitatem. Quòd autem nuditas partium tenui inductarum carnis mole in cauſa ſit vt vari generẽtur, indicio eſt quòd in labris, ob eorum carnulentiam, non erumpunt.

34 In diſquiſitionem venit cur gelida naribus ſanguine manantibus affuſa, maior interdum ſanguinis profluxus ſuccedat, quum tamen frigida cogat natura & inſpiſſet. Dicendum quòd quoniam loca narium & vaſa teneriora ſunt & molliuſcula, accidit dum fit cõſtipatio, nonnulla ex iis obſtipari & arctata concidere, nonnulla verò diſtendi laxarique. Nam quo magis partes quæ obſtruuntur, in ſe cõtractæ redeunt, eo amplius vicinæ diducũtur, ita vt diſtenſionis ratione, vaſa adiacentia ſe reſoluant. An quia prona exiſtente ad profluuium natura, aqua affuſa corpus eadem imbuit affectione, refricans quaſi memoriam illi quòd ex aqua originem ducat, quo fit vt profluuium ſequatur?

35 Cur ſuffimenta aromatũ melius excipiunt procul ab igne (vnde vapor aromatum ſurgit) ſemoti ſtantes quàm è propinquo? Conſtat manifeſtò fragrantiam vim acquirere ambienti commixtam aeri. Sic enim & poeta dixit, *Aruinæ nidor fumo ſubit actus olympum*. Nec caret ratione quòd è longinquo odoris fragrãtia rectius ſentiatur. tenuior ſiquidem ille redditus, ſenſum cõmodiùs mouet & afficit.

36 Cur in ſternuendo laborantes, ſi ad ſolis iubar faciem obuertamus, ſuccedit ſternutatio? Ratio eſt, quia ſolis radius inteſtinam narium regionem perſtringens, perinde ac feſtuca immiſſa, ſternutamentum citat, meatus ſtimulando. An quia ſternutatio fit, ſpiritu nares & ſubeunte & ſolicitante? At ſolis radius eas calefaciendo, plus exhalare facit ſpirituique opem fert, qui adaucto robore, ſternutamẽtum irritatione accelerat.

37 Cur ſternutatio rarò ſemel, rarò etiam multoties oboritur, ſed frequentius binis vicibus? Cauſa in promptu eſt. nam quum bina ſint narium foramina, & ſternutamentum fiat excutiente ſe ſpiritu, fit vt alteram narem permeante ſternutamento, ſequatur & alterum.

38 Quærat quiſpiã qua de cauſa ĩ artuũ ruptura, oſſe obliquè diſſecto diruptóque, intus in eo immiſſo caro A viſatur, quæ intermediam oſſium molem impleat, ſitque oſſis vice: at in ægylope, oſſe comminuto diffractóque, regio illa carnem non producat. An quoniam artuum oſſa, vt plus habent circumpoſitum molis, ita alioqui continua ſibi mutuò adhæreſcunt, nec multùm à ſe inuicem diſſident? At narium partes, vt exigua carnium mole ſunt ſuffultæ, ita non ſimiliter, vt oſſa, ſpatium vacuum habent intermedium.

39 Cur gelido exiſtente aere, tenuis valde humoris B affatim per narium ſpiracula prodit, quum frigus cogere inſpiſſaréque eum oportuerit? Quia magna per faciem fit conſtipatio, ſicque quaſi in morem percolationis à vicinis foraminũ partibus, tenuis humor trãſmittitur atque exprimitur.

40 Cur offenſo membro, vicina loca non afficiuntur ſimul, at ſemotiora, eadem corripiuntur affectione, vt læſis pedibus, inguina? Aſclepiades libro de vlceribus ait, ad icta loca materiam per initia deferri, cuius quantum ea capere poſſunt, tantum illuc de C cumbere: iis deinde repletis, nec alterius affluxus capacibus, materiem delatam repulſáque loci ſugillatam à plenis partibus, effluere alióque ferri: repertóque fortè loco concauo, in eum ſubſidere: id quod & aquæ vſuuenire ſolet, quæ donec per planum fertur, æqualem ſeruat motum: ſin lacunam fortuitò reperiat, ibi reſtitat. Idem etiam humori in locum ictum affluenti vſuuenit. quantum enim is capit, tantundem illi materiæ tranſmittitur: reliquum in cauas partes, potiſſimúmq; in raræ meatuum texturæ inguina ſeſe exonerat, eáque D in tumorem attolit. Eſt quidem hæc non abſurda reſponſio. Poſſet tamen in cauſam quis vocare neruorũ imbecillitatem facili momento offenſam. Conſtat enim neruos citius quàm reliquas corporis partes, cum membris affectis ſimul per conſenſum affici, ob naturam quam habent mirè ad patiendum opportunam. Propterea etiam in capitis vlceribus, ſtrumæ glandulis in duritiem abeuntibus, circa ceruicem conflantur: nec non ſub alis bubones, extantibus manuum vlceribus, exoriuntur.

E 41 Cur à dextra capitis regione ſauciata membrana, quam menyngem vocant, ſiniſtra pars reſolutionẽ incurrit: ſin à læua id contingat parte, dextram paralyſis manet? Referenda eſt cauſa ad neruorum, originẽ ſuam è cerebri baſi trahẽtium, ſitum. Hi nanque ſe inuicem decuſſant. Siquidem à dextra baſis parte exorti, in læuum capitis ſinum feruntur: qui à læua, in aduerſum: ita vt eorum ſitus decuſſatim concurrat. Nihil mirum igitur ſi vulnerata dextræ partis membrana, ſiniſtram reſolui contingat. ſic vice verſa de altera dicen- F dum.

42 Cur in prælio vulneris reſpectum caſus ſequitur? Obſeruatum eſt enim pro membri ſaucii ratione, hominem labi, puta, ſi vulnus anteriori ſit exceptũ parte, haud cõtinget in tergũ corruere. Dicemus quòd quam in partẽ natura veluti claudicat atque adeo inflectitur, in eam prona fertur. Verbi gratia, conſtituatur in quodam æquilibrio corpus, propoſitum habens neutram in partem vergere. tum forte aliquid in illud impingens, vel leui momento impellat; certè quò in- G clinabit, huc concidet. Idem in parietibus propendentibus vſuuenit: quibus fulciendis & in rectum ſtatum reſtituendis, ſiquid opponas moliminis, eò videbis illos delabi quò vergentes ruinam minabantur, præſertim ſi in renitendo violentius paulo conquaſſaris.

43 Qua ratione viuis corporibus combuſtis papulæ exurgunt, mortuis nequaquam? Dicemus in viuis, per totum corporis ambitum ſpiritus eſſe diſperſos, in defunctis non ita. An quia mortuorum corpora dura ſunt & rigida: at viuorum eiuſmodi ſunt, vt H augmentum accipere in latum & extendi queant: itáque admoto igne, fit quædam liquorum ad cutim attractio, vnde oriuntur papulæ, quæ in mortuis idcirco non emergunt quia deficit ſubſtantifica illarum qualitas?

44 Cur ſolum ſternutamentum iis qui in terga cõ-

ſtant valetudine, noctu aut omnino non fit aut cer- A
tè rarò: reliqua,ferè dixerim, omnia ex æquo & inter-
diu & noctu? An quia ſternutamentum à calore
eum mouēte locum vnde proficiſcitur,fieri ſolet? qua-
propter vbi ſternuere placet,ſoli faciē obiicimus. Dor-
mientibus verò nobis calor reuocatur, & intus coerce-
tur:ex quo imæ dormientium partes incaleſcunt am-
plius. Haud iniuria ergo,ſi è capite calore (qui eius loci
humores mouere natura eſt comparatus) ceſſim eunte,
non ſternutemus:ad quam humorum eruptionem ſter
nutamentum ſuccedit. Itaque noctu nō obuenire illud B
par eſt.

45 Cur perfricato oculo ſternutare ceſſamus? An
quia ſic humor reſpirat?Lacrymam enim poſt frictionē
extrudit oculus.hic autem confricatus,plus caloris ſibi
contrahit quàm nares contineant. quo fit vt ſi naſum
quoque ipſum fricando atteras, ſternutamentum de-
ſiſtat.

46 Cur ſenes inediam tolerant non pueri? Quia
ægrè ſe mouet ſenectus,vtpote calore deſtituta. Pueri
verò vtplurimum habent innati caloris, ita plurimo e- C
tiam agitantur motu.Motus autem diſcutit atque dige
rit. at enimuero quibus ſubſtantia diſcutitur atque ef-
fluit,hi alimento opus habent.

47 Cur mortuis,quando omnia membra relaxan-
tur,ſoli teſtes ſurſum reuelluntur? Quoniam fugien-
te ſpiritu,ſemen excurrit: id autem excerni ſolet retra-
ctis teſtibus: quamobrem iam tum illi à ſuperante fri-
gore rigentes,ita perſiſtunt.

48 Cur ebrioſi ignobilius vinum potant auidius?
Quia multibibi magnos crebróſque habent corporis D
meatus.Per grādes itaque poros vinum generoſum te-
nue exiſtens, citra inhibitionem diffluit: at ignobile,
craſſum quum ſit, reſtitat atque permanet, ac tum de-
mum voluptatem è ſe præſtare videtur.

49 Cur iratis rubore ſuffūditur vultus,timidis im-
palleſcit? Ira nanque ſubita & conferta ſpiritus exun-
datio eſt & excurſus: metus verò retractio: vbi itaque
is ſpiritus plurimus eſt, inflammat: vbi deficit, calore
priuat.

50 Cur prouectiorum ætate aliqui caluеſcunt, ali- E
qui minimè? Quoniam aliis alii caloris plus habent:
frigidi verò haud lætum nutriunt capillitium.

51 Cur prodigioſæ formæ homines,plerunque etiā
emota ſunt mente? Quia corpori conſentit anima,vt
animæ corpus.

52 Cur magna vlcera in curatione quando repurgā-
tur,lethalia exiſtunt? Quia per multos poros ſenſum fu
gientes,animalis ſpiritus tranſpirat.

53 Cur æſtuoſo tempore, qui ſtata vice recurrenti-
bus infeſtantur febribus,horrore concutiuntur? Quia F
rarefactis poris exſpirat calor natiuus: cōſtipatis intus,
obſeratur.Cedente itaque qui in nobis eſt calore, ſucce-
dit frigus: horror autem,contracto ob frigus corpore,
gignitur.

54 Cur ſolidum cibum deglutientes, ſuffocamur?
Quia gula quæ per longum tractum ad ventriculos de-
currit,ex turundæ ingeſtione prorſus ſuffarcinata,arte-
riam premendo,ſpiritus inhibet tranſitum.

55 Quam ob cauſam terra candida vtplurimùm eſt
ſterilis:nigra,ferax? Quoniam illa frigidioris eſt natu G
ræ: hæc caloris habet abundè. Adde quòd illa reptilia
procreat,quæ frigidi ſunt temperamēti:hæc fruges,quæ
calidi.Quocirca & inter fœminas fuſcæ, magna ex par-
te fœcundæ ſunt ob calidi natiui vberiorem copiam.

56 Cur infantes vehementius febri affligantur?
Quoniam plurimo calore natiuo abundant. Eſt autem
febris innati caloris intentio & augmentum.

57 Cur oſſa in tophum(*πῶρον uocant illi*)calleſcere ar-
gumento eſt faſciarum cruenta tinctura,licet citra vul-
nus fractura conſtet? Quoniam vbi tophus coit, ſan- H
guinis aſpergines in ſpongioſis oſſium cauernulis ſpar-
ſim diſſeminatas, protrudit atque exprimit.

58 Quis tophi indureſcendi coaleſcēdique eſt mo-
dus? Hic videlicet, Subſtantia ex alimento mutata &
in oſſium extremas crepidines delata,tophum(*πῶρον in-
tellige*)concreſcere facit.Quemadmodum enim in nari-
bus hæc ipſa nutrimēti mutatio in muccum abit, in v-
beribus,in lac: ſic in oſſibus cogitur tophus,ob talem
nimirum formationem naturámque particularum: mē
bra ſiquidem pro ſui natura aſſimilare ſibi nutrimen-
tum ſunt comparata,velut in diuiti varietate fruticum
horto contingit:qui aquam hortulum perrigantē, prò
ſua quilibet natura exugendo attrahūt. Sic abſinthium
aquæ illectæ aſperginem in ſuam aſſimilat naturam:ſi-
militer ocimum & reliquæ id genus herbæ. Adducit a-
liam rationem Andreas Caryſtius,quòd ſcilicet medul-
la oſſium fiſtulis cōcauis affuſa,eorumque diſſectorum
labris conglutinata,demumq; lapideſcēs,in tophū abit.

59 Cur correpti cholera,augeſcente increſcentéque
ventriculi tenſione,crura tibiáſque contrahunt? Dicē
mus quòd cholera ſtomachi,qui natura neruoſus ex-
iſtit,paſſio ſit.Itaque optimo iure is tenſione laborans,
muſculos corporis in quos neruorum origines propa-
gantur,ſimul afficit.

60 Quam ob rē quibus oculi adſtrictoria vi prædi-
to collyrio ſunt inuncti, clauſis iis minus adſtrictione
cruciantur,apertis vehementius? Quoniam obſeratæ
palpebræ corneam tunicam ſinunt quietem agere. Dū
igitur quiete fruitur oculi globus, inunctum collyrium
meatus obducendo illinendóque,minorem ſuæ adſtri-
ctionis ſenſum præbere poteſt: at diductis iam palpe-
bris hiantibúſq;,nihil mirum ſi adſtrictionis ſenſus ma
gis vigeat:quandoquidem continuo motu bulbus ſeu
pila oculi in palpebras illiſus calorē excitat: quo facto,
ſenſum fugientes meatus laxantur dilatantúrque:qui-
bus dilatatis,exilia ſenſúmq; latētia(vt ita dixerim)col-
lyrii corpuſcula,imprimi neceſſum eſt.vnde adſtrictio-
nis ſenſus geminatur. An quia in diducendo oculo poſt
inūctionem obligatū oculi pilæ collyrium,tenuius red-
ditur? Semper etenim quæ motu vibrantur, accommo
da ſunt & à natura comparata,vti tenuari poſſint. Quo
igitur tenuatur illud magis magiſque, eo validiorē ad-
ſtrictionis ſenſum ſuppeditat.

61 Cur phrenitici & furioſi in paroxyſmis robuſtio-
res ſunt, vireſque habent auctas? Dixerimus ob mentis
alienationem ferociores reddi:habent autem corpus ad
perſpiratum malè comparatum, idque ex vehementi
adſtrictione. Hinc adeo fit vt quū abſoluūtur liberātúr-
que, viribus deficiant,non deuicti ſcilicet à potiori cau-
ſa,ſed ob adſtrictionem remiſſam.

62 Cur qui ſinapi obliniuntur, eo aqua ſubacto tri-
tóque rubeſcunt amplius: ſin cum aceto permolatur,
non tantundem officii ægris præſtat? Dicendum non
carere id ratione,quòd eo ex aceto inuncti minorē ſca-
rificationem rubedinémq; minus cruentam percipiāt.
his etenim vt cutis ſuperficiem adſtringit,ita illā mea-
tuū ex eo natam obſtructionē illinit, & (vt ſic dixerim)
læuigat.qua ratione omnis ſinapi ademptus eſt locus,
quò ſe induat ad pertentandos poros. An quia acredo
ſinapis admixtione aceti hebeſcit & obtunditur? Hæ
nanque ſibi mutuò confertæ qualitates, proprium qua
litatis caput hoc ipſo vitiant,quo ſuam quodlibet ſim-
plex vim exuat. Quod ipſum & in oxycrato (*quam po-
ſcam uocamus*) eſt animaduertere. Nam quum ex aceto &
gelida temperatis ſimul conſtet,ſummas ſuas qualita-
tes ex hoc temperamentorum complexu perdit, & præ
ter illas alia quædam conflatur qualitas. At enimuero
qui ſinapi inuoluuntur aqua ſubacto,rubedine colora-
tiori imbuūtur,hac de cauſa quoniam aqua læuoris ſui
ratione & humectatoriæ facultatis,dilatās poros ratio-
ne non ſenſu cognoſcibiles,viam ſinapi qua ſe altius in
ſinuet,aperit: eſt autem calidum ſinapi,vt prædiximus,
& ampliandis meatibus cōducit. Meritò itaque quibus
ex aceto ſinapi corpus inungitur,minus cruento ſuffun
duntur rubore:quibus verò ex aqua,magis.

63 Cur aqua pluuia,ſi vel à mari ſit hauſta,dulcis ni
hilominus exiſtit? Dixerim quòd aqua marina ſuapte
quidem natura ſalſa eſt: talis autem grauis eſt:habet ta
men mare fluuios in ipſum ſeſe inſinuantes:quos veri-

ſimile eſt ſupernatare. Aer itaq; aquæ è mari hauſtu attractæ partem non craſſiorem, ſed tenuiorem quæ dulcis eſt, ad ſe rapit. Non igitur abs ratione eſt ſi pluuialis aqua, licet è mari excepta, dulcis permanet. An quòd aer rapida ſua vi ipſam marinam dum hauſtu attrahitur, cõmouet, quo motu tenuior efficitur? quæ nanque in motu ſunt, procliuem habent ad tenuitatẽ naturam. Quod autem tenue eſt, etiam dulce: vt è cõtrario vnda marina, ſalſa, vt quæ craſſis conſtet partib⁹. Hac itaque de cauſa aqua pluuia, dulcis eſt.

64 Cur aqua marina diutius excocta naturã quam habet ſalſam exuit, dulciſque remanet? (debet autem ad tertias decoqui.) Dicemus marinam aquam è craſſis conſtantem partibus, illis vi ignis ſeparatis, tenuem effici: proinde facto hoc alterationis momento (quòd è craſſa in tenuem abeundo, priorem exuerit qualitatẽ atque reiecerit) è ſalſa dulcem fieri.

65 Cur feruenti inflammatione oculorum laborãtibus, aſpredinis cuiuſdam ſenſus oboritur? An lippitudinis ſuperuentu ſuperiorem ſubeuntis palpebram aſpritudo naſcitur? An quia vaſa quæ intus errabundè nullo ordine palpebram percurrunt, in gibbum quodammodo attolluntur, ita vt hac ratione ſalebroſa illa aſpredo conſequatur?

66 Cur oculo lippitudo oboritur? An quia mẽbranis oculi vehementer quaſi ex aduſtione inflammatis (idque calore qui ex imo diſcuti digerique debebat ob repletionem atque ægram meatuum tranſpirationẽ inhibito) ea naſcitur? An quoniam qui ſecundum naturã oculo inſunt humores, exarefacti & quodammodo propter loci ardorẽ retorridi, lippitudinem creant?

67 Qua de cauſa in febrientibus alteratur pulſus? Quoniam ſpiritus innatus, quũ relicto naturali & ſymmetro ſtatu, redundat, & à calore intrinſeco diuiditur tenuaturque, ac leuitatis occaſione concitam acquirit celeritatem, non pulſui tantùm, ſed & ipſi reſpirationi alterationẽ inducit.

68 Cur cutis ſuperficiem febrientes vlceroſam habent? Quoniam attrita carne, excitatas è frictione tuberculorum anſulas, indignè fert illa. Quemadmodum & in aliqua corporis particula inflammatione correpta ſolet accidere.

69 Cur pallent febrientes? An ob humorum noſtri corporis in altũ fugam: an ob meatuũ corporis ſenſũ fugientiũ rationẽ immutatã hoc accidit? Pari ratione in alui vrinæque recrementis fieri exiſtimandũ eſt.

70 Cur in febri cum fluore correptis, quanuis trãſpiratio digeſtióue adſit, & eorum quæ in corpore tenẽtur, excretio, calor tamen his ſuccenditur, pulſuſq; fit magnus? Quoniam materia quæ corpus obſidet, multùm attenuata, difflatio fit. Porrò ex tranſitu excremẽtorum & affrictu, calor quiſpiam excitatur. Non tamẽ dicimus quos cum profluuio febris affligit, ſimilem cũ his obtinere calorem quibus adſtrictum eſt corpus, atque adeo nec pulſum, ſed comparatione facta cum ſanis. Hujus rei conſtabit tibi documentum è balneantibus aut corpus exercentibus: quippe quibus laxiores redduntur meatus, eóſque obſidentes vicini humores tenuãtur, man ifeſtéque difflantur, calórque & fit & eſt maior quàm ſecundum naturam, & pulſus vehementior magnitudinémque obtinet: nã ſegnis torpidúſq; mot⁹ & grauitas labefactata virtute & debili prouenit.

71 Cur febrientes cibum difficulter continent? An quòd appetentia conſiſtat in ſymmetria quadam oſculorum ſtomachi & etiam ventriculi: quam ſymmetriam integram cõſtare, ſiue hæc oſcilla meatúſque diducantur ſiue claudantur, ratio poſtulat.

72 Cur in cholera conuellantur contrahantúrque & refrigerentur extremæ corporis partes pulſúſque ad ſit obſcurus? Quoniam ſpiritus impetu elatus, propter tenuitatem partium qua ventriculus illis eſt præditus, habet nanque eum mirè calidum) latenter difflatur: vnde fit vt & torpore corripiantur: torpent autẽ quæ ſpiritus priuãtur vehiculo. Extrema porrò refrigerãtur & contrahuntur, propterea quòd in iſtis calidũ natiuũ ad vẽtriculũ cõmeat, ob illius partiũ tenuitatẽ.

73 Quã ob cauſam aquas extimeſcunt hydrophobi (*quos à rabido cane morſos dicimus*) & pudendum cum hypochondriis ſimul illis intenditur: intremiſcunt etiam ac cõuulſionẽ patiuntur, adeóq; delirãt vt canũ ritu latratum edant? Conuellũtur certè & tremũt, ob cõſenſũ oris ventriculi cum neruorũ genere. Eadẽ quoq; de cauſa tentigine pudendũ illis erigitur: nã hydrophoborũ & cõſtitutio & affectus, eſt obſtructio quædã ſtomachi & ventriculi. Deſipiunt verò, quoniã vitiatus ad vẽtriculũ & ſtomachũ humor defertur, cuius pars quædã ad cerebri inuolucra exhalat, vbi morã trahens, mẽtis alienationẽ inuehit. Deinceps ſiti torquentur, quia morbi ſubſtantia in exilibus poris cõſiſtit. quoties itaq; bibũt, aqua (vt quæ tenuium eſt partiũ) exiguos ſubeundo poros, obſtructiones auget. At enimuero cibus ſolidus nõ faceſſit his negotiũ. meatus enim patientes haud aſſumunt illas ciborũ coagmentatas moles. Præterea quòd nõ bibentes, aquã tamẽ exhorreſcunt, in cauſa eſt organorũ ſenſus imaginatio: nam qui potat, ſimul & videt & potat. Viſus autẽ ab aqua cõmotus, eodẽ momento & ſpiritũ qui in ſtomacho eſt, cõmouet: qui à bibente motus, viſum itidẽ permouet, vti prius ab aqua fuerat. Ex hiſce in orbẽ motuũ vicibus, inoleſcit quidã vſus & coexercitatio, vt quanuis non potetur aqua, ſpiritum tamen in ſtomacho percellat atque commoueat, quẽadmodũ paulo antè à bibente turbidè commouebatur. Quapropter obnupto vultu bibũt, quoniã altera receſſit motus actio. Præter hæc probabilis eſt ratio, venenum ſtomachi poris inſidere.

74 Cur laborantes cruditate, vitiati alimenti ructũ emittunt? Quoniam ob exhibiti cibi copiam, maior ſe æſtus in ventriculi ſinum ingerit, qui velut innatãs cibum vitiat, & viroſo nidore non inanes ventriculi cauernulas, ſed ipſum ſinum imbuit.

75 Cur quos capitis infeſtat dolor, vt obtuſam habent oculorum aciem, ita lacrymantur aſſiduè? Quia dum ad caput defertur materies, (ſemper enim ad affectũ ea locũ repit) bona eius pars ad oculos ſe cõfert, idque optimo iure ob nictãdi aperiẽdiue neceſſitatem. An quidẽ lacrymãtur quia magna ſit partiũ illarũ tenuitas, quæ fit ob continuũ oculorũ motũ: an verò lacrymantur ob materiæ eas partes onerãtis multitudinem? An certè viſus illis hebeſcit, quoniã ſpiritus naturalis, qui per viſoriorũ meatuũ canales penetrat, ob materiæ affluentis admixtionem & conſortiũ, turbidus redditur?

76 Cur aurium tinnitus extante capitis dolore redduntur? Quoniam ſpiritus auditorius ab obſtaculo iis in partibus hærente percellitur. Porrò obſtaculũ illud eſt coagmentum quoddam in inſenſibilibus poris, ex obſtructione natum.

77 Cur capite dolentes plus ſentiunt doloris iam expergefacti? Quoniam moto capite, maior ſequitur materiei affluxus, obſtructionéſque adauget.

78 Qua ex cauſa pulſus deficit atque intermoritur? Quoniam morbo iam in malignam conditionem conuerſo, ſpiritus ab arteriis ad exiles affectarum partium anguſtias retrahitur.

79 Cur qui inſaniunt, delira & loquuntur & agunt? Quoniam ſpiritu animali, propter impedimentum & obturationem pororum qui in partibus ſpiritum illum conficientibus ſunt, difficilis patet commeatus. In cerebro nanque membraniſque illius & quæ inde naſcũtur propaginibus, affectus conſiſtit. quare iis præter naturam habentibus, phantaſias quaſdam & ſpectra videre arbitrantur, vt quæ non ſunt, eſſe exiſtiment: quæ non ſtant, ſtare credant: haud abſimili, cum arquato morbo laborantibus, affectionis genere. Hi etenim propter pororum in oculis obſtructionem, ſimilẽ quoque ex iis quæ cernunt, imaginationem concipiũt: cuncta ſiquidem è viridi flaua illis apparent.

80 Cur melancholici iracũdi ſunt, animóque facilè ſuccumbunt? Quandoquidem in ventriculo & extrema gulæ parte morbus conſiſtit, qua ori ventriculi committitur. illuc ſiquidem vitioſorum humorum

ſentina colligitur, vnde prædictorum affectuum cauſa proficiſcitur. Notum id fit è natura quidem ſanis, à cibo tamen abſtinentibus. Hi nanque in affatu moroſio res euadunt. Quin & iſti quos aquæ cruciat metus, (*hydrophobicos uocitant*) alimoniam ferè detrectant, vtpote ſu ſpicioſi formidoloſique.

81 Cur reſolutorum membrorum alia tenduntur, alia conuelluntur & contrahuntur? Quoniam morbus ſenſum fugientiũ meatuum ratione naſcitur. Quãdo itaque per longum vaſorum incidit præcluſio, mẽbrum reſolutum tenditur: at idem cõuelletur vbi pori obliquè clauſi concidunt.

82 Cur difficulter ſpirantes, ſibilo non abſimilem vocem reddunt? Quoniam morbus ipſe eſt præcluſio atque compreſſio inanium pulmonis fiſtularum: per anguſtum autem foramen dum fertur ſpiritus, ta- A lis redditur ſonus. Occurrunt & illis tuſſes ob calorem ex affrictu concitatum, pluſcula corpuſculorum mole in circulorum gutturis (*bronchos appellant*) intercapedines impacta, iiſq; deinde à ſpiritu ſimul verberatis.

83 Cur difficulter ſpirantes, recti minus ægrè ſpiritum ducunt quàm recumbentes? Quia gutture per conſenſum laborante, vti ſpiritus infeſtat illiſu, ita ſecũ vnà thoracem attollit.

84 Cur in rupturis ex ictu natis, abdomen nõ rũ- B pitur, etſi ab exteriori ſit parte: quum ab interiori mẽbrana prætenſa (*quam peritonæum uocant*) rumpatur interim? Cauſa huius eſt ipſa partium natura. Abdomen etenim carnoſum eſt: peritonæum verò ductili tenſione riget: quare quum ictui reſiſtit, ſcinditur. Iſtud idem in oſſium fracturis, etiam citra vulnus commiſſis, videre eſt.

AD LECTOREM,

Ecturus mihi operæpretium ſum uiſus, amice lector, ſi aſpergines mendarum aliquot inſigniorum, huic illitas libello, partim pro ingenioli mei modulo reſtitutas, partim ex autographo adnotatas, obiter in calce libri ad lectionis interpretationiſque probandam fidem adnotarem. Nam quum mendæ inuehi ſoleant aut deſcribentium φαύλων τε καὶ οὐκ ἀντιβαλλόντων *(ut inſimulat Strabo) incuria: aut dũ naſutior quiſpiã pro libidine figit atq; refigit, & mutat quadrata rotũdis: (quod iuris olim Cynæthus Chius in Homerũ ſibi ſũpſit, & in Ariſtotelẽ Tyrãnion) ut iam demus utrũq; paſſũ eſſe hũc autorem, nolim tamen poſtremum hoc in me cadere, ac propterea malui ſartam tectámque nominis innocentiam, indicando errorum occaſiones mihi conſtare, quàm temere immutando, in infamiæ ſcopulos impingere. Tu interim hæc ipſa qualiacunque ſunt, à me obſeruata pro iudicii tui norma excute, ac citra inuidiam maleuolentiámque perpende. Vale.*

Numerus non paginis ſed problematibus reſpondet.

4 Πόροις τὸ παρὰ φύσιν ὑγρόν. *Manuſcripti exemplaris fides contrario ſenſu* κατὰ φύσιν *legendum clamat.*

6 Καὶ μὴ ἔχειν ἐπί, &c. *Lego conſtanter,* μὲν, *pro* μή. *Ibidem,* ἐκκρεμασμένων δὲ τῶν, *autographum habet non inconcinnè,* ἐκκρεμασθέντων *&c.*

8 Ὅτι ἀραιμώτερον ἐπὶ χαλαρὸς ὁ ὕπνος. *In autographo rectius actiuè* χαλαστικός: *quemadmodum & paulo pòſt eodem in problemate,* οὐ λέγομεν εἶναι χαλαρὸν διὰ τό, *&c. ubi identidem,* χαλαστικὸν *in autographo eſt. Ibidem* ἡ δίψα καταξηροτάτη γίνεται, *lege* κατὰ ξηρότητα.

10 Ἐπικινδυνώτατα μὲν τὰ περὶ, *&c. Rectius cum autographo* ἐπικινδυνώτερα *leges.*

13 Ὅτε μὲν τῆς ὑποκειμένης τοῦ καθαρῷ. *Ita habent codices & manuſcriptus & uulgatus: ſed quàm bene, neſcio. ego poſtpoſita eorum fide, dilucidiori ſaltem ſenſu* τοῦ κανθῷ *lego. in angulo nanque oculi (Celſo teſte) unguis oritur.*

15 Ἐπιγίνεται λόγῳ τινὶ κατὰ σύγκρισιν, *reclamantibus exemplaribus una uoce* μετασυγκρίσεως *lego. ſimiliter id quod ſequitur,* τοῦ καὶ τὴν δὲ αὐτοῦ γεγενημένην κατὰ σύγκρισιν, μετρίαν ὠφέλειαν παρακολουθεῖν συμβαίνει, *paulo aliter legendum autumo, & reſtituendum* τοῦ καὶ τὴν δὲ αὐτοῦ γεγενημένην μετασύγκρισιν μετρίαν εἶναι, ὠφέλειαν παρακολουθεῖν συμβαίνει. *Eſt autẽ* μετασύγκρισις *methodicorũ uocabulum, quo expulſionem ex alto materiei, ſeponente naturæ iudicio factam, notare uidentur: poſſis fortaſſe cum Celſo euocationem humorum dicere.*

17 Ὀφθαλμὸς ὀφθαλμοῦ συμπάσχει. *deſiderari uidetur* καὶ τὰ ὦτα, *uel eiuſdem ſententiæ formula.*

24 Ἀλλ' ὅτι διὰ τὸ αὐτό. *lego* διὰ τί τὸ αὐτό.

25 Ὥσπερ ἐπὶ τῶν μετὰ ἀράξεως κρουνιζομένων. *archetypum exẽplar habet* μετ' ἐπιράξεως: *& linea ſequenti mutilè* διὰ τὴν ῥάξιν. *ita ut legendum fortè ſit* μετ' ἐπαράξεως, *hoc eſt cum impreſſione & eliſu: &* ἐπάραξιν. *Locus eſt non parum difficilis.*

26 Συμβαίνει ἠρέμα ἀποσυλᾶσθαι *&c. uidetur deeſſe* τὰς ὕλας, *uel ſimile quid. Ibidem,* καὶ τὸ πνεῦμα ἐπιδέχεσθαι, *rectius ſecũdum autographum,* ἐπέχεσθαι *leges. Ibidem,* ὡς καὶ διὰ τοῦτο τὴν σωτηρίαν γίνεσθαι, *uitioſa lectio eſt: quare aut addenda eſt negandi particula* μὴ, *aut loco* σωτηρίαν, *congruo ſenſu* βαρύτητα *ſubſtituemus. Id enim & rationis poſtulat* ἀκολουθία, *& efflagitat Ariſtot. autoritas, ſectione 5. problem. 9. Poſſes fortaſſe non alieno ſenſu legere* σωρείαν, *ut intelligat ex uiolento motu congerie humorum caput onerari.*

28 Διὰ τὸ μειράκια συμβαίνει. *autogr.* διότι *μερ. habet: & lin. ſequenti,* καὶ τοῦτο οἷον συμβαίνει διὰ τὸ ὑποθλίψαι. *autogr. habet, pro* διὰ, δίχα, *ut & uerti.*

30 Προπάθειαι γίνονται. *Locus hic tacitè neſcio quid muſſare ac* λειποταξίου προσκαλεῖν *dictionem unam aut alteram uidetur. Quocirca haud alieno ſenſu attexuiſſe in interpretatione Latina mihi uideor mentionem inappetentiæ: quippe quæ inter morbi primordia ſiue proœmia connumeratur: & de qua loqui uelle nemo non aſſenſerit. Næ igitur meo iudicio, haud errauerit fortaſſe qui leget* προσαποσιτίαι.

32 *Iſtud problema ut Græcè legitur, prima fronte falſi nomine laborare, nedum legenti negotium facere, ſunt qui autumant, exiſtimantes dulce amareſcere, amarum tamen in dulce retrogrado ordine redire non poſſe. itaque inuerſa nonnihil uerborum ſerie, hoc pacto ſarcire uolunt,* διὰ τί αἱ κυψέλαι φύουσαι γλυκεῖαι, πικραὶ γίνονται ἐπὶ τῶν ἀποτελουμένων. *quorum ut ſententiæ non acceſſerim omnino, ita lubẽtius* ἐπὶ τῶν ἀποτελουμένων, *quàm* τῶν ἀπολλυμένων *cum Martino AEdituo meo, medicinæ doctore, cũ ingenio tum iudicii integritate nulli ſecundo, legerim ſeruato dictionis, ut habet, filo. utut eſt, huius probl.* θεραπεία *haud ad ſtomachum facit: quãuis & in aſſignandis cauſis ipſe autor interdum mihi parum probetur, ut & problematographorum plerique.*

36 Τὸν παρμὸν ἐρεθίσει τὰ στόματα. ἐρεθίσαι *legito, quemadmodum eſt in autographo.*

38 Ἔσωθεν φαίνεται σὰρξ τοῦ ἐκπαριαθέντος ὀστέου, *&c. Codex manuſcriptus habet* ἐμπορπίσαντος, *non abſque manifeſti erroris indicio. fortaſſe haud alienũ fuerit legere* ἐμπορπισθέντος, *minus detruncata aut etiam detorta uoce, quàm eius uice* τὸ ἐκπαριαθέντος *ingerere, præſertim ſi ſententiæ nihil decedat, nimirum ſumpto uocabulo metaphoricè, à fibularum immiſſionis ſimilitudine.*

41 Τὰ ἀριστερὰ παραλύεται. *loco* παραλύεται, *eodem licet ſenſu, cum autographo* παρίεται *legas, ſua ut autori integra reddatur dictio. Pari ratione in fine eiuſdem problematis, in locum* τοῦ, τὸ ἀνάπαλιν, *irrepſit iſtud in uulgato codice* τὸ ἐναντίον, *quantumuis iſodunamoũ.*

42 Ἐπὶ τὴν τρῶσιν ὑπομένον μέρος. *in autographo additur* τὸ, *& clarius ita,* ἐπὶ τὸ τὴν τρῶσιν *&c.*

57 Διὰ τί σημεῖον πυρωθέντων ὀστῶν, *&c. Locus iſte in archetypo exemplari dilucidior eſt paulo & integrior, hoc modo,* διὰ τί σημεῖον πυρώσεως ὀστῶν ἐστὶ τὸ, τὰς ἐπιδεσμίδας, *&c. Ibidem,* ῥανὶς τοῦ αἵματος θλίβει, *uide an poſſit debeátue legi* ῥανίδας *in accuſandi caſu.*

60 Τὸν κεραπειδὴ ὑμένα ἠρεμεῖν, &c. *In autographo* ὑμένα *non eſt adſcriptum.*

61 Δύσκαπνον δὲ αὐτοῖς ἐστὶ τὸ σῶμα. *Lego* δύσπνουν δὲ, &c. *Ibidem poſt,* ἀλλὰ τῆς σφίγξεως αἰσθήσεως, *in manuſcripto exemplari quod unicum nobis fuit, & bene mendis aſperſum, uiſuntur aliquot adulterini commatis uerba, haud ſcio quo ſenſu quoue dictionis filo conſtituta: hæc nimirum,* οἷος ἐστὶν ἐκτὸς ἀνεπισκοπήτως βλέπεται. *Quæ ideo uiſum eſt adnotare, ut feliciorem quis nactus genium, aut codice adiutus emẽdatiore, locum integrum ſarcire queat.*

62 Ἐκ κεκραμένου ἄγαν ὕδατος καὶ ψυχροῦ συστάν. *Loco* ψυχροῦ *legendum ſuſpicor* ὄξους: *iſta enim oxycrati miſcella eſt. Ibidẽ,* μᾶλλον φοινίσσονται, *in autogr. additum eſt* τοῖς τόποις.

63 Κἂν τὸ θαλάσσιον αἱμάσσηται. *Autogr. addit* αὐτὸ τὸ θαλ. *Ibidẽ,* τὸ δὲ λεπτὸν καὶ γλυκὺ, ὡς ἐκ μεγάλων συνεστὸς ὄγκων. *Videtur repugnare rationi locus. quare ad plenam ſententiæ perfectionem, deſiderari inoculationem aliquot uocum crediderim, ita ut ſimile quid deſit,* ὡς καὶ ἐξ ἐναντίου τὸ θαλάσσιον, ἁλμυρὸν: *ratio ſubſequatur,* ὡς ἐκ μεγάλων συνεστὸς ὄγκων. *Vt nanque craſſarum aliquid ſit partiũ, in tenue, ac propterea dulce, non congruit, utpote terreum minimè: quod uel ex ſequenti conſtabit problemate, niſi fortaſſis ea uerba,* ὡς ἐκ μεγάλων συνεστὸς ὄγκων, περιττεύειν, *atque idcirco obeliſco iugulanda cenſeas.*

64 *Problema iſtud an ueritati ſit conſonum, tecum expende lector. Nam uidetur illi reclamare & ratio (quo etenim magis ad tertias decoquitur, hoc inſpiſſabitur amplius ſtrigmentitia craſſitie, ſaliſque pars craſſior ſubſidet, exhalante atque in fumum ſe reſoluente tenuiori) & ſalis ſtrues è marinæ aquæ ſalſugine coctura conficientium experientia, diuerſum quid dictura (ut opinor) fuerit: ni de aqua per expiratum guttatim in metam collecta, loqui illum ſtatuamus: quod tamen non exiſtimo.*

66 Ἀπὸ τῆς τοπικῆς πυρώσεως. *Autogr.* ὑπὸ *habet.*

68 Οἴκοις ἀπρεψίας οὔσης. *Suſpecta eſt mihi hæc lectio ut adulterata: quare bona ratione uideor mihi legere* ἀνεπείψως, *& commodo ſenſu. facilis autem in literis affinibus lapſus eſt.*

70 Γίγνεσθαί τε καὶ εἶναι πλείονα κατὰ φύσιν. *Fortaſſe legendũ addito* ἢ, διαζευκτικοῦ, *aut articulo* τὰ, *hoc modo,* πλείονα ἢ, *uel,* τὰ κατὰ φύσιν.

71 Διὰ τί πρὸς τὴν ἐσθίειν οἱ πυρέξαντες ἀκορέστως ἔχουσιν; *Quid ſi ſenſui fidei arbitro, ſimul & rationi ſeruientes, pro* ἀκορέστως *legamus, uti & uerti,* ἀχαρίτως *(prono alioqui lapſu) uel* ἀφορήτως?

72 Ἔνθεν καὶ διαρκοῦσι, νάρκα δὲ, &c. *Codex manuſcriptus habet* διαρκῶσι: *ego* ναρκῶσι *conſtanter lego.*

73 Ἀπεργάζεται ταῖς ἐκπνοαῖς. *Legendum cenſeo contra exemplarium fidem,* ἐκνοίας, *hoc eſt dementiam.*

75 Διὰ τί οἱ κεφαλαλγίαν. *Manuſcriptus habet* κεφαλαίαν.

79 Ὅτι δυσωδία τοῦ ψυχικοῦ πνεύματος, &c. *Lego (quamuis uterque repugnet codex) per o* δυσοδία, *non per ω* δυσωδία. *Quid enim ſpiritui animali cum graueolentia eſt commune uſquam?*

83 Καθά τε πνεῦμα συμβάλλει καὶ τὸν θώρακα συνδιεγείρειν αὐτῷ. *Legendum arbitror ſecundum autographi fidem,* κατὰ τὸ πνεῦμα συμβάλλει, καὶ τὸν θώρακα συνδιεγείρει αὐτῷ.

*A*D*ditum erat in calce autographi problema ad criticos planè relegandum, de diſcrimine inter* τὸ ἄμμον καὶ ψάμμον, *nihil ad præſentis operis colophonem faciens. Sed id rectè Iac. Tuſanus, ut eſt uir magni iudicii, numero ſummouit, ac ueluti ſuperfluam molem (ut erat) reſecuit. Siquæ reliquæ in excuſo olim typis exemplari ſuperſunt mendæ, quæ certè ſunt, eæ ipſæ, quoniam facili characteris alicuius immutatione reſtitui ab oculato lectore queunt, ſtudio ſunt à nobis omiſſæ, ne inutili ſegete latius chartas occuparent. Siquidem iſtud ſat egimus modò, ut* ἀξιοχρεώτερα *uitia commonſtrando, ea à noſtra uindicaremus tranſlatione. Vale lector candide.*

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI PRIMÆ, SERMO I, PER IANVM CORnarium medicum phyſicum Latinè conſcriptus.

De ſimplicibus pharmacis ex plantis, iuxta ordinem literarum Græcarum. Item De multorum oleorum pręparatione.

De ſimplicium medicamentorum viribus.

DIFFERENTIAE particularium actionum in ſingulis pharmacis fiunt, ex eo quòd ſingula ex ipſis ad tantã caliditatẽ, aut frigiditatẽ, aut ſiccitatẽ, aut humiditatem, aut partium tenuitatem, aut earũdem craſsitudinem accedant. At verò ad quantam tandẽ accedant ſingula, enarrari nõ poteſt iuxta exactã ſanè veritatẽ. Sed nos tamẽ etiã hoc ipſum manifeſtis & ad artis vſum ſufficientibus diſtinctionibus cõprehendere tentauimus, vnũ quidem genus eſſe demonſtrando quod ad ſimile corporibus noſtris temperamẽtum perueniat, vbi à caliditate quæ ipſis corporibus ineſt, tranſmutationis & alterationis principium quoddam aſſumpſit: alterũ verò calidius fieri quàm pro noſtro tẽperamento. Atque huius quatuor ordines facere mihi viſum eſt: primum, qui adhuc ad ſenſum obſcurus eſt, vt ratione deprehendere oporteat: alterũ ab eo ſecundũ, qui iam ad ſenſum manifeſtus eſt: tertium, qui fortiter calefaciat, nondum tamen vrat: poſt hunc quartũ & vltimũ, qui vſtorius ſit. Sic & frigefaciẽtium primũ ordinẽ, eorũ quæ ratione indigent ad demõſtrandũ quòd frigefaciãt: ſecundũ eorum quæ ſenſibiliter frigefaciunt: tertiũ fortiter frigefacientiũ, nondũ tamen mortificãtium: quartum mortificantiũ. Iuxta eandẽ proportionẽ etiã humectantiũ & ſiccantium. Fiat autẽ, clarioris doctrinæ gratia, harum diſtantiarum à temperamẽto ordo, ita vt frigidorum primus ſit, in quo quis locauerit roſaceũ oleum aut ipſam roſam: ſecundus ab eo ſequens proximè, in quo roſæ ſuccus: deinde terti⁹ & quartus, donec ad frigidiſsima perueniamus, cicutã, & papaueris ſuccũ, & mandragorã, & hyoſcyamũ. Rurſus in calidis anethum & fœnumgræcum primo ordine ponamus: in ſecundo, quæ ſecũda apparent: ita & tertia & quarta, donec ad vſtoria deueniamus. Iuxta eundem modũ in humectantibus ac ſiccantibus medicamẽtis, initio rurſus à temperatis ſumpto, ordines conſequẽter vſque ad ſumma faciemus. huiuſmodi enim cognitio nõ parũ ad medendi methodum confert. Conuenit porrò præexercitatũ eſſe in ſenſu guſtus, & proprietatẽ vniuſcuiuſque qualitatis ſaporũ in memoria habere, velut verbi cauſa, quum corpus aliquod linguæ admotũ vehemẽter ſiccat & conſtringit, ipſámque ad multam profunditatẽ exaſperat, velut pyra ſylueſtria immatura, & corna, ac ſimilia: omne tale, acerbũ nominatur, hoc eſt intenſè auſterum. Quæcũque verò in contactu linguæ, ipſam non conſtringunt neque cõtrahunt, velut adſtringentia ſolent, ſed cõtrarium facere videntur, extergeréq; & eluere, talia omnia ſalſa appellamus. Quæ autẽ his adhuc amplius extergent ſimúlque moleſtè exaſperant, amara vocantur. Quæ verò mordent & cum valida caliditate erodunt, acria. Quæ verò abſque caliditate mordent, acida dicuntur; habéntque præterea vim fermentandi terram, ſi ad ipſam effundantur. Quæcunque autem velut ſublinunt & replent & ſedant exaſperatas & quaſi eroſas linguæ partes, ipſas cum manifeſta iucunditate cõtingentia, dulcia nominantur: ſi verò ſine manifeſta iucunditate id faciant, pinguia appellantur. Si quidem igitur acrimoniã manifeſtè percipere velis, in allio & cæpis ac ſimilibus frequenter deguſtatis ac diu cõmanducatis diſces, ita vt affectus ex his ſenſum diligenter memoriæ cõmendes. Si verò adſtringendi vim palam percipere voles, in galla & rhoe ac ſimilibus aſſequere: ſi amaritudinem, nitri ac fellis guſtu: ſi dulcedinem, ſapæ ac mellis. Præterea ſiue qualitatis expers, ſiue medium qualitate ad guſtum cognoſcere velis, aquam accipe, eiúſque guſtum diligen-

A ter in memoria retine, & maximè puriſsimæ aquæ, & nullam prædictarum qualitatum reſipients, neque dulcedinem, neque acrimoniam, neque acorem, neque amaritudinem, inſupérque neque multùm calidæ, neque nimiùm frigidæ. Inde enim progreſſus, promptius ad obſcurorum ſaporum cognitionem peruenies, & eorum quos ego mediocriter dulces, alii aquoſos vocare malunt. qualis eſt arundinum viridiũ & graminis ſuccus: item tritici & ordei, & aliorũ multorũ moderatè dulcium. & qualis eſt aqua qualitatis penitus expers, inter caliditatẽ ac frigidi-
B tatem manifeſtam, mediam quantum eius fieri poteſt cõſtitutionem habens, aut etiam paululum ad frigiditatem declinans. Quòd ſiquid eiuſmodi ſapore præditum, non liquidam ſed ſiccam compagem habeat, id ipſum neceſſe eſt terreum eſſe, & citra mordacitatem ſiccare. Nominantur autem talia emplaſtica Græcis, hoc eſt meatus obducentia: velut eſt amylum, & plurima ex metallicis diligenter lota, pompholyx, ceruſſa, Cadmia, terra Cimolia, Samius aſter, & ſimilia. Quædam verò ex ipſis nõ ſolùm terrea, ſed etiam aquoſa natura ſunt: aliqua etiam aerẽ nõ modicum intra ſe habent. viſcoſa quidem hæc, & ob id
C meatus oblinentia. Duplex eſt enim medicamentorum meatus obducentiũ natura: altera terrea exactè & ſicca; altera viſcoſa penitus, verùm mixta ex aqua & terra, & plerunque etiam aere, velut oleum dulce. At verò candidum oui ſimile quidem quodammodo eſt, verùm magis terreum quàm oleum. Caſeoſum etiam in lacte meatus obducit, & pinguedo ſuis. Tauri equidem & hirci pinguedo ſiue adeps, acris & magis terrea quàm ſuis pinguedo eſt. Anſeris autem & galli calidior quidem & ſiccior quàm
D ſuum eſt, ſed tenuium partium, & nequaquam terrea. Itaque pinguedines ſi non acrimoniam aliquã habent, meatus obducunt, & magis ſicciores & amplius terreæ. Talis eſt & cera probè lota. Et talia quidem ſunt medicamenta emplaſtica appellata. Quæ verò adſtringunt terrea ſunt & craſſarum partium, compagis ſuæ mole, frigida autem qualitate. at verò arida tenuium partium corporib⁹ ſunt, frigida autem ſimiliter vt adſtringentia. Quæcunque autem in ſapore terreas partes repræſentant, quæ colliquatæ & contrahunt & reſiccant humectiores ſenſiles linguæ
E partes, ſi quidem aſperiora ſunt, acerba dicũtur: minus verò aſpera, auſtera. & rectè talium ſaporum temperamentũ frigidum dicemus. Quandoquidem autem inæqualiter reſiccãt (hoc eſt enim exaſperare) fuerint vtique omnino etiam terrea. Omne enim aquoſum æqualiter permeat corpora, & diuulſum rurſus facilè vnitur: terreum verò diuellitur quidem, non tamen facilè rurſum coit. Et ſanè ſi ſenſus proprietatem in vtraque affectione in memoriã reuocaueris, iiſdem teſtimonium præbebis: etenim acidorum ſaporum trãſitus, velox eſt in ſenſilibus partibus:
F acerborum autem, tardus. Et acida per profundum corporum actionem ſuam magis oſtendunt: acerba verò in ſuperficie. Cæterùm vbi experiri voles ſinceræ acerbitatis actionem, ſi quidem ea res guſtanti tibi apparuerit acerba ſimúlque mordens, hanc ſpeciem me monente relinques, & acerbum abſque mordacitate requires: & quod neque acidum, neque dulce, neque amarum eſt, ſed quantum eius maximè fieri poteſt, nullam omnino qualitatẽ & vim adſtrictioni permixtam habens. Superuacuum enim & vanum eſt tale pharmacum experiri: incertũ nan-
G que eſt an ob adſtrictionem, ſiue aliam quandam ei permixtam qualitatem, ſiue per vtraſque, circa corp⁹ cui admotũ eſt, efficax fuerit. Chalcitis igitur & miſy, atramẽtũ ſutoriũ, & ſquama æris, ſori, & Armeniacũ pictoriũ, ar-

medicamenta partim ex animalibus ſunt, partim plantæ aut fructus,aut horum ſucci ſiue liquores exiſtunt,partim verò ex metallicis ſumuntur:præſtabilius mihi viſum eſt de plantis primùm differere:non omnibus ſcilicet totius terrarum orbis,ſed de quibus compertum per experientiam habemus.nam & plurimum ipſarum genus prouenit,facultatéque potentiſſimum habetur: atque id iuxta ordinem literarum Græcarum. Deinde conſequenter etiam de metallicis dicere,atque ſic ad animalium partes peruenire.

Abrotonum.

Abrotonum calida & ſicca vi præditum eſt,in tertio ordine & diſceſſu à moderatis locatum,guſtu multùm amaro,qui ſapor indicatus eſt terreæ ſubſtantiæ eſſe, & à largo calore attenuatus eſſe,vt non inſtrenuè calfaciat & ſiccet.Quare coma huius herbæ vnà cum floribus in oleo coquitur:quo illito ante acceſſionem iis qui rigore per circuitum repetente apprehenduntur, minus rigebunt. Eiuſdem decoctũ potũ aut per clyſterem infuſum, lumbricos occidit amplius quàm abſinthium.Modica autem participat acerbitate abrotonum, & ob id ſtomacho incommodum eſt.Species habet duas,marem & fœminã.

Abrotonum vſtum.

Abrotonum vſtum, calidum & ſiccum viribus eſt, magis quàm cucurbita ſicca vſta, & anethi radix: illa enim vlceribus humidis & ſine inflammatione perfectis conueniunt,& propterea maximè vlceribus præputii pudendi apta videntur.Abrotoni autem vſti cinis omnibus vlceribus mordax eſt:quare alopeciis confert,oleo cicino aut raphanino,aut ſicyonio,aut lentiſcino, aut veteri dilutus.

Agnos,*id eſt uitex.*

Huius arbuſti folia,flores & ſemen tertio ordine calida & ſicca ſunt,& multùm tenuium partium. Fructus in cibo aſſumitur, calfacítque manifeſtè, ſimúlque capitis dolorem infert. Frictus minus caput tentat,ſed modicum alimentum corpori ſufficit,atque id ſiccans ac calfaciẽs, minimè verò flatuoſum.Et propterea etiam impetus venereos inhibet.Vnde non ſolùm in cibo ac potu acceptus ad caſtimoniam conferre creditus eſt, ſed etiam ſubſtratus.Et ad hepar ac ſplenem indurata: ac obturata, viticis ſemen magis conuenit quàm ruta.

Agroſtis,*id eſt Gramen.*

Graminis radix moderatè frigida eſt & ſicca,& ob id cruenta vulnera glutinat:ipſa herba impoſita cataplaſmatis vice non fortiter frigefacit, verùm in medio humiditatis ac ſiccitatis conſiſtit. Mordacitas & partium tenuitas in radice modica eſt, vt aliquando calculos conterere cognita ſit decoctum eius bibentibus.Semen vulgo naſcentis debile eſt, Parnaſſiæ autem, vrinam ciet, & fluxiones ventris ac ſtomachi ſiccat.Eſtque vis ipſius ſiccatoria,tenuium partium,& ſubacerba.

Anchuſæ quatuor.

Non eiuſdem facultatis omnes anchuſæ exiſtunt.Quæ enim onoclea appellatur, adſtringentem ſimúlque ſubamaram abundè radicem habet,vt etiam corpora denſare,& moderatè attenuare, extergeréque ac abluere bilioſos ſalſóſque humores poſſit:atque ſic & ictericis & ſpleniticis ac nephreticis vtilis exiſtit.Frigefacit etiam multúm: vnde cum polenta in cataplaſmate impoſita, eryſipelatis medetur.Exterget autem non ſolùm pota, ſed etiam forinſecus impoſita,& ob id vitiligines & lepras ſanat cum aceto.Folia huius herbæ debiliora radice ſunt,non tamẽ ſiccandi & adſtringendi vi carent:vnde & ventris profluuium ſanant cum vino pota. At verò lycopſos appellata ſimiliter eryſipelatis conducit, & radicem habet magis adſtringentem quàm onoclea. Onochilos autem (quæ etiam alcibiadium appellatur,vim habet magis medicatam)& morſis à vipera multùm conducit,in cataplaſmatis impoſita appenſáque,& in cibo ſumpta. Quarta,parua eſt, & ferè ſine nomine,conſimilis alcibiadio,verùm plus amara & magis medicata,& propterea ad lumbricos latos apta, acetabuli menſura cum hyſſopo & naſturtio pota.

Agaricum.

Agaricum vim habet calfactoriam & diſcuſſoriam & diſſectoriam craſſorum humorum, & obturationes in viſceribus repurgat,& ob id arquatum morbum ſanat in iis qui ex hepatis obturatione eũ morbũ cõtraxerũt.Prodeſt & comitiali morbo laborãtib⁹ & rigorib⁹ per circuitũ repẽtib⁹,qui ex craſſis & viſcoſis humoribus ſunt oborti.Prodeſt & commorſis aut punctis à beſtiis quarum frigidum venenum exiſtit, forinſecus ad locum affectum impoſitum,itémque potum hexagii pondere, *hoc eſt drachmæ unius ex uino.* Eſt & purgatorium.

Ageraton.

Ageraton facultatis eſt diſcuſſoriæ,& leniter quodãmodo inflammationem arcentis.

Adianton.

Adianton ſiccat, attenuat, diſcutit. nam & alopecias denſat,& ſtrumas & abſceſſus diſcutit, & calculos frangit in potu ſumptum,& reiectionibus craſſorum ac viſcoſorum humorum ex pectore ac pulmone non parum confert,& fluxiones alui ſiſtit.Medii temperamenti inter caliditatem & frigiditatem exiſtit.

Aeizoon,*id eſt Semperuiuum.*

Semperuiuum vtrunque & paruum & magnum modicè ſiccat,moderatè item adſtringit:verùm non moderatè frigefacit:eſt enim tertii ordinis frigefacientium.& propterea ad eryſipelata ac herpetas & inflammationes ex fluxionibus conducit.

Ægilops.

Ægilops diſcutiendi vim habet. Itaque inflammationes induratas & ægilopas ac alopecias mirabiliter ſanat.

Aira,*id eſt Lolium.*

Lolium calfacit & ſiccat efficaciter,vt propè ad acriũ vim accedat,& magis quàm iris.Non eſt autem velut illa tenuium partium,ſed ab illa lõgè præuertitur, & propterea locauerit ipſam quis in principio tertii ordinis calfacientium,& in fine ſecundi ſiccantium.

Ægiros,*id eſt Populus nigra.*

Populi nigræ flores calida vi præditi ſunt,in tertio diſceſſus à temperatis ordine.In differentia autem ſiccandi & humectandi paululum à temperatis ad ſiccitatem populus ſeceſſit, & magis tenuium quàm craſſarum partium exiſtit.Folia ferè floribus ſimilem vim habent, ſed ad omnia debiliora & inefficaciora.Reſina etiam ſimilẽ floribus vim poſſidet,& eſt adhuc aliquanto calidior. Semẽ magis tenuiũ partium & ſiccatorium eſt quàm reſina & flores:calidum autem non adeo validé.

Acacia.

Acacia tertii ordinis ſiccantium eſt, & ſecundi frigefacientium,ſi quidem lota fuerit:illota enim,primi eſt. Nam quum non ſit ſimilarium partium,partes quaſdam diſperſas habet tenues & calidas,quæ ab ipſa per loturam decedunt.

Acalyphe ſiue Cnide,*id eſt Vrtica.*

Vrticæ folia & ſemen multum diſcuſſoriæ facultatis habent, citra vehementem calfactionem. Sanant itaque panos & parotidas:& craſſos ac viſcoſos humores ex pectore ac pulmone educunt. Habent autem & flatuoſum quiddam,vt etiam impetũ ad venerem excitent, & præſertim ſemen,ſi cum paſſo bibatur. Aluum ſubducit moderatè,velut extergendo ac titillando,non purgãdo.Gangrænoſa item & cancroſa,& omnino quæ ſiccari opus eſt abſque mordacitate conuenienter ſanat.

Acanthus,vel Melamphyllon,aut Pæderos.

Acanthus(quem alii Melamphyllum, alii Pæderota appellant) folia habet diſcuſſoria vi moderatè prædita: radicem verò ſiccatoriam & tenuium partium.

Acantha leuce vel Leucacantha,*id eſt Spina alba.*

Spina alba(quam aliqui Leucacantham vocant) radicem habet ſiccantem moderatè & adſtringentem.Quare & cœliacis & ſtomachicis prodeſt,& ſanguis reiectionem cohibet,& tumores laxos in cataplaſmate impoſita coercet:item dentium doloribus conducit, ſiquis decocto eius colluat.Semen tenuium partium & calidum eſt,

vnde in potu ſumptum conuulſis medetur.

Acantha Ægyptia, *id eſt Spina Ægyptia.*

Spina Ægyptia ex qua acacia præparatur, adſtringen-
di ac ſiccandi vim habet. quare & fluxui muliebri pro-
deſt, & vlcera ſedis inſufflata ad cicatricem perducit.

Acorum.

Acori radix tertii ordinis calfacientium ac ſiccan-
tium eſt, & tenuium partium compagem habet. ciet ita-
que vrinas, & ſplenes iuuat induratos. Succus eius deter-
get & depurgat craſſitudinẽ corniformis oculorum tu-
nicæ.

Aconitum ſiue Pardalianches.

Aconitum ſiue Pardalianches, ſimile quidem ſeridi
ſylueſtri, verùm putrefactoriam & venenatam vim ha-
bet. quare vitandum ne in cibo aut potu accipiatur. Atta-
men ad erodendum ac putrefaciendum externas corpo-
ris partes aut circa ſedem, vtile eſt: & ad hãc rẽ cõmodior
eſt radix eius. Dicitur herbæ ſuccus pilorum exortum in-
hibere.

Acte, *id eſt Sambucus*, Chamæacte, *id eſt Ebulus.*

Sambucus magna & arborea quæ Acte appellatur, i-
témque humilis & herbacea quæ ebulus & Chamæacte,
ambæ ſiccãtis facultatis ſunt, glutinatoriæque ac mode-
ratè diſcuſſoriæ. Decoctum radicis in potu hydropicis
poteſt.

Halimon ſiue Halmyris.

Halimi fruticis germina quidam comedunt, & recõ-
dita aſſeruant. Vim habet lactis & ſeminis generatiuam.
In ſapore ſalſum quid & adſtringens habet, ex quo mani-
feſtum fit diſſimilariũ partium eſſe: plurima tamen eius
ſubſtantiæ pars temperatè calida exiſtit, cum humiditate
imperfecta ac incocta, leniterq; flatuoſa. Radicis drach.
vna ex aqua mulſa pota, conuulſa, rupta, ac tormina miti-
gat, & lac attrahit & auget.

Aloë.

Aloë tertii ordinis eſt medicamentorum ſiccãtium,
primi autem intenſi, aut ſecundi exoluti calefacientium.
In guſtu mediocriter adſtringit, & fortiter amareſcit. Sub-
ducit ventrem, ex genere eorum medicamentorum exi-
ſtens quæ ſtercorum eductiua appellantur. Eſt autem me-
dicamentum ſtomacho cõmodum vt ſi quod aliud, & ſi-
nus glutinat. Sanat vlcera ægrè cicatricem recipientia, ma
ximè circa ſedem & pudenda, propter vim ſiccandi citra
mordacitatem: prodeſt etiam inflammationibus earundẽ
partium aqua diluta, & vulnerata glutinat, iuxta eundem
modum. Simili modo conuenit & ad inflammationes in
ore, & naribus atque oculis, & omnino repellere ac diſcu-
tere ſolet, ſimúlq; exterget paululũ, quantum ſanè puris
vlceribus citra offenſionem commodum exiſtit. Oculis
propterea iugi humore madentibus, maximè puerorum,
præter opinionem medetur. Debet autem craſſiore mo-
do dilui, & oculorum angulis adhiberi.

Alyſſon, Sideritis Heraclea.

Alyſſon aiunt eſſe Sideritin Heracleam appellatam
quæ iuxta vias naſcitur vbique, purpureum florem habẽs
& folia craſſiora. Nomen inuenit ex eo quòd commorſis
à cane rabido mirabiliter ſuccurrit. Vim habet modera-
tè ſiccãtẽ & diſcuſſoriã. Habet etiã quiddã exterſoriũ quo
vitiligines & maculas faciei à ſole prouocatas depurgat.

Alſine, Auricula muris.

Alſine ſiue auricula muris, herbula, ſimilem habet
vim helxinæ frigefacientem ac humectantem. eſt enim
ſubſtantia eius aquoſa frigida: quare etiam citra adſtri-
ctionem frigefacit. Ideóque ad feruentes inflammatio-
nes conducit, & ad mediocria eryſipelata.

Amaracum.

Amaracum calfacit non ingeneroſè, ſiccat autem nõ
vehementer. Verùm in caliditate eſt tertii ordinis, in ſic-
cando ſecundi.

Ambroſia.

Ambroſia pro cataplaſmate impoſita, vim habet ad-
ſtringentem & repulſoriam.

Amnium, Ammi.

Amnii ſemen maximè in vſum venit, calfactoriæ &
ſiccantis facultatis in tertio ordine. Eſt & tenuium partiũ
A & ſapore ſubamarum ac acre; atque adeò vrinam ciet, &
diſcuſſorium eſt.

Amarantum.

Amarantum vim habet attenuandi ac diſſecandi:
quare menſes ducit coma eius ex vino pota. Grumos etiã
ſanguinis liquare creditur, non in ventre modò, ſed & in
veſica, ſi cum vino mulſo bibatur. Omnes autem in vni-
uerſum fluxiones reſiccat in potu accepta: verùm ſtoma-
cho incommoda eſt.

Amurca.

B Amurca ſecundi ordinis eſt calfacientium, ac ſiccã-
tium intenſi. Atque hinc ſanè corporum temperamento
ſiccorum vlcera ſanat, reliquorum omnium exacerbat.

Ampelopraſon, *id eſt Porrum ſylueſtre.*

Ampelopraſon vim inter allium & porrum mediam
obtinet. Stomacho magis incommodat quàm ſatiuum.
viſcoſos quoque humores amplius eo diſſecat, & organa
obturata ab obſtructione liberat. Quapropter etiam vri-
nas & menſes ſæpe mouit, vbi viſcoſorum & craſſorum
humorum culpa fuerunt ſuppreſſa.

C Ampelos leuce, ſiue Bryonia, aut Pſilothrum:
Lat. Vitis alba.

Ampelos leuce, (quæ & Bryonia itémque Pſilothrũ
appellatur) & *Latinis uitis alba*, germina habet quæ recèns
producta omnibus familiorem cibum exhibent verno tẽ
pore, tanquam edulium ſtomacho commodum propter
vim adſtringendi. Habent autem ſubamaram & acrem
leniter adſtrictionem. quare etiam vrinam cient. Radix
verò exterſoria & ſiccatoria tenuiúmque partium faculta-
te prædita eſt, & moderatè calida. vnde etiam lienes indu
D ratos eliquat, tum in potu accepta, tum forinſecus cum fi-
cubus impoſita. Item ſcabiem & lepras ſanat. Vitis porro
nigra, per omnia ei conſimilis eſt, ſed debilior.

Amygdala.

Amydala amara attenuatoriam vim palàm præ ſe fe
runt, vt etiam maculas ſolares depurgent, & ad reiectio-
nes ex pectore ac pulmone viſcoſorum & craſſorum hu-
morum plurimùm conferant. Sed & obſtructione liberãt
ac depurgant hepar, ſplenem, colum, & renes. laterum itẽ
dolorem ſedant. Arbor quoque vniuerſa ſimilem vim ha
E bet, vt eius etiam radices coctas maculis ſolaribus in cata
plaſmatis modum imponentes, eas depurgent. At verò
dulcia amygdala amaris debiliora ſunt.

Ammoniacum.

Ammoniacum mollientis intenſæ facultatis eſt, vt
etiam articulorum calloſas duritias diſſoluat, & lienes in-
duratos ſanet, & ſtrumas diſcutiat.

Amomum.

Amomum viribus acoro ſimile eſt, præterquã quòd
ſiccius eſt acorum, magis autẽ cõcoctorium eſt amomũ.

F ### Anagallis.

Anagallis vtraque, & quæ cæruleũ & quæ puniceũ flo-
rem habet, abſterſoriam vim abundè habet, & præterea
ſubcalidi ac attractorii quippiam, quo etiam aculeos è
corpore euellit. ſuccus ipſarum caput per nares purgat ob
eandem cauſam, & in ſumma ſiccandi vim habent citra
mordacitatẽ: vnde & vulnera glutinant, & putreſcentibus
vlceribus auxiliantur.

Andrachne, *id Portulaca.*

Portulaca in frigefaciendo tertii ordinis eſt, in hu-
G mectando ſecundi. modicam autem auſteritatem com-
plectitur, quapropter fluxiones repellit maximè bilioſas
& calidas, earum qualitatem tranſmutans, alterans, & mul
tùm frigefaciens. Atque ea gratia etiam æſtuoſis febrib⁹
vt ſiquid aliud commodat, ſuper os ventris totáque præ-
cordia impoſita. Sed et ſi probè teratur, adiecto ouo crudo
vnà cum vitello ac candido, admixtóque modico roſa-
ceo, acetique momento, eueſtigio non vulgarem lenitu-
dinem inducit in ardentibus febribus, ſi corpus vniuer-
ſum inde illinatur, imò penitus extinguit vt neque am-
H plius vlla exacerbatio contingat. Dentium quoque ſtupo
ris medela eſt. Succus eius ſimilem vim habet: quare non
ſolùm forinſecus impoſitus, ſed etiam in potu ſumptus,
perfrigerat: quod ipſum contingit etiã, ſiquis totam her-
bã in cibo ſumat. At verò propter vim ſub adſtringendi

etiam dyſentericis cõmodum edulium eſt, & fluxui muliebri & ſanguinis reiectioni: verùm ad hæc omnia multo efficacior eſt ipſius herbæ ſuccus.

Anemone.

Anemonæ omnes, acris & exterſoriæ attractoriǽque ac venarum oſcula aperientis facultatis ſunt: vnde radix quoque commanſa pituitam prouocat, & ſuccus ex naribus purgat, & cicatrices in oculis attenuat. Quin & ſordida vlcera anemonæ purgant, & lepras remouent, & appoſitæ menſes prolectant, & lac attrahunt & augent.

Anethum.

Anethum calfacit in tantùm vt aut ſecundi ordinis intenſi, aut tertii exoluti eſſe deprehendatur. Verùm ſecũdi ordinis principio eſt inter ſiccantia, aut primi fine. Si in oleo incoquatur, diſcuſſorium eſt, & dolores ſedat, & ſomnum inuitat, & crudos ac incoctos tumores concoquit. Vſtum, tertium ordinem calfacientium ac ſiccatium obtinet: & propterea vlceribus humidis inſperſum prodeſt, & maximè in pudendo. nam in præputio etiam inueterata ad cicatricem perducit. Porro viride humidius eſt ac minus calidum, vtpote adhuc ſucculentum. quare magis concoctorium eſt ac ſomnificum quàm ſiccum: minus autem diſcuſſorium.

Anthemis ſiue Chamæmelum.

Anthemis (quæ & Chamæmelum appellatur) calfacit ac ſiccat in primo ordine. Eſt autem tenuium partium & propterea diſcuſſoria & rarefactiua ac laxatoria vi prædita. Si quidem igitur fuerit viridis, in oleo ipſam incoquere oportet, non præſente videlicet oleo chamæmelino, in quo maceratus flos inſolatus eſt: ſi verò ſicca fuerit, modico aceto præmadefacta, deinde in oleo cocta, commoda fit iis in quibus nõdum deſiit materia ad caput afferrri. Nam eam quæ iam adeſt diſcutit, & alteram non attrahit: quæ commoditas nulli alteri medicamento contigit. Nechepſon autẽ Ægyptius ipſum chamæmeli florẽ purum in ſummo vigore colligere iubet, & in mortario tundere, ac probè cõterere, ac paſtillos mediocres fingere, eóſque in vmbra diligentiſſimè ſiccare ac reponere: vſus autem tempore vnum ex ipſis terere, oleo primario quod ſatis eſt affuſo, indéque vniuerſum corpus à capite vſque ad pedes illinere, in omnibus febrientibus, ac ægrum ſtragulis coopertum fouere. ſudor enim, inquit, mouebitur bonus in iis qui euaſuri ſunt, & à febre liberabuntur. nã in plurimis experimento hoc cognitum eſt, & in peregrinationibus maximè congruum exiſtit, ob circunferendi facilitatem. Præcipit etiam in potu paſtillos exhibere febricitantibus fabæ quantitate ex aqua calida.

Aniſum.

Aniſi ſemen maximè in vſu eſt, acre & ſubamarum exiſtens, vt propè accedat ad caliditatem vſtoriorum. Eſt enim in tertio ordine calfacientium ac ſiccantium: ob id & vrinam ciet, & diſcuſſorium eſt, & inflationes circa ventrem ſedat.

Aparine, ſiue Philanthropos, aut Omphacocarpos.

Aparine (quam alii Philãthropõ, alii Omphacocarpon vocant) moderatè tergit ac ſiccat. Habet etiam quid tenuium partium.

Apios, *id eſt Pirus.*

Piri folia & ramuli auſteri ſunt, fructus dulcedinẽ quandam aquoſam habet, ex quibus manifeſtum ſit temperamentum inæquale iuxta partes exiſtens. Quapropter in cibo quidem, ſtomacho commodant, & ſitim ſedant: verùm in cataplaſmatis impoſita pira ſiccant, & mediocriter frigefaciunt, vt vulnus per ipſa conglutinatum eſſe ſciam.

Achrades, *id eſt Pira ſylueſtria.*

Quæ verò ſylueſtria pira nominantur, magis adſtringunt & ſiccãt, & ob id vulnera maiora glutinãt, & in cataplaſmatis impoſita fluxiones reprimunt: quemamodum in malorum tractatu abſolutiſſimè tradetur.

Ariſtolochia.

Ariſtolochiæ radix ad medicinam cõmodiſſima eſt, amara & ſubacris exiſtens. Rotunda ex his maximè omnium tenuium eſt partium, & ad omnia efficacior: idcirco vbi craſſus humor fortiter attenuandus eſt, A rotundæ vſus expetitur, atq; inde adeo dolores ex obturatione aut crudorum craſſitie obortos curat, & infixa extrahit, & putrefactionibus medetur, & ſordida vlcera purgat, & dẽtes ac gingiuas illuſtrat. Auxiliatur etiam anhelatoribus & ſingultientibus, comitialibúſque morbis ac podagricis, ex aqua pota, ruptíſque ac conuulſis medicamentum, vt ſiquod aliud, commodum eſt. Ex reliquis duabus clematitis odoratior eſt, vt etiam vnguentarii eam in vnguenta aſſumant, verùm ad medendum minus valet. B Longa autem ariſtolochia minus tenuium partium eſt quàm rotunda, non tamen inefficax, ſed exterſoriam ac calidã vim habet, & ob id vlcera incarnat, & ad vteri fotus commodior habetur.

Aracus.

Aracorum ſemen ſimile eſt ciceriulis & vſu & viribus: verùm durius quàm cicerculæ, & propterea etiam ægrius concoqui poteſt.

Arceuthos, *id eſt Iuniperus.*

Iuniperus calida eſt & ſicca, tertii ordinis in vtroque genere. Fructus eius calidus quidem ſimiliter eſt, ſed in C primo ordine ſiccat.

Arnogloſſum, *id eſt Plantago.*

Arnogloſſum frigefacit ac ſiccat in ſecundo ordine. habet & auſteri quippiam: quare fluxionibus & putrefactionibus vlceribúſque malignis conuenit, atque ea gratia etiam ad dyſenterias. nam ſanguinis eruptionem cõpeſcit, & ſiquid peruſtum eſt frigefacit, & ſinus glutinat. Eſt præterea etiam aliorum vlcerum recentium ac veterum curatrix. citra mordacitatem enim ſiccat, & frigiditatem poſſidet nondum ſtupefacientẽ. Semen eius itémque radix ſimilem vim habent: verùm ſicciorẽ & minus D frigidam. Et ſemen quidem, tenuiſſimarum partium eſt: radices verò craſſiorum. Ipſa autem folia ſiccata, tenuiorum partium vim, ſed minus frigidam acquirunt. Propterea radicibus etiam ad dentium dolores vtimur, tum cõmanducantes, tum decocto ipſarum colluentes. Cæterùm ad hepatis ac renum obturamenta, & radicibus & foliis, & multo magis ſemine vtimur.

Aron.

Ari radix primi ordinis calfacientum ac ſiccantium eſt. habet & vim exterſoriam, ſed non adeo fortiter velut E dracontion. Radices etiam in cibo acceptæ humorũ craſſitiem moderatè diſſecant, vt etiam ad reiectiones ſputorum ex pectore cõmodent. Verùm dracontion in hos vſus præſtabilius eſt. aliâs præparatur ac editur eo quo dracontion modo feruefacta.

Artemiſia.

Artemiſiæ ambæ calfaciunt in ſecundo ordine: ſiccant autem vel in primo ordine intenſo, vel ſecundi principio. Sunt autem moderatè quoque tenuium partiũ: quare ad renum lapides moderatè conueniunt, & ad F vteri fotus.

Aſarum

Aſari radices in vſu ſunt, acori radicibus viribus cõſimiles, verùm magis intẽſæ: quare ex his quæ de acoro diximus, etiam de aſaro notionem ſumere oportet.

Aſpalathus.

Aſpalathus ex diſſimilaribus viribus conſtat, acribus & adſtringentibus. Et acribus quidem partibus ſui calfacit, auſteris verò frigefacit, vtriſque ſiccat: & propterea ad putrefactiones & fluxiones vtilis exiſtit. Ad putreſcen- G tes in ore gingiuas in vino cocta vtiliter colluitur.

Aſparagus ſiue Aſpharagus (iuxta Athenienſes) aliâs Myacanthus.

Aſparagus petreus ſiue Myacanthus, exterſoriã vim habet, nec tamen validè calfacit nec frigefacit: idcirco renes & iecur obſtructione liberat, maximè radices herbæ ac ſemen. Et ſanè etiam dentium doloribus medetur ſiccando citra calfactionem.

Aſter Atticus, vel bubonium.

H Aſter Atticus (quem alii bubonium appellant, quòd non ſolùm in cataplaſmate impoſitus, ſed etiam adalligatus bubonas ac vnguium tumores ſanare credatur) habet etiam quid diſcuſſorium, vt mixtarum virium ſit, velut roſa: ſed bubonium non ita adſtringit.

Aſtaphis,*id eſt uua paſſa*.Caricæ. A

Vua paſſa ſatiua concoctoriam ſimúlque adſtringentem & moderatè diſcuſſoriam vim habet: eadem enim eſt ratio vuarum paſſarum ad vuas,quæ eſt caricarum ad ficus.Et dulciores quidem,calidiores ſunt:auſteriores verò,frigidiores,& adhuc magis acerbæ. Stomachum itaq; roborant auſteræ,& aluũ adſtringunt, atque his amplius etiam acerbæ.Medium verò ſtatum inter has tenent dulces,neque palàm exoluentes ſtomachum,neque aluũ ſubducentes.Vim tamen contemperandi humores ſemper habent dulces,itémque moderatè extergendi: vnde paruos circa os ventriculi morſus obtundunt. nam maiores morſus generoſioribus morſibus opus habent. Præſtant vuæ paſſæ pinguiſſimæ & tenui cortice præditæ. Cæterùm vuæ paſſæ minus quàm caricæ aluum ſubducunt ac extergent:verùm ſtomacho commodiores quàm caricæ exiſtunt. B

Aſtaphis agria,ſiue Staphis agria.

Staphis agria valde acrem vim habet, vt fortiter pituitam de capite trahat ac extergeat.Quare & ad ſcabiem confert,& vſtoria quadam vi participat.

Aſphodelus.

Aſphodeli radix in vſu eſt,veluti ari;& aſari, ac dracontii.Vim habet exterſoriam ac diſcuſſoriam. Vnde in vino albo vetere cocta,& vino calido meraco cyathi mēſura hauſto, menſes ſuppreſſos celerrimè ciet. Vſtæ cinis calidior & ſiccantior,magíſque tenuium partium ac diſcuſſorius euadit,& ob id etiam alopecias ſanat. C

Atractylis,ſiue Cnicus ſylueſtris,ſiue Androſæmon.

Atractylis,ſiue Cnicus ſylueſtris,vel Androſæmon, (vt alii vocāt)ex ſpinoſarum plantarum genere eſt, & ſiccantis ac moderatè calidæ facultatis exiſtit. D

Atraphaxis,*id eſt Atriplex*.

Atriplex ſecundi ordinis eſt humectantium, primi frigefacientium:adſtrictionis nihil habet, ſed aquoſa eſt velut malua,& facilè ventrem permeat. Hortenſiũ genus humectius & frigidius ſylueſtri eſt. quapropter inflammationibus ac furunculis incipientibus & augeſcentibus hortenſes,vigentibus & declinantibus ſylueſtres cōmodiores ſunt.Semen exterſoriam vim habet:vnde ad morbum regium ex iecoris obſtructione obortum vtile exiſtit.

Abſinthium. E

Abſinthium,calidum eſt primo ordine, ſiccum tertio.Succus eius multo calidior quàm herba eſt.participat & adſtringendi vi non obſcura,maximè Ponticum:quare exterget,roborat,ſiccat.& propterea bilioſos vētriculi humores ad infernam excretionē deducit & per vrinas euacuat.Magis autem bilioſum intra venas humorem per vrinas expurgat.idcirco vbi pituita in ventre continetur, nihil conducit.Sic etiam ſi eadem circa pectus aut pulmonem hæreat. adſtrictoria enim facultas in ipſo fortior eſt quàm amara.Quoniam verò acrimoniam quandam poſſidet,calidum amplius quàm frigidum exiſtit. F

Balanos myrepſica,*id eſt Glans unguentaria*,vel Myrobalanum.

Glans vnguentaria (quæ myrepſica balanos & myrobalanon appellatur) exterſoriā & inciſoriam vim habet cum aliqua adſtrictione, & propterea exterſoriam ac adſtringentem contrahentémque ac coactoriam habet actionem:quapropter & ad varos & lentigines, maculáſque ſolares,pruritum,lepram,ſcabiem,achoras,& manantia capitis vlcera,vlceroſáſque papularum eruptiones, & omnia craſſi ſucci vitia,conueniens eſt, maximè cum aceto.cicatrices etiam illuſtrat.Facit quoque ad hepar induratum in cataplaſmate impoſita,& lienem conſumit,præſertim ſi farina aliqua ſiccatoria ipſi commiſceatur, velut eſt loliacea ac eruina.At verò cortex valde efficax eſt, vt eius vſus,vbi vehementi adſtrictione opus eſt,requiratur. Si verò quis carnis eius drachmam vnam bibat cũ aqua mulſa,facilè vomet.Sæpe & per inferna aluum largè ſubducit. vnde,ſi hepar aut ſplenē purgare voluerimus,per huius medicamenti vſum, in poſca ipſum exhibemus: ſtomacho enim incommodat. verùm aceto gaudet tum forinſecus impoſitum,tum per os acceptum. G H

B

Balanos,*ſiue* Glans quercina.

De quercina glande,in quercus tractatu commodè dicemus.

Balſamum.

Balſamum calfacit & ſiccat ſecundo ordine,eſt & tenuium partium.Liquor eius adhuc magis tenuium partium vim habet:non tamen adeo calidus eſt velut quidā opinantur,per partium ſubtilitatem decepti. Fructus eius conſimilem iuxta genus facultatem obtinet,ſed partium tenuitate ab illis præuertitur.

Balauſtium.Cytinus.

Balauſtium,ſylueſtris mali punicæ flos eſt, velut ſatiuæ Cytinus.guſtum autem fortiter adſtringit,& ſanè ſiccantis ac frigefaciētis facultatis eſt: quare ſi intertriginibus ac aliis vlceribus ipſum aridum tenuiſſimè tritũ in ſperſeris,citiſſimè videbis ipſa cicatricem recipere citra mordacitatem.Idcirco non eſt medicus quiſpiā qui non hoc pharmaco,& in his qui ſanguinem reiectāt,ac dyſentericis,ventríſque ac vteri fluxionibus, vtatur.

Batos,*id eſt Rubus*.

Rubi folia maximè tenera,itémque germina mediocriter adſtringunt,vt commanſa oris vlcera cum alia,tum quæ aphthæ appellātur,curent: imò & vulnera glutinent: Fructus maturus moderatam quandam caliditatem habet:immaturus frigidam terream ſubſtantiam poſſidet: & propterea acerbus & valde ſiccatorius eſt.Siccatus autē reponi ſolet,& humido magis ſiccatorius euadit.Flos eādem vim quam fructus immaturus habet. Itaque ad dyſenterias & ventris fluxiones ac debilitatem, & ſanguinis ſputum commodus eſt.Radix ſupra vim adſtringendi,etiam tenuium partium ſubſtantiam habet: quare renum lapides atterit.

Batrachion,*id eſt Ranunculus*.

Batrachium quatuor ſpeciales differentias habet,omnes autem fortiter acrem vim poſſident,vt cum dolore exulcerent. quare ſiquis moderatè vtatur, ſcabies ac lepras excoriant,vngues item leproſos remouent,& ſtigmata ſiue notas incuſſas diſcutiunt,& verrucas, ac myrmecias ex earum gente dictas, auferunt. Quin & alopeciis proſunt modico tempore impoſitæ.nam ſi diutius ſinantur,non ſolùm excoriant ſed etiam cruſtam cuti inurunt: atque hæc quidem folia viridia vnà cum cauliculis impoſita faciunt.Radix autem ſiccata ſternutatorium eſt medicamentum,quo modo omnia alia fortiter ſiccātia: ſed & dentium dolores mitigat,ſimúlque ipſos confringit.

Bdellium.

Bdellium Scythicum appellatum,quod & nigrius & reſinoſius eſt, mollientem abundè & efficacem vim habet.Alterum Arabicum,quod etiam pellucidius eſt, magis ſiccat quàm mollit.Vtuntur aliqui his & maximè Arabico,ad ramices gutturis ac hernias aquoſas(brōchocelas & hydrocelas, Græci appellāt)ieiuni hominis ſaliua ad ēplaſtri cōpagē redigētes.Arabicū etiā calculos renū atterere videtur,vrináſque ciere in potu acceptum:ſed & crudorum flatuum inſultus,& laterum dolores,ac rupta ſanat.

Blitum.

Blitum olus eſt cibarium, temperamento humidū ac frigidum in ſecundo ordine locatum.

Bulbus.

Bulbus comeſtus frigidioris & craſſioris viſcoſioríſque humoris genitor eſt:nam & ægrè concoquitur, & inflat,ac venerem ſtimulat:in cataplaſmate impoſitus glutinat & ſiccat.At verò qui vomitorius Bulbus dicitur,multo calidius temperamentum quàm prædictus habet.

Bugloſſum.

Bugloſſum humidum & calidum temperamentum habet:vnde vino iniectum læticiam facere potātibus videtur.Conducit & tuſſientibus propter gutturis aſperitatem,in aqua mulſa decoctum.

Buphthalmon.

Buphthalmon appellatum videtur à floribus qui figuram oculi bouis ſimilitudine referunt. nā colore chamæmeli floribus quamſimillimi exiſtunt. Multo autem maiores ipſis ſunt & acriores, & propterea magis diſcu

ſorii ſunt,vſqueadeo vt etiam duritias ſanent ad ceratũ permixti.

Bunion,ſiue Arction. Pſeudobunion.

Bunion(quod quidam Arction appellant) calfactorii generis in tantum eſt vt vrinam cieat,& menſes ducat.ſed & Pſeudobunion ſimiliter ipſi calidum eſt.

Brathy,*id eſt Herba Sabina.*

Herba Sabina calefacit & ſiccat tertio ordine:eſt autẽ tenuium partium,& propterea diſcuſſoria,& menſium du ctrix,ſiquid aliud,& per vrinas ſanguinem trahit:& viuẽ tes fœtus perimit,ac immortuos eiicit.Conuenit putrefa- ctis,maximè malignis & inueteratis. nam quæ diu dura- uere,citra moleſtiam pharmaci vim tolerant. Quin & de nigrata ac valde ſordida,cum melle expurgat,& carbuncu los deſtruit: quidam etiam duplum ipſius pro cinnamo- mo coniiciunt.

Britannica.

Britannicæ folia adſtringunt, & vulnera glutinant, ſúntque ſimilia foliis ſylueſtris rumicis, præterquã quòd nigriora & hirſutiora exiſtunt.Succus foliorum ſimiliter adſtringit:quare quidam coctum ipſum reponũt vt phar macum ad putredines oris efficaciſſimum.

Bromus,*id eſt Auena.*

Bromos paulo frigidiore temperamento præditus eſt,& adſtrictionis nonnihil habet,vt etiam ventris pro- fluuiis commodet.

Bryon thalaſſion,*id eſt Muſcus marinus.*

Muſcus marinus adſtringit & frigefacit: vnde in ca- taplaſmatis vicem impoſitus,ea quæ calida ſunt, manife- ſtè perfrigerat ac iuuat.

Bryon ſiue Splanchnon aut Hipnon, *id eſt Muſcus arborum.*

Bryon ſiue Splanchnon aut Hipnon, *id eſt Muſcus ar- borum,* adſtringit & frigefacit moderatè,vt propè ad tem- perata accedat. quare & diſcutiẽdi ac emolliendi faculta tis particeps eſt,maximè qui in cedrinis lignis reperitur.

Bryonia.

Dictum eſt de Bryonia quũ de Vite alba nobis ſer- mo eſſet.

Bubonium ſiue Aſter Atticus.

De bubonio dictum eſt in ſecundæ appellationis e- lemento.

A littera Γ incipientia.

Gentiana.

Gentianæ radix efficax eſt vbi opus eſt attenuare & depurgare,extergeréque,& ab obſtructionibus liberare.

Gigarta,*id eſt Vinacea.*

Vinacea,ſicca ſunt in ſecundo ordine,frigida in pri- mo: acerba autem guſtu ſunt, proptereáque fluxidis vẽ- tris affectionibus plurimùm proſunt.

Gingidium.

Gingidium,vt guſtu amaritudinis & adſtrictionis particeps eſt,ita temperamento,caliditatis & frigiditatis. Iuxta vtranque autem qualitatem ſiccatorium eſt,imò e- tiam ſtomacho valde commodum,ob adſtrictionis non modicæ participationem.Euadit autem multo magis ſto macho commodum, feruefactum & ex aceto come- ſtum.Caliditatem itaque non valde manifeſtam obtinet, verùm in ſecundo ordine ſiccat.

Glaucium.

Glaucium adſtringit cum quadam iucunditate, ſed & frigefacit manifeſtè adeo vt eryſipelata non adeo for- tia ſanet.

Glechon,*id eſt Pulegium.*

Pulegium calfacit & attenuat vehementer.vnde hu moribus craſſis ac viſcoſis ex pectore ac pulmone reiectã dis facilem viam facit.Menſes ciet cum vino albo coctũ, ita vt vinũ ipſum meracum bibatur. Forinſecus catapla- ſmatis modo impoſitum,tum iſchiadicos tum alios per- frigeratos rubificat.

Glœos,*id eſt Sordes balnearum.*

Sordes balnearum moderatè emollit.

Glycyrrhizon,*id eſt Radix dulcis.*

Glycyrrhizi fruticis radicum ſuccus maximè in v- A ſum venit,dulcis exiſtens cum modica quadã adſtrictio- ne: quapropter aſperitates lenit non ſolùm arteriæ ſed e- tiam ſcabioſæ veſicæ. Quandoquidem verò omne dulce moderatè,etiam humido temperamento præditum eſt, pro eius ſanè ratione ſitim quoque eximit.

Glycyſide,ſiue Pæonia,aut Pentorobos, aut Ephialtia.

Glycyſiden,etiam Pæoniam, & Pentorobon, & E- phialthian nominant.Radix eius tenuium partium & ſic catoria ac mediocriter calida eſt:habet enim vim adſtrin
B gentem leniter cum aliqua dulcedine. Quòd ſiquis eam diutius mandet,etiam acrimoniam ſubamarã percipiet: idcirco ſanè & menſes mouet,magnitudine amygdali cõ tuſa,cum aqua mulſa pota.Expurgat quoque iecur obtura tũ,lienémq; ac renes. Per adſtrictionẽ autẽ fluxiones vẽ- tris ſiſtit,in vino quopiam auſterorum generis cocta,& vi no poto.In ſumma,reſiccandi vim fortiter poſſidet:vt nõ improbauerim id quod à multis rationabiliter creditum eſt,eam videlicet etiam adalligatam puerorum morbum comitialem ſanare.Aliquando enim puerulo octimeſtri comitiali apprehenſo, magnam radicis recentis partem
C de collo ſuſpendimus,iuſſione facta vt perpetuò eam cõ- tineret appenſam:& de cætero ex hoc facto puer perfectè ſanus euaſit,neque ampliꝰ apprehenſus aut conuulſus eſt.

Gnaphalium.

Gnaphalium adſtringentis moderatè facultatis eſt, & propterea dyſentericis ipſum cum vino aliquo auſtero potandum exhibent.

Gongylis,*id eſt Rapum.*

Rapi ſemen ad rem veneream ſtimulos addit, fla- tuoſi ſpiritus generatiuum exiſtens:ſic & radix ægrè con-
D coctilis,& flatuoſa,ac ſeminis gignitiua eſt, ſuccum autẽ in corpus diſtribuit craſſiorem.Quare ſiquis in nimio e- ius eſu perduret,& maximè ſi ipſam non probè in ven- triculo concoquat,humorem crudum appellatum cõgre- gabit:ſi verò crudior in coctura maneat,ægrè concoctilis & flatuoſa & ſtomacho incommoda exiſtit. quandoque etiam morſus circa ventrem excitat, melior autem fit, ſi bis coquatur.multa enim coctura opus habet. Porrò ad ventris deiectionem neque conducit neque officit.

E

A littera Δ incipientia.

Damaſonium,ſiue Aliſma.

Damaſonium,etiam Aliſma appellatur. Eius radicẽ experti ſumus coctam in aqua,& aqua pota, calculos in re nibus conſiſtentes ac coactos confringere.

Daucus ſiue Staphylinus,*id eſt Paſtinaca.*

Daucus(quem & Staphilynum *& Paſtinacam* appellãt) duorum generum eſt: alter ſylueſtris, minus comeſtilis quàm ſatiuus,verùm in omnibus vehementior: ſatiuus
F autem in cibi vſum aptus eſt,ſed aliàs imbecillior exiſtit. Facultatem habent acrem & calfactoriam,& propterea e tiam attenuatoriam.Radix itaque poſſidet etiam flatulen tum quippiam,& ob id veneris ſtimulatiuum. Semen ſa- tiui quidem,habet item aliquid in ſe venerem ſtimulans, ſed ſylueſtris omnis flatus expers eſt:quare & vrinam ciet & menſes mouet.

Daphne,*id eſt Laurus.*

Lauri arboris folia & fructus ſiccãt & calfaciunt ve- hementer,& magis ipſe fructus.Cortex radicis minus quã
G dem acris & calidus eſt,magis verò amarus & aliquid ad- ſtrictionis habens.idcirco & lapides atterit, & hepaticis conducit.Bibitur in vino odorato pondere obolorũ triũ.

Dictamnum & Pſeudodictamnum.

Dictamnũ magis tenuiũ partium eſt quàm pulegium, in cæteris ipſi conſimile: quod verò Pſeudodictamnum dicitur,debilius eſt.

Dipſacos,*id eſt Labrum veneris.*

Dipſaci radix ſecundi ordinis eſt ſiccantium: habet
H etiam quid exterſorium.

Dorycnium.

Dorycnium temperamento ſimile eſt papaueri & mandragoræ,& aliis eodem modo frigefacientibus. pa- rum itaque ex eo ſumptum ſoporem inducit: amplius, occidit.

Dolichi, ſiue Lobi.

Qui nunc ab omnibus Lobi nominantur, apud omnes
veteres dolichi & phaſeoli appellabantur, & ab aliquibus
ſmilax hortẽſis. nutriunt quidem non minus quàm piſa,
conſimilitérque flatus expertes ſunt: verùm iucunditate
& in alui deiectione illis cedunt. Appellantur autẽ Lobi,
hoc eſt ſiliquæ, præ aliis præcipuè, quoniã ex omni ſiliquarũ
genere quæ indumento intectæ ſunt, hæ ſolæ vnà cũ ſili-
quis ſiue tegumentis ſuis vtplurimum comeduntur.

Dracontion.

Dracontion acrius eſt quàm Aron, & amarius, & ma-
gis calorificum ac tenuium partium. Habet autem quan
dam breuem adſtringendi vim, cum acrimonia & ama-
ritudine permixtam, vt vel inde efficaciſsimũ pharmacũ
exiſtat. nam radix viſcera & omnes craſſos ac viſcoſos hu
mores expurgat, & malignorum vlcerũ optimum medi-
camentũ eſt: depurgátque ac extergit generoſè cum alia
exterſione indigentia, tum vitiligines cum aceto. folia
autẽ vlceribus & vulneribus recentibus cõueniunt, quã-
tóque minus fuerint ſicca tanto magis glutinant. Quæ e-
nim ſicciora ſunt, acriora quàm vulneribus conueniat e-
xiſtunt. Creditur etiã caſeum à putredine aſſeruare forin
ſecus ipſi circumpoſitum. Semen autem radice fortius cã
cros & polypos cõſumere creditur. Succus ſeminis oculo-
rũ albugines deterit.

Drys, *id eſt Quercus.*

Vniuerſæ quercus partes adſtringentis qualitatis parti-
cipes ſunt: amplius autẽ omnibus membranula quæ ſub
cortice trunci reperitur, & quæ ſub cortice glandis ſuper
fructus carnẽ inducta eſt: quare & ad fluxum muliebrẽ,
ſupráque ſanguinis ac dyſenterias & vẽtris fluxiones diu
turnas, vtilis eſſe creditur. vtuntur autẽ ipſa decocta. Ve-
hementius adhuc adſtringit phagus & ilex. Cæterùm fo-
lia ex omni quercus genere pro cataplaſmate impoſita,
vulnera recentia glutinant: quẽadmodum ego ruri exper
tus ſum. Glandes quercinæ comeſtæ alimẽtum quidem a-
bundè corpori ſuppeditant, ſed tardi tranſitus eſt idipſũ,
& craſſum ac ægrè concoctile. Ex omni glandium gene-
re optimæ ſunt caſtaneæ, quæ & lopimæ appellantur. ſo-
læ enim ex ſylueſtrium fructuũ genere, memorabile ali-
mentum corpori ſufficiunt: ſunt tamen etiã ipſæ capiti
graues, vtpote dolorem eius inducentes, ſed multo magis
his ſupradictæ.

A litera E *incipientia.*

Ebiſcus, Althæa, *id eſt Malua ſylueſtris.*

Ebiſcus malua ſylueſtris eſt, diſcuſſoria, laxatoria, in-
flammationẽ arcens, mitigatoria & concoctoria crudo-
rum panorum ac tuberculorum. Radix eius, itémque ſe-
men, reliqua ſimiliter faciunt velut herba: verùm facul-
tatem magis tenuium partium, ampliúſque ſiccatoriã &
exterſoriam ex ſe oſtendunt, adeo vt etiã vitiligines de-
terant, & ſemen calculos renum confringat. Decoctum
radicis & ad dyſenteriam & alui profluuiũ, & ſanguinis
reiectionẽ, vtile eſt, vt quæ vim quãdam adſtringentem
habet.

Ebenus.

Ebenus lignum eſt ex eorum numero quæ in ſuccum
reſoluuntur, vim habet calfactoriam, exterſoriam, ac te-
nuium partium. vnde & ea, quæ pupillis tenebras offun-
dunt vitia, extergere creditur, & in alias oculares compo-
ſitiones admiſcetur, quæ videlicet ad vlcera vetera, &
fluxiones ac puſtulas conueniunt.

Elæa, *id eſt Olea.*

Oleæ germina tantũ frigiditatis quantũ adſtrictionis
habẽt: fructus exactè maturus moderatè calidus eſt, im-
maturus adſtringentior eſt & frigidior. Oliuæ drupæ pin
guem ſuccum habẽt, & modicum alimentũ corpori præ-
bent. Colymbades verò muriæ innatantes, adſtringetem
ſuccũ habent. & ſtomachũ corroborant, appetentiámque
cibi excitant, & ad hoc cõmodiſſimæ ſunt quæ cum ace-
to ſunt aſſeruatæ. Ex iis enim quæ ex æquo ſalubria ſunt,
id quod iucundius eſt facilius concoquitur.

Elæon, *id eſt Oleum.*

Oleum ex oleæ fructu expreſſum, (quod etiã propriiſ-
ſimè oleum appellatur) humectans & moderatè calidum
eſt. Tale eſt dulciſſimum ex oliua maximè drupa fa-
ctum, quale eſt ſabinum. Eſt autẽ calidum moderatè, me-
A dii temperamenti, & magis diſcuſſorium quàm quod
ex crudis oliuis expreſſum eſt, quod omotribes & ompha
cinum appellatur. Nam hoc tanto frigidius eſt quãto plus
adſtrictionis habet. Oleum autem vetus, ſi quidem ex dul
ci oliua factum vetuſtatem contraxit, calidius eſt & ma
gis diſcuſſorium: ſi verò ex cruda, quouſque ſanè aliquid
adſtrictionis ſeruauerit, mixtæ facultatis exiſtit. Vbi verò
adſtrictionem penitus abiecerit, alteri aſſimilatur. Lucer-
narium autem, à medio ac temperato, dulci inquam, in
tantum ad calidiorem qualitatem progreditur, quantum
B omphacinum ad frigidiorem. Vtimur omphacino, ca-
lidiore facto. Dulci, ſicciore facto & circumtenſo. Lu-
cernario, eodem frigefacto. Manifeſtum eſt autem quòd
omphacinum aliquando etiam frigidum adhibere opor
tet, reliqua ſemper calida. Atque hic quidem vſus ad ca-
put eſt. Cæterùm ſi vniuerſum corpus præter naturam ſic-
cius reddatur, dulce oleum commodiſsimè illinitur. Sed
& ſi denſatum ſit ex adſtrictione, aut frigiditate, aut mor
dacitate, aut acribus pharmacis, aut humore, aut etiam
pruritu, idem oleum omnium aptiſsimum eſt, maximè
cum exercitationibus aut etiam poſt exercitia. At verò
C ſtomacho & iecori inflammatis maximè congruit om-
phacinum irrigatum, ob adſtringendi facultatem. Reli-
quis partibus dulce magis prodeſt.

Oleum Cicinon.

Oleum Cicinon in Ægypto paratur ex ricini arbo-
ris ſemine, quod croton appellatur, *ſicut arbor ipſa, cici*, tu-
ſo & expreſſo, & oleo ex aqua calida electo. Eſt autem te-
nuium partium ac diſcuſſorium, velut oleum vetus. Exte-
rit vitiligines, maculas ſolares, lẽtigines, aſsiduo illitũ. Cõ
D ſimile raphanino eſt: quo etiam vti licet, cicino aut ve-
tere non præſente.

Oleum ſeminis Lini.

Sed & ex lini ſemine oleum præparatur, quomodo
prædictum eſt. Et vſus eius iam eſt pro cicino. nam cici-
non non amplius adfertur, ſed hoc pro ipſo adferunt.

Oleum Raphaninum.

Raphaninum oleum in reliquis ſimile cicino eſt: ve-
rum calidius.

Oleum populi nigræ.

Oleum ex nigra populo in æſtate paratur, quum mul
ta circa ſemen eſt reſina. Sumunt itaque eius grana, mo-
E dicéque confringunt, & ad pondere expenſum inde triẽ-
tem, olei dulcis ſextarium immittunt, & ad dies quadra-
ginta inſolant. atque ita excolatũ reponunt. Eſt hoc oleũ
calfactoriũ, tenuiũ partiũ, mollitoriũ, cũ odore iucũdo.

Oleum amygdalinum.

Amygdalinum oleũ ex amygdalis amaris fit, éſtque
tenuium partium, & calidius dulci vno gradu. Conuenit
maximè auribus à craſsis flatibus obturatis, & ad auditus
grauitatem, & ſonitui ex frigiditate. Vermes quoque au-
rium enecat. Experientia enim nos docuit ipſum auribus
F maximè prodeſſe, reliquarum partium comparatione.

Oleum nucum.

Nucis oleum ſimiliter vt amygdalinum præparatur,
nucibus aut tuſis & expreſsis, aut poſt contuſionem in a-
quam feruentem coniectis. commodum eſt in eoſdem
quoque vſus. Inſupérque hoc priuatim habet, quòd inau-
rantibus aut inurentibus conducit. Siccat enim, & ad mul
tum tempus inaurationes ac inuſtiones continet & ad-
ſeruat.

Oleum Myrobalaninum.

Oleum ex myrobalanis vim habet depurgandi ma-
G culas faciei, lentigines, varos, & omnem nigredinem: ſed
& aluum purgat, prodeſt & aurium dolori, & ad ſonitus
cum adipe anſerino inſtillatum. præparatur vt amygdali-
num, glande vnguentaria molita.

Oleum Laurinum.

Laurinum ex bacca lauri fit, quo modo iam dictum
eſt. at verò mixtum hoc modo præparatur: Ad ſextarios
quinque oliuarũ maturarũ, baccarũ lauri pinguium & re-
centium ſextariũ vnum adiicimus, atque ita omnia ſimul
conteruntur ac exprimuntur, velut oleum aliâs ex oliuis
H ſolet. Calidum valde eſt & mollitorium quod purum
ex ſolis lauri baccis factum eſt: quare vehementer perfri-
geratis quadam corporis parte conducit. Multùm quo-
que ſiccat, & propterea ſcabroſis, & aſperæ cuti, impeti-
ginibúſque aſperis, in balneo illitum medetur. fugien-

dum eſt autem in impetigine inflammata, aut ſcabie inflammata, & in temperamentis calidis ac bilioſis. humidis autē & pituitoſis cōuenit, & omnibus articulis à frigore infeſtatis. eſt & iſchiadicis ex coxendicibus laborantibus cōmodum. Occidit vermes & pediculos, tum feros tum manſuetos, itémque lendes ac furfures capitis, & ophiaſes ac alopecias. Vſus eſt in balneo ieiunis, ita vt poſtea cũ ouo ac melle & fœnigræci farina detergeatur. Cauendum ne capiti calido adhibeatur.

Oleum ſeſaminum.

Seſaminum oleum ex ſeſamo fit contrito & in aquam iniecto. Viribus non longè abeſt ab oleo dulci. caliditatē enim moderatam habet, & ſaporem omnino leuiter adſtringētem. aptum eſt cibis: nam & ſaporis iucundi eſt, & facilè concoquitur, & aluum ſubducit. forinſecus illitum vim obſtructoriam meatuum habet, propter craſſitudinem. Cæterùm ad præparationem oleorum quæ odoris gratia fiunt, aptius eſt quàm oleum commune, propter durabilitatem, & quòd non facilè putreſcat.

Oleum lentiſcinum.

Et hoc ex lentiſci fructu præparatur eo quo in aliis dictum eſt modo. Paratur etiam velut in laurino diximus, fructu lentiſci oliuis permixto. Vtile eſt purũ & immixtũ ori ex fluxionibus infeſtato, & gingiuis inflammatis, calidum in ore detentum, tum in balneo, tum citra balneũ: repellit enim & roborat citra exaſperationem. Mixtũ autē magis mitigat ſimúlque robur conſeruat: quare in iecoris ac ſtomachi fotus ac rigationes cōmodè aſſumitur.

Oleum œnanthinum.

Œnanthinum eadem efficacia eſt cum melino & roſaceo, præterquam quòd aluum non mollit. cōponitur hoc modo: Œnanthen, *hoc eſt uitis ſylueſtris fructum florentem*, accipe odoram, & marceſcere ſine, ac in nouum vas vnà cũ omphacino oleo mitte, & ad dies XL. quotidie agita, ac excolato vtere. Sit œnanthes ſextans, olei ſextar. vnus.

Oleum melinum.

Melinum paratur ex malis cydoniis: fit etiã ex aliis malis corium habentibus acerbius & odoratius, hoc modo: Adimitur pediculus ad exortum, & feſtuca ad fundum, & pars interior vnà cum ſeminis granis, deinde ſecantur mala vnà cum adhærente cuticula. nam & in ipſa & odoris gratia & adſtringendi vis continetur. fiunt autem parua fruſta quorum quadrans in olei omphacini ſextarium iniicitur, & inſolata ad dies X L. reponũtur. Vis melini olei magis ad frigiditatem nutat, nō tamen valde, propter mali vinoſitatem: adſtringit autem multum, velut lentiſcinũ: magis verò ſtomacho familiare eſt, propterea quòd ex duplici materia nutritiua componatur, olei videlicet ac mali: quare cōſequens eſt ipſum ſtomacho inflãmato ac debili competere irrigatum, & in epithematis impoſitum ac potum. Commodius eſt roſaceo propter mali familiaritatem: nam ſtomacho robur addit, & inſitos in vētriculo acres humores vehemẽtius propellit. Iniicitur etiã per ſedē, quibus colũ & craſſa inteſtina ab acri bile vexãtur. Cauēdus eſt eius vſus in affectionib[9] frigidis. in his enim magis cōuenit, ſi abſinthiũ habuerit ſimul incoctũ.

Oleum roſaceum.

Roſaceũ oleum ſic præparatur: accipitur floris roſarũ rubrarũ exunguium, & per diem ac noctem ſiccatarum quadrans, olei omphacini ſextarius vnus: roſis iniectis, os vaſis occludere oportet, intrinſecus linteolo, forinſecus pellicula, propter imbres repentinos, & inſolare ad dies X L. atque ita excolatum reponere, vaſis ſuper tabulas locatis in domo temperata. Quidam alia quædam roſis adiiciũt: verùm optima eſt præparatio ex ſolis roſis & oleo cōſtans. Alii nō inſolant, ſed vas in puteum aquæ frigidæ ad dies X L. ſuſpendunt. Conducit capiti calfacto ex ſole, aut febribus, aut alia quædam eiuſmodi cauſa: humectat enim & mitigat, ac ſomnũ inducit. Et in febribus, excalfactis viſceribus, conuenit ceratum ex ipſo paratum, lotũ ex frigida aqua, in æſtate ſæpe alterata, ita vt ceratũ hoc viſceribus imponatur. præparatur autē hoc modo: Accipitur ceræ vnc. vna, roſacei quadrãs: cera liquefit cũ modico roſaceo in duplici vaſe, & in aquã diffunditur, & manibus emollitur per aquam eluta, mox rurſus ac tertiò liquatur, diffũditur, aquáque eluitur: deinde reliquũ roſa-

A ceci additur, liquatur, tollitur, agitatur, frigeſit, & in mortarium inditur ac teritur, & aquæ quantum expedierit inſtillatur: mox ſublatũ medicamentũ, in frigidã ſubinde permutatã reponitur. Si verò pro aqua acetum inſtillaueris in mortario ad ceratum, optimum medicamẽtum efficies ad eryſipelata, carbũculos & herpetas. Habetur etiã hoc ceratum Sermone v. capite nonageſimo primo: quin & potum optimũ roſaceum cum aqua calida aut frigida, magnã vtilitatem de ſe præbet iis quibus ſtomachus ex acri bile, aut lumbricis, aut aſcaridibus infeſtatur: verùm

B ad lumbricos maximè puerorum, melius facit ſapæ permixtum & potum, ita vt ſapa ex vino coctura ad tertias redacto ſit præparata: celerrimè enim ipſos expellit. Infunditur etiã colo vexato ex prædictis cauſis. Cauendus vſus eius eſt iis qui non multam caliditatem habent, & quorum corpus ſuperfluis excrementis redundat.

Oleum chamæmelinum.

Chamæmelinũ oleum ſic præparatur: Olei dulcis ſextarius Italicus vnus, florum chamæmeli diem vnum præſiccatorum ſextans, in vas mittuntur, cuius oſculum raro

C linteolo integitur, quo perſpirationem habeat oleum: & ſic per dies XL. inſolantur. Etenim ſi non perfletur ac trãſpiret chamæmelinum oleum, odorem garo ſimilem acquirit. Poſt inſolationem ſeruare ipſum oportet excolatum, vaſe locato in tabulis in domo temperata. Vſus eius eſt ad caput mediocriter denſatum ac dolens ex febribus non valde ardentibus. rarefacit enim meatus, & vapores diſcutit, ac acrimonias contēperat, & in ſũma, magis mitigatoriũ eſt quàm roſaceũ, in febribus non valde calidis.

D Oleum anethinum.

Anethinũ ex anethi coma fit adhuc virente, priuſquã ſemē ſolidũ reddatur & acre. inutile enim ad vſum hunc fit floribus abiectis: reſecare autem mollia tantùm germina, & vnciæ vnius pondere expenſa, ad ſextarium Italicũ vnum olei dulcis iniicere oportet, & oſculum vaſis probè obturare, & diebus XL. inſolare. Calidius hoc eſt quàm chamæmelinum: itaque fatigatis in hyeme cōmodè adhibetur: mollit enim & humectat. Vtēdum eſt eo & in febrietibus leniter à pituita: & omnino ægrotãtibus ex cau-

E ſis frigidis, maximè circa tendines ac muſculos cōuenit.

Oleũ liliorum, aut liliaceũ, ſiue ſuſinũ, aut Lirinon.

Liliaceum ſiue Suſinum, aut lirinon oleum, fit ex albis lilii foliis exunguibus: & ſolùm iniectis, citra ipſorũ croceum filamentum, ad ſextariũ Italicum olei dulciſsimi, pondere ſextantis. Siccare autem etiã hæc oportet in vmbra per diem ac noctem: deinde vaſi iniicere, & diligenter obturata inſolare per triduum: deinde excolare, & aliũ ſextantem foliorum immittere, prioribus videlicet velut inutilibus eiectis. ternis enim alterationibus folia iniicere

F expedit: quare vbi rurſus per triduũ inſolaueris, rurſúſque excolaueris, tertium ſextãtem liliorũ immittes, ſimilitérque per triduũ inſolabis, & ſic excolatum in vmbra repones. ſiquis enim mox à principio ſexuncē foliorum immittat, putrefacta oleum fœtidum reddēt. Cōmodum eſt affectionibus muliebribus: ſoluit enim duritias & morſus ex acrimonia obtundit, & robur vtero addit. In Suſis teſtimonium præbent ipſi, quòd prægnantibus facilem partum faciat: ſed & aliis illitum, laſſitudines eximit fatigatis, & mollientibus medicamẽtis adiectũ mol-

G litorium eſt: & in ſumma, tepefactorium eſt, & mitigatoriũ ac rarefactoriũ, odoratúmq; ac facilē partũ procurat.

Oleum telinum, ſiue ex fœnogræco.

Oleũ telinum, *id eſt ex fœnograeco*, vim habet mollificandi. cōmodum eſt ad furfures, & achoras, *id eſt ulcuſcula capitis manantia*, depurgat & maculas ſolares, & faciē dealbat ac extergit & innouat. prodeſt & ad vteri duritias ac abſceſſus, & ægrè parientibus opitulatur. facit & ad ſedis inteſtinorúmque inflãmationes. infuſum ſoluit teneſmos: facit & ad perniones. præparatur hoc modo: Fœnigræcũ

H lib. v. olei ſextarii octo, cyperi lib. II. calami odorati lib. I. macerantur hæc in oleo ad dies ſeptem, ter quotidie agitata, deinde expreſſa ac excolata reponuntur.

Oleum narciſſinum.

Ex albi narciſsi floribus fit oleũ narciſſinum, noctē ac diem præſiccatis, ita vt ſextans ex ipſis in ſextarium vnum Italicum olei dulcis coniiciatur, & vas diligenter

obturatum ad dies quatuor inſoletur. Oportet autem & nos alterare,quēadmodum in lilio diximus , & reddetur oleum magis odoratum,præſertim ſi moderatè inſoletur: nam ſi diutius inſolaueris narciſsinū aut etiam liliaceū, vel violatum,aut aliud quoddam eorum quæ nō fortem & permanentē odorē habent,inodoratū euadet.Vim habet narciſſinū calidiorē anethino. quare ad eadem cōducit in reliquo corpore,capite excepto:acris enim eſt narciſſini fragrātia.

Oleum violatum.

Violatum oleum præparatur ex purpureis violæ floribus,itémque ex albis, quadrāte ex ipſis in olei ſextarium Italicum dulciſsimi coniecto,ac tertiùm alterato, veluti in lilio prædictū eſt.Vis eius paulo calidior eſt quàm roſacei:quare ſiquis æſtate fatigatus & inſolatus roſaceo careat,violaceo vti poteſt,maximè ex purpureis floribꝰ præparato,ita vt in balneo ex eo illinatur: nā ſupra hoc quòd laſſitudini medetur, etiā ſqualorē ac ſitum animi odore ſuo in māſuetudinē ac voluptatē trāſmutat,& ſomnū imperturbatū inducit.

Iaſmelæum.

Oleum apud Perſas Iaſme appellatum præparatur hoc modo: Candidorum nimirum violæ florum ſextante in Italicum ſextarium vnū olei ſeſamini iniecto ac alterato, quemadmodum in lilio dictum eſt. Vſus eius in epulationibus apud Perſas odoris gratia receptus eſt. Conducit vniuerſo corpori à balneis,in corporibus calore ac laxitate indigentibus.Grauiorem autem odorem habet,vt multi non libenter ipſum tolerent.

Oleum myrteum.

Fit & hoc foliis myrti viridibus pondere ſextantis in olei omphacini ſextarium Italicum vnū iniectis , addita vini odorati adſtringentis quarta ſextarii parte.Coquuntur hæc ad lentam prunam, donec folia areſiant ac confringantur,& vinum conſumatur: deinde oleum purum excolatur,& vitreo vaſe excipitur,ac reponitur. Adſtringit & frigefacit hoc oleum amplius quàm lētiſcinum ac melinum, & propterea irrigationibus ſtomachi & hepatis non competit,ſed neque alia viſcera benignè tractat. Experientia plurima vſum eius reperit in ceratis ac emplaſtris,per quæ dēſare ac repellēdo adſtringere oportet. Cōmodat allabentibus fluxionibus,& humectis vlceribꝰ cicatricem inducit. Cohibet pilos capitis mulierū, & eſt odoratum.

Oleum maſtichinum.

Maſtichinum oleū,fit maſtiches vncia I.in olei valde acerbi ſextariū I.immiſſa.coquitur autē in duplici vaſe. calidum eſt moderatè,& denſandi ac obſtruendi meatus vi præditum:ſi quidē partibus moderatè firmari adſtringique ac calfieri indigentibus adhibeatur.

Oleum ſtyracinum.

Styracinū præparatur ſic:Olei dulcis optimi ſextarius vnus,ſtyracis pinguis ſextans,coquuntur in duplici vaſe, donec ſtyrax vim ſuam in oleum deponat. Paulo calidius hoc eſt quàm anethinum: verùm valde mollitorium , & propterea corpora indurata præclarè attenuat & emollit.

Oleum ſicyonium.

Sicyonium oleum ſic præparatur: Olei dulcis ſextarii decem,fœnigræci ſextarius vnus , libanotidis quadrans, polii quadrans,ſampſuchi quadrans,tædarum triens, ariſtolochiæ lib.I.meliloti ſemiſſis,cucumeris ſylueſtris radicis lib.II.aquæ quod ſatis eſt. coquuntur hæc velut oportet,& excolata in vſum vertuntur.

Oleum metopium.

In Ægypto præparatur oleum metopium appellatum, propter galbani lignū. Fit autē ex oleo omphacino & amygdalis amaris,cardamomo,iūco rotūdo odorato,melle,vino,calamo odorato,carpobalſamo,galbano&reſina. eſt calfactoriū: venarū oſcula aperit,attrahit & purgat vlcera: facit ad muſculos ac neruos conciſos: facit ad hernias aquoſas,& in ſumma vim mollitoriam habet.

Oleum mendeſium.

Mendeſiū oleū maximè emollit,& corpora laxat,&pus facit.Cōponitur ex oleo myrobalanino &myrrha,caſiáq; ac reſina.Quidā ſpiſſādi gratia etiā cinamomū īſpergūt.

Oleum megaleum.

Quod megaleū oleū appellatur,quondā præparabatur, nunc autē in vſu nō eſt. præparatur ſimiliter vt amaricinum,niſi quòd reſinam recipit.& ad eadem efficax eſt.

A Oleum amaracinum.

Amaracinum oleum ſic præparatur : Herbæ Sabinæ,ligni balſami,calami aromatici, floris iunci odorati, nardi Celticæ,coſti,ſingulorum lib.v.amomi, caſiæ, carpobalſami ſingulorum lib.III.myrrhæ lib.I.vini odorati ſextarios v. Coquito velut nardinum. vis eius calfactoria,ſicut nardini,non autem adeò corroborat: verùm magis tenuium partium eſt magíſque mitigatorium ac lene, propterea quòd opobalſamum non recipit.Mulieribus in vteri ſinum iniectum menſes ducit.Eſtque omnino calidum,
B emollit ac aperit ora venarum. Commodat fiſtulis & ramici aquoſo poſt chirurgiam: facit ad cruſtas & vlcera efferata.facit ad vrinæ difficultatem circumlitū ſedi. facit ad vteri inflāmationes ac duritias, & hæmorrhoidū oſcula aperit.

Oleum cyprinum.

Cyprinum oleum recipit olei ſextar. XXV. cyperi, helenii,iridis,ſingulorum lib.I.ſampſuchi,hyſſopi vtriuſque quadrantem,ſeminis viticis quadrantem,ſaluiæ quadrantem,floris cypri ſiue liguſtri lib.I. & hoc duabus cocturis coquitur . nam reliquæ omnes ſpecies vino odorato
C rigatæ pridie, poſtea oleo infārctæ,coquuntur ad horas ſex: ſequenti die oleum excolatur, & affuſa aqua pura tertia olei parte, flos cypri iniicitur, vnà cum tenerioribus ramulis non contuſis:ſi verò ſiccus ſit,cōtūſis:atque ita coquitur hora vna. Calfacit cyprinum non inſtrenuè, éſtque tenuium partium,& ad vteros amplius perfrigeratos valde commodum . nam craſſos in ipſis humores attenuat. Cæterùm vbi copia fuerit herbarum viridium, cyprinum ſic præparatur: Nimirum ex olei ſextariis XV. cyperi,helenii,iridis,ſingulorum ſemiſſe.ſampſuchi, hyſ-
D ſopi,ſaluiæ ſingulorum ſextante, viticis foliorum viridiū ſextante,citri foliorum viridium quincūce,chamælibani viridis triente,lauri foliorum viridium quincunce,cypri florum dextante,opobalſami ſemiſſe.

Oleum irinum.

Irinum oleum recipit iridis,aſpalathi, cyperi , helenii, ſingulorū lib.v. opopanacis ſemiſſem, (quidam verò quadrantem)anchuſæ ſextātem. olei ſextarios XXX.aquæ ſextarios XV. Contunduntur omnia craſſius, & macerantur biduo:deinde coquūtur horis ſex ,deinde iniicitur o-
E popanax vino præmaceratus ac tritus.Aliquando ad prædicta additur floris iūci odorati ſemiſſis , caſiæ quadrās, ligni balſami, nardi Celticæ, vtriuſque ſemiſſis.vis huius calfactoria eſt,ſed nō acris:propterea perfrigeratis partibꝰ cōmodat, roborandíq; ac molliēdi vim quandā poſſidet.

Oleum nardinum Cyzicenum.

Nardinum Cyzicenum quod in Alexandria præparaui,valde commodum eſt, & recipit olei acerbi ſextar. Italicos XII.aſpalathi,cyperi,iridis Illyricæ , ſeminis cardamomi,ariſtolochiæ,caſiæ ligneæ,ſingulorum ſexuncē,
F helenii,ligni balſami,floris iunci odorati,caſiæ,coſti, ſingulorum ſemiſſem,amomi,folii malabathri,ſpicæ nardi, ſtyracis,carpobalſami,ſingulorū quadrātem. opobalſami quadrātē herbæ ſabinæ vnciā vnā. Præparatur hoc modo: Aſpalathū,cyperū,heleniū,xylobalſamū,iridem, ariſtolochiā,decorticato & craſſius cōtundito, ac triduo aqua calida macerato.Deinde affuſo oleo coquito aſsiduè agitādo,& aquā paulatim inſtillando,prout prior cōſumitur:& vbi tres aut plures coxeris horas,contecta iam cocta pernoctare ſinito. Sequenti die extractis iis quæ cocta ſunt,
G & aqua ab oleo ſeparata,rurſus coquito alia aqua pura,ac modico vino affuſo,& vbi ebullierint primùm cardamomum adiicito, deinde florem iunci odorati & caſiam ligneam,contuſa,coquitóque ad horas duas, ac rurſus pernoctare ſinito. Tertia die ſimiliter extractis his,& alia aqua rurſus addita coquito, & quum efferbuerint, caſiam, coſtū & reliqua ſingula ſeorſim contuſa ac trita, ſeorſim inſpergito: poſtremùm autem ſpicam nardi, & folium malabathri,& ſtyracem,in tenuiſſimas partes comminutum,&vbi eliquatum fuerit,ſtatim ab igne tollito,& opo-
H balſamum addito , diligentérque agitato , & operculo impoſito ac probè velatum ad biduūm ſinito, atque ita conchula excipito . Porrò ſecundarium ſic præparatur: Iis quæ ex tertia coctura ſuperfuerunt olei ſextar. VI.adiicito,& duabus horis ebullire ſinito,deinde caſiæ tenuiſsimè tritæ ſextātem,nardi Celticæ ſextātem,herbæ Sabinæ

drachmas I I I I. ſtyracis vnc.I.opobalſami ſextantem addito. Nardinũ vim habet calfactoriã, roboratoriã, ac mitigatoriam. quare ſtomacho perfrigerato,& inualido,itẽ ventriculo atque iecori eodem modo affectis cõmodiſſimũ eſt. Infunditur per ſedẽ quoq; in inteſtinis perfrigeratis.itẽ in vteros muliebres. Vſus eſt omnino præſtantis & eximii.

Præcoctura nardini.

Vini veteris lib.xv.foliorum dendrolibani lib.I. raſdi lib.I I I.calamocrini lib. III. brullocyperi lib.IIII. Hæc omnia in præcocturam mitte,ferueant horis x I I.& vbi euacuata fuerint in vas purum,& cacabus per ſpongiã deterſus,rurſus infundes vini lib.xv.& illud oleum deſuper.

Nardini præparatio alia.

Nardinum quod in Eccleſia præparatur. Tachis librã, cinamomi lib.caryophyllorum lib.amomi lib.florũ iunci odorati lib.calami aromatici librã. ligni aloes lib. nucum myriſticarum lib. cachrii lib.xanthocaryorũ, *hoc eſt nucum flauarum*,lib. maceris lib. galangæ lib. balſami lib. carpobalſami lib. xylobalſami lib. myrobalani lib. folii Indici lib.caſiæ lib.ligni caryophylli lib. piperis lõgi lib. piperis albi lib.piperis cõmunis lib. laſeris Chaldaici lib. nardi Celticæ lib.thymiamatis lib.myrrhæ troglodyticæ lib.coſti lib.muſci lib.ambræ lib. gõphiti lib. ladani lib. terebinthinæ lib.vini odorati quod ſatis eſt.

Nardini alia præparatio.

In præcoctura vini veteris lib. x v.foliorum dendrolibani lib.I.foliorum myrti lib.I.raſdi lib.I I I.calamocrini lib.I I I.brullocyperi lib.I I I I. Hæc omnia in præcocturã mitte vt ebulliãt horis XII. & vbi euacuata fuerint in vas purum, & cacabus per ſpongiã deterſus, rurſus infundes vini lib.xv.& oleum illud deſuper. Sit autem intrita ſiue intrimentum,cinamomi lib.III.galangæ ſemiſſis,caryophyllorum triens,ſpicæ quadrans,nucum flauarum quadrans,ladani puri quadrãs,terebinthinæ vnc.XVIII. xyloaloes ſextans,coſti triens,laſeris Bucellarii libræ quatuor, thymiamatis regii quadrans. Hæc contuſa & cribrata ac cum oleo præcocturæ vnita coquito iuxta experimentũ, vt neque cõburantur,neq; rurſus defectuoſa coctura fiat.

Alia nardini præparatio Ioæ vnguentarii.

Olei ſextar.x I I.aſpalathi lib.I I I I. xylobalſami lib.I I. coſti quadrantem.caſiæ ligneæ trientem.carpobalſami ſemiſſem,amomi trientem, ſtyracis calaminthæ ſextãtem, opobalſami ſextantem.

Alia præparatio nardini Ioæ vnguentarii.

Coſti ſextantem,foliorum Indicorum trientem, caſiæ ſemiſſem,myrrhæ ſemiſſem,ligni caryophylli ſemiſſem, carpobalſami trientem,ſpicæ nardi trientem,calami aromatici vnciã vnam,iridis ſextantem,ſtyracis pinguis dodrantem,croci drach.I I I I.olei ſextarios v I.

Oleum Salcæ.

Olei Salcæ præparatio quam in Alexandria paraui, optima eſt, & recipit aſpalathi ſemiſſem, xylobalſami dodrantem,cyperi trientem,helenii, iridis vtriuſque ſemiſſem, calami aromatici vnc. x v I I I. floris iunci odorati ſextantẽ & vnciæ dimidium,ſtyracis pinguis ſextantem, nuces Indicas duas,folii vnc.x v I I I.ſpicæ nardi vnciam I.caryophylli,arnabo,vtriuſque ſeſcunciam.amomi quadrantem,caſiæ ſextantẽ,coſti vnc.vnam,myrrhæ vnciam vnã.hypni, xylocaſiæ vtriuſque quadrantẽ, olei ſextar.x. Coquitur modo relato in nardino, ita vt in prima coctura iniiciatur xylobalſamum,iris,cyperus,helenium, xylocaſia decorticata & craſſiùs contuſa,& aqua ad biduũ aut triduum macerata.in ſecunda autem coctura iniicitur calamus,flos iunci odorati,hypnon, prærigata vino veteri odorato. in tertia,reliqua.Fit & ſecundarium hoc modo: Iis quæ à tertia coctura ſuperfuerunt adiiciuntur olei ſextarii ſex,& quantũ ſatis eſt coquũtur. deinde iniicitur myrrhæ ſtactæ bonæ albæ quadrans. ſtromatis,*hoc eſt aquæ opobalſami*,ſemiſſis, maſtiches ſemiſſis, ſtyracis boni vncia vna: Vtũtur oleo Salcæ & mulieres,caput ex eo vnguentes. eſt autem relata præparatio longè optima.

Foliati ſiue Malabathrini præparatio optima.

Foliatum oleum recipit aſpalathi vnc.x v I I I.ligni balſami lib.I I.cyperi lib.v.helenii lib.v.foliorũ malabathri trientẽ,amomi ſemiſ.xylocaſiæ trientẽ,myrrhæ triẽtem, coſti dodrantẽ,ſtyracis primarii l.I.caſſami ſiue carpobalſami ſemiſſem,calami aromat.lib.v.ſpicæ nardi ſextantẽ, caryophylli trientem,ſtromatis(quæ eſt aquoſa fæx ac reſidentia opobalſami)ſemiſſem. arnabo ſemiſſem, cardamomi ſemiſſem,iridis lib.I. olei ſextarios x x. vini odorati quod ſatis eſt.coquitur velut nardinum.

Vnguenta odorata quibus commodent.

Vnguẽta odorata frigidioribus capitibus magis cõueniũt quàm moderatè calidis,atque illis hyeme. nã calidioribus non ſunt apta. Si verò quis odoris gratia talibus vti velit,roſacei parem modum admiſcebit. ſic enim par pari admixtũ non amplius nociuum eſt. quandoquidẽ verò multæ mulieres tam calida capita habent,vt nullũ calidum oleum perferre queant,his cõſultũ eſt ſolo omphacino vti,quandoque verò etiam roſaceo. Quædam verò ex ipſis omnino nõ vtuntur oleo, propterea quòd capita ipſarum citò humectentur, & deſtillationibus obnoxiæ fiant,quas ſanè ad vnguẽtorum illitionem cogere non oportet. Nam hæ ſiccatione capitum opus habent, per cõmodas puluiſculorum aridorum inſperſiones, nõ humectatione per illinitionem oleorum.

Olei ſuffumigabilis præparatio.

Oleum quod ſuffumigabile appellatur,ſic præparatur: Vnguium aromaticorum magnorum quincuncem.thuris maſculi,ſtyracis primarii,bdellii puri,coſti, ſingulorũ quincuncem.olei boni dulcis ſextaria v.hypni quod ſatis eſt. Coſtum in craſſas partes ſecato,ſimilitérque ſtyracem ac bdellium, deinde ſimul permixta in vas nouum teſtaceum anſis carens immittito,& oſculum eius hypno integito,ac forinſecus ad hypnũ aſpalathi ligna, aut alicuius alterius odoratorum generis ſurculos addito,ac obturato vt nihil ex vaſe excidere queat. Deinde aliud teſtaceum vas anſis carens & longi colli oſculum habens accipito, ita vt oſculo eius congruat quod prædictas ſpecies in ſe continet:& in ipſum olei dulcis ſextarios v.mittito,& effoſſa terra vas quod oleum habet,vſque ad collum obruito, vt ne igneſcat.mox alterum vas in caput reſupinatum oſculo eius quod oleum continet adaptabis,forinſecúſq; totum circumcirca luto oblines, ſimilitérque oſcula vtriuſque coaptata: & ſiccari ſines. ſequenti die carbones multos circumpones,integéſque ex ipſis vndiquaque totum vas,ignémque accendes ac ventilabis. Ignem autem accenſum marceſcere ac extingui ſinito,vt paulatim candefactæ per oſculum vaſis ſpecies oleum ſuppoſitum ipſis ſuffumigent:qua gratia ſuffumigabile appellatur. deinde poſtera die aperito,oleúmque tollito ac ſeruato in vitreo vaſe,ac vtitor. Hoc vtuntur mulieres quibus menſes retinentur,illinentes ex eo pectinem & lumbos. Conuenit etiam iis quæ non pro ratione in partu purgantur, ſimiliter illitum. Vtile eſt etiam perfrigeratum pectus habentibus,& teneſmis infeſtantibus prodeſt,calidum lana cõuoluta exceptum,& pectini ac lumbis impoſitum.

De vnguentis reliquis.

Ex his iam facile eſt etiam de aliis oleis iudicare, quæ vnguẽtorum quoque cognominationem habẽt. Etenim iuxta naturam eorum quæ iniiciũtur,oleum alterabitur, quorum ſingulorum vim in hoc ſermone deinceps condiſces. Cæterùm de reliquis remittentibus ac laxantibus vnguentis,in ſermone de medicamẽtorum compoſitione poſt auxilia articularia dicetur, velut eſt gleucinum & conſimilia.

Elaphoboſcon.

Elaphoboſcon calidam & tenuium partiũ vim habet, ideóque ſecundo ordine ſiccat. Conuenit ad venenatarũ beſtiarum plagas,& in potu & in cibo.

Elenium.

Helenii radix maximè in vſu eſt: dici poteſt calida & ſicca, non tamen exactè velut piper,ſed cum humiditate ſuperflua,& propterea in linctus ac eclegmata, ad craſſos & viſcoſos humores ex pectore ac pulmone educendos, commodè miſcetur,

Eleliſphacos,*id eſt Saluia.*

Saluia calfactoriã vim euidenter habet, & leniter ſubadſtringentẽ. Quidam narrant ſuffitã ſuper prunas, mẽſes immodicè fluidos mulieribus ſiſtere: itémque muliebrõ

fluxũ. Agrippa autẽ inquit, Saluiã herbã ſacrã leænæ prægnãtes vorãt: nam vitalẽ cõceptũ continet. quare ſi ſucci eius heminã vnã cum modico ſale mulier bibat quarta à puerperii purgamentis die, & viro cõdormiat, infallibiliter cõcipiet. Aiunt, quũ in Copto Ægypti peſtis graſſaretur, eos qui ſuperfuerunt in ea regione coegiſſe mulieres & vxores ſuas ad huius ſucci potentẽ adeo vſum, & ad plurimã ſobolẽ perueniſſe. Orphe⁹ autẽ inquit, Sanguinẽ ſpuẽtibus ſucci ſaluiæ cyathos duos cũ mellis vncia vna dato ieiunis in potu, & ſtatim ſiſtetur. Verùm phthiſicis ac tabidis (ait) catapotia præpara hoc modo, Spicæ nardi drach. II. ſeminis ſaluiæ toſti tuſi ac cribati drach. XIIII. piperis drach. XII. excipe ſucco ſaluiæ, & redige in catapotia, ac exhibe drach. I. mane ieiunis, itémque in veſperam, & aquam puram inſuper bibendam.

Elleborus, *id eſt Veratrum.*

Veratrum album & nigrum exterſoriæ ac calidæ facultatis ſunt: quapropter & ad vitiligines & impetigines pſoráſque ac lepras cõueniunt. Et ſanè virga etiam nigri in fiſtulã immiſſa calloſam, in duobus aut tribus diebus callum cõſumit. ponãtur autẽ in tertio ordine calfaciẽtium ac ſiccantium. Purgat nigrum humorẽ atræ bilis, magiſq; per ventrem inferné: album verò per eundem supernè, craſſos ac viſcoſos humores per vomitũ expurgans: mouet autem & ventrem inferné.

Elxine, Muralium, Parthenium, vel Perdicium.

Hanc aliqui Partheniũ, alii Perdicium, alii Muralium ſiue herbã muralẽ appellant. vis eius eſt exterſoria, & leniter adſtringens cũ ſubfrigida humiditate: vnde omnes inflãmationes ſanat in principio ac augmento vſque ad vigorẽ, & maximè calidas. ſed & furunculis incipientib⁹ imponitur: & ſuccus ipſius cũ roſaceo ad auriũ dolores modicè inflãmatos cõuenit. quidam ſuccum gargarizãt ad tõſillas inflãmatas. quidam medici etiã in tuſsi inueterata exhibuerunt, propter manifeſtam vim extergẽdi. facit & ad alopecias ac impetigines ipſa herba per ſe aſſiduè affricta. Aperit & hæmorrhoidas ſedis, & fiſtulas ſanat, & ſinus occludit, cũ modico ſale trita, & cataplaſmatis modo impoſita.

Elymos, ſiue Meline, *id eſt Panicum.*

Elymos, *id eſt panicum,* meline etiã vocatur. Eſt autem ſimile milio forma ac facultate: parum nutrit & ſiccat, & ſanè ventris fluxiones ſiſtit, quẽadmodũ etiam miliũ: ſi verò forinſecus in cataplaſmate imponatur, ſiccat & perfrigerat.

Empetrum ſiue Epipetrum, ſiue Praſoeides.

Empetron ſolis purgationibus cõmodum eſſe videtur, pituitam ac bilem ducens. Saporem habet ſalſum, vt etiã ad alia eo quis vti poſsit, ad quæ videlicet ſalſæ ſubſtantiæ vſus eſt. appellatur etiam Praſoeides.

Epithymum.

Epithymum per omnia fortiorem thymo facultatem habet, ſiccans ac calfaciens in tertio ordine ſine diſtantia à temperatis. purgat humorem atræ bilis.

Erebinthus, *id eſt Cicer.*

Cicer, legumẽ eſt flatuoſum, probè nutriens, ventri cõmodum, vrinã ciens, lac & ſemẽ generans, menſéſque ducens. Decoctum ipſius etiã calculos in renibus atterit, maximè nigri: alterum ciceris genus orobiæum appellatũ, vim habet attractoriã, diſcuſſoriã, ſectoriámq; ac exterſoriã. quare & lienẽ & iecur & renes expurgat, ſcabiémque ac impetiginẽ exterit. Item parotidas ac teſtes induratos diſcutit: maligna quoque vlcera ſanat cum melle.

Erpyllos, *id eſt Serpyllum.* Zygis.

Serpyllũ calfactoriã vim vſqueadeo habet vt mẽſes & vrinas moueat: eſt autẽ & guſtu ſatis acre. Duæ eius ſpecies ſunt: altera hortẽſis ſampſuchũ odore referens: altera ſylueſtris, quæ & Zygis appellatur, nõ ſerpẽs, ſed ramulos erectos, tenues, ſarmẽtoſos habẽs, folia ferme ſimilia rutæ, ſubanguſta & lõgiora, ac duriora, flores guſtu acres, odoris iucundi: radix autẽ inutilis eſt. Naſcitur in petris, efficacior & calidior quàm hortẽſis, itémq; ad vſum medicũ accõmodatior: menſes enim & vrinas ciet pota. Prodeſt & ad tormina, cõuulſa, rupta, hepatis inflãmationes, & ad reptilia ac ſerpẽtes, tũ in potu accepta, tũ cataplaſmatis modo impoſita. Mitigat & capitis dolorẽ cũ aceto cocta, ca-

A pite ex ea irrigato, roſaceo ammixto. Maximè autẽ in lethargicis ac phreniticis inueteratis congruit. ſedat & ſanguinis ſputum drach. vnius pondere cum aceto pota.

Eryſimon, *id eſt Irio.*

Eryſimi ſemen velut ſapore naſturtio ſimile eſt, ſic etiam facultate ipſi adſimilatur, feruens & calfactorium exiſtens. Quando verò vſus eius in eclegmate expetitur, præſtat ipſum aqua maceratum torrere. Cõmodat in eclegmatis ad craſſorum ac viſcoſorum humorum in pectore ac pulmone eductionem ac per ſputum expurgationem.
B Iuuat parotidas induratas, & duritias veteres mãmarum ac teſtium. Dioſcorides ait in cataplaſmate cũ aqua aut melle impoſitum, etiam occultis cancris mederi.

Erythrodanum, *id eſt Rubia tinctorum.*

Eryrhrodani radix rufa qua tinctores vtuntur, acerba eſt & ſubamari ſaporis: vnde & iecur & ſplenẽ purgat, & vrinas craſſas ac multas, aliquando etiam cruentas euacuat. itémque menſes propellit. moderatè quoque exterget ea quæ exterſione opus habent. itaque vitiligines albas exterit illita cum aceto. Quidam & in potu exhibent
C ipſam iſchiadicis ac reſolutis ex aqua mulſa.

Euzomon, *id eſt Eruca.*

Eruca olus palàm calfacit: ſed & ſemẽ generare creditur, & impetus ad venerem excitare. Capitis autem dolorem inducit, atque hoc magis ſiquis ipſam ſolam edat: quapropter cum lactucæ foliis ipſum edere oportet.

Eupatorium.

Eupatorium tenuium partium vim habet, exterſoriámque ac ſectoriam, citra manifeſtam caliditatẽ. quare
D obturationes iecoris expurgat. Eſt etiam modicæ adſtrictionis particeps, per quam hepati firmitatem addit.

Euphorbium.

Euphorbium vſtoriam & tenuium partium vim habet, ſimiliter vt alii ſucci.

A litera Z incipientia.

Zea.

Zea media quodammodo eſt inter triticum & hordeum, vt ex illis cognobilis fiat.

Zingiberi.

E Radix Zingiberis fortiter quidem calfacit, ſed nõ primo ſtatim occurſu velut piper, propterea quòd craſſiorũ partium vim, aquoſámque ac excrementitiam ſubſtantiã poſſidet: ob quam etiam facilè à teredinibus perforatur.

Zythus.

Zythus acrior eſt quàm hordeũ: ex quo fit, & mali ſucci, nimirum ex putrefractione factus. eſt autem & flatuoſus.

Zyma, *id eſt Fermentum.*

Fermentum tenuium partiũ eſt, moderatè calidum, & propterea citra moleſtiam ac mordacitatẽ, ex alto ex-
F trahit ſimúlque diſcutit. Cõpoſitũ eſt autẽ ex cõtrariis facultatibus, aciditate frigida, & caliditate putredinoſa, inſupérque ſalis & farinæ, iuxta vtriuſque naturam.

A litera H incipientia.

Edyoſmon, *id eſt Mentha,* Minthe.

Hedyoſmon, *id eſt mentham,* aliqui minthen odoratam appellant. vim habet calidam, vt propè attingat tertiũ ordinẽ: verùm ex hortenſi cultu humiditatis ſuperfluæ particeps eſt: quapropter & ad venerem moderatè ſtimulat, & ob hoc tẽperamentum etiã cum polẽta in cataplaſma-
G ta venit. Cæterùm ob amaritudinem lumbricos necat, & decoctum eius per triduũ cõſequenter potũ, colicis valde prodeſt. Acerbitas porrò ipſius recẽs ſanguinis ſputũ cohibet, ſi cum poſca bibatur. Tenuium partium vt ſiqua alia herba exiſtit.

Edyſarum, ſiue Pelecinus, ſiue Securidaca.

Hedyſarum etiã Pelecinus dicitur, itémque Securidaca, & inuenitur fuluum aut pallidum colore ſemen, ancipiti acie ad ſimilitudinem ſecuris. Amarum autem & ſubacerbum apparet: vnde in potu ſtomacho cõmodum
H eſt. Expurgat viſcerum obturationes: id quod & totius fruticis ramuli faciunt.

Emerocalles.

Emerocalles radicem habet ſimilem lilii radici figura ac viribus: quare ſimiliter vt illa ambuſtis prodeſt. Nã diſcuſſoriã leniter vim habet, ſimúlq; repulſoriũ quiddã poſſidet.

Erigeron,*id eſt Senecio.*

Senecio vim habet mixtā,frigidam, ſimúlque moderatè diſcuſſoriam.Et propterea medicamentis ſedis commodè miſcetur: cohibet & ſanguinis ſputū ſuccus potus, & lumbricos occidit,& hepaticis prodeſt,& inflammatis efficax cataplaſma eſt.

Eryngium.

Eryngium, caliditate aut parum quid à temperatis aut omnino nihil abſcedit: ſiccitatis autē tenuium partium non modicæ particeps eſt.Radix eius aqua feruefacta, & ipſa aqua in potu ſumpta,colicos ſanat: cum aqua mulſa feruefacta,calculoſos,vrinæ ſtillicidium,eiúſque emittēdæ difficultatem,& nephriticos curat. Bibēdum eſt autē hoc eius decoctum per dies XVI ieiunis,itémque ad noctem dormituris.Si verò lauer ſimul cum ipſa incoxeris, & potandum dederis,melius res procedet.Affirmauit mihi quiſpiā ſe ex aſſiduo eius vſu calculos per lotiū eiicere deſiiſſe,quū antea frequentiſſimè eo vitio diuexaretur.

A litera Θ incipientia.

Thapſia.

Thapſia acris & fortiter calefactoriæ vnà cum humiditate facultatis eſt:itaque ex alto violēter attrahit, & attractum diſcutit: verùm longiore tempore opus ſuum perficit: propterea quòd ſuperflua humiditate largiter redūdet,ob quam etiam facilè corrumpitur.

Thermus ſatiuus,*id eſt Lupinus ſatiuus.*

Lupinus edulcatus per cocturā, in cibo acceptus ægrè cōcoquitur,& alimentum corpori præbet craſſi ſucci, & crudos humores generat. Aluum autē neque ducit neq; ſiſtit.At verò vt pharmacum, edulcatus quidem vim obducendi meatus habet. qui verò inſitam à natura amaritudinē habet, exterſorius & diſcuſſorius exiſtit. Occidit lumbricos cum melle delinctus,aut cum poſca potus.Sed & decoctum ipſius lumbricos expellere ſolet potū, & per clyſterē infuſum.Farina quoque eius forinſecus cum bubulo felle vmbilico impoſita idem præſtat.Et ſanè decocti fomētum foris admotum vitiliginibus prodeſt,& capitis vlcuſculis manantibus,eruptionibus papularū, ſcabiei,gangrænis,vlceribus malignis, partim extergendo, partim diſcutiendo,& citra mordacitatem ſiccando.Expurgat etiā iecur & lienem cum ruta & pipere, iucunditatis gratia adiectis.Extrahit & menſes & fœtus, cū myrrha ac melle appoſitus.Farina etiā lupinorum diſcuſſoria eſt.non enim liuida tantùm, ſed & ſtrumas & tubercula dura ſanat:ſed tunc in aceto, aut aceto mulſo, aut poſca eam coquere oportet,iuxta ægrorum videlicet temperamenta & affectus differentiam opportuno liquore inuento. Diſcutit & liuida farina ipſa,reliquáque omnia quæ prius in decocto relata ſunt. quidam & iſchiadicis in cataplaſmatis imponunt.

Thermus ſylueſtris,*id eſt Lupinus erraticus.*

Sylueſtris Lupinus amarior & fortior eſt ad omnia ſatiuo:aliâs in genere eandem vim poſsidens.

Thlaſpi.

Thlaſpios ſemen vim acrē adeo poſsidet vt etiam internos abſceſſus potum rumpat,& menſes ducat,& fœtus perimat. Per ſedem immiſſum coxendicum morbis prodeſt cruenta euacuādo,& aliâs quoque purgatoriam vim habet ſupernè ac infernè humorum bilioſorum,acetabuli menſura potum.

Tridax,*id eſt Lactuca.*

Lactuca humidū ac frigidū olus eſt, non tamen externè ſed iuxta fontanarū aquarum frigiditatē: quapropter ad inflāmationes conuenit,& ad parua ac leuia eryſipelata. Edulium eſt ſitim ſedans & ſomnū cōcilians,maximè feruefacta cum poſca diluta ſola comeſta.Sed neque incōcoctilis eſt velut alia olera,neque excretionē per aluū inhibet,neque promouet:& propterea neque mali ſucci ſanguinē generat,nō tamē perfectè boni ſucci. Semen potū ſeminis effluxū cohibet:vnde & iis quib⁹ per ſomnū id effluit, datur.Cæterùm ſylueſtris lactucæ ſuccus cum muliebri lacte illitus,argemata & inuſtiones(quæ oculorum vlcera ſunt)itémque caliginem depurgat.

Thymus.

Thymus incidit ac calefacit manifeſtè, vt tertii ordi-A nis ſit calefaciētium,& propterea vrinas ac menſes ducit, ac fœtus detrahit,& viſcera purgat potu, adiuuat pectoris ac pulmonis excretiones. atque hæc quidē Galenus. Verùm experimēto ſequētia cōſtant. Arthriticis thymi ſicci minutiſsimè triti drach.IIII.cum aceti mulſi hemina dimidia dato ieiunis: purgat enim bilem,& acres ſeroſos humores,& quæ circa veſicā hærent. Ventre autē eleuato,quū intumeſcere iam incipit,drach.I. cum aquæ mulſæ hemina exhibeto ieiunis. Ad lumborū ac coxēdicum dolorē lateríſque ac pectoris, & præcordiorum eleuatio-B nes ac inflationes,drach.III.cum aceti mulſi diluti heminā vna dato ieiunis. Similiter & melancholicis & mente perturbatis,& timore perculſis drach.III.dato cum aceti mulſi diluti hemina vna.Lippientibus & in vehemēti oculorū dolore ſimiliter dabis ieiunis & ante cœnā.In podagricis doloribus ita auctis vt moueri non poſſint ægri, ſimiliter dato cum vino diluto. In teſtib⁹ eleuatis ſimiliter drach.III.ieiunis dato cum hemina vini vna.Veruntamē à nigro thymo elleboro appellato penitus abſtinendum eſt. corruptoriā enim vim habet, & bilem generat. C vtere autem eo qui florē purpureum habet ex natura, & album quid amplius complectitur.

Thymbra,*id eſt Satureia.*

Satureia hortenſia conſimilem thymo vim habēt, ſed ſunt multo debiliora.

A litera I incipientia.

Intybi.

Intybi,lactucis conſimilem vim habent, ſed tamen iucunditate multùm inferiores exiſtunt:item ad reliqua o-D mnia de lactucis relata minus efficaces ſunt.

Ἰξὸς,*id eſt Viſcum.*

Viſcum ex plurima aerea & aquea ſubſtātia calida,minima autem terrea,conſtituitur: itaque plus acrimoniæ in ſe habet quàm amaritudinis. quapropter humores ex alto fortiter trahit, non tenues ſolùm ſed etiam craſſiores, eóſque diffundit ac diſcutit.Eſt autem ex medicamentis non ſtatim calefacientibus poſt primam impoſitionem, ſed quæ tempore indigent,velut etiam thapſia.

Ion,*hoc eſt Viola.*

E Violæ folia aquoſam & ſubfrigidā ſubſtantiā prædominantē poſsident:propterea & per ſe & cū polenta in cataplaſmate impoſita,inflāmationes calidas mitigant.Imponuntur & in ardore oris ventris,itémque oculorum.

Hippuris,*id eſt Equiſetum.*

Hippuris adſtringentē cum amaritudine qualitatē habet,& propterea ſiccatoriā fortiter ſimúlque citra mordacitatē. Vulnera igitur maxima in cataplaſmate impoſita glutinat,etiāſi nerui diſſecti ſint,itémque herniā inteſtinorum: ſed & ſanguinis ſputū,& fluxum muliebrē,maxi-F mè rufum. inſupérque ad dyſenterias aliáſque ventris fluxiones generoſum pharmacū exiſtit herba ipſa cū aqua aut vino pota.Quidam de ea produnt veſicæ etiā aliquādo ac tenuiū inteſtinorū vulnera curaſſe. Succus eius ſanguinis è naribus eruptiones iuuat, & fœda ventris vitia, cū vino aliquo auſtero potus, aut in febriētibus cū aqua.

Iſatis ſatiua,*id eſt Glaſtum ſatiuum.*

Iſatis ſatiua qua tinctores vtuntur,fortiter ſiccantis facultatis eſt, nondum mordentis,amaræque ſimul ac adſtringētis. quapropter magna vulnera durorum corporū G glutinat, etiamſi in muſculorum capitibus exiſtant. Sanguinis eruptionibus vtile cataplaſma præbet, & tumores laxos mirabiliter diſcutit ſimul ac contrahit, & aduerſus omnia maligna vlcera efficaciter reſiſtit, ſiue computreſcāt,ſiue erodātur.Quòd ſi pro ægri natura ac viribus fortior appareat,ad folia ipſius trita,aut panē,aut ordeaceam farinā,ſiue triticeā, aut etiā polētam admiſcere oportet, iuxta prædominantē in vnoquoque diſpoſitionē ac affectionem.

Iſatis ſylueſtris.

Sylueſtris Iſatis acre quid habet manifeſtū iam in gu-H ſtu & actione: & propterea magis ſiccatoria quàm ſatiua exiſtens,aduerſus humidas putreſcentias fortius reluctatur.Verùm ad alia prædicta deterior eſt:immodicè enim & cum mordacitate hæc ſiccat, irritátque, & inflāmationes excitat.Cæterùm fortitudinis facultatis ſuæ gratia, etiam ſplenicis vtilis exiſtit,quibus ſatiua non profuit.

Itea, id eſt Salix.

Salicis foliis vti quis poteſt ad vulnerum cruento-
rũ glutinationem, imò & flore ipſius, quo omnes medici
fermè vtũtur ad emplaſtri ſiccantis compoſitionẽ. Eſt e-
nim vis ipſorũ ſiccatoria citra mordacitatẽ: habẽt autẽ &
adſtrictionis aliquid. Quidã ſuccũ ex ipſis exprimũt, eúmq;
pro pharmaco habẽt mordacitatis expertè ac ſiccante, ad
multa vtili. Cortex quoque arboris conſimilem floribus
ac foliis vim habet, præterquam quòd ſicciore tempera-
mento præditus eſt, quemadmodum omnes ferè corti-
ces. Quidam hunc exurunt, & cinere vtuntur ad ea quæ
forti reſiccatione indigent. Itaque clauos ac callos, inſu-
pérque verrucas myrmecias appellatas, eo eximunt, aceto
acri ſubacto. Aliqui tempore floris corticem incidunt, ſuc-
cúmque quendam inde colligũt, quo vtũtur ad vitia quæ
pupillis tenebras obducunt: eſt enim medicamentum ex-
terſorium ac tenuium partium. quare etiam ad alia mul-
ta eius vſus aſſumi queat, quum tali facultate præſtet.

A *litera* K *incipientia*.

Calaminthe.

Calaminthe tenuium partiũ ſubſtantiam habet, éſt-
que calida & ſicca tertio ordine: ſicca, per ſe ex aqua mul-
ſa pota, manifeſtè calfacit, & ſudores ciet ac diſcutit, &
ſiccat totum corpus: quapropter aliqui ipſa vſi ſunt & ad
rigores per circuitum repetentes, cocta in oleo, & illito
inde toto corpore cum frictione ſtrenua: intra corpus vé-
rò aſſumunt velut dictum eſt. Quin & coxendicis catapla
ſma eſt in iſchiadicis generoſo omnino auxilio: trahit e-
nim ex alto ad ſuperficiem, & totum articulum calefacit,
& cutem manifeſtè adurit. inſuper & pota & appoſita mẽ-
ſes efficaciter prouocat. Bonum eſt & in elephantiaſi me-
dicamentum, non ſolùm ob id quòd tenues humores diſ
cutiat, ſed & quòd craſſos attenuet & fortiter diſſecet, qui
ſanè hoc morbi genus generant: ſic & cicatrices nigras il-
luſtrat, & ſugillata diſcutit. Præſtat autem in talibus coctã
in vino cataplaſmatis vice imponere, viridẽ magis quàm
arefactam: ſiccata enim fortior euadit & promptius inu-
rit. eſt & cataplaſma in morſibus animalium virus eiacu-
lantium. At verò ob amaritudinem & aſcaridas & lumbri
cos ſuccus eius perimit tum potus tum per ſedem infu-
ſus: imò & vermes qui in auribus itémque vlceribus naſci
ſolent. Prodeſt & anheloſis & ictericis, extergendo ac ex-
purgando iecoris obturationes. cæterùm ad omnia præ-
dicta efficacior eſt montana. Orpheus ait ſuccum eius cũ
pari roſaceo & ceruſſa tritum ad ſtrigmentitiam craſſitu-
dinẽ, ac illitum, ambuſtis mederi, & (quod omnem opinio
nem ſuperat) neque cicatricem apparere, & locum pilos
producere. Si verò cum Cimolia terra & aloë parib⁹ por-
tionibus acceptis ſuccus teratur, indéque frons ac tempo
ra illinantur, capitis dolores eueſtigio ſanantur.

Calamus aromaticus.

Calamus aromaticus modicã adſtrictionem & quã-
minimam acrimoniam poſſidet, maxima autem pars e-
ius ſubſtantiæ terreæ ac aëreæ eſt moderatæ caliditatis ac
frigiditatis: vnde & vrinam moderatè ciet, & compoſi-
tionibus ſtomachicis ac hepaticis quæ foris ipſis impo-
nũtur, admiſcetur, & in vteri fotus vtiliter aſſumitur, qui
inflammationibus aut menſiũ irritationis gratia adhibẽ-
tur. Ponatur itaque ſecundo ordine calfacientium ac ſic-
cantium, magis tamẽ ſiccantium quàm calfacientium.

Calamus phragmites, *id eſt Arundo ſepiaria.*

Calami phragmitæ radix exterſoriam vim nõ mo-
dicam habet, minimè acrem: folia tamen viridia mode-
ratè perfrigerant, itémque non modicam exterſoriã vim
poſſident. Cortex eius vſtus tenuium partiũ ac diſcuſſoriã
abũdè vim acquirit, & exterſoriũ quid habet, vt calfaciat
ac ſiccet tertio ordine, plus tamẽ ſiccans quàm calfaciẽs.

Cannabis.

Cannabis ſemen ægrè concoquitur, dolorem capi-
tis inducit, & malum ſuccum gignit. Si verò torreatur, e-
tiam ſic caput tentat, multum calfaciendo, & vaporem ca
lidum ac medicatum ad ipſum deligando. Ex eo verò
quòd ſicco temperamento præditum eſt & flatus expers,
genitale ſemen extinguit.

A

Capnion, *id eſt Fumus terræ, ſiue Fumaria.*

Herba fumaria acrem ſimúlque amaram habet qua-
litatem, neque omnino expers eſt acerbæ. Quapropter v-
rinam multam bilioſam promouet, & iecoris obturatio-
nes ac debilitates ſanat. Succus eius viſum exacuit, dela-
crymationem faciens: ipſa herba arida trita aquæ mulſæ
inſperſa ac pota ventrem mollit. Vino autem diluto ſi-
militer inſperſa ſtomachum corroborat. Dato confiden-
ter & decoctum ipſius quomodocunque febrientibus.

B

Capparis.

Capparis radicis cortex prædominantem habet a-
maram qualitatem, ſecundo loco acrem, & deinceps acer
bam: ex quo palàm fit ex diuerſis ac pugnantibus viribus
ipſum compoſitum eſſe. Etenim extergere & expurgare
ac incidere poteſt ob amaritudinem: calfacere autem &
diſcutere ac attenuare per acrimoniam: contrahere verò
ac cõſtringere & cogere per acerbitatem. & propterea lie-
nes induratos (ſiquod aliud medicamẽtum) curat, tum fo
rinſecus cataplaſmatis cõuenientibus admixtus, tũ intrà
corp⁹ acceptus, ſiue coquatur in aceto & aceto mulſo ac ſi-
C milibus, ſiue aridus tritus iiſdẽ inſperſus: euacuat enim a-
pertè viſcoſos ac craſſos humores ſic acceptus, non per vri
nas ſolùm, ſed etiam per ventrem. Sæpenumero verò &
cruenta egerunt ii in quibus lien opem ſentit, & coxendi-
cum dolores minuuntur. Quin & menſes ciet, & pituitam
à capite per os detrahit, & malignis vlcerib⁹ inſperſus mi
nutiſſimè tritus cõmodum pharmacum eſt, vtpote exter-
gere ipſa valens & fortiter reſiccare. Sed & dentium dolo
ribus prodeſt cum vino coctus aut aceto. Strumas quoque
& tumores duros diſcutit, ſi aptis ad hæc medicamentis
permiſceatur. Folia porrò & caulis, itémque ſemẽ ſiue fru-
D ctus, conſimilem cortici vim habent, niſi quòd debilio-
ra exiſtunt. Et ſanè ego memini me aliquando foliis ſolis
ſtrumoſam duritiem intra paucos dies diſcuſſiſſe. Admi-
ſcetur autem ipſis aliquid quod vehementiam facultatis
ipſorum obtundat. Nihil verò miri eſt ſi etiam aurium
vermes ſuccus enecat ob amaritudinem. At verò fructus
in muria compoſitus, deinde lotus ac maceratus donec
omnem ſalis vim deponat, medicamentum eſt ad excitã-
dum appetentiam proſtratam, extergendúmque ac ſubdu
cendum ventris pituitam, & ad expurgandum obturatio-
E nes lienis ac iecoris. Vtendum eſt autem eo cum commo
do liquore aceti mulſi aut aceti oleo permixti, præ omni
bus aliis cibis.

Cardamum, *id eſt Naſturtium.*

Naſturtii ſemen vſtoriam vim habet veluti ſinapi, &
propterea iſchiadicos, & capitis dolores, & quicquid ru-
befactione opus habet idipſum calfacit, quemadmodum
ſinapi. Admiſcetur cõmodè & medicamentis ad anhelo-
ſos deſtinatis, nimirum vt medicamentum craſſos humo-
res diſſecare potens. Herba ipſa ſimilem ſemini vim poſ-
F ſidet: verùm imbecillior eſt. quare comeſta valde calfacit.
Capitis autem dolorem eadem inducit.

Cardamomum.

Cardamomum calidam facultatem abundè poſſidet,
vt etiã exulceret in cataplaſmate impoſitũ, minus tamen
quàm naſturtium. Habet & amaritudinis quiddam in ſe-
ſe: ob quam etiam lumbricos enecat, & ſcabiem fortiter
exterit cum aceto.

Caroum.

Caroi ſemen ſiccat & calefacit tertio ordine: acrem
G autem qualitatem moderatè poſſidet, & propterea flatus
leuat diſcutítque, & vrinam ciet, non modò ſemen ſed
tota planta.

Caſia.

Caſia calfacit ac ſiccat tertio ordine, éſtq; multùm te-
nuiũ partiũ: in guſtu autẽ plurimũ acrimoniæ habet, par
uámque quandam adſtrictionem. quare propter hæc o-
mnia ſiccat ſimúlque diſcutit corporis ſuperfluitates, &
præterea robur organis addit. Commodat & ad ſupreſ-
H ſos mẽſes, vbi præ copia ſimúlque craſſitudine ſuperflui-
tatum, ſufficienter euacuari prohibentur.

Carya, *id eſt Nux arbor, Nux iuglãs ſiue regia, Nux parua, Pontica, Auellana.*

Nux arbor habet quidem tum in germinibus, tum

in foliis aliquid adſtringens;verùm inſigniter & copioſè A in ipſo nucis ſuæ cortice,& recenti & arido. Vtũtur itaq; ipſo etiã tinctores. Nos autẽ eundẽ exprimẽtes,ſuccúmq; ſimiliter vt mororum ac rubi mororum cum melle coquentes, ſtomaticum medicamẽtum, *id eſt oris uitiis commodum*, præparamus,quo etiã ad alia omnia vtimur ad quæ prædicti ſucci commodi exiſtunt. Cæterùm ipſius nucis nucleus qui in cibi vſum venit, oleoſus eſt & tenuium partium: particeps eſt autem & adſtringentis qualitatis, ſed modicæ & quæ temporis progreſſu euaneſcit, tota ipſius B ſubſtantia in pinguem ſuccum tranſeunte,qui oleo veteri ſimilis apparet, & propterea omnino tandem edi non poteſt. At verò viridis adhuc & recẽs nucleus, neque adſtringentem qualitatem manifeſtè poſſidet neque oleoſam. Vnde ad alui excretionem commodior eſt quàm ſiccus,& maximè ſi cum garo,quemadmodum aliqui faciunt,accipiatur. Sed & ſiccarum nucum in aqua maceratarum,velut quidã facere ſolent,conſimilis vis eſt vt viridium. Concoquitur tamen melius nucis fructus,& ſtomacho commodior eſt, ſi cum caricis edatur. Aiunt, ſiquis C caricas cum nucibus ac ruta præ reliquis cibis comedat, eũ non magnopere à lethalibus medicamẽtis lædi poſſe. Porrò ex inueterata nuce oleum quoque exprimi poteſt, quod abundè diſcuſſoriũ exiſtit, vt quidã eo etiã gangrænas & carbunculos ac ægilopas curent. At verò putamen eius aridum vſtum, tenuium partium ſiccatoriúmque & lene pharmacũ euadit. Cæterùm nux parua,quæ & Pontica & Auellana appellatur,frigidior eſt & auſterior,vtpote magis terrea exiſtens:in cæteris regiæ ſiue iuglandi ſimilis eſt. Capitis autem dolorem in cibo ſumpta inducit. D

Caſtania.

De Caſtania eiúſque fructu dictum eſt in querci tractatione.

Cenchros,*id eſt Milium.*

Milium frigefacit primo ordine,ſiccat aut tertio ex oluto,aut ſecundo intento. Eſt & modicè tenuium partiũ: vnde comeſtum inſtar edulii,omnium fermè eduliorum frumentacei generis minimi nutrimenti eſt:ſed & aluum exiccat. Verùm forinſec⁹ impoſitum in marſupiis ſiue ſacculis,fomentum eſt aptiſſimum iis qui leni reſiccatione E opus habent.

Cedrus & Cedria.

Cedri ſpecies duæ ſunt,vtraque tertio ordine calfacit ac ſiccat: cedria verò quæ ex ipſis fit, etiam iam quartum ordinem attingit. Eſt autem primi ordinis ſepticῶn *id eſt erodentium*, multùm calida ac tenuium partium exiſtens. teneras ſanè carnes promptè ſimúlque citra dolorem corrodit caliditas ipſius,per caliditatem quæ in corporibus eſt aucta:verùm in duris corporibus longiori tẽpore & vix tandem efficaciam ſuam oſtendit. F Vnde mortuorum corpora incorrupta conſeruat,humiditates ipſorum ſuperfluas depaſcens: ſolida autem corpora non attingens,propterea quòd non tam fortem vim habet,velut alia eroſiua appellata. Nihil verò miri eſt ſi eiuſmodi vi pollet quòd etiam pediculos,& lendes,& aurium vermes & aſcaridas in recto inteſtino enecare poteſt. Fœtus inſuper appoſita viuos quidem necat, mortuos autem eiicit: quemadmodum etiam ipſum ſemen genitale, in coitu, pudendo oblita. & propterea ſic vſurpata medicamentũ conceptum impediens eſt nulli alteri poſthabẽdum. Sed & dentium foraminibus inſtillata dolores quidem mi- G nuit,ipſos autem dentes confringit. Attenuat & oculorũ cicatrices,& hebetẽ viſum ob craſſitudinẽ humorũ,ſanat. Quod verò pinguiſſimum eſt ex ipſa & exactè oleoſum, quod ſuperextentis lanis,dum coquitur,colligitur,tenuiorum quidem partium eſt quàm tota cedria,verùm minus acre ac mordax: quanquam non minus ſed magis etiam quàm cedria efficax ſit. Vnde & hoc idiotæ vtuntur ad vulnera ouium in tonſura per forcipes illata: item ad ſcabiem & ad ricinos. Cedri porrò baccæ & fructus cedrides H Græcis appellati, moderatiorem vim habent,vt etiã in cibi vſum veniãt. Siquis tamen plures ex ipſis ingerat, & caput dolet,& excalefacit, & oris ventris morſum percipit.

Centaurea magna.

Centaureæ magnæ radix ex contrariis viribus compoſita eſt. Itaque in guſtu acris ſimúlque adſtringens apparet cum quadam dulcedine. In actione verò acrimonia opera caliditatis exercet,mẽſes promouens,& fœtus mortuos trahẽs & viuẽtes corrũpẽs,ſimúlque eiiciens: adſtrictio autem, frigiditatis craſſioris ac terreæ opera deſignat,tum vulnera glutinando, tum ſanguinem ſpuentes iuuando. Dare autem oportet ex ea drach. II, febrientibus cum aqua,febre carentibus cum vino. At verò iuxta omnium qualitatum actionem & ruptis,& conuulſis,& ſpirandi difficultatibus,& inueteratæ tuſſi conuenit:non enim euacuare ſolùm in his oportet quod præter naturam eſt,ſed roborare etiam ac firmare expurgata. Succus ad eadẽ ad quæ radix,valet. quidam etiam eo pro lycio vtuntur,illo non præſente.

Centaurea parua.

Centaureæ paruæ radix omnino inefficax eſt: ramuli verò & magis folia,& ipſorum flores in vſum veniunt. Dominatur in ipſis qualitas amara,parum quid adſtrictionis poſſidens,& propterea fortiter ſiccatorium eſt pharmacum abſque mordacitate. Magna itaque & recentia vulnera glutinat herba ipſa viridi in cataplaſmate impoſita: vetera verò & ægrè cicatricem recipientia, ad cicatricem perducit ſimili modo adhibita:quin & ſicca glutinatoriis ac ſiccatoriis compoſitionibus miſcetur, quæ ſinus fiſtulas curare ſolent. Sed & veteres duritias mollire creditur,& maligna vlcera ſanare. miſcetur & eis quæ fluidas affectiones ſanant. Decoctum herbæ quidã iſchiadicis infundunt per ſedem,velut quod bilioſum & craſſum humorem ducat. Nam & purgat,& ſanè vbi vehementer operationem ſuam exercebit, cruenta euacuat, & magis prodeſt. Succ⁹ eius cõſimilẽ vim habet,hoc eſt ſiccatoriã & exterſoriam, & tum alia prædicta probè efficere ſolet,tum cum melle oculis ſublinitur, & appoſitus menſes ac fœtus educit. quidam ipſum bibendũ dant & in affectis neruis,velut euacuantem ac citra moleſtiam ſiccantem infarcta. Cæterùm & ad hepatis obturationes bonũ pharmacum eſt: bonum & lieni indurato, forinſecus impoſitus, neque minus ſiquis bibere velit. Herba ipſa exſuccanda eſt circa ſummum vigorem, & flore prægnans. Datur ſucci cochlearium vnum cum aqua calida, & ſale modico,ac pauculo aceto, & purgat generoſè humorem atræ bilis. Coma eius contuſa & cum melle cocto, aut ſapa in collyria formata,fiſtulas circũſcarificat,& callos eximit,collyriis in fiſtulas immiſſis. Corymbi eius tuſi ac cribrati cochlearii menſura iſchiadicis dantur ieiunis cum aqua calida,ad triduum aut plures etiam dies. Eius certè pharmaci efficacia magno miraculo ſæpe fuit. Et ad polypodas in naribus excreſcentes idem medicamentum ſiccum inſpergitur.

Ceraſus.

Ceraſus fructum fert moderatè adſtringẽtem cum dulcedine. matura itaque ceraſa & dulcia magis per inteſtina ſubeunt:minus verò ſtomacho commodant immatura & auſteriora vice verſa. Gummi arboris è vino potũ calculoſis prodeſſe quidam tradiderunt.

Ceratonia,ſiue Ceratia *id eſt Siliqua.*

Siliqua arbor ſiccatoriam & adſtrictoriam vim habet, quemadmodum etiam fructus eius, *ceratia Græcis, nobis ſiliquæ* appellatus. particeps eſt autem & alicuius dulcedinis. Siliquæ aliquam cum ceraſis ſimilitudinem habent: virides enim & humidæ aluum magis ſubducunt: ſiccæ magis ſiſtunt.

Ceſtron,vel Betonica,vel Pſychotrophon.

Betonica, Ceſtron & Pſychotrophon appellatum, vim habet ſectoriam,velut guſtus indicat:amara enim & acris herba exiſtit, velut etiam particularis actio oſtendit. Nam & renum calculos confringit, & pulmonem ac pectus & iecur purgat ac extergit, & menſes mouet, & comitiali morbo prodeſt,& ruptis ac conuulſis medetur. Acidum item ructum ſedat,& iſchiadicis conducit pota.

Cicis,*id eſt Galla.*

Galla quæ omphacitis vocatur,abundè acerbũ pharmacum eſt,ſubſtantiæ terreæ frigidæ plurimæ particeps,

ob quam & ſiccat & fluxiones repellit,& cogit ac adſtrin- A
git laxas ac inualidas partes. omnibus etiam fluidis affe-
ctionibus reſiſtit.Ponatur autem in tertio ordine ſiccan-
tium,in ſecundo verò frigefacientium.Altera galla flaua
laxa ac magna, ſiccat quidem, ſed tanto minus quãto mi-
nus acerbæ qualitatis particeps eſt.Cocta itaque per ſe ac
trita,& in cataplaſmate adhibita inflammationum ſedis
ac prolapſus eiuſdem inſigne auxilium eſt. Coquere autẽ
oportet,ſi moderata adſtrictione opus eſt,in aqua:ſi vehe
menti,in vino maximè auſtero. Gallæ vim ſupprimendi
ſanguinis habent,& manifeſtum ſatis eſt quòd caliditatẽ B
& acrimoniam ex vſtura acquirunt,& magis tenuiũ par-
tium quàm nõ vſtæ euadũt,itémque ſiccatoriæ amplius.
Oportet autẽ cãdefactas ſuper prunas, aceto aut vino ex-
tinguere.

Cera.

Cera in medio quodammodo eſt calfacientium,fri
gefacientium,humectantium ac ſiccantium.habet & craſ
ſarum partium quid,& meatus obturatoriũ: quapropter
non ſolùm ſiccat, ſed & per accidens humectare vide-
tur,perſpirationes prohibendo. Vnde & materia eſt alio C
rum pharmacorum: ipſa autem per ſe ex concoctoriorũ
debilium numero fuerit quæ forinſecus imponũtur. ha
bet enim parum ex diſcuſſoria ac calida facultate, cuius
quamplurimæ mel ipſum particeps exiſtit.

Ciborium.

Viridem fabarum Ægyptiarum fructum ciborium
appellant:quare in fabarum tractatione,etiam de hoc cõ-
ſiderandum eſt.

Cinara.

Cinara mali ſucci edulium eſt,maximè vbi durior e- D
uaſerit. nam & biliosum humorem in ſeſe tunc vberio-
rem colligit,& totam ſubſtãtiam lignoſiorem habet.qua
re ex hac quidem humor atræ bilis generatur: ex ſucco
verò ipſius tenuis & amaræ bilis humor producitur. Præ
ſtat igitur præcoctam ipſam in cibo aſſumere.

Cicis arboris fructus,Ricinus ſiue Croton.

Cicis arboris fructus quem aliqui crotònem acrici
num appellant,quique purgandi vim habet,exterſoria ac
diſcuſſoria facultate præditus eſt:folia eius imbecilliora
ſunt.Oleum quod ex fructu fit,calidius & magis tenuium E
partium eſt quàm commune, & propterea etiam diſcuſ-
ſorium.

Ciſthos ſiue Ciſtharus.

Ciſthos frutex adeo adſtrictorius eſt vt & folia ipſius
in cataplaſmate impoſita vulnera glutinent.Flores effica-
ciores ſunt,vt cum vino poti dyſenterias & ventris imbe-
cillitatem,ac fluxiones,& humiditates ſanent:in catapla-
ſmate autem impoſiti putrefactis vlceribus conducunt,
propter generoſam ſiccandi vim,ferè in ſecundo ordine.
Ipſius fruticis frigiditas tepidæ quoque qualitatis parti- F
ceps eſt.Cæterùm quæ hypociſtis appellatur,multo magis
quàm folia adſtringit,éſtque efficax pharmacũ ad omnes
fluidas affectiones, velut ſanguinis reiectionem, fluxum
muliebrem, cœliacas & dyſentericas affectiones. Sed &
corroborare partes ſolet,& à plurima humiditate exolu-
tis firmitatẽ addit,atque ſic ſanè & ſtomachicis & hepati-
cis cõducit.Firmat enim ac roborat nõ inſtrenuè, epithe-
matis aut antidotis aptis admixta.

Ciſthus ſiue Ladanum.

Ciſthus hic in calidioribus regionibus naſcitur,non
genere alius ab his qui in aliis locis naſcuntur:ſed à regio
ne præcipuam quandam propriam diſcuſſoriam qualita-
tem adeptus eſt, depoſita frigiditate:in reliquis igitur cõ
ſimilis eſt præcedenti.Verùm ex ipſo fit ladanum medi-
camentum calidum primo ordine iam completo, vt etiã
ſecundum attingat: particeps eſt autem & adſtrictionis
cuiuſdam modicæ,& tenuium partium ſubſtantiam ha-
bet:& propterea moderatè emollit,& ſimiliter diſcutit,i-
témque concoquit. Itaque non mirum eſt vteri affectib⁹
hoc præcipuè conuenire,propterea quòd aliquid adſtrin- H
gens habet,per quod etiam defluos capillos retinet. nam
& vitiatos humores iuxta pilorum radices attenuat, ac cõ
ſumit,& meatus quibus impacti erant,adſtringendi vi co
git & conſtringit.

Ciſſos,*id eſt Hedera.*

Ex contrariis facultatibus hedera componitur: ha-
bet enim quid ſubſtantiæ adſtrictoriæ, quam frigidam
ac terream dicimus: habet & quid acris,quam calidam
eſſe guſtus teſtatur:ſed & aquoſæ ſubſtantiæ tepidæ viri-
dis particeps eſt. Viridia itaque folia cum vino cocta, e-
tiam magna vulnera glutinant,& maligna vlcera ſanant.
Vlcerationes quoque ex igne cicatrice includunt. Cum
aceto autem cocta folia ſplenicis opitulantur.Flores eius
fortiores quodammodo ſunt, vt cum cerato triti ambu-
ſta curent.Succus ipſius per nares purgat, & antiquas au-
rium fluxiones ſanat, & vlcera vetera tum aurium tum
narium ad cicatricem perducit. Si verò acrior appareat,
roſaceo aut oleo dulci temperetur.Lacryma hederæ pedi
culos necat,& pilis nudat,in tantum calidã vim habẽs vt
etiã leniter vrat. Prodeſt etiã lacryma calculoſis in potu.

Cnicus.

Cnici ſemine ad purgationes tantùm vtimur. Eſt
autem tertii ordinis calefaciẽtium, ſi quis forinſecus ad-
moto ipſo vti velit.

Coccus. Cnidus, *id eſt granum Gnidium.*

Cnidius coccus purgatoriam vim habet, éſtque fa-
cultatis acris & vſtoriæ.

Coccus tinctorius,*id eſt granum tinctorium.*

Coccus tinctorius adſtringẽtem ſimúlque amaram
qualitatem habet:& per vtranque leniter ſiccat, & ob id
ad magna vulnera conducit, & ad fauciatos neruos, cum
aceto aut aceto mulſo tritus.

Coccymelea,*id eſt prunus.*

Pruni fructus recens magis aluum ſubducit, ſic-
catus,minus.Sunt autem damaſcena pruna magis adſtrin
gentia, Hiſpana dulciora, & propterea magis aluum du-
cunt.in foliis autem manifeſta quædam adſtrictio appa-
ret:vnde decocta vtiliter gargariſſantur in inflammatio-
nibus gurgulionis ac tonſillarum. Cæterùm ſylueſtrium
prunorum fructus adſtrictorius eſt,& ventrem ſiſtit. Et in
Aſia ſanè hæc planta prunus nominatur. Gummi omnis
pruni cum vino potum lapides frangere quidam prodũt:
verùm cùm aceto impetigines puerorum exterit.

Colocaſium ſiue Manzizanium

Colocaſii radicis ſimilis vis eſt rapis ac cæpis, viſco
ſum autem corpus ipſius eſt. vnde exterſoriæ facultatis
particeps eſt,& ventri in cibo ſumpta commodat.

Colocynthe,*id eſt Cucurbita.*

Cucurbita humidi & frigidi temperamenti eſt:vtro-
que,ſecundo ordine:vnde & ramentorum eius ſuccus au-
ribus inflammatis & dolentibus conuenit cum roſaceo:
ſic & tota in cataplaſmate impoſita calidas inflammatio-
nes mediocriter refrigerat.In cibo accepta, nimia hume-
ctatione corpus implet,& ſitim eximit, & alimentum hu
midum ac frigidum,& propterea etiã modicum corpori
præbet. Concoquitur autem non malè, vbi non prius fuẽ
rit corrupta:id quod accidit ipſi propter malam prępara-
tionem,& vbi vitioſus humor in ventre fuerit coaceruã-
tus.imò ſi etiam diutius in ventre moretur, quemadmo-
dum reliqua quoque humida edulia. Gaudet origani cõ-
ditura propter aquoſam in ipſa qualitatem. Omnia enim
huius generis acribus aut acidis,aut auſteris, aut ſalſis ſa-
poribus miſcere oportet,ſi modò neque inſuauiter ſumi
debeant, neque ſumentes nauſeabundos efficere.

Comarus *id eſt Arbutus.* Memæcylon,*id eſt Arbuti fructus.*

Arbuti fructus memæcylon appellatur,éſtque ſtoma
cho incommodus,& capitis dolorem inducit. Arbor ipſa
ſimul cum fructu acerbam qualitatem poſſidet.

Commi,*id eſt Gummi.*

Gummi vim habet ſiccatoriam,meatus obducit, &
aſperitates ſanat.

Conia ſtacte,*id eſt Lixiuium.*

Quod velut ablutio eſt materierum ad cinerem re-
dactarum,conia ſtacte Græcis,*nobis lixiuium*, vocatur. Ex o-
mnibus autem maximè exterſorium eſt & ſiccãdi vi præ-
ditum, quod ex cinere ficulneo & tithymalis fit, vt ferè
vim eroſiuam ſortiatur. Verùm ob ſubſtantiam tenuium
partium citra dolorem vrit.

Conyza.

Conyza& maior & minor conſimilis temperamenti ac facultatis exiſtunt, guſtui acres & amaræ apparentes. Calfaciunt & ſiccãt euidenter, vt vtriuſque qualitatis tertio ordine locẽtur. Decoctæ itaque in oleo, rigoribus per circuitũ repetentibus ſalutarem medelam præbent. Quidam flores ipſarum vnà cum foliis terentes cum vino bibendos exhibent, ad menſes ciendos ac fœtus eiiciẽdos. Eſt & tertium conyzæ genus, in humectioribus locis proueniens, magis fœtidum & imbecillius.

Corianum ſiue Corion, *id eſt Coriandrum.*

Corianon, item Corion appellatur, & ex contrariis facultatibus cõpoſitum eſt, multum habens ſubſtantiæ amaræ, quæ tenuium partium eſt & terrea, nec parum aqueæ humiditatis tepida vi præditæ: habet & parũ quid adſtrictionis. ex quibus omnibus multifariam efficax eſt facere ea quæ Dioſcorides prodidit: verùm non ob ſolam frigiditatem.

Colla, *id eſt Glutinum.*

Glutinum quod ex ſimilagine aut polline ad libros conficiunt, facultatem habet meatus obducentem & concoctoriam. At verò de taurino glutine ac ſimilium in ſermone de animalibus agetur.

Coronopodium, *id eſt Pes cornicis.*

Coronopodii radix in cibo accepta cœliacis opitulari creditur.

Coſtus.

Coſtus, modicæ amaritudinis, plurimæ verò acrimoniæ ac calidæ qualitatis particeps eſt, vt etiam exulceret. vnde ex ipſo cum oleo perfricãt corpus ante acceſſionem in rigoribus per circuitum redeuntibus. Alii idem & in reſolutis ac iſchiadicis faciunt: & omnino in iis quibus aut partem aliquam calfacere volumus, aut humorẽ aliquem ex alto ad cutem adtrahere, vſus eius competit. Ob eandem cauſam & vrinam ciet, & menſes ducit, & ruptis ac conuulſis, & laterum doloribus confert. Verùm ob amaritudinem, etiam latum lumbricum necare creditur: & ad ſolares maculas ipſo vtuntur, cum aqua aut melle. Ineſt præterea ipſius temperamento flatuoſa quædam humiditas, ob quam & venerem ſtimulat cum vino mulſo potus.

Cotyledon, *id eſt Vmbilicus Veneris.*

Cotyledon mixtam vim habet, humidam & frigidam, & quandam obſcurè ſubadſtringẽtẽ & modicè amaram. vnde frigefacit, & repellit, & extergit, & diſcutit. Inflammationes itaque eryſipelatas & eryſipelata inflammata ſanat, & in ſtomachi ardore commodũ cataplaſma exiſtit. Creduntur folia cum radice comeſta lapides atterere & vrinam ciere.

Crambe, *id eſt Braſſica.*

Braſſica comeſtilis ſiccatoriam vim habet & in cibo accepta & forinſecus impoſita, non tamen manifeſtè acrem, ſed vt vulnera glutinet, & maligna vlcera ſanet, & inflammationes curet iam induratas ac ægrè ſolubiles, eiuſdémque generis eryſipelata. Sed & epinyctidas ac herpetas ſanat. Habet & quid exterſorium, per quod etiam lepras exterit. Succus itaque ipſius quid purgatoriũ habet, corpus autem eius alui excretionem cohibet: eáque gratia in quibus humectum ventrem ſiccare volumus, moderatè ipſam coquimus, & priore aqua diffuſa, ſtatim in alteram calidam præparatam immittimus ac feruefacimus. Non oportet enim neque aerem, neque frigidam aquam contingere quod bis coquitur. neque enim exactè flaccidum fit, etiamſi diutiſſimè coquas: itaque in aliam calidã immiſſam coquimus donec flaccida fiat. Nam ſi ventris ſubducendi gratia ſumitur, non valde diſcoquitur. Siccat igitur braſſica quemadmodum lenticula & propterea viſum hebetat, & atræ bilis humorem generat. At verò aſparagus braſſicæ minus ſiccat & magis vrinam ciet. Semen autem potum lumbricos enecat, & maculas ſolares ac lentigines, & quæcunque alia moderata exterſione opus habentia, exterit. Cauliculi eius vſti cinerem efficiunt fortiter ſiccantem, vt & vſtoriæ facultatis particeps ſit. Quapropter eo cum veteri adipe admixto, quidam ad veteres laterum dolores, & ſicubi eiuſmodi alius dolor infeſtet, vtuntur. fortiter enim diſcuſſorium medicamentum efficitur. Braſſica porrò ſylueſtris ſiccior & calidior multo eſt quàm ſatiua, quemadmodum omnia alia ferme ſylueſtria ſatiuis fortitudine præſtant. Vnde neque citra offenſionẽ intra corpus ſumuntur. Diſcutit autem & extergit vehementius quàm ſatiua. Cæterùm marina braſſica vltra hoc quòd ventrem emollit, ſubſalſum nimirum ac ſubamarũ ſaporem habẽs. commoda quoque fuerit ad externos corporis vſus, ad quos ſanè eiuſmodi qualitates conueniunt.

Crethmon.

B Crethmon, ſalſum quodammodo in guſtu eſt, vna cum modica amaritudine: propterea & vis ipſius exterſoria ſimúlque ſiccatoria exiſtit. vtraque tamen facultate amaris cedit.

Crithe, *id eſt Ordeum.*

Ordeum primi ordinis eſt ſiccantium ac frigefacientium: habet & modicum quid exterſorium, & paulo magis ſiccat quàm fabarum farina à cortice depurgata. in reliquis omnibus forinſeco vſu conſimilia exiſtunt. Verùm in cibo acceptum ordeum, hoc amplius fabis habet, quòd in coctura flatuoſitatem deponit: fabæ autem, quo- C modocunque coquatur, flatuoſitas permanet. craſſioris enim ſubſtantiæ faba eſt quàm ordeum, & propterea etiam magis quàm ordeum nutrit. Ordeum verò ſuccum generat tenuem & exterſorium quid habentem. nihil igitur calfacit corpus, quomodocunque tandem præparetur. Verùm humectat & ſiccat diuerſimodè præparatum. etenim polenta ex ordeo toſto facta, manifeſtè apparet ſiccare. Ptiſana verò humectat, quum velut conuenit præparatur. Panes autẽ ordeacei omnes minus nutriũt quàm triticei, & magis ventrem ſubeunt quàm illi. Cæterùm D polenta ex ordeo toſta facta magis quàm ordeum ſiccat, & modicum alimentum corpori ſufficit quomodocunque coquatur. Eadem ex vino Aminæo auſtero pota aluum ſiccat. At verò maza (vocant autem ſic polentam ordeaceã liquore aliquo ſubactam, velut ſapa, aut melle, aut alio quopiam, quæ etiam cruda comeditur) quomodocũque præparetur, minus quàm panes ordeacei concoquitur, & ventrem magis flatu implet, &, ſi diutius in ipſo moretur, turbationem efficit. Quum enim ordeum ex natura nõ parum furfuris habeat, torrefactum ordeum idipſum furfuraceum & ſiccius & magis difficulter confringi po- E tens habet, imò & id quod vtile ex ipſo in corporis alimẽtum cedit, ſiccius euadit. Quicquid igitur furfuraceum & durum in ipſo eſt, quemadmodum forinſecus apparet quòd aqua non diſſoluatur, eodem modo neque in ventre diſſoluitur maceratum, ſed permanet inconfectum velut eſt acceptum. Quum igitur neque concoquatur, neque in venas diſtribuatur, per ventrem ſecedit, & præſertim quum extergendi vim ex ordeo habeat: magis autem ſecedit infernè ſæpius ſubacta ac trita. Si verò & mel aſſumpſerit, adhuc citius ſubit. Porrò quod crimnõ Græci vo- F cant, craſſiórque farina tum tritici, tum zeæ exiſtit, magis alit quàm polenta, ſed ægrius concoquitur. Vocatur ex ea ſorbitio puls, & quæ ex zea fit ventrem lenius aliquanto ſiſtit, magíſque ſi torreatur.

Crinon, *id eſt Lilium.*

Lilii flos temperamentum mixtum habet ex ſubſtãtia quadam tenuium partiũ terrea, ex qua etiã in guſtu amaritudinem offert, & quadam aquoſa temperata: vnde & oleum ex ipſo lenis, tum diſcuſſoriæ tum mollientis facultatis exiſtit, & ad vteri duritias aptum. Radix etiam ac G folia per ſe trita, ſiccant & extergunt ac moderatè diſcutiunt: eſt enim radix primi ordinis exterſiuorũ, qua gratia & ambuſtis cõducit. Radicẽ itaq; aſſatam, deinde roſaceo tritã ambuſtis imponũt vſq; ad cicatricis inductionẽ. Nã & aliàs omnia vlcera optimè cicatrice includit. Sed & vterum emollit & menſes promouet. Folia quoque præcocta vſque ad cicatricem inductam imponunt, non ambuſtis ſolùm, ſed etiam vlceribus. Reponimus aliquando & foliorum ſuccum coctum cum aceto & melle ad liquidioris mellis compagem, ita vt ſucci partes quinque ſumantur, H mellis autem & aceti vtriuſque pars vna. Fit commodum pharmacum ad omnia vehementi reſiccatione indigentia citra mordacitatẽ, velut ſunt vulnera magna, & maxi-

mè quæ circa capitis muſculos fiunt.item vlcera inuetera ta fluidáque,ac ægrè recipientia cicatricem.

Crocodilion.

Crocodilii ſemen acre eſt & aromaticum, vrinam ciens,& menſes ducens,vt & calidæ facultatis ſit diſcuſſo riǽque ac ſiccatoriæ.Succus caulis & ſeminis conſimilem vim habet, & nephriticis prodeſt. Radix expuitiones è pectore fortiter adiuuat,éſtque minus acris quàm ſemen: verùm non minus amara. Sanguinem quoque per nares ducit.

Crocus.

Crocus habet quidem aliquid modicè adſtrictoriũ, quod terreum frigidum eſſe oſtenſum eſt: dominatur au tem in ipſo calfactoria vis ac qualitas:vt ex tota ſubſtantia ſua ſecundi ordinis ſit calfacientium,primi ſiccantiũ: & propterea etiã concoctorium quid habet quod modica illa adſtrictione adiuuatur.

Crommyon,*id eſt Cæpa.*

Cæpa quarti ordinis calfacientium: ſubſtantia ipſius magis craſſarum partium exiſtit.Vnde & hæmorrhoidas aperit appoſita,& cum aceto illita in ſole vitiligines exterit,& alopeciis affricta citius quàm alcyonium pilos prouocat:comeſta calfacit corpus acrimonia ſua,& craſſos ac viſcoſos humores attenuat.Inflat autem ventrem propter craſſarum partium ſubſtantiam.

Cyamus,*id eſt Faba.*

Faba frigefaciendo ac calefaciendo ad mediũ temperamentum propinquiſſimè accedit, caro eius modicæ cuiuſdam exterſoriæ facultatis particeps eſt, quemadmodum cortex adſtrictoriæ. Quapropter aliqui medici fabã integram cum corio ſuo in poſca decoctam dyſentericis & cœliacis ac vomentibus exhibent. Eſt autẽ edulii ratione,ſiquod aliud,ægrè concoctile & flatuoſum, etiãſi quãdiutiſſimè coquatur,& quomodocunque præparetur: ad excreationes tamen pectoris ac pulmonis commodum. & viridis quidem faba comeſta magis aluũ ſubit, verùm minus quàm arida ingeſta nutrit. Torrefactæ tamen fabæ flatuoſitatẽ deponunt, ſed ægrius cõcoquuntur & tardius cõmeant,& craſſum ſuccum generant. Pharmaci autem loco faba foriníec⁹ impoſita,citra moleſtiã ſiccat: & ſanè ad podagricos ſæpe ea vſi ſumus cocta ex aqua, deinde adipe ſuillo admixto.Ad neruos verò contuſos & ad vlcera farinam eius impoſuimus, aceto mulſo aut vino mulſo coctam,roſaceo etiam addito,ſi inflammatio adeſſet: polenta verò addita,ad inflammatos iam ex plaga: eſt & teſtium ac mãmarum vtile cataplaſma.Solet enim has partes inflammatas modicè perfrigerare, maximè vbi lacte in ipſis in caſei ſpeciem coagulato vbera fuerint inflammata.Nam lac ab eiuſmodi cataplaſmate extinguitur:quẽ admodum etiam puerorum pubes, farina fabacea cataplaſmatis modo intecta,diutiſſimè impubis permanet.

Cyclaminus.

Cyclaminus variam vim habet: nam & extergit, & diſſecat,& venarum oſcula operit, & attrahit, & diſcutit: Succus enim ipſius hæmorrhoidas aperit, & aluũ irritat violenter,appoſitus.Sic & tubercula & ſtrumas & alias duritias diſcutit,compoſitionibus diſcuſſoriis admixtus.cõuenit & ſuffuſis oculis cum melle ſublitus,& prætereà per nares purgat.Adeo autem forti vi præditus eſt vt etiam imo ventri illitus, aluum ſubducat, & fœtus corrumpat: ſed & in peſſi forma appoſit⁹ ſimiliter fœtũ perimit. Tota radix ſucco imbecillior eſt:eſt tamẽ etiã ipſa vehemẽs. nam & pota & appoſita menſes ciet,& ictericis cõfert, nõ viſcus ſolùm ipſum, *videlicet iecur*, expurgans,ſed bilem in toto corpore per ſudores euacuans. quare ab eius potu adiuuare omnibus modis oportet ſudorum excretionẽ, corpore cõtecto ac vberius calfacto. Copiam eius drach. tres,aut ſummum quatuor excedere nõ oportet, ex paſſo aut aqua mulſa. Exterget & cutem:quapropter maculas ſolares & alopecias ac ſimilia ſanat.prodeſt & indurato lieni tum recens tum ſicca in cataplaſmate impóſita. quidã aridam radicem etiam anhelatoribus exhibent. Eadem arida tuſa & per tenuiſſimum cribrum excreta, vnà cum caryophyllis(ita vt radicis ſit vncia vna, caryophyllorum grana XXI) naribus inſufflata,craſſos & viſcoſos humores à capite purgat. vnde antiquos capitis dolores ſanat, & morbo comitiali magnopere opitulatur.

Cyminum.

Cymini ſemine præcipuè vtimur.Eſt autem facultatis calfactoriæ,vrinam ciet,& flatus diſſipat, tertii ordinis calfacientium exiſtens.

Cypariſſus,*id eſt Cupreſſus.*

Cupreſſi folia & germina pilulǽque recentes ac teneræ magna vulnera in duris corporibus glutinant: ex quo manifeſtum eſt quòd ſiccatoriam vim habent,abſq; manifeſta acrimonia ac caliditate. Plurimam autem habet amaritudinem,& multo ampliorem acerbitatem vniuerſa planta. Tantum verò eſt in ipſa caliditatis quãtum ſatis eſt ad deducendam acerbitatem in altum, citra calfactionis aut mordacitatis inductionem: quapropter humiditates in profundo, in humectis putredinoſiſque affectionibus conſiſtentes,citra moleſtiam ſimúlque ſecurè depaſcitur,altera non amplius attracta: atque ſic herniosis confert in cataplaſmate impoſita. ſiccat enim & robur addit corporibus ex humiditate laxis:mergente ſe nimirum in altum vi adſtringendi,quum deducatur per admixtam ipſi moderatam caliditatem. Vtuntur ipſa quidam & ad carbunculos ac herpetas polenta admixta.

Cyperus,*id eſt Iuncus quadratus.*

Cyperi radices maximè in vſum veniunt calfacientes ac ſiccantes citra mordacitatem:vnde & vlcera ob nimiam humiditatem ægrè recipientia cicatricem mirabiliter ſanant. Habent enim quid adſtrictorium, & propterea oris vlcerationibus commodant: habent & vim quãdam ſiccatoriam, qua & calculoſis proſunt, & vrinas ac menſes cient.

Cypros,*id eſt Liguſtrum.*

Liguſtri arboris folia & virgulta ac flores in vſum veniunt,mixtæ facultatis ac temperamenti exiſtentia. habent enim quid diſcuſſorium ex aquoſa ſubſtantia moderatè calida:habẽt & quid adſtrictorium, ex terrea frigida: vnde decoctum fotu ambuſtis prodeſt. Commodat & ignitis inflammationibus ac carbunculis, citra moleſtiã ac mordacitatem ſiccans.ſed & commanducata vlcerib⁹ oris ſponte productis,& maximè ignitas aphthas referentibus,conducunt.Folia ſiccata in vmbra tuſáque ac cribrata,mox in aqua ad calidum cinerem cocta, modico rhoẽ culinario inſperſo,& aceti momento, bonum cataplaſma præbẽt in podagricis ac chiragricis,in ipſis maximis inflammationibus impoſitum. nam & inflammationes ſedat,& fluxiones repellit, & quod iam in locis continetur diſcutit per meatus occultos, quemadmodũ per ſudorẽ. Lædit tamẽ hoc cataplaſma colorem, & maximè vngues: quapropter prælinere locos oportet liquido roſaceo cerato.Ipſum autem cataplaſma integendum eſt ricini foliis, aut carpaſi ſi adſint.

Cytiſum.

Cytiſi folia diſcuſſoriæ ſunt facultatis admixta tepida aquoſa,quemadmodum folia maluæ.

Conion,*id eſt Cicuta.*

Quòd cicuta extremè frigidam vim habeat omnes norũt:& propterea ex ſumma illa frigefactione etiam enecat ac occidit.

Coni fructus,ſiue Nux pinea,ſiue Cocalus, ſiue Strobilus.

Coni fructus,quem & Cocalum & Strobilum *ac pineam nucem* appellant, integer quidem viridis, amaritudinem quandam & acrimoniam cum humiditate habet: & propterea pectore ſuppuratis cõmodus eſt, itémque aliis quibuſcunque ex pectore ac pulmone facilis ſcreatus ac per tuſſim reiectio,expetitur:at nucleus eius qui in cibũ vſum venit,alimentum præbet ægrè concoctile,validum ac multi ſucci propter oleoſitatem. Verùm medicamenti loco aſperitates læuigat, maximè vbi aqua maceratus omnem ſuam acrimoniam depoſuerit.

Cancani radix.

Cancani radix vim habet moderatè ſiccatoriam citra mordacitatem,ſubſtantiam autem craſſarum partium meatus obducentem:vnde vino macerata velut tragacãtha,& delincta arteriæ aſperitates ſanat. Nihilominus ſi-

quis ipſam manducet,ſuccus præterfluẽs arteriæ prodeſt, ſimiliter vt glycyrrhizes ſuccus.

Caucalis ſiue Daucus ſylueſtris.

Caucalin aliqui daucum ſylueſtrem vocant. eſt autem ſimilis ipſi & guſtu & virib⁹:calfacit enim velut ille & ſiccat,& vrinam ciet,& muria condita reponitur.

Carpeſium.

Carpeſium ſimile eſt ei quod phu appellatur, & guſtu & viribus: verùm magis tenuiũ partium exiſtit. quapropter & magis quàm illud exterget viſcerum obturationes,& vrinas mouet,& renes expurgat calculoſos. Non tamẽ in tãtùm tenuiũ partiũ eſt vt pro cinnamomo in vſum aſſumi poſſit,(ſi cinnamomum haberi nequeat)quẽadmodum Quintus fecit. Præſtat quidem igitur Ponticũ Laertico,non tamen etiam hoc ipſum viribus cinnamomo par eſt.ſed etiam ab optima caſia non modico interuallo relinquitur.Vtraque appellatio à quibuſdam Pamphyliæ montibus eſt,in quibus plurimum prouenit.

A litera A incipientia.

Lathyri,*id eſt Cicerculæ.*

Cicerculæ conſimilem ochris & phaſelis ſubſtantia habent, itémque ſimilem ſuccum,ſed compage craſſiorem, & propterea aliquo modo magis hæ quàm illi alunt.

Lathyris.

Lathyridem tithymali ſpeciem eſſe quidam aiunt: ſemen eius purgatoriam vim habet.

Lapſana.

Lapſana in cibo accepta mali ſucci eſt: in cataplaſmate impoſita exterſorium quid ac diſcuſſorium habet.

Lapathum,*id eſt Rumex.*Oxylapathum,Hippolapathum.

Lapathum moderatè diſcuſſoriam vim habet,& ſanè caliditatis particeps eſt. Renum calculos radix eius cõfringit,& ſcabiem ac corporis aſperitates ſanat ex aceto cocta & affricta.At verò Oxylapathum mixtam vim poſſidet:habet enim repulſoriã vnà cũ diſcuſſoria facultatẽ. Semen ipſorum manifeſtè adſtringit.vnde & dyſenterias & alui profluuia ſanat, præſertim oxylapathi. Cæterùm Hippolapathum in paludibus naſcitur,eadem vi præditũ, verùm imbecilliore. Sylueſtris porrò lapathi radix, quã Mylen appellant,ex aceto cocta ſiue vino, dentes corroborat,eorúmque dolores ſedat,ſi eo decocto callido colluantur.

Limonium ſiue Cynogloſſon.

Limonii ſemen auſterum exiſtens cum vino exhibent cœliacis,& dyſentericis,& hæmoptoicis: cõducit & ad fluxum muliebrem.

Lichen ſiue Muſcus petrarum.

Lichen petrarum exterſoriæ ſimúlque frigefacientis moderatè facultatis eſt, & ſiccantis iuxta vtranque facultatem.Sanat lichenes,*Latinis impetiginem cognomine ſibi apud Græcos morbum.*

Leontopodion ſiue Leontopetalon.

Leontopodii radice maximè vtimur, diſcuſſoria & calfactoria ac ſiccatoria in tertio ordine.

Lepidium.

Lepidium quarti ordinis eſt calfacientium.

Leucoion.

Leucoii vniuerſus frutex exterſoriam & tenuium partium vim habet,maximè tamen flores,præſertim ſicciores:quare & cicatrices oculorum craſſas attenuant, & decoctum ipſorum menſes ac ſecundas promouet, & fœtus immortuos expellit.nam & viuum perimit fœtum in potu acceptum.Quòd ſiquis vehementiam facultatis ipſius multæ aquæ mixtura aut aliquo alio eiuſmodi liquore mitiget,habebit & ad inflãmationes commodum medicamentum.Sic & decoctum ipſius, ſi non meracum fuerit, fomento vteri inflammationes ſanat,& maximè diuturnitate induratas.Idem cum cerato vlcera ægrè cicatricem recipientia curat.Semen iiſdem viribus prædictum commodiſſimum eſt potum duarum drachmarum pondere, aut appoſitum cum melle,ad ciendos menſes,& fœtus vi-

A uos quidem corrumpit,mortuos autem eiicit.Radices cũ aceto in cataplaſmate impoſitæ, lienes induratos ſanant, itémque induratas inflammationes.

Leuce,*id eſt Populus alba.*

Populus alba arbor temperamentum mixtum habet ex ſubſtantia aquoſa tepida,& terrea attenuata: vnde & exterſoriam vim habet. guſtu autem ſubamara exiſtit.

Libanotus,*id eſt Thus.*

Thus calfacit ordine ſecundo,ſiccat primo:habet & B quid adſtrictorium,quod in albo vix percipere eſt. Cortex ipſius vim adſtringendi manifeſtè habet,ob quam etiam præclarè ſiccat, vt ſecundi ordinis ſiccantium compleri exiſtat:eſt & craſſarum partium & minimè acrimoniæ particeps.Ob has igitur qualitates ac vires, vſus eius frequẽs eſt medicis,in hæmoptoicis ac ſtomachicis pro fluuiiſque alui, cœliacis cíſque ac dyſentericis, nõ ſolùm iis quæ extrinſecus imponuntur, ſed & quæ intra corpus ſumuntur,ipſum admiſcentibus.Fit ex eo & fuligo hoc modo:Granum thuris ſingulatim forcipe apprehenſum & à C lucerna accẽſum,in vas fictile cauum nouum imponito: deinde æneum operculum concauum probè deterſum ſuperponito;ſuppoſitis tamen ad vtrunque operculi labrũ lapillis quatuor digitorum altitudinis, vt locus ſit alterũ ſupponendi granum priuſquam penitus extinguatur, donec ſufficiens fuligo fuerit collecta. Cæterùm externa operculi ænei pars aſſiduè per ſpõgiã ex aqua frigida extergeatur:ita enim omnis fuligo adhærebit,operculo nimirũ nõ valde concalfacto.Deraſa itaque priore fuligine:per pennam,idem facias, quouſque collibuerit: ſed & exuſti D thuris cinerem priuatim colliges. melior eſt autẽ fuligo. Vim habet mitigatoriam inflammationum in oculis, ſedat fluxiones,repurgat vlcera,replet concaua, ſiſtit carcinomata.Eodem modo parantur fuligines & ex myrrha & ex ſtyrace.Conueniunt ad eadem omnes:quin & aliarum lacrymarum fuliginem eodem modo colligere licebit.

Libanotides.

Libanotides omnes ſimilem vim habent mollitoriam ac diſcuſſoriam. Succus autem & radicis & herbæ, melle admixto,hebetudinibus oculorum medetur ex humorum craſſitudine obortis.Sunt enim libanotides parti E cipes exterſoriæ ac inciſoriæ facultatis.

Lignys,*id eſt Fuligo.*

Omnis fuligo ſiccat:quapropter ſubſtantiam terreã habet, & reliquias ignis à materia exuſta,ſed has tamen tẽpore modico. Tota autem natura ipſius ſiccatoria eſt terrea & tenuium partium. Partiales eius differentiæ ſunt iuxta materiam exuſtam, prout ea ipſa calidior aut frigidior,aut mordacitatis expers exiſtit.Thuris porrò fuligine vtuntur ocularibus compoſitionibus admixta, maxi- F mè iis quæ vlceribus conferunt:nam & hæc expurgat ipſáque carne explet.Terebinthinæ quoque ac myrrhæ fuligo ſimiliter vt thuris nihil offendit. Verùm ſtyracis his fortior eſt,atq; adhuc magis quæ ex pice liquida ſit, quã ſuperat adhuc cedriæ fuligo. Vtuntur autem & acrioribus,& in palpebris glabris,& angulis oculorum corroſis, oculiſque humectis abſque inflammatione.

Liguſticum.

Liguſtici radix & ſemen ex calfacientium ordine ſunt,in tantum vt & menſes moueant,& vrinas propellant,flatúſque diſcutiant.

Lini ſemen.

G Semen lini comeſtum flatuoſum eſt,etiamſi torrefactum:ita recremẽtoſa humiditate plenum eſt. Eſt autem calidum in primo ordine, humiditatis ac frigiditatis in medio conſiſtens.Stomacho incommodat, & ægrè concoquitur.particeps eſt tamen facultatis ciendi vrinam:& torrefactum ventrem aliquatenus ſiſtit.

Lobi.

De lobis ſcriptum eſt à nobis eſt quum de dolichis ageremus.

H Linozoſtis,*id eſt Mercurialis.*

Mercuriali vtuntur omnes ad ventris purgationes, veruntamen ſiquis eius vſum in cataplaſmatis experiri velit,reperiet eam multùm diſcuſſoriam. Et ſemen huius nondum ſiccatum experiẽtia docet tubercula & eminẽtia

tias in corpore, vulgò Carphia dicta, diſſipare, ſi quis ipſa diligentius ſemine eo confricet.

Lonchitis.

Lonchitidis, triangulare ſemen haſtæ ſimile habentis, radix vrinam ciet. Eius verò quæ ſcolopendrio ſimilis eſt folia viridia vulneribus glutinandis conducunt. Sicca eadem exacerto pota, lienes induratos ſanant.

Lycium ſiue Pyxacanthos.

Lyciũ ſiue pyxacanthos ſpinoſa eſt planta, ex qua quod Lycium appellant fit, quo ad ſugillata vtimur, & ad ſedis ac oris inflãmationes ac vlcerationes, herpetéſque ac putrefactiones, & vlcera maligna, & intertrigenes ac paronychias, *qui ſunt unguiũ abſceſſus*. Habet enim vim ſiccandi ex ſecũdo ordine, aliàs ex diuerſi generis ſubſtantiis cõpoſitum: altera, tenuium partium ac diſcuſſoria & calida: altera, terrea frigida, ex qua & moderatam adſtrictionem habet. Quapropter & ad diuerſos effectus hoc medicamento vtuntur, vt exterſorio quidem, adſumentes ad ea quæ pupillis tenebras offundunt: vt adſtrictorio verò, cœliacis & dyſentericis ac fluxui muliebri exhibentes. Cæterùm Indicum Lycium ad omnia commodius exiſtit.

Lyſimachium.

Lyſimachium prædominantem habet qualitatem adſtrictoriam, per quam & vulnera glutinat, & eruptiones ſanguinis nariũ cõpeſcit inſperſa: ſed & alias ſanguinis eruptiones ſupprimit tum ipſa, tũ ſuccus ipſius adhuc amplius: quare & potus & infuſus dyſenterias ac ſanguinis reiectionem, & fluxum muliebrem ſanat.

Lotus ſiue Trifolium.

Lotus ſatiuus (quem aliqui trifolium vocant) moderatè extergendi vim habet, itémque ſiccandi: verùm in coniugatione caliditatis ac frigiditatis temperatus eſt. at verò ſylueſtris lotus in Aphrica plurimus prouenit. Semẽ eius ſecundi ordinis eſt calfacientiũ. habet & quid exterſoriũ. Semen autẽ Ægyptii etiam ad panificiũ accipitur.

Lotus arbor.

Lotus arbor adſtrictoriæ qualitatis non multæ particeps eſt: eſt autem tenuium partium ac ſiccatoria. Ramẽtum itaque lignorum eius, & ad fluxum muliebrem, & ad dyſenterias ac cœliacas affectiones conducit. coquitur aliquando in aqua, aliquando in vino, prout vſus poſtulat. & non ſolùm infunditur, ſed etiam bibitur. atqui & defluos pilos cohibet, moderatè adſtringendo ac ſiccando.

A *litera* M *incipientia*.

Macer.

Macer cortex eſt qui ex India affertur, adſtringens cũ modica acrimonia: quapropter & ſiccat. eſt & tenuium partium propter odorem: & propterea cœliacis ac dyſentericis compoſitionibus admiſcetur, in tertio ordine ſiccantium locatus: iuxta caloris & frigiditatis differẽtiam nihil inſigniter præſtans.

Malabathri folium.

Folium malabathri ſpicæ nardi conſimilẽ vim habet.

Malache, *id eſt malua*.

Malua ſylueſtris leniter diſcuſſoriæ & paululum mollitoriæ facultatis particeps eſt. Satiua, pro eo quòd aquoſa humiditate participat, etiam viribus debilior exiſtit. Subit autem ventrem non ſolùm ob humiditatem, ſed & ob viſcoſitatem, maximè vbi cum oleo & garo accipiatur, vino modico cibi tempore irrorato. Semen ipſorum tanto fortius eſt quantò ſiccius. quin & dendromalache appellata huius generis eſt, ſed magiſquàm prædictæ diſcuſſoria. nominatur autem & Althæa.

Mandragoras.

Mandragoras prædominantem frigidam vim habet, vt tertii ſit perfrigerantium ordinis: particeps eſt tamen & modicæ caliditatis ac humiditatis in malis ſuis: vnde & ſoporatoriam vim hæc poſſident. Radicis cortex fortiſſimus exiſtens, non ſolùm frigefacit, ſed etiam ſiccat. Reliquum interdum debile exiſtit.

Marathrum, *id eſt fœniculum*.

Fœniculum fortiter calfacit, vt ex tertio ordine cenſeri poſſit. ſiccat ordine primo: & propterea etiam lac generat, & ſuffuſis oculis iuxta eandem rationem opitulatur. ciet & vrinas, & menſes ducit.

Maſtiche.

Maſtiche alba & Chia, ex contrariis quodammodo facultatibus compoſita eſt, adſtringente & molliente: quapropter & ſtomachi, & ventris, & inteſtinorum ac hepatis inflammationibus conuenit, ſecundo ordine calfaciens ac ſiccans. Nigra maſtiche quæ Ægyptia appellatur, magis exſiccat quàm illa, & minus adſtringit: vnde & commodior eſt quodammodo ad ea quæ fortiore diſcuſſione opus habent.

Melanthium, *id eſt Nigella*.

Melanthium calfacit ac ſiccat tertio ordine. apparet & in eo partium tenuitas. ſic itaque & deſtillationes ſanat, calidum linteolo illigatum naribus admotum, vt aſſiduè odor eius nares percellat. Sic & potum flatus vel maximè diſcutit. Occidit & lumbricos non modò comeſtum, ſed etiam foris ventri impoſitum, ob amaritudinem. Lepras & clauos ac verrucas myrmecias, *hoc eſt formicarias*, dictas abolet, & mẽſes promouet ob craſſitudinem & viſcoſitatem humorum ſuppreſſos. prodeſt & alopeciis vſtum, & cum oleo tritum ac illitum: ſic etiam recta ceruice ſpirantibus: & in ſumma vbi diſſecare & extergere ac ſiccare calefaceréque opus eſt, commodiſſimum medicamentũ exiſtit.

Melilotum.

Melilotum mixtas vires habet: nam & adſtringit, ſed & diſcutit & concoquit. amplius enim de calida ſubſtantia quàm de frigida in ſe complectitur.

Mel.

Mel calfacit ac ſiccat ſecundo ordine. eſt autem ſimplicis quammaximè tum facultatis, tum temperamenti; exterſoriæ videlicet appellatæ. eſtque maximè tenuium partium, præſertim quod prouenit vbi thymus plurimus naſcitur. Quum autem tenuium partium ſit, neceſſariò etiam quid acre poſſidet, per quod vẽtrem ad excretionẽ impellit. Diximus autem quod exterget: hæc itaque exterſoria vis ſi ipſi adimatur, magis ad vrinam ciẽdam commodum redditur, itémque ad alimenti diſtributionẽ ac nutritionẽ accõmodatius. Adimi autẽ optimè poteſt aqua plurima admixta, & cocto melle, donec ſpumare deſierit, ita vt ſpuma aſſiduè auferatur: aqua verò mulſa nõ cocta ventrẽ ſubit antequã cõcoquatur. itaque ſenibus & frigidis corporis temperaturis mel cõmodum eſt: verùm in ætate vigente conſtitutis ac calidis, in bilẽ tranſit ante concoctionem. Mel porrò coctum per ſe, minus acre ac mordax euadit: vnde & magis nutrit, & ad ſinus glutinandos commodiſſimum exiſtit.

Meliſſophyllum.

Meliſſophyllum marrubio viribus ſimile eſt, ſed multo tamen ipſo inferius: & ob id neque vſus eius valde expetitur. quum enim vbique marrubium abundet, ſuperuacaneum eſt meliſſophyllo vti. Si tamen non adſit marrubium, pro ipſo ſuccedere poteſt in eoſdem vſus, vt tamen efficaciæ eius mancæ memores ſimus.

Mecon. *i. Papauer*, Mecõ thylacites, Mecõ rhœas.

Papauer omne perfrigerantem vim habet: ſed hortenſis thylacitidis *Græcis* appellatæ, ſemen moderatè ſomniferum eſt: verùm rhœadis ſemen fortius frigefacit: quare citra læſionem eo quis non vtitur: ſylueſtris autem ſemen nigrum exiſtens, medicatum iam eſt multùm frigefaciens, maximè Thebani: ſed & ſuccus fortiter perfrigerat vſque ad ſtuporem & mortificationem. eſt enim quarti & extremi ordinis perfrigerantium.

Mecon ceratites, *id eſt Papauer cornutum*, ſiue Mecon paralios.

Papauer cornutũ *Græcis* etiam paralion vocatur, quoniam ferè circa mare naſcitur. Vim habet ſectoriã & exterſoriam: quare radix eius cocta in aqua ad dimidias, hepaticis affectionibus prodeſt. folia & flores ſordida valde & maligna vlcera iuuant: ſed ab ipſorum vſu recedendũ eſt, vbi vlcera fuerint depurata: nam vſqueadeo extergere ſolent vt & de pura carne aliquid eliquent ac conſumant, & ob id etiam cruſtas vlcerum tollunt.

Meſpilum.

Meſpili arboris fructus acerbus eſt, & ventrem pluri-

inum ſupprimit.

Melea Perſice, *id eſt Malus Perſica.*

Malus Perſica, & foliis & ramis amaram qualitatē prædominantē habet: quare & lumbricos occidit trita vmbilico impoſita, & aliàs diſcuſſoriū medicamentum exiſtit. Fructus eius Perſicum appellatum, humidioris & frigidioris eſt temperamēti. Caro eius comeſta facilè corrumpitur & omnino vitioſa eſt: quare nòn oportet ipſa (velut aliqui faciunt) à reliquo cibo ingerere. corrumpũtur enim & ventri innatant. Porrò vniuerſalis huius regulæ perpetuò memorem eſſe oportet. quòd quæcũque mali ſucci ſunt, humida autem & lubrica, & quæ facilè aluo ſecedere poſſunt, ea priuſquam alia comedere oportet. ſic enim & ipſa citò ſubeunt, illiſque viam præſtruunt: quæ verò poſtrema ſumuntur, etiam alia ſimul corrumpunt.

Melea Armeniace, *id eſt Malus Armeniaca.*

Armeniacæ mali fructum præcocia appellant. eſt autē humidus ac frigidus hic fructus ſecundo ordine, vbi ſanè fuerit maturus. à Perſico in hoc differt, ipſóque præſtat, quòd non ſimiliter in ventre corrumpitur, neque aceſcit: multis verò & iucundior apparet, & propterea ſtomacho accommodatior.

Malus medica ſiue citrea.

Mali medicæ fructus ab omnibus citrium appellatur. Id in ſemine acidam qualitatem & vim ſiccatoriam prædominantem habet, vt tertii ordinis ſit ſiccantiũ ac perfrigerantium. at verò in cortice habet quidem ſiccatoriã vim in ſecundo ordine, non tamen frigidam qualitatē, propter aromaticitatem. Caro ipſius craſſi ſucci eſt & frigida, ob duritiem: ſemen autem penitus edi non poteſt, neque quod acidũ eſſe diximus, neque eius nucleus, qui reuera ſemen exiſtit, amaram qualitatem & diſcuſſoriã ac ſiccatoriam vim in ſecundo ordine habens. ſed & folia ſiccandi ac diſcutiendi facultatem habent.

Mala omnia.

Cæterùm in aliis malis magna eſt differentia: quæcunque enim adſtringunt, frigidum ac terreum ſuccum habent: quæ verò acida apparent, frigidum quidem, ſed tenuium partium habent: mediæ autem temperaturæ ſunt dulcia ad caliditatem repentia. Auſterorum igitur malorum vſus eſt, quum aut ob intemperiem calidam aut humiditatem multam venter debilis eſt: acerborum verò, vbi eadem multũ fuerint aucta. nam adſtringentia quantum in ipſis eſt, ſupprimunt infernas excretiones. acida autem cient. Quum igitur ſuſpicio fuerit craſſum humorem in ventre collectum eſſe, non valde frigidum, hæc exhibebis. nam & hunc diſſecant & infernè ſubducunt, & propterea excrementa humectant: vbi verò purum reperierint ventriculum, ipſum amplius ſupprimunt.

Meon.

Mei radices in vſu ſunt in tertio ordine calfacientes: ſiccant in ſecundo, humiditatem retrimenticiam in ſeſe complexæ. vrinas itaque cient, & menſes prouocant potu: amplius acceptæ capitis dolorem inducunt, & propter humiditatem, flatus.

Morus, Mora, Sycamina, Sycomora.

Mori arboris fructus, ſycamina & ſycomora frequenter à pleriſque *Græcis* vocantur. ſiquidem igitur matura & ante reliquum cibum in ventriculum purum ingerantur, celerrimè per inteſtina ſecedunt, & aliis cibis viam præſtruunt: verùm poſt cibum accepta, aut vitiatum humorem in ventre reperientia, celerrimè corrumpuntur, & peregrinam quandam, quæ dici commodè non poſſit, corruptionem inducunt, ſimiliter vt cucurbitæ & pepones, vbi non fuerint concocti. Tempus vſus moris eſt itidem vt peponibus & cucumeribus, vbi ſiccum & calidũ fuerit ventriculi corpus, & ex neceſſitate etiam hepatis. Tunc enim ſolummodo omnibus eiuſmodi vtiliter quis vtetur, & vbi quis longo itinere aut multo ardore fuerit defatigatus. tunc enim proſunt ſqualorem corporis rigantia, & moderatè perfrigerantia. Mora immatura ſole ſiccata diligēter, ac repoſita, commodum adſtrictorium medicamentum exhibent, vt etiam dyſenterias ſanent, & affectiones cœliacas & alias fluidas. Tunduntur autem, & obſoniis miſcentur, quemadmodum rhois fructus.

A Bibuntur etiam cum aqua & vino. Cæterùm cortex radicis arboris purgatoriam vim habet cum quadam amaritudine: quare & latum lumbricum occidit feruefactus cum vino, eóque calido meraco poto cyathi menſura, & diu ſuppreſſos menſes prouocat.

Mycetes, *id eſt fungi.*

Fungi frigidum ac humidum abundè edulium ſunt: vnde & propè ad venenatricem vim accedunt: & ſanè quidam ex ipſis occidunt.

B Myos otis, *id eſt Auricula muris.*

Muris auricula ſiccat ordine ſecundo, nullam manifeſtam qualitatem habens: ſuccus eius cyathi menſura cum zytho potus, lumbricum latum efficaciter expellit.

Myrica, *id eſt Tamarix.*

Myrica inciſoriam & exterſoriam vim abundè poſſidet, citra manifeſtam ſiccationem. habet & quid adſtrictorium, & ob has facultates lienibus induratis cõducit, radicibus aut ramulis aut foliis cum aceto & vino coctis. fructus & cortex non modicæ adſtrictionis participes

C ſunt, ſimúlque extergent, & tenuium partium exiſtunt. vſtæ myricæ cinis ſiccandi vim acquirit.

Myrſine, Myrtus.

Ex contrariis hæc planta compoſita eſt ſubſtantiis: prædominatur tamen in ipſa terreũ frigidum. habet & quid tenuium partium calidum: vnde fortiter ſiccat, & omnes partes ipſius reſtringendi vim habent, tũ forinſecus corpori impoſitæ, tum intrà aſſumptæ.

Moly, ſiue Ruta ſylueſtris, Harmala, Beſaſa.

Moly aliqui rutam ſylueſtrem vocant, aliqui Harma-

D la, Syri Beſaſa. Vis eius tenuium partium, & calida eſt tertio ordine: vnde & ſecat & diſcutit craſſos & viſcoſos humores, & vrinam promouet. Qui ruri habitant vtuntur eo ꝑturno capitis dolore, aqua coquentes, & caput inde in di tes. ſimiliter & ad reliquas corporis partes perfrigerigan ratas.

A litera N *incipientia.*

Nardoſtache, *id eſt Nardi ſpica.*

Nardi ſpica primo ordine calfacit, ſiccat ſecundo completo. compoſita eſt ex ſubſtantia multùm adſtringente, & acri calida non multa, & quadam modica ſubamara:

E quare & ad iecur & ad ſtomachum meritò conducit, pota & forinſecus impoſita. vrinas ciet quoque, & ſtomachi morſus ſanat, & fluxiones ventris ac inteſtinorum reſiccat, item capitis & pectoris. fortior eſt Indica, nigrior quàm Syriaca exiſtens.

Nardus Celtica.

Celtica nardus conſimilem in genere vim cum prædictis habet, ſed ad omnia debilior eſt, præterquã ad vrinas ciẽdas. eſt enim calidior illis, ſed minus adſtringit.

F Narthex, *id eſt Ferula.*

Ferulæ ſemē attenuat & calfacit. Interna eius pars, medulla appellata, adſtringentis cuiuſdam qualitatis particeps eſt, ob quam hæmoptoicis & cœliacis prodeſt.

Napy, *id eſt Sinapi.*

Sinapi calfacit ac ſiccat quarto ordine. Optimum eſt Ægyptium aut Syriacum, & quod mole minus eſt & minus cruentè coloratum.

Narciſſus.

Narciſsi radix ſiccatoriam in tantũ vim habet vt vulnera magna glutinet, etiamſi tendines ſint conciſi. habet & quid exterſorium ac attractorium.

G Nerium ſiue Rhododaphne.

Nerium aut Rhododaphne frutex eſt omnibus notus, qui ſi forinſecus corpori in cataplaſmate imponatur, diſcuſſoriam vim habet: ſi verò intra corpus ſumatur, pernicioſus & venenatus non ſolùm hominibus, ſed & plurimis pecoribus exiſtit.

Nymphea.

Nymphea radix & ſemē vim habēt ſiccatoriã leuē: itaque & vētris fluxiones, & ſeminis per ſomnũ effluxũ, aut ſi etiã aliàs immodicè feratur, ſiſtũt. Proſũt & dyſētericis.

H Cæterũ Nymphea quæ albã radicē habet, vehemētioris facultatis eſt, vt & muliebrē fluxũ ſanet. Bibitur & ipſa & quæ nigrã radicē habet, in vino nigro auſtero. Poſſident & quid exterſoriæ facultatis: vnde & vitiligines ſanant aqua rigatæ, & alopecias cum liquida pice. Præſtat ad

hæc quæ nigram radicem habet, ad reliqua,quæ albam.

A litera Ξ incipientia.

Xanthium *id eſt Lappa*, ſiue Phaſganion,aut Philanthropos,Chœradoletron.

Xanthium, quidam Phaſganion, quidam Philanthropõ,alii Chœradoletron appellant.Semen eius diſcuſſoriam vim habet. Decoctum corticis radicis potum lienes conſumit,& dentes motos firmat eiuſdem decoctum ex vino collutum.

Xiphion, *id eſt gladiolus.*

Gladioli radix,præſertim ſuperior , vim attractoriam,diſcuſſoriam,atque adeo ſiccatoriam habet.

A litera O *incipientia.*

Œnos, *id eſt uinum*

Vinum ex ſecundo ordine eſt calefacientium. Antiquum valde,ex tertio : quemadmodum nouum muſtũ, ex primo. Eadem proportio eſt ſiccitatis ad caliditatem. Quandoquidem verò plurimas in vino differentias repérimus,diſtinguendum eſt de ipſis, quambreuiſſimis id fieri poteſt.Rufa itaque & craſſa ex omnibus ad ſanguinẽ generandum commodiſſima ſunt, vt quæ parua egeant in ſanguinem traſmutatione. Deinceps nigra ſimúlque dulcia ac craſſa: deinde colore quidem rufa aut nigra,cõpage verò craſſa,& habentia ſimul adſtringentem qualitatem. His minus valent alba, ſimúlque craſſa ac acerba, ad nutritionem.Minimè verò omnium alunt colore alba, compage tenuia,& quodammodo aquæ ſimilia . Concoquuntur autem in ventriculo & magis diſtribuuntur dulcia quàm auſtera, vt pote calidiore vi prædita: ſed & ventrem magis ſubducunt. Cæterùm valde craſſa, & tardius concoquuntur & tardius in corpus diſtribuuntur: vbi autem ventriculum robuſtum nacta fuerint, vt probè concoquantur,amplius nutrimentum corpori præbent . Manifeſtum eſt autem quòd & aluum ſiſtunt, & vrinæ ciendæ incommoda exiſtunt,in quibuſdam craſſum ſuccum generantia. Quædam ex ipſis etiam iecur & lienem ac renes obturant,atque inde aliqui in aquam intercutem incidunt,aliqui è calculo laborant ex nimio ipſorum vſu,& præſertim ſenes.Optimum vinum eſt & ſanis, & ex morbo ſe recolligentibus commodiſſimum,quod colore rufum,compage tenue,& leniter ſubaſtringens exiſtit.

Oxos, *id eſt acetum.*

Acetum mixtas ſubſtantias frigidam & calidam,vtramque tenuium partium habet. Prædominatur tamen in ipſo frigida ſubſtantia , quemadmodum in principio huius libri prædiximus. Eſt autem medicamentum abundè ſiccatorium,vt tertii ordinis ſit completi,vbi ſanè forte extiterit.

Opos,laſer ſiue ſuccus Cyrenaicus.

Laſer ſiue ſuccus Cyrenaicus,omnibus aliis calidior & magis tenuium partium exiſtit, & ob id etiam magis diſcuſſorius. Veruntamen & alii calidi ſunt ac flatuoſi, hoc eſt Medicus & Syriacus quem laſer appellant.

Origanum,Tragoriganum.

Origani herbæ tres ſunt ſpecies,omnes inciſoriæ & attenuatoriæ,ſiccantiſque ac calfacientis facultatis in tertio ordine. Tragoriganus autem aliquid adſtrictorium aſſumpſit.

Oxyſchœnos, *id eſt iuncus acutus.*

De iũco acuto dicetur in ſchœni,*hoc eſt iũci*,mẽtione.

Orobus,*id eſt eruum.*

Eruum ſiccat ſecundo ordine intenſo , calfacit primo . Quantum autem amaritudinis particeps eſt,tantum ſiccat & exterget& obſtructione liberat.Amplius ſumptũ ſanguinem per vrinam expellit.

Orobanche.

Orobanche frigidi ac ſicci temperamenti in primo ordine eſt.

Oryza.

Oryza habet quid aſtrictorium,quapropter ventrem ſupprimit. Et eſt edulium ægrè concoctile.

Orchis cynos,*id eſt teſticulus canis.*

Orchis herba quæ cynos orchis,*hoc eſt canis teſticulus*, dicitur, duplicẽ radicẽ bulboſam habet,humidã & calidã:quapropter etiã ſapore dulcis eſt,& maior quidem radix ob multã humiditatem, ad venerẽ ſtimulat pota:mi-

A nor verò ad ſiccitatẽ tepẽs impetus venereos compeſcit.

Orchis altera ſiue Serapias.

Orchis altera,quam ſerapiada vocant,ſicciorem priore vim habet:quare ad venerem non ſimiliter cõmoda eſt: laxos autẽ tumores in cataplaſmate diſcutit, & vlcera ſordida purgat,& herpetas ſanat. ſicca verò,& putrefactis & malignis vlceribus medetur.nam & ſubaſtringẽs quid habet,per quod aluum ſupprimit cum vino pota.

Oſyris.

Oſyridis herbæ ex qua ſcopæ fiunt,amara eſt qualitas:

B verùm vis obturatione liberans: vnde & malignas circa iecur obſtructiones reſoluit.

A litera Π *incipientia.*

Pancration.

Pancratii radix & ſapore & viribus Scillæ ſimilis eſt: quare aliqui etiã vtuntur ipſa,ſcilla non præſente: verùm multo debilior exiſtit.

Paliurus.

Paliuri folia & radix adſtringentem non obſcurè vim poſſident:quapropter & fluidum ventrem ſiſtunt:diſcuſſoriam autem in tantum habent, vt & tubercula curent-

C quæ ſanè non valde inflammata ac calida exiſtunt : fructus inciſoriæ facultatis eo vſque eſt particeps,vt veſicæ calculos & confringat & expurget , & reiectionibus ex pectore ac pulmone auxilietur.

Panax Herculeus.Opopanax.

Panaces Herculeum eſt,ex quo Opoponax appellatus, fit.qui ſuccus calidus eſt & diſcuſſorius in tertio ordine ſiccus in ſecundo.Cortex radicis ſiccat & calfacit,ſed minus quàm ſuccus,exterget tamen:& propterea ad oſſa denudata & vlcera maligna conducit: exterget enim & ſic-

D cat,& carne replet citra mordacitatem. Semen calidum exiſtens menſes ducit.

Pentaphyllon,*i. quinquefolium*, ſiue Mercurii herba.

Quinquefolium,quæ Mercurii herba dicitur, radicem habet ſiccantem in tertio ordine, minimè verò acrem: quapropter multi vſus eſt & tenuibus partibus præditũ.

Peplion.

Peplii ſemen in vſu eſt:ducit bilem vnà cum pituita. flatus quoque diſcutit,velut Hippocrates ſcribit.

Pepon.

E Pepon maturus ſubſtantiæ tenuioris eſt , immaturus craſſioris:abſterſoria autem & inciſoria facultate participat.vnde & vrinã cient,& corpus illuſtrius reddunt,præſertim ſiquis ſemen ſiccet, deinde tuſo & cribrato pro ſmegmate vtatur,ad maculas ſolares, & faciei lentigines ac vitiligines in ſuperficie hærentes. dominatur in ipſis humida & frigida temperatura, ſuntque ſecundi ordinis in vtraque.ſemen & radix ſicca ſecundi ordinis initio cõſiſtunt. vis exterſoria amplior eſt in radice quàm carne. Caro comeſta vnà cum exterſione & vrinas ciet,& infer-

F nè ſecedit magis quàm cucurbitæ. at verò ſemen magis exterget,vt etiam calculoſis renibus conducat. Cæterùm vitioſum ſuccum in corpore gignit pepo,magiſque ſi nõ probè concoquatur.tunc enim cholericos quibus & ſupremè & infernè bilis prorumpit , efficere ſolet. nam & priuſquã corrumpatur ad vomitum aptus eſt , ſi amplius edatur: & ſiquis nõ ab eius eſu boni ſucci edulium ingerat,omnino vomet.

Piper.

Piper recens pullulans,longum eſt : quapropter & humidius exiſtit.quod verò velut fructus immaturus eſt,al-

G bum piper eſt acrius nigro exiſtens. nigrum enim velut ſuperaſſatum iam & ſuperreſiccatum eſt. vtrumque autẽ fortiter calfacit ac ſiccat.

Periſtereon.*i. Verbenaca*,Veneris herba,Sacra herba.

Verbenaca,quam periſtereona,& Veneris herbam, ac ſacram herbam appellant,capitis dolorem egregiè tollit, inquit Archigenes,coronæ modo impoſita, trita quoque cum aceto & roſaceo illita,& cocta cum oleo , indéq; rigato capite,omnem veterem capitis dolorem ſanat,& de-

H fluos capillos cohibet.Decoctum radicis calidum ore retentum,dentium dolorẽ ſedat,& motos dentes firmat, & oris vlcera ſanat.Cæterùm ad colicos radicẽ craſſius tuſã ex aqua ad dimidias coquito, &ad dies quinque potui dato.conſtat hoc experimẽto. At verò calculoſis & incipiẽtĩ elephantiaſi,decoctũ ſimiliter dato ex aqua mulſa .vtere

ſimiliter & ad comitialem morbū,& ad febres quotidianas ac quartanas: verùm ad podagricos & iſchiadicos in vino decoctā exhibebis.Radice exſuccata fiſtulæ optimè colluūtur:maximè mori ſucco & melle admixto.Eadem radix vſta,itémq; ſicca inſperſa,fiſtulas ſanat:quin & melle cocto excepta, fiſtulæ collyrii modo inditur, & præter opinionem opitulatur.

Perſea.

Perſeæ folia adſtringentis facultatis moderatè participia ſunt,vt & partibus è quibus ſanguis erumpit, commodè imponi poſsint. eadem arida trita pruritus ſedant affricta.

Perdicias.

Perdicias relata eſt in quinto elemento,vbi helxinen ipſam appellauimus.

Pæonia.

Pæonia relata eſt in tertio elemento, vbi glycyſidem ipſam appellauimus.

Petroſelinum.

Petroſelini ſemen maximè in vſu eſt. Herba ipſa imbecillior exiſtit: ſemen calidum eſt & ſiccum tertio ordine, & incidendi vi præditum. itaque menſes ciet & vrinas vbertim,inſupérque flatus diſcutit.

Peucedanum.

Peucedani radice maximè vtuntur,liquoréque ac ſucco eius.Omnia eandem vim habent: fortior eſt autē ſuccus multū calefaciens ac diſcutiens:vnde & neruorū affectionib⁹ cōuenit,& morbis pulmonis ac pectoris ex craſſitudine aut viſcoſitate humorum obortis,tum intra corpus ſumptus,tum odoratu.quo modo & lienes induratos ſanat.Radicis vſus ad eadem cōpetit.ſed & oſſium ſquamas celerrimè diſparat.& ſicca malignis vlceribus inſperſa optimè medetur: purgat enim & incarnat,& vſque ad cicatricem perducit,calefaciēs quidem ordine ſecundo, ſiccans autem tertii initio.

Peganum,*id eſt* Ruta.

Ruta ſylueſtris quarti ordinis eſt calfacientium ac ſiccantium, ſatiua tertii:éſtque non ſolùm acris,ſed & amara:vnde & vim ſecandi ac diſcutiendi craſſos & viſcoſos humores habet,& per vrinas euacuat:& ſanè tenuiū quoque partium eſt, & flatus diſcutit, & ob id inflationibus conducit,& venereos impetus ſupprimit,ac præclarè ſiccat:nam inter medicamēta fortiter ſiccantia cenſetur.Rufus hæc verba prodit:Sylueſtris rutæ vis ignea eſt & vlceratoria,maximè veſicæ:quapropter etiā qui podagricum pharmacum bibunt ex ruta ſylueſtri conſtans, malè affectam veſicam acquirunt: quicunque tamen hoc medicamentum ſuſtinuerint,manifeſtam opem ferunt. nam ad arthriticos præcipuè cōmodum eſt.Quòd ſi de ſatiua ruta quid admiſcueris,ſecurius erit: quanquā & ipſa ſatiua veſicæ incōmodet,ſed minus quàm ſylueſtris. Vtimur ſylueſtri in quibus perfrigeratum quid refouere voluimus. prodeſt & hydropi flatuoſo, & ei qui ſubtercus appellatur.prodeſt & morſis à vipera aut mure araneo, & magis ſi prægnans mus araneus momorderit, & præſertim animalia ſubiugalia.Eſt & forte medicamentum ad papaueris ſuccum potum,& ad aconitum cum vino. Satiua ruta rigores per circuitum repetentes mitigat pota ante acceſſiones.mitigat & colicos dolores potū & infuſum,itémque vteri ſtrāgulatus. Viſum acuit in cibo ſumpta:& propterea pictores aſſiduè eam deguſtantes,acutius cernunt: quin & melle mixtus ſuccus ipſius,medicamentū euadit viſum exacuens.Auxiliatur & vrinæ difficultati cocta ex oleo,indéque veſica fota, neque eſt aliud medicamentū quod huic hac parte prætuleris. Cæterùm in lumborum dolore & ſpirandi difficultate,data ex aqua mulſa confeſtim opitulatur.In lethargicis pota & infuſa per clyſterē, valde cōmodat.ſed & tritā cum roſaceo & aceto capiti ipſorum illinire oportet.Soluit & coxendicū dolores pota,& in cataplaſmate impoſita,& infuſa per ſedem. In cataplaſmate impoſita podagricis genua inflata habentib⁹ citò auxiliatur,& dolores mox lenit.Cruſtas etiam carbūculorū citò diſparat,in cataplaſmate impoſita cum melle aut vuis paſſis.

Pix.

Pix arida ſiccat & calefacit ſecundo ordine:plus autem ſiccat quàm calfacit. liquida contrà plus calfacit quàm A ſiccat.habet & quid tenuium partiū; quo & anheloſis & ſuppuratis pectore opitulatur:ſatis eſt delinxiſſe cyathi vnius menſurā melle admixto. habet vtraque & exterſorium quiddam,& concoctorium,ac diſcuſſorium.quare & ſcabros vngues extrahunt addita cera, & impetigines exterunt.Cōcoquunt & duros ac crudos tumores omnes cataplaſmatis admixtæ. Ad omnia hæc præſtat liquida. ſicca ad hæc deterior eſt:ſed ad vulnera glutinanda accōmodatior.Fuligo ex liquida pice ſic paratur:In lucernam B nouam funiculo inſtructam ellychnio liquidam picem mittes,incenſámque ac fictili vaſe opertam,velut in thure dictum eſt,ſines:& priore conſumpto liquore, alium infundes,donec fuliginem ſufficientem collegeris. Vſus eſt ad palpebras ornādas,& vbi pilos producere oportet, & ad oculos imbecillos ac lacrymoſos & vlceroſos.

Piſtacia.

Piſtacii fructus ſubſtantiā tenuium partium habet, quæ & ſubamarum quiddam & aromaticū in ſe complectitur: quapropter obturata expedit & expurgat, præſer- C tim circa iecur:imò & pectus & pulmonem.

Pityides,*id eſt Nux pinea ſiue Nux picea.*

Pityides appellantur fructus pinorum: quidam etiam picearum ſic appellant.Sunt autē mixtæ facultatis, nimirum & adſtringentes,& acrimoniā quandam cum amaritudine poſſidentes: vnde & reiectionibus ex pectore ac pulmone conferunt.

Pini cortex.

Pini cortex prædominantē vim adſtrictoriā habet,in tantum vt intertrigines inſperſus optimè ſanet, & ambu- D ſta ad cicatricem perducat,& aluum fluidam ſupprimat, ſi potetur.Sed & piceæ cortex huic ſimilis eſt: verùm viribus debilior. Vtriuſque arboris folia vim glutinandi vulnera habent.Fuligo porrò ex his ad palpebrarum defluuia,& humectos ac eroſos oculorum angulos,itémq; lacrymoſos vtilis eſt.

Platanus.

Platanus humidiore ac frigidiore ſubſtantia non multùm à moderatis abſcedit:vnde & folia viridia trita in cataplaſmate impoſita, inflāmationibus quæ adhuc generantur non obſcurè opitulantur.Cortex eius & pilulæ ſic- E ciorē vim habent: quare cortex quidem aceto coctus ad dentiū dolores adhibetur:pilulæ verò cum adipe, ad vlcera ambuſtorum. quidam corticē exurunt, & medicamentum exterſorium efficiunt,quod cum aqua quidē ſanat lepras:ipſo autem cinere per ſe inſperſo,vlcera vetera & ob nimiam humiditatem ſordida curantur.

Polygonum.

Polygonum habet quidem & adſtrictoriū quiddā:dominatur autem in ipſo aquoſa frigiditas,vt ſecundi ordi- F nis ſit completi, aut tertii incipientis inter frigefaciētia: vnde & ſtomacho exuſto prodeſt foris in cataplaſmate impoſitū,quēadmodum & calidis inflāmationibus. fluxiones enim repellit:quare & herpetis cōmodū pharmacum eſt,& vlcerū omniū,maximè inflāmatorum & fluidorum.item quæ in auribus ſunt:nam pus reſiccat. Siſtit & fluxum muliebrē,& dyſenterias,ac ſanguinis reiectionem:ad omnia verò maſculum validius eſt & præſtātius.

Polemoniō ſiue Philetærion,vel Chiliodynamò.

Polemonion alii philetærion, alii chiliodynamon vocant. tenuium partium & ſiccatoriam vim habet: quare quidam radicē ipſius cum vino iſchiadicis & dyſenteri- G cis,& ad induratum lienem bibendam præbent.

Polium.

Polium,amarū eſt & mediocriter acre: itaque omnia viſcera obturatione liberat,& menſes ac vrinas ciet:& viride quidem glutinat vulnera,ſiccum autem maligna vlcera ſanat:præſertim minus polium, quo & ad antidotos vtimur:nam & amarius eſt,& acrius quàm maius, vt tertii ordinis ſit ſiccantium,ſecundi completi calfacientiū.

Potamogeton.

H Potamogeton adſtringit & frigefacit ſimiliter vt polypodium:verùm craſſiorum partium ſubſtantiam quàm polygonum habet.

Polypodion.

Polypodion dulcē ſimúlque auſterā qualitatē prædo-

minantem habet,vt vim habeat multùm ſiccantem citra mordacitatem.

Praſion,*id eſt Marrubium.*

Marrubium calfacit ſecundo ordine completo, ſiccat tertio cõpleto.iecur & lienẽ obturatione liberat,pectuſq́; ac pulmonem expurgat,& menſes prouocat, & ictericos per nares purgat.facit & ad aurium dolores iam inueteratos.In cataplaſmate impoſitum exterget & diſcutit.

Praſum, *id eſt Porrum.*

Porri acrem vim poſſident velut cæpæ, & iuxta proportionem calfaciunt corpus, & craſſos in ipſo humores attenuant,& viſcoſos ſecant. cient & vrinam & ſanguinẽ expurgant.Optimus vſus eſt ipſorum bis coctorum: nam ſic comeſta acrimoniam exuunt, & ſucci vitium nõ amplius habent.Abſtinendum eſt autem à frequenti vſu omnium acrium,& præſertim ſi is qui accipiat natura biliosior exiſtat : ſolis enim iis qui pituitoſum humorem, aut crudum,aut craſſum,aut viſcoſum coaceruarũt, hæc edulia commoda exiſtunt.

Propolis.

Propolis exterſoriam vim non validam habet : attractoriam autem ſatis valentem.eſt enim ſubſtãtiæ tenuiũ partium, & calfacit ſecundo ordine completo, aut tertii initio.

Ptelea,*id eſt Vlmus.*

Vlmi foliis aliquando vulnus recens glutinauimus: adſtringunt enim & extergent. Cortex eius amarior eſt, & magis adſtringit:quare & lepram ſanat cum aceto. Radices eandem vim habent:vnde quidam decocto earum fracturas fouent ad callum recipiendum.

Pteris,*id eſt Filix.*

Filicis radix in vſum venit : occidit enim lumbricos latos quatuor drachmarum pondere in aqua mulſa pota. fœtus quoq; viuos quidem enecat, mortuos verò expellit:ſed & vlcerib⁹ inſperſa,ea citra mordacitatem ſiccat.

Pyrethrum.

Pyrethri radix maximè in vſu eſt, vſtoriã vim habẽs, per quam dentium perfrigeratorum dolores lenit.affricatur & cum oleo in rigoribus per circuitũ repetentib⁹, ante acceſſionem.Stupefactis etiam ac reſolutis cõducit.

Pyri,*id eſt Triticum.*Amylum.

Triticum extra impoſitum primi ordinis eſt calfaciẽtium,& tamen neque ſiccare manifeſtè neque humectare poteſt.Quod ex ipſo fit amylum,frigidius & ſiccius ipſo euadit : amylum ideo dictum quòd ſine mola fiat. Panis triticei cataplaſma diſcuſſoriam vim habet:nimirum quum ſal & fermentum panis aſſumpſerit. habet enim fermentum vim attractoriam ex alto, ſimulque diſcuſſoriam.

A litera P *incipientia.*

Rhamnus.

Rhamnus ſecundo ordine ſiccat, frigefacit primo cõpleto,aut ſecundi initio:vnde & herpetas ſanat, & eryſipelata non valde calida.

Rhaphanus.

Rhaphanus calfacit tertio ordine, ſiccat ſecundo. Diſcuſſoriam vim habet, adeo vt ſugillata diuturna aliáque liuefacta ſanet cataplaſmatis modo impoſit⁹: verùm vt obſoniũ magis quàm alimentũ attenuantis facultatis eſt,ſimúlque calfacit.Quare meritò mirari ſubit illos qui à cœna ipſos crudos edunt,bonæ concoctionis ergó. etenim ipſi magnũ eius rei experimentũ ſe feciſſe iactãt: verùm nemo citra læſionem ipſos imitatus eſt.

Rheon Ponticum ſiue Rhaon.

Rheon Ponticũ,aliqui rhaõ appellãt,mixtã autem facultatẽ habet,adſtringentẽ & calfacientẽ, & tenuiũ partium:vnde & rupta,& conuulſa,& erecta ceruice ſpirationẽ emendat potũ.Hæmoptoicis itẽ ac cœliacis & dyſentericis prodeſt. impetigines quóque & liuefacta perſanat,cum aceto illitum.

Reſinæ omnes.

Omnes reſinæ ſiccãt & calfaciunt:differunt inter ſe ſecundum quod magis aut minus habent acrimoniæ in ſapore,& calidæ facultatis, & ſimili modo iuxta alias qualitates, quòd aliarum magis, aliarum minus participes exiſtunt. Omnibus autem præfertur lentiſcina, maſti-

A che appellata, propterea quòd parum adſtrictionis poſſidet,vt & ſtomachi & ventris ac hepatis debilitati conducat:inſuperque & citra moleſtiam ſiccet. Eſt autẽ maximè tenuium partium,minimèque acris. Inter reliquas terebinthina principatum obtinet,non ſimiliter vt maſtiche adſtringens,ſed diſcutit magis quàm maſtiche,& exterget in tãtum vt & ſcabiem deterat, & ex alto attrahat: magis quàm cæteræ reſinæ: quòd etiam magis tenuium partium exiſtat. habet & quid mollitoriũ amplius quàm maſtiche.Aliæ porrò omnes reſinæ acriores hac ſunt, pro

B maioris ac minoris acrimoniæ ratione.Sicciſsima omniũ reſinarũ eſt ſicca pinus reſina,quã priuatim pinus phyſema appellant. Reſinæ quomodo vrantur.

Vritur omnis reſina liquida in quadruplici vaſe, liquoris infũdẽdi reſpectu. Oportet enim reſinæ quidem congium vnum,duos verò pluuialis aquæ in cacabũ diffundere, & ad prunas leniter coquere, aſsiduè agitando, donec reſina odorem perdat, friabiliſque fiat, & penitus exareſcat,vt etiam digitis confringi poſsit.quod vbi con tigit,refrigeratam in fictili vaſe repones . Fit autem hoc

C modò excellenter alba.Oportet tamen vrendam reſinam prius excolare,& ſordes ab ipſa ſeparare. Vtuntur & citra aquam,primùm quidem eliquatæ ac colatæ: deinde coctæ ad prunas per totum diem, aſsiduè agitando: & vbi penitus exſpirarint,tolluntur ac reponuntur velut dictum eſt.Excipitur ex reſina etiã fuligo, veluti in thure prædictum eſt, & confert ad calliblephara,*id eſt quæ ornandis palpebris deſeruiunt*,& ad lacrymoſos oculos,& corroſos ipſorũ angulos ,& glabras oculorũ genas.Torrefacta verò reſina

D vtilis eſt ad odorata malagmata,itémq; acopa appellata.

Roſæ.

Roſarum facultas ex aquoſa calida,duabus aliis quàlitatibus admixta, adſtringenti videlicet & amaræ,compoſita eſt. Flos ipſarum adhuc magis quàm roſæ adſtrictorius eſt,& propterea etiam ſiccandi vi præditus.

Rhododaphne.

De rhododaphne diximus vbi Nerion ipſam appellauimus.

Rhoa,*id eſt malum Punicum.*

E Omne malum punicum adſtringentis facultatis particeps eſt,nõ tamẽ vt ea omnino prædominetur:ſunt enim aliqua ex ipſis acida,quædã dulcia,quædã auſtera. quare ex iis quæ in malorum tractatu diximus, etiã de his con iectare licet.Succum autẽ vberiorem habent quàm malã aut pyra, ſaporémque inſuper iucundiorẽ quàm illa habent,& aliquando ad plures affectiones quàm illa cõmodant,cum aliãs,tùm ſiquando ſtomachus ob vitiatorum humorum rẽdũdantiã morſum percipit:quo ſanè tẽpore ſuccũs ipſorum cum polẽta exhiberi debet, velut Hip

F pocrates in fœmina cardialguſa faciendum præcipit, *quæ uidelicet oris uentris morſum & dolorem percipiebat.* Acini punicorum magis adſtringunt quàm ſuccus, magis quoque ſiccant:his verò amplius adhuc cortices. Quibus conſimilem vim etiam cytini poſsident.

Rhus.

Rhois folium adſtringit & ſiccat. hoc coriarii tinctores vtuntur. Medicis,fructus & ſuccus magis in vſum veniunt,multùm auſteram qualitatem habentes. Siccant enim ordine tertio,perfrigerant ſecundo.

G Rhypos ſiue Patos, *id eſt ſordes.*

Sordes à ſtatuis gymnaſiorum, diſcuſſoria eſt & mollitoria crudorum tuberculorum . quæ verò in palæſtris colligitur,appellatúrque etiã patos *Græcis*,optimũ medicamẽtum eſt inflammatarũ mammarum. nam & feruorem extinguit,& influentia reprimit, & cõtentũ diſcutit.

A litera Σ *incipientia.*

Sagapenum.

Sagapenum ſuccus eſt calidus & tenuium partium, velut reliqui ſucci. Habet & quid exterſorium, per quod

H cicatrices in oculis depurgat & attenuat.Quin & ſuffuſionibus & hebetudini viſus ex humorum craſsitudine obortis commodum pharmacum exiſtit.

Sampſuchum.

Sampſuchum tenuium partium ac diſcuſſoriã vim habet:ſiccat enim & calfacit tertio ordine.

Saprotes xylon,*id eſt Caries lignorum.*

Caries ac putredo lignorum, maximè eorum quæ ad-
ſtrictionis ſimúlque exterſionis participia ſunt, velut eſt
vlmus, humida vlcera optimè purgat ac replet.

Sarcocolla.

Sarcocolla, lacryma eſt arboris Perſicæ, mixtis virib⁹
prædita, ex ſubſtantia quadam meatus obducente, & mo
dica quadā amara: vnde leuiter ſiccat, & ſic vulnera glu-
tinat.

Satyrion.

Satyrion(quidam etiam trifolium vocant)humidi eſt
& calidi temperamenti, quapropter & guſtantibus dulce
apparet: ſuperfluam tamen & flatuoſam humiditatē poſ-
ſidet, & propterea ad venerem ſtimulat. quod etiam ra-
dix herbæ facere ſolet. Quidam tradunt etiam opiſtho-
tonum, *hoc eſt neruorum retrorſum diſtentionem*, per ipſam ſa-
nare è vino auſtero potam.

Selinon,*id eſt Apium.*

Apium in tantum calidum eſt vt & vrinas & menſes
cieat. Flatus quoque diſcutit, & magis ipſo ſemine.

Seris, Cichorium, Picris, Chondrilla.

Seris ſiue cichorium, ſubamarum olus eſt: & magis v-
tique ſylueſtre, quod propterea Picris Græcis appellatur.
Eſt autem ſylueſtris, frigidæ ac ſiccæ tēperaturæ primo
ordine. Satiua magis frigefacit quàm ſylueſtris: verùm
ob multæ humiditatis mixturam ſiccandi vim perdit.
Vtraque autem adſtringentis qualitatis particeps eſt, quē
admodū & chondrilla. nam & hæc ſeridis ſpecies exiſtit.

Seſeli.

Seſelis & radix & ſemen, in tantum calefaciunt, vt v-
rinæ ciendæ ſufficiant. eſt autem tenuium partium, vt &
morbo comitiali & ſpirationi quæ recta ceruice fit, con-
ducat.

Seſamum.

Seſamum non modicā viſcoſitatem & pinguitudinē
in ſe habet: vnde & meatus obducit & mollit, & mode-
ratè calidum eſt. eandem vim habet & oleum ex ipſo.

Sideritis.

Sideritis habet quidem quid exterſorium, ſed maior
pars ipſius humida eſt, & moderatè frigida, éſtque modi-
cæ cuiuſdam adſtrictionis particeps: vnde & inflāmatio-
nes arcet, & glutinandi vim habet.

Sicya,*id eſt Cucumeres.*

Cucumeres ſatiui vrīnam cient, velut etiam pepones:
ſed minus quàm illi, propterea quòd & ſubſtantia horum
minus humida quàm illorum exiſtat: & ob id neque ita
facilè corrumpuntur in ventre, velut pepones. Quidam
ipſos concoquunt familiaritate quadam naturæ ad ipſos,
& vbi in hoc confiſi ſecurè eos ingeſſerint, ignorāt quòd
temporis progreſſu vitioſum & moderatè craſſum ſuccū
ex ipſorum eſu in venis coaceruarunt: qui ſanè ſuccus v-
bi putreſcere inceperit, febres malignas inducit. quapro-
pter ab omnibus mali ſucci eduliis abſtinere conſultum
eſſet, etiamſi aliqui facilè ipſa concoquant.

Sicyos agrios,*id eſt Cucumis ſylueſtris.* Elaterium.

Cucumeris ſylueſtris ſeminis ſuccus ſiue liquor, qui e-
laterium appellatur: imò etiam radicis & foliorū ſuccus,
vtiles ſunt ad medendum. Elaterium itaque menſes ciet,
& fœtus appoſitum perdit. ſummè enim amarum eſt, &
modicè calidum, vt ſecundi ordinis ſit calfacientium: &
ob id etiam diſcuſſoriam vim habet. itaque & angina la
borantes quidam ex ipſo illinunt. Infunditur & ictericis
in nares cum lacte muliebri, atque hoc modo etiam ca-
pitis dolores ſanat. Cæterùm ſuccus radicis & foliorum
imbecillior eſt quàm ſeminis: ſed & ipſa radix conſimi-
lem vim habet. nam & exterget, & diſcutit, & mollit: ve-
rùm cortex ipſius maiori ſiccatoria vi præditus eſt.

Silphium.

Silphii calidiſſimus quidem ſuccus eſt, ſed & folia, &
caulis, & radix generoſè calfaciunt. ſúntque omnia flatuo
ſioris & aereæ ſubſtantiæ, & propterea etiam ægrè cōco-
quuntur. Forinſecus tamen impoſita efficaciora ſunt, &
maximè omnium ſuccus adtractoriam vim habēs: cor-
poris item molem conſumens ac colliquans.

Sinon.

Sinon calidi & ſubamari ſaporis eſt: vnde & vrinam
A ciet, & concoctorius exiſtit, & menſes prolicit, & obtura-
tiones viſcerum expedit.

Sion.

Sion, in quantum aromaticum ſaporem habet, in tan-
tum calfacientis & ſiccantis facultatis particeps eſt. Diſcu
tit autem, & vrinam ciet, & calculos renū atterit, & men
ſes ducit.

Siſymbrion.

Siſymbrion tenuium partium, & diſcuſſoriam calfa-
ctoriámque ac ſiccatoriam vim tertio ordine habet. Se-
B men quoque ipſius tenuium partium & calidum eſt. qua-
re quidam id cum vino ſingultientibus & torminoſis bi
bendum præbent.

Scandix.

Scandix, ſylueſtre olus eſt conſimile gingidio, ſubacre
& ſubamarum, vt in ſiccando ac calfaciendo tertii ordi-
nis ſit exoluti. Vrinam etiam ciet, & viſcera obturatione
liberat.

Scilla.

Scilla inciſoriam vim abundè poſſidet, nō tamen for-
C titer calidam, ſed in ſecundo ordine calfacientium.

Scolymus,*id eſt Carduus.*

Cardui radix multam vrinam fœtidam ducit, ſi vino
decoctam quis bibat: & propterea alarum & totius corpo
ris fœtores ſanat. Calida eſt tertii ordinis initio, ſicca ſe-
cundo.

Scordion.

Scordion ex multiformi facultate conſtat: nam & a-
marum quid & acerbum & acre habet. Expurgat itaque ſi
múlque calfacit viſcera, & mēſes & vrinas mouet, & vul
D ſa & rupta ac laterū dolores ex obturatione factos ſanat
potum. Viride cataplaſmatis modo impoſitum vulnera
magna glutinat. Aridum inſperſum ſordida repurgat, &
maligna ad cicatricem perducit.

Scorodon,*id eſt Allium.*

Allium calfacit ac ſiccat quarto ordine: in cibo ſum-
ptum flatus diſſipat, & ſitim extinguit, & craſſos viſco-
ſóſque humores ſecando obturatione liberat. habet &
quid medicatum & mali ſucci, quod abiicit aqua conco-
ctum. Fugiendus eſt eius aſſiduus vſus, præſertim in ca-
E lidioribus habitudinibus.

Smyrna,*id eſt Myrrha.*

Myrrha ſecundi ordinis eſt calfacientium ac ſiccan-
tium. Inſperſa capitis vulnerib⁹, ea glutinare poteſt. Ama
ritudinis autem non modicæ particeps eſt, per quam &
lumbricos & fœtus occidit ac eiicit. Habet & quid exter-
ſorium: vnde & ocularibus cōpoſitionibus additur, quæ
ad vlcera & cicatrices craſſas compoſitæ ſunt. Miſcetur &
in anheloſorum ac tuſsientium auxilia, item in arteriacas
compoſitiones: non enim exaſperat arteriam.

F Smyrnion ſiue Hipposelinon.

Smyrnion(alii hippoſelinon vocant)ex eodem gene-
re eſt cum apio & petroſelino: verùm ſemen nigrum &
multo maius habet, & eſt apio valentius, petroſelino im-
becillius: calfacit ac ſiccat ordine tertio, menſes ducit, &
vrinas ciet.

Sonchus,*id eſt Cicerbita.*

Sonchus viridis adhuc & tener, velut alia ſylueſtria o-
lera, comeditur. Componitur ex aquoſa & terrea ſubſtan
tia, vtriſque frigidis. & adſtrictionis quid habet. Manife-
G ſtè itaque perfrigerat, tum ſtomacho cataplaſmatis vice
impoſitus, tum in cibo acceptus.

Spartum,*id eſt Geniſta.*

Sparti, quo vites apud nos ligant, & fructus & virgarū
ſuccus attractoriam vim non inſtrenuam poſſident.

Stacte.

Stacte appellatur recentis myrrhæ pinguitudo, ſi cum
aqua modica tondatur, & per organū exprimatur. eſt au-
tem valde odorata & pretioſa, & per ſe vnguentū quod
ſtacte appellatur. Probatur quæ nihil olei admixtum ha-
H bet, & modica ſui parte multam vim calfactoriam poſſi
det, ad proportionē myrrhæ & vnguētorū calefacientiū.

Staphylinus,*id eſt Paſtinaca.* Daucus.

Paſtinaca ſatiua imbecillior eſt: ſylueſtris, quam & dau
cum appellant, ad omnia fortior, vrinas mouet & mēſes

prouocat.Habet & quid exterſorium in ſeſe.

Stœchas.

Stœchas amaræ & adſtringẽtis qualitatis particeps eſt. eſt & tenuium partium ex odoris argumento: itaque & obturatione liberare,attenuare,& roborare, tum viſcera omnia,tum totum corporis habitum poteſt.

Struthium,*id eſt Herba lanaria.*

Struthii radix in vſu eſt,calida & ſicca quarto ordine exiſtens.Eſt autem exterſoria & irritatoria:proptereàq; ſternutamenta mouet.

Styrax.

Styrax mollit,calfacit, concoquit: quapropter & tuſſes,& deſtillationes, & grauedines, ac raucedines ſanat, menſeſque promouet potus & appoſitus. Fuligo ex ipſo fit velut ex thure,quæ eandem quoque vim habet.

Staphyle,*id eſt Vua.*

Vua magis quàm omnes temporarii & ſubcaniculares fructus, *horai Græcis appellati*, nutrit, & maximè vbi probè fuerit concocta. Minus autem nutriunt vuæ quàm ficus.&,quod in ipſis præcipuum eſt,citò ſecedunt: quare ſi quando retineantur,ſatis multùm offendunt. Neque enim concoquuntur retentæ, ſed & iuxta diſtributionem in hepar ac venas crudum ſuccum generant, qui non facilè in ſanguinem tranſmutatur, tum propter externam cuticulam,tum propter vinacea quorum ſubſtantia ſicca & adſtrictoria exiſtit.Quapropter rectè faciunt qui hæc ipſa velut inutilia exſpuunt,& omnem internam carnem vnà cum ſucco exugunt, & ſanè venter his magis ſubit. Reponuntur autem vuæ in hyemem variis modis: alii in olla componunt,olla videlicet diligenter operta,& operculo pice oblito vt nulla tenus perſpirent aut perflentur. Atque talis vua exolutum ventrem firmat,& ciborum appetentiam excitat.non tamen aluo ſecedit,& vberius ingeſta caput tentat: ſed adhuc magis capitis dolorem inducit quæ in muſto ſeruatur. Penſilis autem caput nihil omnino lædit: ventrem verò neque ſiſtit neque promouet.ſimiliter neque infirmam appetentiam excitat,neque firmam exſoluit. Vuæ quidem igitur dulces calidiorem ſuccum habent. quapropter ſitim inducunt & ventrem ſubducunt,præſertim vbi humectiores fuerint.nam inter calfacientia ac perfrigerãtia medio modo habent. At verò acidæ & auſteræ,& quæ cuticulã craſſiorẽ habẽt, nõ ſolùm prædicta vitia habẽt, ſed & cõcoctionẽ in vẽtre & diſtributionẽ ac nutritionẽ impediũt.Cæterùm in ſũma de eſcariis fructib⁹ id noſſe oportet: humidos,humidũ & tenue alimẽtũ corpori præbere,& quod vniuerſũ corp⁹ trãſeat,ac citò penetret,facileque & per vrinam & per cutem euacuetur.Contrà ſolidorum compage fructuum alimẽtum,quod corpori accedit,craſſum eſt,& tranſitus tardiores: præſertim vbi craſſum aut viſcoſum aut adſtringentem ſuccum in ſe habuerint.

Syca,*id eſt Ficus.*

Quod non ſolùm autumnales, ſed etiam temporarii ac æſtiui & ſubcaniculares fructus, *horai Græcis appellati*, commune habent, id & ficubus adeſt: nam neque ipſæ ſucci malitiam effugere potuerunt. Verùm hoc commodi ficubus ineſt,quòd facilè per ventrem tranſeant & totum corpus penetrent.nam & vim exterſoriam memorabilem habent, & nephritici ex ipſarum eſu multa arenoſa excernunt. Alimentum autem præbent corpori non ſolidum,ſed laxum:& ipſum ventriculum flatu implent. Verùm ob tranſitus celeritatem,flatus illi non durant: & ea gratia minus quàm reliqui fructus nocent:& ſanè ficus ex actè matura ferè nihil noxii habet:ficus verò ſiccæ calidiorem vim poſſident ſecundi ordinis initio. Habent & quid tenuium partium quod ad multa conducit. Illud tamen mali ex nimio ipſarum eſu accedit, quòd non valde bonum ſanguinem caricæ gignant:vnde & pediculorum copia earum eſum conſequitur. Si verò vitioſus ſuccus iam tum in ventre contineatur,caricæ comeſtæ extremè lædunt.augent autem humorum malitiam in ventre corruptæ,& infernè nõ ſecedẽtes. Vim habent attenuantem & inciſoriam.ob quam etiam ventrem ad excretionem incitant,& renes expurgant. Iecori & lieni inflammatis quidem noxiæ ſunt(quemadmodum etiam virides ficus) iuxta communem rationem omnium dulcium. Iiſdem verò obturatis aut induratis,cum thymo aut pulegio, aut thymbra,aut calamintha,aut origano,aut pipere, aut gingibere,multo ante reliquum cibum tempore intercedente,medici præbent.Qui verò cum aliquo craſſiore edulio ficus edunt,itémque caricas non paruam læſionem incurrunt.Ficus ſiccæ duros tumores concoquũt ac diſcutiunt, ob partium tenuitatem, ſi in cataplaſmate imponantur. Decoctum quoque ipſarum conſimilem vim habent. Cæterùm vbi concoquere velis,triticeam farinam admiſcebis:vbi diſcutere,ordeaceam.& pinguiores quidem caricæ,tumores concoquunt:acriori verò ſapore præditæ extergent ac diſcutiunt. At verò mellitum ex ipſarum in aqua coctura paratum,vim melli ſimilem habet.

Symphytum petræum.

Symphytum petræum ex contrariis facultatibus cõſtat:habet enim quid inciſorium, quo pus in pectore ac pulmone contentum expurgat.habet & quid adſtrictoriũ quod ad ſanguinis reiectiones auxiliatur. Verùm ob humiditatem, commanducatum ſitim extinguit & arteriæ aſperitates lenit.At verò ob omnes prædictas facultates, etiam inteſtinorum herniis imponitur:& ad conuulſa ac rupta cum aceto mulſo bibitur.

Sycomora.

Sycomororum fructus forma ficubus ſimilis eſt, ſed acrimoniam nullam poſſidet, modicæ dulcedinis particeps, humectior & frigidior quodãmodo vi ſua exiſtẽs, velut mora. Et ſanè in medio mororũ ac ficuum meritò locatur:vnde etiam nomen habet.

Schinus,*id eſt Lentiſcus.*

Lentiſcus arbuſtum ex ſubſtantia aquea leniter calida,& terrea frigida non multa compoſitum eſt: propter quam etiam moderatè adſtringit.Siccat igitur tertii ordĩnis initio:iuxta caliditatẽ verò & frigiditatem temperatum eſt.Similem vim in omnibus ſuis partibus poſſidet: vnde & per ſe,& cum aliis medicamentis bibitur ad cœliacas affectiones,& dyſenterias, & ſanguinis ſupra,& ſanguinis ex vtero eruptiones.prolapſæ quoque ſedi aut vtero præcipitato commodat,propemodum velut hypocyſtis.

Schœni,*id eſt Iunci rotundi odorati*, flos.

Iunci odorati flos calfacit moderatè, & adſtringit moderatius,particeps eſt & tenuium partium facultatis: vnde & menſes ciet,& vrinas ducit,in fomentis,& potu, & cataplaſmatis adhibitus.prodeſt & hepatis & ventris & ſtomachi inflammationibus.

Schœnos lia, *id eſt Iuncus leuis*.Oxyſchœnus & Holoſchœnus.

Iunci leuis altera ſpecies oxyſchœnos,*id eſt acutus iũcus*:altera holoſchœnos,*hoc eſt tota iuncea*,appellatur.Gracilior quidem & durior eſt iuncus acutus: craſſior autem holoſchœnus& laxior.huius fructus ſomnum inducit.Iunci acuti ſpecies duæ ſunt:altera ſterilis & medicinæ inutilis, altera fructifera,cuius item fructus ſomnum conciliat, ſed minus ſuperiore.hæc & capitis dolorem inducit. Vtraque ſpecies torrefacta ex vino pota, fluxiones vẽtris ſiccat,& fluxum muliebrem ruſum ſiſtit. Et propterea tẽperamentum ipſarum terreum leniter frigidum eſſe indicatur,& aqueum leniter calidum:quapropter inferna ſiccat,& leniter ad caput decurrens perfrigerat,atque ſic ſomnolentos eos qui vtuntur facit.

A litera T incipientia.

Terebinthus.

Terebinthi folia,cortex & fructus, habent quid adſtrictorium,ſed & calfaciunt ordine ſecundo. Fructus eſt propinquus tertio ordine ſiccantium:quapropter & vrinã ciet,& lieni prodeſt.

Teutlon,*id eſt Beta.*

Beta nitroſam quandam vim poſſidet, qua exterget & diſcutit,& per nares expurgat.Cocta nitroſum & acre deponit,& ad diſcuſſoriam leniter facultatem vis arcendi inflammationes ipſi accedit. Alba exterſioni ac diſcuſſioni efficacior.nam nigra adſtrictionis particeps eſt, &

magis in radice. Quum autem exterſorium ſuccum habeat, etiam vẽtrem ad excretionem excitat, & ſtomachũ quandoque mordet, præſertim illis quibus ſubtiliore ſenſu præditus eſt. & propterea incommodum ſtomacho edulium eſt, ſi vberius ingeratur. Præſtantior autem eſt quàm malua ad hepatis obturationes, atque id magis vbi cum ſinapi aut aceto editur: quo modo comeſta etiã ſplenicis conducit.

Tephra omnis, *id eſt cinis omnis.*

Lignorum exuſtorum aut aliarum materierum reliquiæ, cinis appellantur. Conſtat & ex contrariis ſubſtãtiis & qualitatibus. habet enim in ſe quiddam terreũ & quid fuliginoſum. Fuliginoſæ itaque partes tenuium partium ſunt, & vbi cinis aqua maceratur & excolatur, ſimul decedunt: quod autem relinquitur terreum, debile ac lene euadit, vt quod calidam vim in aquam depoſuit. Porrò non omnis cinis eandem vim exactè habet, ſed iuxta vſtæ materiæ differentiam variant. nam ex lignis acerbis, velut quercinis & ſimilibus, non parum adſtrictionis habet in terrea ſui parte: vnde & ſanguinis eruptiones cohibet. Cæterùm ficulneus cinis multum acrimoniæ ac vſtoriæ facultatis in fuliginoſa ſui parte poſſidet: in terreſtri verò parte, vim exterſoriã. Cõſimilis huic eſt & cinis ex tithymalis. Eſt autẽ & titanus, *hoc eſt calx*, cineris ſpecies, magis tenuiũ partiũ exiſtens quàm is qui ex lignis reliquus eſt. Calx itaque aqua exactè ter aut quater lota, & aqua diffuſa, medicamẽtum euadit ſiccatorium citra mordacitatem. Quòd ſi eadem aqua marina lauetur, diſcuſſoriam vim acquirit.

Telis, *id eſt fœnumgræcum.*

Fœnumgræcum calidum eſt ex ſecundo ordine, ſiccum ex primo. participat & exterſoria facultate: & propterea feruentes inflammationes exacerbat, minus calidas & induratas diſcutit. In cibi vſum variis modis venit, ſed caput tentat amplius ſumptum: præſertim abſque pane ingeſtum. quibuſdam etiam ſtomachum ſubuertit. Succus decocti fœnigræci cum modico melle acceptus, omnes vitioſos humores inteſtinorum commodè ſubducit. Sed parum omnino mellis admiſceri debet, ne mordax exiſtat. Cæterùm in vetuſtis pectoris doloribus citra febrem palmulas pingues ſimul cum fœnogræco decoquere oportet, & expreſſum ſuccum admixto melle rurſus decoquere ad prunas donec moderatè craſſeſcat, atque ita eo vti, multo tempore ante reliquum cibum intercedente. Vitandus tamen eius vſus eſt in iis qui caput læſioni obnoxium habẽt: nam & palmulæ ipſæ caput tentant.

Tithymali ſiue Galactides. Characias.

Tithymali omnes, qui & galactides appellantur, acrem & calidam vim habent prædominantem: ineſt ipſis & amaritudo. Fortiſſimus igitur eſt ſuccus: deinceps fructus & folia. particeps eſt & radix prædictarum facultatũ, ſed non ex æquo. Ipſa quidem igitur cum aceto cocta, dẽtium dolores, & maximè eroſorum, ſedat. ſuccus quarti ordinis eſt calfacientium, qui iam vſtorius exiſtit. quapropter illiti ſucci pilos denudant: ſed vehemens ipſorũ vis oleo admixto mitigatur. & ſi frequenter id fiat, radices pilorum exuſtæ penitus extirpantur, & corpus glabrum redditur. Eodem modo & verrucas, ac thymos ex eadem verrucarum gente appellatos tollunt. Impetiginem quoque ac ſcabiẽ exterũt. Cortex autẽ radicis eius qui priuatim Characias appellatur, in vmbra ſiccatus tuſus & cribratus generoſè purgat potus. Oportet autẽ quatuor ſcrupulorũ põdus à veſpera in vino dulci macerare, & manè excolatũ vinũ per panniculum tepefactum potandum exhibere.

Tragacanthus.

Tragacanthus ſuccus eſt plantæ ſpinoſæ, ſimilem gummi vim habens, quæ & meatus obducit, & acrimoniã obtundit: & ſanè ſiccat quoque ſimiliter illi.

Tribulus.

Tribulus ex moderata humida, & frigida ac ſicca ſubſtantia conſtat. Cæterùm in terreſtri terrea frigiditas prædominatur: ob quam & magis adſtringit: in aquatili verò aquoſitas, & propterea feruentibus inflammationibus conueniunt. Terreſtris fructus renum calculos atterit potus.

Thriphyllon ſiue Aſphaltion, *id eſt Trifolium.*

Trifolium Græci aſphaltion è bituminis odore appellant, éſtque calidæ ac ſiccæ facultatis in tertio ordine, veluti bitumen: & propterea potum laterum dolores ex obturatione obortos ſedat; & vrinam ac menſes ciet.

Trychnon ſiue Strychnon, *id eſt Solanum.*

Trychnon aliqui adiecto ad caput vocis litera σ ſtrychnon appellant. & hortenſe quidem adſtringit & frigefacit ordine ſecũdo: quod verò halicacabon appellatur, in foliorum facultate ſimile eſt hortenſi. verùm fructus eius vrinam ciet. At verò cortex ſomniferi appellati de radice detractus, frigefacit ſimiliter vt papaueris ſuccus, vt tertii ſit ordinis perfrigerantium. Fructus etiam huius vrinam ciet, ſed ſi plures quàm duodecim corymbi ſumãtur, furorem inducit.

A litera Υ incipientia.

Υacynthus.

Hyacinthi radix bulbiformis primi ordinis eſt ſiccãtium, ſecundi perfrigerãtium. Creditur pueros diu impuberes adſeruare, ſi cum vino in cataplaſmate imponatur. Semen moderatè adſtringit, exterget: vnde ictericis datur ex vino. Siccat ordine tertio: verùm caliditatis & frigiditatis in medio conſiſtit.

Υdna, *id eſt Tubera.*

Tubera terream ſubſtantiam prædominantem poſſident, modica tenuium partium admixta.

Υdropiper.

Hydropiper herbula eſt in aqua naſcens, & foliis & ramulis menthæ ſimilis: maior tamen. guſtu acris velut piper. ſemina fert parua iuxta ſingula folia. herba calida quidem eſt, ſed non quantùm piper. Viridis impoſita ſugillata & duritias ſanat. Vtuntur quidam ipſa vnà cum ſemine pro condimento piperis loco.

Υoſcyamus.

Hyoſcyamus commodiſſimus eſt ad medicinas qui florem & ſemen album habet, tertii ordinis perfrigerantium exiſtens. reliqui venenati ſunt.

Υpericon.

Hypericon calfacit ac ſiccat, ſubſtantiam tenuium partium habens, vt & vrinas & menſes prouocet. Ad hæc verò non modò ſemen, ſed etiam folium conducit. Viride in cataplaſmate impoſitum, vlcera ad cicatricem perducere poteſt, præſertim ambuſtorum. Siccum tritum inſperſum, humore flaccida & putredinoſa vlcera ſanat. Quidam etiam iſchiadicis ipſum bibendum præbent.

Υſſopus.

Hyſſopus calfacit ac ſiccat ordine tertio. Eſtque tenuium partium ſubſtantiæ.

A litera Φ incipientia.

Phaci, *id eſt Lentes.*

Lentes non validè adſtringũt: in caliditatis autem & frigiditatis medio conſiſtunt. ſiccant ordine ſecundo. Itaque corpus ipſarum ſiccat ac ſiſtit ventrem. decoctum autem promouet: quapropter vbi ſiſtendi ventris gratia ſumuntur, prima aqua diffunditur.

Phacos paluſtris ſiue Lens ſtagnorum.

Paluſtris lens humidi & frigidi temperamenti eſt, ex ſecundo ordine.

Phaſeli ſiue Ochri.

Phaſeli itémque ochri, media quodammodo edulia ſunt inter ea quæ boni ſunt aut mali ſucci, faciléque concoquũtur aut ægrè, tardéque cõmeant aut citò, flatus expertia aut inflantia, parum nutrientia aut multùm.

Phlomos, *id eſt Verbaſcum.*

Verbaſcum tres ſpecies habet, quarum radix acerba eſt: vnde & fluidis affectionibus auxiliatur. quidam decocto eius dentes in dolore colluunt. Folia omnium diſcuſſoriam & exterſoriam vim habent. Tertiæ vſus eſt ad lucernarum lumina, quæ propriè thryallis appellatur.

Phœnix, *id eſt Palma.*

Palma arbor adſtringentis qualitatis particeps eſt in

omnibus ſuis partibus.at ramorũ ſuccus auſterus eſt:ſimiliter quod cerebrum vocatur, quod in cibi vſum venit: fructus ipſius maximè dulcis,non modica caliditate participat, eſcarius & multi vſus, tum forinſecus adhibitus, tum intra corpus ſumptus:vbi roborare, ac ſiccare,& conſtringere ac denſare,& obturare opus eſt.Omnes palmulæ ægrè concoquuntur,& capitis dolorem inducũt amplius comeſtæ.quidam ab earum eſu morſum percipiunt in ore ventris,qui ſanè etiam magis capite dolent. ſuccus qui ex ipſis in corpus diſtribuitur, craſſus penitus eſt. habet & viſcoſum quiddam vbi pinguis palmula fuerit. Quando autem craſſo & viſcoſo ſucco dulcedo permixta fuerit,iecur celerrimè ab ipſis obturatur.Si verò aut inflammatum fuerit iecur aut induratum,ab ipſarum eſu extremè læditur. Conſequenter autem cum iecinore etiam lien obturatur ac læditur. Cæterùm multo magis lædunt palmulæ virides,etiam paulo vberius ingeſtæ. nam & flatu ventrem implent,& crudis humoribus, & qui eſitarunt rigoribus ægrè caleſcentibus corripiuntur. Porrò germẽ tenerum quod Elatén vocant, vim eandem cum cerebro habet. Quod velut tegmen & velamen ipſis eſt,adſtrictorium quidem eſt,verùm magis prædictis ſiccat. Eſt autẽ & radix arboris, ſiccatoriæ citra mordacitatẽ facultatis, & modicè adſtrictoria.

Phu,*id eſt nardus Cretica.*

Phu radix nardo ſimilem vim habet, debilior tamẽ ad alia eſt.verùm vrinam magis ciet.

Phycos,*id eſt Alga ſiue Fucus.*

Fucus ſiue alga,muſcus eſt marinus,qui viridis exẽptus frigefacit & ſiccat ordine ſecundo:habet & quid adſtringens moderatè.

A litera X incipientia.

Chalbana,*id eſt Galbanum.*

Galbanum ſuccus eſt ferulaceæ plantæ,mollitoriam & diſcuſſoriam vim habens.Calfacit ordine tertio,ſiccat ſecundo.

Chamædrys,*id eſt Trixago.*

Chamædrys amaram qualitatem prædominantem habet.eſt & aliquo modo acris:vnde & lienem colliquat, & vrinas & menſes mouet, & craſſos humores ſecat, & viſcerum obturationes expurgat.Tertii ordinis eſt calfacientium ac ſiccantium.Decoctum ipſius diuti⁹ coctum & aſſiduè potum, febre quartana correptos liberat.

Chamelæa.

Chamelæa amaram qualitatem prædominãtem habet:quapropter & ſordida valde vlcera, & quæ maximas cruſtas habent,cum melle repurgare poteſt. Eſt & pota ex purgantium numero.

Chamæleuce.

Chamæleuce calidam vim habet ordine tertio,ſiccam primo: vnde ſuffita ſuper carbones,manifeſtè opitu- A latur ægrè ſpirantibus,ſi per infundibulum fumum inde hauriant.

Chamæleon.

Chamæleontis nigri radix venenoſum quid habet, vnde eius vſus forinſecus receptus eſt ad ſcabiem & impetiginem,ac vitiliginem, & in ſumma ad ea quæ extérſione op⁹ habẽt.Particeps eſt & mollitoriæac diſcuſſoriæ facultatis. Siccat autem ordine tertio, calfacit ſecundo completo.At verò alibi chamæleontis radix pota ex vino B auſtero acetabuli menſura, latum lumbricum expellit: dant ipſam & hydropicis.

Chamæpitys.

Chamæpitys tertii ordinis eſt ſiccantium, ſecundi calfacientium.Quum autem plurimùm amara ſit, exterget viſcera magis quàm calfacit:vnde in regio morbo exhibetur:& omnino quibus iecur facilè obturatur, commodum medicamentum exiſtit. Ducit & menſes pota & cum melle appoſita.ciet quoque vrinam. quidam iſchiadicis ipſam præbent coctam in aqua mulſa. Herba ipſa viridis magna vulnera glutinare poteſt, & putredinoſa C vlcera ſanare,& mammarum duritias diſcutere.

Chelidonium magnum.

Chelidonium magnum,exterſoriam & calidam vim abundè poſſidet.ſuccus eius viſum exacuit, iis quib⁹ craſſum quid quod diſcuti oporteat, circa pupillam colligitur.quidam radice vſi ſunt in morbo regio ex iecinoris obſtructione oborto,ex vino albo dantes cum aniſo.

Chelidonium paruum.

Chelidonium paruum,maiore acrius eſt: vnde in cataplaſmate impoſitum cutem exulcerat, & vngues leproſos exterit.ſuccus eius per nares fortiter purgat. eſt enim D quarti ordinis calfacientium:maius tertii in vtriſque.

Chondrilla.

De chondrilla diximus quum de ſeride ageremus: eſt enim ſeridis ſpecies.

A litera Ψ incipientia.

Pſyllium.

Pſyllii ſemen maximè in vſu eſt: ſecundi ordinis eſt frigefacientium:verùm in ſiccando & humectando meE dium locum occupat.

A litera Ω incipientia.

Ocymon baſilicon, *id eſt Ocymon regale.*

Ocymon ſecundi ordinis eſt calfacientium. habet & humiditatem ſuperfluam:vnde neque vtile eſt ipſum intra corpus ſumere: verùm forinſecus in cataplaſmate impoſitum ad diſcutiendum ac concoquendum commodat. Decoctum ipſius lippientibus ob craſſioris materiæ copiam,calidum pro fomento adhibitum magnopeF re prodeſt,præſertim pueris.

INDEX

INDEX EORVM QVÆ IN SECVNDO SERMONE TEtrabibli primæ Aetii continentur.

DE terræ differentiis,	Cap.I.
Quomodo terram lauare oportet,	Cap.II.
Quas medelas agrorum terra præſtet,	Cap.III.
De terra Lemnia,&c.	Cap.IIII.
Miltos,Rubrica,	Cap.V.
Terra Samia,	Cap.VI.
Terra Selinuſia & Chia,	Cap.VII.
Cimolia terra,	Cap.VIII.
Terra Ampelitis,Pharmacitis,	Cap.IX.
Terra Cretica,ſeu Creta,	Cap.X.
De omni terra vſta,	Cap.XI.
De bolo Armeniæ,	Cap.XII.
Lapis hæmatites,	Cap.XIII.
Lapis ſchiſtos,galactites,melitites,	Cap.XIIII.
Cōmunis doctrina de omnbꝰ lapidibus,	Cap.XV.
Leucographis aut moroxus,	Cap.XVI.
Galactites,	Cap.XVII.
Thyites lapis,	Cap.XVIII.
Tecolithos,quem Syriacum appellant,	Cap.XIX.
Pyrites,	Cap.XX.
Lapis Phrygius,	Cap.XXI.
Lagis Ageratus,	Cap.XXII.
Lapis Aſſius,& flos ipſius,	Cap.XXIII.
Gagates,	Cap.XXIIII.
Magnetes lapis,	Cap.XXV.
Smiris,pumex,teſtæ,clibani & ſimilia,	Cap.XXVI.
Lapides in ſpongiis,	Cap.XXVII.
Oſtracites,Geodes,Naxiæ cotis retrimētū,	Cap.XXVIII.
Ophites lapis,	Cap.XXIX.
Hieracites lapis & Indicus,	Cap.XXX.
Vitrum,	Cap.XXXI.
Lapis Aëtites,	Cap.XXXII.
Alabandicus lapis,	Cap.XXXIII.
Electrum,ſiue ſuccinū,ſeu lyncurium,	Cap.XXXIIII.
Iaſpis viridis,	Cap.XXXV.
Iaſpis ſubuiridis,	Cap.XXXVI.
Iaſpachates,	Cap.XXXVII.
Sapphirus lapis,	Cap.XXXVIII.
Smaragdus lapis,	Cap.XXXIX.
De metallicis & quæ ex aqua generātur,	Cap.XL.
Adarces,	Cap.XLI.
Alcyonia,	Cap.XLII.
Sal,	Cap.XLIII.
Sal vſtus,	Cap.XLIIII.
Salis flos,	Cap.XLV.
Salis ſpuma,	Cap.LXVI.
Armeniacum pictorum,	Cap.LXVII.
Arſenicum,auripigmentum,	Cap.XLVIII.
Aſphaltus bitumen,	Cāp.XLIX.
Aphronitrum,& litri ſpuma,	Cap.L.
Gypſum,	Cap.LI.
Diphryges,	Cap.LII.
Diaphanes,Lapis ſpecularis,	Cap.LIII.
Theion ſulphur,	Cap.LIIII.
Ioxyſtos, ærugo raſa,	Cap.LV.
Ærugo vermiculata,	Cap.LVI.
Cadmia,	Cap.LVII.
Cyanus,	Cap.LVIII.
Lepis,ſquama æris ac ferri,	Cap.LIX.
Lythargyros,argenti ſpuma,	Cap.LX.
Litrum,	Cap.LXI.
Melanteria,	Cap.LXII.
Melan, atramentum ſcriptorium,	Cap.LXIII.
Miſy, ſori,& chalcitis,	Cap.LXIIII.
Molybdæna,plumbago,	Cap.LXV.
Molybdos,plumbum,	Cap.LXVI.
Pompholyx,	Cap.LXVII.
Rhoidarii præparatio,	Cap.LXVIII.
Sandaracha,	Cap.LXIX.
Sandyx,quæ & Siricum,	Cap.LXX.
Scoria,	Cap.LXXI.
Stibium,	Cap.LXXII.
Spongia,	Cap.LXXIII.
Stypteria,alumen,	Cap.LXXIIII.
Titanos,calx,	Cap.LXXV.
Phycos, fucus,	Cap.LXXVI.
Chalcanthus,atramētum ſutorium,	Cap.LXXVII.
Chalcitis,	Cap.LXXVIII.
Chalcos, æs vſtum,	Cap.LXXIX.
Chalcos anthos,æris flos,	Cap.LXXX.
Chryſocolla,	Cap.LXXXI.
Pſymmithium, ceruſſa,	Cap.LXXXII.
Pſoricum,	Cap.LXXXIII.
De materia medica ex animalibus,	Cap.LXXXIIII.
De ſanguine,	Cap.LXXXV.
De lacte,	Cap.LXXXVI.
De lactis differentia,	Cap.LXXXVII.
De lactis differentia ab animaliū habitu,	Cap.LXXXVIII.
De lactis differentia à tēporibus anni,	Cap.LXXXIX.
De lactis differentia à pabulo,	Cap.XC.
De lactis differentia ab ætate,	Cap.XCI.
Quibus lac conueniat,	Cap.XCII.
De modo,tēpore,ac mēſura vtēdi lactis,	Cap.XCIII.
Quibus lac noceat,	Cap.XCIIII.
De lactis coctura,	Cap.XCV.
De ſero lactis,	Cap.XCVI.
De iis quæ iucunditatis gratia cum lacte coquuntur,	Cap.XCVII.
De lacte acido,	Cap.XCVIII.
De primario lacte,	Cap.XCIX.
De lacte concocto,	Cap.C.
De caſeo,	Cap.CI.
Pharmacum ex caſeo vetere ad calloſas concretiones podagricorum,	Cap.CII.
De efficacia recentis caſei foris adhibiti,	Cap.CIII.
De butyro,	Cap.CIIII.
De coagulo,	Cap.CV.
De felle,	Cap.CVI.
De ſudore,	Cap.CVII.
De vrinis,	Cap.CVIII.
De ſaliua,	Cap.CIX.
De ſtercore,	Cap.CX.
De ſtercore canino,	Cap.CXI.
De ſtercore humano,	Cap.CXII.
De ſtercore lupino,	Cap.CXIII.
De ſtercore caprino,	Cap.CXIIII.
De ſtercore bubulo,	Cap.CXV.
De ſtercore ouillo,	Cap.CXVI.
De ſtercore columbino,	Cap.CXVII.
De gallinaceo ſtercore,	Cap.CXVIII.
De ſtercore anſeris,accipitris,ciconiæ & terreſtrium crocodilorum,	Cap.CXIX.
Sordes ouium,ex qua œſypus,	Cap.CXX.
De carnibus,	Cap.CXXI.
De extremis terreſtriū animaliū partibus,	Cap.CXXII.
De glandulis,	Cap.CXXIII.
De teſtibus,	Cap.CXXIIII.
De renibus,	Cap.CXXV.
De cerebro,	Cap.CXXVI.
De terreſtrium animalium viſceribus,	Cap.CXXVII.
De aluo,inteſtinis,ac vtero terreſtrium animalium,	Cap. CXXVIII.
De ſylueſtrium animalium carne,	Cap.CXXIX.
De volucrium animalium carne,	Cap.CXXX.
De anſeribus & ſtruthocamelis,	Cap.CXXXI.
De gruibus,	Cap.CXXXII.
De partium volucriū animaliū differētia,	Cap.CXXXIII.
De ouis,	Cap.CXXXIIII.
Ouorum vis medicamentaria,	Cap.CXXXV.
De alimento ex animalibus aquaticis,	Cap.CXXXVI.
De cephalo ſiue mugile,	Cap.CXXXVII.
De lupo,	Cap.CXXXVIII.
De trigla ſeu mulo,	Cap.CXXXIX.
De piſcibus petroſis,	Cap.CXL.

De gobio, Cap.cxli.
De piſcibus mollis carnis, Cap cxlii.
De piſcibus duræ carnis, Cap.cxliii.
De piſcibus teſta intectis, Cap.cxliiii.
De cruſtatis,ſiue molli teſta intectis, Cap.cxlv.
De piſcibus mollibus, Cap.cxlvi.
De piſcibus chartilagineis, Cap.cxlvii.
De echinis marinis, Cap.cxlviii.
De ſalſamẽtis omnium animalium pedeſtrium, volucriũ & aquaticorum, Cap.cxlix.
De garo, Cap.cl.
De muria, Cap.cli.
De adipe pinguedinéque ac ſeuo, Cap.clii.
De medulla, Cap.cliii.
De pulmone, Cap.cliiii.
De capitibus, Cap.clv.
De cornibus, Cap.clvi.
De vnguibus, Cap.clvii.
De impetigine in pedibus equorum, Cap.clviii.
De lanis ſuccidis & puris & vſtis, Cap.clix.
De pilis vſtis, Cap.clx.
De oſſibus vſtis, Cap.clxi.
De pellibus & coriis, Cap.clxii.
De ventriculo mergi, Cap.clxiii.
De vulpibus, Cap.clxiiii.
De aranearum telis, Cap.clxv.
De ranis, Cap.clxvi.
De muſtela, Cap.clxvii.
De terræ inteſtinis, Cap.clxviii.
De dracone marino, Cap.clxix.
De vipera, Cap.clxx.
De herinacio marino, Cap.clxxi.
De herinacio terreſtri, Cap.clxxii.
De hippocampis marinis, Cap.clxxiii.
De cantharidibus, Cap.clxxiiii.
De cancris fluuialibus, Cap.clxxv.
De carabo ſiue locuſta, Cap.clxxvi.
De teſtibus caſtoris, Cap.clxxvii.
De canis fluuiatilis teſtibus, Cap.clxxviii.
De canis terreſtris catulo, Cap.clxxix.
De cygni pullo, Cap.clxxx.
De buccinorum teſtis vſtis, Cap.clxxxi.
De galerita volucre, Cap.clxxxii.
De cochlea tereſtri, Cap.clxxxiii.
De mænulis, Cap.clxxxiiii.
De torpedine, Cap.clxxxv.
De aſello marino, Cap.clxxxvi.
De oſtreorum teſtis, Cap.clxxxvii.
De purpurarum teſtis, Cap.clxxxviii.
De ſquatina marina, Cap.clxxxix.
De ſepia, Cap.cxc.
De ſcinco, Cap.cxci.
De tellinis, Cap.cxcii.
De cicada, Cap.cxciii.
De hyæna. Cap.cxciiii.
De hirundinibus, Cap.cxcv.
De electione optimorum medicamẽtorũ, Cap.cxcvi.
Ex Oribaſio quæ ſunt inter calfacientia ac frigefacientia, Cap.cxcvii.
Quæ moderatè calfaciunt, Cap.cxcviii.
Quæ calfaciunt primo ordine, Cap.cxcix.
Quæ calfaciunt ſecundo ordine, Cap.cc.
Calfactoria tertii ordinis, Cap.cci.
Calfactoria quarti ordinis, Cap.ccii.
Quæ frigefaciunt, Cap.cciii.
Quæ frigefaciunt primo ordine, Cap.cciiii.
Quæ frigefaciunt ſecundo ordine, Cap.ccv.
Frigefactoria tertii ordinis, Cap.ccvi.
Frigefactoria quarti ordinis. Cap.ccvii.
Quæ ſiccant citra mordacitatem, Cap.ccviii.
Quæ ſimpliciter ſiccant, Cap.ccix.
Quæ primo ordine ſiccant, Cap.ccx.
Quæ ſecundo ordine ſiccant, Cap.ccxi.
Quæ tertio ordine ſiccant, Cap.ccxii.
Quæ quarto ordine ſiccant, Cap.ccxiii.
Quæ media ſunt inter ſiccantia ac humectantia, Cap.ccxiiii.
Quæ primo ordine humectant, Cap.ccxv.
Quæ ſecundo ordine humectant, Cap.ccxvi.
Quæ aquoſam frigiditatem habent, Cap.ccxvii.
Quæ tenuium partium ſint, Cap.ccxviii.
Quæ craſſarum partium ſint, Cap.ccxix.
Corroborantia, Cap.ccxx.
Concoctoria, Cap.ccxxi.
Suppuratoria, Cap.ccxxii.
Mollientia, Cap.ccxxiii.
Quæ indurant, Cap.ccxxiiii.
Exterſoria, Cap.ccxxv.
Quæ vaſorum oſcula aperiant, Cap.ccxxvi.
Rarefacientia cutem, Cap.ccxxvii.
Denſantia cutem, Cap.ccxxviii.
Corrodentia, Cap.ccxxix.
Reprimentia eminentias, Cap.ccxxx.
Cicatricem inducentia, Cap.ccxxxi.
Exulcerantia in ſuperficie, Cap.ccxxxii.
Vſtoria, Cap.ccxxxiii.
Attractoria, Cap.ccxxxiiii.
Diſcuſſoria, Cap.ccxxxv.
Adſtringentia, Cap.ccxxxvi.
Quæ ſemen generant ac prouocãt in cibis ac medicamẽtis,& medicamentis cibariis, Cap.ccxxxvii.
Quæ ſemen inhibeant, Cap.ccxxxviii.
De alimentorum viribus, Cap.ccxxxix.
Attenuatoria alimenta, Cap.ccxl.
Craſſi ſucci alimenta. Cap.ccxli.
Media inter attenuatoria & craſſefaciẽtia, Cap.ccxlii.
Quæ viſcoſum ſanguinẽ generant, Cap.ccxliii.
Quæ crudum humorem generant, Cap.ccxliiii.
Quæ frigidum humorem generant, Cap.ccxlv.
Quæ atrabiliarium ſuccum generant, Cap.ccxlvi.
Quæ bilioſum humorem generant, Cap.ccxlvii.
Quæ ſuperfluitatibus redundant, Cap.ccxlviii.
Quæ ſuperfluitatibus careant, Cap.ccxlix.
Multum nutrientia, Cap.ccl.
Quæ parum nutriunt, Cap.ccli.
Quæ boni ſucci ſunt, Cap.cclii.
Quæ mali ſucci ſunt, Cap.ccliii.
Quæ facilia concoctu ſunt, Cap.ccliiii.
Quæ ægrè concoquuntur, Cap.cclv.
Quæ ſtomacho commodant eúmque corroborant, Cap.cclvi.
Quæ ſtomacho incommoda ſunt, Cap.cclvii.
Flatus expertia, Cap.cclviii.
Flatuoſa, Cap.cclix.
Quæ extergent, ſecãt, obturatione liberãt, Cap.cclx.
Quæ obturent, Cap.cclxi.
Quæ tardi tranſitus ſunt, Cap.cclxii.
Quæ facilè corrumpuntur, Cap.cclxiii.
Quæ difficulter corrumpuntur. Cap.cclxiiii.
Quæ ventrem ſubducunt, Cap.cclxv.
Quæ ventrem ſupprimunt, Cap.cclxvi.
Quæ calfaciunt, Cap.cclxvii.
Quæ frigefaciunt, Cap.cclxviii.
Quæ ſiccant, Cap.cclxix.
Quæ humectant. Cap.cclxx.
Quæ caput lædunt, Cap.cclxxi.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICInæ, tetrabibli primæ, Sermo ſecundus.

Quæcunque ſunt plantarum partes,& fructus,& ſucci,& liquores,ſuperiore ſermone relatum eſt. nunc verò de reliquis medicamentis,terræ videlicet ſpeciebus & metallicis iuxta propoſitum agemus:deinceps etiam de animalibus.

De terræ differentiis, Cap. I.

TERRAM omnes homines familiari vſurpatione illam ſubſtantiam ſolùm nominant,quæ liquore ſubacta lutum euadit. Nam quæ inter metalla reperitur, non liqueſcit. dico autem liquefieri,per totam ſubſtantiam in humorem reſolui: madefieri autem,in ſuperficie rigari tantùm,humore ad corporum profunditatem non penetrante. Omnis terra iam vim ſiccãdi habet,quoniam corpus ipſius natura durum exiſtit:& vbi penitus nullam igneæ ſubſtãtiæ mixturam habuerit,leuiſſimè citra omnem mordacitatem ſiccat:conducit ipſi ad hoc præſtandum lotura.Itaque quædam lotura non habent opus,quædam iterum atque iterum lauari expetunt. Quòd ſi circa ſenſum guſtus fueris exercitatus,ipſe iudex eſſe potes num lauare oporteat,ſiue non.id quod ex acrimonia aut adſtrictione deprehendes. Quandoquidem verò impoſſibile eſt inuenire ſubſtantiam penitus immixtam ac ſimplicem,amplius conſiderare ipſam mixturam oportet ex his quæ accidunt ipſi,iuxta leuitatis ac grauitatis,itémque ſaporis differentias. Si quidem enim adſtringens apparuerit,tanto magis particeps eſt frigiditatis,quanto plus habuerit adſtrictionis: ſi verò acrimoniam præ ſe tulerit,tantum habet caliditatis quantum acrimoniæ.Et leuis quidem terra fit,quũ per omnem ſuam temperaturam aëreæ ſubſtantiæ multæ particeps eſt: contrà grauis, quanto fuerit grauior tanto magis ſincera terra exiſtit.Calida quidem igitur terra calfacit, frigida & adſtringens perfrigerat & repellit: quæ verò exterſorium quid poſſidet citra manifeſtam caliditatem,leniter ſiccat.Quæ autem glutinoſitatem ampliorẽ habet,non exterget,ſed glutinoſitas ſubſtantiam meatibꝰ obducendis aptiorem efficit,vt extergere non poſſit, vbi nulla alia acrimonia viſcoſitati affuerit, velut in ouo videre eſt.Porrò neceſſarium eſt neque hoc ignorare,ſed eius per omnem materiam quæ in medicum vſum venit meminiſſe. etenim plurimi opinantur, omnia vſta frigidiora ſeipſis euadere: quidam vice verſa calorem in vſtis augeri putant.vtrique autem errant.Acria quidem igitur omnia vſta multum de calore ſuo perdunt: quæ verò talia non ſunt,vſta caliditatem acquirunt.Nullum autem vſtum penitus frigidum euadit. relinquitur enim in ipſis velut igniculus quidam tenuium partium. atque hoc eſt quod per loturam vſta deponunt,quo per aquam decedẽte,quod reliquũ eſt vſti,ſubſtantia terrea frigida fit,quæ citra mordacitatẽ ſiccare poteſt.Aqua verò in qua medicamentum lotum eſt,calidam vim tenuium partium acquiſiuit.His itaque declaratis,tempeſtiuum iam eſt dicere, quomodo omnem terram nõ vſtam lauare oporteat, ſi quidem lotura indigeat.nam quædam, velut dictũ eſt, lotura non egent.

Quomodo terram lauare oportet, Cap. II.

OMnis terra hoc modo lauatur.Aqua primùm ſubigitur quæ nullam medicamentariam qualitatem præ ſe ferat,deinde vbi lutum decedit,aqua ſuperſtans diffunditur:poſtea reliquum à ſubſidentibus infernè calculoſis ac arenoſis repurgatur.

Quas medelas agrorum terra præſtet, Cap. III.

AGrorum terra quæ colitur,omnis quæ pinguis eſt,vtilis eſt ad curationem omnium partium reſiccatione indigentium:quare & in Alexandria & Ægypto ipſa vtuntur.In Alexandria itaque vidi hydropicos & lienoſos aliquos terræ Ægyptiacæ luto vti.Multi verò etiam ſuras & femora,& cubitos, & brachia, dorſúmque ac latera & pectus,eius terræ luto illinentes,opem ſenſerunt: quin & veteres inflammationes & laxos tumores hoc lutum ſanat.Et ſanè noui quoſdam toto corporis habitu aquoſos ex immodica hæmorrhoidum euacuatione redditos, inde manifeſtum auxilium ſenſiſſe. quidam etiam diuturnos dolores iuxta partem aliquam firmatos,hoc luto perfectè ſanarunt:atque hæc quidem Galenus. verùm Strato de terra ſic ſcribit, Ad vetuſtum capitis dolorem,ſordes balnearum,aut aquæ calidæ cum terra nigra lota miſceto,ac vtitor: aut terram cum decocto capitum roſarum ſubigito,ac vtitor: aut teſtam amphoræ acetariæ tritam terræ addito,cũ lauri decocto:aut clibani teſtã cũ nigra terra cõmittito affuſo ſampſuchi decocto.Cæterùm ad puſtulas ex corpore erumpentes ſcabioſas ac impetiginoſas, terram nigram cum amygdalarum aut lupinorum amarorũ decocto ſubigito, ac vtitor: aut amphorã aceti cũ rutæ decocto eluito, eóq; terrã ſubigito,ac vtitor ſimiliter: aut glebulas ſalis quæ in fundo amphorarum gari reperiuntur terito,ac terræ admiſceto,& vtere velut efficaci: aut columbinum fimum terræ miſceto,& cum halicacabi decocto ſubigito,ac vtitor.At verò ad tuſſim vetuſtam vnà cum vitiato corporis habitu,terram oſſium vitulinorum decocto ſubigito,& pectus illinito: aut amphoram mellariam eluito,& terram ſubigito,ac vtitor.Potes & cumini, & nigellæ,ac ſampſuchi decocto ſimiliter terram ſubigere ac vti. Porrò ad lienoſos,cinerem ſarmentitiã & grumos fæcis vini cum terra ſubigito,ac vtitor: aut foliorum capparis decocto ſubigito: aut recrementum argẽti leuiſſimè tritum, cum luto permiſce,ac vtere:aut decocto herbæ ſerapiadis triteſticularis ſubigito ac vtitor. Ad hydropicos autem teſtas amphoræ muriariæ inueteratas terito,ac terræ admixtis vtitor: aut ſuillæ carnis ſiue vitulinæ garum admiſceto,ac ſimiliter vtitor:aut ſampſuchũ aqua marina coquito, eóque terram ſubigito, ac vtitor: aut ſalſamentum cum lupinorum amarorum decocto cõterito,terræque admiſceto,ac vtitor: aut alumẽ vſtum,& pulegii vſti cinerem,cum luto committito,& cum aceto mulſo ſubigito,ac vtitor:aut bubulum fimum ſiccum tritum terræ admiſceto,& aceto mulſo ſubactis vtitor. Ad iſchiadicos,& omnes neruoſarum partium perfrictiones, ſampſuchum vitulinorum oſſium decocto coquito,eóq; terram albam ſubigito,ac vtitor: aut anguillam cum ſale & nitro coquito,& decocto terram ſubigito, ac vtitor: aut ſordes ſtrigmentitias cum calce viua terræ admiſceto,ac vtitor: aut porri ſiue allii decocto terram ſubigito,ac vtitor: aut coſtum,caſiam,iuncum odoratum, aſpalathum, xylobalſamum, & ſampſuchum contuſa, in aqua & oleo coquito,lutóque permiſceto,ac vtitor: aut caprarum fimum ac bubulum,ſimul cũ ſorde cerati raphanini terito, ac ad terram admixtis vtitor. Ad podagram, à capite vſque ad inguina ex prædictis æger integatur, ab inguine autem infrà vſque ad digitos pedum & vngues ex ſubſcriptis. Vituli pedes poſteriores vnà cum vngulis exurito,terito ac terræ miſceto,& vtitor:aut lapidem leucographidem cum aqua in qua ferrum ſæpius extinctum eſt terito,& aluminis vnciã I. addito,ac cum terra ſubigito,& vtitor:aut decocto foliorum cypri,*id eſt liguſtri*,terram ſubige,ac vtere: aut gallas donec flacceſcant coquito,& terram eo decocto ſubigito,ac vtitor. Aliud. Aluminis liquidi vnciam vnam,aluminis ſciſſi vnciam vnam, gũmi ſexuncem,ceruſſæ dodrantem, melantheriæ quincuncem,miſyos ſexuncem,foliorum ſalicis dodrantem, olei myrtei aut ſicini vncias XXIIII. aceti ſexuncem. terito ſimul,ac tum terra ſubactis vtitor. Aliud. Acaciæ, atramenti ſutorii vtriuſque drach.II. aceto trita ſiccato, & ad terram admixtis vtitor. Aliud. Aluminis, ſpumæ argenti,miſyos aſſati,ſingulorum drach.IIII. excipe cerato myrteo liquido,& cum terra ſubige,ac vtere. Aliud. Ceruſſæ,ſpumæ argẽti,vtriuſque drach.XXIIII. olei myrtei drach. XXXIIII. aquæ quod ſatis eſt,ſubigito cum

myrtei drachmas XXIIII. aquæ quod ſatis eſt. ſubigito cũ terra, ac vtitor. Aliud, quo curatus eſt præſes Philinꝰ. Succi mororum, aluminis ſciſsi, liguſtri, viticis, gallarum, croci, fructus myricæ, thuris, ſingulorum ſexuncem. Omnia ſimul tenuiſſimè trita reponito: vſu expetẽte neceſſario aqua dilutis ac cum terra ſubactis vtitor. Cæterùm lauari non oportet, ſed perſicorum immaturorum decocto perfundi ac foueri. Atque hæc quidem de agrorum terra ſufficiunt.

Terra Lemnia, ſiue Sigillum Lemnium, & Sphragis Lemnia, Cap. IIII.

LEmniam terram, quam & Lemniam ſphragidem vocãt, *id eſt Lemniũ ſigillum*, præparatã accipere eſt, ſemel lotam in patrio loco, vt altera lotura non habeat opus. verùm aliâs alio liquore diſſoluta, diuerſimodè operatur. Et ſanè in malignis ac putredinoſis vlceribus ſemper feliciter & magno fructu Lemnia terra vſus ſum. Vſus eſt pro magnitudine maliciei vlceris. Quod enim valde fœtidũ eſt humectúmque ac ſordidum & inueteratum, Lemniã requirit acerrimo aceto diſſolutam ad lutoſam cõpagem. Vino autẽ diluta, recentia vulnera glutinat. pota ad ſanguinis reiectiones cõducit, & ad lethalia medicamenta, & ad morſus venenatorũ animalium. Infuſa quoque per clyſterẽ cum plantaginis ſucco, dyſentericis magnopere auxiliatur, præablutis videlicet vlceribus, muria infuſa. Datur iiſdem, & ſanguinem ſpuentibus, in potu cũ poſca.

Miltos, *id eſt Rubrica*, Cap. V.

RVbrica ſiue miltos vim habet adſtringendi, meatus obducendi, reſiccandi: quapropter etiã emplaſtris admiſcetur ac paſtillis ſiue trochiſcis ſiccantibus ac adſtringentibus. Siſtit aluum cum ouis in ſartagine frictis accepta, itémque infuſa. Lumbricos etiam pota detrahit. primas omniũ habet Sinopica appellata: verùm in Cappadocia naſcens, denſa exiſtens & grauis, & colore iocinoris vnicolor, & quæ diluta in multũ ſuccũ diffũditur.

Terra Samia, Cap. VI.

SAmia terra nõ lauatur. Vtimur autem altera eius ſpecie frequentius, quã ſanè Samiũ Aſterẽ, *id eſt Samiã ſtellam* vocant; quæ ad ſanguinis ſputum facit pota, & vndecũque feratur, idem & pota & appoſita. Vtimur & ad exulcerationes dyſentericas, & nomas ſerpendo depaſcentes, infundentes eam cum plantaginis ſucco, maximè in vlceribus quæ inflãmatio præoccupauit, & acriora pharmaca nõ ſuſtinent, & in corporibus molli carne præditis. mitigat enim humectiores præſertim & laxiores partes. vnde in mãmarum ac teſtiũ inflãmationibus adhibetur, trita cum aqua, roſaceo tanto adiecto vt pharmacum exareſcere non ſinat. Bonum eſt hoc modo præparatum medicamentum etiã ad alias inflãmationes calidas, & ad inguinũ abſceſſus incipiẽtes, ac fluxiones podagricas, & in ſumma, vbi moderatè frigefacere vnáque mitigare volumus: vt ex hoc adeo manifeſtè appareat Samiæ terræ vim moderatè frigefactoriã eſſe. eſt enim aerea & glutinoſa. præſtat autẽ ſtella Samia terræ Samiæ, eo quòd glutinoſitatem & vim obducendi meatus ampliorem poſſidet.

Terra Selinuſia & Chia, Cap. VII.

SElinuſia & Chia terra exterſoriã vim valde moderatè habent: quapropter aliquæ fœminæ ad faciem iis vtuntur: verùm cum leui ſiccatione ac exterſione, neque caliditatis neque frigiditatis manifeſtè participes ſunt. & propterea ad vlcera in ſuperficie corporum cõmodæ exiſtunt, qualia ſunt ambuſtorum. Cæterùm quæ ſubſtantiã meatuum valde obductoriã habent, non extergent: prohibet enim hoc ipſum glutinoſitas.

Cimolia terra, Cap. VIII.

CImolia terra mixtæ facultatis eſt: habet enim vim frigefactoriam & repulſoriã, habet & modicam diſcuſſoriam. Lota diſcuſſoriã deponit: verùm iuxta naturam eorum quæ ipſi admiſcentur, manifeſtè vtramque vim demonſtrat. nã repulſoriis ac frigefacientibus permixta, lutum quod inde fit, perfrigerans ac repulſorium efficit: diſcuſſoriis, diſcuſſorium. atque ita ambuſtis conducit aceto ſubacta & illita. memineris tamen cõmune hoc in omni leui terra eſſe. Omnes enim ambuſtis proſunt eueſtigio ex poſca illitæ, bullas exurgere prohibentes.

Terra Ampelitis ſiue Pharmacitis, Cap. IX.

AMpelitis terra etiã pharmacitis appellatur, eo quòd efficaciorem aliis vim poſſidet, & quòd agricolæ vere appetente ipſam diluant, ex eáque radices vitium quæ germen emiſerunt, illinant, vt animalcula vitibus noxia eos non contingant. Ex eo verò quòd cnipas vermiculos perimat, ſatis indicat quantum medicamentariæ facultatis poſſideat. At verò lenitatem & vim mitigatoriam nõ habet; ſed magis ſiccat. quapropter & mixtam his medicamentis reperies ipſam, quorum ſcopus eſt ſiccare quippiam ac diſcutere.

Terra Cretica ſiue Creta, Cap. X.

CRetica terra ſimilis quodammodo eſt Samiæ & conſimilibus: ſed valdè debilis eſt, multum aeroſitatis habens: quapropter etiã vim extergendi citra mordacitatẽ magis habet, per quã etiam argentum exterit ac depurat.

De omni terra vſta, Cap. XI.

QVandoquidem verò quidam medici terram vrunt, neque id malè excogitatum in vſum vlcerum quæ leniter reſiccari oportet: noſſe expedit quòd vſtu terra tenuiorum partium & acrior euadit, vt ad diſcuſſoriam facultatem delabatur: ſi verò vſta lauetur, acrimoniam quidem in aquam deponit: verùm partium tenuitatem ex vſtura conſeruans, magis ſiccatoria fit. Quapropter quum omnis terra non vſta vlceribus commoda ſit, ea quæ poſt vſturam lota eſt, magis adhuc ad vlcera ægrè carnem ac cicatricem recipientia conducit.

De bolo Armeniæ, Cap. XII.

DAta nobis eſt in hac magna peſte etiam alia quædam terra ex Armenia Cappadociæ contermina, maximè ſiccatoriam vim habens, colore pallida. Qui dabat ipſam, lapidem appellabat. Eſt autem friabilis, velut calx & ſtella Samia, non tamẽ ſimiliter ſtellæ leuis. Nam & magis dẽſa eſt, minus aerea. quapropter iis qui negligẽtius inſpiciũt, imagine lapidis offertur. Valde autem ſiccat, tum in dyſentericis, tum in fluxionibus ventris. Inſupérque ſanguinis ſputo, & deſtillationi, & putredinoſis oris vlceribus conducit. maximè autem defluxionibus à capite ad pectus prodeſt. quare etiam iis qui ob eam cauſſam ægrè ſpirant, validè auxiliatur, nec non iis qui tabe laborant. ſic enim reſiccat vlcus, vt ne tuſſiant quidẽ amplius. Cæterum ſi fortè quis à malo liberatus, per licentiorem diætam recidiuam ſentiat, is itidem ex Armeniæ bolo opem ſentiet, præſertim difficili anhelitu iam diuturno. Porrò in magna hac peſte omnes qui de hoc pharmaco biberunt, celerrimè ſanati ſunt: quibus verò nihil profuit omnes mortui ſunt, neque ab alio quopiã opem ſenſerũt. ex quo palàm conſtat quòd ſolis his qui incurabiles erãt, non profuit. Bibitur cum vino ſubſtantia tenui, mediocriter diluto, ſi febre penitus careat homo, aut parum febricitet: ſin valdè, cum aquato penitus. ſed neque ſunt adeò vehementer feruidæ peſtilentes febres. At verò quid attinet dicere quantam vim habeat hæc Armeniaca bolus *ſiue gleba*, in vlceribus ſiccatione indigentibus? Appellatur autẽ illorũ lingua vernacula, zarinacha: Syrorũ verò zarnacha. mõs in quo naſcitur, iuxta vrbem eſt appellatã Bagana. Ager in quo mons eſt nominatur Agaraces.

Lapis Hæmatites, Cap. XIII.

HÆmatites à coloris ſimilitudine nominatus eſt. affrictus enim ad cotem, vel in pila tritus, ſanguinolentum ſuccum remittit. tantæ autem frigiditatis particeps eſt, quantæ adſtrictionis. meritò itaque auſi ſunt medici hæmatiten lapidem ocularibus compoſitionibus addere. Ego verò etiã ſolo per ſe vſus ſum ad aſpritudines palpebrarum, ſi vnà cum inflammatione eſſent oborta, per oui cãdidum diluto, aut potius per fœnigræci decoctum, ſi verò citra inflammationẽ, per aquam. Initium ſemper faciendum eſt à moderatè liquido per ſpecillum infuſo. deinde vbi æger ferre vim eius poteſt, craſſitudinem augere oportet, & poſtremùm ita craſſum facere medicamẽtũ, vt ſpecilli nucleo ſubdito palpebræ illinere poſſis, aut euerſæ applicare. Idẽ lapis ad cotẽ tritus ac potus, ſanguinis ſputo omnibúſq; vlceribus cõducit. Aridus autem tritus, & ad puluillũ redactus, reprimit carnẽ excreſcẽtẽ.

nemo autem ipſo per ſe vtitur. ego verò ad ea quæ dixi vſus ſum, viribus ipſius ex ſaporis qualitate cognitis. quin & ipſa vlcera oculorum ad cicatricem perducit per ſe ſolus tritus, velut paulo antè dixi, ſiue infundatur ſiue ſublinatur. nam & hoc ipſum experimento cognoui.

Lapis ſchiſtos, Galactites, Melitites, Cap. XIIII.

CONſimilem hæmatitæ, ſed debiliorem vim ſchiſtos, *hoc eſt ſciſſilis*, appellatus lapis, habet. Ad coté tritus colorem pallidum reddit. Ab eo conſequens eſt Galactites, lactis colorem dilutus reddens. Melitites autem caliditatis cuiuſdã particeps eſt. nam à ſimilitudine ſaporis mellis nomen inuenit. Singuli itaque hi paululum ab hæmatite viribus deſciuerunt, & ad oculos ſimiliter in vſum veniunt, ſed leniores exiſtunt. Leniora autem medicamenta ſemper ſunt inflammatis partibus accommodatiora: verùm debiliora quàm vt depulſa inflãmatione ad perfectam ſanitatem perducere queant.

Communis doctrina de omnibus lapidibus, Cap. XV.

QV V M cõmunis ſit omnibus lapidibus vis ſiccandi, quicunque ex ipſis aut in ſuccum reſoluti, aut aliàs triti, nullam manifeſtam guſtui qualitatem exhibent, eos putandum eſt debiliſſimos eſſe & leuiſſimos, & mordacitatis penitus expertes. Qui verò manifeſtam qualitatẽ guſtantibus offerunt, iuxta qualitatis proportionem etiam vim habent: ſi quidem enim adſtrinxerint, ad reprimendum & conſtringendum, ſpiſſandúmque ac cogendum commodi erunt: ſi verò momorderint, ad calfaciendum & diſcutiendum ac colliquãdum valebunt. Inter hos medii ſunt qui ſolummodo extergent, citra adſtrictionem ac mordacitatem.

Leucographis aut Moroxus, Cap. XVI.

EX lapidum qui in ſuccum reſoluuntur numero eſt & qui in Ægypto naſcitur, quo vtuntur ad lintea illuſtranda, quem alii Moroxum, alii Leucographidem vocant: nam quum ſubuiridis appareat hic, ſi ad cotem affricetur aut aſperius pallium, locum inalbat. Expers eſt autem omniũ qualitatum magis quàm prædicti, nõ adſtrictionem, neque exterſionem, neque mordacitatem in guſtu exhibens. Vnde hoc tantùm ipſi adeſt quòd citra mordacitatẽ ſiccat. & propterea cerato ipſum admiſcent, & ad vlcera cicatrice includenda vtuntur in corporibus mollibus. miſcent eundem & ocularibus compoſitionibus. quanto verò mollior eſt & qualitatum magis expers, tanto moderatior & mitior exiſtit.

Galactites, Cap. XVII.

GAlactites quoque conſimilem prædicto colorẽ ſubuiridem habens, lacteum ſuccum remittit. eſt autem albior leucographide. Mulieres lacte multo implet, ſi à balneo tritum lapidem cum aqua aut vino dulci bibant. miſcetur & ocularibus compoſitionibus. Tradunt, eundẽ dentientium puerorum collo adalligatum, facilem dentium exortum efficere.

Thyites lapis, Cap. XVIII.

OMnibus relatis lapidibus fortiorem vim habet lapis qui ex Æthiopia apportatur, ſubuiridis aliquo modo velut iaſpis, nominatus Thyites. Dilutus hic ſuccum reddit lactei coloris, ſaporis mordacis, & propterea ſolùm ad repurganda & extergenda ea quæ pupillis tenebras citra inflãmationem offundunt, cõducit. ex quo numero ſunt & recentes oculorum cicatrices, quas attenuare ſolet. exterget & pterygium, oculorum vitium, *vnguem latinis appellatum*, ſi non valde durum exiſtat.

Tecolithos quem Syriacum appellant, Iudaicus lapis, Cap. XIX.

EST & alius lapis fortis facultatis in Syria Palæſtinæ naſcens, colore albus, figura concinnus, lineas habẽs velut à torno exſculptas. appellatur Iudaic[9] & Tecolithos. Confringit calculos in renibus natos, dilutus in cote & ex aqua calida potus: verùm in veſicæ lapidibus nihil eximii præſtat. Nechepſus tradit hæc verba: Tecolithũ lapidem cum aqua terito ad ſordium ſtrigmẽtitiorum tenuium craſſitudinem, & deraſis circa veſicam ac pubem pilis illinito, & confringet ac liquefaciet calculos in veſica. Vnde & cantilena orta eſt:

A Salue pelagus Arabiæ,
Cladum medelam proferens, Inſigniter, tecolithũ.

Idem oleo myrteo dilutus podagricis cõmodè illinitur.

Pyrites, Cap. XX.

EST & pyrites ex lapidum numero qui fortem vim habent, colore argento ſimilis, cuius vſus eſt diſcuſſorio emplaſtro admixti, adiicitur ipſi etiã ſchiſtus. hoc pharmacum ſæpe pus, ſæpe & grumoſas concretiones in mediis muſculorum regionibus cõſiſtentes diſcuſsit. Oportet autem lapides qui in vſum vertuntur, omnes læuiſsimos facere, ac conterere ſimiliter vt eos qui in oculares
B compoſitiones miſcentur.

Lapis Phrygius, Cap. XXI.

PHrygius lapis fortiter ſiccat, habens quid adſtrictionis ſimúlque mordacitatis: vnde & repellit ac diſcutit. ego autem vſto ſemper vſus ſum, ad putredinoſa quidem vlcera aut per ſe, aut cum aceto, aut poſca aut vino mulſo. Ad oculos verò ſiccum ex ipſo facio medicamentum, de quo in opere vbi de compoſitione medicamentorum dicetur, agam.

C Lapis Ageratus, Cap. XXII.

LApis Ageratus quo coriarii vtuntur, gurgulionem inflammatum euidenter ſanat.

Lapis Aſius & flos ipſius, Cap. XXIII.

EST & lapis Aſius in Aſo naſcens, vnde & nomen inuenit: tofacei coloris ac compagis, friabiliſque ac laxus. innutritur autem in ipſo quippiam ſimile tenuiſſimo pollini qui parietibus molendinorum inhæret: & petræ Aſiæ florem appellant. eſt autem tenuium partium,
D vt humore flaccidas carnes eliquet ac reficcet, citra fortem mordacitatem. habet & quid ſalſum in ſapore, vt cõiectare liceat generationem ipſius ſalſam eſſe, rore quodã ex mari petræ inſidente, qui poſtea à ſole ſiccetur & obareſcat. Similem flori vim habet & petra in qua naſcitur, ſed efficacia debiliorem.

Gagates, Cap. XXIIII.

EST que alius quidam lapis colore niger, qui igni admotus, bituminis odorem de ſe præbet. Hunc tradũt reperiri in Lycia circa fluuium Gagen, vnde etiã Ga-
E gates appellatur. Cæterùm ego cruſtaceos & planos lapides nigros, debilem flãmam generantes igni admotos, ex caua Syria attuli propè Hierichũtem, qui nati erant in vertice mortuum mare ambiente, ad partem eius orientalem, vbi & bitumen prouenit, vnde & odorẽ huiuſmodi acquiſierunt. Vſus ſum autẽ his ad inflationes genuũ diuturnas & ægrè ſanabiles, cõpoſitionibus ad hoc accidens experimẽto cognitis ipſos admiſcens: & ſanè viſi ſunt mihi vim illarum longè efficaciſsimam reddidiſſe. Admiſcui eoſdem & emplaſtro Barbaro appellato, & eua-
F ſit pharmacum manifeſtè amplius ſiccatoriũ, vt & ſinus cõmitteret ac contraheret, nõ ſolùm crueta vulnera glutinaret, ad quæ barbarũ emplaſtrum maximè cõmodum eſſe creditur. Aiunt gagaten aqua coctum & cum aqua potum, lumbricos expellere: adalligatum autem capitis dolores inueteratos ſedare. Accelerat partum mulieribus ægrè parientibus, ſi parturientis manu contineatur. Admiranda vis gagatæ igni admoti & accenſi, deinde vino extincti exiſtit. nam vinum hoc cardiacis in potu datum, ſtatim ipſos leuat, & ſudore compreſſo & pulſu excitato.
G Alii in puluillum conterunt gagatẽ lapidem, & per dies ſeptẽ cũ vino colicis exhibent, & penitus malum tollunt. datur in diẽ drach. vna. quin & poculum ex ipſo ſuffumigant, ex quo cum vino bibendus datur. Idem præſtat efficaciter bitumen quoque potum. fugat ſerpentes ac reptiles beſtias ſuffitus gagates, & menſes ac ſecundas detrahit. deprehendit item ac arguit comitiales morbos. ſtrumas quoque diſſoluit tritus, cõmodis ad ipſas medicamẽtis admixtus. ſanat & ſedis affectiones, quamleuiſſimè tritus, & vuarum acerbarum ſucco ad tertias decoctus. Quo
H modo etiam alias omnes corporis fluxiones compeſcere poteſt.

Magnes lapis, ſiue Heraclius, Cap. XXV.

MAgnes lapis, qui & Heracli[9] appellatur, cõſimilẽ hæmatitæ vim habet. participat & attractoria facultate. Tradũt detentũ manu chiragricorũ ac podagrico-

rum, dolores ipſorũ ſedare.æquè & conuulſis opitulatur.

Smiris,pumex,teſtæ clibani, Cap. XXVI.

SMiris exterſoriam vim habet: dentes itaque mundos facit,ſi ex ea confricentur,velut experientia cognouimus.Et pumex exterſoriam vim habet velut ſmiris.Et figulina teſta eadem vi præſtat,maximè clibanorum. Cæterùm ſmiris etiam acre quippiam habet, & propterea vſtoriis ac ſiccatoriis compoſitionibus miſcetur:item eis quæ curant humore flaccidas gingiuas.Sed & pumex affrictus dentes illuſtrat, non ſolùm extergendo, ſed etiam per aſperitatem. Vſtus autem pumex nihilo inferior eſt ſmiride ad eoſdem vſus. lotus idem poſt vſturam, caua vlcera optimè carne replet.At verò clibanorum teſta,vnà cum extergendi facultate & ſiccatoriam poſſidet. quapropter emplaſtra,hephæſtias &magos, ex hac teſta compoſita,optimè cicatricem vlceribus inducunt.

Lapides in ſpongiis, Cap. XXVII.

LApides etiã qui in ſpõgiis reperiũtur,vim atterẽdi habent, non tamen adeo validam vt veſicæ lapides confringere poſſint:verùm renum calculos comminuunt.

Oſtracites lapis & Geodes. Naxiæ cotis retrimentum, Cap. XXVIII.

OStracitem lapidẽ quoſdam laudare audio, velut qui multam ſiccatoriam vim habeat ex adſtrictione & acrimonia permixtam: quemadmodum & eum qui Geodes appellatur: ita vt dupillas depurget, & mammarũ ac teſtium inflammationes ſanet aqua dilutus.Naxiæ tamen cotis retrimentum frigefactoriam vim habet, vt etiam podagricis opituletur,cum cerato roſaceo adhibitum.

Ophites lapis, Cap. XXIX.

OPhites lapis vſtus extergendi ac atterendi & cõfringẽdi vim habet. quare potus ex vino albo ac tenui, lapides veſicæ confringit. Adalligatus ad viperæ morſus conducit.

Hieracites lapis & Indicus, Cap. XXX.

HIeracites & Indicus lapis hæmorrhoidas reſiccãt dextro femori adalligati,cuius rei & nos periculum fecimus. Diogenes autem de lapidibus libro ſic ait, Lapis hieracites ſubuiridis eſt ad nigredinem vergens, & aliis coloribus reſperſus,vt varius exiſtat. Vim autẽ habet hæmorrhoidas reſiccantem dextro ægri femori adalligatus. Probatio veri hæc eſt: vbi habueris ipſum in manibus,melle manus inunge,& muſcæ non appropinquabũt tibi lapidem ferenti. At verò Indicus colore ſubfuluus eſt, tritus autem purpureum colore ſuccum remittit, & neque denſus neque rarus eſt, & cum vino potus hæmoptoicis prodeſt. Qui verò exalbidi coloris eſt, & cineris imaginem repræſentat, etiam alias ſanguinis eruptiones ſiſtit.

Vitrum, Cap. XXXI.

VItrum tenuiſsimè tritum, ex vino albo tenui potùm, veſicæ calculos potenter confringit.

Lapis AEtites, Cap. XXXII.

AEtites lapis agitatus ſonitum edit,velut ex altero lapide prægnans.fœtus vuluarum lubricarum retinet ſiniſtro brachio adalligatus: verùm tempore partus adimendus eſt de brachio & femori adalligandus, pariétque prægnans citra dolorem. Fures deprehendit, ſiquis ipſum in panem qui comeditur imponat: nam qui furtũ fecit,commãſa deuorare nequibit. Tradunt etiam ſimul cum eduliis coctum fures arguere: neque enim poterit fur deuorare quæ cum ipſo cocta ſunt. Tritus autem & cerato Cyprino aut gleucino exceptus, aut alio quopiã calfaciente, magnopere prodeſt arthriticis ac paralyticis.

Alabandicus ſiue Alabandinus lapis, Cap. XXXIII.

ALabandicus coloris ſubnigrantis eſt fuluo admixto, pellucet quaſi ſegmentis quibuſdam aut fiſſuris diſcriminatus. Tritus hic ſuperficiem pilorum alborum nigram efficit.

Electrum ſiue ſuccinum, ſeu lyncurium, Chryſelectrum, Cap. XXXIIII.

ELectrum, quod & ſuccinum & lyncurium appellant, potum dyſenterias ſanat, & ſtomachicis opitulatur. Chryſelectrum quoque cum maſtiche potum doloribus ſtomachi medetur.

Iaſpis viridis, Cap. XXXV.

VIridis iaſpis proprietate quadam,velut alia quædam, auxiliatur ſtomacho & ori ventris pro amuleto appenſus.Quidam & anulis ipſum includũt,& draconem radios habentem in ipſo ſculpunt,quemadmodum Nechepſus rex ſcripſit. Huius itaque lapidis etiam ego experimentum ingens habeo,& ſanè catenulam ex talibus lapidibus concinnatam de collo ſuſpendi,ea commenſuratione ac modo vt lapides os ventris contingant.Cognoui autem nihil minus valere ac prodeſſe eos qui ſculpturam nõ haberent quam Nechepſus tradidit.

Iaſpis ſubuiridis, Cap. XXXVI.

IAſpis ſubuiridis adalligatus ſtomachi dolores ſedat,& paralyticas reſolutiones ac dolores mitigat. Qui verò capnias appellatur, *hoc eſt fumoſus*, turbulentum valde habens colorem, magna tutela ægrè parientes mulieres aſſeruat.Sed & hydropicis adalligatus commodat,& maxima vulnera ab inflammationibus aſſeruat,eóſque qui vulnerantur dolore liberat itidem adalligatus.

Iaſpachates, Cap. XXXVII.

IAſpachates ex iaſpide ſmaragdeo, & achate compoſitus eſt. Vim habet leniendæ ſitis,& hydropicis auxiliatur, hepaticiſque ac peripneumonicis & pleuriticis potus.corpus quoque floridum ac ſpecioſum facit.

Sapphirus lapis, Cap. XXXVIII.

SApphirus cum lacte tritus potus,omnes internas vlcerationes ſanat,& ſudores ſedat. Externas vlcerationes omnes idem cum lacte illitus curat. fiſſuras quoque linguæ aridus tritus inſperſus ſanat. In ſumma ſiccatoriam vim habet.

Smaragdus lapis, Cap. XXXIX.

SMaragdus aſſatus & tritus cum melle Attico permixtus oculorum hebetudines ſanat: cum melle vero & gummi illitus,elephantiaſi laborantibus vtiliſſimus eſt. idem quoque potus ab eo malo in totum liberat.ſiſtit & ſanguinem vndecunque feratur.

De metallicis,& quæ ex aqua generantur, Cap. XL.

MEtallica appellare mos eſt medicis ea quorum generatio in metallis eſt,ſiue ſponte naturæ,ſiue per fornacem producantur.inſupérque tertii generis quæ rurſus ex illis ipſis homines ſuo ingenio faciunt,velut eſt ceruſſa, ærugo, ſandyx, & ſimilia.Itaque conſequẽter de omnibus iuxta literarum Græcarum ordinem trademus.

Adarces, Cap. XLI.

ADarces acerrimus ac calidiſſimus eſt. quapropter hebetantibus vim ipſius miſcetur,& ſic multi vſus fit,affectionibus calfieri indigẽtibus forinſecus admot[9].

Alcyonia, Cap. XLII.

ALcyonia omnia abſtergent ac diſcutiunt,habéntque acrem qualitatem,aliquã magis,aliqua minus.Quod ex hoc genere Aſperum appellatur,externam ſuperficiem læuem habet,& internam ſubſtantiam aſperam:éſtque calidiſſimum omnium Alcyoniorum,vt etiam pilos exurere poſſit. quapropter ad lepras,vitiligines,ſcabies ac impetigines, aliis mitioribus medicamentis vtimur. Nam aſperum alcyonium non ſolùm exterget ac repurgat cutem,ſed etiam excoriat ac vlcerat. Quod verò Mileſium vocatur, figura vermi ſimile,purpurei coloris,& compage ſubſtantiæ molli omnium tenuiſſimum eſt. quare vſtum alopecias ſanat,cum vino fuluo ac tenui illitum.

Ales, *id eſt ſal*, Cap. XLIII.

SAL omnis,& foſſilis & marinus, eandem in genere vim habet:differentia in eo eſt, quòd ex terra effoſſi ſubſtantia magis ſit coacta: quapropter craſſitudo partiũ & vis adſtringendi,in hoc maior exiſtit. Foſſilis generis optimus eſt Ammoniacus & Cappadocicus. At verò marino ſpecie ſimilis eſt qui in quibuſdam ſtagnis generatur.Omnis tamen ſal in cõmuni calfacit,diſcutit,adſtringit,ſiccat,cogit ac dẽſat ſubſtantiã corporũ quibus adhibetur.Nã quicquid eſt in corporib[9] humiditatis idipſum

depaſcitur,& quod reliquum eſt ſolidæ ſubſtantiæ, vi adſtrictoria ſpiſſat. vnde & ſiccant, & incorrupta adſeruant, quæ ob ſuperfluam humiditatem putreſcere ſolent.

Sal vſtus, Cap. XLIIII.

SAL vſtus diſcuſſoriã vim magis habet quàm non vſtus, quanto ſanè tenuius corpus ex vſtura acquirit. non tamen ſimiliter vt non vſta cogere ac denſare ſolidã ſubſtantiam valet.

Salis flos, Cap. XLV.

SAlis flos cõpage quidem liquidus eſt, colore verò croceus: partium tenuitate vſtum ſalem ſuperat, & acrem qualitatem ac vim multùm diſcuſſoriam habet. Colligitur ſub æſtum caniculæ. eſt enim velut flos quidam talibus aquis ſuperſtans.

Salis ſpuma, Cap. XLVI.

SAlis ſpuma, ſpumoſus quidam floſculus ſalis eſt, vicinis petris adhærens. multo autem tenuiorum partium naturam habet quàm ipſe ſal: quare & attenuare & diſcutere multo magis poteſt. verùm quod reliquum eſt ſubſtantiæ denſare velut ſal non poteſt.

Armeniacum pictorum, Cap. XLVII.

ARmeniacum quo pictores vtuntur, ex Armenia apportatur: vnde quoque bolus Armeniæ, de quo dictum eſt, affertur. Vim habet Armeniacum exterſoriam cum modica acrimonia & pauciſſima adſtrictione. Itaq; quum tale ſit, ocularibus medicamẽtis admiſcetur. quin & ipſũ per ſe terunt in tenuiſsimũ puluillum, vtunturq; ſicco ad augmentũ pilorum in ſuperciliis, vbi ob quandam humorum acrimoniam aliqui ipſorum excidunt: aliqui verò non augeſcunt, ſed ob alimenti inopiam marceſcunt. nam acrimonia conſumpta, particulam ad naturalem habitum reducit: etenim vitioſo humore cõſumpto, natura ad proprias actiones redit, quum nihil ſit amplius quod ei impedimento ſit. Nechepſus de eo ſic tradit: Armenium quo pictores vtuntur, duodecima drach. parte melancholicis & craſſum ſanguinem habentibus dato. Datur & pueris pectoris morbo infeſtatis. reuomũt enim: nam vomitorium exiſtit. Datur & morbo ſacro obnoxiis ac furioſis, hoc modo: Centaurii faſciculos manipulares tres in aquæ marinæ heminis tribus coquito, donec vna ſuperſit, & cum excolato decocto Armuchei lapidis, quem *Græci* Armenium vocant, tertiam drachmæ partem terito, ac confidenter exhibeto. nihil enim periculi eſt. Itaque noſſe operæpretium eſt quòd Armenium penitus reuomitur, nihil memorabile ſurſum efferẽs, ſed & infernè modicum quid paulatim, & in pluribus ſeceſſibus effert.

Arſenicum, *id eſt auripigmentum*, Cap. XLVIII.

ARſenicum vſtoriam vim habet tum vſtum, tum non vſtum: manifeſtum eſt autem quòd vſtum tenuiorũ partium euadit.

Aſphaltus, *i. bitumen*, Cap. XLIX.

BItumẽ ex numero eorum eſt quæ in aqua marina aut conſimili generantur. optimum eſt quod in mortuo mari iuxta Hierichũtem prouenit. Vis eſt omni bitumini ſiccatoria ac calfactoria ordine ſecũdo. meritò itaque ad cruẽta vulnera glutinanda adhibetur, itémq; ad alia quæ ſiccari expetunt cum moderata calfactione. quapropter in teneſmi ad egerendum irritamentis, in quibus pituita craſſa infarta eſt vt ægrè auelli queat, ipſius vtimur ſuffitu. Similiter & ad dyſentericos ex tali cauſa inteſtinis vlceratis. Potum bitumen nucis Ponticæ aut fabæ magnitudine, cum vino tritum, cardiacis qui animo linquuntur magnopere eueſtigio prodeſt: maximè autem fœminis & pueris & corporibus mollibus conducit. eodem modo datum & quartana citius liberat. Experimento conſtat vis eius poti ex aqua, in iis qui à rabioſo cane morſi ſunt. præſeruat enim eos ne in timorẽ aquæ delabantur, & eos qui iam inciderunt conſeruat.

Aphronitrum, & litri ſpuma, Cap. L.

APhronitrum, *hoc eſt nitri ſpuma*, & litri ſpuma inter ſe differunt, quòd litri ſpuma medicamentũ eſt magis ſiccatoriũ, aſpectu farinæ triticeæ ſimile. nam alba quoque exiſtit. aphronitrũ autẽ non farinoſum neque diſſolutum, ſed cõpactum eſt. Differt autẽ à ſale aphronitrum,

A inquantũ vnũ ſolum prædominantẽ ſaporem manifeſtè in ipſo videre eſt, amarum videlicet, qui diſcuſſoriã vim habet, denſatoriã verò non habet, quẽadmodum ſal poſſidet. Aphronitrum itaque exterſoriam vim habet, vt nõ ſolùm ſordes depurget, ſed pruritum quoque ſanet: at verò litri ſpuma eandem vim quã litrum habet, ſed tenuiorum partium exiſtit.

Gypſum, Cap. LI.

GYpſum vnà cum ſiccatoria facultate vim quoq; obducẽdi meatus aſſumpſit. lapideſcit enim aqua ma- B ceratum: quapropter puluillo farinæ triticeæ molendini parietibus adhærenti mixtum, & oui cãdido ſubactũ, ac pilis leporinis exceptum ſanguinis eruptiones præclarè ſiſtit.

Diphryges, Cap. LII.

DIphryges mixtam facultatem adſtringentẽ cum acrimonia habet: quapropter & malignorum vlcerum bonum medicamentum eſt, & ad putredinoſa oris vlcera, tum per ſe, tum cum melle deſpumato. Item ad anginam, maximè vbi iam per adſtringentia humorum influ- C xus fuerit repreſſus. quin & gurgulione reſecto, ipſo ſolo mox vſque ad cicatricẽ inductam ſæpe vſus ſum, vtpote pharmaco omnia vlcera exactè cicatrice includente.

Diaphanes, *id eſt lapis ſpecularis*, Cap. LIII.

DIaphanes ſiue lapis ſpecularis appellatus, vſtus tritus fiſtuloſis vlceribus inſperſus celerrimè incarnat.

Theion, *id eſt ſulphur*, Cap. LIIII.

SVlphur omne vim attractoriam habet, temperamẽto calidum, ſubſtantia tenuium partium exiſtens, vt & ad multa venenum eiaculantia animalia reſiſtat. ego autem D & ad paſtinacæ marinæ & draconis morſus ac ictus eo ſæpe vſus ſum, arido vulneri inſperſo, aliquando etiam ſaliua admixta, aliquando oleo vetere aut melle aut terebinthina. ſed & ſcabies ac lepras & impetigines ſæpe cum eo curaui addita terebinthina. deterit enim tales affectus, nec materiam in altũ repellit, quẽadmodum multa medicamenta faciunt.

Ios xyſtos, *id eſt ærugo raſa*, Cap. LV.

AErugo raſa acrem qualitatem habet, diſcutitque ac conſumit & liquefacit omnem carnem. quòd ſi ad multam ceram admiſceatur, exterſorium & cicatricem E inducens pharmacum euadit.

Ærugo vermiculata, Cap. LVI.

AEruginem vermiculatam ita facies: In pilam Cyprii æris, quæ & piſtillum æreum habeat, aceti albi acris dimidiam heminã infundito, & in ſole terito donec ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem acquirat: deinde aluminis rotundi drach. I. & ſalis foſſilis pellucidi albique ac ſolidi drach. I. addito, aut ſi hoc non adſit, nitri tantundem, & poſtea ad ſolem ſub caniculæ æſtum terito, donec colore F æruginoſum, compage verò ſtrigmẽtoſum euadat: atque ſic ad vermicularem figuram effingito, ac reponito. Efficacior fit ærugo: ſi aceti partem vnam, vrinæ veteris duas contriueris.

Cadmia, Cap. LVII.

CAdmia optima eſt botryitis. Vim habet omnis cadmia ſiccatoriam, participans & exterſoria. In caliditatis ac frigiditatis differentia moderata eſt. Vſta verò & lota medicamentum ſiccans & extergens citra mordacitatem euadit, ad vlcera explẽda tum oculorum: tum totius G corporis commodum.

Cyanus, Cap. LVIII.

CYanus acrem & diſcuſſoriam ac demolientem conſumentémque carnem vim habet, participat & adſtrictoria.

Lepis (*i. ſquama*) æris ac ferri, Cap. LIX.

SQuama alia æris eſt (quæ ſanè helitis vocatur) alia ferri. Helitis itaque in ſiccando primas habet, vtpote tenuiorum partium, & quæ aliquid æruginis aſſumpſit: verùm ferri ſquama maiore adſtringendi vi participat, H atque ea adhuc amplius ferri ſtomomatis appellati, *hoc eſt chalybis, ſiue in aciem efformati.* quapropter hæ ambæ ad maligna vlcera meliores quàm ſquama æris exiſtunt. Æris autem ſquama conſumit & eliquat carnes. Omnes verò ſquamæ multùm mordaces ſunt.

Lithargyros, *id eſt argenti ſpuma*, Cap. LX.

ARgẽti ſpuma moderatè ſiccat, quemadmodũ alia omnia conſimilia. calfacit quoque partímque perfrigerat, ac exterget:atque hæc omnia moderatè facit. Quapropter velut materia ſæpe ipſa vtimur, eámque aliis admiſcemus,quemadmodum etiam cara velut materia quadam vtimur.

Litrum, Cap. LXI.

LItrum inter aphronitrum & ſalem mediam vim habet: vſtum autem ad ſpumæ litri ſubſtãtiam propè accedit. Siccat itaque & diſcutit, & ſi quidem intra corpus ſumatur, ſecat & attenuat craſſos ac viſcoſos humores, multo magis quàm ſal. Aphronitrum autem niſi magna vrgente neceſſitate, nemo deuorarit, vt quod ſtomacho incommodum exiſtat. Et tamen ruralis quidam in ſtrangulatu fungorum ipſo vtebatur magno ſucceſſu.

Melanteria, Cap. LXII.

MElanteria medicamentum adſtringens eſt,ſimúlque tenuium partiũm ferè omnium maximè pharmacorum quæ adſtringunt.

Melan, *id eſt atramentum ſcriptorium*,
Cap. LXIII.

ATramentum ſcriptorium abundè ſiccat aqua dilutũ aut potius poſca, & ambuſtis eueſtigio illitũ poteſt.

Miſy, Sori, & Chalcitis, Cap. LXIIII.

IVxta Cypri metallum in Solorum montibus, magna quædam domus erat in monte effoſſa, iuxta cuius dextrum parietem, ad ingredientes verò ſiniſtrum, introitus erat ad ipſum metallum, in quo quaſdam vidi plurimùm extentas velut zonas alternatim poſitas tres numero,infimam quidem ſoreos,ſuprà ipſum chalcitidis,deinde miſyos.Et progreſſu ſanè temporis chalcitis paulatim tranſmutatur in miſy, & diutiore adhuc tempore poteſt etiam ſori in chalcitidem permutari. quare nihil miri eſt tria hæc eiuſdem generis vim habere, & tenuitate ac craſſitudine partium tantùm differre. Craſſiſſimarum enim partium inter ipſa eſt ſori, tenuiſſimarum miſy,mediam verò inter ambo vim chalcitis poſſidet.Vſta hæc tenuiorum partium fiunt, ſed minus adſtringunt.

Molibdæna, *id eſt plumbago*, Cap. LXV.

MOlibdæna ſiue plumbago ſimilem argenti ſpumæ vim habet ad frigiditatem vergentem, ſed neque exterſoriæ facultatis particeps eſt.

Molibdos, *id eſt plumbum*, Cap. LXVI.

PLumbum vim habet frigefactoriam. nam liquidam ſubſtantiam poſſidet à frigiditate coactam: vnde & mole & pondere augeſcit plumbum, in domibus ſubterraneis turbidum aerem habentibus repoſitum. Itaque ſi pilam plumbeam vnà cum piſtillo plumbeo paraueris, & in ipſam vinum tenui, & oleum roſaceum, aut myrteũ, aut melinum infuderis, & ad ſolem ſiue ignem triueris, vt ſuccum quendam plumbum remittat,optimum pharmacum habebis,ſi eo ſucco ad ſedis inflammationes vlceratas,aut pudendorum,aut teſtium,aut mammarum vteris.Item ad omnes influxiones quæ inguinibus, aut pedibus,aut aliis articulis incumbunt. Eſt & mirabile medicamentum ad maligna & cancroſa vlcera. Ad multos vſus idem commodum erit,ſi ex adſtringentibus ac perfrigerantibus ſuccum aliquem addideris,velut eſt ſeridis, cotyledonis,ſemperuiui,portulacæ,pſyllii,vuæ acerbæ.Quæcunque verò ex his ſuccum nõ facilè remittũt, velut portulaca,his aliorum ſuccum admiſcere oportet,velut vuæ acerbæ.Lamina porrò ex plumbo facta & lumbis impoſita veneris impet⁹ cohibet in iis qui exercitare ſe volũt. At verò vſtum & lotum plumbum, ad maligna vlcera, & chironia & cancroſa optimum pharmacum eſt cicatricem inducens tum per ſe,tum aliis admixtum.

Pompholyx, Cap. LXVII.

POmpholyx lota ferè omnium primas obtinet quæ citra mordacitatẽ ſiccant. Vnde ad cãcroſa vlcera cõmoda eſt, & alia omnia maligna, & corroſas dentium gingiuas.

Rhoidarii præparatio, Cap. LXVIII.

RHoidarium variè præparatur. Optimus modus hic eſt:Rhun olus accipito,& in aqua macerato,& lapi-
A dem cupholithõ appellatum terito,rhois cremore affuſo, ſiccari ſinito: deinde anchuſæ radicem cum oleo coquito donec oleum ruffeſcat,& ex oleo parum addito ac terito,& ad dies quindecim ſiccari ſinito,& tunc rurſus ex cremore rhois affundito ac ſiccari ſinito: deinde in vas teſtaceum mittito,obturato ac aſſato, & erit bonũ rhoidarium. cæterùm cupholithos à Cæſarea Palæſtinæ affertur. Qui cupholitho carent,calce viua ad medicamẽtum præparandum vtuntur.

Sandaracha, Cap. LXIX.

B SAndaracha vſtoriam vim habet velut arſenicum: vnde in compoſitiones diſcuſſorias & exterſorias ipſam admiſcent.

Sandyx quæ & Syricum, Cap. LXX.

DE Sandyce ſiue Syrico,vbi de ceruſſa agemus, dicetur.

Scoria, Cap. LXXI.

SCoria omnis multùm ſiccat.Si itaque ferri ſcoriam ſiue recrementum quamleuiſſimè contriueris in acerrimo aceto,& poſtea coxeris, pharmacum maximè ſiccatorium ad inueteratas aurium purulentias habebis. at
C verò argenti ſcoria appellatur helcyſma, itidem ſiccandi vim habens.

Stibium, Cap. LXXII.

STibium vltra ſiccatoriam vim omnibus metallicis cõmunẽ,habet & adſtrictoriam facultatem: quapropter & ocularibus medicamentis admiſcetur.

Spongia, Cap. LXXIII.

SPongia pice liquida ac bitumine imbuta & vſta, acrẽ & diſcuſſoriam vim habet,ſanguinémque ſiſtit.ſpon-
D gia noua aqua frigida aut poſca aut vino madefacta, pro corporum videlicet differentia, vulnera cruẽta glutinat, velut alia ad hanc rem idonea medicamenta.

Stypteria, *id eſt alumen*, Cap. LXXIIII.

ALumen omne vehementiſſimam adſtringendi vim habet.Sciſſile omnium maximè ſubtilium partium eſt: deinde rotundum. craſſarum partium eſt liquidum, itémque cruſtaceum ac laterarium. placitin & plinthitin *Græci* appellant.

Titanos, *id eſt Calx*, Cap. LXXV.

E CAlx viua vehementer vrit vt cruſtam inducat.extincta,eueſtigio quidem & ipſa cruſtam infligit: verùm poſt vnam aut alteram diem,& minus vrit,& minus cruſtam inducit,& progreſſu temporis penitus cruſtam non infligit.calfacit tamen adhuc & carnes conſumit. ſi verò lauetur,mordacitatem deponit,& lixiuium facit:ipſa verò citra mordacitatẽ ſiccat.& ſi bis aut ter aut pluries lauetur,penitus lenis euadit, & generoſè citra mordacitatẽ ſiccat.

Phycos, *id eſt Fucus*, Cap. LXXVI.

F DE fuco referam vbi de ceruſſa tractabo.

Chalcanthus, *i. atramentum ſutorium*,
Cap. LXXVII.

DE hoc pharmaco meritò mirari licet, quomodo fortiſſimæ adſtrictioni caliditas non ignaua in ipſo mixta ſit: quare manifeſtum eſt quòd omnium maximè humidas carnes ſiccare poteſt,humiditatẽ calore conſumens,adſtrictione verò denſans ac ſpiſſans ſubſtantiã. Fit & hoc in Cypro prope locum vbi miſy, chalcitis ac ſori reperiuntur, vt ex his intelligi poſſit aquam pluuialem
G per collem illum excolatam,omnem illam terrã circumluere ac abluere.Vidi autẽ hanc paulatim coaceruari quotidie in lacu quodam,& erat ſanè tepida ac viridis, chalcitidem & æruginẽ odore repræſentans. Quidam autem ipſam exhaurientes aquam,in vrnas quadrangulares fictiles trãſfundunt, in quibus plurimis diebus coacta ac denſata chalcanthus fit: verùm temporis progreſſu etiã chalcanthus in chalcitidem tranſit.

Chalcitis, Cap. LXXVIII.

DE chalcitide iã dixim⁹ vbi de miſy egimus:nũc ſatis
H eſt illud tãtùm dicere,quòd adſtrictoriã & acrẽ vim mixtam habet. Prædominatur autem acris, vehemens adeo exiſtens vt & carnem inurat,& cruſtam inducat. Vſta chalcitis mordet quidem minus,ſed nõ minus ſiccat: deponit & adſtrictionis nonnihil: quare penitus melior eſt vſta chalcitis quàm non vſta, tenuiorum partium velut

alia vſta euadens;acrimoniam autem nō aſſumens: nam quæ natura acria ſunt,vſta mitiora fiunt: reliqua acriora. Lota inſuper chalcitis adhuc lenior euadit.

Chalcos, AEs vſtum, Cap. LXXIX.

AES vſtum habet quiddam acre in ſe, ſed & adſtrictionis particeps eſt. & propterea ſi lauetur optimū pharmacum eſt ad vlcera cicatrice includenda. verùm ante vſturam, in his qui duras carnes habent vſus eius aſſumitur.

Chalcu anthos, *id eſt AEris flos*, Cap. LXXX.

AEris flos tenuiorum partium vim habet quàm æs vſtum, & ſquama æris. participat exterſoria vi: vnde ad magnas aſperitudines palpebrarum conducit: ſycoſes *Græci* appellant.

Chryſocolla, Cap. LXXXI.

CHryſocolla ex eorum numero eſt quæ carnes eliquāt, non tamen fortiter mordet, diſcuſſoria vtique ſatis eſt & ſiccatoria. quidam eam ſolam ita appellant quæ inter metalla reperitur: verùm præſtat arte parata, in pila ænea æris rubri, piſtillo quoque ſimiliter æreo, vrina pueri impubis addita, ita vt diutius in ſole calido teratur. nam quod inter terendū reſoluitur, id ſiccatum cōmodiſsimū medicamentum fit vlceribus malignis, tum per ſe, tum idoneis ad eandem rem pharmacis admixtum.

Pſimmythium, *id eſt Ceruſſa*, Syricum, Sandyx, Fucus, Cap. LXXXII.

CEruſſa ex plumbo acri aceto diſſoluto paratur, & tamen neque acris neque mordax eſt, neque diſcuſſoria: ſed & meatus obducit & perfrigerat. Vſta autem pura ceruſſa in id quod Syricum appellatur tranſit, (medici ſandycem nominant) & vſta quidem ceruſſa tenuiorum partium euadit, non tamen calfactoria. at verò fucus frigiditatem ceruſſæ ſeruans, partium ſubtilitatem inſuper aſſumpſit, vt per ipſam in altū corporū penetrare queat.

Pſoricum, Cap. LXXXIII.

PSoricum fit dupla chalcitide ad argenti ſpumam admixta, ita vt hæc primùm acerrimo aceto terantur: deinde in ollam nouam indantur, quæ media æſtate per dies quadraginta in ſterquilinio defoditur. Hoc medicamentum magis ſiccatorium, & minus mordax fit quàm chalcitis. palam eſt autē quòd & tenuiorū partiū euadit.

De materia medica ex animalibus, Cap. LXXXIIII.

PLantarū materia explicata, non omni videlicet per totum terrarū orbem, ſed quantæ nos experientiā habemus: imò & terrea & lapidea materia medica enumerata. ſupereſt adhuc materiā ex animalibus perſequi, ſiue ea in aqua ſiue in terra vitam degant. Quēadmodum autem in plantarū materia, etiā de ſuccis qui ex ipſis fiunt mentionē fecimus, ſic etiā nunc nō ſolùm ſolidarū in animātib⁹ partiū vim trademus, ſed etiā in ipſis contentorū, velut ſanguinis, bilis, vrinæ, ſtercoris, & ſimiliū: relictis tamen abominandis ac deteſtandis, & quibuſdam lege prohibitis, de quibus cū alii quidā, tum Xenocrates ſcripſit, velut eſt, homines comedere, vrinas bibere, ac menſes muliebres, & ſimilia. imò relictis quoque medicamētis certa morborum genera inducentibus, itémque cōpoſitionibus venenoſorū pharmacorū. Qui enim talia ſcribunt, non minori ſed maiori odio digni ſunt quàm qui perpetrant, quanto maior iniuria eſt cū multis malū aliquod, quàm vnū ſolum perpetrare. & cum actore quidē flagitioſarū ſpeculationū experientia cōmoritur: ſcribētium verò malefactum immortale eſt, arma malitiæ improbis ſuppeditans. Dicemus itaque nos de cōmodis hominibus rebus, quarū experientiam habemus, & ſanè primùm humorum in animalibus mentionem faciemus.

De ſanguine, Cap. LXXXV.

COlumbinum ſanguinem ſolent ii qui oſſa capitis fracta perforant, craſſæ mēbranæ infundere, quòd ſi colūbinus nō adſit, palūbi aut turturis ſanguine vti licebit. Quidam & ad ſugillatos oculos eodem vtuntur calido inſtillato de recèns mactato animali, aut de venis alarum diſſectis. Ego verò ſexcentos vidi oſſibus capitis perforatos, & nihil læſos ex roſacei vſu, citra ſanguinem columbinum. Sunt autem & ſugillatorum oculorum medicamina multa ex collyriorum genere & maximè Damocratis ex myrrha. item quod ex thure cōſtat; & quod ex croco. Sed & fænigræci ſuccus in hunc vſum potior eſt ſanguine columbino. At verò caprinum ſanguinem quidam hydropicis pharmaci loco dederunt; & ad ventris fluxiones aut dyſenterias eodem aſſato vſi ſunt. Hircinum quoque ſanguinem aliqui ſiccatum & aliis ad hanc rem commodis admixtum, calculoſis exhibent. Itaque licebit ruri degenti & aliis auxiliis carenti, etiam in hunc vſum vertere. nam expetientia periculo vacat. Quin & hœdinus ſanguis in vſum venit, de quo Xenocrates ſic ſcripſit: Hœdinus ſanguis ſpuentibus ſanguinem valdè commodus eſt. Oportet autem nondum congelato dimidiæ heminæ menſura, aceti acerrimi tantundem admiſcere: deinde feruefactum in tres partes diuidere, & ſingulis diebus partem vnam abſorbendam præbere. Veſpertilionum porrò & ranarum ac ricinorum ſanguine pilos extirpare falſum reperi, quum experientia id explorarem. Quemadmodum etiam aliorum animalium ſanguinis vanas promiſſiones comperi, & partim experiri ne tentaui quidem, quum pharmaca haberem aptiora & parabiliora ad ſingulos affectus. cauebam autem ſimul ne præſtigiatoris opinionem incurrerem.

De *la*cte, ex Rufo & Galeno, Cap. LXXXVI.

DVplex lactis vtilitas eſt, altera vt alimenti, altera vt medicamenti. Saluberrimum eſt lac purum ac ſyncerū, neque amaritudinis, neque aciditatis, neque ſalſedinis, neq; acrimoniæ, neque graueolētiæ particeps, ſed, vt ita dixerim, odoratū, aut odoris expers: aut, ſi quidē modicè doratū fuerit, palàm eſt quòd & guſtātibus dulce erit, vtpote modicæ dulcedinis particeps. primùm autem differētias ipſius conſiderare oportet.

De lactis differentia, Cap. LXXXVII.

QVantum natura inter ſe diſtant vacca & equa ac alia animalia, tantum & lac ipſorum inter ſe differt. Bubulum enim craſſiſſimum eſt ac pinguiſſimum, commodéque nutrit ac partes ſubit. Liquidiſſimum autem & tenuiſſimum ac minimè pingue camelinum eſt, & ventrem minus ſubit, quanuis multum ſeri habeat. Sed vice verſa equinum magis aluo ſecedit, ſimiliter & aſininum, quod minimum pinguis ſucci poſſidet. quapropter etiam raro in ventre in caſeum mutatur. Caprinum moderatam compagem habet, & ad purgandum debilius bubulo eſt. de cætero æquè commodum & multum nutriēs. Ouillum hoc craſſius eſt, verùm vitiligines albas ſub cute inducere ſolet ſiquis aſſiduè ipſo vtatur. Suillū craſſiſſimum eſt, vt neque coagulo opus ſit ad id coagulādū, & ſerum modicum ſecernat, & in coctura celerrimè coeat. Quare nec ad alui excretionem commodum eſt, & vētriculo nauſeam mouet.

De lactis differentia ab animalium habitu, Cap. LXXXVIII.

MAnifeſtum eſt autem quòd omne ſanum animal melius lac quàm morbidum præbet. At verò morbos animalium ex tenuitate cutis deprehendere licet, & pili raritate, tuberculis, impetigine, ſcabie & inedia. Nigriora quoque in brutis ferè in totum fortiora ſunt: quod & carnes ipſorum teſtantur, vtpote iucundiores: alba cōtrà, imbecilliora.

De lactis differentia à temporibus anni, Cap. LXXXIX.

IVxta anni tempora liquidiſſimū & tenuiſſimum eſt lac vernum, hoc eſt poſt partum. ſpiſſatur autem temporis progreſſu, vt media æſtate ſiccius ac craſſius reddatur. Laudatur æſtiuum vt cōcoctu facilius, & iucundi odoris.

De lactis differentia à pabulo, Cap. XC.

QVIN & circa pabulum plurima differentia in lacte reperitur. Nam alias aliam herbam animalia depaſcuntur. & viridis quidem herba, & iuxta aquas naſcens, liquidius & modicum lac ſuggerit. Durior verò & montana, apta eſt ad boni ac multi lactis generationē. Omnia pabula adſtringentia, acerbum & aluum ſiſtens lac præbent. Acria verò & præſertim purgantia, velut eſt ſcammonium, & veratrum, & tithymali, ventrem turbans lac exhibent. cytiſus autem pingue ac dulce.

De lactis differentia ab ætate,

Cap. XCI.

ANimalium in vigore ætatis conſiſtentium lac opti mum eſt. iuniorum liquidius, ſeniorum ſiccius.

Quibus lac conueniat, Cap. XCII.

EX omnibus ferè eduliis optimum lac optimi ſucci eſt ac alimenti ex contrariis ſubſtantiis ac facultatibus compoſitum, ſubducente ac ſiſtente aluum, obturante ac attenuante. Et ſanè vbi qualitas ipſius nihil contrarium vtentis naturæ habuerit, & viſcerum ipſius exitus ob vaſorum amplitudinem ſpatioſi fuerint, vtilitas ex lacte cōſequetur, & nihil mali ille ex eo experietur. Vtilitates autē lactis etiam veteres medici recenſuerunt: ventris moderatam ſubductionem, ſucci bonitatem, & alimoniā; & quod concoctum probè carnem meliorem reddit, & mordaces ſuccos expurgat. Vnde in vrinæ difficultate, & acri egeſtione alui, non ſolùm bibere conducit, ſed etiam infernè per clyſterem infundere. Ad acres enim & mordaces fluxiones commodiſſimum eſt, non ſolùm abluēs ipſas de partibus infeſtatis, atque hoc per exterſoriam humiditatem, quam in feroſa ſui parte complectitur, ſed etiam craſſitie ac pinguedine ſua corporibus oblitum ac inductum, non ſinit fluxum acrem nudis ipſis allabi. Ad pulmonis itaque ac inteſtinorum vlcera, item renū, veſicæ ac vteri, & ad papularum eruptiones, ac furunculos, & alias cutis aſperitudines, conuenientiſſimum eſt in potu. Item ad eos qui cantharidas hauſerunt, aut bupreſtin, & in ſumma ad medicamenta erodentia ac exulcerantia, & ad hyoſcyamum velut peculiare remedium eſt: nam ſtatim reſipiſcere affectos facit. Cæterùm in gutturis exulcerationibus, quæ cum ob alias multas cauſas, tum ex anginis fiūt & iis qui ephemerum ſumpſerunt, lac gargariſſare conducit. Idem potum magnopere prodeſt alimentum non ſentientibus, & ſiccioribus, ac qui ægrè vires recolligunt. Cōmodum eſt & ad oculorum fluxiones acres, & ad oculos ſugillatos: quin & forinſecus palpebris impoſitum lippiētium, vbi dormire volent, cum roſaceo & oui candido inflammationes ipſorum concoquit. Eodem modo vtimur & vbi ſedis vlcera mitigare volumus, propter acres ſeroſos humores ac inflammationes dolore affecta, ſimilitérque ad pudendorum vlcera, & in ſumma ad omnia lenimento opus habentia, ob inflammationem, aut mordacitatem, aut vlceris malignitatem. Quapropter & canceroſis adhibetur vlceribus in medicamenta dolorem eximētia admixtum: qualia maximè ſunt quæ ex pompholyge fiunt. In vniuerſum igitur mitigatorium eſt lac, leuem naturam habens, atque multo magis, vbi ſeroſi humoris maior pars per cocturā, aut aliam artē fuerit conſumpta.

De modo, tempore, ac menſura vtendi lactis,

Cap. XCIII.

OMnis qui lac bibere volet, à reliquis cibis ac potibus abſtineat, donec concoctum ſit ac ſeceſſerit: ſi enim ante eius concoctionem alium cibum quis ſumat, neceſſe eſt & ipſum lac corrumpi, ſimúlque corrumpi & cibum qui ſuperingeſtus eſt. Præſtat autem manè bibere recèns mulctum, & tunc plures labores detrahere, quietè ac ſenſim ambulare, & interim ceſſare citra ſomni admiſſionē. Qui enim hoc modo ſe geſſerit, potum lac excernet, ídque inutilia ſecum educet. Opus eſt enim ſiquid aliud, primū acceptum ſecedere, quo facto aliud bibere. principiò igitur ſecedit aluo commodè purgans, non totam corporis molē, ſed quæ in aluo & inteſtinis ſunt partibúſq; vicinis. Poſt hæc iam in venas defertur optiméque nutrit, & nō amplius ſecedit, ſed ventrem ſiſtit. Menſuram ſumendi definire omnibus impoſſibile eſt, quemadmodum in aliis quoque eduliis, ſatis eſt igitur quantum facilè quiſque ferat. Cæterùm ad mordaces humores & maximè infartos, cum modico melle bibere conducit. nam ſic & vtilius & magis exterſorium eſt, & citius aluo ſecedit. admiſcenda eſt & ſapa & vinum dulce. Ita enim commodius ſtomacho euadit. quòd ſi ſalem accipiat, magis etiam aluo ſecedit, ſed iniucundius exiſtit.

Quibus lac noceat, Cap. XCIIII.

LAC quod plurimum ſeri habet, periculo maximè vacat, etiam ſiquis ſemper ipſo vtatur. quod verò modicum ſeroſi humoris, non parùm autem caſeoſæ craſſitudinis habet, non ſecuri vſus omnibus eſt, qui frequenter id ſumunt. Renes enim lædit qui apti ſunt ad calculorum generationem. obturationes quoque & affectiones circa hepar efficit, in his qui promptè affici poſſunt. Eiuſmodi ſunt quibus anguſti fines ſunt vaſorum tranſſumentium alimētum ex ſima hepatis parte in gibboſam. Sed neque capiti commodum eſt, niſi quis ipſum valde validum habeat. Quemadmodum neque præcordiis quæ facilè inflātur, pleriſque omnibus enim in ventre inflatur, vt pauciſſimi ſint qui non hoc perpetiantur. Aſſiduus quoque eius vſus dentes lædit, vnà cum circunſita carne gingiuarum. hanc enim humore flaccidam efficit: dentes verò putredini & eroſioni obnoxios facit, id quod craſſiori lacti maximè ineſt. Nam aſininum lac propterea quòd valde tenue exiſtit, non ſolùm non lædit dentes, ſed etiam ipſis commodat, propter vim extergendi. Oportet itaque ab eſu lactis, vino mulſo aqua diluto dentes colluere: ita enim omne caſeoſum dentibus ac gingiuis infartum extergetur. Cæterùm qui caput non facilè læſioni expoſitum habent, commodius eſt vino mulſo meraco citra aquæ mixturā os colluere.

De lactis coctura, Cap. XCV.

SIquis præcocto lacte ſerum conſumpſerit, omnino vētrem non ſubducit. dant autem hoc ipſum iis quibus venter ac inteſtina ab acribus ſuperfluitatibus mordentur, & qui ieiunum inteſtinum bilioſis fluxionibus infeſtatum habent, & dyſentericis. Modus præparandi duplex: aut enim diutius cocto lacte ſerum inſumitur, aut ſilicib⁹ iniectis: ſed quod per ſilices iniectos fit, craſſius præparatur, & propterea vitioſius euadit, cum aliâs, tum quòd cinis ex ignitis lapidibus lacti commiſcetur. Habet autem tale lac aliquid commoditatis in putredinoſis vlceribus: quare his exhibere oportet lac per ſilices præparatum, reliquis coctum. Coctura fit ad ignem aſſiduè agitando ne dirimatur, & ſiquid ollæ labro adhæſerit, etiam id ſpongia munda auferre oportet. nam ſæpe hoc ipſum lacti admixtum totum corrupit. Porrò per ſilices ſic præparatur: Lac præcoquitur donec plurima humiditas cōſumatur, deinde lapides ſilices igniti in lac mittūtur, quot omninò ſuffecerint ad ſerum conſumendū. Nec minus, imò magis idem efficiunt laminæ ferri ignitæ lacti immerſæ. eſt enim ferrum adſtrictoriæ facultatis particeps: & proinde plures cylindros ferreos paraui, qui veru ad finem additum habent, vt hac quaſi anſa facilè quis ferrum ignitum tollere queat panniculis detentum, velut in cauteriis facere ſolemus. Lac tamen hoc modo præparatum, facilè in ventre caſei figuram accipit: quapropter ſecurius eſt aquam affundere, quemadmodum medici non pauci faciunt, vbi ſerum primum conſumptum eſt, rurſus aquā puram affundentes. non enim humiditatem ſeri fugiunt, ſed acrimoniam per quam ventrem ſubducit.

De ſero lactis, ex Galeno, Cap. XCVI.

SErum lactis exterſoriam velut vim habens, ſubducēdi ventris gratia aſſumitur, tum in potu, tum per clyſterem immiſſum. nam acrimoniam inteſtinorum citra mordacitatem abluit & exterget. Poteſt & pro aqua commodiſſimè aſſumi ad vlcera acri ſanie infeſtata eluēda. Quin & medicamenta diſcuſſoria aut ſugillata liuoréſque ac nigredines ex corpore melius eluuntur per ſerum quàm per aquam. Sic quoque eodem ad contuſa, ſuffuſa ac liuefacta vtimur, commodis ad hæc pharmacis ipſum admiſcentes. Serum autem ſic præparare oportet: Lac in ollam funditur, ſed non ouillum neque ſuillum, (vtrūque enim ineptum eſt ad ſerum detrahendum) coquitúrque igne concitatiore, & aſſiduè ac æqualiter mouetur, & vbi efferbuerit, à motu ceſſatur: & vbi amplius efferbuerit, aqua frigida in promptu ſit in profundiore quodam vaſculo ſita, in quam olla in qua lac coquitur immittitur. ſtatim enim ſedatur. Sedato autem feruore, rurſus coquitur, & vbi efferueſcit, acetum mulſum aut aqua mulſa bis aut ter irroratur: quo facto caſeus ſtatim à ſero diſparatur. ſerum itaque mox per panniculum excolatur. Vbi igitur craſſas & pituitoſas ſuperfluitates abundare ſuſpicatus fueris, acetum mulſum irrorabis: vbi acres & bilioſas, aquam

mulſam. Quin & immiſſo in ollam, poſtquam lac bis aut ter efferbuerit, vaſe frigidiſſimam aquam habente, fiſſurã ac ſecretionem facimus. Vtendum eſt ſero ad debiles & cibos auerſantes. Oportet autem ſero quod primùm bibitur ſalem admiſcere: vbi verò purgare cœperit, citra ſalem dato, atque hoc per interualla quædam facito, donec ſatis æger purgatus fuerit. Copiam iuxta vires expendere oportet, neque tamen magnopere deliqueris etiamſi quid amplius præbueris. In ſumma autem copia ſit ſeri potus heminarum quinque. & modus quidem parandi ſeri talis eſt. Cares autem ſic præparant: Cnici ſemen cõtũdũt, eóque lac coagulant, & validum ſerum efficiunt. Deinde ex colant & ſalem aut aquam marinam addunt, rurſúſque coquunt ac exhibent. fortiter itaque hoc purgat, ſed omniũ iucũdiſſimè bibitur. Omnino autem longæ coctūræ medicatius ſerum efficiunt. Et iis quidem qui forti euacuatione indigent, thymi drach. tres aut quatuor vnà cum ſero dabis in prima potione: ſi verò adhuc amplius purgare velis, epithymi tuſi ac cribrati drach. tres dabis. vitare tamen medicamenta oportet in quibus non magnum eſt id quod moleſtat. Cæterùm ſimplicius præparato ſero vti oportet in corporibus mollibus, & in quibus euacuare & eluere ſolùm ea quæ in ventre ac inteſtinis hærent volumus, & in quibus inteſtinum exulceratur à quibuſcunque vulgaribus purgatoriis medicamentis, & in quibus bilis pura ventrem infeſtat, & in quibus inanes ventrem ad egerendum ſtimulant cupiditates, & in quibus periculum eſt renes aut veſicam aut vterum exulcerari: & in macilentis ac tenuibus, purgatione tamen egentibus. Maximè omnium autem ſero vti oportet in iis qui imbecillum ſtomachum habent, & tamen purgatione indigẽt. His omnibus exhibendum eſt ſerum, neque ſale neque alio quopiã medicato admixto. Sed & puero & mulieri & ſeni hoc ſerum citra omne periculum exhibetur, & in caniculæ æſtibus intrepidè datur: quanquam tunc temporis alia medicamenta ſuſpecta ſint. At verò fortiori ſero vti quis poteſt & ad corpora & ad vitia vehementioribus medicamentis egentia: præſertim ad inueteratas papulas, & varos liuidos, & vitiatos ſub cute humores, velut lepras & ſimilia. Item ad vlcera vetera & efferata, & ad vlcera capitis manantia, ac ſimilia. Ad oculos quoque aſſidua fluxione vexatos, & ad ſcabiem palpebrarum, & maculas ſolares in facie. Poteſt & quis eo in longis febrium circuitibus vti, & in quibus periculũ eſt vt ex morbis in aquã inter cutẽ delabantur. Atque hæc quidem de ſero ſufficiunt.

De iis quæ iucunditatis gratia cum lacte coquuntur, ex Galeno, Cap. XCVII.

LAC cum aliquo craſſi ſucci edulio diutius coctum, flatuoſitatem deponit, & magis nutrit, & alui fluxionibus, & tenuibus ex capite in pectus deſtillationibus conuenit: ſed & in hoc conſiderandum eſt ne clam nobis alia quædam viſcera lædat. quorundam enim natura ab hoc abhorret, & aliâs periculo eiuſmodi edulia non vacant. nam & iecur obturãt, & calculos in renibus generãt. Quæ autem cum lacte coquuntur hæc ſunt: amylum, ſimilago, alica, tragus, oryza, lagana, placentæque, & panes quidam neque probè aſſati, neque probè præparati, neque fermenti neque ſalis participes.

De lacte acido ex Galeno, Cap. XCVIII.

LAC acidum oxygala appellatum, dentes quidem nõ lædit qui naturali modo habent: qui verò frigidiores aut debiliores ſunt, velut ab aliis frigidis, ſic etiam ab hoc læduntur. aliquando autem & dentium ſtupor inde oboritur. Et venter quidem frigidus non probè concoquit lac acidum: qui verò moderatè habet, ægrè quidem ſed tamen concoquit. Qui verò calidiores æquo ſunt ventres, ſupra hoc quòd nihil læduntur, etiam cõmodi nonnihil ex eiuſmodi eduliis percipiunt. Atque tales ventres etiam per niuem circundatam perfrigeratum oxygala citra moleſtiam ferunt, niſi pectus frigidum fuerit, aut caput aut alia particula. Neque enim calidam & acrem ſeri qualitatem oxygala habet, neque pinguem & calidam butyri: ſed ſolùm in ipſo reliquum eſt caſeoſum: vnde frigidum eſt & craſſi ſucci, & crudos humores generat, & in frigidioribus ventriculis etiam calculos in renibus gignit.

De primario lactẽ, Cap. XCIX.

PRimarium lac appellatur quod ſtatim à partu mulctum eſt: id calido cinere modicè calfactum, citra coagulum ſtatim coagulatur. veteres pyriaton hoc vocabãt; alii pyriephthon. Comeditur hoc ipſum cum melle: melle enim non addito, ægrius concoquitur, & craſſioris ſucci eſt, & tardius tranſit.

De lacte concreto ex Galeno, Cap. C.

QVidam lac etiam concretum exhibent, per coagulũ videlicet coactum, & ſero ablato, melléque addito: quidam verò etiam ſeri plurimam partem abſorbent, & contingit ſanè his ventrem magis aut minus ſubduci, pro abſorpti ſeroſi humoris quantitate.

De caſeo Galeni, Cap. CI.

CAſei omnes mali ſunt, excepto oxygalactino qui ex acido lacte fit: nullum enim laudare poſſum: omnes ægrè concoquuntur, acidum ructum generant, & flatu vẽtrem implent, improbè aluo ſecedunt, pituitam & æſtum ventri inducentes. Nam in præparatione ab amiſſo coagulo acrimoniam aſſumunt, & omnem humorem deponũt, præſertim inueterati, qui & acriores fiunt, & ſeipſis calidiores & æſtuoſiores, ſitimque amplius inducentes, & ægrius concoctiles, & peioris ſucci euadunt. Quapropter illud commodi quod craſſi ſucci edulia attenuantibus medicamentis admixta attrahunt & acquirunt, neque caſeus obtinet citra detrimentum. Maius enim ex ſucci malitia & æſtuoſa humiditate damnum accedit, quàm vtilitas ex craſſitudine attenuata emergat. Itaque fugiendus maximè talis caſeus qui penitus nihil boni in ſe habet: at verò recens caſeus appellatus oxygalactinus, omnium optimus cẽſendus eſt. nam & in cibo iucundiſſimus eſt, & ſtomacho innoxius præ omnibus aliis caſeis exiſtit: minus ægrè concoquitur, & minus ægrè tranſit. neque verò valde craſſi ſucci eſt: quo crimine in commune omnes caſei ſunt infames. Inter reliquos porrò caſeus recẽs melior vetere eſt, & mollis duriore, & rarus ac laxus valde denſo & coacto, & qui præcellentem dulcedinem habet ſalſo præſtat, & qui moderatè ſalſus eſt, potior eſt eo qui plurimum ſalis, aut penitus nullum ſalem accepit: iucundus iniucundo, aſſatus crudo præfertur. Caſeus coctus multo ſolidior eſt. ſunt tamen omnes mali.

Pharmacum ex caſeo vetere ad calloſas concretiones podagricorum, Galeni, Cap. CII.

QVVM arthriticus in ſella ad me delatus eſſet qui calloſas duritias in articulis haberet, ſtatim in mentẽ venit mihi vt pernam ſuillam veterem ſalſam coquerem, eiúſque decocto caſeum vetuſtiſſimum rigarem, ſubigerémque ac in pila probè vnirem, & duritiebus calloſis imponerem. quo facto ſponte rupta cute citra ſectionem, quotidie callorum particulæ emergebant. & quum commoditatem homo ille experiretur, talem de cætero ſibi parans caſeum adſeruabat, & inueterato vtebatur, atque ſic in eius vſu perſeuerabat. quin & alios ſimiliter affectos ex amicis ſuis medicamenti eius vim edocebat.

De efficacia recentis caſei foris adhibiti, Galeni, Cap. CIII.

REcens & humidus caſeus magnopere auxiliari videtur iis qui ſpumam argenti hauſerunt, ſiquis ipſum in cibo accipiat. Poteſt & vulnera cruẽta ſimpliciora glutinare in cataplaſmate impoſitus, ſuperimpoſitis foliis vitis, aut lactucæ, aut betæ. Caſeus autem oxygalactinus etiam magna vulnera glutinat: nam & diſcuſſoria vi participat.

De butyro, Galeni, Cap. CIIII.

BVtyrũ ex pinguiſſima lactis, præſertim bubuli, parte fit: cõcoctoriã autem vim habet, modica quoque diſcuſſoria participans. Has vires tamen in mediis inter mollitiem ac duritiem corporibus exercet. nam vbi hæc fuerint inflammata concoquit ac facilè diſcutit: quare parotidas aurium, & bubonas inguinum abſceſſus ipſo ſolo ſæpe perfectè ſanauimus, puerilibus corporibus ac mulieribus affectis. Durorum enim penitus corporum tumores præternaturales butyrum diſcutere non valet. Idem reiectionibus ex pulmone, in pulmonis ac lateris affectio

nibus magnificè confert cum melle datum, eáſque concoquit. Si itaque ſolùm delingatur per ſe, magis concoquit, minus educit: ſi verò vnà cum melle & amygdalis amaris, magis rurſum educit, minus concoquit.

De coagulo, Galeni, Cap. cv.

COagulum omne acrem & attenuatoriam vim diſcuſſoriámque & ſiccatoriam habet. Optimum coagulũ eſt leporinum. diſſoluit omne coagulũ cum aptis ad hãc rem medicamentis potum, ſanguinem in ventre in grumos concretum. Cætera quæ de coagulo à multis prodita ſunt, ſuperuacaneum adſcribere exiſtimo.

De felle, Galeni, Cap. cvi.

HVmorem qui in veſica bilis ſuſceptrice coaceruatur nunc fel ac bilem nomino, nonquã atram, ſed quam flauam appellant. Et eſt ſanè humor hic omnium animantis humorum calidiſſimus. Differentiæ ſunt in ipſo plurimæ, tum iuxta naturam animalium, tum iuxta victum: nam pallidior colore bilis, moderatè calida eſt: ſubalbida verò, inquantum colorem exolutum habet, tanto caliditate inferior, eſt. Flaua autem tanto calidior quàm pallida eſt, quãto craſſior & flauior exiſtit. Etenim flaua fit ex pallida amplius calfacta. Si verò adhuc amplius ſuper incaleſcat, ad atriorem colorem tranſmutatur. qui aliquando æruginoſus fit, aliquando cæruleus, interdum etiam ad iſatidis colorẽ tranſit. Itaque & tu colorem bilis expendes, vbi pharmacum præparas in quod fel recipitur. Fit & bilis differentia circa corpus vtentium ipſa, prout ſubtili aut hebete ſenſu præditum eſt. Et ſuillum quidem fel omniũ aquoſiſſimum eſt, & propterea debiliſſimũ, exceptis agreſtibus ſuibus. Vtuntur autem felle ſuis domeſticæ ad vlcera aurium non contemnendo pharmaco, quo & tu vti poteris, ſi non aliud compoſitum adfuerit. Fel ouillum paulo acrius ſuillo eſt, atque eo adhuc magis caprinum. Conſimile huic eſt vrſinum & bubulum: taurorum his fortius eſt, ſed inferius hyænarum felle. Callionymi piſcis & ſcorpii marini ac teſtudinis fel hoc etiam ſuperant. Eſt & volucrium animalium fel omne acrius ac ſiccius quàm in quadrupedibus: ex volucribus, gallinarum ac perdicum fel in vſum medicum præſtat. accipitrum & aquilarum fel multùm acre eſt & corroſiuum. Has itaque vbi noueris fellis differentias, ſciueríſque quæ affectiones magis, quæ minus ſiccatione opus habent, vix contingere poteſt vt circa curationem aberres.

De ſudore, Cap. cvii.

DE ſudoribus aliqui ſuperuacanea cõſcripſerunt, quæ per aliam materiam parabiliorem fieri poſſunt. Admiſcetur autem ſudor eorum qui in palæſtris exercentur, ſubſtrato pulueri, atque hoc paton *Græci* vocant: éſtque pharmacum diſcuſſorium. Itaque inflammatis mammis auxilium efficacius eſt ſolus is patos impoſitus: Si verò aridior eſt, Cyprino, aut (eo nõ præſente) roſaceo emolliri ipſum oportet. Hoc pharmacum illitum, lac in vberibus redundans extinguit. Et ego ſanè aliquãdo ipſo in inguinum abſceſſu vſus ſum, & breui tumorem ſedatum vidi.

De vrinis, Cap. cviii.

VRina hominis ferè omnium aliarũ debiliſſima eſt, excepta ſuilla porcorum domeſticorum caſtratorũ. Vim habet extergendi, hominis vrina, ſiquod aliud vrinæ genus: quod ſatis indicant fullones. vnde & medici ad ſcabies ac lepras adhibent, vlceráque multa humiditate ſordéque ac ſpurcitia plena, ea perfundunt, idque multò magis ſiquid putredinoſum habuerint. Manãtia item capitis vlcera & porriginem eadem fouentes curant. Nos autem abominati ſumus talia facere, quũ alia pharmaca ſint ad manum. Cæterùm vlcera in digitis pedum, præſertim ex offenſione, vbi non fuerint inflammata, etiam ego ſæpe vrina curaui: & ſanè iter facientibus ac peregrè proficiſcentibus linamentum vrina tinctum in vlcus impoſui, deinde forinſecus linamentum circundedi, & quoties meiere vellent, vrinam ad digitum demittere præcepi, & non ſoluere priuſquam exactè curati eſſent. Permiſi & ruri degentibus, non præſente medico, vlcera vrina perfundere, vbi in partibus infernis eſſent à pectore vſque ad ſummos pedes At verò bibere vrinam in difficili ſpiratione quæ erecta ceruice contingit, quemadmodum aliqui prodiderunt, non eſt neceſſe, quum ſint plurima alia pharmaca quæ huic malo opitulantur. Et ſanè quidam etiam pota vrina ab affectu non conualuit.

De ſaliua, Cap. cix.

SAliuæ vires diuerſas eſſe noſſe oportet, tum iuxta animalium ſpecies, tum prout ſingula ex his ſana ſunt aut morbida, prout comederunt aut ieiuna ſunt, potarũntque aut non potauerunt. quemadmodum enim vrinæ & fel & ſudores, ſic & ſaliuæ debiles quidem ſunt eorum quæ cibum & potum ſumpſerunt: fortes autem & acres eorum quæ ſitim nimiam itémque famem tolerarũt: medium locum occupant eorum quæ probè quidem concoxerunt; nõdum autem cibum aut potum ingeſſerunt. Hac itaque ſaliua poſtremùm relata nutrices infantium impetigines curant, madefacto ex ea paruo digito, deinde loco perfricto: atque hoc aſſiduè faciunt. Sed & triticum quidam rurales manducant, & furunculis imponunt, qui ſic ex ſaliuæ viribus diſcutiuntur & citò concoquuntur. At verò iuxta omnem ſuam ſubſtantiam ſaliua, *ſiue ſputum*, hominis reptilium venenatorum generi maximè contraria eſt. Ego enim citra omnem incantationẽ ex ſolo ieiuni ſputo ſcorpium pereuntem vidi.

De ſtercore, Cap. cx.

STercus ſummam diſcutiendi vim habet. Humanum ob fœtorem abominamur: verùm boum, caprarum, ac canum (vbi oſſa comederint) neque fœtidũ eſt, & magna experientia commendatum non nobis ſolùm, ſed multis veteribus medicis exiſtit. Ego itaque mirandam vim humani itémque canini ſtercoris experimento cognoui.

De ſtercore canino, Cap. cxi.

DIcendum autem primùm de canino ſtercore quo frequenter quidam ex præceptoribus noſtris vtebatur. dabat autem cani oſſa tantùm, biduò comedere, tertia die excretum ſtercus accipiebat, ſiccabat ac reponebat, & vſus tempore terebat. Vtebatur autẽ ad anginas, aliis huic malo commodis pharmacis id admiſcendo. Dyſentericis idem aridum tritum in lac per ſilices coctum inſpergebat, & præbebat, multos ita fallens. Hos itaque duos canini ſtercoris vſus multa experientia, velut mirabilis medicamenti, didicerat. Sed & in maligniſſimis vlcerib9 parum de eo ſtercore addebat in pharmaca aliâs ad eiuſmodi vlcera commoda, & palàm fortius ſeipſo redditum pharmacũ videbatur. Quin & ſiquid diſcuti ac ſiccari opus eſſet, etiam illis medicamentis admiſcebat.

De ſtercore humano, Cap. cxii.

STercoris humani eiuſmodi experimẽtum habeo: Quidam faucibus aſſiduè inflammatis vehementer vexabatur, vt periculum ſuffocationis ipſi immineret: & ſanè venam ſecare propter periculum cogebatur. huic quidã obuiam factus promiſit ſe pharmacum daturum experimento conſtans, & vocari ſe iubebat ante venæ ſectionẽ, ſi rurſus fauces eſſent inflammatæ. itaque accerſitus, & illito pharmaco quodam celeriter hominem ſanauit, Erat autẽ pharmacũ ſtercus pueri aridũ, quod cum melle Attico illinebat. Nutriebat autem puerum cuius ſtercus accepturus erat, velut idem ille medicus docebat, lupinorum eſu, eorum videlicet qui in frequenti cibi vſu ſunt, cum optimo pane. dabat & vinum bibendum vetus. omnia hæc moderata mole, vt probè cõcoquere puer poſſet. Tertia die excretum pueri ſtercus ſumebat, ſiccabat, ac vtebatur velut de canino ſtercore prædictum eſt.

De ſtercore lupino, Cap. cxiii.

LVpinum ſtercus quidam colicis bibendum dabat, nõ ſolùm in exacerbationibus, ſed etiam in interuallis, ſi quidem citra inflammationem affecti erãt. vidique quoſdam nõ amplius morbo hoc correptos, & correptos etiã, non ita fortiter afflictos, neque frequenter. Sumebat autẽ & ille albius luporum ſtercus, quod ab oſſium eſu excreuerant. Sumebat autẽ quod nondũ in terrã cecidiſſet. nã in fruticibus ac floridis herbis hoc ſtercus ſæpe reperitur. Miratus ſum porrò de ipſo quòd etiam adalligatum ſæpe prodeſſet. Inuenitur & in ipſo quid ex oſſibus deuorati animalis, quod manducationem effugit itémque concoctionem: quod ipſum etiam tundens ac conterens, colicis

bibendum dabat, ſalem & piper aut tale quippiam admiſcens odoris commẽdandi gratia. Dabat autem cum vino ſubſtantia tenui, aliquando cum aqua. Quod verò lumbis ægri ex ſtercore adalligaretur, id ligamentum habere iubebat ex lana agni à lupo diſcerpti, aut ſi id haberi non poſſet, ex corio ceruino, & ſanè tum lorum quod lumbis circundaretur, tum id in quo ſtercus inuolueretur ac contineretur, ex eo parare iubebat. Nos autem in ollulam argenteam ſtercoris lupini fabæ magnitudinem iniecimus & quibuſdam experimenti gratia appendimus: & admirati ſumus quum videremus manifeſtam opem inde eos conſequi.

De ſtercore caprino, Cap. cxiiii.

Stercoris caprini vſus frequentiſſimus eſt, acrem & diſcuſſoriam vim habet, induratis tumoribus conuenit, non lienis tantùm ſed & aliarum partium. Itaque ego in genuũ tumore inueterato & ægrè ſolubili, ipſo vſus ſum ex poſca, cataplaſmate parato ex ordeacea farina ſtercore admixto. & qui curabatur homo mirificè ſanatus eſt: erat autem ruralis. nam mollibus corporibus pharmacum acrius eſt. Equidem vſtum tenuiorum partium redditur. quare ad alopecias competit, & omnia quæ extergentibus indigent medicamentis: velut lepras, impetigines, & ſimilia. quin & cataplaſmatis ad parotidas & inguinũ abſceſſus admixtum, diſcuſſorium exiſtit. Medicus certè quidã ruralis ipſo ad viperarum morſus, multóque magis aliarũ beſtiarum, vtebatur cum aceto, & valde multos ſeruauit. Idem ille etiam eiuſdem ſtercoris pilulas ictericis ex vino bibendas dabat, & ad muliebrem fluxum cum thure apponebat.

De ſtercore bubulo, Cap. cxv.

Boum ſtercora exiguam habent inter ſe pro pabuli ratione differentiam. nam & ipſa ſiccandi vim habẽt: poſſident & attractoriam. Medicus quidam rei medicamentariæ expertus hydropicos ſtercore bubulo oblitos ad ſolem exponebat, & multis opitulatus eſt. Accipiebat autem humidum adhuc vere quum boues herbam depaſcunt, & exiccatum reponebat. Vtebatur eodem & ad ſtrumas: & ad omnes induratos tumores cataplaſmatis modo imponebat.

De ſtercore ouillo, Cap. cxvi.

Idem medicus & ouillo ſtercore vtebatur ad verrucas, & ſpecialiter myrmecias appellatas, thymos item vocatos, & clauos: aceto autẽ id diluebat. Sed & ambuſtorum vlcera ad cicatricem eodem perducebat, roſaceo cerato admixto.

De ſtercore columbino, Cap. cxvii.

Columbarum foris victum quærentium ſtercore, velut calfactorio pharmaco, ego ipſe ſæpe ad multa vtor cum naſturtii ſemine, quod leuiſſimè tritum pro ſinapi admiſceo, in veteribus affectionibus rubificatione opus habentibus, qualis eſt coxẽdicũ morbus, hemicrania, cephalæa, vertigo, & inueterati dolores iuxta ſpurias coſtas aut ſcapulas, aut tendines, aut lumbos. Item renum, pedũ, & articulorum, vbi calloſæ concretiones nondum fuerint coactæ.

De gallinaceo ſtercore, Cap. cxviii.

Gallinarum ſtercore vſus etiam ipſe ad eos quibus ſtrangulationis periculum ex eſu fungorum imminebat: inſpergebam autem ipſum tritum cyathis tribus aut quatuor poſcæ aut aceti mulſi, & breui conſpicuam opem ſenſerũt. Paulo pòſt enim pituitoſum craſſiſſimum humorem euomebant, à quo perfectè ſuffocationis accidens conquieuit. Medicus qui me hoc remedii docebat, etiam inueterato colico dolori id ipſum ſtercus ex vino mulſo dabat, quidam & in angina bibendum præbent. eſt autem gallinaceum ſtercus debilius columbino: ſed & hoc ex gallinis in agris victum quærentibus, & non incluſis, accipere oportet.

De ſtercore anſeris, accipitris, ciconiæ, & terreſtrium crocodilorum, Cap. cxix.

Stercus anſeris, accipitris, ciconiarum, & reliquorum de quibus quidam delirantes ſcripſerunt, ipſo experimento cognitum eſt inutile eſſe: terreſtrium verò crocodilorum etiam ægrè parabile eſt.

Sordes ouium ex qua œſypus, Cap. cxx.

Sordes quæ ouium lanis in nutritur, ex qua œſypus fit, concoctoriam vim ſimiliter vt butyrum habet, & parum quid de diſcuſſoria. Œſypus, velut Dioſcorides tradit, ſic præparatur: Sumito lanas ſordidas ex alis ouiũ tortas, criſpas, & molles, & calida aqua eluito, omni ſorde ipſarum expreſſa: deinde ipſam loturam in craterẽ amplioris mittito, & alia feruente aqua affuſa conturbato, ita vt poculo vel alio ſimili vaſe haurias, & ex alto violenter illidas donec ſpumeſcat: deinde aquam marinam, vel frigidam, illa non præſente, irrorato, & deſidere ſinito: atque vbi perfrigeratum fuerit id quod ſuperſtat conchula tollito, & in aliud vas mittito: & affuſa modica frigida aqua, manibus ſubigito. Deinde diffuſa aqua, aliam calidam affundito, & ſimiliter vt prius conturbato, & aquam maris vel frigidam irrorato, & deſidere ſinito: atque vbi perfrigeratum fuerit, rurſus id quod ſuperſtat conchula tollito, & ſimiliter manib⁹ ſubigito. Rurſuſq; tertiò calidã aquã affundito, & idem velut prædictum eſt facito, donec candidus & pinguis œſypus reddatur, & nihil impurum habeat, atque ita fictili inditum per dies aliquot in ſolem exponito & adſeruato. Sed & omnia prædicta ad ſolem æſtiuum facito. Sic enim commodior reddetur & albus, nihilque duri ac contorti habens, quemadmodum qui cerato aut adipe adulteratur. Facit ad vlcera ſedis & vuluarum cum meliloto ac butyro, item ad plurima alia. Œſypus vſtus fuliginem ex ſe reddit commodiſſimam ad eroſos ac ſcabros oculorum angulos, & ad palpebras calloſas & pilorum defluuio laborantes. Vritur autem in teſta noua, donec in cinerem redactus omnem pinguitudinẽ depoſuerat. Teſta ipſa carbonibus imponitur, deinde exuſtum colligitur, teritur, & ad prædictos vſus adhibetur.

De carnibus, ex Galeno, Cap. cxxi.

NON omnes animalium carnes hominem alunt, ſed aliquæ etiam ſunt lethales: quædam verò non ſolùm vt cibus, ſed etiam vt auxiliare medicamen aſſumuntur. & ex iis quæ alunt, non omnes eandem vim habent. Omnium quidem igitur eduliorum caro ſuilla maximè alit, boni ſucci eſt, & melius omnibus concoquitur, cum aliâs, tum ob ſimilitudinem ad homines. Carnes bubulæ non modicum & ipſæ alimentum præbent, neque facilè tranſpirans, ſanguinem tamen craſſiorem quàm conuenit generant, & ſiquis natura atrabiliarium habuerit temperamentum, affectu quopiam melancholico corripietur, ex frequenti bubulæ carnis eſu. Tales affectus ſunt, cancer, elephas, impetigo, ſcabies, febris quartana, & quæ priuatim vocatur melancholia. Sed & lien quibuſdam ex eius ſucco intumuit, vnde deprauatus corporis habitus & hydropiſis ſæpe inſequuntur. Siccioris enim & multo calidioris temperamenti eſt bos quàm porcus. Cæterùm vituli carnes concoctu faciliores habẽt quàm perfecti boues: ſunt enim temperamenti humidioris. ſic etiam hœdi capris præſtant. Et capra quidem minus ſicco temperamento prædita eſt quàm bos, ſed homini ac ſui cõparata, multùm euariat. Humidiſſimam autem & pituitoſam carnem agni habent. verùm ouilla caro magis ſuperfluitatibus redundat, & peioris ſucci eſt. Mali ſucci eſt caprina cum acrimonia, hircina autem peſſima eſt & ad boni ſucci generationem, & ad concoctionem. Deinceps eſt arietina, deinde taurina. In omnibus autem his caſtratorum melior eſt. Vetuſtorum peſſima eſt concoctu ſucco & alimento, quare & ſues quãuis humidum temperamentum habeãt, ſeneſcentes fibroſam & duram ac aridam & propterea ægrè concoctilem carnem habent. Leporina quoque caro craſſiorem ſanguinem generat, ſed melioris ſucci quàm bubula aut ouilla. Mali ſucci eſt & ceruina, duráque ac ægrè concoctilis. At verò aſinorum ſylueſtrium caro (nam & hanc quidam comedunt, velut domeſticorum aſinorũ in Alexandria) craſſiſſimi ſucci eſt, & ægerrimè concoquitur, & ſtomacho incommodat. inſupérque eſu iniucunda eſt, quemadmodum etiam equina & camelina. nam & horum animalium carne, homines tum anima, tũ corpore, aſinini ac camelini veſcũtur. Quidam etiam vrſinas car

nes edũt,& quæ his adhuc deteriores ſunt,leoninas ac pã-therinas.quid verò attinet dicere de canibus, quorum ca-tulos pingues plerique homines edunt? Horum omnium animalium carnes ſicciſſimæ natura ſunt,& acre alimen-tum corpori apponunt,& pro modo præparationum etiã magis aut minus nutriunt,& magis aut minus concoquũ-tur.nam quæ aſſatæ aut in ſartagine frictæ comeduntur, ſiccius alimentum corpori ſufficiunt:quæ coctæ, humi-dius:quæ verò conditæ ſumuntur,medium inter vtraque locum obtinent.Sed & harum ipſarũ nõ parua differẽtia eſt iuxta conditturæ modũ. quapropter vbi ſiccare corpus voles,ſicciorum temperatura animalium carnem dabis: vbi calfacere,calidiorum:frigidiorum item & humectio rum ſimiliter conuenienti proportione exhibebis.

De extremis terreſtrium animalium par-tibus, Cap. CXXII.

HÆC itaque in ſumma de terreſtrium animaliũ car-ne dixiſſe ſatis eſt.Verùm de aliis partibus conſequẽ-ter quam vim habeant diſce. Extremas partes appellant in familiari vſu homines,roſtra,pedes,& aures : nam hæc minimè pinguedinem habent, minimè item carnoſam naturam.prædominatur autem in his neruoſa & coriacea ſpecies.Suntque hæ partes multo motu magis exercitatæ & propterea etiam viſcoſiores.Meritò itaque paucius nu-trimentum corpori præbent, & ob viſcoſitatem facilius aluo ſecedunt. Præſtant autem pedes ſuilli roſtro, quem-admodum hoc auribus.Lingua laxioris & exanguioris car nis ſubſtantiam habet: venter verò adhuc laxior & exan-guior eſt quàm lingua, & propterea etiam friabilior & concoctu facilior citra adiacentium inteſtinorum admi-xtionem.

De glandulis, Cap. CXXIII.

OMnes glandulæ hoc commune habent,quòd iucũdæ & teneræ edentibus appareant. Mammarũ verò glã-dulæ quũ lac habuerint,etiã illius dulcedinis nobis quid repræſentant,maximè in ſuibus.Alimentum ex ipſis pro-bè concoctis,ad carnium naturam propè accedit. Si verò defectuoſè concoquantur, crudum ſiue pituitoſum hu-morem generant:& humidæ quidem glandulæ pituito-ſum,ſiccæ crudum producent.

De teſtibus, Cap. CXXIIII.

EX glandulofis corporibus ſunt etiam teſtes. Suilli ita-que & ouilli & hircini comeſti ægrè concoquuntur,& malum ſuccum gignunt, propter viroſitatem quæ in i-pſis exiſtit.Quanto autem ſuilla caro aliis melior eſt,tan-to teſtes probè concocti magis alunt. De cætero ſoli gallo rum teſtes per omnia optimi & iucũdiſſimi ſunt,& bonũ alimentum corpori ſufficiunt,præſertim ſaginatorum.

De renibus, Cap. CXXV.

REnes palàm eſt mali ſucci eſſe ac ægrè cõcoqui,quã-do etiam in guſtu vrinæ qualitatem nobis repræſen-tant.

De cerebro, Cap. CXXVI.

PItuitoſius edulium cerebrũ eſt, craſſique ſucci,ac tar-di tranſitus,& ægrè concoquitur.maximè verò ſtoma cho incommodum eſt omne cerebrum. Quidam autem mollitie eius decepti infirmis ipſum exhibent, quum ſit præter alia etiã nauſeoſum. itaq; poti⁹ vbi vomere aliquẽ volueris ab accepto cibo,cerebrum ipſi pinguius condi-tum poſtremum exhibebis. Verùm vitabis ne cibum a-uerſantibus præbeas. At verò cum calefacientibus ac in-ciſiuis medicamentis præparatum, melius ſeipſo euadit.

De terreſtrium animalium viſceribus, Cap. CXXVII.

IEcur omnium animalium craſſi ſucci eſt,difficilis con coctionis,ac tardi tranſitus, præſtat ex ipſis non ſolùm ad voluptatem ſed ad alia quoque,porcinum,eorum vide licet porcorum qui ficubus aridis ſunt ſaginati, quod ie-cur propterea Græcis ſycoton, *hoc eſt ficatum*, appellatur. Lien mali ſucci eſſe creditur,vt qui atrabiliarium ſangui-nem generet.Pulmo vtroque facilius concoquitur, quan-to etiam rarior eſt:verùm multo minus quàm iecur alit. Alimentum igitur quod corpori inde accedit pituitoſius eſt,propter cartilagineum aſperæ arteriæ corpus in ipſo ſitum.At verò cor ægrè concoquitur ac tardi tranſitus eſt:

A ſi verò concoquatur probè,alimentum non modicum ne que mali ſucci corpori exhibet.

De aluo,inteſtinis,ac vtero terreſtrium ani-malium, Cap. CXXVIII.

ALuus & venter & inteſtina in terreſtribus animalibus duriora carnibus ſunt: propterea etiamſi probè con-coquantur,non exquiſitum & inculpatum, ſed frigidiorẽ ac crudiorem ſanguinem gignunt.

De ſylueſtrium animalium carne, Cap. CXXIX.

B OMnium animalium per montes ac ſyluas victũ quæ-rentiũ caro durior eſt,& pauciſſimæ pinguitudinis particeps: quapropter alimentum minus excrementitiũ ex ipſis quàm ex domeſticis animalibus corpori accedit.

De volucrium animalium carne, Cap. CXXX.

OMne volucrium animantium genus minus alimen-ti corpori ſuppeditat,ſi terreſtribus & maximè ſuib⁹, comparetur. facilior tamẽ concoctu volucrium caro eſt, maximè perdicis, & attagenæ, columbæ, gallinæque ac C galli.Verùm turdorum & merularum,& paruorum paſſer culorum,item eorũ qui in turrib⁹degũt,durior eſt:atque his amplius adhuc turturis & palumbi & anatis. Gallina-rum carni ſimilis eſt phaſianorum, quãtum ad concoctio nem &alimentum attinet,ſed iucunditate cibi præcellit. His durior eſt & magis ægrè concoctilis, ac fibroſior pa-uonis.In commune autem in omnibus volucribus ani-mantibus, velùt etiam in quadrupedibus id noſſe opor-tet:quòd caro creſcentium adhuc multo melior,eſt quàm decreſcentium:in vigore conſiſtentium medium locum D obtinet.Mala item eſt caro vetuſtorum & infantium ad-huc ſiue paruulorum.nam hæc mucoſa & humida & ex-crementis redundans eſt,& facilè aluo ſecedit : vetuſtorũ autem dura & ſicca,& neruoſa eſt,& propterea cõcoctio-ni reſiſtit.Atque huius memineris in vniuerſum de omnĩ bus animalibus. Neque verò parua differentia eſt eorum quæ in ſtagnis aut paludibus ſiue paluſtribus locis degũt, ad ea quæ per montes ac ſiccos locos victum quærunt.Et enim iuxta locorum proportionem, carnes animaliũ aut ſiccæ & ſuperfluitatibus carentes,& concoctu faciles, aut E contrà humidæ & ſuperfluo excremento refertæ & ægrè concoctiles redduntur.

De anſeribus & ſtruthocamelis, Cap. CXXXI.

HArum caro excrementitia eſt, & difficilius cõcoqui-tur quàm prædictarum volucrium : non tamen alas prædictis peiores habent.

De gruibus, Cap. CXXXII.

GRuum caro tota dura eſt & fibroſa, alæ verò adhuc carne ipſarum duriores exiſtunt.

De partium volucrium animalium diffe-F rentia, Cap. CXXXIII.

VIſcera in auibus eandem proportionem habent ad carnes,quam in pedeſtribus habere dictum eſt.Inte-ſtina verò omnium fermè ad eſum inepta ſunt : ventres verò eſiles ſunt & bene nutriunt:quidam ipſorum etiam in cibo iucundi ſunt, velut anſerinus, deinde galli-naceus.Aliqui falſò collaudant ſtruthocameli ventricu-lum,velut pharmacum concoctorium :alii multo magis prædicant præferúntque huic mergi vẽtrem. Verùm ne-que ipſi facilè cõcoquũtur,neque aliorũ ciborum conco-G ctionem,velut pharmacum,adiuuant. Alæ in iuuenibus ac pinguibus volucribus optimæ:in macilentis contrà ac vetuſtis peſſimæ exiſtunt.Teſtes optimi gallorum præſer tim ſaginatorum,atque adhuc magis eorum qui ex ſero-ſo lacte cibos ſumunt.ſunt enim boni ſucci,probéque nũ triunt,ac facilè cõcoquuntur.cæterùm alui excretionem neque prouitant neque inhibent.Cerebrum porrò in vo-lucrium genere lõgè præſtantius eſt quàm in pedeſtrib⁹, quanto ſanè etiam ſiccius eſt,præſertim auicularum mõ-tanarum.

H De ouis, Cap. CXXXIIII.

OVA gallinarum & phaſianorum meliora ſunt, dete-riora anſerũ & ſtruthocamelorũ.Optima ad corpo-ris alimoniã ſũt tremula appellata.Sorbilia min⁹ nutriũt, ſed facilius aluo ſecedunt.læuigant autem faucium aſpri-

tudines ex clamore,aut humoris acrimonia obortas.nam affectis partibus oblinuntur & adhærēt velut cataplaſma quoddam,& ſubſtantiæ totius lenitate aſperitatem curāt. Eadem ratione etiam ſtomachi ac ventris & veſicæ aſperitates ſanant.Ouum in aceto coctum & comeſtum, ventris fluxiones reſiccat.quòd ſi admiſcueris ipſi quid ex me dicamentis ad dyſenteriam vel cœliacam affectionem commodis,deinde ad prunas in ſartagine frixeris,& in ci bo præbueris,nō parum ægris opitulaberis. Cōmoda ad hanc rem medicamenta ſunt,vuæ acerbæ ſuccus, & rhus inſperſus,& cinis cochlearum integrè vſtarum, vinaceáq; vuarum,& myrti baccæ,ac ſimilia.Oua cocta ægrè conco quuntur,tardi tranſitus ſunt, & alimentum craſſum corpori præbent.His autem adhuc magis tardi tranſitus ſunt craſſioriſq; ſucci,in calido cinere aſſata. Fricta peſſimum ad omne alimentum præbent.nam in concoctione in ni dorem tranſeunt,& craſſum humorem gignunt,vitioſum que ac excrementitium.coctis & aſſatis meliora ſunt quæ denſata,vel(vt alii malunt)ſuffocata appellantur,cum oleo & garo,& vino modico ſubacta,& in duplici vaſe ad mo deratè denſam compagem cocta.quæ enim amplius ſpiſſantur,coctis & aſſatis ſimilia euadunt.Idem facere oportet & in ouis quæ patinis infunduntur. nam dum adhuc ſucculenta ſunt,patinam ab igne tolles.

Ouorum vis medicamentaria,

Cap. CXXXV.

IN cœliacis ac dyſenteriacis affectionibus ouum prædi cto modo datum,commodum pharmacum exiſtit.Cādidum & tenue in recentibus ouis leuiſſimum & omnis mordacitatis expers medicamentum eſt,non ſolùm oculis adhibitum, ſed etiam aliis omnibus partibus leuibus pharmacis indigentibus,velut ſunt ſedis & pudendorum vlcera,omniáque maligna,ſi ad ea quæ citra mordacitatem ſiccare illa ſolent,admiſceatur,qualis eſt pompholyx & ſimilia. Vitellus eandem facultatem habet, & propterea lenibus ceratis additur,ouis præcoctis aut aſſatis. quā to autem ſicciora fiunt, tantum de leniendi vi perdunt. Teſtæ ouorum vſtæ medicamentum ſanguinem ſiſtens euadunt.

De alimento ex animalibus aquaticis,

Cap. CXXXVI.

ANimalium in aqua degentium & genera multa, & ſpecies differentiæque plurimæ exiſtunt. Hoc loco referētur, velut in ſuperioribus fecimus,ea ſaltem quæ ad vſum medicum & ad ſanitatem conſeruandam aſſumūtur. In vniuerſum igitur illud ſcire oportet,quòd optima caro eſt piſcium in puro mari degentium, magiſque vbi locus is ventorum procellis agitetur, & neque terrea, neque læuia littora aquam ambiant,ſed arenoſa aut aſpera & lapidea.Si verò etiam ad aquilonares ventos loci cō uerſi ſint,multo melius eſt. manifeſtum eſt autem mare mari præſtare,in eo quòd aliud perfectè purum eſt, aliud magnos & multos fluctus excipit. nam piſces qui in eiuſ modi mari degunt,quanto meliores ſunt paluſtribus, tan to deteriores ſunt iis qui purum mare incolunt. nam & ii qui in protecto & tranquillo mari degunt, peiorem car nem habent. At verò in ſtagnanti mari viuentium piſciū caro medium inter fluuiatiles & marinos locum obtinet. Recrementitia verè & multùm mucoſa eſt caro eorum qui in limoſa ac ſordida aqua degūt. hac adhuc deterior eſt caro in ſtagnis degētiū.Si verò & parua ſint ſtagna,neque magnos fluuios ſuſcipiant, neque fontes habeant,neque effluxum largum,multo ſanè deteriores piſcium carnes ſunt.Si verò in totum nihil aquæ defluat,ſed ſtagnum perpetuò ſtans ſit,omnino deterrimæ.Cæterùm in paludi bus & cœnoſis locis degentium extremè vitioſa caro eſt. Porrò ex fluuiatilibus meliores ſunt qui eiuſmodi flumina incolunt,quorum velox eſt & multus fluxus. nam ſtagnantium fluminum piſces carnem habent concoctu dif ficilem,& bonum alimentum quampauciſſimum habēt. peſſimi autem ſunt qui in oſtiis fluminum degunt, quæ ſterquilinia,aut balineas,aut culinas,& veſtium ac linteorum ſordes expurgant,& ſiquæ alia ſunt retrimenta vrbis quam præterlabūtur, & quæ in ipſa flumina expurgantur, maximè ſi populoſa vrbs exiſtat. Cæterùm & iuxta nutri-

A mentum piſces meliores & deteriores fiūt. quidam enim herba & optimis radicibus abundant, & propterea melio res ſunt:quidam & limoſam herbam & radices mali ſucci edunt:& aliqui in fluminibus magnam vrbem prætерlabentibus degentes,ſtercora hominum & quoſdam confiſiles cibos vorant,atque hi omnium peſſimi,velut dixi, exiſtunt:&,ſi paulo ampliori tempore mortui permanſerint, e veſtigio computreſcunt ac peſſimè olēt.Suntque hi omnes eſu iniucundi,& ægrè concoquuntur,& bonum alimentum pauciſſimum habent,ſed non modicam recrementitiam ſuperfluitatem,& vitioſum ſuccum in corporibus eorum coaceruant qui ipſis quotidie veſcuntur.

B De cephalo, *id eſt mugile,* Cap. CXXXVII.

CEphalus maximè omnium piſcium vtriſque aquis vti tur,fluuialibus & marinis.Qui igitur in mari verſatur paruas & multas ſpinas non habet,iucūdiórque eſt,& pinguedine carens ipſius caro.Verùm in fluminibus degentes cephali, ſpinis referti ſunt, & pinguē ſaporem habēt, eſuque & concoctu deteriores ſunt, ſtomacho incommo dant,mali ſucci & viroſi exiſtūt.At verò ſale inueteratus

C cephalus melior ſeipſo euadit.

De lupo, Cap. CXXXVIII.

LVpus ex pelagiorum piſcium numero eſt, *hoc eſt eorum qui in profundo mari degunt.* huius itaque caro velut reliquorum pelagiorum piſcium, tenuiorem ſanguinem generat:ſi verò ad flumina aſcendat,cephalo ſimilis euadit.

De trigla,*id eſt mulo,* Cap. CXXXIX.

EX pelagiis piſcibus eſt & mulus qui exiſtimationē apud homines reperit tanquā excellenter iucundus in

D cibo ſit, habet autem duriorem omnibus pelagii gene ris carnem, non pinguē & friabilem: & propterea magis quàm alii piſces nutrit, vbi probè cōcoquatur. quidā iecur eius & caput voluptatis gratia magni faciunt. At verò muli qui carcinadas(*animalcula ſunt hæc,valde minutis cancris ſimilia colore fulua*)vorant, fœtidi ſunt, & iniucundi, ægréque concoctiles,ac mali ſucci. Cognoſcuntur hi ex odore & ſapore.ſed & ſiquis ventrem ipſorum diſcerpat, carcinadas in ipſo inueniet. Quòd ſiquis in frequēti mulorum marinorum eſu perſeuerer, hebetudinem viſus incurret.

E De piſcibus petroſis, Cap. CXL.

PEtroſos & ſaxatiles appellant piſces,degentes vbi petræ ſunt & littora ſaxoſa.In hoc genere optimus cenſetur voluptatis gratia ſcarus,deinde merulæ & turdi, & poſtea iulides,phocæque ac percæ.Alimentum ex his nō modò concoctu facile eſt,ſed & ſaluberrimum ſanguinē generans,compage mediocrem.

De gobio, Cap. CXLI.

GObius,littoralis piſcis eſt ſemper paruus manens,ſicut etiam alii plures.optimus eſt & ad voluptatem & cō-

F coctionem,diſtributionémque in corpus,ac humoris boni generationē, qui circa arenoſa ac petroſa littora capitur: qui verò in fluuiorum oſtiis aut ſtagnis degit,neque ſimiliter iucūdus eſt,neque boni ſucci, neque cōcoctu facilis: ſi verò aqua vitioſa ſit,etiam in ipſa peſſimus gobius euadit.Si iure albo decoctus ſit donec flaccidus fiat,ius ipſius potum aluum ſubducit: aſſatus citra ſalem comeſtus promptitudinem egerendi inanem ſanat.

De piſcibus mollis carnis, Cap. CXLII.

G EX piſcium mollis carnis numero ſunt aſelli,murænæ, bugloſſæ ac paſſeres:& ex his aliqui in fluminibus & ſtagnis degunt,aliqui in mari.Et propterea aliquando iucundi & probè nutrientes reperiuntur, aliquando vitioſi & mali ſucci.

De piſcibus duræ carnis, Cap. CXLIII.

EX duræ carnis piſcibus ſunt dracones,cuculi, ſcorpii, orphi,glauci,cōgri,phagri,amiæ, & parui thunni ac pelamides: qui ægrius concoquūtur quàm piſces mollis carnis,& craſſum humorem generāt,& propterea fortio-

H re ventre indigent ad concoctionem.

De piſcibus teſta intectis, Cap. CXLIIII.

BVccina & purpuræ & reliqua oſtrea ac chamæ, oſtracoderma, *hoc eſt teſta intecta,* appellātur. his omnibus commune eſt ſalſum ſaporem & qui vētrem noſtrū mollíat,

liat,in propria carne habere: verùm in vnoquoque genere magis aut minus talis actio ineſt.Nam oſtrea ſiue conchæ inter alia molliſſimam carnem habent,& magis vētrem ſubducunt.& quidam ipſa citra cocturam edunt.At verò paruæ chamæ,& purpuræ, buccináque ac murices & ſimilia duram & ægrius concoctilem carnem habent, & minus quàm illa vētrem ſubeunt.quemadmodum autem ægrè concoctilem carnē habent oſtracoderma duræ carnis,ſic etiam ægrè corruptilem habent:quapropter exhiberi ipſa ſolent ſæpe iis qui ex humorum prauitate cibum in ventre corrumpunt-coquunt autē ipſa, & aqua iterum atque iterum diffuſa, donec ſalſa qualitas deponatur. ſic præparata etiam ventrem ſiſtunt. Si verò coquas, & primam aquam diffundas,deinde ſale aut magis garo condias,& ius bibendū præbeas, aluus bibentis multùm ſubducetur.

De cruſtatis,*ſiue molli teſta intectis,* Cap. CXLV.

GAmmari,paguri,cancri,locuſtæ & ſquillæ, & quæcūque alia cruſta intecta, tenuem quidem habent ambiētem teſtam,verùm duram,minus ſuperioribus ſalſum ſaporem habent,habent tamen, eúmque non modicum. Omnia autē carnis duræ ſunt,ægrè concoquuntur,ſúntq; multi alimēti,præcocta videlicet.Horū caro velut etiā oſtreorū,ventrē ſiſtit,vbi præcocta ſalſum humorē in aquā depoſuerit.Sed & hæc ægrè corruptilem carnem habēt, ſimiliter vt duræ carnis oſtracoderma.

De piſcibus mollibus, Cap. CXLVI.

MOlles appellantur piſces,neque ſquamas habentes, neque cutē aſperā aut teſtaceā,ſed mollē, ſuntque tales,polypi,ſepiæ,loligines,& qui his ſimiles ſunt. Habēt autem carnē duram,ægrè concoquūtur,& ſalſum humorem modicū in ſe continent.Si tamen concoquantur, alimentum non modicum corpori præbent: plurimùm autem crudum humorem hi ipſi gignunt.

De piſcibus cartilagineis, Cap. CXLVII.

ASperam & nocte ſplendidam cutem hoc genus piſcium habet: quapropter aliqui à Græcis ſelachia appellata volunt quòd ſelas,*hoc eſt ſplendorem*,emittāt.Mollem in ſe carnem habent torpedo & paſtinaca, aluo moderatè ſubeuntem,& non ægrè concoquuntur, & moderatè quoque alunt.

De Echinis marinis, Cap. CXLVIII.

EChinos *ſiue herinaceos* marinos quidam ex vino mulſo præſumunt & garo, ſubducendi ventris gratia; ſed & patinas ex ipſis præparant. Referuntur autem inter edulia modici alimenti, & quæ mediam facultatē inter ſpiſſantia & attenuantia humores habent.

De ſalſamentis omnium animalium, pedeſtrium, volucrium, & aquaticorum, Cap. CXLIX.

NON modica differētia ſalſarum carnium eſt, prout quædam ex ipſis ſaliuntur. nam adeo immutantur vt ſæpe animalis temperamento humidi caro ſalita longè ſiccior euadat quàm caro animalis natura ſicci nō ſalſa. Apta itaque ad ſalſuram ſunt animalium corpora quæ duras ſimúlque ſuperfluitate redundantes carnes habēt. quæ verò aut valde mollem, aut valde durum, aut ſiccū & ſuperfluitatum expertem corporis habitum habēt, ad ſalſuram inepta ſunt.Quēadmodum enim ſicca corpora ſalita coriis ſimilia euadunt: ſic valde humida diffluunt, & ſalis familiaritate colliqueſcunt. Itaque manifeſtū eſt quòd dura & neruoſa & velut pelliculoſa ac coriacea omnia,ſalita ægrè concoquuntur: quæ verò ad ſalſuram idonea ſunt,tenuium partium fiunt, & comeſta craſſos ac glutinoſos humores attenuant. Cæterùm vetera ſalſamēta omnia vitioſa ſunt.

De garo, Cap. CL.

GArum vim habet multùm calidam & ſiccam: & propterea quidam medici vſi ſunt ipſo ad putredinoſa vlcera. quin & dyſentericis & iſchiadicis per clyſterem infundunt.

De muria, Cap. CLI.

MVria ſalſorum piſcium,ſimiliter vt garum,putredinoſis vlceribus conuenit,& ad iſchiadas ac dyſenterias per clyſterem infuſum. Acrimonia enim ſua humores coxendicem infeſtantes attrahit, & per inteſtina eua-
A cuat. In dyſentericis autem putredinoſa vlcera abluit & ſiccat.maximè verò ſilurorum ſalitorum & mænularum muria ad talia medici vſi ſunt,& nos ad putredinoſa oris vlcera adhibuimus.At verò oliuarum colymbadum muria frequenter in dyſentericis vtimur, præmittimúſque eam hora vna antea quàm cruſtifica infuſa immittamus, ad vlcera videlicet præmundanda.

De adipe pinguedinéque ac ſeuo, Cap. CLII.

B OMnis pinguedinis vis eſt humana corpora humectādi ac calfaciendi : verùm ſingulæ inter ſe differunt, prout magis aut minus eas vires habent. Differt pinguedo à ſeuo craſſitudine: quapropter animalia tota natura magis terrea,ſeuum habent,velut humectiora pinguedinem.Et propterea adeps ſiue pinguedo facilè liqueſcit ab igne, non facilè autem congelatur : ſuum contrà non liqueſcit facilè, & liquefactum celerrimè congelatur, & multo durius adipe apparet. Humidiſſima omnium ferè animalium pinguedo eſt ſuilla,magis molliens ac concoquens oleo:quare cataplaſmatis inflammationum admi-
C ſcetur. Cæterùm iis qui in recto inteſtino aut colo morſum percipiunt,item in dyſentericis & egerendi cupiditate inani,caprinum ſeuum magis iniicimus, non quòd acrimoniam obtundat,ſed quòd congeletur ob craſſitiē: nam ſuillus adeps deſluit velut oleum. At verò anſerinus adeps ſuillo quidem calidior eſt, & valde tenuiū partiū, & propterea infundimus ipſum iis qui in alto corporum morſum ſentiunt.nam partium tenuitate tota corpora penetrat, & omnibus mordentibus ſeroſis humoribus admiſcetur,& mordacitatem hebetat. Mediū inter ſuillum
D & anſerinum locum obtinet gallinaceum ac gallorum. Porrò taurorum ſeuum multo calidius & ſiccius eſt pinguedine ſuilla. Vitulinum inferius taurino eſt caliditate & ſiccitate. ſimiliter, hœdinum inferius eſt caprino ac hircino. rurſus hircinum inferius eſt leonino. maximè enim diſcuſſorium eſt leoninum, & tenuiſſimarum partium fermè præ omnium quadrupedum ſeuo. vnde tumoribus inueteratis induratis, & contractis articulis adhibitum,validiſſimam vim diſcutiendi habet. Taurinū medium locum obtinet inter ſuillum ac leoninum,& pro
E pterea vtrique medicamentorum generi miſcetur, tum iis quæ induratis medentur, tum quæ inflammata concoquunt: quale eſt tetrapharmacum & regium appellatum. quidam viperarum adipem in principio ſuffuſionum cōuenire tradunt. Verùm vrſinum alopeciis prodeſſe verè ſcripſerunt.Quidam piſcium pinguedinem collaudāt ad ſuffuſiones & aurium dolores,aiūntque omnium piſcium adipem ad hæc pollere.Omnis adeps veteraſcens calidior ac tenuiorum partium euadit,ob id etiam magis diſcuſſorius. id quod omnibus veteraſcentibus contingit quæ
F nō putredo præoccuparit. Summa autem huius ſermonis in cōmune hæc eſt,cuius meminiſſe oportet. nēpe iuxta animalium temperaturā,ſemper differentias adipis ac ſeui in ipſis fieri.item iuxta differentiā generis.nam maſculum ſemper ſiccius & calidius eſt fœminino:mas autē caſtratus ſimilis eſt fœminæ. ita etiā omne iuuenile animal fœminæ aſſimilatur. Sic autem & ſylueſtre calidius eſt & ſiccius domeſtico.

De medulla, Cap. CLIII.

G OMnis medulla vim dura & indurata corpora emolliendi habet,ſiue muſculi,ſiue tendines,ſiue ligamenta, ſiue viſcera hoc modo ſint affecta. Optimā autē ſemper expertus ſum eſſe ceruinam,deinde vitulinam.taurorum & hircorū acrior eſt magiſque ſiccatoria,& propterea duritias in ſcirrhum induratas diſſoluere nequit. Cæterùm methodum reliquarū differentiarum, ex iis quæ de adipe relata ſunt,coniectare potes.

De pulmone, Cap. CLIIII.

PVlmo agninus & porcinus vſti ac triti impoſiti,attritus calciamentorū ſanant. Vulpis pulmo ſiccatus &
H tritus paulatim potus,anheloſos ſanare creditur.

De capitibus, Cap. CLV.

CApita mænularū ſalſarū vtebat quidam,vtebatúrque ad rimas ſedis,& putreſcentes gingiuas, & ad gurgulionem induratum. Vis ipſorum ſiccatoria eſt non valde

acris.alius quidam caput integrum leporis vrebat,& vtebatur ad alopecias cum adipe vrſino. Viperarum capita vſta in olla ad cinerem,deinde trita cum decocto lupinorum amarorum craſſiſſimo,& temporibus illita, fluxum oculorum diuturnum ſiſtunt.Cinis ipſorum per ſe læuiſſimè tritus,& vt aridum collyrium adhibitus,hebetem viſum magnopere corrigit.

De cornibus, Cap. CLVI.

COrnibus cerui ac capræ vſtis ſæpe vſi ſumus ad illuſtrandos dentes. gingiuas quoque flaccidas adſtringunt.Aiunt cerui cornu,ſi poſt vſturam lauetur, dyſenteriam ac ſanguinis ſputum,& cœliacas affectiones ſanare. Ictericis quoque vtiliter præbetur: datur omnibus duorũ cochleariorum menſura.Vſtum & lotum collyriis ocularibus ad fluxiones oculorum deſtinatis admiſcetur. Eſt autem horũ collyriorũ vis ſiccatoria. Capræ cornu ad pruritus facere aiunt,itémque ad ſcabiem,vlcera, affrictum.

De vnguibus, Cap. CLVII.

QVidam vngues caprarum vrunt,deinde cinerẽ aceto ſubigunt,& alopeciis illinũt.Sunt autẽ attenuatoriæ facultatis:alii ſuum vngues vrunt, & cinerem colicis in potu præbent:aliqui aſinorum vngulas vſtas comitialem morbum ſanare aiunt,ſi aſſiduè bibantur.Eaſdem oleo ſubactas,ſtrumas diſcutere.Cinerem quoque earundẽ cum muliebri lacte probè tritum,& in collyria redactũ, oculorũ cicatrices detergere, ſi cum lacte item illinatur.

De impetigine in pedibus equorum, Cap.CLVIII.

IMpetiginem equorum aceto tritam ac potam,comitialem morbum curare aiunt: aliqui & ad omnis reptilis beſtiæ morſum eadem vti iubent.

De lanis ſuccidis,& puris,& vſtis, Cap. CLIX.

LAnæ ſordidæ ac ſuccidæ appellatæ, vtiliter adhibẽtur ad contuſas aut quomodocũque percuſſas partes, fomẽtis excipiẽdis aptæ:quanquã non deſit & ipſis ſua vtilitas ob ſordium efficaciam. Quomodo autem ex iis œſypum parare oporteat,iam dictum eſt in hoc ſermone ſecundo,vbi de ouiũ ſorde tractauimus.Lanæ lotæ ad ſuſcipiendas fomentorum humiditates materia apta exiſtũt. Eædem vſtæ vim habent acrem & calidam,cum quadam partium tenuitate,vt etiam humectas in vlceribus carnes celerrimè conſumant. Cõiiciuntur & in pharmaca ſiccatoria. vruntur in fictile nouum miſſæ, operculo addito multa foramina habente.

De pilis vſtis, Cap. CLX.

PIli vſti conſimilem lanis vſtis calfactoriam ac ſiccatoriam vim habent.

De oſſibus vſtis, Cap. CLXI.

OSſa vſta omnia diſcuſſoriam & ſiccatoriam vim habent:quidam tamen de hominum oſſibus id maximè prædicant.Talum vtique ſuillum vſtum deinde potũ inflationes ac tormina ſanare prodiderũt. Et noui ſanè ego quendam noſtrorum hominũm, qui oſſa vſta potanda dabat,ignorantibus bibentibus quid potarent, ne abominarentur: atque ſic in multis & morbum comitialem ac articularem curabat.

De pellibus & coriis, Cap. CLXII.

PEllis ouilla recens excoriata, flagris cæſis circundata, manifeſtè auxiliatur præ omnibus aliis auxiliis,vt in vna die ac nocte ipſos curet. concoquit enim & diſcutit ſubcruenta.Hyænæ pellem quidam domi repoſitam adſeruant,& vſu expetente ipſam à rabioſo cane commorſis circundant.nam proprietate quadam prohibet ne cõmorſus in aquæ timorem delabatur,ſed & iam elapſis auxiliatur.Coria vetera,maximè ſolearum,vſta,cinere ipſorum trito inſperſo, attritus calceamentorum non inflammatos ſanant.nam inflammatos exacerbant.

De ventriculo mergi, Cap. CLXIII.

MErgi ventrem torrefactum & ſali modico admixtũ crudis bonam concoctionem facere tradunt.

De vulpibus, Cap. CLXIIII.

QVidam vulpes viuas in oleo coquunt, eóque articulares morbos ſanant.Solia enim oleo calido replent, atque ſic arthriticos totos inſidere faciunt,& diutius immorari iubent.Maximè autem diſcuſſorium fit hoc oleũ, vt ad ſuperficiẽ trahat in alto corporũ cõtenta, iſticque dolores faciẽtia,aut ob ſubſtantiæ craſſitudinem, aut ob frigiditatem,aut vehementem acrimoniam, aut ob flatuoſum ſpiritum egreſſum non habentem. Ex hoc enim non ſolùm tumores in articulis ipſorum, ſed etiam totũ corpus repletione affectum euacuari contingit, & propterea maxima vtilitas inde cõſequitur: nimirum quum cauſæ in articulis contentæ diſcutiantur,& nihil amplius affectis partibus influat, toto corpore à ſuperfluitatibus liberato. At verò ſiquis improba diæta vtatur,affectio redire ſolet:non tamen ita vehementer velut antea. nam & antea,quũ illæſum ab eo affectu eſſet corpus,vitioſa diæta malum id induxit.Idem facit & hyæna tota oleo velut vulpes cocta.

De aranearum telis, Cap. CLXV.

ARanearum telas quidam ſcripſerũt vlcera in ſuperficie ab inflammatione aſſeruare.

De ranis, Cap. CLXVI.

RAnæ paluſtres coctæ, & modico ſale ac oleo modico conditæ,magnam medelam afferunt à reptilibus venenatis commorſis,ſi ius ipſum in potu ſumatur. Aliud. Rana in oleo cocta,& oleo pro fomento admoto, diuturni tendinum dolores ſedantur. Idem oleum articularem morbum mitigat, & duritias emollit. Ranæ vſtæ cinis membranæ cerebri ſauciatæ,aut venæ ruptæ inſperſus,ſanguinis eruptionem ſiſtit.

De Muſtela, Cap. CLXVII.

MVſtelam arefactã & potam, morbũ ſacrum curare aiunt.Si tota viua vratur in olla, cinis eius ſtrumas ſanat cum melle,aut terebinthina, aut butyro impoſitus.

De terræ inteſtinis, Cap. CLXVIII.

TErræ inteſtina trita & neruis diſſectis impoſita, e veſtigio mirabiliter auxiliantur, omnem quoq; ferri aut lapidis,aut alterius rei plagam glutinant,præſertim in neruoſis & ægrè glutinum admittẽtibus partibus, aut naribus,aut auribus,& ſimilibus.Oportet autem ea læuigare cum terra in qua reperiuntur, ſi non acrem aut ſalſam habeat qualitatẽ. Terræ inteſtina pota numero quinque aut ſeptem, cum paſſo vrinam cient, & omne genus lumbricorum eiiciunt eodem modo pota, aut quocunq; velis. Verùm latum lumbricũ expellunt cum aceto mulſo pota. Sed & morbum regium ægrè curabilem per vrinas expurgant,ſimiliter cum paſſo ſeptem numero pota, aut etiam per ſe, & cum myrrha troglodytide magnitudine ciceris.vtere confidenter. At verò in roſaceo cocta,aurium dolores ſanant,oleo calido infuſo. oportet autẽ terræ inteſtinorum drach.VI. eſſe, & roſacei lib.I. Dentium quoque dolores idem oleũ ſedat,propinquo dolenti denti auri calidum inſtillatum. Eadem ſuper prunas ſuffitæ dentiũm dolores ſedant, ægro per infundibulum fumũ ſuſcipiente ad dolentem dentem. Molares quoque quos tollere oportet,citra forcipem tollunt vſta trita, circũ dolentem dentem inſperſa:prius tamen dentem exactè circumſcarificare conuenit.Cinis eorundem in teſta exuſtorum læuiſſimè tritus,& vt collyrium aridum admotus,incipientibus ſuffuſionibus magnificè opitulatur. Auxiliatur idem palpebris in pilos eluxuriantibus,præeuulſis antea ſuperfluis pilis, deinde inſperſo cinere in loca ipſorũ per ſpecillum. prohibet enim pilorũ præter naturã regenerationẽ.Septem autẽ terræ inteſtina trita,ex vino mulſo ad plures dies pota, calculos in veſica confringunt, & paulatim emingere faciunt.Rumpunt & internos abſceſſus,& ad excretionẽ deducunt ſeptẽ aut nouẽ pota pro viribus,trita in aquæ cyathis tribus. Si verò quis ipſa trita in melle repoſita aſſeruet, optimũ auxiliũ ad percuſſos à ſcorpio habebit.Neruorũ nodos,quos ganglia vocamus, eadem per ſe trita in cataplaſmate impoſita diſſoluũt:itẽ mãmarum abſceſſus,per ſe cataplaſmatis vice impoſita: ſuppurant enim attrahũtque,& rumpunt,& ad cicatricẽ perducunt.Proſunt & eryſipelatis vſta trita cum aceto illita.Podagrarum inflammationes ſoluunt trita cum melle,ad cerati craſsitudinem,locis illita & tertia die ſoluta, locis roſaceo antea ſublitis. ſed & roſaceo cerato trita excepta,optimè pedum dolores mitigant. Cæterùm in capite non ſinunt leucas, *id eſt vitiligines albas*,altius inſidentes naſci,ſi fuerint conſuetis medicamentis præadſtrictæ,

& pili poſtea ex ipſis tritis cum vrina pueri illinantur. oportet autẽ in teſta prius exurere ipſa,& ſic in vrina vti. dato & hydropicis ſeptem cum vino mulſo: verùm exulceratæ veſicæ aut renibus, ſeptem item dato trita cum ſapa diluta. Strumas porrò paulatim minuunt viua locis adalligata, tot numero in pāniculum illigata quot ſtrumæ exiſtunt. Sedant omnem capitis dolorem & hemicraniā trita temporibus illita. Subterranea autem ſunt hæc terræ inteſtina: prodeuntia igitur & ad ſolem conſpicua, tẽpeſtates ac pluuias ſignificant.

De dracone marino, Cap. CLXIX.

DRaconis marini ſquamas vrito, & tenerrimè tritum cinerem ſublinito, & turbatos ac hebetes oculos ſanabis: item eos quibus animalcula velut culices, præ oculis volitare videntur.

De vipera, Cap. CLXX.

VIperæ caro comeſta palàm calfacit ac ſiccat. Oportet autem capite & cauda amputatis ipſam excoriare,& omnia interanea eximere, aquáque triplici carnem eluere: deinde in aqua velut anguillam coquere, addito marrubio,& anetho modico, paucóque oleo. atque vbi iam cocta fuerit, moderato ſale condire,& edendam præbere, itémque ius abſorbẽdum. Quòd autem viperæ carnes ſic comeſtæ purgent per cutem totum corpus, ex iis cognoſcere licet quæ quum adhuc iuuenis eſſem expertus ſum. Homo quidam elephantiaſi correptus abominabilis erat & graueolens: itaque caſa prope vicum extructa in ipſa degebat. Metebant autem in vicino meſſores quibus vinum in amphora apportabatur: vbi ergo tempus bibendi adeſſet, meſſores vinum in craterẽ effundebant, atque ſic mortua vipera ſimul excidebat. Itaque plenum humanitatis opus ſe facturos rati, vinum ægrotanti elephantiaco largiuntur: melius enim eſſe iudicabant ipſum mori, quàm talem viuere vitam. verùm is epoto vino mirabili modo ſanatus eſt: etenim vniuerſa eius tumeſcens cuticula, velut oſtreorum tectorium decedebat, & quantū eius reliqui fieret, ſatis molle apparebat. velut in locuſtis ac cā cris videre eſt, vbi teſtam exuerunt. Quin & in aliis pluri mis conſimiliter accidiſſe, veteres memoriæ prodiderūt. Et nos multos ex viperis curatos vidimus: vnde etiā theriacæ ipſas miſcemus.

De herinaceo marino, Cap. CLXXI.

HErinaceus marinus comeſtus ſuperiori ventriculo conducit,& cibos auerſantibus appetētiam excitat. Vrinam laxat idem veſicam expurgans, vnáque aluum leniter emollit.

De herinaceo terreſtri, Cap. CLXXII.

HErinacei terreſtris caro ſiccata & paulatim pota, elephātiacis auxiliatur,& vitiato corporis habitu præditis, conuulſiſque ac nephriticis, inſupérque aqua ſub cutem laborantibus: habet enim vim diſcuſſoriam ac ſiccatoriam. ſed & iecur ipſius ſole ſiccatum ac potum elephātiacis opitulatur. Cæterùm vtriuſque herinacei, terreſtris ac marini vſtorum cinis exterſorius eſt ac diſcuſſorius,& carnem conſumit: quapropter & vlcerum ſuperexcreſcentem carnem demolitur ac compeſcit,& ſordida vlcera expurgat. verùm herinacei terreſtris vſti cinis pice liquida exceptus alopecias ſanat: eiuſdem cinis potus cū vino mulſo calculoſos renes ſanat,& aquam inter cutem. Bibitur cineris cochlearii dimidii mẽſura. Omnem vrinæ difficultatem ex quacunque cauſa obortam ſoluit herinaceus, ſi inteſtina ac interanea ipſius ſuffiantur, ægro vndiquaque cooperto: celerrimè enim ſic malū ſoluitur. Ad hanc rem interanea inueterata eſſe oportet, & ſicca aſſeruata: quibus non præſentibus caro aut pellis ſicca ſuffienda eſt. Multam vrinam cient interanea ſicca trita pota, quantum tribus digitis apprehendi poteſt, ex vino. Eiuſdem caput vſtum & cum adipe vrſino illitum, nō modò alopecias perſanat, ſed etiam pilos ex cicatricibus producit. Corium autem vſtum itidem cum adipe maximè vrſino illitum, ſimiliter alopecias ſanat. Totus porrò terreſtris herinaceus viuus in oleo ad mollem ac lentum ignem coctus diutiuſculè, oleum ex ipſo coxendicum dolores veteres illitū ſanare facit. Fit ex ipſo & pſilothrum pilis denudādis hoc modo: Herinaceum viuum in ollam denſiſſimum operculum habentem,& duodecim ſextarios capientem mittito,& ad ipſum olei ſextarios ſex tantùm affundito,& ollæ oſculum diligenter gypſo oblinito, vt nullatenus tranſpirare poſſit: deinde ad dies quadraginta ad ſolem ſub caniculæ æſtibus exponito: poſtea apertam rudicula noua diligenter agitato, & mox excolato per panniculū vtitor. Illinatur ex eo locus in ſole,& diu confricetur donec exſudet, poſtea aqua dulci affuſa prolue. Cauendum autem ne alios locos contingat, quos depilare nolis.

De Hippocampis marinis, Cap. CLXXIII.

HIppocampi marini & aſſati comeſti, & morſui impoſiti, à carne rabioſo commorſos ſanant: verùm cum aceto mulſo & melle ipſos conterere oportet.

De Cantharidibus, Cap. CLXXIIII.

CAntharidum magnificum experimentum habemus ad ſcabros vngues: extrahunt enim ipſos commodis medicamentis admixtæ: miſcentur autem aliis erodentibus cōpoſitionibus,& excoriatoriis leproſorum. Quidā ex præceptoribus noſtris in pharmacū vrinam ciens parum de cātharidibus addebat, reiectis alis ac pedibus. Ad hos vſus cōmodiores ſunt (velut ego expertus ſum) quæ in tritico reperiuntur,& virgulas tranſuerſales melini coloris in alis habent. Magis autem adhuc idoneæ fient, ſi viuas ipſas in vas fictile mittas: deinde oſculo vaſis rarū linteolum obducas, deinde acetum in olla feruefacias, & vas cantharidum inuerſum ſupra ollam detineas, ita vt vaporem ab aceto elatum, per linteolum cantharides excipiant, donec emoriantur.

De cancris fluuialibus, Cap. CLXXV.

CAncros fluuiatiles crudos tritos & lacti mixtos in potu præbe,& omnis reptilis morſum curabis,& præſertim ſcorpii plagæ medeberis. & eum qui poto lepore marino iam perit, ſtatim reſtitues. Manifeſtum autem eſt quòd internam eius carnem cum lacte terere oporteat. Similiter exhibiti auxiliantur etiam phthiſicis contabeſcẽtibus: itémque iure albo cocti & comeſti, abſorpto inſuper iuſculo. Cæterùm cinis cremati cancri ſimiliter vt alia vſta, ſiccat: verùm quadam totius ſubſtantiæ proprietate, ad rabioſi canis morſum efficax eſt, tum ſolus, tum multò amplius gentiana & thure additis: ita vt ſit thuris pars vna, gentianæ quinque, cineris cancrorū partes decem. Vſi ſumus autem vſtis aliquando quidem alio modo, ferè tamen quomodo præceptor noſter vtebatur. Patinam habebat is ex ære rubro, in quā viuos cātros miſſos vrebat, lignis vitis maximè ſubiectis, donec ad cinerẽ redigerentur, vt cōmodè teri poſſent. atque ſic habebat ſemper præparatum domi ſuæ pharmacum. Vrebat autẽ ipſos cancros menſe Auguſto ſub caniculæ æſtibus luna decimaoctaua. Ex eo verò quotidie à rabido cane cōmorſis dabat vſque ad quadrageſimum diem cochlearium ſatis amplum in aquam inſpergens. Si autem non à principio, ſed poſt aliquot dies à morſu cōmorſi curam ſuſcipiebat, bina cochlearia quotidie dabat, vt quadraginta dierum exhibitio expleretur. Vtebatur verò & ad vulnus ipſum medicamento ex brutia pice, in quod recipiebat picis lib. I. aceti acerrimi ſextarium I. opopanacis quadrātem. Porrò cinere cancri fluuiatilis vſti melle addito, plātas pedum à frigore ruptas, & digitorum rimas ſanabis. Eodem etiam maligna & canceroſa vlcera curabis.

De carabo *ſiue locuſta*, Cap. CLXXVI.

LOcuſtæ teſtam vſtam ac tritam cum meraco bibendam dato, & alui infernum fluxum compeſces. Expurgat eadem & calculoſos renes, multam arenoſam vrinam deducens.

De teſtibus caſtoris, Cap. CLXXVII.

CAſtoris teſtes caſtorium appellant, celebre & multi vſus medicamentum. hic in vniuerſum vim eius referemus, ad quam ſiquis reſpiciat, particulares vſus ſibi ipſi exquirere poterit. Calfacit itaq; & ſiccat, éſtque multùm tenuiū partium medicamentum, ſiue quis humido corpori adhibeat egenti ſiccatione, ſiue frigido indigo caliditatis, ſiue iis qui ex repletione conuelluntur: vbi ea quæ præter naturam in neruis cōtinentur euacuare oportet, magnam quidem vtilitatem ex ſe oſtendit, & nulli

parti vllum aliquod detrimentum affricat, præſertim ſi homo non vehementi aliqua febre laboret. Eadem ratione & tremulis ob craſſorum ac viſcoſorum humorũ multitudinem, commodiſſimum eſt potum. vtile eſt & ſingultui, ex humorum frigidorum ac viſcoſorum copia oſculo ventris infarcta oborto. Si verò ex ſiccitate, aut immodica euacuatione, aut acrium humorum mordacitate, ſingultus aut conuulſio oriantur, caſtorii vſum velut infeſtiſſimum fugere oportet. Sed & febrientibus non adeò calida febri, ſed, vt ita dixerim, tepida (velut in altiore ſopore ac lethargo fieri ſolet) valde multis caſtorium exhibuimus cum pipere, vtriuſque cochlearium ex aqua mulſa: & nemo ex ipſis vlla parte læſus eſt. At verò in lethargicis ac alti ſoporis febribus, caſtorium roſaceo dilutum capiti impoſuimus ac ceruici. Ad ſuppreſſos autem menſes ob copiam ac craſſitiem ſanguinis, ſanguine à talo moderatè detracto, cochlearium caſtorei cum pulegio aut calamintha exhibui, cognouique medicamentum ipſum purgationẽ menſtruam ciere. Eiicit & ſecundas detentas & morantes, ſimiliter cum aqua mulſa potum. Inflatos ventres & torminoſos propter craſſum ac flatuoſum ſpiritum conclusum, ex poſca potum ſanat. Datur & orthopnoicis, *id eſt recta ceruice ſpirãtibus*, cum aceto mulſo aut poſca. Suffitur & in carbonibus, hiante ægro & vaporem excipiente.

De canis fluuiatilis teſtibus, Cap. CLXXVIII.

CAnis fluuiatilis teſtes ad eadem commodi ad quæ caſtoris teſticuli exiſtunt, ſunt tamen debiliores. eiuſdẽ canis pellis ad calceamentum redacta, pedum ac neruorũ morbum egregiè mitigat.

De canis terreſtris catulo, Cap. CLXXIX.

CAtulus canis terreſtris probè ſaginatus iuxta ægrum acclinatus, ſiue ſtomacho, ſiue alia interna parte ægrotet, morbum eximit ac ſanat, affectu in ipſum tranſeunte. Aiunt eundem mortuum diligenter ſepeliri oportere.

De cygni pullo, Cap. CLXXX.

CYgni pullus tener in oleo coctus, neruis affectis præter omnem opinionem medetur.

De buccinorum teſtis vſtis, Cap. CLXXXI.

BVccinorum teſtæ vſtæ vim multùm ſiccatoriam habent: vnde commodis medicamentis admixtæ inflãmationes induratas diſcutiunt. Conſimilem vim habent purpurarum ac oſtreorum teſtæ.

De galerita volucre, Cap. CLXXXII.

COrydalus *Græcis* appellatur, *& Latinis galerita*, volucre animal paruũ, quod ſæpe iuxta vias videmus. id ſimplici iure coctum ac comeſtum colicis prodeſt. Oportet autem aſſiduè & frequenter id edere, vnà cum iure. nam vtilitatem ex ipſo ſæpe expertus ſum. Habet autem eminẽtiam quandam in capite velut criſtam, ex pinnis ſpõte naturæ productam.

De cochlea terreſtri, Cap. CLXXXIII.

COchlea terreſtris duram carnẽ habet, & propterea comeſta ægrè concoquitur: verùm iuſculum ipſius coctæ ex aqua & anetho, oleóque ac garo, aluo ſecedit, ſi pote tur. Si verò prima & ſecunda aqua in qua coquitur diffuſa, in tertia coxeris donec exactè flacceſcat, & in fluxione ventris exhibebis, ventrem ſiſtet. At verò cochlearum humiditas ſola per ſe citra carnem accepta, (vocant autem eam ipſam cochleæ mucũ) & thuri admixta, aut aloæ, aut myrrhæ, aut aliquibus ex his aut omnibus, donec cerati craſſitudinem habeat, pharmacum euadit glutinatorium, & ſubmuſcoſos aurium tumores probè ſiccat. Glutinat item ac ſiccat oculorum fluxiones fronti impoſitum. Quum itaque multum eius muci colligere voles, carnem ipſarum ſtilo perforato: non modicam enim humiditatem emittunt, præſertim ſi nõ ante multos dies captæ fuerint. Hæc autem humiditas palpebrarum pilos reglutinat. Ego autẽ aliquando in agro cuidam neruos ſauciato vnà cum tendinis contuſione, carnem cochlearum impoſui cum farinæ polline qui molendinis adhæret, tritam, & citra inflãmationẽ vulnus glutinatũ eſt. Erat autem homo duræ carnis. Quòd ſi ad manum ſint, præſtat admiſcere in talibus myrrham, aut thus, aut reſinam frictam leuiſſimè tritam. Cæterùm caro ipſa in pila prius contuſa, dein-

A de trita & impoſita, omnes partes ſuperfluam humiditatem habentes ſiccat, vt etiam hydropicis proſit. Sed & vnà cum teſtis ſuis tritæ cochleæ ventri vniuerſo hydropicorum imponuntur, & ſuper articulorum tumores in arthriticis. & appoſitio quidem ipſarum difficulter auferri poteſt, verùm multùm ſiccat, & ſanè ſinendæ ſunt donec ſua ſponte decidant. Idem facere expedit & in tumoribus ægrè ſolubilibus, ex plaga aut contuſione factis in auribus. nam omnes hos exſiccat, etiãſi viſcoſum & craſſum in alto contineatur. Integræ porrò cochleæ vnà cum

B teſtis vſtæ, galla omphacitide ac pipere admixtis, magno pere proſunt dyſenteriis in quibus vlcera nondum ſunt putredinoſa. Oportet autem eſſe piperis partẽ vnam, gallæ duas, quatuor cineris cochlearum. quæ omnia exactè læuigata ac mixta, repoſita ſeruabis, & vſu expetente cochleari pleni menſuram obſoniis inſperges, aut cum aqua calida aut vino bibendam dabis. Citra verò vllam admixtionem ipſe cinis cochlearũ vſtarum ſiccãdi vim habet, cui & quiddam caliditatis propter vſturam ineſt.

De mænulis, Cap. CLXXXIIII.

C MÆnulæ ſalſæ caput vſtum, excreſcentes in vlceribus carnes, maximè in dentium gingiuis reprimit inſperſum, & callos eximit quos clauos vocãt, & extuberãtes ſedis eminentias tabefacit ac conſumit.

De torpedine, Cap. CLXXXV.

TOrpedo viua appoſita diuturnum capitis dolorẽ depellit, & prolabentem ſedem intrò pellit. mortua verò, aut omnino non, aut modicè hæc facit.

De aſello marino, CLXXXVI.

D ASellus marinus aqua coctus cum anetho & modico ſale conditus oleóque pauco, omnem interaneorum morbum ſanat, maximè alui ab acribus humoribus infeſtatæ.

De oſtreorum teſtis, Cap. CLXXXVII.

OStreorum teſtæ omnes læuiſsimè tritæ & ad puluillũ redactæ, vlceribus malignis conueniunt, & præſertim in vlceribus corrodẽtibus labiorum optimum pharmacum ſunt, citra mordacitatem ad cicatricem perducentes: participes enim ſunt facultatis adſtrictoriæ, per quam duræ ac terreæ exiſtunt: eam autem per vſturam amittũt.

E Eædem cum aceto aut poſca aut vino mulſo tritæ, putredinoſis cõmodæ ſiunt, pro habitu videlicet ægroti, conueniente humore admixto. quòd ſi vratur oſtreorum teſta, tenuiorum partium euadit quàm buccinorum teſta: nam & minus durum eſt ipſarum corpus. Si verò lauetur hic cinis, commodus fit ad humectiora vlcera explenda, & ad cicatricẽ perducenda. Atq; ego ſanè oſtreorum teſta hoc modo præparata ſemper vtor, ad cauitates ac fluxiones diuturnas & ægrè carnem recipientes, etiamſi fiſtulo ſæ eſſent ac profundæ. Circumpono autem eam forinſe-

F cus cum adipe ſuillo vetere, & in ipſum ſinum quid indo ex iis quæ talia carne replere ſolent: quale eſt pellucidus lapis, ſpecularis appellatus. quin & dentes oſtreorum teſta illuſtrat, velut etiam buccinorum, & purpurarum, non ſolùm vi exterſoria, ſed etiam ſubſtantiæ aſpritudine. quapropter nõ eſt neceſſe ad hanc rem ipſas valde læuigare. eædem lotæ ac tenuiſſimè tritæ humore flaccida vlcera exſiccant.

De purpurarum teſtis, Cap. CLXXXVIII.

G PVrpurarum teſtæ cum aceto potæ lienes tumentes ſanant: ſuffitæ verò veteri ſtrangulatus curant, & ſecũdas morãtes detrahunt. Vſtarum cinis ad eadem facit ad quæ buccinorum adhibetur.

De ſquatina marina, Cap. CLXXXIX.

SQuatinam marinam vſtam craſſioribus corporibus in balineo inſpergito.

De ſepia, Cap. CXC.

SEpia ſuffocata in aceto, ſi cum oleo acetum bibendũ dederis, eum qui hippocampi marini venenũ ſumpſit ſeruabis. Teſta ſepiæ exterſoriam & ſiccatoriam vim ha-

H bet, éſtque tenuiũ partium. quapropter vſta vtimur ad vitiligines, maculas ſolares, ac lentigines, & ſcabiem. ſed & ſale ammoniaco admixto, oculorum vngues exterit. Eadem non vſta, dentes illuſtrat, & affricta oculorum

cicatrices deterit,& vlcerá in ipſis ſiccat.Magnas quoque palpebrarum aſpritudines, ſycoſes *Græcis* dictas, cõſumit.

De Scinco, Cap. cxci.

SCinci circa renes partes, ad tentiginem pudendorũ ciendam bibuntur.Neque aliud magis contrariũ huic facultati deſtruendæ videtur quàm lactucæ ſemen ex aqua potum.Quidam etiam lenticulæ decoctum cum melle potum tentiginem ſedare tradunt.

De Tellinis, Cap. cxcii.

TEllinarum ſalſarum vſtarum cinis cum cedria adhibitus,ſuperfluos palpebrarũ pilos renaſci prohibet.

De cicada, Cap. cxciii.

CIcadis ſiccis quidam vtuntur in colicis affectionibus, cum pari numero granorum piperis,exhibéntque aut tres,aut quinque,aut ſeptem,tum in interuallis,tum in exacerbationib⁹. Alii toſtas in veſicæ dolore,ac calculoſis, edendas præbent.

De hyæna, Cap. cxciiii.

HYæna viua in oleo cocta, velut de vulpe dictum eſt, oleum diſcuſſorium efficit arthriticis vtiliſſimum. Vſus fiat velut de vulpe indicauimus.

De hirundinibus, Cap. cxcv.

HIrundinum vſtarum cinis cum melle illitus, anginã ſanat, & omnino omnes affectiones quæ in faucibus ac gurgulione cum tumoribus fiũt. Quidam & ad acuendum viſum cinere vtuntur, collyrii ſicci modo adhibentes.

De electione optimorum medicamentorum, Cap. cxcvi.

AGaricum præſtat quod ſtrias rectas habet.

Acaciam eligito fuluam & odoratam.

Aloem elige puram,non lapidoſam,valde ſplendidam, denſam, ſubflauam,friabilem,hepatis colore,facilè liqueſcentem, odoratam, amaritudinis intenſæ. Nigra verò & valdè dura reprobatur.

Amomum elige recens & album aut ſubruffum, non coactum,ſed ſolutum & diffuſum,ſemine plenum ſimili racemulis,valde graue & odoratum,non carioſum,acre & guſtu mordax, colore ſimplex,non varium. Adulterant quidã id amomide ſimili exiſtẽte. Sẽper autem fragmenta reprobanda ſunt,electis ramis perfectis ab vna radice.

Ammomiacum thymiama eligendum eſt non lignoſum,granis thus referens,purum,denſum,nihil ſordium habens,caſtorei odorem præ ſe ferens,guſtu amarum.

Aſpalathus,bonus eſt grauis,& poſt decorticationem ſubruber,aut purpuram referens,denſus,odoratus, ſaporis amari.

Abſinthium,melius eſt quod in Ponto & Cappadocia naſcitur.

Bitumen,optimum eſt purpurei coloris, ſplendidum, intenti ac grauis odoris.Nigrum autem vitioſum eſt. nã pice admixta adulteratur.

Bdellium præſtat guſtu amarum, colore glutinis,pingue in altum, & facilè molliri potens,non lignoſum,non ſordidum,iucundi odoris in ſuffitu, & vngui ſimile aromatico,onychi appellato.

Elleborum nigrum eligito probè coaltum,tenuem habentem medullam,acrem guſtu ac feruidum. talis eſt qui in Helicone prouenit ac Parnaſo & Anticyra.

Elleborum album elige moderatè extentum,& album fragilémque ac carnoſum,non acuminatum & iunceum, aut pulueruIentam lanuginem remittentem dum frangitur,quique medullam tenuem habeat,guſtu feruido non valde neque acceruatim ſaliuam attrahentem: qui enim talis nõ eſt,ſuffocatori⁹ exiſtit.primas obtinet Cyrenaic⁹.

Euphorbium elige pellucidum & acre.

Viſcũ,optimũ eſt recẽs,coloris praſſini intrinſecus,foris ſubflauum,nihil aſperum aut furfuraceũ habẽs. colligitur ex quercu, malóque ac piro, & aliis arboribus.

Gluten piſcium bonum eſt non glaucum, ſubcraſſum, non ſcabrum facilè liqueſcens.

Calamus aromaticus bonus eſt fuluus,dẽſis geniculis, & qui in multas ſciſſuras & ſegmenta aſſuloſè frangitur,fiſtula telis aranearum repleta,ſubalbidus,in manducando viſcoſus,adſtringens,& ſubacris.

A Cardamomum,optimum eſt quod ex Armenia affertur.elige quod ægrè frangitur,plenum & concluſum.

Caſiam elige fuluam,boni coloris, corallium referentem,arctam valde,longam,craſſam,fiſtulis plenam, guſtu mordacem, & adſtringentem cum quodam aromatico feruore,vinum redolentem: verùm purpurea & craſſa,zigir appellata,roſam odore referens, ad medicũ vſum maxime apta eſt.

Cera,optima eſt ſubpinguis,odorata,pura,Pontica.

Glutinum quod aliqui xylocollam vocant,optimũ eſt B Rhodianum, eſtque albũ & pellucidum. nigrũ verò deterius eſt.

Gummi elige vermiculatum,vitriforme, pellucidum, non lignoſum.ab eo proximum eſt album: reſinoſum verò ac ſordidum,inutile eſt.

Coſtus, optimus eſt Arabicus, albus exiſtens ac leuis, plurimum habens & iucundum odorem.ſecundum locũ obtinet Indicus,denſus exiſtens ac leuis & niger velut ferula. Tertius eſt Syriacus,coloris buxei, odore nares percellens. Optimus eſt recens, albus,plenus ex toto, denſus, C ſiccus,teredinem nõ ſentiens,guſtu mordax ac feruidus. Quidam adulterant ipſum helenii radicem admiſcentes. facilis eſt cognitio: nam helenium linguam non feruefacit, neque odorem intentũ & nares percellentẽ exhibet.

Crocus optimus Corycius eſt, recens ac boni coloris, parum albedinis in capreolo habens, oblongus, integer, probè coaltus,plenus,non friabilis,non pinguis, & tamẽ in attritu digitos facilè tingens, non carioſus, impetuoſi odoris,& acris.qui enim talis non eſt,aut vetuſtus eſt,aut D maceratus.Quo verò facilè teri poſſit,in ſole ac fictili nouo ſiccare oportet.

Crocomagma ſic præparatur:Croci drach.centum,roſarum ſiccarum drach.L. amyli drach.L. myrrhæ troglodyticæ,gummi vtriuſque drach. L. vino odorato terito, & paſtillos formato,eíſque in vmbra ſiccatis vtitor.

Cyperi radix optima eſt quæ grauiſſima & denſa ac plena,ægrè friabilis,aſpera,odorata, cum quadã acrimonia.

Thus primas obtinet maſculum,rotundum, nõ ſectũ, album,& vbi inciſum eſt,intus pingue. Adulteratur reſi- E na pinus aut gummi.facilis eſt cognitio.

Thuris cortex præſtat craſſus ac pinguis,odoratus, nõ ſcaber aut pelliculis refertus: adulteratur cortice ſtrobili aut pini admixto.deprehenditur id igne: alii enim cortices ſuffiti fumum edunt,verùm hic ardet odore iucundo velut thus.

Malabathri folium bonum eſt recens, in nigrore ſubalbidum,non friabile,integrum,odore nares percellens, & dum diluitur odoratum,nardum ſapore non ſalſuginẽ referens.quod verò in tenues partes contuſum carioſum F odorem repræſentat,vitioſum eſt.

Medulla optima eſt ceruina, deinde vitulina, pòſt taurina. Bona eſt quæ æſtate accedente ad autumnum colligitur: aliis enim temporibus cruenta veſtigia in ipſa reperiuntur. curatur ad repoſitionem, recens mollitur aqua affuſa,deinde per linteum excolatur. rurſúſque lauatur,donec aqua pura fiat, poſtea in duplici vaſe liquatur, ſordibus innatantibus penna ablatis: poſtquam autẽ congelata fuerit,in fictili nouo reponitur, deraſa diligenter fæce quæ poſt liquefactionem & excolationem ſubſidet.

G Panacis radices meliores ſunt ſiccæ & albæ extentæ, & incorroſæ,guſtu feruidæ,& aromaticæ.Succus panacis cõmodus eſt guſtu amariſſimus, forinſecus viridis, intrinſecus albus,pinguis,citò ſolubilis,grauis odoris, & guſtu calfaciens.

Myrrha,primaria eſt Troglodytica, ſubuiridis & pellucida,odorata, acris:quæ verò colore picea eſt,inutilis exiſtit.

Stacte,*i.myrrha*,bona eſt odorata, læuis, oleũ admixtũ non habens.

H Styrax præfertur flauus & pinguis,reſinoſus,grumos habens ſubalbidos,valde odoratus, & dum mollitur humiditatem melleam remittens.

Tragacantha, optima eſt pellucida & læuis, tenuiſſima & pura,ſubalbida.

Hyoſcyamo vtendum eſt eo qui albos flores producit.

Galbanum, optimum eſt thuriforme, grumoſum, purum, non lignoſum, quod ex & ſemine quid admixtũ habet, odore graue, & neque ſummè liquidum, neque valde ſiccum.

Gagates lapis præfertur qui facilè accenditur, & odorẽ bitumnoſum repræſentat.

Melanteria, optima eſt ſulphurei coloris, leuis, æqualis, pura, & contactu aquæ citò nigreſcens.

Põpholyx optima eſt Cypria, & quæ aceto ſubacta æris odorem refert, colorem autem picis. Eſt autem & cœnoſi ſaporis, & carbonibus ignitis impoſita, ardet colorem aereum repræſentans.

Ex Oribaſii libris ad Euſtathium & Eunapium, De ſimplicium pharmacorum facultatibus.

Quæ media ſunt inter calfacientia ac frigefacientia, Cap. cxcvii.

Adiantum, aſparagus myacãthinos, muſcus, qui & ſplãchnon dicitur, glycyrrhizæ ſuccus, oleum dulciſsimum, cera, faba, lycium, lotus ſiue trifolium, cytrii cortex filicis radix, nuclei nucis pineæ, lentiſcus, lens, terra Chia & Samia, cadmia, ſpuma argenti.

Quæ moderatè calfaciunt, Cap. cxcviii.

Viticis folia & ſemen, vrticæ fruct⁹ & folia, amygdala dulcia, anagallides ambæ, atractilis, glycyrhizæ radix oleæ radix & fructus maturus, fermẽtũ, eryngiũ, reſinæ omnes, cicerbita ſicca, iunci odorati flos, palmæ fructus, cochlearum cinis, cynocrambe, batrachii herba & radix, pulegium, lauri folia, & magis baccæ: minus autẽ radicis cortex. dictamnũ, pſeudodictamnũ, ſaluia, eryſimũ, lanæ vſtæ, bryoniæ radix, ariſtolochiæ radix, aſphodeli radix, daucus, chamædaphne, dracũculi radix, oleũ raphaninũ, cicerũ ſpecies tres, viſcũ, caucalis, liguſticũ, ferulæ ſemen, ſagapenum, ſatyriõ, apion, ſion, ſinon, ſtyrax, hydropiper, hypericum, ſal, ſanguis, fel, vrina, ſaliua, ſulphur, viperarũ carnes, adeps, ſalſorum piſcium muria.

Quæ calfaciunt primo ordine, Cap. cxcix.

Aloe, chamæmelon, agaricum, abſinthium, ladanum, lini ſemen, malabathri folium, ſpica nardi, nardus Celtica, vinum nouum, ſerum lactis, caſeus, ficus ſiccæ.

Quæ calfaciunt ſecundo ordine, Cap. cc.

Amurca, anethum ſiccũ, ſed viride minus, artemiſia, balſamum, elaphoboſcum, calamus aromaticus, crocus, thus, maſtiche Chia, mel, vinum, pix, meliſſophyllum, marubium, propolis, cucumeris ſylueſtris ſuccus, ſcandix, ſcilla, cardui radix, myrrha, terebinthi cortex foliáque ac fructus, fœnumgræcum, chamæleontis vtriuſque radix, chamæpitys, ocimum.

Calfactoria tertii ordinis, Cap. cci.

Abrotonũ, præſertim vſtum, lolium, populi nigræ flores & reſina, acorus, amomum, amaracum, ammiũ, anethũ vſtum, aniſum, iuniperus, aſari radix, ſabina herba, veratrum vtrũque, epithymũ, mẽtha, calaminthe, thymbra, arundinis vallatoriæ cortex vſtus, caroum, caſia, cedrus vtraque, cnici ſemen, conizæ, cuminum, thuris fuligo, fœniculum, melanthium, mei radices, moly ſiue ruta ſylueſtris, aut beſaſa, rhododaphne, vinum vetus, origanũ omne, opopanax, petroſelinum, ruta, ſmyrniũ, hyſſopus, galbanum, chamædrys, raphanus, ſampſuchus.

Calfactoria quarti ordinis, Cap. ccii.

Adarce, ampelopraſon, euphorbium, oleum cedrinũ, coſtus, cæpa, lepidium, ſinapi, allium, ſthruthii radix, tithymalorum ſucci, & omnia vſtoria vi prædita.

Quæ frigefaciunt, Cap. cciii.

Gramen moderatè, auricula muris citra adſtrictionem: pira in cataplaſmata impoſita moderatè frigefaciunt, balauſtium, rubi folia & germina, & fructus viridis ac flos ipſe. Auena moderatè, muſcus marinus, glaucum moderatè, dorycnium valde frigefacit, arundinis ſepiariæ folia moderatè, cicuta ſummè, lichen in petris naſcens, papauer omne, mali fructus, oleæ fructus & folia, oleum myrteum, ſeſaminum, balaninum: helxine ſiue perdicias moderatè, panicum, violæ folia & ſuccus, mali perſici & citrii caro, fungi multùm frigefaciunt, item omphacii ſuccus, amylum moderatè, roſaceum mediocriter, ſordes ex palæſtra, cicerbita non ſicca, tribulus vterque, ramorum palmæ ſuccus, Samia terra moderatè, Cimolia terra, Naxiæ cotis detritũ ſiue retrimentũ, plumbago mediocriter, plumbum, ceruſſa, ſandyx, caſeus mollis recèns coactus moderatè perfrigerat.

Quæ frigefaciunt primo ordine, Cap. cciiii.

Acacia illota, atriplex citra adſtrictionẽ, vinacea, milium, ordeum, platanus, rhamnus, ſeris.

Quæ frigefaciunt ſecundo ordine, Cap. ccv.

Acacia lota, plantago, blitũ, galla omphacitis, cucurbita, cucumis, pepo, ſolanum hortenſe, lens paluſtris, alga viridis circa prærupta maris littora collecta, pſyllii ſemen.

Frigefactoria tertii ordinis, Cap. ccvi.

Semperuiuum vtrunque, portulaca, mandragoras, citrii pars acida, polygonum, potamogeton, hyoſcyamus qui & florem & ſemen album habet.

Frigefactoria quarti ordinis, Cap. ccvii.

Succus papaueris, cicuta.

Quæ ſiccant citra mordacitatem, Cap. ccviii.

Vrticæ ſemen & folia, amurca, anagallis vtraque, auena, plantago, oleum dulce inſulſum lotum. fermentum attrahit ex alto ac diſcutit. Lupinus amarus, hippuris fortiter, iſatis, ſalicis flos & folia cum quadam adſtrictione. Quidam & ſuccum ex ipſis faciunt, & pharmacũ habent citra mordacitatem ſiccans ad multa cõmodum: verùm multo amplioris vſus eſt pharmacũ ſiccãs & adſtringens, nucis cortex vſtus, ſimúlque tenuiũ partium exiſtit: milium, centaurium tenue fortiter ſiccat, ceraſi gummi, liliũ, faba forinſecus impoſita, cupreſsi folia ac reliquæ partes, cyperi radix, nucis pineæ nuclei aqua macerati, nymphææ radix, ſiræum ſiue ſapa, quinquefolii radix, polypodium, myrrha, ſarcocolla, ſtœbe, tragacantha, terra omnis, cadmia, aſiæ petræ flos humore flaccidas carnes cõſumit, pompholyx ſæpe vſta, calx ſtrenuè, oui candidum ac tenue: eadem vis & vitellorum eſt.

Quæ ſimpliciter ſiccant, Cap. ccix.

Viticis folia & ſemẽ, graminis radix moderatè, adiantum, ſemperuiuum vtrunque, amarantum fluxiones ſiſtit potum, bryoniæ radix, anagiri folia ſicca, pira in cataplaſmate impoſita moderatè, ariſtolochia, aſparagus myacanthinus, aſphodeli radix, & magis cinis, balauſtiũ valde, ruborũ fructus immaturus, quercus partes omnes, phagi ſimiliter, bulbus in cataplaſmate, eryngium, iſatis, ſalicis corticis cinis vehementer, cannabis ſemẽ, pæoniæ radix, lauri folia vehementer, & magis baccæ, oleum Cyprinum, laurinum, panicum in cataplaſmate impoſitum, naſturtium, caucalis, paſtinaca ſylueſtris ſiue daucus, lixiuium, præſertim ex cinere ficulneo, braſſica: caules autẽ eiuſdem cinerem fortiter ſiccantem faciunt, crethmum, lilii folia & radix, omphacium, platani cortex & pilulæ moderatè, polypodium, amylum, ſal, nitrũ, gypſum, præcipuè vſtum: cadmia omnis, omnia metallica, & lapidea ac terrea, tẽſta clibanorũ, coagulum omne, ſtercus: anſerũ tamen & accipitrum inutile eſt propter multam acrimoniam. ſordes ſiue ſtrigmenta, carnes viperarũ, capita mænularum ſalſarum, cornu cerui ac capræ, caſtoriũ, oſſa vſta fortiter, capilli vſti, ſepiæ teſta, lanæ vſtæ, cancrorũ cinis, garum abundè, muria.

Quæ primo ordine ſiccant, Cap. ccx.

Chamæmelum, iuniperi baccæ, caroum, ordeum, polenta, crocus, thus, fœniculum, rododaphne, vinum nouum, cucumeris & peponis ſemen, & radix ſicca, fœnumgræcum.

Quæ ſecundo ordine ſiccant, Cap. ccxi.

Lolium, amaracus, bitumen, anethum, balſamũ, vinacea, gingidium, elaphoboſcum, calamus aromaticus, thuris cortex & folia arboris, itémque ſemen: meon, maſtiche, mel, ſpica nardi, nardus Celtica, vinum, eruum, opopanax, pix, rhamnus, raphanus, ſcandix, cardui radix, myrrha, lentiſcus, terebinthi fructus & folia, lentes, alga humida & viridis, malabathri folium, galbanum.

Quæ tertio ordine ſiccant, Cap. ccxii.

Abrotonum præſertim vſtum, acacia, acorus, aloe, ammium, anethũ vſtũ, aniſi ſemen, iuniperus, aſarũ, abſinthium, herba ſabina, veratrum, epithymum, thymbra,

calamintha,arundinis ſepiariæ cortex vſtus, caroum, caſia, cedrus,conyza,thuris fuligo,nigella,citrii ſemen,vinum ſatis vetuſtum,acetum,origanum, quinquefolii radix,petroſelinum,ſmyrnium,ruta hortenſis,marrubium, rhus,ſampſuchus,ſeriphium, hyſſopus, chamædrys, chamæleontis vtriuſque radix,chamæpitys.

Quæ quarto ordine ſiccant, Cap. CCXIII.

AMpelopraſon,oleum cedrinum,ſinapi,ruta ſylueſtris, allium.

Quæ media ſunt inter ſiccantia & humectantia, Cap. CCXIIII.

GRaminis radices in cataplaſmate impoſitæ, oleum dulciſſimum.

Quæ primo ordine humectant, Cap. CCXV.

AVricula muris,bugloſſum,ſuccus glycyrrhizæ,lactuca moderatè,violæ folia moderatè,mali Perſicæ fructus,fungi,roſaceum,ſatyrium,ſtratiotes fluuiatilis.

Quæ ſecundo ordine humectent, Cap. CCXVI.

POrtulaca,atriplex,blitum,cucurbita,mali Armeniacæ fructus,cucumis,pepo,lens paluſtris.

Quæ aquoſam frigiditatem habent, Cap. CCXVII.

ACacia,auricula muris,portulaca, plantago, atriplex, rubi folia,blitum,muſcus marinus,glaucium, dorycnium,viſcum,ſalix,cucurbita, cotyledon, cicuta, picea arbor,malua ſatiua,papauer,mala præcocia, fungi, platanus,polygonum,potamogeton, ſideritis, cucumis cibarius,holoſchœnus,cicerbita,tribulus, lenticula paluſtris, pſyllii ſemen,plumbum.

Quæ tenuium partium ſint, Cap. CCXVIII.

ABrotonum vſtum,vitex,ſcandix,populi nigræ flores & folia,vrticæ ſemen & folia,amomum,acorus,aſari radix,bryoniæ radix,chamæmelon,aparine,ariſtolochia, plantago ſicca,aſphodeli radix, præſertim vſta: balſamū, herba ſabina,ſinapi,rubi radix,glycyrrhizæ radix,oleū vetus,oleū cicinū, elaphoboſcū,euphorbiū,fermētū,ſalicis ſuccus,calamintha,calamus aromaticꝰ, arūdinis ſepiariæ cortex vſtus, caſia, carpeſion,miliū,oleū cedrinum,pruni gummi,maſtiche,nigella, ſuccus Cyrenaicus, opobalſamum,ruta,piſtacii fructus,propolis, terebinthus, roſaceū oleum,ſagapenum,ſampſuchus,ſeſelis,cucumeris ſemen, ficus aridæ moderatè, flos iunci odorati,cinis, calx, ſalis flos,hyſſopum,ſal,alcyonium Mileſium, nitrum, auripigmentum vſtum,gypſum vſtum,ſulphur,cadmia, pumex vſtus,lixiuium,aſiæ petræ flos,melanteria,miſy,æs vſtum, chryſocolla,ſandyx,fucus,adeps leonis ac pardi, itémque hyænæ valde,caſtorium,ſepiæ teſta vſta,lanæ vſtæ.

Quæ craſſarum partium ſint, Cap. CCXIX.

PLantaginis radix,balauſtium, vinacea,zingiber,cucumis,cæpe,ſquamæ omnes,ſori,alumen.

Corroborantia, Cap. CCXX.

CAſia,galla omphacitis,ſtœchas,palmæ fructus,abſinthium,maſtiche.

Concoctoria, Cap. CCXXI.

AMomum,vua paſſa,cera,ladanum, glutinum librarium,crocus,thus,pix,maſtiche Ægyptia, roſaceum oleum,myrrha,ſtyrax,galbanum,alica,adeps ſuillus & vitulinus,butyrum,œſypus.

Suppuratoria, Cap. CCXXII.

AQuæ temperatæ affuſæ fomentum,aqua & oleum tēperata,farina triticea,panis,alica, adeps porcinus & vitulinus,butyrum,thus,pix,reſina.

Mollientia, Cap. CCXXIII.

QVæcunque calfaciunt non tamē vehementer, ſimúl que non vehementer ſiccant:ſunt autem talia,ſeuum caprinum,adeps gallinaceus,& porcinus.ſeuum taurinum & hircinum,medulla ceruina,vitulina,ammoniacū,thymiama,ſtyrax, galbanum, bdellium, oleum ſicyonium, oleum liliorum,oleum dulciſſimum,chamæmelinum,althææ radix, cucumeris ſylueſtris radix, maluæ ſylueſtris folia,maſtiche Chia & Ægyptia,terebinthina,reſina Colophonia,opopanax,ſordes ſtatuarum in gymnaſiis, ſordes palæſtrarum,butyrum,œſypus.

A Quæ indurant, Cap. CCXXIIII.

SEmperuiuum,portulaca,pſyllium, lens paluſtris, ſolanum.Indurantur autem corpora & partes aut ob ſiccitatem,aut ob plenitudinem,aut ob cōgelationem. Si quidem igitur ob ſiccitatem pars dura fiat, humectare omni modo ipſam oportet: ſi verò ob plenitudinem,euacuare ipſam oportet:ſi verò ob congelationem fuerit indurata, congelationem moderatè calfacientibus diſſoluere oportet.nam congelatio ex frigore eſt,quæ autem vehementer calfaciunt,magis congelant.

B Exterſoria, Cap. CCXXV.

STercus caprinum vſtum & non vſtum,omnes teſtæ teſta intectorum,ſepiæ teſta,herinacei terreſtris ac marini cinis,ſerum lactis, ac bryoniæ radix, mel, amygdala dulcia eſui apta,& ipſorum arbor,anagallis vtraque,anemonæ omnes,plantaginis folia,maximè arida: ariſtolochia,aron,aſparagus myacanthinus, ſtaphis agreſtis, aſphodeli radix,atriplicis ſemen, abſinthii ſuccus, bulbus impoſitus,veratrum vtrunque,helxine ſiue perdicias,ſalicis ſemen,calami ſepiarii radix trita moderatè,fabæ caro,

C lapſana in cataplaſmate impoſita,lichen petrarū, leucoii partes omnes, platani radicis cortex,marrubiū, meō,propolis moderatè,vlmi folia & cortex ac radix,ptiſana,terebinthina ampliꝰ quàm maſtiche, ſagapenū moderatè,cucumeres,peponis partes omnes,cucumeris ſylueſtris radix, beta,tithymalus,phu,chamæpitys,halcyonia omnia,terra Chia & Samia moderatè,ſmiris abundè,cornu cerui & capræ vſtum:& quæcunque inueneris nitroſa & amara, ea omnia meatus expurgare poſſunt.Quæ verò tenuium partium ſunt dulcia,extergent moderatè vlcerum ſordes &

D totius cuticulæ,velut ſunt fabæ,eruum,ordeum, lupinus, & ſimilia.

Quæ vaſorum oſcula aperiant, Cap. CCXXVI.

QVÆ oſcula vaſorum aperiunt,calida ſunt nō valde, & craſſarum partium: quæ enim vehementer calfaciunt,vrunt & cruſtam inducunt,anemonæ omnes,cæpa, allium,fel taurinum,irini & amaracini olei ſiue vnguenti fæx.

Rarefacientia cutem, Cap. CCXXVII.

RArefactoria ſunt quæ moderatè & citra moleſtiam

E calfaciunt,nequaquam verò ſiccant: Chamæmelon, althæa,cucumeris ſylueſtris radix,coſtus,libanotides, nitrum,abrotonum,oleum vetus.

Denſantia cutem, Cap. CCXXVIII.

AQua frigida,ſemperuiuum,portulaca, tribulus viridis,pſyllium,lenticula paluſtris, mandragoræ mala, & ſummatim omnia quæ frigefaciunt non ſiccantia.

Corrodentia, Cap. CCXXIX.

AVripigmentum,ſandaracha,chryſocolla,cātharides, erucæ pinus,cedria,veratrum nigrum.

F Reprimentia eminentias, Cap. CCXXX.

ELaterium,cucumeris ſylueſtris radix,ochra, mandragoras,aſiæ petræ flos,oſtreorum teſtæ, herinaceus vterque vſtus vnà cum teſtis ſuis, hæmatites lapis ſiccus tritus & ad puluillum redactus,faba, ſquama æris,chryſocolla.

Cicatricem inducentia, Cap. CCXXXI.

QVæcunque adſtringunt & ſiccant,alumen,galla omphacitis,æs vſtum,præſertim lotum, malicorium aridum,recrementum plumbi, ſpuma argenti, helcyſma,

G *id eſt argenti recremētum*,plumbum vſtum, teſta intectorum omnium teſtæ,vitrum,pumex præſertim vſtus,& vino extinctus,ſpecularis lapis vſtus,ceruſſa,pompholyx, ſpodiū lotum,chryſocolla,ſtibium vſtum,diphryges,ſarcocolla. omnia prædicta ſi vlceribus inſperſeris, ipſa cicatrice includes.Verùm cum mordacitate cicatricem inducit atramentum ſutorium vſtum, cadmia, ſquama æris ac ferri, præſertim ſtomomatis,ærugo,calx vſta & lota.

Exulcerantia in ſuperficie, Cap. CCXXXII.

RVbi canini folia,betæ radix,allium,pulegium,hyſſopum,origanum,ſepiæ teſtæ, aſphodeli radix, ſemen lini:& ſalſa,& acria,& amara.

Vſtoria, Cap. CCXXXIII.

CAntharis,diphryges, fæx aceti vſta, anemona puniceum florem habens,allium,cinis, præſertim ficulnꝰ

nitrum aſſatum,æs vſtum,alumen, buccinorum teſtæ vſtæ, mænularum capita,auripigmentum, ſtaphis agreſtis, granum cnidium,ſinapi,pyrethrum. calx non extincta vrit,extincta cruſtam inducit.

Attractoria, Cap. CCXXXIIII.

ANemonæ omnes,anagallis vtraq;,dictamnus, cicer, thapſia,cyclaminos,narciſſi radix,propolis fortiter, fermentum,ſtercus omne,ſagapenum,ſuccus Cyrenaicus & Medicus,ſilphii ſuccus & radix,ſparti quo aucupes vtũtur,& ſemen & virgarum ſuccus generoſè, terebinthina magis quàm aliæ reſinæ,ſulphur,ſtercus bubulum, præſertim ſi eruo boues paſcantur, calaminthe in cataplaſmate impoſita,coſtus contritus cum oleo: fortiter autem attrahit viſcum.

Diſcuſſoria, Cap. CCXXXV.

ABrotonum,agaricum,adiantum,ægilops, vrticæ ſemen & folia,ſambucus,ebulus, chamæmelon, aniſi ſemẽ,ariſtolochiæ radix,aſphodeli radix, præſertim vſta: atriplex,bulbus,herba Sabina, muſcus qui ſplanchnon & hypnon *Græcis* appellatur,daucus,althæa,oleum dulce, oleum vetus,oleum raphaninum & 'cicinum, thapſia, calami ſepiarii cortex vſtus abundè diſcutit, braſſicæ folia, lilii folia & radix,ladanum,mercurialis,malua ſylueſtris, mel,mali Perſicæ folia & germina,rhododapne,groſſi ficus,ficus ſylueſtris,maſtiche Chia, opobalſamum, ſuccus Cyrenaicus vehementiſſimè,paliuri folia & radix, ruta, pix,marrubium,terebinthina,roſaceum oleum moderatè,ſordes à ſtatuis,ſordes palæſtrarum quæ patos *Græcis* dicitur,ſampſuchũ, cucumeris ſylueſtris radix,myrrha, caricæ acriores amplius quàm groſſi,beta citra calfactionem, fortior eſt autem alba:galbanum,ſal,præſertim vſtus: ſalis flos,nitrũ,halcyonia omnia,terra Samia,hyoſcyamus,caſeus tener ex acido lacte moderatè, butyrum, coagulum omne,ſtercus omne valde,œſypus moderatè,carnes viperarum fortiter,adeps,præſertim leoninus:oſſa vſta eorundem leonum,& omnium aliorum cinis.

Adſtringentia, Cap. CCXXXVI.

OLeaſter,piraſter,lentiſcus,apium,ſemperuiuum, papauer,cytiſus,aloe,vrtica,vinacea, pira,crocus, althæa, terebinthus,glans,hyoſcyamus, hedera, nymphæa, palmæ,oui vitellus aſſatus,paliurus,hippuris,ſanguis concretus,liguſtrum,œnanthe,braſſica bis cocta,coagulum leporinum,ſpongia vſta,rhamnus.Sunt & multa alia adſtringentia,quæ omnibus nota exiſtunt.

Quæ ſemen generant ac prouocant in cibis ac medicamentis,& cibis medicamentariis, Cap. CCXXXVII.

EX eduliis omnia quæ amplius nutriunt & inflant, itẽ medicamẽta omnia flatuoſa & calida.Itaque bulbi,& cicer,& nuces pineæ,fabæque ac ficus, edulia ſunt multũ ſemen generantia.Scincus autem, & ſatyrion, ac ſimilia medicamenta ſunt.Edulia autem ſimúlque medicamenta ſunt,lini ſemen,eruca,& horminum.

Quæ ſemen inhibeant, Cap. CCXXXVIII.

SEmen inhibent omnia quæ frigefaciunt edulia ac medicamenta,itémque quæ craſſefaciunt & condenſant, velut lactucæ,cucurbitæ,blitum,atriplex,cucurbita, mora,melopepones. Quæ verò ſiccant,ne ab initio quidem generari ſemen permittunt,etiamſi calfactoriam naturã habeant,velut eſt ruta.Si verò calida non fuerint, multo magis ſiccant,& ſemen generari non ſinunt, velut nymphææ radix.

De alimentorum viribus, Cap. CCXXXIX.

SAnitatis ſtudioſum,ſiquid aliud,altmentorũ vires noſſe oportet.itaque ea quæ attenuatoriam vim habent, anguſtos tranſitus obturatione liberant,& viſcoſa infarta expurgant ac craſſa ſecant.Verùm qui in ipſorum eſu perſeuerant,ſeroſas & bilioſas ſuperfluitates congregant,&,ſi quis adhuc amplius perſeueret,atrabiliarium ſanguinem reddet. quare ab aſſiduo ipſorum vſu abſtinere oportet, præſertim eorum quæ temperamentum bilioſum habẽt. Solis enim iis qui pituitam & crudum humorem viſcoſúmque ac craſſum coaceruarunt, talia conueniunt. At verò craſſefaciente vi prædita, multùm alunt,& ſi in ventre ac iecore probè concoquantur, ſanguinem boni ſucci generant,lienem autem & iecur obturãt. Ex his verò quædam craſſi tantùm ſucci ſunt,velut lenticula: quædam verò viſcoſi,vt malua:quædam craſſum ſimúlque viſcoſum ſuccũ poſſidẽt,velut eſt caro teſta intectorũ. Securior itaque eſt diæta & victus attenuatorius ad ſanitatis conſeruationem, præ craſſefaciente:verùm quum modicè alat, firmitatem non addit corporibus neque robur:& oportet aliquando etiam multùm nutrientia moderatè aſſumere, vbi firmitatem acquirere voles. Cæterùm citra periculũ craſſa diæta vti poſſunt,qui exercitiis dediti ſunt, & qui dormiunt quantum volunt.Omnes autem qui ante acceptionem exerceri nõ poſſunt, alimenta craſſi ſucci vitẽt: maximũ enim ad ſanitatis conſeruationẽ malũ,perpetuũ ocium exiſtit; quemadmodum contrà moderatus motus maximum bonum. Omnium porrò eduliorum optima ſunt quæ inter attenuantia ac craſſefacientia medium locum obtinent,& ſanguinem ſubſtantia ac compage moderatum generant.Itaque tale alimentum corporibus noſtris conueniens eſt:nociuum verò craſſi ſucci, & propterea ſemper fugiendum.quin & alimentorum varietatem fugere oportet,præſertim ſi ex contrariis viribus ac facultatibus conſtiterint:ita enim aſſumpta probè concoquuntur.

Attenuatoria alimenta, Cap. CCXL.

ALlium,cæpe,naſturtium,porrum,ſinapi,piper, ſmyrnium,pyrethrum, origanum, calamintha, hyſſopus, ſiſymbrium,pulegium,thymus, ſatureia viridis accepta: ſicca enim medicamentum eſt. Ab his proxima ſunt eruca,ſion,apium,petroſelinum, ocimum,raphanus, braſſica,beta,fœniculum,coriãdrum,ruta,anethum, liguſticũ, cuminum,capparis,& terebinthi fructus,caroi ſemen,aniſi,dauci,& omnium odoratorum & acrium ac palàm calidorum ſemina, verùm fortiter attenuat rutæ ſemen ac cannabis,vt medicamenta de cætero exiſtãt. Ex cerealibus ſeminibus attenuanti diætæ ſolum ordeum conuenit,deinde panes clibano cocti triticei:à reliquis abſtinendum. præterquam ſiquis per longius interuallũ piſum,aut lentẽ guſtare velit.plurimùm autem eduliorum vſum pro attenuantis victus ratione ſuppeditant piſces petroſi & montanæ volucres paruæ.in vniuerſum enim omnia exercitata meliora ſunt inexercitatis,& ſicciore victu vtentia, & purum ac tenuem aërem inſpirantia, & ex piſcibus qui mollem ſimúlque friabilem carnem habent reliquis præſtant.nam qui duram aut viſcoſam habent, ab iis penitus abſtinendum eſt.Habes autem notas carnis omnis animalis,friabilitatem ac mollitiem,&quibus ſanè vtraque adfuerit,ad ſatietatem edere licet:quibus altera tantùm,edere quidem expedierit aliquando,ſed vitanda ſatietas eſt. Neque gallinas prohibeo ſiquis exercitio vtatur, neque columbas,neque turtures,maximè ſi in agro degant, ac montanis locis.Oportet autem non recèns mactatas, ſed vnam minimum diem ſeruatas à mactatione edere, non ſolùm turtures & gallinas, ſed etiam perdices, & omnia quæ moderatè duram carnem habent. Sed & ſalſi piſces abundè attenuant,& craſſos ac viſcoſos humores ſecant. eligendi ſunt autem & ex his qui mollem carnem habẽt. nam cetacei generis vitandi ſunt. Præſtat & plurima edulia aceto & aceto mulſo præparata accipere, & ſale prius condire quantum eius fieri poteſt. neque læſionem incurret,qui fructus pomorum aluum mollientes acceperit:verùm tardè trãſeuntes deteriores ſunt:& magis ſi duri fuerint.quare ex his ne guſtare quidẽ oportet, præter eos qui repoſitioni apti ſunt, velut pira & mala,& vuarũ nõ pauca genera:molliores autem magis edere expedierit:qui verò valde auſteri & acerbi ſunt, ad hanc diætam inepti exiſtunt.Omnium maximè autem aptæ ſunt caricæ,& nuces & piſtacia,& amygdalæ ſubamaræ. Cæterùm oliuas neq; laudo neque vitupero. Verùm ex dulcibus non ſolùm eduliis,ſed etiam potionibus,mel ferè ſolum exactè tenuẽ ſuccum generat. Vina quoque tenuia & alba craſſos humores ſecant,& per vrinas expurgant. Vtiliſſimum verò ad extenuantem victum eſt acetum mulſum.

Craſſi ſucci alimenta, CCXLI.

PAnes furnacei,& ſiliginei,& non probè præparati, placentæ ex muſto & ſimilagine,itémquæ liba,& omnis placen-

placenta non fermentata ex tritico,& quæcunque eius ge-
neris inde parantur.Sũt enim ſimilago ac alica ſatis craſ-
ſi ſucci:amylum vero moderatè.Sunt & dolichi craſſi ſuc-
ſi & lupini,& interna lentis caro : nam cortex exterſoriũ
quid poſſidet.itémque fabæ frictæ,& piſces molles appel
lati loligines,ſepiæ,polypodes, & cetacei generis, ex quo
ſunt & thunni: moderatiores autem ipſis ſunt pelamides.
Multùm craſſi ſucci ſunt oſtrea,& buccina,purpuræque &
chamæ,patellæ,pectines,pinnæ,& omnia teſta intecta,an-
guillæ item ac cochleæ. bubulæ carnes,caprinæ,ceruinæ,
leporinæ.ſuillum hepar , renes, teſtes moderatè,lac coctũ,
caſei omnes,verùm recentes & ex ecido lacte minus:oxy-
gala,protogala,quod & pyriephthõ vocatur:oua ad perfe-
ctam cõcretionem cocta,& magis adhuc,aſſata,atque am-
plius etiamnũ,fricta in ſartagine: palmæ, caſtaneæ,bulbi,
rapa,fungi,tubera,nuces pineæ , coni ac ſtrobili appellati,
ficus non probè maturæ,citrii caro,cucumeres,præſertim
vberius ingeſti : mala nondum matura .vina dulcia quo-
que ſanguinem craſſum generant , & his amplius ſapa, &
vinum nouum,vináque craſſa ac nigra.

Media inter attenuatoria & craſſefacien-
tia, Cap. CCXLII.

PAnes optimè præparati,carnes gallinarũ, phaſianorũ,
perdicum, columbarum,attagenarum,& paruarum a-
uicularum omnium, optima edulia ſunt.Inſuper piſcium
petras ac littora & altum pelagus incolentium,gobiorum,
murænarum, bugloſſorum & omnium conſimilium, qui
neque viſcoſitatem neque graueolentiam in cibo repræ-
ſentant.Item ficus,pepones,& ex ſylueſtribus oleribus ſe-
ris:id quod commune pluribus genus exiſtit.ſingulorum
autem ſpeciales appellationes ſunt apud Atticos, velut la-
ctuca,chondrile, gingidium, & alia infinita ſylueſtria ole-
ra quæ ſeridis nomine veniunt . Eius generis eſt & aſpara-
gus paluſtris,itémque myacanthinus , & chamædaphnes,
ac bryoniæ. Vinum item fuluum ſimúlque dulce ac pellu-
cidum, quale eſt auriuſium, & Lesbiũ,& dulce Falernum,
ac Tmolites. hæc enim bonũ & moderatè craſſum ſangui-
nem generant.

Quæ viſcoſum ſanguinem generant,
Cap. CCXLIII.

TRiticum graue,denſum, & in alto flauum , viſcoſum
ſuccum generat : leue autẽ & rarum & vtrinſecus al-
bum,minus viſcoſum humorem generat. Eſt & ſimilago
itémque halica ſatis viſcoſa . Item tendines, præſertim in
muſculorum extremitatibus, aponeuroſes *Græcis* appellati
& partes circa labra,& lingua,ſuilla quoque caro,& agnina.
ſeſami item ſemen,& palmulæ pinguiores.

Quæ crudum humorem generant,
Cap. CCXLIIII.

PAlmulæ virides veſcentes crudis humoribus implent,
& rapa,& teſta intectorum caro,ſi diutius cocta ſalſum
humorem depoſuerit:& piſces molles appellati , velut ſe-
piæ,polypi, & alia huius generis :item cetaceum genus in
mari.quapropter antea ſalſa hæc in vſum cibi veniũt.Ta-
lia ſunt & inteſtina,& ventres,& vuluæ quadrupedum, &
acidum lac,lupini, vua in ventre retenta.

Quæ frigidum humorem generant,
Cap. CCXLV.

QVI ſe cucumeribus valde explent , frigidũ humorẽ
coaceruant.Inſuper & qui ventres ac inteſtina & vul-
uas quadrupedum animalium ingerunt , & lac acidum,&
mala nondum matura.

Quæ atrabiliarium ſuccum generent,
Cap. CCXLVI.

CArnes bubulæ,caprinæ , & magis taurorũ ac hircorũ,
& adhuc amplius ouium ac leporum , ac ſuum ſylue-
ſtrium : carnes item ſalſæ quadrupedum animalium . Ex
marinis piſcibus thunni, balænæ, & omnia cetacei gene-
ris,cochleæ , braſſicæ , arborum germina , muria & acida
muria condita,velut lentiſci & terebinthi.Item cinaræ ca-
ro,& lens edulium eſt maximè atram bilem gignẽs:& poſt
hanc furfuracei panes , & qui ex thypa ac aliis vitioſis ſe-
minibus fiunt, & caſei antiqui,& vina craſſa ac nigra.

Quæ bilioſum humorem generant,
Cap. CCXLVII.

A Slliquæ, item cinaræ ſuccus amarum bilem gignit: præ-
ſtat itaque ipſam feruefactã in cibo ſumere . Mel quo-
que facilè in bilem tranſit. Omnes quoque dulcis ſaporis
ſucci,materiam flauæ bili præbent, itémque dulcia vina

Quæ ſuperfluitatibus redundant,
Cap. CCXLVIII.

PAlumbes,anſeres,piſces,exceptis petroſis, viſcera om-
nia,medulla,ſpinæ dorſi, cerebrum, auiculæ paluſtres
& ſtagnorũ,cicer,fabæ virides,faba Ægyptia, porcelli re-
cèns nati,ouilla caro,& omnium iuniorum animalium &
B ocioſè viuentium: piſces fluuiatiles & paluſtres, & qui in
limoſa aqua degunt,item omnia cetacei generis in mari.

Quæ ſuperfluitatibus careant, Cap. CCXLIX.

COlla animalium, caudæ , alæ:ſylueſtrium animalium
caro,& eorum quæ ſiccis locis degunt.

Multùm nutrientia, Cap. CCL.

SVum domeſticorum carnes ex omnib' eduliis optimè
alunt:cerebrum bubulum,teſtes,cor,medulla ſpinalis,i-
témque reliquæ: anſerum alæ,& magis gallinarum,omniũ
volucrium ventres , cochleæ,præſertim ter coctæ. Ex teſta
C intectis quæ duras carnes habent,velut purpuræ,buccina,
& ſimilia,gammari,paguri,cancri,locuſtæ,ſquillæ,& con-
ſimilia.Item molles appellati piſces,velut polypi,ſepiæ, lo
ligines,& conſimiles.ex cartilagineis,torpedo & paſtina-
ca moderatè, ſquatina verò magis , mulli & gobii minus.
Lac craſſius quidem,magis , liquidius,minus. Ex panibus
ſiligineus maximè alit , deinde ſimilagineus , tertio loco
eſt cui furfures non deceſſerunt.triticum coctum , ſiligo,
alica,fabæ,carnis habitum non adſtrictum & denſum fa-
ciũt,ſed laxiorẽ.cicer magis nutrit,phaſeli & ochri magis
D quàm fœnũgræcũ. dolichi quos lobos vocãt *Græci*,nõ pi-
ſis minus nutriunt.caſtaneæ,lens,palmulæ dulces,vuæ paſ
ſæ dulces ac pingues, rapa.bulbi maximè alunt & præſer-
tim bis cocti . Mel deſpumatum & ad diſtributionem &
ad nutritionem aptum eſt.vinum omne nutrit quod craſ-
ſum eſt. Rubra itaque & craſſa ac adſtringentia , magis a-
lunt:minus verò his alba ſimúlque craſſa & auſtera:omniũ
minimè alba & tenuia . Omnia item craſſi ſucci, ſi probè
concoquantur,valde alunt.

Quæ parum nutriunt, Cap. CCLI.

E EXtremæ animalium partes,vulua,vẽter,inteſtina,cau-
dæ,aures , pinguedo , adeps, omne volucrium genus
minus alit,tereſtrium generi comparatum . caro quoque
animalium annoſorum minus alit quàm augeſcentium.
Piſcium eſus ſanguinem tenuiorem generat.Ex teſta inte-
ctis quæ mollem carnem habent,velut oſtrea, minus alũt.
panes ordeacei,polẽta ordeacea,panes furfuracei & ſordi-
di omnes ac loti,amylum,maza ex polẽta ordeacea, auena,
milium,eóque magis panicum.oryza , fabæ virides,ſemẽ
papaueris , mora,amygdala,piſtacia, pruna,perſica,arme-
F niaca,præcocia,oliuæ,maximè drupæ:nuces auellanæ, &
magis adhuc regiæ:ſerica,corna,pruna ſylueſtria, mora ru
bi,capparis,& magis ſale condita:terebinthi ſummitates,
braſsicæ,betæ,raphan',ſinapi,aſparagi omnes, paſtinaca,
daucus,carus,cæpa,allium . porrum,crudum quidem nul-
lum penitus alimentum præbet, bis verò aut ter coctum,
paucíſsimum:punica mala,pira,cucurbitæ, vuæ paſſæ au-
ſteræ & non pingues.

Porrò media quodam modo ſunt inter parum nutrien-
tia,phaſeli,ochri, cicerculæ'. ficus autem non ſimiliter vt
G reliqui fructus parum nutriunt, verùm laxam carnem fa-
ciunt. Vuæ verò minus quàm ficus laxam & humectam
carnem alunt.

Quæ boni ſucci ſunt, Cap. CCLII.

OPtimi ſucci eſt optimũ lac ferè inter omnia quæ in
cibo accipimus. optimum autem lac eſt animalium
bonæ habitudinis , ſtatim vbi mulctum fuerit calidum
adhuc potum . Oua trementia & ſorbilia gallinarum ac
phaſianorum. Volucres & piſces fermè omnes boni ſucci
ſunt, exceptis iis qui in paludibus ac ſtagnis & fluminibus
H limoſis ac turbidis degunt: verùm odore & guſtu cogno-
biles fiunt: nam fœtidi & inſuaues ac mucoſi ſunt,propte-
rea quòd in vitioſa aqua degunt. Carnes autem quadrupe
dum animalium ſi probè concoquantur , optimum ſan-
guinem generant, maximè ſi bono ſucco prædita ſint,ve

lut eſt ſuillum genus. at verò omnes circa labia partes, aliæque extremitates, & alæ volucriũ, inteſtináque & vuluæ ac caudæ, minus boni ſucci ſunt quàm carnes: glandulæ autem probè cõcoctæ ſimiliter vt caro boni ſucci ſunt, cor nõ eſt mali ſucci. pedes ſuilli meliores ſũt quàm roſtrũ & aures. Syluestriũ quoque animaliũ carnes meliorẽ ſuccũ quàm domeſticorũ habent. panis purus probè præparatus boni ſucci eſt: alica itẽ & ptiſana probè præparata, fabæ, caſtaneæ non habent malum ſuccum: ficus maturæ & vua matura, itémque penſilis reprehendi non merentur. caricæ ſtatim quidem in corpus digeſtæ ac diſtributæ, boni ſucci ſunt: verùm ſi in ventriculo morentur, mali ſucci fiunt, & pediculos generant: ſi verò cum nucibus edantur, bonum edulium exiſtunt. Cæterùm ſiquis ficus & caricas aſſiduè in cibo ſumat, nõn parum lædetur. Lactuca vt olus ſanguinem bonum gignit, & ab ea intubi. Vina odorata boni ſucci ſunt, ſed omnium optimi ſucci eſt Falernum dulce & Tmolites.

Quæ mali ſucci ſunt, Cap. CCLIII.

AB omnibus mali ſucci eduliis abſtinendum cenſeo, etiamſi facilè concoquantur: latenter enim diutiori tempore vitioſus humor in venis ex ipſis congregatur, qui leuiſſima putrefactionis occaſione arrepta, malignas febres gignit. Eſt autem maximè vitioſi ſucci caro ouilla ac caprina, peſſima verò hircina, deinde arietina, poſtea taurina. In omnibus his præſtant caſtratorum carnes. ſeniorum autem animalium peſſimæ ſunt. Caro leporina craſſiorem quidem ſanguinem generat, verùm meliorem ad ſucci bonitatem, quàm bubula & ouilla. nihilominus tamen & ipſa mali ſucci eſt, itémque ceruina. renes & teſtes perfectorum animalium mali ſucci ſunt, exceptis gallis. Item cerebrum & medulla ſpinalis, exceptis gallis: lien, oua in ſartagine fricta, caſei veteres, boleti amanitæ, fœnũ græcum, lens, auena, cicer non eſt boni ſucci. olyra verò tanto deterior eſt tritico, quãto melior eſt quàm tipha & auena, panicum, milium, & ſimilia nõ ſunt boni ſucci. dracones, callionymi, ſcorpii, trachuri, mulli, orphi, glauci, zygænæ, congri, phagri, & quæcunque alia cetacei generis in mari animalia, omnia mali ſucci ſunt. Item omnes fructus ſubcaniculares mali ſucci ſunt, mala nondum matura, pira priuſquam concoquantur, perſica, mala punica; meſpila, corna, pruna ſylueſtria, ſiliquæ, & terebinthi fructus, cinara, præſertim vbi dura fuerit: cucumeres, pepones, cucurbita his quidem melior eſt, ſed & ipſe in ventre corrupta ſatis mali ſucci euadit: ficus & caricæ minus quàm alii ſubcaniculares fructus malum ſuccum habent: verùm iis qui in ipſarum eſu perſeurrant, non valde bonum ſanguinẽ gignũt. vnde & pediculorũ copia ex ipſis cõſequitur. Ex oleribus nullũ boni ſucci eſt: in medio boni ac mali ſucci ſunt lactuca, intubi, malua, blitũ, atriplex. radices plantarũ olerũ generis mali ſucci ſunt, quæcunque acres, velut cæparum, porrorum, alliorum, raphanorum, & dauci. Medio loco ſunt raporum & cari appellati radices. Ocimũ peſſimi ſucci eſt, rapum crudum, braſsica, bulbi non probè cocti. At verò allium & cæpæ ac porrum bis cocta humoris malignitatem deponunt. Cæterùm extremè mali ſucci ſunt olera quæ ſylueſtria appellant. Vina craſſa ſimúlque fœtida & iniucunda ac auſtera mali ſucci ſunt, quale eſt Bityhinum quod in magis doliis apportatur. nam quod in paruis affertur, neque boni ſucci neque mali exiſtit.

Quæ facilia concoctu ſunt, Cap. CLIIII.

PAnes bene præparati. piſces petroſi omnes, gobio, torpedo, paſtinaca, ſi volucrum generi comparentur. volucrum caro terreſtrium generi comparata concoctu facilior eſt, præſertim perdicis, attagenæ, columbæ & phaſianorum, alæ anſerum, magíſque gallinarum, & in ſumma præſtant alæ ſaginatorum & iuniorum: peſsimæ autem ſunt gracilium & ſeniorum. iecur anſerum ſero lactis ſaginatorum, itémque teſtes gallorum ſimiliter nutritorum facillimè concoquuntur. Carnes ſuillæ concoctu idoneæ ſunt, in vigore ætatis conſiſtentibus, & laborãtibus porcorum vigoroſorũ, reliquis eorum qui adhuc creſcũt. Vituli meliores concoctu ſunt quàm boues perfecti, & hœdi quàm capræ. In vniuerſum autem, omnium adhuc augeſcentium caro facilior concoctu eſt quàm decreſcentium, & animalium in ſiccis locis degentium facilius concoquitur quàm aliorum. Nux regia magis concoquitur quàm auellana, bulbi bis cocti melius concoquũtur, oua trementia & ſorbilia, lactucæ, intubi, malua, cucurbita cocta, ſi non corrumpantur. vina dulcia facilius quàm auſtera. Facilius autem concoctu eſt quicquid vnicuique iucũdum eſt.

Quæ ægrè concoquuntur, Cap. CCLV.

CAro caprina, bubula, ceruina: peſſimè autẽ cõcoquitur hircina, deinde arietina, poſtea taurina. peſſima eſt & ſeniorum animalium caro. ſues quæ ſenes fibroſam & ſiccam, & propterea ægrè concoctilem carnem habent. Ventriculus ægrè concoquitur, item inteſtina, vulua, cor, iecur, aures, caudæ, renes, cerebrũ, medulla ſpinalis, & perfectorum animalium teſtes, anſeres, exceptis alis, palũborum & ſturnorum ac merularum & paruarum volucrium caro durior eſt, atque his magis turturis antiqui, & anatis. ægrius tamen adhuc concoquitur & fibroſior his eſt pauonis & otidum caro. ventriculi quoque volucrum omnium ægrè concoquuntur, propter ſubſtantiæ duritiam. falſò enim quidam laudant vẽtrum ſtruthocameli ac mergi. Cochleæ item, & lac acidum, caſeus vetus, recens autẽ & maximè ex acido lacte melior eſt: purpurarum caro ac buccinorum, aliorúmque teſta intectorum duram carnẽ habentium. gammari, locuſtæ, cancri, paguri, ſquillæ, & omnia huiuſmodi. polypi, ſepiæ, loligines, & omnia molli cute prædita, raia, leuiraia, ſquatina, dracones, cuculi, callionymi, ſcorpii, trachuri, oua cocta, fricta, triticum coctũ, polẽta, tipha, auena, fabæ, dolichi, phaſeli, cicercula, cicer, oryza, lupini, panicum, milium, & quæcũque huiuſmodi. lens, ſeſamum, caſtaneæ, mala, pira nondum matura, ficus nõ maturæ, vuæ acidæ & auſteræ, palmulæ omnes, ſiliquæ, ocimum, rapum crudius, bulbi crudiores, paſtinaca, daucus, carus, & omnes olerum radices, ipſáque olera vniuerſa, excepta lactuca & intubis. vina craſſa & noua ægrè cõcoquuntur: verùm multo magis concoctioni reſiſtit aqua.

Quæ ſtomacho commodant eúmque roborant, Cap. CCLVI.

PAlmulæ auſteræ, mala cydonia, oliuæ muria conditæ: aptiores tamen ſunt aceto compoſitæ. vuæ paſſæ auſteræ. vua in vinaceis repoſita. nux regia hac parte auellanæ præſtat, multóque magis ſi cum caricis ſumatur. gingidium ſcandici ſimile, eſt valde ſtomacho commodum, tũ crudum, tum coctum comeſtum: longiorem autem cocturam non ſuſtinet: cinara, ſinapi, raphanus, rapum, naſturtium, aſparagus paluſtris, chamædaphnes, oxyacãthæ & bryoniæ. bulbus appetentiam cibi excitat, itémque capparis ſale condita. citrii pars externa corroborat ſtomachum medicamenti loco ſumpta. Vinum auſterum os vẽtris roborat, itémque ventrem ipſum, præſertim calida intemperie affectum.

Quæ ſtomacho incommoda ſunt, Cap. CCLVII.

BEta ſtomacho incommoda eſt, adeò vt & morſum inducat ſi vberius comedatur, ocimum, rapum crudius, blitum, atriplex, ſi nõ cum aceto ac oleo & garo ſumantur, fœnumgræcum ſtomachum ſubuertit, itémque ſeſamum. Lac, frigidum habentibus ventrem aceſcit, calidum habentibus in nidorem trãſit. Meritò itaque nociuum eſt febricitantibus, & ſi quis amplius cum melle ſumat, vomitũ ciet. pepon non probè concoctus cholericos, *id eſt bilem supernè ac infernè eiicientes*, facere ſolet. ſimiliter & melopepon. omne cerebrum ſtomacho incommodum eſt, & nauſeoſum, velut etiam oſſium medulla. Vinum nigrum & auſterum facilè aceſcit, & vomitum concitat. Item craſſum & nouum.

Flatus expertia, Cap. CCLVIII.

CVminum, liguſticum, viticis ſemen, cannabis ſemen, fabæ frictæ, bulbi diutius atque iterum cocti & ex oleo & aceto comeſti, mel quod in coctura omnem ſpumam depoſuit. flatus diſcindunt panes ordeacei. Media porrò inter flatus expertia ac flatuoſa, ſunt piſa, ochri, cicerculæ.

Flatuoſa, Cap. CCLIX.

CIcer, lupini, panicum, milium, & huiuſmodi: fabæ, lobi ſiue dolichi, minus tamen fabis: maza ex polenta, ſucci omnes, præcipuè Cyrenaicus, ſilphii ſuccus ac radix. ficuum flatus modico tempore durat, propterea quòd facilè aluũ ſubeant: quæ verò exactè maturæ ſunt, propemodum nihil offendunt, ſimiliter vt caricæ. palmulæ virides flatuoſæ ſunt, rapum crudius. lac facilè in ventre inflatur, bulbi crudiores, mel non perfectè coctum. vina dulcia flatum tardè tranſeuntem generant, item dulcia ſimúlque auſtera. muſtum, *hoc eſt uinum nouum* itidem.

Quæ extergent, ſecant, obturatione liberant, Cap. CCLX.

PTiſana exterget, itémque fœnũgræcum, melopepon, vuæ paſſæ dulces, fabæ, cicer, magiſque nigrum. capparis ſatis tenuium partium eſt, & exterget, & expurgat ac obturatione liberat, maximè ex aceto mulſo aut ex oleo & aceto, præ reliquis omnibus cibis comeſta. betæ ſucc⁹ exterget, & magis vbi cum ſinapi & aceto comedatur. bulbi attenuatoriã vim habent & obturationes aperientẽ, cepæ, allia & porri attenuant & ſecant craſſos ac viſcoſos humores. ſerum quoque lactis humorum craſſitiem atttenuat. ficus extergent, quapropter multa arenoſa de renibus expurgant. Caricæ attenuant ac ſecant & renes expurgant. amygdalæ extergent & attenuant purgántque viſcera, & humorum per ſputum reiectiones ex pectore ac pulmone expeditiores faciunt. piſtacia robori ac ſanitati iocineris conducunt, & ad purgationem humorum id obturantiũ iuxta exitus ipſius. raphanus attenuatoriam vim habet. Mel tenuiſſimarum partium eſt, maximè quod ex calidis ac ſiccis plantis natum eſt: quapropter etiam aqua mulſa ad ſputorum eductionem commodat. Acetum mulſum non penitus viſcoſa ac craſſa facilè educit, & viſcera citra moleſtiã expurgat. valde autem cõmodat iis qui craſſum humorẽ in pectore ac pulmone coaceruarũt. Vina tenuia ac vetera cũ acrimonia ad idem conferunt. At verò aquoſum, hoc eſt album & tenuiſsimum, aptum eſt ad humorum ex pulmone eductionem. roborat enim, & humores humectiores reddit ac moderatè ſcindit. Vinum dulce in morbis acutis, reficiendis viribus accomodatum eſt, velut in peripneumonia & pleuritide, concoctione morbi iã facta.

Quæ obturant, Cap. CCLXI.

LAC modicum ſeri habens, & multum de caſeo, non ſatis tuti vſus eſt, ſiquis in eius eſu perſeueret. nam lædit renes, qui aliàs ad calculorum generationem aptitudinem habent, & iocineris obturationes facit iis qui eas pati aliàs ſolent. Caricæ hepati ac ſpleni inflammato nociuæ, velut etiam ficus. omnia quoque dulcia ſplenem ac iecur lædunt. Aqua mulſa incommoda eſt iis quibus viſcera indurata, aut laxo tumore occupata, aut inflammata in tumorem eleuata ſunt. Palmulæ pingues obturant, & præſertim crudæ, omnia item liborum genera, & ex ſimilagine præparata, obturant, & ſplenem augent, & calculos in renibus generant. Similiter & titricea farina cum lacte. Alica quoque inepta iis qui iecur obturationi obnoxiũ habent & renes calculo generando aptos. Vinũ dulce obturat, & viſcera auget ſiue inflat.

Quæ tardi tranſitus ſunt, Cap. CCLXII.

OMnia liborum ac placẽtarum genera ex ſimilagine facta, trãſitus tardi ſunt, fabæ frictæ, panes puri, lens cortice detracto, cerebrum, medulla ſpinalis, iecur, cor, triticum coctum, oua aſſata, fricta, lupini, phaſeli, piſa, ſeſamum, mala, pira nondum matura, ſiliquæ, vina dulcia, & magis auſterũ & nigrum, citra dulcorem. item omne craſſum ac nouum. Aqua autem adhuc tardius tranſit.

Quæ facilè corrumpuntur, Cap. CCLXIII.

PErſica, armeniaca, præcocia, & omnes ſubcaniculares fructus, qui humidum temperamentum habent, in ventriculo corrumpi ſolent, vbi non probè & citò aluum ſubierint. Omnia porra mali ſucci, humida autem & lubrica, ac facilè ſubire potẽtia, præ aliis edere oportet. ſic enim & ipſa citò ſubeunt, & alia deducũt: ſi verò poſtremùm accipiantur, etiam alia ſimul corrumpunt.

Quæ difficulter corrumpuntur, Cap. CCLXIIII.

CHamulæ paruæ, purpuræ, buccina, & quæcunque teſta intecta durã carnem habent, dãtur corrũpentibus cibũ præ humorũ vitiatione, ita vt bis aut ter aqua optima coquantur, ſemper in aliam purã feruentem tranſlata, vbi prior ſalſa reddita fuerit. Sed & gammari ac paguri cãcrique ac locuſtæ, & ſquillæ, & quæcunque eius generis, carnem habent ægrè corruptilem, ſimiliter vt teſta intecta duræ carnis.

Quæ ventrem ſubducunt, Cap. CCLXV.

LEnticula, braſſica, ex marinis teſta intecta, & cochleæ compoſitam naturam habent ex contrariis facultatibus. Ipſum enim ſolidum vniuſcuiuſque corpus tranſitus tardi eſt, & ventrem ſiſtit: verùm humiditas ad excretionem irritat. Siquis igitur lenticulam aut braſſicam aut aliud quid ex prædictis coquat, deinde decoctum ipſum oleo & garo ac pipere condiat, & poſtea cui velit bibendũ præbeat, palàm conſpiciet ex ea potione ventrem ſubduci. Sed & herinaceorum marinorum ac conchularum omnium, itémque gallorum veterum iuſcula, ventrem ſubducunt. At verò ſi braſſicam aluum ſubducere velimus, cacabo in quo cocta fuerit propè poſito ſtatim extractam in oleum ac garum mittimus. neque enim valde ipſam coquere oportet. Panes furfuracei ventrem ſubducunt. fœnigræci ſuccus coctus cum melle acceptus, commodus eſt ad ſubducendum omnes vitioſos humores in inteſtinis contentos: ſed modicum eſſe oportet mel quod admiſcetur, ne morſũ ſtomacho infligat. Oliuæ ſalſæ ſubducũt præ reliquis cibis comeſtæ. Lac quo liquidius eſt eo magis ſubducit: craſſum, minus. ſerũ verò lactis valde emollit ventrem. Iniiciendum eſt ad ipſum mellis optimi tantum quantum ſatis eſt ad condiendum ſolummodo, ne ſtomachus ſubuertatur: iuxta eandẽ rationẽ & ſalẽ indere oportet, ne guſtus offendatur. Animalium valde iuuenum carnes aluo facilius ſecedunt: ſimiliter & cartilaginei piſcium generis torpedo & paſtinaca moderatè ſecedũt. beta quoque moderatè ſubit, & recens caſeus cum melle, atriplex, cucurbita, pepones, melopepones, ficus, caricæ, vuæ paſſæ dulces, præſertim humidæ, mora ante reliquum cibum ſumpta. nux adhuc viridis ad excretionem cõmoda eſt: imò etiam ſicca, aqua præmacerata. & pruna ſicca ſimiliter aqua, aut aqua mulſa præmacerata edantur. etenim plus mellis habentia ventrem multùm emolliunt, etiam ſiquis ſola ipſa comedat: ſed multo amplius ſi aquam mulſam inſuper ſorbeat, ventri ſubductioni conferẽt. Cæterùm à ſumptione talium, vinum dulce bibere oportet, & pauco tempore interiecto prandere. Porrò mora, ceraſa, præcocia, perſica, & omnia humecta & aquoſa, & in totum quæcunque nullam fortem qualitatem guſtui aut olfactui offerunt, ea mediæ quodammodo facultatis inter ſubducentia ac ſupprimentia aluum exiſtunt. Mel ſolum non coctum ſiquis delingit, probè aluum ducit. aqua mulſa item parum aut omnino nihil cocta aluũ ſubit. vinum dulce confert ad ventris excretionem. Muſtum aluum emollit ac ſubducit.

Quæ ventrem ſupprimunt, Cap. CCLXVI.

PAlmulæ auſteræ, vuæ paſſæ auſteræ, mora rubi, pruna ſylueſtria, poma adſtringendi vi prædita, pira, mala punica, ſimiliter gãmari, paguri, cancri, locuſtæ, ſquillæ, & quæcunque alia eiuſcemodi molli teſta intectorum, minus quidẽ quàm teſta intecta vẽtrẽ ſupprimũt: verũ habẽt etiã hæc ipſa ſalſum in ſe humorẽ, quem vbi in aqua depoſuerint, vẽtrẽ ſiſtũt, velut oſtreorũ & teſta intectorũ caro. Lenticula itẽ & braſſica bis coctæ ventrẽ ſiſtũt. &, vbi humectã aluum ſiccare velimus, quum iam moderatè cocta eſſe videtur braſſica, prima aqua diffuſa, aliam calidam ſtatim affundimus, deinde rurſus in illa ipſa coquimus donec flaccida fiat. Oportet autem neque aerem neque aquam frigidam attingere quod bis coquitur. non enim amplius exactè flacceſcit, etiamſi diutiſſimè poſtea coquatur. Cæterùm lenticula decorticata fortem adſtrictoriam vim perdit, & non ſimiliter ſiccat ventris humiditates. Si tamen ipſam bis coquas, priorémque aquam diffundas, deinde parũ ſalis aut gari addas, & aliquid ex

ſiſtentibus ventrem immittas, ita vt guſtus non lædatur, iucũdiſſimũ ſimúlque vtiliſſimũ pharmacũ ſimúlque edulium efficies. Polẽta ex vino auſtero pota ventrem ſiccat, oryza ſiſtit, panicum item & milium, carnes leporinæ, vinum auſterum & nigrum citra dulcedinem, & album ac auſterum, & fuluum ac auſterum.

Quæ calfaciunt, Cap. CCLXVII.

TRiticum coctum, & panes ex illis, tipha, auena, fœnũgræcum, palmulæ dulces, mala dulcia, moderatè, ſeſamum, vuæ dulces, quapropter & ſitim inducunt: vuæ paſſæ dulces, magis mediocriter, apium, ſmyrnium, eruca raphanus, rapum, ſinapi, naſturtiũ, pyrethrum, paſtinaca, caros, allium, cæpa, porrum, caſeus vetus. Vinũ dulce moderatè calidum eſt, & propterea ſitim inducit. fuluum verò calidius eſt nigro: flauum calidiſſimum eſt extremè, deinde fuluum, deinde ruffum, poſtea dulce, poſtremò album omnium minimè calfacit. Vinum vetuſtiſſimum, multùm calidum exiſtit.

Quæ frigefaciunt, Cap. CCLXVIII.

ORdeũ iuxta omnes vtẽdi modos, milium, panicũ, tubera, cucurbita cocta, pepones, melopepones, cucumeres, pruna, mora, vuæ auſteræ & acidæ, vuæ paſſæ auſteræ, mala adſtringẽtia, & acida ac teneriora, & pira eiuſmodi, & mala punica adſtringẽtia, palmulæ. frigidũ ſuccũ habẽt, lactuca, intuba mediocri⁹. portulaca, papaueris ſemẽ, aqua. Vinũ aquoſum nõ manifeſtè calfacit, ideo etiã febriẽtibus citra periculum datur, vinum albũ ſimúlque auſterũ, minimè vt vinum calfacit: vinum verò album auſterũ & craſſum ac nouum ſenſibiliter frigefacit. Frigefacit autem & acetum: nam tenuiũm partium exiſtit: quapropter neruos amplius quàm alia frgefacientia lædit. Media porrò quodammodo inter calfacientia ac frigefacientia ſunt, panes loti, amylũ, vuæ vinoſæ.

Quæ ſiccant, Cap. CCLXIX.

LEnticula, braſſica, polenta, viticis ſemen, eruum bis coctum & aqua ſæpius edulcatum, præſtat autẽ album: ſed & aſſatum aut frictum ſiccius alimentum corpori præbet. item quod ſimpliciter garum & vinum habet, ſiccius eſt non habente. maxima autem eſt differentia & ſeminũ, & olerum, & plantarum omnium plus aut minus ſiccantium, iuxta eorum quæ ipſis adiiciuntur vires.

Quæ humectant, Cap. CCLXX.

PTiſana, cucurbita cocta, pepones, melopepones, cucurbitæ, nuces virides, pruna, mora, ſycomora, lactucæ, intuba. malua verò & blitum ac atriplex aquoſiſſima olera ſunt. fabæ virides humectant, & cicer. aqua calida humectat & calfacit: frigida humectat & frigefacit.

Quæ caput lædunt, Cap. CCLXXI.

PAlmulæ omnes, eruca, fœnumgræcum, mora rubi. Vinum quoque fuluum capitis dolorem inducit, & mentem tentat magis quàm nigrum. auſterum etiam & odotum caput tentat. aquoſum verò neque capitis dolorem inducit, neque neruos lædit. Vinum autem modicum aquæ mixturam ferens, capitis dolorem ex humoribus in ventre ortum ſedat. Lac non eſt commodum capiti, niſi quis valde forte ipſum habeat. Cremor vuarum quem fæcem dicunt, dolorem capitis inducit. item vua ipſa in vinaceis repoſita.

INDEX EORVM QVÆ IN TERTIO SERMONE TETRABIBLI PRIMÆ AETII CONTINENTUR.

DE frictione præparatiua, Cap. I.
De exercitationibus, Cap. II.
De exercitationum ſpeciebus, Cap. III.
De frictionum ſpeciebus, Cap. IIII.
De vociferatione, Cap. V.
De geſtatione, Cap. VI.
De equitatione, Cap. VII.
De re venerea, Cap. VIII.
De inſolatione, Cap. IX.
De venæ ſectione, Cap. X.
De euacuationis menſura, Cap. XI.
Quales venæ ſecandæ, Cap. XII.
Quomodo vena ſecanda eſt, Cap. XIII.
De magnitudine ſectionis, Cap. XIIII.
De figura ſectionis, Cap. XV.
Quod ſit opportunũ venæ ſecandæ tẽpus, Cap. XVI.
De repetita detractione, Cap. XVII.
De arteriarum ſectione, Cap. XVIII.
Medicamentum ſiſtens ſanguinem arteriarum, Cap. XIX.
De cucurbitarum vſu, Cap. XX.
De ſcarificatione, Cap. XXI.
De ſanguiſugis, Cap. XXII
De purgatione, Cap. XXIII.
Bilem flauam purgantia. Cap. XXIIII.
Scammonia, Cap. XXV.
Peplium, Cap. XXVI.
Veratrum nigrum, Cap. XXVII.
Bilem atram purgantia, Cap. XXVIII.
Epithymum, Cap. XXIX.
Polypodium, Cap. XXX.
Pulegium, tragoriganum, leucanthemon, alyſſon, Cap. XXXI.
Armenium, Cap. XXXII.
Centaurium minus, Cap. XXXIII.
Pituitam ducentia, Cap. XXXIIII.
Colocynthis, Cap. XXXV.
Tithymalus, Cap. XXXVI.
Iſium, Cap. XXXVII.
Elaterium, Cap. XXXVIII.
Granum Cnidium, Cap. XXXIX.
Agaricum, Cap. XL.
Cnici ſemen, Cap. XLI.
Lathyris, Cap. XLII.
Ariſtolochiæ clematidis ſemen, Cap. XLIII.
Mercurialis, Cap. XLIIII.
Cucumis ſylueſtris, Cap. XLV.
Styrax, Cap. XLVI.
Thymus, Cap. XLVII.
Cyclaminus, Cap. XLVIII.
Scordium, Cap. XLIX.
Chamæpitys, Cap. L.
Bdellium, Cap. LI.
Aquam ducentia, Cap. LII.
Squama æris, Cap. LIII.
Euphorbium, Cap. LIIII.
Chamelæa, Cap. LV.
Sanguinem purgantia, Cap. LVI.
Methodus componendi purgantia pharmaca, Cap. LVII.
Vini purgantis bilem præparatio, Cap. LVIII.
Vinum pituitam ducens, Cap. LIX.
Vinum melãcholicis commodum, Cap. LX.
Vinum polypodites, Cap. LXI.
Vinum mulſum ſtercus exigens, Cap. LXII.
Vinum mulſũ flauã bilem ducens, Cap. LXIII.
Vinum mulſum pituitam ducens, Cap. LXIIII.
Vinum mulſum atram bilẽ euacuans, Cap. LXV.
Conditum ad flauam bilem, Cap. LXVI.
Conditum pituitoſis, Cap. LXVII.
Conditum melancholicis, Cap. LXVIII.
Abſinthati præparatio flatus & ſtercora euacuans, Cap. LXIX.
Abſinthatum flauam bilẽ ducens, Cap. LXX.
Abſinthatum ad pituitoſos, Cap. LXXI.
Roſatum flauam bilem ducens, Cap. LXXII.
Roſatum pituitam & ſeroſum ac atræ bilis humorem euacuans, Cap. LXXIII.
Mellis roſacei purgatorii præparatio, Cap. LXXIIII.
Aceti purgatorii præparatio, Cap. LXXV.
Aceti mulſi purgatorii præparatio, Cap. LXXVI.
Acetum mulſum purgans omnes vitiatos humores,

infunditur. Cap. LXXVIII.
Acetum mulſum amarum, Cap. LXXIX.
Poſca ventrem molliens, Cap. LXXX.
Alia poſca valde clara, Cap. LXXXI.
Gari purgatorii præparatio, Cap. LXXXII.
Mellis emollientis præparatio, Cap. LXXXIII.
Garum aquoſum, Cap. LXXXIIII.
Garum vinoſum purgatorium, Cap. LXXXV.
Garum acetoſum purgatorium, Cap. LXXXVI.
Iuſcula emollientia, Cap. LXXXVII.
Lac purgatorium, Cap. LXXXVIII.
Oliuæ purgatoriæ, Cap. LXXXIX.
Oxyporia purgatoria, Cap. XC.
Oxyporium ex palmulis, Cap. XCI.
Purgatorium ex cotoneis malis, Cap. XCII.
Purgatorium ex citrio, Cap. XCIII.
Purgatorium ex fœniculo, Cap. XCIIII.
Aliud valde ſtomacho gratum, Cap. XCV.
Purgatorium ex fœniculo, quod parari ſolet ad atram bilem, Cap. XCVI.
Purgatorium atræ bilis, Cap. XCVII.
Aliud purgans atram ac flauam bilem, Cap. XCVIII.
Paſtillus flauam bilem purgans, Cap. XCIX.
Buccella purgatoria, Cap. C.
Aloedaria citra moleſtiam purgantia, Cap. CI.
Pharmacum pituitam ducens, Cap. CII.
Purgatorium atræ bilis, Cap. CIII.
Bilis & pituitæ, & atræ bilis ac reliquorum humorū commune purgatorium, Cap. CIIII.
Aloedaria emollientia ex roſaceo melle, Cap. CV.
Aloedarium ex Philagrio, Cap. CVI.
Aloedarium Oribaſii, Cap. CVII.
Sal purgatorius, Cap. CVIII.
Purgatorium pituitam ducens, Cap. CIX.
Purgatorium aquam ducens, Cap. CX.
De hieris, Cap. CXI.
Purgatorium citra moleſtiam purgans, Cap. CXII.
Hiera Galeni, Cap. CXIII.
Hiera Archigenis, Cap. CXIIII.
Hiera Rufi, Cap. XV.
Hiera Iuſti, Cap. XVI.
Quomodo auxiliari oportet iis qui pharmacū biberūt, & non purgantur, Cap. CXVII.
Cura exceſſus purgationis, Cap. CXVIII.
De vomitu, Cap. CXIX.
Præparatio raphanorum cum veratro albo, Cap. CXX.
Quibus dandum ſit veratrum, Cap. CXXI.
Quid veratrum facere poſſit, Cap. CXXII.
Quòd multi accepto veratro nihil quidem vomuerunt, nihil tamen minus quàm purgati vtilitatem perceperunt, Cap. CXXIII.
Qui ſint apti ad veratrum, Cap. CXXIIII.
Tempora vniuerſalia ac particularia ad ſumendùm veratrum apta, Cap. CXXV.
Veratri probati notæ, Cap. CXXVI.
Victus ratio veratro purgandorum, Cap. CXXVII.
Differentiæ exhibitionis veratri, Cap. CXXVIII.
De cremore veratri, Cap. CXXIX.
De veratri decocto, Cap. CXXX.
De ramentis veratri, item de contuſo ac cribrato, Cap. CXXXI.
Quæ præparare oportet exhibitionis tempore, Cap. CXXXII.
Quomodo poſt potum curandi ſint, Cap. CXXXIII.
De purgationis exceſſu, Cap. CXXXIIII.
Epithemata purgatoria, Cap. CXXXV.
Cōpoſitio olei ſiue vnguenti purgatorii, Cap. CXXXVI.
De localibus euacuationibus, Cap. CXXXVII.
Quæ oculos purgant & lacrymas prouocant, Cap. CXXXVIII.
Quæ aures purgant, Cap. CXXXIX.
Quæ per nares purgant, Cap. CXL.
Quæ humiditatem ex ore trahunt, Cap. CXLI.
Quæ lac generant ac mouent, Cap. CXLII.
Pulmonem ac pectus purgantia, Cap. CXLIII.
De ſuffitionibus, Cap. CXLIIII.
Quæ tenuia inteſtina euacuant, Cap. CXLV.
Quæ ſima hepatis purgant, Cap. CXLVI.
Quæ gibba hepatis purgant, Cap. CXLVII.
Splenem euacuantia, Cap. CXLVIII.
Renes purgantia, Cap. CXLIX.
Veſicam purgantia, Cap. CL.
Quæ glandi induntur ad vrinas prolectandas, Cap. CLI.
Lapides in renibus ac veſica euacuantia, Cap. CLII.
Vterum euacuantia, Cap. CLIII.
Quæ in potu ſumpta menſes ducunt, Cap. CLIIII.
Quæ ſtercora euacuant, Cap. CLV.
Lumbricos educentia, Cap. CLVI.
Sudores excludentia, Cap. CLVII.
Quæ euacuant ac corrumpunt pediculos omnis generis circa ſuperficiem corporis, Cap. CLVIII.
De infuſionibus ſedis, Cap. CLIX.
De glandibus, Cap. CLX.
De tomentis ſiue floccis, Cap. CLXI.
De aere, Cap. CLXII.
De ventis, Cap. CLXIII.
De acceſſione ac ſignificatione ſtellarū, Cap. CLXIIII.
De aquis, Cap. CLXV.
De balneis, Cap. CLXVI.
De balneis naturalibus, Cap. CLXVII.
De frigidæ lotione, Cap. CLXVIII.
De inſeſſu ſolii ex oleo, Cap. CLXIX.
De ſpongiæ vſu, Cap. CLXX.
De aſperſionibus, Cap. CLXXI.
De irrigationibus, Cap. CLXXII.
De inſeſſionibus, Cap. CLXXIII.
De humectationibus, Cap. CLXXIIII.
De fomentis, perfuſione, cataplaſmatis, ac cucurbitis, Cap. CLXXV.
De cataplaſmate ex fermento, Cap. CLXXVI.
De cataplaſmate ex pane, Cap. LXXVII.
De cataplaſmate ex furfuribus, Cap. CLXXVIII.
De cataplaſmate ex ficubus, Cap. CLXXIX.
De dropace ac picatione, Cap. CLXXX.
De ſinapiſmo, Cap. CLXXXI.
Quòd caprarum fimi pilulæ cum aceto impoſitæ, priuatim coxendicū morbo cōueniunt, Cap. CLXXXII.
Quæ ſint alia rubrificantia, Cap. CLXXXIII.
De iberide, ſiue cardamine, quæ etiam lepidium vocatur, Cap. CLXXXIIII.
De euocantibus ex alto auxiliis, Cap. CLXXXV.

De iis quæ per clyſterem infunduntur, euacuantur, & exhibentur. Et de aere, ventis, locis, aquis, rubificationibus, ſinapiſmis, ac ſimilibus.

De frictione præparatiua, Cap. I.

ANTE exercitationem corpus calfacere oportet, frictionis tum per lintea tum per oleum vſu: fricandúmque eſt corpus nudis manibus donec probè caleſcat, & molliatur, rubórque floridus effloreſcat, & confricta particula in molē eleuetur.

De exercitationibus, Cap. II.

EXercitatio, eſt motus vehemens. vehementiæ autem terminus eſt reſpirationis alteratio ad celeritatem ac denſitatem. Exercitatio ipſa partes inſtrumentales præparat, vt non facilè affectionibus impetantur, & ad actiones obeundas robuſtiores reddit, & alimenti attractionē fortiorē, & nutritionem meliorē, propter excitatū calorē facit: ſed & ſenſibiles itémque obſcuros meat⁹ propter fortē ſpiritus motū expurgat. Quandoquidē igitur diſtributioni alimenti opitulatur, oportet ſanè neque humorum crudorum, neque ciborum inconcoctorum copiam neque in ventre, neque inteſtinis contineri: periculum eſt enim ne ad omnes animalis partes deducantur antequam probè concoquantur. manifeſtum igitur eſt etiam ante cibos exercitari corpora oportere. Opportunitatis nota ex bonitate coloris vrinarum ſumitur. aquoſa enim vrina, humorem ex ventre in corpus digeſtum ac diſtributū, incoctū eſſe ſignificat: fulua verò & bilioſa iamdudum perfectam concoctionem notat. At verò moderatè pallida ſignum eſt concoctionis nuper factæ. Tunc itaq; ad exercitia prodeundum eſt, ventris ac veſicæ excremēto prius depoſito.

De exercitationum ſpeciebus, Cap. III.

COmmune eſt omnibus exercitationibus, caloris innati corporibus augmentum. Cæterùm ſingulatim robuſta exercitatio, hoc eſt violēta, muſculos ac neruos validiores reddit. tales ſunt, fodere, onus maximum leuare, & aut in loco permanere, aut paululum progredi & velut deambulare. huius generis eſt & per funem manibus apprehenſum repere ac aſcendere, & plurima alia eiuſcemodi. At verò veloces exercitationes, citra contentionem & violentiam, curſus ſunt, & ſummarum manuū luctæ ac exercitia, & parua pila. Cæterùm robuſtis exercitationibus velut vehementibus vti quis poteſt, ſi celeres motus addat. Inſuper exercitiorum aliqua lumbos aut manus aut crura magis exercent, aliqua ſpinam, aut pect⁹ aut pulmonem ſolùm. Exercēdum eſt autem donec corpus in molem eleuetur, & floridum euadat, motúſque expediti ac æquales & validi exiſtant. In hoc autem corpore etiā ſudorē cōſpicies calidū vapore permixtū. Ceſſandū verò tūc primū vbi quid ex prædictis fuerit alteratū. velut ſi corporis moles contrahi videatur, ſtatim quieſcēdū eſt: ſimiliter etiam ſi coloris floriditas contabeſcat. Quin & ſi motuum vigor remitti videatur, ſtatim ceſſandū eſt; & ſi circa ſudorē mutatio aliqua apparuerit iuxta multitudinem ſiue qualitatem. Si enim paucior aut frigidior prodeat, eueſtigio deſinendum eſt, oleúmque affundendum, indéque corpus recurandum, móxque frictione recuratoria, quæ poſt excercitationem adhiberi ſolet, vtendum, quemadmodum pædotribæ in vſu habent.

De frictionum ſpeciebus, Cap. IIII.

FRictio dura, corpora conſtringit, mollis ſoluit. quare quæ ſupramodū exoluta ſunt corpora, frictione dura: quæ cōtrà adſtricta, molli fricanda ſunt. ſi verò æqualiter habeant, palàm eſt q; neq; molliter neq; durè, ſed quantū eius fieri poteſt, vtroque exceſſu vitato. Frictio multa gracilitatem inducit: pauca, vice verſa: media, mediocritatē.

De vociferatione, Cap. V.

VOciferatio, exercitatio eſt pectoris & vocaliū inſtrumētorum, inſupérque caloris naturalis, purgans, attenuās ac roborans, & corporis partes ſolidas & robuſtas

A reddens, vt non facilè affectionibus impetantur. Vtendum eſt vociferatione in anheloſis, & recta ceruice ſpirātibus, tabidíſque ac doloribus diutinis pectoris ac dorſi, & in pectoris abſceſſibus poſt rupturam, & ad raucā vocem ex plurima humiditate factam, & in febribus quartanis. nam concretum humorem conuenientiſſimè excutit, & ſtomachi humiditatem quam priuatim quartana febris inducere ſolet, expellit. Conuenit etiam ſtomachicis, præſertim aſſiduè vomentibus, & acidum ructantibus. at verò capitis affectionibus incommodiſſima vociferatio

B exiſtit. Cæterùm qui vociferatione vſurus eſt, aluo prius exonerata, & infernis partibus ſenſim cōfrictis, lotáque facie placidè perfuſa, & vbi mox à ſomno ſe moderatè loquendo & deambulando præparauerit, ita tandem ad vociferationem debet progredi. In ipſa autem vociferatione concinnitas, & vocis bonitas ac iucunditas nihil contulerint ad ſanitatem; verùm grauiorum vocum ſonus vtilis exiſtit. quare in hoc ſe exercere oportet. Sic enim plurimus aer in reſpiratione attractus pectus diſtendit, & aluum ac totius corporis meatus dila-

C tat ac diſparat. vnde in vociferationibus & concitatis lectionibus redundantium humorum excretiones contingunt: & in iis quidem qui concitatius legunt, magis & per ſudores: qui verò mitius vocem intendunt, per occultam tranſpirationem. nam tota corporis moles in lectionib⁹ ac vociferationibus intenditur. Contingit item propter attenuationē ex motu factam, multa ſputa reſoluta, mucúmque ac pituitam excerni. Porrò iis qui propter frigiditatem caliditate opus habent, quódnam commodius auxilium afferri queat quàm actio per reſpirationem? O-

D portet itaque ſæpe legere, & vniuerſum corpus relaxare, fuſáque carne ad corporis rarefactionem, aſperam arteriam, & alios ſpiritus exitus commodè diſtendere, & grauiſſimas voces concinnè ſonare. Vtendum autem vocis actionibus neque temerè, neque incōſideratè, ſed neque prauis ac corruptis humoribus corpore repleto. neque in magnis ac manifeſtis cruditatibus ad vocis exercitium progrediendum, ne amplior diſtributio corruptorū humorum aut vaporum in corpus fiat.

De geſtatione, Cap. VI.

E RElíquæ quidem exercitationes in motu corporis ſitæ ſunt, geſtatio verò mixta eſt ex motu & diſpoſitione quieti ſimili, quum plurimæ corporis partes quieſcere videantur, vniuerſum verò geſtationis tractu moueatur. Atque hinc adeò vtiliſſima ſimúlque leniſſima exercitatio eſt geſtatio, vt quæ neque laſſitudinem corporibus inducat, ipſáque conſimiliter velut magna exercitia moueat. Omnis autem geſtatio inſitum calorem ventilare & excitare poteſt, & materiæ multitudinem diſpergere, habitúmq; corroborare, & actiones ſtupidas ſuſcitare. Dif-

F ferentiæ geſtationis multæ ſunt: verùm peculiares hæ ſunt. prima quidem in lecto, eóque aut penſili, aut fulcra mobilia iuxta angulares pedes habente: altera in lectica, quæ & ipſa duplex eſt, ita vt qui geſtantur vel deſideant vel decumbant. tertia in curru. quarta in nauigio. ponenda etiam equitatio eſt inter geſtationis partes. Itaque geſtatione in lecto vtendum in febricitantibus, aut diuturno morbo decumbentibus, in quo corpora conſumpta ſe erigere non ita valent. item in iis qui vires recolligere à febrili actione iam incipiunt, & in iis qui veratrū

G ſumpſerunt. Vtendū & in phreniticis. nam ſpiritus perturbationem placidè lenit, & ad ſomnum illicit. Vtendū & in lethargicis, & appetentia ciborum deiecta. At verò in lectica ſiue ferculo decumbentes geſtamus, febri lethargica aut ſemitertiana aut quotidiana correptos. Itē hydropicos, ſtupore attonito percuſſos, reſolutos, nephriticos, podagricos. deſidentes autem in lectica geſtamus eos in quibus febris exactè remiſit. Cæterùm geſtatio in curru, concuſſorium quiddam habet, & diutur-

nos morbos cõmouet.Eſt autem & in hac alia vehementior,alia mitior.Mitiore itaque vtendum in capitis affectionibus,& iis quibus inteſtina fluxione laborãt: vehementiore,in affectionibus pectoris ac ſtomachi,& in tumoribus laxis,hydropiciſque,ac ſtupore attonito perculſis.Verùm vertiginoſos & dimidia capitis parte affectos, auerſos ab itinere retrorſum deſidere in curru oportet, eóſque leniter mouere. Etenim multos nouimus hoc modo curatos,qui nullo alio auxilio indiguerũt.ſed tamẽſedẽ aliquãto ſupinioreẽ ipſis eſſe oportet. Porrò geſtatio in nauigio ſi iuxta terram fiat, & in mari tranquillo, hydropicis conuenit,& elephantiaſi laborantibus,ſyderatis, tumidis. & ſtomachum quidem ab initio ſubuertit, paulo autem poſtea in aſſuetudinem venit. Verùm geſtatio per pelagus vehementiſſima eſt, & mutationes plurimas ac maximas facit. nimirũ quum anima mixtos affectus habeat ex triſtitia & ſpe, timoréque ac periculo,modò gaudentibus & lætis, modò in agone exiſtentibus nauigantibus.Omnia autem hæc compoſita ſufficientẽ vim habent omnem veterem morbum exigendi & è corpore excludendi.quin & mixtura ex quiete ac motu corporis, ſiquid aliud, probè corpus nutrit.

De equitatione, Cap. VII.

EQuitationis vſus modicus eſt in ægrotis: neque enim multam vtilitatem opus ipſum præbet.nam ſi leniter impellatur equus,nihil aliud quàm laſſitudinẽ facit, maximè inguinum, iuxta crurum explicationem ac dependentiam:ſi verò agitetur equus, vniuerſum corpus doloroſè concutitur.& tamen etiam hic modus aliquid vtilitatis habet in valentibus. Supra enim alia exercitia & ſpiritum,& corpus, & maximè ſtomachum firmat, ſenſuſque purgat & acutiores reddit.verùm pectori peſſimũ eſt hoc exercitiũ.Cæterùm in omni geſtatione omnique exercitatione,curandum eſt maximè vt in ſalubri loco fiant,& in aere puro: nec ſolùm de aliis exercitiis hoc accipiendum eſt,ſed etiam de nauigatione.

De re venerea,ex Rufo, Cap. VIII.

NAturale opus coitus eſt.nullum autem ex naturalib⁹ operibus nociuum eſt: verùm iuxta immodicũ & aſſiduum vſum, itémque iuxta tempus non conueniens aſſumptus,noxius euadit. Multo autẽ magis nociuus fit aſſiduus vſus iis qui neruos,aut pectus,aut renes,aut lumbos,coxẽdicéſque ac pedes imbecilles habent. Cuius rei cõiecturam hinc facere licet,quòd omne hominis robur in coitus vſu debilius redditur. robur autem, eſt inſitus in nobis calor. Vnde ſanè concoctiones coeuntibus non integræ cõtingunt,& pallidi fiunt, & neque exactè vidẽt, neque vt oportet audiũt,neque alios ſenſus integros poſſidẽt.quin & obliuioſi tales & tremuli exiſtunt, & articulis,maximè coxendicum,dolent, & alii ex ipſis renum, alii veſicæ morbos incurrunt.quibuſdam etiam oris grauëolentia,& dentium dolores,& gurgulionum inflãmationes oboriuntur.Et viſi ſunt iam viri multi qui ex multa venere ſanguinem expuerunt, partim ob violentã ſpiritus compreſſionem ac intenſionem, partim ob venarũ ac arteriarum quæ ex pulmone ad teſticulos deferuntur cõmunionem.Cæterùm fœmina ex coitu ſanguinem nõ ſpuit, cum propter reliquam corporis humiditatẽ, tum quòd in mixtione minus laboris perfert:imò etiam propter cõſuetas infernas purgationes: quare ſi contingat etiam fœminam ſpuere ſanguinem, magnam ex purgationibus medelam acquirit. Itaque propter iam relatas cauſas medici boni iubent venere abſtinere, ſiue adſit quis ex prædictis morbis,ſiue timeatur, ob naturalem corporis debilitatem.atque hactenus quidem offenſiones & cõſenſus coitus,quantum vires noſtræ tulerunt,paucis retulimus.Reſtat vt etiam vtilitates recẽſeamus: neque enim penitus inutiles & omnibus nociuæ res venereæ exiſtũt, ſi & vſus tempus,& modum,& ſanam vtentis cõſtitutionem inſpicere velis.Vtilitates ex coitu hæ ſunt:repletionẽ euacuare,& leuius reddere vniuerſum corpus, idémq; ad augmẽtum promouere, & virilius efficere. Duris habitudinibus ex longioribus interuallis vſus eius commodat: mollit enim organa, & meatus dilatat, & pituitã ex-

A purgat, & impeditam rationis vim explicat, & maximas iras remittit.quapropter & atra bile percitis,ſubtriſtibúſque & hominũ conſortia fugientibus, velut magna quædam medela,commodiſſimus exiſtit: ſed & iuxta alium modum furioſos ad ſaniorem mentem reducit, & quoſdam comitiali morbo prehenſos ſanat,& capitis grauitatem ac dolorem ad vigorem ac integritatem permutat. Hippocrates ſummatim morbis à pituita rem veneream optimam eſſe pronuntiauit.multi quoque ex morbis alimentum non ſentientes,ex vſu ipſius refecti ſunt: alii

B benè ſpirantes ex ægrè ſpirantibus euaſerunt: alii cibos auerſantes appetentiam edendi aſſequuti ſunt: quidam à frequentibus ſeminis per ſomnum effuſionibus liberati ſunt.Naturæ ad venerem appoſitæ ſunt calidiores & humidiores. nam eius vſum pluſquam aliæ ferre poſſunt: minimè autem ſiccæ & frigidæ. Eſt & vigentium natura ad eam accommoda,ſenum verò nequaquam.Ex temporibus ver aptum eſt,ineptus autumnus & æſtas,ſed neque hyems commoda eſt propter frigiditatem. & ſanè diæta quoque calidior & humidior ad coitum idonea eſt,con-

C trà ſiccans & frigefaciens,inutilis. humidæ enim diætæ etiam impotenti ad coeundum commodant. Oportet igitur humidum & calidum eſſe victum,cui accedere debet labor moderatus,& cibus boni ſucci. Vinum itaque ſit colore fuluum,ſubſtãtia tenue,panes puri furnacei recentes,carnes hœdorum,agnorum,& porcorum.Ex volucribus gallinæ,attagenæ, perdices,anſeres,anates. Ex piſcibus polypi,& molli carne prædíti.Olerum,horminum, irio,eruca,rapum bis coctum & flaccidum factum: hæc enim medicamenti loco exhibentur.Leguminum,fabæ,

D cicer,ochri,phaſeli,piſa,dolichi. nam & flatu corpus implent,& luculenter alunt.Magnopere etiam optimam vuam laudo,quod ad hanc victus rationem attinet: humectat enim & ſanguine ac ſpiritu corpus replet. Cæterùm qui venere vti volet,recentes repletiones vitabit, crudita tes item ac ebrietates,ſimilitérque famem. malum eſt enim repleto corpore coire,item à gymnaſiis & à balneis. Vitandæ laſſitudines,& prægreſſi vomitus,& alui profluuia recentia.nam inueterata aliquando per venerem re-

E ſiccantur. Commodiſſimum coeundi tempus eſt à cibo non nimium ingeſto:nam & ad robur conducit,& frigiditates euenire ſolitæ minus fiunt. Et ſi quidem à prãdio quis ad vẽtrem incitetur,quieſcere oportet donec cibus deſideat: ſi verò à cœna,neceſſe eſt paulùlum antea dormire. Porrò vehementes impetus ac cupiditates ad venerem non probo, ſed eis reſiſtere ſuadeo , præſertim ſicui morbus ſit qui ex venere facilè offenſionem perceptet.

De inſolatione, & arenæ aggeſtione , ac aliis vaporatoriis fomentis,ex Antyllo, Cap. IX.

F QVidam ſe ad ſolem exponunt,partim non vncti,alii etiam vncti,& alii deſidentes aut decumbentes,alii ſtantes & deambulantes aut currentes. Ex decumbentibus aliqui in ſtrato,aliqui ſuper corio, alii in arena aut ſale decumbunt.Solaris itaque inuſtio citra vnctionẽ moderatè adhibita,perſpirationem occultam auget,& ſudores elicit,aluum autem ſiſtit,& carnem conſeruat:pinguitudinem verò abolet, & tumores laxos cum aliis, tum maximè hydropicorum deprimit. Spiritum autem denſiorem ac velociorẽ reddit, & propterea anhelos & recta

G ceruice ſpirantes exacerbat.verùm capiti diuturna frigiditate laboranti cõmodat: nam & firmum & ægritudinibus minus obnoxium efficit.oportet tamen in his aluum præeuacuare. Inimica eſt enim inſolatio capiti, euacuatione infernè non præmiſſa. At verò inſolatio cum vnctione,eadem ſimiliter poteſt. verùm corpus magis ſiccat, velut vnguine aſſatum:quapropter & ſuperficiẽ magis denigrat. Cæterùm per occultam tranſpirationem hæc minus diſcutit. nimirum ad cauterii ſimilitudinem denſans carnem. Qui verò deſidentes aut ſtantes

H inſolantur, vehementius quàm deambulantes & magis quàm currentes inuruntur.Decumbentes autem in ſtrato, non magnopere iuuantur, ſed capite magis replentur. Qui ſuper corio ſe ſoli exponunt, magnam vtilitatem conſequuntur, præſertim hydropici & iſchiadici,

nephritici, reſoluti, elephantiaſi laborantes, intumeſcentes circa refectionem, cœliaci, & qui circa veſicam veterẽ morbum habent: itémque ſyderati, fœminæ quoque quæ ab vtero ſtrangulantur, & adhuc amplius quæ alba vteri fluxione infeſtantur. Oportet autem magnum eſſe coriũ, & oleo perunctum, & ſuper tenuem arenam cribratã extentum, & vbi præcalfactum eſt corium, tum demum ægrum ſuper id decumbere, capite cum crudo linteo velato. Permanendum eſt autem diutius in eadem decubitus figura, & poſtquam corpus multùm fuerit feruefactũ, vertere iubendum ac deuoluendum, & poſtea rurſus in alterum latus reuoluendum, ac quieſcendum: atque hoc ipſum ſæpius facere oportet. Idem modus etiam in arena adhibetur, loco aſſiduè permutato. oportet autem miniſtrum adeſſe, qui calẽtiſſimam arenam colligat, & corpori defoſſi ac obruti ſuperingerat. Si quidem igitur mare affuerit, vtendum eſt eius arena. nam & lenior & magis reſiccans huius arenæ fomentatio ac feruor eſt quàm eius quæ per corium contingit. ſi verò fluuialis arena fuerit, præſtat corio vti. nam & arena fluuiatilis, & aer humectior eſt ex euaporationibus. Quòd ſi ſalis copia adſit, multo præſtabilius eſt tenui ſale ſubſtrato hominem decumbere. oportet autem altitudinem eſſe non minorem tribus palmis paruis: ſi enim non fuerit altus ſal, caliditas ipſius facilè difflatur, vtpote quæ ex alto emerſum ac progreſſum non habeat.

De venæ ſectione, ex Galeno,

Cap. x.

A Similaribus corporis partibus primas actiones perfici, alibi demonſtratum eſt, itémque per inſtrumẽtales, ſecundas. Itaque humores in corpore contenti conſiderandi ſunt, quam tandem vtilitatem aut cladem partibus afferant per quas corpus actiones ſuas facit. At verò plenitudo colligi dupliciter dicitur: aut enim virium reſpectu plenitudinem dicimus, aut reſpectu capacitatis vaſorum humores continentium. quemadmodum enim is qui onus geſtat, non ſtatim vt grauatur & laborat, iam etiam concidit & vincitur ab ipſo onere: iuxta eundem modum vbi vires à plenitudine grauantur, poſſibile eſt ipſas diu reſiſtere, & nondum hominem ægrotare: vbi verò quis diutius negligatur, vires concidunt. His itaque magnopere prodeſt venæ ſectio priuſquã vires vincãtur. Sed & plenitudine ac copia ſanguinis in corpore non exiſtente, venæ ſectio vtilis fit, inflãmatione incipiente ob prægreſſam plagam, aut ob particulæ debilitatem, humoribus ex corpore aceruatim in ipſam congregatis. Aliquando enim ſanguis aceruatim ad particulam quãdam irruens, aut ſtupefacit eam, vt actio ipſius corrũpatur: aut memorabilem cladem inducit, velut in ſyderationibus cõtingere videmus: quandoque verò etiã ipſum vas perrumpit, velut in ſanguinis ſputo contingit. Conandum itaque eſt vt redũdantem ſanguinem euacuemus quamcitiſſimè, priuſquã magnũ aliquod malum circa aliquam corporis partẽ operetur. quin & magni alicuius morbi timore venã ſecamus. atque ego ſanè multos podagricos annis tribus aut quatuor infeſtatos ex interuallis, aut purgato redundante humore in principio veris, aut ſanguine detracto curaui. nam & podagricis & arthriticis, comitialibúſque ac atrabiliariis morbis, itẽ ſanguinẽ ſpuentibus, vertiginoſis, & iis qui frequenter angina arripiũtur, peripneumoniis, pleuriticis, lippitudinibus vehementibus, & in ſumma iis qui in magnos morbos frequẽter incidunt, venæ ſectionẽ omnibus auxiliis potiorẽ pronuntio. Conſideranda porrò veniunt in omni venæ ſectione, plenitudinis quantitas ac qualitas, morbi magnitudo, ſiue præſens ſit, ſiue timeatur, ætas vigoroſa, & præ his omnibus virium robur aut debilitas: deinde naturalis habitus totius corporis, hora ac tempus anni, regio, præſens ambientis conſtitutio, prægreſſus victus & diæta, copia ciborũ & potus: & maximè, an multùm nutrientes cibos homo ingeſſerit, & an conſueta exercitia reliquerit, & an conſuetæ excretiones ſuppreſſæ ſint. At verò aggrauante & infeſtante plenitudine, non omnino ſanguis detrahendus eſt: aliquando enim crudus quidam humor in corporibus coaceruatus eſt. quapropter diligenti animaduerſione opus eſt, quantopere vires validæ ſint, & quantopere humor ipſe perfrigeratus eſt. quod ipſum ex vrinis & aliis ſignis cognoſces. Nam in eiuſmodi affectionibus præexolutæ vires, in venæ ſectione extremè concidere ſolent, vt refocillari amplius non poſſint. quod vbi contingit, periculum non paruum conſequitur, præſertim incidente febre, in conſtitutione æſtiua, ſtomacho malè affecto, aut corpore vniuerſo molli & temperamenti humidi ex natura exiſtente. Exoluuntur enim tales, & celerrimè in animi deliquium collabuntur, etiãſi non magna febris in ipſos irruat. Sed & ſi hyems fuerit, aut regio frigida, & natura hominis frigidior, minimè venæ inciſionem admittemus: tales enim hoc modo diſpoſitos moderatis frictionibus, & vnctionib[9] moderatè calfaciẽtibus, & potionibus inciſoria vi præditis ſanam[9].

De euacuationis menſura, Cap. xi.

MAgnitudo morbi & virium robur principales ſcopi ſunt incidendæ venæ, qui vbi aucti fuerint, maiorem euacuationem fieri oportere indicant: ſicut contrà vbi nõ fuerint aucti, euacuationis quantitatem imminuere oportet, inquantum vires imminutæ ſunt, itémq; morbi magnitudo. Conſequenter autem ſimul conſiderãda eſt hominis natura. nã eos qui moderatè graciles ſunt & magnas venas habent multúmque ſanguinis, largius euacuabis: qui verò venas anguſtiores habent, & corpore albi & carne teneri ſunt, parcè. ſanguinem enim modicum hi habent, & facilè humores ipſis tranſpirant. Iuxtà eandem rationem neque pueris venam ſecabis, vſque ad quatuor & decem annorum ætatem: imò neque ſenibus, præſertim viribus debilibus exiſtentibus. Quòd ſi vires fuerint fortes, & neceſſitas vrgeat, etiam ſeptuagenariis venam ſecabis.

Quales venæ ſecandæ, Cap. xii.

REuulſionis gratia ſemper venas in directum ſecabis in iis à quibus ſanguis erumpit. nimirum vt ſanguine è dextro nare fluente, venam dextræ manus ſeces: è ſiniſtro verò, ſiniſtræ. Quòd ſi ſplen patiatur, venam inter anularem & paruum digitum manus ſeca, aut in cubito internam. ſed & in pleuriticis venam è directo affecti lateris ſeca. Grauiſſimos item oculorũ dolores mirabiliter mitigat vena è directo affecti oculi ſecta in cubito, quæ humeralis appellatur. Nam interiores venæ ſectæ vtilitatem præbent in partibus infra collum affectis: externæ verò, faciei & capiti: mediæ, vtriſque. Si autem in venæ ſectione error contingat, in media quidẽ vena neruus ſubiacens diducitur: in interna verò, arteria ſubſtrata. Et vitandum eſt ne hanc ſecemus citra magnam neceſſitatẽ. nam minoris periculi eſt humeralem ſecare. Et ſæpe facta in hac fiſſura magna, neque inflammationes ſequutæ ſunt neque dolores. quare hanc confidenter ſecare licet: internam verò, cum multo metu. vitandum item vt ne tentemus mediam. Quemadmodum autẽ prædictæ partes ex venarum cubiti ſectione opem ſentiunt, ita inferiores his, hoc eſt coxa, & vterus ac veſica, ex venarũ, poplitis ac talorum ſectione. Renes autem vtrinque opem ferunt & ex cubiti & ex infernarum venarum ſectione. Scio autem coxendicum affectionem in vna die ſanatam per euacuationem à cruribus, quæ ſanè non propter frigiditatem ſed vaſis coxæ ſanguine impletis facta erat. Oportet autẽ in omnibus quidẽ inflãmationibus incipiẽtibus, reuulſoriè facere venæ ſectionem, velut pede inflammato ex manu: verùm in affectibus diuturnis, maximè quidẽ ex ipſis affectis partibus: ſin minus, ex propinquis.

Quomodo vena ſecanda eſt, ex Antyllo,

Cap. xiii.

PVnctim quidem venæ inciſionem facimus, vbi vaſa fuerint obſcura: cæſim verò, vbi fuerint manifeſta, ita vt firmemus manum in obſcurioribus, & iis qui ad ictũ flectere ſolẽt cubitum. Oportet autem non totum vas diducere. nam dum labia ipſius euertuntur, fluxus non fit cum eiaculatione. Neque verò infernam vaſis partem ad radium diuidere oportet, ſed ſupernam ad brachii exortum tendentem. ſuperna enim ſecta, ſpecioſa ſanguinis eiaculatio contingit. Et ad hæc commoda eſt ſupernæ partis venæ ſectio, quoniam è vaſe quis aberrare non poteſt.

De magnitudine ſectionis, ex Antyllo, Cap. XIIII.

IN iis qui aſſeruata euacuatione opus habent, magna fiſſura facienda eſt: itémque in quibus craſſitiem ſanguinis contineri coniectabimus. In quibus verò reuellere & auertere volumus lationem ſanguinis, velut in reiectantibus ſanguinẽ, aut quibus de naribus aut alia quadam parte ſanguis erumpit, parua vulnuſcula incutimus. non enim indigent euacuatione, (quum euacuentur ab affectione) ſed retractione ac reuulſione. Oportet igitur in iis permittere vt ſanguis fluat multo tempore per venã. Paruis item fiſſuris vtendum eſt in phreniticis aut mente motis, aut aliâs delirãtibus, quò cita cõglutinatio vulnuſculi fiat: contingit enim vt deliri ſæpe latenter vinculum manus ſoluant. & ſi quidem contigerit magnam eſſe fiſſuram, ſequitur periculum ex ſanguinis eruptione. In parua verò, etiam grumus vulneris oſculo inſidens, ſanguinis eruptionem prohibere poterit. Inſuper & paruis fiſſuris vtẽdum eſt in paruis vaſis, magnis verò in maioribus. nam ſi in magnis vaſis paruum vulnuſculum fiat, neceſſariò grumi collecti fluxum ſanguinis impedient.

De figuræ ſectionis, Antylli, Cap. XV.

SEctionis figuræ tres ſunt: tranſuerſa, recta, non pungens ſed findens venam in directum, & inter has media quæ appellatur obliqua. Tranſuerſa igitur vtendum eſt in quibus detractionem omnino non repetere volumus. curuato enim cubito oſcula fiſſuræ componuntur. & commoda eſt hæc figura, vbi magnam fiſſurã facere voluerimus. Obliqua verò figura vtilis eſt in quibus detractio repetenda eſt: & eo quòd à vaſe non aberramus dum ſic ſecamus. Sed & ſanguinis eiaculatio ex obliqua fiſſura pulchrior aſpectu eſt vidẽtibus, dum velut obtorquetur & obuoluitur ſanguis in ſaltu. Oblonga verò in directum figura cõmoda eſt in iis quibus non ſolùm eadem die ſectionem reiteramus, ſed etiam poſt vnam aut duos dies. Incuruato enim cubito diſparantur oſcula fiſſuræ. Commoda eſt item in directum fiſſura iis in quibus præuaricatio labiorum fiſſuræ fieri ſolet. at in hac figura minus ſpecioſa ſanguinis eiaculatio contingit.

Quod ſit opportunum venæ ſecandæ tempus, Galeni, Cap. XVI.

IN omni diei ac noctis hora, neceſſitate vrgente, venã ſecabis, ita vt ſcopũ habeas in iis qui febriunt, exacerbationis declinationem: in iis verò qui aut propter lippitudinem, aut aliud quid eiuſmodi, abſque febre, venæ ſectione indigẽt, magnitudinẽ doloris aut inflammationis. qua enim hora videris dolorem mitigari, venam ſecabis: at verò ſi nihil tale vrgeat, melius eſt manè venam ſecare, nõ ſtatim vbi à ſomno ſurrexeris, ſed vbi vigilaueris ad horam vnã. ſed & quoſdam prælauare præſtat & prædeambulare. In quibus verò præſeruationis gratia venam ſecamus, licet etiam ab actu cõſuetarum operationum venam incidere.

De repetita detractione, Galeni, Cap. XVII.

IN quibus ſimpliciter euacuare volumus, eadem die iterata detractio fiat. in quibus autẽ reuellere, præſtat vt poſt duos dies fiat. Et in quibus quidem opus eſt multa euacuatione, vires autem nõ ſunt fortes, in iis euacuationem reſeruare oportet, & prima detractione defectuoſiore facta, rurſus iteratò detrahere, aut ſi voles tertiùm. Quum verò feruentis ſanguinis multitudo febrem acutiſſimam incenderit, velut in ſynochis *id eſt continentibus*, ibi aceruata euacuatione opus eſt: & oportet tentare vt euacuemus vſque ad animi deliquium, virium robore ex pulſibus cõſiderato. in aliquibus enim noui VI. lib. ſtatim eſſe detractas. Fluente itaque ſanguine attendere oportet ſemper pulſuũ tactui, vt ne citra animaduerſionem, pro deliquio animi mortem inducas.

De arteriarum ſectione, Galeni. Cap. XVIII.

ARterias ſecant medici in temporibus quidem ob oculorum fluxiones, quũ calidæ & flatuoſæ fuerint: eas verò quæ ſunt retro aures, in vertiginoſis, & iis maximè qui ex diuturnis morbis capitis calidis ac flatuoſis laborãt. Iã verò & ob alias plurimas affectiones circa caput cõſiſtentes diuturnas, quidam ſecant arterias retro aures. Verùm aliqui arteriarum ſectiones verentur, propter ſanguinis retinendi difficultatem, & quòd dum fiſſura in cicatricẽ abit, aneuryſma in quibuſdam fit, *id eſt uaſis ipſius arteriæ dilatatio, quæ inter tumorum genera recenſetur.*

Medicamentum ſiſtens ſanguinem arteriarum, Cap. XIX.

QVVM igitur ſanguinis eruptio ex inciſa arteria cõſequatur, oportet hanc hamulis attractam totam tranſuerſim diſſecare, deinde aloëm & mannam thuris terere, & ouorum albumine ſubigere, & tenellis pilis leporinis medicamentum excipere, & fiſſuræ imponere. Dicetur autem de hoc amplius in loco De ſanguinis eruptione, inter vulneraria medicamenta.

De cucurbitularum vſu, Ex Antyllo. Cap. XX.

NEque in morborum principiis, neque in corporibus repletis, cucurbitis vtemur, ſed quum euacuatum fuerit totum, & non amplius influxerit parti cui cucurbitæ ſunt adhibendæ, & opus fuerit mouere ac excutere & attrahere relictam in parte inutilem fluxionem. Cauẽdum eſt autem ne cucurbitam prope mãmas affigamus. nam illabentes in cucurbitas mãmæ & tumeſcentes, nõ facilè ſinunt illas tolli. Tunc verò ſpongiis ex calida expreſſis cucurbitas circundare oportet: ſic enim remittere ſolent. ſi verò non ſic remiſerint, cucurbitæ perforandæ ſunt. Illud porrò noſſe expedit, quòd nõ ſolùm localis venæ ſectio detrimento eſt antequam vniuerſum corpus euacuetur, per affectas partes ſanguinem detrahens, ſed etiam cucurbita. Et venæ quidem ſectio minus eſt periculoſa: pro ratione enim allationis materiæ, etiam ſanguinis excretionẽ facit: cucurbita verò tum impetu affixionis violenter materiam attrahens, tum multum locum occupans, & tamen neque vaſis ſenſibilem fiſſurã faciens, attrahit quidem memorabilem materiã, non euacuat autẽ pro ratione attractæ. Et præcordiis quidem intempeſtiuè affixa, præſertim in continentibus febribus aut ſemitertianis, & maximè ſi etiam mens ægri fuerit turbata, & ſenſus ſit obtuſus, ſtrangulatus & mortẽ eadem die inducit: capiti verò intempeſtiuè admota, lethargos, & corporis ac mentis ſtuporem, & oculos prociduos facit. quibus autem contigerit vt hæc effugiant, hi omnino in diuturnũ capitis affectum hinc incidunt.

De ſcarificatione, Ex Galeno. Cap. XXI.

VEnam ſecare ſæpe in anno non arbitror cõmodum eſſe: ſimul enim cum ſanguine multus vitalis ſpiritus excernitur. Quum autem hic frequentius conſumitur, & tota corporis moles perfrigeratur, & omnia naturalia opera deteriora fiunt. Probo igitur vt ab ignobilioribus partibus, velut ſunt crura, per ſcarificationẽ detractio fiat. Optimum autem eſt hoc auxilium ad conſeruationẽ ſanitatis, & ad eandem recuperãdam, ſi fuerit præuaricata. Prodeſt autem ſcarificatio etiam oculis diuturna fluxione affectis, & aliis capitis affectionib[9], itémque thoracis, & anginis. Oportet autẽ in vnoquoque mẽbro factas ſanguinis inſpiſſationes, poſt vniuerſalem corporis euacuationem, ſoluere per localem ſcarificationem.

De ſanguiſugis, Galeni, Cap. XXII.

SAnguiſugas captas vna die ſeruare oportet, eáſque pauco ſanguine alere. vſus autem tempore pars cui admouendæ ſunt nitro præparetur, & aqua dulciſſima exactè abluatur, poſtea è fomento ſanguis illinatur. Atque ſic accipiãtur ſanguiſugæ ac mittantur in aquam paruam, & fuligine ipſarum per ſpongiam deterſa ſic admouebis. inhærentes enim non ceſſant trahere, donec ſalem aut nitrum aut cinerem ori ipſarum inſpergamus. poſtquam verò exciderint fouendi, ſunt loci per ſpongiam. & ſi ſanguis erumpat, gallam vſtam, aut linteum vſtum, aut ſpõgiam liquida pice imbutam ac vſtam inſperge, & supernè chartam aceto madidam impone.

De purgatione, ex Antyllo. Cap. XXIII.

EOS qui ſana habent corpora purgare difficile eſt. nam & vertiginoſi ac voluuloſi fiunt ac torquentur, purgatióque difficulter ipſis procedit: & ad hæc citò exoluuntur tales dum purgantur. Quum igitur purgare volueris, præattenuare oportet ac ſecare craſſos ac viſcoſos humores, & meat[9] aperire, per quos humores trãſferũtur ac trahuntur à purgatoriis medicamẽtis. Et ſeroſos quidẽ

ac tenues humores in principio morborum euacuare oportet: in craſſis verò ac viſcoſis concoctio expectāda eſt, qualis eſt pituita & bilis atra. Sed & in omnibus diuturnis morbis ſemper concoctionem expectare cōuenit. In acutis verò quum cōmotæ fuerint materiæ, etiam in principio pharmacum exhibe, & tamē cum multa cautione. Nam quum humores ſunt in motu, lationéque ac fluxu, timor eſt nequod ex viſceribus natura debile exiſtens materiam cōmotam excipiat, & præſertim thorax. At in vna aliqua parte firmatos humores, velut in viſcerum inflammatione contingit, medicamentis aggredi non oportet priuſquam concoquantur. quicunque enim inflāmata in principiis per medicamenta ſoluere conantur (inquit Hippocrates) à diſtento quidem & inflammato non auferunt quicquam, (nihil enim remittit cruda affectio) verùm ſana & morbo reſiſtentia conſumunt: dum enim debile ſit corpus, morbus dominatur: quum autem morbus dominatur, pernicies adeſt. Proinde materiæ remouendæ gratia vtimur purgatoriis medicamentis in cephalæa, vertigine, hemicrania, comitiali, anhelatione, erectæ ceruicis ſpiratione, coxendice, arthritide, podagra, nephritide, & in affectionibus veſicæ ac vteri diuturnis. Similiter autem etiam vbi fluxus aſſiduè infeſtauerit aures, aut nares, aut oculos, aut os, aut ſtomachū, aut totam ſuperficiem: & neque reſiccetur ab aliis auxiliis, neque aliter ſiſti poſſit. ſolet enim purgatio per aluū fluxiones cohibere. Et in hoc ordine locari poteſt etiam humoris atræ bilis purgatio, quæ hæmorrhoidum ſuppreſſarum gratia aſſumitur poſt venæ ſectionem. At antiquæ affectionis emouendæ ac expurgandæ gratia vtimur purgatoriis in reſolutione, ſideratione, alimentum non ſentientibus, torpore, ſopore, grauitate perſeuerante in quacunque corporis parte. Cæterùm ob corporis temperamentū tranſmutandum, vtimur purgatoriis in diuturnis febribus, nimirum quotidianis ac quartanis, inſania, atra bile, mentis exceſſu, malo habitu corporis, iis qui alimentum non ſentiunt propter vitioſum humorem: inſupérque in elephantiaſi, ſcabie, lepra, puſtulis, morbo pediculari, & in vlceribus ſpōtaneis ac grauibus, & affectionibus fluidis. At verò quò circumſitus & infeſtās humor educatur, vtimur purgatoriis, in aqua inter cutem, & regio morbo. Et hoc loco ponendæ ſunt etiam vētris fluxiones, in quibus purgatoria aſſumimus: aliquando enim acris & inutilis humor, ventris tunicis inſidens aut inteſtinorum, ſimiliter velut acres glandulæ aut infuſiones per anum, irritat inteſtina, & ſimul ipſa ſtimulat, & promptitudinem efficit ad excretionem, ſimúlque per acredinem ſuam ex circumferētia corporis ac totius molis humorem attrahit. In his igitur conſentaneum eſt purgatoriis vti, quò talis humor ex corpore expellatur, & venter ac inteſtina pura fiant. In ſumma vtendum eſt purgatoriis medicamentis, in iis quibus vires validæ ſunt, & voluntas prōpta eſt, & qui ſtomachum robuſtum habent, & multam inutilem materiam in corpore colligunt. At pingues & prægraciles ad purgationem inepti ſunt: inſuper ~~& qui~~ multo ſanguine abundant, & qui aſſiduè animo linquūtur, & ægrè reuocantur, & qui citò vomunt ex omni occaſione. Pueri item ac ſenes, & mulieres quibus menſes validè purgantur. & qui valde purum habent corpus: & qui certam habent victus rationē, & quibus aluus eſt natura adſtricta, & qui dyſenteria & cœliaca affectione facilè corripiuntur. omnes hi ad purgationem inepti ſunt. Incipiendum eſt autem à bilem purgantibus.

Bilem flauam purgantia. Aloe, Cap. XXIIII.

ALoe totum quidem corpus non purgat, verùm ſitam in ſtomacho & ventre ac inteſtinis bilem, citra moleſtiam educit ac placidè vnà cum ſubiectis excremētis. Datur itaque iis quibus caput affligitur propter aſſiduas fientes ad ipſum de ſtomacho euaporationes. excindit enim inutilium vaporum allationē. Danda eſt & lippientibus, propter eandem cauſam, & iis qui ob bilis augmētum ſitiunt, quibus lingua & os facilè reſiccatur: & qui circa ſtomachum ardorem, aut nauſeam, aut moleſtiam aliquam euerſoriam percipiunt. Præbetur & iis qui præter rationem pallidiores facti ſunt, & in quibus ſuperfluitates eductione indigent, & clyſter adhiberi non poteſt ob aliquam cauſam. Dantur autē aloes drach. II. cum aqua mulſa. Cōmoda eſt etiam ſiquis ipſam quotidie ſumat, aut à cœna aut mane ante cibum potius. Tritam itaque aloen corticis citrii ſucco excipe, aut ſi is deſit, ſucco braſſicæ vtere. habeant autem hinc formatæ pilulæ ciceris magnitudinem. & dato tria aut quinque quotidie ei qui opus habet. potes & cum terebinthina ipſam efformare, & cum melle cocto. Oportet autem in deglutiendo aut poſtea abſorbere aquam mulſam. Purgatoria equidē medicamenta omnem cauſam ex corpore extrahunt, inſtar cucurbitæ, principalibus partibus inhærentia, ipſáque per ventrem euacuantia.

Scammonia, Cap. XXV.

SCammonia flauam bilem maximè educit. Inducit autem ſtomachi dolorem, & graue olet, ac iniucunda eſt & valde ſiticuloſa. Quum enim omnia purgatoria ſtomachū infeſtēt, aloe excepta, ſcāmonia plus omnib⁹ illi moleſta eſt. Vitanda igitur eſt iis qui debilem ſtomachum habent & febricitantibus: quum enim leuiſſima ſit, facilè abripitur in corpus, & omnem in ipſo immunditiam commouet: prohibetur autem à febrili calore, vt ne ſuperfluitates ad excretionem ducat. Danda igitur eſt iis qui bonum ſtomachum habent, & non febriunt, atque non facilè vomunt, & non facilè animo linquuntur. Dantur ex ea ſcrupuli duo, plus minus, pro virium ratione. Admiſcetur ipſi ſal, & thymi coma, aut pulegium. In iis verò qui ferre poſſunt, præſtat aloen miſcere. Datur & per ſe cum melle, aut ptiſanæ ſucco, ſi clanculum exhibere volumus.

Peplium, Cap. XXVI.

PEplii ſemen, aliquando verò & ramulos ſimul, in vmbra ſiccata, tuſa ac cribrata dato, ſcrup. IIII. pōdere, in aqua mulſa, adſtillato modico aceto. Nam poſt flauam bilem, etiam nigram & pituitam ducit. & flatus diſſipat, quemadmodum etiam Hippocrates alicubi dicit. Maximè igitur conuenit flatuoſis affectionibus, quæ ſanè atrā bilem laceſſunt & auſpicantur. Cōuenit etiam ſplenis inflammationibus diuturnis, vteri item ac coli, & laxis abdominis tumoribus.

Veratrum nigrum, Cap. XXVII.

VEratrum nigrum atram & flauam bilem ex toto corpore trahens, infernè expurgat, non tamen cum vlla difficultate. quapropter etiam febrientibus per circuitū & diu ipſū exhibemus. Datur & furioſis, & hemicranicis, ac diuturno capitis dolore afflictis. Maximè verò idoneū eſt viſceribus, & vtero & veſicæ, ſi purgatorio medicamēto opus habent. Maxima verò ipſius vis eſt, priuatim educere ſiquid corruptorium ſanguini fuerit admixtum. Vnde etiam in diuturno regio morbo commodum eſt, & ad aſperitates cutis, velut ſunt lepræ, impetigines, & ſimilia. eſt & elephantiaſi vtile. Dantur ex eo ſcrup. III. plus minus, ita vt tenuia circa radices lignula paululum in aqua madefiant, deinde auferatur cortex, & ſiccetur in vmbra, tundatúrque ac cribretur. datur cum paſſo aut aceto mulſo. Condimenti porrò gratia addere oportet ipſi petroſelini & dauci parum. Si verò efficacius purgare volueris miſce & de ſcammonia parum.

Bilem atram purgantia, Cap. XXVIII.

ATram bilem ducētibus vtendū eſt præcipuè in melancholicis, *id eſt atra bile uexatis*, ſtomachicis, iis quæ facilè irritantur, iracundis, homines auerſantibus, ſeceſſū quærentibns, & iis qui in refectione virium purgatione opus habent, & in habitibus obaridis & parum muſculoſis, & præſertim in autumno feruente.

Epithymum, Cap. XXIX.

EPithymum atram bilem infernè purgat. Dantur ex ipſo contuſo ac cribrato perfectis ſcrup. XII. cum paſſo & aceto mulſo ac modico ſale. Confert affectionibus flatuoſis & hypochondriacis præcordiorum, & quibus iecur grauatur, & difficulter ſpirantibus. Similiter autem velut epithymum purgat flos in ſtœbe enaſcens, & flos qui in thymbra naſcitur, atque epithymbrō appellatur. verùm vterque viribus debilior eſt.

Polypodium, Cap. XXX.

POlypodium bilem maximè nigram ducit & pituitā. dantur radicis purgatæ ſcrup. VI. affuſa aqua mulſa diluta. Poteſt & ſuper ſallamentum deradi ac comedi ante

prandium. Purgat etiam mediocriter ac citra moleſtiam radix cocta in iure gallinaceo,& in ptiſana.

Pulegium, Tragoriganum, Leucanthemum, Alyſſon, Cap. XXXI.

PVlegium ducit atram bilem acetabuli menſura potũ in aqua mulſa: ſimiliter & tragoriganum, & parthenium, quod & leucanthemũm vocatur. Dantur ſingulorum ſcrup. VI. ſed & alyſſon ſimiliter purgatiuum eſt, dantúrq; etiã ipſius ſcrup. VI. Præſtat autem hæc dare cum aceto,& modico ſale, ex aqua, ita vt arida trita potui inſpergantur.

Armenium, Cap. XXXII.

ARmenium quo pictores vtũtur, purgat atram bilem & quicquid craſſi ac viſcoſi ſanguini admixtum eſt. datur melancholicis, & elephantiaſi laborantibus, ac cõſimilibus,& in renum affectionibus, & anheloſis: dantur ex eo ſcrupuli plus minus IIII.

Centaurium minus, Cap. XXXIII.

CEntaurium minus craſſiſſimam bilem purgat & mucum: quare conuenienter datur ſplenicis & coxendicum morbo affectis. Bibitur eius decoctum, vbi coctum fuerit in aqua. Sint autem centaurii ſcrup. ſex, aquæ menſura heminæ. coquatur ad medietatem.

Pituitam ducentia, Cap. XXXIIII.

PItuitam ducentium vſus eſt in habitibus frigidiorib⁹, ætatibus item ac morbis frigidioribus: velut ſunt reſoluti, ſiderati, & qui laxis tumoribus tumẽt. & in iis qui multa & craſſa emungunt,& qui ex coxendicum morbo à pituita infeſtantur,& in aqua inter cutem.

Colocynthis, Cap. XXXV.

COlocynthis purgat pituitam & bilem & mucoſa: vnde neruorum neruoſorúmque corporum purgatiua eſt. Datur igitur cõuenienter in omnibus capitis affectionibus, & in erecta ceruice ſpirantibus ac ſimilibus. & in coxendicum morbo,& arthriticis,& ad diuturnas renum ac veſicæ affectiones. Eſt & aliis morbis commoda, qui ægrè excuti poſſunt, & induratam affectionem habent. Datur ex medulla ei⁹ ſcrup. II. in aquæ mulſæ cyathis duobus, in debilioribus ſcrupulus vnus. Eligenda eſt alba & tenera medulla. nam aridior & nigra mala eſt. Tundatur autem & teratur diligenter,& cribretur ſæpe. & vſus tempore læuigetur valde bene in mortario cum aqua mulſa. ſolet enim tale quiddam pati: nam tuſa priuſquam madefiat, tenuiſſima apparet: vbi verò in aquã mulſam iniecta fuerit ac macerata, intumeſcit adeo vt vix cribratam eſſe credas. Itaque tumidæ ipſius partes aliquando inhærent vẽtri aut ſtomacho, & præſertim inuolucris inteſtinorũ, propter mollitiem: & quũ acres ſint natura ac mordaces, adhærentes vlcerãt inteſtina,& affectiones neruorum per conſenſum inferunt, torminâque ac contractiones. quare multa animaduerſione opus eſt, vt læuiſſimam ipſam faciam⁹ cum aqua mulſa. Quòd ſi mitius purgare volueris, ſumito colocynthidem iuſtæ magnitudinis, eâmque aperito ſupernè,& ſemẽn totum eximito: deinde quicquid tomenti ſpeciem præ ſe fert in ipſa, rurſus citra ſemen in ipſam indito,& repletam ipſam ſapa, aut vino dulci veteri, per diem & noctem macerari ſinito: deinde excolatum per pannum vinum calfactum bibendum dato. Purgat optimè & morbum regium,& eos qui puſtulas liuidas circa cutem habent.

Tithymalus, Cap. XXXVI.

TIthymalus pituitam & bilem ducit. dantur ipſius ramuli virides accepti,& in teſtaceo quopiam vaſe parum fricti, deinde triti. Miſcentur autem ex ipſis ſcrupuli IIII. aut III. cum polenta in aqua,& bibuntur. nam aridiores ramuli impotentiores ſunt. At verò tithymali characitæ radicem accipe,& ſiccato in vmbra, deinde vſus tempore corticem detrahito, tundito ac cribrato,& IIII. ſcrupulorum põdus in vinum dulce vetus mittito, & per diẽ ac noctem macerari ſinito: excolatum per pannum vinũ calfactum bibendum dato. purgat maximè, vt aliqui in omnibus ipſo vtantur velut quopiam arcano. Bene & citra moleſtiam purgat etiam ſuccus tithymali circa aquas in humidis locis ac ſyluis naſcentis, exceptus ſale, aut pane arido trito, ita vt ex hoc nucis auellanæ magnitudo de-

A tur cum frigida aqua. At ſuccus tithymali à quibuſdam datur, aut cum caricis, aut cum polenta, guttæ IIII. aut V. Verùm valde exulcerat linguam & partes circumcirca ſitas,& potus multum calorem in ventre facit.

Iſium, Cap. XXXVII.

ISii corticem ſiccato, tundito, ac cribrato: & ex eo ſcrup. V. aut VI. dato, macerans velut dictum eſt in paſſo,& excolans, ac paſſum ipſum exhibens. Purgat autem magis pituitam. quandiu verò volueris ferri ventrem, ne abluas anum aqua, ſed linteo deterge. Quum autem ſatis pur-

B gatum te putaueris, laua anum aqua frigida, & manuum ac pedum extremitates aquæ impone,& ſiſtetur fluxus.

Elaterium, Cap. XXXVIII.

ELaterium purgat pituitam & bilem. Dato obolos tre cum lacte recẽns mutcto heminæ vnius mẽſura. At obolus habet ſiliquas tres.

Granum cnidium, Cap. XXXIX.

GRanum cnidium purgat magis aquoſa ac ſeroſa: purgat etiam pituitam & bilem moderatè. Eſt autem fer-

C uens & acutiſſimum. dantur ex eo grana XXX. ſi verò mitius purgare voles, dato grana XX, aut XV. Dato autem in ternam granorum partem tritam cum polenta, & vino immiſſam bibere iubeto. A potu verò parum olei roſacei aut melini abſorbere oportet, ne fauces exurantur. Præſtat autem terere & efformare catapotia cum cocto melle.

Agaricum, Cap. XL.

AGaricum purgat pituitam & bilem, ſed nõ acutè. dã-

D tur drach. II. cum aqua mulſa aut aceto mulſo. Eſt autem ſtomacho incommodum, eo quòd leue ſit,& in ipſo ſupernatet.

Cnici ſemen, Cap. XLI.

CNici ſemen purgat pituitam, non tamen fortiter. Huius ſeminis drach. V. tritas mitte in ius gallinæ aut ptiſanæ,& excolatum bibendum præbe. Quidam internam cnici partem drachmæ pondere accipiunt, & terunt cum amygdalis & aniſo,& cum melle cocto catapotia formãt, ac exhibent arquato affectis. Et conueniens quidem, ſed

E leuius eſt hoc.

Lathyris, Cap. XLII.

LAthyris pituitam magis ducit. danda ſunt eius grana XV maiora, aut viginti de minoribus. Et qui quidem efficacius purgari debent, iis præcipiendum eſt vt mandulcent: qui verò non valida neque multa euacuatione opus habent, integra deuorent, maximè ſi vitioſum ſtomachum habet is qui accipit.

Ariſtolochiæ clematidis ſemen, Cap. XLIII.

F ARiſtolochiæ clematidis ſemen ſiccum tritum II. drachmarũ pondere bibitur,& purgat pituitam ac bilẽ. Eſt autem ſtomacho gratum.

Mercurialis, Cap. XLIIII.

SI mercurialis tenera folia cocta comederis, abundè ſtercus expellunt: ſi verò decoctum vino mixtum biberis, moderatè ſtercus educit.

Cucumis ſylueſtris, Cap. XLV.

CVcumeris ſylueſtris radicis cortex, II. obolorũ, hoc eſt ſiliquarũ VI. pondere, potus cum aqua mulſa, ducit pi-

G tuitam multam citra moleſtiam, ita vt neque ſtomachum lædat.

Styrax, Cap. XLVI.

STyrax pinguis flauus datur drach. II. pondere, cum æquo pondere terebinthinæ in pilulas coactus. Ducit pituitam multam citra moleſtiam.

Thymus, Cap. XLVII.

THymi cacumina tuſa trita dato cũ poſca & modico ſale, ad drach. IIII. aut III. põdus: purgat enim citra moleſtiam & abundè pituitam ac bilem.

H Cyclaminos, Cap. XLVIII.

CYclamini radicis læuiſſimè tritæ drach. IIII. aut III. pro viribus cum aqua mulſa potæ, purgant pituitam & bilem: maximè verò per ſudorem purgant. quare qui bibit reclinari debet,& corpus in tegumentis ponere,& ſudorum excluſionem iuuare.

Scordium, Cap. XLIX.

SCordium tenuiſſimè tritum duarum drachmarum põdere ex aqua mulſa potum, ducit pituitam.

Chamæpitys, Cap. L.

CHamæpityos drach.II.tritæ, & cum ficubus aut coĉto melle in catapotia coactæ & exhibitæ, multam pituitam ducunt.

Bdellium, Cap. LI.

BDellium Arabicum pellucidum & flauum, drách. II. pondere tritum potum cum aqua mulſa, purgat pituitam.

Aquam ducentia, Cap. LII.

AQuam ducentibus vtendum eſt & in hydropicis qui ex aſcite intercute aqua laborant, & in fœminis quæ diuturno albo fluxu vexantur, & ad fluida vlcera.

Squama æris, Cap. LIII.

SQuama æris aquam purgat: datur drach.I. & dimidia cum aqua mulſa. Non ſolùm autem aquam ducit, ſed etiam pituitam. Ducunt porrò aquam etiã aliqua ex relatis, velut granum cnidium & cnicus. At cucumeris ſylueſtris radix conuenientiſſima eſt hydropicis, miniméque moleſtiam affert.

Euphorbium, Cap. LIIII.

EVphorbium ducit quidem pituitam, magis verò aquam. Eſt autem acutiſſimum inter ea quæ ego noui & feruentiſſimum: vnde & colicis datur & iis qui frigidiores ventres habent. reliquos fortiter turbat, & validam ſitim inducit. Miſcebis cum ipſo aliqua odorata ſemina, dans ex eo obolos tres cum aqua mulſa. Præſtat autem cum melle coĉto in catapotia ipſum efformare.

Chamelæa, Cap. LV.

CHamelæa coĉta in aqua mulſa & pota, aquoſa magis ducit. purgat autem etiam pituitam & bilem: Immittantur ex ea drach.V. in duas heminas aquæ, & fiat coĉtura ad dimidias. In fine coĉturæ mellis moderata portio ad datur, & modica facta coĉtura, coletur ac bibendum præbeatur. Aliqui contuſæ tritæ chamelææ drach.II. cum duplo comæ abſinthii committunt, & cum melle formata catapotia præbent.

Sanguinem purgantia, Cap. LVI.

SAnguinem purgat porri capitati ſuccus, mercurialis, viola alba, malua ſylueſtris, ſaluia.

Methodus componendi purgantia pharmaca, Cap. LVII.

QVÆ quidẽ per ſe purgare poſſunt ſimplicia pharmaca, talia ſunt velut iã expreſſim⁹ ac præſcripſim⁹. Nõ fuerit autẽ difficile etiã mixturas ipſorum facere iis qui ex iam prædictis ſingulorũ vires didicerunt. Siquis enim ex relatis duo miſcere velit, dimidium pondus de doſi ſingulorum accipere oportet: ſi verò tria, tertiam iuſti põderis partem. ſi verò plura, iuxta eandem proportionem. Facimus autem ipſorum mixturas, vbi nõ fuerit vnus humor qui infeſtat, velut pituita, aut bilis, aut aqua, ſed omnia ſimul. Et, ſi quidem putauerimus æqualiter redundare humores, æqualiter ipſa miſcemus in compoſitione: vbi verò vnus plus aliis redundarit, amplius admiſcemus de his quæ talem humorem euacuare poſſunt. Primùm igitur volo ea mollientia pharmaca aluum ſubducentia ſubiungere quæ in cibo ſumuntur. in cibo enim medicamentum optimum eſt, (inquit Hippocrates) quò etiam ſanis naturaliter adſtrictam aluum habentibus, hæc ſpeculatio vtilis fiat. Fortaſſis autem & iis qui ſe ex morbo recolligunt, inſupérque iis qui ex diuturno morbo ægrotant, hæc pharmaca auxiliaria fient, ſi vnum aut alterum ſimplex pharmacum iucundis eduliis fuerit admixtum, aut ad ventrem molliendum, aut ſi etiam redundantem humorem paulatim & latenter euacuare volumus. Incipiamus igitur à potionibus propomatis appellatis.

Vini purgantis bilem præparatio, ex Theone, Cap. LVIII.

CAſiæ vnc I. ſcammoniæ vnc.I. vini ſextar.V. Hæc tenuiſſimè trita linteolo illigentur, & hoc exactè conſtrictum in vinũ ſuſpendatur, ac ſinatur ad dies quinque: deinde ex hoc vino dato ante cibum potionem perfectã, cum aqua calida. creditur bilem purgare.

A Vinum pituitam ducens, Cap. LIX.

LAthyridum purgatorum vnc.I. ſpicæ nardi drach. III. vini ſextar.V. præpara velut prædictum eſt, & vtere. creditur pituitam leuare.

Vinum melancholicis commodum, Cap. LX.

POlypodii vnc.I. tuſam, cribratam, & linteo illigatam in vini ſextarios V. ſuſpendito, & ad dies ſeptem ſinito macerari: & dato potionem velut dictum eſt.

B Aliud vinum polypodites, Cap. LXI.

VIni dulciſſimi ſextar.VI. maſtiches ſextantem, epithymi drach. IIII. radicum polypodii non veterum deraſarum lib.II. radices polypodii purgatas tũde in craſſiores partes & coque cum paſſo, immiſſo etiam epithymo ac maſtiche. Quum autem ad tertias redactum fuerit, aufer ab igne, & frigefieri ſine, & ad excolatũ ſpicæ nardi contuſæ ac cribratæ ſcrup.III. inſperge. præſtat autẽ hãc in mortario counire, deinde fictilibus paruis picatis excipere, & oſculo vaſorum oblito adſeruare. Dabis autem in prãdio potionem magnam inter medios cibos, aqua calida temperatam: eſt hoc iucũdiſſimum & efficax. Præparatur hoc
C in Babylone Phœnices, laudatúrque ac quoquouerſus nauibus aduehitur.

Vinum mulſum ſtercus exigens, Cap. LXII.

VIni ſextar.V. mellis ſextar.I. maſtiches quadrantem, maſtichen tritam & linteo illigatam in vino mulſo ſuſpende, & ad dies ſeptem macerari ſine: & dato ante cibum potionem vnam calida aqua temperatã. Optimè hoc ſtercus educit, & ſtomacho commodum eſt. euacuat etiam pituitam.

D Vinum mulſum flauam bilem ducens, Cap. LXIII.

SCammoniæ drach.I. ſpicæ nardi drach.I. tuſa, cribrata, & linteo illigata, in vini ſextar.V. macerato, & mellis ſextar.I. & vtitor.

Vinum mulſum pituitam ducens, Cap. LXIIII.

CNici ſeminis purgati drach. IIII, & vini ſextar.V. & mellis ſextar.I. accipito. Et cnicũ in craſſas partes cõtuſum ac linteo illigatum, macerato, vtitórque velut dictum eſt.
E

Vinum mulſum atram bilem euacuans, Cap. LXV.

POlypodii drach.III. vini ſextar.V. mellis ſextar.I. tũde, cribra, macera, & vtere.

Conditum ad flauam bilem, Cap. LXVI.

PIperis drach.III. ſcammoniæ vnc.I. ſeminis apii drach. I. vini ſextar.V. mellis ſextar.I. terito ſpecies per ſe primùm, deinde etiam cum melle. & poſtea vinum adde, & ſine ad dies quinque, & vtere.

F Conditum pituitoſis, Cap. LXVII.

LAthyridum vnc.I. piperis vnc.I. ſeminis aniſi, apii, ſingulorum vnc.I. vini ſextar. quinque, mellis ſextar. I. præpara velut dictum eſt, & vtere.

Conditum melancholicis, Cap. LXVIII.

POlypodii vnc.I. piperis vnc.I. ſeminis apii, drachmam vnam, vini ſextarios quinque, mellis ſextar. I. præpara velut prædictum eſt, & vtere.

Abſinthati præparatio flatus & ſtercora euacuans, Cap. LXIX.

G LIguſtici drach.I.S. cumini drach.I. ſpicæ nardi ſcrup.II. floris iũci odorati ſcrup.VI maſtiches ſcrup.VI. vini ſextar.V. mellis ſextar.I. tuſa ac cribrata terito cum melle, & vinum admiſce. excipe & vtere poſt dies quinque ante prandium.

Abſinthatum flauam bilem ducens, Cap. LXX.

COſti drach.I. maſtiches drach.IIII. roſarum ſiccarum drach.II. ſpicæ nardi drach.II. floris iũci odorati dra-
H chmã I. aloes vnc.I. ſcammoniæ vnc.I. mellis ſextar.I. vini ſextar.V. præpara & vtere velut dictum eſt.

Abſinthatum ad pituitoſos, Cap. LXXI.

MAſtiches drach. quatuor. coſti drach. quatuor, folii Indici drach.I. ſpicæ nardi drach.I. floris iunci odora-

ti drach.i.caſiæ drach.i.polypodii vnc. i. mellis ſextar.i. lathyridum purgatarũ vnc.i.vini ſextar.v.præpara,& vtere velut dictum eſt.

Roſatum flauam bilem ducens, Cap. LXXII.

ROſarum exunguium recentium libra vna,vini veteris ſextarii ſex,mellis ſextarius vnus. Roſæ ad diem vnam præſiccatæ mittuntur in vinum, & macerantur per dies nouem : deinde vinum excolatur,& adiicitur melli prius trito cum ſcammoniæ vncia vna.oportet autem tũdere ac cribrare ſcammoniam,ac ſic læuigare cum melle. Poſtea verò condatur in vaſa,quæ exactè cooperta ſuſpendes in puteum aquæ frigidæ,& ſines per dies ſeptem aut nouẽ:deinde extrahe & alios triginta dies ſine,& ſic pro- pomate vtere.

Roſatum pituitam & ſeroſum ac atræ bilis humorem euacuans, Cap. LXXIII.

SI præcedens deſcriptio acceperit grani cnidii vnciam vnam abſque ſcammonia, euacuat ſeroſum humorem & pituitam:ſi lathyrida ſolùm, pituitam euacuat:ſi epithymum ſolùm,atræ bilis humorem expurgat.

Mellis roſacei purgatorii præparatio, Cap. LXXIIII.

MEllis librã vnã, ſucci roſarum librã vnã, maſtiches drach. IIII. piperis drach. duas,zingiberis drach. II. ſcammoniæ ſcrup. octo,coquito mel cum roſarum ſucco ad compagem mellis liquidioris,deinde inſperge ſcammoniam & maſtichen læuiſſimè trita,& parum coque,& ablata ab igne cum reliquis in mortario vnito & ſeponito,& dato cochlearium:euacuat flauam bilem. Quidam verò ſimpliciorem præparationem facere volentes, præmacerant modica aqua ſcammoniam, deinde ferueſaciunt,& detracto ſuperſtante ipſius concremento excolãt & læuigatam ad mel roſaceum adiiciunt,& ſimul coquũt, velut dictum eſt.Si verò lathyridum vnciam vnam acceperit prædicta præparatio mellis roſacei,abſque ſcammonia,purgat pituitam:ſi verò polypodii acceperit vnciam vnam,atræ bilis humorẽ euacuat. Verùm efficacior fit ſi pro polypodio epithymum acceperit.

Aceti purgatorii præparatio, Cap. LXXV.

SCammoniæ vnciam vnam,aceti ſextarios quinque terito ſimul,& finito ad dies quinque,& dato ad intinct⁹ cum cibo cochleariũ vnum aut duos.purgat flauam bilẽ. Si verò pro ſcammonia inieceris lathyridum vnciam vnam,purgat pituitam:ſi verò epithymi vnciam vnam inieceris,euacuat atræ bilis humorem.

Aceti mulſi purgatorii præparatio, Cap. LXXVI.

MEllis deſpumati ſextar.i.aceti acerrimi ſextar. i. coquito ſimul vſque ad mellis compagem,deinde adiice epipetri triti ac cribrati vnciam vnam.vtere ad intinctus:aut cum aqua dato bibere cochlearia duo circa horã tertiam ieiunis:euacuat bilem.ſi verò non affuerit epipetrum,ſcammoniæ iniice vnciam vnam. Aliud acetum mulſum. Mellis deſpumati ſextar.i.aceti ſextar.i.coquito ſimul ad compagem,deinde iniice cnici internam partem purgatam & tritã,pondere vnc.i. & ſine ad dies quinque,& vtere vt voles:purgat pituitam. Aliud. Mellis & aceti ſingulorum ſextarium vnum coquito,& thymi læuiſſimè triti vnciam vnam addito,& finito per diem, ac vtitor:euacuat atræ bilis humorem.Omnia verò quæ prædictis aceti mulſi præparationibus iniiciuntur, linteolo alligata macerentur.

Acetum mulſum purgans omnes vitiatos humores, Cap. LXXVII.

COmæ hyſſopi ſeſquiunciam, origani vnciam vnam, pulegii ſeſquiunciam,marrubii vnciam vnam, epithymi,ſeminis cnici,cacuminum thymi,agarici,ſingulorum vnc.i.polypodii ſextantem, ſcammoniæ vnciam i. & ſcrupulos vi. aceti ſeſquiſextariũ, aquæ ſextariũ vnum mellis libras duas,ſapæ ſexuncem. Herbas præmaceratas aceto & aqua ad tertias decoquito & excolato, & mel addito,ac rurſus coquito ad bonam compagem,& ſcammoniam, epithymum, agaricum,trita ac tenuiſſimo cribro

A excreta,in mortario admiſceto.Et vbi moderatè purgare volueris,ſcrupulos quindecim exhibeto:medio verò modo ſcrupulos viginti. At verò fortibus perfectam doſin exhibere potes vnciam vnam: quidam etiam alypiadis vnciam vnam addunt. Aliud flatus euacuans. Aceti ſextar.i.mellis ſextar.i.baccarum iuniperi drach. quatuor, piperis vnc.i.zingiberis vnc.i.petroſelini drach.quatuor, ſeminis apii,ammii,liguſtici,aniſi,epithymi,ſingulorum drach.quatuor,cumini drach.duas,ſeminis anethi drach. duas,polypodii vnciam vnam.præpara & vtere velut præ
B dictum eſt. conuenit colicis.

Acetum mulſum quod colicis ac nephriticis per ſedem infunditur, Cap. LXXVIII.

CEntaurii vnciam vnam,alypiadis recentis ſextantem, rutæ viridis ſextantem,marrubii,agarici, caſiæ, iridis,hyſſopi,pulegii,ſingulorum drachmas quatuor, ſcillæ vnciam vnam,aceti ſextarios tres,mellis ſextarium vnũ: omnia aceto macerata ad tertias coquito & colato, & adiecto melle ad mellis liquidioris compagem coquito. de-
C inde ſcammoniæ tenuiſſimè tritæ vnciam vnam, ſpicæ nardi vnciam vnam,purgatorii medicamenti ex fœnicũlo vnciam vnam inſpergito,& vnitis vtitor hoc modo.vbi præeuacuaris colicum per clyſterem ſtercora educentem,accipe aceti mulſi cochlearium, & diſſolue cum ſucco ptiſanæ,& infunde. vtere ſimiliter & in nephriticis pituitoſioribus.euacuat pituitam citra moleſtiam & ſanat.

Acetum mulſum amarum, Cap. LXXIX.

FŒniculi viridis vnã cum radicib⁹ faſciculum vnum, apii cum radicibus, rutæ viridis, ſingulorũ faſciculũ
D vnum,aceti ſextarios II. & S.hoc eſt libras quinque,mellis ſeſquilibram.Coquito herbas cum aceto ad tertias,& excolato,& mel ad acetum indito, & coquito donec mellis liquidioris compagem habuerit: deinde aloẽs primariæ vnciã vnã in mortario terito ac cribrato,& ad ipſam paulatim acetũ mulſum addito,vnito, excipito,ac vtitor:exhibetur ex eo cochleariũ i.ita vt ab ipſo abſorbeatur aqua calida.caput egregiè purgat.eſt autẽ & ſtomacho gratum.

Acetũ mulſum vẽtrẽ emolliẽs,Proſomiletæ. Pulegii, origani,thymbræ ſylueſtris,polypodii,ſingulorũ vnc. v-
E nam,radicum apii drachmas quatuor,radicũ anethi ſcrupulos ſex,agarici,epithymi,ſcammoniæ, ſingulorum vnciam vnam,mellis ſextarium vnum,aceti ſextarium vnũ, macerato ſpecies & coquito velut acetum mulſum. Vbi verò deuenerit ad bonam compagem,tollito ab igne, & adiice ſcammoniam,epithymum,& agaricũ.& dato quadrantem cum aqua calida.

Poſca aluum emolliens, Cap. LXXX.

CYmini quadrãtem,hyſſopi ſeſquiunciam,ammii ſeſquiunciam,pulegii ſeſquiunciã,petroſelini drachmas
F quatuor,cacuminum thymi drachmas quatuor, zingiberis vnciam vnam,ſeminis cnici vnciam vnã, piperis drachmas quatuor,epithymi drachmas quatuor,ſalis Cappadocici dodrantem:tundito & cribrato,& aridum ſeruato, vſus tempore dato cochlearium vnum ex poſca.

Alia poſca valde clara, Cap. LXXXI.

CYmini quadrantem, pulegii ſeſquiunciam, fœniculi ſextantem,ſeminis apii ſextãtem,aniſi ſextãtem,ſcrupulos octo,ſcammoniæ trientem,epithymi quadrantem, ſalis communis beſſem aut libram vnam:tundito,cribra-
G to, & dato cochlearium vnum ex poſca. purgat imperuerſé.

Gari purgatorii præparatio, Cap. LXXXII.

SCammoniæ drachmas quatuor,piperis grana quinquaginta,gari nigri quadrantem,miſce ac vtere ad intinctus,aut quomodo volueris.purgat bilem. Aliud. Cnici grana viginti,piperis grana L.gari quadrantem.Internã cnici partem tritã vnito ac vtitor.purgat pituitam. ſi verò pro cnico adieceris lathyridas,efficacius facies. ſi verò polypodii drachmas quatuor inieceris, atræ bilis humo-
H rem euacuat. Efficacius autem euadit ſi pro polypodio epithymi drachmas quatuor aut tres inieceris.

Mellis emollientis præparatio, Cap. LXXXIII.

FŒniculi viridis manipulum vnũ, aquæ ſextarios tres, coquito ad tertias, colato, & adiicito mellis libram

vnam,& coquito ad compagem mellis,& dato ex eo cochlearia tria:purgat bilem flauam. Si verò pro fœniculo, ſeminis cnici interiorem partem adieceris vnc.1. pondere,purgat pituitam: ſi verò polypodium aut epithymum eodem pondere ſimul coques: purgat atræ bilis humorem.

Garum aquoſum, Cap. LXXXIIII.

GAri vnciam vnam,piperis grana L.ſeminis apii obolum vnum,hoc eſt ſiliquas tres.mellis cochl.I. aquæ quadrantem,ſcammoniæ ſcrup.I.S.aut II. Reliquis coctis & ab igne ablatis admiſceto ſcammoniam, & dato ante cibum. Si verò pro ſcammonia,ſeminis cnici granorum XX.internam partem adieceris, purgat pituitam: ſi verò polypodii drachmas quatuor adieceris, purgat atræ bilis humorem.

Garum vinoſum purgatorium, Cap. LXXXV.

GAri conchulas duas,vini conchulam I. piperis grana XX.liguſtici ſcrupulum vnum,ſcammoniæ ſcrupulū vnum,mellis parum,vtere:purgat bilem. Si verò cnici granorum XX. internam partem inieceris pro ſcammonia, purgat pituitam. ſi polypodii drachmas quatuor, atram bilem.

Garum acetoſum purgatorium, Cap. LXXXVI.

SEminis apii drachmam vnam,piperis grana L. cumini obolum vnum,ſucci Cyrenaici ſiue laſeris tantūdem, ſcammoniæ ſcrupulum vnum, gari vnciam vnam, aceti quadrantem, vtere: purgat bilem. Si verò pro ſcammonia, cnici granorum viginti internam partem adieceris,purgat pituitam:ſi verò polypodii drachmas quatuor, atræ bilis humorem euacuat.

Iuſcula emollientia, Cap. LXXXVII.

AQuæ ſextarium vnum, olei conchulam vnam,gari parum, ſalis pauxillum,anethi modicum: omnia do nec ſucculenta fiant coquito, deinde granorum cnici XX. internam partem indito & dato:euacuat pituitam. Si verò polypodii drachmas quatuor contuſas ac cribratas inſperſeris iuſculo perdicis aut phaſiani, purgat atræ bilis humorem. At verò ſcammoniam nō probo in iuſcula cōiectam, eo quòd experimento compererim inidoneam eſſe.

Lac purgatorium, Cap. LXXXVIII.

LActis aſinini aut caprini heminam vnam, ſcammoniæ ſcrupulos duos,miſceto ac exhibeto: purgat bilē. Si verò cnici granorum XX. internam partem inieceris,euacuat pituitam. At verò polypodiū aut epithymum non probo vt lacti miſceantur,eo quòd tingant lac,& non poteſt hoc latere accipientem. plerique enim ob timiditatē purgari non volunt.

Oliuæ purgatoriæ, Cap. LXXXIX.

PIperis drachmam vnam, epithymi drachmas duas, ſilphii drachmam vnam,menthæ viridis drachmam vnam,comæ pulegii drachmam vnam, cymini drachmā vnam,rutæ drachmam vnam, ſcammoniæ vnciam I. palmularum pinguium ſextantem, mellis ſextarium vnum, aceti ſextarii dimidium,oliuas muria conditas CXX. numero.omnia prædicta per ſe tenuiſſimè terito, & deinde cum aceto mulſo,poſtea oliuas ſingulas ter lancinatas iniicito, & finito ad paucos dies,ac vtitor. dato in cibo oliuas tres,& iuſculi cochlearium vnum aut duo, pro viribus.

Oxyporia purgatoria, Cap. XC.

SI ad concoctorium medicamentum quod ex malis cotoneis parari ſolet,cochlearii vnius mēſura acceptum, admiſcueris ſcammoniæ ſcrupulos duos,flauam bilem citra moleſtiam euacuabis.Si verò lathyridum grana viginti addideris, purgat pituitam. Si polypodii aut epithymi drachmas quatuor addideris,purgat atram bilem. Similiter autem ſi Dioſpolitico quoque cōcoctorio pharmacho vteris,idem efficies,& maximè in quibus pituita in thorace reſidet.Si verò ad concoctorium ex calaminrha pharmacum admiſcueris medicamenta purgantia, euacuabis omnem circa cutem corporis vitioſum humorem,lepras,impetigines,& ſimilia.

A Oxyporium ex palmulis, Cap. XCI.

ZIngiberis,piperis, cumini, petroſelini, ſingulorum vnciam vnam,ſcammoniæ in fermento aſſatæ ac tenuiſſimè tritæ vnc.II. S. palmularum pinguium carnis trientem,foliorum rutæ vnciam vnam,mellis libram vnam,aceti ſextarium vnum. Coquito mel & acetum & palmulas,donec reliqua fiat tertia aceti pars.Deinde rutā cum palmulis terito,& arida læuiſſimè trita inſpergito ac vnito,& paulatim acetum mulſum coctum addito,vnito

B ac vtitor velut admirando & multa experientia cognito pharmaco. Perfecta doſis ſunt coch.II. ad aſtrictam aluum,dum adhuc in vigore eſt medicamentum. Si verò non valde fuerit aluus adſtricta, pro menſura illius adſtrictionis exhibēdū eſt pharmacum,aliquando cochleariū I.S.aliquando vnum ſolum:ſubducit egregiè flauam bilē. quapropter & in morbo regio vtiliter exhibetur, & tertianariis,vbi concoctio bona in vrinis apparuerit. purgat etiam pituitam moderatè. Vtere confidenter in omni tēpore velut imperuerſo ac minimè curioſo. Ego verò etiā

C iis qui abſque rigore febricitant dedi,poſtquam apparuit concoctio in vrinis:& confeſtim ſanati ſunt.In quibus autem atram bilem purgare volueris, adde ad prædictam doſin,epithymi ſcrupulum vnum,aut pro viribus.Si verò pituita multa inſidet, adiice agarici aut iſii ſcrupulum I. purgat enim moderatè pituitam.

Purgatorium ex cotoneis malis, Cap. XCII.

MAlorum cotoneorum maturorum,magnorum, odoratorum,fermento oblitorum & aſſatorum, carnis

D purgatæ trientem,mellis deſpumati quincuncem,piperis drachmas duas,ſcammoniæ drachmas ſex,ſingula per ſe terito & vnito,ac exhibeto cochlearium vnum.

Purgatorium ex citrio,Oribaſii, Cap. XCIII.

PVrgat hoc caput,facit ad ſtomachicos,cœliacos,& qui non poſſunt forte purgatorium ferre propter imbecillitatem.vnde etiam pueris citra noxam datur:eſt enim ſtomacho commodum.Citrii corticis ac carnis libram vnā, aquæ ſextar.I.S.mellis ſextarii dimidium,piperis vnciam vnam,ſcammoniæ vnciam vnam.Citrum in tenues par-

E tes ſecato,& cum aqua ad tertias coquito, deinde colato, & mel ad decoctum adiicito,ac coquito ad bonam compagem,& reliquias coctorum citriorum terito,ipſiſque arida tenuiſſimè trita inſpergito, & vbi ſimul triueris, coctam aquam illam mulſam adiicito, & vnitis vtitor cochlearium vnum exhibens.

Purgatorium ex fœniculo valde bonum, Cap. XCIIII.

EPithymi, zingiberis,piperis,ſcammoniæ,ſingulorum vnciam vnam,fœniculi viridis,rutæ viridis,apii radi-

F cum viridium,ſingulorum quadrantem, aquæ ſextarios tres,mellis libras tres: decocto ad tertias redacto adiice mel,& coque ad bonam compagem. deinde inſperge arida,& exhibe cochlearium vnum magnum.

Aliud valde ſtomacho gratum, Cap. XCV.

FŒniculi,cumini,pulegii,apii, ſingulorū manipulum, aquæ ſextarios tres,coquito ad tertias,& colato,& tantundem mellis addito, & coquito ad mellis compagem: & inſpergito in mortario ſcammoniæ læuiſſimè tritæ vnciam vnam,piperis vnciam vnam,maſtiches tritæ drach.

G quatuor, vnito, datóque cochleariū vnum. conuenit flatuoſis.

Purgatorium ex fœniculo quod parari ſolet ad atram bilem, Cap. XCVI.

SCammoniæ ſextantem,zingiberis,piperis, ſingulorū vnciam vnam,petroſelini ſcrupulos duodecim, corticis veratri nigri ſcrupulos ſex, epithymi vnciam vnam, mellis libras tres,ſucci fœniculi libras tres. Coquito ſuccum cum melle ad mellis compagem, & affundito paula-

H tim ad arida tuſa ac cribrata in mortario,& vnitis vtitor. datur ex eo cochlearium vnum.

Purgatorium atræ bilis,Oribaſii, Cap. XCVII.

AQuæ ſextarios tres,mellis dodrantem,epithymi vnciam vnam.Epithymum tuſum ac cribratum inſper

gito, vbi illa ſimul ad tertias decoxeris dato bibendum pro viribus.Mihi verò videtur quarta pars exhibẽda eſſe: iis autem qui bono habitu præditi ſunt,dimidium.

Aliud purgans atram ac flauam bilem,
Cap. XCVIII.

SCammoniæ, epithymi,ſingulorum ſeſquiunciam, petroſelini, zingiberis, menthæ,ſingulorum drachmas duas,excipe melle,& exhibe nucis Põticæ magnitudine.

Paſtillus flauam bilem purgans,
Cap. XCIX.

PIperis,maſtiches,nucum pinearum, paſſularum enucleatarum,ſingulorum grana x.cumini grana xv.ſcãmoniæ ſcrupulos duos,plus minus,mellis parum, trita ſimul dato velut paſtillum. huius doſis vna eſt :purgat citra moleſtiam.

Buccella purgatoria, Cap. C.

FErmenti ex ſimilagine libras duas, ſcammoniæ vnciã vnam,ſeminis fœniculi,cumini,folii malabathri,ſingulorum ſiliquas tres, piperis grana xxxii. ſalis communis parum,olei & gari coch.ii.arida cõtundito ac cribrato,& cum fermento mollito, & facias panes paruos duplam latitudinem miliareſii habentes.Torreto in clibano & exhibeto perfectam doſin ſextantem ex hoc pane edẽdam quocunque quis voluerit modo, ſaltem vt ieiunus vtatur. eſt enim maximè alienum ab omni moleſtia. purgat bilem.

Aloedaria citra moleſtiam purgantia,
Cap. CI.

ALoës quadrãtem, agarici vnc.ii.S.ſcammoniæ vnciã vnam,bdellii drachmas quatuor,gummi vermiculati ſextantem, excipe ſucco braſſicæ:in iis verò qui humore flaccidum ſtomachum habent, ſucco carnis citrii: & forma pilulas ciceris magni magnitudine. & dato perfectis ſeptem ieiunis.Si verò voles,etiam ante cœnã & poſt cœnam: ſi autem mollire volueris,tria dabis ex his catapotia. Aliud ſine moleſtia purgans. Scammoniæ ſextantem,bdellii vnciam vnam, aloes drachmas quatuor, gummi drachmas quatuor,& cum ſucco braſſicæ fac catapotia ciceris magnitudine:& exhibe poſt cœnam. ſi mollire volueris,tria:ſi verò purgare,ſeptem vt plurimum,aut quinque.

Pharmacum pituitam ducens,Oribaſii,
Cap. CII.

BAccarum lauri recentium ſextantem,euphorbii vnciã vnam,mellis quod ſatis eſt, vt eclegmatis formam habeat.datur cochlearii dimidium.Redundantibus humoribus plus datum plus profuit.vtere velut optimo. Aliud pituitam euacuans. Seminis aniſi, piperis,caſiæ, medullæ colocynthidis, ſingulorum drachmas quatuor, grani cnidii,ſeminis cnici,ſingulorum drachmas quatuor,mellis quod ſatis eſt vt eclegma fiat.dato perfectis coch. i.S. Aliud. Aniſi,apii,ammii,piperis,grani cnidii,ſeminis cnici,lathyridum,ſingulorum drachmas quatuor, caſiæ drachmas duas,mellis deſpumati quod ſatis eſt.perfecta doſis ſunt coch.ii.

Purgatorium atræ bilis,Philagrii,
Cap. CIII.

ZIngiberis drachmam vnam, ſeminis apii drachmas duas,ſucci Cyrenaici,piperis,liguſtici,ſingulorũ drachmam vnã,epithymi drachmas quatuor, excipe melle, vt eclegma fiat,& exhibe cochlearia duo. Aliud. Epithymi,agarici,aloes,ſingulorum drachmas quatuor,corticis veratri nigri drachmam vnã,hyſſopi,iridis, abſinthii ſucci,ſingulorum drachmas quatuor,bdellii,gummi, vtriuſque drachmam vnam.Si verò non affuerit abſinthii ſuccus, adiice comæ tantũdem, & excipe melle, & dato pro viribus. euacuat atræ bilis humorem, itémque pituitæ.

Bilis & pituitæ,& atræ bilis,ac reliquorum
humorum commune purgatorium,
Cap. CIIII.

LAthyridum,medullæ colocynthidis,foliorum chamelææ ſiccorum,ſcammoniæ,epithymi,polypodii, aniſi,ſingulorum drachmas decem,cacuminum thymi, pi-

A peris,maſtiches,carpobalſami,caſiæ,ſeminis apii, chamæpityos ſiccæ,ſingulorum drachmas quinque,abſinthii ſucci aut comæ drachmas quinque, mellis quod ſatis eſt ad eclegma. dato coch.i.aut plus pro viribus. Vtere autem hoc non in omnibus,ſed in quibus coniectaueris omnes humores æqualiter in corpore redundare.

Aloedaria emollientia ex roſaceo melle,
Philagrii, Cap. CV.

ALoes ſexuncem,coſti,ſpicæ nardi,carpobalſami, floris iunci odorati,ſingulorum vnciam vnam, caſiæ B vnciam vnã,agarici drachmas quatuor, croci drachmas iiii.S. comæ centaurii ſcrupulos quatuor,mellis ſextantẽ, ſucci roſarum trientem,epithymi vnciã vnam, rhei ſcrupulos octo,aſari ſcrupulos quatuor, ligni balſami ſcrupulos ſex,maſtiches ſcrupulos octo,excipe melle roſaceo, & da pro viribus. Aliud ex roſaceo melle,molliens ventrẽ ſine omni moleſtia. Vtere verò ipſo ad articulorum,& maximè coxendicum dolores,itémque lumborum. aperit etiam iecoris obſtructiones.Iſii ſcrupulos octo,agarici drachmas quatuor,aloes ſextantem,ſpicæ nardi ſcrupulos C octo,floris iunci odorati ſcrupulos octo, croci ſcrupulos quatuor,caſiæ ſcrupulos ſedecim,coſti ſcrupulos octo,carpobalſami ſcrupulos octo,mellis roſacei quadrantem & ſcrupulos octo,terito & formato catapotia cum melle roſaceo,& quinque exhibeto poſt cœnam quotidie ſi voles,aut alternis diebus,aut prout viſum fuerit. Exterget enim ſtomachum & articulos:præcipuè verò purgat pituitam. eſt autem conſueto more prandendum ac cœnandum. Aliud bilem & pituitam ducens. Abſinthii co D mæ tuſæ ac cribratæ,aloes tenuiſſimè tritæ,vtriuſque vnciam vnam,excipe ſucco tithymali, maximè myrſinitæ, & efformato catapotia phaſeli magnitudine.& dato iii. tantùm.

Aloedarium,ex Philagrio, Cap. CVI.

PVrgat hoc bilem & pituitam. Colocynthidis medullæ, aloes, ſcãmoniæ, ſingulorum drachmas quinque ſucci aut comæ abſinthii drachmas quinque, excipe ſucco braſſicæ,& fac catapotia ciceris magnitudine, & exhibe perfectis xxi. Aliud, & ipſum multo experimento E cognitum.euacuat autem tres humores.Aloes,epithymi, ſcammoniæ,ſingulorum drachmas duas, colocynthidis, agarici,vtriuſque drachmam vnam,excipe ſucco braſſicæ,& dato catapotia quindecim. Aliud quod in Tyro præparatur. Scammoniæ ſextantem, aloes drachmam vnam,maſtiches, bdellii, piperis, abſinthii, ſingulorum drachmam vnam,excipe ſucco medii citrii ac corticis,& fac catapotia: & dato vii.aut ix. Si verò voles probè purgare,habeant catapotia exhibenda pondere ſcrup. iiii.S. & amplius.

F Aloedarium, Oribaſii, Cap. CVII.

COnuenit hoc maximè lippientibus. euacuat autem magis bilem flauam & atram. Scammoniæ vnciam vnam, corticis veratri nigri vnciam vnam, ſalis ammoniaci drachmam vnam,radicis panacis drachmas tres,piperis,pulegii,vtriuſque drachmam vnam, efformato cũ aqua pilulas fabis græcis ſimiles. & dato ex eis ſeptẽ mediam doſin,ita vt habeant ſeptem drachmam vnam & obolos duos. Aliud,Oribaſii. Aloes ſextantem, ſpicæ nardi,aſari,maſtiches,croci,xylobalſami,ſingulorum dra G chmas ſex,caſiæ drachmas duodecim, epithymi drachmas duodecim,formato catapotia erui magnitudine,cum decocto pulegii:& dato xxi.hoc quartanarios ſanat.Poſſunt etiam cum melle cocto efformari.

Sal purgatorius, Cap. CVIII.

SAlis ammoniaci ſexuncem,ſilphii drachmas duas, ſeminis apii drachmas duas,zingiberis drachmam vnã, piperis drachmas tres,folii Indici, ſpicæ nardi, pulegii, ſingulorum drachmam vnam,ſcammoniæ vnciam vnã, datur coch.i.euacuat bilem. Aliud. Salis ammoniaci H ſexuncem,ſeminis apii drachmam vnam,zingiberis drachmas duas,piperis drachmas tres, ſpicæ nardi drachmã vnam,pulegii ſcrup.iii.S.folii ſcrupulum vnũ, lathyridũ vnciam vnam.dato cochlearium. euacuat pituitam. Aliud. Salis ammoniaci ſexuncem,zingiberis drachmas quatuor,piperis drachmas duas, aniſi, ſeminis apii, vtri-

uſque drach.mas duas,folii ſcrupulũ vnum,epithymi vnciam vnam .dato cochlearium.euacuat atræ bilis humorem.Sal ſubducens & euacuans circumſitam in ventre ac inteſtinis pituitam,& reliquos humores.purgat moderatè etiam bilem.Conuenientiſſimum eſt arthriticis,vertiginoſis.hoc vſus eſt quidam ſtomachicus & frequẽter ex comitiali morbo cadere ſolitus , & ingentes gratias egit. A morbis vero præſeruat familiariter ipſo vtentes. Petroſelini drachmas tres,maſtiches ſcrupulos tres, zingiberis drachmas tres,piperis,euphorbii,vtriuſque ſcrupulos v I. ſalis ammoniaci drachmas quindecim. ſcammoniæ drachmas ſex Datur cochlearii dimidium in prandio , cum carnibus volucris aut gallinæ, aut piſcis,ad intinctus . Sit autem pondus ſcrup.IIII.S . ſi verò efficacius purgare voles,dato ieiuno manè cum ſucco ptiſanæ , aut cum aqua mulſa,ſcrupulos ſex:fortioribus etiam ſeptem dare potes: debilioribus verò ſcrupulos tres,aut IIII.S. Aliud purgatorium purgans citra periculum,non euertens ſtomachũ. datur in omni tempore, & omni ætati , & pueris . Educit ſtercus & omnem materiam corruptam à capite vſque ad vngues.Remouet furfures & reliquas circa caput naſcentes puſtulas.facit ad vertiginẽ, & ad lippiẽtes.medetur omnibus circa cutem puſtulis.Sanat tertianam,quartanam, quotidianam,in interuallis exacerbationum datum , vbi concoctio bona in vrinis apparuerit.Bilem autem præcipuè euacuat.habet hoc modo:Zingiberis, petroſelini,epithymi,ſilphii,ammii,ſeminis apii,cumini,liguſtici,piperis,ſingulorum drachmas quatuor,ſcammoniæ quadrantem & vnciæ dimidium,ſalis ammoniaci toſti ſeptuncẽ. torreto ſalem ac tũdito cum reliquis.Scammoniam verò tritam cribratam vnito in mortario,& dato ſcrupulos nouem cum ſucco ptiſanæ aut aqua mulſa meraciore.

Aliud conſimile acutius experimento conſtans, imperuerſum.euacuat magis bilem. Ammii ſcrupulos ſex, ſeminis apii ſcrupulos tres,piperis,petroſelini , epithymi, cumini, ſingulorum ſcrup. IIII.S.ſcammoniæ vnciam vnam,ſalis communis quincuncem,ſalis ammoniaci trientem,datur cochlearium cum ptiſana. Aliud experimento conſtans valde bonum. Epithymi ſcrupulos XVIII. cacuminum thymi ſcrupulos octo, ſalis ammoniaci ſcrupulos octo,piperis ſcrupulos duos,cumini Æthiopici, aniſi,vtriuſque ſcrupulos duos,maſtiches ſcrupulos XII . contuſa trita adſeruato.Vſus autem tempore ſcãmoniæ ſcrupulos duos ſumito ac terito cum modico melle,& adiicito aridi triti adſeruati medicamenti ſcrupulos II.tantùm, & vnito ac dato cum ptiſanæ ſucco aut aqua mulſa.

Purgatorium pituitam ducẽs, Diogenis, Cap. CIX.

EVphorbii,piperis, ſalis ammoniaci , ſingulorum vnciam vnam,terito & redigito in puluillum, & dato in ouo ſorbili cochlearii dimidium. hoc purgat pituitã ſolùm.doſis perfecta ſunt ſcrup.IIII.S. Aliud flauam bilem purgans. Scammoniæ vnciam vnam,coſti, ſpicæ nardi, vtriuſque ſcrupulos IIII.S. radicis rubiæ læuiſſimè tritæ ſcrupulos duos. perfecta doſis ſunt ſcrupuli tres: media, duo : minima , vnus. Aliud atram bilem euacuans. Scammoniæ in malo aſſatæ drachmas quinque , coſti, ſpicæ nardi,vtriuſque ſcrup. IIII.S . caryophylli ſcrup.I.S. radicis rubiæ ſcrupulos duos , epithymi ſcrupulos duos. perfecta doſis ſcrup.VI.media,IIII.minima,III.

Purgatorium aquam ducens,Oribaſii, Cap. CX.

DVcit hoc item pituitam:Piperis,ſeminis rutæ,ſcobis ſiue ramentorum eboris, euphorbii , æquales partes. dantur ſcrupuli tres cum aqua mulſa aut condito . facit & ad colicos & hydropicos. Aliud aquã ducens. Petroſelini,aniſi,cacuminũ thymi,ſingulorum drach. tres,foliorum chamelææ ſiccorũ drachmas decem, mellis quod ſatis eſt vt eclegma fiat.Dato perfectam doſin cochlearia IIII.S.Si verò efficacius facere voles , admiſce prædictis ſquamæ æris drachmas ſex, & dato perfectam doſin cochlear.III.

De Hieris, Hiera Logadii, Cap. CXI.

MEdullæ colocynthidis ſextantem & vnciæ dimidiũ, ſcillæ aſſatæ, agarici,ammoniaci thymiamatis,thymi,ſcammoniæ,ſingulorum drachmas viginti, corticis veratri nigri,hyperici,vtriuſque drachmas decem,epithymi,bdellii,polypodii ſicci,aloës,chamædryos, marrubii, caſiæ , ſingul. vnc.I.myrrhæ troglodyticæ , piperis albi, longi,nigri:cinnamomi,croci,opopanacis,ſagapeni , caſtorii,petroſelini,ariſtolochiæ longæ, ſingulorum drach. quatuor : excipe melle . Doſis perfecta ſunt drachmæ quatuor,media tres,minima duæ.adiice ad doſin dum exhibiturus es,ſalis tenuiſſimè triti cochlearii dimidium.

Purgatorium citra moleſtiam purgans, Cap. CXII.

FAcit ad iſchiadicos,& qui per circuitum diuturnè vexãtur . Medullæ colocynthidis vnciã vnam, nitri ſextantem , terito probè & dato robuſtis drachmam vnam, cum aquæ mulſæ potione magna ieiunis: debilibus verò ſiliquas nouem.vtere confidenter. Aliud eximium. Ad principia inſaniæ, melancholicis,paralyticis , iſchiadicis, vertiginoſis,comitiali morbo laborantibus,alopeciis,capitis doloribus. Veratri nigri,ſcammoniæ, vtriuſque drachmas octo,ſalis ammoniaci drachmas quatuor , gummi drachmam vnam,efformato catapotia ciceris magnitudine cum ſucco braſſicæ,& dato perfectis ſcrup. V .media doſis ſunt ſcrup.IIII,minima III.iis qui valde debiles ſunt. Eſt hæc deſcriptio Oribaſii, Cap.LXXVII . deſunt autem huic ſpecies tres . Purgatoriũ medicamentum Proſomiletæ . Epithymi quadrantem , iſii vnciam vnam , agarici drachmas quatuor,euphorbii drachmas ſex , ſpicæ nardi, folii,coſti,piperis, ſingulorum drachmas triginta, caryophylli ſcrupulos ſex.Dantur ex hoc ſcrupuli ſex cum aqua mulſa.Si verò bilem flauam repereris cum aliis duobus humoribus redundantem, adde ad hanc doſin vſus tempore etiam ſcammoniam , quantum ſatis eſſe iudicaueris pro viribus.Habet autem hæc doſis,iſii ſiliquas quinque, epithymi ſcrupulum I.S. agarici ſiliquas duas,S.euphorbii ſiliquas tres.

Hiera Galeni, Cap. CXIII.

MEdullæ colocynthidis ſextantem & vnciæ dimidium,chamædryos,agarici,ſcillæ aſſatæ, ammoniaci thymiamatis,ſcãmoniæ,corticis veratri nigri, ſtœchadis,hyperici,ſingulorum ſextantem,epithymi,euphorbii, vtriuſque drachmas octo, polypodii ſicci, bdellii , aloes, marrubii,caſiæ,ſingulorum ſextantem.myrrhæ troglodyticæ,ſagapeni,croci,ariſtolochiæ longæ,piperis albi, longi,communis:cinnamomi,opopanacis,caſtorii,petroſelini,ſingulorũ drachmas quatuor,mellis quod ſatis eſt. Dato perfectã doſin drach.IIII.mediã III,minimã,II,cũ aqua mulſa & ſalis tenuiſſimè triti cochleario dimidio. Maxima porrò eſt huius vtilitas : purgat enim ex profundo varios humores excellenter,ita vt neque exolutionem,neque tribulationem , neque debilitatem , neque inappetentiam , neque aliam anguſtiam ægro accipienti exhibeat:ſed potius facilè ſperantes & hilares & robuſtos efficit,vt mirabilis ſit ipſius excellentia.Sanat itaque hemicranicas affectiones , vertigines , comitialem morbum, inſaniam,melancholiam,lethargum & ſimilia,hebetudinem viſus,grauitatem auditus,vocem interceptam,anheloſos, ſtomachicos,affectiones antiquas,ſplenicos,nephriticos,colicos,iſchiadicos, arthriticos , podagricos . ducit menſes.Conuenit tremulis & reſolutis : impetiginem feram,& omnes circa cutem corporis naſcentes puſtulas,& elephantiaſin, & febres diuturnas per circuitum repetentes ſanat,& omnia maligna vlcera.

Hiera Archigenis,ex epiſtola ad Marſum de atra bile, Cap. CXIIII.

MEdullæ colocynthidis ſextãtem & vnciæ dimidiũ, chamædryos,agarici,marrubii,ſtœchadis,ſingulorũ drachmas decẽ,opopanacis vnciã vnam, ſagapeni vnciam vnam,petroſelini,ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi,ſingulorum drachmas quinque:cinnamomi,ſpicæ nardi,myrrhæ troglodyticæ,polii,croci , ſingulorum drach. quatuor, excipe melle deſpumato vt habeat ſtrigmentitiam craſſitudinem,& repone in vitreo vaſe.perfecta doſis ſunt drach.quatuor(in alio exemplari adduntur ſcrupuli III)cum aqua mulſa adiecto ſalis cochleario paruo. Quũ enim ſordibus inquinatus & malè affectus fuerit æger , ſtrenuam conſtitutionem inducit,non ſolùm ob multitudinem eorum quæ per aluum ſubducuntur,ſed etiã quòd

priuatim

priuatim bilem atram imminuit. Pleuritidi itaque primùm præparata eſt,& flatuoſis affectionibus conuenientiſſima eſt,& facilem ſpirationem facit, & impedimẽtis nutrimenti aduerſatur,& colorẽ cutis depurgat, ſanguinem quidem defæcans,malè verò ardẽtem ſpiritũ lucidius accendens.ſed non eſt propoſitum nobis encomiũ dicere ei⁹ quæ nõ fruſtra hiera,*id eſt ſacra*,appellata eſt:lõgum enim ſermonẽ res ea requirat. Ad melancholicas autem affectiones non eſt aliud pharmacum quod huic comparari mereatur:& noui multos per aſſiduum eius vſum nullo alio opus habuiſſe,etiãſi nullam omnino bilem excreuiſſent. nõ enim qui nigrã excernunt bilem ſoli melancholici vocantur, ſed qui etiã habent in ſolidis membris talis cõſtitutionis ſtructurã. Sed & pãniculorũ ſiue mẽbranarum cerebri malos habitus valde bene exterit:vnde morbũ comitialem & inſanias inde orientes mirabiliter remouere videtur. Ego reperi hanc deſcriptionem in medicamentario libro Roma mihi allato, valde laudatam ad inſanos, melancholicos, iſchiadicos, paralyticos,vertiginoſos, comitialẽ morbum, alopecias. non habebat autem opopanaca,neque piper,neque pulegium. Hiera Antiochi. Chamædryos, agarici, medullæ colocynthidis,ſtœchadis,ſing.drach.x.opopanacis ſagapeni,petroſelini,ariſtolochiæ,piperis albi,ſingulorũ drach.v.cinamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ troglodytidis, ci,folii,ſingulorum drach.IIII.mellis quod ſatis eſt. facit ad melancholias,inſanias,morbũ comitialem, & omnes fæculentum ſanguinem habentes.

Hiera Rufi, ad melancholias, Cap. CXV.

MEdullæ colocynthidis ſextãtem & vnciæ dimidiũ, chamæpityos drach.x.chamædryos drach.x.caſiæ drach.v.agarici,marrubii,vtriuſque drach.x.opopanacis vnc.I.ſagapeni,petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi,ſing.drach.v.cinnamomi,ſpicæ nardi,croci, myrrhæ troglodytidis,polii,ſing.drach.III.excipe melle, & excipe drach. IIII. perfectam doſin cum aqua mulſa & ſale.Habet aliquid ad intelligentiam vtile,eo quòd à capite plurima ducit. Vnde vertiginoſis, & capitis grauitati & glaucomatis fieri minantibus,comitiali morbo,paralyticis affectionibus, hoc pharmacum priuatim adhibere ſoleo:& ſi opus fuerit memoriã reuocare. At melancholico non parua nec vulgaris vtilitas ex ipſo contingit. quare ſæpe per ipſum purgandus eſt.Etenim alia medicamẽta alibi aliter præparantur, & ad alios quoſdam morbos magis apta ſunt.Si verò quis ad atram bilem vti voluerit, hoc vtile exiſtit. vtatur autem ſingulis diebus ex hac antidoto fabæ magnitudine, non purgationis gratia: magnopere enim confert ad concoctiones,& flatus diſcutit. Videtur porrò mihi conducibile eſſe vt ob ſtrenuas purgationes maluæ ſeminis drachmæ duæ bibantur.

Hiera Iuſti,faciens ad eadem velut relatæ, Cap. CXVI.

EPithymi trientem & vnciæ dimidium,marrubii,ſtœchadis,chamædryos,corticis veratri nigri,ſcammoniæ,agarici,piperis albi,cõmunis,lõgi:ſquillæ aſſatæ,ſingulorum ſextãtem,medullæ colocynthidis,euphorbii,aloes,croci,gẽtianæ,ſeminis petroſelini, ammoniaci thymiamatis,ſagapeni,ſing. vnc.I.opopanacis,polii,cinamomi,caſiæ,myrrhæ troglodyticæ,ſpicæ nardi, floris iunci odorati,pulegii,ſing.drach.IIII.ariſtolochiæ longæ & rotũdæ,vtriuſque drach.II.mellis deſpumati quod ſatis eſt. Perfecta doſis drach.IIII.s.cũ aqua mulſa & ſalis tenuiſſimè triti cochleario vno.

Quomodo auxiliari oportet iis qui pharmacum biberunt,& non purgantur, Cap. CXVII.

SI verò quis poto pharmaco non purgetur,aquam mulſam meraciorem aſſiduè abſorbendam dato, & nitri parum in aqua liquefacti. Optimum autẽ cognoui multo experimẽto maſtichen.vt dentur eius ſcrup.XII.læuiſſimè tritæ cũ aqua tepidiore.optimũ eſt & glãdem ano indere ex ſale,nitro ac melle.Et malũ aliquãdo manducatũ effecit quod debuit: corroboratum enim os ventris, ſuperfluitates infernè protrudit. Ob quot cauſas non excernit venter purgatorio dato? Ob quinque cauſas. Aut propter naturæ ægri proprietatem,aut ob dati pharmaci paucitatem,aut propter ſtercus durum impactũ in quibuſdam inteſtinis,aut quòd natura impetum per vrinas fecit,aut propter errorem, pars quidem purgãtis, ad hoc vt nihil lædat corpus, alimentum fit animalis: pars verò in pharmacum venenoſum vertitur. At verò Hippocrates de purgationis exceſſu ſic dicit: Quum purgationis exceſſus hominem arripuerit,ſtatim in balneum ipſum inducito,vinúmque bibendum & ante balneum & poſt dato,fuluum colore & album ſubſtantia.Et mea experientia comperit hoc præſtantiſſimum omnium. quare ne contempſeris.

Cura exceſſus purgationis,Oribaſii, Cap. CXVIII.

IN iis qui nimium purgãtur,potum contrahere oportet,& ſomnum procurare:dandum eſt autem vinum auſterum paulatim cum aqua fontana. Bonũ eſt & craſſiorem polentam torrere ac potui inſpergere, aut parum de capite papaueris & gallæ parum. Facit etiam probè lentis decorticatæ farina cum aceto & beta nigra cocta, rhoe adiecto aut parum de capite papaueris. Conducunt & pira ſicca expreſſa,& mala cotonea.Si verò adhuc perſeuerat lationis impetus,vtendum eſt efficacioribus ad cœliacos deſcriptis.In iis verò qui facilè vomunt,aquam tepidam multam bibendam dato,& vomere iubeto, digito aut penna immiſſa. atque hoc facies bis & ter conſequenter.Deinde oleum melinum & vinum calefacito, & in hoc linteum tinctum ventri admoueto, & poſt modicũ interſtitium antidoti theriaces,ad fabæ magnitudinem cum vino bibendam dato.

De vomitu,Rufi, Cap. CXIX.

QVandoquidem in violentis vomitibus ſæpe abſurda quædam ſequi ſolẽt,operæpretium fuerit prius modos referre quomodo quis facilè vomat.Nam pituitã mouet vomitus,& caput leuat:& eũ qui auidius cibum ingeſsit aut plus vini hauſit,lædi prohibet.Auxiliatur autem purgatio per vomitus nimiæ corporis moli. Opitulatur item excellenter gracilibus.Omnes autẽ fluidas affectiones vomitus ſanare ſolet, velut vlcerationem renum,veſicæ,& ani,& aliarum partium,elephantiaſin, cãcros,malos corporis habitus, articulorũ affectiones. Cõuenit & hydropicis,maximè aqua inter cutem laborãtibus.regio item morbo,& comitiali in iis quibus à ſtomacho initium affectionis incepit. Nam iis qui in capite affecti ſunt comitiali morbo,incongruus eſt vomitus.Cõducit item tremulis,reſolutis, ſiderationibus, ſpirationibus erecta ceruice,melãcholicis, impetiginoſis. Contrarii verò ſunt vomitus ſanguinis reiectioni, ſtrangulatibus vteri,naturis nauſeabundis,animi deliquiis,iis qui à ſuffocatione aſsiduè vexantur,& qui ex qualibet occaſione caput dolent, & qui ſuffuſionem ſuſpectam habent, & in ſumma omnibus oculorum affectionibus.Sint autẽ vomitoria non acerba & arida, ſed partim dulciora,partim acriora. Videtur autem inter hæc raphanus probari, & eruca,& ſalſamentum vetus, origanum viride,cæpe & porrum. Coadiuuat vomitus etiam ptiſana adiecto modico melle,& pingues carnes.Attamen non oportet prædicta aut huiuſmodi decoquere, & ſuccos ipſorum ſolos accipere, verùm totam molem deuorare.neque verò circa manducationem diu immorari oportet, ſi quis vomere velit.ſint tamen omnia ex coctura emollita. Manifeſtũ eſt autẽ,ex vinis quoque dulciora eſſe eligenda:hæc enim magis in ventre ſupernatant. & calidæ potu vtẽdum eſt. Oportet & amygdalas melle tinctas edere, & placẽtas guſtare,& cucumeris ſemen maceratum cum melle offerre.Sed & cucumeris ſatiui ac peponis radix trita cum melle vomitum mouet,& Celticæ radix trita VII.drach. pondere in aqua mulſa.ac pota fortiter ſurſum purgat,vt aliquando etiam exceſſus purgationis conſequatur. Qui verò fortioribus vti volunt,narciſsi bulbum in aqua coquunt, & cum decocto quidem temperant vinum. Ipſum autem bulbum edunt coctum, cum oleo & modico ſale.Mouet etiam vomitum vnguentum irinum, & plus adhuc Cyprinum, ſiquis illitis ex his digitis irritet. Citra moleſtiam mouet vomitum etiam hyſſopi decoctũ,& thymi,& cnici ſemẽ tritum cũ ſeſamo,ac cũ aquæ

mulſa plurima potum.& naſturtii ſemen : ſimiliter oleũ ſeſaminum,raphaninum,narciſſinum:daphnoeidis folia viridia tria comeſta.Optimũ eſt & hoc:Raphani decoctũ & caricarum cremorem ſimul miſceto,tepefacito, & bibẽdum dato.Pleraque igitur & curioſiora vomitoria reprobanda ſunt.Dandi verò ſunt raphani ieiunis qui inediam tulerunt,& à cœna prius vomuerunt. ſint autem raphani valde acres, & ſecentur in tenues laminas: macerntur autem hæc fruſtula à veſpera in aceto & melle. Edat autem vomiturus ex iis magnam copiam, & aſſiduè ſuperingerat acetũ mulſum. Deinde ad horas duas lentè obambulet,& plurima aqua tepida hauſta vomat,per digiti aut pennæ irritamentum.

Præparatio raphanorum cum veratro albo, Cap. cxx.

PRæparantur etiã alio modo raphani ad diuturnas affectiones,& fortiore exagitatione indigentes. Veratri enim albi & optimi feſtucarum drach.vi.in raphanos figuntur,ita vt raphani prius arundine compungantur,& deinde feſtucæ veratri in foramina immittantur. hæ feſtucæ vbi totam noctem in raphanis manſerint, ſequenti die eximuntur,vi ipſarum in raphanis relicta. Poſtea verò raphanos conſcindere oportet, & in aceto mulſo macerare,& ſimiliter edendos exhibere. Diligenter autem conſiderandum eſt nequid ex cortice veratri in raphanis permaneat.

Quibus dãdum ſit veratrum,& quibus non,ex Antyllo ac Poſidonio, Cap. cxxi.

IPſum veratrum dandum eſt iis qui diuturno ac forti morbo laborant,& qui in aliis auxiliis ſpem non habent.Dandũ eſt & hydropicis, elephãtiacis,malo habitu præditis,reſolutis multo tempore,comitialibus & melancholicis,arthriticiſque ac podagricis. At enumerare in quibus affectionibus probetur veratrum , non facile eſt propter multitudinem. præſtat itaque dicere qui morbi à veratro lædantur.Incõmodum eſt itaque veratrum ſanguinis reiectioni, ſpirationi erecta ceruice ſtrangulationem minanti,& in ſuffuſione imminente,capitiſque affectibus qui ex interuallis violentos dolores inducunt, cum rubore faciei & vaſorum diſtentione:& in vteri ſtrãgulationibus,& iis qui aſſiduè animo linquuntur.

Quid veratrum facere poſſit, Cap. cxxii.

VEratrum poteſt corpora tranſmutare ac permutare, temperaturam ipſorum recentiorem ac robuſtiorẽ efficiens.

Quòd multi accepto veratro nihil quidem vomuerunt,nihil tamen minus quàm purgati vtilitatẽ perceperũt, Cap.cxxiii.

MVlti accepto veratro , ipſóque concocto , omninò quidem non ſunt purgati,vtilitatem verò non minorem perceperunt quàm ii qui purgati fuerant.

Qui ſint magis apti ad veratrum, Cap. cxxiiii.

VIRI aptiores ſunt ad veratrum mulieribus, & ex ipſis viris ii qui fortiorẽ habitum poſſident.At mulieroſi,& habitu valde pingues, aut graciles , aut thoracẽ non carnoſum habentes,& longam ac anguſtam ceruicẽ habentes,inepti ſunt.Pueri quoque ac ſenes inepti ſunt: & qui valde frigidam temperaturam habent, & qui ſana corpora habent,& multo ſanguine abundant,inepti ſunt. Item difficulter vomentes & puſillanimes.

Tempora vniuerſalia ac particularia ad veratrũ ſumendum apta, Cap. cxxv.

TEmpus vernum aptiſſimũ eſt ad ſumẽdum veratrũ: deinde autũnus : æſtas incongrua eſt,& nimirũ hyẽs quoq;,niſi valde magna vrgeat neceſſitas. & tunc hyeme quidẽ qui valde calidum temperamentũ habẽt aptiores ſunt:æſtate verò,ſenes.Cõſtitutio idonea eſt ſerena & calida &inſolata. At in morbis in quibus interualla ſunt,dandũ eſt in interuallis: in aliis,quãdocunque contigerit.in quartanis verò & inteſtinis fluxione vexatis , in ipſis acceſſionibus.

Veratri probati notæ, Cap. cxxvi.

OPtimũ eſt veratrũ quod ab vna radice plures feſtucas ſiue ſurculos habet,eóſque paruos ac extẽtos , & non rugoſos,&non in acutũ deſinentes,neque caudã ma-

A ris referentes:intus verò valde albos , foris autẽ pallidiores,profundã medullam habẽtes,friabiles,qui nõ flectuntur ob mollitiẽ,ſed franguntur trãſuerſim inſtar caulis,& qui in fractura fumoſum quid continent ac remittũt , atque hoc purum.nam ſi puluerulentũ id fuerit, vetuſtatẽ veratri indicat.Bonũ verò veratrũ manſum primùm dulcedinis indicationẽ de ſe præbet, deinde modicæ acrimoniæ,poſtea feruorẽ fortem inducit in ore, & ſaliuam multã ducit,& ſtomachum euertit. Oportet autem verè colligere veratrum radice adhuc prægnante.

B Victus ratio veratro purgandorum, Cap. cxxvii.

VIctus ratio accuratiſſima conſtituenda eſt iis qui veratro purgandi ſunt.attenuatis enim corporibus nõ citra periculum exhibetur.Diebus tribus antea abſtineãt à carnibus aut reliquis craſſi ſucci eduliis ac potibus. Aſſueſaciãt autẽ ſeipſos ad vomitum, & ter aut quater prius vomãt à cœna,& aluus ſubducatur. Oportet autem declarata antea domeſticis anxietate certaminis futura, ſic ad hoc auxilium procedere.

Differentiæ exhibitionis veratri, Cap.cxxviii.

C DAtur diuerſimodè veratrum: alii enim decoctum veratri dant,alii cremorem,alii ipſam eius ſubſtantiam. & alii forcipe in ramenta confectum exhibent: alii tuſum & cribratũ.In ramenta igitur confectum citò incipit purgare,poſt horas in totum duas, bilem & pituitã educens citra multã lancinationem.& ipſum ſimul vomitu reiectum , in quatuor aut quinque horis purgationem ſedat.At in puluillum redactum valde tardè operatur , vt poſt quatuor aut quinque horas ſæpe incipiat. verùm omnes ſpecies bilis & pituitæ educit,& ad periculum con-

D tractionis & nimiæ purgationis deducit. Ad lõgum etiã tempus producit purgationem,ſed vtilitatem multiplicẽ exhibet.

De cremore veratri, Cap. cxxix.

CRemor in quo maceratũ eſt veratrum datur ſenibus & pueris,& iis quibus habitus defluxit , & qui morbum facilè ſolubilem habent. datur & iis qui elephantiaſin futuram timent.Oportet autem drac. v.ramentorum in aquæ pluuialis hemina dimidia macerare ad tri-

E duum,deinde colare & calfacere,atque exhibere totum cremorem.

De veratri decocto, Cap. cxxx.

DEcoctum veratri dandum eſt tum prædictis , & qui illis adhuc ſunt robuſtiores , inſaniẽtibúſque ac atra bile percitis.Præparatur hoc modo: Veratri lib. i. conciſam in aquæ pluuialis ſextar.ii.macerato ad triduum: deinde ad prunas mitiores coquito ad tertias:poſtea colato, & adiicito ad decoctum,mellis deſpumati primarii lib. ii.& coquito vſque ad mellis cõpagem, & cochleariũ ma-

F gnum delingẽdum dato.Licet etiam aqua calida miſcere,& dare cum ſorbitione quadam. hoc neque cõuulſiones,neque contractiones,neque nimiã purgationem facit.Exercitium autem eſt volenti ad ipſum veratrũ tranſire,vt etiam confidenter ramenta eius confecta accipiat,

De ramentis veratri,item de contuſo ac cribrato, Cap. cxxxi.

CÆterùm iis qui maiori molimine ac exagitatione opus habent,fortioribúſque ac confidentioribus, & facilè vomentibus,ramenta conciſa danda ſunt: at verò

G iis qui adhuc audentiores ſunt,aut etiam conſuetudinem habent,contuſum & tenuiſſimo cribro excretum dabis. Ramenta verò ſic exhibe:Accipe feſtucas,conſcinde forcipe ad polentæ aut furfurum magnitudinẽ: deinde puluillum linteo exterge,& detractis omnibus tenuibus particulis,vt ne ſtrangulet, dato timidioribus quidem,cum ptiſanæ aut alicæ ſucco,vbi parum decoxeris:fortioribus verò, cum aqua calida aut aqua mulſa, ita vt cogas ipſos inſuper ſorbere aquam mulſam puram aut aquam , vt ne relinquatur quid in faucibus aut ſtomacho. Doſis perfe-

H ctiſſima fortibus,de ramentis conciſis ſunt drach.ii.s.de puluere craſſiore drach.i.&obol.ii.de puluillo drach.i.& oboli ii.Cõtundimus autẽ craſſiorẽ eius farinam in mortario,& per anguſtiſſimũ cribrũ excernimus, & quod eſt tenuiſſimum auferentes, id quod craſſius eſt exhibemus

cum ſucco alicæ,aut mazæ ex polenta factæ. Tenuē verò puluillum tundimus & exactè cribramus: & poſtea cū cocto melle ſolidiſſimo in catapotia coactum ac efformatum exhibemus.

Quæ præparare oportet exhibitionis tempore, Cap. cxxxii.

PRæparantur porrò ad opem ferendam ipſis lancinationibus,animi deliquiis,& conuulſionibus,hæc: Aqua calida & frigida, decoctum hyſſopi, mel,ruta, pulegium,acetum,mala,panis calidus,vinum,pullus gallinaceus coctus,oleum cōmune & ſicyonium,ſal,galbanum, caſtorium,cremor veratri, oleum Cyprinum aut irinū aut narciſſinū,pennæ, ſternutatoriū, cucurbitulæ diuerſæ, lectica ſiue ferculū, lectus ſtratū molle habēs,clyſter.

Quomodo poſt potū curandi ſint, Cap. cxxxiii.

SI quidem facilè purgentur,poſtquā biberunt medicamentum, dabimus ipſis aquam frigidam abſorbendam aut colluendam, deinde odoramentum quoddam corroborans: & iubebimus ipſos ſedere aut reclinari, & in quiete manere ad horas duas, vt ne citius quàm oportet pharmacum reuomatur: poſtea iubebimus ipſos moueri.Prima perceptio caloris circa ſtomachum & fauces cōtingit:deinde ſaliua multa in os colligitur:poſtea partem alimenti & pharmaci cum pituita vomunt: deinde pituitam & bilem cum pharmaco:mox puram bilem. ſæpe verò etiam venter infernè ſubducitur,quando ſanè etiam tolerabilior purgatio contingit.Singultiunt leuiter, & facies rubicunda eſt. Si verò facilè procedit purgatio, & facies bonum colorem habebit, & ſingultus ceſſabit. Iis verò qui circa mediam purgationem ſingultiūt, aquā mulſam dabimus, aut decoctum rutæ & aquam tepidam in potu:deinde purgatos lauabimus,& alimentum ſtomacho gratum exhibebimus. Perſeuerante verò purgatione,oportet dare aquam mulſam calidam abſorbendam in qua decocta eſt ruta,aut aquam cum oleo. penna quoque Cyprino aut irino oleo aut aliquo ſimili tincta irritētur,& lecto penſili reclinati cōmoueantur. Si verò valde vexentur à ſtrangulatione,cremoris veratri cyathos tres offeremus.nam ex qualitate adiuuat purgationē.Quòd ſi neque ſic ſtrangulationis periculū leniatur, acerrima infuſione per clyſterē euacuabimus.Dabimus ipſis etiā galbani obolos tres deuorandos,non vt vomitū cōcitemus, ſed vt ſtrangulationē ſedemus.Aut ſternutatorium forte admouebimus,aſſiduè per lectum penſilem agitantes, & pennarum immiſſione irritantes. Vbi verò incipiūt purgari,mitigandus eſt ſingultus,velut antea dictū eſt.Si verò violentus fuerit ſingultus,ſternutatorio vtemur,& cucurbitis per totam ſpinam,& maximè circa magna ſcapularum verticula,detrahētes ipſas ad ſpinam. perſeuerātes enim cucurbitæ ſæpe corrigunt ſtomachū cōtractum & velut cōtortū à ſingultu. Ligabimus etiā extremas partes, & fouebimus immiſſas in aquam calidam. At verò ſuccedentes in quibuſdam contractiones, crurum maximè & manuum,(ſolēt enim pleriſque hæc accidere)leniemus fortiter illinendo,fouendóque ac calfaciendo & fricando extrema & muſculos in ſuris. ſit autē oleum ſicyoniū,aut quoddā ex mollientibus & laſſitudinē ac dolorē eximentibus,acopis appellatis: ſed & caſtorium vnguento admiſcebimus,& in potu exhibebimus. Maximè verò prodeſt contractis balneū,ſi adfuerit. ſinminus, in ſcapham aut in ſoliū immittemus,ita vt oleo multo dulci totū corpus,maximè verò cōtractas partes illinamus. Sit autem aqua probè temperata,vt in ipſa diutius manere poſſit.Porrò vbi ceſſauit conuulſio ac purgatio,ſtatim nutrire oportet,panem exhibendo vino diluto madefactum,aut in omphacomelite,iis qui valde ſunt euacuati. Si verò caloris ſenſus circa ſtomachum poſt cibum contigerit,ipſum omphacomeli aqua calida temperatum bibedum dabimus. aliquando verò etiā cum frigida mixtum ſecūda die dabis.Cibi verò poſtea boni ſucci omnes ſint,& vinum tenue valde ac vetus.

De purgationis exceſſu, Cap. cxxxiiii.

NImias purgationes ſiſtemus aquæ calidæ potu,& extremarū partium ligatura,& frictione vehemēti,& cucurbitis ad præcordia & dorſum affixis. At abſinthii potus egregiè ſupprimit vomitū. Si verò adhuc perſeuerarit, vtemur ſomniferis dolorē ſedātibus. nā talia reſiccandi vi prædita purgationes ſiſtunt:& ſomnus excretiones ſiſtendi vim habet.Succedit tamen ſomnus ſua ſpōte probè purgatis per veratrum, multus & profundus, ſi non periculum imminet: quibus ſanè intantum concedere oportet, quantum ſomno tenentur. Si verò ſudores immodici conſequantur, ſedabimus ipſos corporis ventilatione, & ſpongiæ ex frigida aqua aut poſca expreſſæ deterſione. Vtemur etiam puluillorum adſtringentium & meatus obducentium inſperſione, & reliqua cura in cardiacis referenda.

Epithemata purgatoria, Cap. cxxxv.

MEdullæ colocynthidis, ſeminis erucæ, rutæ ſylueſtris,elaterii,grani cnidii,lathyridum purgatarum, galbani,ceræ,nitri rubri, ſing. drach. IIII. opopanacis drach. II.terebinthinæ drac. VI. Tunditur hoc pharmacum adiecto paulatim felle taurino quantum ſatis eſt. Et ſi quidem ſuper vmbilicum poſitum fuerit vſque ad pubem,inferiorem aluum mouet:ſi verò ſuper vētrem, ſuperiorem purgat per vomitum. Aliud. Nitri rubri, ſeminis ſecuridacæ,medullæ colocynthidis,fellis taurini, ſtaphidis ſylueſtris,ſtercoris columbini, radicis cucumeris ſylueſtris,ſquillæ,mercurialis,ſing. æquales portiones, tundito,cribrato,& felle excipito ac melle ſufficienti, & vbi ad malagmatis formam redegeris vtitor. Aliud quod pollicetur ſanguinis per nares eductionem, ſi fronti imponatur. Vbi verò ſiſtere volueris, inquit,ſanguinē, ablato ipſo locum diligenter deterges per ſpongiam ex poſca aut frigida aqua expreſſam: ſi verò imo ventri impoſitum fuerit quadrangulari nouem digitorum figura, ciet menſes & fœtus corrumpit. Imponitur & renibus in exacerbationibus. Compoſitio hæc eſt: Ceræ,galbani,euphorbii,radicis lanariæ herbæ,ſing. vn. I. taloru ceruinorum vſtorū drach. IIII. ſucci abſinthii drach. IIII. terebinthinæ liquidæ drach. IIII. Sicca trita cribrata, rurſus terito cum felle vitulino ad ſtrigmentitiam craſſitiem,& liquida ac eliquata affundito & vnito: ac vtitor, inquit,velut admirando. Aliud emplaſtrum purgatorium quo vtor,Chezanance appellatum.Hoc impoſitum vmbilico mouet inferiorem ventrem: thoraci verò & ſtomacho impoſitum vomitum ciet,donec ſplenium cui illitum eſt tollatur.Menſes autem fœminarum ducit, & fœtus corrumpit imo ventri & lumbis impoſitum.Compoſitio hæc eſt:Grani cnidii drach. III. lapidis aſſi drach. X. veratri albi drach. IIII. adipis caprini drach. V. elaterii drach. IIII. ſucci tithymali drach. IIII. amurcæ drac. XII. fellis taurini drach. II. ſpumæ nitri drach. V. farinæ lupinorum amarorum ſextātem, comæ abſinthii drach. II. reliqua tundito ac cribrato: deinde fel tritum adiicito,mox amurcam,& poſtea adipem liquefactum affundito,& vnitis vtitor. Aliud vmbilicarium. Et hoc vomitum ciet ventri impoſitum & menſes ducit non ob vaſorum concluſionem ſuppreſſos, fœtúſque corrumpit imo ventri ac lumbis impoſitum. Abſinthii, ſucci radicis cyclamini,artemiſiæ,elaterii,ſing. drach. VI. medullæ colocynthidis drach. X. radicis cucumeris ſylueſtris, farinæ lupinorum, chelidonii, ſeminis violæ albæ, ſing. drach. VI. opopanacis drach. II. ceræ drach. C. terebinthinæ drach. L. cyprini drac. L. aut quantum ſatis eſt. Impoſitum autem vbi aluum commouit, mox ipſum tollere oportet. Aliud. facit & ad colicos. Nitri ſcrup. IX. terebinthinæ ſcrup. VI. elaterii ſcrup. II. ſtaphidis ſylueſtris ſcrup. I. s. caſtorii,ſeminis roſmarini,ſampſuchi, baccarum lauri,grani cnidii,lupinorum ſiccorum, medullæ colocynthidis,ſing. ſeſquiūciam,ſcammoniæ vnc. I. fellis taurini vnc. I. ceræ ſextantem,adipis anſerini quadrantem. Aliud. Cucumeris ſylueſtris ſuccum,& cyclamini ſuccum, paribus portionibus cum melle miſceto,& hæc exactè vnito in ſole aut calido cinere, & vtitor illinens ab vmbilico vſque ad pubem. Aliud. Elaterii drach. II. colocynthidis drach. I. ſcammoniæ, ſquamæ æris, radicis cucumeris ſylueſtris, ſing. drachm. I. lathyridum drach. I. aut pro ipſis ſucci tithymali tantundem. Tundito, cribrato ac terito cum oleo plurimum

ſalis habente,& hapſum lanæ magnum facito,ipſúmque
pharmaco imbutum imponito vbi volueris, vmbilico
inquam,aut ventri,aut imo ventri & lũbis. Aliud.Me-
ſpilorum exemptis nucleis ſcrup.XVIII.ſcãmoniæ ſcrup.
XII.atramenti ſutorii ſcrup.XVI.ſagapeni ſcrup.XXXII. la-
thyridum ſcrup.XII. colocynthidis ſeminis ſcrup.XII.tri-
ta excipe oleo & vtere.

Compoſitio olei ſiue vnguenti purgatorii,
Cap. CXXXVI.

FEllis taurini ſextantem,elaterii vnciã I. grani cnidii
viridis trientem,lupinorum viridium ſucci ſextantẽ,
euphorbii vnciam I.medullæ colocynthidis vnc. I. adi-
pis vulpini recentis ſextantem, adipis viperæ ſeſquiun-
ciam,ſtercoris muris drach.IIII.ſucci pæoniæ drachmas
IIII.caſtorii drach.IIII.olei Cyprini ſeſcuncem,olei ve
teris lib.I.arida tundito ac cribrato per tenuiſſimũ cri-
bellum.Adipes autem præmollito in mortario, præſer-
tim vulpinum: fibris enim refertum eſt. deinde ad len-
tas prunas liquefacito cum oleo, & ipſis reliqua omnia
inſpergito,& parũ ad prunas coquito:ac ſeponito in ſtan
neo vaſe diligenter operto,vt ne tranſpiret: & deponito
in domo ſuperiore non humecta ad dies XXX. Et poſtea
vtere in omnibus & ad omnem affectionem: citra mo-
leſtiam enim purgat. Sanat autem cum reliquis etiam
mentis perculſionem. Menſura quæ in vſum aſſumitur,
vtplurimum eſt cochleariorum duorum, in quibuſdam
etiam vnum ſolum.inuncto enim vmbilico perfectam
feci euacuationem.Si verò immodicè feratur venter,&
voles ſupprimere,ſpongiam vino tepido imbutam ac ex
preſſam adhibe,& ſiſtetur. Aliud epithema. hoc vm-
bilico imponitur, & ſplenem purgat: Veratri nigri qua-
drantem,veratri albi trientem, ammoniaci thymiama-
tis,nitri,vtriuſque trientem:ſcammoniæ ſextantem, pi-
peris grana XXX.contuſa cribrata excipe terebinthina,vt
malagmatis formam induant. & vbi præfricueris locũ
ac fomento præparaueris,formato quadrangulare quin-
que digitorum figura ſplenium, & imponito. at pectini
impoſitum fœtus corrũpit. Epithema ſanguinẽ du-
cens,vt hæmorrhoidas irritet & menſes muliebres. Ela-
terii,myrrhæ,galbani, farinæ ordeaceæ, ſingul. drach.
IIII.foliorum rutæ viridis drach. II.fellis taurini quod
ſatis eſt.Singula ſeorſim tenuiſſimè terito,deinde vnito,
& fellis quod ſatis eſt affundito. Vſus verò tempore locũ
ſub vmbilico & partes circũcirca ſitas illinito: aliquan-
do etiam lumbos.Ducit menſes & hæmorrhoidas.

De localibus euacuationibus, Cap. CXXXVII.

ET de iis quidem quæ ſuperfluitates quæ in toto cor-
pore ſunt purgare poſſunt,ſufficiunt relata: tempus
eſt autem tranſeundi ad locales euacuationes. Verùm il-
lud meminiſſe te volo per totam tractationem,vt primũ
totum corpus purges,& à ſuperfluitatibus liberes per præ
dicta purgatoria medicamenta,& poſtea per localia eua-
cues.Si enim ante totius corporis euacuationem aut pur
gationem,per localia auxilia volueris partium affectio-
nes curare,in magna mala immiſeris ægrotum.amplio-
rem enim materiam ad debiles locos attrahes.

Quæ oculos purgant, & lacrymas prouo-
cant, Cap. CXXXVIII.

LAcrymas prouocantibus vtimur ad oculos diu re-
ſiccatos,& palpebras ſcabras ac pruriginoſas: exter-
gentibus verò & repurgantibus ad hebetem viſum & ſuf
fuſionis principium.Prouocant autem lacrymas & exter
gent omnia hæc:Mel,oleum vetus,ricininum,amygdali-
num,ex nucibus regiis,è fœnogræco,lentiſcinum, lauri-
num,anethinum,ſuſinum,nardinum,opobalſamum. Ex
ſuccis autem oculos purgant,ſuccus vuæ acerbæ,lactucæ
ſylueſtris,lyciũ,radicis acori ſuccus. Item chamædryos,
centaurii,chelidonii,ocymi,cæparum, rutæ hortenſis ac
ſylueſtris,quæ etiam beſaſa appellatur: item mali punici
ſuccus,fœniculi,vtriuſque anagallidis,marrhubii, trifo-
lii,veratri albi,& anemones. Ex liquoribus verò ſpiſſis,
myrrha,ſagapenum, opopanax Cyrenaicus & Medicus,
ammoniacum thymiama,galbanum,thus.Ex animanti-
bus,teſtudinis terreſtris ſanguis,hepatis caprini cruor, i-
témque ſiluri. ſed & ſiluri fel, & hyænæ, capræ, gallinæ,
perdicis,vulturis,vrſi,ſcari,callionymi,& coracini. Ex a-

A dipibus,viperæ adeps,gallinarum,piſcium fluuiatilium:
caſtoris teſtes.Ex cineribus,hirundinum pulli exuſti, la-
certæ vſtæ,cornu cerui vſtum.Ex metallicis, lapis hæma
tites,& ſciſſilis,æs vſtum,atramentum ſutorium,chalci-
tis,miſy,alumen omne,ſquama æris,rubrica, lapis Phry-
gius,iaſpis,magnes, moroxus,qui & leucographis appel-
latur,lapis galactites.Ex plantis,cortex thuris, ericæ fru-
ctus,& quæ eiuſdem generis ſunt.

Quæ aures purgant, Cap. CXXXIX.

B MEL,vinum mulſum,vinum dulce,oleum nucũ re-
giarum,amygdalinum per ſe & cum anſerino a-
dipe: irinum cum aceto,myrrha cum alumine acetóque
ac aqua: ſpuma nitri cum melle & aceto, alumen cum a-
ceto,ſenecta ſerpentis cum aceto, fel bubulum, ſuillum,
& omne fel piſcium,betæ ſuccus,foliorum capparis ſuc-
cus,corticis raphani ſuccus,mercurialis ſuccus,bdellium,
galbanum, caſtorium,caſia, veratrum album & nigrum,
herba lanaria,capparis folia cum oleo cocta, acetũ mul-
ſum,nitrum cum aqua calida infuſum.Cæterùm ex præ-
C dictis quædam ad pruritus,quædam ad vlcera, quædam
ad ea quæ in meatum inciderunt,aliqua ad ſordis duri-
tiem,item ad ſonitus & grauẽ auditum ac ſurditates cõ-
moda ſunt.Capitis itẽ doloribus antiquis & morbo co-
mitiali hæc proſunt.

Quæ per nares purgant, Cap. CXL.

PER nares purgat caput,radicis betæ ſuccus, elateriũ,
anagallidis cæruleum florem habentis ſuccus,oleum
irinum,amygdalinum,cyclamini radicis ſuccus, & ipſa
arida trita inſufflata,piper, nitrum, atramentum ſutoriũ,
D mel,thlaſpi,veratrum album, euphorbium, herba lana-
ria,caſtorium,calamintha,melanthium,iris,marrubium,
anemone. hæc verò naribus admouentur, propter diu-
turnas capitis affectiones,& ad morbum comitialem, &
oculos arquato morbo infeſtatos. Item ad obtuſum au-
ditum ac viſum,& ad nariũ obſtructiones antiquas,& in
læſo olfactu,& ad eos qui caninã conuulſionẽ paſſi ſunt.

Quæ humiditatem ex ore trahunt,
Cap. CXLI.

LEntiſcus & ipſius folia, & quod ab ipſa reſinaceũ de-
fluit maſtiche appellatum,cum ſtaphide ſylueſtri, pi
E per,granum cnidium. Sinapi cum aceto mulſo ac nitro
gargarizatum multam pituitam euacuat: rumicis radix
cum aceto cocta,pyrethrum,capparis cortex, tæda, mel,
origanum,thymus,pulegium,hyſſopum, thus cum mel-
le,alumen, chalcitis, miſy,myricæ fructus, terebinthina
cum melle,omphacii ſuccus cum ſilphio,Cyrenaicus ſuc
cus,caſia, & omnia quæ ori illini ſolent. Cæterùm quæ
valde efficacia ſunt, in diutinis affectionibus aſſumenda
ſunt,ore prius ex oleo colluto,vt ne acrimonia impediat
F vſum.Adhibenda verò ſunt hæc omnibus diuturnis ca-
pitis affectionibus, & hebetudini viſus, & graui auditui
citra dolorem. Ad linguæ item ac guſtus reſolutiones,ad
parotidas,anginas,puſtulas capitis aut faciei, ad caninã
cõuulſionem. At verò recurationis gratia adhibenda eſt
poſtea aqua calida,ſapa, aqua mulſa,lac, micarum panis
cremor,aut ptiſanæ ſuccus.

Quæ lac generant ac mouent, Cap. CXLII.

GEnerant ac mouent lac in potu accepta, ptiſana cum
fœniculo cocta,præſertim viridi: ſin minus, cum ſe
mine.Sed & ipſum fœniculum per ſe comeſtum, & ane-
thum,ſeſamum,aniſum,ſemen lini,cuminum, milii fa-
G rina cocta,tritici decoctum,eruca viridis, cucumeris ſe-
men.Foris autem illita vberibus prouocant & mouẽt lac,
inteſtina terræ, nigella, fel tauri, ordei macerati ſuccus,
portulacæ ſuccus,adeps anſerinus,cera,ſulphur,recremẽ-
tum ferri. hæc adhibentur in iis quibus lac deficit.

Pulmonẽ ac pectus purgantia, Cap. CXLIII.

SEmen vrticæ,dauci,apii,thymus, ſemen raphani, in
potu ac cibo accepta,itẽ ſinapi,ſeſamũ,naſturtiũ,ery-
ſimum,cardamomũ,cucumeris ſemen,nigella,piper, ru
H ta,poliũ,marrubiũ,baccæ lauri,caſia,aron, dracunculus,
bulbus,cæpe,allium,coſtus,amomũ,ſpica nardi,ſulphur,
ſtyrax,galbanũ,terebinthina, myrrha, opopanax, ſcilla,
origanum, pulegium, hyſſopum, abrotonum, bryoniæ
radix, amygdalæ amaræ, caricæ, vuæ paſſæ, nuces pi-
neæ,maximè recentes:mel,ſapa,vinum dulce,caſtorium,

farina erui, picearum nuclei, ammoniacum, bdellium, thus,ſilphium,& ſuccus æris,ariſtolochia,baccæ iuniperi,ſtœchas,porrum capitatum cum ptiſana coctum in cibo acceptum,ouum recens abſorptum,butyrum per ſe & cum melle,glycyrrhizæ ſuccus & ipſa radix. His vtēdum eſt ad anheloſos & erecta ceruice ſpirantes,& ad veterem tuſſim. Pleraque verò ex ipſis,etiā phthiſicis & ſuppuratum pectus habentibus conueniunt,propter eductionem eorum quæ in thorace collecta ſunt,& ad vlcerum repurgationem.

De ſuffitionibus, Cap. CXLIIII.

SVffitus non cōmodi ſunt omnibus affectionibus circa thoracem conſiſtentibus.neque enim in ſanguinis ſputo idonei ſunt, quum per acrimoniam eorum quæ ſuffiuntur,vaſa rurſus aperiantur:neque iis qui ſiccū morbum circa thoracem habent: verùm ſolis anheloſis & erecta ceruice ſpirantibus,& quibus thorax ob copiam frigidorum humorum infeſtatur. Vtendum autem eſt ſuffitionibus toto corpore euacuato.Collocādus autem eſt homo,& vbi veſtibus cōtectus fuerit,iubēdus eſt crura diſparare, & deorſum nuere, vt facies prope genua exiſtat, atque ita os aperire,quò ſuffimento inter crura poſito,fumū ore ſuſcipiat.Præſtat tamē per infundibulum fumū ſuſcipere. ſunt autem ſuffimenta hæc: Caſtorium ſuffitū humidam & frigidam affectionem pulmonis ac cerebri ſanat. ſimiliter ariſtolochia, bitumen, ſandaracha, ladanum,lolium, paleæ antiquæ, funiculus vetus marina aqua maceratus, terebinthina, chamæleuce, calaminthe, ſtyrax,maſtiche,thus,eryſimū,leporis ſtercus ac pili,dorcadis ſtercus,cucumeris ſylueſtris radix,centaurium, fœniculi ſemen.At nos habemus ſuffumigium per experiētiam cognitum,quatuor ſpecierum:nimirum ſtyracis,terebinthinæ,ſandarachæ,maſtiches, æqualibus portionibus commixtis.Hoc fidem reperit quòd anheloſas & ſuppuratas & pleuriticas affectiones ſanet, itémque tuſſim, quemadmodum & quæ prædicta ſunt.

Quæ tenuia inteſtina euacuant, Cap. CXLV.

TEnuia inteſtina purgat fructus tithymali, & ſemen ipſius quantum guttæ quinque caricis aut palmulis exceptæ,atriplicis ſemen,braſſicæ ſuccus,cicerum decoctum,thymbræ & polypodii decoctum,pulegii decoctū, viticis folia,thymi decoctum,chamæpitys, butyrum recens aſſiduè delinctum,chamæ valde coctæ ac comeſtæ, iuſculo inſuper abſorpto,oleum omphacinum potatum, roſaceum item ac ricininum. agaricum cum aqua mulſa.ſed hoc cum moleſtia purgat. eſt enim ſtomacho incommodum,eo quòd leue ſit, & ſtomacho innatet. aloe cum aqua frigida, aut aqua mulſa, aut lactoſa, *ſiue lactei teporis*, pota, itémque cocto melle excepta ac deuorata, citra moleſtiam purgat, ſtyrax terebinthina exceptus ac deuoratus,abſinthium & abrotonum ſimiliter. At verò tenuium inteſtinorum purgatio recentes obturationes,& crudorum humorum generationes, & lumbricos rotundos curat.His verò purgatis,etiā veſicæ bilem ſuſcipientis meatus,qui ieiuno inteſtino inſeritur, propriā actionem minimè impeditè perficit.quin & inflationes & tormina vertiginoſa ac voluuloſa horum purgatio perſanat.

Quæ ſima hepatis purgant, Cap. CXLVI.

POlypodium,mercurialis cocta comeſta,lathyrides cū aceto mulſo,chamelæa cum abſinthio & aqua mulſa pota,braſſicæ ſuccus,cyclamini radix,lactis ſerum,heliotropii ſcorpiuri appellati ſuccus, galli veteris iuſculum. Hæc auxiliantur diuturnis inflammationibus circa ſima hepatis.nam incipientibus profunt mitiora.

Quæ gibba hepatis purgant, Cap. CXLVII.

AMomi decoctum,flos iunci odorati,acori radix,gētiana cum aqua,agaricum cum vino mulſo:eſt autē ſtomacho incommodum. radicis lauri cortex cum vino,rheon Ponticum, glycyrrhizæ ſuccus, amygdalæ amaræ præſertim,abſinthii coma,aniſum,fœniculi ſemē, ſpica nardi,radicis quinquefolii ſuccus,viticis ſemē,dauci ſemen,petroſelinum,centaurii decoctum,pæoniæ fructus, ſeſamū torrefactum, lauri,palmularū oſſa vſta,ſymphyton,polygonum, erigeron, ſmyrnium, hipposelinū, anagallis cæruleum habens florem,fumaria ſiue chelido

A nia quæ in ſepibus naſcitur,ſecuridacæ ſemen,cornu ceruí vſtum, mēthæ ſuccus & decoctū, calamintha, coſtus fœnumgræcum modicè frictum,bacanum,opobalſamō, radicis myrti ſylueſtris cortex,ordei cremor,lupini,phu, aſarum,meon,pix. Hæc ſanant diuturnos circa gibba hepatis morbos,ſiue cum tumore aliquo ſint,ſiue ſola intēperatura adſit cum dolore,ſiue obturatio.

Splenem euacuantia, Cap. CXLVIII.

VEratrum nigrum,epithymum, polypodium,ſcolopēdrium,pæoniæ radix,chamædryos decoctum, item
B chamæpityos,centaurii præſertim minoris, pulegii decoctum,capparis cortex, colocynthidis cremor potus, mercurialis comeſta,& decoctum ipſius potum,lathyrides cum aceto mulſo potæ,chamelæa,aqua marina calida pota, ericæ fructus cum petroſelino, viticis ſemen. Hæc omnia ſplenem purgantia,etiam hepar ab obturatione liberant,& malos habitus, & hepaticas ac ſplenicas morbique regii & aquæ inter cutem affectiones generari prohibent.

Renes purgantia, Cap. CXLIX.

OMnia inciſoria vi prædita, plantaginis radix & folia
C & ſemen,arida trita pota,aſparagus myacanthinus, pæoniæ radix,cicerum nigrorum decoctum,amygdalæ præſertim amaræ,eryngii radicisdecoctum,damaſoniū, adiantum,apii ſemen, fœniculi, dauci,petroſelini, ammii,aniſi,liguſtici,aſari decoctum, meon,phu,flos iunci odorati,ſeſeli, acori radix, gramen, vitis lacryma & cortex,ſanguis hirci aridus.Auxiliātur autem hæc pota poſt remiſſum inflāmationū vigorē. diſſoluunt enim duros tumores qui fieri parāt,& lapides generari prohibent.

Veſicam purgantia, Cap. CL.

D VRinas à veſica ducit acori decoctum potum,itémque aſari,oleum amaracinum,amygdalæ amaræ cū paſſo potæ,radicis althææ decoctum,adianti decoctum, hæmatites lapis tritus cum vino potus, gallinarum ſtercus ſiccum, anchuſæ decoctum,abrotoni, aniſi ſemen, ſanguis hirci aridus,atriplicis ſemen,artemiſiæ decoctū, ariſtolochiæ decoctū, ſabinæ læuiſsimè tritæ drachma vna cum aqua mulſa(in non febrie̅tibus cum vino) balſami ſemen,gladis decoctum,bdellium,apii ſemē,bryoniæ radix, glycyrrhiza ſuccus,pulegiū, pæoniæ fructus,
E dictamnum,dracunculus,abietis decoctum, rubiæ decoctum,ſerpyllum,eryngii radix,heliotropiū, ſenecio,mētha,ſaluia,foliorum oleæ decoctum. Hæc non ſinunt lapidum generationem in veſica fieri: & craſsities ac fæculentas ſubſidentias, inſupérque ſcabioſas & vlceroſas affectiones ſanare ſolent.

Quæ glandi indantur ad prolectandas vrinas, Cap. CLI.

POſtquam verò repleta fuerit veſica vrina,& contrahi
F non poterit,neque vrinam exprimere, in glandem hæc indere ſolemus,nitrum aqua dilutum,muriam, fel, cyclaminum.

Lapides in renibus ac veſica euacuantia, Cap. CLII.

HÆc lapides frangunt, cardamomum cū cortice radicis lauri potum, cyperus, oleum amygdalinum, paliuri ſemen,bdellium,fœniculi radix, libanotis, myrti ſylueſtris folia,ceraſorum fructus,prunorum ſuccus,amygdalæ amaræ,rumicis radicis decoctum; ſeminis al-
G thææ decoctum,triboli viridis decoctum,adianti decoctum, vitis lacryma, apri veſica ſicca, lithoſpermon, tecolithos,betonica, ſaxifraga,lapides in ſpongiis, electrū.

Vterum euacuantia, Cap. CLIII.

SAnguinem ab vtero ducunt iniecta & appoſita hæc: caſia cum myrrha,calami aromatici decoctum, oleū amaracinum, viola alba, thymi ac thymbræ decoctum, centaurii radix & ipſum centauriū,opopanax, viticis ſemen,amygdalæ amaræ,nucum regiarum nuclei vſti cū vino appoſiti,decoctum abſinthii, itémque ſuccus,ſam-
H pſuchus,ſeſeli, galbanū,lilii radix, chamæpitys, artemiſiæ decoctū, dictamnum, conyza fœmina,rubiæ radix, vrticæ ſemē cum myrrha,elaterium,veratrum nigrum, lupinorum decoctum, raphani cortex, herba lanaria, adeps cerui recens, adeps anſeris, reſina terebinthina,

fel taurinum cum maſtiche, muſcus qui & ſplanchnon & hypnón dicitur, cyperus, vnguentum irinũ, ſuccus cyclamini, anchuſa, quinquefolium, cuminum, ſiſymbriũ, helenium, ſaluia, heliotropium, mercurialis, gran umcnidium, vua exemptis granis, fœnumgræcum, ſeſamum, nucleus baccarum lauri, amygdali amaræ radix, cochleæ paruæ, lanæ ſuccidæ, œſypus, lactucæ ſylueſtris ſuccus, porrum, cæparum ſuccus, calaminthæ folia. Tot quidem ũt quæ in peſſos, *hoc eſt talorum formas*, excipiũtur, iniiciũtúrque ac apponuntur. Vitandus tamen eſt aſſiduus vſus eorum quæ inter ipſa ſunt acriora: ſolẽt enim vlcerationes inducere.

Quæ in potu ſumpta menſes ducunt,
Cap. CLIIII.

AT verò in potu accepta ſanguinem ab vtero ducũt pleraque quidem ex prædictis, & omnia quoque vrinam cientia. ſed & eryſimum & aſarum cum aqua mulſa, calamus aromaticus, alumen, caſtorium, cicerum decoctum cum pipere & ruta. radicis aſphodeli decoctum in vino elixatæ, item pulegii in vino cocti, radicis eryngii decoctum, abrotoni ſemen, origani, thymi, thymbræ, rutæ decoctum, fœniculi decoctum, crethmon, cuminum, ſinapi, marrubii ſemen & ſuccus & decoctum, ſmyrniũ, ſion, oreoſelinon, dauci ſemẽ thlaſpi, nigella, violæ albæ ſemen, carpobalſamum, pæoniæ ſemen, baccæ lauri, myrrha, cardamomum, cyclaminus, ſagapenum, galbanum, ſemen fœniculi, ſpica nardi, mercurialis, coſtus, ſtyrax, centaurii magni radix, ſabina, iris, ariſtolochia, bryoniarum flos & ſuccus, radicis rumicis decoctum, artemiſia, dicta mnum. Singula ex iis cocta cum vino, aut trita & pota, ſanguinem ducere creduntur. Conueniunt autem hæc iis in quibus purgationes impediuntur, vel guttatim purgantur, aut occluſio vteri adeſt. Auxiliantur autẽ & declinationibus, & in recurſibus ſurſum verſus & ſtrãgulationibus vteri.

Quæ ſtercora euacuant, Cap. CLV.

STercora euacuant ſtyrax deuoratus, maſtiche cum aqua frigida trita pota, ſcrup. XII. pondere, aloes drach. I. terebinthinæ cochlearium, ſinapi, alliũ cum oleo & garo ferueſactum, ficus cũ nitro, & cnici ſeminis medulla. Omnia verò prædicta ad tenuia inteſtina commoda, etiã magna inteſtina purgant.

Lumbricos educentia, Cap. CLVI.

LVmbricos rotundos & latos & aſcaridas expurgant ea quæ de tenuibus relata ſunt, in potu accepta. Propriè verò expellit ipſos auriculæ muris ſuccus cum melle potus, aut cum zytho, vtriuſque cyathi menſura. Senecio in cibo acceptus, ſantonicum cum fico comeſtum, abrotoni decoctum, inteſtina terræ trita cocta cum paſſo pota.

Sudores excludentia, Cap. CLVII.

IN potu accepta ſudores excludunt, cuminum, baccæ lauri, aniſum, vitex, ſerpyllum, calamintha, polium, raphani cortex comeſtus, coſtus, ſiſymbrium, dictamnum, artemiſia, cardamomum, linabotis, mel, lac bubulum, caſia, iunci ódorati decoctum, ſuccus Cyrenaicus ciceris magnitudine deuoratus in frigidioribus morbis, chamædrys, caſtorium cum aqua mulſa, centaurii magni radix, radicis capparis cortex, liguſticum, petroſelinum, nigella. Hæc aliquando cum vino, aliquando cum vino mulſo bibuntur, & ſudores mouere creduntur. ſed & piſtacia comeſta ſudores citra moleſtiam cient. At verò forinſecus illita ſudores mouent, nitrum cum oleo, vnguentum irinum, anethinum, chamæmelinum, laurinũ, raphaninũ, ſicyonium, myrobalaninum, althæa, coſtus, balſamum, ariſtolochia, caſia, calamus aromaticus, libanotis, ſingula cum oleo cocta. Suffita verò ſudores mouent, caſtorium cum pulegio, ſemen balſami, bdelliũ, viticis ſemen. Vtendum eſt his ad morbum regium, & ad eos qui ob frigiditatem aut cutis adſtrictionem non ſudant.

Quæ euacuant & corrumpunt pediculos omnis generis circa corporis ſuperficiem,
Cap. CLVIII.

SAndaracha, ariſtolochia, ſtaphis ſylueſtris, ſulphur viuũ cinamomũ, calamus aromaticus, caſia, pyrethrũ, cinis A quercinus, cucumeris ſylueſtris radix.

De infuſionibus ſedis, Cap. CLIX.

PLurima mala quæ in perniciem animalis generantur propinat ventris ſuppreſsio. Sequitur enim ad ipſam ventris adſtrictionem, capitis grauitas & vertigo, euerſio ſtomachi, lancinatio vomitoria, nauſeǽque ac proſtratus appetitus, oris ſiccitas & amaritudo, ructus iniucundi ac viroſi, ſpiritus graueolẽs, ſomni ſuſpenſi ac iniucundi, inflationes, tormina, voluuli. Generat item plenitudines, & articulares podagricóſque ac coxendicum morbos, o- B mniáque auget, & maligniora ac diuturniora mala efficit, aliquando verò etiam pernicioſa ac lethalia. Cõtingit autem infuſionum per ſedem vſus etiã in aliis affectionibus, quarum ex parte mentionem faciam. Ex infuſionibus igitur quæ iniiciuntur, aliæ ſimplices ſunt & teneræ, aliæ acres, aliæ verò alium vſum ac vim habent. Ex ſimplicibus igitur, aqua calida ipſa per ſeipſam facit, eliciendorũ ſtercorũ gratia, in continuis febribus, malignîſque ac æſtuoſis, & in iis qui ex longa imbecillitate vires recolligunt, in quibus difficiles ſeceſſus fiũt. calidiorem C autẽ immittimus. inflat enim tepida. Verùm aqua & oleo vtimur in detentione duriorũ ſtercorũ, & in iis qui vlceroſum ac mordacem ſenſum circa inteſtina habent. Vitare tamen aquam & oleum oportet, vbi capitis grauitas fuerit, aut ſtomachus ſubuertitur, aut proſtratus appetitus obtinuerit. Roſaceũ autem pro oleo cum aqua iniectum, aptum eſt in æſtuoſis febribus, & feruoribus excellentibus circa media, & maximè circa colum. Caput autem complet, & minus lubricum eſt quàm aqua & oleũ. immittẽdum eſt autẽ roſaceũ cũ quarta aquæ parte. At D verò cum ouo & ptiſanæ ſucco iniicimus roſaceum in æſtuoſiſsimis febribus, aut vbi mordacitas circa inteſtina adeſt. Chamæmelinũ verò oleum, & oui luteum ac candidum, cum ptiſanæ ſucco infundimus ad noctem, in ardentibus febribus, iubentes ipſum continere per totam noctem: nam & ſomnum iucundum inducit, & cauſas febris ſequenti die ſecum educit. Butyrũ verò cum aqua iniectum morſum & tormina mitigat. modicum autem eſſe oportet in iis butyrum. Facit & ad eos in quibus propter inflammationem inteſtini recti detinentur ſter- E cora, & in ſordidis vlcerationibus circa inteſtinum. At fœnigræci decoctum ex aqua citra pinguedinem infundatur in febribus ex pituita accenſis, & in mollibus ac mulieroſis corporibus, & in inteſtinorum morſu. caput autẽ abundè complet: quapropter non vtendum eſt eo niſi caput à læſione fuerit alienum. Maluæ autem decoctum cõuenit in torminibus ac morſibus, & præſertim ſi durum ſubeſt ſtercus. Seminis lini verò decoctum in corporibus ac morbis ſiccis conuenit. vtile eſt & morſibus, & nauſeabundis, & valde ſitientibus. Caput autem cõplet quidem, F non ſimiliter autem velut fœnumgræcum. Ptiſanæ verò ſuccus ſtercora dura diſſoluere poteſt, & inteſtina extergere, & morſus mitigare. Alicæ ſuccus morſus quidẽ mitigat, maximè verò conuenit cardiacis, & qui ex animi deliquio exoluuntur. nam ad hoc quod nutrit, etiam vires reficit infuſus: inſupérque lubricitatem ſubiectis ſtercoribus exhibet. Furfurũ ſuccus febribus ſiccis, & doloribus colicis, & inteſtinorum vlcerationibus cõmodus eſt. exterget enim abſque morſu. Portulacæ ſuccus febribus accommodatiſsimus eſt, in morſibus ac feruoribus G tum aliis, tum in quibus propter durorum ac acrium ſtercorum excretionem, anus aut inteſtinum rectum læſum, ignis ſacri affectionem incurrit. verùm in iis miſcere ad ſuccum oportet & ouum & roſaceum. Sed & per ſe ſuccus portulacæ cõmodus eſt, vbi ſacri ignis ardor in profundo circa inteſtina conſiſtit. Lac iniicitur, vlceratione & inflammatione circa inteſtina conſiſtente, itémque in renibus & veſica atque vtero. Serum lactis infuſum, egregiè ſtercus educit, & omnes ſuperfluitates in inteſtinis repertas expellit. Exterget etiã ſordidiora inteſtinorũ vlce- H ra: verùm citra coagulũ paretur. Oleũ per ſe immiſſum calidum, commodum eſt inflammatis inteſtinis. Idoneũ eſt etiam in extremè ſenibus, in quibus ſtercus induratur. Aqua mulſa conuenit infuſa in mitioribus febribus, & in mulieroſis corporibus, & in decrepitis, quibus

inteſtinũ rectum, aut colũ perfrigefactum eſt. Rutæ decoctum, item anethi, & cumini cum oleo, diſſoluit flatus: quapropter colicis immittitur. oportet autem in his eſſe duas partes decocti, & vnã olei. Fœnigræci ſuccus, butyro & terebinthina admixtis, ita vt ſit de vtriſque quarta pars ſucci, maximè mitigat tormina ſiue concuſſiones circa inteſtina. nã & diu intus manet citra mordacitatẽ, & ſuperfluitates educit citra turbationem. vtiliſſimus eſt etiã ad vteri morſus. At ptiſanæ ſucco miſcetur butyrum & mellis valde parum, & fit commodus in detentis ſtercoribus propter inteſtinorum vlcerationem, & in ſordidis inteſtinorum vlceribus. Rutaceũ oleum cum butyro & terebinthina, vtiliter infunditur in colicis doloribus. Aliquando verò picis liquidæ drachmas tres, aut bituminis drachmas quatuor, cum rutaceo oleo terentes infundimus, & ſedat dolores & pituitam euacuat citra moleſtiam. Aliquando verò lanas ſordidas in vino dulci coquimus & excolamus, atque hoc ipſum oleo rutaceo admixtum infundimus, & coli dolores ſedat, ita vt ſint vini menſuræ tres, olei verò duæ. Si verò neruorum ex quibus teſtes pendent, aut veſicæ dolor affuerit, etiam petroſelinum læuiſſimè tritum rutaceo oleo inſpergatur. In doloribꝰ verò abſceſſuum, aut doloribus vlceroſis in inteſtinis, butyrum cum manna thuris immittimus, aut medullam cerui aut vituli cum oleo. Vbi verò frigidi fuerint morbi & dolores lenti, galbanum iniicimus, vt ſit galbani drachma vna, butyri ſeſcũx. aut ſtyracis oboli tres cũ butyro. Cæterùm acribus infuſis vtimur in iſchiadicis, lethargicis, erecta ceruice ſpirantibus, & frigidis morbis, & ad eos qui lethale pharmacũ acceperunt, & in iis quæ propter frigiditatem aut concretionem in grumos, occidũt. Proinde in frigefactis toto corpore, ſyderatis, iſchiadiciſque ac nephriticis, caſtorii obolos intritos cum oleo immittimus, addito modico ſale. verùm pro ſale nitrum addimus, quũ bis aut ter promptitudinem ad excernẽdum facere volumus. Sal etenim aceruatim quidẽ mordet, nõ perſeuerat autem diu ipſe morſus. at nitrum caput malè afficit ac replet, & ſtomachum euertit, quale nihil ſali adeſt. Efficacia autem ſunt ad paulo antè relatos, garum à ſiluro, marina aqua, muria: decoctum centaureæ, colocynthidis, ariſtolochiæ, cucumeris ſylueſtris radicis, agarici, thymi, chamæpityos, ſeminis roſmarini. Hæc enim & ſanguinem ducunt, & hoc ipſo affectiones leuant.

De glandibus, Cap. CLX.

GLandibus ſubditiciis vtimur aliquando ob ægrorum imbecillitatem, qui infuſis vti non poſſunt: aliquando propterea quod ſtercora ſint apud inteſtinũ rectum, & infuſo non habeant opus: præſertim in febribus vehemẽtibus ac ardẽtibus, & materiam ſurſum repentem habentibus, in quibus nociuus eſt infuſionum vſus Nam in his abſque omni moleſtia educuntur ſuperfluitates inſitæ per glandes ſubditas. Commodæ ſunt etiam omnibus frigidis capitis affectionibus, altiore ſomno preſſis ac deliris. Contingit etiam ipſorum vſus ſæpe in iis quibus nõ excernitur id quod per clyſterem immiſſum eſt. Præparantur autem diuerſimode glãdulæ ipſæ. nam & ex melle cocto, & ſale toſto, & nitro præparantur: & ex cumino & ruta nitróque ac melle cocto, in quibus inflatio magis infeſtat. Sed & thymus tritus cocto melle excipitur: & cyclaminus trita cum melle: & abſinthium aut abrotonum aut lupinorum farina cum melle. hæc autem glandula ad lumbricos commoda eſt: aut hyſſopum & tragoriganum & epithymum cum melle. hæc in ſtomachi ſubuerſione vtilis eſt. aut granum cnidium cum reſina ſicca ſiue melle cocto, aut pyrethrum cum reſina ſicca, aut ſinapi cum ſicca reſina, aut centaurium cum pice & cera. hæ cõmodæ ſunt in partium reſolutione: aut bitumen, radicis panacis parum, hyſſopum, galbanum & reſina ſicca. Vtilis eſt hæc glans ad reſolutos toto corpore, & propterea facultatem excernendi debilem habentes. facit & in reſolutione inteſtini recti, facit & ad aſcaridas. Poteſt autẽ pro melle reſina ſicca in vſum aſſumi, aut pix, aut ficus pinguiſſima trita aut vua paſſa exemptis granis, aut ſapo. Optima verò glandula fit ex foliis mercurialis viridibus tritis ac efformatis & ſiccatis. In infantibus autem etiam gru-

A mus ſalis inditur, cæpáque ac porrum capitatum.

De tomentis ſiue floccis,

Cap. CLXI.

SÆpe etiam opus eſt aliquid ſubdere in iis qui ſciſſuras aut condylomata in ano habent. dilaniãtur autem hæc à glãdium duricie: vnde cogimur tomentis pro illis vti. Materia verò horum ſunt omnia antè relata, quæ trita cum melle, & tomento ſiue flocco excepta ano induntur.

De aëre, Galeni, Cap. CLXII.

B BOnus eſt aer in omni tempore qui exactè purus eſt. Talis autem fuerit is qui non ex ſtagnorum aut paluſtrium locorum euaporatione turbatur, neque ex barathro quopiam venenoſam auram concipit. velut verbi gratia, ſi ex quibuſdam cloacis magnam ciuitatem expurgantibus conturbatur, malus eſt. At verò & qui nebuloſus eſt, non eſt bonus. Quemadmodum etiam qui in regione caua vndique altis montibus includitur, malus eſt & æſtuoſus ac ſtrangulatorius: qui verò in montibus altiſque regionibꝰ eſt & nullam auram ſuſcipit, ſalubrior eſt, C commodus erecta ceruice ſpirantibus & tabidis, & omnibus thoracis ac capitis affectionibus. At qui in humilibus regionibus purus eſt, commodus eſt animo delinquẽtibus ac ſenibus. Marinus verò, hydropicis & fluidis affectionibus, & præſertim frigidioribus vtilis eſt, & neruis per conſenſum affectis, & proſtratæ appetentiæ. Qui verò in petroſis locis eſt, hyeme quidem grauis eſt, frigidus enim eſt: æſtate verò æſtuoſus eſt. malus eſt etiam qui ex metallis exhalat. qui verò ex argilloſis, ſtomachum exoluit. At ex locis terræ fuluæ, magis priore ſiccat. Optimus D autem eſt ex terra nigra. ſed & circa anni tempora mutationes aëris fiunt. Et verno quidem tempore humidus & calidus eſt aër: æſtate verò ſiccus & calidus: autumno frigidus & ſiccus, hyeme frigidus & humidus. Rurſus autem in ſingulis temporibus tres differentiæ fiunt, prima, media, & vltima. Media itaque ſinceriſſimũ temporis temperamentum habent: prima verò & vltima à vicino tempore imminuuntur. Sed & luna ſecundum menſem quatuor differentias in aëre operatur. Primus igitur ſeptenarius à nouilunio vſque ad ſeptimam diem, ſimilis eſt veri, E humidus & calidus exiſtens: ſecundus verò ſeptenarius vſque ad plenilunium, æſtati ſimilis eſt: tertius ſextenarius decreſcente luna, autumno: quartus & vltimus, hyemi. Sed & ſingulis diebus differentiæ aeris fiunt: matutinum enim tempus humidum eſt & calidum, velut ver: quapropter etiam corpora tum ſanorum, tum ægrotorũ remittũtur, vt etiam febrientibus hoc tempus facillimè toleretur. at medium diei, æſtati aſſimilatur. crepuſculũ autumno, veſpera hyemi. Quin & noctis prima pars veri aſſimilatur, media æſtati, & reliqua conſequenter.

F De ventis, Adamantii Sophiſtæ,

Cap. CLXIII.

QVandoquidem vero ex terræ exhalationibus venti generantur, etiam de iis, paucis tractandum eſt. Vẽtos quidem parturit terra, parit autem fuliginoſas exhalationes. nam caliditas humiditati inuoluta ſicciores exhalationes & velut fuliginoſas faciens, ventos generat. ſiccam autem exhalationẽ nunc accipe ad comparationem aliorum velut ſi vinum ſiccius dicamus. Vniuerſales vẽti duodecim ſunt numero: orientales tres, eurus, ſubſolanus, G cæcias: occidẽtales tres, africus, fauonius, thraſcias. vnus autem meridionalis appellatus auſter, & vnus ſeptentrionalis boreas: vt ſint relati octo. Alii verò quatuor inter relatos medii ſunt, & ab angulis mundi excitantur. inter orientẽ & meridiem, euro auſter: inter meridiem & occidentem, africoauſter: inter orientem & ſeptẽtrionem, aquilo: inter ſeptentrionem & occidẽtem, argeſtes ſiue circius: vt ſint omnes vniuerſales duodecim. Alii verò qui vernaculi ſunt ſingulis regionibus, ſpurii exiſtunt. At verò aliæ exhalationes ex terra fientes, humidiores iis H ſunt quæ ventos generant. Si quidem igitur modica & tenuis fuerit exhalatio, vapor nubiloſus generatur: ſi verò amplior & craſſior, caliginoſus: ſi verò adhuc craſſior, tenebricoſus. plurima verò ac craſſiſſima humiditate exhalante, vapor diffunditur in ambientem roſcidus. Ex his

quatuor exhalationibus concretis rores & imbres fiũt ac deferuntur:congelatis verò pruinæ & niues & grandines, pro frigoris qualitate ac quantitate.nulla vero harum vẽtum generare ſolet, quum ſegnes ſint & impetu careant. Et humida quidem exhalatio quæ vapor ap, ellatur,rores & imbres facit,ſiccior autẽ facit ventos,& eſt ſicca humidæ contraria. Quomodo verò ſæpe ſimul imber & vẽtus fit? Dicimus quia ex alio atque alio loco afferũtur. Quũ enim ex diuerſis latitudine locis contrariæ exhalationes fiunt,tunc & pluit & flatus fit. Cur autem aliquando poſt pluuiam venti fiunt, aliquando poſt ventos pluuia ſequitur? Dicimus quoniam caliditas in terra non habet in illo tempore humorem quem accendat, & propterea manet otioſa. vbi verò arripit pluuialem humiditatem,effloreſcit,& per materiæ incenſionem fuliginem excitans vẽtos efficit, qui iam ſanè conſumpta pluuia nube manent in ſerenitate ſpirantes, aut impellunt id quod ipſos genuit.pluuia itaque hoc modo ventos generat. Ventus autem pluuias hoc modo generat:Oſtendimus quòd communis eſt caliditas triſque exhalationibus,verùm humiditas quantitate diuerſa eſt.Quum igitur multa fuerit caliditas,larga vero humiditas,tunc appropinquantem humiditatem in ſuperficie exurit,& fuliginem ſimul ac vapores facit. Tranſpirans autem caliditas ex multa humiditate paulatim imminuitur, & non amplius humiditatem exurit,ſed diffundit & vapores pro fuligine facit, atque ſic ſuccedit imber póſt.Et ſæpe ad multos dies obtinet pluuia calido exoluto, & non amplius materiam exurere potente.Cur autem multi & aſſidui boreales ac anniuerſarii venti in æſtate fiunt? quoniam ſol ſub boreali polo plurimam reperiens humiditatem,partim in niue,partim in aquis congelatis,& hanc paulatim eliquans, diuidit quidem in fluuiorum ac ſtagnorum generationem, effundit autem & fontes in terra:& propterea multas exhalationes efficit,quas in flammam exurens vna cum caliditatibus multo tempore in terra occultatis,fuliginoſas ipſas reddit,& quod exuritur ad venti diuturni fluxum paulatim redigit. In communi igitur omnis vẽtus longiorem aeris fruitionem exhibet corporibus, violento motu aerem inducens. Porrò locales venti ſimiles ſunt locis ex quibus ſpirant,à ſalubribus locis,ſalubres:à morboſis,morboſi.quare ex relatis de aere etiam de his conjectare oportet.Quo verò in ſumma dicamus, omnes locales venti vniuerſalibus morboſiores ſunt. nam corpora inæqualiter afficiunt,neque totum aerem commouentes,neque per totum diem ſpirantes.Maximè enim locales venti circa matutinũ ſolum tempus ſpirãt,quos nautæ Apogeos, *uelut è terra eleuatos*, appellant. At ex vniuerſalibus vẽtis ii qui in meridie ſpirãt,auſtri appellati, calidum temperamentum habẽtes ſemper,ferme etiam humidi ſunt. Tranſmutantur autem ad tẽpora anni, & fiunt calidi & ſicci:& propterea varios morbos generant. Boreales vero frigido ſunt temperamento,& ideo omnium ventorum ſaluberrimi, & præſertim in calidioribus ac carnoſis corporibus. At venti orientales vehementiſſimi ſunt,& morboſà ſiccitate contingentes efficiunt.Occidẽtales autem humidi ſunt ac lenes, & corporibus noſtris magis familiares.

De acceſſione ac ſignificatione ſtellarum, Cap. CLXIIII

QVandoquidem etiam ſtellæ in cælo orientes iuxta tempora à Deo ipſis ordinata, & ſimiliter occidentes aera mutant, vt contingat ex hoc etiam ventos aliàs aliter ſpirare:neceſſarium duxi hic tempora indicare, in quibus earum quæ palàm aerem alterant, ortus & occaſus fiunt.nam ſanorum corpora,& multo magis ægrotorum,iuxta aeris ſtatum alterantur. Menſe martio qui diſtros *Græcis* eſt,equus manè oritur decimanona die. Menſe martio die XXIII.æquinoctium vernum eſt, & maxima aeris turbatio. Menſe aprili, hoc eſt xanthico, prima die intempeſta nocte pleiades apparent. Menſis aprilis XIX.pleiades veſperi occultãtur.Menſis april.XXI.pleiades, cum ſolis ortu oriuntur,& eſt maxima circa aerem turbatio.Menſis april.XXVIII.orion veſperi occultatur. Menſe artemiſio, hoc eſt maio, prima die hyades ſimul

A cum ſolis ortu oriuntur.Menſis maii quarta, lyra veſperi oritur,& aer multùm alteratur, Menſis maii ſexta, capra manè oritur,& valde alteratur aer. Menſis maii ſeptima, pleiades manè apparent,& aer ſedari incipit. Mẽſis maii XIX.hyades manè apparẽt,& aer valde alteratur pridie aut nudiuſtertius eius diei. Menſis maii XXIIII. capra veſperi occultatur,& nudiuſtertius eius diei aer mouetur. Menſis iunii ſecunda,aquila veſperi oritur,eiuſdem ſexta actur⁹ occidit,nona,delphin oritur.Vigeſimaquinta orion manè oriri incipit.Sunt autem ſolſtitia æſtiua,& aer tribus die- B bus antea valde alteratur. Mẽſis iulii III.orion totus oritur, decimaquarta,procyõn *ſiue canicula* manè oritur.decimanona canis oritur,& contingit maxima aeris turbatio: aliquando etiam nudiuſtertius eius die: vigeſimaquinta, aquila manè occidit. Menſis auguſti XV. lyra manè occidit:decima nona delphin manè occidit,& eſt mutatio æſtatis ad frigiditatem : vigeſima octaua vindemiator manè oritur: & malus nauis occidit. & eſt finis dierum poſt exortũ canis.Mẽſis ſeptẽbris ſeptima capra veſperi oritur: decimaſeptima arcturus oritur , & alterat ſequenti C diẽ aerem, decimanona ſpica manè oritur . alteratur aer duob⁹ dieb⁹ antea: vigeſimaquinta æquinoctiũ fit autumnale,& eſt maxima aeris turbatio trib⁹ antea dieb⁹.quare eſt cauẽdũ ne venã ſecemus, neque purgem⁹, neq; aliàs corpus vehemẽti motu moueam⁹,à decimaquinta ſeptẽbris vſque ad vigeſimamquartam eiuſdem menſis.Menſis octobris ſexta, corona manè oritur , & eſt vehemens aeris mutatio:ſeptima hœdi veſperi oriuntur : decimaſeptima hyades veſperè oriũtur,& magna fit aeris turbatio: vigeſimatertia , vnà cum ſolis ortu pleiades occidunt , & D contingit pridie maxima aeris turbatio.Menſis nouembris ſexta pleiades manè occidunt , & incipit aer ſedari. vndecima,lyra manè oritur: vigeſimaprima hyades manè occidunt,& ſequenti die turbatio fit circa aerem: vigeſimaſeptima orion oritur,& corona occidit.Menſis decẽbris prima,canis manè occidit. Obſeruatum eſt autem à multis quòd ſi tẽpeſtuoſa fuerit hæc dies, perſeuerat plerunque turbatio aeris ad dies XXXVII.ſi verò ſerena fuerit,per tot dies ſerenitatẽ fore ſignificat. Decima,hœdi manè occidũt:vndecima,capra manè occidit, & perturbatio aeris fit poſtridie.vigeſimatertia,ſolſtitiũ eſthyber- E num. Menſis ianuarii quarta,delphin oritur:quinta, aquila veſperi occidit,& fit turbatio vehemẽs poſt duos dies: vigeſimaquinta,illuſtris ſtella in leone occidit. Menſis febrruarii ſexta fauonius ſpirat:vigeſimaſecunda,malus nauis veſperi occidit,& eſt turbatio aeris magna: vigeſima quinta,arcturus veſperi oritur . vigeſima ſexta,hirũdines volant & apparent.

De aquis,ex Rufo, Cap. CLXV.

AQuarum potabilium quinque ſunt vniuerſales diffe- F rentiæ,pluuia,fontana,puteana, fluuialis , ſtagnina. Ex his apparet aqua pluuia leuiſſima & facillimè mutabilis,& in aliis affectionibus potu optima,ſi ſtatim excipiatur ac coletur. Verùm febribus, & iis qui bilem ſupernè ac infernè reddunt,& regio morbo incommoda eſt.Mutatur enim facilè & in bilem tranſit.Idonea verò eſt ocularibus medicamentis ad fluxus aut vlcera deſtinatis. at iis quæ viſum acutiorem reddũt inepta eſt, itémque ad metallicorum pharmacorum loturam.adſtringit enim amplius quàm fontana:quare neque exterget,neque conco- G quit,neq; madefacit,& excretiones impedit. Diuturnior autem acerbior fit,& difficilius tranſit, & ægrius ſecernitur,tardius item cõcoquitur ac digeritur. Generat autem deſtillationes,præſertim ſi frigida bibatur. Fontanæ verò aquæ, quarum fontes ad ſeptentrionem erumpunt ex petris ſtillantes. ſolem auerſum habẽt,incoctiles ac tardè tranſitus ſunt,& tardè calefiunt ac frigefiunt.Quarum verò fontes ad orientẽ erumpunt, & per meatum quẽdam aut terram puram excolantur,calefiũntque ac frigefiunt citiſſimè,hæ optimæ ſunt, niſi ex cloacis quibuſdam vi- H tium ipſis accedat. At puteana frigida eſt,terrea,difficulter excernitur,ægrè digeritur:& propterea æſtuoſo ſtomacho aut ventri commodior eſt quàm fontana . Fluuiales autem aquæ & ſtagninæ omnes malæ ſunt,Nili aqua excepta:hæc enim omnibus virtutib⁹ exornata eſt. nam & in

potu iucunda eſt,& moderato tempore in aluo moratur, ſitimque extinguit:& ſiquis frigidam bibat,minimè moleſtat & ad concoctionem ac digeſtionem vtilis eſt.vnde concinnum & robuſtum & bene coloratum corpus facit.At aliorum fluuiorum aqua ægrè concoquitur, ſiccat & ſiticuloſa eſt, & præſertim ſi vitioſas aliquas regiones pertranſit.Meliores autem ſunt fluuii qui per fontes perpetuos fluunt,& aliis fluuiis non miſcentur. Stagnina verò aqua,propter cœnoſam circumferentiam limoſa & grauis eſt,& propter ſtationem ac immobilitatē velut mortua & putrefacta.quare nunquam alia præſente aqua exhibenda eſt hæc debilibus.Porrò iuxta terram quoque ac regiones,plurimæ aquarum differentiæ fiunt. Verùm vt in ſumma dicam,quæ guſtui congrua eſt,& cui inhabitatorum experientia teſtimonium præbet, optima cenſenda eſt.nam quæ citò calefcit ac frigeſcit, & facilè carnes ac alia omnia coquit, ea etiam cibos in ventre concoquit.Quæcunque verò aquæ adſtrictionem,aut ſalſedinē, aut nitroſitatem, aut craſſitiem, aut aliud quid in guſtu detegunt,malæ ſunt.Item quæ graue olent,& quæ concretionem ſuperſtantem habent, & ſubſidentiam fœtidam ac ſolidam,& quæ inſtar lapillorum æreis vaſis adhærent & quæ hirudines nutriūt,aut talia quædam praua animalia:& ſtantes, & paluſtres, & quæ ſunt in metallis auri & argenti,aut aluminis,aut ſulphuris,aut ſimilibus. Et quibus radices infixæ ſunt,incommodæ ſunt.& quibus vicinæ ſunt calidæ aquæ ſiue ſpontaneæ erumpentes, omnes tales malæ ſunt.Optimum igitur fuerit talem aquam præcoquere in fictilibus vaſis, & frigefacere & rurſus calfactam bibere.Cæterùm in peregrinationibus aut exercitu foſſæ conſequenter faciendæ ſunt, ab altiſſimis locis ad decliues,& per has ducenda eſt aqua,ita vt in totas foſſas terra dulcis ac pinguis mittatur,ex qua fictilia fiunt. ſemper enim in foſſis relinquitur aquæ malitia.In ſumma omnis aqua tardè tranſit,ægrè concoquitur, & flatuoſa eſt, & præſertim frigida deſtillationem facit. Si verò ab acceptis in cibo oleribus quis aquam bibat,maius eſt periculum ne homo tenuia capitis vlcuſcula,& ſcabiem, & lepras,& puſtulas,impetigines,furfures,putrida vlcera,herpetas,ſatyriaſes, aut ex iis aliqua incurrat,& ad hoc vrinas mordaces, taleſque etiā egeſtiones habeat, & præſertim ſi nitroſa fuerit aqua.Incōmoda eſt etiam thoraci,& arteriæ vlceratæ nitroſa aqua,renibus itē ac veſicæ, & omnibus vlcerib⁹.Emedāt autē nitroſam aquā cibi hebetātes, ac vinum:craſſam verò,ſiccantes & attenuātes,velut ſunt allia& ſimilia: aluminoſam,vinum tenuiſſimum,omnia vrinam cientia,& omnia excretionem impellentia. Videtur porrò aqua conuenire capitis doloribus,hebeti viſui,comitiali morbo,articulari morbotremulis reſolutis, per ſe & cùm melle pota.Commodior eſt autem iis quæ ab vtero ſtrangulantur,& qui bilem generant nigram ſiue flauā,à quibus os vētris roditur,& robuſto ventri,ac in teſtino ieiuno,& iuuenibus exudātibus carnoſis,& omnibus pinguibus,& nimiū purgatis,& ex vulnere ſanguinē fundētibus, aut ex naribus,aut alio loco.Cōmodat & æſtuoſæ febri tempeſtiuè data. Cōuenit etiā iis qui aſſiduè in ſomnis ſemen effundunt, & qui aliàs ſeminis profluuio laborant,in potu accepta: quanquam profit etiam in ipſa natare,ex eâque perfundi conueniat mulieribusè fluxu aut pica laborātibus.Cōuenit item ſingultiētibus & oris graueolentiam habentibus frigida pota: tepida verò conuenit morbo comitiali,capitis doloribus,lippiētibus, gingiuis dentium corroſis,dentibus perforatis, gingiuarum abſceſſui,& gingiuis cruentis,faucibus vlceratis,tonſillarum morbis,fluxioni capitis, atræ bilis feruori, bili ſupernè ac infernè erumpenti in principio, & vomentibus in febri bilioſa. Conuenit etiam tepida aqua quum frigidæ impedimentum fuerit, & iis qui vlcera habent circa ſeptum tranſuerſum,& ſanguinem ſpuentibus,& rupturis in ſuccingente coſtas membrana. At verò calida aqua conuenit vbi oportet excretionem præparare,& vbi quid attenuare,& vbi diffundere,aut liquefacere, aut mollire,aut eluere, aut concoquere, aut diſcutere volumus.in vniuerſum igitur calida pota hæc poteſt. Particulatim verò,mucum educit,& ſcreatum adiuuat, & dolo-

A rem omnem mitigat,& præſertim in præcordiis ac inteſtinis ructum mouet,& flatum prouocat, vrinam acceſſum ducit.bona eſt etiam ad concoctionem, ac digeſtionem,& nutritionem,atque augmentum. Menſes ducit,neruis & conuulſionibus idonea eſt: pleuritidini item ac peripneumoniæ & anginæ.An verò nutriat,aut nō nutriat,& an ſit alimenti vehiculum,nō eſt propoſitum hic quærere.Quod verò dicere neceſſarium eſt, hoc eſt,quòd ſine aqua alimentum concoqui non poteſt:ſicut neque citra aquam quicquam commodè coqui poteſt. Cæterùm B aqua lixiuii pota ſplenicis prodeſt. & ſiquis panem cum tali aqua præparatum ipſis præbeat,multùm prodeſt.

De balneis,ex Galeno, Cap. CLXVI.

Balnea quædam ſunt dulcia,quædam qualitatis exortia,quædam qualitatem aliquam habent. & quæ aliā quandam qualitatem habēt,partim ex noſtro ſtudio vim habent,partim naturalem vim per ſe poſſident. Primùm igitur de dulcibus dicendum eſt,quandoquidem horum vſus frequentior exiſtit.Dulcium itaque aquarum vis humida & calida eſt,ſi quidem fuerint temperatæ: ſi verò C tepidæ fuerint, humida & frigida: ſi verò calidiores æquo factæ fuerint,calida quidem ipſarum vis eſt,non autem ſimiliter humida.inhorreſcere enim cogunt corpora,& meatus ipſorum denſari,vt neque extrinſeca humiditate fruantur, neque ex internis ſuperfluitatibus quid euacuetur.At enim à temperatis incipiendum eſt. temperatæ itaque ſemper humectant per ſeipſas ac calefaciunt.Contingit autem ipſas aliquando aut diſcutere humiditates ex corporis quibuſdam partibus, aut mollire, D aut concoquere,aut corroborare virtutem,aut diſſoluere.Ad hæc tamē etiam quantitas ipſarum non parum cōfert.Commoda verò ſunt talia balnea,dulcia inquam,& temperata,in febribus ſiccis & humoris exortib⁹,& præſertim in immodicè ſitientibus, & in forti inſolatione, & in puſtulis ſcabioſis. Oportet autem & aerem balnei humidum efficere pauimento & parietibus aqua conſperſis.At verò calida ex noſtra induſtria parantur balnea quum frigiditatem infeſtantem ſedare volumus,aut laſſitudinis affectum,aut conuulſionem,aut dolorem miti- E gare.Fiunt autem calida calfactoriis quibuſdam aquæ immixtis,velut pulegio,origano,hyſſopo,thymo,thymbra,ſaluia,foliis lauri,pyrethro,chamæpity,panacis radice,roſmarini ſemine,& ſimilibus. balneis autē diſcuſſoriis vtimur,aut habitū corporis graciliorē reddere volētes velut in pinguibus,& ex affectione tumefactis aut toto corpore,aut aliqua parte,velut abdomine,teſtib⁹,pedibus:velut in hydropicis cōtingit. Vtimur etiā in fluidis vlceribus,propter ſubiectam in toto corpore multitudinem,aut varicibus vlceri ſubiectis.Fiunt autem diſcuſſo- F ria balnea,iniectis aquæ talibus quibuſdam qualia ſunt ſal,nitrum,aqua marina calefacta,& mel aquæ admixtū, aut ſtaphis ſylueſtris cocta cum aqua ex cinere ficulneo aut vitis percolata:item baccæ iuniperi cum eadem aqua coctæ,& ſulphur eadem aqua elutum, adarce & alumen cum eadem coctum.At verò mollibus & lenibus balneis vtimur in inflammatione ac duritie quadam partium. talia autem fiunt malua in aqua cocta, tum hortēſi tum ſylueſtri,& ſemine lini,& fœnigræci,& meliloti. In fluidis autem inflammationibus, plantago aut polygonum G aquæ incoquitur,aut malicorium,aut rubi folia. In conuulſionibus autem inflammationem minātibus,vtimur iis quæ iam relata ſunt in inflammationibus abſque fluxionibus.Maximè verò prodeſt iis aqua & oleum in quibus malua,fœnumgræcum ac ſemen lini ſunt incocta.Si verò duritia eſt citra inflammationem, prædictis diſcuſſoriis vtemur.

De balneis naturalibus,Archigenis, Cap. CLXVII.

Ex balneis naturalibus quædam ſunt nitroſa,quædam ſalſa,quædam aluminoſa,aliqua bituminoſa, aliqua H ſulphurulenta:aliqua ferri,aliqua æris qualitatem habēt: quædam verò ex iis compoſita ſunt. horū autē omniū vis eſt ſiccare.Aliqua verò vnà cum hoc quòd ſiccant, etiam ſtrenuè calfaciunt: quædam vnà cum ſiccando etiā adſtringūt,velut aluminoſa: ex parte verò, & quæ ſalſa,& quæ æris qualitatē habent.Omnia autem ſunt commoda

humidis & frigidis præter naturam corporibus,& talibus morbis diuturnis.Quapropter conueniunt morbo articulari,podagræ,reſolutionibus,nephritidi,anhelofis,fracturis calli inductione egentibus,vlceribus fluidis, inflammationibus diuturnis & iam induratis. Et nitroſa quidẽ ac ſalſa capiti conueniunt,& thoraci fluxionibus vexato, & ſtomacho humido,& hydropicis,& tumoribus omnibus: aluminoſa verò,ſanguinis reiectioni, ſtomacho vomenti,& in iis qui immodicè ab hæmorrhoidibus euacuantur,& fœminis quæ inordinatè purgãtur, aut nimiũ purgantur, & quæ citra manifeſtam cauſam frequenter abortiunt. Proſunt & iis qui immodicè exudant, & tardè concoquunt, & tumoribus ſurarum. commodant etiam varicibus. At ſulphurulenta & neruos molliunt & teneſmi dolores mitigant:verùm ſtomachum exoluũt ac ſubuertunt. Purgant autem cutem. & propterea conferunt vitiligini albæ ac nigræ,lepræ,ſcabiei,impetigini, & vlceribus antiquis,articulorum fluxionibus,ſpleni indurato,hepatique ac vtero,reſolutis, coxendicum morbo, & pruritui.bituminoſa verò caput replẽt,& ſenſuum inſtrumenta lædunt. perſeueranter autem calfaciũt,& cum tẽpore molliunt, & præſertim partes circa vterum & veſicam ac colum.Quæ verò æris qualitatem habent, ori & tonſillis,& vuæ,atque oculis excellenter commodant. Ferri verò qualitate prædita,ſtomacho & ſpleni conuenientiſſima ſunt. Porrò quæ mixtam qualitatem habent, iuxta dominium mixtorum operantur.Oportet autem ingreſſos ad naturalia calida balnea citra turbationem facere,quò vis ipſorum remiſſo corpori allabens immergatur.nam qui perturbati ingrediuntur, eorum corpus horreſcens denſatur,& non ſuſcipit ab aqua qualitatẽ.Cæterùm bituminoſis & ſulphurulentis aquis ſalientibus caput ſupponere non oportet:facilè enim inde læditur.

De frigidæ lotione,ex Galeno,
Cap. CLXVIII.

FRigida balnea conueniunt inculpatè ſanis: corroborant enim totum corpus & cutem duram ac denſam efficiunt.optimum eſt autem hoc præſidium contra læſionem ab externis.Non autem dico conferre frigidæ lotionem iis qui vulgari victu temerè vtuntur, ſed ſolùm iis qui exactè viuunt,& laboribus ac cibis conuenientibus vtuntur. Sint autem neque ex venere neque aliâs laſſati,neque crudi: neque prius vomuiſſe debent,neque vẽtre malè affecti eſſe, neque vigilaſſe. alioqui periculoſus fuerit eius vſus.Oportet autem inſuetos ad frigidæ lotionem paulatim aſſuefacere.Et primùm quidem in æſtate ipſius vſum auſpicari,& primùm nõ in ſincerã frigidã ingredi,ſed quæ ſuperficiem habet exolutam: deinde vbi paulatim per totam hyemem aſſueuit quis, ita ad frigidam accedere.Sit autem dies in qua auſpicatur,à ventis tranquilla,& quammaximè pro illo tempore calida, & in meridie initium faciat.Qui verò frigida vſurus eſt, ſit ætate circum quintum & viceſimum annum, ſit animi alacris& valde virilis.& primùm fricet corpus linteis diutius frictione duriore:deinde per oleum fricetur conſuetum,poſtea exerceatur,atque ita in frigidam deſcendat, non lentè ſed confertim inſiliens, quò in vno tempore omnibus corporis partibus aqua circumfundatur. nam quæ paulatim appropinquat horrorem inducit.ſit autem aqua,velut dictum eſt,neque tepida neque purè frigida. Poſtquam autem egreſſus fuerit ex aqua à pluribus per oleum fricetur,donec cutis incaleſcat. Et poſtea cibos plures quàm ſolet ingerat.nam plures appetunt à frigidæ lotione,& melius concoquunt,& minus ſitiũt: quare etiam paucior potus ipſis dandus eſt.

De inſeſſu in ſolium ex oleo,Galeni,
Cap. CLXIX.

INſeſſus in ſolium ex oleo conueniunt diuturnis cum frigore febribus, & laſſatis, & dolentibus neruos oſſibus incumbentes,& conuulſis, & vrinæ ſuppreſſæ.Oportet autem quintam olei partem ad ignem calfacere:reliquum verò in ſolium immittere. ſatis autem calidum ſit quod in parua ſolia balneorum immittitur. quinta verò pars ad reliquum calfacta adiiciatur,atque ſic æger inducatur.

De ſpongiæ vſu, Archigenis,
Cap. CLXX.

SPongiæ vſum aſſumimus in aliis quidẽ partibus, aut ad ſordes incumbentes detergẽdas,aut ad ſaniem, aut ſanguinem,aut pus,aut ipſa medicamenta,aut vt corpora à mordacitate aut pruritu vexata mitigemus. Verùm in facie vt ſpiritum reuocemus ac reſuſcitemus, velut in iis qui animo linquuntur aquam adhibemus: æſtate quidem frigidam, hyeme verò lactoſam *ſiue lactei teporis.* In ægrotis autem cautè hoc faciendum eſt,non in principio neque in augmẽto exacerbationis, ſed in vigore ac declinatione.in principiis enim impetuum refocillamus per odoramenta. Vult autem Archigenes in febris ardentis exceſſu iuxta ipſum vigorem,vt nõ ſolùm faciei ſpongiam adhibeamus,ſed etiam pectori.

De aſperſionibus, Cap. CLXXI.

SED & aſperſiones faciei aſſumimus in ægrotis ob prædictas cauſas. Et æſtate quidem in ardentiſſimis febribus frigidam adhibemus,hyeme verò calidiorem.verùm in ſimplicioribus febribus & in ſtomachi ſubuerſione etiam poſcam aſpergimus. Cauendum autem ne diutius immoremur,& præſertim in iis qui caput quod facilè læditur habent.nam delationis in ſoporem grauiorem ac periculoſæ frigiditatis initium præbet. Vtimur etiã aſperſionibus in oculis fluxione infeſtatis, ocymi decoctũ velut efficaciſſimum adhibentes, & ramulorum pinaſtrorum contuſorum decoctum. Subiiciatur autem mento ſpongia ſicca, vt ne defluat aqua ad pectus.

De irrigationibus, Cap. CLXXII.

IRrigationibus vtimur vbi ob aliquam circunſtantiam balneũ adhibere prohibemur.Et in vigiliis & in febribus,& ad delirantes ipſis vtimur, velut eſt decoctum chamæmeli:aliquando etiam capitum papaueris.quin & decoctis in oleo capitibus papaueris caput irrigamus, & ſtatim iucundus ſomnus ſequitur. Archigenes autem præceptorem ſuum Agathinum ex vigiliis delirantem, confeſtim à dilirio ac vigiliis liberauit,capite eius multo calido oleo irrigato.At in conuulſionibus caninis oleo ſicyonio calido aut aliquo cõſimili caput perfundendum eſt. item in iis quibus nerui fortiter ſunt afflicti.Si vero frigiditas & tremor ad afflictionem neruorum conſequatur, etiam caſtorium ad ſicyonium admiſcendum eſt. Podagricos verò marrubio in aqua aut vino cocto irrigamus.

De inſeſſionibus, Cap. CLXXIII.

INſeſſiones aſſumimus in partibus inflammatis, aut ob balnei penuriam, aut propter virium debilitatem, aut ob aliud quoddam impedimentum. In inflammatis igitur renibus,vtimur decocto fœnigræci, maluæ hortenſis ac ſylueſtris,ſeminis lini.In calculoſis verò, iiſdem propter inflammationem,& artemiſiæ decocto, ac roſmarini,& petroſelini,ac ſpicæ nardi.iiſdem etiam vtendũ eſt in veſica,adiecta etiam ruta.Ad vterum verò, artemiſiæ decocto,ſaluiæque & lauri,ac ſimilium.Ad colum autem, ſinonis & panacis decocto, & lauri ac ſimilium. ad ſedẽ, meliloti, capitum papaueris & roſarum decocto. Ad fluxiones autem vteri & hæmorrhoidas ani,plãtaginis decoctum conuenit,& polygonii,malicorii,roſarum,ruborũ, ac ſimilium.ad vulnera verò conuulſionem denũtiantia, aqua & oleum.Omnes igitur illinendi ſunt, & inducendi vſque ad imum vmbilicum. Oportet autem & partes quæ madefiunt,prius inungere,& præſertim caput: & tegere vt ne repleatur.

De humectationibus, Cap. CLXXIIII.

HVmectatio differt ab irrigatione, eo quòd perſeuerantem ex adhibito auxilio habet vtilitatem: nam aut lanam aut linteum humectãtes,imponimus partibus affectis poſt perfuſionem ſiue humectationem. Habẽt igitur minorem vim quàm cataplaſmata. Vtimur autẽ ipſis ad caput quod nõ probè ad cataplaſmata diſpoſitum eſt,& ad eos qui ob debilitatem ferre non poſſunt cataplaſmatum grauitatem,& ad præcordia inflammata, circa morborum principia,quum intempeſtiuus ſit tunc cataplaſmatum vſus. Vtimur etiam ad fracturas ac contuſiones neceſſitate expetente, quando emplaſtica pharmaca aſſumere non poſſumus.

De fomentis,perfuſione,cataplaſmatis,ac cucurbitis,ex Galeno, Cap. CLXXV.

FOmenta cutem rarefacere ſolent, & facilè tranſpirãbilem efficere,& ſanguinem in inflammationib⁹ attenuare ac diſcutere,toto nimirum corpore tunc ſuperfluitatibus carente. nam ſuperfluitas quæ redundat in quibuſdam per omnem cutem,plus ad calefientem partem trahetur quàm diſcutietur. quapropter ante fomenta totum corpus euacuare oportet.Humida itaque fomenta inflammationibus conueniunt à bilioſioribus humoribus factis:ſicca verò iis quæ à tenui & aquoſo ſanguine productæ ſunt.Et lenia quidem fomenta in mordacibus humoribus conueniunt:mordacia verò & attenuantia,craſſis ac viſcoſis.At verò calfacere præcordia cataplaſmatis aut irrigationibus,non ſemper tutum eſt: ſed in illis ſolùm ægrotis in quibus nulla ſuperfluitas in toto corpore oberrat:altis omnibus extremum malum eſt. Contingit autẽ in plenitudinis morbis, vt diuites magis quàm pauperes malè curentur. Plerique enim ipſorum præ deliciis non ſuſtinent venæ ſectionem,& quidem quum magis quàm pauperes plenitudinis affectionibus corripiantur, vt qui etiam magis impleantur & ocioſius viuant. At qui curant ipſos medici,eo quòd relictum eſt maximum auxilium, arbitrantur ſe aliorum vſu expleturos eſſe quantum deeſt. Et ſanè ipſi etiam ægri putantes quietum victum negligentiam eſſe,at quodcunque tandem facere,curationẽ eſſe,cogunt medicos quotidie aliquid præcordiis adhibere,conſentientibus ſanè etiam medicis in hoc ipſum, vt ſemper aliquid facere videantur. hinc enim ſperant ſe plus lucri facturos eſſe. Atque ſic ipſi efficiunt inflammationes per ea quæ faciunt,ſemper aliquid præcordiis adhibentes. Proinde contingit in illo tempore inflammationes incipere in diuitibus, in quo iam in pauperibus morbus eſt prope ſolutionem. Vena enim ſecta in principio præſertim continentis febris,& pauperes,& ſerui diuitum plerique in quinta die iudicati ſunt:aliqui verò in ſeptima. at verò diuites, plenitudinem & ſuperfluitates plures quàm ſerui & pauperes habentes,& venæ ſectionis auxilium tranſgreſſi,& poſtea quotidie per calidum oleũ foti,& laxatoriis cataplaſmatis intecti,inflammationem quandam cõflatam habent aut circa hepar,aut ventrem, aut alia viſcera,aliqui in quarta die, aliqui in quinta, aut omnino in ſexta. Vidiſti autem etiam tu qui eodem tempore dum fomentum adhiberetur,difficulter ſpirauit, omni ſuperfluitate ad præcordia attracta à caliditate, Hic itaque mortuus eſt:& alii innumeri quotidie moriuntur, quum cataplaſmata inſtar cucurbitæ attrahant ad viſcera ſuperfluitates ex toto corpore. Quidam verò etiam ipſa cucurbita vſi ſunt in præcordiis,hoc vnum etiam illi cogitantes vt viderentur aliquid ſemper facere circa ægrotum. In principiis igitur,dum adhuc ferũtur fluxiones ad affectum locum,melius eſt repellere ac reprimere, non attrahere ad ipſum. Commoda autem ſunt in principiis adſtringẽtia cũ oleo adhibita:quæ ſimul & firmitatẽ addũt partib⁹ affectis,vt ne facilè affluẽtes ſuperfluitates ſuſcipiat, & ſimul iã in ipſis cõtentarũ tenuitatẽ intus reprimunt. Poſtquam verò latio quieuerit per repulſoria auxilia,& denſitas ex adſtrictione inducta partibus affectis cõtinet ſuperfluitates,tunc iam tempus eſt laxare,quò contentæ ſuperfluitates euacuentur:præſertim verò vbi ad hepar aut ventrem impetum fecerint ſuperfluitates,moderatè adſtringentibus vti conuenit in principio. valde enim principales ſunt hæ partes. Imò vbi etiam tempus iam fuerit diſcutiẽdi firmatas,tunc quoque partes hæ adſtrictione opus habent:quare decocto in oleo abſinthio irrigabimus. In quib⁹ autẽ fortiore adſtrictione opus eſt omphacinum ſit oleum,in quo decoquitur abſinthium. In penuria verò abſinthii, melinum aut maſtichinũ aut lentiſcinũ ad hoc ſufficiet. Si verò minor fuerit febris, etiam nardinum vnguentum addatur. ſi verò declinatio febris non valde mitis fuerit, à nardo cauere oportet,vti verò melino: quo nõ præſente,roſaceum ad nardinum miſcendum eſt. ſimiliter etiam cataplaſmata compoſitã vim habeant ex laxatoria ac tenui,& ex amara & adſtringente. Quòd ſi colum fuerit affectum, aut alia inteſtina

A tenuia,aut muſculi præcordiorũ,aut pellicula aluum & inteſtina amplectens,nequaquam miſcenda ſunt adſtringẽtia,quẽadmodũ neque ſi veſica aut vterus, quũ velut dictũ eſt,neq; influxerit quid amplius,neq; ſuperfluitas fuerit in toto corpore. At verò renes & thorax in medio relatorum ſunt:neque enim multa adſtrictione in his opus eſt,neque tamen exoluere conducit. Splene verò inflammato,in principiis adſtringentia miſcenda ſunt: euacuato verò corpore,etiam diſcutientia. quin & ſi cucurbitis opus fuerit,præeuacuato toto corpore vtemur ipſis,nũ in
B principio affectionum.

De cataplaſmate ex fermento, Cap. CLXXVI.

HOC cataplaſma diffundere ac eliquare compacta valde poteſt,& aculeos infixos extrahere, & tumores induratos mollire. Oportet autem fermentum diſſoluere in oleo ſufficienti,atque ſic imponere. quòd ſi vehementius efficere volueris,nitrum modicum admiſce: ſi verò etiam aceto diſſolueris fermentum, & rurſus coctũ per cocturam ſpiſſaueris, conuenientiſſimum erit ad in-
C duratos tumores in ſplene ac hepate. Si verò thymum & pulegium,aut abſinthium,aut abrotonum fermento mĩſcueris,optimum efficies pharmacum.

De cataplaſmate ex pane, Cap. CLXXVII.

CAtaplaſma ex pane efficaciſſimum eſt ad omnes inflammationes. multis autem modis paratur. Nam frigida aqua madefactis & tritis,& adiecto modico roſaceo & coriãdri ſucco,commodum fit cataplaſma inflammationibus ignis ſacri. aut pro aqua,ex aceto paratur:atq; ſic magis conducit igni ſacro. verùm ſi pro oleo butyrum
D addatur,commodum fit cataplaſma ad inflammationes ægrè concoctiles. Paratur etiam ſic: Panis multa aqua diſſoluitur, vt ſucci ſpiſſitudinem habeat:& huic miſcetur oleum aut butyrum,deinde coquitur ad compagem. hoc præſtantiſſimum omnium eſt ad vulnerum inflammationes,& vt citius ſuppurentur. hoc vtimur vbi neruus aut neruoſum quid intus contuſum fuerit. Ego verò etiã picis liquidæ parum admiſceo,& vtile cataplaſma expertus ſum. hoc & podagricis inflãmationibus idoneũ eſt. Alia præparatio panis cũ melle. Pridiani panis medullã
E manibus conterimus,& vbi velut ſimilago diſperſa fuerit,mel in olla calefacimus,& ſic tritum panem inſpergimus ac coquimus ad moderatam compagem, deinde oleum moderatum adiicimus, & vnita imponimus. hoc cataplaſma commodum eſt inflammationibus præcordiorum. præſtat autem parum aquæ melli admiſcere. ſic enim in coctura diffunditur. Farinæ quoque triticeæ cataplaſma eadem ferme facere poteſt, & eodem modo præparatur.

De cataplaſmate ex furfuribus, Cap. CLXXVIII.

FVrfures in mortario tundimus ac cribramus, vt te-
F nuiſſimi fiant,& vtimur ipſis ad tumorem induratũ in omni corporis loco conſiſtentem,& præſertim in hepate aut ſplene. Oportet autem ipſos præparare cum aceto mulſo. aut ammoniacum thymiama cum aceto mulſo terimus & furfures admiſcemus, & cataplaſma imponimus, atque adhibemus lenticulata vaſa vaporatoria aqua calida plena, vt ne frigeſcat cataplaſma. Aliquando verò ad teſtes inflammatos vtiliſſimum eſt hoc cataplaſma:verùm ad hos ſine aceto paratur,cum aqua mulſa vi-
G delicet. Commodum eſt hoc cataplaſma etiam furunculis,& aliis duris tumoribus ac tuberculis. verùm ad venẽnum iaculantes beſtias,furfures aceto imbuti commodius cataplaſma efficiunt.

De cataplaſmate ex ficubus, Cap. CLXXIX.

FIcus pingues exactiſſimè contunduntur,vt nihil inalteratum in ipſis appareat,deinde vnguenti irini parũ additur,& cataplaſma imponitur. Facit autem ad duritias neruorum,& ad articulos contractos, aut plus iuſto laxatos:& ad duros tumores,præſertim hepatis ac ſplenis. Vbi
H verò ad relatum cataplaſma nitri parum additum fuerit, rumpit abſceſſus & aculeos extrahit:ſi verò ad ficus ita paratas admiſcueris pulegium,aut origanum,aut thymum, aut abſinthii comam tenuiſſimè cribratam, hydropicis confert. Sed & ſi coquantur ficus probè,& deinde cum de

coćto terantur, & ordeacea aut triticea farina admiſceatur, & rurſus coćtura fiat ad compagem, commodum fit cataplaſma abſceſſibus qui non facilè maturi fiunt. ſi verò voles pinguedinem adiicere, aut butyrum admiſcere, aut rutæ folia trita, dolores inteſtinorum à flatu factos ſedabis. Miſceatur autem ſimiliter & cuminum & oleum.

De dropace & picatione, Archigenis, Cap. CLXXX.

DRopax à quibuſdam etiam picatio appellatur: diuturnis autem maximè morbis conuenit. Omnino autē & ante ſinapiſmum aſſumitur vt corpus ad ſinapi præparetur, & poſt ſinapiſmum, vt reliquiæ affećtionis excindātur. ſimpliciſſimus itaque dropax eſt qui picatio vocatur. Pix arida cum valde modico oleo liquatur, deinde calida adhuc cuti illinitur, & præraſis locis agglutinatur, & priuſquam perfećtè frigeſcat auellitur. Ea rurſus calefacto emplaſmate ad ignem agglutinatur, & ſimiliter priuſquā frigefiat auellitur: atque hoc ſæpe repetitur. Vtiliſſimus eſt aſſiduè vomentibus, & crudis ac non concoquentibus, & cœliacis affećtionibus, & reliquis partibus alimentum non ſentientibus. At verò ad hunc communem dropacē, calfaciendi gratia adiicitur piper, pyrethrum, ſemen roſmarini, bitumen: ſi verò ſiccare opus fuerit, ſulphur viuū, ſal, cinis ſarmentorum: ſin lancinare, limneſtis (quæ adarce vocatur) adiicitur, aut euphorbium. ſingula autem hæc trita liquefactis inſpergūtur. Eſt autem dropax qui à multis in vſum aſſumitur, & Gallas appellatur, hic: Colophoniæ thus redolentis, & reſinæ ſordidæ lignoſæ quæ in doliis affertur, reſinæ à nauibus deraſæ, quam Græci aliqui apochyma vocāt, picis ſiccæ, ſingulorum libram vnam, S. picis liquidæ brutiæ libras duas, ceræ libras quatuor, nitri librā I. bituminis, galbani, adarces, pyrethri, veratri albi, piperis, ſingulorum trientem, ſulphuris viui quadrantem, caſtorii, ammoniaci thymiamatis, ſtaphidis ſylueſtris ſingulorum ſextantem, olei ſicyonii libram vnam, opobalſami ſeſcūcem. Alius dropax optimus & probatus. Picis, ceræ, colophoniæ, ſingulorum lib. vnam, nitri ſeſcūcem, bituminis quadrantem, ſulphuris viui ſeſquiunciā. piperis, euphorbii, adarces, ſingulorum vnciam vnam, cātharidum drachmas quatuor, olei Cyprini triētem, vtere. Oportet autem, velut prædictum eſt, dropacem calidum illinire, craſſitudinem habentem pro ratione virium ægri, præraſis pilis in locis quibus adhibetur. Eos verò qui robuſti dropace vtuntur, etiam lauare conuenit incumbente dropace: &, ſi fieri poteſt, etiam exerceri. At dropax confertim auulſus, remiſſum ſpiritum firmare poteſt, & ad ſuperficiem reuocare, & propriorum operum commonefacere.

De ſinapiſmo, Archigenis, Cap. CLXXXI.

CAtaplaſmata ex ſinapi, ſinapiſmum vocare omnes ſolent. Eſt autem efficaciſſimum auxilium. verùm in acutis morbis non valde probatur, paucis exceptis: nam in ſolis ſegnioribus ac prigrioribus, & in acutis affećtionibus immerſis, ſinapi vtimur. At in diuturnis ferme omnibus, poſtquā reliqua auxilia nihil profuerunt, ſinapiſmus efficaciſſimus reperitur. Quandoquidem igitur in omnibus fere diuturnis conuenit, præſtat vt dicamus in quib⁹ non vtendum eſt ipſo. Itaque in vlceratione pulmonis ſinapiſm⁹ nō aſſumitur, neq; in alia in profundo exulceratione. Efferantur enim vlcera & exacerbantur ob acrimoniam. ſed neque in exulcerata cutis ſuperficie, neque in cartilaginoſis partib⁹, velut ſunt aures aut naſus ſummus. Exuruntur enim ab ipſo & nigreſcunt partes quæ valde ſunt excarnes. At reliquæ partes corporis itémque affećtiones hoc auxilio gaudent, præcipuè verò caput, in diuturnis capitis totius, itémque alterius partis doloribus, & in vertiginibus, comitialique morbo ac inſania. Sed & thoraci commodus eſt in erećtæ ceruicis ſpiratione, anhelationibus, tuſſi diuturna. In deſtillatione verò caput vnà cum thorace ſinapiſmo integendum eſt. Stomachus autem & inteſtina in omnibus diuturnis affećtionibus & maximè poſtrato appetitu, & in renum affećtionibus ac lumborum, & in ſpinæ coliſque ac veſicæ reſolutionibus. quin & omnes reſolutæ ac frigefactæ partes hoc auxilio gaudent. Commodum eſt & arthriticis & iſchiadicis ac

A podagricis. Inditur & in inteſtinū rećtum glans ex ſinapi, vbi illud fuerit reſolutum, & poſt morſum ablata glāde, infunditur aqua mulſa. modus autem præparādi hic eſt.

Sinapiſmi præparatio.

Caricas pingues in aqua tepida pridie macerare oportet, ſequenti autem die fortiter expreſſas probè conterere, deinde acre ſinapi acceptum per ſe terere, & inter terendum paulatim de caricarum cremore affundere, quò facili⁹ teri poſſit, nō tamē aquoſū fiat. deinde vtrūq; per ſe in maſſas redige, & inter ſe miſce prout vſus poſtulat. B Si quidē fortiter ſinapiſſare voles, duas ſinapi partes ad vnā caricarū: ſi verò mediocriter, vtriuſque parē portionē: ſin mitius, tertiā partem ſinapis, & duas caricarum. Cæterùm in corporibus molli ſenſu præditis, & in quibus circa ſuperficiem eſt affećtio, panem pro caricis ad ſinapi admiſcere oportet. Sed & hoc noſcēdum eſt, ſi in aceto maceratur ſinapi, inefficacius redditur: acetum enim ſinapis vim diſcutit. at vbi tenue factū eſt cataplaſma, in omnibus prædictis infarciatur in linteum, & locis adhibeatur. Tēporis porrò lōgitudinē in omnibus decernere impoſ- C ſibile eſt. quare frequenter leuandum eſt cataplaſma, & caro conſideranda an exactè rubefacta eſt. Et hoc maximè facere oportet in partibus hebetiore ſenſu præditis. In quib⁹ verò celeriter operari ipſum volumus, locus ſpōgiis ex calida expreſſis fouēdus eſt, incūbēte adhuc cataplaſmate. hoc eſt, ſuper linteū ſpōgiæ adhibēdæ ſunt. Poſt ſufficientem vſum, in balneum ducendus eſt æger, & in calidum ſolium ponendus, & pars iterum perfundenda citra inunćtionem. poſt balneum verò roſaceo illinimus locum. At in vehementi dolore aut etiam vlceratione, ha- D pſo lanæ aqua & roſaceo imbuto integendus eſt, & imponenda eſt malua cocta trita cum pane. Poſt ſedatum dolorem vtēdum eſt cerato roſaceo cum ceruſſa: in quibus verò balneum adhiberi non poteſt, in iis per reliquum corpus ſpongiarum ex calida aqua expreſſarum fomento vtendum eſt. verùm in capitis & præſertim frigidis affećtionibus, olei calidi perfuſione locus mitigandus eſt.

Quòd caprarum fimi pilulæ cum aceto impoſitæ priuatim coxendicum morbo conueniunt, Cap. CLXXXII.

E CAprarum fimi pilulæ in aceto tritæ, ſinapiſmi vſum exhibent. Priuatim verò iſchiadicis, *hoc eſt coxendicum affectione laborantibus*, conuenit hoc cataplaſma, vt quod longè efficacius ſinapiſmo in ipſis compertūeſt.

Quæ ſint alia rubificantia, Cap. CLXXXIII.

RVbificat naſturtii ſemen, & calefacit velut ſinapi. ſimiliter helenii radix, & ſylueſtrium columbarum fimus, quo valde frequenter vtor. Sed & cum naſturtii ſemine contuſo ac cribrato, pro ſinapi illo vtor in iſchiade hemicrania, vertigine, capitis dolore antiquo, in dolori- F bus diuturnis laterum, humerorū, tendinum, lumborū. Et ad hæc in nephriticis ac colicis affećtionibus, & arthriticis, ac podagricis, quum nondum pori ac duricies calloſæ fuerint coactæ. quin & ſquilla cōtuſa in mortario. Con ſimilem ſinapi vim habet in cataplaſmate impoſita. verùm ad modicum tempus imponatur: nam diutius immorans locum exulcerat. Vtendum eſt ipſa priuatim ad erećta ceruice ſpirantes thoraci impoſita. item in reſolutione, quando non ſolùm motus, ſed & ſenſus tactus defecit. Poſt hæc autem mitigandæ ſunt partes, velut in ſi- G napiſmo prædictū eſt. priuatim verò ſquillæ morſus mitigat perfuſio olei, præſertim roſacei.

De Iberide ſiue cardamine quæ & lepidum vocatur, Cap. CLXXXIIII.

EX iis verò quæ valde vtiliter rubificant, eſt & iberis, quæ etiam cardamine vocatur: de qua Galenus in tractatione de iſchiade plurima ſcripſit. Sed & Archigenes ipſa vſus eſt in ſplenicis ac coxendicibus. verùm in epiſtola ad Ariſtonem Archigenes ſic ſcripſit de ipſa: vellem autē te vti etiā radice eius herbæ quæ nūc hîc Iberis ap- H latur. Habet autem folia velut naſturtium, vere floridiora, caulem longitudine cubitali, ampliorem aut minorē, Et naſcitur quidem in incultis locis: æſtate verò lacteum florem producit: túncque efficaciſſima eſt. radices naſturtium odore referūt. Radices igitur accipe prædicto tempore

pore,ipſáſque diligenter tunde: ægrè enim conteri poſſunt. & adipis ſuilli inueterati tantùm adiice quo emplaſtri formæ cataplaſma fiat. quod non minus horis quatuor impoſitum habe:deinde in calidum balneum citra inũctionem ingreſſus,poſt modicam corporis exudationem,in ſolio mordaciore morare. Egreſſus autem, vino & oleo multo perfuſus ac deterſus,coxendicem lanis puris intege. Atque hic quidem eſt ſinapiſmi modus:verùm vtilitates ſpe maiores habet,eo quòd medicatiorem vim poſſideat,& cum minore mordacitate curet.

De euocatibꝰ ex alto auxiliis,Galeni, Cap. CLXXXV.

IN omnibus diuturnis affectionibus,quum nihil profecerint vlla auxilia,euocantem ex alto curationem,metaſyncriticam à methodicis appellatam, *hoc eſt, quæ meatuũ miſcellæ corporis ſtatum præter naturam habentem tranſmutat,* facere plerique ſolent. Ego verò,vbi intemperies quædam humida & frigida in affectis partibus eſt,aut obtuſus aut ſtupidus ſenſus,adhibeo ipſis pharmaca ex ſinapi, aut thapſia,& ſimilibus,confecta: at ſiccis & calidis affectionibus ea non adhibeo.

INDEX EORVM QVÆ IN QVARTO AETII SERMONE continentur.

DE ſanitate tuenda, Cap.I.
Quomodo infans recens natus ſanus cognoſcitur, Cap.II.
De infantis educatione, Cap.III.
De nutricis electione, Cap.IIII.
Probatio lactis, Cap.V.
Victus nutricis, Cap.VI.
Ad ſtertentes infantes, Cap.VII.
Ad vocem infantium interceptam, Cap.VIII.
De dentitione, Cap.IX.
Ad inflammationes oculorum, Cap.X.
Ad albugines puerorum, Cap.XI.
Ad inflãmationes & humiditates auriũ, Cap.XII.
De inflãmatione,ſiriaſi Græcis appellata, Cap.XIII.
Vt exudet puer in febre, Cap.XIIII.
De aphtha vlcere oris ardente, Cap.XV.
Ad deuoratas ſpinas aut feſtucas eximẽdas, Cap.XVI.
Ad aſſiduas ſternutationes infantium & ad grauedines, Cap.XVII.
Ad tuſſes puerorum, Cap.XVIII.
Ad alui infantium profluuium, Cap.XIX.
Ad aluum ſuppreſſam, Cap.XX.
De puſtulis puerorum, Cap.XXI.
Ad capitis vlcera,& achores tenuia capitis vlcuſcula, Cap.XXII.
Ad vlcus melicerida, à mellei humoris ſimilitudine dictum,quod & dulce appellatur,& Syriacè ſanalia, Cap.XXIII.
Ad ſedem infantium procidentem, Cap.XXIIII.
Ad femorum intertrigines, Cap.XXV.
Ad procidentes puerorum vmbilicos, Cap.XXVI.
Ad hiſpidos pueros, Cap.XXVII.
Quando ablactandi ſunt infantes, Cap.XXVIII.
Victus ratio poſt ablactationem puerorum,& aliarum ætatum, Cap.XXIX.
Victus ſenum ratio, Cap.XXX.
Victus ratio eorum qui in otio degunt, Cap.XXXI.
De carnium ſubuerſione, Cap.XXXII.
Quomodo graciles renutrire oportet, Cap.XXXIII.
Quomodo quis partes tenuatas ſanarit, Cap.XXXIIII.
De laſſitudinibus à gymnaſiis aut ex itinere obortis, Cap.XXXV.
De laſſitudine vlceroſa, Cap.XXXVI.
De laſſitudine tenſiua, Cap.XXXVII.
De laſſitudine inflammatiua,& ad oſſa pertingente, Cap.XXXVIII.
De laſſitudine ob ſiccitatem ac gracilitatẽ, Cap.XXXIX.
De laſſatis ex venere, Cap.XL.
De laſſitudinibus ſpontaneis, Cap.XLI.
De laſſitudine vlceroſa ſpontanea, Cap.XLII.
De laſſitudine tenſiua ſpontanea, Cap.XLIII.
De laſſitudine inflammata ſpontanea, Cap.XLIIII.
Quali curatione ad frigiditates vtendũ eſt, Cap.XLV.
Cutis denſatæ curatio, Cap.XLVI.
Quomodo curandus æſtuoſus ardor, Cap.XLVII.
De matutina frictione, Cap.XLVIII.
De veſpertina frictione, Cap.XLIX.
De cruditate, Cap.L.
De crapula, Cap.LI.
De æqualibus intemperaturis, Cap.LII.
Optimi temperamenti dignotio, Cap.LIII.
Temperamenti calidi notæ, Cap.LIIII.
Temperamenti frigidi notæ, Cap.LV.
Siccioris temperamenti notæ, Cap.LVI.
Humidioris temperamenti ſigna, Cap.LVII.
Calidi & humidi temperamenti notæ, Cap.LVIII.
Calidi & ſicci temperamenti notæ, Cap.LIX.
Frigidi & humidi temperamenti notæ, Cap.LX.
Frigidi ac ſicci temperamenti notæ, Cap.LXI.
De capitis dignotione, Cap.LXII.
Cerebri temperamenti notæ, Cap.LXIII.
Cerebri calidioris notæ, Cap.LXIIII.
Frigidioris cerebri notæ, Cap.LXV.
Siccioris cerebri ſigna, Cap.LXVI.
Humidioris cerebri notæ, Cap.LXVII.
Calidioris & humidioris cerebri ſigna, Cap.LXVIII.
Calidi ac ſicci cerebri notæ, Cap.LXIX.
Frigidi ac ſicci cerebri ſigna, Cap.LXX.
Frigidi ac humidi cerebri notæ, Cap.LXXI.
Ventris ſiccioris ſigna, Cap.LXXII.
Ventris calidioris notæ, Cap.LXXIII.
Humidioris ventris notæ, Cap.LXXIIII.
Frigidioris ventris notæ, Cap.LXXV.
Pulmonis notæ, Cap.LXXVI.
Cordis calidioris notæ, Cap.LXXVII.
Frigidioris cordis notæ, Cap.LXXVIII.
Siccioris cordis notæ, Cap.LXXIX.
Humidioris cordis ſigna, Cap.LXXX.
Calidi ac ſicci cordis ſigna, Cap.LXXXI.
Calidi & humidi cordis notæ, Cap.LXXXII.
Frigidi & humidi cordis notæ, Cap.LXXXIII.
Frigidi ac ſicci cordis notæ, Cap.LXXXIIII.
Hepatis calidioris notæ, Cap.LXXXV.
Frigidioris hepatis notæ, Cap.LXXXVI.
Siccioris hepatis ſigna, Cap.LXXXVII.
Humidioris hepatis ſigna, Cap.LXXXVIII.
Calidi ac ſicci hepatis ſigna, Cap.LXXXIX.
Calidi ac humidi hepatis notæ, Cap.XC.
Frigidi & humidi hepatis notæ, Cap.XCI.
Frigidi ac ſicci hepatis notæ, Cap.XCII.
Teſtium temperamenti ſigna, Cap.XCIII.
Calidorum temperamentorum correctio, Cap.XCIIII.
Frigidi intemperamenti medela, Cap.XCV.
Humidi intemperamenti correctio, Cap.XCVI.
Sicci intemperamenti medela, Cap.XCVII.
Calidi ac ſicci intemperamenti curatio, Cap.XCVIII.
Humidi ac calidi intẽperamenti medela, Cap.XCIX.
Humidi ac frigidi intẽperamenti ſanatio, Cap.C.
Frigidi ac humidi intemperamenti curatio, frigiditate prædominante, Cap.CI.

De ſanitate tuenda, Galeni præfatio, Cap. I.

QVVM vna ſit ars quæ circa humanum corpus verſatur, duæ ſunt ipſi⁹ primæ ac maximæ partes, prior, quæ ſanitatem tuetur, altera, quæ morbos curat. Quandoquidem verò & dignitate & tempore prior eſt ſanitas morbo, oportet ſanè etiam nos prius conſiderare quomodo quis hanc cuſtodiat, deinceps verò etiam quomodo quis quamoptimè
B morbos curet. Dicitur autẽ ſanitas dupliciter: altera, exacta, & optima, & perfecta, & ſumma: altera, deficiens quidem ab hac, non tamen intantum vt animal ægrotet. & huius graduũ non parua eſt in corporibus differentia, circa magis ac minus. Prius autem recenſere conuenit quomodo quis optimæ ac inculpabilis naturæ ſanitatem cõſeruet, & adhuc ante hoc mentionem facere quænam ſit optima corporis ſtructura. Eſt autem, ſiquis iuxta ipſam eſſentiam rei exponet, temperatiſſima, & quæ formationem partium actionibus ipſarum exactè conuenientem
C habet: & ad hæc numerum omnem, & magnitudines, & compoſitionem omnium ipſarum inter ſe actionibus cõmodum exhibet. Si verò quis iuxta notas deſignare volet corpus exactè bene carnoſum, tale eſt: quod medium eſt inter gracile & multa carne obeſum, & neque hirſutum eſt, neque pilis nudum: neque moderato mollius, neque durius, neque album aut nigrum, aut venis occultis aut amplis, aut animoſum, aut deiecti animi: aut ſomnolentum, aut vigilans, aut hebeti mente præditum, aut vafrum: aut veneri deditum, aut vice verſa. Si verò etiam o-
D mnibus partibus fuerit exactè inter omnes exceſſus medium, erit profectò etiã pulcherrimum aſpectu tale corpus, vt quod ſit moderatum & ad omnes labores idoneũ. Habebit autem & alia omnia ſigna temperamenti boni per ſingulas partes, de quibus pro viribus pauca indicabimus circa finem huius ſermonis. Multa enim corpora tẽperata quidem ſunt (ſi ita contingat) capitibus, verùm intemperata pectoribus, aut ventre, aut genitalibus. In quorundam verò artubus eſt intemperies, & pleriſque in vno viſcere, aut alia quadam parte. ſed & de his in prauis
E corporum ſtructuris poſtea dicetur in hoc ſermone. Cæterùm de optima ſtructura iam dicamus, cuius ſingulæ partes vniuerſam habent inculpabilem eſſentiam. Dicetur autem primùm quomodo quis ab initio ſuſceptũ eiuſmodi hominem, per omnem vitam ſanum conſeruarit, niſi ſiquid extrinſecus violentum ipſi accidat.

Quomodo infans recèns natus ſanus cognoſcitur, Cap. II.

INdicabitur autem ſanus infans ſtatim ex natiuitate, primùm quidem ex eo quòd genitrix per totum geſtationis in vtero tempus ſana vixit: deinde ex eo quòd vbi na-
F tus eſt & in terram poſitus infans, ipſe eiulatum edit cum conueniente firmitate: & ex eo quòd omnibus partibus ac ſenſibus integer eſt, & naturales meatus omnes expeditos habet, velut ſunt aures, nares, fauces, vrinæ meatus, podex: & quòd vniuſcuiuſque membri naturales motus non ſegnes neq; exolutos habet, & iũcturarũ flexuras ac extẽſiones, magnitudinéſq; ac figuras, & ſẽſum exactũ.

De infantis educatione, Cap. III.

PRoinde recèns natus infans, hic nimirum per omnẽ
G ſtructuram inculpabilis, primùm ita tractetur, vt ipſi vmbilicus quatuor à ventre digitis acuto ſcalpro reſecetur (reprobamus enim aliam materiam arundinũ ac vitrorum, vt ne quid atteratur) deinde cõtentus in ipſo ſanguis grumoſus exprimatur, & ſpongia detergeatur, ac lana carpta obturetur. poſtea moderato ſale per ſe tenuiſſimo conſpergimus. Aliquando verò etiam in delicatioribus totum corp⁹ ſucco ptiſanæ aut fœnigræci depurgare oportet: & aqua tepida viſcoſitatem corpori obſitam abluere, & ſordes naribus inſitas digitis exprimere, & os at-
A que aurium meatus purgare, palpebras diducere, & oculos detergere, ac oleum ipſis inſtillare. digitis item diſparare ipſum anum. Confeſtim itaque excernit per ſedẽ id quod *Græcis* meconium vocari ſolet. Porrò ſupra vmbilicum hapſus lanæ madefactus imponatur, ad vmbilici figurã formatus. At cuminum ipſi inſpergere reprobamus, propter acrimoniam: etiamſi quidam id vſurpare ſoleant. Deinde duplicatus vmbilicus, & lanæ inuolutus, leniter in medio componatur: & poſtea infans de more faſciis inuoluatur. Exhibendum eſt autem ipſi mel præ omni alimẽto, quod
B optimè eſt deſpumatum, vt delingat: reprobato butyro velut ſtomacho incommodo. deinde inſtillanda eſt aqua mulſa tepida. Poſtea verò mater, vbi prius craſſum ex vberibus emulxit, & ipſa aqua calida fouit, lac præbeat infanti. præſtat enim non accipere matris lac vſque ad quartam diem. Lauare verò oportet puerum bis in die, horarum aliquot interſtitio poſt cibum. Poſtquã verò exciderit vmbilicus poſt tertiam aut quartam diem, cochleæ teſtam vſtam tritã loco inſperge, aut talum ſuillum vſtum, aut plumbum vſtum cum vino illine, & obliga.

C De nutricis electione, Cap. IIII.

PRÆ omnibus his eligenda eſt nutrix neque iunior viginti annis, neq; ſenior quadraginta, quæ bis aut ter peperit, non morbida, boni habitus, iuſtæ magnitudinis, ampli pectoris, vbera habens moderata, nõ rugoſas papillas neque magnas, neque paruas, neque anguſtiores, neq; valde latas aut cauernoſas. Magna enim vbera pluſquam opus eſt lactis præparant, & hoc manens in ipſis corrumpitur, & infantẽ lædit, ſimúlque etiã matrem grauat: par-
D ua verò parum lactis exhibent. Et magnæ quidem papillæ offendunt gingiuas, & impediunt linguam ne iuuet deglutionem: paruæ verò apprehẽdi nõ poſſunt, & propterea fligunt maxillas. Sed & eiaculatum lac per anguſtos meatus ſublinentem os pelliculam ferit, & aphtham *Græcè* appellatum vlcus igneæ caliditatis generat. At latiores & cauernoſæ papillæ, aceruatim remittentes lac, ſuffocationis cauſa fiunt. Præterea conuenit eſſe nutricem caſtam, ſobriam, manſuetam, mundam, hilarem, nõ triſtem. Ego, inquit Galen⁹, quũ puer aliquãdo ploraret per totã diẽ &
E indignaretur, vbi vidiſſem ſtratum ipſius & veſtimenta ſordida, & ipſum puerum ſordidum, iuſſi & ipſum & ſtratum ipſius lauari, & veſtimenta mutare: quo facto ab eiulatu & indignatione ceſſauit & obdormiuit.

Probatio lactis, Cap. V.

PRobandum eſt lac guſtu, viſu, olfactu. nam & guſtantibus & olfacientibus iucundum, & videntibus album ac æquale, & inter liquiditatem ac ſpiſſitudinem mediũ habens, ipſum eſſe oportet. At vitioſum lac, aut craſſum eſt & caſeoſum, aut liquidum & ſeroſum, aut liuidum, aut ſtrias floridas habens, aut ſpumoſum, aut graueolens, aut
F fœtidum, aut citò aceſcens, aut guſtanti, amaritudinis, aut muriæ, aut alterius cuiuſdam peregrinæ qualitatis ſignificationem exhibens. Hæ igitur ſint notæ vitioſi itémque boni lactis, ex quibus coniecturã facies mulierẽ morboſam eſſe, & ad aliam tranſibis. Cæterùm opulentis plures nutrices eſſe oportet.

Victus nutricis, Cap. VI.

EXercere oportet nutricẽ moderatis exercitiis, & maximè ſupernis partibus. Cibos autem exhibere boni
G ſucci, & qui facilè digeruntur, & tempore conuenienti, & menſura congrua: atque ita etiam potus. Abſtineat à porro, cæpis, allio, ſalſamentis, & omnibus fœtidis & graueolentibus: & à pleriſque bellariis, præſertim nucleis pineis. ſunt enim oleoſi, & propterea bilẽ faciunt, & ventriculo innatant, itémque venerem ſtimulant. Itaque penitus ab his nutricem abſtinere oportet. Irritantur enim in coitu lunares purgationes, & propterea lac corrumpitur, & vitioſum ac pauciſſimum fit. quædam verò etiam concipiunt. quo nihil nocentius fieri infanti qui ex ipſa alitur, poſſit. Vbi autem imminuitur lac, aut corrumpitur,

aut etiam omnino extinguitur,aut ſpiſſatur,aut attenuatur,præſtat quidem alterius nutricis lac præbere : ſin id non permittat res aliqua inſtans, victu nutrix curanda eſt, vt ne in morbum incidat infans. Extincto itaque lacte,conſiderandum eſt an totum corpus, aut vna pars ægrotet,& lædentem affectionem corrigere oportet. Si verò ob penuriam extinctum eſt lac,alimentum augere, & melioris ſucci cibos dare,& plures auferre.aluúmque,ſi plus iuſto feratur,adſtringere, & exercitiis ſupernarũ partium vti,& vberum frictione,& fomentis per ſpongias, ceratis item liquidiorib⁹ ad vbera ex oleo irino aut gleucino. Lini verò ſemen delingere cum melle aut paſſo : aut ſeſamum crudum cum palmula paſſa, *quam pateton Græci vocant*, æquis portionibus edẽdum præbe,& bibat zythũ, & eadem die vbera lacte replebuntur. Putabit autem mulier,ſimul vt acceperit potum,omnia ſua membra reſoluta eſſe,donec lac in vberibus factum fuerit. Aut lumbricos piſcatorum,qui in limo fluminis reperiuntur & inteſtina terræ appellantur,quinque aut ſeptem terito, & palmulas paſſas addito,& ſimul terito, ac dato in zytho bibẽdos prælotæ mulieri ieiunæ ad dies decem:& de multitudine ac bonitate lactis miraberis. Præſtat autem etiã præcedens pharmacum ſimiliter cum zytho conterere, & bibendum præbere. Vinum verò exhibendum eſt dulcius.& fœniculum aut anethum viride cum ptiſana coctum,ſorbendum dato. Si verò tenue fuerit lac,balnea reprobãda ſunt, velut quæ humores aquoſos reddant. In cibo vtendum eſt alica,ouis ſorbilibus, pane ſimilagineo, pedibus ac extremitatibus porcinis,volucribus teneriori bus,carnibus hœdinis,& vino dulci. Sin craſſius fuerit lac mulieris,attenuante alimento vtendum eſt,ac minus nutriente,& balneis frequentibus: Craſſius enim lac abſceſſus & furunculos circa infantis corpus generat, & venter ipſius cohibetur. Sed neque vrinæ pro ratione prodeunt; & vomitus pituitoſi infeſtant.& ægrè mobilis ac difficulter ſpirans puer euadit, & appetitum perdit; ac decolor fit,& ſordes oculorum habebit craſſas,& mucos. ſimiliter & flatus multi ab eo prodeunt. Si verò acrius fiat lac; excretiones per vẽtrẽ plures fiunt cũ mordacitate,& appetitus deficit,& puſtulæ acerrimæ in corpore fiunt, & præſertim circa ſupernas partes,imò etiã infernas, & infans paulatim gracileſcit. Quare omni modo temperandum eſt corpus nutricis balneis dulcibus,& boni ſucci alimẽto. Si verò lac quod multum fertur imminuere voles, cibos minus alentes & pauciſſimos dato: vbera vero lenticula cocta integ ito [sic],aut cuminum cum aceto illinito : aut lapidem album ſimplicem,quo ad ædificia vtimur,ſimiliter cum aceto,aut hyoſcyamum cum aceto: aut linteum aceto imbutum imponito,& aſſiduè humectato. perfundito autem aqua marina,aut muria calida, aut myrti decocto.

Ad ſtertentes infantes, Cap. VII.

QVandoquidem pleræque nutrices ineptis, velut dictum eſt,vtentes cibis,vitioſum lac ſuum efficiunt, & ex hoc diuerſis morbis infantes, qui etiam optimam ſtructuram adepti ſunt,obiiciunt : aliquando verò etiam ex forinſecus corpori accidentibus morbi accedunt : neceſſarium eſt etiam de diuerſis affectionibus pueros infeſtantibus, pro viribus breui tractare. Siquidem igitur infans craſſiore alimento nutritus,pituitam in ventre colligat,& propterea ſtertat,lini ſemen cũ melle delingendũ dandũ eſt, aut cumini parũ cum melle.& aqua mulſa inſtillanda eſt ori aſſiduè calida. Si verò hæc preſſura perſeueret,oleo medium digitum tingito,& tonſillas illinito, & depreſſa linguæ radice ad vomitum irritato: vbi enim vomuerit, ab omnibus vexationibus confeſtim liberatur.

Ad vocem infantium interceptam, Cap. VIII.

AD interceptam in infantibus vocem,ob quãmcũque cauſam præcedentem:(contingit autem hoc maximè ſuppreſſa aluo)braſſicæ ſuccum cum modico ſale bibendum dato aut inſtillato. ſtatim enim ſoluit aluum, & vocem reſtituit. ſed & glans ano indenda eſt.

De dentitione, Cap. IX.

CIrca ſeptimum menſem incipiunt infantes proferre dentes,& dum punguntur ac ſtimulantur,velut ab aculeo,dente gingiuas diſparante, inflammationes ſuccedunt ipſarum gingiuarum ac maxillarum & tendinum: ad quas etiam febres omnino conſequuntur. accedit & pruritus auditoriorum meatuum,& aures humectantur. aliqui verò etiam lippitudinibus capiuntur,& ſanguis ex oculorum angulis fluit. Pleriſque verò etiam exturbatur venter,propter ſtomachi inflammationem,& ventris exolutionem. Itaque lenire ac pingueſcere oportet tendinem & maxillas, mollium lanarum ac mũdarum circumiectu circa collum & ipſius neruum per oleum dulce ac calidũ; inſtillare quoque auditoriis meatibus oleum calidum: perſeuerante verò inflammatione, etiam ceratum roſaceum liquidum locis imponere. In cibo offerendum eſt puero cerebellum, maximè quidem leporis coctũm aut aſſatum: ſinminus,ouiculæ: naturaliter enim opitulatur. Sed & melle moderatè cocto illinendæ ſunt gingiuæ. efficit enim minimè moleſtum dentium exortum. Nihil verò duri dandum eſt ipſis ad mandendum,vt ne gingiuæ calloſiores redditæ impedimento ſint dentium exortui. Balneo autem vtendum eſt febribus remittentibus. Neque ſtudio habendum eſt vt venter adſtringatur,vt ne materia ſurſum repẽs,ſupernas partes (præſertim oculos) lædat,& febres vehementiores efficiat. Sed & nutrix cogẽda eſt vt aquã bibat,& cibos leuiſſimos ac ſorbiles accipiat. Aiunt autem naturaliter auxiliari dentiẽtibus pueris colocynthidis ſylueſtris radicem,in aureo aut argenteo canali geſtatam: itémque rubi radicem. Sed & viperæ, præſertim maſculæ,dentem in argento pro amuleto appende. At circa ſtomachum geſtent ſemper viridem iaſpidem de collo ſuſpenſum,ita vt ſtomachum contingat.

Ad inflammationes oculorum, Cap. X.

LYcium,Indicum præſertim: ſinminus, Pataricum cũ lacte diluito,& ſupernas palpebras cum ſuperciliis illinito. Aliquando etiam ipſis oculis inſtillato, multo lacte dilutum. Mirabiliter etiam facit Nili ex roſis collyriũ illitum. ipſos verò oculos ocymi decocto abluito.

Ad albugines puerorum, Cap. XI.

AD albugines puerorum ab eiulatu factas, ſolani nigri ſuccum illine.

Ad inflammationes & humiditates aurium, Cap. XII.

AD inflammationes & dolores aurium,oui candidum cum lacte muliebri inſtilla : aut inteſtina terræ cum roſaceo cocta. Ad humiditates verò aurium, alumen vino dilue,& lanam puram ac mollem in ipſo imbue,& in ſole aſſicca:& rurſus imbue ac ſicca:& vbi ter hoc feceris, lanam ſiccam aſſerua. Vſu verò expetente,de ipſa accipe, & in aurem inde. Ad vlcera verò in auribus, paſtillo Muſæ vtere,diluto cum ſapa ac modico aceto. Si verò caro ſuperexcreuerit, primùm reprime per paſtillum Bithynum dilutum cum vino: deinde vtere Muſæ paſtillo, velut dictum eſt.

De inflammatione,ſiriaſi Græcis appellata, Cap. XIII.

EX affectionibus quæ cum febre accidunt, eſt & ſiriaſis in infantibus appellata,quæ eſt inflammatio partium cerebri & membranarum, adeò vt ſincipitis & oculorum cauitas conſequatur,cum febre ardente, & pallore,& corporis ſiccitate,ac proſtrato appetitu. Siriaſis autẽ appellata eſt à ſincipitis cauitate. Siros enim apud Græcos dicitur foſſa ac corpus cauum in quo ſemina ſeruantur. Quare omnia velut ad inflãmationes facere oportet, ita vt leniamus & mediocriter frigefaciamus caput, coriandri ſucco cum roſaceo humectantes. ſed & totum corpus ex hoc illinatur: aut cucurbitæ tamẽta ſincipiti impone, aut vitis folia,aut portulacam cum roſaceo tuſam,ſincipiti illine: aut heliotropii ſcorpiuri ſucco ſinciput illine: aut oui luteum cum roſaceo concutito,& ſincipiti illinito,& aſſiduè permutato.

Vt exudet puer in febre, Cap. XIIII.

ARũdinis viridis medullã terito, & ex ea ſinciput ac pedes illinito,ipſũmq; puerũ veſtimẽtis cõtegito.

De aphtha vlcere oris ardente, Cap. XV.

DE aphthis vlceribus & inflammationibus tonſillarũ, dicetur abſolutiſſimè in ſermone de affectionibus quæ perfectis accidũt circa has partes, in octauo nimirũ.

Ad deuoratas ſpinas aut feſtucas eximendas, Cap. XVI.

ALumen quo ad coria vtũtur, cum oleo terito, & gulæ illinito, radicem linguæ digito valde comprimens: & facilè ipſas ſurſum effert.

Ad aſſiduas ſternutationes infantium & grauedines, Cap. XVII.

OCymum ſiccum tuſum ac cribratum naribus admoue, vt per reſpirationem attrahatur: aut inſuffla. Idem etiam ad grauedinem facit.

Ad tuſſes puerorum, Cap. XVIII.

NVcleorum nucũ pinearum modicè toſtorũ drach. IIII. ſeminis cucumeris parum toſti drach. I. tragacãthi drach. III. mellis deſpumati dodrantem, præpara & præbe delingendum. Tragacanthum autem in vino veteri dulciſſimo macerato. Aliud Hippocraticum. Vitellũ oui aſſatum, & ſeſami duplum, & ſalis granum vnũ moderatum terito ſufficienter, & cum melle delingendum dato. Aliud. Nucleos pineos toſtos XXX. amygdalas decorticatas XXX. ſeminis lini toſti, ſucci glycyrrhizæ, vtriuſque ſextantem. mellis quod ſatis eſt, dato delingẽdũ. Probè etiam facit cuminum cum melle. item ammium.

Ad alui infantium profluuium, Cap. XIX.

SI aluus infantis fluxione laboret, balneum & geſtationẽ reprobam⁹. Vtimur autẽ humectatione ſtomachi ex vino & oleo melino. Si verò fluxio extẽdatur, œnanthen læuiſſimè tritam, & acaciã, ac maſtichẽ, æquis portionibus ſingulis tritis, oui luteo quantum ſatis eſt excipe, & ex emollito ſtomachũ illine & dorſum, & hapſum lanæ purpureæ impone, ac deliga. facit enim citra moleſtiam. Præ omnibus verò nutricem alimentis boni ſucci vti oportet, & potibus adſtringentibus. Si verò aluus infantis farinæ ſimilia excernat, mentham tritam cum vino nigro, aluo impone ac obliga.

Ad aluum ſuppreſſam, Cap. XX.

SI verò ſupprimatur aluus, glande irritanda eſt, aut ex ſola aqua mulſa infuſum immittẽdum eſt, & mel alimẽtis admiſcendum. Cæterùm florem artemiſiæ cum oleo tere, & circa vmbilicum affrica, & fluet aluus. At de lumbricis dicetur in vniuerſalibus auxiliis in nono ſermone.

De puſtulis puerorum, Cap. XXI.

IAm antea dictum eſt quòd infantes vitioſo alimẽto vtentes, in varios incidũt morbos, vt cũ aliis, & puſtulæ & papulæ inſtar bullarum efferuentes, & humida vlcera in cute fiant, quæ bubaſtica vocant, & alia conſimilia. Itaque muriam & vrinam & alia quæ aliqui adhibent, reprobamus ob acrimoniam: lauamus autem ipſos roſarum decocto aut lentis. & ſi ampliori adſtrictione opus habemus, myrti aut malicorii. Magis verò vlceratis cataplaſma ex plantagine imponimus, aut ex ſeride ſiue intubo cum pane: aut ex flore polẽtæ cum portulaca, aut ſemperuiuo, aut veneris vmbilico, aut hyoſcyamo: aut roſas virides aut ſiccas coctas cum meliloto & palmulis adhibemus: aut ſpumam argenti, melilotum, alumen cum aceto terito, & myrteum oleum ſiue roſaceum adiicito, atque illinito. Aliud ad bubaſtica vlcera. Recrementum plumbi & amylum æquis portionibus cum ſolani ſucco terito, & adiecto roſaceo illinito. Aliud pulcherrimum. Cadmiam tritam cum aqua illinito, aut cimoliã cum vino. Aliud. Spumæ argenti, ceruſſæ, vtriuſque trientem, malicorii ſicci læuiſſimè triti ſextantem, ſucci ſtratiotæ fluuialis quod ſatis eſt, vtere. Quòd ſi non adſit ſtratiotes, lentis paluſtris ſuccũ accipe, & vtere, aut herbæ viridis quæ in aquis inuenitur, & ſtratiotæ ſimilis eſt, ſuccum admiſce. Probè etiam facit ſerapiadis triteſticularis ſuccus. Aliud. Retrimentum ferri terito cum vino ac illinito. valde enim bonũ eſt hoc. Probè facit & emplaſtrum ex ladano, & emplaſtrum ex hordeo, oui candido, & roſaceo aut myrteo oleo diluta. Aliud, ad infantiũ puſtulas ac papulas feruidas poſt rupturam. Cadmiæ

A drach. LXXX. æris vſti drach. LXXX. acaciæ, croci, vtriuſque vnc. I. tragacãthi ſextantem. Tragacanthum aqua macerato ac terito, & cum ipſo reliqua excipito, ac paſtillos formato. Et vſus tempore cum ſucco ſenecionis, aut intubi, aut ſolani, diluito, & addito roſaceo illinito. Ego, inquit, ſucco ſenecionis aut intubi excipio tragacanthum, ac reliqua, & paſtillos effingo.

Ad capitis vlcera, & achores, tenuia capitis vlcuſcula, Cap. XXII.

B PHarmacũ ex cuius vſu ego nomẽ aſſequutus ſum: Spumæ argenti, ceruſſæ, vtriuſq; beſſẽ: ſeminis ericæ, thuris, vtriuſque drach. IIII. vino & oleo raphanino terito, ac vtitor. Aliud. Acaciæ fuluæ vnc. I. ladani trientem, myrrhæ ſextantem, opii vnc. I. aqua paluſtri excipe & forma paſtillos, & vtere aſſiduè. Aliud. Cochleas albas vnà cum teſta exuſtas inſperge. Aliud. Aloen læuiſſimè tritam cum plantagine arida trita inſperge. Aliud. Balauſtium aridum tritum inſperge, aut cum aqua tritum impone, & illine. Aliud. Herbam quam in Alexandria liparonem vocant, aliqui verò cneſtrum appel- C lant, vrito, & cinerem cum vino tritum illinito. Vtere etiam reliquis, cum diſcriminationibus referendis in ſexto ſermone, de vniuerſalibus auxiliis ad achoras.

Ad vlcus melicerida à mellei humoris ſimilitudine dictum, quod & dulce appellatur, & Syriacè ſanalia, Cap. XXIII.

SPumæ argenti, baccarum lauri æquales portiones terito cum aceto & oleo, & illinito. Sæpenumero eius experimentum fecimus.

Ad ſedem infantium procidentem, D Cap. XXIIII.

SPongitide herba podicem aſſiduè deterge. Acaciã cũ ſapa & vino nigro tritã podici illine. Aliud. Cochleã vſtã tritã, quũ egreditur, prælotæ ſedi inſperge, & ſanabis. Oſtreorum teſtas crudas tuſas ac tenuiſſimo cribro excretas inſperge. myrti baccas virides cum vino tritas impone. Vtere autẽ perfuſione aquæ fabrorũ, in qua ferrũ tingunt. Ego verò ſemper vtor muria tepida, & valde probè facit: ſimiliter autem & aqua marina. Vtere etiam dicendis in vniuerſalibus auxiliis, quæ ſuo loco referentur.

E Ad femorum intertrigines, Cap. XXV.

MYrtum ſiccam tritam inſperge, aut cyprinum cum roſis.

Ad procidentes puerorum vmbilicos, Cap. XXVI.

PRocidunt pueris vmbilici dum aut in eiulatu diu & multùm diſtenduntur, aut ex plaga, aut ex caſu. Talib⁹ igitur ammium cum muria tritum vmbilico illine, & raſuram lintei impone, ac ad triduum obliga. Et rurſus eo ſoluto, idem facito: aut lupinos amaros, & vngulam aſini F vſtam, & laterem vſtum ſimul terito, ac imponito, & obligato. Si verò efficacioribus opus fuerit, iis quæ ad herniam inguinum referuntur vtere. Critonis ad pueros exumbilicares ob quancunque cauſam. Reſinæ pinus vnc. XV. aluminis ſciſſi dextantem, mellis dextãtes duos. Alumen tritum cum melle ad prunas coquito, & vbi bonam compagẽ habuerit, reſinã addito, aſſiduéque moueto, & vbi diſſoluta fuerit, laminã de hoc pharmaco accipito, & vmbilico imponito, ac quotidie alterato. Verùm ſupra laminam plantaginis folia aut hederæ imponito.

G Aliud. Aluminis ſciſſi vnc. XV. fæcis vini auſteri dextantem, gallarum drach. II. vino dilue vt ſpiſſitudinem habeant, & vmbilicum illine, & forinſecus ſpongiam impone poſca imbutam ac expreſſam.

Ad hiſpidos pueros, Cap. XXVII.

CRaſſioribus & plurib⁹ fuliginoſis ſuperfluitatibus ſub cute collectis, ex quibus pili generantur, hiſpidiores infantes fiunt. Itaque caricas vrito ac terito, & cum hoc cinere pilis obſitos locos confricato. Ex alio exemplari. Reſinam coquito in aqua, & puerum lauato, ac leui- H ter detergito, ac cum caricarum vſtarum cinere & fabarũ cremore confricato. Aliud ſmegma corroborans ipſos. Farinæ fabarum, cimoliæ, ſpumæ nitri, candidi ouorum & teſtarum, æquales portiones pro ſmegmate adhibe.

Quando ablactandi ſunt infantes, Cap. XXVIII.

DOnec firmetur infans, lacte nutriatur: poſtquam verò ſolidus factus fuerit, micis panis ex vino mulſo, aut vino dulci, aut lacte. deinde etiam oua ſorbilia ſumat: nam quæ mandere oportet, ſaliua in ipſis replentur. potus dandus eſt vinum dilutum. Vbi verò iam intrepidè frumentaceum alimentum infans ſumit (quod plerunq; circa viceſimum menſem contingit) tunc latenter & paulatim ab vbere deſueſcat. Si verò ablactatus in morbũ inciderit, rurſus ad lac trãſferatur: & vbi ceſſauit morbus, refocilletur corpuſculum, atque ſic ablectatur.

Victus ratio poſt ablactationem puerorum, & aliarum ætatum, Cap. XXIX.

ABlactati infantes in remiſſione ac hilaritate exercitiorũ verſentur, dentúrque ipſis cibi leues ac boni ſucci. verùm à multo vino abſtinere oportet eum qui bonũ corporis temperamentum habet. nam in humidis ac calidis corporibus vinum replet caput vaporibus. neque verò à frigidæ aquæ potu penitꝰ arcere iubeo tales pueros, ſed inter cibos plerunque & in calidioribꝰ horis optima aqua vti permitto. A ſeptimo anno ad literas veniant, & mitibus ac humanis magiſtris tradantur. At à decimo quarto anno vſque ad viceſimum primum conuenit exercitatio in diſciplinis philoſophicæ doctrinæ. prohibendi ſunt à veneris vſu. Contrahendum eſt & vberius vinum: & plura exercitia iam ſunt aſſumenda. Iis verò qui iam in vigore ætatis degunt, victus ratio remiſſa conuenit, tum animi, tum corporis. Et corporis exercitia qualiacunque fuerint, pro ratione his detrahenda ſunt, & alimenta ſenſim cõtrahenda: quum habitus ipſorum frigiditatis principium ſumat. Maximam autem optimè conſtructi corporis notam eſſe ſtatuo ipſius naturæ promptitudinem, quicquid tandem fuerit agendum, ipſa ſuiipſius menſurã excogitante in optimis conſtitutionibus. Nam & dũ exercentur ac fricantur, aut quiduis aliud agunt, tunc primùm pigreſcunt, quum ſufficienter fuerint exercitati. & ſanè etiam à cibis ac potibus tunc abſtinent, quum ſufficienter fuerint impleti: neque plus iuſto appetentes, neque minus ingerentes. Quare nullus timor eſt de optimæ conſtitutionis homine, ne vel nimium labore fatigetur, aut cibis nimium expleatur. Ipſum enim ſanum corpus omnia ſibiipſi excogitat, naturæ motibus impulſum, præſertim ſi animus ipſius à puero probè fuerit inſtitutus. Plerique enim in improbis moribus educati, dum licentiore aut negligentiore victu vtuntur, bonas naturas corrumpunt: quemadmodum aliqui vice verſa vitioſo corpore à natura producti, moderato victu & tempeſtiuis exercitiis, multa naturæ vitia ac delicta correxerunt. At de exercitiorum menſura & vtendi modo dictum eſt in præcedenti ſermone.

Victus ſenum ratio, Cap. XXX.

NAturalis ſenecta, eſt ſicca & frigida corporum temperatura. ex longæuitate proueniens. quum enim corporum eſſentia vnà cum inſita caliditate paulatim defluat, & inſtrumenta iam vlterius quàm conueniens erat ſicca fiant, tum actiones deteriores redduntur, tum animal ipſum excarne & ſeipſo gracilius euadit. Poſtquam verò adhuc amplius fuerint reſiccata, non ſolùm excarne ſed etiam rugoſum efficitur, & membrorum impotẽs, & in motibus ambiguum. Qui itaque affectionem exſciẽtia nouit, quòd videlicet ſiccitas eſt cum frigiditate, is bonus fuerit ſenum medicus. Cognoſcet enim quòd horum correctio per humectantia ac calfacientia cõtingit. talia autem ſunt, aquarum dulcium balnea calida, & vini boni potus, & cibi qui humectant ſimúlque calfaciunt, & frictiones per oleum manè moderatè fientes: deinde deambulationes & geſtationes citra delaſſationem, virium ſenis coniectatione facta. non enim parua eſt etiam in ipſis ſenibus differentia. Dandus autem eſt cibus modicus quidem, verùm ſæpe. nam ſi paululum iuſtam menſurã ſenes exceſſerint, non parum læduntur. Securius itaque eſt debilibus ſenibus parũ cibi offerre, verùm ter in die. Circa tertiam quidem horam panem probè paratum recentem, cúm optimo melle deſpumato: circa ſeptimam verò, præfrictis, & conuenientibus ſenibus exercitiis exer-

A citatis, ac lotis, prandium exhibendũ eſt: & primùm quidem dãda quæ ventrem molliunt, velut ſunt olera ex beta ac malua: deinde piſces petroſos ac pelagios præbere conuenit: poſtea verò paululũ in lecto quieſcere: deinde moderato motu vti. ad veſperam autem cœnantes à piſcium eſu abſtineant. Accipiant autem cibos boni ſucci & ægrè corruptiles, velut eſt gallina aut volucris aliqua ex ſimplici iure. Vinum verò ſenibus vtiliſſimum eſt. Sit autem ex calidioribus natura, quale eſt quod ſubſtantia B quidem tenue eſt, colore autem fuluum aut flauum. Atque vnum quidem hoc maximum bonum ſenibus ex vino accedit, quòd calfiunt omnes ipſorum partes: deinde quòd ſerum ſanguinis per vrinas purgatur. Quæcunque verò vina pallida ſunt aut flaua, & ſimul craſſa, ea ſanguinem generant, & corpus nutriunt. quapropter etiam ipſa aliquando commoda fuerint ſenibus, quo videlicet tempore neque ſeroſum humorem in venis habẽt, & ampliore nutrimento indigent. Vt plurimum enim vino vrinam ciente ſenes opus habent, eo quòd aquoſa ſuperfluitas in ipſis redundat. At verò à nigris & acerbis ac craſſis C et ſimilibus vinis abſtinere ipſos oportet. diutius enim in ventre manent, & propterea incommoda ſunt. Dulci verò ſi ſenex vti velit, poſt balneum ſumat dulce ſimúlque pallidum colore. Non prohibeo etiam vinorum ex melle paratorum vſum, & præſertim iis ſenibus qui ſuſpecti ſunt de calculi in renibus generatione, aut quos podagra aut articularis morbus infeſtat. Et tunc in vinum iniiciendum eſt petroſelinum ſolum. ſufficit enim hoc arthriticis. Ad calculoſos verò betonica admiſcetur, quæ & ceſtrum appellatur, & ſaxifraga. Abſtinere autem oportet ſenes ab eduliis & potibus viſcoſum & craſſum humorem D gignentibus, qualia ſunt alica, caſeus, oua cocta, cochleæ, bulbi, fungi, lenticula, & oſtreorum caro, & reliqua ſuprà relata in alimentorum craſſi ſucci mentione, ſermone ſecundo. Si verò ex neceſſitate aliquando contigerit aliquo ex talibus vti, ſtatim exhibendum eſt pharmacum ex calamintha, aut ex tribus piperis generibus. Si verò non ſit ad manum quid ex his, piper tundendum eſt, & exactè cribrandum, & tum cum obſoniis edendum, tum potui inſpergendum. & allium tunc guſtare conducit. Poſtquam autem ſoluta eſt obturatio, & aluus ſubducta, etiam the- E riacam antidotum, & mithridaticam, aut aliam quandam ex iis quæ ex aromatibus conſtant exhibere conuenit: à talium vero vſu, tranſire ſtatim ad humectantem ac calfacientem victus rationem ſuprà relatam. Dandæ ſunt ipſis etiã maturæ & dulciſſimæ virides ficꝰ ante aliũ cibũ. Sed & in hyeme caricæ, niſi accidẽs aliquod circa dextrã præſertim præcordiorũ partẽ adſit. Quãdoquidẽ verò ſeroſæ ac pituitoſæ ſuperfluitates in ſenũ corporibꝰ, velut dictũ eſt, colliguntur, vrinã quotidie propellere oportet: nõ per medicatas res, ſed apii decocto cũ melle, & vinis vri- F nam cientibus vti. Vẽter quoque per oleum bonum ſubducendus eſt, præſertim abſorptum ante cibos. Manifeſtum eſt autem quòd & oleracea omnia præ aliis cibis edere oportet, ex oleo & garo. Emolliunt autem ventrem & pruna ſicca, præſertim quæ ab Hiſpania afferuntur. Damaſcena verò in aqua mulſa meraciore præmacerentur, aut in ipſa decoquantur. Sed & oliuæ muria conditæ, ſi fieri poteſt albæ, præſumendæ ſunt. Ventre verò amplius ſuppreſſo, etiam mercurialis cocta detur, & cnicus cum ptiſana. ſed & reſina terebinthina. De hac verò accipien- G dum eſt aliquando ad nucis regiæ magnitudinem, aliquando ad duarum aut trium. Non enim ſolùm citra moleſtiam mollire ſolet, ſed etiam viſcera extergere, & pulmonem & renes. At perfecta doſis eius eſt vnc. vna. Idoneum eſt ipſis & hoc. Caricas pingues accipe, & corium forinſecus ipſis obſitũ detrahe, deinde in mortario tunde, & cnici medullam ipſis adiice, decima plus minus caricarum parte: deinde ambo tuſa miſce, ex hoc duarum aut trium caricarum magnitudinem præbe. At verò ex H relatis pharmacis nullum vnquam largius accipiendum eſt. Quidam enim gaudent quòd confeſtim vehementer ſunt purgati: verùm quanto magis fuerint euacuati, tanto amplius venter ſiſtitur per ſequentes dies. Suppreſſa autem aluo ipſorum, infundere oportet oleum ſolum cali-

dum. nam & dura ſtercora hinc educuntur,& lubricitas quædam fit in tranſitu,& ipſum ſenum corpus molleſcit, inſtar aridarum pellium induratum.

Victus ratio eorum qui in otio degunt, Cap. XXXI.

QVI vitam in otio degit,cõſiderare debet an in priore vita exerceri conſueuit, aut citra exercitationem lauari.nam quidam hunc morem moderatè ferunt,vt aliqui ex ipſis non aſſiduè ægrotent,vbi corpore facilè trãſſpirante præditi fuerint.Atque talem ſanè corporis naturam ad aliam conſuetudinem transferre minimè oportet:quemadmodum neque illam aliam eorũ qui per multum temporis interuallum ægrotant.Si verò aſſiduè quis ægrotet,conſideranda eſt in ipſo cauſa , an ob plenitudinem,aut propter humorum vitiationẽ ægrotet.Et ſi quidẽ è morbis ex plenitudine ægrotare videatur,ſcop⁹ tibi erit propoſitus,vt omnino ſalubrem ipſius diætã conſerues,quò ſemper moderatos habeat humores : ſi verò propter vitiatos humores ægrotare ſolet,optimos facere humores.Quidam igitur plenitudinem coaceruant, quum ea quæ per corpus tranſpirant pauciora fuerint iis quæ accipiuntur.in his itaque ſeruanda eſt ſymmetria ac proportio eduliorum ac potuũ ad ea quæ euacuãtur.Symmetria autem eſt vt in vtriſque conſideremus nos quantitatem tum eorum quæ ingeruntur , tum eorum quæ euacuantur.Nã qui in priore vita ſtatim priuſquam exercerẽtur in balneum ingreſſi ſunt,in his nunc frictione moderata vtendum eſt,& breui motu:qui verò exercitabantur ante balneum,his conſulo vt nunc paululum augeant conſuetudinem.Detrahere verò oportet etiam aliquid de cibis,& quantitate ac qualitate moderatos exhibere. qualitatem autem dico velut in carnibus porcinis : celerrimè enim plenitudinem & copiam boni humoris congregant.Itaque ad olera ducendi ſunt , &ad piſces ſimiliter ac volucres,qui non multùm nutriunt . At verò in iis qui vitioſos humores colligunt,non vnus eſt ſcopus: quoniã neque vna eſt vitioſi humoris ſpecies.Quidam enim frigidiorem ac pituitoſiorem vitioſum humorem congregant:aliqui verò calidiorem & bilioſiorem:ſicut alii atrabiliarium.Fugiendi itaque ſunt ſinguli cibi ac potus, qui promptè generare ſolent humorem qui in ipſis congregatur.Dictum eſt autem de ipſis abundè,in boni ſucci & mali ſucci eduliorum mentione in ſecundo ſermone huius operis,in quo ſanè de attenuãtibus eduliis dictum eſt quæ commoda ſunt iis qui crudum appellatum humorẽ coaceruant:qui ſemper quidem craſſus eſt,nõ tamẽ ſemper viſcoſus. Porrò in omnibus his commune auxilium eſt moderata ventris ſubductio,& maximè quibus veneter eſt natura durior. Commune auxilium eſt etiam veneris vſus moderatus.

De carnium ſubuerſione, Cap. XXXII.

QVVM ad immodicam carnium multitudinem deuenerit corpus,liquare ipſum ac ſubuertere oportet. Oſtenſum eſt autem quòd calidius & ſiccius temperamẽtum gracile corpus efficit. huiuſmodi igitur faciendum eſt carnoſorum hominum temperamentum , ſi moderatum fieri debet. Didiciſti autẽ iam quòd velócia exercitia atque acuta,& diæta attenuãs,itémque eiuſmodi medicamenta,ſed & animæ curæ,totum temperamentum calidius & ſiccius reddunt,& ipſum corpus tenuius. attenuãs itaque diæta manifeſta eſt. Pharmaca verò vehemẽtiora ſunt,rutæ ſemen,& præſertim ſylueſtris,cum cacuminibus:ariſtolochia rotunda,centaurea tenuis, gentiana,& polium,& quæcunque fortiter vrinam cient, velut petroſelinum. ſingula enim hæc & per ſe & inter ſe vniuerſa mixta,attenuare & euacuare humores poſſunt. Sed & ſal ex viperis vſtis multùm attenuat:quin & ipſa theriaca antidotus attenuat & diſcutit. Illinatur autem oleo in quo cocta eſt cucumeris ſylueſtris radix,& althæa,& gentiana,& panacis radix,& ariſtolochia rotũda, poliúmque ac centaurea. Cibi verò non ſtatim à balneis dandi ſunt, ſed permittendum eſt vt prius quieſcant,aut quid cõſuetarum actionum obeant,& rurſus ad ſecundum balneum ducantur. Præſtat autem & balnei aquam diſcuſſoriam eſſe,ſi naturalem habere poſſent:ſin minus,flos ſalis marinæ

A aquæ admiſceatur:deinde verò edulia magna quidẽ mole,pauci verò nutrimenti danda ſunt vt impleatur quidẽ, modicum verò alimẽtum ex ipſis in corpus diſtribuatur: talia verò ſunt olera,& panes ſordidiores , & ſimilia quæ iam in ſecundo ſermone relata ſunt. Vino autem vtẽdum eſt albo colore & tenui ſubſtantia . neque verò ante cibos potus permittendus eſt,neque copioſus potus indulgendus.Sed & ſemel in die cibum capere melius eſt, & pro exercitiorum ratione pauciores cibos exhibere. Quin & frictio ſicca ex mappis craſſioribus ſufficiens eſt
B ad attenuandum.ſed & nitro ac aſperiore ſale frictionẽ facere conuenit. Multum itaque nitrum in balneis attenuat:modicum verò, irritamentum eſt ad carnoſitatem vberiorem & ad meliorem nutritionem . prodeſt etiam inſolatio carnoſis. Probè attenuat etiam potũ hoc pharmacum: Petroſelini trientem,piperis ſextantem,aniſi, aſari,vtriuſque vnc.vnam.hoc & lotium ciet & aluum promouet.

Quomodo graciles renutrire oportet, Cap. XXXIII.

C GRacilitas corporibus accedit ,quibuſdam ex totius corporis intemperatura frigidiore ac ſicciore,quibuſdam verò, digerendi facultate aut nutriendi,aut vtriſque imbecillioribus natura exiſtentibus. Omnes autem ſic habentes iuuant edulia boni ſucci,& exercitia tarda ac moderata,& frictio conſimilis:& in ſumma omnia contraria relatis ad carnoſos. Commodum eſt etiam ipſis picari per dies tres aut quatuor. nam & digeſtioni confert & nutritioni. Et multos videre eſt craſſefactos ex hoc
D picationis auxilio,& præſertim eos quibus facultas digerendi debilis eſt. Nutriendi verò facultas non debilis quidem eſt,ſed ob idoneæ materiæ penuriam nutrire non poteſt. Si verò ieiuni lauentur , ante balneum corpus linteis confricare oportet donec rubefiat , deinde frictione non valde dura vti,vt ne conſtringentes, cutem denſam ac duram efficiamus. Oportet autem decoloribus & alimentum non ſentientibus iracundiam inducere, & commotiones animales.

Quomodo quis partes attenuatas ſanare poſſit, Cap. XXXIIII.

E EX iis qui in quibuſdam partibus graciles fiunt, plerique aut ob diuturnam ipſarum quietem,aut ob deligationis fracturæ modum,ad hãc affectionem deueniũt. Oportet igitur vires quidem in membro corroborare, largum verò ſanguinem attrahere, tum per moderatarũ frictionum vſum poſt cibum,tum per commodos parti motus,& per moderatas aquæ calidæ affuſiones. hæc autem poſt cibum facere oportet,donec pars rubicunda facta eleuetur : & tunc ſtatim à perfuſione ceſſandum eſt.
F Oportet etiam picatorum medicamento vti , de quo dictũ eſt in præcedenti ſermone. vbi verò frigiditatis ſenſus circa attenuatam partem fuerit,linteis ipſa perfricanda eſt,& quodam pharmaco calefaciẽte. Sed & thapſia illinenda eſt,aliquando cum melle,aliquando cum cerato.

De laſſitudinibus à gymnaſiis,aut ex itinere obortis, Cap. XXXV.

LAſſitudinũ primæ ac ſimplices tres ſunt differentiæ. quæ vlceroſa appellatur,& quæ tẽſiua,& quæ inflammatiua. Et ad has inſuper ea quæ ob multam muſculorum
G ſiccitatem generatur, quam laſſitudinem vocãt abuſiuè, quum non ſit laſſitudo,ſed ſiccitas.

De laſſitudine vlceroſa, Cap. XXXVI.

VLceroſa itaque laſſitudo in ſuperfluitatibus tenuibus ſimulque acribus ac mordacibus generatur. Nõ enim in his plenitudinis copia eſt quæ affligit , ſed humorum acrimonia, qui exercitiorum tempore,aut aliorum vehementium motuum,ex duplici cauſa generantur:aut craſſioribus ſuperfluitatibus diffuſis quidẽ ac attenuatis , non autem omnibus excretis : aut colliquata aliqua pingue
H dine,vel carne tenera,in vehementibus motibus. neceſſe eſt enim à talibus tenuibus humoribus & acribus pungi ac velut ſauciari cutem & carnes , vt & horror aliquando fiat,& rigor,quum fortiter fuerint acres & multi . Tumor autem non eſt oculis expoſitus in partibus dolentibus. Accidit hæc laſſitudo præcipuè corporibus vitioſis hu-

moribus ac ſuperfluitatibus refertis. Conſequitur & ad A recētes cruditates, quum aut immodeſtius ſe exercuerint aliqui,aut in ſole diutius verſati fuerint. Sed & citra cruditatem in boni ſucci corpore conflatur, propter immodici exercitii exceſſum. Denſa autem & horrida apparet his cutis,& dolent velut qui vlcus habent,alii cute tantū, alii etiam carnibus ſub ipſa. Sanatio porrò cōtingit ex eo quod contrarium eſt affectioni. oportet enim ſuperfluitates diſcutere,& ſedabitur affectio. Diſcutientur autem frictione multa,& molli cum oleo dulciſſimo nulla adſtrictione prædito,quale eſt dulciſſimum ſabinū. maxi- B mè enim aduerſatur his omphacinū. In prima igitur die largo oleo cum multa frictione vtendum eſt,quò omnino nullus percipiatur futuræ laſſitudinis ſenſus:in ſecunda verò,quò ea quæ facta iam eſt ſoluatur. ſoluit autem ipſam exercitium moderatum & frictio multa, pluribus miniſtris ſimul contrectantibus,quò pars ipſa non frigefiat & ſuperfluitates celerrimè diſcutiantur. Hæc autem laſſitudo plerunque extendi ſolet vſque ad quartā diem. itaque quarta die lauentur & conſueto cibo nutriantur. primis tamen diebus pauciores ſint ac humidiores cibi, C & nihil viſcoſi habentes. ſit autem & balneum non moderato calidius: laxare enim & diſcutere volumus ipſum corpus.

De laſſitudine tenſiua, Cap. XXXVII.

LAſſitudo tenſiua nullam memorabilem ſuperfluitatem in corporibus ſitam habet:verùm in muſculis ac neruis affectio eſt ob vehemētes diſtentiones facta,quas per exercitia fecerunt.cōtingit enim in his rectas in muſculis fibras laborare ac tēdi,vt proximæ ſint diuulſioni; Fit autem hæc laſſitudo viris maximè boni ſucci,qui nō D acuta & velocia exercitia faciunt ſed magis robuſta. & efficit ſanè laſſatos valde pigros & ad motum ægros:non tamen horridi fiunt, velut qui vlceroſam laſſitudinē inciderunt. at verò corpus in his nihil minus quàm in vlceroſa laſſitudine,& in muſculorum ſqualore contractum videtur. & calidiores quàm pro natura contingentibus eſſe videntur. ſanatio autem in his eſt tēſarum partium laxatio.Frictio igitur his conueniens eſt modica ſimúlq; mollis,per oleum dulciſſimum tepidum fiens: & otium ac quies,& balnea maximè temperata moderato non ca- E lidiora,& mora in calida aqua diutius facta. quare etiā ſi bis talem laueris,magnopere profueris. Hi etiam poſt balneum vnctione opus habent, antequam induantur: & ſi quidem poſtea ſudauerint, deterſos rurſus inungere conuenit.quin & ſequenti die vbi ſurrexerunt de ſtrato, poſt defrictas ſuperfluitates & ſubductam aluū, vnctione opus habent,ita vt neque extremè frigido oleo neq; dura frictione cōfricētur.Cibus dandus eſt his modicus quantitate, verùm boni ſucci & nihil viſcoſum habens.

De laſſitudine inflā matiua,& ad oſſa pertinente, Cap. XXXVIII. F

TErtia laſſitudo eſt,in qua velut contuſas ac inflāmatas ſentiunt partes.hæc tunc accidere ſolet quum ob vehementiſſimos motus calefacti muſculi attraxerint quid de circunfuſis ipſis ſuperfluitatibus. & ſola hæc eleuat muſculos præter naturam, vt inflammationi ſimilis ſit affectio.Et propterea ex contactu dolent,& calidiores apparent:dolent autem magis quū moueri volunt.Si verò circa tendines aut neruos in profundo eandem affectionem fieri contingit, oſſium laſſitudinem affectionē G eam appellant,ob ſenſus profunditatem. Hæc laſſitudo accidit: vtplurimùm hominibus ad exercitia non aſſuetis.Sanatio ſcopos tres habet, quemadmodum omnia inflammata:ſuperflui euacuationem,diſtentæ partis remiſſionem,& inflammatæ refrigerationem. Oleum itaque multum dulce tepidum,& fricationes molliores,& in tēperatiſſimis aquis mora diutiſſima,tales laſſitudines ſanant.Si verò etiam paulo tepidior fuerit aqua, magis his prodeſt.ita verò & quies multa & aſſiduæ inunctiones. Cibi dandi ſunt his boni ſucci,verùm pauciores, & nihil H omnino viſcoſi habentes.

De laſſitudine ob ſiccitatem & gracilitatem, Cap. XXXIX.

ALia præterea eſt quarta affectio, ſimilis quidem laſſitudini,ſed non eſt laſſitudo,eo quòd neque vlceroſam, neque tenſiuam,neque inflammatiuam affectionem habet,imò neque horrorem aliquem, neque dolorem, neque ad motus pigritiam ſimilem laſſitudinibus infert: verùm ſolam gracilitatem cum ſiccitate. Contingit igitur in boni ſucci & exercitatione vtentibus corporibus; quum immodeſtius exercitata non probè recurata fuerint.diſcutiuntur enim ſic ſuperfluitates,& laxantur diſtenta corpora,&nihil reliquum fit in corpore præter ſiccitatem quam ex immodica euacuatione habet. Quare etiam correctio huius affectionis in appoſitione ac repletione euacuati conſiſtit.non poteſt autem hæc fieri dum cutis rarefacta eſt. proinde cutem contrahere oportet, ac denſare & adſtringere.Contrahit autem & adſtringit,tū frigida aqua,tum feruens. At à frigida periculum eſt ne homo lædatur,qui iam rarus ſimul ac vacuus ob exercitiorum copiam factus eſt.A feruenti verò nulla læſio, ſed ſecura denſitas cuti accedit, ita vt etiam relictus in ipſa calor reuocetur ex feruentis aquæ ſolio:vnde feruentius calidæ ſolium parandum eſt. Exiliant autem ex ipſo ſtatim in frigidum,quò in ipſis maneat firmitas in cute vnà cum caliditate.nam & in ſequenti tempore minus diſcutiuntur, & alimentum facilè in carnes & in cutem ſuſcipiunt,quo bono nullum maius ipſis excogitare poſſis. Vitanda eſt autem longior in frigidæ ſolio mora. exoluit enim frigidæ lotio calidæ lotionis vtilitatem.Prima itaque die lotus,velut dictum eſt,cibum accipiat boni ſucci & humidiorem: ſecūda verò recuretur modicæ ſimul ac mollis & lentæ frictionis vſu,& ſolio calido:atque hoc faciat conſequenter per multos dies.

De laſſatis ex venere, Cap. XL.

DEbilitas virium ſequitur ad immodicum veneris vſum,præſertim in corporibus natura debilibus.Rarefit autem ipſis & cutis ex vehementi motu, & plurima fit per trāſpirationem diſcuſſio ac exhalatio, & propterea ſiccitas.Aliquando verò etiam frigiditas conſequitur, tum propter raritatem,tum propter caloris tranſpirationem ac ſudores. Correctio igitur horum eſt per cōſtringentia ſpiſſantiáque ac corroborantia cutem:de quorum numero eſt & moderatum exercitium ,& feruentius calidæ aquæ ſolium:quies item ac ſomnus multus. Edulia verò ſint multitudine quidem pauciora, qualitate verò humidiora & moderatè calidiora, quò & concoctio bona fiat,& ſiccitas ex laſſitudine corrigatur.

De laſſitudinibus ſpontaneis, Cap. XLI.

QVVM de laſſitudinibus ex gymnaſiis aut ex itinere obortis dixerimus,nunc de iis quæ ſine vehementi motu ſponte fiunt docebimus:tales enim morboſæ ſunt, velut etiā Hippocrati videtur. Laſſitudines enim,inquit, ſpontaneæ denuntiāt morbos. ſunt autem & harum tres differentiæ,vlceroſa,tenſiua,inflammatiua.

De laſſitudine vlceroſa ſpontanea, Cap. XLII.

SPontanea igitur vlceroſa laſſitudo,ob vitioſos humores clandeſtinè coaltos fit, qui acres & tenues ac calidi ſunt,vt corrodant & ſtimulent ac pungāt corpuſcula ſenſu prædita. Et quādiu quidem ipſi in venis admixti ſunt ſanguini,latet ipſorum vis à ſanguinis bonitate ſuperata:vbi verò in carnes & cutem trāſſumpti fuerint, & per māſionem confirmati,tunc vlceroſam affectionē ac ſenſum inducunt:& tunc maximè in talibus augentur quū moueri volunt.Conſiderandum eſt autem in his, vtrum in cute & carne ſola vitioſi humores contineantur,aut etiam cum ſanguine intra venarum vaſa. Horum autem ſigna habes ex vrinis,& morſu circa cutem,& ſudoribus. Quando enim vnà cum hoc quòd etiam in vrinis apparent vitioſi humores,ſenſus quoque ipſorū mordax circa cutem contingit,& ſudores alieni tum colore tum ſapore apparent,manifeſtum eſt quòd & in venis cum ſanguine vitioſi humores continentur, & quòd in cute ſunt ac carne.Si quidem igitur modicus ſenſus vitioſorū humorum contingat,ieiunum hominem per totum diem ſeruabimus,quieſcere ac dormire iuſſum : deinde veſperi multùm & pinguius illito, atque temperatiſſima calida loto, pauciſſimum boni ſucci ac ſorbilem cibum dabimus.Neque verò vinum prohibebimus:concoquit enim

vinum ſemicrudos humores, ſi quicquam aliud hoc facit,& ſudóres ac vrinas prolicit,& ad ſomnum conducit. Si quidem igitur à prædictis quieuerit hoc ſymptoma, paulatim ad conſueta reducere hominem oportet.Si verò ſequenti nocte ac poſtera die adhuc permanſerit, aut auctum fuerit,videndum eſt de auxilio fortiore.nam tales,vbi vires robuſtæ ſunt,alterum ex duobus facere oportet,vt aut venam ſecent,aut purgatione vtantur.ita tamen vt decernas vtro auxilio magis opus habeant,velut conſequenter dicam.ſin verò debiles fuerint vires, minimè ſecanda eſt vena: purgandum verò moderatè,aut omnino non.Si quidem enim cum multitudine ſanguinis robuſtæ fuerint vires,vena ſecāda eſt, aut cōſuetæ excretiones ſuppreſſæ mouēdæ, velut ſūt hæmorrhoides in ſede,&in mulieribus lunares purgationes.at vbi ſoli vitioſi cōgregati ſunt humores,citra ſanguinis multitudinē, ad conuenientem redundanti humori purgationem veniēdum eſt. Affligit autem quandoque bilis amaræ humor aut atræ,quandoque pituita ſalſa aut acida, aut ſeroſi humores.Si quidem igitur otioſiorem vitam habuerit homo,& cibis craſſi ſucci vſus fuerit, & præſertim in hyeme,pituitoſus humor colligitur.Verùm in pluribus laboribus & cibis acrioribus,& in æſtate, amara bilis coaceruatur: in autúmno verò & eduliis eiuſmodi, ac laboribus diuturnis,atra bilis. Horum verò notas ſumere oportet & ex colore,& ex hominis motibus,& ex vrinis ac ſudoribus,& ex ſiti ac ciborum appetentia.Proinde ſanguine prædominante reliquis humoribus,vnà cum viribus robuſtis,venam ſecabis : ſi verò vitioſi humores prædominantur,& vires robuſtæ ſunt,purgatione conuenienti vtemur.At poſt venæ ſectionem aut purgationem, nutrire oportet hominem eduliis boni ſucci quæ exterſoriū quid habent,velut eſt ptiſana:& quæ nulla viſcoſitate prædita ſunt,neque craſſi ſucci ſunt, neque multùm nutriūt. Vtendum eſt & balneis temperatiſſimis, & vnctione ac frictione moderata.ſed & reliqua diæta ac cura ſic faciēda eſt velut relatum eſt in laſſitudine ex gymnaſiis generata.Si verò bonus ſanguis paucus fuerit, crudi verò humores omnino multi, vires autem debiles, neque vena ſecanda eſt,neque purgatione, neque exercitio vtēdum: imò neque omnino motu vtendum eſt, neque lauandū. Nam venæ ſectio bonum ſanguinem euacuat: vitioſum autem,qui ſanè in magnis venis circa hepar & meſaræū congregatur,ad totum corpus trahit. At purgatio in his tormina ac morſus efficit, & animi deliquia intentat,ad hoc quòd nihil memorabile euacuat.Crudi enim humores omnes pigri ſunt ac ægrè mobiles, ob craſſitudinem ac frigiditatem.Itaque obturant omnes arctas vias, per quas oportet id quod in purgationibus euacuatur ad ventrem accedere ac inferri.& ob hanc cauſam,neque ipſi euacuantur,& alios impediunt. Ob eandem verò cauſam neque exerceri,neque omnino moueri neque lauari hos conuenit.omnes enim tales motus humores in totū corpus ducunt,& anguſtos tranſitus obturant. Seruandi igitur ſunt in omni quiete,& danda edulia potúſque ac pharmaca attenuantia ac ſecantia, & craſſitudinem humorū conficientia,citra manifeſtam calfactionem.nam humores quomodocunque fortiter calfacti, vndique per corpus meant. Vtantur igitur in victu aceto mulſo præſertim,aliquando & ptiſana:aliquando verò danda eſt & aqua mulſa. poſſunt enim ferre tenuem diætam, ſiqui alii idem poſſunt,propter ſubiectam crudorum humorū multitudinem. Quandoquidem verò præcordia omnibus talibus eleuata ſunt ac inflata, & facilè ſanè inflantur,quicquid tandem ingeſſerint, præſtiterit ipſis dare cum cibo modicū piperis,præſertim longi.Melius fuerit & Dioſpolitico vti medicamēto. Cōmodiſſimum eſt autem ipſis acetum mulſum,ex ſolo optimo melle & aceto præparatum: vt ſint mellis quidem deſpumati partes duæ,aceti verò pars vna,plus minus. Præſtat enim ex accipientium ſenſu modum iudicare,non noſtris commoditatibus. nam quod naturæ iucundum eſt, hoc commodum eſt: quod verò iniucundiſſimum eſt, id maximè aduerſarium eſt. Prodeſt talibus etiam apomeli, & præſertim acidum factum. At vbi iam attenuati

A aliquantulùm fuerint humores, etiam vinum dandum eſt moderatum, album ac tenue : Sed & in apomelite ac aceto mulſo coquendum eſt aliquando hyſſopum & pulegium. Eduliis verò vtendum attenuantibus, citra vehemētem calfactionem: qualis eſt capparis ex aceto mulſo,aut ex aceto & oleo. Poſtquam verò omnia perfectè bona tibi apparuerint,tunc ad familiarem victum paulatim reducere conare,ita vt moderatis exercitiis vtātur, & balneis, & vnctionibus. Idoneum eſt autem ipſis vnguētum laſſitudinem eximens ex abiete paratum,itém-
B que quod ex populo nigra fit: quorum præparandi modum inter acopa vocata referemus. Congruum eſt ipſis & oleum chamæmelinum,& anethinum: item ſampſuchinum tempore hyberno. Sampſuchinū verò oleum ſic præparatur:Coquitur ſampſuchus in duplici vaſe cum oleo, ſimiliter coquitur & roſmarinus herba: ſi verò hæc nō habeas,radicem cucumeris ſylueſtris,aut althææ, aut bryoniæ,aut betæ albæ accipe, & cum oleo coque. multùm enim diſcutiunt.

De laſsitudine tenſiua ſpontanea, Cap. XLIII.

Tenſiua ſpontanea laſſitudo, ſi ſine exercitiis aut alio
C quodam motu excitata fuerit,multitudinem nimirum humorum indicat, qui nimia copia ſolidas animātis partes diſtendunt,& præſertim muſculorum fibras.vlceroſus ſenſus nō eſt in hac laſſitudine,ſed neque tumor alicuius partis ſub tactum aut viſum cadens, verū ſolùm grauitatem & diſtentionem percipiunt. Manifeſtum eſt autem quòd ſanguine redundante optimum auxilium eſt venæ ſectio in cubito. poſſunt & venæ in talis ſecari. At verò poſt totius corporis euacuationem, ad diſtentarum partium laxationem procedendum eſt per vnctio-
D nes ac frictiones molles,otiúmque ac quietem. Et vtendum eſt balneis temperatis, & cibis citra mordacitatem exterſorium quiddam habentibus, qualis eſt ptiſana, & apomeli,& conſimilia.Et,vt in ſumma dicam,poſt venæ ſectionem eadem cura vti oportet quæ relata eſt antea ad tenſiuam laſsitudinem ex gymnaſiorum exercitiis obortam.

De laſsitudine inflammatiua ſpontanea, Cap. XLIIII.

Inflammatiua laſsitudo quum ſponte citra aliquem
E motum oborta fuerit, tum propter doloris magnitudinem, tum propterea quòd cum manifeſta inflammatarum partium caliditate conſiſtit, coeleuans muſculos in tumorem,neque paucarum horarum, nedum dierum duorum aut trium,moram ac dilationem tolerat,ſed ſtatim febrem vehementiſsimam inducit:niſi quis ſanguinem detrahēdo præueniat. Calidiſsimus eſt enim talium ſanguis,& plurima opus habēt ipſius euacuatione omnes ferme ab hoc malo apprehēſi: & plerique ipſorum etiam
F poſt venæ ſectionem febriunt.Quare neque cunctari,neque parum detrahere conuenit:ſed & citò euacuare, & vſque ad animi deliquium ducere, ſi nihil aliud amplius impedierit. Præſtat autem & detractionem repetere in eadem die,ita vt in priore euacuatione homo nō animo linquatur.In poſteriore neque ferendum eſt animi deliquium. At quibus hoc modo affectis vena ſecta non fuerit,aut ſponte aliunde ſanguis eruperit,hi bona fortuna opus habent vt ſeruentur:& neque ſeruantur. Si quidem igitur in capite & collo dolores magis hæſerint,humera-
G lem appellatam venam ſecare oportet.Si verò thoracem & dorſum & lumbos doleant, internam venam ſecabis: ſin æqualiter totū corpus,mediam: ſi quidem igitur à venæ ſectione febris permanſerit,curationem facere oportet, quam in febrium tractatione referemus. Si verò ſine febre maneant,in prima quidem die à venæ ſectione, ptiſanæ ſuccus aut alicæ ſolum dandus eſt : ſimiliter autē & ſecunda.Si autem & in tertia die ſine febre manet,etiā lauato, & largo oleo inungito. Etiamſi autem laueris, moderatum tamen victum exhibebis, ex lactuca aut, ſi
H ea non adſit,cucurbita:& alicam coctam. velut ptiſanam Sed & beta,& malua,& atriplice vtēdum eſt, ſi non adſit lactuca. Ex piſcibus dandi ſunt petroſi, & aſellus ex albo iure probè coctus. Vtatur aquæ potu. Aquæ potum dico, non frigidæ aquæ potionem,ſed calidæ. Poſt tertiam ſi

tolerabilis manet æger, inſpergere oportet in potum vini parum albi ac tenuis, & de cætero pro ratione reficere, per boni ſucci & neutiquam calfacientis diætæ vſum.

Quali curatione ad frigiditates vtendum eſt, ex Herodoto, Cap. XLV.

DVplex eſt frigiditatis curandæ modus: nam & futuram frigiditatē præcauere oportet, & corrigere iam factam. Quò igitur non capiatur frigiditate is qui in frigido aere verſaturus eſt, neque famem tuliſſe, neq; præuomuiſſe oportet, neque cruditatem pertuliſſe, aut fatigatum eſſe, aut crapula impletum eſſe. Frigiditas enim conſequens ad ciborum cruditatē, morborum cauſa eſt. Iis verò qui famem pertulerunt, frigiditas ad ipſos neruos penetrat, qui nudi quodammodo ſunt, & propria materia priuati: quapropter qui in frigido aere verſabitur, totum corpus nardino aut gleucino oleo præinungere debet: plantas autem pedum, cerato ex laurino parato illinere. Aut ipſas lauri baccas cerato excipe, ac vtere. Verùm ex veteribus quidam ſuccū Cyrenaicum milii magnitudine, in talibus neceſſitatibus deuorandum dederunt, cera oblitum. At verò à conuerſatione in frigido aere, deſidere nō oportet, ſed ambulare prius in tepidiore loco: & poſtea ad balneum ingredi, & in calida aqua diutius morari. Non præſente verò balneo, ad ignē corpus illinendum eſt, ac cōfricandum diligentius tum per ſeipſum, tum per alios: deinde accipiendus eſt cibus calidus potentia & actu. Vinum verò neque valde acerbum, neque nimis vetus dandum eſt. tale enim neruoſas partes offendit iam à frigore vexatas, & præſertim veſicam ac renes. Si verò ſequenti die frigiditas perſeueret, curatio per balneum aut inunctionem conuenit, & diæta conſimilis, & acopa ex oleo gleucino & amaracino ac ſimilibus præparata.

Cutis denſatæ curatio, Galeni, Cap. XLVI.

DEnſatur aliquando cutis tum per vehemens frigus, tum per balnea aluminoſarum aquarū, aut aliquid huiuſcemodi. Fieri poteſt autem vt & poſt balneum, & poſt ſudores, aut alio quodam modo rarefacta ac frigefacta cutis denſetur. Cognoſcitur affectio colore albidiore quàm pro natura, & cutis ariditate ac denſitate, & quòd ſic affecti in exercitiis ægrè calefiant. neque enim ſudant neque bonum colorem habent. Si verò etiam à plurimis exercitiis coacti ſudauerint, modicum ac frigidum ſudorem excludunt. Sanatio horum eſt calfactio, & cutis rarefactio. Vtendum igitur eſt exercitiis, & balneis calidioribus. præſtat autem in prima balnei domo ſuper læui lapide ſedentem perfundere. Vngantur etiam oleo quopiam laxatorio, velut eſt quod dulciſſimum eſt, verùm duorum aut trium annorum. Vtantur & lauacro natationi apto, calido temperato diutius: in frigido verò ne immorentur. neque verò aqua ſit valde frigida. Vbi verò induere ſe volunt, inungantur aliquo moderatè calfaciēte, quale eſt anethinum aut cicinū: ex vnguentis verò gleucinum, aut ſuſinum, aut irinum, aut amaracinum. Cibis porrò vtantur moderatis, nihil viſcoſi habentibus.

Quomodo curandus ſit æſtuoſus ardor, Herodoti, Cap. XLVII.

QVemadmodū frigiditas famelicos magis lædit, ſic ardor repletos. quare qui in æſtiuo ſole verſari volet, repletionem & acrium eſum vitet, vinoſitatem item ac cruditatem: præhumectet autem corpus balneis potabilium aquarum, & cibis humectantibus. proſpiciēdum eſt & in mora ipſa ſub ſole, vt caput tegatur leuiore aliquo veſtimento, aut foliis vitis, aut myrti, aut polygoni. Si verò ſitis vehemens oriatur, non aceruatim ingerendus eſt frigidæ potus. Plurimis enim hinc præterfuſio aquæ inter cutem contingit. aliis verò ad ardentem pulmonem aquæ frigiditas illapſa, tuſſes & grauedines excitat: aliquibus etiam tabem. Præſtat igitur prius faciem frigida proluere, manúſque ac pedes, deinde colluto ore paulatim ex interuallis abſorbere. Poſtquā autem diſceſſit à ſole, temperata calida ſe lauet, & in frigida natet. Si verò non adſit balneum, aqua & oleo, aut aqua & roſaceo totum corpus humectetur, & mollibus manibus præfricetur, & tūc in frigidam inſiliat, præſertim ſi aſſuetus fuerit. Si verò A nihil tale adeſt, aqua perfundatur. poſtea potus quidem ſit aqua: edulia verò, lactuca, intuba, cucumis, cucurbita: vinum quoque dilutius ſolito ſit. obſonium, piſces delicati, domeſtica gallina ex iure albo. A coitu verò abſtineat. At vbi caput vehementer calfactum eſt, aut ſtomachus adhuc exardet, vt alba & glutinoſa ſit ſaliua & vix ſputo reiici poſſit, & reliquum corpus pigrum appareat ac velut exolutum, caput roſaceo irrigandum eſt, aut roſarum ſucco cum oleo omphacino, aut polygoni ſucB co, aut pampinorum vitis, aut intubi, aut alicuius ſimilis ſucco. Totum verò corpus humectandum eſt aqua & oleo, aut aqua & roſaceo. Super ſtomachum autem molle linteolum imponendum vino & oleo imbutum, aut cera, tum roſaceum, aut melinum quod abſinthium habet aut portulacam. Optimum eſt autem & abſinthii cremorem bibere, ad detergendas bilioſas & acres in ventre congrēgatas ſuperfluitates. Conducit & roſaceum abſorbēdum dare ad cyathi vnius menſuram.

De matutina frictione, Galeni, Cap. XLVIII.

C MAtutinam frictionem aſſumimus poſt ſuperfluitatum excretionem, excellenter quidem mollem in plus iuſto reficcatis, & in iis qui in vehementi frigore verſari volent, & quibus propoſitum eſt frigida lauari, & qui laſſitudinis ſenſum habent, & in quibus cutis denſitatem corrigere volumus cum largo oleo. At verò denſitatem ex frigore obortam ſanamus, primùm quidem ſiccarum & aſperarum frictionum vſu: deinde frictionibꝰ ex oleo calido. Ad raritatem verò cutis obortam ex balneis, aut frictionibus, aut ob veneris vſum, paucis quidē D ſiccis frictionibus vtimur, paucis verò etiam poſt ipſas, ex oleo frictionibus, & eo quopiam ex adſtringentibus. Cæterùm humiditates ex multo potu obortas ſolæ ſiccæ frictiones curant per lintea factæ citra pinguitudinē, aut cum aliquo ex diſcuſſoria vi præditis.

De veſpertina frictione, Cap. XLIX.

VEſpertina frictio laſſatis, aut reficcatis, aut alimentū non ſentientibus commoda eſt. Prandium in his parcius fiat, & amplius tēpus intercedat vſque ad cœnā, & plerunque in quiete, deinde etiam paululùm deambulent: melius enim eſt ſi ſubductis cibis etiam ventrē exo- E nerauerint. his ita factis, citra periculum frictio aſſumitur. Frictio fiat cum oleo dulci, ventre penitus non contacto. Periculum eſt enim & ipſos cibos prius concoqui, & ſemicoctum aliquem humorem digeri, & caput perturbari, & ſtomachum ſubuerti: quare nardino vnguēto venter perfundendus eſt abſque defrictione.

De cruditate, Cap. L.

QVOT modis cruditas fiat, & quomodo variè reſiſtere oporteat oboriētibus ex hac corpori detrimētis, F in loco de alui affectionibus poſtea declarabitur: nunc verò neceſſarium eſt dicere quomodo ad vrgentia accidentia inſtare oportet. Ructu itaque accedente ac irritante, & grauitate circa præcordia exiſtente, & ex hac moleſtia quadam in totum corpus ſe diffundente, non cunctādum eſt ad vomitum deuenire, ſed aqua plurima tepida hauſta cogendus eſt, vt cibi penitus excernantur. Vbi enim permanſerint, & torminum, & dolorum, & grauitatis capitis, & deſtillationis, aliquando verò etiam febris cauſa fiunt. Si verò quis natura difficulter vomat, aut ob aliā quandam cauſam vomere impediatur, elaborandum eſt G omni modo vt cibus ſubducatur, & ex præcordiis ſecedat. Ad hæc erectior decubitus paretur: adiuuat enim, ſi quicquam aliud, concoctionem. Et ſi vigilans quis fuerit, propter nimiam expletionem ſomnum aſſequi non potens, is immotus permaneat, & eandem decubitus figurā conſeruet. nam aſſiduæ cōuerſiones flatus pariunt: flatus autem materiam ſurſum vergere faciunt. Si verò perſeuerarit hoc accidens, etiam pharmaci concoctorii ex malis cydoniis præparati, cochlearii mēſura danda eſt. Si verò quis aſſuetus ſit ad frigidæ potum, & multam ſitim perH cipit, non incongruum fuerit ſinceræ frigidæ heminam exhaurire. elerrimè enim corroboratum os vētris, quæ in aluo ſunt expellit. At ventrem nardino vnguento illinire oportet, & partes circa præcordia fouere, & extremarū partium frictione vti. Exonerata aluo ad deambulationē

procedendum eſt,tardè progrediendo,ne vapores ex cruditate ad caput allati concutiantur. Poſtea verò ad conſueta vitæ munia pergendum eſt: deinde ſuccedat balneum,& inunctio ex oleo dulci. vtilis eſt & abſinthii potus. Cibo verò vtendum eſt facilè concoctili ac moderato,& cui addita ſunt quæ aluo commodant,velut ſunt erinacei &cancri:deinde olera,beta,malua. modicè vtēdū eſt vino,verùm calidiore. A reliquis verò abſtineat,velut ſunt acrium eſus,& bellaria,ac placentæ ex melle, & fructus dulces. talia enim omnia ægrè concoqui ac digeri poſſunt. Hinc autem ſomnus imperturbatus ſuccedat.

De crapula, Philumeni, Cap. LI.

SED & cruditates ex vino obortas, quas crapulas vocant,ferè eodem modo tractare oportet, ita vt cogamus ipſos vomere à tepida aqua,aut ſola immiſſione digitorum aut pennarum, & in lecto quieſcere iubeamus, & turbationē ſomno ſedemus. & ſiquis ſanè ad frigidæ potum aſſuetus ſit,& ſtomachi ac ventris vexationem ſiue morſum perceptet,dandi ſunt ipſi cyathi duo aut tres ſinceræ puræ frigidæ aquæ ex interuallis. Sedata verò turbatione,cibos exhibebimus boni ſucci, & magis frigefaciētes. Potus autem ſit modicus,vinum album & tenue,dilutius temperatū. Optimus verò in his eſt vini abſinthitæ potus à balneo.

De æqualibus intemperaturis, Galeni, Cap. LII.

QVVM tractauerimus quomodo quis à prima ætate vſque ad ſenectutem conſeruet hominem optimè conſtructum: tranſibimus nunc ad eos qui ſtatim ab initio morboſam corporum conſtructionem adepti ſunt. Duplices autem ſunt ſecundum genus vitioſæ corporum ſtructuræ: quædam enim æqualiter habent temperatas vniuerſas corporis primas partes,quæ ſimilares appellantur: quædam verò inæqualiter. dico autē æqualiter, quū ad aliquam intemperaturam immutatæ fuerint omnes ſimul corporis partes,frigidiores quàm conuenit,aut calidiores, aut ſicciores,aut humidiores factæ: & per coniugationem quædam calidiores & ſicciores,quædam humidiores & frigidiores,quædam calidiores & humidiores,quædam frigidiores & ſicciores. Et ſanè iuxta inſtrumentalium partium compoſitionem, aliquæ æqualiter, aliquæ inæqualiter cōpoſitæ ſunt. Vidi enim iam quoſdam habere ventrem quidem frigidum,caput autem calidum: alios verò caput frigidum,ventrem verò calidum. Vidi autem & ventrem per accidens aſſiduè bile vexatum,qui non eſſet natura calidus: quemadmodum etiam alium frigeſientem,qui non eſſet frigidus. Sic & caput,& hepar,& ſplen,& omnes aliæ partes fruuntur aliquando alterius intemperatura, quum ipſæ ex natura nihil læſæ ſint in proprium temperamentum,neque contrario modo diſpoſitæ. Proinde de primis optimū temperamentū adeptis à me dicetur, quò hoc exemplum habeas quod temperatum eſt: deinde de iis qui æqualem intemperaturam habent. Demonſtratū eſt à me ſæpe, impoſſibile eſſe vnam aliquam intemperaturam diutius perſeuerare: ipſa enim ſibiipſi neceſſariò aliam quandam aſciſcit. Illud porrò noſſe expedit,quòd quæcūque corpora morboſam ſtructuram in prima natiuitate habuerunt,ea omnino non perueniunt ad ſenectutem: ſi verò etiā peruenerint,vnum quendam morbum diuturnum habent. Propoſuimus autem in hac tractatione de vitioſam ſtructuram habentibus agere, conſiderantes quomodo quis ipſa conſeruet vtplurimùm ſana. Prius verò referendæ ſunt temperamentorum notæ,poſtea cōſequenter etiam intemperaturarum correctiones.

Optimi temperamenti dignotio, Cap. LIII.

OPtimè temperatus eſt homo quum corpore apparet exactè medius inter omnia extremè diſpoſita corpora,in gracilitate ac craſſitudine,mollicie ac duritie, caliditate ac humiditate,ſiccitate ac frigiditate:&,vt in ſumma dicam,ſi animales ac naturales actiones inculpabiles habuerit: medio itē modo ſe habuerit inter hirſuta corpora ac glabra,& inter nigra colore ac alba: habuerit autem capillos, dum quidem puer eſt,fuluiores, in vigore verò ætatis flauiores.

Temperamenti calidi notæ, Cap. LIIII.

CAlidius quàm conuenit temperamētum totius corporis,nunc dico illud quod proportionem ſecundū humiditatem ac ſiccitatem inculpabilem habet. Qui igitur ab initio talem corporis naturam adepti ſunt, ſaniores aliis apparent,& articulata voce loquuntur,& canunt, & citius gradiuntur. Augebitur autem ipſis caliditas pro annorum proportione. Iuxta vigorem autem ætatis palàm calidiores apparent. quare morbis & accidentibus à flaua bile facilè capiūtur. Nam multa caliditas paulatim conſumens humiditatem, ſiccius temperamentum efficit. Hi colore rubicundi ſunt, & nigros capillos habent: progreſſu verò temporis etiam moderatè dēſos. habéntque venas amplas. ſunt enim & graciles. Nam pingues & venas amplas habentes,non natura pingues ſunt, ſed acquiſitum temperamentum habent.

Temperamenti frigidi notæ, Cap. LV.

FRigidum ad contactum eſt iis corpus, depile & pingue. Color autē vnà cum capillis,fuluior his eſt. Si verò multa eſt frigiditas, liuidi ſunt & plumbei coloris, & anguſtas venas habent. Si verò quis anguſtas habet venas, & gracilis eſt,is neceſſariò acquiſitum temperamentum habet,& non ex natura gracilis eſt.

Siccicioris temperamenti notæ, Cap. LVI.

AEgrè mobile, & ſiccum, & ſqualidum in iis fit corpus facilimè ab omnibus ſiccantibus. nam & natura excarnes ſunt ac graciles. At quum hoc quòd ii graciles ſunt & excarnes,amplius etiam durum & aſperum apparet tangentibus horum corpus. Gracilitas autem non ſolùm ad naturales conſequitur temperaturas,ſed etiā ad acquiſitas ex longa conſuetudine ſuccedit.

Humidioris temperamenti ſigna, Cap. LVII.

HVmidius temperamentum in reliquis cōſimile eſt temperato,verùm mollius & carnoſius. nam mollities ab humida temperatura ſeparari non poteſt. Quēadmodum ſanè & craſsities non ſolùm ad naturalem ſequitur temperaturam, ſed etiam ad eam quæ ex longa conſuetudine facta eſt,ſuccedit. Proprium autem eſt humiditatis etiā grauari corpus ab omnibus humectātibus

Calidi & humidi temperamenti notæ, Cap. LVIII.

MOllius & carnoſius eſt hoc optimo temperamēto: vbi verò plurimùm fuerit auctum, putredinoſis facilè capitur morbis. Si verò paulò humidius,multo verò calidius fuerit,tales molliores ſunt moderatis, & carnoſiores,& non paulò calidiores. nigri autem ſunt ipſis capilli, & caro non pinguis. Si verò paulo calidius, multo autem humidius fuerit,mollis his & multa eſt caro, & color mixtus ex rubro ac albo: & ad contactum paulo ſunt calidiores. Quò verò in ſumma dicam,in coniugatis temperaturis ſemper prædominantis qualitatis notæ præualent.

Calidi & ſicci temperamenti notæ, Cap. LIX.

CAlidum & ſiccum temperamentum,hiſpidius ac calidius eſt & gracile. Capitis autem pilos boni habitus & nigros ac multos habet in iuuentute: temporis verò progreſſu etiam caluities ſequitur. At venæ ipſius amplæ ſunt, & arteriæ magnæ ac vehementiſsimè pulſantes. Et ſanè & firmum, & articulatum, & muſculoſum, & minimè pingue totum eſt corpus,& cutis ipſa durior ac nigrior.

Frigidi & humidi temperamenti notæ, Cap. LX.

THorax iis anguſtus eſt,& pilis nudus,quemadmodū etiam totum corpus: cutis autem tenera & alba: capilli ſubfului,præſertim in iuuentute.& ſeneſcentes non calueſcūt. Sunt item timidi,& minimè audaces,ac pigri, & obſcuras habent venas. Et craſſi ſunt ac pingues, & femoribus ac muſculis infirmi & inarticulati,& fiūt blæſi. Quòd ſi frigiditas ac humiditas amplius augeſcant, color vnà cum capillis fuluus euadit: ſi verò plurimùm augeſcant, liuidus. At ſi inæquale fuerit qualitatum augmentum, eius quæ magis aucta fuerit propriæ notæ prædominabuntur.

Frigidi ac ſicci temperamenti notæ, Cap. LXI.

SI verò frigiditas ac ſiccitas ex æquo fuerint auctæ, natura durum & gracile habent tales corpus, albúmque ac non muſculoſum, & inarticulatum, ac depile, & ad tactum frigidum. pinguitudo tamen ipſis etiamſi graciles ſint, per carnẽ diſſeminata eſt. Pili & calor corporis pro menſuræ frigiditatis portione ſe habent. Porrò quum calida & ſicca temperatura in tempore inclinatæ ætatis ſæpe tranſeat in ſiccam ac frigidam, habitus talium gracilis ac durus ſimiliter fit: verùm melancholicus eſt, & propterea colore nigriores ac hiſpidiores fiunt. Prædominabuntur autẽ ſemper prædominantis temperamenti notæ, obſcuræ verò alterius notæ erunt.

De capitis dignotione, Cap. LXII.

CAput paruum quidem vitioſæ cerebri ſtructuræ proprium ſignum eſt: magnum verò, non neceſſariò bonæ. Si quidem enim propter robur inſitæ virtutis materiam multam ac bonam creantis factum eſt, bonum eſt: ſi verò propter ſolius materiæ multitudinẽ, nõ bonum. Diſtinguendum verò de ipſo tum ex figura, tum ex iis quæ ab ipſo ortum habent. Ex figura quidem, ſi fuerit cõcinna. ſemper enim hoc ſignum bonum eſt. Ex iis verò quæ ab ipſo ortum habent, ſi validam ceruicem habet, & aliis oſſibus optimè diſpoſitum eſt: & ſi vniuerſum ipſorum neruoſum genus bene nutritur, ac robuſtum eſt: & ſi oculi acri viſu fuerint præditi. At verò acuminata capita defectuoſam circa occiput aut frontem eminentiã habent, aut vltra iuſtum modum auctam. Proinde vtplurimum ſicut magna, ita etiam hæc capita vitioſa cõperimus. Rarò autem & ex his aliquã ſunt bona, efformatrice ipſorum virtute forti exiſtente, & multitudinem materiæ bonam adepta. Nam qui acuminata capita habent, & ceruice valida præditi ſunt, hi tum aliis partibus omnibus, tum oſſibus robuſti ſunt, ait Hippocrates.

Cerebri temperati notæ, Cap. LXIII.

TEmperatum cerebrum naturales actiones moderatas habet, itémque ſuperfluitates quæ per palatũ, aut aures, aut nares purgantur: minimé que læditur ab omnibus extrinſecis quæ calfaciunt, & frigefaciunt, & ſiccant, & humectant. Talibus pili capitis, dum infantes ſunt, ſub fului ſunt, pueris verò ſubflaui: perfectis autẽ flaui fiunt, medium quodammodo tenentes inter exactè criſpos ac ſimplices. Nec verò facilè caluеſcunt.

Cerebri calidioris notæ, Cap. LXIIII.

SI verò moderato calidius fuerit, vniuerſa circa caput rubicundiora ac calidiora erunt, & oculorum venæ conſpicuæ. Pili his genitis citò in capite oriuntur, vbi multo ſunt calidiores temperatis, nigri & multi, & criſpi ac robuſti: vbi verò non multo, ſubflaui primùm, deinde nigreſcunt, & progreſſu ætatis caluеſcunt. Superfluitates in palato, & naribus, oculiſque ac auribus, paucæ his ſunt ac maturæ, quum inculpatè ſani fuerint. Replentur autẽ capite maximè, quum incauta diæta vtuntur, & grauãtur à calfacientibus eduliis, potibus, & odoribus, atque omnibus forinſecus accidentibus. Et hoc magis adhuc, ſi non ſolùm calida ex natura fuerint talia, ſed etiam humida.

Frigidioris cerebri notæ, Cap. LXV.

SVperfluitates plures circa proprios meatus hi habent. Capilli verò ipſis recti ſunt & fului ac ſtabiles, & multo tempore à natiuitate oriẽtes, tenues ac macri primùm. Et citò à frigidis cauſis læduntur, & iuxta ipſum læſionis tempus deſtillationibus ac grauedine corripiuntur. Neq; verò capitis partes ad tactum calidæ ſunt, neque rubicundæ apparent. Et oculorum venæ inconſpicuæ ſunt: & ipſi quodammodo ſomnolentiores.

Siccioris cerebri ſigna, Cap. LXVI.

MEatuum à ſuperfluitatibus puritas & ſenſuum ſinceritas ſignum ſunt talis temperamenti. Vigilantiſſimi verò ſunt, & pilos robuſtos celerrimè vbinati ſunt producunt, criſpos magis quàm rectos: citò verò caneſcunt.

Humidioris cerebri notæ, Cap. LXVII.

PILI ſimplices, & omnino non caluеſcunt: & ſenſus caliginoſi ſunt, & ſuperfluitatum copia adeſt, & ſomni multi ac profundi.

A Calidioris & humidioris cerebri ſigna, Cap. LXVIII.

SI verò caliditati affuerit humiditas, vtriſque parum excedentibus modum bonus color adeſt & calor, & venæ oculorum magnæ ſunt, & ſuperfluitates plures moderatè maturæ: & capilli recti ac ſubflaui, & nõ facilè caluеſcunt. Replentur autem & grauantur capite à calefaciẽtibus ac humectantibus. quum autem ad plurimam humiditatem ac caliditatem veniunt, morboſum fit his caput & ſuperfluitatibus redundans, & quod facilè ab humectantibus ac calfacientibus læditur. Auſter his valde
B aduerſatur, optimè autem in aquilonariis locis degunt. Neque verò vigilare poſſunt diutius: & vbi ad ſomnum ſeipſos conuerterint, ſimul ſopore premuntur altiore, & vigiliis, & in ſomnis varias imaginationes obuerſantes habent. Viſum item habent caliginoſum, & ſenſus non exactos. Si verò vna ex tẽperaturis fuerit intenta, notæ ipſius magis prædominabuntur.

Calidi ac ſicci cerebri notæ, Cap. LXIX.

A Superfluitatibus puri ſunt hi, & ſenſibus ſinceri, ac vigilantiſſimi, & citò caluеſcunt: prima capillorũ
C generatio ipſis celerrima eſt, & probè nutritur. Sunt autẽ nigro ac criſpo capillo præditi, & calidi ad capitis contactum, rubicundique vſque ad vigoris tempus.

Frigidi ac ſicci cerebri ſigna, Cap. LXX.

FRigidum ac decolor caput efficit hoc temperamentum, quantum in ſe eſt. alterantur enim aliquãdo partes ipſius ex humorum in toto corpore temperamento. Tales temperaturæ venas oculorum latentes habent, & à frigidis cauſis promptè læduntur. quare etiam inæqualiter ſani ſunt iſti, aliquando quidem capite leuiſſimi, &
D meatibus ſuperfluitatibus puri: aliquando verò deſtillationibus ac grauedine ob paruas cauſas corripiuntur. Senſus ipſis ſunt in iuuentute quidem ſinceri, & per omnia inculpabiles, verùm progreſſu temporis citò contabeſcunt: &, vt in ſumma dicam, omnibus capitis partibus citò ſeneſcunt. quare etiam citò caluеſcunt. Capilli ipſis genitis prodeunt quidem vix, verùm macri ac fului. Progreſſu temporis frigiditate prædominante ſiccitati, non caluеſcunt: ſi verò ſiccitas obtinuerit dominium, parum hi caluеſcunt.

E Frigidi ac humidi cerebri notæ, Cap. LXXI.

HVmidæ ac frigidæ cerebri tẽperaturæ ſoporoſos faciũt & ſomnolẽtos, & ſenſibꝰ vitioſos, ac ſuperfluitatibus redundãtes, & quibus caput facilè frigefit ac repleatur, & qui deſtillationibus ac grauedine facilè corripiantur. tales tamen non caluеſcunt.

Ventris ſiccioris ſigna, Cap. LXXII.

SI citò ſiticuloſi fiant, & modicus ipſis ſufficiat potus, & vberiore grauentur, & fluctuationes habeant ſu-
F perfluitate ipſis innatante, & eduliis ſiccioribus gaudeãt.

Ventris calidioris notæ, Cap. LXXIII.

CAlidior venter concoquit melius quàm appetit, & multo magis quæ dura ſunt & difficulter alterantur. quæ enim facilè alterantur, in ipſo corrumpuntur. Gaudet autem eduliis ac potibus calidis: & neque à frigidis læditur, ſi moderatus contigerit ipſorum vſus. at verò calidorum forinſecus allabentium diuturnam cõuerſationem ferre non poteſt.

Humidioris ventris notæ, Cap. LXXIIII.

G HI neque ſiticuloſi fiunt, & ampliorem humorẽ citra moleſtiam ferunt, eduliiſque humidioribus gaudent.

Frigidioris ventris notæ, Cap. LXXV.

FRigidior natura venter bene quidem appetit, non autem bene concoquit, & præſertim edulia quæ ægrè alterantur & frigida ſunt. Facilè itaque in ipſo aceſcunt, & propterea ructum acidum habet: & gaudet quidem frigidis, læditur autem facilè immodico eorum vſu: atque ita etiam extrinſecus allabentium ipſi frigidorum diu-
H turnam cõuerſationem ferre nequit. Cæterùm ex morbo cõflatæ in ventre intẽperaturæ in hoc differunt à naturalibus, quòd contraria concupiſcunt, non ſimilia, velut naturales. Si quidem igitur concoquit probè, temperatus eſt venter: ſi verò non concoquit, non omnino

intemperatus eſt.ſed ſi quidem nidoroſos ac fumoſos eſficit ructus,immodicus eſt ipſi ac feruens calor: ſi verò acidos,viceuerſa. Sic etiam ventres qui ægrè concoctilia probè concoquunt,immodicum calorem habent: ſi verò ipſa non concoxerint,debilis eſt ipſorum calor.Conſiderandum eſt autem an ob aliquem humorem aliunde in ventrem confluentem,hoc ipſis contingat. Nam ad pituitoſos humores,acidi ructus conſequuntur: ad bilioſos verò,nidoroſi aut viroſi,aut aliæ quædã peregrinæ qualitates. Communia autem accidẽtia omnium redundantium in ventre humorum ſunt nauſeæ. verùm ſi quidem in vẽtris amplitudine humores innatarint, ſupernatabũt in iis quæ per vomitum reiiciuntur: ſi verò in ipſis ventris tunicis impacti fuerint, fruſtra lancinabunt per inanes nauſeas,ita vt nihil vomitu reiiciatur.

Pulmonis notæ, Cap. LXXVI.

NON ſolùm venter ſiticuloſos & nõ ſiticuloſos facit, & frigidi ac calidi potus appetentes: ſed etiam thorax,cor,& pulmo. verùm qui propter horum caliditatẽ ſitiunt,plus inſpirãt,& amplius ac diutius efflant. Percipiunt autem æſtum in thorace, non circa hypochondria, *Latinis præcordia appellata*, quemadmodum qui propter ventrem ſiti vexantur.Et ſanè vbi bibunt, non ſtatim quieſcunt:& frigidus potus magis ipſorum ſitim ſedat quàm multus calidus. Refrigerat autem ipſos & frigidus aer inſpiratus,qui ne alleuiat quidem propter ventrem ſiticuloſos.Sic verò etiam frigefactum thoracẽ habentes,à frigida inſpiratione ſenſibiliter læduntur.& maxima eſt hæc frigidi pulmonis nota.Quemadmodum autem frigidum aerem inſpirantes,palàm ſentiunt moleſtiam ac frigiditatem: ſic calidus ipſis eſt gratus. Sed & pituitoſas ſuperfluitates hi cum tuſſi reiiciũt.At pulmonis ſiccitates ſuperfluitatibus carent,& vocem puram habent.quemadmodum humiditates obſcuram & raucam vocem efficiũt,& vbi amplius aut acutius loqui volunt, ſuperfluitates ipſis incurrunt.

Cordis calidioris notæ, Cap. LXXVII.

MAgnitudo reſpirationis,& pulſus velocitas ac dẽſitas,calidioris cordis notæ ſunt,audaciáque ac velocitas ad actiones obeundas impigra: ſi verò amplior fuerit caliditas,excandeſcentia & furioſa temeritas. Eſt & thorax ipſis hirſutus,& maximè pectus,& præcordiorum partes thoraci viciniores. Vtplurimum verò & totũ corpus calidius fit ex calido corde,niſi hepar magnopere reluctetur.Sed & thoracis amplitudo, caliditatis ſignũ eſt, niſi etiam hic magnopere cerebrum reſiſtat.

Frigidioris cordis notæ, Cap. LXXVIII.

PVlſus ſunt moderatis minores, non tamen tardiores neceſſariò,aut rariores. Timidi verò ex natura ſunt tales,& ſocordes,ac minimè audaces.& pectus pilis nudum habent.

Siccioris cordis notæ, Cap. LXXIX.

PVlſus ſunt duri,& animi concitationem non facilem, ſed feram & ægrè ſedabilem tales habent.& ferme totum corpus his ſiccius eſt,niſi hepar reluctetur.

Humidioris cordis ſigna, Cap. LXXX.

PVlſus molles,& mores ad iram procliues, ac facilè ſedabiles,& totũ corpus humidius, niſi hepar reſtiterit.

Calidi ac ſicci cordis ſigna, Cap. LXXXI.

PVlſus duri & magni,& veloces ac denſi,& reſpirationes magnæ ac veloces & denſæ. & ſanè multo magis velocitas ac denſitas ipſarum augeſcit, ſi thorax ad proportionem cordis reſponderit. Hi omnium maximè pectore hirſuti ſunt, & circa præcordia. Ad actiones verò expediti,& animoſi,& tyrannicis moribus præditi,& celeres ad iram,ac pertinaces in ipſa.

Calidi & humidi cordis notæ, Cap. LXXXII.

SI verò humiditas vnà cum caliditate dominetur,minus quidẽ prædictis hi hirſuti ſunt,nihilo verò minus ad actiones expediti.verùm non adeò ferus eſt ipſis animus,ſed ad iram ſolùm ſunt procliues. Pulſus verò molles ſunt & magni,& veloces ac denſi.

Frigidi & humidi cordis notæ, Cap. LXXXIII.

PVlſus molles ſunt, mores minimè audaces,ac timidi, A & pigri. ſunt autem ii pectore pilis nudi, & minimè furioſi fiunt. nam neque ad iram procliues ſunt. De thorace ac toto corpore ſimiliter velut in ſuperioribus diſtinguendum eſt.

Frigidi ac ſicci cordis notæ, Cap. LXXXIIII.

PVlſus duri & puri: hi omnium maximè ab ira alieni ſunt: coacti tamen ad iraſcendum,in ira perſeuerant. Sunt autem pectore omnino depiles.

Hepatis calidioris notæ, Cap. LXXXV.

B VEnæ amplæ, flaua bilis copioſior, tempore vigoris etiam nigra. Calidior eſt ipſis ſanguis, & propterea etiam totum corpus, niſi cor reſiſtat. Præcordia & venter hirſuta ſunt.

Frigidioris hepatis notæ, Cap. LXXXVI.

ANguſtia venarum,pituita copioſior,& ſanguis frigidior, & totius corporis habitus frigidior, niſi à corde calfiat. Præcordia & venter iis pilis nuda ſunt.

Siccioris hepatis ſigna, Cap. LXXXVII.

SAnguis craſſus & paucus,venæ duræ,& vniuerſus corporis habitus ſiccior.

C Humidioris hepatis ſigna, Cap. LXXXVIII.

SAnguis copioſior & humidior: venæ molliores. ſic & totum corpus,niſi cor reluctetur.

Calidi ac ſicci hepatis ſigna, Cap. LXXXIX.

PRæcordia hirſutiſsima: ſanguis craſsior ac paucior. amara bilis plurima, iuxta vigorem etiam atra. venarum amplitudo ac durities.Sic & totum corpus calidũ ac ſiccum. nam caliditas ex corde proficiſcens, frigiditatem ex hepate proficiſcentem ſuperare poteſt: quemadmodum etiam frigiditas cordis, caliditatem hepatis D ſuperare poteſt.At ſiccitatem hepatis,cor humidius ad cõtrarium tranſmutare non poteſt. Quare manifeſtum eſt quòd vbi amborum temperaturæ in idem concurrerint, totum corpus exactè iuxta illas afficitur.

Calidi ac humidi hepatis notæ, Cap. XC.

MInus quidem quàm calidum ac ſiccum præcordia hirſuta facit:verùm plurimum ſanguinem & venas magnas habent tales:& habitum humidum ac calidum,niſi cor reſiſtat. Si verò amplius vtriſque qualitatibus naturalem modum exceſſerit, facilè capitur morbis E putredinoſis ac mali ſucci,atque hoc adhuc magis ſi amplius aucta fuerit humiditas,paulùlum verò caliditas. Si verò vice verſa, modicè aucta fuerit humiditas, plurimũ verò caliditas,vitioſi humores minimè gignuntur.

Frigidi ac humidi hepatis notæ, Cap. XCI.

DEpile habet præcordium, ſanguinem verò operatur pituitoſiorem,vnà cum venarum anguſtia. & corpus totum frigidius ac humidius, ſi non à corde ad contrarium tranſferatur.

Frigidi ac ſicci hepatis notæ, Cap. XCII.

F FRigidum ac ſimul ſiccum hepar, corpus modici ſanguinis,& anguſtarum venarum facit,atque frigidius. Præcordia verò pilis nuda talibus ſunt, niſi & hic cor ſuperarit.

Teſtium temperamenti ſigna, Cap. XCIII.

CAlidum teſtium temperamentum venereum eſt,fœcundúmque ac maſculorum generatiuum: & citò hirſutas facit genitales partes, & circumſitas moderatè, frigidum verò,vice verſa. Humidum autem multo & liquido ſemine abundat: ſiccum verò pauco & moderatè G craſſo. At calidum & ſiccum, craſsiſsimi ſeminis eſt ac fœcundiſſimum, & celerrimè ad coitum ſtimulat animal ſtatim ab initio.Tales etiam celerrimè hirſuti fiunt circa genitales partes & omnes circumcirca ſitas,ſurſum vſque ad vmbilicum,deorſum vſque ad media femora. Concitatum quidem igitur eſt tale temperamentum ad venerem,verùm citiſsimè ſatiatur: & ſi cogatur,læditur. Si verò humiditas ad caliditatem accedat, minus quidem hirſuti ſunt hi,ſed plus ſeminis habent. non tamen magis aliis appetunt,ſed multæ veneri minore detrimẽ- H to ſufficiunt. Si verò & humiditas & caliditas multùm fuerint ſimul auctæ,ex veneris abſtinentia magis lædũtur. At ſi teſtes humidi ac frigidi temperamento fuerint, partes circumcirca pilis nudæ ſunt, & tardè rem veneream agere incipiunt, & neque ad actionem procliues ſunt.

A ſunt. Aquoſum autem & tenue eſt ipſis ſemen & infœcundum ac fœminarum generatiuum. Siccum autem & frigidum temperamentum, prædicto quidem in reliquis ſimile eſt: craſsius eſt autem ipſis ſemen, & omnino modicum. Porrò quicunque totum ſcrotum cum teſticulis laxatum habent & velut exolutum, ii viribus vtplurimũ ſunt debiliores. Qui verò contractum habent ſcrotũ vnà cum teſtibus, & velut adſtrictum, robuſtioribus viribus ferme præditi ſunt. & huius rei ſigna ſumi poſſunt ex omnibus quadrupedibus animantibus.

B Calidorum intemperamentorum correctio, Cap. XCIIII.

QVandoquidem in calidis intemperaturis bilioſa ſuperfluitas redundat, conſiderare in eis oportet vtrũ ſubit ipſis bilis cum ſeceſſibus ac excremẽtis alui, aut ad ſupernũ ventrẽ procedit. ſi enim ſubit, nihil moliri oportet: ſi verò ad ſupernũ ventrẽ fertur, per vomitus euacuare à tepidæ aquæ potu. At ſi ægrè vomat, vinũ dulce tepidæ aquæ permixtum bibendũ dato: atque ſic voment. Exercendi autem ſunt exercitio non veloci ac concitato, ſed tardiore ac molliore. Quidam verò ex vehementer C calidis omnino non opus habent exercitiis, ſed ſufficit ipſis deambulatio & balneum, inunctis oleo cum mollibus manibus. Hi etiam poſt cibum balneis gaudent, & aliqui ipſorum craſſefacti ſunt ob talem diætam. Vinum his conuenit aquoſum tenue & album. nam fulua, calida ſunt, item valde vetuſta: quare his valde aduerſantur. Attendendum eſt autem in omnibus qui poſt cibum lauãtur, ne hepar affectum ſit: extremè enim læduntur tales ſi poſt cibũ lauẽtur. Qui verò cũ ſiccitate calidi ſunt, circa ætatis vigorem maximè, opus habent humida diætà ex D eduliis ac balneis, & concitatorum ac multorum exercitiorum abſtinentia. quare æſtatis tempore citius lauentur, & poſt cibum rurſus, niſi aliquod ex viſceribus affectum fuerit. proderit iis & frigidæ potus, ſi nihil impedierit. At ſiccioribus temperamentis valde aduerſatur venus. Abſtineant item ab ardore, laſsitudinibus, vigiliis, curis, & omnibus motibus acutis. Bilioſi verò ira perciti exardeſcunt, & in acutas febres incidunt. Verùm exceſſus quantitatem conſiderare oportet, & pro portione aucti caloris augere etiam frigefacientem ac hum ectantem E victus rationem.

Frigidi intemperamenti medela, Cap. XCV.

QVicunque frigidiores natura ſunt, circa ſiccum verò temperamentum ac humidum moderatè ſe habẽt, minus vitioſi ſunt ad corporis robur ac ſanitatem. Excitare igitur oportet ac corroborare ipſorum caliditatem, in humiditate verò ac ſiccitate totius diætæ medium eligere.

F Humidi intemperamenti correctio, Cap. XCVI.

HVmidæ naturæ in puerili ætate fluidis & plenitudinis morbis corripiuntur, & inſuper putredinoſis: opus igitur habent pluribus exercitiis, & exacta in ventre concoctione. Nam cibi qui in hoc corrumpuntur, putredinoſorum morborum materia fiunt toti corpori. Quapropter ante cibum hi loti & naturalibus calidis aquis vtẽtes, magnam opem ſentiunt. Scopus enim in ipſis eſt ipſas corporis partes humidas ſeruare. atque hoc cõmune eſt omni temperamẽto. Nam contrarium, ipſa inquã ſiccitas, omnium animalium corpora citius ad ſenectam perducit. Quare ſi quidem poſſibile eſſet ſemper conſeruare humidum temperamentum corporis, verus profectò eſſet ſophiſtæ Philippi ſermo, qui obedientem ipſi, immortalem fore promiſit. proinde diutiſsimè vixerit qui minimè reſiccatur. Quum autem humida diæta ſuperfluitates & humorum multitudinem generet, difficile eſt congruam tenere proportionem, vt neque morbis corripiantur neque citò ſeneſcant. Quantum igitur ad temperamentum attinet, qui humidiſsimi ſunt diutiſsimè viuunt. Et ſanè etiam plus aliis ſani ſunt, vbi corpus fuerit corroboratum: quemadmodum etiam robuſtiſsimi ſunt omnium eandem ætatem habentium, vſque ad extremam ſenectutem. Et propterea laudatur hoc temperamentum ab omnibus ferè medicis ac philoſophis, qui corporis elementa exactè cognouerũt. & quidam ſolum hoc naturale eſſe putauerunt. Melius enim aliis progreſſu temporis euadit, quũ ab initio ſit deterius. Quare qui tali corpori corrigendo præfectus eſt, ea quæ deſunt ipſi prouidere debet per exercitia ante cibum fictia, & balnea ac cibos idoneos, & per plures excretiones tum per vrinas, tum per ventrem contingentes. Nihil autem vetat & apophlegmatiſmis pituitam à capite trahentibus vti, & purgationibus tempeſtiuis: & præ omnibus, eduliis boni ſucci, & vini vrinam proritantis potu.

Sicci intemperamenti medela, Cap. XCVII.

BAlneum ſiccis corporis temperaturis omnibus commodiſsimum eſt. temperata autem ſit & dulciſsima aqua. & ſi bis aut ter in die lauentur, magis conferet. Sed & vniuerſa diæta humectans ſit. A laſsitudine verò & curis ac vigiliis abſtinendum eſt.

Calidi ac ſicci intemperamenti curatio, Cap. XCVIII.

CAlidum ac ſiccum intemperamẽtum variis curationibus ſubiacet. non tamen iniucundus eſt ſimiliter frigefacientium vſus. Nam iuxta ſiccas diſpoſitiones neceſſarium eſt non ſolùm vicinas ventri partes ſed etiam totum corpus gracilius fieri.

Humidi ac calidi intemperamenti medela, Cap. XCIX.

QVòd ſi humida intemperatura eſt cũ caliditate, adſtringentium eduliorum vſus vtilis eſt. ſunt autem hæc auſtera citra caliditatem. Et ſanè etiam frigidus potus ipſis commodus eſt.

Humidi ac frigidi intemperamenti ſanatio, Cap. C.

HVmidi verò cum frigiditate intemperamenti optimæ medelæ ſunt omnia acria ac calida. miſceantur autem ipſis etiam acerba, citra manifeſtam frigiditatem. Optima item medela eſt iis modicus potus. ſit autem vinum calidum fortiter & adſtringens, ac valde vetuſtum. Iis verò etiam ea quæ forinſecùs adhibentur, proportione reſpondeant.

Frigidi ac humidi intemperamenti curatio, frigiditate prædominante, Cap. CI.

AT ſi frigiditas humiditatem ſuperauerit, vitioſæ ſũt tales tẽperaturæ, & hæ maximè fluidis morbis corripiuntur. Prodeſt autem ipſis illuuies, & exercitia pura, & ratio victus attenuãs, & vnguenta moderatè calfacientia.

INDEX EORVM QVÆ IN PRIMO SERMONE TETRABIbli ſecundæ Aetii continentur.

Quòd oportet medicum naturæ operum gnarũ eſſe, Cap.I.
Quod citra prænotionem morbi fieri nequit vt probè cures, Cap.II.
Quæ ſint bona ſigna, Cap.III.
Quæ ſint mala ſigna, Cap.IIII.
Quæ prima dies totius morbi dicenda ſit, Cap.V.
Principium morborum trifariam dici, Cap.VI.
Quid ſit febris, Cap.VII.
Quid ſit exacerbatio, Cap.VIII.
Quid ſit remiſſio, Cap.IX.
Remiſſionem dupliciter dici, Cap.X.
Quod ſit principium febrilis acceſſionis, Cap.XI.
Augmenti particularis exacerbationis ſigna, Cap.XII.
Vigoris particularis exacerbationis ſigna, Cap.XIII.
Declinationis particularis exacerbationis ſigna, Cap.XIIII.
Quod ſit principium totius morbi, Cap.XV.
Quod ſit augmentum totius morbi, Cap.XVI.
Vigoris totius morbi cognitio, Cap.XVII.
Declinationis totius morbi cognitio, Cap.XVIII.
Quòd declinatio totius morbi in iudicationibus confertim fictibus, ſenſum noſtrum aufugiat, Cap.XIX.
Quòd ſeruandus æger quatuor tempora totius morbi pertranſeat, Cap.XX.
Vtrũ tardius aut citius morbus iudicetur, Cap.XXI.
Quomodo prænoſcere oporteat an iudicabitur morbus, aut non, & quando, Cap.XXII.
Futuræ iam iudicationis ſigna, Cap.XXIII.
Quomodo prænoſcere oporteat bonáne an mala iudicatio futura ſit, Cap.XXIIII.
Qui ſint boni iudicatorii dies & qui mali, Cap.XXV.
In quibus ambigua eſt dies principii morbi,& nulla præiudicatiua facta, derepente contigit iudicatio, quomodo ambigua inuenire oporteat, Cap.XXVI.
De notis ex pulſibus, Cap.XXVII.
De vrinarum notis,& primùm quæ ſit naturalis, Cap.XXVIII.
Qualis vrina optima in ægrotis, Cap.XXIX.
Quòd non omnis alba ſubſidentia bonum ſignificet, Cap.XXX.
Quid indicet tenuis & pallida vrina, Cap.XXXI.
Quid indicet tenuis & fulua vrina, Cap.XXXII.
Quid indicet rufa vrina, Cap.XXXIII.
Quid indicet vrina tenuis micta,& poſtea turbata, Cap.XXXIIII.
Quid indicet vrina craſſa micta,& craſſa manens, Cap.XXXV.
Quid indicet vrina craſſa,& poſtea deſidẽs, Cap.XXXVI.
Differentiæ vrinarum oleoſarum,& quid ſignificent, Cap.XXXVII.
Quid indicet vrina tenuis micta,& talis manens, Cap.XXXVIII.
Quid ſignificent eruinæ ſubſidentiæ, Cap.XXXIX.
Quid indicent furfuraceæ ſubſidentiæ, Cap.XL.
Quid indicent lamineæ ſubſidentiæ, Cap.XLI.
Quid indicet polentaceum in vrinis, Cap.XLII.
Quid indicet graueolens vrina, Cap.XLIII.
Vrina nigra quid ſignificet, Cap.XLIIII.
De egeſtionum notis, Cap.XLV.
De egeſtionibus iudicatoriis, Cap.XLVI.
De vomitus prænotione ac ſignificatione, Cap.XLVII.
De eruptionis ſanguinis ex naribus prænotione ac ſignificatione, Cap.XLVIII.
Quòd & per hæmorrhoidas,& muliebres purgationes ſæpe ſoluatur morbus, Cap.XLIX.
De ſignificatione ex ſudoribus, Cap.L.
Abſceſſuum ſigna iudicatoria, Cap.LI.
De ſputorum ſignificatione, Cap.LII.
Signa perfectè ac fideliter ſoluti morbi, Cap.LIII.
Signa morbi non perfectè ſoluti, Cap.LIIII.
Prænotio diei qua moritur æger, Cap.LV.
Quòd etiam horam mortis ægri prænoſcere poſſit doctus medicus, Cap.LVI.
In acutis morbis mortem non eſſe prædicendam, Cap.LVII.
Febrium diuiſio,& de diariis febribus, Cap.LVIII.
De diariis ex laſſitudine febribus, Cap.LIX.
De febrientibus ex vigiliis,& cura, aut triſtitia, aut ira, Cap.LX.
De febrientibus ex ardore, Cap.LXI.
De febrientibus ex frigore, Cap.LXII.
De febrientibus ex grauedine & deſtillatione, Cap.LXIII.
De febrientibus ex cutis denſitate, Cap.LXIIII.
De febribus ex fame, Cap.LXV.
Diæta communis omnium diariarum febrium, Cap.LXVI.
De febrientibus ex inguinis inflammatione, Cap.LXVII.
De diariis febribus ex cruditate, Cap.LXVIII.
Curatio diariarum febrium multarum dierum, quarum aliquæ ex mutatione diariarũ generãtur & ob cutis obturationem, Cap.LXIX.
De febribus ſynochis, *id eſt continentibus*, Cap.LXX.
De venæ ſectione, Cap.LXXI.
De frigidæ aquæ exhibitione, Cap.LXXII.
Diæta in febribus continentibus, Cap.LXXIII.
Vniuerſalis doctrina de febribus putredinoſis, Cap.LXXIIII.
De febribus putridis, Cap.LXXV.
Communis diæta omnium febrium putridarum, Cap.LXXVI.
De febribus continuis, Cap.LXXVII.
Cura febris ardentis, Philumeni, Cap.LXXVIII.
Tertianæ exquiſitæ dignotio, Cap.LXXIX.
Tertianæ exquiſitæ curatio, Cap.LXXX.
Tertianæ ſpuriæ curatio, Cap.LXXXI.
De hemitritæo, *hoc eſt ſemitertiana*, Cap.LXXXII.
Quartanæ exquiſitæ dignotio, Cap.LXXXIII.
Quartanæ curatio, Cap.LXXXIIII.
Quotidianæ febris dignotio, Cap.LXXXV.
Quotidianæ febris curatio, Cap.LXXXVI.
De epialis febribus, Cap.LXXXVII.
Communia auxilia febrium per circuitum repetẽtium, Cap.LXXXVIII.
De ignis ſacri circa viſcera affectionib⁹, Cap.LXXXIX.
De colliquatione, Cap.XC.
De febribus quæ in calidis ac ſiccis temperaturis fiunt citra inflammationẽ ac putrefactionem, Cap.XCI.
De febribus hecticis ac tabidis, Cap.XCII.
Hecticarum febrium curatio, Cap.XCIII.
De popularibus paſſim vagantibus,& peſtilentibus morbis, Cap.XCIIII.
De peſte, Rufi, Cap.XCV.
De iis qui ob crudorum humorum multitudinem animo linquuntur, Cap.XCVI.
De iis qui animo concidunt ob flauam bilem os ventris lædentem, Cap.XCVII.
De iis qui ob tenues humores animo concidunt, Cap.XCVIII.
De aliis animi deliquii cauſis, Cap.XCIX.
De dolore animi deliquium inducente, Cap.C.
De animi deliquio propriè dicto, Cap.CI.
De iis qui ob ventris profluuium, aut ſanguinis eruptionem, aut immodici ſudoris euacuationem animo linquuntur, Cap.CII.
De iis qui ob humorũ copiã animo linquũtur, Cap.CIII.
De iis qui ob quandam vteri affectionem animo linquũtur, Cap.CIIII.

Ad eos qui ob ſtomachi debilitatem animo linquuntur, Cap. c v.
De iis qui ob vitioſos humores os ventris rodentes animo linquuntur, Cap. c v i.
De iis qui ob pituitam in ſtomacho collectam animo linquuntur, Cap. c v i i.
De animi deliquio ob fortem frigiditatem, Cap. c v i i i.
De animi deliquio ob multam caliditatem, Cap. c i x.
De animi deliquio ob inflammationem aut malignam febrem, Cap. c x.
De animi deliquio ob ſiccitatem, Cap. c x i.
De animi deliquio ob principalis membri obturationem, Cap. c x i i.
De animi deliquio ob repentinam euacuationem, Cap. c xi i i.
De animi deliquio propter affectus, Cap. c x i i i i.
De capitis dolore in febribus, Cap. c x v.
De vigiliis in febribus, Cap. c x v i.
De graui ſopore, Cap. c x v i i.
Quomodo linguæ aſperitas in febribus curanda ſit, Cap. c x v i i i.
Quomodo ſitis curanda ſit, Cap. c x i x.
De aurium dolore in febribus, Cap. c x x.
Auris ſuppuratæ curatio, Cap. c x x i.
De lippitudine in febribus, Cap. c x x i i.
De oculorum obſcuratione, Cap. c x x i i i.
Fluxus ſanguinis narium in febribus curatio, Cap. c x x i i i i.
Veſicæ & vrinæ difficultatis in febribus curatio, Cap. c x x v.
Lumborum doloris curatio, Cap. c x x v i.
Vlcerationis circa os ſacrum in febribus curatio, Cap. x x v i i.
Vlcerationis circa ſcrotum & anum in febribus curatio, Cap. c x x v i i i.
Puſtularum in febribus curatio, Cap. c x x i x.
De tremoribus in febribus, Cap. c x x x.
De conuulſionibus in febribus, Cap. c x x x i.
De iucundis ac commodis potionibus in febribus, Cap. c x x x i i.
De potione pharmaci ex capitibus papaueris, Cap. c x x x i i i.
Omphacomelitis præparatio, Cap. c x x x i i i i.
Mellis roſacei præparatio, Cap. c x x x v.
Hydroroſati præparatio, Cap. c x x x v i.
Apomelitis præparatio, Cap. c x x x v i i.
Hydromeli & cruſtuminati præparatio, Cap. c x x x v i i i.
Cydonati præparatio, Cap. c x x x i x.
Aceti mulſi præparatio, Cap. c x l.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICInæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis ſecundi, Sermo primus,

Per Ianum Cornarium medicum phyſicum, Latinè conſcriptus.

De febrium cognitione ac curatione.

SALVBRIS diætæ præcepta ad conſeruandam ſanitatem commoda ac neceſſaria iam antea præſcripta ſunt. Didiciſti itaque ex ipſis, qualis & cuiuſmodi diætæ vſu, tum ipſe, quantum eius fieri poſſet, maximè ſanus eſſes, tum tuæ curæ cõmiſsis ſingulis conuenientem ſanitatem conſeruares. Quandoquidem verò clàm nobiſipſis ſæpe contingit vt negligentiore diæta vtamur, aut vt propter aliquas actionum circumſtantias, aut ob ambientis nos aeris violentiam læſi, aliquando morboſis ſtructuris acutarum aut diuturnarum affectionum corripiamur: præſtat etiam de ipſis morbis tractare, & ab vniuerſalibus febrilium morborum notis auſpicari, tum quòd hi magis abundant omnibus ætatibus communes, tum quòd non periculo vacant, turbántque ac tumultum repentinum inducunt ob ſymptomatum accidentium copiam.

Quòd oportet medicum naturæ operum gnarum eſſe, Cap. I.

QVare circa prognoſticon Hippocratis & alios eiuſdem libros medicum exercitatum eſſe oportet, & naturæ opera noſſe. Naturæ enim ſunt morborum medici. adiuuare igitur naturam oportet ad ſalutem decertãti aduerſus morbum. Sic enim natura, vbi medicum ea quæ oportet facientẽ auxiliariũ accepit, & ipſum ægrotum obedientem & nihil in diæta delinquentem, morbum facilè ſuperarit. Oportet autem cooperari etiam miniſtros & extrinſeca, quò nihil iis quæ rectè fiunt reſiſtat.

Quòd citra prænotionem morbi fieri nequit vt probè cures, Cap. II.

PRopoſitum eſt autem nobis partem eam quæ de ſignis ac notis morborum tractat, prius exponere. Nam citra hoc vt prænoſcas in quid deſinet morbus, fieri non poteſt vt modus diætæ tibi probè ſuppetat: & præſertim in acutis & citum periculum inducentibus morbis.

Quæ ſint bona ſigna, Cap. III.

FAcies bonis ſignis prædita. poteris enim vel ex ſola facie cõſtantem ac firmam prænotionẽ ſumere, priuſquam ægrum contingas: dico autem ex ſenſibus in ipſa, viſu, auditu, olfactu. & ad hæc ex reſpiratione, ſine qua viuere non datur, & quæ indicat nobis diſpoſitionem cordis. Adeſt autem & loquendi inſtrumẽtum in facie, ipſa
A lingua, quæ oſtendit nobis rationalis animæ partis robur ac debilitatem. Bonum ſignum eſt & decubitus decorus, prout maximè conſueuit etiam in ſanitate ſe facilè conuertere. Bonum ſignum eſt & totum corpus ad portandũ facile eſſe, & æqualiter ac leniter calidũ, & ſitis quãtum eius fieri poteſt exors: item ſanam eſſe mẽtem, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur. Bonũ ſignum eſt & facilis ſpiratio & ordinatus pulſuũ motus. Ex his enim & iis quæ adhuc referentur, cognoſcemus tum robur, tum debili-
B tatem trium animæ actionum. Nam ſanam eſſe mentem & nõ defluere corpus in decubitu ad pedes, cerebrum per omnia ſanum eſſe indicat. Faciei verò floriditas, & facilis ſpiratio, & pulſus ordinatus, cor ſanum eſſe arguũt. quãdoque enim florida fit facies cum difficili ſpiratione, velut in peripneumonicis fieri ſolet. At ſitis exortem eſſe, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur, naturalem facultatem in hepate & toto corpore ſanam eſſe indicat. Bonũ ſignum ſunt & ſomni boni, & ſudores per totum corpus temperati & æquales ac moderati, & opportuno tempore apparentes. Bonum item ſignum eſt præcordia dolo-
C ris expertia ac mollia eſſe. Et ad hæc ſeceſſus alui & vrinarũ ac ſputorũ expeditos eſſe, & bona concoctionis ſigna.

Quæ ſint mala ſigna, Cap. IIII.

TOtius faciei ac temporum collapſio, oculi fixi ac caui, lacrymæ inuoluntariæ, & alba oculorũ in ſomnis apparentia, ſi nõ adſuetus fuit ſic dormire, & defluere corpus ad pedes, & præter morem pronum iacere, dentibus frendere, totum corpus inæqualiter calfieri ac frigefieri, & ad portandum difficile eſſe. Item ſitis intolerabilis, & ardor internarum partium exernis frigidis exiſten-
D tibus, exceſſus mẽtis & velut deliriũ quoddã, aut ſtupiditas, ſopor profundior, auerſio totius appetitus. Frigiditas oboriens ex inflãmatione thoracis ac coſtarũ, difficulter ſpirare, & frigidũ reſpirare, & foras multũ expirare, intra verò parũ inſpirare: hoc enim iã futurã cordis mortificationẽ indicat: quẽadmodũ etiã pulſum interceptum eſſe, aut malè ferire. Facilẽ enim ſpirationẽ, inquit Hippocra-
E tes, putare oportet valde magnã vim habere ad ſalutẽ in omnibus acutis morbis qui cũ febre fiũt, & in quatuordecim diebus iudicantur. Malũ ſignum ſunt & vigiliæ cõcomitãtes, aut etiã ſomni fientes quidem, verùm turbati. Sudores frigidi & inæquales, & non per totum corpus, &

aliquando milii figuram præ ſe ferentes ac viſcoſi. frigiditatem enim fortem hæc indicant.Et non in debito tēpore apparere ſudores malum eſt,& ſudores ſtatim febrim ſequi:item ſuppreſſio retrimentorum alui, & maximè veſicæ,& aliarum excretionum. Imò etiam ſi hæc procedant,ne alicuius pernicioſi notas ferant,& præſertim vrinæ graueolentes & craſſæ & nigræ: tales enim in acutis ac malignis morbis omnino periculum ſignificāt. Præcordiorũ diſtentio, & principalium partiũ inflāmationes,maximè cerebri inquã ac cordis & pulmonis, & membranæ coſtas ſuccingentis,hepatiſque ac ventris:vbi enim aliquis ex talibus morbis adeſt,valde mala ſigna apparentia periculoſa ſunt. Oportet autem vniuſcuiuſq; ſigni vim perdiſcere: vnum enim aliquando ſignũ forte ac fidum plura ſigna infida ac debilia vincit.

Quæ prima dies totius morbi dicenda ſit, Cap. V.

PRincipium totius morbi dicere oportet illud tēpus quando homo febrire incepit adeò manifeſtè vt continuitatem corporis ſibi ſolutã eſſe putet, & non amplius in publicũ prodire valeat, & cõſueta vitæ munia obire, & propterea decubitu opus habeat. Non enim idem eſt diſplicētiam habere,& febrire.qui enim caput dolet,aut diſplicentiam habet,& corpore grauatus eſt, poteſt ferè in principiis conſueta facere,donec præualens ipſi morbus vires eius deiiciat.

Principium morborũ trifariam dici, Cap. VI.

PRincipium propriè dicitur impartibilis illa ac indiuiſibilis primi morbi impetus inuaſio, in qua victus homo decubuit.Principium etiam dicitur quod per dilatationem nominant,quod vſque ad tertium diem extenditur.Principium quoque dicitur proprium ac neceſſarium,quod,velut partem totius morbi,principium nominamus.quod ſanè non dierum numero cognoſcitur, ſed exacerbationũ qualitate,& concomitantiũ accidentium lenitate.Nam in augmento & morborũ & ſymptomatum accidentium incrementum fit: exacerbationes enim anticipant,& longius extenduntur in augmento,& ſymptomata grauiora fiunt. Principium igitur totius morbi dicitur,donec apparuerint manifeſta & bona cõctionis ſigna.Si quidem igitur principium breuis temporis fuerit,morbũ velociter ſoluendum oſtendit,velut etiam Hippocrati videtur.In pleuriticis,inquit,ſi ſputum ſtatim appareat, in principio quidem breuis fit:ſi verò poſterius appareat, prolongatur morbus ipſe videlicet. Qua igitur die apparuerint in ſuperfluitatibus quæ excernuntur manifeſtè concoctionis ſigna,in ea dicimus principium totius morbi ceſſaſſe,& incipere ipſum augmētum.Concoctionis enim ſigna nũquam malè apparent.

Quid ſit febris, Cap. VII.

FEbris eſt calor præter naturam cordis & arteriarum, vitalem firmitatem lædens, ex profundo emergens, & acris ac mordax,ad tactum allabens, præſertim circa thoracem,& vbi arteriæ magnæ ſitæ ſunt:verùm ad talē calorem inæqualitas quædam & inordinatus motus pulſibus accedit,iuxta ipſam febris ſpeciem.

Quid ſit exacerbatio, Cap. VIII.

PAroxyſmus,*quem Latini exacerbationem* vocant,eſt motus morbi particularis à remiſſione ad deterius.Particularis autem motus dictus eſt, ad diſcretionem vniuerſalis morborum augmenti.

Quid ſit remiſſio, Cap. IX.

REmiſſio eſt particularis exacerbationis temporaria quies ſymptomatum corpori coincidentium.

Remiſſionē dupliciter dici:comprehenditur enim & interuallum, Cap. X.

EX remiſſionibus ea quæ ſincera eſt, cognoſcitur ex quiete concomitantiũ ad exacerbationem ſymptomatum circumſcripta.& propterea dicitur Interuallum, quemadmodum in iis qui per circuitum quendam exacerbant, velut tertiana,quartana,quotidiana,capitis dolor,morbus comitialis,podagra,& conſimiles. Quæ verò inſincera eſt & non pura,deprehēditur ex ſymptomatum diminutione,quemadmodum in cõtinuis maximè febribus cõtingit.nam in his ante abſolutam morbi ſolutionem non contingit pura remiſſio: declinationem enim prioris,poſterior exacerbatio excipit.

Quod ſit principium febrilis acceſſionis, Cap. XI.

PRincipium febrilis exacerbationis,ferme eſt contractio extremarum partium omnium, & maximè naſi: & quandoque etiam frigiditas totius corporis:& aliquando tuſſicula parum irritans,vnà cum frigiditate irruens. Item oſcitatio,& partium corporis extenſio,aut nauſea, aut vomitus,aut animi deliquium, & capitis dolor aut alterius cuiuſdam partis,& in profundum ſomnum delatio. Pulſus inſuper paruus & contractus, tardè feriens ac reſidens:& ſymptomatum ad præſentem morbum concomitantium irritatio.

Augmenti particularis exacerbationis ſigna, Cap. XII.

IVxta augmentum exacerbationis, aliorũ quidem accidentium incrementum & vnio accedit: contractio verò & frigiditas ceſſant, & pulſus inæqualis emicat, & corpus caleſit quidem,verùm non exactè.

Vigoris particularis exacerbationis ſigna, Cap. XIII.

IVxta vigorem exacerbationis, calor æqualiter diffunditur, & particulatim diſtribuitur per totum corpus, & pulſus totam augmenti magnitudinem accipientes,ad ſubiectæ materiæ proportionem extenduntur, itémque reliqua exacerbationis accidentia. tunc verò iam tempus eſt ægroto potum dare.

Declinationis parti cularis exacerbationis ſigna, Cap. XIIII.

DEclinatio eſt vbi incipiunt aliqua aut omnia prædicta accidentia minui, & pulſus ad ordinatum quodammodo motum deueniunt: aliquando verò & humores exudant, & calor nimirum contabeſcit:quandoque etiam ſomni boni concurrunt,ſi longum tempus inter acceſſiones futurum eſt, velut in puris remiſſionibus fieri ſolet. Contingit enim in quibuſdam morbis vt exacerbatio poſterior prioris declinationem excipiat, velut in febribus continuis apparet.

Quod ſit principium totius morbi, Cap. XV.

IAM antea dictum eſt quòd principium totius morbi illud tempus dicimus, quando per morbi violentiam vires hominis victæ principium decubitus factæ ſunt.

Quod ſit augmētum totius morbi, Cap. XVI.

AVgmentum totius morbi eſt,quum exacerbationes conſuetam horam anteuerterint,& lõgiores ac maligniores & cum pluribus ac grauioribus accidentibus factæ fuerint.

Vigoris totius morbi cognitio, Cap. XVII.

QVVM exacerbationes ſtatũ acceperint,& ſimiliter per omnia conſequenter contigerint, & concomitātia ſymptomata neque detraxerint neque addiderint, tunciam in vigore eſſe morbus dicatur.Vigor enim, vehementior morbi totius pars eſt, quando etiam bonæ iudicationes vel maximè fieri ſolent.

Declinationis totius morbi dignotio, Cap. XVIII.

IN declinatione totius morbi,cõtraria augmēto fiunt. remoratur enim exacerbatio conſuetæ horæ impetum,& modico tempore occupat: & ſymptomata leniora ac ſimpliciora fiunt,& bona tolerantia ac remiſſio adeſt per omnia.

Quòd declinatio totius morbi in iudicationibus confertim fientibus ſenſum noſtrũ effugit, Cap. XIX.

QVicunque morbi in vigore confertim iudicātur, & perfectam ſolutionem recipiunt,eorum declinatio difficulter comprehendi poteſt,vt neque ſenſui manifeſta fiat. imò neque commodum eſt de ipſa inquirere: ſatis enim eſt cognoſcere quòd morbus fideliter,ſecurè,ac perfectè ſolutus eſt.

Quòd ſeruandus æger quatuor totius morbi tempora pertranſit, Cap. XX.

SI quidē igitur ſine periculo fuerit morbus, acutéque moueatur,& ad hæc bona & cõmoda ſigna affuerint

ægroto,quatuor morbi tempora citò pertranſit,& manifeſtum eſt quòd etiam ſeruabitur. Si verò his contraria affuerint,ante vigorem plerunque morietur.

Vtrum tardius aut citius morbus iudicatur, Cap. XXI.

TArdiúſne an citius iudicabitur morbus, ex morbi magnitudine & motus vehementia manifeſtū fit: nam magni morbi citò mouentur: quod verò citò mouetur,etiam citò iudicatur.

Quomodo prænoſcere oportet an iudicabitur morbus,aut non,& quando, Cap. XXII.

MAgni morbi qui & citò & vehementer mouentur, omnino iudicātur: parui verò & obſcuriores,& qui debiliter mouentur, ſi diuturni ſunt, ſoluuntur tantùm paulatim citra iudicationem, raro verò & ad abſceſſum tales procedunt. Tertiana enim etiamſi intermittat,tamē quia cito & vehementer mouetur, iudicatur: quartana vero,quia diuturna eſt,paulatim ferè ſoluitur. itē omnes qui pigrius mouentur. Naturam itaque morbi inſpicere oportet,an bilioſus ſit,aut pituitoſus,aut atrabiliari⁹:deinde anni tēpus,& ægroti ætatem & temperamentū ac ſtudium,& præegreſſam victus rationem,imò & regionem, & ſtatum ambiētis nos aeris. Poſtea verò cōſiderare exacerbationū circuitus,velut antea dictum eſt:& an intermittant,ſiue non,velut in continuis ac continentibus febribus videre datur. Si enim feſtinauerint,& ſemper anticipauerint conuenientē horam, & vehementiores facti fuerint,& per tertiā occurrerint,breui iudicationem futuram indicant: ſi verò pigrè moueantur,& eadem hora irruerint,& quotidie contigerint,tardam fore iudicationem ſignificant. Conſiderandæ inſuper ſunt & ſuperfluitatū concoctiones,an bonæ ſint,& an in diebus indicatiuis fiant, viribus robuſtis. Si enim morbus ſtatim ab initio oſtenderit omnia ſigna extra periculum,in primo quaternario iudicationem promittit: ſi verò in quarta præſignificarit,ſeptimā non tranſgreditur. Leuiſſimæ enim febres & in ſignis ſecuriſſimis fiētes,quarta die quieſcūt,aut citius,inquit Hippocrates: maligniores verò & in ſignis grauiſſimis fientes,quarta die occidunt,aut etiā citius.

Futuræ iam iudicationis ſigna, Cap. XXIII.

VBI iam affutura eſt iudicatio, non parua turbatio in ægri corpore præcedit,& præſertim in nocte iudicatoriam exacerbationem præcedente. Quibus enim iudicatio futura eſt, iis nox grauis eſt ante exacerbationem, inquit Hippocrates. Grauitates enim & vigiliæ, & deliria,& graues ſopores,& ſpirandi difficultates, & vertigines,& ſenſus obtuſi,& dolores capitis,colli, ſtomachi, ac multarum aliarum partium adſunt: in quibuſdam verò, aurium ſonitus:& ſplendores oculis obuerſantur:& lacrymæ inuitæ fluunt:& vrina ſupprimitur:& labium concutitur,& alia quæcunque pars tremula efficitur: & contingit obliuio ac ignorantia præſentiū, & vehemens rigor aliquando incidit,aut ardor antea non factus,& in ſumma exacerbatio ante ſolitam horam irrumpit: & multus ſopor ac ſitis intolerabilis ſequitur,& vociferantur ac exiliunt velut conſternati:& decubitus figuram ſeruare non poſſunt & timor impēdet videntibus. At imperitus medicus videns ſymptomatum accidentium tempeſtatem perturbatur,& cum familiaribus ægri calamitatē deplorat,& per cōdolentiam occultat imperitiā. Verùm generoſi medici eſt non turbari,neq; ignorare quod euenturū eſt:ſed ex præſentibus prænoſcere non ſolùm quòd iudicatio futura eſt,ſed etiam qualis futura eſt.

Quomodo prænoſcere oportet bonáne an mala iudicatio futura ſit, Cap. XXIIII.

OPtimam iudicationē (quam etiā ſolam ſimpliciter iudicationem nominamus)non per coniecturam, velut alias,ſed cōſtanter quis prænoſcere poterit. Omnia enim ſigna in talibus morbis ſtatim à principio citra periculum apparent. queādmodum rurſus in morituris vt plurimū ab initiò omnia mala apparēt. Primùm omniū igitur conſiderare oportet ægri vires: Deinde cōcoctiones ex vrinis ac ſeceſsibus & ſputis. nullum enim, inquā, perire vidimus,ex iis qui ob præoſtenſam bonam concoctionem iudicati ſunt. Tertiò,quòd in vigore & totius morbi & particularis exacerbationis, & in die teſtabili iudicatio cōtingit. Conſequenter autem, & ſpeciem,morbi & mores. Speciem dico,tertianam,aut quartanam,aut quotidianam, aut aliquam aliam: Mores autem, an ſint moderati & leues, aut mali ac maligni. & mores præcipuè indicabunt tibi,an ſeruabitur, aut morietur. Et in affectionibus quidem thoracis ac pulmonis attēdere oportet ſputis. Neque verò vrinarum inſpectio negligēda eſt. Conſiderādæ verò ſunt etiam egeſtiones. At in febrientibus abſque inflammatione alicuius viſceris,vrinis maximè mentem attendere oportet. Cæterùm in pernicioſis morbis primum ac maximū ſignum eſt futuræ mortis citra iudicationem extrema virium debilitas. non enim excitantur ad pugnam. Secundum,ſi nullum omnino fuerit ac ne minimū quidem concoctionis ſignum. imò etiamſi præmanifeſta fuerit indicatiua dies, futurā iudicationem ſimul præmanifeſtat, & malam fore indicat. Ad hæc videndū eſt an magnus ſit ac malignus morbus, non tamen citò moueatur. Magnum autem dico, peripneumoniam *pulmonis' abſceſſum*, ſemitertianam, febrem ardentem, & conſimiles. Velut(verbi cauſa)contingat vt videatur in quarta die primùm in vrinis nubecula nigra,aut ſimile quiddam in medio ipſarum pendens, aut ſubſidentia nigra: ſint autem & omnia accidentia pernicioſa: morietur quidem talis homo: verùm ſi quidem celeriter moueatur morbus, in ſexta: ſi verò tardè, in ſeptima.

Qui ſint boni iudicatorii dies,& qui mali, Cap. XXV.

SEptima ab initio morbi dies omniū maximè ſemper perfectè ſoluit ac fideliter, & bene ac citra periculum, & manifeſte ac ſignanter. Septimæ verò fidem decimaquarta maximè imitatur. Propinqua autē ipſis eſt nona & vndecima. Et huic propinqua eſt decimaſeptima, & quinta. Poſt has quarta. Et poſt hāc tertia & viceſima. Sexta verò ſæpe quidem iudicat, verùm plures iudicationes malas aut etiam lethales inducit,aut certè non perfectas neque fideles. reuertuntur enim morbi qui in ſexta die iudicantur,etiamſi ſoluti eſſe putentur. Si verò etiā perfecta iudicatio(id quod rarum eſt)in ſexta contingat,tamē cum periculoſis ac grauibus accidentibus contingit. Proinde ſextæ naturam nulla alia dies imitata eſt. Si verò aliquando in octauam diem aut decimam ſolutio morbi aceruata exciderit, aſsimilatur quodammodo ei quæ fit in ſexta. raro enim in iis morbus ſoluitur,& neque fideliter,neque bene,neque perfectè:ſed & obſcurè ac minimè ſignanter. At medio quodammodo inter primas bonas relatas,& inter poſtea malas, tertiadecima locata eſt, neque ſimiliter reprobanda velut malæ, neque tamen ſimilis bonis exiſtens. Quòd ſi bona iudicatio futura eſt, oportet omnia prius iudicata eſſe, in vrinis præſertim: imò etiā in aliis ſignis. Tertia igitur & quarta ac quinta dies ſtatim ab initio præiudicantur: quarta verò ſeptimā præiudicat,& ſeptima vndecimam, vndecima verò decimamquartam, decimaquarta decimamſeptimam, decimaſeptima vigeſimam. Terminus porrò acutorū morborum eſt decimaquarta. quare ſi hanc tranſgreſſus fuerit morbus,ab acutis excidit.

In quibus ambigua eſt dies principii morbi, & nulla præiudicatiua facta derepente contigit iudicatio, quomodo ambiguā inuenire oportet, Cap. XVI.

IN quibus autē nulla præiudicatiua die facta, derepētè cōtingit iudicatio, & in quibus nō exactè cognoſcim⁹ principium morbi, in his reſpicienda ſunt ſigna,& ambiguum reperietur, ſi ad exacerbationum proportionem, & ad dierum naturam mentem aduerterimus. Si enim imparibus diebus facta fuerit exacerbatio in intermittentibus aut ſeipſa vehementior facta fuerit in continuis febribus, æſtima præſentē iudicationē imparis diei propriam eſſe: ſi verò in paribus exacerbetur, illarū propriè iudicatio erit. Nā ad vehemētiores exacerbationes omnino ſequūtur iudicationes. Cæterùm ad ipſam dierū naturā ſic animum aduertere oportet, ſi ambiguum ſit vtrum nonæ aut decimæ diei iudicatio ſit. Si enim accidentia

omnia mitiora fuerint, & citra periculum, ac bona facta fuerit iudicatio, & conſequuta fuerit ad iudicationem bona tolerantia, nonam potius eſſe iudicatoriam diem dicere oportet. Si verò periculoſa & mala facta fuerit iudicatio, & cum grauibus accidentibus, & grauis tolerantia poſt iudicationem ſequatur, decimam diem magis iudicatoriam fuiſſe dicendum eſt.

De notis ex pulſibus, Cap. XXVII.

QVVM iam expectatur iudicatio, ante omnia pulſus tangere oportet. nam altus pulſus, quemadmodum etiam vehemens, omnis bonæ iudicationis nota eſt, & conſtans ſignum iam adeſſe morbi iudicationem. Si verò vehementer ac fortiter ferit digitos, & cum hoc etiã magnus fuerit, & ad diſtẽtionem magis quàm ad cõtractionem feſtinarit, motus externi potius ſignum eſt. Externum autem motum dico, ſanguinis eruptionem ac ſudores: internum verò, ventris exturbationẽ ac vomitus. Si quidem igitur magnus fuerit pulſus & vndoſus, & ſimul molleſcat, vnà cum hoc quòd etiam ipſum arteriæ corpus humectum eſt, & ad diſtentionem magis feſtinat: per ſudorem futurã iudicationem ſperare oportet. Si verò magnus ſimpliciter fuerit ac vehemens, & magis ad diſtentionem quàm ad cõtractionem feſtinarit, ſanguinis eruptionem per nares fore ſignificat, vbi videlicet ſimul teſtimoniũ præbuerint ſigna in ſanguinis eruptione referenda. Si verò vehemens quidem fuerit, non autẽ magnus, & durior ſeipſo factus fuerit ac inæqualis, & ad contractionem magis feſtinarit, inclinatione iam ad inteſtina facta, per ventrem iudicationem futuram expectare oportet.

De vrinarum notis, & primò quæ ſit naturalis, Cap. XXVIII.

IN febrilibus maximè morbis notæ ex vrinis commodiſſimæ ſunt. quandoquidem verò quicquid eſt præter naturam, ex naturalibus inuenitur, à naturalibus initium faciamus. Vrina igitur optima eſt in ſanis ac optimo habitu præditis hominibus, ſubfulua aut ſubflaua, & moderatè craſſa, & talis manens colore qualis micta fuit, & leuem ac albam & æqualem ſubſidentiam habens omni tẽpore: copiã verò, potus ratione. At in fœminis naturalem vrinam colore albiorẽ virili eſſe conuenit, & ſubſidentiam habere ampliorem. In puerili verò ætate, multũ craſſam ſubſidentiam habere oportet, propter puerorum voracitatem, & inordinatos ac intempeſtiuos motus. Leuem autem ſubſidentiam Hippocrates vocat, cohærentẽ ac indiuulſam indicare volẽs: æqualem verò dicit, vt per totum ſemper ſimilis mingatur, & non hodie quidem cõcocta, cras verò cruda: & vt neque ſubſidentiam aut totã diffuſionem inæqualem habeat. Proinde in naturali vrina quærimus colorem, & diffuſionis compagem, & quæ in ipſa diffuſione obiter feruntur, velut eſt nubecula, aut ſimile quiddam in medio pendens, & ſubſidentia ſiue reſidentia quæ fundum occupat. Manifeſtum igitur eſt quòd vrina in aliquo ex iſtis mutata cruditatem in venis indicat.

Qualis vrina optima ſit in ægrotis, Cap. XXIX.

OPtima igitur eſt vrina in ægrotis quæ ſimillima eſt ſanis, ſuppallida aut ſubflaua, albam ac leuem & æqualem ſubſidentiam habens. Defectuoſior eſt quæ id quod in medio pendet, album ac læue & æquale habet. Crudior autem adhuc hac eſt, quæ nubeculam talem habet. In qua enim flatus eſt in profundo craſſus ac crudus, ſi quidem paucus fuerit, permittit materiã ad fundum vaſis deferri, diuidens autem ipſam, vniri non permittit. ſi verò redundauerit crudus in profundo flatus, eleuat ſubſidentiam ad medium diffuſionis vrinæ, & facit id quod in medio pendet. Si verò adhuc amplior fuerit crudus in profundo flatus, eleuat ſubſidentiam, & ad ſupernam ſuperficiem diffuſi vrinæ liquoris attollit. Inquantum igitur flatus diuidere ac eleuare valet ipſam ſubſidentiam, intantum crudiorem vrinam putes. Si verò neque ſubſidentiam, neque quid in medio pendens, neque nubeculam habuerit vrina, noſſe oportet quòd natura nondum humorem concoxit: ſi verò aliquando habet ſubſidentiam, aut illud in medio pendens, aut nubem, aliquando verò non, pugnam indicat naturæ aduerſus morbum: atque hinc modò cruda eſt, modò non. At verò in tertianis exquiſitis & in diariis febribus, nubecula ſola aut illud in medio pendens ad morbi ſolutionem ſuffecit: aliquando verò etiam vrinam ſolùm boni coloris factam eſſe.

Quòd non omnis alba ſubſidentia bonum ſignificat, Cap. XXX.

SÆpe verò albus color eius quod in vrinæ fuſura ſiue diffuſione fertur, idiotas decipit, vt ſubſidentiam bonam putent quæ bona non eſt. Contingit enim crudum ac album humorem vnà cum vrina excretum ſubſidere, & bonæ ſubſidentiæ imaginationem exhibere. Quandoque verò hepate aut renibus affectis pus excernitur cũ vrina, & ſubſidens decipit artificem. Verùm primùm diſtinguendum eſt an homo antea affectos habuerit renes, aut hepar, aut aliam quandam partem per vrinam expurgari ſolitam: deinde etiam graueolẽs reperitur vrina pus habens. Crudus verò humor à bona ſubſidentia diſtinguitur per inæqualem ſubſidentis ſubſtantiam ſiue compagem. Non enim cohærens ſibiipſi manet, ſed in paruas velut arenulas diuiditur: & omnino non leuis eſt, quemadmodum vera ſubſidentia. In bonis igitur vrinis primùm ſupernè apparet nubes: deinde ſubdeſcendens facit id quod in medio pendet: in fine verò ſubſidens in fundo vaſis, nimirum vbi perfectè fuerit concocta. In crudis verò humoribus, ſtatim ab initio ad fundũ vaſis multa copia ſecedit, vnà cum hoc quòd mali coloris eſt tota fuſura: poſtea verò etiam paulatim concoctus ac attenuatus, circa medium fuſuræ vrinæ conſpicitur, & facit id quod in medio pendet: quum autem amplius attenuatus fuerit ac concoctus, in ſuperficie diffuſionis vrinæ conſiſtit, & nubeculã facit, decipitque idiotas vt putent morbum ad deterius procedere.

Quid indicet tenuis & pallida vrina, Cap. XXXI.

TEnuis & pallida vrina, cruda quidẽ eſt ſubſtantiæ cõpage, cõcocta autẽ mediocriter colore. Debilitatem autem indicat etiam hæc naturæ, quòd colore quidem concoxit, velut quæ res facilis ſit: non autem etiam compage, propter difficultatem. Si verò per multum tempus hæc fertur, periculum eſt ne ſufficere poſſit homo donec concoquatur morbus. nam quæ valde tenuis eſt, mala eſt. Indicat enim cruditatem, inquantum calorem id quod tenuius eſt depaſcere oportet.

Quid indicet tenuis & fulua, Cap. XXXII.

AT tenuis in ſubſtantiæ compage vrina, & fulua colore, melior eſt quàm pallida, & tamen reprehenſione non caret propter ſubſtantiam.

Quid indicet rufa vrina, Cap. XXXIII.

RVfa vrina cruditatem indicat, non mortem: verùm tempore opus habet ad concoctionem. eſt enim ex ſanguine ſeroſo, nondum valde concoctionem adepto, neque proprium colorem, & propterea diuturniorẽ morbum ſignificat. At in febribus continentibus, ob ſanguinis multitudinem conſiſtentibus, excernitur vrina rufa & craſſa, & ſubſidentia rufa, & colore, & fuſuræ compage, & ſubſidentia, cruda.

Quid indicet vrina tenuis micta, & poſtea turbata, Cap. XXXIIII.

VRina quæ tenuis mingitur, & poſtea foris turbatur, cruda eſt propter flatus craſſi redundantiam. Indicat autem naturam incipere concoquere.

Quid indicet vrina craſſa micta, & craſſa manens, Cap. XXXV.

VRina quæ craſſa mingitur, & craſſa manet, & non deſidet, qualis eſt iumẽtorum, ſignificat vigere craſſorum flatuum ac humorum velut fermentationem. In his capitis dolores aut adſunt, aut aderũt, propter humorum turbationem ac euaporationes.

Quid indicet vrina craſſa micta, & poſtea deſidens, Cap. XXXVI.

QVÆ craſſa mingitur vrina, & poſtea deſidet, indicat humorum fermentationem quieſcere, & quodammodo attenuari, & ſeparationem ac ſecretionem incipere.

Quid indicet vrina tenuis micta,& poſtea deſidens, Cap. XXXVII.

EXtremam cruditatem tenuis & alba vrina ſignificat. non enim aggreſſa eſt in his natura concoctionem. Contingit autem hoc aut ob virium debilitatem,aut propter obturationem,aut ob morbi lõgitudinem. Nam in quartanis diuturniſſimis, in principio ob craſſitudinẽ & n itractabilitatẽ materiæ, vrina excolata tenuis vocatur. Mingitur autem tenuis,etiam ob hepatis obturationem aut renum:verùm cognoſcitur ex locali dolore.mingitur etiam aliquando tenue & album in febribus ardentibus. Febris enim ardens bilis multitudinẽ indicat, atque hæc vrina phrenitidem imminere ſignificat.Non tingitur autem vrina quia non manet in vaſis ipſa bilis, ſed leuitate ſua ad cerebrum decurrit.Siquidem igitur non adeſt in his phrenitis,ſcito ipſam iam affore: ſi verò adeſt, & vrina tenuis ac alba mingitur in ardentiſſima febre, vt plurimùm mortem prænunciat.Non enim tolerare poſſunt vires cerebri iam proſtratæ ab ardente febre, acrimoniã ac mordacitatem bilis iam putrefactæ.

Differentiæ vrinarum oleoſarum,& quid ſignificent, Cap. XXXVIII.

SOlet febris primùm pinguedinem eliquare,poſtea carnem,poſtremùm etiam ipſa ſolida corpora inuadit. pinguedine igitur liquefacta oleoſæ vrinæ excernuntur. Paulatim autem liquatur pinguedo: vnde & principium habet,& augmentum,& vigorem.In principio igitur colliquationis, ita oleoſi coloris facit vrinas vt ambiguum ſit aquoſæ ſint an oleoſæ:in augmento verò oleoſæ fiunt, ita vt notabiliorem oleoſi mixturam habeant. In vigore autem colliquationis totæ vrinæ per totum,tum in colore,tum in ſubſtantiæ compage,velut oleum ſunt.Ad hæc pinguedo eliquata,aut renum ſolùm eſt aut totius corporis.Si igitur renum ſolùm fuerit,confertim excernitur talis copia,imò & caloris ſenſus amplior circa renes contingit:ſi verò totius corporis fuerit,paulatim additamẽtum facit.

Quid ſignificent eruinæ ſubſtantiæ, Cap. XXXIX.

QVando cõſumpta eſt pinguedo,deinceps caro liqueſcit,& eruinæ ſubſtantiæ in vrinis fiũt:ſed & hæ aut renum ſolùm ſunt,aut totius corporis.Siquidem igitur in febribus apparuerit talis vrina,totius corporis affectionẽ eſſe indicat:ſi verò non,in renibus ſolùm.Et rurſus ſi crudæ ſunt vrinæ,totius corporis eſt malum : ſi verò cõcocta eſt vrina,eruinæ autem ſunt ſubſidentiæ,renum affectionem indicant.

Quid indicent furfuraceæ ſubſidentiæ, Cap. XL.

QVVM febris pinguedinem conſumpſerit,& maiorem carnis partem,& in profunditatem vaſorum irruerit,furfuraceæ ſubſidentiæ fiunt, anguſtiores quidem lamineis,verùm craſſiores ipſis.Et hæ ſimiliter aut ex toto corpore, aut ex veſica excernũtur. at ſi quidem febris affuerit,ex toto corpore:ſi non,ex veſica.&,ſi quidem cruda fuerit vrina,corporis eſt affectio:ſi verò concocta, ſolius veſicæ.ſed & localis adeſt dolor.

Quid indicent laminæ ſubſidentiæ, Cap. XLI.

QVVM ipſæ ſolidæ partes affectæ fuerint, primùm in ſuperficie deraduntur,& quæ in vrinis ſubſident, laminea fiunt.ſed & ex veſica ſola talia excernũtur.Si quidem igitur fuerit febris,totum corpus afflictum eſt:ſi nõ, veſicæ affectio eſt.

Quid indicet polentaceum in vrinis, Cap. XLII.

QVVM febris poſt occupatam profunditatem,& maiorem & longiorem profunditatem inuaſerit, fiunt talia furfuribus craſſiora, & vocãtur polentacea.At duo ſignificant hæc polentacea:aut enim ſanguinis aſſationẽ indicant,aut fortem ſolidorũ colliquationẽ.Si quidẽ igitur alba fuerint polẽtacea illa,ſolidorum corporum affectio eſt:ſi rufa,ſanguinis.

Quid indicet graueolens vrina, Cap. XLIII.

GRaueolẽs vrina putrefactionem indicat, & futuram naturæ mortificationem.

Vrina nigra quid ſignificet, Cap. XLIIII.

OMnes nigræ vrinæ,ſtatim etiam craſſæ,omnino pernicioſæ ſunt. raro enim aut nũquam inuenitur tenuis & nigra.Nam niger color accidit vrinis,dum expurgatur atræ bilis humor,aut ipſa atra bilis,tum quæ ob frigiditatem, tùm quæ propter nimiam aſſationem facta eſt. Et viris quidẽ ac fœminis nigræ vrinæ peſſimæ ſunt: pueris verò,aquoſæ.Minus autem pernicioſæ fiunt nigræ vrinæ iis qui debilem habent ſplenem, quibus non ex adustione neque ex perfrigeratione nigreſcit ac liueſcit ſanguis,quemadmodum in aliis quibuſdam contingit: ſed ex melancholici humoris diffuſione.At hæ tres differẽtiæ craſſitudinem ſubſtantiæ habent. neceſſariò igitur etiam craſſæ reperiuntur nigræ vrinæ. Proinde in acutis morbis pernicioſiſſima eſt omnis vrina denigrata,& præſertim quum & graueolens fuerit & craſſa,& nigram ſubſidentiã habuerit.Fieri enim non poteſt vt ſeruetur æger ex acuto morbo,qui talem vrinam minxit : & ſi quidem ſubſidentia fuerit nigra, pernicioſiſſimum eſt : ſi verò id quod in medio pendet nigrum fuerit, minus malum, aut non ſimiliter malum:ſi autem nubecula fuerit nigra, adhuc mitius,& non ſimiliter malum. Nigra porrò vrina aliquando indicat frigiditatem, aliquando caliditatem ſiue ſuperaſſationẽ. Si quidem igitur prius micta fuerit liuida vrina,deinde ſic nigra fiat,frigiditatem cauſam habet:ſi verò flaua præceſſerit,& poſtea nigra inuenta fuerit,ab ampliore nimirum caliditate ſuperaſſata,nigra facta eſt. Scire tamẽ operæpretiũ eſt quòd & in febris quartanæ declinatione, & in melancholici delirii ſolutione, vrinæ apparent nigræ ac craſſæ.Splenicis autem vt plurimùm talis vrina mingitur quando debilis fuerit ſplen. nullam enim concoctionem ac diſtributionem melancholicæ ſuperfluitatis facit.

De egeſtionum notis, Cap. XLV.

QVOD de vrinis antea dictum eſt,hoc etiam in egeſtionibus cognoſcere oportet. Dico autem qualis ſit naturalis egeſtio. nam ab hac euariatio in aliqua parte cruditatem indicat. Optima igitur eſt egeſtio mollis & compacta,& leuis,& iuxta conſuetam horam quammaximè prodiens,& ad proportionem comeſtorum: colorata quidem moderatè bilioſo humore,hoc eſt ſubfulua,& nõ valde graueolens.quæ enim talis eſt,naturalis eſt : & manifeſtum eſt quòd ſignificat ſana eſſe omnia circa ventrẽ ac inteſtina.Si verò aliqua parte à relatis euariauerit,præter naturam iam dicitur: velut eſt valde graueolens, aut craſſa,aut ſicca,aut dura,aut diſtorta, & non humori admixta,& quæ cum ſtridore & velut ſtrepitu quodam præter rationem excernitur.Tales enim omnes concoctoriæ actionis debilitatem indicant.His adhuc deterior eſt exactè fulua:eſt enim bilis intemperatæ ac puræ ſignum.Nigra verò egeſtio,atræ bilis ſignum eſt aut ſanguinis aduſti.Liuida verò,inteſtinorum frigiditatis ac mortificationis.Pinguis autem & oleoſa, pinguedinis colliquationẽ ſignificat.Viſcoſa verò ipſorum ſolidorum corporũ colliquationem indicat.Quæ autem varia eſt colore,& valde graueolens, variorum humorum excellẽtem putrefactionem ſignificat.Cæterùm in omnibus his conſiderare conuenit an edulia talia fuerint,aut inteſtinum ex more fluxione laboret,quum debile ſit.

De egeſtionibus iudicatoriis, Cap. XLVI.

SI porrò iudicatio alicuius morbi per ventrem futura eſt,nihil quidem præiudicãs,velut in aliis,neque quicquam proprium ac firmũ præſignificãs habet: verùm ex eo quòd adſunt quidem iudicationis ſigna, non autem adſunt ſigna vomitus,aut eruptionis ſanguinis narium, aut ſudoris,colligere datur.Conſiderare tamen oportet ex aluo egeſta,an plura prodierint quàm prius ante iudicationem.indicant enim inclinationem hac magis fore: & præſertim vbi imminutæ fuerint vrinæ.Inſuper autem & grauitas notabilis, & dolor & tenſio circa præcordia & lumbos,ventris excretiones præcedunt.Quandoquidem verò,& per hæmorrhoidas & per locos muliebres iudicationem fieri poſſibile eſt, communia etiam amborũ ſunt ſigna quæ nunc ſunt relata.verùm conſiderandum eſt an horum quid ex more expectetur. ſi quidẽ igitur in prin-

cipio morbi aut augmento venter perſeueranter liquidior egerit, aut velut glioſa quædam pura, & febris perſeuerat & bilis magis augeſcit, tunc & ardentior & periculoſior vtplurimum eſt morbus. Si verò in vigore multùm exturbetur aluus ſua ſponte, ferè morbi ſolutionem efficit. At circa vigorem aliquando in morbis diuturniorib⁹ venter exturbatus omnem materiam morbum facientẽ deterit. Verùm in acutis morbis, & nigra pura & graueolentiam inducentia, præſertim in principio peſſima ſunt. quibuſcunque enim morbis inchoantibus bilis atra ſurſum aut deorſum prodierit, mortale eſt. Et rurſus quibuſcunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut ex vulneribus attenuatis, bilis atra ſubierit, poſtridie eius diei moriuntur. Non autem ſimpliciter ſiquid nigrum excernitur, iam etiam hoc atra bilis eſt. poteſt enim & ſanguis è propriis locis excidens, & tempore aliquo manẽs, frigefactos in grumos congelari. Atram itaque bilem cognoſcemus ex eo quòd ad terram fuſa, ipſam radat ac fermentet, velut acerrimum acetum.

De vomitus prænotione ac ſignificatione, Cap. XLVII.

INſtante iam iudicatione, vomitum fore expectare oportet, ſi pulſus fuerit vehemens & ad contractionem magis feſtinarit, & duriſſimus exiſtens ac inæqualis. Cordis item punctura & vehemens oris ventris morſus adeſt vnà cum capitis dolore, & vertigines oculorũ, tenebris ſimul obuerſantibus. Et labium concutitur, & ſaliua multa ac tenuis defluit, & nauſeæ infeſtãt, & infernæ præcordiorum partes frigidæ tangentibus apparent. Omnia enim hæc coincidunt, glioſo ac mordaci humore in vẽtre ac ſtomacho coaceruato, mordentéque ac ſimul contrahente totum ſtomachum inferné. vnde & labium cõcutitur, & ſaliua defluit. Si verò cum his etiam rigor acceſſerit, citiſſimè vomũt: quòd ſi etiam cibos recèns ingeſſerint, & maximè potũ, citò vomũt. Vtiliſſimus eſt vomitus pituitæ ac bilis quãmaximè mixtorũ. vomatur autẽ non craſſus: nam ſinceriores, hoc eſt nõ mixti, reprobandi ſunt. Tales enim & cum violentia & lãcinationibus ac moleſtia vomuntur, vnà cũ hoc quòd ſignũ ſunt ſolã bilem prædominari. Quin & varii reprehẽdi merentur, velut ſunt liuidi & nigri ac porracei. mali enim ſunt hi, inquit Hippocrates. Si verò omnes hos colores idem homo vomuerit, pernicioſum eſt. deteriores tamen ſunt liuidi ac nigri, in acutis & ardentibus morbis fientes: & præſertim ſi fuerint graueolentes. Attendere verò oportet & in his num ſanguis confluxerit in ventrem, & tempore quodam in ipſo moram traxerit, & grumoſus excernatur. In plurimis enim tale quiddam cõtingit ex circuitibus quibuſdam: & non ſolùm nihil moleſti infert, ſed etiam tolerãtiores ſeipſis fiũt, vbi hic per vomitũ fuerit reiectus.

De eruptionis ſanguinis ex naribus prænotione ac ſignificatione, Cap. XLVIII.

SI ſanguinis ex naribus eruptio futura eſt, propria ſigna præcedunt hæc: Splẽdores oculis obuerſatur, eo quòd flauus eſt humor. Obtuſus autem eſt viſus propter multitudinis ſurſum verſus lationem. quapropter etiam lacrymantur oculi: facies rubicunda eſt, & præſertim malæ. præcordia diſtenduntur citra dolorem: difficultas ſpirandi adeſt, propter tranſitum ſanguinis per thoracem: capitis item dolor, & temporum pulſus irruens ſimul cum iudicatoria exacerbatione, & non in principio morbi exiſtens: collum dolet, & deliria ſæpe ac exultationes fiunt. Pulſus autem alti ſunt & magni & ad diſtentionem magis feſtinant. Si verò cum his omnibus etiam nares ſcalpat, iam adeſt tempus vt ſanguis erumpat, & præſertim quum dolor fortiter circa frontem ac tempora incumbit. Quòd ſi etiam ſano ſanguis erumpere conſueuit, augebit ſanè etiam hoc valde ſpem tuam: atque hæc ſunt ſigna iam futuræ ſanguinis eruptionis. In principio verò apparẽtia crudo exiſtente morbo, periculum ſignificant, & tales plerunque moriũtur. Si verò facta iam concoctione, præſertim in vrinis, hæc ſigna appareant, circa vigorẽ morbi commodè conſpiciuntur. Soluũt autem tales ſanguinis eruptiones etiam viſcerum inflammationes in febribus, quãdo maximè ex directo fiunt, velut inflammato hepate, ex dextra nare: inflammato ſplene, ex ſiniſtra. Vnde facillimum iam fuerit etiam medicum prædicere vtra naris ſanguinem emiſſura ſit, occaſione ex dolente parte accepta. Soluunt etiam ſæpe ſanguinis ex naribus eruptiones phrenitidem, non tamen lethargum aut peripneumoniam.

Quòd & per hæmorrhoidas & muliebres purgationes ſæpe ſoluitur morbus, Cap. XLIX.

VIdimus in multis etiam per hæmorrhoidas prius exiſtentes in ſede apertas, morbum ſolutum: ſimiliter & in fœminis menſtrua purgatione facta. Oportet autem & in his prægreſſa concoctione in morbi vigore excretionem fieri, quò bona & tuta iudicatio fiat. Præcedit & in his notabilis grauitas, & dolor lumborum, imò etiam imi ventris dolor ac diſtentio.

De ſignificatione ex ſudoribus, Cap. L.

FEbrem per ſudores ſoluendam cognoſcemus ex eo quòd ardentiſſima eſt, qualis eſt quam inde cauſon *Græci* vocant. Glioſus eſt enim hic morbus, & vbi fortiter motus fuerit, rigorem efficit. Si quidem igitur pro ratione ſuppreſſa fuerit aluus aut vrina, iudicatione propinqua exiſtente, rigorem expectare oportet: ſi verò amborum ſuppreſſio facta eſt, & non adſunt ſigna vomitus aut eruptionis ſanguinis, ſudor neceſſariò erit multus. & hoc magis fiet vbi augeſcente exacerbatione ægri mẽte moti fuerint, & forinſecus calidiores facti, & vapor quidam calidus ex corpore aſcenderit, qualis antea non contigit, velut videre eſt in recèns lotis. Pulſus item hi ſunt magni & alti, & veloces, & ad diſtentionẽ magis feſtinantes, ac velut vndoſi: & arteriæ tunica mollis ac humecta apparet: ſuperficies autem totius corporis pruriginoſa & mollis, & quibuſdam horis rubicunda. Hæc in exacerbatione iudicatoria fientia, concoctione prægreſſa, & iudicatoria die bona exiſtente, ſalutares & ſolutorios ſudores ſignificant. Manifeſtum eſt autem quòd moderatè calidum eſſe oportet ſolutorium ſudorem, & per totũ corpus fieri, & pro ratione leuare, ac tolerãtiorem facere ægrotum. At frigidi ſudores cum acuta quidẽ febre, mortales ſunt: cum mitiore verò, longitudinem morbi ſignificant.

Abſceſſuum ſigna iudicatoria, Cap. LI.

SI ad abſceſſum conuertatur morbus, ſalutariter ſe habẽte ægro, ad hoc maximè animum aduertere oportet. Durante quidem febre & continua exiſtente, & vrinis tenuibus ac crudis ſemper exiſtentibus, & ſubſidentiam nõ habentibus, ſi poſtea apparuerit in aliqua inferiori parte, velut in cruribus aut circa iuncturã aliquam, aut grauitas, aut tenſio, aut ardor, aut dolor, abſque manifeſta cauſa, in ea parte abſceſſum fore expecta. Si verò æger derepente difficulter ſpirans, citò quidem à difficili ſpiratione liberatus fuerit, ſucceſſerit autem dolor aut grauitas capitis, & altus ſopor, ac ſurditas, huic in glãdulis circa aures abſceſſum fieri neceſſe eſt. Fiunt autem abſceſſus magis in hyeme, & ſenioribus qui trigeſimum annum exceſſerũt.

De ſputorum ſignificatione, Cap. LII.

IN peripneumonicis ac pleuriticis affectionibus ſputa propriè appellata ſubſidentiis in vrinis ſimilia ſunt. At nihil omnino expuere, ſed ſolùm ſiccè tuſſire, eſt veluti in vrinis quum extremè crudæ ſunt. Si verò incipiat æger humida & perfectè cruda educere, obſcura eſt & incerta talis tranſmutatio, & definit primum morbi temp⁹, hoc eſt principium. Vbi verò inceperit ſpuere pauca & matura, & ſemper plura ac facilius educit, tunc augmentum eſſe dicimus. Quum autem exactè fuerint concocta ac mollia, & non ægre educuntur, tunc inſtat vigoris tempus. Vbi verò concocta fuerint, ac citra moleſtiam educũtur, & imminuta eſt copia, & dolor non amplius fuerit, & homo facilè ſpirat, ac bene tolerat, vigorẽ ceſſaſſe putãdũ eſt, & morbum iam declinare. Cæterùm ante alia animũ aduertere oportet vtrum citius aut tardius ſputa extuſſire incipiat, quemadmodum etiam Hippocrati videtur. In pleuriticis, inquit, ſi ſputum ſtatim appareat, in principio quidem breuis fit: ſi verò poſterius appareat, prolongatur, morbus ipſe videlicet. Quæcunque igitur ſputa ſubflaua ſunt & ſubfulua & ſubſpumoſa ac tenuia, ſolius cruditatis

notæ ſunt,& nihil notabilis mali indicant.Quæ verò purè flaua & fulua & viridia ac ſpumoſa ſunt ac viſcoſa,inſupérque nigra,mala ſunt.Nam,excepto ſanguine,quicunq; alius humor purus fuerit,malam affectionem indicat ex calore generatam.Sang uinea igitur & pituitoſa ſputa,moderata ſunt:flaua verò ac nigra,mala.Conſiderare verò oportet & eductionis ipſorum modum.ſi enim facilè expuūtur,indiciū eſt quòd talia bona ſunt:ſi verò ægrè educuntur,mala.& præſertim ſi nigra,aut liuida,aut æruginoſa fuerint,aut valde graueolentia, vt prunis iniecta grauè oleant.

Signa perfectè ac fideliter ſoluti morbi,
Cap. LIII.

PErfectè ac fideliter ſolutum eſſe morbum putare oportet,quum in idem ſimul conuenerint omnia ſolutoria ſigna.Siue igitur in vigore ſtatim & confertim ac conſtanter iudicatus eſt morbus,ſiue paulatim declinando fideliter ſolutus eſt,ex his ſanè cognoſcere poteris: Primum enim & maximum ſignum bonæ ac fidelis iudicationis, ſunt concoctiones ſuperfluitatum apparentes in diebꝰ indicatiuis,cū viriū fortitudine:Deinde ſi in impari die iudicatio facta eſt,& ad hæc inſuper ſi febris ſoluatur ægro iudicato, & ipſe æger ab omnibus accidentibus liberetur, & coloratior fiat tum in facie tū in reliquo corpore,pro euacuationis ratione: & ſubtiliore pulſu præditus,ac fortior dum aſſurgit,& bene tolerās per omnia,& maximè circa concoctiones ciborum ac digeſtiones:& ſi omnes naturales actiones inculpatè facit, & corpꝰ pro refectionis ratione roboratur:& color ex nō naturali in naturalē tranſmutatur.Hæc eſt optima iudicatio,& oportet ipſos cōfidenter renutrire, cōuenienti victu ac balneis videlicet:ſi verò defectuoſa facta fuerit iudicatio, morbus recidiuare ſolet.

Signa morbi non perfectè ſoluti,
Cap. LIIII.

SVſpectos de recidiua cognoſcemus ex eo quòd putatur quidem ſolutus eſſe morbus,perſeuerāt autem cōſimiles prioribus vrinæ ac pulſus: & quòd adhuc pallidus eſt æger,& difficulter tolerat,& reliqua contraria omnibus prædictis bonis fiunt.Et in ſumma,quoties præter rationem ſolutus eſt morbus,bis ipſum reuerti timor eſt.

Prænotio diei qua moriturus eſt æger,
Cap. LV.

IN pernicioſis morbis conſiderare oportet exacerbationes per ſingulos inſultus, an quotidie, aut alternis,aut alio modo fiāt.ſi verò febris eſt nō intermittētiū generis, vide an in imparibus diebus, aut paribus,æger magis intolerās ſeipſo fit.Noſſe enim clarè oportet quòd in illa die aut nocte,in qua magis intolerans ſeipſo fit æger,morietur:&,ſi morbus multo plus vires excedit, citò morietur:ſi verò vires parum reſiſtunt,differri poterit ad vnam atque alteram diem.Fieri autem non poteſt vt moriturus ad declinationis morbi tempus deueniat. Rarò verò in declinatione morbi aliquem mori cōtingit, niſi alius morbus priori ſuccedat. neque verò neceſſariò ad vigoris tempus peruenit moriturus: ſed vt plurimùm in principio aut augmento ægroti moriuntur.

Quòd etiam horam mortis ægri prænoſcere
poſſit doctus medicus, Cap. LVI.

QV V M quatuor ſint particularis exacerbationis tempora,obſeruare oportet qua hora diei aut noctis grauior exacerbatio irruere ſolet:inſupérque in qua parte exacerbationis æger ſeipſo grauior factus eſt, nimirum an circa acceſſionem,aut augmentum, aut vigorem ipſius exacerbationis. In illa enim hora in qua languidior aut præter ſolitum magis pulſu deſtitutus factus fuerit,morietur.Et in acceſſione quidem exacerbationum moriuntur,ob inflammationes magnas in partibꝰ principalibus, aut propter multitudinē craſſorū ac viſcoſorū humorū aceruatim intrò lapſorū,vt trāſitus ſpiritus perfectè obturent:ita vt ſuffocetur ac velut extingatur natura,quemadmodum ſiquis viridium lignorum copiam accumulet in flammam: In vigore verò exacerbationum moriuntur, emota natura per violentiam ac vehementiam morbi. Eodem modo contingit ipſos etiam in exacerbationis

A augmento mori.In declinationibus autem exacerbationum moriuntur,exoluta ipſis per violentiā vitali firmitate.Obſcurior enim & collabēs ſēper fit pulſus in pernicioſis exacerbationis declinationibus.Diffluit enim tūc vnà cum aliis in corpore, etiā febrilis calor.atq; hinc idiotæ meliꝰ rē habere imaginātur. Ægri verò aut ad exonerandū aluū ſurgētes,aut alio motu facto,animo linquuntur aliqui verò pauco ac viſcoſo ſudore excluſo moriūtur.

In acutis morbis mortem non eſſe prædicen-
dam, Cap. LVII.

B IN acutis morbis coniectatione vti non oportet,in quibus maximè repentina mors aut periculum ingruit. In his enim facilè trāſfluit & ardētior eſt humor,& vehemētiſſima febris violentia. Et de his morbis Hippocrates pronūtiauit, Acutorū morborum nō omnino tutæ ſunt prædictiones neque ſanitatis neque mortis.

Febrium diuiſio,& de diariis febribus,
Galeni, Cap. LVIII.

EX morbis ob intemperiem orientibus vnus eſt & febris ipſa,calore præternaturali ad tantam immode- C ſtiam euecto vt angat hominem & actionem lædat.Differentiæ huius caloris,maioris ac minoris ratione diſtinguūtur,& iuxta ſubiectū ſiue materiā, aut ipſū cordis corpus calore occupante,aut humores,aut aeream eſſentiam. Incipit igitur hæc præternaturalis caliditas aliâs ex alio de prædictis: & niſi ſoluta fuerit, temporis progreſſu ſimiliter reliqua duo genera afficit. & ſi quidem in ſpiritibus permanſerit hic calor, diariam febrem efficit: ſi verò humores occuparit, febrem putridam incendit: ſi verò ipſum cordis corpus iniuria affecerit, hecticam D ac habitualem febrem facit.Nam aliqui febricitantes facilè ſolubilem affectionem habent, velut calefactum in ſole lignum:aliqui verò ægrè ſolubilem, velut accenſum ab igne lignum,vt etiam fumum edat: quidam verò planè exuruntur,velut lignum ad carbonis naturam adactū. Tria igitur ſunt genera,diariæ, putridæ, & hecticæ. primùm itaque de diariis tractabimus.Fiunt hæ febres, velut dictum eſt,citra humorum putrefactionem, ſolo ſpiritu feruefacto,& propterea diariæ appellantur. nam vbi loti ſunt ægri in prima huius febris declinatione, & cibū E boni ſucci ac humectum acceperint,non amplius ſecundariò febricitant.Proprium autem & inſeparabile ſignū diariarum febrium eſt vrinarum cōcoctio in prima die, & caloris iucunditas. verùm poſt exacerbationem ſedatā certiorem habebis cognitionem.nam arteriarum motus per omnia aſſimilatur motui ſanorum,quod nulli alii febri adeſt.& ipſa bona ægri tolerantia maximū liberationis ſignum eſt.Et vrinæ multo meliores poſt exacerbationem quàm in febris principio tibi apparebunt. Et ſi ipſis, dum lauantur,neque horror aliquis inſuetus acciderit,ne- F que alia aliqua iniucunditas,& poſt balneū conſequenter bona tolerantia manſerit,cōfidenter nutrire potes ipſum, & vinum exhibere intrepidè bibendum,quātum in præſens moderatum eſt.Facilè verò à talibus febribus capiūtur ii in quibus defluxiones corporis nō vaporoſum ſed acre quid ac fumoſum habent. quare ſiquando ſuppreſſus fuerit coaceruatus in ipſis calor,febrilis efficitur. Auſpicantes verò ac externè laceſſentes harum febrium cauſæ ſunt,laſſitudines, frigiditates, vigiliæ, curæ, triſtitiæ, iracundiæ,rigor,ardor ac exuſtio cutis,vt difficulter trāſ- G pirationem admittat.

De diariis ex laſſitudine febribus, Cap. LIX.

QV I ex laſſitudine febricitant, cutem ſicciorē quàm qui ex alia quadam diaria febre laborant, habent.Et hoc maximè contingit iis qui ſimul frigefacti ſunt ex multa laſſitudine, vt etiam poſt febris vigorem permaneat ipſis ſiccitas:& pulſus his parui fiunt.qui verò nō nimiū fatigati ſunt,his humiditates quædā, aut vapor calidus ex profundo effertur.magni autem ſunt & his pulſus. Oportet autem ipſos ſtatim poſt exacerbationis declina- H tionem in balneum ducere, & accuratè ſimul ac molliter modico oleo dulci tepido perfrictos, aquarum dulcium lauacris lauare. Sed neque ſi in aere balnei ipſos morari iuſſeris,quicquā læſeris propter frigiditatem. Poſtea quietis ſtudium prodeſt.

De febrientibus ex vigiliis,& cura,& triſtitia, aut ira, Cap. LX.

EOS qui ex vigiliis febricitant,diſtinguit etiam coloris ſpecies: eſt enim ſubtumida.Sed & oculorum motus manifeſti ſunt: vix enim attollunt ſupercilia . & caui fiunt ipſis oculi:imò etiam ſicci. Pulſus autem denſiores fiunt omnibus ob vigilias,curam,ac triſtitiam febrientibus.Qui verò ex ira febriunt,his neque cauitas oculorum adeſt,neque color ille:& calor his eſt amplior,& velut ex profundo emergens:& magni ſunt his pulſus.Omnes igitur relati neque frictionibus, neque balneis multis opus habent:ſed multi olei perfuſione omnino non adſtringẽtis,atque vbi parum defricti ſunt,pro more lauentur.

De febrientibus ex ardore, Cap. LXI.

FEbrientes ex ardore , ſtatim ab initio perfrigerantibus ſanare oportet,& balneis pluribus dulciſſimarum ac temperatiſſimarum aquarum.Oleum autem modicũ adhibendum eſt,& omnino non affricãdum.Sint autem quæ adhibentur capiti frigefacientia , omphacinum & roſaceum ex ipſo præparatum ſine ſale . Facere autẽ hæc poſſimus frigida , vas in quo continentur ſuſpendentes in puteum vt aquam contingat. Sed adhuc magis ſaliens aquæ frigidæ oleum frigefacit:& magis adhuc nix forinſecus vaſi circumpoſita. Perfundendum eſt autem ſinciput ex oleo ſic frigefacto,lana moderatè excepto , ita vt manum in ſublime leuemus, & hoc indeſinenter faciamus vſque ad febris declinationem: atque ita in balneũ dulcium ac temperatarum aquarum ducamus,acceſſu ſolo aeris balnei per tranſitum conceſſo.

De febrientibus ex frigore, Cap. LXII.

SI quis frigefactus febricitarit,ſuppreſſis videlicet fumoſis tranſpirationibus,quæ per cutem fiunt,& hic in balneum ducendus eſt in febris declinatione. Caput autem calfaciendum eſt & ante balneum & poſt balneum, in declinatione,ex vnguento amaracino & nardino.

De febrientibus ex grauedine ac deſtillatione, Cap. LXIII.

QVI ob grauedinem febriunt lauare non oportet priuſquam ea concoquatur,ſi ex frigiditate aut cruditate deſtillatio facta eſt . Caput autem humectandum eſt irino vnguento aut amaracino aut nardino : ſi verò ex ardore facta eſt deſtillatio capite calfacto , & inſtar cucurbitæ attrahẽte materiã ex locis ſubiectis, hunc ſtatim in balneũ dulciũ ac tẽperatarũ aquarũ ducere oportet,& in frigidam immergere,& ſub ſalientem locare:in balneis autem frigefacientibus caput humectare . ſunt autem ea moderata propter balneum.

De febribus ex cutis denſitate, Cap. LXIIII.

DEnſatur cutis aut ex frigore,aut acerba qualitate ipſi præter aſſuetudinem allapſa:quale quid accidit etiam iis qui in aluminoſa aqua lauantur. Arctiſſima eſt iis cutis,vt etiam tactu cognoſcatur. Imò & caloris motus , leuis quidem iuxta primam manus admotionem apparẽs, acris efficitur ſi diutius tactus perſeueret:vrinæ autem nõ velut aliis fuluæ ſunt . quare non accuſamus in iis quòd alimentum non ſentiant,vnde corporis moles contrahitur. Neque verò oculi caui ac ſicci fiunt. verùm ſunt quibus humidiores & prominentiores eſſe videntur naturalibus,eo quòd non contigit tranſpiratio in ipſis,ſed materiæ magis intus concluduntur. Vnde neque pulſus parui ſunt,velut in triſtitia aut cura,aut vigiliis,&valde immoderatis exercitiis. Curare porrò eos oportet aquarum dulciſſimarũ ac tẽperatiſſimarũ balneis,poſt exacerbationis declinationẽ,& præcipere ipſis vt aliquãdiu in balnei aere morẽtur: affundẽdúmque eſt ipſis oleũ dulce tepidũ, & fricatio mollis ac moderata adhibenda. Tenuis autem victus præſcribendus eſt,& vinum dandum tenue & album.

De febribus ex fame, Cap. LXV.

SI ob famem fiat febris , exacerbatione declinante in balneum ducantur,& plurimo oleo tepido dulciſſimo perfuſi leuiſſimè fricentur,& plurimo tempore in calido ſolio morentur . Egreſſi deinde ac viribus refecti rurſus in balneum ducãtur,& in calidum ſolium locẽtur.Poſtea egreſſis poſt balnei turbationem ſedatam,danda eſt aqua calida potanda,deinde ptiſanæ ſuccus : aliquando etiam piſces petroſi in iure albo parati.

Diæta communis omnium diariarum febrium, Cap. LXVI.

DIæta in febrib⁹ diariis omnibus communem ſcopũ habet,vt ſit ex eduliis boni ſucci & quæ omnino cõcoquuntur,& nuſquam circa meatus detinentur : iis quidem qui ex ardore aut ira febriunt,quæ ſimul frigefaciũt ac humectant:frigefactis verò,minus alentia & moderatè calfacientia.Iis autem qui vigilarunt,aut triſtes fuerũt aut curis vexati, humidus & ſomnificus cibus congruus eſt.fatigatis autem,plurimus & maximè nutriens. At in quibus intẽperatura corporis calidior ac ſiccior facta eſt, eos oportet aliquãdo circa primũ exacerbationis impetũ nutrire. Vinum autem dandum eſt omnibus qui ex diaria febre laborant,aquoſum,tenue ac album,quod & concoctionem adiuuat& vrinas ac ſudores propellit. Iis verò qui vigilarunt aut triſtes fuerunt,aut curis vexati , magis intrepidè vinum datur.ſed & fatigatis nimium,dandum eſt quantum ſuperare poſſunt.Iratis autem,priuſquam ab affectu omnino liberati fuerint , minimè tutum eſt vinum dare.

De febrientibus ex inguinum inflammatione, Cap. LXVII.

SI quidem citra laceſſentem externam cauſam, inguinis glandularum inflãmatio fiat, multitudinẽ ſanguinis plerunque in vniuerſo corpore indicat . nam & calor in his amplior eſt quàm in prædictis,& facies rubicunda ac tumida apparet. Oportet igitur celerrimè venam ſecare priuſquam materia in inflammato putreſcat , ac febrẽ putridã accẽdat:poſt venæ ſectionẽ vtẽdum eſt tenui diæta,vſque ad perfectam liberationem . At inflammato inguini ante venæ ſectionem adſtringentia ac repellentia imponenda ſunt:poſt venam ſectam,laxantia ac moderatè diſcutientia. Cæterùm quibus propter offenſionem digitorum pedis,aut aliud quid tale, inguinis inflammatio facta eſt,& ea de cauſa febris diaria conſequuta , tales ne interrogant quidem medicum quid facere oporteat , ſed vlceri ex quo inguinis inflammatio facta eſt proſpicientes,lauantur circa exacerbationis declinationem. Prohibendum autem vinum omnibus ex inguinis inflammatione febrientibus, donec inflammatio fuerit ſoluta . & victus ratio tenuior ipſis conſtituenda eſt.

De diariis febribus ex cruditate obortis, Cap. LXVIII.

IN corporibus ex malis humoribus vitiatis cruditates orientes citiſſimè febrem accendunt . minus autem fit malum ſi ob cruditatem aluus infrà erumpat:nũ paruum autem malum eſt ſi fuerit ſuppreſſa . Febriunt autem aliqui etiam in quibus profluuium vẽtris ob cruditatem fit. Si quidem igitur ſola corrupta euacuata eſſe apparuerint, lauandi ſunt ac nutriendi in febris declinatione : ſi verò plus iuſto euacuatio fiat,melius eſt nutrire citra balneum proſpiciendo ventri ipſi. Cura verò vẽtris dupliciter fiat: Si enim non amplius feratur ipſa aluus, abſinthium modicum aqua macerans coquito cum oleo in duplici vaſculo,& ex hoc locos circa ventrem humectato : deinde hapſum lanæ purpureæ oleo imbutum ventri imponito: Si verò debilius eſt os ventris,maſtichen cum vnguento nardino ad ſtrigmentitiam craſſitudinem redige, & purpuram ex eo imbutam impone. Sint autem ea quæ imponuntur , ad tactum calida. tepida enim robur ventris exoluunt. At ſi adhuc feratur aluus,melius eſt optimo melino vti pro nardino,cum modico vino.commodum eſt ad hæc & maſtichinum.Si verò etiam vẽter exuratur poſt euacuationem,melino ſimiliter vtaris,aut cerato ex ipſo parato. Nutriendi porrò ſunt adhuc fluente aluo ex polẽta & panibus qui oxylipes vocantur, *ex eo quòd pauciſſimum acetum habeant* . Inſpergenda eſt autem polenta ſucco malorum punicorum,aut pirorum,aut malorum,præſertim cotoneorum:vel in ipſorum decoctum,aut myrtorũ.Si verò fluxus ceſſarit,alica detur, & gallorum teſtes,& piſces petroſi in iure albo parati,& fructus adſtringentes. Si verò inappetentes fuerint,vt auerſentur cibos, ex con-

coctorio medicamento ex malorum cotoneorum ſucco ac melle compoſito, cochlearium vnum aut duo danda ſunt. Si autem non affuerit id quod ex ſucco compoſitum eſt, detur id quod ex carnibus cotoneorum paratur, cui nihil omnino piperis additum eſt, aut valde exiguum quiddam. Si vero ſupprimatur aluus in iis qui ob cruditatem ex diaria febri febricitant, ſi quidem cibi adhuc in ventre continentur, plurima tepida pota, digitis aut pennis immiſſis, per vomitum iubebimus id quod moleſtũ eſt reiicere: deinde præcordia fouere & quietem agere. Si verò cibi iam deſcenderunt ad inteſtina, reclinatis ipſis ita vt partes circa caput & ſtomachum ſurſum vergentes habeant, foueatur venter, & ſomnus cõcilietur. Poſt ſomnũ autem glandula ſubdatur, ad ſuperfluitates quæ deſcenderũt educẽdas: aut per mitiorẽ clyſterẽ (quale eſt furfurũ decoctum) euacuatio fiat. diæta ſit tenuiſſima, quæ plurimã exterſoriam vim in ſe habeat. Quòd ſi inflatio acceſſerit, incoquere oportet in oleo cuminum ac rutam, & infundere per ſedem. Euacuata verò aluo, ſtatim nutriantur: ſi verò etiam citra moleſtiã dormierint, poſtridie lauẽtur, adhibentes ventri vnguentum nardinum cum modico vino, & poſt balneum ſimiliter tenui victu vtantur: ſi verò etiam tertia dies febrem aliquam induxerit, neque ſic timendum eſt: ſed ſimiliter lauandum, ac moderatè nutriendum. Dare autem oportet talibus ante cibũ aliquod concoctorium, oxyporium *à cita penetratione appellatum* medicamentum, & præſertim quod ex cotoneis malis fit, cochlearii menſura.

Curatio diariarum, febriũ multarum dierum, quarũ aliquæ ex mutatione diariarum generantur ob cutis obturationem,

Cap. LXIX.

QVædam febres propter obturationem vaſorum circa cutem fiunt, ex diariarum mutatione, quum non probè curatæ fuerint ſtatim ab initio. Cõtingit hoc maximè in corporibꝰ vitioſis humoribus præditis, quũ multùm fuerint voraces. Nam in talibus circa primam ac ſecundam diẽ aliquantiſper non eſt in pulſu, putredinis ſignum: ſicut neque in vrinis, cruditatis. dum enim prolongatur quidem declinatio, & nõ amplius iuxta proportionem remittit, ſuſpecta eſt affectio. ſi enim non tranſpirauerint perfectè, neceſſe eſt putrefactos eſſe vitioſos humores. Si quidem igitur puer aut ſenex fuerit ægrotus, venã ſecare nõ expedit: in mediis autem ætatibus, robore præſente ægroto, vena ſecetur, ſi ſanè etiã plenitudinis ſigna affuerint in corpore. Detrahendum eſt autem pro viribꝰ & obturationis magnitudine. maior enim febris ob vehementiores obturationes incidit: minor autem ob minores. Euacuata verò multitudine, & rarefactis meatibus, fumoſæ ac fuliginoſæ ſuperfluitates tranſpirantes pauciores fieri poterunt. Periculoſum enim eſt aperire potẽtibus obſtructiones vti ante euacuationẽ. Quæ enim vim exterſoriã habent, exhibita dum exhalant, ſimul attrahũt quid ex craſſis ac viſcoſis humoribus in vaſis, & duplicant in anguſtis meatibus obturationes: ſi verò etiam extrinſecus cuti admoueantur exterſoria, periculũ eſt ne attrahant etiam aliud quid ad meatus obſtructos. Quò igitur ſecurè & intrinſecis exhalatio & extrinſecis attractio contingat, vtiliſſimum eſt euacuare pro viribus corpus: poſt euacuationem verò non longa facta dilatione, aliqua exterſoria edulia aut pharmaca dare: eduliorum quidem loco ptiſanam & aquam mulſam, pro pharmacis autem, acetũ mulſum ex ſolo aceto ac melle paratum. Quæ enim in aceto mulſo coquuntur aliâs, velut calamintha, & ſimilia calida, febres accendunt: velut etiam vinum. At poſt tertiam diem, neque putredinis humorũ ſigno in pulſibus præſente, neque in vrinis cruditatis, & vbi hora ſuſpecta in qua febris acceſſit in prima die, tranſiit, confidenter iam hominem lauare oportet: ſi verò etiam circa decimã horam ſuſpectus tibi fuerit paroxyſmus *ſiue exacerbatio*, lauare oportet ante horam ſextam. In balneo verò corpore præcalefacto illinire oportet dulci tepido, & moderatius confricare, poſtea depurgare & abluere forinſecus corpus. Eligenda ad hoc quædam moderatè extergentia, qualis eſt ordeacea farina & fabacea: deinde immittẽda in ſolium calidæ temperatæ, deinde etiam in frigidam. Si verò circa decimam horam (vt ita demus) turbatio quædam ſuſpecta ſit, nihil exhibendum eſt præter aquam cui incocta eſt hyſſopus, & parum apii: deinde ſi nihil mali intulerit hora, nutriantur. Si verò etiam quid attulerit, omnino moderatum apparebit: quare & lauare poteris poſtridie ac nutrire. At vbi magna facta eſt obturatio, neceſſariò putrefactio contingit: vnde curatio in putredinoſa febre referenda, etiam his congrua eſt.

De febribus *id eſt continentibus* ſynochis,

Cap. LXX.

COntinens febris nominatur cuius ab initio vſque ad finem vna eſt exacerbatio, nullam alterius exacerbationis principii ſignificationem faciens. Corporibus bono habitu præditis, & multo ſanguine refertis, & ætati calidæ peculiaris eſt continens febris. conflatur enim ob calidi ſanguinis copiam nondum putrefacti, &, eo quòd non tranſpirat, feruore ſolùm caliditatem excitantis: quẽadmodum nouum vinum ſolet in doliis. Tempus autem taliũ febriũ maximè vernũ eſt. Sunt autem differẽtiæ febris continentis tres. nam aut æqualis permanet magnitudo ab initio vſque ad ſolutionem, aut additamentum facit, aut detractionem. hoc autem contingit prout maiores aut minores fiũt trãſpirationes, ex eo quòd dẽſior aut rarior eſt habitus corporis affecti. Eſt autem multa copia quæ in talibus affligit, & feruorem ſanguinis ebulliẽtem conſequenter febris accendit: aliquando verò etiam craſſitudo. Scopus igitur curationis in ipſis eſt euacuare copiam, & extinguere calorem præternaturalem, & craſſitudinem ſecare: ſi quidem affuerit. deinde veterem bonã temperaturam debilitatis partibus reparare.

De venæ ſectione, Cap. LXXI.

SI validæ ſunt vires, & ætas permittit, & nihil aliud fortiter reſiſtit, ſanguinis tantum auferre oportet quantũ vires tolerant. præſtat autem, ſi vires adſunt, vſque ad animi deliquium ducere. Quibus verò nõ ſic vena ſecta eſt, hi ad extremum periculum deueniunt, vt aut ſuffocentur aut animo linquantur: niſi virium robur, aut larga ſanguinis eruptio, aut multus ſudor ex manifeſta pernicie ipſos eripiat. Nã multitudo in his non amplius à venis contineri potens obturat ac diſtendit corporis molem, & propterea ipſum aliquando dirumpit, & vaſa maximè in naribus aperit. Ea gratia feſtinare oportet ad ſanguinis detractionem quantum vires ferunt, quò vaſorum natura ex tranſpiratione ac ventilatione naturale tẽperamentũ cõſeruans, iuxta morẽ ab initio humoribꝰ dominetur. verùm animaduertendum eſt & ad ipſius venæ ſectionis ſcopos. Præcedente enim ciborum cruditate, eouſque venæ ſectionem differre conuenit, donec tibi ſatis eſſe videbitur concoctio ipſorum in ventre peracta, itémque ſeceſſus ſuperfluitatum in inteſtinis: ſi verò ſuſpectum habes poſt venæ ſectionem, aliam fore ſanguinis euacuationẽ, velut muliebrem purgationem, aut hæmorrhoidum in ſede fluxum, relinquere oportet in venæ ſectione tantum ſanguinis quantum per alios locos euacuandum putas. Quare ſiue menſes fuerint moti ſiue hæmorrhois aperta, totum negotium naturæ permittito: ſi verò non tantum quantum oportebat euacuatum fuerit, tunc venam ſecato, quò ex vtriſque compoſitis perficiatur quod conuenit. Aptus eſt ad venæ ſectionem habitus corporis durus, multi ſanguinis, denſus, & ægrè tranſpirans, ſtatus aeris humidior. Reſiſtit venæ ſectioni puerilis ac ſenilis ætas, temperamentum calidum ac ſiccum valde, & tempus ac regio conſimilis, & qui natura humidiores ſunt, & præſertim cum caliditate: & qui raro habitu præditi ſunt. Inſuper quibus os ventris aut amara bile valde vexatur, aut debile eſt, aut vltra iuſtũ ſubtili ſenſu præditũ. hi enim omnes facilè tranſpirant, & in venæ ſectione animi deliquiis corripiuntur, ex quibus ægrè reuocari poſſunt. Similiter autem etiamſi triginta annorum fuerit is cui vena ſecanda eſt, verùm humidus & mollis & pinguis ac albus corpore, & paruas venas habuerit, huic aut omnino non venam ſecabis, aut parum detrahes: omnino quidem nõ, æſtatis tempore & in reliquis eiuſdem ordinis: parum verò, aliis temporibus ac reliquis conſtitutionibus. Proinde

aliqui in animi deliquium collapſi in ipſis medicorũ manibus,non ſunt reuocati. quare ſiquis euacuaſſet citra virium diſſolutionem,nõ periiſſent: Aliqui verò per omnẽ deinceps vitam totũ corporis temperamentum frigidi⁹ habuerũt,propter immodicam euacuationem, vt qui in malo corpore ac habitu vitam degerint.Quidam verò ex hoc ipſo pernicioſis morbis correpti ſunt, ab aqua inter cutem,& erectæ ceruicis ſpiratione,hepatiſque ac ventris debilitate,& ſemiſideratione. Optimum igitur eſt,quem admodum nos ſemper facere vidiſti, non dierum numero animum aduertere,neque ſoli multitudini, ſed viriũ robori: in omnibus quidem, verùm maximè in continentibus febribus. ſi enim vires conſeruentur, nõ ſolùm ſexta ac ſeptima,ſed etiam ſequentibus diebus venam ſecabis.

De frigidæ aquæ exhibitione, Cap. LXXII.

SI aliquando coactus fueris curare ægrotum qui non ſolùm antea venæ ſecandæ auxilium omiſit,ſed etiam nunc aut propter timiditatem ægroti, aut cognatorum, ſanguinem detrahere prohibearis, ad frigidæ exhibitionem deueniendum eſt,exacta præſcriptione facta, quãtũ ex ipſa fieri poſſit detrimentum.Nam ſi hoc paruum vel omnino nullum futurum eſt, danda eſt in potu frigida ſincera quantum æger eius voluerit. Tunc autem danda eſt frigida quum in vrinis videris concoctionis ſigna.neque autem in principio,neque in augmento dãda eſt frigida,ſed in ipſo vigore totius morbi ac particularis exacerbationis.Opportuno enim tempore data frigida corroborat ſolidarum partium naturam. Corroborata verò natura præattenuatos humores aggreditur,vt bonos quidem detineat,inutiles verò eiiciat,aut per ventrem, aut per vomitus,aut ſudores. Si verò,frigidæ potor fuerit æger tẽpore ſanitatis, valde cõfidẽter frigidã dato,ipſa experientia doctus omnia viſcera frigidæ familiaritatẽ ſuſtinere.Si enim omnino aliqua pars adeo frigida eſſet vt ab ipſa læderetur, ſanitatis vtique tempore euidens detrimentum oſtendiſſet: quum autem nulla pars in ſanitate læſa ſit,ne in febre quidem lædi poterit, quum maximum propugnaculum habeat in profundo ardentis caloris multitudinem. Quapropter iis qui modicum ſanguinem &minimum carnis habent,frigidæ potus periculoſior eſt. citò enim ad ſolidas animalis partes penetrat carnibus nudatas. Quapropter etiam habituales febres neque ſincera neque multa frigida opus habent: tenuia enim ſunt in ipſis ac modici ſanguinis corpora. Vnde quũ magni detrimenti timor immineat in ineptis, à frigidæ exhibitione abſtinere oportet,&vti aliis auxiliis,quæ obturationes reſerant,& multitudinem euacuant, & feruorem febris mitigant. At verò detrimenta ex intempeſtiuo frigidæ potu orientia hæc ſunt:viſcoſos ac craſſos humores attenuari ac trãſpirare frigida impedit. Quare ſiue inflammatio fuerit in aliquo viſcere,ſiue ignis ſacer, ſiue indurata,ſiue mollis ac laxa affectio, frigidæ potus ad huius ſanationem nihil confert: ſed eueſtigio quidem non modicam affert lenitatem, eo quòd febrem iam factam extinguit: manente autem intus cauſa,quum ex frigida denſatum fuerit corpus, aliam febrem accendit priore grauiorem.Atque hæc quidem detrimenti ſpecies contemni poterat:verùm plerique debilia habentes viſcera, citius ac facilius à frigidæ exhibitione læduntur.Quibuſdam enim ſtomachus ſiue gula adeo fortiter affectus eſt, vt perdiderit actionem,& vix potuerit deglutire: aliis vẽter læſus eſt, vt vix concoquere potuerit:aliis hepar, vt ex hoc in aquam inter cutem inciderint: aliis colum, aut pulmo,aut renes & veſica:aut aliud quid à frigida læſum, debile ad propriam actionẽ factũ eſt. Quidam ipſorum ſtatim erectæ ceruicis ſpiratione, aut alto ſopore, aut lethargo,aut aurium abſceſſu,aut conuulſionibus, aut tremoribus,aut ſiderationibus corripiũtur. Et,vt in ſumma dicam,omne neruorum genus &caput ipſis affligitur.Noui quòd formidinẽ tibi induxerim per ea quæ retuli,ad frigidæ exhibitionem: verùm vidiſti me ſæpe ipſa opportunè vſum eſſe,& in quibus dare oportet,& ſemper vtilitatem aſſequutum eſſe citra ægri læſionem.

Diæta in febribus continentibus, Cap. LXXIII.

QVibus vena ſecta eſt,his ego poſt duas venæ ſectæ horas ſemper do modicum ptiſanæ ſuccũ, & iubeo quieſcere.Et poſtquã ex ſomnis ſurrexerint, rurſus ſimiliter ptiſanæ ſuccũ exhibeo,& hoc perſeuero vſq; ad tertiã diem: quarta ferè ſemper in balneum duco. Tales enim opportunè vena ſecta viribus robuſtis, & ad animi deliquium euacuati,neceſſariò ſequitur non longè poſtea vẽtris ſeceſſus, attenuatis videlicet humoribus, & leuatis ac corroboratis viribus:aliquando verò etiam bilis vomitus. Ad quæ ſtatim etiam humiditates per totum corpus aut ſudores ſuccedunt.quare confidenter hos lauato quarta die.At verò tempus exhibendi cibi in febribus continentibus,tum iis quæ iam relatæ ſunt, tum iis quæ poſtea referentur:quæ ſanè vnã ſolùm ab initio vſq; ad finẽ exacerbationẽ habẽt(eſt bona ægri tolerãtia & conſuetudo. tũc enim ipſis cibi dandi ſunt)quãdo tolerãtiſſimi ſibiipſis eſſe videntur:& illo præſertim tempore diei in quo etiam prius morem accipiendi cibi habuerunt. maximè enim toleranter pertulerint cibos iſto tempore acceptos. Robuſtis igitur viribus,& dum vigor morbi breui expectatur,tenuiſſimo victu vti licet: vbi verò vires ægræ ſunt,non licet tenui victu vti citra magnum detrimentum.quare alimentis tantum apponendum eſt quantum roboris viribus detractum eſt.

Vniuerſalis doctrina de febribus putredinoſis, Cap. LXXIIII.

TRanſpirationis anguſtia ac impedimentum meatuum obſcurorum totius corporis obturationem facit,per quos fumoſæ & fuliginoſæ ſuperfluitates quotidie tranſpirant. At obturationis affectio quum parua fuerit & probè tractata,diariam febrem effecit: Quum autẽ ſiue propter magnitudinem, ſiue imperitiam medicorũ conſuetum diariarum tempus exceſſerit,aut continentem aut aliam quandam, ob humorum putrefactionem, accendit febrem.At verò tranſpiratio multiformiter impeditur,& dum denſantur meatus propter ſiccitatem aut adſtrictionem cutis,& dum obturantur propter multitudinem & craſſitudinem ac viſcoſitatem humorum. Dũ itaque quotidie fumoſarum ac fuliginoſarum ſuperfluitatum tranſpiratio impeditur,naturalis in nobis calor affligitur.Alius verò præter naturam corporibus accedens, primùm humores propter humiditatem putrefacit ac corrumpit: progreſſu verò tẽporis etiam pinguedinẽ ac carnẽ & ipſa ſolida corpora inuadit. Eſt autẽ putrefactio, eſſentiæ putreſcentis corporis ad corruptionẽ tranſmutatio à calore præter naturã fiẽs.Putreſcentes igitur humores,aut intra vaſa arctati,continuas & nunquam intermittentes vſque ad perfectam morbi ſolutionem febres efficiunt:aut per totum corpus delati & extra vaſa elapſi, quandam febrem per circuitum accedentem & interualla habentem accendunt,velut tertianam,quartanam,quotidianam,aut aliam conſimilem. Cauſa verò cur non excidant extra vaſa humores in febribus continuis, eſt aut multitudo,aut craſſitudo,aut viſcoſitas ipſorum. Quemadmodum igitur dum inanimata corpora putreſcunt, primùm abiicimus ex ipſis quæ iam putruerunt, deinde reliquum in aere frigido ſuſpendimus, & perſpirationes perfrigerantes molimur:eodem modo ſanabimus in humanis corporibus putrefactionem,quod quidẽ iam corruptum eſt,omni modo euacuantes,reliquum verò geſtationibus moderatis & tranſpirationibus perfrigerãtibus ad exactam ac naturalem proportionem reducentes. Proinde vbi prius de non intermittentibus febribus tractauerimus,mentionem faciemus deinceps & reliquarum.

De febribus putridis, Cap. LXXV.

QVVM in omnibus vaſis,& præſertim maximis,circa alas ac inguina,ac conſimilibus, ſanguis calidior æqualiter redundans putruerit, febrem putridam continentem efficit.Plerunque verò in corporibus multi ſanguinis ac carnoſis & denſo habitu præditis,& ſuperfluitatibus calidis refertis hæc generatur. Proinde his iam febrientibus pulſus maximus & æqualis ac vehemens eſt, & qui compagem arteriæ neque duriorem neque molliorem habet.Ad tantam verò velocitatem ac denſitatem

venit,ad quantam magnitudinem ipſa febris venit. Atque hæc quidem ambabus communia ſunt, huic videlicet,& prædictæ continenti citra putrefactionem febri. verùm huic præcipua putrefactionis ſigna in vrinis, & pulſibus, & caloris ſpecie adſunt. Curatio verò harum febrium, in vtroque genere communicat, tum in eo quòd cum putrefactione,tum eo quòd ſine hac eſt:at eſſentia quidem & vniuerſa ipſarum natura ex genere putridarum eſt. Verùm quatenus vna eſt tota ipſarum exacerbatio,ab initio vſque ad totius morbi ſolutionem,eatenus communicat cum continenti abſque putrefactione. Oportet itaque etiam curationem ipſis in hoc ſolùm cum illis continentibus communem eſſe:per alia verò omnia bifariam ſecari, ita vt quoſdam medendi ſcopos ex genere putridarum accipiamus,quoſdam verò ex propria ipſarum eſſentia.ſanguis enim eſt qui in hac febre putrefactionem ſuſcepit. Sic verò etiam alias differentias putrefactorum humorum ſanare conuenit, iudicationem partim à putrefactione ſumẽdo,partim à propria vniuſcuiuſque differentia,velut pituita,aut vtraque bile.Quandoquidem igitur putridarum febrium ſeptem ſubiecta ſunt præter naturam ,à quibus iudicationes ſumuntur,nẽpe copia humorum,& craſſitudo,& viſcoſitas,& obturatio, & tranſpirantium ſuppreſſio,& putrefactio,& febris nõ habens interuallum: Vnamquanque ſanè ex relatis affectionem ſanare oportet per contraria, copiam per euacuationem,craſſitudinem per ſecantia, viſcoſitatem per extergentia,obturationem aperientibus tranſpirantium ſuppreſſionem: ſi quidem propter conſtrictionem cutis facta eſt,per diffundentia: ſi verò propter denſitatem,per rarefacientia. Deinde putrefactionem, extergentibus & alterantibus ac tranſmutantibus.febrem autem,per frigefacientia.Quum igitur vires fuerint fortes, vena & iis ſecanda eſt, niſi cruditas ventris aut alterius cuiuſdam partis prohibeat,velut antea dictum eſt. nam ex iis quæ de illis diximus,conſiderare oportet conuenientia etiã de his. Quandoquidem verò neque obturatio neque putrefactio curari poteſt per ſolam venæ ſectionem, quum aliis auxilis opus habeant, reſeruare aliquid ſanguinis oportet ad curationis tempus, vt ne neceſſitas aliqua ingruat ob inopiam intempeſtiuè nutriendi. Quantum enim ad talem febrem attinet,omnino non nutrire oportet: quantum verò ad ſanguiuis euacuationem,nutrire opus erit. Quare ex duobus alterum neceſſariũ,erit vt aut nutrientes,febrem augeamus :aut non nutrientes , vires diſſoluamus. Melius igitur, velut dictum eſt, relinquere ſanguinis proprium alimentum animalis partibus: & ipſum contentum eſſe modicis ſorbitionum exhibitionibus,velut ſunt ptiſana & aqua mulſa, quibus vt medicamentis magis quàm alimentis opus habemus. Si verò ob aliquam cauſam relictum fuerit venæ ſectionis auxilium,homini per tenuem victum connutrito, quum iam concocti fuerint humores,&craſſitudo ipſorum fuerit præattenuata,febre in vigore exiſtẽte, dabimus frigidã aquam,velut in ſuperioribus continentibus febribus,niſi quid ex illic relatis prohibeat, exhibitionem. Quòd ſi verò etiam frigidæ potionis auxilium fuerit relictum,aliis auxiliis vtendum eſt, quæ obturationes aperiunt & multitudinem euacuant, & feruorem mitigant, velut antea dictũ eſt,& deinceps conſequenter referetur.

Communis diæta omnium febrium putridarum, Cap. LXXVI.

IN omnibus putridis febribus in communi putrefactos humores expurgare oportet, per vrinam & ventrem ac ſudores. hoc enim commune eſt omni putredini.Si verò aliquando ſua ſponte ad os ventris impetum fecerint,per vomitus euacuentur. Alioqui non oportet ægrè vomentes præter naturam irritare, vt ne vires oris ventris exoluantur, quibus maximè in morbis opus habemus. Eligenda verò ſunt quæ citra calefactionem ac reſiccationem prædictas euacuationes perficere poſſunt :velut eſt ptiſanæ ſuccus,& aqua mulſa, acetum mulſum ſimpliciſſimum, & apomeli,*id eſt fauorum mellis elutorum cremor*, & radicis apii decoctum . Aqua itaque mulſa ad ſecandos craſſos humores, & detergẽdos viſcoſos, &

A promouendas excretiones,optima fuerit, in febribus ex coarctatione ac putrefactione obortis,& præſertim continentibus putridis: attamen febrilem calorem auget. Quare ſi immodica fuerit caliditas,ab aqua mulſa abſtinendum eſt,& vtendum ptiſanæ ſucco.Si verò obturationes ægrè ſolubiles eſſe iudicauerimus, acetum mulſum dandum eſt: quanquam & hoc ſiquis immodicè vtatur, inteſtina radit,& tuſsim mouet, & neruoſas partes lædit, vt difficile ſit reperire tale auxilium quod nihil lædens multùm proſit.atque hoc contingit propter complexũ B affectionum præter naturam in corpore. Quapropter iis qui facilè à quacunque re exhibita læduntur, melius eſt vt ptiſanæ ſucco vtantur, donec validius alimentum accipere poſsint. At ſi aluus non egerat, aqua mulſa cum ſolo oleo infuſa eluatur. totum verò corpus forinſecus ante euacuationem diſcuſſoriis difflare non oportet: poſt euacuationem verò diſcuſſoriis vti licet. Pharmacis autem vtendum eſt tepidam caliditatem habentibus, velut eſt oleum chamæmelinum. & in hoc tempore, inter diſcutiendum inquam,etiam vinum aquoſum po- C tum omnes excretiones mouet. Concoctione verò manifeſta in vrinis apparente, etiam lauare licet dulcis & potabilis aquæ balneo.

De febribus continuis, Cap. LXXVII.

FEbres cõtinuæ eiuſdẽ generis ſunt cũ intermittentibus ſiue interpolatis. Eiuſdem autẽ generis dico cum tertiana exquiſita cauſon , *id eſt febrem ardentem*, exquiſitam,& cum quotidiana eam quæ quotidie exacerbatur, & tamen non intermittit. nam & febris ardens omnes alias exquiſitæ tertianæ notas ſeruat, & in hoc ſolũ ab illa D differt,quòd cũ rigore nõ irruit neq; intermittit. Et quæ quotidie exacerbatur, ſimiliter omnes notas habet cum quotidiana:in eo verò quòd nõ intermittit,eiuſdẽ cũ illa generis eſt. Eodẽ modo etiã quæ per quartanã exacerbatur,nõ autẽ intermittit,eiuſdem generis eſt cũ quartanis. Et manifeſtũ eſt quòd neque rigor exacerbationes præcedit,neq; ſudor cõſequitur in hac febre, quẽadmodũ neq; in febre ardẽte rigor ſuperueniens ſoluit ægritudinem. Differt autẽ febris ardens à continente putrida, eo quòd E hæc ex ſanguine putrefacto cõflatur,& à principio vſque in finẽ vnam habet exacerbationẽ. Febris autẽ ardens ex flaua bile putreſcẽte incẽditur,& alternis dieb⁹ exacerbatur,& quãdã habet febris imminutionẽ ac velut remiſsionẽ.Cõtinẽs verò putrida,ſimilis manet vſq; ad ſolutionẽ.

Cura febris ardentis,Philumeni, Cap. LXXVIII.

ESt igitur febris ex flaua bile putrefacta incenſa, continua ardentiſsima,& neque medicis neque ægris bonum ordinem exhibet. lingua enim in iis arida eſt & nigra ac aſpera.Morſus item ventris,ac ſitis intolerabilis, F & vigiliæ:aliquando etiam delirium. Primùm itaque leniter ac blandè hanc febrem aggredi oportet. Vbi verò concoctionis ſigna apparuerint in vrinis, & morbus iam viguerit,acrius inſtare,& ad frigidæ potum accedere:niſi & hîc aliquid prohibeat ex iis quæ de continentibus febribus relata ſunt. Prima verò auxilia in febre ardenti ſunt decubitus in locis frigidis, qui ad purum aerem patent ac perflantur: ſtratum molle & ſæpius renouatum: amicula aſsiduè permutata, & ſatis gracilia & non ſordida.Lectus ſit abundè amplus, quò poſsint membra cale- G facta ſubinde ad alias atque alias eius partes tranſferri. & per flabellum aer ignauior cõcitetur . Epithemata conueniunt pectori ac ſtomacho impoſita:palmulæ cum vino & roſaceo,aut melino tritæ.Sunt & frigefacientia cõmoda:velut ſunt pampini vitis triti, ſeris, polygonum, plantago,ramenta cucurbitæ,lactuca, rumex acutus . Singulis autem admiſceantur micæ panis præmadefactæ, aut polentæ.Oportet tamen aſsiduos horum vſus deuitare. At verò panniculi linei complicati moderatè graciles, aqua & oleo calido imbuti, & pectori ac ſtomacho impoſiti, H ardentem febrem mirificè mitigãt.Sed & aqua & oleum calidum , aut aqua & oleum roſaceum , ex alto in pectus delata per lanæ manipulum, vehemẽtiam ardoris facilè obtundunt. Oportet autem abundè calida eſſe aquam & oleum,aut aquam & roſaceum.tepida enim partium firmitatem exoluunt. Si verò parũ nitri iis admixtũ fuerit,

ſudores excludere poterint. In ardentiſſimis autem fe-
bribus etiã aceti parum admiſcendũ eſt.nã & hoc quod
debet,facit. Cibi porrò offerendi ſunt humidiſſimi,& ni
hil acre habentes, velut ſunt lactucæ,caules cum poſca
aquoſa feruefacti, & cucurbitæ ſimiliter cum poſca.
Sed & ptiſanæ ſuccus tenuior dandus eſt abſque ſale,aut
alio additamento. Et aliquando poſt cibum aquam frigi
dam cochlearii vnius aut duorum menſura abſorbeant:
aut ſit potius ipſorum potus in totum lactei teporis.
ſed & aqua frigida fracta colluẽda ac gargariſſanda præ-
beatur. Et roſarum ſucci cochlearium abſorptum ſtoma
chum refrigerat. quin & alia animi oblectamenta pro-
curentur. Folia vitis viridia, item myrti ac roſarum per
pauimentum ſpargantur,& aqua frigida frequenter irro-
retur. & aquæ ſalientes in vicinia ſonum edant. Tem-
pus autem frigefacientium epithematum ac ſimilium,
eſt vigor exacerbationis. Nam in principiis ac augmen
tis exacerbationum, dum adhuc inæqualiter affectum
eſt,& caliditas circa viſcera reſidet, ſi hæc adhibeantur,
diffundunt quidem ſenſum, verùm repellentia calidita-
tẽ in profundũ, maius detrimentũ inducũt, incluſo in-
tus feruido calore, & rurſus febrem ardentiorem effici-
ente. At in vigore exacerbationum, expaſſa caliditate
per totum corpus, facilè extingui poterit ea quæ ad-
huc reliqua eſt circa viſcera. nam & melius ſpirantes, &
minus ſiticuloſi fiunt, his in tempore adhibitis: & ipſo-
rum roſcido vapore excluſo, ad ſomnum conuertuntur.
Cæterùm inſtante iam vigore totius morbi,& nullo pro-
hibente ex iis quæ in continenti febre relata ſunt, tem-
pus iã eſt frigidæ exhibẽdæ. In quibus igitur cõfidimus
nullũ ex viſceribus, neque caput (velut dictum eſt) læſio-
nem incurſurum, ſinceram ſanè frigidam exhibemus:
in quibus verò metus eſt, atque is vel minimus impe-
dimento eſt, pro prima vice fractum exhibebimus po-
tum ſiue frigidam. Frangitur autem, ſiquis temperatæ
aquæ calidæ cyathum vnum ad quinque frigidæ puræ
ſinceræ admiſcuerit. atque talis potio ſuſpectis corpori-
bus exhibetur. Quidam verò olei roſacei cyathum fri-
gidæ exhibẽdæ affundũt:& ſic exhibẽt. ipſum enim ro-
ſaceũ nõ valde frigefacit,& oleoſitas eius corporibus in-
tus oblita nõ permittit ipſa à frigida aqua lædi: & ſimul
firmitatẽ quandam exhibet ventri roſaceum, & lubrici-
tatem, propter oleoſitatem. quidam pro roſaceo meli-
num exhibent. Galeni. Porrò balneum illis ſolùm
conuenit in ardenti febri, qui citra tumorem aliquem
inflammatum, aut eryſipelatum ægrotant, vbi conco-
ctionis ſigna apparuerint in vrinis. Quòd ſiquis iuuenis
ſit carnoſus, tempore æſtatis, & conſtitutione calida ac
ſicca, febre in vigore exiſtente, & concoctione in vrinis
apparente, citra viſceris alicuius inflammationem, & in
lauacrum frigidæ natatorium ſeipſum iniiciat atque na-
tet, ſudores vtique commouerit: ſi verò etiam ad frigidæ
balneum aſſuetus fuerit, valde confidenter hoc auxilio
vtatur. quibuſdam enim ſtatim venter billioſa egeſſit. At
ſi moderata eſt febris,& vires robuſtæ, vnà cum conco-
ctionis ſignis proſunt ipſis balnea dulcium ac tempera-
tarum aquarum,& ex vnguentis chamæmelinum: præ-
ſertim ſi aer ambiens frigidus fuerit. Nam ſi aliquando
contigerit vt frigido exiſtente ambiente æger fortiter
à febre exuratur, modicam ſalutis ſpem de ipſo habere
oportet: ſi verò neque concoctionis ſigna affuerint in ta-
li aeris ſtatu, neque vires fortes habere apparuerit, talem
ſeruari impoſſibile eſt. quare neque lauabis ipſum, ne-
que inunges rarefacientibus medicamentis: neque vi-
num dabis neque frigidam. In quibus enim deſperata
eſt ſalus, vanum eſt auxilia multos ſeruantia imperitorum
calumniæ exponere. Proinde ego ſanè medicos quoſdã
noui methodi ignaros, qui imitati ſunt ea quæ à nobis
fieri ſolent,& vſi ſunt his auxiliis in iis qui penitus mor-
tui fuerunt, & neque quicquam profeciſſe, & opportu-
num ipſorum vſum ſuſpectum ac horrẽdum feciſſe. At
nos & temporum occaſiones & auxilia deſcribimus, in
iis qui ſeruari poſſunt. nam qui incurabiles ſunt ægri, iis
neque occaſio neque auxilia commodant.

Tertianæ exquiſitæ dignotio, Cap. LXXIX.

A Febris tertiana exquiſita in corporibus natura bilioſi-
oribus omnino cõſiſtit,& in ætate vigoris,& maximè
tempore æſtiuo,& in locis calidis ac ſiccis temperamen-
to,& in tali ambientis nos aeris ſtatu. Sed & vita in labo-
ribus,& curis, ac vigiliis, ardoribúſque,& pauco alimen-
to, eóque calido & ſicco: & immodicus calefacientium
ac ſiccantium potionum ac medicamentorum vſus, apta
ſunt ad febrem tertianam. Quum igitur gignatur tertia-
na ex flaua bile putrefacta, ac mota,& extra vaſa lata, ſta-
B tim à principio rigorem inſignem inducit, qui à quarta-
næ febris rigore in hoc differt, quòd in tertianis pungi
ac vulnerari corpus videatur. Nam in quartanis inuaſio
vehementem perfrigerationem haber, & magis in pro-
fundo: quotidianam verò neque rigor omnino præcedit,
ſed magis circumfrigeſiunt. Eſt etiam in tertianis febri-
bus ordo pulſuum exquiſitus, & æqualitas. excitatur au-
tem in progreſſibus exacerbationum pulſus ipſe ad ve-
hementiam ac magnitudinem & denſitatem. Sitim etiã
inducit tertiana, maximè in vigore, & hominem exurit
C vt ſe denudet & abiiciat veſtitum, & magnum ac dẽſum
ſpiritum ducat,& velut flammam quandam efflet, & fri-
gidam bibere expetat. & paulo pòſt calor æqualiter per
totum corpus extenditur. Quòd ſi etiam manum iniece-
ris corpori, iuxta primum contactum calor multus & a-
cris occurrit, qui velut cum vapore quodam affertur: vin
citur autem paulo pòſt à manu.& ſanè iam etiam bibere
tempus eſt ægro: atque vbi bibit, ſtatim multitudinem
calidi vaporis per cutem remittit prænuntiam ſudoris:
D & vomitus bilis apparet,& aliquando etiam vẽter egerit.
Vrinæ verò iis ſunt bilioſæ & ſubfuluæ ac ſubflauæ, &
moderatè craſſæ,& paulo pòſt aut nubeculam albam, aut
quiddam in medio dependens bonum efficiunt: at ſi ful
uiores fuerint vrinæ, & neque quid in medio pendens,
neque nubecula in primo circuitu apparuerit, ad ſeptẽ
circuitus extendetur morbus. Verùm exquiſita tertiana
quæ in prima die oſtendit in vrinis ſubſidentiam albam
ac læuem & æqualem, tertium circuitum non tranſgre-
dietur. Hæc febris in integram febris quietem deſinit
E poſt exacerbationem, vniuerſum exacerbationis tempus
duodecim horarum ad ſummum faciens,& non pluriũ.
atque hanc exquiſitam tertianam nominamus: quæ ve-
rò diuturniorem habuerit exacerbationem, eam appella-
mus extentam: ſi verò quotidie exacerbauerit cum rigo
re irruens vehementi, habuerit autem omnes prædictas
notas in pulſibus & vrinis & reliquo corpore, hanc du-
plam tertianam nominamus. Et hoc contingit propter
multitudinem & craſſitudinem & bilis inæqualitatem.

Tertianæ exquiſitæ curatio, Cap. LXXX.

F Tertianam igitur exquiſitam, velut à flaua bile com-
mota fientem, humectare ac frigefacere quantum e-
ius fieri poteſt conuenit. Et quæ quidem in ſupernum vẽ
trem confluunt euacuare per vomitus: quæ verò infernũ
ſubeunt, ſimiliter per infernam excretionem. Sed & vri-
nis ac ſudoribus via aperienda eſt.& venter quidem mol
libus infuſis euacuandus eſt: vrinæ autem propellendæ
ſunt apio & anetho in potionib[9] maceratis. Et ſi cõcocti-
onis ſigna apparuerint, cõfidenter iã etiã abſinthii comã
aqua mulſa maceratã ac excolatã dabis. Balnea verò ipſis
G cõueniũt, ex aqua calida potabili tẽperata, & neq; nitrũ
neq; aliud quiddã tale in balneis adhibere, ſed aquã & o-
leũ præcalfacto corpori circũfundere, & in calidæ ſoliũ
locare, ac hortari vt in ipſo morẽtur quantum eius fieri
poteſt. eos verò qui balneum amant etiamſi bis laueris,
non peccaueris. A vino verò abſtinendum eſt penitus,
priuſquam concoquatur morbus, vbi verò concoqui in-
cipit, tenue & aquoſum ac modicum, primùm dandum
eſt: prope ſolutionẽ verò, vberius. Cibi qui humectant &
frigefaciũt, omnes commodãt tertianis exquiſitis. quãti-
H tas verò in ipſis tãta ſit, quãtũ probè cõcoquere poſſũt. Et
ex oleribus quidẽ cõueniũt atriplex, blitũ, malua, lactuca,
& cucurbita. Ex reliquis autẽ ptiſanæ ſuccus, & ſorbitio-
nes ex alica,& piſces petroſi:& ex volucrib[9] quæ mollẽ car
nẽ habẽt. Ex aliis alas,& gallorũ teſtes,& ſuillos pedes, ac

cerebella,& paruorum porcellorum extremas partes da- A
re conuenit.Sorbendi ſunt etiam ouorum vitelli, & fru-
ctus guſtandi nó ægrè concoctiles. Abſtinendum verò
ab omnibus dulcibus & acribus,& ſalſis,nidoroſiſque ac
viroſis eduliis ac potibus:& à veteribus ac natura calidis
vinis.

Tertianæ ſpuriæ curatio, Cap. LXXXI.

IN non exquiſitis tertianis neque lauare ſtatim ab ini-
tio bonum eſt,ſed quando iam apparuerint ſigna con
coctionis: neque quotidie nutrire,ſed ſatis eſt alternis.
Quies autem & calfactio præcordiorum ipſis conducit,
& ſorbitiones concoctu faciliores:infuſa item inferni vē B
tris nō valde mollia. Et ſi ſanguinis detractione opus ha
buerint,neque hæc relinquatur , ſed ſtatim ab initio di-
ſtinctione facta,velut in ſermone De venæ ſectione dictū
eſt,moderatus ſanguis auferatur,quantum in præſens ſa-
tis eſt.Totus verò diætæ ſtatus non frigefaciens & hume
ctās ſit in totū,velut in tertianis exquiſitis , ſed etiā quid
de inciſorio ac calfactorio modo aſſumat: nimirum ve-
lut craſſiore bile ſubiecta,& nō valde calidiore.Maximè
verò contulerit ipſis ptiſanæ ſuccus iniecto pipere & hyſ-
ſopo aut origano. ſed & nardi ſpicā, cum aqua mulſa co- C
ctā bibēdā dato: & alia quoque quæ vrinā cient,præter-
quā extremè calfacientia ac ſiccātia.Maximè quoque ab-
ſinthii cremor aſſiduè dādus eſt poſt ſeptimā diē. Sed &
acetum mulſum multis profuit potū: & aliquod lene pur
gatoriū,bona concoctione in vrinis apparēte.At verò vo
mitus ab accepto cibo vſque adeo cōmodus eſt iis qui in
hac febre perſeuerant , vt multos nouerim ſtatim perfe-
ctè liberatos ex huius vſu.

De hemitritæo, *hoc eſt ſemitertiana,* Cap. LXXXII.

FEbris ſemitertiana appellata,fit pituita putrefacta ad D
putrefactum amaræ bilis humorem admixta: & eſt
ex duabus febribus cōpoſita.Quotidiana enim cum cir-
cumfrigefactione irruente,tertiana verò cum rigore,fe-
bris ex ambabus mixta,horrorem inducit : & de rigore
quidem minus,plus autem de frigefactione.id quod ex-
tremitatibus permixtis contingit. Itaque neque abſonū
nomen huic febri impoſuerunt qui hemitritæam dixe-
runt.Duplex eſt autem modus generationis eius:aut dua
bus exacerbationibus vno tempore coincidentibus, aut E
ſtatim ab initio vtriſque inter ſe permixtis. Quum igitur
tertiana prædominatur,horridior febris fit,& iuxta acceſ
ſionem etiam aliquid rigoris aſſumit:ſtatim verò talis e-
tiam calidior eſt & æſtuoſior,& quendam bilis vomitum
aut egeſtionem,aut ſudorem inducit. Vbi verò altera pi
tuitoſior febris præualet,prædominatur quidem frigidi
tas extremitatum, verùm modici ſunt horrores , & non
ſunt ſiticuloſi neque æſtuoſi. At vbi æquales magnitudi-
ne fuerint,& tertiana interpellata, & quotidiana conti-
nua, inuaſio quidem exacerbationis cum horrore con- F
tingit.Et quum pituitoſa febris dominatur, contractio-
nes fiunt ac horrores:quum autem bilioſa febris præua-
luerit,aceruatim incaleſcunt. Atque hæc quidem eſt ſe-
mitertiana exquiſita,ex tertiana intermittēte & quotidia
na continua compoſita, ambarum febrium temperatu-
ra æquali exiſtente. Cæterùm ſemitertiana non exquiſi-
ta,aut bilioſum humorem habet aut pituitoſum.Quum
igitur ex vtriſque relatis humoribus ſemitertiana febris
confletur,etiam curationem mixtam eſſe conuenit.Qua-
re ex iis quæ de tertiana relata ſunt,& ex iis quæ de quo- G
tidiana dicentur,curationem componere oportet.

Quartanæ exquiſitæ dignotio, Cap. LXXXIII.

QVartana exquiſita omnem ætatē inuadit, præcipuè
tamen inclinatam. Hippocrates autem in libro De
ſeptenario,vigoris ætatem dixit.Idem aſſerere videtur,
eundē hominem non bis in quartanam febrem incide-
re. verba eius ſunt:Primùm quidem quartana febre idē
homo bis neque capitur neque vnquam captus eſt,neque
de cætero corripietur,ſi ſemel ſanus fiat.& hoc propterea:
Iuxta propriam vniuſcuiuſque hominis naturam & æta- H
tem vigoris cōtingit.Neceſſe enim eſt,vigentem homi-
nis naturam in hoc tempore quartana febre corripi:præ
terito autem vigore exolutam eſſe & à quartana & ab in
uaſione. At verò naturæ corporum magis atrabiliariæ
hanc febrem perferunt, & ex temporibus autumnus , &
præſertim vbi ipſe ſeipſo fuerit frigidior ac ſiccior , &
inæqualis. Edulia item ac potiones , & totus vitæ victus
ſiccus & frigidus tempore exiſtens , quartanarū febrium
ſignum eſt:& lienes aucti.Hæc autem febris non ſtatim à
prima die omnino irruit cum rigore,ſed aliquando ex a-
liis in hanc fit tranſmutatio, ex iis quæ erroneæ ac inordi
natæ vocantur: verùm in progreſſu rigor accedit,& cum
augeſcente etiam rigor augetur.Senſus autem ægrotis cō
tingit,non velut ſi pungatur & ſtimuletur cutis,veluti in
tertianis cōtingit,ſed & perfrigerātur vehemēter,&velut
franguntur vſque ad oſſa.proinde audire eſt ægros dicen
tes quòd oſsium laſsitudine tenentur,& carnem cōfringi
imaginantur.Pulſus porrò ſunt parui,obſcuri, àc tardi &
rari in principiis acceſsionū , velut in nulla alia affectio-
ne.Etenim iuxta inuaſiones quartanarum, arteria tibi li-
gata eſſe videbitur, & introrſum retrahi, ac prohiberi à
regreſſu.quare etiamſi iuuenis fuerit æger,tamen ſenilis
extremæ ætatis motum arteria imitatur.Si enim ægrotā-
tis naturalem pulſum noueris,aut in principio exacerba-
tionis alterius morbi adfueris , nihil aliud expectaueris
quo minus pronunties irruentem à principio febrem,
quartanam eſſe.adeo immenſa quædam mutatio pulſus
ad raritatem ac tarditatem fit. Vrinæ verò his in princi-
pio quidem albæ ac tenues & aquoſæ, nimirum propter
materiæ craſsitudinē percolatæ:progrediente verò mor-
bo,pro ratione coloratiores fiunt & ſubſidentiam habent
craſſam.Sequitur autē ſudorum copia circa exacerbatio-
nis declinationem. Ex Rufo. Quartanæ igitur à ſple-
ne initium ſumentes,diuturniores ſunt.Fiunt autem ma
nifeſtæ ex colore & cruditatibus,& quòd venter non fa-
cilè egerit,& ex ſplenis tumore,& quòd ad ſiniſtrā magis
ſe reclinent. Eſt autem periculum ne progreſſu tempo-
ris etiam in aquam inter cutem incidant . At verò pro-
pter hepar inflammatum , quartanarii coloris ſunt albi-
cantis & toto corpore tumidi,& vrinæ iis ſunt valde ru-
bræ,ſandaracham referentes: & ad contactum tumor dex
tri præcordii occurrit.Et ii etiam magis difficulter ſpi-
rant quàm ſplenici,& ſubtuſſiunt, & poſtremùm in hy-
dropem ineuitabilem delabuntur.

Quartanæ curatio, Cap. LXXXIIII.

IN principio igitur moderatè ac leniter tractandi qui
ex quartana febri laborant , ita vt neque medicamen-
tum aliquod forte adhibeamus neque euacuationem,
niſi ſanè ſanguis valde abundare videatur: tūc enim mo
deratè ſanguinem auferre oportet.Et ſi diducta vena ſan-
guis fluens niger ac craſſus fuerit,confidenter euacua:ta-
lis autem in ſplenicis maximè reperitur: vbi verò flauus
ac tenuis apparuerit,ſtatim cohibe. Secāda eſt autem ve-
na aut interna,aut media in ſiniſtro cubito, ſi ſplenicus
fuerit homo:aut in dextro, ſi circa hepar fuerit affectio.
Diæta verò ſit flatus expers,& bona: venter autem mol-
liatur quantum eius fieri poreſt per conſuetos cibos.Si
verò ii nihil profecerint,infuſis per clyſterem vtendum
eſt,primùm quidem mollibus,poſtea acribus. Prohiben-
dæ ſunt carnes porcinæ,& omnes viſcoſæ ac tardi tranſ-
itus.item frigida ac humida edulia omnia. Vino vten-
dum eſt pauco albo,& tenui,ac moderatè calido. Volucri-
bus autem montanis,& piſcibus mollis carnis ac facilis
concoctionis,& nihil viſcoſum habentibus. Vtendum eſt
etiam ſalſamentis ac ſinapi. Et per dies aliquot accipien-
dum eſt pharmacum ex tribus piperis generibus, & dioſ
politicum appellatum. & ſi piper ſolum tritum quotidie
acceperint,rectè vtique fecerint.A frictionibus autem &
deambulationibus & aliis conſuetis non penitus arceā-
tur.A balneis verò abſtineant, frictionibus cōtenti quæ
valde proſunt. Et ſi breuis fuerit ac non valde violenta
quartana,non malū fuerit in intermediis diebus conſue-
ta exercitia cōtingere.Atque hæc quidem in principio ac
augmento facienda ſunt.In vigore verò morbi,tenuiore
victu vtendum eſt,& iubendi ſunt ægri diu quieſcere,&
viſceribus proſpiciendum eſt,adhibitis fomētis ac cata-
plaſmatis mollire ac laxare potentibus,& flatus diſſolue-
re.Talia verò ſunt,farina ordeacea, & ſemen lini, iris,cu-
minum,chamæpitys, & ruta in aqua mulſa cocta, oleum

quoque à fomento cataplaſmati miſcẽdum eſt. Oportet A
autem primùm olei fotu per paucos dies irrigare, atque
ita cataplaſmatis vti,in die videlicet adhibitis,ſi æger fe
rat.Epithematis autẽ vtẽdum eſt, polyarchio, & eo quod
ex ſtyrace paratur,& ſimilibus. conſequenter autem etiã
vrinam cientibus vtendum eſt. Et aqua mulſa in potu ex
hibenda,in qua cocta eſt ruta & anethum. Quòd ſi con-
coctionis morbi ſigna euidenter apparuerint, confiden-
dum eſt ſtatim pharmacis humores nigros euacuanti-
bus,& non ſemel ſed ſæpius,ſi opus fuerit. Conuenit au-
tem epithymum quartanis potum. & veratrum nigrum B
maximè prodeſt, eo quòd citra moleſtiam euacuat ea
quæ moleſtant : & vinum dulce in vacuũ colocynthidis
caput infuſum. Omnibus tameǹ miſcendum eſt apiũ,
aut aniſum,aut dauci ſemen, iucunditatis gratia. Aſſi-
duè etiam betæ ac oſtreorum decoctum bibant. Conue-
niunt his quoque aloedaria Oribaſii quæ ſic habent: A-
loes drach.c.ſpicæ nardi,aſari,maſtiches, croci, xylobal-
ſami,ſingul.drach.v I. caſſiæ drach.x II.epithymi drach.
x VI.veratri nigri exempta medulla drach.v III.forma pi C
lulas magnitudine erui cum pulegii decocto, & exhibe
pro viribus. poſſunt & cum melle cocto pilulæ formari.
Ego verò etiam veratrum interdum adieci. Vtendum
eſt & vomitibus à cibo & à raphanis,ſi nihil impedierit.
plerique enim ipſis aſſiduè vſi,partim perfectè à morbo
liberati ſunt, partim facilè pertulerunt. Nam vnà cum
hoc quòd euacuant ea quæ ſtomachum infeſtant, etiam
facilius concoquunt tales. Vbi verò nihil iam prohibet,
etiam album veratrum dandum eſt,primùm quidem ra
phanis infixum,velut in SermoneDe purgatoriis dictum D
eſt,poſtea verò etiam ipſum per ſe. Qui verò vomere nõ
poſſunt, iis vehementius infernè purgatis dandum eſt
medicamentum ex viperis, theriaca appellatum, & reli-
qua quæ ad tales febres laudantur. Inter quæ eſt & fami-
liare illud nobis omnium probatiſſimum, quod recipit
ſucci Cyrenaici,& piperis,& myrrhæ troglodyticæ,& fo-
liorum rutæ viridium, ſingul.æquales partes.Singula ſe-
orſim læuiſſimè terũtur, & ruta cum melle trita excipiũ
tur: fiũtque pilulæ, de quibus aliquibus obolus vnus, a- E
liis duo exhibentur. Aliud Aſclepiadæ. hoc etiam ſo-
mnũ facit, quo etiam ipſe vtor. Piperis longi, myrrhæ
troglodyticæ,ſucci papaueris,caſtorii, ſingulorum pares
portiones:efforma & vtere,obolum vnum aut dimidium
exhibens cum aceto mulſo,duabus horis ante acceſſio-
nẽ. Aliud ad quartanã.quod facit & ad arthriticos.hoc
in quartanis dato prælotis duabus horis ante acceſſionẽ
drach.vnius pondere cum aceto mulſo: arthriticis verò
cum aqua mulſa. Bituminis vnc.I.myrrhæ troglodyticæ
drach. II. foliis menthæ viridibus læuiſſimè tritis exci- F
pe, ac vtere velut prædictum eſt. Cæterùm qui in prin-
cipiis,talium pharmacorum aliquod exhibuerũt, aut o-
mnino ante vigorem,hi ſæpe ſimplicem quartanam du-
plicem fecerunt,aut omnino maiorem aut difficiliorem
effecerunt:aut duplicem antea,triplicem reddiderũt,aut
omnino duas difficiliores ac maiores effecerunt. No-
ui ego quendam medicum qui auſus fuit tribus quarta-
nis correpto dare theriacam ante morbi vigorem: dein-
de auctis omnibus accidentibus,quum febris continua
ſucceſſiſſet,hominem peremit. Archigenis. Quarta- G
na febre laborantibus, inquit Archigenes, trifolii bitu-
mẽ olentis ſeminis drach.I. in trib⁹ aquæ mulſæ cyathis
exhibere ſoleo. Mirificè etiã ipſis prodeſt bitumẽ ipſum
Iudaicum tritum potum cum vino diluto drachmæ pon
dere. Verùm pharmacum minimè moleſtum,& ſæpe ſuc
ceſſum ſortitum expertus ſum ego hoc, maximè in qui-
bus ſplenes tument,& hydrops initium capit: Hederæ
corymbiferæ folia quinque cum myrrha troglodytica
magnitudine fabæ trita,in aquæ mulſeæ dulcioris hemi
na exhibentur.Sed & caſtorium potum rigores mitigat H
& morboſam carnem conſumit, & concoctionibus in
venis opitulatur, & ſegnitiem admotum eximit. Rufi.
Abſinthii cremor humores ventrem infeſtantes deter
get,& concoctioni auxiliatur. vnde neque ſaliuam colli-
gunt qui abſinthium bibunt. Mitigat etiam inflam-
mationes hepatis ac ſplenis,& vrinas impellit,& menſes
muliebres. At ſi æger adſuetus fuerit, & habitus ventris
euacuatione gaudeat,& mordaces humores ſecedant,lac
recens mulctum aſininum aut equinum quibuſdam de-
di,quos magis purgare volui: aliis verò caprinum, pro-
pter familiaritatem & parabilitatem. Exhibui autem ab
initio heminas tres,& progreſſus ſum vſque ad ſex:dein-
de intermiſſo vno circuitu,ſimiliter à trib⁹ heminis in-
cepi, & addita quotidie hemina, ad ſex progreſſus ſum:
& poſtea detracta quotidie hemina vna, rurſus per duos
circuitus quieui.& ſimul morbus diſſoluebatur,& corpus
nutriebatur. oportet autem animal boni ſucci eſſe,cuius
lac exhibemus.Si verò alicui non aceſcit, neque nidoro-
ſum fit,neque per vẽtrem erumpit,etiam in ſuſpecta die,
ſorbitionis loco moderatè dandum eſt,multo tempore
ante acceſſionem,& buccellæ panis modicæ ſuperinge-
rendæ. At verò morbo in vigore conſtituto, apparente
manifeſtiſſima concoctione, nullo viſcere læſo, adſue-
tis tempore ſanitatis, etiam aquam frigidam exhibui
duarum heminarum menſura, inſtante iam propè inua-
ſione:& re vera à multis rigorem prohibui:non parum ſæ
pe etiam febribus exemptis.Melius eſt autẽ etiã forinſe-
cus calfacere corpus cyprino aut ſicyonio:ante exacerba-
tiones quidem,vt ne rigeant: ſedatis autem exacerbatio-
nibus, vt ne ab extrà allabentibus perfrigerentur. Dio-
ſcorides porrò dicit prodeſſe iis qui quartana tenentur
febre,hæc in potu accepta etiam ante acceſſionem: Plã
taginis radices III.ſiccæ tritæ in vino bibuntur. Ver-
benacæ rectæ quartus à terra geniculus tritus cum vino
potatur:in tertiana verò,tertius.Radicis item libanotidis
drach.I.in vino exhibetur. Quòd ſi oleo illeueris totum
corpus, extremitates autem ex vnguento aliquo ad ri-
gores deſtinato inunxeris, & ægrum contectum quieſce-
re ſiueris,non experietur rigorem.

Quotidianæ febris dignotio, Cap. LXXXV.

QVotidiana febris in pituitoſioribus naturis conſiſtit,
& tẽpore hyemis & in humidioribus ac frigidiori-
bus conſtitutionibus. Et ſenes quoque magis infeſtat &
pueros,propter edacitatem : & præſertim eos qui in hu-
midis ac frigidis regionibus degunt, & vitam otioſam
agunt cum repletione : atque hoc magis vbi poſt cibos
aſſiduè balneis vtuntur,& adhuc multo magis vbi ipſi ci-
bi natura ſunt pituitoſiores,& inordinatus eſt ipſorum v-
ſus.Hæc igitur febris neque cũ rigore irruit ſtatim in pri-
ma die,ſed temporis progreſſu non rigor, ſed circumfri-
gefactio ægrè concaleſcens ipſis accedit. In pulſibus au-
tem manifeſta ordinis confuſio & inæqualitas adeſt, tẽ-
pore irruptionis exacerbationis præſertim:& velocitas ac
vehementia motus ipſis non adeſt. Non autem exurit fe
bris hæc ægrotos,neque denſam reſpirationem facit,ne-
que crebras efflationes, neque frigidæ expetentiam ex-
citat. ſed hæ febres minimè ſiticuloſæ ſunt. Vomunt au
tem pituitoſa,& quæ per ventrem infernè ipſis euacuan
tur,frigidiora,pallidiora, crudiora, & aquoſiora omnino
ſunt.Exudant autem nequaquam in primis diebus, neq;
ad perfectam febris quietem deueniunt. albus eſt ipſorũ
color. Vrinæ albæ & tenues in primis diebus mingun-
tur,poſtea verò craſſæ ac cõturbatæ.Hic humor quotidie
exacerbatur, deſinit autem in quietem febris non inte-
gram,vniuerſum tempus faciens horarum plerunque o-
cto & decẽ.Quapropter etiam amphemerina febris *Græ-
cis* vocatur:de ambabus enim participat die ac nocte.

Quotidianæ febris curatio, Cap. LXXXVI.

IN quotidianæ febris curatione aceto mulſo vtimur in
primis diebus,& iis quæ vrinas probè impellere poſ-
ſunt. & tota diætæ forma ſecandi vim habeat. Circa vi-
gorem verò ventri proſpicere oportet,& præſertim ori i-
pſius: & poſtea vomere à cibis & raphanis & purgatoriis
pituitam euacuantibus vti.Reliquam diætam ad commu
nes ſcopos reſpectu facto comperies,vt ſcilicet attenuan-
te diæta & pharmacis inciſoriis ac attenuantibus vtaris.

De epialis febribus, Cap. LXXXVII.

PRædicti generis, pituitoſi inquam, eſt & febris quæ
priuatim à leni afflictione epiala appellatur,quum ſi-
mul & febricitant & rigent& vtrunque percipiunt, eodẽ
tempore in omni corporis parte.Pituita enim acida & vi
trea appellata,citra febrem quidem rigorẽ inducit:ſi ve-
rò putredo aliqua moderata ipſis accedat,febrẽ epialam

efficit.Si verò amplius putreſcat,præcedit quidem rigor; ſequitur autem febris,exuperata frigiditate à multitudine caloris, vt omnino non appareat iuxta augmenta & vigores exacerbationum. fortaſſis autem & pituita vitrea acidam qualitatem habet. Curatio porrò conſimilis eſt iis qui quotidiana febre laborant, inciſorio curationis modo amplius aucto.

Communia auxilia febrium per circuitum repetentium,Dioſcoridis, Cap.LXXXVIII.

IN communi ad omnem circuitum ac rigores vtiliter exhibentur ea quæ ſudores mouere poſſunt, & ſunt hæc:ſeminis ſmyrnii drachma vna datur potanda ex vino duabus horis ante acceſſionem. Item ariſtolochiæ drachma vna,& iridis drach.duæ,& calaminthes decoctũ cum caſtorii drach. vna,in quartanis & quotidianis.Chamædryos item decoctum,aſſiduè potatum,quartanam & quotidianam ſoluere ſolet. Caroi quoque ſemen, ferulæ ſemen,verbaſci radix aut ſuccus cũ vino. Aliud quod ad omnem circuitum, & maximè ad quartanas datur, duabus horis ante acceſſionem. Facit & ad calculoſos,ac dyſentericos,& ſtomachicos. Eſt etiam anxioſis ac deſperatis & lippientibus commodum: Seminis hyoſcyami albi,ſeminis apii,ſeminis aniſi, ſtyracis, ſing. drach. IIII. croci drach.x.opii drach.II I.caſtorii drach.II. myrrhæ drach.II. cum aqua ad fabæ Ægyptiæ magnitudinẽ formato,& cũ duobus aquæ cyathis exhibeto. Aliud ad omnẽ circuitũ,Aphrodæ: Seminis hyoſcyami,myrrhæ troglodyticæ,opii,ſtyracis,ſing.drach.I.croci,zingiberis, aloes,ſingul.drach.x.& obolos tres, excipe melle,& exhibe nucis pōticæ magnitudine,cum aquæ cyathis tribus, præillitis extremitatibus ac cruribus:& ſine vt dormiãt. Ego vero etiã caſtorii drach.I.adieci,& mirificè vim ſuã declarauit. Vtere etiam confidenter antidoto pæonia,& ea quæ ex ſulphure conſtat. miram enim efficaciam habent aduerſus omnem circuitum, præſertim quartanas ac quotidianas febres.Cæterùm quæ trita cum oleo illinuntur, proſunt omnibus qui per circuitum exacerbantur cum rigore: fouent enim corpus & ſudores mouent. ſunt autem hæc: Chamæmeli flos tritus, & in paſtillos efformatus, ac in vmbra ſiccatus, & vſu expetente cum oleo tritus ac illitus.Semẽ viticis cum oleo, ſemen libanotidis,flos ſalis, nitrum, ſpuma nitri, baccæ lauri, pyrethrum,ſmyrnii ſemen, hypericũ, calamintha,canchryõ, caſtorium,conyza,coſtus,granum cnidium,cũ nitro & oleo & aceto, oleum amygdalinum, cyprinum, irinum, gleucinũ,chamædrys,ſtaphis agreſtis. Aſclepiadæ vnguentum ad acceſſiones cum rigore. Hoc ſæpe tertianas depuli,inquit. Spumæ nitri drach.II. myrrhæ drach. II.piperis g. ana x x.ceræ drach.I I I.olei cyprini,aut irini,aut gleucini,aut amygdalini ſeſcuncem.liquefacta aridis admiſceantur. vſus eſt hora ante acceſſionem. Magis autem confricandi ſunt pedes,vnde horrores initium ſumere videntur. Aliud ad tertianas: Grani cnidii,ſpumæ nitri, piperis, æquales portiones excipe irino, & ad ſtrigmẽtitiam craſſitudinem redige, & vtere extremitates leniter confricans. Hoc medicamentum ſudores ciet, & per duos aut tres circuitus ſanitatem reducit. Aliud ad quartanas, tertianas, ac reliquos circuitus. Myrrhæ drach.VIII.caſiæ drach.x.piperis drach.x I I. ſtaphidis agreſtis drach.I I.nitri drach.I I I.ceræ ſeſcuncem,cyprini aut alterius talis lib.I.Myrrham vino dilue,& ſtaphidẽ & reliqua contunde ac cribra, & cum myrrha tere,ac cerato affuſo excipe. vſus autem tempore pharmacum cũ pari cyprini portione illine.

De ignis ſacri circa viſcera affectionibus,

Cap. LXXXIX.

FIunt aliquando ignis ſacri affectiones circa aliquã viſcera,febrem ardentem ac habitualem inducentes.Et ſi quidem circa ventrem fuerit eryſipelas, *id eſt ignis ſacer*, febrem in iis accenſam lipyriam nominant: ſi verò circa hepar, vrentem ſiue fumoſam:ſi circa pulmonẽ,algidam.Talis autem febris frigefacientibus ac humectantibus opus habet eduliis ac potibus, & iis quæ extrinſecus imponuntur. Quum igitur febris habitualis aliam morbũ admixtũ non habet,balneo indiget: quẽadmodum etiam aliæ omnes caliditates ac ſiccitates.Si verò affectio fuerit circa viſcera ignis ſacri, à balneo quidẽ abſtinere oportet in totum:frigida verò in vigore morbi vtendum eſt contentioſe: ſic autẽ appellare ſolemus, quum ſemel frigidiſſimã & multam damus.Ante vigorem autẽ frigida non eſt danda,niſi ab ægroto cogamur, cui mos ſit frigidam bibere, & qui ſitim non ferat. At forinſecus imponenda ſunt frigefaciẽtia, & ſi nihil profecerint,tunc etiam frigidæ potus exhibeatur; aut edulia potius frigefacientia.Conueniunt autem maximè lactucæ humidæ ac dulces pura frigida elotæ: atq; ſic quidẽm acceptæ optimæ ſunt.Si vero opus fuerit aliquãdo ad preces ægrorum,inſuauitatem ipſarum mitigare,acetum multæ aquæ frigidæ admixtum ad intinctum concedemus. ſit autem acetum exactè ſeparatum ab omni vinoſa qualitate.Forinſecus autem etiam ipſe lactucæ ſuccus aptus eſt: imò etiam ſemperuiui, & intybi, portulacæ,atriplicis, ſolanique ac plantaginis,cum pane ſicco trito,& modico bono roſaceo: & iis quæ ſimiliter refiçcãt. Optimum verò eſt id quo nos vtimur iuxta vuarum acerbarum tempus. Expreſſum enim ipſarum liquorem in mortarium coniicimus, cum portulacis viridibus tundimus,& vtrunque liquorem in vas mittimus,oſculumque eius diligenter obturamus; atque ſic vas in aquam immittimus.melius autem eſt etiam niue vas obruere. Vſus autem tempore polentam tenuiſsimam admiſceo, & poſtea ſubigo,vt liquidius euadat medicamentum:idque duplici linteolo infarctum præcordiis impono:non immorari ſino,ſed vbi tepidum factum fuerit tollo,ac alterum impono. Atque hoc ſemper conſequenter facio,donec æger ſentiat profunditatem quodammodo perfrigeratam, & à ſiti liberetur. Admiſcemus autem aliquando etiam oleum omphacinum, aut roſaceum, vbi circa præcordia fuerit ignis ſacer,inflammationis naturam habens. Vidi mulierem ſupinam decumbentem in terra, & voce deſtitutam,habentẽmque pulſum formicantẽ, vnà cum manuum ac pedum perfrigeratione. putabam autem calidam eſſe affectionem. nam ſimul cum relatis peſſimis ſignis,denſiorem videbam reſpirationem factam. hoc autem ſignum eſt magni doloris,ac calidi morbi in præcordiis ac thoracis partibus exiſtentis.Dixit autẽ quidam ex aſtantibus,ſe audiuiſſe mulierem dicere quod arderet eius ſtomachus,& frigidæ potionis magnam cupiditatem haberet. quapropter etiam in pauimento iacet, inquit,venatis frigiditatẽ.Itaque cõfiſus dedi ipſi per cochleariũ aquam frigidã, iterũ atq; iterũ immittẽs ipſam ori eius violẽter. Videbam autẽ labia ipſius placidè aquã intus attrahere. & ratiocinatus ipſam expetere frigidæ potum, propter inſitam ventri feruidam affectionem,rurſus amplius exhibui. poſt hoc autẽ oculis quoq; annuere incepit,indicans ſic me facere debere.Accepto itaque cõfectione ex papaueris capitibus conſtante, dia codẏõn appellata,parum de ea cum vino cnidio & aqua frigida per cochlearium ori infudi. & ex hoc nimirum paulo pòſt ſenſim loqui cepit.Quare rurſus amplius de hac potione dedi; vino emmeleo pro cnidio accepto,cum modica aqua.Ori item ventris ſemperuiuum &lactucam cũ pane trito & roſaceo impoſui.Frigida autem hæc adhibui propter affectionis caliditatem & tempus æſtatis,donec frigiditatem abundè ſentiret.

De colliquatione, Philagrii, Cap.XC.

COlliquatio nominatur quũ excernitur quid per vẽtrẽ,nõ ex comeſtis aut cõcoctis, ſed ex humorib⁹ ex toto corpore in ipſũ cõfluentibus,quod ſimile quidẽ eſt bili quæ aſsiduè per vomitũ reiicitur,ac per vẽtrẽ ſecedit: differt autẽ ab ipſa fœtoris graueolentia, & quòd egeſtio fuluior apparet,& craſsitudinẽ habet ſtrigmẽtitiã,aliquãdo etiã oleoſam aut adipoſam.Colliquatio autẽ appellatur hic morbus,quoniã recẽs cõpacta eſſẽtia pinguedinis ac carnis,ab ardẽtiſsima febre diſſoluitur ac colliqueſcit. Et vbi iam diuturnũ eſt malũ,etiã ipſarũ ſolidarũ partiũ eſſentia ex parte eliquatur, quapropter grauiſsima omniũ eſt hæc febris.Satis autẽ clarum eſt quòd extinctoriis medelis vtimur,ita vt valde frigidã aquã potandã exhibeamus,& cataplaſmata & epithemata frigefaciẽtia thoraci

ac præcordiis imponam⁹,&cibos humectātes ac frigefaciētes demus. Dictū eſt autem de his in tractatione de febribus ardētibus.dicetur itē cōſequēter in ſequēti capite.

De febribus quæ in calidis ac ſiccis temperaturis fiunt,citra inflammationem ac putrefactionem,

Cap. XCI.

QVicunque temperatura billioſi, & habitu graciles,& natura aridi, & ſtomachum ſubtili ſenſu præditum habentes, & qui facilè in bilem efferueſcūt,hi vbi famē aut vigilias pertulerunt,aut nimium delaſſati ſunt,& præſertim in profectione ac æſtiuo ſole, aut triſtitia affecti ſunt,aut grauibus curis preſſi,prōptè ab horroribus ac febribus corripiuntur. nam habitus in bilioſis naturis, ob famem ac omnia relata,facilè in bilem efferueſcit.Et primùm quidem inæqualitatem percipiunt, poſtea etiam horrorem.Et ſi quidem in motibus perſeuerarint aut cibum non acceperint,ſtatim febricitant. mordaces enim humores ac vapores per ſenſitiua corpora delati, horrores ac rigores generant.Et propterea horrente ac denſata cute,velut quæ ex natura in his aridior eſt,cohibentur fuliginoſæ ac fumoſæ ſuperfluitates antea trāſpirare ſolitæ, & ſic febrem accendunt,niſi talis cibum accipiendo, velut dixi,præuerterit. Oſtendi autem tibi aliquos qui ſic febricitarunt, & maximè qui ex longo morbo ſe recolligebant.Ex quibus vni in foro obuiam factus horrore incipiente, introducto ipſi in officinam quandam,panem ex vino diluto exhibui, & eueſtigio horrorem ſedaui & febrem prohibui.Alios verò in ſuas domos abire feſtinātes,in principio horroris aut paulopòſt nutriui.Et in ſumma, quibus adhuc ſunt principii exacerbationum accidentia in talibus temperaturis,his omnibus panem ex vino diluto citò exhibui,& horrorem ſtatim ſedaui & febrem prohibui. quanto enim citius ipſos nutries, tanto magis febrem impedies.Si verò aliquando paulo tardius ipſos nutriui, febris quidem facta non eſt, calor autem modicus ipſis accedebat:vt,ſi diutius moreris nutrire,tali liditate excaleſcat, ambiguum vt ſit an febrem appellare ipſam oporteat.Si verò duæ horæ poſt horroris initiū factæ fuerint, manēte adhuc horrore,etiā tūc nutrire oportet: verùm prædicere quòd febricitabunt hi febre non moleſta,ad quam exudationes conſequentur. & hoc facto & lauare oportet & rurſus nutrire. At poſtquam ſedatus eſt horror, incepitque febris cum contractione, non amplius nutriendi ſunt illo tempore:declinante verò exacerbatione,ſtatim alantur,& ne expectetur donec febris integrè quieſcat. detur etiam potus aqua calida in vigore amplior:in omnibus enim ſqualentibus affectiónibus nō ceſſant exacerbationes priuſquā aut balneis aut alimentis humectantibus rigētur.Quoſdā verò etiam declinatione incipiente,alios autē vigore exacerbationis inſtante nutrio. Fames enim in his temperaturis maximè febrientibus,non ſimpliciter nociua eſt,ſed ſiquid aliud, pernicioſa: aut enim ex fame in ardentes febres incidunt,ex quibus ſi nō morte præuēti fuerint in habituales delabūtur, & ex his rurſus in tabē: aut ſtatim ab initio habitualis febris ipſis coincidit.Proinde à principio ſic nutrire oportet eos qui talē tēperaturā habēt.Quū verò aut ex laſſitudinibus, aut ira, aut curis plurib⁹,aut vigilia,aut triſtitia, aut ex omnibus ſimul cōmiſſis,corpore vehemēter reſiccato,febris inuaſerit, ſqualidam quidem habens cutem, ardentem autem caliditatem, timor profectò eſt talem hominem habituali febre corripiendum eſſe, & præſertim in æſtate,& ſicca ac calida conſtitutione. Opus igitur habent tales humectantibus ac frigefacientibus eduliis ac potibus. Qui enim temperatura calidi ac ſicci ſunt,hi etiam neceſſariò vires debiles habent. non enim fieri poteſt vt corpus calidum ac ſiccum, vbi febricitet,vires validas habeat. Conuenit igitur quamcelerrimè per ptiſanæ ſuccum aut ſorbitiones ex alica nutrire, & paululum panis inſuper exhibere, atque ſic per frigidæ potum ægrum curare. Extinguitur enim ſtatim ac ſedatur febris perfectè, ſi non inflammatio aliqua ipſi adeſt, neque humorum putrefactio. Si tamen magnum detrimentum futurum coniectaris, exhibitionem eius inhibe,& per ea quæ extrinſecus corpori adueniunt ac adhibētur,curationem molire. Forinſecus autem adueniunt, aer nos ambiens,& quæcunque humectare ac frigefacere ſolent medicamenta, & ad hæc aquarum dulcium balnea.Si itaque ambiens nos aer temperatus fuerit,vtendū eſt eo velut habet, nihil amplius moliendo. ſi verò aut multùm calidus eſt aut frigidus,calido quidem vice verſa excogitandæ ſunt ſubterraneæ domus, frigidæque, ac quæ ventis perflantur ad ſeptentrionem conuerſæ. Auras quoque ipſis quaſdam proprias excogitabimus: aliquando ex euripis in quos plures aquæ ſalientes ſe præcipitant, aliquando aqua frigida ex vaſis in vaſa tranſfluente. Hæc verò ſtatim etiam ſomnum conciliant. Reſpergenda eſt etiam domus aſſiduè frigida aqua pura:& roſæ multæ, aut vitium pampini, aut myrtus per terram ſternantur,aut aliæ quædam plantæ frigefacientes. Arcenda etiā eſt ab ingreſſu hominū copia:nam & hoc domum calfacit.Si verò frigidiſſimus eſt aer,velut in hyeme maximè,per tegumenta corpus foueatur. Frigus enim denſat ac conſtringit cutem, & humorum qui intus aduruntur defluxiones tranſpirare prohibet. Maiorem enim ex frigida inſpiratione vtilitatem fore noſcendum eſt,quàm ea eſt quæ ex cutis perfrigeratione contingit. Similiter autem & in iis quæ forinſecus imponuntur, eligenda ſunt frigefacientia citra fortem adſtrictionem dēſationémq; ipſius cutis. Et nō ſolùm quæ frigefaciūt, ſed etiā quæ cōpage corporis fuerint partiū tenuiū,quātū eius reperire eſt in frigefaciētibus,aut citra admixtionē alterius vehemētis qualitatis.Eſt autem ſimpliciſſimū medicamentum ex humectantibus ac perfrigerantibus, quo & ad ignem ſacrum vtor,& ad pudendorum inflammationes in principio:Ceram albiſſimam in duplici vaſe liquato,& in aquam frigidam diffundito, ac manibus emollito,diu eam eluens: deinde ſimiliter ipſam liquatam in aliam aquam diffundito, & rurſus tertiò idem facito.Ad hanc autē ceram ſic lotam,roſaceum ex optimo oleo omphacino præparatū adiicito,vt ſit quidē ceræ vncia vna, roſacei verò triens. Hæc ſimiliter in duplici vaſe liquato,& ab igne ablata moueto, donec aliquantulùm frigefiant. Poſtea in mortarium diffunde, & piſtillo fortiter tere, aqua potabili ac frigidiſſima paulatim inſtillata quantum ſatis eſt. & tandem fictili puram aquam habente excipe: & aquam quotidie permuta. Hoc pharmacum tenui linteo inductum impone, non ſuper totum pectus,velut quidam faciunt, neque ſuper tota præcordia, ſed illo maximè loco in quo multæ caliditatis ſenſus percipitur. permutetur autem pharmacum ſemper priuſquam manifeſtè calefiat. Aliud epithema optimum: Rumicis acuti ſuccus polenta tenui admixta,duplicato linteo detrito excipiatur,& frigidus imponatur. Facit & portulacæ ſuccus & ſemperuiui, cum vuæ acerbæ ſucco & polenta. Item tribuli viridis ſuccus, & polygoni, ac ſeridis & lactucæ cum polenta: ſed & ipſa horum folia trita imponito. Bonum pharmacum etiam hoc eſt: Palmarum pinguium carnem exemptis membranis cum poſca meraciore ad flacciditatem vſque coctam, & cum tenuiſſima polenta tritam impone. Si verò aridius hoc videbitur, ex prædicto cerato parum, aut roſacei optimi minimum quiddam admiſce. Bonum etiam pharmacum eſt roſarum ſuccus cum tenui polenta: & ipſæ roſæ tritæ impoſitæ. & hæc quidem aſſumimus multùm frigefacere volentes. Si verò moderatè hoc facere voluerimus, non modica eſt copia emplaſtrorum leniter perfrigerare potentium. Ego enim noui,impoſito aliquando frigido medicamento præcordiis,hominem eueſtigio difficulter ſpiraſſe: alium autē ſtatim tuſſiuiſſe: & paulo pòſt amborum accidens quieuiſſe,frigido pharmaco ſublato. Balnea porrò dulcium ac calidarum aquarum,aut potius temperatarum,vtiliſſima ſunt omnibus ſiccam ac calidam temperaturam habentibus.Lauādi autē ſunt quēadmodū hectici,in ſecūda balnei domo,corpore ex aqua & oleo calido perfuſo, & ipſis ſtatim in tēperatæ aquæ ſoliū locatis:deinde etiā in frigidæ ſoliū. In frigida tamen morā diutius trahere nō oportet. Si verò inflāmatio alicuius viſceris accedat,

balneum recuſare oportet.Illud tamẽ noſſe expedit,quòd ſi quando inflammatio principalis partis in talibus febribus ac corporibus coinciderit,omnino morientur: & præſertim ſi pulmonis, aut membranæ coſtas ſuccingentis; aut ventris,aut hepatis inflammatio fuerit. Nam quantũ ad inflammationes harum partium attinet, minimè nutrire oportet:quantum verò ad virium debilitatem,ſæpe nutrire oportet.Quare neceſſarium eſt vt aut dum non nutrimus,vires exoluamus:aut dum nutrimus, inflammationes augeamus.

De febribus hecticis ac tabidis,

Cap. XCII.

HEctica febris dicitur,*id eſt habitualis*,quũ ad tanta immodeſtiam venerit caliditas præter naturã, vt in habitu ſit ipſius ſolidæ eſſentiæ ſimilaris corporis cordis:& propterea ægrè ſolubilem habeat ſtructurã. Primùm igitur calor præternaturalis eliquat & reſiccat ac conſumit eſſentiam in partibus velut ex humore concretam, qualis eſt pinguedo & caro:deinde verò propriam humiditatem conſumit,ex qua corpora nutriuntur:quæ ſanè circũ fuſa eſt ac inſtar roris diſperſa circa omnes animalis partes.Hinc autẽ trãſit ad carnoſum gen⁹,quod fibris & mẽbranoſis partibus ſolidorum corporum inſitum eſt; quod ſanè diſcindentes coci tollunt, fibras verò abiiciunt.Exactum autem eius complementum in hoc eſt: ſi ipſa ſolida ſimilarium partium eſſentia ſiccior facta eſt, quando & tabida febris vocatur.Duplex eſt autem genus hecticarum febrium:quædam enim ex ipſis poſt febres ardentes plerunque fiunt, aut vſqueadeo in longum extentas vt temporis progreſſu humorem corporis cordis conſumpſerint:aut manente adhuc humiditate fientes, & cordis corpus occupantes, hinc incenduntur: quemadmodum lucernarũ flamma ex funiculo, ſuperſtite adhuc in lucernis oleo.& hæc quidem vna eſt ipſarum generatio.Altera verò quum ab initio ſtatim irruerint,primam generationem diariis ſimilem facientes, ob triſtitiam, & iram, & laſſitudinem ampliorem ſimul cum ardore factam. has igitur non difficile eſt curare:Eas verò quæ in tabem procedunt, ſanare impoſſibile eſt.natura enim ipſarum calida eſt & ſicca,ſimile quiddam patiente corde quale quid patitur funiculus in lucernis, vbi plurimùm fuerit exuſtus.Qui enim exuſtus eſt comminuitur,vt neque ſi largũ oleum affuderis, luculentam flammam excitare poſſis. Proinde parua hæc & infirma flãma circumcirca tremit, ſemper amplius minor euadens, donec fuerit extincta. Facilis autem cognitu eſt hæc febris:priuſquam enim cõtigeris pulſus ac caliditatem,oculos immodicè cauos videbis,velut in foueis quibuſdam ſitos, & gramas in ipſis reperies ſiccas,& ſqualidam quandam affectionem, qualis iis fieri ſolet qui per totum diem in ſole æſtiuo multum puluerem percurrũt.Periit autem & ipſorum coloris vitalis flos:& cutis circa frontem ſicca eſt ac circũtẽſa: & plerunque palpebris nictant, velut ſomno grauati. Eſt autẽ hæc affectio non ſomnus,ſed impotẽtia vigilandi.& tempora ſunt collapſa,vt loci caui appareant.& quid aliud quàm oſſa & cutis ſunt in totum? vt etiam,ſi denudatum conſideraueris vẽtrem,neque aliquod inteſtinum, neque viſcus aliquod ſaluum eſſe putes, & præcordia vehementer retracta eſſe ad thoracem, & cutem totam ſiccam ac obaridam:&,ſi diſtenderis digitis apprehenſam, velut corium quoddam producitur. Febris itaque exactè tabida incurabilis eſt,velut dixi.Tabeſcit enim in ipſis totũ corpus inſtar arboris extremè arefactæ; aut ob flammæ viciniam, aut ob vehementem ac immodicam ſiccitatem. atque hæc eſt quam ſenectam ex morbo vocant. Tale enim corpus fit in iis qui ſecundum naturam ad extremam ſenectam perueniunt citra febrem,paulatim extincto in ipſis inſito calore. Verùm eorum qui ſecundum naturam conſenuerunt,mors ſine moleſtia contingit, ob frigiditatem ac ſiccitatem imminẽs. Tabida verò febris non ſolùm ſicca,ſed calida affectio eſt. hæc igitur velut dixi,incurabilis eſt.Illud porrò omnibus febribus hecticis commune eſt,vt debiles ſint & æquales ſemper, à primà die vſque ad extremam reſpirationem. Maximum autem & minimè ambiguũ naturæ ipſius ſignum habe-

A bis,ſi cibum homini præbueris. Alimento enim accepto accenditur calor, & pulſus augetur ad magnitudinem ac velocitatem. & quod in ipſis contingit,ſimile eſt ei quod accidit in calce ac lapidibus calefactis.Si enim frigidiſſimam aquam ipſis affuderis; multo calidiores apparent,va poroſa in ipſis caliditate ab humida eſſentia irrigata.Donec igitur aliquid humidæ eſſentiæ ſeruatur; hectica ſolùm febris eſt: quum verò in periculum venerit vt non amplius ſuperſit aliquid humiditatis, exactus iam maraſmus,*id eſt exacta tabes*, cõſiſtit. Nos autem earum ſolùm

B curationem aggredimur quæ ſanari poſſunt.

Hecticarum febrium curatio,

Cap. XCIII.

HEcticas febres omni modo ſtatim refrigeramus, priuſquam progreſſæ in tabem deſinant. Caput autẽ curationis ipſarum in humectantibus ac frigefacientib⁹ conſiſtit, tum iis quæ foris adhibentur, tum quæ intra corpus accipiuntur, in quibus eſt & aer qui inſpiratur. Omnes igitur hecticos,etiamſi iam principium tabeſcendi acceperint,abſque hoc vt alia febris ipſis ſit implicata,

C aut propter humorum putrefactionem,aut cum principalis partis inflammatione, confidenter lauato, citra omnẽ tamen laborem:vt ne vires exoluantur. Deferatur itaque æger in lecto ad balneum. præparata autẽ ipſi ſindone calida,in ipſa ad primam balnei domum geſtetur.Sint autẽ quatuor qui,ſindonem teneant, in ſingulis angulis vnus: deinde in prima domo nudatus, ad ſecundam portetur, in qua toto corpore ex oleo tepido dulciſſimo perfuſus, ad tertiam domum feratur,& in ſolium locetur. Sit autẽ aer balnei temperatus,& humidus præparetur,parietibus

D aqua calida reſperſis.In ipſa verò ſolii aqua tẽperata abũdè quieſcat,moderatè in ſindone vectus, nulla corporis perfuſione fiente,neque item capitis perfuſione.Hinc autem extractus à quatuor adoleſcentibus ſindonem geſtãtibus,in frigidam aquam confertim mergatur, ne minimum quidem moræ in ipſa trahens. Statim autem alius paratam habens ſindonem aliam,ipſi iniiciat, & alius aliã ſimili modo.Demiſſus autem in lectum,mollibus linteis leniſſimè detergatur: poſtea verò vnctus & veſtibus contectus ad domum in lecto referatur. ſit autem & domus balneo vicina.Eos quidem igitur qui iam tabeſcunt

E lauare oportet velut dictũ eſt: qui verò in hecticis febribus ſunt nondum tabeſcentes,hi etiam citra ſindonem lauari poſſunt. Deferendi tamen & hi ſunt ad domum ſiue in lecto,ſiue vehiculo quopiam,aut lectica: deinde oleum ipſis infundendum, velut dictum eſt: & poſtea ad calidam aquam ducantur,vt in illa immorentur: deinde ad frigidam prodeant,vt nullam omnino moram in ipſa trahant.atque ita deterſi ac inuncti ad domum reducantur. De balneis igitur ſatis dictum eſt. conſequens eſt vt

F de alimentorum viribus addamus. Quòd quidem igitur frigidos & humidos conuenit eſſe cibos hecticis febribus profuturos,omnibus manifeſtum eſt.Tales autẽ ſunt; ptiſanæ ſuccus frigid⁹ acceptus,& alica velut ptiſana præparata:conuenit etiam panis aqua frigida madefactus.Verùm nullius horum frigiditas ſincera ſit,veluti potus. nã quæ bibuntur,& citò calefcunt,& meatus penetrant:quæ verò eduntur aut ſorbentur,diutius in ventre perſeuerantia,perfrigerant ipſum,ſi immodicè fuerint frigida. At vbi iam diuturna eſt febris,lac aſininum dandum eſt, dili-

G genti animaduerſione habita ne in ventre in caſeum coaguletur. Hoc verò aliquando etiam ipſe æger nos docebit,vt qui ſuæ naturæ habet experimentum: quandoque autem noſipſos deprehẽdere oportebit, paulatim ad eius vſum progrediendo. Fugienda eſt autem,quãtum eius fieri poteſt,mellis mixtura in omnibus hecticis febribus.Dandum verò eſt primùm lac aſinæ in cubiculum adductæ, quò calidum adhuc lac potetur. Si quidem igitur probè fuerit concoctum & non corruptum, copia eius augeri poteſt,vt in exhibitione cyathus dimidius addatur: reli-

H qua verò diæta facienda eſt velut in ſiccis ventris intẽperaturis,velut in proprio loco dicetur. Quanto autem hecticarum febrium caliditas maior illis eſt,tanto frigidioribus auxiliis opus habet, & diligentia ampliore, vt ne damnũ aliquod conſequatur ex fortiorũ auxiliorũ vſu.

De popularibus paſſim vagantibus ac peſtilentibus morbis, Cap. XCIIII.

POpulares & communes morbos vocāt eos qui ſimul multis hominibus coincidunt: quorum velut generatio, ita & cauſa communis eſt. Cōmunia itaque edulia praua morbos cōmunes pariūt: itē vitioſæ aquæ potus, & ærumnæ immodicæ, & labores conſueti relicti: fames & repletio, præſertim vbi poſt magnam indigentiam abūdantia ſuccedit. Sed & regionis natura ſæpe communes morbos inuexit, aere quem inſpiramus à putredinoſa euaporatione inquinato: cauſa verò talis putredinoſæ euaporationis, aut mortuorum multitudo eſt, velut in bellis contingere ſolet: aut paludes quædam, aut ſtagna, aut barathrum aliquod profundum in propinquo, venenoſam ac prauam exhalationem remittunt. hæc igitur aſſiduè contingere ſolent. Sed & ambiens nos aer temperamenta aſſiduè peruertit, dum aut immodicè calidior, aut ſiccior, aut frigidior, aut humidior euadit. Nam reliquis cauſis non omnes ſimul obnoxii ſumus, neque per totum diem occurſamus: aër autem nos ambiens forinſecus omnibus circumfuſus eſt, & per inſpirationem trahitur. Neceſſe igitur eſt vt ad mutationes eius iuxta temperamentum ipſius coafficiantur etiam animalium corpora. Aliquando verò ambiens nos aer humidior ac calidior factus, peſtilentem conſtitutionem inducit: & quia ſunt in corpore humores ex vitioſo victu ad putrefactionem idonei, principium fit peſtilentis febris. Quare ſiquis moderatis laboribus & victu modeſto ac caſtigato vtatur, in totum illæſus manet per omnes eiuſmodi affectiones. Et nos ſanè hoc prænoſcentes, ſtatim incipiente tali conſtitutione quæcunque corpora humida videmus, omni modo ſiccare conamur: in iis autem quæ natura ſicciora ſunt, priſtinam naturam conſeruamus: quæ verò ſuperfluitatibus redundant purgationibus ſanamus. Obturationes autem meatuum aperimus ac extergemus: & in ſumma ſanitatē corporibus cuſtodiuimus contraria adhibentes. & quandoque refrigerationibus vſi ſumus, ſi ita opus eſſet: quandoque verò calfactoriis. Sed & rogo ingenti extructo & incenſo, aerem ad caliditatem ac ſiccitatem tranſmutare quis poteſt, humidum & frigidum factum. quemadmodum Hippocratē Athenis feciſſe dicunt, itémque Acronem Agrigentinum.

De peſte, Rufi, Cap. XCV.

OMnia horrendiſſima in peſte fieri poſſunt, & nihil occultatur velut in ſingulis morbis. Plurima enim & varia fiunt: deliria varia, bilis vomitus, præcordiorum diſtentiones, dolores, ſudores multi, extremitarum frigiditas, profluuia bilioſa, tenuia, flatuoſa: vrinæ aliis aquoſæ ac tenues, aliis bilioſæ, aliis nigræ, malas ſubſidentias habētes, & peſſima ea quæ in medio vaſis dependent: ſanguinis narium deſtillationes, æſtus in thorace, linguæ torrefactæ, vigiliæ, conuulſiones violentæ. Sed & vlcera praua & carbunculoſa & pernicioſa in peſte fieri poſſunt, & in reliquo corpore, & in facie, ac tonſillis. Si verò ſolerti ingenio quis præditus ſit, futurā peſtem prænoſcet, attendēs anni temporibus, quæ & mala ſunt, & in bruta animantia impetū faciūt. ſi enim ambiēs nos aer peſtis cauſa fuerit, volucriū generis prior interit⁹ erit: ſi verò ex prauis de terra exhalationibus hoc contigerit, quadrupedium animantium prior corruptio fiet. Quum autem hæc tecum expēderis, ampli⁹ etiā illud cogita, quale eſt præſens anni tempus, qualis totus annus: hinc enim comperies quomodo victus rationem optimè conſtituas. Verbi cauſa: debebat eſſe, ſi rectè res fieret, tempus ſiccum, nunc verò humidum factum eſt: at ſi quidem humidum factum eſt, neceſſe eſt etiam victum reſiccantem cōſtituere, quo excedens humiditas conſumatur. Reſpicienda ſunt etiam ſtudia hominum an non ad ſanitatem conducant, & ea prohibēda. Ventris quoque cura habenda eſt: ſi verò ſuperior venter pituitam habuerit, vomitu euacuetur. Quibus autem ſanguis abundat, iis vena ſecetur. Bona eſt & per vrinas purgatio, & quæcunque aliæ. Si verò æſtuoſus fuerit æger, & flamma vſque ad pectus aſcenderit, non fuerit alienum frigefaciētia pectori adhibere, & frigidæ potum dare, non paulatim exhibendo: vincitur enim ab amplio-

A ri in ventre caliditate, & plus nocet, ac amplius exurit: ſed & multa & aceruatim frigida danda eſt, vt copia eius flāmæ extiguatur. Si verò ardor occuparit interiores partes, extremitates autem & ſuperficies frigidæ fuerint, & præcordia diſtēdantur, & vēter colliquamēta partim ſurſum, partim deorſum mittit, vigiliæque affuerint ac deliriū, & linguæ aſperitates, his calfactoria fomēta adhibere oportet, vt calor ad ſuperficiem corporis trahatur. & quibuſcunque id fieri poteſt modis, conandum eſt vt calor ex profundo ad externa educatur.

B De iis qui ob crudorum humorum multitudinem animo linquuntur, Cap. XCVI.

QVidam febricitare incipiunt ex magna crudorum humorum copia collecta, vnà cum hoc quòd os vētris malè affectum eſt, aut ex cruditatibus, aut aliâs. His inflata ſunt præcordia, & totum corpus maiorem naturali molem habet. Et color aliis quidem albidior & aquoſior fit naturali: aliis autē nigrior ac liuidior euadit, quos plūbicolores aliqui appellant. Pulſus verò omnium minores ſunt quàm pro caliditatis ratione, obſcurioréſque ac omnino inæquales. Si quidem igitur hi humores copia C ſua vires grauarint, & craſſitudine ac multitudine meatus animalis obturarint, multis de cauſis pernicioſa eſt affectio, & animi deliquium inducens, tum quòd animal non nutritur, tum quòd ſuffocatur: & quòd temperamenti ſymmetria alteratur ac corrumpitur. etenim crudi humores nutrire non poſſunt priuſquā concoquantur. Multi verò grauant aut obturant tranſpirationes, & calorem extingunt. Si verò neque obturarint, neque grauarint, hi ſyncopas, *id eſt animi deliquia* non inducunt, ſed omnino animo exoluuntur tales, ſi non frequentius alantur. D Danda eſt autem iis copia, non pro vna vice, neque cibi craſſi aut viribus frigidi, ſed ex genere attenuantium & calefacientium: ſic etiam medicamenta ipſis danda ſunt quæ homo febricitans accipere poteſt, attenuantia ac calefacientia. His commodum eſt vinum aquoſum album ac tenue, niſi valde febricitarint. quod tamen non adeo contingit in relata affectione. debiles enim ſunt iis febres, & adhuc magis ſi fuerint ſenes. Vinum autem dādum eſt ipſis ad ſingulos cibos, & potius ad veſperam & noctē, nō manè & vſque ad meridiem. iuuenibus verò nō E ſtatim ab initio vinum detur. Nulli porrò talium ſanguinis ablatio citra maximum detrimentum fieri ſolet, etiā ſi euacuatione indigent. Imò neque venæ ſectionem neque purgationem ferunt, qui ſanè etiam citra hæc derepente animo concidunt. Quomodo igitur hos ſanare oportet qui egent quidem euacuatione; euacuantia verò non ferunt? nullum equidem inueni in his euacuationis modum præter confrictionem. Incipere verò ſtatim ab initio morbi conuenit, primùm à cruribus ſupernè deorſum per lintea moderatè aſpera: deinde etiam totæ F manus confricentur ſupernè deorſum. Poſtquam autem artus ſatis calidi apparēt, & timor fuerit laſſitudinis ſenſum ipſis acceſſurum ob multitudinem frictionis, oleo laxāte vtēdū eſt, quale eſt quod dulciſſimum eſt: abſtinēdum autem ab omphacino & omnibus adſtringentibus. Hyemis autem tempore, etiam diſcuſſorio vtendum eſt, quale eſt oleum ſicyonium, & chamæmelinum, aut aliud ſimile, velut anethinum. Poſtea verò oleum detergeatur, & progreſſus ad totam ſpinam fiat: & hæc ſimiliter fricetur: primùm per lintea, deinde oleo. Poſtea rurſus ad crura G progreſſus fiat, & rurſus ad manūs, deinde rurſus ad ſpinā, ita vt per totam diem hoc agamus in domo lucem habēte puram, & minimè humecta: ſit autem & caliditate moderata domus. Commodiſſima eſt iis aqua mulſa, in qua coctum eſt hyſſopum: verùm neque cibi, neque ſorbitio, neque aqua ipſis danda eſt. neque permittendum vt largè bibant, ſed aqua mulſa ſola vtātur per primos tres dies, ita vt per ſucceſſionem fricemus, & illud ſolùm tempus remittamus in quo ſomnus ipſos occuparit. ad hūc au-H tem conducit maximè amplior frictio. ſed neque amplior ſomnus talibus commodus eſt: neque enim humores diſcuti permittit, & viſcera grauat. Vtriſque igitur moderatis natura opus habet ſomno & vigiliis. Si quidem igitur pulſus ipſis valde paruus & fortiter inæqualis eſt,

extremum periculum imminet; & facere oportet quæ dicta ſunt, nihil aliud curioſius conãdo. ſi verò firmitatem & magnitudinem moderatam habuerit, & non fractus neque mollis fuerit ac æqualis, ventrem conſidera, & clyſterem adhibe confidenter, ſi non probè egeſtionem faciat. Contingit enim ex aquæ mulſæ potu vt probè euacuetur omnis ſuperfluitas quæ in primis venis congregari ſolet iuxta ſimas hepatis partes & meſenterium. Si verò ſuperfluitatum impetus amplius quàm oportet in vẽtrem fiat, primùm amplius ipſam decoquito:(talis enim minus aluum ſubit) ſi verò etiam poſtea ſuperfluitas humorũ amplius feratur, neque ſic ſiſtere oportet, ſed pro aqua mulſa ptiſanæ ſuccum dare: ſi verò ferri adhuc perſeueret, ſorbitionem ex alica dato, pulſus nimirum in hoc ſequens. Aliquando enim derepente mutãtur ad debilitatem, aut inæqualitatem, aut paruitatem: quo tempore conuenit exhibere panem ex vino diluto, neque ventre videlicet neq; hepate inflammato. nam ſi inflammatæ fuerint hæ partes, corpore crudis humoribus repleto, deſperatus eſt æger, pulſibus ita mutatis. In talibus igitur ægrotis ſi mortem prædixeris, & nullum ſtrenuum auxilium adhibueris, teipſum inculpatum ſeruabis. In quibus autem ſpes eſt ſalutis (eſt autem in omnibus citra inflammationem ita ægrotantibus) quum à principio ſuſceperimus ipſos, turpiſſimum mihi videtur vt animo cõcidat æger. Si verò perceperis aliquando craſſos eſſe humores, ſemper acetum mulſum dabis pro aqua mulſa. Et ſi quidem æſtas fuerit, & æger frigidæ potor, huic frigidũ acetum mulſum dabis: hyeme verò omnibus calidum. Aduerſiſſima ſunt iis balnea, & aer nos ambiens multùm calidus aut frigidus factus. quare neque lauare conuenit, & reclinare tempore æſtatis in domo frigida: hyeme verò, calida. læduntur enim valde ex vtroque exceſſu. Nam in balneis, & æſtate, & omni caliditatis incremento, crudi humores diffundũtur, & per totum corpus diffluunt, vt periculum ſit etiam ad pulmonem & cor peruenturos eſſe, & quandoque etiã ad cerebrum recurſuros eſſe. melius igitur eſt circa hepar & venas ipſos permanere. At verò in domib⁹ immodicè frigidis, & hyeme, & omnino in frigido ambiente, humores crudi incocti permanent, & obturationes hepatis augent & exacerbant, ſi paruæ fuerint: ſi verò nõ fuerint, generant propter craſſitiem detenti ac impacti. A cataplaſmatis autem & perfuſionibus abſtinere oportet, donec multitudo partim euacuetur, partim concoquatur. qui enim hæc in talibus affectionibus adhibent, ipſi inflammationes per ea quæ faciunt efficiunt, non animaduertentes præcordia lædi. Hæc igitur facienda ſunt à prima die, vbi ipſe inceperis curationem. Si verò vbi iam animo concidunt vocatus fueris, præcordiis nõ inflammatis, dabis ipſis panem non multum vino fuluo madefactum. Et ſi quidem fuerit æſtas, aut regio natura calida, aut conſtitutio calida, cum aqua frigida: ſin contrà, cum calida vinum dabis. Poſtquam autem ſedatum fuerit eiuſmodi animi conciſi accidens, experiendum eſt vt calidæ potum exhibeas. nam ad totam curationem melior eſt calida, crudorum humorum concoctionem adiuuans. Statim verò & in iis ad frictionem deuenies eo quo dictum eſt modo.

De iis qui animo concidunt ob flauam bilem os ventris lædentem, Cap. XCVII.

IN quibus ob flauam bilem os ventris lædentem animi deliquium cõtingit, iis exhibendus eſt frigidus potus: ſit tamen hìc vinum calidum natura, fuluum tenue & vetus.

De iis qui ob tenues humores animo concidunt, Cap. XCVIII.

QVI ob tenues valde humores animo concidunt, vt citiſſimè tũ per ſudores tũ per obſcurã tranſpirationem exoluantur, contrario modo curentur iis qui ob crudos humores animo linquũtur. Nos enim paulatim euacuamus, eo quòd vires aceruatam euacuationẽ nõ ferant: qui verò ob tenues humores animo concidunt, paulatim aſſiduè nutrimus: ſi verò à principio hos exceperim⁹, viribus adhuc robuſtis, non paulatim alimus. poſſunt enim hi amplius alimẽtum ſemel exhibitum ſuperare. Quemadmodum autem diximus priores perniciosè affectos eſſe, vbi viſcus quoddam inflammatum fuerit, eodem modo etiam hos incurabiliter habere putandum eſt, ſi aliquod viſcus fuerit inflammatum, viribus iam languentibus. Neque enim poſſibile eſt ipſos aſſiduè nutrire, ſed in declinationibus ſolùm. neque ſi non nutriuerimus, poſſibile eſt ipſos ſeruare. In talibus affectionibus lethalis conſtitutio celerrimè fit in facie: naſus acutus, oculi caui, tempora collapſa, & quæ deinceps recẽſentur. Et ſiue amplius excreuerint, ſiue vigilauerint, aut triſtitia affecti fuerint, ſi nõ citiùs alantur, ſtatim talẽ faciẽ habẽt. Si igitur propter vigilias, aut triſtitiã, aut ampliorẽ excretionẽ, tale factũ fuerit, parum mali eſſe puta: ſi verò citra hæc, pernitioſum: atque hoc magis, ſi ſtatim à morbi initio ſic habuerint. non enim durabunt ad ipſius concoctionem. Nutrire igitur ipſos tunc neceſſarium eſt, & cutem ipſorum dẽſare, & aerem domus frigidum præparare, velut dictum eſt de iis qui ex ſicca intemperie febricitant. Vngendi quoque ſunt adſtringentibus vnguentis: & cibi exhibendi non valde promptè defluentes. Et neque aqua mulſa, neque ptiſanæ ſuccus eis exhibendus eſt, ſed panes, & ſorbitiones ex alica, & fructus auſteri ac ægrè corruptiles, tum per ſeipſos, tum cum pane & alica ex aqua cocta. Dentur etiam ipſis ouorum ſorbilium vitelli ſoli; & gallorum teſtes, & cerebella ſuilla probè aſſata, aut benè cocta. nam crudiora extremè lædunt. Et in ſumma, omnia facienda quò craſſior materia fiat, & cutis denſetur, & trãſpirationes impediantur. Prodeſt his vinum aquoſum ab initio poſt cibos acceptum.

De aliis animi deliquii cauſis, Cap. XCIX.

SVnt & aliæ quatuor cauſæ ob quas homines animo cõcidunt: dolor vehemens, vigiliæ, euacuatio immodica, & in delirantibus ipſe motus: his quintam, ſi libet, adde principiorum intemperiem. Celerrima igitur pernicies inſtat corde affecto: conſequenter autem cerebro.

De dolore animi deliquium inducente, Cap. C.

DOlor eſt repentina temperamenti mutatio, & futuræ continuitatis ſolutio: non enim quæ paulatim fit alteratio animal dolore afficere poteſt. Apparet enim corpora non ſolùm dum aceruatim ad non naturalem habitum ducuntur, moleſtam habere mutationem, ſed etiam dum ad naturalem habitum reducuntur (niſi paulatim id contingat) dolore affici. Proinde eos qui in vehementiſſimo frigore iter fecerunt, aceruatim calefactos dolore affici ſcimus circa vnguium radices, adeo vt ferre nõ poſſint. Quærimus igitur quomodo ægrotantes doleãt, nullo forinſecus accedente ipſis dolorem inducente. Neceſſariũ eſt in corpore talem quandam cauſam quærere, quæ calfaciens vehementer, aut perfrigerans, aut eſſentiam alicuius ſenſitiui corporis diuidens, angorem nobis inducat. Et primùm ſanè conſiderabimus cuius naturæ eſſe oportet id quod corporum diuiſionem facere poterit. Neceſſarium igitur eſt, aut rupturam, aut contuſionem, aut eroſionem eſſe affectionem in qua continuitas diuiditur. At ruptura fit ex tenſione, cõtuſio ex grauitate, eroſio ex mordaci qualitate. Quum igitur foris nihil fuerit quod dolorem inducat, aut tendens, aut grauans, aut mordens, ſed ex ſeipſo aliquid horum patitur corpus, omnibus nimirum manifeſtum eſt quòd ab aliquo intrinſecus fit. Ac tẽſio quidem ab eſſentia diſtendente corpus ipſam continens fieri poteſt, aut ab immodica ſiccitate: contuſio verò ab aliquo tumore duro adiacente: morſus autem ab acri humore. Conſiderandum igitur eſt in doloribus, an ſit humor multus, aut flatus tranſitum non habens, velut in colicis: aut grauis moles, velut in inflammationibus & tumorib⁹ induratis: aut tumor mordax, aut affectio ſicca, velut in cõuulſis: aut frigiditas vehemẽs, aut caliditas: & horum ſingulorum correctio ritè facienda eſt. Stupid⁹ itaque dolor ex frigida fit affectione: pulſatiuus autem dolor proprius eſt magnæ inflammationi. Si verò velut ab aculeo infixo, aut velut à terebro perforari quis ſibi videatur, craſſi inteſtini quod colum nominamus, hæc doloris ſpecies exiſtit. At verò in renibus cum grauitate quadam dolor eſt in vno loco firmatus, circum lumbum

dextrum aut ſiniſtrum,retrorſum magis:in colo verò do-
lor ex loco ad locũ trãſit. Pungitiuus autẽ dolor circa mẽ-
branas conſiſtit:qui verò proſiliens dolor appellatur,con-
tingit in vehementibus hemicraniis,dimidia capitis par
te affecta. Cognoſcitur ex hoc quòd velut à radice quadã,
à primariò affecta parte dolor initium ſumens,celerrimè
ad adiacentes vtrinque partes fertur. Quapropter ad am-
bas extremitates contingentibus diſtentionibus, etiam
nerui ad vtranque partem diſtenduntur: minimè ad lati-
tudinem diſtentos dolores nerui ipſi habent. At verò mẽ
brana ſubter omnem cutem diſtenta tenſiuos & ſtupidos
dolores inducit: quæ verò inter carnem ſunt mẽbranæ,
dolores velut diuellentes faciunt. ſunt enim multæ & in
æqualiter inſitæ,& forinſecus ipſam carnem ambientes.
Cæterùm circumſitarum oſſibus membranarum dolo-
res profundi ſunt,& ipſorum oſſium dolentium imagi-
nationem inducunt. Quum igitur nulla externa cauſa do-
loris apparet, prægreſſam cauſam & diætam conſidera.
Si enim fuerit præter conſuetudinem otioſior, aut cibis
pluribus homo vſus ſit, aut multùm nutrientibus,aut cõ-
ſueta excretio ſuppreſſa ſit: ſi quicquam horũ, aut omnia
apparuerint,multitudo eſt doloris cauſa:& propterea quã
celerrimè homo euacuetur. Sic enim cum omni ſecurita-
te tibi licebit iis quæ fluxiones repellũt vti in partibus do
lore affectis. Si quidem igitur multitudo fuerit quæ diſ-
tendit, viribus fortibus exiſtentibus,vena ſecetur, & ex
magna vena inflammatæ aut dolẽti parti propinqua ſan-
guis auferatur:ſi verò debiles fuerint vires, reuulſio fiat
& deriuatio ſurſum,aut deorſum,aut vtrinque,aut per fri
ctiones. vitioſis autem humoribus ſolis infeſtantibus,pur
gatio fiat; ambobus autem concurrentibus, vtriſque eua
cuationibus vtendum eſt,primùm venæ ſectione, poſtea
purgatione:ſi verò his factis dolor remanet, manifeſtum
ſanè eſt circa partem affectam impactum eſſe id quod
moleſtat. Manifeſta eſt etiam curatio, per diſcuſſoria fiẽs
medicamenta. Eodem verò modo etiam propter ſpiritũ
flatuoſum aut pituitam viſcoſam fiente dolore, velut in
colicis,per fomenta & irrigationes medemur:ſi verò tu-
mor grauans aut cõtundens dolorem effecerit, tumor
ipſe curãdus eſt per attenuantia ac rarefacientia: at ſi ob
mordacem humorem dolor fiat,aduerſiſſima his ſunt at-
tenuantia ac calefacientia. Anethum autem viride in o-
leo coctum,dolorem eximit,& ſomnum inducit ſi affe-
cta pars oleo calido irrigetur.

De animi deliquio propriè dicto,
Cap. CI.

HActen⁹ de ſyncope dictũ eſt, *id eſt animi deliquio. q. d. a-
nimi conciſione*. Tale verò quiddam eſt & quod pro-
priè lipothymia, *id eſt animi deliquium*, vocatur,itémq; ecly-
ſis, *id eſt exolutio*. Et nomen quidem lipothymiæ vnum eſt,
cauſæ verò ipſius plures:& curationes iuxta ſingulas ſpe-
cies. In tantum autem de ipſis nunc dicemus, in quãtum
quis his ſatis cognitis, reſiſtere poſſit exacerbationibus
derepente incidentibus. Differt autem lipothymia à ſyn-
copa,quòd lipothymia derepente incidit, ſenſu & motu
hominem priuans:& omnino nõ ſudant:ſyncope verò &
vigilantes & dormientes inuadit,& omnino cum ſudo-
ribus qui ſyncoptici appellari ſolent.

De iis qui ob ventris profluuium,aut ſanguinis
eruptionẽ,aut immodici ſudoris euacua-
tionem animo linquuntur,
Cap. CII.

QVI ex bilis ſupernè ac infernè excretione & alui flu-
xionibus,& aliis immodicis euacuationibus animo
linquuntur,his aqua aſpergenda eſt,& naſus apprehendẽ-
dus,& os ventris confricandum,& digitis aut pennis im-
miſſis lancinandum,& ad vomitum cogendum. Manus
& crura pluribus & vehementioribus vinculis deligẽtur.
manus in euacuationibus infernè fientibus,crura verò in
ſupernè fientibus. Auxiliatur etiam in talibus euacuatio-
nibus vinum aquoſum vetus frigida dilutum. Balnea ve-
rò fluxionibus in ventrem commoda ſunt:verùm iis qui
ob ſanguinis eruptionem, aut ſudorum immodicorum
euacuationem animo linquuntur,aduerſiſſima ſunt. Ad-
ſtrictione enim hi indigent,& frigiditate,non laxatione.

A Vinum verò frigida dilutum,velut dictum eſt,etiam his
commodum eſt. neque verò extremitates ligare condu-
cit,neque vomere,neque omnino moueri: ſed dẽſari his
conuenit ac frigefieri. Quapropter aerem domus frigidã
paramus,frigidos ventorum flatus inducentes, & paui-
menta adſtringente qualitate ſternentes,velut myrto,ro-
ſis,pampinis vitis.

De iis qui ob humorum copiam animo
linquuntur, Cap. CIII.

B QVI ob humorum copiam animo linquuntur,pluri-
mùm fricentur & calefiant,& manuum iũcturæ ac
malleoli ipſis deligentur: à cibo verò & vino, ac balneis
omnino arceantur,ſi febricitarint. in potu autem detur
acetum mulſum.

De eis quæ ob quandam vteri affectionem ani-
mo linquuntur, Cap. CIIII.

SImiliter etiam eæ quæ ab vtero affecto exoluuntur,ex
aceto mulſo curandæ ſunt. Et crura fricanda ac ligãda,
maximè eis quæ ab vtero ſtrangulantur,& in quibus retra
C ctus aut loco motus eſt vterus. cucurbitas quoque ingui-
nibus à femoribus affigemus. Et naribus quidem odora-
menta graueolentia adhibebimus:vtero verò beneolen-
tia,& laxare ac calefacere potentia medicamenta admo-
uebimus. At verò eis quæ ob immodicam menſium eua-
cuationem animo linquuntur, manus magis deligabi-
mus,& fricabimus,& cucurbitam pectori affigemus.

Ad eos qui ob ſtomachi debilitatem animo
linquuntur, Cap. CV.

AD eos qui ob ſtomachi debilitatem animo linquun-
D tur, cataplaſmatis vtemur ſtomachum roboranti-
bus,ex palmulis,vino,polenta,croco,aloe,maſtiche: & ir
rigationibus ex abſinthio,& oleo melino & maſtichino
ac nardino, & vino. Et,ſi ſtomachus exuratur, admiſcen-
da ſunt etiam frigefacientia,velut eſt ramentorum cucur
bitæ ſuccus,aut lactucæ,aut portulacæ,aut ſolani, aut inty
bi,aut rumicis acuti,aut vuæ acerbæ. hic autem non ſo-
lùm frigefacit,ſed etiã adſtringit. Prodeſt etiam genero
ſè ipſis extremarum partium frictio. Si verò ex horum v-
ſu melius habuerint,eos quidem qui ſtomacho exurũtur,
E ſtatim ad balneum ducere oportet:Iis autem qui quendã
frigiditatis ſenſum habent,parum dandum eſt de medi-
camento ex tribus piperis generibus conſtante,aut ipſum
piper album.

De iis qui ob vitioſos humores os ventris ro-
dentes animo linquuntur, Cap. CVI.

QVicunque vitioſis humoribus os ventris mordenti-
bus exoluuntur, iis aqua calida data vomere iube-
to. Si verò ægrè vomant, ſtomachus & pedes ac manus
prius foueantur, deinde digitis aut pennis immiſſis vo-
F mant:ſi verò vomitus non contingat,ventris excretionẽ
adiuuare oportet glandulis ſubditis. Si verò ex his melius
habuerint,comam abſinthii in aqua mulſa coctam bibẽ-
dam dato,& omnibus modis ſtomachum corroborato,
tum per ea quæ foris imponũtur,tũ per ea quæ intra cor-
pus ſumuntur. Non tamen à principio hoc facere conue-
nit, neque abſinthium præbere: ſed poſt vitioſorum hu
morum euacuationem, vbi iam pura facta fuerit aluus.

De iis qui ob pituitam in ſtomacho collectam a-
nimo linquuntur, Cap. CVII.

SI pituita multa & frigida in ſtomacho collecta exolu-
G tiones fieri contingit,ſtomachum oleo calido in quo
abſinthium coctum eſt,plurimum rigabimus: deinde a-
quam mulſam dabimus,in qua hyſſopus aut ſimile quid
commaduit. Item acetum mulſum,& piper, & pharma-
cum ex tribus piperis generibus cõſtans, & id quod dioſ-
politicum appellatur. Et tota rationis victus ſumma ad
inciſorium ductum ſit deſtinata.

De animi deliquio ob fortem frigidita-
tem, Cap. CVIII.

H EXolutiones ob fortes frigiditates, ſimiliter vt corre-
pti bulimo, *hoc eſt magna fame ex frigore oborta*, curentur,
ita vt omni modo ipſos calefaciamus. Vinum igitur dan
dum eſt ipſis calida dilutum,& cibi calefacientes. frican-
di ſunt etiam ac fouendi iuxta ignem.

De animi deliquio ob multam caliditatem, Cap. CIX.

QVI ob multam caliditatem animo linquuntur, aut in aere ſuffocante verſati ſunt, aut in balneo diutius moram traxerunt, eos roborare oportet, confeſtim quidē frigida aqua aſperſa, & ventilatione facta, & ægro ad ventum conuerſo. Fricandum eſt etiam ac lancinandum os ventris: & conſequenter vinum, & cibi dandi.

De animi deliquio ob inflammationem, aut malignam febrem, Cap. CX.

QVI ob inflammationum magnitudinem, aut vehementis febris malignitatem animo linquuntur in ipſis acceſſionibus, & artus perfrigeratos habent, eos fortiter fricare oportet ac fouere, & crura ac manus ipſorum deligare, & iubere vt vigilent, & ab omni cibo ac potu abſtineant. Optimum eſt autem in iis prænoſſe quod futurum eſt, & ipſum ante exacerbationem lenire ac mitigare.

De animi deliquio ob ſiccitatem, Cap. CXI.

SED & eos qui ob ſiccitatem animo linquuntur in exacerbationum principiis optimum eſt prænoſcere. Si enim duab⁹ aut tribus horis ante acceſſionē, nutriueris, & manus ac pedes ligari iuſſeris, non interibunt. oportet autem cibos eſſe cōcoctu faciles & ſtomacho commodos. Si verò etiam vehemens periculum fore ſuſpicaberis, panem ex vino dabis, aut alicam coctam vino infuſo exhibebis: ſi verò modicam ſyncopam fore ſperas, vinum ne dederis, ſed mala punica, aut alia poma, & adſtringentes fructus cibis admiſcebis. at poſt exacerbationem nō eſt neceſſarium fructibus vti. Iis verò qui derepente in periculum incidunt, vinum calidum dandum eſt, & panis, & alica omnino modica: ſi enim aut amplius dabis, aut cibos concoctioni reſiſtentes, ii qui ſic affecti ſunt ſuffocabuntur.

De animi deliquio ob principalis membri obturationem, Cap. CXII.

QVI ob principalis partis obturationem animo linquuntur, iis acetum mulſum dandum eſt, & potiones ex hyſſopo, origano, pulegio & melle, & cibi inciſoria vi præditi. Craſſi enim & viſcoſi magno iis detrimēto ſunt. quare ab ipſis abſtinendum eſt. Fricandi ſunt artus & ligandi: & potionibus vrinam cientibus vtendum, ex apio, petroſelino, dauco, & ſimilibus. Vbi verò manifeſta conſequitur vtilitas, etiam vino aquoſo veteri vtendum eſt.

De animi deliquio ob repentinam euacuationem, Cap. CXIII.

SI ob repentinam & aceruatim factam abſceſſus rupturam, aut ſectionem, aut euacuationem (velut in hydropicis) animi deliquium cōtigerit, ſtatim quidem odoramentis reuocentur, poſtea verò ſorbitionibus probè concoctilibus nutriantur.

De animi deliquio propter affectus, Cap. CXIIII.

SI propter triſtitiam, aut gaudium, aut timorem, aut iram, aut terrorem, exolutio fiat, per odoramenta, & narium ac oris apprehenſiones reuocatos ad vomitum cogito. De cardiacis & bulimo dicetur ſuo loco in ſtomachi affectionum tractatu.

De capitis dolore in febribus, Cap. CXV.

IN iis quibus in febribus caput dolet, vitanda eſt multa lux: lædit enim viſum, & membranas ad motum ducit. Vtendum eſt autem frictione pedum, & extremitatū deligatione ac conſtrictione. Vitanda eſt etiam caliditas à carbonibus, aut lucernis, aut ſole & fumo: itē iniucundi & humiditate referti odores, & clamores, & iræ, & frequens potus, ac collutio oris. Nam aut ſtatim ab ore aut humecto ſtomacho, vaporum multitudo ad caput defertur, quod aliâs iam ignitum eſt. Maximè verò irrigationibus largioribus vtendum eſt, ex oleo omphacino aut optimo roſaceo, lanæ manipulo excepto, & digitis ex alto expreſſo, & inſtar ſalientis cum ictu quodam delabente. Quòd ſi non reſiſtat aer ambiens, frigida ſit irrigatio, aut
A per ſe, aut ex noſtro ſtudio. Aucto autem dolore, etiam in aurem roſaceum fundatur. Si verò tempus permittat, & dolor cum ardore quodam innitatur, ocymi ſuccus aut polygoni, aut menthæ, ex tertia aut quarta parte roſaceo admiſceatur. Et tunc etiam parum aceti ipſis diligenter admiſceatur, maximè in quo ſerpyllū fuerit coctum. Perſeuerante verò dolore, ad venæ ſectionem deueniendum eſt, ſi nihil aliud fuerit quod prohibeat. Odoramēta quoque non incommodè aſſumuntur, myrtus, roſa, pulegiū. Cataplaſmata verò conueniunt in ſincipite ac fronte, po-
B lygonum tritum cum flore polētæ, & foliis ſeridis ac plātaginis: ſi verò dolor vehemēter incumbat, hyoſcyami folia viridia aut papaueris cum micis panis. Præſtant autē amygdalæ amaræ madefactæ ac decorticatæ, & cum micis impoſitæ temporibus ac fronti. Optima verò eſt aloe fronti illita cum aceto: aut crocomagma. & inteſtina terræ trita illinuntur: & celerrimè mirificè opitulantur. Venter porrò in ipſis facilè ſolubilis præparetur. Conſiderandum tamen ne ſtomachus vehementer infeſtatus, caput ad cōſenſum perducat. & conandum vt quæ moleſta ſunt
C per vomitus euacuentur.

De vigiliis in febribus, Galeni, Cap. CXVI.

SI vigiliæ nimium infeſtauerint, manus & crura deligari iubebimus eo tempore quo ad ſomnum conuerti ſolent, & hortamur vt aſſiduè aperiant ac claudant palpebras, donec ſatis fatigati fuerint. Deinde repēte ſoluimus ligamenta, & tollimus lucernam, & multam quietem eſſe iubemus. Ex Herodoto & Philumeno. Puluinaribus vigilantium ſubdantur capita papaueris, aut radices papaue-
D ris nigri, aut mala mandragoræ, aut hyoſcyamus. Odoramentis autem vtendum eſt, papauere viridi, & lactucis quæ meconitides appellantur, & mentha, & coriandro ac roſis. Nos autem minus horrenda faciei prolutione vtimur, incoctis in aqua capitibus papaueris nigri, & meliloto, aut calamintha, aut pulegio: & meli⁹ facit. Odoramētū verò optimum hoc eſt: Papaueris albi capitum toſtorum, corticis radicis mandragoræ, æquales portiones terito, & vino ac pauco roſaceo ſubactas olfaciendas exhibeto. Suffumigio autem ſomnifico vtendum eſt tali: Styracis, amomi, ammoniaci thymiamatis, bdellii Scythici, corti-
E cis radicis mandragoræ, opii, ſingulorum æquas partes præparato, & ſuffito in lignis cupreſſinis. Mirificè facit etiam Berenices ſuffumigium, ſimiliter ſuffitum: ducit enim ad ſomnum. deſcriptum autem habetur in tractatu de theriacis, Sermone inquam decimotertio. Vnguento verò ſomnifero vtere hoc: Styracis ſextantem, roſarum ſiccarum vnciam vnam, ſeminis hyoſcyam i nigri vnciam vnam, baccarum myrti nigrarum vnciam vnam, olei roſacei libram vnam, vini veteris odorati quātum ſatis eſt.
F Contuſa & cribrata terito cum vino, & adiicito oleum, & vnitis vtitor, illitis ex eo naribus intrinſecus ac extrinſecus, & fronte. Imponendum eſt etiam fronti ſerpyllum cum meliloto in paſſo coctum: item ſemā ocymi, & atractylidis ſemen, hyoſcyami ſemen & folia: ſimiliter & ſolani halicacabi, itidem faciunt. Illine etiam frontem ex cyphi cum vino, & crocomagmate. Si verò perſeuerarit vigiliarum ſymptoma, frontem & tempora aliquo paſtillo dolorem eximente illine: & ſi nihil profecerit, prædicta rei difficultate, ad dolorem eximentia, in potu exhi-
G benda procede. Eſt autem minus moleſtum, & ſapore iucundius omnibus pharmacis ſomnificis, id quod ex capitum papaueris decocto ac melle componitur, cuius compoſitionē paulo pòſt in hoc Sermone referemus. Vtere & cataplaſmate optimè ex palmulis maceratis aut coctis in vino, & cum polenta tritis, adiecto modico roſaceo, aut melino. Pectori enim impoſitum quodammodo præparat ad ſomnum.

De graui ſopore, Herodoti, Cap. CXVII.

PErfectā curationē eorū qui in grauem ſoporem dela-
H pſi ſunt, in ſequenti Sermone de capitis affectionibus trademus, in quo etiam de phrenitide docebimus: nunc autem dicere neceſſarium eſt quomodo quis vrgentibus ſymptomatis reſiſtere poſſit. Proinde ſpongia poſca imbuta, non valde frigida, faciem detergere oportet, & ex-

tremitates fortiter deligare. Odoramenta verò adhibeātur inciſoriam vim habētia & excitatoriam: & maximè caſtorium. Et in exacerbationū remiſſionibus cucurbitæ dorſo ac ſpinæ efficaciter affigantur. Perſeuerante verò morbo, etiam ſternutatoria in exacerbationū remiſſione adhibeantur. Cauendum autem eſt à lucernarum vſu: caput enim inde repletur. ſit autem & ciborum materia inciſoria vi prædita. Habēt autē vim excitādi etiam in ipſis ea quæ ſequenti Sermone ad lethargicos deſcribentur, tū per ſe, tum cum aceto naribus admota.

Quomodo linguæ aſperitas in febribus curanda ſit, Cap. CXVIII.

Lingua in febribus aliquando ſiccatur, & opus habet humectatione: aliquando verò exaſperatur magis aut minus, & diffringitur, aut nigreſcit, aut carbonis ſpeciem induit: quod à viſcerum inflammatione contingere ſolet. Si verò ipſa quidem lingua, velut dictum eſt, affecta fuerit, præcordia verò mollia reperiūtur, periculoſum ſignū eſt. Humectare autem ipſam oportet, ſeminis lini decocto in ore detento. efficacius id erit ſi myxæ cum ſemine lini fuerint coctæ. Sed & digito in hoc ſucco madefacto linguam confricabimus, ſimul detrahentes etiam ſordes dentibus adhærentes: deinde colluant os aqua pura, aut ſpongia pura detergeant: deinde roſaceo diligenter illinantur. ſed & ipſum roſaceum melli admixtum egregiè efficax eſt. Et portulacæ ſuccus in ore detentus, locos humectat: & rhus culinarius, aquæ aut aquæ mulſæ admixtus: & prunorum damaſcenorum aut myxarum oſſa in ore detenta mitigant. Sæpe etiam lactucæ caulem ad oliuæ magnitudinē deſectū, aut de ſymphyti radice in ore tenendum dedimus, & quod oportuit fecit. Sint autem cibi mordacitatis exortes: & omnino non adſtringentes, leuéſque ac ſorbiles: ſi verò etiam præcordia inflammata fuerint, horum curationem facere oportet. Principium enim & finis interaneorum lingua eſt: ſi verò diutius durauerit linguæ aſperitas, adipem anſerinum ſi affuerit: ſin minus, gallinaceum aut qui adhuc præſtātior eſt, phaſianicū duplici vaſculo liquato, & digito in ipſo intincto, linguam abundè fricato. Si verò adhuc perſeuerarit aſperitas, butyro recenti ſimiliter vtere: facit optimè, ſed in principio eo vti non conuenit.

Quomodo ſitis curanda ſit, Philumeni, Cap. CXIX.

Sitis duplex eſt, altera ob humiditatis inopiā: altera ob caliditatis redundantiam. In febrientibus itaque ambæ affligunt. nam caliditas in his multa eſt, & ſiccitas ſuccedit, multa humiditate per violentiam febris conſumpta. Si quidem igitur ſine detrimēto bibere poſſent quādo vellent, hanc ſanè ſitis medelam ſtatim amplecteremur. Quandoquidem verò & menſuram & tempora potus diſcernere oportet, lenimenta quædam ſitis excogitāda ſunt. nam intempeſtiuè ſumptus potus, nō ſolùm ſitim non extinguit, ſed etiam vice verſa auget. In principiis enim exacerbationum omnes materiæ febres accēdentes ad profundum declinant, & propterea ſitim intendunt. Datus autem in illo tempore potus à materiæ multitudine ſuperatur, & ſimul vitiatus acceſſio fit mali. Quare in principiis & augmentis potus exhibitionem prohibere oportet. In vigoribus autem primùm per gargariſmos & per collutiones oris, ſqualorem corporis mitigare oportet: deinde declinatione incipiente potum dare. In remiſſione verò etiam nolentes aliquando cogantur potum aſſumere, vt ne humore indigi ad exacerbationis acceſſionem delati reſiccentur ac exurantur. Mitigare autem aliquo modo ſitim oportet olei frigidiſſimi irrigatione, aut roſacei inſtar ſalientis delabentis. ſed & auxilia ad febres ardentes relata, & ea quæ ad linguæ aſperitatē dicta ſunt in ore retinenda, ſitim mitigant. Omnibus autem præſtat lactucæ ſemen commanſum, & radix dulcis appellata, & cucumeris ſemen. Oportet autem poſt horum commanducationem collutionibus ac gargariſmis vti. ſint autem & cibi omnes humectantes. Catapotion ſitim eximēs, ex Dioſcoride: Seminis cucumeris drachmas octo, tragacāthæ drachmas quatuor, tragacantham tuſam ac cribratam ouorum crudorum recentium candido dilue, & ex contritis ſimul catapotia efforma, eáque in vmbra ſicca, & vnum ſub lingua tenendum præbe, ita vt diſſolutus liquor abſorbeatur. Dato etiam cremorem malorum cydoniorum abſorbendum, aut pirorum, aut omphacii ſuccum, aut hydroroſatum, aut mel roſaceum cum aqua calida. at verò in ſanis, ſitis ob ſiccitatem factæ, medela eſt ſomnus. concoquit enim humores. Sitis autem ob caliditatem medela, ſunt vigiliæ. Caliditas enim in vigiliis circa ſuperficiem expanditur: ſitis verò ob caliditatem eduliorum factæ, aut ob multum vini potum, medela eſt frigidæ potus.

De aurium dolore in febribus, Philumeni, Cap. CXX.

Aurium dolor in febribus fit, & aut ipſe febrem auſpicatur, aut ſuccedit, & periculoſiores febres efficit. Succedunt dolori atque inflammationi etiam vigiliæ: ſi verò perſeuerarit, etiam mentis emotiones. Hippocrates autē lethales fieri dicit in his dolores. Si igitur moderatus eſt dolor, & in principio roſaceum tepidum auribus inſtilletur: aut candidum & aquoſum oui, cum lacte muliebri. forinſecus autem hapſo lanæ oleo imbuto, in quo anethum coctum eſt, aures obturentur & integantur. Caput etiam roſaceo irrigetur, aut oleo omphacino. ſi verò dolor amplius intendatur etiam venæ ſectio aſſumatur, & aluus irritetur. Poſtea quoque forinſecus per ambitum aurium cataplaſma ex pane aut ſemine lini imponatur, hyoſcyami aut papaueris viridibus foliis ſimul contritis: butyrum autem pro oleo in cataplaſma miſceatur. At in dolorum exacerbationibus, fouendi ſunt loci ſpongiis aqua & oleo calido imbutis, donec dolor ſiſtatur: vehementer enim hæc mitigant: & rurſus prædictum emplaſtrum imponatur. Inſtillandum eſt etiam auribus oleum amygdalinum: aut roſaceum, in capite papaueris ad calidum cinerem calfactum: aut inteſtina terræ in roſaceo cocta inſtilla: aut aſellos ſub hydriis ſtabulantes, aut araneos.

Auris ſuppuratæ curatio, Cap. CXXI.

Suppurata inflammatione & eruptione per meatum facta, vbi lana ſpecillo obuoluta pus eduxerimus, primùm aqua mulſa eluimus: deinde vino mulſo: poſtea aceto mulſo: deinde modica nitri ſpuma aceto mulſo admixta. In meatum verò indemus noſtrum medicamentum lana exceptum, quod egregiè facit. Eſt autem alumen liquidum, mel, & roſaceum, æquis portionibus ſingula modicè cocta. Optimè facit & Muſæ paſtillus, optima ſapa & modico aceto dilutus. Cæterùm de ſonitu & audiēdi difficultate, inter cōmunia auxilia dicetur. Noſſe tamē oportet, peſſimū ſignū eſſe in acutis febribus auditus difficultatem. nam aut lethargum, aut mentis apprehenſionem, aut parotidas pernicioſas, aut aliud quoddam periculum minatur. Raro autem permanet audiendi difficultas in aliquo qui morbum ſuperauit, ſed ſimul cum morbo intercidit. Etenim aliquādo per circuitū repetit in exacerbationibus augeſcēs, in remiſſionib⁹ verò ſimul diſcedēs. Quo cōtingente auditoriū meatum vexare non oportet: ſed ſolùm caput irrigare cum iis quæ in febribus ad capitis dolorem conueniunt.

De lippitudine in febribus, Cap. CXXII.

Si lippitudo in febribus fiat, abſtinere oportet ab omni medicatione. Infundēdum eſt autem oui tenue & cādidum cum lacte. & foris illinendum glaucium, aut Nili collyrium ex roſis, aut aliud quoddā ex croco, ex iis quæ fluxiones repellunt cum refrigeratione. Si verò dolor vehementer vexet, fomentum fiat per ſpongias, & hapſus lanæ ouo imbutus pro more imponatur: ſi verò augeatur dolor, etiam panis imponatur in capitum papaueris ac meliloti decocto madefactus, cum oui aſſati vitello, aut etiam cocti, addito modico roſaceo: aut pſyllium feruenti aqua madefactum imponito. Suppurata inflammatione collyriis dolorem eximentibus vtendum eſt.

De oculorum obſcuratione, Philumeni, Cap. CXXIII.

Fieri ſolet circa morborum ſolutiones, aut etiam vbi vires recolligunt ægri, circa vtrunque oculum aut circa alterum obſcuratio, vt vix videre poſſint, velut

per cali-

per caliginem quandam: & vt aliquando quædam ante oculos videantur pilis ſimilia. at dum oculi conſiderantur puri apparent. Rariſſimè verò in talibus circumſtantiis, circulus pupillæ aut minor aut amplior reperitur. Ipſum porrò obſcurationis oculorum accidens, vtplurimùm ſeminis in ſomno effuſione prægreſſa, iuxta morbi ſolutionem, aut refectionem eueſtigio incidit. Et eſt ſignum debilitatis ſpiritus viſiui ac neruoſæ partis. Itaque in perfecta corporis conualeſcentia, etiam viſus actio integrè reſtituitur. Quapropter à localibus auxiliis abſtinere oportet, & neque fomenta, neque illitiones adhibere: verùm refectorii totius corporis ductus vſu, hoc ipſum accidens corrigere.

Fluxus ſanguinis narium in febribus curatio, Cap. CXXIIII.

FLuxum ſanguinis è naribus in quarta die in febribus fientem, peſſimum ſignum Hippocrates dicit. multitudinem enim ſignificat in toto corpore aut in capite. Deſtillat enim ſanguis, aut ob cōpreſſionē, aut ob dēſationē meatuũ: at verò vberior excretio eius multitudinē & laxare & minuere poteſt. paulatim igitur euacuationē facere oportet inde vnde natura impetũ habet. Hac ratiocinatione facta, auſus fui in deſtillationibus in quarta die fientibus, per graminis cauliculum, velut mos eſt, vaſa narium ſauciare. Non autem oportet modico fluxu contentum eſſe, ſed pro viribus detrahere: ſufficiente autem facta euacuatione, conſueto more eundem ſupprimere.

Veſicæ & vrinæ difficultatis curatio in febribus, Philumeni, Cap. CXXV.

IN principio peſſimarum febrium etiam hoc accidit vt veſica doleat, & paulatim ac cum dolore vrinam emittat. Et hoc non ſolùm moleſtum eſt, ſed etiam ſignũ quòd tota pars neruoſa doleat. eſt enim totum corpus crudioribus humoribus refertum. Confluit autem ex ipſo aceruata multitudo in veſicam, quæ amplius diſtenta ad actiones ſuas inefficax fit, & periculum ſuppreſſæ vrinæ inducit. Proinde imo ventri, pectini, ac inguinibus, lana pura oleo dulci calido aut ſicyonio imbuta imponatur. Præſtat autem rutam, & anethum, & apii ſemen in oleo cocta eſſe, aut cuminũ tritũ lanæ inſpergere. Si verò dolor augeatur, etiã cataplaſmata poſt irrigationes adhibeãtur. Et in inteſtinũ rectũ oleũ & butyrũ cũ fœnigræci decocto infundãtur: in mulieribus verò, & in vterũ & in inteſtinũ rectũ. Si verò inflammatio vrgeat, & rubor multa caliditate in ſummo ventre appareat, etiam venæ ſectio aſſumatur. Diæta autem ſit tenuis & exquiſita. vtantúrque ptiſana, aut alica lota ex aqua mulſa, aut ouis ſorbilibus. Poſt hæc etiam micæ panis probè lotæ exhibeantur. deinde malua friabilis aſſumatur, & porrum capitatum pluribus aquis coctum: & piſces tenerrimi. Inſeſſio quoque apparetur vſque ad vmbilicum & totos lumbos, ex artemiſiæ, fœnigræci, pulegii decocto, & oleo admixto. progreſſu verò temporis, caſtorium lanæ inſpergatur. Cæterùm potus ita affectis commodiſſimus eſt, poſt augmentum quietum, cucumeris ſatiui ſemen, quod præmaceratum decorticatur, & tritum datur cochlear. II. menſura cum aceti cyathis tribus. Et mouet quidem vrinam citra moleſtiam, dolores autem eueſtigio ſoluit. A reliquis autem vrinam cientibus, quamdiu febres perſeuerarint, in totum abſtinendum eſt, vt ne vrinæ copia ad veſicam delata, ipſam diſtendat & malum augeat.

Lumborum doloris curatio, Cap. CXXVI.

LVmborum dolores fiunt plerunque in febribus prauis ſtatim ab initio, & permanentes maximas vexationes inducunt, & repētè diſſipati, periculoſiorem fore morbum indicant. Circa primos igitur dies irrigatione ex vino & oleo vtendum eſt. deinde ſpuma nitri, & vinum dulce mari mixtum, & oleum, ſimul vnita & lana ſordida excepta locis adhibeãtur. Tales autē irrigationes vehementiã quidē doloris mitigant, dolorem autem nō omnino tollunt. Progreſſu verò temporis venæ ſectione vtendũ eſt: deinde cucurbitæ adhibēdæ poſtea: cataplaſmata parabimus ex ſemine lini & fœnogræco, & hoc in ſacculum coniectum lumbis ſupponemus, vt ſuper ipſo decubitus fiat. deinde irrigatio ex oleo rutaceo fiat, & cerata ex cyprino facta adhibeantur. Venter autem à principio facilè ſolubilis per cibos paretur. Vehementer autem prodeſt ipſis clyſter, ex decocto cucumeris ſylueſtris & melle ſolo iniectus. euacuat enim pituitam, & citiſſimè alleuat, niſi vehemens fuerit febris.

Vlcerationis circa os ſacrum in febribus curatio, Philumeni, Cap. CXXVII.

IN diuturnis & aliàs habitum eliquantibus febribus, conſumpta carne, ſuper nudis oſſibus decubitus fit, & eminentes maximè ipſorum partes, doloroſas & ægrè curabiles vlcerationes habent, eo quòd per ſtratum trahantur. Nō ſolùm autem ob curationis difficultatem graues ſunt vlcerationes: (dilatantur enim & profundæ fiunt, & craſſa labia habēt, proſerpúntque, & vſque ad nuditatem procedunt) ſed etiam notatæ ſunt à veteribus, velut hæc affectio perniciem portendat. Quapropter antequam immedicabilis fiat, curationem eius aggredi oportet. Primùm itaque vbi locus rubicundus & doloroſus fieri incepit, circulum laneũ iuſtæ magnitudinis loco ſubdemus, quò affecta pars per vacuum firmata, à compreſſione liberetur, & decubitus minimè ærumnoſus fiat. Poſteà verò ceratum ex roſaceo aut myrteo oleo paratum, quod recipit ſpumam argenti, ceruſſam, ordeum vſtum, imponemus: ſubiecto videlicet ex lana circulo. Idem faciunt etiam omnia ſedis cerata: & adhuc magis id quod reſidet in æreis vaſis in quibus aqua coquitur: quod velut teſta adhæret fundis ipſorum, ſi cerato roſaceo admiſceatur. reperitur autem eius copia in æneis balneorum vaſis. Item ceratum ex melle, quod quatuor hæc æqualiter recipit, ſpumam argēti, oleum, ceram, mel. diluitur autem roſaceo, & mirificè facit. Adhibeatur etiam fomentum per ſpongias. Si verò inflammatio fiat, panis cataplaſma locis imponatur, cum ſolano, aut polygono, aut plantagine, aut braſſicæ foliis. Si verò paſcendo proſerpat vlceratio, lenticula cocta cum malicorio imponatur. Vtendum eſt & medicamentis ad nomas paratis, cum roſaceo dilutis. Item emplaſtro viridi Epigonii: & paſtillo qui Corax appellatur: & Andronis aut Muſæ paſtillo cum ſapa. Contracta autem & repreſſa noma, mitioribus communibus auxiliis vtendum eſt.

Vlcerationis circa ſcrotum & anum in febribus curatio, Philumeni, Cap. CXXVIII.

SÆpe in ægrotantibus exulcerantur partes hæ, quandoque ob ſolam negligentiam: aliquando verò etiam à prauis & acribus humoribus, & malignis febribus. Itaque reperire eſt ita affectos, etiam mente læſos, & non percipientes dolorem, neque animaduertētes feruorem, niſi is qui curam ipſorum gerit, ex odore cognoſcat. Primùm itaque per ſpongiam fouendus eſt locus ex aqua leniter calida: deinde illinendus myrteo aut roſaceo oleo. & poſtea ſcrotum myrto ſicca læuiſſimè trita conſpergatur: deinde ex candido oui, cum ceruſſa & modico roſaceo aut myrteo illinatur, vt ne exareſcat. Si verò illitionũ inquinamenta non ferant, ceratum molle præparetur ex roſaceo quod ceruſſam & argenti ſpumam habeat, & vitellos ouorum coctos. Conuenit, etiam ceratum butyrinũ & quod ex anſeris aut gallinaceo adipe paratur: & emplaſtrum ſiue ceratum ex ordeo: & omnia ad ſedem parari ſolita. Si verò nome ſuccedat, vtendum eſt curatione in oſſis ſacri vlceratione relata. Cibi verò exhibeantur ipſis dulciores, pro facta de febribus coniectatione. Ventris quoque cura habeatur, maximè locis circa ſedem alleuatis.

Puſtularum in febribus curatio, Herodoti, Cap. CXXIX.

IN febrientibus aſſiduè fiunt puſtulæ circa labia & naſum, iuxta febrium ſolutionem. Verùm in principiis febrium non ſimpliciorum, ſed à prauis humoribus ortarum, circa totum corpus exoriuntur vibices ſimiles culicum morſibus: in malignis autem & peſtilentibus febribus exulcerantur, & quædam ad carbunculorum ſpeciē accedunt. Omnes autem multitudinis corrupti & habitũ erodentis humoris ſigna ſunt. Quæ verò in facie oriũtur, omnium maligniſſimæ ſunt. deteriores autē ſunt plures

quàm pauciores, & maiores quàm minores, & quæ citò delentur quàm quæ multo tempore durant. Deteriores item feruentes quàm quæ pruritus inducunt. Et quæ quidem ſuccedunt aluo ſuppreſſa, aut moderatas egeſtiones faciente, bonæ ſunt: quæ verò fluente aluo & vomitibus vexantibus fiunt, malæ: ſi verò ſuccedentes aluum reſiccent, bonæ. Sequuntur ad puſtulas, febrium malignitas, & plerunque etiam animi deliquia. Eas igitur quæ circa febrium ſimpliciorum ſolutiones fiunt circa labia & naſum, roſaceo illinere oportet per ſe, aut cum ceruſſa & ſpuma argenti. Confert etiam paſtillus ex croco, myrrha, & alumine, quem iridem vocant. & niger paſtillus qui recipit crocomagmatis, balauſtii, atramenti ſutorii, myrrhæ & aloes, ſingulorum partes æquales. Teruntur hæc cum vino velut collyrium, & in paſtillos efformantur, & vſus tempore cum aqua aut lacte illinuntur: aut cũ vino, vbi adſtrictionem augere voluerimus. Agglutinãtur autem hæc poſt illitionem: aut ſine hac, pellicula palmulæ oſſi adhærente, aut membrana oui. At verò puſtulæ vibices referentes curentur venæ ſectione in principio, ſi nihil impedierit. ſolent enim reuerſæ intra corpus periculũ afferre, ſi non per vomitus aut per aluum acrimonia ſecedat. Quapropter etiam aluus per ptiſanæ ſuccum, & oua, & oleum chamæmelinum molliatur. detineant autem veſperi infuſum per totam noctem. Sed & ciborum contractione vtendum eſt, quò vndique multitudo tollatur. At in acceſſionibus propter ſuccedentes circa ſtomachum vehementiſſimos morſus, aqua tepida data vomere iubemus, digitis aut pennis immiſſis. Cibi verò exhibeantur contemperandi vim habentes: velut eſt ptiſanæ ſuccus, aut alica cum aqua mulſa. Si verò febris ardens infeſtet, illinatur corpus aqua & oleo, nitro modico admixto. Puſtulas enim circa ſuperficiem retinet & materiam in profundo attrahit, & profunditatem refrigerat, & ſæpe ſudores excludit, qui acrium humorũ multitudinem, in vaporem difflare poſſunt. Cæterùm in peſtilentibus & carbũculoſis, venæ quidẽ ſectionẽ adhibemus ſtatim in principio, nõ autem cibi cõtractionem. Fames enim peiorem materiam facit, & vires in his conſcindit, quas integras ſeruare volumus in omnibus febribus, maximè peſtilentibus. Si quidem igitur admiſerint loci, illinendæ ſunt puſtulæ pharmaco craſſo, ex roſaceo & ceruſſa, & thure ac vino dulciſſimo. aut ex ſpuma argenti & manna thuris cum roſaceo. reliquæ verò partes cerato integantur ex eadem materia parato. Conueniunt etiam ipſis omnia cerata & emplaſtra quæ ambuſtis adhibentur. & puſtulas quidem circa faciem, calidæ prolutione mitigabimus. Quæ verò in reliquo corpore ſunt, per ſpongias diutius foueantur, maximè prurientes. ſi verò ſerpentia fuerint vlcera etiam calcis viuæ parum admiſceatur: mirificè enim reſiccat, & ſerpiginem ipſarum ſiſtit. Quæ verò iam depaſcunt, lenticula cocta cum malicorio ac melle, aut plantagine, aut polygono, aut roſis cũ pane integantur. Bonum eſt etiam his caprinum lac, ad humorum prauitatem cõtemperandam. Oportet autem quartam partem lactis aquæ admiſcere, & ſimul coquere aſſiduè verſando donec dimidum de toto ſuperſit, quò neque in caſei naturam tranſiens exaceſcat, neque ferue factum nidoroſum fiat, propter febrem detinentem. De clinatione verò facta, per medicamentum purgatorium idoneum materiæ euacuentur. Poſtea autem antidotus theriaca detur aut mitridatica, aut alia quædam ad lethalia venena & virus eiaculantia facta. Nam humorum fortis mutatio per corruptionem facta, venenoſo pharmaco ſimilis eſt. Fiunt porrò aliquando puſtulæ magnæ colore albæ, modicum pruritum inducentes, redundantes in femoribus, natibus, lateribus, & ſumma ventris plerunque parte: originem autem ex multa lenta & alba materia habent. hæ verò cum toto corpore curantur. Neque enim grauem morbum minantur, ſi ſaltem modico victu quis vtatur. Quòd ſi febres in his vrentes fiant, exmodum fuerit frigidam dare in exacerbationũ vigoribus, morbo in vigore exiſtẽte, niſi viſcera habeãt quæ facile lædũtur. Fiũt etiã aliquãdo puſtulæ rotũdæ, inæquales, ſubalbidæ aut ſubrubræ cũ eleuatione carnis, aut varis ſimiles, qui in facie oriri ſolent, & duræ ſunt, ac multum pruritum inducunt, vt vigiliarum cauſa fiant, dum indefinens adeſt cupiditas ad ſcalpendum. Conſequuntur autem hæ plerunque ad febres intermittẽtes, & minimè grauem indicant morbum. quapropter conuenienti tempore æger in ſolium calidum intentè inſideat. Vtendum eſt & iis quæ foris illinuntur, velut eſt oleum myrteum aut lentiſcinum cum myrto, manna thuris, aut cimólia torrefacta, aut alumine, liquido, aut farina fabarũ. aut ſeſamũ tritum cum modico aceto illinito. Si verò pruritus vrgeant linteis crudis aut per ſpongias ex aqua feruente foueto: ſi autem exulceratæ fuerint, vtendum eſt ceratis ad ambuſta deſtinatis, præſertim eo quod ex ordeo paratur. Porrò quæ valdè rubræ ſunt, peſſimæ exiſtunt. His autem deteriores ſunt liuidæ, nigræ, & tumidæ, ſimiles exiſtentes carnibus compunctis: redundant autem in facie & pectore, & ventre, lateribúſque ac dorſo. Tales à principio aggredi non oportet, ſed differre. ſi enim non ſucceſſerit, in eum qui curationem aggreſſus aut pollicitus eſt, culpa recidit: ſi verò permanſerint hæ vſque ad vigorem, & non progrediantur in peius, non omnino negligere oportet, etiamſi rarò, attamen aliquando opem ferre, & opportuno tempore medicamẽta adhibere, atque magna animaduerſione curare. Quæ enim poſt mortificationem ſuperficiei ex alto emergũt, quid aliud ſignificarint, quàm vitam aliquo modo ab internis efferri?

De tremoribus in febribus, Herodoti, Cap. CXXX.

IN malignis febribus fiunt tremores. cõſlãtur enim ex vitiato victu, & frigidæ potu, & poſcæ ac multi vini, & ex immodico rei venereæ vſu, ac ſimilib⁹. Abſtinẽdũ itaq; eſt ab iis quæ nocuerũt, & exhibẽda quæ prodeſſẽ poſſunt. neceſſe eſt autem omnino affectam eſſe in omnibus ſpinalem medullam. Quapropter tota ſpina contegenda eſt, & affectæ partes, lanis ſicyonio aut potius gleucino imbutis: aut cerato liquidiore aliquo talium parato: aut ex oleo rutaceo. rigandum eſt etiam caput in primis diebus oleo dulci: ſi verò protrahatur morbus, anethino in acceſſionum interuallis. Deinde adhibeantur cucurbitæ à primo verticulo vſque ad lumbos, impoſitis cataplaſmatis iiſdem partibus vnà cum præcordiis, ex cruda ordeacea farina oleo & aqua diluta ac cocta. Integantur autem hæc lanis oleo veteri aut ſicyonio imbutis. cibi exhibeantur ſorbiles calidi. Prouidendum etiam vt facilè ſolubilem faciamus aluum, permanendúmque in hoc ductu donec febres minuantur aut ſoluantur. Progreſſu verò temporis ſi peruaſerint tremores, communis auxiliorum modus velut in aliis tremoribus adhibeatur, ita vt alternis in olei calidi ſolium locemus, & ante ſolii inſeſſum, & poſtea ſicyonio aut antiquo oleo illinamus. aliquando etiam caſtorium vnguento admiſcendum eſt. Si verò perſeuerarint dolores, etiam in potu exhibeatur caſtorium. & ceratum: imponatur ex ipſo paratum: & communia vnguenta ad reſolutiones in vſum aſſumantur.

De conuulſionibus in febribus, Galeni, Cap. CXXXI.

COnuulſiones plerunque fiũt propter repletionem neruoſarum partium, qua ratione etiam fortiter inflammatis accidere ſolent: inſupérque ob mordacem tenuem humorem neruoſas partes erodentem: & propter fortem frigiditatem congelato ſimile quiddam afficientem. fit etiam conuulſio ob excellentem ſiccitatem. Sequitur autem maximè ad pernicioſas phrenitidas, & tum propter febris vehementiam, tum intentos & agreſtiores motus. Et ex iis qui ſic conuulſi ſunt neminem ſeruatum eſſe, ipſe vidi, neque qui vidiſſet audiui. proinde prædictæ tres conuulſionis ſpecies curantur. Incurabilis eſt autem ea quæ ob neruoſarum partium fit ſiccitatem. Aliquando verò in ore ventris humor tenuis, & acris, ac maximè æruginoſus, conuulſiones fortes & ſyncopam inducentes efficit, vt frigidæ exudationes fiant. In iis aqua tepida in potu oblata, digitorum aut pennarum immiſſione, vomitum mouemus. Si verò circa inteſtina morſus ſenſus contingat, ptiſanæ ſuccum per clyſterem iniicimus. Da-

mus autem cibos ægrè corruptibiles,velut eſt alica cū mali punici granis,& ſimilia.Si verò nihil tale fiat,cōuulſiones per totum corpus fientes ſimiliter vt tetanicos,qui antrorſum ac retrorſum cōuellūtur,curabimus.In partialibus verò primùm partes contractas blandè contrectabimus,& dolores ipſarum mitigabimus,mollitérque fricabimus oleo ſicyonio antiquo calefacto. Si verò adhuc perſeuerent, etiam caſtorium admiſceatur,& reliqua relaxantia vnguenta adhibeantur. Qui verò ob ſiccitatem conuelluntur,propter febris violentiam, & præſertim delirio præſente,iis lauandum eſt caput multa calida dulci ac temperata aqua. Manus quoque ac pedes multa calida perfundantur: deinde oleo dulci calefacto caput irrigetur,& manus ac pedes illinantur, & amiculis foueantur, & quies ind ucatur.Quòd ſi ſanguinis multitudo adſit,& conuulſionē inducat,vena ſecanda eſt, deinde cucurbitæ affigendæ cum ſcarificatione.Et ſi quidem crura fuerint contracta, poſtremo verticulo cucurbita affigatur. Manibus verò conuulſis,ſeptimo verticulo, & ei quod humeri articulo ſubiectum eſt,cucurbitas affigemus. Si verò toto corpore ab affectione immuni labium contrahatur aut palpebra,graue hoc accidens ducendum eſt. Detractiones autem ſanguinis per cucurbitas in his fiant à ceruice & primis duobus verticulis.caput verò oleo anethino calido irrigetur. Vbi autē tempus balnei opportunum apparuerit, lauentur,& in aquæ potu adhuc ſeruentur. ſi verò vinum exhibere opus fuerit, modicum & aquoſum præbeatur.

De iucundis ac commodis potionibus in febribus, Philumeni, Cap. cxxxii.

DVplex robur & admirandum ſimul auxilium exhibet id quod etiam naturæ ob iucunditatem gratum exiſtit. Venter enim vbi quod blandum eſt ſuſcepit & in ſe complexus eſt, tenet & probè concoquit pro viribus, maximè ſi fuerit quantitate moderatum. Excitatur enim natura, & actiones ſæpe ab affectionum feritate miſerè afflictas ſuſcitat, ac morbo repugnat iuxta duplicem modum:Ipſum quidem malum palàm contrarietatis natura caſtigans:vires autem animal gubernantes conſolans, & excitans,ac fortificans ad ſuperandum morbum.Omnes igitur homines vtplurimum dulcibus gaudent potibus, & præſertim ſi adſtrictionem & caliditatem, & quaſdam eiuſdem generis qualitates habuerint admixtas:quale eſt vinum dulce, & vinum mulſum. verùm hos potus non tutum eſt in febribus exhibere. At eos quos nunc referemus, etiamſi magna animaduerſione opus habeant, tutius tamen quàm prædictos exhibere poſſumus.

De potione pharmaci ex capitibus papaueris, Galeni, Cap. cxxxiii.

SVmatur autem in manus medicamentum ex papaueris capitibus,quod optimum potu eſt iucunditatis gratia,& optimum ad calidas ac magnas affectiones circa viſcera conſiſtentes, & totum corpus apprehendentes. Item febricitantibus & cholericis in quibus bilis infernè ac ſupernè erumpit, affectionibus. & iis qui deliriis in febribus ac vigiliis affliguntur.Prodeſt & tuſſi frequenti ex tenui fluxione factæ, quæ ex capite calidiore in pectus deſtillat. Præparatur autem hoc modo: Capita papaueris moderatæ magnitudinis decem numero vnà cum ipſo ſemine,recentia,neque valde mollia, neque dura,in aquæ pluuiæ optimæ ſextario vno per diem ac noctem macerare oportet: deinde ad ignem non fumantē coquere,donec flaccida appareant:& expreſſo liquore,& per pāniculum rariorem excolato, mellis optimi deſpumati dimidiam aquæ menſurā admiſce,& agitando coque ad compagem mellis Attici.Præſtat autem per paſſum Creticum,aut per ſapam,mellis loco præparare, vbi fluxus fuerit valdè tenuis. Admiſceo etiam aliquando ad hoc pharmacum glycyrrhizæ radicem, vt vnà cum papaueris capitibus coquatur: ſi verò hæc non affuerit, ſuccū ipſius ſiccum iniicio. Si verò continetur in pulmone humor delapſus eductione indigens, melius eſt per mel ipſum parare. datur moderata menſura duorum cochleariorum. Augebis autem & minues copiam, pro corporis

A magnitudine cui id exhibes, & pro ætate, anniique tempore ac regione. In omnibus enim his ad frigiditatē declinantibus,minimū dabis:ad caliditatem verò,plus. Sed & deſtillationis quātitatis ac qualitatis reſpectu, plus aut minus dabis. Certè ex eo quod ex capitib⁹ papaueris Thebaici præparatur,datur ad ſummū vncia vna. talis eſt deſcriptio Galeni huius pharmaci. Ego verò ſemper in vſu eius quod ex paſſo præparatur perſeuero, aliquando mel admiſcēs ad eius exhibitionē, aliquādo acetū mulſū,aut mel roſaceū,aut omphacomeli,aut aliud quoddā pharma

B cū hepaticū,aut ſplenicū,aut ſtomachicū,& vires eius ad præſentē ſēper affectionē tranſmutās. Exhibeo autē ipſū non ſolùm ſomno indigentibus,ad veſperā,& ad tuſſim: ſed etiam inſania laborantibus poſt venæ ſectionē,& febrientibus vehemēter, & quibus os vētris intolerabiliter peruſtū eſt,& in igne ſacro atque aliàs calida affectione thoracis & pulmonis: hepatis itē ac inteſtinorum & meſenterii:Et non ſolùm ſemel,ſed iterum: & non ſolùm in febrium vigore,ſed etiam ante vigorem,& ante manifenifeſtam concoctionē, in quibus vigiliæ, aut caliditas a-

C cris & magna hominem affligunt. Præſtat autem ea quæ ſexcenties feci, in huius pharmaci exhibitione recenſere. Etenim in febribus putridis ante morbi vigorem, & in iis qui ex hepatis, aut ſplenis,aut pulmonis affectionibus ægrotant,acetum mulſum ſimplex exhibitioni eius admiſceo.In vigore verò febriū, omphacomeli, aut mel roſaceum adiicio.In rarioribus quidē corporibus, & qui os ventris debilius & non appetens habent,omphacomeli: iis verò qui dulci potu gaudent,& qui medicatum ali-

D quem humorē,aut bilioſum in ventre habent,mel roſaceum. atque hæc quidē in febrilibus affectionibus. Vrinæ autem ſtillicidium ex vrinarum acrimonia obortum, magnificè ſedat,maximè in balneo,& ante balnei ingreſſum largè datum. in quibus etiam victus rationem pleniorem & melioris ſucci eſſe iubemus. Sed & in nephriticis ac lumbis calidioribus medendi vim habet. At verò iis qui vrinæ profluuio laborant,& quibus bilis ſupernè & infernè erūpit,exhibeo frigida admixta,præſertim in calidioribus tēperamentis. Oportet autem in bilis

E ſupernè ac infernè effuſione, habitum corroborare forinſecus per adſtringentes irrigationes, & ſimilia: atque ſic pharmacum exhibere, cum omphacomelite calido temperatū. Si verò thoracē humoribus repletum per tuſſim euacuare volueris, acetum mulſum variè ad eius exhibitionem admiſceto, & calidum exhibeto.

Omphacomelitis præparatio, Cap. cxxxiiii.

BOtri vuæ aceruæ accipiantur qui iam matureſcere incipiūt.Deinde in domo tēperie moderata ad biduū vel triduum expandātur,& reſiccati exprimātur,& liquor

F vaſe vitreo excipiatur, & optimi mellis deſpumati pars vna ad tres ſucci partes admiſceatur,& ad dies aliquot ad ſolem exponatur hoc pharmacum, donec feruere deſiuerit ac quieuerit. deinde in domo ſuperiore ſeruetur nē putreſcat.Hæc autē proportio tibi pro regula ſit in optimo melle & optimo vuarū acerbarū ſucco. Augebis autē & minues quantitatē mellis,pro tenuitate aut craſſitie ſucci. Vtendū eſt ipſo in tenuibus ac diuturnis vētris fluxionibus ob calidas affectiones factis: & in iis quibus os vētris appetentiā nullā habet,propter caliditatē: & in his q̃

G humectū ſtomachū habent,poſt vētris per vomitus euacuationē.Et in prægnātibus mulieribus, & quæ terrā aut carbones, aut alia quædā aliena edūt, vbi per picrā ex aloe purgationē feci, omphacomeli exhibeo. Bonū eſt & iis qui ob excedentē vētris euacuationē, animo liquūtur.

Mellis roſacei præparatio, Cap. cxxxv.

MEl roſaceum tres partes ſucci roſarum exunguium excolati accipit,& mellis partem vnā. Coquitur autem ad ſolem calidum expoſitum ad plures dies,eodem modo quo omphacomeli.& poſtea adſeruatur.Si verò tur

H bulentus fuerit aer, aut frigidior, quando mel roſaceum paras,admixto optimo melle ad roſarū ſuccū,& per rarū panniculum ſiue linteum excolato, ſimúlque ad lentum ignē coquito,donec quartā aut tertiā ſucci partē cōſumpſeris,atque ſic exceptum medicamentum velut dictum

eſt adſeruato: & vbi calidiorem viderit aerem, velut om phacomeli inſolato. Adſtringit equidem leniter, & propterea frigefacere poteſt. habet & vim exterſoriam ex melle. Habet & ſubamarum quiddã & leniter acre: vnde ori cõmodũ eſt calidã quandã inflãmationẽ habẽti, propter calidi fluoris influxũ, itémque in acrib⁹ ac bilioſis fluxionibus in vẽtre: vbi videlicet affecti prius vomuerint. Exhibem⁹ etiã ipſũ iis qui vẽtre exurũtur citra humorũ ſuperfluitatẽ, atque hoc abſque vomitu. Itẽ febricitantibus, vigore iã totius morbi inſtãte, & particularis exacerbationis. Sæpe enim in febrilibus morbis etiã vnica potio larga ſufficit in cõueniẽti tempore data, ad affectionis ſolutionem, tum per ſudorum eruptionem, tum per ventris ſubductionem. Inter reliquos enim potus, mel roſaceum conuenientiſſimum eſt iis quibus acres humores per ventrem ſubire velis.

Hydroroſati præparatio, Cap. CXXXVI.

ROſarum recentium exũguium, & per diem ac noctẽ præſiccatarum libram vnam, mellis ſextar. I. aquæ pluuiæ ad tertias decoctæ ſextar. III. commiſceto hoc modo. Aquæ pluuiæ ſextar. IX. coquito donec tres reliqui fiant, & ad ablatam ab igne aquam feruentem præſiccatas roſas iniice, & vas pluribus operimentis probè contectum aſſerua. Sequenti verò die aquam excola, & roſas non expreſſas abiice, vt ne aſpera aqua fiat, & coniecto melle in mortarium, ac probè trito, aquam cum ipſo vnito, & fictilibus vaſis præſertim recentibus ac crudioribus excepta, ad paucos dies inſolato, & in domo in qua vinum repoſitum eſt adſeruato. Hoc multo magis quàm mel roſaceum frigefacit.

Apomelitis præparatio, Cap. CXXXVII.

APomeli ſic præparare oportet. Fauos accipe melle plenos, colore quidem albos, verùm mel pellucidũ continentes, & mel ipſum manibus exprime, & ad aquã fontanam optimam admiſce. Et ſi quidem craſſius fuerit mel, quatuor aquæ partes ad vnã mellis admiſcem⁹: ſi verò liquidiſſimũ fuerit mel, tres aquæ ad vnã mellis adiicimus: ſi verò ſicciores tibi videbũtur faui, ipſos in tenues partes cõminutos in menſuratã aquã mitte, & manibus ſufficienter tere, exprime, excola, & metire, & cognoſces quantum mellis addere oporteat. Deinde in ollam nouã mittimus, in qua prius aqua fuerit feruefacta, propter terream qualitatem, & ad ignem non fumantem coquimus, detrahentes ſemper inter ebulliẽdum inſidentem ſpumam, aut ceroſam partem. Poſtquam autem neque ſpuma, neque quicquam fæcis ſuperſtiterit, & octaua aut ſeptima pars de tota menſura deceſſerit, ollam ab igne tollimus ac frigefieri ſinimus. Et poſt perfectam perfrigerationem, ſequenti die id quod ſupernè fluitat detrahimus, & in vaſa fictilia recentia ac crudiora tranſfundimus, & in vinaria cella adſeruamus. Eſt autem apomeli exterſoria ac inciſoria vi præditum, & bilioſa per aluum ducit, & ad vrinam ciendam conducit, & febres putridas ad ſolutionem præparat. calidis tamen & ſiccis naturis aduerſatur. Et in morbis calidis, & præcordiis inflammatis nociuum eſt. & neque ſitim ſedat, imò etiam auget. Dandum eſt autem ante ſorbitiones. nam poſt cibum datum, nociuum eſt.

Hydromeli & cruſtuminati præparatio,

Cap. CXXXVIII.

HYdromelum ſic præparatur: Succi malorum lib. VI. mellis lib. XII. aquæ ad tertias decoctæ lib. XVIII.

Alia præparatio. Malorum dulciſſimorum & odoratiſſimorum, ac friabilem carnem habentium, corticem & interna grana detrahito, deinde contuſa exſuccato, & ſuccum per pãniculum purum ac denſiorem excolato. Sumito autem ſucci ſextar. I. mellis ſextar. II. aquæ pluuialis in coctura ad tertias redactæ ſextar. III. Poſtquam igitur præcoxeris áquam ad tertias, adiice ad ipſam mel, & vbi efferbuerint ſimul, ab igne ablata quodammodo frigefieri ſinito, & ſic omni ſpuma detracta, malorum ſuccum adiicito, & vaſis fictilibus excipito, oblinito, & in cella vinaria reponito. vtimur autem eo poſt dies quadraginta. Quum autem roſas exungues ad hydromelum admiſcere volueris, vnciam roſarum per diem ac noctem in ipſo macerato, deinde excolatum adſeruato. bonum enim colorem inde acquirit, & non aceſcit. Eodem verò modo etiam ex cruſtuminis, & aliis pirorum generibus præparare potes.

Cydonati præparatio, Cap. CXXXIX.

PRæparatur etiam ex malis cydoniis magnis, cortice & internis granis exemptis, deinde contuſis & exſuccatis, & ſucco per pãniculum excolato. Sumantur autem ſucci ſextar. III. mellis ſextar. VII. aquæ pluuialis ad tertias decoctæ ſextar. XII. Primùm itaque aquæ ſextar. XXXVI. coquimus, & vbi reliqui fuerint ſextar. XII. mel adiicimus, & quum ebullierint, ablatã ab igne ollam aliquatenus frigefieri ſinimus: poſtea detracta, ſuperſtante ſpuma, ſuccum cydoniorum adiicimus, & vnita excipimus, ac velut hydromelum aſſeruamus. Aliquando verò vt ne præparata potio corrumpatur in hyeme propter frigus, mel prius deſpumamus, & ſuccum excolatum ad ipſum iniicimus, & in fictili oblito per totam hyemem ſeruamus. Poſtea in vere aquam ad tertias decoctam, velut dictum eſt, accipimus, & mel cum ſucco ipſi admiſcemus, atque ſic vtimur. Idem faciemus etiam in malis, & cruſtuminis, ac aliis piris. Quomodocunque verò præparauerimus cydonatum & hydromelum, & ante hyemem & poſt hyemem, inſolamus ipſum per dies quadraginta, cauentes ab imbribus ac ventis, & ſic in vinaria cella reponimus. melius igitur eſt præparare id quod cum melle ſeruatur ſub caniculæ æſtu. Poteſt etiam roſarum exunguium, & per diem vnam ſiccatarum vnc. I. ad ſextariũ mellis deſpumati adiici, & aqua, velut dictum eſt, ſub canis æſtu coqui, & vniri & ſic excolari, ac per dies quadraginta inſolari. Conuenit hoc quod ex ſucco malorum cydoniorum præparatur, morbis qui adſtrictione & exterſione opus habẽt, qui internis partibus exulceratis fiunt, ore, ſtomacho, ventre, & inteſtinis. Auxiliatur etiam ſcabiei in venis, & renibus ac veſicæ in quibus furfuraceæ ac ſquamoſæ & capilliformes vrinarum ſunt ſubſidẽtiæ.

Aceti mulſi præparatio, Cap. CXL.

ACetum mulſum componitur ex optimo melle, & pellucidiſſimo aceto, ita vt ſint mellis partes duæ, aceti pars vna. Hæc proportio pluribus corporibus conuenit. variari tamẽ poteſt ſemper pro guſtus & temperamẽti ægroti ratione, vt habeat quod blandum ac gratum eſt naturæ. coquitur ad mellis compagem, & exhibetur calida temperatum. Potatum exterget viſcoſos humores, & craſſos attenuat: quapropter viſcera omnia ab obturatione liberat, hepar, ſplenem, ventrem, meſenterium, & renes. commodum eſt enim iis, ſiue in febribus, ſiue citra febres detur. Aquæ verò multæ admixtione, vehementia virium ipſius exoluitur. Tuſſim autem mouere quæ non eſt, & inteſtina radere acetum mulſum, Hippocrates & Galenus dixit: non in corporibus craſſis & glutinoſis humoribus refertis, ſed puris & non redundantibus ſuperfluitatibus: aut iis quæ ex tenui & acri fluxione laborant, & quæ neruoſas partes valde ſubtili ſenſu præditas habent.

INDEX

INDEX EORVM QVÆ IN SECVNDO SERMONE TETRABIbli ſecundæ Aetii continentur.

De hydrocephala affectione, Cap.I.
De phrenitide, Cap.II.
De lethargo, Cap.III.
De catocha & catalepſi, Cap.IIII.
De caro, Cap.V.
De comate, Cap.VI.
De vertiginoſis, Cap.VII.
De inſania, Cap.VIII.
De melancholia, Cap.IX.
Curatio melancholiæ, Cap.X.
De inſania lupina aut canina appellata, Cap.XI.
De incubo, Cap.XII.
De morbo comitiali, Cap.XIII.
Quæ arguunt morbum comitialem, Cap.XIIII.
Quæ collabentes comitiales excitant, Cap.XV.
Auxilia ad comitiales, Cap.XVI.
De iis qui ex ſtomacho primariò affecto, comitialis morbi modo conuelluntur, Cap.XVII.
De iis qui ex parte aliqua habent morbi comitialis cauſam, Cap.XVIII.
Curatio ſenum ac puerorum comitiali morbo correptorum, Cap.XIX.
Curatio valde ſenum comitialium, Cap.XX.
Curatio puerorũ recens natorũ comitialiũ, Cap.XXI.
De fatuitate, Cap.XXII.
De memoria amiſſa, Cap.XXIII.
De commorſis à cane rabioſo, aut iis qui aquam timent, Cap.XXIIII.
De cerebri inflammatione, Cap.XXV.
De eryſipelate cerebri, Cap.XXVI.
De ſyderatione, Cap.XXVII.
De reſolutione, Cap.XXVIII.
De ſupercilii aut palpebræ reſolutione, Cap.XXIX.
De conuulſione canina, Cap.XXX.
Linguæ reſolutæ curatio, Cap.XXXI.
De inſtrumenti vocalis reſolutione, Cap.XXXII.
Deglutionis reſolutæ curatio, Cap.XXXIII.
Veſicæ reſolutæ curatio, Cap.XXXIIII.
Colis reſoluti curatio, Cap.XXXV.
Inteſtini recti reſoluti curatio, Cap.XXXVI.
Cruris aut alterius cuiuſdam membri reſoluti curatio, Cap.XXXVII.
De conuulſionibus aut diſtentionibus, Cap.XXXVIII.
De tetano ſiue diſtentione & conuulſione, Cap.XXXIX.
De capitis dolore diſtinctiones, Cap.XL.
De dolore capitis ex ardore aut caliditate oborto, Cap.XLI.
De dolore capitis in febribus, Cap.XLII.
Ad capitis dolorẽ ex ebrietate & meri potu, Cap.XLIII.
Perfrigerati capitis medelæ, Cap.XLIIII.
De capitis dolore à ſtomacho, Cap.XLV.
Quæ ex natura capitis dolorem inducunt, Cap.XLVI.
Ad dolorem capitis ob plagam, Cap.XLVII.
De cephalæa, Cap.XLVIII.
De hemicrania. Cap.XLIX.
Communis curatio cephalææ & hemicraniæ, Cap.L.
Epithemata ad capitis dolorem, Cap.LI.
Quæ naribus indita caput purgant, Cap.LII.
Apophlegmatiſmi pituitam per os à capite detrahentes, Cap.LIII.
Smegmata & puluilli inſperſiles, caput denſantes, Cap.LIIII.
De alopecia, Cap.LV.
De defluuio capillorum, Cap.LVI.
Ad ſupercilia pilis denudata, Cap.LVII.
Tingentia ac nigrefacientia pilos, Cap.LVIII.
Vt fului pili fiant, Cap.LIX.
Vt albi pili fiant, Cap.LX.
Vt criſpi pili fiant, Cap.LXI.
De iis quæ pilos corrumpunt, Cap.LXII.
Quæ pilos extirpant, Cap.LXIII.
Pſilothra pilorum, Cap.LXIIII.
Quæ pilos attenuant, Cap.LXV.
De furfuribus ſiue porrigine, Cap.LXVI.
De morbo pediculari, Cap.LXVII.
De achoribus & reliquis puſtulis capitis, Cap.LXVIII.
Ad capitis ſcabritiem, Cap.LXIX.
Ad parua & dẽſa ac rubicũda capitis vlcuſcula, Cap.LXX.
Reſiccātia ac cicatricẽ inducẽtia achoribus, Cap.LXXI.
Smegmata ad achoras, furfures, aſperitatẽ, & ſcabritiem, Cap.LXXII.
De aurium affectionibus, Cap.LXXIII.
Ad dolores ex frigiditate, Cap.LXXIIII.
Ad dolores ex aqua medicata, Cap.LXXV.
Ad dolores ob humorum craſsitudinẽ, Cap.LXXVI.
Ad aurium ſordes, Cap.LXXVII.
De ſonitu aurium, Cap.LXXVIII.
Ad auditus difficultatem ac ſurditatem, Cap.LXXIX.
Ad aurium inflammationes, Cap.LXXX.
Ad aures abſque vlceratione humectas, quæ velut exundant, & ſeorſum humorem excludũt, Cap.LXXXI.
Ad vlcera in meatu auris, Cap.LXXXII.
Ad corruptiones ac fœtores aurium, Cap.LXXXIII.
Ad ſuperexcreſcentes in aurium vlceribus carnes, Cap.LXXXIIII.
Ad vermes in auribus, Cap.LXXXV.
Ad ſanguinis ex auribus eruptiones, Cap.LXXXVI.
De calculis aut aliis corpuſculis in aurem illapſis, Cap.LXXXVII.
Ad affectiones aurium extra meatum, Cap.LXXXVIII.
De parotidibus, Cap.LXXXIX.
De narium affectionibus, Cap.XC.
Ozænarum curatio, Cap.XCI.
Polyporum curatio, Cap.XCII.
Ad vlcera in naribus, Cap.XCIII.
Ad ſanguinis è naribus eruptionem, Cap.XCIIII.
Quomodo ſanguis è naribus eliciatur, Cap.XCV.
De narium obturatione & odoratus oblæſione, Cap.XCVI.
De ſternutatoriis, Cap.XCVII.
Ad ſedãdas redũdantes ſternutationes, Cap.XCVIII.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICInæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis ſecundi, Sermo ſecundus.

De cerebri, capitis & neruorum affectionibus, aurium item ac narium.

De hydrocephala aquoſa capitis affectione, Leonidæ, Cap. I.

Hydrocephala affectio appellata eſt ab aquoſo humore in capite collecto. Plerunque igitur aquoſus humor colligitur: aliquando autẽ fæculentus aut cruentus. Sẽper verò lentus cõſiſtit, aut ex obſcura aut ex manifeſta cauſa. Ex obſcura quidem, localibus vaſis ſua ſpõte rarefactis, & aquoſa in ipſis eſſentia quæ cũ ſanguine permixta eſt, & depulſa, & in vnũ locũ cõgregata, atq; ex huiuſmodi cauſa aquoſus humor colligitur: at verò ex manifeſta cauſa fit, vaſis localibus ex plaga aut cõtuſione ruptis, & ſanguine in ipſis prætereffuſo, & deinde rarefacto, ac in eſſentiã fæculẽtã aut cruẽtã diſſoluto. Frequẽtiſsimè verò fit hæc affectio ex tali cauſa in infantibus, quũ obſtetrix fũctionis ſuæ inexperta, & duriore manu rẽ tractãs, corpora aliqua in capite infantis atriuerit. Colligitur autẽ hic humor in hydrocephalis, aut

inter cutẽ & mẽbranã caluã ambientẽ,ſiue muſculũ temporũ: aut ſub mẽbrana caluã ambiente,inter ipſam & os capitis:aut ſub calua,inter os & cerebri mẽbranã. Maiores autẽ noſtri dicũt, etiã inter cerebri membranã & ipſum cerebrum colligi id quod perniciofum exiſtit. Si quidem igitur lentus humor fuerit collectus ſub cute extra membranam caluam ambientem, aut inter hanc membranam & os capitis,tumor adeſt iuxta capitis partem vbi collectio facta eſt concolor, citra dolorem, mollis ad tactum,cedens ac tranſiens ad digitorum contactum. Et ſi quidem ſua ſponte fiat,ab initio doloris exors & concolor eſt locus:ſi verò ex plaga,aut contuſione,primùm quidem rubicundus & doloroſus fit tumor,poſtea verò lenteſcente humore & in tenuem eſſentiam tranſeunte, tumor concolor citra dolorem euadit. At vbi collectio ſub calua facta eſt inter os & membranam cerebri, ab initio dum modicus eſt humor, caput grauatur, & vertigines aſſiduè fiunt, & ſenſus hebetantur, viſus inquam,auditus, & reliqui. Quum autem redundarit humor,ſuturæ capitis ob multitudinem diſparantur, & propterea caput magnum fit,& locus collectionis apparet. humor enim ad digitum cedit. In communi igitur in collectione ſub cute,& in ea quæ inter membranam caluam ambientem & ipſum caluæ os fit, iiſdem aggreſſionibus vtimur ad humoris excretionem. Et ſi quidem paruus eſt tumor, apex ipſius vnica ſectione diuiditur:ſi verò maior,duæ aut tres ſectiones fiunt,aut plures iuxta maguitudinis proportionem, in locis ad effluxionem commodis. Non oportet autem velut in abſceſſibus, poſt chirurgiam limniſcos tranſmittere,ſed ipſas ſolas ſectiones linamentis diſparare. Nam poſt humoris excretionem corpora in his facilè agglutinantur: quapropter linamentorum vſu in ipſis contenti ſumus. Poſt indita linamenta,ſi infans fuerit cui chirurgia adhibetur, deligationẽ propter grauitatem recuſamus, verùm lana ouo imbuta imponatur, & caput pileo contegatur. In robuſtioribus autẽ linamenta forinſecus cuſtodiantur,& deligatio fiat. Poterit autem à tertia die conglutinatio adiuuari per emplaſtrum quoddam glutinatorium. Quòd ſi ſub temporum muſculo collectio fiat,expectare oportet donec humor redundet, vt ne muſculus incidatur: & poſtea à lateribus muſculi ſectionem facere. Et ſi quidem humor in profundo ſub muſculo contineatur,duæ ſectiones fiant vtrinque à lateribus muſculi ipſius: deinde corpuſcula ſecurè per ſcalpelli manubrium excoriẽtur. poſt totius autem humoris excretionem,curatio fiat,velut dictum eſt. At ſi ſub calua collectio facta fuerit,itidem expectare oportet,& quum redũdauerit humor & ſuturæ fuerint diſparatæ, faſtigiatum locum diſſecare, & conſequenter facere velut in capitis ſuturis diſparatis.

De phrenitide, ex Poſidonio. Cap. II.

PHrenitis, inflammatio eſt membranarum cerebri cũ febre acuta,delirium & mentis perculſionem inducens. Raró autem ab initio phrenitis cum febre irruit: plurimis verò à quarta aut quinta aut ſexta incipit,& adhuc ſerius,cum ipſo ferme periculo incidens, vt iam aliqui ſeptima,aliqui nona delirare inceperint. Differentiæ autem phrenitidis plures ſunt, ſed tres principaliſsimæ: Aut enim imaginatiua facultas ſolùm læſa eſt,ſeruatur autem ipſis ratiocinatiua & memoria:aut ratiocinatiua ſolùm læſa eſt,ſeruatur autem imaginatiua & memoria:aut etiam imaginatiua læſa eſt,ſeruatur autem memoria. At verò vbi memoria deperdita in febrilibus morbis,ſimul perit omnino & ratio & imaginatio. Proinde anteriore cerebri parte læſa,imaginatio ſolùm læditur: medio verò cerebri ventriculo læſo, ratio peruertitur. Poſteriore autem circa occipitium parte læſa,perit memoria,&cum ipſa omnino etiã reliquæ duæ facultates. Quibus igitur imaginatio læſa eſt,hi iudicant quidem rectè,imaginantur autem peruerſe: quibus verò ratio ſolùm læſa eſt,imaginantur quidem rectè,iudicant autem non recté: quibus autem memoria læſa eſt, nullius antea factorum meminerunt,imò neque omnino rectè imaginantur,neque iudicant. Conuenit itaque parti magis læſæ auxilia adhibere,& tamen neque alias negligere. De memoria ita-

A que perdita priuatim paulo pòſt dicemus:nũc verò quomodo phreniticos curare oporteat dicendum eſt. Æger igitur decumbat hyeme quidem in domo tepida: æſtate verò, frigida. quies autem imperanda eſt & ipſi ægroto, & omnibus in domo & vicinis. Et qui quidem ad lucem efferãtur,in tenebricoſa domo decumbant: qui verò ad lucis ſplendorem reſipiſcunt, in lucida domo degant. Si quidem igitur phrenitis cum febre ab initio in prima die,aut ſecunda,vſque ad quartam irruat,& non ex tranſmutatione alterius morbi ſuccedat,& vrinæ fuerint ſub- B cruentæ,& facies rubicunda, & ætas vigoris,& bona corporis habitudo adeſt,& omnia ſigna ſimul indicant ſanguinis multitudinem:vena cubiti ſecetur,ea quæ media eſt,& pro viribus detrahatur,& non vſque ad animi deliquium. Minus autem quàm oportet auferatur, ob plurimam quæ in ipſis ex vehementi motu contingit diſcuſſionem ac exhalationem, & propter laſſitudinem. Sed & ſectio moderata fiat,vt ne æger clanculum brachii vinculum exoluat. conſequitur enim periculum ſanguinis C eruptionis. Quòd ſi ob aliquam cauſam, venæ ſectionis auxilium relinquatur,per clyſteres ventrem euacuare oportet,cum furfurum aut ptiſanæ ſucco, modicáque nitri ſpuma ac pauco melle. Caput autem roſaceo magis tepido irrigetur. nam cerebri membrana inflammata,frigiditas roſacei non eſt tuta: imò neque caliditas. Frigidum enim denſat meatus, & ſuperfluitates in capite diſcuti non permittit. quod verò valde calidum eſt,feruorẽ duplicat. Quare æſtate exactè tepidũ roſaceũ adhibendũ eſt,cũ modico aceto:hyeme verò moderatè calidum. D Commodum eſt & chamæmelinum ex æquo ipſi admixtum, ſi ambiens frigidior fuerit. Si verò vehementius fuerit delirium poſt factam euacuationem, velut dictum eſt,per venæ ſectionem aut clyſteres, capitibus papaueris in oleo coctis caput rigato,& faciem aſſiduè prolui præcipito ex aqua in qua papaueris capita ſunt cocta. frontem verò ſomnifero aliquo paſtillo illine. Olfaciant etiam aſſiduè ſomnifica, in præcedenti ſermone conſcripta ad vigilias. Et ſub ceruical capita papaueris ſub- E dantur,aut mandragoræ mala. At verò auctis malis,dandum eſt etiam ſomniferum ex capitibus papaueris pharmacum,cochlearii menſura plus aut minus, pro viribus. Dandum eſt autem id quod ex melle præparatur, non quod ex paſſo, propter vinoſitatem. detur autem hoc pharmacum in exacerbationis declinatione. Si enim datum fuerit in vigore,trahit quidem ad ſomnum, febris autem excitatur, & æger ad ambo partitus grauius fert quod contingit. dato verò pharmaco quieſcere iube. Præſtat autem mel roſaceum ad pharmacum ex capiti- F bus papaueris adiicere: contemperat enim acrimoniam, & aluum ſubducit. Quapropter etiam aquæ quæ bibitur, mel roſaceum irrorare bonum eſt, in exacerbationis vigore. Cæterùm aſſiduũ vſum ſtupefacientium pharmacorum,potionum, irrigationum ac illitionum,vitare oportet. Facilè enim in iis qui immodicè perfrigerantur, tranſitus fit à phrenitide in lethargum, quando etiam pernicioſus fit morbus. Quare vbi delirium moram traxerit,ſerpyllum aut ſpondylium in oleo coquatur: craſſos enim vapores tranſpirare faciunt. Quum autem man- G ſerit facies etiam poſt venæ ſectionem incontracta & rubicunda,cucurbitas occipitio affige,& moderatis vulnuſculis impactis cutem ſcarifica,& ad libræ menſuram ſanguinem detrahe. In cibo porrò dandus eſt ptiſanæ aut alicæ ſuccus,aut micæ panis ſæpe lotæ cum roſaceo melle. Mitigata verò febri,dentur oua ſorbilia & lactucæ feruefactæ,& quæcũque moderatè humectant ac frigefaciũt, vnáque nutriunt,propter virium debilitatem.

De lethargo, Archigenis & Poſidonii, Cap. III.

H LEthargi principia duo ſunt: Quibuſdam enim ſeptũ tranſuerſum & viſcera primariò affecta, cerebrum ad conſenſum ducunt:in quibuſdam verò cerebrum affectionem auſpicatur. Et quibuſdam ſtatim ab initio affectio incidit, quibuſdam autem ex mutatione alicuius acuti morbi. Nã à phrenitide maximè,in iis qui per ſtupefacientia pharmaca perfrigerati ſunt,tranſitio ad lethar-

gũ fit. Quin & à cõtinẽte febre mutatio in lethargũ fit ſæpiſſime, itémque ex aliis plurimis morbis, præſertim in quibus plures euacuationes ſubſequutæ ſunt. Aliquando etiam in diuturnis febribus per circuitum contingit ægrotos ſomno immergi, velut in quotidianis fit & ſemitertianis, quandoque etiam quartanis. Et alii quidem cũ conuulſione & contractione neruorum in ſoporem deferuntur, alii pedetẽtim facta acceſſione: & alii quidem vnã immerſionem ſuſtinent, in quo extremè periclitantur: alii in circuitibus in ſomnum deferuntur, & rurſus reuocantur. Proinde conſiderare oportet ſpeciem delationis in ſoporem. qui enim per circuitum ſomno immerguntur, manifeſtiorẽ pulſum habẽt: qui verò ſemper affecti ſunt, minutiſſimum & ægrè mobilem. Hi verò, etiam dum excitantur, aliena loquuntur, & obliuioſi ſunt: qui verò per circuitum afficiuntur, nihil tale patiuntur. Et alii quidem cum grauitate & elata reſpiratione in ſomnum deferuntur, vt & ſtertant, & ſingultus ac ſuſpiria edant dolorem indicantia, quem reuocati neque eloqui poſſunt, propter rationis læſionem: alii verò quietiſſimè dormire videntur. Et aliis quidem perfrigerantur artus, & rugoſi ac pallidi ſunt, & corporis miſcella ferè congelatur: aliis verò diffunditur, & velut rorem effundit circa exacerbationem declinationis. Qui igitur hac affectione occupati ſunt, his hæc adſunt: Præcordia reuelluntur, venter contrahitur, & violenter ab aſſidentibus excitati, rurſus in ſomnum deferũtur, & obliuio illis accidit. nam dum ſæpe ad mictionem vrgentur, porrecta ipſis matula, ſe in manibus ipſam tenere obliuiſcuntur. Aucto verò malo, totum corpus ſegne redditur, ac velut mortificatur. Supini autem decumbentes, ad pedes defluunt, diſtentis manibus ac cruribus. naſus quibuſdam deſtillat: os ipſis hiat, & fortior eius hiatus ſuccedit. inferna mandibula velut reſoluta ac laxata videtur. atque hæc quidem adſunt lethargicæ affectioni. At verò curationem ipſorum aggredientes, in domo lucida ad ſplendorem ipſos locamus. ſit autem domus tepida: pedes & manus confricentur. Odoramenta excitatoria exhibeantur: velut eſt caſtorium, funiculus lucernari⁹ extinctus, pix liquida, bitumẽ, galbanum. Suffita quoque lethargicos excitant, lapis gagates, bitumen, caſtorium, peucedanum, ſulphur, galbanum, ſagapenum, cornu ceruinum, hirci ſordes, abrotonum, ſilphium. Sternutatoria quoque naribus admoueantur. Si verò multitudo humorum in corpore eſt, ſi quidem ſanguis fuerit redundans, vena ſecetur ſecunda die, & pro viribus euacuetur: ſi verò pituitoſa & lentior materia fuerit, velut in lethargicis redundare ſolet, attenuãtia exhibere oportet, & quæ craſſitiem ſecare poſſunt: ita vt iis quibus neruoſa pars læſa non eſt, acetum mulſum exhibeamus: quibus verò læſa eſt, decoctum apii, fœniculi, adianti, & ſimilium. Sed & aluus efficaciore infuſo eluatur, & glandes ſubdantur ex ruta, nitro, cumino, & melle cocto. Caput autem rigetur in principio quidem ſerpyllo in aceto & oleo cocto: verùm in intentis affectionibus peucedani radicem pro ſerpyllo in aceto coquito, & cum oleo capiti adhibeto. bonum eſt ipſis & oleũ irinũ. Tremorib⁹ autẽ & cõtractionib⁹ ſuccedentibus, caſtoriũ cũ modico aceto terimus, & oleo addito caput irrigam⁹: ſi verò præcordia ſint inflãmata, in principio cataplaſmata adhibeãtur, ex polline aut pane, & malo cotoneo cocto, aut pãpinis vitis: in progreſſu verò ſemẽliniad pollinẽ aut panẽ admiſceatur, & abſinthiũ & althææ folia cocta: poſtea verò ex ordei farina, & fœno græco, & althææ radice cataplaſmata fiãt: omnib⁹ autẽ abſinthium admiſceatur. ſit autem latum linteum, vt vtrinque latera & pectora ſub mammis amplecti poſſit. Poſt cataplaſma verò partes nudas ſinere non oportet, ſed cerato nardino aut cyprino contegere: retrò autem dorſo ceratum ex ſicyonio factum imponere, quod terebinthinã & baccas lauri tritas infartas habet. Et ſi quidem inflatio adſit, admiſceantur cataplaſmatis ea quæ flatus diſcutiũt: velut ſunt, cuminum, baccæ lauri, ruta & ſimilia: ſi verò quid induratum fuerit, & libanotis addatur & farina fabarum. At verò, in diuturnis iam lethargicis, viribus præſentibus dãda eſt hiera ex colocynthide: & ſternutatoria adhibenda, ex veratro albo, ſtruthio, pipere, caſtorio. & naribus infundendum elaterium cum lacte, aut cyclamini ſuccus: aut ipſa radix ſicca trita inſufflanda, & ori ac palato ſinapi cum melle illinendum. Deinde occipitio cucurbitæ affigendæ cum multa flamma; item circa primum & ſecundum verticulum: ſanguiſque detrahendus ex poſteriore capitis parte. Poſtea deraſis capillis capitis ſinapiſmus adhibẽdus ex caricis cum ſinapi aceto macerato. In trementibus verò etiam caſtorium ſæpe potandum detur. Affectione autem declinante æger ad balneum ducatur, & ſmegmate mordaciore vtatur, velut eſt fæx vſta, ſinapi, pyrethrum, piper, baccæ lauri, calx viua: nitri verò duplũ adiiciatur. Cibi porrò ſint tenues & inciſorii ac reſiccantes, & cum condimentis parati, apii, aniſi, cumini, pipere & baccis lauri. Et ex volucribus conueniunt, gallina domeſtica, columba, auiculæ montanæ, & perdix: ex piſcibus, petroſi: ex oleribus, porri, aſparagus, petroſelinũ, chamædaphne. vinum aquoſum, tenue, album, ſubaſtringens. Sed & reliqua curatio iuxta eundem modum fiat.

De catocha & catelepſi, Cap. IIII.

MEdiam inter phrenitidem & lethargum affectionẽ reperies, quæ ſpecies eſt delirii ſiue amẽtiæ. Medici autem catochã, *id eſt mentis occupationem*, & catalepſin, *id eſt apprehenſionem*, vocare ſolent, ex humore atræ bilis magis contingẽte. Periculoſior eſt autem hæc affectio quàm lethargus. verùm in febrib⁹ lethargo ſimilibus cõſiſtit, & aliquãdo videtur dormire, aliquãdo verò palpebras apertas habẽt, aut nictãt, aut intentè vidẽt, & velut fixos oculos ac palpebras habẽt & penitus immobiles: adeo vt neq; ſiquis manũ oculis ipſorũ obtendat, eos claudãt. voce inſuper ac ſenſu priuantur, neque audientes neque reſpõdẽtes. Admouent autem manus ſuas aliquando ad caput & oculos ac nares, velut qui vellicentur, atque hoc non ſentiunt. pulſus ſunt parui, languidi, ferme deficientes. Spiritus aliquando denſus, aliquando rarus, & per interualla quædam magnum ſpiritum ducunt. Aluus & vrinæ ſupprimuntur, non præ ſiccitate, (habent enim multum humorem) ſed propter ſenſuum ſtupiditatem. Gramæ his ſubaridæ in angulis oculorum fixæ ſunt, & aliquando vicinos parietes attingunt: Et in ſumma, neq; phreniticis omnino ſimiles ſunt, neque lethargicis. Quandoque etiam ob ſanguinis multitudinem confertim caput occupantis & ipſum ſemper implentis fit hæc affectio: quemadmodum vidimus in adoleſcente quodam multo ſanguine referto, qui quum triduum exegiſſet neque claudens palpebras, neque ad vehementes vociferationes tranſmouens oculos, neque reſpondens, quarta die ſanguinis eruptione larga per nares facta, ab omnibus moleſtiis cõfeſtim liberat⁹ eſt. Quare ſi æger multo ſanguine refert⁹ appareat, citra dilationem venam ſupernam in cubito ſeca, & pro viribus detrahe. In aliis autem primùm ventrem per clyſterem eluere oportet, ſimpliciore infuſo immiſſo, velut eſt furfurum ſuccus cum ſpuma nitri & melle: poſtea verò etiam polypodii radix cum furfurib⁹ coquatur. Caput autem primùm irrigetur oleo dulci tepido; deinde ſi caput calidius apparuerit, caput papaueris in oleo coquatur: ſi verò frigidius, ſerpyllum. Et ſi quidem facilè ſolubilis fiat aluus ex prædictis infuſis, in ipſis perſeuerandum eſt: ſi verò ſiſtatur, veratri nigri radix cum furfuribus coquatur. Potus ipſis conuenit apomeli, aut aqua mulſa pro tẽpore diutius cocta: quòd ſi vrinæ craſſæ fuerint, etiam anethi & apii decoctum detur. Cibi ſint ptiſanæ ſuccus & ſimilia. Aqua iis aduerſatur: auget enim inflammationẽ & fluctuationes facit, & ſplenes excitat, & ſitim ſedat. Totum autem corpus oleo anethino inũgatur, maximè hyeme: in quibus verò etiam tremor ſuccedit, caſtorii drach. vna cum aqua mulſa ori infundatur.

De caro, Poſidonii, Cap. V.

QVVM frigidi & humidi humores cerebrum occupant, caros, *hoc eſt capitis perculſio*, ſuccedit cum debili febre: conſequitur ſenſuum ſtupor, & totius corporis immobilitas, cum principalium actionum læſione. oculi verò ipſorum ſemper ſunt clauſi. Differt autẽ caros à lethargo, quòd lethargici interrogati reſpõdeant, & non omnino ſine voce decumbant: verùm qui in carõ collapſi ſunt, ſomno profundiſſimo detinentur, vt dum pũguntur ſen-

tiant quidem,non tamẽ loquantur, neque oculos aperiãt.
Curãdi verò ſunt & hi ſimiliter velut lethargici,ita vt ma
gis inciſorium & attenuatoriũ curationis ductum facia-
mus.Stomachi quoque cataplaſmata,vnà cum hoc calefa
ciant,etiam corroborandi vim habere oportet.

De comate, Poſidonii, Cap. VI.

SOli vapores calidi & humidi è ſubiectis partibus ad cã
put in febribus delati,& ipſum implentes , affectionẽ
faciunt quam medici coma nominant. Cognoſcitur, ſi
ſomnus amplior naturali fiat,& in ſomnis peregrina lo-
quantur,& corpore inæqualiter habeãt,& infernam man
dibulam inter dormiendum laxatam:& ſæpe excitati cõ
fertim rurſus in ſomnum deferantur: & caput humidius
habeãt. Curantur ex irrigatione roſacei,aut chamæmeli-
ni cum aceto.ſit autem acetum acerrimum: ſi verò frigi-
dius appareat caput,anethinum cum oleo dulci ex æquo
permixtum ac calefactum adhibe.Et in ſumma,in quan-
tum intenta eſt frigiditas in tantum calfactoria augean-
tur,vt etiam pulegium aliquando & rutam in oleo coqua
mus.glandes quoque ſedi ſubdantur,quæ multùm irrita-
re poſſunt.nutriantur autem ptiſanæ ſucco, & apomelite.

De vertiginoſis, Archigenis & Poſidonii,
Cap. VII.

VAporibus calidis & acribus ad caput delatis , & ani-
malem in cerebro ſpiritum euertentibus , primùm
hebetudines quædam in oculis fiunt : poſtea etiam auriũ
ſonitus aſſidui , & auditus grauitates. atque hæc maximè
contingunt circa ciborum coctionem . & vbi ex ſomno
exurgunt,augeſcente affectione,vertigines & obtenebra-
tiones oboriuntur,vt putent ſe videre omnia circumuer-
ti. contingit hoc etiam vbi confertim ex ſellis ſurrexe-
rint , cruditate quadam prægreſſa . Perſeuerãte verò diu
tius malo,ex facili occaſione vertigine afficiuntur,vt e-
tiam concidant aliquando,maximè vbi in circulum cir-
cumuertãtur.nam quod aliis ob multas circuitiones con-
tingit,hoc illis ex vna: ſed & ſi alium quendam circum-
uerti viderint,vertigine afficiuntur:aut ſi trochum aut ta
le quid circumuerti conſpiciant,idem perpetiuntur.Spiri
tus enim viſiuus ad trochum qui circumuolutatur alla-
bens mouetur,& ſimul cum illo circumfertur : atque ſic
inæqualem & turbulentum ac inordinatum humorem,
ac ſpiritus motum efficit.Facilè verò corripiuntur hac af
fectione quibus conſuetæ excretiones ſunt ſuppreſſæ : ſed
& cruditates,& ardores aſſidui,& ebrietates,affectionem
hanc afficiunt.Conſequitur & alui ſuppreſſio:& propter-
ea multa inflatio,& vrinarum tenuium ac paucarum ex-
cretio,materia ad caput accurrente:graciles autem in to-
tum ferme fiũt,& pigri ad omnem aggreſſionem.Si qui-
dem igitur ea quæ oculis obuerſantur ſanguinolentiora
ſe videre putant,ad inſaniã magis apti ſunt: qui purpurea
vident,ad morbum comitialem.Si igitur vires robuſtæ
fuerint,& nihil aliud aduerſetur , vena ſecanda eſt , ſiue
principium affectionis fuerit,ſiue tempus iam progreſ-
ſum fecerit. In venæ autem ſectione vitandum eſt ne a-
ceruatim euacuemus,eo quòd ex qualibet occaſione con
cidant.Quare pluribus detractionibus ex quibuſdam in-
teruallis vtentes,congruam menſuram explebimus. Irri-
getur autem caput tempore ſectionis venæ,aceto & roſa-
ceo,polygoni aut hederæ ſucco admixto. Et lana cõuolu
ta roſaceo aut œnanthino,madefacta eodem tempore vẽ
tri imponatur.Si verò quid ſanguinis detractionem im-
pediat,velut gracilitas,aut aliud quid ex ſæpe relatis,ſub-
ducatur aluus,primùm per clyſterẽ ex furfurũ ſucco,ſpu-
ma nitri & melle : poſtea verò picra ex aloe compoſitio
aſſiduè detur.Si verò accidentia perſeuerarint, etiam ve-
hemẽtioribus purgatoriis vtẽdum erit,ita vt ad redundã
tem humorem pharmacum adaptes. Ex efficacioribus
autem purgatoriis commodant iis quæ fœniculum in a-
ceto mulſo coctum habent,& quod ex palmulis, ruta , &
ſcammonia præparatur : quorum compoſitiones relatæ
ſunt in purgatoriorum Sermone.Sed & pituitam à capite
per os detrahentibus,& gargariſmis vtendũ eſt,ex origa-
no,pulegio,& aceto mulſo.Poſtea verò etiam anagallidis
ſuccus naribus infundatur,aut cyclamini, aut radicis be-
tæ,aut elaterium cum lacte:ſed & nitrum cum nigella tri

A tum,& oleo veteri admixtum,generoſam per nares pur-
gationem facit. poſt hæc autem ad balneum ducantur.
Tale verò frictorium caput corroborans ipſis conuenit:
Lapidis aſii vnc.I.ſpumæ nitri albæ vnc.I. iridis vnc.I.flo
ris iũci odorati ſextãs.Ex hoc quod ſatis eſt accipe,& ſin
cipiti inſperge,modicã aquã calidam irrorans: deinde v-
bi lauiſti,& caput calida aqua nõ madefeciſti, ſed ſolùm
abluiſti,egreſſus de ſolio frigida ter aut ſæpius madefaci
to.Iis verò qui valde calidum caput habent , etiam roſa-
B ceũ cũ aceto ſæpe adhibeas,& ipſum ex ſaliẽtibꝰ aquæ in
balneo frigefacias . Et ſi quidem ex his ceſſerit affectio,
ceſſandum eſt à medicationis moleſtia: ſi verò perſeue-
rarit,arteriæ in capite iuxta tempora ſupra aures incidan-
tur,ventre prius euacuato aut per hieram aut per clyſte-
rẽ.poſtea verò confrictoriis fortioribus vtẽdũ eſt,quæ ad
inſanos referẽtur.Cibi ſint boni ſucci,facilè concoctiles,
flatus exortes,omnino ſtomacho cõmodi, ventri cõmo-
di,vrinam cientes:vinum modicum ſit,album & tenuiſ-
ſimum,& non valde vetus . Conueniunt iis balnea natu-
C ralia aluminoſa:maxima verò & prima ac vltima in iis,
præſeruatio ac curatio eſt, vt ſuppreſſæ excretiones com-
moueantur,& officii ſui commoneantur, maximè in mu
lieribus.

De inſania,Archigenis & Poſidonii,
Cap. VIII.

INſania fit citra febrem, multo ſanguine non putrefa-
cto ad cerebrum confluente , qui aliquando purus eſt,
& multitudine ſolùm affligit, velut in ebriis : aliquando
verò flaua bile admixta.Præcedit inſaniam capitis debili
D tas,velut in podagra debilitas pedum ſemper adeſt : tunc
autem dolent quum materia locis influxerit.Si itaque ob
ſolum ſanguinem inſania fiat , hæc conſequuntur : Riſus
immodicus ipſis commouetur videntibus ,ſæpe ob ocu-
los imagunculas quaſdã riſu dignas, & hilaris eſt ipſis fa-
cies,& aſſiduè canunt. Aliquando etiam ex contingenti-
bus euaporationibus ſonitus circa aures adſunt,vt putent
ſe tibicines quoſdam audire. Seruatur in ipſis memoria,
velut ex cantilenis quas familiares habent coniectare li-
cet. læſa eſt autem imaginatio & ratio. Si verò flaua bilis
ad ſanguinem fuerit admixta,& mordacem ipſum effe-
E cerit,velut ſi ex ipſa ſtimuletur ac pũgatur cerebrũ & mẽ
branæ eius,iracundi & temerarii & percuſſores ac iniu-
rioſi ſunt.in quantum enim bilis ſanguini mixta eſt , in
tantum mutat iucunditatem,& auget triſtitiam ac iram:
ſi verò amplius fuerit bilis ſuperaſſata & craſſefacta, & i-
pſi corpori cerebri ac mẽbranarum inſtar viſci agglutina
ta pungátque ac diuellat,ferina deliria efficit.Quidam e-
nim iam propriam carnem guſtarunt, & domeſticos ve-
lut inſidiatores tractarunt,occiderunt,percuſſerunt , vul-
F nerauerunt. contingit autem eundem hominem aliquã-
do riſu immodico teneri,aliquando ira & indignatione.
Nã in fame ac inedia tolerata, & ex acrioribus ac ſalſiori
bus alimẽtis,& in pluribꝰ motibꝰ ac turbationibꝰ,ſanguis
ſeipſo acrior efficitur: in cõtrario verò ſtatu,mitior.Sæpe
autem etiam nullo auxilio adhibito, per modicum cibũ
& cõmoda alimẽta,progreſſu tẽporis id quod lædit cõ-
ſumitur,& cerebrum à ſuperfluitatibus intactum manet,
& purũ mentis emotionis interuallum ac defectus, & in
termiſſio conſequitur.Quibuſdam per circuitum quendã
irruit affectio,aliis ſemel in anno,aliis bis,aut ſæpius coa
ceruato videlicet paulatim eo quod moleſtum eſt.Corri-
G piuntur hac affectione pauci ante vigorem ætatis : pluri-
mi in ipſo vigore,& poſt ipſum:viri magis quàm mulie-
res:&ex illis magis qui animalibus affectionibus diuexã
tur,velut ſunt irriſores,riſu multo & intempeſtiuo vten-
tes,intractabiles,iracundi,curioſi , auari, potores item &
aſſidua cruditate laborãtes, & in quibus cõſuetæ excretio
nes ſuppreſſæ ſunt.& propterea etiam mulieres aliquan-
do inſaniunt,quibus menſes ſuppreſſi ſunt . Infinitæ verò
ſunt inſaniæ ſpecies,quas exponere ſuperfluum eſt.In de-
H lapſuris igitur in hanc affectionem , prædictorum proœ-
mia quædam præcedunt,velut riſus præter rationem nõ
aſſuetis id facere:& facili occaſione iraſcuntur,& aurium
ſonitus adeſt.& ſplendores oculis obuerſantur, & vigiliæ
adſunt intentæ,& curæ per vices repetentes ac peregrinæ,

grauitas,item & vibratio capitis. In progreſſu verò temporis omnia hæc intenduntur, & appetentiæ ipſis putridiores fiunt,& ad venerem prompti ſunt: & ideo aſſiduè ſeminis in ſomno effuſiones ipſis fiunt,& oculi cauantur, ſimúlque intenti ac fixi conſiſtunt.atque hæc conſequuntur vſque ad perfectam mentis emotionem. Oportet igitur doctum medicum ægri curam gerentem, his apparẽtibus aut quibuſdam ex ipſis,facere quæ oportet. Si itaq; tales notas affectio præmiſerit,aut etiam iam inſtiterit, victum tenuem exhibere conuenit,ſorbilem,liquidum nõ præcellentem,ventri commodum,& qui neutiquam ſanguinem generare poteſt.à vino abſtinendum eſt penitus. Vbi vero per triduum hominem eo victu curaſti, aliquã cubiti venam ſecato,præcipuè quidem ſupernam:ſi verò non appareat, mediam: aut ſi hæ non appareant,venas circa talos perquirito: maximè in mulieribus: eo enim momento etiam menſes impelluntur. Quòd ſi neque hæ appareant,ad eas quæ in ſummis manibus ac pedib⁹ ſunt tranſeundum eſt. Studendum enim eſt vt prius per venæ ſectionem generoſa euacuatio fiat, atque ſic affectarum partium curatio ſequatur. In venæ autem ſectione pro viribus euacuationem facere oportet: extincto enim feruore,eueſtigio quidẽ conſiderantes fiunt: ſimul autem & locus aliis auxiliis datur. Quandoquidem verò aliqui in prima detractione generoſè ferunt euacuationem, in repetitis autem detractionibus animi deliquia incidunt,conuenit hos in prima detractione euacuare quãtum opus eſt: ſic enim multum de flatuoſa & vaporoſa ſuperfluitate coeuacuatur. Itaque pulſus aſſiduè tangere oportet,dum ſanguis fluit:& ſi conciderint,reſeruare ad repetendam detractionem. ſæpe enim recuperatis viribus poſtera die detractionem repetimus,aliquando etiam tertiam ſectionẽ ſeruantes appoſito ſale. Caput verò irrigare oportet roſaceo cum aceto,aut polygoni ſucco, aut oleo œnanthino aut melino. Lana autem ſordida oleo imbuta ſincipiti iam ponatur,& frequentius renouetur. Poſt euacuationem omni modo procurandus eſt ſomnus: ſanguine enim euacuato ſi ſucceſſerint vigiliæ,acriores & magis feros ipſos faciũt. Quapropter conſidẽter pharmacũ ex papaueris capitibus dabimus quod ſomnum inducit, cum ptiſanæ aut alicæ ſucco,aut cum aqua.iucundum enim fuerit, & poſtea ſomnus ſuccedet. Plerique enim ipſorum omnia ſomnifica contemnunt:quapropter etiamſi prima die eo accepto dormierunt,intermiſſa die vna, rurſus dandum eſt de eo cochlearium vnum: ſolet enim vel ſolum poſt venæ ſectionem perfectè liberare ab affectione,vnà cum conueniente diæta.cauendum tamen eſt ne conſequẽter ipſum exhibeamus: ſtupefacit enim ſenſus. Studendum etiam eſt vt ventrem facilè ſolubilem faciamus,tum per cibos,tum per clyſteres. His autem factis, à localibus auxiliis incipere oportet hoc modo: Sanguinem à vena in fronte eleuata media detrahere cõuenit,ita vt per phlebotomum inſtrumentum ipſam diuidamus,non facta impulſione,velut quidam facere ſolẽt,propter maximas inflammationes membranæ caluam ambientis, quæ ſæpe ſauciata ipſa ſuccedere ſolent.detrahẽda eſt autẽ ſanguinis libra ferme vna. Poſt hanc euacuationem in iis qui ſanguinem habent bilioſiorem,intermiſſis quinque diebus,detur picra ex aloe,cochlearii magni menſura, cum aqua mulſa:deinde etiam per nares caput purgetur, radicum betæ ſucco infuſo,aut elaterio, aut atramento ſutorio cum lacte. Sternutatorium quoque adhibeatur ex veratro albo & herba lanaria:ſed & per os pituita detrahatur,per maſtichen & ſtaphidem agriam,& per gargariſſationem aceti mulſi in quo coctum eſt pulegium & hyſſopum. Subducatur etiam aluus purgatoriis ex centaurea,& ex gentiana.ſed & ipſa per ſeipſam radix gentiana commoda eſt pota drachmæ vnius pondere cum aqua mulſa. datur & ariſtolochia eodem modo. Prodeſt autem maximè ipſis fœniculi magni ſylueſtris radix & ſemen,ex aqua quotidie pota, & radicis bryoniæ drachma vna. Poſtea verò ſanguiſugæ toti capiti circumcirca affigãtur, & præſertim ſincipiti. At in mulieribus ſtudendum eſt vt menſes moueamus: deinde viribus reparatis per dies ſeptem Galeni hieram dato,quæ maximè ob ſtœchadis copiam

A euacuat. Dato autem drachmas quatuor ex aqua mulſa:deinde rurſus narifuſoria adhibeãtur. declinante verò affectione ad balneum ducantur. Frictorium autem commodum ipſis in balneo hoc eſt. Iridis Illyricæ,lapidis aſii,mãnæ,thuris,ſpumæ nitri albæ,pumicis, buccinorum vſtorum,floris iũci odorati,apii,caſſiæ,roſarum ſiccarum,ſingulorum vnc.i.tundito & cribrato,ac vtitor in prima balnei domo,inſpergẽs ſincipiti quãtũ ſatis eſt,& aquam tepidam irrorans,ita vt ſatis longam moram in domo trahat,quò vires pharmaci vſque in profundum diſtribuan-

B tur. Deinde capite leniter deterſo & abluto, vbi lotus eſt ita vt caput non madefecerit calida,ex ſolio exeát, & frigida iterum atque iterum irriget: ſi verò valde calidum caput habuerit, etiam ſæpius frigida perfundatur. Poſt hæc per rubificatorium ex ſinapi & caricis caput corroboretur,& per interualla quædam pituita per os detrahatur,& narifuſoria adhibeantur. Diæta verò ſtatuatur tenuior,concoctu facilis,ventri cõmoda,flatus exors, vim contemperandi habens. vini vſus his rarus ſit. Si verò reliquiæ affectionis ſuperfuerint,ad veratrum album deue-

C niendum eſt. modus autem vtendi, relatus eſt in Sermone de purgantibus medicamentis. De cætero verò admonendi ſunt vt ab omnibus eduliis & potibus bilem gignẽtibus abſtineant. In vere autem quotannis venam ſecent gratia præſeruationis:deinde etiam purgentur,& præſertim ſi bilis magis redundarit. Mulieribus verò menſes conſueto tempore proritentur,vt fluant citra impedimẽtum.ſed & in aliis conſuetæ excretiones procurentur.

De melancholia, ex Galeno & Rufo, Cap. IX.

D QVemadmodum in apparentibus corporis partibus, aliquando omnibus eadem temperatura apparet, velut in malo corporis habitu,elephantiaſi & hydropiſi:aliquando verò vna quædam pars,aut amaræ bilis, aut pituitæ,aut atræ bilis humore ſuſcepto,ipſa ſolùm temperaturam mutat: Sic etiam circa cerebrum fieri poteſt, vt aliquando toto in venis ſanguine atrabiliario facto,ex cõmunis detrimẽti ratione etiam cerebrum lædatur:& rurſus vt alio tempore,ſanguine in toto homine illæſo permanente,is qui iuxta ſolum cerebrum eſt alteretur. Et cõ-

E tingit hoc dupliciter,aut aliunde cõfluente in ipſum, aut generato in loco atræ bilis humore. Generatur autem à caliditate multa indigena,aut flauam bilem aut craſſiorẽ & atriorem ſanguinem adaſſante. Plerunque verò partes circa præcordia primariò affectæ,caput ad cõſenſum perducunt,& delirium efficiunt,aut ipſa bile cerebrum occupante,aut aliqua vaporis melãcholici exhalatione,quẽadmodum in morbo flatuoſo & præcordiali appellato. Nil enim rationi noſtræ obſtat aliunde & ex alia parte principium & generationem affectionis eſſe.nam os vẽ-

F tris quomodocunque affectum,facilè ad conſenſum ducit cerebrum ob cognationem,per maximos duos neruos qui ex ſupernis ad ipſum deferuntur. Perducit etiam ad conſenſum cor ipſum ob vicinitatem:ſimiliter quoq; ſeptum tranſuerſum,quod etiam ipſi inſeritur. Cõmunitas eſt etiam ſtomacho ad ſpinalem medullam, qua parte & incumbit & colligatur verticulis colli. Principium itaque eiuſmodi melancholiæ plerunque ex cruditatibus:flatus enim ipſis ſuccedunt multi,qui facilè euelantur,& circa præcordia diutius morantur,& ructus ipſis acidi con-

G ſequuntur,nullo eiuſmodi cibo accepto. Ventres plerunque ipſis ſicci ſunt,ſomni parui diuulſi,inſomnia turbulẽta & peregrina,vibrationes corporis aliæ aliâs,vertigines capitis,& flatuum ſonitus circa aures. Et aliis quidem caput plenum & graue eſſe videtur:aliis verò leue & vacuũ: aliis ſiccum. Quidam neque omnino caput ſe habere putauit,ad quẽ excogitaſſe dicitur Philotimus ſupra reliquã curationem plumbeum pileum, à quo grauatus caput ſe habere intelligeret. Fiunt etiam mente capti,& timidi, & miſericordes,& lacrymantur,ac deſerta perſequũtur:qui-

H dam etiam dæmones ab inimicorũ præſtigiis ſibi immiſſos eſſe putant:alii venenoſum pharmacũ accepiſſe ſuſpicantur,& ſuſpicionem ipſorum confirmant viroſi ac peregrini ructus qui ipſis adſunt. Et eſt morbus hic omnifarius & non facilè enumerabilis. Velut verbi cauſa circa

timores:alius amiciſſimos timet, alius omnes homines. & alius ad lucē prodire timet, & tenebras perſequitur: alius fugit caliginoſos locos. Plerique tamen in tenebroſis locis degere cupiunt,& in monumentis ac ſolitudinibus.quidam verò etiam aquam timent,& vinum,& oleū & omnem liquorem:velut qui morſi ſunt à rabioſo cane.Et in ſumma,melancholica deliria multiformia quidem ſunt ob particulares corruptas imaginationes,vnum verò omnibus ipſis commune eſt, timor & triſtitia. Triſtantur enim omnes præter rationem, & neque ſi interroges habent quod dicāt cur triſtētur.Non pauci verò ipſorum mortem timēt,& alia quædam nullo timore digna. ſunt etiam qui mortem vehementer exoptant. Galeni. Quod igitur ob atram bilem rationalis animæ principia occupantem,timor fit & triſtitia, & mortis formido, nihil miri eſt.videmus enim etiā extra corpus nihil nobis ita horrendum, velut ſunt tenebræ. Quum igitur velut caligo quædam rationali animæ parti,circumfuſa fuerit,neceſſe eſt timere hominem, vt qui cauſam timoris ſecum in corpore circūferat. Sicut enim in profundis tenebris pueri timent,itémque adulti imperiti: ita etiam atræ bilis color, velut tenebræ,rationis locum obumbrās timores efficit. Rufi. Quapropter omnium ſymptomatum ſingulis accidentium cauſas enarrare impoſſibile eſt. Pleraque enim multam difficultatem habēt,velut verbi gratia:cur fugiunt velut horrenda,quæ nō ſunt horrenda? alia verò perſequuntur velut bona, quæ non ſunt bona?& cur alius domeſticos timet,alius verò omnes homines,& huiuſcemodi? Plurimorum verò ſymptomatū cauſas medicum dicere non eſt difficile. velut qui ſibi videtur vas fictile eſſe,propter ſiccitatem hoc patitur:frigidus enim & ſiccus eſt melancholicus humor. ſimiliter etiam qui cutem ſuam ſiccis pellibus ſimilem eſſe putat. Qui verò putabat ſe caput non habere,fortaſſis ob leuitatem hoc paſſus eſt,quam flatus ventoſus ſurſum latus, ipſi exhibuit. Cur verò appetunt melancholici plures cibos? num quia frigeſcit ipſis os ventris? Cur autem aliqui ipſorum vini potores ſunt? num quòd frigiditas calfactione opus habet?cur autem occidunt ſeipſos? num quia à maioribus malis liberari ſe putant? niſi fortaſſis talem opinionem induūt quòd bonū eſt mori:quod barbaris quibuſdam videtur.Cur autem cruditates aſſiduæ ipſis fiūt? num quia turbatum & ſuperfluitatibus plenum eſt ipſorū corpus,& propterea etiam venter intemperatus, vt qui ſemper ex atræ bilis humore perfrigeratur?Cur autem aliui plerunque ipſis ſiccantur? num quia flatus ſupernè circa præcordia conſiſtunt,& non valde infrà ſecedunt. Neceſſe itaque eſt ob hoc ipſum etiam ventres ſiccos eſſe: ex multa verò retentione,aliquando coacervata colliquata egerunt.Oculis autem plerunque nictant, & oculi ipſis procidunt,& craſſa labia habent, propter craſſum flatū.atri verò ſunt coloris,propter humoris diffuſionē.hirſuti verò plerique ipſorum ſunt, propter multitudinem craſſarum ſuperfluitatum.Veloci verò plerunque lingua ſunt,& balbi & gracili voce præditi,ob linguæ incontinētiam.motus enim concitationes à flatu fiunt. quicquid autem concitatè mouetur,citò defluit. Et procliue ſanè fuerit etiam aliorum ſymptomatum cauſas reddere, ſiquis ex his progreſſum facere volet. Porrò nigreſcit aliquando hic humor ſupercalefactus,aliquando ſuperfrigefactus.Nam quale quiddam patiuntur carbones,dum vruntur luciđiſſimi ob flammam exiſtentes,extincta autē flamma nigreſcentes:tale quiddam circa clarum ſanguinis colorem frigiditas facit. Videmus enim etiam in externis,quædam corpora liuida fieri ac denigrari à frigiditate.Et rurſus exceſſus caloris reficcans ac conſumens humiditates à quib⁹ calor nutritur,humores nigrefacit,quēadmodum etiam ſol fructus,& hominum corpora. Hæc igitur ſunt quæ ante curationem medicum cognoſcere oportet:quæ verò diſcenda ſunt vt quis ita ægrotantibus opem ferre poſſit,iam tempus eſt ſubiungere. non parū autem refert ad curationē, noſſe vnde morbus initium habuit.Cognoſcere itaque oportet quòd duplex eſt melācholiæ ſpecies: quidam enim ex natura & temperatura ab initio atram bilem habent:quidā verò ex mala diæta

A poſtea id temperamentum acquiſiuerunt,& eſt hæc ſpecies ſegnis ſemper & triſtis.qui verò ex flauæ bilis ſuperaſſatione in delirium incidunt,audaciores & iracundiores aliis ſunt,& percuſſores & omnia horrenda facientes, & maximè tempore quo bilis ſuperaſſatur.quo verò tempore ipſa extincta fuerit,triſtes,mœſti ac timidi fiūt.Quū igitur totum corpus melancholicum ſanguinem habuerit,à venæ ſectione principiū curationis facere cōuenit: quum autem ſolum cerebrum, æger venæ ſectione non habet opus,niſi multo ſanguine redundarit, & præſeruationis gratia, detractionē faciamus.Cognitio verò an toB tum corpus melācholicum ſanguinem habeat, aut iuxta ſolum cerebrum talis ſit,ex his à te fiat.Nigriores & hirſuti,& qui venas amplas habent,aptiſſimi ſunt ad atræ bilis generationem:aliquando etiam homines colore rubicūdi, con fertim in melancholicam temperaturam tranſeunt.Conſequenter autem ab ipſis flaui,& præſertim vbi vigiliis,& laboribus pluribus,& curis, & tenui victu, aut melancholicis eduliis fuerint vſi. Ad hæc ſi ſuppreſſa eſt hæmorrhois in ſede,aut alia excretio conſueta, aut mulieribus menſes.Nec parum confert anni tempus,& aeris C ſtatus & regio,& ægri ætas ac ſtudiū.His omnib⁹ præcōſideratis,vbi ſperaueris in totius corporis venis melāncholicum ſanguinem contineri,certiſſimum experimentum adhibeto, ex venæ cubiti mediæ præſertim ſectione. Si enim effluens ſanguis nō videbitur atrabiliarius eſſe, ſtatim cohibeto:ſi verò talis apparuerit, quantum pro ægri corporis habitu ſatis fore putaris,euacuato. At verò tertia melancholiæ differentia,cuius principium à ventre hærere diximus,& quæ affectio præcordialis appellatur, ſæpe ex relatis cognoſcitur.Primùm enim incipiunt venD tris ſymptomata, velut ſunt inflationes,ſugitus,ructus acidi ac viroſi,& quòd venter reficcatur, & quòd in ſeceſſibus ac vomitibus & ructibus alleuantur,& quòd ipſi ægri percipiunt omnes vexationes circa præcordia conſiſtere. Quemadmodum igitur dum quibuſdam ſæpe ex ventre fuliginoſa quædam aut fumoſa, aut omnino craſſorū vaporum exhalatio ſurſum fertur; velut in ſuffuſos oculos habentibus,aliqua ob oculos verſantur: eodem modo etiam nunc dum melancholica exhalatio ad cerebrum, E velut fuligo aut fumus,fertur,melācholica quoque ſymptomata circa mentem contingent.Quum igitur melancholici delirii propria ſymptomata apparuerint magna: circa ventrem verò aut nihil moleſti,aut minimum fuerit:in iis cerebrum primariò affectum eſſe putādum eſt, velut prædictum eſt.

Curatio melancholiæ, Galeni, Cap. x.

Melancholiam ex cerebro primariò affecto obortam, per balnea aſſidua, & diætam boni ſucci humidam F ac flatus exortem curare oportet, citra aliud efficax auxilium,niſi ob temporis longitudinem humor affligēs ægrè euacuetur:tum ſanè magis varias ac fortiores curationes adhibere oportet. Incipientem autem affectionem curare conuenit.nā inueterata ac aucta, ægrè tractabilis euadit. Rufi. Siue autem cerebrum primariò affectū fuerit,ſiue præcordia,communia ſunt ſubducentia ventrem auxilia.Primùm igitur bonæ concoctionis curam habere oportet:poſtea verò purgate, primùm epithymo & aloe. horum enim etiamſi parum quotidie acceperit, G prodeſt tamen moderatè & paulatim ſubducendo. Poſidonii. In quibus ſanguis redundare apparuerit,ſtatim ab initio vena ſecetur in cubito, & præſertim in quibus conſuetæ ſanguinis excretiones ſunt ſuppreſſæ.Verùm in mulieribus,quibus menſes defecerunt,venā in talo ſecare oportet,& in ſingulis pro viribus ſanguinem euacuare.In quibus autem vitiati humores magis redundant, præparatum per victum ægrum purgabis per hieram.

Rufi,aut Archigenis,aut Iuſti. Si verò vtrique redundant,facta prius venæ ſectione purgato: poſtea interpoſiH tis aliquot diebus,aluum per clyſteres euacuato, primùm cum furfurum ſucco,ſpumâque nitri ac melle: deinde etiam polypodii radices cōtuſas,aut epithymum cum furfuribus coquito. Poſt triduum à clyſteris vſu, detur ipſis picra ex aloe compoſitio,quæ ſupra reliqua omnia,etiam

epithymum accepit.Præparanda eſt autem velut Themi
ſon iubet,ita vt aloes accipiat drach.c . maſtiches , croci,
ſpicæ nardi,cinnamomi,aut caſſiæ duplum,aſari , carpo-
balſami,ſingulorum vnc.i.his verò etiam epithymi ſex-
tans addatur. detur autem cochlearii magni copia cum
aqua mulſa,detúrque ipſis ex modicis interuallis iterum
atque iterum:deinde rurſus per victum reparatis viribus
rurſus dato hieram Rufi,aut Archigenis,aut Iuſti.Sit autē
pondus drach.IIII.cum aqua mulſa,& ſalis cochleario par
uo.melius eſt autem per euacuantia quotidie leniter vē-
trem ſubducere.Atram verò bilem ducit amaracus,& cu
nila appellata,drach.II. pondere aquæ mulſæ inſperſa &
pota.Conducit & lactis ſero aluum ſubducere,ſed non de
caſeis dandum eſt ſerum.præſtat enim quod à lacte per
cocturam ſeparatur.Sit autem lac equinum,aut ſi nō poſ-
ſit haberi,bubulum:lac ipſum in ollam nouam mittatur
& fici ramulo agitetur. Poſtquam autem ter aut quater
ebullierit,acetum mulſum irroretur:deinde percolatum
in potu detur.Et primùm quidem admiſcēdum eſt mel:
quum autem venter ſubire inceperit,non amplius adda-
tur mel. Accipiat autem æger hoc ſerum per heminas,
non infra quinque heminarum menſuram.Ab omni ve-
rò euacuatione vtendum eſt maluæ ſemine læuiſſimè tri
to,duarum drachmarum pondere,cum aquæ cyathis tri
bus.egregiè enim facit:quare ſæpe ipſo vtendum eſt.Opti
mum eſt & pulegii decoctum ſæpe bibere,& ante purga
toria,& poſt ipſa:& ſimiliter centaurii parui.Abſinthii au
tem decoctū & aſſiduè & conſequenter præbe.ſtomacho
enim & ventri in his cōmodum eſt:& neque flatum mul
tum in ventre fieri permittit,neque ſeceſſum penitus re-
ſiccari: & vrinam ciet , & concoctionem probe adiuuat,
adeo vt ego ex huius ſolius vſu nouerim quoſdam à mor
bo liberatos.Danda ſunt etiam vrinam mouētia,aniſum,
daucus,petroſelinum,aſarum,nardus:& his adhuc ampli⁹
fœniculi magni ſylueſtris ſemē & radix. Chamæpitys au-
tem & chamædrys promptius accipienda ſunt, ita vt ſin-
gula hæc cum aqua coquantur,aut arida trita potioni in-
ſpergantur. Commodæ ſunt etiam euacuationes per ſu-
dorem,& labores,& balnea fientes, & per illitiones in ſo-
le,qualis eſt quæ cum oleo chamæmelino fit,& cum oleo
ac nitro.quòd ſi habitus permiſerit,rurſus per hierā pur-
gato.Conuenit autem neque præcordia negligere:& ma-
ximè vbi acceſſerit medicus,curationis ipſorum conie-
cturam faciet.Fomenta igitur cōueniunt ex oleo , in quo
cocta ſunt ruta,anethū, ſerpyllum,abſinthium,artemiſia,
pulegiū,viticis ſemen,baccæ lauri,aut folia tenera . hæc
enim dolores mitigant,& flatus minuunt.at verò in infla
tionibus ſtomachi cum morſu,cuminum & pulegium in
aceto coquere oportet,& per ſpongias ſtomachum foue-
re:aliquando etiam alumen aceto inſpergimus. Catapla-
ſmata autem,habeant aut aniſum,aut apium,aut cuminū
in oleo præcoctum:& cyperus læuiſſimè trita,& iris, & li-
banotis cataplaſmati addatur. permittantur autem diu-
tius,& ante & poſt cibum.Ablato autē cataplaſmate,præ-
cordia contegantur,aut lana ampliſſima,aut læuiſſima &
pura pelle agnina,præillitis locis ex nardino . Vtendum
eſt etiam cucurbitarum adhibitione, ad flatus quidē ina-
nium,ad inflammationes verò ac duritias,cum ſcarifica-
tione.Poſtea verò ceratis ex cyprino vtendum eſt , & po-
lyarchio, & quod ex ſtyrace paratur , & quod ex ſemini-
bus fit,& ſimilibus.In progreſſu autem curationis , etiam
rubificatione ex caricis ac ſinapi vti,valde proderit:& cō
coctiones reuocat.nam & ventri robur addit : & , ſiquis
dolor in præcordio reſtat,eum eximit.Vtendum eſt etiā
acribus ſmegmatis ad præcordia, & picatorum medica-
mento, hoc eſt pice ſicca per ſeipſam liquefacta,aut cum
modico oleo: calida autem imponitur cuti , & ventri ac
dorſo adhibetur,ac ſinitur donec ſua ſponte decidat.qua
re licet cum ipſa lauari,& quod paulatim diſparatur,forſi
ce auferre. Valde verò prodeſt eis ſtercus bubulum aridū
aceto infarctum ac impoſitum. proſunt etiam bulbi cum
nitro aut alumine triti ac impoſiti : ſed & iis ad bubulū
ſtercus admixtis vtile fit cataplaſma , & præſertim vbi
morſus ab ipſis circa ſtomachum percipitur.Cæterùm in

A quibus conuulſiones aſſiduæ corpori adſunt,confert etiā
caſtorii potus,& illitiò corporis ex caſtorio cum oleo ſi-
cyonio . conuenit & moueri & exerceri ipſos pro viribus
ante cibos .Balnea verò probè concoquenti non ſunt val-
de neceſſaria,niſi laſſitudini alicui mederi velis. Qui ve-
rò non bonum ventrem habet ad concoquendum , huic
conducit frequentius lauari,aut ieiuno , aut poſt perfectā
concoctionem . Poſt balnea cibos damus concoctu faci-
les,flatus exortes,ex aluo ſecedentes,exacta conſideratio-
B ne facta quomodo ex ſingulis homo afficitur. non enim
omnes ad omnes cibos ſimiliter diſpoſiti ſunt.Plerunque
tamen conueniunt panes clibano cocti probè præparati:
volucres non pingues,non viroſæ ,montanæ:oua gallina-
rum mollia:piſces petroſi & molles carne.Herinacei verò
marini plurimum præſtant ad iucunditatem & vtilitatē.
vitanda ſunt omnia in ſtagnis degentia, & in paludibus.
Ex carnibus conueniunt hœdinæ,& lactentium anima-
lium,& ex his magis extremæ partes probè coctæ. nō in-
utiles ſunt etiam vuluæ,& ventriculi,& pedes ſuilli.Ex ole
ribus ad communem victum conferunt dulcia . acriora
C verò aliquando danda ſunt pharmaci loco, velut eſt aſpa-
rag⁹ paluſtris,petroſelinū,& ſimilia:moderata verò copia
omnia accipiatur. Vinū ſit tenue & albū & nō valde ve-
tus. non autem aceruatim detur potus inter cibum , neq;
magna copia potus exhibeatur, vt ne cibi in ventre flui-
tent.Acetum quoque acerrimum cochlearii mēſura poſt
omnem cibum abſorbeatur vbi iam vult dormire: ſed &
pleraque obſonia in aceto tincta edere conuenit. præſtat
autem aceto admiſcere parū de ſquilla,& ruta, & ariſtolo
chia tenui. Poſidonii. Commodum eſt autem ad in-
flationes tale oxyporium præparare:Liguſtici,ſeminis a-
D pii,zingiberis,thymi,ſingulorum vnc.I.mellis deſpuma-
ti quantum ſatis eſt.dato cochlearii dimidium manè , &
veſperi ſimiliter.Quòd ſi mellis dulcedinem auerſentur,
ſalem concoctoriū eiuſmodi ipſis præparato: Squillæ aſ-
ſatæ vnciam vnam,ſalis ammoniaci quincuncem , ſemi-
nis apii,fœniculi,thymi,petroſelini,aniſi,ſinonis, zingi-
beris,ſingulorū drach. quatuor,panis puri ſicci quincun-
cem,piperis ſeſquiunciam. ex hoc cochlearii menſuram
edendam dato cum cibo,prout voluerit. Detur etiam i-
pſis antidotus theriaca ex quibuſdam interuallis, & præ-
E ſertim hyeme , & inchoante vere. Rufi. Vomant ex
longioribus interuallis etiam à cibis, verùm à raphanis,
aut origano, aut thymo ieiuni . non tamen fortioribus
vomitoriis vtendum eſt. Sunt enim talia nociua in his,
ærumnam ventri ac ſtomacho addentia iam antea ex
morbo afflicto. videntur enim aliqui ex efficacioribus
vomitoriis melancholia correpti. Proinde operæpre-
tium eſt noſſe , quòd multi ſic ægrotantes , in tempo-
re curationis nihil commodi perceperunt : demiſſa verò
curatione reſtituti ſunt,natura ante curationem præua-
F lente contra morbos debiles ex medela factos. quapro-
pter naturæ remiſſionem dare oportet. videtur enim
vnà cum curationibus affligi:in quiete verò inualeſcere,
& ſuperare morbos iam antea attenuatos.

De inſania lupina aut canina appellata, ex Marcello, Cap. XI.

QVI morbo lupino ſiue canino appellato corripiun-
tur,in februario menſe noctu exeunt , per omnia i-
G mitantes lupos aut canes,& vſque ad diem monumenta
maximè aperiunt.Cognoſces autem ita affectos ex his ſi-
gnis:pallidi ſunt,& viſu imbecilli,& oculos ſiccos habent
& non lacrymantur.Videbis etiam ipſos cauos oculos ha
bere,& linguam ſiccam.& ſaliuam omnino non profun-
dunt.Sunt quoque ſiticuloſi,& tibias habent exulceratas
immedicabiliter,propter aſſiduos caſus , & canum mor-
ſus.ac talia quidem,ſunt ſigna.Noſſe verò oportet melan-
choliæ ſpeciem eſſe hunc morbum:quem curabis tempo
H re acceſſionis venam ſecando,& ſanguinem vſque ad a-
nimi deliquium euacuando , & ægrum boni ſucci cibis
nutriendo.Vtatur autem balneis dulcibus : deinde ſero
lactis per triduum vſus, hiera verò ex colocynthide Rufi,

aut Archigenis, aut Iuſti purgetur, iterum atque iterum ipſam ſumens ex interuallis. Poſt purgationes etiam theriaca ex viperis vtendum eſt, & alia adhibenda in melancholia iam antea relata. Ad veſperam verò inuadẽte iam morbo, irrigationibus capitis ſomnum inducere ſolitis vtendum eſt, & talibus quoque odoramentis. nares item opio illinantur. quandoque verò etiam ſomnifica in potu exhibeantur.

De incubo, Poſidonii, Cap. XII.

QVI incubus appellatur, non eſt dæmon, ſed magis præludium & proœmium morbi comitialis, aut inſaniæ, aut ſyderationis. nam cruditates ex voracitate affectionem præcedunt. Dum enim ventriculi cerebri vaporibus craſſis ac frigidis implentur, prohibent hi facultates per neruos tranſire, & morbum ægrè excitabilem efficiunt, & qui vix ad rectam actionem perducitur. vnde etiã immobiles penitus tales permanent. Præcedit enim incubum ſuffocatio, vocis priuatio, grauitas, & immobilitas. Per multam verò anxietatem attenuato ac diſcuſſo ſpiritu, & apertis meatibus, derepentè excitantur. Cauendum igitur eſt à malo dum in principio eſt: inueteratum enim & aſſiduè incidens, quoſdam ex relatis morbis inducit, dum paulatim in ventriculis cerebri craſſus humor coaceruatur. Quæcunque enim patiuntur comitiali morbo correpti in exacerbationibus, eadem perpetiuntur incubo preſſi dum dormiunt. Si quidem igitur ſanguis redundat, venam in cubito ſecare oportet: ſi verò vitioſi humores magis prædominantur, purgatio facienda eſt per hieram Archigenis. Maximè autem opitulatur ipſis hoc. Corticis veratri nigri drach. I. ſcammoniæ obol. III. aniſi, aut dauci, aut petroſelini parum. Diæta verò ſit tenuis, & penitus flatus exors. Auxiliatur etiam ipſis niger pæoniæ fructus, ſi quindecim grana trita cum aqua in potu exhibeantur. Rigare verò oportet etiam caput oleo anethino calido, & pileo contegere vbi cubitum vadit æger.

De morbo comitiali, Galeni, Cap. XIII.

TRes ſunt morbi comitialis differentiæ. Omnibus autem commune eſt cerebrum affectum eſſe: aut primariò conſiſtente in ipſo affectione, aut per conſenſum oris ventris. Rarò autem fit etiam tertia ſpecies ex parte quadam, in qua incepit affectio, & deinde ſenſibiliter ægroto ad caput aſcendit. Atque hanc ſpeciẽ in puero quodam vidi, qui principium affectionis in crure habebat, & poſtea per tempus quoddam per femur & lumbos ac ſpinam ad collum & vſque ad caput aſcendebat. Vbi verò caput pertigiſſet, non amplius ſui compos erat. Tale quiddam contingit etiam in iis qui à ſcorpio, aut aliqua alia venenum eiaculante beſtia icti ſunt. Quidam enim ictus à ſcorpione, grandine ſe impeti putare dixit: & erat totus ſubfrigidus, & frigidum ſudorem excludebat, & medicamentis adhibitis vix ſeruatus eſt. Non igitur impoſſibile eſt circa aliquas non principales partes eiuſmodi eſſentiã generari, citra externã cauſam, & hanc ipſam vbi in neruoſa parte conſtiterit, vim ſuam per cõtinuitatem ad neruorum principium tranſmittere. Poſidonii. Conuulſio ſequitur ad morbum comitialem, eo quòd principium neruorum affligitur ab infeſtantibus ac moleſtiam exhibẽtibus. Quemadmodum enim ſtomachus, dum aut alimenti copia grauatur, aut ab acri humore mordetur, non ſolùm ſingultum, ſed etiam conuulſionem inducit: ſic etiam principium neruorũ ad talẽ motũ perducitur, dũ reiicere conatur quicquid tãdẽ fuerit id quod ex primariò affecta parte ad ipſum affertur. Cæterùm ordinati aut inordinati circuitus ipſis fiunt iuxta diætæ modum: aut enim per omnia æqualiter diætam habent ægri, aut inæqualiter & inordinatè. Irruente igitur comitialis morbi exacerbatione, conuulſas & obtortas partes deligare oportet, inungeréque ac dirigere: deinde diſparato ore pẽnam oleo illitam immittere, cyprino præſertim, aut irino aut narciſſino, & vomitum irritare, quò incumbentes ſtomacho humores extrahantur. Oportet etiam odoramentis ſenſum irritare, velut peucedano aut ſucco Cyrenaico. Perſeuerante verò exacerbatione, medicus confidenter cogens, ac mandibulas diducens caſtorium ori infundat, & ſuccum Cyrenaicũ cum aceto mulſo. Reuocatis autẽ ipſis, per ſedem infundatur cẽtaurii ac calaminthæ decoctum aut ariſtolochiæ: deinde recuperatis viribus, per hieram Galeni ex colocynthide purgentur. Eiuſmodi ſanè eſt recẽtis & acuti comitialis morbi curatio: deinceps autem quæ ad inueterati demolitionem pertinẽt trademus. Oportet itaque ægros in longo aquæ potu continere, & in curationis aggreſſione ſi nihil impedierit, venam ſecare, & intermiſſis diebus quatuor aut quinque corpus reficere, ac ſic infrà euacuare, maximè per veratrum nigrum aut colocynthidem. Veratri autem corticem ſiccum tundere ac cribrare oportet, & eius drach. I. cum aqua mulſa præbere: aut modico pipere addito melle excipere, & catapotia deuoranda dare. In colocynthide verò, eiecto ſemine, & relicta medulla, vinũ dulce infundito, ac per noctem ſinito: manè verò vinum excolatum ac tepefactum bibendum dato. Poſt ſufficientem purgationem lauare ipſos oportet. tertia deinde die cucurbitas affigere præcordiis ac dorſo cum ſcarificatione: deinde intermiſſis aliquot diebus ac refecto corpore, purgare per hieram Galeni ex colocynthide. poſtea verò etiam capiti cucurbitas affigere. & ſequenti die cataplaſma capiti adhibere, ex pane cocto cum aqua mulſa, amygdalis amaris ſimul cõtritis, aut ſerpyllo, aut calamintha, aut mentha, aut ruta. & hoc faciendum eſt per triduum. Poſtea radendum eſt caput, & illinendum peucedani ſucco in aceto diluto: aut ſpondylium, aut ſerpyllum, aut iris in aceto coquatur, & facta intermiſſione, rurſus ex hiera drach. III. ſolùm dato: deinde ſternutatoriis vtendum eſt, & pituitam per os ducentibus, & nariſuſoriis, ita vt cyclamini ſuccum naribus infundamus, aut ipſam radicem ſiccam tritam inſufflemus, aut elaterium cum lacte. Et rurſus facto interſtitio, clyſtere ex centaurio & colocynthide vtere: deinde ſinapiſmum capiti adhibe, & eduliorum acrium eſu per interualla vtere.

Quæ arguunt morbum comitialem, Cap. XIIII.

ARguunt comitialem morbum, & eo affectos collabi faciunt ſuffita, bitumen, lapis gagates, cornu ceruinũ, odor hepatis caprini aſſati, & ipſum hepar dũ editur.

Quæ collabentes comitiales excitant, Didymi, Cap. XV.

SI magnum pedis ægri digitum diuiſeris ex quacunq; parte, & deſtillante ſanguine labia ipſius collapſi illeueris, ſtatim excitabitur. Aſclepiadæ odoramentum excitans comitiales. Sagapeni, piperis, caſtorii, amygdalarũ amararum, radicis peucedani, ſpondylii, galbani, ſingul. drach. II. ſilphii drach. I. opobalſami drach. I. aceto dilue ac paſtillos efforma. vſu verò expetente aceto dilue ac naribus ſubline. Vtendum eſt hoc in exacerbationibus. facit & ad vteri ſtrãgulationes. Pharmacum hoc repoſitum ſeruetur in ærea pyxide, quam naribus ægri admouebis.

Aliud. Galbani, ſpondylii aut ſerpylli, æruginis raſæ, caſtorii, acori, ſing. drach. IIII. ſucci peucedani drach. II. aut radicis drach. III. ſucci Cyrenaici drach. I. opobalſami drachmam vnam, piperis grana XXIIII. amygdalas amaras decorticatas XXX. picis liquidæ quantum ſatis eſt, aceti tãtundem. Excipe & vtere.

Auxilia ad comitiales, Dioſcoridis, Cap. XVI.

AD comitiales facit rutæ ſylueſtris ſemẽ cum aqua põtum, & ſpõdylium eodem modo. Item radicis bryoniæ drach. I. ſeminis ſiue fructus balſami drach. III. cardamomi drach. I. Ramentorum loti arboris cremor. Foliorum quinquefolii drach. I. quotidie pota. teſtudo terreſtris cocta ac delincta, laſer cum cibo acceptum. Summè verò prodeſt caſtorium poſt aliquam purgationem acceptum ad dies quinque aut plures, drach. I. põdere cum aqua mulſa. Et eboris ramenta magnopere profuiſſe cognouimus, ad dies quinque aut plures, duorum cochleariorum menſura quotidie pota cum aqua mulſa. Ex Aſclepiade. Oxalidẽ, ſiue rumicẽ acutũ, viridẽ præſertim, quotidie dato à prima luna vſq; ad triceſimã. Eadẽ oxalis herba viridis data cũ vino delyrãtibus, in naturalẽ ſtatũ eos reſti-

cos reſtituit. Aliud vt ne aſſiduè cadant,inquit Archigenes: Eryngii montani appellati, cuius folia anguſta & parua,& flores auricolores, & oculorum ſpeciē præ ſe ferentes.huius radicē contundito,ac diligenter cribratam repoſito: & ex hac myſtra duo ad dies quinque dato,ſufficienti melle adiecto vt eclegmatis craſſitudinem habeat:& hoc facito ex interuallis,vt trecentos ſexagintaquinque dies expleas. Qui enim hoc pharmacum per anni ſpatium, hoc eſt trecentos ſexagintaquinque dies ſumit,ab hac affectione nō corripietur. Aliud. Squillæ aſſatæ internæ partis tritæ, anethi,ſing.acetabulum, apii acetabula tria. excipe melle,& nucis Ponticæ magnitudine exhibe cum aceto mulſo: & qui bibit, ſi poteſt, currat:ſin minus,concitatè deambulet. Aliud Aſclepiadæ. Foliis oleæ xxv.& caſtorio cum aceto mulſo, vſus eſt Themiſon. facit ad comitialem morbum & elephantiaſin. Eſt & hæc theriaca bona: Seſelis drach. v.ſcord ii,caſtorii.cinnamomi,ſeminis trifolii, ſingul. drach.vi.ſtaphidis ſylueſtris drach.iii. gētianæ drach. viii.ariſtolochiæ drach.vi.pyrethri drach.viii.euphorbii drach.v.piperis albi drach.x.opobalſami drachmas iii ſucciCyrenaici drach.iii. excipe aceto mulſo ſimplici, & dato comitialibus cum aqua mulſa drach. tres: elephantiaſi verò affectis ſeſquidrachmam præbe. Aliud, quo Serenus vtebatur ad comitiales, cui nullum comparari poteſt.idem concoquit & euacuat. Caſtorii,veratri nigri,ſcammoniæ,ſing.drach.ii.opopanacis, cumini Thebaici,centaurii, nitri, ſulphuris viui,abrotoni, ammoniaci thymiamatis, ſeminis rutæ ſylueſtris,abſinthii.ſing.drach.i. cōtuſa & cribrata excipe aqua,& efforma pilulas fabæ Ægyptiæ magnitudine, & vnā quotidie præbe cum aceti mulſi cyathis iiii. diuina hui⁹ cōpoſitionis vis eſt.Recipit autē ſimplicia xii. & habet drach.xv. Aliud. Coagulū leporisquotidie ieiunus bibat erui magnitudine,aqua diſſolutum: ſi nō adeſt leporinum,hœdino vtatur. Aliud Archigenis, ad comitiales & qui per circuitū conuelluntur,& à voluulo vexātur,& ex diuturno capitis dolore laborāt. Caſtorii,abrotoni,radicis panacis:pyrethri,croci,ſing.drachm. 8 ſeminis rutæ ſylueſtris, myrrhæ,piperis, ſingul. drach.iiii.terito in aceto mulſo ſquillitico, & paſtillos dr. formato,& vnū exhibeto nō febriētibus cum aceto mulſo: febrientibus in remiſſione ac interuallo cum aqua mulſa per triduū: deinde interpoſito triduo, rurſus per aliud triduū dato.facit etiā ad arthriticos. Ducit mulieribus mēſes,ſi nouies per interualla(velut dixim⁹)bibatur. Aliud cōſimilis vſus: Caſtorii,piperis, radicis panacis,ſing.drach. 8. pyrethri,ſtaphidis ſylueſtris,abrotoni,ſeminis rutæ, zingiberis, acori, dauci, ſing.drach. 4.croci,iridis,cardamomi,ſing.drach.2. Dato ex hoc arido cochlearium cum aqua mulſa. facit ad comitiales, reſolutos & tremulos.

De iis qui ex ſtomacho primariò affecto comitialis morbi morbo exacerbantur, Galeni, Cap.xvii.

Qvando ſtomacho primariò affecto fit morbus comitialis, oportet ægro præcipere vt bonæ concoctionis ſtudioſus ſit,& circa horam tertiam panem accipiat probè præparatum,ex vino veteri albo & tenui diluto ac leniter adſtringente. Dato autem ipſis etiam amarum ex aloe pharmacum ſæpe in anno.Dicetur autē amplius de iis qui ex ſtomacho comitialis morbi modo affliguntur, in ſermone De ſtomachicis.Multū verò prodeſt ipſis ſeſeli,& ſpondylii radix ac ſemē,&ariſtolochia cum aqua trita pota. Auxiliatur iis magnificè &venæ ſectio à talis & poplite,ſi aſſiduè fiat.Noui etiā puerū qui omnino non corripiebatur comitiali, ex quo pæoniæ radicem geſtabat magnam & recentem de collo ſuſpenſam,vt indeſinenter ſtomachum contingeret.

De iis qui ex parte aliqua habent morbi comitialis cauſam, Poſidonii, Cap. xviii.

Qvibuſcunque verò ex alia manifeſta parte morbus comitialis principiū habet, velut in prædicto puero ex crure:poſt totius corporis euacuationem,vnguentis locum prius excalfacere oportet:deinde epithema ex A ſeminibus imponere,& ex emplaſtris quæ rarefaciunt & intemperiem tranſmutant:quale eſt quod ebrietas appellatur, & quod ex althæa paratur, & Mnaſeæ inſcriptum: poſtea verò Phœnicinum appellatum.Poſt temporis autem interſtitium dropaces ac ſinapiſmi loco adhibeantur.& ſic quidem adoleſcentes ac iuuenes, & inclinatæ ætatis homines fortiter curare oportet.

Curatio ſenum ac puerorum comitiali correptorum, Cap. xix.

SEnes autem & pueri affecti hoc modo curentur: corB poris equidem euacuationes in iis vitare oportet per purgantia medicamenta: imbecille eſt enim & ſenibus & pueris corpus ad reſiſtendum fortitudini purgatiuorum.Per clyſterem verò euacuādi ſunt, præſertim ſenes, ex centaurea, ariſtolochia, polypodio ac anetho. Sed & manducationum vſus ſenibus conuenit, & gargariſmatum,ac eorum quæ naribus induntur:at verò pueris ſimpliciſſima infuſa immittūtur.Frictoriorū quoque ac ſinapiſmorum ſimpliciorum vſus pueris adhibeatur:ſenibus autem efficaciorum.ſed & antidoti præſcriptæ ſeni-C bus ſunt exhibendæ.

Curatio valde ſenum comitialium, Poſidonii, Cap. xx.

VAlde ſenibus conſulendum eſt vt victu ſolùm calidiore vtantur, & vt bonæ concoctionis rationem habeant. Impoſſibile eſt enim eos qui cum hac affectione cōſenuerūt, humana ope curari, ac à morbo liberari. Quibus autem temporaria eſt affectio,ab aliquibus occaſionibus allapſa,etiamſi valde ſenes fuerint,ab ipſorū curatione deſperandum non eſt.

D Curatio puerorum recèns natorum comitialium, Poſidonii, Cap. xxi.

AFficiuntur etiam recèns nati pueruli à morbo comitiali,& difficilem curationem habent, non tamen deſperatam. Poſſunt enim ipſorum matres aut nutrices calidis cibis ac potibus nutriri,quò lac ſemper calidius ac tenuius fiat. poſſunt etiam capita infantium puluiſculis calidioribus cōſpergi, velut eſt cyperus, adiantum, iris: oleo item anethino aſſiduè illini & irino, E ac amaracino calidis.Lauari quoque poſſunt itavt caput nō rigetur neque calida neque frigida: niſi vbi opus fuerit ſordes detergere per ſpumam nitri ac mel, & ſic caput ſolùm calida abluere, non autem immergere. Dandum eſt etiam ipſis mel deſpumatum ad delingendum: & collo alliganda eſt pæoniæ radix recèns,vt ſemper ſtomachum contingat.

De fatuitate, Cap.xxii.

FAtuitatis quoque ac delirii curationem aggredi oportet à principio generationis ipſorū,ſi partes corF poris vniuerſæ & præſertim capitis moderatè ſe habuerunt, & ſi rationem antea moderatam ac integram habuerunt,poſtea verò dementes apparuerunt.Oriūtur ambæ affectiones frigidiore cerebro facto,aliquando ex ſola qualitate,velut fieri ſolet in profectionibus dum pluuia caput frigefacit,aut etiam vehemens ventus: aliquādo verò etiam modica pituita ad cerebrum illapſa. Differt autem fatuitas à delirio, quòd fatuitas quidem cōſequentia & dicit & facit: delirium autem tranſgreſſionem incōſequētem habet, & ſermonem alium alii cōG nectit, ita vt poſterior nihil commune habeat cum priore.Deliriū itē ſenibus plerūq; accidit: fatuitas autē & in pueris & adoleſcētibus ac reliquis ætatib⁹,ex prægreſſis quibuſdam morbis conſequitur. Cæterùm curatio amborum morborum conſimilis eſt ei quæ ad comitiales relata eſt,per calefactoria auxilia ſimiliter fiens,non tamen ſimiliter ſiccantia.

De memoria amiſſa, ex Rufo ac Galeno, Cap. xxiii.

H MEmoriæ detrimentum ſæpe in quibuſdam morbis factum eſſe compertum eſt, læſa ſimul etiam ratione:ita vt affectio quidem vtraque,eadem ſit,intendatur autem quando vnà cum memoria etiam ratio periit:quod ſanè fatuitas appellatur.Pereunt autem ambo hæc in lethargo, & omnibus affectionibus ſoporiferis. Vnde etiam curatio ad prædictas affectiones deſcripta

A adhibetur inſtantibus iam morbis. Contingit autem hoc etiam ex peſte, quemadmodum accidit in peſte Athenis facta. Si verò irruerit aliquando ex aliquo prædictorum morborum, ſoluto iam in totum, & in obliuionẽ tranſeunte, conſiderare oportet qualitatẽ magis prædominantem, hoc modo, Sola quidem humiditas redundans profundos ac longos ſomnos facit; ſola verò ſiccitas, vigilias. Si verò frigiditas fuerit cum humiditate, ſoporiferæ ac ſtupidæ affectiones fiũt: ſi verò humiditas fuerit cum modica frigiditate, memoriæ detrimentum B & fatuitates ſuccedunt. Quum autem multa ſit differentia temperaturarũ, pro maioris ac minoris ratione, multiformis ſit varietas cauſarum animales actiones lædentium. Obſeruare igitur oportet ſomnos eorum qui memoriam perdiderunt, aut intelligẽtiam, (intelligentiæ enim amiſſio fatuitas eſt) vtrum ſomnolenti ſint valde, an moderatus ipſis ſit ſomnus. ita enim repereris intemperaturam prædominantem. Inſuper autem conſiderandum eſt vtrum multa excernantur per os & nares de humoribus ex capite delabentibus, aut ſic- C cæ appareant partes hæ. Si quidem igitur frigiditas ſola eſt, calefacere ſolũ conuenit, non item ſiccare: ſi verò cũ ſiccitate fuerit frigiditas, calefacere ac humectare. Atque ego ſanè noui quendam qui ferme memoriam amiſerat, & ratione læſus erat ob ſtudium & vigilias circa diſciplinas: alium item vinitorem ob vineæ labores ſimiliter affectum: & vterque ipſorum palàm à calefacientibus ac ſiccantibus lædebatur: ab humectantibus verò ſimulque calefacientibus opem ſentiebat. his autem prædiſtinctis curationem annectamus. Si igitur ob D purgationes quaſdã, aut alias immodicas euacuationes, aut animi deliquia, fractis viribus, memoriæ detrimẽtũ ſuccedat, refectoria diæta vti conuenit, nihil aliud curioſius moliendo. roboratis enim corporibus & collectis viribus, reſtituitur etiam memoria. Eodẽ verò modo ſi propter extremam ſenectutem acceſſerit memoriæ detrimentum, non oportet curioſè quid moliri, ſed ſola conueniente diæta contentum eſſe. Quibus autem derepentè deficit memoria, alia verò ſana eſſe vidẽtur, in his comitialem ſucceſſurum timere oportet, aut reſolutio- E nem, aut etiam ſyderationem. & in ſumma magnum quoddam malum in ipſis comperies. his igitur ſufficiũt aliquando præſeruationes à morbis imminẽtibus. dum enim morbi aduentum prohibemus, ex hoc etiam memoria conſeruatur. Prohibẽt autem prædictos morbos primùm attenuans & inciſoria diæta: deinde etiam purgationes conueniunt & ſimilia. Si verò ex morbis, velut dictum eſt, irruerit, velut lethargo aut peſte, horum curationem contentioſius aggredi oportet. Summa verò medelæ eſt in calefaciendo vniuerſum ipſorum corpus intrinſecus ac extrinſecus, iuxta menſuram euariationis F habitus naturalis. Calefactoria quæ ferme talibus conueniunt, æſtate quidem oleum per ſe calidum: hyeme verò irinũ cum aceto acriori, aliquando ſerpyllo, aut ſpondylio, aut calamintha in ipſo cocto: aliquãdo etiam nitro iniecto & pipere, aut baccis lauri. cõmodum eſt etiam caſtorium cum oleo occipiti adhibitum. Auxiliatur autem iis maiorem in modum hieræ Rufi purgatio. Quandoque enim, inquit, huius ſolius purgatione vſus, multùm profeci in purgando, quum nihil boni ſecum detra- G hat. incipit enim ſupernè à capite detrahere, & poſtea etiam alias partes pertranſit, nullam violentiam, nullum dolorem inferens, non ardorem, non ſtomachi dolorẽ, non ſitim: verùm ſemper pro euacuationis ratione alleuat. vnde etiam ſtomachum corroborat per purgationẽ, vt ciborum quoque appetẽtiam augeat. Creditur etiam poſt purgationem per hieram, eboris ramentum memoriæ opitulari, drachmæ pondere potum cum aqua mulſa, & ſimiliter cerui cornu. Quin & caſtorium ſimiliter drachmæ pondere potum, poſt purgationem cum aqua H mulſa magnopere prodeſt. Maximum auxilium eſt & veratri albi potio, non (velut quidam putant) poſtremum, ſed ab ipſa rectè etiam quis incipere poſſit. Quid enim opus eſt diu & multùm laboribus fatigari, quum ex maximo auxilio maximam medelam conſequi liceat? Quare citra omnem formidinem veratrum dandũ eſt priuſquam æger per morbum excoletur, & vires auxilii exiles fiant. Commoda ſunt quoque ſternutatoria ex veratro albo & caſtorio, naribus admota poſt euacuationes, & quæ naribus induntur ac infunduntur, & quæ pituitam per os detrahunt. Alimentum verò conuenit friabile, & aliquo modo calefactorium ac attenuatorium. Ab oleribus autem omnibus frigefacientibus abſtinendum eſt, & à fructibus ac bellariis, caſeóque ac lacte, & à cibis craſſefacientibus ac inflantibus. alia enim ex ipſis ſpiritum conturbant, alia denſant. Acriora verò ex interuallis exhibeantur, velut ſunt allia, thymbra, origanum, pulegium & raphani. ſed & horum copia vitanda eſt. Semper autem cruditas cauenda: nã cruditates omni re magis mentem vitiant. Vinum his conuenit tenue, album, & non valde vetus: per moderatam enim caliditatem tum alia non pauca poteſt, tum animam manſuefacit, & ad tripudia aptam facit, motum ei præbens concinnum ac ſedatum. Multus autem aquæ potus, & adhuc magis vini, peſſimus eſt: caput enim valde humectat. multa autem humiditas obliuioſiſſima eſt. Somnus ſit moderatus, & à repletione ne fiat. Veneris verò vſus ſit rariſſimus: neque enim ad totam ſanitatem conducit, neque ad animæ ratiocinationes: imò & triſtitiam inducit, & lancinatio illa in coitu contingens, conuulſioni quodammodo cognata eſt: & perfrigeratio quæ ſuccedit, congelat quodammodo ac ſtupefacit intelligentiam. Cæterùm poſt purgationes vniuerſales ac locales, etiam ſinapiſmus occipitis commodus eſt, & poſt ſinapiſmũ, balneum. Cruditas autem & laſſitudo penitus vitentur, tum aliarum corporis partium, tum maximè capitis ac ipſius mentis. Vitandi quoque ſunt vehementes ardores ac frigora: ambo enim caput replent. vitanda & edulia craſſefacientia & inflãtia ac humectantia. At verò quis ex iis progreſſum faciat, etiam in ſanis qui humidius caput habent, victus rationem commodam præſcribere poterit, vt quis optima memoria præſtet.

De commorſis à cane rabioſo, aut iis qui aquam timent, ex Rufo & Poſidonio, Cap. XXIIII.

QVVM canes natura calidi ac ſicci ſint, per æſtatem ex ambiente nos aere aliam caliditatem ac ſiccitatem acquirunt, & ob immoderatam intemperaturam inſaniunt, & hæc inſania rabies vocatur. Patiuntur autem hoc magis in illis regionibus in quibus maximæ & inæquales ambientis mutationes inordinatæ fiunt, in quibus & hyemes vehementes fiunt, & æſtus excellentes. Inſanientes autem canes, & ſiti vehementi correpti, potum non admittunt, eo quòd inſaniunt: vnde etiam magis intenditur ipſis veneni malignitas. Signa canum rabioſorum hæc ſunt, Muti ſunt, & adeo deliri vt ne familiariſſimos quidem cognoſcant, ſed hos primùm attingant. Cibum auerſantur, & ſiticuloſi quidem ſunt, non tamen bibunt, & plerunque anhelant. Ore autem hiant, & linguam exerunt, ac ſaliuam largam & ſpumoſam profundunt. aures item inclinant, & caudam laxatam habent, ſegniúſque incedunt, & velut ſomnolentiores exiſtunt. ſi verò etiã cucurrerint, velociùs ſolito currunt intempeſtiuè ac inordinatè. huiuſmodi canes fugere oportet. Omnes enim qui à rabioſo cane morſi ſunt, ſi neglecti fuerint, aut malè curati, in affectionẽ timoris aquæ incidũt. & hoc maximè patiũtur qui vitioſis humoribus repleti ſunt. Vnde quidã ſtatim vbi cõmorſi ſunt, aquã & alios liquores timẽt: alii poſt quadraginta dies, alii poſt lõgius tẽpus. Contingit autẽ ipſis grauior perturbatio, quũ aquã aut aliud quoddam pellucidũ ſpeculũ viderint. aſpiciũt enim faciẽ ſuã rubicundam, ac toruè tuentem atque ira plenam. Fieri autem poteſt vt (quemadmodum aliqui dicunt) etiã canis à quo morſi ſunt, imaginem in aquis apparere imaginentur. Recordati autem formæ canis, confertim ab immodico timore corripiuntur. hoc verò patiuntur ob immodicam ſiccitatem. Nam philoſophus quidam morſus à rabioſo cane, & generoſo animo affectioni reſiſtens,

&inconſequens ratus canem in balneo apparere:(apparebat enim ipſi quemadmodum etiam aliis hoc modo affectis)ratiocinatus igitur & ſic ſecum loquutus: quid cani & balneo commune eſt? ſuperauit affectionem, & ſanatus eſt ab affectione, vbi citra timorem bibiſſet. Quum igitur aliquis à rabioſo cane commorſus eſt, ei quamcelerrimè per receptam curationem auxiliari oportet, etiã ſi paruus & in ſuperficie conſiſtens fuerit morſus, de hac re certi quòd nullus ex iis qui non probè curati ſunt, effugit. Primùm itaque vulnus maius facere oportet, oſculo ipſius per ſcalpellum diuiſo ac dilatato: deinde etiam fiſſuris incuſſis omnem circumcirca locum vellicare, eo ſtudio vt effluxum ſanguinis multũ per locum efficiamus. Vlcus verò cauteriis ignitis amplioribus inurere: deinde porrum imponere, aut panem cum ſale trito, aut cæpas, aut allium. Et vbi cruſtæ exciderint, vlcera ad dies quadraginta aut ſexaginta à cicatrice arcere. & ſi ad cicatricem peruenerint, rurſus per cinerem vitis aut ficulneum, & ſimilia, vlcera reſoluere. Hac de cauſa bonum éſt etiam folia marrubii, & anagallidem imponere. hæc verò etiam à ceraſte ſerpente morſis magnopere auxiliatur. Vlcus autem perfundendum eſt chamæmeli, & oxalidis, *id eſt radicis ramicis acuti*, decocto. Noui ego quendam ſenem, qui vbi quis morſus eſſet à rabioſo cane ſola oxalide curabat. nam & vlcus decocto perfundebat, & herba integebat, & de ipſa bibendum dabat: & hoc pharmacum velut robuſtum valde laudabat. Mingunt autem homines qui ipſam acceperunt, multa & intemperata: & propterea morbum regium hæc expurgat. Nos verò etiam impetiginem ex ipſa cum aceto confrictam depellimus, & pruritui auxiliamur per eãdem radicem. vtimúrque etiã ipſa ad morſus canis rabioſi cum aliis auxiliis. Similiter facit etiam ſylueſtris rumex aculeatus, radicem habens oblongam, velut raphanus paruus. Commodum eſt etiam ipſis pharmacum Galeni ex pice brutia. Eſt autem hoc: Picis brutiæ lib. I. opopanacis quadrãtem, aceti heminas II. Opopanacem cum parte aceti terito, reſiduum verò aceti ad picem adiice, & coque donec acetum conſumatur, atque ita ad tritum in mortario opopanacem diffunde, & vnita excipe, ac impone, & hoc pharmaco per dies quadraginta aut ſexaginta vtere, & non permittet vlcus cicatrice includi. Bonum eſt & theriacam antidotum ex viperis oleo roſaceo dilutam vulneri imponere. Sed & aridum hoc ipſis conuenientiſſimum eſt. Salis foſſilis drachmas VIII. chalcitidis drach. XVI. ſquillæ drach. XVI. rutæ viridis drach. IIII. æruginis raſæ drach. IIII. ſeminis marrubii drach. I. Reponitur ſiccatum in ſole in ærea pyxide. Vtere primùm ſicco donec cruſta inducatur: deinde cum roſaceo, donec cruſtæ excidant. Sed & potamogetõ cum ſale impoſitus non permittit incidere in affectionẽ timoris aquæ. vtere autem hac herba, & humida & ſicca. Danda eſt etiam antidotus theriaca in potu primos tres dies, nucis auellanæ magnitudine. Neque enim aliquem noui qui eam accepit, aquæ timore correptum. Nec verò ab aliis auxiliis abſtinendum eſt, ſed danda maximè eſt antidotus celebris ex cancris fluuialibus. Eſt autem compoſitio eius hæc: Cancrorum fluuialium magnorum viuorum, in vaſe æris rubri vſtorum cineris dextantem, gẽtianæ quincuncẽ, thuris vnc. I. præparãdũ eſt hoc pharmacum menſe Auguſto luna decima octaua. Si verò non affuerit quod ſic præparatum eſt, nihil de hoc curioſus ſis, ſed quocunque tempore paratum exhibe, velut dictum eſt. præſtat tamen lignis vitis exuſtionem ipſorum facere. Dato cochlearii menſuram cum aqua calida ad dies quadraginta, ſi ab initio hac potione vſus fuerit: ſi verò nõ ab initio, ſed poſt aliquot dies, dato quotidie cochlearia duo donec impleueris quadraginta dies. Facit quoque per ſeipſum cinis cancrorum potus, & cum melle vulneri impoſitus. Præparatur quoque antidotus ex nucibus, etiã febricitantibus iam conueniens. nam ſupra hoc quòd affectioni reſiſtit, etiam ſomnum cõciliat. Cõpoſitio eius hæc eſt: Sagapeni drachmas duas, opii Thebaici drach. duas, croci ſeſquiſcrupulum, lycii Indici ſcrupulos vndecim, & dimidium, carnis nucum iuglandium non valde

A veterum drach. XL. excipe & exhibe drach. I. cum aqua pluuiali calida ad noctem, poſt vigorem febris, ita vt manè quidem antidotum ex cãcris, veſperi verò ex nucibus præbeas. Quòd ſi hæ antidoti non adſint, dato confectionem cyphi appellatam, ſiue eam quæ ex rebus XXXVI. conſtat, ſiue eam quæ ex XXXVIII. paratur, habueris. commodus eſt etiam ſuccus Cyrenaicus aut Parthicus, fabæ magnitudine deuoratus. Quidam hepar ipſius canis qui momordit coctum pra bent commorſo. Mergi quoque iecur aſſatum datum cum oleo ac modico ſale commo- B dum eſt. Aiunt enim ita efficax ipſum eſſe vt æger eueſtigio aquam petat. Sed & hippocampus marinus aſſatus comeſtus prodeſt. ſanguinem enim ipſius amorem aquæ inducere dicunt, & formidini aquæ reſiſtere. vnde iterum atque iterum hippocampum edere iubent. & ipſos hippocampos cum acri aceto tritos vlceri imponunt, & hoc pharmaco ſæpe rabiem ſuperarunt. Quin & catuli coagulum cum aqua datum, vtiliſſimè ab ipſis bibitur. & vbi ſemel ipſum acceperint, aſſiduè commouet ipſis potus cupiditatem, & bibũt etiam alios liquores intrepidé. Opor- C tet autem catulum non multorum dierum eſſe, ſed recèns natum & adhuc lactentem. prodeſt ipſis etiam leucãthemum herba pota. Tantam autem eius vim eſſe aiunt, vt ſi ex ea fundum poculi ſublinatur ac exhibeatur, ipſi libẽter potum accipiãt. idem etiam de chamæmelino traditur. Vtiliſſimum autem eſt ipſis bitumen Iudaicum potũ cum aquæ cyathis tribus. datur ex ipſo perfectis ſcrupulus vnus, aut (velut aliud exemplar habet) drachma vna. vtiliter etiam datur ſylueſtris fici virgultorum cortex ſiccatus ac tuſus, & cum aqua potus: & lycium Indicum, & abſin- D thium, & ſcordium, & centaurea parua, ariſtolochia, artemiſia, chamædrys, bryoniæ radix, polium, laſer, cancrorũ fluuialium decoctũ multo anetho cum ipſo cocto. Subſternitur autem commodè & inſternitur ipſis, vrſæ pellis, & phocæ. Sed & hyænæ pellis efficaciſſima eſt, vt ipſis intecta velociter mentem in integrum reſtituat. quin & pellis hyænæ exuſta, ita vt cinis in potu detur, affectionẽ formidinis aquæ ſedat. Cognitionem autem an homo à periculo liberatus ſit, ex his ſumito. Vlcus nucibus regiis læuiſſimè tritis intege: ſequenti verò die ſolue, & cataplaſma gallo aut gallinæ edendum obiice. Si enim ex eius e- E ſu non mortui fuerint, tunc vlcus ad cicatricem perducito: nimirum velut liberato ægro à periculo. vtere autem eodem etiam ab initio ad dignotionem. ſi autẽ gallina ex eſu cataplaſmatis prima die impoſiti vlceri non moritur, ſcito nõ à rabioſo cane hominẽ morſum eſſe: ſi verò mortua fuerit, vice verſa. Primùm enim ne attinget quidem: ſi verò à fame coacta ederit, morietur, ſi rabioſus canis fuerit. Hoc igitur quotidie alterare oportet, donec ex eius eſu gallina nõ moriatur. Cæterùm vlcus ipſum optimè F ac tutiſſimè ad cicatricem perducit antidotus theriaca, cum roſaceo diluta. Vlceribus autem ad cicatricem perductis, veratrum album præbeatur ad totius affectionis deſtructionem. nam & rabioſi canes hoc cum polenta accepto vomunt, & ſtatim reſipiſcunt à rabie liberati. Fieri etiam poterit quod opus eſt, ſi per Rufi hieram infrà purgaris, vbi quid prohibuerit veratri acceptionem. Danda eſt etiam quotidie hiera, non ad purgationem, ſed tanquam auxiliare medicamentum, nucis auellanæ magnitudine, cum cyatho decocti ſaluiæ, aut herbæ ſideritidis, G quam heracleam appellant. Quidam etiam ſola ipſa vtuntur, & multùm prodeſſe dicunt, & propterea etiam alyſſum ab eo quòd rabiem eximat, ipſam nominant. In victu, indigentia & repletio vitanda ſunt: & magis indigentia. nam indigentiæ humorum malignitates augẽt: quod nequaquam commodum eſt vlceri maligno. Quapropter alimentum moderari oportet, quò & probè concoquat corpus & ſucculentiſſimum ex bono ſucco fiat: quin & egeſtionum quotidianarum & mictionum cura habẽda eſt. Ad hoc autem faciunt & prædictæ radices, & ſcan- H dix comeſta, & fœniculum. Crethmum autem cum ventrem tũ vrinã mouet. cichoriũ verò ſylueſtre etiam ſtomacho commodum eſt, crudum comeſtum. appellant ipſum aliqui ſerin, aut picridem. Commodus eſt & braſ-

ſicæ aſparagus,& aſparagus paluſtris, & rumex hortenſis, & agreſtis,& acutus. Et ex piſcibus qui teneram carnem habent,gammari & cancri,& herinacei recentes cum vino mulſo.ex carnibus extremæ partes:& volucres omnes mõtanæ,cõcoctu faciles ac boni ſucci.vinũ tenue & albũ, nõ valde vetus.At verò præſeruationis gratia,ſingulis annis appropinquante eo tempore,per hieram præpurgari oportet:& inſtante iam die theriacam antidotum accipere per triduum.

De cerebri inflammatione, Cap. XXV.

CErebrum inflammatum ſæpe ita intumeſcit vt etiam ſuturæ capitis diſparentur,& dolorem maximum ac exurentem compreſſis membranis inducit.Conſequitur nauſea ſtomachi multa,& bilis vomitus, & rubor multus in facie conſiſtit,& oculi prominẽt,& facies intumeſcit, itémque totum caput:iis ergo vena ſecanda eſt à cubito. Oportet quoque à naribus & venis ſub lingua ſanguinem euacuare. Vtere etiam irrigationibus capitis, quarum vſus aliâs ad inflammationes adhibetur, & cataplaſmatis humectantibus & concoquere ac maturare potentibus.

De eryſipelate cerebri, Cap. XXVI.

FIt & eryſipelas,*id eſt ignis ſacer*, in cerebro: & patitur æger hæc.Dolet totum caput, & videtur ſibi flammam in ipſo habere:& facies ipſius frigida eſt,itémque præcordia,& os ſiccatur.Iis igitur vena ſecetur, & præſertim venæ ſub lingua incidantur.Forinſecus autem adhibe capiti frigefacientia vnguenta,& paſtillos quibus ad eryſipelata vtimur.

De apoplexia,id eſt ſyderatione, ex Galeno, Cap. XXVII.

SYderatio,propter repentinum exortum indicat humorem craſſum,aut frigidum,aut viſcoſum implere principaliores cerebri ventriculos, & non propter intemperiẽ totius eſſentiæ eius fieri. Magnitudinem itaque periculi ex magnitudine læſionis reſpirationis coniecta.Quum enim reſpirationem multùm impediri & vix fieri videris, non paruam morboſam affectionem coniice in cerebro factam eſſe.Eſt autem apoplexia,*id eſt ſyderatio*,priuatio ſenſus & motus totius corporis, vnà cum læſione principalium actionum derepentè incidens. Ex Archigene. Syderationis affectio ex natura magna eſt, & vehementer acuta.Cõtingitque vt qui periculum effugerunt,in diuturnum morbum incidant reſolutionis aliquarum partium, aut etiam totius corporis, aut etiã violatæ rationis. Senibus autem magis accidit affectio, & magis in hyeme & conſtitutione frigida,& ex vehementibus cruditatibus, & ardoribus vehementibus, & immodico vini potu ac ebrietate.talia enim habitum perfrigerant.Et in ſumma, qui in hanc affectionem collapſi ſunt,viuentes ſunt cum mortificatione,aut cum tota ſenſus priuatione. Primùm igitur corpus oleo calido inungendum eſt: caput autem rigandum roſaceo cum aceto.Coquendum eſt autem in aceto ſerpyllum,aut ſpondylium.odoramẽta quoque adhibenda ſunt,caſtorium,opopanax,& galbanum: & aperto ore inſtillandum eſt acetum mulſum. Et pennæ oleo cyprino, aut irino aut narciſſino imbutæ immittendæ ſunt,& vomitus prouocandus, & ſedes aſſiduè illinenda cum ruta & cumino,addito nitro ac melle, ad flatus prouocandos.Si verò hæc nihil profecerint, clyſteribus vtẽdum eſt ex decocto furfurum & cucumeris ſylueſtris radice,& centaureo, nitróque ac melle: aut ex muria cum melle ac oleo rutaceo.Enitendum autem eſt vt quod infuſum eſt emittatur per lumborum ac ventris frictionẽ: & ſi opus fuerit,etiam digiti in ſedem immittãtur,& obturamenta educantur.His peractis,venam ſecare oportet periculo prædicto.Detractio autem fiat è dextra manu,& copia eius qui detrahitur diuidatur. Commouere enim oportet tantùm non exoluere vires & calorem extinguere.Inſpiciantur etiam pulſus in euacuatione, & faciei color ac reſpiratio:&,ſi nihil mali conſequitur, etiam repetenda eſt detractio.Poſt venæ ſectionem adhibeantur odoramenta excitatoria, & vociferationes: & corpus totũ inungatur.Et ſiqua pars reſoluta fuerit inſigniter, hapſo lanæ integatur ſicyonio aut pingui veteri oleo imbuto. Qui verò ad venæ ſectionem inepti ſunt,primùm ad vomitum,velut dictum eſt,commoueantur, & ſedes ipſorum illinatur iis quæ flatus educunt. Deinde poſt illitiones, cucurbitis concutere conamur magnis & fortibus, retrorſum iuxtà lumbos affixis.& vbi per tempus aliquod attraximus,transferimus ipſas vtrunque ad pectinem ac imum ventrem. ſæpe enim expreſſerunt ea quæ in ventre ſunt,& ſimul cum expreſſione reuocarunt morbo occupatos.His verò nihil efficientibus, aliquando ipſi auſi fuimus ori hieram infundere:& quum ſuſcipere non poſſent,quantum oportet per clyſterem infudimus.Et priuſquam quicquam egereretur,accidentia concurrentia reuocarũt me ad ampliorem aggreſſionem. & ſanè permittit hæc affectio ac cogit vel temerè omnia tentare. Hæc igitur in neceſſitate fiunt.vbi verò tolerare poſſunt,etiam reliqua auxilia annecte.Febris tamẽ occupat hominem: alios prima,alios ſecũda die,& exhibet ſpem ſalutis ipſa calamitas febris. ſed neq; negligenda eſt:verùm ſiqua reſident in inteſtinis, ea educere oportet: ſi deorſum repant,per clyſterem:ſi ſublimia ſint, per purgatorium infernè pharmacum, & maximè per hierã Archigenis.Poſt purgationem cucurbitæ præcordiis ac capiti affigantur cum ſcarificatione.Si verò aliqua compunctio etiam inferius fiat,illic quoque ſcarificatio adhibeatur,præſertim in mulieribus,iuxta vteri regionem:quòd ſi ad aliã quandam affectionem tranſitus fiat, curatio ad illam adaptetur.In ſumma verò prouidendum eſt in ſyderatis vt facilis fiat per aluum ac vrinas excretio.Curandum eſt autẽ vt accipiant cibos,quotidie quidem,verùm paucos & leues ac calidos,& exterſoria vi præditos, plerunque cum melle edulcatos.

De reſolutione, ex Archigene, Cap. XXVIII.

QVVM omnes nerui ſenſum ſimul ac motum amiſerunt, ſyderatio appellatur affectio. ſi verò iuxta alteram partem ſiue dextram ſiue ſiniſtram hoc contigerit, reſolutio vocatur,illius partis videlicet iuxta quam facta eſt.Conflatur hæc affectio,humoribus multis viſcoſis ac craſſis neruos obturantibus, per quos motus voluntarii perficiuntur. Manifeſtum igitur eſt quòd redundantem humorem euacuare oportet:nec verò aptius principium in his reperire datur quam à venæ ſectione, ſi quidẽ permiſerit ætas,habitus,tempus,ſtudium,prægreſſus victus, & reliqua quæ prohibere ſolent venæ ſectionem. Oportet autem moderatam detractionem facere, vt ne perfrigerentur.Frigiditas enim cùm ſiccitate,velut dictum eſt, affectionem inducit.quapropter ſolùm imminuenda eſt materia paululum per venæ ſectionem, & præſertim in prouectiori ætate:detractio verò fiat à ſanioribus partibus.In hoc autem tempore contecta eſſe oportet membra hapſo lanæ oleo ſicyonio aut gleucino imbuto. in prouectioribus ætate,etiam caſtorium inſpergendum eſt irrigationi.At in iis qui derepẽtè reſoluti ſunt,velut ex ardore,præſtat irrigatio ex lanis ſuccidis, & oleo ac aceto: aliquando etiam nitro. ſæpe verò irrigationem renouare oportet.Cibus conuenit his modicus.ſint autem ſorbitiones alicæ lotæ,& ſucci ptiſanæ.Interpoſitis dieb⁹ quibuſdam à venæ ſectione,aluus ſubducatur, primùm clyſteribus:deinde etiam per aloes & polypodii ac colocynthidis cremorem purgetur.conuenit etiam hiera Archigenis pro viribus accepta. Poſt purgationem cucurbitæ affectis partibus adhibeantur: ſi verò hæ ineptæ fuerint, vicinis affigantur.Poſt cucurbitas vtendum eſt cataplaſmatis ex ſemine lini,& fœnogræco,ac ordei farina,cum oleo veteri coctis, & pulueribus inſperſilibus admixtis: aut etiã emplaſtris quæ acceperunt picem,reſinã, mannã thuris,aliquando etiam bitumen.Egregiè facit & artemiſia coincocta,& calamintha ac ruta,& conyza. Poſtea verò etiam nitrum admiſcemus,& in muria cataplaſmata coquim⁹.Modicã autẽ aquã eſſe oportet,quæ & ipſa in coctura cõſumatur.poſtea autẽ pro lini ſemine farinã loliaceã & fabaceã adhibere cõuenit.Optimũ eſt & eryſimũ. Deinde cerata & vnguẽta adhibeãtur:alu⁹ autẽ ſemper facilè ſolubilis ſit. Catapotia ad reſolutiones,tremores, & opiſthotonicos:Succi Cyrenaici,piperis,galbani,ſing.dra. paſſo diſſoluito,ac facito catapotia, & dato ex eis obollos II.& his acceptis abſorbeant aquæ mulſæ cochlearia

duo aut tria. Aliud ad tremulos reſolutos & opiſthotonicos. Myrrhæ,caſtorii, ſtyracis,piperis, æqualibus partibus vtere. Aliud. Opopanacis,ſagapeni,caſtorii, myrrhæ,ſucci Cyrenaici,piperis,virgultorũ rutæ,ſingulorũ drach.i.præpara catapotia,& exhibe:& inſuper abſorbeant aquam mulſam. Vnguenta verò idonea ſunt huiuſmodi:In aliquo ex prædictis oleo ſquillam macerare oportet in ſole ad dies quadraginta:ſi verò tale oleũ non affuerit præſens, ſquillæ ſextantem in olei ſextario coquere oportet. ſimiliter etiam canchry, *hoc eſt libanotidis ſemine* vtendum eſt. Admiſcendum eſt & ceræ parum, & galbani, & propolis: aliquando etiam caſtorii vncia i.& adarces ac euphorbii, ſingulorum drach.iiii. & nitri drach.iiii. Commoda eſt quoque ranunculus herba ſimiliter præparata.manifeſtum eſt autem quòd à lenioribus incipere cõuenit.Sed & cerata ex iis parari poſſũt, adiecto pyrethro,baccis lauri,nitro,ſinapi. Malagmata verò conueniunt ex baccis lauri,& quòd viride appellatur.ſæpe verò ſufficit ceratum Cyprinum,largo ſinapi admixto, quod malagmatis vſum exhibet. Conueniũt etiam ſmegmata ex fæce vini & aceto,& combuſta adarce,euphorbióque ac calce viua parata.ſed & dropaces ipſis commodiſſimi ſunt. ſint autẽ leuia omnia quæ imponuntur,propter corporum debilitatem.Reuocat autem ſenſus etiam thapſia cum aqua illita aut cum aceto poſt dropaces:item illitio ex cantharidibus.Verùm vlcerationes ex talibus fientes,cicatrice citius includere oportet: quin & ſinapiſmi ipſis commodi ſunt, & poſtea balneum. vtendum eſt poſt purgationem etiam potionibus ipſis conuenientibus.Caſtorium itaque aſſiduè ipſis detur drach. ii.pondere cum aqua mulſa: & opopanax magnitudine fabæ, cum caſtorio & ſagapeno erui magnitudine,ab ipſis deuoretur: item ſuccus Cyrenaicus eadem magnitudine.ſed & ſarmentorum vitis viridium decoctum,à ieiunis aſſiduè potum, valde prodeſt partibus corporis reſolutis. Vtiliſſima eſt etiã poſt purgationes & alias euacuationes, theriaca ex viperis antidotus,& mithridatica.Eſt & ſimplicius pharmacum valde celebre ad huiuſmodi affectiones,hoc:Caſtorii,ſeminis rutæ ſylueſtris,opopanacis,ſing.obol.ii. pyrethri obol.i. acori tantundem, piperis grana x.cum aquæ mulſæ cyathis duobus,dimidiũ huius totius primùm dato: robuſto verò,totum. Vniuerſa verò curatio à capite initium ſumat:hæc enim radix eſt & principium totius affectionis.Quapropter illitiones ipſius ſint caſtoriũ,peucedanum, baccæ lauri & mẽtha. Hæc modico acri aceto excipiantur, addito irino vnguento,vt liquidioris cerati craſſitudo fiat: & illinatur ex hoc totum caput vſque ad frontem. ſed & odoramenta eiuſdem generis adhibeantur.Poſtquàm autem aluus efficaciore clyſtere præeuacuata eſt,& totum corpus iam minus ſuperfluitatum habet,cucurbitæ capiti adhibeãtur cum ſcarificatione: primùm quidem tali quæ multum ſanguinem extrahere poteſt:deinde verò moderatiore. Hoc autem auxiliũ ſæpe adhibendum eſt,leuibus & inanibus cucurbitis primùm capiti circumpoſitis, & deinde locis agglutinatis. ſic enim affixæ nihil minus quàm repetita ſanguinis detractio poſſunt. Tonſura verò, non ſolùm cucurbitarum gratia,ſed etiam per ſeipſam aſſiduè fiat. ſi verò ambiens nos aer non fuerit frigidus, etiam raſura commoda eſt. ſtatim autem prædictis illitionibus caput modicè confricãdum eſt. Poſtquam autem detracta fuerit materia, etiam ſternutatoriis & pituitam per os ducentibus vtẽdum eſt.Ego verò etiã cruſtas inurere nõ dubitarim per ignem,aut per medicamentum:vnam quidem circa occipitis cauitatem,quo loco ſpinalis medulla initium habet:duas autem ab vtraque ipſius parte: tres aut quatuor in vertice,vnã ex his in medio capitis, tres circũ ipſam. Vlceribus enim diutius fluidis permanentibus,non deſpero perfectam reſtitutionem. Reliqua diæta ſit attenuatoria,ventri cõmoda, nihil viſcoſi aut viroſi habẽs. & quæ vrinam cient alimentis admiſceantur. Vtendum etiam potionibus relatis ad morbum comitialem,& vnguentis ad arthriticos referendis.Quum enim communia ſint hæc, ſuperfluum eſt eorum etiam hic meminiſ-

A ſe.ſi verò fuerit æſtas,etiam in totum detegantur loci, & denudati aeri exponantur. quibuſdã enim hoc tempore principium recuperationis actionum contigit.

De ſupercilii aut palpebræ reſolutione, Cap.xxix.

SI ſuperciliũ aut palpebra fuerit reſoluta, curabuntur vnguentis calidioribus & acrioribus frõti illitis.Palpebra verò collyrio ex ſandice & germinum oleæ ſucco illinatur.Optimum autem in ipſis,& maximè in ſupercilio relaxato,hoc: Maſtichen cum ſucco braſſicæ non lotæ terito, & diſtenta frontis cute,fronti craſſius illine. B perſeuerante verò affectione,palpebram quidẽ ſutura curat:ſupercilium verò faſciolæ de fronte ablatio.

De conuulſione canina, Cap.xxx.

CAninam conuulſionẽ vocant mandibularium muſculorum reſolutionem.diſtorquetur igitur in obliquum os,& naſus & oculus, & in ſumma dimidia faciei pars.auxilia itaque reſolutæ parti adhibeantur nõ oppoſitæ.Decipiuntur enim aliqui qui mãdibulam ab oppoſita parte diſtrahi putant.In communi igitur ipſis com- C modãt omnia in reſolutione relata Nã & ſanguinis detractio,ſi nihil prohibuerit,& purgatio,& clyſter,& cataplaſmata,& vnguenta, & malagmata, & ſinapiſmi, & thapſiæ vſus cõducũt. Priuatim verò deligatura quæ ad oppoſita reducit: & ſanguinis detractio à venis ſub lingua:& cucurbitæ duobus verticulis impoſitæ: & quæ pituitã per os detrahunt, itémque quæ per nares.Iam verò etiã acrib⁹ illitionib⁹ vtẽdũ eſt ad oculũ affectũ,præſertim collyrio ex ſandice & germinum oleæ ſucco.

Linguæ reſolutæ curatio, Cap. xxxi.

D SI lingua fuerit reſoluta,venæ ſub ipſa ſecentur,corpore vniuerſo prius euacuato,& cucurbita ſub mentum ponatur:& quæ pituitam per os detrahunt, & collutiones ex ſinapi,& linguæ exercitia adhibeantur. Reliqua item occipitio ac collo vniuerſo admoueantur, velut ſunt illitiones acres,& epithemata,& ſinapiſmi.

De inſtrumenti vocalis reſolutione, Cap. xxxii.

REſoluitur & vocale inſtrumentum,faucium inquã muſculi,& extremitatis aſperæ arteriæ, imò etiam E thoracis ſuperiores.ſpiritus itaque in ipſis ſupprimitur. Quidam etiam gracilem vocem acquirunt: alii vix loqui poſſunt: & aliis aliter vox impeditur.Proinde poſt vniuerſalia auxilia,etiam thoraci adhibeãtur ea quæ antea enumerauimus. & gargariſmi acres ipſis exhibeantur. Priuatim verò ad ipſos vtendum eſt ſpiritus detentione & coaceruata expiratione, & concinna vociferatione. Poſt hæc autẽ per victum ac exercitia vniuerſum corpus corroboretur.

Deglutitionis reſolutæ curatio, Cap. xxxiii.

F SI deglutitio reſoluta fuerit, hoc eſt, delatrix ciborũ promptitudo: nam ſi ſtomachus, *hoc eſt gula*, reſolut⁹ fuerit, perniciẽ inducit: calida omnia adhibẽda ſunt. priuatim verò conandum eſt vt cibi indantur quàm penitiſſimè,vt ne ad aſperam arteriam dilabantur.Cucurbitæ quoque mento affigantur:& vnguenta vſurpentur ad partes iuxta tonſillas acria, ex caſtorio, ſagapeno,ſucco Cyrenaico præparata. gargariſmi item ex ſinapi: & quæ commanſa pituitam ducunt.foriuſecus quoque adhibẽ- G dæ ſunt illitiones communes prædictæ ipſi mento.

Veſicæ reſolutæ curatio, Cap. xxxiiii.

VEſicæ reſolutio ſiue detinuerit vrinas, ſiue inuoluntariè excreuerit, iiſdem cõmunibus auxiliis curabitur,circa pectinẽ,& maximè circa intercapedinẽ inter anũ ac ſcrotũ adhibitis qua parte ſitũ eſt veſicæ collum,quẽ locũ quidam ſitan, *id eſt catenulam* appellant. Vtendum eſt autem ſupra prædicta, irrigationibus pectinis ex vnguẽto nardino,& malabathrino ſuſinóq; ac ſicyonio,in qua cocta eſt eryngii radix,cyperus,cardamo- H mũ,ruta.ſed & ſedes iis illinẽda eſt. Poſt cõmunia verò auxilia,etiã per infuſa in anum conandũ eſt reuocare veſicæ actiones. ſũt autẽ hæc,à principio quidem caſtoriũ cum oleo ſicyonio,aut ruta, aut cumino, aut anetho in oleo cocto.deinde centaurii & colocynthidis decoctũ,

ata vt modò cum aqua, modò cum ptiſanæ ſucco ſimul coquantur. Optimè facit & anagallidis ſuccus, & origani ac thymi decoctum. Omnibus autem admiſcendū eſt oleum ſicyonium & caſtorium. aliquando etiam opopanaca & galbanum in ipſis eliquamus, ſi frigoris ſenſus ipſis adfuerit. Infundimus etiam per colē oleum ſicyonium cum caſtorio aut opopanace. Quandoque etiā ſilphium in oleo coquimus: priuatim verò in iis qui vrinas detinent, cathetere inſtrumento immiſſo, ad vrinas prolectādas vtimur. Et poſt vrinæ euacuationem, cathetere adhuc inſito, aliquod ex prædictis infundimus, anguſtiſſima fiſtula ad vtrē parata, quæ catheteri adaptari poſſit. & mirum eſt quanta inde vtilitas emergit, ex infuſo videlicet poſt vrinas excretas. Vtendum eſt autem in vtriſque etiam vrinam cientibus per interualla, velut eſt ſion, & iunci odorati flos ac ſimilia. vtendum & aceto ac vino ſquillino. Dicetur autē de his amplius in ſermone De affectionibus veſicæ.

Colis reſoluti curatio, Cap. XXXV.

IN colis reſolutione vrinæ excretiones non impediuntur: ſeminis autem excretio & coitus impeditur. Oportet igitur auxiliis ad veſicam relatis vti: priuatim verò nunc etiam coxendicibus calefactoria adhibere: & iam quoque tentiginem cientia, de quibus ſuo loco dicetur exhibere. Facit autem cum reliquis pudendum cerui femori velut zona alligatum, & carnes ipſius comeſtæ: & polypi marini & herinacei: & ex volucribus ſturni. Caſtorium autem in omni reſolutione commodum eſt: cauenda verò ſunt in ipſis omnia frigida edulia ac potiones.

Inteſtini recti reſoluti curatio, Cap. XXXVI.

INteſtino recto reſoluto omnino inuoluntariè ſtercora excernuntur. aliquando verò etiam ſiſtūtur. Itaque etiam auxilia eadem ſunt quæ in veſica ſunt relata, coxēdicibus adhibita. Priuatim verò in his, nunc adſtringentia & corroborantia, nunc pinguia & leuia per clyſterē infundimus, & rurſus mordacia ac lancinantia. proinde cupreſſi ac rubi decoctū adſtringit, maximè vbi immodicè egerit. Suillus autem & anſerinus adeps, & oleum maluæ maximè pinguefacit ac lenit, vbi ſtercora ſupprimuntur aut acria exiſtunt. Muria verò & colocynthidis decoctum, itémque centaurii, artemiſiæ, conyzæ ac thymi lancinant ac mordent. egregiè facit & trifolii bitumen olentis decoctum. Quum autem frigiditatis ſenſus affuerit, commodum eſt ſilphium, & gentiana, & bryoniæ radix in omnibus infuſis ſedis. Ego verò aliquando etiam acopon laſſitudinem eximens ex euphorbio paratum dilutum, per clyſterem cum fœnigræci decocto immiſi, & bene ſucceſſit.

Cruris aut alterius cuiuſdam membri reſoluti curatio, Cap. XXXVII.

SI crus aut manus aliud membrum reſolutum fuerit, communia auxilia in reſolutione relata adhibeātur, & exercitia moderata vnicuique parti congrua. Vtendū eſt etiam in omni reſolutione vnguētis quæ ad arthriticos referētur: cibi verò ſint in omnibus faciles cōcoctu, attenuatorii, ventri commodi, nihil viſcoſi aut mali ſucci habentes. vinum ſit album, tenue, & non valde vetus. In ſumma, vitāda eſt corruptio, frigiditas, ardor, otium, laſſitudo, coitus, vini multi potus. Ex epiſtola Archigenis ad Marſum, potio reſolutis conueniens, de qua ſic ait, Optimum eſt hoc pharmacum, & ad eiuſmodi affectiones valde à me probatum: Caſtorii, ſeminis rutæ ſylueſtris, opopanacis, ſingulorū obolos II. pyrethri, acori, ſingulorū obolum vnum, piperis grana decem. Cum aquæ mulſæ cyathis duobus, dimidium ex hoc primùm dato: robuſto verò, totum. Indicat autem obolum habere ſiliquas tres.

De conuulſionibus aut diſtentionibus, Cap. XXXVIII.

QVVM ſtatim à principio, aut non multo poſt principiū morbi fiunt conuulſiones, & permanſerint, ex repletione originem ducunt. Quum autem multis ſudoribus prægreſſis, aut vomitibus, aut ventris excretionibus, aut ſanguinis eruptione, aut poſt vigilias, aut fa-
A mem, aut motus multos & vehementes cōflatæ fuerint, ad euacuationem conſequuntur. Et vbi etiam in ſanis cōtigerit aliquas partes repentè conuelli, ob repletionem fieri neceſſe eſt. Si verò ex febribus ardentibus ſuccedit conuulſio, ob vehementem nimirum totius corporis & maximè neruoſarum partium ſiccitatem contingit, & eſt huiuſmodi malum maximum ac ferè incurabile. Quum igitur corporis partes antrorſum diſtenduntur, emproſthotonus appellatur: quum retrorſum, opiſthotonus: quum verò æqualiter in vtranque partem tenduntur, te-
B tanus vocatur. conuulſiones itaque ob vehemētem ſiccitatem nemo curauerit. Eas autem quæ ob plenitudinē aut inflammationem fiūt curaueris, plenitudinem quidem, euacuando, inflammationem verò, propriis ipſius auxiliis adhibitis. Fit etiam conuulſio in iis qui vehementer ob vomitus lancinantur, & ſedatur vbi quæ moleſta ſunt per vomitum fuerint reiecta. Auxiliatur conuulſis ſuccus centaurii tenuis potus, & ſeſeli cum aceto mulſo aut poſca. caſtorium autem non ſolùm potū, ſed etiam foris illitum commodat. Atque hæc exhibemus
C iis qui ob plenitudinem conuelluntur.

De tetano ſiue diſtentione & conuulſione, ex Archigene, Cap. XXXIX.

QVID ſignificet tetani nomē, iam antè dictum eſt. Corripiuntur autem hac affectione cū ob alias cauſas, (velut dictum eſt) tum ex vulneribus, & in fœminis ex aborſu. Verùm tetani ex vulnere fientes non ita ſanātur. neque autem pueris, neque ſenibus conuulſio fit tetanica: infantes enim magis infeſtat morbus comitialis. Quare negligendum non eſt, ſed vena ſecanda, ſi diſten-
D tio ex vulnere cōſequitur: copia verò detrahēda eſt multa quidem, ſed tamen non vſque ad animi deliquium. Et paulo pòſt exhibeatur alica cum aqua mulſa. ſit autē modicum quod exhibetur. Et ex aqua & oleo tepido ægri illinātur, & in ſolio deſideant infra vmbilicum. Oportet autem & partes quæ non madefiunt præillinere, & præſertim caput, & probè contegere vt ne impleatur. Vnguenta autem & illitiones adhibeātur ex oleo ſicyonio & gleucino, aut irino, aut oleo veteri. Conueniunt &
E vnguenta laſſitudinem eximentia, moderatè calefacientia, velut eſt quod fœtidum appellatur, & quod ex ſampſucho fit, & quod ex populo nigra, & ſimilia. quorum compoſitiones in Sermone de arthriticis referentur. Si verò nō à vulneribus, ſed ex repletione fiat tetanus, poſt venæ ſectionem vnguētis magis lancinantibus vtēdum eſt, quæ adarcen habent, & ſimilibus: deinde etiam cataplaſmata locis affectis adhibeantur, quæ laxare ac diſcutere poſſunt, ſimúlque lenire. Et hæc maximè muſculis circa collum & maxillas ac ſpinam adhibeantur. Horū
F autem materia ſit fœnumgræcum, & ſemen lini, & farina ordeacea ac loliacea. His addatur terebinthina reſina, & galbanum, & mel, ac oleum multum in quo decocta ſunt ruta, conyza, aut artemiſia, aut libanotis. infarciatur etiam aliquando ammoniacum thymiama. Sint autem molliſſima ac lenia cataplaſmata. Sed & fomentum adhibeatur incumbente cataplaſmate, ex veſica magna & oleo calido ſemiplena, aut ex ſale fricto, aut ex milio in ſacculis. Sed & cataplaſmata in ſaccos cōiecta imponātur, vt fomentum citra inquinamētum fiat, & præſertim
G ſi capiti id imponere oportet. Vitandæ autem ſunt aſſiduæ irrigationes capitis: caput enim inde repletur. Occupet cataplaſma & irrigatio ceruicem & maxillas ac totam ſpinā vſque ad lumbos. Inſpergatur irrigationibus caſtorium: & cucurbitæ cum ſcarificatione locis affectis omnibus affigantur. Temporis autem ſucceſſu etiam folia ex oleo aſſumantur moderatè bis aut ter in die, ita vt quinta olei pars ad ignem calefiat, reliquū in ſoliū mittatur: domus autem calida apparetur. In potu conueniūt optimū apomeli & radicis ſilphii decoctum, & ipſa tri-
H ta, & hyſſopi decoctum. & ſucci Cyrenaici magnitudo erui deuorata, & myrrha troglodytica magnitudine fabæ. Ex omnibus autem minimè offendit & maximè efficax eſt caſtoriū tritum datum cochlearii menſura. Poſt hæc commodant ſedis illitiones ex ruta & opopanace. auxiliatur & olei infuſum rutacei cū terebinthina. Dan-

da eſt ipſis & Archigenis hiera drach.II.pondere cũ pari caſtorio,cum ptiſanæ ſucco ac melle:deinde quædam ex aliis dentur,& ipſum caſtorium per ſe.

De capitis dolore diſtinctiones, ex Galeno, Cap. XL.

QVI citra diſtinctionem doloris capitis auxilia deſcripſerunt,maius detrimentum quàm emolumẽtum iis qui eis fidem habuerũt, attulerunt. Neque enim omnes ob vnam affectionem caput dolent,ſed tum ipſæ affectiones plures ſunt,tum curatio ipſarum ſingularum propria exiſtit. Vna enim affectio eſt iuxta intemperiẽ ſimplicem citra humorum complexũ,alia iuxta humorum qualitatem:tertia verò multitudinem tantùm ipſorum humorum contingit: quarta quum multitudo hæc tranſitus humorum ac vaporum obturarit.Et ad has adhuc alia,quũ ob imbecillitatem in aliquibus capitis partibus ſpiritus flatuoſus innaſcitur. Vehementiſſimi igitur capitis dolores fiunt iuxta caliditatem ac frigiditatẽ:moderati verò iuxta ſiccitatem . ad humiditates autẽ nullus conſequitur dolor. Eodem modo quum ob redũdantes humores,ſiue iuxta omnes capitis partes,ſiue iuxta vnam quamcunque tandem dolor contigerit,vehementior quidem ob calidos ac frigidos:moderatior autem ob reſiccantes citra caliditatem aut frigiditatẽ manifeſtam oboritur. Humectantes autem penitus nullum dolorem inducunt,quantum ad qualitatem ipſorum attinet.Nam ob multitudinem, citra quidem obturationem,grauant caput:cum obturatione verò dolores inducũt:ſi verò multitudo mordacem qualitatem habuerit, dolorẽ augebit : at verò ſpiritus flatuoſus & vaporoſus diſtentionem efficit citra mordacitatem.

De dolore capitis ex ardore aut caliditate oborto, Cap. XLI.

CApitis dolores ex ardore ſolis aut caliditate obortos ſanant quæ frigefaciendi vim habent, citra manifeſtam adſtrictionem. Optima verò ex ipſis ſunt quæ eſſentiam tenuiorem habent: quapropter nihil melius eſt ab initio,quàm optimum roſaceum frigidiſſimũ factum,& ſincipiti affuſum. Sit autem roſaceum eo anno factum ex oleo omphacino,citra ſalis admixtionẽ.Proximum à roſaceo locum habet chamæmelinum,vbi moderatam frigiditatem inducere volumus. Quum enim vehemẽter frigefacere voluerimus, ſemperuiui ſuccum admiſcere conuenit, aut polygoni, aut lactucæ,aut vuæ acerbæ,aut portulacæ,aut pampinorumvitis, aut pſillii, aut intybi.Papaueris autem & mandragoræ ſuccus vehemẽter frigefacit:quapropter nociuus eſt. Cæterùm Eraſiſtratus maximum præſeruatiuum in calidioribus habitibus eſſe dicit, vbi quis in ſole verſaturus ſit, ſi ſpongiã latam,denſam,aqua imbutam & probè expreſſam capiti imponat.At ſi doloroſa caliditas in capite inualeſcat,vnà cum ſpiritu flatuoſo,ab initio quidem curatione per repulſoria vtendum eſt,quæ ex adſtringentibus ac frigefaciẽtibus contingit : poſtea verò ex mitigatoriis ac cõcoctoriis medicamentis aliquid ad repulſoria admiſcere oportet:deinde etiam ex diſcuſſoriis quippiam addẽdum,paulatim detractis pharmacis quæ repellunt.

De dolore capitis in febribus, Cap. XLII.

IN capitis doloribus in febribus concidentibus,vena ſecanda eſt in prima aut ſecunda remiſſione , ſi nihil impedierit:&præſertim in bono habitu præditis ac multo ſanguine refertis. Animaduertẽdum eſt autem ne ob exhalationes ex ventre fiant,aut propter aluum ſuppreſſam.ſi verò poſterius poſt ſeptimam irruant,præuacuata memorabiliter per clyſterem aluo , cucurbitæ occipitio aut ceruici affigãtur. & caput ex olei irrigationibus mitigetur, roſacei quidem in calidioribus , & hora æſtatis cum modico aceto:chamæmelini verò in non valde calidis. anethini autẽ in frigidioribus habitib⁹,& in hyeme,quinta aceti parte addita.Frons verò illinenda eſt ex cypheos cõfectione in frigidioribus: crocomagmate autem in calidioribus.Porro medelæ doloris capitis ex febrium magnitudine oborti , in febrium tractatione ſuprà deſcriptæ ſunt.

A Ad capitis dolorem ex ebrietate & meri potu, Cap. XLIII.

VIna temperie calida maximè generant capitis dolorem,vt quæ omnino quidem vaporibus caput replent:aliquando verò etiam humoribus calidis. proinde opus eſt multitudinem quidem euacuare , caliditatẽ verò frigefacere. Roſaceum igitur aut tale quoddam nõ valde frigidum,ſatis eſt capiti adhibere: ſomnum item ac quietem.Et vbi talia per totum diem fuerint adhibita,in veſperam lauare oportet,& boni ſucci cibis nutri-
B re:non tamen calefacientibus, qualis eſt ptiſanæ aut alicæ ſuccus, & panis ex aqua , & oua ſorbilia ſine garo, & lactucæ feruefactæ. in potu omninò vtendum eſt aqua. Poſt omnem verò cibum,parum dandũ eſt de malo Punico,aut piro,aut pomo,aut vua paſſa. Sequenti verò die lauetur,& boni ſucci cibo nutriatur: & vinum tenue album modicum detur. Cæterùm præſumpta ebrietatem arcent hæc: Amygdalæ amaræ quinque aut ſeptem à ieiuno comeſtæ. vinũ abſinthites aut myrteum præſumptum:& ipſæ myrti baccæ præſumptæ. braſſicæ caulicu-
C li præcomeſti. Ebrietatem autem extinguũt poſtea ingeſta,cẽtaurii tenuis decoctum,ceruinum cornu, verbenacæ rectæ ſemen cum aqua.

Perfrigerati capitis medelæ, Cap. XLIIII.

IN capite recens frigefacto,rutaceo oleo calido ſinciput irrigare oportet: ſi vehementiore caliditate opus habuerit,parum euphorbii oleo iniiciatur,aut vnguentum irinum illinatur, aut amaracinum,aut laurinũ , aut ſerpillinum,aut nardinum. Frons quoque talibus inungatur,& aurium ac narium meatus illinantur.

D De capitis dolore à ſtomacho, Cap. XLV.

QVidam etiam ſi modicus in vẽtre, & maximè circa os ipſius humor acris fuerit collectus,ſtatim caput dolẽt:humoribus in vẽtre prauos vapores ad caput mittentib⁹,vt aliquibus ipſorũ ſuffuſis ſimilia ſymptomata accidant ex exhalationibus ſi non cibum ingeſſerint. & propterea famem ferentes lædũtur. augeſcit enim ipſis huiuſmodi humorum malignitas propter inediã. Oportet itaque ſic vexatos ſanare ita vt nihil capiti adhibeamus , verùm quamcitiſſimè moleſtos ventris humores
E euacuemus,aqua tepida exhibita in potu,& immiſſis pẽnis vomitu proritato.deinde verò poſt modicum interſtitium cibus boni ſucci & ſtomacho commodus detur ſi fieri poteſt,lotis poſt vomitũ:ſin minus, ante balneũ. atque hic tantus ſit vt ne lædantur dum lauantur. A cœna verò parum bibant , & ſequenti die manè abſinthio & eadem diæta vtantur.& de cætero quotidie circa horam tertiam aut quartam modicum panem accipiãt cũ oliuis albis,aut cum vua paſſa , aut aliquo huiuſcemodi per experientiã reperto,eo quod ſingulis optimum eſt.
F Aliud enim alii optimum eſt iuxta naturæ proprietatẽ. interpoſitis autem horis duabus balneum petãt. Peſſima porrò affectio eſt vbi vitioſis humoribus in ventris tunicis abſorptis,aut ineluibiliter infarctis,nauſeæ ac lancinationes inducũtur. quibus optimum auxiliũ eſt aloe pharmacum: quod aloes quidem habet drachmas cẽtũ, reliquorum verò quæ recipit,ſingulorum drach.VI.croci verò drach.IIII.aut minus. crocus enim caput percellit.Datur ipſis ex hoc pharmaco drach.I.cum aquæ cyathis duobus.Cauenda autem ſunt in omnibus,& præter
G tim his edulia natura capitis dolorem inducentia.

Quæ ex natura capitis dolorẽ inducãt, Cap. XLVI.

NON ſolùm in his qui caput per ſtomachi conſenſum dolent,ſed etiam in omnibus capitis affectionibus vitanda ſunt quæ natura capitis dolorẽ inducunt. Sunt autem hæc:viticis ſemẽ,abſinthii ſuccus,lactis potus,glandes quercinæ comeſtæ,oliuæ nigræ,memecylæ, eruum. hoc etiam articulos exoluit. Amplius autem lædunt myrrha,thus,hederæ corymbi. Mentẽ verò perturbant lentiſci fructus,crocus, peucedanum , cyclaminos
H ſicca cum vino pota, ſtyrax modicus quidẽ potus, triſtitiam diſcutit:multus autem, turbulentos ſomnos facit.

Ad dolorem capitis ob plagam, Cap. XLVII.

SI vulnus ob plagam factũ fuerit , glutinatoriis & inflammationibus arcentibus pharmacis vtendum eſt,

poſtquã vlceris labia fibulis impoſitis cõſtrinxerimus. ſi verò vſque ad pelliculam os caluæ ambientem plagã penetret, diducta pellicula caluariam ambiente, oſſéque conſcalpto, iuxta concarnationis modum curare oportet. Contingit autem non parum ſæpe, in caſu præſertim ex ſublimi facto, vt quædam partes circa cerebrum aut membranas eius abrumpantur: quando ſanè etiam periculum vehementius & acutius imminet. Optimum itaque fuerit in iis, niſi ætas prohibeat & niſi vitalis facultas debilis appareat, à venæ ſectione curationis initiũ facere. Quòd ſi aliquid venæ ſectionem impediat, aluum per clyſterem euacuabimus, reuulſionis ſimul ac euacuationis gratia: deinde auxiliis ad inflãmationes commodis vtemur. At verò membranam cerebri ſauciatam, inquit Archigenes, probè glutinat calaminthæ ſuccus infuſus, & farina milii arida inſperſa: deinde butyrũ & roſaceum, & adeps ſuillus inſulſus vetus, ſimul mixta & tepefacta infuſa.

De cephalæa, Galeni, Cap. XLVIII.

CEphalæa inueteratus & ægrè cedẽs capitis dolor appellatur, qui ex facili occaſione maximas exacerbationes habet, adeo vt neque ſtrepitus neque vocem vehementiorem, neque lumen ſplendidum, neque vini potũ, neque odoramenta caput replentia tolerare poſſint, neque item motum: ſed in quiete ac tenebris ob dolorum magnitudinem decumbere velint. nam velut à malleo ſibi pertundi videntur. Quidam verò velut cõtundãtur aut diſtendantur ea quæ circa caput ſunt, ſentiunt. non paucis autem vſque ad oculorum radices dolor progreditur. Habet autem hæc affectio aliquando continuos dolores, aliquando exacerbationes & interualla, ſiue ordinata ſiue inordinata. Intermittunt enim aliquando eiuſmodi exacerbationes, velut in comitiali morbo correptis, interceditque tempus aliquod quod omnino accuſari non poteſt. Manifeſtum igitur eſt, hanc affectionẽ conſimilem aptitudinem capitis vt facilè lædatur, velut in cephalalgicis, habere. Verùm ad maiorem debilitatẽ deueniunt in hac affectæ capitis partes: & quidam ex eis cerebri membranas dolitant: quidam verò membranam tantùm caluariam ambientem. Dolores igitur cum grauitate, humorum multitudinem indicant: cum mordacitate verò, aut humorũ aut vaporũ acredinẽ: cum pulſu autẽ, inflãmationẽ: cũ tẽſione verò, ſi quidẽ citra grauitatẽ ac pulſum fiat, flatus tenuis & vẽtoſi multitudinem demõſtrant: ſi verò cum pulſu, mẽbranoſi corporis inflãmationẽ: ſi verò cum grauitate diſtentio fiat, humorũ multitudinẽ intra mẽbranas cõtentã. Et dolores quidem in ſuperficie hærentes, mẽbranæ os caluæ ambiẽtis affectionẽ ſignificant: qui verò in profundo ſunt, cerebri mẽbranarum. Quibus enim affectio inter caluariã eſt, iis dolores vſq; ad oculorũ radices procedũt, eo ꝙ oculorũ tunicæ ex cerebri mẽbranis ortũ habeãt. Si quidem igitur humorum aut vaporũ multitudinem repereris cauſã, ſi quidẽ propter totius corporis repletionẽ facta eſt, vniuerſo corpore euacuato capitis dolorem ſanabis: ſi verò velut debile exiſtens caput, ad ſe ſublatos humores ac vapores ſuſceptet, materiam reuellere oportet in totum corpus: atque ita particulæ mederi. Per clyſteres itaque reuulſio fit, & ligaturis extremitatum, & pluribꝰ infernarum partiũ cõfrictionibus. interdum etiã ſanguinis detractione. Caput autem curabis, quandoquidẽ reuulſoriis vti oportet, per repulſorias irrigationes. Poſt totius verò corporis euacuationem iam caput euacuantibus ac diſcuſſoriis vteris: deinde iis quæ corroborare poſſunt. Repellit igitur oleum omphacinum, & roſaceũ per ſe & cum aceto, & quod ex papaueris capitibus, & oleæ teneris germinibus, & hederæ cacuminibus, ac mentha viridi apparatur. Adhibeãtur autem remedia tepida quidem, vbi frigidior & crudior fuerit humorum multitudo: frigida verò, vbi calidior & bilioſior extiterit. Diſcutit autem oleum dulciſſimum calidũ, & hoc magis inueteratũ: itẽ ſicyoniũ. Si verò craſſior fuerit humorũ multitudo, ſpõdyliũ aut ſerpyllũ, aut pulegii comã, aut calaminthã, aut mẽthã oleo incoquẽs, multitudinẽ euacuabis. Eadem hæc etiã robur parti addunt. quapropter vſque ad perfectã curationẽ eis vti cõuenit. Omniũ porrò maximè diſcutit & mirificè corroborat verbenaca recta, præſertim viridis: imò etiã arida cũ radicibꝰ, & ſimul cũ ſerpyllo oleo incocta. Coiiciẽda etiã ad ea crocodiliadis maximæ circa aquas naſcẽtis radix: quin & ipſam per ſe verbenacam ſi oleo incoxeris, caputque inde rigaueris, omni capitis dolori antiquo ex frigiditate aut ex craſſis humoribus oborto medeberis. Maximè etiam proſunt ſub aquario vaſe naſcentes aſelli, *millepedæ appellati*, ſi cum oleo coquantur.

De hemicrania, ex Galeno, Cap. XLIX.

AFfectio doloroſa iuxta dimidiam capitis partẽ cõtingit, quam hemicraniam appellant, & vtplurimũ per circuitum exacerbatur. Fit autem propter influxum vaporũ aut humorũ, ſiue multorũ, ſiue calidorũ ſiue frigidorũ. & aliquibus contingit vt extra caluariã doloris ſenſum perceptẽt: quibuſdã autem in capitis profunditatem penetrat: aliqui verò temporum muſculos vehemẽter dolẽt. dignotiones autem ex iis quæ de cephalæa dicta ſunt fiãt. Proinde purgare ipſos oportet, aut prius venam ſecare, atque ſic localibus auxiliis vti, ita vt quis tum per digitos ſuæ manus, tum per lintea, dimidiã frõtis partem, & maximè circa temporum muſculum cõfricando excalfaciat, ante exacerbationis tẽpus hoc f. ciẽs. Poſt exacerbationẽ verò, hemicranicis appellatis pharmacis vtẽdum eſt. ſi quidem multa caliditas in doloribus percipiatur, iis quæ refrigerans quippiã habent: nõ præſente verò caliditate, iis quæ multum calefaciũt. vtriſque verò aliquid ex iis quæ robur addunt miſceatur, quod adſtringentem habeat facultatem. Optimũ porrò eſt vnguentũ quod habet euphorbii vnc. I. ceræ quadrãtẽ, olei dulciſſimi lib. I. ex hoc dimidiã frontis partem vnà cum temporũ muſculo illine. Cõmodiſſimũ eſt ad frigidas affectiones, vt ſæpe ex vnico eiꝰ vſu ante balnũ dolor ceſſarit. Sic autem affectis prodeſt etiã in aurẽ infuſum oleũ tepidũ modico euphorbio adiecto. ſatis eſt enim ſi ad librã olei drach. IIII. euphorbii addãtur. Cæterùm naturali quadam ratione aut potentia euphorbiũ ad hemicrãicos facit, ſic adhibitum: Terito ipſum cum aceto, & ſi quidem dextrum tempus dolet, illinito ſiniſtrum: ſi verò ſiniſtrum dolet, illinito dextrum: & celerrimè ſanat dolorem. Item inteſtina terræ terito, & dolẽs tempus illinito: mirificè faciunt. ſimiliter vtere carne cochlearum. Vtere etiã paulo pòſt deſcribendis communibus omnis doloris capitis auxiliis.

Communis curatio cephalææ & hemicraniæ, ex Archigene & Galeno, Cap. L.

INueterata & ægrè ſolubili cephalæa aut hemicrania exiſtẽte, principiũ curationis à venæ ſectione aut purgatione facere conuenit, aluo prius per clyſterem euacuata. Manifeſtum eſt autẽ quòd multo ſanguine refertis venam ſecare oportet: vitiatis autem humoribus referti, purgandi ſunt. & deinde irrigationibus cõmodis vtendũ eſt: & à naribus ſanguis detrahẽdus: deinde pituitã per os ducentibus, & iis quæ naribus induntur vtẽdũ. Poſtea raſo capiti illinendum eſt id quod ex ſcammonia & peucedano ac aloe conſtat. Epithema verò cõuenit ex amygdalis amaris, & thure ac myrrha. emplaſtra verò ex agarico & quod ex ſquilla cõſtat, & nigrũ ex cucumere ſylueſtri, conueniunt, puſtulas locis inducẽtia, & quæ in profundo ſunt ad ſuperficiem tranſferentia. non incongruum eſt etiam malagma ex baccis lauri. Nos autem vtimur cataplaſmate ex cantharidibus: & mirificè facit, dum per longum tempus vlcuſcula ab hoc pharmaco fiẽtia, ſanie manant. Oportet autem munitam eſſe veſicã per lactis potum ac irrigationes, eo quòd facilè ab vnguentis ex cãtharide lædatur. Perſeuerãte verò affectione, ſecandæ ſunt arteriæ circa aures, & præſertim quæ in temporibus ſunt. Quidam etiam vſtione profunda vſi ſunt in cephalæa: qui hoc ſolùm cauerunt ne quis muſculus ſub cauterium caderet. Adhibentur autem cauteria nucleoformia, vbi magis dolor hæret: & licet vſque ad os vrere, quò ſquamæ diſcedãt. Barbari verò luniformẽ diuiſionem faciunt circa anteriorẽ capitis partem, ſupra frontem, à ſiniſtra aure vſque ad dexteram, pelliculam

caluam ambientem exoluentes,& os capitis deradentes,
caput tamen munientes.Et non poteſt temerè aſſumpta
eſſe videri iis qui mali difficilem tractationem nouerũt,
propter quam neque talia auxilia maiora quàm opus eſt
exiſtunt. Veratrum autem non minus cauteriis prodeſt,
imò etiam magis. Inducendi igitur ſunt prius per vo-
mitum à raphanis: deinde dandum eſt veratrum. Ego
verò tum his, tum comitialibus, veratri albi bulbũ tritũ
& in puluerem redactum exhibui drach. vnius pondere,
velut in ſermone De purgatoriis dictum eſt. purgantur
enim hinc efficaciter cum valde multa excretione. Dein
de interpoſitis quibuſdam diebus, de ſurculis exhibeo
drach.I I.(amplius enim hinc lancinantur quàm excer-
nunt)& rurſus tertiò ſimiliter præbeo. Nam ad affectio-
nem iam firmatam,& in ipſis,vt ita dicam, oſſibus fixã,
non eſt alius efficacior modus.Poſt hæc reparatis viribus
infrà purgamus,per interualla quædam per noſtram hie-
ram, quò illuc repere cogamus materiam ſurſum vergen
tem. Vitare autem oportet frigiditatem,ardorem,laſſitu
dinem tum reliqui corporis, tum ipſius capitis, per vi-
ſum,auditum, olfactum & guſtum: & præcipuè tactum.
Vitanda ſunt etiam acriora edulia,velut cæparum, allio-
rum,& ſimilium:item ea quæ inflant, & quæ difficulter
tranſeunt,velut ſunt caſei, lac, fungi, tubera, bulbi, rapa.
Eligantur autem ventri commoda,& quæ facilè conco-
quuntur,friabilia,non pinguia,non viroſa, ſtomacho gra
ta, vrinã ciẽtia.fugiendũ eſt etiã mel & omnia dulcia. Vi
nũ verò albũ & tenue ſit,& nõ valde vet⁹,neq; valde odo
rum,& copia moderatum. At verò ſtœchadem herbam
coctam cum aqua,aut aqua mulſa,in omni capitis dolore
velut ſolum & maximum remedium exhibeto. Aliud
ad omnem capitis dolorem. Os cerui vſtum & tritum
cum roſaceo dolenti loco illinito. Aut ocimum tritum
imponito: aut mentham cum aceto tritam bis in die il-
linito. Aut rumicem ſylueſtrem & gallas ſimul tritas tẽ-
poribus ac fronti illinito:& eueſtigio ſanabis. Aliud.
Stercus hirundinum antequam in terram cadat,vnà cum
luto quod in nido reperitur,aceto in ligneo vaſe made-
facito,ac illinito. Aliud. Pilulas caprini ſtercoris tritas
illinito ac alligato.atque hoc manè ac veſperi facito: & ſa
nabis. Aut naſturtium torrefactum cum aceto & roſa-
ceo terito, & cerati craſſitudine imponito: & citiſſimè
medeberis. Aut inteſtina terræ trita illine. Aut cohlea-
rum carnis cinerem, ſtercus bubulum, thus, æqualibus
portionibus cum aceto trita illine. Quidam verò ex no-
ſtris præceptoribus,inquit Galenus,hoc vtebantur ad he-
micranias: Piperis drach. I I. crocomagmatis drach. I I.
euphorbii recentis drachmæ dimidium: ſi verò vetus
fuerit,drach. vnam,ſtercoris columbarum in agris degẽ-
tium drachmæ dimidium, atramenti ſcriptorii boni
drachmæ dimidium. Terito cum acerrimo aceto, & il-
linito temporis muſculum & dimidium frontis, ac totã
affectam partem. Crocomagmatis præparatio: Croci
drach. C. myrrhæ troglodyticæ drach. L. roſarum ſiccarũ
drach. L. amyli recentis drach. L. gummi drach. L. terun
tur cum vino. Ad capitis dolorem temporibus illini-
tur. Miſcetur etiam in præparationes aliorum pharma
corum. Aliud quod non ſolùm hemicranicis commo-
dat,ſed etiam omni inueterato capitis dolori, illitum. In
dolore quidem capitis, à tempore ad tempus per totam
frontem:in hemicranicis verò dimidiæ parti affectæ.
Croci drach. XV. atramenti ſutorii drach. X. aluminis
drach. I I I. myrrhæ drach. I I I I. opii, omphacii ſicci, chal
citidis crudæ, ſingul. drach. I I I. gummi drach. XV. Cum
vino falerno velut collyrium terito,& paſtillos formato.
& vſus tẽpore cũ poſca,aut aceto meraco illine. Aliud.
Scammoniæ drach. VI. croci drach. I I. comæ hederæ
drachmas ſex,ſulphuris viui drachmas quatuor aniſi dra
chmas octo, ſeminis apii drachmas octo,diligenter teri-
to, & cum ocimi ſucco paſtillos efformato. Hoc multo
roſaceo dilutum,irrigatio fit capitis lethargicis commo-
da. verùm in capitis dolore cum aceto adhibetur. A-
liud pharmacum non ſolùm in his commodum,ſed etiã
ad vertiginoſos faciens. Radicis peucedani drachmas
quatuor, iridis Illyricæ drachmas duas, æruginis, acori,

A ſingulorum drachmam vnam, ſpondylii drachmas qua-
tuor, piperis nigri drachmas duas & dimidiam, ſerpylli
drachmas quatuor, myrrhæ drachmas duas, caſtorii dra-
chmas duas & dimidiam, baccas lauri trigintaquinque,
rutæ viridis drachmas octo, menthæ viridis drachmas
quatuor, opii drachmam vnam: vino excipe & forma pa-
ſtillos. vſus autem tempore, aceto & roſaceo dilutos illi-
ne. Sed & cerato roſaceo excepti fronti imponuntur, ve-
lut malagma. Paſtillus qui non ſolùm hemicranicis pro
deſt,ſed etiam iſchiadicis. Thapſiæ drachmas tres, eu-
B phorbii drach. I I I I. ſucci Medici drac. I I I. myrrhæ drach.
I. opopanacis drach. vnã. contuſa ſimul ac trita cum vi-
no efforma,& vtere cum aceto. Alius. Radicis peuce-
dani drachmas quatuor, croci drachmam vnam, myrrhæ
drachmas quatuor opii drachmã vnam. cum aceto for-
mato paſtillos,& vtere cum aceto in irritationibus. eue-
ſtigio ſoluit dolores. Alius ad omnem capitis dolorem
& hemicraniam, per multam experientiam cognitus.
Succi abſinthii, ſucci hederæ, ſtercoris caprini, cochlea-
rum vnà cum teſtis exuſtarum, chartæ vſtæ, baccarum
C lauri, bulborum, thuris, euphorbii, atramenti ſcriptorii,
crocomagmatis, gallarum, foliorum raphani, vitellorum
oui, ſucci maluæ, æquales portiones terito cum aceto, ac
formato paſtillos, ac vtere cum aceto.

Epithemata ad capitis dolorem, Cap. LI.

AMygdalarum amararum, floris viticis, radicis peu-
cedani, menthæ viridis, virgultorum rutæ, bacca-
rum lauri, ſerpylli, ſpondylii, caſtorii, ſing. vnciam vnam,
roſarum ſiccarum ſextantem. Diſſoluito cum aceto, &
excipe cerato roſaceo: deinde in linteum infarcta, deraſis
D capillis, toti capiti imponito, & per faſciam deligata vſ-
que in ſequẽtem diem ſeruato, & ruſus exoluito, ac reno
uata imponito. Aliud malagma, ad omnem capitis do
lorem. Æruginis drach. quatuor, æris vſti drachmas
quatuor, ſquamæ ferri ſtomomatis appellati, drachmas
duas, terræ cimoliæ drach. quatuor chalcitidis crudæ
drachmas quatuor, pumicis crudi drachmas tres, terebin
thinæ vnciam vnam, ceræ ſeptuncem, olei veteris quin-
quũcem. Aridis læuiſſimè tritis liquabilia liquefacta af-
funde,& emollito, ac vtitor. Si verò durius eſſe videatur,
E oleo amygdalino emolli,& vtere velut dictum eſt. facit,
etiam fronti ac temporibus impoſitum. Facit quoque
mirificè emplaſtrum nigrum Archigenis corio inductũ,
& dolenti tempori impoſitum: eueſtigio enim ſoluit do
lores. Habetur autem inter auxilia ad orthopnoicos de-
ſcripta Sermonis octaui capite quinquageſimoſeptimo.

Quæ naribus indita caput purgant,
Cap. LII.

QVòd ſi neceſſitas poſtularit, etiam per nares caput
purgare oportet poſt totiuscorporis euacuationem,
F anagallidis ſucco naribus infuſo, aut cyclamini, aut ipſa
cyclamini radice inſufflata, aut elaterio cũ lacte infuſo.
Cæterùm pharmaco parabili ſæpe vſus ſum, nigella pri-
die in acri aceto macerata, & deinde cum aceto trita, ac
naribus infuſa. facit etiam ad narium obturationẽ. A-
liud. Hederæ ſuccus aut calaminthæ per narifuſorium
inſtrumentum naribus infuſus, multum mucum ducit.
Aliud Nucleum ſpecilli in aquam tingito, & eo atra-
mẽtum ſutorium læuiſſimè tritũ excipito,& in nares pe
nitiſſimè indito. hoc multùm purgat,& dolores eueſtigio
G leuat Aut atramentum ſutorium lacte tritum infundi-
to. purgat maximè ictericos. Aliud. Nigellæ tritæ dra-
chmas VIII. ſpumæ nitri drach. I. ſalis ammoniaci drach.
I. oleo veteri aut irino, aut cyprino dilue, & tomentum
ſpecillo obuolutum medicamento immerge, & ex eo na
res aſſiduè illine: & defluet quicquid caput infeſtat. Ha-
beat autem pharmacũ compagẽ cerati liquidioris,& ſer-
uetur in cornea pixide. Aliquãdo pro ſpuma nitri elate-
riũ adiicio:& facit ad diuturnas lippitudines, ac morbũ
comitialem. ducit enim multam humiditatem. Aliud
H citra moleſtiã purgans,& confeſtim dolorẽ eximẽs. Cy-
clamini ſiccæ drach. VIII. iridis ſiccæ drach. I I. nitri ru-
bri drach. I. Ego verò elateriũ pro nitro adieci, & probè
trita per ſtipulam inſufflaui, ſurſùmque attrahere iuſſi,&
poſtea deorſum inclinari vt collectus humor deflueret.

Sed & per ſternutatoria caput concutere oportet, quæ deſcribentur in Sermone hoc inferius, vbi de narium affectionibus agemus.

Apophlegmatiſmi pituitam per os à capite detrahentes, Cap. LIII.

NItri ſemiſſem, ſtaphidis ſylueſtris quadrantem, aniſi trientem, foliorum lauri viridium ſextantem, vuarum paſſarum, vinaceis exemptis, quantum ſatis his excipiendis. Ex hoc commanducandum præbe pro vna vice quadrantem, & commanſa expuere iube. Aliud quod commanſum, caput purgat. Pyrethri, piperis, hyſſopi, ſtaphidis ſylueſtris, ſing. æquales portiones vuarum paſſarum carne excipe, & manducanda præbe. verùm poſt horum vſum, ſale ac melle recurentur. Aliud caput purgans, quod neque caput dolere permittit, neque oculorum caliginem fieri. prodeſt & auribus & dentibus. & qui per tẽpus ipſo vtitur, in nullam ex his affectionibus incidit. eſt autem optimum: Sampſuchi ſicci, iridis Illyricæ, pyrethri, hyſſopi, nitri, piperis, ſeminis apii, radicis panacis, ſtaphidis ſylueſtris, ſing. drachm. quatuor. Si verò vim eius intendere voles, adiice etiam myrrhæ drach. IIII. Singula primùm ſeorſim, deinde ſimul terito cum aqua, & formato paſtillos, paulo melle admixto. Vſus autem tempore, melle & aqua diluito, ac pro gargariſmate vtitor. aut oleo cyprino aut irino, aut veteri admixto naribus infundito.

Smegmata & puluilli inſperſiles caput denſantes, Cap. LIIII.

SMegma denſans caput. Nitri Bernicarii ſemiſſem, baccarum lauri, ſinapis, ſampſuchi, ſing. ſextantem, cyperi vnc. I. fæcis vini vſtæ vnc. I. Hoc ſmegmate in balneo illito defricetur. Oculis autẽ linteũ multiplex aut ſpongia prætẽdatur. Aliud. Nitri aſſati lib. I. baccarũ lauri lib. II. ſtaphidis ſylueſtris, ſinapis, ſing. lib. I. radicis cucumeris ſylueſtris ſemiſſem. Vtere, velut dictum eſt, in inueteratis affectionibus. Smegma capitis, faciens ad deſtillationes & aquoſam capitis affectionẽ, experimento conſtans: Nitri aſſati vino extincti ſemiſſem, iridis, ariſtolochiæ, helenii, ſing. vnc. I. aceti mulſi quantum ſatis. Contuſa ac cribrata aceto mulſo permiſceto, & præraſo ſincipiti ante balneum illinito, & breui tempore ſinito, ac affricato. Smegma ad omnem capitis dolorem & oculorum fluxionem, experimento conſtans: Helenii, myrrhæ, calami aromatici, farinæ lupinorũ, farinæ erui, ſulphuris viui, ſpumæ nitri, æquales portiones ptiſanæ ſucco excipe, & paſtillos forma. vſu verò poſtulante, ptiſanæ ſucco dilutis vtere. Hoc ſmegma in balneo ſincipiti inſpergere oportet, capillis antea inter ſe diſparatis, vt corpori auxiliũ adhæreat: præcipereque vt os claudatur, quò per nares calidum aerem vehementer attrahentes, ſubiectam materiam citius tranſmittant. Sapo Conſtantini reſiccans fluxiones: Balauſtiorum ſextantem, myrrhæ, ſandarachæ, ſpicæ nardi, ſingulorum ſextantem, coſti, aloes, gallarum, thuris, mali corii, foliorum roſarum, ſarcocollæ, ſingulorum quadrantem, ſaponis Gallici lib. I. decocti lupinorum amarorum ſextarium I. Arida contundito ac cribrato, & cum liquidis conterito, ſapone adiecto, & paſtillos formato, ac vtitor vbi opus fuerit, diluens quantum ſatis eſt cum vino, & illinens ante balneum ſincipiti præraſo: deinde paulo pòſt affricans & abluens. Sapo Andreæ comitis valde celebris: Floris iunci odorati, caſiæ, cyperi, amomi, folii, malabathri, coſti, ſingulorum vnc. I. gallarum ſeſquiunciam, nardi Celticæ, aluminis, iridis, fæcis vini antiqui vſtæ, gypſi vſti, nitri, ſing. ſcrup. XII. roſarum ſiccarum ſcrup. VIII. ſalis ſcrup. VIII. teſtarum purpurarum vſtarum quadrantem, ſaponis Gallici lib. I. lupinorum decocto trita accipe ac vtere. Xeromyron, *id eſt unguentum ſiccum* ad capitis fluxione laborantis curationem minimè vanum. Iridis, helenii, floris iunci odorati, ſing. lib. I. roſarum ſiccarum quadrantem, amomi, coſti, folii, gallarum, ſing. ſemiſſem. Vtere poſt balneũ, præillito capite ex vino auſtero, & tunc inſperge. Aliud optimum. Iridis quadrantem, gallarum vnc. I. caſiæ, coſti folii, ſpicæ nardi, balauſtiorum, roſarum ſiccarum, carpobalſami, ſing. ſextantem, myrrhæ drach. IIII. Contũdito ac cribrato, & præillito capite ex vino auſtero inſpergito, maximè poſt balneum. Alius puluis inſperſilis Theodoſii, caput reſiccans. Gallarum, balauſtiorum, ſingul. trientem, cyperi ſextantem, ſpicæ nardi folii, corticis thuris, corticis pinus, nardi Celticæ, ſing. vnc. I. iridis ſeſquiunciam. contuſis ac cribratis vtere. Alius valde bonus. Iridis quadrantẽ, gallarũ roſarũ ſiccarũ, ſingul. ſextãtẽ, aluminis vnc. I. vtere, velut dictũ eſt, in capite calidiore. Alius puluis, ad caput humidum à quo tum oculi, tum aliæ partes fluxione infeſtantur: Radicis pæoniæ vnc. I. aluminis ſciſſi vnc. I. baccarum lauri drach. IIII. cyperi ſextantem, nardi Celticæ ſemiſſem, contuſa cribrata inſperge. hoc ego ſæpe expertus ſum. Puluis caput corroborãs. facit & ad eos qui oculos aſſidua fluxione laborantes habent. Florum mali punici ſatiui vnc. I. gallarum vnc. I. cyperi, iridis, helenii, ſing. triẽtem, ſeminis rutæ ſylueſtris quod Hermala & Beſaſa vocant, ſextantem, radicis chamæleontis nigri ſextãtem, carpobalſami vnc. I. floris iũci odorati ſextãtem, ariſtolochiæ roſarum ſiccarum, myrti ſiccæ, nardi Celticæ, ſingulorum vnc. I xylobalſami ſextantem, amomi, malicorii, ſtaphidis ſylueſtris ſing. vnc. I. contuſis cribratis vtere. Aliud ſmegma reſiccãs omnigenas fluxiones, & præſertim acres, & ſubcraſſas, multo experimento comprobatum: Milii quadrantem, ladani ſextãtem, floris iunci odorati ſeſquiunciam, ſeminis roſarum ſicci ſeſquiũciam, aluminis liquidi ſextantem, ſpicæ nardi vnc. I. ſinapis ſextãtem, iridis, acaciæ, piperis, ſtaphidis ſylueſtris, ſing. ſextantem, coſti folii, pyrethri, ſing. vnc. I. calami, muſci, quem ſphagnum ſiue hypnõ vocãt, ſing. ſeſquiunciã, nitri rubri lib. II. Nitrũ vrito, & aceto mulſo extinguito, & ad reliqua trita admiſceto, ac vtitor ita vt ſincipiti inſpergas, & paulatim affrices.

De alopecia, Cap. LV.

QVemadmodum plãtæ aliquæ ob humoris inopiam reſiccatæ corrumpũtur, aliquæ verò ob humoris alieni ab ipſarum natura attractionem: eodem modo & capilli, aut propter humorum ex quibus nutriri conſueuerũt inopiam, aut propter eorundem vitiationem corrumpi ſolent. Et propter inopiam quidem humorum, caluities contingit: propter vitiatos verò humores alopecia & ophiaſis, vnum quidem ambæ ſecundũ morboſam affectionem malum: nomina verò iuxta figuram habentes diuerſa. Serpenti enim ſimilis læſa capitis pars in ophiaſi apparet: Alopecia autem ſic appellata eſt, quoniam vulpibus frequenter accidit hæc affectio, velut tradunt. Humorum igitur prauorum redundantia, cauſa eſt affectionis. quales autem ſint hi, ex colore cutis capitis cognoſces. Si enim albidior eſt, pituitam: ſi nigrior, bilem atram: ſi pallidior, bilem flauam ſignificat. Et ſanè redundantes vitiatos humores euacuare oportet, aut per pilulas ex aloe & colocynthide, aut per Galeni hieram ex colocynthide. Si quidem atræ bilis humor redundauerit, veratro nigro ad ipſam admixto: ſi verò amara bilis, ſcammonia: ſi pituita, ipſa per ſeipſam detur. Poſt totius corporis purgationem, pituitam per os ducere melius eſt; atque ita localibus auxiliis vti. Hæc autem, diſcuſſoria vitiati humoris eſſe oportet, & eſſentiæ tenuium partium. Si verò ſupra hoc quòd diſcutit vitioſos humores, aptum fuerit pharmacum ad bonum ſanguinem attrahendum, optimum ſanè tale fuerit. Porrò præraſo capite, locum linteo confricare oportet, ac conſiderare. ſi enim poſt modicam frictionem pars rubeſcit, affectionem ſanatu facilem putato: ſi verò poſt multam frictionem rubeſcit, ſanatu difficilem. deinde thapſiã recentem tritam, viribus ipſius larga aquæ admixtione exolutis, illinire. Conſiderare autem oportet poſt thapſiæ illitionem, num ob vehementiam vltrà quàm conuenit, cutem rubefecerit. Hoc manifeſtum erit, ſi flauior colore euaſerit. periculum eſt enim ne exuratur cutis, ſi nos ſæpe ipſa vtamur. Proinde aut ad aliud molliꝰ trãſire oportet: aut ſi ipſa vti velimꝰ, vim ipſius exoluere, per cerati aut adipis admixtionem. Animaduertas autẽ ne alopecia vlceretur: quod ſi fiat, anſerino adipe aut alio quodã tenuiũ partiũ illine. Adhibeantur autem hæc auxilia in aere calido, citra aurã frigidã in ſole: hyeme verò in balneo. Ex reliquis por-

rò pharmacis huiuſcemodi affectionibus conuenientibus calidiſſimum eſt euphorbium: minus autem ipſo calida eſt thapſia: poſt thapſiam verò ſinapi & naſturtiũ. Iuxta alium autem modum, adarce, deinde nitrum Bernicarium & ſulphur, & ſpuma nitri, & vtrunque veratrũ, & erucæ ſemen, & oleum laurinum, & alcyoniũ vtrunq;, vſtum & nõ vſtũ, & pix, & cedria, & radices calami ſepiari & cortex, ambo vſta. & murinum ſtercus, & anſerinus adeps, & maximè vrſinus ac hyænæ. Et amygdalæ amaræ totæ vſtæ, & viperæ pellis ac caput vſtũ. Et fortibus quidem ex iisceratũ liquidũ admiſce: imbecilliora verò oleo laurino aut pice liquida excipe. Et diuturnas ac ægrè curabiles affectiones per fortia curato: incipiẽtes verò & curatu faciles per debiliora. Critonis medicamẽta ad alopecias. Pilorũ vrſi vſtorum, radicum calami vſtarum, adiãti vſti, foliorũ fici vſtorũ, pãniculi Cilicii vſti, ſing. æquales portiones adipe vrſino & cedria excipe. Vſus autẽ tẽpore, loco foto & per fici folia cõfricto, ac per nitrum deterſo, pharmacũ illine. Archigenis ad alopecias. Verbenacã rectã in ſole cũ aceto tritã, loco prius per nitrũ præparato illine, & rarũ linteũ ſuperimpone, hoc præmadefacto loco tollẽdũ eſt. Aliud. Alcyoniũ clarius ad lucernã exurito, & opobalſamo nõ adulterato extinguito, & cum eodẽ tritũ illinito. adhæret enim in totũ, & non diſcedit donec pili fuerint exorti. Aliud. Equinos dentes exure ac vtere cum aceto. Ad diuturnas autem alopecias egregiè facit thapſiæ ſuccus cerato exceptus ac loco impoſitus, vt nihil aliud facere ſatagas. decedit enim ſumma ſuperficies & ſanies effluit, & pili ſua ſponte enaſcuntur. Aliud. Squamam ferri ſtomomatis diu cum aceto in ſole tere, & modico oleo addito illine. Aliud, ad alopecias & pilorũ defluuiũ ac vitiligines inueteratas. Buccina vſta cum oleo veteri terito ad ſtrigmentitiam craſſitudinẽ, & præraſo ac confricto loco illine. inſigne hoc eſt. Aliud Aſclepiadis. Spumæ nitri partes II. ſalis ammoniaci partẽ I. hæc vſta & cum acerrimo aceto ad ſtrigmentitiã craſſitudinẽ trita, illine & affrica donec pharmacum in profundũ penetret, alopecia prius leuiter conſcalpta vt locus pilis commodè dẽſetur: & hoc bis per diẽ faciamus. Aliud. Marrubium viride tritũ illine. Aliud. Perdicii herbæ viridis foliis locũ aſſiduè confrica. Aliud. Sphæritidis, *hoc eſt cupreſſi* folia trita cum aceto adhibe. Aliud. Herinaceorum marinorum teſtas vſtas cum melle illine. Aliud. Herinacei terreſtris pellem aut caput vſtum adhibe cum melle. Aliud. Alcyonii drachmas duas, ſulphuris viui drachmam vnam, muſcarũ toſtarum, vt reſiccentur, cyathos duos. Muſcas per ſe terito: alcyonium verò vrito, & ſulphur vſtum & cõtuſum ac cribratum cum aqua contere, & fel ſuillum & acetum paulatim ſiccis affunde, donec ſtrigmentoſum fiat: deinde axungiam à rotis curruum deraſam & in manu emollitam, vt emplaſtri forma fiat admiſceto, & præraſis ac confrictis, cõfidenter, velut optimum, illine. Aliud. Herinacei terreſtris vſti cinis pice liquida acceptus, alopecias remouet. Aliud. Sorani, quo etiã Archigenes vſus eſt, & id vehementer laudat. Alopeciam præſcalptam & confrictam, deinde in ſuperficie ſcarificatam, cæparum aut raphanorum cortice trito intege, addito melle: aut cum his confrica, & naſturtii ſemen, & muſcerdas, & piper, & veratrum album, æquis portionibus cum aceto illine: eſt enim valde inſigne. Aliud Archigenis. Rhois culinarii drachmas quatuor, ſinapis drachmas duas cum aceto illine. Aliud. Cantharidas vſtas & tritas cum melle affrica. Aliud. Corii noui partem lanuginoſam, in æreo vaſe vſtam, cum oleo antiquo, aut melle, aut aceto tere ac illine. citò pilos producit. Aliud. Cyclamini radicẽ viridem tritã illine, aut ſiccam vſtam adhibe. Aliud. Felis ſtercore cum ſinapi ac pipere, addito aceto, vtere. Aliud. Allium vſtum cum roſaceo illine, aut betæ radicem eodem modo. Aliud. Vngulas aſini vſtas, aſphodeli radicem vſtam, alcyonium, nitrum, æquis portionibus oleo veteri excipe ac vtere. Aliud. Herinaceorum marinorum cum teſtis exuſtorum drachmas duas, mu-

A ſcerdæ drachmam vnam aceto dilue ac illine loco præfricto. Aliud. Alcyonii vſti, cornu ceruini vſti, cyperi vſti ex toto, æquis portionibus vtere cum aceto: aut abrotonum vſtum cum oleo vetuſtiſſimo adhibe. Ad alopecias & caluitiem ac pilorum raritatem ægrè curabilem in capite, in mento & in ſuperciliis: Pilorum vrſi vnciam vnam, radicis calami quadrantem, filicis cum radice quadrantem, caſtanearum hiſpidi corticis quadrantem, lanarum ſuccidarum pinguiſſimarum ſeſcuncem, capita muſcarum triginta, muſcas quinque ſine ca-
B pitibus: omnia in nouam ollam cõiecta, in furnum ponito vt exurantur: deinde cinerem terito. Habeas autem in vino Aminæo prius trita, ladani vnciam vnam, folii malabathri vnciam I. myrrhæ ſextãtem: & adiiciatur iis olei veteris ſextans, olei cedrini vncia vna, atque ita aridis inſperſis excipe: deinde vbi linteolo alopeciam perfricueris, & leui ſcarificatione vſus fueris: aut cæpa, aut ſquilla, aut fici foliis exſcalpſeris, pharmacum ipſum illitum affrica. De cætero verò locum rigido ac aſpero linteo confricato, & hoc modo illinendo vſque duos men-
C ſes progreditor: quòd ſi amplius in hac curatione perſeueraris, etiam caluitiem perſanabis. Aliud Oribaſii. Muſcerdarum vnciam vnam, ſtercoris cameli exuſti, ordei vſti, ſing. pugillum vnum, foliorum lauri vſtorum manipulum I. excipe ſorde ab axibus deraſa, hoc eſt quæ à rotis curruum deraditur.

De defluuio capillorum, Cap. LVI.

EST & alia capillorum affectio quæ ex raritate cutis & penuria eſſentiæ pilos generantis, cõſequitur. quapropter etiam curatio hoc modo læſorum, non eun-
D dem ſcopum cum alopeciis habet. In alopeciis enim ſcopus eſt vt vitiatus humor conſumatur: in his verò, vt habitus corporis corroboretur, & boni ſucci allatio procuretur, & cutis denſitas ac raritas moderata reuocetur. Solet autem hæc circa pilos affectio plerunque iis qui ægrotarunt accidere: raró verò etiam citra morbum: & plurimi ægrotantes citra pharmacũ per reficientẽ corpus victum breui ſanati ſunt. Quare pharmaca in ipſis ſint quæ moderatè cutẽ denſant, vnà cum hoc vt nõ perfrigerent ipſam. quæ enim valde adſtringunt, omnino
E etiam frigefaciunt, & alimenti affluxum repellunt: vnde etiam amplius pili defluunt. Quapropter moderatè adſtringentia admiſcere oportet humectantibus pharmacis, quale eſt ladanum, & oleum lentiſcinum, quæ ex natura ſua adſtringunt & moderatè calefaciunt. itaque neque expertus ſum, neque mente cõcipere poſſum, aliud præſtantius fore medicamentum ad defluos pilos, eo quod ex ladano & lentiſcino oleo paratur: ſi verò non affuerit lentiſcinum, crudo & immaturo oleo vtendum eſt. Illud autẽ manifeſtum eſt, quòd raſo capiti pharma-
F cum craſſius adhibere oportet: verùm ad cutem detonſo, liquidius. Quòd ſi magnũ fuerit pilorum defluuiũ, & coniectes magnam cutis capitis raritatem factam eſſe, oleum myrteum pro lentiſcino, ad ladanum admiſcebis. potes & vnguentum nardinum admiſcere in ætate frigida, & tempore hyemali. Commodum eſt etiam ad hæc pharmacum, vnguentum illud diuitum fœminarum, ſpicatum appellatum, & quod ſalca appellatur. quare his vel ſolis diuites vti iubeto. Cleopatra porrò inquit, ad defluos pilos vtere hoc: Terram
G cimoliam ſolidiſſimam in vino auſtero macerato, addito mororum ſucco tanto quantum combibere poteſt, & ſemen hyoſcyami tenuiſſimè ſufficiente menſura adiicito, terito ac paſtillos formato, eóſque in vmbra ſiccatos, in fictili nouo reponito. Vſu verò expetente, aqua dilutos affricari iubeto: deinde reſiccatos eluito, & per dies quinque rurſus illinito. Vtere hoc in capitibus calidioribus. facit etiam ad faciei ac colli impetigines. Aliud ad defluos pilos. Verbenacam rectã viridem vnà cum radicibus in oleum omphacinum cõ-
H iectam per plures dies inſolato, & oleo excolato. vtitor quotidie pro communi: ſi verò non adfuerit viridis herba, ſiccam vnà cum radicibus contuſam ac cribratam oleo admiſce vt ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem accipiat, & vbi per aliquot dies ſiueris, vtere: & minimè vanum

medicamentum comperies. Aliud ad pilos ex morbo defluentes. Chamæleontis nigri radices vino coctas craſſius capiti illine. Aliud. Sābucū vſtū & cerato liquidiſſimo exceptū illine. auget hoc pilos & cutē denſat, & defluere non permittit. Sed & narciſſinum vnguentū illitum pilos defluere non ſinit. Aliud. Ladanum & roſas in vino veteri terito ac illinito. conſeruat enim pilos, eoſdémque nigros facit. Aliud conſeruans pilos: idem etiam nigrefacit. Myrti baccarum nigrarum ſextarium I. virgultorum myrti ſextarium I. ſeminis apii ſextar. I. adianti ſextarii dimidium, ladani tantundem, vini nigri ſextarios V. coquito ad perfectam diſſolutionē. Et vbi tertia pars reſtat, adiicito olei omphacini aut alicuius vnguenti ſextar. II. ac rurſus coquito. Poſtquā autem bis aut ter ebullierit, expreſſum ac excolatū humorem diligenter reponito: vſu verò expetente, in præraſis omnino vtitor, bis per diem illiniens ex eo capillos. Cæterùm in pueris pulchros ac denſos pilos facit, nucis teſta vſta ac vino trita & illita. Aliud. Loti arboris folia trita illinito.

Ad ſupercilia pili denudata, Cap. LVII.

VT ne defluant pili neque à ſuperciliis, neque alia corporis parte, melanthiū & vſtum & cùm aqua tritum impone vbi pilos emergere volueris: præſertim verò in ſuperciliis. Aliud. Apes plurimas vſtas, ac oleo admixtas illine, animaduerſione habita ne alium locum contingas vbi pilos enaſci non oportet. Aliud. Adamantem lapidem cum aqua tritum illine. quòd ſi albos producere voles pilos, cum aceto eundem terito.

Tingentia ac nigrefacientia capillos, Cap. LVIII.

MEdicamenta quæ albos pilos tingunt ac nigrefaciunt, ex auſteris ac acerbis compoſita, magnopere lædunt. non enim ſolùm in ſuperficie, ſed etiam in profundo cutem alterant vſque ad locum radicum pilorū. Detrimentum verò fœminis vtentibus illis accidit, aliquando ad morbum comitialem, aut ſyderationem, aut veternum, aut ſoporem profundiorem: aliquando verò etiam deſtillationibus ægrè ſolubilibus corripiūtur, vt tabes conſequatur. Et ſcio multas fœminas mortuas eſſe ex perfrigeratione à talibus pharmacis inducta. magis autem læduntur quæ frigidius temperamētum habent. Cæterùm quæ citra læſionem adſtringentium pilos nigrefacere volunt, cedria illinantur. Illinantur autem tribus vel quatuor horis ante balneum: deinde lotæ confricentur. Oportet autem ipſam citra olei admixtionem adhibere, in capitibus vehementi reſiccatione ac calefactione indigentibus. in aliis verò oleum admiſcendum eſt. Nam vnà cum hoc quòd conſumit humiditates, etiam pilos nigrefacit & defluos corrigit, & non defluos habitiores efficit. idem facit & pix liquida cum oleo adhibita. At verò Archigenes pilos nigrefacientia ſic deſcribit: Radicis capparis corticem cum lacte aſinino ad tertias coquito, & trita in noctem imponito, pilis antea confrictis. Aliud. Radicis ilicis corticem aqua coquito donec mollis euadat, & imponito. aquam verò cocturæ affricato. Aliud. Quod intrinſecus in anemona nigrum eſt, cum oleo myrteo tritum illinito. Aliud. Corticis ſalicis ſuccum cum oleo affrica. ſummè denigrat. Aliud. Lapis alabandicus ſiue alabandinus vocatus, colore ſubnigricans cum fuluedine ac pelluciditate, quo mulieres ad ornatum vtuntur: tritus & cum vino nigro ac oleo omphacino affrictus ſuperficiem pilorum nigrefacit. Aliud. Malum Punicum viride immaturum accipe, & collum eius diligenter reſera, quò id quod amputatum eſt, congruum operculum fiat: deinde eiectis granis, & tenuibus membranis intus relictis, in vacuum mali caput ſeſami illoti drach. IIII. iniice, & thuris tantundē, vtriſque viciſſim locatis donec impleatur: & tunc proprium operculū impone, & luto aut fermento triticeo obline, & in clibano torre. Poſtea verò lutū aut fermentum adime, ipſum verò malum Punicum læuiſſimè tere, & in vitreo vaſe repone: deinde præfricto ac reſiccato capite modicum de pharmaco ad paucum oleum admiſce, ac pilos illine: & hoc quinquies repete. hoc etiā criſpos ipſos facit. Quidā pro ſeſamo ac thure, nigellæ ac gallarum contuſarum, ſing. drach. IIII. in mali Punici caput coniiciunt. Aliud quod pilos denigrat ac criſpos facit. oportet autē per terrā cimoliam confricare, & tunc tingere. Præſtat quoque caput præraſum eſſe, & craſſiore medicamento illinire, vitata frōte & omnibus vicinis partibus: in multis celebre factum eſt: & eſt valde neceſſarium. Sulphuris fullonici, atramenti ſutorii, gallarū, calcis viuæ, ſpumæ argenti, ſingulorum ſextantē, ferruginis vnc. I. Singula ſeorſim terito, & cum aqua ad vnguenti formā reducito, ac confidenter vtitor nihil veritus calcem. non enim vrit, eo quòd vis ipſius à reliquis eſt oppreſſa. Hoc & ligna & cornua & lanas tingit. Aliud efficax experimento cognitum: denigrat pilos ad miraculum vſque. Foliorum fici nigræ, foliorum vitis nigræ, foliorum mori, ſingulorum libr. I. Omnia in aqua pluuiali per diem vnum macera, deinde diligēter coque, & præraſis pilis impone: aut ſi hoc nolueris, radicibus pilorum liquidius illine. Aliud quod pilos nigrefacit. Ladani, gallarum, amygdalarum amararum depurgatarum, fæcis vini, foliorum adianti, ſingulorum ſeſcūcem, vini è vinaceis expreſſi (quod loram vocāt) ſextar. III. Omnia in vas æreum ſtanno obductum coniice, & ad tertias coque: deinde excola, & in alio vaſe paruo ad mellis conſiſtentiam coque, & ad hæc vnguenti Mēdeſii aut alterius huiuſcemodi, parem mēſuram adde, & conquaſſata repone, & hoc quotidie vtere. ſit autem plumbum potius quàm ſtannū, id metallum quo æneum vas obducitur. Aliud quod à canis præſeruat. Colocynthidē ſylueſtrē perforato, & interna probè repurgato. Deinde ipſam oleo repleto, & integrum hyoſcyami albi ſemen adiicito, & per diem vnam ſinito: & hoc per annum ſemel commodè illinito. Aliud barbam nigrefaciens. Recrementū ferri & plūbū in aceto coquito donec tertia pars reſtiterit, & illinito, atque ab oleo penitus abſtineto.

Vt fului pili fiant, Cap. LIX.

FVluos pilos faciunt lupini crudi & nitrum cum aqua illitū: loti arboris ramentorum decoctum. Liguſtri folia trita cū herbæ lanariæ ſucco impoſita. Fæx vini veteris vſta, & cum oleo balanino trita vt iuſtā ſpiſſitudinem habeat. hoc vbi dormitum ire voles illine, & manè flaui erunt.

Vt albi pili fiant, Cap. LX.

HIrundinis fimum cum felle taurino tritum illine: & albi euadent. Aliud. Verbaſci albi florem vrito & aceto extinguito, & ad ſmegma admixto vtitor.

Vt criſpi pili fiant, Cap. LXI.

SPumam ſalis cum myrrha affricandam præbe. Aliud. Carpaſi ſuccum illine: & manebunt criſpi ac nigri. Aliud. Aſphodeli radices vrito, & tritis cum vino vtitor. Aliud. Semen lini vino maceratū modicè coquito ac excolato, & ad ſuccum oui cādidū admiſceto, & ex eo veſperi pilos confricato ac caput obligato. poſtera verò die in balneo abluito, & hoc ſæpe facito: verùm in iis qui caput habent quod facilè perfrigeratur, in balneo illinito, & illa die non abluito. Aliud celebre. Nucē pineā integram viridē bonā I. iridis ſcrupul. XII. myrti vnc. I. baccarū myrti vnc. I. polytrichi ſeſquiunciā, ladani ſextātē, gallarū vnc. I. maſtiches Æthiopicæ vnc. I. pampinorū vitis ſextantē, lacrymæ palmæ arboris ſcrupul. XII. adipis vrſini ſcrupul. XII. ſeminis betæ ſcrupul. XII. rhois coriarii ſcrupul. VI. aluminis ſciſſi ſcrupul. VI. olei omphacini ſextar. III. ſucci artemiſiæ, ſucci ſerapiadis tritæ teſticularis, ſucci polytrichi, ſucci aſphodeli, ſucci anagallidos, ſingulorum quadrantem: miſce ac vtere.

De iis quæ pilos corrumpunt, Cap. LXII.

EOrum quæ pilos corrūpunt tres ſunt differentiæ: nā quædā propriè pſilothra appellātur, quædā attenuatoria, quædā omnino ipſos extirpātia. Quæ igitur ipſos penitus extirpant, periculoſi vſus ſunt. aliquando enim non ſolùm illitas partes corporis, de cætero penitus depiles reddūt, ſed & vſque ad caput & mentū, ſuperciliáque ac palpebras, nuditas pilorū procedit. At verò attenuatoria

nuatoria & pſilothra, minimè periculoſum vſum habẽt.

Quæ pilos extirpant, Cap. LXIII.

PIlos penitus extirpare dicitur thynni hepar putrefactũ,
ranarum in arundinetis degentium ſanies, teſtudinis
marinæ ſanguis, vitis albæ lacryma, lacrymæ hederæ, i-
témque bryonia; ſcolopendra marina, ſtellæ marinæ. His
admiſcetur nitrum, amurca & cedria, & oleum quod in-
ſulſum appellatur: item alcyonia & ſandaracha, & his ſi-
milia. Aliud. Vrticæ ſylueſtris ſemen cum oleo tritũ
fortiter affrica, & defluent pili. Tardius autem circa pu
bem puerorum pilos enaſci facit, aliquando verò etiam
eos qui ſunt extirpat vitis lacryma cum oleo illita, & hu-
mor qui ex viridi ſarmento dum vritur exudat. Aliud.
Succi tithymali characitæ cyathum I. vini & olei, ſing.
cyathum I. miſce, & illine in balneo: & vbi modicum ſu-
daueris, & deinde per ſtrigilem confricueris, reperies pi-
los in ſtrigile. Qui verò poſt dies quadraginta exorientur,
lanuginoſi erunt. Aliud. Aſellorum ſub hydriis ſtabu-
lantiũ drach. XII. ſandarachæ drach. IIII. calcis viuæ drac.
VIII. auripigmenti drach. VIII. lixiuii ex ligni ficulnei ci-
nere excolati heminas II. aceti cochlearium I. Omnia v-
nita in olla coquito, donec experimentum tibi facienti,
illita pilos tollant: & vtere in balneo velut dictum eſt.
Aliud. Bugloſſi & ſemperuiui ſuccum æquis portioni-
bus cum ſtercore hircino terito, & vitrea tabella excepta
denſari ſinito, ac vtitor in balneo. Aliud. Bulbum hya
cinthi purpureos flores habentis cum thure & amygdalis
amaris terito, & oleo affuſo vnito, & in balneo vngito ex
hoc: itémque citra balneum quotidie, & paulatim pili
corrumpuntur.

Pſilothra pilorum, Cap. LXIIII.

EX iis quæ pilis denudant, & pſilothra appellantur, v-
tile eſt lixiuium, & auripigmentum, & ſandaracha, &
calx viua. Manifeſtum eſt autem vehementiam ipſorum
frangi debiliorum & liquidorum admixtione: ptiſanæ,
inquam, aut oryzæ ſucci. Crito itaque tale pſilothrum
in libris De ornatu deſcribit, Calcis viuæ partes II. auri-
pigmenti partem I. Hæc in mortarium plumbeum con-
iecta, aqua calida aut ptiſanæ ſucco affuſo terito, & vbi
nigra facta fuerit, in balneo illini iubeto. Hoc ſtatim cor-
pus glabrum facit, & pilus enaſcens tenuis emergit.
Aliud. Oryzam, fabas, cicer, ptiſanam, ſimul in aqua
coquito, & ad hoc decoctum primùm calcem admiſceto
ſufficiẽtem, & prout moris eſt agitato: & vbi diſſoluta fue
rit, auripigmenti vnc. I. inſpergito, vnito & myrrhæ te-
nuiſſimè tritæ vnc. I. maſtiches vnc. I. pumicis torrefacti
drach. IIII. opobalſami cochlearia II. adiicito. Aliud.
Sandaracham cum hyoſcyami ſucco tritam illine.
Aliud. Fructus fici ſylueſtris ſeſcuncem, & foliorum e-
ius ſeſcuncem, herinaceum terreſtrem integrum viuum,
ſucci aconiti, *id eſt iridis ſylueſtris* lib. I. veratri nigri lib. I. fæ
cis vini vſtæ lib. I. caricarum pinguium nigrarum lib. I.
auripigmenti auri coloris trientem, coſti trientem, caſiæ
trientem, carpobalſami triẽtem, olei ſextarium I. Omnia
contuſa cum herinaceo terreſtri viuo, in duplici vaſe cum
aqua coquito. ſint autẽ aquæ marinæ lib. V. donec aqua
fuerit conſumpta. & ab igne ablata per triduum ſinito, &
vbi ſedata fuerint excolato, ac vtere oleo in prima bal-
nei domo antequam ſudare incipiunt.

Quæ pilos attenuant, Cap. LXV.

IIs quæ pilos attenuant vti poterit medicus, in his qui
duros ac magnos pilos habent. ſunt autem talia ex-
terſoriæ & attenuatoriæ facultatis. Quemadmodum au-
tem in omnibus aliis medicamentis differentia ſecun-
dũ exceſſum & defectum, ita etiã in exterſoriis. Ordei i-
taque farina & fabarũ, & erui, ſpumáque nitri ac nitrum,
moderatiorem vim habent. Quæ verò his fortiora ſunt,
in iis qui duros ac magnos pilos habẽt cõueniũt: quale
eſt nitrum vſtum, & nitri ſpuma, & aphronitrum, & teſtæ
calainæ. itẽ ſepiæ teſta vſta & non vſta, & fictiliũ ac cliba-
ni teſtæ, & pumex vſtus ac non vſtus, & muricũ ac purpu-
rarum ac reliquorũ oſtreorum teſtæ, alcyoniáque ac her-
bæ lanariæ radix. veratrum item vtrunque, & bryoniæ ra-
dix ac dracunculi, ariſtolochiáque ac panacis radix, &
canchry, ac huiuſcemodi. Quòd ſi odorata hæc facere

A volueris, cyperum & melilotum, & roſas ſiccas, & iunci
odorati florem, & iridẽ, & meliſſophyllum admiſcebis:
diuitibus verò nardum Celticam & Indicam, amomum,
folium malabathri, myrrham & coſtum. Attenuat etiam
pilos cinis ſarmentorum vitis & ficulneus, & ex tithyma
lis tritus & in balneo affrictus. & ab exuſtis vinaceis ci-
nis, & alumen ſciſſum, & ſtercus caninum ſiccum. A-
liud ſmegma illuſtrans cutem, & pilos lanuginoſos fa-
ciens, valde bonum. Mora crudiſſima cum terra cimo-
lia ac nitro, æquis portionibus trita adſeruato, ac vtitor.
Puluillus attenuans pilos in balneo, multo experimen-
B to conſtans: Pumicis toſti, teſtarum ſepiæ vſtarum, ni-
tri, cimoliæ, æquis portionibus vtere confidenter. Alius.
Teſtarũ purpurarũ vſtarũ ſextantẽ, alcyonii ſextãtẽ, nitri
beſſem, cimoliæ beſſẽ, pumicis vnc. I. omnia toſta terito,
& vtitor in balneo, ac miraberis. Alius, quo vſi ſumus
in cubicularia. Calcis viuæ ex marmore factæ lib. I. au
ripigmenti vnc. I. ſtaphidis ſylueſtris, cimoliæ, teſtarum
ſepiæ, radicis bryoniæ ſiccæ, aluminis ſciſſi, ſing. drach.
IIII. ceruſſæ vnc. I. ſampſuchi, aloes, veratri nigri, ſing.
ſcrup. VI. Contuſis ac cribratis vtere, iniiciens ex eo in fa-
C miliare pſilothrum drach. IIII. & ouorum candida III.
Deinde pſilothrum ablue, & rurſus ſiccum affrica, & quo
tidie in balneo hoc vtãtur. Aliud ſmegma attenuato-
rium, & lanuginem producẽs. Farinæ fabarum, pumi-
cis, ſimilaginis, ſpumæ nitri albæ, ſing. chœnices Atticas
II. fœniculi cum ptiſana cocti, & poſtea aceto mulſo elo-
ti ac ſiccati, tuſique ac cribrati chœnices II. ſaponis galli-
ci lib. II. Saponem reliquis antea tritis admiſce, ac mani-
bus ſubige, & vtere.

D De furfuribus ſiue porrigine, Cap. LXVI.

QVibuſdam ſe ſcalpentibus, furfuribus ſimilia ſæpe
ex capitis cute decidunt. Contingit autem hæc af-
fectio à vitioſis ſeroſis humoribus, quos conſumere ſco-
pus eſt in eius curatione. Itaque diſcuſſoria ac exterſoria
adhibenda ſunt pharmaca vbi per purgatorium medica-
mẽtum prius totũ corpus euacuauerimus, ſi vitiatis hu-
moribus fuerit refertum. Quidam etiam aliqua adſtrin-
gentia ad diſcuſſoria admiſcuerunt, quò per ipſa affecta
pars corroboretur, vt ne facilè in ſeipſam ſuſcipiat influẽ
E tes ſeroſos humores, ſed reſiſtat eóſque repellat: veluti eſt
ſutorium atramentum, & ſimilia. Deterge itaque furfu-
res in capite, Cimolia cum betæ ſucco aut fœnigræci, aut
vtriſque ſimul admixtis. Aliud. Fabam vnà cũ cor-
tice molito, & cũ betæ ſucco vtitor. Aliud. Furfurũ di-
midiã chœnicẽ in aquæ ſext. I. macerato, deinde diu ma-
nibus terito, & ſuccũ excolato, & ad ipſum aceti heminã
dimidiã addito, & ad ſpiſſitudinẽ coquito, & ſic affrica-
to. Deinde betæ, aut fœnigræci, aut lupinorum decocto
abluito. Aliud. Terræ cimoliæ, ſulphuris viui, æquales
F portiones terito cum aceto, & affrica in balneo, & calida
aqua ablue, & illine non ſolùm in balneo, ſed etiam citra
balneũ. Aliud. Spumæ argenti, olei rutacei, aceti, pa-
res portiones terito & illinito. hoc multo experimento
conſtat. Aliud. Cucumeris ſylueſtris radicem coqui
to, & decocto vtitor. Archigenes de medicamento ex
bryonia dicit, Præ omnibus, inquit, hoc tibi paretur. Si
igitur iuxta pondus præparare voles, ſic facito: Cimo-
liæ ſeſcuncem, nitri quincuncẽ, farinæ fabaceæ quadran
tem, corticis aridi radicis cucumeris ſylueſtris ſextan
G tem, bryoniæ ſextantem farinæ ordeaceæ ac lupino-
rum, ſing. vnc. I. Aliud. Cimoliæ lib. II. nitri, brioniæ,
corticis radicis cucumeris ſylueſtris ſicci, farinæ faba-
rum, ſing. lib. I. farinæ ordeaceæ ac lupinorum, ſing. ſex-
tarii dimidium. Singula ſeorſim læuiſſimè terito, menſu-
rato, ac vnitis vtitor in balneo. Archigenes dicit, Ad fur
fures farinam fœnigræci, & nitrum, & cimoliam cum be
tæ ſucco affrica, & fel bubulum aut ſuillum addito aceto
illine: deinde poſt horam ablue, & atramento ſutorio ac
nitro cum modico oleo tritis illine: aut cuminum, &
myrobalanum & fabaceam farinam, æquis portioni-
H bus cum aqua lixiuii terito, & affricato. Aut amy-
gdalas amaras decorticatas, cum aqua aut aceto tritas af-
frica. poſtquam verò reſiccati fuerint pili, calida aqua
ablue. Aut maluam ſylueſtrem in aqua marina donec

decima pars ſuperſit,terito & affricato. Aut nitrum & pumicem,& fæcem vini,pari portione cum aqua calida affrica. Aut ſpumam nitri,& atramentum ſutorium æquis partibus cum vino adhibe,ter aut quater in menſe. Hoc adeo efficax eſt vt nihil reliquum faciat. Aliud. Thus tritum cum aceto illine. Aut ſcorpiuri ſuccum illine. Aut ſquillã aſſato, & vbi mollis facta fuerit, expreſſum ſuccũ oleo admixto illine. Victus ſit flatus exors, nihil ex craſſo humore præditis habens: velut ſunt tubera,fungi,bulbi, legumina,& carnes bubulæ ac ſimiles. Sint autẽ quæ ingeruntur ventri commoda, concoctu facilia, & mel cibis addatur. Ad intinctus confert acetum cum ſapa. Condimentum ſit cuminum,apium,fœniculum. aliorum parcus ſit vſus. Et maximè ab omnibus bellariis abſtinendum eſt. Vinũ vtile eſt tenue & albũ: iucunditatis tamen gratia etiam vinum dulce & vinum mulſum permittitur. Ex fructibus vua arefacta optima eſt,deinde ficus ante cibum. poſtea malum Punicum poſt omnem cibum. Et amygdalæ virides commodæ ſunt ante cibum. Et bonæ concoctionis potiſſima ratio habenda eſt. Deambulationes lenes plurimæ manè ac veſperi optimæ ſunt. Frigidæ lotio balneis præſtat. verùm in calida ſe lauanti incommoda eſt multa in aere conuerſatio. Et capitis perfuſio ſoliis melior eſt. & poſt hæc largè per frigidã refrigera. Dormire ad ſatietatem commodum eſt. Ab ira & indignatione,inſolationéque ac vehementi frigore abſtineant. itémque ab omnibus quæ caput replent.

De morbo pediculari, Cap. LXVII.

PEdiculorum generatio quibuſdam aceruatim in capite contingit, multis humoribus moderatè calidis in profundo cutis collectis, vbi etiam pediculos generari contingit,non in ſuperficie cutis, in qua furfures conſiſtunt. Itaque pharmaca ipſorum neceſſarium eſt ſiccantia eſſe,& quæ magis ex profundo attrahere ac euacuare poſſunt. Lupinos igitur in aqua coquito,& decoctum ipſorum affricare iubeto. Aut myricæ decocto, aut aqua marina,aut muria meraca cum aceto perfundito. Aut hederæ ſuccum melle mixtum illinito. Aut perdicii ſuccũ dormitum eunti illinito. Aliud ad pediculos capitis ac totius corporis. Liguſtri florem cum vino tritum capiti ac toti corpori affrica,vbi dormitum ire volet. Aut ſtaphidis ſylueſtris partes II. ſãdarachæ & nitri,vtriuſq; partem I. adhibe cum aceto. Aut rhoem culinarium cum oleo tritum illine. Aut alumine cum oleo trito vtere. Aut veratrum album,& ſtaphidem ſylueſtrem,ac nitrũ,æquis portionibus cum oleo trita in balneo adhibe. Aut rumicis ſylueſtris radice cum oleo in balneo vtere. Aut modico pipere cum multo oleo vtere. Aut oleum laurinũ aut raphaninum illine. Si verò pili denudati ſint, ſtaphide ſylueſtri cum aceto & oleo vtere. aut alumine liquido cum oleo. Prodeſt item ipſis potus allii drach. II. cum origani triti drach. I. ex aqua mulſa.

De achoribus & reliquis puſtulis capitis, Cap. LXVIII.

VLcuſculũ quod achor *Græcis* appellatur,in capitis cute cõſiſtit,tenuia foramina habẽs,per quæ tenuis ſanies effluit mediocriter viſcoſa. Similis autẽ eſt ipſi alia affectio,quæ ceriõ, *id eſt fauus* appellatur. Quæ quia foramina maiora habet,humores melli ſimiles cõtinẽtia,meliceris vocatur,*id eſt fauus mellis*. Proinde ſcopus in his eſt vt humores affectionẽ faciẽtes euacuemus. Si verò adhuc influxerint,vt prius influxionẽ impediamus,euacuato primũ corpore per purgatoriũ medicamẽtũ,initio ſumpto à venæ ſectione(ſi æger ferre poteſt:)deinde purgatorio vtimur ſero lactis præparato ex aqua mulſa, admixtis ad ipſum epithymi drach. III. Relata eſt autẽ ſeri præparatio Sermonis ſecũdi capite nonageſimo ſexto. Si verò intẽpeſtiuus eſt lactis vſus,colocynthidem perfectam accipe, & ſemẽ eiice,& in ipſam tomẽtũ ſiue pulpã adhuc habẽtẽ,ſapam aut vinũ mulſum infunde,& per diem ac noctẽ macerari ſine:& poſtea calefactum exhibe. Deinde verò etiam caput purgandum eſt per ea quæ naribus induntur, & quæ per os pituitam extrahunt. Conueniunt autem ipſis ſecantia & diſcuſſoria medicamenta, eo quòd viſcoſus eſt humor qui affectionem generat. At verò incipientes achoras vbi totum corpus ſuperfluitatibus caruerit,per adſtringẽtia ac repellentia curabis. Talia autẽ ſunt myrti,& pini cortex,& rubi folia impoſita,plãtago impoſita oleæ ſylueſtris ſuccus affrictus,ſalicis folia & flos impoſita: ſimiliter polygonũ. Quædã verò prohibẽt ne achores augeſcãt,ſimul reprimẽtia quod influit,ſimúlque concoquentia ac diſcutientia quod iam continetur, vt quæ mixtas vires habent: quibus ſanè poſt principium vti oportet. Tale eſt oleũ myrteũ & roſaceũ & lẽtiſcinũ,rubi ſuccus cũ oleo, portulacæ ſuccus cũ oleo, ladanũ cũ vino illitũ,liguſtrum & lentes. Quædam verò antiquis & moderatis auxiliantur, diſcutientia & extergentia citra ſenſibilem caliditatem,non tamen aliquid irritans habentia. Quibus vtendum eſt maximè vbi dolor aliquis cum achoribus affuerit. ſed & in his à debilioribus initium facere conuenit. Cimolia igitur ad hanc rem apta eſt,& Cretica ac Samia terra,pompholyx item ac ſpodium, & ſpuma argenti,& Cadmia tenera,& adiantum cum roſaceo illitum, & fœnigræci decoctum affrictum,& malua trita cum loliacea farina impoſita. aut melilotum cum farina fœnigræci ex vino impoſitum. Item cicerum decoctum, & ipſum cicer coctum impoſitum, nuces rancidæ commanſæ ac illitæ. Quòd ſi his nihil effeceris, ſiccũ ex charta pharmacum illine cum aceto: ſi verò acrius tibi videatur,ſpumam argenti pari portione adde. Si verò non affuerit ſiccum pharmacum ex charta,chartam vre, & cinerẽ eius aceto ſubige, ac vtere in iis qui duram carnem habent. Quædã porrò vehementẽ adeo vim habẽt, vt valde craſſos ac viſcoſos humores euacuare poſſint, ipſóſque diſſoluere achoras, etiamſi iam in ſcirrhum indurati fuerint. Talia ſunt chalcitis, fæx vini vſta,ſandaracha,& calx. Acetum autem fortiſſimum eſt omni tempore ad achoras,& diſcutiens & repellens. ſit autem acerrimum. Diſcutit etiam optimè lilii radix affricta, & thus cum aqua & nitro, & lupinorum amarorum decoctum affrictum, & cucumeris ſylueſtris radix cocta,& fici folia cum aceto trita,bulbi cũ nitro affricti,rutæ folia impoſita,farina fœnigræci cũ nitro affricta, thus cũ aceto illitũ, malicoriũ cũ laurino oleo illitũ,alliũ cũ cauliculo vſtũ ac cinere cũ oleo illito. hoc valde bonũ eſt. Aliud. Mulier quædã nuces regias mandebat, & puero achoras habenti imponebat,& ſanatus eſt. Aliud. Radices anchuſæ vſtas,ac cum oleo ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem tritas illine cum penna,& ſanabis. Aliud. Thymum vrito,& cinerẽ cũ vino & oleo ſubactum illinito. Aliud. Cneſtrum quã in Alexãdria liparona vocãt vrito,& cinerẽ cũ vino tritũ illinito. Aliud. Buccinarũ vſtarũ cinerem cum aqua adhibeto. Eſt hoc ſalutare pharmacum non ſolùm ad achoras, ſed etiam ad omnem papulatum eruptionem. Quòd ſi incideris in achoras inflammatos & dolẽtes, dolorem prius liquido medicamento concoctorio mollientéque ac leni mitigabis, quale eſt pathygrũ & omnia ad ſedem parata, & quæ ad carcinomata deſcripta ſunt. Farinam itaque fabaceam vino madefactam ac tritam, vt emplaſtri formam acquirat imponito. Facit & ad feruentiora & agreſtia in capite puſtularum genera. Aliud, ad maximos & inflammatos dolores, leniẽs, dolorem eximẽs ac percurans. Collyriũ quod aſter appellatur, aut aliquod ex Libyanis appellatis, aut cõſimile quoddã cũ modico hyoſcyami ſucco terito, & adiecta ſapa ac roſaceo illinito. Alia pinguis cõpoſitio,ad achoras,puſtulas, papulas feruidas intertrigines. Eſt & ad ſedẽ bona. Spumæ argẽti drach. octo, foliorũ rutæ tenerorũ drach. XXV.

Aceto dilue, & roſaceo aut myrteo excepta pẽnis illine. hoc magno experimento nobis conſtat. Alia ſimilis. Spumæ argenti drach. quatuor, ceruſſæ drach. VI. ſulphuris viui drach. IIII. ceræ drach. IIII. roſacei aut myrtei quãtum ſatis eſt,vt liquidi cerati ſpiſſitudinem accipiat. Liquida ſiccis affunde & vnitis vtere. hæc ad totius corporis puſtulas commoda eſt. Alia ad humidos achoras.

Ladani drach. octo, ceruſſæ tantundem, ſulphuris viui drachmas octo: vtere cum vino & myrteo oleo. Aliud pharmacum. Ladani, baccarum myrti nigrarum

ſpumæ argenti, ſulphuris viui, ſeminis hyoſcyami,malicorii,æquas portiones terito,& vino,ac myrteo aut roſaceo oleo affuſo,vtitor. Aliud ad feruidas,ſanioſas & impetiginoſas papulas. Verbenacæ ſupinæ drach.VIII. acaciæ drach.VIII.myrrhæ drach.II. vino auſtero trita illine. Aliud: facit & ad eas quæ in mento ſunt. Baccarum myrti,malicorii,atramenti ſutorii,ſpumæ argenti,æquales partes tritas cum vino & oleo myrteo adhibe. Emplaſtrum ad achoras vetuſtiſſimos. Reſinæ pinus ſiccæ, ceræ, adipis ſuilli aut bubuli, æquas portiones ſimul liquatas in aquam excolato & diutius manibus emollitis vtitor. Aliud, quo vſus eſt Ægyptius in Palladio Magiſtriano in Alexandria, vbi medicorum auxilia fruſtra tentaſſet. Colophoniæ ſemiſſem, ammoniaci thymiamatis ſextantem,galbani ſcrup.IIII.opopanacis ſcrup.III. olei drach.IIII.maſtiches.ceræ,ſing.vnc.I.reſinæ pinus lignoſæ drach.IIII.æruginis ſcrup.IIII. quòd ſi magna affuerit acrimonia, æruginem ne adiicias. Hoc abſceſſus diſcutit,& iam ruptos euacuat ac ſanat.

Ad capitis ſcabritiem, Cap. LXIX.

RVtam & alumen terito cum melle, & præraſis pilis illine. Aliud. Sulphur viuum & ſtaphidem ſylueſtrem terito,& picis ſero admixto illinito.

Ad parua & denſa ac rubicunda capitis vlcuſcula, Cap. LXX.

IN paruis ac denſis & rubicundis capitis vlcuſculis mãmarum papillis ſimilib⁹,à quibus etiam ſanies effluit, caput radito,& ſemen lini tritum ac melle ſubactum imponito.Aut conchylium vrito, & cum aqua tritum imponito. Aut emplaſtrum è lolio imponito: & vbi euacuati fuerint humores,hoc ſublato,myrſinatum appellatũ imponito.Cæterùm ad rubicundas papulas in capite,ceruſſam cum laurino illine: aut pini corticem cum cerato: aut teſtam clibani cum aceto aut vino.Aut betam coctam impone: aut betæ ſuccum ad ceratum roſaceum quantum eius admittit,adiice & impone.

Reſiccantia & cicatricem inducentia achoribus, Cap. LXXI.

SPumæ argenti drach.XXI.calcis viuæ tantundem,aceti vnc.I.roſacei tantundem,vtere. Aliud valde bonũ quod humida vlcera reſiccat,& cicatrice includit. Spumæ argenti, ceruſſæ,ordei vſti, æquales partes cum roſaceo aut myrteo illine. Emplaſtrum melinum, reſiccãs omnem fluxionem,& cicatricem inducens,præſertim in antiquis vlceribus: Spumæ argenti, ceruſſæ,ſalis foſſilis,ſing.lib.I.aluminis ſciſſi ſemiſſem, atramenti ſutorii ſemiſſem,olei lib.II.aceti ſextar.I.Oleum,ſpumam argenti,& ſalem ac ceruſſam coquito,ſingula per ſe & ſimul læuiſſimè trita. Vbi verò non amplius inquinauerint, alumen & atramẽtum aceto diluta, ad pharmacum ab igne ablatum & aliquo modo frigefactum paulatim adiicito, vnito,& in mortariũ diffundito,& probè mollito vtitor.

Smegmata ad achoras,furfures,aſperitates,ac ſcabritiem, Cap. LXXII.

QVòd ſi in declinatione fuerit affectio,& omnino ad cicatricem vergat, ad totam affectionem eradicandam huiuſmodi ſmegmatis in balneo vtẽdum eſt. Terræ Cimoliæ lib.II.nitri rubri tantũdem, myrobalani lib. I.myrrhæ,iridis,piperis,ſing.vnc.I.nardi Celticæ,coſti,caſiæ ſing.vnc.I.contundito,cribrato,ac vtitor in balneo.

De aurium affectionibus, Cap. LXXIII.

AVrium dolores fiunt, tum ob frigiditatem à ventis inductam, aut à frigidis aquis,aut iiſdem medicatis,in quibus homines ſe lauant: tum ob inflammationem cutis in meatu, aut nerui auditorii in profundo. Fit etiam dolor propter ſpiritum flatuoſum qui tranſitum non habet.

Ad dolores ex frigiditate, Cap. LXXIIII.

DOlores itaque à ſola frigiditate obortos, calefaciẽtia quamcelerrimè curant.Cæpa igitur aut alliũ in oleo ferueſactum frigiditates omnes ſanat. Ego verò euphorbio modico ad multum oleum admixto vtor: aut pipere exactiſſimè trito cum vino &oleo.Prodeſt & amaracinũ, & optimum nardinum, & laurinum, Sed & ruta in oleo dulciſſimo cocta magnificè facit.

A Ad dolores ex aqua medicata, Cap. LXXV.

QVum medicata aqua circa auditorium meatum continetur, oleum aſſiduè infundere conuenit, ita vt aurem eluamus,& per mollem lanã detergamus,& deinde rurſus infundamus.Magnopere verò ipſos mitigat oui candidum cum lacte muliebri tepidum infuſum.omnia enim quæ adhibẽtur, moderatè calida ſint. Prodeſt ipſis & anſerinus adeps. Sed & exuctio per os aquam attrahit: aut per arundinem, velut per aquæfuſorium inſtrumẽtum(ſiphonem *Græci* dicunt)exuctione facta,cæ-
B parum ſuccum cum anſerino adipe inſtilla: valdè enim mitigat.Si verò quis vno pede auri affectæ proximo exiliat,inclinans quodammodo ſeipſũ,aquã facilè excernit.

Ad dolores aurium ob humorum craſſitudinem, Cap. LXXVI.

SI dolor auris cum capitis grauitate obortus fuerit, craſſi & pituitoſi humores cauſa doloris exiſtunt. dignotio autem ex prægreſſa diæta tibi continget.Nitrum igitur ac ſpumam nitri,auricularibus pharmacis miſcebis. Veratrum item album ac nigrum,& amygdalas ama-
C ras,& ex ariſtolochiis eam quæ ad manum eſt,& cucumeris ſylueſtris ac bryoniæ radicem, & centaurii magni radicem,& parui comam,& iridem, & caſſiam. Et in ſumma,omnia amara citra mordacitatem ac moleſtiã meat⁹ purgãt,& extergẽt,& craſſos humores impactos ſecãt.

Ad aurium ſordes, Cap. LXXVII.

AD aurium ſordes,vnguentum nardinum tepidũ inſtilla,& ſequenti die per ſpecilli concauum eas quæ expoſitæ magis ſunt expurga, & rurſus nardinum infunde.Si verò locus durus fuerit, aut etiam ſordes duræ, ni-
D trum torrefactum ac læuiſſimè tritũ in aurem inſperge, & acetum calidum inſtilla,& appoſita lana pernoctare ſine. poſtera verò die,aqua & oleo calefactis elue.

De ſonitu aurium, Cap. LXXVIII.

SOnitus in auribus plerũque ex flatuoſo ſpiritu generãtur.fiũt etiã aliquãdo ob ſenſus auditus ſubtilitatẽ, ex euaporationibus.Dignotio contingit tibi primùm ex tẽperatura & habitu hominis:deinde etiam ex omni prægreſſa diæta.Sed & ex eo quòd aut paulatim, aut aceruа-
E tim fit ſonitus,inuenire datur affectionem.Quin & ex eo quòd hoc ſonitus accidens aut per interualla redit, aut perpetuò permanet,affectio cognoſcitur. Exacta verò dignotio hæc à te fiat.Si enim quis putet à ſpirituoſo exitũ non habente ſonitum fieri,& ſecantia ac attenuantia adhibeat,& nihil proficiat vnà cum hoc quòd etiã iis quæ pituitam per os ducunt vtatur,tunc ſanè ob auditus ſubtilitatem,ſonitum fieri coniectet.Ego verò in talibus admiſceo ex iis quæ ſenſum ſtupefaciunt, velut eſt mandragoræ ſuccus,& opium pauciſſimum. Aut oleum in quo
F inteſtina terræ cocta ſunt,infundo. At verò ad ſonitus ob flatuoſum ſpiritum generatos,talia commoda ſunt. Apollonii,ad ſonitus ac bombos & ſibilos derepentè fientes: Acetum acerrimum calefactum inſtilla. Aut acetum cum roſaceo calefactum inſtilla. Si verò perſeuerarat, cuminum,rutam, anethum, & nigellam, cum aceto coquito,& roſaceo adiecto vtitor. Aut colocynthidis medullam in oleo coquito,& oleum infundito. Si verò adhuc remanet ampliori tempore, omnibus amaris & acribus,&attenuatoriis ac diſcuſſoriis vtere,quæ paulo antea
G deſcripta ſunt ad eos qui ob humorum craſſitudinem aures dolent,ita vt ſingula cum aceto coquas,& mel addas. Facit autẽ ad inueteratos ſonitus,caſtoriũ & ſpica nardi, æquis portionibus cũ aceto & roſaceo. Aliud ad ſonitus diuturnos:Herbæ lanariæ,croci,caſtorii, veratri albi, æquales partes tere cũ aceto,& informa paſtillos,&vtere cũ vino. Cæterùm ad ſonitus ex morbo,fomẽto per abſinthii decoctũ adhibito acetũ cũ roſaceo infunde,aut raphani ſuccũ cũ roſaceo,aut aloẽ optimã cũ vino mulſo.ſi adhuc perſeuerarint, veratro nigro cũ aceto cocto vtere.

H Ad auditus difficultatem ac ſurditates, Cap. LXXIX.

QVI difficulter audiunt, per hieram ex aloe, aut per catapotia ex colocynthide purgandi ſunt, & pituita per os detrahenda eſt, & caput omni modo reſiccandum ac corroborandũ.Vtendũ eſt & attenuatoria diæta.

In ipſam verò aurem immittēda ſunt pharmaca quæ ſindunt ac ſecant,& attenuant viſcoſos ac craſſos humores, quorum ſylua iam antea relata eſt in iis qui ob humorum craſſitudinem aures dolent. Fomenta ad grauem auditum, Apollonii. Ad audiendi difficultatem derepentè obortam,& ex capitis dolore, abſinthium cum aqua in olla coctum per arundinem pro fomento adhibe, ita vt alterā arundinis partē cauitati auris adaptes, alteram verò foramini operculi ollæ inſeras, quò vapor qui exhalat, ad auditoriū meatū allabatur. Aliud. Baccas lauri aut folia in aqua coquito & ſimiliter vtere, aut origanum,aut hyſſopum eodem modo, aut aquam marinam cum aceto ſimiliter. Eſt & hoc optimum:vrinā tauri aut bouis, tertia aceti parte addita,pro fomento adhibeto. Item myrtum contuſam ſimiliter coctam adhibeto. At verò circulum ex lana auri circūdare oportet, vt ne loci vicini amburantur.Elotiones porrò his conueniunt,acetū acre album,cum pari aquæ mēſura, & nitro læuiſſimè trito calfactum infunde per multos dies: & poſtea aqua calida elue,atque ſic ſubſcripta infunde. Quæ auribus in auditus grauitate infundātur. Porri ſuccum irino vnguento admixto infunde. Veratri nigri radicem cum aceto tritam,& melle exceptam in aurem inde,& per dies quinque ſine.Capræ recens mactatæ cornū vrina eiuſdē exple,ea maximè quæ in veſica ipſius reperitur, aut alia aſſeruata, & cornu in fumum ad dies nouem ſuſpende, ac vtere.Clauos caligarum veterum numero centum, in vino Aminæo ad dies ſeptem macerato,& donec ſepties ebulliant coquito,excolato,& adſeruato,& vſus tempore quātum ſatis eſt calefactum infundito.Hoc vſus ego ſurdum curaui. Aliud. Aſphodeli radicem in oleo coctā adhibe. hoc etiā inueteratā audiendi difficultatē ſanat. Optimus eſt etiam cucumeris ſylueſtris radicū aut foliorum ſuccus cum aceto infuſus. Aut capræ vrinam & fel eiuſdē ſimul calfacta infunde: Aut caſtorium cū baccis lauri & aceto. Aut veratrum nigrum cum aceto terito,& melle diutius cocto excipito,& collyria ad glandis figuram formato,& in meatum indita per triduum ſinito. Aliud. Naſturtii ſeminis quantum ſatis eſt,& nitri parū, ficus pinguis carne,granulis exemptis,excipe, & collyria meatui auris congrua efforma ac inde,& per triduū ſine. hoc ſordes multas ducit, & ſtatim alleuat.Aliquando verò pro naſturtio ſinapi coniicimus. Vtere hoc etiā ad aurium ſordes.Multùm quoque opitulatur ad auditus grauitatē ſpongia in tenues partes conciſa ac intorta,& melle imbuta meatui indita. Idem cōmodū eſt ad enaſcētē in auditorio meatu ſuperfluam carnē. Aliud. Omnis piſcis fel infuſum prodeſt.item perdicis & capræ. Aliud. Fel tauri cum anguis ſenecta tritiſſima aceto exceptum, & meatui inditum,grauem auditum ſoluit. quidam cum roſaceo indunt.aquæ verò fomentum adhibere oportet.

Aliud. Saluiæ ſuccū cū oleo omphacino in aurē inſtilla: vtere:eſt valde commodum. Aliud. Herinacei terreſtris fel cum oleo infunde. Aliud. Veratri albi drach.IIII. caſtorii drach.I. ſpumæ nitri drach.I. infunde cum aceto,& vtere velut optimo.Vtere etiam paſtillo ex amygdalis amaris cum aceto mulſo. deſcriptus eſt ad aures purulentas.

Ad aurium inflammationes, Cap. LXXX.

MOderatas & non pulſantes inflammationes ſanat roſaceum cum aceto tepefactum. & glaucium in cote medica tritum cum vino dulci ac modico aceto.Si verò vehemētior fuerit inflāmatio, dolores quidem mitigat,tenue ac candidum oui cum lacte muliebri tepidū infuſum.Optimum verò ad ipſos pharmacum eſt nardinum vnguentum,cum modico medicamento Baſilico appellato,aut cum adipe anſerino aut phaſianino.Vbi verò magnus eſt dolor,neceſſe eſt ſtupefacientibus ſenſum vti,ita vt ad lac muliebre & oui candidum,modicum opii admiſceamus.Admiſcendum eſt caſtoriū ad vehemētiores dolores pari mēſura, ad leuiores dupla proportione. Nos autē opiū & caſtoriū cū ſapa probè conterimus: & tepefacta infundimus.Oportet autem omnino nō contingere auditorium meatum tempore doloris: & fomētū adhibere per auriculārium ſpecillum lana molliſſima circumdatum,ita vt lanam tepido Baſilico medicamento,cum nardino aut alio ex iis quæ infunduntur tingamus,& ad principium auditorii meat⁹ indamus,& pharmacum in profundum deſtillare ſinamus.& hoc aſſiduè facere oportet. Poſtquam verò repletus eſt meatus, lanā ſupernè obdito.Quòd ſi æſtas fuerit, & multæ caliditatis ſenſus ægrum circa inflāmatam aurem vexarit,fomentū per roſaceum bonum fiat. Mitigat porrò feruentes inflāmationes tepida cum roſaceo inſtillata, auriculæ muris ſuccus,& polygoni, & portulacæ,& ramētorū cucurbitæ ſuccus.Itē aranei cū roſaceo cocti,& aſelli ſub hydriis ſtabulātes,ſimiliter & inteſtina terræ eodē modo: Et blattæ domeſtic interanea cum roſaceo,& oleum amygdalinū ac hyoſcyaminum. Medicamentū auriculare è ſuccis ad inflammationes quæ ægrè tranſmutantur: citò enim ipſas ſuppurat.Succi ramentorum cucurbitæ, ſucci calami,ſucci perdicii,ſucci braſſicæ,ſing.cyathum vnum, nitri toſti,myrrhæ, croci,ſing.drach.IIII. vnguenti nardini vnc.I.alumins liquidi.vnc.I.aceti ſquillitici ſextātē, mellis optimi lib.I.excipe & repone in vitreo vaſe. Et vſu poſtulāte, cum nardino & roſaceo diluto vtere. Aliud, ad diuturnas & ægrè trāſmutabiles inflāmationes. Galbani drach.VII.ſeui taurini drach.IIII.ceræ,colophoniæ,ſaponis ſing.drach.III.picis drach.I.Colophoniā,picē,ſeuū liquefacito,&galbanū cū cera præmollitū adiicito,& deinde etiam ſaponem,& excolatis vtitor, ita vt in cote cum aqua aut oleo aliquo diluas. Ad maximos dolores. Aloem optimam vino mulſo dilutam inſtilla: aut lanas ſuccidas aceto feruefacto,& inſtillato, inſuperque ipſam lanam in aurem indito.Quòd ſi mitius facere velis,cum aceto aut ſapa coquito.

Ad aures abſque vlceratione humectas,quæ velut exudant & ſeroſum humorem excludunt, Cap. LXXXI.

MISY in linteolum illigatum & prunis obrutū exurito,& vnà cum exuſto linteolo terito, & per arundinē inſufflato. Aut gallas terito & linteolo illigatas exurito, ac ſimiliter vtitor. Aut alumen in teſta exuſtum, & oleo præaffuſo tritum inſufflato. Porrò poſtquam penitus ſedata fuerit inflammatio,caſtorium cum oleo infundatur,quò detrimentum ex afflictione ſoluatur.

Ad vlcera in meatu auris, Cap. LXXXII.

REcentia quidem vlcera glaucium curat ſolum cum aceto tritum, & omnia ex ipſo collyria, & quæ ex croco itémque ex roſis fiūt & appellationē habent.Curat etiā eadem collyriū Damocratis ex myrrha. Quæ verò pure manant citra dolorem & moderatè hoc patiuntur, per eadem curantur.Quæ verò fortiter pure manant,per paſtillos,qualis eſt Andronis,& præſertim Muſæ cum ſapā & modico aceto infuſus. Quòd ſi etiam hæc ſuperentur, recrementum ferri cum acerrimo aceto in caniculari æſtu ad ſolem terito, & paſtillos efformato, & vtere cum aceto.Si verò non eſt canicularis æſtus, recrementum ferri læuiſſimè tritum cum aceto ad prunas coquito donec reſiccetur: & vtere cum aceto. Aurium elotiones. Cæterùm Apollonius ad aurium vlcerationes talia ſcribit,Vino mulſo calido frequenter ipſas elue. Aut myrtū cum vino coquito,ac vtitor. Si verò fœtidum quod prodit,malicorium & lentem cum vino coquito, & tepidum infundito.Poſt elotiones autem conueniunt ad infundendum, fel bubulum: & maximè porcinum in malicorio tepefactum inſtilla.Idem facit & caprinū fel,& omnis piſcis fel roſaceo admixto. Aliud optimū. Alumen ſciſſum tritum,cum ſapa & aceto in feruenti cinere coquito ad mellis ſpiſſitudinem,ac vtitor. Facit etiam omne alumen cum polygoni ſucco,& Eraſiſtrati panchreſtos *appellata ab omnimoda utilitate*,liquida. habetur autem inter ocularia medicamenta. Aliud. Aluminis ſciſſi, croci, gallarum, æquis portionibus vtere cum vino.

Auricularis compoſitio ad dolores magnos, & pus album. Amygdalas amaras decorticatas octo,ſpumæ nitri albæ drach.II.thuris drach.III.opii drach.II. croci drach.IIII.galbani drach.II.myrrhæ drac.I.aceto trita excipe,& forma paſtillos ac vtere, ſi dolor adeſt cū roſaceo;

ſi pure manant,cum vino mulſo,aut aceto,aut ſapa: ſi verò auditus grauitas affuerit,cum aceto. Ad diuturnas vlcerationes.Aloes,thuris,myrrhæ ſing.drach.IIII. miſyos drach.II.efforma cum aceto & vtere reſolutis cum aceto aut roſaceo.

Ad corruptiones ac fœtores aurium, Cap.LXXXIII.

MAlicorii & lentis decocto elue, velut prædictũ eſt, & vtere ſubſcriptis.Aluminis ſciſſi lib. I. atramenti ſutorii drach.VIII.myrrhæ drach.VIII. crocomagmatis drach. VIII. vini dulcis myrtei ſextar.III. Alumen cum vino coquito,& vbi ad compagem redactum fuerit, reliqua prius trita cum aceto adiicito, & vnitis vtitor cũ ſapa & aceto. Aliud,ad purulentas & graueolentes aures. Vrſi fel inſtilla:ſi verò aridum fuerit,cum aceto & ſapa diluto vtere. ſummè enim prodeſt. Ægyptiũ pharmacum ad omnes relatas affectiones,etiamſi fuerint cõgenitæ. Amygdalarum amararum drach.II.piperis albi drach.II.fabarum Ægyptiarum internã partem drach. II.põdere,croci,myrrhæ,opii,thuris,caſtorii,ſing.drach. II. omphacii drach. IIII. atramenti ſutorii drach. IIII. ſpumæ nitri drach.II.Terito cum aceto in quo malicorium coctum eſt, & excipe ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem.Vſus autem tempore quantum ſatis eſt de hoc pharmaco accipe,& nardino vnguento dilutum inſtilla.

Ad ſuperexcreſcentes in aurium vlceribus carnes, Heraclidæ Tarentini, Cap.LXXXIIII.

ÆRuginis drach.VIII.ſquamæ æris drach.IIII.mellis heminæ dimidium,hoc eſt dodrantẽ.Arida trita melle excipe,ac coque vt rubicundum pharmacum euadat,& vtere ſuper eminentem locum imponens. Aliud. Æruginis drach.IIII.atramenti ſutorii drach. IIII.ſucci marrubii cyathos III mellis quantum ſatis eſt,præpara & vtere velut dictum eſt. Aliud Apollonii Memphitæ. deprimit omnem ſuperexcreſcentem carnem citra dolorem. Aluminis ſciſſi drach.IIII. miſyos vſti drach. IIII. æruginis drach.II.Lemnii ſigilli drach. II.gummi drach. II.*alii tot uncias pro drachmis habent*.Terito cum aceto,& formato paſtillos , ac vtitor cum vino aut aqua. Deprimit, & cicatricme inducit.facit & ad nares exulceratas.

Ad vermes in auribus, Cap. LXXXV.

VErmes in auribus aut generatos aut extrinſecus illapſos,amara & acria in ſumma occidunt: velut ſunt, capparis folium aut ſuccus,cedria, vrina humana vetus, ſingula cum melle:aut ariſtolochiam tritam inſuffla:aut calaminthæ ſuccum infunde :aut veratrum album cum vino: aut colocynthidis decoctum,aut centaurii, aut abſinthii,aut polii cum vino:aut ſcordii,aut marrubii ſuccum, aut elaterium cum aceto. Facit & maluæ hortenſis aut ſylueſtris ſuccus:maximè in iis quæ ſunt inflammatæ.

Ad ſanguinis ex auribus eruptiones, Cap. LXXXVI.

AD ſanguinis ex auribus eruptiones,vt ne in grumos coeat,porri ſuccum & acetum mixta infunde,& ſanguinem ſiſtet,& grumos diſſoluit. Aut malum Punicum in aceto coctum infunde. Aut gallam in aceto coquito & excolato,& rubi ſuccum miſceto,ac infundito. Aut polygoni ſuccum cum modico aceto, aut acaciam, aut amurcam,aut lycium cum aceto inſtillato.

De calculis aut aliis corpuſculis in aurem illapſis, Cap.LXXXVII.

SI calculus,aut faba,aut conſimile quid in meatum auris illapſum fuerit,elue.aut ſpecillum lana obuolutum reſina tinge,& extrahe. Aut per glutinoſum aliquod pharmacum aut dropacem idem facito.Quòd ſi non ſucceſſerit,ſternutatorium naribus inde,& os obtura ac nares. nã iuxta contingentem ſpiritus extenſionem,id quod incidit efflatur. hoc autem aſſiduè fiat donec exciderit. Si verò intus manſerit, auris inflammata conuulſiones inducit. Optimè verò eorum quæ illapſa ſunt eiectionem adiuuat concuſſio : ita vt ſi puer fuerit,pede teneatur , & cum concuſſione in caput eleuetur: ſi verò perfectæ ætatis quiſpiam ita fuerit affectus, ipſum in tabulam ſecundum affectam aurem reclinatum caput ad tabulam firmare iubeto : deinde leuata tabulæ circa ca- A put parte deferri ſinito, idque ſæpe repetito: mouebitur enim quod incidit,& ad expeditiores meatus partes progredietur:atque ita anguſta & concaua ſpecilli parte immiſſa ſcitè extrahito.Si verò faba aut cõſimile quid in aurem illapſum in ea maneat,madefactũq; ac tumefactũ dolores inducat,impoſſibile eſt ipſum integrum eximere. quare per ſpecilli concauũ induſtriè partiri ac diuidere ipſum oportet,atque ſic particulatim extrahere.Deinde ſapam aut vinum dulce calidũ infundere ac lenire meatum ex lancinatione offenſum. B

Ad affectiones aurium extra meatum, Cap LXXXVIII.

FOramina in pulpis aurium in pueris inflãmata , oleo quod in ærea lucerna æruginem contraxit, aſſiduè illine:& ſanabis.Ad contuſas autem aures,myrrham,mannam thuris,terram nigram , qua quidam pro ſmegmate vtuntur,cum aceto ad cerati ſpiſſitudinem vnita imponito.& nequaquam amplius irritato. Aliud. Sulphur viuum, myrrham, thus cum pice liquida in ſplenio impoſito. Philagrii ad contuſas aures. Mannã thuris, aut i- C pſum thus,& aloẽ,cum vino & roſaceo terito,& imponito.his etiam cochleas paruas integras tritas, ſi haberi poſſunt addito. Aliud. Inteſtina terræ cum modica terra ex qua excepta ſunt,tere & impone. In quibus verò fractæ ſunt aures, intrinſecam expeditiorẽ concauitatẽ cartilagineam figulina terra expleto,& reſiccari ſinito,ac ſolanum cum ceruſſa illinito donec in integrum reſtituantur. Si verò inflammatio ad contuſionẽ acceſſerit,meatui quidem butyrum tepidum,aut adipem anſerinũ, aut gallinaceum inſtilla : aut etiam ocimi ſuccum cum ali- D quo ex relatis adipe. Forinſecus verò ceruſſam cũ ſolani aut polygoni,aut coriandri ſucco illine. aut putamẽ mali Punici dulcis in vino coctum ac tritum obline : aut glaucio vtere. Emplaſtrum autem hoc adhibeto: ſandycis lib.I.olei lib.I.aquæ ſemiſſem. Coquito ſimul donec non amplius inquinent,& vtere.

De parotidibus, Cap. LXXXIX.

PArotides ex genere ſunt inflammationum . ſiunt autem glandulis circa aures affectis . Non tamen vtimur in ipſis,velut in aliis partibus inflammatis,in princi- E pio repellentibus.imò vice verſa attractoriis vtimur,affligentem humorem ex profundo ad cutem attrahere conantes,& naturæ opem ferre, quæ per humorum ex loco in locum,impetuoſum illapſum febres curat. At verò quũ vehementi impetu fluxus illabitur, nihil nos curioſius agentes,omnia naturæ permittimus . Si enim aut cucurbitam , aut pharmacum quoddam humores ex profundo ad cutem attrahens adhibuerimus, vehemens dolor hominem occupat,vt ex ipſo & vigiliæ ſuccedant, & febres intendantur,ac vires exoluantur . Mitigare igitur F tunc potius conuenit,& non humorum influxui opitulari,per cataplaſmatum maximè lenientium vſum,quæ ad hoc quòd moderatè humectã habẽt caliditatẽ, per quam mitigare dolores valent,etiam influentes humores concoquere poſſunt ac ſuppurare.Vbi verò ſuppurati fuerint, diſcutere ipſos aggrediemur . ſi verò duritia cum dolore apparuerit,emolliẽtia ad attractoria miſcebimus. Proinde vbi vehemens dolor obtinet , & humores adhuc influunt,butyro vtemur,locum aſſiduè illinentes,aut adipe ſuillo:aut butyrum & adipem ſimul & liquefaciemus, &, G modica cera adiecta vt mollius ceratum fiat, imponemus. At verò moderatas parotidas,in quibus neque multa copia influit,neque dolor vehemens adeſt , neque ſuppuratio expectatur,facilè curabimus per fomenta ex muria , & cataplaſmata ac pharmaca diſcuſſoria : quale eſt Mnaſææ emplaſtrum,& emplaſtrum ex ſuccis : & his adhuc magis ea quæ molliora ſunt & ceratiformia,ex butyro & œſipo parata,quæ aſſumunt oſtrea vſta,aut buccina,aut purpuras , Quale eſt & hoc : Adipis anſerini ve- H teris inſulſi ſeſcuncem, butyri vnciam vnam , ceræ ſextantem,oſtreorum vſtorum tritorum ſextãtem.Liquabilibus liquatis oſtrea inſperge , & vnitis vtere confidenter.eſt enim efficaciſſimum hoc. Aliud valde bonum. Apochymatis ſeſcuncem,picis beſſem, ceræ quadrãtem, colophoniæ ſextantem , adipis vitulini ſeſquiunciam

bituminis ſextantem. reliqua liquato ac excolato. Bitu-
men verò cum modico aceto terito, & liquata ad ipſum
affundito:& emollitis vtitor.Quin & in induratis iam ac
diuturnis parotidibus,buccina vſta & omnia oſtrea, adi-
pi veteri porcino liquato admixta, velut dictum eſt,citra
omnem moleſtiam diſcutiunt omnes diuturnas ac indu-
ratas inflammationes.Quapropter vtendum eſt in durio-
ribus parotidibus albo emplaſtro ex buccinis,quod Ario-
barzanium appellatur, & eo quod Dionyſia appellatur,&
ex miſy paratur. deſcribentur ea in Sermone de empla-
ſtris. Ego verò ſoleo parotidas puerorum & mulierum
ſolo butyro curare.

De narium affectionibus, Cap. xc.

EX genere tumorum præter naturam,polypi in nari-
bus generantur: è genere verò vlcerum ozænæ: de
excretionibus autem præter naturam,ſunt ſanguinis e-
ruptiones. Ozænæ itaque ex acrium & putredinoſorum
humorum influxu fiunt. nam ſi ſolùm acres fuerint,incu
rabilia vlcera facere ſolent, non tamen graueolentia. At
polypus appellatus,polypi marini carni iuxta eſſentiæ pro-
prietatem & colore & compage ſimilis, ex craſſis & viſ-
coſis humoribus generatur. Cæterùm curatio vtriſque
communis eſt, ozænæ & polypo, vt primùm caput re-
ſiccetur ac corroboretur. manifeſtum eſt enim quòd vi-
tioſorum humorum redundantia naribus ex capite in-
fluit.Quomodo verò caput roborare oporteat,iam dictũ
eſt, vbi de capitis dolore egimus,vbi diuerſa ſmegmata
& epithemata deſcripſimus, quæ ſincipiti ac toti capiti
præraſo imponuntur. Verùm ad iam præſcripta,optimè
ad ipſos facit emplaſtrum ex anemona capiti impoſitũ.
Itémque hoc: Myrrhæ vnc.i. thuris vnc. i. cochleas inte-
gras v.ouorum candida ii. Omnia in mortario contuſa
ac mixta illinito,linteo capiti ſuperimpoſito:& ſinito per
dies ix. atque ita poſtea localibus auxiliis vtere.

Ozænarum curatio, Cap. xci.

POſtquam itaque per prædicta caput corroboratum
præparaueris,ad naſi curationem procedes, ſcopum
propoſitum habens in ozænis,vt affectam partem per
pharmaca mixtam vim habentia reſicces,repellentia vi-
delicet ac diſcuſſoria. Repellunt igitur auſtera & acerba,
quæ in communi adſtringentia appellantur. diſcutiunt
autem ſiccam & calidam vim habentia. Archigenes au-
tem ad dolores in naribus & ozænas talia deſcribit. Ca-
laminthæ ſuccum infunde: aut ipſam ſiccam tritam in-
ſuffla per arundinem. aut erucæ ſuccum aſſiduè infun-
de. aut mel in naſum ſtillato, & per ſternutatoriũ cõcuſ-
ſione facta,tectoria vlceri obducta excutito.Deinde vera
trum album cum multo naſturtii ſemine naribus attra-
here iubeto,& poſtea amurcam cũ melle illinito.Aut ra-
nunculi ſuccum cum alumine liquido in naſum inſtilla-
to,& attrahere iubeto:atque hoc facito donec perſanaue
ris. Si verò antiqua fuerit affectio,etiam acetum acerri-
mum admiſceto. Meatus autem naſi ex hoc illinito:
Spicam nardi & miſy,æquis portionibus trita cum vino
auſtero ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem illine & lana ob
tura. Optimè verò facit ad ozænas atramentum ſutoriũ
melle cocto exceptum,& chalcitis eodem modo,& æru-
go,& ſquama æris,& floridum medicamentum ori deſti
natum. Et hoc: Chalcitidis crudæ drach.xii. cadmiæ
drach.viii.terito cum aceto ad multos dies ſub canicu-
læ feruore:& exſiccato vtere cum vino ipſum diluens,
aut ſiccum inſufflans. Aliud. Miſyos,chalcitidis,myr
rhæ, atramẽti ſutorii ſingul. drach.iii. aluminis ſciſ
ſi,gallarum,ſquamæ æris,ſingul. drach.iii.aluminis ro
tundi drach.ii.thuris drach.i.aceti lib.i. Omnia trita ſi-
mul coquito in æneo vaſe:& vbi ad mellis compagem re
dacta fuerint, ablatis vtere, linamento intincto & nari-
bus penitiſſimè indito. Siccus puluillus ad ozænas:
Fructus ericæ,myrrhæ,nitri,mali corii,ſingul.drach. iiii.
croci,coſti,ſingulorum drach.ii.trita inſuffla. Alius.
Aluminis ſciſſi, myrrhæ ſing. drach. iiii. ſandarachæ,
rhois culinarii,ſalis ammoniaci,croci,coſti, ſing. drach.
ii.trita inſuffla,naribus prius vino mulſo collutis. Aliud
Theodori ad graueolentiam narium: Amomi,myrrhæ,
caſiæ,roſarum ſiccarum,æquales partes tritas cum vnguẽ

A to nardino dilue ac vtere. Aliud. Myrrhæ,caſiæ, roſa-
rum, ſing. æquales portiones contuſas ac cribratas melle
excipe,& mane ac veſperi illine donec malum ceſſet.
Aliud. Hedychroo cũ vino mulſo trito vtere. Aliud,
iucundum appellatum. Myrrhæ drach.iii.caſiæ dra-
chmas quatuor, floris iunci odorati drach.iii. roſarum
ſiccarũ drachmã vnã, terito cum vino mulſo veteri, re-
ponito ac vtitor illinens ex eo nares. Aliud. Cyperi
quadrantem,ſandarachæ,aluminis ſciſſi,myrrhæ, croci,
ſing. vnc i. aridum inſuffla. Aliud Apollonii ad poly-
B pos: Veratrum & origanum trita inſuffla. Aliud. Ve
ratrum nigrum & ſandaracham,æquis portionibus cum
oleo terito,& lana excepta naribus indito. Aliud. A-
tramentum ſutorium, æruginem, laſer, æquis portioni-
bus,cum oleo illine naribus per ſpecillum lana obuolu-
tum ad dies nouem. deinde volſella trahe ac exime.
Aliud ad ozænas quo aſſiduè vtor: Ad paſtillum Muſæ
adiice chalcitidis drach.vi.aliquando etiam xii. & ve-
ratri albi drach.ii. vteréque cum vino mulſo. Aliud.
Auripigmentum tritum per ſpecillum largè admoue.
C Vbi verò intumuerit & eminuerit, veratro nigro arido
trito moderato vtere:& in ſeptem diebus vtplurimũ na
ſus vacu⁹ redditur. deinde diphryge trito cũ melle ex-
purga. Aut auripigmentũ,calcem, & veratrũ album tri
ta cum melle adhibe. Aliud celebre. Myrrhæ drach.
iii.chalcitidis drach.iii. caſiæ drach. iii. ſpicæ nardi
drach.ii.miſyos drach.ii. veratri albi drach.i. vtere ſic-
co,& cum vino mulſo. Aliud bonum. Miſyos torrefacti
drach.viii.iridis drach.iii.croci drach.i. excipe mel-
le ac illine. Aliud. Aluminis ſciſſi vnc.i. myrrhæ vnc.
D i.thuris ſeſquiunciam,muſcii herbæ quæ & dorcadias ap
pellatur,drach.iii.æruginis drach. ii. ſalis ammoniaci
ſcrup. iiii.terebinthinæ vnc.i.mellis trientem,aceti quã
tum ſatis eſt. Aliud facit & ad polypos: Æris vſti,ſqua
mæ ferri ſtomomatis,aluminis ſciſſi,ſing.vnc.i.myrrhæ
vnc.i. thuris ſeſquiunciam, ariſtolochiæ, verbenacæ re-
ctæ,ſquamæ æris,æruginis,ſing.vnc.i.aut omniũ æquas
portiones adhibe aliquando vino diluta,& per linamen
tum inde: aliquando verò cum compoſitione ex mo-
E ris,aliquando cum melle. Aliquando etiam ſiccum in-
ſuffla, aquam in ore continere iubens. Aliud,cuius v-
tilitatem ne contempſeris. Centaurii tenuis vſti, polii
vſti,chamæmeli vſti,ſing.drach viii.æruginis, ſquamæ
æris vſtæ,radicis cyclamini ſiccæ,myrrhæ,aloes,malico-
rii,ſing. drach.iiii. tritis vtere prout voles. Aliud ad
ozænas,& eroſiones,& nomas, & craſſitudinẽ, & omnia
narium vitia:Succi foliorum vitis albæ quadrantem,mã
næ thuris, atramenti ſutorii, chalcitidis, ariſtolochiæ,
ſing.drach.ii.terito & ſiccato ac inſufflato. Paſtillus
F ad ozænas Cyri archiatri Edeſſæ: Cadmiæ ter vſtæ ac
vino extinctæ,plumbaginis,plumbi vſti,ſpumæ argenti,
ſpicæ nardi,thuris,foliorum cupreſſi,herbæ Sabinæ,gal-
larum, lycii Indici,gummi,ſing.drach. iiii.ceruſſæ,glau
cii,folii balauſtiorum, floris iunci odorati, malicorii, a-
loes,acaciæ,ſing.ſcrup.viii.florum roſarum & foliorũ,
ſing.ſcrup.vi.contuſa & cribrata terito cum aceto,& for-
mato paſtillos,ac vtere cum vino aut ſapa.

Polyporum curatio, Cap. xcii.

G IAM antea dictum eſt quòd ex craſſis ac viſcoſis hu-
moribus polypus generatur,& propterea mixta mate-
ria opus habet,adſtringẽte & ſecante, diſcutiẽte ac ſiccã-
te: quorum ſylua talis eſt: Aluminis ſciſſi,myrrhæ,ſanda
rachæ,ſing.drach.iii.atramẽti ſutorii vſti drach. i. gal-
larũ drach.i. tritis vtere,vbi prius nares vino odorato e-
lueris,ita vt poſtea per ſpecilli nucleũ illinas. Vtere etiã
iis quæ ad ozænas præſcripta ſunt. Aliud. Soreos drac.
ii.chalcitidis toſtæ drach.ii.fructus myricæ drac.i. croci
drach.i.myrrhæ drach.i. trita inſufflato velut dictũ eſt.
Aliud. Chalcitidis toſtæ drac.ii.miſyos drac.ii.atramẽ-
ti ſutorii vſti drac.ii.amomi drac.ii. myrrhæ drach. iiii.
croci drac.i.terito,& vtitor ſiccis. Aliud mirabile. Sore
os quadrãtẽ,aluminis ſciſſi quadrãtẽ,gallarũ ſextãtẽ,myr
rhæ ſextãtẽ.vtere ſicco. Aliud ad polypos,ozænas,ægi-
lopas, & quæ citra ſectionem ac vſtionẽ remouere voles.

diſparat etiam oſſa corrupta. Ramentorum æris rubri vnciam vnam, ſalis ammoniaci ſextantem, aluminis rotũdi quadrãtẽ, aceti acerrimi hẽ. ſex. Arida trita, ad iecto aceto, æris rubri vaſe excipe, & ad ſolẽ expone, ac piſtillo æneo ſub caniculari æſtu agita, donec reſiccẽtur: deinde trita vaſe fictili reconde. Vſus autẽ tempore, aquã in ore teneri iube, & per arundinem naribus inſuffla. Ad polypos & ozænas: Sinapi tritum aquæ miſceto, ac ſubigito: & collyria glandiformia formato: deinde gracile linteolum ſinapi obducito, quò ipſum extrahere poſſis vbi voles. & naribus indito, principio lintei foris relicto, totam diem ſinito: & excidet polypus. Aliud ad polypos & ozænas ac ſuperexcreſcentẽ carnem. Aluminis ſciſſi ſcrupulos nouem, aluminis rotundi ſcrupulos ſex, atramenti ſutorii ſcrupulos ſex, chalcitidis ſcrupulos XVIII. myrrhæ ſcrupulos XVIII. ſquamæ æris ſcrupulos IX. thuris ſcrupulos quatuor, gallarũ ſcrupulos XII. contuſa cribrata terito cum aceto velut collyrium, & formato paſtillos. Vſu verò poſtulante, quantum ſatis eſt cum melle contere, & linamentum intinge, ac naribus inde, & ad diem vnam ſine, altera verò extrahe: & ſequetur polypus, quod plerunque fieri ſolet. Aliud Oribaſii. Squamæ æris drach. octo, ſandarachæ drach. quatuor, æris drach. ſex, veratri nigri drach. II. Siccum hoc inſufflato, & velut optimo vtitor. nam in diebus decem manifeſtam vtilitatem declarat. Nechepſus rex ad carnẽ in naribus enatã: Squamã æris, & ſquamam ferri, ac alumen ſciſſum, æquis portionibus terito ac inſufflato, aut per ſpecillum adhibeto, aut in linamento vtitor. Aſclepiadæ ad polypos: Atramẽti ſutorii drachmã vnam, diphrygis vſti drachmas duas, calcis viuæ drachmas duas, ſandarachæ drachmas duas, ſicca adhibe: aut linamentum intortum aqua madefactum ac pharmaco imbutum inde. Aliud quo Antipater vſus eſt: Atramẽti ſutorii, ſandarachæ, æquales partes tritas inſuffla, & per ſpecillum admoue. Aliud. Atramẽti ſutorii vſti drachmas quatuor, rubricæ ſinopicæ drach. vnam. trita inſuffla. Naturale Apollonii ad polypos:

Nycticoracem iugulato, & calido ipſius ſanguine polypum illinito: reliquum verò in ſole ſiccato ac reponito, & aridum tritum inſpergito. Aliud eiuſdem ad exulceratos polypos, & ad ozænas: Dracunculi radicẽ aridã tritã inſperge. facit & ſuccus ipſius illitus, aut cupreſſi folia, aut pilulæ ficus carne exceptæ. Facit & ſaluia impoſita: & laſer cum atramenti ſutorii aut æruginis pari portione. Galenus autem ad polypos, inquit, & ozænas comperi egregiè facere ſubſcripta. Primùm quidem id quod ex malis punicis paratur. ſint autem æquali numero ac magnitudine ex tribus generibus accepta, de auſteris, de dulcibus, & de acidis. Oportet autem ipſa recentia matura contundere ipſáque tota confringere exactè, quò ſuccus ex ipſis exprimi poſſit: quem modicè coctum reponimus in ſtanneo vaſe. Quod verò reſtat ſolidum & craſſum, diligenter in mortario tundito, & valde bene in pila terito, ac collyria formato oblonga, & craſſitudine & longitudine differentia: eáque ſiccato. Et vſus tempore congruum ex his collyrium in naſi meatum inde, in quo polypus exiſtit. nam citra mordacitatem & conſenſum tollit polypum lõgiori tempore. Si verò humidior & mollior polypus tibi videatur, amplius accipies de auſteris punicis malis: ſi verò durior, de acidis. Quãdoquidem autem moleſtum eſt ſemper collyrium ferre, conuenit ab eius vſu interquieſcere, & interim dum collyrium non adhibetur, ſucco expreſſo vti, & ex ipſo internas oris partes illinire, hiante ægro, eo maximè loco quo naſus ad palatũ perforat' eſt, atque hoc per pennam, aut lanam ſpecillo obuolutam. Cæterùm ex ſiccis pharmacis noui aliquando diphryge polypum conſumptum. Conuenit in ipſis quoque prædictum collyrium ex malis punicis ſiccum, læuiſſimè tritũ ac inſufflatum, aut per ſpecilli nucleum naribus inditum. Omnia autem hæc aſſiduè facere oportet, vt nunquam deſit medicamentum loco affecto. facilè enim ab influente humiditate eluitur. Philagrii. At in eunuchis & molle corpus habẽtibus, & propterea nullam mordacitatem ferentibus, roſas ſiccas læuiſſimè tritas adhibe. mirificè enim proſunt mollibus & humidis corporibus. Nam plèraque quæ efficaciter polypos eximunt, exacerbant quodammodo vbi ſcopum non contigerint. At verò in diuite quodam, qui odoratum pharmacum expetebat ad ozænæ curationem, paſtillo hedychroo vſus ſum, ſubegíq; ipſum cum vino veteri odorato. & mirum eſt quàm breui affectio curata eſt. Relata eſt autem huius præparatio in theriaces deſcriptione.

Ad vlcera in naribus, Cap. XCIII.

Vlcera in meatib' naſi ſimpliciora ſemper curaui per paſtillos Andronii, & Paſionis, & Polyidæ, & Muſæ, & per bithynũ appellatũ: aliquãdo vino dulci ipſos exoluens aliquando auſtero: & quandoque per acetum vinoſum & acre, ita vt ab affectionum ſymptomatis, pharmacorum vſum inueniamus. Archigenes autem pinguibus emplaſtris eiuſmodi ad ipſa vſus eſt: Plumbi recrementũ tritum, cum vino veteri ac myrteo oleo æquis partibus in fictili vaſe coquito ad prunas, ſempérque agitato. & vbi ſtrigmentoſum factum fuerit pharmacum, ablatum in pyxide plumbea ſeruato. Oribaſii ad narium vlcera:

Spumæ argenti drach. VI. ceruſſæ drach. VI. plumbi vſti & loti drach. IIII. myrrhæ, aloes, ſingulorum drachmas duas, gallarum drachmam vnam, vino & myrteo oleo dilutis vtere. facit etiam ad ſedis vitia. Aliud Oribaſii.

Atramenti ſutorii drachmas ſeptem, aluminis ſciſſi drachmas ſex, gallarum drachmas tres, malicorii drach. tres, ex vino aut aceto terito. Aliud eiuſdem, ad ſimpliciora in meatibus naſi vlcera: Spumæ argenti drach. ſex, ceruſſæ drachmas octo, malicorii drachmas quatuor, aluminis ſciſſi drachmas quatuor: terito cum vino & affuſo oleo myrteo, in plumbeo vaſe ſeruato ac vtitor. Optimè faciunt ad eadem, Aſteris collyria, & Libyana appellata, & præſertim Cleonis ac ſimilia, cum vino & oleo myrteo diluta.

Ad ſanguinis è naribus eruptionem, Cap. XCIIII.

Sanguinis è naribus eruptionem ſiſtit foliorum vrticæ ſuccus per linamentum inditus: & ipſa folia trita fronti impoſita: item chalcitis arida trita linamento excepta ac indita. oportet autẽ linamentum lucernarium frigida aqua tinctum in chalcitide obuoluere. Siſtit & lyſimachii herbæ ſuccus, & anthyllidis, & ferulæ pars lanuginoſa cũ aceto indita: thus cum polygoni aut porri ſucco. Aſinini ſtercoris recẽtis ſuccus, cum porri ſucco, & aceto per linamentum inditus: aut ſtercus idem vſtum inſuffla: aut ſpongiam nouam pice liquida imbutam inde: aut hippureos ſuccum, aut ipſam tritam inde, & fronti impone: aut ſaluiæ folia trita adhibe: aut ouorũ teſtas vrito ac terito, & de his duas partes ſumito, & de galla omphacitide partem vnam, & linamẽto aqua aut aceto tincto excepta indito. Frontem verò bulbis tritis cum porri ſucco aut aceto integito: aut gypſum oui candido ſubactum fronti ac naribus imponito. magis autem facit lapis ſpecularis trãſlucidus cum aceto. Aliud. Cochlearum carnes cum aceto tritas adhibeto: aut cochleas vſtas ac tritas, frõti ac naſo cum aceto imponito. Apollonius autẽ inquit, Cochlearum carnes cum thure tritas naribus indito: & ſanguis ſiſtetur. Iiſdem etiam frontem intege: aut ſiccum ex anemona' pharmacum emplaſtri forma fronti impone: aut emplaſtrum ex ſalicibus. Optimum autem eſt hoc ex cuius vſu ſæpe laudem aſſequutus ſum: Lapidẽ molarem feruefactum ac ignitum acerrimo aceto extingue, & vaporem naribus admoue: ac ſiſtetur. Commodum eſt & per ſpongias frontem frigefacere, & caput in ſublime leuare, & manuum iuncturas inguináque ac genua deligare. Apollonius porrò ait, pedis è directo naris vnde ſanguis erumpit, magnum digitum ligato, & multùm ac ægrè ſiſti ſe ſinentem ſanguinis lationem ſedabis. Cõmodum eſt etiam cera aures obturare, & in ore aquam pluuiam frigidam continere. Sed & cucurbitam occipiti affige cum ſcarificatione: & circa viſcera magnam cucurbitam adhibe, ſi dextra pars ſanguine manarit ad hepar: ſi ſiniſtra, ad ſplenem: aliquando etiam venam ſecare cogimur. Summè verò facit hoc: Rhoidarii & ochræ æquales partes cum aceto in oppoſitam nari aurem inſtilla. nimirum ſi dexter naſi meatus ſanguinem fundit, in ſiniſtram

aurem:ſi ſiniſter,in dextrã.Sed & quæ ad ſanguinem ſpuẽ tes deſcribentur,potanda præbe.

Quomodo ſanguis è naribus eliciatur,
Cap. XCV.

MEntham tritam melle exceptam ad collyrii formam redige,ac naribus inde:aut rubiæ radicem læuiſſimè tritam oleo ſubige, & naribus penitiſſimè illine:aut graminis florem, aut ſummam eius aſperiorem partem naribus inde, & obtorque donec ſanguis erumpat.

De narium obturatione,& odoratus oblæſione, Galeni, Cap. XCVI.

OCulis & linguæ ac vniuerſo corpori ſenſum ac motum ſuppeditat cerebrum per neruos.Verùm odoratus ſenſus intra caluariam eſt in anterioribus cerebri ventriculis vaporoſum quendam ſpiritum habentibus. Cæterùm neceſſarium eſt prius noſſe quomodo naſus conſtructus eſt,& quæ corpora meatibus ipſius cohærẽt. Quũ itaque naſus habeat medium interſeptum,& duos memorabiles meatus qui ſanè apparẽt,vnus in ſingulis narib⁹, noſſe oportet ſupra naſi partes vtrunque ipſorum dextrũ ac ſiniſtrum bifariam findi. & altera quidem pars ad internam oris partem circa palatũ vergit: altera verò rectà, velut ab initio ferebatur,ad ipſum cerebrũ aſcẽdit. Sunt autem in cerebro duæ propagines oblongæ ac cauæ,principium quidem ex anteriorib⁹ ventriculis habentes,progredientes autem ad illam caluariæ partem, vnde naſus initium habet.Iuxta hanc verò partem etiam oſſa coliformia ſita ſunt,per quæ inſpiratio & expiratio iuxta cerebrum contingit,& ſuperfluitates in ipſo expurgantur.Sed & craſſa cerebri membrana,qua parte coliformia oſſa cõtingit, tenuibus cauernis perforata eſt. & per hanc ſanè primam excolantur craſſiores cerebri ſuperfluitates quas mucum appellamus. Et hæ dum deferuntur, primùm quidem ipſam membranam penetrant: poſtea verò per coliformia oſſa excolantur,atque ſic in naſi meatus incidunt. At in tranſgreſſu per hos meatus,aliquãdo pars aliqua ex iis quæ deferuntur,præterfluit in os, per prædicta foramina ex naſo in palatum,& præſertim vbi fuerit mucus ille viſcoſus ac craſſus:reliquum autem quod defertur per nares euacuatur. Adiuuamus autem excretiones per os ex palato,per ſcreatum: excretionẽ autem ex naſo,per violentioris efflationis ac ſternutatoriorũ vſum.Reſpirationis equidem ac olfactus gratia,facta ſunt foramina cerebri in nares: vtitur autem ipſis natura ad retrimentorum cerebri purgationem. Proinde odoratus læſio non in meatibus naſi eſt,ſed aut anterioribus cerebri ventriculis ad intemperiem perductis,aut meatibus in oſſibus colatoriis obturatis, muco ac deſtillatione vt plurimum prægreſſis,aut his partibus perfrigeratis vel humectatis. Nam & aer qui palàm per inſpirationes attrahitur, tum nares aliquando perfrigerat,tum vicinas ac cõtiguas partes,& hoc maximè vbi ambiens nos aer frigidus factus eſt. Archigenis. Primùm igitur cõuenit eos qui olfaciendi facultatem læſam habent, aut colatorios meatus obturatos,in ſiccioribus locis diuerſari, quales maximè ſunt maritimi: & gymnaſiis pro viribus vti,itémque vnctionibus ſingulis diebus,ita vt erectum habeant collum,& per alios confricentur.Caput quoque pectine perfricare oportet,& nitro detergere in balneo,& aqua marina calida abluere,ac caput perfundere marina calida affuſa:deinde etiam aquæ frigidæ modicè immergere in egreſſu.optimum eſt & in marina aqua aſſiduè natare.Vtendum eſt & medicamentis quæ naribus indita caput purgant. Cæterùm tota victus ratio attenuatoriæ ſit facultatis.quare etiam acrium rerum eſus ex interuallis adhibeantur. Domus in qua degunt, moderatè calida ſit, pro temporis anni ratione.ſomnus diuturnus incommodus eſt ipſis. Dum autem dormiunt,ceruicalia ſublimia habeant,& in latus reclinentur,& non ſecundum affectam partem,velut ſi contingat vnum ex colatoriis meatibus eſſe obturatum. quotidiana itaque victus ratio talis ſit. Claro autem inſtante aere, primùm ventrem expurgare tẽtet, per Archigenis ex colocynthide hieram:deinde hirudines ſublimiori naſi parti adhibe, & multum ſanguinem trahere ſine.Poſt tertium autem diem, ſplenio ab

A intermedio ſuperciliorum vſque ad malã,obturatam naſi partem intege.ſit autem factum ex emplaſtris diſcuſſoriam vim habentibus:quale eſt melinum Serapionis, & emplaſtrum Iceſii,& nigrum Archigenis, & quod ex tithymali ſucco paratur, & quod ex ſquilla,ac conſimilia. horum autem vſus non fiat infra quindecim dies. Poſt hæc picra ex aloe aſſiduè venter ſubducatur. commodus eſt enim frequentior ipſius vſus. Poſtea pituitam per os ducentibus vtendum eſt ex ſtaphide ſylueſtri ac maſtiche. Poſtquam autem
B ſufficiẽs euacuatio per os facta eſt, emplaſtro ex agarico,aut ex cãcry,aut malagmate ex baccis lauri,aut aliquo conſimili naſus integatur,& frons vſque cutis rubificationem.ſolent enim talia mucoſam humiditatẽ per cutem attrahere. Poſtea verò ſternutatorio vtendum eſt,primùm ſimpliciore, deinde efficaciore: quale eſt veratrum album læuiſſimè tritum.Tertia deinde,aut quarta die à ſternutatorii vſu, radẽdum eſt caput, & ſinapiſmus adhibendus vſque ad frontem:deinde lauẽtur.Et poſt multos rurſus dies,ſi opus fuerit, rurſus caput
C per naſifuſorium inſtrumentum purgetur. Sit autem efficax medicamentum quod adhibetur:quale eſt elaterium cum lacte,aut cyclamini ſuccus: aut ipſam cyclaminum ſiccam tritam inſuffla:aut cucumeris ſylueſtris radicem: aut nigellam tuſam ac cribratam & oleo vetuſtiſſimo addito probè tritam,per nares infunde, & pharmacum per reſpirationem vehemẽtius attrahere iube: aquam autem ægro in ore tenendam exhibe.Hoc ego vſus ſum in quodam adoleſcente,qui ex muco ac deſtillatione diuturna olfactus ſenſum læſum habuit:& vbi conſequenter per
D triduum hoc auxilio vſus eſſet,magnopere auxilium percipiebat: quarta verò die attracto vehementius per inſpirationem pharmaco, fortem mordacitatem in profundo capitis ſentiebat,& quum hæc paulatim imminueretur,poſtera die penitus conualuit. vtiliter etiam nigella aſſumitur cum aceto. Cõuenit autem poſt horum vſum, poſt triduum videlicet,ſinapiſmum fronti adhibere, facieique ac naſo:& poſtea lauare. Sed & odoramenta aſſiduè adhibeantur.odorata hæc:Narciſſus,ſiſymbriũ,ſerpyllũ,lilii folia,violæ,mẽtha,poliũ,ruta ſylueſtris, & thymbra.Omnium verò vtiliſſimum eſt caſtorium aceto dilu-
E tum. quin & potum caſtorium tritum cum aquæ mulſæ cyathis tribus,præ multis auxiliis proderit. efficacius autem redditur, aceti ſquillitici cyatho dimidio addito. At verò acetum ſquillinũ quotidie à ieiunis trium cochleariorum menſura acceptum,vtiliſſimum ipſis exiſtit. Cæterùm poſt has omnes lancinationes, ſi adhuc affectio aliquo auxilio opus habet, adhibendus eſt etiam à raphanis vomitus,ita vt ipſi conciſi aceto mulſo aut garo madeſcant.Sequenti verò à vomitu die,æger abſinthii deco-
F ctum bibat,aut pulegii.Et poſt hoc imponendum eſt naſo emplaſtrum ex ſquilla, cuius experientiam feci, relinquendúmque aliquo tempore,vt varos in loco excitet,& ſtrigmentoſam humiditatem extrahat.habetur autẽ hoc emplaſtrũ in ſermonis De emplaſtris tractatu. Atque hæc omnia etiam bis ac ter & ſæpius adhibenda ſunt ad pertinaciores affectiones.

De ſternutatoriis, Hippocratis, Cap. XCVII.

STernutatio fit calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite vacuum eſt.Aër itaque intus exiſtens erumpit:ſonitus autem fit,quoniam per vacuum & anguſtum ſpiritus tranſit.Conſideremus autem quomodo ſter
G nutationes capitis grauitatem ſanant.Fiunt equidem ſternutationes,maximis inſpirationibus prægreſſis, & efflatione celerrimè ſequente. appello autem efflationem, aceruatam expirationem. Habet enim cerebrum duas has facultates,per quarum alteram ſuperfluitates in anterioribus ventriculis excernit,ad ſeipſum contractas: per alterã verò alas naſi expandit,& ſpiritum attrahit.Quum itaque à ſpiritu grauatur,tunc ipſum excernit per cõtractionem ſui: ſi verò obturatis in narib⁹ viis impeditur excernere
H grauantem ſpiritum aut mucum,tunc violento motu ad ſternutationem procedit,depellere conans ea quæ meatus obturant. Vnde ſternutationes capitis grauitatem,velut dictum eſt,ſanant.imò etiam affectiones quaſdam circa cerebrum conſiſtentes:quales maximè ſunt,lethargus,

& profundi ſopores,ac conſimiles.tales enim per ſternutatoria maximè curantur. Sed & ad ſolem reſpicientes,ad ſternutationē irritamur,diffuſis,velut arbitror,à caliditate craſſis cerebri ſpiritibus. Extrudūt autē ſternutationes etiam mucos ex cerebro craſſos ac viſcoſos,per vehementem ſpiritus impetum etiam hos foras coeiicientes.Porrò ſternutationem mouet veratrum album , herba lanaria,piper,caſtorium,cyclaminum,euphorbium , nitrum, herba ptarmica,*id eſt ſternutatoria*,cuminum,ſingula ſeorſim ac ſimul læuiſſimè trita & admota . Non autem hæc inſufflare oportet,ſed motam pyxidem naribus admouere,aut per ſpecilli nucleum naribus penitiſſimè indere. & ſimplicia quidem ſunt hæc.Sunt & compoſita ex ipſis ideo conflata, quale eſt hoc, Sternutatorium Heracleæ Tarentini: Cumini Æthiopici,piperis,herbæ lanariæ,caſtorii,ſingulorum æquas portiones,contuſas ac cribratas in æream pyxidem repone.Vſus autem tempore agitatā pyxidem aperi & naribus adhibe:aut per ſpecillum penitiſſimè inde. Aliud. Piperis,veratri albi,herbæ lanariæ,euphorbii,caſtorii,ſucci cyclamini ſicci,æquis partibus vtere,velut dictum eſt. Aliud ad diuturnos capitis dolores,vertiginem,capitis grauitatem,& comitialem:

A Veratri albi drachmas quatuor,nitri rubri,herbæ lanariæ caſtorii,piperis,ſingulorum drachmam vnam , vtere velut dictum eſt.

Ad ſedandas redundantes ſternutationes, Cap. XCVIII.

Redundantes ſternutationes ſedant ea quæ etiam grauedinem ſanant,oleum roſaceum naribus infuſum, & oleum dulce, & vnguentum nardinum . Olfactu verò ſedāt ſternutationem:Aniſum,ocimi feſtucæ ſiccæ tuſæ, nigella ſicca trita:aut thymum fermento oblitum,& ci-
B nere obrutum,& vbi toſtus eſt,tritū adhibe. ſingula verò hæc raro linteo alligata olfaciēda dato.Sedat ſternutationes & grauedinem etiam myrrha per ſe , vel cum thure & vino odorato trita,illitis hinc naribus.Facit & mentha & hedychroon,& cyphi: ſed & aqua tepida fronti aſperſa ſternutationes ſedat.Quin & ſi ab vtraque naſi parte,iuxtà magnos oculorum angulos venas ſitas digitis compreſſeris,ſternutationē ſedabis.At verò Apollonius naturale auxilium prodit ad hoc vt pueri non ſternutent : Ciconiæ, inquit,pennæ in domo habeantur , & impoſſibile eſt vt
C ſternutent .

INDEX EORVM QVÆ IN TERTIO SERMONE TETRABIbli ſecundæ Aetii continentur.

De natura oculorum, Cap.I.
Quot & quæ affectiones circa ſingulas oculi partes fiunt, Cap.II.
Perturbationis oculorum curatio, Cap.III.
Inflammationis oculorū ſuperficialis curatio, Cap.IIII.
De inflammatione ob plenitudinem,& de chemoſi oculorum, Cap.V.
De balneis, Cap.VI.
De vini potu, Cap.VII.
De venæ ſectione, Cap.VIII.
De purgatione, Cap.IX.
De fomento, Cap.X.
De frigida oculorum intemperie, Cap.XI.
De oculorum inflatione, Cap.XII.
De tumore oculorum, Cap.XIII.
De tumore indurato, Cap.XIIII.
Vlcerum in oculis communis curatio, Cap.XV.
De illabentibus in oculum animalculis aut paleis,aut arena, Cap.XVI.
De calce viua in oculum illapſa, Cap.XVII.
De vlcerationibus ab igne, Cap.XVIII.
De iis quæ oculo infiguntur, Cap.XIX.
De ſuggillatione, Cap.XX.
De puncturis oculorum, Cap.XXI.
De vulneribus profundioribus, Cap.XXII.
De vuiformis humoris excretione, Cap.XXIII.
De oculi prolapſu, Cap.XXIIII.
De vlcerationibus ſuperficialibus ex humorum influxu obortis,nubecula,caligine,epicaumate,encaumate, Cap.XXV.
De argemo, Cap.XXVI.
De foſſulis , & concauis vlcerum generibus, Cap.XXVII.
De ſuppuratione aut vngue, Cap.XXVIII.
De puſtulis, Cap.XXIX.
De carbunculis in palpebris, Cap.XXX.
De canceratis oculorum vlceribus, Cap.XXXI.
De malignis oculorum vlceribus, Cap.XXXII.
De myocephalis, Cap.XXXIII.
De ſtaphylomatis, Cap.XXXIIII.
Staphylomatum chirurgia, Cap.XXXV.
De vlceribus cicatrice indigentibus, Cap.XXXVI.
De cicatricibus & albuginibus, Cap.XXXVII.
Materia attenuās cicatrices & albugines, Cap.XXXVIII.
Auxilia ad cicatrices & albugines, Cap.XXXIX.
Albuginum tinctura, Cap.XL.
Ad glaucos oculos,vt nigras habeant pupillas, Cap.XLI.
De puerorum curatione, Cap.XLII.
De aſpritudinibus,ac denſitatibus,ſycoſique ac callis, Cap.XLIII.
De oculorum debilitate, Cap.XLIIII.
De myopia, Cap.XLV.
De nyctalope, Cap.XLVI.
De hebetudine oculorum, Cap.XLVII.
De obfuſcatione oculorum, Cap.XLVIII.
De reſolutione oculorum, Cap.XLIX.
De glaucedine, Cap.L.
De ſuffuſione, Cap.LI.
De mydriaſi,*id eſt pupillæ dilatatione*, Cap.LII.
De tabe pupillæ, Cap.LIII.
De macie oculi, Cap.LIIII.
De expreſſione oculorum, Cap.LV.
De confuſione, Cap.LVI.
De iis quæ in albo oculi naſcuntur, Cap.LVII.
De pterygiis, Cap.LVIII.
Pharmaca ad pterygia, Cap.LIX.
Chirurgia pterygiorum, Cap.LX.
De carnis in angulo magno incremēto, Cap.LXI.
Chirurgia incrementi carnis in angulo, Cap.LXII.
De ſanguinis ex angulis eruptione, Cap.LXIII.
De concretione palpebrarum ac contractione, Cap.LXIIII.
De pediculis palpebrarum, Cap.LXV.
De pilis pungentibus palpebrarum,& de duplici pilorum ordine,itemque multiplici,quam phalangoſin vocāt, Cap.LXVI.
Pharmaca vt euulſi pili non renaſcātur, Cap.LXVII.
Agglutinatoria pilorum, Cap.LXVIII.
De ſutura palpebrarum ſurſum verſus, Cap.LXIX.
De ſutura palpebrarū deorſum verſus, Cap.LXX.
De euerſione palpebræ, Cap.LXXI.
Chirurgia euerſionis palpebrarum, Cap.LXXII.
De lagophthalmis, Cap.LXXIII.
De lippitudine dura, Cap.LXXIIII.
De lippitudine ſicca, Cap.LXXV.
De lippitudine ſcabra, Cap.LXXVI.
Curatio lippitudinis duræ,ſiccæ,ſcabræ, Cap.LXXVII.
De madaroſi,ptiloſi,milphoſi, *id eſt defluuio pilorum palpebrarum*, Cap.LXXVIII.
De abſceſſu in palpebris, Cap.LXXIX.
De calculo palpebrarum, Cap.LXXX.

De grandine oculi, Cap.LXXXI.
De ordeolo ſiue præputiola, Cap.LXXXII.
De gangliis,atheromatis,ſteatomatis & meliceridibus palpebrarum, Cap.LXXXIII.
De varicibus palpebrarum & malignis agnatis eminentiis, Cap.LXXXIIII.
De ægilope, Cap.LXXXV.
De vſtione ægilopis, Cap.LXXXVI.
De anchilope, Cap.LXXXVII.
De carnis in angulo magno decremēto,Cap.LXXXVIII.
De iis qui tempora inurunt, Cap.LXXXIX.
De arteriarum ſectione, Cap.XC.
De caluariæ circumciſione, Cap.XCI.
De frontis per ſubmiſſum ſcalpellum excoriatione, Cap.XCII.
De vaſorum ſectione, Cap.XCIII.
De muſculorum temporum cataplaſmatis, agglutinatoriis,ac illitionibus, Cap.XCIIII.
Totius capitis illitiones, Cap.XCV.
Cataplaſmata oculorum lippientium, Cap.XCVI.
Illitiones oculorum, Cap.XCVII.
De aridis collyriis, Cap.XCVIII.
De liquidis collyriis, Cap.XCIX.
Collyria ex croco & ex ſuccis diuerſa, Cap.C.
Collyria monohemera,*id eſt unius diei*, Cap.CI.
De collyriis ſiſtentibus, Cap.CII.
De lenibus collyriis, Cap.CIII.
De lenibus & albis collyriis, Cap.CIIII.
Collyria libyana,& tephra,ac ſpodiaca, Cap.CV.
Collyria ex thure, Cap.CVI.
Collyrium Cleonis, Cap.CVII.
Collyria ex roſis viridia ac alba, Cap.CVIII.
Collyria diaſmyrna, & chiaca appellata ex vino, Cap.CIX.
Collyria ad aſpretudines,& exterſoria, Cap.CX.
Collyria enſtacta,*id eſt inſtillatitia*, Cap.CXI.
Collyria ex cornu ceruino, Cap.CXII.
Collyria nardina & Theodotia, Cap.CXIII.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINÆ, Tetrabibli ſiue quaternionis ſecundi, Sermo tertius.

De morbis oculorum.

De natura oculorum, Cap. I.

CVRATIO circa oculos varia eſt & diuerſa. nam & ipſa particula, oculus inquam, nō ſimplex eſt, ſed compoſitionem ſortitus eſt ad ſuam eſſentiam conſtituendam, tunicis nimirum & humoribus, inſuperque palpebris ornatus. Natura enim neruos à cerebro ad oculorū regiones deſcēdētes, viſiuos videlicet, & partem duarum membranarum cerebrum cō plectentium, quæ cum ipſis neruis excurrit, augens & velut dilatans, tunicis oculorum originem eſſentiæ largita
B eſt, vt quæ omnium intimam tunicam retiformē appellatam, ex neruo viſiuo conſtruxerit: acinoformem verò tunicam huic præpoſitam, ex tenui mēbrana produxerit. Similis eſt enim acino vuæ, & figura, & colore, & rotūdiore foramine perforata eſt iuxta pupillam. At verò tunica quæ ambabus his forinſecus prætēditur, corniformis vocata, ex craſſa membrana originem habet: quæ verò his omnibus foris obducta eſt, alba illa quam agnatam appellamus, ex pellicula forinſecus oſſi capitis circumſita, quæ circumoſſalis & circumcalualis appellatur, generationem habet ex propaginibus corporum oculo circumda-
C torum. Cæterùm humores in oculo tres ſunt: Intimus omnium eſt qui in cauitate retiformis tunicæ continetur, vitriformis dictus: ſimilis eſt enim & colore & ſubſtantia vitro fuſo. Exterius autem ab hoc ſitus eſt ad finē retiformis tunicæ, humor glacialis ſiue cryſtallinus, qui etiā diſcoformis & lentiformis appellatur: ſimilis eſt enim colore quidem glaciei, figura verò lenti aut diſco. Forinſecus autem circumfuſus eſt, ouat᷒ ſiue ouiformis humor: ſimilis eſt enim colore & ſubſtantia humori albo ac te-
D nui in ouis. Omnium igitur intimus humor vitriformis, ad hoc vt glacialem alat conſtructus eſt: qui verò forinſecus ipſi circūfuſus eſt ouiformis, ad hoc vt hūc humectet factus eſt, & ad hoc vt ipſum à ſolis ſplendore iniuria affici non permittat. Palpebras porrò conſtituit tunica agnata. Ex his autem ſingula è naturali ſtatu emota, oculum ægrotare faciunt.

Quot & quæ affectiones circa ſingulas oculi partes fiunt, Cap. II.

QVÆ propriè dicuntur lippitudines, & chemoſes, &
E perturbationes, & tumores, & ſuffuſiones ex plaga, & pterygia, affectiones ſunt tunicæ agnatæ. Eadem etiam vlceratur & carbunculo infeſtatur, & cancerosam affectionem habet. At lippitudo dura & lippitudo ſicca, communes affectiones ſunt palpebrarum, & ipſius oculi. Cæterùm circa externam palpebrarum ſuperficiem, puſtulæ aquoſæ, melicerides & ſteatomata. Verùm ex iis quæ circa internam palpebrarum conſiſtunt, eſt denſitas, aſpretu-
A dines, ſycoſes, grandines, calculi, concretio, concluſio. Et lagophthalmi appellantur, quibus ſuperna palpebra reuulſa eſt, vt oculum contegere non poſſit: ectropii verò quibus inferna palpebra euerſa eſt. Sed & mutilationes & corroſiones & vlcerationes in palpebris conſiſtunt. Circa palpebræ verò extremitatem fit trichiaſis, *hoc eſt pili pungentes*, & madaroſis, quæ & ptiloſis vocatur, *id eſt defluuium pilorum*. Fit & morbus pedicularis, ac porrigo, & paruus inſtar ordei abſceſſus. Sed & milphoſis, *id eſt pilorum nuditas*, affectio eſt extremitatis palpebræ. rubicūda enim his eſt pal-
B pebræ ala, colore miltū, *id eſt minium* referens, vnde etiā miltoſis vitium appellatur. At verò anguli afficiūtur quidem etiam in ægilopis, ſed non ſoli. Carunculæ autem naturalis ſupra iuſtum modum incremētum, & eiuſdem decremētum, ſolorum angulorum affectiones ſunt. Porrò circa tunicam corniformem cōſiſtit caligo, nubecula, argemō, epicauma, cœloma, bothrium, ruptio, prolapſio, vnguis, pus, puſtulæ, carbunculi, canceratæ affectiones. At circa acinoformem tunicam fiunt, prolapſio, myocephala, ſtaphylomata, & mydriaſis, quæ & platycoria vocatur, *id eſt pupillæ dilatatio*, tabes, confuſio, pupillæ diſtractiones.
C Suffuſio verò circa ipſum foramen acinoformis ſiue vuiformis tunicæ conſiſtit, hoc eſt iuxta pupillā. Sed & ouiformis humor amplior ſeipſo factus, aut craſſior, exactum viſum impedit. quin & imminut᷒ idē humorē cryſtallinum reſiccat. Quæ verò glaucedo appellatur, ſiccitas eſt vehemēs humoris cryſtallini. Obſcuratio autem obturatio eſt nerui viſiui, vt omnino non videat qui ſic affectus eſt, pura tamen apparente pupilla. Læſos etiam oculos habent, citra hoc vt aliquid mali appareat circa oculos, qui
D nyctilopes appellātur. Totorum verò oculorum manifeſta læſio eſt, quæ expreſſio vocatur. eſt autem prominentia oculi velut extrà poſiti. Cæterùm curationis tractationem à ſimplicioribus & ſuperficialibus morbis in oculis incipiendam putamus.

Perturbationis oculorum curatio, Cap. III.

PErturbationes oculorum à fumo factas, & ardore, aut puluere, aut alio conſimili, facilè curabis ſi iuſſeris ægrū à lædente cauſa diſcedere, velut ſole, aut fumo, aut alio ſimili: deinde oculos lauare, primùm aqua tepida dul-
E ci, poſtea etiam frigida. iubendus eſt etiam ſplendorem auerſari, & oculos claudere. Ex his enim ſedatur malum, nulla alia re adhibita, ſed ſolùm indigentiore victu: ſi verò ex ardore obortæ ſunt perturbationes, ampliore potu vtendum eſt. Si enim ſomnus ſucceſſerit profundior, etiā lippitudo formidata concoquetur. quare neque à balneis abſtinendum, verùm diæta exquiſitiore vtendum. Perſeuerante verò affectione, quieſcere oportet, & palpebras illinire collyriis ex croco aut roſis, & maximè collyrio Nā-

li ex roſis. Gramas autem,& glutinationes noctu circa oculos fiētes expurgat & probè iuuat poſca aquoſiſſima,& ipſa aqua per ſe frigida affuſa. Et aliquod ex ipſis ſiccis de lacrymatiuis appellatis, præſertim quod croceum procalepticū, *id eſt præoccupatiuum ſiue perſeueratiuum* appellatur.

Inflammationis oculorum ſuperficialis curatio, Cap. IIII.

QVòd ſi inflammatio ſuperficialis fiat in tunica agnata, & dolor vehemens non adſit, repulſoria in ipſis adhibēda ſunt collyria, ita vt vehementiā mordacitatis ipſorum per oui admixtionem mitigemus. Plerunque enim tenuis oui liquor cum collyriis monohemeris, *id eſt diariis* appellatis, ſufficit ad curandas ſuperficiales & incipientes lippitudines, citra magnam inflammationem & vehemētem dolorem. Sæpe enim ita inflammationes mitigauit vt homo ad veſperam balneo vſus ſit, & poſtridie collyrio nardino ad reſtitutionem in integrū & corroborationem ſe illeuerit. Admiſcetur autem ad collyrium nardinum circa primam illitionem, minimum quiddam ex repulſoriis: circa ſecundam adhuc minus. In quibus igitur collyriis dominantur adſtringentia, plurimum liquorem oui eſſe oportet, modicum verò collyrii: in quibus autem præualent concoctoria, velut eſt nardinum, ea craſſius adhibenda ſunt. Fomentum adhibendum eſt his per ſpongiam, ſi moderatus eſt dolor, ſemel aut bis: ſi vehementior, melius eſt vel quinque vicibus eo vti, animaduerſione tamen habita ad oculi qui curatur ſenſus ſubtilitatem aut hebetudinem. Quicūque enim oculi ſecundum naturam venas amplas habēt, & ſanguine plenas, itémque qui glauci ſunt, omnino non ferūt collyriorum adſtrictionem. quare aquoſiora in his collyria adhibere oportet.

De inflammatione ob plenitudinem,& chemoſi oculorum, Cap. V.

SI plenitudo in toto corpore ſubiecta eſt,& inflammatio in oculis magna fit,& dolor vehemens adeſt, non amplius ſufficit collyriorum vſus ad talem affectionem. Vario itaque opus habemus in his medicationis ductu: & oportet prima ac maxima auxilia adhibere, quorum etiam Hippocrates in Aphoriſmis meminit, vbi ait, Dolores oculorum ſoluit meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut medicamentum purgatorium, aut venæ ſectio. At non eidem homini omnia auxilia hæc adhiberi iubet, ſed alii venæ ſectionem, alii purgatorium pharmacum, alii fomentum, alii balneum, alii vini potum. itaque à balneo initium faciamus.

De balneis, Cap. VI.

BAlneum conuenit iis quibus inflammatio tumida in oculis eſt. Eſt autem tumor mole quidem laxus, ſed ad tactum frigidior,& colore albus;& qui influit fluxus, minus mordax eſt,& minus calidus. imò neque chemoſis in ipſo oculo ſubrubra eſt, neque diſtenta. Hæc autem affectio magis in ſenili ætate contingit,& plerunque hyemis tempore,& magis fœminis pinguibus: &(vt compendio dicam) omnibus frigidum ac pituitoſum cerebrum habentibus, inflammatio tumida contingit. Quum itaque omnia relata ſigna videris, confidenter balneum aſſumito: adeo enim ægrum leuat vt alio auxilio nō habeat opus. Oportet autē magis in aere morā trahere,& oculos plurimùm fouere ſicciore fomēto per ſpōgias multùm expreſſas. Quod vbi feceris, palàm percipies tumorē in calido aere diſparuiſſe,& interim ægros penitus ab affectione liberatos: ſi verò quid ad perfectam curationem defuerit, nardinum collyrium in balneum ituro inſtillato. At ſi moderatus apparuerit dolor, etiam craſſius collyrium adhibebis præcalefactum videlicet in cote: ita vt loto velut dictum eſt,& è balneo egreſſo, humiditatem diligenter per ſpongiam detergeas,& ſic idem collyrium illinas, obſeruans nequid ex ipſo in oculum præterlabatur: ſolet enim magnum damnum excitare. quare neque ſudantibus illinendum eſt. Fit enim in balneo humorū diffuſio,& præterlapſum collyrium mordacitate quadam inducta, materias facilè ad oculum trahit,& duplicat inflammationes. Si verò relata affectio durabilior fiat, & fluxionis eſſentia ad frigiditatē magis ducatur, tunc ſmegmata capitis in bal-

A neo adhibenda ſunt,& pulueres inſperſiles poſt balneum. & primùm quidē ſimplicibus vti oportebit: ſi verò cauſa perſeuerarit, etiam ad compoſita tranſeundum eſt, quorum ſylua talis eſt, Baccæ lauri, nitrū toſtū vino extinctū, ſampſuchus, fæx vini vſta,& ſimilia. Puluiſculi verò mulieribus, præſertim conſueti, adhibendi ſunt, quales ſunt ex iride,& apii ſemine,& cupreſſi pilulis, & vnguētis ſiccis appellatis. Oportet autem non immodicè calida eſſe neque acria quæ adhibentur, ſed leniter calida, & habere adſtrictionem admixtam. horum verò cōpoſitiones iam
B relatæ ſunt in præcedenti Sermone. Smegmata igitur in balneo iniicere oportet ſincipiti, pilis prius inter ſe diſparatis, quò auxiliū corpus inter ſe cōtingat, præcipiēdúmque vt in balneo os claudant, quò calido aere vehemēter per nares attracto, ſubiectam materiam citius trāſmutēt. Poſt balneum autem deterſis capillis puluiſculi inſpergātur, velut dictum eſt.& de balneis quidem hactenus. Conſequenter etiam de vini potu.

De vini potu, Cap. VII.

VInum attenuat,& incraſſatos humores tranſmutat,&
C ſæpe per accidēs aliquod horum euacuationem facit. Conuenit autem eſſe vinum colore fuluum,& ſubſtātia tenue,& non vetus, neque vehementer adſtringēs. Dādum eſt autem vinum iis maximè qui ipſi aſſueti ſunt,& qui ſiccam ac frigidam intemperiē magis prædominantem habent. videtur enim ſocietatem quandam ad balneum habere vinum ipſum. Quum igitur euacuatione ac tranſmutatione humorum opus fuerit, balneum aſſumēdum eſt: quum autem tranſmutatione,& renutritione, ac humectatione & calefactione, moderatáq; euacuatione,
D vino opus habemus. Miſcere igitur vinum oportet aqua calida non multa. ſit etiam meracius quàm pro conſueta tēperatura. Sit & aqua quæ adiicitur puriſſima,& fumi ac odoris exors, & valde feruida, quò etiā ſeipſa tenuior euadat,& ſufficiat ad amplioris vini temperaturam. Sit & poculum in quo exhibetur amplius,& conetur æger oculos inter potandum aperire: ſic enim exoluta obſtructione,& multa naturali ac ſaluberrima lacryma influente, à dolore liberabitur. Statim enim laxantur palpebræ, & ſeipſis magis mobiles fiunt ac leuiores. Illud verò conſiderare oportet, ânne caput hominis facilè lædatur: taliū enim caput
E facilè læditur ex vini potu. Cæterùm ad reliquias affectionis oculi, collyrio vti oportet, primùm leni ac dulci inſtillato, ad acceſſoriam perturbationem curandam. Et vbi oculi in quieto ſtatu fuerint,& à feruore inflāmationis liberati, tunc repulſorium collyrium adhibeatur, quale eſt quod Hermolaū appellatur: & conſimilia ſiſtentia appellata. Dum enim rubor adeſt & inflammatio adſtringētibus collyriis vti nō oportet. Cōcluſis enim per, adſtrictionem materiæ reliquiis, dolorem maiorem faciunt. & de
F vini potu hactenus. Dicendum & de venæ ſectione.

De venæ ſectione, Cap. VIII.

ADhibenda eſt venæ ſectio, ſi nihil ex ſæpe relatis impedierit, in dolore oculorum, in iis quibus oculorum diſtentio eſt,& multus rubor, & ad contactum reſultus, & ardor,& lacryma multa ac calida,& chemoſis iuxta corniformem & agnatam tunicam, vt à vehementi inflammatione palpebræ euertātur, vt vix oculos aperiāt,& ſubrubra apparet tunica agnata, & maiori tumore prædita eſt,& totum corpus ſanguine repletū. Secanda eſt autē po
G tius ſuperna in cubito vena, humeralis appellata, faciēdáque maior ſectio, ad hoc vt craſſior ſanguis euacuetur, velóxque animi deliquium ſuccedat, quò dolor eximatur & inflammationis feruor extinguatur. Euacuato autem toto corpore collyriis & reliqua curatione, reliquiæ affectionis percurentur. Vtendum eſt autē collyriis, qualia ſunt cygnaria & Libyana, ita vt aquoſiora calida inſtillemus. Fomenta in his non valde adhibenda ſunt, ſed per ſpongiam ex aqua tepida leniter deterſio fiat. Alimenta danda ſunt lenia, facilia concoctu & ad digerendum ventri cō-
H moda, vrinam cientia, nihil acre & ſalſum habentia, aut craſſi humoris aut ægrè concoctile. Poſt inflammationis depulſionem, nardinum aquoſius inſtillandum eſt vſque ad perfectam ſanitatem,& venæ quidem ſectionis hactenus mētio facta ſit. Trāſeundum eſt hinc ad purgationē

De purgatione, Cap. IX.

SI neque ætas,neque anni tempus, ſtomachi imprimis debilitas,aut alterius cuiuſdam viſceris, neque aliud quoddam maximum impedimētum fuerit,purgatio aſſumenda eſt in iis quibus tenuis & multa lacryma defertur,aut ſalſa,aut acris,aut frigida.& vniuerſum corpus vitiatis humoribus refertū,& caput ſuperfluitatibus redundans, & aluus aſſiduè ſuppreſſa,& copiam ex hoc malarū ſuperfluitatum congregans:& ad hæc vehemens doloris vexatio adeſt. Nā in venæ ſectione plenitudinem totius corporis ſuſpectam habemus: in purgatione verò,vitioſos humores auerſamur. Purgatoriorū autem natura non vna eſt,ſed plures.iuxta redundantem enim & affligentē humorē,pharmacorū materia euariat. Si quidem igitur aluus aſſiduè fuerit ſuppreſſa,aloe ipſis exhibēda eſt cum braſſicæ ſucco trita,& in catapotia redacta. Si verò pituita magis redundarit aquoſa,exhibe pharmacū ex euphorbio,pipere,& ſale ammoniaco præparatū: ſi verò bilis abundarit,picram ex aloe dato, ſcammoniæ læuiſſimè tritæ duobus ſcrupulis aut minus additis, pro virium ratione. Si autem atræ bilis humor dominatur, addantur ad picræ doſin,epithymi ſcrup. VI.& ſcāmoniæ obol. III. Cæterùm poſt ſufficientē per purgatorium euacuationem,ſi quidem ſimplex & ſine vulnere fuerit affectio,adſtringētibus collyriis vtendum eſt:quale eſt Hermolaus, & ſimilia. & hæc per inſtillationem adhibēda ſunt. Si verò vulneratus fuerit oculus,teneris vtendum eſt:qualia ſunt cygnaria,& Libyana. Iā igitur Aphoriſmi Hippocratis ſcopus,quātum in præſens opus eſt,relatus eſt, hoc eſt Quomodo ad maximos dolores ac inflammationes citò inſtare ac reniti oporteat. Quādoquidem verò in multis maxima auxilia relinquūtur,venæ ſectio maximè & purgatio: conſiderādum ſanè eſt quomodo tales tractare oporteat. Proinde cum vniuerſalibus iam relatis ſignis,etiam peculiaria quædam circa oculum ſigna videre eſt, totum morbum redarguentia ac indicantia. Gramæ itaque & lacrymæ apparent,aliquando glutinoſæ ac craſſæ,aliquādo tenues & citò deſtillantes.& aliâs ſalſæ, aliâs acres, aliâs mordaces:& quandoque calidæ quandoque frigidæ. Grama itaque ſtatim in principio lippitudinis apparens,magis cruditatis ſignum eſt,& diuturnam lippitudinem fore ſignificat. Oportet itaque in talibus leniter curationem facere per dulcia collyria inſtillata,& reliquum conſimilem ductum,quò temporis progreſſu concoctio verè fiat. Nam repulſoria collyria,quum ſint ferè viribus frigidiora,obſtructionem & corporum condenſationem faciunt, & dum humorū materias concludunt,maximas inflammationes ac graues dolores inducunt: aliquando etiā ruptionem tunicæ corniformis faciunt,propter humorum diſtentionem,& maximè vbi rubor adeſt,& inflammmatio & materiæ multitudo in oculis ſubiecta eſt. talia verò collyria ſunt quæ ex vberiore opio & acacia præparantur: quale eſt quod Antoninus,& quod Hermolaus appellatur, & quæ Pelaria appellantur,& his ſimilia. Quidam enim collyrio Antonino amplius vſi, vnà cum dolorum augmēto etiam vim viſiuam iniuria affecerunt: nam per immodicam perfrigerationem particulæ mortificationem magis induxerunt.

De fomento, Cap. X.

FOmento vtendum eſt multo,maximè ſi in principio craſſiſſimæ gramæ apparuerint,quò ipſæ extenuētur. A balneis autem penitus abſtinendum eſt : aliquādo etiā à vino. Cibi exhibendi ſunt modici,ventri commodi, ac attenuantes. Quòd ſi duriorem aluum habuerint,per betarum ac furfurum decoctum eluatur cum melle ac ſale. Os autem per pharmacum ex moris illinatur, ad materiæ euacuationem:aut per collutionem aliquam pituita per os detrahatur. Plerique enim maxillares muſculos læſioni obnoxios habentes,manducationem ægrè ferunt. Poſtea verò,velut dictum eſt,ſimplicia collyria infundantur:& ſi quidem calida fuerit affectio,Libyanis collyriis vtēdum eſt. Quale eſt quod à nobis ad huiuſmodi affectiones experientia cognitum eſt,& in Heræ tomis reperitur, & ab ipſo tephrum appellatum eſt, pompholygémque non habet:vnde etiam nos deſcriptionem ipſius delegimus.nam pompholyx rara inuenitur,& facilè adulteratur. Optima eſt autē pōpholyx colore nō alba, ſed magis ad liuedinē vergens:ſignum optimæ eſt,ſi in prunas inſperſa,auricolorem ignis ſpeciem efficit. Vtendum eſt igitur collyrio tephro appellato,ad lippitudinem à calido humore obortam:ſi verò non affuerit hoc,alio quodam ex Libyanis appellatis vtendum eſt,aut cygnario. At ſi inflammatio affuerit cum lacrymæ calidæ influxu, Hecatontarchium collyrium aquoſius inſtillare conducit, ſi non vlceratus fuerit oculus. Et ſi quidem inflammatio prædominatur, addenda ſunt ad Hecatontarchium quædam non adſtringētia collyria:ſi verò influxus magis præualet, ipſum per ſeipſum aquoſius infundatur. Omnibus autem præſtat in quibus gramæ ſunt craſſæ ac viſcoſæ, id quod ex vino paratur,& iſotheum inſcribitur, cum albumine oui infuſum,atque hoc aquoſius,vt coloretur ſolum ouum ex collyrio. citiſſimam enim opem affert citra aliud auxilium. Poſt collyriorū vſum ſi puncturam aliquam aut mordacitatem aut caliditatē perceperit,ſolum albumen oui calefactum infundatur.nā lacryma ex ſupernis partibus delata,apud palpebram colligitur,& arenæ imaginationē exhibet. Et quidam medici fidem habentes iis quæ ab ægro dicuntur,velut ſit aliquid ſub palpebra arenæ, inuerſam palpebram ſpongia detergent. Et videntur ſibi in præſens quidem ægrum ab omni ſuſpicione liberare, verùm maximum detrimentum in poſterum ipſi inducunt. Dum enim exaſperant palpebram,pungitiuum dolorem conduplicant. Proinde iis quæ ab ægris dicūtur non valde attēdere oportet. doloribus enim perturbati, ignorāt id quod ipſos lædit. Conuenit igitur poſt collyrii vſum, largo fomento vti:hinc enim lacrymæ influxus diſſoluetur: deinde ſolum oui cādidum præcalefactum infundere. ſtatim enim à punctura liberantur. Rarefacit enim albumen oui meatus & per viſcoſitatem facilè euacuat lacrymam & meatus obducit,ac humorum acrimoniam cōtemperat, & ipſorum tenuitatem ad iuſtam ſpiſſitudinem tranſmutat. Et in ſumma,ſiue punctura infeſtarit,ſiue non,infundendū eſt oui candidū per ſeipſum poſt collyriorū vſum. omnem enim morboſam putredinem deterget. Nam collyriorum eſſentia quomodocunque tenuis fuerit,tunicis tamen oculorum palpebris inſidens,aſpretudinem quandam inducit,quæ vbi oculum contigerit, minimè bona cenſenda eſt. Quidam porrò dolorem obtundere volentes,& caliditatem & acrimoniam edulcare, lac pro ouo infundunt. Decipiunt autem ſeipſos ex ignorātia, pro paruo ſolatio diuturnam affectionem ægro propinantes. Idē enim faciunt quod ii qui vulneri pinguia adhibent, & carnem ſuperexcreſcentem augent. Sed & quum lac facilè alteretur,à caliditate in oculo præter naturam acrius euadit.& de calida quidem lippitudine hactenus. Conſequenter etiam de frigida dicendum eſt.

De frigida oculorum intemperie, Cap. XI.

IN frigida oculorum intemperie minus quàm in calida dolores fiunt: tardius autē curantur,& ſi ſucceſſerit in his inflammatio,tumida fit,& colore velut plumbea. Plerunque autē oculus his non valde perturbatus eſt,neque rubicundus. Lacryma verò ipſis deſtillat per paruum angulum,aliquando etiam per magnum modica ac frigidiſſima. Progreſſu verò temporis etiam palpebræ inflammantur, & puncturæ conſequuntur. Conflatur hæc affectio humoribus pituitoſis ac frigidis in capite redundātibus:aliquando etiam ex mora in aere frigido,& maximè poſt balneum. His igitur tempeſtiuè præeuacuatis per clyſterem,balneum adhibeatur. Sed & vinum dandum eſt, velut paulo antè in Aphoriſmo Hippocratis dictum eſt. Infundendum eſt autem ipſis incipiente lippitudine collyrium nardinum Zoili,ad aquoſiorem compagem dilutum. Et quantùm lacrymæ imminuuntur, tantùm collyrii compages inſpiſſetur. Sitque tibi vniuerſalis ſcopus curationis oculorum, vt pro decremento influentium humorum,craſſefacias compagem collyriorum quæ adhibentur. Declināte verò lippitudine, nardinum collyrium aqua dilutum per ſpecilli nucleum palpebræ ſublinatur.

De oculo-

De oculorũ inflatione, ex Demoſthene, Cap. XII.

INflari oculum dicunt, quum abſque manifeſta cauſa intumeſcens, decoloratior & pituitoſior ac fortiter pruriginoſus fit cum fluxione. Contingit autem hoc plerunque ſenioribus, pruritu ab angulo ad naſum incipiẽte, velut ſiquis à muſca aut culice ſit cõmorſus. frequens eſt hæc affectio in æſtate. Curatur ſpongiæ fotu: deinde palpebram intrinſecus ſubline melle per ſe, & cum croco trito. Commodat & liquida Eraſiſtrati panchreſtos. Illinendæ ſunt & palpebræ forinſecus cum melle. Conducit & euacuare aluum: deinde etiam lauare, & temperata calida aqua caput perfundere: & poſt balneum dare vinũ. At ſi pruritus vehemens eſt, & ætas ac reliqua permiſerint, & nihil aliud obſtiterit, vena ſecanda eſt in cubito, aut aluus purganda. Prodeſt & aqua marina affuſa, præſertim hyeme.

De tumore oculorum, Cap. XIII.

TVmere oculum dicunt vbi palpebram forinſecus eleuari cõtigit, decoloratiorémque eſſe ac grauiorẽ, & ægrè mobilẽ: itémque dum pallidior apparet. aliquãdo etiã albũ palpebræ aliquantulũ excedit nigrũ. Eſt autẽ tumor laxus forinſecus circa palpebrã obortus, qui digito compreſſus citò cedit, & citò rurſus repletur. Eſt & vtplurimùm citra dolorẽ, & concolor naturali habitui. fit autẽ plerunque à fluxione aquoſa. Curãdi porrò ſunt tumores qui circa ſolas palpebras forinſecus ſunt citra oculi cõſenſum, præeuacuata per clyſterẽ aluo, ſolis illitionibus, præmiſſis fomẽtis per ſpõgiã. Laxi verò tumores & cõcolores, præeuacuata ſimiliter aluo, & præmiſſis fomentis, melle illinãtur intrinſecus palpebræ ſublito. Prodeſt & Eraſiſtrati liquida illita. Vtendũ etiã ad ipſos apophlegmatiſmis ex melle cocto, vua paſſa, thymo & pulegio. acriora verò vitanda ſunt, velut eſt ſtaphis ſylueſtris & ſimilia. In quibus autem oculus condolet palpebræ, præeuacuata aluo, & inedia imperata, ſpongiæ fomentum adhibeatur. Aliquãdo etiam faciei perfuſione vtendum eſt, & præſertim vbi pruritus cõſequitur. deinde abſinthiũ aut hyſſopũ tritũ ſupernè illinatur cũ melle. Si verò corpus debile fuerit, lentẽ coquito, & per colũ culinariũ, aut cribrũ, aut rarũ panniculũ ſeu linteũ excolato, & admixto melle expreſſum liquorẽ illinito. Quòd ſi æſtas fuerit, crocum cum vino mulſo illine, aut cũ coriandri, aut ſolani, aut intubi ſucco. facit & glauciũ. Oculus verò, Eraſiſtrati liquida ſublinatur, aut aliquo alio medicamento quod plurimam humiditatem ex oculis ducere poteſt.

De tumore indurato, Cap. XIIII.

FIunt etiam indurati tumores forinſecus circa oculũ, plerũque renitentes ad cõtactũ ac duri, progrediẽtes vſque ad malas & ſupercilia. Hoc autem maximè contingit ex carbunculoſis affectionibus, & diuturnis lippitudinibus, præcipuè in mulieribus. Oportet igitur vbi palpebræ ſimul intrinſecus fuerint craſſefactæ, ipſas euertere, & collyriis exaſperationi deſtinatis cõfricare. Si verò forinſecus ſolùm fuerit affectio, nequaquã oculus ſublinatur: ſed frictio totius corporis & induratæ partis adhibeatur. Poſt hæc imperãdũ eſt vt oculos claudãt, quò interim diutius confricentur: deinde ſubſcriptũ collyriũ oculis illinatur, Thuris drach. VI. gũmi dr. VI. aluminis ſciſſi dr. I. malicorii drach. I. trita ex aqua illine, & ſiccari permitte. ad veſperam autem linteũ molle & lana ſuperligetur: imò etiã interdiu, ſi ferunt. Deãbulatione vtendum eſt multa & lenta. Vitãda ſunt balnea, ſol & reliqua calefactoria. legumina item & bellaria. Ira etiã, & detentio ſpiritus, & vomitus, & coitus tollatur.

Vlcerum in oculis communis curatio, Seueri, Cap. XV.

EXulceratur oculus aliquãdo extrinſecus aliqua re illabente: aliquando ex humorũ influxu, aut eroſione tunicæ agnatæ, ſiue corniformis, aut palpebrarũ, aut angulorum. Curanda autem ſunt in communi omnia in oculis quomodocunque fientia vlcera, vniuerſo corpori præ omnibus prouidentia adhibita: quò id quod redundat in habitu tollatur per venæ ſectionem aut pur-

A gationem, aut clyſterem: ſi verò rei circunſtantia omnibus his opus habuerit, omnibus vtẽdum eſt. Diæta verò conſtituenda eſt contraria afflictioni, ita vt tenuem humorem inſpiſſemus: craſſum autẽ attenuemus, & viſcoſum ſecemus, corruptorum & acrium temperamentum inducentes, & vndique naturale temperamentum ægro exquirentes. Aluus autem facilè ſolubilis ſemper per cibos reddatur: & fricatio multa infernarum partium fiat. Vtendum & deambulationibus pluribus lentis & aquæ potu: & balneum rariſſimè adhibẽdum. Collyria verò te-
B nera vlcerato oculo infundantur: quale eſt quod aſter appellatur, commodiſſimum ad vlcera medicamentũ. Sed & alba cygnaria à colore appellata, & præſertim quæ ex fœnigræci ſucco parãtur. Si verò ſordidũ fuerit vlcus, cũ fœnigræci ſucco collyria diluere oportet: & ſic infundere. viſcoſitas enim ipſius facilè remouet ſordes. Poſſidet autem cum viſcoſitate etiã laxatoriam facultatem: quare ſæpe in vlceribus ipſo ſolo fœnigræci ſucco vſi perfecimus quod opus fuit: ſi verò multa fuerit ſordes, ad fœnigræci ſuccum parum mellis addere conuenit. Oportet
C autem fœnumgræcum exactiſſimè purgare, & ſæpe abluere, ac pura dulci aqua madefacere in fictili vaſe probè torrefacto: (vitare enim conuenit æneum vas ad eius cocturam) poſtera verò die diffuſa aqua, aliam puram adiicere, & ad lentum ignem fumum non edẽtem coquere. Reiiciatur autem primum & ſecundum decoctum, quò omnis amaritudo excludatur: deinde puriſſima aqua affuſa, & olla probè operta, coquito ad compagem mellis liquidioris. poſtea per linteum excolato, fœnogræco nõ expreſſo, ſed ſucco ſpontè defluente contentus: vtere, ve-
D lut dictum eſt. Cæterùm decoctum hoc vſque ad ſecundam, aut ad ſummum tertiam diẽ ſeruare oportet. inueteratum enim acrius euadit. Poſtquã autem pura facta ſunt vlcera, à fœnigræci ſucco abſtinẽdum eſt. & ſi profundiora fuerint vlcera, Libyano vtendũ, aut potius collyrio ex thure. Vbi verò incarnata fuerint vlcera & explanata, aut etiam adhuc paulo profundiora, adhibẽda ſunt collyria quæ cicatricẽ inducere poſſunt, quale eſt Cleonis. Et de communi quidem vlcerũ curatione ſufficiunt relata. Conſequens eſt vt dicamus quomodo ad ſingulas
E affectiones inſtare oportet: & primùm dicendum eſt de vlceribus ab extrinſecus illabentibus obortis.

De illabentibus in oculum animalculis aut paleis, aut arena, Demoſthenis, Cap. XVI.

SI in oculum inciderit culex, aut aliud quoddam animalculum, altero oculo clauſo, & affecto aperto, animalculum ſua ſponte prodibit: ſi verò palea, aut arena, aut tale quid inciderit, tunc etiam idem facere tẽta: ſi verò permanſerit, digito exime, aut potius aquam, aut lac, aut aquam mulſam inſtilla: ſi autẽ amplius oculo adhæ-
F ſerit, per pharmacum quoddam non inquinans, & non acre eripe, quale eſt quod ex melle paratur.

De calce viua in oculũ illapſa, Cap. XVII.

SI calx viua in oculum inciderit, aqua quidem & lac infuſa attrahunt & exurunt. Verùm albumen oui infuſum, vim vſtoriam calcis obtundit: & eo adhuc magis oleum roſaceum.

De vlcerationibus ab igne, Cap. XVIII.

QVAE ab igne fiunt vlcera, duriores cruſtas faciũt: quapropter frequentius humectentur lacte infuſo,
G cum albumine oui. Collyriis autem vtendum eſt ex ſtibio, & quod Cleoni inſcribitur.

De iis quæ oculo infiguntur, Cap. XIX.

SI in oculum infixus fuerit aculeus, aut oſſiculum, forcipe extrahatur, atque hoc attentè in directũ ne frangatur: ſi verò nihil eminuerit, ſed æquale corpori fuerit, ſpecilla duo accipito, & nucleis ipſorũ vtrinque admotis, oculum comprimito, vt quod infixum eſt in medio conſiſtat: vbi verò prominuerit, volſella extrahatur: deinde turturis aut columbæ ſanguis infundatur, aut al-
H bumen oui. Si verò ſtatim eximi non poterit, oculus infuſis & cataplaſmatis ad inflammationes congruis curetur. nam poſt dies aliquot ſuppurata pũctura, id quod infixum eſt emerget.

De ſugillatione, Cap. xx.

SVgillatio dicitur quum ex plaga quadam ruptis aut
contuſis vaſis in oculorum tunicis ſanguis ſub tuni-
cam ſubierit,& ſtatim quidem cruentus color oculi fue-
rit, poſtea verò liuidus. Sic affectos curare oportet com-
muni prædicta vlcerum curatione,per venæ ſectionem,
aut purgationem,& quæ conſequuntur,infuſo candido
oui tepido,aut ſanguine turturis vel columbæ. Supernè
verò imponenda eſt lana vino & roſaceo ac ouo imbuta,
& deligatio leuis adhibēda. poſtera die oculus ſæpe fo-
ueatur per ſpōgiam cum abſinthii aut hyſſopi decocto:
forinſecus autem lana imponatur. Quum verò oculus
ab inflammatione liber factus fuerit, melle aut Eraſi-
ſtrati liquida illinatur,aut collyrio aromatico. Bene fa-
cit & ſolani ſuccus cum melle infuſus : & thus ſuffitum
cũ pari bitumine. Cæterùm ad inueteratas ſugillatio-
nes probè facit hoc:In æris rubri vas pueri incorrupti v-
rinam mittito,& æreo piſtillo in ſole ad multos dies te
rito vt multũ ſuccum remittat : & ſiccatum melle exci-
pito,ac vtitor. Apollonius autem Memphites ad ſugil-
lationes ac vibices tale collyrium prodit: Lapidis hæ-
matitæ,ſanguinis aſinini de corde ſiccati in ſole, æqua-
les portiones cum vrina pueri incorrupti tere , & carda-
midis Iberidis appellatæ ſuccum adiice,ac ſimul tere,&
infunde:aut collyria ex his efforma, & vſus tempore cũ
muria inſtilla. Aliud. Lapidis hæmatitæ drach.IIII.
ſanguinis columbæ ſicci dr.IIII. ſãguinis aſinini drach.
IIII.gummi dr.II.terito ac vtitor,velut dictum eſt.

De puncturis oculorum, Cap. xxi.

OMnes pũcturæ in oculo, quales à ſtylo aut aliqua cõ
ſimili re fiunt, poſt communē prædictã curationē,
ſanguine turturis aut columbæ ſtatim ab initio irriga-
to,aut oui candido. Et ab initio quidem vitanda ſunt fo
menta & cataplaſmata calida:poſt quartam verò aut ter-
tiam diem,toto corpore præeuacuato, ſpongiis foueto,
& cataplaſmata ad inflammationes deſtinata imponito.
Collyria verò adhibeãtur læuiſſima, etiã ſi impura appa
reant vlcera. vtendum igitur eſt ſpodiaco, & tephro,&
aſtere,ac ſimilibus . Facit & collyriũ Nili ex roſis aquo-
ſum cum ouo inſtillatum.

De vulneribus profundioribus, Cap. xxii.

QV V M profundius & maius factũ fuerit in oculo
vulnus,vt periculũ ſit ne effluãt ex oculo humores,
animaduertēdũ eſt ne inflãmatio ſuccedat,& febris ſub-
ſequatur. Præ omnibus igitur venæ ſectione vtendũ eſt,
ſi vires ſuſtineãt. nullũ eſt enim efficacius auxiliũ ab ini
tio : ſi verò venæ ſectio relinquatur, purgatorio idoneo
vtamur:ſin minus,clyſteribus aluũ ſubducētibꝰ euacua-
tio fiat. In oculo verò candidũ oui inſtilletur:& catapla-
ſma adhibeatur ex ouo ſimul cõtuſo vitello cũ roſaceo
& vino,ita vt leuiter tepefactũ & lana exceptũ impona
tur. ſequētibus diebus fomētũ fiat ex decocto roſarũ aut
meliloti,& infundatur lac muliebre cũ ouo tepidũ. Cata
plaſmata adhibeãtur ad inflãmationes deſcripta, & ma
ximè id quod ex capitibus papaueris, meliloto , croco,
& pane paratur. Illinenda eſt etiã frõs ac tēpora modico
apio cũ croco. ſint aũt leuia cataplaſmata, & ſuperna pal
pebra ſola ex his ĩtegatur,quò aperiri poſſit oculus,& la
crymas influētes excernere. oculus quoq; leuiter delige-
tur. Si verò aliqui cataplaſmata ferre nõ poſſint,iis palpe
bræ ac tēpora,& frõs collyrio Nili ex roſis illinãtur. Sive
rò vehemētiores fiũt dolores,caput pilis denudetur,& cu
curbita occipiti ac vertici affigatur: & in noctē quædã
dolorē eximētia in potu exhibeantur. Circa quartã verò
aut ſeptimã diē, Nili collyriũ ex roſis inſtilletur aquoſiſ
ſimũ vſq; ad perfectã curationē. Cibus dãdus eſt ſorbi-
lis,boni ſucci,ventri commodus:oportet enim ventrem
ſemper probè ſolubilem eſſe. A vino verò abſtinendum
eſt vſque ad declinationem . cauenda ſunt autem & quæ
caput replent,& fluxionem irritant.

De vuiformis humoris excretione, Cap. xxiii.

SI pũcto oculo vuiformis humor excernatur , vt etiã
oculus aliquãtulũ cõtrahatur,reliqua quidē ſimiliter
(velut dictum eſt) fiãt,vt ne inflãmatio ſuccedat. Verùm
poſt inflãmationis ac vulnerationis declinationem,bal-
A neum conducet,& vinũ tenue moderatũ: & cibus boni
ſucci,quò humor probè renutriatur ac rurſus expleatur.

De oculi prolapſu, Cap. xxiiii.

PRolapſus totius oculi , ex violēta quadã capitis pla-
ga contingit,aut ex vlceribus carbunculoſis, aut in-
ternis vaſis ac pelliculis quibꝰ adhæret oculus,ruptis aut
laxatis. Procidit enim quibuſdã totus oculus foras,vt à
palpebris contegi nõ poſſit: aliquãdo etiã vſque ad ma-
las & ſupercilia procidit. atque hoc maximè cõtingit ex
caſu ab alto loco,aut ex plagis capitis violētis. periculo-
B ſa eſt aũt affectio. Itaque curatio ſtatim adhibēda eſt per
venæ ſectionē,aut purgationē:ſed & reliqua adhibeãtur,
quæ relata ſunt in cõmuni vlcerũ curatione. Cõtrahēdꝰ
eſt cibꝰ,& poſtea in ouo & roſaceo ac vino ſimul cõtuſis
lanã imbue & impone: deinde verò cataplaſma ex meli-
loto & papaueris capitibus adhibe,cui addita ſunt hyoſ-
cyami folia cũ pane aut pſyllio modicè madefacto. Aſ-
ſiduè verò alterentur cataplaſmata,vt ne calefactæ partes
ſuppurentur. Sequentibus diebus remittēte inflãmatio-
ne,cucurbita occipiti cũ ſcarificatione affigatur. præſen
C te verò inflãmatione,cucurbitæ ſũt ineptæ. Aſſiduè autē
ouum & lac tepida inſtillētur : remittēte verò inflãma-
tione,collyrio Nili ex roſis cum ouo vtendũ eſt:aut etiã
mellis fumi exortis parum ipſi admiſcendũ ad ſaniē ex-
cernendam. ſimul autē ſub palpebrã ſubiiciēdus eſt ſpe-
cilli nucleus,vt ne concretio aliqua fiat. Quòd ſi prola-
pſus magnus factus fuerit,& nulla ſpes eſt vt viſus reſti-
tuatur,cataplaſmatis ſuppuratoriis vtēdũ eſt,qualia ſunt
quæ ex polline fiũt. ſed & lētē cũ melle imponere opor
tet,& inflammatione declinante,balneũ petendum eſt.

D De vlcerationibus ſuperficialibus ex humorũ in-
fluxu obortis,nubecula,caligine,epicaumate
& encaumate, Cap. xxv.

QV AE ex humorum influxu fiunt ſuperficiales vl-
cerationes,diuerſimodè nominantur . Caligo enim
eſt vlcus ſuperficiale in nigro oculi factum , conſimile
caliginoſo aeri,colore cæruleo, quod multũ locum ni-
gri occupat : quum verò in pupilla factum fuerit,nõ fa-
cilè ægri vident. Nubecula autem vocatur profundius ac
minus caligine vlcus in nigro.& eſt colore albius. Epi-
E cauma verò dicitur,quũ nigrum oculi in ſuperficie exa-
ſperatum inuſtum fuerit , & colorem cinereum præ ſe
tulerit. Encauma verò eſt vlcus vtplurimùm ex febre fi-
ens,cum cruſta impura in nigro aut albo. Et in nigro dũ
fit in profundo,plerunque in purgatione,maiore tuni-
carum corroſione contingente , humores paulatim fo-
ras effunduntur, & totus oculus effluit. Has igitur ſu-
perficialiſſimas vlcerationes cum febre aut ſine febre
fientes ſanare oportet , aluo per clyſterem præeuacuata,
ita vt collyrium Nili ex roſis aquoſius inſtillemus , & in
F ipſis interuallis infuſionis collyrii,lac infundamus. Præ
teritis deinde aliquot diebus , admiſcendum eſt ad Nili
collyrium , chiacum appellatum Apollonii, aut aroma
ticum : deinde verò etiam meracis his vtendum. citò e-
nim cicatrices , eáſque tenues & ferè non apparentes in-
ducunt.

De argemo, Cap. xxvi.

ARgemum eſt vlcuſculum circa iridis circulum fa-
ctum,partem albi,& partem nigri occupans , & al-
bum apparens. Quum igitur profundius & ſordidum fa
G ctum fuerit circa iridis circulum,& citiùs repurgatum,
aliquando procidit tunica vuiformis : quapropter mea-
tus obducentibus pharmacis in ipſis à principio vten-
dum eſt,quò vlcera ab inflammatione liberentur, & tu-
nica oculi ſubnutrita cruſtam reiiciat.

De foſſulis & concauis vlcerum generibus,
Cap. xxvii.

FOſſulæ appellantur quum in nigro fiunt caua, angu-
ſta,& pura vlcera , puncturis ſimilia : concaua verò
vocantur, rotunda & ampliora foſſulis vlcera, & minus
H profunda. Non igitur ipſa purgare oportet per acria col-
lyria ,ſed potius per mitia renutrire , & maximè ea quæ
foſſulæ appellantur. Concaua verò diuturna primùm
leniter detergētibus curabimus, & deinde ad renutriē-
tia tranſibimus, qualia ſunt quæ ex thure fiunt. Vbi verò

explanata fuerint,aut etiam adhuc cauiora ſunt, Cleonis collyrio vtendum eſt:ſi verò ſordes multæ vlceribus inſitæ fuerint,aqua mulſa infundatur. Nos autem ad fœnigræci decoctum paratum velut antea dictum eſt, modicum mellis admiſcuimus, & citius rem quaſitam aſſequuti ſumus. Vtimur etiam in cauis ac ſordidis vlceribus collyrio Theodotii Seueri aquoſiore cum ouo:& citra omnem dolorem repurgat,& celerrimè ad cicatricem perducit. Meminiſſe verò etiam in his oportet prædictæ cõmunis vlcerũm curationis.

De ſuppuratione aut vngue, Cap. XXVIII.

SVppurationes in vlceribus fientes diuerſas appellationes habent. Vnguis enim dicitur quum à profundiore vlcere pus defluens,& inter tunicas illapſum, & in circulo iridis figuratum, ſimilem vngui reſecto imaginem præ ſe fert. Ampliore verò pure collecto, & dimidium nigri occupante,aut per totam corneam tunicam pellucẽte, ſuppuratum eſſe oculum dicimus. Fiunt autem hæc etiam citra exulcerationem, dolore capitis aut lippitudine prægreſſa. Cõtingũt etiam inflammatione prægreſſa, propter ampliorem humorum repletionem diruptis quibuſdam vaſis,& ſanguine ex ipſis profuſo ſuppurato. Conſequitur autem ad ſuppurationem dolor vehemens pulſatorius,& rubor circa oculum totum,& temporum dolor. Curatio facienda eſt ab initio reiectis fomentis, per alui per clyſterẽ euacuationẽ: deinde per venæ ſupernæ in cubito ſectionem,ita vt poſtea etiam venam circa magnum oculi angulum ſecemus, citra colli ligationem aliàs fieri ſolitam. ſed & cucurbitam occipiti affigemus, aut hirudines temporibus. Deinde collyriis ad inflammationes deſtinatis vtendum eſt, & maximè Nili ex roſis, cum ouo aut lacte aquoſius inſtillato. Poſt tertiam verò diem fomentum per ſpongiã adhibendum eſt,moderatè primùm,deinde paulatim ſemper facta maiore acceſſione. Et collyria quidem meatus obſtruẽtia vitãdá ſunt: vtendum autem diſcuſſoriis ac lenientibus, maximè chiaco Apollonii, & ſimilibus ex myrrha paratis, quæ diaſmyrna appellantur. quæ enim vehementer diſcutiũt ac reſiccant, ſtatim quidem multam tenuioris euacuatiõnem faciunt: quod verò reliquum eſt, & craſſius condẽſat,&,vt ægrè diſſolui poſſit,reſiccat. Galeni. Medicus quidã apud nos expertiſſimus ophthalmicus,etiam capitis concuſſione multos ſanauit. Et locabat quidem ipſos in ſella erectos,& vtrunque à lateribus caput apprehendebat, atque ita concutiebat, vt nos manifeſtè videremus pus deorſum ferri & infrà manere, propter grauitatem videlicet. Quum igitur in ſuperficie fuerit pus,& vlceri contiguum, dum purgatur vlcus,omnino etiam in vapõrẽ exhalat pus:quũ verò vlcus ſuperficiarium fuerit & ſuperius,pus autẽ amplius,& in profundo inferius vlcere,& à pharmacis nõ excoletur, oculum ſub pure perpungere oportet,acu obliquè circa iridem & coronam appellatam immiſſo,& pus excernere. Atque hanc chirurgiam locis non inflãmatis adhibere oportet. Suppurationes autẽ in albo tunicæ agnatæ fiẽtes, ſcalpro venæ ſectorio ex inferna parte diuidito, & tunicam agnatam leniter ſubexcoriato. Cæterùm poſt humoris euacuationem,in vtriſque oculi candidum inſtillato:deinde integrum ouum cum vino mulſo conquaſſato, & molli lana exceptam oculo ſuperponito ac deligato. Poſtera verò die , fomento ex aqua calida per ſpongiam adhibito, & ouo infuſo, rurſus prædictũ lanæ hapſum imponito, & poſt triduum collyrio Dionis illinito,aut quopiam ex iis quæ ad perpunctiones adhibentur. Eſt autẽ Dionis collyrium hoc: Spodii drach.III. thuris, ſquamæ æris, myrrhæ,acaciæ,ſpicæ nardi,opii,ſing. drach.I. gũmi drach.VI excipe aqua pluuiali. Vſu verò expetente,infunde cum candido oui, & prædictum lanæ hapſum ſuperpone. Si verò poſtquam inflammatio ceſſauit, caro ex diuiſione prominuerit, prædictum collyrium cum lacte dilutum illine. Probè etiam deprimit & repurgat chiacum Apollonii.

De puſtulis, Cap. XXIX.

PVſtulæ fiunt & in albo, & in palpebris: plerunque verò circa corniformẽ tunicã. Et aliæ in ſuperficie fiũt aliæ in profundo: conſtat enim tunica corniformis ex A quatuor velut mẽbranoſis corpuſculis, dẽſiſsimis ac fortiſsimis. Aliquãdo igitur ſub prima mẽbrana puſtulam fieri contingit,quando etiã colorem nigriorẽ præ ſe fert: aliquãdo ſub ſecũda aut tertia cõſiſtit, quãdo ſanè etiam albidior puſtulæ color fit, eo quòd in profundo tunicæ corniformis occultatur. naturalis enim puſtulæ color, niger eſt; tunica verò corniformis alba eſt,& cornibus ſimillima. In quantũ igitur in profundo corniformis tunicæ puſtula occultatur,in tantũ colorem adſimilat, & maiorem dolorẽ inducit, & moleſtior eſt. B Nam ſiue ob plenitudinẽ rupta fuerit puſtula, ſiue ab acrimonia corroſa, vt tunica vlceretur, facilis curatu eſt ſuperficiaria vlceratio: difficilis autẽ profunda. Periculum eſt enim ne reliquum corniformis in profundo tenue exiſtens rũpatur, & vuiformis procidat, ac effluant oculi humores: præſertim ſi iuxta pupillã ruptio fiat. Facta enim iuxta pupillam ruptione,etiamſi pro more ægri, tamẽ aliud quid graue conſequitur. Nã inducta vlceribus cicatrice, homo nõ videbit,propter inductas cicatrices. Quãdoquidem verò aliquando etiã ob corniformis corroſionẽ vuiformis tu- C nica procidit,& ſuperficialis puſtulæ imaginationem facit, operæpretium eſt de iis exactius diſtinguere. Puſtula itaque ſuperficialis, ſimiliter vndique nigra eſt, nõ tamen nigredine exactè ſaturata. At in vuiformi tunica pars quæ procidit, aut nigra eſt aut cærulea. Quod verò maximum ſignũ eſt, fundũ prolapſæ vuiformis per circulũ reperies albũ. Alba eſt enim colore corniformis tunica, qua rupta, vuiformis procidit. Sed & pupillæ magnitudo imminuitur in vuiformis prolapſu, aut ſanè omnino euariat ſecũdum figurã: non enim pupilla exactè cõſeruat rotũdam D figurã in prolapſu, ſed iuxta partẽ quandã velut diuulſa apparet. Proinde relatis ſignis diligẽter intendere oportet, & affectiones inter ſe diſtinguere. Nã iuxta affectionum differẽtias, etiã curationem variare oportet. In prolapſu enim vuiformis, magis adſtringẽtibus ac repulſoriis vtimur: in puſtulis verò, iis quæ leniter diſcutiũt. Curãdæ igitur ſunt puſtulæ ita vt caueamus primũ multiloquiũ, ſternutationes, iras, ſpiritus detentiones, clarũ ſplendorẽ: deinde cõtrahẽdus eſt etiã potus ac cibus,& ad alui euacuationem acri clyſtere vtendũ eſt. Tentandum quoque vt la- E cte aluus ſoluatur, in quibus id neque aceſcit, neque in nidorẽ vertitur, neque vomitu reiicitur. In talibus enim vitandũ eſt lac, & vtendũ gallinæ iure, aut cnici ſucco, aut aloe, aut per ſimplicius quoddam aluus ſoluenda. Vitãda ſunt etiã vehemẽtiora purgatiua,& maximè quæ ſtomacho ſunt magis infeſta. Deligationes autẽ & multos lanæ hapſos in iis reprobamus. valde enim nocẽt nõ ſolùm in his, ſed etiã in omni lippitudine ex humorũ acrimonia facta. Cataplaſmata igitur adhibere oportet vbi inflammatio adfuerit, maximè in principio: leuia quidem, ſed F lata. ſunt enim cataplaſmata tenuibus ac mollibus linteolis illinenda, & ſuper totum oculum imponenda, ſupercilio ac mala & tempore ſimul comprehenſis: & ſinenda quamdiu fuerint madida: poſtquã verò ſiccata fuerint, tollenda & alia imponenda. Ad inflammationem.

Adhibeantur ea quæ ad inflammationes congruunt, velut eſt tenue ouorum,& vitelli ouorum triti cum croco ac modico opio, moderatóque paſſo ac pane. Conueniũt etiã adſtringentia, velut ſunt mala cydonia cocta, aut malicorium in aqua coctum. Verùm vitandum eſt, velut di- G xi, ne oculus in his diutius deligetur. eſt enim nocentiſsimum hoc. Mitigata verò inflammatione, etiam ab emplaſtris abſtinendum eſt, propter grauitatem. Collyria verò in principio conueniunt, Nili ex roſis cum lacte dilutum & infuſum. Proficiente autem curatione, adhibendũ eſt id quod ex thure, myrrha, ac croco paratur. poſtea etiam nardina. Forinſecus autem illinendæ ſunt palpebræ collyrio Nili ex roſis, frons verò acacia & hypociſtide, cũ croco & modico opio. Fomenta ab initio tepida adhibeantur, nam intenta à principio, inflammationes exacerbant: poſtea verò caliditatem intendere oportet. H Deambulationes & alii motus ab initio non conueniũt. Balnea verò & reliqua vaporatoria fomenta poſt principiũ. A vino abſtinere oportet per omnẽ curationẽ, & aqua calida in potu vti, & cibos molles ac facilè concoctiles

accipere.Fugiēda eſt in his ſanguinis ex fronte aut venis
angularibus detractio: procidit enim oculus,& maximè
ſi inflāmatio ſimul affuerit, aut profundior exulceratio.

De carbunculis in palpebris, Seueri, Cap. xxx.

QVandoquidē & carbunculi ſunt ex genere puſtula-
rum,& fiunt hi quoque aliquando in palpebris,ocu-
lumque ad maximū conſenſum perducunt,age & ad hos
pauca auxilia proferamus, dignotiones ipſorū primùm
exponentes,quū ſint etiam alii quidam abſceſſus palpe-
brarum qui imperitis carbunculi videri poſſint. Nam &
ordeolum tuberculum,& pani,&vari circa palpebras fiūt,
ſed cū tumore quodā hæc , & ferè citra inflāmationem,
& non cum vehementi dolore : carbunculi verò ruborē
ab initio habent,vt oculum ſibi peruri putent: tumorem
verò aut eminentiam non ſtatim inducunt.Nam ob im-
modicam caliditatem, velut ruptionem quandam car-
bunculus ſuſtinet,& quod effluit ex ipſo,quum ſit acre ac
mordax, ſuperficiem quidem carbunculi reſiccat, & cru-
ſtam inducit:vicinis verò locis morbum inferit. Conſe-
quitur igitur ad ipſos fortis inflammatio,tum ipſius ocu-
li,tum partium circumſitarum,& maximè glandularum
circa aures , vt quandoque magnarum vlcerationum, &
ruptionum oculi cauſa fiant, inſuperque prolapſuum, &
nuditatis palpebrarum. & cicatrices à carbunculis craſſæ
fiunt,& aſſiduè vlcerantur.& in reliquo quidem corpo-
re ſanguis qui effluit ex carbunculis niger reperitur,pro-
pter ſuperaſſationem.in oculis autem ſanguis non omni-
no ex carbunculis manat,eo quòd neque redundet in o-
culo ſanguis : vnde plerunque etiam albi colore ſunt car
bunculi in palpebris.Et ſi quidem emotio affectionis ci
ta contigerit per conuenientem curationem, carbuncu-
lus penitus diſparet: ſi verò durauerit & ægrè diſcuti po-
terit, neceſſariò locus nigreſcit. Proinde incipientibus
carbunculis non ſtatim ad cataplaſmata & illitiones pro-
gredi oportet, ſed per clyſterem primùm aluum euacua-
re: deinde lacte moderatè cocto purgare. In ſanguineis
corporibus etiam vena ſecanda eſt. poſtea per ſpongias
fomentum adhibendum , primùm ex ſimplicioribus.
aſtringentibus enim & frigefacientibus, & aliquando
etiam reſiccantibus pharmacis vſi,hos ſanabimus.In prin
cipio igitur quum feruor adeſt, humorem extinguere
conantes,coriandro trito ruborem oculi illinimus.Et ſo-
lanum cum paſſo tritum & carbunculo adhibitum , ſta-
tim ipſum abolet. atque hic ductus in principiis magno-
pere prodeſt.At frigefacientia cataplaſmata oculo in car
bunculis adhibita, repellunt quidem id quod influit car-
bunculo,& externas inflammationes ſedant:verùm peri-
culum eſt ne in ipſum oculum impetū faciat . hoc enim
ſolanum aliquando perpetrauit . adhibitum enim cum
paſſo,ſtatim quidem tumorem aboleuit: oculus autem
hinc repletus eſt.Cæterùm carbunculos iam depaſcentes
variè curare oportet. Nam quod defluit acre ac mordax
exiſtit , vt etiam vicinos locos depaſcatur, & periculum
ſit ne ocul⁹ lædatur:ſolet enim eroſio his contingere.Cō
uenit igitur ſpongia detergere,&oculum moderatè per-
fundere roſarum,aut rubi, aut pampinorum vitis deco-
cto. ſit autem tepidius decoctum,aut potius lactei tepo-
ris.Quòd ſi etiam ſordidi fiāt loci, ex eo quòd nome de-
paſcens præualuit, (ſæpè enim etiam palpebræ excidūt)
ad huiuſmodi fluxiones etiam hypociſtidis ſuccum a-
quæ admiſcemus,& myrtum & acaciam paſſo diluta lo-
cis illinimus . oportet enim pro corporis curandi ratio-
ne, etiam materias eligere, maximè medias. valde enim
efficacia pharmaca loci non ſuſtinent, qualis eſt ærugo,
& ſimilia: per mordacitatem enim etiamſi ſalutis ſpem
habeat oculus,hac quoquepriuatur:neruoſæ enim partes,
& præſertim carnibus denudatæ, à vehementer morda-
cibus læduntur, vt etiam cariem inducant.Malicorium
itaque ex malis Punicis acidis cum lenticula ferueſaci-
mus,& deraſa interna parte, cum modico melle terimus
& ex eius vſu magnopere profecimus: celerem enim pur
gationem facit, & humores qui oculis inferuntur, quo-
dammodo ſupprimit.nā pinguia nomas augēt.Aucta ve
rò noma,in vino malicoriū coquere oportet,& per ſe ci-
tra lenticulam imponere. Cruſtas autem magis malico-

A rium coctum tritum cum melle impoſitum reſoluit.Sunt
& compoſita pharmaca carbunculis conuenientiſſima.
In principiis enim feruorum, paſtillus ex halicacabis il-
litus excellēter extinguit. frigefacit enim & reſiccat mo
deratè.Si verò contrahere oportet carnem ſuperexcreſcē
tem,Muſæ paſtillum aridum tritum adhibemus: ſi verò
incarnatione opus eſt, ipſum Muſæ paſtillum cum ſapa
diſſolutum illinimus. At ſi cicatricem inducere intendi-
mus,rurſus paſtillū ex halicacabis aſſumimus. Apolloni⁹
autem ait,Ad carbunculos oculorum hoc pharmaco vti-
B mur , Spodii drach.IIII. lapidis ſciſſilis drach. II.croci
obol.III.myrrhæ paululum torrefactæ obol.III. Terito cū
vino odorato donec areſcāt,& paſſi Cretici, aut alterius
non acris heminā admiſce,contere,excipe ac ſubline.Diſ
parat cruſtas , & purgat vlcera , ſiue extra palpebras affe-
ctio fuerit,ſiue intrinſecus in profundo.facit & ad fluxi-
onem ac inflāmationes.Si verò dolor oculū vexarit, hoc
collyriū illine, & eueſtigio ſiſtet nomē. Recremēti plū
bi triti loti & exſiccati drach.IIII.ſpicæ nardi drach.I.gū-
mi drach.II. foliorum oleæ centum viginti ſuccū. Suc-
C cum aquæ hemina ad folia adiecta exprimito,excolatò-
que,& ad reliqua conterenda vtitor. Facit & collyrium
Nili ex roſis cum ouo infuſum:maximè verò nardinum
Candido inſcriptum,per ſubmiſſionem palpebræ ſubli-
tum,vſque ad perfectam curationem. Oportet enim,vbi
pura facta ſunt vlcera,fomento præmiſſo, ſpecilli nucleū
lacte tingere,& palpebris ſubmittere,atque angulos inter
ſe diſparare,ne diſtorta concretio fiat.Et ob hoc neque o-
culum deligare oportet,maximè poſt vlcerum purgatio-
nem. Nam circa principia ſi inflammationes maximæ
D & diſtentiones fuerint,lenticulæ coctæ cataplaſma cum
pane imponere cogimur. Sed & pſyllium impoſitum in-
flammationes mitigat:in doloribus enim aliarum oculi
inflammationum adhibitum, ſomnum inducit. ſint au-
tem leuiſſima cataplaſmata.Sed neque diu in cataplaſma-
tum,vſu perſeuerare oportet: augent enim putrefactio-
nem & oculum magnopere lædunt, velut etiam in puſtu
lis prædictum eſt.Poſtquam igitur aliquātulum mitiga-
uimus inflammationes, ſtatim à cataplaſmatis , tum in
E carbūculis tum in puſtulis abſtinebimus.At verò in locis
circa aures per cōſenſum inflāmatis,ſpleniū ex cerato bu
tyrino imponito.

De canceratis oculorum vlceribus, Cap. xxxI.

VLcuſcula in nigro oculi fientia,cicatricem non reci-
pientia,parua,doloroſa,parua vaſa habentia, varico-
ſa, cancerata dicuntur . & aliquando quum cicatricem
accepiſſe putantur,reſoluūtur citra manifeſtam cauſam.
Fiunt autem in his punctorii diſcurſus vſque ad tempo-
ra,& conſequitur in ipſis fluxio humoris moderatè acris
F ac tenuis.Et album in oculo itémque nigrum, ſemper ru
bicundum eſt.& auerſantur cibum.Augentur autem ipſis
vehementer dolores,illitis acrioribus medicamentis.
Contigit hæc affectio maximè ſenioribus, ex diuturnis
lippitudinibus: .& fœminis quibus menſes defecerunt.
Curatio porrò adhibēda eſt , habita totius corporis cura,
cum prædictione quòd fieri nō poſſit vt perfectè ſanētur,
ſed fieri poſſe vt mitigentur,primùm per conuenientem
diætā , deinde etiā per pharmaca dolores lenire potētia.
Diæta igitur huiuſmodi ſit: Poſtquā à lecto ſurrexerunt,
G corpus moderatè illinant oleo dulci : caput autē modico
roſaceo aut omphacino.Et viridi ſindone oculo prætēta,
deābulare iubeto in tenebroſo ac nō ventoſo loco, cum
ſilētio & abſque alia diſtētione , ita vt neq; caput agitēt,
quātū eius fieri poteſt. Poſtquā autē ampliore & lēta deā
bulatione vſi fuerint,ad domiciliū tenebroſum & nō val
de lucidū ſe recipiant: & rurſus ab alio corpus ipſorum il
linatur, excepto capite,confrictis maximè lūbis ac infer
nis partibus. Poſtea verò lactis moderatè cocti, remota
concretione ſuperſtante, heminæ menſuram accipiant.
H Nam acrimonias quæ affluunt hebetat,& aluum facilè ſo
lubilem facit. Si verò ineptus eſt ad lactis potū,pollinem
polentæ paſſo moderatè calido diluto inſpergito, & ſor-
bendum dato. Poſtea ſi fame vexentur, duobus ouis ſor-
bilibus vtantur,& ſomnum diurnum vitent. Circa deci-
mā autem horam confricti aſſumāt panem purum, cum

obſonio quodam viſcoſum quippiã habente, velut ſunt oua ſorbilia, cerebellum porcinum duabus aquis coctũ. ex piſcibus muræna, torpedo, glauciſcus. ex oleribus malua, atriplex, lactuca. Aſſumenda etiam alica ac oryza, & laganum in gallinæ iuſculo coctum, & pedes ſuilli ac tali probè cocti. omnia verò ſint moderata. Vinum bibant & tenue ſubadſtringens & ipſum moderatum. Ab omnibus autem ſalſamẽtis & leguminibus penitus abſtineant. item à balneo, niſi neceſſarium hoc fuerit aut laſſitudinis gratia aut tardæ concoctionis: at tunc non tardãdum in ipſo eſt, ſed citò exeundum. Dolore verò à fluxione oborta illinantur pharmaca lenia ad pura vlcera conuenientia, velut eſt ſpodiacum & collyrium Cleonis, & ſimilia. In oculum autem aſſiduè infundendũ eſt ouum, aut lac muliebre tepidum. Mitigat etiã lentis decoctum infuſum, aut plantaginis, aut portulaca. Verùm ad temporum dolores vtendum eſt collyrio Nili ex roſis: ſi verò ad vehementes inflammationes cataplaſmatis vti cogamur, cataplaſmate ex papaueris capitibus vtẽdum eſt leuiſſimo. antea enim dictum eſt quòd fugere oportet cataplaſmata in oculis calidas affectionem habentibus. admiſcendum eſt autem cataplaſmati ex papaueris capitibus in his, & crocus, & lac muliebre.

De malignis oculorum vlceribus, Cap. XXXII.

Fiũt & alia maligna vlcera, partim à magno angulo, initium ſumentia, partim à nigro, partim ab albo: & oculum citò corrodũt, & præſertim in corporibus vitioſis humoribus refertis, & quæ acrium rerum eſu vſta ſunt. Sanies etiam ab vlcere manat multa ac graueolens, & ſequuntur dolores vehementes ac febres: ſæpe etiam alui fluxus. depaſcuntur etiam aliquando vlcera vicinos oculis locos. Curãdæ verò ſunt etiam huiuſmodi nomæ per prædictæ diætæ vſum. Veruntamen eiuſmodi exhibenda ſunt quæ aluum non ſoluunt: vnde in iis magis volucrium genere vtendum eſt, maximè montanarum. In oculum verò infundendum eſt lac aut ouum, & prædicta collyria. Si verò nome tranſgreſſa fuerit oculos, curatio ita fiat: Pompholygem optimè lotam, ex muliebri lacte illinire oportet, & ſuperimponere, ſanie prius per aquam elota, deinde per lac. Facit ſimiliter & ceruſſa lota ac ſiccata, & cum lacte adhibita. & plumbi lotura ſicca, quæ confricto plumbeo mortario cum plumbeo piſtillo colligitur. Facit & plumbi recrementum lotum & amylum, ſingula cum lacte muliebri. Cataplaſmata verò ſi coacti fuerimus adhibere, mala Cydonia cocta adhibeantur, aut roſæ virides, aut ſiccæ vino maceratæ. polygonum item ac ſolanum, & ſemperuiuum, & ſeris cũ polentæ polline. Si verò vaſa in fronte ac temporibus fuerint eleuata, etiam ſectionis vaſorum rationẽ habere oportet.

De myocephalis, Cap. XXXIII.

QVVM vlcera quæ propter eroſionem aut ruptionem corniformis tunicæ fiunt, profunda euadunt, pars acinoformis tunicæ procidit, & quod prolapſum eſt, nigrum aut cæruleum apparet. In circuitu verò circa fũdũ eius partis quæ procidit, labia corroſæ corniformis tunicæ alba apparẽt: & ſi adhuc magis pars prolapſa durauerit, labia ruptionis tunicæ corniformis calloſiora facta adhuc magis alba apparẽt. Diuulſa eſt aũt omnino in vuiformis ſiue acinoformis tunicæ prolapſu pupilla ipſa, vt õnino nõ appareat, aut & ſitu & figura immutata. & per hæc diſcriminatur myocephalõ à puſtula. dicitur autẽ myocephalon, quoniam figura ſimile eſt capiti muſcæ. Repulſoriis autem & adſtringentibus opus habet pharmacis, qualia ſunt maximè quæ ex vino fiunt. Eſt autem & hoc celebre ad ipſum: Cadmiæ, æris, chalcitidis crudæ, ſing. vnc. I. æruginis drach. IIII. myrrhæ troglodyticæ drach. II. & dimidiam, croci drach. III. ſalis ammoniaci drach. IIII. gummi drach. IIII. excipe vino veteri adſtringente. Aliud ad pterygia, carnis incrementũ iuxta magnum oculi angulum, aſpritudines. exterit etiã cicatrices. in alio exemplari reperi, etiam ad ſtaphylomata facere: Miſyos crudi drachmas duodecim cum aquæ cochleario terito, deinde croci læuiſſimè triti dr. viginti adiicito, ac rurſus terito, & additis myrrhæ drachmis quatuor, excipito, ac vtitor. Poſt illitionem verò ex ipſo factam, ſpongiam teneram imponito, ac deligato. Aliud bonum. facit & ad ſtaphylomata. Miſyos crudi ſextantem, croci vnciam vnam, gummi vnciam vnam: tere cum vino, & vtere. Mirificè etiam facit in ipſis Theodotium Seueri. & ſi quidẽ inflammatio non affuerit, craſſius illine: ſi verò affuerit, cum ouo infunde. Adhibeatur ipſis quoque conueniens deligatio, & inflammatis cataplaſma ex papaueris capitibus impones: aut pſyllium aqua calida madefactum. Collyrium Hori faciens ad myocephala cum Theodotio. facit & ad diuturnas tenues fluxiones: Cadmiæ, ſquamæ æris, croci, ſing. drach. octo, opii drach. XII. miſyos vſti, myrrhæ, acaciæ, gummi, ſing. drach. IIII. excipe aqua.

De ſtaphylomate, Cap. XXXIIII.

DIfferentiæ ſtaphylomatum plures ſunt: nam & cauſæ affectionis variæ ſunt. plerunque tamen quomodocunque factum fuerit ſtaphyloma, viſum deſtruit. Appellatur autem ſtaphyloma, quum corniformis tunica fuerit eleuata, & eminentiam acino vuæ ſimilem fecerit. Fit autem aliquando humoribus ſub aliquam corniformis tunicæ ſtriam collectis, à quibus humoribus coactam corniformem tunicam ſuſtineri contingit ac eleuari ac incuruari, faceréque ſtaphyloma citra ruptionem. Fit hoc etiam ex puſtula quadam inter ſtrias corniformis tunicæ ſatis profundè conſiſtente, quæ tunicam eleuauit, non tamen rupit. Appellant etiã ſtaphyloma quum ob corniformis tunicæ rupturam, magnus vuiformis tunicæ prolapſus factus fuerit. Differt hoc à primo, quoniam in illo eleuatio ſola eſt tunicæ corniformis: vnde etiam tota moles albidior apparet: in hoc verò ruptura quoq; facta eſt tunicæ corniformis, & quod prolapſum eſt, cæruleum aut nigrum apparet. Quum autem maximum factum fuerit ſtaphyloma, vt extra palpebras tranſgrediatur & induretur, ita vt ipſa corniformis circumcirca calloſa facta ſit, & talem affectionem conſtringat, clauus appellatur: quoniam per omnia claui capiti ſimilis exiſtit. Hæc igitur affectio quomodocunque fiat, duobus malis ſubiacet, viſus videlicet detrimento, & figuræ deformitati. Et ſic quidem affectum oculum ad naturalem ſtatum reducere, impoſſibile eſt arti: figuræ verò deformitati conſilium contingere poteſt, maximè per chirurgiam. Quæcunque igitur ſtaphylomata recentia ſunt, & propter inflammationem eleuatæ ſunt tunicæ, curanda ſunt cataplaſmatũ ad inflammationes deſcriptorum vſu, & ſimili quoque diæta. In quibus autem ſub corniformis ſtrias humores aliqui collecti eleuationem fecerunt (ſi dolor adfuerit) ſemen lini cum fœnogræco ex aqua mulſa cocta imponemus: declinantibus verò doloribus, farinam fabaceam cum roſis aut ſemine lini ex aqua impone: aut rubi folia, aut bryoniæ botros immaturos, cum butyro & terebinthina, æqualibus portionibus impone & deliga. ad dolores verò cõuenit etiã ſolani ſuccus cum lacte muliebri infuſus. Collyrium autem ad non inflammata ſtaphylomata commodũ hoc eſt: Alcyonii drachmas quatuor: ſalis ammoniaci vnc. I. ſpumæ nitri drach. I. lacrymæ oleæ ſylueſtris drachmam I. gummi ſextantem: excipe aqua. At Theodotium Seueri braſſicæ ſucco dilutum, & craſſius oculo adhibitum, vnà cum ſpongiæ deligatione molẽ diſſipat, ſi non diuturna fuerit affectio. Cæterùm ægrè curantur ſtaphylomata quæ ampliorem fundum habent, & quæ venas ſanguine plenas habent: incurabilia autem ſunt eminentia, & colore varia, & temporum dolores inducentia. Iis ſanè nihil aliud adhibendum eſt quàm ea quæ dolores mitigare poſſunt, quæ in malignis vlceribus iam antè relata ſunt.

Staphylomatum chirurgia, Cap. XXXV.

IN ſtaphylomatis quæ anguſtum fundum habent, & non maligna ſunt, cõmoda eſt actio ſecundum cõſtrictionem appellata. cuius hic eſt modus. Duas acus accipere oportet filum duplex intortum habentes, æquali prorſus lõgitudine: deinde hominẽ ad pedes tuos collocato, capite ipſius reflexo, ita vt occiput ipſius genibus tuis innitatur: & deinde diſparatis palpebris, per mediũ

ſtaphylomatis fundum,ex ſupernis deorſum acum trãſmittito.ſit autem non vade craſſa neque oblonga.Deinde dum detinetur oculus ab acu trãſmiſſa,alteram acum duplex filum habentem ſimiliter tranſmittito à paruo angulo ad magnum, per medium itidem ſtaphylomatis fundum:quò figura duarum acuum tranſmiſſarum cruciformis fiat,aut literæ *Græcæ* X ſimilis. Nam quũ paulo obliquior facta fuerit tranſmiſſio,facilius acus extrahũtur.Deinde inciſis duplicatorum filorum principiis, ſuperna duo principia, ſuperno acus principio ſubiicientes,inferna verò inferno,ſtrenuè conſtringimus. ſimiliter autem & obliquæ acus principia conſtringimus. Optima verò conſtrictio fit, rectis principiis ad obliqua ductis,& hoc modo colligatis. Deinde apicem ſtaphylomatis reſecamus, ſolo fundo ipſius relicto gratia filorũ, vt ne elapſis ipſis,humores oculi effundantur, & oculus cauior fiat.Cur autem ſtaphyloma excindimus?primùm quidem compendiariæ curationis gratia. citius enim fila excidunt,& vlceratio curatur:deinde etiã minori dolore æger affligitur per totum curationis tempus, quum & corpora tranſpirent, & neque magna inflammatio cõſequatur.Poſt reſectionem verò apicis ſtaphylomatis,acus extrahere oportet,filis(velut dictum eſt)conſtrictis: & tũc lac infundere aut oui candidum. Supernè verò oculo imponatur ouũ cum roſaceo ac modico vino concuſſum,& molli lana exceptum. Imponatur etiam tempori alius lanæ hapſus iiſdem imbutus: & facta deligatione,æger in quiete ſeruetur. Poſtera die fomentũ fiat per ſpõgias probè expreſſas,& lacte infuſo,lana ouo imbuta imponatur & deligetur. atque hoc faciendum eſt per plures dies donec fila excidãt. Elapſis autem filis illinantur collyria tenera ad vlcera deſcripta,vt pura exulceratio fiat: deinde cicatricem inducentibus vtendum eſt.

De vlceribus cicatrice indigẽtibus, Cap. XXXVI.

PVrgatis oculorum vlceribus & expletione indigentibus, animaduertere oportet vt ne carne redũdent, ſed aliquanto cauius ad cicatricẽ perueniãt:præſertim ſi in pupilla fuerit vlcus. nam ſupereminentes cicatrices viſum impediunt,& deformitatem afferunt: & dum ex palpebris punguntur,fluxiones inducunt.Quæ verò aliquantulum cauæ ſunt,melius apparent,ac ſplendorẽ excipiunt,& decoræ ſunt ſi fuerint parti concolores. tales autem conſequuntur ſi à mollibus & meatus obſtruentibus pharmacis, compendio ad cicatricem inducentia tranſeamus.Præſtat autem ſi aliquando clandeſtinè caro ſuperexcreuit citò reprimere,ac eminẽtias attenuare, & ſic cicatricem inducere. Vitanda autem ſunt tingentia cicatrices pharmaca, & maximè ſi iuxta pupillam fuerit vlcus:dum enim denigrantur,impediũt viſum.ſed & deligationes oculorum in vlcerationibus vitandæ ſunt, quibus aliqui vtuntur volẽtes humiliare cicatrices. Deligatus enim exulceratus oculus & immobilis factus,ſæpe palpebris agnaſcitur. Porrò vlcera ad cicatricem perducta diligenter notare oportet. Quidam enim decipiũtur,& cauiores factas cicatrices caua vlcera eſſe putãtes, mollia & replentia collyria illinũt: deinde cõtingit locos quidem non impleri, verùm tunicas ex hoc craſſas fieri.Quum itaque ſuperficiem vlceris claram factam videris, & albam ac læuem,& album oculi naturalem colorem recepiſſe,& totum oculum à fluxione liberatum, ſcito ceſſiſſe iam vlcus,& cicatricem inductam eſſe. Eſt autem optimum collyrium quo vſi ſumus in puris vlceribus & cicatrice indigentibus,quod Cleoni inſcribitur.

De cicatricibus & albuginibus,
Cap. XXXVII.

OMnes cicatrices in nigro oculi albæ apparent. Denſata enim corniformi tunica,ſubiectus ipſi cæruleus color non tranſlucet:maximè tamen ſupereminentes albeſcunt: æquales autem minus ſunt albæ: cauiores verò quodammodo concolores ſunt nigro. Quæ verò adſtringentibus pharmacis vſque ad inductam cicatricem curantur,magis obſcurantur,eo quòd pelliculæ per adſtrictionem multùm dẽſantur. At verò calloſas ac diuturnas & craſſas cicatrices curare non oportet.neceſſe eſt enim in talibus collyriis valde acribus vti, & à vehemẽti mordacitate aliæ oculi partes vlcerabuntur:ſi verò etiam ſuffuſio aut glaucedo affuerit, vanum eſt cicatrices extergere. Oportet autem eum qui cicatricem exterere velit, per victum corpus accommodare, quò moderata materia & boni ſucci,in toto corpore adſit. Itaque ab omnibus acribus abſtinere oportet,ſalſiſque ac craſſi ſucci cibis,& à multo vino:& bonæ concoctionis maximè curã gerere,& moderatè boni ſucci eduliis vti. à balneo verò curationis tempore vtendum eſt.Illitio autem facienda eſt ante cibum vbi probè concoxit,& capite ac toto corpore leuis eſt, ventris onere prius depoſito,& nõ ſtatim à lecto ad illitionem tranſeundum, neque ante cœnam. Vitanda ſunt excoriantia cicatrices pharmaca. Quidam enim illinentes ipſa acribus medicamentis, & excoriantes, ac candida ramenta per ſpongias detrahentes, ea in coticulis nigris circũferentes oſtentant: deinde illinunt aliquod medicamentũ quod tingere poteſt.Verùm fluxionibus ſuccedentibus ex pharmacorum acrimonia,itémque inflammationibus, & aliquando reſolutis cicatricibus,vlcera magis profunda fiunt: deinde coguntur rurſus adſtringentibus ac meatus obſtruentibus collyriis vti,& cicatrices magis craſſas faciunt.

Materia attenuans cicatrices & albugines,
Galeni, Cap. XXXVIII.

PRoinde in iis quæ attenuare poſſunt, vtẽdũ eſt pharmacis moderatè extergentibus.Exterſoria autem nõ minima facultate participat æs vſtum, & ſquama æris, & flos eiuſdem,& chalcitis vſta. Si verò lota fuerint talia,exterſoria quidem adhuc manent: tanto verò imbecilliora actionibus fiunt,quanto etiam leuiora.ſecurius eſt autem leuioribus vti. At fortiora iis ſunt, miſy & ærugo:quare etiam ad ſycoſes & callos cõueniunt ſi admiſcentur. Quidam iis adiiciunt etiam gallas pharmacum vehementer adſtringens:ſed vehemẽtius eſt adſtrictione ſimúlque acrimonia atramentum ſutoriũ:multo verò moderatius euadit vſtum ac lotum. eiuſdem materiæ eſt & ſquama ferri ſtomomatis. Quæcunque igitur ex adſtringentibus multùm terream compagem habẽt, aſpritudines ſycoſéſque ac callos eliquant,velut ſunt miſy,& ærugo, & ſimilia. Quæ verò ex ſuccorum genere ſunt, velut omphacium & hypociſtis, glauciúmque & acacia, in ſublitionibus facilè cum lacryma eluuntur. Citra mordacitatem autem extergent, cornu cerui vſtũ, & cornua caprarum. at thus tardiſſimè particeps eſt extergendi facultatis, eximítque dolorem ac concoquit. Prædictorum verò animalium cornua, exterſoria quidẽ ſunt,ſed neque vim eximendi dolorem,neque cõcoctoriam habent, quum frigidæ ac ſiccæ ſint temperaturæ. Thuris autem cortex adſtringit quidem & ipſe non inſtrenuè, ſed multùm omnibus prædictis inferior eſt: thuris verò inter onera confracti pollen (quod mannã dicunt)differt à thure eo quòd modicam adſtrictionem aſſumpſit. parua enim quædam corticis ſegmẽta ipſi admixta reperiuntur. Habet & armenium appellatum vim extergendi:quo videlicet vtuntur pictores.Item atramẽtum Indicum, & propterea vlceribus non inflammatis citra moleſtiam adhibetur. At aloe mixtæ facultatis eſt: velut etiam roſa. habet enim amarum quiddam quod extergit:habet & adſtringens quiddã quo contrahit vlcera, & ad cicatricẽ ducit. Sal verò ammoniacus,& lapis Aſius,& flos ipſius fortiſſima ſunt pharmaca:quare etiã ad ſcabras oculorum affectiones conueniunt. Cæterùm ex aromaticis commodè iis admiſcentur, caſia & malabathrum ac amomum: diſcuſſoria quidẽ facultate prædita,verùm etiam adſtrictione participantia.Nam in cõmuni de omnibus exterſoriis medicamentis noſſe oportet,quæ moderata ſunt, & quæ ſycoſes ac callos conſumunt,ea omnia etiam ad cicatrices craſſas conueniunt.

Auxilia ad cicatrices & albugines, Cap. XXXIX.

AD albugines,dracunculi ſemen habentis occultatũ in terra ſimile piperi,idipſum ſemen accipe, & tritũ cum melle illine. Aliud ad cicatrices & hebetudinem viſus.Seminis rutæ ſcrup.II. Armeniaci ſcrup.VIII.ſalis ammoniaci ſcrup.III.ammoniaci thymiamatis ſcrup.III.

vtere ſicco. Aliud. Cicatrices recentes exterit citra omnem moleſtiam: Lac equinum cum modico melle aſſiduè illitum: aut anethi florem purpuraſcentem cum modica aqua terito, & per linteum excolato, ac ſuccum oculo bis in die inſtillato: & poſtea cucumeris hortenſis ſemen commande, & expreſſum per linteolum ſuccū in oculum inſtilla, & hoc aſſiduè facito. Aliud ad albugines. Sideritidis herbæ fructum læuiſſimè tritū inſuffla: deinde comprehenſum manu oculum, frigida aqua paululum prolue. Exterget etiam generoſè, alcyonium Mileſium cum melle, ammoniacum thymiama tritum cum vino & melle. Quòd ſi puero paruo albugo facta fuerit in oculo, mater pueri ammoniacum commandat, & in pueri oculum ſufflet. Facit & anemones radix bulbiformis læuiſſimè trita illita. & anagallidis cæruleum florem habentis ſuccus cum melle. Aliud. Capnii chelidonii appellati ſuccus cum melle. Nitrum cum oleo veteri. menthæ ſuccus mirificè facit. Columbæ fimus in cote cum aqua dilutus, præter opinionem facit. Item felis fel illitum. Aliud ad albugines certum. Butyrum liquefactū ſolū illine, (ſummè prodeſt) & vtere. de hoc plura promittere nō oportet: omnē enim promiſſionem vincit. Aliud optimū. Lac muliebre, melanteriam ex clauis vetuſtis ac aceto paratam, mel bonum: hæc tria æquis portionibus ſimul mixta & excolata adhibe velut diuinum pharmacum. Aliud. Rumicis hortenſis & plantaginis ſemen in teſta exurito, & cinerem exactè terito, ac vtitor. Aliud. Crocum, piper, æquali pondere læuiſſimè trita, cum felis felle in collyria redigito ac vtitor. Aliud. Pullorum hirūdinum capita detracta in olla exurito ac terito, & in corneo vaſe reponito, ac vtitor. eſt enim vtiliſſimum auxilium etiam ad percuſſos oculos illitum. Aliud. Lapidem ſarcophagum appellatum, ex quo loculos defunctorum magnos faciunt, tundito, cribrato, & cum ſputo ipſius ægri, præſertim ieiuni, terito ac confidenter illinito. Aliud. Vitulæ fel heminæ menſura ad ignē modicè coquito, & optimi mellis parem menſuram adiicito, & myrrhæ drach. II. croci drach. II. ſimul terito, ac rurſus in æneo vaſe ſufficienter coquito, & in pyxidem æream reponito, ac vtitor. Aliud. Lapidis magnetis viui, lapidis ophitæ, ſtibii, æquas portiones tuſas, cribratas, ac rurſus probè tritas, nycteridis herbæ ſucco ac optimo melle addito, illine per ſpecillū ex lapide ſarcophago factū. Aliud. Galbanū cum melle liquefactū ac ſimul tritum adhibeto. Aliud collyrium. tollit albugines mirificè ac citò. Squamæ ferri ſtomomatis dr. duas, aluminis ſciſſi drach. II. gūmi vermiculati drach. III. terito ex aqua, & formatis collyriis vtitor. Aliud. Rhamni ſuccum, ſi fieri poteſt, de ſemine: ſin minus, de foliis, ſextātem, ammoniaci thymiamatis vnc. I. teſtarū ſepiæ vnc. I. mellis Attici ſextantem. trita excipe, ac vtere. Quidam ſolum ammoniacum cum rhamni ſucco terentes illinunt. ipſe verò ſuccus per ſe illitus cicatrices tingit. Archigenis collyrium ad albugines, quod ex vna illitione plurimam albuginis partem tollit: ſummè etiam facit ad omnem periculoſam ac diuturnam lippitudinem. Cochlearum vſtarum drach. III. æris vſti dr. IIII. ſquamæ æris drachm. VI. ſquamæ ferri ſtomomatis dr. XII. æruginis drach. VI. lapidis ſciſſi dr. I. aloes dr. I. omphacii ſicci dr. II. lycii Indici dr. IIII. chalcitidis dr. III. myrrhæ dr. III. thuris dr. III. corticis thuris drach. II. croci dr. II. crocomagmatis dr. II. ſpicæ nardi dr. III. cytinorum dr. II. gummi dr. VIII. terito cū aqua, & formato collyria, ac vtere cum aqua. Quòd ſi aridum facere voles, trito collyrio vtere ſicco. Facit & harmatium collyrium, & præſcriptum ad myocephala ex vino, & his ſimilia. Probè etiam facit ad cicatrices (inquit Apollonius) collyrium pepieſmenon, *id eſt preſſum* appellatū, quæ omnia in tractatu De multi vſus collyriorum compoſitione deſcribentur. At verò Theodotium Seueri cum aqua craſſum illitum, ad tantam tenuitatem perducit cicatrices vt ſenſu cognoſci nō poſſint. Optimum autem in ipſis eſt ſiccum collyrium Alexandro regi inſcriptū, ex croco, ſpica Celtica, & terra ampelitide paratum. habetur autem inter ſicca multi vſus collyria.

Albuginum tincturæ, Cap. XL.

IAM antè dictum eſt quòd abſtinere oportet à pharmacis cicatrices tingentibus: verùm vt ne ignorētur ea quæ hoc facere poſſunt, etiam horum mentio facienda eſt. Gallam, inquit, tritā repoſitam habe, & vſus tempore nucleum ſpecilli calefacito, & eo de pharmaco excipito, ac albugini admoueto. Poſtea verò atramentum ſutorium aqua dilutum adhibeto. Aliud. Malicorium tritum admoueto, & poſtea atramentum ſutorium cum aqua tritum. Aliud. Mali Punici dulcis carnem tritam modica aqua adſtillata, & læuiſſimam factam reponito: & vſus tēpore, vbi hanc ſæpe affricueris, & præadſtrinxeris, hyoſcyami ſuccum illinito ad dies quindecim. hoc & tingit albugines & diſſipat multoties illitū.

Aliud. facit & ad glaucos oculos. Miſy cum aqua tritum in collyria redigito. ſimiliter autem aliud collyriū ex galla formato. Vſus autem tempore, vbi per collyriū ex galla præadſtrinxeris, collyrium ex miſy illinito. Aliud ſiccum. Gallæ drach. I. acaciæ drach. I. atramēti ſutorii drach. II. vtere. Aliud collyrium. Florum mali Punicæ, atramenti ſutorii, acaciæ, gummi, ſing. drach. IIII. ſtibii drach. IIII. galbarum dr. II. aqua excipe: ſi verò flores Punicæ non affuerint, id quod in ipſis malis inter grana membranæ ſpeciem præfert, iniice.

Ad glaucos oculos, vt nigras habeant pupillas, Cap. XLI.

MAlicorii Punici dulcis ſuccū infunde: deinde interſtitio facto hyoſcyami cæruleum florem cum vino tritum inſtilla aut hyoſcyami ſuccum. oportet autē debito tempore flores colligere ac reponere. Aliud. Acaciæ fructum, & parum gallarum diligenter tere, & anemones ſucco excipe vt mellis craſſitudo fiat. deinde liquorem per linteum diligenter exprime ac repone, & vtere velut dictum eſt. Aliud. Cucumeris ſylueſtris ſuccum illine. hic mulieres glaucoculas oculis nigricātibus facit. Aliud. Hyoſcyami cæruleum florem in vmbra ſiccato ac reponito. Vſus autem tempore florem vino auſtero dilutum præillinito: & poſtea ipſum florem læuiter tritum per ſe illinito. Hoc vim ſuam ſtatim declarat.

De puerorum curatione, Seueri, Cap. XLII.

INgens gramarum copia in oculis puerorum reperitur, & inflantur plerunque horum palpebræ à materiæ multitudine. ſunt enim pueri natura humidiores ac calidiores. Itaque horū collyria perfrigeratoria ſunt, & aliquo modo reſiccatoria: participantia etiam non modica adſtrictione, quò ſordium copiam influentem repellere poſſint. Ad tantam enim adſtringēdi facultatem progreſſa ſunt puerilia collyria, vt etiam aſpritudines tollant. Hebetatur enim in pueris collyriorum acrimonia à locali humiditate, & gramarum multitudine. Sed & per allabentium humorum copiam, propter ploratū fientem, collyria eluuntur. Eſt autem nobis experientia cognitum in ipſis primariū & mirabile collyrium, quod recipit lapidis ſciſſi drach. viginti, lapidis hæmatitæ dr. viginti, æruginis dr. IIII. chalcitidis crudæ drach. IIII. æris vſti dr. IIII. opii dr. VI. myrrhæ dr. VI. gūmi drach. XVI. Hæc eſt collyrii compoſitio ratione approbata, & experientia vtilis cognita: teritur ex aqua. Sed & aliud collyrium ad ipſos vtile experientia conſtat, quod recipit lapidis ſciſſi dr. XXIIII. lapidis hæmatitæ dr. viginti quatuor, æris vſti dr. VIII. ammoniaci thymiamatis dr. VIII. miſyos vſti dr. octo, opii dr. IIII. ſeminis hyoſcyami dr. quatuor, gummi dr. octo: excipe aqua. Oportet autem & in his à principio admiſcere lenia collyria, atque ſic paulatim ad efficacem auxiliorum facultatē progredi. Mirificè etiam ad ipſos facit Theophilium collyriū, & quod Mono inſcriptum eſt, quæ inter multi vſus collyria habentur.

De aſpritudinibus & denſitatibus, ſycoſiſque ac callis, Seueri, Cap. XLIII.

QVandoquidem ratio auxiliorum cognationem reſpicit, & velut inter ſe condependentes facultates

reperit,admonet ſanè eadem vt nihil aliud ab ipſis in-
terponamus. Proinde aſperitates,quæ etiam ab aliquib⁹
denſitates vocantur, ex mala curatione ſæpe fiunt, dum
medici diutius collyria inſtillant. Quemadmodũ enim
in externis vulneribus pinguium adhibitio, carnium
quarundam inutilium cauſa eſt: ſic etiam in præſenti fie
ri cogitare oportet. Fiunt autem & ex fluxione diu-
turna minimè mordaci: ſi enim acris eſſet, citiùs ocu-
lis damnum induceret quàm palpebris affectionem in-
ſeminaret.Fit etiam aliquando non prægreſſis fluxioni-
b⁹,neque manifeſta cauſa præſente. & fiũt huiuſmodi nõ
ſimiles iis quæ ex fluxionibus fiũt.In illis enim denſio-
res& aſperiores ac cruentiores euerſæ palpebræ apparẽt:
in his verò,velut milii grana aut erui parua ſemina, vide
re eſt intra palpebras exurgentia.éſtque hæc ſpecies reli-
quis curatu difficilior. Differunt tamen hæc inter ſe.
nam denſitas in ſuperficie eſt,& cum rubore: aſpritudo
verò maiorem inæqualitatem ac eminentiam habet, cũ
dolore ſimul ac grauitate. ambæ autem oculos hume-
ctant. Quæ verò ſycoſis dicitur,altiores eminentias ha-
bet & velut inciſas:& cui alii rei quàm ficui hianti ſimi
lis eſt?Calloſitas verò aſpritudo eſt diuturna, induratas
& calloſas inæqualitates habens.Quidam igitur aſpritu
dines radere conantur, partim ferro, partim foliis fici.
eſt autem hic conatus nociuus. amplius enim ipſas au-
gent,& duras cicatrices inducunt,& aſſiduarum fluxio-
num authores fiunt,dum ſemper oculi ex ſuccedentib⁹
durioribus cicatricibus punguntur. Curare verò opor-
tet aſpritudines,nullo vlcere circa oculum exiſtẽte,col-
lyriis ad pueros relatis,ita vt euerſis palpebris,ſi non in-
flammatæ fuerint,illinãtur,& per ſpecilli nucleum diu
affricentur:(qui enim citò ab affrictione deſiſtunt,den-
ſant magis,& oculis fluxionem inducũt.)ſi verò permã
ſerit cauſa,efficacioribus vti conuenit:quale hoc eſt,Te-
ſtæ ſepiæ drach.octo, pumicis drachmas octo, rubricæ
ſinopicæ, ammoniaci thymiamatis, ſingulorũ drach.
decem,gũmi drach.octo:excipe aqua.Ex huius vſu ma-
gnam laudem reperies: ſtatim enim ab illitione cuticu-
læ quædam in ſpongiæ admotione excidunt. oportet au
tem poſt collyrii illitione, aquam frigidam per ſpon-
giã adhibere. Eſt & aliud collyrium ad huiuſmodi affe
ctiones, quod recipit cadmiæ drach. quatuor, ſquamæ
æris drach. quatuor,ſalis ammoniaci drach. quatuor, o-
pii drach.duas,gummi drach. duodecim: excipe aqua.
Ego verò Seueriano ſicco collyrio vſus profeci, cuius &
tu experientiam magiſtram habebis.Apollonius autem
dicit, Ad exaſperatas palpebras vtẽdũ eſt pharmacis qui-
bus etiam craſſiſſimas cicatrices depurgamus: quale eſt
hoc,Æris vſti drach.octo, myrrhæ dr.I. ſquamæ æris dr.
I. acaciæ drach.II. cadmiæ drach.II. ſpicæ nardi drach.I.
cinnamomi drach.I.croci dr.I.piperis grana XVI.hype-
rici drach.III.ammoniaci thymiamatis dr.III.æruginis
obol.II.gummi dr.I.terito cũ vino veteri auſtero, & col
lyria formato,ac vtitor. Aliud ad fluxiones antiquas
& palpebras dẽſas. Cadmiæ dr.XVI.æris vſti drach.IIII.
ſeminis hyoſcyami dr.I.opii dr.II.myrrhæ, fruct⁹ ericæ,
acaciæ,ſing.dr.IIII.gummi dr.VIII.Omnia ſicca læuiſſi
mè terito,& lac muliebre adiicito,ac ſimul trita in col-
lyria efformato: & ea ſimiliter lacte trita craſſè illinito,
adhibito prius fomento. Liquida compoſitio ad aſpri-
tudines. facit & ad oculos ſuppuratos. Chalcitidis vſtæ
drachmas tres,croci drach.octo,mellis drach.nouẽ. Ari
da cum aqua terito,& vbi probè ſiccata fuerint, mel ad-
miſceto,ac vtitor. Theophili liquida ad omnes ſico-
ſas eminentias,& omnẽ carnis extuberãtiam: Æris vſti
drachmas duas, miſyos vſti drachmam vnam, myrrhæ,
croci,omphacii,ſingulorum drachmam vnã, vini Chii
aut alius adſtringẽtis veteris odorati,vncias ſexdecim,
mellis Attici dextãtem. Sunt & alia collyria facientia ad
aſpritudines, quale eſt Phœnix & Dionyſius, & ſimilia,
quæ inter multi vſus collyria deſcribentur. Cæterùm in
quibus cum palpebrarum aſpritudine etiam tunicæ ocu
lorum inflammatæ dolore vexantur, admiſcere oportet
aliquid de exterſoriis ad propria inflammationi medi-
camenta,qualia ſunt collyria ex vino parata. ſedata verò
oculorum inflãmatione, aſpritudines exterere oportet.

A Verùm in iis qui vlcus habent cum fluxione mordaci,
fieri non poteſt vt huiuſmodi medicamento vtamur.
Corniformis enim amplius corrodetur, & vuiformis
prolapſus maior fiet, & vehemens dolor hominem ap-
prehendet.augebitur autẽ & malignus fluxus. In his igi
tur collyrium huiuſmodi parare oportet, Pumicem læ-
uiſſimè tritum tragacantho aut gummi madefacto ex-
cipimus,& parua collyria formamus: deinde euerſis le-
uiter palpebris diutius affricamus: & poſtea lac infundi-
mus,& collyriis ad puſtulas ac vlcera deſtinatis vtimur.
B Ceſſante verò in temporis progreſſu fluxione, ad acrio-
ra collyria tranſimus,ac cum ipſis palpebras (velut di-
ctum eſt) confricamus.Miſcemus etiam ad ea quæ vlce-
ribus conueniunt,collyria ex vino,paulatim augentes i-
pſorum mixturam,quò neque palpebræ vexent tunicas
oculorum, & vlcera pura facta impleantur ac cicatricẽ
recipiant.

De oculorum debilitate, Demoſthenis, Cap. XLIIII.

C DEbiles oculi dicuntur qui neque albũ, neque ſplẽ-
didum, neque igneum videre ſuſtinent,ſed ex qua-
uis occaſione viſum continent & lacrymantur, præſer-
tim inter legendum.Differunt autem ii à fluentibus pro
pter carunculæ naturalis circa magnum angulum decre
mentum.fluentes enim hoc modo, etiam citra aliquam
externam cauſam lacrymantur:hi verò occaſione aliqua
oblata.Curandi verò ſunt deambulationibus, curſibus,
exercitiis ſupernarum partium cum frictione & ſpiritus
detentione,capitiſque raſura, ac leui oculorum frictio-
ne poſt exercitia,& frigidæ in caput perfuſione. Vten-
D dum eſt & aquæ potu,& victus ratione media.conducit
& legere cum clamore,itémq; ſic ſcribere.Si verò phar-
macis opus fuerit, adſtringentibus & perfrigerantibus
ac meatus obſtruentibus vtemur.

De myopia, Cap. XLV.

MYopes dicuntur qui ex natiuitate parua quidem
propè vident,magna verò procul videre non poſ-
ſunt: & qui ſcripta admotis oculis legunt. & alii quidẽ
inæquales,alii æquales oculos habent. Incurabilis eſt au
tem talis affectio.

E De nyctalope, Cap. XLVI.

NYctalopas vocant qui die quidem vident,occidẽ-
te verò ſole,obſcurius: deinde noctu penitus nihil
cernunt. Hoc autem magis fieri videtur propter aliquã
capitis debilitatem, & maximè viſiui ſpiritus craſſitudi-
nem, itémque reliquorum oculi humorum ac tunica-
rum. Quibuſdam verò contingit, vt noctu quidem me-
lius videant,interdiu autem deterius: & ſi noctu luna ap
pareat,nihil cernunt. ſed hoc rarum eſt,illud autẽ prius
plurimis contingit. Curandi porrò ſunt qui in nocte nõ
F vident (ſi bono habitu præditi fuerint) venæ cubiti ſe-
ctione,itémque ab angulis oculorum: qui verò vitioſis
humoribus redundãt,cõuenienti pharmaco purgentur.
Poſtea poſt vniuerſalem euacuationem vtendum eſt iis
quæ pituitam per os ducũt, & quæ per nares purgant: &
ſternutationes ciendæ. Narifuſorium autem pharmacũ
ipſis cõmodum hoc fuerit:Piperis,ſtaphidis ſylueſtris,
ſing.ſcrup.II.ſinapis ſcr.I. tundito ac cribrato, & radicũ
betæ ſuccum adiicito, vt mellis liquidi compages fiat,
& contrita naribus infunde, ac attrahere iube. atq; hoc
G ad dies V.aut VII. facito. Vtere etiã aliis quæ in nares
mittuntur,in ſermone De narium affectionibus præſcri
ptis.Ante cibum verò bibant hyſſopum, origanum,ru-
tam. diæta autẽ attenuatoria ſit ex toto. Si verò per hæc
non ſucceſſerit,rurſus purgatorium dãdum eſt,quale eſt
hoc, Scammoniæ obolos tres,caſtorii obolos duos,ſalis
obolos tres. In debilioribus autem ſcammoniæ obolos
duos iniice.Talis enim purgatio ſæpe eueſtigio ab affe-
ctione liberauit, aut multo meliorẽ diſpoſitionẽ indu-
xit.Poſt paucos autẽ dies dandũ eſt purgatoriũ pituitã
H & bilẽ ducens,quale eſt hoc: Colocynthidis obolos II.
ſcãmoniæ obolos quatuor,ſalis obol.quatuor:excipe in
catapotia ſex, & mediis habitibus tria præbe: fortibus
autem,omnia. Oculi verò illinantur melle cocto,& ad
continendũ liquorem immiſſum claudãtur:aut oleo ve
tuſtiſſimo ſimiliter illinantur:aut aluminis ſciſſi in teſta

exuſti drachmas duas, ſalis ammoniaci aut Cappadocici drachmam vnam, terito & cum melle illinito, aut cum lacte muliebri:aut hyænæ fel cum melle. Vitandus tamē eſt frequentior acriorum pharmacorum vſus:aſſiduè verò vtendum oleo vetuſtiſſimo. Putatur ipſis prodeſſe hepar hirci aſſatum, cum ſale citra oleum calidiſſimū comeſtum. Quidam etiam deſtillante ex hepate, dum aſſatur, ſanie ipſos illinunt:aliqui hepar coquunt, & oculos ſuper elatum vaporem detinentes, hoc fomento vtuntur. Auxiliatur etiam elaterium ex interuallis cum melle illitum. & perdicis fel aut capræ ſylueſtris, aut hirci. bugloſſi etiam piſcis fel illitum valde prodeſt. At verò diæta tota attenuatoria ſit:& ab initio etiā à vino abſtinēdū eſt:& vitanda omnia craſſefacientia. Cæterùm in iis qui noctu melius vident, interdiu autem deterius, non cōiectamus ſpiritum multùm attenuari, aut tunicas rarefieri, atque ex hoc ſpiritū diſſipari, ac viſum obſcurari:noctu verò craſſefieri colligique, ac ſenſum mouere. & oportet in iis robur oculis addere. Herophilus tamen vice verſa in libro De oculis dicit, Ad eos qui in die non vident, gummi, crocodili terreſtris ſtercus, miſy, hyænæ fel, trita cum melle illinito bis in die, & ieiunis hirci hepar edendum præbe. Ego verò coniecto hoc magis facere ad eos qui noctu nō vident.

De hebetudine oculorum, Galeni, Cap. XLVII.

HEbetudo oculorum eſt obſcuritas videndi, ob plurimas cauſas contingēs:aut dū viſiuus ſpiritus incraſſatur:aut dū tunicæ denſantur ac craſſeſiunt, aut dū humores in oculo craſſi ac viſcoſi fiunt. Contingit etiam his hebetudo qui diuturno morbo detenti fuerunt, & triſtitia ingenti. At in ſenibus cum hoc quòd craſſi facti ſunt humores, & tunicæ ſpiritus viſiuus, etiam debilitas adeſt ſpiritus viſiui, & imminutio multa, ac collapſio, & velut corrugatio nerui viſiui ac tunicarum in oculo denſatarum ac craſſefactarum. Nam dum imminuuntur humores in oculo ſenibus ipſis, & minus de ſpiritu ex ſupernis ad pupillam defertur, vſqueadeo rugoſa fit ſæpe corniformis tunica, vt ſenes partim omnino non videant, partim malè & vix adhuc cernāt. Corrugationes enim mutuò inter ſe incidunt, & tunica velut conduplicatur, & aliam craſſitudinem aduētitiam aſſumit. Porrò auxilia in communi ad hebetudinem, ex eadem materia componuntur ex qua etiam in incipiētibus ſuffuſionibus, & partim in collyriorum formas effinguntur:partim liquida ſunt: (quæ etiam induratis inflammationibus tunicarum conueniunt) partim ſicca. Horum compoſitiones in fine huius Sermonis habentur.

De obfuſcatione oculorum, Demoſthenis & Galeni, Cap. XLVIII.

OBfuſcatio eſt perfectum vtplurimum videndi impedimentum, citra manifeſtam circa oculum affectionem, pura videlicet apparente pupilla. Et quibuſdam paulatim affectio conflatur:aliis confertim incidit, vt minimum aut ſemel in totum non videant. Et obfuſcationis quidem paulatim conflatæ plures cauſæ ſunt, de hebetudine iam relatæ. eius verò quæ confertim incidit, cauſa eſt obturatio nerui viſiui, craſſis ac viſcoſis humoribus confertim ipſi illapſis, aut eiuſdem nerui reſolutio. Præcedunt affectionem aſſiduæ cruditates, & meri potus, inſolatio, capitis inuſtio ac ardor, aut perfrigeratio: aut aſſidua lectio poſt cibum, aut balnea ſimiliter aſſidua poſt cibum, & vomitus intempeſtiui, coitus immodicus ac intēpeſtiuus, ſpiritus detentio violenta, quemadmodum in tubicinibus contingit. Hæc enim & his ſimilia, cum modicè fiunt, viſus hebetudinem efficiunt: dum verò immodicè, obfuſcationem. Fit etiam aliquando obfuſcatio ob fortes capitis plagas, aut caſus ex alto, reſoluto quandoque neruo viſiuo, aut rupto, aut (quod omnium mitiſſimum eſt) humorum copia per vehementem concuſſionem illata & viſiuum neruum obturāte. In reſolutionibus igitur nerui, tardè mouetur oculus, aut omnino non. Quum verò ex violenta plaga in caput facta, aut ex caſu, à cerebri connexu ruptus fuerit neruus, primùm quidē oculus prominentior fit:deinde cauatur & alimentum non ſentit. Quū autē ob humorū craſſorū ac viſcoſorum copiā neruus cōfertim obſtructionem ſuſtinuerit abſque alia cauſa, neceſſe eſt capitis grauitatem conſequi, maximè in profundo iuxta radices oculorum. Eos igitur quibus oculi cōfertim obfuſcantur, curare oportet vena cubiti inciſa, ſi plenitudine grauatus fuerit æger. validiſſimum enim auxiliū in ipſis eſt venæ ſectio. Deinde interpoſitis aliquot diebus, faſciam collo circumdabimus ac conſtringemus: & poſtquam frontis venæ eleuatæ fuerint, rurſus exoluemus, & hoc iterum atque iterum faciemus, quo per ſpiritus motum humores obturati violenter concutiantur. Poſtea eleuatas angulares venas, ab vtraque naſi parte ſiccare oportet, & fortem euacuationem facere. Ego enim ad tres heminas ex angularibus venis aliquando euacuaui. Poſt hæc confeſtim cucurbita occipitio affigenda eſt cum ſcarificatione. Contingit enim plerunque ſtatim incumbente adhuc cucurbita hominem reſpicere. ſed non oportet hoc auxilio cōtentum eſſe:verùm reparatis viribus poſt tertiam diem purgare, deinde ad diætam deducere. At verò in iis quibus paulatim per multum tempus oculi obfuſcantur, præmiſſa recta victus ratione, à venis angularibus euacuationem, velut dictum eſt, faciemus. & in iis qui non multo ſanguine abundant, ſtatim ab initio ab angulis auferatur:deinde cucurbita occipitio affigatur:& poſtea purgatio fiat. Per diætam verò, maximè alnum facilè ſolubilē facito per cibos, bonæ concoctionis, præ omnibus ratione habita. Per aliquot dies autē dāda eſt aloe deuoranda, terebinthina excepta in catapotia. facit & cnici ſuccus cum melle. Vtendum eſt & exercitiis infernarum partium, & deambulationibus pluribus in vmbroſis locis. Vitandus eſt vini potus, & aquæ potio viriliter toleranda. Vitandus eſt etiam omnis cibus craſſefaciens, & aſſiduus coitus, & capitis inſolatio. Neque verò balneum conuenit, neque ſomnus diurnus, neque vehementior à cibo motus, neque legere aut ſcribere. Vitādæ ſunt iræ, indignationes, & curæ pertinaces, & vehemētes perturbationes, ac timores, præſertim poſt cibum, & aſſidui vomitus. Quotidie autem proluenda eſt facies aqua frigida, præſertim pluuiali, & illinendum corpus per alios. Perſeuerante verò affectione, etiā per narifuſoria caput purgetur, ita vt narib⁹ infundamus quæ ad capitis dolorem dicta ſunt. Vtendum eſt & pituitam per os detrahentibus ibidem relatis. At verò illitio oculorum, diuturna iam exiſtente affectione, primùm per ſimplicia fiat veluti per mel non fumoſum, aut oleum vetus: poſtea etiam compoſitis vtendum eſt. Nos autem laudem aſſequuti ſumus in ipſis ex Diacēteti collyrii vſu, & liquida Aglaidæ compoſitione ad ſuffuſiones deſtinata. Commune verò ad omnē obfuſcationem ac hebetudinem hoc eſt: videtur autem & ad membranarum craſſitudines facere:Croci drachmam vnam, myrrhæ drachmam vnam, piperis grana XV. ſpicæ nardi obolos duos, ſucci fœniculi drach. XVI. ammoniaci thymiamatis drachmam vnā, mellis quincuncem. Ad omnia læuiſſimè trita fœniculi ſuccum affunde, deinde tere ac reſicca, & admixto melle ænea pyxide excipe, ac vtere. Ante illitionem verò fomētum per ſpongiam in aqua calida marina tinctam oculis adhibendum eſt: aliquando etiam tota facies in marinā tepidam immittenda eſt. atque hæc quidem communia in omni obfuſcatione. Cæterùm iis quibus ob coarctationem multorum aut craſſorum humorum ad neruum delatorum, viſus impeditur, poſt venæ ſectionem & cucurbitæ admotionem & purgationem caput ſinapiſmo integendum eſt:& poſtea etiam cauſtico pharmaco occiput exulcerandum:& capitis ex aqua calida perfuſione vtendum. præſtat autē ſalſuginoſam aut nitroſam eſſe aquam.

De reſolutione oculorum, Cap. XLIX.

NON ſolùm neruus viſiuus, velut prædictum eſt, ſed etiam totus oculus aliquando reſoluitur, aliquando cum reliqui corporis dextris aut ſiniſtris partibus reſolutis:aliquando verò priuatim circa ſolam palpebram fit reſolutio: aliquando verò etiam totus oculus reſoluitur. Et ſi quidem palpebra fuerit reſoluta, oculus ſemper concluſus eſt, & palpebra non ſentit: ſi verò totus oculus reſolutus fuerit, motus ad dextram ac ſiniſtram, ſurſum-

que ac deorſum perficere non poteſt:& ſiquis acrius pharmacum ſublinat,nõ percipit morſum.Si igitur palpebræ ſolius fuerit reſolutio,præpurgato per aloedaria vniuerſo corpore,& poſt aquæ potus & frequentioris deambulationis ac multæ infernarum partium frictionis vſum,palpebra aſſiduè alumine ſciſſo cum acri aceto illinatur, & collyriis calidioribus, aut eo quòd ex ſandyce cõſtat.quòd ſi hinc non reſtituatur, ſurſum ſuere ipſam oportet. Totius autem oculi reſolutiones ægrè curabiles ſunt, maximè in ætate prouectis. Si verò ex natiuitate cõtigerit reſolutio, impoſſibile eſt hac corrigere.In quibus igitur ſalutis ſpes eſt,talis curatio facienda eſt præ omnibus:Si bono habitu prædit⁹ fuerit, vena cubiti ſecetur,deinde anus per clyſterem eluatur,poſtea purgatorio corpus euacuetur: deinde pituitam per os ducentibus vtendum :deinde per ea quæ naribus induntur purgandum.Poſtea cucurbita occipitio affigenda cum ſcarificatione.& hirudines temporibus admouendæ.Propinandum etiam caſtorium per ſe, & cum abſinthio.Dandum & pulegium, hyſſopum,rutá, cum aceto mulſo ac ſale:poſtea caput caſtorio illinatur,cũ roſaceo & aceto.Et ex eodem vnguento,mollis lana imbuta,oculo clauſo imponatur,cauendo ne in oculum inſtillet:atque hæc curatio bis in die fiat.Palpebræ verò forinſecus & frons,caſtorio cum croco ex aceto illinantur. Mihi verò videntur liquidæ ex caſtorio ac melle ad affectionem commodæ,quæ compoſitiones & ſublinendæ & ſuperlinendæ ſunt.A vino verò,& carnoſo multúmque nutriente ac craſſi ſucci cibo omni abſtinendum eſt, & aſſumendi qui excretiones facilè ſolubiles faciunt,ac humores attenuant. In primis temporibus vitanda ſunt etiam balnea & vaporatoria & inſolationes. Vomitibus autem ex interuallis vtẽdum ieiunis,à raphanis, deligato oculo, & citra multam lancinationem.

De glaucedine, Cap. L.

GLaucedo duobus modis dicitur.Glaucedo enim propriè mutatio eſt cryſtallini humoris ad glaucum humorem,ſiccitáſque ac concretio: altera autem glaucedinis ſpecies,ex prægreſſa ſuffuſione fit, humore iuxta pupillam vehementiſſimè congelato ac reſiccato.& hæc ſpecies incurabilis eſt. At propriè dictam glaucedinẽ incipiẽtem aliquando ſanare datur, ex deambulatione pro viribus,& totius corporis frictione,ac lauacris,maximè capitis. Æſtate verò etiam frigidæ lauacrum conuenit,& tonſura capitis ad cutem : oculi verò ſolo oleo antiquo ſublinantur.

De ſuffuſione, ex Demoſthene, Cap. LI.

SVffuſio eſt præterfuſio humorum circa pupillam congelatorum,vt, vbi perfecta fuerit,viſum impediat. Incipiente verò ſuffuſione,talia ægris accidũt:Velut culices parui caliginoſa quædam oculis ſæpe obuerſari videntur. & quidam ex ipſis piliformia vident, alii velut lanarum filamenta,aut araneorum texturas: quibuſdam circa lucernas circuli apparent. Hæc autem vbi apparuerint, aliquando pura pupilla apparet iis qui negligentius conſiderant:aliquando verò colorem maris refert. Augeſcente deinde affectione, augeſcunt etiam accidentia: perfecta verò eadem,homo non videbit,pupilláque colorem ad albedinem mutat,& omnino non tranſlucet. Plures autem ſunt coloris ſpecies:quædam enim ſuffuſiones aërem aſſimilant, aliquæ vitrum referunt,aliæ albicantes ſunt,aliæ ad cæruleum colorem magis mutãtur, aliæ glauceſcunt: quæ etiam incurabiles ſunt.Curandi autem ſunt qui ſuffuſione tentantur,in principio ſanguinis de cubito detractione:& ſi nihil impedit, etiam clyſteribus acrioribus,& purgationib⁹:deinde quoq; cucurbita occipitio affigenda eſt cum ſcarificatione:& pituitam per os detrahentib⁹ ac narifuſoriis,ex interuallis vtendum. A vino verò abſtinendum eſt per totam curationem,& ab omnibus replẽtibus caput:itémque à balneo,niſi quis laſſitudinis ac tardæ concoctionis gratia ad ſe lauandum cogatur. Et tunc omnino non in aere balnei moretur, neque in ſolio moram trahat:ſed paululum inſcendat, & citò exeat. Diæta verò omnis ſit attenuatoria. Medicamentis autem vtendum eſt,primùm ſimplicibus,velut melle,& oleo veteri, ac fœniculi ſucco: deinde etiam compoſitis liquidis ac

A ſiccis collyriis,quæ paulo pòſt deſcribẽtur inter communia auxilia.

De midryaſi, *id eſt pupillæ dilatatione*, Cap. LII.

PVpillæ dilatatio appellatur,quum pupilla colore quidem nihil abalienatur, multò verò latior quàm pro naturali modo euadit, vt aliquando ad iridis circulum accedat,& quandoque in totum viſum impediat : aliquando tamen vident,verùm obſcurè,& quæ videntur ab ipſis omnia minora putantur, diffuſo videlicet ſpiritu viſiuo. B Fit hæc affectio propter humorum allapſum,qui aut aceruatim aut paulatim ferũtur,à quibus citra ſenſum vuiformis tunica diſtenditur,& pupilla amplius dilatatur. Eſt autem affectio valde ægrè curabilis. quum enim membranoſa ſit tunica vuiformis, vbi ſemel diſtenta fuerit,induratur,neque facilè amplius contrahi poteſt. Accidit autẽ affectio hæc magis pueris,propter tunicarũ debilitatem. Sed & qui ex natura nigros oculos habẽt,magnas etiã pupillas habẽt: quapropter facilè in hanc affectionẽ delabũtur.Curanda eſt autem affectio,ſi nihil impedierit, venæ C ſectione in cubito,aut purgatione:ſi verò hoc fieri nõ poterit,angulares venæ ſoluantur:deinde cucurbita occipitio affigatur. Vtendum eſt & deambulationibus lentis ac pluribus,in locis vmbroſis:& omni modo conandum vt materia ad infernas partes detrahatur.Quapropter in principio etiam clyſteri vtendum eſt, & infernarum partium frictione per alios. Poſt deambulationem & inunctionẽ facies aqua marina proluatur,hyeme tepida, æſtate frigida.Tota etiam facies in aquam mittatur oculis per tempus quoddam apertis.quòd ſi marina non adſit, parum ſa D lis aquæ miſceatur, aut poſca aquoſa aſſumatur. A vino abſtinendum eſt donec affectio fuerit ſoluta.& tota diæta tenuior ſit & ventri commoda.Balnei vſus rarior ſit, & tunc caput non valde perfundatur. Pharmacis vtendum eſt ſubadſtringentibus,velut roſa,croco,nardo,thuris cortice,pompholyge,ſpodio,& acacia.nam valde acres pharmacorũ facultates humorũ copiã attrahentes,diſtendunt membranas,& latiorem pupillã efficiunt. Quapropter & quæ vehementer adſtringunt,velut eſt chalcitis, miſy, & quæ amplius frigefaciunt,velut cicuta,membranas indurant.Sed & amplius contrahere ac coarctare pupillam in- E commodum eſt:nam hæc res pupillam ad tabem perducit.

De tabe pupillæ, Cap. LIII.

TAbes pupillæ dicitur quum anguſtior & hebetior facta fuerit.Hoc autem pleriſque contingit ex periculoſis debilitatibus,aut ingenti capitis dolore. His autẽ maiora apparent quàm pro naturali modo, quæ ab ipſis videntur,propter pupillæ anguſtiã. Curationem porrò in his contrariam midryaſi facere oportet,ita vt exerceaF mus ſupernas partes, humeros ac manus cum ſpiritus detentione.& caput ac faciem diligenter confricemus : deinde oculos ſummis digitis.facies etiam aqua calida proluatur:& caput vnguento quodam moderatè calefacere potente illinatur,quale eſt irinum.Et modico facto interſtitio,oculi rarefaciẽte,& acriore,ac humiditatem attrahente pharmaco ſublinãtur,quale eſt hoc collyrium:Ammoniaci thymiamatis drachmam vnam, crocomagmatis drachmas quatuor,croci drachmas duas,æruginis drachmas quatuor:trita cum aqua efforma,& vtere. facit & G Eraſiſtrati liquida compoſitio. Victus ſit optimi ſucci & ſorbilis,vinum fuluum & odorum.ſomnus excipiat cibũ. Sed & balnea cõueniũt,& capitis ex aqua calida perfuſio.

De macie oculi, Cap. LIIII.

OCulus macer eſſe & alimentum non ſentire dicitur, quum ex vehementi capitis dolore, aut in febribus acutis,paulatim humiliatur & cauatur, & in totũ minor fit,& aliquanto obſcurior,& viſum impedit.Contingit autem hoc ſæpe ex caluæ inciſione & perforatione:quando ſanè etiam ægrè curatur.Differt autẽ macies à tabe, quòd H tabes pupillam ſolam minorem facit:macies autem totũ oculum minorem & humiliorem efficit. Curandi porrò ſunt ſic affecti, ſpongiarum ex calida aqua expreſſarum circa oculos fomento.Lac quoque tepidum ipſis infundendum,& ab omni collyrii adhibitione abſtinendum.

Cibi dentur ipſis multùm nutrientes & optimi ſucci. vinum ſit fuluum & tenue. Vtendum eſt balneis,& capitis ex calida aqua perfuſione. exercitiis item partium ſupernarum,& ſpiritus detentione.

De expreſſione oculorum, Cap. LV.

EXprimuntur oculi aliquando vt prominētes permaneant. & hoc contingit iis qui ſtrangulantur,& in athleticis certaminibus, & fœminis quæ in partus doloribus amplius diſtendūtur: aut ex fluxionibus plurimis quæ aceruatim à capite defluxerunt. Qui igitur ex ſtrangulatione in hoc inciderunt, iis vena cubiti ſecetur: ſi verò aliâs craſſi humores influentes oculos impetiuerūt, purgentur veratro nigro aut ſcammonia. At expreſſiones oculorū, in fœminis ex partus doloribus ſæpe contingentes, purgationes per locos muliebres ſoluūt: quare has procurare oportet, In viris autem poſt venæ ſectionem, aut purgationem, ſi permanſerit affectio, cucurbita occipitio affigatur,& aquæ potus exhibeatur,& cibi cōtrahantur, Oculo verò imponatur lana melle imbuta cū modico croco,& hapſus lanæ ſuperimponatur,& placida cōpreſſione deligetur. Cōducit his etiam poſt principium, aqua marina frigida faciei affuſa, & intubi ſuccus ac polygoni,& pſyllii cum opio illitus:& quæcunque alia comprimere ac contrahere poſſunt.

De confuſione, Cap. LVI.

COnfuſio oculi plerunque ad vehementes plagas cōſequitur. ſed & ex vuiformis tunicæ inflammatione cōtingit, ruptis in ipſa vaſis. Pupilla verò colore turbida fit,& aut maior aut minor ſeipſa euadit. curādæ igitur ſūt cōfuſiones ex plaga per venæ in cubito ſectionē. & totus oculus ſāguine recèns mactati turturis, aut in illius penuria, columbæ expleatur,& mollis lana in ouo cū vino & roſaceo cōquaſſato madefacta imponatur ac deligetur:& poſtera die idē fiat. Tertia verò fomētū adhibeatur,& lac inſtilletur: poſtea ouorū aſſatorū vitelli imponantur, cū melle & croco trito, linteolo illiti. Quum autem pupilla iā purgata fuerit, collyria ad antiquas affectiones deſtinata ſublinantur, quale eſt aromaticum & chiacum Apollonii,& ſimilia. Facilior autem curatu eſt confuſio in iis quibus pupilla ſola ampliatur: colore verò & figura ſimili permanet. difficulter autem curatur in iis quibus pupilla diuulſa eſt.

De iis quæ in albo oculi naſcūtur, Cap. LVII.

OMnia quæ præter naturam in albo oculi naſcuntur, quæ quidem doloris exortia ſunt, in quibus pili ſæpe exoriuntur, & quæ non valde à naturali colore euariant, curabis hamo apprehendens ac extendens, & poſtea ſcalpro pterygiis deſtinato reſecans: deinde ſalem tenuem inſpergens, & lanæ hapſum imponens ac deligans,& reliquam curam adhibens velut in pterygiorum reſectione. Quæ verò ſubrubra & tumida ac varicoſa ſūt, dolorificáque & aſpera, & tempora per conſenſum afficiunt, ea omnia fugere oportet velut maligna,& pericula ac oculorum prolapſus inducentia in chirurgia.

De pterygiis, Cap. LVIII.

PTerygium, *unguis Latinis quibuſdam nocatus*, dicitur quum album in oculo amplius augeſcit, aut caro ſuperexcreſcit, ex ſcabra quadam lippitudine, aut aſſiduis fluxionibus. Incipit autem huius augmentum, ſæpe quidem ab angulo magno appellato iuxta naſum, rarius autem à paruo:& adhuc rarius generatur à ſuperna aut inferna palpebra, extenditúrque vſque ad nigrum. Quum verò maius factum fuerit, etiam pupillam contingit, & viſum impedit. Facilia verò curatu ſunt pterygia albicātia,& anguſtum fundum habentia: his verò contraria ægrè curantur. nam ſubrubra poſt curationem chirurgicam, cariem ac dolores dimidiæ capitis partis inducūt. attamen poſt ſymptomatum ſublationem oculus, liberatur. At pterygia in quibus etiam principia ſunt ſuffuſionis, curare non oportet. his enim ſublatis, citiùs ſuffuſio conflatur. Sed neque craſſa pterygia curāda ſunt,& euerſa,& eminentia ac indurata, & quæ tempora per conſenſum afficiunt. ſunt enim maligna & cancerata. Quæ verò vſque ad pupillam pertingunt, & propterea viſum impediunt, ſi tollantur, liberant quidem oculum à fluxionibus, cicatrix autem quæ ex chirurgia iuxta pupillam ſuccedit, nihilominus viſum impedit. Cæterùm ex pterygiis ea manu curare oportet, quæ aucta ad nigrum ſe extendunt: quæ verò parua & in albo ſunt, ea conandum eſt vt pharmacis comprimamus.

Pharmaca ad pterygia, Cap. LIX.

PTerygia probè deprimit ſiccum ad ſcabiem deſtinatum, ex chalcitide & cadmia compoſitum, quod ad ſcabros angulos deſcriptum eſt: & Theodotium collyrium Seueri tritum ac ſiccum adhibitum,& omnia exterſoria collyria, ad aſpritudines & ſycoſes deſcripta,& quæ ad myocephala & ſtaphylomata cōueniunt, maximè ex vino parata. Archigenes autē, Ad pterygia, inquit, atramēti ſutorii drach. II. ſalis ammoniaci drach. II. gummi drach. I. terito ex aceto,& collyria formato ac vtitor. Aliud celebre, quod celerrimè ipſa conſumit. Chalcitidis vſtæ, vt fulua euadat, drach. IIII. croci drach. I. tritis vtere ſiccis. Aliud experientia cognitum. Chalcitidis vſtæ drach. XX. cadmiæ drach. X. ſquamæ æris rubri dr. I. piperis drach. I. vtere. Aliud, ex fundo tollens pterygia. Atramenti ſutorii torrefacti drach. II. æris vſti dr. I. ſiccum adhibe:& poſt detractionem, collyrio ex roſis cura, aut ex croco collyrio. Aliud. Magnetem lapidē viuum diligenter terito,& ſemel in die vtitor. Aliud. Populi nigræ ſuccum cū duplici melle illine. Aliud. Atramentum ſutorium cum felle ſuillo, æquali pondere trita illine. Aliud. Sepiæ teſtas cum ſale ammoniaco, æquis portionibus tere ac vtere. Aliud. facit & ad ſugillationes & hebetudines: Lapidis magnetis viui drach. quatuor, æruginis drach. vnam, minii ſinopici drach. quatuor, ammoniaci thymiamatis drachmas quatuor, croci drachmas duas, mellis quincuncem. hoc etiam ad albugines facit. Aliud. Glaucium tundito, cribrato,& modica aqua terito, & ſufficiente pompholygis cinere addito, collyria formato:& vtere cum aqua bis per diem. Aliud. Æs vſtum cum pueri incorrupti vrina terito, ac vtitor. Aliud. Squamæ æris rubri, nitri rubri, pumicis, cimoliæ, ſing. drach. IIII. terito ex aceto donec ſiccentur,& vtere. reponito autem in teſtaceo vaſe puro.

Chirurgia pterygiorum, Cap. LX.

AD pterygii verò ſublationem ita chirurgiam aggredimur. Palpebras inter ſe diſparamus,& hamulo circa medium pterygii tranſfixo, leuiter diſtendimus vt ne cuticula corniformis tunicæ eleuetur. ſimul enim ſublata, maximas inflāmationes inducit. deinde acum accipimus, quæ filum & pilum equinum tranſmiſſum habet,& hanc diſtēto per hamulum pterygio ſubiicimus. deinde deligatum per ſubiectum filum pterygium diſtēdimus, filum leuiter ſurſum trahentes, & fili principiū miniſtro induſtriè tenendum præbentes. Nos autem vtraque manu pilum tenentes, ſurſum ac deorſum ipſum commouemus,& pterygium ſubexcoriamus, initio à nigro facto vſque ad angulum: deinde continuitate ipſius ad nigrum exoluta per pilum,& diſtenta per filum, ſcalpro ad pterygia deſtinato funditus auferimus pterygii partem iuxta angulum, palpebras & angulum cauentes. quibus enim palpebræ ſimul inciduntur, iis concretiones fiunt: quibus autem funditus angulus reſecatur, iis naturalis eius loci carnis decrementum ſuccedit. Si verò fundum pterygii fuerit relictum, regeneratur, ſi non pharmaco aliquo ex prædictis fuerit conſumptum. Congruentis igitur modi coniecturam facere oportet. Quòd ſi ægri formidoloſi oculos aperire non fuerint auſi, hamulo ſupernæ palpebræ ſubmiſſo, leniter ipſam extrà diſtendimus, atque ſic (velut dictū eſt) operamur. Poſt detractionē verò, muriā acriorē oculo infūdimus: deinde lanam ouo imbutam imponimus,& oculū deligamus: ſequenti deinde die ſoluimus, & moderato fomento adhibito, album ac tenerum Seueri collyrium infundimus: quarta verò, collyriis ad affectiones commodis vtimur, de cætero vitantes tenera & incarnantia collyria. Sunt autem ad affectiones commoda, nardina & Theodotia,& omnia ex vino ſi entia collyria.

De carnis in angulo magno incremēto, Cap. LXI.

ENcanthidem vocant, quum magnus oculi angulus ad naſum, auctus carne ſuperexcreuit, id quod

maximè in canibus contingit: verùm in hominibus redundat qui in mari verſantur. Proinde ſi benignum fuerit hoc carnis incrementum, dolore vacat, & tenerũ eſt ac laxum: ſi verò malignum, durum erit & inæquale, & dolores punctorios inducet. Oportet autem benignum curare ac paruum pharmacis ſiccis, tum eo quod ex cadmia & chalcitide ad ſcabros angulos paratur, tum hoc ipſo quod optimum eſt: Aluminis ſciſſi, miſyos torrefacti, atramenti ſutorii, partes æquales. hoc egregiè cõſumit omne carnis angulorum incrementum. Vtere etiã Theodotio Seueri collyrio ſicco trito adhibito: & eo quod ad myocephala ex vino paratur.

Chirurgia incremẽti carnis in angulo, Cap. LXII.

AT verò maius & malignum carnis in angulo incrementum, volſella apprehenſum reſecare oportet: ſi verò maior fuerit eminentia, acum duplex filum habentem tranſmittere ad fundum oportet, deinde filum conſtringere, & paruo interſtitio facto donec caro liueſcat, ſcalpro auferre, & ſiccum ſcabiei deſtinatum adhibere: & hapſum lanæ aut conduplicatum linteum ſuperimponere: poſtera verò die fomentum adhibere: & poſt tertiã mellis vſu curam abſoluere. Cauendum eſt autem ne vnà cum carne præter naturam aucta, etiam ipſum angulum funditus tollamus, alioqui rhœas, *hoc eſt naturalis carnis in angulo decrementum* ſuccedet.

De ſanguinis ex angulis eruptione, Cap. LXIII.

FIT & ſanguinis ab angulis eruptio, maximè pueris, ob aſſiduos eiulatus ac diſtentiones, apertis circa palpebras vaſis. Curãdi autem ſunt poſcæ frigidæ aut aquæ frigidæ perfuſione tum ſuper angulos, tum ſuper caput facta. Infundendum etiam oui candidum per ſe, & cum aliquo collyrio ad tenues fluxiones conueniente. Vtendum & infernarum partium deligatura & cibo craſſefaciente. in perfectis autẽ ætatibus cucurbita occipiti affigenda eſt cum ſcarificatione.

De concretione palpebrarum ac contractione, Cap. LXIIII.

COncreſcunt & agglutinãtur palpebræ ad albũ aut nigrũ in oculo, aut inter ſe, vlceratione prægreſſa. Quũ igitur ad albũ cõcretio palpebrarũ facta fuerit, & oculi motus impeditur, affectionẽ hãc ancyloſin vocant, *hoc eſt contractionem*. Quæcũque igitur cõcretiones iuxta angulum factæ ſunt vtriuſque palpebræ, eas hamulis diſtentas diſſecare oportet, & linamẽto indito diſparare, & poſtea velut cõmunia vlcera curare. Quæcũque verò concretiones factæ fuerint extremitatis palpebrarũ ad oculi tunicas, eas cæco hamulo diſtendere oportet, & ſcalpro pterygiis deſtinato concretionem exoluere, deinde carnis incrementum ſicco aliquo deprimere, & ære læuiſſimè trito palpebras ſublinire, & oculum vſque ad perfectam curationem indeligatum ſinere.

De pediculis palpebrarum, Cap. LXV.

PEdiculi generantur in palpebris lati, parui, multi, ex ĩgluuie & illuuie ac mala diæta ortũ habẽtes. Curatio igitur adhibẽda eſt primùm, vt pediculi diligẽter expurgẽtur: deinde aqua marina tepida affũdatur: & poſtea ſubſcriptũ pharmacũ loco adhibeatur: Aluminis ſciſſi dr. II. ſtaphidis ſylueſtris obol. I. piperis obol. II. æris vſti dr. I. myrrhæ obol. II. lapidis ſciſſi obol. III. miſyos torrefacti drach. I. terito, ac vtere ſicco. Adhibẽda præterea ſunt balnea, & caput diſcutientibus ac corroborantibus cõfricandum: & exercendæ infernæ partes, & victu boni ſucci vtendum. Similis autem curatio lendibus quoque palpebrarum adhibeatur.

De pilis pungẽtibus palpebrarũ, & de duplici pilorũ ordine, itémque multiplici, quã phalangoſin dicunt, Cap. LXVI.

PIlorum pungentium in palpebris exortum, trichiaſin *Græci* vocant, quum ſanè ſub pilis naturalibus in palpebris alii exorti & intrò nutãtes, tunicas pungunt, & oculorum fluxiones concitant. Dicitur etiam trichiaſis, quum ipſæ palpebræ laxatæ ſunt: aut ipſarum extremitas intrò nutat, vt pili non facilè appareant niſi quis diſtendat ac diſparet palpebras. Vocant autẽ medici

A palpebræ laxationem, phalangoſin aut caſum: pilorum verò ſubcretionẽ, diſtichiaſin, *id eſt duplicem pilorum ordinem.* fiunt autem hæ affectiones, & præſertim duplex ordo, ex multa humiditate. Quemadmodũ enim in terra largitas aquarum plurimas herbas profert, ſic etiam in palpebris: maximè vbi influentes humores minimè mordaces fuerint. Si enim id quod influit ſalſum fuerit, etiam naturales pilos reiiciet. Perfecta igitur pilorum pungẽtium curatio, eſt conſutio palpebrarum ſurſum verſus. quandoquidem verò aliqui ob mollitiem non audent **B** ſeipſos chirurgiæ ſubmittere, auxilium ferendum eſt ipſis quantum eius fieri poteſt. veteres itaque huiuſmodi auxilia ad ipſos conſcripſerunt.

Pharmaca vt euulſi pili non renaſcantur, Cap. LXVII.

PVngentes pilos euellito, & euerſa palpebra, ſanguinẽ ranarum recentem illinito, & frigeſieri ſinito: aut cimicum ſanguine ſimiliter vtitor: aut chamæleontem album vrito, & cinerem ſanguine ranarum excipito: & vſus tempore ſaliua diluito, & præeuulſis pilis loco illini- **C** to. Aliud. Succum Chelidonii herbæ quæ etiam capniũ dicitur, ſufficiente gummi excipito, ſiccato, ac parua collyria formato: & vtitor, velut prædictum eſt. Aliud. Cochlearum carnes cum viridium ranarum in harundinibus degentium ſanguine, aut herinacei terreſtris cruore terito, & atramento ſcriptorio moderato adiecto ſiccari ſinito: & vtere (velut dictum eſt) vitata pupilla. Aliud. Hirudines vrito, ac terito, & vtitor aſſiduè pilis præeuulſis. Aliud. Inteſtina terræ in teſta ad cinerem exuſta, ac læuiſſimè trita, præeuulſis pilis inſpergito. **D** Aliud. Lacertam in olla exurito, & ad cinerem tritum par pondus ſandarachæ adiicito, ac vtitor. Aliud bonũ minimè moleſtũ. Siliquas ſiccas non antiquas diffringito, & humorẽ qui in ipſarũ cauitatibus viſcoſior modicus ac melleus reperitur, ſpecilli nucleo exceptũ, præeuulſis pilis loco illinito: atque hoc aſſiduè facito. Summè autem facit (inquit Archigenes) herinacei terreſtris fel, & ſanguis pari menſura, cum modico caſtorio. Caſtorium itaque læuiſſimè tritum ſanguine ac felle ex- **E** cipito, & velut piſcium ſquamas formato. Vtere autem ita vt pilos radicitus euellas, deinde ſquamam vnam ſaliua ex ore ieiuni dilutam euerſæ palpebræ illinas, & ad dimidium horæ in loco detineas donec ſiccetur. dolore quidem afficiuntur ægri, ſed pili non amplius enaſcuntur. Aliud. Pſyllium & cicutæ ſemen, ac cedriam, pari portione veſpertilionis ſanguine excipe, ac vtere (velut dictum eſt) ne oculum contingas. Aliud. Linteum ex naui vetus accipe, & in lucernam pro funiculo lucernario inde, & lucerna ex oleo Cyprino impleta, fuliginẽ **F** in æreo vaſe collige, ac vtere, pilos euellens & locum aſſiduè illinens: & ſi renati fuerint, idẽ repetito. Aliud. Potamogitonis ſuccum & artemiſiæ ſuccum, æquis partibus adhibeto. Aliud. Fel vituli, & caſtorium & gũmi, æquis portionibus citra aquam conterito, efformato ac vtitor, præeuulſis pilis illinens ter in die. & comperies ſucceſſum. Aliud. Porci maſculi fel & adipem eiuſdem, in fictile vas nouum denſiſſimum ac læuiſſimũ mittito, & aceti acerrimi heminæ quartam partem, & olei aleni tantundem affundito, & denſo linteo obligatũ **G** ad dies ſeptem ſinito, & poſtea diffuſa in mortarium terito, & velut vnguentum excipito. Idem etiam in toto corpore probè facit. at verò alenum oleum, amygdalinũ oleum eſſe dicitur.

Agglutinatoria pilorum, Cap. LXVIII.

PIlos in palpebris præter naturã introrſum refractos, glutinat maſtiche per ſpecillum calidum admota, & ſic pilis ad proprium ordinem refractis. Bitumen eodẽ modo, glutinũ ſimiliter. Cochleæ glutinoſitas acu excepta. Hierachii ſuccus. Medicamentorum agglutinato- **H** riorum appellatorum liquor. Ammoniacum thymiama. Compoſitum autem hoc, Reſinæ ſiccæ, picis ſiccæ, ſulphuris viui, bituminis: ſingulorum drachmam vnã, ceræ drachmæ dimidium. Liquata reponito: & vſus tempore ſpecillum igne ferueſacito, & pharmacum contingito, ac eo pilos reglutinato.

ſpecillum igne feruefacito,& pharmacum contingito,ac eo pilos reglutinato.

De futura palpebrarum ſurſum verſus, Cap. LXIX.

AD futuram palpebrarum ſurſum verſus faciendam, æger deſideat ad ſiniſtram chirurgi partem, humilior ipſo, ad ſplendidam lucem. Sint autem miniſtri duo probè periti adſtantes, alter retrorſum, alter à latere. Et chirurgus primùm per collyrium aut ſuperficiarias ſcarificationes notet ſufficienter quantum in palpebra redũdat,& corrugatæ cutis reſectionem, vt neque plus neque minus quàm oportet reſcindatur. Si enim latius reſecta fuerit, æger lagophthalmus euadit: ſi verò anguſtius,rurſus palpebra laxatur,& pili ſimiliter pungunt. Notetur etiam circa medium palpebræ iuxta extremitatem locus ſuperficiaria cæſura. Poſt factam vero notationem, euerſa palpebra,ſubſectionem intrinſecus faciamus, vltra pilos præter naturam exortos, quò ipſi adnaturales foras tendant. Aliquando verò in ipſos pilos præternaturales,ſi penitus inſiti fuerint,ſubſectionem facimus,vt ſuccedens cicatrix ipſos rurſus enaſci prohibeat. Nihil autem vetat etiam duas ſubſectiones facere, vnam vltra pilos præter naturam exortos,quò extremitatis palpebræ fiat reſiccatio: alteram ſuper ipſos præternaturales pilos. Sit autem profundior ſubſectio, adiuuat enim refractionem &palpebræ læuiutatem: & ab altero extremitatis ſiue marginis palpebræ termino vſque ad alterum procedat. Deinde linteola parua duplicata, figura triangulari imponantur, vnum iuxta magnum angulũ, alterum prope paruum. Super hæc autem lintea miniſter qui retrò adſtat,apices magnorum digitorum firmet, & vno impetu palpebram diſtendat, imprimens digitum ſub ſupercilio,quò æqualis palpebræ tenſio fiat. Signum autẽ ſit tibi optimæ tenſionis palpebræ,quum media nota proprium ſeruarit locum,hoc eſt circa medium fuerit reperta. Poſt diſtentionem verò primùm facienda eſt obliqua,& ad veru ſimilitudinem ſectio ſuperficiaria inferne,vt ne ex ſuperna influens ſanguis chirurgiam impediat. ſitque hæc ſectio propinqua palpebræ extremitati: deinde ſuperne lunifomis ſectio fiat. Initium autem & ipſa ſumat ex infernis à magni anguli loco, & delata ad notam, rurſus deorſum vergat ad paruum angulum. ſitque etiam ipſa ſuperficialior,vt ne muſculi ſaucietur. Deinde miniſter qui à latere ſtat,palpebram diſtẽdat. Poſtea hamulus in circumſcriptæ faſciolæ principium tranſfigatur,in ſiniſtro oculo ad paruum angulum:in dextro,ad magnum. Diſtento autem hamulo per ſiniſtram manum, faſciola ſcalpro ad hanc rem deſtinato ſubexcorietur,animaduerſione habita ne,ſi profundior excoriatio fiat,muſculi vulnerentur, & incurabilem habeant palpebræ laxitatem. Poſt cutis autem exciſionem, ad ſuturam ſurſum verſus veniendum eſt. & prima ſutura media fiat: deinde vtrinque aliæ duæ, vt in totum quinque fiãt ſuturæ. Poſt ſuturam, diſtenta palpebra propter vulnera,moderatum ſplenium glutinoſum ſuturis ſub ſupercilio impone: ſuper ipſas verò ſectiones ſpleniola parua glutinatoriam & inflammationem arcentem vim habentia imponantur. Poſtea lana ouo imbuta toti oculo imponatur,ac deligetur. Quandoquidem verò augeſcens & acris ac ſalſa fluxio illata,pilos naturales reiicit,& palpebræ marginem duram efficit: pilis autem præter naturam ſubenatis etiam augmentum præbet, difficiliſque fit in his palpebræ euerſio, conuenit acum robuſtum filum habentem,per mediam marginem palpebræ tranſmittere, & filum ſurſum trahere, atque ſic per ſpecillum palpebram,prout moris,euertere,& ſectionem, velut dictum eſt, facere.

De futura palpebrarum deorſum verſus, Cap. LXX.

QVòd ſi inferna palpebra pilos pungentes produxerit,ſutura deorſum verſus probatur. Et prius quoque in iis ſufficiens laxatæ ſuperfluæ cutis reſectio notetur. nam & hic latiore faſciola exciſa, euerſio contingit: anguſtiore verò, inutilis eſt chirurgia. Poſt factam notationem, lintea complicata, velut dictum eſt,angulis imponantur, & palpebra diſtendatur. Poſtea miniſter digito malæ impreſſo, ipſam detrahat. Fiat autem prima ſectio luniformis inferior:deinde ad veru ſimilitudinem & obliqua appellata circa palpebræ marginem. Facienda eſt autem excoriatio & ſutura, velut antea dictũ, & reliqua eodem modo. Cæterùm ſola deorſum verſus ſutura contenti ſumus in inferna palpebra, vitata ſubiectione,vt ne palpebræ euerſio contingat.

De euerſione palpebræ, Demoſthenis, Cap. LXXI.

PAlpebræ amplius euerti ſolẽt, vlceratione prægreſſa, & carni ipſarum ſuperaucta. Aliquando etiam à duriore cicatrice palpebra contrahitur ac euertitur. contingit autem hoc magis circa infernas palpebras. Curanda verò ſunt moderata carnis incrementa,arido ſubiecto. Æris vſti drachmam vnam, atramenti ſutorii, miſyos toſti, chalcitidis toſtæ, ſingulorum drachmã vnam. Aliud. Æris vſti drachmas vii. miſyos torrefacti drachmas ii. chalcitidis toſtæ drach.i. atramenti ſutorii drach.i. Aliud, ad inueteratas iam euerſiones: Æruginem in teſta torrefactam terito,& per ſe adhibeto. aut plumbi vſti parem portionem admiſceto.

Chirurgia euerſionis palpebrarum, Antylli, Cap. LXXII.

MAiora verò carnis incrementa ſcalpro auferre oportet:deinde ære vſto trito contingere, aut aloe cum manna thuris: & ſequenti die fomento adhibito ſimiliter curare.tertia verò die poſt fomentũ,melle vtendũ eſt vſq; ad perfectam curationem. Si verò maior fuerit euerſio,ſic chirurgia facienda eſt: Ex interna palpebræ parte duæ ſectiones fiant, literæ Græcæ Λ figuram habentes, ita vt anguſta literæ Λ pars inferne ſit ad malam: lata verò ad palpebræ marginem. deinde faſciola illa literæ Λ figuram referens excindatur, reſecta ſimul etiam ſubiecta carne. non eſt enim cartilaginoſa inferna palpebra (cutis tamen indiuiſa ſeruanda eſt) deinde labia exciſionis ſutura contrahenda. ſufficiet enim vna ſutura iuxta partes marginis palpebrarum facta. Sic enim incuruata & eleuata palpebra, ad internas partes reuertetur. Si verò cicatrix ex aliqua cauſa extra palpebram facta,palpebram euerterit,tollenda quidem eſt, velut dictum eſt, ex internis partibus palpebræ faſciola illa literæ Λ figuram referens, non profunda ſectione facta, & labia ſectionis, velut dictum eſt, per ſuturam contrahenda. Poſtea cicatrice forinſecus per hamum diſtenta, acum duplex filum habentem, ſub totius cicatricis carnoſam molem trãſmittimus,à paruo angulo initium facientes, & ad magnum ipſam acum ducentes: deinde acu ſic poſita, filum vtriuſque ipſius partibus ſubiicimus, & per ipſum totã carnoſam cicatricis molem diſtẽdimus. & ſic ipſius exſectionem facimus,tollentes ſimul cum carnoſa mole, etiam infixam acum. Poſt chirurgiam autem, externam ſectionem linamentis diſparamus,& conduplicato linteo ex frigida aqua impoſito, deligatione vtimur vſque ad tertiam, frigidam irrorantes, & linteum complicatum incumbere ſinentes. Tertia verò die ſoluimus, & ſpongias ex aqua tepida adhibemus. fomentum enim in his non conducit. Cauere enim oportet ne fortè glutinatio intrinſecus non ſuccedat. Poſtquam verò exciderint ſuturæ corporibus glutinatis,de cætero impauidè fomentum adhibeatur,ad hoc vt etiam cicatrix tenuior fiat, & oculus mitigetur:deinde repreſſiua collyria palpebræ intrinſecus ſublinantur. Externa verò ſectio diſparata ſeruetur, per omnem curationem mollioribus pharmacis adhibitis. Cõtinget enim ex intrinſeco cutis incremẽto auxilium quoddam vt palpebra intrò vertatur. Si verò propter carnis in angulo magno incrementum facta fuerit palpebræ euerſio, exciſo eo incremento, palpebra ad naturalẽ habitũ reuertetur. Cæterùm illud noſſe cõuenit, quòd ſupernæ palpebræ euerſio incurabilis eſt. Sed & illa quæ ob infernæ palpebræ reſolutionem contingit, ſanari non poteſt: ſimiliter & ea quæ propter reſectionem latioris faſciolæ in ſuturis deorſum verſus contingit: & quæ ob latam cicatricem fit, vlceratione videlicet prægreſſa, quẽ admodum in carbunculis contingit.

De lagophthalmis, Demoſthenis, Cap. LXXIII.

Lagophthalmi appellantur, in quibus ſuperna palpebra reuulſa eſt, & apertus eſt oculus inter dormiendum, velut in leporibus fieri ſolet. Contingit autem affectio aliquando ex ſutura ſurſum verſus, palpebra plus iuſto reuulſa, vt oculum contegere non poſſit. aliquando vlceratione ſpontanea prægreſſa, velut in carbunculis. Curandi verò ſunt hi luniformi ſectione in totam cicatricem facta, vt ſuperior ſectionis circumferentia ſurſum tendat: apices autem deorſum ad margines palpebrarum ſpectent. Poſtea ramentis linteolorũ ſectio diſparetur, & palpebra deorſum detrahatur, & æqualis naturali figuræ fiat. At verò in cõuulſis palpebris qua parte cõtrahũtur, iſtic ſectio fiat, & palpebra ſimiliter laxetur. Verùm in curatione fugere oportet reſiccãtia medicamẽta, & aquam mulſam. Adhibendum eſt autẽ emplaſtrũ tetrapharmacum, & ſucco fœnigræci perfundatur. Et in ſumma totus curationis ductus laxatorius ac impinguans in his aſſumatur.

De lippitudine dura, Demoſthenis, Cap. LXXIIII.

Lippitudo dura eſt, quum palpebræ duriores fuerint, & ipſe oculus durior & ad motum pigrior fuerit, doléńſque ac rubicũdus, & præſertim quum poſt ſurrectionem ex ſomno palpebræ difficulter aperiri poſſunt, & nulla humiditas euacuatur, gramæ verò in angulis cõſiſtunt paruæ, contortæ, ſubaridæ: & quum ipſas palpebras euertere volumus, non facilè à nobis verti poſſunt ob duritiam.

De lippitudine ſicca, Cap. LXXV.

Lippitudo ſicca eſt, quum ſubaridus factus fuerit oculus, & pruriginoſus, & leniter dolens, citra duritiam palpebrarum.

De lippitudine ſcabra, Cap. LXXVI.

Lippitudo ſcabra eſt, quũ anguli vlceroſi ſunt ac rubicũdi, & valde pruriginoſi, & palpebræ rubicũdæ, & lacrymæ ſalſæ ac nitroſæ deſtillant.

Curatio lippitudinis duræ, ſiccæ, ſcabræ, Cap. LXXVII.

Prædictarum affectionum diligens cura habenda eſt. neglectæ enim, ſuffuſionum, glaucedinis, & lippitudinis diuturnæ, vlcerationúmque ac ſtaphylomatũ cauſa fiunt. Curanda itaque eſt lippitudo ſicca, cum reliqua corporis cura, etiam per ea quæ humiditatem ad oculos prouocant, qualia ſunt ſicca pharmaca poſtea deſcribenda, ſtratiotica appellata, & collyrium diacentetum, ac ſimilia. Dura verò lippitudo ſimiliter curãda eſt per pharmaca humiditatem excernere potentia, ſublita Eraſiſtrati liquida compoſitione, ac ſimilibus. Ad hæc etiam mollientibus ac humectantibus vtendum eſt, velut calidæ leniter temperatæ prolutione: & fomentum per ſpongias aſſiduè adhibendum. Vitanda verò ſunt pharmaca frigefacientia, meatus obſtruentia, & agglutinatoria, & aquæ frigidæ affuſio. ex his enim oculus magis induratur. Si verò ſimul fuerit ſcabra ac dura lippitudo, (ex humorum enim acrimonia palpebræ indurari ſolent, vt anguli quidem erodantur & vlceroſi ſint: oculus autem & palpebræ ægrè moueantur & indurentur) in talibus præmiſſo ſpõgiæ fomento, primùm per ſiccum ad ſcabritiem paratum medicamentum, anguli contingantur, & moderato tempore interpoſito, rurſus ſpongia fomentum adhibeatur, & pharmacum humiditatem detrahere potens ſublinatur: quale eſt Eraſiſtrati liquidum, & collyrium ſtratioticum, & diacentetum. Eſt autem compoſitio ſicci ad ſcabros angulos medicamenti hæc: Chalcitidis crudæ dr. v. cadmiæ drach. v. hæc trita in ollam induntur, quæ addito operculo, gypſo oblinitur, & in vas acetum dilutum habens imponitur, vt olla forinſecus quidem madefiat, non diffluat autem in ipſam humor: & ſinitur ad dies ſeptem: deinde ſiccatur in ſole, ac teritur. Aliud. Philoxeni ſiccum, Achariſton appellatum, *eo quòd digna ipſi gratia referri non poſſit* ad corroſos angulos & ſcabras affectiones: & lippitudines ſiccat: Cadmiæ dr. II. chalcitidis crudæ drach. I. aloes obol. II. æruginis obol. II. piperis gra-

A na x. florũ roſarũ dr. IIII. tritis vtere. Aliud ad ſcabrã lippitudinem: Cadmiæ drach. I. æris vſti drach. I. ſpicæ nardi drach. I. piperis torrefacti obol. II. terito cum aceto in ſole, & ſiccato vtere velut probato. Aliud Meneclis, ad corroſos angulos. facit ad delacrymationem. Spodii drach. IIII. omphacii ſicci drach. II. ſpicæ nardi obol. III. piperis torrefacti grana XV. tritis vtere. Aliud. Cadmiæ ſextantem, ſalis ammoniaci ſextantem, folii malabathri ſextantem, piperis vnc. I. vtere. Aliud. facit & ad carnis in angulo decrementum: Coſti quadrantem, æris B ſextãtem, fuliginis cedriæ vnc. I. miſce, ac vtere. Aliud, ad ſcabras lippitudines, ſycoſes, putredines, & carnem ſuperexcreſcentem: Cadmiæ drach. III. chalcitidis drach. octo, piperis grana quinquaginta, ſpicæ nardi drach. I. cadmiam & chalcitidem terito cum vino, & vbi ſiccata fuerint, nardũ & piper læuiſſimè trita adiicito, & in puluillũ redactis vtitor. Aliud Capitonis, ad lippitudinem ſiccam, & corroſos angulos, ac oculos humectos, & palpebras ficoſas: Cadmiam ad polentæ magnitudinem confringimus, deinde melle Attico ſubactam in fictile C vas mittimus & operculo foramen habente impoſito, eóque luto oblito, vas rectum inter prunas locamus, ac ventilamus. Quum autem albidior factus fuerit vapor exhalans, ſublatam ollam aperimus, & cadmiam vino vetere extinguimus: deinde eius accipimus drachmas octo æris vſti drach. octo, ſtibii dr. quatuor. & armenii, ſi affuerit, drach. VIII. & hæc cõtuſa ac cribrata, cũ vino velut collyrium terimus, & reſiccatum tollimus ac vtimur, per ſpecilli nucleum ſublinentes palpebras manè ac veſperi. Nos autem cadmiam, & reliqua omnia ſimul adipe vi- D peræ ſubacta torrefacimus, & poſtea vino extinctis ſiccatíſq; ac tritis vtimur. Aliud: Tomẽti purpuræ veræ dr. octo, cadmiæ drach. XX. æris vſti drach. X. lapidis hæmatitæ drach. X. Omnia trita ac melle ſubacta, velut prædictũ eſt, torreto: & extinctis vino, ac tritis & arefactis vtitor. Aliud Archigenis, ad omnia prædicta: Amurcam coctam terito cum melle, & vtere. Vtendum etiam collyriis & & ſiccis medicamentis infrà inter multi vſus pharmaca deſcribendis.

De madaroſi, ptiloſi, milphoſi, *id eſt defluuio pilorum palpebrarum*, Cap. LXXVIII.

E Madaroſis & ptiloſis, extremitatis ſiue marginis palpebrarum affectiones ſunt. Et madaroſis quidem, ipſum ſolum pilorũ defluuium eſt, ex acri fluxione obortum. In ptiloſi verò & craſſeſcunt & calleſcunt hæ partes, vt compoſita ſit affectio ex madaroſi & lippitudine dura. quare etiam auxilia in hac ſimilia ſunt relatis ad illam. Optimũ autẽ eſt ad ipſos pilos, ſiccum Philoxeni ad pruriginoſos ac corroſos angulos. facit & ad viſus hebetudinẽ: Cadmiæ drach. VIII. ſalis ammoniaci drach. II. croci F dr. II. ſpicæ nardi dr. II. piperis albi dr. I. vtere. Aliud ſtibiũ muliebre. facit ad corroſos angulos, ac ptilos: Stibii vſti & lacte muliebri extincti drach. XIII. aloes, myrrhæ, ſpicæ nardi, ſing. drach. II. ordei vſti læuiſſimè triti drach. IIII. vtere ſicco. Aliud: ad ptilos & corroſas palpebras. Medullam bubulam ex anteriore dextro pede, cum fuligine terito ac vtitor. fuliginem autem ſic facito: Papyrũ pro funiculo lucernario in lucernam inde, & oleo ſeſamino repletum accende, & ſupra lucernam læue teſtaceum aut æneum vaſculũ pone, eóque fuliginem excipe, & pau- G latim per prunã collige, ipſáq; cũ medulla trita vtere. facit etiã egregiè vituli coagulum. Aliud Soſandri, ad milphoſes, & inueteratas affectiones. facit etiã ad carnis in angulo incrementum: Cadmiæ, ſtibii, chalcitidis crudæ, miſyos crudi, ſing. drach. VIII. Hæc contuſa & melle ſubacta torre, velut dictum eſt, deinde vino extinctis ac tritis adiice ſpicæ nardi drach. II. croci torrefacti drach. II. piperis drach. I. & ſimul contritis vtere. Cæterùm ſimplicia ad ptilos, & corroſas palpebras facientia hæc ſunt: Amurca cocta, lycium Indicum, armenium quo pictores vtũtur: H nam cum aqua illitum conſumit vitioſos humores, & pilos naturales auget: rubigo ferri ad multos dies in ſole trita & cum vino ac myrrha in collyria redacta: ſpodiũ cæparum ſucco exceptum.

De abſceſſu in palpebris, Demoſthenis, Cap. LXXIX.

Abſceſſus in palpebris internos, apice ipſorum inciſo & humoris expreſſione curare oportet: deinde muria infundatur, & lana ouo imbuta impoſita deligetur. Poſtera die fomentum adhibeatur, & mel ſublinatur, & de cætero collyriũ repreſſum inſtilletur. Externos verò, poſt ſectionem & humoris euacuationem, impoſitis linteorum ramẽtis, ex melle, & addita lana deligabimus. Quicunque verò abſceſſus palpebræ cartilaginem corruperint, ſi quidem extrinſecus fuerint, eos poſſibile eſt ouo ac melle purgatos, capitali ſicco medicamento incarnare: ſi verò intrinſecus fuerint, euerſa palpebra, & nudata cartilaginis parte deraſa, æs læuiſſimè tritum adhibeatur, & ſupra palpebram ouum cum vino & roſaceo conquaſſatum imponatur. Poſtera die fomento adhibito, æs læuiſſimè tritum inſpergatur, & rurſus ſupra palpebram ouum ponatur. Tertia verò die mel palpebræ ſublinatur. & poſtea collyrium repreſſiuum adhibeatur.

De calculo palpebrarum, Cap. LXXX.

Calculum in palpebris dicunt, quum euerſis palpebris, tofis ſimilia circa ipſas extiterint alba ac aſpera, varorum ſpeciem præ ſe ferentia. Eorum curam facere oportet euerſis palpebris; & cute iuxta apicem tenui ſcalpro diſſecta, ita vt per ſpecilli concauitatem tumorem mollis collectæ exſcalpamus: deinde æs vſtum tritum adhibeamus: & ouum cum vino & roſaceo in lana exceptum imponamus ac deligemus: poſtera verò die, eadem curatio repetatur: tertia mel ſublinatur. At verò in tofis forinſecus palpebris innaſcentibus, poſt diſſectionem & ſcalpturam, ſplenium emplaſtri tetrapharmaci imponito.

De grandine oculi, Cap. LXXXI.

Grandine affici dicũt palpebras, quum euerſis ipſis, rotundæ quædam eminentiæ pellucidæ grandini ſimiles apparent, quibus diſſectis humor euacuatur ſimilis candido oui. Curatio autem facienda eſt euerſis palpebris, & inciſione per ſcalprum facta, ita vt humore excreto ſubiectum aridum pharmacum affricetur: Æris vſti drachmas duas, ſquamæ æris drachmã I. ſandarachæ drach. I. æruginis, ſalis ammoniaci, croci, ſing. dr. III. myrrhæ obolos duos: vtere tritis. Fiunt etiam aliquando extra palpebras grandines ſubduræ, fabis ſimiles. Has ſiquis violentius contingat, dolores intentos inducit: & quandoque animi exolutionem. Has autem curare oportet cute iuxta apicem inciſa, & ſcalptura per ſpecillum cõcauum facta. Sanatur facilè mellis & ramentorum ex linteis impoſitione & fomentis. Si verò pharmacis ad grandines vti velis, his vtaris: Fici ſylueſtris groſſos coctos impone, aut fici folia. Alia illitio optima: Pollinis tritici quadrantem, ſulphuris viui vnc. I. terito cum aqua, & formato paſtillos, ac vtitor. faciunt & ea quæ ad ordeola deſcripta ſunt.

De ordeolo ſiue præputiolo, Cap. LXXXII.

Ordeolum aut præputiolum vocant, quum in palpebris forinſecus, iuxta pilos maximè, ſuppuratũ quoddam tuberculum factum fuerit, figura ordeo ſimile. Facilè verò curatur nuclei ſpecilli calefacti fomento. Sed & ceræ albæ calidæ fomento id diſcuties. aut de muſca capite abiecto, reliquo corpore ordeolum confrica. aut galbanũ mollitum, modico nitro addito, impone. aut cum cera emollita parum miſyos crudi commollito, ac imponito. Faciunt & ficus ſiccæ cum vino mulſo coctæ, & cum modico galbano tritæ. aut ſagapenum cum aceto tritum illine. facit etiam ad grandines. Fomentum verò loco adhibeatur per ſpongiam, & per panem calidum. Poſt humoris excretionem mel illinatur: deinde collyria vlceribus commoda.

De gangliis, atheromatis, ſteatomatis, & meliceridibus palpebrarum, Cap. LXXXIII.

Fiunt aliquibus extra palpebras etiam hæ affectiones. Curantur autem ganglia ceratis & malagmatis ad ganglia deſcribendis, & aquæ calidæ affuſione. eſt enim nerui contortio ganglium. Melicerides autem, & parua ſteatomata, ac atheromata, curantur aliquando vſtorio medicamento apici ipſorum impoſito, donec incumbens A cutis in profundum cruſtam accipiat: deinde poſt cruſtæ caſum, exſcalpta tunica humorem continente, per ſpecilli concauitatem: ſi vero tunica eximi non poſsit, per ſubiectum pharmacum eroſiuum conſumatur: Sandarachæ drach. II. arſenici drach. I. ſquamæ æris drach. I. veratri nigri drach. I. elaterii drach. II. chartæ in cinerem exuſtæ drach. II. vtere cum roſaceo. Magna verò chirurgia curantur, quemadmodum in reliquo corpore ex fundo ablata, vnà cum tunica humorem continente. Deinde labia cutis per ſuturam contracta curentur, velut ſu- B tura palpebrarum ſurſum verſus fieri ſolet. Cauendum autem ne lata faſciola cutis in chirurgia auferatur, vt ne lagophthalmi fiant.

De varicibus palpebrarum, & malignis agnatis eminentiis, Cap. LXXXIIII.

Varices in palpebris ne cures: ſunt enim maligni. Neque etiam agnatas eminentias in palpebris tumidas, dolentes & ſubrubras, & ad digitorum compreſsionem in ſeipſas ſe contrahentes. ſunt enim etiam hæ malignæ ac incurabiles.

C De ægilope, Seueri, Cap. LXXXV.

Ægilops abſceſſus eſt iuxta magnũ angulum. eſt autem affectio ægrè curabilis, propter corporũ tenuitatem ſubiecto oſſe corrupto. Ob ſitus autem vicinitatẽ etiam ipſi oculo damnum infert aliquando, per naturale paruum iuxta angulum foramen. Incipiente itaque inflãmatione, ſtatim in prima die conandum eſt vt repellatur, ipſo ſolo inflammato loco illito ex collyrio Antonino, aut alio quodam vehementer repellente ac ſtupefaciẽte. ſolet enim hæc illitio id quod confluxit diſsipare. Si verò D perſeuerarit inflammatio, tentandum eſt vt ſimiliter velut aliæ inflammationes curentur per diſcuſſoria medicamenta, quæ citra mordacitatem agunt. coafficitur enim oculus ex acribus, & in ipſa affecta parte inflammatio augeſcit. Nos autem in inflammationibus nondũ tranſmutatis, ex emplaſtri Barbari, aut Leænæ, aut Athenæ, aut ex ſalicibus, aut ex aceto & oleo parati vſu, abſceſſum diſcutimus ac reſiccamus. Aſclepiades autem ad ægilopas pharmaca talia cõſcripſit: Succi illecebræ, quam quidam portulacam ſylueſtrem vocant, aut ſemperuiuum E paruum, ſucci ſolani, ſing. ſeſcuncem, thuris drach. VIII. galbani ſeſcuncem, maſtiches quadrantem: thus tritum cum ſuccis coquito, & vbi diſſolutum fuerit, galbanum præmollitum adiicito. maſtichen enim improbamus.

Aliud. Thuris drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. ladani drach. I. ceræ drach. VIII. aluminis ſciſsi drach. IIII. ſpumæ nitri drach. IIII. coaguli leporis drach. IIII. Tundito hoc pharmacum, & cum fæce vnguẽti irini emollito. Si verò victis diſcuſſoriis medicamentis inflãmatio ſuppurabitur, quamcelerrimè ſecare oportet, & humorem F euacuare, ac ſubſcriptis vti: Bdellii, myrrhæ, ladani, ſpumæ nitri, colophoniæ, ſingul. drach. III. ceræ drach. X. vnguẽti irini quantũ ſatis eſt. Alii pro colophonia, oleæ folia trita habẽt, & cũ axũgia ægilopi imponũt. & ſordes ſub alares ouiũ cũ axungia eodẽ modo. Aut veratri nigri radicẽ madefactã impone. Aut perdiciũ herbã pro cataplaſmate adhibe. Aut farinam erui cum melle. Aut cinerem lignorum vitis aceto ſubactum impone. Aut ſtaphidem ſylueſtrem & ammoniacum thymiama cum melle impone. Aut alumẽ ſciſſum cum terebinthina velut ſpleniũ G impone. Si verò ad angulum repſerit, ad ſuperficiem autem omnino non proceſſerit, tũc ſcalpro ad venæ ſectionem, aut pterygiis deſtinato, medium anguli corpus diducere oportet, & bonam carnem ex profundo producere: deinde ipſam enatam carnem reſiccare. id quod continget ſi penitus non pinguia loco adhibuerimus. Quare ſane in principio poſt apertionem, lenticula cocta, aut malicorio cum melle vtemur. Repurgato verò loco, & naſcẽte iam carne, vitrum læuiſsimè tritum ſiccum inſpergimus, & in eius vſu perſeueramus vſque ad abſolutam curationem. eſt enim admirandum auxilium, cuius effica- H cia ſatis expendi non poteſt. Sed & alumen ſciſſum læuiſſimè tritũ, & modica terebinthina exceptũ ad emplaſtri formã, purgat & incarnat ac cicatricẽ tutò inducit. Oportet autem & in vlceris cauitatem de pharmaco indere,

& forinſecus paruum ſpleniuni ex ipſo imponere. Profe- A
ctò nos hoc curationis ductu vſi, alio auxilio ad recentes
ægilopas non indiguimus. At verò quæ ab antiquis ad
hãc affectionem deſcripta ſunt auxilia, huiuſmodi ſunt.
Ægilopa curant, ſi non per profundum corruptum fuerit
os, chamæmeli folia commanſa impoſita. aut maluæ fo-
lia commanſa cum ſale impone. Poſt apertionem verò, i-
pſa malua trita vtere vſque ad cicatricem inductam. Aut
ſolanum, maximè halicacabum, aut myrtum comman-
ſam impone, aut œnanthes, aut auriculæ muris folia. Fa-
cit & ægilopis frumentacei ſuccus cum farina frumenti B
impoſitus, & plantaginis folia mãducata ac impoſita.
Thus item & columbinum ſtercus commiſcentur ac im-
ponuntur, & lapideſcunt ac inhærent vſque ad inductã
cicatricem. Aliud. Propolin, terebinthinam & thus
paribus portionibus ſplenio illita adhibe. facit & ſiccum
pharmacum ex eruo cum melle. Aliud. Fel porci fu-
mo reſiccatum terito, ac exulcerato ægilopi imponito.
Aliud. Thus tritum pice liquida excipe, & emplaſtri for
ma impone. incipientes enim ægilopas hoc pharma-
cum diſſipat: iam verò ruptos ſanat vlceri inditum & ſu- C
perimpoſitum. Aliud ad ægilopas experientia cogni-
tum, itémque ad ſtrumas. Radicem lilii recentem ad
emplaſtri formam terito, & imponito. rumpit enim, &
repurgat, & vſque ad perfectam curationem cicatrice in-
cludit.

De vſtione ægilopis, Cap. LXXXVI.

AT in quibus affectio diuturna os corrupit, aut ad an
gulum in fibulam abiit, cicatrice ſuperficiei indu-
cta, in his triangulari incumbentis carnis detractione fa-
cta, & anguſta ſectionis parte ad angulum adaptata, & de- D
inde ſpongia oculo impoſita, cauteria ignita ipſi ſectio-
ni adhibemus vſque ad os, ad ſquamæ remotionẽ inurẽ
tes, ita vt etiam obliquas in vlceris cauitate partes, & ma-
ximè ſupernas inuramus. Si enim poſt primi cauterii
admotionem ſpectaueris, apparebit tibi anguſtiſſima
cauernula, quæ supernè ex obliquis humorem vlceri
tranſmittit, velut lacrymam. Quare oportet cauterium
cauernulæ fortiter apprimere. & vbi ſufficiens facta fue-
rit vſtio, lenticulam coctam cum melle adhibere. Elapſa E
verò cruſta, & vlcere aliquo modo purgato, alumen ſciſ-
ſum tritum, terebinthina liquida acceptum modica, vt
emplaſtri forma fiat, cauitati vlceris indimus, & ſpleniũ
ex eodem factum ſupra vlceris cauitatem imponimus.
Celerrimè enim repurgat, incarnat, & cicatricem indu-
cit. probè etiam incarnat vitrum læuiſſimè tritum inſper
ſum. Vtere, & probabis.

De anchilope, Cap. LXXXVII.

CIrca prædictum locum vbi ægilops fit, colligitur e-
tiam lentus humor melleus ac pultaceus, plerunque F
in tunica contentus, dolorem non inducens, paulatimque
augeſcens. Curatur autem chirurgia, quemadmodum e-
tiam reliqua circa corpus atheromata, ita vt ſuperficies
diſſecetur, & ſubexcorietur, & tunica humorẽ continens,
funditus tollatur. Poſt ſublationem autem ipſius, quò ſe-
cura curatio fiat, & affectio non regeneretur, cauteriis i-
gnitis cruſtas loco inurimus: & deinde lenticula cũ mel-
le curamus: elapſa verò cruſta, alumine cum terebinthi-
na, velut antea dictum eſt, vſque ad cicatricem inductã. G

De carnis in angulo magno decremento, Cap. LXXXVIII.

CArnis in angulo oculi magno imminutio ac decre-
mentum fit, quum exulceratione aut pterygii aut in-
crementi carnis ablatione, totus angulus funditus fuerit
ſublatus, & allabentem lacrymam continere nõ potuerit,
ſed ad malas defluit. Contingit hoc etiam aliquando ex
malè curato ægilope. & vocatur hoc vitiũ *Græcis* Rhœas:
dicuntur autem etiam rhœades, qui ob aſſiduas fluxio- H
nes oculorum, ſemper lacrymantur. Curandi verò ſunt il
li quibus angulus funditus ſublatus eſt, adhibito pharma
co locos denſare potente ac conſolidare, quale eſt quod
tephrum dicitur. Si verò callus fuerit, præirritare oportet
per aliquod acrius medicamẽtũ. Sed & chirurgia vten-
dum eſt. collum enim faſcia circumdata cõſtringitur, &
vas circa naſum notatur: deinde vas illud ſcalpro bian-
gulari diſſecatur: deinde ſpongia oculo impoſita, caute-
rium loco apprimitur, non vſque ad os, ſed vt cutis & ſe-
ctio ſolùm flammam ſentiat. fit autem cauterium trian
gulare. poſtea lẽticula cũ melle adhibetur. Vbi verò pu-
ra facta ſunt vlcera, oculus diſparatus ſeruatur, donec an-
gulus carne pura fuerit repletus, vt ne concretio fiat. Pro-
bè facit in ipſis etiam alumen cum terebinthina. At verò
oculos præ diuturna lippitudine flentes aut humectos, cu
rare oportet præ omnibus aquæ potu, & parco cibo, exer
citiiſque ac deambulationibus, & capitis frictione ac ra-
ſura, & frigidæ perfuſione. Eſt & diæta optimi ſucci ac
craſſante vtendum, & oculi ſublinendi ex medicamen-
tis meatus obſtruentibus, frigefacientibúſque ac adſtrin
gentibus. poſt aggreſſionem verò, frigida aqua & poſca
oculi proluantur. Optimum autem pharmacum ad hoc
experimento conſtans hoc eſt: Plantaginis folia exſucca-
to & excolato, ipſúmque ſuccum in fictili nouo ad ſolem
exponito, & linteo tenui puro velato, quotidiéque agita-
to, & reſiccatum tritum reponito, & pro collyrio ſicco v-
titor. Stibium ad anguli magni decrementum Alexan-
dri regis valde bonum. facit etiam ad ptiloſin palpebra-
rum. Terræ ampelitidis, croci, nardi Celticæ, æquales
portiones tuſas melle ſubigito, & in ollam miſſa, addito
operculo foramen habẽte, eóque oblito, prunis imponi-
to, & non ventilato. Quum autem non amplius caligino
ſus vapor per foramina exhalarit, ab igne tollito, ac fri-
gefieri ſinito. Deinde tuſa, cribrata, ac trita in tenuiſſimũ
puluillum pro ſtibio adhibeto. Aliud ſtibium ad rhœ-
adas: Æris vſti ſeſquiunciam, ſtibii ſeſquiunciam, croci
vnc. I. ſpicæ nardi vnc. I. folii malabathri triẽtem, roſarũ
viridium ſeſquiunciam: reliqua læuiſſimè terito. Deinde
roſas per ſe benè læuigatas aridis vnito, & ſimul tritis do-
nec ſiccentur vtitor. Aliud ſtibium, multa experientia
cognitum: Æris, cadmiæ, ſtibii, ſing. ſextantem, piperis
grana XIIII. caryophylli vnc. I. ſpongiarum nouarum
quadrantem, mellis quantum ſatis eſt. Æs, cadmiam, ſti
bium, tuſa ſufficiente melle ſubigito: deinde ipſa ſpõgia
excepta in ollam mittito, oblinito, vrito. Et ad cinerem
exactiſſimè tritum piper & caryophyllum adiice, & tu-
ſis, cribratis, rurſus exactiſſimè tritis vtere.

De iis qui tempora inurunt, Cap. LXXXIX.

QVidam barbaris legibus ſeruientes, in diuturnis o-
culorum fluxionibus, tempora inurunt aut per phar
macum, aut per medullam lignorum nucis iuglandis,
quod hyſcas appellãt. Quidã etiam ferrum candefaciũt,
& vſtionẽ perficiunt. Ego itaque eiuſmodi affectionẽ ex
tẽporum vſtione conflatam vidi. Hi enim immodeſtè
pharmaco vſi, & vſtione vſque ad profundum facta, v-
nà cum alienis humoribus, etiam naturales conſumpſe-
runt, & ad extremam ſiccitatem oculum deduxerunt, &
non intelligebant ſe morbum incurabilem præparare.
Quid enim aliud contingere poterat, quàm quod hîc cõ-
tigit? Primùm dolor moleſtus, & immodicus ardor. Quũ
igitur tentaſſemus per collyria obtundere dolores, am-
plius ægrum grauauimus. Liquidum enim collyrium o-
culo illitum, velut arenulas quaſdam producit, ab immo-
dica caliditate torrefactum. Et quum rurſus per ouum
mitigare vellemus, rurſus per caliditatem etiam ipſum
craſſefactum eſt, & velut ad membranas quaſdam reda-
ctum, quæ ægrè ab oculis ſecedebant. Sed & lacte vſi ſu-
mus, & ipſum ſimiliter inſpiſſabatur: & in ſumma, velut
ab igne humores coacti inſpiſſabantur. Proinde multo la
bore inſumpto, quũ fœnigræci ſuccũ inſtillaſſemus, mo-
deratè dolorem mitigauimus. nam & hic à morbo ſu-
perabatur. Poſtea verò rationem ducem ſequuti, ad roſa-
cei vſum deuenimus, tepefacientes hoc, ac infundentes,
vt etiam æger nobis abſentibus, ipſius ſolius vſu ab acci-
dentibus alleuaretur. Quin & ad alia multa vtile nobis vi
ſum eſt roſaceum ad oculos. Si enim ex natura ſiccitas af-
fuerit vt ægrè mobilis & penitus lacrymarum exors ſit
oculus, etiam his commodum eſt pro collyrio ſublitum.

De arteriarum ſectione, Seueri, Cap. xc.

IN chirurgiis circa caput & frontem, vnus generaliſſimus nobis ſcopus eſt vt ægrum à fluxionis affectione liberem⁹. Verùm priuatas & velut particulares aggreſſiones facimus, propter vires, propter accidētia, propter locos, propter materiæ fluxionū qualitatem. Quū igitur arteriarū genus vnū ſit, loci verò diuerſi, nūc de poſterioribus expēdemus. Hæ enim velut principia quædā earum ſunt, quæ circa ſuperficiem capitis exiſtunt. Cōuenit igitur in magnis doloribus, carie, ſtaphylomatis & prolapſibus, arterias in poſterioribus capitis partib⁹ ſecare. ſtatim enim vtilitatē inde percipiūt ægri. Præradendi autē ſunt loci, & ſic pulſus exactè per tactum notandus, & ſpatium dimetiendum ab auribus trium digitorum ad caluam poſteriorem appellatam. Conuenit autem ſecare non obliquè, ſed tranſuerſim vſque ad os, & membranam caluam ambientē exactiſſime radere, & ſanguinis excretionem vſque ad animi deliquium expectare, in quibus videlicet vires robuſtæ ſunt, & dolor vehemens. ſic enim ſopies accidens ſymptoma. Deinde cuneolū ſectioni parem indimus, & linamēta conuulſa plurimo cuneolo imponimus, & lanæ hapſo poſca imbuto pro linamentorū cuſtode vtimur. Deinde ligamento vtimur ſufficienter adſtringentes, & ad frontem ambo principia ducentes ac deligātes. Poſtera die vino & oleo ligamentū rigam⁹, & non ſoluimus. Tertia die ſoluim⁹, & vibices moderatè proluimus & os deradimus. Et poſtea quoque oſſis raſura vtimur: & hoc facim⁹ vſque ad quatuor aut quinque dies, donec os ſanguinem emiſerit. hoc enim ſignum eſt ſufficientis raſuræ. Cæterùm medicamentis quæ linamentis illinuntur vtendum eſt in his, ex pumice & cera ac oleo paratis. & poſtea cephalico ſicco appellato ex eruo vtendum eſt. Sed & id quod à nobis præparatur, vnicè ad hos facit: ſtatim enim poſt oſſis raſuram impoſitum, carnem producit. Accipit autem farinæ triticeæ tenuiſſimæ partes .ii. colophoniæ liquidiſſimæ partem vnam. Hoc vbi ſiccum inſperſum eſt linamentis & ſplenio, cuſtos linamenti adhibendus eſt ex aliquo pharmaco è ceruſſa parato. nam & ad cicatricem inducendam confert.

De caluariæ circumciſione, Cap. xci.

SED & periſcyphiſmon, *id eſt caluariæ circumciſionem, Græcis* dictū aſſumimus, in quibus diuturna & tenuis oculorum fluxio exiſtit, & multa vaſa fluxionem delegantia. Oportet igitur raſos locos notare, vt ne in coronalem ſuturam aut temporum muſculos ſectio fiat. Facienda autem eſt ſectio paululùm ſupra frontem tranſuerſa, initio à tempore ad tempus facto, ita vt membrana caluam ambiens ſimul diſſecetur, vt diligenter radatur. Deinde cuneolis ſectioni inditis linamēta adhibemus, & reliqua conſequenter facimus, velut prædictum eſt in arteriarum ſectione, aſſumpta ex vino & oleo irrigatione. A tertio die curatio ſuppuratoria fiat: deinde ea quæ reſiccationē promittit. Si quidem igitur à ſolo ſincipite oculi fluxione infeſtantur, prædicta ſectione contenti ſumus: ſi verò vnà cum ſupernis vaſis, etiam ex temporibus fluxio feratur poſt factam relatam ſupernam ſectionem, alias duas luniformes aſſumimus, vnam ab vtraque parte. Habeat autem principium, tum ea quæ à dextris fit, tum quæ à ſiniſtris, à principiis tranſuerſæ ſectionis ſupernè factæ, ita vt ex ſupernis ad tempora deferantur vſque ad medium frontis. Procedant autem luniformiter ad ſupercilia conuerſæ vt ne temporum muſculos iniuria afficiant. Sit autem figura trium harum ſectionum ſimilis literæ *Græcæ* π. ita tamen vt apices ad internas partes incuruatos habeat hoc modo)‾(. Oportebit autem & hîc cuneolos ſectionis indere, & conſequētia facere, velut antea dictum eſt. Porrò dicunt Æthiopas à natiuitate frontem circūcidere, vt ne oculorum fluxione infeſtentur.

De frontis per ſubmiſſum ſcalpellum excoriatione, Cap. xcii.

HYpoſpathiſmō, *id eſt per ſubmiſſum ſcalpellū excoriationem frontis*, aſſumunt qui deformitatem, cicatricis, maximè per circulum fientis, in frontis circumciſione deuitant. Verùm hæc curatio imperfectior illa eſt: vnde magis frontis circūciſione periſcyphiſmo appellato vtendum eſt, ita vt rei magis neceſſariæ curam habeamus.

De vaſorum ſectione, Cap. xciii.

VAſorum ſectionem aſſumimus vno oculo affecto, & in oculorum perpetuis lacrymis, & in hemicrania. Aſſumimus autem in iis quibus manifeſta & eleuata ſunt in fronte vaſa. Vas verò atramento notamus, & ſummis vtriuſque manus digitis, frontis cutem ab vtraque notæ parte eleuamus, & ſuperficiariam ſectionē in ipſam notam ex directo vaſis facimus. Et rurſus paulatim ſubiacentes cuti membranas diſſecamus, donec nudum vas apparuerit. Atque ſic hamulis duobus tranſfixis labia ſectionis eleuamus, & paulatim per ſcalprum ſubradentes, vas à circumſitis membranis liberamus. Et cæco hamulo ſubiecto, vas ex profūdo attollimus, & ita eleuato acū duplex filum habentem ſubmittimus, & mox ablata acu filum dimittimus. Idem etiam in altero vaſis termino faciamus. Et poſtea vas perpungimus, & euacuationem fieri ſinimus. Sufficienti verò ſanguine euacuato, vtroſq; terminos vaſis per ſubiecta iam fila deligamus, & mediū ipſius reſecamus, atque ita linamentis inditis, & hapſo lanæ ex aqua frigida impoſito, deligatione vtimur. Poſtera die vino & oleo irrigamus. tertia verò exoluimus, & moderata perfuſione facta, linamenta ex aqua mulſa indimus, donec exciderint fila. Et vſque ad perfectam incarnationem eadem vtimur. eſt enim bonum auxilium. At verò cicatricis inductionem per emplaſtrum melinum facimus, aut per id quod ex cadmia paratur. Leonides porrò, Soleo, inquit, vbi mixta eſt fluxio, & à fronte, & à muſculis temporum, iuxta paruos oculorum angulos tēporibus vicinos, ſupra fines ſuperciliorum, cruſtas inurere per cauteres nucleoformes, id vehementer cauens vt ne temporum muſculos contingam. At in fluxionibus à ſincipite, conſtringo collum, & vaſa in fronte magis eleuata noto, & hæc ipſa præraſis pilis inuro. Illitio valde celebris ad diuturnas fluxiones: Viperarum capita in olla probè exurito, & cinerem cum lupinorum amarorum decocto tritum temporibus illinito, & miraberis de medicamenti efficacia.

De muſculorum temporum cataplaſmatis, agglutinatoriis, ac illitionibus, Seueri, Cap. xciiii.

QVandoquidem fluxiones ad oculos ex ſuperincumbentibus locis ſuppeditantur: (nam hemicraniæ, & caries, & fluxiones capitis, dolores oculorum augent:) operæpretium eſſe puto etiam ad hos pauca auxilia referre. Vtendum igitur eſt agglutinatoriis & illitionibus, velut dictum eſt, in iis quibus oculi fluxione infeſtantur, & in quibus vaſa circa frontem ac tempora eleuata diſtenduntur. Nam ſi influxio non ex vaſis circa frontem & tempora ac palpebras contingit, ſed ex profundius ſitis, agglutinationes & illitiones magis lædunt. Inſuper autem ſi citra inflammationem fluxiones oculorum fiunt, agglutinatoria ipſas cohibent. ſi verò inflammatio adfuerit, humores ex circumſitis locis ad inflammatos impulſos, per compreſsionem magis diſtendunt. Itaque agglutinatoria ex ſimilagine & ouis ac thure compoſita vitanda ſunt. reſiccata enim diſtendunt vaſa, & fluxiones augent. Quæ verò mollia permanent, aut diſtentionem non efficiunt, & tum frigiditate, tū adſtrictione vaſa deprimunt, his vtendum eſt. Si igitur calida fuerit intemperies quæ lædit, crocum, opium, myrrham, thus, ex aqua trita & ad ſtrigmentitiā ſpiſsitudinem redacta illinimus: & ſtatim inducto ſomno, dolorem depellimus. Idem præſtant & fluuiatiles ſtratiotæ cum aloe contriti. Sed & polygonum cum maſtiche tritum ac illitum, dolorem mitigat. & mandragoræ cortex cum thure mirificè facit. Et maſtiche cū ſucco braſſicæ illotæ trita mirificè reſiccat. Item fabrorum fuligo, quam vulcaniam appellant, leniter cum ouo ſubacta. Et calx viua cum ouo in frigidis intemperiebus. Et hirundinum ſtercus cum maſtiche & oui candido.

Totius capitis illitiones, Seueri, Cap. xcv.

TOtum caput intemperie calida affectum, acacia cũ vino trita illinendum eſt. nam acetum in huiuſmodi capitis illitionibus vitare oportet. Facit & Samia terra, cũ plantaginis aut ſolani ſucco trita. Si verò frigidior fuerit cauſa, vt æger clarè frigiditatẽ in capite ſentiat, & lacrymas frigidas deferri, contraria calidæ affectioni auxilia adhibenda ſunt. Naſturtio enim cum ouo trito multùm profecimus. & per erucæ ſemen cum aceto tritum idem effecimus. Sed & thapſia cum ſinapi aceto trita, magnopere prodeſt. Et cochleæ Aphricanæ cum thure ex aceto tritæ, multam fluxionis illitionem relidũt ac excindunt. Et hirundinum nidus cum ſtercore in ipſo reperto, aceto ſubactus graues dimidii capitis dolores ſanat. Et euphorbium cum aceto tritum. Vtere etiam ſmegmatis & puluillis inſperſilibus, ſuprà ad diuturnum capitis dolorem deſcriptis.

Cataplaſmata oculorum lippientium, Dioſcoridis, Cap. xcvi.

CAtaplaſmatis vice impoſita mitigant oculorum inflammationes, folia rubi, aut auriculæ muris, aut tribuli viridis, aut portulacæ, aut ſemperuiui, aut polygoni, aut intubi, aut coriandri, aut cupreſſi. aut hyoſcyami folia trita. aut cucurbitæ ramenta. aut peponis caro. aut capitum papaueris decoctum affuſum, aut ipſa capita cocta trita impoſita. Commodus eſt etiam panis aqua madidus tritus cum modico roſaceo impoſitus. Et ouum cũ roſaceo ac vino conquaſſatum, & hapſo lanæ exceptum ac impoſitum. Aut ouorum aſſatorum vel coctorum vitellos, cum modico croco & opio, phaſeli magnitudine, ex ſapa tere ac impone. Aliud Aſclepiadæ ad maximos humorum influxus ac dolores. Roſarum ſiccarũ drach. i. opii drach. i. croci drach. i. efforma in paſtillos cũ paſſo, in quo melilotum coctum eſt. Et vſus tempore, ex ipſis terito cum paſſo, & admixto pane imponito. Aliud ad maximos dolores ac vigilias. Pſyllii ſemen in feruẽtẽ aquam cõiectum paululum ſinito: & vbi diſſolutum fuerit, conquaſſato vt emplaſtri formã acquirat, & ex eo oculum integito. ſuauẽ enim ſomnum inducit. Aliud Demoſthenis. ad dolores & prolapſus oculorum, egregiè facit. Capita papaueris in aqua mulſa coquito, & ipſa quidem expreſſa abiicito, aquam mulſam autem triticeo, aut ordeaceo polline admixto imponito, modico etiam roſaceo adiecto. aut polentæ florem, pro polline, aut panem purum accipito. Cæterùm cataplaſmata omnino tempora comprehendant, & ſupercilia cum fronte. Solã autem ſupernam palpebram cataplaſmate integimus, infernam non comprimentes, quò aperiri oculus poſſit, & lacrymam illatam excernere. Aſſiduè verò permutentur, & maximè æſtate, vt ne feruefacta exacerbent. Ad contactum autem ſummè tepida apponantur: hyeme verò leniter calida.

Illitiones oculorum, Cap. xcvii.

IN vehementibus doloribus palpebras forinſecus illinire oportet, maximè quidem collyrio Nili ex roſis, aut aliquo dolorem eximente ex croco parato, aut croco trito cum modico papaueris ſucco, affuſo lacte aut hyoſcyami ſucco. Alia illitio Aſclepiadæ, ad doloris vexationes: Aloes, lycii Indici, roſarum viridium, croci, opii, myrrhæ, ſing. æquales portiones terito cum vino, & formato paſtillos, ac ſiccato in vmbra. Vſu verò expetente, paſſo dilue, & oculos ac tempora illine. Alia illitio repulſoria optima: Foliorum mali ſuccorum tuſorum ac cribratorum lib. i. myrrhæ ſextantem, glaucii ſextantẽ, gummi ſeſcũcem. excipe aqua. Illitio Aſclepiadæ mordax, eueſtigio fluxionem compeſcẽs. facit & ad lippitudines ſcabras: Æris vſti drach. iii. croci drach. iiii. piperis drach. ii. opii drach. ii. gũmi drach. iiii. excipe. Hæc forinſecus illita, maximos humorum illapſus relidit: verùm vitare oportet nequid de pharmaco in oculum præterlabatur. Aliud phloginum inſcriptum linimentum. Æris vſti ac loti drach. xii. croci drach. vi. piperis dr. iiii. myrrhæ drach. iii. opii drach. iii. gũmi drach. xii. Terito cum vino veteri odorato adſtringente. Alia illitio ex ſandyce, ad perfrigerationes & reſolutiones palpebrarum, quales contingunt & in iis qui canino more conuelluntur. facit etiam ad acuendum viſum ante balneum illita: Sandycis drach. xiii. crocomagmatis drach. vi. piperis drach. iiii. gũmi drach. vi. excipe aqua. Aliqui adiiciunt etiam opobalſami drach. iiii. & illinunt ad hebetudinem viſus.

De aridis collyriis, Galeni, Cap. xcviii.

EX aridis pharmacis quædam affectionem in oculis congregari prohibent, humorum videlicet influxiones impedientia, ex quibus oculi affligi ſolent. Præſtantiſſimum autem ex his apparuit & experientia iudicatũ eſt quod ego compoſui, inquit Galenus: & ob id apud multos in vſu eſt, ac ferè per omnes gentes quibus Romani imperant. Ac primùm ſanè ipſius compoſitionem ſcribam, quum præſtantius eſſe putem nullis omnino affectionibus corripi, quàm eas quæ iam præoccuparunt ſanare. Vtiliſſimum autem eſt ſanis oculis pharmacum. Vritur lapis Phrygius in fabaceas magnitudines cõfract⁹. Eum verò in ollam nouam miſſum, deinde forinſecus luto oblita olla, addito operculo foramen habente, eóque oblito, ollam prunis imponimus. Quum autẽ lapis ignitus factus fuerit, tunc iam ollam in aliud vas purum euacuare oportet, & recenti butyro extinguere. Facta autem extinctione, rurſus in eandem ollam miſſum, prunis adhibemus, ac ventilamus. Ignito verò lapide, vbi purum vaporem efferri viderimus, rurſus euacuatum extinguimus vino veteri fuluo odorato: deinde rurſus miſſum in ollam lapidem tertiò vrimus & rurſus extinguimus melle Attico non multo. Poſtremùm autem melle extinguitur, vt mellis qualitas in lapide permaneat. Cæterùm pluribus diebus trita ac prælæuigata in promptu habere oportet, ita vt in tenuiſſimum puluerem redacta ſint ſubſcripta: Æris vſti vnc. i. piperis albi vnc. i. folii malabathri vnc. i. ſtibii drach. xii. His admiſce lapidis vſti, tuſi, cribrati ac triti lib. i. Et poſtquã omnia ſimul probè fuerint vnita, & reponere medicamentum voles, adiice opobalſami primarii drach. xii. Sit autem opobalſamum tenue, & pellucenti compage, non craſſum. impedit enim craſſitudo, ne ſiccum pharmacum euadat. Vtendum autem eſt ipſo ad palpebras ſolas, inducto ſpecillo citra tunicarum oculi contactum. Iubendúſque eſt homo cui hoc ſublinitur palpebras apertas habere. Hoc itaque à me cõpoſitũ eſt, non permittẽs hominẽ qui ipſo rectè vtatur, oculorum lippitudine apprehẽdi. Stibium ornandis palpebris præſeruatiuum, pueris maximè commodum. Stibii drach. xvi. plumbi vſti ac loti drach. viii. ſquamæ æris drach. i. croci drach. i. florum roſarum, myrrhæ, ſpicæ nardi, thuris, piperis, ſing. drach. i palmularũ oſſa decem. Omnia in fictile vas coniecta diligenter torrefacito, deinde tuſis ac tritis opobalſami primarii compage tenuioris cochlearia duo adiicito: & tritis ac ſiccatis vtitor. Aliud Seueri. facit ad oculorum & palpebrarum pulchritudinẽ: Stibii quadrantem, purpuræ veræ vſtæ ſextantem, ſpicæ nardi vnc. i. Vtere. Stibium ornans palpebras. Stibii vſti & loti drach. viii. oſſium palmularum vſtorum drach. viii. atramenti ſutorii drach. ii. nardi Celticæ drach. ii. Vtere. conſtat experimento. Aliud, faciens ad decorem, angulos rarefactos ac humectos moderatè reſiccans: Cornu ceruini vſti, purpuræ vſtæ, ſing. drach. iii. folii ſcylmatis vnc. i. vtere. Stibium optimum ad tenuem fluxum, & corroſos angulos. Nutrit hoc etiam oculos debilitatos, in multis affectionibus comprobatum, & mirificè omnibus ſe opponens. Facit etiam ad ornatum. inductum enim multo tempore in angulis permanet. Habet autem hoc modo, Carnis purpuræ torrefactæ drach. iiii. ſucci anemones dr. vi. ſtibii vſti & vino extincti drach. iii. ſucci baccarum ſambuci drach. iii. ſpinæ Ægyptiæ drach. ii. ordei vſti drach. ii. gallarum nigrarum drach. ii. acaciæ drach. ii. mororum rubi aridorum tuſorũ drach. iii. coſti tuſi drach. iii. folii tuſi drach. iiii. Singula ſeorſim terito, & ſimul in vaſe plumbeo reponito ac vtitor.

Aridum Danai, quod velut res ſacra in regia vrbe venditum eſt numiſmatis centumviginti & cum multo labore ab eo impetratum. Præſeruat ab omni lippitudine, palpebris inductum. Æris vſti vnciam vnam, onychas, *id eſt vngues*, aromaticos vſtos magnos tres, piperis grana vigintivnũ ordei vſti grana vigintivnum, palmularum,

oſſa vſta nouem,aereas muſcas xxi.folii ſcrupulos nouē, ſanguinis dracontii ſcrupulos quatuor. Æs accipe quod ab æreis vaſis deraditur,& in fictile vas miſſum ac prunis impoſitum,ad triduum vre,ita vt quotidie ter ipſum vrina pueri incorrupti extinguas,& poſtremùm aqua dulci. Æreas autem muſcas accipe ex locis vbi boues degunt, aut ſi ibi non reperias, ex mortuis animalibus. Aliud palpebras ornans pharmacum,quod proſperè accommodatur. Facit & ad diuturnas lippitudines: Stibii vſti & vino extincti drach. tres, plumbi vſti ac loti drach. octo, fuliginis thuris, ſpicæ nardi, myrrhæ toſtæ, croci toſti, ſquamæ æris,ſingulorum drachmam vnam: tritis vtere.

Aridum ad angulos calidiores & rubicundos ac exaſperatos,Seueri: Croci drachmas quatuor, cadmiæ lotæ drachmas duas,ceruſſæ drachmam vnam. Aliud Seueriani: Ceruſſæ beſſem,cadmiæ trientem, ſalis ammoniaci ſextantem,piperis ſextantem,folii trientem. Aliud palpebras ornans. facit & ad lippitudinem ſiccam. ſanat etiam omnem lippitudinem,poſt mitigatos dolores illitum: Æris vſti læuiſſimè triti vnciam vnam, cedriæ puræ trientē.æs cum cedria ad ſtrigmētitiā ſpiſſitudinem terito, & in arundinem mittito, & hanc obturatam forinſecus totam luto oblinito, & in clibano prunis obruito,& per diem ac noctem ſinito,& exemptam terito,& collyrii Pelarii drach.xxIIII.adiicito, & croci drachmas duas,& folii ſcrupulos duos:& vtitor. Aliud ſiccum collyrium celebre,reſiccans multas fluxiones,& viſum acuens:optimè quoque attenuat cicatrices: Æruginis vnciam vnam,cadmiæ vnciam vnam,chalcitidis vnciam vnam,ſtibii vnciam vnam,mellis menſuram congruam.Omnia læuiſſimè trita & melle ſubacta, in ollam mittito,& addito operculo foramen habente, oblinito, ac vrito donec tenuis vapor progrediatur:deinde exempto ac trito vtere.Quòd ſi ipſum paululùm mordax facere volueris, poſt vſtionem adiice piperis grana xxv.

Aliud aridum valde bonum: Cadmiæ ſextantē, mellis ſextantem, æris vſti drachmas quatuor, ſalis ammoniaci drachmas duas,piperis drachmas IIII.ſpicæ nardi drachmas duas. Cadmiam læuiſſimè tritam melle ſubige,vre,& vino auſtero extingue, & cum reliquis tere ac vtere:eſt delacrymatiuum.facit & ad aſperas palpebras.

Aliud ſiccum ad lacrymātes oculos, & eos qui à longa lippitudine nō probè ſanati ſunt. eſt etiā præoccupatiuū: Cadmiæ drachmas octo, æris vſti drachmas octo, ſtibii drachmas quatuor. cadmiam cum ære in fruſta craſſiora contuſam,& melle ſubactam,in olla exurito, velut antea dictū eſt, & vino veteri odorato extinguito,ac ſiccato.Et deinde ſtibium per ſe vſtum in olla admiſceto, & tuſis,cribratis, ac tenuiſſimè tritis vtitor:quidam etiā armeniaci drachmas duas admiſcent.Hoc ſiccum pharmacum ſæpe cum vino,velut collyrium contriui, & ſiccato vſus ſum,inducens ipſum palpebris manè & veſperi:aliquando autem etiam ſtibii drachmas octo inieci. Aliud ſiccum croceum,procatalepticon,*id eſt præſeruatiuum.*

Aloes,croci,glaucii,ſarcocollæ,ſingulorum vnciam vnam:læuiſſimè tritis vtere. Aliud quo vtor,& affectiones illino. ſiſtit fluxionem in vna die,ſi denſè ac ſæpe illinatur. facit etiam ad ægilopas, & palpebras corroſas, & pilos pungentes in palpebris poſt euúlſos pilos, pilorum locis illitum. Sarcocollæ,croci,glaucii flaui,aloes,chelidoniæ,ſingulorum vnciā I.myrrhæ troglodyticæ drach. quatuor.Chelidoniam tuſam cribratam reliquis adiice,& contritis vtere.Ego cum aqua velut collyrium conterò, & ſicco vtor. Aliud ſiccum collyrium celebre,viſum acuens,inoffenſos conſeruans oculos: Stibii ſcrup.IIII.fuliginis purpuræ veræ,roſarum ſiccarum,ſingulorū ſcrup. II.croci ſcrup.III.folii ſcrup.III.ſpicæ nardi ſcrup.III.tritis vtere. Fuliginem autem ſic facito: Lanā purpuræ cedria tinctam incende,& pelui læuiſſima aut æreo vaſe contege,& conflatam fuliginem penna collige, ac vtere. Aridum album,viſum acuens.Facit ad pruritus,& vſtiones ex ſole,& lippitudines incipientes ex frigiditate, ante & poſt cibum. Cadmiæ drach.II.ſalis ammoniaci drach. I.piperis drach.II.aluminis ſciſſi drach. II. folii drach. II. ceruſſæ oboli dimidium:terito cum vino albo, & ſiccato vtitor. Aliud ſiccum acre. Cadmiæ drach. xxIIII. ſalis ammoniaci drach.II.ſpicæ nardi drach.I.piperis albi drachmam vnam:tritis vtere. Aliud optimum: Cadmiæ drachmas octo, croci drachmas duas, ſalis ammoniaci drachmas duas,ſpicæ nardi drachmam vnam,piperis albi drachmas ſex:tritis vtere. Aridum Seueriani: Cadmiæ vſtæ & lotæ drachmas octo,ſalis ammoniaci drach. duas,piperis albi drachmas duas,folii drachmam vnam: contuſis, cribratis ac probè tritis vtere. Aliud aridum acre: Cadmiæ drachmas octo,teſtarum ſepiæ ſextātem, ſalis ammoniaci vnciam vnam,piperis vnciam vnam,folii vnciam vnam: vtere.conſtat experientia. Aliud aridum,viſum acuens,Oribaſii: Radicis chelidoniæ ſextantem,aloes ſextantem,folii vnciam vnam, piperis decorticati drachmas quatuor,veratri albi drachmam vnā: vtere. Aridum Apollonii ad viſus hebetudinem: Cadmiæ drach. octo, fæcis vini veteris ſiccæ vſtæ drach. v. piperis albi drachmas quinque,ſalis ammoniaci drach. x. ſandarachæ drachmas duas,folii drachmas duas,nitri vſti drachmas tres. Aliud aridum ad ſuffuſiones & hebetudines: Viperam maſculam totam viuam in ollam mittito,& ſucci fœniculi cyathum vnum adiicito, & thuris nō ſecti granum magnum addito: deinde totam ollam forinſecus luto oblitam,vrito donec in cinerem redigantur indita,teritóque,ac vtitor hoc arido medicamēto velut celebri.faciunt & viperæ capita vſta,trita,& inducta.

Aliud incomparabile: Veratri albi & piperis æquas portiones tuſas ac tritas adhibe per triduum, purgatione prius per ventrem facta, & per os ac nares. Aridum ad incipientes ſuffuſiones, glaucedines, & pelliculárum craſſitiem: Cadmiæ drach. xxIIII. ſalis ammoniaci drachmas decem,ſandarachæ drachmas quatuor, veratri albi drach.II.folii drach.II.vtere.Ego ſi aliquando opus habeo arido collyrio ad præſentes affectiones commodo, hoc trito & in læuiſſimum puluillum redacto vtor. Aliud ſiccum acuens viſum, experientia cognitum: Cadmiæ drach. octo,folii drach.octo, ſpicæ nardi drach. duas,piperis,croci,auripigmēti,ſalis ammoniaci,chelidoniæ,ſingulorum drach. duas,artemiſiæ,folii,malabathri, ſingulorum drachmam vnam: vtere.

De liquidis collyriis, Galeni, Cap. xcix.

Liquida ocularia medicamenta componuntur ex ſuccis & liquoribus, felléque ac melle, & ammoniaco thymiamate,ita vt admiſceantur ipſis etiam moderatiora quædam,verùm viribus non repugnantia, myrrha inquam,& thus,& crocus,& galbanum, & quæcunque alia huiuſcemodi,quæ tunicas rarefacere,& craſſitudinem humorum ac ſpiritus attenuare poſſunt,& humiditatē præternaturalem diſcutere,& tunicis oculorum per ſuum tēperamentum,robur præbere. Liquidum,acuens viſum:

Succum ex malis punicis expreſſum,in vas fictile Atticum læuiſſimum ac denſiſſimum mittito,& tenui linteo obligatum ad ſolem exponito,donec mellis craſſitudinē acquirat,& parem menſuram mellis ad ſuccum adiicito, & fictili vaſe exceptum reponito.inueteratū enim meliꝰ euadit.Quū autē dormire volueris, ex hoc leuiter oculos ſublinito.hoc pictoribus,& ſcriptoribus,& aurifuſoribus ac ſenibus conuenit. Aliud. Ampullam vitream oleo expleto,& iniectis fœniculi foliis teneris in ſolem exponito ad dies quadraginta:& expreſſo fœniculo, oleo vtitor. Aliud viſum acuens: Adipem viperæ in vitream ampullam mittito,& vbi liquatus fuerit, ſpecillum in eo tingito,ac illinito.hoc valde commodum eſt. Aliud viſum acuens: Colocynthidis ſemen tuſum,cribratum ac læuiſſimè tritum cum melle adhibeto. experimento cōſtat. Aliud ad viſum acuendum, & ad ſuffuſiones ac cicatrices oculorum: Chamæleontis nigri radicem vſtam, ac læuiſſimè tritam illinito. Aliud. Inteſtina terræ in teſta ad cinerem exure,& cinere trito cum melle vteræ ego hoc arido vſus ſum ad albugines. Aliud ad inchoātes ſuffuſiones: Mel,oleum vetus,& fœniculi ſuccum, æquis portionibus miſce ac vtere. Aliud: Sagapeni drachmas duas,ſpumæ nitri drachmas quinque,mellis libras duas. Aliud Demoſthenis.ego verò ſubſcripto vtor:

Caucalidis ſuccum,coronopodis ſuccum, chamædryos

ſuccum,æquis portionibus excolato,ſiccato,collyria formato:ac vtitor:ſi verò liquido vti voles, cum melle tritis vtere. Aglaidæ liquidum ad principium ſuffuſionis, Floris æris obolos quinque, piperis obolos quinque, croci drachmas duas,caſtorii drachmas duas,fellis galli drach. vnam,omphacii drachmas tres & dimidiam,ſpicæ nardi obolum vnum,lapidis hæmatitæ obolos duos,ſpumæ nitri obolos duos, floris ſalis drachmas xxxii. opobalſami drachmas xxxii.mellis quincuncem.omnia trita in argēteo vaſe reponito. Eraſiſtrati panchreſtos liquida compoſitio ad inflammationes pruriginoſas, & lippitudinē ſcabram,aures purulentas,vlcera ægrè recipientia cicatricem,cynanchen, *id eſt anginam*, & ad nomas in ore ac pudēdis: Æris vſti drachmas duas,myrrhæ drachmas tres, miſyos toſti drachmas tres,piperis drachmam vnam,croci ſeſquidrachmā,vini auſteri veteris cochlearia tria,paſſi Cretici cochlearia duo,trita rurſus terito cum vino,& vbi id combiberint,paſſum adiicito,& vnita in æreo vaſe ad mollem ignem coquito vſque ad mellis ſpiſſitudinē, & in ænea pyxide reponito. Alia liquida ex ſucco verbenacæ: Facit ad hebetudinem viſus, pupillæ debilitatem & obfuſcationem.facit & ad corroſos angulos, ad tenuem fluxum,& inchoantes ſuffuſiones: Fellis capræ drachmas octo, mellis Attici ſeſcūcem, lycii Indici drachmas tres, piperis drachmas quatuor,ſucci verbenacæ rectæ deuncē, & ſicci ſucci drachmas octo,piper tuſum ac anguſtiſſimo cribro excretum,poſtea diu in mortario terito, & ſicco ſucco adiecto,ſimul terito:deinde etiam liquidum ſuccum,& mox lycium addito. Et vbi læuigata fuerint, mel adiicito,& mox fel ipſum, & vnita excipe ac vtere. Quidam ipſam herbam,verbenacam dico,tundunt ac cribrant,& drachmas octo adiiciūt: ſi verò ſiccius medicamentum euadat, collyrium efformato,ac vtitor. Siccū Caſſii,ad viſum acuendum & ad glaucedines, antiquas lippitudines,viſus hebetudines,ac obſcurationes: Fel taurinum totum in æneam pyxidem euacuatum ad dies decem ſinito:deinde trita adiicito,croci,myrrhæ,opobalſami,ſingulorum drachmā i.piperis grana xx.mellis Attici,duplum fellis.Et omnia ſimul trita in vas æneum iniicito, & ad mollem cinerem ad mellis ſpiſſitudinem coquito, & in ænea pyxide reponito,ac vtitor velut bono. ſimul enim vt illitum eſt,efficaciam ſuam declarabit.

Alia liquida Bolæ inſcripta ad ſuffuſiones: Fellis felis partem vnam,mellis Attici duplum, ſucci hieracii parē mellis menſuram miſce,& vtere. Alia ad ſuffuſiones celebris: Fellis coruorū recentium trientem,ſagapeni perſici drachmam vnam,ſucci Cyrenaici vnciam vnam,opobalſami vnciam vnam,mellis dodrantem. Alia valde celebris ex cuius vſu ſucceſſum habui: Fellis capræ drachmas quatuor,opobalſami drachmas duas, croci drach. duas,ſpicæ nardi,caſſiæ,lacrymæ oleæ Æthiopicæ,aluminis ſciſſi, medullæ ſtruthocameli, myrrhæ, ſingulorum drachmam vnam,mellis vncias octodecim, præparato diligenter,& reponito in pyxide æris Cyprii,ac vtere.

Alia. Theriaces Andromachi drachmas quatuor,ſucci Cyrenaici drachmas ſex, opobalſami drachmas duas, mellis non fumoſi drachmas quinque.Theriacā primùm vino veteri dulci diſſolue,& opobalſamum ac mel adiice,& vtere. Alia liquida Apollonii, valida compoſitio ad ſuffuſiones: Sagapeni drachmas duas, ſucci Cyrenaici obolos duos,veratri albi drachmas nouem,rutæ ſylueſtris drachmā i.ſpumæ nitri obolos quatuor,mellis quadrantem. Alia: Omphacii drachmam vnam, myrrhæ drachmam vnam,ſalis ammoniaci drachmam vnam,opobalſami,lacrymæ oleæ Æthiopicæ, ammoniaci thymiamatis,ſingulorum drachmam vnam, fellis hyænæ drachmas duas.excipe melle,& vtere. Alia: Fellis hyænæ,adipis viperæ,ſingulorum ſeſquidrachmā, croci drachmam vnam,omphacii drachmam vnam, opobalſami drachmam vnam,myrrhæ drachmas tres & dimidiam, mellis quantū ſatis eſt. Alia ad ſuffuſiones, etiāſi fuerint diuturnæ: Lapidem Scythicum cum felle aſpidis tritum illine:breui liberat.Sit autem aſpis quæ acontias appellatur.fel eius reperitur ad dorſum hepati annexum.

Alia,ad omnem viſus hebetudinem ac ſuffuſiones, facit etiam ad palpebras pungentes pilos producētes: Mellis ſextantem,opobalſami drachmas duas, myrrhæ drachmas duas,ſucci Cyrenaici drachmam vnam, opopanacis drachmā vnā:vtere. Alia ad ſuffuſiones, vt æger intra quinque dies viſum recipiat. adeo magnū ac admirādum auxiliū eſt.Facit etiam ad aſperitates palpebrarum. & rarò quis tale habere poteſt: Adipis viperæ,fellis galli albi,floris æris,ſucci rutæ ſylueſtris,lactis canini,opobalſami,æquis portionibus tritis vtere: aliquando verò pro æris flore atramentum ſutorium cōiicio. Alia liquida nigra, ad hebetudines,& fluxiones,ac affectiones: Clauorum caligarum veterum prælotorum ac probè ſiccatorum libram vnam,in ſextar.i.aceti acerrimi mittito, & per dies quinque ſinito:deinde in olla fictili aut ferrea, lēto igne donec ter ebulliat,coquito & excolato, & mellis deſpumati & colati libram vnam adiicito, & ad mollē ignem vſque ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem coquito, ramulis fortibus abſinthii tribus ſimul colligatis agitando:deinde vbi coactum fuerit medicamentum,atramenti ſutorii læuiſſimè triti vnciam vnam inſpergito,ac vtitor per ſpecilli nucleum angulos inde contingens. Alia repellens fluxiones,& detergens oculorum tunicas. attenuat etiam cicatrices,& forinſecus ſupernæ palpebræ illita repellit fluxiones,ſi ſtatim ab initio illita fuerit. Melāteriæ,velut iam diximus,de clauis præparatæ, & mellis parem menſuram,& ſucci fœnigræci tantundem,ſimul mixta & excolata,ad lētum ignem coquito,aſſiduè agitādo, donec mellis compagem acceperint, & repoſitis vtere. Cæterùm fœnigræci ſuccum præpara,velut dictum eſt in vlcerum oculorum tractatu.Sed & dum excolas fœnigræci ſuccum,ne exprimas ipſum,ſed ſpontè defluentem iniice.Si verò vbi paratum fuerit pharmacum & frigefactū grumi in ipſo fuerint,totum paulatim in mortariū trāſfundito,& diſſolutis grumis reponito ac vtitor. Alia liquida,ad ficoſas eminētias,& omnē carnis extuberātia,& ad carnis in angulis incrementū,& ad incipiētes lippitudines: Miſyos toſti drachmas octo, myrrhæ drach. ii. mellis quod ſatis eſt. Alia. Miſyos toſti drachmas ſex, atramenti ſutorii drachmas quatuor, myrrhæ drachmas quatuor,mellis quod ſatis eſt. Oribaſii liquida ad ſuppuratos ex vlceratione: Atramenti ſutorii drach. octo, croci drachmas octo,myrrhæ drachmas quatuor, mellis libram vnam. Alia liquida eiuſdem: Mellis ſextantem,opobalſami drachmas duas,ſucci Cyrenaici ſeſquidrachmam,opopanacis ſeſquidrachmam. Ex eodem liquida Baſſi ad ſuppuratos oculos: Croci,aloes, myrrhæ, ſingulorum ſeſquiunciam,vini quadrantem, mellis ſeſcūcem: Crocus teritur cum modico vino:deinde aloe & myrrha,& vbi ad cōpagē redacta fuerint,inſpiſſata melli adiiciuntur,& vnita reponuntur in vitreo vaſe. Vtere hoc bis illinens in die:aut ſi res vrgeat,etiam ter, & oculum deliga.Repurgat,incarnat,cicatricem inducit,vſque ad finem illita.In pleriſque verò poſt repurgationem, ad collyria tranſimus,& maximè id quod inſcriptum eſt Scutulare,capræ faciem præferens. Alia liquida experimēto conſtans: Succi verbenacæ rectæ,lycii Indici, æquales partes,hoc eſt ſingulorum vnciam vnam, mellis tantundem. Alia liquida ex adipe viperæ.mirificè facit ad incipientes ſuffuſiones,& hebetudines oculorū ſanat: Succi rutæ,opobalſami,ſucci fœniculi,ſucci chelidoniæ circa ſepes naſcentis,adipis viperæ in duplici vaſe eliquati, mellis non fumoſi,ſingulorum æquas portiones ſimul mixtas per purum linteum excolato,& vtere confidenter,ita vt aliquando mellis ſeſquiunciam,& reliquorum vnciam vnam coniicias.

Collyria ex croco,& ex ſuccis diuerſa,

Cap. c.

COllyrium ex croco ad initium lippitudinum: Glaucii drach.xxiiii.ſarcocollæ drachmas ſedecim,croci drachmas octo,gummi drachmas octo,tragacanthæ drachmas quatuor. arida omnia trita ac læuiſſima facta,tragacantha madefacta excipe. Aut ſic præpara,Sarcocollam aqua terito,deinde glaucium cribratum adiicito, ac rurſus terito. deinde crocum ſiccum læuiſſimè tritum,& tragacantham ſiccam in tenuiſſimum puluillum redactam

& gummi ſimiliter inſperge, quò eadem die aut poſtera in collyria redigantur. nam collyria diu in mortario manentia nigreſcunt, & vires immutant. Vtere autem ipſo, aquoſum infundens per ouum, lippitudine incipiẽte: incipiente verò declinatione, craſſum inſtilla: conſtante autẽ declinatione fiẽte, cum aqua illine. Aliud ex myrrha:

Glaucii drach. XLVIII. ſarcocollæ drach. XLVIII. croci drachmas vigintiquatuor, opii drachmas ſex, myrrhæ drachmas ſex, tragacanthæ drach. XLVIII. lapidis hæmatitæ drachmas ſex, gummi drachmas ſedecim, excipe aqua. vſus eſt per ouum. Aliud Phoſphorus appellatum, ad dolorem & omnem inflammationem, & intentos humorum influxus: Glaucii drachmas vigintiquatuor, ſarcocollæ drachmas octo, croci drachmas octo, opii drach. octo, myrrhæ drachmas octo, miſyos vſti drachmas octo, gummi drachmas duodecim, excipe aqua. Aliud Euchrum à colore bono dictum. facit ad ea quæ Phoſphorus: commodat & aſperis palpebris: eſt & pueris commodum: Glaucii drachmas LXIIII. ſarcocollæ drachmas trigintaduas, croci drachmas vigintiquatuor, opii drach. ſex, myrrhæ drachmas ſex, hæmatitæ drachmas ſex, tragacanthæ drachmas ſedecim, gũmi drachmas ſedecim. excipe aqua, & inſtilla in principio per ouum. Aliud dolorem eximens ex ſuccis ad omnem doloris vexationem. ſomnum inducit confeſtim: Glaucii drachmas XLVIII. ſarcocollæ drach. ſedecim, croci drach. octo, opii drach. quatuor, lycii Indici drach. quatuor, ſucci roſarũ drach. quatuor, ſucci mandragoræ drach. quatuor, ſucci hyoſcyami drach. quatuor, ſucci cicutæ drach. quatuor, tragacãthæ drach. ſedecim, gummi drach. XLVIII. excipe decocto meliloti. Componitur autem hoc modo: Accipe meliloti libram vnam aquæ pluuialis ſextarios ſex, coquito ad tertias, & excola liquorẽ ad pharmaci præparationem. Collyrium ex ſucco polygoni: Succi polygoni ſeſcuncẽ, lycii Indici drach. ſex, aloes drach. quatuor, myrrhæ drach. quatuor, thuris drach. quatuor, opii drach. tres, acaciæ nigræ primariæ drach. duodecim, vini veteris odorati quantum ſatis eſt. Facit ad omnes in oculis affectiones, reprimit fluxiones, & ſedat dolores: amat autem balneum. quare vbi illeuiſti, lauari iube. facit & ad vlcera.

Collyrium ex ſucco rhamni, ad chemoſes & dolores, de quo quidam magnopere gloriantur: Æris ſextantẽ, cadmiæ ſextantem, opii ſextantem, aloes ſcrupulos duodecim, croci ſcrupulos duodecim, acaciæ beſſem, gummi beſſem, ſucci fructus rhamni libram vnam, aquæ quantũ ſatis eſt: ſi verò abundas, ſuccum fructus totum iniice, & gummi aqua macera. Collyrium è ſucco verbenacæ, quod maximas humorum influxiones intra ſecundam illitionem exoluit: Croci drachmas tres, meliloti drach. ſex, glaucii drach. duodecim, opii ſcrupulos tres, amyli drach. quatuor, gummi drachmam vnam, terito, & ſuccũ verbenacæ rectæ affundito, efformatóque ac vtitor. Eſt & alia efficax compoſitio, vt vix credi poſſit. facit ad lippitudinem, tumores laxos, & inflationes, omnémque humorum influxionem. & deſperatas in oculis affectiones intra triduum remouet: Croci drach. quatuordecim, amyli drach. duodecim, glauci drach. ſedecim, albuminis oui drachmas tres, tragacanthæ drachmas quatuor. tere, & ſuccum verbenacæ rectæ affunde, efformáque ac vtere.

Collyrium ex ſucco fœniculi: Cadmiæ dodrantem, ſtibii beſſem, miſyos crudi ſeſcuncem, omphacii ſeſquiunciam, chalcitidis vnciam vnam, croci ſeſquidrachmã, folii vnciam vnam, ſucci fœniculi beſſem. Et rurſus aliud fœniculum cum aqua pluuiali decoquito, & cum eo decocto prædicta terito ac efformato. hoc multi præparatum habent.

Collyria monohemera, *id eſt unius diei*, Galeni, Cap. CI.

COllyria vnius diei cum candido oui illita, plerunque ſtatim ab initio lippitudines abſque humorum multitudine factas curant. Reuera enim non parum ſæpe hæc magnas inflammationes mitigauerunt, vt in veſperã quidem homo balneo vſus, poſtera verò die collyrio nardino illitus fuerit ad inſtaurationem ac corroborationem. Admiſcetur autem ad nardinum in prima illitione, parum quiddam de acribus ac ſiſtentibus appellatis collyriis: in ſecunda verò illitione, paulo amplius quiddã de iiſdem. Sufficiũt enim duæ pharmaci adhibitiones, & deambulatiuncula aliqua non multa ante balneum, ad perfectam reſtitutionem. Collyria igitur vnius diei, quæ priuatim fæculenta nominantur, multam habent acaciã: quædam verò aut omnino modicam, aut omnino non habẽt. Complectuntur autem in ſe, alia æris ſquamam, alia æs vſtum modicum, cum multis aliis quæ moderatè adſtringunt, & concoquunt ac diſcutiunt. Talia autem ſunt crocus, myrrha, lycium Indicum: ſed & caſtorium, ac thus citra adſtrictionem concoquunt ſimúlque diſcutiunt. In quibus igitur adſtringentia prædominantur, plurimum oui liquorem & parum de pharmaco eſſe oportet, & præſertim ſiquid ex metallicis pharmacum in ſe cõplectatur. In quibus verò crocus, & myrrha caſtoriúmque ac thus, & lycium præualent, paulo craſſiore pharmaco vtendum eſt. Fomentum præterea omnino adhibendum eſt ipſis per ſpongiam, ſi quidem mediocris ſit dolor, ſemel aut bis in die: ſi verò vehementior dolor vrgeat, præſtat ter aut quater, & ſæpius vti: in longis præſertim diebus. fiat autem fomentum per meliloti ac fœnigræci decoctum. Oportet tamen horum collyriorum vſum vitare, in quibus humorũ multitudo in toto corpore adeſt. nam monohemera quum ſint facultate frigida, obſtructionẽ corporum, & denſationem meatuum faciunt: ſi verò materiæ multitudo in oculis fuerit, ruptionis corniformis tunicæ cauſa fiunt. Nos autem in recentibus lippitudinibus, Theodotio Seueri illito ex aqua, & ſpongia forinſecus oculo impoſita ægrum ab affectione liberauimus. & plerunque balneo vti iubemus ſtatim poſt primam illitionem. Cæterùm monohemera collyria hæc ſunt, Collyrium monomelum appellatum, eo quòd ex vnica ſpecilli inductione, inquit, curat. eſt autem multi vſus. Facit ad diuturnas ac ægrè ſolubiles affectiones, & maximè in quibus etiam palpebræ exaſperatæ ſunt, per ſubiectionẽ illitum. oportet autem poſt illitionem diu claudere oculum. Facit etiam ad confuſiones oculorum, & ad ſtaphylomata: eſt etiam pueris commodũ. Vtere cum aqua diluto in iis qui mordacitatem ferre poſſunt: in aliis cum ouo. In omnibus autem per ſubiectionem palpebræ ſubline: ſi verò vehemens fuerit inflammatio, cum ouo infunde. Habet hoc modo: Cadmiæ drach. vigintiquatuor, æris drach. duodecim, chalcitidis toſtæ drach. duodecim opii drach. vndecim, piperis grana vigintiquatuor, mellis ſeſquiunciã, gũmi drach. vigintiquatuor, excipe aqua. mel poſtremum adiicitur. Pelarium quod in principiis aquoſum cum aqua dilutum adhibetur: in vigore verò aquoſum cum ouo. ad diuturnas autem affectiones, craſſius cum ouo, deinde ſenſim progreſſu facto, etiam aqua ad ouum admiſcetur: ad finem verò ex ſola diluitur. in vlcerationibus tamen minus efficax eſt: Cadmiæ drach. ſedecim, ceruſſæ drach. XLVIII. acaciæ drach. vigintiquatuor, opii drach. IIII. amyli, tragacanthæ, gummi, ſingulorum drach. duodecim, æris vſti ſeſquidrachmã, myrrhæ drach. tres, croci ſeſquidrach. excipe aqua. Aliud pelarium Antoninus appellatum: Cadmiæ drach. vigintiquatuor, ceruſſæ drach. vigintiquatuor, acaciæ, opii, ſingulorum drach. octodecim, gummi, tragacanthæ, amyli, ſingulorum drach. nouem, myrrhæ drach. tres, æris vſti ſeſquidr. excipe aqua. hoc magis facit ad exulcerationes.

Aliud pelarium, quod comitem vitæ vocant: Cadmiæ quadrantem, ceruſſæ quincuncem, pompholygis quadrãtem, opii ſeſquiunciã, acaciæ, myrrhæ, gummi, ſingulorũ drachmas octo, tragacanthæ quadrantem, amyli ſeſcuncem, æris vſti drachmas quatuor. croci drach. quatuor: excipe aqua. Eſt autem optimũ ad chemoſes & reliquas lippitudines etiam in vigore, & ad omnes vlcerationes in quibus denſæ factæ ſunt palpebræ. repurgat enim & replet ac cicatricem inducit. Maximè verò hoc vtor, ſi pro pompholyge, cadmia ter vſta admixta fuerit. Pelarium Edeſſenum: Tragacanthæ, gummi, acaciæ, amyli, ſarcocollæ, ſingulorũ drachmas duas, opii drachmas quatuor, ceruſſæ drachmas octo, cadmiæ drachmas ſedecim: excipe aqua.

De collyriis ſiſtentibus, Seueri; Cap. CII.

COllyria quoque quæ ſiſtentia appellantur, repulſoria ſunt. ſiſtunt enim inordinatum fluxionis impetum. Et quædam ex ipſis Hermolai vocātur, quædam verò hexacontarchia, ex eo (velut puto) quòd vniuerſus ipſorum apparatus ſit ſexaginta drach. quædam autem hecatontarchia. multæ verò ſunt etiam horum materiæ, ob quorum copiam medicus indignatus, velut in pelago vertigine affectus, à ſcopo aberrat. Oportet igitur omnium facultates diſcernere, & ad vnum finem horum efficacias adaptare. Noſſe enim oportet quòd omnia ſiſtentia collyria frigefaciunt & adſtringunt, alia magis, alia minus: ſed & reſiccāt aliquo modo. Proinde ad calidiores lippitudines talia cōmodant, non tamen ſtatim à principio priuſquā cōcoctio apparuerit. Optimū verò & admirandū nobis viſum eſt album Seueri collyrium, quod ex fœnigræci ſucco præparatur, & cadmia, & ceruſſa, ac tragacantha: & quod poſt ipſum ſcriptum habetur. At vbi ad cōcoctionem perducta eſt affectio, rurſus ex multis ſiſtētibus commodum reperimus hecatontarchiū: & adhuc magis ipſo id quod poſt ipſum ſcriptum habetur. Recipit autem hecatontarchium æris drachmas duodecim, cadmiæ drachmas quindecim, myrrhæ drachmas quatuor, acaciæ drachmas XXXII. opii drach. quatuor, gūmi drach. XXXII. quidā etiā croci drachmam vnam: excipe aqua. Hoc collyrium aquoſum ad illitionem aſſumptū, ad complicatas affectiones commodum compertum eſt, in quibus eſt inflammatio, & diſtentio, & fluoris influxio. Attenuat enim palpebras, & ipſarum dēſitates ac aſpritudines exæquat cum aqua illitum. Sed & viſus hebetudines ſiſtit, adſtringens ac velut exprimens incūbētes oculo humores. In iis tamē qui ſubtili oculorum ſenſu præditi ſunt, cum oui candido collyrium diluere oportet: ſi verò oui candidum deſit, panem purum non aridum, neq; multi ſalis participem aqua maceramus, & aquam excolatam ad illitionem accipimus: ſin minus, farinam puram madefacimus excolamúſque, ac cremore vtimur. Conuenit autem vt ne aceruatim auxiliorum mutationes faciamus, neque aliud illinamus, & aliud ſuperillinamus. Oculus enim à peregrina innouatione magis perturbatus iniuria afficitur. Itaque hecatontarchio, velut dictum eſt, vtēdū eſt ad cōplicatas affectiones, ita vt aquoſum ipſum faciamus in vſu. hic enim eſt admirandus ipſius ductus. Eſt & aliud collyrium ſiſtens, ex eadem materia conſtans, ſed diſſonantiam ſolùm in apponderatione habens. excedit autem præcedens in ſua actione. Vidimus enim operum ipſius euētum. ſed & hoc à vulgo medicorum ignoratur. Accipit autem æris vſti quadrantem, cadmiæ quadrātem, opii, myrrhæ, ſingulorum drach. quatuor, acaciæ, gummi, ſingulorum ſeptūcē, & vnciæ dimidium: excipe aqua. Hoc collyrium inenarrabilem quandam vim habet, & tēpeſtiuè adhibitum deſperatas affectiones ſanat, & graues dolores mitigat ac ſedat. Tempus autem adhibitionis eius, eſt lippitudinis vigor, quando concoctio facta fuerit, & gramæ in oculo cōſpectæ, & velut ſubcruentum quiddam in oculo apparuerit. ſiue enim chemoſis fuerit id quod affligit, ſiue palpebrarum inflammatio, congruum eſt ipſis hoc auxilium. Tantam enim quietem ex eius vſu ægri conſequuntur, vt quum antea diu vigilias tolerarint, ſtatim ad illitione ſomnum aſſequantur. Confidenter igitur ad pharmacum accurre, conſiderans num tenuis lacryma poſt collyrii illitionem defluat. Habebis enim & in hoc ſucceſſus ſignū, ſi omnino non poſt illitionem lacryma defluat. In quibus enim ex prima illitione lacryma ſiſtitur, ſed inadſtricti permanēt, & velut ſomnus ſuccedit, in his ſtatim ſanitas expectanda eſt, vt non opus ſit ſecunda illitione: ſi verò adſtrictio fiat in prima illitione, infundendum eſt ipſis oui candidū per ſe moderatè calefactū. verùm in ſecūda illitione aut tertia, ab eo ſymptomatis accidēte liberabūtur. Primùm enim oculus velut re peregrina offenſus, mordetur: deinde velut aſſuetus, magis delectatur. Pruritus enim modicus ipſis oboritur cum quadam voluptate. atque hoc eſt ſignum ſucceſſus. nam corpora in profundo liberata, cauſas ad ſuperficiem propellunt. Præcipiendum

A eſt autem vt quibus illitum eſt pharmacum, oculos ne aperiant ante collyrii concoctionem. Cōmoti enim meatus rarefiunt, & collyrium ad profundum condeſcendēs, mordacitatem inducit. Poſt concoctionem autem collyrii, ſpongias adhibere oportet non magno facto fomento, & ipſum collyrium aquoſius illinire. diſtenditur enim palpebra in craſſioribus illitionibus vt ægrè ferat æger, & palpebræ grauētur. In principio igitur cum ouo illinatur aquoſius dilutum. At verò coactio eius fiat in feruida cote: (calefactū enim craſſius ſeipſo euadit) nam ſic adhibi- B tum in dolore admirandum collyrium compertum eſt. Etenim ex hoc ductu etiam paruam in ipſo apparentem adſtrictionem penitus excludimus. In vigore verò itidē cum aqua adhibeatur: in declinatione autem cum aqua, & ſub palpebram illinatur. etiamſi enim denſitas relicta fuerit, & hanc itidem ſanat. Magnopere quoque pueris cōfert. curat enim etiam horum ardores. Poſſemus porrò plura auxilia recenſendo, maiorem legentibus difficultatem parere: verùm quum paruo labore ſuſceperimus, imò potius experientia inuenerimus præſcripta collyria, effica- C cias ipſorum ſimul cū præparationis modo candidè expoſuimus. Collyrium ſiſtens ex oleo, Oribaſii: Cadmiæ vſtæ & lotæ drach. XL. æris vſti & loti drach. octo, opii, myrrhæ, ſingulorum drach. decem, acaciæ drach. centum, gummi drach. centum viginti: terito ex aqua, & ad excipiendū adiice olei omphacini quadrātē & drach. tres. adhibetur in principio aquoſum cum ouo. Aliud ex oleo, velut expertus ſum. facit ad principia lippitudinis, & fluxiones, & veteres affectiones, & ad corroſas palpebras: Cadmiæ drach. vigintiquatuor, æris drach. vi- D gintiquatuor, myrrhæ drach. ſex, opii drach. I. acaciæ, gūmi, ſingulorum drach. XLVIII. olei omphacini ſextantē: terito cum aqua. Collyrium ſcutulare appellatum, capræ faciem præferens, & ſiſtendi vim habens, in principio quidem cum ouo craſſum: & ad declinationes ſimiliter: ad vigores autem aquoſum. Facit mirificè ad ſuppuratos oculos, & ſordida vlcera paulatim repurgat, & dolorem eueſtigio eximit: Cadmiæ ſeſquiunciam, æris ſeſquiunciam, croci drach. quatuor, aloes beſſem, lycii Indici ſextantem, acaciæ ſeſcuncem, opii ſeſquiunciam, myrrhæ drach. quatuor, tragacanthæ vnciam vnam, gummi E ſeſcuncem. Hermolaus paruus: Cadmiæ vnciam vnā, croci drach. quatuor, myrrhæ drach. quatuor, aloes drach. octo, acaciæ drach. octo, gummi drach. XX. excipe aqua. Vtere hoc admixto aliis collyriis lenibus, & infunde in principio cum ouo. Hermolaus magnus. facit ad prædicta multo melius: Cadmiæ beſſem, ſpicæ nardi ſeſquiunciam, æris ſeſquiunciam, croci trientem, aloes beſſem, lycii Indici ſextantem, acaciæ ſeſcuncem, opii trientem, myrrhæ trientem, tragacanthæ vnciam vnam, gum- F mi ſeſcuncem: excipe aqua. Collyrium Olympionici. facit ad maximas doloris vexationes, & chemoſes. & in ſummum, eſt ex collyriis proſperi ſucceſſus. ſtatim enim liberat: Cadmiæ lotæ drach. octo, ſtibii loti drachmas octo, aloes drachmas octo, myrrhæ drach. quatuor, croci drach. quatuor, opii drach. quatuor, gummi drach. octo: excipe aqua. vſus eſt cum ouo: temperatura verò craſſior ſit. Ego pompholygis drach. quatuor, & thuris drach. quatuor adiicio. Collyrium Ericerum Achariſton appellatum, ab erica & dignæ gratiæ deſperatione. facit ad G maximas humorum influxiones. Ex huius vſu in Ægypto ſucceſſum ſentiunt, præſertim in agreſtioribus corporibus: Cadmiæ drachmas ſedecim, æris vſti ac loti drachmas octo, opii drachmas quatuor, ſeminis ericæ drach. quatuor, acaciæ drachmas octo, myrrhæ drachmas quatuor, gummi drach. ſedecim: terito cum aqua & excipe. vſus eſt cum lacte muliebri. temperatura ſit media. Vbi verò circa oculos affectio eſt, à collyrio abſtinere oportet. Ego porrò hoc vſus ſum: Cadmiæ drachmas ſedecim, æris vſti loti drachmas quatuor, ſeminis ericæ dra- H chmas duas, opii drachmas duas, myrrhæ drachmam vnam. acaciæ drachmam vnam, gummi drachmas octo: excipe aqua. vſus in principiis ſit aquoſus, & lauato: in declinationibus autem craſſum cum ouo illine. Aliud Ericerum, quod cum magno labore accepi velut magnum

donum.facit ad prædicta multo melius:& ad aſperas palpebras:& ad ipſorum debilitatem. Si non prius mercedem acceperis,ne illinas. Cadmiæ drach.octo, æris vſti drach.IIII.chalcitidis crudæ drach.octo, aloes drach. ſex,opii drach.IIII.croci drach.IIII.ſeminis ericæ drach. IIII.acaciæ drach.XII.gummi drach.XII. excipe aqua.

Aliud Ericerum celebre,quod appellatur ſiſſum Achariſton, *eo quòd digna gratia ipſi rependi non poteſt*. facit ad fluxiones antiquas, & dolores maximos qui ſunt citra vlcerationem:ab initio vſque ad finem cum aqua cohibet diuturnos fluxus in vlcerationibus aquoſum cum ouo.Aſpritudines autem attenuat cum aqua, & albugines deterit,& diuturnas viſus turbationes ſanat:&poſt ſublata pterygia commodum eſt.attenuat enim pelliculas, & cicatrices planas efficit. Valde vtile eſt in ſuffuſis poſt perpūctionē:per lenem enim adſtrictionem robur oculo ad dit.eſt etiam pueris commodum: Cadmiæ drach. XVI. æris drach.IIII.ſeminis ericæ,opii,myrrhæ,ſingul. drach. octo,acaciæ drach.IIII.gummi drach.octo. huius equidē periculum ego non feci:quæ verò de ipſo dicta ſunt,præſtat id quod ipſum præcedit.

De lenibus collyriis, Galeni, Cap. CIII.

EX collyriis lenibus appellatis quædam terream eſſentiam habent citra frigiditatem aut caliditatem manifeſtam in medio quodammodo horum conſiſtentia. & ex his ipſis aliqua modica frigiditate aut caliditate participant: aliqua verò omnino nullā talē vim præ ſe ferunt. Totum itaque genus ipſorum,obſtruendi vim habet,cōtrariam iis quæ ab obturatione liberant:qualis eſt Samius aſter appellatus: qui tenuiorū partiū eſt quàm terra ſimpliciter Samia nominata:& pompholyx lota,& cinis ipſi lotus:& cadmia vſta ac lota. Huic autem parum quiddā facultatis exterſoriæ adeſt,ſiue poſt vſtionē, ſiue ſine hac lauetur.Pompholyx autem & ſpodium modicam adſtringendi vim habent,quemadmodum etiam vſtum ac lotū plumbum:eſt enim mordacitatis exors: habet autem & adſtrictionis quippiam.Eſt & amylum lene. & ceruſſa lota,vicina eſt facultati plumbi vſti ac loti:lene eſt item fœnigræci decoctum:& quod in ouis eſt album ac tenue. & lac boni ſucci in horum genere eſſe putandum eſt, itémque gummi ac tragacantham.At ſtibium non lotum qui dem,fortem adſtringendi vim oſtendit:lotum autē exol uitur,vt propè mordacitatis exors euadat.Alterum porrò genus eſt eorum quæ paruam habent mordacitatem, ex eo quòd admixta ſunt ipſis quædam ex modicè adſtringentibus:qualia ſunt roſæ & thus,quum modicam quidē aſtrictionem habeant roſæ,& parum de exterſoria facultate ipſum thus.quum autem moderatè calidum ſit thus, ob id quandam concoquendi ac dolores eximendi vim habet.Ex eodē verò genere cum ipſo in concoquendo ac moderatè diſcutiendo,putādus eſt crocus & myrrha:quæ inter ſe differunt, eo quòd crocus moderatè adſtringit, myrrha verò citra aſtrictionem diſcutit, & humiditates non inſtrenuè reficcat.Adhibentur igitur à medicis leniſſima ad affectiones ægrius curabiles, in quibus vlcus eſt aut ſolum, aut cū tunicæ corniformis corroſione, & vui formis prolapſu,ſanie mordaciſſima effluēte.in his enim nullum aliud pharmacum conuenire videtur: quum adſtringentia quidem effluentem ſaniem detineant, & propter hoc ex mordacitate dolorem augeant: acria verò affectionem intendant.Laxatoriorū autem ac diſcuſſoriorū pharmacorum facultas euacuare quidem poteſt quod generatur,neque autem vlceratum renutrire,aut ci catricem inducere,neque quod prolapſum eſt reprimere ac concludere:quemadmodum neque concoctoriorum facultas,etiamſi concoquere affectiones non parum poſſit.Quid verò dicere amplius opus eſt de pharmacis acidas aut amaras vires habentibus, quòd huiuſmodi affectiones mordent ac exacerbant? Ad maiorem autem ma lignitatem procedūt,quæ nitroſam ac ſalſam vim habēt. Ad has igitur affectiones conuenire videtur relatorum lenium pharmacorum genus,quod citra mordacitatem curare poteſt vlcera cum acri fluxione,per multum tempus vitiatos humores in affecta parte conſumens ac refic

A cans, qui ſanè vitiati humores bonum ſanguinem locis influentem corrumpunt.Vocantur autem talia collyria à medicis,Libyana & Cygni, adhibentque ipſa oculis trita cum lacte mulieris boni ſucci, eo quòd vitare cupiūt obſtructoriam vim ouorum.quum enim ſeroſa quædam exterſoria pars in lacte contineatur, vſus ipſius congruus ſit ad propoſitam curationem. vlcera enim quæ impletione indigent,exterſoriis citra mordacitatem opus habēt. ſi verò non affuerit tale lac, per fœnigræci decoctum talia collyria terere præſtat;quum etiam ipſum aliquam ex-

B terſoriam vim habeat.Proinde quæ ſpodiaca ac tephrica collyria,à cinere & ſpodio appellantur, communem habent vim leniendi ac frigefaciendi,& moderatè mordacitatis exortem.

De lenibus ac albis collyriis, Cap. CIIII.

ALiud porrò eſt album collyrium quod multos latet ob præparationis vilitatem,putatúmque eſt à pleriſque hoc nihil poſſe.magnam verò ex hoc vtilitatem percepi ad propoſitam affectionem. Egregiè itaque facit ad omnem calidam lippitudinem.efficax eſt etiam ad pruri

C ginoſas ac corroſas palpebras.Nos enim ſæpe multis perpetratis in tali intemperie,nullum ſucceſſum habuimus: ſerò autem aliquādo huius copiam adepti,magnam vim comperimus in ipſo, in ægrè curabili ac ferè incurabili affectione. Intantum enim mitigatus eſt æger, vt ex deo eſſe collyrium diceret. Sed & ad ſuppuratos oculos eximiè facit. reficcat enim humorem ipſorum citra morda citatem in breui tempore,& oculum imperturbatum cō ſeruat.Curat etiam compendio ruboresſub paruis angulis

D in albo oculi fientes.Adeſt autem ipſis iuxta medium ve lut puſtula quædam,à qua etiam totus rubor contingit.In prædictis igitur affectionibus,inter quas etiam vlcerationem poſuimus,eximiè facit, vt neque fœnogræco opus habeamus.nam & hoc in collyrii compoſitionem recipitur.Vtimur autem ipſo aliàs aliter, in doloris vexatione, cum oui candido:ſic enim ipſum ſtatim mitigat. in quibus autem dolor non præualet,palpebræ verò craſſefactæ ſunt,etiam cum aqua infundimus: aliquādo etiam illinimus.Et in ſumma,ad omne lippitudinis principium,reli

E quam collyriorum materiam ſuperfluam ducimus: excedit enim vi ſua omnia eiuſdem generis. eſt enim lenius ac doloris magis mitigatiuū quàm alia. Alia enim opiū recipiētia,& amylum, & quandoque etiam myrrham,adſtrictionem aliquam inducunt: hoc autem collyrium ab his liberum eſt. Nam crocum excedit in efficacia, & ad feruores ac ardores palpebrarum facit:& ad ſolis æſtus. Sed & tenues ac acres fluxiones obtundit cum aqua illitum,aliquando & cum roſarum decocto. Et glaucos ocu-

F los habentes,& eos qui prominentem habent cryſtallini humoris ſitū, bene illuſtrat aquoſum infuſum.Et in quibus oculorum natura non fert adſtrictionem, his omnibus optimum eſt auxilium. Compoſitio autem collyrii hæc eſt: Ceruſſæ libram vnam,cadmiæ ſemiſſem, tragacanthæ quadrantem.Præparatur hoc modo: Cadmiā racemoſam prunis ignitis obruimus, & flammam ventilando excitamus,& vbi ignita fuerit cadmia,ablatam lacte aſinino extinguimus:deinde rurſus prunis ipſam obruimus,& ignitam rurſus lacte extinguimus: & tertiò idē facimus:deinde tundimus,& anguſto cribro excernim°,

G & in profundum quoddam mortarium coniectam, aqua fontana pura affuſa terimus: & poſtea deſidere ſinentes, per aquæfuſorium inſtrumētum aquam vnà cum ſuperſtāte cōcretione extrahimus, & rurſus aliā purā aquā infundimus:& vbi ſatis contriuimus,& rurſus deſidere ſiui mus,rurſus aquam per idem inſtrumentum extrahimus. & hoc ſæpe facimus,donec non amplius concretio aquæ ſuperſtet. Poſtea verò cadmiam exactè ſiccamus,& ſemiſ ſem ſiue ſeſcuncem apponderamus, ipſámque in mortarium collyriacum coniectam,aqua pluuiali puriſſima af-

H fuſa,exactiſſimè terimus,vt nulla aſperitas linguæ occurrat: atque ſic ad ceruſſam prædicto modo ablutam, cadmiam adiicimus: & ipſa ad dies XV. cum aqua pluuiali conterimus.Et tunc tragacātham albam ac lucidiſſimam accipimus eámque lotam,& reiecto quod in ipſa eſt are-

noſo,in fœnigræci decocto maceramus, & per diem ac noctem ſolùm macerari ſinimus. Plurimum autem iniicere oportet de fœnigræci ſucco, præparato velut dictũ eſt in principio huius Sermonis capite decimoquinto. nã à tragacantha velut à ſpongia abſorbetur. Poſtera igitur die in mortario puro paulatim tragacãthã læuigamus, & alia prius trita in mortariũ adiicimus, & probè permixta patinis vitreis excipimus,& tenui linteo contecta in locũ humiditatis exortem, vbi ventus ſpirat, reponimus. Dehiſcit enim collyrium, & efformationem moratur, ſi in humido depoſitum fuerit loco. non enim tantum temporis poſtulat ad contritionem quantum ad efformationẽ. Eſt itaque hæc collyrii præparatio: & poteris ex hac methodo, ad eiuſdem generis materias tranſire. Talia autem ſunt libyana, & tephra, ac ſpodiaca appellata, itémque cygnaria, & alba quæ ex roſis & quæ ex coriandri ſucco præparantur. Quibus omnibus præferendum cõpertũ eſt propoſitum collyrium. Optimum verò experientia iudicatũ eſt & hoc: Cadmiæ vſtæ ac lotæ, velut dictum eſt, trientẽ, ceruſſæ ſimiliter lotæ vncias ſedecim, amyli recentis vncias ſedecim, opii drachmas quatuor, tragacanthæ trientem: reliqua cum aqua terito: Tragacantham autem fœnigræci ſucco diligenter velut dictum eſt, præparatam macerato: amylum verò neque acidum ſit, neque graueolẽs.

Aliud Nilammon appellatum, tenerum, dolorem eximens, ſtupefactiuum, ex genere cygnariorum. Facit & ad vlcerationes, poſt primum vigorẽ, dolore præſente, craſſum illitum: Ceruſſæ lotæ ſeſcuncem, cadmiæ vſtæ & lotæ trientem, pompholygis per linteum lotæ ſextantem, opii ſextantem, tragacanthæ ſextantem, gummi ſextantem: excipe aqua. Aliud collyrium Aſclepiadæ, dolorẽ eximens: facit ad fluxionem omnis generis, vlcera, doloris vexationes, puſtulas, prolapſus, chemoſes, affectiones omnis generis: Ceruſſæ lotæ drachmas octo, terræ Samiæ drachmas octo, cineris pompholygis lotæ drach. II. tragacanthæ drachmas duas, opii drachmas duas, gummi drachmas quatuor: excipe aqua. vſus eſt cum ouo. Aliud Athanaſia appellatum: Cadmiæ vſtæ & lacte aſinino extinctæ ac lotæ lib. I. opii quadrantem, ceruſſæ lib. I. ſucci mandragoræ lib. I. amyli ordeacei lib. I. tere cum aqua, & ad efformationem adiice ouorum recentium albumina, quantum ſatis eſt. Collyrium Cygnus reginæ, ad maximos dolores ac affectiones: Cadmiæ lotæ drach. XVI. ceruſſæ lotæ drach. octo, acaciæ flauæ drach. II. opii flaui drachmas II. tragacanthæ drach. duas, gummi albi drach. II. amyli drach. duas, terito cum aqua: & amylum poſtremũ inſperge. nam ſi moram traxerit in mortario, aceſcit, & collyrium acre facit. ad excipiendum verò adiice ouorũ recentium quatuor candidum. Collyrium Bolæ mitigat & concoquit omnem inflammationem: Ceruſſæ toſtæ drach. XXXII. croci drachmas tres, opii drach. quatuor amyli recẽtis drach. octo, gũmi drach. XXXII. excipe aqua.

Aliud collyrium ex ſpuma argenti quod Auguſtum vocant: Spumæ argenti vſtæ ac lotæ ſextãtem, pompholygis lotæ vnciam vnam, cadmiæ vſtæ ac lotæ ſextantem, amyli ſextantem, gummi ſextantem, tragacanthæ vnciam vnam: excipe aqua. Hoc maximè & dolores eximit, & fluxiones intercipit, & oculum imperturbatum ſeruat.

Collyria libyana & tephra ac ſpodiaca, Cap. CV.

Collyriũ libyanũ Aſclepiadæ, ad puſtulas, epicaumata, ruptiones, cœlomata, oculos ſuppuratos, chemoſes, ſtaphylomata, doloris vexationes & affectiones. deterit etiã cicatrices: Cadmiæ vſtæ ac lotæ drach. ſedecim, ceruſſæ vſtæ ac lotæ drach. XVI. ſtibii vſti ac loti drach. duodecim amyli drachmas duodecim, cineris pompholygis drach. octo, plumbi vſti ac loti drachmas octo, tragacanthæ drachmas octo, opii drach. duas, gummi drach. ſex: & ad excipiendum ouorum candida VIII. Oribaſii inexuperabile collyrium Philumeni, inquit, tenerum libyanum ad ſuppuratos oculos, in vigore vlcera, dolores, chemoſes:

Cadmiæ, ceruſſæ, pompholygis, ſingulorum drach. ſedecim, ſtibii drach. duodecim, amyli drach. XII. plumbi A vſti, terræ Samiæ, tragacanthæ, ſingulorum drach. octo, gummi drach. ſex, myrrhæ drach. II. opii drach. II. excipe aqua. vſus eſt cum lacte muliebri aut cum ouo. Aliud libyanum Oribaſii, ad principia & vlcerationes: Cadmiæ vſtæ ac lotæ drach. XII. amyli drach. XII. plumbi vſti & loti drach. octo, ceruſſæ lotæ drach. octo, tragacanthæ drach. XVI. gũmi drach. XIIII. ſtibii vſti ac loti drach. XII. terræ Samiæ, pompholygis lotæ, ſing. drach. octo, myrrhæ drach. duas, opii drach. II. excipe aqua. Aliud collyrium, B Aſter magni, quod præparari ſolet: Cadmiæ lotæ drach. XXXII. plumbi vſti ac loti drach. XXXVI. ceruſſæ lotæ drach. XXXII, ſtibii vſti ac loti drach. XXIIII. pompholygis lotæ drach. XXXII. thuris drach. octo, terræ quæ aſter appellatur drach. octo, myrrhæ, opii, ſingulorum drach. IIII. tragacanthæ, gummi, ſing. drach. XVI. amyli drach. XXXVI. excipe aqua. Aſclepiadæ aſter inexuperabilis, dolorem eximens. facit ad doloris vexationes, puſtulas, ſtaphylomata, vlcera ſordida & ſerpentia. facit ad inueteratas affectiones, & cicatrices exterit: Cadmiæ vſtæ ac lotæ drachmas XVI. ſtibii vſti drach. XII. cineris pompholygis lotæ C drach. octo, myrrhæ drach. II. opii drach. II. tragacanthæ drach. octo, gummi drach. VI. excipe aqua. Aliud collyrium vranium, velut Oribaſius habet, ad vlcera, puſtulas, ruptiones, inuſtiones, prolapſus, ſtaphylomata, oculos ſuppuratos, corroſiones, nomas, carbunculos, & ad omnes magnas affectiones. Maximè conuenit ad ruborem ac glaucedinem oculorum. in principiis aquoſius infunditur. Quum autem tenuis fuerit & mordax & feruida fluxio, vtere cum lacte: vbi verò craſſam fluxionem diſſoluere volueris, cum aqua. Cadmiæ vſtæ ac lotæ ſextantẽ, ſquamæ æris lotæ trientem, terræ Samiæ vſtæ ac lotæ D ſextantem, cineris pompholygis lotæ vnc. vnam, opii drach. VI. gummi trientem ſtibii loti ſextantem: excipe aqua, & vtere confidenter. Collyrium ſpodiacum Demoſthenis. facit ad inflammationes & fluxiones: Cadmiæ drach. XXIIII. ſtibii loti drach. VII. ceruſſæ lotæ drach. XXIIII. terræ aſteris drach. ſex, thuris drach. quatuor, opii drach. VI. gummi drach. V. terito cum ſucco foliorum oleæ. ſuccum autem ſic facito: Tenera oleæ folia lauato, deinde in pila tundito moderata aqua affuſa, vt ſufficientem ſuccum remittant: deinde exprimito & per linteum purum excolato, ac vtitor. E Aliud ſpodiacum admirandum, tenerum, faciens ad fluxiones & epiphoras humorum impetuoſas, vlcera, inuſtiones, puſtulas: Cadmiæ vſtæ ac lotæ drach. octo, ſtibii vſti ac loti drach. duas, terræ aſteris drach. IIII. opii drach. duas, gummi drach. duas: excipe aqua. Collyrium tephron, inſpiſſat ac agglutinat tenues fluxiones velut præcedens. Optimum verò eſt hoc ad calidas fluxiones: Cadmiæ vſtæ ac lotæ drach. XXV. ſtibii loti drachmas octo, terræ Samiæ drachmas ſex, ceruſſæ drach. VI. opii drachmas quinque, gummi drachmas octo, ouorum F recentium albumina ſex: excipe aqua. Collyrium Philagrii penitus lene: obfuſcat enim fluxionum mordacitatem: quapropter confidenter ipſo vtendum eſt in acrib⁹ ac tenuibus fluxionibus. Obtundit enim has & reſiccat. hoc ſyricum aut ſandycem appellant: Pompholygis lotæ drachmas vigintiquinque, ceruſſæ vſtæ ac lotæ drach. vigintiquinque, terræ aſteris, plumbi vſti ac loti, ſingulorum drachmas vigintiquinque, gummi albi drachmas XL. aquæ pluuialis puriſſimæ, non olentis, quod ſatis eſt. G ſingula ſeorſim vſta, lota, ſiccata, põderata, adiicito ac terito: & in fine gummi addito: deinde amylum. Aliud eiuſdem, ad vlcerum repletionem, præſertim malignorũ. Cadmiæ vſtæ ac lotæ, drach. XXV. põpholygis lotæ drach. XXV. tragacanthæ drach. X. excipe aqua.

Collyria ex thure, Cap. CVI.

Collyrium ex thure ad fluxiones, & chemoſes, & caua vlcera: Cadmiæ drachmas octo, thuris drachmas VIII. ceruſſæ drachmas quadraginta, opii drachmas ſex, terræ aſteris drachmas ſex, gummi drachmas ſex: excipe H aqua. vſus eſt cum ouo. Aliud delicatum inſcriptum, ad inuſtiones, puſtulas, chemoſes, præſertim in iis qui nullam omnino mordacitatem ferre poſſunt: Cadmiæ lotæ drachmas octo, ceruſſæ lotæ drach. XLVIII. thuris drach.

drachmas octo, opii drachmas ſex, amyli drachmas octo, gummi drachmas ſedecim, excipe aqua. vſus eſt cum ouo.

Collyrium Cleonis, Cap. CVII.

COllyrium Cleonis, velut Demoſthenes habet: ad vlcera pura & iam cicatrice indigentia, ex cuius vſu nos valde laudati ſumus. nam profundiſſima vlcera & pura celerrimè replet, & compendio ad cicatricem perducit, tenuibus & obſcuris cicatricibus relictis, & vlcera abſque inflammatione conſeruat. habet hoc modo: Spodii loti drachmas quatuor, plumbi vſti ac loti drachmas quatuor, ſquamæ ferri ſtomomatis lotæ drachmam vnam, gummi drachmas duas, excipe aqua. & vtere cum lacte aut ouo. Vtimur autem ipſo (inquit Apollonius) in profundiore vlceratione, cum cremore tragacanthæ aquoſo. Quidam croci ſeſquidrachmam iniiciunt, & pro ſpodio pompholygis, cadmiam ter vſtam accipiunt. Eſt autem lene quidem & mordacitatis exors, verùm graue. quare nunquam craſſo ipſo vtendũ eſt, ſed aquoſo.

Collyria ex roſis viridia ac alba, Cap. CVIII.

COllyrium Nili ex roſis, ad dolores, fluxionem tenuem ac multam, puſtulas, prolapſus, & vlcera ſordida, & palpebras aſperas: Roſarum viridium, reſectis vnguibus, drachmas vigintiquatuor, croci Corycii drachmas duodecim, opii drachmam vnam, ſpicæ nardi drachmam vnam, gummi drachmas ſex, excipe aqua. Vſus eſt cum ouo. temperatura ſit liquidiſſima. Quidam etiam ad confuſiones & pupillæ dilationem ipſo vtũtur.

Collyriũ ex roſis, Diagoræ, quod magnum appellatur, aut viride, ex ſeptuaginta duabus roſarum drachmis. Ad chemoſes, & doloris vexationes, puſtulas, epicaumata ſiue inuſtiones, ſtaphylomata, prolapſus, oculos ſuppuratos, fluxiones antiquas, lippitudines inueteratas, & affectiones ægrè curabiles: Roſarum viridium exunguium drachmas ſeptuagintaduas, cadmiæ lotæ drachmas vigintiquatuor, croci drachmas VI. ſtibii drachmas ſex, æruginis drachmas duas, ſpicæ nardi drachmas II. opii drachmas tres, myrrhæ drachmas tres, gummi drachmas viginti quatuor, ſquamæ æris drachmas duas, excipe aqua. Collyrium quo vſus eſt Florus in Druſi matre, quæ parum abfuit vt ab aliis medicis excæcata fuiſſet: Acaciæ drachmas quadragintaocto, roſarum ſiccarum drachmas quadragintaocto, meliloti drachmas quadragintaocto, ſpodii põpholygis drachmas vigintiquatuor, croci drachmas vigintiquatuor, malorum mandragoræ drachmas duodecim, ſeminis hyoſcyami drachmas ſex, opii drachmas ſex, myrrhæ drach. IIII. æris vſti drachmas quatuor, gummi drachmas quadraginta, vini Falerni heminas tres, aquæ pluuiæ heminas tres. Aquam & vinum miſceto: & in hæc roſas, melilotum, hyoſcyami ſemẽ, & mãdragoræ mala: aut, ſi hæc non adſint, corticẽ iniicito, & ad triduum macerari ſinito: deinde expreſſo liquore ad pharmaci compoſitionem vtitor. Vtere hoc velut probatiſſimo. Aliud Philagrii ex roſis, ad inflãmationes cõgruũ, ſi ſuprà relato leni Philagrii collyrio fuerit admixtum: Roſarum viridium exunguium drachmas octuaginta, æris vſti drachmas trigintaduas, tere cum vino odorato veteri adſtringente, & vtere. Collyrium album ex roſis, noſtrum (inquit Oribaſius) ad vigores & vlcera, & oculos ſuppuratos, inuſtiones, cruſtas & vlcerum ſordes: Cadmiæ vſtæ ac lotæ, ſtibii vſti ac loti, roſarum recentium exunguium, ſingulorum drachmas ſedecim, ceruſſæ lotæ drachmas octo, croci drachmas octo, opii drach. quatuor, gummi drachmas ſedecim, excipe aqua. vſus eſt cum ouo aut lacte: in declinatione cum aqua. Aliud eiuſdem. facit ad vigores: Cadmiæ vſtæ ac lotæ drachmas ſedecim, roſarum recẽtium exunguiũ drachmas octo, opii drachmas quatuor, lactis drachmas quatuor, gummi drachmas quatuor, tragacanthæ drach. tres, amyli drach. quatuor. aliqui etiam Samii aſteris dra-
A chmas duas. Collyrium ex roſis albũ, quod cum hyoſ-
cyami ſucco præparatur. Ceruſſæ vncias vigintiquin-
que, croci quincuncem, opii libram vnam, myrrhæ quin
cuncem, roſarum viridium exunguium librã vnam, cad-
miæ vſtæ ac lotæ beſſem, gummi libram vnam. Cadmiã,
crocum, roſas cum aqua terito: deinde ceruſſam adiici-
to. ſuccos autem & gummi, in hyoſcyami ſucco macera-
to & efformato. Vtere ad tenuiſſimas ac acres fluxiones,
& in his quæ ſunt cum vlceratione. generoſè repellit.
Collyrium viride ex galbano, ad doloris vexationes &
B affectiones veteres: Cadmiæ lotæ drachmas octo, ſpodii
loti drach. octo, æris vſti ac loti drach. octo, opii drach.
octo, galbani drach. octo, myrrhæ drachmas octo, gum
mi drachmas octo, excipe aqua. quidam ſpodium non
adiiciunt.

Collyria diaſmyrna, & chiaca appellata ex vino, Cap. CIX.

COllyrium diaſmyrnum odoratũ Synerotis, pharma-
cum accommodatum ad inueteratas affectiones. fa-
C cit & ad rhœadas, *hoc eſt angulos antroſos, ſiue carnis in angulo
magno decrementum*, & ad ægilopas. Cadmiæ lotæ dra-
chmas vigintiocto, lapidis hæmatitæ loti drachmas vi-
gintiocto, ſpodii põpholygis drachmas vigintiquatuor,
myrrhæ drachmas quadragintaocto, croci drachmas
quatuordecim, opii drachmas octo, piperis grana trigin
ta, gummi drachmas ſex. terito cum vino veteri adſtrin-
gente. Vſus eſt cum ouo in recentibus affectionibus. tem
peratura ſit aquoſa. Aliud Aſclepiadeum Paccii,
ad doloris vexationes, fluxum tenuem & multum, inu-
D ſtiones, puſtulas, pellicularum eminentias, aſpritudines,
diuturnas affectiones: & iis qui à multis illitionibus læ-
ſi ſunt, confeſtim opitulans: Cadmiæ lotæ drachmas
duodecim, æris vſti drachmas duodecim, croci drach-
mas duodecim, ſquamæ æris lotæ drachmas duodecim,
myrrhæ drachmas quatuor, lapidis hæmatitæ drachmas
quatuor, ſpicæ nardi drachmas quatuor, piperis grana
vigintiquatuor, roſarum ſiccarum drachmas quatuor, o-
pii drachmas quatuor, gummi drachmas duodecim. te-
E rito cum vino veteri odorato adſtringente. Vſus eſt cum
ouo: temperatura verò aquoſa. Collyrium iſophoton,
hoc eſt uiro par, ab aliquibus autem iſotheõ, *hoc eſt Deo par*
appellatũ. Facit ad oculos ſuppuratos, & vlcera impura
ac caua, & fluxionum principia, præſertim in corpori-
bus repletis, in quibus gramarum copia craſſiſſimarum
in oculis reperitur. eſt & pueris commodum, & ad aſpri-
tudines bonum: Cadmiæ drachmas octo, æris vſti dra-
chmas quatuor, roſarum ſiccarũ drachmas quatuor, cro-
ci drachmam vnam, folii drachmam vnam, lapidis ſciſſi
F drachmam vnam, myrrhæ drachmam vnam, gummi dra
chmas ſex. tere cum vino vetere odorato adſtringente, &
vtere in omnibus prædictis cum ouo, aquoſius per ſe in-
fundens. poſt perfectam verò reſtitutionem cum ouo di
lutum illine per ſubiectionem, & lauato. ſi verò adſtrin-
gantur poſt illitionem, candidum oui infunde. verùm
ad attenuandas cicatrices, cum ouo aquoſius illine. Qui-
dam etiam piperis grana nouẽ ſcripturæ adiiciunt. nos
autem in his piper reiicimus. Collyrium Dionyſius.
Facit ad myocephala, aſpritudines, fluxiones, hebetudi-
G nes. maximè autem facit ad fluxiones inueteratas: Ca-
dmiæ drachmas tredecim, æris drachmas quinque, lapi-
dis ſciſſi drachmas tres, lapidis hæmatitæ drachmas qua-
tuor, caſiæ drachmam vnam, aloes drachmas duas, croci
drachmas duas, ſpicæ nardi drachmas tres, folii drach-
mas duas, lycii drachmam vnam, piperis grana viginti-
vnũ, opii drachmam vnam, myrrhæ drachmas quatuor,
acaciæ drachmas duas, gũmi drachmas ſex. tere cum vi-
no Chio, aut alio auſtero veteri, & vtere velut efficaciſ-
ſimo, etiã ad oculos purulentos, & aſpritudines: in prin-
H cipiis cum ouo, deinde cum aqua. efficacia eius ſuperat
omnem pollicitationem. Collyrium chiacum, ex
Demoſthene (inquit Apollonius) & ad vlcera pura, &
proſerpẽtia, & eminentias, & veteres affectiones, aſperas
palpebras, ſycoſes, euerſiones, clauos, ſtaphylomata, o-

mnes doloris vexationes,lippitudines ſcabras.Facit etiã A cicatrices obſcuras, & recentes ac craſſas cicatrices attenuat.oportet autem modò craſſum,modò medium,modò aquoſiſſimum ſublinere: & quãdoque ex interuallis, quandoque aſſiduè. Facit ad carbunculos & ſuppurationes:pus enim percolat. & in ſumma, ad omnia oculorum vitia optimum eſt: Spodii drachmas tres, æris vſti drachmas duas, croci drachmam vnam, myrrhæ obolos quatuor, opii tantundem, piperis grana duodecim,gummi drachmam vnam. terito cum vino Chio, aut alio auſtero vetere. Aliud chiacum Oribaſii, B ad ſtaphylomata & oculos purulẽtos,vlcera pura & ſordida,& ad antiquas affectiones: Cadmiæ, rubricæ ſinopicæ, gallæ omphacitidis, croci,roſarum recentium exunguium, gummi, ſingulorum quadrantem, opii vnciam vnã.tere cum vino Chio, aut alio auſtero vetere maris exorte. In principiis ad cygnarium aut pelarium quoddam miſcetur. Cicatricem quoque optimè inducit cum aliquo horum,& per ſe. Fuſcum noſtrum, inquit Oribaſius, ad oculos purulentos,& magnas affectiones,& omnem vlcerationem,præſertim diuturnam: C

Roſarum exunguium ſextantem, cadmiæ teneræ drachmas vigintiquatuor, ceruſſæ drachmas ſedecim, opii drachmas vigintiquatuor, æruginis drachmas duodecim, æris drachmam vnam,ſeminis ericæ drachmas duodecim, ſtibii drachmas octo,myrrhæ drachmas ſex, ſpicæ nardi drachmas quatuor,croci drachmas quatuor, acaciæ dr.quatuor,nitri dr.IIII, lycii drachmas quatuor, aluminis ſciſſi drachmas tres,chalcitidis vſtæ drachmas tres,caſtorii drach.tres,omphacii drachmas duas,gummi drachmas trigintaquatuor, terito cum vino auſte- D ro veteri odorato, & vtere aquoſo, per fœnigræci ſuccum aut ouum diluto: in progreſſu verò craſſius adhibe. Collyrium aromaticum, ex Demoſthene, ad inflammationes ex humorum craſſorum multitudine obortas. attenuat breui ac diffundit,& diſcutit humores. Facit & ad impura vlcera: Pompholygis drachmam vnam,æris vſti drachmas duas, myrrhæ drachmas tres, lapidis hæmatitæ drachmas quatuor, opii drachmas quatuor,piperis grana octodecim, croci drachmas duas, gummi drachmas tres. tere cum vino Chio, aut E alio auſtero. Collyrium ſcylacium inſcriptum, ex ſemine hyoſcyami. Facit ad chemoſes, & affectiones fluidas diuturnas omnigenas. Facit etiam ad ſtaphylomata,& repellit fluxiones,primùm cum ouo aquoſum, deinde etiam ſolidum illitum cum ouo: Cadmiæ, æris vſti,lapidis hæmatitæ, chalcitidis vſtæ,ſingulorum quadrantem,miſyos ſeſquiunciã,ammoniaci thymiamatis ſeſquiunciam, myrrhæ ſeſquiunciam, opii ſeſquiunciam, hyoſcyami ſeminis vnciam vnam, aloes ſeſcuncem,gummi ſeſcuncem. tere cum vino auſtero. A- F liud collyrium mirificè faciens ad myocephala. conſumit etiam pterygia, & carnis in angulo magno incrementum deterit, itémque cicatrices. Eſt & ad aſpritudines commodum: Cadmiæ vnciam vnam, æris vſti vnciam vnam,chalcitidis crudæ vnciam vnam,æruginis raſæ drachmas quatuor, myrrhæ ſeſquidrachmã, croci drachmas duas, ſalis ammoniaci drachmam vnam, gummi drachmas quatuor,terito cum vino auſtero. Collyrium Philagrii, de quo ita ſcribit, Tertium ab his eſt meum collyrium,quod appellamus præ- G ſeruatiuum,repellens in principio fluxiones,& roborare potens debiles & læſioni obnoxios oculos. Quare non ſolùm in principiis lippitudinis, ſed etiam ſanis, præſeruationis gratia ipſum adhibere oportet. Cytinorum, *hoc eſt florum mali Punicæ*, qui floribus anemones ſimiles ſunt,drachmas vigintiquinque, acaciæ flauæ drachmas trigintaquinque, glaucii drachmas ſedecim, aloes drachmas quinque, myrrhæ troglodytidis drachmas tres, atramenti Indici drachmas ſeptem, folii malabathri drachmam vnam,omphacii ſicci drach- H mas tres,gummi drachmas quinque, opobalſami ad excipiendum drachmas quinque, terito cum vino vetere auſtero. Collyrium ex bdellio & ſtyrace concoctorium, Philagrii.cuius multam experientiam habeo,non ſolùm probè concoquentis, ſed etiam læſiones ex frigore obortas citra inflammationem ſanantis. Bdellii drachmas ſex,thuris maſculi drachmas decem, myrrhæ drachmas decem,ſarcocollæ drachmas quinque,caſtorii drachmas duas,galbani drachmas quinque,ſtyracis drachmas quinque, croci drach.quinque, lycii drachmas duas, ammoniaci thymiamatis drachmas II. gũmi drachmas duas,excipe aqua.

Collyria ad aſpritudines,& exterſoria, Cap. c x.

COllyrium ad aſpritudines,phœnix appellatus. Facit &ad milphos,& diuturnas affectiones,& ad eos qui palpebras & angulos exacerbatos habent: Lapidis hæmatitæ vſti ac loti drachmas trigintaduas,æris vſti ac loti drachmas ſedecim, lapidis ſciſſi vſti ac loti drachmas ſedecim,æruginis drachmas ſedecim, cadmiæ racemoſæ drachmas quatuor, opii drachmas ſex,chalcitidis toſtæ drachmas quatuor,gummi drachmas ſedecim, excipe aqua. Collyrium ad aſpritudines Mono inſcriptum. Lapidis hæmatitæ ſeſcuncem,lapidis ſciſſi ſeſcuncem,æris vſti quadrantem, cadmiæ libram vnam, æruginis raſæ quadrantem,chalcitidis toſtæ vnciam vnam, opii ſextantem, gummi ſextantem, excipe aqua. Eſt & pueris commodiſſimum. Collyrium Theophilium, ad pueros mirificum,& aſpritudinibus commodum:

Cadmiæ libram vnam, æris vncias quatuordecim, æruginis quadrantem,opii libram vnam, gummi libram vnam,excipe aqua. Vſus eſt cum ouo in principio aquoſi;in declinatione verò cum ouo craſſius illinito. Aliud collyrium, xyſter *à deradendo* appellatum. Facit ad ad albugines, cicatrices attenuat, & oculum imperturbatum conſeruat. Ammoniaci thymiamatis, minii ſinopici,ſingulorum quadrantem,ceruſſæ,gummi,ſingulorum ſextantem,pumicis toſti vnciam vnam,excipe aqua. Collyrium aliud ad aſpritudines.Facit ad milphoſes,vlcera,foſſulas, valde vetuſta vulnera,ſtaphylomata,myocephala. Lapidis hæmatitæ trientem, lapidis ſciſſi trientem,æris vſti trientem,cadmiæ ſextantem, æruginis ſextantem,chalcitidis vſtæ vnciam vnam, opii trientem. Roſas virides, ſi adfuerint: ſinminus,ſiccas, per diem ac noctem aqua macerato, & cum expreſſo ac excolato cremore terito. Aliud collyrium xyſter appellatum,celebre ad aſpritudines: Pumicis vſti,oſtreorum vſtorum,miſyos vſti, gummi æquales portiones aqua excipe. Collyrium ad aſpritudines,eutonum *ab efficaciæ pertinacia* vocatum, ex Oribaſio: Æris vſti drachmas vigintiquatuor, cadmiæ drachmas vigintiquatuor, æruginis drachmas duas, croci drachmas tres, opii drachmas tres,myrrhæ drachmas tres,gummi drachmas nouem,excipe aqua.Egregiè facit ad aſperas palpebras ac calloſas, lippitudines ſcabras, euerſiones,fluxus diuturnos citra exulcerationem, admixto cygnario aut collyrio ex croco.facit ad vigores. Sit autem quod admiſcetur,decima ipſius pars.In ſumma,palpebras euertere nõ eſt opus,ſed ſimpliciter illinire.Hoc alii harmation,*id eſt currum*, alii opiſthobares *à grauitate*, nos autem eutonum vocamus. Aliud eiuſdem, collyrium exterſorium inquit,Gryali,ad aſpritudines ex duobus lapidibus: Hæmatitæ lapidis drachmas octodecim,ſciſſi lapidis drachmas octodecim,æris vſti drachmas nouem,cadmiæ drachmas nouem,æruginis drachmas nouẽ,chalcitidis vſtæ drachmas tres, opii drachmas ſex, gummi drachmas nouem. tere cum aqua & illine,donec tolerarit æger,non confricans palpebras,neque ſubiiciens ſpecillum,ſed per ſpecilli nucleum explens oculum. Aliud eiuſdem, ad multas affectiones: Chalcitidis drachmas vigintiſeptem, cadmiæ drachmas vigintiduas, æris vſti drachmas ſedecim,lapidis hæmatitæ drachmas tredecim,croci drachmas ſedecim,miſyos drachmas ſedecim,myrrhæ drachmas ſedecim,opii drachmas tredecim,gummi drachmas quatuordecim,tere cum vino vetere. Collyriũ ex oleæ foliis. Facit ad diuturnas fluxiones. Deprimit etiam aſpritudines,& oculum cor-

roborat,ſyrici ſeſcuncem , æris quadrantem , opii trientem,gummi drachmas octo,foliorum oleæ tenerorum à fibris depuratorum drachmas octo. Cum vino ſpathite terũtur folia exactè fibris exemptis,ita vt per ſe in mortario biduum probè teras , vinum paulatim irrorans. Quum autem læuiſſima facta fuerint,æs adiicito,&ſimul diu terito,& ſic vinum affundito: ſi enim ab initio infuſum fuerit vinum, folia innatantia incontrita permanẽt. Contrito autem ære,ſyricum adiice,deinde opiũ, poſtea gummi , & efforma , ac vtere ab initio infundens : in declinatione verò etiam illinens.Ego verò,velut Demoſthenes iubet,folia in mortarium mitto ac contundo,vino ſufficiente paulatim inſtillato,exprimóque ac excolo, & cum vino excolato reliqua tero, retrimento foliorum reiecto. Collyrium harmation, *id eſt currus* inſcriptum: quo vſus eſt Ptolemæus rex. Exterit cicatrices, acuit viſum ,& ad aſpritudines commodum eſt: Æris vſti ac loti drachmas octo,ammoniaci thymiamatis drachmas octo,corticis thuris drachmas octo, gummi drachmas octo,excipe aqua. vſus eſt cum aqua. Quædam deſcriptiones habent etiam æruginis drachmas duas . Alius ex lapide hæmatite, ad viſum acuendum: cicatrices & callos exterit. Ammoniaci thymiamatis drachmas vigintiquatuor, æris vſti ac loti drachmas vigintiquatuor lapidis hæmatitæ drachmas vigintiquatuor,æruginis drachmas octo,gummi drachmas vigintiquatuor,excipe aqua. Exterſorium Oribaſii. Facit in principiis & ad chemoſes, aquoſum cum ouo infuſum. Cadmiæ drachmas octo, æris drachmas duodecim, croci drachmas tres, myrrhæ drachmas tres,opii drachmas ſex,lapidis hæmatitæ drachmas octodecim , lapidis ſciſſi drachmas octodecim, chalcitidis toſtæ drachmas ſex,æruginis drachmas duodecim,gummi drachmas nouem,terito cum vino, & vtere cum ouo. Collyrium exterſorium Philagrii per ſe adhibitum, & cum collyrio ſupraſcripto Philagrii ex roſis: Æruginis drachmas ſex,pumicis drachmas ſedecim, teſtarum ſepiæ drachmas ſedecim,gummi drachmas triginta duas.His ego, inquit, adiicio, ſquamæ æris drach. ſedecim,vbi fortius ipſum efficere voluero. Collyriũ rhinema,*hoc eſt lima*,inſcriptum.Facit ad calloſas affectiones,& cicatrices exterit. facit etiam ad ſuffuſiones: Cadmiæ drachmasquadragintaocto,ammoniaci thymiamatis drachmas quadragintaocto, opii drachmas ſedecim, lapidis hæmatitæ drachmas vigintiquatuor,galbani drachmas ſedecim,aloes drachmas ſedecim, opopanacis drachmas octo, fellis taurini drachmas octo,ſalis ammoniaci drachmas quatuor, æruginis drachmas ſedecim , myrrhæ drachmas ſedecim, gummi drachmas quadraginta, excipe aqua. temperatura ſit aquoſa. Collyrium exterſorium albuginum,per vnam illitionem multam efficaciam oſtendens Facit ad pterygia,& carnis in angulo magno incrementum.Eſt autem collyrium lene & mordacitatis exors. Conchylii purpuræ carnis vſtæ drachmas decem,æris vſti drachmam vnam , ſquamæ æris drach. duas,æruginis drachmas ſex, atramenti ſutorii drach.III. aluminis ſciſſi obol.I.lapidis ſciſſi drach.I.lapidis hæmatitæ drachm.I. ſtercoris crocodili drach.I. lycii drachm. vnam,ſucci omphacii ſicci drachmas quinque, chalcitidis obolos duos,myrrhæ drachmas tres,thuris maſculi obolos duos,corticis thuris drachmam vnam, florum mali Punici drachmam vnam,excipe aqua. Collyrium heliadæ, albugines tollens valdè citò, vt mireris. Lapidis armenii quo pictores vtuntur,gypſi,atramenti ſutorii,floris æris , æruginis , teſtarum ſepiæ vſtarum, ammoniaci thymiamatis,lapidis magnetis trahentis,lithoſpermi,gũmi,æqualibus portionibus vtere,& excipe aqua. Aliud quod præparat Petrus archiatros, & ipſi bonum teſtimonium præbet. Salis ammoniaci ſcrupulos ſex, lapidis armeniaci ſcrupulos duodecim, ſeminis raphani ſcrupulũ vnum,ſeminis violæ albæ ſcrupulos ſex, ammoniaci thymiamatis ſcrupulos nouem, gummi ſcrupulos duodecim,excipe ſucco rutæ.Facit & ad ſuffuſiones incipientes.

Collyrium preſſum, de quo Apollonius dicit optimũ eſſe pharmacum ad cicatrices, & ſuperexcreſcentem carnem, & ad aſperas palpebras , & ſycoſes , & euerſiones palpebrarum : calculos item ac grandines, & induratas affectiones,& pterygia,& carnis in angulo magno incrementa,& lippitudines ſcabras, & pellicularum craſſitudines, & multæ ac craſſæ fluxionis depurgationem . ſed & aquoſum ac multum fluxum cohibet. conſumit autem & depurgat ſecurè, attenuátque ac exterit,ſufficienter mordens . verùm oculum imperturbatum ſeruat,iucundiſsimúmque ac leniſſimum eſt, & quod debet facit. eſt autem hoc: Æris vſti ac loti obolos quinque, croci drach. II. myrrhæ troglodytidis obolos III. ſpicæ nardi obol. II. caſiæ obolos tres , cinnamomi obol.II.opii obol. II. piperis grana quindecim , gummi drachmam vnam,vini Chii aut alterius auſteri odorati, quod ſatis eſt . Quòd ſi ad hanc deſcriptionem ſpodii drach.IIII.addere volueris,ad omnem fluxionem ac lippitudinem optimum euadit. Collyrium Iſidori Memphitæ ad acuendum viſum : Inungebam , inquit, non videntes, & incipiebant videre. Appellatur rhinarium, *id eſt limula*. Ego hoc præparaui : Ammoniaci thymiamatis drachm.XVI. æruginis vermiculatæ drach.XII.teſtarũ ſepiæ quod molle eſt,drach. VIII.ſagapeni dr.VIII. opopanacis drach.II.ſucci Cyrenaici drach.I.gummi drachmam vnam . Omnibus aqua prætritis, ſucci fœniculi drach.duodecim adiice,& mellis Attici drachm.duodecim. & efforma collyrium, ac vtere. At verò quidam amicus ipſum nunc ſic præparat: Ammoniaci thymiamatis vnc.quindecim, æruginis raſæ deuncem & drach. II.teſtarum ſepiæ trientem & vnciæ dimidium, ſagapeni quadrantem & drachmas ſex, opopanacis ſextantem, ſucci Cyrenaici ſextantem,excipe aqua. gummi autem non recipit. Aliud,ad viſus hebetudinem , albugines, ſuffuſiones , harmation, *id eſt currus* appellatum. Fellis hyænæ drachmas quatuor, ſpumæ nitri drachmas tres, gummi drachmas duas, æruginis drachmas tres , ſagapeni drachmas tres , galbani drachmas duas , ammoniaci thymiamatis drachmas duas, baccarum lauri decorticatarum drachmas ſeptuaginta, ariſtolochiæ rotundæ drachmam vnam , excipe aqua. Collyrium ad incipientes ſuffuſiones,vt aqua etiam ex auribus fluat: vocatur aureum. Sagapeni Perſici puri drachmas octo, æruginis drachmas ſex, ammoniaci thymiamatis drachmas duas,gummi drachmas duas, excipe aqua . Tere & vtere aquoſum illinens , & intra quinque dies efficaciam ſuam tibi comprobabit : ſplendidam enim reddet pupillam,ac claram. Collyrium Martiani , quo inquit,in meipſo vſus ſum ad imminentem mihi ſuffuſionem. Chelidonii capnitidis circa ſepes naſcentis, rutæ, fœniculi,coriandri , herbas ſingulas per ſe exſuccato & excolato,& de ſucco vniuſcuiuſque quadrantem coniicito , & opobalſami drachmas quatuor , mellis Attici drachmas quatuor adiicito,ac terito, donec ſtrigmẽtitiam habuerint ſpiſſitudinem,& tunc ſucci conyzæ tenuia folia habentis vnciam vnam addito,ac terito. & vbi probè habuerint ad excipiendum , gummi puri tuſi ac cribrati quantum ſatis eſt pro tua,velut medici,coniectura, adde quo collyrium fiat,efforma ac vtere ad incipientes ſuffuſiones cum vino : ad hebetudines viſus, cum aqua. illitum autem ad ſolem locato. Collyrium Proteus, cui nullum ſimile eſt ad initia ſuffuſionis, & ad omnem viſus hebetudinem. cicatrices , etiam ac callos exterit: Cadmiæ drachmas quadraginta,ceruſſæ drachmas quadraginta,piperis albi drachmam vnam,ſucci Cyrenaici drachmas octo, croci drachmas ſex , opii drachmas decem, ſagapeni drachmas duodecim, lacrymæ oleæ AEthiopicæ drachmas duodecim, auripigmenti drachmas octo,myrrhæ drachmas duodecim, ammoniaci thymiamatis drachmasocto,gummi drachmas octo,opopanacis drachmas ſedecim , opobalſami drachmas duodecim, excipe aqua pluuiali . vſus eſt cum aqua. Collyrium Hermophili thalaſſerum,*id eſt marinum*, ad omnem hebetudinem accommodatum, & ad omnem incipientem ſuffuſionem. éſtque odoratiſſimum: Cadmiæ drachmas ſedecim, æruginis drachmas quatuor, atramenti Indici drachmas ſedecim,piperis albi drachmasocto,ſucci Medi drachmas quatuor,opobalſami drachm.quatuor, gummi

drachmas duodecim,excipe aqua,& vtere cum aqua. Tēperatura diuerſa eſt iuxta affectiones. Collyrium Indicum regium inſcriptum . facit ad principia ſuffuſionum, & omnem viſus hebetudinem. & cicatrices exterit: Cadmiæ vſtæ & lotæ libram vnam,& trientem,atramenti Indici ſeſcuncem, ceruſſæ trientem, piperis albi ſeſcuncem,fel hyænæ integrum quantum eſt, fel ſcarorum piſcium x. fel perdicum quatuor,opii vnciam I.opobalſami ſextantē,opopanacis ſext.ſagapeni ſextantē,gūmi libram vnam,excipe ſucco fœniculi. Collyrium fuluum panchreſton, ab omnimoda vtilitate,inſcriptum, accommodatum ad ſcabros ac corroſos angulos,& intentos pruritus, & palpebras ficoſas: Cadmiæ drachmas octuaginta, chalcitidis vſtæ drachmas quadraginta, piperis albi drachmas quadraginta,gummi drachmas quadraginta,excipe aqua.Quidam adiiciunt his etiam croci dr. XII.myrrhæ drach.XII. Collyrium pſoricum Ptolemæi, accommodatum ad ſcabros ac corroſos angulos, & intentos pruritus, milphoſes,hebetudines. Pſorici dr.XL. ſandarachæ drach. XXX.chalcitidis vſtæ drachmas XXVIII. croci drachmas vigintiquatuor, myrrhæ drachmas duodecim opii drachmas nouē , caſiæ drachmas duodecim, piperis albi drachmas, quadraginta piperis nigri drachmas ſeptemdecim,omphacii drachmas ſedecim , miſyos vſti drachmas tres,folii drachmam I. gummi drach. triginta ſex,excipe aqua. Collyriū Hygieni aureum,ad corroſos angulos, & ſcabras affectiones. Sandarachæ drachmas vigintiquatuor,piperis albi grana duodecim, myrrhæ drachmas ſex, croci drachmas ſex, gummi drachmas duodecim,excipe aqua,& vtere cum aqua. Collyrium diacēteton,ex Demoſthene. Æruginis obolos tres, miſyos tantundem, ſucci papaueris tantundem, gummi drach.quatuor, excipe aqua. facit ad prædictas affectiones,& ad viſus hebetudinem, & incipientes ſuffuſiones. attenuat etiam cicatrices. ſit autem calidum. Collyrii Stratiotæ compoſitio hæc eſt: Cadmiæ drachmas octo, ceruſſæ drachmas ſedecim,piperis albi drachmas duas, æruginis, opii, omphacii , ſingulorum drachmas duas, gummi drachmas quatuor. Facit etiam ad aſperas palpebras. Collyrium exterſorium: Æris vſti,croci, ammoniaci thymiamatis,ſingu.ſext.gummi vnc.I.excipe aqua. Facit ad oculos purulentos,argema,nubeculas,caligines: ad aſpritudines verò,cum melle. Collyrium celebre,priuatim ad cicatrices in oculis faciens. Facit etiam ad viſus hebetudines, aſpritudines & pterygia: Teſtarum ſepiæ, pumicis, ſquamæ æris,ammoniaci thymiamatis , æruginis , cornu ceruini vſti , ſingulorum libram I. myrrhæ ſextantem,thuris ſext.opii quadr.gummi beſſem,oſſium palmularum vſtorum dextantem,mellis ſextantem,excipe aqua. Hoc præparabat Afer , & valdè ipſi confidebat. nominabat autem ipſum phœnicem nigrū,eo quòd oſſium vſtorum phœnicum , *id eſt palmularum*, dextantem recipit.

Collyria enſtacta,*id eſt inſtillatitia,*
Cap. CXI.

COllyrium enſtactum,*id eſt inſtillatitium*,Paccianum appellatum: Cadmiæ drach. ſexaginta quatuor,miſyos drachmas XXXII.ſtibii drachmas XXXII.atramenti ſutorii drachmas triginta duas,piperisalbi drachmas triginta duas, æruginis drachmas ſedecim , opii drachmas ſedecim, opobalſami drachmas XVI. gummi drachmas ſexagintaquatuor,excipe aqua pluuiali. Facit ad acuendum viſum, & callos exterit. Collyrium aromaticum inſcriptum : Æris vſti drachmas ſedecim, æruginis drachmas quatuor,myrrhæ drachmas quatuor, ſpicæ nardi drachmas duas , piperis albi drachmas quatuor, opii drachmas quatuor,croci drachmas quatuor, opobalſami drachmas duas,gummi drachmas quatuor , excipe aqua.

Aliud inſtillatitium non perturbans , Oribaſii. Cadmiæ drachmas ſedecim , ceruſſæ drachmas octo, opii drachmas tres, opobalſami drachmas tres, æruginis drachmas duas,omphacii drachmas duas,piperis albi drach. duas, gummi drachmas quinque. Aliud inſtillatitium, viſum acuens. Cadmiæ vſtæ & vrina pueri extinctæ drachmas decem,ſtibii drachmas ſex , atramenti ſutorii ſeſquidrach. æruginis ſeſquidrach. piperis drachmas II. miſyos dr.II.opii drachmam vnā, opobalſami drachmā vnam,gummi drachmas ſex,excipe aqua. Aliud nigrum, viſum acuens. facit & ad corroſos angulos. Stibii vſti ac loti drach. quadraginta , acaciæ drach. quadraginta, gummi drachmas quadraginta,cadmiæ drachmas ſedecim,nardi Celticæ drachmas octo,myrrhæ drachmas octo,croci drachmas octo,omphacii drachmas VI.opii drachmas ſex,excipe aqua.

Collyria ex cornu ceruino,
Cap. CXII.

COllyrium Aſclepiadæ ex cornu ceruino, ad vlcera,& puſtulas.& cicatrices exterit. Cornu ceruini vſti ac loti drachmas quatuor,plumbi vſti ac loti drach.IIII.ſquamæ æris lotæ drachmas duas, thuris drachmas quatuor, opii drachmam vnam,gummi drachmas quatuor, excipe aqua. Aliud, ad calidiores affectiones , & acerrimas fluxiones cum vlceratione: Cornu ceruini vſti ac loti drachmas ſedecim , ſpodii pompholygis lotæ drachmas octo,ſquamæ æris drachmas duas, croci drachmas duas, acaciæ drachmas octo,thuris drachmas octo, opii drach. duas myrrhæ drachmam vnam,gummi drachmas octo, tragacāthæ drachmam vnam,amyli drachmas quatuor, terito cum hyoſcyami cremore. Collyrium ex cornu ceruino,velut Oribaſius habet,maximè quidem ad vlcerationes in vigore,clauóſque ac ſtaphylomata,&huiuſmodi omnia,vt non ſimul ſint palpebræ denſatæ : & ad vlcera ægrè recipientia cicatricem & reſolutas cicatrices. Cadmiæ drachmas ſex,acaciæ drachmas quadraginta,ſtibii drachmas triginta duas,plumbi vſti ac loti drachmas octo,cornu ceruini vſti ac loti drachmas octo, gummi drachmas octo, æris drachmas ſedecim, opii drachmas ſedecim, myrrhæ drachmas quatuor , thuris drachmas quatuor,excipe aqua. Vtere verò ad caua vlcera cum lacte, ad ſordida cum ſucco fœnigræci. Aliud collyrium è cornu cerui. efficaciſſimè exterit cicatrices in oculis, cū aqua illitum. Vtere etiam ad exulceratos oculos, cum ouo inſtillans. Æris vſti ac loti deuncem & ſcrup.VI. cornu ceruini vſti ac loti tantundem,ſtibii loti ſext.& vnciæ dimidium,teſtarum ſepiæ trientem & vnciæ dimidiū, æruginis ſextantem, ammoniaci thymiamatis ſextantem,& vnciæ dimidium, myrrhæ ſext. & vnc. dimidiū, thuris ſext.& vnc.dimidium,opii ſextantem & vnciæ dimidium,acaciæ quincūcem & ſcrupulos quindecim, gūmi deuncem,excipe aqua.

Collyria Nardina & Theodotia,
Cap. CXIII.

COllyrium nardinum Zoili, ad veteres lippitudines, & myocephala, & vlcera vetera ac ſtaphylomata: Cadmiæ drachmas octo, æris vſti drach.octo,ſtibii drachmas octo,ceruſſæ drachmas quatuor,caſtorii drachm. quatuor, ſpicæ nardi ſeſquidrachmam, aloes ſeſquidrachmam,folii,croci, chalcitidis toſtæ, atramenti ſutorii, lycii Indici,opii,ſingulorum drachmam vnam, myrrhæ drachmas duas , acaciæ drachmas viginti, gummi drachmas viginti,excipe aqua. Collyrium nardinum Candidi leuiſſimum ac validiſſimè reſiccans. Facit ad myocephala & ſtaphylomata mirificè, & maximè glaucis oculis conuenit. Vtere etiam in iis qui nullam omnino collyrii mordacitatem ſuſtinere poſſunt. Cadmiæ vſtæ & lotæ libram vnam, ceruſſæ ſeptuncem, ſtibii loti ſextantem, croci trientem, myrrhæ troglodyticæ trientem, aloes vnciam vnam,acaciæ vnciam vnam, opii ſextātem, ſpicæ nardi vnciam vnam , gummi beſſem , excipe aqua. Theodotium nardinum,cuius multam experientiam habemus in myocephalis,& diuturnis vlceribus oculorum,& confuſionibus. maximum exterſorium eſt,& vehementer corroborat debiles oculos: Cadmiæ lotæ, ſtibii loti, acaciæ,gummi,ſingulorum drachmas viginti quinque , roſarum ſiccarum depurgatarum drachmas duodecim , æris vſti loti drachmas octo,myrrhæ troglodyticæ drachmas octo, caſtorii,lycii Indici, croci, folii, ſpicæ nardi,chalcitidis toſtæ,ceruſſæ,glaucii,ſeminis erucæ,opii,gallarum omphacinarū,ſing.dr.II. excipe aqua.

vtere in principiis cum ouo inſtillatis: in declinationibus cum aqua. Collyriũ Nicarium Zoili, ex lacte nardinum. Ad affectiones & fluxiones diuturnas, vlcera, foſſulas, myocephala, ſtaphylomata, veteres lippitudines. tingit etiam cicatrices, & ipſas inconſpicuas facit. Cadmiæ ter vſtæ & muliebri lacte extinctæ ac lotæ drachmas centum octo, ſtibii vſti ac muliebri lacte extincti ac loti drachmas decem, æris vſti & extincti ac loti drachmas trigintaſex, ceruſſæ lotædrachmas vigintiquatuor, myrrhæ drachmas duodecim, opii drachmas duodecim, ſpicæ nardi drachmas tres, aloes drachmas tres, acaciæ drachmas centum octo, gummi drach. centum octo, excipe aqua. Collyrium Hygidium, quod quidã Ammonii dixerunt. facit ad incipientes ſuffuſiones & inuſtiones. & ad omne vlcus, & oculos purulentos, confuſiones, chemoſes, prolapſus, & ad diuturna myocephala, ſtaphylomata, vngues vlceris genus. repurgat, replet, & ad cicatricem perducit. eos verò qui ob aliquam cauſam, aut propter capitis aut oculı dolorem dormire non poſſunt, præclarè ad ſomnum perducit, velut ſomniferum medicamentum. Vtere cum ouo, aut lacte, aut aqua. temperatura ſit media aut craſſior, pro ſenſus ægrorum ſubtilitate. habet autem hoc modo: Cadmiæ lotæ drachmas ſedecim, ceruſſæ lotæ drachmas ſedecim, caſtorii drachmas ſex, nardi Indicæ drachmas quatuor, ſtibii loti drachmas quadraginta, æris vſti loti drachmas quindecim, roſarum drachmas viginti, ſquamæ æris vſtæ drachmas quinque, aloes drachmas ſex, caſiæ drachmas quatuor, myrrhæ drachmas ſex, lycii Indici drachmas tres, lapidis ſciſſi loti drachmas quatuor & dimidiam: croci drachmas ſex, plumbi vſti ac loti drachmas octo & dimidiã, opii drachmas tres, acaciæ drachmas quadraginta, gummi drachmas quadraginta, excipe aqua. eſt ex valde celebribus. Collyrium Indarium. Piperis drachmas duas, cadmiæ drachmas quatuor, coſti drachmam vnam, ſtibii drachmas octo, gallarum drachmas quatuor, ſpicæ nardi drachmas quatuor, nardi drachmas quatuor, acaciæ drachmas quatuor, gummi drachmas quatuor, opobalſami drachmas duas, excipe aqua. facit ad viſus hebetudinem. exterit etiam cicatrices. Collyrium Theodotium Placianum, facit ad maximos humorum illapſus, & doloris moleſtias. liberat citra venæ ſectionem. Cadmiæ vſtæ ac lotæ drachmas octo, æris vſti ac loti drachmas octo, ſtibii loti drachmas ſedecim, croci drachmas tres, caſtorii drachmas quatuor, æruginis drachmam vnam, aloes drachmas quatuor, myrrhæ troglodyticæ drachmas tres, lycii Indici drachmas duas, opii drachmas duas, acaciæ dr. xxiiii. gũmi dr. xxiiii. excipe aqua. vſus eſt cũ ouo. temperatura ſit craſſior. Collyrium quod tumorem laxum palpebris inducit, appellatur Teſtamentum Aurifabri. reliquit hoc moriens templo Epheſio dicatũ, quò ii qui à medicis relicti eſſent, in templo ſanitatem conſequerentur. inuentum eſt autem ab Adriano Cæſare. Facit ad humorum illapſus, & aſpritudines, & ad omnes deſperatas affectiones. puſtulas ſanat, caua vlcera explanat, cicatrices inconſpicuas facit, oculum imperturbatũ conſeruat. Inſtillatur cum ouo aut lacte, prout neceſſitas expetit. ſit autem in omnibus dilutum aquoſum. Optimum eſt inſuper ad acuendum viſum. habet hoc modo: Cadmiæ lotæ drachmas octo, ſtibii loti drachmas ſedecim, ſpicæ nardi drachmas quatuor, myrrhæ troglodyticæ drachmas duas, coſti drachmam vnam, caſtorii drachmas duas, ſquamæ ferri ſtomomatis drachmas quatuor, æris vſti ac loti drachmas duodecim, æruginis drachmas duas, ceruſſæ drachmas tres, piperis, lycii Indici, opii, thuris, opobalſami, caſiæ, ſingulorum drachmas duas, lapidis ſciſſi drachmas quatuor, æruginis vermiculatæ drachmas tres, atramẽti ſutorii drachmas duas, ſucci fœniculi drachmas quatuor, fellis capræ drachmas quatuor, gummi drachmas octo: terito cum vino Aminæo aut Falerno, aut alio auſtero veteri odorato. Collyrium Teſtamentum, velut habetur apud Aſteriũ. Cadmiæ drachmas ſeptuaginta, ſtibii drachmas quinquagintaquatuor, myrrhæ drachmas quinque & dimidiam, ſpicæ nardi drachmas decem, croci drachmas decem, caſtorii drachmas ſeptem, ſquamæ ferri ſtomomatis drachmas tredecim, folii drachmas quatuordecim, æris vſti drachmas quinque & dimidiã, piperis drachmas ſeptẽ, ceruſſæ drach. quatuordecim, lycii, thuris, caſiæ, opobalſami, ſingulorum drachmas quatuordecim, opii drachmas ſeptem, lapidis ſciſſi drachmas quatuordecim, æruginis vermiculatæ drachmas octo, atramenti ſutorii drachmas quatuordecim, gũmi drachmas ſeptuaginta, ſucci fœniculi drach. xiiii. fellis caprini drach. quatuordecim, terito cum vino Aminæo. Collyrium Theodo tium magnum. Cadmiæ lotæ beſſem, æris loti beſſem, ſtibii loti vncias vigintiquinque, roſarum ſiccarum, ceruſſæ, chalcitidis, gallarum, æruginis, lycii Indici, croci, aloes, ſpicæ nardi, myrrhæ troglodyticæ, ramentorum ebeni, caſtorii,, atramenti Indici, thuris, opii, ſarcocollæ, pompholygis, ſingulorum vnciam vnam, cornu ceruini vſti ac loti vnciam vnam, acaciæ vncias vigintiquinque, gummi vncias vigintiquinque, excipe aqua. Quidã verò etiam folii vnciam vnam adiiciunt, & amomi vnciam vnam, roſarum verò quadrantem: gummi verò & acaciæ, ſingulorum vncias vigintiquatuor. reliqua autẽ eodem modo. Facit ad incipientes lippitudines, & exulcerationes omnes, & fluxum recentem ac veterem, inflãmationes, carbunculos, oculos purulentos, nomas puncturas, prolapſus, myocephala, ſtaphylomata, palpebras aſperas, & ad deſperatas affectiones, & ad ardores ſolis, aut calcis, aut pulueris, aut ſimilis rei. Tollit etiam pterygia inflammata cum butyro. Ad vlcera verò cum ouo adhibetur: ad maligna autem cum lacte muliebri. Theodotium Seueri. Aliud quoddã collyrium etiam apud nos reperitur (inquit Seuerus) à veteri quodam deſcriptum: & hoc quidem compoſitam materiam habet, verùm efficaciam diuerſam. nam omnibus ſimul relatis collyriis commodius compertum eſt: quare etiã ipſius præparationem referre neceſſarium puto, quum neque omnibus hoc ſit notum: recipit autem, Cadmiæ drachmas vigintiquatuor, æris vſti drachmas duodecim, ſtibii drachmas quadraginta, ceruſſæ drachmas octo, chalcitidis toſtæ drachmas quatuor, miſyos toſti drachmas quatuor, ramentorum ebeni drachmas duas, nardi Celticæ drachmas quatuor, folii drachmas quatuor, ſpicæ nardi drachmas quatuor, croci drachmas quatuor, caſtorii dr. ſex, aloes dr. octo, lycii Indici dr. iiii. roſarũ ſiccarũ dr. iiii. gallarũ dr. ii. opii dr. ii. myrrhæ dr. viii. acaciæ drach. xl. gummi vermiculati drach. quadraginta, Cadmiam prunis obruimus & ventilamus, & vbi ignita facta fuerit, ablatam lacte aſinino extinguimus. ſtibium verò in fictile vas coniectum, addito operculo foramen habente vrimus, & ſimiliter lacte extinguimus. vſta verò ſingula per ſe tuſa ac cribrata lauamus, & diligenter ſiccamus, & deinde ponderata ad præparationẽ adiicimus. cæterùm gummi non cõtuſum inſpergimus ſiccũ, ſed madefacimus: ſic enim neque lignoſum quiddam, neque arenoſum cum ipſo penetrabit dum excolatur: & optima coactio collyrii fiet. Quidam ad relatam præparationem adiiciunt etiam coſti drachmas octo. & magis ita cicatrices exterit (inquit) & pterygia ac carnis in angulo incrementum conſumit. verùm ad inflammationes & vlcera incommodus eſt coſtus. Huius igitur auxilii actiones ac efficaciam dicere non eſt facile. audientes enim vix crediderint. nam deſperatas affectiones ad naturalẽ ſtatum reuocat: &, vt in ſumma dicam, omnia quæ Theodotiis appellatis ac nardinis, & iis quæ ex cornu ceruino parantur adſunt, multo plus in hoc cõperiuntur. In recentibus enim affectionibus eo illito, & ſpongia oculo impoſita, ægrum ab affectione liberauimus: in diuturnis autẽ ac deſperatis, partim inſtillantes partim illinentes, ſcopum attigimus. Nam in facilè ſolubilibus oculi affectionibus ipſum illinimus: in cauis autem & ſordidis vlceribus, diluto ipſo vtimur, cũ ouo aut fœnigræci ſucco: quandoque etiã cũ aqua mulſa. in myocephalis autẽ, craſſius cũ aqua ſublinimus per ſubiectionẽ. Sed & cicatrices ſimiliter attenuamus. ad tãtam autem tenuitatem perducit cicatrices vt penitus nõ

cognoſcantur per ſenſum : & in ſumma, inenarrabilem A quandā vim poſſidet. Etenim in ſtaphylomatis, braſſicæ ſucco dilutū collyriū, & craſſa copiâ oculo adhibitum, vnà cum ſpongiæ deligatione, molem inconſpicuam facit: quin & carnis in angulo magno incrementum cō-ſumere poteſt hoc collyrium tenuiter tritum, & in ſiccū puluillum redactum: itémque pterygia attenuare: ſed & ad alia mirificū compertum eſt collyrium. Et nos quoq; permittimus poſteris per experientiam deductis, vt auxilio teſtimonium præbeant. iam enim quidam ad diuturna vlcera ac fiſtulas ſedis ipſo vſi, ſcopum attigerūt. B vnde non abſurdum fuerit etiam ad polypos ac ozænas narium ipſum adhibere. Collyrium ex ſucco fœniculi: Cadmiæ dodrantē, ſtibii beſſem, miſyos crudi ſeſcuncē, æruginis ſeſcuncem, piperis quincuncē, atramenti ſutorii ſeſquiunciam, chalcitidis vnc. I. croci ſeſquiunciam, folii vnc. I. omphacii ſeſquiunciam, ſpicæ nardi triētem & vnciæ dimidium, opii quincūcem & vnciæ dimidiū, opobalſami trientem, gummi ſextantem, ſucci fœniculi beſſem. Et rurſus aliud fœniculum in aqua pluuiali decoquito, & cū decocto illa terito ac efformato. hoc à multis præparatur.

INDEX EORVM QVÆ IN QVARTO SERMONE TETRABIbli ſecundæ Aetii continentur.

AD ſuperciliorum ornatum, Cap. I.
De hypopiis, *hoc eſt, eis quæ ſub oculis fiunt ſugillationibus*, Cap. II.
Vnguenta præſeruantia faciem ne à ſole aut vento exuratur, Cap. III.
Vt ne rugoſa fiat facies, Cap. IIII.
Ad faciei nigredines, Cap. V.
Smegmata & medicamenta faciem nitidam reddentia, Cap. VI.
Cataplaſmata æſtiua odorum corpus reddentia, Cap. VII.
Potiones ad eos qui tetrum habent corporis odorem, Cap. VIII.
Ad mentis ſcabritiem, Cap. IX.
Ad faciei lentigines remedia : quibus etiam ad maculas à ſole prouocatas & ad varos vti licet, Cap. X.
De maculis à ſole prouocatis, quas *Græci* ἐφηλίδας appellant, Cap. XI.
De ſtigmatis ſiue notis ex plaga illatis, Cap. XII.
De varis faciei, qui tum ionthi, tum acnæ *Græcis* vocantur, Cap. XIII.
De ficoſis faciei tumoribus, Cap. XIIII.
Ad manantes menti papularum eruptiones, ex Critone, Cap. XV.
De impetiginoſis tum menti tum reliqui corporis tumoribus, Cap. XVI.
Ad moleſtum oris odorem, Cap. XVII.
Ad labiorum fiſſuras, Cap. XVIII.
De dentium affectionibus, Cap. XIX.
Ad inflammatas gingiuas, Cap. XX.
Ad cruentas gingiuas, Cap. XXI.
Ad excreſcentes gingiuas, putreſcentéſque ac tumētes, Cap. XXII.
Ad corroſas & ab vlcere ſerpente infeſtatas gingiuas, Cap. XXIII.
Ad parulidas, *hoc eſt gingiuarum inflammationes*, Cap. XXIIII.
De epulide, *hoc eſt excreſcenti gingiuarum carne*, Cap. XXV.
De gingiuarum fiſtulis, Cap. XXVI.
Cura dentium à calido morbo doloroſo affectorum, ex Adamantio ſophiſta, Cap. XXVII.
Cura eorū quibus ex frigiditate dentes dolore afficiuntur, Cap. XXVIII.
Cura dentium ab humiditate dolore affectorum & laxatorum, Cap. XXIX.
De dentibus lima atterendis, Cap. XXX.
Cura dentium à ſiccitate dolore affectorum, Cap. XXXI.
Cura dentium ob caliditatem & humiditatem dolore affectorum, Cap. XXXII.
Curatio eroſorum dentium, Cap. XXXIII.
Vt dens citra dolorem & abſque ferro tollatur, Cap. XXXIIII.
Smegmata varia ad denigratos liuētéſque ac rarefactos dentes, Cap. XXXV.
De ancylogloſſis, & qui vix loqui poſſunt, Cap. XXXVI.
Ad ranunculum ſub lingua, Cap. XXXVII.
Ad linguam inflammatam, deſquamatā ac tumore inflammatam, Cap. XXXVIII.
Ad aphthas, *hoc eſt oris vlcera*, Cap. XXXIX.
De gurgulionis affectionibus, Cap. XL.
De ablatione columellæ, Cap. XLI.
De oris inflammationibus, Cap. XLII.
Illitiones ori commodæ, Cap. XLIII.
Summaria doctrina de vſu omnium illitionum ad os apparatarum, Cap. XLIIII.
De tonſillarum inflammationibus, Cap. XLV.
De cruſtoſis & peſtilentibus tonſillarum vlceribus, Cap. XLVI.
De angina & eius ſpeciebus, Cap. XLVII.
De glandulis, Cap. XLVIII.
De ſuffocatorum reuocatione, Cap. XLIX.
De deuoratis in ton ſillas ſpinis, atque iis quæ in aſperā arteriam delabuntur, Cap. L.
De arteriarum pharmacis, Cap. LI.
Ad inueteratas affectiones variæ arteriacæ, Cap. LII.
De deſtillatione ſiue catarrho, & narium muco, Cap. LIII.
De tuſſi, Cap. LIIII.
De pharmacis dolorē leuantibus & conferentibus tuſſi, Cap. LV.
De ſuffitionibus, Cap. LVI.
De orthopnoicis, anheloſis, & ægrè ſpiritum ducentibus, Cap. LVII.
De cordis tremoribus, Cap. LVIII.
De ſanguinis reiectatione, Cap. LIX.
Curatio eorum qui ob deſtillationem ſanguinem expuunt, Cap. LX.
De iis qui ob frigiditatem organorum reſpirationis ſanguinem expuunt, Cap. LXI.
Curatio eorum qui iuxta alium quemcunque tandem modum ſanguinem ex pulmone reiectant, Cap. LXII.
Communes methodi exhibendorum auxiliorum in ſingulis reiectationis ſanguinis ſpeciebus poſt ſanguinis inhibitionem, Cap. LXIII.
De aſperæ arteriæ vlceribus, Cap. LXIIII.
De pectore ſuppuratis, Cap. LXV.
De peripneumonicis, Cap. LXVI.
De phthiſicis ſeu tabidis. Cap. LXVII.
De pleuritide ſeu laterum morbo, Cap. LXVIII.
De ea quæ pleuritis eſſe putatur, quum tamen non ſit, Cap. LXIX.

AETII MEDICI GRÆCI CONTRACTAE MEDICInæ, Tetrabibli ſiue quaternionis ſecundi, Sermo quartus.

De faciei, oris, & tonſillarum affectionibus: cui annexum eſt, De deſtillatione, & tuſſi: aſperæ arteriæ, pulmonis, ac thoracis affectionibus.

Ad ſuperciliorum ornatum, Cap. I.

QVanquam quod ad hanc rem attinet, iã antè à nobis dictum ſit, vbi de defluuio capillorum capitis, Sermone ſexto, mentionem fecimus, dicemus tamen & hîc, nõ importunè, ſed vt habet, paucis. Illitio augens ſuperciliorum capillos, atque etiam aliarum corporis partium: eadem etiam eoſdẽ nigros reddit. Nucum Põticarum interiora in vaſe figulino torre facta contere, & pinguedine capræ ſylueſtris excipe, atque cum hoc ipſo partes inungi præcipe. Aliud. Adianti vnciam vnam, ladani ſextantem, paſſi Cretici heminã I. cõtunde ac ſubige cum paſſo: deinde terre, vt dictum eſt: ac rurſus cum pingui capræ ſylueſtris aut vrſi contere, & vtere. Potes & huc accommodare ea quorum meminimus Sermone ſexto: item ex Armeniaco lapide, de quo Sermone ſecundo, capite XII. diximus, ſicco trito ſupercilia inſperge.

De hypopiis, *hoc eſt, iis quæ ſub oculis fiunt ſugillationibus*, Cap. II.

QVOD hypopia ſub oculis fiant, ipſum nomen indicat: ſiquidem hypopion *Græcis* hypophthalmiõ ſignificat, *quod Latinis ſub oculis ſonat.* Suut autem hypopia ex genere ſuffuſionum ſanguinis in locum contuſum: fiúntque ex plaga, quum tenuibus ſub cute venulis cõtuſis, ſanguis per fiſſuras ſub ipſam cutem affatim effunditur, neque id vno loco. In grumos enim coit ſtatim, & liuet locus, progreſſúque temporis nigreſcit. quare medela occurrendum eſt antequam nigreſcat, cura potiſſimùm ad hoc adhibita vt concretus ſanguis diſcutiatur. Quòd ſi tunicula quoque rumpatur venularum ex quibus effunditur ſanguis, miſcendum eſt iis quæ diſcutiẽdi vim obtinent, parum quiddam ex conſtringentibus. Nam ſi in principio ſola diſcutientia exhibeantur, non tantùm id quod effuſum eſt diſcutient, ſed per ipſas venarum contuſarum fiſſuras amplius quiddam elicient ex ſanguine in ipſis venis contento. Quum verò in naturam ſuam redierint venulæ, etiam citra admixtionẽ cõſtringentium, ad diſcuſſoria tranſeundum. Atque ego ſanè in principio vtor Nili ex roſis collyrio, ex eo in aqua diſſoluto locum ſugillatum illinens. Vtor autẽ pro momento, decocto meliloti & fœnigræci: deinde collyriũ quoque in eodem decocto diſſoluo, aut etiam in ſolo fœnigræci decocto. Quòd ſi reliquiæ quædã reſtiterint ipſius affectionis, diſſolutis ex myrrha collyriis in fœnigræci decocto, illino bis in die: prius tamen cum ſpongia in decocto madefacta loco foto. Idẽ præſtat in principio, non præſente ex roſis collyrio, glaucium illitum, & fæx olei coquendo condenſata. Inueteratum autem iã malum ex ſandyce collyria tollunt, & quæcũque præclarè omnino diſcutiunt, qualia Dioſcorides inter facilè parabilia enumerauit. Ea enim quæ ſub oculis fiũt, ſugillata, inquit, & liuores iam inueteratos tollunt, raphani cortex cum melle illitus, bryoniæ radix vino aut cerato excepta, bulbus cum vitello oui impoſitus, aqua marina calida pro fomento, aut muria vel ſalſugo, caſeus antiquus cum decocto hyſſopi impoſitus. Statim autem tollit ſepiæ teſta cum aceto illita, ſinapi cerato exceptum, cucumeris ſylueſtris radix contrita cum melle, lini ſemen contritum cum lacte. Critonis compoſitio ad liuores altè infixos, & ea quæ ſub oculis fiunt ſugillata: Seminis viticis albi drachmas tres, radicis herbæ lanariæ ſiue radiculæ drachmas tres, nitri rubri, corticis raphani, hyſſopi, farinæ fabarũ, vniuſcuiuſque drachmas tres, myrobalani dr. quadraginta, cineris pulmonis agni vſti drachmas quadraginta, bulborũ rubrorũ dr. LX. radicis thapſiæ aut ſucci dr. LX. corticis thuris drachmam v-
A nam, excipe cerato ex oleo roſaceo apparato, ac linteolo infartum impone. Oportet autem aſſiduè amouere, cum cautione ne locus exulceretur. Ego autem expertus ſum nucem pinguem, vetuſtate rancidam, certiſſimum ad liuores remediũ. Porrò reclinato ac ſupino remedia adhibere conuenit, vt adhæreant ſpatio horarũ triũ quã optimè contrita.

Circumlitiones præſeruantes faciem ne à ſole aut vento exuratur, Cap. III.

CIrcumlitio faciei, quæ aurea appellatur: Lupino-
B rum ſiccorum ſextarios tres, aquæ pluuialis ſextarios quatuordecim. iniice in vas æreum ſtãno obductũ, ſináſque madefieri per triduum: quarta autem die decoque ad prunas vſquequo diſſoluantur lupini: deinde per colum exprime liquorem, ac eum ſeorſim decoque: atque vbi condenſatus fuerit, in vas vitreum repone. Vbi verò vti velis, quantum ſatis videbitur accipe, & cum eo in modica aqua diſſoluto faciem illine. Alia valde laudata. Similaginem lotam & per pannum percolatã ſinas deſidere, aquámque abiice: fæcem autẽ cum albu-
C mine oui permiſce, donec mellis craſſitiem accipiat, & cum hoc faciem obline verſaturus in ſole: quum verò à ſole receſſeris, frigida multa ablue. Alia. Boni coloris faciem hæc reddit, atque item vniuerſum corpus: Maſtiche cum oleo omphacino diſſolutam circumline: aliquando autem & olei loco medullam ceruinam aut vitulinam accipimus, aliquando ceratum liquidum. Alia. Cupreſſi ac ilicis ſcobem in oleo decoctam oblini. Alia. Solani ſuccum cum oleo illine. Alia. Nu-
D ces pineas cum modico aceto contere, adiecto melle ſufficienti, ac oui crudi vitellis, atque hoc ipſo faciem oblini. neque refert etiam ſi citra acetum eo vtaris. Alia. Hæc in æſtate cõuenit, faciem præſeruans: Tragacãthæ, ammoniaci thymiamatis, coſti contuſi, cuiuſque ſextantem, aluminis liquidi drachmas quatuor, thuris ſextátẽ, amyli ſeſcũcem, oua cruda recentia tredecim, mellis libras tres, mulſi ſextarios tres. Tragacantham, ammoniacum & thus in mulſo madefieri per noctem vnam in vaſe vitreo ſinito: oua autem integra in acetum vetus & acre proiecta, per triduum macerato: alumẽ verò optimè
E lauato: deinde omnia ſimul in mortarium fictile coniecta ac diligenter commixta, melle cocto excipito, atque vtere, faciem ex eis oblinendo. Ante ingreſſum verò balinei, medicamentum hoc tollatur. atque id particulatim auellere conuenit leni tractu ex facie, induratum deinde aqua tepida abluere, & ſpongia abſtergere. quod vbi factum eſt, manna thuris in albumine oui diſſoluta faciem illinito.

Vt ne rugoſa fiat facies, Cap. IIII.

F FAciem corrugatam extendit medicamentum hoc: Cornu cerui non antiquum in aqua decoque, donec ſucculẽtum quid remittat: percola deinde ipſam aquam, & cum ea farinam fabaceam ſubige, ac paſtillos informa, eóſque in vmbra exſicca. Vbi autem vſus poſtulauerit, quantum opus fuerit in aqua dulci diſſolue, vt cerati liquidi craſſitiem accipiat: & cum eo faciem oblinere iube: atque quum agglutinatum fuerit, faciem aqua tepida abluere præcipe.

Ad faciei nigredines, Cap. V.

G AD faciei nigredines his vtendum eſt: Iridis cõtritæ, farinæ ptiſanæ, farinæ fabaceæ, cuiuſque ſextarium vnum & dimidium, ſalis ammoniaci, cornu ceruini vſti, ammoniaci thymiamatis, cuiuſque ſextantem, in aqua diſſolue, & paſtillos informa, quos in vmbra exſiccatos adſerua, atque vſus tempore, in aqua reſolutos ante balineum faciei illini. Aliud. Farinæ ptiſanæ, thuris, iridis, farinæ fabarum, farinæ erui, ſpumæ nitri, coſti, cuiuſque chœnicis partem quartam, amygdalas amaras XX.

informa cum candido ouorum & lacte aſinino, exſicca in vmbra, ac vtere, vt dictum eſt.

Smegmata & medicamenta faciem nitidam reddentia, Cap. VI.

QVandoquidem poſt vnguentorum ablationem pleríque faciem extergere conantur, vtendum ad hãc rem cõpoſitionibus infrà ſcriptis. Smegma illuſtriorẽ reddens faciẽ. Amygdalas decorticatas XL. thuris, ſpumæ nitri, gummi, cuiuſque dr. I. farinæ fabaceæ dr. XII. excipe oui candido, & in paſtillos digere: quib⁹ cũ aqua ſolutis, paſſim tum in balineo, tum citra balineũ vtaris. Aliud ſmegma faciei celebre & admirandum, quod & faciem illuſtriorem reddit, & rugas expolit, aſperitates pellit, incipiẽtem elephantiaſin arcet, ſi quidem cum aliis remediis adhibeatur. vſus eius etiam reliquo corpori cõueniens eſt. Maſtiches, thuris, ammoniaci thymiamatis, iridis, cuiuſque vnciam vnam, tragacanthæ ſeſquiunciam, ſucci vuæ acerbæ immaturæ dodrantem, ſeminis peponis vnà cum concluſo in ipſo humore dextantem, candidũ ouorum XXI. ſimilaginis ſextarios quinque: cõtunde omnia, ac cum candido ouorum, & humore peponis, ſuccóque vuæ acerbæ commiſce, & in paſtillos redige, ac exſicca: pòſt verò cõtuſos ac attritos, in vaſe vitreo ad vſum adſerua. Smegma faciei, quod ſimul & ipſam rubicundam reddit. Farinæ erui, fabarum, lupini, ptiſanæ, ciceris, bulborum narciſſi, cuiuſque ſextarii Italici dimidium, ſimilaginis ſextarium vnum, contunde ac cribro tenuiſſimo excute: deinde oui candido commixta, in paſtillos digere, & in vmbra deſicca. Vſu verò expetente, quantum libet accipe, & in aqua diſſolue, atque à balineo vtere. Aliud, faciem illuſtrans, & vniuerſum corpus. diſſipat autem & rugas, & cutem depurgat. Vitis albæ radicẽ delibra, ac in ſole æſtiuo exſicca: deinde contuſæ ac cribratæ Italici chœnicis dimidium accipe, iridis contuſæ tantundem, myrobalani ſiccæ decorticatæ tantundem, farinæ fabaceæ chœnicem vnum: hæc in vino veteri odorato ſubacta, in paſtillos digere, quos in vmbra exſiccatos adſerua: & vſu expetente, contuſis & cribratis cum aqua vtere. Aliud Cleopatræ reginæ, odoratum & pretioſum. Coſti, myrrhæ troglodyticæ, iridis, ſpicæ nardi, amomi, folii malabathri, caſiæ, floris iunci odorati, cuiuſque vnciam vnam, myrobalani lib. IIII. ſpumæ nitri lib. I. contundito, cribrato, vtitor. confert vniuerſo corpori. Aliud efficax & odoriferum. Floris iunci odorati, iridis, cuiuſque dr. duas maſtiches dr. vnã, contere, & cum ſucco ptiſanæ craſſiſſimo paſtillos forma, & in vmbra deſicca. Vbi verò vſus expetit, in aqua diſſolutos illinito, & poſt horæ ſpatiũ frigida abluito. Aliud, ſplendidam & erugatam reddens faciem, ac totum corpus. Farinæ fabaceæ Italicum modium I. ſimilaginis Italicos ſextarios III. trifolii cõtuſi ſextarios quatuor, myrobalani tantundem, iridis cõtuſæ tantundem, ammoniaci thymiamatis lib. I. coſti tãtundem, candidum ouorum recentium crudorum ſexaginta, ſeminis peponis vnà cum humore chœnicem vnum, ſucci vuæ acerbæ tantundẽ, ſubige & informa paſtillos, quos ſufficiẽter in vmbra exſiccatos à balneo illine. Præclarè facit & ad eas quæ in collo ſunt & reliquo item corpore nigredines. Aliud, ad faciei nigredines, multo vſu exploratum. Thuris ſeſquiunciã, ceruſſæ probè lotæ, ſpumæ argenti in decocto cicerum alborum ad ſolem frequenter ablutæ, amyli recentis, ſcobis marmoris albiſſimi, maſtiches puræ, ſpumæ nitri albentis, teſtarum ſepiæ, ſing. vnc. I. ſaponis Gallici vnc. XII. candidum ouorum decem appara, & vtere vt dictum eſt. Aliud mirabile faciem depurgans & illuſtrans. Farinæ fœnigræci trientem, terræ Samiæ quæ aſter appellatur, quadrantem, amyli trientem, maſtiches ſeſcuncem, medullæ ceruinæ recentis ſeſcuncem, tragacanthæ trientẽ. Tragacantham in lacte muliebri aut aſinino macerato, ac cum eo diſſoluto, reliqua tenuiſſimè trita in paſtillos digerito: quibus in vmbra deſiccatis (vt prædictum eſt) vtitor. Aliud ſmegma. Ricini ſeminis interioris drachmas octo, bulborum narciſſi ſiccorũ ac decorticatorũ drach. octo, ſimilaginis drach. quatuor, thuris drach. II.

A candidũ ouorũ octo, appara vt dictũ eſt, & vtere. Sapo quo vſa eſt Pelagia patricia, ad faciẽ illuſtrandã. Saponis Gallici ſeſcuncẽ, ceruſſæ ſextantẽ, maſtiches vnciæ dimidiũ, medullæ cerui vnc. I. ſpumæ nitri albæ trientem, ceræ albæ quadrantem. Præmacera ſaponẽ in aqua in vitreo vaſe ad dies quinque, aqua pluuiali quotidie permutata, & ſapone excolato. poſtea in ollam nouã immitte ſaponem, & ſexta diẽ rurſus affuſa pluuiali aqua ad lentas prunas decoque, donec ſapo diſſoluatur: deinde cerã & medullã adde, & ad diſſoluta maſtichẽ & ſpumã
B nitri inſperge, olla amota, & aſſiduè per ſpathã commota: deinde etiam ceruſſam modica aqua tritam adde, & medicamentum in teſtam miſſum cõtentè manu ſubige, & repoſito in vitreo vaſe, vtere velut dictum eſt.

Smegma ex Rufi libris, ad totius corporis erugationem. Ficus pinguiſſimas, vitis albæ radicem ſiccam delibratam, ſepiæ teſtam vſtam, farinam erui: vnumquodque ſeorſim contunde: deinde etiam ſimul, & modico adſtillato melle vtere. Aliud ſmegma, quod
C vniuerſum corpus odore imbuit. Terræ cimoliæ beſſem, iridis, tenuiſſimè tritæ drachmas vigintiquatuor, nardi Celticæ drachmas vigintiquatuor, cyperi, cardamomi, ſtyracis flaui & pinguis, cuiuſque dr. duodecim, ſtyracem in vino veteri odorato diſſolue, & in promptu habe: terram verò cimoliam in fictile vas coniectam carbonibus impone, atque vbi ſatis canduerit ab igne, eam ad diſſolutum ſtyracem iniice, deinde reliqua ſicca tenuiſſimè trita inſperge, ac ſimul ſufficienter vnita in paſtillos digere, quibus in vmbra exſiccatis, pòſt verò tritis
D & cribratis vtere.

Cataplaſmata æſtiua, odorum corpus reddentia, ex Critone, Cap. VII.

QVVM ſudores corpus vexant, magna oboritur ex eis moleſtia, præſertim in æſtate. nã & ſordes multas inuehunt, & tetrum odorem de ſe præbent. Quare ſubſcriptis remediis vti conuenit, non ad mulieres tantùm, ſed ad ipſos etiam viros. Non importunum enim eſſe puto & in hoc ſmegmatum tractatu harum rerum mentionem facere. Cataplaſma, *hoc eſt inſperſio*, totius corporis odorem bonum efficiens, æſtiuum. Ro-
E ſarum ſiccarum quadrantem, caſiæ quadrantem, amomi, coſti, ſpicæ nardi, cuiuſque drachmas duas, aluminis liquidi ſextantem, diſſolue in vino veteri odorato, & in paſtillos digere, quos in vmbra exſiccatos vſu expetente contundito ac cribrato, atque in balneo inſpergendos exhibeto, ita vt diligenter perfricent, & cum frigida aqua abluant. Aliud. Spumæ argenti in decocto cicerum ad ſolem inalbatæ, amomi, caſiæ, folii malabathri, coſti, ſpicæ nardi, aluminis liquidi, iridis, omnium par pondus appara, & vtere vt dictum eſt. Po-
F tes autem præſcriptis cataplaſmatis vti quocunque tempore velis. Aliud, odorum & lene. Roſarum viridium & tamen ſiccarũ drachmas quadraginta, myrrhæ troglodyticæ drachmas octo, iridis Illyricæ, ſpicæ nardi, caſiæ, cuiuſque drachmas octo, vino odorato ſubige, & paſtillos informa: quibus vbi vti velis, contritis & cribratis corpus inſperge, maximè à balneo. Aliud. Amomi, caſiæ, ſpicæ nardi, coſti, folii, myrrhæ, ſingulorum æquales portiones, vini quod ſatis eſt, para, ac vtere velut dictum eſt. Aliud. Caſiæ, iridis, myr-
G rhæ, aluminis optimi, pares portiones vino ſubige, & paſtillos forma, ac vtere. Aliud. Iridis, ſpicæ nardi, floris iunci odorati, cuiuſque dr. IIII. amomi drachmas II. myrrhæ dr. duas, meliloti dr. V. appara & vtere ſimiliter. Archigenes autẽ inquit, Ad omnes corporis tetros odores, atque eos qui graſſoniæ à *Græcis* appellãtur, ante omnia conducunt exercitia, inunctiones, ſiccæ fricationes, alui frequens ſubductio. Sunt etiam cibi ad deſtruẽdum hoc malum commodi, itémque illitiones. Conueniunt itaque oleum roſaceum, melinum, myrteum, iris
H ſicca per ſe in puluerem redacta & intrita: aut alumen liquidum in aqua vel vino dilue, & myrrham tenuiſſimè tritam admiſce, ac ad mellis craſſitudinem redige, & ex eo collum, locos ſub alis, inguina, & reliquos exſudantes locos inunge. Aliud. Aluminis liquidi drach. IIII.

myrrhæ drachmas quatuor, ſpumæ argenti lotæ drach. duas,caſſiæ drachmam vnam,contere,& cum eis ſub alis locos,intermedia coxarum,& inguina confrica: tollit enim eueſtigio eorũ fœtorẽ. Aliud. Caſiæ drach. quatuor, aluminis ſciſſilis drach. II. vtere cum vino per ſe.

Aliud. Maſtiches quadrantem,aluminis ſciſſilis vnciam vnam. vtere cum vino. Aliud. Myrrhæ troglodyticæ,iridis Illyricæ, florum roſarum ſiccarum æquales partes contunde,& cribra, ac forma paſtillos cum vino, eóſque in vmbra ſicca vbi ventus non ſpirat:deinde contuſos ac cribratos in pyxide repone coopertos vt ne tranſpirẽt, & vtere à balneo,inſpergens ac defricans locos leniter,atque ita imbibi ſine,& poſtea frigida ablue,& manet odor de quo meritò mireris. Probe facit & alumen cum vino,& crocomagma cum myrrha,& cupreſſi ramẽta,ac alumen cum vino.

Potiones ad eos qui tetrum habent corporis odorem, Cap. VIII.

IIS verò qui fœtentem habent corporis odorem, eiuſmodi potiones exhibere conuenit: Cardui radicem in vino albo decoctam propina, & eiicient vrinam craſſam & fœtentem. Aliud. Reſinam terebinthinam oliuæ magnitudine cũ pari melle decoque, & quotidie deglutiendam exhibe, & vinum inſuper abſorbendum.

Aliud. Myrrham & ſerpyllum paribus partibus terito, & in pilulas formato,quarum duas deuorandas dato,& vinum inſuper abſorbendum. hæc etiam ad oris graueolẽtiam faciunt.

Ad menti ſcabritiem, ex Galeno, Cap. IX.

FIunt & in mẽto aſpredines vtplurimùm feroſo humore à capite deſtillante, & præcedentibus furfuraceis in collo ac vicinis partibus ſquamis, aliquando autem vſque ad auditorios pertingit ac perreptat meatus. èſtque omnino hæc affectio doloroſa,pruritus inferens,ac diſtẽdens corpus:quare ſubſcriptis remediis eſt ſubueniendũ.

Critonis. Amurcam ex oliua priuſquam exprimatur deſtillantem decoque quouſque cogatur,eáque aſſiduè locos inunge. Aliud. Myrrhæ vnc. I. ouorum crudorum vitellos quinque:myrrham cum lacte dilue,deinde adiice ei oua,eáque ſimul paſſo excipe,ac aſſiduè illini,& miraberis effectum. Aliud pharmacum efficax,quo multos hac affectione detentos liberauimus: Glaucii drach. ſedecim,gummi drachmas quatuor, lacrymæ oleæ tãtũdem,diſſolue & ad ſtrigmentitiã craſſitudinem cum paſſo redige,atque aſſiduè illine. Exulcerata autem cute & circumdolente,ſequentibus vtendum. Pinguis compoſitio ad faciei manentes & ſquamoſas affectiones,ac aſperitates. vtilis etiam exiſtit ſedi, conuenitque ambuſtis ab igne: Spumæ argenti vnciam vnam, ceræ tyrrhenicæ trientem,ouorum aſſatorum vitellos tres,adipis anſerini bene ſubacti trientem:Spumam argenti in farinam redige,ac adiice ei oua:deinde his ſimul vnitis infunde quantum ſufficit lactis,vt ad ſtrigmentitiam craſſitiem redigantur,poſtea ceram liquefactam vnà cum pingui,refrigeratámq; ac eraſam coniice, ac ſimul cõmiſce atque in pyxide reconde. Vſu verò exigente,de eo quantum ſatis eſſe videbitur accipe,ac cum roſaceo dilutum impone. Potes autem & ſedis remediis,& quæ ad ambuſtos ab igne deſcripta ſunt,conſimiliter in hac affectione vti.

Ad faciei lentigines remedia,quibus etiam ad maculas à ſole prouocatas,& ad varos vti licet, Cap. X.

VItis albæ itémque nigræ radices cum oleo decoque, donec ſucculentæ reddantur. tollit etiam tum lentigines tum varos,oleum amygdalarum cum cera,radix lilii cum melle. Maximè omnium autem lentigines delet gummi & nitrum æquali pondere, melle permixta. Aliud. Braſſicæ ſemen aqua contritum illini,abſterſo tamen & confricato prius loco. Vbi verò exaruit, atque cutis attollitur,prolue aqua multa frigida,& illinito pingui anſerino,aut medulla cerui, aut etiam cerato ex aliquo huiuſmodi apparato. Cauendum autem eſt, nequis poſt excoriationem incidat in ea quæ faciem offendere poſſunt,qualis eſt aër frigidus,aut ventus aut prolutio faciei. Aliud. Sandaracham attere cum melle ad ſtrigmẽ-

A ti denſitatem,& per dies ſex illinito. arefacta autem cute atque eleuata,vtere galbano cum modico nitro & aceto diſſoluto. Aliud,ad vibices ac lentigines: Columbæ ſtercus cum acri aceto tere, ac vtere:& miraberis. Ad diuturnas autem lẽtigines his vtere: Radicis cucumeris ſylueſtris ſextãtem,cimoliæ vnciam vnam,in puluerẽ redige ac repone. Vſu verò expetente, quantum ſuffecerit in aqua dilutum illini. Aliud. Bulborum depuratorum vnciam vnam,thuris vnciam vnam,contere,adiecto cochlearum terreſtrium magnarum cruore. oportet autem B ipſas adhuc viuas ſtylo pũgere, atque id quod effluit mucoſum, pharmaco iniicere:quòd vbi vſus tempore diſſolueris,melle exceptum inunge. Eundem effectum præſtat ari radix ſicca cum melle, & vmbilici veneris radix cerato liquido excepta atque illita. Smegmata ad lentigines in calli modum obduratas. Quandoquidem contingit aliquando ſublatis lentiginibus calloſam reddi cutem, ac vix curabilem fieri affectionem, vtendum eſt poſt lentiginum excoriationem huiuſmodi ſmegmatis. Farina erui chœnicis Italici dimidium,farinæ ordeaceæ tantundem,ſquillæ aſſatæ ſextantem,omnia in pul- C uerem redacta,candido oui excipe,& in paſtillos redige, quos in vmbra deſiccatos adſerua:vſu verò expetente cũ aqua diſſolutos illinito,& poſt modicam temporis intercapedinem frigida abluere iubeto: aut cremore in quo furfur maceratus eſt,maximè ſi adeſt inflammatio. Aliud. Spumæ nitri drachmas octo, alcyonii drachmas octo,galbani drachmas octo, amygdalarum amararum delibratarum drachmas tres, melle excipe, ac illitũ ſinas arefieri:deinde iube faba dentibus contrita extergi, ac ablui aqua moderatè frigida:cautóſque eſſe præcipe, ne D aut à vento,aut à ſole lædantur.

De maculis à ſole prouocatis,quas *Græci* ἐφηλίδας vocant,ex Critone, Cap. XI.

FIunt etiam in facie maculæ, quas *Græci* ἐφηλίδας vocant,eo quòd à ſole prouocentur, maximè circa malas & naſum:& apparent ſanè non in alto fixæ, ſed inſtar floſculorum productæ,quare leniter eas confrictas attollere oportet,ac ſinere arefieri,commoneréque vt vno aliquo ex ſmegmatum genere extergantur: diſcutiuntur e- E nim ab illis,aut certè abſcedunt,vt digitis auelli queant. Verùm non violenter id facere conuenit, ſed leniter & paulatim. Quòd ſi adhuc inhæreãt, nihilo leuiores redditæ,ſubſcriptis vtendum eſt: Braſſica contrita & illita, ad maculas à ſole productas,& lẽtigines,atq; omnia alia quæ mediocri exterſione ac repurgatione indigent, vtilis eſt. Similiter autẽ & ſepiæ teſtæ vſtæ aut teſtæ purpurarum ac buccinorũ cũ melle illitæ. oportet autẽ has teſtas in crudam ollam coniectas in fornacem immittere ac aſſare. Oribaſii ad maculas à ſole prouocatas,varóſque & vitiligi- F nes: Farinæ erui libras duas,ſeminis erucæ libram vnã, amygdalarum amararum,cucumeris ſylueſtris radicis cuiuſque libram vnam, in vino mulſo diſſoluta & contrita illini,ac poſt horæ ſpatium ſpongia abſterge. Aliud valde admirabile: Ceræ Tyrrhenicæ drachmas quindecim, olei roſacei drachmas ſeptem & dimidiam,pinguis anſerini vnciam vnam,ſpumæ argenti lotæ & dealbatæ vnciam vnam,ceruſſæ vnciam vnam,gũmi drachmas quatuor,mellis Attici vnciam vnam,diſſolutis illini faciem: & poſt ſpatium horarum ſex ſpongia deterge,ac laua cũ G ſapone. Aliud Oribaſii: Lupinos in lixiuio per triduũ maceratos contere,& cum eis lentigines illini, donec auelli poſſint. Aliud. Saponem Gallicum aqua tritum modicè adiecto melle inunge & per horas tres inhærere ſine: aut ſtercus colũbinum linteolo acceptum ac in puluerem exuſtum cum oleo contere,ac illine confidenter. Idem probè efficit myrobalanos contrita illita: itémque bulbus crudus per ſe vel cum oui luteo & aceto aut melle. Exuſti autem bulbi vnà cum alcyonio illiti depurgant lẽtigines:quod facit elaterium quoque illitum, & caſia cũ H melle,braſſicæ ſemen cum aceto,hederæ folia vino decocta,radix vmbilici veneris cum cerato liquido illita: aut cucumeris ſylueſtris radix. Aut fici virgulta in aceto decoque,ac contuſis vtere:quod idem & vitiligines ſanat: aut rubeã oleo contritam,aut coſtum aqua contuſum,aut ni-

tri ſpumam cerato liquidiore exceptam, aut lupinos crudos cum lixiuio cochleariorum decoctos & contuſos, cũ melle illini. Aliud. Radices narciſſi delibratas in aceto decoque ac tere, iniecta farina erui ſufficiẽte, & paſtillos informa, quos in vmbra exſiccatos in vſũ adſerua, qui vbi poſtulauerit, contritos cum melle, ad veſperam illine: manè autem rurſus ablui præcipe. Aliud. Lilii bulbos quinque, cõtere & coniice ſpumæ nitri libram vnam, deinde melle quantum ſuffecerit commiſtum illini, vſquequo integrè curentur, vt iam antea dictum eſt.

Aliud. Amygdalarum amararum partes duas, melanthii torrefacti partem vnam, vnumquodque ſeorſim contere, & cum melle commiſce: illinito autem ad veſperam manéque abluito cum aqua dulci. Vtere autem vno aliquo ex ſmegmatis, ſuperius ad faciei nigredines præſcriptis: itémque iis quæ ſunt illis vicina ac ſimilia. Vtile autẽ eſt & hoc, (præſertim ſi fuerint diuturnæ) buccina exure & cum melle cõtere, & ad veſperam illine: manè ablui cum aqua dulci præcipe. Aliud ad ſolares maculas, valde pulchrum: Oua integra in aceto macerato, donec teſta quamtenerrima fiat, deinde ſuperius perforato, ac extrahe ab eis candidum: pòſt verò iridis Illyricæ tuſæ ac cribratæ, & melanthii in tenuiſſimum puluerem redacti, & thuris æquas partes cum eis conterito, adiectóque melle ſufficienti, vt dictum eſt, vtitor. Quòd ſi adhuc perſeuerauerit affectio, huiuſmodi excoriatoriis vtendum erit. Excoriatoriũ macularũ à ſole prouocatarũ & lentiginũ: Melãthii quadrantẽ, ſeminis ocymi quadr. radicis ari quadrãtem, aqua ſubigito, & imponito, ac ſinito agglutinari: poſt aliquantũ verò interſtitiũ detrahito, atq; aqua calida quamplurima proluito. Aliud, quod ad calloſam faciem conducit, ſiue per ætatem, ſiue per continuam pharmacorum acriorum excoriationem, calli ſint contracti. Seminis erucæ ſeſcũcẽ, ammii, cardamomi, radicis ari, coſti, cuiuſque quadrantẽ contũdito, cribrato, ac reponito. Vbi verò neceſſitas exigit, quantum ſatis videbitur accipito, acetóque ſubactum imponito ſatis condenſatum: quum verò agglutinatum fuerit, acetum aut aquam per ſpongiam inſtillato. Facta autem excoriatione, multam aquam calidam affundito: à prolutione verò, ſubiectam mixturam panniculo laneo exceptam imponito: Ceruſſæ drachmas octo, ſpumæ argẽti lotæ drachmas quatuor, adipis anſerini ſeſcuncem, medullæ ceruinæ ſeſcuncem, œſypi medicamenti quadrantem, adipis ſuilli recẽtis quadrantem, olei ſeſamini quantum ſufficit. oportet autem fomentum adhibere bis in die. Eleuata autem cute, ſequens ceratum eſt imponendum: Adipis caprini à fibris depurati & loti libras duas, olei ſuſini ſeſcuncem, olei roſacei & amygdalini, ceræ, maſtiches, cornu ceruini vſti, ſalis ammoniaci, cuiuſque vnciam vnam, terræ Cimoliæ trientem. Et quæ eliquari poſſunt liquefacito & percolato: deinde rurſus ad carbones lentè decoquito, & ad ea quæ ſicca ſunt in mortarium adfundito, ac probè vnitis vtitor.

De exulcerata menti ſcabritie.

Vtendum eſt ad eam iis quæ paulo pòſt in capite videlicet decimoquinto deſcripta ſunt, ad manantes menti papularum eruptiones.

De ſtigmatis ſiue notis à verbere illatis, Cap. XII.

STigmata apppellant quæ in facie, aut alia quapiam corporis parte infiguntur, notas, quales videmus in manibus eorum qui militiam exercent. Atramento autem vtuntur illi tali: lignorũ ſpinæ Ægyptiacæ & maximè corticis librã vnam, æris vſti ſextantem, gallarũ ſextantem, atramenti ſutorii vnciam vnam, contundito ac cribrato, primúmque æs vſtum cum aceto terito: deinde & reliqua contrita coniicito, affuſiſque aquæ quidem partibus duab⁹, ſucci verò porri parte vna, & probè vnitis vtitor. Oportet autem locis prius cum acubus punctis ſanguinem extrahere, & primùm porri ſucco illinire, poſtea verò ipſum adhibere pharmacum. Porrò quibus eiuſmodi ſtigmata extirpare penitus volumus, illis ſubſcriptas mixturas adhibebimus. Calcis partem vnam, nitri aſſati partem vnam cum lixiuio coactiliariorum terito, & nitro adſperſo locum prius præparato & extergito: deinde illinito continenter. idem quoque ad verrucas myrmecias dictas, efficax exiſtit. Aliud, quod ſtigmata tollit: Piperis drach. II. rutæ drach. quatuor, auripigmenti drach. quatuor, contere & adiecto melle in pyxide figulina repone. Vbi verò vſus expetit, ſupra ſtigmata prius nitro confricta, reſinã terebinthinã impone, vinculo adhibito in dies V. poſtera autem die VI. ſolue atque acu ſtigmata penetra, & cũ ſpõgia ſanguinem exterge, ſalémque tenuiſſimum in ipſas puncturas inſperge: quem tãdiu inhærere ſinas, donec ſtadia decẽ quis curſu confecerit: deinde prædictũ pharmacũ linteo exceptum impone, neque ſoluas per dies V. ſequẽti verò VI. ſolue, & ſtigmata ſcalpendo expoli, atq; vbi quod nigrum fuerit detraxeris, rurſus pharmacum ipſum illinito cum penna. eruit enim in viginti diebus citra magnã exulcerationem, nõ relicto etiam veſtigio cicatricis. Idem efficiunt mordendo erodentia medicamenta in vulnerum tractatu deſcripta.

De varis faciei, qui *Græcis* ionthoi & acmæ vocantur, Cap. XIII.

SOlet circa faciei cuticulã tuberculum oboriri, paruũ quidem ſed durũ, quod vari nomine appellatur. id ſanè à craſſo humore producitur. Quare cura ei⁹ per ea quæ duritiem emolliunt & tumorem diſcutiunt, medicamina perficitur: quorum ſyluam eiuſmodi tibi parabis: Lilii radicem tritam cum melle illinito, aut cyclamini radicem cum melle, aut narciſſi radicem cum melle, aut caſiam cum myrrha & melle, aut plumbaginem cum aceto aut pulegium tenuiſſimè tritum ac cerato exceptum impone. Aliud. Mellis & aceti acerrimi, cuiuſque æquales partes permixtas illini, ac digito circumtere. Aliud.

Sepiæ teſtæ vſtæ ſextantem, coſti ſextantem, myrobalani vnc. vnã contere cum aqua & illini, arefactum verò rurſus humecta. Aliud. Coſtum contunde, & cribratũ in tenuiſſimum puluiſculum redige, deinde cum felle caprino commixtum in cerati modum effinge, & cum eo varos ad veſperam illini: manè verò à ſomno, lacte, qualecunque adfuerit, faciem abluere iube. Aliud. Alumen ſciſſile quamtenuiſſimè contere, & reſina terebinthina exceptum impone. Quum autem diu perſtiterint vari, his vtendum erit: Saponis Gallici drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis drachmam vnam, thuris drachmam vnam, diſſoluito in aqua & ad cerati dẽſitatẽ reducito, ſicque illinito, ac poſt horæ ſpatium ablui cum calida præcipito. Aliud. Rhois culinarii, hyſſopi, pulegii, ſalis foſſilis, ſeminis ocymi, cuiuſque æquales partes cerato roſaceo excipe, ac vtere. Aliud, quod ad eminentiores faciei affectiones, itémq; pruritus efficax eſt, necnon ad principiũ elephãtiaſis. Gũmi albi & nitri æquas portiones, acri aceto dilue & illini. Vbi verò exaruerint, ſubſcripta mixtura depurga: Saponis Gallici lib. I. ammoniaci, ſpumæ nitri, thuris, maſtiches, cuiuſque quadrãtẽ. ſaponẽ & ammoniacũ in vaſe fictili cũ aquæ chœnice vnà decoquito: vbi verò diſſoluta fuerint, ſicca cõtrita ac anguſtiſſimo cribro excuſſa iniicito: deinde tranſfer in pilam, probéq; contuſum vitreo vaſe recondito. Neceſſitate verò expetente, faciem illinito, & poſt paruum interſtitiũ multa aqua abluito, prius leniter facie cõfricta. hoc pharmaco ſemper ad varos vtere. Aliud, ad varos celebre. Nitri rubri ſextantem, cimoliæ vnc. I. thuris drach. IIII. farinæ erui vnc. I. vtere autẽ hoc modo: accipe halcyonium, ac per ſe optimè contere: deinde iniecto oleo ſimul tere, & ex eo faciẽ ad veſperã illini, manè verò à ſomno præſcripta compoſitione exterge. Aliud ſmegma, quo per omnẽ curã varorum vti conuenit: Farinæ fabarum, farinæ ſeſami, medullæ peponis ſiccæ, cuiuſque drach. quatuor contere, & cum his exterge. Aliud. Nitrum cum myrrha tritum aqua permixtum exhibe, eóque extergatur.

De ficoſis faciei tumoribus, ex Galeno, Cap. XIIII.

EST & hæc vna aliqua ex menti affectionibus, in hoc differens à varis, quòd nõ ſolùm craſſus exiſtit humor à quo producitur, ſed ſeroſa etiã tenuitate participat, ob quam & citius exulceratur, ſi quidem non vt conuenit cures: & ſiccioribus etiamnum indiget remediis, quàm ea ſunt quæ varis adhibẽtur. Oribaſius ad Euſtathiũ: Ficos

appellant germina vlceroſa, rotunda, ſubdura, rubicũda, quæ conſequitur etiam dolor. Naſcuntur autem vtplurimùm in capite, atque etiam reliquo corpore: de quibus Crito ſic ſcripſit, Ad ficoſas menti eminẽtias, Critonis: Spumæ argẽti drachmas quatuor, thuris drachmas duas, ſalis foſſilis drachmas duas, ſandarachæ drachmam vnã, contrita ſimul impone. Aliud valde præclarum: Elaterii drachmas duas, ſalis foſſilis tantundem, chalcanthi drachmas duas, ſandarachæ drachmam vnam, miſce: & cum ſpecilli inſtrumenti (quod melã *Græci* appellant) extremo, admota impone, præhumectato prius loco, quò pharmacum melius inſideat: poſt impoſitionem verò, cataplaſmate ſeminis lini aqua diſſoluti supernè contege.

Aliud Archigenis, ad capitis & menti ficos: Calchãthi aſſati, aluminis ſciſſilis, glutinis, cuiuſq; æquales partes, ſquamæ æris duplum. glutinum in aceto maceratũ dilue, & cum eo reliqua trita committe. Vbi verò vti velis, in aceto rurſus dilue, ac ex eo ficoſas eminentias inunge, & raſura tenuis linteoli contege. Inhæret autem pertinaciter, atque citra cicatricem ficos depurgat. Vtor autem & hoc ipſo pharmaco ad callos fiſtularum leniendos in collyria informato. Quòd ſi humidi ſint tumores, nimirũ aqua effluente ex eis, velut à fonte, pura, ſubſcriptis remediis vtẽdũ erit. Paſtillus ad ficoſas mẽti eminentias. Reprimit autẽ omnes tumores qui accidũt illis qui malè cicatricem obduxerunt: quemadmodũ vid& mus in iis quibus palpebræ aut labia ſunt conſuta: Squamæ æris ſextantem, miſyos aſſati ſextantem, auripigmẽti ſextantẽ, diphrygis dr. III. chalcitidis vſtæ dr. IIII. æris vſti dr. IIII. glutinis fabrilis dr. IIII. cõpone, & vtere vt dictum eſt in priore. nam & ob eius vſum, magnũ nomen adeptus ſum.

Ad manantes menti papularum eruptiones, ex Critone, Cap. XV.

COnferunt quidem & his plurima eorũ quæ antea ad capitis vlcera manantia præſcripta ſunt: propriè autem proſunt hæc: Spumæ argenti, chalcãthi, malicorii, baccarum myrti ſing. æquales partes cum vino & oleo myrteo tritas illinito. Aliud. præclarũ eſt hoc: Verbenacæ ſupinæ drac. octo, acaciæ drach. octo, myrrhæ drach. II. cum vino tritis vtere. Aliud. Myrrhæ vnc. I. thuris ſextantem, acaciæ trientem. vtere cũ vino. Aliud. Spumæ argenti, ladani, baccarum myrti nigrarum, ſeminis hyoſcyami, malicorii, æqualibus partib⁹ cum vino & oleo myrteo aut roſaceo permixtis vtere. Aliud, quod & ad ea quæ inſtar faui, melle manant vlcera meliceridès *Græcis* appellata, conducit, ſiue ea in mento, ſeu in capite exiſtant, quæ à Syris appellantur ſanalia: Spumæ argẽti & baccarum lauri æquales partes cum aceto ac oleo myrteo illinito. experimentum enim bonum de ſe præbuit ſæpe.

De impetiginoſis tum menti tum reliqui corporis tumoribus, ex Galeno, Cap. XVI.

PRæterea & hæc affectio ex mixto quopiam generatur humore, nimirum ſeroſis & tenuibus acribúſque humoribus vnà cum craſſioribus permixtis: quapropter etiam facilè in pſorã & leprã tranſit. Indiget itaque hæc affectio pharmacis fortiter deſiccantibus. Quòd ſi verò in pſorã aut leprã tranſierit, ad hoc quòd deſiccãtia remedia adhibenda ſunt, neceſſe erit & repurgantibus vti. Itaque Crito ita ſcripſit, ad eas quæ in mento prodeũt impetigines, lichenas appellatas. Affectio (inquit) eſt inſuauiſſima, & pruritum inferens, & circumtenſionem, & periculum non minus. Proſerpit enim aliquãdo per vniuerſam faciem, & oculos ipſos contingit: quare diligentiori cura vtendum erit, vbi ea quæ iam longo tẽpore perſeuerarunt, ab iis quæ recèns prodierunt diſcreuerimus. Ad recentes igitur impetigines conueniunt hæc:

Perdicii herbæ folia continenter in loco confrica, aut thus, aut ammoniacum cum aceto terito, aut etiam cum perdicii ſucco, ac illinito. Aliud. Liquorem qui ex humidis oleæ lignis, dum comburuntur effluit, illini. Idem facit quod ex braſſicæ caule dũ aduritur, deſtillat illitum. Aliud. Maluæ agreſtis ſemen depuratum col-

A lige, contere, ac expreſſum inde ſuccum repone, eúmq; aſſiduè illine. Aliud. Portulacæ ſuccum continenter illinito. Aliud. Lacrymam ſylueſtris oleæ cum aqua diluito, & adiecto modico ſtyrace, vnito ac imponito. Vbi verò iam diu durauerint impetigines, viticis folia cum aceto trita illini, aut haſtulæ regiæ radicem in aceto decoctam & tritam adfrica. Aliud, ad diuturnas impetigines: Chamæleontis nigri radicem in aceto decoque, contere, & illine. Verùm quum ad impetigines multa & varia excogitata ſint remedia, particulatim de ſingulis dicam, initium ſumens à paſtillis.

B Paſtilli. Paſtillus ad impetigines. in quacunque corporis parte conſiſtant: Alcyonii vſti drachmas duas, ſulphuris viui, thuris, pyrethri, ſpumæ nitri, cuiuſque dr. duas, chamæleontis nigri radicis drach. quatuor, haſtulæ regiæ radicis dr. quatuor, glutinis drachmas quatuor. glutinum in aceto dilue, & cum eo reliqua excipe, deſicca, & vtere cum aceto. Paſtillus valde celebris: Foliorum fici ſiccorum drachmas duodecim, chalcitidis crudæ drachmas decem, calcis viuæ drachmas octo, miſyos C crudi drachmas quatuor, thuris drachmas quatuor, ſulphuris viui drachmas octo, aceto ſubige, & cum aceto vtere. Paſtillus ad impetigines, qui & callos extirpat, & cicatrices ſupra opinionem: Thuris, teſtarum buccinorum vſtorum, fimi columbini, alcyonii, gummi, ſingulorum æquales partes contere cum lacte, & informa paſtillos, ac vtere cum aceto. Paſtillus alius. Lacrymæ oleæ ſylueſtris drachmas quatuor, thuris drachmas quatuor, ſulphuris viui, alcyonii, ſpumæ nitri, halicæ contuſæ & cribro excuſſæ, cuiuſque dr. octo, halicam in acetũ D multum atque acerrimũ coniectã tãdiu decoque, donec viſcoſa reddatur: reliqua verò cum ea ipſa commiſſa in paſtillos informa, ac cum aceto vtere. Circumlitiones ad impetiginem. Ad impetigines maximè feras: Nitri, chalcitidis aſſatæ, ammoniaci thymiamatis, ſucci ſerapiadis tres teſticulos habentis æquales partes contunde, & cũ aceto illini. Efficax eſt & ad humentes impetigines: atque ego ſanè vſus ſum, & ex animi ſententia ſucceſſit. Aliud. Stercoris dorcadis vnc. I. thuris vnc. I. cõtuſis vtere cũ aceto, ita vt cũ nitri ſpuma impetiginẽ pri⁹ confrices: & miraberis. Aliud, quod & ad impetigines E & vitiligines ac lepras valde commodum exiſtit: Stercoris muris, chalcãthi, ſulphuris viui, cuiuſque beſſem, farinæ fabarum vncias XIIII. aceti ſextarios quatuor. Muſcerdam contunde, & cum aceto decoque. atque vbi bis aut ter efferbuerit, ſulphur inſperge & chalcanthum, animaduerſione habita ne efferueant & effundantur: deinde vbi parum ſaltem concocta fuerint, etiam farinam fabaceam iniice, & ſimul ad ſtrigmenti craſſitiem decocta redige, & ablatis ac recõditis vtere. Ad lepras F quidem linteolo exceptum impone, ac poſt quintum tãdem diem abſtrahe: ad impetigines verò aceto diſſolutum continenter inunge. Illitio cocta, ad diuturnas impetigines, quæ citra exulcerationem eas ſummouet: Halicæ mola tritæ ac cribro quamarctiſſimo excuſſæ vncias quatuordecim, chalcitidis, cimoliæ, ſulphuris viui, miſyos, cuiuſque ſextantem: ſpumæ nitri, aluminis ſciſſilis, alcyonii, radicis haſtulæ regiæ, thuris, lacrymæ oleæ, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, cuiuſque vnciam vnam, aceti chœnicas tres. Alcyonium, haſtulam regiam G cum aceto decoquito, atque vbi ad medietatem redactũ fuerit, percolato. In colamẽto verò ammoniacum, thus, & reliqua ſicca diſſoluito: halicam verò in aceto quod ſupereſt decoquito: deinde reliquis adiicito, ac ſimul commiſſis vtitor. Aliud valde præclarum: Aceti acerrimi ſextarios octo, farinæ hordeaceæ vncias viginti-quatuor, mannæ thuris vncias quatuordecim, radicis rumicis ſylueſtris drach. octo, radicis albuci drachmas octo, veratri albi drachmas X. alcyonii drach. X. cardamomi drachmam vnam, terræ cimoliæ dr. octodecim, glu- H tinis drachmas XVI. ſpumæ nitri drachmas ſedecim, virgultorum halicacabi viridium faſciculum quantũ manu cõprehendere potes: appara, & vtere vt dictũ eſt. Quòd ſi hæc affectio diutius producatur extẽdatúrq;, & in callos

tranſeat, nihilominus his quæ dicta iam ſunt vtendum
eſt.maximè verò congruum eſt quod ſequitur: Miſyos,
myrrhæ,thuris,aluminis ſciſſilis cuiuſque drach. octo,
aloes,ſulphuris viui, cuiuſque drachmas quatuor. hæc
cum paſſo ad ſtrigmenti craſſitudinem redige,& bis ac
ter in die loco prius confricto illine : foris autem cõſer
uandi pharmaci gratia,pelliculam veſicæ,aut ex ouo ſu-
prapone. Oribaſii lichenicum pharmacum.facit idem
etiam ad pruritus: Chalcanthi,ſulphuris viui,nitri, thu
ris,æqualibus portionibus vtere : ad impetigines quidẽ
cum aceto,ad pruritus verò cum vino. Aliud, quod
impetigines in paucis arcet diebus , valde commodum:
quare præexigendam ſuadeo mercedem: Sulphuris
dr.octo,calcis dr.octo,chalcitidis crudæ dr.octo.thuris
drachmas quatuor,miſyos drachmas quatuor,foliorum
capparis viridium depuratorum drachmas duodecim,
cum aceto tere ac in forma paſtillos,& vtere. Empla-
ſtrum liquidum,multi ad impetigines experimenti, cu-
ius rei nuper adeo periculum feci: Picis ſiccæ,ceræ,reſi
næ,colophoniæ,veratri triti,olei,æquales partes.Per ex-
perientiam commendatum hoc tibi habe , propterea &
mercedem præexige. Quãdoquidem verò plurimi ſunt
qui illitionum vſum auerſantur , malúntque adhibere
emplaſtra, vtpote quæ neque per ſudores obortos deflu
ant,neque arefacta etiam cutem circumtendant,annectã
& horum aliquot apparatus. Emplaſtrum ad impeti-
gines,quod citra exulcerationem eas ſubmouet: Ceræ,
picis liquidæ,thuris, reſinæ terebinthinæ, ſulphuris vi-
ui,cuiuſque ſeſcũcẽ. quæ liquefieri poſſunt,liquefacito,
ſiccáque cum eis committito. Aliud quod ſimiliter
citra exulcerationem opitulatur: Picis liquidæ libram
vnam,mannæ,ſulphuris viui,farinæ lupinorum, cuiuſ-
que vnciam vnam,galbani ſextantem.Picem calefacito,
& galbanũ præmollitum adiicito:liquefactis verò,ac ab
igne ablatis reliqua inſpergito ac vnito. vtere autẽ hoc
vt vehementer commodo. Aliud,quod citra exulcera-
tionem auxiliatur: Chryſocollæ ſiccæ qua aurifabri v-
tuntur,chalcitidis aſſatæ, miſyos aſſati,ſquamæ æris,di-
phrygis,ſalis ammoniaci,terræ cimoliæ , cuiuſque dra-
chmas quatuor,æruginis drachmas duodecim,chalcan-
thi drachmas ſex,lapidis aſii,æris vſti , vtriuſque drach.
ſex, ſoreos drachmas quinque , aluminis liquidi drach.
quatuor,contunde omnia diligenter,& adiecto aceto ſe
dulò in ſole ſub feruentis caniculæ æſtu contere , donec
ipſũ pharmacũ æruginẽ cõtrahat. Apparetur aũt in alio
quopiã mortario,thuris ſextãs,myrrhæ ſextãs,aloes vn-
cia|vna,ladani vnc.1.opopanacis vncia vna: hæc in aceto
diluta & ad ſtrigmentitiam craſſitiem redacta,illis quæ
antea in æruginem commutata ſunt iniice,ac rurſus con
tere:atque his omnibus ariſtolochiæ contuſæ & cribra-
tæ vnciam vnam adiice,& rurſus tere. Quũ verò omnia
in formam emplaſtri redacta fuerint,liqueſcibilia lique
facito ac affundito.Sunt autem liqueſcibilia hæc : Ceræ
drachmas centum , terebinthinæ drachmas ducentas,
galbani drachmas nouem , olei libram vnam , emollita
in vſum adſeruato ſimul omnia.hoc ipſum pharmacum
duplici aſpectu ſe vidẽtibus offert. Aliud,quod ſimili
ter ad dictas impetigines efficax eſt,vt etiã ea quæ intus
relinquũtur reprimere poſſit: Picis,bituminis,reſinæ
pinus,ceræ,ſulphuris viui,mannæ,æquas portiones,olei
Cyprini quantum ſat fuerit. Liqueſcibilia liquefacito,
&inſpergito ſicca:in tenui autem pellicula excepta im-
ponito. Emplaſtrum aliud ad impetigines:Picis ſiccæ
quadrantem,picis liquidæ vnciam vnam,ſalis vnciam v-
nam,reſinæ colophoniæ,ceræ, ſulphuris viui, cuiuſque
vnciam vnam,nitri fului vnciam vnam,chalcitidis vn-
ciam vnam,olei ſextantem:vtere. Excoriatoria impe-
tiginum. Verùm vbi iam affectio ſtabilis facta fuerit,
& pharmacorum adhibitioni & molimini reſiſtit,vten-
dum erit excoriatoriis. ea enim ex facili ſuperficiem a-
uellunt. Excoriatorium impetiginum, quo Pamphilus
vſus eſt Romæ,& plurimùm ſanè profecit,quum in vr-
be mẽtagra graſſaretur,quæ impetigo fera exiſtit. Squa
mæ æris drachmas octo , auripigmenti drach. quatuor,
ſandarachæ drachmas quatuor,æris vſti,veratri albi,cã-

A tharidum,reiectis alis & pedibus,ſingulorum drachmã
vnam & dimidiam : vnumquodque per ſe contere dein-
de ſimul contuſa cedria excipe , ac in denſitatem ſtri-
gmẽtitiam redacta,in pyxidem æris Cyprii repone. Vbi
verò neceſſitas exigat , nitro ac modico aceto impetigi-
ne confricta , pharmacum hoc cum ſpathomele , *id eſt*
ſpecillo lato, illine : atque vbi iam affricueris , modicúm-
que temporis ſpatium interceſſerit , cum ſpecillo dera-
de,ac rurſus aliud illine:bíſque ac ter eodẽ repetito, lo-
B cos illitos cum pellicula veſicæ bouillæ,aut alterius cu-
iuſdam animantis contege. Poſt pelliculæ verò impoſi-
tionem,faſciola leuiter colligato,ac ſinito pernocteſce-
re, ſi quidem tandiu ſuſtineat: ſi verò non, ad horas ali-
quot donec bullas exſuſcitet ſanie craſſa & glutinoſa re-
pletas:quibus productis lauari iubebimus, atque remo-
rari aliquandiu in balneo:etenim hoc ipſum curam adiu
uare ſolet . ſit autem calidius ipſum balneum. Quòd ſi
prohibeat quid balneo vti ,fomento vtendum eſt calida
aqua multa,quæ vbi iam ad moleſtiam vſque affuſa fue
C rit,extergere conuenit , ac panem cum aqua mulſa ſuba-
ctum imponere.At vbi ſordibusvlcera ſcatuerint,empla
ſtrum viride ſpleniolo exceptum adhibeto, modico iti
dem de excoriatorio præſcripto admixto. Excluſa au-
tem ſanie,& nullo amplius tectorio vlceri incumbente,
ex emplaſtro albo linteolum paruũ illitũ imponimus,
eóque vtimur|donec omnino ad cicatricem perducatur:
quotidie fomẽto adhibito,ac nouo ſpleniolo ex empla-
ſtro albo illinito. Porrò ante admotionem excoriato-
riorum,vicinas impetigini partes munire oportet phar-
D maco quopiam ex iis quæ ab inflammatione locos tuẽ-
tur,atque ita excoriatorium ad impetiginem ſolam ad-
hibere. Excoriatorium ad mentagras, vt citra cicatri-
cis veſtigium ad ſanitatem perducantur. Efficax eſt &
ad alopecias ad ſolẽ vel ad ignem illitum.Vbi verò bul-
la producta fuerit,eam acu penetrare oportet,excluſo au
tem humore,ceratis curare: cicatrice enim inducta,ena-
ſcuntur pili. atque ita quidem ad alopecias adhibetur.
Ad impetigines verò vtendum eſt eo modo qui prædi-
ctus eſt in excoriatorio primo. Pharmacum verò ipſum
huiuſmodi eſt:Sandarachæ,auripigmenti,ſquamæ æris,
E veratri nigri,cuiuſque drachmas duas,elaterii drachmas
quatuor, ventrium cantharidum drach. 1. excipe cedria.
vſus autẽ iam antè oſtenſus eſt. Emplaſtra viridia poſt
excoriatoria adhibenda. Poſt ipſum excoriatoriorum
vſum,ſubacta viridia emplaſtra adhibenda ſunt : nimi-
rum ad vlcerum ipſorum repurgationem. Viride em-
plaſtrum,quo Pamphilus vſus eſt ad mentagram,poſt e-
ruptionem ſcilicet bullarum: Ceræ libram vnã,reſinæ
pinus ſiccæ libras duas,æruginis quadrantem,olei vete-
F ris beſſem, aceti acerrimi quantum ſuffecerit. Æruginẽ
ad ſolem cum aceto conterito:liqueſcibilia liquefacito,
& frigefacta ac in mortarium coniecta ſimul vnito. A-
liud. Æruginis drach.II.mannæ drach.IIII. galbani dr.
III.adipis vitulini drach.XII.ceræ drach.octo, reſinæ pi-
nus drach. octo,aceti quantum ſatis videbitur,commit
te. Aliud,quod euchrun,*hoc eſt boni coloris*,appellatur.
Æris vſti quadrantem,aluminis rotundi,æruginis,ſa-
lis ammoniaci,mannæ, cuiuſque ſextantem , ceræ libras
duas,reſinæ pinus ſiccæ libras duas,olei dextantem,ace
ti quantum ad ſicca conterenda ſuffecerit. Empla-
G ſtra alba ad cicatricem perducentia. Verùm vbi iam
per perſcripta emplaſtra viridia, vlcera ipſa repurgata vi
deris,vtendum erit emplaſtris albis,quò abſque cicatri-
cis veſtigio ad ſanitatem perducantur.quare neutiquam
hæc relinquenda cenſeo , vt quæ ea multa ad tactum le-
nitate committunt. Emplaſtrum album,quod aquo-
ſum appellatur.hoc emplaſtro magnus medicusvſus eſt,
poſt impetiginum excoriationem: Ceruſſæ , ſpumæ
argẽti,ceræ Tyrrhenicæ,aquæ puræ,ſingulorum libram
vnam,olei omphacini libras duas. Spumam argenti,ce-
H ruſſam,& aquam ſimul contere,atque vbi tenuiſſima fa-
cta fuerint , oleum guttatim inſtillatum ſimul contere,
donec ſufficienter fuerint counita: deinde in fictili vaſe
ad ignem adhibe , ac continenter agita . quum verò a-
qua conſumpta fuerit, iniice ceram: atque hoc modo in
mortarium

mortarium infuſa emollito,ac vtere. Aliud. Ceruſſæ libras duas,miſyos crudi ſextantem, terebinthinæ vnciã vnam,ceræ ſeſcũcem,olei libras tres,aquæ chœnicas duas compone vt prædictum eſt,ac vtere. Licebit etiã vti cetatis ſedis,& quæ ad ambuſtos deſcripta ſunt teneriòribus.

Ad moleſtum oris odorem, Cap. XVII.

AD grauem oris odorem, qui citra exulcerationem accidit,irin in vino veteri odorato maceratam; ad colluendum continuè exhibe,atque etiam in ore retinendam aliquandiu: aut myrrham in vino meraco dilutam colluendam præbe:aut acre acetum colluat quotidie; veſpere dormitum iturus:manè verò ſpicæ nardi decoctum ore colluat,aut ipſam ſub dentibus conterat:aut potamogetonis folia quotidie dentibus contrita expuat; aut roſatum floribus continuè confricato: aut fici ſylueſtris radicem vrito, & cinerem eius cum melle illinito: aut parum cyperi,aut floris iunci odorati contundito,& gingiuas continuè confricato:aut cimoliam cum ſale terito & affricato. Aut ordeum cum ſale, melle ſubactum & linteolo illigatum vrito, & contritis vtere: aut ſimilaginem melle ſubactam ac exuſtam adhibe. Aliud. Salis albi, pumicis, origani; cuiuſque vnciam vnam, iridis ſextantem, floris iunci odorati ſextantem: his ſimul contritis dentes fricato & vniuerſum corpus. Bonum enim odorem facit & dentes dealbat. Aliud ad fœtorem oris. Chalcitidis crudæ drachmas XII. veratri albi drachmas octo,trita illine. Aliud. Chalcitidis drachmas duodecim,cadmiæ drachmas octo, in aceto tere,& per aliquot dies ad ſolem æſtiuum expone, deſiccatóque vtere. Vtile eſt & ad ſanguinolentas gingiuas, itémque putreſcentes. Bibant autem & ipſi ea quæ præſcripta ſunt illis à quibus per totum corpus teter odor tranſpirat,in hoc ipſo Sermone, capite octauo. Aliud, ad craſſitiem labiorum. Prominet in pleriſque ſuperius labrum,aliquando etiam inferius,ex defluxu vehementi à capite delato,vt præ denſitate labrum intumeſcat,& ad ſermonis prolationem præpediatur: vltra hoc quòd aliâs indecentia quadam faciem dehoneſtet. Quare curabis hos aut inciſa vena,aut purgatos per conſuetas excretiones. Poſt hæc autẽ adhibebis illinitiones ac apophlegmatiſmos, quibus defluxus pituitæ à capite tollitur ac ſedatur: deinde illitionibus ad os deſcriptis illines palatum. Quibus præmiſſis, porri ſuccum cum oleo vetuſtiſſimo ad interna labiorum illini, aut foliorum braſſicæ ſuccum vnà cum oleo ad affectum labrum continuè admoue: aut glaucium cum vino, aut cimoliam,aut Muſæ paſtillum,aut paſtillum ex halicacabis cum vino.

Ad labiorum fiſſuras, Cap. XVIII.

QVI internam pelliculam fiſſuris labiorũ agglutina, aut quod pelliculæ ſimilitudine, circa palmarum oſſicula adhæret,aut araneorum à trabibus dependentiũ texturam,maximè albam. Eas verò quæ in altum magis ſe extendunt fiſſuras,cum adipe anſerino,aut caprino curabis,aut cum medulla bouilla aut ceruina,ita vt cum ſempervivo atque terebinthina vnita,illinas. aut gallam omphacinã tritam,terebinthina, aut œſypo liquido,aut melle excipe & impone. Aliud. Gallam & maſtichen quamtenuiſſimè trita,œſypo, *id eſt lana ſuccidæ ſordibus* in formam cerati redacto, excipe ac vtere. Aliud. Gallarum vnciam vnam, cadmiæ vnciam vnam, ceruſſæ quadrantem,contere cum roſaceo, & illine. Aliud. Cyperi ſextantem,gallarum vnciam vnam, aluminis ſciſſilis drachmam vnam,contere ac ſiccum inſperge. Aliud. Maſtichen cum vino tritam & dilutam illine. Aliud. Fæcem aceti vſtam, myrteo aut roſaceo cerato exceptam impone. Idem etiam ad magnas in extremis ac ſummis corporis partibus inflammationes conducit. Aliud. Teſtarũ ouorũ vſtarum,gallæ,myrrhæ,aluminis ſciſſilis, ſingulorũ æquales partes lanæ ſuccidæ ſordibus exceptas impone. Ad omnia labiorum vlcera, & ad ea quoque quæ cacoethe appellant: Oſtrea vſta tenuiſſimè trita inſperge. Ego autem & non vſta cõtriui, eiſque vſus ſum: neq; malè ceſſit. Aliud,ad fiſſuras labiorũ. Muſæ paſtillum cũ ſapa aut vino dilutũ, ſatis craſſum illinito. Optimè prodeſt & id quod ex amurca,ad vlcera oris quæ aphthas appellant,apparatur: idémque ſimilia remedia efficiunt,quæ ad fiſſuras ſunt deſcripta, atque etiam paſtillus ex halicacabis cum vino. Ad tubercula in labris. Vtendum eſt & ad hæc præſcriptis ceratorum formis, atque etiã hoc ipſo quod ſubieci: Radicis rumicis vſtæ, nitri vſti,terebinthinæ vſtæ, ſingulorũ æquas portiones cõtritas cerato excipe,& illine. Aliud. Adipem anſerinum, melle ac ſolani ſucco mixto adhibe. Confrictis autem prius vlceribus, cũ pẽna ſæpe illini. repurgat enim tubercula in internis labris oborta. Colluat autẽ ea & ante illinitionem & poſt eam,cum lacte.

De dentium affectionibus, Cap. XIX.

PArs quædam ex tertia coniugatione neruorum à cerebro vtrinque delatorum, diſtribuitur quidem in pelliculam quæ ipſum os,& linguam,ac gingiuas complectitur ac ambit,ſenſum eis ſuppeditans: ingenerat autem ſeipſam tum ſuperiori,tum inferiori maxillæ inuoluens, ac omnibus dentibus ad eorum radices ſubſtrata, vt ob hanc cauſam inter oſſa ſoli dentes dolore afficiantur. Illi ipſi ſanè nerui delatum ad ſe nutrimentum ſuſcipientes, quod in ipſo liquidius exiſtit,ſibi lucrifaciunt: quod autẽ ſiccius quàm conueniat exiſtit,tanquã alienum à ſe abiiciunt. Ea ipſa verò à neruis redundans ſuperfluitas in cõcauitatibus locellorum in quibus ipſi dentes ſunt infixi, aggregatur,paulatímque tenacior ac denſior ſeipſa facta, ob diuturnam iſtic conuerſationem, in oſſium formam tranſmutatur. atque hoc modo nutrimentũ dentibus accidit. Itaque dentes hac nutricatione ſuſcepta, vſque in ſenectutem augeſcunt. Vnde ſanè in ſenibus ob defectũ connutrientis materiæ, attenuantur dentes, mobileſque fiunt,ac excidunt. Cæterùm quantum augeſcunt ipſi dẽtes,tantum ex attritione ciborum conſumuntur. impoſſibile eſt autem citra nutricationem augeri. In vniuerſum itaque duabus affectionibus dentes ſunt obnoxii, & iis quidem contrariis: indigentiæ videlicet, & abundantiæ eius quod defertur ad eos alimenti. Indigentia ergo ſicciores & alimentum non ſentientes, atque ob id tenuiores eos efficit: abundantia verò conſimilem in eis diſpoſitionem facit ei quæ contingit in carnoſis partibus inflammationi. Huius igitur affectionis cura iuxta eundem ſcopum fiet, quem propoſitũ habent ii qui inflammationibus medentur: nimirum vt abundantia partim diſcutiendo, partim repellendo euacuetur. Eius verò quæ indigẽtia alimenti contingit,tenuitatis dentium, nullũ remedium exiſtit. Neceſſarium eſt enim laxari ac cõmoueri dentes,vbi cõpages eorum flaccidiores reddantur, quum non ſolùm ipſi dentes, ſed & loculi eos cõtinẽtes graciles fiant. Hæc igitur affectio neceſſariò accidit ſenibus,quibuſdam citius,aliis ſerius. Auxilio autem eis erunt pharmaca adſtringentia, quæ gingiuas confirment,& ad arctius complectendum dentes adiuuent. Qui verò facilè exteruntur dentes,eos,ſi quidem id ex mollitie eorum contingat, duriores reddere conuenit & affectionibus minus obnoxios, per auſtera videlicet & acerba adhibita remedia.

Ad inflammatas gingiuas, Cap. XX.

GIngiuis autem ob inflammationem dolore affectis, optimum remedium exiſtit oleum lentiſcinum, cõduplicato vaſculo calefactum,ac in ore retentum. Sit autem recens oleum. nociuum enim exiſtit inueteratum. Repellit autem oleum lentiſcinum citra aſperitatem, & diſcutit abſque mordacitate quibus maximè indigẽt inflammata. Atqui aſininum lac in ore retẽtum, vbi maximè infeſtauerint dolores,eos mitigat ac ex tempore ſedat. Et hoc quod ex vino ad tertiam vſque menſuræ partem decocto,apparatur, quod ſapam dicimus itémq; hepſema,& palmularum ſtillamentum ſimiliter ore retentum calidum vehementer lenit. oportet autem aquam calidam ad palmarum ſtillamentum affundere, quò craſſities eius diluatur. Valet etiã ſemperuiui minoris decoctũ per ſe,aut cum roſaceo melle: aut cum ſapa,aut palmarum ſtillamento in ore retentũ. Conuenit etiam inflammatis gingiuis hyoſcyami ſuccus aut decoctũ per ſe calidum

aut cum ſapa ore retentum. Supra opinionem autem lenit ſuccus portulacæ. Infenſiſſimũ verò inflammatis gingiuis eſt acetum, omniáque acerba, & acria, & ſalſa.

Ad cruentas gingiuas, Cap. XXI.

CRuentis verò ob bilis acredinem gingiuis, præter opinionem vtilis eſt foliorum hyoſcyami ſuccus, aut decoctum cum ſapa, aut cum palmarum ſtillamento calidum ore retentum. foliis autem ad manum non exiſtẽtibus, radicem eius decoque cum paſſo, & retinendum exhibe decoctum. Vtile eſt & alumen ſciſſile cum myrto, ſi quamtenuiſſimè trita adhibeantur. Vbi verò adſtrictas iam cognoueris gingiuas, colluendam ſapam calidã exhibeto. Aliud Aſclepiadæ, ad cruentas gingiuas: Balauſtiorum, florum roſarum, ramorum myrti, ſing. æquales partes, cum poſca dilutiore decoquito, & liquorem inde percolato, ac eum in ore retinendum exhibeto. Aliud. Ramorum lentiſci, balauſtiorum, radicis mali cotoneæ, ſingulorum æquale pondus in poſca decoctum exhibeto. Epithema ad ſanguinem ex ginguis erumpentem: Polentæ partem vnam, vinaceorum vuæ tantundem, ſucci ſanguinariæ quãtum ſatis eſt, contere, & ad cerati craſſitiem redacta impone ad ſanguinolẽtum locũ, aut ſimul cũ ſucco tãdiu tere donec areſiãt, atq; hoc modo trita inſperge. Aliud. Spongiam nouam ſiccam in ſanguine taurino madefactam in vaſe fictili exure, contere ac repone. Vbi verò vti velis, cineris ipſius dr. IIII. accipe, thuris dr. II. chalcitidis crudæ dr. II. & ſimul trita inſperge. Aliud. Terebinthinæ aceto torrefactæ dr. IIII. æris dr. II. tritis vtere. Calidas verò in ore inflãmationes & gingiuas corroſas, in quibus ſalſæ cuiuſdã aut mordacis humiditatis ſenſus percipitur, magnopere iuuant dulciũ aquarum balnea, quæ ſuperfluitatem quidem per ſudores euacuant, ſanguinis verò acredinem obtundunt. Quare ſi nihil prohibuerit, bis aut ter lauans, non lædes. Illinendũ eſt autem caput oleo roſaceo cum aceto.

Ad excreſcentes gingiuas, putreſcentéſque ac tumentes, Cap. XXII.

AD gingiuarum tumores, eaſdémque excreſcentes & putreſcentes, conueniunt tum colluta, tum ore retenta, oleum ex immaturis oliuis expreſſum, oliuarũ colymbadum muria, cedria cum aceto, gallarum decoctum, pruni folia ex aceto decocta, cytinorum decoctum, corticis mori aut etiam foliorum eius decoctum. Arida verò & trita, gingiuis admoueri commodè poſſunt hæc, radix ariſtolochiæ, plantaginis ſemen tritum, bitumen tritum, fœniculi radix vſta, pulegium vſtum, diphryges, rubigo ferri, chalcanthum aſſatum, gallæ, cytini, malicorium, balauſtia. Optimè autẽ prodeſt gingiuis à fluore affectis: aceti & mellis, cuiuſque libram vnam, aluminis ſextantem. Decoque ad conſumptionem aceti, & vtere. Aliud. Aluminis ſciſſilis, myrrhæ & thuris æquales partes cũ melle illine, ac poſtea vino collue. Medetur autẽ exeſis gingiuis, & humore prægnantibus, lac aſininum calidum collutum, foliorum oliuæ decoctum, aſpalathi decoctũ, platani folia in aceto aut vino decocta. Sicca autem adhiberi poſſunt, rubigo ferri, balauſtia, & cytini. Aliud ſiccum, quod ad putredines oris gingiuáſque depaſtas ac cruentas efficax eſt: ad tonſillas etiam, ac glandulas & columellam ſiccum admouetur: ad quaſſatos verò dentes, aceto dilutum detinetur in ore: Gallarum quæ omphacitides appellãtur, aluminis ſciſſilis. æquales partes accipe, ac vt valde efficaci vtere. Siccũ quod antheron appellatur, *id eſt floridum.* Cyperi drach. VIII. crocomagmatis, myrrhæ, aluminis ſciſſilis, iridis, cuiuſque drach. II. croci drach. I. ſandarachæ drach. III permixtis vtere. Alius ſiccus puluis floridus, Oribaſii. Cyperi, croci, vtriuſque dr. II. aluminis ſciſſi, ſandarachæ, iridis, gallæ, cytinorum, ſingulorum drachmas quatuor, floris roſarum drachm. ſex, miſce ac vtere. Ad putredines in ore. Foliorum oleæ vſtorum, radicis lactucæ, malicorii, ſingulorum drachmam vnam, coſti parum. vtere.

Ad corroſas & ab vlcere ſerpente infeſtatas gingiuas, Cap. XXIII.

A IIs qui corroſas gingiuas habent cum tumore atque etiam dolore, atque etiam quibus à ſerpente vlcere depaſcuntur, ſummè auxiliatur fomentum hoc: Specillo auriculario lanam innecte, ac in feruens oleum intinge, eámque donec exæquentur gingiuis adhibe, & quouſque vndiquaque appareant albæ. Ita enim vlcus ſerpẽs ſiſtitur, atque ex ſana carne, id quod corroſum eſt cõnutritur. Poſt hæc autẽ vtere affrictoriis ad gingiuas deſcriptis. Propriè autem conuenit galla tenuiſſimè trita acetabuli menſura, cum myrrha magnitudine fabæ, quibus tritis, B vtere ſiccis. Præter opinionem autem ad corroſas, & quæ ſerpente vlcere infeſtantur gingiuas, prodeſt id quod ex chalcitide & cadmia conſtat ſiccum. ſint autem chalcitidis crudæ drachmæ duæ, cadmiæ vnc. vna. Cadmia in aceto ad ſolem æſtiuum aliquot diebus ſufficienter conteratur: deinde adiiciatur quoque chalcitis & ſimiliter cum ea conteratur, affuſo ſæpe aceto: pòſt verò ambobus exſiccatis, tritis & cribratis, vtere ſiccis: ſed cũ cautione nequid ex pharmaco hoc deglutiatur. Præclarè facit etiã in ſerpente gingiuarũ vlcere, id quod heliocaes C *hoc eſt ſole uſtum* appellatur ſiccum, conſtans ex calcis partibus duabus, auripigmenti vna & dimidia. Verùm conterere oportet & hoc ipſum in aqua ſub exoriẽtis caniculæ ardoribus, ita vt ter aqua diffũdatur, & poſtea pharmacũ deſiccetur. cauendum etiam ne ex hoc quicquam deglutiatur. Admirandam etiam opem corroſis gingiuis affert id quod ex charta vſta conſtat ſiccum, ſiue per ſe ſolum ſiue cum melle adhibeatur. Aliud, ad vlcera ſerpentia gingiuarum: Aluminis ſciſſilis, florum roſarum, D cuiuſque drach. II. ſalis foſſilis drach. IIII. croci drach. I. vtere ſicco aut cum melle cocto. Floridũ ad gingiuarum abſceſſus, ac vlcera oris profunda ac cruſtoſa: Aluminis ſciſſilis, cyperi, cuiuſque drach. III. myrrhæ drachm. VIII. ſandarachæ drach. IIII. iridis drach. III. croci drach. I. Aliud. Cyperi drach. III. ſandarachæ drach. III. myrrhæ, croci, aluminis ſciſſilis, iridis, cuiuſque drach. II. vtere ſicco, & cum melle. Denudatas autem gingiuas carne implet pharmacum hoc: Seminis roſarum non antiqui partes II. calami odorati Indici partem vnam, ſiccum tritum adhibe. Aliud. Florum roſarum drach. III. calami drach. E III. malicorii drach. II. aluminis ſciſſi drach. I. Optimè autem carnem gignit & hoc quod ex eruo conſtat, ſiccum capitale. Relatum eſt autem in iis quæ vulneribus adhibentur remediis.

Ad parulidas, hoc eſt gingiuarum inflammationes, Cap. XXIIII.

PArulis eſt inflãmatio partis alicuius gingiuarum cũ tumore, quæ vbi non diſſoluitur, ſuppuratur. Quare in principio adiuuare oportet, quò ſubmittatur per diſſol F uentes videlicet collutiones, quales ſunt ſuccus ptiſanæ, decoctum ſeminis lini, aqua mulſa calida, aut mulſum: deinde ſiccis deprimenda eſt eminentia carnis. Conuenit autem eis hoc: Sulphuris viui, piperis, aluminis ſciſſilis, partes æquales. Deprimit autem parulidas alumen omne vſtum, aut etiam ſori, ſi trita adhibeantur. Quòd ſi ſuppuretur, ferro venæinciſorio diſtractam & exciſam linamento impoſito diſparato, aut cum linteoli raſura. Amant autem magis exciſionem gingiuarum abſceſſus. ſimpliciter enim inciſi in fiſtulam proficiunt. poſt exci G ſionem, medicandum eſt ipſum vlcus per collutiones: & cauum quidem eius, eo quod ex eruo conſtat ſicco capitali impleto: vbi verò ad æqualitatẽ peruenerit, eo quod floridum appellatur vtitor.

De epulide, id eſt excreſcente gingiuarum carne, Cap. XXV.

EPulis eſt excreſcentia carnis ab inflammatione conſequuta, iuxta interiorẽm dentem molarem, aliquando cum febre, & vehementi dolore internarum mandibu H larum, vt neque os ægro aperire liceat, contingens. Primùm itaque inflammationem ſoluere oportet per collutiones eam ſubmittentes, qualis eſt aqua mulſa, ſuccus ptiſanæ, decoctum ſeminis lini. Proderit autẽ & totã maxillam cataplaſmate ex ſemine lini & aqua mulſa integere. Vbi verò inflammatio ſoluta fuerit, & hiare iã poterit,

infirmus, medicari oportet epulidem ſicco deprimente: maximè eo quod iam in parulide dictum eſt, atque etiã eo quod ad ſerpentia gingiuarum vlcera deſcripum eſt, ex chalcitide & cadmia. imponenda eſt etiam raſura linteolorum. Vbi autem ſerius caro conſumeretur, ſiccum quod carnem exedit apponatur: velut eſt ærugo per ſe, aut cũ æqualis põderis galla, aut ſiccũ quod appellatur flauum: deinde rurſus raſurã lintei impone. Quòd ſi adhuc moram traxerit epulis, forcipe arrepta excindatur cum tenui ſcalpello, aut, ſi mauis, enſiculo paruo. Sequẽtibus verò diebus curetur vlcus per collutionem aquæ mulſæ, & per capitale ſiccum, raſura linteoli adimpoſita. poſtremùm florido ſicco tota cura compleatur. Deprimit autẽ epulidas, galla per ſe, chalcitis crùda & vſta, ſori vſtum, alumen omne vſtum, balauſtia, ſquama æris in aceto ad ſolem aliquot diebus expoſita, cõtrita & rurſus exiccata. Probè facit & hoc: aluminis ſciſſilis drachm. II. gallarum drach. IIII. ſalis torrefacti drachma vna. vtere ſicco.

De gingiuarum fiſtulis, Cap. XXVI.

Gingiuarum fiſtulas diſſecare ac explanare cõuenit, atque poſt inciſionem curare vlcus eo modo quem paulo antè diximus. Vbi verò vſque ad radices propinqui dentis fiſtula ipſa extenderetur, conandum eſt vt quantum poſſibile ſit, per fiſtularia collyria explanetur: & per ſiccum quod flauum appellatur, melle exceptum curetur, & conſimili modo id quod conſtat ex eruo, poſtea adhibeatur. Quòd ſi confuſio & perturbatio ægri non comitetur aut potius libenter hoc ferat, priuabis eum dente affecto. Hócque modo eruetur & fiſtula, & concidet gingiua: atque omnino facilis erit ea quæ deinceps requiritur cura.

Cura dentium à calido morbo doloroſo affectorum, ex Adamantio ſophiſta, Cap. XXVII.

Gingiuis dolore affectis propter inflammationem aut corroſionem, conuenientia ad hanc rem remedia locis affectis nudis adhibenda ſunt, quæ ſanè aut omnis mordacitatis expertia ſint, aut mediocriter acerba, & terrei temperamenti. Vbi verò dentes ſolùm patiuntur, aut cum eis ſimul concreti nerui & pelliculæ: tùm ipſis curatiuis pharmacis ea quæ tenuium partium in ſua ſubſtantia exiſtunt adiicimus, quò vis ipſorum in profundum perferatur. Et ſi quidem frigidus ſit morbus, calida tenuium partium adnectimus: ſi verò calidus, ea quæ refrigerare poſſunt, & ſimul tenuium partium exiſtunt, cõmiſcemus. Calida itaque exiſtente affectione, & vigente ætate, & temperamento calido, & regione, & aëris ſtatu conſimili, ad collutionem oris præparabimus, in aceto albo decoctam radicem halicacabi, ſemperuiuum minus, portulacam, perdicium, glycyrrhizam. Quòd ſi intolerabilis exiſtat caloris ſenſus, vtendum eſt hyoſcyami foliis, aut ſemine papaueris hortenſis, & ſemine lactucæ, decoctis in aceto albo. Si verò vnà cum dentibus gingiuæ ipſæ doluerint & inflammatæ fuerint, acetum vt acutum & hoſtilem gladium deuita: ſuo enim acore gingiuas corrodit. maximè itaque conſolatorium eis exiſtit, lac aſininum. Ego autem aliquando cuidam huiuſmodi temperamenti exiſtenti, & in hanc affectionem delapſo, oleum roſaceum & myrteum in ore detinendũ exhibui. & ſanè vri ſibi videbatur hic homo, tanquam à face accenderetur. niuem itaque cum melle roſaceo miſcui, & moderatè tepefeci, quò frigoris vehementia frangeretur: & ore detinendam exhibui, & à dolore liberaui. Maximum etiam auxilium affert, ea quæ ex papaueris capitibus apparatur antidotus ſoporifera, ſi tepida ore retineatur. Similiter & lac aſininũ aſſiduè collutũm, & ſapa quoque ore retenta. Optimum etiam remedium eis exiſtit, paſtillus qui ex ſeminibus conſtat ſoporifer, & cõſimiles, ſapà ſubacti, & affecto loco obducti. Oportet autẽ & caput madefacere ex roſaceo cum modico aceto diluto: idémque auribus inſtillare cum aceto. Aut terrenos vermes oleo decoctos in propinquã aurem inſtilla. Aut millepedes ſub aquario vaſe ſtabulantes, qui aſelli à *Græcis* appellantur, eodẽ modo. Similiter & araneos, & blattæ interranea oleo decocta in aurẽ infunde. Nutriantur autẽ ex ptiſana, alica, ouis, lactucis & cucurbita, & quæcũque tandẽ his poteſtate ſunt propinqua. A vino autem abſtineãt. Ad cõmanducãdum verò exhibe ſub dolentem maximè dentem, herbæ perdicii radicem, aut hyoſcyamum: præſertim in balneo, ita vt contineat in ore ſuccum ex eo, donec inde egrediatur. Suffire etiam conuenit ægro hyoſcyami ſemen, aut canis mortui dentem. inde enim ſtatim dolor ſedatur. Eodem modo etiam terrenos vermes ſuffito.

Cura eorum quibus ex frigiditate dentes dolore afficiuntur, Cap. XXVIII.

Frigidus dentium morbus cognoſcitur ex figura tum capitis tum reliqui corporis, & ex ea quæ præceſsit diæta, itémque exercitio, ac reliquis quæ ad hunc ordinem referuntur. Medeberis autem diæta omni ad caliditatem ornata. Sint itaque cibi, ptiſana cum pulegio decocta aut cum ruta, aut cui poſt cocturam additum eſt piper. ſimiliter & alica, olera, petroſelinum, & ſimilia. In potu exhibendum eſt vinũ, modicum tamẽ, & mulſum, atque etiam quod appellant conditum. Serò verò vbi dormire voluerit, confectionem ex calamintha citò penetrantem, aut potu aut linctu deuorandam exhibe. Ad oris collutionem, in aceto decoquito origanũ, calaminthã, hyſſopum, pulegium, dictamnum, ſatureiã, tithymali radicem, chamæleontis nigri radicẽ, verbenacæ rectæ radicem, eryngii radicẽ, verbaſci radicem, veratri nigri & capparis radicem. vnumquodque enim eorum aceto decoctum ac ore collutum, dolores dentium ſedat, qui à frigiditate ſunt oborti. Ad eos verò quorum ſenſus citius afficitur, hæc cum poſca decoquantur. Porrò ex vino ſi decoquas prædicta ac colluas ter aut quater in mẽſe, præmuniunt ac conſeruant eos qui frigidiore temperatura ſunt, ne dolore dentium afficiantur. Obſeruatum eſt & pinguium lignorum, veluti tædarum ac picearum decoctũ ipſis prodeſſe: contunduntur autẽ hæc ac cum caricis decoquuntur affuſo vino. collutum enim hoc ipſum dẽtium dolores mitigat. At verò & ipſas tædas contuſas in oleo decoquere licebit, oleúmque calidum in ore continere. Qnin etiam ipſas tædas conquaſſatas ſolas ore detinere commodum exiſtit, circa affectum maximè dẽtem. Succus etiam balſami in ore retentus, non paruam de ſe præbet commoditatem. itémque caſtoreum cum nardo auribus infuſum. Quòd ſi omnes ex æquo doleãt dentes, in ingreſſu balnei cedriam in os coniectã vſquequo egrediatur contineat, & dolore liber erit. Commodum etiam erit manducandas & loco dolenti admouendas exhibere, radicem pyrethri, radicem tithymali, & ricini. Similiter autem & theriacen, aut Eſdræ antidotum ſapa dilutũ ore detinendum exhibe. Præclarè facit & Philonis antidotus illita, & quæ appellatur Sotira. Suffito autẽ canis mortui dente, ita vt fumus inde progreſſus ore excipiatur. pòſt verò, ipſum dentem vſtum & modico aceto tritum, calidũ ore retinendũ præbe: & dolore liber erit. Poteris alcyonium ſuffire. Capitis verò cura imprimis habenda eſt. Ad id ergo huiuſmodi inſperſione vtaris: helenii quadrantẽ, iridis ſextantẽ, ariſtolochiæ longæ vnc. I. Quòd ſi fortiter infeſtauerint dolores, fomentũ adhibe ex milio, aut eruo, aut tritico torrefacto cum baccis lauri, modico adiecto ſale. Vt ne putreſcant molares immobiléſque conſeruentur: Succi racemorum vitis albæ lib. I. & dimidiã, corticis radicis mori ſeſcuncẽ, decoque ad dimidium, calidúmq; ore retinendũ per ſeptẽ continuos dies exhibe. qui enim hoc vtitur, nunquã dentis dolore afficietur. Collutio propriè ad dẽtes valens: Corticis radicis hyoſcyami drach. VIII. pyrethri dr. IIII. ſpicæ nardi dr. I. mellis dodrantem, aceti lib. III. decoque cum aceto in fictili nouo, & percola: deinde adiecto melle vtere.

Cura dentium ab humiditate dolore affectorum & laxatorum, Cap. XXIX.

Aſſumamus autem mox aliũ ægrotũ, qui vniuerſam corporis mixturã, imprimis verò capitis, habeat humidiorem, viuátque delicatius, & domum habeat in humiliore loco ſitam: inſtet autem tempeſtas humida, & hora verna, quùm afficitur. Quiſnam ſanã mentem habens, his viſis, non dixerit à ſuperabundante humore in hoc morbum eſſe productum? Etenim quùm nerui qui ſe ad dentes inferunt, permadeſcunt, laxioréſque fiunt vnà

cum circumadhærentibus corporibus, neceſſariò den-
tes mobiles fiunt: verùm multis hoc citra doloris ſenſum
accidit. ſæpe enim iam diximus, humiditatem per ſe nõ
ſolere dolores inferre. Et dictum quoque antea eſt, ob æ-
tatem ſenilem quibuſdam dentes laxari, & quòd phar-
macis adſtringẽtibus gingiuas, ac dẽſantibus eaſdẽ, lenes
queant iuuari. Porrò percuſſis etiam dentes laxantur. Iis
maximopere prodeſt alumen ſciſſile, cum myrrha tro-
glodytica tritum, ac inſperſum ad dolentem dentem rat-
que id vbertim & continuè facere oportet. nam ipſum
cõfirmat. Eos verò quibus ab humiditate vacillant, cura-
re cõuenit per diætam ad ſiccitatem ordinatam, & cum
diuturniore abſtinentia ciborum. Cibi itaque eis conue-
nientes ſunt ſorbiles, halica, panis ex iure madidus, aut o-
ryza, aut polenta cum aqua mulſa. Neque malè conuenit
eis milium & lẽticula, piſces muria conditi, volucres mõ-
tanæ & ſicciores. Ex oleribus, braſſica, & ſimilia. In potu
aqua exhibenda eſt, ſed non multa. Quòd ſi concoctioni
non officeret, aqua mulſa danda eſſet: itaque ſi hanc ferre
nequeunt, ad aquam modicum vini addatur. Tempore
autem afflictionis, fouere conuenit locum cum milio &
ſale. Collutiones exhibendæ adſtringentes, & deſiccantes,
aut ſalſæ, niſi gingiuæ ſimul ſint affectæ. Quare gallas,
quas omphacitidas appellant, ex acri aceto decoctas, &
alumen aceto permixtum exhibebimus: itémque ſpinæ
Ægyptiæ ſemen, malicorium, myrti baccas, cytinos, ba-
lauſtia, oliuæ folia, platani folia, cupreſſi pilulas, rumicis
ſylueſtris radicẽ, lappæ radicẽ, folia rubi, & quæcũque alia
acerbã in ſe qualitatẽ cõplectuntur: ita vt his cũ aceto pu-
ro, aut etiam aqua mixto, aut vino, decoctis, os colluere
præcipiamus, & in eo detinere adhibitum liquorem, ſen-
ſui videlicet ægri maximè gratum & conuenientem: iu-
dicata etiam & perpenſa eorum quæ offerimus potentia:
nimirũ plúſne an minus exhibere oporteat, iuxta exupe-
rantis humoris multitudinem. Ego autem optimam ad
collutionem oris expertus ſum oliuarum muria condita
rum aquã, in quam videlicet condiuntur. Etenim omnẽ
oris humiditatem muria ipſa extergit: corporum verò hi
atum & laxitatem, oliuarum ſpiſſamentum coercens cor
roborat & firmat. Aliquando etiam oliuarum albarum cõ
tuſarum & expreſſarum accepimus ſuccum, eóque cum
rutæ ſucco & melle permixto, cõfricauimus dentes: poſtea
verò inſperſimus Indicam nardum cum pari pondere alu
minis rotundi, & ſalis duplo adiecto. Optimè quoque fa
ciunt ad hanc rem illitiones acerbæ: velut eſt confectio
de moris ori valde cõducens, maximè ſi alumen ſciſſile
habeat adiectum, & ea quæ ex nucum ſucco apparatur eo
dem modo. Aut alumen ſciſſile & miſy pari pondere ce-
dria excepta, in cerati liquidi denſitatem redige, & cum
eis dentes illine, ac pituitã defluere permitte: deinde la-
cte aſinino calido mordacitatem eluant, aut vino dulci.
aut alumen, & myrrham troglodyticen inſpergito, aut cũ
aceto aut melle illinito. Siccæ autem inſperſiones ſemper
eis ſunt conuenientes. Vltra hoc enim quòd dentes com-
motos firmant, etiam ex humiditate hiantes gingiuas cõ
mittunt. Itaque ſpodiũ cypriũ lotum & exſiccatum in-
ſpergens, os collui præcipe ex aqua myrti aut rubi, aut a-
licuius conſimilis decocti. Poſtea rurſus ſpodio inſperſo,
quieſcere iube. aut etiam rubiginem ferri ſiccam tritam
admoue, aut ſori vſtum. Aliud ad laxatos dentes & gin
giuas humectas: Aluminis ſciſſilis in fictili vſti drach.
VII. myrrhæ drach. IIII. gallarum, florum roſarum, iridis,
ſing. drach. II. croci drach. I. vtere. Aliud. Cornu cerui
vſti drach. VIII. rhois culinarii drach. IIII. omphacii ſicci
drach. II. balauſtiorum drach. IIII. corticis pinus, myrrhæ,
croci, ſing. drach. I. Aliud. Alumen rotundum cũ du-
plo ſalis pondere tritum, dentibus ob humiditatem labã-
tibus inſpergito. Aliud. Myrrhæ, aluminis ſciſſilis, a-
myli, pompholygis, æquales portiones ſiccæ tritæ inſper
ſæ, labãtes dẽtes firmãt. Aliud remediũ, quod laxatis ac
dolentibus dentibus præſentem fert opem: Aluminis
ſciſſilis ſextantem, radicis ſtruthii ſiccæ tritæ vnc. I. contri
tis ſimul affectum dentem aſperge: teneátque donec ſa-
liua os impleatur: & tunc ſanè ipſam expuat & effundat:

A móxque dolore liberabitur. Aliud, quod & dentes de-
albat: Aluminis ſciſſilis trientem, maſtiches vnc. I. thu
ris drach. IIII. folii drach. IIII. Aliud, quod & firmat &
corroborat dentes: Æruginis, aluminis ſciſſilis, aut ma
gis quod appellatur phorimõ, minii, ſing. æquales partes:
vtere ſicco aut cum paſſo. Aliud. Florum roſarum,
balauſtiorum, myrrhæ, maſtiches, cuiuſque vnciã vnam,
chalcitidis aſſæ, thuris maſculi, corticis pinus, cuiuſque
drach. IIII. ſalis ammoniaci vnciã I. vtere ſicco. Aliud
quod & ad exulcerationes oris commodum eſt vſurpare.
Rubiginem ferri, aut ipſum ferrum multa rubigine op-
B pletum, igni candefacito, & in aceto puro, aut cum aqua
diluto, aut vino, in iis quibus ſenſus facilè læditur, extin-
guito, ac liquorẽ ipſum in quo extinctio facta eſt ore cõ-
tinẽdũ exhibeto. Dẽtes enim firmat, & vlcera curat: præcla
rè etiam facit ſiccum, quod floridum appellatur. Aliud
Galeni: quo ego vtor, inquit Galenus: Polytrichi palearũ
vſtarum ſextariũ I. (cõtinet autem ſextarius harũ vncias
XXVIII) aluminis ſciſſilis quadrãtẽ, aluminis rotũdi quadr.
ſpicæ nardi ſext. folii vnciã I. piperis vnc. I. pyrethri dr. V.
cõtuſa & cribrata gingiuis vſque ad dentiũ radices adhi-
C beto. Vtile etiã exiſtit iis thuscũ pipere mãducatũ, itém-
q; rub⁹ cõmãducata ac ricini radix. Prodeſt etiã Eſdræ an
tidotus ſapa diluta ac ore retẽta, eodémq; modo theriace
Andromachi. quinetiam in veſperam potu accepta theri-
ace magnificè auxiliatur. Scribit Archigenes vt verum
& naturali modo ad labentes dentes accommodatũ. Dẽ-
tem, inquit, canis mortui in nomine eius qui ægrè habet
acceptũ, ſuper prunas pone, vaporémq; inde prodeũtẽ æ-
ger aperto ore admittat, & firmabuntur ei dentes. Simili-
D ter autem & exuſtum canis dẽtem cum aceto calido tri-
tum ore retinendum exhibe. In iis verò qui facilè ab ace-
ti ſenſu offenduntur, præbe cum vino.

De dentibus lima atterendis, Cap. XXX.

SOlent ferè dentes moti ac labantes reliquis eſſe promi
nentiores, maximè quum ex verbere hanc affectionẽ
incurrerint. Quare viſum eſt mihi eos lima atterendos eſ
ſe, in quantum ſcilicet præ aliis prominent, ne in loquen
do vel etiam manducando, eos qui obiiciuntur, offen-
dant. Atteſtatur autem & experimentum ipſum, quantũ
E ſanè ego eius rei periculum feci. Ferream nanque limu-
lã ad hãc rem apparaui, quò citius ac efficacius res proce
deret. Nam multæ aggreſſiones cõcutiunt dentem, quie-
te opus habentem, ſi modò aliqua ſpes eſt moti dentis
firmandi. Sit autem caput ipſius limæ obtuſum, forma nu
clei, & quam læuiſſimum. Itaque aliquando quidem inæ
quales quædam dentium eminentiæ apparent, in quibus
partes tantùm aliquas lima atterere opus eſt. Aliquando
autem æquali planicie extremitates prominent. quare æ-
quali etiam ac plana per limam attritione indigent. O-
F portet autem molle quoddam linteolum gingiuis ipſis
vſque ad dentium radicem adhibere: deinde leniter ſini-
ſtræ manus digitis apprehendere, cautéque ac citra offen
ſionẽ limã affricare: ne, dum limã tolerat dens, ipſe cõcu-
tiatur. Quòd ſi omnino dolorem percipiat æger dum li-
ma adhibetur, aut ob id quòd vehementius digitis den-
tes apprehendantur, quieſcere ſtatim conuenit, interimq;
collutiones, dolorem mitigantes, offerre: deinde rurſus,
vt dictum eſt, rem aggredi, & paulatim lima deterere.
Atque hoc nõ prima ſaltem die bis aut ter conari, verùm
G & ſecunda repetere: ita vt ægro imperes vt neque ſermo-
ne nimiùm vtatur, neque vllũ aliquem duriorem cibum
aſſumat. Vtatur autẽ cibis ſorbilibus, aut pane madefa-
cto. Quòd ſi citra laxitatem, quibuſdam dentes præter
morem augeſcant, eos ſimiliter lima atterere oportet, ac
collutiones eos cohibentes ac denſantes offerre.

Cura dentium à ſiccitate dolore affectorum, ex A-
damanto Sophiſta, Cap. XXXII.

QVartus iam ex ordine ſubiiciendus ægrotus, qui vi-
delicet à ſicca intemperie afficitur. Eam autem effi-
ciunt, autumnalis tempeſtatis conſtitutio imprimis, & vi
H ta ærumnoſa, tenui accedente diæta. Præterea regio ſicca,
& ambientis nos aëris ſtatus conſimilis. Ad hæc accedit
id quod nunc adeſt corporis ipſius tẽperamentum ſiccũ,

& maximè ſi caput eiuſmodi ſicca intemperie eſt affectum. Sitis autem inſidet ſemper, niſi adſit frigiditas vnà cum ſiccitate. Minimum etiam ſputi eiiciunt ſic affecti. Et ob ſiccitatem dolor intolerabilis ferè eos cōcomitatur. Auſterorum & acerborum vſus maximè contrarius eis exiſtit: quare cōfectio ex moris ſæpe his vehementem dolorem induxit. Itaque collutiones minimū adſtringentes, & mediocriter humectantes apparare oportet: aquam calidam per ſe, aut furfurum decoctum, aut radicis dulcis aut ptiſanæ ſuccum, aut amylum cum ſapa aqua calida diluta: lac per ſe, maximè aſininum, maluæ decoctum, & alia quæcunque his ſunt ſimilia. Cibus autem his conueniens eſt ſuccus ptiſanæ, micæ madefactæ, cucurbitæ, maluæ, oua ſorbilia, & quæcunque his proſunt qui humectatione indigent. Atque hactenus quidem ſimplicium intemperierum curam oſtendimus: Manifeſta verò & hinc fit ea, quam compoſitæ requirūt nimirum ex dictorum mixtura cognobiles, & ex temperatura oſtenſorum auxiliorum curam accipientes. Verùm propter eos qui ſe nuper ad hanc diſciplinam contulerunt, & inexpertos adhuc, agè paucis vnius tantùm cōpoſitæ intemperiei mentionem faciamus, quæ vt manifeſtum exemplum ad reliquas cognoſcendas ſtatuetur.

Cura dentium ob caliditatem & humiditatem dolore affectorum, Cap. XXXII.

SIT ſanè regio calida & humida, tempus autem anni vernum, & aëris quoque ſtatus calidus & humidus, qualis eſt auſtrinus. Contingat itaque æger qui caput habeat quod facilè eiuſmodi humiditate impleatur, cuius coma plurima ſit & ſubrufa, & totius corporis temperamentum calidum & humectum, & conſimili quoque vtatur diæta. Quis autem, qui ſaltem probatus medicus haberi velit, in hoc calidum & humidum eſſe morbum non imaginetur? Medeberis igitur ita affecto, bifariam: ſi enim exceſſus naturæ contigerit iuxta qualitates tantùm, ſcopus curationis dirigendus eſt ad alterationem ſolam: ſi verò vnà cum qualitatum exceſſu, & humorum multitudo adfuerit, palàm eſt primùm oportere corpus euacuare, deinde ad temperiem reducere: cuius rei in omni corporis intemperie memorem eſſe conducit. Eum verò qui à calido & humido morbo affectus eſt (de quo nunc dicere inſtituimus) per venæ inciſionem euacuare conueniens eſt, vtpote à ſanguinis multitudine exagitatum. calidus enim & humidus ſanguis ipſe exiſtit. Incidere autem oportet venam cubiti ſuperiorem, quæ humeralis appellatur: quæ ſi non contingat, eam quæ media exiſtit. Quòd ſi quid prohibeat venæ inciſionem facere, modico & tenui victu ſuperfluum & nō neceſſarium detrahito humorem. Atque hoc modo etiam circa reliquas compoſitas intemperies operaberis: ita vt eas quæ iuxta qualitatem tantùm conſtiterint, alteres & contrariis qualitatibus permutes. Eas verò quæ cum ſubſtantia quadam conſiſtunt, humore per conuenientes purgationes detracto euacues: niſi quid & in his purgationem fieri præpediat. Reliqua autē quæ afferre oportet auxilia, veluti ſunt collutiones, & victus conſtitutio, facilè ex prædictis inuenire licet. Qui enim formam tractandi ſimplices morbos cognouerit, in promptu habebit & circa mixtos conuenientia remedia inuenire. Cognoſcitur autem affligens humor cum ex reliquis circa corpus ſignis, tum ex conſequenti dolore. Flauæ nanque bili dolor pungitiuus comes exiſtit: pituitam verò ſequitur vnà cum frigiditate diſtentio locorum: & fæce quidem ſanguinis ſiue atra bile affligēte, ſenſus adeſt, velut corpuſcula quædam in profundo confringantur: vbi verò æqualiter omnes augeſcunt multitudine eorum, in corpore coaceruata, grauitas cōcomitatur. Verumenimuero & ſapor ipſe influentis humoris ægro ſpecimen ſui oſtendit. aut enim amaritudinem aut ſalſedinem, aut acedinem ſenſu perceptat.

Curatio eroſorum dentium, ex Galeno, Cap. XXXIII.

EROſiones & cauernæ dentium ex influxu acrium & erodentis maximè naturæ humorum generantur: quēadmodum etiam vlcera in cute, citra aliquam externam cauſam. Manifeſtum igitur hinc erit, quomodo ſa-

A nandi ſint eroſi dentes: nimirum per exſiccationem influētis vitioſi humoris: qui ſi paucus fuerit, localia remedia ex deſiccātibus pharmacis conflata ſuffecerint: ſi verò multus fuerit influens humor, totius capitis reſpectum habere conuenit. Contingit autem aliquando caput affici, ob reliquum corpus affectum. quare in his vniuerſis corporis curam nos gerere oportet. Archigenes itaque ad hos hæc remedia deſcripſit: Sori reſina terebinthina exceptum, denti circūlinito, atque in cauernā indito. Præclarè facit & hoc: Sulphur viuum lycio exceptum cauernæ B impone, & prius depurgatum dentem per orbem ex eo integē: aut gallam tritā lycio aut reſina terebinthina exceptam ad cauum intrude, ſimilitérque depurgato denti appone. In maximis verò dentiū doloribus ſummè prodeſt hoc: Senectam anguium vſtam ac tritam cum oleo in mellis craſsitudinem redige, eodémque modo (vt dictum eſt) vtere. Aut ſenectam ipſam non vſtam dentibus adfrica: inde enim excidēt. Aut melāthium torrefactum ac tritum cum oleo ſimiliter adhibeto: aut melanthium torrefactum & acri aceto adfuſo tritum cauo denti indito C ac circumlinito. ſiſtetur enim eroſio, neque quicquā addet vltrà. Aliud. Melanthii partem vnam, allii dimidiam, & ſalis parum quiddam, ſimul contrita circumponito. à dolore enim liberat. Proderit autem & ad eroſiones dentium vti ea quæ ſuprà ad motos dentes deſcripta eſt collutione, ex ſucco videlicet bryoniæ & cortice mori. Aliud. Veratrum nigrum tritum & melle cocto exceptum in cauernam impone, & præmundatum ſimiliter ex eo integito dentem. Aliud. Thuris partem vnam, atramenti ſutorii partes duas, contere cum paſſo, D donec cerati craſſitudo fiat: vtere vt dictum eſt, & citò ſedabis dolorem. Aliud. Galbani partes duas, thuris partem vnam, contere cum paſſo ad cerati craſsitudinē, vtere vt dixi, & eo ipſo die ſedabitur dolor. Aliud. Alumen ſciſſile in caua intrude, & à dolore liberabit. Aliud. Fel vrſi indito, & ab eroſione liberabis. Aliud. Rhododaphnes virgultū exuſtum & tritum inſperge cauernis: & medeberis. Andromachi compoſitio, ad dentes molares: quæ eadem hora dolores ſedat: Piperis, pyre- E thri, ſucci tithymali, galbani, ſing. æquales partes galbano exceptas, cauernis impone. Aliud Aſclepiadæ. Eo, inquit, vſus, adſeruaui caua dentium citra dolorem: Gingiber in aceto mulſo decoctum, & probè tritū, in caua imponito, ſimilitérque extrinſecus ad dentem admoueto. Præclarè etiam facit ex duobus piperis generibus cōpoſita antidotus, cauis indita, atque etiam oleo amygdalino aut nardino aut roſaceo diluta, & in vicinam affecto dēti auriculam inſtillata. Aliud. Ego autem ad caua dentiū cum dolore affecta, Eſdræ antidoto vtor, quam ſapa di- F lutam & calefactam ore retinendam exhibeo. mirum enim quàm dolores ea mitiget. Verum ſi ad manum non adſit, theriaca Andromachi eodem vtor modo. Fomentū etiam affecto denti adhibere conuenit huiuſmodi: Origani ſicci ramulos feruente oleo imbutos ægro denti apprime. Aut ricini virgulto ſimiliter vtere: aut ſtaphida ſylueſtrem ſcalpello probè adaptatam ac affixam, itémque pyrethrū adhibe ſimiliter: aut ceram ſuper affectum dētem pone, eámq; cū ſpecilli extremo ignito apprime. id enim continuè facere non ab re eſt. Eſt autē & hæc quæ- G dam fomenti ſpecies: primùm optimè præmundato dēte, hyoſcyami ſemen ſuffito. exurgentémque hinc fumū æger admittat infundibulo adhibito, ad affectū dentem. Mirum in modum etiam eroſiones dentium mitigat canis mortui dens, quemadmodum & antè dixi, eodem modo ſuffitus & exuſtus in aceto tritus oréque retentus. Probè etiam auxiliantur vermes terreni ſuffiti. oleū quoque in quo vermes terreni decocti ſunt, in vicinam affecto denti aurē, tepidum infuſum, dolorē vehementer lenit. Idē præſtat blattæ domeſticæ capite detracto adeps, cum roſaceo liquefactus ac auri inſtillatus. Eodem modo & hederæ albæ acinos quinque cum roſaceo tritos & in H punici cortice calfactos in aurem aſſiduè inſtilla. Auxiliatur etiam radicis haſtulæ regiæ ſuccus, itémque naſturtii ſimiliter inſtillatus. Prodeſt quoque in vicinam affecto denti narem infundere anagallidis ceruleæ ſuccum,

aut radicis betæ ſuccum,aut atramentum ſutorium cum lacte. Apollonii. Cumini quantum tribus digitis apprehendere potes,myrrhæ magnitudinem fabæ,interioris cucumeris ſylueſtris duplum, cum lacte muliebri in collyria redige, eáque in vtramque narem immitte: atque vbi tandiu hæſerint,donec quinque ſtadia quis curſu conficere poſſit,extrahere iube fortiterq́; ipſum pharmacum emungere. Idem etiam ad aurium dolores eodē modo ſumptum prodeſt.

Vt dens citra dolorem & abſque ferro extrahatur, Cap. XXXIIII.

QVòd ſi dentem tollere animus ſit citra dolorē, hocce pharmaco auferendus erit vehemēter ad hanc rē cōgruente:Pyrethrum acerrimo aceto in dies quadraginta conditum,deinde tritum,in vſum adſerua: qui vbi poſtulauerit,reliquos dentes cera præmunitos cuſtodito: ipſum verò qui dolet cicumcirca purgatum hoc pharmaco integito, & poſt horæ interſtitium digitis extrahito, aut ſcalpello exigito. Aliud. Sori acerrimo aceto, ad dies decem,in ſole æſtiuo contritum ac exſiccatum,præmundato denti imponito:& excidet. Aliud. Sandaracham eodem modo apparatam imponito. Aliud. Sori & tithymali ſuccum galbano excepta, depurgato prius denti apponito. aut cucumeris ſylueſtris radicem: vt pyrethrum apparatā, eodem adhibe modo. Aliud. Grana cnidia trita ac galbano excepta circumponito, & excidet. Aliud. Præclarè facit lappæ herbæ radix feruenti cinere calfacta & denti aſſiduè appoſita. pauca enim mora dentes tollit. Aliud. Cucurbitæ ſylueſtris radicem cauo impone,& dentem eruet,aut ipſam cucurbitam tuſam & cribratam per aliquot dies in aceto macerato,donec ad mellis ſpiſſitudinem redigatur:deinde in eo ipſo pharmaco ſcalpro imbuto frequenter dentem circumradito,atque os claudere parumper iubeto: deinde dentem digitis apprehenſum trahe,& ſequetur. Aliud. Vermes terrenos in teſta exuſtos,in cinerémque redactos contere,& circumraſo prius denti vbertim adſperge, & per diem ac noctem excidet ſua ſponte. Itaque eo confidenter vtere: vt myſterium enim celebratum eſt iā ſæpe. Poteris autem & citra ſcalpelli raſionem inſpergere, idémque opus patrabit. Aliud. Corticem radicis mori teneriorem tritum, ad dētem quem erutum cupis, ſolum impone,& excidet. Aliud. Sori, gallam,ſtaphida ſylueſtrem,alumen ſciſſum,ſulphur viuum,piper longum in puluerem redige,& adiecta cedria ſubige:deinde ceram modicam liquefactam affunde,ſimúlque committe.Vbi verò vti velis ex hoc,quantum opus fuerit emollito ac depurgato prius denti circumponito. Aliud. Erucam ēbraſſica natam,frequentius ad ipſum dentem adhibe,cadétque ſua ſponte.Eiicit etiam dentem ſylueſtris oleæ lacryma cauo eius indita. Itémque rhus qua coria inficiuntur,& lacryma & ſuccus ſylueſtris fici,itémque tithymali. Cauernam autē ſupernè galbano aut cera obturato.

Smegmata varia ad denigratos liuentéſque ac rarefactos dentes, Cap. XXXV.

LIuent aliquando dentes per vniuerſam ipſorum ſubſtantiam,non diſsimile quiddam inflammationi patientes,ob influxum videlicet vitioſorum humorū. Quare conſimili cum iis qui eroſionem paſsi ſunt, indigent curatione,nimirū per deſiccātia pharmaca:ſúntque ſmegmata eis cōuenientia. Apollonius itaque ad denigratos dentes hæc præſcribit: Sal foſſile melle ſubactum in fictili vaſe torreto, ac tritum modica myrrha miſceto, cóque dentes confricato. Aliud. Pulegii ac ſalis æquales partes melle ſubige,ac aceto acerrimo ad fuſo exure, Aliud,quod gingiuas adſtringit: Polentam aceto acerrimo ſubactam in olla exure, ac contere, cúmque ea dētes confrica:hoc enim & gingiuas ipſas coercet. Aliud. Communiter autem ad omnes, eiuſmodi dentifriciis vtimur,radice ariſtolochiæ exuſta, aut oſſe ceruino vſto & trito, vtere: nam & dentium doloribus medetur. Aliud. Cornu cerui vre, modicáque maſtiche admixta vtere. Aliud. Talos ouillos exure, ac contritis vtere. Ad eadem pollent etiam buccina ſale expleta & vſta,pumex aſſatus & vino extinctus, ſepiæ teſta vſta, conchæ

A vſtæ,cochlea terreſtris vſta cum melle: his autem ſingulis odoris commendandi gratia parum iridis Illyricæ miſcetur,aut floris iunci odorati, aut calami Indici, aut ſpicæ nardi.Optimè autem facit,inquit Archigenes, tum ad dentes à dolore præſeruandos, tum ad gingiuarum eroſionem, atque etiam decorem dentium, pharmacum hoc:Lanas ſuccidas linteolo illigatas vre, & ſalis torrefacti tertia earum parte admixta contere,& pro dentifricio vtere. Aliud. Mel & ſalem in cerati formam contrita,linteolóque ligata exure, deinde parum iridis Illyricæ B admiſce,& dentes ex eo confrica. Aliud dentifricium. Sulphur viuum tritum dentibus adfricato. Smegma Oribaſii. Salis ammoniaci,cyperorum, iridis,ſingulorum æquales partes aliquandiu adfricato, poſtea verò gingiuas ex vino odorato colluito. Aliud ſmegma optimum. Pumicis trientem,teſtarum ſepiæ quadrantem, maſtiches,aluminis ſciſſi,foliorum malabathri,cuiuſque vnc.I. Aliud. Pumicis vſti quadrantem, teſtarum ſepiæ quadrātem,cornu cerui vſti ſextātem,ſalis aſſati ſextantem, ſpicæ nardi trientem,cyperorum vnciam.I.coſti C ſcrup.IIII. Smegma pulchrum. Marmoris drach.IIII. foliorum malabathri vnc.I.amomi vnc.I. cornu cerui vſti ſextantem,balauſtiorum vnc.I.iridis ſeſquiunciā,maſtiches drach. III.myrrhæ drach.VI. coſti drach.III. Bouis etiam talus vſtus, optimè dentes extergit, motos firmat,affectos à dolore liberat. Aliud dentifricium,quod oris odorem commendat,dentes dealbat,& ab eroſione ac labefactatione cuſtodit: Nitri, teſtarum ſepiæ,myrrhæ troglodyticæ,æquales partes committe,ac vtere.

Aliud optimum. Aluminis ſciſſi ſeſquiunciam, ma- D ſtiches vnc.I. iridis vnciam vnam,roſarum capitum vnciam vnam,contritis vtere,& aqua calida inde os collue.

Aliud dentifricium. Buccinorum vſtorum,ſalis torrefacti,teſtarum ſepiæ vſtarum,ſcobis marmoris Prœconeſii ſing. vnc. I.coſti ſcrup. VIII. contuſis vtere. Aliud Timocratis,quod ad gingiuas humore prægnantes& cruentas,ad putredines,parulidas, *hoc eſt gingiuarum inflammationes*, motos dentes, dolentéſque, omnia item oris vitia prodeſt: Accipe perdicii herbæ foliorum teneriorum modium Italicum, ſalis albi & tenuis ſextarium vnum, E mellis ſextarium vnū, contunde ſimul ac in maſſam molliorem redige, quam in ollam coniectam luto obtura:ita vt circa os operculi foramen relinquas, per quod cum virga agitetur.tandiu autem ſuper prunas poſitam torreto,quouſque fumus inde procedens purus videatur. tum ſanè ab igne ablatā frigeſieri ſinito:atque piperis lōgi dr. IIII.accipito,piperis albi dr. V.piperis nigri dr.VI.pyrethri dr.ſex,aluminis ſciſſilis vſti & cum vino auſtero extincti drach.II.pumicis vſti,myrrhæ, hyſſopi, pulegii, ſeminis apii,ſingulorum drach.II.menthæ ſiccæ drach. III. iridis F drach.III. hæc omnia in ſole prius exſiccata contundito ac cribrato,iiſque quæ in olla vſta ſunt admiſceto ac vtitor.In aliquibus verò vtpote in frigidis dentium affectionibus,hæc magis conueniunt, ſiue ex potu frigidæ, aut pomorum frigidorum comeſtione ſint obortæ. Conueniunt etiam iis qui à frigido humore afficiūtur,vbi pri' per collutiones ac manducationes pituita ſufficiēter fuerit detracta.

De ancylogloſſis, & qui vix loqui poſſunt, Cap. XXXVI.

G ANcylogloſſi quidam fiunt ex natiuitate, quidam verò ex aliqua affectione. Ex natiuitate fiunt, quum mēbranæ inferiores,quibus lingua innititur,duriores & mutilæ è natura ſunt productæ: ex affectione autem ancyloſis, *id eſt incuruatio* linguæ contingit,præcedente vlcere & cicatrice dura ſub lingua relicta.Qui hoc modo affecti ſunt, difficulter loquūtur,quare etiā mogilali à *Græcis* ſunt appellati.qui verò ex natura ancylogloſſi exiſtūt, principiò quidem tardè in ſermonem prorumpunt, vbi verò loqui cœperint,citra obſtaculum & ſatis feſtinanter H loquuntur: impediuntur tamen in prolatione nominum aut verborum quorum aliàs difficilis pronuntiatio exiſtit,veluti in quibus R,aut L,aut K literæ,frequenter occurrunt.Hos ſanè adhibita manu per ſolam chirurgiam curare oportet. Ad eam itaque perficiendam, ægrum

deſidere oportet,eiúſque linguam ſurſum ad palatum at-
tollere:& ſi quidem membranæ ipſæ curuitatis cauſa exi
ſtãt,incuruo vncino eas apprehenſas & extẽſas exſcinde-
re,animaduerſione habita ne ſimul ſubiacentes venas diſ
ſecemus.Si verò cicatrix curuitatis cauſa fuerit, ſimiliter
vncino apprehenſa extẽdatur, & quidquid durum adeſt,
& quod cum naturali carne non conſentit exſcindatur.
Ab opere autem patrato aqua frigida aut poſca os col-
luant:poſtea inſpergatur manna thuris, imponantúrque
linamenta conuulſa:ſequentibus verò diebus curetur vl-
cus collutione aquæ mulſæ,aut illitione vnguenti Ægy-
ptii,linamentis conuulſis impoſitis, vt per eorum inter-
ſtitium cicatrix diducta coaleſcat, neque rurſus eadem
cicatrix relinquatur.

Ad ranunculum ſub lingua, Cap. XXXVII.

AD ranunculum ſub lingua (eſt autem tumor earum
quæ ſub lingua ſunt partiũ, præcipuè venarum)vtẽ-
dũ ſanè iiſdem remediis quæ ad aphthas oris vlcera de-
ſcribemus,maximè tamẽ iis quæ ſunt ex eis fortiora. Pro
priè autem eis proſunt etiam hæc:Æruginis raſæ,chalciti
dis,gallæ,æquales partes inſperge.cum paſſo potes etiam
pro collutione vſurpare. Aliud. Farinã erui cum mel-
le,præfricatis locis illine:aut etiam gallam tritam cum mel
le,aut roſarum ſemen eodem modo. In corporibus autẽ
molliori ſenſu præditis, rhoem rubrum cum melle, aut
rhois drachmas octo,florum roſarum drachmas quatuor,
croci drachmas duas,coſti drachmas duas,miſyos,ærugi
nis,æquales partes commiſce,& cum his locos ſub lingua
confrica.decoctum verò foliorum oleæ colluant aſſiduè.
Aliud. Nuces iuglandes veteres integras vnà cũ cor-
tice exuſtas cõtere:deinde piperis grana duodecim adii-
ce,thuris grana mediocria tria,hæc cum melle ſufficienti
mixta illinito: & miraberis. Aliud. In inueteratis
verò & perfectæ ætatis,eas quæ ſub lingua ſunt venas diſ-
ſecato: extrinſecus verò mento adhibẽdum ex ouis phar-
macum. magis autem cõuenit *id quod Græci uocant* Sphæ-
rion. Aliud. Artemiſiam maximè viridem cum ſale
tritam ad locos ſub lingua adfricato.

Ad linguam inflammatam,deſquamatam,ac
tumentem,& ad palatum ac gingiuas,
Cap. XXXVIII.

GLaucium in cote cum aqua dilue,eóque locos illine,
& eodem die ſedabitur. Aliud,valẽs etiam ad lin-
guæ exulcerationem: Paliuri folia manducent & ex-
puant.Vbi verò lingua inſletur, doloréque afficiantur e-
ius partes vicinæ, ſimiliter & mandibula, ita vt loquela
præpediatur,folia oleæ tenera trita & oleo perfuſa illini-
to:egregiè enim auxiliãtur.Aut origanum paſſo decoctũ
colluendum exhibeto:aut pruni foliis cum melle tritis v-
tere. Ad linguam verò,cui ſuperficies inſtar ſquamarum
aut corticis decedit,optimè facit amurca æreo vaſe, do-
nec cogatur, decocta & illita. Ad linguam putreſcen-
tem & fere demortuam : Succum foliorum vitis albæ
cum miſy permixtum illinito : depurgat enim , & carne
replet.quidam etiam hîc mel adiiciunt. Vt verò ad cica-
tricem perducatur,radicem vitis albæ contritam & cri-
bratam inſperge. melius autẽ erit eam melle permiſce-
re,ne diſſipetur. Ad linguæ abſceſſus. Quòd ſi abſceſſus
in lingua fiat,furfures in aqua decoctos donec liquor lu-
bricus fiat,percolato,& huic ſucco mel adiicito: ſimúlq;
calidum ore detinendum exhibeto.Hoc autem ſæpe fa-
cere oportet:aut enim abſceſſum diſcutiet, aut rumpet.
à ruptura verò,florido ſicco vtendum eſt.

Ad aphthas,*hoc eſt oris ulcera*, ex Galeno,
Cap. XXXIX.

QVÆ in ſuperficie oris fiunt vlcerationes, *Græci* a-
phthas appellant,habentes in ſe quiddã igneæ calidi
tatis:fiũt autem vtplurimùm infantibus,quum vitioſum
exiſtit lac nutricis,aut aliàs puer non probè cõcoquit.Fa-
cilè autem medelam recipiunt,vtpote quæ ex eis quæ me
diocriter adſtringunt,vtplurimùm contingãt. Aliquãdo
tamen diuturniores exiſtunt, ob temporis videlicet tra-
ctum,indiſſolubili quodam marcore emergente,aut etiã
ea quæ appellatur nome, malo nimirum ſemper vlterius
ſerpẽte. Fiunt etiam aliquando in iis qui ad perfectam æ-
A tatem peruenerunt, tum propter vitioſorum humorum
ad os defluxum,tum propter acredinem eorum quæ bi-
buntur ac comeduntur.Cognitio omnium facilis eſt , vt-
pote viſui ac tactui ſubiecta.ad tactum quidem , calidio-
res quàm conuenit loci fiunt,tumoréſque excitantur:viſu
vero cognoſcuntur ob colorem. Quæ enim rubicundio-
res exiſtunt,ſanguinei humoris dominium indicant: fla-
uiores,bilis amarulentæ:albidiores,pituitæ:liuentes verò
& nigrefactæ,bilis atræ.Etenim qui iſta probè diſcreue-
rit,ſingulorúmque ſimplicium virtutem cognouerit,faci
B lè conſtituet modum vtendi tum ſimplicibus tum com-
poſitis pharmacis:conſideratione ſimul ſuper corporum
naturis habita , númne molles ſint & humectæ ? an duræ
& ſiccæ ? Siquidem fortioribus corporibus, fortiora etiã
remedia ſunt adhibenda:imbecillioribus autem mollio
ra.Infantibus itaque conuenientia ſunt ea quæ in cibis eis
offerunt mulieres,velut eſt lens cum modico pane, & me
dulla ceruina aut vitulina.Oportet autem miſcere cibis a-
liquid ex malis acerbis,piriſque ac meſpilis:aliquando e-
tiam lactucæ quiddam,& intubi ac portulacæ cibo admi
C ſcendum eſt,inflammata videlicet vlceratione exiſtente.
Quòd ſi infans ipſe cibum capere non poſſit,nutricem e-
ius huiuſmodi victu curare oportet:necnon ora infantiũ
pharmacis conuenientibus illinire.Si quidem enim ſub-
rubræ infantiũm vlcerationes fuerint, à principio cum
iis quæ mediocriter adſtringunt & refrigerant : conſe-
quenter verò iis quæ citra mordacitatem diſcutiunt:ſi ve
rò ſubflauæ vlcerationes fuerint,iiſdem ſimiliter eſt vtẽ-
dum,verùm magis frigidis:ſi verò ſubalbæ & pituitoſio-
D res fuerint,extergentibus vtendum eſt:ſi autem nigræ,iis
quæ generoſè diſcutiunt.Ad maiores verò pueros, phar-
macis eiuſdem generis facultate præditis vtaris , viribus
tantùm ipſorum auctis ac extenſis.Ad eos autem qui iam
perfectæ ætatis exiſtunt,durioráque corpora habent,effi-
cacioribus remediis vtimur. Moderata itaque remedia
ad oris vlcerationes recentes hæc ſunt: Omphacinum in
vino diſſolutũ aut mulſo , rhus culinarius eodem modo.
Pro infantibus,in principio ſufficit flos roſarum,ipſáque
E roſæ ſiccæ cũ mulſo,aut melle roſaceo.Inueterato autem
iam malo,in minoribus quidem admirandam opem cõ
tulit hoc,inquit Aſclepiades: Remedium Aſclepiadæ:
Gallas contuſas aqua decoque,& cum decocto percolato
parem menſuram mellis permiſce:rurſúſque decoque,do
nec ad mellis craſſioris ſpiſſitudinem redigatur:eóque vt
maximo remedio vtere,ita vt locis illitum ſatis diu digi
tis affrices,aut tomento lanæ purpureæ digito circumuo-
luto locis apprimas.In iis verò qui perfectioris ætatis ſunt
durioráque corpora habent,in vniuerſum ſatis mihi fuit
F crudo miſy vti, cum vino adſtringente : quod ſanè tum
intendit,tum remittit vires ſuas, iuxta vini vim aut ma-
gis aut minus adſtrictoriam,atque etiam ſecũdum quod
dẽſior aut liquidior vini & miſyos mixtura apparatur. Si
verò ſordidum apparuerit vlcus, miſy cum vino mulſo
tero. Aliis autem & qui adhuc fortioribus indigent reme
diis,ærugo & cum vino & cum mulſo vtilis exiſtit.neque
verò malum pharmacum his chalcitis exiſtit cruda cum
oleo trita.Illiniuntur autem ex his pharmacis,ſolæ parti-
culæ oris affectæ. Quòd ſi collutiones obtulerimus, ſiue
mediocriter,ſiue intenſè adſtringentes,ea cautione vte-
G mur vt fortioribꝰ corporibus fortiores:mollioribus im-
becilliores exhibeamus. Porrò ſi in putredinem aphtha
vertatur,non conuenit amplius aphtham , eam affectio-
nem appellare. neque enim ea quæ aphthas ſanant phar-
maca,his adhibemus,ſed fortiora:qualia quædam in capi
te De cruſtis oris,paulo pòſt dicentur. Atqui ſi putreſcere
incipiant,maximè in infantibus, præclarè facit præſcri-
pta ex decocto gallarum & melle illitio , & anthera ſto-
matica cum melle illita,& id quod ex roſarum floribus
conſtat,rhoe,croco,& coſto,quod ad columellas inflam-
H matas deſcribetur,ſiccum pharmacum.oportet autem id
illinire cum melle. Nec minus egregiè facit centaureæ
minoris exuſtæ cinis illinitus cum melle,& ſphæritis,*id
eſt cupreſſus*,pilulas ferens,exuſta eodem modo.Propriè au
tem,inquit Archigenes,facit cornu ceruinum vſtum tri-
tum & affrictum.Ad aphthas autem quæ proſerpunt ſum

mè efficax eſt,fœniculi radix vſta,per ſe & cum melle illita.itémque amurca in æreo vaſe,donec in mellis craſſitudinem cogatur, decocta ac illita. Aliud, quod & ad aphthas & ad reliqua oris vlcera conducit: Aluminis ſciſſilis ſextantem,gallarum vnciam vnam conterito, ac oleo ſubigito,aut digito in oleo madefacto ſiccum excipito,eóque exulceratos locos quamplurimùm extergito.detrahit enim cutem,aſperitates tollit,vlceráque ad cicatricem perducit.

De gurgulionis affectionibus,ex Galeno;
Cap. XL.

GVrgulionem quidam etiam columellam appellant: vuæ verò nomine accipienda eſt quædam in eo affectio,quum ſcilicet vuæ acino ſimile ſummum gurgulionis apparet.Lorum verò vocant aliam quandam eius affectionem,quum ex ſuffitu nimiùm ignitus gracileſcit, & loro ſimilis propendet.Verùm hæ affectiones raro circa gurgulionem accidunt:inflammatur autem frequentiſſimé.Euenit etiam aliquando vt citra inflammationem nimium humectus laxior fiat:velut in deſtillationibus continuis contingit: itaque inflammatione incipiente,repellentibus pharmacis opus erit,quæ adſtringentis facultatis eſſe oportet.Et ſi quidem moderatus fuerit humorum influxus,ea quæ moderatè adſtringunt ſunt aſſumēda:vbi verò fortius inualuerit,acerba etiam ſunt adiungēda.Collutiones igitur moderatæ ſunt ex palmis decoctis, aliquādo in ſola aqua,aliquando etiam adiecto modico melle. Similiter autem & ex roſis,radice dulci, pampinis vitis, rubis,iunco rotundo odorato, terebintho, rhamno,cypero,& ſiliquis:itémque ex radice mori, hypociſtidéque & malis cotoneis, ac piris auſteris. .His autem fortiores exiſtunt,myrti & baccarum eius decoctum, & virgultorū mollium ilicis, & vniuerſi quercini generis, ſimplicitérque & glandium:itémque decoctum meſpilorum & cornorum. Præclariſſimè autem omnium facit decoctum gallarum ,rhois culinarii,eiúſque quo coriorum infectores vtuntur,ſpinæ Ægyptiæ,myricæ,aut ericæ ſeminis ſiue fructus,vtriuſque mali punici floris & putaminis.Horum vnumquodque & ſingulatim & cum aliis decoctum in aqua,gargarizandum exhibere oportet.Mirū verò quātùm eorum mixturæ,ſimplicium & immixtorum vſum excedunt.Vtilis eſt etiam affrictus cochlearii frigidiſſima aqua repleti,& poſca frigida in balneo colluta. Conuenit quoque arida trita gurgulioni admouere: ita vt ſubmiſſe & paulatim ad ſuperiorem & extrinſecam regionē adferantur,& per cochleare aut ſpecilli concauum ſupra linguam immittantur.Itaque ex aridis moderata ſunt,roſæ ſiccæ,& flos earum,& prædictarum plantarum germina exſiccata,hypociſtis, rheon Ponticum, lapis coriariorum, quo calceamenta vt reſplendeant expoliunt,à *Græcis* ageratos,*id eſt non ſeneſcens*,appellatus : & is quoque qui Samius aſter appellatur,& omphacium ſiccum.His imbecilliora ſunt minoríſque acrimoniæ, gummi, tragacātha, ſarcocolla,& amylum:quibus vtendum erit vbi gurgulio à nimiùm adſtringētibus remediis fuerit compreſſus,aut à mordentibus ac diſcuſſoriis irritatus. Fortiora prædictis ſunt,lapis hæmatites,necnon Phrygius vſtus, miniū ſinopicum,& terra Lemnia quæ appellatur ſphragis, diphryges,fructus Ægyptiæ ſpinæ,rhus culinarius. adſtringunt enim hæc euidenter, citra tamen exaſperationem. Acerba autem ſunt balauſtia,& cytini, & malicorium,ac galla.Adſtringunt etiam ſufficiēter omnia aluminis genera. Atque hæc quidem ſimplicia ſunt huic loco cōueniētia: ex quibus & compoſita fieri poſſunt,quum vehementi molle & lene quoddam adiungimus, aut diſcuſſorio quiddam adſtringens admiſcemus, iuxta temperaturam corporis cui medemur. Diuturnæ autem affectioni impoſſibile eſt per repellentia perfectum auxilium adferre, maximè vbi ægroti corpus plurimo humore repletum, aut affecta particula natura debilior extiterit. Itaque ſæpe in principio ſtatim aut paulo pòſt omnino aliquid ex diſcutientibus,ad adſtringentia adiicere cogimur. Si verò vehemens affuerit dolor,etiam ea quæ eum mitigant,adnectemus:atque quum multa omnino ſint quæ diſcuſſoriam vim obtinent,à mollioribus eſt incipiendum. ab a-

A cribus enim inflammata exacerbātur.Ob eam igitur rem compoſita in vſum venerunt,tum ad reliquorum membrorum inflammationes;tum ad eas quæ fiunt in gurgulione,veluti quum alumen miſcemus cum iride Illyrica, aut thure,aut myrrha.Tu verò perſpecta caloris in ipſa inflammatione magnitudine, conſideratáque influxus ad eam multitudine,atque amplius in toto corpore humorum quantitate ac copia perpenſa,vel eorum quæ adſtringunt, vel quæ diſcutiunt augebis mixturam. Optimum B autem pharmacum ad inflammatos gurguliones,tum in principio tum in vigore adhibitum exiſtit hoc:rhois culinarii drachmas octo, florum roſarum drachmas quatuor,croci drachmas duas,coſti drachmam vnam.contuſa & cribrata in vitro repone.Vſu verò expetente dimidium cochleare in duobus aquæ mulſæ aquoſioris cyathis diſſolutum ad gargariſandum aſſumatur. Vtilis eſt etiam eis paſtillus ex croco; qui iris à quibuſdam appellatur. Complectitur autem myrrhæ drachmas octo, aluminis liquidi drachmas duas,croci drachmas octo; diſſoluitur in vino.quidam etiam aloen adiiciūt, quam nos C reprobamus.Hic itaque paſtillus fluidioribus,& magis humectis inflāmationib⁹ ſummè cōuenit,dilut⁹ in vino ac illitus.miſcetur etiā gargariſmis.In corporibus durioribꝰ prodeſt quoq; paſtillus Muſæ. prodeſt etiā efficaciſſimè paſtillus Andronis.Facit & id quod Aſclepiades deſcripſit: Lapidis agerati drachmas quatuor,floris lapidis aſii drachmas quatuor,terræ Samiæ drachmas quatuor, aluminis ſciſſi drachmas duas,croci torrefacti drachmas duas, gallarum drachmas duas, contritis vtere. Hoc etiam nos vſi ſumus,inquit Galenus,optimúmque ſæpe ſumus experti:præterquam quòd ſtatim à principio,& quum rubicū- D dus & calidus exiſtit inflammationis tumor, minimè adhibēdum videtur.Vbi verò diutinum adeſt malū,& corpus prius eſt euacuatum, ſemel tantùm in vſum aſſumptum,magnam ſtatim oſtendit vtilitatem. Ad laxatā columellam: Gallarum drachmas triginta duas, diphrygis drachmas duodecim, illini cum melle. Aliud philoſophi: Apparatur temporis neceſſitate inſtante.inueteratum enim vires amittit.Nuces virides accipe & exiccato, & palmarum oſſa, atque de ipſis vbi velis ſufficienter exurito,& amborum æquales partes miſceto,ac ſiccis tritis E vtitor. ſufficienter enim diſcuſſoria exiſtunt. At verò cū in aliis affectionibus,tum ad columellas citra inflammationem laxatas, gallæ omphacinæ,ſalis ammoniaci, amborum æquales partes per cochleare admotæ,præter opinionem auxiliantur.Præclarè facit & in his Cyrenaicus ſuccus tritus adhibitus: qui ſi non adſit,ipſum laſer. Aliud ad columellas laxatas: Mellis libram vnam,florum roſarum ſeſcuncem,aluminis liquidi beſſem,ſucci hypociſtidos quadrantem. Alumē & mel ſimul decoquito,deinde reliqua trita adiicito,ac rurſus,paululùm decoquito; F eóque vtere aliquando aqua calida diſſoluto, aliquando aqua mulſa ad gargariſandum,aliquando quoque eius illitu ipſam columellam reprimes ac eleuabis.Bonum hoc remedium eſſe adſtruit Galenus,eóque vti iubet. Aliud quod & columellas iam excidendas ſanat: facit idem & ad vlcera gingiuas depaſcentia, omnéque oris vlcus ſerpens: Fructus ſpinæ Ægyptiæ,gallarum,fructus myricæ, balauſtiorū,foliorū malabathri,aluminis ſciſſi,caſiæ,ſingulorum æquales partes: vtere ſicco. Aliud Aſclepiadæ: Roſarum ſiccarum nō madefactarum ſextarium Ita- G licum vnum,nardi Celticæ cum radicibus ac circumſita ipſis terra,faſciculum manipularem vnum,fimi columbini agreſtis ſicci ex ipſis nidis detracti drachmas tres,myrrhæ drachmas octo,gallarū omphacitidū numero XLV. contuſa & cribrata per arundinem inſufflato, & per ſpecilli cauum adhibeto. Aliud ſiccum, ad valde laxatas columellas,itémque tumentes: Piperis drachmam vnā, myrrhæ drachmam vnam, aluminis ſciſſi drachmas II. gallarum drachmas duas,contritis vtere:eueſtigio enim H eas firmant,ac reſiccant. Aliud parabile,quod & ad laxatam & ſuffocantem columellam valet. Nitrum tritum digito excipe & affrica.deſtillabit enim inde plurima pituita,eáque cruenta: & ſanabitur. Aliud naturale, Philumeni: Picem liquidam accipe,eáque extremum polli-

cis tui infice, alteráque manu ſincipitis capillos diſtende, ac picem illine. recurret enim ſtatim vua. Quòd ſiquis omnino ab afflictione vuæ & tonſillarum ſecurus eſſe velit, quotidie per morborū interualla quum lauatur, & à calido lauacro egreditur, modicam frigidam aquam ſorbēdo deglutiat. Quod ipſum & ad tuſſim, & lateris dolorem humidíſque ſtomachi vitiis multis vtile fuit. Per ea itaq; quæ dicta ſunt, in naturam ſuā reducere gurgulionē oportet, omni conatu & molimine adhibito, neque feſtinandum ad eius exciſionem.

De ablatione columellæ, ex Galeno, Cap. XLI.

QVòd ſi continuè affligat columella, periculúmque ſit ne ſuffocatio aut tabes inde inferatur: aut quū gracilis & loro ſimilis fit, propterea quòd alimētum nō ſentit, (quod ſanè aliquando accidere ſolet) aut quum reſolutionem patitur, (fit enim & hoc in aliquibus) tūc ſanè refert vtrum excidatur an non. Optima eius auferendæ opportunitas exiſtit, quum ſuffocatio vrget, vt tum imminente periculo, ægroto auxilium feramus: itaque quò manum commodius afferas, æger in ſplendenti & claro loco collocetur: & tunc quidem os eius diducatur: mox verò immiſſo forcipe producatur, ita vt volſellam huic rei idoneam, iuxta medium ipſius columellæ, aut magis adhuc inferius adhibeamus: atque ita producta obtorqueatur. obtorta enim velut ſtupida efficitur, & velut illaqueata curuatur ac liueſcit; citra magnam ſanguinis eruptionem. Quapropter immorari oportet aliquādiu, ac eam detinere quouſque æger tolerare poſſit: túncque auferre non ſupra forcipem inciſione facta, ſed ad eius fundum. quum enim pelliculis referta ſit ipſa columella, & ob productionem cedat, prolixa ſanè inſpiciētibus apparet. vnde multi inexperti medici, ſiue per errorem, ſiue per ignorantiā altius incidentes, eam funditus auferunt, maximique incōmodi authores exiſtunt: quare relinquere oportet fundum eius circa palatum. Ab exciſione autem, ægro offerenda eſt poſca diluta, qua leniter os colluat. vehemens enim ipſius allabentis plaga, ſanguinis eruptionem excitat. Quum autem hinc morſum perceptat, aquam frigidā colluat: atque hæc viciſſim fiant, donec ſanguis ſiſtatur. Sequentibus deinde diebus ex radicis dulcis & palmarum decocto gargariſmus exhibeatur. ſimiliter & illitiones ad tonſillarum inflammationes deſcriptæ. Porrò Galenus ait, Ab exciſione ſemper diphryge vtor, donec cicatrix obducatur. cicatricem enim tum huius membri, tum reliquorum omnium exulceratorum probè conſtringit ac committit.

De oris inflammationibus, Cap. XLII.

QVVM vniuerſum corpus multitudine humorum redundat, aut vnius tantùm alicuius noxii humoris multitudo in corpore augeſcit, conuenienter vtimur inciſione venæ, aut purgatione, aut clyſteri, aut abſtinentia ciborum. Quòd ſi neutrum horum affuerit, ad localium auxiliorum opem ſtatim confugimus: in principio quidem reprimendo per ea quæ adſtringunt & frigefaciunt: ex adſtringentium ſylua eſt atramentum ſutorium, & ſimilia. verùm adeò fortibus & quæ ſimul vim venenoſam complectuntur ac nociuam, minimè conuenit vti ad oris affectiones ſanandas, niſi magna cogente neceſſitate. plurimùm enim nocumentum infert, ſi quid ex iis ad ſtomachum ac ventriculum fuerit delapſum, aut ad aſperæ arteriæ extremum & pulmonem. Ineſt autem huiuſcemodi remediis & circa guſtū inſuauitas quædā quæ quidē vſus tēpore moleſtiā infert, & permanet etiam totam diem. De fœminis quid attinet dicere maximè opulentis, quæ ob delicias intotum pharmacorum ad os deſcriptorum affrictum ægrè ferunt? Iam & viros quoſdam videas, qui non ob delicias ſolùm, ſed ex natura faſtidientē ſtomachum habent, atque huiuſmodi pharmaca non ferunt. Itaque ea quæ ex ſtomaticis appellatis pharmacis, *hoc eſt quæ ori conueniunt*, mitiora exiſtunt, crocum complectuntur, & myrrham, & alumen. Cæterùm confectio ex moris, & malis punicis, & ſimiles quædam, cum ſolo melle medētur, habéntque guſtum amplius ſuauem. Quin & confectio ex ſucco nucum cum ſolo melle apparata, ſuauē exhibet ſaporem. At verò ſuccus mororum pro debiliore habendus eſt pharmaco. Fortius verò, & quod nullo inferius exiſtit, eſt ſuccus corticis nucum. Inter hæc medium tenet, quod ad vim adſtrictoriam attinet, ſuccus mororū naſcentium in rubo. His ſingulis admiſcere potes, ſi quidem vehementius efficere velis pharmacum, ſuccum vuæ acerbæ nondum maturæ, pari pondere: aut, ſi id non videatur, eius dimidium. Andromachus coniicit, croci, myrrhæ, ſucci vuæ acerbæ immaturæ, aluminis ſciſſi, ſingulorum drachmam vnam.

Illitiones ſtomaticæ ori commodæ. Confectio ex moris, Cap. XLIII.

COnfectio ex moris ſic apparatur, quemadmodum docet Eras: Succi mororum heminas quinque, vini auſteri heminam vnam, mellis heminam vnam. Succum vnà cum vino decoquito, donec ad ſtrigmentitiā craſſitudinē redigatur: deīde adiecto melle rurſus decoque, donec probè cogatur: deinde in pila eis admiſce croci ſeſquidrachmam, myrrhæ ſeſquidrachmam, omphacii ſicci ſeſquidrachmam. Optimum autem eſt omnibus oris illitionibus ſimul incoquere radicis dulcis drachmas octo, ad eiuſmodi ſanè menſuram qualem præſcripſi. Eſt enim radix dulcis natura mitis, & ob id aſperitatem ex adſtringentibus illatam lenire potens. Facit, inquit Eras, hæc cōfectio tum ad tonſillas, tum ad inflammationes oris, illita & gargariſmi modo colluta. Poteris autem ſuccum mororum cum ſolo melle apparatum, in vſum recondere, ob dulcedinem ori commendandam. Confectio ex malis punicis, Galeni: Accipe mala punica in vigore perfecta, matura & recentia, ita vt ex triplici eorum differentia, dulcium acidorum & auſterorum, æquales partes vnà cum corticibus in mortarium coniectas, contundas, & ab eis ſuccum exprimas: deinde confectionem appares hoc modo, Coniice ſucci heminas quinque, mellis heminam vnam, radicis dulcis drachmas octo. primùm verò ſuccū cum radice dulci decoquito, ac percolato: deinde adiecto melle ſimul coagmentato, & vtitor. Hæc confectio commodius exhibetur iis qui oris inflammationem patiuntur, habéntque ſimul ſtomachum fractum & qui cibum auerſatur. vtilis eſt etiam bibita ad alui affectiones. Expedit autē ei (veluti reliquis oris remediis) adiicere: in principio quidem ea quæ adſtringunt: circa vigorē, ea quæ concoquunt, iuxta inclinationem, ea quæ diſcutiunt. Facit etiā ad oris vlcera, & quæ appellantur aphthæ.

Confectio ex malis punicis, Aſclepiadæ: Pharmacum ad os proſperè accommodatum, quod etiam ad vlcera ſerpentia conducit: Succi mali punici Italicos ſextarios ſex, mellis libram vnam, croci drachmas quatuor, myrrhæ drachmas quatuor. Succum per ſe ſatis diu decoquito: deinde adiecto melle rurſus donec probè coagmentetur, decoquito: poſtea in mortario crocum & myrrham ſimul committito: atque hoc, vt maximo remedio, vtitor. Remedium oris ex muſto Andromachi: quo inquit, vt pulcherrimo vtor: Gallas numero triginta, rhois quo coria inficiuntur chœnicem vnum, muſti optimi ex vua aminæa alba ſextarios ſex, gallas contuſas vnà cum rhoe per diem & noctem in muſto macerato: deinde ad quartas decoquito, & per linteolum percolato, rurſúmque ſuccum, donec mellis ſpeciem accipiat, decoquito, & adiecta croci drachma vna, aluminis ſciſſi drachma 1. myrrhæ drachma vna, probè miſceto & in vſum recondito. facit enim & ad aurium & ſedis quoque exulcerationes.

Confectio ex ſucco vuæ acerbæ, ex ferula medicamētario libro Sorani: Illitio ad os apparata ex ſucco vuæ acerbæ, incipientibus inflammationibus accommodata. Valet etiam ad humore prægnātes gingiuas, & vlcera pura tonſillarum: Succi vuæ acerbæ ad coagmentationem decocti ſevtarium vnum, florum roſarū drachmas duodecim, croci drachmas quatuor, mellis heminam vnam; appara vt prædictum eſt. Eodem modo etiam apparatur confectio ex ſucco malorum cotoneorum & pirorum, piraſtrorúmque & meſpilorum, ac mororum rubi: ſimilitérque ex aliorum pomorum ſucco, atque item cornorū: niſi quòd plus mellis iniicitur ad ea quæ magis adſtringunt. ſuccus enim pirorum & reliquorum pomorum ac

fructuum aliquando æqualem portionem mellis admittit: eorum verò quæ plurimùm adſtringunt,veluti eſt ſuccus corni,aliquãdo duplũ mellis ſuſcipit. Cõfectio ex nucibus,Galeni: Fit etiam ex ſucco viridiũ nucum pharmacum ori commodum hoc modo:Extrinſecum corticem nucis viridem quo tinctores vtuntur, in pilam coniectũ contunde,ſuccúmque expreſſum per linteolum excola,eiúſque heminas quinque,mellis heminam vnam,& radicis dulcis drachmas octo,hoc modo committe: Succum vnà cum radice dulci vſquequo cogatur decoque,& per cola:deinde adiecto melle ſimul decoque rurſus,ac vtere iuxta eam quam deſcribemus methodũ. Eſt itaque pharmacum ex nucibus omnium efficaciſſimum. verùm ſtomacho vtiliſſimum exiſtit id quod ex malis punicis eſt confectum.

Summaria doctrina de vſu omnium illitionum ad os apparatarum, Cap. XLIIII.

IN principio inflammationum,omnibus oris remediis vtiliter quiddam admiſcetur ex iis quæ reſtrictoriæ facultatis exiſtunt ac repellunt.Quapropter commodum eſt ſolum ſuccum cum melle apparare ac reponere.Sunt autem reſtringentia parabilia quæ in principio miſcere cõuenit,roſæ,flos earum,baccæ myrti,myrtus ipſa,lẽtiſcus, rubus,omphacium.Poſt hæc cytini & balauſtia,mali punici cortices,gallæ,fructus ſpinæ Ægyptiæ,omnia aluminis genera,rhus tum culinarius tum quo coria inficiuntur:horum vnumquodque aqua decoquitur donec probè cogatur,atque ita percolatum decoctum illitionibus cõmiſcetur.optimus eſt etiam mali punici ſuccus in principio admiſtus.Frangenda autem ſunt ipſa mala ac contundenda in mortario vnà cum corticibus ſuis:deinde exprimenda ac percolanda decoquendáque donec in totum cogantur:atque ſic in præſentes illitiones ex eis admiſcẽdum eſt.Quòd ſi ſumptuoſius apparare velis pharmacum nempe diuitibus vtendum,adiicies corticem caſiæ,Indicam nardum aut Celticam,aut folium malabathri. Poſt principium autem vbi conſtiterit influxus,ſufficit confectio ex moris,croco modico ac myrrha adiecto,ad inflãmationis concoctionem.Quum verò ad vigorem peruenerint inflammationes,parum vtendum eſt illitionibus oris. Verùm collutionibus & gargariſmis mitioribus inflammationem concoquere oportet , velut eſt ea quæ ex furfuribus fit,& radice dulci. Aliquando etiam remediũ oris ipſum decoctum ex caricis cõſtans gargariſſandum exhibere cõuenit cũ aqua mulſa permixtũ,aut ſapa calefacta,aut cum ſola aqua calida,non præſente melle aut ſapa. Optimum cenſetur circa inflammationum vigorem oleum lentiſcinum conduplicato vaſculo calefactum & ore retentum:verùm cauendum ne ſit inueteratum . Vbi verò iam concocta fuerit inflammatio, & dolorum vehementia quieuerit:tum ſanè & diſcuſſoria ad oris remedia admiſcemus,cuius generis ſunt,hyſſopũ,pulegium , thymus,calamintha,thymbra,mentha,in ſapa aut aqua mulſa decocta & percolata,ita vt ex decocto cuiuſcunque tãdem iſtorum oris remedium permiſceatur . Ex parabilibus diſcuſſoriis eſt decoctum caricarum ad mellis ſpiſſitudinem redactũ. nam ſingula prædicta efficaciora fiunt, ſi diutius coquantur.Fortius autem prædictis exiſtit ſpuma nitri, & nitrũ ipſum, maximè Bernicarium vſtum.atque nitro adhuc potentius eſt ſulphur viuum . Porrò ad diuturnas & obturatas inflammationes adhibenda ſunt ea quæ præclarius diſcutere poſſunt:contuſa videlicet ac cribrata,de quorum numero hæc ſunt : ſi diuites exiſtant ægri, coſtus & amomum, & quod appellatur macer,perquàm calidum & adſtringens:& ſuccus ſanè Cyrenaicus ad diſcuſſionem obduratarum inflammationum aptiſſimus,aut aliquis eorum qui ei ſucceſſerunt, velut eſt laſer. pauperibus autem pro ſumptuoſis illis pharmacis adiicere conuenit dictamnum,aut meon,aut pyrethrũ , aut parum cardamomi aut ſinapis. Sit autem pondus ſingulorum quæ adiiciuntur , iuxta eam quam in principio diximus apponderationem: nimirum vt ad libras quinque ſucci,vna mellis adiiciatur,& annexorum ſint drachmæ quatuor vel quinque.

A De tonſillarum inflammationibus,ex libris Philumeni, Cap. XLV.

TOnſillæ frequentiſſimè inflãmationem incurrunt: calidi enim & humidi ſunt earum loci . Verùm hac affectione magis arripiuntur ii qui plurimo ſanguine abundant : & pueri , vtpote mixturam habentes teneram, & multo cibo ſe explentes:& infantes adhuc lactentes ex hauſtu lactis id malum contrahentes.Infertur autem hæc affectio plerunque à nimia meri potione,& à multa ac auidiore deuoratione ciborum,maximè acrium & aſperorum: B acciditque ita affectis difficultas tranſglutiendi , & dolor aliquando etiam febris.Incipiente itaque inflammatione,cibum ſubtrahere oportet,& aquæ potum exhibere:præſertim febre ſimul irruente.Exhibẽdi etiam gargariſmi adſtringentes,& repellentes , velut eſt lenticulæ decoctũ,cũ roſis,myxis,& palmis:reliquáque quæ in principio inflammati gurgulionis aſſumuntur.Cauendum autem ne mel in principio ad gargariſmos coniiciamus, ne per acrimoniam malum irritemus.Verùm quum vehementius affectio ipſa inualeſcit, & periculum ſuffocationis C ſuſpectum eſt, vena cubiti incidenda eſt , repetita ſanguinis detractione:maximè ſi iuuenis ſit æger,& multo ſanguine abundet . cibi autem offerendi ſunt ſorbiles & ventri commodi. Quòd ſi venter nõ probè egerat,iniiciendus eſt clyſter:infantium verò ven tres glande immiſſa,& ſedis illitionibus irritare oportet . Poſt euacuationẽ, gargariſſent decoctionem furfurum calidam, aut ptiſanæ ſuccum in quo decoctæ ſunt vuæ paſſæ,aut ſapam tepefactam,aut decoctum radicis dulcis,aut paſſum cum decocto ficuum & hyſſopi.Hæc omnia tepida exhibenda D ſunt:frigus enim non tolerant inflammata , ſicut neque plurimum calorem.multùm autem proderit oleum amygdalinum auribus infuſum. Extrinſecus leniter fouere conuenit ſpongiis expreſſis:& cataplaſmata quoque imponenda ſunt ex farina ordei,aut ſemine lini , aut fœnigræci,aut his ſimul mixtis.Remittẽte autem iam inflammatione & decreſcente , mel in gargariſmos admiſcere conuenit:quod in principio & in augmento minimè facere oportebat.quo tempore etiam calidiores gargariſmi proſunt. Extrinſecus autem lana mollis oleo tincta collo circumponenda.Quòd ſi ex vſu acriorum collutio- E num aut illitionum inflammatio exaſperetur, & mordacitas inde accidat,leniores gargariſmi colluendi ſunt:quales ſunt ſuccus ptiſanæ , aut alicæ, & micarum ſiliginearum cremores,qui tepidiſſimi offerantur:lac etiam tepidum gargariſſandum.Remittente autem inflammatione & dolore,prædicta oris remedia ſunt illinenda,immiſſo digito medio,ita vt cum leni adhibita illitione partes tonſillarum,quæ intumuerunt,comprimantur, quò contentam in ſe materiam excludant.Verumtamen non vio- F lenter comprimere oportet,quemadmodum quidam faciunt,qui authores ob id fiunt, quò inflammatio amplius augeatur.Si tamen obtigerit aliquis ab eiuſmodi curatione læſus,contenti erimus exhibitione gargariſmatum lenientium nihil illinentes.Permanente verò ac immorante diutius inflãmatione,atque vbi tonſillæ ipſæ ſubrubri coloris fuerint,neque melius à prædictorum remediorũ admotione habuerint,permutationem in pus expectare oportet.citò enim tonſillæ abſcedunt. Abſceſſu autem facto,inflammationis ſigna augeſcunt , & exacerbationes G ad veſperam fiunt fortiores,cum horrore & inæqualitate: aliquando etiam cum febre.Quare vbi ſuppurationem futuram ſperamus,coadiuuare oportet vt quãcitiſſimè fiat. Sint autem gargariſmi eis exhibendi calidiores , velut aqua mulſa calida,& decoctũ caricarum ac hyſſopi.Verùm ad molliendos & maturãdos tonſillarũ abſceſſus, maximopere auxiliatur vnguentum quod appellatur Ægyptiacum, quod ex reſina terebinthina ,& melle, & oleo dulciſſimo apparatur:& extrinſecus cataplaſma impoſitũ ex ordeacea farina & fœnograeco cum decocto caricarũ & H althææ ac melle.Quũ autẽ pus perfectũ fuerit,dolores minuuntur,& inflãmationis tumor mollior redditus digito cedit:tũ ſanè acriores collutiones exhibendæ ſunt,atque prædictæ quoque oris illitiones. In cibo accipiant fruſta panis aqua macerata quãmaxima,& reliqua ſimiliter quæ

eis pro cibo offeruntur aceruatim ingerant. Vehementiore enim ex his circa tonſillas obuolutione facta, conſimili modo tumores afficiuntur veluti ſectionē ſuſtinerēt. A ruptura autem, aqua mulſa gargariſſanda per ſe: poſtea etiam admixta lenticula & roſis: atque his ſanè immorandum eſt, donec penitus ad cicatricem perducatur. neque vetat ſæpe adiicere quiddam ex prædictis oris remediis. Quòd ſi ruptura eis ſeriùs contingat, ob ſoliditatem videlicet corpuſculorum incumbētium, inferátque inflāmatio ipſa dolorem, diducere abſceſſum conuenit ad proliciendam puris excretionem. Leonidæ. Itaque ſi perfectæ ætatis ſit æger, eū deſidere facito, poſtea diducto ore linguam cum ſpecillò lato, aut inſtrumento linguæ deprimendæ apto, deprimito, ipſúmque abſceſſum cū ſcalpello aut acicula penetrāte diducito. Si verò puer ſit æger, caput eius intra genua eius qui manum admolitur, contineatur: deinde facta abſceſſus diſſectione, caput eius inclinetur ad humoris commodiorem excluſionem. Ab opere autem patrato, aquam lactei teporis frequenter colluant. Poſt multam autem intercapedinem ab opere patrato, & inſequentibus deinde diebus aquam mulſam gargariſſent: adhibeatúrque eis vnguētum ad exulceratas tōſillas conueniēs: quale eſt quod Ægyptium croceū appellatur, & quæ ei ſimilia exiſtunt. Eſt autem Ægyptiū hoc. Vnguentum Ægyptium croceū: Croci drach. III. mellis ſeſquilibr. olei roſacei ſextātē, ſucci fœnigræci & ſeminis lini decocti quadrātem. crocum in ſucco diſſolue: deinde oleo adiecto, ea ſimul commiſce, & mel prius deſpumatum coniice, & permixtis vtere.

De cruſtoſis & peſtilentibus tonſillarum vlceribus, Cap. XLVI.

Cruſtoſa & peſtilentia tōſillarum vlcera vtplurimùm nullo præcedente tonſillarū fluxu incipiunt, aliquando autem à conſuetis fieri inflammationibus, maximè efferatis, perficiuntur. Fiunt autem frequentiſſimè pueris atque etiam ætate iam perfectis, maximè iis qui vitioſis humorib⁹ abūdāt, in iis quæ vere cōtingere ſolent peſtilentibus cōſtitutionibus. In pueris verò oris, vlcere quod aphtham vocant, præcedente omnino perficiuntur. Sunt autem partim alba, maculis ſimilia, partim cinereo colore, aut ſimilia cruſtis, quæ ferro inuruntur. accidit autem ægris ſiccitas in tranſglutiendo: & ſuffocatio coaceruatim incidit, maximè quum rubor ſubeat mētum: aut vbi hæc acrimonia præterierit, nome quæ depaſcitur, locos excipit, ſucceditque vnà putrefactio. Archigenis. Feſtinanter itaque auxilium afferre oportet iis qui ſunt ætatis perfectæ, atque confidenter venam brachii incidere, ſi quidem nihil ſit quod id fieri prohibeat. Multæ enim virgines circa vigoris ætatem menſium purgationem appetentes, hac affectione apprehenduntur, quæ præcipuè venæ inciſione opus habent. Incidendæ autem ſunt in eis tali venæ, & vnica ſanguinis detractione facta euacuādæ, non autem ad vſque animi defectionem: deinde glandulis & ſedis illitionibus ac clyſteribus vtendum erit: itémque cucurbitulis iuxta lumbos, ac colligationibus extremitatum. atque omnibus modis conandum eſt, vt diuerſio ab affectis partibus fiat. Poſtea etiam gargariſmis vti conuenit: velut eſt lenticulæ decoctum, & myxarum ac palmarum cum melle & ptiſanæ ſucco: deinde furfurum decoctum in decoquendo viſcoſum factum, adiecto melle. Poteſt etiam remedium oris ex moris, & maximè id quod ex malis punicis conſtat, colluendum exhiberi, hydromelite permixtū. Philumeni. Infarcitur autē hydromeliti & coſt⁹ & iris, ac ariſtolochia, & ſimilia poſt principium. Probè autem facit id quod ad columellas præſcriptum eſt, ſiccum pharmacum ex rhoe, flore roſarum, crocóque & coſto. Foliorum etiam glaucii ſiccorum decoctum optimè facit, quanquam guſtus vehementer amari exiſtat. Ego autem & glaucii ſucco, cuius ad collyria vſus exiſtit, in aqua mellis meraciore diluto, pro gargariſmate vtor, aut etiam cum iridis decocto. At verò fruticis ipſius ſicci, glaucii inquam, cōtuſi & cribrati optimus vſus exiſtit, ſi inſuffletur. Conandum autem eſt in vniuerſum, ne digitum quidem locis admoueamus, aut leni ſaltem tactu manum admoliamur. Etenim inſcii, ad quos

A maximè in rebus dubiis homines confugiunt, vehementius illinunt, ſimúlque inflammatum locum comprimūt ſimúlque cruſtam detrahunt: quod minimè facere conuenit priuſquam eleuatam & vix innitentem cruſtam conſpiciamus. Quòd ſi enim adhærentem adhuc cruſtā auellere aggrediamur, vlcerationes magis in profundū procedunt, & inflammationes conſequuntur, augentúrque dolores, & in vlcera ſerpentia proficiunt. Itaque ſicca quidem remedia inſufflare conuenit: liquida verò cum pinnula illinire, ita vt quantum licuerit quāpeniſſimè pinnulam immittamus. B Vtendum eſt etiam compoſitione ex ſemine rutæ ſylueſtris ad anginam deſcripta, & ea quæ ex vſtis hirundinibus conſtat, ita vt cū melle liquefactas illinamus, & cum hydromelite permixtas colluendas exhibeamus. Profuit etiam aliquibus ariſtolochia, & iris, & chalcitis adhibita cum melle. aliquando etiam Andronis & Muſæ paſtilli. Mirabiliter autē cruſtas aufert caninum recrementum melle illitum, & vſtarum hirundinum cinis, & centaureæ minoris vſtæ cinis cū melle, & cochlearum terreſtrium, maximè nudarū vſtarum cinis cū melle. C His verò de quibus medici deſperarunt, fel crocodili exiccatum & tritum ad cruſtā inſperge, aut illine cū melle. Oportet autem poſt irritationes à pharmacis eiuſmodi factas, lenire cum radicis dulcis decocto, & qui ex vino ſcybelite, maſtiche Chia, myrrha & croco conſtat gargariſmo, deinde cum amylo & tragacātha. Cohibito autem iam vlcere paſcente, lac gargariſſandum, Samia terra permixtum. Et febrium quoque curam habere cōuenit. (vehementes enim incidere ſolent) atque in repurgandis D explanandiſque vlceribus maximè ſollicitum eſſe: cōuulſionem enim infantes plurimi paſſi ſunt in vlcerum repurgatione: aliqui verò via tranſglutiendi exiccata, ſunt ſtrangulati. Sunt etiam quibus corroduntur gurguliones, atque vbi diutius perſtiterit vlcerationes, & in profundū proſerpſerint, cicatrice iam inducta, adſtrictiorem vocē edunt, reflectitúrque ipſis potus in ipſas nares. nam & ego puellam noui quæ poſt quadrageſimum tandem diem conſumpta eſt, quum ſe iā à morbo recolligeret. Verùm ad ſeptimum vſque diem plurimi periclitantur. Vbi verò E inflammationes & vlcera ſerpentia ſemper amplius extendantur, forinſecus fomentum adhibere oportet, & cataplaſmatis cōmunibus vti, cum cautione ne refrigeremus. Feliciter enim res procederet ſi intrinſecus detentā materiam extrà queant tranſferre. Conteguntur itaque ſemper poſt cataplaſmata, partes circa mentum, cum nardino & cyprino cerato, cum circumpoſitione lanarū mollium. Vbi autem cruſtæ ſolutæ fuerint, & vlcera ipſa mūdata, antheris, *hoc eſt floridis* remediis vtendum eſt. Sanant enim in totum vlcerationes ipſas, tum ſiccæ adhibi- F tæ, tum illitæ cum melle. Sunt autem cruſtarum tum oris, tum tonſillarum, compoſita pharmaca huiuſcemodi. Aſclepiadæ illitio ad exulceratas inflammationes: Florū roſarum drach. octo, croci drach. IIII. balauſtiorū drach. I. myrrhæ drach. I. nucum pinearum repurgatarū drach. tres, ſubactis melle ad illitionem vtere. Aſclepiadæ, ad oris putredines: Rhois culinarii drach. IIII. acaciæ drach. I. omphacii drach. I. medullæ ceruinæ aut vitulinæ drach. IIII. in vino dulci diluta, melle deſpumato excipe, & ad illitionē vtere. Andromachi remedium oris odoratum ac G tenerum ad inflāmationes ac cruſtas optimum. Nucū pinearū depuratarū drach. III. amyli drach. II. aluminis ſciſſilis drach. I. florū roſarum drach. I. croci drach. I. mellis quantum ſuffecerit. Aliud ad omnes tum oris tum tonſillarum affectiones: Rhois culinarii drach. IIII. florū roſarum drach. I. croci drach. I. coſti drach. I. illine cum melle, aut cū aqua mellis gargariſſandū exhibe. Critonis ad cruſtas: Miſy aſſatū aut crudū illine cū melle: ſtatim enim eas tollit. Sint autē miſyos drach. III. & lib. I. mellis, quo modo etiam vti poteris chalcitide. Archigenes autē H inquit, Ad cruſtas optimè conuenit ſtercus caninum cum melle: quod tum optimum erit, quū oſſibus canes fuerint nutriti. magnopere enim auxiliatur neq; odiū ſui inducit, in cibo oblatū. Licebit etiā vti plurimis eorū quæ ad anginā deſcripta ſunt auxiliorū. Aliud Archigenis, ad cruſtas in ore: Hirūdinū vſtarū & ſtercoris humani æquā

le pōdus cū melle illine. Accipiendū eſt ſtercus nō quod-
cunque obtigerit, verùm puerū biduo prænutrire opor-
tet pane & lupinis ac vino modico, atque deinde tertia
die ſtercus eius accipere & exiccare, atque repoſitum ſer-
uare. vſu verò expetente, contrito vti. efficax enim & ad
anginas exiſtit. Experti etiā ſumus, inquit Galen⁹, pharma
ca à Sorano deſcripta præclarè facere, quæ ſanè ille iuxta
dictionum ſeriem deſcripſit. Remediū ad cruſtas oris
conferens & ad gingiuas humore prægnantes & graueo-
lentes: Miſyos vſti drach. octo, iridis Illyricæ drach. IIII.
croci drach. I. in puluerē redige, ac pyxide lignea repone.
Vtere autē per ſe cū melle. Florida cōpoſitio ad prædi-
cta ſimiliter efficax: Iridis Illyricæ drach. III I. ſandarachæ
drach. IIII. cyperi drach. IIII. aluminis ſciſſi drach. II. myr-
rhæ drach. II. crocomagmatis drach. II. in puluerem redi-
ge ac vtere. Quidam etiam flores roſarum, & gallas adii-
ciunt, ſing. drach. II. Vtere autē ad putrefacta, & ad abſceſ-
ſus gingiuarum ſicco: ad cruſtas verò cum melle. Phila-
grii, ad oris eroſiones: Seminis lentiſci nōdum denigra-
ti drach. IIII. gallarum drach. IIII. coſti drach. I. folii drach.
I. vtere. Theodori, ad tonſillarū vlcera, gingiuarúmque
& pudendorum, ad putrefacta & carbunculos: Aluminis
ſciſſilis, ſādarachæ, myrrhæ troglodyticæ, ſing. æquale pō
dus accipe, ac vtere ſicco. Hermi, ad omnes oris affectio
nes ab vlcere, quod aphtha appellatur vſque ad cruſtas &
carcinomata: Ericæ ſemen tritum, ſucco hyoſcyami exci
pe, & vtere cum melle. Aliud, ad vlcera quæ ſerpunt in
ore, gingiuis, ac lingua: Miſy cum ſucco foliorum vitis al-
bæ, quam bryoniam appellant, dilue, & coniecto ſimul
melle tere, ac ad illitionem vtere. diuinitus extergit ac re-
purgat. Vbi verò repurgata fuerint & carne expleta, bryo-
niæ radicem cōtuſam & in puluerem redactam adhibe.
ea enim ad cicatricem perducit. Aliud eiuſdem, ad o-
ris putrefactiones, vlcerationes, & vlcera quæ ſerpunt: Fo
liorum vitis albæ quadrantē, aluminis ſciſſilis trientē, mi
ſyos crudi drach. IIII. atramenti ſutorii drach. II. contere
quouſque arida fiant, & in puluerem redactis, vtere ſiccis.
Repurgat, explet, reprimit illatum fluxum. Ego verò præ-
cedens expertus ſum. Collutione autem vtendum eſt ad
omnia oris vlcera, & ea quæ ſerpunt, putrefactionéſque, &
gingiuas denigratas. Verbenacæ rectæ decocto & vino,
quod calidū ore retinendū exhibe. Aliud diuinū reme-
dium: Oleæ viridis folia aqua decocta colluēda exhibe.

De angina & eius ſpeciebus, ex Galeno,
Cap. XLVII.

ANginæ quatuor differentiæ exiſtūt. Vna, quum fau-
ces fuerint inflammatæ: fauces autem, pharynga *Græ-
cis* appellatam, voco intra os locum, vbi tum ſtomachi, tū
aſperæ arteriæ extrema conueniunt. Altera quum neque
circa oris regionem, neque iuxta fauces, imò nec forinſe-
cus, quicquam apparet inflammatum: & tamen ſuffoca-
tionis ſenſus infeſtat ægrum iuxta aſperæ arteriæ extre-
mum. Tertia, quū exterior gutturis regio vnà cum inter-
na fuerit inflammata iuxta mentum. Adhæc autem &
circa ceruicem quædam affectio oboriri ſolet, ex luxatio
ne & diſceſſu cuiuſdam in collo verticuli in anteriorē
regionem. vnde cauus apparet locus: & quum extrà attin-
gitur, dolore afficitur. quod contingit ob diſtracta intrò
verticula, & conſiſtentem circa muſculos faucium aut ex-
tremitatis arteriæ inflammationē. Hæc autē ſpecies pro-
priè cynanche à veteribus eſt appellata. Lingua enim à lu-
xato verticulo, iuxta radicem ſuam impulſa, ex propriis
locis excedit, & difficultas magis circa reſpirationem in-
feſtat: vnde coguntur aperto ore ſemper hiare, atque aerē
attrahere. Omnes autem prædictæ affectiones communē
habent difficultatem tranſglutiendi: ita tamen vt in alia
plus, in alia minus hoc malum augeſcat. Accidit etiam eis
potum aſſumptū ad nares reflecti. atque hæ ſanè ſunt af-
fectiones: curatio autem earū in paucis variat. Aretæus
autem inquit, Anginæ cauſæ multæ exiſtūt, maximè au-
tem frigiditas magis quàm ardores, & plagæ, & oſſa ex
piſcibus ad tonſillas impacta, & potus frigidæ ebrietas,
nimia ſatietas, & quæ ſpiratione attrahuntur mala. Ar-
chigenes autem ait, occultæ anginæ cauſam eſſe in qui-
buſdam, neruos qui ad ſtomachum deferuntur, dum ma

A lè afficiuntur, & pòſt inferioribus membris, pulmoni in-
quam & cordi reſpirandi, principium inflammant: arte-
riis verò quæ carotides appellantur, itémque aliis adiacē-
tibus, inde inflammationem tranſmittunt. At verò quòd
hi qui ſic afficiuntur, non fiant attoniti, inde eſt quòd hu
ius affectionis cauſa intemperies ſola exiſtit; non etiam
coarctatio locorum. Cōueniūt igitur, inquit Archigenes,
eis ea quæ vomitoriam vim obtinent, velut eſt elaterium
& ſquama æris illita cum melle. Ego autem, inquit, ab oc-
B culta angina prehenſos ex ſinapis gargariſmo releuo,
móxque in balneum induco: atque ita multos à periculo
liberaui, quibus affecta particula obliuioni tradita fuit,
per diſtributionem videlicet in vniuerſum corpus ſana-
tos. Aretæus autē inquit, Cucurbita accipiatur, primúm-
que infra vmbilicū adhibeatur, mox ad latera dorſúm-
que & ſcapulas, ita vt aſſiduè à loco vno ad alterum trāſ-
feratur, & in admolitione ex ſupernis locis deorſum tra-
hatur. Quòd ſi vehementer vrgeat ſuffocatio, ſinapi aqua
tritum & vili panniculo exceptum pectori impone. Ad
delingēdum verò conueniunt eis, ſinapi, nitrum, hyſſopū
C ſquilla aſſa, ſulphur viuum. omnia paribus portionibus cū
mellis cochleario permixta delingenda exhibe. Archi-
genes. In principio igitur, compendiarium & præceps
auxilium omnis angina requirit. Quandoquidem autē
ferè iuuenibus accidit, eueſtigio cubiti venā eis incidere
oportet, niſi quiddam maioris periculi impediat: auferre
autem ſanguinem parcè, non vſquequo animi defectio ſe
quatur: citius enim hi animo linquuntur, & aliâs ſanè ex
refrigerationibus & animi defectione perfacilè materia
à faucibus ad pulmonem defertur, & ineuitabile pericu-
lum infert. Curandum etiam vt modica fiat deductio ve-
D næ. nam cum in aliis tum in magnis venæ diductioni-
bus aceruatim animi defectus irruit. neque tamen angu-
ſtiorem facere venæ inciſionem conuenit, ne ſanguis ve-
lut percoletur, & craſſior eius pars intus remaneat, quæ
cauſa huius affectionis exiſtit. Vtilis eſt autem eis repeti
ta detractio in ſequenti die, niſi præpediat ægri timor
aut animi deliquium. Quòd ſiquid venæ inciſionem fie-
ri prohibeat, per clyſterem infundendum eſt centaureæ,
abſinthii, calaminthæ, & ariſtolochiæ decoctum, admi-
xto melle & plurimo nitro: poſtea etiam purgatiua dan-
E da, quæ magis pituitam ducunt. conuenientiſſimum au-
tem aliquando in angina eſſe videtur, elaterium: verùm
non oportet niſi cum ſero lactis & cnico in ſero cocto i-
pſum propinare. Conuenirent etiam eis ex aloe & colo-
cynthide catapotia, ſi modò queant deglutire. ſi verò con
fidentior contingat medicus. bonum eſt & hieræ Archige
nis ex colocynthide drach. tres cum aliqua ex prædictis
decoctione per clyſterem infundere, vbi prius aliquo ſter
corum eductiuo euacuauerit. Poſt vniuerſales autem eua
cuationes, cucurbitas apponere oportet: & ſi quidem tu-
F mor circa maxillas, aut ſub mento perſiſtat, in ipſum tu-
morem, & cum ſcarificatione plurimum ſanguinem ex-
trahere, ſaléque reſpergere ſciſſuras & confricare. Quòd ſi
nullus extrinſecus tumor appareat (veluti fieri ſolet in ea
quæ occulta appellatur cynāche) retrò ſub colli neruo in-
figenda erit cucurbita iuxta primū verticulum, & cōſtan-
ti attractione vtendum, & frequentius cucurbita auellē-
da. Ea enim inſtantia factis vertebrarum diſceſſibus ac lu
xationibus probè ſe opponit: deinde vbi pauliſper à reli-
G quorum remediorum adhibitione quieueris, cataplaſma
tis vtendum, tum eadem die, tum etiam in ſequenti. Ma-
iorem verò ſpem in ſequentibus diebus in illitionibus &
gargariſmis reponere conuenit. Itaque vbi initium ſit cū
multa inflammatione, ea quæ leniter adſtringunt offerē-
da ſunt primùm, velut eſt roſarum, lentium, palmarúmq;
decoctum, flos roſarum ex hydromelite, rhus cum hydro
melite decoctus, & decoctum myxarum. Quòd ſi excoria
tio contingat corpuſculorum, panis cremor exhibendus
eſt calidus, aut furfurum decoctum colluant, aut etiā lac
H ſolum. Ego autem, inquit Archigenes, ſiccum pharmacū
in promptu habeo, Ex rhois culinarii drachmis octo, flo-
rum roſarū drachmis IIII. coſti autem & croci cuiuſque
drachmis II. Ex quo ſanè in aquā mulſam inſpergo, & in
gargariſmate vtor, atque inflammationes & vlceration

entllaſi

tonſillarum facillimè ſano, etiamſi contingant quibus illæ ad ſummum, progreſſum minentur: quin & illitiones manſuetiores inflammatis commodæ ſunt, velut eſt ea quæ ex moris conſtat, & rhois culinarii cremor in hydromelite coctus donec cogatur. oportet autem præmacerare ſufficiēter rhoē ipſu donec abūdè aqua mulſa ex eo colorē accipiat, & in ſapore vim ei⁹ repreſētet. Probè etiā facit mali Punici integri vnà cū corticib⁹ fracti ac contuſi ſuccus melle permixtus, ita vt ad ſucci partes tres vna mellis coniiciatur, & donec cogatur decoquatur, ac illinatur. Quòd ſi ad nullum dictorum remediorum malum cedat, ſed ſemper multitudo humorum augeſcat, venæ ſub lingua incidendæ ſunt, aut quæ ſunt in fronte, aut etiam circa magnos angulos oculorum: forinſecus autem aſſiduè lanæ circum collum ponantur oleo calido madefactæ, aut ceratum ex oleo Cyprino apparatum adhibeatur, aut, ſi malis, ex gleucino ſiue muſteo. Quòd ſi diutius moram traxerit, abſceſſum expectare oportet, & tum ſanè conuenientius erit ficuum decoctum ad colluendum: multóque magis ſi hyſſopum ei coniiciatur. Neque verò incommodus fuerit in his qui aliquo modo ſunt exulcerati, crocus cum aqua mulſa, & decoctum radicis dulcis. In vigore autem, omnium vtiliſſimus exiſtit ſuccus ptiſanæ aut alicæ ore collutus: nam & à multis minis liberat, & abſceſſus metum eximit confeſtim. Qui ſi non adſit, furfures probè cocti ei ſuccedere poſſunt. atque hæc quidem iis cōueniunt. At in angina ſiue inflammatione ac vlcere, vbi ſola multitudine ægri obturati periclitantur, iis quæ acriora ſunt periculum eſt faciendum: ſunt enim tunc etiam in principio conuenientiora, poſt vniuerſales tamen euacuationes. Itaque hydromeli meracius pro fuerit, ſi cum eo hyſſopum aut origanum decoquatur. Si verò in ſuperioribus partibus, aut iuxta fauces malum perſiſtet, ſinapi tritum cum aqua mulſa & percolatum gargariſſandum exhibebimus. Conuenit etiā caſiæ decoctum, & iridis, & radicis panacis, gentianæ, centaureæ, ariſtolochiæ, agarici, & radicis cucumeris agreſtis. vnumquodque autem cum hydromelite ſatis diu decoquatur donec ſucculentum reddatur. Vſus ſum etiam in occulta angina ex ſinapi gargariſmo, & ſæpe à periculo ægros liberaui. Illitio autem iis valde conueniens, iis inquam qui citra exulcerationem, anginam patiuntur, eſt ea quæ ex ſemine rutæ ſylueſtris apparatur: & quæ ex vſtis hirundinibus conſtat: quarum apparatum paulo pòſt vnà cum aliis remediis deſcribam. Iuuantur etiam fotu vaporis intra os accepto, hoc modo:

Origanum, hyſſopum, ſatureiam, fœniculi ſemen, cum aceto plurimo & nitro feruefacito in olla diligenter operta, operculo foramen habente in medio: deinde arundine ori ægri & foramini adaptata, ſinas foueri. ſi verò ex feruore arundinis os aduratur, ouum vacuum paruum vtrinque perforatum ore contineant, & per ipſum arundo immittatur. mollius autem fomentum fuerit, ſi pro aceto poſcam affuderis aut aquam. Cæterùm magis lancinantia offerre illis oportet, quò rurſus inſurgat caro, & tranſmutare queat eam quam in profundo pertulit coarctationem. In dubium enim ſæpe venit & ferè deſperationem præ feritate morbus, vt & odioſa exhibere quibuſdam neceſſarium fuerit: ſiquidem humano ſtercore quoſdam vſos eſſe conſtat pro illitione, & magnum ſanè commodum repererunt. Alii autem recenti vſi ſunt, alii verò exſiccato & trito, ita vt cum nardo vel myrrha id permiſcentes, fœtorem celarent. Ab acrioribus autem & iis quæ dilaniantem vim obtinent, ad mediocria eſt tranſeundum: velut eſt Andronis paſtillus, & ſimilia. Vtilia etiam iis ſunt ea quæ vomitoriam vim obtinent, maximè illis quibus grauitatis ſenſus circa ventrem hæret. Archigenis remedium, quo vtor (inquit) ad occultas anginas: mirabiliter etiam conducit anheloſis: Elaterii oboli dimidium, ſpumæ nitri obolos tres, ſinapis drachmam vnam, contere cum aqua & informa. Mouet autem vomitum elaterium cum oleo aut melle tritum & penitiſſimè illitum. multò autem efficacius id præſtat, ſi ſquama æris ei commiſceatur, aut ipſum æs vſtum, oleo Cyprino tritum illitum. Probè etiam facit fel tauri illitum, & nitrum cum aceto mulſo potatum, & centaureæ ſuccus cum melle, aſelli ſub aquario ſtabulātes vaſe cum melle delincti. Quidam naſturtii ſemen tritum bibendum exhibuerunt quantum cochleario accipi poteſt cum aqua mulſa. nec ita longè pòſt pituitam vomuerunt illi craſſiſſimam & tenacem, ſtatimque à plurimis moleſtiis ſunt liberati. Aliud. Stercoris gallinacei albi, & colore ceruſſam referentis, bonam copiam exſiccatam & repoſitam aſſerua. vbi verò vſus poſtulat, quantum cochleario accipi poteſt, in aqua aut aqua mulſa dilutum propina. etenim deſperatos etiam ſanat. Quòd ſi bibere nequeant, tritum melle quampenitiſſimè illini. Aliud ad idem: Centaureæ drachmas octo, nitri drachmas octo, ſalis communis drachmas octo, contere & repone ſiccum. Vſu verò exigente melle imbue, & cum pinnula illine, aut quomodo videbitur vtere confidenter. nam periculum eius factum eſt. Aliud. Abſinthium contuſum & cribratum, adiecto nitro trito, illine cum melle. Aliud. Elaterium cum felle taurino & melle contritum illine. Compoſitio ex ſemine rutæ ſylueſtris ori commoda, Andromachi. Ad anginas & deſperatos (inquit) hac vtor. ſummè etiam prodeſt ſtomachicis, & ad tormina inteſtinorum, fabæ magnitudine exhibita ex frigida: Seminis aniſi, ſeminis apii, floris iunci odorati, ammii, aluminis ſciſſi, iridis Illyricæ, ſeminis rutæ ſylueſtris, quod quidam harmala, alii beſaſa appellant: cinnamomi, myrrhæ troglodyticæ, ariſtolochiæ longæ, ſingulorum vnciam vnam, caſiæ, crocomagmatis, roſarum ſiccarum, cuiuſque vnciam vnam, coſti quadrantem, cineris hirundinum recèns vſtarum quadrantem, croci ſeſquiunciam, ſpicæ nardi drachmas quatuor, amomi drachmas quatuor, gallas omphacitidas numero octo, contere, & melle excipe, ac vtere. In principio quidem pharmacum hoc cum decoctione aliqua mediocriter adſtringente, quales ſæpe diximus, dilue: iuxta vigorem verò cum ptiſanæ ſucco: iuxta remiſſionem autem & declinationem, melle, aut hydromelite, aut vino mulſo: inueterata autem & velut indurata inflammatione, aceto mulſo. Philagrius autem inquit, Aliquando poſt prædictas vniuerſi corporis euacuationes, & adhibitiones cucurbitularum, & inciſionem venarum ſub lingua, miſcemus etiam alia quædam ad præſcriptum pharmacum, quæ partim quidem irruentem fluxum reſtringunt, partim autem omnia quæ iam inſident diſcutiunt. Coniiciuntur autem ex rutæ compoſitione drachmæ octo, gallæ omphacitidis drachmæ octo, & ſtercoris canini albi, ac humani ſtercoris ſicci, cuiuſque drachmæ octo. Verùm (quemadmodum & antè dictum eſt) ſtercus canum accipere oportet, eorum qui antea per biduum oſſibus ſunt nutriti: humanum verò ex puero biduo pane & lupinis nutrito. Vomitorium Marciani, quod & ad opertas & manifeſtas anginas prodeſt. Præexige (inquit) mercedem: Æris vſti drachmas duodecim, atramenti ſutorii drachmas duodecim, myrrhæ drachmam vnam, elaterii drachmam vnam, ſpumæ nitri drachmam vnam, fellis taurini drachmas quatuor, excipe melle, & cū pinnula quampenitiſſimè illine. Archigenes autem inquit, Stercus humanum quale prædiximus, accipe & exſicca, ac in vili panniculo ligatum exure, atque cum aqua mulſa dilutum propina. eſt enim remedium eorum qui iam ſuffocantur. Antonius verò Muſa inquit, Stercus caninum quale prædiximus accipe & exſicca, contuſóque & cribrato vtere ad anginas, cum melle quampenitiſſimè illinens, vt tranſglutire poſſint. Eo enim nullum potentius pharmacum noui (inquit Galenus) neque ex angina laborantibus, neque ad magnas tonſillarum inflammationes, neque ad glandularum tuberculorúmque gutturis ſuffocationes iam periculum minantes. Probè facit etiam cum aceto mulſo & pice liquida illitum caninum ſtercus. Summè etiam auxiliatur ad anginas, confectio ex vſtis hirundinibus, cuius compoſitio hæc eſt. Compoſitio ex hirundinibus

vſtis: Cineris hirundinum ſylueſtrium vſtarum drachmas octo, croci drachmas duas, ſpicæ nardi drachmā vnā, excipe melle & permiſce hoc modo, vbi iam incubuerint affectiones. Oportet autem exurere hirundines hoc modo: Pullos hirundinum viuos non deplumes, addito congruentis modi ſale, in fictile vas coniicimus, idque obturatum ſuper prunas ponimus, donec puluis & cinis fiat, quo contrito vtimur. Aliud ex hirundinibus, itidem valens ad anginas: Hirundinum vſtarū pullos numero vndecim, ſucci myrti viridis cyath. duodecim, myrrhæ obolos tres, mellis cyathos duos. hirundinum pullos exure & contere: deinde omnibus ſimul mixtis vtere. Aliud cuius experimentum conſtat: Folii, coſti, caryophylli, piperis, cuiuſque vnciam vnam, ſandarachæ trientem, excipe melle deſpumato, & illine. Aliud. Cochleas nudas citra teſtam in hortis repertas, in ollula exure ac contere, ciueréque melle excepto vtere. Eſt etenim eiuſmodi remedium, quod præſentem opem affert. Simili modo etiam cancrorum vſtorum cinere vtendum eſt cum melle: & decoctum quoque cancrorum ore collutum vtile exiſtit. Ego autē cancrum in aquæ hemina tritum percolo, ipſámque aquam calefactam gargariſſandam exhibeo: craſſa enim educit multa, & releuatur confeſtim æger. Aliud. Centauream minorem ſiccatam exure, cinerémque illine cum melle. Aliud. Maxillæ porcelli vſtæ vnciam vnam, ſtercoris canini albi drachmas quatuor, malicorii vnciam vnam, gallarum vnciam vnam, coſti drachmas quatuor, piperis torrefacti ſcrupulos ſex, miſce cū melle, ac vtere. Valde autem magna ſolicitudine ac contentione opus eſt etiam tum quum malum remittere videtur: etenim ea quæ iam ex profundo corporum circa fauces attracta ſunt, ex improuiſo in pulmonem tranſferuntur, ſi negligantur: atque ita repentina mors ægro infertur.

De glandulis, Cap. XLVIII.

OMnibus hominibus carunculæ quædam exiguæ naturales iuxta vtraſque tonſillas extant, antiades *Græcis, Latinis glandulæ* appellatæ, quæ quum naturalem modum ſeruant, nihil moleſti inferunt: verùm vbi iuxta affectionis proprietatem augeſcāt, & modi maioris quàm ſecundum naturam ſuam fiant, tunc ſanè & trāſglutitionis & ſpirationis difficilis cauſæ exiſtunt. Conſiſtunt autem ferè intotum citra inflammationē, & paulatim etiā augeſcunt. aliquando autem & inflammationem patiuntur. Diducto itaque ore, manifeſtè apparent glandularum tumores maiores, citra quidem inflammationem, tonſillarum corpuſculis concolores: inflammatæ verò, rubicundæ & inferentes dolorē. Quare quum inflammatio affuerit, gargariſmis & illitionibus ad tonſillas inflammatas deſcriptis eſt vtendum. Quum verò citra inflammationem conſiſtunt, conari oportet vt per commoda pharmaca paulatim deprimantur, & per admoti digiti compreſſionē. Remedia autē ad glandulas abſque inflammatione auctas, talia conueniunt: Gallæ omphacitidis, ſalis ammoniaci, aluminis ſciſſi, cuiuſque vnciam vnam, adhibe ſiccum. Aliud. Myrrhæ ſextantem, gallarum drachmas octo, miſyos drachmas duas, ſalis torrefacti drachmas duas. vtere ſicco. Aliud. Gallarum, miſyos, myrrhæ, aluminis liquidi, æquales partes accipe, & ſiccis vtere, vel cum melle. Aliud Aſclepiadæ: Remedium ad glandulas accommodatum: Gallarum omphacinarum drachmas quatuor, diphrygis drachmā vnam, myrrhæ drachmas tres, croci drachmas tres, mellis quantum ſuffecerit. hoc pharmacum citra vlcerationem glandulas reprimit.

Aliud Apolloniadæ: Diphrygis drachmas duas, chalcitidis aſſatæ drachmas duas, gallarum drachmam vnam, croci drachmam vnam, myrrhæ drachmam vnam, excipe melle, & vtere. Chirurgia. Verùm ſi pharmaca vincantur, excindere glandulas oportet. quod vt commodius fiat, æger in claro & ſplendido loco collocetur: & diducto ore vnaquæque glandula vncino producatur, & excindatur. excinditur autem ex ea id quod ſupereminet, iuxta medium eius quod præter naturam excre-

A uit. Qui enim dum omnē quæ præter naturā accreuit carnem excindunt, etiam naturalē carnē ex fundo auferunt, periculoſæ ſanguinis eruptionis authores fiunt. Poſt exciſionē autē poſca frigida colluenda detur, ad ſanguinis videlicet inhibitionē, & poſt eā frigidiſſima aqua. Poſt quā aūt ſāguinis eruptio cōſtiterit, ſatis longa intercapedine tēporis facta, aqua mulſa tepida exhibeatur: ſequētibꝰ verò diebꝰ, etiā cū ea illitiones afferātur, quales ſunt ad vlceratas tōſillas deſcriptæ. Raro autē, quādo videlicet vlcera eminentiora apparent, florido ſicco ipſas tōſillas B attingimus. per hoc enim eminentiæ deprimuntur, & cicatricis inductio perficitur.

De ſuffocatorum reuocatione,
Cap. XLIX.

REuocantur aliquando ſuffocati ac ſtrangulati, aceto ori infuſo cū pipere, & ſemine vrticæ. verū difficulter tractari poſſunt vt admittāt: cogere itaque oportet ac ori infundere, ad vomitionémque irritare. Rubore autē circa collum diſſoluto, ſtatim reſpiciunt ac relaxantur. quare oleo multo calido, & lana, aut cerato, col- C lum aſſiduè circum circa eſt amplectendum. Similiter etiam naufragos reuocare oportet, ſi quidē reſpiratio adhuc in eis ſeruetur. Prius autem in caput ipſos ſuſpendere conuenit, ac cogere quò abſorptam aquam euomant, ſiue pinnularum ſeu digitorum irritatione: forinſecus verò manuum impoſitione iuuare oportet ventris firmitatem.

De deuoratis ac fixis in tonſillas ſpinis, atq; iis quæ
in aſperā arteriā delabuntur, Cap. L.

SI in aſperæ arteriæ extremum, atque ipſam adeo aſpe- D ram arteriam, aliquid eorum quæ deglutiuntur prælapſum fuerit, tuſſis prouocanda eſt, per acetoſam aliquam qualitatem: & ſternutatorium quoque naribus admouendū. Ex vehemēti enim agitatione, & inſtantia, & ſpiritu ſimul cum violentia quadā expulſionem adiuuāte, eiuſmodi conſueuerunt excerni. Si verò iuxta tōſillas, aut iuxta principium ſtomachi ſeu gulæ, ſpinæ aut oſſa fuerint infixa, ita vt oculis ſubiaceant, atque plurima ſui parte extra tonſillas promineant, volſella apprehēſa extrahere oportet. Quum verò in inferioribus gulæ locis E quid adhæſerit, hoc modo: Spongiā paruā reſina terebinthina madefactam, aut carunculam crudā recentē inciſam, vnà cum filo valido ipſi alligato, deglutire coge, & mox comprehenſam per alligatum filum rurſus extrahe: hoc enim modo ſæpe etiā id quod infixū fuit, ſimul extrahi conſueuit. Conuenit etiam panis recentis interioris buccellas deglutiendas exhibere citra commanducationem: aut caricam aliquantiſper circummanducatam, non tamen penitus diſſolutam. Quū autē ad fundum vſque ipſorum corporum penetrarit, neque extrahi potue- F rit, aqua mulſa gargariſſada exhibeatur, & cibi ſorbiles, velut ptiſana cum melle, aut alica ſimiliter: aut micæ aqua mulſa calida maceratæ offerantur. Forinſecus verò ceruici atque vniuerſo collo lanam oleo calido imbutā imponere oportet, ſimilitérque cataplaſmate calido laxante ac deprimente collum contegere conuenit: velut eſt id quod ex ſemine lini cū aqua mulſa apparatur. Hoc enim ductu tum locus ipſe ſuppuratur, tum ſpina cōmota, ſimul cum his quæ deglutiuntur, deducitur. Aliud ad eductionem eorū quæ in tonſillas deuorata ſunt. G Statim te ad ægrum deſidētem conuerte, ipſúmque tibi attendere iube, ac dic, Egredere os, ſi tamen os, aut quicquid tandem ex iſtis: quemadmodum Ieſus Chriſtus ex ſepulchro Lazarū eduxit, & quemadmodum Ionam ex ceto. Atque apprehenſo ægri gutture dic, Blaſius martyr & ſeruus Chriſti dicit, Aut aſcende aut deſcende.

De arteriarum pharmacis, Cap. LI.

ASperæ arteriæ extremum & ſubiacentem ipſi aſperā arteriam, cum ſuis propriis muſculis, pellicula quædam fortiter complectitur & ambit. Quando igitur af- H fectio aliqua, ſiue iuxta eam ipſam pelliculam, aut circa extremi ipſius arteriæ muſculos contingit: remedia quæ vim medendi eam obtinent, arteriaca communiter appellātur. Afficitur autem pellicula hæc aut ob nimiam humectationem, aut aſperitatem, aut vlcerationem. Vo-

cis enim nocumenta, videlicet eius interceptio, hoc eſt nō poſſe loqui,& raucitas in loquēdo,ad plures cauſas cō ſequūtur : aliquando quidem propter diuturnos ex capite defluxus,aliquando verò propter ſuppurationem thoracis & tabem . ex vociferatione etiam magna & plurima,raucedo vocis oboritur,& ob frigidi & inſueti flatus inſpirationem , & ob plurimam ac inſuetam potionem vini meraciorem. Verùm hæ affectiones magnitudine inuicem diſtant . etenim vehementius humectis vocis inſtrumentis,vocis interceptio contingit:mediocrius autem rigatis,vox raucoſa perficitur . Itaque qui ex vehementi clamore, amplius voce vexantur, conſimile quiddam patiuntur iis qui reliquis corporis particulis fatigatis & ex labore afflictis afficiuntur.Nam & pellicula quæ arteriæ extremum atque ipſam aſperam arteriam ambit, per magnas vociferationes extrà prolato ſpiritu perculſa,inflammatur . Et iuxta arteriæ extremum, vltra hanc plagam , muſculorum ipſum mouentium actio offenſa, maiorem affectionem operatur.Muſculi enim illi vocem operantes, ob magnas vociferationes , non ſolùm ab erumpente ſpiritu perculſi læduntur : verumetiam ſuperextenſi vehementer, maximam ſuſtinent laſſitudinem. Curatio autem horum coincidit cum iis qui alias particulas corporis habent fatigatas. Balneum enim dulcium &bene temperatarum aquarum,magnopere iuuat omnes phonaſcos *Græcis* appellatos , qui vocis exercitio magno vtuntur : citharœdos inquam, & præcones,& tragœdos, quum cōtendendo oblæſerint vocem. Quemadmodum autem oleum forinſecus illitum,omne corpus à fatigatione refocillat:ſic & cibi mordacitate carentes & deprimentes ac laxantes,tum affectam arteriæ pelliculam,tum ipſos muſculos, & pharmaca arteriaca vim obſtruendi meatus habentia,iuuant.Quum igitur afflictiones ac laſſitudines velut diſtendentes circa extremi ipſius arteriæ muſculos, & ipſam pelliculam generantur, in principio quidem leniſſima edulia conueniunt : pharmaca verò obſtructoriam meatuum vim habentia. Sedata autem inflammatione aliquod ex modicè repurgantibus eſt adhibendum:deinde rurſum aliud, ſed priore præſtantius, vt paulatim ad medium repurgantium perueniatur : deinde,ab hoc adhuc fortius diſcuſſorium adhibeatur , vt hoc modo ſemper ad vehementius progreſſus fiat,quando videlicet diutius veluti indurata affectio in vocalibus organis perſtiterit : Primi itaque ordinis erit tragacantha, & gummi,& aſter Samius, amylúmque , & ex alica ac trago probè decoctis ſorbitio. lac etiam conueniens eſt,& dulciarii panes, oua ſorbilia, & nuces pineæ madefactæ,ſeſama, & ſapa quæ ſireon quoque & hepſema appellatur.Hæc itaque inflammatis affectionibus circa arteriam arteriæque extremum,conueniunt: quibus vtendum donec moderatior inflammatio fiat . A vini autem potu abſtineant hoc tempore intotum. Poſtquam autem inflammatio moderatior reddita eſt , paſſum theræum exhibendum eſt , & ſapa . butyrum quoque conueniens eſt, & amygdalæ vnà cū ſorbitionibus decoctæ: lac item ac mel diutius cocta , amylo ipſis iniecto : quòd ſi non adſit,panis ſiligineus ſiccus contuſus & cribro excuſſus, lacti dum coquitur infarciendus eſt. Manifeſtum itaque eſt,quòd per huiuſmodi victum, tum pellicularum,tum muſculorum circa arteriæ extremum atque ipſam arteriam , inflammatio ſedatur . Relinquitur autem humiditas multa , propter quam impoſsibile eſt vocem eſſe claram,niſi rurſus eduliis vtantur & pharmacis mordacitate carentibus & repurgantibus , velut eſt faba elixata, & ptiſana, & ſemen lini torrefactum . Hæc enim medium obtinent inter ea quæ mediocri vi prædita ſunt , & ea quæ meatus obſtruunt pharmaca. His autem amplius repurgat reſina terebinthina,& thus cum deſpumato melle,amygdalæ amaræ,braſsicáque & probè decocti porri.Iis verò adhuc fortiora ſunt,farina erui,hormini ſemen , iridis radix & panacis . Omnibus autem prædictis,maximè mollibus, paſſum Creticum, deinde theræum & ſcybelites conuenienter miſcentur:ſapa quoque quam ſireon & hepſema vocant , ex muſto ad tertiam partem menſuræ decocto apparata , omnium maximè meatus obſtruit,citra etiam mordacitatem meatus lenit: Quod verò ex caricis apparatur decoctum ad mellis ſpiſſitudinē,magis diſcutit ac repurgat.Omnium itaque ſimplicium pharmacorum vires noſſe oportet, eum qui aliquod compoſitum eſt facturus. Qui enim eas nouerit,etiam eis quæ ab aliis compoſita ſunt rectè vtetur, maximè quū indefinitè fuerint deſcripta.His igitur præexplicatis,arteriacas cōpoſitiones à veteribus deſcriptas ſubnectem⁹. Arteriaca ad vocis aſperitates,in principiis exhibita leniſſima:Gummi drachmas duas, tragacanthæ drachmam vnam, ſapæ ſextarium vnum . Gummi & tragacantham contuſa & cribrata , cum ſapa contere donec diſſoluantur:deinde ſuper prunas fumum non emittentes decoque , donec non inquinent teſtæ inſtillata. exhibe autem ex ea ſub lingua tenendum. Alia arteriaca. Gummi quincuncem ; paſſi ſextarium vnum; mellis libram vnam . Gummi modica aqua dilue & ad reliqua coniectum ſuper prunas non fumantes decoque, vt prædictum eſt. Ante ſomnum verò delingendum exhibe. Antonii Muſæ, ad vocis interceptiones. Braſſicæ viridis cauliculos depurgatos manducandos exhibe, & quod inſtar palearum exſuccum eſt expuere iube : ſuccum autem ipſum deglutire. Aliud. Succi eryngii aqua decocti heminā vnam , ſucci ficuum aqua decoctarum tantundem , gummi læuiſſimè triti drachmas octo , decoque ſimul diligenter, donec ad arteriacæ craſſitudinem redigatur,& delingēdum exhibe ex eo ante ſomnum vſque ad cyathi menſurā . Alia arteriaca,ad aſperitates,raucitates,tuſſéſque , & ſputū ſanguinolētum: Amygdalarum amararum decorticatarum numero vigintiquinque, ſeminis lini torrefacti drachm. quatuor,tragacanthæ drachmas duas,oui in fermento aſſati vitellum.tragacantham in modica aqua maceratam, vnà cum reliquis omnibus paſſo excipe.Si verò ſonus vocis ſit fract⁹,mel pro paſſo admiſce,maximè ſi ex pectore aliquid educi oportet. Aliud. Braſſicæ ſuccum cum melle decoctum delingendum præbe, & confeſtim auxiliabitur.

Ad inueteratas affectiones variæ arteriacæ, Cap. LII.

ORibaſii,ad aſperitates & ſuperfluam vocem: Croci drachmas ſeptem,radicis dulcis,ſpinæ nardi, cuiuſque drachmas quatuor, myrrhæ drachmas tres, thuris drachmas tres , ſeminis hyoſcyami drachmam vnam, mellis deſpumati vncias ſex,piperis albi grana quinquaginta.exhibe ſub lingua tenendam magnitudine fabæ. Alia arteriaca ſub lingua tenenda, ad ſuppreſſam vocem, raucoſos & cruenta reiectantes. Tragacanthæ drach.ſex, gummi drachmas ſex, myrrhæ drachmas duas, obolos duos,thuris ſeſquidrachmam,piperis albi grana viginti, croci drach. vnam, ſucci radicis dulcis drach.ſex, carnes phœnicobalanorum numero trium, paſſi Cretici quantum ſatis eſt . Gummi & tragacantha contuſa & cribrata paſſo macerantur cum radicis dulcis ſucco : quòd ſi non adſit ſuccus , radicem tuſam & donec cogatur decoctam coniicimus quadruplici pondere. Alia arteriaca, quæ etiam ad tuſſim prodeſt: Seminis lini contuſi & cribrati,vuarum paſſarum pinguium ſine vinaceis, nucum pinearum toſtarum,nucum auellanarum mundatarum, æquales partes in farinam redactas,melle cōcto ſufficienti excipe,& cochleariū exhibe ante ſomnū. Eclegma quo vtimur:Vini ſcybelitæ ſextarium vnum,gummi ſeſcuncem,mellis dodrantem. Gummi pauca aqua præmacera , deinde omnia ſimul contrita in diplomate decoque; ac vtere. Aliud,Charixeni. Succi radicis dulcis drachmas ſex , tragacanthæ drachmas ſex, croci drachmas duas,myrrhæ, thuris, cuiuſque drachmam vnam, ſpicæ nardi drachmam vnam, paſſi protropi chœnices tres: decoque donec in mellis modum cogantur , ſiccis probè commixtis,ac vtere. Eadem enim poteſtate valet qua & ſequens. Aliud , ſub lingua tenendum ad ſuppreſſam vocem, ac reliquas circa arteriam affectiones:Tragacanthæ drachmas duodecim. gummi drachmas duodecim, myrrhæ drachmas tres,thuris drachmas tres,carnē phœnicobalanorum numero ſex, radicis dulcis drachmas

vi. paſsi protropi aut theræi quantum excipiẽdis his ſatis eſt. A ſit autem paſſum ipſum præcoctum ad mellis craſsitudinem. Exhibe fabæ Ægyptiæ magnitudine ſub lingua detinendum, & diſſolutum deglutiendum. Alia arteriaca, faciẽs ad vocem fractã, raucoſam, & ſuppreſſam, inflammationes tonſillarum. vtilis eſt phonaſcis & ante & poſt certamen exhibita. iuuat refrigeratos. prodeſt veteri & recenti tuſsi, ſpuentibus ſanguinem, & ſurſum reiectantibus, & cœliacis. conducit etiam ad anhelitus fœtorem. Croci drach. iii. myrrhæ drach. i. ſucci radicis dulcis B drach. i. paſsi Cretici ſextarios iii. paſſum ad tertias decoque & cum eo prædicta excipe ac vtere. Aliud, ad vlceratam arteriam, Charixeni. conuenit etiam phonaſcis, *hoc eſt qui uocis exercitio utuntur*, ante certamen & poſt exhibita. facit & ad circumdolentes oculos, extrà impoſita lana ex eo madefacta, & ad interaneorum affectiones delincta. Gummi drach. xii. tragacanthæ drach. xii. thuris drach. iii. myrrhæ drach. iii. croci drach. ii. ſucci hypociſtidis drach. ii. paſsi ſcybelitæ ſextarium vnum. Gummi & tragacantham contundito & cribrato vnumquodque ſeorſim, & cum modico paſſo diluito, reliqua verò fracta & præmacerata ſimiliter cum modico paſſo cõterito. C Crocum verò in raro laneo panno ligatum, in ollam appendito, in qua reliqua coniecta ac aſsiduè agitata decoquuntur: deinde extracto croco, & probè contrito, reliqua omnia in pilam coniiciantur, & vt cocta ſunt, cum croco vniantur, & vtitor. Alia arteriaca, ex cuius vſu ſæpe magnam laudem aſſequutus ſum. Nuces pineas ſexaginta, amygdalas amaras delibratas quadraginta, carnem phœnicobalanorum ſex, ſucci radicis dulcis ſcrupulos duodecim, croci ſcrupulum i. myrrhæ ſcrup. i. tragacan- D thæ ſcrupulos vi. paſsi Cretici quãtum ſufficit. Quibus verò eductione ex pectore opus fuerit, mel & ſapam adde.

Alia, Andromachi. Pinguedinis gallinæ recentis quadrantem, mellis heminam i. decoque ſimul, & cum rutæ ramulis agita donec cogatur. exhibe eam ieiunis, & poſt cibum, & ad noctem. Sorbitio ad ſuppreſſum ſonum, maximè ab humore. conuenit etiam phonaſcis: Porros in aqua ad tertias decoque, atque ipſos quidem abiice, aquæ verò alicæ ſuccum admiſce, & mel & ouorum lutea iii. quæ vbi commiſcueris, ad tertias decoque, & ex- E cola: deinde affuſo ſapæ optimæ ſextario i. rurſus donec cogantur decoque, ac ramulis anethi circumagita. da ex ea manè & veſperi cochleare vnum. Arteriaca neceſſaria, phonaſcis commoda: expertus ſum etiam eius valorem ad rauceſcentes ob humiditatem plurimam: Coſti, folii, ſpicæ nardi, amomi, piperis, caſiæ, maſtiches, cuiuſque drachmas quinque, opii drach. ii. mellis & ſucci mororum æqualiter mixtorum quantum ſatis fuerit. excipe pharmacum cum eis, quò viſcoſa coactio reddatur, & vtere. Exhibe ſub lingua tenendum magnitudine nu- F cis auellanæ. caueto ne nimis ſolidum facias, vt facilius ſub lingua liqueſcat. Alia arteriaca, ad affectiones aſperæ arteriæ, & pulmonis, ad reiectantes ſanguinem, & omnia vitia manifeſta: maximè verò prodeſt crebrum & rectum anhelitum ducentibus: Squillæ depurgatæ coctæ drachmas ſex, ſeminis lini drachmas duas, ſeminis vrticæ drachmas duas, ſucci verbenacæ exiccati drachmas duas, thymi drachmam vnam, farinæ erui drachmas ii. pulegii, iridis, betonicæ, aniſi, naſturtii, apii, ſeminis fœniculi, ſeminis anethi, piperis, fœnigræci, cuiuſque dra- G chmam vnam, excipe melle Attico: exhibe manè & veſperi quantum cochleari accipi poteſt. Alia, ad arteriæ affectiones, & pulmonis vlcera, reiectiones puris & ſanguinis, deſtillationes ad pectus, & ad eductionem eorum quæ in pulmone coaceruata ſunt valde efficax. Reſinæ terebinthinæ, croci, thuris, myrrhæ troglodyticæ, terræ quæ aſter appellatur, cinnamomi, nucum pinearum purgatarum, radicis dulcis, ſingulorum drachmas quatuor, amomi, tragacanthæ, carnis palmarum pinguium, cuiuſque drachmas tres, ſpicæ nardi drachmas duas, caſiæ drachmas duas, coſti drachmam vnam, galbani depura- H ti obolos quatuor, mellis Attici libras ſex. Mel & terebinthinam in diplomate decoque, atque vbi condenſari cœ-

A perint, galbanum præmollitum admiſce, ac donec non inquinarint amplius decoque, deinde agitando frigefacito, & cum reliquis contuſis in pila permiſceto. vſus eius eſt ſub lingua detentæ. Alia quæ ſimiliter ad omnia prædicta efficax eſt: Spicæ nardi drachmas quatuor, croci drachmam vnam, piperis grana triginta, radicis dulcis drachmam vnam, nucum pinearum depurgatarum numero centum, ſtyracis drachmas duas, balauſtiorum drachmas tres, tragacanthæ drachmã vnam, cinnamomi B drachmam vnam, amomi drachmam vnam, thuris drachmã vnam, mellis ſeſquilibram, aut paſſi Cretici heminas octo. paſſum in duplici vaſculo ſiue diplomate coquitur ad mellis ſpiſſitudinem, & ad reliqua arida in pila trita affunditur. Tragacantha autem tunditur, cribratur, & diluitur vnà cum ſtyrace in vino modico dulci, atque ita admiſcetur. exhibe ex eo cochleariũ vnum: expertus enim ſum ambo hæc adſcripta magna celebritate probari. Compoſitio ex capitibus papaueris varia: Capita papaueris centum & viginti in aquæ ſextarios tres coniecta, ad dies quinque macerato, deinde ad tertias decoquito, & abiectis capitibus ad aquam mellis ſextarium v- C num admiſceto. quibus ſimul ad ſpiſſitudinem mellis ita vt nõ diffluãt, croci, myrrhæ, acaciæ, ſucci hypociſthidis ſing. drachmam vnam infarcito, & ante ſomnum delingendum exhibeto. prodeſt reiectantibus ſanguinem, cœliacis ac dyſentericis. Ego autem ad huiuſmodi ex capitibus papaueris compoſitionem, quando ſcilicet ad libram vnam aquæ decem papaueris capita iniiciuntur, prædicta commiſceo, & pro pharmaco fluxiones ſiſtente ac repreſſiuo vtor. Alia ex libris Aſclepiadæ, pana- D cea Mithridatis. Iis qui vocis exercitio vtuntur, ante & poſt certamen vtilis. facit ad glandularum inflammationes, columellam laxatam, & ad gingiuas humore turgentes & vlcera ſerpentia oris, ad motos dentes, & deſtillationem, tuſſim veterem & recentem, ſanguinem ſpuentes ac rurſum reiectantes. Vtor ea aliquando citra admixtionem, aliquãdo autem paſſo aut ſcybelite vino, aut aqua calida diluta. Etenim ad tonſillarum inflãmationes atque conſimiles affectiones vtendum eſt pharmaco hoc diluto: ad eas verò quæ in profundo hærent, immi- E xto & puro. Verùm compoſitio ipſa hoc modo habet: Radices filicis quàm craſſiſſimæ diligenter lauãtur, donec terrenæ ſordes in totum diſcedant: deinde refrigerantur, in fruſta digitali magnitudine diſſectæ: ex quibus libras tres accipimus, & capita papaueris agreſtis mediocria cẽtum & quinquaginta, radicis ſymphyti depuratæ, corticis radicis mandragoræ, rhei Pontici, roſarum ſiccarum, iridis Illyricæ, radicis dulcis, balauſtiorum, ſingulorum quadrantem, caſiæ trientem, nardi Celticæ ſeſquiunciam, aquæ pluuialis ſextarios quindecim. Omnia prædicta craſ- F ſo modo contunduntur, & per triduum madeſcunt: deinde ſequenti die in diplomate ad tertias decoquuntur, exprimuntur & percolantur. In huius autem decocti parte, ſubſcripta per diem & noctem maceramus: ſunt autem gummi puri libra vna, tragacanthæ pellucidæ libra vna, myrrhæ troglodyticæ ſextans, ſucci radicis dulcis ſextãs, croci ſextans, ſucci hypociſthidis ſextãs, maſtiches vncia vna. ſequenti deinde die diligenter & paulatim hæc trita diluimus, & quod ſupereſt ex ipſo decocto ac expreſſo liquore paulatim adiicimus. & poſtea vinum G ſcybelites aut theræum, aut aliud dulciſſimum ſextariorum vigintiquatuor menſura, in vas fictile diffuſum decoquimus, donec ad mellis craſſitudinẽ redigatur: deinde adiectis etiam tritis omnibus, rurſus ad coactionem decoquimus, & ablatis vtimur. Datur ex hac quantum cochleari excipi poteſt. Compoſitio ex capitibus papaueris, ad tuſſes humidas, dolore affectam arteriã, & fauces, & ad deſtillationes à capite ad pectus. vtilis eſt etiam ad vigilias: Capita papaueris Thebaici mediocria vnà cum ipſo ſemine, decem, aquæ pluuialis ſextarium vnum, radicis dulcis parum quiddam: per diem vnum H præmacerato, donec flaccida tactu fiant capita, decoquito, exprimito & percolato, ac ad decoctum dimidium eius mellis adiicito, & rurſus ſuper prunas ad mellis craſ-

ſitudinem decoquito ac vtitor. Accuratior huius antidoti apparatus, atque etiam partim vſus, prædictus eſt Sermone quinto, De propriis ægrorũ potionib⁹ loco. Quòd ſi magis adſtringens alui profluuiorum facere velis; & ſanguinem ſpuentibus commodum, ſucci rhois rubri drachmas duas adiice, & acaciæ drachmas duas. hæc autē in paſſo diluta, tum demum quum ab igne ablaturus es pharmacum, in ollam coniice, & parumper feruefieri ſine, ac vtere, cochlearium exhibens ante ſomnum.

De deſtillatione ſiue catarrho, & narium muco, ex Galeno, Cap. LIII.

DEſtillationis & muci cauſa eſt cerebrum, quod quidem à frigore ad frigidam intemperiem deducitur: ab æſtu verò calefit & repletur. Vinum quoque vltra modum potatum, caput replet, & balnea calidiora, & largior perfuſio capitis ex aqua calida, maximè ſi alias calidius caput exiſtat: & cibus ſanè qui in ventre incoctus perſeuerat neque infra excernitur, in caput impetũ facit. Repletum itaque caput rurſus ad ſubiecta membra humores demittit: & ſi quidem ad nares hoc ipſum excrementum defluat, coryzam, *id eſt mucum* appellare conſueuerunt, & *Latini amplius grauedinem*: ſi verò ad gurgulionem, morbum vuam appellatum generat. Eſt autem affectio circa gurgulionem conſiſtens aut aliàs ipſum gurgulionem tumidum facit. Promptiſſima itaque eſt ad nares & ad os defluxus delatio, quanuis aliquibus etiam ad oculos, aliquando & ad aures deferatur. Atqui delationem ad os, etiam ſtomachus ſiue gula excipit, & aſpera arteria, atque ipſum adeo arteriæ extremum: quod ſanè extremum, ob ipſum ad ſe delatum à capite defluxum ſuperhumectatum, in principio raucoſam vocem producit, & progreſſu temporis etiam paruam. quòd ſi amplius augeſcat malum, vox ipſa in totum perditur. nam ipſa aſpera arteria vnà cum ſuo extremo permadeſcit. At ſi acrior fluxus ipſe exiſtat, non tantùm vocis damnum prædictæ particulæ patiuntur, ſed grauiſſima etiam eroſio accedit, talis naturæ quales circa cutem accidere ſæpe videmus citra vllam externã cauſam, eóque modo etiam pulmo ipſis exulceratur, vocatúrque hæc affectio tabes. Quòd ſi ad gulam & in ventriculum fluxus deferatur, ſi quidem frigidus exiſtat, in frigidam intemperiem corpora perducit: calidus verò in intemperiem calidam. exulcerat etiam ea temporis progreſſu: in principio verò appetitioni nocet & concoctioni. Si itaque frigidus fuerit defluxus, tardas concoctiones & cruditates ac ructus acidos efficit: ſi verò calidus fuerit, in corruptionem adiget cibos: vnde nidoroſæ aut fœtentes aut acidæ eructationes producentur, aut etiam alterius cuiuſdam quæ nominari non poteſt, aut etiam nomen habentis qualitatis. Vbi verò altius penetrarit nocumentum, etiam inteſtinum ieiunum afficit, & ad colum vſque pertingit, atque ad meſenterii venarum vaſa, per quæ ad hepar diſtributio atque digeſtio alimenti contingit. Aliquibus itaque deiectio appetitus accidit: aliquib⁹ verò appetitiones præter naturam, quas appellant caninas, aut etiam vitioſorum ciborum concupiſcentia, qualis mulieribus prægnantibus pica morbo infeſtatis contingere conſueuit. Manifeſtum autem eſt & gurgulionem & tonſillas affici: quin & parulides & glandulæ, & dentium eroſiones, vlcerationéſque & putredines oris, ad ſeroſas ex capite in ipſum os deſtillationes ſequuntur. Cæterùm vulgus medicorum, aut gurgulionem reſecat, aut pharmaca exhibet quæ per aſperam arteriam ſputi eiectione in pulmonem dilapſa educant: alii verò ventris curam gerunt, quemadmodum alii dentium & oris, aut etiam affectionum in naribus aut oculis aut auribus curam moliuntur. Principium inuentionis Galeni. Melius autem erat (mea quidem opinione) velut fontem malorum excindere, ſanato videlicet capite: quòd ſi impoſſibile ſit facere, ob vehementiam naturalis intemperiei, omnino tamen eius ſaluti conſulere oportet, indicatione ex figura ipſius accepta quomodo ei ſubueniri poſſit: non enim mox, veluti aliqui medici omnibus capitibus ſemper ex thapſia & ſinapi cataplaſmata adhibent, ſic & te facere volo. Etenim ſi à calida intemperie caput vexatur, omnia calida pharmaca nociua exiſtunt. Oportet itaque ipſos balneis multis calidis potabilium & dulcium aquarum conſolari, ſimúlque generatos in capite vapores calidos diſcutere, & temperaturam omnem in melius mutare. Nociuus autem eſt eis vſus aquarum natura ſua calidarum. quæcunque enim ſulphurulentæ ſunt, & bitumen olent ob caliditatem ſuam contrariæ ſunt capitibus natura calidis. quæ verò aluminoſæ, coarctatione ſua caput offendunt. verùm calidas dulces non appellamus ſua natura calidas. neque enim inuenire eſt, quæ ſua ſponte natura calidæ exiſtant, ac non aliqua medicamentaria qualitate participent. Qui verò caput vehementer calidum & peruſtum habet, & ob id aſſiduè à deſtillationibus vexantur, his melius eſt hora æſtiua ex roſaceo vngi, ex foliis roſis & omphacino oleo citra ſpiſſamentorum adiectionem apparato. Quædam autem capita propter calidiorem arteriarum temperaturam, cum vertigine tũ dolore apprehenduntur: in quibus etiam arteriarum inciſione vtimur. Quare conſiderare oportet præcedentem deſtillationis cauſam, & præhabitam diætam: atque ita remedia contraria afferre. In vniuerſũ autem pauco cibo & quiete vtendum eſt, vitato etiam frigore & calore: ſi verò cibi incocti amplius in ventre innatent, ad vomitum æger eſt inhortandus. Philumeni. Valde vtile eſt iis qui deſtillationem patiuntur, ſi eorum plantæ pedis cum pice in oleo plurimo diſſoluta conſtanter fricentur, ex eadémque inguina & ſedes perungantur: nares verò ex thure & myrrha cum vino & oleo contritis, ac ad mellis craſſitudinem redactis illinantur, & vnguentum irinum ſimul naribus inſtilletur. Melanthium etiam torrefactum linteolo illigatum odorent, aut hedychroon manibus teneant & aſſiduè odorent, aut cyphi eodem modo. Conuenit etiam inflammationem arcentia emplaſtra fronti imponere, velut eſt iceſiæ, & emplaſtrum oxerum appellatum, itémque barbarum cruentis vulneribus deſtinatum, & athena. Gargariſſent autem aſſiduè paſſum ſcybelites, aut ſapam calidam. Sorbitionibus verò vtantur decocto hyſſopi, ficuum & nucum pinearum, atque iridis: item alica ex paſſo decocta. Si verò ab his nihil leniatur deſtillatio, neque tamen amplius augeſcat, ſed eodem modo ad plures dies perſiſtat, præſentiſſimum auxilium capitis irroratio exiſtit, maximè in æſtate, & capitis temperatura calidiore. Oportet autem in balneis ex alto frigida aqua delabente caput ſubdere, vt violentum inde ſuſtineat inſultum: euſtigio enim denſitatem diſſoluit. Animaduerſionem tamen habere oportet, an thorax inde facilè offendi poſſit: conſueuit enim promptè à capite frigiditatem tranſſumere ac fortiſſimas vexationes perferre. Porrò diuturnas deſtillationes fortis clyſter ſanat, aut vomitus à raphanis ieiunis factus, aut purgatio exhuberantis humoris, & irrigatio capitis ex vnguento irino aut optimo nardino. Iis verò qui continua & inueterata iam deſtillatione afficiuntur, caput radere oportet, & factis ſcarificationibus, bituminoſa emplaſtra imponere: pharmacis autem deglutitiis vtendum huiuſcemodi. Eclegma ad deſtillationem: Mellis ſextantem, butyri recentis vnciam vnam decoque, & in duas partes diuiſum delingendum exhibe, iis qui eductione opus habent.

Manducatio ad eandem: Semen hormini, ſemen papaueris nigri, ſemen lini torrefactum, æquis portionib⁹ contunde, & cribro excute, melléque cocto excepta cõmanducanda manè exhibe. Probè etiam ad deſtillationes facit antidotus ex capitibus papaueris ſoporifera, ante ſomnum exhibita: etenim ſomnum dulcem infert, & reprimit influxum. Eius apparatus paulo antè inter arteriacas compoſitiones dictus eſt, & in quinto ſimiliter Sermone de propriis ægrorũ potionib⁹ loco.

Catapotium valde celebre ac dolorem leuans: Styracis drachmas ſex, myrrhæ drachmam vnam & dimidiã,

terebinthinæ drachmas duas, opopanacis drachmas II. iridis drachmas duas, piperis albi, ſpicæ nardi, nitri, ſeminis hyoſcyami, opii, cuiuſque drachmam vnam. arida contundito ac cribrato: reliqua verò in pila citra liquoris admixtionem contuſa ſimul committito, & grana in erui magnitudinem informata ante ſomnum deglutiẽda exhibeto, neque quicquam vltra ſorbitionis admittito. dantur ad ſummum grana quatuor, medium tria, minimum duo. Aliud, quod etiam dolorem leuans, tum tuſſi, tum deſtillationi opitulatur: Styracis drachmas quatuor, myrrhæ drachmam vnam, opii drachmã vnã, galbani drachmam vnam, contunde in pila, & ſapa affuſa ſubige, & catapotia erui magnitudine informa, quorum ſimiliter ad ſummũ quatuor exhibe, medium tria, minimum duo. abſorbeant etiam inſuper paſſi calidi diluti cyathos duos. Aſclepiadæ remedium: Pyrethri, coſti, vtriuſque drachmas duas, piperis albi drachmam vnam, contuſa & cribrata repone. Vſu verò expetente, apprehenſis naribus pharmacum attrahere præcipe. Aliud: Piperis drach. duas, ſeminis vrticæ drach. duas, croci, myrrhæ, coſti, cuiuſque drach. I. vtere vt dictum eſt. Caſeus autem tener & recens, comeſtus vtilis eſt, & cauliculi braſſicæ crudi à ieiunis comeſti, ſimiliter & braſſica delicatior cocta & comeſta. Qui verò calidiori præditi ſunt temperatura, lactucæ cauliculos parumper ferueſactos comedant: in poſca verò ipſos intingant.

De tuſſi, Cap. LIIII.

TVſſis cauſæ variæ ſunt. nam & humor à capite ad aſperam arteriam deſtillans tuſſim efficit, & aſperitas ſola pelliculæ aſperam arteriam intrinſecus ambientis tuſſim irritat. Qui præterlabuntur etiã cibi ac potus, tuſſim mouent: & lumbrici ſtomachum infeſtãtes, tuſſiculas paruas excitant. Et acris humor ſtomachum perturbans, ac irritatiuam aliquam qualitatem ad fauces demittens, imaginariam tuſſim producit, quemadmodum etiã in iis qui ſtomachi morſum ſentiunt, & ſaliuæ ad eũ influxu vexantur, euenire ſolet, quum nihil moleſti iuxta aſperam arteriam obuerſetur. Intemperies quoque frigida reſpirationis inſtrumentorum, tuſſis cauſa exiſtit: verùm hi moderatè ac minimè violenter tuſſiunt, adeo vt non ſolùm per ſpiritus compreſſionem, retinere queãt & impedire tuſſim, ſed ſanare etiam ſæpiſſimè, per reſpirationis inhibitionem frigefactas particulas calefaciẽdo. Signum autem ob ſolam intemperiem frigidã tuſſientium eſt, ſi per inſpirationes irritentur, frigiditate videlicet exinde intenſiore facta & aucta. quãdo igitur hi leniter inſpirãt ac aerem attrahunt, & in calida domo verſantur, parum vel omnino nihil tuſſiunt. Quæ verò cum titillatione partium, ab vtraque palati parte contingunt tuſſes, palàm oſtendunt defluxum à capite ad aſperam arteriam afferri, itémque ad pulmonem. Quòd ſi nihil expuant ſic affecti, tenuem eſſe defluxum indicat, qui expulſione ſpiritus diſſectus, præ tenuitate ſua rurſus fluxum reflectit: id verò ex humore per ſputum reiecto manifeſtè apparet. craſſiorem enim priore habet cõpagẽ, etiãſi ſit à ſpiritus impulſione reiectũ. Manifeſtũ autem eſt quòd humor in pulmone & thorace detẽtus in morbo laterali, inflammatione pulmonis & tabe, maxima tuſſis cauſa exiſtit. Medemur autem tuſſi à tenui defluxu factæ, per antidotum ex papaueris capitib[9] inſpiſſantes, aut per alterius cuiuſdam pharmaci dolorẽ leuantis vſum, & per cibos boni ſucci. Si verò craſſus aut viſcoſus fuerit affligens humor, per ea quæ extenuant & diſcindunt medebimur. Inſtrumentorum autem reſpirãdi frigiditatẽ per calefacientia emendamus: quæ verò ab aſperitate fit, per lenientia & mordacitatem arcentia ſanatur, qualia ſunt ex arteriacis compoſitionibus ſimpliciora. His itaque præexplicatis, ea quæ à veteribus deſcripta ſunt ad tuſſim remedia ſubnectemus. Nos verò ad præſcriptam methodum animum conuertẽtes, atque vniuſcuiuſque ſimplicium pharmacorum vires edocti, facilè ad quamcunque affectionem conuenientia remedia afferemus, etiam ſi à priſcis indefinitè ſint deſcripta. Remedia autem hæc ſunt: Styrax nucis auellanæ magnitudine deuoratus, tuſſes ſedat, ac deſtillationes. vtilis eſt etiam ad raucedinem. Aliud: Ficus ſiccas pingues in vino dulci meraco madefactas, vnà cũ vino deuorandas exhibe. hoc tuſſes mitigat. Terebinthinam & mel coctum delingenda præbe, & vinum dulce dilutum inſuper abſorbendum: hoc enim attenuat & educit. Aliud: Filicem contuſam & cribratã paſſo inſtar polentæ inſperge, & abſorbendam exhibe. prodeſt etiam ſanguinem reiectantibus. Aliud, quod ad tuſſes noctu moleſtiã exhibentes conducit: Mẽthæ ramulos tres tritos, affuſo aceti cochleario ante ſomnum abſorbendos præbe. adiuuat concoctionem, ſtomacho vtile eſt, & craſſitiem diſcindit. Aliud: Nucum pinearum torrefactarum, amyli, radicis dulcis, ſeminis vrticæ, ſeminis lini, cuiuſque ſextantem, iridis, piperis, hyſſopi, ſeminis naſturtii, amygdalarum amararum, ſingulorum vnciam vnam: excipe melle probè deſpumato, & præbe ex eo cochlearium mediocre. Compoſitio ex marrubio ad tuſſim: Marrubii ſextantem, hyſſopi vnciam vnam, iridis drachmas quatuor, pulegii drach. quatuor, calaminthæ montanæ drach. quatuor, bulborum ſcillæ ſcrup. ſex, nucem vnam pineam bonam & integram, caricas pingues quinque, aquæ ſextarium vnum & dimidium, mellis heminam vnam. vtere. Eclegma tuſſientibus aptum: Nucum pinearum repurgatarum drach. duodecim, palmarum pinguium drach. octodecim, iridis drach. duodecim, ſeminis lini torrefacti drach. octo, tragacanthæ drach. duodecim, amygdalarum dulcium delibratarum drach. ſedecim, mellis deſpumati quantum ſufficit. Tragacantham in vino dulci modico ma eratam & dilutã, primùm cum deſpumato melle decoquito, atque vbi ſ mel ebullierit, reliquis in mortario probè contritis affundito, & vtitor, cochlearium exhibens manè & veſperè de digito delingendum. mellis enim tantum adiicere oportet, vt delinguibile pharmacum fiat. Aliud eclegma ad tuſſes recentes: Vini dulcis veteris ſextariũ vnum, mellis Attici libram vnã decoque, cum rutæ ramulis aſſiduè agitando, exhibe ex eo myſtri I. menſura. eſt etiam vtile ſtomacho. Alia remedia ad tuſſim conducentia. Coptarium *hoc eſt placentula*, tuſſi accõmodatũ, Seminis lini contuſi & cribrati, vuæ paſſæ pinguis & exacinatæ, cuiuſque ſextarium Italicum vnum, nucum pinearum torrefactarum, nucum auellanarum repurgatarum, ſingulorum ſextariũ dimidium, piperis ſextantẽ, myrrhæ vnc. I. croci vnc. I. mellis ſextarios quatuor. Semen lini contuſum cum melle decoquito, atque vbi coactum fuerit & inſpiſſatum, reliqua optimè contrita admiſceto, & ſimul vnito. exhibe ex eo magnitudine nucis auellanæ. Ad tuſſim inueteratam remedium optimum: Cumini, piperis, ſeminis vrticæ, cuiuſque vnciã vnam, mellis deſpumati ſextarium vnum. contrita cum melle ſubigito, ac parumper ferueſacito, reponito, ac vtitor ex eo præbens cochleariũ delingendũ. Aliud admirabile: Piperis, pulegii, hyſſopi, calaminthæ, cuiuſque ſextantem, petroſelini vnciam vnam, mellis deſpumati ſextarium vnum: da cochlearium. Aliud ſimplicius bonum: Mellis quadrantem, butyri recentis quadrantem, cumini quamtenuiſſimè triti drach. quatuor. melli prius deſpumato butyrum admiſce, & ſimul calefactis cuminum inſperge, & paulatim delingendum cochlearium vnum exhibe. Aliud ad tuſſes, pituitam repurgans: Hyſſopi vnciam vnam, pulegii ſextantẽ, iridis, ſinapis, ſeminis naſturtii, aniſi, piperis, ſingulorũ vnciam vnam, tuſa ac cribrata, melle deſpumato ſufficienti excipe, & cochlearium exhibe. Hyemis autem tempore, & febre non infeſtante accepturus, piperis ſextantem adiice, & pro aniſo, fœniculum aut cuminum, & pro naſturtio ſinapi, vt ſit ſinapis ſextans ſiue vnc. II. Aliud ad diuturnas tuſſes: Comæ hyſſopi, pulegii de ſuperiore anno, ammii, piperis, erui ruſi decorticati, iridis, cuiuſque ſeſcuncem, ſpicæ nardi drach. quatuor, terebinthinæ trientem, butyri recentis ſextantem, mellis deſpumati ſextarios duos. Butyrum & terebinthinam cum melle liqueſacito, ac reliquis vnito: vtere exhibito cochleari paruo. Aliud, thoracis affectionibus commodum: Lomenti fabacei fricti ac tenuiſſimè triti ſeptuncem,

ſeminis lini ſeptuncem, iridis contritæ quadrantem, nucum pinearum torrefactarum drachmas duas, pulegii triti drachmas duas, ſeminis vrticæ drachmam vnam, piperis drachmas quatuor, mellis deſpumati chœnicem vnum. Melli deſpumato lomentum inſperge, ac parũper decoque: deinde reliquis in mortario admixtis vtere. Aliud Acholii: Hyſſopi, pulegii, ammii, piperis, erui rufi, iridis, cuiuſque drachmas ſex, terebinthinæ drachmas quatuor, ſpicæ nardi drachmas tres, butyri recentis ſextantem, mellis deſpumati ſeſquilibram. vtere. Aliud, ad tuſſim ex ſtyrace: Amomi ſextantem, caſiæ ſextantem, ſtyracis ſeſquiunciam, ſpicæ nardi ſeſquiunciam, croci vnciam vnam, piperis vnciam vnam, mellis deſpumati ſextarium vnum. exhibe cochleariũ.

Ad tuſſim ſiccam: Siccam tuſſim ſanãt etiam paulo antè præſcripta pharmaca: aliquando autem & aquæ ferueſactæ ſorbitio. Qui enim ob pituitæ craſſitudinẽ nihil educere poſſunt, ab humectantibus plus emolumẽti ſentiunt: maximè eo quòd quodammodo ſimul extenuatoria participent facultate.

De pharmacis dolorem leuantibus & ſimul confe- rentibus tuſſi, Cap. LV.

HOcce pharmacorum dolorem leuigantium genus, ii qui ante ætatem noſtram fuerunt, compoſuerũt, tuſſientibus & ſanguinem reiectantibus præcipuè conducẽs, atque etiã iis qui vltra hęs affectiones tabeſcunt: itémque ad alios dolores & affectiones quæcunque circa pulmonem & pectus, ac aſperam arteriam, reliquáque interiora membra conſiſtunt, præterquam quæ propriè colicæ appellantur. Differunt enim hæc à colicis, ſimiliter anodynis, *hoc eſt dolorem leuantibus*, appellatis, tum aromatũ & odoratorũ ſeminum, tum eorum quæ vrinam cient admixtione. Colicæ autem facultates ac compoſitiones iis vehementiores ſunt, excellẽtem vim ſtupefactoriam complexæ, ob multitudinem videlicet eorum quæ refrigerantis naturæ exiſtunt, velut eſt hyoſcyami ſemen, & cicutæ, papaueris ſuccus, & mandragoræ cortex: quibus ſanè ad colicos neceſſariò ob doloris magnitudinem vtimur. Atqui in thoracis affectionibus aliqui ſtyracem & crocum admiſcuerunt: aliqui autem caleſacientia: alii etiam aromatica, & cum pauca vi adſtrictoria exſiccantia: quidam etiam nobis familiaria, velut aniſum, apiũ, fœniculum, daucum, & ſeſeli, quæ vehementium pharmacorum vires & iniucunditatem obtundunt, ampliuſque vrinam expellunt: quidam etiam quæ aſperitates leniunt addidere, velut eſt tragacantha & radix dulcis, ac vinum dulce. Quæcunque autem ex eis de pharmacis ſtuporem inducentibus minus participant, ea etiam tabidis exhibemus. Sunt autem à veteribus compoſita doloris leuamenta huiuſcemodi. Catapotium. Pharma cum ad tuſſim accommodatum, inueterata maximè exiſtente affectione. Efficax eſt ad diuturnam deſtillationẽ, dolorẽ capitis, difficulter ſpirantes, & inflammationes pulmonis, ad veſicæ quoque ac vuluæ affectiones: inſcribitur Panacea, ab aliis etiam Stichus. Myrrhæ, opii, piperis, ſtyracis, caſtorei, galbani, æquales partes cum ſapa dulci ſubige, & in catapotii figurã redige, ac ciceris magnitudine exhibe: abſorbeat autem à ſumptione aquæ mulſæ cyathos duos. Harmonia. Aliud pharmacũ vehementer efficax quod harmoniæ appellatione inſcribitur. valet ad deſtillationes, & inexuperabilem defluxum: Styracis, caſtorei, piperis, cardamomi, cuiuſque drach. tres, opii, myrrhæ, ſeminis hyoſcyami albi, cuiuſque drach. quatuor, paſſo probè cocto excipe, & catapotia ciceris magnitudine informa, & ante ſomnum præbe deuoranda. Alia confectio, ad tuſſes diuturnas egregiè & concinnè valens: itémque ad humentes & ob humoris craſſitudinem diu durantes, quæ Symphonos appellatur, & febrem optimè ſedat. Ea omnes veteres celebres vſi ſunt: Piperis, opii, cardamomi, cuiuſque drachmam vnam, croci, ſulphuris viui, myrrhæ, ſeminis hyoſcyami albi, cuiuſque drachmas quatuor, mellis cocti cochlearia tria. hoc enim modo nos apparamus: verùm ſunt qui gentianæ, & daucii, cuiuſque drachmas duas admiſcent.

Alia ad tuſſim & tabem iſoſtathmos appellata: Fo-

A lii, petroſelini, hyſſopi, roſarum ſiccarum, aniſi, opii, croci, coſti, ſeminis hyoſcyami, myrrhæ troglodyticæ, ſpicæ nardi, iridis æquales partes cum melle ſufficienti ſubige. datur fabæ magnitudine ad noctem. Alia iſotheos appellata, ad tuſſim, tabem, omnes morbos internos, & certo circuitu affligentes affectiones: Spicæ nardi drachmas duas, myrrhæ drachmam vnam, croci, coſti, piperis albi, cuiuſque drachmam vnam, galbani drachmam vnam, opobalſami, cinnamomi, mandragoræ ſucci ſicci, caſtorei, cuiuſque drachmas duas, ſeminis dauci ſe- B ſquidrachmam, caſiæ ſeſquidrachmam, mellis deſpumati quantum ſatis erit. Facit ad dolores ſtomachi, iecinoris, pulmonis, oculorũ, ſanguinis reiectationem, abſceſſus dyſentericos, voluulum, renum ac coxendicũ affectiones, difficulter ſpirantes, dolorem laterum, vnicè tamen iliorum ac præcordiorum, profluuium muliebre, & muliebres ſuffocationes. prodeſt contra lethalia venena ante & poſt cibum ſumpta, & ad omnem ſanguinis eruptionem cum frigida, ad viperæ & phalangii morſus in vini cyathis trib⁹: quartanariis, ante febris acceſſionẽ. C dantur ex ea oboli duo cũ vini cyathis duobus: ſed præloto tamen antea ægro. Sanat ægrè ſpirantes, & qui niſi erecti ſpiritum ducere non poſſunt, & anheloſos, etiamſi iã ad multos annos affectio durauerit. Sanat quoque antiquas à capite ad pectus defluxiones.

De ſuffitionibus, Cap. LVI.

QVanquam antea ſufficiẽtiſſimè de ſuffitionibus dictum ſit, in ſermone De clyſteribus & euacuantibus, ac aliis quæ ægris offeruntur, (qui ſanè tertius huius operis fuit) dicetur tamen nunc quoque, ſed paucis. Paſtillus ſuffumigabilis tuſſientibus & orthopnoicis com- D modus: Abrotoni, ſandarachæ, ſinapis, cardamomi, æquales partes contundito & cribrato, & cum aqua in paſtillos redigito ac ſuffito, ita vt æger ore fumum ſuſcipiat. Alius paſtillus: Sandarachæ ſextantem, terebinthinæ ſextantem, coſti ſcrupulos ſex, folii ſcrupulos ſex, maſtiches ſcrupulos ſex, laſeris ſcrup. tres, piperis grana quadraginta, redige in paſtillos, ac vtere eodem modo.

E Alius: Caſtorei, ſandarachæ, galbani, ſulphuris viui, colophoniæ, propolis, terebinthinæ, maſtiches, croci, chamæleuces, æquales portiones cum aqua in collyria redige, & ipſa per infũdibulũ ſuffito: ſi verò nõ adſit chamæleuce, his conyzã paruã aut capparis corticẽ adiice. Aliud bonũ ſuffumigiũ, per experientiã à nobis inuẽtũ, quatuor ſpeciebus cõſtãs: Styracis, terebinthinæ, ſandaracha, maſtiches æquales partes excipe, ac ſimiliter vtere. Creditur anheloſos & purulentos ſanare: itémque tuſſim & laterum affectiones: quemadmodum etiã ea quæ F paulo antè hic ſunt præſcripta, atque ea quoque quæ tradidimus in tertio Sermone. Epithema ad tuſſim optimum, ex ſertula Campana: Sampſuchi, ſertulæ Campanæ, praſii, iridis, cuiuſque ſextantem, myrrhæ vnc. I. thuris quadrantem, reſinæ pinus libram I. olei irini libram I. vtere.

De orthopnoicis, anheloſis, ac ægrè ſpiritum ducẽ- tibus, ex Galeno, Cap. LVII.

QVI frequenter reſpirant citra febrem, quemadmodum ſolent à vehementi curſu fatigati, eos aſthma- G ticos, *hoc eſt anheloſos*, medici vocare conſueuerunt, ab accidente videlicet, hoc eſt anhelando: eoſdem etiam ab alterο accidente orthopnoicos appellant: deſident enim ac pectus erectum habere videntur, ob timorem ne ſuffocentur, & ſtratũ quoque iuxta ſuperiores partes, ad quas pectus ipſum reclinatur, erectius ſibi apparant, ne dormientes ſtrangulentur. Inſpiratio enim minor ipſis contingit quàm reſpirationis frequentia expoſtulat, quãuis pectus plurimùm ipſis diducatur. Ex quo manifeſtum ſit, coarctationẽ locorũ præter naturã intrinſecus adeſſe: cuius etiã manifeſtè ægri ſenſum perceptant. Fit autẽ H coarctatio locorum inſpirationis, quum aut craſſorum & tenacium humorum multitudo pulmonis bronchia obſtruxit, aut tumor quiſpiam abſceſſui ſimilis in ipſo conſiſtit. Similiter autem difficulter ſpirant qui aſperã arteriã à multa deſtillatione habent repletam, aut quadã defluxione ex vicinis locis aceruatim in ipſas arterias

delabente. Diſtinguuntur autem inter ſe hæ affectiones: nempe quòd deſtillatio etiam ſanis ex manifeſta cauſa repentè accidit, intotum fere citra febrem, concomitantibus etiam propriis deſtillationis ſignis. Si verò tumor abſceſſui ſimilis in pulmone fiat, neceſſariò febris conſequitur, neque ita diu poſt, inflammatione in pus tranſmutata, pus reiicitur cum tuſſi. Si autem crudum tuberculum gignatur, velut Antipatro medico cõtigit, iuxta leues pulmonis arterias, hi neque grauitatem magnam ſentiunt, neque ab orthopnœa intantum infeſtantur. Qui verò propriè orthopnoici & difficulter ſpirantes appellantur, intotum febrem non habent: grauitatis autem ſenſus eis contingit, neque quippiam purulentum per ſputum reiectãt. Porrò curatio prædictarum affectionum quiddam commune habet, quiddam etiam cuique proprium. Commune quidem vt ſuperflua ſubſtantia humoris has affectiones generantis conſumatur & expẽdatur: proprium verò, vt ſi à craſſis & tenacibus humoribus fiant, per extenuantia & inciſiua pharmaca conſumptio fiat: ſi verò à tumoribus abſceſſui ſimilibus affectiones fiant, per extenuantia & deſiccantia conſumatur. quæ curatio omnibus in profundo corporis abſceſſibus communis exiſtit. Vini autem potio ambabus cõuenit, tenuis ſaltem temperaturæ. In vniuerſum autem, paucus potus conuenit, quibus abſceſſus alicubi adeſt: multus verò, quibus bronchia tenacibus & craſſis humoribus ſunt obſtructa. Etenim repurgantia hos humores pharmaca, neceſſariò tuſſes commouent, verùm non facilè per ſputum reiicitur, ob craſſitudinem, id quod repurgatum eſt: humectatione igitur multa indiget, quò facilius efferatur. & ob id ſanè largior potus anheloſis eſt exhibendus. Pharmaca verò eis conueniunt incidẽtia citra vehementem calefactionem. craſſi enim & tenaces humores, à vehementi calore viſcoſiores redduntur, glutinoſique, vt & difficulter auelli poſſint: quapropter maximè prodeſt eis acetum ſquillinũ, & ipſa quoque ſquilla aſſa cũ melle trita & delincta, & acetũ mulſum ex ea apparatum. Maximum autem remedium (inquit Archigenes) purgatio frequentior exiſtit per pharmaca fortiora: & vomitus à radicibus per interualla ſuſcepti, Cataplaſmata verò ex ficubus & hordeacea farina: magis verò ex loliacea habente reſinam & mel ac ceram admixta. infarciri poteſt etiam ei iris & manna. Malagmata autem conueniunt, quæcunque exulcerant cutem & attrahunt ſaniem, quale eſt Ciſſophontis, & quod cõſtat ex baccis lauri, & quod ex ſemine roſmarini conſtat, & emplaſtrum ex herbis, & quod iceſium appellatur, itémque quod vocatur Thraſeæ. Quòd verò Cyzicenum emplaſtrum dicitur, ſi irini cerati æqualem ſibi portionem aſſumat & vniuerſo pectori imponatur, humiditates conſumit & habitum corroborat. Omnium autem conuenientiſſimum huic affectioni hocce eſt, inquit Archigenes: Emplaſtrum nigrum Archigenis: Ceræ libram vnam, reſinæ pinus ſiccæ libram vnam, iridis ſeſquilibram, bituminis libram vnam, picis libram vnam, æruginis vnciam vnam, myrrhæ ſeſcuncem, thuris ſeſcuncem, radicis cucumeris ſylueſtris, centaureæ, lapidis aſii, ſtyracis, cuiuſque ſextantem, miſyos crudi ſeſquiunciam, chalcitidis crudæ ſeſquiũc. ſalis ãmoniaci vnc. I. galbani, terræ cimoliæ, terræ ampelitidis, cuiuſq; vnc. I. olei lib. II. aceti libram vnã, aut (vt ego ſoleo) lib. duas, ſtyracem cum modico oleo liquefactum in mortario probè cõtere, metallica verò cum aceto diſſolue: herbas autem contunde & cribro excute: liquefactis verò quæ eliquari poſſunt, & percolatis, ac ab igne ablatis, cõ trita adiice, atque herbas inſperge. omnibꝰ autem ſimul vnitis & emollitis vtere. Hoc ſanè multos occultos abſceſſus diſcutit, & in vaporem reſoluit, alios autem aperit. Quicunque autem iam rupti ſunt, & fluidi tamen ad huc permanent, eos mirabiliter exſiccat: eiuſmodi enim pharmacis vix aliud præſtantius reperiri poſſit. Conueniens eſt etiam prædictis affectionibus, Amythaonis epithema, atque eo adhuc magis polyarchion, maximè tẽpore coarctationis locorum. Pectus verò cum vrticis cõ fricetur ac cædatur, ac ſquilla decorticata fricetur, deinde

A lauacro ac oleo calido loci rubefacti curẽtur. Aſſiduè aũt lenioribus ſolutiuis aluum emollire oportet, quale eſt, cnici acetabula duo optimè contuſa, & cum ſero lactis decocta, ita vt percolatum ſerum & modico melle permixtum bibatur. Vtendum eſt etiam ex thymo, laſere, & pipere, ſalis confectionibus, quibus addita ſit ſcammonia, aut etiam iis quæ fiunt ex roſmarino. Ego verò etiã herbæ ſabinæ optimũ vſum expertus ſum, ſi per ſeipſam drachmæ põdere trita ſumatur, & ſequenti die, duarum drachmarum pondere, tertia trium. in aliquibus autẽ &
B quarta die vſque ad quartam drachmam pondus auxi. Quòd ſi bene procedat purgatio, ſimúlque cruenta educat, non eſt quem non melius ſpirantem in poſterũ reddat. Porrò interiectis duobus aut tribus diebus, abſinthiũ potandum exhibui, maximè ſi ſtomacho æger langueat. Quòd ſi non contingat ſtomachum languefieri, irin bibendam dedi, aut abrotonum, aut caſtoreum ex aceto mulſo. Mirum in modum autem efficax eſt quod ex elaterio conſtat, & octaobolon appellatur. Elaterii æreolos II. ſpumæ nitri obolos tres, ſinapis drachmam I.
C hæc in aqua diluta in octo catapotia informo: manéq; II. tantundemque veſperi exhibeo. Purgat enim citra moleſtiam ſupernè, aliquandiu quidẽ permanens & ſoluẽs, Iis verò qui robuſtiores ſunt, poſt trium dierum ſpatiũ rurſus exhibeo. Atqui quæ ex colocynthide conſtat hiera noſtra, hoc eſt Archigenis, aſſiduè præbita, mitiorem ſpirandi difficultatem correxit ſæpiſſime, atque id breui & perfectè. Verùm ſi magis in profundo hæſerit, auxiliatur cũ aceto mulſo ſquillitico potatũ. Aliud ad difficulter ſpirantes, qui etiam aſthmatici appellantur: A-
D riſtolochiæ clematitidis, abrotoni, ſulphuris viui, ſeminis rutæ agreſtis, cacuminũ thymi, ammoniaci thymiamatis, æquales partes cum aceto tritas in paſtillos redige, & ex eis obolos tres exhibe cum aceto mulſo ad triduum. Alia remedia aſthmaticis commoda, ex Aſclepiade & Dioſcoride: Ariſtolochia rotunda cum aqua bibita, anheloſis auxiliatur: item centaureæ maioris radix, & minoris ſuccus, & ſtœchas trita ac cum aqua potata, & ſpondylii ſemen, & calaminthæ montanæ coma, & hyſſopum, & iris ac melanthium, & radicula, & vitis al-
E ba. Item aſellos, qui & millepedæ appellantur, ſub aquario vaſe ſtabulantes, ſextarii menſura in fictile vas coniectos, ad carbones ignitos torrefacito, atque vbi inalbuerint terito, ac melle exceptos cocto, ante & poſt cibum duorum cochleariorum menſura delingendos exhibeto. Aliud. Squillæ crudæ ſuccũ exprime, & cum eiuſdem menſuræ melle permixtũ ad prunas decoque, eiúſque cochlearia duo delingenda præbe ante & poſt cibũ. Summè autem hoc prodeſt, euidénſque eius rei periculum feci, inquit Archigenes. Aliud Archigenis: Ra-
F dicis cẽtaureæ maioris drach. ſex, petroſelini drach. ſex, ammoniaci thymiamatis drachmas tres, ſulphuris viui, bituminis, cardamomi, radicis panacis, ſeminis vrticæ, iridis Illyricæ, cuiuſque drachmas duas, thuris, myrrhæ, caſtorei, nitri, ſagapeni, abrotoni, polii, chamæpytios, ſaluiæ, cuiuſque drachmam vnam, piperis albi drachmas tres. Hæc omnia trita cum melle miſcentur deſpumato: dantur ex hoc oboli quatuor. Etenim aſſiduè potatum hoc, quibuſdam perfectè medetur: citra moleſtiam autem efficax exiſtit. dato hoc cum hydromelitis calidi
G cyathis quatuor. Aliud, quo etiam ego vtor, ad multos vſus commodum: Squillã fuluam manum magnitudine ſua implentem, fermento obductam, in furnum coniicio vt quàm optimè aſſetur, deinde vbi molliſſima facta fuerit, ſuperficie eius exuſta reiecta, reliquum optimè contero, atque ei quãtum, trimembri ſectione facta, duæ aſſatæ ſquillæ partes põderant, tantum farinæ erui albi adiicio, & ammoniaci thymiamatis drach. IIII radicis panacis drachmas III. iridis, & abrotoni, & acori, cuiuſque drachmas duas, piperis grana viginti. hæc o-
H mnia ſimul trita & vnita, in orbiculos digero pondere ſeſquiobolares: ex eis autem drachmã vnam, aut etiam obol. III. aut II. cũ III. cyath. lactis aſinini recẽns mulcti, aut aquæ mulſæ, exhibeo: pueris verò tãtùm vnum orbiculum præbeo. Aluum hæc menſura mouet: quòd ſi hæc

A amplius quiddam exhibeas, & vrinā ciebis & compactā ac inſtantem mali irritationem diſſolues: etenim & comitiales ſanat, & vuluam ſtrangulatam, & lumborum lāguidos dolores, & febres debiles ac per circuitum repetētes. Cum aceto menſes ducit per craſſitudinem ſuppreſſos, ad quos conſequuntur vertigines, interceptiones vocis, contractiones, dolores articulorum, pigrities, & ſpirandi difficultas. Eue ſtigio enim ſanguinē euellit, & ab omnibus moleſtiis liberat. Quare tenuitatem huius pharmaci ne contemnas, ſed abundantem virium eius ſupellectilem, quaſi per manus à maioribus traditam aſſumas. Alia potio ad ſuſpirioſos: Polii, abrotoni, caſtorii, chamæpityos, ammoniaci thymiamatis, æquales partes melle excipe, & fabæ magnitudine exhibe. quidam ſpumæ nitri albi cochleare in aquæ mulſæ cyathis tribus exhibuerūt. Aut hoc modo: Spumæ nitri drachmas nouē, piperis drachmam vnam, laſeris drachmam vnam. da cochleare cū aqua calida. Alia. Caſtorii drachmas octo, ammoniaci thymiamatis drachmas octo, piperis grana XL. excipe paſſo, & fabæ magnitudine præbe in aqua mulſa. Alia. Abrotoni drachmas duas, radicis bryoniæ drachmas octo. rutæ hortenſis drachmas octo, caſtorii drach. quatuor, artemiſiæ drachmas quatuor, epithymi drachmas quatuor. datur ex ea ſcrupulus vnus & dimidius cum aceti mulſi cyatho vno. Alia. Iridis drachmas octo, ammoniaci thymiamatis drachmas quatuor. datur drachma vna cum hydromelitis cyathis tribus. Alia. Herbæ ſabinæ, iis qui integra ætate conſiſtunt, ſcrupulos ſex, aliis verò ſcrupulos tres: butyri ſcrupul. duodecim, mellis ſextantem. præbe delingendam ad dies tres, & intermiſſione per triduum facta, rurſus præbe. Paſtillus doloris leuamentum orthopnoicis & ægrè ſpirantibus præbēs: Opii drachmam vnā, ſulphuris viui, plantaginis, ſeminis hyoſcyami, ſucci radicis dulcis, ſtyracis, myrrhæ, thuris, terebinthinæ, cuiuſque drachmas duas, croci drachmam vnam, cum vino maris experte contere, ac in paſtillos triū ſcrupulorum digere, quos bibendos exhibe. Porrò ſi radicis dulcis ſuccus non adſit, ipſam radicem fractam ac tuſam ſatis diu decoquito, atque hoc totum cum decocto eius committito. Alius Andromachi, ad idem: Squillæ aſſatæ, ſulphuris viui, bituminis, æquales partes, melanthii drachmas duas, caſtorei drachmas duas, aniſi obolos quatuor, cū aqua paſtillos informa trium aut quatuor ſcrupulorum: exhibe ante ſomnum, cum aquæ calidæ cyathis duobus. Catapotium, ſuſpirioſis dolorem leuans. Rutæ viridis ſextantem, ſtyracis ſextantem, terebinthinæ ſextantem, opii drachmas quatuor: ex his catapotia ſiliquæ pondere ſingula informa, triáque ante ſomnum exhibe deuoranda: à ſumptione autem ebibant aquæ calidæ cyathos duos. Remedium pulchrum Philagrii, ad anheloſos: Radicum ſymphyti in petris naſcētis, radicis centaureæ maioris, iridis Illyricæ, ſingulorum ſextantem, aquæ ſextarium vnum: radices fractas per biduum in aqua macerato, deinde ad tertias decoquito, & percolato, & tantundem mellis decocto adiicito, rurſúmque donec cogatur decoquito: deinde rhei Pontici contuſi ac cribrati vnciam vnam inſpergito, ac vnito. exhibe circa primam horam diei cochlearia duo. quòd ſi nō adſit rheon, centaureæ maioris radicem contuſam & cribratam vnciæ pondere iniice, aut eodem modo radicē ſymphyti. Hocce pharmacum pulmoni & thoraci firmitatem & robur præbet, ſimúlq; humores ad eum delatos repurgat, deſiccat, & expellit. Aliud ad orthopnoicos: Boli Armeniæ drachmam vnā cū vino dilutā bibēdā præbe. Ad tuſſes autem inde ſequentes, antidotum, iſotheon appellatam, paulo antè inter tuſſis remedia deſcriptam, exhibe ante ſomnum, nucis auellanæ magnitudine, cum aqua mulſa. Aſſiduus enim huius antidoti vſus in totum ab hac affectione liberat, etiamſi fuerit inueterata: confidenter itaque ea vtaris. Quòd ſi non adſit, pæoniæ antidotū præbe: quæ ipſa quoque ſi haberi non poſſit, eam quæ zopyrios appellatur: quarum deſcriptiones in ſermone De colicis habentur. Suffitiones etiam ei ſunt commodiſſimæ: de his in tertio Sermone pleniſſimè dictum eſt, & paulo antè inter remedia tuſſis. In earum autem vſu vndiquaque ſtragulis contegantur, atque ore ſedulò hiantes fumū fortiter admittant, mucus enim & lacrymæ multæ, ſputúmque vbertim ducuntur, & per vehementem tuſſim pituita viſcoſa ex profundo effertur. Verùm quod latere te nolim, antequam ad eiuſmodi rerum ac lancinationum adhibitionem perueniatur, ventrem ſubducere oportet vel per clyſterem, vel pharmacum ſolutiuum. Proſunt etiam ſuſpirioſis fricationes pectoris ex pumice cum nitro, fæce vini vſta, cum flore iunci odorati. Cuius generis & hoc eſt: Auripigmenti, pumicis, ſpumæ nitri, cuiuſque B vnciam vnam, alcyonii ſextantem, hæc contuſa & cribrata cum vnguento aliquo calorifico commiſceto, pectúſque & dorſum donec igneſcant confricato. ex frequenti enim huiuſmodi perfrictionis adhibitione ſpirandi difficultatem, & tuſſim, omnémque purulentā pectoris affectionē propulſabis. Cæterùm inueterato malo, & medicina omni fruſtra adhibita, ad vſtionem confugiendum erit. Itaque iuxta medium cōmiſſuræ clauicularum, vtrinque vna cruſta inuratur, cum cautione tamen admotis manib⁹ & diſtenta cute, ne aſpera arteria oblædatur: deinde aliæ duæ paruæ iuxta carotidas colli arterias infligēdæ C paululùm ſub mento, vtrinque vna, incumbentis cutis tātùm peruſtione facta. Infligendæ autē adhuc aliæ duæ ſub mamillas, inter tertiā ac quartā coſtā: rurſúmq; aliæ duæ retrorſum verſus inter quintam & ſextam coſtas. In medio etiam pectore vnam inurere oportet: & iuxta principium oſſis pectoris, quod *à capitis gladii ſimilitudine* xiphoides *Græcis* appellatur, ſupra os ipſius ventris, vnam ſimili modo & adhuc alias duas inter octauam & nonam coſtam, vtrinque vnam. Tres etiam retrò inurendæ ſunt cruſtæ, vna iuxta medium dorſi, reliquæ duæ ab vtraque D vertebrarum parte, paululùm infra mediam cruſtam. Omnes autem infra collum inuſtas mediocriter latas eſſe conuenit, neque valde in ſuperficie conſiſtentes, neque rurſus nimiùm profundas. vlcera autem cruſtarum ſatis multo tempore fluida permittere oportet.

De cordis tremoribus, ex Galeno, Cap. LVIII.

Cordis tremor, ſiue palpitatio, multis tum adoleſcentibus, tum ſenibus inculpatè ſanis accidiſſe viſus eſt. E Dolent autem caput ita affecti, citra aliquam alteram externam cauſam: atque omnes hi ex venæ inciſione opem ſenſerunt: aliqui etiam ex eis in totum ab hac acceſſione ſunt liberati, per extenuatoriam diætam & pharmaca cōſimilia, poſt venæ inciſionem adhibita. Noui autem & ego quendam qui ſingulis annis, veris tempore, tremoris acceſſione afficiebatur. Hunc vbi expertus eſſem per triēnium ex venæ ſectionæ iuuari, in quarto per venæ ſectionem euaſit, antequam hoc malo apprehenderetur: atque hoc modo pluribus deinceps is agebat annis, cōſentanea F ſimul vtens diæta. veruntamen & is quoque ante ſenectutem fato functus eſt, quemadmodum alii omnes. Aliqui quidem in febribus acutis comprehenſim animo deſtituti, ſimiliter mortui ſunt: aliqui verò etiam citra animi deliquium, ſtuporis attoniti modo affecti, repentè vitam cū morte commutarunt. Plures autem hac affectione laborantes ad ætatem peruenerunt, minorem quidem annis quinquaginta, quadrageſimum tamen ætatis annum exceſſerunt.

G De ſanguinis reiectatione, ex Galeno, Cap. LIX.

Sanguis qui ex pectore & pulmone aut aſpera arteria educitur, omnino cum tuſſi reiicitur. Si verò ex locis circa fauces aut gurgulionem ſanguis feratur, per excreationes excernitur: ſi verò ex aliquo loco oris aut gingiuarum, ſimpliciter expuitur. Aliquando autem à capite aut partibus gurgulionis delatus ſanguis ad aſperæ arteriæ extremum incidit, & tuſſim cōmouet, imaginationémque facit velut ex pectore educatur. Itaque ſiquis pluribus ex H ordine diebus ſanguinē excreet & emungat, neq; capitis dolore aut grauitate aliqua quæ etiamnum adſit, antegreſſis, neque plaga iſtic illata: conſiderare oportet diligenter omnem narium meatum, atque etiam oris locum illum vbi nares ad palatum ſunt perforatæ. Contingit e-

nim aliquãdo hæc acceſſio,hirudine ad hunc locũ affixa. Cæterùm aliqui per vomitũ citra tuſſim ſanguinem ex ventre reiectant,aut ex venis adiacentibus in ipſum delatum,aut hirudine deuorata. Verùm ſanguis venarum ex hepate aut ſplene in ventrem delatus,grumoſus eſt,niger que euomitur:qui verò ex hirudinis præſentia procedit, tenuis eſt & ſanioſus,ſiue ex ventre,ſiue ex naribus,ſiue ex ſtomacho proferatur.Atqui & localis dolor qui concomitatur,affectam particulam oſtendet.Si enim ex ſtomacho eductio fiet,non magna ſanguinis eruptio continget:graciles enim ſunt ſtomachi venæ.Sed & cum nauſea ac vomitu ſanguis effertur,& in deglutiendo mordacitas percipietur,maximè ſi adſtringentia aut acria deglutiantur. ſi verò ex ventre educatur, nauſeæ plurimæ comitantur & vomitus,& ſi à cibo ſumpto eductio contingat, ſanguis cibis permixtus efferetur. Aliquando etiam pituita ac bilis ſimul euomentur.ſi verò ex hepate & ſplene ſanguis in ventrem deferatur,aderit tumor:ſi verò ex pectore & pulmone,aut aſpera arteria ſanguis expuatur,impoſſibile eſt eum citra tuſſim per ſputum reiici. Fit autem ſanguinis eductio ex pectore,aut ob venæ rupturam, aut oris venarum apertionem,aut ob corroſionem. Venarũ itaque pulmonis rupturæ cognoſcuntur ex eo, quòd poſt aliquam præcedentem cauſam manifeſtam, ſtatim ſanguinis eductio conſequitur.Præcedentem autem cauſam dico,delapſionem ex alto,aut ſi grauius aliquod corpus pectori inciderit.Aliquibus autem ob clamorem magnũ quomodocũque editum vaſis venarum ruptura accidit, & citra manifeſtam externam cauſam copia ſanguinis cũ crudo ac flatuoſo ſpiritu,diſtendens pulmonis vaſa,rupturam efficit.Cæterùm ob ſanguinis multitudinem factæ rupturæ cognitionem,exhibet ſanguinis effuſio repentè & coaceruatim facta.Magna enim pulmonis vaſa exiſtũt ac arteriarum ſpeciem habentia:ſanguis autem eis tenuis & calidus eſt,perque ſaltum ſpiritus vi ac impetu excernitur. De venarum apertione. Venarum autem ora aperiuntur,ſi quidem diſpoſitiones præceſſerint calidæ: veluti ſi calidis balneis plurimis vſus ſit homo, habitétque in calida regione,conſimili exiſtente maximè anni tempore,cibis quoque & potionibus calidis vtatur. Etenim multitudo ſanguinis exiſtens , venarum pulmoni incumbẽtium ora aperit & dilatat,atque hoc modo coaceruata effuſio contingit. De venarũ corroſione. Quibus verò ex corroſione venarum pulmonis,ſanguinis euacuatio contingit,his per interualla modica ſigillatim cũ tuſſi expuitur. Ipſa autem vaſorum corroſio,ex acribus contingit humoribus,ſiue à capite in pulmonem delabẽtibus,ſeu in ipſo pulmone generatis. Poſſibile eſt etiam propter corroſionem,coaceruatam ſanguinis eductionẽ cum tuſſi fieri.Quum enim præcedenti tempore per modica interualla ſigillatim,vt dictum eſt,& cum tuſſi ſanguinem expuerit quiſpiam: & pòſt ſequentibus diebus neque caſus,neque alia quædam externa violenta cauſa acciderit, & tamen ſanguinis eruptio multa prodierit, magnam corroſionem factam eſſe oſtendit.Multi autem hoc modo affecti,particulas pulmonis ſimul cum ſanguine extuſſerunt,aut tectoria vlceribus obducta.Impoſſibile itaque eſt latere eductionem propter corroſionem venarum factam.Quare diligentem animaduerſionem habere conuenit,numne ſpumoſus ſit ſanguis: nam & hoc firmiſſimum ſignum eductionis ex pulmone exiſtit: deinde númne bronchii particula quædam,aut tunicula arteriæ ſeu venæ ſimul efferatur.Horum enim nihil apparet in iis qui ex ſuccingente thoracem membrana ſanguinem ſpuendo educunt. Maximum etiam ſignum elationis ex pulmone eſt, ſi omnino citra dolorem effertur.

De eductione ſanguinis ex aliis pectoris partibus.

Sanguis autem qui ex aliis pectoris partibus educitur, nigrior eſt,& iam in grumos coactus,cum tuſſi etiam & dolore reiicitur particulæ affectæ, ac fœtidum odorem de ſe præbet: aliquando & pure admixto effertur.verùm hoc ſignum commune eſt.Si verò iuxta aſperam arteriã vlceratio fiat, pauciſſimus ſanguis expuitur, pauciſſimo omnino pure permixto:doloris autem ſenſum iuxta exulceratam arteriæ partem æger perceptat. De ſanguinis à capite eductione. A Si verò à capite ſanguis deferatur,ſi quidem plurimus ſit,plurima adeſt capitis grauitas aut dolor:ſi paucus,pauca: aurium ſonitus iuxta proportionem affectionis,rubor faciei:venæ frontis emicant,& vertigines accedunt.cauſa autem iſta præcedens manifeſta eſt,nimirum plaga,aut frigiditas, aut calor,aut ebrietas.Vini enim potatio larga cumulatim caput replet,& cumulatim etiam ex rupto venæ vaſe effundit.in parua autẽ ebrietate,modicum adeſt ſanguinis ſputum , & conſueta fieri per nares ſanguinis excretio cohibetur:aliquando e- B tiam ad palatum conuerſa,imaginationem exhibet veluti ex pectore ſanguis ipſe educatur. Si itaque à capite ſanguis deferatur,titillatio palati accidit,& frequens excretio,atque hoc modo expuunt:irritantur enim ad tuſſim,& tamen non valde tuſſiunt. Si autem à palato ad aſperam arteriam deſtillat,tum tuſſiunt,& quod delapſum eſt educunt:& ob id quidam decepti,ex pectore eductio nem fieri autumant.Defluit autem aliquando à capite per gulam ſeu ſtomachum in ventrem,vomitúque reiicitur, atque ob id putatur à ſtomacho prodire. habet autem & C ſuã figurã ſanguis à capite delapſus.Eſt enim nõ adeo craſſus,colore nigro,leuis,æqualis,immixtus,altero videlicet aliquo,pure vel pituita,& cũ excreatione ſtatim ſe in linguam infert rotundus,faciléque reiicitur per ſputũ.Si verò palatum conſideraueris, denſius atque velut exulceratum ipſum inuenies,& vtplurimùm ſanguinolẽtum,propter deſtillãtẽ ad ipſũ à capite ſanguinẽ.Curatio autẽ iis qui ſanguinem à capite educunt,ſufficit ſimplicior & exigua.Adſtringentia enim per collutiones palato adhibita frigida ſufficiunt:nam à calidis & rarefacientibus collu- D tionibus plus ſanguinis erumpit: quare ſignũ id eſt adeo à capite prodeuntis eductionis. Si itaque à capite feratur,multúmque ſit quod defertur,euacuatione opus erit. Quare citius per nares aut per venæ alicuius inciſionem euacuare oportet, ne per negligentiam conſuetudo fiat ſanguini in hos locos delabendi.

Curatio eorum qui ob deſtillationem ſanguinem expuunt, Cap. LX.

QVI ob deſtillationem ſanguinem expuunt,his venã incidere oportet ſtatim in principio, acri ſimul cly- E ſtere adhibito & euacuata aluo:deinde confrictis quam plurimùm manibus,brachiiſque ac cruribus per pharmacum calefactorium ac extenuatorium,extremæ eorũ partes colligentur:poſtea verò capiti raſo pharmacum ex ſtercore ſylueſtriũ colũbarum impone , & poſt horarum triũ interſtitium in balneũ deducito, citráque capitis cũ pinguedine contactũ lauato : pòſt verò capite mediocri pileo contecto,ſorbitione multa ex ſolis auſteris pomis connutrito:deinde dormire volenti,theriacen Androma- F chi ex viperis recens apparatam exhibeto. Sequenti autẽ die omnibus corporis partibus,capite tantùm excepto,cõfrictis,in quiete adſeruato,rurſúſque in veſperam theriacen exhibeto.Quòd ſi ex his deſtillatio ſiſtatur, tertia die manè mel parum coctum præbeto , quieſceréque finito, ac totum corpus defricato.In cibo exhibe ptiſanæ ſuccũ modicúmque panem madefactũ.Quarta autem die manè poſt acceptum ex viperis pharmacũ, rurſus plurimum mellis præbeto,capiti ſimul pharmaco ex ſtercore columbino impoſito.Deinde lotis & mediocriter nutritis,quin- G ta die ea quæ humores qui in pulmonem defluxerunt, vehementer purgare queant,exhibeto. Pòſt verò per interualla ad caput cerato ex thapſia apparato vtaris.Vniuerſam autem curationem renutriendo ac refocillando corpori deſtinatam impendito.

De iis qui ob frigiditatem organorum reſpirationis,ſanguinem expuunt,ex Galeno, Cap. LXI.

QVI verò ob frigiditatem membrorum reſpirationis,ruptis pulmonis venis,ſanguinem expuunt, his H e veſtigio venã ſecare conuenit,ſecũdaria facta detractione eadem die,& poſtridie ſimiliter,videlicet vt paulatim euacuationem faciamus,& vt ad cõtrarium diuerſio fiat, quam antiſpaſin *Græci* appellant.Eius enim gratia venæ ſectio adhibetur:deinde fri catione extremarum partium,

& vt dictum eſt, ligatione facta, in veſperam ex ſemini- A
bus paſtillum exhibeto. Sequenti verò die poſt repetitã
ſanguinis detractionem, vniuerſo pectori ceratũ ex tha-
pſia imponito: quod in veſperã rurſus, ne vlterius quàm
cõuenit calefaciat, detrahito, atque iterum paſtillos ex
ſeminibus dato: tertia autem die ex thapſia ceratum ad
horas circiter tres rurſus imponito, hominémque laua-
to. Cibum autem præbe. primis diebus ſorbitionem, ter-
tia autem ad ſuccum ptiſanæ, piſces qui facilè concoquũ-
tur probéque conditi ſunt, adde: ante ſomnum etiam rur
ſus paſtillum ex ſeminibus exhibe. nam & ſomnũ con- B
ciliat, & dolores leuat, & exſiccat. Inflammatione autem
ruptarum venarum ſedata, & particulis ad bonam tem-
periem redactis, ea quæ thoracem repurgant præbe, ad-
hibito ſimul vſu theriaces ex viperis apparatæ: dein-
de etiam lactis potu aliiſque cibis vtaris. Hoc modo
ſanè, eos qui ſe mox eodem die medicandos exhibẽtr po
teris curare: non tamen ſimiliter qui poſt duos aut tres
obueniunt dies. Aliqui enim eorum immedicabile vl-
cus habent, maximè qui per vitioſos humores eroſionẽ
ſunt paſſi: quorum aliquibus ſputum ipſum ſalſuginis C
aut muriæ ſaporem exhibere referunt.

Curatio eorum qui iuxta alium quemcunque tandem modum ex pulmone ſanguinẽ reiectant, Cap. LXII.

DIfficiliorem autem curam vlcera in pulmone conſi
ſtentia habent. conari itaque oportet, quemadmo-
dum nos fecimus, ita vt ægro præcipiamus ne reſpiret
valde, & vt ſileat ſemper. Incidere autem ſtatim venam
oportet in cubito internam, ac ſanguinis detractionem
reiterare, bis aut etiam ter, paulatim, gratia diuertendi. D
non enim euacuatione indigent tales, nimirum ab affe-
ctione ipſa euacuati. Quapropter etiã frictionib⁹ vtãtur,
aut etiam totius corporis membrorum cum latis linteo-
lis conſtrictione. Poſtquã verò hæc exacta fuerint, pri-
mùm quidem poſcam dilutam tepidam bibendam exhi-
bere conuenit: vt ſiquis ſanguinis grumus in viſcere hæ-
reat, inde diſſolutus eiiciatur: neque quicquã obſtat bis
& ter in tribus horis hanc potionem iterare. Poſt hæc
autem pharmaca, inductoria & obſtruendi meatus vim
habentia, ſimúlque adſtringentia exhibeantur, aut ex po E
ſca diluta in prima ſanè die, aut ex decocto malorũ, aut
baccarum myrti, aut alterius cuiuſdam adſtringentis. In
veſperam verò rurſus exhibendum eſt pharmacum: abſ-
tineátque æger ab omni cibo, ſi virium robur adſit: ſin-
minus, ſatis erit ſorbitionem præbere. Optimum autem
eſt & ſecunda die rurſus parum ſanguinis detrahere ex
eadem quæ prius inciſa eſt cubiti vena, ſi modò vires ad
id tolerandum ſufficiant. Cibis etiam & pharmacis ſimi
liter vtendum vſque ad diem quartum, pectore in orbẽ
madefacto, æſtate quidem ex vino, oleóque melino & F
roſaceo: hyeme verò ex vnguento nardino. Si verò em-
plaſtris vti velis, optimum pharmacum noſtrum barba-
rum appellatum habebis. Conducunt etiam reliqua ex
bitumine, aceto & pice apparata, & maximè quod ex ſa-
licibus, & quod ex loliis conſtat. Maximum enim hoc
eſt, cui diligenter attendere animum oportet, ac mox fa
cta vaſorum ruptura, inde remedium offerre incipere,
quò cruẽtũ adhuc vuln⁹ cõcreſcat, priuſquã inflãmatio
apprehẽdat. Etenim ſi iflãmatio præuenerit, parũ ſpei eſt
ad huiuſmodi vulneris cõglutinationẽ, quippe quæ ſe in G
multũ tẽpus extẽdit. Eluere enim oportet, tũ pus, tũ ſero
ſum ſanguinem ipſius vlceris, poſteaquã inflãmatio fue
rit ſoluta: reliquam autem curam quemadmodum ad ta-
bidos fieri ſolet, ordinare. Ex Archigene. Porrò ſi à
ſtomacho aut ventre, ſanguinis reiectiones cum vomitu
procedant, vena incidenda eſt in cubito ſuperior, hume-
ralis appellata, etiamſi ex hepate in ipſum ventrem defe
ratur. Si verò à ſplene ſanguis feratur, quod ex tumore
circa ſplenem conſidente cognoſces, inciſa vena quæ in
ter paruum & annularem digitum in ſiniſtra manu eſt, H
probè ac propriè auxiliaberis. Cæterùm & cibos & po-
tus magis adſtringentes dare conuenit iis qui ex ventre
per vomitum, citra tuſſim ſanguinem reiectant, non ta-
men vehementer & actu frigidos: ex vehementi enim
frigiditate plagæ inferuntur. Quare ſuffecerit, ſi non ca
lidi exiſtant, neque nimiam humectationem inferant.
Fontana igitur aqua non valde frigida neque multa, in
potu exhibeatur: & cibi pauci ſimiliter mediocriter fri-
gidi, ac naturæ quoque adſtringentis.

Communes methodi exhibendorum auxiliorũ, in ſingulis reiectationis ſanguinis ſpeciebus, poſt ſanguinis inhibitioné, Cap. LXIII.

EX Galeno. Primum periculum in reiectatione ſan-
guinis, eſt ne vltra modum eius euacuatio fiat. Cura-
tio autem poſt eius cohibitionem eiuſmodi exiſtit. Re-
iectatio quidem ſanguinis quæ ob apertionem fit vena-
rum, per obturationem occluſionémque dilatati oris i-
pſius venæ curatur: quæ verò ob venæ rupturam fit, per
conglutinationem ſanatur: quæ ob corroſionem, per re-
nutricationem, & ea quæ carne implent corroſa. Obtura-
tur quidem dilatatũ & apertum os venæ ab adſtringen-
tibus. Conglutinatur autem rupta vena ab iiſdem, & quæ
cunque in compoſitione eis admixta citra mordacita-
tem deſiccant, ac glutinoſum quiddam in ſe complectũ
tur, velut eſt Lemnia terra, & quæ Samius aſter appella-
tur, & iis ſimilia. Renutritur autem corroſum à cibis
boni ſucci, & pharmacis ſarcoticis, *id eſt carne explenti-
bus*, appellatis. Conueniunt igitur adſtringentia eis qui
non tuſſiunt, qui corpus boni ſucci habent, & qui ob
apertionem oris venarum, aut rupturam, ſanguinem reie
ctant. Adſtringit autem optimè acetum, & portulaca co
meſta: ſuccus autem eius bibitus efficacior exiſtit: plan-
taginis ſuccus cyathis tribus, aut ſanguinariæ ſuccus eo-
dem modo. Succus vuæ acerbæ in ſole probè deſicca-
tus, drachma vna, rhois aut gallæ decoctum cyathi men
ſura, cortex glãdis, maximè caſtaneæ, drachma vna, radi
cis rubi decoctum menſura cyathorum trium, mora ru-
bi & flos, balauſtiorum drachma vna, acacia & hypoci-
ſthis eodem modo: Vinacea cochlearii menſura, ſimi-
liter lapathi acuti ſemen. Efficacius autem operatur radi
cis althææ decoctum, radicis ſymphyti decoctum, at-
que ipſa quoque ſicca trita potui inſperſa, centaureæ ra-
dicis drachmas duas, quas febricitantibus cum aqua, fe-
bre carentibus cum vino exhibebis. lapidis hæmatitæ
drach. vna, cum mali Punici ſucco, aut corallii lapidis,
eodẽ modo, radix equiſeti. mora valde cruda & imma-
tura. Forinſecus autem pectori irrigatio adhibẽda ex vi-
no adſtringente cum oleo roſaceo aut myrteo. Si verò
multa ſanguinis eruptio fiat, maximè in æſtate, & citra
tuſſim eius reiectiones contingant, neque debilis ſit æ-
ger, ſed robuſtus & carnoſus, acetum, pro vino adhiben
dum eſt, non in ſordidis amplius lanis, ſed ſpongiis exce
ptum: faſciáque lata æger conuinciendus. Aliquando au
tem acaciam, aloen, aut omphacium aceto permiſcere
conuenit, & cutem ex oleo myrteo præillinire, ne mor-
dacitas ex irrigatione ſuccedat. aut etiam emplaſtrum
barbarũ, aut ex ſalicibus, aut aliud ſimile impone. Quòd
ſi æger ferre nequeat ex irrigatione prouenientem in-
iucunditatem & moleſtiam, neque toleret item empla-
ſtrorum incommoditatem, huiuſmodi cataplaſma eſt
admouendum: ex palmis videlicet & acacia, alumine,
malicorio in puluerem redacto, ſymphyto, polenta aut
lentium farina apparatum. Si verò neque cataplaſmatum
grauitatem ferre queat, neque calefieri ſuſtineat, illitio-
nibus vtendum. Loti itaque aut meſpili corticem, & rho
en culinarium, paucáque rhamni, aut ſanguinariæ folia
in aceto decoquito: deinde in eo decocto aloes ſuccum,
aut acaciæ, aut omphacii, paucúmque gummi diluito, &
pectus ac dorſum ex eo illinito: atque vbi exſiccatum
fuerit, rurſus inungito, quò craſſitudinem accipiat illi-
tio ſeu vnguentum, & ne denudati frigore circumueniã-
tur. Illa verò hora qua areſcit illitum, ab ægro multus
aer eſt arcendus. Quòd ſi inflammationes ſuccedentes
febres inferant (ſolent enim vehementer acutæ irruere
& periculoſæ, aliquando etiã lenes & obtuſæ, quũ vide-
licet in tabẽ ſunt tranſituræ) tũ omnis veluti in febribus

eſt ordinanda diæta : non tamen aceruatim,ſed quietè & paulatim,vt ne rurſus rumpantur conglutinata. Abſtinēdum à vino,& ſorbitionibus admiſceda quæ leniter adſtringunt,velut ſunt palmæ & ſimilia. Cataplaſmate vtēdum pane calido,deinde ſemine lini. Vbi verò perſeueraret malum,omnia vt ad tabidos facienda. Exſiccatoriā porrò,citra mordacitatem, vim obtinet ſuccus ocymi: qui ſi aceto commiſceatur:conuenientior fiet,& eſt quoque nobis in vſu familiaris, citráque formidinem eum porrexeris. Adſtringit autem & deſiccat ſimul rheon Ponticum. aſſumere autem oportet hanc ipſam Ponticam radicem ad recentes ac inueteratas ſanguinis reiectationes,& ad pectoris fluxiones, in principio quidem ex poſca decoctam: ſi verò per circuitus redierit reiectatio,omnino parum quiddam bibendum præbe cum aqua : quum verò aſperitas & tuſſis moleſtiam intulerint, paſſo Cretico decoctam,deinde contritam præbe. magis autem deſiccat arefacta in potum inſperſa.Exſiccat etiam citra mordacitatem Samius aſter, & minium ſinopicū, & terra Lēnia bis in die data drachmæ pondere ex aqua.Citra mordacitatem etiam & præclarè omnino deſiccat obolus Armeniacus,vt nihil eo hac parte præſtet. eius itaque drachmam vnam exhibere potes cum aqua confidenter. Exſiccat etiam coagulum hœdi: cerui verò magis inſpiſſat.Quòd ſi ſtomachus æger ſit,ſemel excipit quod adſtringit,& ſemel quod deſiccat. Aliquando autem manè adſtrictorium damus : circa ſextam autem horam deſiccatorium: in veſperam verò quod inſpiſſat. Quando verò inſpiſſantibus opus fuerit,amylum detur, & gummi ac tragacantha, quodlibet per ſe, atque etiā inuicem permixta. Simplicia ad ſanguinem reiicientes,pharmaca. Huius generis,inſpiſſantium videlicet, eſt & gluten piſcium & ſymphyton māducatum ac deuoratum. Cibos etiam eiuſdem cum prædictis pharmacis facultatis exhibere oportet,tum iis qui propter apertionem venarum,tum qui ex ſtomacho ſanguinem reiiciunt : nimirum adſtringentes, velut eſt alica ex poſca, aut micæ panis eodē modo:aut oryza, oua mollia rhoē culinarium tenuiſſimè tritum infarctum habentia, plātago cocta,intubum,lens cum prædictis condita,aut lapathum acutum.In quibus verò inſpiſſante materia magis opus eſt,lac coctum refrigeratur, daturque tum ob corroſionem,tum à ſtomacho ſanguinem educentibꝰ. hi enim adſtringente materia & carnis expletione opus habēt. Aliquādo autem lacti cocto amylum infarcitur, ac modicum omnino coaguli. cauere enim oportet immodicum eius vſum:neque ſtatim poſt eius admixtionē lac ipſum exhibere, ſed poſt aliquantulam dilationem. valde enim in ventre cōcretum,mortem inferre conſueuit. Conducit etiam palmas cum alica decoquere, aut cū ſimilagine. Inſpiſſant autem ſimúlque adſtringunt,oua craſſiora rhoe infarcta,maximè ſi ſint aſſata:lens cū ptiſana decocta,milium coctum. Fugienda autē in omnibꝰ vehementer aſtringentia,& excellenter inſpiſſantia: eligenda verò ſimpliciora & minus moleſta ex vniuerſo genere eorum quæ ſunt prædicta. De compoſitis ad ſanguinem reiicientes pharmacis, Galeni. Iuxta primā quidem rationem ex adſtringentibus & deſiccantibus,ac inſpiſſantibus pharmaca componuntur ad curationem reiectionis ſanguinis conuenientia.Quum verò adſtrictoria,& tenacia ac deſiccantia vias præcludāt,& difficulter per corpora digerātur, vi quadā opus habēt præparāte ac aperiēte eis vias ipſas : & ob hoc ipſū calida & tenuiū partium,eiuſmodi pharmacis miſcentur,quæ iuxta omnem ipſorum conſiderationem contraria ſunt ſanguinis ſiſtendæ reiectioni.Miſcentur etiam eis ſtuporem inducentia,quò profundiorem ſomnum inducant : quæ ſanè commodiſſima ſunt iis qui à tuſſe lancinantur omnibꝰ, maximè tamen qui ſimul ſāguinem reiectant. Hi igitur ſcopi ſunt compoſitionis pharmacorum ad ſanguinis reiectionem conuenientium.Quæ verò per experiētiam cognita ſunt à priſcis medicis compoſita pharmaca,deinceps dicentur. Potio hæmoptoicis commoda: Lapidis corallii,terræ Samiæ quæ aſter appellatur,ſuccini,

A maſtiches,cuiuſque drachmas ſex,amyli, thuris, gūmis, cuiuſque drachmas quatuor, excipe cochlearium vnum ſiccum cum poſca, aut cum aliqua prædictarum decoctionum. Alia potio: Terræ Samiæ aſteris,lapidis agerati,terræ Lēniæ, æquales omnium partes accipe, & ex eis cochlearium vnū præbe cum cyathis duobus decoctionis plantaginis. Alia. Terræ Lemniæ drachmas ſedecim,terræ aſteris drachmas octo, ſarcocollæ drach. quatuor,gummis drachmas duas,præbe cochlearium cū decocti palmarum cyathis duobus . ſit autem decoctum

B ipſum craſſum. Alia Andromachi: Corallii torrefacti drachmam vnam, thuris obolos quatuor, acaciæ drachmam I. balauſtiorum obolos quinque, gummi obolos duos, candidum ouorum duorum. huius quartā partem,cum aquæ cyatho vno & dimidio exhibe. Alia Aſclepiadæ: Radicis ſanguinariæ manipulum, radicis ſymphyti tantundem,rhois rubri acetabulum,aquæ ſextarios tres, decoque ad tertias, & expreſſi ac percolati liquoris cyathum vnum præbe, & ad ſingulas exhibitiones,gummis triti drachmam vnam coniice. Alia

C valde præſtans,cui teſtimonium præbeo : Thuris, terræ aſteris,cuiuſque drachmas octo, croci drachmam vnam,amyli drachmam vnam,ſucci plantaginis ſicci drachmam vnam,contuſorum & cribratorum cochleare vnum dato cum poſca. Alia per experientiam: Corallii drachmas octo,thuris drachmas octo, dato cochlearium cum vino myrtite diluto. eadem etiam ad fluxum muliebrem efficax eſt. Paſtillus ex electro. Præclarè facit ad hæmoptoicos vndecunque ſanguis efferatur,ad tuſſim veterem & recentem, tabidos,cruenta reiectan-

D tes,ſuppurationem pectoris, tormina inteſtinorum,veſicæ fluxiones,& ad inflatos:eſt etiam aurium affectionibus commodus : Pſyllii drachmas quadragintaquinque,ramentorum electri,iridis, maſtiches, croci, cuiuſque drachmas quatuor,opii drachmas quindecim.Pſyllium in aquæ calidæ ſextarios tres coniectum,parumper macerato:atque vbi viſcoſum ac lubricum factum fuerit,liquorem indè exprimito, eóque præſcripta diluito, terito,ac paſtillos informato.ex iis obolos tres cubitum

E ituris exhibeto. Paſtillus Doſithei,valde celeber.

Virgultorum rubi ſextantem, radicis ſymphyti, fructus ſpinæ Ægyptiæ,ſucci hypociſthidis,lycii, opii,thuris, rhei Pontici, terræ aſteris, ſingulorum ſextantem, rhois culinarii quadrātem, roſarum ſiccarum drachmas quatuor, baccarum myrti quincuncem,croci, terræ Lemniæ,corticis qui macer appellatur,cuiuſque drachmas duas,excipe ſucco plantaginis aut vino ſcybelite, & informa paſtillos. eos cum decocto ſymphyti aut ſanguinariæ exhibeto. Alius paſtillus, ex cuius vſu magnā

F nominis famam ſum adeptus: Terræ aſteris quadrantem,amyli recentis quincuncē,tragacanthæ ſeſquiunciā, gummis quadrantem, glutinis piſcium vnciam vnam,aceti quantum ſuffecerit. Gluten more eorum qui arcus faciunt diſſoluito, per triduū in ſufficienti aceto maceratum : quarta deinde die,exemptis ex eo pelliculis,repurgatum paulatim tolle, & in mortario cum paſtillo contunde,& quamdiligentiſſimè diſſolue, aut ſuper calidum cinerem pone. difficulter enim ſolubile exiſtit. Vbi verò ſolutū fuerit,rurſus in ære,aut ferro,aut(vt di-

G ctum eſt)cinere calido cum aceto decoque,& ſufficienti tempore aſſiduè agita, vt quamcraſſiſſimum fiat: deinde in mortarium coniectum ſatis diu tere. Atque vnumquodque prædictorum per ſe contuſum ac cribratum in promptu habens(maximè tamen tragacantham)in mortarium ad diſſolutum gluten inſperge, omniáque diligenter vnita,vitreis lancibus ſolidis excipe & exſicca,paſtillóſque informa mediocres. durāt autem aliquandiu donec formentur. eos cum poſca exhibe, & vtere valde confidenter. Paſtillus ex corallio, qui nunc celebris

H & in vſu apud omnes empiricos exiſtit: Terræ aſteris, balauſtiorum, corallii,ſucci hypociſthidis,acaciæ,myrrhæ,rhei Pontici,dauci, omphacii, tragacanthæ, cuiuſque vnciam vnam,thuris ſextantem,opii drachmas quatuor,amyli ſcrupulos ſex,aluminis ſciſſi ſcrup. XII. terræ

Lemniæ

Lemniæ ſcrup.vi.rhois rubri quadrantem, radicis dulcis ſeſcuncem, ſymphyti radicis trientem, gummis ſcrupul. xviii.croci ſcrup.vi.fructus ſpinæ Ægyptiæ drach.iiii.Digere in paſtillos cum ſucco plantaginis, aut vino auſtero vetere,& exhibe ante ſomnum obol. iii.cum poſca. Facit etiam ad tormina inteſtinorum. Paſtillus ex Ægyptia ſpina,quo plurimùm vtor. Pharmacum clidion appellatum, quod proſperè omnibus ſanguinem reiicientibus conducit:itémque cœliacis,inteſtinorum torminibus, & ſtomachi fluxionibus:Cytinorum,fructus ſpinæ Ægyptiæ, balauſtiorum,acaciæ,ſucci hypociſthidis,ſing. drahc. vi. lycii,rhei Põtici,opii,cuiuſque drach.iiii.myrrhæ drach. iii. Cõtuſa & cribrata diligenter,baccarum myrti aut roſarum decocto excipito, aut vino myrtite, & in paſtillos redigito,& iuxta cuiuſque vires cum roſarum,aut baccarum myrti, aut pampinorum vitis, aut palmarum decocto exhibeto,aut cum frigida aqua. Quòd ſi lycio nõ abundes, hoc modo apparare potes: Rhus, qua coriorum tinctores vtuntur,in quadrupla aquæ portione ad triduũ maceratur,virga frequenter agitata:quarta autem die decoquitur vſquequo aqua ipſa rhois comam exæquet. Et tunc quidem rhus expreſſa abiicitur: aqua verò percolata,donec in mellis ſpiſſitudinem cogatur,decoquitur,atque ita pharmacis adiicitur.Quum verò bibendum præbes hoc prædictum pharmacum,ſpongias poſca madefactas ſtomacho aut pectori impone: atque vbi reſtiterit ſanguis,pectus aut locos fluxione laborantes ex omphacio in aceto diluto & aliquantulùm tepefacto inunge. Conuenit etiam ſanguinem reiicientibus paſtillus Philippi,qui in tractatu De inteſtinorum torminibus deſcribetur. Potio ad ſanguinem reiectantes: Succi ſaluiæ cyathos ii.mellis vnciam vnam,exhibe ieiunis in potu, & e-ueſtigio ſanguinem ſiſtes. Quæ grumos ſanguinis concretos diſſoluant. Sanguinem in grumos concretum, lixiuium ex cinere fici,& vitis, & quercinum diſſoluit: ſimiliter etiam thymus & ſatureia cum aceto. Coa[illegible] leporis aut hœdi, ciceris magnitudine ex aceto. It[illegible] mox vbi quis ex alto ceciderit ac ſanguinem reiecerit,lixiuium per ſe bibendum exhibeto, aut cum modico aceto.

De aſperæ arteriæ vlceribus,

Cap. LXIIII.

QVæcunque in aſpera arteria vlcera fiunt,iuxta pelliculam eam intus ambientem, maximè prope eius extremum,aut in ipſa adeò arteriæ extremitate,ſanabilia omnino exiſtunt: & nos non paucos hoc modo affectos curauimus. Reiiciunt autẽ hi per ſputum purulenta pauca ac cruenta, aliquando etiam tectoria quædam vlceri obducta, ſenſúſque doloris ab eis manifeſtè percipitur iuxta exulceratum locum. Hos itaque in quiete aſſeruare oportet ſupinos reclinatos,atque iis quæ capiti ſubiiciuntur,ſublimius inſtratis:admonere etiam vt quantum poſſibile ſit renitantur,& ne tuſſiant:deinde forinſecus loco affecto deſiccãtia imponere,veluti ſunt emplaſtra,barbarum,ex ſalicibus,& ex loliis,appellata,ac eis ſimilia.Pharmaca autem eis exhibenda ſunt,quæ ſuprà ad vlcera inter arteriaca & ad pectore ſuppuratos ſunt deſcripta: quæ etiã ſub lingua detinere conuenit,vt paulatim liquefacta, in aſperam arteriam delabantur: tum verò maximè obniti & non tuſſire.In potu autem exhibendum eſt lac quòtidie recens mulctum ab adſtante adhuc animali: adiiciendum etiam mellis quiddam iis qui lac difficulter cõcoquunt,& quibus in caſei modum in ventre concreſcit.

De pectore ſuppuratis,ex Archigene,

Cap. LXV.

EMpyici, *id eſt pectore ſuppurati* vocãtur, quibus abſceſſus in ſuccingente coſtas intrinſecus membrana aut in aliqua alia pectoris pellicula factus, aceruatim ruptus eſt,& in vacuum pectoris locum effuſus,inter pulmonem & membranam coſtas ſuccingentem. Qui ſi non quamcitiſſimè per ſputũ reiiciatur, tabidi fiunt. Febricitant autem pectore ſuppurati indeſinenter hecticen, *id eſt habitualem febrem*. Rumpuntur autem ſuppurationes, aliquæ quidem ſurſum verſus, aliquæ verò deorſum. Quæ deorſum rumpuntur, in aluum & inteſtina ac veſicam tranſfunduntur, per vaſa quædam tranſmiſsione ad ea membra facta. Quæcunque verò ſurſum rumpuntur, in vacuum videlicet thoracis locum,periculoſiores exiſtũt. Cognoſces autem ſuppuratos hoc modo: Quum lateris dolor præceſſerit,deinde vehementes febres quieuerint, & ex magna parte quoque dolor, grauitatis autem ſenſus remãſerit intus in lateribus in profũdo thoracis,ſimúlq; tranſfluere aliquid appareat,iuxta multiplices reclinationis permutationes,& maximè quum ab vno latere in alterum decumbunt:tunc ſanè multitudo puris manifeſtatur,& fluctuationis cuiuſdam ſonitus ſæpe ſenſibiliter in reclinationibus ipſorum auditur.Cognoſcitur itaque ſuppuratio facta,tum ex prædictis,tum quòd nihil relatu dignum per ſputum reiectarunt in eo qui præceſsit vehementi lateris dolore.Nouimus autem quoſdam citra febrem ſuppuratos, ex ſeroſo aut pituitoſo humore ex reliquo corpore in vacuum thoracis delapſo iſtícque putrefacto.Itaque quibus ex gymnaſiorum exercitiis,aut ex caſu aliquo ſæpe ſenſibilis conuulſio facta eſt,quæ dolorẽ circa profundum thoracis intulit: Nitrũ,acetum,& oleũ cyprinum coniiciantur, iis addatur roſmarini ſemen cãchry appellatum, largè probéque cõtritum, aut pyrethrũ eius loco,ſeu ſtaphis ſylueſtris:hæc ſimul calefiãt:deinde excolata ipſis locis ex lana ſuccida repletis irrorentur,aut cum lana imponantur. vtilis enim hæc irrigatio exiſtit, ſæpéq; ſola malũ omne diſcuſſit. In quibus autẽ inflãmatio præceſſit, vltrò venã cubiti incidere oportet,ſi nihil prohibeat, & mediocriter euacuare, vt alleuatio tantùm aliqua contingat. Nutrire verò ex ptiſanæ ſucco & aqua mulſa, excretioni conſulendo, & in quiete diligenter cuſtodiendo. Ac primùm quidem ex oleo pingui irrigationes lana conuoluta exceptæ ac impoſitæ conducunt.Quòd ſi febris abſit,paſſum etiam moderatum cum multo oleo commiſceatur, lanáque ſuccida excipiatur. Hæc enim irrigatio,in iis qui febre carent,vſque ad tertiam ſufficiet diem. Si verò febres ſimul adſint,& ruptura conſequatur ipſius puris: Rutaceo aut anethino oleo fœniculum aut flos cypri madeſcant: aut quod magis ad hanc rem conuenier, ipſi oleo incoquantur, cum radice maluæ.Conuenientius eſt autem oleum cyprinum, cum ſpiſſamẽtis apparatum. Hæc autem calefacta & lana molli excepta imponantur.Poſt hæc autem,cataplaſmata adhibere conuenit,ad febres quidem ſedandas, ex pane in aqua mulſa decocto, viridi apio,aut fœniculo, ſimul decoctioni iniecto, aut apii aut fœniculi ſemine inſperſo. cõmodius autem ad hæc butyrum pro oleo adiicitur. Deinde cataplaſma quoque ex ſemine lini adhibeatur: quòd ſi maius malum ſit,etiam fœnumgræcum addatur. Quòd ſi frigiditas ſuppurationis cauſam præbuit, irionis etiam ſemen cataplaſmatis indatur.Tardantibus autẽ ſuppurationib⁹,ordeaceæ farinæ caricas coctas addere oportet,& althææ radicem,terebinthinámque reſinam ac ſtercus columbinum.Fit etiã ad tardantes rupturas vtile cataplaſma ex ſolo ſtercore caprino,quod & collectionẽ maturat & diſcutit. Optimum etiam diſcuſſorium eſt ex loliis cataplaſma,ſi bitumine permiſceatur.Ablatis autẽ cataplaſmatis,ceratis affectæ partes contegantur ex butyro apparatis,& habentibus quoque admixtã irin, parum de baccis lauri,& rutam.etenim ad hoc quòd à frigore tutãtur,adiuuant etiam reiectationem.Tempore reiectionis, congruit emplaſtrũ ex ſuccis conſtans,& Mnaſeæ,& ſimpliciora melina,poſtea verò Iceſii & quod ex loliis apparatur. Si verò fluxus timor immineat, id quod Thraſiæ appellatur erit aptum.Ego verò aſſiduè eo quod ſylueſtri cucumere conſtat vtor: omnium enim efficaciſſimum exiſtit.præſcriptum autem hoc eſt in anheloſorum tractatu. Adiuuare igitur oportet puris excretionem quòcunque repere cognoſcatur.Quòd ſi ad aluum proreptet, magis emollientia ſint ea quæ offeruntur: ſi verò ad veſicam ſerpat, ea quæ vrinam magis cient, adhibenda. Si verò per tuſsim puris repurgatio fiat, nihil conuenientius aut familiarius exhiberi poteſt quàm ptiſana optimo melle permixta. Cæterùm ea quæ vrinam cient, cibis commodè admiſcentur, vndecunque tandem puris excretio contingat. Commoda eſt etiam faba cocta, in

omni ſuppuratorum differentia exhibita,ſi ei parum ex ſeminibus erui maceratis, & duplici ex aqua decoctione dulcoratis adiiciatur.Allii comeſtio quoque vtilis ad repurgationem exiſtit. Inter potionum genera,ſimpliciſſima eſt aqua mulſa cum iride & plurima radice dulci decocta: vtilis eſt & radicis dulcis ſuccus commanducatus & cum admixto ſeſamo temperatus.Conuenit etiam hyſſopum aqua mulſa decoctum. Eclegma autem prodeſt hoc: Nucum pinearum tum quæ pityides,tum quæ ſtrobili appellantur, amygdalarum amararum, ſeminis lini, amyli recentis,æquales partes,mellis quantum ſuffecerit. Optimum autẽ eſt & piperis parũ ac ſeminis iridis addere. Quòd ſi tuſſis infeſtet,butyrum recens tepidum cum melle tepefactum delingendum præbe. Aliud eclegma, inter abſceſſus repurgans,vt etiam pelliculas maximas educat. Cardamomi dr. VIII.ſagapeni dr.III.myrrhæ dr.IIII.opii dr.II.caſtorei dr.II.piperis drach.I. cum aqua in paſtillos duorum obolorum pondere redige, & cum aqua calida paſtillum vnum pro vna vice exhibe. Theſpiana ad internos abſceſſus:Seminis apii drach.tres, opii drach.III.melanthii drach.III.caſtorei drach.II.ſeminis dauci,iridis,ſinapis,cuiuſque drach.VII. excipe melle cocto, & præbe nucis auellanæ magnitudine ex aqua. Eclegma ex eruo,ſuppuratis commodum: Erui madefacti & indè torrefacti decorticatique & in farinam redacti drach.VIII. nucum pinearum drach. VIII.amyli drach.VI. piperis drach.V.ſucci rutæ drach.I.mellis cocti quantum ſuffecerit. Eclegma magnum ex marrubio: Spicæ nardi,piperis.ſucci marrubii,cuiuſque vnc.I.mellis libras III. vini veteris dulcis libras duas.Succum cum vino & melle decoque, atque vbi ea coacta fuerint, ſicca contuſa & cribrata inſperge,ac ſimul vnitis vtere. Aliud. Amomi ſextantem,caſiæ quadrantem, ſtyracis calamitæ ſeſquiunciam,ſpicæ nardi ſeſquiunciam,croci vnc.I.piperis vnc. I.naſturtii dr.IIII. thuris dr. IIII.mellis lib.III.vtere vt optimo. Antidotus panchreſtus *ab omnimoda utilitate* appellata. conducit tuſſi antiquæ, ſuppuratis, orthopnoicis,tabidis, præcordiorum diſtentionibus, & omni inflationi.mouet menſes fœminarum,& quæ ex abortu aut partu relinquuntur. ſecundas etiam ac partus educit. & veſicæ abolet affectiones. Terebinthinæ drach.octo, ſtyracis drach. VI.myrrhæ drach.V.croci, iridis, galbani, cuiuſque drach.IIII.ſeminis hyoſcyami, corticis mandragoræ,irionis torrefacti,opopanacis,cuiuſque drach.II.piperis drach.vnam,ſpumæ nitri drach. I. cum paſſo coge in paſtillos,ex quibus obolos duos cum aquæ mulſæ cyathis tribus præbe. Alia antidotus Ariſtarchi, Paulina appellata. vim habet admirandam. prodeſt tuſſientibus,reiectantibus ſanguinem, tabidis,ſuppuratis,pulmonis abſceſſib⁹,cõuulſionibus,& rupturis:ad ſtomachi ſubuerſiones,bilis per vomitum ac ſeceſſum eruptionem,cœliacos,dyſentericos,veſicæ affectiones,vteri ſtrangulationes,& ad febres per circuitum repetentes, vna hora ante exacerbationem exhibita. facit & ad malum habitum corporis,& ad eos qui alimentum non ſentiunt,ad exitialia pharmaca & venenatorum morſus. Habet autem hoc modo:Cinnamomi,coſti,galbani,caſtorei,opii,piperis nigri & longi,ſtyracis,ſingul.vnc.I.mellis ſextarium I.Sicca contundito ac cribrato: galbanum autem cum modico melle decoquito ac excolato: deinde omnia ſimul vnita in vaſe vitreo reponito, ac fabæ Ægyptiæ magnitudine exhibeto cum aquæ mulſæ cyathis duobus, irrorato de pollice modico aceto. Vtere etiam iis quæ ad tabidos deſcribemus.Exhibe quoque confidenter antidotum iſotheon appellatam ad tuſſientes ſuprà præſcriptam. Licebit & pæonia appellata antidoto vti, quæ in Sermone tertio & decimo cum aliis multi vſus antidotis deſcribetur.Farinas quoque apparare conuenit ex eruis albis madefactis primùm,deinde reſiccatis ac decorticatis & mola tritis. hæc enim farina & lacti dum decoquitur adiicitur,admixto etiam melle,& vehementer cõmoda redditur. admiſcetur etiã aliis ſorbitionibus: & eclegmata ad difficulter purulenta reiicientes apparata, ex hac conficiunt. Commodum eſt autem & amygdalas amaras delibratas ſorbitionibus infarcire. Facilem autem puris reiectionem facit porrum capitatum ceu ſorbitionibus decoctum, atque etiam per ſe aquæ incoctum, & in cibo acceptũ.In potu aqua offeratur probè cocta: ſi verò vino opus habeat,theræum detur aut aliud dulce paucum. Ab aceto autem & omni alio vinoſo genere, & ab aqua quoque frigida abſtineant.Tempore verò quo cicatrix obducitur,vinum ſquillinũ vtile eſt præpotatum, aut abſinthites & œnanthinum in vomentibus & purgatis per veſicam:hyſſopites verò & ſquillinũ, iis qui per tuſſim:pulegiatum qui per aluum purgantur: maximè ſi nigricantia ſubeant vnà cum purulentis,aut grumoſæ quædam coactiones. Quoniam autem per interualla colligi ſolent & rumpi quoque ſuppurationes, curam adhibere conuenit ne poſt factam earum curationem recurrant. Id fieri poteſt per lactis potationem,& hieræ ex colocynthide conſtantis purgationem.Pòſt etiam dropaces locis adhibeãtur,& ſmegmata ſeu exterſoria acriora cutem rubefacere potentia,& epithemata eius vſus, velut eſt id quod ex euphorbio fit:item quod ex baccis lauri. Aſſumendæ etiam arenæ ingeſtiones:& acrium ciborum comeſtio vtilis eis exiſtit per interſtitia adhibita,maximè verò alliorum coctorum. Multos autem ſuppuratos poſt cicatricis obductionem illæſos conſeruauimus per ſalſamentorum comeſtionem. Aſſiduè etiam acetum mulſum præbẽdum eſt. fit autem ex ſquilla apparatum. Pectus quoque aſſiduè ex abrotoni decocto repurgandum: item ex centaureæ & hyſſopi aliiſque conſimilibus decoctionibus frequenter potatis.Quòd ſi ſæpe puris collectio cõtingat, ſecurius eſt cruſtas per cauteria pectori in orbem inurere, quemadmodum in anheloſis eſt prædictum.

De peripneumoniacis, Cap. LXVI.

PEripneumonia, inflammatio eſt pulmonis cum febre acuta. Conſequitur autem affectos thoracis grauitas abſque dolore.Quòd ſi pelliculæ ipſius,quæ cum thorace ſecundum longitudinem ipſius ſunt connexæ, ſint inflãmatæ,etiam dolorem percipiunt, & ſpirandi difficultas ſimul irruit,& ſurrecti ſedere volunt. pulmo enim cordi incũbẽs ſuffocationẽ infert.rubicũda eis eſt facies,& maximè malæ.naſus in ſummo fit ſimus, venæ temporum eleuantur, proſtratus eſt appetitus, reſpiratio calida, linguæ ſiccitas,aquæ frigidæ,magis autem aëris frigidi cõcupiſcentia,tuſſis ſicca.Si verò quid efferatur, ſpumoſum eſt ac bilioſum,& aliquando cruentum & floridum vehementer,quod etiam peſſimæ ſignificationis exiſtit. & ſi quidem mortale malum fuerit,vigiliæ amplius aderunt, aut ſomni breues ſtuporem ac delyrium inducentes:& imaginatione mentem viciſſim perturbante non ſentiũt valde præſentia mala:extremitates frigidæ,vngues liuidi incuruantur:quarta aut ſummum ſeptima die hi moriuntur.Verùm ſi ad ſalutem permutetur morbus,ſanguinis eruptio ex naribus abundanter ſequitur,aut alui exturbatio multis exeuntibus bilioſis & ſpumoſis humoribus. Aliquando autem inflammatione in pus commutata, per ventrem aut vrinam pus excernitur, ſtatimque ab omni moleſtia liberantur. Quòd ſi in pulmonem irruperit acervatim,aut ſuffocat,aut cum grauibus acceſſionibus in tabem permutatur.Itaque ſi nihil obſtiterit,ſtatim vena ſecanda eſt in cubito,&,ſi ſuſtinuerint vires,ex vtroq; brachio ſanguis extrahendus. primùm quidem modicus & non vſque animi defectionem: vt videlicet aſſeruetur ad repetendam detractionem. ſi verò quid prohibeat fieri venæ inciſionem,acri clyſtere ſoluere oportet ex decocto hyſſopi,& colocynthide,& ruta melléque ac oleo plurimo,iniecto etiam nitro ac ſale. Eorum verò quibus vena inciſa eſt,ſedem illinire oportet iis quæ flatus educunt & ſeceſſum irritant:veluti eſt mel cũ cumino & ruta,ac modico nitro. Poſt vniuerſales autẽ euacuationes,peripneumonicis aqua mulſa in potu exhibenda eſt in qua decoctũ ſit hyſſopũ,aut iris ſicca trita,mẽſura duorũ cochleariũ aquæ mulſæ inſpergenda. Quòd ſi ſuffocatio vrgeat, etiam nitrum inſpergere conuenit ad decoctionem hyſſopi.Cibus ſit extenuatorius,ptiſana cum origano aut hyſſopo decocta,aut modico pipere trito ad ei⁹ ſuccũ inſperſo. Aliquãdo autẽ ſal pro nitro cõiiciẽd⁹ eſt,prout expedierit,& ſuſtinuerint vires. Porrũ etiã capitatũ bis coctũ

præbeatur,& alica cocta ex aqua mulſa,quæ omnia inflationis ſint expertia. Potus exiguus ſit quãtitate. humiditas enim noxia pulmoni exiſtit. Sub lingua autem detinendum præbe mel in paſtillos redactum, cui in decoquendo inſperſa ſint hyſſopum & calamintha quamtenuiſſimè trita. Vti quoque conueniet eclegmatis quæ in pleuriticis deſcribẽtur. Atque vniuerſa diæta eorum qui à peripneumonia cõualeſcunt,eadem ſit quæ pleuriticorum & ſuppuratorum. Pectus verò lanis cooperiatur cum oleo & nitro. Conueniet etiam cerato contegere tum pectus tum latera,ex oleo rutaceo aut cyprino apparato,quod habeat ſimul iridem ſiccam tritam inſperſam, aut epithema ex cera,& terebinthina,medulla ceruina,œſypo liquido,butyro,& iride tenuiſſimè trita imponatur. ſint autem horum partes æquales.

De phthiſicis ſeu tabidis,ex Galeno, Cap. LXVII.

PHthiſis propriè eſt exulceratio pulmonis, ad ſanguinis ſpuitiones conſequens,quum videlicet ſanguinis eruptione ſuppreſſa,vlcus non fuerit conglutinatum,neque cicatrix inducta. Cõſequitur etiam phthiſis in ſuppuratis & peripneumonicis. aliquando etiam in affectionibus pleuriticis. Difficillimè autem curãtur vlcera pulmonis,propterea quòd citra tuſſim non repurgantur: tuſſientibus autem mutuò vlcus dirumpitur, ipſiſque quaſi per circulum reuoluuntur mala. Lãcinatis nanque à tuſſi inflammatis, altera rurſus maturatione inflammatio opus habet, rurſúſque periculoſè per tuſſim pus repurgare neceſſe erit. Quare ex omnibusdifficilis curatio ipſis ſubornatur, quòd neque pharmacorum vires vlcus pertingere valeant priuſquam in ventre permutentur, & quòd iuxta reſpirationes pulmo ſemper mouetur, & tuſſiendo lancinatur. Progreſſu verò temporis cartilagines quoque áſperæ in pulmone arteriæ aduruntur, quemadmodum in externis vlceribus oſſa quæ ſcalpturam ad ſquammulatum diſceſſum ac detractionem non admittunt. Diuturna autem pulmonis vlcera etiamſi aliquando curentur, calloſas tamen & fiſtuloſas reliquias poſt ſe in ipſo pulmone relinquunt,quæ temporis progreſſu ex leui occaſione facilè refricantur:vnde contingit aliquando & tectorium vlceri obductum, & modicas ſanguinis guttas vnà cum aliis quæ inde per ſputum reiiciuntur efferri: vt alio planè principio opus ſit ad vlceris curationem. Notæ autem quæ ex ſputo ſumuntur,in tractatu De febribus ſunt præſcriptæ,nimirum quinto huius operis Sermone: vnde ſuperfluum exiſtimo hîc de eis verba facere. Medicari itaque pulmonis vlceribus oportet, eo apparatu quo facilè ſurſum efferãtur humores,cura ſimul adhibita ne alii cõgregentur. Itaque cataplaſmata in principio aſſumenda ſunt,ex ſemine lini& tenuiſſimo polline,cum decoctione fœnigræci & althææ,oleóque & melle. admiſceri poſſunt etiam ipſis althææ folia trita. Adhibeantur autem hæc omnia ſtatim poſt exacerbationum remiſſionem. Poſt temporis deinde intercapedinem, ad cerata tranſeũdum ex butyro & oleo laurino ac cera apparata. Repurgationis autem tempore,epithemate vtẽdum eſt ex terebinthina & oleo cyprino,& butyro, & ex medulla ceruina, ac adipe taurino,iridíſque farina,& œſypo,*hoc eſt lanæ ſuccidæ ſordibus*,æqualibus omnium partibus commiſtis. Pòſt etiam emplaſtro Mnaſeæ, aut aliquo ex ſimplicioribus melinis vtendum. Locis autem fluxione laborantibus, id quod ex ſalicibus conſtat,adhibendum:quod etiam exſiccationis tempore cõueniens exiſtit: ſicut & hoc quod ex ſylueſtri cucumere apparatur, ſuprà ad anheloſos deſcriptum,& quod ex loliis fit eodem modo. Ne autem cutis ipſa diſtẽdatur, primùm locum ipſum inungito,atque ita glutinoſa pharmaca imponito:ſic enim facilius auelluntur. Optimũ autẽ ad eos malagma tẽpore quo cicatrix obducitur, hoc eſt: Ceræ lib.I. picis lib.I. viſci quercini vnc.I. ammoniaci thymiamatis trientem,gallæ,hypociſthidis,aluminis ſciſſilis,acaciæ,malicorii,ſeminis apii,rhois culinarii, cuiuſque vnciam vnam,olei myrtini aut roſacei trientẽ: in hyeme autem paulo plus. Sicca cum ſuccis in aceto cõtere,liquefactiſque quæ eliquari poſſunt & ab igne ablatis viſcum iniice: ad quod deinde liquefactum in caccabo etiam reliqua trita coniice, ac ſimul vnita in pilam tranſfunde,& emollitis vtere. Inter pharmaca verò potabilia,ſimpliciſſimũ eſt aqua mulſa per ſe, & cum amylo, aut iride & radice dulci in ea decoctis. Omniũ autem cõuenientiſsimum phthiſicis eſt lac aſininũ potatum:quod ſi non adſit,bubulum aut caprinum: & cancri crudi triti cum lacte potati,aut cocti in cibo ſumpti, aſsiduè iure eorum inſuper abſorpto. Conuenit etiã eis adeps ceruinus recens in ſorbitionibus eliquatus. Quòd ſi moleſta tuſſis incubuerit,thymus tritus & hyſſopum melle cocto excipiuntur & ſub lingua tenenda exhibentur. Congruit etiam butyrum recens cum mellis& terebinthinæ æqualibus partibus decoctis. in iis verò qui tolerare poſſunt, plus butyri accipiatur:ſi tamẽ recens exiſtat. optimè enim repurgat. De hac itaque mixtura cochleariũ vnum ieiunis detur. Bonum eſt & amygdalas amaras,maximè cum ptiſana decoquere:& porrum capitatum cum ptiſana aut altera ſorbitione decoctum,aut etiam per ſe bis coctũ accipere. Vinum autem theræum & ſcybelites præbeatur, mediocri tamen valde menſura. Eclegma verò phthiſicis congruum tale eſt: Mellis optimi lib.I. vuarum paſſarum pinguium exacinatarum ſextantem,croci,iridis,ſeminis hyoſcyami, tragacanthæ,cuiuſq; drach. IIII. ſtyracis flaui vnc.I. nucum pinearum drach.VI. amyli vnc.I. Exhibe ex eo cochlearium ieiunis. Tragacantha in vino dulci modico teritur: ſtyrax verò in pila diſſoluitur,reliquis coniectis ac permixtis. Aliud. Fœniculi ſuccũ cũ pari melle decoquito,& ad ſextarii menſuram croci drach.I. rhei põtici drach.II. aliquãdo etiã hypociſthidis drach.I. adiicito. quòd ſi iuxta aſperæ arteriæ extremũ aſperitas adſit, coniice & radicis dulcis tritæ drach.II. detur cochlearis mẽſura à cibo. Aliud. Squillam optimè aſſato,eiúſque medium ſiue medullam terito, & ad vnam ſquillæ ſex mellis partes coniicito,& ieiunis inde cochleariũ exhibeto. Aliud eclegma celebre. Marrubii, hyſſopi,iridis, radicis dulcis,pulegii,dictamni,ſaluiæ,caricarum,palmularum paſſarum, ſing. vnc.I. craſſius contundito, ac in aquæ ſextariis tribus ad triduum madefacito: deinde ad tertias decoquito ac percolato, mellíſque libra vna adiecta,rurſus donec cogatur decoquito,& poſt farinæ orobi ſcrup.XII. terebinthinæ vnciam vnam,amyli drach.IIII. maſtiches tritæ drach.IIII. tragacãthæ vnc.I. adiicito. Tragacantham primùm in modico decocti madefactam cõterito: deinde adiectis ei reliquis ſiccis, etiam ea quæ decocta ſunt affundito,ſimúlque coactis vtitor. exhibeto ieiunis cochleare. Licebit & ante ſomnum exhibere. experimento,eius vtilitas cognita eſt. Aliud, ad phthiſicos fluxionéque thoracis laborantes: Seminis cucumeris ſatiui deſquamati drach.VIII. amygdalarum delibratarum drach.IIII. ſeminis lini drach.II. ſeminis papaueris albi drach.II. Contuſa ac cribrata cũ tragacanthæ cremore cogito,& in paſtillos digerito. Iuxta virium autem tolerantiam aliis drach.I. aliis obolos II. præbeto: eis qui febre carent, cum vino dulci & myrti cremore: febricitantibus verò, cum cremore ſolo. Aliud, quod & ad phthiſicos & ſuppuratos præclarè facit. Farinam erui albi ſucco ſquillæ ſubactã exiccato: aut ſquillã aſſatam ac tritam, farináque erui ſubactam eodem modo exareſcere ſinito. Vſu autem expetente,paſtillos ipſos exiccatos contundito ac cribrato,melléque permixtos cochlearii mẽſura ieiunis dato. optimè enim repurgat. Aliud,multo vſu cognitũ, citra moleſtiam repurgans. Farinæ erui vnc.I. hyſſopi quadrantem, ſeminis vrticæ quadrantem, iridis vnciam I. mellis quantum ſuffecerit, exhibe ieiunis cochleare, ac confidenter vtere. Aliud, experimento cognitum,quod ad phthiſicos & ſuppuratos facit. magis tamen frigidis temperaturis conducit. Iridis Illyricæ ſextãtem,farinæ erui albi ſextantem,hyſſopi,pulegii fumo nõ ſiccati,ſeminis vrticæ,cuiuſque drach.VIII. piperis drach.XII. Excipe melle,ac præbe cochlearia duo: manè vnum,alterum ad veſperam. Potes & catapotia inde formare,atque alternis diebus exhibere. Aliud, phthiſicis & tuſſi veteri aptum. Cardamomi torrefacti drach.XVI. thuris,galbani,iridis,piperis,cuiuſque drachmas quatuor,caſiæ,croci,myrrhæ,cuiuſque drach.tres,opii drach.vnam,

contundito, ac cribrato: & cum aquæ cyathis tribus ac paſſi duobus, cochleare vnum, aliquando etiã duo præbeto. Licebit etiam paſtillos inde formare cum paſſo. Aliud coptariũ, *id eſt placenta*, ad phthiſin, ex eclegmatũ materia apparatũ: ex amygdalis videlicet amaris decorticatis, nucibus pineis recẽtibus propter oleaginoſum in eis saporẽ aqua præmaceratis, ſemine lini, amylo recenti; hoc modo: Nucum pinearum quæ pityides appellantur ſextariũ vnum, ſeminis lini ſextarii quartam partem, amyli quincuncem, piperis drach. I. mellis boni cocti & deſpumati quãtũ ſatis erit. In iis qui caput quod facilè oblæditur habẽt, pityadas variare oportet, próq; eis ſemẽ vrticæ cõiicere. Eclegma ex orobis apparatum Dionyſio prætori: Erui albi torrefacti & deſquamati ac triti vnc. I. coſti trientem, croci ſextantem, iridis vnciam I. nucum pinearum vnc. I. piperis grana L. ſeminis lini, vuarum paſſarũ à vinaceis depuratarũ, terebinthinæ, ſing. vnc. I. butyri drach. IIII. mellis quantum his cogendis ſatis erit. Summè hoc phthiſicis auxiliatur. Antidotus ex orobo, valde celebris, ad phthiſicos, ſuppuratos, & inueteratam tuſſim. optimè repurgat & cicatricẽ obducit: Amygdalarũ amararũ delibratarũ ſext. farinæ erui trientẽ, hyſſopi triẽtẽ, iridis triẽtẽ, amyli ſext. piperis, panacis radicis, croci, cuiuſque ſcrup. VI. ſucci omphacii, exiccati drach. IIII. nucum pinearum torrefactarum ſextantem, mellis deſpumati libram vnam, aceti vnciam. Farina erui in aceto per diem vnum maceretur, poſtea ſimul coactis omnib⁹, ex eis cochleare vnum ieiunis præbeatur. Alia antidotus ad phthiſicos, quæ etiam ad omnem tuſſim inueteratam conducit. Amygdalarum amararum decorticatarum ſextantem, ſeminis vrticæ torrefacti drachmas quatuor, ſucci radicis dulcis ſicci, radicis ſymphyti, cuiuſque ſextantem, terræ aſteris, nucum pinearum torrefactarum, ſeminis lini torrefacti, ſeſami, vuarum paſſarum à vinaceis depuratarum, ſing. ſeſquiunciam, farinæ erui albi ſextãtẽ, iridis vnc. I. terræ Lemniæ vnc. I. ſapæ & mellis quãtum ſuffecerit ad eorum coactionem. Exhibe ieiunis cochlearii menſura: aliquando etiam ante ſomnum. Vtere & varia ex capitibus papaueris cõpoſitione, ſuprà ad deſtillationes deſcripta, exhibens ex ea ante ſomnum. Vtere & iis quæ ad ſuppuratos ſunt deſcripta, item arteriacis remediis ſuprà præſcriptis. Conueniẽtiſſima etiam eis eſt confectio iſotheos appellata, ad tuſſim deſcripta: & antidotus pæonia, quæ in Sermone XIII. cum aliis multæ vtilitatis antidotis eſt relata: ea confidenter vtaris. Prodeſt & Mithridatis cõfectio, & quæ Eſdræ inſcribitur, miro modo: itẽ ex viperis theriace Andromachi per interualla exhibita: quæ omnes in tertio & decimo Sermone ſunt deſcriptæ. Vltra opinionẽ autẽ efficax eſt bolus Armeniac⁹ dr. põdere ex vino tenui albo. Catapotiõ phthiſicis valdè commodum & bonum, cui nullum comparari poteſt: faciens ad omnem tuſſim inueteratam, & purulentas reiectationes: quod in tribus diebus vtilitatẽ ſuã demõſtrat: Styracis flaui, piperis albi, myrrhæ troglodyticæ, caſtorei, galbani puri, opii Achaici aut Aſiani, omnium æquales partes, cum galbano & ſtyrace ſubige, ac catapotia informa erui magnitudine, quorum tria aut quinque ante ſomnum exhibe deuoranda: calida aqua inſuper ad ſorbendum data: & admirandam vim videbis. Porrò diuti⁹ perſeuerante malo, ac iam inueterato, cauteria admouere oportet, pectore in orbem inuſto, quemadmodum in ſuſpirioſorum prædiximus curatione.

De pleuritide, ſiue laterum morbo,

Cap. LXVIII.

PLeuritis exquiſita & propria, inflammatio eſt mẽbranæ intrinſecus latera ſuccingentis, dolorem pungitiuum vehementer inferens cum acutiſſima febre. Conſequitur hac affectos ſpirandi difficultas, & tuſſis, aliquando quidem ſicca, aliquando verò cum reiectatione, ac primùm quidem cruentorum: inflãmatione verò matura facta, purulentorum. Pulſus adeſt durus, & ſiccantis quippiã modo habẽs. Si itaque dolor circa mãmas innitiur ac vſque ad clauiculam ſe extendit, citra dilationem confidenter vena ſecanda eſt. ſi verò deorſum ad præcordia vergat dolor, corpus purgandum. Quòd ſi mediocris infeſtet dolor & non pungitiuus, neque adſit tuſſis, neque febris acuta, non opus eſt magna remedia adhibere. Clyſter enim efficacior eis primùm infunditur: deinde euacuatione aliquod operæpretium faciẽte. Adhibetur etiam irrigatio ac fomentatio lateris affecti, item ſacculi ex furfuribus & pulegio ac mẽtha impleti: & diæta extenuatoriam vim habens. Archigenes. In iis verò qui acuto morbo, vt diximus, infeſtantur: ſiquidem circa mammas ac clauiculam hæreat dolor, venam incidere oportet (vt dictum eſt) in brachio, non eo quod rectà ab inflammato latere procedit, ſed oppoſito. Sanguinis autẽ multitudo extrahatur non vſque ad animi deliquiũ: periculũ enim, ne in peripneumoniam morbus permutetur: ſiquidem refrigerato valde corpore, pulmo rarus & calidus exiſtens laterique vicinus, promptè & facillimè morbum ſuſceptat. Itaque modicum extrahere oportet, & poſt ſufficientem temporis intercapedinem, rurſus repetita inciſione modicum auferre. Quòd ſi animi defectionem timeamus, vſque in ſequentem diem eius repetita ablatio differẽda erit. Deinde clyſter aluo adhibeatur, ſi non vt conuenit feratur. Clyſtere autem confidenter vti oportet ex oleo rutaceo, eliquatis in eo terebinthina & butyro: deinde forinſecus latus ex oleo calido fouere in quo ruta, anethum, flos cyperi decocta ſunt. Lanam item ſulphuratam, aut ipſum ſulphur inſperſum habentem adhibe calido oleo imbutam, ita vt inſperſo modico thymo trito imponatur, leniterque ac prouidè colligetur. Atque hac ſanè irrigatione vtendum eſt ad tertiam vſque diem: quarta deinde, cataplaſma adhibeatur ex polline ac lini ſemine, melléque ac oleo rutaceo: ſitque vehementer læue ipſum cataplaſma. Quòd ſi liquidior reiectio exiſtat, farina etiam lolii, & ſeminis irionis admiſcenda, aut fœnumgræcum ac nitrum inſpergendum. Si verò repurgamento liquido prodeunte, adhuc perſeueret dolor, ſuppuratum fieri hominem ſpes eſt. Quare ſinapi etiam in cataplaſmata commiſcendum, & naſturtii ſemen, ac roſmarini ſemen canchry appellatum, itémque pyrethrũ: aut farinam lolii, ceræ, & bitumini cum oleo eliquatis permixtam impone. Cura etiam adhibenda eſt vt calida permaneant cataplaſmata: quod hoc modo fieri poteſt: Oleo calido veſicam bubulam ſemiplenam redde, eámque frequẽter cataplaſmati admoue. Poſt ſeptimum autem diem, ſi eodẽ modo dolor perſiſtat, cucurbita lateri affigenda eſt, & cutis ſcarificanda. Manifeſtiſſima enim in pleuriticis vtilitas ex cucurbitulæ appoſitione apparet. Vulnuſcula autẽ ſcarificati loci, ſale aut nitro inſpergenda, ſi quidem ſuſtinere queant: in aliis verò linteolum oleo madefactum ac ſale conſperſum imponatur. Sequenti deinde à ſcarificationi die, optimũ eſt rurſus cucurbitã affigere, quò ſanguis ſanioſus ex impactis vulnuſculis extrahatur. Hæc enim detractio priore commodior exiſtit. non enim ſanguis ſed ſanies in ſecunda detractione aufertur. Tertia verò die poſt ſanguinis detractionem, ceratum cyprinum aut rutaceum, tum pertuſæ cuti, tum vniuerſo lateri imponendum: neque vnquã affectus locus nudus relinquend⁹. Quòd ſi permutati in pus humoris ſigna appareant, & nõ per exhalationem diſcutiatur, coadiuuare permutationẽ oportet, althæa & caricis in complexum cataplaſmatum coniectis. Pòſt verò etiam epithematis vtendum: reiectionis maximè tempore, huiuſmodi mixtura apparatis: Butyri, terebinthinæ, œſypi, *id eſt ex lanæ ſuccidæ ſordibus pharmaci*, ceræ, medullæ ceruinæ, iridis, omnium æquales partes coniice, modico oleo cyprino aut rutaceo admiſto. Optimum eſt etiam ſulphur tenuiſſimè tritum cerato liquefacto inſpergere. Admirabiliter quoque eis auxiliatur braſſicæ radix ſicca vnà cum cauliculis exuſta, cinere eius axungia veteri ſuilla ſufficiente excepto, ita vt ne perfluat in corpus, ipſúmque inquinet. præclarè enim diſcutit, & mitigat dolores. Probè etiam auxiliantur braſſicæ itémque cupreſſi folia tenera trita & cum axungia impoſita: aut marrubium eodem modo, aut cinis ſarmentorum, aut ficus pingues cum pari axungia commixtæ. Eundem vſum præſtat ſtercus caprinum cum axungia impoſitum. Aliud epithema, pleuriticis valde commodum: Opopanacis vnciam vnam, foliorum

rutæ ſextantem,olei cyprini lib.i.ceræ ſeſcuncẽ,terebin- A thinæ ſeſcuncem , galbani ſeſquiunciam . Opopanax in oleo cyprino diſſoluitur:galbanum autẽ cum rutæ foliis cõteritur.quæ verò eliquari poſſunt, liquefiunt, & refrigerata tritis admiſcentur. Aliud experimento cognitũ: Rutæ ſextantẽ,ſulphuris viui vnc.i.nitri ſeſquiunciã,adipis ſuilli trientẽ,ceræ ſeſcuncẽ,olei cyprini ſeſcuncẽ,butyri,œſypi liquidi, vtriuſque ſextantẽ, terebinthinæ vnc.i.

Aliud epithema ad pleuriticos, in quibus dolor diu perſeuerat: Ceræ,reſinæ pini, picis, baccarum lauri decorticatarum,ſing.libram vnã,ammoniaci thymiamatis B ſeſcuncem,galbani trientem,pyrethri ſextãtem,æruginis vnc.i.nitri ſextantem,euphorbii vnc.i. (alii tãtùm dimidiam accipiunt)olei laurini aut cõmunis antiqui trientẽ, appara,& vtere. Rubefacit cutem, & grauitatem leuiorẽ facit. Epithema fœtidum, pleuriticis commodum.

Reſinæ pini lib.i.ceræ ſeſcuncem , rutæ viridis trientem,olei cyprini ſeſcuncem, ſulphuris viui, opopanacis, ſagapeni,galbani,cuiuſque drach.iiii. De potionibus pleuriticorum. Potionibus iuuantur pleuritici,in principio quidem aquæ mulſæ, in qua ruta eſt decocta : poſt C etiam hyſſopum,aut calaminthe, aut origanum, aut iris, aut radix ariſtolochiæ. Alia.eueſtigio auxiliatur. Radicis phu faſciculum in tribus aquæ ſextariis decoquito, & expreſſo liquore,ad ſextarium vnum, mellis trientem coniicito,rurſúſque decoquito, ac cyathos tres ante cibũ exhibeto. Alia. Chamæpityos manipulũ in tribus aquæ ſextariis appara, & vtere vt dictum eſt. Alia.Stœchadis tenuiſſimè tritæ drach.i.exhibe ex aqua mulſa:aut ſimili modo chamædryn,aut chamæpityos modo apparatam præbe in potu.Prodeſt & dracunculi radix cocta in cibo D ſumpta,aut ari radix eodẽ modo. Sub lingua verò teſſellas ex melle cocto eliquantes deuorent . Eclegma autem eis conueniens hoc eſt. Eclegma ad pleuriticos: Seminis vrticæ,ſeminis lini,nucum pinearum, amyli,ſing. cyathum vnum,amygdala amara decorticata xx v.piperis grana quinquaginta.Nuces pineas ac lini ſemen parũper torreto:deinde alia trita ac cribrata ſimul cũ iis melle deſpumato ſufficiẽti excipito,& ieiunis cochleare vnũ exhibeto. Aliud. Butyrum recens cum pari mellis mẽſura decoquito, ac inde cochleare præbeto. In pleuritide E verò diuturna, exhibe ſeminis balſami drach.i. ex aqua mulſa: aut etiam gentianæ drach.i.radicis centaureæ maioris drach.iii.ex vino:aut radicis ſymphyti ex aqua mulſa.Quòd ſi liquida & cruda reiectet,cõuenit hoc:Myrrhæ troglodyticæ dr.ii.croci dr.i.piperis grana xv.mellis deſpumati lib.i.coquito.ſimul,ac inde cochleare dimidium præbeto.Oribaſii antidotus ad pleuriticos & omnes pectoris fluxiones.Seminis roſmarini,opopanacis, ſagapeni,caſtorii,aniſi,ſeſelis,cuiuſque drach.viii.myrrhæ,opii, cuiuſque drach.iiii,bituminis drach.iii. & dimidiã, F piperis drach.iii.thuris ſeſquidrach. Vtere, araci magnitudine exhibens cum hydromelitis cyathis tribus. Antidotus alia pleuriticis valde commoda, Baccarum lauri drach.viii.ſeminis rutæ ſylueſtris drach. viii.ariſtolochiæ lõgæ drach.vi.myrrhæ drach.iiii. gẽtianæ drach. iiii.mellis deſpumati lib.i.Datur nucis Ponticæ magnitudine,aut fabæ,aut araci.Prodeſt ſuppuratis, conuulſis, itémq; ruptis. Cæterùm & antidotus quæ ex quatuor rebus appellatur præclarè facit.habet autem hoc modo: Gẽtianæ,myrrhæ, ariſtolochiæ,baccarũ lauri , æquales par- G tes melle cocto excipe, & fabæ magnitudine præbe: iis qui febre carẽt,ex vini cyathis iii.febricitantibus verò, cum aqua mulſa.Efficax eſt ad conuulſiones,rupturas,orthopnœam,tormina interaneorum,& morbum regium, & eos qui venenum hauſerunt:reſiſtit etiam ſerpentium venenis potata:præſtat idem & ad morſus locum impoſita. quidam eam myſterium appellant. Alia antidotus,ad pleuriticos pharmacum accommodatum.Extrahit menſes & partus, & quæ à partu relinquuntur, ſecundas: H

Dictamni,ſagapeni, opopanacis, triſaginis, cuiuſque drach. quatuor, myrrhæ, ſeminis rutæ ſylueſtris , herbæ ſabinæ,comæ cẽtaureæ minoris,piperis,cuiuſque drach. octo,radicis gentianæ drachm. ſex, baccarum lauri drachmas ſedecim,ariſtolochiæ rotundæ drach.duas,mellis deſpumati quantum cogendis his ſatis.Datur nucis auellanæ magnitudine cum hydromelitis cyatho vno. Cibi porrò pleuriticis exhibendi ſunt ſorbiles qui in principio ventrem ſubducãt: velut eſt ptiſanæ ſuccus cum melle citra ſalem aut alterius rei admixtionem. Poſt hæc etiam, non colata integra ptiſana exhibẽda: deinde micæ quoq; ex aqua mulſa.Quòd ſi à melle abhorreat æger, oleum optimũ in principio ptiſanæ affundes, decoquéſque ſimul capitatũ porrũ:deinde modico ſale cõdies, & exhibebis. Remittente verò ac declinãte iam malo,in petroſis aquis degentes piſces exhibendi,& columbæ:omníſque diæta tenuis conſtituenda. Aluus autem aſſiduè ſubducatur, in maximis præſertim doloribus: ſed tamen cauendum ne fortiora ſolutiua exhibeantur. Maſtichen itaque tenuiſſimè conterito,eiúſque ſcrup.ix.cum aqua tepida, aut lactei teporis aqua præbeto. ſoluitur enim à calida aluus. Vbi verò hanc potionẽ obtuleris, amygdalas amaras decorticatas viginti in promptu habe:eáſque tritas cum pauco melle delingendas præbe:aquam etiam calidam modicam inſuper bibendã.Profectu autẽ ex his cõſequente, etiã cũ ſubſcripta Aſclepiadæ hiera purgabis,quò omnes morbi reliquiæ extergãtur:quæ enim relinquũtur à morbo,recidiuas facere cõſueuerunt:& nõ pura corpora quo plus nutries,eo amplius lædes. Hiera Aſclepiadæ, quæ omnes abſceſſus in profunda corporis parte conſiſtentes, vnà cum tuniculis ipſorum educit, phthiſicis ac pleuriticis commoda: facit & ad eos qui aſſiduè reuomunt cibũ. Colocynthidis medullæ drach. xxxii. marrubii, ſtœchadis,triſaginis,cuiuſque drach.xiiii.myrrhæ, ſpicæ nardi, piperis longi,floris iunci odorati,caſiæ, cinnamomi, cuiuſque drach.iii.croci drach.iiii.radicis centaureæ maioris drach.iii.galbani dr.iiii. excipe melle cocto & pleuriticis duarum nucum Ponticarum magnitudine exhibe ex aquæ mulſæ cyatho i.phthiſicis verò & ſuppuratis,vnius tantùm nucis magnitudine,itidem ex aqua mulſa.

De ea quæ pleuritis eſſe putatur, quum tamen non ſit, Cap. LXVIII.

EX cruditatibus plurimis,& cibis humoris craſſi ac pituitoſis,(veluti ſunt bulbi ac fungi,& conſimiles) crudi humores viſcoſique & tenaces in corpore generantur: qui aliquando repente ſe in vacuũ thoracis locũ ingerũt, aut in ipſum etiã pulmonẽ.Multitudine itaque ſua ſuccingentem latera intrinſecus pelliculam diſtendentes, inferunt dolores: vt imaginatio factæ inflammationis, inexpertis exhibeatur. quinetiam vias ſpiritus intercipientes, vehementem ſpirandi difficultatem inducũt. Vnde quidam medici errore ſeducti,vena cubiti inciſa, multóque ſanguine euacuato, mortis cauſam ægris præbuerunt. Quare interrogare oportet,num eo cuius mentionem feci,vſi ſint cibo, diligentérque perdiſcere formam ipſius reſpirationis,contingere etiam pulſus, & tactu explorare caloris qualitatem.Etenim in his non ob dolorem reſpiratio vtplurimùm intercipitur, ſed quod viæ ſpiritus ſunt obturatæ,& reſpirationis forma velut laqueo collo circũdato contingit.Supini autem ferè in totum decumbunt ſemper,præ impotentia etiam,neque probè loqui valentes. Vtplurimùm verò non febricitant hi: aliquando & frigidius ſolito corpus eorum inuenitur. quòd ſi febre afficiantur aliquando,debiliſſima ipſis febricula exiſtit, minimé que ſunt ſiticuloſi: & quod ad hæc vel maximum ſignum eſt,pulſus difficulter mouetur,minimus & tardiſſimus præter ſolitum morem exiſtens. Horum itaque cũ ratione ſuſcepta,calefacientia,inciſiua,& repurgantia,intrinſecus & extrinſecus offeremus: & primùm quidem à ſimplicioribus incipiemus. Clyſteri ergo conſueto aluũ à ſtercoribus repurgabimus:deinde etiam efficaciori vtemur ex decoctione calaminthæ, aliquando centaureæ, melléque plurimo ac nitro & oleo. Colocynthis autem in his,quòd valde ſtomacho aduerſetur, deuitanda. Poſt alui euacuationem,rutam & anethum in oleo decoquemus, & ex eis quamplurimum fouebimus affectos locos:lanas etiam oleo madefactas imponemus. In potu dabimus aquam mulſam,in qua hyſſopum,aut pulegium, iris, caricæ plurimæ ſint decocta . Succum etiam ptiſanæ

tenuiſſimum exhibebimus cũ melle,quò inde venter leniter ſubducatur. Eclegma autem ipſis commodum huiuſmodi eſt:Seminis vrticæ,hyſſopi,iridis, nucum pinearum, amygdalarum amararum, ſingulorum æquales partes,modico pipere adiecto,optimo melle deſpumato excipe, ac indè,ad ſummũ,cochleariũ vnum ieiunis præbe: deinde interſtitio facto, exhibe aquã mulſam,vt dictum eſt:ac poſt horas duas ſuccum ptiſanæ.tertia deinde die ex farina ordei, ac ſemine lini, multóque fænogræco cataplaſma imponatur. adiiciamus etiam ſinapi tritũ, & lauri baccas,ac parum nitri,& ex liquidis oleum rutaceum, aut cyprinum, aut anethinum. Apparandum autẽ eſt eo modo,vt thoracem & coſtas comprehendat. Ablato autem cataplaſmate, thorax cerato ex butyro & terebinthina, œſypóque liquido, & cera, taurino adipe, ac iride, æqualibus portionibus acceptis cõtegatur. aliquando etiam ex medulla ceruina & oleo cyprino. ſulphur quoque viuum cerato liquefacto infarciendum. Stomacho verò lanam conuolutam, vnguento nardino ac modico vino madefactam imponemus,eique incumbere ſemper ſinemus. In iis verò quibus ſuffocationis periculũ imminet, vomitoriis ad anginam deſcriptis cõfidenter vtemur:& maximè eo quod ex elaterio, ſinapi ac nitro conſtat,primùm quidem ipſum cum oleo & pauco melle quampenitiſſimè illinẽdo: deinde etiã bibendũ, quemadmodũ illic diximus exhibebim⁹. aſſiduè etaim aquã mulſam abſorbẽdã præbebimus,in qua hyſſopũ eſt decoctum. Porrò humoribus diſſolutis,reiectare eos inci-

A piunt, & tuſſis in eis augeſcet. quare antidotũ iſotheon appellatam tunc eis ante ſomnum exhibebimus, nucis auellanæ magnitudine ex aqua mulſa. ſomnũ enim dulcem infert,& humores quò facilè ſurſum efferantur præparat,ac tuſſim ſedat,doloréſque diſpergit. eſt autem ſuprà ad tuſſim deſcripta. Quãdo verò etiã vẽter eis nõ bene excernit, maſtiche tenuiſſimè trita ſcrupulorum nouem pondere,cum aqua tepida aut lactei teporis bibenda offeratur. deinde amygdalæ amaræ decorticatæ tritæ, ex melle præbeantur delingendæ, & aqua calida poſt eo-
B rum ſumptionem abſorbenda. Feliciter autem procedente curatione,& columbarum pullos in cibo offeremus,cũ porro capitato cocto, anethóque & oleo, modico ſale & pipere adiecto. Vinum bibant fuluum, vetus, mediocri menſura. Atque eclegma prædictum,ex ſemine videlicet vrticæ,quotidie ieiunis præbebimus. Ante ſomnum verò iſotheon antidotum alternis aut ſingulis diebus, donec ab omnibus moleſtiis ægri liberentur. Ceratum autẽ quod pectori adhibetur,ſingulis diebus renouetur:& ſi
C quidẽ vẽter adſtrictus ſit. maſtiche cũ amygdalis & melle præbeatur. Eclegma Galeni,ad diuturnũ pectoris dolorẽ citra febrẽ. Fœnũgræcũ aqua macerato,deinde decoquito,& prima aqua diffuſa, & palmarum pinguiũ carne adiecta,rurſus coquito,ac exprimito ſuccum: quem deinde melle largius permixtum,rurſus ad prunas decoquito,donec ad mediocrẽ ſpiſſitudinem redigatur:& ex hoc multo ante reliquum cibũ tempore delingendum exhibeto.

INDEX EORVM QVÆ IN PRIMO SERMONE TETRABIbli tertiæ Aetii continentur.

DE cardiacis, Cap.I.
De iis quibus atra bile ſtomachus infeſtatur, Cap.II.
Ad eos qui flauam bilem euomunt, Cap.III.
Ad eos qui ſtomacho exuruntur,& ſiticuloſi ſunt, Cap.IIII.
De ſingultu, Cap.V.
De bulimo,hoc eſt ingenti fame, Cap.VI.
De animi deliquio,ex Philumeno, Cap. VII.
De iis qui in balineo animo linquuntur, Cap.VIII.
De ſtomachi imbecillitate, & ſupinitate, ac ſubuerſione, ex Galeno, Cap.IX.
De nauſea, ex Galeno, Cap.X.
Cataplaſmata & epithemata ad nauſeas & vomitus, Cap.XI.
De cholera ſeu bilis effuſione, Cap.XII.
De ſtomachi adſtrictione, Cap.XIII.
De humoribus à capite in ventrem deſtillantibus, Cap.XIIII.
Diæta conueniens iis qui ſtomachum habent diſſolutũ, aluum autem adſtrictam, Cap.XV.
De ſtomachi inflammatione, Cap.XVI.
De ſtomacho exulcerato, Cap.XVII.
De iis qui à ſtomacho,comitialis morbi modo conuellũtur, Cap.XVIII.
Viridis iaſpidis vſus, Cap.XIX.
De appetitus perditione, Cap. XX.
De appetitu canino, Cap.XXI.
De appetitu canino,qui ex immodica tranſpiratione ac cuis exolutione contingit, Cap.XXII.
De vitioſo appetitu, Cap.XXIII.
De cruditate, Galeni, Cap.XXIIII.
De crapula, Philumeni, Cap.XXV.
Quæ cura aluo adſtrictæ exhibenda,ex Galeno, Cap. XXVI.
De inflatione, Galeni, Cap.XXVII.
De voluulo, Archigenis, Cap.XXVIII.
De iis qui ab acri humore coli,dolore infeſtãtur, Galeni, Cap.XXIX.
De iis qui à frigidis & pituitoſis humoribus, coli dolore infeſtantur, Cap.XXX.
Pharmaca ad colicos, Cap.XXXI.
De antidotis dolorem leuantibus,infuſiſque colicis accõmodatis, Cap.XXXII.
Quæ colicis infundantur,& per anum ſubdantur, Cap.XXXIII.
Cataplaſma colicum, ex libris Seueri, Cap.XXXIIII.
Quomodo aluum fluxione laborantem curare oporteat, ex libris Philumeni, Cap.XXXV.
Cura eorum qui ex debilitate,alui fluxione laborant, ex Galeno, Cap.XXXVI.
De cœliaca affectione, Archigenis, Cap.XXXVII.
De colliquatione, Cap.XXXVIII.
De lumbricis, ex Herodoto, Cap.XXXIX.
De lato lumbrico, Cap.XL.
De aſcaridibus, Cap.XLI.
De abſceſſu in inteſtinis, Cap.XLII.
De dyſenteria,hoc eſt torminibus inteſtinorum, Cap.XLIII.
De tenaſmi cura, Cap.XLIIII.
Cura dyſentericorum, Cap.XLV.
Cura eorum qui aurum,aut æs,aut tale quippiam deglutiuerunt, Cap.XLVI.
Communia remedia dyſentericorum,quæ ſupernè exhibentur, Cap.XLVII.
Compoſita pharmaca,quæ ſupernè exhibentur, Cap. XLVIII.
Quæ infernè dyſentericis infundantur, Cap.XLIX.
Epithemata dyſenterica, Cap.L.
De lienteria, Cap.LI.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINÆ TETRABIBLI TERTIÆ SERMO PRIMVS, PER IANVM Cornarium medicum phyſicum Latinè conſcriptus.

De ſtomachi,alui,ac interaneorum affectionibus.

De cardiacis, Cap. I.

QVOMODO eos qui cardiaci appellantur curare oportet, aut eos etiam qui aliter ob ſtomachi afflictionem animo linquuntur, iam abſolutiſſimè prædictum eſt in quinto huius tractationis ſermone; vbi ad febrium curã hæc annexuimus. Nunc verò quum affectionum ſtomachi ac alui remedia opportunè ex ordine deſcribemus, neceſſariũ viſum eſt & hîc paucis eorum mentionem facere. Cognoſcemus igitur eos qui cardiaci dicuntur, quum acuta febri, & maximè æſtuoſa, affliguntur hoc modo. Pulſum ſi inuenero deſum & obſcurum, & extrematum partium frigiditatem, ſudores circa faciem & ad pectus vſq; glutinoſos, & odorem corporis terreſtrem nares percellẽtem, & pulſus circa ipſum cor vehementiores & magnos: & ad hæc accedãt deſperatio, angor animi, & corporis iactatio, hoc modo affectum cardiacum eſſe dico. Os verò ventris, primum eſt quod ipſis afficitur, per conſenſum vehementer oblædens cor ipſum, propter vicinitatem. Porrò veteres, os ventris cordis appellatione cardian vocarunt, ab acceſſionibus nimirum quæ ex eo accidunt & inferuntur. Aeris itaque frigidi admiſſione & ventilatione eis auxiliari oportet. Spongia igitur ex poſca frigida imbuta, facies permadeſcat, & aqua lactei teporis paulatim abſorbenda præbeatur. Odoramenta autem varia offerantur, malum cotoneum, pulegium, cucumer, & ſimilia. Stragula eis incũbentia tollantur: operimenta verò quibus cõteguntur, mollia ſint, & vſu priore detrita. pauimentum irroretur, ac foliis conſternatur myrti, platani ac quercus: maximè verò vitis atque ipſis etiam roſis. Solem autem domus in qua decumbit non admittat, ſitque minimè alta, ſed depreſſior, & non valde lucida. Exudantibus verò partibus, myrtus ſicca trita inſpergatur, aut cimolia, aut œnanthe, aut ordeum: imprimis verò collo & thoraci, & locis ſub alis ac inguinibus ea ſunt adhibenda. Eodẽ modo auxiliatur malicorium cum manna inſperſum: aut galla per ſe, & cum ſulphure viuo: aut Samia terra admixtum habẽs gũmi. Illinuntur etiam ad coercendos ſudores, oleum myrteum, œnanthinum, roſaceum, melinum, & lentiſcinum. Circumlita autem ſudores cohibent, manna & amylum candido oui excepta, aut bulbus albus, & piper, ac vrticæ ſemen, & gummi, modico cerato myrteo excepta aut oui cãdido ſubacta, quæ ſanè craſſius inungere conuenit. adglutinantur enim & exareſcunt, & potiſſima eis ſpes conſiſtit naturalis caloris reexſuſcitandi. Neque verò pinguefactæ cuti huiuſmodi inũctiones ſunt adhibendæ: verùm linteolo probè prius exterſæ inungantur. neque mox vbi calor apparere incipit auferantur, ſed poſtquam ſufficienter extremæ corporis partes fuerint concalefactæ. Quod vbi contigerit, ſtatim tollantur, & thorax cooperiatur: atque ſicubi varoſum quippiam aut vlceroſum ex inũctionis aduſtione circa thoracem appareat, blandè tractetur, ac aliquo ex iis quæ ad ambuſtos ab igne deſcripta ſunt, pharmaco locus curetur. maximè verò conueniet id quod ex ordeo conſtat. Extremæ verò corporis partes, ſiue ad genua vſque & cubitos, ſiue vſque ad locum ſub alis & inguina ſint refrigeratæ, fæce vſta & ſulphure viuo cõſpergendæ, aut pyrethro, aut piperide, aut bulbis tritis cum pipere illinendæ à brachiis vſque ad digitos & à femore vſque ad extremos pedes, gracilibus linteolis ſimul circumpoſitis. idem præſtat ſinapi & pyrethrum, ac adarce. Porrò mollibus corporibus ſufficit aliquando oleũ ſicyoniũ aut gleucinũ illitũ, cũ multa fricatione ac cõ calefactione partium extremarum: quanquam nihil vetet piperis ac ceræ modicum his admiſcere, quò ſpiſſiora fiãt & melius adhæreſcãt. Faſciculus quoque ex lana pura in oleo calido madefactus, incumbat ſemper circa veſicæ regionem. Capitis fomenta frigida ſint, qualia ad phreniticos ſunt deſcripta: frons ſpongia ne madefiat, ſed ex acacia, galla, terra Samia, ac ſylueſtris punici flore illinatur. Optimè facit etiam omphacinũ, & gummi: verùm vnumquodque eorum ex roſarum decocto aut ſucco, aut aliquo cõſimili diluatur pri⁹: & deinde illinatur. Quòd ſiquis ſanitatis tempore nimiùm repletus exiſtat, & ſtercora antiqua recto inteſtino inſideant, tunc ſanè clyſtere ſimpliciore euacuare oportet. ex ſucco priſanæ, & modico melle, pauciſſimóque ſale & oleo quoque modico adiecto. Illinenda eſt etiam ſingulis diebus ſedes ipſa ex cumino, ruta & nitro, cum modico melle commixtis, ob inflationum videlicet eductionem. Si verò nulla ſtercora in inteſtino recto ſubſideant, neque aliâs etiam excrementorũ multitudo inſit inteſtinis: ægri autem cibum nõ ſentiãt & tabeſcant, ptiſanæ ſuccum aut alicæ per clyſterem infundere oportet tepefactum, conquaſſato cũ eo ouo crudo. vltra hoc enim quòd ea quæ ſtomachũ infernè moleſtia afficiunt euocat & educit, etiam alimentum optimè corpori ſufficit ex languore ob non acceptum cibum miſerè affecto. Auxiliãtur itẽ cardiacis, cataplaſmatis modo, ſtomacho ac ſiniſtræ mãmæ impoſita: Folia rubi cũ pane, aut myrti folia, ipſæque myrti baccæ, aut pampini vitis, aut plantago cum pane, aut mala cotonea, & palmæ, aut intubus cerato exceptus. Imbecillioribus polẽtam cũ palmis imponere ſufficiet: aut palmas vino madefactas vnc. vnius menſura contere: deinde adiectis aloes drach. quatuor, maſtiches drachmas quatuor ſimul tere, & affuſo eliquatæ ceræ ſextãte, & olei, ſi quidem hyems ſit neque multus caloris ſenſus ægrum contingat, nardini: in æſtate verò, roſacei aut melini triente, ſimul miſce ac vtere eodem modo. Quòd ſi ex viſceribus quoddam inflammatum ſit, panem cum modico vino & melle decoctum impone: admixtis in iis qui imbecilliores ſunt malis repurgatis, aut œnanthe. Reprimit autem ſudores ſtomachúmque & cor ipſum firmitatis authorem placat ac cohibet cataplaſma ex palmis, & œnanthe, & acacia, roſis, alumine, hypociſthide & rhoe rubro: ita impoſitum vt ſiniſtram mammam atque ipſum ventrem complectatur: ſit etiam tactu molle & læue, ac aſſiduè permutetur. Reuocato autem ex acceſſione ægro, ſi loci quidam circa præcordia ſint inflammati, prouidere oportet vt per communia cataplaſmata ab inflammatione liberentur. Cibi offerendi, panis ex aqua frigida, aut ex vino albo & tenui frigidóque ac diluto: pedes ſuilli, taliúque & roſtra: ex volũcribus macræ & non fœtidæ, in ptiſanæ decoctione eliquatæ, aut etiam per ſe. frigida autem hæc exhibeãtur, ſi caloris ſenſus circa ſtomachum ſit, & æger inflammatione non vexetur: aliis calida exhibenda: ſimiliter autem & potus calidus dandus, vinum tenue, album, dilutum. immodicã autẽ vini exhibiti multitudinẽ pulſus ægroti oſtendet. eouſque enim exhibendum eſt vinum, donec pulſus ſubtremulus eſſe deſinat, & robuſtior fiat.

De iis quibus atra bile ſtomachus infeſtatur, Cap. II.

EX Herodoto. Quibus ſtomachus ab atra bile in febribus vexatur, ſimiles acceſſiones cardiacis patiuntur. Accedunt autem ad hæc, fortis ſtomachi morſus cum eius exolutione, & capitis vertigine, ac frigido ſudore, paruúſque & obſcurus adeſt pulſus. progreſſu verò temporis augetur morſus, atque hinc in dolorem qui difficulter leniri poteſt, tranſit. Cæterùm manifeſtè apparens flauæ bilis vomitus, has acceſſiones leuiores reddit: atræ autem bilis, ſoluit. Vomunt autem ferè in totum hoc modo affecti pituitam acidam in ventre coaceruatam ex aſſidua cruditate, propter ventris ipſius debilitatem. Qui verò citra febrem ab atra bile ſtomacho infeſtantur, his accidit tempore quo humor ipſe generatur & producitur

triſtitia,& ſomnus cum acceſſione imaginationum alie-
narum,contractióque & dolor poplitum ac ſurarum. A-
cutius quàm antè conſueuerũt,cernunt, & deiectum ha-
bent appetitum: ructus autem & excreationes fœtidas,&
piſces olentes.Coaceruata verò bile, cum multa deſpera-
tione intolerabiliter igneſcunt,vt omnia eis membra ar-
dere videantur:in primis autem ſtomachus, velut à palis
igne candefactis pungatur,afficitur. Sudores animi deli-
quium inducentes per omne corpus deſtillãt:& ferè ſem-
per ſputi influẽtis reiectione vexãtur,quũ morſum ſẽtiũt,
multámque habent vomendi cupiditatem. Et aliquãdo
quidem fruſtra lancinantur,quandoque autẽ pauca quæ-
dam bilioſa aut acidam pituitam,quæ in ventrem deflu-
xerunt euomunt,modicóque tempore à malo leuati,rur-
ſus idem patiuntur,atque in vniuerſum iis qui veratrum
ſumpſerunt,ſimiles exiſtunt.Pulſus autem aliquando dẽ-
ſiores,aliquando etiã rariores & minores fiunt,plurimùm
vigiles permanent,& ſi quidem dormierint cum pertur-
batione æſtuoſiores exurgũt,ebulliẽte,vt veriſimile eſt,
delato in ventrem humore. Sæpe etiam acceptum cibũ
vnà cum atræ bilis humore euomũt: ferè intotum enim
poſt duas ab accepto cibo horas,acceſſione apprehendũ-
tur,maximè quum acrem aliquem aut ſalſum cibum aut
potum ingeſſerunt.Excrementa alui retinentur, aut præ-
ter naturam incocta excernuntur.Effertur autem aliquã-
do & bilis infernè per aluum, atque adiuuat affectionis
declinationem.Aliqui autem ob retentam bilem, etiam
atræ bilis affectionibus,& delyriis mentem alienantibus
ſunt apprehenſi.Quod ſi contingat, ſiue febris adſit ſiue
non,ſi quidem iuuenes ſint ſanguinéque abundent,& reli
qui numeri ad venæ inciſionem requiſiti adſint: vena ſe-
cãda eſt,repetita ſanguinis detractione: & hoc tamen per
infuſum clyſteris,corpore prius euacuato. Atqui ad animi
vſq; deliquiũ id facere nõ oportet,propter ſtomachi im-
becillitatem. Colligendæ autem adſtrictæ extremæ cor-
poris partes,& ad paucũ cibum ægri cogendi: ſtomachus
verò lanis ſuccidis fouendus eſt ex aceto plurimo,modi-
cóque roſaceo,aut melino,aut lentiſcino.Quòd ſi amplius
permaneat ſtomachi imbecillitas, ex roſarum ſucco fo-
ueantur,ſiue intubi aut portulacæ cum roſaceo. adſtrin-
gentia etiam & lenientia cataplaſmata imponantur.Qui
verò vnà cum morſu circa ventrem ac inteſtina inflãtur,
iis conuenientiſſimum eſt acre acetum,in quo pulegium
eſt decoctum,& cuminum calidum forinſecus ventri per
ſpongiam impoſitum.Dolore verò perſeuerante, alumen
liquidum cum atramento ſutorio trito,& aloe,melle exce
pta imponito,& alumine in acetum coniecto & calefacto;
ſtomachum per ſpongias foueto:aluminis ac aloes æqua-
les partes cerato myrteo exceptas ad os ventris apponito,
aut hederæ foliis in vino decoctis ventrem integito, aut
plantagine cum ſale trita,aut marrubio cum pane & roſa
ceo ſubacto:aut bulbis rufis cum pari pondere aluminis
cooperito. optimum enim hoc eſt inueterato malo re-
medium.quin & bulbi ipſi cum nitro triti & impoſiti,ce
lerem curationem præſtant. Optimè etiam conducit eis
gregarii bouis ſtercus aridum vino decoctum & impoſi-
tum.Epithema quoque ex ſeminibus adhibendum. item
bulbi cum ſtercore bouis ac nitro,permixti. Ex Dioſco-
ride. Conueniẽtiſſimum omnium iis qui atram bilem
generant,inflatiſque & morſum ſentientibus,pulegii de-
coctum exiſtit potatum,aut aqua in qua ferrum eſt extin
ctum.item intubi ſuccus potatus. Bibant autem aquam,
eámque calidam. Si verò plurimi caloris ſenſum perci-
piant,frigida dãda,ſed modica, & maximè tempore ex-
acerbationum. Æſtuantibus enim & in anxietate exiſtẽ-
tibus,omníque miſeria afflictis,frigida ad abſorbendum
concedenda:per interualla tamen,& non vltra cyathi mẽ
ſuram.Non enim humectatione opus habent, ſed refri-
gerationis tantùm gratia,frigida permittitur,& vt melior
intrinſecus temperatura fiat.Vtilis eſt ipſis & mẽthæ ſuc-
cus cum ſucco mali punici dulcis. Quòd ſi aquam bibere
non poſſint, parum vini aquoſi concedendum eſt inter
cibos,calida aqua probè diluti. Cibus maxima ex parte
ſit frumentaceus & optimi ſucci in omnibus: ſimplicior
autem & qui facilius cõcoqui ac commutari poſſit in fe-

A bricitantibus.Iis verò qui febre carẽt,adiici poſſunt ex o-
leribus,lactucæ cauliculi ac maluæ,piſces in petroſis aquis
degentes,& ex volucrum genere,non graueolentes,ma-
cræ & montanæ:ex oſtreis quæ teſta integuntur, herina-
cei recen tes.A ſalſis verò & acribus intotum abſtineant.
Moleſtas autem mordacitates & nauſeas, hauſta plurima
tepida aqua,per vomitum ſoluant. Si verò id non bene
tolerent,quieſcere iubeto,& extẽſæ manus palma ſtoma-
chum foueto: quò delatum ad ipſum, bilioſum infernè
B per aluum excernatur.Quòd ſi venæ inciſionem non fa-
ciamus,ſecunda ac tertia die per clyſterem euacuandum
eſt,& modico cibo æger connutriendus: deinde in potu
exhibendum pulegii decoctum ieiunis,reliquáque ſuprà
dicta.Fomentum etiam ex aceto adhibendum,& catapla-
ſma ex ſtercore bubulo, admixtis bulbis & nitro. Porrò
poſtquam febris ceſſauerit, aut vbi etiam intotum non
febricitauerint:& tamen diutius malum moleſtia afflixe-
rit,& irritationes per longa interualla repetiuerint,purgã
dum eſt corpus ex hiera Archigenis, aut Rufi. Qui verò
ſputi multitudine ſtomacho vexantur, his conyza arida
C maximè tenuis manducanda, aut pulegium, & maſtiche
Chia ex aqua potanda.Exhibendum eſt etiam lac in po-
tu iiſdem,quemadmodum in proprio Capite de ipſis ex
profeſſo eſt oſtenſum.Iis verò qui ſtomachum valde exo
lutum habent,ſerum lactis per acetum mulſum fiſſi exhi
beatur,ita vt ad primum ſeri hauſtum,epithymi tenuiſſi-
mè triti ſcrup. IX. & ſcammoniæ obolũ I. aut II. iuxta vi-
rium tolerantiam inſpergamus: deinde ſerum ipſum per
interualla paulatim bibant,ſitque eius potati menſura ad
minimum quinque cyathorũ.Bonum eſt & cucurbitulã
D ad dorſum affigere,aliquando etiam ad ſtomachi regio-
nem:& ſcarificatione facta, ſufficientem ſanguinem ex
fiſſuris extrahere.Quò verò penitus affectio hæc deſtrua-
tur, quotidie horam vnam ante ciborum ſumptionem
exerceantur,ac frigida lauentur,maximè in mari, & are-
na ſub caniculæ ardoribus obruantur. Abſtineant autem
ab omnibus atram bilem generantibus,maximè carnibus
bubulis,vino nigro, braſſicáque & lente. Diligentiſſimè
autem de ipſorum diæta in ſexto Sermone, vbi de atra
bile affectis egimus,eſt prædictum. Quòd ſi inflatio eis
E augeſcat,rutam & cuminum in oleo decoquemus:indé-
que ventrem quamplurimùm irrigabimus,ex eodémque
oleo quincuncem per clyſterem infundemus: ſi tamen
clyſtere ſtercorum eductiuo priùs ipſos euacuauerimus,
in quo decocta ſint ruta & cuminum: deinde ſplenium
magnum aluo ac viſceribus imponẽdum ex epithemate
quod ex ſeminibus cõſtat. In cibo verò ſuccus ptiſanæ de-
tur,qui ex aceto,melle,cumino,& aniſo ſit conditus. póſt
etiam gallina iiſdem condimentis apparata exhibeatur:
potus verò ſit vinum rufum mediocri menſura.

Ad eos qui flauam bilem euomunt,

F Cap. III.

EX libris Philumeni.Qui flauam bilem euomunt, ſiue
in febribus, ſiue citra febres id contingat,eis conue-
niunt ea quæ ad nauſeam,ac nimiam ſtomachi humecta-
tionem deſcribentur. Quare omnibus ad illos deſcriptis
odoramentis,manducatoriiſque & fomentis vtantur.De-
cubitus autem eorum,à cibo præſertim & potu, ſupinus
adornetur,& ſpongia ex poſca imbuta ad os ventris im-
ponatur,maximè ſi non vilis & cõtemptilis ſit dolor.Fri-
G catio etiam & confrictio iuncturarum manuum vbi pul-
ſum exploramus,adhibeatur, & reliquarũ ſimiliter extre-
marum corporis partium. Cataplaſmata autẽ ex palmis,
malicorio,& ſimilibus accipiantur, quæ ex vino quidem
aut poſca ſint decocta,cũ pane autẽ & acacia, & hypoci-
ſthide permixta ac cõtrita:quin & rhus & ſylueſtris puni-
ci mali flores commodè cataplaſmati admiſcẽtur. Atque
vniuerſi corporis curatio ex oleo fiat,modico nitro admi-
xto,quò ſudorem ex cute eliciamus, & fluores transfera-
mus:& ob id etiã alui per inferna excretio pluſquam o-
H portet facta,vomitus deſiccat. quare ex abſinthio & aloe
potionem conuenienter exhibebis. At verò affectione
diutius perſeuerante,ſi ægri vires non repugnent, etiam
hieræ catapotia ex colocynthide ab Archigene deſcripta
apparabimus,déque eis minimum drach. I. ſummum III.

dabimus.Et ſi nihil obſtet,cataplaſmate ex ſinapi præcordia rubefaciemus. præclarè enim ſenſum ipſum ad cutem tranſfert. verùm hæc diuturnæ affectioni remedia cõueniũt.Tẽpore autẽ exacerbationis,& circa acceſſionis acumen, cucurbitula plurimùm auxiliatur cum multa flamma ori vẽtris affixa,fortitérque abſtracta, rurſuſque ſecũdo ac tertiò agglutinata. Cibos quales vomentibus ſolemus,exhibebimus,ſæpe & paulatim ſumẽdos:& quotieſcunque reuomuerint acceptos,toties alios poſt modicũ interuallum offeremus.Ante cibum aquam tepidam dabimus,& vomere cogemus.Bilioſo enim humore circũcirca adhærente vnà cum aqua reiecto,ſtomachus elotus ac leuior redditus,ſtatim retinet oblatum ſibi cibum.Mitigat autem dolores& ſtomachi morſus,portulacæ ſuccus tum per ſe, tũ cũ vnguento nardino aut melino mixtus. Qui verò ſtomachum habent vehementer exuſtum, eis vtile eſt lapathi acuti ſemen,trium obolorum pondere ex aqua:aut maſtiches tenuiſſimè tritæ cochleare bibẽdum præbe ieiunis ex aqua. Maximè omnium autem, morſus ſedat lac aſininũ:aut,ſi hoc non adſit,bubulũ recens mulctum potatum.abſque dilatione enim auxiliatur. Si verò neque hoc adſit calidũ, quartam ei⁹ partem aquæ addere oportet,& feruefactum bibendum præbere.In balneũ quoque & ad vini potationem celerius ducendi ſunt qui bilem vomunt,quò videlicet ad cutem materiam tranſferamus.Cæterùm & vinum ſubadſtringens firmitatẽ corporibus addit,ac cibos retinere cogit.Vtendum eſt etiam aliquando ceratis ex lentiſcino aut œnanthino oleo, admixtis abſinthio,aut aloe,aut œnanthe.

Ad eos qui ſtomacho exuruntur,& ſiticuloſi ſunt, Cap. IIII.

SItis fit aut ob penuriã humiditatis,aut abũdantiã caliditatis:ſiccitatis remediũ eſt ſomn⁹,caliditatis vigiliæ. verùm iis qui ob multi vini potũ ſitiunt,frigida aqua potata auxiliatur.Quibus autem longo iam tempore ſtomachus æſtuat,eis auxiliatur, ſimúlque ſitim ſedat, radicis dulcis ſuccus potatus,atque ipſa etiam radix ex aqua, pãpinorum vitis cremor,& portulacæ ſuccus.Ab imbecillitate autem vires, recolligentibus ſitim ſedant ficus ſiccæ cibo acceptæ, & ſymphyton in petris naſcens commanducatum.In cataplaſmatis verò ad ſtomachi ardores cõducunt,ſanguinaria,intubum,ſonchus,apium hortenſe, pampini vitis,portulaca, vnũquodque cum polenta aut pane.Qui in ſuperficie vruntur, his ramentorum cucurbitæ ſuccus opitulatur cum roſaceo,aut omphacii ſucco.Sitim autem quæ in febribus oboritur, lenire ſolet capitis irrigatio ex frigidiſſimo oleo aut roſaceo,ex alto nimirũ ſincipite irroratõ. Sitim etiam adimit ſtomacho exuſtis, cucumeris ſemen commanducatum: decorticatum verò & tritum,ex aqua potatum valde iiſdem auxiliatur. Eodẽ modo prodeſt lactucæ ſemen manducatum & potatum. item ſemẽ portulacæ. Aliud adipſon,ſitim optimè tollens: Cucumeris ſatiui ſeminis decorticati drach. octo, tragacanthæ drachmas quatuor.tragacantham contundito & cribrato:ſemen verò conterito,eiſque ouorum crudorum recentium candida adiicito, & ſimul omnibus contritis catapotia informato,ac in vmbra exiccato. Ex his deinde vnum ſub lingua detinẽdum præbeto, vt paulatim diſſolutum deglutiatur. Aliud adipſon,ad ſtomachi nimiam humectationem commodum, in iis præſertim quibus humida & calida diſpoſitio adeſt: Roſarum viridium,vnguibus earum reſectis,drachmas ſex, radicis dulcis drachmas quatuor,ſpicæ nardi drachmas quatuor, excipe vino dulci,& redige in catapotiorũ formam, indéque ciceris magnitudine ſub lingua detinendum præbe: refrigerat & firmitatem addit. Aliud: Seminis cucumeris,ſeminis portulacæ viridis,tragacanthæ,cuiuſque drachmas quatuor,radicis dulcis drachmas duas. Excipe portulacæ ſucco, & in catapotia redige magnitudine fabæ,& vtere vno pro vice ſub linguam exhibito. Abſorbeant etiam malorum cotoneorum cremorem, aut pirorum,aut omphacii ſuccum cum aqua. Aliud adipſon: Seminis portulacæ viridis,ſeminis peponis, ſucci radicis dulcis,tragacanthæ, ſingulorum æquales partes aqua ſubigito,& ad fabæ magnitudinem reducito,ac vtitor.

De ſingultu, Cap. V.

A SIngultus acceſſio ſtomacho accidere ſolet ob repletionem,aut euacuationem, aut frigiditatem: aliquando etiam ob humorum acrium & medicata qualitate prædit orum mordacitatem:quos vbi vomitu reiecerint, ſtatim à plurimo ſingultu liberantur.Quin & ii qui pharmaca cum ex tribus piperis generibus biberunt,aut ipſum adeo piper,ſi ſtatim vinum à ſumptione eorum ingeſſerint, omnino ſingultiunt. Cibus quoque in mordacẽ qualitatẽ corruptus aliquos ſingultire facit,& oris ventris frigidi-
B tas ſingultum inducit:maximè verò omniũ, pueris frequentes ſingultus accidunt ob ſtomachi frigiditatem, & alimenti corruptionem.Fit etiã in febribus ſingultus,ſtomacho præſertim aut aliquo alio viſcere inflammato.Frigiditate itaque ſingultum præcedente,oleum lana exceptum ſtomacho imponendum,in quo ruta, cuminum & abſinthium ſint decocta.In potu etiam ruta cum vino exhibenda,aut apium in aqua mulſa decoctum, aut cuminum tritum,aut calaminthe, aut aſarum, aut pulegium, aut dictãnũ,aut Celtica nardus,quodlibet eorũ per ſe aut ſimul mixta.vtile eſt & acetum ſquillinum ſorbillãdo ac-
C ceptum.Caſtorium autem eis qui integræ ſunt ætatis, tũ ob frigiditatem ſingultientibus,tum ob humorum multitudinem ſimiliter affectis,drachmæ pondere ex poſca dandum:quin & ſtomacho forinſecus impoſitum vtriſque commodum exiſtit cum oleo ſicyonio aut antiquo. Quando verò ex repletione ſingultus oboritur,quomodo intotum frequentiſſimè conſiſtit, violento motu opus habet.Vomitus itaque remedio fuerit,& extremarũ partium adſtrictio,compreſſio ſpiritus,vociferatio concin-
D na,cum plurimo clamore, deambulatio longa & concitata,geſtatio atque adhuc magis equitatio, cucurbitulæ cũ plurima flamma pectori,ſtomacho,& dorſo affixæ. Sternutatio etiã conuenienter prouocatur eis qui ob humorum multitudinem ſingultiunt. Singultui autem ex euacuatione oborto maximè contraria ſternutatio exiſtit. Sanantur autem hi per alimenti conuenientis aſſumptionẽ & per ea quæ defectum explent. Singultus in altiore ſopore,aut animi deliquio,aut tetanis,obortus, mortem non longè abeſſe præſagit. Cæterùm & his aquam mulſam aſ-
E ſiduè bibendam exhibere conuenit, aut aquam puram mediocriter feruefactam.Conducit & caſtorium ex aqua mulſa potum pondere trium obolorum: in iis verò qui à malo victi ſunt,præclata remedia recuſanda ſunt. Porrò mordacitate ſingultum producente, primùm ſufficiens remedium vomitum ipſum reperiemus: deinde etiam ſenſus ſtupefactionem,& morſum inferentium alterationem ac diſcuſſionem. Stupefiunt itaque ſenſus per refrigerãtia:alteratur autem mordacitas per obtũdentia. Eiuſ-
F modi mixtæ facultatis ſubiectum pharmacum exiſtit, & quæ ei aſſimilari poſſunt.Habet autem hoc modo, Aſclepiadæ pharmacum ad eos qui ſtomacho exuruntur, & ad vehementes ſingultus, voluuloſáſque ſtomachi affectiones: Coſti,ſpicæ nardi,chryſobalani,croci, roſarum viridium,maſtiches,cuiuſque drachmas quatuor,aſari, aloes, cuiuſque drachmas duas, opii drachmam vnam, ſubige cum pſyllii cremore,& digere in paſtillos, quorũ tres pro vice dato.Ego verò chryſobalano reprobata, paſtillo qui aſter appellatur ad hos vtor, qui paulo mox ad ſtomachi ſubuerſiones deſcribetur. Obtundit autem mordacitatẽ
G & ex ea obortum ſingultum ſedat intubi ſuccus potatus, cucumeris ſemen decorticatum tritúmque bibitum, lactucæ ſemen eodem modo,item portulacæ ſuccus potatus,ipſáque portulaca in cibo ſumpta: myxarũ decoctum in potu acceptum. maximè omnium tamen præſtat lac recẽns mulctum potatum.

De bulimo,id eſt ingenti fame, Cap. VI.

BVlimos ex ſtomachi frigiditate oboritur,indigentiáque ac virium imbecillitate:& ab externo frigore ferè intotum initium capit. *Vox ipſa Græca eſt, & Latinis ma-*
H *gna fames interpretatur.* Fames enim in principio multa adeſt, quæ tamen non vſquequaque perdurat. Nam poſtea repentè animo linquuntur,cum extremarum partium refrigeratione,& ſpiritus defectione. Et ſanè quidã in locis deſertis,aut in balneo in malum iſtud collapſi,ex

inſtanti perierũt,auxilii ſa cultãte deſtituti.Peregrinatio- A
nes autem & itinera lõga,maximè per niuem facta, affe-
ctionem hanc inducunt.Eos itaque qui in itinere, aut a-
liâs fame magna citra febrem infeſtantur, refouebimus
ac reuocabimus aceto aut pulegio ad odorandum exhibi
to.aut terra,quæcunque tandem obtigerit,aceto conſper-
ſa:item pomis ac aliis qui inueniri poſſunt fructibus. Au-
xiliatur & panis recens naribus admotus , & caſeus boni
odoris,caro ſuilla aſſata aut cocta: & in vniuerſum omne
quod valde nutrit:maximè verò quod nidoroſum ac pro
bè cõditũ habet odorẽ . his enim vtplurimùm multi re- B
focillantur.Cæterùm & extremæ eorũ partes faſciis con-
ſtringendæ ſunt,manuúmque ac pedum ſummitates ca-
lidæ aquæ feruentiori imponendæ, & ipſi quoque ſti-
mulatis eorum maxillis, crinibúſque ac auribus velli-
catis excitandi. Reuocatis autem ab exolutione panem
ex vino diluto offeremus,aut aliud quiddam eorum quæ
aceruatim vires reparare poſſunt, velut ſunt oua ſorbilia,
alica cum vino.Compendioſiſſimum enim auxilium ex
cibo ſperare poſſunt : quem etiam ſi oblatum acceptare
non poſſint,ori indere oportet violenter, cogeréque vt C
ipſum tranſglutiant. Eueſtigio enim & à fame & ab ani-
mi deliquio liberantur,& celeriter excitantur. Accedit e-
tiam n febribus(raro tamen,neque citò)verùm circa vi-
gorẽ ac declinationẽ. Si itaq; circa remiſſionis exacerba
tionum febrilium tempus, eius acceſſio irruat, aut circa
exacerbationis declinationem,intrepidè eis cibi ſunt of-
ferendi : ſi verò in principio acceſſionis febrilis, aut in vi
gore apparuerit,per prædicta odoramẽta conabimur eos
primùm reuocare,maximè per ea quæ frumentacei gene
ris exiſtunt:velut eſt polenta aqua madefacta, aut poſca, D
aut panis calidus vaporem adhuc emittens . Fricatio etiã
extremarum partium adhibeatur,& cataplaſmata ex pal-
mis,aut malis cotoneis,aut polenta, in vino diluto deco-
ctis: atque hæc vſque ad remiſſionem facere oportet, vt
opportunè cibum offeramus.Quòd ſi ex his nihilo melius
habeant,audendum eſt per ciborum ingeſtionem auxi-
lium afferre.Farinæ itaque craſſioris cochleare vnum, ex
aqua mulſa quæ lactis ſpeciem ac teporem in tactu de ſe
præbet.exhibeto:buccellas item vnã atque alterã vino ma
defactas.His enim refocillati ac reſpicientes ex improui E
ſo,deinceps vſque ad remiſſionis tempus perueniũt , in
quo tum corporis curationem,tum ſufficientem ordina-
bimus cibum. Vitabimus autem omnino in iis qui hac
affectione ſunt apprehenſi , longiorem cibi dilationem
ac inediam.& ne alternis tantùm diebus cibum offera-
mus: verùm ſolerti ratiocinatione facta, ſingulis horis
ſimpliciſſimũ modicúmque cibum dabimus. Aſſidui e-
nim bulimi & exoluunt & in animi deliquia inducunt,
quibus ægrè auxilium reperitur.

De animi deliquio, ex Philumeno, Cap. VII.

F
ANimi deliquium , ſiue in febribus, ſiue citra febres
contingat ex præmanifeſta cauſa, velut eſt plurima
ſanguinis aut vẽtris excretio,aut aſſidua ſurrectio,aut mo
tus,aut dolor,aut timor : auxiliũ ferto ex cauſarum abla-
tione,de quibus abſolutiſſimè in febrium tractatu à no-
bis prædictum eſt,quinto videlicet Sermone. dicetur au-
tem ſummatim & paucis etiam hoc loco de iiſdem. Fre-
quentes igitur ſurrectiones eis prohibendæ ſunt, & acer-
uatim facta euacuatio cohibenda,doloréſque mitigandi: G
cauſæ etiam quæ timorem inducũt ſoluendæ,ſiue forin-
ſecus accedant,ſiue ex humoribus in corpore oboriãtur.
Extremæ corporis partes,animi deliquiis irruentibus,cõ-
ſtringantur:cucurbitæ etiam aliquando tum poſteriori-
bus,tum anterioribus ſtomachi partibus affigantur, & in
latus etiam apponantur. Caput autem agitatum leui ma-
nus impoſitione cum coarctatione etiam comprimatur.
Odoramenta quoque offerantur,& aperto ori digitus,aut
pẽna immittatur,facies verò ac ſtomachus vehementiſ-
ſimè fricetur. Hoc enim modo præoccupati refocillan- H
tur,viréſque recolligunt,neq; in periculũ animi deliquii
incurrunt.Reuocatis autẽ,ſi quidem febre careant,cyathi
III.aut IIII. frigidæ aquæ in potu exhibẽdi : quã tamen
paulatim & per interualla abſorbeant.aut cremorem pal-
marum,vuarum paſſarum,malorum cotoneorum , roſa-
rũ aut pampinorum,aut alicuius conſimilis,aut vuæ acer
bæ nondum maturæ ſuccum cum frigida aqua, aut mẽ-
thæ ramulos tres tritos cum mali Punici dulcis ſiue aci-
di ſucco,præbeto abſorbendos:aut polentam cum Punici
ſucco . Forinſecus autẽ ſtomacho ea imponẽda ſunt quæ
ſuprà ad cardiacos & bilem vomentes ſunt deſcripta.

De iis qui in balneo animo linquuntur, Cap. VIII.

B
QVI in balneo animo linquuntur, aut magis animo
linqui incipiũt,eos celeriter educere oportet, neque
multa aquæ infuſione humectare. qui autem iam incide
runt,celerrimè exportandi ſunt.Et reliquum quidem cor-
pus leui quopiam velamine cooperiendum : facies verò
ſpongia frigida imbuta madefiat, aut frigida aſpergatur.
Fricãda etiam facies,ſtomachúſque & pedes.Os quoque
aperiendũ pẽnarũ aut digitorũ immiſſione:omniq; mo-
do conãdũ,quò humor ipſius animi deliquii autor euo-
matur,aqua tepida ori inſtillata. etſi enim nihil inde euo-
mant,ſtomachus tamen irritatione firmatur quæ animi
C deliquiũ ſoluit. Auxiliatur etiam ad oris apertionem au-
ditoriorum meatuum compreſſio,ſimilitérque oſſium
quæ à petræ duritia lithoeidea,*hoc eſt petroſa*,appellãtur.Qui
verò vilioris ſunt conditionis,etiam alapis ſunt cædendi,
capillorum quoque facta euulſione. Et vociferatio quidẽ
vnius,vtilis eſt:multorum,aut & ſimul edita,nocet. Cæte
rùm à vehementi animi deliquio conualeſcentibus,tum
in calidam,tum in frigidã aquã demiſſiones,velut mor-
tis cauſæ,timendæ.aut enim laxatis corporibus,calore diſ
cuſſo & reſoluto,pereunt : aut à frigiditate adſtrictis,ex-
D tinguuntur.

De ſtomachi imbecillitate,& ſupinitate,ac ſub-uerſione,ex Galeno, Cap. IX.

QVÆ ſupinitas ſtomachi appellatur, ex intemperie
quacunque tandem oboritur,nullis humoribus vi-
tiatis.Oboritur etiã ex multitudine humorũ , nulla tamẽ
maligna qualitate accedẽte.Stomachus enim à largo hu-
more fortiter madefactus,ad ſimilitudinem amplitudi-
nis totius vẽtris laxatur,adeo vt cibis obuolui, eóſq; con-
tegere non poſſit: & propterea circa ipſum humores ſu-
E pernatant:quos vbi ventriculus abrumpere omni impe-
tu annititur,anxietatis acceſſionẽ perfert , ac prius quàm
cibus præbeatur,extremæ imbecillitatis . Faciliſſimè autẽ
hæc affectio curatur, inter reliquas ſtomachi affectiones
longo tempore perſeuerantes.Opus verò habet pharma-
cis humorem deſiccare valẽtibus, cohiberéque ac adſtrin
gere laxatum corpus.Itaque ſi in profundum vſque hu-
miditas extundatur,& craſſa tenáxque exiſtat, pharmacũ
miſcere oportet extenuatorium & veluti conſumptiuum,
quale eſt acetum & acetum mulſum.Si verò eiuſmodi hu
F miditas non exiſtat,neque in profundum vſque corporũ
extendatur,adſtringentia ſola ad curationem ſufficiunt.
Magnum autem ſignum ad cognoſcendum frigidáne ſit
an calida ſit hæc affectio,ſenſus ægri præbet:ſi quidem aut
nullam aut aliquã ſitim perceptet . Supinitates igitur ſto
machi ex vitiatis humoribus obortæ picra,curantur,quẽ
admodũ paulo pòſt dicetur, vtpote quæ celerrimè vitia-
tum humorem repurgat.Subuerſiones verò & nauſeæ ex
imbecillitate ſtomachi factæ,per intemperiei correctio-
nem ſanantur,& per incumbentis humiditatis deſiccatio
G nem.Si quidem autem calida affectio exiſtat , catapotia
adipſa & ſitim tollentia exhibeantur,quæ ad eos qui ſto-
macho exuruntur,ſunt deſcripta , & maximè quod ex ro-
ſis,ſpica nardi & radice dulci conſtat. Ad frigidiores ve-
rò & humectiores affectiones,conueniunt ſubſcripta. A-
ſclepiadæ,ad ſtomachi ſubuerſiones: Succi acinorum ma
li punici acidi ſextarios III.ſucci menthæ ſextarium vnũ,
coniice in vas fictile,& decoque aſſiduè agitando , & vbi
coacti fuerint,ablatos recondito,& ante cibum,myſtrum
vnum aut duo exhibeto. Aliud. Vuam acerbam im-
H maturam arefactam,contuſámque & cribratam in prom
ptu habe,& cochlearii menſura ex aquæ frigidæ cyathis
duobus præbe. Aliud, quod calidioribus diſpoſitioni-
bus magis commodum eſt,ſicut etiam præcedens: Ma-
la punica matura, & in vigore perfecta quinque aut ſex

numero, integra vnà cum putaminibus contunde, & infuſis aquæ pluuialis ſextariis tribus vſquequo ad tertias omnis liquor redactus fuerit, decoque, exprime, ac percola, liquorémque expreſſum rurſus per ſe decoque, donec ad mellis ſpiſſitudinem redigatur: ac inde cochleare vnũ aut duo exhibe: iis qui febre carẽt cum vino, febricitantibus verò ex aqua. Aliud valde bonum. Succo mali Punici acidi, ac intubi, æqualibus portionibus permixtis, menthæ ſiccæ tenuiſſimè tritæ, parum quiddam inſperge, & cyathi menſura bibẽdũ præbe. Idẽ facit oxylapathi ſemen tritum ex aqua potatum: ſimiliter & ſemen portulacæ. Vtere etiam confidenter ad ſtomachi ſubuerſiones, Amazonum paſtillo, & eo qui aſter appellatur, quorum compoſitionem paulo pòſt in nauſeæ tractatu deſcribo. Vtere quoq; cataplaſmatis & epithematis, quæ mox poſt ſermonem De nauſea deſcribentur.

De nauſea, ex Galeno, Cap. x.

NAuſeæ, ex vitioſo humore tum calido tum frigido gignuntur: qui in ventre continetur, aut in concauitate ipſius innatat, aut in tuniculis eius infartus inſtar viſci adhæret, atque ægrè auelli poteſt: aut ſeroſior & medicatior exiſtens in ipſis ventriculi tuniculis, velut aqua in ſpongia imbibitur. Atqui eiuſmodi humores ex ventris intemperie cum calida tum frigida aliquando generantur, aliquando autem ex aliis partibus prius affectis, in ipſum ventrem, velut excrementa illarum confluunt, vtpote ex hepate, aut ſplene, aut capite, aut ex vniuerſo corpore. Quando igitur aliæ partes prius afficiũtur, omni modo vniuſcuiuſque propriæ acceſſionesc'oncomitãtur: & ipſe æger primùm affecti membri læſionem ſentit. aut enim caloris ſenſus iuxta affectum membrum ipſi cõtingit, aut frigoris, aut grauitatis, aut etiam tactui noſtro durum, ſuccumbit. Si verò vniuerſum corpus vitioſis humoribus repletum eſt, idipſum ex calore & eruptionibus pupularum circa cutem cognoſcitur, atque ex ipſa adeo vrina. Quòd ſi nihil horum adſit, certum eſt ventrem ipſum aliquo modo ægrotare. Si itaque cibi in ventre nidoroſi fiunt, nullo huiuſmodi cibo aſſumpto, velut ſunt piſces, aut oua in ſartagine fricta, aut alii conſimiles, neceſſe eſt ratiocinari cauſam calidam eſſe, quæ hoc in ventre operatur. Si verò aceſcunt in ventre cibi, nullo huiuſmodi cibo ſumpto, velut ſunt piſces, aut oua in ſartagine fricta, aut alii conſimiles, neceſſe eſt conſiderate frigidam cauſam eſſe, aut atræ bilis humorem ventrem infeſtantem. Manifeſta autem erit cognitio & ſcientia cauſæ, quam habes ſuſpectam. Frigidis enim pharmacis cibiſq; ac potibus ſtatim adiutum hominem videbis, ſi quidem calida diſpoſitio extiterit: ſi verò frigida, calidis cibis & pharmacis iuuabitur, à frigidis verò lædetur. Cæterùm & ſitis ad calidã affectionem cõcomitatur: ſiti autem ferè intotum carent, qui frigidam intẽperiem habent, niſi ſalſa ſit pituita. Atqui ex diligenti vomitus inſpectione, eiuſmodi quoque cognoſcuntur affectiones. Si enim intẽperie quadam venter afficitur, aſſumptos cibos ad intemperiei naturã permutat, vt appareant vomitu redditi cibi, citra alicuius humoris complexum, in nidorem aut acorem permutationem ſuſcepiſſe. Si verò humor quiſpiam vitioſus amplitudini innatet, & cibum corrumpat, ipſi cibi manifeſtè eiuſmodi humore madefacti apparent, & in illius naturam permutati. Quum verò cibi amplitudini ventris innatent, humorem ipſum affligentem producunt, qui vbi infartus, aut imbibitus, vt dictum eſt, in ventris tuniculis fuerit, ſi quidem calidus ſit, ſiticuloſos facit, & ciborũ inappetentiam inducit: ſi verò frigidus ſit, ciborum appetentiam excitat, & ſitim extinguit. Nauſeæ autem vtriſque accedunt, & inanes vomendi irritationes, quæ lancinant tantùm & nullum humorem educunt. Prædictum autem & antea eſt, quòd, ſi tenues humores & venenoſi exiſtant, quos etiam *Græci ἰχῶρας, hoc eſt ſeroſos,* appellant, per profundum ſolidorum ventris corpuſculorũ procedunt, & velut aqua in ſpongia imbibuntur. ſi verò tenaces ſint, circa internam ventris ſuperficiem viſci modo adhærent. Seroſi itaque humores vtpote tenuium partium exiſtentes, non ſolùm ante cibos, ſed & poſt acceptũ cibum, vomitum inducũt, perpetuò nimirum motu ver-

A ſati: qui verò ſuperficiei ventris infarti adhærent, ante cibum magis inanes vomitiones mouent. Diligenter itaq; conſiderare oportet, num ventris tãtùm affectio hæc ſit, aut alicuius alterius membri: deinde qualis affectio exiſtat, an calida, aut frigida, humidáve aut ſicca. Et ſi quidẽ ex alia quadam parte aut ex vniuerſo corpore humores in ventrem confluant, priorem curam membri prius affecti habere oportet: ita tamen vt neque ventrem ipſum negligamus. qui enim primùm affectã particulã curat, velut fontem omnium in ventrem influxionum excindit. Ventre B autem ſolo affecto, diſpoſitionis in ipſo qualitate cognita medebimur. Calidam itaque intemperiem ſemper refrigerare oportet, in quocunque tandem membro exiſtat, frigidam autem calefacere: eodémque modo humidam deſiccare, & ſiccam humectare: innatantes autẽ amplitudini ventris humores euacuare, ſiue per vomitum, ſiue infernè per aluum commodius id fiat. Qui verò in tuniculis vẽtris infartus adhæret, aut imbibitus eſt vitioſus humor, per repurgantia ipſumque incidentia ac euacuantia pharmaca eſt curãdus. Intẽperaturæ enim in hu- C moribus conſiſtentes, pharmacis humores euacuantibus opus habent. Qui verò abſque vitiato humore, ab intẽperie ſola quacunque tandem, maximè tamen calida & ſicca infeſtantur, in tabem omnino perueniunt, pharmaco euacuante purgati, etiamſi exhibitum pharmacum imbecillius exiſtat: quale eſt ex aloe picrum appellatum. Quomodo igitur vnamquanque intemperiem, ſiue ſimplicẽ, ſiue mixtam curare oportet, iam prædictum eſt in quarto huius tractationis Sermone: dicetur tamen opportunè & D hic de eadẽ re, ſed paucis. De intemperie frigida. Iis itaque qui ex frigida intemperie afficiuntur, pharmacum ex tribus piperis generibus commodum exiſtit, aut quod ex calamintha conſtat, aut aliud quoddam conſimile, ex vino tenui aut aqua potatum. Forinſecus autem ſtomacho maſtichen Chiam, vnguento nardino dilutam & tritam, purpureáque exceptam lana imponito. Vinum verò exhibendum eſt rufum ſubadſtringens & vetuſtius, & cõ ſimiles etiam cibi. De intẽperatura calida. Iis verò qui à calida intemperatura afficiuntur, cum mediocriter ad- E ſtringentibus & refrigerantibus forinſecus ſtomacho ac ventri adhibitis, medeberis, ita vt quanto magis calor excellat, eo amplius refrigerantia adaugeas. Cibum autem exhibebis, alicam ex vino albo & tenui, & ſubadſtringente: ex volucribus, macras & non fœtidas, ac quæ his conſimiles exiſtunt. Si autem humor tenuis bilioſus aut ſeroſus in ventris amplitudine contineatur, tenuiſſimo ptiſanæ ſucco exhibito vomere cogimus, digitis aut pinnis immiſſis: aut aloes drach. I. cum aqua tritam potãdam damus. calidorum enim in ventre humorum optimũ phar- F macum eſt aloe, vt in vna ſæpe die ſtomachicos ſanet. Si verò pituitoſi aut viſcoſi & craſſi humores amplitudini ventris innatent, aceto mulſo vtendum eſt, in quo ex incidentibus, ac repurgãtibus mediocritérque calefacientib' quædã ſunt decocta: iis verò quibus vitioſus humor intrinſecus circa ſuperficiem vẽtris infartus adhæret, vt ægrè auelli poſſit, ex aloe picra appellata compoſitio vtilis exiſtit, quæ viſcoſum humorem repurgare conſueuit, craſſúmque extenuare per vires eorum quæ cũ aloe ſunt cõmixta: quòd ſi ſeroſa humiditas tuniculis ventris ſit imbi- G bita, quæ (vt prædictum eſt) nũ ſolùm ante cibũ, ſed poſt acceptum etiam vomitus mouet, primùm Amazonũ paſtillus conuenienter exhibetur, qui picræ eſt ſubſcriptus. Mediocriter enim per hunc vomitibus prohibitis, deinde ex aloe picra appellata vtimur. Cuius compoſitio hæc eſt: Aloes drach. c. xylobalſami, maſtiches, croci, ſpicæ nardi, aſari, cinnamomi, cuiuſque drach. ſex. contere & repone arida, & exhibe perfecto pondere ſcrup. XII. ex aquæ frigidæ aut calidæ cyathis XII. Andromachus ad prædicta etiam floris iunci odorati drach. ſex, adiicit: & aloẽ lo- H tam coniicere iubet. Verùm quod cognoſcere operæpretium eſt, ad ventris ſubductionem illota aloe conueniẽtior exiſtit: quæ enim lota eſt, multùm à medicamentaria facultate deponit: quam confidentius etiam exhibere quis poſſit eis qui non valde febricitant, & quibus firmitatem ventris addere volumus. Quare ſcire oportet ex vi-

tiatis humoribus affectiones circa ſtomachum & ventrē, per pharmaca ex aloe vtiliter ſubduci & euacuari poſſe: quæ in maximam perniciem perueniunt per adſtringentium eduliorum, potionum, ac pharmacorum exhibitionem. Aſclepiades autem picram eodem quo Themiſon modo apparare iubet. habet autē hoc modo: Aloes drach. c. maſtiches, croci, ſpicæ nardi, aſari, cinnamomi, cuiuſque vnc. I. & pro xylobalſamo carpobalſami vnc. I. contūdito ac per anguſtiſſimum cribrum excutito, ſiccúmque, ne in aerem tranſpiret, aſſeruato, & drach. I. tãtùm ex frigida præbeto: niſi menſes ciere velis. nam tū præſtat præbere ex vino. Educit mēſtrua fœminarū: facit & ad vuluæ affectiones: propriè autem ad ſtomachi ſubuerſiones. cō ducit hepaticis, affectionibus renum, atque omnino admirandam potentiam habet. Ad refrigeratos autem & qui pituitam craſſam & viſcoſam in ventre habent, ſubiectum pharmacum commodum exiſtit. Calefacit enim & extenuat ac diſſecat craſſitiē, viſcoſitatémque repurgat. Habet autem hoc modo: Corticis radicis fœniculi viridis ſeſcuncem, aceti ſeſquiſextarium, aloes quadrantem. Cortex cum aceto ad tertias decoquitur: deinde percolato aceto, mellis Attici vnc. XV. adiicimus, & ad mellis craſſitudinem coquendo redigimus, & contritæ in mortario aloæ paulatim hoc ipſum acetum mulſum coctum affundimus: poſtea verò ſimul vnita tollimus, ac vtimur. Datur ad ſummum menſura cochleariorum trium. Alia compoſitio quæ dulcis appellatur. Aloes ſeptuncem, iridis ſextantē, maſtiches ſeſquiūciā, nardi Celticæ vnc. I. piperis drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. aceti chœnices ſeptē, cyathos ſeptē, mellis lib. III. ſextariū I. corticis radicū fœniculi lib. III. Corticem fœniculi in aceto præmaceratum, ad tertias decoque & percola, reſiduóque aceto mel adiice, ac rurſus decoque vſquequo probè cogatur: deinde ſicca in mortario ſimul admiſce, & cochlearium vnū exhibe. Conducit frigidioribus temperaturis, & aluum pituitoſiorem mediocriter ſoluit, & caput leuius reddit.

Amazonū paſtillus: Facit ad voluuloſas ſtomachi ſubuerſiones. Voluulos autem fortes ſtomachi ſubuerſiones appello. Quemadmodum enim in voluulis vomitus cum vehementi contentione fiunt, & ſtercora reuomunt: ita etiam alios vomitus concitatos voluuloſos appellare poſſumus. Conſequūtur autem huiuſmodi vomitus, vbi magna moleſtia affectis membris, à ſeroſis medicatíſque ac venenoſis humoribus eſt illata: & ſi aliquo modo imbecillior fuerit venter, geminatur malum ex mordacitate: Quapropter ita inſtruenda curatio eſt, vt ſimul odoras qualitates affectis membris offeramus: quales ſunt aromatum quorundam & ſeminum in ciborum vſum veniē tium: velut eſt aniſum, & apium, & ſimilia. quemadmodū enim graueolentia omnia ſtomachum ſubuertere conſueuerunt: ſic odora corroborāt, maximè quæ nobis ſunt familiaria & in cibo accipiuntur. In quibus itaque coniectamus ſeroſos humores in ventris tuniculas imbibitos eſſe, iis hoc pharmacū magis conueniet. quibus verò circa ſuperficiem ventris tunicularum infarti adhærent, eis picra vtilius exhibetur. Quòd ſi exhibitam picram reuomant, coniectare oportet mixtam eſſe affectionem, & tū tuniculis imbibitos, tum ſuperficiei infartos humores, in ventre abundare. Quare vtile fuerit paſtillum præbibendum exhibere, vt mediocriter vomitum prohibeat: deinde autem pharmaco picro vti. Eſt autem paſtilli compoſitio hæc: Seminis apii drach. VI. aniſi drach. VI. comæ abſinthii drach. IIII. myrrhæ drach. II. piperis drach. II. opii drach. II. caſtorei drach. II. cinnamomi drach. VI. in paſtillos redigito, & ad ſummum drach. I. exhibeto. Ego verò, inquit Galenus, præſcriptum pharmacum citra myrrhæ admixtionem apparare conſueui, ob medicamentariam eius vim, piperis pro eo coniiciens drach. II. ita vt in vniuerſum piperis drach. IIII. accipiantur. Datur ſtomachicis ex vini diluti cyathis III. Cholericis autem ſiue bilem effundentibus ex aqua frigida. iis autē qui cibum reuomunt, ſi quidem ſiticuloſi fuerint, & caloris ſenſus eos circa os ventris infeſtet, & ſanitatis tempore frigidam bibere ſint aſſueti, ſimiliter ex frigida præbe: ſi verò nō ita habeat, ex calida. cœliacis, & ad inteſtinorū tormina ex decocto myrti: ſplenicis cum aceti mulſi cyathis tribus.

Aſclepiadæ paſtillus inexuperabilis, aſter appellatus.

Pharmacum quod proſperè accommodatur, dolorem leuans, ſomnum inducens, multæ omnino vtilitatis. Etenim morbos circa ſtomachum mirabiliter ſanat, acidos ructus & difficilem concoctionem aufert, inteſtinorum tormina, & voluulos, inflationéſque curat. Prodeſt hic paſtillus ad capitis dolores potatus, & aceto dilutus forinſecùs fronti illitus. Ad dolores aurium facit perdicii ſucco liquefactus: facit & ad dentium dolorem tritus & galbano exceptus, aut fici ſucco, & cauernæ inditus. Ad oculorum affectiones & fluxionum impreſſiones paſſo diluitur, & lana ex eo irrigata imponitur. In tonſillarum affectionibus, tepefactus ac dilutus ex aqua mulſa præbetur gargariſſandus. Vtilis eſt ad omnem ſanguinis fluxum vino myrtite diſſolutus. Ad deſtillationem inueteratáſque & recentes tuſſis affectiones, vino ſcybelite aut theræo eliquatus. Prodeſt ſuppuratis & phthiſicis, marrubii decocto liquefactus. prodeſt dyſétericis, cholericis, & ſanguinē reiectãtib⁹, ſanguinariæ ſucco dilutus. prodeſt ad omniū reptilium plagas ex rutæ decocto potatus. Soluit per circuitum repetētes febriles acceſſiones, ſi duabus horis ante aduentantem febrem ex vini diluti cyathis III. exhibeatur. Fœminarum menſes ciet, artemiſiæ ſucco dilutus ac potatus. facit & ad veſicæ affectiones vino mulſo ſolutus: quo modo & ad vuluæ ſtrangulationes prodeſt potatus. facit ad articulorum dolores & podagram, gentianæ deccocto diſſolutus ac potatus. Compoſitio autem eius hoc modo habet: Caſtorei, opii, myrrhæ, cuiuſque drach. IIII. ſpicæ nardi, caſiæ, terræ Lemniæ, corticis mandragoræ, cuiuſque drach. IIII. croci drach. ſex, dauci, ſtyracis, aniſi, ſeſeleos, ſeminis hyoſcyami, cuiuſque drach. octo. myrrhā ſtyracem & opium in vino odorato diſſolue: reliqua autē contuſa & cribrata inſperge, ac ſimul vnita in paſtillos redige, ciceris magnitudinem æquantes, quibus in vmbra deſiccatis vtere. Et de pharmacis quidem quæ in potum ſumuntur, hactenus. Decubitus autem ſurſum vergens, in omnibus quomodocunque nauſeantibus & vomentibus adornetur, in conuenienti & affectioni contraria domo. Quæ frigida quidem ſit, affectione exiſtente calida: contrà verò calida, vbi frigida affectio exiſtat. Extremæ corporis partes fricentur, manibúſque calefactis palpentur. quin & violentius adſtringantur: deinde pedes & manus in aquam ſolito calidiorem demittantur. Odoramenta autem admoueantur naribus olfacienda boni odoris: velut roſæ, mala cotonea, pulegium, mētha, malabathrū, ſpica nardi. Caput verò fomento olei dulcis frequentius irrigetur: in calidioribus verò ex roſaceo. Stomachus abſinthii cremore irrigetur, roſaceo in calidioribus admixto: nardino autem frigidioribus, apio inſuper aut cumino, aut petroſelino adiūcto. Ex quibus ſi nullum commodum ſentiatur, ad cataplaſmata ex palmis tranſeundum quæ paulo pòſt dicentur. Conueniunt etiam ea quæ aloen, abſinthiūm, & mala cotonea accipiunt, & aliquando quoque alumen. Idem præſtant & cerata ex his apparata. Si verò inflammatio circa præcordia exiſtat, communia cataplaſmata adhibeãtur. Iis qui in ſtomacho exuruntur, frigida, etiã aqua quãplurimùm decocta: deinde rurſus refrigerata, abſorbenda præbeatur, ita vt cyathi vnius menſura, aut duorum, aut etiam trium, paulatim tamen abſorbeatur. Colluta etiam & in ore retenta, nauſeas tollit, iis quibus propter obſtaculū aliquod potus eius negatur. Eodem modo aſſumitur poſca diluta. Portulaca etiam com manducata, & oſſa myxarū, & cucumeris ſemen cochlearii menſura mirabiliter prodeſt. Porrò affectione diutius permanente, & cibis præ morbo non retentis, cucurbita ad os ventris cum plurima flamma affigatur, donec locus rubefiat, atque ipſa adhuc affixa cibus præbeatur. Ad quotidianas autem nauſeas, & aceſcentem cibum, ac vomitus: coriãdri ſemē tenuiſſimè tritū, cochlearii mēſura, veluti farinã aquæ inſperſū bibēdū præbe, aut maſtiches cochleare ex frigida aqua, aut lactucæ albæ ſemē cochlearii menſura ex aqua, præbe iis qui ſtomacho exuruntur.

Catapla-

Cataplaſmata & epithemata ad nauſeas & vomitus, Cap. XI.

CAtaplaſmata ad eos qui cibum nõ retinent, quos veteres propriè ſtomachicos appellauerunt. Farina fœnigræci, & maluæ ſemen aridum tritum, melli commi ſceatur. Si verò præ duritie contundi non poſſit maluæ ſemen, ipſum decoctum & tritum modico oleo adiecto in malagmatis formam reducito, & vtitor. Aliud. Lolii & irionis farinam ſubige cum melle, & pro oleo liquidam picẽ admiſce. Ceratum autem conuenit ex olei irini fæce, ceráque ac modico caſtoreo. Aliud ceratum. Ceræ quadrantem, olei irini ſeſcuncem, galbani vnciam vnam, opopanacis drachmas quatuor, caſtorei drachmas quatuor. opopanax aceto teritur. Manifeſtum eſt autem talia in frigidis diſpoſitionibus adhiberi. Cæterùm epithemata hæc ad prædictas affectiones per experientiam (vt Galenus inquit) conducunt: non modò eorum qui ea deſcripſerũt, verùm noſtro quoque indicio comprobata. Aſclepiadæ epithema ad ſtomachi ſubuerſiones & choleras, ſiue bilis effuſiones:

Œnanthes, croci, florum roſarum, ſertulæ Campanæ, maſtiches, ſingulorum drachmas octo. cum paſſis palmis ſubige, modico roſaceo affuſo, & veſtis detritæ panniculo excipe, ſtomachóque ac ventri impone. Aliud. Œnanthes, omphacii, florum roſarum, maſtiches, ſingulorum drachmas quatuor, aloes, aluminis ſciſſi, vtriuſque drachmas quatuor, vini dulcis myrtei quod ſatis eſt. trita excipe palmis paſſis, & vtere. Aliud epithema ad ſtomachi imbecillitatem & dolorem, & ad eos qui cibum retinere non poſſunt: Palmarum paſſarum ſeſcuncem, œnanthes vnciam vnam, thuris vnciam vnam, maſtiches vnciam vnam, ceræ libram vnam, vnguenti nardini, aromatis ſpiſſati libras duas, vini quantum ſufficit. palmas in vino veteri maceratas optimè cõtere: deinde maſtichen & thus, vnumquodque per ſe optimè tritum adiice, ac rurſus ſimul tere. Liquefactæ autem cum vnguento nardino ceræ, œnanthen tenuiſſimè tritam inſperge, ſimúlque vnita & refrigerata ad reliqua in mortarium coniice, & probè remollitis vtere.

Aliud epithema ad ſtomachi ſubuerſiones, & circa ipſum vexationes. facit & ad particulares inflãmationes. Œnanthes beſſem, croci, roſarum ſiccarum, ſertulæ Cãpanæ, maſtiches, ramentorum electri, ſing. drach. IIII. carnis phœnicobalanorũ quadrantem, vini myrtitæ quãtũ ſufficit. arida contunde & per anguſtiſſimũ cribrum excute, & vino myrtite diluta, in cerati craſſitudinẽ redige: deinde palmarũ carnẽ adiice, ſimúlque cõtunde, & cerato ex oleo roſaceo apparato excipe. pòſt verò linteolo infartum, ad os ventris impone. Prodeſt etiam oculorum inflammationi.

De cholera ſeu bilis effuſione, Cap. XII.

CHolera appellatur, quũ ob multas cruditates vomitus bilioſus & nidoroſus & acid⁹ oboritur, ad plures horas continuè perſeuerans, & venter infernè eadem excernit: ſequitúrq; ſitis, & exudatio, & impeditus pulſus, muſculorúmque manuũ ac pedũ, maximè verò ſurarum contractio & tenſio. Siquis igitur mox in principio aut coaceruatim, ea quæ efferuntur cohibere aggrediatur, is maioris mali author erit: inutilia enim quũ ſint, euacuatione opus habẽt. Quare cõuenit, ſi nõ ſpõte ferãtur, opportunè irritare, aqua tepida exhibita, ac ægro vomere iuſſo. aqua enim mulſa mordacitatẽ operatur, torſionéſque auget: aqua verò oleo mixta, auget fluxiones. quare aqua tepida potata vomant, quotieſcunque quidẽ cibis nimiùm fuerint expleti, priuſquã illi corrumpãtur. Adiuuare etiã oportet per ſedẽ excretionẽ: alienũ enim velut venenũ inſidẽs, & ventrẽ ac inteſtina rodit, & humores ex vniuerſo corpore attrahit. Per vomitus itaque opportunã prouocationẽ, vomitus ipſe ſoluitur & ceſſat. Quũ verò humorũ excretio quieuerit, colliquamẽti autẽ & tabefactionis ſigna in excremẽtis ipſis appareãt, velut ſi ſint raſuræ ſimilia, ſtrigmẽtitiáque & mucoſa, & gracilitas per ambitũ corporis fiat, & maximè ſi venter cõſidat & adſtringatur, pulſúſque imminuatur ac præter modũ cõdenſetur, tũc ſanè vẽtrẽ cooperire & fouere oportet, mẽbráque & artus ac muſculoſos ſimiliter locos, oleo multo calido impinguare, & vinculis adſtringere extremas corporis partes. Cataplaſma quoque vetri imponendũ ex palmis & œnanthe, quibus hypociſthis, & acacia, & rhus ruber, & malicorium ſint admixta. In potũ verò frigida aqua cyathi menſura præbeatur abſorbẽda: cauendũ tamẽ ne nimiùm frigida exiſtat. aceruatim enim exhibita reuomitur: & quæ valde frigida eſt, aliquãdo innatũ calorẽ ſtupore ſuo extremè offendit, aut inflãmationẽ ſtomachi aut viſceris alicuius efficit. Inſpergãtur autẽ aliquãdo aquæ ſorbendæ pãpini vitis, aut mali Punici ſuccus modicus inſtilletur. Si verò & hoc reuomat, craſſa etiã ſorbitio ipſa faciẽda eſt per micarũ intritionẽ, & per cochleare exhibenda. etenim ſi aceruatim deuoretur, aut reuomitur, aut infrà detrahitur. Annitẽdũ eſt etiã vt priore ſorbitione vomitu reiecta, rurſus altera exhibeatur. Dandus itẽ mali Punici ſuccus cũ menthæ ſucco abſorbẽdus, micis minutiſſimè tritis adiectis. ſit autẽ acidi mali Punici ſuccus, & multa quãtitate mẽthæ ſuccũ excedat. Quòd ſi acriora ſint ea quæ excernũtur, cucumeris ſemẽ maceratũ, deſquamatũ & tritũ ex aquæ cyathis III. præbeatur. datur etiã vtiliter cũ amylo. Pòſt verò, ſomnus procurãdus & quies omni modo. At verò vbi intolerabilis effuſio exiſtat, & pulſus emolliatur, apprehẽdátque frigiditas & exudatio, aliquãdo etiã ſingultus, ad vinũ tranſeũdũ eſt mediocriter adſtringẽs, neque viribus validũ, & quod dulce quidẽ ſit, non autẽ odorũ. Interant autẽ in ipſum micas, aut alicã iniiciãt, ſi fieri poſſit, calidũ: ſi verò nõ, frigidũ. atque ita paulatim & per interualla cochleare abſorbeãt. Sitim verò arcet polẽta tenuis ſine ſale vino diluto inſperſa & abſorpta. Vini multitudo vitanda eſt, ac omni arte conandũ vt ipſos ſopiamus, ex roſis ac myrto domus pauimento cõſtrato. Odoramenta quoque naribus admoueãtur, mala cotonea & ſimilia. reliqua autem omnia eo modo adhibeantur, quo ſuprà in æſtuantibus febribus eſt prædictum. Illitiones etiã ſoporiferæ circa frontẽ aſſumantur. Aluo autẽ adhuc egerente, amylũ cũ decoctione capitũ papaueris per clyſterẽ infundatur: ſimul enim & cohibet & refrigerat, & ſomnũ inducit. Ad vomitus verò coercẽdos cõmanducare conuenit ſuccúmque deuorare meſpilorũ, malorũ cotoneorũ, pirorũ cruſtuminorũ, & vuæ, maximè quæ vinaceis interpoſitis ſeruatur, & penſilem quoque vnà cũ vinaceis expedit mãducare. Ad contractiones autẽ in muſculis factas, veſtis detritæ panniculi oleo calido madefacti conueniunt, contractis muſculis impoſiti: & cerata humida aliquando caſtoreũ accipientia, & ex ſicyonio aut irino oleo facta. Quibuſdã eorũ etiam maxillares muſculi dolent: quos quũ lana operire non ſit facile, (eſt enim iniucundũ, & ſudor quoque inde elicitur) illitionibus leniter factis, molliores reddere oportet. In cibo exhibẽdi ſunt pedes ſuilli cocti, pulli columbini & gallinarum, perdices, palumbi, turdi, & conſimiles his exiſtentes. Aſclepiades autem cholericis eiuſmodi electum planè remedium deſcribit: inutilibus tamen omnibus prius ſufficienter euacuatis. Baccarum myrti nigrarum exacinatarum Italicum ſextarium vnũ, florum roſarum tantundem, carnes palmarum numero viginti, aquæ potabilis ſextarios ſex. decoque ad tertias, & expreſſum ac percolatum liquorem rurſus per ſe decoque, donec ad ſextarium vnum redigatur: cui deinde paſſi myrtitæ ſextarium vnum affunde, rurſúſque decoque donec ad mellis craſſitudinem cogatur, & vtere. Datur ante & poſt cibum cochlearii menſura. vtere etiã ad hos potionibus & epithematibus ad ſtomachi ſubuerſiones præſcriptis.

De ſtomachi adſtrictione, Cap. XIII.

OBoritur aliquibus poſt cibum acceptum, circa concoctionis & digeſtionis tempus, ſtomachi adſtrictio, itémque alui. Æſtuat autem vniuerſum corpus, maximè verò manuũ ac pedũ extremitates: & facies ipſa rubeſcit: pulſus autem in denſitatem permutatur. Hos multi etiã febricitare exiſtimant. Nocumentũ autem omne circa digerendi alimenti difficultatẽ cõtingit: conſiſtit

enim vtplurimùm in aridis & condenſatam habentibus carnem, ſpiritu circa vias concluſo & coarctato: vtpote qui per vapores ab alimento prodeuntes inſpiſſatur, & ob id quòd non eiſletur,immodicè concaleſcit. Curantur autem hi in principio quidem cõſtrictione & colligatione extremarum corporis partium, fricationéque brachiorum crurúmque ac coxarum: ſæpe etiam extremitatum compreſſione,ita vt præcipiamus ipſis vt deſideant, & decubitus quoque formam erectiorem faciãt. quoſdam & lectica geſtare expedit, donec alimentum omnino ſubductum digeratur. Ante augmenti tempus diligentiore totius corporis curatione vtendum eſt,ſtudio adhibito vt carnem mollem & humectã reddamus. Vtilis itaque eis tunc ex oleo inunctio exiſtit parum nitri habens admixtum.Inclinante autem morbo & vigore præterito,aquæ infuſio ad manus pedéſque lauandos commoda eſt, quo tempore aliquando & calidæ plurimum potum non improbo: nos enim remittente morbo,& paulo longioribus exiſtentibus interuallis, plurimos ante cibum lauimus, & vehementer iuuimus.Perfectiore autem declinatione apparente, etiam vinum exhibendum eſt,quò tota affectio corrigatur.cibi autem ſint facilè digeſtibiles,& quibus concoquendis corpus ſufficit: quos diuidere etiam conuenit, maximè ſi bis cibum ſumere ſint aſſueti. Quòd ſi in viſceris inflammatione, adſtrictionis ſtomachi acceſſio contingat, illam ipſam prius curatione aggredi ac demoliri oportet, per fomentorum & cataplaſmatum adhibitionem. Cæterùm hæc ipſa adſtrictionis ſtomachi acceſſio,frequentius in eis apparet qui hepar præter naturam diſpoſitum habent.

De humoribus à capite in ventrem deſtillantibus, ex Galeno, Cap. XIIII.

CApite ex intemperie affecto,(vt multa generat ſuperuacanea recrementa)omnibus ſubiectis organis inde nocumentum infertur,recrementis videlicet ad ipſa delatis:& promptiſſima quidem ad os & ad nares delatio exiſtit.deferuntur autem & ad thoracem, aliquibus etiã ad aures.delationem autem ad os,ſtomachus excipit,atque aſpera arteria.De aliorũ ſanè membrorum nocumẽto,iam prædictum eſt. Quum verò ad ſtomachum fluxus deferatur & frigidus exiſtat, ad frigidam intemperiem corpora perducit,calidus cõtrà in calidam: hic exulcerat quoque temporis progreſſu:in principio verò appetitui nocet & cõcoctioni.Si igitur frigidus fuerit defluxus, tardas concoctiones & cruditates efficit: ſi verò corruptus,in corruptionem adiget cibos, vnde nidoroſæ, aut fœtidæ, aut acidæ eructationes producentur, aut etiam alterius cuiuſdam quæ nominari non poteſt,aut etiam nomen habentis qualitatis. Vbi verò altius deſcenderit nocumentum,etiam inteſtinum ieiunum afficit,& ad colum vſque pertingit:atque ad venarum meſenterii vaſa,per quæ ad hepar ipſum alimenti diſtributio contingit.& quibuſdam quidem deiectio appetitionis accedit: aliquibus verò appetitiones rerum præter naturam, quas appellant caninas, aut etiam ciborum vitioſorum concupiſcẽtiæ. Optimum itaque eſt in his velut fontem malorum excindere, capitis videlicet ſanitati proſpiciẽdo:aut,ſi hoc impoſſibile ſit facere ob vehementiam naturalis intemperiei,omnino tamen eius ſaluti c nſulere oportet,indicatione ex figura eius accepta quomodo ei ſubueniri poſſit:non enim quemadmodum aliqui medici,(qui ad omnes diuturnas capitis affectiones ſẽper ex thapſia & ſinapi cataplaſma imponunt)ſic & te facere volo. Lauacris itaque multis calidis potabilium & dulciũ aquarum conſolari eos oportet,diſcuſſis ſimul calidis in capite vaporibus, & omni temperamento melius permutato. Nociuus autẽ eſt eis vſus aquarum natura ſua calidarum.quæcunque enim ex eis ſulphurulẽtæ ſunt ac bituminoſæ, ob caliditatem ſuam capitibus natura calidis aduerſatur: quæ verò aluminoſæ,coarctatione ſua caput offendunt. ſolis itaque dulcibus aquis citra læſionem vti poterunt.Quicunque verò valde calidũ ac peruſtũ habẽt caput,iis melius eſt vt æſtatis tẽpore vngantur optimo roſaceo,ex ſolis roſis ac oleo omphacino præparato. Aliquando verò caput euaporationes calidas ex vẽtre ſuſ-

A cipiens,dolore ac intemperie afficitur:& propterea ventris curam habere oportet,ipſiq; robur indere, vt bilioſus humor aut omnino non confluat in ipſum,aut quãcelerrimè euacuetur,atq; hoc per abſinthii,&picræ ex aloe compoſitionis potum. At verò quæ forinſecus adhibentur ventri in his vnguenta,moderatè ſint adſtringentia.tale autem eſt æſtate melinum, hyeme verò nardinũ: aut mulierum vnguenta quæ foliata & ſpicata appellãt. nam & ipſa calefaciunt ac roborant ventrem. Vere autẽ idoneum eſt maſtichinum.Quòd ſi non ſolùm caput ca- B lidos ſeroſos humores ad ventris locos demittat,ſed etiã ipſe venter propriam intemperiem calidam habeat,refrigerantibus eduliis ac potibus & illitionibus ſemper vti conuenit,ita vt plus aut minus permutatio ſaltem in his fiat.Similiter autem etiam vbi ambæ partes,vẽter videlicet ac caput,frigidam habuerint intemperiem,calidis quidem eduliis ac potibus & illitionibus vti oportet:verùm vires ipſorum permutare, iuxta anni tempora temperamento ipſorum aucto aut remiſſo. Cæterùm grauis mixtura eſt,quum aut in ventrem calidum defluxerunt C ex capite frigidi ac pituitoſi humores,aut in frigidũ calidi. Intractabilior eſt autem ea in qua in calidum ventrem pituitoſi ac frigidi humores deferũtur: peſſima verò,vbi cum his etiam venter ſupprimitur. Corrumpuntur enim humores in ventre moram trahentes,vt & mordeant ipſum,& vitioſos vapores ad caput remittant.Etenim pituita in ventrem defluens,calefacientibus ac attenuantibus opus habet: os autem ventris,vbi natura calidum fuerit, calefacientibus. Quare conari oportet in his,vt pituitam in ventrem defluentem, per ea quæ non D valde calefaciunt ſecemus.quale eſt acetũ mulſum ſimplex,cuius præparationem inter concoctoria referemus. Quum verò pituitoſus humor à capite in frigidum natura ventrem defluxerit, huius affectionis medela facilis eſt,ſi manè ſimplex pharmacum ex tribus piperis generibus cõſtans ſumatur. ſed & ſolum piper exactè tritum, aquæ admixtum bibere licet. At verò abſinthii potus ita affectis valde aduerſatur. pituitoſum enim humorem ipſorum ventri infarcit. Sed neque aloe ſola per ſeipſam E his prodeſt. bilioſi enim humoris attractoriam vim habet,non pituitoſi:& propterea bene inuenta eſt cõpoſitio picra appellata,quæ propter aliorũ acriũ ac calidorũ admixtionẽ,craſſos ac viſcoſos humores ſecat. Verũ fieri nõ poteſt vt quis hac aſſiduè vtatur, quẽadmodum ea quæ ex tribus piperis generibus cõſtat, & ſimiliter quæ ex calamintha. Etenim ſi omni hora etiã his vtatur qui frigida ventris intemperie laborat,nullum amplius nocumentum experietur.

F Diæta cõueniẽs iis qui ſtomachũ habẽt diſſolutũ, aluum autem adſtrictam, Cap. XV.

GRauis & ægrè tractabilis cõplexus, huiuſmodi corporis apparatus ac diſpoſitio exiſtit,in quo diſſolutum & nauſeabundũ eſt os ventris,quod ſtomachi quoque appellatione venit:aluus verò eſt adſtricta.Quæcunque enim ipſam ad egerendum impellunt,ea omnia ſtomachum ſubuertunt,vtque & in eo cibi innatent, & nauſeabundus ſit,efficiunt.ad quæ neceſſariò cõſequitur,cibũ quoque nõ probè cõcoqui.Si verò rurſus ea quæ ſto- G macho grata ſunt edulia eis exhibueris ad tres aut quatuor dies,aluus inde adſtringitur.His igitur in tempore diæta cõſtituenda eſt:ac in principio quidẽ exhibẽda ſũt olera ex oleo & garo cõdita,& alia quæ ventrẽ emollire conſueuerunt.poſtquam verò ſufficiẽs nutrimentum ingeſſerint,ad extremum aliquid eorum quæ ſtomachum corroborant,accipiãt:velut ſunt poma & pira, & aliqua mali Punici genera,quæ citra acorẽ adſtringunt. Ipſe autem homo affectus,omnibus his partim experimẽto cognitis,quodcunque tandem minimè nociuum & iucun- H diſſimum repererit,eo deinde vtatur:neque tamen multum ex ſingulis horum generibus acceptandum eſt, ſed quantũ imbecillitati ſtomachi curãdæ ſuffecerit. facilè enim ſolubilis aluus ita affectis fit,quãdo(vt dictũ eſt)à cæteris cibis aliquid eorũ quæ ſtomachum adſtringunt comederint.his enim os ſtomachi corroboratũ, ea quæ

ventri innatant,deorſum propellit.

De ſtomachi inflammatione, Cap. XVI.

OS ventris,quemadmodū & ipſum hepar,eorum quæ adſtringunt complexu ſemper quidem opus habent:multo maximè verò vbi fuerint inflammata. Si enim per laxantem diætam ac ductum, citra eorum quæ corroborant admixtionem curentur,periculum vitæ incurrunt. Medici nanque qui laxante diæta in eis vtuntur,velut eſt oleum dulce per ſe,animi deliquii ipſis authores exiſtunt: neque enim vllum noui ſtomachicum aut hepaticum,qui in eiuſmodi medicum inciderit,ſeruatum.Oportet itaque ſiue oleum ſit,quo inflammatione patietes fouentur, ſiue cataplaſma ipſis imponatur, ſemper aliquid ex adſtringentibus admiſcere: velut eſt vnguentum nardinum, aut melinum:aut ipſum malum cotoneum in oleo decoquere, maſtiche ſimul admixta. Ceratum autem quo aſſiduè in ſtomachi inflammatione vtor,hoc eſt: Ceræ Tyrrhenicæ vnciam vnam, vnguenti nardini tantundem, vel quantum ſufficit, aloes drachmam vnam,maſtiches drachmam vnam. Quòd ſi maiori adſtrictione indigeant,tanta nimirum imbecillitate & diſſolutione exiſtente,vt neque cibos continere poſſint,omphacii ſucci ſicci drachmam vnam,aut ſucci abſinthii tantundem eſt admiſcendum: aliquando etiam ambos addere oportet, & tertium quod ipſis conuenit,hypociſthidis ſuccus exiſtit,& œnanthes & rhois rubri ſuccus, iuxta eam quæ adeſt videlicet diſpoſitionem. Cerati autem amplitudinem augere oportet iuxta proportionem& menſuram reliquorum pharmacorum: veluti,ſi quatuor drachmæ aliarum rerum congregentur,cerati nardini vncias quatuor eſſe cōuenit:duas quidem ceræ, duas reliquas vnguenti nardini. Quòd ſi durius adhuc pharmacum ipſum appareat,apponēdum eſt vnguenti nardini quantum omnino ſatis erit. Aliud ceratum: Ceræ trientem, roſacei vncias decem,gallarum,aluminis ſciſſi,aloes,florū roſarum,maſtiches,ſingulorum drachmam vnam. vtere in iis qui vehementi adſtrictione opus habent. Cataplaſmata autem inflāmatis conuenientia,fiunt ex hordeo & ſemine lini,melléque & vnguento nardino, modicóque vino, adiecta maſtiche & abſinthii coma. Ad diuturnas autem inflammationes & iam induratas, magis varia pharmaca adhibere oportet: quæ & emollientium generis & diſcuſſoriorum exiſtunt:veluti eſt quod fit ex ſertula Campana,ſeu meliloto. Compoſitio autem eius multorum modorum eſt, propterea quòd omnibus iuxta præcordia inflammatis conducat, magnáque differentia eius ſub alia atque alia forma apparati exiſtat: alius enim apparatus circa ſtomachum inflammationibus, alius inflammato hepati aut ſpleni vtilior extat. Epithema ſtomachi,quod Philagrius compoſuit, & frequēter apparatur: Ceræ quadrantem, œnanthes vnciam vnam, aloes ſextantem, maſtiches ſextantem, ammoniaci thymiamatis,bdellii,cuiuſque vnciam vnam, adipis anſerini trientem,ſtyracis vnciam vnam,œſypi beſſem, olei roſacei libras duas, vini quantum ſufficit. Stomachicum contuſum, Andreæ comitis: Cypheos, ſtyracis, terebinthinæ, cuiuſque quadrantem, bdellii, aloes, maſtiches, cardamomi, cuiuſque ſextantem, comæ abſinthii vnciam vnam,propolis trientē,ammoniaci thymiamatis ſeſcuncem,ceræ vncias decem,contunde,& vtere.Ceratum emolliens & relaxans,ad induratas inflammationes: Olei ſextarium vnum, aquæ cyathum vnum, adipis ſuilli recentis ſeſcuncem, ceræ trientem, chamæmeli quadrantem, ſquillæ quadrantem, anchuſæ ſeſquiunciam. Epithema ex meliloto, Oribaſii: Meliloti beſſem, ammoniaci thymiamatis quadrantem, bdellii quadrātem,myrobalanorum ſextātem, œnanthes ſextātem,cardamomi vnciam vnam,croci,cyperi, iridis,myrrhæ,zingiberis,aloes,amomi,ſpicæ Celticæ,caſiæ,cuiuſque vnciam vnam,ceræ libram vnam,terebinthinæ vncias XVI.melini,aut nardini,aut roſacei lib.I. aliquando & ſucci balſami ſextantem,thuris vnc.I. Arida contuſa & cribrata cum modico vino in pila conterito:reliqua verò in vino diluito,& liquefactis quæ liqueſcere poſſunt, affuſiſque,omnia ſimul vnito ac vtitor. Aliud ex meliloto,ad omnem præcordiorum induratam inflammationem,& ad colicos ac dyſentericos,quod & in Alexādria apparare conſueuerunt,quo vti ſoleo, hoc eſt: Meliloti, cyperorum, myrrhæ,nardi Celticæ,cuiuſque vnc. vnam,croci drachmas octo,cardamomi drachmas octo, cypheos drachmas ſedecim, ammoniaci thymiamatis drachmas XL.terebinthinæ drachmas octuaginta, ceræ drachmas CLX. olei Cyprini drachmas cētum viginti, vini quantum ſufficit. Epithema ex maſtiche: Terebinthinæ dodrantem,ceræ vncias octodecim,maſtiches dodrantem, adipis taurini dodrantem, mellis libras duas, roſacei lib. II. Epithema aliud ad induratas ſtomachi inflammationes, & ad omnem duritiem, ac diuturnam in ipſo affectionem:in ſenibus præſertim,& qui vergentis ſunt ætatis,experimento clarum: Colophoniæ pellucidæ ſextantem,ceræ puræ vnciam vnam, maſtiches puræ vnciam vnam,olei communis cochleare vnum tantùm. Omnia depurata in ollam coniecta ſuper carbones liquefacito,aſſiduè agitando, donec exploratum habueris quòd in frigidam aquam deſtillata in paſtilli modum emollire ac cogere poſſis.vtere,non cōtempta ipſius vtilitate. Epithema ſtomachicum valdè celebre,ad ſtomachi inflammationes & duritias, itémque debilitatem: Micarum ſiliginearum quadrantem, carnis palmarum pinguium vnc. vnam,meliloti vnciam vnam,comæ abſinthii drachmas quatuor,maſtiches vnciam vnam, aloes drachmas IIII. adipis anſerini recentis ſextantem,ceræ quincuncem, olei amari præ immaturitate acerbi ſeſcuncem,ſtyracis vnc.I. pilularū chamæmeli vnc.I. Palmas,melilotum,chamæmela,ad veſperam in ſapam maceranda coniicito, & ſequēti die lento igni decoquito,exprimito & percolato, atque in decocto micas maceratas rurſus percoquito ac conterito: ſtyracem verò per ſe cum pauco oleo liquefacito, atque ita ſolutū micis tritis admiſceto,& ceratū affundito:pòſt verò, liquefactis quæ liquefieri poſſūt,aridiſque inſperſis,ſimul omnia in mortarium diffundito, ac ſubactis & ſimul vnitis vtitor. Ante pharmaci impoſitionem ſtomachū ex oleo & modico vino irrigato, in quibus abſinthium ſit decoctum. Emplaſtrū ex micis,emolliens, relaxās ac diffundens.facit ad inflammationes in quocunque tandem loco induratas, emolliens, & diſcutiens, ac firmitatem addens: Radicis althææ lib.II.phœnicobalanorū lib.II. fœnigræci lib.I. ſeminis lini lib.I.chamæmelorū, melilotorū,ſingulorum ſeſcuncem,vini veteris odorati adſtringentis ſextarios octo,ſpumæ argenti,ceruſſæ,colophoniæ,cuiuſque lib. II,ceræ lib.I.terebinthinæ lib.I. olei veteris lib.II.aquæ lib.II.panis ſiliginei aridi contuſi & cribrati lib.V.. Herbæ verò præmaceratæ,deinde decoctæ,exſiccantur:in ſucco verò,panis contuſus& cribratus maceratur. Sequenti deinde die ſpuma argenti & ceruſſa in aqua teruntur, & adiecto eis oleo,donec nō amplius manus inquinent,decoquuntur, eiſque liquefacta iniiciuntur:atque ab igne ablatis,fermentata panis farina emollita paulatim admiſcetur: aſſiduè tamen omnibus cum ſpathula agitatis, & pòſt in mortarium coniectis, ibique primùm piſtillo, pòſt etiam manibus fortiter emollitis,vtitor. Epithema Nilei, ad induratas tū ſtomachi tum hepatis inflammationes:Ceræ lib.I.croci drachmas quatuor,ammoniaci thymiamatis ſextantem, roſacei aut nardini lib.I.Crocum & ammoniacum aceto trita diluito:ceratum autem liquefactum & refrigeratū eis affundito,ac counitis vtitor.

De ſtomacho exulcerato, Cap. XVII.

VLcere in ſtomacho aut ventre exiſtente, omnium acrium rerū comeſtione abſtinere oportet: ſucco autem ptiſanæ, aut alicæ vti modico admixto melle, quò per ipſum vlcera repurgētur & extergātur.In cibis enim exhibere oportet,aliquādo quidē ea quæ vlcera repurgāt, aliquādo autem & quæ dolores mitigant, & mordacitatem obtundunt. poſt repurgationē verò, quæ carne explēt: deinde quæ ad cicatricem perducunt, velut ſunt

ea quæ adſtringunt. Forinſecus autem epithemata his
conueniunt ex palmis,& malis cotoneis,ac polenta. Ce-
ratum verò imponendum ex melino aut roſaceo,ammo
niaco thymiamate & thure admixto. Epithema autem
eis conuenit Nilei,& tempore inductionis cicatricis,em
plaſtrum ex ſalicibus, & quod Iceſium appellatur.

De iis qui à ſtomacho,comitialis morbi modo conuelluntur, Cap. XVIII.

QVidam homines vbi diutius ieiuni permanſerint,
præſertim quum triſtitia interim affecti,aut ira con
citati,aut curis anxiè torti fuerint, comitialis morbi ac-
ceſſione comprehenduntur,& concidunt conuulſi. Plu-
res autem eorum qui hoc modo afficiuntur,gracilis ha-
bitus ſunt,& aſſiduè bilis in ſtomacho ipſis efferueſcit.
His ſanè ſtomachus ſubtiliore ſenſu præditus exiſtens,
& cerebrum per conſenſum affectum,vniuerſum corpus
conuulſionis modo lancinat. Commune autem conſi-
lium omnibus hominibus medicinæ quidem ignaris,
ratiocinatione autem non inexercitatis ſubiiciam : ne,
quemadmodum plerique è vulgo homines, rationis ex-
pertium animalium more viuant , eorúmque modo ſe
habeant: verùm per experientiam iudicent qui cibi ac po
tus eis noceant: item quales ac quanti officiant motus. ſi
militer autem & circa rei venereæ vſum obſeruent,num
innocuus eis exiſtat, an contrà nociuus. multos enim no
ui,qui ex rei venereæ vſu maximum periculum incurre-
runt. Oportet itaque hos ipſos bonam & exquiſitam con
coctionem ſibi prouidere , & tertia aut quarta diei hora
panem diligenter apparatum accipere. ſolum quidem,ſi
non ſiticuloſi exiſtant: ſiti verò vrgente , ex vino diluto
mediocriter adſtringente & albo . hæc enim ventrem
corroborant,& caput non percellunt , quemadmodum
fortia facere conſueuerunt. Exhibere etiam eis oportet
ex aloe pharmacũ,bis aut ter in anno. à ſuperfluis enim
recrementis totum ventrem repurgat,& ad propria mu-
nia obeunda efficaciter corroborat. Vidi autem & alios
in ore ventris comitialis morbi modo conuulſos,quum
vehementi cruditate laboraſſent, aut vino multo mera-
ciore ſe ingurgitaſſent , aut intempeſtiuius re venerea
fuiſſent vſi. Quoſdam etiam in febribus vidi repentè cõ
uulſos: qui bilioſo vomitu ſuccedente,eueſtigio ab om-
nibus afflictionibus ſunt liberati. Quidam autem ex ita
affectis,fuſca vomuerunt,quidam verò porri ſucco conſi
milia. quidam à multitudine vitioſorum ciborum ag-
grauati,ſenſus ac motus priuati munere,à ſopore grauiſ-
ſimo ſunt apprehenſi ac detenſi,quouſque ea quæ os vẽ-
tris compreſſerant omnia euomuerunt. Multis verò non
inſomnia modò , ſed & ſomni perturbantes , & deliria,
ob vitioſum humorem in ore ventris congregatum,ac-
ceſſerunt. De inflatiuo autem & præcordiali appellato
morbo,nullus eſt qui non verba fecerit,quomodo vide-
licet triſtes, & deſperantes , & mœſto aſpectu reddat, &
(vt in vniuerſum dicam) nulla re ab iis qui atra bile affi-
ciuntur differentes aut inferiores. Apparet autem & hos
vehementius poſt cruditates prædictis acceſſionibus ap
prehendi: plerique autem ex ipſis ſplenetici ſunt,quæ res
facit vt æſtimemus & quendam ex ſplene confluere in
ventrem vitioſum ac ſeroſum humorem. Curatio verò
iis conuenit eadem quæ ad affectos ab atræ bilis deliriis
eſt prædicta , in eo quo de capitis affectionibus egimus
Sermone. itẽ ea quæ paulo antè eſt deſcripta, de iis qui-
bus atra bile ſtomachus infeſtatur , & qui ventrem ha-
bent inflatum.

Viridis iaſpidis vſus, Galeni, Cap. XIX.

VIridis iaſpis lapis, ſtomacho,qui & os ventris appel-
latur,vtilis exiſtit pro amuleto appenſus , cuius rei
multum experimentum fecimus. Oportet autem filo in-
nexos ex collo ſuſpendere, eo modo vt lapides os vẽtris
contingant.

De appetitus perditione, Cap. XX.

VEntrem natura promptuarium creauit, veluti terrã
plantis: dedit & indigentiæ ſenſum , cuius impetu
A animalia ad cibum ac potum concitata,iis ſe expleant:&
vocatur quidem eiuſmodi expletionis deſiderium,appe
titus. Contingit autem ob indigentiæ ſenſum,quum ve
næ ex cibis in ventre ad ſe attrahunt , velut emulgentes
& exugentes: quam exuctionem quum venter ferre non
poſſit,ſed inde veluti diuellatur,huius angoris remediũ
cibum exquirit. Itaque exuctionis ſenſus, ipſa fames exi-
ſtit,& appetitus appellatur,naturale opus , non animale
exiſtens. Huiuſmodi autem appetitum euacuatio præ-
cedit , & contingunt ſanè quinque acceſſiones ordine
B mutuo ſeipſas conſequentes : quarum prima, euacuatio
eſt: ſecunda , appetitus naturalis membrorum euacuato-
rum: deinde,per venas ex vẽtre exuctio: pòſt, exuctionis
ſenſus:& quinta,appetitus animalis,qui omnium poſtre
mus exiſtit. Itaque appetitus perditio contingit, aut ob
ſenſus exuctionis venarum perditionem,aut quòd exu-
ctio non fiat,aut quòd corpus non euacuetur. Contingit
autem ſæpe etiam ob immoderatam ventris & inteſtino
rum fluxionem , & ob bilioſi humoris in ventrem dela-
tionem,tenacíſque & acris,ac porri ſpeciem habentis:&
C ob pharmaci potionem:& ob ſanguinis immoderatam
detractionem: & in continuis ac vehemẽtibus febribus,
ſtomachíque & ventris inflammatione,item hepatis,ve
ſicæ & vuluæ. Contingit etiam in colica & voluuloſa af-
fectione. Maxima autem quòd quis non eſuriat, cauſa,ca
liditas exiſtit,quæ ſólida corpora laxando exoluit, & ad
attractionem imbecilliora reddit: humida autem diffun
dit,atque amplius extendit. A plurimis etiam aliis cauſis
appetitus perditio contingit. Itaque ſi iuxta principium
morborum acceſſerit,aut iuxta vigorem,quum vires ad-
D huc ſuſtinere poſſunt,nihil moleſtiarum infert. modico
enim alimento ægri opus habent . ſi verò in declinatio-
ne totius morbi appetitus perditio accedat , aut in diu-
turna imbecillitate, aut viribus debilitatis,aut ex immo
dica euacuatione,periculo non vacat. Augetur autem af
fectio hæc & ab ætate. incommodè enim hoc malo pue
ri afficiuntur,vtpote qui natura voraces ſunt , & aſſiduo
fomite opus habent. Quare magnus præter naturam ex-
ceſſus ſignificatur , ſi pueri appetitus perditione fuerint
E affecti. Si quidem igitur ex vitiatorum humorum præ-
ſentia,appetitus perditio contingat,antequam aliam cu-
ram adhibeamus,delatos in ventrem humores , vomitu
reiiciendos præordinabimus. Quòd ſi ægrè vomant,ſor
bitiones exhibere oportet , quæ eiuſmodi humores in-
fernè expellere conſueuerunt: deinde per ea quæ ad hãc
rem commoda ſunt,corpora ad bonum perducemus tẽ-
peramentum. Si verò ex virium imbecillitate appetitus
perditio accedat,cõſiderare oportet qualis intemperies
vires exoluit,& per contraria eam ipſam corrigere. Si ve-
F rò ob inflammationem,aut obturationem alicuius alte
rius membri,appetitus perditio concomitetur,tum & il
lius habere curam conuenit. Conandum eſt etiam vt per
odoramenta appetitum reuocemus: per polentam videli
cet poſca madefactam,aut vino odoro diluto,aut malo-
rum cotoneorum decocto , aut pirorum , aut cucumerũ
viridium maturorum cremore. Inunctione item leni &
non nimiùm ſedula idem conabimur,ac moderata cor-
poris fricatione, atque etiam pedum ac manuum palpi-
tatione ac contrectatione accuratiore. Inſeſſus etiam lũ-
G bos ac pectinem amplectentes,adhibendi ſunt & aquæ
affuſiones,ac gargariſſationes: abſorbitiones quoque a-
quæ frigidæ modicæ & dulcis. ab iſtis enim molimini-
bus ſæpe ad accipiendos cibos profecerunt. Quin & di-
gitorum in os immiſſione ſtomachus lancinatus,ſæpe
ad accipiendos cibos eſt cõuerſus: quare hoc ipſum tum
ante curationem tum poſt eam eſt faciendum. euo-
muntur enim aliquando bilioſa aut pituitoſa quædam,
quæ perditi appetitus in quibuſdã ſunt cauſa . atque ita
ab hac acceſſione eos liberabis. Cibi apparentur plures &
H varii ac optimo apparatu , & vltra dulcedinem etiam il-
licientes & appetitum irritantes : frumentacei impri-
mis generis , ac multi alimenti , velut eſt alica ex de-
cocto palmarum,aut prunorũ Damaſcenorũ lota,aut ex
aqua mulſa diluta præparata,oua ſorbilia,panis ex calida

aqua lotus,aut ſi ita aſſueti fuerint,frigida.diuitibus autem,gallorum teſtes exhibēdi ſunt, & ex volucribus nō graueolentes,& macræ ac montanæ:pedes ſuilli in decoctione plurimùm eliquati.eiuſmodi enim cibos ſi guſtauerint tantùm,ſufficiens alimentum deinde corpori offerendum eſt. Omnia autem quæ exhibentur,eiuſmodi eſſe conuenit vt facilè deuorari poſſint. quæ enim multa commanducatione indigent, iniucunditatem quandam afferunt,& appetitum auertunt.In iis verò qui iam prompti ſunt, cupidique cibum accipiendi, coniectare oportet ne ſufficientem menſuram excedamus. conſiderare enim oportet num ob naturalem infirmitatem, an conſuetorum ciborum cupiditatem,ſimulent appetitus perditionem.quod ſi ita contigerit,quantum in nobis eſt, grauiter obiurgatos admonebimus ne vtilibus negligant obtemperare. quòd ſi non obtemperent, ſed præ alimenti negligentia contabeſcant, viciſſim contemnere ac negligere eos oportet, ac cibum parum deteriorem exhibere: póſtque primos affectionis dies, cataplaſma ex palmis,malis,œnanthe,abſinthio,& aloe,ſtomacho imponere. licebit & ceratis vti ex eadē materia apparatis.

De appetitu canino, Cap. XXI.

Contraria appetitus perditioni affectio eſt,quæ caninus appetitus appellatur. Plures enim cibos appetunt,atque quum appetitum cohibere nequeant,in ingerendis nimiis cibis modum excedunt: deinde multitudine eorum aggrauati, & aſſumptos citra nocumentum ferre non potētes,ad vomitum diuertunt: deinde rurſus cibo ſe explentes,rurſus ad vomitum reuertuntur: quēadmodum canes:ex hoc autem aliquando & ad vomendi conſuetudinem delabuntur: ſæpéque etiam aliis affectionibus obnoxii fiunt,cœliacis videlicet & dyſentericis,atque aquæ inter cutem: propterea quòd priuſquam priores cibi ſint concocti, alios ingerant. Quòd ſi huius acceſſionis cauſa,humor quiſpiam vitiatus,& acidus exiſtat,qui os ventri mordeat & irritet, appetitúmq; excitet:frigidus enim humor vitiatus,exuctioni cōſimilem mordacitatem infert,ciborúmque appetitionem exſuſcitat, & affectionis naturalis,quæ fames appellatur,modo corpora ipſa vacua reddit,tuniculis eorum coactis & adſtrictis:quapropter & egeſtiones multæ ex ipſorū vētribus procedūt: crudis exiſtentibus nimirum cibis, aut ſemicoctis: Itaque vbi cognouerimus ab humoribus pituitoſis & acidis fieri hanc affectionem,qui in ipſum os ventris impacti,ac velut aqua in ſpongiam imbibiti,cogántque & irritent,& ad appetitum exuſcitent,picrū appellatum pharmacum cōuenienter exhibebimus, quòd non tantùm calefacere poteſt,ſed diſſecare ac repurgare, extraheréque ex profundo oris ventris imbibitum humorem,& per aluum infernè euacuare:quin & robur vētri addit,vt ne facilè nociuum humorem ſuſceptet. Exhibeatur autem pondere drachmarū quatuor,ex vino cū aqua calida diluto. ſi verò puer hac affectione laborat,& ob amaritudinem bibere nequeat, ſi quidem poſſibile fuerit, in catapotia drachmas duas huius pharmaci digeremus,melléque forinſecus oblinentes deuoranda dabimus cum ouis ſorbilibus aut ptiſanæ ſucco: quòd ſi neque ſic tolerare queant,ea quæ diſſecare & repurgare, calefaceréque poſſunt, in cibis annectemus,veluti ſunt allia,porri,thymus,ſatureia,origanum,pulegium, & quæ his ſimilia exiſtunt. Potum autem præbebimus ante cibum,multum ac aceruatim bibendum,calidum ſanè aut certè tepidiorem: ſorbitiones item appetitum deſtruentes,veluti ſunt pultes cum melle multo &oleo plurimo, aut adipe anſerino,gallinaceo aut ſuillo. ex oleribus cōuenit malua: cerebella item & pinguiores volucriū partes,piſciúmque eodem modo, & omnino quæ appetitū auertunt,ac ſatietatem inducunt, & quæ magno cumulo accepta,modicè alunt. Admiſcere etiam conuenit panibus dum fermentantur,acriora & vrinam cientia: ſimiliter & vino quod in potu ſumunt,velut eſt cuminum, aniſum,petroſelinum,& quæ eius generis exiſtūt:ad vinum etiam piper, & mel, & ſpica nardi vltra ea quæ dicta ſunt,coniiciantur. Panis verò non ſit recens, neque valde bene fermentatus. vinum verò quod bibunt,colore fuluum,ſubſtantia tenue,odorúmque & non valde vetuſtū: quod tū ieiunis tū à ſūpto cibo plurimū præbeatur, quantum videlicet bibere poſſunt. ventrem enim excalefacit,& humorum deſtruit acorem, vt ſæpe ſolum ſuffecerit cum pinguibus & oleoſis cibis ad perfectam curationem. Abſtinere autem oportet ab omnibus acidis ac adſtringentibus cibis ac potibus, maximè verò à fructibus.Bellaria eorum ſint piſtacia,amygdalæ, nuces pineæ,colymbades etiam oliuæ exhibendæ ex melle.Conandum eſt etiam, vt lac ipſis exhibeamus, tum per ſe tum cum paſſo aut melle:ita tamen vt obſeruemus ac vitemus in eis quibus in ſtomacho aceſcere conſueuit: in his enim maius nocumentum quàm vtilitas conſequetur:probè verò concoctum,non ſolùm appetitum obtūdit, ſed & aluum obturatam emollit, fluxionéſque eius ſiſtit. Apparādæ etiam ex ipſo lacte potiones & placentæ, veluti ſunt dulciaria & oryza. Viſcera verò cataplaſmate hordeaceæ farinæ contegere vtiliſſimum exiſtit. Lauare autē per interualla oportet, cuticulámque ipſorum largè pinguefacere.

De canino appetitu,qui ex immodica trāſpiratione,ac cutis exolutione cōtingit, Cap. XXII.

EST & alia canini appetitus ſpecies, quū vniuerſum corpus rarius exiſtens, & per obſcuram reſpirationē exhauſtum,præter modum in aſſidua alimēti indigētia conſtituitur.Contingit autem id aut ex facultatis retentiuæ in toto corpore imbecillitate, quæ cibis dominari non poteſt:aut ob plurimi caloris fortitudinem,qui inſtar ignis cibos cōſumit,& cutem rarefacit, ac exhalationem efficit. His ſanè ventris egeſtiones longè pauciores procedunt, quàm pro eorum quæ ingeruntur modo ac proportione: & ſtercora quæ egerunt,exiſtunt ſicciora. Itaque pharmacum ex aloe eis infenſiſſimum exiſtit:itē extenuatorii generis & diſcindentes tum potiones,tum cibi. cutem enim magis rarefaciunt,exhalationem mouent,ac appetitum augent. Quare eorum qui hoc modo affecti ſunt,cutem condenſare ac ſpiſſiorem reddere melius eſt,cum oleo quopiam ex immaturis oliuis expreſſo,in quo myrtus,aut roſæ,aut eius generis quippiam ad lentum ignem ſint decocta,admixto etiā alumine ſciſſo in aceto acerrimo prius trito,intantū vt ad ſtrigmētitiā formā vnguētū reduci poſſit.Abſtineāt aūt à balneis calidis,cōſimilique aere,ac vini potu,& ab omnib⁹ quæ tum extrinſecus tum intrinſecus calefacere poſſunt.Ducantur ad lauacra frigida, ſi quidem nihil id fieri prohibeat:vtpote corporis gracilitas, aut membrum aliquod refrigeratum,thorax nimirum,aut aliud quoddam. Cibi eis exhibendi ſunt ſtabiles,& ægrè corruptibiles.Eius generis cochleæ exiſtūt, & toſtum oſtreorum quæ teſtis integuntur genus,ſi ex duarum aquarum reiterata decoctione apparentur, & polypi eodem modo. carnes ſuillæ in vigore exiſtentes, maximè verò ventres & vuluæ. bubulæ quoque pinguiores, & omnia ſimpliciter pinguia,& quæ ventri innatant,tardéque concoquuntur, ac digeruntur.Ex ouis,ea quæ coquendo ſunt indurata,aut ſartagine fricta.Et ſimilago abſque melle ex pinguibus iuſculis apparata.ſimiliter & dulciarii panes, & oryza,& panes non fermentati.Iuxta proportionem autem quantùm acceſſio imminuitur, tantùm ex craſſi humoris cibis eſt detrahendum,& ex adſtringētibus forinſecus admotis imminuendum.Aliquando enim ſedata vehemētis appetitus acceſſione,in aliud grauius malum tranſitio contingit:nimirum quum corpus ex crudis & craſſis humoribus repletur.

De vitioſo appetitu, ex Galeno, Cap. XXIII.

Vitioſas ciborum qualitates concupiſcunt,qui in tuniculis ventris ſuperfluum vitioſum recrementum imbibitū habēt: id autē maximè mulierculis vitioſo humore repletis euenire ſolet,quū vterū ferunt, & vocatur hæc affectio pica.Concupiſcunt autē in ea maximè quidem acida &acerba,aliquando etiā acria,quādoque etiā terram,aut teſtas,aut extinctos carbones,aut alios quoſdā abſurdos cibos:atque hoc affectu plures ex ipſis infeſtantur vſque ad ſecundum aut tertiū mēſem cōpletū:in

quarto verò quieſcere incipit malum: partim quidem vitioſo humore per vomitum euacuato, partim verò concocto & per tempus conſumpto. vtpote quũ mulier modico cibo vſa ſit, propter appetitus ab eduliis nutrientibus auerſionem. Quin & fœtus in vtero auctus plurimũ alimenti ad ſe trahit, adducto ſimul cum ſanguine & vitiato humore. Porrò idem affectus viros quoque infeſtat, quum & ipſis vitiatus humor quiſpiam ad os ventris fuerit delapſus. Conueniens autem eis remedium, Amazonum paſtillus potatus exiſtit: pòſt verò etiam ex aloe confectio picra appellata. Euacuato autem plurimo vitioſo humore, exhibendus eſt eis mali Punici dulcis ſuccus, mẽtha ſicca inſperſa, aut aliud quippiam eius generis, quod eſt ad ſtomachi ſubuerſiones ac nauſeas præſcriptum. Conueniunt etiam muria conditæ oliuæ albæ, & quæ colymbades appellantur: item amygdalæ amaræ à ieiunis acceptæ, & antidoti ad lethalia pharmaca aptæ. Quomodo verò à pica appellato morbo mulieres infeſtas curare oporteat, in muliebribus remediis dicetur.

De cruditate, Galeni, Cap. XXIIII.

CONcoctio eſt iuxta qualitatẽ permutatio, quæ nutrire poteſt: contingit autem à ventre ſibiipſi cibos aſſimilãte. Quapropter manifeſtum eſt quòd citra permutationem, offenſæ concoctionis acceſſio cõtinget. Si itaque cibi intotum non permutentur, cruditas ea acceſſio appellatur, & eſt perditio & perfecta priuatio actionis: ſi verò permutentur quidem cibi, verùm non vt oportebãt, vitiatam ſignificat concoctionem, non autem vt antea eius priuationem. Aut enim tardat, & nunquam propriam traſmutationem ſuſcipit, & difficilis cõcoctio appellatur: aut cibos omnino corrumpit, ac tranſmutat in alienam qualitatem. Atque hæ quidem concoctionis offenſiones exiſtunt. Cauſæ autem ipſarum ſunt intemperies ventris, inflammationes, ſcirrhi, abſceſſus, & quæcũque eius generis exiſtunt. Aliquando autem vẽtre nihil malè affecto cibi crudi permanent, aut propter immoderatam ciborũ ac potuum ingeſtionem, aut ob vitioſam ipſorũ ciborũ qualitatem, aut ex intempeſtiua, aut etiã inordinata ſumptione, aut ob recrementum vitioſum, aut ob vigilias. Cæterùm ex vitioſis ciborum qualitatibus, & recrementis quæ iuxta ventrẽ conſiſtunt, cũ corruptione cruditas oboritur: aliquando & ex inordinata ſũptione, ſiquidem poma, aut mala Punica, aut aliquid aliud tale primum comederint: deinde olera aſſumant ex oleo & garo, aut etiam alia quæ ventrem emollire conſueuerunt. Intempeſtiuam autem acceptionem appello, ſi prius quàm prior probè ſubierit cibus, prandeant, aut etiã præter cõſuetã horã. Corruptiones aũt fiũt, nidoroſæ quidẽ in calidiorib⁹ & bilioſioribus: acidæ verò in frigidioribus natura, & magis pituitoſis. Eodem modo & de excrementis quæ in ventre præexiſtunt iudicandum erit. quæcunque enim ex eis pituitoſa & frigida ſunt, acidas corruptiones efficiunt: quæ verò calida & amara bile mixta, nidoroſas. Ipſe quoque ventriculus aliquo modo affectus: ſi quidẽ frigidus morbus exiſtat, acidas permutationes facit: calidus verò, nidoroſas. Tardas autem concoctiones, cibi difficulter corruptibiles faciunt, & ſi vltrà quàm vires tolerant ſumuntur: itémque vigiliæ. Quum verò citra corruptionem perfecta cruditas oboritur, vt quales accepti ſunt cibi, tales permaneant iuxta omnem ſuam qualitatem, ex hoc cognoſcere datur victũ eſſe ventriculum, aut ab immoderata ciborum multitudine, aut per vehementem refrigerationem inſiti caloris. Vt nequis igitur in cruditatem incidat, cautione in omnibus prædictis eſt vtendũ, vt neque in multitudine, neque in qualitate eorũ quæ in cibo accipiuntur, neque in acceptionis opportunitate, neq; in ordine delinquat: & vt quæcunque concoquere valeat, ea tantùm ingerat, & non quæ appetitus expoſtulat: menſuræ enim maximè omnium diligentem reſpectum habere oportet, appetitúmque refrenare: & neque plus quàm vires tolerãt accipere, neque quæ natura difficulter concoquuntur, veluti ſunt carnes natura duræ. natura autem dico, velut carnes bubulæ, & cõſimiles: ætate verò, ſi mactata animalia ſeniora exiſtant. Cauendum eſt etiam à partibus carniũ

A multi nutrimenti exiſtentibus, & pinguibus ſaliſque cõdimẽto ſeruatis, ac vetuſtis. Ex oleribus, quæ igneæ ſunt naturæ, valdéque frigida: item quæ inflatione pariunt, incommoda exiſtunt. Ex piſcibus, qui duras carnes habent, & repoſitione arefacti. Abſtineant quoque à cibis corruptis & fœtidis ac graueolentibus. Vitent fructus dulces aut flatus generantes & immaturos: bellaria quæ difficulter concoquuntur & oleaginoſa, & quæ ægre diuidi poſſunt, velut eſt ſeſamum, quod commanducationem ob paruitatem ſuam effugit. Non minus aũt vitadi B cibi peregrini & inconſueti, ac medicamentariã vim habentes, quales frequenter placentis ac panibus immiſcẽtur. Iuxta tempus autem accipiendi cibi neque impetuoſè, neque aceruatim: neque ſolidis partibus, aut abſque commaducatione eos ingerere oportet: neque etiam potus cibum interpellet. id enim vnitionem ciborum impedit, ſingulóſque ventri innatare facit. Ex condimẽtis verò oxyporon quoddam quod citò penetrat, aſſumere non incommodum neque iniucundum exiſtit, maximè verò huiuſcemodi: Caroi drachmas ſedecim, fœni- C culi drach. VI. ſeminis apii drachmas octo, liguſtici drachmas octo, ammii drachmas octo, piperis drachmas decem. aliqui autem & zingiberis drachmas tres. In frigidiorib⁹ tẽperaturis, õnia melle excipiãtur, & cũ carnib⁹ ac piſcib⁹ exhibeãtur. Melius aũt eſt, cum cibo & piper, maximè longum, exhibere, in iis qui magis pituita abũdant: ventoſi enim flatus craſſitudinem diſſoluit, & quæ circa præcordia conſiſtunt, infernè ad aluum propellit. concoctionem etiam omnium maximè piper adiuuat: quòd ſi fortè non adſit, albo vtendum erit: quòd ſi neq; D hoc adſit, nigro. Vtendum etiam aliis concoctionem iuuantibus pharmacis, quæ ad finẽ huius capitis ſunt ſubiecta. Poſt acceptum cibum vexationes inæquales ac cõturbantes vitandæ, item æſtus & refrigeratio. hæc enim concoctioni ciborum reſiſtunt. Adiuuant autem eandẽ fricatio pedum, calidius contuberniũ, & calefactio præcordiorum. Quòd ſi grauitas adſit circa ventrem, & ex ea moleſtia quædam in vniuerſum corpus diffundatur, ex paſſa manu os ventris apprehendendum eſt, aut puerulus E carnoſus admouendus. ex his enim ſæpe alimentum corruptioni proximum eſt conſeruatum. Cæterùm quũ ructus iniucundus proueniens, manifeſtè corruptionem factam indicat, citra cunctationem ad vomitum veniendum eſt, atque aqua tepida ingeſta, omnia corrupta ad excretionem cogenda. ſi enim in ventre permanſerint, & torſionum, & dolorũ, & grauitatis capitis cauſa exiſtunt: aliquando autem bilis ſupernè ac infernè effuſionẽ, aut profluuium ventris, aut etiam febres inducũt. Quare eos qui difficili concoctione apprehendi ſolent, longo antè F tempore aſſuefaciemus vt facilè euomant. commodiſſimus enim in plurimis periculis vomitus exiſtit. Quòd ſi quis natura difficulter vomat, aut ob aliquam aliam incommoditatem vomere impediatur, omni modo conãdum eſt vt cibus ſubeat, & ex præcordiis deducatur. Ad hæc erectior decubitus apparetur, vt ea quæ capiti ſubiiciuntur, ſublimius inſternantur, & reclinatio ipſa in ſiniſtrum latus fiat: atque ſiquis vigiliis infeſtetur, citra corporis vexationẽ permaneat, eãdémque decubitus formã obſeruet. Frequentes enim agitationes cibos perturbãt, G inteſtináque inflata reddunt. flatus autem cibum ſurſum vergere facit. Si verò quis ob nullam cauſam malè diſpoſitus ſit ad frigidæ potum, non inconueniens erit cyathum vnum aquæ frigidæ puræ abſorbere: corroboratus enim inde venter celerrimè quæ in ipſo hærẽt extrudit, & ad ſubiectas partes demittit. Sequenti deinde die in quiete æger aſſeruetur, fricationéque pedum vtatur, & præcordiorum concalefactione, donec murmura & flatus circa inteſtinum rectum eruperint, eructationéſque cum qualitate manſuetiori recurrerint. & tunc H ſanè exurgere cõuenit, primúmque aluus ea quæ corrupta ſunt egerat, deinde ad deambulationem moderatam æger procedat, atque otium agat, propter commotos vapores ex corruptione in caput delatos. Poſt hæc autẽ ad quotidianas actiones mens applicanda eſt citra perturbationem ac indignationem: deinde rurſus venter cogẽ-

dus eſt ad eorum quæ reliqua ſunt excretionem. poſtea quieſcere iubemus, atque aqua calidiore pedes perfundere ac fouere. frigida verò pura facie proluta, in lecto quieſcere, omnibus conatibus ſomnum illiciendo. poſt quem modica deambulatio, deinde balneum ſuſcipiatur, quod calidius ſolito exiſtat. cæterùm refectis prius viribus lauetur, corporéque nitro conſperſo exudet, atque hoc modo in calidius ſolium deſcendat: deinde etiã in frigidum inſiliens, largiore oleo vniuerſum corpus pinguefaciat. Commodiſſimũ eſt etiam aqua calida in balneo hauſta vomere, velut abluendo ea quæ in ſtomacho deſident bilioſa aut pituitoſa. Abſinthii quoque prælibatio à balneo quod conuenit facit, & aliena ventri adhærentia extergit. A lauacro cibum capere conuenit moderatum, & cui concoquendo corpus ſufficit. Dabimus itaque herinaceos marinos recentes, aut cancros fluuiatiles, ita vt ab eorum acceptione, maluam aut oua ſorbilia, aut piſces in petroſis aquis degentes aſſumant, & ex volucribus non graueolentes & macras. A reliquis autem carnibus abſtineant, & à leguminibus ac cæpis, ſalſamentiſque, & quæ eius generis exiſtunt. A bellariis item, & omnis generis placentis, & à fructibus dulcib⁹ ac facilè aceſcentibus in ventre. his enim omnibus concoquendis ægrè ſufficit venter, ampliúſque inflantis naturæ ea ipſa exiſtũt. Non ſolùm autem qualitates eorum quæ in cibo exhibentur permutatas eſſe conuenit, ſed etiam multitudinis adhibere modum. ea enim quæ facilè concoquuntur, iis quæ non concoquuntur paria fiũt, ſi præter modum ingerantur. Deinde verò ſomnus imperturbatus & æqualis procuretur, illito vẽtre ex vnguẽto nardino.

Pharmacum concoctionem adiuuans ex malis cotoneis, Galeni. Pharmacum ex malis cotoneis, conueniens eſt apparando appetitui in iis qui eum perdiderunt: conuenit & concoctioni, in iis qui nõ probè concoquunt cibum, &, vt ſummatim dicam, ventrem robuſtiorem reddit: eíſque qui debile habent hepar, vtile exiſtit. Manifeſtum autem eſſe arbitror, quòd ieiunis exhibere hoc oporteat, myſtri mediocris menſura: quanquam nihil offendat, etiam ſiquis à cibo ipſum acceptet. rectè etiam exhibetur, ſi pranſo atque inde cœnare volenti præſumendum detur. opportunè verò duabus ante cibum horis datur. Apparatur autẽ hoc modo: Ex malis cotoneis maiora iucundioráque & minus acerba, quæ videlicet ſtruthia appellantur, eligito, expreſſique eorum ſucci ſextarios Romanos duos accipito, ac mellis quamoptimi parem menſuram admiſceto: aceti verò ſeſquiſextarium affundito: híſque ſimul ad prunas ardentes moderatè decoctis ac deſpumatis, zingiberis quadrantem, piperis ſextantem adiicito: atque hoc modo rurſus ad ardentes prunas, donec ad mellis craſſitudinem perueniant decoquito. Quòd ſi magis adſtringens ipſum facere velis, etiam ex carne malorum cotoneorũ, appara. Iis verò qui intemperie ventris calida afficiũtur, & qui quomodocunque tandem bile ſunt referti, magis conuenit zingibere & pipere detractis, ſuccum malorũ cum aceto ac melle ſolo decoctum præſcripta commenſuratione exhibere. Quando verò mediæ temperaturæ fuerit venter, vt neque bilioſa neque pituitoſa in eo aggregentur recrementa, dimidium prædictæ commenſurationis tum piperis, tum zingiberis radicis iniicere expediet, ita vt piperis quidem vncia vna: zingiberis verò ſeſquiuncia coniiciatur. Si verò frigidioris temperamenti fuerit venter, zingiberis triens, piperis quadrans, aut vnc. II. S. admiſceatur. Licebit etiam iuxta mediam commenſurationem apparare, atque vbi opus fuerit, vſus tempore reliquum adiicere.

Pharmacum concoctionem adiuuans, dioſpoliticum appellatum. Conuenientior autem dioſpolitici pharmaci vſus erit, in iis præſertim qui aſſiduè inflantur. Duplex autem compoſitio eius exiſtit. Aliquãdo quidem æqualibus omniũ partibus coniectis, cumini videlicet & piperis rutæque & nitri: hoc enim modo magis aluũ ſubducit. aliquãdo aũt reliqua ſingula inter ſe pari pondere miſcentur: nitri verò dimidium aut quarta pars adiicitur. Præſtat cuminũ coniectum Æthiopicum eſſe, piper autem longũ aut album. Cuminũ in acerrimo aceto maceretur: deinde moderatè torreatur. ſint & rutæ folia præarefacta. Recentia enim ſuperfluo humore abundant. His autem omnibus tenuiſſimè tritis, mel deſpumatũ ſufficienti menſura admiſceatur. Aliquando tamen ſola hæc citra mellis admixtionem trita & exſiccata, repoſitáque adſeruantur, ac ptiſanæ ſucco inſperguntur, aut aliis etiam cibariis, quibuſcunque tandem maximè conuenire videntur. Admiſcetur etiam ipſum mel vſus tempore, exhibetúrque inde cochlearii mediocris menſura ante cibum. Porrò peregrinationis tempore, præſtat ipſum pharmacum aceto ſubactum in paſtillos redigere, atque vſu expetente, ſimiliter cum melle exhibere. Craſſo autem modo contundere oportet ea quæ ad huiuſmodi pharmacorum compoſitionem coniiciuntur, ea gratia vt ita venter melius inde ſubducatur: tenuiſſimè enim trita & in puluerẽ redacta, ad emolliendam aluum inepta redduntur. Cæterùm vrinam non modicam cient. Craſſiora verò iuxta vẽtrem perſiſtunt, quum anguſta venarũ ora penetrare non poſſint.

Pharmacum ex tribus piperis generibus, Galeni. Hoc autem modo diſpoſitis, frigidum videlicet & pituitoſum habitum nactis, ac inflatis, ex tribus piperis generibus pharmacũ conueniens exiſtit, ſi quidem non nimis medicato ac vario modo apparetur, quemadmodum multi cõficere ſolent, vt ſatis operoſum ſit eis qui hoc accipiunt, ea quæ ad eius compoſitionem ingrediuntur concoquere, velut eſt ammium, & ſeſeli, & liguſticũ, & quæ eius generis exiſtũt. Talia itaque ex pharmaco hoc ſũt adimeda, ampliuſque & heleniũ, ſpicáque nardi, & caſia. In promptu autem duplicem eius apparatum habere conuenit, quemadmodũ nos ſumus conſueti. Alterum quidem ſimplicem, iis qui non concoquũt conuenientem, & qui recenti circa ventrem frigore, aut pituitoſo humore affliguntur: alterum medicamentariũ quo maximè in defluxionibus à capite ad thoracem vtimur. Simplex igitur, quo etiam ad crudos humores circa primas & magnas venas conſiſtentes vtimur, hoc modo habet: Ad quinquaginta drachmas vniuſcuiuſque trium piperis ſpecierum ſufficit admiſcere aniſi, cacuminum thymi, zingiberis, ſingulorum drachmas octo, atque hoc ſanè ſimplicius exiſtit pharmacum: quanquam adhuc ſimplicius apparari poſſit, ſi citra zingiberis admixtionem paretur. Alterum autẽ ex iiſdem conſtat: verùm ad quinquaginta vniuſcuiuſque trium piperis ſpecierum drachmas, ſingulorum ex his tribus, aniſo videlicet, cacuminibus thymi, & zingibere drachmas ſedecim coniicimus.

Pharmacum ex calamintha oxyporon, *hoc eſt citò penetrans*, quod polyetes, *id eſt annoſum*, appellatur. Prædictorum quidem igitur pharmacorum caliditas circa primas venas extinguitur, minimè per vniuerſum corpus ſe diffundens quemadmodum id quod ex calamintha cõſtat, ſolet, & ei ſimilia. Neque enim volumus ea quæ cum cibo concoctionis gratia exhibemus, in vniuerſum corpus diffundi, ſed tantùm concoctionẽ ciborum in ventre adiuuare, itémque humorum crudorum in primis ac magnis venis cõtentorum. Quare quẽadmodum in dioſpolitico pharmaco dictum eſt, non nimis in puluerẽ redigere oportet ea quæ ad concoctionem ſolam adiuuandam apparantur. Hoc verò pharmacum in vniuerſum corpus vſque ad cutem ipſam digeritur ac diſtribuitur: quare iis ipſum exhibere cõuenit, quibus crudorum humorum multitudo in ſolidis animalis partibus conſiſtit. In talibus enim, omnium quæ ego noui optimum, id quod ex calamintha conſtat, exiſtit. Attenuat enim craſſa & viſcoſa, diſcutitque ea ſimiliter, vrinámque & menſes ciet. Compoſitio autem eius talis eſt: Calaminthæ montanæ, ſeminis petroſelini, pulegii, ſeſelis, cuiuſque drachmas duodecim, ſeminis apii, cacuminum thymi, ſingulorum drachmas quatuor, liguſtici drachmas ſedecim, piperis drachmas quadragintaocto, mellis deſpumati quantum ſuffecerit. Aliqui & zingiberis vnc. I. adiiciunt. Iucundiſſimum autem eſt quod plurimum mellis admixtum habet. Iis verò qui dulciora auerſantur, & à mellis vſu abhorrent, parum in compoſitione admiſceatur. Quidam tamen mellis lib. quatuor, & dimidiam admiſcent. Poteſt & abſque melle ſiccũ adſeruari, eodémque vt reliqua modo ſalibus commiſceri,

eduliiſque ac liquamentis inſpergi. A cibo verò nunquã neque hoc, neque aliud quoddam pharmacum quod vehementem penetrationem facit, accipiatur: diſtribuitur enim ac digeritur ſimul cum ipſo aliquid crudorum ciborum, & obturationem operatur. Vſus eius conuenit poſt matutinam fricationem, duabus ante exercitiũ balneúmque horis. Aceti mulſi apparatus ac vſus, Galeni. Pituitoſis in ventre humoribus etiam acetum mulſum cõuenit, quod hoc modo apparare oportet: Melle optimo ad prunas decocto ac deſpumato, dimidia ei' mẽ B ſura acetum affunditur, atque ita rurſus ad prunas decoquitur, quò ipſorum qualitates optimè permiſceantur, & ne appareat guſtantibus aceti acor. Ad eos verò qui aceti multitudine auerſantur, hoc modo apparato: Aceti pars vna accipiatur, deſpumati mellis duæ, & aquæ partes quatuor. Quòd ſi fortius facere velis, tantum aceti quantũ mellis coniicies, & abſque aqua apparabis. Præſtat autẽ iuxta ſenſum eorum qui accepturi ſunt. mixturæ congruentem modum iudicare, non verò ſecundum quod noſtri ſenſus perceptant. quod enim naturæ accipientis fa- C miliariſſimum eſt, id iucundiſſimum exiſtit, & ob id etiam vtile & accommodatum. nocentiſſimum autem contrà eſt, quod minimè iucundum. Cæterùm vſus tempore, aqua calida mixtum, velut vinum exhibendũ eſt, prout ægro iucundius viſum fuerit. Pharmacum ex malo citrio, tardè concoquentibus commodum: Carnis mali citrii libram vnam, hyſſopi, rutæ, origani, cuiuſque faſciculum exiguũ, aceti heminas tres, per quinque dies ac noctes aceto maceratas, ad tertias decoquito, & expreſſa reiicito: ad acetum verò mellis ſextarium vnum admi- D ſceto, rurſúmque ad mellis craſſitudinem decoquito: deinde aſari, mei, piperis, cuiuſque ſextantem inſpergito. manè & veſperi exhibetur. Pharmacum ex vino ſcybelite, Archigenis: Vini ſcybelitæ ſextarios quatuor, ſucci rutæ ſextarium vnum, ſiſonis, piperis, cuiuſque vnciam vnam, zingiberis ſextantem, petroſelini vnciam vnam, mellis ſextarium vnum. Liquida ad compagem craſſam decoquito, aridáque inſpergito, ac cochlearium vnũ aut alterum exhibeto. Efficax eſt ad tardas concoctiones, ac inflationes, itémque colicos. Vinum autem ſcybelites E eſt, quod ſua ſponte ex paſſis vuis deſtillat, vtpote vinũ vltrò effundentibus vuis. Sales Iamblichi: Salis ammoniaci libram vnam, ſalis Cappadocici ſeſcuncem, piperis quadrantem, zingiberis quadrantem, ſeminis cnici ſcrupulos octodecim, ſeminis erucæ ſcrupulos ſedecim, ammii ſcrupulos octodecim, hyſſopi ſcrup. octodecim, ſilphii ſcrupulum vnum, cacuminũ thymi, phylli, ſeminis apii, petroſelini, cuiuſque ſcrupulos octodecim, origani vnciam vnam. Contundito ac cribrato, indéque dimidium cochlearium, cum ouis ſorbilibus, aut cum pti- F ſana ieiunis exhibeto. potes & cum carnium aut piſciũ liquamento exhibere, aut quomodocunque tandem velis. Huius medicamẽti auxiliarem facultatem nemo pro dignitate laudare poteſt. Quare, vt breuiter dicam, ad frigidiores temperaturas non reperias aliud pharmacum quod conuenientius crudos humores concoquat: vnde & colicis prodeſt, ventrem citra moleſtiam mediocriter mouens. Sales Poletis, aluum emollientes, pituitam à capite diſſoluentes, per palatum tranſpirantes, reliquáſque diſtentiones attenuantes. Salis torrefacti G ſplendidiſſimi drachmas centum quadragintaquatuor, floris chamæmeli aridi & contuſi trientem, conyzæ tenuis triẽtẽ, calaminthæ mõtanæ triẽtem, radicis eryngii mõtani, origani, cuiuſque trientẽ, ſilphii trientẽ, piperis triẽtem. contuſis & cribratis vtere. Sal dodecatæos, *hoc eſt duodecumanus, ſeu duodenarius.* Hyſſopi trientem, pulegii quadrantem, cumini ſextantem, ammii vnciam vnam, ſalis torrefacti vncias triginta, contundito & cribrato, próque quotidiano ſale, vtcunque placet, vtitor. Qui enim eo aſſiduè vtitur, nullis morbis per omne vitæ H tempus infeſtatur. præcipuè tamen caput alleuat, & viſum acuit, pituitámque in thorace congregari non ſinit: concoctionem bonã operatur, & meſaraicas maximè venas ab obturatione liberat, & renes repurgat. Quidam &

A origani ſextantẽ adiiciunt. Ego verò ſemper ſpicæ nardi vnciam vnam annecto. in hyeme amplius piperis vnciã vnam addo. Ad eos quibus alimentum in ventre aceſcit, vtiliter hoc remedium adhibetur: Piperis drachmas quatuor, ſeminis anethi drachmam vnam, cumini drachmas quatuor, contere ac exhibe cochlearium ante ſomnum ex vino diluto. Embamma optimum ad intinctus, concoctionem adiuuans: Cumini, piperis, foliorum rutæ, menthæ viridis, anethi viridis, cuiuſque drachmas quatuor, pulegii ſeſquidrachmam, ſalis B vnciam vnam, gari albi cochleare vnũ, mellis cochleare vnum. Vtere: valde enim commodiſſimum exiſtit.

Poſca, concoctioni valde commoda, Cyrilli Archiepiſcopi: Pulegii, ſeminis fœniculi, ſeminis apii, cuiuſque ſcrupulos ſex, caroi ſeſquiſcrupulum, ſeminis coriandri ſeſquiſcrupulum, baccam lauri vnam, cyperi, folii malabathri, coſti, cuiuſque ſcrupulum vnum, ſalis ſeſcuncem, aceti ſextarium vnum. Sicca contundito & cribrato, acetóq; admixta ad paucas horas macerato, ac vtitor.

C

De crapula, Philumeni, Cap. XXV.

CRuditates ex vino multo obortas, crapulas appellamus, eáſque conſimili methodo tractamus, quali ad difficultatem concoctionis præſcripta vti ſolemus. Itaque iis qui ad frigidæ potum aſſueuerunt, aliâſque ſtomachum habent æſtuoſum ac exuſtum: aquæ frigidæ puræ cyathi duo aut tres per interualla ad abſorbendũ exhibẽdi ſunt. Pòſt verò, per ſomnum meridianum turbationibus depulſis, confeſtim eos in balneum inducemus. prolixioréq; exudatione procurata, ab aquæ tepidæ hau- D ſtu ipſos vomitum facere cogemus, aut digitorum tantùm immiſſione eundem laceſſemus: deinde prædictos cibos exhibebimus, dilutiore ac pauciore addito potu, donec caput à grauitate liberetur. Statim verò à principio caput ex olei omphacini fomento irrigetur. ſequenti autem die bonæ concoctioni conſulatur. Optimum autem fuerit, ſiquis vinum abſinthites ad plures dies à balneo præbibat, itémque poſt matutinas deambulationes. Prodeſt & acetum ſquillinum abſorbere, 1. myſtri menſura: deinde in quiete, breui ſanè tempore degere, at- E que ita ad reliqua facienda procedere, quemadmodũ in capite De cruditate eſt prædictum.

Quæ cura aluo adſtrictæ adhibenda, Galeni, Cap. XXVI.

REcrementorum iuxta ventrem retentio, aut propter cibos ac potus contingit, aut propter ventrem ac inteſtina. Et propter cibos quidẽ, aut ob ciborum ac potuum acceptorum tum qualitatem, tum quantitatem, aut propter ordinem, & vtendi modum contingit. Ob qualitatem quidem, ſi acerba & auſtera ac ſicca tempe- F ratura & commixtione conſtent ea quæ accipiuntur. ob quantitatem verò, ſi plura aut pauciora, & citra conuenientem exhibeantur menſuram. Circa ordinem autem retentio excremẽtorũ contingit, ſi arida & acerba prius: humentia verò pinguiáque & dulcia poſtea ingerantur. Circa modum verò vtendi, ſi bis cibum accipere conueniat, & ſemel omnem aſſumat. Quæ verò circa ventrem ac inteſtina conſiſtit recrementorum retentionis cauſa, ea & ex natura ipſorum, & ob acquiſititiam contingit diſpoſitionem. Cauſæ itaque circa naturam ipſorum G ſunt vitioſæ corporum conſtitutiones. Octo autem exiſtunt ventris acquiſititiæ intemperaturæ: quatuor quidem ſimplices, caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas: reliquæ quatuor commixtæ, caliditas ſimul cum humiditate, caliditas cum ſiccitate, frigiditas mixta humiditate, frigiditas mixta ſiccitate. Oportet autem vnamquãque intemperiem in eam magnitudinem excedere, vt euidenter excretiuam facultatem imbecilliorem reddat, aut in ventre ſolo, aut in gracilibus inteſtinis, aut etiam craſſis, aut ſimul in omnibus prædictis, quemadmodum H in voluulis fieri conſueuit. Ad hæc amplius, & in febribus aliquando aluus adſtringitur, ob acrimoniam videlicet reſiccantibus & conſumentibus humores: aliquando autem materiam ad alios locos diuerſa, pérque illos

ipſos excluſa. Sudoribus enim multis per cutem excluſis aluus coarctatur, & ſtomacho ex fluxione affecto, ſtercus cohiberi contingit: propter inflammationem item inteſtino recto vicinam, ipſumque deprimentem, velut eſt veſicæ, aut vuluæ, & propter vlcerationem aut dolorem circa eas partes obortam, excrementa recurrunt. In iis verò qui à morbo vires recolligunt, venter cohibetur, propterea quòd plurima digeſtio ciborum in corpus fiat, & ob id exiguum & aridum, & quod difficulter excerni poteſt, ſtercus relinquitur. Ad hæc etiam venter adſtringitur ob flauæ bilis cohibitionem, quæ ad inteſtina delabi cõſueuit: ea ipſa enim in animali quod ſecũdum naturã habet, confluens, inteſtina mordet & irritat, & ad excretionem excitat recrementorum. quapropter etiam ſemper cibo vacuum ieiunum inteſtinum reperitur, in quod procedit meat⁹ qui ex bilis ſuſceptrice veſica bilem ad inteſtina deducit. atque ob has ſanè cauſas venter adſtringitur. Commune autem in omnibus præceptum eſt, vt cauſæ noxam inferenti contrariam curationem opponamus: proprium verò, vt ſecundum ſingulas cauſas cuique quotidie contraria remedia exhibeamus. Et ſi quidem ex pauciorum ciborum acceptione homo aluum habeat adſtrictam, plures ſimúlque humidiores ei offerantur: ſi verò ſiccioribus ſit vſus, humidiores quidem dentur, non autem multi. Si verò auſteri & acerbi cibi retentionis fuerint cauſæ, dulces & pingues exhibeantur. Si verò ob permutatum ordinem adſtrictio fiat, in eum qui conuenit reducatur. Si verò ſemel cibum accipiendo, quum bis id facere oportuerit, venter cohibeatur, non ſolùm bis, ſed & ſæpius conuenientes cibi dentur. Eodem etiam modo recentes intemperaturæ per contraria curentur: ita vt exſiccata corpora humectemus, humecta verò reſiccemus: & calefacta quidem refrigeremus, refrigerata verò calefaciamus, atque in coniugatis ſiue mixtis qualitatibus eadem iuxta proportionem faciamus. Cohibita autem quæ ad inteſtina defluere conſueuit bile, aut ob craſſitudinem, aut ob bilioſorum meatuum obturationem: extenuatoria diæta vtendum eſt. Similiter autem omni conatu inſtare & reniti oportet, ad reliquas alui adſtrictæ cauſas tollẽdas. Atque viſcerum quidem inflammationem ſoluemus, vbi per ipſam cohibitio contingat: materias verò ad inteſtina conuerſas deducemus, ſi quidem aliò proreptant. qua autem medicinali materia id fieri poſſit, in ſimplicium pharmacorum Sermone eſt prædictum in principio huius tractationis, atque in eo qui hunc ſequitur De purgãtibus pharmacis inſcripto. Communis autem, omnis quomodocunque euenerit adſtrictionis alui, curatio talis eſt. Ex decubitus figuris, erectior eis conuenit, & ad ſiniſtrum latus reclinatio: & ſilentium quidem ac quies ventrem cohibent, motus autem & deambulatio impellunt. Paucus potus, & non præpotare, neque inter medios cibos potum accipere, ventrem reſiccant: præpotatio verò & multa potio, ſtercora humectant. Somnus concoquit, & recrementa fluida facit: vigiliæ verò materias diſtrahunt, & ſuſpenſas tenent. Plurimùm autem ciborum qualitates poſſunt: quare eas quæ ventri gratæ ſunt, exhibere oportet: quanquam omnino melius fuerit abſinthii ſuccum dare, aut ex aloe catapotia deuoranda. Quibus ſi nihil proficimus, duriſque adhuc ſtercoribus inſidentibus, & lumbis aggrauatis, circumtenſóque & inflato ventre ſuperiore, humectantibus immorari cibis abſurdum. ſæpe enim lapidis modo recrementa indurantur, & in inteſtino recto condenſantur. quare accepti cibi ſtomachum quidẽ & ventrem humectant & effœminant: ad inteſtinum verò rectum peruenire nõ poſſunt, vt inde aliæ quædã moleſtiæ conſequãtur. Melius igitur in iſtis fuerit, aluo ptiſanæ ſuccum per clyſterem infundere, admixto oleo & melle: aut maluæ aut fœnigræci, vel furfurum decoctum ſimiliter cum oleo & melle. Vtendum etiam glandibus ac illitionibus ſedis. Alumen autem liquidum melle tritum donec indureſcat decoquitur, ex eóque ſedes illinitur, & facilè quidem plurima ſtercora prolectat: quanquam inde aliquandiu dolore afficiantur. Optimè autem facit & cyclamini ſuccus cum melle illitus, & in tomento quoque appoſitus. Mercurialis etiam viridis contrita, & ad glandis modum redacta, exſiccatur & ſupponitur: valdéque commoda exiſtit. Alia glans purgatoriam vim habens. Comæ abſinthii contuſæ ac cribratæ drachmas quatuor, nitri drachmas quatuor, elaterii drachmam vnam, melle cocto excipito, glandéſque informato ac ſubindito: fomento tamen prius ad locum adhibito. De his autem abſolutiſſimè in tertio huius tractationis Sermone eſt prædictum, vbi etiam pharmaca purgantia quæ circa vmbilicum illinuntur, deſcripſimus, eorũmque etiam quæ per os exhibentur ac ventrem emolliunt, tum ſimplicium tum mixtorum remediorum, mentionem fecimus: quare ſuperfluum exiſtimo hîc de eis producere ſermonem. Abſinthati emollientis vtilis apparatus: Coſti vnciam vnam, ſpicæ nardi ſcrupulos quatuor, folii ſcrupulos quatuor, maſtiches ſcrupulos duos, mellis ſextarios duos, vini ſextarios decem.

Abſinthatum bonum, emolliens & dulce: Siſonos vnciam vnam, floris iunci odorati ſcrupulos ſex, maſtiches ſcrupulos duodecim, folii ſcrupulos 11. ſpicæ nardi ſcrupulos duos, mellis ſextariũ vnum, vini ſextarios quinque. Abſinthatum amarum pituitoſis magis conueniens: Agarici, folii, amomi, ſpicæ nardi, caſiæ, cuiuſque ſcrupulos tres, coſti ſcrupulos duos, roſarum ſiccarum ſcrupulos duos, aloes ſcrupulos ſeptem, maſtiches ſcrupulos duodecim, mellis ſextarium vnum, vini ſextarios quinque. Aliud atra bile abundantibus, & pituitoſis ſimiliter commodum: Folii ſcrupulos ſex, ſpicæ nardi ſcrupulos ſex, agarici ſcrupulos quatuor, epithymi ſcrupulos duodecim, maſtiches ſcrupulos duodecim, aloes ſcrupulos quinque, mellis ſextarium vnum, vini ſextarios quinque. Aliud optimum: Folii, ſpicæ nardi, caſiæ, amomi, cuiuſque ſcrupulos quatuor, coſti ſcrupulos quatuor, agarici ſcrupulos quatuor, maſtiches ſcrupulos nouem, aloes ſcr. duodecim, mellis ſextarium 1. vini ſextarios quinque.

De inflatione, Galeni, Cap. XXVII.

INflationis principium cibus malè concoctus exiſtit. Contingit autem flatuum generatio in ventre, ex humoribus in ipſo pituitoſis, aut ex cibis in vapores per mediocrem caliditatem reſolutis. Perfecta enim frigiditas nullum omnino vaporem efficit, propterea quòd neque omnino attenuat, neque conſumit, neque diſſoluit etiam ipſum cibum. Vehemens autem caliditas cibum attenuat, ſi flatuoſa natura exiſtat: & tunc ſanè nebuloſus flatus generatur, verùm paucus: adeo vt per vnum aut alterum ructum euacuetur. Mediocris verò caliditas minoris efficaciæ exiſtens, cibos quidem diſſoluit, non autem perfectè conſumit: vnde ſanè flatus generatio contingit. Vna autem eadémque ratione quemadmodum extrinſecus frigidiſſimæ & aquilonares in hyeme conſtitutiones, & calidiſſimæ æſtatis tempore conſiſtentes, purum aerem reddunt: quæ verò inter has mediæ exiſtunt, nebulas gignunt: ſic eodem planè modo, in animalium corporib⁹, neque in extrema caloris debilitate, neque quum vehementer calor inualeſcit, ſed quum inter hos exceſſus medio modo habet, flatuoſum recremẽtum generatur, atque hoc ipſum vbi per ſtomachum excluditur, ructus operatur: per ſedem verò aut ſtrepentẽ, aut abſque ſtrepitu flatũ. Quũ verò neque per os, neque per ſedẽ excernitur, inflationẽ appellatã producit. Archigenis. Accedit affectis ſtomachi grauitas & diſtẽtio, multóſq; fallit tãquã in ipſum ſolũ dolor innitatur. etenim malũ aliquãdo quidẽ iuxta totũ pectus, aliquando verò retrò iuxta collũ ac dorſum, atq; ipſa vertibula irruit: ſæpe autem & vtrinque occupatos tenet: aliquando autem & tumorem circa os ventris efficit, ructúſque inanes fiunt modicè alleuantes, inhibitióque flatuum qui per aluum excerni conſueuerunt. Succumbit autem & tumor ipſe iuxta vẽtrem, ad manuum impoſitiones ſublaxus cedens. Quibuſdam eorum & dolores accidunt, & appetitus perditiones, ac capitis dolor: ſi verò ante perfectam reſtitutionem cibum accipiant, amplius mẽbra ipſa inflantur, & cum dolore amplius diſtenduntur, qui

ſæpe ad clauiculam vſque differtur, ipſaſque ſcapulas ac
vniuerſam ſpinam, vltra hoc quòd & ructus cohibentur:
vt aliqui iam non diſſimile quiddam ſuffocationi ſe per-
peti æſtimarint. Leuantur autem alimento infernè ſub-
eunte, & flatibus ſiue per ructus ſiue per inteſtina exclu-
ſis. Eos igitur qui non ita diu ante cibum ſumpſerũt, pri
mùm vomere præcipe: deinde verò fouere oportet cum
lana in faſciculum conuoluta, & leuiter calido oleo ma-
defacta. Si verò dolor vrgeat, fomentum fiat per veſi-
cam bubulam aqua & oleo calidis ſemiplenam. Glandes
quoque confidenter & citra dilationem ſupponendæ
ſunt, ex rebus flatus prolectantibus informatæ, velut eſt
rutæ ſemen & cuminum æquali pondere cum melle co-
cto, ac modico nitro coacta. inedia etiam affectioni ne-
ceſſaria exiſtit. Per vnam quoque atque alteram horam,
tempore irritationis, irrigationes ex oleo conueniunt,
in quo abſinthium, ruta & anethum ſunt decocta. Lanæ
verò cõuolutæ, cuminum tritum, aut apii ſemen, aut ſi-
ſonis magis inſpergatur: deinde & cucurbitæ aſſuman-
tur inanes multæ, & cum multa etiam flamma admotæ.
Perſeuerante autẽ diutius affectione, cataplaſmata ex ſe-
mine lini, hordeaceáque & loliacea farina imponantur:
ex cumino etiam trito, ſeminéque anethi, aut apii, aut
fœniculi, aut chamælææ, aut tragorigani, aut centaureæ
coma, aut eryngii ſemine vel radice: ex hydromelite e-
tiam & oleo in quo ruta, baccæ lauri, & melãthium ſint
decocta. admiſcendum eſt & bitumen oleúmque lauri-
num. Si verò inflammatio vnà cum inflatione adeſt, pro
calefacientibus ea quæ relaxant admiſcere oportet, vel-
ut eſt anethum oleo incoctum, admixto adipe gallina-
ceo aut anſerino. Cibus verò, frumentacei generis ſit, &
paucus: poſt multum etiam aſſumpti cibi tempus, potus
tãdem præbeatur: à cibo fricationes extremarum corpo-
ris partium adhibeantur. aluus verò tum per cibos tum
per aloen ſubducatur. Cerata etiam imponantur ex oleo
apparata, in quo cucumeris ſylueſtris radix ſit incocta.
Ad finem verò, malagmatis vtendum, quæ ex ſeminibus
aut lauri baccis conſtant. Marciani irrigatio ſiue fo-
mentum ad eos qui ex morbo circa ſeptum tranſuer-
ſum inflationem habent, & murmura circa interiora,
aut quibus viſcera inflammata ſunt aut inflantur: Ru-
tæ viridis trientem, fœnigræci ſeſcuncem, meliloti triẽ-
tem, abſinthii trientem, fœnumgræcum in pauca aqua
diem vnum præmacerato: deinde reliquis ei adiectis, at-
que olei ſextariis tribus affuſis, ad non fumantem ignẽ
decoquito, percolatóque, & in eo lanam conuolutam
quamplurimùm madefacito. Si verò dolor intendatur,
in ſolium ex oleo apparatum eos imponemus: ſi tamen
nihil id fieri præpediat. Althææ itaque radicem, lauri
folia, fœnumgræcum, pulegium, rutã in aqua decoque-
mus, & oleo ad decoctum affuſo, eos inſcendere facie-
mus. Quod vbi feliciter proceſſerit, cibum accipiant, pa
nem ex aqua, & piſces teneras carnes habentes. Qui verò
ſe iam recolligunt, diæta reſtituendis viribus apta vtan-
tur: ſinapiſmíſque & cucurbitulis cum multa flamma
poſt exercitia admotis vomant. Si verò fixa perſeuerauе
rit acceſſio ipſa, tempore exacerbationis cataplaſma ex
ſinapi imponendum eſt, & paulo pòſt aloes drachma
vna propinanda, aut ſmyrnii ſemẽ ex vino. Ariſtolochia
autem longa ſiue rotunda drachmæ pondere potata, fla
tum diſſoluit, & tardè concoquentes iuuat: quod & ca-
laminthæ decoctum, aut etiam polium decoctum cum
melle modico, & pauciſſimo pipere tenuiſſimè trito, fa-
cit. Ouillus autem talus vſtus & potatus, torminibus ac
inflationibus medetur. Aut rhamni folia viridia trita in
paſtillos redige, eóſque in vmbra exſiccatos drachmæ
pondere exhibe non febrientibus cum vino diluto: fe-
brientibus verò, cum hydromelite. Facit & ad voluu-
loſas affectiones, omnéſque inflatiuos dolores miro mo
do: per ructus enim ac flatus infernè prodeuntes, diſcuſ
ſo & reſoluto malo, ſani fiunt, inquit Dioſcorides. Vti-
le etiam eis caſtoreum ex poſca bibitum exiſtit, dra-
chmæ pondere acceptum. Idem quoque forinſecus cum
oleo ſicyonio impoſitum, etiamſi cum torminibus &

A inflationibus prædictæ affectiones contigerint, eas ſa-
nat. Acetum verò ſquillinum tum ante tum poſt cibum
abſorbeant, aut ante ſomnum. Apparatur autem ſimpli-
ciſſimè hoc modo: Squillæ repurgatæ & diſſolutæ li-
bras quinque, aceti ſextarios quadragintaocto, ſub cani-
culæ ardoribus ad dies quadraginta inſolato, ac vtitor.
Oxyporion etiam quod citò penetrat, eis conueniens eſt
huiuſcemodi: Foliorum rutæ drachmas trigintaduas,
cumini drachmas tredecim, liguſtici, caroi, ſeminis a-
pii, piperis, zingiberis, helenii, nitri, cuiuſque drachmas
B octo, exhibe cochlearium quomodocunque velis con-
gruenter. Exhiberi etiam poteſt ad noctem ex tribus pi-
peris generibus pharmacum, erui magnitudine: robu-
ſtioribus verò, Ægyptiæ fabæ. Aluo autem adſtricta, ci-
tra dilationem clyſter infundendus: balneo verò ex in-
teruallis vtendum eſt tempore remiſſionis. Præfricent
autem iſtis tum dorſum tum ſtomachum, conſpergántque
nitro aſſato. Soliis etiam calidioribus vtantur, & à
balneo cibus detur, minimè inflans. & poſt omnem ci-
bum vinum meracius exhibendum. Cibus autem ipſo-
C rum diuidatur, ita vt in prandio tertiam, in cœna verò
reliquas duas accipiant partes. Fructuum verò atque o-
lerum humidiorum eſum, ſemper habeant ſuſpectum.
multum autem potum tanquam infeſtiſſimum hoſtem
deuitent.

De voluulo Archigenis, Cap. XXVIII.

VOluulus affectio eſt inteſtinorum, lethalem dolorẽ
inferens. Cauſa affectionis, continua ciborum cor-
ruptio exiſtit: præſertim ſi multi accipiantur variíque,
& ad quos non aſſueuimus, & maximè ex pinguibus car-
D nibus. Oboritur etiam ex plagis quibuſdam, & frigore
vehementi, & ex aceruata frigidæ potione, maximè ſi ab
exudantibus accipiatur. Contingit & iis quibus inteſti-
num in ſcrotum vnà cum ſtercore delapſum eſt, indé-
que violenter retruſum, ex eóque inflammatum exiſtit.
Fit etiam ob veneni potionem, & ob induratum ſter-
cus circa tenuia inteſtina impactum, in vno loco dolo-
re innitente, circa tenuia videlicet inteſtina, vt admota
manu durities tactui ſuccumbat, quam affectionẽ chor-
dapſũ veteres vocarunt, hoc eſt inteſtinorũ emollitionẽ.
E Et multi ſanè ex dolore ſtatim intereunt. aliis verò in-
flammatio ſuppuratur, rurſúmque inteſtinum ipſum de
nigratum ac putrefactum excidit, eóque modo defici-
unt. Familiaris autem hæc affectio ætati puerili eſt. eua-
dunt tamen naturalis beneficio humiditatis. Senibus ve
rò non valde familiaris eſt: ſi tamẽ ipſi in hanc affectio-
nem incidant, ferè nunquam conualeſcunt. Accedit æ-
gris dolor circumuolutus, ſtomachi nimia humectatio,
exolutio, ructus inanes nihil alleuantes, murmura inteſti
norum, cohibitio perfecta ſtercoris & flatuum. Si verò
F intendatur affectio, omnia ſurſum feruntur, ob idque &
vomitus pituitæ ac bilis accedunt, frigiditas totius cor-
poris dolórque: plurimis etiam ſpirandi difficultas: mo
rituris autem amplius ſudor frigidus, vrinæ difficultas,
podex ita adſtrictus vt neque ſpecilli extremum ſuſci-
pere poſſit: aliquando & ſtercus vomitu reiicitur. Si qui-
dem igitur cibus crudus ventri inſidere videatur, aqua
mulſa cum nitro exhibita vomere cogemus: deinde rur
ſum aquã calidã puram dabimus, vt mordacitas obtun-
datur. Si verò nihil crudorum ciborum in ventre conti-
G neatur, omni conatu enitendum eſt, quò tum flatus tum
ſtercora infrà trahantur: idque per glandes illitionéſque
& clyſteres, magna diligentia in ſingulis adhibita perfi
ciendũ. Glãdes itaque cõueniũt ex ſemine rutæ & nitro,
cuminóque ac melle. Valent etiã quæ ex ex braſſicæ cau
liculis apparantur, cum melle cocto: ex profundo enim
attrahunt. Cæterùm glãdulas longiuſculas facere opor-
tet, quæ adſtrictiorem internã ani partem, ſphincterem
Græcis appellatam, tranſire queant: quibus appoſitis, po-
dex per ſpongias calidas foueatur, quibus ſanè cyclami-
H ni ſuccus vtiliſſimè excipitur. quanquam cum melle e-
tiam ac nitro idem illitus efficaciter opitulatur. Idem fa
cit centaurea cum melle & nitro: verùm in his conan-
dum vt quampenitiſſimè illinãtur. Per clyſterem autem

oleum infundatur, in quo cuminum, ruta, althææ radix aut folia, fœnumgræcum, cētaurea, cucumeris ſylueſtris radix, ſint decocta. adiiciatur autem & butyrum, & reſina terebinthina, vt inde craſſitudo infuſo ipſi accedat: per ampliorem etiam fiſtulam largius infundatur, iuxta corporum rationem, aliquādo vſque ad duarum heminarum menſuram. quin & clyſteres ex prædictis apparentur. Probè facit & ſylueſtris cucumeris radix contuſa, & in aqua ſatis diu decocta abſinthio adiecto: ſi quidem ad decoctum ipſum, mel & nitrum oleúmque admiſceantur. Si verò ſtercus durius inteſtinis inſidere coniectamus, aut inflammationis obſtructio adſit, althæam ac fœnumgræcum cum caricis decoquemus, butyróque & anethino oleo plurimo ad decoctum adiecto, per clyſterem iniiciemus, & quandiu quidem queāt, retinere præcipiemus. Optimum autem infuſum hocce eſt: Bituminis drachmas quatuor, nitri drachmam vnam, aloes vnciam vnam, olei rutacei dodrantem. Commodum eſt etiam, cuminum, rutam aut abſinthium cum oleo coquere: deinde percolato modicum ſalis iniicere, aut opopanacis drachmam vnam, aut galbani drachmas quatuor. Proſunt & caricæ ac ruta in oleo decocta. Eiuſmodi autem infuſa, ante cibum infundere oportet, & maximè quod ex aſphalto apparatur: vrgente verò malo, etiā à cibo. In ſolium etiam aqua & oleo refertum deſidere eos conuenit: in aqua verò, althæa, ruta, & conyza decoquantur. Fomenta quoque adhibenda ſunt ex furfuribus, & per pyriateria phacota, *id eſt vaporatoria vaſa lenticulata*, & per veſicas bubulas ex oleo ſemiplenas. Conueniunt etiam fomenta ex lanis oleo madefactis, in quo cuminum, anethum, ruta, conyza, maximè parua, & naſturtium ſint decocta. Cuminum quoque per ſetritum ventri inſpergendum eſt, deinde lana imponenda. conuenit enim ab irrigationib⁹ incipere, ipſiſq; etiā inter cataplaſmata vti. Cataplaſmata verò ex melle ſint apparata, aut hydromelite meraciore: aſſumant autem ſemen lini, fœnumgræcum, polinem hordeaceum, loliaceam farinam, & fabarum. Infarciendum eſt etiam ipſis plurimùm rutæ & cumini, anethíque ſemē aut apii, aut rutæ ſemē ſiccum. inſpergantur autem hæc craſſa, & poſt impoſitionem calefiant, poſteáque aſſiduè permutentur. Poſt hæc cucurbitæ affigātur: primùm quidem ad remotos locos, inanes, deinde ad ipſos etiam dolore affectos: ſcarificationéſque profundiores fiant: ſale impacta vulnuſcula conſpergātur, quibus poſtquam cicatrix fuerit obducta, malagmate ex ſeminibus vtendum, aut eo quod ex lauri baccis conſtat. Potus eis conueniens eſt anethi decoctū. eſt enim vſitatum & accommodum. A potu, panem in aquam feruentē coniice, eiúſque fruſta calida confeſtim edenda præbe. hoc enim modo ſeruabitur, etiamſi iam inſtet ei ſuffocationis periculum. Oribaſius autem inquit, Anethum in aqua & oleo decoquatur, atque ita bibatur: deinde fruſta panis ex aqua feruenti præbeātur. Mirum in modum enim inde iuuantur, inquit, etiamſi iam ſtercus vomant. Ruta etiam ac cuminum trita & potui inſperſa commoda exiſtunt, & ſinapis arida trita inſperſa. Cōmodum eſt etiam maluæ ſemen tritum ac potui inſperſum. Balſamum quoque non adulteratum, in potu vtile exiſtit. Alius potus. Bituminis drachmas quatuor, cum modico nitri contere, & ex aqua bibenda confidenter præbe. Alius. Radicis panacis drachmas duas, nitri drachmam vnam, cumini drachmas duas, excipe melle, & nucis Ponticæ magnitudine ex aqua calida præbe. Alius. Caſtorei, aniſi, piperis, cuiuſque æquales partes commiſce, atque inde ſeſquidrachmam ex aceto mulſo præbe. Aſclepiadæ potus, qui & recrementa multa ſoluit: Elaterium ſufficienti terebinthina exceptum, in catapotiáque redactum, deglutiendum præbe, aquámque inſuper bibendam. Aliud ad voluulum remedium, quod ventrem ſoluit. confert etiam anheloſis, ſplenicis, aquæ inter cutem, ex lapide laborantibus, vrinæ difficultati, paralyticis, tremoribus, comitialibus, vuluæ ſtrāgulationi, menſéſque ducit: Medullæ ſquillæ crudæ, ammoniaci thymiamatis, iridis, cuiuſque drachmas quinquaginta, galbani drachmas vigintiquinque, opopana-

A cis drachmas duodecim. Squillam ſeorſim contere, deinde ammoniacum cum acerrimo aceto tere: poſtea etiā galbanū & opopanaca, ſimúlque mixta omnia in catapotia redige: ex quibus drachmam vnam deuorandam præbe, & vinum dilutum inſuper bibendum, aut aquam mulſam, aut acetum mulſum. ſit autem liquoris menſura cyathorum quatuor. Concoctionem adiuuat, ſi ante cibum deuoretur, vltra hoc quòd aluum facillimè ſoluit. Feliciter vſi ſumus, inquit Archigenes, ad voluulos abſque inflammatione, hiera noſtra ex colocynthi- B de pondere drachmarum duarum, aliquando etiam trium in catapotia redacto. aut enim vomitu reiicitur ipſum pharmacum cum multa bile ac pituita, aut infrà ad inteſtinum progreſſum, omnes cauſas affectionem operantes ſecum ſubducit. Doloribus verò perſeuerantibus, & maximè quibus infuſi clyſteres non infrà rurſus prodeunt, etiam ea quæ dolorem leuant exhibēda, itémque conuenientes antidoti ante ſomnum. Communiſſima igitur & optima ea quæ ex piperibus conſtat, & Andromachi ex viperis, theriaca exiſtit: poſt eam verò quæ C Mithridati nomen debet. Propriè autem in his colicæ antidoti faciunt, qualis eſt vel imprimis quæ zopyrios; & quæ Pæonia appellatur, quarum deſcriptiones in decimotertio Sermone continentur. Si verò à venenoſo pharmaco quis in voluulum incidat, aquam tepidam multam bibendam dabimus, vomeréque cogemus: deinde oleum calidum in potu dandum, aut pinguia iuſcula, vt rurſum vomant, ex moderato eorum potu: deinde ita parumper quieſcant, & ſtatim poſtea theriacen D accipiant cum vino diſſolutam. Cibi eis exhibeantur boni ſucci; aluus verò lacte ſciſſo euacuanda. In eo autem voluuli genere, quod chordapſum appellari diximus, in quo in vno loco dolor innititur, vt admota manu durities & tumor tactui ſuccumbat, circa tenuia videlicet inteſtina, ſubitum periculum inſtat, vt plurimùm tertiam aut quartam horam non excedens. quando verò ad ſuppurationem inflammatio vergit, aut longior remoratio contingit, neque ea ferè citra periculum exiſtit: quanquā ſint qui ex eis ſint ſeruati. Venæ igitur ſectio ante localia remedia aſſumēda eſt, deinde cucurbita, & reliqua E cura, queādmodum in inflāmatione, ſiat. Dānda verò & his aſſiduè ex viperis theriaca ciceris paru' magnitudine, ex aqua calida. infuſum etiam immittendum ex eis quæ inflammationibus conducunt, velut eſt fœnigræci & maluæ decoctum, cum oleo & butyro. In potu exhibeatur roſmarini decoctū, floriſque iunci odorati, mei, fœniculi, & maximè omnium anethi. Probè etiam ad eos facit, foliorum rhamni viridium tritorum, & in paſtillos redactorum, exſiccatorūmque drachma vna ex calida aqua exhibita. Porrò ex conuulſione aut ruptura ob- F ortos voluulos, venæ ſectione curare oportet, locóſque vbi dolor inſignitur, profundioribus fiſſuris impactis ſcarificare & diducere, laniſque ſuccidis irrigare: antidotos etiam dolorem leuantes bibendas præbere: verùm clyſteres omnino deuitare. Si verò voluulus propter inteſtini in ſcrotum delapſionem contingit, confeſtim tentandum eſt vt decubitu ſurſum verſus vergente adornato, delapſum inteſtinum ad inguinum partes retrudatur, atque pòſt leniter citra violentiam ac compreſſionē, ligamento adhibito contineatur. Si verò iam ex com- G preſſione inflammatio oborta ſit, torminaque ac inflationes accedant, etiam hos ipſos venæ ſectione curandos cenſeo, in mediáque ad tertium vſque diem ſeruandos: in principio verò, lanis ſuccidis ex vino & oleo madefactis irrigandos: adhibito poſtea etiam cataplaſmate crudæ hordeaceæ farinæ. Aliquando autem & inflamatæ partes commodè per ambitum ſcarificantur, per althææ quóque ac fœnigræci decoctum & oleum vtiliter irrorantur ac aſperguntur.

H

De iis qui ab acri humore coli dolore infeſtantur, Galeni, Cap. XXIX.

Quibus in colo & inteſtinis acris & mordax inſidet humor, hi à calidis cibis ac pharmacis itémque iis à fuſis læduntur, & à cibis abſtinentes magis irritantur. melius autem habent ex temperamentum inducentium,

& mordacitate carentium vſu. Tenues enim & acres hu-
mores vehementiſſimum inferunt dolorem, aliquando
verò & conuulſiones, maximè vbi circa os ventris fue-
rint aggregati. Accedunt quandoque & animi deliquia,
& humiditates ſudoris frigidæ. Hoc itaque modo affe-
cti, calida potata ac vomitu reiecta, bilioſum humorem
excernunt, quique etiam ærugini aliquando in colore
ſimilis exiſtit. hic quidem igitur humor vbi in ventre
conſtiterit mordens, & animi deliquia inferens, per vo-
mitum expurgare ipſum oportet. Vbi verò in inteſti-
nis aggregetur, per ſedem infundere conuenit ea quæ
humores eluere atque citra mordacitatē repurgare poſ-
ſunt, cuiuſmodi eſt ptiſanæ ſuccus. Cibi verò boni ſuc-
ci & qui non facilè corrumpantur, eis exhibendi, attenuā
tibus & calefacientibus vitatis. oportet enim infeſtan-
tem humorem aut euacuare, aut temperare. Exempli ve
rò gratia mentionem faciam quorundam à nobis cura-
torum. Quidam etenim quadraginta annorum, qui co-
licus eſſe putabatur, à perfuſionibus & fomentis, cata-
plaſmatiſque & acrioribus infuſis non modò non iuuaba
tur, verùm & magis exacerbabatur: & vbi mel cum pipe-
re accepiſſet, extremum dolorem incurrit, & vbi fœni-
græci ſuccum cum melle ſumpſiſſet, plurimùm fuit ir-
ritatus. Coniectationem igitur feci, mordaces in ipſis
inteſtinorum tunicis imbibitos eſſe humores. non faci-
lè corruptibiles ei exhibui cibos. Deinde vbi vidiſſem
eum minus à dolore infeſtari, vitiati humoris purga-
tione ei opus eſſe cognoui. Cæterùm pharmaco ex aloe
amaro, hominem aceruatim purgare minimè auſus fui:
nimirum ob dolorem ac indigentiam, temporiſque diu
turnitatem viribus attenuatis. per interualla itaque me-
diocria paulatim purgatione per picram ex aloe facta,
in paucis diebus ipſum perfectè ſanaui, nullo altero re-
medio admoto. Alter quidam adoleſcens non paulu-
lùm antea à colicis doloribus vexatus, accepta ſcam-
monia purgatus eſt: quùmque pro ratione accepti ſatis
multùm fuiſſet euacuatus, illa maximè membra quæ pri
us habuit imbecillia, morſu infeſtari ſenſit, vt inde quaſi
fluidam quandam & doloroſam circa inteſtina haberet
affectionem. Itaque & hunc curaui, colica remedia reii-
cere iuſſum, & ex alica cum aqua calida decocta nutriri,
granis mali Punici ſimul incoctis. Quùmque totam no-
ctem abſque dolore dormiiſſet, manè exhibuimus ei
rhois ſuccum dilutiorem bibēdum: vt ſiqua vlceroſa af
fectio circa inteſtinum eſſet oborta, eam adſtringeret, ſi
ue quippiam ex ſuperioribus partibus ad affectam influ
eret, idipſum repelleret. In prandio etiam alica ſimiliter
cum mali Punici acinis & aqua decocta, vti iuſſimus: in
veſperam verò panem ex vino quopiam auſtero ac vete-
ri madefactum dedimus. Conceſſimus etiam vt ex auſte
ris fructibus pro libitu, modicè tamen, caperet. Tertia
autem die quum eodē modo fuiſſet refectus, in quarta,
hauſta theriaca perfectè ſanus euaſit. Alium autem
quendam ſimiliter affectum, æſtatis tempore quum plu
rimùm ſitiret, eodem victu curauimus, ampliúſque fri-
gidum potum ei indulſimus. Cæterùm euacuato hu-
more, & remanente adhuc dolore, ad ſtupefacientium
vſum confugere oportet. In huiuſmodi enim affectio-
nibus non ſolùm quod ſenſum ſtupefacit, ſed & quæ hu
mores tenues inſpiſſant, calorémque refrigerāt maximè
opitulantur.

De iis qui à frigidis & pituitoſis humoribus coli dolore infeſtantur, Cap. XXX.

QVVM verò craſſi & lenti fuerint humores, qui do
loris cauſa exiſtunt, nequaquam ſtupefacientia e-
runt offerenda. etenim alleuantur quidem ex eorum v-
ſu, ob ſenſus videlicet ſtupefactionem: verùm rurſus pe-
ius inde habent, quòd amplius per ipſa humores inſpiſ-
ſentur, & difficulter omnino excerni poſſint. Atqui nau-
ſeæ vnà cū vomitibus magnæq; & frequētiores illis obo-
riūtur. Vomūtur autē pituitoſa & corrupta, retinētur ex-
cremēta, adeo vt ne flatus quidē excernatur, neq; ructus e-
tiā procedat. Sæpe enim veluti ſurſū reuoluitur dolor,
ac plurimum occupat locum: aliquando verò ex loco ad
locum digreſſus vehementius augetur. Manifeſta verò
cognitio coli affecti eſt, quando aliquando quidem al-
A tius dolor infeſtat quàm pro renum ſitu: aliquando au-
tem longè inferius. Si enim iuxta renum ſitum dolor in
nitatur, atque id in vno loco cum dolore & grauitate,
renum affectionem eam eſſe cenſendum eſt. Conſideran-
dæ autem ad hæc vrinæ: aquoſæ enim & puræ in princi-
pio à nephriticis minguntur, quemadmodum in ſequen
ti tempore ſubſidentiam habentes aſperam, deinde ex-
quiſitè arenoſam. In colicis verò etiamſi egerat ali-
quando venter, tamen flatuoſiora excernit: ſæpéque ſter
cora aquæ inuehuntur boum ſtercoribus compage non
B abſimilia. Contingit etiam quandoque humorem ali-
quem frigidum cum ipſis excerni: quo facto confeſtim
melius habent. Per fomenta autem & cataplaſmata
nephritici quidem doloris mitigationem accipiunt, la-
xatis videlicet iuxta obſtructum lapidem corporibus:
colici verò parumper quidem videntur mitiores reddi-
ti: paulo pòſt verò vehementius intenduntur eis dolo-
res, diffuſis videlicet per adhibitarum fomentationum
calorem humoribus, generatiſque flatibus qui pluri-
mam diſtentionem operantur. Quomodo igitur opor-
C tet dolores ex frigidis in inteſtinis humoribus obortos
curare, ita vt neque vehementibus irrigationibus neque
cataplaſmatis calefiant? à calefacientibus enim dif-
funduntur & inflantur omnes frigidi ac craſſi humo-
res, qui, inteſtina diſtendendo, augent dolores. Conue-
nit itaque ipſos diſſecare & concoquere citra vehemen-
tem calorem, & per minimè inflantium vſum. In exacer
bationibus igitur, conſimilis colicorum cura fieri de-
bet qualis ad voluuloſos eſt prædicta, irrigationes vi-
delicet ex oleo rutaceo & ſicyonio & anethino, in diæ-
D que & fomenta ac cataplaſmata, infuſa item & glandium
admotiones, illitionéſque ſedis. Vomitus verò ante cœ-
nam, ſiquis facilè vomat, præ omnibus auxiliatur. Vbi
verò malum ipſum producitur ad plures dies, inſeſſio
in ſolium ex oleo repletum aſſumenda eſt: aut, ſi hoc fie-
ri nō poteſt, ex aqua & oleo repleatur, in quibus althæa,
pulegium, ac lauri folia, ſimiliáque ſint decocta. Fomē-
tum verò ſiue vaporatorium adhibeatur ex furfuribus
& milio, & cataplaſmata quoque ad voluuloſos prædi-
cta. Poſt dies verò ſeptem purgatio & hiera Archigenis
E ſuſcipiatur. Licebit tamen & non purgare, verùm ab a-
crium ciborum eſu inchoare. quando verò allium ipſum
omnium minimè inflat, niſi febris adſit, confidenter i-
pſum afferemus. Sitis autem ſequitur acrium rerum com
eſti onem. præalleuetur itaque præcedēte victu æger,
vbi ad acrium rerum eſum procedere volet: aquæque po
tu vtatur. Flatu autem ventoſo infeſtante, egregium re-
medium cucurbita ſæpius affixa cum largiore flamma
exiſtit: vt incantationi ſimilem affectum præſtare videa
tur, & in quacunque corporis parte apponatur, confe-
F ſtim à dolore liberare ac perfectè ſanare cognoſcatur.
Quòd ſi humor quoque vnà cum flatu affuerit, e veſti-
gio quidem à dolore leuantur: mox verò rurſus redeunt
dolores, maximè vbi quippiam peccati circa diætam fue
rit admiſſum: aut ſi plus quàm oportuit calefecerint i-
pſa membra. maximum autem ſignum & hoc tibi fuerit
ad affectionis cognitionē. Ne calefacito itaq; manifeſtè,
ſed diæta attenuatoria vtaris. Oportet autem & ante infu
ſorum vſum, cucurbitam dolentibus locis adhibere: in-
déque oleo rutaceo, & huiuſmodi cūctis infuſis vti. Mul
G ti verò accepto clyſtere vehementer dolent, & vitreo hu
more excreto ſtatim liberantur. Febre autē vt plurimùm
carent, ſitique in totum non infeſtantur. Naſcuntur & in
colo lapides, ſed rarò: quare oportet eos vrinam cienti-
bus, & ſtomacho gratis vti, ſanitatíſque tempore etiam
venam ſecare, & catapotiis ex aloe gratia præſeruandi v-
ti. Quandoquidem autem colum ipſum in quibuſdā de
bilitatum ex leui occaſione & per interualla quædā do-
lores inferre cōſueuit: melius vtique fuerit exquiſitiore
diæta vti, & curam quoque affectioni conuenientē ſub-
H ornare. Qua de cauſa vbi à ſomno ſurrexerit æger, ven-
trem exonerare tentet: deinde ad deambulationem pro-
cedat. Deambulet aut & hyemis tempore, niſi frigidior
ſit aer, aut ipſius debilitas hoc nō permittat: idque faciat
in loco ſub dio aeri expoſito, & patēti: primùm quidem

lentius,poſt verò concitatius. quieſcat vbi crura incalue rint fuerintque delaſſata. Deinde domum reuerſus bibat aliquod pharmacum affectioni conueniens, modicéque quieſcat.Et vbi quotidianæ alicui ac conſuetæ actioni va cauerit,per horã equo vehatur,aſſiduè ei inſidendo:quod ſi facere non poſſit,in curru:ſi autem imbecillior ſit,per nauigiũ.iacens enim vectari poterit,quum omne corpus vnà cum nauigio commoueatur. Pòſt verò,vbi moleſtiã ex vectatione obortam modica deambulatiuncula exclu ſerit, leniter exclamet, aut concinnè cum vociferatione procedendo legat:deinde rurſus modicè quieſcens ad in-unctionem ac fricationem exuatur. Exercitatione itaque factã,& cura admota,cibum accipiat circa ſextam horã, vt & ad cœnam ſufficiens interſtitium fiat. Partiatur autẽ cibos,maioremq; eorũ partẽ in cœna aſſumat.vtiliſſima enim colicis ciborũ partitio exiſtit.præpotato igitur abſin thite vino,panem in clibano coctum recentem probè ap paratum accipiat cum oliuis colymbadibus muria cõdi-tis,aut paucis vuæ penſilis acinis,aut ficis viridibus tribus aut quatuor.deinde à potu, niſi valdè vrgeatur,abſtineat: ſi verò ſiticuloſus ſit,modico potu vehementiæ ſitis me-deatur: otióque & iucunda animi voluptate fruatur.De-inde per circuitum affectione repetente,deambulet: ci-bóque probè diſpoſito,ad cœnam accedat.In cœna ſi ſiti-culoſus ſit, modicum præbibat, & poſt paruum interſti-tium cœnet:ex variis quidem pauca, & commoditatibus abundè referta.Potus medium cibum non dirimat, ſed poſt ipſum reſeruetur. qui ſufficit etiam potus exhibea-tur: multa enim potatio inconueniens affectioni exiſtit. Non longo deinde à cœna interuallo facto,ad ſomnũ di-uertat.& ſi quidem noctu ſitis vrgeat,ei parcè medeatur, aqua paulatim abſorpta.Atque de quotidiana quidem di-ætæ ordinatione hactenus. Cæterùm paucis ſubnectam etiam commodos affectioni cibos, potionéſque & phar-maca.In vniuerſum igitur omnia quæ colicis exhibẽtur, attenuatoriæ ſunt diætæ. Panis itaquè neque ſit aridus, neq; calidus,in clibano coctus,aut ſi is nõ adſit, in furno, Olera autem cruda quidem non ſunt danda, coctá verò conueniunt,cichorium,intubum:rarius autem cauliculi lactucæ,cucurbita in calido cinere aſſata,(cocta enim ſto machũ lædit)malua cocta.verùm nihil horũ abſq; pane exhibendum.Dandæ etiam colymbades oliuæ cum ace-to mulſo ac ruta præparatæ: ab aliis verò abſtinendum. Legumina omnia per ſe quidem affectioni incommoda ſunt. verùm varietatis gratiá aliquantùm aſſumatur len-ticula cum beta colliquata optiméque contrita, aut cum ptiſana:aut faba cum ptiſana diligenter ſubacta. Cæte-rùm rarum leguminum vſum probo,ptiſana excepta: cõ-moda enim hæc eſt,lapatho cum ea colliquato.Conuenit etiam ſalſamentum piſcium petroſis locis degentium: itémque limaria non inueterata, nec muria condita: pi-pere autẽ & ruta cũ aceto mulſo cõdita exhibeantur. Ex carnibus conueniunt imprimis volucrium, ſecundo loco piſciũ numerãtur,tertiũ ordinẽ terreſtriũ carnes habent. In vnoquoque genere omnia inconſueta reprobanda. In ter ea verò quæ pro conſuetudine in cibum noſtrũ àcci-pimus,vitanda ſunt dura,ſiue natura ſiue ætate talia exi-ſtãt: item quæ neruoſam ac fibris refertam habẽt carnẽ, graueolentiáque ac fœtida, & quæ aliàs mali ſunt ſucci, aut grauioris qualitatis,& pinguia,atque ea etiam quæ o-mnino macra ſunt & infirma, & quæcũque præ humidi-tatis multitudine diffluunt. Quapropter ex piſcibus, ii qui in fluminibus & ſtagnis degunt,vitandi ſunt: ex ma-rinis autem,qui in petris degunt, iis qui intra pelagi pro-fundum verſantur ſunt præferendi:qui tamẽ in profun-do maris degunt,littoreis præſtant:& littorei rurſum po-tiores ſunt iis qui in marinis paludibus nutriũtur,etiám-que iis qui in magnarum vrbium ſtagnis victũ quærunt. Eligendi autem ſunt maximè lupi & aſelli mediocri magnitudine: ſcari autem & turdi ac gobii tenerrimi quidem ſunt, & facillimè ſecedunt: alimentum autem paucum robùrque corpori addunt. Scaros autem hic nõ magnos intelligere oportet. Mulli autem & ſcorpii & paſſeres, nutrimenti quidem ac roboris gratia omnium gratiſſimi exiſtunt, grauiorem autem omnem habitum

A reddunt,vt ob eam cauſam frequentiorem eorum vſum vitare oporteat. Murænas autem & loligines,ſepiáſque & polypodas,omniáque ſimpliciter mollia, vt quæ difficul-ter cõcoquantur,inflationes pariãt, noxióſque humores generẽt,cẽſeo reprobanda.Ex iis verò quæ teſta integũ-tur,ſquilla omnium minimè noxia exiſtit. cancer turba-tionem inducit.gãmaro autem ſiue aſtaco pro voluptate fruatur.Ex oſtreorum porrò genere, purpuræ & buccina reliquis præferenda:deinde pelorides præſtant:poſtea he rinacei recentes: deinde quæ propriè oſtrea appellantur: reliqua verò relinquenda. Ex volucrium genere, gallinæ
B omnibus præſtantiores. ſint autem feræ, & in montanis altæ:deinde perdices,& palumbi, debilis nutrimenti gra tia exhibendi,turturéſque feri ac per agros nutriti & co-lumbæ.Fugienda omnia volucrium genera quæ in aquis degunt, tanquam graueolentia, & quæ ſuperfluitatibus multis abundent. Ex quadrupedum animantium ge-nere præſtant carnes ſuillæ, tum concoctionis & alimen-ti roborìſque quod inde corpori accedit, gratiá, tum quòd facilè ſecernantur: ſecundo loco hœdinæ haben-
C dæ:reliquæ verò domeſticæ fugiendæ. Ex ſylueſtribus & feris paucæ, varietatis tantùm gratia dentur. Omnes au-tem carnes quas exhibere velis, ad duas dies promptas & paratas habere oportet,in hyeme præſertim, vt friabiles reddantur.Ex aqua etiam omnes coquantur.quæ enim in ſartagine fricta ſunt, quantũ fieri poteſt vitẽtur. Cauen-dum etiam à viſceribus omnibus. ſunt enim frigida, & turbationem mouẽt,difficulter concoquuntur, grauiáq; ſunt & ſanioſa ac fœtida, nimiáſque humectationes ac nauſeas producunt: maximè tamen omnium cerebrum.
D Pulmo ſanè hœdinus bis aſſatus, ac in cibo acceptus, ſu-perabundans alimentum ſubtrahere videtur. qui verò eum lacte replent, deindéque coquũt aut aſſant, volupta-tis gratia non vtilitatis reſpectu id faciunt: multóque magis qui eum fruſtatim conciſum in ſartagine torrent. Sale conditi arietis pulmo maximè vetuſti, difficulter & grauiter à ventre exuperatur. Cochleæ autem terreſtres ſucculentæ in cibo ſumptæ, obluctari & ſeſe opponere colicæ affectioni videntur.In liquamentis & condimen-
E tis conueniunt, cuminum, mentha, ruta, ſiſon, fœnicu-lum, origanum, ammium, thymum, piper, zingiber, daucus, ſuccus ſilphii, acetum, mel, garum, vinum.Py-rethrum verò & liguſticum, ac helenium, ſimiliáque, magis medicamentaria vi prædita ſunt: & ob id in quo-tidiano vſu ac diæta vitanda. In vniuerſum autem, vt ſummatim dicam, vnius coniectationem facere opor-tet,vt ſcilicet accepti cibi optimè concoquantur. Particu-latim verò,vt ne ſiccitas excrementa apprehendat,neque fatigetur venter in multis cibis conficiendis: ne venter
F ciborum qualitatibus obluctetur, velùti ſi ægrè eas con-ficiat,& nimiam humectationẽ ei inferant,ne noxii hu-mores generentur, neque in ventre neque in vniuerſo corpore.Omnia enim inutilia recremẽta ex leui occaſio-ne ad affectum ac infirmum membrũ detruduntur.Qua-rè vitare cõuenit omnia dulciaria & placẽtas.plurima etiã ex bellariis ac fructibus: iucunditatis tamen & gratificã-di ſtomacho gratia, vua alba dulcis præ ariditate corru-gata cũ pane præbeatur,ficúſque maturæ cuticula auulſa: vua etiã vinaceis exemptis. reliqua verò omnino ſunt fu
G gienda. Vinum ſit ſubadſtringens,album,tenue, pelluci-dum,mediocri ætate,temperatura dilutiore, modicéque bibatur.Quòd ſi ſitis à cibo accedat, aqua calida præbea-tur.inſenſiſſima enim ipſis frigida exiſtit. Dulces autem prælibationes ex vino & melle apparatæ, propomata *Græcis* appellatæ, eo quòd ante cibos biberentur, omnes deuitandæ. Atque hoc ſanè modo ea quæ ad colicorum diætam pertinent, diiudicantur. Colicum remedium ex ſtœchade,nephriticis cõmodum. hoc omnes vete-res interiorum membrorum affectiones curauimus. da-tur autem ex ordine diebus x x x.& perfectè ab omnibus
H affectionibus liberat. Stœchadis drach.xviii.radicis pa nacis drach.v.agarici drach.i i. cinnamomi,myrrhæ, ſe-minis braſſicæ ſylueſtris,iridis,mandragoræ, hyoſcyami albi ſeminis,coſti,nardi Cretici quod phu appellant, ſpi-cæ nardi, piperis,opii, cuiuſque drach.xii. Accipio autẽ

piper longum, mei drach. xviii. ſeminis cicutæ drachm. xxiii. dauci drach. viii. Contuſa excipe melle deſpumato, ac exhibe robuſtis ſcrup. ii. reliquis, obol. iii. febre carentibus, ex vino mulſo: febrientibus, ex aqua. Infuſum quoque nucis Pōticæ magnitudine cum oleo in quo fœnūgræcum & ruta cocta ſunt, colicorum dolores ſedat.

Pharmaca ad colicos,

Cap. xxxi.

COnuenientiſſimum ad colicos pharmacum, vinum abſinthites exiſtit, ſi prælibatione à balneo aut exercitio opus habent: éſtque etiam non ſitientibus valde commodum, ſi laxiore ac debiliore apprehendente aluo, cyathi tēperati mēſura ante aridorū ciborū comeſtionē accipiatur. Apparatur autem vinum abſinthites & pro occaſione, virgis recentis & pleni abſinthii quindecim numero, per diem ac noctem in fictili vaſe vini tenuis & adſtringentis mediocriter vetuſti maceratis. menſura autē vini ſit ſextariorum trium. Decoctum etiam herbæ ipſius vbi ſemel tantùm ebullierit, pari modo ad vinum quod aliàs pro conſuetudine bibunt, admixtum, vtiliter à balneo ac exercitio præbetur. Melius autem eſt quod vbi otium ſit, ſic præparatur: Selibra abſinthii in amphoram vini optimi recentis, quod muſtum appellamus, coniicitur, oblinitur, in eáque permittitur, donec muſtum ceſſauerit feruere: deinde abſinthium quidem abiicitur, vinum verò reponitur ac inueteraſcit. habet autem omnino amphora ſextarios octo quadraginta. Vinum abſinthites aluum corroborat potenter, & quicquid lubricum infernè in aluo ac inteſtinis hæret, citra animaduerſionem detergit, bilis generationem præpedit, flatúſq; alios quidem depellit, alios verò auertit, quodámq; modo ſpiritum diſpenſationi præfectum defæcat. Aloe etiam optima, trium drachmarum pondere deuorata, aptiſſima eſt, vbi non pro ratione ciborum egeſtio excrementorum fiat. Quemadmodum autem optima aloe etiam ſola ſanitati reſtituere poteſt: ita vitioſa medicamentaria ſuperfluitate ventrem replet. Intercidentes verò obiter inflationes, ſylueſtre cuminum, quod & Æthiopicum appellant, cochleari menſura ex aquæ calidæ cyathis duobus aut tribus potatum diſſoluit: aut ſiſon ſimili modo, aut rutæ ramuli in aqua ipſa ferueſacti. Caſtoreum etiam aſſiduè potatum, totius affectionis apparatum demolitur, omnibúſque medicamentis præſtare repertum eſt. datur eius drach. i. in tribus cyathis optimæ aquæ mulſæ. Lupi autē ſtercus, maximè albū, ex aqua aut vino albo & tenui, ſummè colicis auxiliatur, inquit Galenus: non ſolùm in acceſſionibus & irritationibus, ſed tempore etiam interualli. aut enim perfectè morbum ſedat, aut ita præparat, vt ad tempus aliquanto mitius affligat. melius autem ſtercus cenſetur, quod non in terrā delapſum reperimus, verùm in fruticem aut herbam excretum. oſſa quoque in ipſo ſtercore inueniuntur, quæ ipſius animalis concoctionem effugerunt, quæ ſi trita bibantur, magnopere colicis auxiliantur: quare mundioribus hominibus repurgatiora exhibenda ſunt cum ſale ac modico pipere mixta, aut alio quopiam ad commendationem odoris. Mirum in modū etiam manifeſtè colicos iuuat inſtar amuleti alligatum iliis ægroti, idem lupi ſtercus. oportet autem filum quo amuletum colligatur ex oue à lupo diſcerpta ſumere, cum ſtercoréque ipſo in pelle ceruina excepto, ac filo colligato ilia præcingere. Si verò non ſuppetet lana ex ouicula à lupo diſcerpta, ligamentum ex ceruina itidem pelle accipere oportet. Corydus idem paſſerculus qui & corydalus *hoc eſt galerita*, appellatur, ſimplici iure coctus, aſſiduéque vnà cum iure acceptus, ſummopere colicis prodeſt. Vtilitatem enim ex eo expertus ſum, inquit Galenus. Cæterùm paſſerculis, quos pyrgitas à turribus, & troglitas ab antris & cauernis appellant, ſimilis eſt, qui ſanè circa vrbium muros verſantur ac degunt: verùm his maior eſt corydalus ipſe, habétque in capite veluti criſtam ſiue galeam ex pennis ſponte naturæ enatam: & circa vias reperitur, hyemis præſertim tempore. Aliud. Talum ſuillum vſtum & tritum, totum ex aqua bibendum præbe. Aliud. Thymi cacumina in aqua ad tertias decoquito, & ad percolatum decoctum mel deſpumatum adiicito, bibendúmque præbeto.

A Aliud. Radices verbenacæ rectæ tenuiter conciſas in aqua ad tertias decoquito, ieiuníſque per quinque dies bibendum decoctum hoc præbeto: & colicis medeberis. Vtere: eſt enim experimēto cognitū.

Aliud. Hoc itidem experimento conſtat, eóque ipſe liberatus ſum: Mētham viridem aliquandiu decoquito, decoctúmq; bibendū ad dies tres exhibeto, & nunquā dolore afficietur. cauendum autem ne olla in qua menthā decoquis, per tres dies terram contingat. remedium verò hoc eiuſmodi eſt, vt præſentem opem ferat, éſtque
B multo vſu cognitum. Lauri etiam teneriora virgulta arefacta, comedenda præbe per tres dies quibus mēthæ decoctum potant. Aliud mirabile. Marrubiū in vino mulſo decoctum bibendū præbe: liberabitúrque æger à dolore, neque vnquam poſtea incidet in affectionem.

Rhamni folia viridia trita in paſtillos informa, & exſicca, drachmámque vnam inde exhibe, febre carentibus, cum vino: febrientibus verò, cum hydromelite. Facit & ad voluuloſos, omnémque dolorem flatuoſum miro modo: per ructus enim ac flatus exoluti à malo, ſani fiunt.
C Aliud. Rhamni ſuccum poculi mediocris menſura, tantundémque paſſi Cretici miſceto: dum in ſolium in balneo deſcendit, bibendum præbeto, plurimúmque tolerare id iubeto: in frigidæ autem aquæ ſolium nequaquam conſcendat. experimento cognitum eſt. Ex apparatis verò pharmacis hocce nobis familiare eſt, inquit Archigenes. Caſtoreum & ammium tenuiſſimè trita, duorum cochlearium menſura præbe ex aqua mulſa. Secundum verò locum hoc habet: Caſtorei drach. iii. ammii, ſeminis apii, fœniculi, cuiuſque drach. i. exhibe eo modo
D quo præcedens. Aliquādo autē pro apio, panacis radicē adiiciēs præbeo, aſſequórque ritè quod volo. Præſtabile eſt & hoc: Aniſi, caſtorei, æquales partes miſceto, indéque drachm. vnam ex vino mulſo exhibeto. Aliud. Gladiolum vnà cum radice exſiccatam, contuſam, & cribratam, cum piperis granis vndecim bibendam præbe. diuturno malo hoc medetur. Cæterùm duo efficaciſſima ex multis omnino coli pharmacis, vſus approbatione præſtātia, inquit Archigenes, vnicuique communicabo. Sagapeni, piperis, galbani, pyrethri, croci, ſpondy
E lii, myrrhæ, cuiuſque drachm. i. radicis panacis drachmas viii. excipe melle, & ad cerati craſſitudinem redige. Vbi verò vſus expetat, manipulum vnū chamæleuces aut chamæpityos in vino optimo, leui, anniculo, heminarum quindecim mēſura, vſque ad tertias decoque. In hemina deinde decocti vna, ex pharmaco ad fabæ magnitudinē diſſolue: idque ſemel primo menſe bibendum præbe: ſecūdo deinde menſe bis, & tertio ter: atque hoc modo vſquequo quinquies exhibueris, ſecundum menſes auctione facta, procedes: niſi alui ramenta inde ſuccedant. ea e-
F nim leniter detrahere hoc pharmacum conſueuit. Alterum verò ad diſſoluendas acceſſiones valde efficax exiſtit: Myrrhæ ſtactæ, opopanacis, ſucci Cyrenaici, croci, pyrethri, galbani, ſagapeni, cuiuſque drach. viii. olei picini drach. i. mellis deſpumati quantum ſuffecerit vt ad cerati ſpiſſitudinem redigatur. Ex hoc pharmaco drachma i. in tribus cyathis paſſi Cretici diluti calidi liquefacta exhibetur. Neque vereor hæc etiam in acceſſionibus, niſi ex cruditate laboret æger, præbere: atque etiam in interſtitiis per aliquos dies ex his affectionem expugna-
G re, valdéque mihi ex ſententia res procedit. Theriace porrò Andromachi ex viperis conſtans, interualli tempore aſſiduè accepta, prohibuit ne facilè ab acceſſionis irritatione rurſus impeterentur. Antidotus Zopyrios appellata, præſens auxilium in debilibus doloribus exiſtit. facit ad colicos & alui inflationes, & incipientes aquæ inter cutem ſuffuſiones, maximè eam quæ tympanites appellatur: valet etiam ad iocinoris affectiones: prodéſtque iis qui venenum hauſerunt. Myrrhæ troglodyticæ dr. v. ſpicæ nardi drach. v. croci drach. iiii. floris iunci odorati drach. iiii. & dimidiam, caſiæ drach. iiii. cinnamomi
H drachm. iii. thuris drach. vnam, piperis albi ſeſquidrach. coſti drachm. vnam, excipe melle deſpumato: aut nucis Ponticæ magnitudine præbe ex vini mulſi, aut paſſi veteris cyathis duobus, aut ex aqua. Exhibeatur in colica

diuturna;habita tamen prius corporis cura,paululùm an
te horam cibi ſumendi ad dies ex ordine quindecim:de-
inde vbi ab e i⁹ exhibitione per quinque dies quieueris,
rurſus exhibe ad dies decem: iterúmque poſt multorum
dierum intercapedinem, parum præbe, donec ea am-
plius opus non habeat æger. atqui propria ſua efficacia
corpus ſe melius repræſentaturum promittit,tum carne,
tum colore,tum ſenſu, tum firmitate. Archigenes porrò
Zopyrium antidotum hoc parare iubet: Spicæ nardi
drach.VI.floris iunci odorati drach. V. myrrhæ drach.V.
croci drach.IIII.caſiæ drach.IIII.cinnamomi drach.III.
piperis drach. VI.coſti obolum,thuris obolum.Cæterùm
præter opinionem colicis conueniens antidotus eſt quæ
pæonia appellatur. in ipſis enim vehementibus acceſſio-
nũ irritationibus ante ſomnum exhibita,compeſcuit do
lores,ſomnúmque dulcem ſimul produxit, ac morbum
diſſoluit. Quidam etiã ipſam cum oleo infundentes,ſco-
pum attigerunt. Deſcripta autem habetur in tertiodeci-
mo De theriacis ſermone,huius videlicet tractatus:quare
ea ipſa cenſeo confidenter eſſe vtendum. Aliud valde
bonum oxyporium,citò penetrans, cum colicis tum in-
flatis cõmodũ: Cumini trientem,piperisalbi,cacuminũ
thymi,foliorũ rutæ,nitri,ſing.vnc.I. contere cũ aceto,ac
redige in paſtillos pondere vnius aut duarum drachma-
rum.exhibe iuxta cuiuſque vires cum aqua calida.Aliud:
Siſonis,caſiæ,foliorum lauri in vmbra exiccatorũ; ſing.
drach.VIII.petroſelini drach.IIII.ſpumæ nitri albæ drach.
V.excipe melle,ac vtere. Aut cochleare eius ſicci ex aqua
mulſa in qua ruta decocta eſt,præbe. Aliud. Cumini
ſylueſtris cochlearia tria,ſeminis coriandri,fœniculi,ani-
ſi,apii,ſeminis rutæ,cuiuſque cochleare vnũ,piperis grana
IX.vini ſextarium I.Hæc tenuiſſimè contrita vino permi
ſce,& quotidie cyathum vnum bibendum cum aquæ cy-
athis tribus præbe.A potu autem æger deambulet,& pro
bè concoctionem iuuabit, poteris & ipſum vinum cale-
factum præbere. Aliud Aſclepiadæ, quod ab omni affe
ctione penitus liberat: Corticis ſalicis viridis drachmas
V.zingiberis drach.IIII.piperis drach.II.palmas paſſas III.
rutæ viridis ramulos V.aquæ pluuialis ſextar. III. Omnia
ſimul ad tertias decoquito,atque ad horas ſiue dies tres,
pro qualibet vice cyathos duos exhibeto: & poſt triginta
dierum ſpatium,idem rurſus facito:quò per anni ſpatium
vnius, triginta & ſex potiones contingant. hoc enim
pharmacum potatum hoc modo,totam affectionem au-
fert. Aliud. Cornu cerui recèns enati adhuc capillis
obſiti,tenerrimíque ac vſti,cochlearia maioris modi III.
piperis albi grana nouem, myrrhæ parum quid ad com-
mendandum odorem.Contere omnia, eiſque cochlearũ
terreſtrium magnarũ vnà cũ teſtis ſuis tritarum,quãtum
viſum fuerit adiice: omniáque ſimul trita,& vino faler-
no mari mixto triũ cyathorũ mẽſura permixta,& ad mi-
tes prunas in vaſe fictili calefacta,ac ſedulò,nequid in fun
do reſideat,agitata, præbe bibẽda,ita vt nihil reliqui ma
neat,atque id maximè tempore acceſſionis, & ieiuno ad-
huc ægro fiat.Deinde verò cibum qui facilè conficitur
præbe,atque hoc ex ordine ad dies tres exhibe. Iis verò
qui cochleas ſumere non poſſunt, reliqua præbe ſicca
cum vino. Potio ad colicos,quæ etiam inflatis,& diffi-
culter concoquentibus, voluuloſiſque eſt accommodata.
Abſinthii,pulegii,piperis albi, cumini ſylueſtris, bacca-
rum lauri decorticatarum, omnium æquales partes exſic
catas ac tritas,cochleari menſura præbe ex aqua calida.v-
teréque eo confidenter. Aliud colicum remedium per
experientiam receptum: Baccas lauri IX. piperis grana
VII.opopanaca magnitudine ciceris.cõiice in aquæ cya-
thos III.totúmque ſimul feruefactum bibendum præbe:
quieſcátque inde æger, & perfectè ſanitati reſtituetur.
Oportet autem,inquit Galenus,ad viros maſculi, ad fœ-
minas muliebris ſexus herinacei internam membranam
accipere, exſiccaréque ac contundere, eiúſque partes tres
prædictis admiſcere. Aliud ad colicos præclarum.
Colocynthida maximam non ſolùm ferro perforatam,
ſed & ſemine eiecto euacuatam, ita tamen vt id quod in-
ſtar tomenti in ea eſt relinquas,vino veteri dulci quantũ
eius capere poteſt exple, eámq; per noctẽ integrã repone:

A manè verò vinum ipſum per panniculum diligenter ex-
prime ac percola, vt nihil ex medulla eius in ipſo potu
reſiduum maneat: vinúmque ipſum calefactum biben-
dum præbe:quo facto æger deambulet,& liberabitur.

De antidotis dolorem leuantibus,infuſiſque colicis
accommodatis, Galeni, Cap. XXXII.

PHarmacis dolorem leuantibus medici vti conſueue-
runt,vbi magnus adeſt dolor, aut vigiliæ, aut ne ob
violentam tuſſim lancinentur ægri, velut in ſanguinis re
B iectatione & deſtillationibus à capite contingere ſolet.
Verùm in illis mediocria exhibere ſolemus: quales ſunt
ex ſeminibus conſtantes tuſſi accommodatæ facultates,
quæ & ipſæ omnino aliquid ex ſoporem inducentibus
pharmacis admixtum habent: verùm modicum id eſt:
inter multa adeo ſemina,quæ & boni odoris ſunt, tenui-
úmque partium,& vrinam cient: cuminum dico, dau-
cúmque & aniſum, & quæ his ſimilia exiſtunt. Cæterùm
quæ ad colicos apparantur pharmaca dolorem leuantia,
eiuſdem quidem generis cum illis ſunt,verùm longè ma
C iori facultate prædita, atque id ob magnitudinem in eis
doloris.Opium igitur fortiſſimum eſt ſtupefactiuũ:ad-
miſcere autem ei oportet ea quæ aut doloroſam affectio
nem concoquere poſſunt,aut humores ab ipſo factos diſ-
cutere, aut ſecare & attenuare,aut ſecundum totam ipſo-
rum ſubſtantiã permutare. Scopus enim nobis in his eſt,
primùm quidem vt ſenſum ſtupidum reddamus:deinde
vt nihil in poſterum ex ſtupefactiuo pharmaco relinqua
mus quod membro nocumentum inferre poſſit: am-
plius autem,vt(quod maximũ eſt)affectioni opitulemur.
D Ad hæc itaque reſpectu habito,videtur mihi debito mo
do & iuxta rationem propoſitum componere pharma-
cum,ex hyoſcyami quidem & opii permixtione, quicun
que altiorem ſomnum ac ſoporem,ſenſitiuæque faculta
tis ſtuporem inducere velit. Quò verò citius digeratur,
omnémque profunditatem affectorum corporum pene-
tret,calefacientia admiſcere oportet, piper videlicet ac
euphorbium & pyrethrum,quæ nociuos humores diſcu-
tere poſſunt,& repurgare viſcoſos ſecaréque craſſos,&fla
tus ventoſos attenuare,concoqueréque & euacuare. Ne-
E que verò parum concoctoriæ facultatis, frigidorum præ
ſertim humorũ,in Indica nardo exiſtit. Quemadmodũ
autem ex aromaticis nardum coniecit Philo,ſic & ii qui
ei ſucceſſerunt,alii aliud adiecerunt:florem iunci odora-
ti,caſiam, amomum ac coſtum. Quemadmodum autem
rurſus crocum coniicit Philo concoctorium pharmacũ
ad humorem & affectionem crudã,ita alii myrrhámque
& caſtoreum admiſcuerũt: plurimíque ex ipſis, neque id
malè,etiam familiaria nobis ſemina,apii videlicet & cu-
mini,aniſique ac dauci & petroſelini & quæcunque eius
F generis exiſtunt,adiecerunt:quò videlicet amarorũ phar
macorum iniucunditatem lenirent, ad digeſtionémque
& vrinæ expulſionem totum pharmacum impellerent at
que inhortarentur.Si verò vaporum aut humorum craſ-
ſitudinem attenuare oporteat,& hoc ipſum per ea cõtin-
git. Prima itaque,vt apparet,ex omnibus vetuſtioribus
præclara Philonis antidot⁹ exiſtit,de qua ipſe hæc ſcribit.
Philonis antidotus. Philonis Tarſenſis medici magnũ
mortalibus inuentũ ad multarum affectionũ dolores,ſi-
ue colum quis doleat,ſemel datum,ſiue iecur:ſiue etiam
G vrinæ difficultas,aut calcularis morbus, aut orthopnœa,
aut tabes infeſtet.Sanat & conuulſionem & pleuritidẽ,ac
ſanguinis reiectationẽ,aduerſúſque mortẽ ſe opponit,o-
mnes viſcerũ dolores ſedat,tuſſimque & ſuffocationẽ,ſin-
gultúmque & deſtillationẽ. Hanc etiã Andromachus in
ſuos cõmentarios retulit,hoc modo de ea ſcribens:Coli-
ca antidotus admirabilis,qua vtor & ad voluuloſos, & ad
eos qui ſtercora per vomitum reiiciunt, in maximis do-
loribus: datur magnitudine fabæ ex cyathis tribus aut
quatuor aquæ frigidæ.Cõpoſitio autem hoc modo habet:
Piperis albi drach.XL.opii drach.XX.croci drach.X.ſemi-
H nis hyoſcyami albi drachm. XL. ſpicæ nardi,euphorbii,
pyrethri, cuiuſque drachmas duas. excipe melle cocto,
ac vtere. Alia antidotus colica, Nicoſtrati iſotheos ap
pellata,duobus talentis empta, faciẽs ad ſtomachicos qui
cibum continere non poſſunt, oculorum affectiones, &

magnas vexationes,& dolores vuluæ, ex hydromelite in quo ruta ſit incocta. Croci ſeſquidrach.myrrhæ drach.II. ſpicæ nardi drach.II.coſti,piperis albi, piperis longi, galbani,cuiuſque drach.I. cinnamomi, ſucci mandragoræ, caſtorei,cuiuſque drach.II. ſeminis dauci ſeſquidrachm. (alii drachm.III & dimidiam eius coniiciũt) opobalſami drach.IIII.ſagapeni drach.III.caſiæ drach.IIII.excipe melle deſpumato,& fabæ magnitudine præbe.

Quæ colicis infundantur,& per anum ſubdantur, Cap. XXXIII.

HVius generis ſunt etiam quæ ſedi applicãtur, quæque ad leuandum dolorem per anum, tum ſubduntur, tum infunduntur. Opium itaque ex genere eorum eſt quæ fortiter ſenſum ſtupidum reddunt, ac ſomnum ſoporiferum inducunt. atque hæc facit tum per ſe ſolum,tum cum pari caſtoreo in ſapa aut oleo rutaceo imbutũ,tomẽtóq; exceptũ & ano inditũ. Miſcere enim hæc pharmaca oportet quopiã vires ipſius opii mitigante,nocumentúmque quod inde mẽbris infertur impediente, ampliúſque affectionem iuuante. Aliud,quod ſubditur colicis:ad dolorem leuãdũ. Caſtorei,croci,opii,myrrhæ, ſtyracis æquales partes in collyria lõga redige cum aqua, & vtere. Infuſum ad colicos mirabile: Cedriæ quadrãtem, picis liquidæ ſemiſſem, caſtorei ſeſquiunciam, opii ſeſquiunciam, piperis grana L X. vnito cum digito medio vel eo qui index appellatur,vſque ad primam flexuram vncto,& ſimul cum olei rutacei cyatho vno inquinato,admixtáque butyri vncia I.terebinthinæ ſeſquiuncia,tepefactum per fiſtulam ampliorem infundito:ſubſidet enim & dehiſcit,ac ab vnione diſcedit. Aliud infuſum, quod ante ſomnũ acceptũ,ſomnum cõciliat, dolorẽ lenit, concoctionémque probè iuuat: Succi abſinthii dr.IIII.opii dr.IIII.aloesdr.XII.picis liquidæ vnc.I.cedriæ vnc.I.myrrhæ vnc.I.cẽtaureæ dr.IIII. caſtorei dr.X. coſti dr.VI.maſtiches vnc.I. foliorũ rutæ vnc. I. ſtyracis vnc.I. mellis & terebinthinæ liquidæ quantum ad coactionem ſufficit,quò ad mellis craſſitudinem redigatur. Vſu verò expetente,ex pharmaco hoc drach. plus minus quatuor, iuxta ægri vires ac ætatem,in diplomate cum oleo cyprino,gleucino, anethino,telino,in quibus cuminum contuſum coctum eſt,diſſolue,modicúmque butyrum admiſce.Et vbi aluum per clyſterem ſtercoris eductiuum prius euacuaueris,deindéque laueris, & cibum exhibueris, ac caput ex anethino aut omphacino illeueris,ante ſomnum infunde. vtere: experimẽto enim cõſtat. Aliud,quod infernè infunditur,quo ego vſus magnum nomen aſſequutus ſum. Caſtorei drach.IIII.croci ſextantem (alii tamen drach.II.tantùm habẽt)opii trientem,myrrhæ drach.IIII. ſucci rutæ drach.II.nitri rubri drach.II(quidam verò pro nitro ſpicam nardi ſcribunt)excipe melle deſpumato cocto. Vſus verò tempore,nucis auellanæ paruæ magnitudine, aut fabæ tantùm accipe, ac in vini menſura vna, diſſolue, affuſáque olei rutacei menſura vna,vt videlicet duæ mẽſuræ ſint in totum,permiſce, ac præloto ægro ante ſomnum infunde.Cæterùm præſcriptas ad dolorem leuãdum antidotos & infuſiones vitare oportet,ne in nimis aſſiduum vſum conuertamus:ſedant enim conſeſtim dolores,cauſas verò intus reſeruant: & aut paulo pòſt animi deliquium inferunt,& mortem,aut diuturnas & indiſſolubiles affectiones reddunt. Aliud infuſum mirabile: Butyri quincuncem,adipis anſerini,adipis gallinacei,medullæ ceruinæ, terebinthinæ, cuiuſque ſextantem, adipis vrſini vnc.I.cumini,foliorum rutæ,caſtorei,cuiuſque quadrantem,euphorbii recentis drach.VI.opobalſami ſeptũcem, nardi Celticæ trientem,vnguenti nardini lib.II.olei rutacei ſextarios IIII. Vtere hoc ipſo in vehementibus doloribus:euacuatione tamen prius per clyſterem facta,& poſt horæ ſpatium menſuram vnam mediocris poculi tepefactam infunde,quieſceréque iube, ac aliquandiu pharmacum retinere:atque ita diuinam eius videbis facultatem. Aliud infuſum, quod etiam cauſas euacuat,ac dolorem leuat. facit & ad diuturnam renum affectionem,& ad calculoſos, eóſque qui inuoluntariè vrinam eiiciunt: Allii capita magna tria,rutæ viridis manipulares faſciculos duos,olei dulcis libras quatuor. Allia

A decorticato,& cum ruta ac oleo donec torrefiant coquito,atque id ad prunas fumum non emittentes facito, ac deinde percolato,ad oleúmque butyri librã I. affundito, picis liquidæ ſextarii Italici quartam partem, cedriæ tantundem:vnito, ac in vitreo vaſe recõdito. Vſu autem expetente,ſextantem inde, aut minus iuxta ægri vires accipito,oleóque & vino pari menſura acceptis,ita vt totum hemina vna fiat,cõmiſceto,tepefactũmq; infundito. Aliud infuſum: Olei cyprini lib. V.caſtorei ſeſcũcem,antidoti regiæ,quæ etiam tetrapharmacũ appellatur,ſeſcũcẽ: emplaſtri ex ſuccis ſeſcuncẽ,terebinthinæ ſeſcunciam,bu

B tyri ſeſcuncem,baccas lauri centum & vnam,baccas allii magnas quinquaginta vnam,cumini lati vnc.I.rutæ manipulum I. Baccas lauri & allia mundato:latũ verò cuminum & rutam in pila tundito,& in hemina vna vini veteris dulcis macerato.Sequenti verò die affuſo oleo & butyro,in diplomate decoquito,percolato,ac reliqua admiſceto,paritérque caſtoreum cum oleo tritum. vtitor. Vbi verò vſus poſtulauerit,pharmaci huius ſextantem accipito,& adipis anſerini liquefacti itidem ſextantem admi-

C ſceto,tepefactũmque iniicito. Infuſum colicum admirandum: Fœnigræci ac lini ſeminis æquales partes,quã tum ſatis videbitur accipito, & in aqua præmaceratã decoquito,atque vbi ſuccus inde prodierit, quantum ad vſum ſatis videbitur percolato,ac in eo ipſo quod percolaueris,lanas ſuccidas eluito, expreſſiſque lanis, ad aquam ſalem & oleum moderatè adiicito,ſimúlque vnito, ac tepefacta infundito.

Cataplaſma colicum, ex libris Seueri, Cap. XXXIIII.

D FArinæ cicerum nigrorum,ſeminis braſſicæ,farinæ fœnigræci, ſingulorum æquales partes decoque cũ melle oleóque cyprino, modico vino affuſo. Eſt & alterum admirabile remedium, cuius efficaciam experimentum ipſum approbauit. Accipit autem fœnigræci partes II, baccarum lauri contuſarum,maſtiches Chiæ, & terebinthinæ,ſingulorum partem vnam. Coquitur cum vino & melle. Epithema colicis,inflatis: Silphium plurimum cerato cyprino excipe,& impone.Ego verò,inquit Archi-

E genes,etiam caſtorei paululum admiſceo, efficaciúſque redditur ad ſtomachi præſertim inflationes. Aliud epithema ad colicos,inflatos,coxendicum dolores,pleuriticos,ac ſtomachicos,& diuturnum vomitum cibi: attrahit etiã ac duritias emollit: Ceræ,picis,reſinæ pinus,adipis taurini, baccarum lauri, ſingulorum quincuncem, ammoniaci thymiamatis trientem,galbani quadrantem, piperis ſeſquiunciam. aliqui etiam canchryos quadrantem,ammiique tantundem coniiciunt. Aliud. Ceræ libras II.Celticæ nardi, floris iunci odorati,caſiæ, cyperi,

F cuiuſque ſextantem,colophoniæ lib.II. terebinthinæ ſeſquilibram, thuris,pyrethri, cuiuſque ſeſquiunciam,euphorbii vnc.I.coſti drach.X X X. vnguenti irini quantum ſuffecerit.Arida in vino rigata ac exſiccata contundito & cribrato,atque ita liquefactis inſpergito. Ad finem etiam opobalſami ſextantem aut quadrãtem admiſceto. Facit quæcunque etiam polyarchion:maximè tamen inflatis conducit. Vtendũ quoque ad colicos paulo mox ſubſcripto polyarchio appellato,atque eo quod ex baccis lauri cõſtat,quod ad hydropicos deſcribetur, & ſiqua his

G ſimilia exiſtũt.Propriè autem colicis conuenit,inflãmatiſque & inflatis,quod in epiſtolis Archigenis refertur,ex ſeminibus cõſtans: Ceræ drach.centum, terebinthinæ drachm. L.ammoniaci thymiamatis drachmas quinquaginta, opopanacis, iridis Illyricæ, aniſi, meliloti, nitri adipis taurini, fœnigræci,ſeminis apii, cuiuſque drach. XXV.mellis ſeſcuncem,aceti cyathos duos.Arida contundito & cribrato:ammoniacum autem in aceto multo per noctem vnam maceratum reponito.poſtera die liqueſcibilia feruefacito, in mortarióque cum piſtillo tuſa commiſceto.Hoc epithema hoc modo purum citra aliarum

H rerum admixtionem impoſitum,cutem exaſperat,eíſque qui vitioſis humoribus amplius abundant,ſerpiginoſum pruritum excitat:quare in iis qui tenuiores carnes habẽt, ex cerato roſaceo quantum tibi ſatis videbitur pro curandi corporis ratione, admiſceto. Dropax etiam aſſiduè

ſuper omnem ventris amplitudinem iniiciatur, atque etiam ſuper dorſum. Componatur autem is ex pice & reſina, modica cera, ſulphure, bitumine, manna, nitro, adarce. Intenditur autem vſus eius; ſi calidiori & non pinguefactæ cuticulæ admoueatur, atque etiam inter exercitia incumbere ſinatur. Aliquando etiam balneum ſuſcipiatur, ex nitro affato toto corpore largè conſperſo. Huiuſmodi enim dropacis vſus violentius affectionem deſtruit: ſicut & ſinapiſmus & thapſiæ vſus, multis qui antea exquiſita diæta ſunt vſi, & per aluum, ſi quidem adſtricta fuerit, ſunt euacuati, affectionem omnem excidit. Porrò dropacum & ſinapiſmorum apparatus in tertio Sermone ſunt deſcripti. Aliud Archigenis, vile quidem, verùm ob efficacem ipſius lenitatem in pretio habendum.

Picis liquidæ lib. II. ceræ ſeſcuncem, ſulphuris viui, nitri, aluminis ſciſſilis, cuiuſque quadrantem. Ad picem liquidam præcoctam vſquequo non amplius inquinet manus, ceram iniicito, qua liquefacta ab igne tollito, aridáque tenuiſſimè trita inſpergito, vnito, emollito, ac vtitor. Flatus infernè educit, cutem vellicando iucundè afficit, ac per omnia colicis auxiliatur. Prodeſt etiam coxendicum doloribus, & articulis refrigeratis, lieníque indurato. Epithema ex baccis lauri ad colicos. Ceræ, colophoniæ, picis ſiccæ, ſpumæ nitri albi, ammoniaci, cuiuſque dextantem, baccarum lauri decorticatarum ſeſquilibram, piperis ſextantem & vnciæ dimidium, ammii, cāchryos, iridis, cuiuſque ſeſquiunciam, galbani ſeſquiunciam, vnguenti irini lib. vnam. Quòd ſi canchrys non adſit, pyrethrum coniice: & liquefacta cum ſiccis permiſce. Hoc etiā approbat Oribaſius. Polyarchion, quod in Alexandria præparatur. Caſiæ, amomi, roſarum, cyperi, cardamomi, ſpicæ nardi, nardi Celticæ, folii, iridis, œnāthes, cōpoſitionis hedychroi, maſtiches, croci, meliloti, ſucci abſinthii, ammoniaci thymiamatis, aloes, bdellii, myrrhæ, cuiuſq; vn. I. xylocinnamomi, piperis cōmunis, helenii, ſtyracis, cypheos, thuris, cuiuſq; ſeſquiunciā. Succos cum aridis committito, admiſcetóque xylobalſami ſcrup. XII. floris iunci odorati ſcrupulos XII. terebinthinæ ſeſcuncem, vnguenti nardini beſſem, roſacei lib. I. hederæ vnc. XVI. opobalſami ſextantem. ſucculenta vino diluta terito. Polyarchion quod dialeimma, *id eſt intermiſſio*, appellatur: quod & ipſum in Alexandria præparatur. Caſtorei vnc. I. piperis longi ſeſquiunciam, myrrhæ, opobalſami, hedychroi, foliorū malabathri, radicis panacis, ſpicæ nardi, cuiuſque quadrantem, coſti ſextantem, amomi ſextantem, cinnamomi ſeſquiunciam, aut pro eo caſiæ quadrantem, floris iunci odorati trientem, croci ſextantem, cyperi, cardamomi, iridis, ariſtolochiæ longæ, ariſtolochiæ rotundæ, cuiuſque ſextantem, pyrethri trientem, ammoniaci thymiamatis quadrātē, aloes quadrātē, ceræ libras IIII. terebinthinæ lib. IIII. reſinæ trientem, vnguenti nardini lib. III. quidam etiam ſtyracis ſextantem addunt. vini verò quantum omnino ſufficit. Polyarchion multo experimento cognitum, quo confidenter ad omnes diuturnos frigidiores, præſertim circa viſcera, morbos vtaris: ego ſanè eius vſu ſemper clarus euaſi. Styracis pinguis dextantem, foliorū malabathri ſextantem vnciámque dimidiam, malorum cotoneorum repurgatorum vnc. XV. maſnaphii vnc. duas & dimidiam, ſpicæ nardi, croci, cuiuſque ſextantem dimidiámque vnciam, micarum purarum dextantem, cypheos dextantem, œnanthes quincuncem, carpobalſami ſeſquiunciam, comæ abſinthii vnc. II. & dimidiā, maſtiches vnc. II. & dimidiam, caryophylli vnc. I. ſcrupul. VI. ammoniaci thymiamatis vnc. XX. colophoniæ vncias XVI. opobalſami vncias XII. & dimidiam, olei gleucini deuncem, nardini dextantem, melini vnc. XX. propolis dextantem, roſacei ſextantem vnciámque dimidiam, mellis cochlearia viginti, terebinthinæ Chiæ vnc. XX. ceræ vnc. XV. vini ſpathitæ quantum ſufficit ad reliqua cum eo conterenda, & ad rigandas micas. Arida quidem omnia contundito & cribrato: mala verò cotonea conciſa cum vino ſpathite coquito, ac per ſe terito: deinde ammoniacum & maſtichen cum vino conterito. Styracē verò cū opobalſamo in altero mortario diſſoluito, atq; omnia trita ac diſſoluta ſimul vnito:

A liquefactíſque quæ liqueſieri poſſunt, & ab igne ablatis arida infarcito, ac donec refrigerentur agitato: deindéque ad ea quæ in mortario trita ſunt adiicito, ac vnito: adiecto etiam ſimul melle. pòſt verò emollito ac optimè ſubacto, tanquam valdè probato, vtitor. Aliud epithema præter opinionem efficax ad omnes præcordiorum vetuſtiſſimas etiam affectiones, præſertim in ſtomacho ac ventre. Quibuſdam etiam quibus aqua inter cutem iam ſuffundi incepit, profuit. Duritias enim in ſtomacho vnicè diſſoluit, ſupra hocq; viſceribus robur & firmitatē
B addit. Compoſitio hoc modo habet: Reſinæ pinus libras XX. ceræ lib. quinque, terebinthinæ deunces duas, olei lētiſcini vncias XVI. gleucini vnc. XVI. thuris quincuncē, ladani quadrantem, ammoniaci thymiamatis, nardi Celticæ, ſucci abſinthii, maſtiches, bdellii, caſiæ, cuiuſque quincuncem, cardamomi, floris iunci odorati, iridis, balauſtiorum, ſingulorum trientem, carpobalſami quadrantem, caryophylli quadrantem, herbæ ſabinæ quadrantem, ſtactæ albæ quadrantem, piperis ſextantem, ſuffimentorum ſubſcriptorum lib. quatuor, œnan-
C tharii quantum ſufficit. Suffimentorum verò quæ ad huius epithematis compoſitionem coniiciuntur, apparatus hic eſt: Liliorum alborum depuratorum lib. II. ſtyracis pinguis lib. II. & dimidam, folii lib. I. caryophylli trientem, coſti trientem, ſpicæ nardi trientem, maſtiches quincuncem, amomi ſeſcuncem, onychum aromaticorum vſtorum & extinctorum, opobalſami, ſingulorū beſſem, carpobalſami ſeſcuncem. Apparato ac redigito in paſtillos, eíſque ad præſcriptam compoſitionem vtaris.

Quomodo aluum fluxione laborantem curare
D
oporteat, ex libris Philumeni, Cap. XXXV.

ALuus tum in febribus tum citra febres fluxione laborat: maiori verò difficultate eorum qui febricitāt cura perficitur, coniecturáque exquiſitiore opus habet. In principio enim aliena à natura ſalubriter euacuare cōſueuit: ipſa videlicet natura vndiquaque ad ſuperfluum & incommodum reiiciendum cogente, quemadmodum in febrilibus morbis frequenter fieri videmus. Conuenit itaque rebus ſic ſtantibus, aut vſquequo natura omnem curam ſuam impenderit expectare, aut ipſius etiam mo-
E tus adiuuare. Etenim obluctari & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit: ſiquidem quæ cohibentur ſurſum perlata dolores capitis, aut phrenitidas, aut lethargos, aut parotidas inferunt planè pernicioſas. Quare in principio ea quæ in corporis cōmoditatē vtiliter excernuntur, minimè inhibere oportet. Poſtquam verò iam diutius perſeuerauerint fluxiones, non ſolùm ſuperflua euacuantes, verùm habitum veluti colliquantes, viréſque conſumentes: tunc ſanè reſiſtere eis oportet, tum per ea quæ per os ſumuntur, tum quæ per anum infundū-
F tur, atque ea quæ forinſecus imponuntur. Si itaque bilioſa pura recrementa prodierint, in magis ſalubria permutare ipſa oportet, non tamen per cohibitionem eos curare. Bilioſum enim tum in ventre, tum in ieiuno inteſtino aggregatum, atque poſt coaceruationem retentum, maximopere lædet. nam & ſtomachum ſubuertit, & viſceribus inflammationes infert, & ſitim accendit, & febres inſtaurat, omnéſq; prædictas affectiones in capite efficit, atque in totum grauiorem affectionē reddit. Lac igitur in tali incommoditate bubulum aut caprinum tepidū,
G recēs mulctum ac potatum auxiliatur, aut ad ignem decoctum, aſſiduéque agitatū, donec ad tertias ſit reductū: quod ipſum & per fluuiales ſilices, ferríque laminas igni candefactas ac in lacte extinctas fieri poteſt. Cæterùm in decoquendo ſuperſtantem concretionem ſiue ſpumam myſtro aut pinna auferre oportet. hoc enim nullum compendioſius remedium ad fluxiones bilioſas reperire poſſis. Quandoquidem autem febricitantibus lac ipſum in nidorem aut etiam acorem conuerti conſueuit, maiúſque nocumentū quàm commoditatem inferre, tunc ſanè in præſens ipſum exhibere vitabimus: aquæ verò quarta
H parte ad lac ipſū affuſa, decoctionē faciemus, donec dimidiū totius cōſumatur, atq; hoc modo exhibebim⁹. Et hæc quidē ad bilioſas fluxiones ſufficiāt: ad alias verò vbi ſufficiens iā euacuatio ſit facta, fluxióq; ipſa adhuc perſeueret,

irrigationes adhibeãtur ex oleo omphacino,aut roſaceo, aut melino cum vino:efficacius autem his myrteum eſt, ſi vehementiori indigeat adſtrictione, tertia aut quarta vini partè ei admixta. Quòd ſi robuſtiora corpora contingant,gallæ,malicorium, cupreſſi pilulæ in ipſa irrigatione incoquantur.Cuminum etiam tritum lanæ conuolutæ infarciatur, & apii ſimiliter ſemen pari pondere:vrinam enim irritat,fluxionéſque ad inteſtina eò diuertit. Cæterùm & ſedes ipſa ex decocto quopiam prædictorũ adſtringẽtiũ foueatur. Perſeuerãte autẽ adhuc fluxione, etiam cataplaſmatis ex palmis & acacia & alumine erit vtendum:ceratis item ex oleo myrteo apparatis.Cõueniũt quoque emplaſtra ex eadem materia apparata. Parabile verò & efficax hocce eſt: Mora præ immaturitate adhuc acerbiora & albicantia ſeptẽ accipe, probéque contere: deinde ceratum ex oleo omphacino apparatum, ita vt ceræ in eo vncia ſit,olei verò ſextans,adiice:vni,& vtere.Idem faciunt cruda mora exſiccata cum ouo trita ac illita. Porrò inueteratæ iam affectioni epithema ex œnãthe cõuenit:& ex micis emplaſtrum in ſtomachicis deſcriptũ, quod ſpumam argenti & ceruſſam admixtam habet : itẽ reliqua quæ in Sermone de cœliaca affectione deſcribentur.In potu verò accepta.ventris fluxus, poſt ſufficientem inutilium euacuationem,ſanant:Capilli veneris decoctũ, paliuri folia,vinacei vuæ triti,ſpica nardi, ſpinæ albæ radix. quin & cœliacis & ſtomachicis eadem opitulantur. Mora etiam immatura & adhuc acerba ad ſolem pluribus diebus deſiccata,deinde trita & repoſita , vſúque expetente bibita, magnum pharmacum alui reſtrictiuum fiunt,vt ad diuturnas etiam cœliacas affectiones commodè exhibeantur,aliáſque omnes quæ fluidæ exiſtunt, atque etiam dyſenterias.cõtunduntur quoque, & obſoniis admiſcentur , quemadmodum rhus culinarius conſueuit.Magis tamen aluum cohibent, rubi mora immatura & acerba eodem modo exſiccata,& in potu exhibita.Illitione autem optima ad fluidam aluum eiuſmodi vtaris: Acaciæ,maſtiches,œnanthes,cuiuſque æquales partes accipe,ac vnumquodque per ſe contere,deindéque permiſce,ac ſicca aſſerua . neceſſitate verò exigente ouo ſubacta aluo illinito, faſciculúmque lanæ purpureæ imponito & obligato.Malo verò adhuc perdurante,etiã dorſum inde illinito.

Cura eorum qui ex debilitate,alui,fluxione laborant, ex libris Galeni, Cap. XXXVI.

VNumquodque membrum propria actione perfungitur,quum temperamentum ſuum iuxta naturã aſſeruat.Seruabitur autem temperamentum , ſi refrigeremus vbi ad caliditatem fuerit diuerſum : contráque calefaciamus refrigeratum : humectemus verò exſiccatum,& rurſus deſiccemus humectum. Iuxtáque eandem proportionem etiam tractemus eos qui ex harum intemperierum complexu & coniugatione afficiuntur. Oportet enim ſemper exceſſui contrarium opponere, vſquequo ad moderationem,& in id quod iuxta naturam habet,membrum ipſum reducatur. Ratione igitur edoctus ſum,etiam octo differentias curationis imbecilli vẽtris eſſe. Calidæ intemperiei cura. Vidiſti nanque & tuipſe aliquos quidem per diem vnam, quoſdam autem ampliori ſpatio,frigidæ potu curatos: quorum aliquibus non ſolùm recentem frigidam fontanam exhibui,ſed etiam coctam & poſtea niue adobrutam & refrigeratam. Edulia etiam hoc modo refrigerata eos accipere, vidiſti me concedentem:maximè ſi à plurima caliditate vexarẽtur. Dedi autem & lactis ſpumam ſimiliter refrigeratam, & frigida iuxta ipſorum vires poma eodem modo refrigerata:ptiſanam quoque citra ſalis aut alterius rei admixtionem probè coctã, aliáque eius generis infinita : vnicum ſcopum refrigerandi propoſitum habens. Prohibui autem ne abſinthium aut aliqua adſtringentia contingerent. Frigidæ intemperiei cura. Alios autem ex frigida intemperie laborantes,ſimiliter ab adſtringentium vſu prohibui,omnibus verò modis calefeci , vino veteri facultatis plurimùm calidæ exhibito:itémque cibis calefacientibus cum pipere. Humidæ intemperiei curatio. Quibuſdam verò humidam ventris intemperiem habentibus,medicationis ſcopum in exſiccando feci, dedíque eis edulia ex natura ſicca: carnes probè aſſatas,& paucum potum,omniúmque adſtringentium vſus his conuenientiſſimus exiſtit.in quibus enim humiditas multa ac veluti mador circa affectum membrum adeſt , citra tamen humorum vitiationem, ita vt quantitatis tantùm exceſſu affligant,ac veluti perſtillantem ipſum ventrem reddant,in his commodiſſimus exiſtit ciborum ac potuum, itémque pharmacorum adſtringentium vſus: exoluto nimirũ ac languido tũc facto ægroto mẽbro. Cura ventris ob ſiccitatem immodicè fluidi. Alium autem ſiccifſimum iam factum, vt tabidis ſimillimam figuram haberet,in contrarium omnino habitum deductum curaui.Huic, quum in principio exigua intemperie vexaretur,à ſiccitate videlicet humectatione indigente,medici qui eum curandum ſuſceperant,abſinthium bibendum dederunt, maláque cotonea, ac ſimilia in cibo: extrinſecúſque ſimiliter adſtringentia adhibuerunt , atque hoc modo totum aridum hominem reddiderunt. Hunc ipſum nos curauimus vniuerſo corpore eius omnibus modis humectato . Qualis autem eſt ſenectus in ſanis, talis eſt ſicca intẽperies in ægris: vt etiam incurabilis exiſtat, vbi perfectè compleatur. Perfectum autem complementum in hoc eſt , ſi ſolida ſubſtantia ſimilarium corporũ, aridior fiat. Eſt autem & altera quædam ſiccitas eorum corporum,quæ ex ſubſtantia humore compacta conſtat, velut eſt caro & pinguedo. Alia etiam tertia ſiccitas eſt, quum humiditas ex qua membra connutriuntur,eſt deperdita. Circunfunditur autem ea ipſa humiditas circa omnes animantis partes inſtar roris in ipſis diſperſa, quam impoſſibile eſt ipſis membris apponere citra nutrimentum:quare difficillima omnium huius affectionis cura exiſtit. Alia autem ſiccitas eſt,quæ circa paruas arterias ac venas cuique membro proprias conſiſtit: hæc ipſa ob ſanguinis penuriã cõtingit. Omnes verò has ſiccitatis ſpecies extremè offendũt auſterorũ ciborũ ac potuũ pharmacorúmque exhibitiones . conſumunt enim etiam ſiquid in ipſis innati ac inſiti humoris relinquatur, partim quidem exhaurientes, partim verò exprimentes per meatus in interiorem latitudinem alui,partim etiam ad alia membra depellentes. Curare igitur has ſiccitates conuenit,tum concluſos meatus laxando, tum quod ad circumiacentes partes depulſum eſt, attrahendo, per humectantémque cibum vnumquodque ſimilare membrum propria humiditate replendo:quemadmodum nos arefactum penitus à medicis hominem curauimus. Balneum itaque temperatiſſimum his conuenit : ita vt æger aliquandiu in temperata aqua moretur. Præſtat autem prope exteriores balnei fores calidæ ſolium locari:neque enim aere omnino ad ipſos indigemus . Oportet etiam geſtando ipſum in balneũ inducere atque inde educere: deinde ex oleo antequã induatur inungere. A balneo verò ſtatim lac aſininum recèns mulctum exhibendũ,aſina in domum in qua decumbit æger deducta : pauciſſimo enim tempore in ambiente aëre lac ipſum morari oportet. Parum etiam mellis optimi tepidi lacti admiſcendum: atque ita vſque ad ſecundum balneum quieſcendum. Poſtea verò mediocriter & accuratè fricatum, ſecũdò lauabimus,diligenti coniectura tum ex ructibus tum ex ventris tumore facta,an exhibitus cibus ſit ritè confectus. modicum verò tempus à primo balneo vſque ad ſecundum intercedat,horarum IIII.aut V.puto, maximè ſi tertiò etiam ipſum lauare velis:id ſi non velis,non refert etiam plurium.Lauabis autem tertiò,ſi aſſuetus ſit balneis plurimis vti:& hoc ſanè minimè negligamus, quò à ſingulis balneis priuſquam induatur,oleo eum inungamus. Cæterùm ſi lactis vſu delectetur,etiam à ſecundo balneo ipſum propinabimus:ſi verò non, ptiſanam probè decoctam,aut alicam inſtar ptiſanæ decoctam dabimus,indéque ſtatim rurſus quieſcere iuſſum,poſtea in tertium balneum ducemus:aut contrà, ad cœnam,ſi lauare non velit. Panis ei præparetur clibanites, purus, recens , probè aſſatus , fermentum & ſalem mediocriter admixta habens . Pro obſonio ſit piſcium quiſpiam petroſis aquis degentiũ,aut aſellus ex iure albo. Atqui & alæ & teſticuli

gallinaceorum lacte nutritorum conueniunt:perdices itē ac paſſeres montani ac molles carnes habentes. Verùm quæ in paluſtribus ac fluminibus degunt,vitanda:omniáque duras habentia carnes,& graueolentia,pinguiáque & fibris referta:&,vt ſummatim dicam,caput cibi ſit vt bene nutriat,& facilè concoquatur,miniméque viſcoſus ſit, neque ſuperfluitatibus abundet.In potu ſumat vinum album colore,tenuéque ſubſtantia,& modicè omnino adſtringens,purúmque & parum aquæ ferens: quo nomine accipi volo id quod quū temperatur,modicā omnino aquæ admixtionem perferre poteſt.Scopus autē quantitatis potus,in hoc ſit propoſitus vt nunquam ventriculo innatet, neque fluctuationis aliquem ſenſum faciat.In cibis verò ſpectetur,vt, quantum poſſibile ſit,ventrem nō grauent,celeriter concoquantur,& inflationem non pariant. atque hoc ſanè modo maxima corporis ſiccitas curatur. Quum verò mediocris ſiccitas exiſtit,vtpote quum vires non extremè ſunt collapſæ, pleniorem diætam ſufficere expedit.Proponatur autem ſiccitas ſimilis quidem prædictæ,cum qua tamen frigiditas ſit coniugata. Intantum igitur prædictis ex calefacientiū ſylua miſcebimus, quātum membra fuerint refrigerata.Ponatur autē primùm, mediocriter ipſa eſſe refrigerata:apponemus itaque paulo antedictis,in lactis quidē vſu plus mellis: in vini verò vſu, idē quidē genere dabimꝰ, minꝰ autē priore aquoſū, &pluriū annorum.Cæterùm & edulia omnia calidiora exhibenda,non ſolùm ex naturali temperatura,ſed à recenti etiam qualitate.Ex vnguento etiam nardino aſſiduè vētrem inūgemus vt nūquam aridus fiat:ſi verò nardinum non adſit,maſtichino erit vtendum. Sed & ipſam maſtichen cum nardino vnguēto terere licebit,lanámque purpuream ex eis imbutā ad vētrem adhibere.Si verò frigiditas multa intemperiei ſiccæ copuletur,vt cogat ferè ad vberius calefaciendum, primùm quidem affectionem grauiſſimam eſſe ſcito,& quæ difficulter corrigi poteſt, multáque diligētia opus habet. vbi verò iiſdem vſi fuerimus quæ ad mediocrem frigiditatem ſunt deſcripta, ſperamus ſanè (quāquam longiori temporis tractu)nos affectionem ſanaturos:ita tamen vt vehementer calefaciētibus abſtineamus. Demus autem amplius quiddam ex melle deſpumato vnà cum lacte, atque etiam ipſum per ſe ampliori modo:itémque decoctum ac in paſtillos redactum.vinum verò vetuſtius eis eligendum.Optimum autem pharmacum in omnibus his,quo frequenter picatores vtuntur, exiſtit. Eo itaque vniuerſum ventrem illinire oportet,atque mox priuſquam refrigeſcat auellere: verùm hoc non ſæpe in die,quorundam more,facere oportet. diſcutit enim hoc modo,nō verò bono ſanguine mēbrum ipſum replet:nos autem non diſcutiēdi gratia, ſed ob ſanguinem bonum ex vicinis partibus attrahendum, eius vſum approbamus. Auxiliatur etiam omnibus his puellus carnoſus dormientibus acclinatus,ita vt ſuperiorē ventrem ſemper contingat. Quòd ſi ex ordine multæ ſiccitati caliditas non valde multa miſceatur: in hac primam victus rationem ſeruabimus,ita vt mel prorſum nō guſtent:vinum verò minimè vetus accipiant, quod ſit album & tenue,& ætate annum non excedat.Edulia etiam tepida exhibebimus quæ lactoſa,*hoc eſt lactei teporis* appellantur,ſi hyems adſit:in æſtate verò, velut aquæ fontanæ conueniunt edulia,quæ non ſummè frigida ſunt. ventrē quoque omphacino aut melino oleo illinemus. Si verò maior caliditas adſit,etiam dilutiorem vini temperaturam faciemus, frigidúmque dabimus, quemadmodum fontana aqua in medio vere eſſe ſolet. Noſſe tamen operæpretium eſt,febrium ſimilem hanc affectionem eſſe, atque ſiquis contentioſius eos refrigeret, periculo non vacare.

De cœliaca affectione, Archigenis, Cap. XXXVII.

NON omnis ventris fluxus cœliaca affectio propriè appellatur:neq; enim ſi cibi crudi & incocti infernè prodeunt, neque ſi corrupti ac in peregrinum habitum mutati ſunt,cœliaca affectio vocatur: verùm tunc ſolùm quū læuia & humecta excremēta egeruntur:vētre præ imbecillitate ea digerere nequeunte. Sequitur autem ipſos aſſidua egeſtio,aliquādo fœtida cum animi deliquii ſenſu:aliquando verò etiam ſanguis flauus ac tenuis vnà cum iis quæ egeruntur deſtillat:& ob eam cauſam cibum auerſantur,decoloréſque & vehementer graciles fiunt, corrugata inſuper eorum vniuerſa cute:& venæ ſanè quæ in ventrem deferūtur,liueſcunt:& ad magnam omnino deſperationem res deuenit, ſi morbus diutius duret, ægris ad conuenientem diætam pigreſcentibus.Si itaque morbus autumno incipiēs ad hyemem vſque ſe extendat,difficilius omnino curatur.Cauſæ autem affectionis ſunt,aſſiduæ cibi corruptiones,& peregrinorum eduliorū ingeſtiones:amplius autem ſi frigiditas aut vehemēs ardor inſiſtat.ſimiliter etiam plagæ ventrem lædunt:& in morbis quoque longis,venter malè affectus affectioni huic obnoxius fit.A medicinæ quoque purgātis potione quidā in cœliacam affectionem inciderunt.Noſſe tamen oportet, quòd aliquādo quidē per circuitꝰ malū hoc affligit,tēporibus quibuſdā aluo reſtitāte:quibuſdā verò ordinatè per certas horas fluēte:aliquādo verò inceſſāter apparet.Quin &hoc noſſe oportet,quòd ſæpe nō ſolùm permanet appetitus,verumetiam amplius augeſcit:& ob id corruptionibus aceruatim pérque vices factis,omnia mala augeſcūt. Recente igitur morbo,diligenter inueſtigandæ ſunt ipſiꝰ cauſæ,vt ab eis maximè nos aſſeruemus.Siue igitur corruptiones præceſſerint, cauendum ne amplius fiant, ſimúlque vitioſi humores ex eis generati euacuandi: ſiue peregrinorum eduliorum ingeſtio cauſa exiſtat, ea ipſa auferre oportet:ſiue labor,aut fatigatio,aut aliud quippiā ex prædictis,ab eis ſimiliter abſtinendum eſt,ægrique in quiete adſeruandi: atque ſi ferre queant, in inedia, aut certè omnino modico cibi vſu.Aliquando autem etiam larga potione vtendum,ægérque ad reuomendum cogēdus:maximè ſi humores in vētre collectos perceptemus. Deinde attentè exquiſitæ diætæ inſiſtendum,donec affectio intotum tollatur. Conſiſtit autem exquiſita diæta in electione qualitatis ciborum. Quòd ſi tamen in principio difficilis apparaat morbus,etiam reliquis præſidiis vtendum.Primùm igitur media inſpicienda ſunt, atque ſi inflammatio aut ſimilis inflammationi diſpoſitio circa ventrem reperiatur, cataplaſmatis vtendum eſt quæ ex profeſſo inflammationem ſoluūt,ac fluxus retrahunt: qua in re,palmæ commodè ſemini lini admiſcentur. Cæterùm cataplaſmata ipſa minimè calida apponere oportet: ſed tepida ſaltem.atque ſi intendere eorum vim velis, acaciæ quippiam & hypociſthidis,aut malorum cotoneorum,aut aluminis rectè admiſcueris. Magnificè autem proſunt lentiſcus & rubus ſimul cocta. acetū quoque mulſum appoſitè in cataplaſmatum cocturā aſſumitur. Summè verò commodam vtrique affectioni nouimus loliaceam farinam ſimul cum eis incoctam.Inflatione autem plurima infeſtante,cuminum aceto mulſo inſpergimus, rutámque & anethum.Manifeſtum eſt autem quòd ad cataplaſmatum retentionem,quò contentius inhæreant, etiam roſaceum adhibemus, ac parum vini: ampliúſque lentiſcinum,aut œnanthinum, aut myrſininum. oportet autem lana excepta ipſa imponere. Cæterùm optimum ad ipſos tale cataplaſma exiſtit:Malis maximè cotoneis,& palmis,abſinthiique coma in vino decoctis, vinū ipſum percolatur,ac ſapæ Creticæ tertia pars ei affunditur:deinde ſimul calefactis polenta tenuis inſpergitur, & abſque oleo decoquitur.oleum verò quo venter illinitur ſit melinum.Poſt cataplaſmata conuenient cerata ex myrſinino aut lentiſcino oleo apparata:quæ tamen ex adſtringētibus quædam habeant admixta,ex acacia dico,& quæ eius generis exiſtunt. Aptiſſimum etiam his ceratum eſt ex oleo myrſinino apparatum, quod mora immatura ac acerba trita,parúmque ſanguinariæ,habet admixta. Porrò vbi diuturnum fuerit malum, etiam ad malagmata tranſeundum eſt.ſummopere verò concinnum eis videtur,quod ex ſeminibus conſtat,& ad colicos eſt præſcriptum:itémque quod ex lauri baccis, quod ad aquam inter cutem deſcribetur. poſtea etiam adhibenda ea quæ vehemēter rubefaciunt cutem.Quòd ſi affecti o adhuc intēdatur, etiam dropaces adhibēdi medicamētaria vi præcellentes,bituménque habentes & adarcen: poſt dropacē

verò,morſum balneo ſecundum caliditatem mordaciore
curare oportet:duabúſq; poſt dropacis amotionē horis ſi
napiſmi adhibendi ex ſinapi & caricis: ita vt modico tē-
pore impoſitos ſinamus,oleóque inde ad locum circum-
fuſo,ad balneum ducamus. Atque id ſemel facere non
ſufficit,ſed bis ac ter: neque enim hoc ipſo aliud effica-
cius remedium in prædicta corporis cōſtitutione appara
ri poteſt:& ob hoc nō multo tēpore inhærere id oportet,
ne loco nimiū exuſto,ſecūda & tertia hui⁹ præſidii admo
tio prohibeatur. Mirabiliter etiā vomit⁹ efficaces ſunt, tū
à cœna,tū à ieiunio facti:nimirū quæ corrupta ſunt euacuā
tes,& quæ ad inteſtina dilapſa ſunt attrahētes & cōuerrē-
tes,ac proprias vētris actiones reuocātes. Si verò liceret ab
his ad eos qui à raphanis fiunt tranſire, maiore compen-
dio affectio ipſa expugnaretur. Quidam etiam veratri al-
bi purgatione vſi ſunt:& ſi ſubiectæ vires eius auxilii ſint
capaces, præ omnibus huius vſus eligatur. Ego verò ad
cœliacos priuſquam vires extremè deficiant, purgatione
humori conuenienti vtor. Aliquando autē medicati qui-
dam & acres,aut etiam feroſi humores tuniculis ventris
aut magis inteſtinorum infarti aut imbibiti,rodunt & ir-
ritant,atque ex omni corpore humores ad locos circa vē
trem & inteſtina aduocant,diuturnarúmque fluxionum
cauſa fiunt. Cæterùm ex egeſtis recrementis & ex conſe-
quentibus acceſſionibus,affligentis humoris ſpeciem cō
iectare oportet,atque ita conuenientem exhibere purga-
tionem. Præſtabilius tamen eſt picræ ex aloe compoſitio
ni,ſcammoniæ ſcrup.I.aut amplius,ſi vires tolerēt,admi-
ſcere, & cum aqua mulſa præbere. quòd ſi ex atra bile ſit
humor infeſtans, epithymum adiicere oportet, & poſt
affligentis humoris euacuationem, eis vti quæ affectis
membris firmitatem addere poſſunt:cuius generis ſunt
ex malo Punico eclegmata,ad ſtomachi ſubuerſiones de-
ſcripta. Illud etiam notatu dignū, quòd aliquibus fluxio-
nes ex adſtringentium vſu oboriuntur: ventre nimirum
ab ipſis læſo propter imbecillitatem aut mollitiem ſen-
ſus. Vtimur autem,inquit Archigenes, ad alui fluxiones
hiera mea,drach.II.ex ea exhibitis ad eorum quæ in ven-
tre ac inteſtinis incident deterſionem:vt nullum enim a-
liud,hæc ipſa quam rectiſſimè emendat & corrigit: dein-
de theriaca vtor. Vtor etiam,inquit,zopyrio mea ad coli-
cos deſcripta,ad fabæ magnitudinem ex ea præbens cum
duobus cyathis paſſi veteris, aut aceti mulſi boni paulo
ante horam cibi ſumendi,ad dies ex ordine XV. deinde
vbi ab eius exhibitione per V. dies quieuero, rurſus exhi-
beo ad dies X. atque hoc tandiu facio donec non amplius
opus habeat æger. Præſtat etiam exhibere quæ ex duobus
piperis generibus conſtat,compoſitionem. Omnino igi-
tur ſimplicia pharmaca & facilè digeſtibiles cibos exhi-
bere oportet debili exiſtente aluo:ſi verò febricitēt etiā,
eo magis aſtringentium ſylua erit vitanda. Quòd ſi tamē
prædicta remedia circa affectionis ſolutionem nihil effi-
ciant,vſtio aſſumatur. Perurere autem ſuperiorem ventrē
oportet,interuallis duorum digitorū menſura aut am-
plioribus etiam factis,vlcerationéſque ſeruare ad multū
tempus,ad fluxionum in ventre tranſitum ac deriuatio-
nem. Licet autem & per pharmacum cruſtas infligere, ſi
quis ignis admotionem formidet. Poſtremum quidem
igitur locum inter prædicta remedia vſtio habet,propter
nimiam ſeueritatem: ſiquis tamen virili animo prædi-
tus ſit, priuſquam concidant vires, poſt præſidiorum fir-
mitatem addentium vſum, quodam modo vſtione vti
poteſt,quæ ſola ſe affectionis difficultati opponere con-
ſueuit. Atque huiuſmodi quidem eſt quæ forinſecus cœ-
liacis adhibetur cura. Operæpretium eſt autem & per ad-
ſtringentes potus auxilium ferre,vbi humiditas imbecil
litatis cauſa exiſtat ac fluxionum. Plātaginis itaque ſemē
ſiccum tritum ac potatum præclarè facit,tum per ſe tum
aliis etiam admixtis. Quidam etiam gallinarum ventri-
culis vtuntur exiccatis ac tritis potui inſperſis. Eandem
efficaciam & ſtruthocamelorum ventriculi habere cre-
duntur. Proderit & lapathi ſemen tritum, maximè verò
oxylapathi. Cornu item cerui tenerrimum vſtum,cū mo-
dica galla præbe bibendum:aut nucum iuglandium cor-
ticem quo tinctores vtuntur,ſiccum tritū,cochlearii mē-

A ſura ex aqua præbe:aut quercinam glandem contuſam ac
cribratam cochlearii menſura,inſtar farinæ vino auſtero
inſperge,ac exhibe:aut cancri marini vel fluuiatilis teſtā
vſtam cochlearii menſura præbe cum aqua: aut thuris
granum fabæ magnitudine in vini nigri cyatho vno diſ-
ſolutum,ſanguinariæ ſucco pari menſura admixto præ-
be:aut gummis albi vermiculati vnc.I.tritam ex vini ni
gri cyathis tribus præbe:aut vuarum paſſarum vinaceos,
ſiue etiam vuarum torrefactos, exhibe cum polenta:aut
canis ſtercus ſiccum,cum quodam odorato:aut plantagi-
B nem ſiccam contuſam & cribratam dato: aut bituminis
quantum ſatis eſſe exiſtimas,deglutiendum præbeto. Bo
num eſt etiam corticis quercinæ glādis decoctum:itém-
que pelliculæ decoctū,quæ ſub cortice quercus reperitur
Caſtaneæ corticis decoctū, aſpalathi decoctum, radicis
pæoniæ decoctum,atque ipſa etiam radix ſicca trita po-
tui inſperſa:corticis loti arboris decoctum. Capitum itē
papaueris torrefactorum drach.I.ante ſomnum cum vi-
no diluto potata. quin & ſemen capitum papaueris tritū
exhibitum egregiè auxiliatur. Mirabiliter autem acerba
C & immatura mora proſunt ſicca trita in potu exhibita:
quemadmodum de alui fluxione eſt prædictum. eodem
modo & rubi mora immatura & acerba exhibēda. Vten-
dum & ſimplicioribus ad dyſentericos deſcriptis medi-
camentis,maximè iis quæ ex pomis ſunt apparata. Com-
moda ſunt quoque ea quæ vrinam cient,fluxionem ſæpe
tranſferentia:velut eſt apium,fœniculum,aniſum,adian-
tum,acorus,damaſonii foliorum drach.I.& quæ eis pote-
ſtate aſſimilantur. Ex compoſitis prodeſt paſtillus Thra-
ſiandri,& qui ex ſeminibus conſtat, ad dyſentericos ſcri
D pti. paſtillus item ex ſpina & ex electro, ad ſanguinē per
ſputum reiicientes deſcripti. Omnium verò maximè an-
tidotus theriace ex viperis conſtans prodeſt: multóque
adhuc magis quæ Eſdræ inſcribitur:efficaciter enim au-
xiliatur. Mirificè quoque cœliacis conducit antidotus de-
ſpoſynos appellata,cuius compoſitio hæc eſt: Spicæ nar-
di,cinnamomi,piperis,coſti,hyoſcyami,croci,ſeminis pa
paueris,opii,omnia æquali pondere accipito,contundito
& cribrato,ac cum melle vnito. Datur ex ea duorum ſcru-
pulorum pondus ex vino. Oribaſii,ad cœliacos. Bacca-
E rum myrti nigrarum cochleare vnum & dimidium,roſa-
rum ſiccarum,œnanthes,ſingulorum cochlearium dimi-
dium,palmarum carne ſufficienti excipe,& paſtillos in-
forma,ac exhibe drach.I.cum aqua aut vino dilutius tē-
perato iis qui febribus carent. Aliud,ad cœliacos. Lau
ri virgulta III. piperis grana vigintiquatuor, cumini gra-
na quinquagintavnum:contere,ac præbe febre carētibus
cum vino, febricitantibus cum aqua:pro vna autem vi-
ce hæc in potu ſumuntur. Cæterùm ſimplicia & antidoti
opportunè ante cibum exhibentur:paſtillus autem dolo-
F rē leuans,ante ſomnū. Malagmate verò concoctorio,in
alui fluore per omnia huiuſmodi vtaris: Bdellii,ammo
niaci thymiamatis,canchryos,cuiuſque ſeſquiunciam,o-
popanacis drach.VI.ſtyracis drach.VI.myrrhæ ſeſquidra-
chmam,piperis grana centum & triginta,galbani drach.
ſeptem,terebinthinæ drach.ſeptem,ceræ drachmas trede
cim & dimidiam,adipis ſuilli drachmas ſedecim. Siccіſ-
ſima conterito & cribrato:molliora verò in pila tundito,
ac ſicca inſpergito:pila itémque piſtillo ex vnguento iri-
no illitis,vt molle ad tactū & glutinoſum reddatur. Ver-
G mes autem terreni in teſta ad cinerem exuſti, & ieiunis
cum vino exhibiti,ventris fluxiones ſiſtunt: eorū itaque
tres aut quinque exhibeto. Porrò cognitu digniſſimū &
hoc eſt:infinita ſcilicet remedia hoc nomine prædicata
eſſe quòd aluum ſiſtere poſſint: verùm ſeri profectus eſt
omnium meminiſſe:& cauendum etiam ne nimium lar-
gus fiat eorum vſus: quanquam plurimi omnino morbi
ab aceruata pharmacorum viciſſitudine delentur, qui a-
liâs non facilè hominem relinquant, ſi diæta ſolùm ex-
quiſita vtatur. Vna autem tutiſſima & compēdioſiſſima
H via,ad affectionis extirpationem diæta exiſtit. Diæta
cœliacorum. Cœliacum oportet mox vbi à ſomno ſurre
xerit faciémque proluerit,ad deambulationem prodire,
ita vt pro viribus progrediatur. Deinde fricationem ſim-
pliciorem adhibere,parce videlicet & minimè contentē

fricando, maximè ventrem: oleo verò quo confricatur, canchry & pyrethrum incoquantur, quo poſtea deterſo, corpus ex oleo dulci impinguetur. Balneo autem vtplurimùm renuntiamus: aliquando tamen ad laſſitudinis vel alicuius alterius rei medelam ipſo vtimur. In balneo verò ſmegmate quopiam vtatur, quod cutem lancinare ac pertundere poteſt, velut eſt nitrum aſſatum, fæx vini vſta, & quæ eius generis exiſtunt. Ab inunctionibus & balneo prandendum eſt: perſpiciendum verò, ſi quicquam aliud, vt cibum diuidamus. Duas itaque tertias partes cibi, in cœnam reſeruet, atque ipſum etiam qui in prandio exhibetur panem dimidiatum per ſe ſumat: reliquum verò cum obſonio ſimplici. Frumentaceum enim alimentum, naturæ homini maximè conuenientis, exiſtit. Oleribus autem raro veſcatur: inflationes enim pariunt. Minimè apti ſunt etiam omnes arborũ fructus, inſuauibus humoribus ventrem & ſtomachum replentes. Cæterùm à prandio deambulationibus indulgendum, & animi aliqua laxamenta adhibenda. ſomni enim diuturni, nocentiſſimi ſunt, niſi laſſationis ſenſus adſit, aut nox vigilata præceſſit: veſperi autem à cœna dormiat. Ex frumentaceis igitur cõueniũt panis clibanites, alica, oryza: verùm ſorbitiones ex milio non probo, quum concoctu difficiles & vitioſos humores milium producat. Ex leguminibus non inepta eſt lẽticula aſſata, & cum plantagine cocta: vtile eſt & palmas ſorbitionibus incoquere, maláque cotonea, eíſque ſimili vi prædita. Ex oleribus braſſica eligatur duabus aquis decocta, cum oleo ac modico garo, pauciſſimóque aceto: intubus item coctus & cichorium, paſtinacáque valde excocta cum ſimplici liquamento. Varietatis autem gratia eis etiam carnes exhibẽdæ, ex gallinis, columbis, aut paſſerculis montanis, ex pedeſtribus etiam tenerrimæ & friabiliores, coctæ omnes, concoctis ſimul quibuſdam fructibus, aut pomis, aut myrti baccis. Bellaria modicè præbẽda, velut ſunt amygdalæ, palmæ, nuces, atque ea voluptatis gratia tãtùm ac dulcoris deguſtãda. Fructus ſint minimè inflantes: vua modica penſilis: in pomis ac piris ſimilibúſque mediocritas ſeruanda, atque hi ipſi cum pane exhibendi. Vinum conuenit ſubadſtringens. Omnis autem liquor qui in potu exhibetur, paucus ſit, & poſt omnem cibum præbeatur. multus enim potus, ventris fluxionibus infenſiſſimus exiſtit. Noſſe tamen oportet quòd in iis qui cum mordacitate fluxionibus infeſtantur, optimè facit lactis potus: ita vt in principio calidum ac recens mulctum detur: poſtea, verò ad medietatem decoctum aut etiam ad tertias quemadmodũ in alui profluuio eſt prædictum. hoc enim modo exhibitum ſimul ſiſtit ac temperat fluxiones. Cæterùm in quibus lac ipſum in nidoroſam aut acidam qualitatem permutatur, quartã partem aquæ affundito, prædictóq; modo decoquito ac exhibeto.

De colliquatione, Cap. XXXVIII.

QVVM verò per vẽtrẽ quiddam excernitur quod nõ ab accepto cibo aut potu prodit, ſed ab humoribus ex corpore in ventrem defluẽtibus, aſſimilatúrque ei quæ tum per vomitum reiicitur, tum infernè procedit, flauæ bili: differt autem ab ea tum graueolentia, tum quòd flauius quodammodo excrementum apparet, ſtrigmentitiámque craſſitudinem habet: aliquando verò & oleoſum aut adipoſum exiſtit: colliquatio morbus is & ſyntexis vocatur. Recèns enim compacta ſubſtantia pinguedinis ac carnis, ab ardenti febre reſoluitur & colliquatur. Diuti⁹ verò perſeuerãte malo, ex ipſis etiã ſolidis partibus aliquid colliqueſcit: in qua peſſima febricula frigidæ puriſſimæ frequens potus remedio exiſtit: eiuſdem etiam qualitatis cataplaſmata & epithemata ad pectus & præcordia adhibere oportet. Cibi quoque refrigerantes exhibendi: reliquáque quemadmodum in æſtuantibus, ac in habitũ conuerſis febribus dictum eſt, facienda. Quòd ſi in viſcerum inflammatione hoc contingat, valde periculoſa affectio eſt, & cum prædictione remediis prædictis vti oportet. Porrò ſi acre ſit ac mordax quod excernitur, inteſtináque inde igneſcant, mordacitatem lenire oportet per infuſiones, vbi vrgeat malum, nullo exacerbationum reſpectu habito, præterquam circa initium acceſſionis. Infundatur autem ſuccus oryzæ ad tactum tepidioris, itémque A lac tepens. Si verò mordacitas cum tormine contingat, ptiſanæ ſuccus infundendus eſt cum ouis crudis ac conquaſſatis, admixto roſaceo: aliquando verò bituminis etiam drach. I. admiſcenda. Quòd ſi dolor adhuc perſeueret, bis ac ter etiam prædicta infundantur. Cõuenit quoque his lac potatum, ad quod quarta aquæ pars eſt affuſa, quemadmodum dictum eſt, decoctione ad tertias facta.

De lumbricis, ex Herodoto, Cap. XXXIX.

LVmbrici & in febribus, & citra febres naſcũtur, tum multitudine, tum magnitudine, tum colore, tum tẽ- B poribus etiam differentes. Circa initia enim morborum generati, ſubſtantiam ſuam ex ſubiacente corruptione capiunt: circa vigorem verò, ex malitia morbi: circa declinationem autẽ, ex permutatione omnium in melius, qui ſanè citius ſeparantur: natura enim ipſos, reliquorum recrementorum inſtar, foras propellit. Cẽſentur autem peiores ex ipſis maiores minoribus, paucis multi, & albis rubri, viuentes etiam mortuis deteriores. In infantibus autem & pueris, atque iis qui ad pubertatem accedunt, maximè abundant. Cæterùm hoc malo affectos, incredibilis C morſus ſtomachi ac ventris concomitatur, tuſſiculǽque tenuiſſimæ ac frequenter irritantes, quum tamen nihil reiiciatur. In ſomno tremunt & præter rationem exurgunt. Quidam verò & linguam foras protrudunt, oculóſque claudunt, ac taciturni ſunt, excitantéſque moleſtè ferunt, ob imbecillitatem vigilare nequeuntes. Quidam autem oculos ſanguine ſuffuſos habent, & pulſum inæqualẽ, obſcurum, deficientem & recurrentem. Quibuſdam etiã appetitus perditio accedit: pueris inſuper dum dormiũt D manducatio linguæ, cum exertione, cui accedit cõformatio oris in modum lactentium aut accipientium cibum. verùm hæc pauco tempore & per interualla fiunt. Aliqui verò infantes cum clamore præter rationem exurgunt, citóque rurſus collabuntur. Aliqui etiam dentibus frendent: quod contingere veriſimile eſt, animalculis attrahẽtibus cibum, mordentibúſque ventrem ac inteſtina. Iam verò & ad ſtomachum quoſdam proceſſiſſe conſtat, nauſearúmque & morſuum fuiſſe cauſas. Sæpe etiam per ſe ſurſum reiectantur: aliquando verò cum pituitoſo quopiã E humore. Quidam etiam infantes neglecti, motu pulſus deſtituuntur, ac refrigerantur, atque eorum inſtar qui animo linquuntur, tenuem quendam ac frigidum ſudorem exudant, & vtplurimùm liueſcunt. Contingit autem aliquando faciem fieri rubicũdam, maximè circa malas: verùm color hic rurſus in pallorem ſolito maiorẽ tranſit. Alii autem inſtar delirantium peregrina in ſomnis loquũtur: alii decubitum tranſmutant continuè dormientes, angoréque vexantur, ex locóque ad locum ſeſe viciſſim proiectant. Verùm paucos omnino ex ipſis morſum con- F fiteri conſtat. plerique enim in mentis inopia ac taciturnitate degunt. Porrò qui à rotundis lumbricis infeſtantur etiam cibum auerſantur, & ſiquid acceperint, reuomunt, aut nauſeabũdi vix deglutire poſſunt. Febres in eos cum vehementi extremarum partium refrigeratione irruũt. Quibuſdã autẽ venter ad tympani modũ inflatur. Ex Hippocrate. Lũbrici circa aluũ his ſignis deprehendũtur: ſi ſomnolẽti ſint nõ permittente morbo, & extremæ partes frigidæ, & cordis ſiue oris ventriculi dolor, vrinæ cõturbatæ, & lingua humectetur. Item qui animalculis in G ventriculo abundant, ſputo replentur: & ſi tenuis quiſpiã prodierit lumbriculus, amplius non ſpuunt. Quicunque igitur in ore ventriculi lumbricos habent, ferè in totum ipſos vomitu reiectant. Quibus verò in inteſtinis inſunt, ipſos infernè excernunt. Omnes autem nauſeabũdi ſunt, vomúntque quæcunque acceperunt. Iis qui punguntur, ſimiles ſunt: totóq; corpore cõtrahuntur, & repentè aceruatímque mouẽtur, ac tormina accuſant, interaneorúmque dolores. Euaporationes quoque ad caput delatæ, vertigines inducunt. Quin & diæta quæ præceſſit, oſtendet tibi H lumbricorum generationem: ex craſſioribus nimirum & quæ difficulter conficiuntur, & largius ingeſtis, & maximè frumentaceis contingentem: quos item balneis à cibo vſos fuiſſe comperies. Cæterùm cura ipſorum, alia cõmunis eſt & cum ea quæ febricitantibus conuenit coincidens: alia verò eis propriè conducit. Quum igitur am-

bigua adhuc affectio exiſtit,&rationabilis quædam ſuſpicio adeſt,incerta tamen neque planè comperta, mitioribus ſanè remediis vti oportet: ab acrioribus enim febres magis exacuuntur,ſi affectionem falſo habuerimus ſuſpectam. Vbi verò conſtans ac euidēs cognitio contigerit,ad tempora morbi animum intendere oportet. Ad eos enim qui circa primas horas naſcuntur,acrioribus remediis eſt vtendum:& magis vtique,ſi iuxta declinationem totius morbi apparuerint. Eos verò qui vigēre morbo apparent,mitius curabimus:atque id eo magis,ſi inflammationes & tenſiones viſcerum concomitentur. His igitur cataplaſmata adhibeantur ex ſemine lini,craſſiore lupini farina pari menſura admixta. In potu,pueris ante cibum myxarum decoctum admixta mentha præbeatur: eis autem qui ad integram ætatem peruenerunt, abſinthii aut abrotoni cremor. Vtriſque verò etiam ſi febricitent,et ſi trimeſtres tantùm infantes exiſtant,vermes terreni cum ſapa confidenter,exhibeantur: ſi verò ſapam nō admittant,cum hydromelite,aut vt libet præbeto, nihil veritus, neque vtilitate contempta,ſeptem numero dato. Quòd ſi non nuda ſit ſuſpicio,ſed certa deprehenſio lūbricorum,cataplaſma ex lupinorum farina in hydromelite decocta imponendum: cui aliquando etiam bryoniæ radix adiiciatur. Vmbilicus autem felle taurino expleatur,aut melanthio cum lacte muliebri trito, aut abſinthio,aut abrotono,aut bryonia,pinguib' ficub' admixtis. Spina verò vniuerſa,ex medulla ceruina inungatur. in potu etiam his vermes terreni ſeptem cocti ac triti cum ſapa præbeantur,aut,vt libet,aliàs tenuiſſimè triti. Efficax eſt & abrotonum,& ſantonicum,& abſinthium decoctū, vnumquodque aut cum ficubus aut palmis exhibitum. Aliquando autem hæc contuſa & cribrata, & cum melle in catapotia redacta,deglutienda præbemus. Dari poteſt etiam chamæmelorum decoctum cum modico roſaceo: vehementer enim efficax exiſtit. Egregiè quoque facit Cretica ſapa cum roſaceo potata. Aliud. Nuces pineas in aqua calida macerato,teritóque ac roſacei cyathū vnum affundito,& cum vino optimè temperato tribus horis bibendas præbeto: inde enim enecati,tum vomitu tum ſeceſſu eiicientur. Commodè quoque in cibo ſumitur ſenecio viridis ac barba hircina. Eoſdem etiam auriculæ muris ſuccus,& calaminthæ ac menthæ decoctum, citra moleſtiam educit,quod & braſſicæ ſemen ac petroſelini facere perhibentur. Superior autem venter cerato integatur ex abſinthio oleóque cyprino apparato: aluo autem adſtrictæ glans immittenda,præſertim pueris: quæ ſi nihil profecerit,clyſter adhibendus morbi vigore remittente,ex abſinthii & abrotoni, aut cētaureæ decocto, cū melle ac nitro. Cæterùm lumbricos qui circa vigores febriles naſcuntur,quóſque malignos appellamus, per ſimpliciora remedia ſubducere conabimur. In cataplaſmata igitur abſinthium,abrotonum, ac ſantonicum miſcebimus: aliquando etiam lupinum. Olei autem omphacini propinabimus eis qui facilè id ferunt, cyathum vnum. In ſorbitiones verò mellis plurimum coniiciendum: & ptiſanæ quoque oleum plurimum omphacinum incoquēdū. alicam itē in myxarū decocto præbebimus tum per ſe,tū cū aqua mulſa. Præbitiones verò ex oleo ſemper augebimus: multæ enim commoditatis exiſtunt. In vniuerſum enim omnia quæ lumbricos educunt aut per acredinem occidendo,aut per amaritiem ſubducendo, aut ad excretionem irritando,aut per conſequentem ad ea quæ exhibentur lubricitatem,efficacia cognoſcuntur. Extrahuntur enim ſimul,vt veriſimile eſt, per ſorbitiones lubricas vias reddentes,aut etiam per innominatam aliquā efficacem qualitatem. Viuentes equidem vicinas inteſtinorum partes apprehendunt: mortuæ verò vnà cum ſtercore euacuantur. Prodeunt autem quædam adhuc viuæ, verùm vertigine affectæ, &,ſi ita dicere libeat,ſemineca tæ. proſunt autē & his vermes terreni. Porrò per pharmacorum potiones enecatos lumbricos, citra dilationem per glandulas extrahere oportet: vitioſa enim ex ipſis exhalatio procedit,quæ & appetitum & digeſtionem lædit. Atqui ad nauſeas ex lumbricis obortas, lancinationéſque ſtomachi,ſalis granum in ore detineant, deglutiántque

A liquefactū.acredo enim, vt apparet,eos ſtatim infrà ſubſidere cogit. Oboriuntur autem & in alui fluxione lūbrici. eos fluorem inſpiſſando,& concoctionem tum per cibos tum per cataplaſmata in melius permutando, curare oportet. Inquantum enim fluxiones inualeſcunt, tantùm etiam lumbricorum generatio augetur: viciſſimque fluxu ceſſante,lumbrici interquieſcunt: quare diligenter conabimur vt aluum adſtringamus, firmitatémque ei adiiciamus. Coniicienda itaque in cataplaſmata aliàs ad B fluxiones ſiſtendas concinnata,ea quæ ad lūbricos ſunt prædicta,& quæ fluores non exacerbant, velut eſt abſinthiū, abrotonum,ſantonicum: iámque etiam malicorium,acacia,& balauſtia,eíſque ſimilia,cum cruda hordeacea farina. Cerata quoque imponenda ex his apparata. Vtēdum & prępotationibus,inter quas reliquis omnibus plātaginis ſuccus eſt præferendus: ad vtranque enim affectionē,veluti dixi,efficax exiſtit. Licebit autē & in hoc caſu, vermibus terrenis,quemadmodum antea dictum eſt,vti.

Ceratum ad lumbricos: Farinæ lupinorum,abſinthii, farinæ hordeaceæ tenuiſſimæ, cuiuſque drach. ſeptem, C fellis taurini vnciam vnam,ſcobis cornu ceruini drach. quatuor,ceræ quadrantem vnciæque dimidium; olei ſecundarii ſeſcuncem.

De lato lumbrico, Cap. XL.

LVmbricus qui latus appellatur,in iis qui febre carent abundat,& in longis ac diuturnis enaſcitur morbis. Eſt autem latus lumbricus,ſi ita dicere libeat,permutatio pelliculæ intrinſecus tenuia inteſtina ambientis, in corpus quoddam viuum,quod continuos ſtomachi morſus infert,& ad cibos incorrigibilem appetitum: cæterùm ea quæ accipiuntur,non ſuccenturiata digeruntur; ſed citò D excernūtur. Cōſequitur affectos corporis gracilitas & imbecillitas cū tarditate,aſſiduúſque famis ſēſus. quod enim viuificatū eſt in inteſtinis,vbi recēs exhibitū cibū cōſumpſit,poſtea ipſa ſolida corpora arrodit. Minimè verò fallax ſignū erit,ſi cū recremētis quædā cucurbitæ ſemini ſimilia excernātur. Porrò cura penitus cū præcedenti concordat: præpotationes enim conueniunt amaræ & acres: allii item comeſtiones. Aut enim integræ excernuntur,vt incredibilem magnitudinis de ſe præbeant aſpectum: aut etiam prodeunt in partes conciſæ, & ſemel ſanè exolutæ E non amplius ſecundariò congregantur. In potu igitur etiam his vermes terrenos, vt dictum eſt, exhibebimus. Propriè autem ad ipſas auriculæ muris ſuccus facit, duorum cyathorum menſura,cum vno zythi cyatho potatus: celerrimè namque ipſos educit. Aliud ad latos lumbricos quos *ceirias,id eſt inſtitas*,vernacula voce appellant.

Nitri,cardamomi ſeminis,piperis, ſingulorum æquales partes commiſceto,& cochlearii menſuram inde præbeto: confeſtim enim educit. Aliud. Corticis radicis mali Punicæ acidæ in ſuprema parte delibrati,piperis,cu- F iuſque drachmas quatuor,cardamomi drachmas ſex,marrubii drachmas duas,mellis deſpumati quantum ſufficit, præbe ex eo cochlearium poſt allii comeſtionem.

De aſcaridibus, Cap. XLI.

ASCarides etiam lumbricorum ſpecies ſunt, circa extremas inteſtini recti,ac primam internā adſtrictionem ani partem,ſphincterem *Græcis* appellatam,conſiſtētes,vehementémque pruritum his locis inferētes. Et pueri quidem aſſiduè ad egerendum irritantur: à cōtraria verò inſtantia,& aduerſus eas contentione,ac vtplurimùm G ab excretione melius habent. Qui verò ad integram ætatem peruenerunt,cauſarum moleſtiam inferentium animaduerſionem habentes,digitos in anum immittunt,ac procidentes educunt. quin & ignitis lapidibus, aut littoreis calculis à ſole peruſtis fouendo,mordaces pruritus leniunt. Cæterùm,quum quidam præ puſillanimitate nihil horum auxiliorum admittant,minimè malum ipſum negligere oportet,ſed citra dilationem curare,atque iis qui falſi diuerſum ſentiūt, cauſas indicare ac curandi viam H demonſtrare. Porrò cauſæ huius acceſſorii mali,cibi ſunt & frigiditates, alimentique corruptiones, quas præſtat prius vitare. Huius verò ſigna,potiſſimū ex recremētorū graueolentia pueri quidem acri muria infuſa ſunt euacuandi,aut abſinthii decocto oleo admi-

xto. Calidiorem quoque ſublutionem eſſe cõuenit: à qua vbi prodierint recrementa, affecti loci illinendi, ex ſimplicibus quidem, acacia & hypociſthidis ſucco, rhoíſque ſucco cum alumine liquido: compoſitis verò, Andronii paſtillo, & ſphragide Polyidæ inſcripta, & lanæ ſuccidæ paſtillo, ac quæ his ſimilia exiſtunt. Coacta enim ab adſtringentibus caro, corroboratur, aptitudinémque ad animalculorum generationem amittit, atque aſcaridas ipſas excludit. Perfectiores etiam ætate, ſimiliter euacuandi acrioribus ac calidioribus infuſis, velut eſt muria & centaureæ decoctum: deinde cedria eis infundenda: ad quã rem corneam fiſtulam vndiquaque perforatam apparare oportet, circa fundum amplam, ac magnitudine locis cõueniẽtem, quam vltra adſtrictiorem ani partem inditã cedria explemus, ita vt cedriæ immiſſio palàm tum per amplitudinem, tum per tranſuerſa vndiquaque cõtingat: pòſt verò quieſcere iubemus, ſæpe eũdem curationis modum repetentes. Aliud, quòd & pueris & qui perfectæ ſunt ætatis, conuenientiſſimum & efficaciſſimum exiſtit. Carnem veterem ſalitam, pinguedine deraſa, ſublongã & rotũdam formabimus, atque ita adaptatam, podici atque adſtrictiori ani parti intrudemus, ligamentóque adhibito, quàm diu ſuſtinere poſſint, inditam ſinemus: deinde ſoluemus, prædictáque infundemus ac illinemus. idẽ etiam remedium ſæpe repetemus. Cibi verò frumentacei generis, boni ſucci, ac qui facilè concoquuntur præbeantur.

De abſceſſu in inteſtinis, Cap. XLII.

OBoritur aliquando abſceſſus in inteſtinis, ad cuius eruptionem eliquationes aquoſi puris cõſequuntur: quare ignari ac inexperti hoc viſo decipiuntur, dyſenteriam hanc affectionem eſſe putantes. & ſanè, vt verum fatear, ſi poſt eruptionem diuturna ſit exulceratio & perſeueret, eo modo quo dyſenteria curatur: verùm in principio neutiquam conſimili curatione ſubducitur: vnde etiam quoſdam ægrotos periclitatos eſſe cõſtat, malè ab indoctis medicis tractatos, qui ſtatim in principio dyſentericas infuſiones adhibuerunt. Pro viribus itaque affectiones hæ inter ſe diſtinguantur: iudicatu enim faciles exiſtunt. In abſceſſu enim ſemper dolor pulſatilis præcedit, iuxta affectum locum innitens, neque morſus, neque decurſus adſunt, quales in dyſentericis præcedere conſueuerunt. deinde mutatione in ſuppurationem incipiente, rigores inæquales conſequuntur, febréſque, circa veſperam maximè, irruentes: poſtea vbi perfecta humidi mutatio fuerit facta, omnes moleſtiæ minores fiunt, vehementéſque dolores remittunt: deinceps eruptionis tempore accedente, rurſus dolores intenduntur. aliquando autem perfecta ventris adſtrictio adeſt. Poſt eruptionẽ verò humor qualem prædiximus, excernitur: quum nihil tale in dyſentericis oboriatur. Cataplaſmatis igitur ad eos vti oportet ex ſemine lini, adſtringẽtibus aliquot ſimul admixtis, veluti ſunt palmæ, mala cotonea, & ſimilia. Atque ne fluxus augeſcat, infuſis vtendum erit, ex ptiſanæ ſucco aut alicæ cum quodam mediocriter adſtringente: vehementem enim adſtrictionem in his facere veremur. A cataplaſmatis verò ac prædictis infuſis, inflammationem mitigamus. Et ſi quidem eruptionem ſuſpectam habeamus, epithematis vtimur quæ eam adiuuant, althæam nimirũ ac caricas, fimúmque columbinum admiſcentes. Si verò diſcuti poſſe ac euaneſcere inflammationem ſperamus, ea quæ diſcutere ac digerere prædicãtur epithemata adhibemus. Qua in re egregiè facit emplaſtrum anicetum, *hoc eſt inſuperabile*, appellatum. Si verò eruptio obuiam veniat, infuſis vtẽdum, primùm quidem ptiſanæ ſucco: cui deinde modicum mellis ad vlcerum repurgationem, eſt admiſcendum. Quòd ſi ſordidiora recrementa appareãt, etiam lenticulæ decoctum ac malicorii ad ptiſanæ ſuccum & mel affundatur. Repurgatis deinde vlceribus, à melle abſtinendum: parum verò quiddam ex paſtillo de halicacabo ad infuſum coniiciendum, quò vlcera ad cicatricem perducantur. Poſt hæc autem proſpiciendum vt corpora inſtauratione ſuſcepta, ſubſidant ac molliora reddantur: ſæpe enim identidem humoris collectiones fieri conſueuerunt. Quòd ſi verò ſinus quiſpiam relinquatur, rurſus eadem quæ prædicta ſunt adhibeantur: ſi verò ea quæ ex vlceribus promanant, ſerpendo depaſcant, ad ea quæ ad dyſentericos in principio cõueniũt, tranſeundũ.

De dyſenteria, hoc eſt torminibus inteſtinorum, ex Archigene, Cap. XLIII.

DYſenteria propriè exulceratio eſt inteſtinorum ſerpendo depaſcens, ab externis cauſis producta, veluti frigiditate, ardore, venenatorũ pharmacorũ potu, & quæ his ſimilia exiſtunt. Iam verò & à cruditatibus, peregrinorúmque & acrium ciborum acceptione: ab aliqua item acrium humorum impreſſione, ei conſimili quæ circa externam cutis ſuperficiem contingit, à qua papulæ quædã feruidæ ac exulcerationes perficiuntur. Primùm verò egeſtio malum auſpicatur cum rugitibus ſubpinguibus ac biliofis, pingui nimirum quod intrinſecus inteſtinis adhæret, paulatim circumliquefacto: & quibuſdam quidem cum torminibus, quibuſdam abſque his excretiones contingunt. Quum verò ſuperficies inteſtinorum perfectè fuerit denudata, exulceratióque ſupernè conſiſtit, fæculẽta ac cruẽta bilioſáque excernũtur. Vbi autẽ alti⁹ penetrarit vlceratio, etiã ſordes pelliculas admixtas habentes expelluntur: & ſi non celeriter cohibeatur, compendio vicinos locos depaſcitur: ſanioſa verò quædam excernuntur, qualia ab occiſorum corporibus defluere conſueuerunt. atque hæc ſanè eſt quodammodo acuta dyſenteria. Si igitur ab acribus cibis, aut à flaua bile dyſenteria oboriatur, ferè intotum ipſam curamus: ſi verò ab atra bile initium ſumat, ſi quidem ratione iudicationis febriliũ morborum atra bilis excernatur tranſitúque ſuo inteſtinum diſtendat, etiam hanc curare non deſperamus. Si verò ſua ſponte, nullo præcedente febrili morbo, neque cõcoctione bona apparente, atra bilis excernatur, immedicabilis dyſenteria ex ea oborta exiſtit, nihílque à cancro exulcerato differt: éſtque omnino lethalis. Conſueuerunt etiam exulcerationes aliquæ diutius perſeuerare, ſerpendo nequaquam depaſcentes, verùm cauis vlceribus forinſecus conſiſtentibus ſimiles, quibus cicatrix tardè inducitur, labris nimirum vlceris in callum induratis: in huiuſmodi etiam, infuſa infeliciter adhibentur. Atqui in pleriſque dyſentericis teneſmus præcedere videtur. Eſt autem teneſmus egerendi promptitudo quæ differri ac deuitari non poteſt. Noſſe tamen oportet quòd aliquando quidẽ aliqua ſui parte inteſtinum rectum in dyſentericis exulceratur: aliquando verò totum, & cum ipſo etiam ſuperiora. Si quidem igitur circa colũ, hoc eſt circa inteſtina craſſa, vlceratio cõtingat, ſtercora quæ egeruntur, multa ſunt & coaceruata, & cum flatibus prodeunt, aliquando etiam fumoſa. Pinguia quoque & cruenta recrementis admixta apparent, inexplebiliſque edendi appetitus oboritur. Tenuibus autem inteſtinis exulceratis, dolores circa vmbilicum conſiſtunt, bilioſáque & porri colorem habentia, atque omnino variegata, ſtercori cõmixta plurimùm excernuntur, citra tamen ramentorum complexum, cum torminibus & mordacitate, deſperationéq; ac exolutione, vt non procul ab animi deliquio ægri abſint: à ſitique infeſtantur, & febricitant. ſtercus quoque crudius ab his prodit. Exulceratur autem, verùm raro, & ieiunum inteſtinum. quod ſi contingat, egeſtiones crudiores apparent, ſanguinem nigriorem vehementer implicatum habentes, bilémque abundè flauam: ſitis multa itémque nauſeæ affligunt: vomunt etiam aliquando, ac cibos auerſantur. Dolor quoque vehemẽs ſupra vmbilicum conſidet, quãdoque & febres malignæ oboriuntur. Atque ita affecti decolores fiunt, & ad animi deliquium vſque exudant. vires etiam ipſorum citò deficiũt, neque procul ab interitu abſunt. Antyllus autem ſcribit, Tunc equidem ieiunũ inteſtinum exulceratum eſſe putamus, quum ſanguis qui cum recrementis egeritur, niger ac vetuſtus apparet: neceſſe eſt enim huiuſmodi, in omnibus infra ieiunum ſitis inteſtinis, decoctum excerni. Pituitoſa etiam ac ſubpinguia ſimul excernuntur: pituita enim, inquit, in ieiuno abũdat, ipſúmque etiam adipoſum exiſtit. Bilioſa itẽ abundanter in his excernuntur, ſitiſque infeſtat, vtpote ventriculo ob vicinitatem ex affectione inteſtini ieiuni concalefacto: quapropter & febriunt & dolent. Cæterùm

tenui inteſtino exulcerato, egeſtiones minus quidem bilioſæ ac pituitoſæ ſunt:neque enim pituita,nec pinguedo in hoc velut in ieiuno abundat:ſubcruenta autem magis & raſuræ ſimilia excernũt. Quæ enim deferuntur, pelliculas inteſtini in ſuperficie radunt:quamobrem ſanguis etiam eis minus niger apparet. Si verò circa colum exulceratio fiat,recrementa multa erunt,& flatu comitante coaceruata,& aliquando ſpumoſa:quod verò cruẽtum in ipſis prodit,flauum erit:cibum plurimum expetẽt,crudioráque egerent:minus etiam à ſiti infeſtabuntur,& nõ multùm febriunt,niſi magnum ſit vlcus,aut malignum. & ſi febricitare eos cõtingat, difficilius aliis febrem ſubmouent & excludunt.magnam autem cauſam ſubeſſe oportet,ſi febris ex colo accendatur.Quòd ſi rectum inteſtinum ſit exulceratum,concocta erunt recremẽta & ſanguis floridus,& ſordes plurimæ excrementis admixtæ. teneſmi etiam aderunt violenti, ſæpiúſque ad excretionẽ incitantur,quum tamen nihil excernant:neque valde eſuriunt,neque ſitiunt,neque febriunt, niſi vlcus ſit canceroſum. Porrò primum periculum ex vlcere ſerpente ac depaſcente dyſentericis impendet:ſecundum verò ex ſanguinis eruptione,tertium autem ex fluxu à locis ab imbecillitate affectis conſequenti. Cæterùm ab vlcere ſerpente ac depaſcente pueros magis opprimi apparet, vſque ad ætatis vigorem.calidum nanque & humidũ huic ætati corpus eſt,quare ad putreſcentes morbos perferendos magis ſunt parati.A ſanguinis autem eruptione, magis ii qui in ætatis vigore conſiſtunt,infeſtantur,& qui à natura multo ſanguine abundant.à fluxionibus autem ſeniores amplius lædũtur,& qui malo corporis habitu ſunt præditi.At verò vbi vlcus proſerpturum eſt,dolor concomitatur.Acria enim & liquida cum torminibus recremẽta egerentur:deinde & odoribus & coloribus variata,vnà cum mordacitate. Febres verò quoque prauæ accedunt, inediæque ac corporis iactationes conſequuntur: æſtus item continuus ac ſitis.Iam verò vlcere ſerpendo ac depaſcendo in peius procedente,ramẽta excernuntur:fæculẽta multa ac nigra efferentur, & ſordes magnæ inteſtina ambientium pellicularum,ſi in craſſis inteſtinis exulceratio conſiſtat.Quum autem ſanguinis eruptio futura eſt, exolutio totius corporis,animi deliquio ſimilis præcedit ac grauitas loci: ea verò quæ egeruntur,lenta ſunt ac viſcoſa;deinde cruenta.Poſtremùm etiam grumi multi excernuntur,primùm quidem flaui, ad finem verò nigri & graueolentes. Manifeſtum autem eſt quòd vires quoque eorum ſubuertentur,ſudoréſque effundentur: aliquando autem & conuulſiones ad plurimam euacuationem conſequuntur. Atqui fluxione laborantes,curationis tempore compacta ſtercora excernent, deinde non longè pòſt, vlceris tectorium ſplendidum vnà cum ſtercore effertur. modicè nanque ab infuſis fluxus ſiſtitur: deinde paulo pòſt vlceratio excoriatur.Cæterùm ſi alicubi,certè in inteſtino recto ac colo conſiſtens dyſenteria facilè curabilis exiſtit:quæ verò in tenuibus inteſtinis hæret,difficulter curatur,maximè verò in ieiuno. Iã verò & hæ quæ poſt abſceſſuum eruptiones fiũt dyſẽteriæ,graues ſunt,propterea quòd vires deiectæ iã ſint per coincidẽtes inflãmationibus febres ac dolores. Graues ſunt quoque quæ cum vehementi inflammatione oboriuntur, quæque cum febri ac perditione appetitus.Peſſimæ verò dyſenteriæ ſunt in quibus quæ excernuntur,porri aſpectum habent,ſúntque nigra,plurima,varia, graueolentia, & quæ vnà cum excrementis ſordes pelliculis magnis commiſtis excernunt. Verumtamen & mulieres,quàm viri,ſenes & pueri, quàm iuuenes & in ætatis vigore conſiſtentes, difficilius curam accipiunt. His prædefinitis, à teneſmi affectione curam dyſenteriæ incipiemus,quum pleriſque in dyſenteria initium ſumat.

De teneſmi cura, Cap. XLIIII.

Qvemadmodum iam prædictum eſt,in pleriſque dyſentericis teneſmus præcedit.Eſt autem affectio hæc ad excernendum promptitudo,quæ differri ac deuitari non poteſt:nihil tamen præterquam pauca cruentũ aſpectũ habentia propellens,& poſt ea quædam mucoſa. vbi verò ſtercus fuerit excretum,ægri alleuantur.Iam verò & inflammationem cum laxò tumore,ex continuis diſtentionibus circa locum obortam eſſe conſtat,quæ ſtercoris inſidentis ſuſpicionem præbet quod exitum quærat. Cæterùm recrementa in ipſis concocta & compacta,ferè intotum excernuntur,pauco ſanguine poſt recrementa deſtillante,ſtercori minimè admixto. In principio igitur,ſi grauis diſtẽtionis ſenſus circa imum ventrem fiat,& maximè circa dextram partem,coniectare oportet ſtercorũ multitudinem in cæco inteſtino inſitam eſſe, quam furfurum ac fœnigræci decocto infuſo eluere oportet,melle oleóque ac modico nitro admixto. Quòd ſi huiuſmodi nihil apparuerit, ſtatim in principio oleo myrſinino aut roſaceo,cũ vino & cumino,pectinem inguináque, ac inter anum & ſcrotum intercapedinem, perinæon *Græcis* appellatam fouere ac irrigare oportet.Deinde lac caprinum recèns mulctum heminæ menſura & nequaquam minus præbendum:verùm non aceruatim,ſed ſigillatim partitum.Sequẽti deinde die, lac ipſum ad dimidium decoquatur:ablato eo quod in decoctione cõcretum ſuperſtat:atque ita exhibeatur.Si verò pituita ſit quæ ægrum infeſtet,aut præceſſerit frigus,rutam in vino albo decoquito,atq; vinũ ipſum calidũ meracũ bibẽdũ dato, ac aſſiduè bitumẽ,picẽ ſiccã,coriãdri ſemẽ,& cyperum ſuffito: vndiquaque autẽ ægro cõtecto ſuffimẽtũ ſupponatur.Eſt autẽ & paſtill⁹ ſuffumigabilis ad teneſmos ac inteſtinorũ dolores approbatus,hic: Picis ſiccæ ſextantem, bituminis vnciam vnam,ſulphuris viui vnciam vnam: bitumen ac picem cum modico aceto liquato:ſulphur autem viuum tenuiſſimè tritum adiicito,hiſque ſimul vnitis paſtillos informato.vſu verò expetente,in calidum cinerem coniectos ſuffito.bitumen autem in refrigeratis, etiam cum ptiſanæ ſucco infundito. Glande quoque ſuppoſititia in eis huiuſcemodi vtendum eſt:Oleo raphanino,ſi adſit,aut communi,ſi non illud haberi queat,allia decoquito ac cõformato,deinde ladanũ & ceram paulatim adiicito: quibus liquefactis & ab igne ablatis,modicum lycii addito, vnito,ac tomento excipito,ſedique quampenitiſſimè indito.Ad imum verò ventrem ac lumbos hoc adhibeto: Ladanum & ſtyracem vnguento nardino oleóque ſuffumigabili appellato diſſoluito,ac lana exceptum imponito ac colligato.Efficaciſſima autem ſunt in teneſmi affectione fomenta ſedi admota.Gallas igitur in aceto decoctas cum ſpongia adhibeto,aut glomis texturæ gynæciorum per ſucceſſionem foueto.Efficax eſt & malicorium ſimiliter decoctum,myrtique baccæ, ac rubus, quæque his ſimilia exiſtunt.Furfures quoque in aceto decocti, ac feruenti ligamento excepti,commodè ſedi adhibentur. inſeſſiones etiam ex prædictis vtiliter ſuſcipiuntur. Verùm cui per noſtram experiẽtiam cognito teſtimonium meritò præbemus,tale eſt:Later perquam vetuſtus & à fumo denigratus,vnà cum contentis in eo paleis tunditur: deinde feruenti aceto ſubactus linteolóque illigatus,ſedi ſubditur.Hæc autem ſtatim ab excretione admoueantur, &maximè,ſi dolor infeſtet.iuuantur etiã per ſpõgitidem herbam ſede exterſa. Si verò exulcerationis principium oboriatur,inflammatióque adſit,ptiſanæ ſuccus infundatur,paucis roſis ſimul cum eo decoctis.quòd ſi acria ſint quæ efferuntur,lac tepidum infundatur. Vehementiori autem inflammatione infeſtante, oleum roſaceum leniter calidum infuſum ac pluribus horis detentum,doloris vexationem diſſoluit. Si verò laxius inteſtinum rectum fiat,lentium ac malicorii decoctum infundatur.ſimiliter autem,& ſi exulcerationis principium adſit. Si verò vigiliæ vnà cum dolore conſequantur,ſedi collyrium ſoporiferum ſubdetur,quod ad dyſenterias eſt deſcriptum. In eis autem quibus iam vlcus ſerpendo depaſcitur, ſubiecta ad dyſentericos cura vtemur. Epithema dyſentericis: Croci,myrrhæ troglodyticæ,cyphii,maſtiches, ſucci abſinthii,aloes,palmarum,acaciæ,maſucha,ladani, malorum cotoneorũ,cumini torrefacti, cãdidi ouorũ aſſati, panis vſti & in vino macerati, olei melini aut roſacei.

Cura dyſentericorum, Cap. XLV.

PRincipiũ curationis dyſentericorũ à quiete & modico cibo fiat,vndecũq; tãdẽ fluor procedat: & mediæ corporis partes lana oleo modico dulci imbuta cõtegantur:vehe-

tur: vehemẽti autẽ mordacitate infeſtante, rutaceũ ſit o- A
leũ,& cuminũ tritũ lanæ cõuolutæ inſpergatur, maximè
vbi inflationes & tormina affligãt.Quòd ſi hæc augeſcãt
& intendantur, ad cataplaſmata confugiendũ erit:& hoc
maximè,ſi inflãmationis ſenſus percipiatur. Multis enim
non dolorum tantùm, verùm etiam totius mali oblitera
tionem,cataplaſmatum commoditas induxit. Apparen-
tur autẽ hæc ex polline in poſca,vſquequo cogatur deco-
cto: quem deinde linteolo complicato illigatum totis
iliis impones.fluorem enim ipſum concoquit.Quandoq;
autem & palmas,malàque cotonea, ac malicorium cum
aceto cocta admiſcemus: quòd ſi ardor adſit, ſymphyti B
radicem tritam,aut ſolanum,aut perdicium,aut plantagi
nem adiicimus.Stomacho verò imbecilli & exoluto,po-
lentam cum œnãthe, aloéque & omphacio annectemus:
inflatione autem ſimul infeſtante,aniſi, fœniculi, apii, ac
irionis ſemen addimus. & ſi lumbrici ſimul cum recremẽ
tis excernantur,melanthiũ, aut cornu ceruini ramenta,
aut adeps ceruinus,aut coriandri ſemẽ non incommodè
admiſcentur. Quòd ſi dolor vehemens adſit,prædicta cũ
lini ſemine commiſceantur,&aceto mulſo decoquantur. C
Si verò ſanguis multus efferatur, acacia, hypociſthis, &
alumen cum palmis ac malicorio decoctis & tritis aptè
concinnantur. ſi autem liquida & cruda prodeant, quod
eis qui vires debilitatas habent euenire ſolet,mel coctum
per ſe aut polenta admixta, pelle exceptum imponitur.
Aliquando autem & opii parùm, aut hyoſcyami ſemen,
hypociſtidémque & acaciam ac myrrham,apiique ſemẽ
ſatis largum,itémque fœniculi & aniſi inſpergitur. Quòd
ſi frigoris ſenſus adſit, pellem agninam leuem, liquida
pice imbuito, calefactámque aluo imponito. Ego verò, D
inquit Archigenes, ſuperioribus quidem inteſtinis affe-
ctis, paſtillum aliquem ex eorum genere qui ſupernè per
os exhibentur diſſoluto,ex melle probè cocto, aut palma-
rum pinguiũ carne exceptum impono. neque enim im-
penſæ parcendum eſt in iis qui de vita periclitantur. In-
ferioribus autem inteſtinis affectis, ac mucoſis multis
infernè prodeuntibus,& eiuſmodi etiam occupante ma-
dore:ex paſtillis qui infernè per anum infunduntur, tres
aut quatuor palmarum carne exceptos impono, ſempér- E
que mihi iuxta votum res acta ſuccedit. Mirificè etiam
emplaſtra quæ cruentis vulneribus adaptata ſunt,condu-
cunt,poſtquam quieuerint inflammationes, ventri ac lũ-
bis totis vſque ad dorſum impoſita: qualia ſunt Barbara
appellata, & quæ ad fracturas apparantur, velut eſt quod
Iſis vocatur. Atque de his quidem quæ forinſecus impo-
nũtur hactenus. Dicendum autem deinceps de iis quæ
intra corpus aſſumuntur.In principio igitur pòſt tertiam
diem permittentibus febribus, lacte recens mulcto ad-
huc calido vtendum eſt,melle tepido ei admixto, atque F
in eius vſu ad tres dies perſeuerãdum,quantum nutrien-
do corpori ſuffecerit exhibendo: ſequentibus dein-
de diebus melle adempto, & modica aqua (quartæ
nimirum lactis partis menſura) affuſa, paulùm deco-
quimus, ac exhibemus: deinde poſt alias tres ad di-
midium decoquimus, & poſt alias tres, ad tertias, ſimi-
liter per tres dies, atque ita eis præbemus. Primum e-
nim lac depurgat, ſimul ea quæ in corpore ſunt con-
temperando: poſtremum verò aluum ſiſtit. Non ſcio
enim an aliunde grauior moleſtia dyſentericis oboria- G
tur, quàm ex eorum quæ egeruntur acredine contingit.
Oportet autem inſuper & panem madefactum à lactis ac-
ceptione offerre. Pultes etiam ex lacte apparatæ,tum phar
macum tum nutrimentum optimum præbent: velut eſt
oryza cum lacte,dulciarii panes,amylum, & oua lacti cõ-
miſta .Quòd ſi adhuc fluxus perſeuerat:inde ad eorum
quæ aluum ſiſtunt, ſyluam tranſeundum eſt. ex quorum
genere,alia quidem influentes humores obducunt & in-
ſpiſſant: alia verò, corpora plus iuſto rarefacta & laxata
adſtringunt,alia autem reſiccant. Pultes igitur ex alica
apparentur:nam & hæ probè nutriũt,&aliquò modo ob- H
ducunt.Condiantur autem pauciſſimo ſale,ac modico o-
leo & anetho,aut pro oleo magis adipe gallinaceo,aut an
ſerino recenti. Quæ verò ex oryza eodem planè mo-
dò parantur,præcedentibus magis reſiccant: his autem

adhuc amplius quæ ex milio fiũt. Quæ autẽ ex rhoe appa
rantur pultes,magis adſtringunt.Ego verò, inquit Archi-
genes,eas hoc modo adorno:Rhoem culinarium in aqua
pluuia per noctem macero:deinde diligenter expreſſum
aquæ cõmitto. Farris apparatus,ex Archigene. Quod
verò Latinè in regionibus Romæ vicinis far appellant,
hoc modo apparatur:Frumentum modico tempore aqua
madefacito,indéque extractum ac in pilam coniectum,
veluti ptiſanam à cortice repurgato. Vbi verò corticem
exuerit, tollito atque in ſole ſiccato: deinde manibus
tritum donec penitus à cortice fuerit mundatum, craſ-
ſiſsimè molito,ita vt granum vnum in quatuor aut quin
que partes redigatur, & ſiccum adſeruato. Vſus autem,
tempore,alicæ modo coquitur, & à ſanis in cibo ſumi-
tur: pro ægris verò variè apparatur, & epithematis quo-
que admiſcetur. Quidam ſpicas frumenti adhuc virides
tollunt,ex ipſiſque far cõcinnant, quo modo & ſuauius &
iucundius redditur.Far quod Cluſinum appellatur:Porrò
frumentum ipſum rurſus madefactum, manibus ſedulò
cõfrico,atque ita percolatum ipſius ſuccum coquo, ane-
thi ramulis aſsiduè agitando:coit autem celerrimè velut
glutinum quo ad librorum compactionem vtimur: quo
facto,ipſum ſale, ac pauciſsimo oleo ſiue adipe condio,
ſitque hoc modo non ſolùm cõmodum, ſed etiam iucũ-
dum. Apparatur autem puls ex ſiccis item panibus, quos
aliquando quidem poſca, aliquando verò palmarum,aut
malorum cotoneorum,aut pirorum, aut ſiliquarum, aut
rhois,vt dixi,cremore contuſos coquo, eiſque aliquando
ex fauo albo ac optimi mellis pleno aliquid admiſceo.Ex
adſtringentium numero lenticula quoque proditur,quæ
probè aſſata cum plantagine aut malis Punicis contuſis
decoquatur,acetóque ac modico oleo condiatur. vtiliter
etiam lenticulæ far Cluſinum admiſcetur. Olera quidem
non valde probo:decẽtem tamen eorum deguſtationem
non prohibeo,velut ſeridis coctæ,plãtaginis,braſsicæ bis
coctæ,ad quam poſt primam atque item ſecundam deco
ctionem aqua diffuſa,poſcam ferueẽtem affundimus,rur-
ſúſque donec liqueſcat decoquimus.Intubum quoque ac
ſiſarum cum liquamento ſimplici exhibemus. Damus &
ouorum aſſatorum lutea tantùm cum modico aceto ac
rhoe,pauciſsimo oleo admixto.Carnes autem dyſenteri-
cis non valde commodæ exiſtunt, dandæ tamen eis qui
diuturno malo vexantur. Ex his volucrium eligẽdæ,de-
inde ſylueſtrium ferarum: verùm ex his omnibus facilè
ſolubiles & non graueolentes, tenerámque carnem ha-
bentes ac adſtringentem,reliquis præferendæ: velut eſt
inter volucres perdix,palumbes,& ſimiles. Ex pedeſtrib'
verò carnes dorcadis,capreæ,ac leporis: ex marinis, aſel-
li,percæ,loliginis ac mulli:ſingulæ verò in poſca ebulliãt,
myrti baccis cum eis incoctis: deinde aſſatæ cum fami-
liaribus eduliis præbeantur. Fructibus quoque parcè vtã-
tur:ſi tamen ſtomachus langueat, pirum coctum, aut co-
toneum malum cõcedemus, aut vuam quæ in cado ſiue
olla,aut etiam interpoſitis vinaceis adſeruatur: meſpila
item ac Punicum malum.In potu,à principio quidem a-
qua pluuia quæ non ſit ex domibus plumbo intectis de-
lapſa, vtendum eſt: talis enim aqua potata etiam ſanis
dyſenteriam propinat. quòd ſi pluuia optima non adſit,
fontana vtemur:puteorum aqua ſemper deuitata, vtpote
quæ ſubſalſa eſt,ac ventrem perturbat. Cum aqua autem
fructus adſtringentes coquere oportet, maximè verò a-
cinos.Pòſt verò vbi vires fuerint deiectæ, etiam vinum
præbendum,quò ſtomachi ſanitas firmetur. ſit autem vi-
num adſtringens,& non valde vetuſtum.Ante cibum ve-
rò corpus inunctionibus,& faciei prolutione, ſimilibuſ-
que curetur, quæ in febrium tractatu ſunt relata. Atque
hactenus quidem de diæta. Iã verò ad remedia quæ in-
fernè adhibentur tranſeundum. Magnis igitur inteſtinis
affectis,etiam infuſa adhibeantur:& ſi quidem teneſmus
infeſtet,ptiſanæ ſuccus infundatur,adipe caprino aut hir
cino admixto.Vbi verò corpora excoriationẽ incurrant,
alicæ aut oryzæ ſuccus magis appoſitus erit: triticea etiã
ptiſana ad teneſmos ac excoriationes accõmodata cenſe-
tur. Aliquando in vehementi teneſmi ad egerendum prõ
ptitudine,muriæ vſu ægrũ ab omni dolore liberauimus.

ſufficiunt autem ex ea drachmæ ſex,heminæ vni calidæ aquæ illiquatæ: ſi verò ſucco alicui eam admiſcueris,dr. octo iniicito.Præſtantius tamen oliuarum albarum muria conditarum liquamen cenſetur,tepidum heminæ mēſura infuſum,& ſanè per aſſiduum eius in teneſmi cura vſum optimè ſucceſſit.Si verò ex veteri chirurgiæ perpeſſione, aut aliâs ſubtiliore ſenſu prædita exiſtant circa ſedē ægroti loca, anus aſſiduè,& maximè ante acrium aut adſtringentium pharmacorum infuſionem, adipe anſerino aut ſuillo perungatur, & fiſtula quoque clyſteris craſſius illita immittatur.Cæterùm poſt diſtentionum exolutionem,aſperitates quæ circa inteſtinum ſunt,quæ quidem mediocriores, per muriam reſiccantur: quæ verò relinquuntur,ſuccis magis adſtringentibus curantur:veluti gallæ in vino decoctæ, aut tritæ & vino inſperſæ: malicorii item ac corticis pinus, & baccarum myrti nigrarum. Quòd ſi ardor conſequatur,oua cruda duo cum vino modico,ac largo roſaceo conquaſſata infunduntur.Qui verò caput quod facilè afficitur habent, in his ſeminis lini ſuccum reſiccamus, vtpote caput replentem.Portulacam autem cum ptiſana (ſi poſſibile eſt) decoctam,aut cum aqua,ſi id fieri non queat,ſucco eius cum roſaceo & ouis crudis permixto infundimus, in iis præſertim qui ardoris affectionem circa inteſtina habent, aut qui aliâs à calidorum infuſorum ardore ſunt læſi:ex roſaceo verò quarta ipſius ſucci pars ſumatur. Mirificè etiam ſeminis lini ſuccus facit,cum cādidis ouorum,& lacte aſinino ſeſquicochlearii menſura, permixtus: pro quo, ſi non adſit, bubulum accipere non incommodum erit. Porrò inflāmationibus eryſipelatis,ciborum ac potuum citra mordacitatem adſtringentium vſus conueniens exiſtit. Infuſa verò eis conueniunt,plantaginis ſuccus, malicorii,perdicii,portulacæ,ſemperuiui: verùm ſingulis acaciæ aut hypociſthidis ſuccum admiſcere oportet. Efficacius autem in eryſipelatis glaucium infunditur cum aliquo ex prædictis ſuccis,aut Andronis paſtillus,aut Muſæ inſcript⁹. Quòd ſi ſanguis deſtillet,ſanguinariæ ſucco vtendum aut plantaginis cum acacia,hypociſthide,aut balauſtio. Si verò ſanguinis impetus vehementer vrgeat,quemadmodū etiam ſi maxima inflammatio ſubeſt,præſertim in iis qui plurimo ſanguine abundant,vena incidenda,ſi vires non reſiſtant:& maximè in quibus cōſueta ſanguinis excretio cohibetur. Auferre autem oportet neque multum neque coaceruatū:ab vtroque enim venter conturbatur.Omniū verò maximè cauebimus ne animi deliquium fiat. quare deſidenti etiam dyſenterico venam ſecabimus:hac enim deſidentes forma,dum ſecatur vena,minus reliquis animo linquūtur.Secare autem oportet in dextro cubito venam humeralem appellatam: neque enim ſimiliter hac vena inciſa,vires labefactantur, & inſenſibiliter quodam modo furtimque ſanguis aufertur. quòd ſi hæc non appareat, neceſſariò mediam ſecamus. Inferiorem autem incidere,ob ſubiacentem arteriam,vitandum. cæterùm fiſſuram omnino tenuiſſimam infligemus:nō enim ob multitudinem ſanguinis euacuandam,ſectionem facimus,ſed vt materiam quaſi per riuos tranſferamus. Paucus autem ſanguis etiā multo tempore emiſſus, inflāmationē mitigat,& ſanguinis ad inteſtina delationem reuellit,innatúmque calorem ſenſim refrigerans,ſomnum magis quàm animi deliquium inducit. eſt autem optimum dyſentericis remedium ſomnus. Si verò quid venæ inciſionem fieri prohibeat,ex eorum quæ ſanguinē ſiſtunt admixtione infuſionem facio. qua in re lanarum ſuccidarū cinis optimè facit,aut ex ſpōgia noua vſta.Spōgiā autē ipſam liquida pice imbuere oportet,aut ſanguine taurino, cinerémque eius in olla exuſtæ in aliquē ex prædictis ſuccis inſpergere,atque hoc modo infundere. Succi autē in his ad infuſiones apti ſunt,ex plātagine,ſanguinaria,ac ſimilibus.Quin & linteolum alumine liquido imbutum, deinde vſtum,præclarè ſanguinis eruptiones ſiſtit. Summè autem conducētem cognouimus aſinini ſtercoris ſuccum,maximè ſi à paſtura prodeat animal montana & adſtringente:quòd ſi non ſufficit ipſe ſuccus, ſtercus plantaginis ſucco madefacito,exprimito ac infundito.Adhibeantur autem ſimul & epithemata, & quæ per os accepta, ſanguinem ſiſtunt,& qui ſanguinem ſpuentibus commodi ſunt paſtilli.Præter opinionem verò eis proſunt,maceris cortex,& mali Punici flores, æquali pondere contuſa & cribrata,ſi inde ſcrupuli duo cū vino adſtringēte propinentur.In his etiam frigida,citra offenſionem tamen, infuſa apparentur.in reliquis verò dyſentericis tepidiora, aut leniter calida. vlceribus enim frigidum infeſtum eſt, niſi ſanguinis eruptio ſimul adſit. Si verò exulceratio abſque fluxione relinquatur, plura ne infundantur quàm lac bubulum aut caprinum, cui lycii drachmæ tres ſint admixtæ.Optimè faciunt & terræ Samiæ drachmæ IIII. aut amyli drachm.IIII.cum plumbi vſti drachmis II. triticeæ ptiſanæ admixtæ ac infuſæ: aut ceruſſæ drachm.II. cum ſucco iniicio, ægérque ſanatur. Vbi verò fluxione afficiatur & nimiùm humecta ſit exulceratio, charta vſta aut lentiſcus vſta,aut cinis pompholygis, aut aridum ex charta conſtans pharmacum, ſimiliáque cum ſucco plātaginis infuſa, aut etiam cum altero conſimili ſucco ægrū à malo aſſeruant.Quòd ſi vehementior ſit fluxus,& humectatio exulcerationis,ea quæ à callis indurata corpora læuigare ac à callis liberare poſſunt aſſumantur: itémque ea quæ humecta reſiccare & exurere,exolutáque adſtringere poſſunt: velut eſt ſabinæ herbæ decoctum, item ſaluiæ,polii, ac pilularum cupreſſi: ex paſtillis verò Muſæ inſcriptus,& qui ex lanis ſuccidis vſtis conſtat,& cō ſimiles.In potu verò,Thraſyandri paſtillus,& qui croceus appellatur, conſimiléſque qui ſupernè per os ſumuntur, præbeantur. cibi etiam magis reſiccantes eis exhibendi. Si verò ſerpendo depaſcant vlcera ipſa,ſi quidem in inteſtino ieiuno cōſiſtant, paruam omnino ſalutis ſpem promittunt.Si verò circa tenuia inteſtina fiant, minus graue malum eſt,attamen periculo non vacat: ſi autem in colo fiant,vtplurimùm ſanabilia exiſtunt. Verùm quemadmodum in externis vlceribus depaſcentibus:ita & in his ſtatim in principio,vbi depaſtio apparuerit,cruſtas inducentia & exurere valentia adhibere oportet. ſi enim ad magnitudinem peruenerit exulceratio,inutilis horum vſus fuerit. Cæterùm vlcera circa ieiunū ac tenuia inteſtina, per potiones curantur: ea verò quæ cruſtas inducunt in potu accipi non poſſunt: quare ſorbitiones & eclegmata extergere ac repurgare potentia,his ſunt exhibenda. éſtq; ptiſanæ ſuccus cū melle abſorptus his aptus,atq;ipſum adeo mel, per ſe induratū & in decoquendo in paſtillum coactū,quod comeſtū vlcera potenter repurgat. Sorbitiones item ex eruo apparatæ, conuenientiſſimæ ſunt eis qui in ſuperioribus partibus vlcus depaſcens habent. Apparantur autem hoc modo: Eruum in aqua calida ſæpè permutata ad horas octo madeſcere ſinitur:deinde donec teſtam omnem abiecerit,manibus in aqua confricatur: pòſt verò coquitur,& prima itémque ſecunda, tertiáque & quarta aqua diffuſa, ſemper vbi prius decoctum diffunditur, rurſus alia aqua feruens affunditur: quæ vbi poſt quartam tandem decoctionem fuerit diffuſa, acetum mulſum ad ipſum ſufficienter infundatur, & cum quintæ aquæ affuſione ad compagem ſucci ptiſanæ decoquendo reducatur, atque hoc modo abſorbeatur. alica etiam cum lacte bubulo decocta non incommoda efficitur. Maximè verò omnium prodeſt eis lac bubulum recèns mulctum ac potatum. quicquid verò tandem eis datur, valde modicum ſit. hi enim præ aliis dyſentericis pauco cibo indigent, ſitique vexantur. Pharmaci autem loco exhibeantur quæcunque ariſtolochia rotunda participant, radicéque panacis,ac iridis, alumine ſciſſili,moris, & mali Punici flore. A vino verò abſtineant: depaſtionem enim dilatat. Quòd ſi circa inteſtina craſſa vlcus ſerpendo depaſcens conſiſtat, ea quæ per ſedē infuſa cruſtas inducunt,adhibeantur: cuius generis ſunt paſtilli Fauſtini,& conſimiles,& maximè qui Nymphodoto eſt inſcriptus,quo etiā nos vtimur: item qui ex thallia,*id eſt oleæ ramulis* conſtat:quorū omnium compoſitiones paulo pòſt dicemus.Cæterùm cum attentione cruſtā inducentibus vti oportet, excellentem ipſorum facultatem reuerendo. Porrò canceroſa & maligna quæ cacoethe *Græci* appellant, inteſtinorum vlcera,ferè in totum incurabilia exiſtunt, neque tamen citra auxilium

relinquere oportet,ſed vehemẽtes dolores mitigare: optimum autem & his eſt aſininum lac recens mulctum potatum: ſiquis enim eius vſum ſuſtinere poſſit, nullámque aliud nutrimentum accipiat,plurimam ſalutis recuperandæ ſpem habebit. bonum eſt & bubulum ac caprinum recens mulctum: ſi illud non adſit, bonum eſt & ſciſſile lac cum amylo.Præbeantur autem eis & oua cruda,ac iuſcula gallinarum & perdicum.Succi etiam præbeantur omnes qui facultate obtundendi dolores præſtant: infuſa quoque eiuſdem generis ſint. pharmaca item his conueniunt omnia quæ ad dyſentericos à venenatorum acceptione factos, conducunt.Cæterùm irrigationibus & cataplaſmatis neque curantur cancroſa & maligna vlcera, neque mitiora fiunt.Vtere autem &ad eos infuſis ad canceroſam vuluam deſcribendis, & pharmaco ad cancros mãmarum, ex vino Adriano & rhoe qua coria tingũtur, apparato.Porrò ſi à venenati pharmaci potione,vbi mortis periculum fuerit deuitatum,dyſenteria oboriretur,iis quæ à venenorum potu cõueniunt erit vtendum.Triplicis autem modi remediis in iis qui venenum biberũt vtimur, vomitoriis videlicet,& obtũdentibus atque extinguentibus: in quorum numero etiam acria comprehenduntur. Vomitoria itaque remedia mox à veneni potu ſunt accepta: extinguentia verò quæ acria ſunt, tanquam vlceribus minimè conuenientia,recuſamus. Alterum igitur tantùm genus extinguentium,hoc eſt aromatica aſſumemus:itémque ea quæ obtundendi vim habent. Ex cibis itaque cõueniunt ptiſanæ ſuccus,aut alicæ ſuccus,cum anetho decoctus,aut palmis,aut mali Punici acinis: item radicis dulcis ſuccus: cum his etiã tum gallinæ tum perdices decoqui poſſunt donec liqueſcant:cerebella item ac pedes eliquata præbeantur,& ſorbitiones ex amylo & lacte,quibus anſerinus aut gallinaceus adeps eſt admixtus. Ex pharmacis autem eis conducunt quæ de venenis referentur in tertiodecimo Sermone. In potu, vinum nõ inconueniens eſt tenue & album,niſi febris aut inflammatio adſit. Cæterùm cataplaſmata & fomenta in eis quib⁹ ex bilis acredine dyſenteria oborta eſt, vitabimus. Quod enim læue & bene ſucculentum in inteſtinis eſt,id diſtrahunt ac diripiunt:quod verò nulli vſui eſt & mordax, in ipſis relinquunt.

Cura eorum qui aurum, aut æs, aut tale quippiam deglutiuerunt, Cap. XLVI.

SIquis auro, aut ære,aut ferro,aut aliquo alio huius generis deglutito,ſanguinẽ per vẽtrẽ egerat, maluæ aut ſeminis lini ſucco multo, in potu exhibito,lapſum facies deglutiti, ſupra hoc quòd & in inteſtinis obortam lenies aſperitatẽ. Ego verò, inquit Antyllus,quum quidam per iocum anulum aureum deuoraſſet,& ramentoſa ac cruenta infernè egẽreret, ob ſculpturæ videlicet aſperitatem: in ipſo enim aũro capitellum inerat aſperè cõcinnatum, non ſum immoratus iis quæ lubricas vias reddunt, ſed confidenti animo ad ea quæ fortiter purgant pharmaca ſum progreſſus.quare contigit vnà cum recrementis anulum excidere:quo facto, homo ipſe ex ptiſanæ ſucco, ac ſorbilibus ouis nutritus,tertia die ſanus euaſit.

Communia remedia dyſentericorum quæ ſupernè exhibentur, Cap. XLVII.

POrrò vbi memor fueris remediorum iam antè in vnaquaque dyſenteriæ ſpecie dictorum,expeditè inuenies iuxta eundem planè modum, quomodo & communibus remediis,quæ nunc dicenda ſuperſunt,vtaris.Commixta enim reperies hic remedia omnia ſimpliciter ſcripta quæ dyſentericis conueniunt: nimirum adſtringentia,obtundentia & reficcantia. Et ſimplicia quidem quæ tũ dyſentericis, tũ cœliacis in potu dantur: alia quidem adſtringendo & firmitatem addendo, humoréſque inſpiſſando,ventrem cohibent:alia autem obtundendo,alia etiam vrinam ciendo,ac fluxionem tranſferendo. Quæ itaque vrinam cient, omnibus ſunt manifeſta,& ſæpe in hoc opere deſcripta, quibus etiam hîc vti oportet. Quæ verò adſtringũt,commoda eis hæc ſunt: lapathi ſylueſtris maximè ſemen, alterius autem lapathi tum ſemen tum radix,trita aquæ inſperſa ac potata,ſiliquæ aridæ comeſtæ,

A rhus culinarius,gallæ,ſpinæ Ægyptiæ ſemẽ,malicoriũ aridum tritum,rubi radix,vnũmquodque eorum cum aqua ad tertias decoctũm,aut tritũ potui inſperſum: ladanum cum vino auſtero,acaciæ ſuccus,hypociſthidis ſuccus,lyſimachia,balauſtium,ſideritidis,heracleæ folia & radix, ſalicis folia,ſymphyti radix & folia & ſemen,rheon Ponticum,althææ radix,gnaphalium cum vino auſtero, hippuridis ſuccus cum paſſo, loti arboris baccæ, & ligni loB tini ſcobs,potui inſperſa & potata præclarè faciunt: cortex thuris tritus potatus, Lemnia terra quæ ſphragis appellatur, minium ſinopicum, œnanthe, polentæ modo potata,holoſchœni iunci fructus torrefactus,verbaſci radicis drach. I I. mora acerba in ſole deſiccata ac trita liquori potando atque obſoniis inſperſa, mora rubi acerba ſimiliter exhibita, acini vuæ ac vuarum paſſarum tum aridi triti,tum in cinerem exuſti,plantaginis ſemen aridum tritum,ſimiliter folia & radix,maceris cortex.Ex eorum autem numero quæ aliquo modo adſtringunt, verùm magis obtundunt, eſt aſter Samius,& amylum.

C Obtundit autem tragacantha & gummi. Reficcat coagulum leporis ex aqua,cornu ceruinum vſtum, herinaceorum teſtæ vſtæ,itémque oſtreorum,& cancrorũ maximè fluuialium, atque etiam marinorum teſtæ vſtæ ac tritæ.egregiè facit & ſaluiæ decoctum.

Compoſita pharmaca quæ ſupernè exhibentur, Cap. XLVIII.

VInum vetus adſtringens ad tertias decoquito,mellis que optimi æquale pondus adiicito, rurſuſq; donec in compagem cogatur coquito,& ante cibum myſtri mẽ
D ſura exhibeto. Aliud Aſclepiadæ. Ouum recens in vas quoddam euacuamus, putaminéque eius mel optimum ac vinum vetus adſtringens, malicoriúmque tenuiſsimè tritum demetimur, piperiſque granis decẽ adiectis,hæc ſimul in ſartagine torremus, atque tertiã inde partem ieiunis cum pane præbemus. Summè etiam prodeſſe quod ſequitur ſcimus:Corticis thuris,ſeminis plãtaginis,æquales partes tritas vino diluto ad triũ cochleariorũ menſurã inſperge,ac ante cibum exhibe.Caninum etiã ſtercus album,tritũ,lacti ſciſsili & per ſilicesdecocto
E inſperſum,ſummè dyſentericis auxiliatur, ſi lac ipſum in cibo ſumatur. cæterùm canem ipſum per præcedens triduum,nullo alio cibo quàm oſsium comeſtione nutrire oportet. Aliud valde approbatum,cuius vſu ſcimus multos à morbo liberatos. Gallarum tenuiſsimè tritarũ, piperis,rhois culinarii, malicorii tenuiſsimè triti, ſing. æquales partes miſce,ac cum vitellis oui ſubige,& in mali Punici vacuam teſtã coniice,ex eodémque ſumpto putamine os teſtæ contege : deinde totam mali teſtam fermento forinſecus oblini, & ad prunas aſſa : pòſt verò ex
F hac ipſa mali Punici teſta repurgata cochlearium ante cibum edendum præbe. Aliud,quod & cœliacis prodeſt. Baccarum myrti nigrarum cochlearia tria,aniſi,roſarum ſiccarum,œnanthes, acaciæ, ſingulorum cochleare vnũ. Palmarum carne ſubige, ac drachmam vnam præbe. ſi œnanthe haberi non poteſt, vuas immaturas ſiccatas cõiice. Aliud Marciani,ad eos qui neque potum,neque cibum accipiunt,ſed pro deſperatis habentur. Baccarum myrti albarum quincuncem,malorum cotoneorũm me-
G diocrium ac pulchrorum numero duo, aquæ ſextarios tres,ſcobis corticis arboris loti ſextantem & vnciæ dimidium. Decoquito ſimũl donec ſextarii duo reliqui ſuperſint,ac quantum poſsint bibendum præbe, idémque etiam per clyſterem infundito.Eiuſdem facultatis eſt loti ſcobes potatus,atque amplius adhuc eo præſtat eius decoctũ. quòd ſi lotus nõ ſit,cortice pini vtaris. Aliud Marciani. Aloes ad carbonũ formã exuſtæ vnciam vnã,ma licorii vſti vnc.I.ſeminis lini vſti vnc.I. contere & præbe cochlearia duo ,iis qui febre carent cum vino antiquo. Ego verò,inquit Marcianus, quotieſcunque hoc exhibeo,
H duorum terreſtrium herinaceorum membranam internam, quæ cibum complectitur, deſquamatam adiicio. Quare hanc membranam illotam accipito, ſiccato, ac adſeruato : per ſe enim huiuſmodi pelliculæ potatæ ventris fluxiones ſiſtunt. Aliud Marciani, cuius vtilitatem ne contemnas: Seminis anethi, apii, fœniculi

mōtani,piperis,ſing.vnc.I.in teſtaceam pilam coniicito, atque vbi probè contriueris, herinaceorum terreſtrium internam membranam illotam ac per ſe contuſam & cribratam vnc.I.pondere immiſceto.Deinde vinum purum vetus quantum ſatis videbitur, in nouum vaſculum infundito, & laminam ignitam ex ferro quod ſtomoma vocant, non minorem libra, in vino extinguito, & adiectis aridorum drachmis duabus,bibendum præbeto. tantum enim ad ſummum datur, atque hoc medicamine multos ille deſperatos ſeruauit. Aliud multa experientia cognitum: Cochlearum terreſtrium maximè montanarum vſtarum carnem trium drachmarum pondere accipito, piperis ſcrupulos VIII. ſimul cum æreo piſtillo in puluerem redigito, & vini veteris ſeſcuncem, tantundémque gari affundito, ac ſimul vnita omnia in tres partes diuidito,& per tres horas exhibeto. Oribaſius autem ſic:Cochlearum vnà cum teſtis vſtarum vnciā I.(alii trientem habent)gallæ ſextantem,piperis vnciam I.in puluillum redige,ac obſoniis inſperge,aut cum aqua, aut vino albo tenui præbe.Præclarè auxiliatur hoc dyſentericis quibus vlcus nondum eſt putrefactum. Aliud Marciani,quod Phemus appellatur. Myrrhæ, opii, balauſtii,rhois rubri, cuiuſque vnciam vnam, aniſi ſeſquiunciam,ſpinæ Ægyptiæ quadrantem, lentiſci quadrantem. cum decocto corticis lotini ligni ſubigito,& nucis Ponticæ magnitudine præbeto, cum lotini corticis decocto: quòd ſi lotinus non adſit, meſpilino pro eo vtaris.

Catapotium dyſentericum valde pulchrum, Aſclepiadæ. Radicis ſymphyti, ſeminis ericæ,malicorii,gallarum æquales partes ſubige,& in catapotia digere, ex quibus obolos tres cum vino aut aqua deuorandos præbe. Alia eiuſdem: Gallarum drachmas quatuor, opii Aſiani drachmas duas,petroſelini drachmam vnam, aqua ſubigito & catapotia formato,éxque eis ad ciceris magnitudinem præbeto:aut quantū vires tolerare poſſint. Aliud.

Thuris,acaciæ,opii, gallæ, æquale pondus ſingulatim cum ſucco intuborum ſubige:indéque ad ciceris magnitudinem aut pro virium tolerantia præbe. Aliud. Florum roſarū,opii,acaciæ,gummi,ſucci hypociſthidis, cuiuſque trientem, ſeminis & ſucci plantaginis, cuiuſque ſextantem,ſucci roſarum vnc.I. In catapotia redigito, ex quibus obolos tres dato. Paſtillus ex ſeminibus, qui in Alexandria præparatur: Aniſi vnc.vnam,fœniculi vnc. I.ſeminis hyoſcyami quadrantem,ſeminis apii quadrantem,(alii tantùm drachmas tres habent)opii vnc.I.dauci vnc.I. aqua ſubigito. Oribaſius autem hoc modo: Aniſi,ammii,fœniculi ſeminis,apii ſeminis, cuiuſque drachmas tres,petroſelini drachmas duas,opii drachmas II. valet cœliacis,dyſentericis, cholericis,& tuſſientibus. Paſtillus trigonus, *hoc eſt triangularis* appellatus. Seminis apii ſextantem, ſeminis hyoſcyami vnciam I. opii vnciā vnam,aniſi vnciam I.aqua ſubigito. Aliud Andromachi,ad cœliacos & dyſentericos. Rhois culinarii drach. IIII.piperis drach.IIII.myrrhæ,croci,acaciæ,ſcobis corticis loti,ammii,cuiuſque drach.II.ſpicæ nardi,lycii,gallarum,ſucci hypociſthidis,apii,aloes,aniſi,cuiuſque drach. I.cum rubi ſucco ſubigito, & ante ſomnum,III.obolorum pondus ex aqua præbeto:non febrientibus ex vino frigido. Paſtillus Philippi,ad diuturnas dyſentericorum affectiones,leuans dolorem,& bibitur & infunditur,& forinſecus quoque imponitur, melle cocto aut palmis paſſis ſubactus. Acaciæ,balauſtiorum,hypociſthidis,rhois rubri, opii, thuris, myrrhæ, croci, gallarum, lycii, aloes, rhei Pontici,baccarum myrti nigrarum, malicorii, ſing. drach.IIII.vino veteri adſtringente ſubacta in paſtillos digere,& non febrientibus obolos III.ex vino præbe, febricitantibus verò ex hydromelite.Ego autem hoc paſtillo vtor & feliciter mihi ſuccedit,omnibus quidem prædictis ad eius compoſitionē adiectis,præter thus& rhoē. ad hæc autē,omphacii,floris mali Punici,caſiæ, caſtorei, aluminis ſciſſilis,roſarum repurgatarum & ſiccarum, ſingulorum æquale pōdus addo. Catapotium bonum. Abrotoni ſextantem,ſarcocollæ vnc.I. gummi parum, vt ex eo cogi ac formari poſſint.Catapotia ciceris magnitudine formató,& ieiunis vnum deuorandum præbeto,ſimiliter vnum ante ſomnum. Alius Oribaſii,ad dyſentericos & hæmoptoicos,fluxúmque muliebrem. Succi hypociſthidis, terræ Samiæ, gallæ omphacinæ, acaciæ ruffæ, cuiuſque drach.VIII.cum aqua pluuiali ſubige, & paſtillos forma,ac vtere, ad dyſentericos quidem in potu exhibitis,ac per clyſterem cum ſucco oryzæ aut lentis,aut aliquo conſimili infuſis: ad hæmoptoicos verò,cum aquæ frigidæ ſeſquicyatho,eius drach.I. Ad fluxum autem muliebrem, cum ſucco ſolani,aut ſanguinariæ,aut plantaginis,lana exceptos ſubde. Aliud parabile. Alumen liquidum tritum cum ouo abſorbendum præbe, & rurſus aqua calida dilutum bibendum exhibe, & admiraberis. ſedat diuturnas dyſenterias, & in quibus cruenta excernuntur. Aliud. Pumicem in tenuiſſimum puluerem redactum,cum ouis ſorbilibus,cochlearii mēſura præbe, & miraberis. Aliud exquiſitum. Fici folia arida contuſa cochlearii menſura cum vino auſtero dato. Aliud, Macer, Mali Punici florem, æquali pondere contunde, & ex eis ſcrupulos duos cum vino adſtringente præbe. valde commodum hoc eſt in iis qui cruenta egerunt.

Paſtillus ad dyſentericos & cœliacos. Aniſi, ſeminis apii, ammii,balauſtiorum,ſucci hypociſthidis,ſeminis hyoſcyami albi,ſingulorum drach.VIII.opii drach. IIII.exhibe iis qui integræ ſunt ætatis drach. I. cum aquæ calidæ cyathis tribus. Polyidæ ſphragis,cœliacis,dyſentericis, quartanariis,& oculorum fluxionibus conducens. dolorem enim adimit & reſiccat.Hyoſcyami albi ſeminis dr. IIII.ſeminis apii drach.IIII.aniſi drach.II.opii drachm.I. cōtere cum aqua,& informa paſtillos obolares:ex quibus vnum cum aqua frigida præbeto.

Quæ infernè dyſentericis infundantur, Cap. XLIX.

PAſtillus Nymphodoti,ad dyſentericos,& vlcera depaſcendo ſerpentia omnibus præſtantior, quemadmodum experti ſumus,inquit Archigenes: compoſitus quidem vt Fauſtinus, diſſonans autem in auripigmenti apponderatione:opere verò longè efficacior eo cognitus. Cuius compoſitio hæc eſt: Chartæ vſtæ drach.XXX.auripigmenti drach.VIII.calcis viuæ drachmas decem, ſandarachæ drachmas ſex, vini auſteri ſextarios III. Vinum ipſum per ſe coquitur donec tertia pars reliqua fiat, cum qua,arida in mortario teruntur donec in compagem terendo redigantur. ex quibus deinde paſtilli drachm.IIII. aut trium ſiue duarum etiam formantur, quorum vſus iuxta ægri vires adhibetur:cum vino autem & aqua infūduntur,ita vt cum aqua,lenticula,roſæ ſiccæ,ac cortex loti decoquantur, cum vino verò,baccæ myrti,vt ex vtriſque heminæ menſura ſuperſit.In vniuerſum autem,non ſolùm in huius paſtilli,verùm omnium qui cruſtas inducunt vſu,ſtomachum hora vna ante eorū exhibitionem, ex oleo myrteo ac vino veteri irrigare oportet: itémque caput ex oleo largo. quæ enim cruſtas inducunt,ſi infundātur, & ſtomachum & caput offendere conſueuerunt. Ante infuſionē autē fruſta panis duo aut tria ægro adhibenda,ex aqua frigida aut lactei teporis,ſi vehemēs adſit febris:aut vino diluto,ſi parua fuerit febris & nullius pēſi, pane madefacto. Quòd ſi ab infuſione ſtomachus exuratur aut ſubuertatur, aquæ frigidæ cyathi tres confidenter in potu præbeantur.exhibēdus eſt lactucæ caulis cum pane & aceto:oliuæ item albæ ex aceto.Cæterùm iis qui ſtatim vbi infunditur pharmacum,rurſus reiiciunt,imò penitus infuſum retinere nequeunt,muriam præinfundere oportet:aliquādo etiam ſalis ammoniaci cochleare vnū, aut amplius tritum, pharmaco eſt admiſcendum, nullo habito mordacitatis reſpectu. vtilitas enim omnē dolorem exuperans inde procedet. Vtimur autem frequenter oliuarum albarum muria cōditarum liquamine,hemina nimirum vna ex eo infuſa,ſemihoræque interſtitio facto aut paululo diutiore, paſtillum ipſum conſequenter infundentes, quo modo facilè ipſum continent. & pharmacum ſanè magis efficax fit,vbi nuda vlcera contigerit: ſi verò neque ſic continuerit, iterum atque iterum infundito.munitum eſt enim pharmacum ne cruſtas inurat. Porrò vbi efficacius fuerit pharmacum & vicerit affectionem, multa cum ipſo mucoſa ramenta prodibunt,

& à multis moleſtiis,egerendíque promptitudine diſtentionibúſq; liberabit.Infuſum autẽ ipſum non vltra duas horas retinendum eſt, neque infra vnius horæ ſpatium. Atque hic canon vniuerſalis tibi in omni cruſtas inducẽte infuſo proponatur, vnà cum hoc quòd & ſtomachus & caput ſit præmunitum. Ante infuſionem, etiam anus ex oleo dulci illinatur, maximè verò adipe quopiam ipſa fiſtula craſſiùs perlinatur:poſt infuſionẽ cũ ſpõgiis aut glomis quopiã abſtringẽti imbutis,ſedes foueatur:adiuuat enim hoc ipſum infuſi retentionẽ.Mirabiliter etiã prodeſt Andronis paſtillus duarũ aut vnius drach.põdere infuſus. Paſtillus ad dyſentericos,cuius multam experientiam habemus:admirabilis enim in vlceribus ſerpendo depaſcentibus exiſtit,non ſolùm dyſentericis, ſed oris etiam gingiuarum,& ad omnem nomen ſerpentem. Calcis auripigmenti,chartæ vſtæ, ſquamæ æris, æquales omnium partes ramulorum oleæ decocto ſeu ſucco ſubigito,ac vtitor cum oryzæ ſucco.Exuccatur autem olea hoc modo: Ramulos oleæ cõtundito , eiſque cõgruentis menſuræ aquam affundito, atque donec quater efferbuerit decoquito,expreſſóque ſucco vtitor. Fauſtini inſignes paſtilli,quorum alter conſtat ex chartæ vſtæ drachmis triginta,calcis drachm.xxv.auripigmenti drachm.duodecim, ſandarachæ drach.vi. infunditur duarum drachmarum pondere cum rhois & baccarum myrti decocto. ſi verò diuturna ſit affectio,ſalis etiam drachm.ii.adiiciuntur. Alter verò conſtat ex calcis drachmis decem,ſandarachæ drachm. vi. auripigmenti drachmis octo, chartæ vſtæ drachmis triginta.in paſtillos redigito,ac vtitor,quemadmodum in Nymphodoti paſtillo eſt prædictum. Alter adhuc paſtillus Fauſtinus,qui in Alexandria præparatur: Auripigmenti trientem,ſandarachæ trientem,calcis vncias duodecim,acaciæ vncias xii.ſubige cum vino. Paſtillus Philadelphus, ad dyſenterias & ſanguinis eruptiones & omnes nomas: Sandarachæ,auripigmenti, cuiuſque quadrantem,calcis ſeſcuncem,acaciæ ſeſcuncem,excipe plantaginis ſucco aut vino auſtero, & paſtillos drachmarum quatuor, aut trium,aut duarum informa,atque pro ægri viribus infunde cum vino myrtite. Eras autem hoc modo ipſum præparat: Auripigmenti beſſem, acaciæ trientem,calcis trientem. Paſtillus alius,dyſentericis cõmodus,qui eueſtigio aluum ſiſtit, quod multo experimento conſtat: Bituminis,auripigmenti,ſandarachæ, aluminis ſciſſilis, ſquamæ æris , cuiuſque drachmas quatuor, chartæ vſtæ drachmas decem, calcis drachmas octo, ſucci hypociſthidis drachmas tres, balauſtiorum drachmas tres,opii drach.ii. Cum vino myrtite ſubige, ac vtere veluti in Nymphodoti paſtillo prædixi. Paſtillus ex ſubere appellatus,quo veluti præter opinionem admirando vtor: Gallæ vſtæ,chartæ vſtæ,ſuberis ex vaſe vini veteri accepti ac vſti, panis aridi vſti,ſingulorum dra. quindecim,auripigmenti drachm.xx.ſandarachæ drach. decẽ,calcis viuæ drach.x. acaciæ drach. v.ceruſſæ drach. v. ſpumæ argenti drach.iii.omphacii drach.iii.fæcis vini vſtæ drach.v.Cum vino adſtringente ſubige & informa paſtillos drach.iiii. iii. ii. In principio autem hos cum plãtaginis aut ſanguinariæ,aut perdicii ſucco infundito, aut cum aqua tepida, ſi hæc non adſint. ſi verò morbus fortis ſit & in vigore conſiſtat,cum fœnigræci aut lini ſeminis decocto infundito: in declinatione autem,cũ myrti & rubi decocto ex vino. & in pueris quidem cyathorum duorum menſura:in fœminis trium : in viris verò qui ad perfectam ætatem acceſſerunt, quatuor infundatur. Paſtillus Aſclepiadæ dolorem ſubmouens,ſomnũque inducens: diuturnis dyſentericis affectionibus eueſtigio auxiliatur, ſi abſit febris: Chartæ vſtæ drach.iii. auripigmenti,ſandarachæ, ſquamæ æris, aluminis ſciſſi, omphacii,lycii,acaciæ,ſucci hypociſthidis,calcis viuæ,cuiuſque drach.v.opii drach.ii.croci drach.ii. Vino myrtite excipe & in paſtillos redige, quatuor & trium & duarum etiam drachmarum, iuxta ægri vires: cum paſſi Cretici cyathis ſex, iis qui integræ ſunt ætatis,infundito. Paſtillus alius dyſentericus. Auripigmenti ſextantem, ſandarachæ quadrantem , ſquamæ æris vnciam vnam, calcis trientem,aluminis ſciſſilis ſextantem, chartæ vſtæ quincuncem,omphacii ſextantem, acaciæ ſextãtem,ſucci hypociſthidis ſextantem,thuris vnc.i.opii quadrãtem. Vino myrtite aut aliquo alio auſtero excepta ſubigito. Quòd ſiquis infuſum non contineat,ſed ſtatim ipſum reiectet , omnino morti propinquum iudicato, quemadmodum ſæpe iam ſum expertus. Infundito autem ex eo velut ex præcedente,drach.i.tantùm. Paſtillus thronus Marcellius appellatus. Auripigmenti quadrantem, ſandarachæ trientem,lentiſci triẽtem,balauſtiorum quadrãtem,(alii dextantem habent)opii ſextantẽ,calcis beſſem, omphacii ſextantem, ſucci hypociſthidis quadrantem. Vino auſtero ſubige , & vtere vt paſtillo Nymphodoti.

Paſtillus,Lycos appellatus, ad dyſentericos. Sandarachæ drachmas ſex,auripigmenti drach.xii.calcis viuæ drach.x. æris vſti drach. xx. acaciæ drach. vi. cadmiæ drach.xii.chalcitidis crudæ drach. xii.rhois culinarii aut quo coriarii vtũtur dra. iii.ſucci hypociſthidis drach.iii. baccarum myrti nigrarum recentium drach.vi. ſoreos drach.i.miſyos crudi drach.i.gallæ drach.octo, omphacii drachmã vnam,lycii drach.octo. Vino myrtite ſubigito, affuſo etiã plantaginis ſucco,& paſtillos drach.iiii. & iii.& ii.formato: cum vino verò adſtringenti infundito,ægri habita cura, velut in Nymphodoti paſtillo eſt prædictum. Paſtillus magnus,dyſentericos præclarè & feliciter iuuans,etiam ſi extremè ſint affecti ac deſperati,vtpote in quibus carnoſæ & fæculentæ prodeunt egeſtiones.Infunditur autem cum ſucco oryzæ, ita vt adeps hircinus & myrtus cum ipſo decoquantur. Cæterùm in iis qui retinere non poſſunt,muria oliuarum albarum præmittenda , & poſt horæ interſtitium paſtillus infundendus, ſtomacho & capite præmunitis, velut in Nymphodoti paſtillo eſt prædictum . anus item ab infuſione fomentis integatur. Prodeſt etiam ad caua ac profunda cruſtoſáque vlcera,itémque nomas pudẽdorum . Verùm in dyſentericis præſtat vt cũ reliquis prædictis remediis, manus ægri latis & lõgioribus faſciis conſtringantur, ſupernè ex humeris exordio facto,& in ſummos vſque digitos ligamento protẽſo:non parum enim hoc ipſum ad fluxus repreſsionem facit. Porrò ipſius paſtilli cõpoſitio hoc modo habet: Balauſtiorum recentium, malicorii, rhois quo coria tinguntur,phyllorum , ſingulorum drachmas quatuor,iſatidis tinctoriæ dra.iii. (alii drach. vi. habent)ſpinæ Ægyptiæ drach.iiii.ſeminis hyoſcyami dr. iii. farinæ lentium drach.viii.ſuberis ex vaſe vini veteri accepti ac vſti drach.iiii.gallæ omphacinæ à teredinibus non corroſæ drach.iiii.roſarum ſiccarum drachmas ſex, floris recentis roſarum drach.ſex. croci drach. quatuor, myrrhæ drach.octo,lycii drach.octo, bituminis dr. ſex, picis ſiccæ drach.ſex,acaciæ drach.octo,hypociſthidis dr. octo,gummi drach.trigintaduas,thuris maſculi drachm. octo,omphacii ſucci ſicci drachmas quatuor,opii drach. duas,amyli drach. duas, ſolearum veterum vſtarũ drach. quatuor,cornu cerui vſti drach.quatuor,oſſiculorũ oliuarum vſtorum,oſſiculorũ palmarũ vſtorũ,fæcis vini vſtæ, ſpongiarum nouarum liquida pice &cedria imbutarum ac vſtarum,oſtreorum vſtorum, æris vſti, ſquamæ æris, ſing.drac.tres,lapidis gagatæ,corallii,rubiginis ferri, aut ſcoriæ,cuiuſque drach.quatuor, aluminis ſciſsilis in teſta exuſti drach.ii.aluminis quo tinctores coriorum vtuntur drach.duas,auripigmẽti drach.tres,chalcitidis crudæ dr. tres,ſandarachæ drach.tres,gypſi loti drach.tres,calcis viuæ drach.tres,minii ſinopici ſeſquidrachmam,atramenti communis drach.duas,diphrygis drach.duas & dimidiã, ſpumæ argenti drach.ii.& dimidiam,ochræ drach.ii. & dimidiam,atramenti Indici drach.ii.& dimidiam,plumbi drach.tres,ceruſſæ ſeſquidrachmã,terræ Samiæ drach. tres,terræ cimoliæ drach.ii. põpholygis drach.duas, ſucci mandragoræ & plantaginis quantum ad hæc ſuffecerit. Compoſitio quidem igitur paſtilli hæc eſt , in qua totus ille ſimplicium pharmacorum cumulus , ex quinquaginta quinque rebus conſtat, præter herbarum ex aqua decoctionem,quæ ad huius paſtilli ſubactionem accõmodatur. Cæterùm apparãdi modus huiuſmodi eſt: In pilam Thebaicã primùm æs, & æris ſquamã,& ſpumã argenti,calcẽ,lapidem gagaten,corallium,rubiginẽ ferri

coniicito. Oſtrea etiam contuſa & cribrata probè & contentè terantur, donec in puluillum redigātur: deinde adiecta chalcitide, ſandaracha, auripigmēto, cornu ceruini oliuarúmque ac palmarum oſsiculis, ſpongiáque & alumine, rurſus terito, affuſis etiam ſpiſſamentis, quæ ſtymmata *Græci* appellant. Alumen autem hoc modo vritur: Alumen in ollulam nouam coniectum, ſuper prunas ponito, & vbi diffunditur ac liqueſcit tollito, & frigefieri ſinito, & hoc modo tritū adiicito. His deinde tritis, minium, diphryges, atramentum Indicum & commune, ochran, plumbum, terram Samiam, cimoliam, ceruſſam, pompholygem, reliquáque omnia metallica addito, & contentiſsimè ſub caniculæ æſtū conterito, donec ex ſpiſſamētis quartam aut quintam addideris partem. Poſtquàm verò quodammodo ad collyrii formam fuerit redactum, arida contuſa & arctiſsimo cribro excuſſa adiicito, veteribus ſoleis ſimul cùm aridis contuſis: deinde additis ſpiſſamentis, rurſus ſimiliter vt priora terito, ſæpe inſtillatis ſpiſſamentis. Vbi autem trita inaruerint, in altero mortario primùm crocum cum duobus ſuccis, mandragoræ videlicet & plantaginis, terito: atque vbi tritum fuerit, reliqua adiicito, myrrham ſcilicet & thus, omphacium, acaciam, hypociſthidem, gummi, lycium, opium, picem, bitumen, & lentium farinam: quodlibet eorum prius per ſe aridum in tenuiſsimum puluerem redactum. Cæterùm vbi optimè in mortario fuerint trita, duobus ſuccis largè affuſis, quò etiam ad aliorum exceptionem ſufficiant, de cætero, iam antè trita metallica ſic arida terito ac admiſceto: omnibúſq; probè permixtis ac ſubactis, paſtillos ad duarū magnarū fabarū magnitudinē formato: & vtitor, aliquando quidē cū oryzæ ſucco, aliquando verò cum vino, aut aliquo conueniente liquore. Ego verò ob mandragoræ viridis ſucci inopiā, aridi ſucci drachmas quatuor addo. Porrò ſpiſſamenta cum quibus paſtillum conteris, hoc modo apparato: Rubi, myrti, florū mali Punici, radicis ſymphyti, radicis capparis, foliorum ſalicis, comæ cupreſſi, omniū æquales partes cum aqua coquito, & vtitor. In his ipſis verò ſpiſſamētis, aut etiā aliis, ſpōgiā aut glomos rigato, cúmque eis ſedem foueto: aſſiduè quidem, maximè verò à paſtilli infuſione. Siccum dyſentericum. Terræ Lemniæ quæ ſphragis appellatur, terræ aſteris, amyli, gummi, thuris, æquales partes omnium in puluillum redactas, cochlearii menſura infundito, ſpiſſamētis etiam quibuſdam adiectis. Indus autem medicus hoc vtitur: Terræ Lemniæ quæ ſphragis, buccinorum vſtorum, thuris, ſingulorum æquales partes commiſce, indéque cochlearia duo cum lotini corticis decocto, aut pinus aut meſpili, infundito. Quæ dyſentericis ſubdantur. Glans quæ dyſentericis ſubditur, Theoſebii: Opii drachmas x i. myrrhæ, caſtorei, croci, thuris, hypociſthidis, cuiuſque drachm. ſex, ſtyracis drachmas tres vino excipito. Alia glans ſiue collyrium. Opii, croci, myrrhæ, aluminis ſciſsilis, ſingulorum æquale pondus cum vino veteri ſubige, & collyria drachmæ vnius pondere informa, ex quorum vſu & ſubditione diuinam efficaciam admiraberis. Optimè facit & ad dyſentericos opobalſamum tomento exceptum & ſubditum. Spiſſamēta, quæ dyſentericis cataplaſmatis vice imponuntur. Florum mali Punici, gallarum, malicorii, myrti ſiccæ, lentiſci, mannæ, acaciæ ſiccæ, æquales omnium partes in puluerem redigito: quem ſiccum aſſeruato ac vtitor, ita vt vſu expetente cum vino decoctum imponas. magis verò mitigatorium fiet, ſi ſapa pro vino accipiatur. Illitio ad cœliacos & dyſentericos: Acaciæ quadrantē, gallæ, œnanthes, malicorii, balauſtiorum, aloes, ſucci hypociſthidis, maſtiches, aluminis rotundi, omphacii, ſingulorum vnciam vnam, cum vino ſubigito, informato paſtillos, quibus cùm vino aut ſucco aliquo conuenienti vtaris.

Epithemata dyſenterica, Cap. L.

EPithema dyſentericis commodum, Marciani. Mala cotonea repurgata decem in vino decoquito, diligentérque terito, ac tritis aloes vnciam vnam, mannæ ſextantem, myrrhæ ſiccæ tritæ quadrātem infarcito: deinde ceræ ſeſcūcem, vnguenti nardini libram vnam addito. Ceratū ipſum liquefacito & refrigerato, tritíſque adiicito, ac vtitor. Epithema ex œnanthe, Philumeni, ſtomachicis & cœliacis dyſentericíſque in principiis cōmodū: Œnāthæ ſiccæ drach. vigintiocto, gallæ, acaciæ, roſarum ſiccarum, omphacii, ſingulorum vnciam vnam, aluminis rotundi ſextantem, aloes ſextantem, rhois Syriaci trientē, olei myrtei libram I. ceræ lib. I. picis lib. I. quidam verò ſingulorum libras duas accipiunt. Arida vino veteri adſtringente rigato, deinde liqueſcibilia adiicito, ac ſimul emollita excipito. Efficaciter auxiliatur ad interaneorum fluxiones, & ſtomachi faſtidia ac exolutiones, & ardores. Aliud, per multam experientiam. Roſarū, œnanthes, acaciæ, gallæ, aluminis ſciſsilis, ſingulorum quadrantem, aloes ſeſcuncem, rhois culinarii libram vnam, ceræ, picis, olei myrtei, cuiuſque libram vnam, vini quantum ſufficit. Epithema ex lixiuio. Ammoniaci thymiamatis, nardi Celticæ, croci, cardamomi, bdellii, cyperorum, ſingulorum vnciam vnam, lixiuii ex cinere lignorum vitis ſeſquiunciam, ceræ quadrantem, vnguenti nardini ſeſcuncem, vini quantum ſuffecerit. Apparatur autem & hoc modo: Croci vnciam vnam, aloes quadrantem, ſtyracis quadrantem, ceræ ſextātem, lixiuii ex cinere lignorum vitis, vnguenti nardini, cuiuſque vncias duodecim, vini quod ſatis. Illud ſuperius apparaui, & præ œnanthes inopia, folia vitis conieci: in æſtate quidem viridia, in hyeme verò eiuſdem virgulta, reliquis ſiccis contuſis & cribratis. Epithema clidion appellatum, Cyrilli: Acaciæ, gallarum, thuris, aluminis ſciſsilis, aloes, rhois culinarii, hypociſthidis, myrrhæ, balauſtiorum, œnanthes, roſarum ſiccarum, ſing. vnc. I. ceræ dodrantem, picis, olei myrtei, cuiuſque dodrantem, vini ſpathitæ quātum ſatis eſt. Ex libris Philumeni, epithema Mnaſeæ clidion appellatum, ad cœliacos & dyſentericos: Gallæ omphacinæ, ſucci hypociſthidis, aluminis rotundi, acaciæ, rhois rubri, malicorii aridi, ſeminis apii, ſingulorum vnciam I. viſci quercini drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis dra. IIII. picis ſiccæ drach. XX. ceræ dr. VIII. olei myrtei aut lentiſcini drach. XX. gallas & malicorium contuſa ac cribrata in vini cyathis nouem decoquito, aſſiduè agitādo, donec tertia pars relinquatur: deīde in mortarium coniecta terito, ac reliqua ſimiliter in puluerem redacta inſpergito: ammoniacum verò aceto diluito, & viſcū cū modico oleo emollito: pici verò ac ceræ liquefactis cum reſiduo oleo, & ab igne ablatis, viſcum adiicito, ac vnito, & ſimul tritis affundito, fortitérque cōtundito: ac vtitor. Andromachi epithema ad dyſentericos & cœliacos: Seminis hyoſcyami albi, ſeminis apii, cuiuſque drach. IIII. aniſi, floris roſarum, ſucci hypociſthidis, balauſtii, rhois rubri, cuiuſque drach. II. opii drachmam vnam, croci drachmam vnam contere: ac vino myrtite excipe, informáque paſtillos, quos in vmbra ſiccabis: vſus verò tempore, ex eis quantum ſuffecerit contundes ac cribrabis & ſubiges, linteolóque infartum ventri impones. Dropaces. Dropax ex tertio libro placitorum Sorani: Reſinæ libram I. picis ſiccæ lib. I. nitri, bituminis, ſulphuris viui, cuiuſque libras II. pyrethri libras II. veratri ſextātem, olei heminam vnam. Si verò efficacius reddere velis, adiice & piperis trientem, adarcæ ſextantem, ſtaphidis ſylueſtris ſextantem. Alius dropax. Picis ſeſcūcem, reſinæ pinus torrefactæ ſeſcūcem, myrrhæ, ſulphuris viui, nitri, cuiuſque vnciam vnam, pyrethri quadrantem, adarcæ vnciam vnam, euphorbii ſextantem, (alii drachmas duas tantùm habent) adipis taurini ſeſcūcem. Vtendum & ad hæc rubefacientibus cutem, phænigmis à *Græcis* appellatis, itémque ſinapiſmis, in tertio Sermone deſcriptis: in declinatione præſertim dyſenteriæ, quò totum malū penitus deſtruatur.

De lienteria, ſeu inteſtinorum læuore. Cap. LI.

LIenteria, quemadmodum ipſum nomen indicat, læuor quiſpiam inteſtinorum eſt, qualis etiam forinſecus in corporis cuticula ex cicatrice cōtingere ſolet. Oboritur autem frequenter, dyſenteria magna præcedente, & ex profunda vlceratione, cicatrice denſa & læui ſuccedente, quæ deinde ob denſitatem quidem ſuam, ciborum per corpus digeſtionem fieri non permittit. quum ſanè

venarum ora ſint veluti obturata:venarum,inquam,quæ alimentum ex inteſtinis ad ſe auellunt.Ob læuorem verò cibum ſtatim priuſquam permutationem & perfectam concoctionem admittat,dilabi ſinit. Cæterùm lienteria ipſa propriè ex permutantis cibos ac digerentis facultatis debilitate contingit,cuius ſignum eſt quòd cibi crudi & nihil immutati excernuntur.quæ ratio & ex hoc amplius corroboratur,quòd non ſolùm à dyſenteria hæc affectio oboritur,ſed & poſt frequentia voluulosa tormina,& poſt longum profluuium ventris,aliquando etiam aqua inter cutem per ventrem euacuata,lienteria conſequi ſolet. Ex quacunque igitur cauſa lienteria orta ſit,ægri cibum non ſentiunt,& malum corporis habitum acquirunt,quod vtrũque malum incorrigibile exiſtit.Succedit enim ægris aſſidua excretio cruda,colore ſubalbida, inæqualis, & aquoſiſſima,citra ſanguinis ac bilis complexum.Adeſt autem ſimul & ardor per tota præcordia ſe dilatans, quem cibi faſtidium concomitatur. Videtur autem bonum & amicum ſignum in eis ructus acidus eſſe .indicat enim iucundi quippiam factum eſſe,& vẽtrem ac inteſtina nõ velut inanima cibum ſinere pertranſire. Itaque quum eiuſmodi ſit affectio,facile eſt intelligere, quòd vim retẽtiuam,ac concoctoriam facultatem tum ventris,tum inteſtinorũ,omni modo refocillare oportet, quod ſanè per ciborum conuenientium exhibitionem fieri poteſt,pérque diætam reſtituendis ac refocillandis viribus aptam. &,vt ſimpliciter loquar, eodem medicationis ductu vtẽdum eſt,quem ad cœliacos & dyſentericos habes præſcriptum.Cæterùm quod dignum indicatione hîc viſum eſt nobis,acrium rerum comeſtiones frequentiores eis aptæ exiſtunt,& maximè quibus cicatricem factam eſſe cõiectamus:acrium enim rerum comeſtio,velut refricationẽ quandam cicatricum operatur: quin & inſitum calorem reuiuificat,& concoquẽdi facultatem quodammodo refocillat.Porrò vomitus à cœna ventrem etiam in melius tranſmutant,& actionis ſuæ commonefaciunt : frequentes quoque dropacum admotiones ad manus ac crura, thoracémque & ventrẽ,itémque rubefacientia ex malagmatis & ex ſinapi,eis commoda exiſtunt. Potiones etiam quaſdam ad dyſentericos & cœliacos præſcriptas,liẽtericis præpotandas exhibere conuenit,quale & hoc catapotiũ exiſtit. Catapotium dyſentericum, maximè verò lientericis conueniens: Malicorii,myrrhæ,cuiuſque drachmas octo,aluminis ſciſſilis drachmas quatuor,ſucci hypociſthidis drachmas quatuor.cum aqua catapotia ad erui magnitudinem ex his formato,indéque quinque aut ſeptem iuxta ægri vires exhibeto.

INDEX EORVM QVÆ IN DECIMO AETII SERMOne habentur.

De debilitate iocinoris,& iis quibus ſanguis per ventrem defertur, Cap.I.
De oppilatione hepatis, Cap.II.
De hepatis inflammatione, Cap.III.
De hepatis abſceſſu, Cap.IIII.
Cura hepatis exulcerati, Cap.V.
De hepate in ſcirrhum indurato, Cap.VI.
De lienis affectionibus cognoſcendis ex libris Philagrii, Cap. VII.
Intemperiei ſplenis cura, Cap.VIII.
De inflatione ſplenis, Cap.IX.
De ſplenis inflammatione, Cap.X.
Cura ſplenis in ſcirrhum indurati, Cap.XI.
De ſplenicorum vſtione, Cap.XII.
Splenicorum diæta, Cap.XIII.
Cura eorum in quibus ſplen frigida, venter verò calida affectione laborat, Cap.XIIII.
Cura ſplenicorum quos tuſſis infeſtat, Cap.XV.
Cura eorum quibus ſplen in magnitudinem excreuit,ſimúlque durus eſt, Cap.XVI.
De ictero ſeu morbo arquato, Cap.XVII.
Cura arquati, Cap.XVIII.
De malo corporis habitu, Cap.XIX.
De hydrope ſiue aqua inter cutem, Cap. XX.
Aſcitæ ac tympanitæ hydropis cura, Cap.XXI.
Epithemata hydropica, Cap.XXII.
Malagmata quæ euacuant humorem, Cap.XXIII.
Epithemata quæ poſt euacuatos humores adhibita, pro glutino ſunt, Cap.XXIIII.
Aquam ducentia remedia,hydropicis valde commoda, Cap.XXV.
Quæ ad ciendam vrinam hydropicis bibuntur, Cap. XXVI.
Cura poſt euacuationes, Cap.XXVII.
Cura hydropis qui propriè ſubtercus appellatur, Cap.XXVIII.
Cataplaſmata ex lib.Aſclepiadæ, Cap.XXIX.
Chirurgia hydropis ſubter cutem, Cap.XXX.
Reliqua prædictorum cura, Cap.XXXI.
Cõmunis diæta omniũ hydropicorũ, Cap.XXXII.

AETII MEDICI GRÆCI CONTRACTAE MEDICInæ,Tetrabibli,ſiue quaternionis tertii, Sermo ſecundus.

De diſpoſitionibus iocinoris ac lienis,eorundémque affectionibus.

De debilitate iocinoris & iis quibus ſanguis per ventrem defertur, Galeni, Cap. I.

INTEMPERIES quidem cauſæ ſunt ex quibus iocinoris debilitas producitur: diſpoſitiones autem diuerſas in ipſo faciunt. Quũ enim citra inflammationem aut ſcirrhum circa hepar, propter ſolam debilitatem,ſanguinis effluxio contingit, tunc ſanè propriè hepaticos ipſos ægros appellant:quemadmodum cœliacos & ſtomachicos vocare conſueuerũt eos qui neque inflammationem , neque aliquem alium præter naturam tumorem in viſceribus habent. Calidæ itaque intemperies,tum eos qui prius adſunt humores, tũ etiam eos qui per venas meſenterii ad ipſum hepar deferuntur,adaſſant ac comburunt: frigidæ verò intemperies humorem qui iam in ipſo continetur , craſſum & lentũ ægréque mobilem reddũt: eum verò qui defertur, pituitoſum ac crudum & ſemicoctum. Cæterùm ſicca intemperies, ſicciores & denſiores humores facit: humida autẽ tenuiores & magis aquoſos. Itaque vbi calida intemperies circa hepar conſtiterit,colliquationes fiunt, primùm quidem humorum,deinde etiam carnoſæ ipſius hepatis ſubſtantiæ: biliſque per ventrem euacuatur fœtens ac craſſa, abundéque colorata, velut in peſtilentibus febribus fieri ſolet. Vbi verò frigida intemperies affuerit, neque aſſiduæ excretiones,neque multæ fiũt : diuturnũ autẽ fit malum,& per dies aliquot aceruatim eis profluet venter: cæterùm egeſta,nõ ſimilẽ putorẽ habẽt iis quæ per calorẽ ſunt colliquata,neque colorem etiam,neque compagem,

ſed ſpeciem præ ſe ferunt ſanguinis putrefacti & in grumos congelati: & ſiquis diligẽter inſpiciat, velut limus & fæx ſunt ſanguinis craſſioris: cõſimilia enim atræ bili colore apparent. quin & plures & iudicatu difficiles colores iuxta eandem diſpoſitionem in excrementis apparent. In ſicciore autem intemperie, recrementa adhuc ſicciora videbuntur, ægríque magis ſitient: in humida verò, humidiora & plura erunt recrementa, ſitíſque minus infeſtat. Quandocunque igitur egeſta videris loturæ carnis recèns mactati animalis ſimilia, veluti ſiquis cum aqua ſanguinẽ confudiſſet, certiſſimum ſignum debilitatis ipſius hepatis habebis. eodem modo ſi velut fæcem ſanguinis conſpexeris per ſedem excretam, hepaticum & hocce ſignũ eſſe ſcito. Si igitur ſanguis tenuis & ſeroſus deſtillat, ægri viſceris ſignum iudicato: ſin verò velut fæx fuerit, ſupercalefacti & ſanguinem ſuperaſſantis. Incipit enim aliquãdo etiam citra febrem in frigida ſcilicet intemperie ipſa affectio, quo tẽpore tenue ſanguinis ſerum primùm excernitur: temporis autem progreſſu, corrupto citra viſcus ſanguine, leues febres accedũt: quarum quum inexperti medici negligentes ſint, atque ægrum omnino febri carere putent, quum nihil per vẽtrẽ excretum ſit, ipſum ægrũ lauant, concedúntque negligentiori diæta vti: atque ita venter rurſus corruptum ſanguinem excernit. In huiuſmodi igitur affectionibus primus curationis ſcopus ſit vt intemperiem ad contrarium deducamus. Calidam enim diſpoſitionem ſemper refrigerare oportet, frigidam verò calefacere, ſimilitérq; humidã reſiccare, & ſiccã humectare. Cæterùm omnibꝰ hepaticis remediis, tũ quæ per os ſumũtur, tũ quæ forinſecus imponũtur, aliquid ex adſtringentibus admiſcere oportet, quò firmitas viſcerum conſeruetur. Atqui in ſtomachicis idem facere non ſimiliter cõducit, quum in ipſis adſtrictoria qualitas àliâs dominetur. Fomenta igitur in hepatis debilitate cõuenientia ex oleo fiunt; in calida quidem affectione, ex chamæmelino, roſaceo, & lentiſcino, abſinthio, aut palmis, aut aliquo alio conſimili in oleo decoctis: in frigida verò diſpoſitione, ex vnguento nardino, cui thus & ſampſuchus ſint infarta. In humida autem intemperie, iiſdem oleis magis diſcutientia ac reſiccantia incoquenda: velut eſt iris, cuminum, ac ruta. In ſicca demum intemperie, balnea ſufficiunt dulcium aquarum, & humectãs diæta commoda erit. cerata etiam atque epithemata fomentis ſimilia ſint, ex palmis ſcilicet, malis cotoneis, ſtyrace, maſtiche, ac aloe: in frigidioribus etiam poliarchia conducũt, ſimilitérque in humidioribus. Porrò in potu vti conueniet pleriſque eorum quæ in hepatis inflammatione ſunt relata, ſi quidem calida intemperies fuerit: velut eſt ſeridis ac intybi ſuccus, ſenecionis ſuccus aut decoctum, perdicii ſuccus, mel roſarum, & quæ his ſimilia exiſtũt: quin & Philonis antidotus ſemel tantùm exhibita, omnem aliquando calidam hepatis intemperiẽ mirabiliter ſanauit. quod etiam Philo de ea teſtatum reliquit. Vbi verò frigida in hepate intemperies fuerit, calefacientibus ac firmitatem addentibus vtendum eſt: velut eſt nardi ſpica, capnium, quæ & chelidonia herba circa ſepes enata, ſemẽ pelecini, & quæ his ſimilia exiſtunt. Vtiliſſimum & his nardinum vnguentum, quotidie manè cochlearii menſura ieiunis potatum, & à cœna ante ſomnum eodem modo. In humida autem intemperie, ſimpliciora ex eis quæ ab oppilatione liberant, exhibenda, & quæ à proprietate totius ſubſtantiæ efficacia exiſtunt, velut eſt lupinum hepar, quod ſanè diligenter tritum drachmæ vnius pondere cum vino dulci aqua calida diluto præbetur. Hoc enim multiplici experimento cognitum omnibus hepatis intemperiebus commodum exiſtit: vtpote proprietate totius ſubſtantiæ hanc efficaciam habens, non calfaciendo, aut refrigerando.

De oppilatione hepatis: in quibus plurima remedia, Cap. 11.

A flatibus nebuloſis & concoctu difficilibus, aliquando autem & à craſſis humoribus viſcoſiſque, in finibus venarum ex ſima hepatis parte enatarum (per quas ex ventre ac inteſtinis alimenti digeſtio ad hepar contingit) oppilationes fiunt. Conſequitur autem ad ipſas, grauitatis

A circa dextrum ilium cum dolore ſenſus, aliquando quidẽ obtuſæ, aliquando verò vehementis: & quandoque quidẽ abſque febre, quãdoque cum febre. Craſſa enim & viſcoſa ac multa, omnino amplius reliquis oppilant, & maximè ſi ægri à cibo vehementiori motu vtantur: ſi verò acria ſint & multa quæ in cibo ſumuntur, dolor ex oppilatione vehementior fit, quum obturata corpora ſimul & tenſionem perferant, ſimúlque pungantur. Cæterùm quũ vaporoſi & craſſi flatus multitudo coaceruetur quæ exitum non habet, non grauitatis ſolùm, ſed & diſtentionis B ſenſus oboritur. Quare attenuantium & oppilationem diſſoluentium quamcelerrimus requiritur vſus: oppilatio enim inueterata, non tantùm in hepate, ſed in omni membro putrefactionem operatur, febrémque accendit. Præclarè autem & citra moleſtiam ab oppilatione liberat, ſimúlque firmitatem tum hepati tum ſtomacho addit, pelecini qui in frumentis naſcitur ſemen, tritum cochlearii menſura, cum vino aut aqua mulſa in potu acceptum: capnium item, quod & chelidoniæ nomẽ inuenit, ſucco eius expreſſo & deſiccato: reponitur autem is in paſtillos C redactus, & ſemel quidem exhibitus dolorem omnem adimit: ter autem præbitus, intotum ab affectione liberat, vltra hoc quòd & firmitatem viſceribus addit: decoctum quoque huius herbæ potatum, ſimilem efficaciam habet, etiamſi valde febricitent ægri: aliquando autẽ herba ipſa exiccatur, contuſáque & cribrata cochlearii menſura exhibetur. Aliud. Lupi hepar ſiccum drachmæ põdere, cum piperis granis nouẽ, ác myrrhæ magnitudine fabæ, in paſſo calido datum, confeſtim auxiliatur. Æſta- D tis autem tempore, alternis diebus ter potandum præbeto. Liberat ab oppilatione etiam eupatorium, ſimúlque firmitatem addit, ſimiliter quoque ſtœchas, tum cocta, tũ ſicca tritáque data: plantaginis item radix, & ſemen, foliáque ſicca trita, ſiue per ſe vnumquodque, ſiue ſimul exhibeantur. Lauri cortex tritus potatus, ſpica nardi, fructus piſtacii, amygdalæ amaræ, anthemis ſiue chamæmelum, anagallidis quæ cæruleũ florem habet, ſuccus, radicis acori, eryngii, radicis dulcis decoctum vrinam ciet, & aluum emollit. Radix dracunculi viſcera omnia repurgat, craſ- E ſóſque & inſtar viſci tenaces attenuat humores. Filicis ſuccus cochlearii menſura ex aqua mulſa potatus, hepar repurgat, oráque meatuum ac venarum aperit, citra manifeſtam calefactionem. Præſcriptum autem iam antè eſt de iis quæ tum ſimas, tum gibboſas hepatis partes ab oppilatione vindicant, in tertio nimirum Sermone. Catapotium hepatis oppilationem remouens. Radicis chamæpityos drachmas quatuor, radicis cichorii drachmas quatuor, contundito ac melle cocto excipito, nucíſque Põticæ magnitudine præbeto: aquæ etiam calidæ cyathos F tres ab eius exhibitione abſorbendos dato. Cæterùm non modò radices horum hepaticis opitulantur, ſed & ſuccus & decoctum. Paſtillus hepaticus, ex amygdalis amaris: Seminis aniſi, apii, aſari, amygdalarum amararũ decorticatarũ, comæ abſinthii, ſing. drach. quatuor, apparato, & cum aqua paſtillos formato, ex quibus drach. I. febre carentibus cum vini diluti cyathis III. præbeto: febricitantibus autem, cum aqua mulſa. Vrinam ciet, & placidè calefacit. Aliud hepaticum valde commodum: Seminis pelecini, capnii, coſti, cuiuſque drachmas quinque. G contundito ac cribrato, & cochleare vnum ex aqua mulſa dato. præclarè enim ſubmouet oppilationem. Aliud hepaticum pulchrum, cuius vtilitatem ne contemnas.

Lenticulam torrefactam ac probè tritam cochlearii mẽſura ex vino bibendam præbe. Commodum eſt hoc & lieni, ex poſca, aut aceto mulſo. Aliud experimento cõſtans: Comæ abſinthii, piperis, coſti, caſiæ, radicis gẽtianæ, amygdalarum amararum, ſing. vnc. I. fœnigræci ſextãtem, ſeminis pelecini ſextantem, exhibeto cochleariũ quomodocunque velis. Aliud ad hepatis oppilationẽ.

H Cacani ſcrupulos duos, (alii octo habent) coſti ſcrupulos ſex, ſpicæ nardi, iridis, phylli, lupinorum ſiccorum, baccarum lauri, fœnigræci, rhei Pontici, ſingulorum ſcrupulos ſex, piperis, phu, aſari, cuiuſque drachmas quatuor. quòd ſi picis ſiccæ ſcrupulos tres admiſcueris, efficacius operatur. Aliud ſimplicius, quo aſſiduè vtimur, valde admi-

randum: Cacani ſextantem, fœnigræci ſeſquiunciam, piperis vnciam vnam, cyperi vnciam vnam, coſti vnciam vnam: contundito ac cribrato & cochlearium vnum cum condito præbeto. decumbat autem æger ſuper affectam partem. Aliud. Potamogetonis ſicci drach. duas, comæ abſinthii drachmam vnam, croci, coſti, ſpicæ nardi, cuiuſq; drachmas duas, amomi drachmam vnam. datur cochlearii menſura aridum. Aliud. Piperis drachmas quatuor, dorcadiadis herbæ quæ & muſcii appellationem habet, vnciam vnam, coſti trientem (alii drachmas quatuor) contundito, cribrato, & cochlearium in potu exhibeto. Aliud Philagrii. Rhei Pontici vnciam vnam, caſtorei ſcrupulos tres, farinæ lupini ſcrupulos tres, piperis grana ſeptem: contundito, cribrato & manè cochlearium vnum præbeto ex condito.

De hepatis inflammatione, & cognoſcendo vtrũ hepar an muſculi eius ſint inflammati,

Cap. III.

GAleni. Hepar conſimiliter vt ſplen & inflammatur & abſceſſu ſuppuratur, verùm raro ſcirrho, *hoc eſt abſceſſu duro* afficitur. Inflammato itaque hepate, dextri ilii tumor cõſequitur: & maximè ſi gibboſa parte inflammatum fuerit, faciliùs per tactum cognoſcitur tumor, grauitáſque coincidit ilium totum diſtrahens, & dolor in dextram vſque clauiculam ac ſcapulam pertingit, vt conuelli penitus æger videatur. Linguæ color in prĩcipio quidẽ rubicundior fit, poſtea verò denigreſcit, appetitus deiectio faſtidiúmque cibi vehemens, & implacabilis ſitis: vomitus quibuſdam contingit, bilis puræ atque etiam vitellinæ, pòſt autẽ & æruginoſæ. Aluus autẽ ipſis eſt adſtricta, ſi ſanè cum viſceris debilitate inflammatio eſt oborta. febris adeſt acuta inæqualis, quæ plerunque ad veſperam & noctem exacerbatur: ſequitur & ſpirandi difficultas, tuſſiculæque paruæ, vtplurimùm ſiccæ, per quas nihil omnino reiectatur. Aliquando autem per vomitus bilioſa pauca quædam reiectantur, quæ res pleroſque decepit, qui ex pleuritide hanc eductionem fieri putauerunt. Cæterùm & coſtæ nothæ vtplurimùm condolitant, & color corporis ſubuertitur in arquati morbi ſpeciem permutatus: ſingultus quoque conſequuntur. Acceſſionis autem tẽpore quidam delirio apprehenduntur, & acre lotium excernunt: & ſanè inflammationes quæ iuxta ſimam hepatis partem contingunt, plus faſtidii & nauſeæ, & vomitus bilioſos, ac vehementem ſitim inducũt: quæ verò in gibba parte fiunt, dolores circa reſpirationem intendunt, tuſſiculáſque irritant, clauiculámque magis cum dolore cõuellunt. Quandoquidem autem muſculis hepati incumbentibus inflammatis, quidam decepti, hepatis eam inflãmationem eſſe ſuſpicantur, neceſſarium fuerit diſtinguere inter ſe has affectiones. Hepate etenim inflammato, tumor ſecundum lineamenta rotundus, figura videlicet ipſius hepatis, ſuccumbit, quique ad corporis decubitum ſimul conformatur. Maior enim apparet corpore ad ſiniſtrum latus reclinato: minor autem rurſus ad dextrũ deuoluto: nimirũ hepate ſub nothas coſtas cedẽte, neq; viſui neq; tactui ſimiliter ſuccũbẽte. Ampli⁹ autẽ in hepatis inflammatione incumbẽs cuticula, naturali modo habere conſpicitur: muſculis autem inflammatis, cutis circumtenditur, vt ſiquis digitis apprehenſam attrahere velit, ea minimè ſequatur. Propriiſſimè autem tactus diſcernet ſiue in alto, ſiue in ſuperficie inflammatio ipſa conſiſtat. Porrò hepate inflammato, ſanguinis detractionem experiri oportet à cubito, ſi nihil id fieri præpediat. Incidenda autem in dextro cubito vena interna, ita vt ſubſtratam arteriam obſeruemus: quæ ſi non appareat, media: ſi verò neque ipſa appareat, ſuperior. Multitudinem autem extrahendi ſanguinis, ex corporis reperies qualitate, ætatéque & natura, horáque temporis, ac regione, ampliúſque ex viribus ægri: quæ ſi id ferre queant, ſemel quantum ſatis eſt detrahendum. ſi verò non, per vices partitum. Cæterùm inciſio ipſa opportunè in prima & ſecunda die contingit: ſi verò vrgeant dolores & adſint vires, etiã ſeptima venæ inciſionem facimus: qua facta, poſt modicum interuallũ ſimplici clyſtere euacuamus, maximè ſi non ſpontè egerat aluus. Sequenti à venæ ſectione die, cucurbitæ cum

A ſcarificatione affigendæ, rurſúmque poſt vnam diem cucurbita apponenda. non pauci enim à ſecunda earum adhibitione opem ſenſerunt magis quàm à priore. At verò ante venæ inciſionem & poſt eam, fomentis vtendum eſt ex lanis ſuccidis oleo imbutis & impoſitis: conuenit & ex paſſo Cretico fomentum cum roſaceo aut lentiſcino aut melino aut œnanthino. Optimum autem fomentum hocce eſt: Chamæmeli, anethi humidi, ſi adeſt, rutæ viridis, ſeminis lini, cuiuſque vnc. I. capitum papaueris numero X. olei ſextarium vnum, ſemen lini contuſum in lin- B teolo colligato, & cum aliis in cacabum coniectum ad prunas decoquito donec vires ſuas diſtribuat: deinde olla in feruenti cinere collocata, ex ea multo tempore confidenter foueto. Poſt fomentorũ irrigationes, cataplaſmatis vti oportet, ex ſemine lini & fœnigræci, farináque hordeacea aut triticea; his vel omnibus vel vno aliquo ex eis aut quibuſdam in aqua mulſa decoctis. admiſcendum etiam abſinthium & maſtiche ac melilotũ. quòd ſi vehementior ſit ardor, etiam ea quæ adſtringunt ſunt admiſcenda, velut ſunt mala cotonea. oleum verò quod additur, roſaceum ſit, aut melinum aut lentiſcinum. Si verò C feruor adhuc perſeueret, cotonea mala cum polenta imponenda. Remittente autem vehementi calore, ficus optimas & althææ radicem decoquito, & decocto eorum ſemen lini, farináſque hordei, fœnigræci, ac lolii infarcito: quòd ſi durior inflammatio ſuccumbat, etiam chamæleontem aut chamæpityn, aut polium, aut aſarum, aut daucum, eryngiique tum ſemen, tum radicem admiſcere oportet, aliquãdo autem & ficus cum althæa decoctæ ac tritæ cataplaſmati connectuntur. Cæterùm calidius & ma- D gis emolliens reddideris cataplaſma, ſi terebinthinæ, aut reſinæ pinus, aut picis quadrantem addas. Braſſicæ autem crudæ folia cum melle trita ac impoſita, omnes induratas inflammationes diſſoluunt. Hinc ad cerata tranſeundum ex oleo cyprino aut gleucino apparata, althææ radicibus ſimul admixtis. Vtendum etiam ex palmis cerato, hepatis inflãmationibus ſummè accommodato, maximè ſi ſtomachus per cõſenſum ſimul ſit affectus, & coſtæ coafflictæ. Habet autem hoc modo: Palmas interiore medulla exempta, diligenter contundito, ac cum pari cerato E roſaceo in mortario probè committito, ac vnito, affuſóq; modico oleo roſaceo imponito. Aut myrrham in vino veteri adſtringente maceratam, palmis admiſceto, & panniculo veſtis detritæ excepta imponito. A ceratis ad epithemata ex ſtyrace, & ex meliloto, & ea quæ polyarchia appellantur, & iã antè ad colicos & ſtomachicos deſcripta ſunt, tranſeundum. Compoſitio autem epithematis ex ſtyrace hæc eſt: Styracis pinguis, carnis palmarum, coſti, maſtiches, caſiæ, ſingulorum triẽtem, ſampſuchi ſextãtem, croci ſemiunciam, vuæ paſſæ ſemiunciam, ceræ ſe- F ſcuncem, vnguenti nardini beſſem. Porrò in inflammatione hepatis vbi magni circunſtent dolores, etiam pharmaca dolorem leuantia in potu eis exhibere conuenit, ita tamen vt aſſiduum eorum vſum deuitemus. ſimplicibus autem potionibus frequentius vtendum. Senecionis itaque decoctum tanquam maximè commodum, aut ſucci radicis dulcis obolos duos, cum aqua calida exhibeto.

Aliud. Picridis ſeridis, aut intubi ſucci cyathum vnũ cum aquæ calidæ cyathis tribus præbeto, mellis etiam cochleariis duobus affuſis. Ad hoc enim quòd refrigerat, ac G firmitatem viſceri addit, etiam ora venarum hepatis repurgat, neque tamen frigidas intemperies magnopere lædit. Poteſt autem ſeridum ac intuborum ſubſtantia hepati commodare, tum ſi ſine humorum aut ſeroſi ac vitiati ſanguinis complexu, intemperies in ipſo fiat, tum ſi humiditatis cuiuſcunque tandem, adſit cum intemperie complexus: mellis verò admixtio humiditatem per vrinam excludit. Quapropter etiam exiccata ac contuſa vtiliter potui inſperguntur, eorum quoque decoctum potatum magnam commoditatem præbet. Quòd ſi non infe- H ſtet calida aliqua intẽperies, ſed obturatione tantùm viſcus ipſum vexetur, ex vino albo tenui ac vetuſto, cum aliquo vrinas ciente pharmaco, potata magnificè auxiliãtur. Magni etiam pretii in hepatis inflammatione capnii herbæ, quæ etiam chelidonia appellatur, ſuccus habetur,

aut eius decoctũ. Auxiliatur & præſcriptus ex amygdalis
amaris paſtillus, niſi penitus magna caliditas adſit. A-
liud. Cochlearũ terreſtriũ carnem optimè conterito, &
vini nigri cyathos tres affundito, calefacito, ac bibendum
præbeto. Cæterùm hæc iuxta omnem ſuam ſubſtantiam
efficacia exiſtunt, quale eſt hepar lupinum, cuius rei ma-
gnum periculum fecimus, inquit Galenus. vſus autem ei⁹
idem qui cochlearum exiſtit: optimè enim conteritur, &
drachma vna cum vino aliquo dulci præbetur. Hæc
enim pharmaca omnibus hepatis intemperiebus conue
nire videntur, quum neque calidas neque frigidas intem
peries lædant: febrientibus tamen lupi hepar melius ex
aqua, aut ſeridis ſucco, aut aliquo conſimili exhibetur.

Epithema ex ſtyrace: Coſti vnciam vnam, croci, thu-
ris, aloes, ammoniaci thymiamatis, maſtiches, ſtyracis fla
ui, ſpicæ nardi, cuiuſque drachmas quatuor, terebinthinæ
vnciam vnam, opobalſami drachmas quatuor, ceræ trien
tem: vtere.

De hepatis abſceſſu, Archigenis, Cap. IIII.

QVòd ſi inflammatio ad permutationem aptè ſe ha-
beat, hoc eſt, principium permutationis ad ſuppura-
tionem iam ſuſcepit, omnes prædictæ de inflammatione
acceſſiones augebuntur: dolores (inquam) & febres, & de-
lirium, anxietas, deſperatio, cibi faſtidium, & diſplicen-
tia: maximè ab eius acceptione. A rigoribus autem ferè
in totum febriles acceſſiones initium ſumunt, præſertim
ſi ad veſperam exacerbationes fiant. Adiuuare igitur per-
mutationem ac puris eruptionem oportet, vt quamceler-
rimè fiat, ne maiora inde corpora corrumpãtur: per vſum
videlicet cataplaſmatum ex ſemine lini, aut hordeacea &
fœnigræci farina apparatorum, admixtis etiam reſina,
manna, pice, althææ radice, ſtercore columbino, ſtercore
caprino, caricis, & quæ his ſimilia exiſtunt. fomentis autẽ
vtendum ex cruda hordeacea farina, & ſpongiis decocto
abſinthii, abrotoni, centaureæ, ſimilibúſque imbutis ac
expreſſis, neque verò inconueniẽter emplaſtra quæ puris
permutationem iuuare queunt, adhibentur. Quum autẽ
perfecta ſuppuratio fuerit, dolores remittent, omnéſque
acceſſiones mitiores apparebunt. Cæterùm rupturæ tem-
pore, dolor rurſum magis augeſcet: quare etiam tunc ru-
pturã adiuuare oportet per cataplaſmatum ad ſuperficiẽ
attrahentium ac ſubadſtringentium vſum, & per potio-
nes calorificas: quales ſunt quæ ex pipere & zingibere ac
myrrha apparantur. Porrò poſt eruptionem, aliquando
quidem per aluum, aliquando per vrinas, puris tranſſum-
ptio cõtingit. Quidã etiam per os, puris eductionem factã
tradiderunt: verùm periculoſior aliis per os tranſmiſſio
exiſtit: id verò quod excernitur, nigrum eſt, quanquam
& album reperiatur, quod ſanè ſalutare iudicatur. Aliquan
do autem humor qui ex abſceſſu promanat, inter pellicu
lam ventrẽ ac inteſtina amplectentem, peritonæõ *Græcis*
dictam, atque ipſa inteſtina, colligitur. facilè ſanè curatur,
ſiquis diducta citiſſimè cuticula humorem ipſum exclu
dat, ea maximè parte qua tumor attollitur: aliquando au-
tem rurſus poſt factam iſtic collectionem, tranſſumptio
per inteſtina contingit. Cæterùm in iis quibus tumor fo-
ras prominet, ſectionem obliquam ſupra inguen inflige-
re oportet, ac per eã ipſam humorem euacuare, atque etiã
vlcus ipſum eluere, & pharmaca liquefacta iniicere, do-
nec perfectè curetur. Neque verò negligendum quò &
hepati poſt factam abſceſſus rupturam remedia auxilia-
ria adhibeantur. Primùm quidem igitur emplaſtra emol
lientia imponantur: deinde etiam reſiccantia, quale eſt
quod Iceſium appellatur, quódque ex ſalicibus conſtat, &
quæ his ſimilia exiſtunt. Si itaque per vrinas puris aſſum-
ptio fiat, conſimilibus epithematibus vtendum eſt circa
totum ile, & iuxta pubem, & tum per cibos, tum per phar-
maca vrinam cientia, repurgatio eius adiuuanda. Pepo-
nes igitur in cibo eis conueniunt, & cucumeres cocti, pa-
ſtinacáque, & ſion. ex pharmacis verò, meon & aſarum,
ſpica, caſia, cinnamomũ. ſunt & compoſita quæ huc per-
tinent, quorum compoſitiones paulo pòſt dicemus. Per
interualla autem, etiam humores ipſos dulcorare oportet
vini ſcybelitæ, theræi, ac protropi, ſimiliúmque potu. Cõ-
A moda eſt etiam ipſis potatio lactis. Si verò per ſedem hu
moris tranſmiſſio contingat, epithemata quidem eiuſdẽ
materiæ approbamus, verùm proſpiciendum eſt ne aluus
cohibeatur, néque etiã amplı⁹ humectetur: nã hoc ipſum
tum per cibos, tum per pharmaca, ac epithemata fieri po
teſt. Vtimur autem & ad hos infuſis per clyſteres, quò in-
teſtina illæſa conſeruemus: ad quam rem ptiſanæ, ac tragi
& oryzæ ſucci appoſiti exiſtunt. Quòd ſi tamen per os pu-
ris eductio fiat, maximam ad hoc curam adhibere opor-
tet vt humores prius euacuentur: deinde cibus præbẽdus
B adſtringens & ſtomacho gratus. vtendum & vino tenui
& odoro. Vetri verò epithemata ex palmis apparata, atq;
ex œnãthe, ac eis ſimilia imponẽda, de quib⁹ in ſtomachi
corũ ac dyſẽtericorũ tractatu eſt prædictũ. Ad hepaticos:

Folii malabathri, caryophylli, ſpicæ nardi, coſti, piperis,
lupinorum ſiccorum, ſingulorum vnciam vnam contun-
dito, cribrato, ac ſcrupulos quatuor præbeto cum vino.

Aliud Philoſophi. Hepatis, inquit, abſceſſus diſcutit Ra
dicis graminis decoctum bis in die potatum, ſimiliter &
fœniculi radicum decoctum, & dauci. Myrrham item &
C picem ſiccam contundito ac cribrato, præillitóque hepa-
ti ex oleo cyprino, inſpergito, & lanam puram oleo cypri
no calido imbutam ſuperponito. vehemẽter prodeſt hoc:
vtere confidenter.

Cura hepatis exulcerati, Archigenis, Cap. V.

SI exulceratio ex abſceſſu circa hepar relinquatur, aut il-
lic ex acribus humoribus ac erodentibus fiat, colliqua-
tio hæc affectio appellata eſt. In his ſanè venter cruenta, &
putrefacta, ac ſanioſa excernit: atque omnino conſimilia
ex hepatis vlceribus promanare ſolent, iis quæ à mortuo-
D rum corporibus diſtillãt: quare quidam inexperti decepti,
dyſenteriam hanc affectionem eſſe putauerunt. Ructus
autem fœtidi conſequuntur, & à ciborum acceptione gra
uitas præcordiorum: & pulſus eis eſt depreſſus ac denſus,
fiúntque ægri amarulenti & iracundi. dolor circa locum
fit vlceroſus, vſque ad clauiculam ipſam pertingens. Mul-
tis autem vnà cum ventris recrementis, etiam lotium ex-
cernitur ſanioſum ſandarachæ colore: nõ parum verò fre
quenter ea quæ in vrinis continentur, aquæ inter cutem
ſignificationem portendunt. Cæterùm omnium pericu-
E loſiſſima eſt hæc affectio, & modica omnino ægris eſt
ſpes ſalutis: & tamen nihilominus aggredienda eſt eorũ
cura, conſimilibus remediis eis quæ paulo antè dicta ſunt
etiam his adhibitis, epithematibúſque ex materia leniter
adſtringente, ſimilibúſque fomentis. Liquoribus autem,
tum qui ad fomenta, tũ qui in cataplaſmata aſſumuntur,
cortex pinus, palmǽque ac cyperi, ſimiliáque ſunt inco-
quenda. propriè autem vlcera repurgat lac ſciſſile ſæpe ac-
ceptum: cui aliquando parum mellis addere nõ ab re eſt.
Poſt repurgationem citiſſimè ad ea quæ carne replent fe-
F ſtinandum. præſtãt autem id cibi moderati & boni ſucci,
ac geſtationes: quòd ſi moleſtiæ id fieri permittant, etiam
exercitamenta conueniunt, & vinũ. Poſt cataplaſmata ve
rò, cerata & emplaſtra apta erunt, quorum ſæpe in præce-
dentibus fecimus mentionem. Plurima præterea pharma
ca quæ vlceribus conueniunt: in potu ſumuntur, quale &
hoc eſt. Andromachi ad hepaticos compoſitio, cyphoei-
des appellata, quæ etiam ad omnia thoracis vitia condu-
cit: Vuarum paſſarum carnis drach. XXV. croci drach. I. ca
lami Indici drach. II. bdellii drach. II. & dimidiam, cinna
G momi drach. X. caſiæ drach. X. floris iunci odorati drach. II.
& dimidiã, myrrhæ drach. IIII. terebinthinæ drach. IIII.
ſcobis aſpalathi drach. II. ſpicæ nardi drach. III. mellis
drach. XVI. vini dulcis quãtum ſufficit. Adſtringit medio-
criter & reſiccat ac diſcutit ſeroſos ac vitiatos humores, in
quit Galenus, corrigit malitiã humorum, & putrefactio-
ni ſe opponit, intemperies ſanat, extergit, ac mundos fa-
cit, aperitque meatus, cit vrinam, atq; eapropter internas
vlcerationes curare cõſueuit, & eos qui hepatici appellan
tur. Sunt autem hepatici propriè, qui ob hepatis debilita-
H tem per ſedem cruenta liquidiora excernunt, quales ſunt
loturæ carniũ animaliũ recèns mactatorũ, quos ipſos i-
gnarũ vulgus dyſentericos eſſe putat. Alia cyphoeides An
dromachi: facit & ad tuſſes, & ad liquidorũ per os reiecta-
tiones: Croci, cinnamomi, myrrhæ, cuiuſq; drach. I. bdel-

lii drach.IIII.aſpalathi obol.IIII.floris iũci odorati drach. III.calami Indici drach.II.caſiæ drach.I. ſpicæ nardi drachmam vnam;terebinthinæ drachmas XVI.mellis heminam dimidiam, vuarum paſſarum pinguium numero CLX.carne earũ optimè mundata,vini veteris adſtringẽtis,quãtũ ad vuas paſſas bdelliũ ac myrrhã maceranda ac conterenda ſatis eſt.Mel autẽ prius deſpumato , in eóque reſinam liquefacito: & cum reliquis cõmittito,ac vtitor. aliquando quidem inſtar eclegmatis ad nucis Ponticæ magnitudinem aut amplius exhibeto : aliquando verò aqua mulſa dilutum bibendum præbeto.Inuenies & inter arteriaca remedia,ad tuſſientes itẽ & phthiſicos pharmaca plurima his ſimilia ; quibus ipſis & ad vlceratum hepar vti oportet:proderũt etiã ea quæ ad renum ac veſicæ vlcera ſunt deſcripta. Alia cyphoeides,qua vſus eſt comes Andreas,& Menas chirurgus:Croci drach.IIII.calami drachmas VI.bdellii drach.II.& dimidiã,caſiæ ſcrup.IIII.ſpicæ nardi ſeſquidrach.floris iunci odorati ſcrup.I.& dimidiũ,myrrhæ drach.IIII.terebinthinæ drach.IIII.aſpalathi ſcrup.I.mellis ſextantem,carnis vuarum paſſarum quadrãtem,vini quantum ad hæc ſatis erit.

De hepate in ſcirrhum indurato, Galeni, Cap. VI.

NON ſolùm autem à prædictis affectionibus apprehenditur hepar,ſed & in ſcirrhum induratur,inflammatione videlicet præcedente. Manifeſtiorem autem cognitionem hepar induratũ ex hoc habet, quòd tumor circa ipſum ſcirrhum multo durior quàm in inflammatione exiſtit.multo etiã minore dolore vexatur . In huiuſmodi quoque diſpoſitionibus corpuſcula hepati inſita attenuantur.Cæterùm temporis progreſſu,maiore tumore circa ſcirrhum facto,difficulter eius cognitio per tactum cognoſcitur,propterea quòd iam aquæ inter cutem ſuffuſio ſit cõſequuta:vnde iis qui negligentius notas perſcrutantur,tumor ad tactum laxus ſuccumbit:color autem vniuerſi corporis in nigredinem pallore permiſtam commutatur,venter & pedes intumeſcunt, ſupernæ corporis partes gracileſcũt,& corp⁹ ipſum tepeſcit: aliquãdo autẽ alu⁹ multa & tenuia excernit:vrinæ verò à principio quidem multæ,verùm vbi iam ad aquam inter cutem dilapſi ſunt,omnino paucæ.Porrò incipientem hepatis ſcirrhum ſæpe curauimus ipſi: eum verò qui temporis diuturnitate eſt extenſus, neq; ipſe curaui, neque alium quẽpiam qui curare eum poſſet,vidi.intotum enim ſic affectis aqua inter cutem accedit,& in longiori tempore corrumpuntur.Itaque ad prædicta de inflammatione cataplaſmata & fomẽta,fortiora quædam(inquit Arhigenes)ſunt annectẽda.Conſtant autem ea quæ inflammatis adhibentur,ex abſinthii coma,nardóque tum Indica ,tũ Celtica, croco,œnanthe,vnguento nardino , lentiſcino, & maſtichino.His igitur althææ radicem admiſcere oportet , & ſtercus caprinum, ammoniacum thymiama, bdellium, medulláſque & adipes:hæc enim incipientem in hepate ſcirrhum,conuenienti ſimul adhibita diæta,ſæpe curauerunt.Poſt fomenta autem & cataplaſmata, cucurbitæ hepati affigendæ cum ſcarificatione: & emplaſtra adhibenda,primùm quidẽ ſimpliciora,velut eſt Mnaſeæ , & quod ex ſuccis conſtat:deinde etiam fortiora,velut eſt melinũ Serapionis,& quæ huic ſimilia exiſtunt . Poſt emplaſtra, malagmatis vtendum ex baccis lauri,aut eo quod polyarchion appellatur,& ſimilibus.quorũ aliqua in colicis præſcripta ſunt:aliqua verò in ſplenicis & arthriticis referentur.Quòd ſi neque ſic proficias , hirudines admouendæ. plurimùm enim momẽti habet ad curationem , ſanguis earum ſuctu extractus.¦commodus eſt eis & dropax & ſinapiſmus.Si verò neque hoc modo res ſuccedat,vſtio per frequentia interualla adhibeatur : ita vt aut per ferrum, aut per pharmacum cruſtæ infligantur, & poſt earum caſum,vlcera multo tempore fluere ſinamus . conferunt etiam potiones conuenientium pharmacorum : velut eſt zopyrios ad colicos præſcripta,& quæ eupatorium habẽt admixtum.Complectuntur & vrinam cientes antidoti aliquam in ſe cõmoditatẽ:velut eſt quæ Beſtiana vocatur. Scirrho enim induratæ particulæ ob craſſos & viſcoſos humores in ſolidis corporibus imbibitos,neceſſariò frigi-

A dam habent diſpoſitionem . quare & calefacientibus ſimul & tenuiũ partium pharmacis opus habẽt: verùm his, quemadmodum dictum eſt,emollientia ſunt præmittenda.Si enim vehementer calida,antequam ſcirrho indurata corpora præmolleſcant , exhibeantur , ſtatim quidem manifeſtam diminutionẽ feciſſe apparent,verùm immedicabile fit quod relinquitur, vtpote nimiùm reſiccatũ. Quapropter facilè eſt coniectare in hepatis ſcirrho neceſſariam eſſe emolliẽtium admixtionem. Simplicia igitur quæ ad hepar induratum bibuntur,ſunt : anagallidis quæ B cærnleum florem habet,ſuccus exiccatus, itém que liquidus ex aqua mulſa:in moderatis autem febribus,ex aceto mulſo,& ſquillæ aſſatæ medullæ oboli tres,ſeminis viticis torrefacti drach.I.radix eupatorii, radix dracunculi, cortex radicis lauri . Aliud, quo Ægyptius curatus eſt, quum iam in aquã inter cutem incidere promptus eſſet:

Herbæ Sabinæ , picis ſiccæ , quæ in fundo doliorum vini reperitur,(eorum præſertim in quibus vinũ dulce vetuſtatem eſt adeptum) vtriuſque æquales partes ſingulatim contundito & cribrato,atque ex ambobus pariter co- C chlearii menſuram cum vino diluto præbeto. Aliud.

Croci,ſpicæ nardi,caſiæ,cuiuſque drach.II.coſti , floris iunci odorati,cinnamomi,myrrhæ ſtactes,cuiuſque drachmã I.mellis deſpumati drach.XXV.Ex hoc drach. I.cum vino mulſo præbe.Optimum eſt pharmacum in incipiẽtibus duris ſcirrhi diſpoſitionibus . cuius rei plurimum periculum feci. Aliud ad omnes inueteratas hepatis affectiones,atque ipſum etiam ſcirrhum: Picis ſiccæ,coſti, piperis , æquales partes contundito & cribrato , & ex eis cochlearium præbeto. Aliud. Myrrham troglodyticẽ D optimam,& piper,pari pondere tundito:indéque ſcrupulum vnũ cum vino meraco veteri calefacto , ad dies tres aut quinque exhibeto. Oribaſii ad hepaticos. Glaucii drach.IIII.aloes drach.II.hæc arida cõterito:& cochlearii menſura ſtatim à balineo exhibeto : febre carentibus, cum vino diluto:febrientibus autem,cum aqua mulſa.

Aliud Oribaſii,ad diuturnas hepatis affectiones,& circa ſima ipſius diſpoſitiones,in quibus tum ſtomachus tũ venter ſimul affecti ſunt: Comæ pinus viridis decoctũ ad tertias redactum,cyathorum trium aut quatuor men- E ſura præbe.Quin & ſiccæ comæ drach.I.in potu exhibita ſimili efficacia præſtat.Verùm ad multos hæc exhibenda ſunt dies. Aliud,Oribaſii: Chamæpityos,petroſelini,cuiuſque drach.octo,baccarum lauri,piperis,coſti,ſingulorum drach .IIII.cyperi,fœnigræci,cuiuſque drach.II. præbe cochlearium ex aqua mulſa. Aliud. Aniſi,gentianæ,amygdalarum amararum,abſinthii,æquas portiones permiſce:indéque cochlearium ex calida præbe. Aliud. Thuris vnciam vnam,ammii,acori,cuiuſque drachmas quatuor:præbe cochlearium ex aqua mulſa. Ori- F baſii antidotus hepatica: Caſiæ drachmas octo,aloes,coſti,corticis pinus,cuiuſq; drachmas quatuor , glycyrrhizæ ſiccæ drachmas octo,ſpicæ nardi,croci,aniſi,hyſſopi, rhei Pontici,cuiuſque drachmas duas,mellis ſeſquilibr. mel decoque ac reliqua eo excipe, & nucis auellanæ magnitudine præbe. Aliud Oribaſii,ad hepaticos,ictericos, ſplenicos, & præcordia eleuata: Croci drach.decem,floris iũci odorati drachmas quatuor,caſiæ drachmas duas, ſpicæ nardi drachmas octo,myrrhæ,cinnamomi,coſti,cuiuſque drachmam vnam,mellis cocti quantum his exci- G piendis ſufficit.Præbe ad fabæ Ægyptiæ magnitudinem cum vini mulſi cyathis tribus.Facit & ad thoracis dolores,atque eos qui plumbeum colorem habẽt. Aliud hepaticum pulchrum: Seminis pelecini, capnii herbæ, coſti,æquale pondus contundito ac cribrato,& drachmam vnam ex aqua mulſa præbeto. Aliud. Fœnigræci vnciam vnam,trixaginis ſextantem & vnciam dimidiam, coſti albi quincuncem,petroſelini quincuncem , eupatorii quincuncem,mellis deſpumati quantum ſatis eſt . Datur ſeſquidrachmæ pondere.ei⁹ vtilitas experimẽto con- H ſtat. Aliud. Caſtorei,coſti,cyperi , amomi , cuiuſque drachmas octo,piperis drach. quatuor,petroſelini drach. quatuor.datur cochlearii menſura. Aliud , ad diuturnã vexationem & duritiem: Coſti,fœnigræci,piperis , foliorum rutæ viridis,picis ſiccæ æquales partes commiſce,

A indéque cochlearium cum aqua mulſa aut vino præbe.

Aliud. Ammoniaci thymiamatis drachmas triginta duas,croci drachmas quatuor. crocum tundito, cribrato & cum aqua diluito:deinde ammoniacũ adiicito, ſimúlque terito,ac in paſtillos redigito, ex quibus, aliis drach. vnam,aliis duas præbeto. Aliud. Ammoniaci thymiamatis,coſti,polii,fœnigræci,æquale pōdus miſceto:indéque cochleariũ ſiccũ cũ aqua mulſa dato. Aliud. Ammoniaci in tenuiſſimũ puluerē redacti cochlearium 1.maſtiches grana decem,præbe ex aqua mulſa, & admiraberis. B efficax eſt ad hepaticos iam deſperatos. Aliud,Aſclepiadæ:quo vtimur,inquit Philagrius:quod ad hepar ſcirrho induratum,atque etiam oppilatione obturatũ, proſpero ſucceſſu accommodatur,ad aquæ inter cutem quoque ſuffuſiones incipientes, & ad alias internas affectiones citra tuſſim contingentes,optimè facit. Habet autē hoc modo:Radicis gentianæ,chamæpityos,marrubii,petroſelini,radicis ſcolopendriæ,radicis panacis, terræ Lemniæ quæ ſphragis appellatur, ſiſonis, rubiæ, ſeminis braſſicæ,radicis eryngii,baccarum iuniperi, ſeminis fra-C xini,trixaginis,ſeminis dauci,dictamni, ceſtri ſiue betonicæ,ſingulorum drachmas octo,fellis vrſi ſicci, ſinapis, ſeminis cucumeris,ariſtolochiæ,piperis,ſpicæ nardi,coſti,ſeminis erucæ,ſingulorũ drach. octo, hoc eſt omniũ æquale pondus, echii,eupatorii,polii,cuiuſque ſimiliter drach.octo. Quidam etiam lupini hepatis,ac helenii tãtundem adiecerunt:quod & nos facere ſolemus. Oribaſi⁹ autem neque fraxini ſemen,neque betonicam,neque trixaginem,neque dictamnum, neque daucum adſcripſit. D Mellis quantum his omnibus excipiendis ſufficit· datur ad nucis auellanæ magnitudinem,cum paſſi cyathis duobus·pharmacum hoc,experimento cognitum eſt.Semen autē fraxini arboris eſt,ex qua fraxinea ligna quocunque in opere apta ac operæ obedientiſſima cæduntur. Epithema ex melilotis ad hepaticos: Meliloti ſextantem, croci vnciam vnam, ammoniaci thymiamatis libram 1. ceræ libram vnam,terebinthinæ triētem,cyprini aut nardini,aut gleucini vnguenti plus minus quincũcem. ammoniacum & crocum in aceto diſſolue. Porrò in diæta E totum ſitum eſſe exiſtimãdum eſt, ſiquidem omnis diuturnus morbus maiorem ex diæta opem ſentit.Quare cibi qui facilè concoquuntur,eis exhibendi ſunt,quique & inciſoriam vim & repurgantem complectuntur. Neque verò ineptæ eis acrium rerum comeſtiones ſunt,ſi per interualla,& poſt exercitia ac geſtationes,ſumuntur. Cæterùm pro ratione motuum & exercitiorum,tum quantitatem tum qualitatem ciborũ augere oportet. Vinum eis conuenit tenue,odorum,moderata quantitate acceptũ. dulcia enim omnia nocētiſſima ſunt hepati affecto. Vi-F tandum &vinum mulſum,fructúſque ac bellaria omnia, præter amygdalas & piſtacia:ex his enim moderatè à reliquis cibis accipiendum. Vitanda etiam craſſa ac viſcoſa edulia,atque ea quæ difficulter concoquuntur.

De lienis affectionibus cognoſcendis,ex libris Philagrii, Cap. VII.

Qvibuſcunque ſub ſiniſtro ilio dolor,aut diſtētio,aut grauitas,aut tumor ſubiacet, & dum conuertuntur, velut aliquid ex illis locis conuellatur,imaginatio contingit,his lien affectus eſt. Quemadmodum autem reliqua G corporis membra iuxta octo intemperierum genera affliguntur,ita & ſplen afficitur:verùm frequentiſſimè frigidam & humidam ſuſtinet intemperiem,ex conſimili maximè diæta,atque ex iis quæ voluptatis gratia accipiuntur:veluti ſunt craſſi ſucci placentæ,itémque potiones.In his igitur omnibus calor tempore debilitatur.Subſtantia enim ſplenis laxa & rara eſt, promptiſſimáque ad ſuſcipiendum craſſiorem humorem: etenim fæcem ac velut limum ſanguinis ex hepate ad ſeſe trahit,hoc modo ſanguinem repurgans,ex qua fæce confecta & attenuata per H maximas in ipſo arterias ſeipſum nutrit. Signum autem certum & compendioſum intemperiei in ſplene,ea quæ eduntur ac bibuntur exhibent,& quæ forinſecus cuticulæ iuxta ſiniſtrum ilium accedunt. Si enim frigida intemperies iuxta ipſum fuerit oborta,omnis cibus & potus qui efficaciter refrigerare poteſt, facilè & manifeſtè ſplenem lædit:pallium item frigidum extrinſecus admotum,maximè ſi in frigida aeris conſtitutione amiciantur.ventus etiam,& aqua frigida tum in lauando, tum aliàs quoque adhibita, frigidam arguit ſplenis intemperiem. eam verò ipſam intemperiem omnia calida conſolantur.Quòd ſi calida fuerit ſplenis intemperies, à nullis quæ in cibo aut potu exhibētur,aut etiam forinſecus accedunt,dolorem perfert:& ſi quidem caliditas augeſcat, non ſolùm nihil tumori apponitur, ſed & cōtractionem amplius ſuſtinet, præſertim ſi exurens ſimul adſit febris. Cæterùm & cibi & potus calefacientes, & quæ extrinſecus corpori calorem addunt, calidas etiam intemperies augent & exacerbant. ſolatio autem ſunt eis omnia refrigerantia. Si enim ii qui calidam habent diſpoſitionem per interualla frigidæ potu vtantur,ſtatim ſplen corroboratur & minuitur, ægrúmque melius ſpirantem reddit: & venter aliquãdo ex frigidæ potu flauam bilem profundit.Atqui triſtitia affectis,aut ira concitatis,ſplen dolet, ſi calidam habeant intemperiem.Similiter etiam ſiccæ intemperiei in ſplene ſigna colligere oportet, maximè quum pro magnitudine propriæ naturæ non eminet. Ea item quæ forinſecus corpori adueniũt,atque intra ipſum deuorantur,ſi arefaciēdi facultate prædita ſunt, ſplenem exiccant,quemadmodum etiam reliqua animalis membra deſiccare conſueuerũt.Qui enim laborioſam vitam degit,aſſiduéque circa marinas aquas verſatur,aut bituminoſas,aut aluminoſas,aut ſulphurulentas, quique pharmaca aſſumit hanc habentia naturam, facillimè exiccatur. Porrò vbi humida affectione ſplen fuerit detentus,atque ea amplius inualuerit, intantum eius incrementum facit,vt etiam ventrem pertingat ac hepar. Conſueuit autē humida diſpoſitio circa ipſum, conſiſtere ab immodicè humectantibus,diæta & exercitio,aëréque & locis. Oboriri ſolet & iis qui circa paluſtres regiones frequenter cōuerſantur. Amplius autem & humidus morbus præcedēs hanc affectionem producit: aquæ item largior potus, & holera humectandi vi prædita.Species quoque doloris vnà cum prædictis ſignis,infeſtantem intemperiem demōſtrabit.In calida enim & frigida intēperie dolēt:minus verò,aut nihil omnino,in humida:minimũ verò in ſicca. At verò ex prædictis coniecturã facere licet cōpoſitarũ in ipſo ſplene intēperierũ. Ferè enim intotũ vbi candida intēperies fuerit intēſa,ſicca eã cōſequitur:& ad frigidã inueteratã humida cōcomitatur. Quãdoquidē autē & humores in ſplenem cōfluentes,tumores producũt:eorum quoque diligentem conſideratione facere oportet qualéſnã ſint tandē,atque id nō ſolùm ex prædictis iam diſpoſitionibus eſt faciendum,ſed ex iis quæ iam dicentur. Bilioſo enim fluore exiſtente, vniuerſum corpus calidius apparebit,etiam ſi nō adſit febris,oculíque & vrinæ per bilem coloratæ.ſiccitatem ſemper accuſabit æger:& de ſiti conqueretur ac bile os infeſtante. cibum faſtidit, & vigiliis infeſtatur,& frigidam deſiderat,vnà cũ hoc quòd linguã ſubflauam habet. exacerbationes tertianæ fient: ſuntque ipſi ægri moribus iracundi,& qui præcipitanter excandeſcant.Si verò atræ bilis ſit fluor,materiæ ipſius atræ bilis ſcilicet color,tum in lingua,tum in reliquo toto corpore apparebit:& appetētia aderit ciborum:moleſtique ac ſubtriſtes ægri ſunt,reliquáque atræ bilis ſigna eis adſunt:exacerbationes verò quarto quoque die affligent. At verò vbi pituitoſus humor in ſplenem deferatur, conſimilis pituitoſis aderit color,ægríque minimè ſitient & cibum appetent,niſi ſalſa fuerit pituita: tunc enim cibum faſtidiunt ægri, poculorúmque magis ſunt appetentes: quin & coloris cutis nitentis ſpecies demonſtrabit tibi pituitoſum eſſe humorem,& quòd ſingulis diebus exacerbatur. vrinæ quoque pituitoſæ ſunt: ipſi verò ægri ſecundum mores pigri ſunt & ſegnes.Quidam verò ex eis qui frigidam affectionem habēt, magnum & durum ſplenem acquirunt,atque vbi parum ſaltem conſuetam edendi horam fuerint tranſgreſſi,& impaſti manſerint, dolore afficiuntur,propterea quòd neque plenum, neque firmantē, neque ſuſtentantē ipſum habeãt vētrē, quiq; amplius ob

inediam

inediam refrigeratur, & concalefactione opus habet. Quòd ſi ſanguineus exiſtat in ſplenem cõfluens humor, poſſibile eſt ipſum colorem tum iuxta linguam tum circa cutem permutari. Inter appetentiam autem ciborum & faſtidium, medio quodã modo habent ægri, reliquíſque magis languent, etiamſi non parem viſceris tumorẽ habeant. Venæ autem vniuerſi corporis, ſanguine plenæ apparent, & vrinæ ſubfuluæ.

Intemperierum ſplenis cura, Cap. VIII.

IN vniuerſum quidem igitur ſplenis intemperies ferè citra tumorem fiunt: eas autem tum per cibos ac potus, tum per ſimpliciſſima pharmaca ac fomentorum irrigationes. quæ intemperiei cõtraria ſint, corrigere oportet. Calidæ intẽperiei cura: Calidã itaque intẽperiẽ curabis per irrigationis vſum ex roſaceo, aut melino, & per ſimplicia ex his compoſita cerata. Amplius autẽ & per vuæ acerbæ immaturæ ſuccum, & portulacam, & pampinos vitis, ac conſimilia. Cibis verò & potibus vtendum quibus calida intemperies caſtigatior reddatur: lauacris etiam temperatarum aquarum. Quòd ſi pharmacorum vſu opus ſit, rumicis acuti ſemẽ in potu exhibeatur, aut radicum aut foliorum eius decoctum: aut plantaginis, ſimilitérque limonii, quod cynogloſſum appellatur, decoctum. ſunt autem hæc in poſca diluta coquẽda. Frigidæ intemperiei cura: Frigidas in ſplene intẽperies ſanant irrigationes: & vnguenta, ac cerata, itémque epithemata, quæ moderata calefaciendi facultate prædita exiſtunt: velut eſt vnguentum nardinum & Cyprinum ac gleucinum, & cerata ex eis conflata. Poteris & epithema pentamœron appellatum, cum modica cera liquefactum adhibere. A balneis in principio abſtinendum, niſi quid obſtet. cibi & potus moderatè calefacientes exhibendi. Quòd ſi medicamentis opus ſit, conuenit eis calaminthæ, pulegii, ſcordii, trifolii, viticis ac ſimilium decoctum. exhibẽda etiam rumicis acuti radix aut ſemen. Humidæ intemperiei medela: In humida ſplenis intemperie optimum pharmacum habebis ſalis florem, ſiue per ſe ſolum, ſiue cum aliquo ſimplici cerato imponere velis. ſolus enim calefactus, & aliqua veſica exceptus, ſpleni adhibetur. In epithemata quoque admiſcetur, quemadmodum eſt prædictum. Quin & ſalſugo & ſpuma ſalis, cum cerato aliquo ac modico aceto permixta, commodum pharmacum erunt ad humecti ſplenis affectionem. Proderit & quinquefolii radix, & plantago ſicca, & alumen ſciſſile in teſta exuſtum. Poteris etiam ex plantaginis foliis, radicibúſque quinquefolii, & ſpuma ac flore ſalis, pari vel impari modo permixtis, ſufficienti affuſo aceto, & pice ſicca in poſca liquefacta, exceptis: cera itẽ alba, ammoniacóque thymiamate, ac modico roſaceo admixtis, pharmacũ vſui reſeruare. Melius autẽ cõpoſitionẽ facies, ſi & ſalicis ſuccũ addas: hic enim cũ vino aut altero ex prædictis permixtus, efficacius pharmacũ reddet. eius autẽ collectio facilè cõtingit: lacrymã enim arbor inciſa emittit. Cõuenictiſſimæ autẽ his ſunt fricationes, quæ diſcutiendi facultatem habent. Siccæ intẽperiei remedia: Siccã ſplenis intẽperiẽ, balineũ dulciũ & calidarũ aquarũ curat: inunctio itẽ ex oleo dulci: cibi citra refrigerationem humectantes, velut eſt ptiſanæ ſuccus, & poſt eũ qui ex alica eſt acceptus. Irrigationes forinſecus proſunt ex roſaceo, & cerata itidem ex eo apparata.

De ſplenis inflatione, Cap. IX.

QVVM inflatio circa ſplenem eſt, tumor loci conſequitur, qui impoſita manu ad tactum cedit, & diſtẽtionem loci infert. Verùm inflatio ipſa aut in vẽtre oborta ad ſplenem tranſfertur, aut in ipſo adeo ſplene generatur. ventoſa igitur flatus generatio, ex frigiditate mẽbrorum ipſum producentium contingit: quare tum ventrem tum ſplenem concalefacere oportet, præſertim iis quibus vtrunque membrum eſt affectum: atque id tum iis quæ forinſecus imponuntur, tum cibis ac pharmacis quæ intra corpus deuorantur, perficiendum eſt. Ventri itaque auxiliabimur, ſi quidem per conſenſum ſit affectus, dioſpoliticam confectionem exhibendo, atque etiã alias quæ huic ſimiles exiſtunt. Panis verò ac edulia, vi- **A** númque quod in potu ſumit, ex petroſelino, aniſo, cumino ac ſiſone, ſimilibúſque conſpergenda ſunt. Foris autem epithema ex ſeminibus quod paulo pòſt referetur, imponendum. hæc enim pariter vtrique viſceri auxiliãtur. Propriè autem inflationes ſplenis diſſoluere ſolent, tum ea quæ iam dicta ſunt, tum viticis ſemen torrefactum, & melanthium, ſerpyllúmque & thymus, pulegium, origanum, rutæ ſemen. Pelecini autem ſemen & ſtomacho gratiſſimum, & omnibus viſceribus aptiſſimum eſt: ſimiliter & rheon Ponticum, & ſcordium. hæc e- **B** nim vnà cum hoc quòd ſtomachum repurgant, etiam hepati proſunt, neque ſtomacho moleſtiam inferunt. Cæterùm vnumquodque horum & per ſe, & aliis commixtum exhiberi poteſt in poſca decoctum: aliquando autem & mel eis adiiciendum. Porrò quæ his fortiora ſunt, ea vitare oportet in iis in quibus venter per conſenſum cum ſplene eſt affectus, maximè ſi inflatio ſolà infeſtet: quæ enim his præſtantiora ſunt, ſpleni in ſcirrhum indurato conueniunt. Vbi verò ſolus ſplen infletur præter ventris læſionem, epithema ex ſeminibus in **C** principio eſt imponendum. Poſtquam autem flatus craſſities fuerit attenuata, admiſcenda ſunt ei ea quæ noxam depellere poſſunt, qualia ſunt epithemata ex alumine & ſulphure apparata, quorum compoſitiones paulo pòſt dicentur, vbi de ſplenis in ſcirrhum indurati tractabimus cura. Epithema ex ſeminibus Aſclepiadæ: Epithema quod Aſclepiades ex ſeminibus compoſuit, hoc eſt, quod ad aquam inter cutem proſperè accommodatum pharmacum exiſtit, & ad omnem inflationem conducit. Cardamomi, meliloti, herbæ ſabinæ, baccarũ lauri, **D** nardi Celticæ, ſampſuchi, iridis, radicis panacis, radicis cyperi, nitri, caſiæ, fœnigræci, ſeminis apii, aniſi, thuris, ſingulorum drachmas vigintiquinque, ſtyracis quadrãtem, myrrhæ quadrantem, terebinthinæ libras duas, ceræ libras duas, ammoniaci thymiamatis libram vnam, mellis optimi libram vnam, olei Cyprini lib. I. vini quãtum ſatis eſt. Facit & ad ſtomachi & ſplenis inflationes: itémque hepatis. éſtque omnino pharmacum magni faciendum.

E

De ſplenis inflammatione, Cap. X.

IN ſplenis inflammatione venæ inciſio adhibeatur, ſi nihil id fieri vetet. venter etiam per clyſterem aſſiduè eluatur, & maximè ſi venæ incidendæ medela relinquatur. Quocunque autem tempore ſiue per venam inciſam ſiue per clyſterem euacuamus, ſemper aliquid adſtringẽdi facultate præditum ſpleni imponemus, in principio præſertim, quum differimus euacuationem, quò id quod influit reprimatur, & quod influxione ſua præuenit, à loco depellatur. Atqui & ad ſplenis firmitatem conſeruã- **F** dam vtilis adſtringentium ſylua exiſtit: quæ quidem robuſta ſint, vbi fluoris impetus fortis contingit: moderata verò, vbi mediocris. Cognoſces autem irruentis humoris magnitudinem, ex magnitudine & velocitate generationis ipſius inflãmationis. Itaque ſi moderata fuerit inflãmatio ſplenis, vinum vetus ac auſterum tenuiúmque partium oleo dulci permixtum, & lana ſuccida exceptum imponemus. Si verò maior ſit caliditas, roſaceum ſit oleum, aut lentiſcinum: quæ ſi nõ adſint, oliuæ folia, aut rubi, aut mali arboris in oleo decoquantur, atque i- **G** pſa etiã mala: in decoctione etiam quædam tenuiũ partium addantur velut eſt abſinthium & pulegium. Quòd ſi forti impetu fluxus feratur, acetum pro vino affundẽdum eſt. Poſt irrigationes ad cataplaſmata tranſeundũ: in quorum compoſitionem hordeacea & loliacea farina aſſumantur, cum poſca & mellis ac olei pauciſſima omnino menſura, in quibus abſinthium ac pulegium ſint decocta: aliquando & myrobalani infarciendi. Optimũ & hoc eſt: Hordeaceam farinam & ſalicis folia cum aceto imponito, adipe caprino in aceto colliquato: verùm **H** melius redditur cataplaſma, ſi caricæ adiiciantur. Optimum autẽ eſt & ex lini ſemine cataplaſma, maximè vbi affuerit dolor. Accipitur autem ſeminis lini pars vna, farinæ loliaceæ pars vna, adipis taurini in aceto & ſapa liquefacti, cuique deinde oleum Cyprinum ſit affuſum, quantum his ſubigendis ſatis eſt. Cæterùm cauendum

ZZZZ

ne locꝰ poſt irrigationes & cataplaſmata denudetur:ſed vbi hæc fuerint ablata,mox ceratū ex Cyprino aut nardino vnguēto imponatur.Cōmodū eſt autē feruētibus inflammationibus Nilei aut Nili epithema, cum cerato chamæmelino & aceto emollitum. idoneum eſt etiam Philagrii ſtomachicum epithema.ſunt autem ea integra ad ſtomachicos deſcripta. Vtimur autem aliquando,ob cataplaſmatum penuriam,ad ſplenem inflammatū,furfuribus in vino,aut poſca &oleo decoctís: quibus etiam abſinthium & pulegium,aut thymum, aut origanū, aut lauri folia,aut artemiſiā,& reliqua incidendi ac attenuādi vi prædita adiicimus:nō feruēte videlicet inflāmatione,& corpore præeuacuato.Si enim corpore non euacuato quis calidioribus vtatur,ipſe ſibi ſcirrhi author fiet. Quod ſi ad permutationē in ſuppurationem ipſa ſplenis inflāmatio repat,(quodtamen rarò cōtingit)adiuuare eā oportet,ne plura corpora putrefiāt, per cataplaſmata videlicet quæ pus producūt:de quibus in hepatis abſceſſu manifeſtè eſt prædictū.hepar enim frequētiſſimè abſceſſum perfert ac exulceratur. Quare ex iis quæ de hepate diximus,ad ſplenis curationem exempla trāſſumes.

Cura ſplenis in ſcirrhū indurati, Galeni, Cap. XI.

IAM antea prædictum eſt ſplenem quamcelerrimè ſolere in ſcirrhū indurari, ſanguine circa ſplenitides in ipſo venas obturato, vt neque excerni neque digeri ob craſſitiem facilè poſſit. Quare attenuātium pharmacorū vſu opus habet,citra tamen manifeſtam caliditatē,ne vehemētius inſpiſſetur craſſus humor in eo obturatus.Admiſcendum eſt autē eis quippiā ex adſtringētibus & auſteris,quò ipſius actio & robur conſeruetur.Si enim præ debilitate fæculentū & atræ bilis humorem, ex hepate, quēadmodum cōſueuit,nō attraxerit, vitioſum humorē vniuerſo corpori affricabit. Immedicabilia enim vlcera hoc modo affecti habebunt,& maximè circa crura,& colorem corporis vitiatū ad nigredinē vergentē. diutius autē durante malo,etiā aquā inter cutē incurrunt. Ob id igitur in ipſo ſplene naturalē firmitatem cuſtodire oportet,quò conueniens ſibi alimentum attrahat, & ſanguinem repurget,ſuperfluáque in ipſo generata retrimenta ad ventrem demittere queat,quæ poſtea cum ciborū recrementis excernuntur. Ad hanc itaque rem amara ipſi ſpleni offerimus, quibus aliquando ex auſteris quippiā admiſcemus. amara quidem,vt humoris craſſitiē ſecent ac repurgent:auſtera autē,vt robur & firmitatem eius cōſeruent. Quale verò pharmacū hepati eſt abſinthiū,tale exiſtit ſpleni capparis cortex:& quale eſt hepati eupatorium,tale ſpleni eſt ſcolopendrium. ſimilibus enim ſecundum genus pharmacis,vtraque viſcera opus habent. verùm ſplen tanto fortioribus indiget, quanto craſſiore vtitur alimento.Cæterùm à veteribus plurima potabilia pharmaca ad induratum lienem ſunt deſcripta. In curādo autē animaduerſionē habere oportet, nū curādi ægri vniuerſum corpus frigidius ſit an calidius,nū humidius an ſiccius. Eis igitur qui corpora natura habent calidiora, citra moleſtiā myricæ folia dātur, virgultáque & radix:ſcolopendriū itē,& rumicis ſylueſtris, maximè verò acuti ſemen,foliáque & radix: optimè autē facit radicis viridis contuſæ ſuccus cyathi vnius menſura potatus. Probè facit & lycapſos, quæ & anchuſa appellatur. danda autē eſt radicis eius drachma vna, aut cacumina hederæ tria,aut folia eius,vel etiā radix: itē polytrichō, & capnii, quod chelidonium vocatur, decoctum ad tertias redactū.folia ſalicis & cortex, itémque radix limonii,quod & cynogloſſum vocatur:folia & radix,& ſemē quoque pelecini. hæc enim neque vehementē in ſe habent caliditatem,neque ſi calidior temperatura adſit,ei moleſtiam inferre ſolent:quapropter his tum ad prædictos,tum ad reliquos vtendum in principio affectionis. à mitioribus enim auſpicari oportet.His autem efficaciora ſunt quæ inueteratis ſcirrhis cōducunt,& corporibus agreſtioribus,& qui omnem corporis habitum habent frigidiorem:trixago, gentianæ radix,calamintha, pulegium,& cyclamini radix,ſcordiū,trifolii bitumē olētis ſemē, hyperici coma,acori,aſari & eryngii radix, viticis ſemē torrefactū, centaureæ maximè minoris ſuccꝰ etiāſi ſit exſiccatus,chamæpitys,polium,lonchitidis radix:anagallidis quæ cæruleum habet florem ſuccus, glycyſides aut pæoniæ, itémque dracunculi radix tum viridis tum ſicca. Aliud. Caroi ex terra ſuſcepti,radicis rubiæ, bryoniæ,ammoniaci thymiamatis,cuiuſque drachmam vnam: horum vnumquodque aliquando tritum ex poſca datur, aliquando autem decoctum eorum præbetur. quòd ſi ſicca dare velis,ſufficit drach.plus minus vnam exhibere. conducit item hoc, Ammoniaci thymiamatis ſextantem,caſtorei vnciam vnam, conterito, & drach.I ex poſca aut aceto mulſo præbeto. Aliud. Squillæ aſſatæ drachmam vnam, corticis radicis capparis drachmam vnam,præbe ex poſca vel aceto mulſo. Mouet enim craſſos & viſcoſos humores,inquit Archigenes,aliquando & cruenta non per vrinas tantùm,ſed & per vētrem educit. Aliud. Thuris obolos duos,ſeminis fœniculi cochlearium vnum, præbe ex vino. Aliud.

Marciani,præſens remedium:quod etiāſi ſit induratus, citra dolorem ipſum laxiorem reddit, vt neque ſignificationē, neque etiam ſuſpicionem ſuffuſionis aquæ inter cutē relinquat.Seminis viticis contuſi & cribrati per anguſtiſſimū cribellū drach. v.iis qui perfectæ ſunt ætatis ex poſca bibendas præbe. Aliud eiuſdem ad ſplenē & hepar indurata,& principium aquæ inter cutem,& ad alui,& inteſtinorum,ac ſtomachi inflationem, ſimplex & periculo vacans: Bryoniæ radicem contuſam & cribratam,repoſitam, ab aere & vēto intactam, nequid inde trāſpiret, aſſerua, & pro viribus ægri præbe. Perfecta menſura exhibitionis eſt cochlearium vnum, hydropicis quidem & ſplenicis ex poſca: hepaticis ex hydromelite aut vini dulcis cyathis tribus. Paſtillus ad ſplenicos, Aſclepiadæ.liquefacit ſplenem,vt multo experimēto conſtat: Seminis ericæ drachmas octo, piperis albi drachmas quatuor, ſpicæ nardi drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis drachmas quatuor, ſcolopendrii drachmas duas,coſti drachmas duas, cum aceto ſquillitico ſubigito,& drachmam vnam cum aceto mulſo aut poſca præbeto.Conuenientiſſimum autem ſpleni in ſcirrhum indurato remedium exiſtit ferrum aqua, aut vino,aut poſca extinctum. Ea ipſa enim aqua,aut vinum, aut poſca in principio exhibita iucūda & vtiliſſima exiſtunt,& per plures ex ordine dies dantur.Itaque febriētibus aquam,aut poſcam dilutam præbeto: eis verò qui teneram carnem habent ac febre carent,vinum. Sit autē ferrum quod in ipſis extinguitur ſtomoma:ipſius autem ſtomomatis ferri ſquama, (quam in fabrilibus officinis ferrum dum ignitur & malleo tunditur, abiicit) poſtea agreſtioribus hominibus vtiliter exhibetur.Præclarè enim hæc ſplenem liquefacit, vtpote quæ conſumendi facultatem præſtat: quare aliarum rerum complexu opus habet,ne inde ſtomachus malè afficiatur. In calidioribus igitur temperaturis, pelecini ſemen ei admiſcere conuenit:aut, ſi id nō adſit,ſcolopendrium:aut,ſi neque hoc haberi poſſit,abſinthii comam,aut rumicis acuti radicem aut ſemē.In frigidioribus autem temperaturis,ad ſquamam ipſam,caſiam,aut amomum, coſtum,aniſum, aut ſerpyllum montanum, & ſimilia addere oportet. quanquam tum in his, tum in omnibus pelecini ſemen maximè conueniat. Omnia autē nunc dicta, itémque ea quæ paulo antè ſunt relata ſimplicia pharmaca, in principio cum poſca diluta coquantur: poſtea verò etiam meraciore. Progreſſu verò temporis,etiam ipſa contuſa & cribrata cum aceto aut aceto mulſo exhibentur. Verùm certam vniuſcuiuſque horum menſuram definire difficile & periculoſum eſt, quum diuerſæ eorum qui ea accipiūt ſint naturæ: quare in principio parū quid ex vnoquoque exhibendum,& pro ratione deinde exhibitionis menſura augenda,iuxta ipſius pharmaci, atque etiam ægri vires. Omnia igitur prædicta quomodocunque tādem potata,aut ſemel ſaltem deglutita,permanere ſolent:verùm glās vnguentariorum, quā myrobalanum appellant,niſi cum poſca bibatur, facilè vomitu reiicitur. Licet igitur ſingulis prædictis ſimplicibꝰ pharmacis

per ſe vti,&duo itē vel tria aut quatuor,permixta æquali-
ter vel inæqualiter præbere.Ex cōpoſitis autē ferè pulcher
rimū eſt id quod ex oſſibus cōſtat, ad podagricos deſcri-
ptū Philagrii pharmacū.Efficax enim reperies ipſum,in-
quit Philagrius,& conuenientiſſimum ad omnia ſplenis
vitia, præſertim cum tumore magno & duritia oborta.
Senſibiliter enim huiuſmodi affectionibus auxiliatur:
vtpote quod vi ſua emollit & cōcoquit, ampliúſque dif-
fundit & purgat, vltra hoc quòd paulatim diſcutit & re-
ſiccat.Eſt autem tum guſtui,tum odoratui ſuauiſſimum,
maximè ſi plurimo deſpumato melle mixtum delingen-
dum præbeatur. Secūdo autem loco inter ea quæ ego no
ui eſt & hoc, inquit Philagrius, ipſo ſanè vſu probatum.
Corticis radicis capparis drachm. ſex, foliorum myricæ
drach.vi.ſquamæ ſtomomatis ferri drach.vi.myrobala-
ni drach.x.aut ſex,ammoniaci thymiamatis drach. viii.
ſeminis pelecini drach.v.ſtœchadis drach.iii. comæ a-
bſinthii drach. iii. ſcolopēdrii dr. x. excipe aceto & in-
forma paſtillos, ac exhibe drach.i.ex poſca aut aceto mul
ſo aut vino.Hoc itaque robuſtum eſt pharmacum,vt etiā
ad duriora corpora quadret. Aliud eo imbecillius ta-
le eſt. Pulegii drach. xii. radicis rumicis acuti drach.
vi.ſeminis eiuſdem drach.vi. capnii iuxta ſepes naſcen-
tis ſicci drach.vi.pelecini drach.iii.ſcolopēdrii drach.iii.
ſpicæ nardi drach.ii.rhei Pontici drach.i.corticis cappa
ris drach.ii.excipe aceto ac redige in paſtillos,exhibéque
drach.i.quemadmodum in præcedenti dictum eſt. Pa-
ſtillus ad ſplenicos,ſplenem liquefaciens, Aſclepiadæ.
Seminis ericæ dr. iiii. piperis,ammoniaci thymiamatis,
ſpicæ nardi,cuiuſque drach.ii.quidam etiam coſti drach.
ii.& ſcolopendrii drach.ii.Arida contundito & cribrato.
ammoniacum in aceto diſſoluito,ac ſimul in paſtillos di
gerito:ex quibus drachmam vnam cum aceti mulſi cya-
this iii.propinato.Qui huius pharmaci compoſitionem
docuit, per triduum hoc ſuis catulo ſe exhibuiſſe dixit:
poſtea vbi catulū diſſecuiſſet, ipſum ſine ſplene repertū.

Aliud ad ſpleneticos & hydropicos,quod optimè vri-
nam ciet,& ventrem emollit, Archigenis: Squillā ma-
gnam luto oblitam aſſato:deinde repurgatæ internæ lib.
duas accipito,dauci vnc.i.aniſi,ſeſelis,radicis panacis,iri-
dis,cuiuſque vnc.i.ſeminis vrticæ ſextantem,cedridum,
hoc eſt fructuum cedri ſextantem,myrrhæ drach.iiii.farinæ
erui vnc.xvi.cum vino informa paſtillos, & præbe drach.
i.cum aceti mulſi cyathis iii. Aliud. Radicis panacis,
ammoniaci thymiamatis,corticis radicis capparis, radi-
culæ,ſquillæ aſſatæ internæ,æquales omnium partes cō-
mitte,& obolos tres aut quatuor præbe.conducit anhelo
ſis & hydropicis. Paſtillus ſummæ vtilitatis.Cacūminū
hederæ nigræ drach.ix.ſpicæ nardi drach.v.ſeminis rutæ
ſylueſtris drach.iiii.caſtorei drach.i.iridis drach.vi. Cum
ſucco verbenacæ rectæ,paſtillos informato,& per quinq;
dies manè drachmam vnam ieiunis ex vino veteri præ-
beto.mouet vrinas cruentas. Atque hactenus quidem de
pharmacis potabilibus.Cæterū ad ſplenē in ſcirrhū indu
ratū etiam ſanguinis detractionem commodam eſſe ſci-
mus,quæ inter paruum ſiniſtræ manus digitum & eum
qui medio proximus eſt,ſit facta.Quidam autem venam
retro ſiniſtram auriculam ſitam diducunt, inquit Archi-
genes,& ex profluente inde ſanguine ſplenem illinunt,ac
magnum commodum ſentiunt. Idem etiam hepate affe-
cto faciunt, incidentes retro auriculam dexterā venam.
Quare neque abſurdum fuerit etiam his auxiliis vti:ani-
maduerſione tamen habita ne arteriam pro vena diſſe-
cemus. Nos autem in iis qui multo ſanguine abundant,
inferiorem in ſiniſtro cubito venam ſecare conſueui-
mus. verùm & hîc cauendum ne ſubiacentem arteriam
ſimul diſſecemus. A venæ inciſione, etiam cucurbitulæ
ſpleni affigendæ ſæpe & cum ſcarificatione, extrahendúſ
que per ipſas plurimus ſanguis. quin & hirudines ſumma
commoditate in ipſum ſplenis locum affiguntur. Loci e-
tiam amplius per ſpongiam acida muria imbutam fo-
uendi, furfuribus quoque in aceto decoctis, abſinthii
coma, ac pulagio, & lauri foliis, ſimilibúſque adiectis.
Quidam autem lapidem molarem aut gagatem longitu

A dine octo digitorum,& latitudine ſex digitorum, ſecun
dum craſſitudinem læuem igniunt & aceto adſpergunt,
panniculóque in aceto calido madefacto circumpoſi-
to, locis imponunt, & quandiu calidus ſit incumbere
ſinunt: atque huic fomento teſtimonium præbent, in-
quit Archigenes, tanquam quod inſenſibiliter depri-
mat tumorem. Poſt fomenta ad cataplaſmata tranſ-
eundum,ex farina ordei ac lolii, abſinthii coma, myro-
balano & althææ radice,cum aceto mulſo. Aut panem a-
B ridum cum capparis cortice, & myrobalano contuſum,
cribratum,& cum aceto mulſo decoctum imponito. O-
ptimè facit & ſtercus caprinum cum farina ordeacea
ex poſca, cataplaſmate impoſitum. Lupinorum item
farina ex poſca, & fabarum eodem modo. Cinis quo-
que ex officina fabrili,& bryoniæ radix cum caricis,ace-
to & cyclamino,eodem modo. Braſſica etiam ſylueſtris
cum melle impoſita,auxiliatur. ſimiliter & folia iſatidis,
& marrubium cum ordeacea farina ex poſca. Cardamo-
mum cum caricis. cyclaminus cum caricis ex aceto de-
C cocta. Cataplaſma optimum. Fœnigræci trientem, fa
rinæ ordeaceæ quadrantē, cardamomi vnc.i. caricarum
pinguiū lib.i,verbenacæ herbæ vnc.i.ficus in aceto acer-
rimo macerato,fortitérque in mortario contūdito, reli-
quiſque adiectis ac ſimul vnitis vtitor. Optimū catapla-
ſma & hoc eſt:Seminis raphani partes ii.foliorum ſalicis
partem vnā,farinæ araci partes ii.ſeminis paſtinacæ par-
tes ii.in aceto cum pari ſapæ menſura decoquātur. Aliud,
ad inueteratū malum,& corpora dura. Corticis radicis
capparis,radicis ſtruthii,ſinapis recentis, omniū æquales
D partes,farinæ tritici duplum ad omnium trium menſu-
ram. vtere veluti prædictis. Aliud præclarum ad duri-
tias: Stercus gallinarum albū,ſiccum,cōtuſum,ac cribra-
tum,cum aceto mulſo decoquito,confidentérque impo-
nito. Vnguentum optimum. Ammoniaci thymiama-
tis,thuris, foliorū rutæ viridium, ſing. æquales partes cū
aceto contere, & quamcraſſiſſimè illita exiccari permit-
te. Aliud,quod anteaquam medeatur non abſcedit.
Ammoniaci ſtaterem i. thuris ſtaterē i. piperis ſtaterē i.
ammoniacum cum aceto cōtere, eodémque etiam reli-
E qua modo. Aliud. Ammoniaci ſtaterem i. acaciæ ſta-
teres ii.aloes ſtaterem i.thuris ſtateres ii. Apparatur autē
hoc modo:Ammoniacum & aloen ac thus in aceto ma-
cerato, acaciam autem contundito. cribrata ac prædicta
contrita omnia admiſceto. Crocomagma etiam vtiliter
cum aceto illinitur: ſæpe enim non abſcedit priuſquam
medeatur. Cæterùm epithematum medelæ magis fidē-
dum. pleraque enim eorum quæ in medicamentariis li-
bris referūtur ex alumine & ſulphure cōpoſita, prædomi-
nantem habent adſtrictoriam facultatem. Quare in eis
F animaduerſionem habere oportet, non modò ſimplici-
ter facultatis eorum pharmacorum quæ admiſcentur:ve
rùm etiam quantitatis ipſius mixturæ. Etenim in plagis
quæ flatuoſum habēt tumorem, & maximè in quibus tu-
mor laxus eſt, nihil peccaris etiāſi plurimū ex aluminoſis
adieceris:in tumoribus verò in ſcirrhū induratis,emolliē
tē & diſcuſſoriā facultatē præcellere oportet, quibus pa-
rū quiddā ex adſtringēte ſit admixtū. Vnū igitur ex ſim
plicibus & naturalibus ac nulla arte apparatis,diſcuſſoriæ
G & adſtringētis ſimul eſt facultatis,ipſe videlicet ſalis flos,
qui ſplenē in ſcirrhū induratū ſanat,inquit Galenus,cali-
dus in veſicā bubulam cōiectus,& forinſecus impoſitus.
Oportet igitur medicū ad affectionem reſpicere,& pro e-
ius ratione tū addere,tum adimere ex eis quæ in epithe-
matum compoſitionē cōiiciuntur: Veluti exēpli gratia,
ſi duritiem emollire velit, ammoniacū & bdellium pin-
gue,ac ſtyracem optimū æqualiter vniuſcuiuſque drach.
iii.admiſcere debet: ſi verò craſſos humores diſſecare ve
lit,opopanacis & coſti tantundem addet. Quum autē hu
mores diffunduntur,etiā diſcuſſoria ac digerētia ſunt ad-
H miſcenda:aut ſtercus caprinū in aceto dilutū addendum.
hoc enim & craſſitudinem diſſecat,& ſimul diſcutiendi
vim habet. Quòd ſi diſcutere tantùm velit, humoribus
videlicet antea ſufficiēter attenuatis,nitrum pro ſtercore
caprino admiſcebit.Capparis autē cortex admixtus,vltra

hoc quod diſſecat & repurgat,etiā ſplenē corroborat. Habito igitur ad ea quæ vbilibet accidunt reſpectu,aut emollientia augebis,aut attenuantia, aut etiam ea quæ diſcutiunt & robur addūt.Optimū autē epithema emolliēs &diſcuſſoriū hocce eſt:Ceræ quadrantem,propolis ſextātem,galbani drach.IIII.opopanacis dr.IIII. vtere. contunditur hoc pharmacum : & ſtrumas recentes, omnémque duriciē recēns obortā diſſoluit. Aliud malagma Aſclepiadæ,quod articulos incuruatos relaxat:Bdellii pinguis, adipis vitulini,ammoniaci thymiamatis,iridis,cuiuſque drach.XVI. opopanacis,galbani,thuris, canchryos, ſtyracis,cuiuſque dr. VIII. piperis grana CLX.ceræ dr. XLVIII. fæcis olei irini ſextantem ac vnciæ dimidiū,vini quantum ſatis eſt. Arida cōtundito,& cribrato. ammoniacū, opopanaca,thus,bdelliū in vino diſſoluito: liqueſcibilibus autē liquefactis affuſis ac ſimul emollitis vtitor. Extremè emolliendi facultate præſtat hoc, inquit Galenus: neque enim aliud magis eo emolliēs repereris.quòd ſi irini olei inopia ſit,cyprino aut ſicyonio eius loco vtor.

Aliud malagma Amythaonis,ad præcordiorum diſtentiones:conducit & articulis qui difficulter mouentur, ómnémq; duritiem diſſoluit,&priore quidem minus emollit,magis autē digerit ac diſcutit. Compoſitio ſic habet: Ammoniaci thymiamatis drach.XXXVI.ceræ drach. XXXVI.terebinthinæ dr.VIII.bdellii drach. VIII. myrrhæ drach.IIII.thuris dr.IIII.galbani drachm.VIII.olei cyprini ſeſcuncem.myrrham, bdellium,thus, vino præmacerata cōterito: ammoniacum in aceto diſſoluito:liqueſcibilia autem liquefacito,affundito,ac vtitor. Aliud prædicto longè efficacius,& fortius, inquit Philagrius: diſcindit enim & attenuat inſpiſſatos humores, & viſcoſos repurgat. Habet autem hoc modo: Malagma Aſclepiadæ. Ammoniaci thymiamatis ſeſcuncem, galbani, myrrhæ, cuiuſque ſextantem, ceræ ſequilibram, thuris quadrantē,opopanacis quadrantē,radicis panacis ſeſcūcē, propolis quadrātē, aceti ſextarios II.ſtercoris capræ quadrantē. ammoniacum cum aceto terito,deinde etiam thus, galbanum, opopanaca, & myrrham: Propolin autem cum modica cera in mortario tundito: ceram verò cum olei triente liquefacito,paulatim,donec cogatur decoquēdo, & deīde propoli adiecta,ab igne tollito,percolato, ac frigefieri ſinito,perpolitáque tritis adiicito,vnito,ac vtitor. Cæterùm epithema quod ego compoſui,inquit Philagrius,optimū ad diuturnas &frigidiores affectiones exiſtit: Myrobalani drach. XLVIII.ammoniaci thymiamatis dr.XLVIII.bdellii drach.XLVIII.ſcythicū verò bdellium maximè probo, corticis radicis capparis dr.XLVIII. mānæ drachm.XXIIII.opopanacis drach.octo,ſtyracis dr. IIII.viſci drach.XII.ceræ drach.XXIIII.floris ſalis drachm. XLVIII. Ammoniacum cum ſalis flore diſſolue: capparin verò,myrobalanum ac mannam cum aceto:reliqua autē iuxta ignem emollito,& in mortario tundito,& trita eis adiicito,vnito,ac vtitor.hoc pharmacum ſplenem conſumit. Aliud. Verbenacam viridem cum manna terito,atq; axūgia ſuilla veteri excepta imponito.Dura enim corpora & diuturno malo affecta quammaximè inde iuuantur:reliqua verò integrè ſanat. Prodeſt etiā verbenaca per ſe impoſita,itémq; trixago. Aliud epithema Aſclepiadæ, ad ſplenicos.cōſumit tumores. Foliorum ſambuci tenerorū lib.III.aloes pinguis lib.I.cum aceto terito ac lenito,linteolóq; excepta imponito.verùm ſi malū recens eſt, cuiuſque par pōdus coniicito. Aliud. Seminis ericæ lib.I.galbani lib.I.ſemen cōtuſum & cribro excuſſum galbano excipito,rurſúmq; tundito,olei irini fæce addita,quò malagmatis formā acquirat,& linteolo inditum imponito. Vniuerſo autem viſcere,recrementiſque eius atque meatibus opportunis, per emollientia, repurgantia, diſſecantia. attenuantiáque & diffundentia humores, ampliúſque etiam per ea quæ vias dilatant, tum in potu accepta, tum foris impoſita, præparatis, efficacius euacuare potentibus eſt vtendum.ac primùm quidem ſimplicioribus, poſtea verò etiam fortioribus, veluti exempli gratia: primùm quidem epithymi drach.IIII.cum ſeri lactis heminis v.præbeto. dato autem eas epithymi drachmas IIII. tenuiſſimè tritas cum modico ſero.atque vbi venter operari inceperit, ſerum per ſe paulatim abſorbendum exhibeto.Cæterū poſt aliquot dierum interſtitium,vbi vires recollegerint, hieram Archigenis ex colocynthide præbeto,aut quæ Iuſti appellatur.Poſt horum autem omnium vſum,farinæ tenuiſſimæ radicis cyclamini ſiccæ drach.III.aut IIII. ex aqua mulſa dato, atque quò ſudorum excluſionem iuues, ægrum velamentis contegito & in lecto concalefacito. Epithemata diſcuſſoria & reſiccantia. Poſtquam corpus fuerit repurgatum,epithematis quæ digerere ſiue diſcutere & reſiccare poſſunt,vtendum:qualia ſunt quæ ex auripigmento & alumine componuntur. ex quorum numero eſt etiam id quo ego,inquit Philagrius,vtor. Ceræ Tyrrhenicæ drach. XCII.reſinæ pinus ſiccæ drach.XCVI. reſinæ pinus liquidæ drachmas XCVI. auripigmenti drachm. XVI.aluminis ſciſſilis drachmas XII.metallica terito & liqueſcibilia cum modico oleo liquefacito, ac refrigeratis ſicca adiicito, vnito,& vtitor. Aliud aurei coloris, Aſclepiadæ,valde pulchrum:Ceræ libras duas,reſinæ pinus ſiccæ libras duas, auripigmenti ſextantem, aluminis ſciſſilis ſextantem, calcis viuæ vnciam vnam, olei cyprini vncias ſedecim, aceti vncias ſedecim. Aliud ad ſplenicos & hepaticos: Aluminis liquidi, ſulphuris viui,nitri, ammoniaci thymiamatis, mannæ, radicis capparis corticis, ſingulorum ſeſcuncem, picis libram vnam, reſinæ pinus ſiccæ libram vnam,olei cyprini ſeſcuncem, aceti quantum ſufficit. Aliud epithema hepaticum, ipnoterium appellatum: Reſinæ pinus ſiccæ libram vnam,ceræ libras duas,picis libras duas, aluminis liquidi, nitri,ſulphuris viui,mannæ, cuiuſque libram vnam,aloes ſeſcuncē,pyrethri,ariſtolochiæ longæ,bdellii,ammoniaci thymiamatis,amomi,viſci, cardamomi, olei,cuiuſque quadrantem,aceti ſeſquiſextarium. Ammoniacum, alumen,ſulphur,nitrum, cum aceto diluta terito:reliqua verò arida quidem contundito, ac tritis admiſceto: liqueſcibilia autem liquefacito, atque reliqua cum eis excipito. Optimè faciunt & ex caprino ſtercore apparata: item plurima eorum quæ ad hydropicos ſunt deſcripta:& Machærionis emplaſtrū, & emplaſtrū ex rumice quæ in decimoquinto Sermone referentur. Phœnigmi, cutē rubefacientes. Efficaciter autē in ipſis phœnigmi auxiliantur,tum qui ex ſinapi apparātur,tum qui eis conſimiles exiſtunt. cæterùm corpore prius à ſuperfluis humoribus euacuato, eos adhibere oportet. Pulcherrimus autem phœnigmus talis eſt. Phœnigmus Aſclepiadæ authemeros, quaſi eodem die auxilians,inſcriptus: qui ſanè ab vniuerſa affectione liberat. Pyrethri drachmas octo, myrobalani,cardamomi,ſeminis vrticæ,piperis,cuiuſque drach.octo, ſinapis trientem. omnia conterito, & aceto ſubigito,& tepefacta ex interuallo per horas tres imponito,ſi ſaltem tamdiu ſuſtinere poſſit: deinde ablato pharmaco lauari præcipito, in feruentioris ſolii deſeſſu. à balineo autem cerato ex roſaceo apparato vtendum.

Alius. Lepidii folia trita cataplaſmatis modo imponito:atque vbi morſum ſentiunt, in balneum inducito, & ablato pharmaco, in feruentem aquam immittito & perfundito. difficulter enim ferunt nimiam mordacitatem. Sani autem exeunt, inquit Archigenes. Idem remedium & ad coxendicum dolores efficaciſſimum reperitur. ſummè etiam auxiliantur myrobalani cortices,& nitrum. nitrum per ſe terito, & parum aceti admiſceto: deinde reſinam ac ceram cum pauco oleo liquefacito,affundito,emollito, ac vtitor. Cæterùm quod operæpretium eſt cognoſce,fortia pharmaca nonniſi corpore prius à ſuperfluis humoribus repurgato,& probè cōcoquente,adhibere oportet. Smegmata,ſiue repurgatoria.Oportet autem locum ipſum ſenſim ad phœnigmorum rubefacientium tolerantiam irritare,quod per repurgatoria ſmegmata cōmodè fieri poteſt. Cōponantur autē ſmegmata ex ſtaphide ſylueſtri,pyrethro,pipere,ac alcyonio, pari vel impari modo,prout videbitur, coniectis. Quòd ſi teneram carnem habeat æger,iridis,& cyperi, & herbæ ſabinæ aliquid his admiſcebis,aut farinam aliquā

veluti erui,aut fabarum,aut cicerum.Quòd ſi etiam odoratum reddere velis pharmacum,caſiæ quippiam & phylli ac amomi adde: ſi verò durius contingat curandum corpus, ex pumice addes atque adarce. Poſtremùm autem phœnigmis ex ſinapi conſimilibúſque vteris,corpore prius vniuerſo à ſuperfluis humoribus repurgato: ne videlicet vehementia caloris alia attrahat recrementa, durioremque reddat ipſum locum.

De ſplenicorum vſtione, Cap. XII.

QVòd ſi prædicta auxilia irrita ſint, inefficacitérque adhibeantur,ad vſtionis patrocinium confugere oportet,ita vt vel per cauteria vel pharmaca cruſtas inuramus,& multo tempore ſaniem effluere ſinamus: corpore tamen prius per venæ inciſionem & purgationem euacuato. Etenim quum ferè in totum vitiatis humoribus ſplenici ſint referti,& non præeuacuetur vniuerſum corpus,maligna vlcera ex cruſtis fieri conſueuerunt.

Diæta ſplenicorum, Cap. XIII.

POrrò diæta ipſorum ſplenicorum,tempore inflammationis ſimplex ſit,& quæ facilè concoquatur:velut eſt alica lota, & ptiſanæ ſuccus, panis madefactus. ſi verò inflammatio diutius remoretur, etiam auicularum carnes eis concedendæ,& piſces petroſis aquis degentes. Vbi verò ſcirrhus ſit perfectus,diæta attenuatoria exhibeatur, & acrium rerum comeſtiones per interualla. propriè autē ſpleniciciscōuenit capparis comeſta ex aceto mulſo. Vinū ſit nō valde vetus,quod aqua permiſceatur, in qua ferrum ſæpe ignitū ſit extinctū. Plurimum autē fiduciæ in exercitamentis ponendū,quibus ante cibum vti cōuenit,corpore ſuperfluitatibus non abundante. Ex eorū autem genere ex ſuperabundanti faciunt deambulationes & curſus.& noui ſanè aliquos,qui ex his ſolis ab omni affectione ſint liberati. Geſtationes etiā omnes cōueniūt: propriè autem quæ fit in equo. Manifeſtum autē eſt quòd vociferationes quoque opportunæ &in tēpore aſſumptæ eis ſummè opitulantur.

Cura eorum in quibus ſplen frigida:venter verò calida affectione laborat, Cap. XIIII.

COgnitu verò neceſſariū eſt, quòd in aliquibus ſplen frigidam intemperiem habet,& ob id calefacientibus opus habet:venter autē bile agitatur,& contrariā ſpleni ſuſtinet intemperiem:aut etiam citra priuatā affectionem,ex meatu qui bilem ſuſceptat, flauā bilem aſſumit: & abſque hoc etiam, ſæpè ob ægram concoctionem & ciborum in ventre corruptionē ſplen afficitur.Etenim aliquando quum frigiditatis ſenſus cum grauitate circa ſplenē percipitur,venter bilioſum vomitū reiectat:tūc equidem difficilis cura nobis inſtat,& quæ difficulter procedit:nimirū ſplene caloris fotū expetente:ventre autē atq; etiam vniuerſo corpore refrigeratione indigente, atque id vno &eodem tēpore.Quò igitur quantum poſſibile eſt vtriuſque membri affecti effugiāt læſionē, pro virib' conabimur vt eos à triſtitia & cura,iráq; &vehemētibus motibus, multa item inedia ac cibi auerſatione auocemus, ſimúlq; per ea quæ citra moleſtiam purgant pharmaca, bilioſum humorem euacuemus: os verò ventris firmemus ac corroboremus,nequid eorum quæ ex reliquo corpore ad ipſum influunt, ſuſceptet. Cæterùm corroboratio ipſius per ea quæ difficulter corrūpuntur cōtingit,de quibus in ſecūdo mētionē fecimus Sermone. Suffecerit autem ipſis exhibitio modici panis cū oliuis albis aut colymbadibus appellatis, citra potum, ſi balneum & prandium differant,ne bilis efferatur. melius autem eſt ſi priúſquam bilis efferatur,ieiuni lauent. In prandio cibi eis præbeantur tum quantitatis tum qualitatis moderatæ: verùm vt ſplen illæſus permaneat,conuenit primùm boni ſucci & actu calidos præbere, ac deinde poſtremùm tum actu tū potentia frigida porrigere,veluti lactucam & frigidum potum,ac ſimilia·non frigida enim frigidis præſubſtrata,ſplenem illa ſu n ab iis quæ poſtea ingeruntur frigidis, conſeruant, ex quibus os ventris corroboratur, & calida ipſius intemperies corrigitur. Optimum igitur fuerit poſtremùm omnium mala Punica, aut etiam alia,aut pira,aut quædam quæ ſtomacho grata ſunt acceptare:atque eodem omnino modo etiam cœnam inſtituere.Conuenit etiam per ea quæ forinſecus imponūtur hoc modo affectis opitulari. Refrigerant autem ventrem citra nocumentum forinſecus impoſita,oleum melinum & roſaceum:cerata item ex iiſdem apparata, modica maſtiche admixta, aliquando etiā oleo addito omphacino. calidus itaque venter per prædicta lenitur. Ad ſplenem autem calefacientia adhibēda ſunt, qualia ſunt epithemata polyarchia appellata.

Cura ſplenicorum quos tuſsis infeſtat, Cap. XV.

QVòd ſi tuſsicula ſplenicū infeſtet, ſintque eiuſdem generis affectiones circa vtraque viſcera: veluti ſi contingat & ſplenem & pulmonem eodem tēpore craſsis ac viſcoſis humoribus,aut aliquo alio frigido morbo detineri,tunc ſanè podagricum pharmacum ex oſsibus cōſtans,vehementer vtile tum ſpleni,tum eo modo tuſſientibus exiſtit, & antidoti quæ ei ſimiles habētur. Si quidē igitur ſimiles cōtigerint affectiones,ſimilia remedia adhibere oportet:vbi verò diuerſæ erunt affectiones,diuerſis pharmacis vtendum eſt.vtpote ſi ſplen à craſſis & viſcoſis humoribus & frigidis liquoribus afficiatur: tuſſis autem à tenui & acri deſtillatione contingat,ſi modò poſſibile fuerit & deſtillatio non vrgeat vehementer,à pharmacis fluxum condenſantibus abſtinere conducit,veluti eſt quod ex papaueris capitibus conſtat,itémque ex ſeminibus paſtillus,& quæ his ſimilia exiſtunt. Vehementiore autem & acriore exiſtente deſtillatione, & quæ periculum exulcerationis pulmonis minetur,vtēdum quidem ex papaueris capitibus confectione. verùm ſpleni epithemata attenuatoria imponantur. Atqui niſi magna impēdeat neceſſitas,ea quæ ſtupefaciunt vitanda: capiti autem aliquis ex ſeminibus paſtillus, cum aceto roſaceo ad ſtrigmentitiam craſſitudinem redactus imponatur. præſtant autem ex ipſis in hoc præſertim vſu,hi qui crocei appellantur. cum aceto enim & roſaceo oleo triti, & ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem redacti, lanáque conuoluta excepti, ac ſincipiti impoſiti,tenuitatē deſtillationis inſpiſſant,ſimúlque exurentem & acrem in capite qualitatem refrigerant,tuſſes ſedant,& ſomnum ſuauem inducunt.Poſt hæc autem theriace per opium recēs apparata in potu accepta, tuſſientibus quibus ſimul ſplen affectus eſt,auxiliatur.

Cura eorum quibus ſplen in magnitudinem excreuit, ſimúlque durus exiſtit, Cap. XVI.

QVidā ex ſpleniciis immodicè auctū ſplenem habēt, vt nō ſolùm hepar & inguina cōtingat,ſed & ob ſoliditatē attollatur, vitaléſq; cordis vires maximopere lædat,ac imbecillitatē inducat, vtq; ex eo vniuerſum refrigeretur corpus, ipſúmq; adeò hepar tenuiſſimū & aquoſiſſimū in ipſis fiat,& eiuſmodi quoq; ſanguis. Horū ſanè qui hoc modo ſunt affecti,curā recuſare oportet. quòd ſi cogamur tamē,à dubiis & hebetibus remediis auſpicabimur,periculo eis incūbente prædicto.verùm neque intra corpus ſumendū,neque forinſecus adhibendū vllū aliquod vehemēs pharmacū offeremus:neque euacuationē etiā coaceruatim faciemus,ſed paulatim & per ſimpliciorum medicaminū vſum. Cæterùm tū per os exhibitis, tum foris admotis,& quantū poſsibile fuerit cōuenienti diæta,virium imbecillitate refocillata,ſi in melius proficere ipſos videmus, fortioribus omnino remediis vtemur,ita tamen vt ſenſim aucta ipſa apponamus.

De ictero,ſeu morbo arquato,ex libris Ruffi & Galeni, Cap. XVII.

ICterus à ſimilitudine ad animalculum,quod ictis, *id eſt uiuerra* appellatur,nominatus eſt:eſt autem muſtella ſylueſtris,quæ auricolores oculos habet. Verùm icterus morbus bilioſi humoris circum corpus effuſio eſt, ob ſecernentis eum facultatis debilitatē,quæ eum ſegregare & ad proprios excretionis locos demittere non valet.Errare autem eos credendum eſt qui hepatis affectionem in omnibus ictericis adeſſe putauerunt. conſpicitur enim ſæpe, quum hepar nihil malè eſt affectum,flauæ bilis ad cutem effuſio facta in iudicationibus morborum. Conſpicitur etiam citra febrem aliquando ſanguis in bilem exagitatus,per corruptionem videlicet aliquam peregrinā:qualis

quoque à venenatarum beſtiarum morſibus contingere
cõſueuit. Etenim quum quiſpiam à vipera morſus eſſet,
vniuerſum corpus praſini ſiue porracei coloris habuit, &
quum aſſiduè theriacen bibiſſet, celerrimè ſanatus eſt:
quare nihil mirum eſt,talem aliquando contingere hu-
morũ in corpore permutationem, vt vniuerſum corpus
ictericum colorem aſſumat.Quin & fieri poteſt vt propter
naturalis temperiei ipſius hepatis mutationem, eiuſmo-
di humorum corruptio contingat, vt aliquando herbis
pallore albicantibus totum corpus manifeſtè aſſimiletur:
aliquando etiam plumbi colorem induat. quemadmo-
dum etiam eiuſmodi colores nigricantiores fiunt, ſi ob
ſplenem quàm ſi ob hepar affectum contingant: ſplene
ſcilicet ad attrahendum ad ſe ex hepate atræ bilis humo-
rem,& ad repurgandum ſanguinem pro more ſuo,debi-
litato. Fit autem aliquando icterus ob imbecillitatem
veſicæ bilis ſuſceptricis,quæ bilioſum humorem, veluti
cõſueuit,in ſeſe ex hepate non attrahit,&ob id impurum
ſanguinem relinquit: poſſibile eſt etiam eam nimis reple
ri, aut repletam,propter repletionis multitudinem non
poſſe euacuari: Aliquando autem & propter obturatio-
nem aut debilitatem venarum,quarum ora ex ipſa ad he-
par deferuntur,bilioſum humorem non attrahit. Quare
in ictericis affectionibus,recrementorum figura neceſſa-
riò conſideratur, quum in aliquibus multùm colorata
per flauam bilem appareant recrementa, quemadmo-
dum etiam in aliis vrinæ. In quibus enim ratione iudi-
cationis bonæ,in febribus bilioſus humor ad cutem pro-
rumpit, his & recrementa & vrinæ naturali modo ſe
habere videbuntur. Quibuſcunque verò citra febrem,
vnà cum grauitatis alicuius aut doloris ſenſu circa dex-
trum ilium,arquatus contigit,in his veſicæ bilis ſuſceptri
cis obturationem factam eſſe putandum eſt. Quibus au-
tem neque grauitatis neque doloris ſenſus circa ilium
adeſt,in his ſplenem vitiati humoris cauſam eſſe iudica-
bimus.Si autem neque dolor neque grauitas circa ilia in-
feſtet,neque febris præceſſit,& tamen ſanguis in vniuer-
ſo corpore in bilem mutetur, atque ita arquatus contin-
gat,his pruriginoſior cutis fiet & magis etiam areſcet. In
quibus verò atræ bilis humor vnà cum ſanguine ad cu-
tem eſt delatus,hi omnino grauius afficiuntur. Cõſequi-
tur enim ipſos triſtitia præter rationem, & mordacitas
eorum quæ circa ventrem ſunt, difficultáſque ſpirandi:
& cibos auerſantur, & nigra lotia excernunt. aliquan-
do autem & per interualla quædam corpora ipſorum
tepeſcunt: ſtercora verò chalcanthi colorem referunt, &
aluus magis his reſiccatur. Cæterùm eos qui ex pallida
bile arquatum contrahunt: nulla mordacitas eorum quæ
circa ventrem ſunt conſequitur, neque etiam intantum
auerſantur cibos: ſed obtuſior tamen aliquando fit in eis
ciborum appetitus,& ſtercora quidem albida egerentur:
vrinæ autem crocei coloris, turbatæ tamen & tenebras
referentes permanent. Communiter autem omnibus i-
ctericis pigrities & tumor grauans ad motũ corporis cõ
tingit,& ad dulces cibos animum habent alienatum:ama
ros verò non admodum auerſantur,& variis imaginatio-
nibus vexantur. pruritus etiam vniuerſi corporis comita
tur & difficulter exudant. Porrò alba oculorum & partes
faciei temporibus propinquæ,itémque malæ,pallorem o-
ſtendunt: venæ etiam ſub lingua repletæ reperiuntur, &
abundantem humorem ſignificant.

Cura arquati, Cap. XVIII.

ARquati igitur qui ratione bonæ iudicationis, febri-
bus perfectè ſolutis fiunt,facillimè ſedantur, ſi ægri
lauacris aquarum dulcium vtãtur,ac olei diſcuſſorii per-
frictione,omnibúſque quæ rarefaciũt cutẽ:qualia ſunt o-
leum chamæmelinũ,anethinũ,irinũ,gleucinũ, amaraci-
num:& roſmarinus herba oleo incocta,ipſum plurimùm
diſcuſſoriũ facit.Diætam quoque vniuerſam humectio-
rẽ in his conſtituere oportet, & vt mediocriter humorũ
craſſitudinẽ attenuare poſſit. In reliq̃s autẽ ictericis duo
maxima remedia principatum obtinent, ſectio venæ, &
purgatio.In quibus igitur multitudo ſanguinis vnà cũ bi
le in toto corpore abundat,& quos circa hepar aut ſplenẽ
dolor aut diſtentio infeſtat,nihil venæ inciſione cõmo-

A dius fieri poteſt,ſi nulla alia re id facere præpediaris.Par
ticulatim autẽ & per vices ſanguis eſt detrahẽdus, ne per
coaceruatam euacuationem vires ægri proſternantur.ne-
q; verò ineptè clyſter adhibetur,ſi venæ ſectio impedia-
tur. A venæ autẽ inciſione etiam commodè clyſter aſſumi
tur,qui propter ſtercorum euacuationem ſpirandi facili-
tatem inducit,inteſtináque irritando ac mordendo, hu-
mores ad cutis ſuperficiem delatos,ad ipſa retrahit & re-
uellit. Purgationes autẽ magis propriæ & familiares huic
B morbo exiſtunt,inquit Rufus. Cæterùm eduliis ac potio-
nibus itémque pharmacis,humores prius attenuare opor
tet,obturationéſq; deoppilare:atq; deinde pharmacũ ex-
hibere quod flauã aut nigram bilem ducit. Sint autẽ pur-
gationes ictericis exhibendæ fortiores: ob ventris enim
ſiccitatem,imbecilliores inefficaces in ipſis cognoſcun-
tur.Quare in principio purgare non oportet, priuſquam
per deoppilãtia bilis attenuetur,& quodam modo ad in-
teſtina reducatur: maximi nanque mali cauſam, purga-
tiones in principio datæ præbuerunt. Itaque conuenit
C primùm deoppilantibus mox dicendis vti, atque vbi at-
tenuatio humorum ac deoppilatio fuerit facta, tum de-
mum conueniens & forte (vt dixi) pharmacum purga-
tiuum eſt exhibẽdum.Quòd ſi primo purgatiuo pharma
co nihil proficias,rurſus forte aliquod deoppilatoriũ phar
macum bibendum. præbe, & poſt triduum rurſus vio-
lentiùs pro ſecunda vice purgato,inquit Rufus: vt etiam
ad finem purgationis vnà cum vehementiſſima morda-
citate bilis excernatur,quæ cærulea magis ſit quàm flaua.
Ego itaque euphorbium, epithymum, aloen, petroſeli-
D num, & dauci ſemen miſceo, ac ictericos purgo. Opti-
mè etiam ipſos purgat hoc: Piperis longi ſcrupulos no-
uem, piperis nigri ſcrupulos quinque, ſcammoniæ ſcru-
pulos ſex,ammii ſcrupulos quatuor,ſeminis fœniculi ſeſ-
quiſcrupulum,ſeminis apii ſcrup. II. & dimidium, caroi
ſcrup.IIII.aniſi ſcrup.III.mellis quantum ſatis eſt, quò ad
ſtrigmentitiam craſſitudinem redigatur. datur nucis Põ
ticæ magnitudine cum cochleario aceti albi,& aquæ cali
dæ tantundem. in melancholicis autem ad prædictum
dimenſum farinæ epithymi ſcrup. III.addere oportet. Ve
E hementer commodum & hoc eſt: Colocynthidem ma-
gnam ſupernè perforato, eiectóq; ſemine,id quod inſtar
tomenti in ea eſt,ſinito,ac vinum vetus dulce infundito,
&pernoctare in ea permittito: manè verò per pãniculum
detritæ veſtis diligenter percolato,& vinũ calefactum iis
qui flaua bile abundant bibendum præbeto. ad melan-
cholicos autem epithymi ſcrupuli ſex in vino dulci præ-
coquantur,idipſúmque vinum colocynthidi infundatur,
ac,vt dictum eſt,bibendum præbeatur. Cyclamini quoq;
radix trita potata, poſt deoppilantia remedia, aptiſſima
F eſt ad viſcera repurganda, & ad bilem in vniuerſa cute
excludendam per ſudorem: quare poſt eius potionem,
ſudorum excluſionem per velamenta ac concalefactionẽ
in lecto iuuare oportet. dantur autem ad ſummum ex ea
drachmæ quatuor ex aqua mulſa. Quòd ſi inflammatio
circa partem aliquam viſcerũ ſubiaceat,primùm irrigati-
onibus & cataplaſmatis vtendum eſt,& poſt ea ceratis &
epithematis ad viſcerum inflammationem præſcriptis.
Præſtat autem farinæ admiſcere roſmarinum herbam,
G florem iunci odorati,abſinthium,artemiſiam,abrotonũ,
rutam, cardamomum, chamæpityn, ſcordium, polium,
ac chamædryn. hæc enim ſingula admixta vrinam cient,
quod morbo maximè conducit, & viſceribus inflãmatis
prodeſt. Cucurbitulis etiam vtendum,hepate quidẽ affe-
cto,inanibus,& aliquando cum ſcarificatione: ſplene autẽ
affecto,omnino cum ſcarificatione.inanes enim ſplenem
nihil iuuãt. Pharmaca autem quæ in potu accepta ab ob-
turatione ictericos liberant, maxima ex parte vrinam
cient,velut eſt apii decoctum, & adianti, ac ſimilia. Vti-
lis eſt & abſinthii cremor &per ſe & cum nardo Indica ac
H iũci rotundi odorati flore.item pulegii decoctum, & cala
minthes & verbenacæ rectæ, & oxalidis. eſt autem oxalis
rumex acri ſapore, fuluis ramulis & foliis, caule qua-
drangulari,eóque ſemine referto,pallida radice.hæc ſanè
per ſe comeſta, & radicis decoctum ad tertias redactum
ac potatum,celerrimè auxiliatur. Prodeſt etiam rumex

ſatiuus & anchuſæ radix,rubiæ radix,chamæpityos, roſmarini,& ariſtolochiæ.mirificè etiam prodeſt ſerpyllum, hypericum,& eius generis plurima alia. Singula hæc in aqua ad tertias decocta cum vino dulci bibenda præbeto,aut contundito & cribrato,ac ſingulorum drach.I.dato.Præclarè quoq; facit corticis raphani ſuccus,vino meraco dulci permixtus aut vino mulſo: ita vt ſucci cyathi duo,vni vini cyatho cõtemperentur. Datur itẽ valde cõmodè cichorii & ſeridis ſuccus,febrientibus quidem per ſe:febre carentibus cum vino.braſſicæ item ſuccus eodẽ modo,& cornu ceruini ramenta cochlearii menſura, petroſelinum,aniſum,aſarum,rheon.commodiſſimum autem eſt chamæmelon quæ & leucanthemos appellatur, itémque buphthalmum. Aliud multi experimenti:

Spumæ nitri albæ drachmas duas, in vino veteri dulci macerato trium cyathorum menſura.& per totam noctẽ ſub diuo ponito,& ad triduum aut quatriduum bibendũ præbeto. Aliud præter opinionem: Vermes terrenos coctos ac cum myrrha troglodytica tritos, in fabæ magnitudinem ex paſſo aut vino mulſo dato: & poſtera die ictẽrum per lotium eiicient.idem faciunt & abſque myrrha dati. exhibeto hoc ad triduum,ac vtere confidenter.

Paſtillus ictericus, qui ictericis & hepaticis mirabiliter conducit:Amygdalarum amararum repurgatarũ drachmas quatuor,aniſi,comæ abſinthii, cuiuſque drach. II. ſpicæ nardi drach.I.aſari drach.I. contundito & cribrato reliqua:amygdalas autem cum aqua terito,& paſtillos informato:ex quibus drach.I.febre carentibus ex vini mulſi cyath.III.præbeto.Cæterùm pharmaca quæ in potu accipiuntur,omnia,ſi fieri poteſt,in balneo exhibeantur,vbi ægri in calidum lauacrum conſcendere parant. Plurimùm autem diætæ virium refocillatrici intentum eſſe oportet,per quam vis diſcretiua reparatur,& ſi quod mẽbrum læſum ſit,corroboratur, ac præſens coloris corruptio repurgatur. Quapropter cõueniunt exercitamenta,& geſtationes,& inunctiones ac exudationes,ita vt ad pyriateria, *hoc eſt uaporatoria ſicca*, & ad ſolem,& in balneis quoque,corpus nitri puluere vſti,ac vini fæce arida vſtáque ac tenuiſſimè trita,defricemus. Optimum autem & ſerpyllũ & thꝰ pari modo cũ oleo illita. roſmarinꝰ itẽ herba in oleo decocta,ſi oleum illinatur,prodeſt.Cibi autem omnes inciſorii ſint & attenuatorii,& quicunque inter attenuatoria edulia prædicti ſunt in ſecundo Sermone. Ex volucrum quidem genere,montanæ:ex piſcibus verò,qui petroſis aquis degunt:ex oſtreis,herinacei recentes.Olera verò ſint quæ magis vrinam ciẽt, præſertim ſeris,intuba, aſparagi paluſtres,ſmyrnium,carduus,eryngium: ex ſatiuis autem conuenit braſſica & aſparagus eius,raphani,allia cruda & cocta.Carnes autem ferinæ,manſuetis magis ſunt aptæ:pro liquamine ſeu embammate, valet acetum in quo ſquilla & ariſtolochia ſint macerata.à fructibꝰ abſtinendum. Bellaria ſint amygdalæ:ſed modicè ſumãtur, & cicer modicum torrefactum.Ex leguminibus cicer aſſatum, & maximè decoctum ipſorum aſſiduè potatum. ieiuni autem citrium comedant repurgatum. Vinum conuenit album & ſubadſtringens,neque valde vetuſtum. vbique autem mediocritas optima cenſetur.Quòd ſi quippiam ex ictero circa faciem & oculos relinquatur, vrinæ autem appareant puræ,aluúſque conſueto more egerat,& appetitus in nulla re obſtet,neque infeſtet ſitis,&,vt compẽdio dicam,quum omnes prædictæ acceſſiones fuerint ſedatæ,& tamen circa oculos vitiatus color relinquatur, narium infuſis vtendum. Fortiſſimum autem omnium eſt elaterium cum lacte muliebri infuſum. facit & cyclamini ſuccus,& melanthium cum aceto.debilior his eſt anagallidis ſuccus,& ſuccus radicis betæ. Depurgat autem cyclaminus craſſiſſimum mucum:elaterium autem pituitam & bilem.Omnium autem efficaciſſimum ad eos reperi atramentum ſutorium lacte muliebri diſſolutum ac naribus infuſum:inde enim bilem largè ex naribus deſtillantem videbis. Oportet autem poſcam probè dilutam in ore detinere dum infunditur hocce pharmacum.Præſtat tamen primùm cyclaminum infundi,quò craſſa per eam euacuentur, & poſtea ipſum ſutorium atramentum.

De malo corporis habitu, Archigenis,
Cap. XIX.

QVVM corporis habitus in aquoſitatem diffunditur, cachexia, *id eſt malus habitus à Græcis* appellatur, in quo vniuerſa corporis miſcella laxior fit ac emolleſcit,quod maximè ex ſomno inæqualiter contingẽte fit manifeſtum:corpúſque ipſum totum cum virore albicans redditur ac inualidum, ita vt crura inter eundum vacillent.& in principio quidem concoctiones impediũtur,manente etiamdum appetitu: poſtea verò & faſtidiũ accedit,& reſpiratio ipſis fit rara ac debilis, quæ motibus & actionibus condenſatur. aluus etiam inæqualia recrementa excernit.Hæc affectio vtplurimùm ex longo morbo congregatur:iam verò & ex viſcere quopiam in ſcirrhum indurato conſequitur,maximè hepate & ſplene:neque raròin dyſenteria diuturna & affectionibus cœliacis contingit,ob conſuetam item aliquam cohibitam excretionem. Capiuntur autem hac affectione maximè ſenes, qui etiam maximè liberãtur. imò & pueri qui facilè pereunt, propter vitalis firmitatis debilitatem, & quòd ob cutis raritatem ſucci in eis facilè tranſpirant. at verò qui in vigore ſunt,raròincidunt, & facilè ſe inde extricant. quòd ſi diutius adſit malum in aquam inter cutem trãſit.Quod verò ad curam attinet,ſi quidem ex conſuetæ excretionis cohibitione affectio contingat, admonere ac irritare eam ipſam excretionem oportet: aut venam incidere in cubito,ſi nihil ſit quod id fieri præpediat, paulatim ac partitis vicibus per triduum ſanguinem detrahẽdo.Si verò venæ inciſio impediatur cõuenienti medicina depurgante ipſos purgare oportet,& maximè ex hiera Archigenis ex colocynthide apparata. Quòd ſi hepar ſit affectum aut aliquod aliud ex viſceribus,medelam adhibere his ipſis conuenit,per auxilia ad ſingula ipſorum ſuprà præſcripta. A localibus autem remediis,ad diætam viribus reparandis aptam tranſeundum,per quam ſpes eſt eos qui huic malo ſunt impliciti,ad reſtitutionem in integrum peruenturos.Diæta autem qua vires refocillantur, in moderatis deambulationibus cõnſiſtit, geſtationibus, vociferationibus,& defricationibus ſiccis per linteola ex lino crudo,deinde per inunctionem ex oleo, cui quædã quæ humorem reſiccant ſint infarta: veluti ſunt nitrum & ſales.poſtea verò & exercitamẽta moderata cõducunt. Ad laſſitudinis autẽ curationẽ,balneũ per interualla quædã adhibeatur:quòd ſi quis ad frigidæ lauacrũ aſſueſieri poſſit, compendio ad omnem mali curationem peruenerit.Aquæ itẽ quædã naturales calidæ,robori ac viribus reparandis conduxerint,quales ſunt aluminoſæ,ſulphurulentæ,ac nitroſæ. Mirabiliter autem ipſos iuuat aſſidua abſinthii præparatio & adhibiti dropaces.Cibi eorum ſint ſimplices,& qui facilè concoqui poſſint, parum conditi, olerum videlicet gratia:ſi quidem opus ſit per ipſa vrinã ciere,& aluum ſubmollire. Vinum conuenit eis album, tenue,odorũ.Bellaria omnia vitent.omnia item nidoroſa,& graueolentia,humoris craſſi,& viſcoſa, & quæ difficulter concoquuntur,à cibis eorum ſint aliena.

De hydrope,ſiue aqua inter cutem, Cap. XX.

HYdropis differentiæ tres ſunt:alius enim aſcites, ab aſco,*id eſt utre*,appellatur:aliꝰ tympanites,à tympano: & tertius ſarcites,aut iuxta carnem,*hoc eſt ſubtercus*,*à Græcis* etiam leucophlegmatias nominatus. Aſcites igitur fit, quum inter pelliculam peritonæon appellatam, & inteſtina,plurima aquoſi humoris collectio contingit. vt verè vtris modo pellicula ipſa repleta eſſe videatur:aliquando verò vbi peius habent ægri,vſque ad femora tumor producitur,quando ſanè aſcitæ & ſarcitæ hydropis complexus factus apparet:vnde aliquando quidem pedes inflantur,aliquando naturali modo habent. Tympanites verò, flatus aere repleti ac ſuperflui plurimam collectionem in iiſdem ventri incumbentibus locis facit, vt in principio ſola inflatio eſſe videatur.poſtea tamen flatus inſpiſſatur, & veluti nubilus redditur, atque ita vnà cum flatu,quaſi nebuloſus humor conſiſtit ac congregatur.Infert autem tympanites multam circumtenſionem,atque in ipſo etiã vſque ad femora & pedes tumor procedit. Porrò ſarcites per omnem corporis coagmẽtationẽ ac miſcellã humo-

rem diſſeminat,vt inſtar ſpongiarum aut papyri vniuerſa caro permadefacta appareat:atque ob id totũ corpus ſimiliter vt ilia intumeſcit,ac mortuo ſimile euadit. Cõmuniter autem omnis hydrops ſpirãdi difficultatẽ,& tumorẽ & grauitatẽ,& vitiatũ colorẽ inducit:ex virore nimirum albicantibus ægris.faſtidiunt etiam cibum:potũ autem largiorem plurimi appetunt, maximè qui ex aſcite laborãt.Etenim humor qui in locis detinetur,ſalſus eſt & putrefactus.quare & ſitis & febris augeſcit: ferè enim intotum plurimi ex hydropicis febriunt.Conſequitur autem aqua intercus omnes morbos qui habitum corrumpunt:vna eſt enim ad hydropem aptitudo,coagmentatæ corporis miſcellæ demolitio & ruina. Contingit autem hæc aut ob ſuperexcellentem hepatis frigiditatẽ, aut ob aliqua alia membra vehementer refrigerata, quæ hepar in eandem diſpoſitionem deducere valent:citra enim hepatis refrigerationem, impoſſibile eſt aquam cõgelari,& aliquem in hydropem incidere. Coafficitur autem hepar ſpleni refrigerato,aluóque & inteſtinis, maximè iis quæ iuxta ieiunum inteſtinum ſunt,pulmonique & renibus,ac ſepto tranſuerſo.Congregatur etiam ex immodica hæmorrhoidum euacuatione, aut ex fluxu muliebri, aut ob menſtruorum retentionem,aut ob aliam quandã magnam vuluæ affectionem.In his enim omnibus nullum præter naturam tumorem hepar habere cõſpicitur, & tamen aquæ inter cutem morbo corpus apprehenditur,ex ſola refrigeratione hepate in his in principio affecto: pòſt verò aliquando & durum fit,quod palàm in illis videre eſt,qui ex intẽpeſtiua frigidæ aquæ potione, hepar aceruatim refrigeratum habent,vt ſtatim aquæ ſuffuſionẽ operetur,priuſquam ipſum in ſcirrhoſum tumorẽ eleuetur.Iis autem qui ex frigidæ potu aquam inter cutẽ incurrerunt,vehementes ciborum appetitiones fiunt,propter oris ipſius ventris frigiditatem.Multi autem & à podagra & coxendicum dolore vexati, in aquã inter cutem inciderunt.Frequentiſſimè autem eos qui cibum nõ ſentiunt,& malo corporis habitu præditi ſunt,itémque ab arquato infeſtatos,hydrops conſequitur,cœliacam item affectionem & dyſenteriam.Nouimus etiam quoſdam qui ex recta ſpiratione quam orthopnœan vocant, in aquam inter cutem ſunt deducti. Cæterùm huic affectioni non minus fœminæ quàm viri fiunt obnoxii:pueri verò vtplurimùm ab hydrope ſarcite apprehẽdũtur.Eſt autẽ tympanites omnino periculoſus, minus eo aſcites: adhibetur enim in eo pertuſio ſiue pũctio,quam paracenteſin *Græci* appellant,& reliquis quoque remediis promptius quàm ille obedit.Sarcites quoque aliquando curabilis fit per ea quæ cuti adhibentur,humorem detrahentia ac reſiccantia pharmaca. Omnes autem inueterati hydropes & qui iam habitum corrumpunt,ſunt periculoſi.Fiunt etiam aliquando bullæ inter peritonæon pelliculam & inteſtina, figura veſicæ ſimiles & ſeroſum humorem continentes: hæ ipſæ ſanè per fluctuationes quaſdam inæquales deprehenduntur:nimirum proprium locum ſecundum lineamenta quædam diſtributum,ac velut circumſcriptum,ipſo humore tenente.

Aſcitæ ac tympanitæ hydropis cura, Cap. XXI.

QVVM itaque difficilis ſit,quemadmodum prædictum eſt,aquoſæ affectionis cura,plurimo artis auxilio opus habet.In iis igitur qui febricitant hydropicis,febre intermittente,curam faciemus: itaque cataplaſmata ex farina ordeacea,althæáq; ac caricis,ipſis adhibebimus: ita vt in tympanite quidem,magis ex ſeminib⁹ flatus diſcutientibus commiſceamus:in aſcite verò,magis ea quæ euacuant humorem.Cæterùm poſt principium efficaciora ſunt cataplaſmata quæ pro ordeacea fabaceam farinã ſuſcipiunt,itémque eruinam,cuiuſque parem mẽſuram. coquuntur autem cum muria aut aceto mulſo.Præſtat etiam loliacea farina cũ caricis,& abſinthio, hyſſopóque & origano ex aceto mulſo:item bulbi cum melle: aut armentariæ bouis ſtercus ex poſca ſiue aceto mulſo:habeat autem quartam partem ſulphuris viui inſperſam.admirandum hoc eſt, ac minimè prætereundum. Valet & caprinum ſtercus in pueri incorrupti & venerem nõdum ex-

A perti vrina impoſitum:humorem enim per vẽtrem euacuat.Valet & lupini farina,aut hederæ folia trita & vino decocta:aut ficuum partes duæ cum cupreſſi coma,& nitro:aut lens paluſtris in figulino vaſe deſiccata, trita & impoſita:aut cochleæ crudæ cum carne ſua tritæ impoſitæ: non enim priuſquam humor deſiccetur diſcedunt:aut alumen plurimum ſeuo caprino exceptum impone: aut caricas,nitrum,caſtoreum,marrubium,aut filicem in pila contundito,& raphanos donec colliqueſcant coquito: deinde ſimul terito,& farina ordeacea adiecta, cataplaſ-

B ſmatis modo imponito. Cataplaſma optimum ad aſciten: Lathyridum partes tres,ſquamæ æris partẽ 1.radicis chamæleontis partes tres, coquantur in aceto mulſo in quo adeps taurinus ſit præliquatus. Aliud optimum ad aſciten: Stercoris columbini partem 1. ſtercoris caprini tantundem, buphthalmi herbæ tantundem,aut leucanthemi.hæc tuſa in acerrimo aceto ac melle coquantur.

Aliud. Salis foſſilis partem 1. ſalis Cappadocici partẽ vnam,lathyridum contuſarum partes tres, coquantur ſimul aqua marina aut ſulphurulenta. optimum eſt hoc

C pharmacum: ſenſibiliter enim videbis materiam euacuatam,& tumorem diſcuſſum. Aliud. Rhois quo tinctores coriorum vtuntur,ſextarium 1.pollinis frumentacei aut loliacei,aut farinæ fabaceæ ſextarium 1.thuris quadrantẽ,aluminis ſciſſi quadrãtẽ,imponito cũ aceto mulſo hydropicis,ſplenicis,dyſentericis,ac cœliacis. Aliud.

Radicis cucumeris agreſtis vnc.XVI. ficuum pinguium vnc.XVI.radicis althææ vnc.XVI.Radicem vnamquanque per ſe tundito ac cribrato:ficus verò cum vino coquito,ac probè terito,ſiccáque trita inſpergito:vtitor.per aluum e-

D nim humorem educit. Aliud. Elaterii,ſtaphidis ſylueſtris,ſucci hyſſopi,fellis taurini,ficuum. omnia in mortario tũdito,ſubigito,ac vtitor.Poteris & prædicta in ſecundo Sermone cura vti,de diuerſis videlicet terræ differentiis. Cataplaſmata quæ magis ad tympaniten faciũt.

Farinæ fœnigræci,farinæ ordeaceæ,virgultorum rubi, comæ abſinthii,foliorum rutæ,ſeminis apii,cumini, ſiſonis aut liguſtici,mellis & vini & olei. Aliud, ad hydropicos inflatos: Panis contuſi ſextarium vnum, cumini ſextarii quartam partem,ſampſuchi quadrantẽ, pyrethri

E ſextantem,euphorbii vnc.1. Cum vino mulſo vniuerſam ſpinam & aluum vſque ad mamillas & pudenda contegito,alterníſque diebus ſoluito,atque id quinquies aut ſexies facito.ego pro euphorbio ſtruthion conieci. Vnguentum Apollonii: Stercus accipitris cum ſylueſtris braſſicæ ſucco aſſiduè illinito.mirificè facit:verùm meli⁹ fuerit ſi aquilæ ſtercus admiſcueris. Aliud. Laterem diligentiſſimè inſtar vaſis figulini aſſatum,cum hyoſcyami aut plantaginis ſucco terito,& quam craſſiſſimè ad ſolem frequenter illinito. Vnguentum ad hydropicos:

F Radicis cucumeris ſylueſtris,radicis bryoniæ, vtriuſq; libras duas,ſtaphidis ſylueſtris ſeſeuncem,nitri ſeſcuncẽ, olei lib.1.aquæ marinæ ſextarium vnum.Quòd ſi nõ adſit aqua marina,pro ea muriam coniicito, reſinæ à nauibus vnà cum cera deraſæ(apochyma *Græci* appellant)libr. tres.Radices tenuiter contundito.nitrum & ſtaphidem terito,& per triduum madefacito:deinde vſque ad aquæ cõſumptionem coquito, percolato, & apochyma adiicito, quo liquefacto vtitor,ex eo ſæpe illinens tumorem.

G Epithemata hydropica, Cap. XXII.

ASclepiadæ.Epithema hydropicis valde commodum quod adiacẽtem humorem abſorbet:quo etiam priuatim,inquit Archigenes, vtor. Farris Cluſini appellati mola triti ſextarios duos,floris lapidis aſii ſextariũ 1. (alii autem duos habent)mannæ ſextarium vnum, diligenter terito,& adipe ſuillo veteri probè ſubacto,& per noctem in vino macerato,excipito.Eius autem quantitas tanta ſit quãta ad hoc vt ad tactum molle reddatur, pharmacum, ſuffecerit. Aliud. Seminis rutæ ſylueſtris quod beſaſa

H & harmala quidam appellant,contuſi & cribrati ſextariũ vnum,mãnæ ſextarii dimidium,adipis ſuilli veteris quãtum ſufficit,vt prædictum eſt apparato. Aliud, cui teſtimonium præbet Oribaſius. Fœnigræci trientem,farinæ ordeaceæ quadrantem,ſtercoris columbini trientẽ,

reſinæ pinus ſiccæ libram vnam,picis libram vnam,ceræ libram vnam,axungiæ veteris libras duas : quæ eliquari poſſunt eliquato,& ad alia in mortario contuſa & cum aceto trita affundito. Aliud ex farinis epithema: Picis ſiccæ libras duas,reſinæ pinus libras quatuor, ceræ libras tres,olei veteris libram vnam,farinæ tritici,ordei, fœnigræci,baccarũ lauri,aniſi,ſalis, farinæ radicis chamæleõtis nigræ, ſingulorum beſſem, vini auſteri ſextarium vnum,apparato vt prædictum eſt,ac vtitor.Facit & ad hepaticas diſpoſitiones.Ego autem, inquit Aſclepiades, & chamelææ quadrantem adieci,& pro triticea farina,irinã admiſcui. Pharmacum quod omnem tumorem generoſè reſiccat: Cimoliæ quadrantem, ceræ quadrantem, olei quadrantem ,ſalis vnc.I.reſinæ à nauibus cum cera deraſæ drach.centum & ſexaginta,farinæ fœnigræci drachmas viginti,foliorum braſſicæ viridium quincuncem. liquefacta reliquis tritis in mortario affunde. Aliud epithema valde pulchrum: Stercoris caprini ſextantem, ſtercoris bubuli ſextantem,ſtercoris columbini ſextantẽ, farinæ fabaceæ ſeſcuncem,calaminthæ,ſalis nitri, ſeminis apii,ſeminis dauci,ſeminis fœniculi,cumini, cuiuſq; vnciam vnam,panis aridi quadrantem,mellis ſeſcũcem, terebinthinæ quadrãtẽ.vtitor. Epithema ex ſtercore caprino ad hydropicos,qui hepar induratũ habent,apparatum: Olei cyprini,aut ſi hoc non adſit,vetuſtiſſimi libr. tres,ceræ libras duas & dimidiam,ſtercoris caprini beſſem,baccarum lauri decorticatarum beſſem, iridis beſſem,terebinthinæ libram vnam,ſinapis,nitri,cyperi, pyrethri, ſeminis raphani, corticis radicis capparis, cuiuſque quadrantem,medullæ colocynthidis vnciam vnam, fœnigræci vnciam vnam. Aliquãdo quidem arida liquefactis inſperguntur:aliquando verò aceto prius ſubiguntur. Ego autem,inquit Aſclepiades,colocynthidis ſextantem adiicio. Quòd ſi aluus fluat,omnino colocynthidem amoueto:ſtercus autem caprinum,ſi quidem aridum ſit, tunditur & cribratur:molle autem & recens aceto dilutum teritur. Malagma,quo Eras vſus eſt:quod imponẽdum eſt,neque prius amouendum quàm ſua ſponte decidat: Viſci libr.I.lapidis aſii ſeſcuncẽ,calcis viuæ quadrãtem,olei cedrini libram vnã.viſcum & oleum ad calidũ ac feruentem cinerem coquito,inſperſiſque aridis tritis, remollito,ac vtitor. Aliud. Caricarum pinguium libras ſex aut tres,ſpumæ nitri libram vnam, origani librã vnam,ſulphuris viui quadrãtem, cochlearũ Aphricanarum libram vnam. Arida contundito & cribrato,ac ficis cum carne cochlearum contuſis excipito, & melle cocto ſufficienti adiecto,vtitor in linteolum infartis. Aliud.

Radicum braſſicæ tenuiſſimè tritarum libram vnam, calcis viuæ lotæ libram vnam,elaterii quadrantem, axũgiæ veteris libras tres,ad formam malagmatis reducito, & in linteolum infarcito,ac per omnem aluum imponito,alterniſque diebus ſoluito.vrinam prolicit. Malagma ipoterium inſcriptum.Pharmacum accommodatum, ac proſperi ſucceſſus,cuius periculũ feci, inquit Philagri⁹, in hydropicis,ſplenicis,& affectionibus inueteratis:deprimit enim tumorem. Reſinæ pinus torrefactæ lib. IIII. ceræ lib.II.picis lib.II.aluminis liquidi,nitri rubri,ſulphuris viui,mannæ,cuiuſque libram vnam,aloes ſeſcuncem, pyrethri,ariſtolochiæ,ammoniaci,bdellii,amomi,cardamomi,viſci probè ſubacti,myrrhæ,radicis cucumeris ſylueſtris,ſucci ſycomororum,cuiuſque quadrantem,olei libras tres,aceti ſeſquiſextarium : quemadmodũ moris eſt apparato.arida aceto diluuntur. Malagma ex baccis lauri aridis,ad hydropicos & ſplenicos.omnem duritiã diſſoluit,abſceſſus in profundo ſitos abſorbet: Ceræ, reſinæ pin⁹,picis brutiæ ſiccæ, nitri rubri,baccarũ lauri aridarũ, ammoniaci thymiamatis, adipis vitulini probè ſubacti, ſingulorum lib.I. Arida contundito, ac per tenuiſſimum cribrum excutito:quæ verò eliquari poſſunt liquefacito, eiſque arida inſpergito ac vnito,deindéque ammoniaco cum aceto diſſoluto affundito.ego etiam nitrum cum aceto diſſoluo. Emplaſtrum tonſoris appellatum,ad ſplenicos & hydropicos.hoc tonſor ex Bithynia vſus, multos à coxendicũ dolore in totũ liberauit. Picis ſiccæ lib.IIII. ceræ lib.II.reſinæ pinus lib.I.farinæ fœnigræci,pollinis radicis herbæ chamæleõtis nigræ, cuiuſque beſſem, cumini tenuiſſimè triti trientẽ.apparato,& vt dictũ eſt, vtitor.

Emplaſtrum pardalis appellatũ ,Andreæ. Pharmacũ inueteratis hydropicis proſperè accõmodatum: Grani cnidii depurati,rhois rubri,ſpumæ nitri,ſalis ammoniaci,ariſtolochiæ tenuis, maximè corticis : radicis cucumeris ſylueſtris,terebinthinæ,cuiuſque drach.III.piperis cõmunis,piperis longi,ammoniaci thymiamatis,iridis, bdellii,thuris,cardamomi,xylobalſami,caſiæ, myrrhæ, amomi,adipis taurini,adipis caprini,reſinæ pinus ſiccæ,cuiuſque drach.x.ceræ ſeſquilibr.viſci probè ſubacti ſextantẽ, vnguẽti irini aut potius fæcis ſeſcuncẽ, ſucci ſycomororum ſextãtẽ,ſi haberi poſſit.Cerã,reſinã,adipẽ caprinũ, liquefacito,refrigerato,& cerati modo læuigata ac contecta aſſeruato: bdelliũ autẽ & ammoniacũ & ſucci ſycomororũ ſextantem,præcedenti die in vini quincũce macerato, ſequentique in ſole terito, & cõiecto in mortariũ cerato,bdelliũ & reliqua cũ eo adiicito,& diligẽter tundito:deinde arida trita paulatim addito, & per biduũ tuſa in dẽſã pellẽ recõdito,nequid inde trãſpiret.Quidã autẽ hyſſopi dr.IIII.addũt,& irinũ largi⁹ affũdũt,quo modo vſus eſt Eras Cappadox & Aſclepiades.Facit ad multas & varias affectiones.facit ad hepaticos,ſplenicos,ſuppuratos,& arthriticos,podagricos,qui à calefactoriis iuuantur, è coxendicum dolore laborantes,pleuriticos, præcordiorum affectiones,& omnia quæ concalefactione opus habent. Vtere & ad ſtrumoſos,emplaſtro ad ſtrumæ magnitudinẽ facto & impoſito:ſuppurat enim,perforat,rumpit, eadémque attrahit,& cicatricem inducit. Conducit & ad oſſa contrita.educit ſpinas,& omnia in profundo fixa. facit & ad ſuppuratos præclarè,& ad omnes duritias internas:inflammationes autem internas eadem die ſoluit.vtitor & ad tubercula. Diſſoluit & cãcerata & panos.prodeſt conuulſis & à ſcorpio percuſſis:ſummè autem hydropicis confert.Quòd ſi & ad laſſitudinem neruorum ádque dolorem leniendum vti velis,ad vnam emplaſtri partem,irinum,nardinum,cyprinum, ſuſinum,butyrum, lentiſcinum,adipem,œſypum, mel, ſingulorum æquales partes miſceto,& ad ſolidi ſtrigmenti craſſitudinem redigito, ac vtitor.Epithema hydropicis,ſplenicis.abſceſſus & furũculos ſanat.humores in profundo & in articulis reſiccat. hydrocephalis,*hoc eſt,quibus aquoſus humor in capite conſiſtit*, itémq; quæ hydrocele,*id eſt herniæ*,appellatur, pro glutino exiſtit.prodeſt & hemicraniæ.tubercula quoque atheromata ac ſteatomata *Græcis* à ſpicarũ (ſiue vt alii volũt) pulticulæ,itémq; pinguitudinis in ſe cõplexu appellata curat.

Nitri,chalcanthi,ſalis,ſpumæ nitri,cuiuſque quadrantẽ, ceruſſæ ſeptũcẽ,ceræ ſeptũcẽ,olei lib.I.in æſtate autẽ dextãtẽ.Oleũ cũ ceruſſa donec non inquinet amplius,coquito,cerámque eis adiicito:qua liquefacta,reliqua in mortario terito,ac ad mellis compagem redigito, eiſque cocta infundito,ac vtitor. eſt enim experimento cognitum.

Malagmata quæ euacuant humorem,ex libris Aſclepiadæ, Cap. XXIII.

GRani cnidii repurgati drach.x.medullæ colocynthidis drach. octo,ſucci cyclamini ſicci drach.XVI. ſcãmoniæ,elaterii,piperis albi,myrrhæ,cuiuſque drachmas quatuor,polypodii drachmas octo, abſinthii drach. XVI. amurcæ drach.XVI. fellis taurini drachmas XVI. ſagapeni drachmas octo,cerati cyprini quantum his excipiẽdis ſatis eſt. ſufficiunt autem ceræ dextans,olei cyprini vnciæ XVIII.hæc in linteolo infarta pectini ac lumbis imponito, ita vt os ventris cuſtodias illæſum.Summè prodeſt,inquit Archigenes,adeo vt quidam hoc ſolo ſe hydropicos ſanaturos confidant. Aliud,quod largè cit vrinam, totíque affectioni opitulatur: Radicis cucumeris ſylueſtris, radicis chamæleontis,ariſtolochiæ longæ, corticis radicis rubi ſicci,ſingulorum libram vnam,æruginis vermiculatæ,recremẽti plumbi,aluminis ſciſſi,ſeminis apii, ſulphuris,acori,aſari,petroſelini,nardi Celticæ,cardamomi, ſingulorum trientem,ceræ libras duas, terebinthinæ liquidæ,picis brutiæ,adipis taurini,cuiuſque libram vnam.apparato,& imponito vt prædictum eſt. Aliud. Veratri nigri,piperis,fellis taurini,ſingulorum æquale põdus melle cocto excipe,& vtere vt dictum eſt.

Epithemata quæ poſt euacuatos humores adhi-
bita pro glutino ſunt, Cap. XXIIII.

MEllis libras duas, myrrhæ ſextantem, thuris vnciam vnam. mel vſquequo viſcoſum fiat, decoquito: eíque myrrham ac thus tenuiſſimè trita adiicito, ſimúlque ſubigito, & ſpongiæ nouæ infarta per omnem aluum imponito colligatóque, cute quodammodo conſtricta, & tertio die ſoluito. Aliud. Thuris drach. octo, gummi drachmas octo, roſmarini herbæ exiccatæ drach. x. mellis lib. II. apparato vt dictum eſt: ſimilitérque vtitor poſt euacuatos humores. Aliud epithema, quod poſt humorum euacuationem, toti affectioni ſe opponit: Lapidis aſii ſextãtem, farris mola triti vnciam vnam, thuris trientem, chamelææ contuſæ & cribratæ drachmas quatuor, adipis ſuilli veteris quantum ſufficit: vtere vt dictum eſt. Emplaſtrum Magus appellatum: quod quidam etiam Hepheſtiadis nomine inſigniunt. facit ad ſinus, & fiſtulas cõglutinat, ac reſiccat præter opinionem. Egregium cenſetur & ad hydropicos & ad herniam, hydrocelen appellatam: Spumæ argenti ſeſcũcem, lateris furno aſſati ſeſquilibr. ſcoriæ argenti, quæ helcyſma *Græcis* appellatur, libram vnam, olei libras tres, ceræ ſeſquilibram, ſucci coriãdri ſeſquiſextariũ. alii ſextarii dimidiũ accipiunt. Oleum, ſpumam argẽti, helcyſma & laterem tenuiſſimè tritum, itémque ſuccum, donec amplius non inquinet decoquito, deinde ceram liquefacito, & percolatam adiicito, ac vnitis vtitor. quæ difficulter aliàs ſanantur, ad cicatricem perducit. Præſtat autem arida prius contundi, & cum ſucco in mortario teri, ac deinde decoqui. Quidam autem pro cera pentatheton pharmacum coniecerunt, & ad hydropicos vſi humorem reſiccarunt. Epithematis igitur perſeuerantius & promptius vtimur, ſi abſit febris: quòd ſi febres ſint coniunctæ, per interualla quædam aſſumuntur. Cæterùm ad tumores crurium hydropicorum, panẽ madefacere oportet, teteréque ac ſale tenuiſſimè trito admixto, illinire ac quatuor horis ſinere. Quòd ſi aquoſus humor defluat, ſpongia mundare, ac panniculo veſtis detritæ extergere, oleóque myrteo, aut melino, aut lentiſcino inungere.

Aquam ducentia remedia, hydropicis valde
commoda, Cap. XXV.

SMilacis quæ iuxta aquas in ſepibus reperitur, ac ſiliquas producit, quemadmodum hortenſis ſmilax quæ lobia appellatur, huius foliorum ſuccũ ſextarii vnius mẽſura accipe, & ad tertias decoque, indéque cyathum vnũ bibendum præbe. Aliud. Smilacem accipe, & donec flacceſcat, in aqua decoque: deinde vnà cum decocto folia ipſa tere vſquequo ſuccus inde exprimatur: & ex eo cyathum quotidie bibendum præbe donec ſanetur: in iis autem qui perfectæ ſunt ætatis, plus omnino exhibẽdum eſt. Aliud quod aquam ducit: Seminis cnici drach. IIII. aloes vnciam vnam, grani cnidii ſcrupulos ſex, ſcammoniæ ſcrup. tres, cum ſucco ſcorpiuri cæruleum colorem habentis catapotia informato, & ex eis iis qui iam primùm inciderunt ſcrup. tres exhibeto: quibus autem in tumorem malum proceſſit, ſcrup. ſex, ieiunis.

Quæ ad ciendam vrinam hydropicis bibun-
tur, Cap. XXVI.

POrrò toto curationis tempore, aliquo iſtorum potuũ vtendum erit: Cancri fluuialis decorticati interioris exiccati, manibus ac pedibus auulſis, lib. I. aſari libram vnam. In aqua permiſce ex ipſo flumine vnde cancri ſunt extracti, ac bibendum præbe: aliquando pro aſaro, opobalſami par pondus coniicitur. Aliud. Corallii drach. vnam, aluminis ſciſſi drachmam vnam, cum calaminthæ ſucco aut decocto in paſtillos digerito, & ex ipſis obolum vnum cum calaminthæ decocto bibendum præbeto. Summè, inquit Archigenes, & nephriticis conducit. Laueris item decoctum exhibeto, idémque lauer edendum dato, aut trifolii bitumẽ olentis drachmam vnam ex vino, aut iunci odorati, aut nardi, aut aſari, aut phu, aut mei decoctum, aut corticis radicis ari, aut ipſius radicis drachmam vnam ex vino, aut ſeminis viticis drachmam vnam ex vino, aut radicis bryoniæ conciſæ decoctum,

A aut anagallidis cæruleæ ſuccum per ſe, aut arnogloſſum ab aridorum ciborum comeſtione quotidie paucũ comedendum præbe, ita vt inde reliquo cibo vtatur: aut ſeminis hyperici drachmam vnam ex vino, aut cicerum decoctum, aut ſquillinum acetum aſſiduè ſorbeant. Etenim ex eorum numero quæ citra grauitatem vrinã ciẽt, eſt ſquilla aſſata delincta ex melle: aut ſquillam aſſatam terito, eíque farinæ erui albi par põdus admiſceto, ſiccato, ac drach. vnã dato: aut ex vino polium, aut ſampſuchum ex vino decoctà bibenda præbe. Egregiè etiam commo- B dam myurum herbam perhibent, quæ folia alimo ſimilia habet, verùm per terram ſtrata eſt, ac velut corymbos in ſummo oblõgos habet: hanc itaque decoctã aſſiduè bibendam præbeto. experimento conſtat. Aut herinaceum terreſtrem excoriato, eiúſque carnem in ſole exiccato, ac drach. vnã ex vino tritã præbeto. Præter opinionem etiam faciunt vermes terreni cocti triti ex vino potati. Eſt & compoſitum pharmacum quod vrinam ciet ipſis conuenientiſſimum, hocce: Carpobalſami, ſpicæ nardi, caſiæ, cumini, radicis dulcis, hyperici, floris iunci odorati, aſari, C amomi, dauci, ſmyrnii, petroſelini, calami aromatici, piperis, ſeſelis, ſpõdylii, omnium æquale pondus. conducit etiam vnumquodque per ſe. Oribaſii pharmacum aquam ducens: Salis ammoniaci drachmam vnam, maſtiches drachmas duas, euphorbii drachmam vnam. hæc pro vna vice dantur: eſt autem ex fortiſſimis remediis.

Potiones aquam ducentes, ex Aſclepiade. Cæterùm per interualla longiora vti conuenit pharmacis aquam ducentibus. nam incommodus eſt aſſiduus eorum vſus: D vtpote qui vires ipſas diſſoluit. Similiter autem & iis quæ vrinam cient, per modica interſtitia vtendum eſt. Ducũt autem aquam, quemadmodũ conuenit inter Eran, Dioſcoridem, Aſclepiadem, & Archigenẽ, hæc: Radicis ſtruthii decoctum, polypodii decoctum, corticem radicis tithymalli characitæ appellati, contuſum & cribratum ſcrupulorum quatuor pondere in vino per integram noctem macerato, ac manè vinum ipſum bibendum præbeto. e veſtigio enim aquam educit. Aliud. Radicis cucumeris ſylueſtris contuſæ & cribratæ obolos duos in vino E adſtringente per triduum macerato, ac per dies tres ex ordine præbeto, factóque interſtitio rurſus eodem modo, dato quouſque tumor demittatur. inde enim aquoſitas leniter ſecedit: neque ſtomachum hoc lædit, & vires conſeruat. Aliud, quod multam aquam per aluum ducit. Ex ſolano hortenſi ſuccum exprimito, & quotidie donec perfectè curentur, cyathum vnum bibendum præbeto. Aliud. Salis foſſilis melle ſubacti & aſſati drachmas duas, piperis longi drach. II. conterito, & cum ſucco ptiſanæ totum præbeto. hæc enim eſt perfectum dimenſum.

F Aliud. Radicis vmbilici Veneris drachmam vnam, ſquillæ repurgatæ drachmam vnam. contere, & cum vini mulſi cyathis duobus per horam pro vna vice ieiunis bibendum præbe. Aliud. Euphorbii drachmam vnam, ſalis communis drachmas tres, caſtorei drach. quatuor (alii drachmam vnam habent) contundito & cribrato, dimidiúmque ex aqua calida exhibeto. Aliud. Chamelææ, petroſelini, piperis, æquales partes omnium contundito, & cochlearium ex aqua calida dato. Eclegma ad hydropicos: Seminis ricini ex herba quæ cici appellatur depurati numero grana trigintaquinque, ſpumæ nitri co- G chlearia duo. probè contrita melle excipito, atque id totum delingendum præbeto, & aquæ mulſæ calidæ cyathos tres, ab eius ſumptione bibendos porrigito. Euacuat adhærentẽ humorem citra læſionem: & purgat aliquando vſque ad dies aliquot. oportet autem ante eius ſumptionem commoda diæta vti. Aliud inexuperabile:

Grani cnidii repurgati drachmas quatuor, lathyridum mundatarum drachmas quatuor, euphorbii drachmas II. aloes drachmas duas, gummi drachmas tres, aqua ſubigi- H to, & catapotia erui magnitudine formato, ac perfectis ætate ſeptem præbeto, & vini meri immixti cyathos quatuor inde bibendos dato: reliquis autem iuxta virium tolerantiam exhibendum. Aliud Xyſtici ſiue Spiculatoris, ex cuius ſolius vſu ſanabatur: Grani cnidii repurgati

drachmas octo probè conterito, ſquamæ æris drachmas ſex, lapidis magnetis drachmas ſex, ſeminis ricini drachmas quatuor, ſucci ſquillæ mundatæ cyathos duos, mellis cyathos duos. Succum & mel vſquequo cogatur coquito, ac reliquis adiectis catapotia ciceris magnitudine formato, eáque pro viribus exhibeto: ita vt aqua mulſa ab eorum ſumptione bibatur. Pueris autem vnicum tantùm præbitum ſufficit. Aliud. Æris vſti drachmã vnam, foliorum rutæ drachmam vnam, ſtercoris columbini drachmam vnam, ſalis communis parum. hoc totum cum dimidia hemina vini tenuis præbeto. Aliud potabile, lagenium appellatum, commodum iis quibus venter plurimùm tumet, & reliquũ corpus molle eſt & laxum. Radicis bryoniæ repurgatæ drachmas viginti, myrrhæ drachmas octo, cumini Æthiopici drachmas ſex, aniſi drach. ſex, ſeminis capparis drach. ſex, vini adſtringentis ſextarios duos, paſſi Cretici ſextarios quatuor. Radicem bryoniæ cum reliquis in mortarium coniicito, atque citra myrrhæ admixtionem tundito, omniáque in vas vitreum recondita affuſis liquoribus macerato, & poſt ſeptimum diem percolato, ac myrrham ſimul diſſoluito: indéque cyathos quatuor ante cibum exhibeto, & rurſum interiecta die cyathos quinque præbeto: ac rurſus interpoſita die, cyathos ſex offerito: atque deinde rurſus carnem ferinam aſſatam edendam dato, & vinum auſterum meracius in potu. Aliud pharmacum, quod proſperè accommodatur, & aquam multam per ſedem educit. optimè etiam cit vrinam:

Grani cnidii depurati drachmas quatuor, radicis bryoniæ drachmas quatuor, ſquillæ crudæ mundatæ drachmas decem, cumini Æthiopici drachmas tres, lathyridum drachmas duas, myrrhæ drachmas quatuor, vini adſtringentis ſextarios tres. Arida tuſa per dies ſeptem macerato, ita vt quotidie bene circũagites: deinde percolato, ac diſſoluta myrrha, prima die cyathos tres præbeto, ſecũda duos, tertia vnum. Facta autem purgatione, virium refocillatrice diæta vtitor. Aliud vrinam ciens, aromaticum: Crunion, à torrentis ſimilitudine appellatum, quo vſus eſt Eras & Aſclepiades. Oportet autem purgatiuo quod ei præſcriptũ eſt præpurgare, atque ita ipſum quod vrinam ciet pharmacum exhibere. Purgatiuum autem quod præexhibetur, hoc eſt: Succi tithymali recentis cyathos duos, aloes drachmas quatuor. aloen in ſucco diſſoluito, & in catapotia magnitudine ciceris redigito, indéque duo, aut pro viribus, dato. Porrò vbi probè purgaris, ipſam vrinam ciens pharmacum propinabis, cibo bis aut ter per diem exhibito. cum animaduerſione autem vtaris, & vbi vrinam profluam videris, ne amplius dederis: quod ſi non feceris, vrinam cohibere nequibis. Compoſitio ipſa hæc eſt: Seminis apii drachmas vndecim, myrrhæ drachmas ſeptem, dauci drachmas ſeptem, croci drachmas ſeptem, mei drach. ſeptem, phu drachmas ſeptem, acori drachmas quatuor, floris iunci odorati drachmas quatuor, ſeminis fœniculi drachmas quatuor aut ſex, aſari drachmas ſex, ſpicæ nardi, caſiæ, cinnamomi, ſeſelis, ſabinæ, ſingulorum ſeſquidrachmam, excipe vino odorato, & paſtillos quoſdam triobolares, quoſdam diobolares, alios etiam vnius oboli pondere formato, eóſque pro viribus præbeto. Facit & ad calculo laborantes cum vini diluti cyathis tribus. Aliud vrinam ciens: Seminis fœniculi, cardamomi, radicis eryngii, corticis radicis capparis, cuiuſque drachmam vnam, ſtercoris columbini cochlearia duo, contere, & cum aqua catapotia ciceris magnitudine informa, & quinque ex eis quotidie præbe. Potus hydropicis commodus experimento conſtans, qui tum per vrinas, tum per ventrem euacuat: Caroi ſcrupulos vigintiſeptem, fœniculi vncias tredecim & dimidiam, aniſi ſcrupulos tredecim & dimidium, cumini lati ſcrupulos quinque, mei ſeſquiſcrupulum, iridis ſiliquas tres, mellis ſeſquilibram, vini libras ſex, exhibe mẽſuram mediocrem ieiunis in inſeſſu ſolii balnei præcalefactam. eſt & ſuaue guſtui. Alius potus ciens vrinam, ex cuius vſu inſignem virum tympanite detentum, ſeruatum vidimus, etiamſi à multis medicis iam eſſet de-

A tritus: Ammoniaci thymiamatis ſextantẽ, radicis herbæ lonchitidis ſextantem, petroſelini ſeſquiunciam, calami Indici, coſti, cinnamomi, ſpicæ nardi, piperis longi, myrrhæ ſtactes, ſingulorum vnciam vnam, ſeminis rutæ quadrantem, phu drachmas quatuor, ſtyracis drachmas quatuor, phylli quadrantem, mellis deſpumati quantum ſufficit. Excipe melle, & fabæ Ægyptiæ magnitudine præbe, cum calidæ aquæ cyathis tribus. Aliud valde commodum. ducit vrinam multam, & ad lũborum dolores facit, itémque eos quibus pituita in vni-
B uerſo corpore abundat, ad pleuriticos, peripneumoniacos, quartanarios, articulorum morbum, ac tetanicos: quibuſdam cum vino, aliquibus cum aceto mulſo, aliis verò cum aqua mulſa. habet autem hoc modo: Ariſtolochiæ, myrrhæ, abſinthii, abrotoni maximè ſeminis, iridis, cãchryos, ſingulorum drach. quatuor, aniſi, cedridũ, radicis panacis, pyrethri, ammoniaci thymiamatis, cardamomi, ſingul. drach. I. cumini drach. II. & obolum vnum. digerito in paſtillos, quorum aliqui tres, aliqui duos, aliqui vnum obolum habeant: eóſque pro viribus
C exhibeto. Oribaſii ad hydropicos: Amara ex aceto mulſo confectio: paulatim euacuat, nihil ex viribus ſubuertens. eſt autem in ſtomachicis relata. Aliud vrinam ciens, Oribaſii: Aluminis liquidi ad fabæ magnitudinem in aqua diſſolue, & per linteum excolatum bibendũ præbe. Aliud. Opobalſami, ſpicæ nardi, carpobalſami, caſiæ, cumini, radicis dulcis, hyperici, floris iũci odorati, aſari, amomi, dauci, ſeminis ſmyrnii, petroſelini, calami aromatici, piperis, ſeſelis, ſpondylii aut vmbilici Veneris, omnium æquale pondus, præbe cochlea-
D rium cum vino mulſo. conducit etiam vnumquodque per ſe. Peſſus ſiue talus ad hydropicas mulieres: Aniſi, cumini, cardamomi, nitri, ariſtolochiæ, pulegii, fœnigræci, medullæ ficus, omnium æquales partes cum vino ſubige ac vtere.

Cura poſt euacuationes, Cap. XXVII.

POST auxilia quæ humores euacuant, ligamentis ægrum amplecti & conſtringere oportet. Ab extremis autem partibus incipiamus, ac ligamentorum diſtributionem ad ſupernas partes faciamus, ita vt ſæpe ſuper ipſa
E ligamenta ſpongias poſca imbutas imponamus, iuxta tumefactas maximè partes. Ventri verò vniuerſo quædam ex præſcriptis epithematis imponantur, quæ poſt euacuatum humorem adhibentur. Reliquum, diætæ cõcredendum: quæ ſanè in moderatis deambulationibus ſita eſt, exercitationibúſque ac fricationibus. Adhibeantur autem & inunctiones & exercitamenta, ſi ſol adſit, in ſole: capite tamen velato: ſin frigus ſit, in domibus per ſubiectum ignem concalefactis, aut iuxta ignem. obuoluendi etiam ægri in pellibus ſole vſtis, aut in arenam
F defodiendi. Poſt exercitia extergantur, aliquando etiam lauẽtur propter fatigationem: in balneo autem, ſiue inſperſione, ſiue confricatione huiuſmodi vtantur. Sampſuchi, nitri, cumini, melanthii, ſeminis rutæ ſylueſtris, ſingulorum vnciam vnam, foliorũ rhododaphnes ſiccorum ſextantem. Vtẽdum quoque in ſole luti oblitione, quemadmodum prædictum eſt in ſecundo De terrarum differentiis ſermone. Porrò quum res feliciter proceſſerit, & tumor fuerit imminutus, & vires aliquantulum in integrum reſtitutæ, præ omnibus ex frigida la-
G uatio fiat. Neque verò balneæ ſponte naturæ calidæ, ineptè hoc tempore ipſis exhibentur. Ab exterſione autem cibi offerendi: qui ſanè communes ſint cum iis qui poſt hydropis ſubter cutem curam deſcribentur.

Cura hydropis qui propriè ſubtercus appellatur, Cap. XXVIII.

HYdrops ſubtercus, qui aliquibus etiã leucophlegmatias appellatur, maximã curandi rationẽ in inſolationibus habet. Itaque tumefactæ partes ad ſolem exponan-
H tur, capite ſaltẽ velato: cauendo etiã ne tumor vehementius ſupercalefiat. Si enim corpus ſupercaleſcat, febres accedunt, vnáque cum ipſarum febrium generatione, tumores duplicantur: atque id multo magis quũ febres remittant, ac tumor refrigerationem capiat. Vtẽdũ igitur

fricatione,prima quidem die per modicum oleum moderatè ac molliter facta: in progreſſu autem,& ſicca & multa & cum intenſione magis appreſſa:deinde etiã per lintea aſperiora. Oleum autem quod ad inunctionem apparatur,ſquillam mediocri magnitudine ad tres olei ſextarios habeat incoctam,aut cachryos vncia vna ad heminam olei addatur,& facta percolatione vtitor. Ab inunctione autẽ exercitiis vtantur,ac pro viribus currant, indéque ſudorem per lintea aſperiora extergant, & poſt hoc oleo dulci vngãtur. Cæterùm poſt dies aliquot nitro tenuiſſimè trito,per vniuerſum corpus largè cõſpergantur,ſuſtineántque ex eius morſu exudationem:deinde rurſum ſudore extergant ac oleo dulci vngantur. Optimè autem facit & fricatio ex ſale in aqua aut oleo trito donec viſcoſum reddatur, ſi cum eo in ſole aut iuxta ignem fricentur. valde enim celeriter & ſudores elicit plurimos,& carnem cogit,ſiue in ſole ſiue iuxta ignem defricentur:modò caput habeant probè contectum. Vtendum & in puluere volutationibus, ſi aut cimolia tenuiſſimè trita ſubſternatur,aut ſuper aſium lapidem deuoluantur. Aliquando autẽ & arena probè à ſole ignita, aut pellibus ſimiliter à ſole feruefactis ægrum occulere oportet:capite tantùm velato, & facie cum ſpongia aſſiduè exterſa. poſt hæc autem aqua marina, aut etiam aluminoſa,aut ſulphurulenta lauetur. Aliquibus enim qui ad huiuſmodi lauacra aſſueuerunt, ea ipſa tum ad deterendum morbum,tum ad habitum valentiorem reddẽdum ſuffecerunt. Adhibenda etiam his oblitio ex luto, veluti prædictum eſt in ſecundo De terrarum differentiis ſermone.

Cataplaſmata ex libris Aſclepiadæ,
Cap. XXIX.

OPtimè conuenit & his cataplaſmatum admolitio, eorum præſertim quæ reſiccare ſimul & viſceribus firmitatem addere poſſunt, pueris maximè ac aliis qui mollem carnẽ habent,qualia ſunt ex malis cotoneis,myrti baccis,pampinis vitis,malicorio,ac lẽticula decocta: aliquando quidem per ſe, aliquando inuicẽ permixtis. Efficaciſſima ſunt etiam corna exacinata tenuiter trita: item rhus culinarius cum polentæ flore, & quæ eis ſimilia exiſtunt, & alumen ſanè cum duabus adipis caprini partibus ſubactum. Neque verò inconueniens ruta ipſa cenſetur ſi per interualla adhibeatur, neque bulbi cum melle triti. Plurimùm etiam cohibent ac adſtringũt tumorem, origanũ,aut thyma,aut abſinthium, aut hyſſopum,aut nitrum, cum caricis diligenter trita:aliquando hæc ipſa loliaceæ farinæ in poſca decoctæ permixta adhibentur. Stercus item bubulum conuenienter reſiccatũ, non ineptè cum poſca aut aceto mulſo imponitur,infarcta ſulphuris quarta parte. Caſeus quoque recens multũ coaguli habens,optimè ad omnes tumentes partes impoſitus facit. Similiter & cochleæ crudæ tritæ & impoſitæ. agglutinantur enim,neque diſcedunt priuſquam vniuerſus humor reſiccetur. Fermẽtum etiam ſale multo permixtum commodè locis adhibetur, aut panis cũ puluere hyſſopi:aut fabacea farina aqua marina & melle cocta,pari abſinthii modo adiecto: aut farinam alicæ fermentato,&cum raphani emollito cortice imponito:aut lentem paluſtrem in figulino vaſe ſiccato,ac terito,& cũ prædictis,cataplaſmatis vice,imponito. Porrò ex eorum quæ tumores cohibent numero, eſt & id quod byne appellatur:(eſt autem hordeum madefactũ,quod germen emiſit,& deinde vnà cum enatis ligulis toſtum eſt)ſi tritũ pro cataplaſmate imponatur. In principio igitur adſtringentibus cataplaſmatis vtendum eſt: deinde paulatim ad reſiccantia tranſeundum: poſtremùm etiam quæ firmitatem addunt adiicienda. Cæterùm omnia impinguantia & reſinoſa cerata ac malagmata, ſimiliáque vitanda ſunt,veluti quæ inflent & tumores diſtendant. Aſſiduè autem & crura, & manus, aliæque tumefactæ partes in ſole aut iuxta ignem,ex his inungantur: Sulphuris viui,thuris,aluminis ſciſſi,æquales ſingulorum partes aceto contere,ac vtere. Experiri etiam Herodoti remedium conuenit:neque enim minus quàm ipſa fricatio auxiliari poteſt. veſicis itaque bubulis aut etiam aliis magnis omnino, ac probè inflatis, & vacuis, tumentes locos pulſato, atque id authoritate tum Archigenis, tum Herodoti facito: inde enim citra moleſtiam caro condenſatur,neque dolore,neque repercuſſione duriore reſultante.

Chirurgia hydropis ſubter cutem,
Cap. XXX.

OMnibus prædictis efficacius auxilium in hac hydropis ſpecie chirurgia præſtat, Aſclepiade authore. Fiſſuras autem circa internum talum infligere oportet in loco quatuor digitorum ſpatio ſupra talum eminente, ea profunditate qua quis in venæ ſectione vtatur. Pauco enim ſanguine in principio euacuato, per reliquum tẽpus indeſinenter aquoſitatis excretio procedit, citra omnem inflammationem, vt neque claudi fiſſura poſſit, niſi humore omni antè expenſo, & homine gracili relicto:atque id citò contingit,nulla inflammatione ſciſſuram occupante,ſed ipſa in quadam congruenti temperie permanente,quò omne alienum per ipſam excolatur, & vt nullo opus ſit extrinſeco pharmaco. Præterea periculum hîc nullum verendum eſt, velut in hydropis aſcitæ pertuſione: non enim coaceruatim quemadmodum illi euacuantur. At verò ſiquis velit, excretione plurima facta,eam cohibere, nihil vetuerit ipſas in talis fiſſuras linamentis obturare, ligamentíſque conſtringere, atque vbi rurſus prodire quid velimus,laxatis ligamẽtis,& ablatis linamentis,geſtatóque ac moto ægro, excretionem irritare. Leonides autem inquit, Quòd ſi excretio fiſſuræ ſupra talos tardius prodeat, neceſſe eſt etiam alias corporis partes findendo diducere: veluti ſcrotum tumefactum, femora,pudenda,locos ſupra manuum iuncturas. Quidam enim vulnuſculis pluribus ac altioribus incuſſis,plurimam aquoſam ſubſtantiam exhauſerunt. Et Hippocrates ſanè non ſupra talos adhibet chirurgiam, ſed iuxta ſcrotum & femora vulnuſcula infligere iubet, eáque ſale maximè confricare: hic enim modus paulatim & inceſſanter humorem educit, & valde celerem cõpreſſionem tumores ipſos recipere,ipſe tradit. Porrò ſi aliquibus excretionem amplius mouere velimus, poſt impacta vulnuſcula,& talorum lancinationes, eos ipſos pro deambulatione, ferculo geſtamus, aut lectica ſublimes circumuectamus. Cæterùm Archigenes ita prodit: Non ſunt audiendi,inquit,qui per huiuſmodi lancinationes nihil excerni dicunt: quin potius cum fiducia hæ ipſæ incutiendæ. Nam & nos,inquit,his cutis fiſſuris ſumus vſi, & per ipſas quamplurimùm excluſimus humorem,vt & femora,& ſuræ, & ſuperior venter euidenter ſint demiſſa ac compreſſa.

Reliqua prædictorum cura, Cap. XXXI.

MAximum hydropis ſubter cutem auxilium vomitus præſtant, quod ipſum difficile eſt in ætate puerili adhibere,propterea quòd non facilè vt id admittant perſuaderi poſſũt:quare varias excogitabimus artes quibus vomitum concitemus: tonſillas videlicet pinnulis aut digitis oleo illitis irritando. aut ficus aſſata oleo imbuta,& piperis puluere conſperſa, poſt deambulationes à ſomno exhibeatur. Butyrum etiam cum melle guſtandum præbeatur: aut raphanus coctus adipoſè conditus detur,aut ſalſamentum pingue cum oleo multo offeratur:aliquando etiam aceto admixto. Sunt & alia plurima quæ vomitum mouent,relata in tertio Sermone. Ampli° autem tum ventrem, tum inteſtina ligamentis adſtringant,itidémque omnem cutis coerceant tumorem. fiãt autem ligationes ab extremis partibus incipiendo,& ad ſupernas procedendo. Vinciendæ etiam partes,manus videlicet & pedes,oleo Cyprino prius illinantur: ſpongiæ item imponantur latæ ab acida muria optimè expreſſæ. Poteſt & iuncus odoratus, aut roſmarinus, aut pulegiũ, aut calaminthæ, & maximè omnium abſinthiũ in ipſo aceto decoqui. pòſt verò,ligamenta ipſis ſpongiis circũdentur. A vomitu proſpiciendum vt inferior aluus inclinationem ad vomendum permutet: veteri ſalſamento crudo ante cibum reliquum accepto. mercurialis item cocta,ſaléque ac oleo cõdita in vino tincta ſumatur: aut decocti ipſius ſeſquicyathum cum ſale dato: quædam etiam in aſcite dicta his exhibeto. Præbenda & quæ vrinam cient, velut eſt daucus,ſeſeli,cardamomum, radicũ

aſparagi

ex vini cyathis III. radix eryngii ſicca cum vino. item decoctum eius in potu acceptum, ſeminis viticis drachma vna. Commodè etiam ſeminis hyacinthi bulbi drachma vna cum vini cyathis tribus potatur: vrinā enim ducit. quidam autē hyacinthi flore coria tingunt. Inter omnia autem pharmaca quæ omnibus hydropicis, maximè tamen eis qui ſubtercutaneo dicto laborant, exhibentur, præſtantiſſimi ſales theriaci cēſentur tum cibis admixti, tum in liquamenta additi eorum qui ad perfectam ætatē peruenerūt. Eorū autē apparatū in XIII. reperies Sermone.

Communis diæta omnium hydropicorum, Archigenis, Cap. XXXII.

POST quotidiana exercitia communis omnibus hydropicis diæta hæc ſit. Ab aridarū rerum comeſtione initium faciemus: quòd ſi tamen intēſa ſitis inſtet, parum quid delibandum dabimus, ſolatii tantùm gratia & leniendæ ſitis. Sit autem vniuerſus cibus facilis concoctu & ſufficienter coactus: exolutus enim aptus eſt vt in aquoſitatem commutetur. ſit itaque panis optimus clibanites qui ſalem, ammium, & fœniculum habeat admixtum. cōueniunt etiam cochleæ aſſatæ, oua aſſata, & auiculæ ſicciores, velut perdices, coturnices, turtures. Ex terreſtribus, lepus, capra ſylueſtris, dorcades. ex manſuetis, extremæ ſuū partes. ex aquatilibus, cancri, locuſtæ, herinacei recentes,

A ſquillæ. Olerum rarus ſit vſus: quæ verò ex eis exhibētur acriora ſint & magis ſylueſtria, velut eſt coronopus, eryngium, paſtinaca, porri capitati, allia cocta. à leguminibus verò abſtineant intotum. Pro liquamine vtantur aceto cum pipere & laſere, aut quibuſdam ex oxyporis citò penetrantibus ad colicos deſcriptis. Sales ſint ex roſmarino, fœniculo, hyſſopo, ſilphio, liguſtico, & apii ſemine compoſiti. In potu tantum præbendum quantum ad infringendam aliquo modo ſitim ſufficit: incōmodus eſt enim eis plurimus potus. Porrò maximam ciborum partem

B in cœna accipiant: omnes autem placentas ex ſimilagine & paſſo apparatas vitent, plurimos itidem fructus & ſecūdas menſas. Concedendæ tamen palmulæ, nuces, amygdalæ, vua penſilis, mala Punica, pira cocta, ac caricæ. omnia moderatè, neque omnia quotidie. Vinum autem ſit tenue, & quod ciet vrinam. dulcia verò vina & vinum mulſum vitanda. Lectus non valde mollis ſit, præſertim iis qui hydrope ſubter cutem laborant: ſubſternantur autem arundinum folia, & herbæ reficcantes, velut eſt vitex, pu-

C legium, calaminthe, & ſimilia. Mirum eſt enim quantum huiuſmodi per ſomnum reficcent, vt conſtet iam quoſdam frumenti aceruis obuolutos & abſcōditos, à ſomno ſurrexiſſe firmos ac reficcatos. opercula etiam ipſa quibus teguntur, apparentur duriora. Moderata autem ſit & probè temperata ipſa domus ſecundum anni tempus.

INDEX EORVM QVÆ IN TERTIO ERMONE Tetrabibli tertiæ Aetii habentur.

DE diabete, hoc eſt profluuio vrinæ, Cap. I.
De renum cruentam vrinam excernentium debilitate, Cap. II.
De iis qui per circuitum quendam ſanguinem mingunt Cap. III.
De calculoſis renibus, Cap. IIII.
Cura renum calculoſorum, Cap. V.
Diæta præſeruans ne lapides renaſcantur, Cap. VI.
Vnguentum renale, Oribaſii, Cap. VII.
Diæta eorum quibus renes è lapide laborant, reliqui verò totius corporis habitus gracilis eſt, Cap. VIII.
De calculoſa veſica, Cap. IX.
Pharmaca lapides veſicæ atterentia & vrinam ducentia, Cap. X.
Communia remedia veſicæ & renum calculoſorum, Cap. XI.
De hircino ſanguine, Cap. XII.
Antidoti variæ ad calculoſos, Cap. XIII.
Cura eorum in quibus lapis atteri non poteſt, neque item per lotium excerni, Cap. XIIII.
Diæta poſt exactos lapides, aſſeruans ne alii renaſcantur: & de affligentis humoris cognitione ex lapidis colore, Cap. XV.
De renum inflammatione, Cap. XVI.
De duritie renum, Cap. XVII.
De ſuppuratis renibus, Cap. XVIII.
De dyſuria, id eſt emittendi vrinam difficultate, & ſtranguria, id eſt ſtillicidio vrinæ, Cap. XIX.
De difficultate emittēdi vrinā in febribus, Cap. XX.
De iſchuria, id eſt vrinæ ſuppreſſione, Cap. XXI.
De ſcabioſa veſica, Cap. XXII.
Simplicia remedia ad ſuppreſſam ac ægrè prodeuntem vrinam, ſi aut eius multitudo aut craſſities in cauſa ſit, Cap. XXIII.
De reſoluta per paralyſin veſica, Cap. XXIIII.
Ad eos qui ſe in ſomno permingunt, Cap. XXV.
De inflammatione veſicæ, Cap. XXVI.
De ſanguinis ex veſica eruptione, & de grumis eiuſdem, Cap. XXVII.
Quæ tubercula in veſica cōcoctione indigēt, Cap. XXVIII.
De veſicæ vlceribus, Cap. XXIX.
Diæta ex libris Archigenis, Cap. XXX.
De veſicæ fluxione, & iis quæ capillorum forma exeunt cum vrina, Cap. XXXI.
De priapiſmo & ſatyriaſi, Galeni, Cap. XXXII.
De ſeminis profluuio, Galeni, Cap. XXXIII.
De ſeminis in ſomnis profluuio, Cap. XXXIIII.
De iis qui venere vti non poſſunt, Cap. XXXV.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICInæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis tertii, Sermo tertius,

De renum & veſicæ affectionibus, & de priapiſmo, ac ſeminis profluuio, rebúſque venereis.

De diabete, hoc eſt profluuio vrinæ, Cap. I.

DIABETES diuturna eſt affectio circa renes conſiſtēs, multum potum inducēs, vnà cum hoc quòd quicquid bibitur, ſimul vt acceptum eſt per vrinā reiicitur. Quidam autem affectionem hanc hydropem, ſiue hyderum, & ſiphonem à fuſorii inſtrumenti ſimilitudine appellant, alii vrinæ leuitatem vocant, alii dipſacon ab inexplebili ſiti appellauere.

A Cōcomitatur ægros pertinax ſitis, neque vlla ſatietas ex alicuius liquoris exhibitione cōtingit. Aliquando & ſitis ſupra ſitim inexplebiliter ægros vrget, hoc eſt vt aſſiduè potū aſſumere cogātur, neque tamen ſatiātur, propterea quòd citiſſimè per lotium expellitur potatum. Cæterùm proprius renū affectus diabetes exiſtit, qui videlicet immoderatè humorē appetunt, ipſúmque propter debilitatem retentiuæ in eis facultatis cōtinere nō poſſunt. Quēadmodū enim in appetitionibus caninis & in quibuſdam lienteriis, vehementiſſimæ quidem appetentiæ obo-

riūtur, quæ multos cibos, eóſque affatim accipere cogūt.
verùm nihil ferè ex acceptis retinetur:ſed in caninis qui-
dem appetitionibus ob grauitatem reuomūtur:in liente-
riis verò tum ob grauitatem, tum ob præſentem retenti-
uæ facultatis infirmitatem, infernè cruda excernuntur.
Eodem modo etiam in renibus vehemētiſſima ſeroſi hu
moris appetentia contingit: propter debilitatem autem
retentiuæ in eis potentiæ, eum ipſum humorem aceruа-
tim in veſicam excernunt. Aretæus etiam hæc addit, Vi-
ſcera ipſis vri videntur, anxii ſunt ac animo dubii, &
non longè pòſt moriuntur: igne amplius ardere ſe putāt,
acceditque ſitis & mictio feſtina: ſed quanuis aliquando
parumper vrinam retineant, intumeſcunt lumbi, teſtes, &
coxæ. quòd ſi adhuc amplius mordens caliditas in viſce-
ribus augeatur, ſuperior venter corrugatur, & venæ in i-
pſo eleuantur, vniuerſum habitum gracilem habent, &
tabes totius corporis grauis accedit. Porrò alii ſunt qui
non mingāt, neque ex eis aliàs potatū tranſpirat: quare ob
potus inſatietatem, & humoris inundationem, & veſicæ
circumtenſionem, aceruatim vētre rumpuntur. Cæterùm
humores vitioſi in ipſo renum corpore imbibiti, affe-
ctionem ipſam inducunt. Scopus igitur in curationibus
nobis ſit, vt humorum acredinem deleamus, ſanguiném
que ac cum eo permixtum ſeroſum humorem ad motū
tardiorem reddamus, & renum intemperiem reuocemus.

Archigenis. Itaque mox vbi occeperit malum, non-
dum ad perfectionē progreſſum, optimū eſt cubiti ſeca-
re venam & moderatè ſanguinem auferre. Vtendum etiā
mediocriter vrinam cientibus, quæ vitiatum in renes im
bibitum humorem repurgare poſſunt. Quòd ſi verò inue
teratum ſit malum, neque venæ ſectio aſſumatur, neque
quicquam quod vrinam cit exhibeatur. concidunt enim
in inueteratis vires, & ex venæ inciſione totum corpus a-
crius redditur, & vrinam cientia in ipſis multiplicant ma
lum. Maximum autem remedium huic affectioni, vt ſta-
tim potatum reuomatur. ſit autem perquàm frigidus i-
pſe potus. Reliqua item diæta cōuenit vti frigidiore: qua
re olera refrigerantia miniméque vrinam cientia in cibo
proſunt. pro ſorbitione autem, ptiſanæ ſuccus frigidus pro
batur. Materia etiam ipſa ad exudationem diuertenda. O-
ptima verò, inquit Aretæus, eſt in dolio facta euaporatio
ad exudandum, eo modo vt caput extra dolium promi-
neat, frigidúmque aerem attrahat, reliquum verò cor-
pus omne calefiat. De cætero velut æſtuantem febrem
(cauſon Græci appellāt) curare oportet, quò celerrimè ſi-
tis extinguatur. polentæ itaque florē aceto & roſaceo ſub-
actum cataplaſmatis modo præcordiis imponito, vitis i-
tem folia tenera trita, aut vmbilici Veneris, aut portulacæ,
aut ſeridis, & quæcunque alia conſimilia: præbibendum
etiam ſanguinariæ ſuccum ex vino nigro aſſiduè præbe-
to. Symphyton item & palmarum cremorem baccarúm
que myrti & pirorum. Vermes quoq; terrenos coctos ex
aliquo prædictorum ſuccorum. Cibi exhibeātur boni ſuc
ci, mordacitate carentes, & qui acredinem obtundere poſ
ſunt, velunt ſunt oua ſorbilia, & ſimilago, et alica ad ſor-
bitionis formam apparata, carnes porcinæ macræ probè
coctæ. Vinum ſit rufum, craſſius, frigida amplius dilutū
ad ſalſuginoſorum humorum prolutionem qui ſitim in-
ducunt. vinum enim corporis miſcellam ad dulcorē per-
mutat. neque verò incommodè exhibetur eis caſeus re-
cens compactus citra ſalem, & lac per ſilices aut ferrum i-
gnitum ſciſſum, ſeroſo humore adempto. Porrò ſi prædi-
cta auxilia fruſtra adhibeantur, affectióque ipſa augeſcat:
non abſurdum fuerit etiam ſtuporem inducentibus vti,
ita vt ſoporiferam antidotum ex papauerum capitib9 ap-
paratā exhibeamus, aut aliquem ex dolores leuantibus pa
ſtillis. infuſo etiam ſoporifero vtendum, velut eſt opium
erui magnitudine cum pari modo caſtorei, aut etiam ma
iore. hæc in paſſo Cretico diſſoluantur: non, vt in colicis
fieri ſolet, cum oleo rutaceo: refrigerare enim in his præ-
ſumimus. Infunditur etiam vtiliter oleum in quo vermes
terreni ſunt decocti. Forinſecus autem retrò ad lumbos &
ad pectinem illitiones & cataplaſmata refrigerantia ad-
hibenda. qualia ſunt quæ ex lactuca, vmbilico Veneris, lē
ticula paluſtri, perdicio, & ſimilibus apparantur. Cerata e-

A tiam his locis ex roſaceo adornata imponenda, aut ex cha
mæmelino, quibuſdam ex prædictis ſuccis admixtis. In
quibus autē vehemēter ſtupefacere ſenſum intendimus,
etiam mādragoræ ſuccum in cerata admiſcemus, folio-
rum item papaueris ſuccum, & ſimilia. Per interualla autē
quædam, etiam antidoti ad lethalia venena deſtinatæ ex-
hibeantur, & maximè theriace ex viperis conſtans Andro
machi inuēto, recēs apparata, & ea quæ Eſdræ inſcribitur.

De renum cruentam vrinam excernentium debili- tate, ex libris Rufi, Cap. II.

B RENum porrò & alia affectio eſt, in qua tenue ſangui-
nis ſerum mingitur, quod ipſum itidem propter re-
num debilitatem contingit, quemadmodum in hepate
fieri ſolere diximus, atque propter amplitudinem oſculo-
rum ex vena caua vrinam ad renes excolantium. Quum
enim ampliores meatus ſint, quiddam etiam ex ſanguine
venæ laxatū emittūt, aliáque itidem craſſa: adeo vt poſt-
quam ea quæ micta ſunt conſtiterint, ſubſidentia quæ-
dam in vaſe reperiantur, & ſupernè quædam cōcreta, ma
rinum maximè pulmonem ſimilitudine referentia. Con
C cocto igitur cibo & in venas diſtributo, qualia dicta ſunt
mingūtur: recèns autem ingeſto & crudo adhuc cibo, pu
ra & aquoſa, quæ nihil ſubſidēs habēt per lotiū eiiciūtur.
nihil verò dolitant, aut omnino parum, & eiecto lotio le-
uati melius habent. Extenuantur autem & emaciantur tē-
poris progreſſu omnes, & magis adhuc ii qui plus ſan-
guinis mictu excernunt. A principio itaque conuenit his
quies, & cibi adſtringentes, & vinum nigrum in potu. Ab
iis quæ vrinam cient, & à coitu, omnino abſtinendum. In
potu autem hæmoptoica pharmaca exhibenda, maximè
verò ſanguinariæ ſuccus, & radicis ſymphyti decoctum,
D & tragacantha in vino nigro macerata. Siſtit verò ſangui
nis ex renibus eruptiones ſtratiotæ aquis innatantis ſuc-
cus potatus, & radicis magnæ crocodiliadis iuxta aquas
naſcentis, quam Syri orophen appellant, decoctum, pæo-
niæ ſiue glycyſides grana fulua XII. ex vino. cornu cerui-
ni vſti drachma ex vino, folia ſalicis trita cum vino, ly-
ſimachii ſuccus, lapidis hæmatitæ drachma vna, ramen-
torum loti arboris cremor, radicis ſpinæ albæ decoctum,
& ſimilia, quæ in ſermone de hæmoptoicis ſunt prædi-
E cta. Forinſecus autem renibus & lumbis imponuntur ea
quæ ad muliebrem fluxum deſcribentur epithemata, itē
quæ ad ſanguinis per ſputum reiectiones ſunt deſcripta:
& quæcunque vnà cum eo quòd adſtringunt & reſiccant,
etiam robur addere poſſunt: qualia ſunt rubi folia & glā-
des & myrti ac quercus folia, itémque myrti baccæ, ma-
licorium & balauſtia, & perdicii folia, & ſimilia, palmis
paſſis excepta & impoſita. Poſt hæc habitus cibariis, lacte
ac auicularum carnibus, ſuillis etiam ac macris reficien-
dus eſt, quò vniuerſum corpus ad priſtinas vires reduca-
F tur, & renes corroborati proprium obeant munus. Eſt au-
tē proprium renū munus, ſeroſum humorem à ſanguine
ſecernere & excolare.

De iis qui per circuitum quendam ſanguinem mingunt, Archigenis, Cap. III.

QVidam per circuitus quoſdam ſanguinem è renibus
excernūt, ſimili modo vt ex hæmorrhoidibus in ſe
de fieri conſueuit. & in principio quidem propterea quòd
citra vllum aliquem dolorem excernitur, nihil intotum
mali formidant ægri: vbi verò diuturnior fuerit affectio,
G & aliquando cohibeatur quod pro more excerni conſue-
uit, grauitatem inducit, aliorúmque peſſimorum mor-
borum cauſa exiſtit, ſanguine nimirum ad alias particu-
las dilabente. articulares enim affectiones in aliquibus
ex cohibitione accidunt, aut vertigines, aut deliria ex a-
tra bile, & inſaniæ, aut oculorum cæcitates: qualia etiam
mala hæmorrhoidibus cohibitis cōtingunt. vtplurimùm
verò in malū habitum corporis & hydropē delabēdi apti
tudo inde oboritur. Manifeſtum autem fit ſanguinem è
renibus excerni, quòd ipſi ægri excreti ſanguinis tranſi-
H tum iuxta renum locum ſæpe ſenſu percipiunt, & maxi-
mè quum admixtus ſanguis reperitur. Contingit affe-
ctio hæc magis in ætate vigoris, præſertim iuuenibus
qui licentius rebus venereis vtuntur. Quidam autem

ſanguinem ex renibus excernunt, propter venæ rupturā in renibus factam. quemadmodum contingit iis qui graue onus leuarunt, aut valde ſaltarunt, aut ex alto ceciderunt, aut aliud quippiam tale violentum pertulerunt. Aliquando autem & ob acres ex ſupernis defluentes humores, eroſio venarum cōtingit. Conādum igitur ſtatim in principio vt ſanguinis impetus cohibeatur, præſertim in iis qui eum ſecundum circuitum excernunt. Si enim ab exercitatione, vt dictū eſt, excretio contingat, nō tutò cohibetur: itaque venæ ſectio in cubito cōmoda fuerit iis qui per circuitū ſanguinem excernunt, paulo ante circuitum adhibita. eis verò quibus ob ruptam venam promanat, ſtatim in principio. Cæterùm ſanguinis detractionē partiri melius erit, vt paulatim eius reuulſio ac diuerſio fiat. Loci autem circa renes ſpongiis poſca imbutis cooperiātur, aut lanis ſuccidis cum roſaceo & aceto. Poſthæc & emplaſtra imponenda cruentis vulneribus glutinandis apta. Commodè etiam cucurbita adhibetur, præſertim ſi ſuſpicio ſit inflammationem adeſſe in iis qui ob venæ rupturam ſanguinem mingunt. conueniunt item potiones hæmoptoicis aptæ. Porrò vbi ſanguinis excretio ceſſauerit, diæta vtendum eſt vnde non multus ſanguis gignatur, maximè in iis qui per circuitum excreuerunt, & ſupernæ corporis partes aſſiduè exercendæ. In iis verò qui ob venam ruptam ſanguinem mingunt, ſi exulceratio in locis relinquatur, ipſam poſt ſanguinis ſuppreſſionem, curabimus per ea quæ in loco de exulceratione dicentur.

Emplaſtrum renale. Ceræ ſeſquiunciam, croci ſtaterem vnum, vitellorum ouorum numero duo, palmarum numero decem, aceti & roſacei quantum ſatis eſt.

De calculoſis renibus, Archigenis & Philagrii, Cap. IIII.

RENUM calculis homines prouectæ ætatis magis quàm pueri apprehenduntur: quemadmodum veſicæ calculis pueri frequentius quàm ætate prouecti. Cauſæ autem generationis horum calculorum, aſſiduæ exiſtunt cruditates, vnde materiæ incoctæ ac crudæ multitudo cōgregatur, & ardor circa renes & veſicam exoritur, qui humores adaſſans eos cogit, & in lapidem indurat, ad modum toforum qui in aquis reperiūtur, quæ in æreis præſertim balneorum vaſis coquūtur. Conſiſtunt autem lapides in renibus iuxta ventriculos ipſorum aut parui aut maiores: & aliquando quidem pauciores, aliquando autē plures: & magnitudine, & forma, & colore, & aſperitate, & multitudine, inter ſe differentes. nigri enim & ſubalbidi & pallidi reperiūtur. Ex eorum numero rotundi & læues facilè excernuntur: non item qui alia quacunque forma præditi ſunt. maximè tamen oblongi & aſperi difficulter excernūtur. Accedit ægris loci dolor, tumore nuſquam foris apparente, niſi inflammatio per lapillos producatur. ſpina ægrè flecti poteſt, & totum corpus ad motum pigrum eſt. crura torpent, & maximè crus reni affecto propinquum. Vrinæ circa obturationis principium paucæ, aquoſæ minguntur: poſtea verò, perfecta earum ſuppreſſio contingit, aluúſque nihil excernit, verùm promptitudines multas ad egerendum facit. Excernitur autem aliquando ſanguis propter violentiam calculorum, præſertim aſperiorum. Cæterùm vbi lapis ex renibus fuerit emotus, & ad veſicam delatus, vrinæ multæ prodeunt arenoſam ſubſidentiam habentes, & aluus ſimiliter largè egerit. ſenſum autem æger percipit, veluti calculo à renibus ad veſicam tranſeunte.

Cura renum calculoſorum, Cap. V.

QVVM lapis in renibus fuerit obturatus, & vehementiſſimos intulerit dolores, ſanguinis etiam multitudo periculum minitantis materias ad tenſione affectam partem aduocat, ob acutos videlicet dolores. Vena igitur cubiti propinquæ manus in corpore ex repletione affecto ſecanda eſt: verùm multo minus euacuandum eſt quàm ipſa repletionis copia expoſtulat: neque enim futurum ſperamus vt omnino citò è renibus excidat lapis, præſertim ſi magnus exiſtat. quare ſeruare oportet ſanguinem in eam quæ cum tēpore futura eſt in corpore expēſam. Itaque qui ſanguinis multitudinē cōgregarūt, eis venæ ſectio cōmoda exiſtit: qui verò vitioſo humore abūdāt, eis purgatio apta eſt, quæ abundāti humori conueniens erit. neque omittēda hæc eſt, niſi aliud quippiam id fieri prohibeat. Poſt ſanguinem euacuatum aut expurgatum humorem, communis ad omnes calculoſos curatio quam infrà ſubiecimus adhibenda. Doloribus igitur repentè aut paulatim irruentibus, & per arenularum cum vrinis excretionem auctis: deindéque aquoſis vrinis excretis, & prædictis ſignis conſequentibus, ægri aluo per clyſterem infundere oportet furfurum decoctum caricarúmque ac fœnigræci & ariſtolochia: & ſi quidem decenter euacuētur, ſinere: ſi verò non, etiam bis aut tertiùm infundere, atque id maximè, ſi venæ ſectæ aut purgationis auxiliū ſit relictū. Cæterùm vbi ſufficienter excreuerit venter, quædam infundere oportet, quæ corpuſculorum circum lapidem ſitorum inflammationes lenire & laxare poſſunt: id ipſum verò oleum anethinum facere poterit, adipe gallinaceo recenti in eo eliquato, & maximè anſerino, & phaſiani, aut etiam butyro: quæ ſi non adſint, etiam fœnumgræcum & althææ radicem oleo decocta infundemus. Inſeſſiones item in balneis aſſumendæ, ex decocto fœnigræci, althææ, anethi, artemiſiæ, caricarum, & oleo. Maximè verò aſſumendæ ſunt inſeſsiones in balneis, & poſt hoc ſtatim ægri in ſolium tepidius demittendi, atque id aſsiduè facere non ab re eſt. Fomenta quoque locis admota commodant ex furfuribus, præſertim in prædictis decoctionibus incoctis. Poſt fomenta conueniunt cataplaſmata ex farina tritici, cū ſemine lini & fœnigræci, melléque & oleo anethino aut gleucino, ita vt in decoquendo etiam althææ radicem contuſam & cribratam cataplaſmati infarciamus: in fine autem cocturæ, terebinthina quoque iniiciatur. Optimum etiam cataplaſma fit ex lupinorum farina in paſſo cocta, peucedani radice quàm tenuiſsimè trita, & chamæmelo in puluerem redacto ad farinam lupinorum admixtis. Bonum eſt & panem paſſo decoctum circa lumbos & ventrem imponere. neque tamen abſurdum foret eadem cataplaſmata veſicæ ac pectini adhibere. Oportet autem coaceruatim alia ſuper alia cataplaſmata adferre, priuſquam primum frigeſcat: aut ſi id non libeat, calefactorio alio extrà contegere ne refrigerentur: id quod commodè fieri poteſt per ſaccellos, aut alia vaporatoria cataplaſmati impoſita. Multis enim ad lapidis per vrinam eiectionem hæc ſola ſuffecerunt. verùm tu etiam ea quæ vrinam cient præbibenda dato. Vrinam autem multam ducit, mei athamantici, phu Pōtici, acori, graminis & nardi decoctum, calami aromatici, ammii, dauci, oreoſelini, hyperici, roſmarini, aſari, radicis aſphodeli, radicis bryoniæ decoctum, coccus item tinctorius. Ex iis ſingula eíſque ſimilia, tum per ſe, tum inuicem permixta data, vrinam manifeſtè mouent. Craſſa autem lotia ducit, radicis cardui decoctum, radicis rubiæ farina potata, radicis capparis cortex, & ſimilia. Exuſcitat autem facultates ad excretionem irritando, allium, camædaphne, aſparagi vitis albæ, aſparagus, tertiū ſquillæ decoctum, primo ac ſecundo diffuſo. Deducunt autem ad renes ea quæ calculos cōfringūt, peucedani radix, bryonia, apium, radicula. Cæterùm lapides ipſos in renibus cōfringunt ac atterunt, ſion, adiantū, bdelliūm, viticis ſemen, oxymyrſines radix, radicis lauri cortex, paliuri ſemen, tribuli decoctū, ſarxiphagi, betonicæ, radicis graminis, damaſonii radicis, ciceris iuſculū, radix cyperi, lithoſpermon, tecolithon à liquefaciendo lapidem dictum, lappæ quæ philanthropos & xanthiū dicitur, ſemen, quod in ſpinoſis pilulis reperitur, & lithoſpermo aſſimilatur: aſparagi paluſtris radices, vitrum cōbuſtum tritum, althææ ſemen & radix, rumicis domeſtici radix, pruni arboris gūmi, ex ſpongiis marinis lapilli, vermes terreni cocti. horum ſingula partim decocta, partim tenuiſſimè trita, præbeto bibenda. Sunt & cōpoſita plurima lapidem frangētia, ex quorum numero vtiliora in cura calculoſæ veſicæ ſubiungā. Porrò ea quæ vrinam cient ac lapidē frangunt, tunc exhibere conuenit quum vehementes dolores remittunt. trāſmoto enim lapide & ex ſede agitato, dolores quieſcūt. Quòd ſi obfirmati ſint lapides, plurimus pōtus vitādus, itémq; ea quæ vrinā ducūt. fomentis autē &

cataplaſmatis ac inſeſſionibus membra relaxanda,& venter per infuſa ac inſeſſus euacuandus, ne vreteres meatus vrinam ex renibus ad veſicam tranſmittentes comprimãtur. Poſt hæc autem doloribus aliquantulùm lenitis, etiã cucurbitæ vtiliter ipſis adhibentur,& præſertim preſſius affixæ, inflammatione videlicet id non impediente. Adeo enim coaceruatim tranſmouent ſæpe cucurbitæ ipſos lapides, vt repentè dolores ſupprimant, lapide nimirum in veſicæ amplitudinem tranſuecto:quapropter in principio ſupernè à rene cucurbitæ ſunt affigendæ,&,ad inguina attrahendæ obliquè ſecundum meatuum qui vreteres appellantur,ſitum. Cæterùm ſi calidius ſit ægri corpus, ſitíſque vehementer infeſtet: ſit autem vniuerſum corpus iam per venæ ſectionem,aut purgationem,& efficaciſſimos clyſteres præeuacuatum,ac nulla ſuperfluitate abundet,ſi quidem conſueti fuerint ad frigidæ potum,& nullum ex viſceribus debile exiſtat,frigidam aquam frequẽter & aceruatim ægro bibendam exhibuimus, & confeſtim corroboratis renibus, obturatũ in ipſis lapidem expulerunt. In repletis autem corporibus, & abundantibus ſuperfluitatibus,& in iis qui viſcera debilia habent,vitare oportet frigidæ potum. Sæpe autem delati ex renibus in veſicam lapides, & præ magnitudine circa collũ veſicæ detenti,in extremum periculum ægrum deducunt, tum propter dolorum acumen, tum quòd vrinam excernere non permittunt. Decubitus igitur formam in talibus moliri oportet,ita vt ſupini ſituentur,& longè altiores coxarum vertebras habeant: deinde multiformiter eos cõmouere,quò omnibus machinamentis adhibitis, lapidẽ ex ipſo veſicæ meatu excidere faciamus: pòſt verò ægros iubere vt alacriter vrinam eiiciant,&eiecto lotio ſinere. at verò vbi lapis non fuerit euacuatus,rurſus mouere,atq; hoc ipſum ſæpe repetere. Quòd ſi non euacuetur, catheter inſtrumentum prolectandæ vrinæ aptum immittatur,quod pro ægri ætate congruenter ſit moderatum:eóque humor educatur. pòſt verò per potiones lapidem in amplitudine veſicæ exiſtentem confringere valentes, lapis ipſe atteratur. Si verò ex veſica quidem excidat calculus,iuxta medium autem meatuum ipſius pudendi obfirmetur,&vulnerãdo exulcerationis periculum inducat, decoctum quoddam ex prædictis vrinam ducentibus plurimum exhibendum eſt, iubendúſque æger vt multam vrinam congreget,eámque poſtea emingat ac diligentiꝰ expellat. ita enim detractus lapis celeriter excidere conſueuit. Noui autem, inquit Philagrius, quendam in quo quidem aliâs,lapis fuit progreſſus, non penitius autem quàm in ſummo pudendo fortiter obturatus, & parum abfuit quin homo periret, propter vrinæ ſuppreſſionem & maximum dolorem. Anguſta igitur volſella ipſum lapidem extrahere non potuimus: quare ſenſim & quietè agitauimus perquam tenui auriculario ſpecillo. quum verò neque hoc modo eum extrahere poſſemus, ſecare ſtatuimus, vulnuſculo ſupernè iuxta glandis magnitudinem incuſſo., infernè enim ſecare non expedit: quandoquidem ferè ſemper in fiſtulam proficit, ac poſtea per ipſam fiſſuram vrina excernitur. Porrò vbi per vrinam prodierit lapis, lac aſininum melle modico mixtum præbeatur,& reliqua etiam diæta commodior, veluti ad vlcera fieri conſueuit,conſtituatur,ob vexationem videlicet in locis ex lapide factam. Inde verò præſeruare hominem oportet ne rurſus renes lapide infeſtentur.

Smegma Archigenis,ad veſicam & renes affectos vt arenam per lotium excernant, quo in balneis ſudans vtaris. Piperis,calcis viuæ,ſinapis,fæcis vini vſtæ, ſtaphidis ſylueſtris,nitri,adarces,pumicis,aluminis ſciſſi,ſulphuris viui,æqualibus partibus vtere,ex oleo præillitis locis.

Diæta præſeruans ne lapides renaſcantur,
Cap. VI.

MAximi ad lapidis generationem præcauendã momenti,moderatus cibus & bonæ concoctiones exiſtunt:ſatietates enim & cruditates non ſolùm exaſperant morbum,ſed etiam quum non ſit generant:quare ægros admonere oportet, vt à cœna ſæpe vomant, & abſinthiũ aſſiduè bibant,& per tempus certum conuenienti temperaturæ ipſorum purgatiuo pharmaco ſe per ven-

A trẽ purgẽt. Cibos autẽ deligant è quibus neque ſatietates neque cruditates contingant: vrinam etiam cientibus vtãtur,paſtinacã indies edentes valde percoctã,& fœniculũ,ſion,carduũ,pulegiũ,calaminthen.& ex marinis, herinaceos recentes, ſtrõbos, locuſtas, gammaros, & cancros fluuiatiles. atque hæc quidem quotidiana ſint. Per plures autem dies radicis eryngii decoctum bibant:ſimilitérque trixaginis,& dictamni,ac radicis tribuli, reliquáque pharmaca lapidem atterentia partim iam prædicta,
B partim dicenda. Oportet autem ipſam etiam aquam per omnem victum puriſſimam eſſe & percolatam: vinum item tenue,album,vrinam ciens, Exercitamentis verò vtendum eſt mediocribus, & fricationibus in balneis ex nitro aſſato,& fæce vini vſta,ac pumice. pſilothris itẽ aſſiduè vtantur,ac reliqua aſſeruante diæta,quæ in calculoſæ veſicæ loco dicetur.

Vnguentum renale, Oribaſii, Cap. VII.

CYprini lib.III.ceræ lib.II.terebinthinæ lib. I.vnguenti amaracini & laurini,cuiuſque lib.I.centaureæ,caſto
C rei,ſatyrii,myrrhæ,piperis, euphorbii,cuiuſque quadrantem,cyperi,pyrethri,pulegii,cuiuſque vnc.I.ſubige, & in fine etiam opobalſami trientem admiſce. quidã euphorbii ſeſquiunciam tantùm adiiciũt. Aliud malagma. Hoc exquiſitum eſt ad eos quibus renes aut veſica lapide laborant,inquit Archigenes:neque reperias aliud his affectionibus conuenientius. Picis liquidæ Italicas heminas II. & dimidiam,ceræ,reſinæ pinus,ſulphuris viui, cuiuſque ſeſquilibram,nitri ſeſquilibram, pyrethri ſeſcuncem, fæcis vini vſtæ lib.II.naſturtii Italicum ſextarium I.ſtaphidis
D ſylueſtris ſextarium vnum,galbani ſeſcuncem. Liqueſcibilibus liquefactis arida trita infarcito. Emplaſtrum renale:facit ad colicos & coxendices: eſt autem Aſclepiadæ.

Ceræ trientem,ſtyracis ſeſquiunciam,aloes ſeſquiũciã, croci,pyrethri,opopanacis,galbani,thuris, cuiuſque vnc. I.ammoniaci thymiamatis ſextantem,olei veteris trientem. Apparatum ac pro more ſubactum confidenter vſurpato,& miraberis,inquit Aſclepiades. aliquando verò olei tantùm ſextantem coniicimus.

Diæta eorum quibus renes è lapide laborant,reliqui
E verò totius corporis habitus gracilis eſt,
Philagrii, Cap. VIII.

MAligna corporis conſtitutio eſt in qua renes quidem lapidem generant:vniuerſi verò corporis natura gracilis exiſtit. Etenim quum lapide laborantes pharmacis & victu indigeant attenuatoriis,hæc ipſa gracilibus corporibus maximè contraria exiſtunt. Noui enim quendã qui ob renum ex lapide affectionem huiuſmodi diæta vſus, proprios digitos ægrè mobiles, obtuſique ſenſus & veluti ſtrepentes ac exarefactos ſenſit. Medici autem ipſi
F familiares, refrigeratos digitos ipſius rati, & reſolutionẽ quam paralyſin *Græci* vocant,meditati pharmaca ex euphorbio & adarce adhibuerunt:quorum vſu affectio multo peior reddita eſt, & acceſſiones ſemper ad ſuperiores partes progreſſæ ſunt,vnáque vehementiſſimos dolores intulerunt. Pòſt verò,vbi æger me acceſſiſſet, inquit Philagrius, & quæ contigerant circa ipſum declaraſſet,auxilium meum implorabat. quare diætam ei inueni per quã citra omnem renum læſionem vniuerſam corporis ſicci-
G tatem ſanauit. Ptiſanæ igitur ſuccum excogitaui, & ex piſcibus in petroſis aquis degentes, itémque maritimos, & quæcunque alia nihil viſcoſum habentia: ſimili modo & ex volucrum genere quæcunque conſimilem habent carnem, veluti ſunt perdices montanæ, attagenæ, ſturni, turdi, & merulæ, & deinceps columbæ in turribus habitantes,& paſſerculi itidem in turribus nidos ſtruentes ac habitantes: deinde etiam gallinæ in altioribus locis connutritæ. A lacte autem reliquorum quidem animalium abſtinere iuſſimꝰ,ſolo verò aſinino vti indulſimus: & vt compendio dicam,media inter ea quæ impinguant
H & attenuãt,eſſe oportet quæ his ciborum loco exhibẽtur.

De calculoſa veſica, Cap. IX.

GEnerantur etiam in veſica lapides,pueris frequentius quàm ætate prouectis. voraces enim pueri ſunt, & perpetui motus, & cibis vtcunque oblatis & nociuis vtũtur, & neque horã cibum capiendi ſeruant ordinatã:

quinetiam priuſquam prior aſſumptus cibus concoqua-
tur,alium ingerunt:& quum vehementius à cibo moueā-
tur,crudus & incoctus in venas cibus diſtribuitur. Mollia
autem ſunt ipſorum corpora, & quæ facilè cedant,eiúſq;
rei gratia obturationem circa renes non perferunt.quum
verò craſſiſſima lotia in veſicæ amplitudinem perferan-
tur,ibidē veluti vini fæx,& limus aquæ ſubſiſtunt,ac poſt
ea ex loci caliditate deſiccata lapideſcunt. Cæterùm a-
quæ impuræ & multo limo refertæ, itémque duriores &
vehementer frigidæ, lapidum generationem adiuuant.
Lapides igitur in veſica obortos, in principio ſubiectis
pharmacis ſubducere conabimur.

Pharmaca lapides veſicæ atterentia, itémque vri-nam ducentia, Cap. x.

SVnt & pharmaca quæ lapides in veſica atterunt: porri
ſemen,fœniculi ſylueſtris radix, artemiſia, chamæme
lum, amaracus, althææ radix & ſemen, carpobalſamum,
ſion quod circa aquas naſcitur,graminis radix, adiātum,
phileterii radix,ſmyrnii ſemen,oxymyrſines radix & ſe-
men,rumicis radix,pæoniæ grana fulua comeſta,vmbili
ci Veneris radix, leucanthemum, lapides ſpongiarum,
amomū, tecolithon, lithoſpermon, ſcolopendra herba;
lapis q ab ægris per lotiū eiectus eſt,tritus ac potatus:lap-
pæ herbæ quæ xāthiō & philāthropos dicitur,ſemē, ver
mes terreni recentes cocti triti cū vino,aut cōdito,aut a-
lio quopiā potu ex vino & melle,propomatis nomine *Græ
cis* appellato: paliuri ſemē,amomū, quod ipſum & aquas
lapidē gignētes depurgat, ſi cum ipſo amygdalæ amaræ
gūmi coquatur:vitis lacryma,pruni arboris lacryma,hoc
eſt gūmi,radiculæ radix cū panacis radice & capparis cor
tice,ſimiliter lapidē per vrinā eiicere facit: thuris granū
cum vino mulſo,abrotoni ſemen cum piperis pari mo-
do ex vino. Horum vnumquodque cum vino albo datur
decoctum, aut ſiccum inſperſum,aut cum melle,aut cum
quopiā ex vino & melle potu. Dāda etiam in potu ea quæ
vrinam cient:eis quidē qui calidiore habitu præditi ſunt,
cucumeris ſemen,apii,petroſelini,hyacinthi bulbi ſemē,
violæ albæ ſemen,croci radix,& ſimilia quæ ad calculo-
ſos renes ſunt prædicta:eis verò qui tēperiē corporis fri-
gidiorē habēt,his calidiora præbeto:quale eſt meū, phu,
acorus, carpobalſamū, iris,& ſimilia in renū affectionib9
prædicta. Oribaſii ad calculoſos renes & veſicā. Herbæ
proſopidis quāſcordiā appellāt,& Romana lingua perſona
tā:eſt autē folio lato,ſimilis ſymphyto:hui9 vnc.I.piperis
dr.I.iridis vnc.I.tritā in vitro reponito.Datur inde cochle
arii pleni mēſura cū hydromelite:datur autē quarto quo-
que die. Aliud Oribaſii. Corticis radicis verbaſci de-
coctum,largè per dies quinque bibendum ex ordine præ
be,& interiectis decē diebus, rurſus per quinque præbe.

Communia remedia veſicæ & renum calculoſorum, Cap. xI.

ACetum mulſum aqua temperatum,omnibus è calcu-
lo ſiue renum ſiue veſicæ laborantibus,exhibendū
eſt,qualicunque tādem temperie præditi ſint, & qualem-
cūque ſaguinē gignāt:acetū item ſquillinum. carduus e-
tiam frequenter eis exhibendus eſt. Oportet autem radi
ces eius recèns è terra extractas,ſi tempus ita ferat,aut ari-
das iuxta aliud anni tempus, in vino albo ſubſtantia te-
nui decoquere, & largius eam potionem offerre. craſſæ
enim vrinæ copioſam multitudinem ducit, tū ex omni-
bus venis,tum ex calculoſis partibus detractam. Carduus
igitur ſecundum totius ſubſtantiæ ſuæ proprietatem, &
pro priuati temperamenti facultate, vim craſſos humo-
res detrahendi habet. Oribaſii. Commodæ ſunt e-
tiam calculoſis cicadæ aridæ tritæ potu, inſperſæ tum
per ſe,tum cum nardi ſpica.congruenter autem miſcetur
ad cicadas duas & dimidiam,nardi drach. I. Dato ex eis
per dies nouem: primùm,cochlearium vnum, deinde II.
poſtea III.deīde rurſus II.& pòſt I.hoc modo progrediēdo
donec nouē ex ordine potiones fiāt, I.II.III.II.I.II.III.II.I.
De paſſerculo. Sunt & alia quæ aliā naturā habēt,& per
hāc ipſam prædicta efficacia prædita ſunt,quali ſanè præ-
ſtat paſſer troglodytes appellatus.Eſt autē paſſerculus mi-
A nimus iuxta ſepes & muros victū quæritās:éſtque hoc à-
nimalculū omnium auicularum minimum, ea excepta
quæ regulus appellatur: ſimilis eſt autem regulo in mul-
tis,præterquam quòd in fronte auricolores pennas non
habet.eſt etiam troglodytes paſſer regulo paulo maior &
nigrior,caudámque ſemper ſubrectam & albo colore re-
trò interpunctam habet:magis item garrulus quàm regu
lus eſt, & ſanè iuxta ſummum alæ lineamentum cine-
rei amplius coloris. breues item volatus facit: natura-
lem autem vim omnino admiratione dignam habet.
Itaque ſale conditus & crudus in cibo acceptus,morbum
B perfectè ſanat: & noui adeo quoſdam,ob eius vſum nun-
quam amplius ab affectione vexatos.Conditur autē opti-
mè pēnis euulſis,atque inde largo ſale adobrutus,& poſt-
quam fuerit arefactus comeditur, & affectionem perfe-
ctè ſedat.Melius autem eſt etiam aliter ipſos edere,ſi plu-
res contigerint:coctos nimirum, eius præſertim generis
quod per hyemem vbique apparet. exhibetur autem &
alio modo:Paſſerculus non deplumis in ollulam coniici-
tur:ac deinde operculo addito vritur, animaduerſione
C aſſidua habita ne fallaris quum in cinerem ſit redactus,&
in aerem exhalans,per exuſtionem totus conſumatur.cō-
ſueuit enim hoc contingere tum ipſi,tum aliis quæ vrun-
tur:quapropter præſtat ollæ operculum non oblinire, vt
per interualla quædam operculo adempto, vſtionis mo-
dum intueamur.Exhibendus eſt autē ſemel omnis vnius
paſſerculi vſti cinis per ſe, aut modico phyllo & pipere
admixto, quò ſaporis iucunditate ori commendetur.
Vſtus itaque paſſerculus peregrè proficiſcentibus com-
modus eſt,licétque melle cocto exceptum in promptu ha
D bere. Melior autem mihi videtur condiendi modus, at-
que adhuc dictis præſtantior,ſiquis præeuulſis pennis vi-
uum paſſerculum ſale adobruat, quod & ego facio, in-
quit Philagrius. Arbitror enim & ſanguinis naturam
quiddam in ſe cōplecti quod minimè vulgariter profit:
cui amplius ſtercoris efficacia accedit, quam exuſtione
debiliorem reddi planè credo.Proderit etiā eis qui abū-
dant,aſſatos edere integros,ita vt nihil ex eis præter pen-
nas abiiciant. Atque hæc quidem ſunt quæ ſecundū pro-
E prietatem totius ſubſtantiæ efficacia exiſtunt. Cæterùm
non minus generoſè etiam compoſitæ facultates, calcu-
li affectionē in renibus & veſica deterūt.prius autē quàm
ad eas progrediar,vnius ſimplicis pharmaci mentionem
faciam valde celebris,quod perfectam affectionis deſtru-
ctionem promittit, & quodammodo ad ea quæ ex pro-
prietate totius ſubſtantiæ operationem faciunt, accedere
videtur. habet autem hoc modo. Pharmacum ſimplex
ad calculoſos,cui Marcianus teſtimonium præbet,medi-
cus Apher. Leporis pellem in ollulam coniice, & in fur
F num demitte,atque vbi vſta fuerit vt probè conteri poſ-
ſit,acceptam tere,& ex ipſa cochlearium vnum cum vino
ieiunis in ſolii calidæ aquæ inſcenſu præbe. Si verò velis
experimentum pharmaci ipſius accipere,ex eo in vinum
coniice,& in vinum item lapidem ex flumine acceptum
iniice,& contectum per paucas horas ſine, & in grumos
lapis diſſoluetur. Preſbyteri Indi pharmacum ad calcu-
loſos,quod itidem externum lapidem in grumos reſol-
uere poſſe quidam aiunt, quemadmodum id quod præ-
cedit. Acori,phu,hyperici, cuiuſque drachmas ſex, ſe-
G minis porri drach. xII. ſpicæ nardi drach. x. caſiæ, li-
thoſpermi,cyperi,cuiuſque drach.xxv.excipe melle. da-
tur magnitudine fabæ. Aliud,quod lapidem celerrimè
per vrinam expellit. Alliorum vnguiculos ſiue nu-
cleos ſeptem,piperis grana nouē, contere ſimul quamte-
nuiſſimè,& cum vino albo veteri adſtringente, pro vna
vice in balneo bibendū præbe,vbi ad calidum eius locū
fuerit ingreſſus.A dolore quidem hoc ægrum liberat. a-
liquando autem & lapidem poſt vnicā potionem exigit.
Oribaſii nephriticis. Acori,mei,phu,aſari,ſarxiphagi,
piperis nigri,ſeminis rutæ,betonicæ,ſpicæ nardi, piperis
H albi,ſingulorū æquales partes accipe:& ex eis ſiccis co-
chlearium cum vino adſtringente aut aqua præbe.
Aliud.Oribaſii,ad affectionē renum,quod & ſomnum in-
ducit. Aniſi, apii, petroſelini,ſpicæ nardi, piperis albi

nigri & longi,ſingulorum drach.x.cinnamomi drachm. VIII.myrrhæ dr.IIII.opii drach.IIII.caſtorei,ſiſonis,dauci, cuiuſque dr.II.ſeminis hyoſcyami ſeſquidrachmam, ſarxiphagi,rhei,betonicæ,caſiæ,cumini, ſeminis cucumeris decorticati,cuiuſque drach.I.excipe melle, & nucis Põticæ magnitudine præbe ex aqua calida. facit & ad vlcera. Aliud eiuſdem celebre. Piperis nigri albi longi, ſarxiphagi,betonicæ,petroſelini,aſari,nardi Celticæ,ſpicæ nardi,omniũ æquales partes miſce.Dato drach.I. cum condito calido temperatam.

De hircino ſanguine, Cap. XII.

SAnguis hircinus, tum ad nephriticos,tum ad calculoſos præſens remedium: nam & præexiſtentes lapides ſoluit,atque ita per lotium excerni eos facit,vt etiam alii amplius non gignantur: præterea & dolorem ſedat. Colligitur autem hircinus ſanguis hoc modo:Quum vua matureſcere cœperit,ollam nouam accipito,& infuſa in ipſã aqua,donec terreum depoſuerit, olla coquito: & accepto è grege hirco ætate matura,plus minus quatuor annorũ, eum mactato,eiúſque ſanguinem medium olla excipito, ita vt eum qui primùm effluxit,itémque poſtremum penitus relinquas:medium autem inſpiſſari ſinito,& in olla ſitum per acutam arundinem in multa fruſta diſſecato: indéque reticulo denſo,aut linteolo raro , aut cribro arctiore contectum ſub dio exponito,vt inſoletur & roſcidus fiat,cauendo ne imbre commadeſcat.porrò vbi exſiccatus fuerit,eum diligẽter terito & in pixide aſſeruato, & remittente malo,cochlearium plenum cum paſſo Cretico exhibeto. Cognominatur autem pharmacum hoc Theu chir,*hoc eſt manus Dei*. Huius & nos, inquit Philagrius,in breui tempore non aſpernandum periculum fecimus. Aliquando autem odoris commendandi gratia, parum folii,aut amomi, aut ſimilium admiſcemus. Ego,inquit, hoc pharmacum cum troglodytepaſſerculo permixtum, cuidam penitus nihil lotii eiicienti,poſt magnos dolores exhibui, & permagnum lapidem attritum ab eo expuli.

Antidotus Iuliani diaconi , cuius frequens periculum meo tempore fecit:calculos enim & in renibus & in veſica cõfringit,& paulatim per lotiũ expellit.facit ad comitiales probè:ducit menſes ob denſitatẽ,aut frigiditatẽ reſtrictos. Oſſiũ ceruinorũ vſtorum quadrantem,caſtorei, piperis albi,agarici,acori,ammii,caſiæ,amomi,ſarxiphagi,corticis capparis,radicis panacis, calaminthæ, coaguli leporini,ſerpylli,petroſelini,ſingulorũ vnc.I. mellis quãtum ſufficit. Datur nucis Ponticæ magnitudine, ad renũ affectionem & menſtrua purgamenta, cum vino mulſo: ad comitiales,cum frigida aqua:ad beſtias viſus eiectantes,cum vino. Antidotus ex hircino ſanguine. Componitur ex hircino ſanguine antidotus huiuſmodi. Siſonis ſcrupul. XII.ſpicæ nardi ſcrup.XII. piperis communis ſcrup.XII.piperis longi ſcrup.XII.cumini Æthiopici ſcrup. VI.petroſelini,dauci, rhei Pontici, croci, caroi, liguſtici, myrrhæ,acori, cuiuſque ſcrup.XII.ſanguinis hircini exſiccati veluti prædictũ eſt,ſcrupul. XXXVI. mellis deſpumati quantum ſatis eſt.Datur auellanæ nucis magnitudine,cõdito calido temperata. datur autem in balneo in calidi ſolii inſeſſu. Alia Archigenis:Celebre & clarum eſt, inquit, ad calculoſos & hoc quo vtor: Hac antidoto inquit,vſus eſt etiam Philotimus & Iuſtinus: Spicæ nardi dr. x. croci drach.VIII.myrrhæ drachm.V.caſtorei dr.IIII. & obolos totidẽ,caſiæ,floris iũci odorati,cinnamomi,cuiuſq; dr.IIII. (alii dr.I.tantùm habent)coſti dr.II.ſcordii, polii,cuiuſq; dr.III.aſari dr.& obol.IIII.mei dr.I.piperis albi & lõgi,dauci,petroſelini,opobalſami,roſarũ ſiccarum, ſing. dr.I. carpobalſami obol.IIII.quidã etiã ſanguinis anatis fœminæ drach.duas,& ſucci radicis dulcis drachm. II.addunt.Excipe melle deſpumato,& fabæ magnitudine præbe cum vini mulſi diluti cyathis duobus,aut aqua calida.hanc etiam Oribaſius commendat.

Antidoti variæ ad calculoſos, Cap.XIII.

ARchigenis. Spicæ nardi,ſeminis apii,dauci,cuiuſque drachmas quatuor,aluminis ſciſſi drachmam I. cinnamomi,caſiæ,floris iunci odorati, cuiuſque drach. I. croci obol.tres,myrrhæ tantundem.Trita cum vino œnãthite ſubige, & cum vino mulſo obolum vnum præbe.

A Præclarum,inquit, huius pharmaci experimentum feci, neque præſtantius aliud reperias,neque ad eiuſmodi affectionem deſtruendam , neque ad lapidis coactionem prohibendam,neque ad iam compacti attritionem,neq; ad defæcationem, neque ad eductionem & repurgationẽ limoſæ in vrinis fæcis:coadiuuãte præſertim diæta, quæ potiſſima præſeruatiuæ facultatis pars eſt exiſtimanda.

Philagrii pharmacum ex damaſonio cõſtans,quod ſecũdi ordinis eſſe dicit: Damaſonii drach.x.ſeminis dauci drach.ſex,radicis dauci drach.ſex,radicis herbæ lanariæ, corticis radicis capparis,cinnamomi, cuiuſque drach.VI. B caſiæ drach. VIII. betonicæ, piperis,cuiuſque dr.VIII.nardi Celticæ,iridis,acori,aſari, ſeminis fœniculi, petroſelini,cardamomi,ſpicæ nardi,cyperi,coſti,ſarxiphagi, ſeminis apii,myrrhæ,ſeſelis,radicis panacis, zingiberis, piperis albi,cuiuſque dr.IIII.lapidis Syrici maſculi drach.XVI. lapidis fœminæ dr. XVI. ſeminis ſmyrnii, lyncurii quod ſuccinum itémq; electrũ appellant,cuiuſque drach.XVI.ſeminis erucæ drach. XVI. mellis quantum ſufficit.datur nucis Ponticæ magnitudine cum radicis aſparagi paluſtris decocto,aut floris iunci odorati,aut radicis dulcis. da C tur à balneo. Aliud Philagrii,ex damaſonio pharmacũ, quod tertii ordinis eſſe ait in lapide atterendo. facit & ad renum affectiones. Damaſonii drach.XXIIII.ſeminis dauci,radicis herbæ lanariæ,corticis radicis capparis, caſiæ, nardi Celticæ,cuiuſque drach.VI.(alii drach. XVI. habent) iridis,mei,aſari,fœniculi,cardamomi,cyperi,petroſelini, coſti,ſeminis apii,myrrhæ, croci,cuiuſque drach.II. ſeſelis drach.IIII.radicis panacis drach.IIII. (quidam & zingiberis drach.IIII.& piperis item drach.IIII.addunt)mellis Attici quantum ſatis eſt.excipe & vtere quemadmodum D prædictum eſt. Oribaſii,ex libris ad Euſtathium,antidotus Xenophili.Facit ad veſicam & renes calculoſos & exulceratos. atterit enim lapillos & vlcera ſanat. Caſiæ vnc. I.ſarxiphagi trientem,betonicæ,cyperi,petroſelini,coſti, tribuli,ſeminis viticis,lithoſpermi torrefacti,cuiuſque ſextantem,ſeminis apii ſeſquiunciam,phylli,ſpicæ nardi,aſari,dictamni,baccarum lauri,ſeminis ocymi.ſing.vnc.I. zingiberis drach.IIII.nucum pinearum,quas ſtrobilos *Græci* vocant,ſeſcuncem,mellis lib.II.in balneo exhibeto, aut ante balneum ex vino mulſo aut paſſo chryſatico,magni- E tudine fabæ. Andromachi antidotus ad calculoſos,quæ paulatim confringit & extrudit lapides, donec veſicam perpurget,& pellucidum lotium procedat: &,quod maximum eſt,ita perſanat vt nec in poſterum gignantur. Habet autem hoc modo: Seminis dauci,aniſi,ſeminis cucumeris decorticati,ſeminis apii,petroſelini,myrrhæ,cuiuſque ſeſquidrachmam,caſiæ,cinnamomi, nardi Celticæ, cuiuſque drach.I.trita aqua ſubigito,& ad paruorum lupinorum formam redigito:ieiunis autem quotidie per dies triginta cum aquæ cyathis tribus exhibeto.Cæterùm ad F huius pharmaci apparatum, religioſè,inquit,accedẽdum eſt.In lignea enim pila,& piſtillo item ligneo hæc cõtundenda ſunt: oportétque amplius eum qui hæc cõtundat, neque annulum ferreum geſtare,neque calceamenta clauis ferreis tranſfixa.atque id vt myſterium habe. Aſclepiadæ ad calculoſos compoſitio: Carpobalſami,lapidis qui in ſpongiis reperitur , pulegii ſicci, ſeminis maluæ ſylueſtris ſicci,ſing.æquales partes cõtuſas & cribratas reponito,indéque cochl.I. cũ vini diluti cyathis III. præbeto. Alia cõpoſitio celebris. Electri ſiue ſuccini vnc.I.lapi- G dũ q in ſpõgiis reperiũtur vnc.I. ſarxiphagi vnc. I. dantur ex ea ſcrup.II.quomodocũque velis. Pharmacũ ex cardamino ligno valde celebre:Spicæ nardi,piperis,hyſſopi,tecolithi,cuiuſq; vnc.I.piperis albi ſcr.XVIII.caſiæ ſcrup. IX. helenii ſiue inulæ ſcrup. V. ſcobis eboris ſcrup. XII. ligni cardamini ſcrup.XII.mellis quãtũ ſufficit. dantur ex eo obol.III.cũ cõdito aut aqua mulſa. Aliud laudatũ. Seminis braſſicæ drachmas ſex, cyperorum, petroſelini , electri,piperis,ſing.vnc.I.mellis quantũ ſatis eſt. datur nucis Ponticæ magnitudine cũ cõdito febre carẽtibus, aut cũ H aqua mulſa. Aliud. Cucurbitam aridam exure, & cineris cochlearium I.vt velis,bibendum præbe: aut catapotia ex cinere formato ac exhibeto, & celerrimè per lotium calculum extrudet. Aliud, quod calidioribus

præcipuè conducit.Ex portulaca ſuccum exprimito,eúmque reſiccatum in catapotia redigito , & drachmam vnā exhibeto.ad miraculum vſque lapidem per vrinam expellit. Aliud. Cancros tres aut quinque aut ſeptē impari ſolùm numero,ſub teſta viuos exure,& contriti eorum cineris cochlearium vnum cum condito præbe:eóque calculoſos renes ſanabis. Aliud. Phu aqua feruefactū bibēdum præbe,omnéſque lapides educet. Quòd ſi Mithridatis compoſitione abundes,eam quæ ſcincos admixtos habet,vnà cum decocto præbe.experimento conſtat: vtere. Conditum Oribaſii: Vini ſextarios duodecim,mellis ſextarios duos,piperis ſeſquiunciam,ſarxiphagi, betonicæ,mei,phu,ſpicæ nardi, petroſelini, caſiæ, cuiuſque ſextantem. Aliud conditū,ad veſicæ lapides accommodatum: Sarxiphagi,ſpicæ nardi,cuiuſque drachmas quatuor,piperis vnc.I.carpeſiæ,zingiberis,mei,aſari,caſiæ,ſiſonis,petroſelini,acori,dauci,ſingulorum drachmas quatuor,mellis ſextarium vnum, vini ſextarios quatuor aut quinque. Aliud renale: Spicæ nardi, phu, ſarxiphagi, betonicæ,aſari,lithoſpermi,petroſelini,cuiuſque vnciā I. coſti vnciæ dimidium.Ex hoc arido cochlearium vnum in conditum mitte,ídque æger hora ante prandium bibat.lapides atterit,& per vrinam expellit,neque amplius cogi lapidem permittit. Aliud Oribaſii conditum renale:facit enim ad inueteratos renum dolores, & ad difficultatem emittendi vrinam ex veſica.ad ſtrangulationē item ac vrinæ ſuppreſſionem,ad eorundem etiam membrorum frigiditatem. calloſas durities extrudit, lapides confringit,& ad alias affectiones eodem modo probè facit: Sarxiphagi drachmas duas,betonicæ drachmam vnam,petroſelini ſcrupulos ſex,ſpicæ nardi ſcrupulos tres, phylli ſcrupulos tres,rhei ſcrupulos tres, irionis ſcrupulos ſex,piperis ſcrupulos duodecim,mellis ſextarium vnum, vini boni ſextar.quatuor. Aliud pharmacum renale:

Zador,*id eſt zeduariæ*,galangæ,liguſtici,ſeſelis,cardamomi,piperis longi,piperis albi,cinnamomi,zingiberis,ſeminis ſmyrnii,caryophylli,phylli,ſtachyos, myrobalani, phu, coſti,ſcordii, ſilphii ſiue laſerpitii, rhei barbarici, pæoniæ:alii etiam arboris nucis viſcum,& paliuri ſemē, itémque ſarxiphagum ac caſiam addunt. ex his ſingulis ſtateres duos commiſceto. Datur cum condito aut vino vetere ad balneum ituris,& ſine balneo veſperi ſimilitérque mané. Abſinthaton renale valde bonum: Petroſelini vnciam vnam,ſarxiphagi ſcrupulos duodecim,betonicæ ſcrupulos duodecim,ſeminis irionis ſeſquiunciā, ſpicæ nardi ſcrupulos ſex,phylli ſcrupulos ſex,rhei Pontici ſcrupulos ſex,calami aromatici ſcrupulos quinque, dictamni ſcrupulos tres,mellis ſextarium vnum,vini ſextarios quinque.præbe mediocris poculi menſura ieiunis.

Pharmacum lapides in renibus atterens, adeo vt in vna die commoditatem ſuam oſtendat: Abrotoni drach. octo,croci drachmas octo,herbæ anthyllidis drach. XVI. foliorum rutæ viridium drach.XXXII. Probè contrita in paſtillos digerito, & ex eis drachmā I.cum aceto mulſo præbeto. Vtere ipſo,inquit, aſſiduè: mirum enim quanta vtilitate præſtet.

Cura eorum in quibus lapis atteri non poteſt, neque item per lotium excerni, Cap. XIIII.

QVòd ſi veſicæ lapides per lotium excerni nō queāt, ſed in meatu ſint obturati, & vrinæ ſuppreſſionem inducāt:ægrum ſupinum decumbere, veluti dictum eſt, oportet,ita vt coxarum partes magis ſurſum vergant: indéque huc atque illuc multiformiter commouere,quò ex meatu excidat:pòſt verò,ita adhuc ſupinum & poſitu ſurſum vergentem mingere iubere.ſi verò neque ſic excernere poſſit,per catheterem inſtrumentum vrinam prolectare.Quòd ſi ob lapidis aſperitatē veſica incidatur, & ex hoc ſubcruēta mingāt,aliquādo verò purulēta,& ſubmucida, illis ipſis,ſiue mingant ſiue nō mingāt,plus quā aliis dolorū adeſt. Cæterū in potu exhibēda ſūt eis pharmaca quæ lapidē attereye prædicātur,& vlcera ipſa ſanāt. Quib⁹ verò vlcera nondum ſunt oborta,lapides autem in veſica detinētur,hi pellucida & tenuia ac aquoſa mingūt:quin & arenam ſubſidentem vrinæ habent, & in lotii eiectione dolores augeſcunt.Quòd ſi neque per hæc adhibita pharmaca,lapis in veſica atteri poſſit, ad ſectionem tranſeundum,quæ pro more infernè fiat:atque ita lapis ſubtrahatur & fiſſura quamdiligentiſſimè carne repleatur,cicatrix inducatur, ne fiſtula per ſucceſſum oboriatur.

Diæta poſt exectos lapides,aſſeruans ne alii renaſcantur,& de affligentis humoris cognitione ex lapidis colore, Cap. XV.

POſt exectum lapidem,& cicatricem vlceri obductam, diæta conſtituenda eſt,ne eos renaſci contingat. Coniectura etiam facienda tum ex aliis tum execti lapidis colore,cuius humoris materia in corpore abundet, ex qua adeo lapides cogantur. Alii nanque ſubalbidi apparent, atque hi pituitoſiorē humorē oſtendunt: alii verò pallidi ſunt,& bilē abundare demonſtrant:alii autem coloris teſtacei ſunt,ob ſuperaſſatam videlicet à plurimo calore bilem:alii nigri,qui atræ bilis humorem exuperantem declarant. Omnes igitur quomodocunque calculoſi,à cœna aſſiduè vomāt, neq; quicquā feruēs in cibo ſumāt quod renes & veſicam excalefacere poſſit. Cauere autem conuenit cibaria ſubſtātiæ duræ, & quæ ægrè māducatione atteruntur: itémque ea quæ multam ſubſtantiam habent, plurimúmque ſimiliter nutriunt,& quæ aceruatim digeruntur antequam perfectè concoquantur:grauis item qualitatis,& quæ difficulter commutantur ac ſupernatant, & ægrè per aluum ſubeunt,ac inflant:item quæ meatus obſtruunt,aut aliâs diutius in corporibus inſident. Ex huiuſmodi enim cibis venter labore fatigatus, ipſos aut crudos aut ſemicoctos ad hepar & renes digerit, atque ita quod crudum cumulatim allatum eſt,ineptè prætérque naturam excolatur,& cum tumultu ad renes progreſſum, ſtatim coactum inſpiſſatur ac reſtitat. Quare omne lac, præter aſininum,eis incommodum exiſtit:hoc enim, inquit Archigenes,& ſubſtantia tenuiſſimum eſt, & facultatis facillimè diſſoluentis.igitur mirabiliter articulorum tumores & nodos(quos ad calloſæ duritiei modum ex vitioſi lactis vſu,pueri ſuſtinere coguntur)læuigat & delet. vnde admonendum duxi,vt ipſum calculoſis aſſiduè heminæ mēſura exhibeatur,poſt matutinas deambulationes:atque id aſſeruandi à lapidis generatione gratia, præ omnibus aliis fiat. Potus aliâs ſit aqua calida,fontana, pura,defæcata,leuis: vinum autem tenue,vrinam ciens, nō valde vetus. dulcia enim vina calculoſis ſunt nociua. Porrò,vt compendio dicam,omnis diæta in frigidiore temperatura præditis,exquiſitè attenuatoria ſit: in calidiorib⁹ verò,inter attenuatoria & impinguantia media. Satietatē verò præ omnibus aliis vitare oportet, dulcium præſertim & ex caſeo conflatorum ciborum : vnde & cruditatē infeſtiſſimam eis cenſere oportet: in quam ſiquādo incidant,impaſtos & abſque cibo manere decet. Frigora quidem magis quàm æſtus cauenda. in temperatis verò locis degant,in quibus anni tempora & horæ nimio feruore non infeſtent. Aſſumātur etiam otioſæ deambulationes,& exercitia moderata: ſegnities enim & otium eis nocent. Cæterùm ventrem ſemper probè laxum habere oportet:hic enim ſi bene ſubierit, puriora lotia prodibunt. Vnguentis vtantur quæ locos defendere queant, ne facilè grauius oblædantur. Epithemata etiam cutem rubefacientia, itémque lancinantia,dropacéſque & ſinapiſmi adhibeantur. Malagma autem exquiſitum hoc eſt, neque facilè reperias aliud,inquit Archigenes, ad huiuſmodi affectiones magis accommodatum: Picis liquidæ heminas duas & dimidiam,ceræ ſeſquilibram,reſinæ pinus ſeſquilibram,ſulphuris viui ſeſquilibram,ſtaphidis agreſtis beſſem,galbani ſeſcuncem. liqueſcibilia eliquantur,& inſperſis aridis tritis,ſimul optimè ſubacta & vnita imponuntur. Varoſa aſperitas ex hoc inducta,mucum plurimum ducit,&pruritum non malum facit, adeo etiam vt volupe ſit,ſi per reſolutionem refrigeretur. Quòd ſi aliquando leuis moleſtia inde oboriatur,cerato eam lenire oportet per vnā diem, ac deinde rurſus eadem imponere. Conuenientiſſimum etiam renibus eſt, ſi ſuper ventris locum idem malagma imponatur. Sinapiſmi item calculoſis apti ſunt,& naturalium aquarum vſus. lauent autem non ſæpe,vngātur autem frequenter. Curioſè autem tem-

poris opportunitas diſpicienda eſt, vt venam ſecemus, ſi quidem ſanguis abundare videatur, aut vt purgationibus conuenientibus vtamur in eis quibus vitioſi humores coaceruantur. Bibant autem & ea quæ vrinam cient per interualla quædam tum ſimplicia, tum compoſita præſcripta: in huiuſmodi enim omnibus quicquid modicè relictum eſt, facilè ad debitam commutationem deuenit. Aiũt autem quidam terram ex latere veteri tritam cum vermibus terrenis, & pectini craſſius illitã, præparare vt lapis in veſica aut renibus per lotium eiiciatur.

De renum inflammatione, Rufi, Cap. XVI.

OB plurimas cauſas renes inflammantur. nam & humores corrupti, & plagæ, & attritiones, & pharmacorum potiones inflammationem generant, & præſertim equitationes continuæ & vehementes. Accedit ægris dolor pulſatilis retrò iuxta primum dorſi verticulum, paulùm ſupra ſpurias coſtas. diſtendit autem dolor ſurſum vſque ad hepar, præſertim dextro rene affecto, deorſum verò vſque ad veſicam & pudendum, lumbóſque & coxẽdices, pectinem item ac femora. conſequitur etiam ſtupor propinqui cruris, & neque rectà erigi poſſunt, neque pedibus ingredi, & ſiue ſternutatio, ſiue aliqua alia concuſſio irruat, vehementi dolore lancinantur. frigent eorũ extrema, & magis ſuræ ac pedes. adeſt vrinæ emittendæ difficultas, mingúntque aſſiduè ac laborioſè, in principio quidem tenuia & aquoſa, in quibus nihil ſubſidet: inflammatione verò in peius proficiente, rubicundiora: deinde etiam craſſa & mucoſa, adſúntque febres vehementes. Quòd ſi adhuc amplius inflãmatio augeſcat, hæc omnia itidem fiunt vehementiora. his accedit nauſea, & ſtomachi morſus, & vomitus bilis. Quidam autem ipſorum vſque ad animi deliquium angũtur & exudant. Siſtitur ipſis venter, adeo vt inflentur & aſſiduè ructus emittant. Sequitur faſtidium vehemens, & quibuſdam cõtinuæ fiunt exacerbationes: quibuſdam verò per interualla. in vniuerſum autem, ventris egeſtio & vrinæ multa excretio dolores ipſos præcedunt. Noui autem ego quendam qui poſt vehementem vexationem animo linquebatur, multúmque exudabat: vbi autem reſtitutus ſibi animum recepiſſet, ſimul ab omnibus moleſtiis liber euaſit. Renes igitur inflammatos, hoc modo curare oportet. Ægrum in lecto molliſſimo decumbere oportet, ac primo die à cibo abſtinere, non tamen in multos dies inediam extendere. vrinæ enim puriores & acriores per inediam redditæ, vehementiſſimos morſus infligunt. Itaque in principio ſorbitionibus tenuibus morſus lenientibus connutrire oportet, & aquæ calidæ potu. Aquam verò mulſam in principio non laudo, priuſquam concoctæ & conſumptæ fuerint inflammationes: neque item eorum quæ vrinã cient vſum: oblædunt enim, mordaces humores inflammatis partibus inducendo. neque etiam purgatiuum pharmacũ exhibendum, veluti quidam conſueuerunt. Per clyſterem autem, maluæ decoctum, aut ſeminis lini & fœnigræci, cum oleo infundendum, admixto etiam melle: aut ptiſanæ ſuccus cum oleo & melle. Cæterùm copia non multa infundatur, ne repleta inteſtina comprimant renes. Vbi verò ſtercora prodierint, & inteſtinum fuerit euacuatũ, oleum adiiciatur anethinum aut gleucinum cum butyro, eliquatis in his adipibus quibuſdam: anſerino videlicet aut gallinaceo, aut medulla ceruina. Subeunte autem ventre, incumbentem lanam ex oleo calido aſſiduè rigare oportet: melius tamen fuerit, ſi anethum, ruta, althæa, & artemiſia, oleo ſint incocta. Porrò ſi adhuc maiori acumine renes affligantur, & vehementior exurgat dolor, venam cubiti ſecare conuenit: ſanguinis detractione repetita. & ſi poſt id auxilii, aliquid ex inflammatione relinquatur, ad cataplaſmata procedendum, primùm quidem ex farina in aqua mulſa cocta, aut ex ſemine lini, poſtea etiam ex chamæpity, polio, abrotono, trixagine, aſaro, iunci odorati flore admiſcendum. atque tũ non amplius in aqua mulſa cataplaſmata coquenda ſunt, ſed in paſſo. mixturæ autẽ modus ſit, vt ad farinæ partes IIII. quorundã ex prædictis pharmacis partes duæ commiſceantur. Bonum eſt & hoc cataplaſma: Galbani, terebinthinæ, farinæ erui, cuiuſque

A drach. quinquaginta, iridis drach. quatuor, cerati ex gleucino, aut amaracino, aut irino, aut cyprino, aut aliquo cõſimili oleo apparati libram vnam, farinæ triticeæ ſextantẽ, paſſi Cretici quantum ſatis eſt. apparato, ac ſupra ilia ac lumbos imponito. Facit idem ad veſicam inflammatam ſi pectini imponatur. Quòd ſi per cataplaſmata dolor nõ lenietur, cucurbita lumbis ac iliis eſt adhibenda, & fiſſuris impactis plurimus ſanguis attrahendus, deinde ſpongiarum fotu vtendum, & in calidam aquam deſidẽdum, in qua calamus aromaticus, chamæmelum, flos iunci odorati, B ſemen lini, anethum, maluæ ſylueſtris radices ſint incocta. Prius autem & veſica ingens, aqua & oleo ſemiplena, ipſis locis imponatur, fomentis etiam pinguioribus admotis, póſtque etiam ceratis. quin & malagmata amplius imponenda. Cerata quidem conueniunt ex cyprino aut irino apparata: malagmata autem odoratiſſima ſint, qualia ſunt hepatica ex ſtyrace conflata. Cæterùm dolore affligente, bibenda ſunt pharmaca quæ dolorem leuant: eiuſmodi ſané: Capitis papaueris toſti oboli dimidium, ſtyracis tantundem, thuris obolum vnum, ſeminis cucu- C meris grana viginti, ſeminis apii quantum tribus digitis comprehendi poteſt, opii ad erui magnitudinem. Hæc omnia quamtenuiſſimè terito, ac cum aqua dulci permixta pro vice vna exhibeto: ſtatim enim quieſcet dolor, & obdormiet æger. conferunt item conſimiles paſtilli dolorem leuantes. At verò vbi perfectè concoctæ fuerint inflammationes, & quieuerint dolores, tunc etiam per vrinam cientia purgandum: veluti ſunt acorum, meon, phu, petroſelinum, gramen, caſia, chamæpitys, polium. horum vnumquodque ex aqua coquendum eſt, & cum vino & D melle bibendum. Cibi autem poſt concoctas & conſumptas inflammationes exhibendi ſunt, panis optimus, maximè clibanites: ex volucribus, montanæ: ex marinis, herinacei recentes: ex oleribus, fœniculum, apium, daucus, & ſylueſtria omnia, & cucumis coctus. Hæc enim optimè vrinam prolectãt: maximè verò id præſtãt paſtinacæ probè percoctæ, & crithma, & ſcandix, & gingidia. A concoctis inflammationibus, vrinæ his prodeunt multæ & craſſæ, & in quibus bonum eſt quod ſubſidet, atque hæ ipſæ maximè iudicant ac ſecernunt morbum: aquoſæ autem E mictiones & puræ ac pellucentes, ægrè morbum ſecerni indicant.

De duritie renum, Cap. XVII.

QVæcunque durities circa renes oboriantur, dolores quidem non amplius inferunt: ægris autem ex vacuo ventris loco veluti quippiam pendere videtur, & ſtupor adeſt coxẽdicum, & impotentia crurium, mingúntque pauca, & reliquo corporis habitu, aqua inter cutem laborantibus, maximè ſimiles exiſtunt. quidam etiam temporis progreſſu manifeſtè hydropem incurrunt, veluti e- F tiam ab aliis viſceribus induratis contingit. Hos itaque ceratis & malagmatis, itémque fricationibus ac pinguibus fomentis remollire oportet, & vrinã ducentia eis exhibere: vẽtrem item ex althææ, fœnigræci, & caricarum decocto ſubluere, melle & nitro ac oleo iiſdem adiectis. Ad noctem item infuſa per clyſterem conueniunt, oleum anethinum cum butyro & adipe anſerino.

De ſuppuratis renibus, Rufi, Cap. XVIII.

QVibuſcunque renum inflammationes ad puris permutationem vertuntur, his omnes in renibus in- G flammatis prædictæ acceſſiones extendentur, & febres cũ horrore irruent, atque id maximè circa veſperam. Iam verò & tumor quodammodo circa ilia apparet, & vehemẽtis caloris ſenſus ipſos circa renes affligit: mingúntq; ruffa & pura. Vbi verò ſuppuratio fuerit perfecta, tunc & febrium & dolorum acceſſiones minores contingent: & grauitatis ſenſus magis circa affectum renem infeſtat: tempore rupturæ magis exacerbantur, ad quã etiam humorum excretio cum ipſis vrinis conſequitur, inuehuntur & ſordes quædam ex ſubſtantia renum elotæ. vtpluri- H mùm enim ad veſicam ex renibus erumpẽs pus defertur: quod ſanè conducibile putandum eſt. aliquando autem & ad inteſtina eruptio deuoluitur, & per ſedem pus euacuatur. Quibuſdam verò neque in totum ſuppurata erũpunt, ſed circa renes per multum tempus conſiſtunt, do-

nec cautere adhibito aut alio modo forinſecus apertionē
& eductionem moliaris. Igitur poſtquam abſceſſus ſigna
apparuerint,quamcelerrimè adiuuare oportet tum ſuppu
rationem,tum puris eruptionem.Qua in re ſpongiæ aqua
& oleo, itémque furfuribus imbutæ aſſiduè proderunt
fotus gratia admotæ. eundem vſum etiam cataplaſmata
præbent,ex farina ordeacea cum ficuum & althææ ex a-
qua mulſa decocto,aut ex Cretico paſſo. Bonū eſt & ipſas
ficus admiſcere tritas,& abſinthii comam contuſam, aut
chamelæam,aut irin,& bryoniam.addatur & terebinthi-
na,pix,manna thuris,thus ipſum,columbæ ſtercus, poliū,
& quæ ſimilia his exiſtunt:& ſimpliciter omnia adhibeā-
tur quæ in hepatis abſceſſu ſuprà approbauimus.In mali-
gnis & putreſcentibus humoribus,quos ex febrium acri-
monia cognoſces,etiam roſæ in cataplaſmata cōmiſcen-
dæ,& myrti baccæ, eruíque ac lentis farinæ . hæc enim
eíſque ſimilia,humorum putrefactionem ſiſtūt.Poſt hæc
emplaſtris vtendum quæ pus permutare poſſunt,quemad
modum in hepaticis eſt prædictum.Quòd ſi ruptura mo
retur,acriori infuſo aluus eſt ſubluenda,veluti veratri ni-
gri cremore:raphani item & alliorum ac cucumeris ſylue
ſtris radicis cremore.Macerare autem hæc in aqua maris
aut ſalſugine vel muria oportet,parúmque olei admiſce-
re,quò infuſa lubrica reddantur. Hæc ſanè per clyſterem
infundenda,iubēdíque ægri quò plurimo tempore apud
ſe detineant:conſueuerunt enim ſæpe ipſam ſuppuratio-
nem diſrumpere, vnà cum hoc quòd vētrem emollire ſo
lent.Si verò vehementiores ſunt dolores, ptiſanæ ſuccus
infundatur & lac recēs mulctum.inſeſſus quoque in aquā
& oleum apparetur.In potu leniora vrinam ducentia ex-
hibeantur,veluti cucumeris ſemē decorticatum ex aqua
mulſa,palmulis in ipſa incoctis.Danda etiā iris cum mel-
le deſpumato delingenda,aut ipſum mel in decoquendo
in paſtillum redactum.Remorantem item rupturam iu-
uat cuminum cum paſſo, ruta cum vino mulſo. Si verò
ex habitu corporis & doloribus languidioribus cōiecturā
facias ob craſſitiem pus ipſum non excerni, fœniculi de-
coctum in potu dato,& chamæpityos,pulegiíque & ori-
gani.Poſt rupturam autem,carunculæ paruæ oblongæ cū
vrina excernuntur: & ſi quidem maligna fuerint vlcera,
humores fœtidi liuidi & mucoſi:ſi verò benigna fuerint,
etiam pus ipſum album,& æquale, & leue, abſque odore
graui,& pacum reperietur.Lac itaq; cum melle poſt puris
eruptionem eis præbendum:& primùm quidem aſininū
aut equinum:ad vlcera enim repurganda conducit. qúū
verò repurgatione amplius opus non habent, & morſus
fiunt obtuſiores,indigétque æger nutrimēto, tunc etiam
bubulū lac eis exhibēdum II.& III.heminarum menſura.
Amplius autem omne lac recèns mulctum calidum præ-
bēdum eſt,animali in domum vbi æger decumbit dedu
cto. hoc & aliorum internorum vlcerum optimum eſt
pharmacum, & graui puri maximè amicū,& corpus pro-
bè nutrit.Porrò ad vires refocillandas ac reſtituendas, æ-
grum decumbētem molliter fricare ſingulis diebus ma-
nè conuenit,& primùm bubulo lacte nutrire : poſtquam
verò concoxerit lac,ſorbitionem ex ptiſana apparatā præ-
bere,aut amylum,aut ſimilaginem lotam cum lacte co-
ctam.dandum & lac ouis permixtum,& iuſculum galli-
næ pingue.Ex oleribus conueniunt, malua, ſeris, rumex,
portulaca,aſparagus paluſtris,cucumis,lactuca,omnia co-
cta,neque quicquam crudum vorēt.hæc ſanè morſus ob-
tundunt. Cæterùm ſuccedentes repletiones vomitu eua-
cuare oportet. vt verò facilè vomāt,cucumeris ſemen tri
tum ex paſſo eis præbeatur:aut ptiſanæ ſuccus cum paſ-
ſo. oleo autem cyprino præſertim illinantur pennæ,qui-
bus item ad vomitum irritentur. Non ſolùm autē ad re-
pletiones vomitus laudo, verùm ſiquis omni menſe au-
denter vomat,fortè & renum vlcus,& quicquid inde ma
li accedere poſſit, diſſoluat. reliqua diæta eadem ſit cum
ea quæ poſtea ad veſicæ vlcera dicetur.Ex iis verò quæ v-
rinā ducūt,ſimpliciora iā ſæpe dicta itémque dicenda,ad
repurganda renum vlcera bibantur. Quum verò munda
fuerint vlcera, quod inde tibi palàm fiet,ſi neq; tectoriū
etiā vlceri obductum cum vrinis excretum appareat, ne-
que etiam pus excretum ſit fæculentum,ſed ſubalbum,&

A leue,& æquale & paucum:tunc ſanè pro emplaſtris mala-
gmata aſſumenda ſunt:id quod ex ſeminibus conſtat:itē
quod ex baccis lauri: & quod Apollophaniū inſcribitur:
& omnia quæ cutē rubefacere poſſunt, quale eſt id quod
ad calculi affectionem eſt præſcriptum. Pro iis verò quæ
vrinam cient, reſiccantia adhibeantur: quare cibus ipſe
adſtringens ſit, & pharmaca quæ corpora cogant. Confe-
rūt etiam dropaces,& ſinapiſmi, & naturalium aquarum
calidarum & frigidarum vſus. Porrò ad inueterata renū
vlcera,pharmaca ſunt aſſumenda quæ ad exulceratam ve
B ſicam deſcribentur. Atqui noſſe oportet omnem exulce
rationem,& veſicæ & renum, ægrè curabilem eſſe: præ-
ſertim quæ ex eroſione ſit oborta, adeóque paucos noui-
mus qui ab ea perfectè ſint liberati:ſi verò extrà ſuppura-
tio vertatur,inflammatio magis tumeſcit, & ad manum
& ad oculum magis euidenter expoſita eſt. His meritò
medici manum admoliuntur vbi maximè tumor attolli-
tur,curámque adhibent quæ ad communia & caua vlce-
ra requiritur.non ignorandum tamen ea in fiſtulam abi-
re ſolere:quare diligentiori omnino indigēt tractatione.

C De dyſuria,id eſt emittendi vrinādifficultate,
& ſtranguria,hoc eſt ſtillicidio vrinæ,
Cap. XIX.

DYſuria dicitur,quum meiere æger cupit,& cum vi v-
rinæ excernuntur, ſtrāguria autem appellatur, quum
paulatim & guttatim vrinæ deſtillāt,& aſſiduam ad min
gendum irritationem faciunt. Hæc autem contingunt
aut ob acrimoniam vrinæ,aut ob exulcerationem veſicæ,
aut ob veſicæ debilitatem.aliquando autem & affectis re-
nibus aut hepate,quum abſceſſus rumpitur,& pus per ve-
D ſicam excernitur, aſſiduam irritationem ad mictionem
propter acredinem ſuam inducit. ex intemperie etiam
quadam ægra veſica in propria læditur actione. Neceſſa-
rium igitur eſt ſcire cauſas quæ ſtranguriam & dyſuriam
præceſſerunt,atque ad ipſas remedia adornare. Si igitur
frigiditas has affectiones præceſſit, oleo rutaceo calido
pectinem fouere oportet, ægrúmq; in ſampſuchi aut ru-
tæ decoctū deſidere,ac imum ventrem cōtegere ac cale-
facere:aliquando & per ſedem oleum rutaceum calidum
infundere,& cibis vrinam cientibus vti quæ cōcalfacere
E poſſint.aromatum etiam decoctiones in potu exhibere.
poteſt etiam præberi in potu theriace cum paſſo aut vino
mulſo.Sin verò bilioſiores ſint vrinæ & mordacitas cir-
ca veſicam contingat,ac vrinæ ſtillicidium inducat: tum
ſanè exuperantem vitioſum humorem quamcelerrimè
purgare oportet,& cibis temperamentum inducentibus
vti,ita vt ab omnib⁹ acrib⁹ ac ſalſis abſtineamus. in potu
autem plurima aqua calida dulcis exhibenda,ægérque aſ
ſiduè ad mictionem cogendus: ſi enim acre recrementū
diutius in veſica moretur,partes ipſas corrodit & exulce-
rat.Conueniet igitur continuis fomentis vti, & amylum
F cum lacte decoctum, itémque cum palmarum decocto
abſorbēdum præbere. vinum autem dulcius præbeatur.
Optimum eſt & ipſum lac calidum potatum. Quòd ſi a-
crimonia adhuc augeatur, etiam per colem lac ipſum cū
amylo in veſicam iniiciatur,& paſtillus ex phyſſalide cō-
ſtans in potu ſumatur.Porrò ſi aliud membrum ſit affe-
ctum,& idipſum per veſicam expurgetur, manifeſtum eſt
illi priorem curam deberi, ita tamen vt neque veſicam
G negligamus.

De difficultate emittendi vrinam in febribus,
Cap. XX.

PHilumeni. Fit & in febrium malignarum principio
vrinæ emittendæ difficultas, vt & inde veſica affli-
gatur,& paulatim cum dolore vrinam emittat. neque ve-
rò ſola moleſtia hæc eſt,ſed & ſignum totius neruoſæ par
tis affectæ.Ad imum ventrem igitur & pectinem, ingui-
náque & coxendices,lana pura oleo dulci imbuta, in quo
ruta,anethum,aut oleum ſicyonium ſint decocta, impo-
H natur,lanæque amplius cuminum quamtenuiſſimè tritū
infarciatur:& ſi aluus eis ſit adſtricta,fœnigræci & maluæ
decoctiones infundantur. Inſeſſiones etiam aſſumantur
vſque ad vmbilicum & lumbos totos,ex artemiſiæ,fœni-
græci,rutæ,pulegii, & maximè ſampſuchi decocto, oleo
itidem admixto. Quòd ſi acceſſiones vrgeāt,etiam venæ

ſectio adhibenda eſt,& diæta exquiſita,quæ maxima par
te ex ſorbitionibus conſtet. Vtimur itaque alica lota cũ
anetho in aqua mulſa deſpumata cocta,aut pane loto,aut
ſorbilibus ouis. Poſt hæc & malua conuenit,friabilis co
cta,& porrum capitatum in tribus aquis decoctum,& te
nerrimi piſces. Poſt fomenta verò,cataplaſmata adhibeã
tur ex eadem materia apparata. Vrgentibus autem dolo-
ribus, cucurbitæ cum ſcarificatione ad imum ventrem
affigantur. Ceratum verò ad has affectiones conuenien-
tiſſimum hoc eſt: Maluæ ſylueſtris radices in oleo ſicyo-
nio cum modica aqua concoquuntur,donec aridæ fiant.
& ipſæ quidem abiiciuntur,oleum autem cum rutæ ſuc-
co permiſcetur,vt quarta olei pars de ſucco rutæ addatur:
híſque amplius cera ſufficiens & parum caſtorei adiici-
tur. Cæterùm potus ita affectis commodus eſt cucumeris
ſatiui ſemen,quod præmaceratum decorticatur: deinde
tritum cochleariorũ II. menſura ex aquæ cyathis tribus
præbetur. lotium enim citra moleſtiam ducit, & dolo-
res circum locos infeſtantes eueſtigio diſſoluit. A reli-
quis autem quæ vrinam cient,quandiu febres perſtite-
rint,in totum abſtinendum eſt. Moti enim ex febrili ca-
lore totius corporis humores,per ea quæ efficacius vri-
nam cient,ad veſicam prius afflictam deducuntur.

De iſchuria,hoc eſt,vrinæ ſuppreſſione, Cap. XXI.

ISchuriæ, *hoc eſt urinæ ſuppreſſæ* affectionem etiam i-
pſum nomẽ declarat: ægris enim in totum vrina ſup-
primitur ac cohibetur. Atq; id aliquãdo ob imbecillita
tem contingit,veſica ea quæ in ipſa continentur arctè cõ
plecti ac exprimere non potente: aliquando autem & in-
feriore meatu à craſſis humoribus obturato, aut lapide
obſtructo: quandoque autem ob inflammationem aut
talem quempiam tumorem meatum anguſtum redden-
tem,& perfectè obturantem. Sanguis etiam in grumos
concretus in veſica,ſuppreſſæ vrinæ cauſa exiſtit. pus itẽ
craſſum per ipſam veſicam à renibus,aut hepate,aut alio
quopiam inferiore membro excretum,vrinæ ſuppreſſio-
nem operatur. Accedit & ſanis ſæpe vrinam ipſorum co-
hiberi,aut ob negotiorum importunitatem, aut in con-
cionibus,aut foro iudiciario,aut ſomnis,ſi diutius conti
nuerint mictionem. Afficitur enim in his comprehenſi-
ua & vrinam obuoluens veſicæ vis, ex immodica vide-
licet repletione & tenſione: imò quantum amplitudo
ipſius veſicæ expleta circumtenditur, tanto anguſtior
ſeipſo fit meatus. Vrinã igitur ob inflammationẽ ſup-
preſſam,venæ ſectione curabimus: fomentis item ac cata
plaſmatis aliiſque remediis adhibitis, quæ iam ſæpe ad
inflammata ſunt prædicta,& in ſequentibus deſcriben-
tur. Si verò ſanguinis eruptio præ ceſſerit, coniectare o-
portet ſanguinis grumos ſuppreſſæ vrinæ cauſam eſſe. hi
itaque diſſoluendi ſunt eo modo, qui de eruptione ſan-
guinis ex veſica,dicetur. Quòd ſi lapis ſit qui vrinam ſup
primat,& hunc ex loco excutere ac dimouere oportet,
quemadmodum de calculoſis eſt prædictum. Si verò craſ
ſi humores in cauſa ſint,fomentis & inſeſſionibus ac ca-
taplaſmatis cura concredenda eſt: ab iis verò quæ vrinã
cient,in totum abſtinendum,velut in loco de difficulta-
te emittendi vrinam in febribus eſt relatum. Quibus ve-
rò citra inflammationem & eruptionem ſanguinis, aut
aliam quandam ex prædictis cauſam,vrinæ excretio ſup
primitur,propter ægrum veſicæ ſenſum contigit id ſci-
licet. quapropter irritando ſubmonere ac excitare eius
actionem oportet, & per inſeſſus auxiliari, nitróque ad
meatum admoto,aut nitri ſpuma, aut cimicibus contri-
tis. Quòd ſi ita non procedat, ad catheterum vſum con-
fugiendum,pérque hoc ipſum inſtrumẽtum immiſſum
vrinæ prolectandæ. Vrinam ducentia nequaquam bibãt,
ne multitudine eius veſica diſtendatur. In ſanis autem,
quum, vt dictũ eſt, ob negotiorũ importunitatẽ lotiũ
diutius retentum veſicam debilem reddat, auxiliari o-
portet ipſi,ambabus manibus ſupra imum ventrem ad-
motis,ac vrina lentè expreſſa. Ad vrinam ægrè prodeũ-
tem: Cucurbitæ ſemen præmundatum aqua macerato.
quum verò emollitum fuerit,ſufficienter aqua affuſa te-
A rito,percolato,ac ſuccum bibendum præbeto. vtere: ex-
perimento conſtat.

De ſcabioſa veſica, Cap. XXII.

QVibus veſica ſcabit,his pruritus tum imi ventris,tũ
pectinis ſuccedit,inque vrinis aſperæ & furfuraceæ
ſubſidentiæ deferuntur: progrediente verò morbo,veſi-
ſica exulceratur,acceſſionéſque ad vlcera præſcriptæ in-
ducuntur. Noſſe igitur operæpretium eſt quòd non peni
tus curabile ſit malum. conandum tamen vt pro viribus
leniatur. A mordacib⁹ igitur & quæ humores acriores ac
B ſalſiores reddunt,abſtinendum. Exhibenda autem vina
dulcia,& lac,& gallinæ,aut hœdorum aut agnellorum
carnium iuſcula,palmarúmque cremor: ſimilago item
& amylum,ac ſorbitiones ex his apparatæ. piſces molles
carne & omnes cocti: & ex oleribus quæcũque vrinam
quidem ſubducunt,nihil verò mordax in ſe habent,vel-
ut eſt paſtinaca probè cocti: crithma,fœniculum,apiũ,
hippoſelinum,aſparagus, cucumis, & quæcunque eius
generis exiſtunt: nam & vrinam agentibus,mitioribus ta
men,veſicam ſuppurgare oportet: periculum enim eſt
C ne fortioribus exulceretur,quod omnino peius extat. V-
rinam itaque commodè cient,ccãri,& pinnæ conchæ, &
herinacei marini recẽtes,& herinacei terreſtris caro exic
cata & drachmæ pondere potu accepta. neque minus cõ-
modæ cicadæ cenſendæ & vermes terreni tres ex paſſo
potati. Non inconueniens item fœnigræci ſuccum cum
melle ſorbere: idipſum enim & inteſtini morſus obtun-
dit:& ſi ad veſicam procedat,ſcabiem eius mitigat. idem
etiam tragacantha facit. Iucundus eſt item baccarum
myrti cremor cũ vino potatus,aut mali cotonei cremor,
D aut cuiuſcunque alterius adſtringẽtis fructus. Hæc autẽ,
adſtringentia inquam,pruritus mitigant: affectionem ve
rò non ſanãt. Diæta porrò optimi ſucci ſit,& per aliquot
dies vomant. Sero autem lactis aluus ſubducatur. medio-
cribus etiam exercitiis moderatè vtãtur. Aliud, quod
confeſtim auxiliatur: Serpyllum cum cicere ſatis diu
coquito,percolatúmque decoctum bibendum præbeto.
Oribaſii ad ægrè meientes: Amomi,cardamomi,flo
ris iunci odorati,cuiuſque drach. ſex,coſti,caſtorei,myr
E rhæ,cuiuſque drach. tres,caſiæ drach. I. mellis quantum
ſatis eſt,datur fabæ Ægyptiæ magnitudine cum vino tẽ-
peratum. Aliud eiuſdem: Petroſelini,baccarum myr-
ti nigrarum,ſingulorum drach. XVI. ſeminis apii drach.
XXXII. ammii drach. octo, nardi Celticæ drach. quatuor,
myrrhæ drach. II. mellis quãtum ſufficit,datur drachma
vna ex aqua mulſa, aut vino diluto cyathorum trium
menſura.

Simplicia remedia ad ſuppreſſam ac ægrè prodeuntẽ vrinam,ſi aut eius multitudo aut craſſities in cauſa ſit, Cap. XXIII.

F VRinam difficulter prodeuntem & ſuppreſſam,viſce
ra herinacei terreſtris ſanant exiccata ac ſuffita æ-
gro vndiquaque contecto. oportet autem ipſa ſale condi
re ac exiccare. quin & in potu accepta ſicca trita quantũ
tribus digitis apprehendi poteſt ex vino multas vrinas
cient: carnis item herinacei in ſole exiccati drach. I. ex vi
no datur,& vrinã multã citra moleſtiã educit. Aliud.
Aſelli qui & millepedæ ſub aquario ſtabulantes vaſe,
G egregiè difficultatem emittendi vrinam ſoluunt, ſi duo
aut tres in modico garo coquantur,ipſúmque garum cũ
aquæ cyathis duobus bibatur. Aliud. Vermes terre-
nos tres aut quinque tritos ex vino mulſo aut aqua mul-
ſa præbeto. citò enim vrinam ducunt. Forinſecus autem
artemiſiæ folia cum myrrha trita pectini illini,itémque
imo ventri,& lotium prodibit. Aliud. Perdicium her
bam terito, & affuſo oleo feruefacito: atque ita veſicæ
imponito. Eandem item herbam cum oleo coquito ipſá
que proiecta lanam oleo imbuito ac imponito: aut pepo
H nis pulcherrimi pelliculam cum modica ipſius carne i-
mo ventri imponito & colligato,& prodibit vrina. ſi ve
rò arida ſit pellicula, ipſam in aqua macerato,& imponi
to,ac colligato. Inſeſſus etiã ex ſampſuchi maximè deco
cto apparentur,aut ſi id non adſit, ex decocto rutæ,arte-
miſiæ,& althææ.

De diſſoluta per paralyſin veſica, Cap. XXIIII.

EX iis qui paralyſi exolutam veſicam habent,alii quidem præter voluntatem vrinam emittunt, & quanto plus id eis contingit,eo minus periculo ſunt obnoxii:alii autem lotium non excernunt,ſed eo ſuppreſſo veſica & lumbi eis diſtenduntur,ſimilitérque pecten: femora autem tumefacta habent, & quum non eiiciant lotium, ſubiecta membra mortificantur, neque ita lõgè pòſt moriuntur.Quum igitur lædi cõtigerit neruos qui ex ſpinali medulla ad muſculum veſicæ collum claudentem deferuntur,exoluto muſculo,inuoluntaria vrinæ excretio cõtingit.Si verò proprii veſicæ nerui fuerint affecti,nerui autem muſculi qui ceruicem veſicæ complectuntur vires ſuas conſeruantes in actione ſua validi ſunt, vrina ipſa cohibetur.Cæterùm quum cuidam ob caſum ſpina in anteriorẽ partẽ eſſet luxata,& inflãmatio ſucceſſiſſet, tertia die vrinæ ſuppreſſio ei acceſſit: Curauimus autẽ ipſum,inquit Galenus, veluti cõtra inflammationem renitentes. Alius autem quum cecidiſſet, vertebris retrò inuerſis & luxatis,præter volũtatem vrina ab eo prodiit, citra tamen veſicæ dolorem. ex quo coniecturam fecimus neruum eſſe læſum muſculi eius qui veſicam claudit,& propterea medelam ſpinali medullæ adhibuimus affectis inquam vertebris. Iis igitur quibus citra caſum vrina ſupprimitur,hoc modo auxiliari oportet: Inſeſſus aſſidui in fœnigræci,ſeminis lini,althææ,rutæ,ac artemiſiæ decoctum cum oleo eis apparentur, & loci ex oleo calido rutaceo aut ſicyonio, aut gleucino ſæpe per diem & noctem,& maximè poſt inſeſſus irrigentur & perfundantur:cucurbitæ etiam locis affigendæ,& cataplaſmata imponenda ex cruda ordeacea farina, ex vinóque dulci & vino mulſo.In aluum autem per clyſterem infundatur centaureæ,& radicis cucumeris agreſtis decoctũ,addito oleo rutaceo & melle. Poſt ſublutam verò aluum, oleum rutaceum ſicyonio admixto infundendum,adiecto aliquando etiam modico caſtoreo. Vnguenta item & medicamẽta illitu laſſos neruos reficiẽtia(acopa Græci vocant,& ſuprà ad reſolutiones ſunt deſcripta)tum ſpinæ,tum imo ventri adhibenda.caſtoreum itémque theriace in potu propinanda. Modicus autem eis conuenit potus,& vomitus qui pituitam educunt.Poſt euacuationes,ſinapiſmi tum pectini tum lumbis commodi ſunt. à quibus, cerata quæ partes mitigent,& malagmata odora imponantur.Porrò vrinæ ſuppreſſionem quæ ob ſauciatam ſpinam,aut caſum,aut vertebræ luxationem, aut ob lethales acceſſionum concurſus ſuborta eſt, impoſſibile eſt curare: quare cautè remedia adhibere oportet. Cæterùm eos qui præter voluntatem vrinam emittunt, curare conuenit roborando per mordacia cataplaſmata, & malagmata,& per rubefacientia ex ſinapi apparata,& arenæ à ſole feruefactæ iniectione,aquiſque naturalib⁹, primùm quidem calidis,poſtea etiam frigidis & maximè ſulphurulentis & bituminoſis. Exercendæ etiam ac perfricandæ partes,veluti in loco de reſolutione eſt prædictum. vrinam autem ducentia nequaquam exhibeantur. Diæta verò calidior & ſiccior ſit, niſi acriores ac mordaciores appareant vrinæ.

Ad eos qui ſe in ſomno permingunt, Cap. XXV.

AFfectio hæc pueris maximè contingit.ad eam Archigenes hæc deſcripſit.Pulmo hœdi moderatè aſſatus,& citra panem largè ad triduum in cibo acceptus, eos qui lectos commingunt,corrigit. Aliud. Leporis cerebellum ſiccum potatum ex vino,lectos permingentes ſanat. Aliud. Teſticulum leporis ſiccum in vinum radito,&bibendum dato. Quidam autem leporis cerebrum in veſicam porcinam coniectum & aſſatum, vnà cum veſica edendum præbent. etenim ipſa porcina veſica per ſe vſta, & in potu exhibita,iuuat. ſimili modo & ouilla veſica facit.cinerem itaque eius ex poſca præbeto. Aliud. Adipem anſerinum drachmæ pondere, cum coagulo leporino oboli pondere,& cum polenta ſubigito, & reclinatis in lectum præbeto. Aliud. Linguæ anſerinæ coctæ per triduum exhibitæ,affectionẽ ſanant.

A quidã aſſatas præbent. Aliud item Archigenis: Myrrhæ,calaminthæ,cuiuſque obolum vnum terito, & cum vino odoro ante cœnã bibẽda præbeto. Aliud eiuſdẽ. Raphanidem marinam contuſam vrito,eiũſque cinerem totum bibendum præbeto. Aliud. Rutæ,præſertim ſyluestris,ſemen torrefactum duarum drachmarum pondere bibendum præbe. Aliud. Caſtorei drach. i. in potu præbe.Quòd ſi acriores & mordaciores ſint vrinæ,lactucæ ſeminis drachmam vnam bibendam dato. Aliud. Galli guttur vſtum ac tritum cum aqua tepida ieiunis bibendum porrige. Aliud. Gnaphaliũ aut anthyllin herbas quibus pro tomento & ſtrato vſus eſt æger,eáſque permixit,ſiccato,vrito,& cum potu exhibeto.Cæterùm in ſomno pudendum illinant ex cimolia cum perdicii ſucco.Circumligẽt etiam femora infra inguina,quatuor digitorum diſtantia, atque hoc per viticis virgas.Porrò vbi ſitierint,omnino amplius dormiãt: multus enim potus affectioni incommodus exiſtit. Atqui ſi diuturnum & inueteratum ſit malum, velut eos qui præter voluntatem ob reſolutionem veſicæ vrinam emittunt, curato.Differunt autem hi ab illis,in eo quòd his per ſomnum ſaltem hæc acceſſio contingit: illi verò quibus ob muſculi colli veſicæ reſolutionem hoc accidit,etiam dum vigilant,eodem modo afficiuntur.

De inflammatione veſicæ, Rufi, Cap. XXVI.

MOrborum qui circa veſicam oboriuntur,grauiſſimus & maximè mortalis,inflammatio exiſtit.Cõſequuntur autem ægros communia inflammationis ſigna.Febri acuta infeſtantur, & vigilant, & delirantes aliena loquuntur,& vomũt bilioſa pura, & lotium eiicere non poſſunt:durus ſit pecten & pubes cum vehementi dolore,& egerendi appetentiæ,velut in teneſmo,fieri ſolent:quod verò egeritur tenue eſt, & ſubſidentiam non habet.aliquando & inflationes ſequuntur, & aluus adſtricta eſt, inteſtino recto ab inflãmatione veſicæ compreſſo. His itaque,ſi nihil aliud prohibeat, venam citra cunctationem in principio morbi ſecato, & pauco cibo afferuato,& aquæ potu:locos verò oleo in quo anethum ſemen lini,aliquando etiam ruta & althæa incocta ſint irrigato. In decoctũ item ſeminis lini & fœnigræci inſidere facito,odorato aliquo ſemine, veluti petroſelino, dauco,aniſo,ſimul incocto. admoneatúrque æger quò in aqua decocti deſidens mingat. veſica enim non ſatis robuſta eſt ad amplectendam & expellendam vrinam: igitur ipſum ægrum aut aliquem ex adſtantibus ſcitè & placidè pectinem premere oportet,neque id vltra modum,ne dolor inde intendatur. eſt autẽ inuentum Philumeni,qui hominem hoc modo à ſe tractatum vrinam eieciſſe teſtatur. Cæterùm primùm omniũ aluus leni infuſo ſubluatur, & poſt ſtercorum eductionem, oleum quo ſuprà ad irrigationem vſus es, in inteſtinum,ſolatii & leniẽdi doloris gratia,iniiciatur. Præſtat autem & papaueris caput ſimul cum oleo incoquere,& adipem anſerinum aut gallinaceum recentem in ipſo oleo eliquatũ ſimul infundere.Ego verò,inquit Rufus,vehementioribus exiſtentibus doloribus,opium magnitudine erui cũ modica myrrha & croco lanæ illitum,in podicem indidi,& ſtatim dolores quieuerunt,confeſtimque æger obdormiit.Poſt clyſterem & infuſa, inſeſſúſque & irrigationes, etiã cataplaſmatis vtẽdum ex cruda ordeacea farina,capitibus papaueris,& hyoſcyami foliis,ac modico mandragoræ ſucco adiectis.Fomenta autem fiant per aquam & oleũ in veſicis bubulis ſemiplenis admota: aut polentam calidam in ſacculis aut detritæ veſtis pannniculis ligato,& pro fotu admoueto. Poſt cataplaſmata etiã cerata imponãtur,ex œſypo,& cera,& ſicyonio aut gleucino oleo cum caſtoreo apparata.Quòd ſi neque ſic mali tumultus ceſſet,cucurbitam affigemus locis vnà cum ſcarificatione.Cæterùm vbi euidens declinatio apparuerit, ad emplaſtra & malagmata tranſeundum eſt. Porrò catheteris immiſſionem ad inflammatam veſicam,in viro quidem non probo: etenim quum laborioſè immitti queat,dolores exacuit,& inflammationẽ auget. verùm mulieri ipſum adhibere nihil abſurdum:breuis enim in

ipſis vrinæ meatus exiſtit,& rectà ſitus,vt citra dolorem hoc molimen admittant.Si verò vrinæ ſuppreſſæ periculum vrgeat,neceſſariò ad catheteris vſum confugimus, non quòd affectionis moleſtiam tollat, ſed vt vrgentem vrinæ ſuppreſſionem corrigat,& à præcipiti periculo liberet.Poſt vrinæ prolectationem,rurſus ad eadem mitigatiua auxilia accedendum,vſquequo inflammatio ſoluatur aut ſuppuretur.Solet autem ſæpe repentè inflammatio ſolui,eryſipelate iuxta cutisſuperficiem oborto,& permanente,neque rurſus intrò recurrente : imò & lotio multo eiecto,ſæpe id eadem iudicatione liberum hominem reliquit.nihilominus tamen etiamſi hæc appareāt, iis remediis inſiſtere oportet, quandoquidem vtplurimùm tenſione aliqua facta ac oborta,continuæ exacerbationes fiunt,& mali cōſtitutio diuturna. At verò vbi periculoſæ acceſſiones ceſſarint,& morbi conſtitutio iam fuerit inueterata,ad vnguenta quæ humores ex profundo euocant ac transferunt(metaſyncritica *Græci* appellāt) & ad malagmata, trāſeundum eſt,quæ cutem rubefacere poſſunt.

De ſanguinis ex veſica eruptione,& de grumis eiuſdem, Cap. XXVII.

EST & alius acutus veſicæ morbus. rumpitur autem vena in ipſa,& partim quidem ſanguinem foras mittit,partim verò intus condenſatur.Sanguine autem condenſato,& grumis coactis , æger animo linquitur & palleſcit,pulſuſque paruos,obſcuros,& denſos habet , mœrore angitur,refrigeratur,ac virib⁹ deſtituitur. quū verò grumus aliquando in vrinarium meatum inciderit,is etiam lotii excretionem ſupprimit.verùm omnino difficilioris curæ cenſenda eſt eruptio ex eroſione facta.Quare quamcelerrimè,velut etiam in aliis ſanguinis eruptionibus,auxilium ferre oportet, extremas partes conſtringendo,& pectinem ex ſpongiis poſca imbutis irrigando. Quòd ſi inflammationem ſuſpectam habes , lanas ſuccidas vino & roſaceo madidas imponito. Cæterùm prædictum periculum, compendiariam curam facere conuenit, & nequaquam rem differre:& ſi quidem nihil prohibeat,venam ſecare partita ſanguinis detractione, vt eo modo ſæpe & paulatim ſanguis detractus reuellatur : ægri verò in decumbendo ſurſum verſus collocentur, & coxendicibus ipſorum leuandis & ſimul refrigerandis ſpongiæ poſca imbutæ ſubdantur, aut pelles ſubſternātur:ſummè autem proſunt vrgente malo cucurbitulæ iliis ac lumbis affixæ.Poſt irrigationes autem,cataplaſmatis vtendum,ſanguinaria,rubo,plantagine,perdicio,mali Punici floribus, lētiſci & myrti foliis.horum vnumquodque cum polentæ flore pro cataplaſmate imponēdum eſt,& frequēter priuſquam tepeſcat,altero impoſito,auferendum.Optimè etiam faciunt ex palmis, acacia & hypociſthide ac alumine apparata cataplaſmata, & quæ his ſimilia exiſtunt.Summè autem cinis linteoli vſti auxiliatur,ſi palmis admiſceatur,aut alicui ex epithematis infarciatur. Spongia item pice liquida imbuta,vſta & epithematis admixta,mirificè ſanguinis eruptiones ſiſtit.Cæterùm detritæ veſtis panniculus vſtus,& ſpōgia vſta,nō ſolùm forinſec⁹ locis appoſita,ſed & cū plātaginis ,aut ſanguinariæ,aut herbæ ſideritidis ſucco veſicæ infuſa,maximopere auxiliantur.Oportet autem infuſi fiſtulam aliâs catheteri ſimilem eſſe,verùm ex ſummo vtriculum aut veſicam adaptatam habere. quandoque & ſedi hæc infuſa proſunt . Inſeſſus autem conueniunt ex conſimili materia conſtructi.nam & poſca & lentiſci decoctum,itémque rubi & ſimilium eis conuenit . Danda autem & in potu pharmaca eductioni ſanguinis apta tū ſimplicia tum compoſita,veluti ſunt rheon Ponticum tenuiſſimè tritum,& loti arboris ſcobes & ramenta,præſertim corticis eiuſdem,& glycyſides,aut pæoniæ grana rubra duodecim,terra Samia & Lemnia,ſphragis appellata,hippuris,centaureæ magnæ radix,thuris cortex , & ſimilia.Optimum verò & hoc eſt,quo Archigenes vſus eſt. Ad ſanguinem mingentes , Archigenis. Aluminis ſciſſilis drachmam vnam,gummi obolum vnum,tragacanthæ drachmas duas,in paſſo diluito, & in paſtillos redigito,& ex eis obolos duos cum paſſo præbeto. Ad

A ſanguinis è veſica eruptionem,Aſclepiadæ: Balauſtii, acaciæ,ſucci hypociſthidis,cuiuſque drach. quatuor , aluminis ſciſſi drachmas duas.in paſtillos cum aqua digerito,& obolos tres cum vini myrtitæ cyathis tribus exhibeto.Porrò quibus ſanguis in veſica in grumos cogitur, primùm tentandum eſt vt pharmacis diffundatur. Artemiſia igitur in potu præbenda eſt,& elichryſon, & Cyrenaicus ſuccus,aut laſer purum,aut conyza præſertim parua,abſinthium,raphani ſemen,rubi ſuccus,betæ ſuccus, leporis coagulum aut hœdi , vnumquodque cum aceto
B mulſo.Ego autem,inquit Galenus,pharmacum eis præbui bibendum quod lapidem confringit,ex aceto mulſo:imò ipſum per ſe acetum mulſum exhibui,& quibuſdam ipſorum grumi diſſoluti paulatim per lotium prodierunt.Quòd ſi hoc modo nihil proficias, ſed vrina ſupprimatur,neceſſitatem inducet catheteris adhibendi,per quem vbi vrinas eduxerimus,rurſus prædicta in potu exhibemus præſtantia ad grumorum coactorum diſſolutionem:ſi verò neque grumi ſic diſſoluantur , intercapedinem inter anum & pudēdum,perinæon *Græcis* dictam,
C infernè diſſecare oportet, quemadmodum in calculoſa veſica eſt prædictum,& eductis grumis,de cætero velut ad ſanguinis eruptionem,veſicæ opitulabimur.vbi verò ſanguinis eruptio ceſſarit , velut alia vlcera curato . At verò ſanguinis ex cole eruptiones,epithemata colem refrigerantia,& quoddam ex prædictis infuſum ſanant.

Quæ tubercula in veſica matureſcere oporteat, Cap. XXVIII.

OPtimum quidem eſt in principio conari quò tubercula diſſoluantur,vt ne in pus permutentur.Si verò
D id citò fieri non poſſit,auxiliorum vſu ea matura facere oportet,quæ ſuprà renibus cataplaſmatis modo dixi imponenda,atque amplius adhuc naſturtio cum erui farina & melle,& columbino ſtercore cum caricis impoſito.Fomentis autem & aliis remediis vtendum , quemadmodum iſtic eſt prædictum . Vtplurimùm verò circa veſicæ collum ſuppurantur . quapropter etiam vrinæ ſtillicidium amplius inducunt . ſuppurantur & in vicinis ſedi locis,& magis recrementi egeſtionem impediunt.Suppurātur etiam circa pectinem vtrinque:verùm
E non difficile eſt ea coniectare,tum loci dolore tum grauitate:atque ipſo adeò tactu . duriora enim & calidiora ſunt corpora quæ ſuppurationem incurrent.Ex tuberculis etiam quædam foras vertūtur ad ſedem,quædam quocunque cōtigerit defluxus.Periculoſa igitur & hæc ſunt ac omnino lethalia:periculoſiora autem ſunt quæ intus rumpuntur.

De veſicæ vlceribus, Rufi, Cap. XXIX.

SI veſica ſit exulcerata,aut propter abſceſſum , aut ob tuberculum quod præceſſit,aut ex ruptura,aut ob flu
F xionis eroſionem , aut ob aliam quamcunque cauſam, ægros dolor acutus veſicæ omni quidem tempore comitatur,maximè verò tempore mictionis & excretionis puris.& ſi quidem ſordida fuerint vlcera, fæculenta ſimul excernuntur & mucoſa,& quæ craſſam ſubſidentiam ad modum farinæ habent:aliquando autem & pelliculæ tenues ad modum foliorum & lamarum cum vrina excernuntur.Si verò ſerpendo depaſcant vlcera, ſubcruēta excernuntur & ſanioſa ac fœtentia.Ad hæc accedunt vrinæ emittendæ difficultas,& pudendi arrectio ac petulātia,
G & dolor non ſolùm quum vrinæ meatus fuerit affectus, ſed & quum tale quippiam in profundo exiſtit . Cognoſcetur autē num in profundo , ſiue iuxta vrinæ meatū ſit affectio,ex eo quòd,ſi in amplitudine ſua veſica ſit affecta,dolor circa pubem cōſequatur:ſi verò iuxta collum veſicæ vlcera conſiſtant , tempore mictionis tantùm,& maximè vbi mingere inceperint ac ceſſauerint , dolor ſentitur:atque id amplius contingit ſi vrinæ ſint acriores.Omnes quidem igitur aſſiduè decumbunt, & neque
H erecti ſtare poſſunt,neque reclinati quieſcunt:ab indeſinēte dolore,febribus,vigiliis,& colliquatione perimūtur:alii quidem citius,alii tardius . Dolores enim acuti ſunt & vlcera iniucunda , partim quòd vrina aſſiduè ea contingat,partim quòd vrina natura acris exiſtat:neque, quanuis plurima excernatur, vniuerſa veſica euacuari poſſit,

poſſit:ſed ſemper ex vrina quippiam in ipſa relinquitur, quod continuè vlcera contingit: ſempérque veſica lotio plena exiſtit.etenim quum multitudo eius euacuatur,veſica contrahitur,& quod in ea relictum eſt quantũuis modicum,id ipſum omnes eius partes contingit,& quantum rurſus repletur,paulatim ſimul extenditur. Propter hoc ipſum itaq;,& quòd neruoſa eſt,inſanabilia vtplurimùm eius vlcera exiſtunt:periculoſiora autem ſunt quæ ex eroſione orta ſunt,& modica ſpes eſt ea reſtaurandi. Attamẽ quum ſæpe etiam præter expectationem quædam eueniant,cura eſt aggredienda, per quam ſi nihil aliud, certè acceſſorii dolores minuentur. Primùm igitur perſuadendus eſt æger vt decumbat, & in lecto quietem toleret,idque maximè ſi febres ſimul adſint:deinde remedia febribus intermittentibus adhibenda. Maximum verò hîc fuerit lactis potus, neque ſcio an poſt vllum aliud remediũ ſecundo ſaltem loco id ſit habẽdum:nam & aſperitates lenit,& vlcerationes eluit,aliáſque affectionem ex tergit.reliqua verò diæta frugi ſit & commoda,vt ne vrina acris fiens mordeat ac irritet vlcera. Per pharmaca etiam conſolari ægrum oportet, quæ ſupernè pectinem amplectantur:& ſi quidem cum inflammatione exulceratio conſiſtat,cataplaſmata ex lini ſemine & fœnogræco apta erunt,& reliqua quæ inflammationem ſoluere poſſunt:inſeſſiones item & fomenta ex oleo &per ſpongias. quin & cerata imponẽda ex œſypo, butyro,adipe anſerino,& ſtyrace apparata,& ceratum myrteum quod pro ceruſſa,Samiam terrã aut Lemniam, ſphragidem appellatam, aut minium ſinopicum, aut diphryges habet admixtũ. Quòd ſi loci violentius coarctentur,nardinũ quidem ſit ceratum : maluæ autem radices probè in aqua mulſa coctæ,deinde tritæ, in ceratum infarciantur, aut cerata ex meliloto & fœnogræco ſimiliter adhibeantur, aut quod tetrapharmacum, itémque quod enneapharma cum inſcribitur:laxationem enim mali faciunt. verùm his omnibus aliquid ſatis amplum de ſtyrace addẽdum. Porrò ſi exulceratio paſcendo ſerpat, epithematis ſubadſtringentibus vtendum eſt, atque his quidem calidis, vt ob calorem quidem partes circumdolitantes leniendo iuuent: ob poteſtatem autem ipſorum, nomen vicinos locos apprehendere prohibeant. Sylua horum ſæpè iam relata eſt, vtpote in palmis, vuis paſſis, gallis, malicorio, alumine, acacia, hypociſthide,& ſimilibus ſita.ex his ſingula aut palmis excipiuntur, aut cataplaſmatis ex loliacea farina.decoctio autem fit in poſca. Vtendum etiam pharmaci per catheterem infuſione,ita vt in inflammatis & exaſperatis, lac recèns mulctum infũdatur, aut roſaceum optimum recèns tepefactum. Si verò nihil horum adſit, aqua dulciſſima tepida aſſiduè infundenda, mordacitatis tempore inſtante. in inteſtinum quoque per ſedem ptiſanæ ſuccus infundendus eſt,& ſeminis lini ſuccus, & cucumeris ſemen decorticatum tritum cum lacte,roſaceo oleo ad ſingula inſtillato. Cæterùm vbi clyſterem adhibere velis ei qui veſicam habeat affectam, non ſupinum ipſum decumbere oportet: non enim permittunt veſicæ infuſum intrà tranſire, vtpote induratæ & graues factæ, & inteſtino incumbentes: verùm in genua pronum reclinare hominem oportet,atque ita infuſum adhibere. in hac enim ſitus figura veſicæ ſecedunt, & inteſtinum laxant, quò infuſum aſſumere poſſit. Frequenter autem & in aquam calidam deſideant ægri,& in decoctiones relaxantes:nam hæc mitigant dolores.At verò vbi vlcera iam paſcendo proſerpãt,per catheterem iniicienda ſunt quæ depaſtionem ſiſtere poſſunt.Multa autem eius generis ſunt, ſed plurimis itémque nobis familiare eſt ex charta ſiccum pharmacum, quod cum roſaceo infundere oportet.Facit & Muſæ paſtillus, cum paſſo Cretico tepidus infuſus. Quòd ſi verò ſordida ſint vlcera, pharmaca infundenda ſunt quæ repurgandi vim habent: velut eſt Epigoni chlora ſiue viridis compoſitio: item quæ Iſis appellatur,multo roſaceo diluta, aut ea quæ ex herbis conſtat, aut huiuſmodi quæpiam alia ſi verò acrimonia cõſequatur & mordacitas,lac recèns mulctum cum optimo amylo infundatur,aut pompholyx pluribus aquis elota & exſiccata, atque deinde cum lacte diluta;

A aut collyrium aſter inſcriptum, aut quod cycnarium appellatur:aut paſtillus ex phyſſalide,aut panchreſtus à cõmoditate dictus, qui ſomnum inducit. Quum verò repurgata fuerint vlcera, adiuuare oportet quò ad cicatricem perducantur, aque id per inſeſſus adſtringentes, & eiuſdem facultatis epithemata. Emplaſtrum igitur ex ouis commodè ſuperponitur,& ex hordeo vſto,& ex cadmia, tripla eorum parte cum cerato myrteo aut roſaceo contemperata. Si verò magis fluxione affectio infeſtetur,poſt repurgationem vlcerum,emplaſtro ex ſalici-
B bus,aut Iceſii, aut ex lolio vtendum eſt, donec intotum ad cicatricem perducantur. Atqui noſſe operæpretium eſt quòd in quibuſdam ob ſolidam cicatricem inductam,ſeminis meatus excæcantur, & vis generandi perditur: ita vt appetentiam quidem habeant ad coeundum, nihil autem intotum ſeminis emittant. atque hæc affectio penitus incurabilis exiſtit. Cæterùm ſi ad multum tempus exulceratio duret, quemadmodum in pleriſque fieri conſueuit, tunc ſanè & exacerbationes & interualla ſiue remiſſiones ægros apprehendunt.quare in exacerbationibus quidem cataplaſmata, & fomenta &
C irrigamenta leniendi vim habentia adhibeantur. remiſſionis verò tempore,ductu ad deſtruendum malum apte vtendum eſt. Pecten igitur iuxta membranæ peritonæi appellatæ, locum per malagmatum ad hanc rem deſtinatorum impoſitionem rubefiat: ſunt autem huius facultatis,id quod ex lauri baccis conſtat,& epithema viride appellatum,& ſimilia:maximè verò quæ ad calculoſos renes ſunt præſcripta. quin & ſinapiſmo vtendum: & diæta viribus reparandis apta eſt conſtituenda. Quòd ſi
D non manſueſcant,& diutius durent affectionis diſpoſitiones, cruſtas circa pectinem & peritonæon membranã infligere oportet, aut per pharmaca, aut per ferrum, ſineréque vt per multum tempus vlcera ſe per effluxionẽ repurgent. Neque verò ineptè pharmaca dolorem leuantia in potu exhibueris, ſi vehementes inſtent dolores. Et ſanè quidam iam papaueris ſuccum erui magnitudine cum croco & myrrha lacte diſſolutis in podicem indiderunt,aut cerato ex adipe anſerino apparato permixtum & lana exceptum eodem modo intruſerunt,ſcimúſ-
E que eos non vulgarem commoditatem inde conſequutos. Aſſumantur etiam quæ per os exhibentur, ſi quidem vrgeat vrinæ emittendæ difficultas: veluti eſt papaueris albi toſti ſemen, quod drachmæ pondere tritum in tres cyathos decocti floris iunci odorati, aut calami Indici, aut radicis dulcis inſpergitur & exhibetur: his fortiora ſunt,meon,phu,acorum,daucus. Plurimùm autem exulcerationis dolorem mitigat hoc: Semen cucumeris granorum triginta,nuces pineas duodecim,amygdalas amaras decorticatas quinque,croci quantum ad colorandum
F ſatis eſt,quotidie ieiunus accipiat cum lacte recèns mulcto,aut paſſo protropo,aut vino,aut ſapa.quòd ſi lenius reddere velis,pro nucibuspineis maluæ ſemen pari modo recte conieceris. minore item moleſtia ab ægro procedet vrina ſi tragacantha prædictis commiſceatur. Probè autem exulcerationem iuuant verbenacæ rectæ folia cum paſſo potata, in duobus cyathis diſſoluta, quò facilè potu accipi poſſint. Ad vrinæ difficultatem quidem & ad ipſam exulcerationem pariter conueniunt, papaueris albi ſemen, amylum, myrti baccæ nigræ, ſin-
G gulorum drachmæ quatuor, croci oui aſſati dimidium: vnito & drachm.I. ex paſſo dato. Quòd ſi multum pus efferatur, ferulæ vſtæ drachm.I. ex paſſo diluto exhibita, ipſum repurgat. Deinde autem ſingulis diebus cucumeris ſemen decorticatum, & crocum, obolorum II. pondere, & nuces pineas pityidas appellatas deſquamatas quinque, & aniſi obolos tres, ſimul trita cum vino mulſo ex calida aqua temperato,exhibeto.Cyphi item & cyphoeides ad hepatis vlcerationes præſcripta,in paucis
H adeò diebus veſicæ vlcera perſanare poſſunt. Ego autẽ, inquit Archigenes,ad vetera vlcera hoc vſus ſum, neque opus fuit mihi pharmaco magis variegato. Trixaginis, chamæpityos,cuiuſque drachm. XXI.aſari drachm. VII.piperis albi drach.VII.cinnamomi drach.I. quamtenuiſſimè terito, & vnita ſimul reponito. Ego, inquit, ex

eo cochlearia duo, cum paſſo diluto præbeo. Quum verò morſus contingit vlceroſus, amyli cochleariis duobus, & ſeminis cucumeris granis xv. adiectis, quod volui ſum aſſequutus. Suffecerint quidem igitur volentibus bona methodo remediis vti, hæc à Rufo & Archigene præſcripta pharmaca. Apponam tamen & alia conſimilia, itidem à veteribus tradita. ſint autem præſcripta eorum quæ deſcribentur quod ad vſum pertinet, exempla. Andromachi, ad vlcera renum & veſicæ. Seminis lini, ſeminis papaueris albi, ſeminis cucumeris repurgati, tragacãthæ, ſingulorum drach. II. amyli drach. IIII. cum aqua conterito, & in paſtillos nucis Ponticæ magnitudine redigito, ex eiſque drach. I. cum paſſo diluto dato. Aſclepiades autem & Eras hoc modo apparant ad aſſiduos morſus, & ſanguinis ex veſica eruptiones. Seminis lini torrefacti, ſeminis cucumeris repurgati, ſeminis papaueris albi, tragacãthæ, cuiuſque drach. VI. paſſi quantum ſatis eſt, apparato, & Ponticæ nucis magnitudine cum paſſi diluti cyathis II. præbeto. ad ſanguinis eruptiones, cum aqua dato. Oribaſii, ad veſicæ vlcera. Proſunt & his quidẽ quæ ad renes affectos ſunt deſcripta: propriè autẽ in potu accepta: portulacæ ſuccus cum paſſo, graminis decoctũ, lac, vinum dulce, cupreſſi coma cum myrrha, erui magnitudine. Ad veſicæ dolores: Seminis lini cochlearium I. ex paſſo, ſeſamum, ſeminis hormini drach. I. oxyſchœni ſemen, loti arboris bacca, ſeminis papaueris drach. I. cum aqua mulſa, floris cotoneorum decoctum. Eiuſdem, ad renum & veſicæ exulcerationem. Nucum pinearum heminam Italicam, phyſſalidas numero x. nuces iuglandes octo, (alii x. habent) croci drach. VIII. ſeminis rumicis dr. VIII. opii drach. III. ſeminis cucumeris decorticati drach. III. ſeminis apii drach. III. mellis cocti quantum ſatis eſt. datur obolor. III. pondere. Aliud, Andromachi, ad veſicam exulceratã & vrinæ emittendæ difficultatem. Nuces pineas xxx. amygdalas præmundatas vſtas VIII. carnes palmarũ xxxv. tragacanthæ drach. IIII. ſucci radicis dulcis drach. II. croci obol. I. myrrhæ tantundem, excipe paſſo, ac vtere vt dictum eſt. Aliud, ad veſicæ vlcera & inflammationes. Nuces pineas xx. ſeminis cucumeris grana xx. amyli obolos III. ſpicæ nardi drach. I. ſeminis apii drach. II. Spica & apium in ſextario aquæ vno coquuntur: deinde ad decoctum prædicta miſcentur. dantur cyathi II. ad vehementes morſus, calefacti. Aliud. Amyli dr. octo, baccarum myrti nigrarum maturarum carunculæ drachmas VIII. ſeminis papaueris drach. XVI. paſſi protropi quantũ ſatis eſt, apparato, & nucis Ponticæ magnitudine ex paſſo dato. Paſtillus ex phyſſalidibus, vt tradit Eras. valet ad renum & veſicæ affectiones, etiamſi pus aut ſanguis, aut corpuſcula mucoſa, aut fibris ſimilia, aut craſſa, per vrinam exeant. Facit & ad ſcabioſas affectiones, & ſtillicidium vrinæ, & vlcerationes ægrè cicatricem recipientes. idem & bibitur & in veſicam iniicitur.

Granorum herbæ phyſſalidis numero xxv. ſunt autem halicacabo ſimilia, paulo tamen maiora: amygdalarum thaſiarum decorticatarum, croci, nucum pinearum toſtarum, ſeminis rumicis hortenſis deſquamati, ſingulorũ drach. III. ſeminis cicutæ, opii, ſeminis fœniculi, cuiuſque drach. III. ſeminis hyoſcyami albi, ſeminis apii cuiuſque dr. ſex, ſeminis cucumeris ſatiui deſquamati drach. XII. Excipe paſſo, drach. I. præbe febre carentibus, cum paſſi diluti cyathis III. febricitantibus, cum aqua. cæterùm ſi vehementes fuerint dolores, etiam ante ſomnum præbe. per catheterem item iniice. Vtere autem vt efficaciſſimo. quidam etiam nucis Ponticæ toſtæ drach. III. addunt.

Aliud ad omnem renum & veſicæ exulcerationem, omnémque emittendi vrinam difficultatem, & calculi affectionem. Portulacam exuccato, ſuccúmque reſiccato, & in paſtillos redigito, drachmámque vnam cum aqua calida potandam præbeto. Paſtillus ex tragematis ſiue bellariis, ad renũ & veſicæ exulcerationes. Vuarũ paſſarũ albarũ mundatarum beſſem, nucum pinearum ſextantem, ſeminis cucumeris decorticati, baccarum myrti exacinatarum, amygdalarum amararum delibratarum aut dulciũ, amyli, palmarum pinguium, ſeminis apii, ſingul. ſextantem, ſeminis papaueris albi drach. IIII. tragacãthæ,
A croci, radicis dulcis, cuiuſque drach. IIII. myrrhæ drach. II. redige in paſtillos cum Cretico paſſo. Exhibe drachm. I. cum paſſi cyathis II. Aliud, experimento conſtans, Olympii ſophiſtæ, ad exulceratam veſicam. Rhei Pontici drach. IIII. ſeminis cucumeris decorticati drach. III. ſeminis hyoſcyami drach. II. ſeminis maluæ drach. V. nucũ pinearum toſtarũ drach. VI. ſeminis apii drach. I. amygdalas amaras delibratas LXX. cum ſapa ſubige, & Ponticæ nucis magnitudine præbe, cum paſſi diluti cyathis tribus. Aſclepiadæ pharmacum accommodatum, ex cu-
B ius vſu multos renum affectione apprehenſos intotum liberatos ſcimus. oportet autem ad multos dies pharmaco hoc vti. Sanat etiam veſicæ affectiones: datur & calculoſis. remedio eſt & colicis. Habet autem hoc modo. Nucum Põticarum repurgatarum, amygdalarum amararum mũdatarum, ſeminis cucumeris depurati, ſeminis caroi, ſing. drach. III. ſeminis papaueris albi, aut ſi nõ adſit, cicutæ dr. VI. croci, ſeminis maluæ, opii, cuiuſq; dr. VI. ſeminis hyoſcyami albi drach. XII. ſeminis apii drach. XII. excipe melle cocto, & informa paſtillos, datóque obol. III. cum aquæ
C mulſæ cyathis tribus. Aliud, ad exulcerationes renum & veſicæ. Damaſonii drach. II. palmarum drach. x. nucum pinearum drach. VIII. ſeminis cucumeris drach. IIII. aniſi drach. II. amygdalarum amararum drachm. II. croci drach. I. dato obolos VII. ieiunis cum paſſo diluto. quòd ſi damaſonium non adſit, eryngium conieci. Vtere etiam Xenophili antidoto ad calculoſos, capite XIII. præſcripto, & ſimilibus quæ ad exulceratã veſicam itémque renes valent, vnà cum hoc quòd arenulæ minguntur.

D

Diæta ex libris Archigenis, Cap. XXX.

Vitet æger omnem delaſſationem, & longiorem ac efferuentem geſtationem, maximè verò quæ fit in equo, vigiliáſque & omnẽ vehemẽtẽ concitationẽ: & è cõuerſo perpetuum otium, & balneorum aſſiduitatem. amplius autem & cruditates, & ſuprà quàm conuenit repletiones, & nequid crudum in cibo accipiat, & neque quod ægrè concoquitur, aut facilè corrumpitur, aut inflationes parit, ſumat: maximè tamen vitet quæ facilè aceſcunt, & quæ craſſi humoris ſunt, quæ vrinam cient, quæ ægrè ſe-
E cernuntur, quæ difficulter infernè excernuntur, & quæ amplius ventrem perturbant. item omnia acria & feruẽtia, & quæ accepta amplius adſtringunt, & magis reſiccãt, & non nutriunt: & quæ ſtomacho inimica ſunt, & quæcũque bilem, aut pituitam præcipuè, gignere poſſunt. quare & multus potus, & meracior potus, ac ieiunus potus, omnes incommodi exiſtunt, & vice verſa longa ſitis, & inedia, & eduliorum varietates, & ſuperflua condimenta: omne item nidoroſum & graueolens & putridum & crudum, præſertim olus, incommodum. Hæc enim omnia tũ
F renum tum veſicæ vlceribus inimica ſunt. atqui ſiquando appetitui gratificari velimus, lactucæ cauliculos, aut ſerin, cruda & cocta, minore offenſione ſumere poſſunt. A placentis verò & aliis pinguibus abſtinere oportet, & à pleriſq; bellariis. vua paſſa enim non incõmoda eſt, & nuces pineæ recẽtes duabus aquis maceratæ, & amygdalæ virides quidẽ, maturæ tamẽ & probè mũdatæ, ſiccæ verò nõ vetuſtæ, ſed præmaceratæ & decorticatæ. licet & piſtacium ſumere, melius quidem viride, aut ſi id non adſit, madefactum: minimè verò vetuſtum. Thebaica autem
G palma caryotus qui os non habet, ſiue id à natura, ſiue arte ei contigit, acerbior eſt, & ſtomachi & renum & veſicæ debilitati conuenit. Cæterùm genera quidem reliquorũ tandem deſcribantur: ſpeciatim autem panis ſit recens clibanites decenter apparatus. Ex volucribus, montanæ & teneram carnem habentes & non antiquæ. Ex pedeſtribus, cõuenĩetiores ſunt hœdorũ extremitates. Ex aquatilibus, ad renũ & veſicæ vlcera magis cõgruũt, apua marina minima aſſiduè comeſta. nõ inepti ſunt etiam aſelli parui, & qui gobii appellantur: extergunt item vlcera, gam-
H marus, locuſta, & aliquantulùm etiam ſquilla. cancer autem fluuialis, velut remedium præbeatur, & echinus recẽs familiariter permittatur: ex conchis verò & peloridibus parum quiddam varietatis gratia detur. Pro liquamine autem, intinctus ac voluptatis gratia, acetum modicum,

& quamminimum gari albi &boni concedendum.Parcè
autem vtendum eſt pipere & laſeris ſucco,naſturtioque&
ſinapi.ab eruca verò intotum abſtinendum. nam & ve-
nerẽ excitat. coitus autẽ omnibus renũ & veſicæ affecti-
onibus infenſiſſimus eſt,& maximè ſenibus ac natura im
becillioribus. Omnia porrò quæ in cibo ſumũtur, me-
diocris multitudinis ſint,etiamſi vtilia eſſe ferantur. A-
qua pluuia non corrupta omnino melior eſt:ex aliis verò
quæ nullam omnino guſtanti qualitatem exhibet,exqui-
ratur. A frigidæ potu intotum abſtinendum. frigidum
enim vlceribus inimicum.Balnei verò rarus ſit vſus. quò
verò aliquando appetentiæ gratificemur,& laſſitudinem
refoueamus, permittatur. Cæterùm naturales aquas ex-
periri nõ inutile fuerit:aluminoſas videlicet,ſulphurulen
tas & conſimiles,quales ſunt albulæ, & lactei temperamẽ
ti atque teporis.Frigida etiam lauare ac irritare,commo-
diſſimum eſt: ſupra naturam enim vlcerationes ægrè ſa-
nabiles,tum externas tum internas, deſtruit. De albu-
larum aquarum potu. Conferent itaque aquæ albulæ,ſi
adſint,& conſimiles poſt matutinam deambulationem,
trium heminarum menſura prima die potatæ:deinde vſ
que ad quinque & ſex heminas perueniendum. Ad hoc
enim quòd inteſtinum eluunt,aer etiam ipſarum fuligi-
noſus,veſicam ad doloris ſenſum percipiendum hebetat,
& humoribus ſegregatis,puriorem ac lucidiorem ſangui
nis vaporem reddit.quin & ipſæ aquæ vlcera vtiliter re-
purgant, & cum voluptate infrà ſubeunt, atque adeo ni-
hil ægro ſanando efficacius deprehẽdere poſſis. hora au-
tem calidior ad eas accipiendas apta eſt.Quòd ſi non ad-
ſit huiuſmodi aquarum qualitas, adſint autem aliæ nul-
lam guſtui qualitatem exhibentes, ſed latè ſe ad guſtum
diffundentes,hæ ipſæ reliquis meliores ſunt cenſendæ,&
proximo ab eis loco bituminoſæ. Nitroſarum etiã,ſi ad-
ſint,& ſalſarum experimentum ſumere prodeſt:maiorem
enim quàm credi poteſt,ſæpe ex his ſuccedentem vidi ef
fectum. Intercapedine autem & diſtantia à balneo facta,
aridarum rerum comeſtio primùm vtilis eſt, niſi ſitis ſi-
mul adſit:tunc enim aqua calida modica ſitis extinguen-
da eſt,aut aliquo vino dulciore. adſit autem & œnanthi-
tes & myrtites vinum:nã ea poſt balnea & exercitia vti-
liter ad vlcera delabuntur.

De veſicæ fluxione, & iis quæ capillorum forma
exeunt cum vrina,Archigenis, Cap. XXXI.

FIT aliquando & fluxio circa veſicam, vt aliquando
quidem mucoſa, & foliis ac lamis ſimilia, itémque
craſſa excernantur, & aut crebrò aut poſt temporis morã
lotia reddantur:aliquãdo autem aquoſa & tenuia. Noui-
mus autem quoſdam etiam pilos per lotium eieciſſe,mo
dò inuicem perplexos,modò ſimplices,& aliquando val
dè longos,aliquando breues,atque eos omnes à fluxione
productos. hæc ſanè Archigenes. Galenus autem de hoc
ita inquit, Capillis ſimilia etiam Hippocrates cum vrina
prodiiſſe vidit,& nos ſanè vidimus quandoque palmi lõ
gitudine,quandoque etiam longiora aut breuiora. ex co
lore autem & compage,perſuaſus ſum ex craſſo & viſcoſo
humore calfacto & reſiccato in venis eos coactos eſſe:
quare quumprimùm vidiſſem, per vrinam cientia phar-
maca medelam futuram ſperaui, atque ita ferè omni-
bus contigit. Cæterùm quibus hæc affectio accidit,nul-
la renalis mali acceſſione,neque antea neque poſtea ſunt
vexati, poſtquam videlicet per vrinam ducentia phar-
maca ſunt curati. Archigenes autem,Ad hæc,inquit, flu-
xiones ex locis remouere oportet, vniuerſique corporis
habitum, maximè verò circa renes & veſicam locos ven
dicare atque corroborare.

De priapiſmo &ſatyriaſi, Galeni, Cap. XXXII.

PRiapiſmus,tentigo eſt membri pudendi, & auctio in
longum & ſpiſſum citra rei venereæ appetentiam, ex
caliditate quadam acquiſititia cum inflammatione qua-
dam & dolore locorum conſiſtens. Appellationem autẽ
accepit priapiſmus à Priapo videlicet Satyro: tale enim à
natura habentem pudendum homines fingunt & pin-
gunt. Fit autem affectio aut ob dilatata venarum ac arte-
riarum in pudendo ora, aut flatu vaporoſo iuxta antro-
ſum neruũ,ipſum inquam pudendum,oborto.Mihi autẽ,
A inquit Galenus,propter vtrunque fieri videtur,ſæpius ta-
men ad dilatata venarum ora conſequi. Aliquando autẽ
propter abſtinentiam à rebus venereis,quidam hac affe-
ctione apprehenduntur, atque hoc ipſum eis qui multo
ſemine abundant,ſimúlque præter cõſuetudinem ſe abſ-
tinent,euenit,quum non per frequens& multum exerci-
tium,ſanguinis abundantiam diſcuſſerint. maximè verò
hoc illis contingit qui rebus quidem venereis opus ha-
bent,in imaginationem autem ipſarum perueniunt per
viſiones,quæ ipſos in rerum venerearum recordationem
B impellere poſſunt. Cæterùm dolores eis contingunt qua-
les tetanici habent,& ii qui reliquis membris diſtendun-
tur:inflatum enim & diſtentum pudendum,conuulſio-
nis modo afficitur,& ex præcipiti hoc modo affecti per-
eunt,niſi confeſtim eis auxilium feratur.quum verò mo-
riuntur, ventre inflãtur & frigidũ exudant. id quod & eis
euenit qui aliis conuulſionis modis perimuntur. Propter
dolores igitur & inflãmationes,venã ſecare ſtatim à prin-
cipio cõuenit ab affectione prehenſis, & in inedia adſer-
uare vſque ad dies tres,irrigaréque pectinẽ & coxendices
C vnà cũ pudẽdo,ex lanis ſuccidis vino & oleo imbutis:ſiti
item premere,& aluum obturatam euacuare non acri ni-
mium clyſteri,ne inflammationes exacerbentur. cibum
autem exhibere frumentaceum paucum atque omnino
nihil inflantem,& in aquæ potu continere. Quòd ſi diu-
tius duret affectio,etiam cucurbitæ cum ſcarificatione af
figendæ ſunt:& ſi amplius ſanguinis multitudo adiacere
videatur,hirudines adhibendæ in ipſum locum: catapla-
ſmata verò imponẽda ſunt ex cruda ordeacea farina.Opti
mum etiam fuerit aluum ſubmollire per betæ & maluæ
D decoctum, pauco mercurialis ſucco admixto. Concha-
rum item decoctum in potu exhibendum. ab efficacio-
ribus autem purgantibus pharmacis intotum abſtinen-
dum.Cauenda etiam quæ vrinæ ciendæ facultatem ha-
bent: vtendum autem cibis frumentacei generis qui le-
niter attenuare valent, citra manifeſtam calefactionem.
Lumbis verò quæ euidenter refrigerant imponenda, vel-
ut eſt ſolanũ, portulaca, hyoſcyamus & ſemperuiuũ. Ne-
ceſſariò etiam coles & intercapedo inter anum & puden-
dum,ex aliquo leniter refrigerante illinitur, velut eſt ar-
E genti ſpuma,cimolia & ceruſſa,ſi aceto aut poſca aut aqua
ſint diluta. Optimè autem facit in ipſis ceratum ex roſa-
ceo optimo apparatum,& frigida aqua ſæpe elutum,ſi tũ
pudendis tum lumbis imponatur. Porrò in latus decum-
bere ipſos,ex re eſt,& ſubſternere ea quæ ad ſeminis pro-
fluuium dicentur:in potu amplius præbere quæ ad illos
deſcribentur. A ſpectaculis verò & narrationibus ac com
memoratione eorum quæ ad venerem excitare queant,
penitus ſunt arcendi.

De ſeminis profluuio, Galeni, Cap. XXXIII.

F PRofluuium ſeminis excretio eſt eius præter volunta-
tem, citra pudendi tentiginem. nomen autem habet
ex eo quòd inuitis profluit ſemen.Fit autem affectio ipſa
ob retentiuæ in vaſis ſeminariis facultatis imbecillitatẽ.
Quemadmodum enim in iis qui ſecundum naturam in-
tegris viribus præſtant, ea quæ in nutrimentum cedunt
retinentur,& excrementa excernuntur: ſic in iis qui præ-
ter naturam habent,recrementa aliquando ob expulſiuæ
facultatis infirmitatem retinentur, & ob retentiuæ debi-
litatem excernuntur, aut etiam ob aliquam aliam affe-
G ctionem quæ ſeminariorum vaſorum partes eodem mo
do quo expulſiua ſecũdum naturam facultas,mouet:vel-
uti in comitialibus & aliis violentioribus conuulſionibus
contingit,aliquando etiam in iis qui ex conuulſione mo-
riuntur,vt videlicet ſemen eis excernatur. Profluuium
igitur ſeminis,vaſorum ſeminariorũ affectio eſt,non pu-
dendi,quæ dolorem quidem non ita valde inferre ſolet,
moleſtiam autem non vulgarem & pollutionem exhi-
bet,ob aſſiduum & inuitis contingentem ſeminis flu-
H xum. Oboritur autem aliquando etiam ex ſeminariorum
vaſorum fluxione:quandoque etiam ſatyriaſi præceden-
te,profluuium ſeminis ſuccedit.contingit autem affectio
maximè pubertatem tranſgreſſis citra decimumquartũ
annum: imò aliis item ætatibus. Eſt autem ſemen quod
profluit, aquoſum, tenue, citra appetentiam coeundi, &

vtplurimùm quidẽ citra ſenſum,quãdoque verò cum voluptate quadam promanans. Corrumpitur affectis ſenſim vniuerſum corpus ac gracileſcit, præſertim circa lũbos. Conſequitur & debilitas multa,non ob multitudinem ſeminis profluentis ſed ob locorum proprietatem. Non ſolùm autem viris ſed & mulierculis hoc accidit: & in fœminis ſanè ægrè tollitur. Cæterùm cura,communis eſt cũ ea quæ in omni fluxione adhibetur. Primùm igitur in quiete,& pauco cibo,ac aquæ potu affectos aſſeruare oportet:deinde etiã lũbos & pubẽ cõtegere lanis vino & roſaceo,aut œnanthino, aut melino madefactis. neque verò ineptæ ſunt ſpongiæ poſca imbutæ. Sequentibus verò diebus cataplaſmatis ex palmis, malis, acacia, hypociſthide, œnanthe, rhoe rubro, & ſimilibus. Inſeſſibus item adſtringentibus vtendum eſt,ex lentiſci,rubi,myrti,& ſimilium,in vino auſtero ſiue mero ſiue diluto decocto. Cibis autem vtendum qui ægrè corrũpũtur,& difficulter permutantur,& reſiccandi vim habent. Dandum etiam cum potu ac cibis,viticis ac cannabis ſemẽ,præſertim toſtum. rutæ item ſemen ac folia,lactucæ ſemen & cauliculi, ac nymphææ radix. In potu verò quotidie pro communi aqua, aqua in qua ferrum ſæpe extinctum eſt præbeatur. Quidam verò corticẽ radicis halicacabi ex aqua eis bibendum præbuerũt. neque ineptum fuerit huius aliquãdo periculum facere. Antidotus etiam hæc magnæ celebritatis,tum ad hoc modo ſemen profundentes, tum ad aſſidua in ſomnis profluuia cõmodè exhibetur. Seminis ſalicis drach. VII. calaminthæ drachm. VI. ſeminis viticis albæ drach. V. rutæ drachm. IIII. ſeminis cicutæ drach. II. cum aqua in paſtillos digerito, & ex eis ad Ponticæ nucis magnitudinẽ cum poſcæ cyathis tribus præbeto. Omnẽ verò acrium rerum eſum,& multi vini potum, & olerum exhibitionem vitare oportet:diætam verò vniuerſam reſiccatoriam & adſtringentem conſtituere. Poſt prima autem mox tempora, ad vnctiones & exercitatricem diætam tranſeundum,per quam totum corpus,& præſertim affecta,ad ſanitatem perducantur. & plurimo quidem tẽpore circa vnctiones immorandum: paucies verò lauandum, ſi aut laſſitudini aut cruditati mederi velimus. Bonum fuerit etiam(ſi nihil prohibuerit)ad frigidæ lauationem defugere,quæ omnem morbum ex fluxione obortum depellere conſueuit:maximè ſi medicamentaria qualitate aqua prædita ſit, velut ſunt in albulis aquæ, quæ etiam in potu acceptæ eis ſummè proſunt. ſunt autem ſapore ſubſalſo,& tactu lactei teporis. Conuenit item per interualla quædam, illitionibus & epithematis & malagmatis vti, quæ rubefacere & emollire poſſint, atque ea quæ in profundo hærent ad ſuperficiem transferre. Decubitus porrò frequenter in latus fiat,calaminthæ foliis, & rutæ ac viticis ſubſtratis. Epithema autem in eis vſuuenit hocce. Capillum Veneris multum contundito & terito cum aceto,aut apii ſucco,aut ſeridis,aut pſyllii, eóque cochlearum carnes coctas excipito, & ſimul in linteolum infarta coxendicibus imponito. Vtendum verò & præſcripto ad priapiſmum cerato,& iis quæ paulo mox ad ſeminis in ſomno profluuia dicentur. Omnem autem de rebus venereis cogitationem excludere oportet.

De ſeminis in ſomnis profluuio, Philagrii, Cap. XXXIIII.

Semen in ſomnis profundere dicuntur,quicunque dũ dormiunt, naturæ genitale ſemen emittunt: quod ipſum eis vtplurimùm ob vitiati humoris materiam, aut materiæ multitudinem,aut ob partium ſeminalium robur contingit. Iam verò quidam & ob animi mœſtitiam aut inediam,per ſomnos præter conſuetudinem ſemen excreuerunt:atque id materiæ acrimonia irritati,non ob partium ſeminalium robur,pertulerũt. Huiuſmodi ſanè, qui videlicet animo mœſti fuerunt aut inediam diutius pertulerunt, in totum ferè nulla imaginatione præcedente,citra ſenſum etiam in ſomnis profluit ſemen: reliquis autem non ſolùm cum pudendi intenſione, ſed etiam cũ quadam propoſita imaginatione quæ in ſomnis occurrit, inordinatè ſemen profunditur. Cæterùm peſſimus corporis habitus hic eſt, quum ſemen multum & calidum aliqui generãt,quod eos ad excretionem vrget,atque poſtquàm per coitum eiecerint,exolutionem oris ventris patiuntur,& toto corpore exoluũtur,debiléſque fiunt & ſicci,& tenues,& pallidi. oculos etiam cauos habent hoc modo affecti. Quòd ſi à coitu venereo abſtineant,propterea quòd ita afficiantur,capite diſcruciantur: itémque ſtomacho,& æſtu faſtidióque anguntur,nihílque magnopere ex continentia iuuantur: contingit eis per ſomnum ſemen profundentibus conſimilia perpeti offendicula,qualia coeundo perpeſſi fuiſſent. Quidam verò ipſorum mordax & calidum ſemen percipiunt in excernendo, veluti ipſi confitentur. His igitur,inquit Galenus,conſulere oportet, quò à cibis ſemen gignentibus abſtineant: accipiant autem non ſolùm cibos,ſed & pharmaca quæ ſemen extinguant,veluti eſt viticis ſemen toſtum & perfrictum:folia item & flores venerem cohibere creduntur, non comeſta tantùm ſed & in potu ſumpta & ſubſtrata. Lentium verò decoctum etiam membri tentiginem remittere ac ſedare aiunt. Portulaca comeſta, & lactucæ ſemen potatum, & nymphææ radix & ſemen in cibo accepta, ſemen refrigerando extinguunt. Ruta verò comeſta calore ſuo ſemen coagulat & corrumpit. Calaminthen autem aſſiduè edentes, generandi potentia priuari dicuntur. id quod ſimiliter & violæ albæ ſemen, & hederæ cacumina nigra tria faciunt. Cæterùm aqua fabrorum ferrariorum in qua ferrum ſæpe extinctum eſt, aſſiduè potata, citra moleſtiam imminuit ſemen. Horum autem omnium ſylua vniuerſa,in ſecũdo huius tractationis præſcripta eſt ſermone. Compoſitis porrò ad ipſos vtor, tum iis quæ ad ſeminis profluuium ſunt præſcripta, tum hoc ipſo. Ammii grana VI. fœniculi tantundem,foliorũ rutæ parum quiddam cũ caricis pinguibus tribus, per menſem ſemel edito,aut quotieſcunque velis. Atqui aſſiduum eorum quæ vehementer refrigerant vſum, tum in iis quæ per os exhibentur tum in eis quæ forinſecus apponuntur,vitare oportet: veluti ſunt ea quæ ex papauere & mandragora apparantur vnguenta. Illitiones autem à balneo adhibeantur ex mediocriter refrigerantibus. ſũt autem hæc,oleum ex crudis oliuis expreſſum quod omphacinum appellatur:roſaceum,maximè quod ex omphacino eſt apparatum,& melinum. Componenda autẽ ſunt aliquando vnguenta compage craſſiora, ne videlicet facilè defluant. Compoſitio verò ipſorum eſt ex cera,& ſucco aliquo adſtringente aut refrigerante commiſſis hoc modo: Ceræ partem vnam cum quadruplici oleo liquefacito,deinde in mortario cum manibus ſufficienter emollito, & paulatim ex ſucco refrigerãte quantũ expedit inſtillato,vnito,ac vtitor. Succi verò ad hãc rẽ apti ſunt,ſuccus ſemperuiui,ſolani,vmbilici Veneris,pſyllii,& ſanguinariæ, tribuli, perdicii, nymphææ & portulacæ: verùm hæc ſuccum non emittit, niſi ad eam contuſam in pila, aliquis alius tenuis ſuccus affundatur,vuæ præſertim immaturæ & roſarum, qui ſanè in æſtate facilè parabiles ſunt: alii verò multi etiam aliis temporibus haberi poſſunt,veluti lactucæ, ſeridis, ſtratiotæque & lentium quæ in aquis naſcuntur. ſemen lini etiam in aqua coctum, ſuccum moderatè refrigerantem reddit: rhamni item foliorum ſuccus, & quæ his ſimiles exiſtunt. Optimum etiam cenſetur laminam plumbeam lumbis ſupponere, tum eorum qui in ſomno,tum qui aliâs ſemen profundunt: multùm enim refrigerare conſueuit. In iis verò qui plumbi duritiem ferre non poſſunt,conſulere oportet vt ex prædictis herbis quædam arefactæ ſubſternantur: quibus etiam viticis folia & modica ruta ac calaminthe commiſceantur,maximè verò ipſæ roſæ. proſunt enim hæc citra renum læſionem. Vehementes nanque refrigerationes eorum quæ in lumbis ſubduntur, renes iniuria afficiunt. Ipſum etiam ſtratum, pelliceum ſit & non valde molle. Decubitus porrò vtplurimùm in latus fiat, vitata forma decubitus ſupina, ne lumborum arteriæ inde ſupercalfiant. Atque hæc quidem communis eſt omnium quibus ſemen in ſomnis profluit,cura. Cæterùm eos qui prædictum vitioſum corporis habitum & conſtitutionẽ habent, de illis dico, quibus ex coitus vſu ſtomachus iniuria afficitur: illos, inquam, obſeruare oportet quando maximè ſeminis multitudo quæ excretionem expe-

tat, cōgregata appareat:& tunc ſanè in die quadā moderato ac boni ſucci cibo vſi,à cœna quum ad ſomnū vertūtur,coitu vtantur:ſequenti verò die quum ſufficiēter dormierint,& à ſomno ſurrexerint,linteolo corpus perfricēt, donec cutis quendam attrahat ruborem : deindéque olei confricatione & intritu moderatè vtantur , & aliquantulo temporis ſpatio interiecto,panem bene fermentatum, clibanitem , purum , modicum,ex vino diluto accipiant, atque hoc modo ad conſueta munia obeunda perueniant.Eo verò tempore quod inter olei intritum & panis exhibitionem intercedit , ſi locus adſit, in vicinia aptus,in eo pauliſper deambulent:ſi verò hyemis tempus inſtet,melius fuerit tandiu intus deambulare . Abſtineant autem à ſpectaculis & lectionibus quæ venereæ rei vſum in memoriam reuocare poſſunt. Et quotidie ſanè hoc modo affecti exerceantur his exercitiorum generibus quæ per ſupernas partes fiūt.At verò corroborationem ſtomachi ex eſu panis communem deſignamus in omni homine cui bilis efferueſcit,& qui ſtomachum exolutum habet.Quare & hi circa horam tertiam diei modicum panem ex vino cum calida aqua diluto madefactum accipiant,atque ita ad conſuetas operas prodeant.

De iis qui re venerea vti non poſſunt, Cap.xxxv.

QVI re venerea vti cupiunt,ignaua autem & impotētia mēbra habent,infernas corporis partes exerceāt, inguináque & femora his confricent, pipere videlicet, nitro & euphorbio cū oleo, vnguentíſque ex huiuſmodi rerum admixtione apparatis:exempla autem componēdi paulo pòſt dicemus .Dormiant in mollibus lectis, legántque quæ ad coitū cohortantur,lectionibus itē ac ſpectaculis eiuſmodi aſſideant. Cæterùm edulia & pharmaca ipſis conueniunt calefacientia & inflantia, veluti ſunt, cicer, fabæ, alica, porri, bulbi, paſtinacæ radix & ſemen moderatè,nuces pineæ,ari radix cocta,colocaſii radix cocta, itémque dracunculi,vrticæ ſemen, rapi ſemen, erucæ tum folia tum ſemen , maximè agreſtis : coſtus & piper cum vino mulſo,ſatyrium, ſeſamum, horminum, amygdalæ moderatè,aniſum polypodes & concharum genera omnia:perdicis itē oua ad coitum excitant , & teſticulus galli.Seminis verò multitudinem augent omnia bono ſucco prædita:teſtes vulpis ſicci triti cochlearii menſura potati innocuam & minimè vanam membri tentiginem faciunt: partes etiam renes ſcinci amplectentes ad tentiginem pudendorum excitandam bibuntur. Orchis, herba eſt quæ teſticuli appellationem habet, eius maior bulbus cum lacte pôtatus tentiginem ciet : minor verò cum aqua potatus tentiginem remittit. Cōpoſitum tentiginem ciens, & faciens ad languorem membrorum, ac reſolutionem. Sinapis,radicis panacis,ſeminis erucæ,cuiuſque drach.viii. ſeminis cardamomi drach.iiii.piperis grana xx. redigito in paſtillos cum erucæ ſucco, & dato drach.i.ieiunis cum vino veteri adſtringente. Aliud. Seminis hederæ nigræ, floris chamæmeli , ſeminis oxyſchœni,cuiuſque drach.iii.ſeminis erucæ,piperis albi,ſinapis,cuiuſque drach.i. pyrethri drach.iiii.excipe melle, & ad ſtrigmentorum ſpiſſitudinem redige, præbe à balneo nucis Ponticæ magnitudine. Aliud. Pudendum cerui aridum vrito,& drach.i. cum vino meraciore præbe.experimento conſtat. Aliud,quo & ego vtor. Seminis hormini, ſeſami,piperis, ſeminis erucæ, ſinapis, nucū pinearum,caudæ ſcinci,ſatyrii, floris iunci odorati,ſtyracis,ſeminis porri,vuæ paſſæ, ſingulorum æquales partes, mellis quantum ſatis eſt:præbe drach.i. Aliud,quo etiam ipſe vtor. Salis communis torrefacti ſeſquiſextarium Italicum,hoc eſt vnc.xxxvi. ſeminis hormini ſcrupulos duodecim,ſpicæ nardi vnc.i. ſalis ſcinci vnciam vnam,caudæ ſcinci dr.iiii.ammii ſcrupulos duodecim, ſatyrii ſextantem, piperis vnc.i. ſeminis cardamomi vnc.i. ſeminis fœniculi vnc.i.myrrhæ vnc. i. ſeminis erucæ dr. vi.ſeminis verbenacæ ſupinæ aridi drach.tres,ſeminis ſāguinariæ ſicci drach.ii.nucum pinearum vnciam vnam, phyſſalidum drach.iii. ſeminis hyperici drach.iiii.cōtūdito cribrato,& ad veſperam cochlearium quomodocunque velis exhibeto. Aliud vehementer efficax. Myrrhæ,piperis,ſpicæ nardi,tragacāthæ cuiuſque,dr.i. thuris ſeſquidrachmam, croci drach.i. ſtyracis, galbani, dauci, ſeminis hormini,cuiuſq; drach.ii.canchryos,ſeminis fœniculi,ſeminis lini,ſeminis vrticæ,ſeſelis,cumini Æthiopici,aniſi, ſeminis erucæ, cuiuſque drach. ſex, erui albi toſti drach.ſex, ſeminis apii drach.tres, ſeſami non loti drach.decem,amygdalas amaras delibratas quindecim, amygdalas dulces triginta,nuces pineas centum, bulbos crudos magnos ſex, mellis quantum ſufficit vt ad cerati craſſitiem redigatur.præbe drach.i.ante cœnam,cum vino mulſo maximè,aut vino auſtero.Facit ad tentiginem, & ſuperabundantem rei venereæ vſum ciendum,in ſenibus præſertim & debilitatis.Facit & ad liberorū procreationem. Vnguentum efficaciſſimum. Olei vetuſtiſſimi lib.i. erucas in tithymalis repertas nonaginta ſex:erucas in æſtate dum in vigore eſt herba,accipe, & in oleum cōiectas,ad ſolem per dies ſeptem expone, & poſtea oleo vtere:ani & pudendi intercapedine, itémque lumbis ex eo confricatis.Idem etiam pinus erucæ faciunt,& tentiginem vehementer cient. Oribaſii ſatyrica. Zingiberis,radicis ſatyrii ſuperioris,cuiuſque drach.octo, caudæ ſcinci,mei,aſari, petroſelini, cardamomi, ſeſelis, cuiuſque drach.quatuor,ſeminis erucæ drach.tres,cinamomi drach.tres.hormini,piperis, ſeminis vrticæ, cuiuſque drach.ii.floris iunci odorati drach.i. ſpicæ nardi drach.i. ſanguinis hircini ſicci cochleariū plenum.datur drach.i. cum vino,imbecillioribus verò cum lacte. Oribaſii,ad pudendi languorem ac reſolutionem,præſertim ſenum.

Seminis erucæ drach. ii. cumini vnc. i. portulacæ vnc.i.excipe melle,& manè ac veſperi cochlearium præbe. Porrò ad coitum concitat paſſer troglodytes appellatus,in cibo acceptus. Verùm iis qui frequentius & ſuprà quàm conuenit inde coeunt, vrinam capræ bibendā præbe. Oribaſii,tentiginem ciens. Piperis,petroſelini,nucum pinearum, ſcobis pudendi ceruini aridi, terebinthinæ,æquales omnium partes melle excipe , & cum vino bibendas præbe. Aliud,Oribaſii. Stellionem vſtum quamtenuiſſimè conterito, deinde oleum affundito,atque ex eo magnum dextri pedis digitum inungito,& coito:vbi verò à coitu ceſſare velis, digitum ipſum abluito. Aliud eiuſdem. Leporis coagulum,aut leonis adipem pudendo illinito: deinde tria piperis genera cum tragacāthæ ſucco teſticulis intercapedini inter anū & pudendum ac lumbis oblinito. Ex Rufi libris vnguētum efficax tentiginem ciens. Myrrhæ drach.i.ſulphuris viui drach.i.cnici interioris drach.i.pyrethri obolos duos, melanthii drach.ii.piperis grana triginta . grana cnidia depurata viginti,contundito,& cum drach.i.ſucci ſquillæ terito,ceræque vnciam vnam cū olei cicini beſſe colliquato:mellis item quadrantem adiicito· vtitor. poſt coitum verò,cum linteolo loci diligenter extergantur. quidam verò hoc vnguento ſedem illinunt. Porrò Rufus etiam hæc addit: Facilè eſt, inquit, & hîc remediū reperire iis qui venere vti non poſſunt. Adoleſcens enim quiſpiam nos acceſſit, & ſe vehementer coitum appetere confeſſus eſt:verùm vbi commiſceretur,ſemen emittere non poſſe,ſed flatus plurimos ſibi per ſedem erūpere.In hoc itaque cōiecturam feci , vaſorum ſeminariorum ſiccitatem adeſſe : quod ipſum etiam adepta ſanitas demonſtrauit.nam poſtquam humida & boni ſucci diæta eſſet vſus,ſemen emiſit. Alius item adoleſcēs domeſticus miniſter,confeſſus eſt ſe,quando cum muliere rem haberet,ſemen effundere non poſſe : quum verò dormiret,plurimum ei ſemen prodire. Viſum itaque mihi eſt, vaſa eius ſeminaria propter multam vnà cum frigiditate humiditatem,calfieri non poſſe:propterea quòd caliditas in coeundo ad corporis ſuperficiem diffunderetur: in ſomnis verò amplius calefieret , propterea quòd ſomni interna calefaciunt,& refrigerant exteriora . Quare hunc ipſum infernas partes exercere iuſſi , atque id maximè per equitationem. Caſtoreum etiā bibendum præbui, & diætam omnem calidam & ſiccam conſtitui.

INDEX EORVM QVÆ IN QVARTO SERMONE Tetrabibli tertiæ Aetii habentur.

DE iſchiadicis ſiue coxendicum dolore, Cap.I.
De herba iberide, quæ & cardamine appellatur, eiúſque ſinapiſmo, Cap.II.
De vſtione, Cap.III.
Cura affectionis exacerbatæ, Cap.IIII.
Epithemata & malagmata ad iſchiadicos, Cap.V.
De podagra & arthritide ſiue articulorum morbo, Cap.VI.
Cauſæ vniuerſales, Cap. VII.
Quare in quibuſdam magnus fit morbus, in aliis verò paruus, Cap.VIII.
Quare multo tempore aut pauco morbus duret, Cap.IX.
Quæ ſit incuruatorum articulorum cauſa, Cap.X.
Quæ cauſa generationis toforum in artubus, Cap.XI.
Quæ cauſa ſit cur inflammationes in podagricis non facilè ſuppurentur, Cap.XII.
Quomodo ex inflammationibus & conſequẽtibus acceſſionibus ſiue ſymptomatis, affligens humor cognoſcatur, Cap.XIII.
Sanguinei humoris influentis ſigna, Cap.XIIII.
Bilioſi humoris ſigna, Cap.XV.
Pituitoſæ fluxionis ſigna, Cap.XVI.
Bilis atræ influentis ſigna, Cap.XVII.
Seroſarum fluxionum ſigna, Cap.XVIII.
De iis qui ex humorum complexu fluore infeſtantur, Cap.XIX.
Diæta & cura podagricos præſeruans, Cap. XX.
De olei & ſalis affrictu in podagricis, Cap.XXI.
Vniuerſalis methodus curationis podagricorum, Cap.XXII.
Cura eorum qui ex ſanguinis copia ægrotãt, Cap.XXIII.
Quòd eleuatas & incuruas venas, ex membris fluxione infeſtatis, velut in varicibus, auferre oporteat, Cap.XXIIII.
De peruſtione in morbo articulari, Cap.XXV.
Cura in fluxibus ſanguineis poſt ſanguinem euacuatum, Cap. XXVI.
Cura eorum qui neque venæ ſectionem, neq; purgationem ſuſtinere poſſunt, Cap.XXVII.
De iis qui ob bilis influxum ægrotant, Cap.XXVIII.
Parabilia remedia ad inflammationes non valde feruentes, Cap.XXIX.
De ſtupefacientibus medicamentis Cap.XXX.
Vnguenta recalfactoria quæ poſt ſtupefactiuorum vſum adhibentur, Cap.XXXI.
Pharmaca & edulia eorum qui flauæ bilis influxu infeſtãtur, Cap. XXXII.
Cura eorum qui ob pituitæ influxum ægrotant, Cap.XXXIII.
Cura eorum qui ex atræ bilis influxu ægrotant, Cap.XXXIIII.
De iis qui ob tenuem & feroſum influxum ægrotant, Cap.XXXV.
De fluxionum inter ſe complexu, Cap.XXXVI.
Cura affectionum ex ſanguinis & bilis complexu, Cap.XXXVII.
Cura bilis ad pituitam permixtæ, Cap.XXXVIII.
Cura humorum atræ bilis aliis permixtorũ, Cap.XXXIX.
Cura durorum humorum qui poſt inflammationes relinquuntur, Cap.XL.
De tumorũ crudorum & incoctilium cura, Cap.XLI.
Malagmata diuerſa, in quibus etiam Leucii malagma eſt, ad articulorum diſtortiones deſtinatum, Cap.XLII.
Cerata podagrica, Cap.XLIII.
Vnguẽta & acopa diuerſa ad podagricos, articulorũ dolores, iſchiadicos, membris exolutos, & trementes, Cap.XLIIII.
Ad duritiesin artubus inſtar toforum, Cap.XLV.
De medicamentis purgatiuis articulari morbo accommodatis, Cap.XLVI.
Antidoti podagricæ, Cap.XLVII.
Qui podagrici lauandi ſint, & quomodo, Cap. XLVIII.

AETII MEDICI GRÆCI CONTRACTAE MEDICInæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis tertii, Sermo quartus,

De iſchiadicis ſiue coxendicum dolore, déque podagra & articulari morbo, quem Græci arthritidem appellant.

De Iſchiadis ſiue coxendicum dolore, Cap.I.

ARCHIGENIS. Iſchiadici, *hoc eſt ex coxẽdicũ dolore affecti*, propriè dicũtur quib⁹ dolor circa iuncturam quandam vertebrarũ innititur. Antecedit autem & quaſi auſpicatur hoc malum, aliquãdo quidem vicinorum muſculorum dolor, & maximè lũborum: aliquando verò ab ipſa iunctura initium fit affectionis. Iam verò quandoque etiam contingit vt vertebri dolore ferè ſublato, circa poplitẽ ſolùm afflictio hæreat: aliis autem iuxta talum: quibuſdam verò totum crus æqualiter dolore affligitur. multis item circa inguina dolor figitur, & tum ſanè veſica ipſa moleſtiam tranſſumẽs vrinæ difficultatem inducit: & tunc maximè totum crus à coxendicibus vſque ad calcaneum dolorem perfert, & non ſolùm ſi ipſum crus moueatur, conuulſiones infert: verùm ſi etiam aliqua alia corporis pars agitetur. Generant autem hanc affectionem aſſiduæ cruditates, & immodicus rei venereæ vſus: aliquando etiam deambulationes concitatiores, & hæmorrhoides ſuppreſſæ, & vomẽdi conſuetudo intermiſſa, & purgationes menſtruæ, aut etiam aliæ familiares excretiones impeditæ, & exercitiorum contemptus. Communis quidem igitur iſchiadicis, podagræ, & articulari morbo, exiſtit valida alicuius humoris vbertas, quæ affectum articulorum nexũ occupat, quo impleto exporrecta neruoſa corpuſcula tenſione affliguntur, atque ex his oboritur dolor. Cæte-

A rùm ad affligentis humoris cognitionem, conferet diæta quæ præceſſit, & anni tempus, & aeris nos ambientis ſtatus, ætáſque & habitus, itémque color corporis: amplius autẽ & doloris ſpecimẽ, ſiue feruẽs & pungẽs, ſiue ſtupidũ. Initiũ igitur curationis fiat ab affligentis humoris euacuatione, & ſi quidẽ humoribus ex æquo redũdarit corpus, præ omnibus venæ ſectio aſſumatur: deinde etiam purgatio. poſtea verò ea quæ dicentur pharmaca opportunè & ordinatè adhibeantur, ita vt in manibus quidẽ & pedibus pharmacis fluxum repellentibus vtamur: circa coxendicũ

B verò iũcturã id facere vitemus. Quum enim hic cõnexus in alto ſitus ſit, ſanguis ex vicinis & ambientibus venis ac muſculis ad ipſum impellitur: quare lenitiuis in principio opus eſt pharmacis ad coxẽdicũ dolorẽ, atq; ea neq; omnino refrigerẽt, neque fortiter calfaciãt. Etenim quæ refrigerãt, ad cõnexũ materias impellunt: quæ verò vehementer calfaciunt, aliã amplius materiã ex adiacentibus partibus attrahũt. A multitudine itaque ſanguinis coxẽdicũ dolorẽ obortum, venæ ſectio curat, ſi primùm cubiti

C venã ſecemus: deinde etiã eam quæ iuxta talos eſt, aut poplitem. In principio enim omniũ inflammationum, diuulſoriam venæ ſectionem facere oportet, veluti ſi pes ſit inflãmatus, ex vena è directo loci affecti ſita ſanguinẽ extrahemus: in affectionib⁹ verò iã inueteratis, maximè quidẽ ex ipſis locis affectis extrahemus: aut ſi id fieri nõ poſſit, ex vicinis. Poſt ſanguinis verò è cubito detractionem, à talo repetita ſectione auferre oportet: ſecãda eſt autẽ in

terna vena iuxta talos ſita.viriliter enim imbecillis auxi-
liatur. Et ſcio, inquit Galenus, coxēdicū dolores in vna
die curatos per hāc ex cruribꝰ euacuationē,maximè ſi nō
à frigiditate ſint oborti,ſed ex vaſorū ſanguinis circa co-
xēdicē repletione. In omni quidē coxēdicū affectione,
præcipuè tamen ea quæ humoribus ex æquo redundan-
tibus oboritur, ſiquis prius quàm corpus euacuet, acri-
bus pharmacis ad affectam particulam vtatur,ægerrimè
ſanabilem affectionem reddit,vtpote multitudine ibidē
inſolubiliter condenſata.ſupra reliqua enim inſpiſſatur
& viſcoſa redditur,& ob acrium pharmacorum calidita
tē & ſiccitatē,nō diſſimile quippiā aſſationi perpetitur.
Ab euacuatione igitur totius corporis, vt quæ maxima
facultate ad huius affectionis curam præſtet,curandi ini
tium faciemus:& non ſolùm à cruribus, ſed & à cubito
primum ſanguinem extrahemus. Sunt & vomitus iſchia-
dicis commodi,atque adhuc amplius quàm per vētrem
euacuationes,nimirum retrahentes humores infrà repē-
tes.Eos igitur in principio affectionis facere à cibo expe
dit.inueterato verò malo,etiam à pharmacorum vomitū
cientium acceptione, ita vt à mediocribus incipiamus.
Porrò quibus iam indiſſolubilis humorum coactio in
ipſo articulo à medicis per immodicū acriū pharmaco-
rū vſum facta eſt,his cucurbita quāmaxima cū ſcarifica-
tione locis affixa auxiliatur,& purgatio per infuſa effica
ciora. Qui igitur iam dicta præ oculis habuerint, etiam
præſcriptis à veteribus medicis pharmacis iuxta metho
dum poterunt vti.Itaque poſt venæ in cubito ſectionem
& à talo item ſanguinis detractionem,aut per purgati-
uum euacuationem,vbi videlicet aluus leniori clyſtere
iniecto excreuerit obturata,irrigare locos oportet, pri-
mùm quidem ex oleo rutaceo.poſtea verò etiam effica-
cior irrigatio adhibēda quæ ſēſim calfaciet, & materias
ex alto ad ſuperficiem attrahere poſſit,qualis eſt quæ ex
cyprino,aceto, nitro,& canchry conſtat:ita vt octo qui-
dem cyathi olei cyprini, quatuor verò acris aceti, duo
autem nitri,& vnus canchryos coniiciantur,& donec ter
aut quater efferueant coquantur: pòſt verò,expreſſus &
in lanis ſuccidis exceptus ſuccus,ſuper affectos locos im-
ponatur:verùm quotidie renouare hanc irrigationem o-
portet,& tribus vicibus hoc fotu admoto,profectus ani
maduerſionem habeto.Multos enim,inquit Archigenes,
vidi qui nullo alio præſidio opus habuerunt.Ego verò,
inquit,poſt prædicta etiam ſimpliciorem clyſterem in-
fundo,& ſequenti die acriorem,atque haud ſcio an vllus
tam degener coxendicum dolor reperiatur, qui huic
præſidio non cedat:aut ſi aliquando ad primā adhibitio
nē nō ceſſit, poſt alterū eiꝰ vſum penitus excisus eſt. Ap-
paratur autem acrior clyſter hoc modo: Mellis ſeſqui-
cyathum,olei tantundem,aquæ cyathos duos,nitri dra-
chmas octo,terebinthinæ drach.IIII. hæc vnita & calefa-
cta infundito,& podici fomentū apponito, quò diutius
infuſum cōtineatur:nā ſic magis operatur: vtplurimùm
verò mucoſam humiditatē extrahere cōſueuit.aliquādo
autē & ſanguinē,quando etiā maior cōmoditas reſultat.
Quòd ſi adhuc affectio ipſa perſiſtat, paucis diebꝰ inter-
poſitis(non tamen vt prioris præſidii vtilitatem demo-
liamur)rurſus clyſtere vtemur,pro ſimplici aqua, cētau-
reæ decocto ad prædicta affuſo, quò robuſtius pharma-
cum reddatur.Supra opinionem autem ipſis commodat
cucumeris ſylueſtris radix in tenues partes conciſa,dein-
de paululùm cocta,atque decocto eius cum ſolo melle
infuſo,citra omnem mordacitatem euacuat affligētem
humorem.Optimè etiam facit lupinorum amarorū de-
coctum cum pari oleo infuſum . Sæpe enim , inquit Ar-
chigenes,hæc prædicta cura ad omnes iſchiadicos mihi
ſuffecit.Quòd ſi tamen affectio adhuc remoretur, cucur-
bita quammaxima,cum plurima flamma locis affigatur,
vulnuſculis etiam altioribus per ſcarificationem impa-
ctis.Cæterùm & reliquam curam referre operæpretium
exiſtimo, vt nota ſit ſiquando vſus eius neceſſariò expe-
tatur.In omni enim tempore plurima curationis princi-
pia cōſtituenda:hoc enim modo facilius affectio deſtrue
tur,ſi aſſiduè præſidiorum permutationes fiant. Itaque
vbi rurſus mederi cœperis,vomitibus vteris ſiue à cœna

A ſiue à raphani acceptione cōcitatis:deinde loci affecti &
totū corpus in balneo per nitrū extergatur: poſt balneū
autē,loci ex vnguento per adarcem & euphorbiū cōpo-
ſito illinantur. Deinde rurſus aliud medendi initium à
purgatione facies.Solitus autem fui,inquit,purgatiuum
ad iſchiadicos aſſumere huiuſmodi: Colocynthidas
quotquot velis accipito,& deraſa ac proiecta medulla,i-
pſas oleo optimo expleto,& totam noctem ſinito.dein-
de oleo per ſe effuſo,cum vacuo colocynthidis capite a-
B quam vna & dimidia olei menſura commenſurato,ac in
ollam fundito,atque cum eaipſa communi aqua colo-
cynthidas ipſas donec flacceſcant coquito : & expreſſas
ipſas quidem abiicito,liquorem autem excolato,& affu-
ſo ad ipſum oleo feruefacito,ac panis ſiliginei cōtuſi ac
cribrati quantum ſatis erit inſpergito, manibúſque ſatis
diu emollito, ac pilulas ad nucis Ponticæ magnitudinē
formato,ex eiſque XXIIII. pilulas à balneo exhibeto. Si
verò fortius reddere pharmacum velis,ad hanc doſin,ve
ratri nigri corticis tenuiſſimè triti obolos tres, & ſcam-
C moniæ ſcrupulū vnū,adiicito . Poſſum autem idem de
hoc præſidio quod ſuprà de clyſteri dixi,referre, quòd
videlicet ſolum aliquando ſufficit etiā eam quæ per mul
tum tempus indurata eſt,coxendicum affectionem extir-
pare.licet itaque eo ſæpe vti:multitudine tamen eius im-
minuta.& ſanè moderatam eius multitudinem obſerua-
uimus numerum XVIII. pilularum.Eis verò qui pilulas
deuorare non poſſunt,colocynthidis cremorem exhibe-
to hoc modo . Colocynthidem quāmaximam perfora-
to,& eiecto ſemine,relicto autem eo quod inſtar tomen-
D ti ineſt,in totum colocynthidem ex vino dulci veteri ex-
pleto,& per totam noctem ſinito, & cum defecto ex ea
operculo cooperito.manè verò excolatum per pannicu-
lum vinum & tepefactum, bibendum præbeto. Si verò
parua fuerit colocynthis, duas pro vna vino expleto,&
exhibeto.Quòd ſi efficaciorem reddere velis hunc cre-
morem,veratri nigri obolos tres adiicito, & ſcammo-
niæ ſeſquiobolum. Cæterùm per interualla quædā præ-
dicto clyſtere ex cucumeris videlicet ſylueſtris radice ap-
parato,etiam ad ipſos vtaris.

De herba iberide quæ & cardamine appellatur,
E eiúſque ſinapiſmo, Cap. II.

Quòd ſi veſtigium quoddam affectionis relinqua-
tur,herbæ iberidis quæ & cardamine appellatur, ra
dix aſſumenda eſt:etenim odorem & ſaporem ac figurā
cardami,hoc eſt naſturtii,habet.Multa autem vbique na
ſcitur,maximè tamen circa vetera monumenta muróſ-
que & circa vias in incultis locis. folia autem habet na-
ſturtii,vere quidem virentia & naſturtio multo maiora:
lōgitudo verò caulis,cubiti parui eſt aut paulo amplior:
æſtate florem lacteum promit,& tunc ſanè efficaciſſima
F cenſetur.ſemen fert quamminimum,atque idipſum per
totum caulem enaſcitur. radix verò acerrimum habet
odorem,& maximè omnium naſturtio ſimilem. Hanc
æſtate maximè recentem effodito(arida enim vires amit
tit)& diligenter tundito: tunditur autem difficulter: &
axungia veteri modica excipito,ac iūcturæ coxæ & vni-
uerſo cruri imponito,adalligato , ac incumbere ſinito:
mulieribus quidem nō infra duas horas, viris autem per
quatuor horarum ſpatiū,ſi poſſibile ſit id perferre. ex-
citat tumores cum ardore & rubore, veluti ſinapiſmus
G facere ſolet. Pòſt verò in balneum inducito, nullo vn-
guento aut ſmegmate eis illito:vbi verò modicum exu-
dauerint,in ſolium ob feruorem mordacius deſidere iu-
beto,idque fortiter perferre cogito. morſum enim cum
ardore in principio inferre conſueuit: deinde educito.
ferme enim ſemper,quanuis ab aliis fuerint importati,
ſua ſponte pedibus ingredientes,exibunt. Verùm à bal-
neo ad oleum multum,paucum admodum vinum admi
ſceto,& conquaſſata illinito,ac humore cum aſpero pan
no deterſo,crus ipſum cum leuiſſimis lanis cooperito.
H Et ſanè conſueuit hoc ipſum præſidium nullo alio inde
auxilio opus habere.quòd ſi tamen aliquādo veſtigium
affectionis relinquatur,vicenis horis ſiue diebus inter-
poſitis,rurſus eodem præſidio vtaris.Atque hic quidem
ſinapiſmi eſt modus. Cæterùm pharmacum ipſum plu-

res quàm ſperare poſſis,in ſe complectitur commoditates,& cum minori acrimonia eius vſus perficitur. Hoc autem vtendi modo etiam ad inueteratos capitis dolores,omnéſque alios diuturnos dolores,quacunque tandē corporis parte conſtiterint:ad affectiones item ægrè ſolubiles & reſolutiones perſanandas,vti licebit. Ceratum ad iſchiadicos, Archigenis. Porrò interiectis diebus quibus ab exhibitione remediorum quieſcis, ceratum locis imponatur huiuſcemodi: Opopanacis drachmas octo in aceti cyathis duobus diſſoluito,deinde ceræ triētem,cum beſie olei cyprini liquefacito, refrigeratóque ac læuigato,& ad diſſolutum opopanaca coniicito, vnito,ac vtitor.

De vſtione, Cap. III.

Veteres, inquit Archigenes,etiam vſtione in iſchiadicis vſi ſunt,tum per cauteres ferreos igni candefactos, tum per ſtruthii & ariſtolochiæ radices coxæ iunctura in altum peruſta,itémque cruri per interualla quædam ,circa dolētes maximè locos,cautere admoto. Quidam verò alii ad propinquæ cruri affecto manus locum inter magnum digitum & indicem medium,circa infernum magni digiti ſiue pollicis articulū,caprinum ſtercus feruens per forcipem imponunt, ſtercoráque variāt ac permutant,donec ſenſus vſtionis ad locum affectum perferatur.tunc enim ſufficientem vſtionem eſſe dicūt. Dioſcorides autem hanc rem ita tradit:Caprinū, inquit, ſtercus feruefacito,& extenſo magno manus digito, cauum locum circa inferni articuli eiuſdem digiti finem notato : deinde locum ipſum ex oleo prælinito , & lana conuoluta oleo imbuta ad cauum locum ſubſtrata , ſigillatim caprinum feruefactum imponito, quouſque ſenſus per brachium ad affectam coxam procedat. Antyllus autem,Nos,inquit, etiam huiuſmodi vrendi modo vtimur: Stercus caprinum ſiccū feruefacimus,eóque vētrem magni digiti affecti pedis perurimus , paulo infra vnguem vſque ad os ipſum vſtione penetrante.Hæc ipſa vſtio extremas coxendicum affectiones,& quæ nulli alii præſidio cedunt,diſſoluit.Cæterùm poſt vſtiones,porri folia cum ſale trita,aut oliuas nigras cum ſeſamo illoto tritas,aut nucum interiora trita,ad locum cruſtoſum imponito. eis verò qui molles carnes habēt,lac cum melle adhibeto.Tertio autem die ab vſtione,lenticulam coctā cum melle,donec cruſtæ penitus excidant,cataplaſmatis modo imponito: atque deinde ſuppuratorio ductu vtitor,vlceribus ad plures dies aſſeruatis ne cicatrix eis obducatur.Nouimus,inquit Archigenes,plurimos qui ex prædictis vſtionibus opem ſenſerunt : verùm nobis, inquit,ad coxarum affectionis demolitionem prædicta remedia ſuffecerunt,itémque malagmata quæ paulo pòſt dicentur.appoſuimus autem De vſtione , ne videlicet eius vſus ignoraretur.

Cura affectionis exacerbatæ, Cap. IIII.

Archigenis.Tempore porrò exacerbationis,reliquæ partes faſciis circumligandæ ſunt,& diligenti fricatione contrectandæ:irrigationes item locos impinguātes,& per vices mutatæ,ex oleo ſicyonio calido adhibeātur,& cū lana conuoluta conteguntur. Cataplaſmata autem ex ſemine lini ac fœnigræci affectis partibus imponantur:maximè verò quæ ex loliacea farina apparantur, ac quædam calefacientia aſſumunt, & althææ radicem. Mitigant etiam vehementes dolores,ex oleo fomenta,& ex milio fricto,itémque ſale in ſacculis calfacto. Potiones ad iſchiadicos:Succ⁹ Cyrenaic⁹exacerbationes diffundit,erui magnitudine potatus aut deuorat⁹.Sūmè facit & caſtorei drach. vna cum opopanacis obolis tribus. Alia potio ad iſchiadicos: Farinæ erui,aniſi,fœniculi,ſingulorum parem menſuram coniicito, tundito & cribrato,obolóſque nouem in dimidia vini hemina dato.multa craſſa per vrinam ducit.vbi verò purum prodire videris lotiū,ne amplius præbeto. Alia. Centaureæ minoris ramulos contundito & cribrato,ac ieiunis cochlearium ex aqua calida ad horas tres aut plures dato.

Alia. Radicem rubiæ contundito & cribrato , ſimilitérque præbeto.ſanguinem per vrinam educit:quotidie

A autem bibētem lauato . Auxiliatur item irionis ſemen cum vino,& ſmyrnii ſemen eodem modo . Seminis naſturtii drach.vnam cum vino , radicis capparis corticis drach. vnam cum vino,radicis iridis tritæ drach.ɪ. cum paſſo,ruta ſylueſtris & domeſtica cum aniſi decocto, ſymphyton in petris naſcens,cum vino mulſo decoctū: radicis althææ decoctum,aut centaureæ minoris,ammoniaci thymiamatis drach.ɪ.ex aqua mulſa:ſeminis hyperici drach.ɪ.quod ipſum & ſtercora educit itémq; pituitam,baccæ iuniperi ex vino,bitumen pro catapotio de-

B uoratum,carpobalſamum ex aqua mulſa.Cæterùm & potiones dolorem lenientes,itémque ſoporiferæ,vbi dolores reſtiterint,commodè aſſumi poſſunt:maximè tamen omnium antidotus quæ pæonia appellatur, in tertiodecimo Sermone deſcripta.Ego autem,inquit Archigenes, etiam in exacerbationibus prædicto clyſtere vſus ſum,eo videlicet qui ex terebinthina & nitro conſtat,& euidentem permutationem feci. poteris autem & cucumeris ſylueſtris decocto in exacerbationib⁹ vti. De reliqua diæta, Archigenis.Subiungemus autem ex ordine & paucis

C reliquam curam.Præ omnibus igitur adhortor vt contentiones,& exquiſitæ negotiorum incommoditates eis exhibeantur,non ſolùm à cibo accepto ſed etiam ſumēdi cibi tempore,diæta vnctoria & impinguante conſtituta,quò ſimiliter carnis incremento ſit conſultum . Nam ſi hanc veluti neruorum operculum acquiſierint, tutum ſimul ad omnē externā cauſam inuentū habebimus,ſimúlque cōmodā exercitationem omni vnctoria diæta potiorem apponemus. Vngantur autem ab expertis, & gymnaſiis exerceantur. minimè enim moleſti labores

D fient,cum perito præexercitatore: & manus ſanè exercitiis tritæ commodiores ſunt mollibus ad curationem. At verò ſignificandum eſt etiam quòd iſchiadici ab aſſiduis flexibus & deambulationibus , & moderato curſu quamcommodiſſimè opem ferre poſſint. Præcedat itaque geſtatio in equo,deinde naturalium aquarum vſus, primùm quidem calidarum,deinde etiam frigidarum.ſi enim ad frigidæ lauationem aſſueſcant,ſola ſuffecerit ad incolumitatem acquirendam. Cæterùm diæta,tempore quidem exacerbationis ſorbilis ſit & modica : per inter-

E ualla verò ſolidior & reparandis viribus magis accōmodata,habeátque acrium eduliorum comeſtiones quaſdā per aliquot dies adiunctas.Eorum autem ſyluam ſæpe iā appoſuimus,vtpote quæ nihil viſcoſum,aut craſſi ſucci, aut ægrè concoctile,aut quod difficulter digeritur, cōplectitur.Bonæ verò concoctioni imprimis conſulant, non ſolùm damni quod ex cruditatibus prouenit ratione habita,ſed & incrementi carnis, qua præ omnibus iſchiadici opus habent.Quin & qualitates eorum quæ ægrè,concoquuntur,fugiendæ,præſertim eorum quæ v-

F rinam ducunt.Aluum autem probè ſolutam habere expedit: premuntur enim & aggrauantur articuli vbi ipſa ſit adſtricta.neque verò aſſiduè profluat venter,nam id imbecilles reddit,& quod cum purgationis impetu à toto corpore attractum eſt,idipſum vicinas partes replet.Cōtingit tamen etiam aliquādo à periculoſa dyſenteria obortâ omnem coxarum mollitiem ac aptitudinem ad affectionem corrigi & emendari . Præſtat etiam vomitus per interualla ſiue à cibo accepto ſiue à raphanis.neque latet nos quoſdā veratro ad iſchiadicos vſos eſſe. ſcimus

G item veratrū efficaciter auxiliari : verùm nō ſuſpicamur eius vſu op⁹eſſe ad hāc affectionē vtpote quæ ab antè tradita cura extirpabitur. Cataplaſma iſchiadicum: Farinam lupinorum amarorum in aceto mulſo aut poſca decoctam imponito. Aliud. Calaminthen præſertim viridem,aut ſi haberi nequeat,cum poſca,locis imponito.eſt enim præſidium præclarum. Aliud, facit ad vehementes dolores: Papaueris capita in aqua mulſa decoquito,ipſiſque proiectis,farinā ordeaceam aquæ mul-

H ſæ incoquito ac imponito. Aliud. Capita papaueris viridia terito,& adſperſa polentæ farina in paſtillos redigito, eáque in vmbra reſiccato . Vſu verò expetente,in ſufficienti aceto diſſoluta ac calefacta imponito. Aliud Aſclepiadæ,iſchiadicis,podagricis , & articulorum

morbis eueſtigio auxiliatur. Fœnumgræcum in fictile vas coniectum & poſca ſufficiente affuſa, per integram noctem macerato: manè verò ad ignem appoſitum donec ſoluatur coquito: deinde in mortario tritum, & ſufficienti melle affuſo calefactum, & linteolo exceptum, ad affectos locos apponito, & faſciola adalligatum ſinito, idque per dies duos aut tres facito. Aliud. Radicis ſymphyti ſeſcuncem raſam & in tenues partes conciſam in pilam teſtaceam coniicito, & enixè terito, atque vbi contrita fuerit, mannæ quadrantem, & ouorum recentiũ crudorum candida tria vnà cum luteis adiicito, rurſúmque enixè terito, & contritis lib. I. adipis ſuilli veteris probè ſubacti addito, vnito, ac linteolo excepta imponito. Eueſtigio dolores mitigat, & præſertim cum fluxione articulorum obortos. Aliud Aſclepiadæ: Fœnigræci mola triti, corticis radicis mandragoræ, mannæ, cuiuſque quadrantem, oua cruda recentia x. radicis maluæ lib. I. radicis ſymphyti libram vnã, carnis cochleæ terreſtris ſeſcuncem, vt prædictum eſt apparato diligenter, & ſublatum reponito. Vſus verò tempore, pharmaci partem vnam, adipis ſuilli veteris partes duas accipito.

Epithemata & malagmata ad iſchiadicos, Cap. V.

MAlagma, inquit Archigenes, quod valde multo experimento nobis conſtat, eſt ſubſcriptum. verùm cucurbitam prius ad dolentes locos affigere oportet: ipſum autem malagma aliquando inhærere conſueuit. quare expectabis eius vtilitatem: Colophoniæ librã vnam, baccarum lauri beſſem, ſeminis raphani trientem, corticis capparis libram vnam, picis aridæ libram vnã, pyrethri libram vnam, ceræ libras duas & dimidiam, fœnigræci beſſem, iridis libram vnam, ſinapis beſſem, nitri libras duas. Nitrum cum aceti libris duabus terito: dein de reliqua arida inſpergito, ſimúlque terito, affuſiſque liquefactis, emollito, ac vtitor. Hoc quidem igitur malagma eiuſmodi eſt quod malum penitus extirpat, cutem rubefacit, & materias ex alto ad ſuperficiem educit: quo ſanè in principio nõ oportet vti. Verùm quod ſequitur, leuiſſimum eſt & multæ commoditatis, quóque citra formidinem conuenit vti: Ceræ triẽtem, ſtyracis ſeſquiunciam, ſatyrii ſeſquiunciam, aloe primariæ ſeſquiunciam, ammoniaci thymiamatis ſextantem, croci vnciam vnam, pyrethri vnc. I. opopanacis vnc. I. galbani vnc. I. thuris vnc. I. olei veteris lib. IIII. (aliquando autem ſextá tem ſolùm, in æſtate) apparato, & vtitor. Præter opinionem etiam facit ad iſchiadicos emplaſtrum pardalis appellatum, quod ad hydropicos inuenies deſcriptum.

Leæna emplaſtrum, malum penitus extirpans: Olei veteris libras duas, plumbaginis, ſalis communis, terebinthinæ, ſingulorum libram vnam, ſquamæ æris quadrantem, æruginis, herbæ lanariæ radicis, chamæleontis nigri radicis, ariſtolochiæ, ſinapis, ſingulorum ſextantẽ: aliquando etiam canchryos vnciam vnam, aut pro eo pyrethri tantundem. auxiliatur etiam capiti ad hemicraniã impoſitum. Heræ ad iſchiadicos. Hoc, inquit, vſus ſum ad Frontinum, ſtatim ab exacerbationibus impoſito: Ceræ drachmas centum, viſci drachmas ſedecim, terebinthinæ drachmas vigintiquinque, galbani, myrrhæ, iridis, cuiuſque drachmas ſex, cedriæ heminæ dimidium, olei cyprini heminæ dimidium. ceram, cedriam cum cyprino oleo liquefacito: deinde reſinam & galbanum adiicito, & ablatis ab igne ſtatim viſcum addito, & vbi diſſolutum fuerit, irin inſpergito & vnito, & ad myrrham in mortario cum aceto tritam affundito. quidam etiam nitri drachmas duas adiecerunt. Aſclepiades autem ita inquit, Malagma quod iſchiadicis ſtatim poſt exacerbationum remiſſionem imponitur: facit ad oſſa contrita ac omnem neruorum per conſenſum affectionem, omnémque duritiem diſſoluit: facit item ad alias inflammationes, comprimit & committit malignas cicatrices. prodeſt luxatis & colliſis, & ad omnes malignas mamillarum diſpoſitiones. eſt enim valde generoſum:

Ceræ, terebinthinæ, viſci, galbani, myrrhæ, iridis ſiccæ, ſingulorum drachmas quadragintaocto, olei cyprini quantum ſufficit. Galbanum cum cera in mortario contuſum & emollitum cum cyprino liquefacimus, deinde ablatis ab igne viſcũ iniicimus, & vbi diſſolutũ fuerit, irin inſpergimus, & ad myrrham cum aceto in mortario tritam affundimus. Commodant etiam ipſis emplaſtra ex ſale: quale & hoc eſt: Salis drachmas centum, picis ſeſcũcem, olei libras quatuor, ceruſſæ libras duas. ſalem per ſe quãtenuiſſimè terito, ſimiliter & ceruſſam: deinde oleum ad ipſa in mortarium affundito, & poſtquam ſufficienter triueris, excepta vſquequo manus nõ inquinent coquito ad lentum valde ignem. deinde picẽ liquefactam & percolatam iniicito, ac rurſus ad compagem quæ manibus non adhæreat reducito, & vtitor.

Malagma ex ſilphio, iſchiadicis valde præclarũ. Ammii drachmas duodecim, ſilphii, ſeminis rutæ ſylueſtris, baccarum lauri repurgatarum, ſingulorum vnciam vnã, medullæ colocynthidis drachmas duas, nitri, abrotoni, cardamomi, cuiuſque drachmas quatuor, ceræ, adipis vitulini, ammoniaci thymiamatis, cuiuſque ſeſquiunciã. Arida liquefactis ab igne ablatis inſpergũtur, ſimúlque in mortarium ad ammoniacum cum aceto tritum infunduntur. Quidam verò ammoniacum cum cera liquefaciunt, & ad compagem manus non inquinantem redigunt. Aliud malagma quo Theodorus proprium patrem curauit, quum ob dolorem ſuſpicere non poſſet:

Ceræ, picis liquidæ, aluminis liquidi, æquales partes accipe: liqueſcibilia liquefacito, & ad alumen cum aceto tritum affundito, emollito, ac vtitor. Aſclepiadæ, ad iſchiadicos. facit & ad colicos: ſecuréque in exacerbationibus exhibetur. ſcabiem etiã quam pſoram *Græci* appellant, citra exulcerationem ſanat: Ceræ, picis liquidæ, picis aridæ, cuiuſque librã I. ſulphuris viui, aluminis ſciſſilis, nitri rubri, cuiuſque ſeſcũcem. Quæ eliquari poſſunt eliquato, aridáque quamtenuiſſimè trita paulatim adſpergito, ſimúlque in mortario poſca madefacto commiſceto, emollito, ac vtitor. quidam picem aridam & reſinam pinus, ac ceram per ſingulos dextantes ſumunt, oleique ſextantem addunt, ac reliqua veluti prædictum eſt. Iſchiadicum mirabile: Thuris, euphorbii, ammoniaci thymiamatis, pyrethri, picis, ceræ, ſingulorum quadrantem, reſinæ pinus aridæ ſeſcuncem, olei cyprini ſeſcuncem, fellis taurini quadrantem. thus, euphorbiũ, ammoniacum, vnumquodque per ſe quamtenuiſſimas in partes vnà cum felle terito: liqueſcibilia verò liquefacito, & pyrethrum inſpergito, eaque ad trita fundito, vnitóque, ac vtitor confidenter. experimento cõſtat. Melius autem apparatur ſi ammoniacum quamtenuiſſimè tritum liquefactis inſpergatur, atque eo eliquato thus tritum adiiciatur: euphorbiũ verò cum felle teratur. Vnguenta & acopa quæ neruorum laſſitudinem in iſchiadicis reficiunt. Ad coxẽdicum dolorem, pæoniæ radicem in oleo ad triduum contuſam accipito, & quarta die paululùm coctam illinito. Cæterùm præpurgandos eos ſcito, ex ſucci tithymali guttis quinque tantùm cum caricis acceptis, aut ex corticis tithymali cremore. Corticẽ autem ipſum contuſum & cribratum quatuor ſcrupulorum pondere in vino per integram noctem macerato: manè verò excolatum vinum præbeto. Aliud. Nycteridem herbam, quam vnguentum Helenes appellant, oleo decoquito, & per diẽ vnã in oleo manere ſinito, percolá que & illinito. Aliud, multo experimento conſtans.

Herinaceum terreſtrem viuum in oleum coniectum donec flacceſcat coquito: deinde eo extracto, farinæ adarces ſextantem oleo iniicito, & olei cyprini vnciam vnam. vtitor autẽ, illito ex eo loco. Cæterùm oleũ ipſum in quo herinaceus coquitur librarum duarum pondus eſto. Aliud iſchiadicum, quod iſotheon appellatur. facit & ad reſolutiones, & ad omnem neruorum per conſenſum affectionem: Caſtorei, opopanacis, euphorbii, œſypi liquidi, ammoniaci thymiamatis, galbani, terebinthinæ, ſingulorum ſextantem, medullæ ceruinæ triẽtem, ſtyracis vnciam vnam, olei ſtyracini trientem, olei irini ſeſcuncem, piperis vnciam vnam, ceræ libram vnã, olei ſicyonii libram vnam, olei veteris librã I. Ammoniacum, galbanum, opopanaca, cum vino terito: liqueſci-

bilia verò eliquato, &ab igne ablata reliquis affundito, ac probè vnito: ſtyracem verò in pila tundito ac paulatim ex pharmaco ei addito: vbi verò diſſolutus fuerit, cum reliquis vnito, ac vtitor. Acopon ad iſchiadicos efficaciſſimum eſt, quod inter communia acopa poſt articularia remedia refertur, & Orcheſtæ inſcribitur. eo itaque confidenter vtitor. Vtere & ſimilibus acopis ac vnguentis quæ iſtic deſcribentur. Inſpergimen ad iſchiadicos in balneo. Inſpergimen iſchiadicum efficax: Farinam lupinorum in balneo inſpergito, & in exudatoria tabella proſtratum ſudare facito. Aliud. facit & ad inueteratas affectiones: Coſti, piperis albi, pyrethri, cuiuſque quadrantem, nitri vnciam vnam, fæcis vini vſtæ libram vnam, contuſa in balneo inſpergito.

Aliud. Coſti quadrantem, pyrethri quadrantem, nitri vnciam vnam, piperis albi, adarces, euphorbii, cuiuſque vnciam vnam, fæcis vini vſtæ libram vnam, ſampſuchi ſeſcuncem contundito, cribrato, ac in balneo vtitor. Heræ, ad iſchiadicos, inſpergimen lenitiuum doloris. Picis aridæ partes octo, ſulphuris partem vnam, terito ac miſceto, & præloto ægro, dum corpus adhuc calet, inſpergito, & cum charta contegito, atque donec ſua ſpõte decidat ſinito. nihil autem vetat ægrum lauare, charta adhuc inhærente. Alia inſperſio: Adarces, ſtaphidis agreſtis, canchryos, ſinapis, cardamomi, piperis, euphorbii, ſulphuris viui, cuiuſque vnciam vnam contundito & cribrato. ægro verò inducto, & in ſecunda balnei domo reclinato, pallio prius ad tabellam ſubſtrato, ad dolentem locum inſpergito, & contentè affricato: deinde in calidam deſidere facito, & prolutum educito ac extergito, rurſúſque inſperginem iniicito & affricato. poſtea verò dum adhuc calidum corpus habet, eiuſmodi malagma imponito: Cineris caulium braſſicæ vſtorum quadrantem & vnciæ dimidium, cineris lignorum ficulnorum agreſtium vſtorum tantundem, picis aridæ libram vnam. cineris lignorum vitis vſtorum quadrantẽ & vnciæ dimidium, ſulphuris viui quadrantem, axungiæ libram vnam. Liberabitur enim æger, atque id breui, ab omni dolore, vt incantationi ſimilis facultas videri poſſit.

De podagra & arthritide, ſiue articulorum morbo, Cap. VI.

POdagrica & arthritica affectio, eiuſdẽ ſpeciei inter ſe exiſtunt. Differt autem podagra ab arthritide non toto genere ſed affectis locis. In omnibus enim debilitas eſt articulorum diuturna cum fluxione. quæ quidem ſi in pedibus perficitur, podagra appellatur, ſi verò in aliquo coxarum vertebro, iſchias, *hoc eſt coxendicum morbus*, nominatur: ſi verò in multis corporis articulis innititur, arthritis ſiue morbus articularis vocatur. Cõtingit autem aliquando vt repentè irruat malum æqualiter per omnes articulos diſperſum: quod ipſum euenire conſueuit iis qui conſueta exercitia coaceruatim relinquũt & licentiore diæta vtuntur: vtplurimùm verò clanculũ & paulatim fluxus irruere ſolet. alteri enim cuipiam magni digiti pedis articulum dolor inuaſit, aliis verò calcanei extremum, rurſúſque aliis cauum pedis, aut ex calciamenti aut ex conſimilis rei affrictu. Cæterùm initio à pedibus ſumpto, paulatim ad genua malũ procedit, ad coxendicum item ac femorum iũcturas, deinde ad manus, ſingulis articulis particulatim affectis, quando ſanè propriè, veluti prædictum eſt, arthritis & articularis affectio appellatur. Qui verò extremè ab hac affectione apprehẽduntur, his & ſpinæ vertebræ & coſtarum iuncturæ & genæ dolẽt: aliquibus autem & iris ſiue corona pupillam oculi ambiens. neque eſt aliqua oſſium connexio quæ ab hac affectione ſit immunis.

Cauſæ vniuerſales, Cap. VII.

GEnerant autem affectionem cruditates coaceruatæ & ebrietates: atque his adhucamplius immoderatus rei venereæ vſus: iam verò & deambulationes concitatiores quàm pro more, & ſtationes diutius productæ, & familiares excretiones ſuppreſſæ, & conſuetorum exercitiorum intermiſſiones. Vtplurimùm verò aptitudines à parentibus in filios ac poſteros transferuntur. In vniuer

A ſum verò amplius omnium crudorum humorum multitudo affectionis cauſa exiſtit. Quòd humorũ multitudo affectionem inducit. Quandoquidem igitur humorũ multitudo in corpus digeritur, hique ipſi ad pedes deferuntur, & in ipſis partes omnes diſtendunt, inflammationéſque & dolores inferunt, manifeſtiſſimum ſanè id exiſtit. Nam & tumore attolluntur affectæ partes, & venæ ſanguinis in ipſis apparent repletæ, & euacuatis ipſis, in naturalem habitum æger reducitur. verùm multitudo influens, non in omnibus æqualis exiſtit. Etenim alii ex
B caliditate ægrotant, alii ex frigiditate. atque exinde etiã refrigerando aut calefaciendo, aut reſiccando, opem ſentiunt. Quam ob cauſam mẽbra fluore infeſtẽtur. Poſteaquam igitur humorum multitudo in corpore congeſta, hominem moleſtia afficit, vnumquodque quidem membrum quod primum affectionem percepit, affligentem humorem à ſe repellit: eum ipſum verò ſuſcipit aliquod ex vicinis membris ac ſubiectis. Itaque quum fortiora membra eum depellant, & imbecilliora ſuſcipiãt, id adeò citra intermiſſionem contingit, donec id quod
C propellitur, ad omnium debiliſſimum membrum peruenerit, & in ipſo permanſerit. Vna quidem igitur fluidarum affectionum generatio hæc eſt, membris videlicet fortioribus ſuperfluum demittentibus, ſuſcipientibus autem imbecillioribus. Cæterùm articuli ipſi ex aſſiduo motu debiliores redduntur.

Quare verò in quibuſdam magnus ſit morbus, in aliis verò paruus, Cap. VIII.

MAgnitudo morborum ex fluxionibus obortorum, ad humorum influentium multitudinem conſe-
D quitur. Si enim plures humores fuerint, maior etiam affectio contingit: ſi pauciores, minor. cæterùm multorum recrementorum influxus, ob multas cauſas accidit. Etenim & copiam humorum multam eſſe oportet, & vias latas per quas feruntur, & partem quæ à fluxu infeſtatur raram, & facultatem in ipſa debilem: & membrorum eũ delegantiũ vires fortes, quò magna affectio fiat. Verùm ſi paruus futurus eſt morbus, prædictis contraria omnia concurrere oportet.

E
Quare multo tempore aut pauco morbus duret, Cap. IX.

POrrò vt multo tempore aut pauco morbus duret, etiam prædictæ ſunt cauſæ, tenacitáſque inſuper & craſſitudo humorum. Etenim ſanguis multus & craſſus, denſa pellicula concluſus, & à viribus debilibus ſegniter correctus, tempus auget & producit. qui verò contrario modo habet, minuit & breuius facit. Cæterùm & in aliis corporis affectionib⁹, ſiue in ſuperficie ſint, velut eryſipelata: ſiue ſub cuticula, vt herpetes: ſiue in carno-
F ſis partibus, velut inflammationes, recrementa vtplurimùm feruntur: in podagricis autem & arthriticis appellatis, vſque ad iuncturas per altum repletio ex fluxione contingit, vnà cum hoc quòd nerui permadeſcunt & diſtenduntur, itémque ligamenta & pelliculæ, omniáque circumcirca ſita: atque ob id ſæpe vſque ad quadrageſimum diem morbus extenditur. Etenim quum etiam ceſſauerit fluxus, neque amplius ex ſupernis feratur, repletæ adhuc multo humore exiſtentes iuncturæ, eum ad circumſita membra delegant. At verò ſi tenuior ſit
G fluxus, celerrimè ægri ſanantur: niſi malè omnino curẽtur. Quòd ſi verò quis ex medicis veram methodum ignorantibus per reſoluentia ſemper omnes inflammationes curet, non in quadraginta tantùm dies ſed & in quadringentos, & in omnem reliquam ægri vitam inflãmationes extendet. A mala enim curatione, podagricis pleráque mala accidũt: maximè verò calli & artuum duritics, & articulorum curuitates ac contractiones, propter medicorum ignorantiam fiunt, qui neque per venæ ſectionem aut purgationem euacuant, neque redundan-
H tem in vniuerſo corpore humorem quíque ad iuncturas defertur, & proinde articulorum morbos producit, per ea quæ moderatè adſtringant repellunt. Quidam enim ex ipſis inflammationes immodicè reſoluunt, tum per aquæ & olei mixtionem, tum per cataplaſmata ex cruda ordeacea farina apparata, attrahúntque per catapla-

ſmatum caliditatem humorum copiam ex ſubiectis locis.Quin & ob hanc ipſam inductam laxitatem, affectas partes debiliores,& ad recrementorum ſuſceptionem aptiores reddunt.

Quæ ſit incuruatorum articulorum cauſa, Cap. X.

AT verò alii medici immodicè refrigerant,alii autem vehementer diſcutiunt.Ex quo ſanè neruoſas partes inſpiſſari contingit,incuruarique & diſtorqueri , ob redundantium videlicet humorum ſuſceptionem. Contingit item calloſas & calculoſas coactiones in ipſis emergere,& neruos ſpõtaneo motu ſe mouentes congelari:ligamenta item & neruos qui tendines appellantur,qui ſanè aptiſſimi ad perferendum cenſentur,propterea quòd ſubſtantia ipſorum denſa & ſolida exiſtat.

Quæ cauſa generationis toforum in artubus, Cap. XI.

GEneratio quidem igitur toforum ſiue callorum in artubus induratorum,materiam quidem habet craſſos humores:cauſam autem efficientem, qualitatem calidam & ſiccam. quemadmodum videre eſt & in toſis qui in æreis vaſis ex limoſæ aquæ incoctione generãtur. At verò pharmaca quæ valde refrigerant,ſi aſſiduè adhibeantur,non ſolùm craſſos humores congelant,ſed & tenues.quemadmodum vehementiſſimum frigus congelat aquam.Quæ verò aceruatim & immodicè diſcutiũt, id quidem quod tenue in ipſo fluxu eſt , euaneſcere faciunt:quod verò reliquum eſt,inſpiſſant & conglutinãt: atque id eo amplius,ſi ad hoc quòd diſcutiunt , etiam immoderatè calefactoriam habeant facultatem.

Quæ cauſa ſit cur inflammationes in podagricis non facilè ſuppurentur, Cap. XII.

CAuſa cur podagricæ inflammationes nõ facilè ſuppurentur , primùm quidem eſt affectarum partium ſubſtãtia, tum natura,tum pro more, ægrè permutabilis exiſtens.Ad hoc enim quòd natura duræ ſunt neruoſæ partes,etiam tolerandi cura anguntur ea quæ moleſtiam inferre poſſunt,præſertim tamẽ pedum & manuum extrema.Quin &carne nudatæ magis hæ ſũt partes minùſque calidæ & humectæ,& ob id etiam reliquis partibus frigidiores:imò & influentes in podagricis inflammationibus humores,corruptioni minus ſunt obnoxii , & pharmaca ſimiliter adhibita,inepta ſunt ad putrefactionẽ ac ſuppurationẽ . etenim alia ex eis refrigerant & repellunt,alia verò diſcutiunt,alia autem reſiccantc Contingit tamen aliquando in quibuſdam inflammationem aut ſuppurari aut erodi.Quum enim craſſus humor vehementer fuerit condenſatus,& deinde non ita vehemẽter ſed moderatè calefactus, neceſſe eſt ipſum ſuppurari.Acri verò & eroſiuo humore influente,eroſio contingit,quemadmodum & marcor in quibuſdam ſuccedit, irruente videlicet in membrum humore qui putrefacere poteſt.quanquam rarò hæc in podagricis contingant.

Quomodo ex inflammationibus & conſequentibus acceſſionibus,ſiue ſymptomatis, affligẽs humor cognoſcatur, Cap. XIII.

QVomodo quidem vniuerſi corporis intemperiem cognoſcere & curare oporteat, iam antè in quarto Sermone eſt præſcriptum , huius videlicet tractationis. Quomodo verò quis inflammationes in partibus inflãmatis conſiſtentes cognoſcere poſſit,neceſſarium & hìc paucis referre.Apparet autem id ex eis quæ accidunt & conſequuntur : quæ ſi quidem frigida fuerint , frigefaciunt:calida verò calefaciunt: mixta, autem mixtas etiã ſignorum ſpecies inducunt. Quo verò manifeſtior fiat hic ſermo,quæ iam dixi repetam , ſingulatímque retractabo.

Sanguinei humoris influentis ſigna, Cap. XIIII.

HVmor ſanguineus,ſi multus fuerit,& circa ſummam caliditatem moderatus,repletionem efficit,& tumorem ingentem : non venarum modò ſed totius membri
A affecti circa cutem:eúmque calidum quidem moderatè, vehementer autem rubentem.pulſus autem adeſt in alto inflammationis mediocris.Qui hoc modo ſunt affecti, neque refrigerantia,neque calfactoria valde præſidia adhiberi ſuſtinent,& aſſiduè ac cõtinuè exacerbãtur, quãdoquidem aſſiduè & æqualiter ſanguinis allatio contingit.quanquam & per circuitum,quidam irritatione vexẽtur,quum nõ continuè ſanguis defertur, & exacerbationũ acceſſiones omnino quotidie fiũt,verùm non ita durãt veluti hæ quæ ex pituita oboriuntur. Vrinæ verò ei⁹
B qui ſanguine redundat fuluæ ſunt,& mediocri craſſitudine præditæ,aliquando etiam ſubſidentiam albam, aut nubem,aut tale quiddam in medio pendens quaſi ſuſpẽſum habentes. quòd ſi magis ad pituitam declinet ſanguis,albiores & craſſiores:aliquando verò cõturbatæ reperientur vrinæ,& multum eſt quod in eis ſubſidet. Venæ autem in his ampliore ſanguine ſuſcepto replentur, & in tumorem attolluntur.Ætas verò ab adoleſcentia vſque ad ætatem vigoris, apta fiat ad multitudinem ſanguinis producendam.Edulia item boni ſucci & quæ ma-
C ximè alunt:& exercitia moderata. Ex temporibus verò, ver,& regio temperata.

Bilioſi fluxus ſigna, Cap. XV.

QVòd ſi verò bilioſus ſit fluxus,color cutis inflammati loci,aliquando quidem flauior quàm ſecundum naturam apparebit : aliquando verò rubore cum flauo permixto , quando videlicet flaua bilis ſanguini eſt permixta . Caliditas autem vehementiſſima & feruentiſſima adeſt,quæ amplius refrigerantibus pharmacis gaudet. qui enim ita habent,vehementer à refri-
D gerantibus iuuantur medicamentis,ſiue actu ſiue potentia talia exiſtant.Exacerbationes verò his per tertiũ quẽque diem mouentur,& præcipites quidem irruunt , citius verò vigorem remittunt:per ventrem enim & per vrinam recrementa ſuperflua his euacuantur: per cutem etiam tranſpirant,vtpote quæ tenuium partium exiſtant. Lotia eorum ſubfulua ſunt & ſubflaua:quandoque etiã acria vt in mictione vrinarium arrodant meatum. Curæ autem ingentes,& iræ & vigiliæ,& illuuies multæ,& fa-
E tigationes,& diæta omnis bilem gignens & attenuatoria,ex acribus videlicet & ſalſis eduliis , huius humoris influxum præcedunt . Ætas verò & temperies corporis, calida & ſicca ad eum,apta eſt.Hora autem ſiue anni tempus,æſtiuum:conſimilis item regio.

Pituitæ fluxionis ſigna, Cap. XVI.

AT verò ſi pituitoſa ſit fluxio, ad digitorum appreſſionẽ cauus ſit tumor,ſublaxus exiſtens & moderatus,& color dolentis mẽbri albus . Dolores verò aliquãdo quidem fortes,aliquando verò mediocres , & exacer-
F bationes quotidie paulatim irruunt & augentur , & per plures horas durãt, & breuem intercapedinem habent imò neque vnquam integrè remittunt . Ætas autem hoc modo amplius afficitur ſenilis,& temperamentum humidum & frigidum, & conſimilis ambientis nos aeris ſtatus,& tempus hybernum.Aliquando autem & frigoris ſenſum in alto locorum affectorum ægri perceptant. Vita verò otioſa,& ſocordia,ad pituitoſi humoris generationem plurimùm conferunt.Edulia item refrigerantis & humectantis ac inſpiſſantis facultatis , & balnea à
G cibo,vnde & vrinæ craſſiſſimæ ab eis prodeunt , & ſæpe conturbatæ reperiuntur. atque hæc quidem ſigna ſunt pituitæ natura frigidæ prædominantis: nam & hæc ipſa propriè pituita appellantur. Salſæ pituitæ ſigna: Cæterùm ſi ſalſæ pituitæ fuerit influxus,color membri affecti & tumor eodem modo habent veluti de pituita eſt prædictum: pruritus autem maximus & mordacitas infeſtat locos.Vrinæ verò tum his tum prædictis,aliquando quidem tenues & aquoſæ,aliquando verò craſſum in eis eſt quod ſubſidet,ſuntque conturbatæ.

Bilis atræ influentis ſigna, Cap. XVII.

H QVòd ſi ex atra bile ſit fluxus,qui ſanè potentia frigidus eſt & ſiccus,quod rarò tamen contingit , frigoris ſenſus quãdoque affectis adeſt, & corpora in profundo, velut atterantur aut ſcalpantur afficiuntur.Colo-

res verò tumorum nigriores ſunt,& circuitus exacerba- A
tionū per quartā quamque diem redeunt.ſunt autem ex-
acerbationes tum magnitudine tum impetu mediocres.
Ætas verò quæ magis hunc fluxum generat, eſt vigore
inclinato & vergente: temperies autē frigida & ſicca.&
natura quidem ſuperfluitates pituitoſas generat:non au-
tem atræ bilis. Quæ verò ex degenerante & mutata cali-
ditate fit,flaua bile ſuperaſſata & nigram generante ob-
oritur. Præcedit porrò hunc fluxum diæta ex eduliis a-
tram bilem gignentibus,& laſſitudines immodicæ. Re-
gio autem ei apta eſt,frigida & ſicca. tempus, autumni: B
& cõſimilis aeris ſtatus. Vrinæ verò vtplurimùm in prin-
cipio tenues eis ſunt & aquoſæ propter obturationes:
poſtea verò quàm ſecūdū naturā atriores,& modicè craſ
ſæ,& quod ſubſidet in eis,aliquando fuſcum eſt: aliquā-
do verò mixtum, ſubcruentum videlicet & fuſcum re-
peritur.

Seroſarum fluxionnm ſigna, Cap. XVIII.

SIN verò ſeroſa recrementa influant,dolores non ita
magnos inferunt, quemadmodum etiam neque flu-
xu infeſtatas partes in tumorem valde excitant: ſecundū C
ſpeciem verò conſimilia perficiunt, qualia humores ſo-
lent qui cum eis eiuſdem generis exiſtunt. Pituitoſo e-
nim ſanguine demanante,ſeroſa in ipſa pituita recremē
ta conſimiles quidem ſecundum ſpeciem dolores infe-
runt:ſecundum magnitudinem verò,multo minores. V-
bi verò alii humores defluxerint,conſimiles etiam illis
ſeroſæ ipſorum ſuperfluitates inferunt dolores.

De iis qui ex humorum complexu fluore infe-
ſtantur, Cap. XIX.

NOſſe porrò operæpretium eſt quòd aliquando flu- D
xus fluxui commiſcetur,aut calidus frigido, aut
viciſſim frigidus calido.& ſecundum vtriuſque horum
qualitatem exacerbationes fiunt, & continget quando-
que ægrum bis in die exacerbationum acceſſionem ſen-
tire.

Diæta & cura podagricos præſeruans,
Cap. XX.

QValis quidem igitur diæta vnicuique prædictarum
temperierum conueniens ſit, iam antè prædictum
eſt in quarto huius tractationis Sermone: ſuperfluum ve E
rò eſt eadem bis ſcribere. Cæterùm ad ea quæ iſtic relata
ſunt,vomitus in vniuerſum ferè omnibus qui podagri-
cam affectionem defugere volunt,commodi ſunt, præ-
terquam eis qui thoracem & caput quæ facilè læduntur
habēt. Quibuſcunque igitur exercitiis,aut aliis quibuſ-
cunque motibus,recrementa in ventrem confluunt,his
vomitus ante cibum prodeſt. Qui verò ſanguinis copiā
aggregarunt aut humores pituitoſos, poſt acceptum ci-
bum vomant per aliquot dies. Venus verò omnes poda-
gricos extremè lædit,& præſertim ſi aſſiduè aut intem- F
peſtiuè ea vtantur. Etenim voluptas per ſe neruoſorum
corporum robur & firmitatem diſſoluit,multo verò ma
gis,ſi cum vehemēti motu perficiatur. & ob id membra
affecta longè imbecilliora fiunt,& promptè ac expeditè
confluentia recrementa ſuſcipiunt. Adhibetur tamen e-
ius vſus,aliquando propter conſuetudinem vitioſam ſe-
mine plurimùm irritante, quum videlicet multi & no-
xii fuerit humoris. generatur autē tale in naturis pro-
priè multiſeminis appellatis:& oportet ſanè, quò mole-
ſtiam eius vitemus,prohibere ne eius copia in ſemina- G
riis vaſis generetur. Quomodo verò ſeminis generatio-
nem prohibere oporteat, iam prædictum eſt in eo qui
hunc præceſſit Sermone.

De olei & ſalis affrictu in podagricis,
Cap. XXI.

OPeræpretium porrò eſt noſſe quòd omnes qui ſe, ne
in podagricam affectionem incidant, aſſeruare vo-
lūt,& præſertim eos qui humecta & frigida natura ſunt,
magnificè iuuant ſales cum oleo quamtenuiſſimè triti
& affricti,non quidem tempore inflammationis & dolo H
ribus inſtantibus,ſed quum hæc remittunt:niſi vehemē
ter ſicca temperie ægri ſint præditi. Omnibus enim qui
hoc modo fricātur,inſitus calor augetur,& quod præter
naturam eſt,diſcutitur,recrementáque conſumuntur, &

affecta membra fiunt robuſtiora, ac aduerſus affectionē
firmantur,miniméque ei obnoxia redduntur:maximè ſi
diligenter ſingulis diebus manè & veſpere, vbi dolores
quemadmodum dictum eſt,remiſerint,per omnem vitā
hoc præſidio vtātur. De quo ſanè auſim cõfidenter pro-
nuntiare,inquit Philagrius,quòd etiam ſolum ſufficiat
iis qui vel maximè circa diætam delinquunt,aut immo
dicè refrigerantur,aut ægrotant ex labore,aut re venerea
nimium ſunt vſi,aut quemcunque alium fortem exceſ-
ſum admiſerunt. quare omnino poſtquam inflammatio
nes quieuerint & dolores,eo vtendum eſt.

Vniuerſalis methodus curationis podagri-
corum, Cap. XXII.

ITaque prius dictis rurſus in memoriam reuocatis,pro-
nuntiamus & membrorum debilitatem & humorū
copiam, primas cauſas omnium fluidarum affectionum
eſſe,præcipuè tamen podagræ & articularis morbi. Qua-
re duplex etiam ſanationis ſcopus nobis præfigetur: eua-
cuatio redundantis humoris,& corroboratio partium
debilitatarum. Euacuatio itaque fiat aut per venæ ſectio-
nem,aut purgationem. Poſt vniuerſalem autem euacua-
tionem,calidi quidem fluxus refrigerationem amāt:fri
gidi verò calfactionem: humidi reſiccari, ſicci hume-
ctari gaudent. Et tenaces quidem ac viſcoſos diſcinden-
tibus & extergentibus curare conuenit: craſſos verò tum
eiſdem,tum quæ amplius attenuatoriam vim habent:a-
cres verò per ea quæ mordacitatem obtundere poſſunt.
Amplius autem ea quæ aſſiduè influunt, per repellentia
prohibenda ſunt,itémque per ea quæ reſiccant. Quæ ve-
rò per circuitum irritant,quum quidem influunt impe-
dienda:quum verò non deferuntur,tū ſanè ea quæ iam il
lata ſunt,euacuationem requirunt, ad quam itidem de-
bilitatarum partium corroboratio accedat.

Cura eorum qui ex ſanguinis copia ægro-
tant, Cap. XXIII.

QVVM igitur ſanguinei humoris fuerit influxus,
& dolor mediocris qui neque calore ſuo neque fri
gore manifeſtè infeſtet, locus inflammatus pharmaco
quidem fortiter adſtringente,modicè autem reſiccante
illinatur. eiuſmodi autem eſt id quod ex acacia & vtro-
que veratro apparatur. Abſtineat autem æger ob omni
cibo & motu,& vini etiam potu. Et ſi fluxionis impetus
non valde magnus fuerit,& pharmacum adhibitum cõ-
moditatem ſuam oſtēderit,rurſus cum paſſo tenuis ſub-
ſtantiæ aut poſca largè dilutum quò ſtrigmentoſum red
datur,illinatur. Cæterùm neque aqua neque oleum pedi
bus adhibeatur,ſed &, ſi illitum abluere oporteat quò
videlicet aliud illinatur,poſca mediocriter tepefacta ab-
luatur,aut cum plantæ alicuius auſteræ decocto, vſque-
quo id quod influxit ſedetur. Cataplaſma ob id etiam
imponendum ex malis maximè cotoneis, aut meſpilis,
ſorbis,cornis,hippuri,ſanguinaria, aut foliis quercus te
nerioribus,ſingulis pane permixtis & vino veteri mace-
ratis. Idem verò ipſum & per alia quædā eiuſdem mate-
riæ exiſtentia confieri poteſt: de quibus rurſus poſtea
ſermonem repetemus. Porrò ſi ſanguinis motus in vni-
uerſo corpore vehementer inualuerit, vtendum nihilo-
minus prædictis pharmacis,ne videlicet particula replea
tur,& dolores fortes ac diuturnos inducat. Euacuetur
autem id quod ex ſanguine redundat, quantum ſanè id
vires & affectio permittunt,& maximè ſi qui continetur
ſanguis ſit bene temperatus,& homo ipſe ad ſanguineas
euacuationes ſit aſſuefactus. Cognoſces verò ſanguinis
impetum tum ex tumore præter naturam, tum ex dolo-
ris magnitudine & velocitate. proportionabiliter enim
tum ad copiam ſanguinis,tum ad allationis eius modū,
impetus ipſe contingit. De ſectione venæ: Eos igitur
qui multo ſanguine abundant,neceſſariò ſecta vena for-
titer euacuabis,non ſolùm ſemel, ſed iterum atque ite-
rum & pluries,detractione paulatim repetita. Si enim ve
næ ſectione omiſſa,repulſoriis pharmacis fueris confi-
ſus, magni mali autor eris. Ex ignobilibus enim mem-
bris ad principalia & vitæ neceſſaria ſanguis repulſus, de
inde in aliquod horum irruens, velut in hepar, aut ſe-
ptum tranſuerſum,aut thoracem,aut pulmonem, aut in
ipſum

ipſum denique cor pro morbo mortem inducit.Quapropter maximè neceſſaria eſt ſanguinis ac reliquorũ humorum in ſanguineis influxionibus euacuatio,præſertim in iis qui ſanguine redundant, itémque reliquis humorum recremẽtis,ac lautiore diæta vtuntur. In his enim antequã dolores oboriantur,venam ſecare oportet, bis in anno ſanguinẽ largè detrahendo,& purgare quoque eoſdẽ, ſi licet modò,per ſingulos menſes.Cæterùm in omnibus diei horis venã ſecare conuenit iis qui vehemẽtibus doloribus ſunt apprehenſi, adeo vt etiam ſiquis pranſus ſit, nihil veritus tamen,venam ſecare poſſit: atque id maximè ſi ex ventris locis cibus ad inteſtina fuerit dilapſus. Vbi verò in ventre adhuc cibus detineatur, euacuatione prius per vomitum facta,ita paulatim ſanguinem detrahes.Secanda eſt autem è directo cruris fluxione infeſtati vena:præſertim in brachio inferna,ita tamen vt obſeruemus in eius ſectione ſubiectam ipſi arteriam. ſi verò hæc non appareat, media: ita vt & in hac obſeruemus ſubiacentem neruum.Quòd ſi verò manus dextra dolore infeſtetur,venam in dextro crure ſecamus,iuxta talos aut poplitem, aut plantam pedis: poſt ſectam verò venam,ſi dolores adhuc perſeuerent, & fortis tenſio ſit in affecto membro, ſæpe in ipſo inflammato crure vena inciſa, & multo ſanguine detracto,hominem ab omni dolore liberaui.Memini itaque,inquit Philagrius,cuidam in quo humores æqualiter omnes,& multus imprimis ſanguis redundabat,bis ſanguinem ex ſecta vena detractum,in quo manifeſtè cognoui quantam vim habeat venæ è directo membri affecti ſecta. Quum enim dexter pes ei fluxione infeſtaretur,venæ dextræ manus inciſa,confeſtim à moleſtiis eſt liberatus:quúmque tribus interpoſitis diebus,alterum item crus fluxus infeſtaret, vena ſiniſtræ manus ſecta, ſimiliter à dolore liber euaſit.& quum inde pharmaco ex croco curaretur, perfectam ſanitatem recepit. Verùm hic,quemadmodum prædictum eſt, multo ſanguine redundaba & vniuerſum corporis habitum eiuſmodi habebat qui non facilè poſſet exolui. In iis verò qui contrariam huic corporis diſpoſitionem habent,parcè ſanguinem detrahere oportet.

Quòd eleuatas & incuruas venas ex membris fluxione infeſtatis,velut in varicibus auferre oportear, Cap. XXIIII.

OPeræpretium eſt,inquit Rufus,etiam alios auxiliorum modos excogitare.Ego quidẽ igitur articulis pedum fluxu infeſtatis, laudo ſiquis venas quæ ex ſupernis in pedes deferuntur,excindat,veluti varicoſa in ſuris excindi ſolent. Etenim partes hæ, tempore præſertim inflammationum,apparent in tumorem eleuatæ,& venæ circũcirca rubẽt,& ſanguine repletæ conſpiciuntur,atq; qui ita affecti ſunt,magis à dolore vruntur,& frigidis gaudẽt. Si igitur quis venas veluti in varicibus excindat,multitudo ſanguinis non amplius influere & inflammationem facere,quemadmodum antea conſueuit, poteſt: atque id præſertim in ſanguinea podagra conducet. In aliis verò verò articulis, vtpote coxendicibus ac cubitibus & ſimilibus fluxu infeſtatis, venæ non valde apparent. Quòd ſi contrà contingat,etiam in his eas quæ altius eleuatæ ſunt excidere oportet.

De peruſtione in morbo articulari, Cap.XXV.

CRuſtas igitur inurere oportet, aliquas quidem paulo altius loco fluore infeſtato, aliquas verò propius: atq; id cauteriis facere præſtat:aut,ſi id æger ferre recuſet,cum medicamentis.longè autem præſtantior eſt cauteriorũ vſus. nam & citius & ſiccius perurunt. In vniuerſum verò pedibus ex fluxu infeſtatis, loci circa vtrunque talum forinſecus & intrinſecus inurendi ſunt, cauteriis iuxta magnas ibidem ſitas venas admotis, paulo altius ſupra talorum locum.Inurendus item locus inter magnum pedis digitũ & eum qui ei proximus eſt,medius,vbi ſanè venæ magis tumefactæ conſpiciuntur, præſertim ex eis maximæ.quibuſdã autẽ &articulos ipſos perurere expedit,quũ ſubmucidi valde conſpiciuntur , priuſquam duritties ad modum toforum in eis generetur. Sciendum tamen, inquit Rufus,quòd in articulorũ ſubmucidorum peruſtione,vlcera ægrè curabilia oboriuntur : verùm vbi cicatri-

A ces coaluerint,maximum robur ipſis articulis præbẽt,vt non amplius ad ſuſcipiẽdum influentia recrementa ſint apti.& de iis quidẽ hactenus.Opportunũ autẽ & iam reliquã curam poſt ſanguinis euacuationẽ aptã deſcribere.

Cura in fluxibus ſanguineis poſt ſanguinem euacuatum, Cap. XXVI.

POſt ſanguinem euacuatum, affectam partem aceto veteri tenuium partium cum roſaceo rigare oportet, & præſertim ſi in alto hærere dolorum cauſa videatur. Etenim acetum propria ſua tenuitate vſq; in altum pro- B greſſum,expeditam roſaceo viam exhibet, quod natura ſua dolores lenire poteſt.Cæterùm ſi in ſuperficie dolor conſiſtat,per vini & olei vſum magnopere iuueris:æſtate quidem tepidorum,hyeme verò calidorum.Deinde etiã cataplaſmatis vtendum quæ inflammationes lenire poſſunt, citra hoc quòd prouocent & prolectent fluxiones, talia autẽ ſunt, farinæ fœnigræci & hordei,fabarúmque & cicerum tritæ vino coctæ. poteſt etiam aqua modica affundi,vbi vinum nimis forte extet. Quin & paſſo ac modico roſaceo vnaquæque ex prædictis farinis cocta, C dolorem mitigare conſueuit. Oportet autem cataplaſmata omnino ſemper calida eſſe: quod commodè fieri poteſt,ſi aſſiduè permutentur , & lana forinſecus contegantur. De pharmaco ex croco. Quum itaque prædictis præſidiis adhibitis vehementes compeſcuerimus dolores,parum quiddam de pharmaco ex croco admiſcebimus,& præſertim ad cataplaſma ex fabis apparatũ, ne videlicet coaceruatim tranſitus fiat.Deinde etiam amplius quid de pharmaco admiſcendum eſt. poſtremùm verò, pharmacum ipſum cum roſaceo diſſolutum, & ad D bonam compagem redactum imponemus. diffluit enim celerrimè ſi liquidius fiat.Hoc itaque pharmaco ſæpe poſt euacuatum ſanguinem, doloribus valde imminutis,ſtatim vſus ſum,loco prius ex aceto roſaceo perfuſo: multam enim vtilitatem & breui oſtendit. quare ipſo aſſiduè ad podagricos vtimur, vtpote quod laude dignum experimentum nobis exhibuit,inquit Philagrius. in pluribus enim ſolum hoc ſuffecit ad perfectam curationem, ſemper quidem cum roſaceo diſſolutum,aliquando verò vino tenui & fuluo admixto,quãtum ſanè eius conquaſſan- E do & excipiẽdo pharmaco ſatis fuit.cæterùm hoc ipſum in his faciendum eſt, quibus adhuc aliquid ex fluxione ad inflammatum locum defertur. Quandoque autem pro vino acetum addimus: maximè vbi tum quod infertur repellere volumus,tum diſcutere iam in loco contẽtum. paſſum etiam aliquando pro vino additum,mollibus corporibus profuit. Verumenimuero & ad paſtillum ex acaciis & veratris apparatum , adiectum hoc pharmacum,ſæpe quod influit prohibendo , & quod adeſt euacuando , & membrum confortando , non parum iuuit. F Solum item poſt ſedatos dolores durius impoſitum, robur partibus addit,vt adſtricta & recrementorum influxui minimè obnoxia, ac breui fortia reddantur. Hoc quidem igitur medicamento variè & multiformiter vſi ſumus,multóſque iuuimus,tum inſtante dolore tum etiã eo ſedato.Habet enim repulſoriam vim,paucam quidem illam propter acetum & crocum. habet & concoctoriam & diſcuſſoriam ac moderatè reſiccantem,rurſus ob crocũ & galbani thuríſque & ammoniaci thymiamatis admixtionem. diſcuſſoria autem tum in iis ipſis ſita eſt facul- G tas,tum in pice & aceto.meritò itaque podagricis inflammationibus conuenientiſſimum cenſetur. nam & fluxũ moderatè repellit,& calfaciendo ſenſim concoquit,& cõtentum diſcutit, & debilitatis membris firmitatem inducit. Compoſitio autem hoc modo habet: Galbani drachmas XXXII.thuris drachmas XXXII. croci drach. ſedecim, ammoniaci thymiamatis drachmas quadragintaocto, ceræ drachmas nonaginta octo , picis aridæ drachmas CCCCLXXV.olei roſacei drachmas quadragintaocto, aceti albi acerrimi heminam vnam . ceram, pi- H cem,roſaceum lento igne liquefacta excolato: galbanum autem & crocum,ammoniacum,thus,cum aceto terito,& ad liquefacta & ab igne ablata,in cacabum adiicito, vnitáque in mortariũ quod modicam aquam frigidam habet, diffundito, & ſufficienter emollita extrahito , ac

quemadmodum prædictum eſt vtitor. hoc quidem modo Philagrius apparare pharmacū ipſum præcipit. Quidam verò poſt eum, etiam opii vnc.i. ad hanc compoſitionem adiecerunt, eóque ad vehementes dolores ſedandos vſi ſunt. Alii autem vſus tempore inſtante, parum quiddam opii addunt ad maximos cruciatus compeſcēdos. Paſtillus ex acaciis & veratris. Porrò ex acacia & veratris pharmacum hocce eſt. Paſtillus podagricus admirabilis ad podagricos & morbum articularem, inflammationéſque & omnia pruriginoſa: in principio enim illitus manifeſtam vtilitatem exhibet, vt eadem etiā die lotus æger deambulet. vbi verò dolor in vigore eſt, incommodè adhibetur. Quidam enim in vigore affectionis eo vſus, confeſtim quidem ſibi inde iuuari viſus eſt: paulo verò pòſt, concalefacto & reſiccato loco, à maximis doloribus æger apprehenſus nos accerſiuit. quare quum acceſſiſſemus & didiciſſemus factum, cognouimus quòd membra in ſuperficie poſita, contuſionis modo affecta eſſent, tum ob inflammationem, tum ob exortam ex pharmaco adſtrictionem & diſtenſionem. diſtenſæ autem erant & in profundo ſitæ partes ex cuticulæ exterioris ad interna impulſu. Abluto igitur prius cū aqua calida illito paſtillo, cataplaſma ei imponi iuſſi ex aqua mulſa dilutiore apparatum, & ex oleo modico dulciſſimo fariniſque fœnigræci & fabarum. atque hoc ipſum feci propter eam quæ ex ipſo pharmaco ei cōtigit oppilationémq; & conſtrictionē. Quū verò dolores eueſtigio eſſēt ſedati, à reſoluentibus diſceſſi: etenim cataplaſmata & irrigationes in fluidis diſpoſitionibus adhibitæ, incurabilē reddunt morbum. Verùm paſtilli ipſius compoſitio hoc modo habet: Acaciæ nigræ drachmas triginta duas, acaciæ flauæ tantundem, glutinis fabrilis pellucidi, aut (quod magis expedit) glutinis piſciū drach. trigintaduas, ammoniaci thymiamatis drachmas ſedecim, glaucii dr. ſedecim, aloes drachmas ſedecim, thuris maſculi drachmas octo, veratri albi & nigri, cuiuſque drachm. octo. Aceto ſquillitico trita cogito in paſtillos. vſus verò tēpore, eoſdem in aceto eodem liquefactos illinito, & exſiccari permittito, ægrúmque in balneū demittito: & vbi inde redierit, ſimiliter vtitor. Totum paſtilli pondus drach. centum & ſexaginta octo eſt, hoc eſt vnciarum XXI. Hoc pharmacū podagricis inflammationibus inchoātibus cōuenit, & ſolum ſufficit, ſi non multitudo fluxus redundet: & multo amplius, ſi per plumbi ſuccum fuerit diſſolutum & liquefactum. Fit autem plumbi ſuccus hoc modo: In mortarium plumbeum ſuccum aliquem refrigerantem ſimul & adſtringentem iniicito, & cum piſtillo plumbeo in ſole donec craſſior reddatur terito, atque ita iniectum paſtillum & contritum illinito. Sit autem ſuccus ipſe plantaginis, aut oxylapathi, aut ſanguinariæ, aut vuæ acerbæ immaturæ, aut ſemperuiui, aut aliquarum cōſimilium herbarum, quæ & ipſæ commodæ ſunt in principiis inflammationum. Hoc ipſum itaque pharmacum ex plūbi ſucco, nō ſolùm in principiis & progreſſu, ſed & in vigore mali aliquādo cōmodum exiſtit. Et Philagrius quidem hoc modo de paſtilli vſu ſcripſit. Quidam verò paſtilli ex croco ad dyſenteriam deſcripti, atque huius ipſius pares partes, aceto aut plumbi ſucco terunt, & duabus ante balneum horis illiniunt, atque vbi lauerint à balneo rurſus ſimiliter illiniunt, & egregium teſtimonium huic vſui præbent. Diæta eorum qui ob ſanguineum fluxū ægrotant. Inflammationes ex ſanguinis influxu obortas, quemadmodū dictum eſt curare oportet. cæterùm cibos eis exhibere oportet qui minus nutriunt: quales ſunt olera, & ſpinoſæ plantæ: & ex volucribus, montanæ: ex piſcibus verò, qui in petroſis aquis degunt. Aluum verò facilè ſubeuntem habere oportet: & ſi quidem officio ſuo non ſua ſponte fungatur, ſimpliciori aliquo clyſtere ſeu infuſo eluatur.

Cura eorum qui neque venæ ſectionem, neque purgationem ſuſtinere poſſunt, Cap. XXVII.

QVandoquidem verò quidam adeo formidoloſi ſunt & mollitie fracti, vt neque nomen venæ ſectionis aut purgationis audire ſuſtineant, non melius tantū ſed & fortunatius eſt nullum talem contingere. Et tamen ſi ad curādos eos cogamur, prædicere oportet diuturnos dolores eis affuturos, & vigilias, articulorúmque torturas & claudicationes: præſertim ſi craſſus & multus ſit ſanguinis influxus. Abſtinentia quidē igitur ciborum illi conſtituenda eſt, & clyſteres moderatè fortes iniiciendi, & pharmaca vmbilicaria imponēd[illegible]omphalia *Græcis* appellata, quæ ſanè vmbilico impoſita aluū ducunt. Vtendum etiā iis quæ ſedi apponuntur, glandulis videlicet: veluti eſt cyclamini ſuccus, & elaterium, & ſimilia, quorū in tertio Sermone feci mentionē. Vtendū & poſt aluum exolutā vnguentis diſcuſſoriis & fricationibus eiuſdem generis, & omnibus quæ ſuperfluum euacuare poſſunt ex locis fluxu infeſtatis. Etenim repulſoria, ſi nō prius vniuerſo corpore euacuato aſſumantur, periculum inducunt. Cataplaſmata igitur eis imponere oportet ex pane, fabaceáq; & fœnigræci ac cicerum farina, cum aqua mulſa aut adipe ſuillo non valde veteri. ſcarificationibus itē iuxta affectū locum vtendū. Irrigare autē aſſiduè oportet ex aqua & oleo, & aliquando cataplaſmata ex lixiuio apparare, quò per eroſam cutē, veluti per riuos malum euehatur. Huiuſmodi hominibus conueniunt itē ceratorū formā habentia medicamenta, ex oleo ſicyonio, nitróque & cera apparata, quæ humorē ad locū delatū diſcutere poſſunt. Pharmacū ex lixiuio & ſpuma nitri digerēs ac exhauriens inſpiſſatos humores: eſt autem pharmacum ipſis cōmodiſſimum & facilè parabile. excitat bullas & cutem erodit. Spumæ nitri albæ quā achelesiā appellant drachm. vigintiquinque, terebinthinæ drachm. trigintaſex, olei drach. CCCCLXXX. lixiuii ficulnei, hoc eſt, exuſtis lignis & aqua extinctis, loturæ eorū percolatæ drachmas octoginta quatuor, ceræ drachmas CCXL. Oleum, ceram, terebinthinam, & lixiuium, hoc eſt aquam ipſam, vt prædixi coquito. & quum pars maxima aquæ fuerit conſumpta, ſpumam nitri prius tenuiſſimè tritam adiicito, vnito, ac vtitor. Huiuſmodi ſanè ſunt inflammationum podagricarum ex ſanguine curationes.

De iis qui ob bilis influxū ægrotāt, Cap. XXVIII.

QVòd ſi verò inflammationes ob bilioſum influxum fiant, tum & in his communis ſcopus euacuationis affligentis humoris exiſtit. fiāt autē euacuationes in principio, tum per vomitū, tum per ventrē. Danda itaq; pharmaca bilem educentia, ex quorū numero aliqua per vtrāque viam bilē exigunt, velut eſt thlaſpi: hoc enim acetabuli menſura potatum, & ſupernè & infernè purgat: atque tantum ſanè de eo ſemine ad ſummum datur. Conſtat autē quòd & purgatoria medicamēta ex ſcammonia apparata, flauam exagitant & euacuant bilem. horum verò cōpoſitiones iam antè retulimus in tertio Sermone: faciemus tamen & in hoc Sermone quorundam mentionem, ſed paucorum, & paulo póſt. Purgare igitur eos oportet cōfidenter, & ſecundaria vice ſi res ita poſtularit: confeſtim enim in euacuationibus ſubſiſtunt & ſedātur. Quòd ſi tamen neque hi purgari velint, neque ſuſtineāt ob quācunque tandem cauſam: tum ſanè & his, quemadmodum dictum eſt, mederi conuenit per vmbilicariorum purgatiuorum impoſitionem, & per ea quæ ſedi ſubduntur. Per infuſum item aluus ipſorum eluatur. & cataplaſmata adhibeantur ex fabacea & hordeacea farina, adipe ſuillo recenti & inſulſo, tenuíque chamæmeli farina ac aqua. At verò hæc ipſa poſterius imponenda ſunt: in principio autem vſque ad vigorem ea quæ ex ſemperuiuo apparātur, & roſis viridibus, perdicii herba, anchuſa, ſanguinaria, helxine, ſideritide, portulaca, rumice acuto, atriplice, ſolano, plantagine, hyoſcyamo, lenticula & ſtratiote paluſtribus, blito, lactuca, ſeride, malua ſatiua, ramentis cucurbitæ, vmbilico Veneris, flore violarum, mali Punici corio. Horum vnumquodque cum pane ex farina polentæ impoſitum, dolorem tollit: & maximè pſyllii ſemen aqua feruenti maceratum, & poſtquam ſucculentum factum fuerit, pro cataplaſmate impoſitum. Vnguentum etiam ex plumbi ſucco ad ſanguineas influxiones præſcriptum, his commodiſſimum exiſtit. commoda ſunt & mala cum pane trita impoſita, & quæ his ſunt ſimilia. Et cerata Hippiones & Ambroſiæ nomine inſignita, & quæcunque ex cera, chamæmelo, & roſaceo apparantur: adiicitur

autem ſuccus quiſpiam ex prædictis refrigerantibus, & ouorum candidum, & aqua cum modico aceto, quorum compoſitiones paulo pòſt ſubnectemus. Optimum autem pharmacũ pro eis eſt ceratum ex roſaceo, betæ ſucco quã tum ſatis eſt adiecto. Vidi etiã quenda hac affectione occupatũ, qui immiſſis in frigidã aquã pedib⁹ & aliquãdiu in ea detẽtis, præclarã opem tulit. Aliũ itẽ vidi qui oſtreorũ carnibus cũ argenti ſpuma & viridibus hyoſcyami foliis, ac oleo veteri diligenter tritis vtebatur, & tum illinẽdo eas tum imponendo, probè reſtitutus eſt. Licebit autẽ per oſtreorum penuriã, carnibus concharum fluuialium vti. Atque hæc quidem conueniunt, ſi mediocris inflammatio & ardor adſit. nam ſi magna fuerit, ad eryſipelatorum modum curationem inſtituemus: cicutæ nimirum foliis & papaueris ac mandragoræ & hyoſcyami adhibitis: quibuſdámque medicamentis compoſitis ſtuporem inducentibus, quæ ex papaueris ſucco & ſimilibus conſtant. In horum tamen medicamentorum vſu, immodici caloris deletionem pro ſcopo habere oportet, quæ ſæpe in vna cõtingit hora: poſt quam ſtatim ſtupefactiuo ablato, cataplaſma ex fabacea farina adipéque & aqua imponatur. Etenim vbi ea quæ vehementer refrigerant diutius adhæſerint, ſtuporem ægrúmque ac languidum ſenſum corpori inducunt. Quapropter quum in feruentibus doloribus fuerimus ad ſtupefaciẽtium vſum coacti, poſtea refouebimus partes per ea quæ calefacere poſſunt.

Parabilia remedia ad inflammationes non valde feruentes, Cap. XXIX.

Reliqua ex eorum numero quæ facilè parantur, quæque doloribus non valdè magnis proſunt, palmularũ glandulæ ſunt, & mali Medicæ ramuli: citrium autem ipſam appellant & aureum malum. quin & fructus ipſius medulla ſapore acris, pani aut pollini admixta in cataplaſmatis, commodiſſima eſt. quemadmodum etiam ſi oleo coquatur, & cera ſufficienti ad oleum adiecta, pedibus imponatur. Commodum eſt & ſymphyton per ſe pro cataplaſmate impoſitum, & cum pane aut cerato permixtũ. & malicorium aceto incoctum, aut aridum tritum cum pane ſubactum. his ergo vtaris. Optimum autem cataplaſma podagricum & hoc eſt: Cupreſſi virgulta teneriora, & pilulas in ollam coniecta, cum aqua marina donec flacceſcant coquito. deinde in mortarium culinarium tranſſumpta, ad cerati formam terendo redigito: & linteolo excepta, dolẽtibus locis imponito. Hoc cataplaſmate quotidie ante ſomnum vtitor, etiamſi non adſit dolor, per integrum annũ. nã perfectè ægrum ſanat. Mirificè etiam facit cupreſſi decoctum, ſi ex eo æger ſæpe perfundatur.

Aliud. Cypri, hoc eſt liguſtri folia viridia, trita in paſtillos digerito: vſus verò tempore, aceto dilutos illinito: Barbari autẽ Indi, arida ipſa folia contuſa & cribrata reponunt: vſu verò expetente, aqua feruenti ſubigũt, modico etiã aceto adſperſo, aut rhois culinarii decocto, atq; hoc modo inflammato loco imponunt, foliis ricini aut carpaſi ſuperſtratis: aut, ſi hæc haberi nequeant, braſſicæ. reperies autem manè cataplaſma aqua plenum. ſenſibilis enim diſcuſſio & exhauſtio cõtingit, adeò vt æger exuctionem ſenſu perceptet, & maximè iuxta vngues. vitiat tamen colorẽ, eum ad fuſcedinem corrumpẽs. quapropter aliqui cerato liquido vngues prælinunt. Aliud cataplaſma, quod eadem hora dolores ſedat. Cerebrum porci cum amylo & roſaceo tritum, & panniculo infartum imponito, & confeſtim liberabitur æger, vt deambulare poſſit. Optimè faciunt item maluæ aqua coctæ & tritæ impoſitæ: celerrimè enim dolores ſedant.

De ſtupefacientibus medicamentis, Cap. XXX.

Compoſuerunt medici, quemadmodum prædictum eſt, ob excellẽtes dolores, aut etiam ob ægrorum mollitiem quos curare cogimur & neque minimũ dolorem tolerare poſſunt, medicamenta ſtupefacientia appellata. Hæc enim nequaquam affectiones ipſas in quibus dolores fiunt, curant: verùm ſtuporem & ſenſus hebetationem mẽbris inducendo, quietem quandam doloribus obducunt. quapropter ſi ad huiuſmodi pharmacorum vſum, aut ob excellentem dolorum magnitudinem, aut ob immodicam caliditatem eryſipelatis cõſimilem, cogamur:

A vtemur quidem modicè, quò feruor immodicus refrigeretur, aut ſenſus oblæſio deleatur. adhoc etiã animaduerſione habita diligenti, nequid poſt vehementis caloris & doloris extinctionem, ex ſtupefactiuo pharmaco in membro permaneat. Sunt autem medicamenta ſtupefactiua huiuſcemodi. Aſclepiadæ epithema dolorẽ leuãs, podagricis & articulari morbo commodum. vſus eius eſt in ipſis exacerbationibus & excellentibus feruoribus inflammationum: Opii drach. quatuor, croci drach. I. panis ſiliginei quantum ſatis eſt. vnumquodque per ſe lacte B bubulo maceratum terito, & vnita imponito. aut hæc ipſa cum lacte trita cerato roſaceo excipimus, & vtimur.

Aliud, quod confeſtim à doloribus liberat. oportet autem ante pharmaci impoſitionem ægrum lauare, atque ita exterſis locis ſtatim adhibere. Succi abſinthii trientẽ, croci trientem, ceræ tantundẽ, opii vnc. I. irini ſeſcuncẽ. opium & crocum in paſſo diluito, & affuſo cerato, vnito, ac vtitor. Aſclepiadæ paſtillus podagricus, dolorẽ leuans. vſus eius competit tempore exacerbationum. Aloes lib. I. centaureæ ſextãtem, thuris trientem, myrrhæ trientem, lapidis aſii, opii, ſucci mandragoræ, ſtyracis, C aluminis ſciſſi, cuiuſque ſextantem: excipe ac ſubige paſſo, & ad paſtillorum formam reducito. Vſu verò expetente, lacte diſſolutos cum pinnulis illinito, ſupra illitum locũ linteolo impoſito paſſo imbuto.

Vnguenta recalfactoria quæ poſt ſtupefactiuorum vſum adhibentur, Cap. XXXI.

QVVM itaque ſtupefactiuis vſque ad feruoris inflãmationum deletionem fuerimus vſi, pòſt calefacere mẽbra conuenit cataplaſmatis ex caſtoreo & thapſia cõ D poſitis. ſi enim hoc non fecerimus, debilia & intemperata reddita membra perpetuo fluori obnoxia reddemus, & quæ in actionibus facilè offendentur. Quapropter vnam atque alteram vnguentorũ recalfactoriorum cõpoſitionẽ apponã. ex quarũ numero & hæc eſt: Succi thapſiæ drach. octo, piperis drach. XXIIII. adarces, canchryos, euphorbii recentis, cuiuſque drach. XXXII. (ſi verò recens euphorbium deſit, duplum eius ſume) ſtaphidis ſylueſtris drach. XII. pyrethri drach. XII. terebinthinæ drach. XVI. ceræ dr. XXIIII. olei cyprini lib. VI. Altera, eiuſdem vſus. Pyre- E thri, caſtorei, helenii, adarces, piperis, euphorbii, zingiberis, nitri, ceræ, ſing. drach. octo, irini quãtum ſufficit. Pro pauperibus autem ſatisfaciũt, allia, thymus, origanus, ſatureia, ſinapi, & ſimilia.

Pharmaca & edulia eorum qui flauæ bilis influxu infeſtãtur, Cap. XXXII.

EXhibẽda eſt autem & cyclaminus à flauæ bilis influxu infeſtatis: huius enim radix quamtenuiſſimè trita, cũ aqua mulſa aut paſſo pota, bilioſum humorem per ſudores excludit. dandæ autem ex ea drachmæ quatuor, cor- F poribus magnis & robuſtis: reliquis verò, pro virium tolerantia. Adiuuare verò oportet ſudorum excluſionem, corpus calefaciendo & fricando, ita tamen ne affectos locos cõtingamus. Præbenda quoque in potu ea quæ vrinã cient: talia enim bilem per lotium euacuare conſueuerunt: paſtillus item ex ſeminibus ſoporifer, & qui à triangulari forma trigonus appellatur, & cõſimiles, doloribus infeſtantibus commodè à flaua bile affectis exhibentur. Nam & ſomnus alti ſoporis inde oboritur, & fluxiones ab ipſis reſiccantur, atque id maximè ſi poſt corporis per pur- G gatiuum euacuationem exhibeantur. Edulia autẽ eis apta quæ refrigerant, non tamen humectant: humiditas enim auget fluxiones. Dandũ item eis lactucæ ſemẽ ob ſomnũ conciliandum, & papaueris ſemen tum in cibo tum in potu. Mala etiam & ſorba & meſpila præbenda, & quæcunque ad hoc quòd refrigerant, fluxus cohibent allationem. Cæterùm à vino omnino exacerbationis tempore abſtinendum eſt. intercapedine autem pura reddita, parum ex eo concedendum. Porrò inedia ab amara bile infeſtatos H extremè lædit: nam bilem acriorem reddit.

Cura eorum qui ob pituitæ influxum ægrotant, Cap. XXXIII.

HOrum item curationem à pituitæ euacuatione principium ſumere oportet. Euacuatur autem humor pituitoſus per vomitus quidem, nihilominus tamen &

infernè per ventrem. Vtilis eſt autem in hac affectione per inferna purgatio,ſiue iuxta manus ſiue iuxta pedes hæreat morbus.& multo adhuc magis ſi iuxta omnes corporis articulos fluxus fuerit diſperſus:familiarior enim pituitæ via & minus periculoſa per inteſtina exiſtit. Si enim in ſuperiorem ventrem violenter adtracta non euacuetur,periculum inducit. quapropter tutius eſt vt ad infernam excretionem ducatur. euacuata enim, in vna die morbi vtcunque inueterati robur contundit:quare in podagra innatum ex pituitoſo humore fluxum, & mediocriter affligentem,& qui tum potētia tum actu calidis remediis delectatur,purgare oportet. Ante purgationē verò modicè adſtringentibus vtendum, atque id magis adeò circa initiū fluxionum. Atqui ſi euacuatio per purgationes fieri non poſſit, quæ ſanè vel ſola ſæpe ſufficit ad affectionum fluidarum curationem: tum inedia & fame vtendum eſt ad plures dies.natura enim pituitoſi eam bene tolerare poſſunt.Vtendum etiam confricationibus diſcuſſoriis,ampliúſque efficacioribus infuſis, & pharmacis cientibus vrinam.Cæterùm quæ ratione nutrimenti præbentur edulia, natura ſicciora ſint,& minus nutriant, veluti eſt oryzæ ſuccus & bromi,qui inter frumentacea refertur: nuces iuglandes paucæ, piſtaciáque & nux thaſia, & vuæ paſſæ, & capparis ex aceto mulſo. quandoque etiam parui piſciculi in petroſis aquis coaliti, & paſſerculi montani aſſati præbeantur. Vinum autem præbeatur quamminimum interualli tempore,tenue,fuluum & vetus. Cataplaſmata autem quæ frigidis fluxionibus cōueniunt,imponenda. in principio quidem terebinthi folia viridia & tenera cū adipe ſuillo recēti & roſaceo,modica cera adiecta. apta ſunt ipſis & cupreſſi folia & pilulæ vino cocta: & cyperi radices & rhamni folia.poſt principiū verò,pituitoſis conuenit ex eruo &lolio ac fœnogræco cataplaſma. quemadmodum etiam ea quæ ex ciceribus conſtant,ariſtolochiæ radice trita admixta,centaureáque & gentiana, & pæonia, & bryoniæ radice ac fructu. ex amaraci itē coma & artemiſia, abrotoníque foliis & adianto,vitice,lauro,pulegio,ſampſucho,mētha,braſſica,ſiſymbrio,ſerpyllo,filice,fœniculo,eruca,& reliquis quæ ſaporis acris,aut ſalſi,aut amari ſunt:& maximè ſi dolores citra ardorem ex refrigerationis ſenſu ſint oborti. Singula verò ex his cum pane & adipe recentia pro cataplaſmate imponito.quanquam nihil vetet vnūquodque per ſe adhibere. Optimum eſt etiam fomentū ex paſſo mari mixto apparatū. At verò quinquefolii radicum & malicorii æqualibus partibus decoctis perfudi ac foui, inquit Archigenes,circumdolentes partes.imò & tritis ipſis magis inflammata loca cataplaſmatis modo contexi, atque hoc ipſum multis,velut obluctans & reſiſtens remedium,dolores expulit: aliquibus autē, vt pharmacū nulli inferius, ipſos mitigauit:rariſſimè verò citra commoditatem apparuit. Manſuetiſſimum verò & hoc eſt. Althææ folia cocta trita tum per ſe, tum cum polline, aut ordeacea farina, imponantur.ceratum item ex radice eius quæ hibiſcum appellatur,cocta in aqua mulſa trita.conſtet autē ceratum ex gleucino aut irino:imponatur verò iis qui tū vehementer calida tum valde frigida auerſantur,mediocribus autem delectantur. Pharmacum porrò conueniens noui,inquit Philagrius,podagricis qui vnà cum doloribus frigoris ſenſu percelluntur,id quod ex laurino cōponitur. quum enim & alia eiuſdem generis ſint cum ipſo, tantam tamen commoditatem à nullo exhibitam ſcio. Compoſitio autem hoc modo habet. Pharmacum ex oleo laurino. Ceræ,adipis ſuilli veteris,reſinæ pinus ſiccæ, terebinthinæ liquidæ,cuiuſque drach. xcvi. cyprini, laurini,œſypi,butyri,cuiuſque drach.xlviii.galbani,medullæ ceruinæ,cuiuſque dr.xvi.Hoc quidem igitur medicamentum confeſtim à dolore liberat eos qui in dolore frigoris ſenſum perceptant. Admirandum etiam in his pharmacum eſt, quod ex croco conſtat & galbano, ſupráque ad ſanguineum influxum præſcriptum eſt, & in omni tempore adhibetur. Sunt autem& alia pharmaca his apta. quemadmodum ea quæ Myracopa appellantur, & quæ ex ipſis componuntur cerata. fiunt autem hæc commenſurata & proportionata cera ad vnguenta ipſa admixta. Pharmacum ex metallicis. Optimum verò & ipſis pharmacum eſt ex metallicis ad ſauciatos neruos à Galeno apparatum, cuius & nos admirabile periculum fecimus, inquit Philagrius. quum enim partium quamtenuiſſimarum ſit, ad profundum corpuſculorum progreditur,& attenuat,& diſcutit. Cōmodum igitur exiſtit in prædicta diſpoſitione, poſt ſedatos dolores admotum,aut quum mediocres exiſtunt: non ſolùm enim diſcutit vt dictum eſt, ſed & repellit. Compoſitio verò hæc eſt. Chalcitidis drach.viii.miſyos drachm.xvi.ſquamæ æris drach.xxiiii.thuris drach. xxiiii. galbani drach. xii.colophoniæ drachm.xcvi. ceræ drachm. xcvi. olei drachmas cxxviii. aceti acerrimi quantum ſatis eſt. Metallica cum aceto in ſole æſtiuo terito ad plures omnino horas:deinde thus adiicito,rurſúſque diu terito, & liqueſcibilibus liquefactis, refrigeratis, & eraſis admixtis, vnito ac vtitor. Pharmacum ex vino & oleo,Galeni.

Aliud pharmacum ex oleo & vino Galenicum, conueniens in declinationibus inflammationum, & poſt eaſdem omnibus podagricis. Spumæ argenti drach. xcvi. olei veteris drachm. cxcii. ad podagricos verò ſufficit ſi anniculum ſit oleum, vini veteris fului pellucidi atque leniter dulcis drachm. cxcii. Coquito ſimul ad cōpagem manus non inquinantem: hic enim eſt optimus eius apparatus. nam qui triplum olei accipit diutius coquitur,& magis reſiccans redditur. Porrò iis qui poſt dolores vehemens frigus percipiunt, aliud Galenicum pharmacum ex euphorbio ad ſauciatos neruos deſcriptum conducit. At verò adhuc pharmacum podagricis commodum, tum in inflammationum remiſſione, tum poſt eaſdem, exiſtit quod Ægyptium appellatur, & quod ex lanis ſuccidis vſtis apparatur. habetur autem inter multæ cōmoditatis emplaſtra in decimoquinto Sermone huius tractationis.

Cura eorum qui ex atræ bilis influxu ægrotant, Cap. XXXIIII.

Dicatur autem ex ordine & de atræ bilis influxionibus quæ & ipſæ omnino vniuerſali euacuatione præcedente opus habent,hoc eſt venæ ſectione aut purgatione. quando quidem igitur ad atram vergunt bilem, euacuatione per ea quæ ipſam repurgant: quando verò ad ſanguinem atra bile infectum declinant,per venæ ſectionē. Si verò ambo hæc ſimul per totum hominem redundarint,non vnum aliquod ex prædictis adhibere ſuffecerit, ſed præſecta vena:deinde depurgare cogimur.quod ipſū & in aliis affectionibus duplici euacuatione indigentib⁹ erit faciendum.Priuſquam igitur totum corpus euacuamus,atque in ipſo etiam euacuationis tempore (dico ſanè in principiis) repulſoriis & ſenſim ſimul calefacientibus vtendum eſt. poſt euacuationem verò,iis quæ ſenſim calefacere,& attenuare, & diſcutere poſſunt vtemur. Sunt autem repulſoria quidem ſimúlque leniter calefaciētia,terebinthi folia & cupreſſi,cyperi radices, & ſimilia. calfactoria autē ſimúlque attenuatoria & diſcuſſoria, bryoniæ radix & cyclamini,ſylueſtríſque cucumeris,& raphani,lauri item folia mollia,& paſtinacæ,& caucalidis,ſinapis,naſturtii,conyzæ,braſſicæ,iridíſque & ocymi & aliorum innumerorum folia. Admiſcenda autem ſunt hæc pani aut cuipiam ex prædictis iam ſæpe farinis, & adipi anſerino aut gallinaceo, butyróque & œſypo: atque id maximè in humectis & mollibus corporibus,quò leniora reddantur.Quin & poſt huiuſmodi pharmacorum impoſitionem, præſcripto ex croco pharmaco, & eo quod ex metallicis conſtat,vti conuenit: ampliúſque quod Machærioni inſcribitur, & quod Iſis appellatur, ſimilibúſq;, quorum compoſitiones in xv. Sermone traditas reperies.Etenim huiuſmodi pharmaca relictum in membris humorem concoquunt, eundémque attenuant & diſcutiunt, ampliúſque membra debilitata corroborant.Commodiſſimum autem pharmacum per interualla exacerbationum dolore non infeſtante, ad atræ bilis fluxiones eſt Corax,quemadmodum etiam paſtilli, Andronius inquam, & Muſæ, & qui ex centaurea, itémque qui ex lanis ſuccidis apparatur, & conſimiles in decimoquarto Sermone deſcripti. illinuntur autem cum vino dulci.

Miſcentur etiã ad præſcriptum ex croco pharmacũ, & ad id quod ex metallicis conſtat, ita tamen vt parum quid ex paſtillis ad multã pharmaci partẽ cõmiſceamus, vt videlicet paſtilli duodecima pars ad vnã pharmaci partem addatur, hoc eſt ad pharmaci lib.1. paſtilli vncia vna: aliquãdo autẽ minus. Quum enim euacuare & diſcutere voluerimus, minus de paſtillo adiicimus: corroborare autem & firmitatem addere, plus. Quòd ſi neque perfecta, neque abſque dolore ſint exacerbationum interualla, panem vino maceratũ & ſufficienter emollitum ad prædicta medicamenta per interualla admiſcere expedit. Præſtans autẽ eſt & in iis diſcuſſoria fricationum ſpecies vniuerſi corporis, præter affectas partes, tum per interualla, tum tempore exacerbationum, vehementius & diutius facta, & maximè ſi non fuerint præeuacuati.

De iis qui ob tenuem fluxum ægrotant,
Cap. XXXV.

SI ſeroſi ſint humores qui ad articulos influunt, nõ paruum ſignũ tenuitatis ipſorum eſt, quòd neque tumorẽ magnum habeant inflammationes, neque diutius durẽt, imò neque moleſtiam aliquam in motibus perpetiuntur ægri, poſtquam quieuerint inflammationes. Eorum igitur qui ob tenuem influxum ægrotant, remedium quod eadem die opem eis fert, purgatio eſt per ea quæ ſeroſos humores euacuare poſſunt, facta. Fluxiones autẽ quæ non ita validum dolorem inferunt, ſæpe in ſolo irrigationum fotu ſubſtiterunt, ex oleo videlicet roſaceo & vino dulci ſuppreſſæ, modica cera admixta, iiſdémque lanis ſuccidis exceptis: additur etiam aliquando nitri ſpuma. Quin & quod ex cote Naxia ex ferri affrictu deteritur, & in ea congregatur, illitum iuuit: & Selinuſia terra & Cretica, & Samius aſter, & Lemnia ſphragis appellata, vino & poſca, & aceto ac paſſo diluta, illita eodem modo profuerunt. At verò & caſeus recèns coactus impoſitus mediocres inflammationes etiam ſolus iuuat, & cum polẽta, aut farina præſertim ordeacea. Habet enim in ſe non modò quid repulſorium, ſed & diſcuſſorium, per quod & tenues fluxiones repellit, & humores in articulis euacuat. Lentiſci etiam ramuli teneri & fructus, ſimilitérque myrti & terebinthi, & pirorum, ac quercus, oleæ, punicæ, meſpilorum, ceraſi, pruni, rubi canini, & rubi: cuius etiam fructus & virgulta idem operantur: & vt ſimpliciter dicam, quæcunque res in fructibus, & foliis, & ſuccis, & radicibus aliquid amari, aut acris, aut ſalſi, aut nitroſi habent, ſimúlque cum amaritudinis & acoris omniúmque prædictorum moderata qualitate non adeo excellenti, adſtringũt: hæ mediocres dolores ex fluxione obortos iuuant. ſuffecit autem vnà cum iis ad perfectam ſæpe curam fames ipſa, quemadmodum etiam clyſter omnibus ferè podagricis conuenire videtur, & maximè in quibus venter aſſiduè cohibetur. Ruta etiam viridis & paſtinaca viridis, vtiliter ipſis pro cataplaſmate imponuntur, maximè quibus venter cohibetur, ampliúſque quibus pungitiui ſunt dolores & inflantes. Admiſcere autem omnibus his expedit adipes, quandoque & polentas, & farinas quaſdã, quæ haberi poſſunt: mel item ac paſſum & roſaceũ, quò humecta & liquida conſeruemus. At verò ſi & fermentũ modicum hoc tempore admiſceas, nihil peccaris. Hoc igitur modo etiam plurima ex hortenſibus tibi cõmoda fuerint, ſi ipſa iuxta prædictas qualitates iudicaris, amaram nimirum & ſalſam, acidámque & adſtringentem atque acrem, quæ omnes ſint mediocres. Inuenies autem aliquando & dulcem qualitatem vnà cum his permixtam in eadem etiam planta. ea quoque quæ in mari naſcuntur, plerunque talia ſunt, vtpote quæ lactucæ appellantur. ſunt autem germina lata & oblõga ac viridiora, tenuia & ſubrugoſa, ac veluti conduplicata ad litora maris perfluctus eiecta. præſtãtiores autẽ fiunt cum poſca decoctæ. viridia item quæ in fuco ſiue alga tinctoria ad radices ſita ſunt. & ad hæc quæ in petris maris reperiuntur ſimilitudine fungorũ. reliquáque germina mollia commodant eodem modo. omnia enim huiuſmodi aptè cõmiſcentur adipibus ac farinis. Quin & torpedo tũ marina tum fluuialis, iuxta alium quendã modum, non in paruis ſolùm ſed in magnis quoque inflammationibus

A congruit. Naturali enim facultate quadam ſtuporem inducit, & dolores è corporibus tollit. quapropter ipſam viuentem aſſiduè admouere inflammatis locis oportet. Cocta item adhuc viua in oleo, deindéq; extracta, ac modica cera cum oleo eliquata, commodiſſimum pharmacum omnibus dolore afflictis podagricis redditur. Conſimili efficacia vermes terreni appellati præſtant, ſi in oleo coquantur, & cera poſtea in oleo liqueſcat.

De fluxionum inter ſe complexu,
Cap. XXXVI.

B QVVM itaque iam ſimplicium & immixtarum inter ſe fluxionum curatio ſit relata, nulla difficultas amplius eſt, etiam mixtarum curam inuenire. Satis enim manifeſtum eſt quòd ad humorum complexum, conſequenter etiam curationes oporteat mixtas eſſe. Cognitiones autem mixtarum fluxionum, ex prædictis ſimplicibus affectionibus ſunt ſumendæ.

Cura affectionum ex ſanguinis & bilis complexu, Cap. XXXVII.

SI igitur ſanguineæ & bilioſæ affectiones concurrãt, & C propterea tumor magnus & ruber, & quodammodo flauus ac feruidus, membrum fluxione infeſtatum apprehendat, & dolores nunquam remittentes incumbant, & exacerbatio vehementer quidem alternis & tertio quoq; die fiat, benignior autẽ ſingulis diebus, omnino ſanè manifeſtum puto quòd medicationis initium à venæ ſectione primùm fiet, conſequente exinde billioſi humoris purgatione. Satis conſtat autem quòd & euacuationum tempore repulſoriis vtemur: quæ videlicet frigidæ & adſtringentis ſunt facultatis. Et deinde primùm mitigatoriis & D refrigerantibus quidem vtendum, non autem amplius adſtringentibus. adſtrictio enim tumorem inſpiſſat ac cogit, vt ægrè diſcuti & reſolui poſſit, ſi diutius ea vtamur. poſtremùm verò etiam iis quæ concoquere & diſcutere tumorem poſſint, vtendum eſt. In principio igitur, iuxta euacuationum inquam tempus, vtile pharmacum eiuſmodi affectionibus eſt ex acacia & veratris paſtillus in mortario plumbeo cum ſemperuiui, aut plantaginis, aut ſanguinariæ, aut ſenecionis, aut vmbilici Veneris, aut rumicis acuti, aut ſolani, aut vuæ acerbæ, aut hyoſcy- E ami, aut lactucæ ſucco dilutus. Atqui iuxta augmenta & & vigores affectionum, etiam ea quæ ad ſanguineas affectiones dicta ſunt, in cataplaſmata admiſcere expedit, ſuccóſque item iam relatarum herbarum, & ipſas adeo herbas tritas. Poſtquam verò feruor inflammationis ceſſarit, concoquentibus cataplaſmatis & medicamentis vtemur: parte etiam affecta vulnuſculis impactis ſcarificata, præſertim ſi appareat tumefacta.

Cura bilis ad pituitam permixtæ, Cap. XXXVIII.

F AT verò ſi pituitoſi humores bilioſis fluxionibus admiſceantur, ſi quidem vnio & permixtio ipſorum eodem tempore hominem infeſtet, miſcere etiam remedia oportet, eorúmq; multitudinem purgare per ea quæ bilem ſimul & pituitam educere poſſunt: forinſecus autem cataplaſmata imponenda pari aut impari modo, permixtis iis quæ pituitoſum & bilioſum euacuant fluxum. Et pari quidem modo vtraque cõiiciemus, quum affligẽtium humorum mixtura æqualis fuerit: impari verò, ſi alter humorum redundarit. Neque verò obliuioni tradendum quòd aliqua ipſorum in principio rectè adhibẽtur: G aliqua verò iuxta mali progreſſum & vigorem: quædam verò eo remittente & circa declinationem.

Cura humorum atræ bilis aliis permixtorum,
Cap. XXXIX.

EAdem etiam methodo vteris, ſi atræ bilis fluxiones reliquis fuerint admixtæ, tum iuxta exacerbationum circuitus, tum iuxta continuitatem. Neque enim ſolùm ad affectionum complexus eſt reſpiciendum, ſed & num aſſiduè & citra remiſſionem, an iuxta circuitum infeſtent. Primùm quidem igitur & in illis euacua- H tionibus conuenientibus vtendum eſt: deinde vbi quidẽ aſſiduè infeſtarint, cataplaſmatis dolores ſedantibus vti expedit. Vbi verò per circuitum moueantur, inſtantibus quidem doloribus, mitigatoria cura: per interualla verò corroboratoria membrorum vtemur. Manifeſtum autem

quòd quæ magis feruent,maiori refrigeratione opus habent:quæ minus,minori.omnia tamẽ feruentia refrigerare oportet. Quæcũq; autẽ fluxiones pruriginoſæ fuerint, obtũdentibus & diſcuſſoriis curabũtur: quæcunque verò mordaces,obtũdẽtibꝰ ſolis. Et quæ in alto ſitæ ſunt,per ea quæ tenuiũ partiũ exiſtũt:quæ verò in ſuperficie,per ſimpliciora. Omnium autem horum ſyluam in fine ſecundi huius tractationis Sermonis præſcriptam habes.

Cura durorum tumorum qui poſt inflammationes relinquuntur, Cap. XL.

DVri & reluctantes aliquando tumores poſt inflammationes relinquuntur,qui ex craſſis humoribus generationem habẽt,in corporibus præſertim durioribus, & quæ ægrè per diſcuſſoria exoluuntur, & malè curatis. huiuſmodi enim non curati ſtatim, ſeipſis peiores fiunt ad vitæ actiones obeundas.Cæterùm huiuſcemodi tumores ſedant, pharmacum Machærionis & Piſcatoris,& Ægyptium,& conſimilia.de quibus dicetur XV Sermone in pharmacorum multæ commoditatis relatione : dicetur autem & hîc vbi ex ordine de tumoribus qui ægrè concoquuntur tractabimus. Sunt etiam parabilia pharmaca ad hanc affectionem, ſi ruri viuamus, ſatiuæ fici & ſylueſtris quoque groſſi cocti, triti & impoſiti, tum ſoli, tum cum quadam ex prædictis farina & adipe. Cyclamini item & cucumeris ſylueſtris radix, & althæa bis cocta, & caricæ pingues, adianton, auena, vrtica, bryoniæ radix, bulbi anethi,abrotoni,buphthalmi,iridis folia, itémque marrubii, ita vt ſingula prædicta cum viſco, pice, & ſulphure viuo permiſceantur.

De tumorum crudorum & incoctilium cura, Cap. XLI.

CRudi tumores ex materia albidiore ac lentiore cõgregãtur,diúque durant,neque cõcoquuntur,neque diſcuti poſſunt. Quandoque verò primis quidem diſcuſſis, loci ſtatim fluxione infeſtantur,& inæquali magnitudine ſemper permanent tumores,& in quibuſdam ſanè penitus abſque dolore fiunt,in aliis verò dolore quodã comitante. Quando quidem igitur diuturnos videris tumores citra dolorem,per diſcuſſoria curato , diligenti animaduerſione habita nequid relinquatur induratũ, quod incurabile aut ægrè valde curabile reddatur, & maximè vbi calloſarum duritierum generationem videris in articulis futuram. Si igitur citra dolorem videris crudos tumores,emollientibus ad diſcuſſoria admixtis curato,nequid penitus induratum relinquatur. Si verò cum dolore contingant tumores,non modò diſcuſſoriis, ſed etiã quæ vnà cum hoc quòd diſcutiunt,lenire poſſunt,expedit vti. Manifeſtũ eſt autẽ quòd,ſi fluxus tenuis & modicus cum doloribus quibuſdam deferatur , inde tumores poſt inflammationum remiſſiones oboriantur & infeſtent,atque id maximè in iis euenit qui delicatius viuunt,aut frequẽter lauantur , aut pluſquam oporteat inambulant,vel etiam rebus venereis vtuntur.Oportet igitur in his ad tumefacta imponere pharmacum ex ſalicibus, ita vt agglutinari poſſit,apparatum:aut quod ex aſpidibus conſtat ad ſtrumoſos deſtinatum,aut aliquod conſimile : præſertim quum ſenſus ægris adeſt iuxta coxendicem aut femur, tanquam aliquid ad inferiora deferatur.qúmque dicunt ſe affici velut formicas repentes ſentiant, dolétque & iam refrigeratur,iam caleſcit membrum. Quin & lauantes per ſmegmata ex adarce,alcyonio,& pipere, defricare oportet. Adſtringentia igitur ſunt ſimúlque diſcuſſoria pharmaca quibus neceſſariò vtimur ad crudos & dolentes tumóres, velut ſymphytõ petræũ,terebinthi virgulta, ſcolopendrium viride,cyperos,& ſimilia(de quibus ſæpe dictum eſt)cum pane multo & roſaceo permixta,præſertim in iis qui humido & albo corporis habitu ſunt præditi. Ex compoſitis autem conuenit eis pharmacum ex ſuccis, quod cum vino flauo & ſubadſtringente eſt emollitum,& Galeni phœnicinum cum multo roſaceo liquefactum,& locis liquidius impoſitum. Cæterùm in tumoribus citra dolorem,conueniunt adiantum viride, folia vrticæ, althææ,chamæmelum, vua paſſa pinguis, ſertula Campana,meliſſophylõ,lauer,citrii exterior cortex,&ſimilia.Ad quæ ſingula,cicerũ & lupinorum farinæ, & pa-

A nis, & olei veteris ac ſicyonii,& adipis ſuilli veteris tantum admiſcendum eſt, vt mollis ad tactum compoſitio reddatur,& morſum nullum ad membrum accedere permittat.Ex compoſitis autem pharmacis conueniunt his, id quod ex croco & galbano conſtat, & quod ex liqueſcibilibus apparatur ac mox referetur. & Machærionis & Piſcatoris,cum cerato ex oleo ſicyonio aut aliquo conſimili liquefacta. atque hæc quidem in mollioribus corporibus adhibentur.In durioribus autem & quibus tumores non dolitant,conueniunt viticis folia, præſertim arida,& amaracum, amarãtum, ari & ariſari radix,ſmyrniũ, & althææ radix,elaphoboſcum, ericæ folia,fæniculi folia,filix, ſiſymbrium , ſcandix, erucæ folia & ſinapis viridis. Compoſita autem conueniunt tum prædicta citra cerati admixtionem,tum Iſis & Aphrodite appellatæ, & alia infinita iiſdem viribus prædita. Huiuſmodi autem pharmaca vnà cum hoc quòd tumores exoluunt, etiam fluxiones naturæ ſuæ aptitudine repellunt . quod ipſum etiam probè faciunt cupreſſi pilulæ virides cum vino coctæ, prædictorum leguminum farinis & ſuillo adipe admixtis. quandoque verò & lauri ramuli , & rubi folia, & ſimilia admiſcentur.Efficaciora autem prædictis ſunt, & agreſtioribus corporibus, ac tumoribus qui ægerrimè concoquũtur conuenientiſſima,abrotonum , ammoniacum thymiama, anemonarum radices & haſtulæ regiæ, bryoniæ radix,pulegium,dracunculi radix,bdellium,buphthalmum, gentianæ radix , & myrobalanus. His autem adhuc fortiora ſunt capparis folia, glaſtum, betonica, cyclamini radix, braſſicæ vſtæ cinis, ruta, panaces viride,peucedani radix,ſquilla,fici ſylueſtris fructus, trifolium aſphaltites, trixago, ſulphur, pix.Addatur autem ſingulis prædictis panis & adeps,aut prædictorum leguminum farinæ,quandoque etiam caricæ.In quibus omnibus ſcopum tibi propoſitum habeas, vt citra partis affectæ combuſtionem & afflictionem curam facias:quapropter etiam neceſſaria eſt prædictarum farinarum , itémque adipum admixtio. Tantum autem commiſcere ex eis oportet,quantum vehementem vniuſcuiuſque vim obtũdere volumus.Admiſcendus autem eſt non ſolùm adeps ſuillus,ſed & caprinus,& vitulinus,& taurinus,ceruinus & anſerinus.medullæ item omnes admiſcendæ, habito naturæ curandi corporis reſpectu.Et cochleæ vnà cum teſtis tritæ,& ſine alterius rei admixtione, & caprino ſtercore cum aceto trito admixto impoſitæ , tumores laxos & molles deſtruunt & adſtringunt,qui ſanè ex lentis & craſſis humoribus oboriuntur.Porrò operæpretium duxi admonere , diligenti animaduerſione opus eſſe ne clam te indurata aliqua tumoris pars relinquatur. quod ſanè vbi videris factum,iis quæ fortiter emollire poſſunt,vteris,reſpectu ſimul ad habitum corporis habito. Ex malagmatibus autem fortiſſimum eſt Lucio inſcriptum ad articulos diſtortos.

Malagmata diuerſa,in quibus etiam Lucii malagma eſt,ad articulorum diſtortiones deſtinatum, Cap. XLII.

MAlagma Lucii ad articulos diſtortos inſcriptũ. facit ad thoracis affectiones & abſceſſus in profundo, ad neruos contractos, & articulos ſtupore occupatos : Latinè diſtortiones & Græcè ancylas appellamꝰ.Facit opiſthotonicis, & ad omnem neruorum per conſenſum affectionem . Ad neruorum item laſſitudinem,acopon egregium eſt irino aut cyprino diſſolutum.Bdellii, adipis vitulini,ammoniaci thymiamatis, iridis, cuiuſque ſextantem,opopanacis,galbani,canchryos,thuris,ſtyracis,cuiuſque drach.VIII.piperis grana CLX. ceræ ſeſcuncem, terebinthinæ ſeſcuncem,fæcis vnguenti irini aut cyprini ſextantem & vnciæ dimidium,vini quantum ſufficit. ammoniacum,opopanaca,thus,terito cum aceto,liqueſcibilia verò liquefacito,&ab igne ablatis ſicca inſpergito:deinde etiam trita ipſis adiicito,& vnita in mortarium diffundito,ac fortiter emollito,extractíſque vtitor. Optimũ eſt etiam eis ex pice Brutia Galenicum pharmacum,ad rabidi canis morſum deſcriptum.habet autem hoc modo. Picis Brutiæ lib.I.opopanacis quadrantem, aceti acerrimi drachm. vnam, apparato quemadmodum de rabidi

canis morſu prædictum eſt Sermone ſexto. Aliud pharmacum ex liqueſcibilibus, Galenicum: quod concoquit ſimul & attenuat tumores. quo ſanè in mollib⁹ corporibus vel ſolo vtendum: in durioribus verò admiſcẽdum eſt ei id quod ex metallicis conſtat, ad ſauciatos neruos deſtinatum, ita vt mixtura vbilibet iuxta corporum & affectionũ naturã fiat. Habet autem hoc modo: Opopanacis vnciam vnam, terebinthinæ Chiæ vnciam vnam, propolis teneræ quadrantem. Si verò propolis tenera non ſit, admiſcebis terebinthinæ triẽtem. quòd ſi neque intotum propolis haberi poſſit, coniicito picis Brutiæ ſeſcuncem. opopanaca in aceto albo contere. Hoc pharmacum prædictos tumores concoquit, & humores in alto ſitos attrahit, diſſecat, & repurgat. Cæterùm quod ex metallicis conſtat, item Galenicum ad ſauciatos neruos deſtinatum, hoc modo habet: Chalcitidis, miſyos, æruginis vſtæ, cuiuſque drachmas octo, colophoniæ beſſem, ſquamæ æris drach. vigintiquatuor, ceræ drachmas XCVI. olei drach. CXXVIII. reſinæ drachmas ſedecim, galbani drach. duodecim, aceti quantum ſufficit. chalcitin, miſy, æruginem, æris ſquamam cum aceto in ſole æſtiuo contere ad plures horas, & liqueſcibilibus liquefactis & affuſis, vni, emolli, ac vtere. Aliud Galenicũ, ad eos qui tenerum corpus habent & neruis ſaucii ſunt, deſcriptum: Chalcitidis vſtæ, miſyos vſtæ, cuiuſque drach. octo, ſquamæ æris drach. XXXII. thuris drach. XXXII. ceræ drach. XCVI. olei drach. CXXVIII. reſinæ drachmas XVI. galbani drach. XII. aceti quod ſatis eſt: apparato vt dictum eſt. His itaque pharmacis vtemur per ſe, vbi dolores ex profundo diſſoluere velimus. miſcebimus autem pharmacum ex liqueſcibilibus conſtans, vbi tumores fuerint obdurati. Malagma ad podagricos & articulorum morbos valde generoſum. liberat à tota affectione. vſus eius eſt per exacerbationum interualla: Ceræ lib. I. terebinthinæ lib. I. ſpumæ nitri ſeſcũcem, floris lapidis aſii ſeſcuncem, thuris ſeſcuncem, olei cyprini libram vnam, lixiuii coactiliariorum, ſiue pileariorum, quantum ſufficit. Arida contundito, cribrato, & cum lixiuio ad liquidi cerati craſſitudinem terito, & liqueſcibilia liquefacta tritis affundito, vnito, ac vtitor.

Aliud. Calcis viuæ, thuris, cuiuſque drachmas quatuor, terebinthinæ drach. quatuor, ammoniaci thymiamatis drachmas quatuor, ſpumæ nitri drachmas IIII. adipis taurini drachmas octo, floris lapidis aſii drach. II. ceræ trientem, olei trientem. liqueſcibilia liquefacito, & cum ſiccis vnito ac vtitor. valde præclarum eſt. Reſorbet collectiones circa articulos congregatas, & à doloribus vindicat. Aliud, quod intotum ab omni affectione liberat: Seminis cicutæ, comæ centaureæ, iridis Illyric, æagarici, cardamomi, fœnigræci, corticis radicis mandragoræ, ſingulorum ſextantem, terebinthinæ librã vnam, olei veteris ſeſcuncem, vnguenti Syriaci, aut ſalca appellati ſeſcuncem. terebinthinam cum oleo veteri modicè coquito: deinde vnguentum addito, & ablatis ab igne arida trita inſpergito & vnito, emollitáque in vas æreum aut ſtanneum reponito, vaſe tamen prius ex vnguẽto malabathrino ſiue foliato illito. Hoc pharmacũ craſſos & mucoſos humores trahit per obſcuros meatus.

Aliud ad eos qui à natiuitate articularem morbum cõtraxerunt, vtpote quibus genua, humeri, cubiti, & reliqui articuli dolitant: Ceræ, colophoniæ, reſinæ pinus, cuiuſque ſeſcuncem, terebinthinæ vnciam vnam, fœnigræci ſicci contuſi & cribrati trientem, cyprini trientẽ aut quantum ſatis. Eliquatis liqueſcentibus fœnumgræcum inſperge, & vtere. Aliud ceratum ad articularem morbum, pulchrum: Ceræ, adipis porcini, colophoniæ, reſinæ pinus, cuiuſque libras duas, butyri libram vnam, terebinthinæ librã vnam, galbani trientem, adipis taurini libras duas, œſypi libram vnam. liquefac, percola & aſſerua. vſus verò tempore, vnguento nardino diſſolue, aut etiam gleucino, & linteolo exceptum impone. Aliud ad articulorum morbum & podagricos, vt præ admiratione conſterneris. Ceræ drach. c. roſacei drach. cc. foliorum ſideritis tenerorum drach. c. ſtyracis drach. xx. thuris drach. octo, nitri drach. octo, mannæ drach. x.

A liquefacta cum reliquis tritis vnito, ac vtitor. Sunt autem & alia quamplurima pharmaca quæ tumores tollere poſſunt poſt inflammationes adhibita: maximè verò omnium quod ex aſpidibus conſtat ad ſtrumas deſcriptum, facit ad eos quibus laxi tumoris magnitudinem detrahere volumus. Subuertit enim quamplurimùm tumores laxos: itémque duros: eóſque ſimul diffundit. cõſtringit autem & condenſat articulos præclarè omnino, ſi quod ex ſalicibus conſtat, ei admiſceatur. Ego autem, inquit Philagrius, penuria pharmacorum ex metallicis B præſcriptorum, id quod ex ſalicibus apparatur admiſcui, & maximopere profeci, articulis inde conſtrictis, denſatíſque ac corroboratis: obfirmato videlicet fluxionum humore prius euacuato. Licebit autem, ſiquis ruri viuat, & prædictis pharmacis careat, ex adipe qui ad manum ſit, & arida pice cum reſina pinus, aut etiam alia reſina quæ haberi poſſit, pharmacum in cerati formam apparare, ipſique chalcanthi quantum vbilibet rectè habere videbitur, admiſcere: ſalem item ac miſy, auripigmentum, & ſimilia. Quin & viſcum & irin, ariſtolochias, pæoniã, C peucedanum, gentianam, centauream, artemiſiam, thymum, origanum, nitrum, nitri ſpumam, thus, myrrham, ſtyracem, propolin, maſtichen, ac alia innumera his conſimilia licebit reperire, indéque pharmaca tumores cõſtringentia componere, quemadmodum nos fecimus nõ paucies, communibus ad podagricos & articulorũ morbos pharmacis inde apparatis. Philagrii pharmacum ex nitro & oleo. Nitrum accipito friabile & nihil calculoſum in ſe habens, ídque ipſum quãtenuiſſimè terito, olei tantum ad ipſum in mortarium affundens quò trita D ſimul ad mellis craſſitudinem redigantur: atque vbi ſatis diu contriueris, cacabo excepta ad lentum ignem non fumantem coquito aſſiduè agitando, donec ad bonam cõpagem reducantur, animaduerſione habita ne liquidius pharmacum relinquatur. quod vbi contigerit, pharmacum penitus liquidum euadit, & neque in poſterum inſpiſſatur, niſi multam aliam ſuſtineat coctionem, quæ vim eius ſicciorem, & ob id affectis dolore membris inutilem reddit. Probare autem eius compagem tempore E coctionis oportet, ad teſtam aridam ipſum deſtillando, teſta non prius humectata, quemadmodum in aliis pharmacis facere ſolemus. reſoluitur enim nitrum per aquæ contactum. Sit autem oleum quod nitro affunditur, dulciſſimum, tenuium partium, aut roſaceum, aut chamæmelinum, aut anethinum, aut vetus, aut cicinum, aut ſicyonium. Quandoque etiam chamæmeli humidæ ſiue aridæ, aut iridis tenuiſſimè tritæ, aut ariſtolochiæ, aut alicuius conſimilis partem admiſcere prodeſt. Si quidem autem repellere ſimul ac diſcutere velimus, aut etiam ca F lidos dolores curare, cum roſaceo ipſum pharmacum coquemus, aceto quandoque in coctione aut modico paſſo affuſo. Si verò amplius diſcutere velimus, cũ aliquo alio oleo coquem⁹, admixtis etiam quibuſdam præſcriptorũ aridorum, iuxta habitũ videlicet curandi corporis & cõpagem ipſius tumoris. Hoc ſanè pharmacum dolores in alto obortos, quamcelerrimè ſanat, atque id eo magis ſi non bilioſum ſit neq; multũ calidũ quod influit. Neque verò ſolùm podagricos dolores ex profeſſo iuuat, verũ etiam eos qui tales non ſunt, ſed ex fluxionibus congre- G gati, & diſcuſſioni aliàs reſiſtentes. Vtimur itaque ipſo ſi poſt ſedatas inflammationes dolores in alto permaneãt.

Pharmacum ex vrina bordonis, *hoc eſt muli* apparatum. Attrahit quidem hoc, priore præſtantius: conuenit autem magis craſſis aut crudis fluxionibus, præſertim ſi cum chamæmelo viridi, vel ſola, vel cũ adipe porcino recenti, fuerint prius cataplaſmatis modo confectæ: cum arida verò itidem eodem adipe admixto, ampliúſque farina fabacea, aqua & oleo ac modico paſſo adiectis. Quin & ipſa anthemis, quæ & chamæmelon dicitur, valde ca- H lidos dolores & inflammationes maximopere ex natura ſua iuuat, ſtatim poſt vigorem adhibita. Etenim cutem rarefacit, & attenuat moderatè, & bilioſos humores trãſpirare facit, adeo vt huiuſmodi inflammationes etiam ſola, nihil ex attenuatoriis & inciſoriis, veluti eſt artemiſia, & ariſtolochia, & calaminthe, & alia infinita, admi-

xtum habens,curet.Hoc itaque pharmacum ex argenti ſpuma & vrina apparatum,de quo ſanè ſermonem inſtitui,ſcio quoſdam circa totius affectionis vigorem, non modò iuxta particulares exacerbationes,aliquando verò & augmenti tempore, ad dolentes locos pro cataplaſmate impoſuiſſe,humoréſque forinſecus extraxiſſe, & tumores quidem maiores reddidiſſe: dolores tamen omnino ſedaſſe ac extirpaſſe. cæterùm odor ipſius intolerabilis eſt eis qui tenero olfactus ſenſu præditi ſunt. Compoſitio verò talis eſt. Vrinæ muli maſculi non caſtrati, ſextarios Italicos quatuor, ſpumæ argenti libras II. ſpumam argenti tenuiſſimè tritam in mortario habeto, eique vrinam affundito,ad ſolem videlicet æſtiuum expoſitæ paulatim vrinam inſtillato, & poſtquam ad mellis ſpiſſitudinem peruenerit,vrina ſcilicet conſumpta,olei vnc.XXIIII.addito, adipis porcini veteris vnc. XVI. & vſquequo non amplius inquinarit manus,coquito. vſus verò tempore,linteolo exceptum imponito. Oribaſius autem axungiæ libram vnam coniecit,& medullæ ceruinæ non ſalſæ beſſem,& mellis libras tres: reliqua verò eodem modo.Scribunt porrò quidam proprii muli vrinam accipiendam eſſe. reſiſtit enim & obluctatur morbo ex natura ſua hoc animal.Efficacius autem,aiũt,reddetur ſiquis dum coquitur ipſa,ſemel in cacabũ expuat, & ſemel in terram. atque hæc cum quibuſdam barbaris nominibus inuenire licet adſcripta, quæ ſanè curioſam penitus habent ſcripturam, atque ob id ſuperfluum & indecorum mihi viſum eſt,inquit Philagrius,ea adſcribere.Etenim citra eorum nominum incentionem ac nomenclaturam,ipſum pharmacum apparatũ, eodem modo efficax eſt, ſicut id quod cum nominibus præparatur. Hippone Philagrii. Hippone verò hoc modo apparatur: Anethi viridis vnc.XVI.ſquillæ recentis ſeſcuncem,olei omphacini ſeſcuncem ac vnciæ dimidium, aquæ ſextarios tres.anethum & ſquillam in aqua & oleo ad triduum macerato, deinde donec aqua conſumatur coquito,& percolato oleo ceræ nouæ lib.II.adiicito,medullæ ceruinæ lib.I.aut ſi hæc non adſit, adipis ceruini libram vnam.apparato,vtitor.

Cerata podagrica, Cap. XLIII.

CEratum ex ſucco ſenecionis valde pulchrum: Ceræ libram vnam,olei chamæmelini dodrantem,adipis porcini recentis ſeſcuncem,croci drachmas quatuor. crocum cum ſucco ſenecionis terito:liqueſcibilia autem liquefacito,percolato,& ſucci quantum expedit paulatim inſtillato,fortitérque agitato, atque vbi refrixerint, ad crocum tritum adiicito,& ſubacta vnito,ac vtitor. Ceratum dolorem leuãs,ad inflammationes in vigore conſtitutas. appellatur autem manus Aſclepiadæ. facit ad excellenter inflammata,eadem hora liberans citra dilationem: Succi haſtulæ regiæ cyathos quatuor, ſucci ſolani cyathos quatuor,ſucci buphthalmi cyathos IIII. ſucci perdicii cyath.IIII.ceræ,butyri recentis,axungiæ, medullæ vitulinæ,calcis viuæ,cuiuſque quadrantem, terræ cimoliæ drachmas duodecim, terræ Samiæ drachmas duodecim, ſandarachæ drach. XII. nitri bernicarii, ſpumæ nitri,cuiuſque drach.XII.fæcis vini vſtæ drach. XII. glutinis chartarum,hoc eſt pollinis cocti drach.XII.olei boni libras tres, appara & vtere. Aliud ad præſcripta item efficax: Ceræ,colophoniæ,adipis anſerini,ceruſſæ, cuiuſq; drachmas ſedecim,picis drachmas quatuor,ſucci braſſicæ cyathi dimidium,ſucci fœnigræci cyathi dimidium,ſucci ſeminis lini cyathi dimidium,ſucci ſtratiotæ cyathi dimidium,ſucci ſertulæ Cãpanæ cyathi dimidium,lactis bubuli cyathi dimidium, oua gallinarũ numero quatuor,olei libras duas.Ex his cerata duo facito,eáque vnà cum eis quæ Ægyptia inſcribuntur in prõptu habeto,quæ pauci adeò homines habent: apparato cõfidenter,nullíque reuelato,& plus quàm hominis nomen aſſequeris. Podagricum aliud ceratum approbatiſſimum. Facit ad inflammationes & dolores,etiam in principiis impoſitum celerrimè ſanat, & neruos arefactos emollit,adeò vt quidam ei hanc facultatem ineſſe non credant.diſſoluit & pedum nodoſos tumores condylomata *Græcis* appellata: Olei cicini libras duas,ſucci

A mandragoræ drach.XXXII.ſucci artemiſiæ drach. XXIIII. ſucci rumicis drach.XXIIII.reſinæ pinus drach. XLVIII. terebinthinæ drachmas XLVIII.adipis anſerini drachmas XLVIII.ſucci rubi drachmas ſedecim,butyri recentis drachmas XLVIII.lycii Indici drachmas vigintiquatuor, ſanguinis hircini ſicci drachmas ſedecim,lacrymæ hederæ drach.XXXII.galbani drach.XLVIII. opopanacis drach. XXXII.Lycium & ſanguinem hircinum & panacis ſuccum cum modico vino terito,& affuſis ſuccis, ſi quidem liquidi affuerint,aut ſiccis,ſi illi haberi nequeant, vnito.
B liqueſcibilia autem liquefacito,eíſque trita adiicito, & ad lentum ignem coquito,ſpathula aſſiduè agitando donec coquantur.Cæterùm ligna quæ ad coctionem eorũ ſuburuntur,arida vitis ſarmenta eſſe oportet. Ceratum podagricum ex bryonia.Egregiè facit ad omnes inflammationes & dolores articulorum.hac vſus & in vigore& in remiſſione, ſucceſſum & gloriã reperi. reperies enim inflammatas partes corrugatas & citra dolorem.frequenti experimento nobis cognitum eſt: nam multos eo ſeruauimus.Radicis cucumeris ſylueſtris drach.CCCCCLXVI.
C ſquillæ mundæ drach.CCCCLXXX.radicis haſtulæ regiæ drach.CXLIIII.olei raphani drach.CCCCCCXCVII.ceræ drachmas CXLIIII.galbani drachmas XLXVIII. Herbas omnes in aqua ſufficienti per triduum madefacito,ſingulis diebus bis ipſas ſenſim agitando. Deinde affuſo oleo, coquito donec oleum ſolum relinquatur, ad lentum omnino ignem.percolato deinde,& ceram ac galbanum in mortario diligenter trita & emollita addito. Quibus omnibus poſtremùm liquefactis, & ab igne ablatis,vtitor ad omnes doloris affectiones. hoc etiam ad viſcerum
D diuturnas inflammationes ſum vſus. Ceratum in multis approbatum, ad inflammationes pedum, diſcutiens citra dolorẽ.vtere eo in vigoribus, & magis in declinationibus: Olei anethini quincũcẽ,chamæmelini quincuncem,butyri quincuncem,adipis anſerini quadrantẽ, farinæ lupinorum ſextantem & dimidium vnciæ.Liquefacito,& agitando refrigerato,in mortariúmque infundito,terito,& ouorum quinque crocea ſingulatim adiicito:deinde & lupinorum farinam inſpergito, vnito, ac vtitor. Ceratum Iacobi Pſychriſtæ, ad feruentes pedũ
E inflammationes: Ceræ albæ ſeſcuncem, roſacei recentis vncias XV.ouorũ V.candida,aquæ ſeptuncem & vnciæ dimidium.ceratum ad prunas liquefacito, & diligenter agitando refrigerato:deinde in mortarium fundito, & adiectis ſingulatim ouorum cãdidis,terito, poſtremùm inſtillata ſenſim aqua,omnia ritè vnito,& noua olla ſufficiẽter prælota excipito,& infuſa aqua pura ſinito, quotidie aquam permutando.

Vnguenta,& acopa diuerſa ad podagricos, articulorum dolores, iſchiadicos,membris exolutos & tremẽtes, Cap. XLIIII.

F VNguentum Aſclepiadæ.Facit podagricis, articulorum doloribus,& ad omnem neruorum per cõſenſum affectionem: Vini veteris ſextarios duos, lanarum ſuccidarum ex locis ſub alis lib.I.ſpumæ nitri libram I. lanas ſuccidas in vino per triduum madefacito, deinde expreſſo liquore,ſpumam nitri tenuiſſimè tritam iniicito,diſſoluitóque ac olei libras duas addito & conquaſſata in vitreum vas reponito,& vtitor,quotidie agitans & ex eo illinens locos affectos, à ſomno, & ante balneum
G & poſt balneum,& à cœna. Aliud vnguentum ex ſale: podagricos à tota affectione liberat. Salis ſordidi, hoc eſt ipſius terræ,libram vnam,aluminis ſciſſi libram I.fæcis vini veteris ſextarium vnum,floris lapidis aſii trientem.Arida ſigillatim vnumquodque per ſe diligenter terito,deinde etiam fæcem adiicito,ſimúlque terito,& ad trita demum olei veteris ſextarios duos affundito, conquaſſato,reponito ac vtitor. quidam etiam mellis lib.I. addunt. Aliud itidem,Aſclepiadæ: Thuris quadran-
H tem,ammoniaci thymiamatis, zingiberis, piperis, ſalis ſordidi,floris lapidis aſii, aluminis ſciſſi, cuiuſque vnciam vnam,galbani vnciam vnam,opopanacis ſeſquiunciam,terebinthinæ quadrãtem,olei cyprini,laurini,ſampſuchini,& ceræ,ſingulorũ ſeſcuncem,aceti quantum ſatis eſt ad ea quæ diſſoluere oportet. vtere in frigidioribꝰ

Aliud optimum: Spumam nitri albam cum oleo veteri terito, eóque locos atricato, & miraberis. Aliud Aſclepiadæ: Vini veteris ſextarios tres, olei veteris ſextarios duos, virgultorum lauri libram vnam, foliorum tenerorum aut pilularum cupreſſi teneriorum libram vnam, ceræ libram vnam, galbani vnciam vnam, ſanguinis teſtudinis terreſtris ſatis largam copiam. herbas in aceto macerato, deinde coquito, & ad decoctum liquefacta reliqua addito ac vnito, & ſanguine teſtudinis recẽti affuſo, coquaſſato, & vtitor. Olei gleucini præparatio. Oleum gleucinum dolores & laſſitudines neruorũ quammaximè ſedans Habet enim vim calfactoriam relaxantem. facit ad affectiones vuluæ, & ad omnem neruorum per conſenſum affectionem. Facit ad rigores per circuitum repetentes, quotidianæ præſertim & quartanæ febris. omni enim acopo præſtantius eſt. Maximè autem facit ad eos qui tum retrò tũ antè diſtẽduntur, opiſthotonicos & emproſthotonicos *Græcis* appellatos, ſi calidum puris lanis exceptum locis imponatur. Compoſitio eius hoc modo habet. Olei omphacini primarii libras CCL. vini falerni veteris odorati ſextarios quinquaginta Italicos: muſti ex vua aminea, hoc eſt adſtringente alba ſextarios Italicos centum quinquaginta, olei lib. duodecim, aſpalathi libras quinque, ſpathæ vnguentariæ quam palmam elaten appellant, libras quinque, hedyſari, *hoc eſt ſeminis pelecini* ſeſquilibram, artemiſiæ libras duas & ſemiſſem, cyperi libras duas & ſemiſſem, piperis ſeſquilibram, muſci qui ſplanchnon & hypnon & bryon *Græcis* appellatur, libras duas & ſemiſſem, xylobalſami libras duas & ſemiſſem, aſari libras duas & ſemiſſem, caſiæ nigræ libras duas & ſemiſſem, carpobalſami, fœnigræci, cuiuſque libras duas & ſemiſſem, foliorum myrti aridorum dextantem, roſmarini ſiccæ libras quinque, calami aromatici libras quinque, iunci odorati floris lib. quinque, thuris libras quinque, crocomagmatis primarii libras quinque, nardi Celticæ lib. quinque, zingiberis libras tres (quidam verò libram vnam & quadrantẽ) ariſtolochiæ longæ libram vnam & quadrantem, ſtyracis pinguis libram vnam & quadrantem, caſiæ fuluæ libram vnam & quadrantem, ladani, ſeminis cardamomi, amomi, radicis panacis, meliloti, ſampſuchi, cuiuſque libram vnam & quadrantem, bdellii ſeſquilibram, croci libram vnam & beſſem, coſti libram vnam & beſſem, roſarum ſiccarum libram vnam & quadrantẽ, opobalſami vaſcula parua quinque, hoc eſt beſſem, hoc eſt heminæ tertias partes duas, vnguenti malabathrini libram vnã. Arida contundito, & rariore cribro excutito, omniáque vino veteri macerato. bdellium autem & ladanum præmaceratum in pila terito, & ad arida pri⁹ macerata adiicito. Sit autem vas vnguẽtarium ſtanneum, quod diligenter opertum ad dies & noctes duas ſinito. deinde vuam flaccidam, ita vt nihil roris ei adhæreat, accipito, ac purè exprimito, & ex acinis excolato, ínque aliud vas ſtãno illuſtratum ipſum muſtum infundito. Sit autem magnum vas & capax, quò etiam ad ebullitionem muſti locus amplus ſuperſit. deinde omnia in veteri vino macerato. itémque oleum ipſum in muſtum iniicito, & ſpatha vnguentaria bis per diem agitato. verùm ſpatham diligenter detergere oportet, ne, quod adhæreat ei, acidũ factum, pharmacum corrumpat. Cæterùm vas ipſum operculo & palliis pluribus ſupernè contegatur, & diligenter obligetur, ſupponatúrque vaſi circulus ex quacũque materia, qui ipſum ſuſtentet. Quum verò dies quindecim præterierint, amomum contuſum iniiciatur, rurſúmque vt dictum eſt agitetur. Triceſima autem die in diplomate coquito, atque vbi ter vel quater efferbuerint, ab igne ablatis ſtatim opobalſamum indito, agitatáque & probè contecta tepefieri ſinito. Deinde totum oleum teſta excipito: fæcem autem, hoc eſt calida, per ſportulas primùm manibus, poſtea etiam prælo exprimito, & abiectis rebus inſtar fœni exiccatis, vnguentũ per ſe curato: malabathrinum videlicet vnguentum in diplomate in aqua calida prætepefactum ei adiicito, cũ ſpatha agitato, & probè vnito, & per biduum conſiſtere ſinito, ac mundis teſtulis excipito: indéque in vaſa vitrea trãſferens reponito. quidam etiam ammoniaci thymiamatis libram vnam & quadrantem adiiciunt. Acopon ex abiete apparatum: Abietis ſemen maximè maturum circa Septembrem eſt menſem. verùm quocunque anni tempore libuerit, ipſum ſemen oleo iniicere oportet: præſtat tamen, ſi prius contuſum iniicias, & per dies quadraginta ſinas. Nos autem, inquit Galenus, etiam ad tres & quatuor menſes permiſimus macerari: deinde liquore ſeminis expreſſo, ipſum quidẽ ſemen abiecimus, oleũ verò per linteolũ excolauimus. Sit autẽ oleum dulciſſimum, & ad libras olei vigintiquinque, ſeminis modius Italicus vnus iniiciatur. Itaque vbi oleum, vt dictũ eſt, excolaueris ac ſemen ſegregaueris, ceræ libras quatuor, terebinthinæ Chiæ beſſem ei adiicito, & modicè quò vniantur calefacito, excipito, ac vtitor. Hoc pharmacum conuenientiſſimum eſt ad omnes ſpontaneas laſſitudines, itémque non ſpontaneas, & ad neruorum per cõſenſum affectiones. Eo vti conuenit ad eos qui iuxta carnem atque omnem corporis molem crudos humores congregarunt, ſiue concoctione ſiue diſcuſſione opus habeant. Acopon ex populo nigra. Bonum eſt etiam acopon, quod ex populi nigræ floribus cõponitur. éſtque huiuſmodi. Ad florum populi nigræ iamiam prodeuntium modium vnum, olei dulciſſimi libræ viginti iniiciuntur. melius tamen fuerit, ſi flos moderatè contuſus oleo iniiciatur. exponatur autem ad ſolem, & ſingulis diebus agitetur, & in domum calidã deponatur: poſt menſes autem tres florem exprimito, ipſúmque adiicito. Oleum verò vt acrimoniam arcens, & leuiſſimum & diſcuſſorium aſſeruato: veluti id quod ex abietis ſemine eſt apparatum. At verò & terebinthinæ ſeſcũcem iniicere licet, aut minus: aliquando item parum ceræ. quidã enim maximè liquidorum medicaminum vſu gaudent: quidam verò craſſiorum. Hæc autem pharmaca crudos iuxta carnem & cutem humores diſcutere poſſunt, præſertim non valde craſſos neque viſcoſos. Quòd ſiquis confeſtim & neceſſitate moram omnem excludente apparare cogatur, ſemen ipſum in oleum coniicere oportet, & in diplomate coquere: infundere autem ad oleum in decoquendo tantum aquæ aut vini, quantum conſumi poteſt, vt tamen quadruplum aut quintuplum oleum extet. Oleum ſampſuchinum. Sampſuchinum etiam oleum eodem modo apparatur. Conuenit autem tempore hyberno, & in regione frigida, & conſtitutione aeris frigida. poteſt & ad hoc ceræ & reſinæ quippiam addi, ſi corporibus ex eo illitis, diutius ipſum adhærere velis.

Acopon vnguentum Marciaton. Vnguentum Marciaton præclarum ad articulorum morbos & corporis languores ac reſolutiones: Styracis primarii flaui trientẽ, medullæ ceruinæ ſextantem, ceræ albiſſimæ quadrantẽ, maſtiches puræ quadrantem, terebinthinæ Chiæ vnciã vnam, œſypi vnciam vnam, opobalſami vnciam vnam, olei omphacini, vnguenti nardini, cuiuſque ſeſcuncẽ. ſtyracem in pila contunde, opobalſamo paulatim inſtillato. deinde liqueſcibilia liquefacito & percolato, eíſque ſtyracem iniicito: quo liquefacto in mortarium omnia tranſferto, & piſtillo donec quamalbiſſimum fiat terito, ac vtitor. Vnguentum Orcheſtæ ſiue Saltatoris, dolores remittens ac relaxans, iſchiadicis ac arthriticis commodum, multo experimento cognitum. Hoc Saltator, quum gymnaſiorum conſuetudinem reliquiſſet, & in articularem morbum incidiſſet, vſus ſanatus eſt. cuius item periculum in multis aliis factum eſt. Habet autem hoc modo: Althææ, ſeminis lini, fœnigræci, rutæ, fabæ, ſingulorum libras duas. Hæc in aqua madefacta, & tertio die pòſt cocta, vt quamcraſſiſſimus eorum liquor fiat, percolato: & ſucci quidem excolati libras quatuor coniicito: olei verò veteris, medullæ ceruinæ, opobalſami, adipis anſerini, vnguenti nardini, ſingulorum libras duas, ceræ colophoniæ, & reſinæ pinus, ſingulorum libras tres, euphorbii, opopanacis, terebinthinæ, ſingulorum libr. I. caſtorei ſeſcuncem addito, ac vtitor confidenter. Pentam œron, *hoc eſt quinquimembre* vnguentum: Styracis vnciam vnam, maſtichès ſextantem, ceræ albæ quadrãtem, opobalſami trientem, vnguenti nardini quincuncem.

ceram cum nardino ſuper prunas liquefacito: ſtyracem verò cum opobalſamo terito, & ad ceratum vnà cũ maſtiche iniicito, liquefactáq; percolato ac in mortario diligẽter terito, donec quamalbiſſima fiãt. vtitor. Decamœron, *hoc eſt decumanum*, Oribaſii: Spicæ nardi, folii, euphorbii, piperis, coſti, adarces, ſingulorum vnciam vnã, maſtiches ſeſquiunciam, opobalſami quadrantem, ceræ ſeſcuncem, vnguenti nardini libram vnam. Alia varia vnguenta. Vnguentum ad morbum articularem, & omnem neruorum per conſenſum affectionem, approbatum: Styracis pinguis vnciam vnam, ladani pinguis vnciam vnam, maſtiches vnciam vnam, ceræ ſextantem, olei ſicyonii quadrantem, adipis anſerini libram vnam. vtitor. Aliud mirabile. Aſphodeli radicem in ſuperficie deraſam accipito, & contuſam cum oleo ſufficiente coquito, percolato, & ad oleũ modicũ ſtyracis cõiicito, quo eliquato ſycomori ſuccum addito, & vnitis vtitor. pedes autem ſi inde illeueris, confeſtim dolorem ſedabis. Aliud, per multam experientiam conſtans, celerrimè dolores mitigans: Adipis hircini recentis lib. duas, heliotropii tria grana habentis foliorum viridiũ libram vnam, ouorum aſſatorum lutea quinque, roſacei optimi trientem. vtere. Aliud. Olei dulcis ſextarios quinque, fœnigræci ſextarios quatuor, radicum althææ, maximè viridium, verbenacæ foliorum, ſingulorum faſciculum manipularem, galbani drachmas quatuor. fœnumgræcum mundatum & lotum, cum verbenaca & althæa ad biduum in aqua madefacito. tertia verò die infuſum oleum ad lentum ignem coquito, aſſiduéque agitato, ne fœnumgræcum adhæreſcat cacabo. poſtquam verò herbæ omnem liquorem emiſerint, eas extrahito ac oleum percolato: ſeorſim verò cum modica olei parte galbanum præmollitum liquefacito, percolato, & ad reliquum oleum adiicito. vtitor ſenſim & quãplurimùm inungendo. Facit ad omnem neruorum per conſenſum affectionem, & dolores à frigore obortos. Aliud ad idem. Medullæ è medio ſquillæ quadrantem, ſeminis cucumeris ſylueſtris quadrantem, fœnigræci repurgati ſextarium Italicum vnum, anethi viridis ſeſcuncem, ſampſuchi ſextarium Italicum vnum, baccarũ lauri ſextarium vnum, ſertulæ Campanæ libram vnam, ceræ libram vnam, bulborum cibariorum quadrantem, adipis porcini recõtis libras decem, vini veteris odorati ſextarios ſex. Omnia in vino ad triduum præmacerato, & deinde adipe liquefacto ad macerata infuſo, omnia ad vini conſumptionem coquito, exprimito, ac percolato: & reliquis abiectis, ceram ad adipem liquefacito ac admiſceto: atque hoc ipſo, vt præter opinionem præſtanti, vtitor.

Smegma podagricum: Ceræ ſeſcuncem, colophoniæ ſeſcuncem, ſucci ſeminis lini trientem, adipis anſerini ſextantem, terebinthinæ quadrantem & vnciæ dimidium, olei omphacini dextantem, ammoniaci thymiamatis vnciam vnam, thuris quadrãtem, lactis bubuli quadrantem & vnciæ dimidium, candida ouorum nouem. ammoniacum & thus, cum lacte & ſucco ſeminis lini terito: deinde candida ouorum adiicito: liqueſcibilia autẽ liquefacito & refrigerato, atque ad trita admiſceto, & pyxide lignea excipito. vtitor autem tum pro emplaſtro tum pro vnguento. Vnguẽtum Caſtini, ad podagricos & arthriticos. eo ſanauit quendam vniuerſo corpore languefactatũ & exolutum. vnicè tamen articulorum morbo prodeſt: Adipis leonini vnciam vnam, adipis vrſini libram vnam, adipis equini libram vnam, adipis vulpis libram vnam, caſtorei ſextantem, medullæ taurinæ ſeſcuncem, medullæ ceruinæ quadrãtem, adipis ſtruthocameli quadrantem, adipis phaſiani ſaginati quadrantem, euphorbii ſeſcuncem, opopanacis trientem, maſtiches lib. I. ſtyracis trientem, myrrhæ trientem, thuris ſeſcuncem, ammoniaci thymiamatis ſeſcuncem, heliotropii tria grana habentis vnciam vnam, pæoniæ ſextãtem, artemiſiæ vnciam vnam, phylli ſextantem, nardi Celticæ ſextantem, radicis althææ contuſæ & cribratæ vnciam I. rutæ viridis drachmas quatuor, radicis cucumeris ſylueſtris vnc. I. hippuris herbæ vnc. I. ariſtolochiæ drachmas quatuor, aloes libram vnam, ſanguinis dracunculi librã vnam, ceræ ſeſcuncem, colophoniæ ſeſcuncem, vnguenti nardini libras octo, olei ſuffumigabilis libram vnam, opobalſami ſeptuncem. Arida quamtenuiſſimè trita in mortarium ad ſtyracem cum opobalſamo & ruta tritum indito, vnito, ac vtitor ſeduló. Vnguentum ex hedera ad arthriticos, ac omnem muſculorum aut neruorũ per conſenſum affectionem. mirabiliter etiam iſchiadicis prodeſt: Fœnigræci libram vnam, baccarum lauri numero centum, pilularum cupreſſi numero XX. ſabinæ libram vnam, roſmarini lib. I. olei dulcis aut veteris lib. I. ceræ lib. I. reſinæ pinus lib. I. terebinthinæ ſeſcuncem, ſucci hederæ trientem, aquæ ſextarios tres. Herbas in craſſiores partes contuſas ad triduum in aqua macerato: deinde adiecto oleo ſufficienter coquito, & percolato, liqueſcibiliáque liquefacta affundito: hederæ autem ſuccum cum aceto diluito. Refrigeratis deinde liquefactis, omnia in mortarium diffundito, & quamplurimùm diligenter terito, reponito, ac vtitor. Acopon ad moleſtias ex laboribus & fatigationibus obortas. facit & ad neruorum per conſenſum affectiones. vehementer commodum eſt. Hoc vtor, inquit Aſclepiades, ad fatigatos.

Sampſuchini ſextariũ vnum, roſmarini contuſi ſextariũ vnum, fœnigræci ſextar. I. cardamomi ſextarii dimidiũ, ſabinæ ſextarii dimidium, vini dulcis ſextar. VI. olei optimi ſextarios tres, ceræ lib. II. arida in vinum coniecta per triduum macerato, deinde affuſo oleo ad prunas aſſiduè agitando coquito, & quum ſæpe ebullierint, percolato, cerámque in eis eliquato, refrigerato, reponito, ac vtitor quandoque quidem immixto: aliquando verò cum quodam vnguento diluto & liquefacto. Aliud arthriticum, Aſclepiadæ: pharmacũ proſperi ſucceſſus: Baſſo inſcribitur: quo vſus, quum antea multo tempore paralyticus fuiſſet, ab illa affectione liberatus conualuit.

Olei melini, olei cyprini, olei myrtei, cuiuſque trientem, olei veteris ſeſquilibram, ceræ libram vnã, terebinthinæ ſeſcuncem, galbani quadrantem, mannæ trientem, opopanacis ſextãtem, caſtorei ſextãtem, radicis bryoniæ trientem, æruginis ſextantem, ſpumæ nitri albæ trientẽ, piperis ſextantem, pyrethri ſextantem, euphorbii ſextantem, adipis hœdini ſeſcuncem, aceti quantum ſatis eſt. bryoniam & pyrethrum cum aceto coquito & percolato, eóque decocto arida terito, & reliqua liquefacta eis infundito, ac vnito. vtitor aliquando immixto, aliquando liquefacto cum quopiam vnguento. Anthi viride acopon, ad podagricos & arthriticos multo experimento cognitum. vtere & ad iſchiadicos confidenter.

Phu ſeſquiunciam, mannæ ſeſquiunciam, œſypi ſeſquiunciam, ammoniaci thymiamatis ſextantem, aluminis ſciſſi drachmas quinque, æruginis drachmas quinque, terebinthinæ quincuncem, ſpumæ nitri albæ trientem, opopanacis drachmas quinque, galbani drachmas duas, medullæ ceruinæ drach. V. olei cyprini triẽtem, olei melini triẽtem, ceræ quincuncem, mellis quincuncem, olei veteris lib. I. Æruginem, ammoniacum, alumen, mannã, opopanaca cum modico aceto tere, eíſque liquefacta affunde, ac vtere ad omnes cum oleo melino eliquato: in inueteratis verò affectionibus etiam adarces & euphorbii, cuiuſque vnciam vnam adde. Aliud eiuſdem: Opopanacis quadrãtem & drachmas quatuor, terebinthinæ drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis ſcrupulos XV. œſypi ſcrupulos. XVIII. æruginis ſcrupulos XVI. propolis ſcrup. XV. aluminis ſciſſi, ladani, ariſtolochiæ rotundæ, lacrymæ hederæ, ſingulorum ſcrupulos ſex, ſpumæ argenti ſcrupulos tres, ſalis ammoniaci ſcrupulos duos, camphoræ vnc. I. colophoniæ quadrantem, ceræ quadrantem, olei quadrãtem. vtere cum vnguento quopiam diſſoluto. Aliud acopon vnguentum ad paralyticos, in principio: Olei gleucini, cyprini, irini, laurini, ſingulorum libram vnam, ceræ trientem, terebinthinæ ſextantem, œſypi ſextantem, caſtorei vnciam vnam, euphorbii drachmas quatuor. ex hoc tum affectæ partes, tum eæ quæ facilè affectioni obnoxiæ fiunt illinuntur.

Aliud acopon ad coxendicum morbum inueteratum, diſtortiones & reſolutiones paralyticas. eſt autem, inquit Aſclepiades, valde efficax: Olei veteris libras duas, irini

ſeſcuncem,ſtyracini ſeſcuncem, baccarum lauri ſeſcuncem,terebinthinæ,euphorbii,ammoniaci thymiamatis, caſtorei,piperis,opopanacis,galbani,cuiuſque ſextantẽ, medullæ ceruinæ trientem,& drachmas quatuor, liqueſcibilia liquefacito, & ad arida affundito, vnito,ac vtitor, aliquando quidem immixto,quandoque verò cum roſaceo aut alio quopiã vnguento liquefacto. arida verò vino teruntur. Vnguentum ad opiſthotonicos, & quibus canino more os diſtorquetur,ex melle apparatũ.

Olei irini,roſacei,gleucini,cyprini, cuiuſque ſeſcuncem,ceræ quadrantem, mellis vnciam vnam. Aliud ad eadem: Ceræ drachmas quinquaginta,terebinthinæ drachmas XXV. œſypi,medullæ ceruinæ, galbani, ammoniaci thymiamatis,ſpumæ nitri albæ,baccarum lauri aridarum,ſingulorum drachmas ſex, olei veteris ſextarios ſex, vini heminam vnam.vtitor. Vnguentum ad reſolutiones,valde pulchrum: Sphæritidis,*hoc eſt cupreſſi*,pilulas ferentis ſextantem,marrubii ſextantem, herbæ caucalidis quæ bulborum figuram habet, ſextãtem, ſtercorum cameli vnciam vnam, ampelopraſi vnciam vnã, eryngii vnciam vnam,cyclamini vnciam vnam,bituminis vnciam vnam, peucedani drachmas quatuor, terræ ampelitidis vnciam vnam,ſeminis apii, cyperi, lapidis gagatæ,dictamni,cuiuſque vnciam vnam,ſulphuris drachmas quatuor,lactis aſinini ſextantem,vnguenti ſuſini quadrantem, medullæ cameli quadrantem, adipis aſinini vnciam vnam, pilorum ex cauda ſimiæ drach. IIII. olei veteris ſextantem,aceti dodrantem. Apparatum reponito:vſus verò tempore,cum vnguento aliquo diluto vtitor. Acopõ Eræ Cappadocis,ad reſolutos,& in vniuerſum ad omnem dolorem muſculorum & neruorum.

Rutæ viridis,pulegii,cyperi,fœnigræci, mercurialis, marrubii,roſmarini,ariſtolochiæ,amygdalarum amararum repurgatarum, ſingulorum libram vnam, nitri ſextãtem,iridis,terebinthinæ,baccarum lauri, radicis cucumeris ſylueſtris,ammoniaci thymiamatis, ſabinæ,cuiuſque libras duas,myrti viridis libras tres,foliorum lauri aridorum libras tres,veratri albi ſeſcuncem, ceræ lib. duas,bdellii libras quatuor, vini congios quatuor, olei congios tres. quæ contuſione opus habent,craſſas in partes contundito,ac modicam aquam, qua cõtuſa tantùm humectentur,affundito:deinde vinum & oleum adiicito, & per diem vnum ſinito: ſequenti verò frequenter agitando coquito ac percolato.poſtremùm ceram & terebinthinam addito,itémque bdellium in modico vino prius tritum. Acopon ex rubetis quod omnem affectionem tollit: Radicis cucumeris agreſtis viridis libras ſex,olei dulcis libras ſex,medullæ ceruinæ, terebinthinæ,ceræ,cuiuſque ſeſcuncem,ranas rubetas appellatas viuas numero ſex.rubetas traiecto per pedis plãtam filo in oleum demiſſas,donec flacceſcãt coquimus: deinde extractis per plantas filo traiectis ranis, ſylueſtris cucumeris radicẽ viridẽ cõciſam iniicimus,atq; donec vires ſuas in oleũ trãſmittat coquimus & excolamus: poſtremùm liquefacta, itidem percolata,ad oleũ addimus, & in vitro reponimus.vtere manè & veſperi ad podagricos, arthriticos,iſchiadicos & reſolutos.Per huius vſum nouimus homines à podagra & chiragra toto corpore diſtortos, poſt lauacrum intantum conualuiſſe vt citra omnẽ offenſionem obambularent. Quandoque apparauimus, inquit Aſclepiades,hoc pharmacum additis ad hanc deſcriptionem ſampſuchi libra vna,vnguenti crocini libra vna,opobalſami quadrante,ſanguine teſtudinum numero decem. Aliud,ad podagram & articularem morbũ mirabile.facit & ad diuturnum capitis dolorem, materiam ad ſuperficiem ducens, & ad frontem ac ſinciput.

Caniculam paruam probè ſaginatam viuam,& muſtelam viuam in olei ſextarios nouem, ac butyri libras tres coniicito,atque donec vieta fiant animalia coquito: deinde in percolatum oleum calidum pedes aut manus per totam diem imponito. Galenus autem ait, Quidam vulpeculas & hyænas oleo incoquunt, eóque articulorum morbos curant. atque alii quidem ipſas viuas in maximum lebetem iniiciunt: alii verò mortuas, ac deinde vnà cũ oleo quãdiutiſſimè coquunt.Solia deinde ac vrnas ex oleo calido explẽt.atque deinde arthriticos inſcẽdere,ac multo tẽpore in eo morari iubent. Porrò oleũ hoc maximè diſcuſſorium redditur,adeo vt etiam ad ſuperficiem extrahat ea quæ in profundo corporum continentur.qua ex re magna commoditas conſequitur. Quin & herinacei terreſtres viui oleo incocti,ipſum diſcuſſoriũ reddunt.Etenim oleum hoc dolores ſedat, tum affecti articulis in ipſum demiſſis,tum etiam iiſdem ex eo ill.s tis. Alia vnguenta podagrica. Terram nigram, quæ præſertim in lenticula reperitur,aut etiam aliam nigram cum aceto terito,ac illinito.Sedat dolores & inflammationes etiam in iis qui multa prius experti nihil profecerunt. Aliud. Cypri folia viridia trita in paſtillos redigito.eóſque vſu expetente cum aceto terito, ac illinito.

Aliud. Croci vnciam vnam,ſalis vſti vnciam vnã, ſpumas nitri numero decem,oui luteum vnius,in ſpinæ decocto ad tertias redacto,terito. Aliud. Vitrum in aceto probè tritum confidenter illinito. Aliud. Alumẽ aceto tritum illinito. Aliud, quod ad genuum fluxionem ſolum profuit, multis antea fruſtra admotis. Marmor,hoc eſt cruſtulam non vſtam,contuſam, & cũ roſaceo tritam illinito. Ego autem ſcobem & ramenta marmoris lota & reſiccata in promptu habui. vſu verò expetente,cum roſaceo trita adhibui. Aliud, valde bonum: Tecolithi,glaucii,myrrhæ, cuiuſque vnciam vnam,aloes drachmas quatuor,terito, ac ſiccum aſſeruato.Vſu verò exigẽte,luteum oui & vinum auſterum admiſceto ac illinito:& ſi circumtẽdat,cum ſolo vino adhibeto. Aliud. Aetiten lapidem cum ouo ac modico roſaceo illinito. Aliud. Vrticæ ſemen & hirũdinis nidum cum ſapa terito,ac illinito. Aliud mirabile, pro diuitibus: Mameram aqua macerato,deinde tritam illinito,& miraberis. Aliud,multa experientia cognitũ, inueteratæ etiam affectioni accommodatum: Stercoris ciconiæ quadrantem,cum pari axungia tritum illinito. Vtere,inquit,neque cuipiã patefacito. multos enim ſeruauit. Aliud. Caninum ſtercus album cum aqua calida tritum, atque ita tepefactum, quamcraſſiſſimè illinito,& folia oleris alicuius ſupra illitionem imponito.

Ad durities in artubus inſtar toforum,

Cap. XLV.

EST & hoc optimũ pharmacum ad durities artuum in tofos coactas. ſunt præterea & alia quædam, maximè verò Galenicum,quod ex caſeo componitur: ac noſtrum itidem ex huiuſcemodi rebus apparatum, inquit Philagrius.Radicis peucedani drach.II.ammoniaci thymiamatis drach.II.myrrhæ drach.XXIIII.ariſtolochiæ drach.VI.pumicis drach.VI.caſtorei drach.IIII.lanarũ ſuccidarum vſtarũ drach.VIII. floris lapidis aſii drach. VI.ſi verò non adſit,ſalis ammoniaci vſti drach.VI.propolis teneræ drach.XVI.ſtercoris canini ſicci drach.VI. viſci drach.XVI.æruginis drach.ſedecim, ſquamæ æris drachmas ſedecim, atramenti ſutorii drachmas ſex, miſyos drachmas ſex,ceræ drachmas centum, reſinæ pinus drachmas centum quinquaginta, picis drachmas cẽtum quinquaginta,olei veteris quantum ſufficit, aceti quod ſatis eſt. Hoc quidem igitur noſtrum pharmacũ ſpiſſitudine auctum,& imminutum ac liquefactũ prout probè habere videbitur,iuxta curandorum corporum differentias,extrahit ac deiicit tofos in artubus coactos. Aliud Galenicum,quod omnibus ferè corporibus adhibitum congruit. eſt autem tale: Caſeus bubulus vetuſtiſſimus adeo vt ob acrimoniam edi non poſſit,cum porcinæ carnis inueteratæ ac ſalſæ decocto teritur,& probè emollitus ad durities artuum imponitur. Eſt & aliud ab eodem compoſitum: Pinguedinis pernæ porcinæ veteris libram vnam,caſei caprini vetuſtiſſimi librã vnam, adipis taurini libram vnam,apochymatis,hoc eſt reſinæ cum cera ex nauigiis deraſæ liquefactæ libram vnam; medullæ ceruinæ beſſem, hyſſopi quadrantem, cyprini ſeſcũcem,vini Ægyptii hæminæ dimidium.Liqueſcibilia liquefacito, & reliqua admiſceto. Aliter apparatũ emplaſtrum ex perna. Iuſculi pernæ veteris porcinæ libram vnam,œſypi trientem,ammoniaci thymiamatis libram vnam,medullæ ceruinæ ſeptuncem, adipis taurini

A libram vnam, ceræ ſeſcūcem, apochymatis è nauibus deraſi ſeſquilibram, cyprini libram vnam, caſei caprini veteris libram vnam, opopanacis vnciam vnam. Aliud, ad tofos artuum: Granum cnidium deſquamatum internum cum myrrha & aceto terito ac illinito. vſque ad exceſſum mirabile eſt. Aliud ad durities artuum muliebrium, & eorum qui teneras carbes habent, experimento cognitum. Cadmiā quamtenuiſſimè tritam ac myrteo cerato exceptam imponito. Aliud. Spumam nitri cum oleo veteri & modico croco ac aceto tritam illinito. B præſtat tamen ſi nitri ſpuma cum croco & aceto teratur, & cum cerato liquido illinatur. Aliud ad tofos pedum, quod contentum perrumpit & euacuat eadem ferme hora, ſanátque idem vt ne cicatrix quidem relinquatur. Mala mandragoræ accipito, ſeménque euacuato, ac tenuiſſimam ſquamam eis obductam detrahito, atq; carnem ipſam probè terito: & ceratum ex adipe ſuillo & cera factum affundito: vnito, ac vtitor. hæc tria pari pondere ſumuntur, aut adipis plus additur. Vtere, experimento conſtat. Aliud. Calcem viuam & nitrum, pari pōdere axungia excipito, ac imponito. C Aliud Dioſcoridis. Ammoniacum cum pice arida ad ignem emollitum imponito. Aliud. Styracem cum ieiuni hominis ſaliua emollitum imponito, hoc eſt, manducando attritum adhibeto. Facit & ſeſamum non lotum tritum impoſitum.

De medicamentis purgatiuis ad articularem morbum accommodatis, Cap. XLVI.

QVVM plurima ſint & varia medicamēta purgantia à nobis in tertio huius tractationis Sermone tradita, D inde ſanè repetere oportet quod cuique ſit accommodatum. propriè tamen in podagricis & morbo articulari hæc exhibentur. Vniuerſale ex hermodactylis, quo aſſiduè vtor. Hermodactyli ſicci recentis vnciam vnam, aniſi, cumini, piperis communis, croci, piperis longi, ſeminis cnici interni, cuiuſque ſcrup. duos, myrrhæ drachmā vnam, euphorbii recentis ſcrup. IIII. maſtiches ſcrupulos ſex, caſiæ ſcrupulum vnum, moſchi ſiliquam vnam. Dātur ex eo ſcrupuli quatuor cum aqua mulſa. confeſtim minuit dolores. Quando quidem autem huiuſcemodi medicamenta fortem euacuationem facere non poſſunt: E & quod ex ipſis intus relinquitur condēſatum & reſiccatum tofos in artubus generare conſueuit, conuenit vſus tempore ad ſingulos exhibitionis modos ſcāmoniæ ſiliquas tres addere: in pituitoſis verò lathyridas numero V. & agarici ſcrupulum vnum. Si verò humoribus redūdet æger, poſt dolores ſublatos eum rurſus cum hiera aut alio forti purgatiuo, temperamento corporis apto, purgato. Aliud purgatiuum podagricum, ad dolore affectos præclarum. Caſiæ ſcrupulum vnum, euphorbii ſeſquiſcrupulum, iſii, hoc eſt chamæleōtis nigri ſcrupulos quatuor, F radicis alypiadis, hoc eſt chamelææ, ſcrupul. quatuor, radicis pæoniæ ſcrupulos quatuor, aniſi, zingiberis, cumini, maſtiches, floris cnici, piperis, cuiuſque ſcrupulos octo, hermodactyli ſextantem. Dantur ex eo ſcrupuli quatuor, cum vino mulſo. Antidotus purgatoria ex betonica ſiniens febrem. Facit ſummè ad podagricos, ter in menſe data. facit ad elephanticos & hydropicos: maximè aqua ſubter cutem laborantes. eſt ex valde laudatis. Comæ abſinthii drachmas vigintiquatuor, betonicæ drachmas vigintiquatuor, ſeminis rutæ ſylueſtris drachmas ſede- G cim, centaureæ minoris drachmas ſedecim, caſiæ drachmas vigintiquatuor, corticis veratri nigri drachmas octo, contundito, cribrato, ac cochlearis vnius mēſura dato ex aqua calida, animaduerſione habita ne pharmacū vltra modum purget: eſt enim inexuperabile. Apud alios etiam laudatum reperi, ſi gentianæ & chamæpityos, ac ariſtolochiæ longæ, cuiúſque drach. octo addantur, chamædryos itē drachmæ vigintiquatuor. Omnia, inquit, H hæc melle excipio: indéque ad ſummum cochlearium vnum exhibeo.

Antidoti podagricæ, Cap. XLVII.

PHarmaca quæ podagricis & morbo articulari correptis per os exhibentur, plurima quidem ſunt & varia ac diuerſa. Cognita itaque à me ipſorum multitudine, tum eo quod tetrapharmacum à quatuor rebus ipſum conſtituentibus appellatur, tum quod ex hyperico cōſtat, itémque quod ex gentiana paratur, & ſimilibus, quibus pro conſuetudine medici ad ſimpliciter podagricos vtuntur: ipſe ſanè proprium pharmacum compoſui, inquit Philagrius, quale iudicaui ſufficienter excalfacere poſſe, non tamen expers facultatis moderatè humectandi, & attenuandi craſſos ac viſcoſos humores, & quod præclarè omnino poteſt excretionum vias dilatare, vnà cum hoc quòd vim ſubducendæ alui & mouendæ vrinæ comple- B ctitur. quin & naturales actiones excitat, & tranſpirationem inſenſilem ac obſcuram procurat. Compoſitio autem hæc eſt: Radicis pæoniæ recentis drachmā vnam, croci Cilicii drachmas quatuor, rhei Pontici drach. quatuor, calaminthæ montanæ, comæ ſaluiæ, cacuminū ſtœchadis, ſeminis thlaſpeos, epithymi, centaureæ maioris radicis, cuiuſque drachmas quatuor, centaureæ minoris ſucci drachmas quatuor (ſuccum accipito quum in ſummo vigore herba eſt ac floribus prægnans) iridis Illyricæ, ſeminis rutæ ſylueſtris, piperis longi, ſeminis anethi, cu- C iuſque drachmas quatuor: liguſtici, ſeminis apii, petroſelini Macedonici, ſeſelis Maſſilienſis incorrupti, origani, cacuminum thymi, ſeminis trifolii bitumen olentis, ſeminis cardamomi medulla priuati, ſeminis dauci, piperis albi, cuiuſque drachmas tres, mei Athamantici drach. duas, aſari drachmas duas, ſpicæ nardi, adianti, caſiæ, polypodii, thuris albi, galbani puri, terebinthinæ Chiæ, bdellii Scythici nigri pinguis ac reſinoſi, ammoniaci thymiamatis, cuiuſque drachmas ſex: radicis ſymphyti recentis ſiccæ, ſabinæ, radicis rubiæ, helenii, agarici, herbæ ſcor- D dii, ſeminis paliuri, ſarxiphagi, betonicæ, radicis cyclamini ſiccæ, ſeminis viticis toſti, cuiuſque drachmas octo: maſtiches Chiæ, radicis bryoniæ recentis ſiccæ, terræ Lemniæ quæ ſphragis appellatur, opobalſami, cuiuſque drachmas ſedecim, ſucci peucedani drach. ſedecim, (qui ſi nō adſit, coniiciendæ ſagapeni drachmæ octo, & radicis peucedani recentis ſiccæ drachmæ ſedecim) paſtilli theriaci drachmæ ſedecim. (habeant autem paſtilli carnium partes duas, panis partem vnam: compoſitio autem ipſorum in Sermone de theriaca dicta eſt) Styracis, ſi quidē adſit, E calamitæ: ſi verò non, flaui & pinguis drachmas vigintiquatuor: niger enim vt vitioſus reprobandus eſt. ariſtolochiæ rotundæ non rugoſæ & plenæ drachmas quinquaginta, oſſium ceruinorum aut bubulorum ex ſuris recentium, & vt probè conteri queant, vſtorum, drachmas quinquaginta, mellis Attici deſpumati quantum ſatis eſt quò ad bonam eclegmatis compagem pharmacum reducatur. Arida omnia contundito & cribrato: maſtichen autem & thus, vnumquodque per ſe ſenſim, ne in latas cruſtulas abeāt, terito & cribrato: deinde prædictum pōdus ex eis expēdito, & reliquis aridis tritis admiſceto. F Bdellium autem & ammoniacum ac galbanum & peucedani ſuccum aut ſagapeni, in mortarium coniecta tundito: deinde ad ignem emollito, & poſtea cum modico melle liquefacito, & in pila optimè terito. Similiter autē & terebinthinam per ſe cum modico melle diſſolutam, ad reliqua in pilam cōiicito: ſtyracem verò in mortario conſtanter tundito. opobalſamo paulatim ad eum infuſo ac melle calido: deinde ſimiliter in pila terito. expedit etiam cum modico melle ſtyracem liquefacere ac dein- G de terere. Cæterùm vbi hæc ſufficienter fuerint vnita & diſſoluta, paulatim arida trita addito: melle itidem ſenſim affuſo. ad finem verò, centaureæ ſuccum per ſe cum opobalſamo terito, ac reliquis vnito. His verò omnibus probè commiſſis, mellis deſpumati tantum addatur quantum ſuffecerit ad pharmacum delingibile futurū, & quò per dulcorem ægro commendetur. Quare ſi guſtu pharmacum iudicaueris, nihil peccaris etiamſi piperis augeas modum. noui nanque ego ipſe quendam qui eovſus plus H ſibi de pipere admiſcere iuſſit. itaque admiſcui ſæpe tātum ex ipſo, poſt reliquorum omnium mixturam, quantum quiſque pro guſtus ſui modo expetiuit. Satis verò manifeſtum eſt quòd quando quidem præſeruare aliquē à podagrico malo velimus, tunc ſanè plurimum piperis iniicere non ab re eſt, & præſertim in hyeme, & ſi humo-

res frigidi fuerint ac diuturni. Porrò centaureæ ſuccus, tempore veris quum in vigore herba eſt ac florem fert, ex ea viridi ac contuſa exprimitur. deinde percolatus, vſque ad mellis ſolidioris ſpiſſitudinem in ſole reficcatur.

Cæterùm in compoſitione pharmaci, ſi is qui eo vſurus eſt, amaris delectetur, amplius quàm drachmas quatuor ex ſucco centaureæ admiſcere expedit, atque id maximè ſi diſtortiones diſſoluere velimus: ſi verò æger amara auerſetur, quatuor omnino ſucci drachmas iniicere oportet. Ex hac verò antidoto ad eclegmatis compagem redacta, ad ſummum cochlearium vnum exhibetur. Dupliciter inſuper pharmacum hoc apparatur. Vno quidem modo paſtillis theriacis vt dictum eſt admixtis, itémq; oſſibus vſtis: alio autē modo citra paſtillorum & oſſium admixtionem præparatur. Licet etiam (ſiquis velit) poſt ſufficientem mellis mixturam, mel ipſum in duas ex æquo partes diuidere, deinde ad vnam partem, dimidium præſcripti ponderis tum paſtillorum theriacorum, tum oſſium vſtorum infarcire. eſt autem dimidia pars paſtillorum theriacorum drachmarum octo: oſſium verò vſtorum dimidia pars eſt drachmarum vigintiquinque. Quandoquidem verò paſtillos theriacos impoſſibile eſt per ſe cōtundi, ſi non cum aliis aridis tūdantur, oportet eos quantum poſſibile eſt, in mortario tundere, ac modico vino veteri dulci madefacere. deinde in pila terere, ac cum largo melle diſſoluere, atque demum ad reliquam mixturam diligenter coaptare. Cæterùm quum humectare oportet & mollire, attenuaréque & craſſa diſſecare, repurgare item ac euacuare infartos humores, itémque vias dilatare, nihil ex paſtillis theriacis neque ex oſſium cinere admiſcere oportet. viperarum enim caro quamcelerrimè ad cutem ac ſuperficiem digeri ac diſtribui ſolet. Quapropter vbi recrementorum copia affuerit, & viæ fuerint obturatæ, minimè tutò viperarum caro exhibetur, ſed poſteaquam cōiectauerimus humores attenuatos eſſe, & dilatatas vias. Oſſiū verò ſubſtantia facultatem habet conſumendi ac reficcandi, adeò vt etiam ſola aſſiduè & opportunè exhibita inueteratum articularem morbum curet. Vt verò nequid ex humoribus reficcetur ac lapideſcat, incurabiléq; aut ægrè medicabile reddatur, tempore præſeruationis eam minimè miſcebimus, ſed poſtea, ſi ita videbitur. conſumit enim & reficcat humores in ipſis articulorum iūcturis relictos. Forinſecus etiam, quando diſcutere animus eſt, pharmacū hoc oleo veteri aut ſicyonio dilutū maximopere profuit: maximè ſi citra oſſiū additionē eſt apparatum. tunc enim non modò diſcuſſoriam, ſed etiam coactoriā facultatem acquirit. quare eis qui non diſcuſſione ſolùm, ſed & exterarum corporis partium corroboratione opus habent, commodiſſimè hoc modo adhibetur. Hoc pharmaco ſi & arthriticis & podagricis medeberis, minimè pœnitueris. Hepaticos item ex obturatione affectos, itémque ſplenicos curabis, & à vipera morſos, & qui venenum hauſerūt, & comitiali morbo apprehenſos, ſi eo opportunè vtaris: quin & aliorum morborum per ipſum curationē fieri reperias ſufficientem, de quibus ſermonem producere minimè operæpretium exiſtimo. Theriaca item ex viperis, quæ Andromacho inſcripta eſt, de qua plurima tradidit Galenus, vtiliter exhibetur frigidioribus & magis humectis corporibus: forinſecus etiam cōmodè illinitur cum oleo veteri aut ſicyonio diſſoluta, vt dictum eſt. Sales quoque theriaci, & ex gentiana paſtillus, & qui ex hyperico conſtat, & ſimilia, iis qui ex multo & craſſo fluxu ægrotant, vtilia exiſtunt. Verum iis qui ex bilioſa fluxione afficiuntur, & (vt ſimpliciter dicā) omnibus calidiori temperamento præditis, hæc ipſa nocentiſſima ſunt, & quod ſuprà relatū eſt noſtrum pharmacum. Ex horum enim pharmacorum potu, non ſolùm nihil opis ferunt ii qui calidiori temperatura præditi ſunt, ſed & reſolutionibus immedicabilibus apprehenduntur ſæpe, nimiùm reficcati: & in vitioſos humores delabuntur qui eos erodunt, & in quibus aliquādo peſſimè intereūt. Porrò in huiuſmodi pharmacorū vſu etiam raritatem & denſitatē curandi corporis reſpicere oportet: ampliúſque & ætatē, & anni tēpus, & regionē. Ad hæc itaque reſpectu

A habito, minꝰ aut plꝰ de eo dabis. neq; verò minus & ad magnitudinē & paruitatē corporis reſpiciēdū. De viperarū eſu. Viperarū eſus omnibus podagricis & arthriticis plurimū cōmoditatis adfert, quēadmodū etiā anheloſis, & elephātiaſi correptis. exigit enim per cutē omnia redūdātia recrementa, ſiue calida ſiue frigida fuerint, quæ morbi ipſius ſunt cauſa. Oportet autem craſſa & viſcoſa ex ipſis prius attenuare ac euacuare: quod vbi factum eſt, reliqua facilè per viperarum eſum euacuantur: nimirum ad cutem delata atque excluſa. Quapropter etiam in ſole B ipſarum ferarum comeſtionem facere iubet, vtpote quòd inde iuuentur, atque vi caloris humorum delatio foras feratur: curandum tamen ne caput probè contegere ab æſtu negligamus. Oportet autem recens captas eſſe viperas, & iuſtæ magnitudinis, & non ex maritimis: tales enim ſiticuloſæ exiſtunt. Cæterùm ex vipera ipſa tum caput tum caudam amputare oportet, itémque interanea omnia abiicere, ac ex tribus aquis lauare. deinde cum aqua & anetho maximè viridi, & modi congruentis oleo coquere, & poſt ſufficientem coctionem congruenti C ſale condire, ac viperam veluti anguillam comedendam exhibere. Porrò quidam ex harum comeſtione plurimùm exudant, & pediculorum copiam generant. omnes tamen qui eas comederūt, maximè ſe alleuatos ſentiunt. Quapropter iis qui corpus recrementis exundans habent, etiam bis ac ter in anno exhibere conducit. bis quidem veris tempore: ſemel autem in autumno. Quòd ſi verò ſint quibus corpus per inſenſibilem & obſcuram tranſpirationem, aut etiā per ſudores naturales euacuetur, his omnino viperarum eſu interdicemus. periculoſa D enim fit huiuſmodi ipſarum comeſtio propter immodicam per cutem exhalationem. Dicemus autem ex ordine & de aliis antidotis. Antidotus ex quatuor rebus conſtans. Tetrapharmacum igitur ex quatuor rebus apparatum, & à quibuſdam Myſterium appellatum, ex gentiana componitur, & ariſtolochia, baccis lauri, & myrrha, æquali pōdere cōiectis. datur autē ſingulis diebus ex ea cochlearii dimidiū ex aqua calida ad præſeruationē. Prodeſt pituitoſis: bilioſos autē lædit. Antidotꝰ ex hyperico.

Antidotus ex hyperico, à quibuſdā hoc modo deſcripta E eſt. Antidotus ſanās podagras, coxēdicū morbū, & (vt in vniuerſum dicā) omnes iuncturarū & articulorum morbis implicatos per annum potata. Firmat ſtomachum, & viſum acutiorem reddit, reliquóſque item ſenſus clariores & illuſtriores facit, euacuans leniter per vrinam. vnde etiam neque aliud vllum membrum offenſionem ſentit. Neque enim materiam ex affectis locis ad aliam corporis regionem depellit, quemadmodum epithemata forinſecus contrahentia & cohibentia facere ſolent: ſed cauſas morborum tum per veſicæ tum per alui locos ex- F pellit, atque vniuerſum corpus ſanius reddit. quare etiā comitiali correptis morbo auxiliatur in potu. Alios item à diuturnis & vehementer grauibus capitis doloribus liberauit, qui etiam de ſanitate ſua iam deſperauerant. Splenem verò & hepar in ſcirrhum indurata moderatur ac demulcet. Articularem autem morbum adeo efficaciter ſanat, vt etiam duritiesinſtar toforum in articulis quibuſdam per vim morbi coactas diſſoluat. Compoſitio autem hoc modo habet. Trixaginis dodrantem, centaureæ beſſem, ariſtolochiæ rotundæ ſeptuncem, radicis G gentianæ ſeſcuncem, comæ hyperici quincūcem, petroſelini trientem, mei athamantici quadrātem, phu Pontici ſextantem, agarici ſextantem, mellis deſpumati lib. III. Hoc autem modo parato. Vnumquodque per ſe contundito & cribrato: deinde ponderata ſimul miſceto, ac rurſus cribrato quò accurata permixtio fiat. Deinde melli deſpumato admiſceto, ac paſtillos formato pondere drachmæ I. atque ex eis vnum pro vice exhibeto. Vſus eius eſt circa tertiam horam diei, vbi venter onus ſuum pro H conſuetudine depoſuit. pharmacum verò ipſum cū aquæ calidæ ſeſquicyatho liquefacito. Oportet autē eū qui bibit (ſi nihil prohibeat) deambulare, quò ex motu euntis, pharmacū inferna contingat. Porrò pharmacū hoc aliàs quidē præclarè efficax eſt, vtpote ex fortibus ſimplicibus compoſitum: amplius autem efficacius redditur per ari-

ſtolochiam quæ natura ſua articularibus morbis auxiliari ſolet, & duris corporibus imprimis prodeſt. Ex cancris autem pharmacum etiam mollibus corporibus conducit. Habet autem Antidoti ex cancris compoſitio hoc modo: Cancrorũ magnorũ viuorum vſtorũ in æreo vaſe trientem, gentianæ incorruptæ quincuncem, thuris integri & non ſecti albi vnc. I. datur inde cochlearium I. Ad cancrorum verò exuſtionem ligna vitis aduruntur.

Pharmacũ ex fluuialibus cancris vſtis. Deſcribã porrò & aliud pharmacum corporibus recrementis abundantibus & mollibus conducens: eſt autem id quod à rabido cane morſis datur, cuius compoſitionem in Sermone de rabidi canis morſu tradidimus. huius, inquam, operis ſexto. Adieci autem ego, inquit Philagrius, ad huius pharmaci apparatum, etiam petroſelini drachm. VIII. vtplurimùm verò X. quò vrinæ ciendæ vim acquirat. & multos ſanè arthriticos iuuit, præſertim quibus tenerum & album corpus fuit, mediocris myſtri menſura ex eo data, aliquando ex aqua ſola, aliquando ex aqua mulſa. Quin & melle deſpumato ſæpe ipſum excepi, quò validum & citra tranſpirationem aſſeruarem. deinde verò veluti prædictum eſt bibendum exhibui. Antidotus ex centaureis. Antidotus podagrica ex duobus centaureæ generibus, eſt ex vehementer laudatis & præter opinionẽ auxiliãtibus, quod ipſum experientia teſtatur. nam multos eius vſu ſeruatos noui. eſt enim adeò ſalutaris podagricis vt quoſdam per XV. annos podagra correptos, eius vſus ad iter pedibus faciendum præparauerit. eſt autem ſtomacho grata, aluo conferens, & vrinam ciens. Habet autem hoc modo: Centaureæ minoris comæ, centaureæ maioris radicis, trixaginis, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum æquale pondus, puta lib. I. contundito & cribrato, & drach. I. præbeto per dies XL. ex aqua calida. In ſequẽtibus autem ex ordine anni diebus CCCXXV. drachmæ dimidium eodem modo præbe. Alia antidotus podagrica vſu cognita: Aniſi, cumini Æthiopici, piperis communis, piperis longi, ſeminis cnici interioris, cuiuſq; dr. II. euphorbii drach. IIII. maſtiches dr. VI. myrrhæ drach. IIII. moſchi ſiliquam vnam, caudæ ſcinci vnius extremũ, mellis quantum ſatis eſt. datur nucis auellanæ magnitudine ex aqua mulſa. Hac amicus quiſpiam vſus, bis in hebdomade ex ipſa bibendum præbuit, & affectos locos ex viridi vnguento Antho inſcripto, cum roſaceo aut melino ſingulis diebus illeuit, multóſque ſeruauit. Antidotus podagrica experimento conſtans. accipitur per annũ. Anaſtaſii. Agarici vnc. I. rhei vnc. I. petroſelini ſextantẽ, phu ſeſquiunciã, gentianæ quadrantẽ, hyperici ſextantẽ & vnciæ dimidiũ, cẽtaureæ vnc. I. ariſtolochiæ longæ ſeſquiunciã, & rotundæ quadrantem & vnc. dimidiũ, chamædryos trientẽ & vnc. dimidiũ, cinnamomi vnc. I. folii vnc. I. aloes primariæ vnc. I. mei ſextantẽ, aut ſpicæ nardi duplum. Alia antidotus podagrica experimento cognita. datur per annum. Doari Epiſcopi. Agarici vnc. I. rhei barbarici vnc. I. petroſelini ſextantem, phu ſeſquiunciam, gẽtianæ quadrantem, hyperici ſextantem & vnciæ dimidiũ, centaureæ trientem, mei ſextantẽ, aut ſpicæ nardi triẽtẽ.

Qui podagrici lauandi ſint, & quomodo, Cap. XLVIII.

Manifeſtum quidem exiſtimo quòd poſt inflammationũ remiſſionẽ omnibus podagricis balneũ cõmodiſſimum exiſtit. quãdoque autem & in vigore vtiliter adhibetur, ſi æger prurigine aut vigiliis vexetur, aut aliâs labore ſit fatigatus. Lauare autẽ oportet tẽpore remiſſionis, ita vt ſpõgias aceto & ſale permixtis madefactas, locis affectis circũponamus, vt à fluxione immunes permaneãt. Amplius autẽ linteis ſiccis & plurimo nitro totũ corpus perfricare, & vt aeri diutius immorẽtur iubere, & moderatè non ſolùm calidam ſed frigidam adhibere, & in ipſarum ſoliis deſidere. Vtile autem eſt balneum natura ſiccioribus, & gracilibus, & colore nigrioribus, & qui à tumore intotũ ſunt liberati. In huiuſmodi enim affecta particula non intumeſcit adeò magno tumore excitato: verùm diſtrahi, velut à cane apprehenſas, in profundo ſi-

A tas corporis partes aiunt, & inopinabili tenſione diſtendi. & inhorreſcũt ſæpe, pellicula quæ os ambit à fluxione ſalſa aut acri & tenui valde ac erodẽte, vellicata. Hi à balneis opẽ ferũt. quapropter non ſemel tãtùm, ſed iterum atque iterũ eos lauare oportet, & in aere per omnia moderato, citra aliquam pinguedinem adhibitam, immorari. hoc enim modo magis euacuabũtur. Deinde oleo dulci cũ aqua conquaſſato illitos in aquam calidã demittere, & in eo aliquandiu morari præcipere: in frigidam verò minimè demittantur, niſi immodici caloris ſenſus infeſtet. Vt B plurimùm verò tepida aut lactei temperamẽti aqua profundatur in prima balnei domo. Si verò cũ tumore quodam non valde magno, poſt euacuationes ſuborto, aliqui dolore vexentur, conueniet in aere balnei reliquum corpus per ſicca lintea vſque ad rubefactionẽ perfricare. Vtẽdũ autem & exterſoriis ſmegmatis ex adarce, nitro, pipere, euphorbio, ſtaphide agreſti, æquali põdere cõiectis apparatis. Atque his quidem reliquũ corpus contentè defrictũ excitetur: pedes verò eorũ muria moderatè perfundẽdi ſunt, & in calida aqua nõ morãdũ: frigida verò ne C cõtingẽda quidẽ. Quòd ſi balneũ nõ adſit, eos qui ab acrioribꝰ fluxionibus vellicãtur, aqua dulciſſima calida perfuſos fouere oportet, & totũ corpus ex oleo chamæmelino in ieiunio illinire: alios verò tẽperamẽto nõ calidos, & q tamẽ tumorẽ habeãt poſt euacuationes relictũ, ſi balneũ non adſit, cucurbitulis admotis curabimus, initio à lumbis facto, ſurſum vſque ad ſcapulas progrediendo. fricabimus etiam per ſicca linteola & per exterſoria ſmegmata iam dicta. à talibus enim hi tum in balneo, tum citra balneũ opem ſentiũt: quale & hoc eſt ex profundo humo D res euocãs ac tranſferens, quod metaſyncriticon *Græci* vocant. Eo itaque in balneo vtantur, aut (ſi balneum non admittant) poſt exercitia ex eo defricentur: deinde ſpongiis extergatur id quod ex hac arida inſperſione corporibꝰ adhæret. Cõpoſitio eius hæc eſt: Nitri rubri lib. I. ſinapis ſicci lib. II. ſabinæ lib. II. veratri albi lib. I. ſulphuris viui lib. I.

Aliud Andreæ comitis. Nitri, veratri nigri, piperis, æqualibus partibus vtere. Præter opinionem autẽ eis conducit Siccũ Magnum ipſis affectis locis in balneo inſperſum. éſtque hoc: Recrementi ſiue ſcoriæ ferri, ſpumæ ni- E tri albæ, cuiuſque æquales partes miſce, & odoris gratia parum folii & coſti adde. Siccum quod pſilothro podagricorum inſpergitur: Maſtiches, thuris, lapidis aſii, pumicis aſſati, alcyonii, ſtaphidis agreſtis, cimoliæ, veratri albi, ſampſuchi, ſpumæ argenti, amyli, caryophylli, ſpicæ nardi, cyperi, floris iũci odorati, bugloſſi, ſing. lib. I. auripigmenti vnc. X. ſandarachæ vnc. X. ſaponis quãtũ ſatis eſt. Prædicta omnia, excepto auripigmento, ſandaracha & ſapone, contundito, cribrato, & ſicca in promptu habeto. Vſus verò tẽpore, calcis viuæ vnc. X. in oryzæ aut ptiſanæ ſucco diſ- F ſoluito, & auripigmenti vnc. I. ſandarachæ vnc. I. ſaponis dr. IIII. & prædicti Sicci cochl. II. magna. omnia quãtenuiſſimè trita inſpergito, ac vnito, eóque pedes aut etiam alios locos fluxione infeſtatos illinito. Cæterùm qui hoc ſicco inſpergimine vtuntur, hoc modo diætam ſuam inſtituant. Thoth hoc eſt ſeptembri, lac & edãt & bibant. Phaophi hoc eſt octobri, allia edãt. Athir hoc eſt nouembri, in totum non lauent. Coiac hoc eſt decembri, braſſicam ne edant. Tibi id eſt ianuario, manè meracum bibãt. Mechir id eſt februario, betam ne edant. Phamenoth hoc eſt G martio, dulcia tum in cibo tum in potu ſumãt. Pharmuthi id eſt aprili, raphanũ ne guſtẽt. Pachon id eſt maio, polypum ne edant. Pauni hoc eſt iunio, manè frigidã aquã ſumant. Epiphi hoc eſt iulio, à venereis abſtineant. Meſori id eſt auguſto, maluam ne edant. Siccum Maioriani. Aluminis ſciſſi ſextantem, pumicis vnc. I. terito, & in vitro reponito. Vſu verò expetente, vino adſtringente locos prælauato, & quodãmodo extergito, ac ſiccum ipſum inſpergito, teneriſque manibus affricato, & ſiccari ſinito. Rurſúſq; idem per diem octies facito, & toties ſimiliter, H ſi poſſibile ſit, in nocte: & videbis tumores quamcelerrimè diſcuſſos & reſolutos. Ego vtriuſque & aluminis & pumicis, æquale pondus conieci, & magis ſanè ſucceſſit.

INDEX EORVM QVÆ IN PRIMO SERMONE Tetrabibli quartæ Aetii habentur.

DE iis qui ab homine morſi ſunt, Cap.I.
De iis quos canis momordit, Cap.II.
Ad leonum, pantherarum, ac vrſorum morſus, Cap.III.
De ſuum morſu, Cap.IIII.
De iis qui à fele morſi ſunt, Cap.V.
De morſis à crocodilo, Cap.VI.
De beſtiis virus eiaculantibus,& primùm quibus artibus adhibitis ea tollantur, Cap. VII.
Illitiones præſeruatiuæ, Cap.VIII.
Quæ appoſita, venenata animalia occidãt, Cap.IX.
Communia remedia ad omnes venenum iaculantium ferarum plagas, Cap.X.
De veſpis & apibus, Cap. XI.
Ad ſtellionis morſum, Cap.XII.
Ad ſalamandræ morſum & lacertæ chalcidis, Cap.XIII.
De mure araneo, Cap.XIIII.
Ad ſcolopendræ plagam, Cap.XV.
Ad araneæ ictum, Cap.XVI.
De tetragnathis Cap.XVII.
De percuſſis à phalangio, Cap.XVIII.
De iis quos ſcorpio percuſſit, Cap.XIX.
De morſis ab aſpide, Cap. XX.
De viperæ maris & fœminæ morſu, Cap.XXI.
De dipſade, Cap.XXII.
De hæmorrho & hæmorrhoide, Cap.XXIII.
Præparatio ſanguinis teſtudinis marinæ, & vſus, Cap.XXIIII.
De ammodyte aut cenchria, Cap.XXV.
De ſepe, Cap. XXVI.
De cenchrite ſiue acontio, Cap.XXVII.
De ceraſte, Cap.XXVIII.
De dryino, Cap.XXIX.
De amphiſbæna & ſcytala, Cap.XXX.
De parea & ſpathiuro, Cap.XXXI.
De peliade & elape, Cap. XXXII.
De baſiliſco, Cap.XXXIII
De draconibus, Cap.XXXIIII.
De cherſydro, Cap.XXXV.
De rana rubeta, Cap.XXXVI.
De turture ſeu paſtinaca marina, Cap.XXXVII.
De muræna, Cap.XXXVIII.
De dracone marino, Cap.XXXIX.
De ſcorpio marino, Cap.XL.
De culicibus, Cap.XLI.
De muſcis, Cap.XLII.
Ad pulices, Cap.XLIII.
Ad cimices, Cap.XLIIII.
De venenis, Cap.XLV.
Methodus præſeruatiua nequis à venenoſo pharmaco lædatur, Cap.XLVI.
Quomodo cognoſcantur qui venenum ſumpſerunt, Cap.XLVII.
Communia remedia & cura omnis veneni, Cap. XLVIII.
Ad eos qui cantharidas hauſerunt, Cap.XLIX.
De bupreſti, Cap.L.
De eruca pini, Cap.LI.
De ſalamandra, Cap.LII.
De lepore marino. Cap.LIII.
De rana rubeta, Cap.LIIII.
De rana paluſtri, Cap.LV.
De hirudinibus, Cap.LVI.
De ephemero, Cap.LVII.
De dorycnio aut ſolano furioſo, Cap.LVIII.
De aconito, Cap.LIX.
De melle quod in Heraclea Ponti naſcitur, Cap.LX.
De coriandro, Cap.LXI.
De pſyllio, Cap.LXII.
De cicuta, Cap.LXIII.
De ſmilace, Cap.LXIIII.
De ſucco carpaſi, Cap.LXV.
De herba ſardonia, Cap.LXVI.
De hyoſcyamo, Cap.LXVII.
De mandragora, Cap.LXVIII.
De ſucco papaueris, Cap.LXIX.
De toxico, Cap.LXX.
De iis qui ixian hauſerunt, Cap.LXXI.
De chamæleonte, Cap.LXXII.
De fungis, Cap.LXXIII.
De ſanguine tauri, Cap.LXXIIII.
De lacte in grumos coacto, Cap.LXXV.
De gypſo, Cap.LXXVI.
De ceruſſa, Cap.LXXVII.
De argenti ſpuma, Cap.LXXVIII.
De argento viuo, Cap.LXXIX.
De calce,ſandaracha,& auripigmento, Cap. LXXX.
De thapſia,veratro,elaterio,& agarico, Cap.LXXXI.
De rutæ ſylueſtris & melanthii nocumentis, Cap.LXXXII.
De aceruato frigidæ aquæ potu, Cap.LXXXIII.
De ſtrangulatis, Cap. LXXXIIII.
De iis qui ex alto ceciderunt, Cap.LXXXV.
De præſeruantibus & præſagis animalibus, Cap.LXXXVI.
De theriaca ex viperis,Andromachi, Cap. LXXXVII.
Paſtillorum ſquilliticorum præparatio, Cap.LXXXVIII.
Hedychroi confectio, Cap.LXXXIX.
Paſtillorum theriacorum præparatio, Cap.XC.
De reliquis quæ in antidotum coniiciuntur, Cap.XCI.
Modus conficiendi, Cap.XCII.
Poſt quantum tempus ea fit vtendum, Cap.XCIII.
Quanto tempore efficax ſit, Cap.XCIIII.
Modus probandi theriacen, Cap.XCV.
De exhibitionis menſura, & vtendi modo,& quibus conueniat morbis, Cap.XCVI.
Sales theriaci ex libris Marciani, cum quibus conſentit Galenus, Cap.XCVII.
Antidotus Mithridatica, Cap.XCVIII.
Confectio cypheos, Cap.XCIX.
De Antidoti Mithridaticæ vſu, Cap.C.
Antidotus Eſdræ aut Prophetæ doctoris, Cap.CI.
Antidotus pæonia, Cap.CII.
Antidotus aromatica optima, Galli, Cap.CIII.
Antidotus ex duobus piperis generibus, Cap.CIIII.
Antidotus Athanaſia, Cap.CV.
Oribaſii theriaca qua Marcus Imperator vſus eſt, Cap.CVI.
Oribaſii theriaca ex bryonia, Cap.CVII.
Antidotus Hadriani, Cap.CVIII.
Antidotus achariſtos, Cap.CIX.
Philagrii antidotus ex ſulphure viuo, Cap.CX.
Theriaca Democratis, Cap.CXI.
Antidotus Theodoretus ex anacardiis, Cap.CXII.
Theodoretus aliter apparata, Cap.CXIII.
Theodoretus per acetum mulſum apparata, Cap.CXIIII.
Picra ſiue amara per acetum mulſum apparata, Oribaſii, Cap.CXV.
Cyphi ex rebus XXXVI, Cap.CXVI.
Cyphi ex rebus XXVIII, Cap.CXVII.
Muſnaphii confectio, Cap.CXVIII.
Thymiama ſiue ſuffimentũ Berenices, Cap.CXIX.
De elephantiaſi,ex libris Archigenis, Cap.CXX.
Cura elephantiaſi affectorum, Cap.CXXI.
De iis qui caſtrantur, Cap.CXXII.
De viperarum eſu, & de pruritibus, Archigenis, Cap. CXXIII.

Illitiones ad tumentes corporis eminentias, Cap.c x x i i i i.
Diæta elephantiaſi correptorum, Cap. c x x v.
De pruritu, Archigenis, Cap.c x x v i.
Ad pruriginoſas papularum eruptiones, Cap.c x x v i i.
Ad puſtulas pſydracas Græcis appellatas, & ad papulas ex feruore aut ſudore obortas, Cap.c x x v i i i.

Oribaſii ad nigras cicatrices inalbandas, Cap. c x x i x.
Ad vlceroſas papularum eruptiones, tum in tibiis tum in toto crure obortas, Cap.c x x x.
Ad cicatrices nigras ex vlceribus relictas, Cap.c x x x i.
De vitiligine ſeu alpho, Cap.c x x x i i.
De leuce vitiligine altius inſidente, Galeni, Cap.cxxxiii.
De lepra, Archigenis. Cap.c x x x i i i i.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICInæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis quarti, Sermo primus, Per Ianum Cornarium medicum phyſicum, Latine conſcriptus.

De noxiorum animalium morſu, & de beſtiis virus eiaculantibus. Et de elephantiaſi, pruritu, ſcabie, alpho, lepra, leuce. Et de antidotis multæ vtilitatis.

De iis, qui ab homine morſi ſunt, Cap. i.

A DE NOXIORVM animaliũ morſib⁹ ſcribere auſpicantes, initium ab iis qui ab homine morſi ſunt faciemus, vt Archigenes inquit. In iis igitur quos homo momordit, loco ex oleo prælito, fœniculi radicẽ tritã cum melle cataplaſmatis modo vlceri imponito vſquequo repurgetur: deinde iis quæ explere poſſunt vtitor. Cuius generis & hocce eſt. Mellis, terebinthinæ, butyri, adipis anſerini, medullæ
B cerui aut (ſi non adſit) vituli, æqualibus partibus liquefactis vtitor. Si verò ſinus ſtatim in principio fiat, eum aqua mulſa diligenter eluito, & ſpongiam nouam Aphricanam melle cocto imbutam imponito, & ligamento quod ad ſin⁹ referetur obligato, ac tertio die ſoluito. Aut myrrham terebinthina exceptam, vt malagma imponito. Aut æs tritum melle cocto exceptum, veluti collyrium indito, & poſtquam repurgaris, conglutinato. vel oſſa vitulina ad albedinem vſta, & pice liquida ſiue cocto melle, aut vtriſq; ex æquo ſimul excepta, in ſinum indito. vel mannã aut ipſum adeò thus cũ myrrha terito, & cũ vino
C ac oleo imponito. Emplaſtra autẽ cruẽtis vulneribus deſtinata & agglutinatoria, eis cõueniũt. in expaſſis quidẽ & planis vlceribus, viride ex atractylide: in ſinibus verò cruentis, emplaſtrum Piſcatoris ex aceto apparatum, & Athena & Nigrum appellatum.

De iis quos canis momordit, Cap. ii.

IN iis verò quos canis momordit, ſtatim acetum irrorato, & expaſſa palma morſum percutito. deinde nitrum cum aceto tritum ex alto ſupra morſum deſtillato, &
D ſpongiam nouam poſca aut aceto imbutam imponito, & ad tres dies obligato, ligamentóque ſupernè ex poſca aut aceto prout viſum fuerit madefacito. egregiè enim auxiliatur. Poſt hæc verò vt commune vlcus curato. aut perdicium herbam cum ſale tritam imponito, quotidie eam alterando donec excidat cruſta. deinde vbi ad cicatricem perducere volueris, ipſam per ſe tritam imponito. Quòd ſi magnus ſit morſus, quemadmodum à magnis canibus infligi ſolet, præſcripta in ſexto Sermone metho-
E do curato, veluti eos qui à rabido cane ſunt ſauciati. Si verò cauus & anguſtus appareat morſus, in principio cum aceto, vt dictum eſt, irrorato. deinde nitrum itidem cum aceto tritũ ex alto ſuperſtillato, & anetho ſicco vſto morſum expleto, & linteolum conuolutum ex aceto madefactũ indito, & obligato: poſt triduum verò ſoluito, & reperies morſum repurgatum. idem facit & cuminum tritũ morſui inditum. Poſtquam verò vlcera fuerint repurgata, prædicto pharmaco vtere liquefacto ad hominis morſum relato. Si verò inflammatio ſuccedat, lenticulam cũ
F malicorio coctam & tritam imponito, aut rubi folia contrita. Aut panis medullam in betæ ſucco madefactã cum modico roſaceo pro cataplaſmate adhibeto. Ad vulnera verò iã ſuppurata, erui farinã cum melle ſubigito & morſum expleto. ſummè enim auxiliatur. Aut irin cum melle & linamentis indito, ac ſupernè lenticulam coctam tritam cum modico melle & roſaceo pauco imponito. Repurgatis verò iam ipſis, cum prædicto liquido pharmaco expleto, ac deinde iis quæ cicatricem inducere poſſunt, vtitor. Emplaſtra autẽ ad demorſos à cane vel vrſo aut ſimilibus animalibus, ſtatim à principio commodè adhibentur ex ſale & ceruſſa apparata. Etenim venenoſum humorem in morſibus ex dentibus relictum expurgant, & calloſam ex impactis dentibus concretionem explanant.

Ad leonũ, pantherarũ, ac vrſorũ morſus, Cap. iii.

HOrum animalium conſimiles ſunt morſus: nam robuſta ſunt hæc & vnciũguia, implicántque quicquid cõtigerunt vnguibus penetrantia, & corpora ipſa dilaniant. Perſeuerando autem in manducatione, non ſolùm carnes dilaniant, ſed & oſſa aliquando ad polentæ ſimilitudinẽ cõfringunt, indéque & vicini ſtimulis afficiuntur nerui. Satis verò manifeſtum eſt quòd corpora quæ in eiuſmodi ac tantas calamitates inciderunt, non effugiunt periculum abalienationis: nam etſi maneant, putrefactionẽ ſuſcipiunt, & vlcera ſerpẽtia inducũt. Huiuſmodi igitur vulnera cum aceto elota & circumraſa: ſolutis item corporibus ac oſſib⁹ extractis, emplaſtris integere oportet, & poſt ſuppurationẽ partium dilaniatarum, repurgantibus linamentis curare, & cicatricem inducere, quẽadmodum in cõmunibus vlceribus ſolemus. Emplaſtra autẽ his conuenientia ſunt, id quod ex ſalibus conſtat, & ſimilia: cuiuſmodi etiã hoc eſt. Aſclepiadæ pharmacum, ad cruenta vulnera accõmodatum, & ad interciſos neruos & ad vrſorum ac leonum morſus: Æruginis raſæ dr.viii. aluminis rotundi dr.viii. ſquamæ æris dr.xii. mãnæ, galbani, cuiuſq; dr.xii. ceræ vnc.xvi. reſinæ pinus aridæ vnc. xxxii. olei lib.i. arida & galbanũ aceto terito, & liqueſcibilia liquefacta affundito. Aliud emplaſtrũ Venatorũ appellatũ, admirabile. Radicis ſymphyti, comæ dictamni, iridis Illyricæ, atramenti Indici, aluminis ſciſſi, miſyos, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, cuiuſque ſextantem, ſalis Cappadocici quincuncẽ, æris vſti trientẽ, ariſtolochiæ rotũdæ, iridis aſtragalitidis, gallarum, roſarum ſiccarum, ſquamæ æris, ſingul. vnc.i. æruginis quadrantem, picis ſeſquilibrã, reſinæ pinus ſiccæ libras quatuor, olei trientem & dimidium vnciæ vnius. metallica in aceto terito. habeat autẽ & ceræ ſeſquilibram. Quòd ſi marcedo ſubſequatur & vlcus ſerpendo depaſcens, optimè facit ſubſcriptum viride emplaſtrum, carnem arrodens. exeſt vſque ad os, & ſquamas eiicit, ac vlcus ſerpens compeſcit, & in vniuerſum vtile eſt ad omnia inueterata eiuſmodi actionis, & maximè in quibus veneni corruptio eſt, & corpora ſunt abalienata: quibus etiam immixtum pharmacum adhibere oportet, in aliis verò diſſolutum. Habet autem hoc modo: Spumæ argenti vnc.i. ſquamæ æris vnciã i. nitri, atramenti ſutorii, ſalis ammoniaci, æruginis, ſingul. ſextantem, cyperi quadrantem, olei ſeſcuncem, aceti ſquillitici quantum ſufficit. Arida aceto terito vt ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem acquirant, & liquefacta affundito & in vitro reponito, aceto acri affuſo, vt pharmaco ipſi innatet. Ad confectionem autem & præparationem, ſi acetũ ſquilliticum haberi non poſſit, ſquillam cum aceto coquito, ac vtitor.

De ſuum morſu, Cap. iiii.

QVandoquidem verò, & in venationibus à ſylueſtribus ſuibus læduntur quidam, operæpretium eſt & de his facere mentionem. Vulnera itaque ab ipſis incuſſa

grauia ſunt,propterea quòd non ſolùm profunda, ſed & magna exiſtant:agglutinatorio autem medicationis du-ctu ea curare impoſſibile eſt. nam vnà cum contuſione labia vulnerum diſcindunt,imò & adurunt.mutuo enim dentium inter ſe attritu,ac veluti ad cotem affrictu vtũ tur,ad vindictã eorum qui eis obueniunt,currentes. Adusta itaque corpora cruſtam quandam iuxta vulnerum labia inducunt. quare ſuppuratorium & non agglutinatorium curationis modum in eis adhibere oportet.

De iis qui à fele morſi ſunt,
Cap. v.

OMnia ferè quæ ad canis morſum dicta ſunt, etiam à fele morſis conducunt. propriè autem eis cõuenit, mel,terebinthina,oleum roſaceum. ſimul eliquato ac vtitor. Aut centauream tritam cum melle imponito. Aut galli ſtercus liquidum cum adipe gallinaceo ſubigito, & imponito.

De morſis à crocodilo,
Cap. vi.

PRimùm quidẽ eos quos crocodil⁹ momordit quamtutiſſimè cuſtodire oportet,in domo concluſos feneſtras non habente: etenim ob contrariam quandam affectionem,ferè in totum ſylueſtres maximè feles ad demorſos accedere conſueuerunt. Remedia autem his eadem quæ ad morſos à cane ac ad reliquos relata ſunt,conueniunt. propriè autem humanum ſtercus & miſy ſimul trita & impoſita,ad eos faciunt.Aut piſcium garum,aut carnium ſalſarum iuſculum morſui infunde, aut ſalẽ & myrrham æquali pondere in acerrimo aceto quamtenuiſſimè contere,& cerato excepta impone. Aliud. Stercoris hyænæ drach.IIII.æruginis drachm.IX.adipis anſerini drach.VI.galbani drach.vnã,ceræ drach.VIII. olei drach. XII. æruginem & ſtercus aceto terito, & liquefacta affundito. quòd ſi hyænæ ſtercus non adſit,porcino vtitor. Apollonius autẽ inquit, Demorſos locos acri muria aut piſcium garo perfuſos ac fotos,adipe crocodili eliquato illinito,& linamentis inditis obligato. aut carnium ſalſarum pinguiores partes tuſas indito,aut melanthium cum aceti fæce tritum imponito. hæc enim & vlcus ſerpens compeſcunt,& morſus eueſtigio ab inflammatione vindicant.Poſthæc autem lenticulam coctam cum melle tritam cataplaſmatis modo adhibeto.Erui verò,farina cum melle ſubacta, aut iride cum melle,morſum expleto. De cætero verò vlcera renutrito,&per communia auxilia ad cicatricem perducito.

De beſtiis virus eiaculantibus,& primùm quibus artibus adhibitis venenata animalia tollantur, Cap. VII.

DE venenatis animalibus ſcripturi, primùm præſidia quædam indicabimus quibus ea tollantur & perimãtur.Perimuntur itaque ex ſyluarum ac materierum exuſtione, in quibus vitam degunt. Verùm in iis quæ intra domos reperiuntur,feruentem aquam in eorum luſtra ac latebras infundere expedit, & acidam muriam feruentẽ per inſtrumẽtum fuſorium(ſiphona *Græci* vocant)immittere.Veſpis verò oleum infundatur, & aſſiduus fumus ipſarum tẽtoriis ac habitaculis obfundatur. Quæ ſubſtrata,ab omni venenata beſtia præſeruent. Iuxta vias quidem igitur & in domibus ab omni venenato animali præſeruant ſubſtrata,abrotonum,conyza,dictamnum, vitex, echion,calaminthe,ſolanum,haſtula regia, ſaluia, peucedanum, hypericum, polium, ſampſuchus, gentiana, origanus,ruta ſylueſtris, ſerpyllum,laurus,pulegium,cupreſſi aut cedri coma aut ramenta, cardamomum, lyſimachion, melanthium, bitumen. his addatur & gagates lapis. Suffitiones præſeruantes, quæ incenſæ vapore ſuo venenatas beſtias abigunt: Viticis folia, bitumen,caſtoreum, melanthium, cornu ceruinum aut caprinum, naſturtium, cardamomum, galbanum,propolis,peucedanum,panax,opopanax,conyza, cupreſſi aut cedri ramenta oleo imbuta,gagates lapis, ſagapenum,poliũ,cãchryos radix, filix,bacc æ lauri,& ſimilia graueolentia. Quum enim venenata animalia omnia anguſtos habeant meatus, quamcelerrimè replentur, & ab huiuſmodi odoribus obturantur ac ſuffocantur. Refertur etiam de

A ſtercore crocodili quòd per infundibulum ſuffitum, feras ipſas venenoſas ex latibulis ſuis exigat. Archigenes autem, Vngulæ caprarum & pili, inquit, ſuffitu fugant beſtias venenoſas:procul enim per ipſorum odorẽ relegãtur. Stratonis ſuffumigium. Galbani,radicis cãchryos,cornu cerui,melanthii,cuiuſque vnc.I.omnia terito,& in paſtillos cum aceto redigito,atque vbi vti velis, oleo madefacito,ac incenſa per mediam pomum ſuffito, aut in ipſum ferarũ latibulũ per infundibulũ vaporẽ immittito. Aliud ſuffimentũ, ſcorpios deturbãs,& omne B reptile ex ædibus exigẽs:Galbani,ſandarachæ,butyri,adipis caprini, æquales omnium partes in pilulas redigito, & vt dictum eſt ſuffito. probè facit & pyrethrum cum ſulphure ſuffitum.Mirificè item Beronices ſuffimentum facit,quod in hoc ipſo Sermone deſcriptum eſt, vbi ipſum cyphi etiam reperitur.

Illitiones præſeruatiuæ,
Cap. VIII.

ILlita autem ferarũ acceſſum prohibent eáſque fugãt, althææ ſemen & acetum cum oleo,baccæ lauri & galbanum oleo trita : panacis ſemen & flos & ſuccus cũ oleo: C vehementer efficax eſt oleum in quo cedrina ligna viridia incoquuntur.baccæ iuniperi cum oleo, conyza,peucedanum, ſilphium, ſaluia, haſtula regia, abrotonum, galbanum. horum vnumquodque excellenter facit aceto & oleo dilutum,aut etiam quædam ex iis, aut omnia mixta & illita. Aut caſtoreum cum medulla ceruina & vnguento narciſsino illitum,vehementer efficax eſt. Apollonius autem inquit,Qui ex ſylueſtris rutæ ſucco oblinuntur,omnibus venenatis beſtiis manus admouent,& D non mordentur. Dracunculi item ſucco manibus illitis, qui viperam tenuerit non mordebitur. ſemen autem dracunculi aqua tritum & latibulis ferarum iniectum, ipſas in terram fugat. probè facit & ſolani ſuccus illitus. In vniuerſum autem omnem feram cuiuſque earum adeps illitus fugat.

Quæ appoſita,venenata animalia occidant,& de iis quæ in edulia & potiones incidunt,
Cap. IX.

VEnenatas beſtias occidit galbanum cum ſpõdylio & oleo appoſitum.Cancri appoſiti ſcorpio,ipſum occi- E dunt. lychnis ſylueſtris ſcorpios fugat,quod item facit paſtinacæ ſemen.Cæterùm & aquarum quas in potu accipimus,animaduerſionem habere oportet. Non pauci enim perierunt ex quibuſdam beſtiis in edulia & aquas dum coquuntur collapſis.atque id maximè in peregrinationibus euenire ſolet. quapropter tunc culinæ procul ab arboribus extruendæ ſunt, propter feras in eis latibula habentes. Quin & ſalamandræ quandoque & erucæ calefactæ obſoniis incidunt. præcipuè itaque pinus & picea arbor F fugiẽda:in his enim lethales ſunt erucæ.In obſonia quidẽ igitur dum coquuntur,illabi conſueuerunt,ſerpens & ſalamandra,& erucæ:in vinum verò,viperæ.

Communia remedia ad omnes venenum eiaculantium ferarum plagas,
Cap. X.

PEr prædicta quidem igitur præcauere oportet ne in malignas beſtias incidamus. Si verò contingat ab animante quopiam venenum iaciente percuti, huiuſmodi remediis communiter vtemur. Si quidem leuior ſit G plaga aut morſus, poſca calida eum proluemus: deinde verò locum ipſum exugemus. verùm qui exucturus eſt, prius os oleo colluat,ne inde lædatur,atq; ita ore ad morſum admoto, exugat & expuat venenum. cauere etiam oportet,ne exulceratam aliquam internam oris partẽ habeat exucturus.Poſt hæc verò cinis aceto ſubactus pro cataplaſmate imponatur.maximè autem ad hanc rem conducit, ex ficulneis lignis exuſtus, aut laurinis, aut lignis vitis:qui ſi non adſint,eo qui haberi poteſt vtendum eſt, H diligẽtia ad hoc potiſſimùm adhibita vt inflammatio in loco excitetur,& materiæ ad morſum prouocẽtur. Quòd ſi minus nobile ſit membrum, & vehementior morſus, cucurbitam cum plurima flamma ad morſum adhibe, & vicinos locos circumcirca impactis vulnuſculis ſcarificato : attrahetur enim vnà cum ſanguinis &

flatus attractione ipſius beſtiæ venenum. Deinde à tepidæ largæ hauſtu vomere iube: & ſic deinceps pharmaca exhibe. Vigilans etiam æger aſſeruandus eſt, ac deſidens per totum curationis tempus, donec euidētem remiſſionem acceperint moleſtiæ concomitantes. Venter item adſtrictus citra dilationem per infuſum eluatur, & veſicæ quoque cura habeatur, quò citra impedimentum lotium excernat. Optimè autem auxiliantur, ſi ſtatim in principio poſt cucurbitas, plagæ imponantur animalia parua diſcerpta, & adhuc intus calentia: veluti ſunt gallinæ, hœdi, agni, porcelli. venenum enim exugunt, & dolores leniunt. Apta ſunt etiam his cataplaſmata dilaniantia, velut ſunt allia cum melle, cepæ cum ſale, ruta cum melle, ſilphium tritum inſperſum, laſer, piſcis ſalſus maximè ve tuſtus, allium vſtum, plantago cum ſale, meliſſophyllon, virgulta fici cum melle, ſuillum recrementum aceto coctum, calaminthe, ſtercus caprinum cum aceto. Summè autem facit ad omnem beſtiæ venenatæ plagam, præterquam aſpidis, calx viua cum oleo & melle craſſitudine cerati impoſita. At verò & inurere morſus ipſos expedit, vſque ad cruſtæ productionem. aut ſinapi largum cum rumice acuto imponere: aut ſalem tritum liquida pice exceptum. Præter opinionem autem facit ex viperis theriace Andromachi emplaſtri modo impoſita. Emplaſtra verò ad omnem venenoſi animalis ictum conueniunt, ex dictamno apparatum, omniáque quæ attrahendi vim habent: qualia ſunt & quæ ex ſale, & quæ ex chamæleontis radice conſtāt, & aphroditæ appellata. Egregiè autem hoc auxiliatur. Spumæ argenti lib. vnam, ceruſſæ lib. I. reſinæ pinus lib. vnam, olei veteris lib. tres, ceræ ſeſcuncem, ammoniaci thymiamatis trientem, galbani trientem. ceruſſam, argenti ſpumam, & oleum coquito donec non inquinent manus: deinde liquefacta adiicito, vnito, & vtitor repoſito ad omnem morſum, & ad abſceſſus, & tubercula mamillarum, panos, ſinus, fiſtulas, parotidas: ad miraculum enim vſque diſcutit ipſas. vtitor & ad carbunculos. Arcet vehementer inflammationem, & rarò citra magnam commoditatem & efficaciam adhibetur. Potiones communes. In potu autem citra dilationem in omni virulenti animalis morſu, theriace Andromachi præbeatur, aut Mithridatica, & conſimiles compoſitiones. Ex ſimplicibus verò, viticis ſemen cum vino tritum bibendum præbeto, rutæ ſylueſtris ſemen cum vino ſimiliter tritum dato, platani pilulas, polium, polemonii quod & philetærium appellatur, drachmā I. leporis coagulum aut cerui, allium, trixaginem, dictamnū, ſaluiam, caſtoreum, ex vnoquoque drach. I. bryoniæ radicem drachmæ pondere, ſeminis trifolii bitumen olentis drach. I. Prodeſt & conyza & chamæpitys & ſcordium, cuiuſque drach. I. ex vino. auxiliantur autem omnino cancri fluuiales cocti aut aſſati comeſti. ranæ item elixæ & comeſtæ. Verùm ſi qui earum eſum auerſentur, ranas donec victæ reddantur coquito, & iuſculum ipſum ignaris abſorbendum præbeto.

De veſpis & apibus, Cap. XI.

Quòd ſiquis ab apibus & veſpis illæſus permanere velit, eum maluæ folia cum oleo illita, & eruca ſiue bruchus cum oleo illitus aſſeruabunt. Quandoquidem verò quidam ab his clāculum percuſſi, ob dolorem perturbantur, putántque ſe à maligno animante petitos eſſe, neceſſarium exiſtimo prius oſtendere quæ ſigna ad horum plagas comitentur. Hos itaque qui ab apibus pungūtur, dolor ictus conſequitur, & rubor loci, cum tumore partium in ambitu ſitarum: ſtimulus autem omnino in percuſſo loco reperietur. Eadem etiam hos quos veſpa pupugit concomitantur, ſed intenſiora: verùm ſtimulum veſpa in percuſſo loco non relinquit. Auxiliūautē vtrique ferunt, luto aut ſtercore bubulo eis illito cum poſca, aut maluæ foliis impoſitis cum poſca, aut cimolia cum malua & poſca, aut ſeſamo cum poſca. Naturaliter autem opitulatur veneranda & viuifica crucis imago in ſigillo ferreo exſculpta, & plagæ appreſſa. non enim permittit amplius inflammationem generari. In potu præterea ipſis foliorum lauri tenerorum drachmas duas, cum vino auſtero præbeto.

A

Ad ſtellionis morſum, Cap. XII.

Qui à ſtellione morſi ſunt, aſſiduè & contritè dolitāt, morſúſque locum liuidum habent. Iuuantur autem eueſtigio, ſi cæpe & allia cataplaſmatis modò eis imponātur. Auxiliantur amplius eadem comeſta, vino meraco poſt eorum acceptionem abſorpto. Vtiliter etiam ſeſamum eis imponitur aut melanthium, aqua multa affatim affuſa.

Ad ſalamandræ morſum & lacertæ chalcidis, Cap. XIII.

B

Vos ſalamandra percuſſit, eos dolor vehemens & cruſtæ productio conſequitur. adhibeatur autem eis communis cura iam prædicta. Qui verò à lacerta chalcide appellata percuſſi ſunt, eos tumor pellucidus conſequitur, veluti nigriore in ambitu plagæ relucente. conſequitur autem & putrefactio. Curatio verò eadem illis accommodanda eſt, quæ ad muris aranei morſum referetur.

De mure araneo, Cap. XIIII.

C

Mus araneus colore quidem muſtellæ ſimilis eſt, magnitudine autem muri: vnde & mygales apud Græcos obtinuit nomen. os autem ſublongum habet, & exiguam caudam. dentes verò tenues, atque eos duplici ordine ſitos in vtraque maxilla, quò fit vt quatuor dentium ordines habeat. Qui igitur ab eo morſi ſunt, his vulnera manifeſta ſiunt: quadrifido enim ordine vulnera conſpiciuntur. Et ſanguis quidem primùm purus promanat, paulo pòſt verò ſanioſus. animal enim ipſum putrefactione occidit. Conſueuerunt etiam bullæ inſurgere, quas ſiquis dirumpat, carnem ſubiacentem fæculentam videbit, & ſiſ-

D

furis diſparatam. inflatio autem ſequitur demorſos. Cæterùm hoc animal frequentius ad teſtes inſilire ſolet, eóſque verbere impetere, non hominis ſolùm ſed cuiuſque etiam bruti animantis. Auxilium autem ferunt quum ob putrefactionem periclitantur, poſt prædicta cōmunia remedia adhibita, ab huiuſcemodi rebus: Lauri foliorū tenerorum drach. I. aut II. cum vino tritas bibendas præbeto. Conueniunt etiam ipſis omnia prædicta communia remedia in potu accepta ex vino dulci: in pecoribus verò & iumentis illa ipſa cum aqua trita naribus infun-

E

de. eſt enim ipſis præſens remediū: vnde etiam hominibus ſimiliter in potu præbeto. Morſum porrò cū cumino integito & allio, putamine extrinſeco non adiecto. eadem etiam cum oleo trita aſſiduè & diligenter locis circumſitis illinito. Si verò ruptæ fuerint bullæ & vlcera oborta, acida muria prolue, & ordeum vſtum tritum impone. verum non rumpentur, niſi prægnans fuerit mus araneus qui morſum inflixit. Quòd ſi exulcerētur, mali Punici dulcis corium coctum tritum impone, vlceráque ex eodem decocto, aut magis myrti decocto, perfuſa foue. Strato ve-

F

rò inquit, in muris aranei morſu locū ſcarificato, ac ipſum murem araneum vſtum cum aceto cataplaſmatis vice imponito, aut ſinapi tritum itidem ex aceto. In potu verò panaca exhibeto, erucam, capparis corticem, gentianæ radicem, & verbenacam rectam tum cum vino bibendam præbe, tum pro cataplaſmate impone. maluæ item folia impone, & antidotos magnas bibendas exhibe.

Ad ſcolopendræ plagam, Cap. XV.

His qui à ſcolopendra icti ſunt, eadem remedia conueniunt quæ ad muris aranei morſum ſunt prædicta, &

G

ſales cum liquida pice impoſiti: & cedria cum melle: & allium cum foliis fici, & cumino eruóque ac vino. In potu verò etiam ea commodāt, quæ à mure araneo morſis. ampl ius autem & abſinthium & mentha cum vino.

Ad araneæ ictum, Cap. XVI.

Est & araneæ genus quod ictu continentes dolores inducit: rubor verò circa præcordia, & vrinæ emittendæ difficultas ægros concomitatur: aliquando verò & ſuffocationes. Ab eo percuſſis, rutam ſylueſtrem, & vitīcis albæ ſemen aut folia bibenda præbe. Allium etiam

H

largè edendum, ac vinum inſuper meracum abſorbendum exhibeto.

De tetragnathis, Cap. XVII.

Tetragnathus, ſpecies eſt phalangii ſubalbida, pedes ſcabros habens, & iuxta caput eminentias duas, v-

nam rectam, alteram latam, vt exiſtimes eum ora quidẽ habere duo, maxillas autem quatuor, & lineam per os æqualem. Iis qui ab eo percuſſi ſunt, cõmuniter quidem eadem accidunt quæ à ſcorpio percuſſis: propriè autem in ipſis plaga contentè dolet, & percuſſus locus ſubalbicãs eſt: tumor verò faciem & caput occupat, & percuſſæ partes vſque ad articulos gracileſcunt: cibum item ac alimẽtum non ſentiunt membra, & poſt adeptam ſanitatem vigiliæ intenſæ ſuccedunt. Opem autem ferunt ex calaminthæ potu aut trifolii, rutæ, panacis, polii, & iis quæ ad percuſſos a phalangio referentur.

De percuſſis à phalangio, Cap. XVIII.

PHalangiorum genera quidem plura ſunt: quæ verò apud eos qui de noxiis beſtiis ſcripſerunt referuntur, vtplurimùm ſex numero exiſtunt: vnum quidem ex eis rhagium, alterum lupus, tertium formicarium, quartum cranocolaptes, quintum ſclerocephalon, ſextum ſcoleciũ appellatum. Ac primum quidem rhagium, id eſt acineũ, figura rotũdum eſt, colore verò nigrum, acini vuæ nigræ ſimilitudine: vnde etiam appellationem accepit. Et os quidem iuxta medium ventrem habet: pedes verò ex vtraque parte quambreuiſſimos. Alterum verò lupus appellatum, muſcas perdit, eíſque paſcitur. ac corpus quidem habet latum ac volubile: partes verò circa circa collum ipſius inciſæ ſunt. amplius autem & os eius eminẽtias tres habet. Tertium autem, myrmecium, *hoc eſt formicarium*, dictum, formicæ maximæ aſſimilatur: colore eſt fuliginoſum, corpus verò eius velut aſtris quibuſdam inſignitum eſt, maximè circa dorſum. Quartum deinde cranocolaptes, ſublongum eſt & viride, ſtimulúmque iuxta collum habet, atque ſi in quẽ irruat, locos circa caput petit. Quintum ſclerocephalum dictum, caput habet ſaxeum & obduratum: lineamenta verò per omne corpus ſimilia animalibus illis quæ circumuolitant noctu lucernas. Sextum autem ſcoleciũ ſiue vermicarium appellatum, ſublongum eſt & ſubmaculoſum, maximè circa caput. Atque hæ quidem ſpecies phalangiorum enumerantur, quas ſanè obſeruare oportet. Quæ verò percuſſos ab eis concomitantur, communia ſunt iuxta magnitudinem & paruitatem diſcreta. Morſus porrò tenuis eſt vt vix conſpici poſſit: tumor autem liuidus, quibuſdam etiam rubicundus. frigiditas adeſt circa genua & lumbos ac ſcapulas, quãdoque verò totum corpus aggrauatur. amplius & dolor aſſiduus adeſt, tremor, pallor, vigiliæ: quibuſdam verò pudendi tentigo, & circa caput pruritus, aliquando etiam circa ſuras. oculi humecti & lacrymantes ac caui, & vẽter inæqualiter eleuatur. intumeſcit autem vniuerſum corpus faciéſque, & maximè circa linguam partes, vt impeditum habeant ſermonem. quibuſdam verò & vrinæ emittendæ difficultas adeſt cum pudendi tentigine & dolore. ſi verò minxerint, aquoſæ ipſorum ſunt vrinæ, quædam aranearum textis ſimilia in ſe habentes: & vomitus quoque conſimilis eſt: aliquando verò per lotium, & per ventrem talia excernuntur. Cæterùm in calidam aquam demiſſi, à dolore leuati ſibi videntur, pòſt verò contentè dolent pudendum: ſenioribus verò pudẽdum plurimùm laxatur, ac minimè intenditur. atque hæc quidem communiter ad omnium ictus ſequuntur. Si verò cranocolaptes aliquem percuſſerit, caput magis dolet, & vertigines conſequuntur, frigus continens, delirium, corporis iactatio, & ſtomachi puncturæ. Omnes autem à phalangiis percuſſi, aſſiduis balneis iuuantur. plaga etiam ipſa ex trifolii bituminoſi decocto cum oleo proluatur: totum verò corpus ex cerato liquidiſſimo pinguefiat. Iuuãtur etiã fomento ſpongiarum in calido aceto tinctarum, & ſæpe ad plagam adhibitarum. Cataplaſmata autem eis conueniunt, bulbi, ſanguinaria, porrum, furfures aceto cocti, ordeacea farina foliis lauri cum ea in vino aut melle incoctis, ruta, groſſi ficus, caprinũ ſtercus cum vino, ſampſuchus cum aceto, ſylueſtris ruta cum aceto, itémque cyperus. Aſclepiades autẽ hoc, inquit, vtere valde laudato: Seminis rutæ ſylueſtris, ſeminis erucæ, ſtaphidis ſylueſtris, canchryos, ſeminis viticis, pilularum aut foliorũ cupreſſi, æquales omniũ partes aceto terito, & melle exceptas imponito. idem & in potu acceptum auxiliatur. Aliud

A laudatum, quod ſimiliter & potatũ & impoſitum iuuat. Sulphuris viui drach. quatuor, galbani drach. quatuor, ſucci Cyrenaici drach. duas: aut, ſi nõ adſit, laſeris drachmas quatuor, amygdalarum amararum repurgatarum drach. duas: in vino diluito, & melle excepta imponito. bibendum etiam, vt dictũ eſt, præbeto. Amplius verò & cupreſſi folia aut pilulas tritas cum vini & olei hemina vna à phalangio percuſſis dato. Aut aniſum, aut daucum, aut cuminum, aut melanthium, aut piper, aut agaricum, ſingula drachm. pondere præbeto. :aut ammii drach. duas, B aut iridis drach. vnam, aut hyperici drach. vnam, aut trifolii bituminoſi quantũ tribus digitis apprehẽdi poteſt. Conueniunt etiã lauri baccæ, ſcorpiurõ, ſerpyllũ, ſilphiũ, calamintha, chamæpitys per ſe & cum ruta ac pipere: ſingula verò, ex vino. Aut mẽthæ faſciculum poſca meraciore coquito, & decocti cyathos duos præbeto. Idem & ſampſuchi, & radicis ſpinæ albæ decoctum, ac trixaginis & pulegii præſtat. lixiuium item & radicis hederæ ſuccus cum aceto. Vtere etiam ad eos remediis à ſcorpio percuſſorum, & ex viperis theriaca, & conſimili- C bus. Aſclepiadæ, ad percuſſos à phalãgio. hac Chariton vtebatur, & per hominum conuentus oberrans, à phalangiis percuſſis auxilia promittebat. Seminis ſpõdylii ſicci, calaminthæ, æquale põdus ſimul terito, & ex vini cyathis duobus præbeto: atque id ſæpe per diem facito. Aliud eiuſdẽ. Succi Cyrenaici, ſeminis dauci, mẽthæ ſiccæ, ſpicæ nardi, ſingulorum æquale pondus coagmentato cum aceto, & drach. vnam cum poſcæ meracioris cyathis quatuor præbeto, & à potu ægrum in calidam aquã demittito. quòd ſi ſuccus Cyrenaicus non adſit, pro eo la- D ſer purum coniicito. Aliud valde præclarum. Canchryos, ſeminis rutæ, piperis, myrrhæ, ſtaphidis agreſtis, ſingulorũ drach. vnã, radicis cyperi drach. vnã coagmẽtato, & drachmam vnam cum vini odorati cyathis quatuor, ac mellis cyatho vno exhibeto. Auxiliatur item eis allii eſus, balneum & vinum.

De iis quos ſcorpio percuſſit, Cap. XIX.

E A Scorpio percuſſos vehemẽtiſſimus plagæ dolor cõſequitur, frigiditáſque ac tenſió, & ſtupor, circáque plagam & totum corpus frigidus ſudor, & iis qui iuxta infernas partes percuſſi ſunt, inguina excitantur, ac intumeſcũt: qui verò circa ſupernas, locus ſub alis. & hæc quidem leuiter percuſſis adſunt. Validius autem ictis, ardor circa plagam adeſt, quemadmodum in ambuſtis, & verrucarum inſtar formicarum eruptio, circa labra & totũ corpus, vt grandine ſe impeti putent: facies diſtorquetur: ſordes circa oculos adſunt glutinoſæ, & lacrymæ viſcoſæ: durities articulorum, anúſque procidit cum egerendi cu- F piditate, ſpuma circa os eſt, & vomitus largus, ſingultus, cõuulſiones opiſthotonicis ſimiles. His igitur ſerpyllum, althææ radicem, & elaphoboſcum bibendum præbeto. Præter opinionem autem facit elaphoboſcus, tum viridis comeſta, tum ſicca potata. Paſtinacæ item ſylueſtris ſemen & nuces Põticæ: hæ enim in zona geſtatæ nõ permittunt aliquem à ſcorpio lædi. Aliud. Cochleam, hortulanam maximè, accipito: eámque vnà cum teſta tritam plagæ imponito, & confeſtim ſedabis dolorem. idẽ etiam vermes terreni facere dicuntur. Aliud. Can- G crum fluuialem cum vino & laſere terito, ac bibendum dato. Aliud. Verbenacam rectam aut viridem pro cataplaſmate impone, aut ſiccam tritam bibendam præbe. Aliud. Cumini, melanthii, ſeminis viticis, ſingulorum par pondus tere, ac drach. vnam inde ex vino exhibe. poteris etiam omnibus communibus auxiliis prædictis vti. Aliud. hoc & ad phalangii & ſcorpii ictum facit: Styracis drach. ſex, ſulphuris viui drach. ſex, pyrethri drach. quatuor, ſeminis rutæ ſylueſtris drach. tres, caſtorei drach. duas, ſeminis erucæ drach. duas, cum ſanguine, ma- H rinæ maximè, teſtudinis, ſubige: aut, ſi nõ adſit, terreſtris: & nucis Põticæ magnitudine præbe cum poſca aut ex aceto. Alia antidotus, excellenter ad ſcorpii ictum conducens: qua etiam ad meipſum ægrè affectum vſus ſum, & ſeruatus. Habet autem hoc modo: Caſtorei, ſucci Cyrenaici, piperis, cuiuſque drachmas quatuor, coſti, ſpicæ

nardi,croci,ſucci centaureæ,cuiuſque drach.duas,mellis deſpumati quantum ſufficit. datur nucis Pōticæ magnitudine. Datur autem à ſcorpio ictis cum vino diluto: ab aſpide morſis, cum aceto diluto. detrahendi vim habet, adeò vt digeſtos etiam in membra veneni ſuccos eruat: &ob id etiam ad vuluæ ſtrangulationem vtiliter cum hydromelite exhibetur. Aliud. Ariſtolochiæ lōgæ,melanthii, radicis panacis, ſeminis rutæ ſylueſtris, æquales omnium partes committe. dantur inde drach.duæ cum vini meraci hemina vna. Optimè autem ad eos facit, ſimiliterque ad phalangii morſum, antidotus ex quatuor rebus ad podagricos deſcripta: ex ariſtolochia videlicet, gentiana,myrrha,& baccis lauri. dato etiam,ſi abundes, ex theriaca. Ad plagam autē ſcorpionem ipſum qui percuſſit,ſi inueniri queat, imponito. aut ſtellionem diſſectum plagæ adhibeto. Calaminthe etiam quæ iuxta aquas naſcitur,impoſita,confeſtim dolores remittit & tollit. Allium quoque aut per ſe aut cum ſale tritum imponatur,aut ſylueſtris ruta, aut ſcorpiurus herba. Ego verò ſylueſtris rutæ drach.vnam in aceto tero,& ceræ vnciam vnam,reſinæ pinus quadrantem liquefacio,& parum olei affundo, vnio, ac impono. & eſt mirabile pharmacum. Quin & ouillum ſtercus vino coctum & impoſitum, confeſtim dolore liberat. Vtere item præſcriptis communibus emplaſtris,& eo quod ex dictamno apparatur,& quæ ex ſalibus,quæque ex chamæleonte conſtant.

De morſis ab aſpide, Cap. xx.

Aſpidum apud ferarū ſcriptores tres ſpecies reperiuntur. Quædam enim ex eis terreſtres appellātur: quædam verò chelidoniæ,& circa fluuiorum ripas,præſertim Nili,latibula habent: aliæ verò ptyades nominātur. Terreſtres quidem igitur,maiores ſunt, & quandoque vſque ad quinque cubitorum longitudinem reperiuntur. maximè verò ptyades bicubitales ſunt. Chelidoniæ autem,cubito maiores reperiuntur, & colorem hirundini ſimilem habent. ptyades verò cinereo ſunt colore viridique & ad auri colorem declinante. terreſtres verò vtplurimùm & ipſæ cinerei ſunt coloris: quanquam & ſubuirides reperiantur. Cæterùm acceſſiones & ſigna communia ſunt in iis quos aſpides momorderunt. vulnera enim in demorſo loco,veluti ab acu puncta inueniuntur: bina quidem ex maſculi morſu,ex fœmellæ verò quatuor,citra magnū dolorem,à quibus nihil effluit,niſi violentum animal ſit quod morſum inflixit. Conſequitur autem ſtupor, pallor frontis,refrigeratio,aſſidui hiatus,palpebrarum nictationes,colli inclinatio, capitis grauitas, ſegnities, & collapſio in ſomnum profundum: ad finem verò & conuulſio. Mors autem in tribus ad ſummum horis ex terreſtris morſu ſequitur: in chelidoniæ verò ictu præſētiſſima adeſt. Porrò iis qui ab ptyade conſpuuntur, caligo oculorum ſuccedit, & cordis dolor, faciei tumor, ac auditus corruptio. tardius autem mors conſequitur. Auxilium autem ab aſpide morſi ferunt, & præſertim quos ptyas momordit, ex acerrimi aceti potu: dandum autem eſt quouſque aceti qualitatem circa dextram præcordiorum partem perceptent: hepar enim in morſis ab aſpide primum aiunt ſenſu priuari. Cæterùm ad prænotionem an victurus ſit percuſſus,centauream cum vino tritam bibēdam præbeto: ſi quidem enim euomet pharmacum,morietur: ſi non,viuet. Quò verò malignitas veneni diſtributi & in corpus digeſti probè euomatur, allia trita cum zytho exhibeto,donec nauſeabundus reddatur. Aut opopanaca cum vino diluto dato,& confeſtim vomitionem operabitur. Numius autem inquit, Origanum viridem aut aridam pro ægri viribus cum vino dato. Poſt vomitū antidotis theriacis vtendum & communibus remediis prædictis. Vtiliter autem ad plagam imponuntur,poſt cucurbitarum adhibitionem & ſcarificationem,centaurea cum myrrha & modico opio. Rumex autem ſi cataplaſmatis modo imponatur, nihil lædetur. præter opinionē verò auxiliatur theriace tum plagæ impoſita tum potata. Proſunt autem & aſſiduæ exercitationes cum euulſionib⁹ & plagis,& vniuerſi corporis motus,& aqua marina & calida pro fomento aſperſa.

A De viperæ maris & fœminæ morſu, Cap. xxi.

Vipera fœmina colore quidem eſt ſubflauo,multis inſtar rotarum notis exornata, magnitudine cubitali, longiſſima verò palmos tres æquat. caudam autem habet aceruatim in tenuitatem deſinentem, non paulatim imminutam. éſtque omnino carne nuda cauda,& aſpera. oculi verò ſubrubri, & caput latius, & anguſtius collum. ventrem autem ſinuoſiorem habet, & ingreſſu ad ſummum caudæ nititur: ſenſim verò inambulat. & quatuor ha- B bet caninos dentes. Vipera verò mas,eiuſdem eſt coloris: verùm caput anguſtius,& collum craſſius habet,& vniuerſum corpus tenuius,& quodammodo prolixius: greſſum autem supernè circa ventrem firmat,& alacrius mouetur: dentes autem caninos ſolùm duos habet. paulatim verò cauda ei imminuta eſt,quemadmodum & reliquo ſerpentium generi,non aceruatim velut in vipera fœmina dixi. & per hoc ſanè à fœmina differt. Reperiuntur igitur in iis quos vipera mas momordit, vulnera in plaga bina: in his verò qui à fœmina demorſi ſunt, vulnera quatuor. C Primùm autem ex eis excernitur ſanguis, deinde ſanies ſanguinolenta & oleoſa: adeſt tumor bilioſus, feruidus, bulloſus,ſubruber,deinde liuidus & denigratus & proſerpens. Os adeſt exſiccatum,ardor,exolutio, & frigidi horroris inſultus: aliquando & bilis vomitus,tormina,capitis grauitas,vertigo, pallor, ſingultus, febris, ſpiritus & anhelitus celer,color plumbeus,ſudor frigidus. Mors in horis ſeptem aut, vt longiſſimè abſit, tertia die, in his qui non ſeruantur, & maximè iis qui à vipera fœmina ſunt icti. Conuenit igitur priuſquam cruenta prodeant lo- D tia, allii plurimum edere, & vinum meracum multum bibere,ac vomere. Efficaciſſimum enim in eis remedium,eſt allii eſus ac meracior vini potio, inquit Archigenes: adeo vt ſiquis multū eius ſuſtineat vſum,itémque meri potum,nullo alio auxilio habeat opus. Dato autem citra dilationem theriacen ex viperis bibendam,eādémque plagæ ſuperponito. Quin & ipſam viperam excoriatam & coctam,capite ac cauda & interaneis viſceribus omnibus reiectis,veluti anguillam edendam præbeto. caput autem amputatum diligenter per volſellam E teneto, & morſui imponito ea parte adhuc calente quæ contigit collum: id enim extrahet venenum. aut quempiā qui ore plagam exugat adhibeto, qui vt ſuprà dictum eſt in communibus remediis, os prius habeat ex oleo collutum. Aut gallinam diſſecato, & internè adhuc calentem morſui imponito,atque hoc remedium frequēter ac aſſiduè repetito. Scarificare autem per ambitum oportet demorſum locum,& cucurbitas admouere. Poſtea verò fraxini folia tundito & exuccato. & ſuccum quidem in potu exhibeto: quod verò ab expreſſo ſucco reliquum eſt,ad F morſum imponito. eſt autem fraxinus arbor ex qua fraxinea appellata ligna cæduntur. eſt enim valde efficax ad viperarum morſus hæc arbor. Meliſſophylli item folia & ſuccus cum vino potatus & vulneri impoſitus, euidens auxilium confert, etiamſi iam moriatur æger. aiunt autem ſiquis melanthii drachmas quatuor edat,non moriturum. Similiter etiam melaphroditos herba efficax eſt. & cancri fluuiales cum lacte triti & potati & plagæ adhibiti. magnificè etiam proſunt ranæ coctæ comeſtæ, & iuſculum earum bibitum. Præſtat & naſturtium plurimū G edere,ac tritum quoque cum vino bibēdum exhibere. Facit autem mirabiliter teſtudinis ſanguis exſiccatus cum ſylueſtri cumino potatus. Vtendum etiam omnibus communibus remediis ſuprà relatis. ſuperuacaneum autē fuerit eadem ſæpe ſcribendo repetere. Maximè verò vtendū eſt anchuſæ radice, & heliotropio cum vino. dandus & hæmatites lapis. Auxiliantur & raphani largè in cibo accepti,deindéque vomitu reiecti. ſtatim verò à vomitu theriace Andromachi exhibeatur. Poſt ſcarificationem & gallinarum impoſitionem,plaga ex trifolii bituminoſi H decocto calido per multum tēpus proluatur ac foueatur. nam ſi pauco id tempore facias,peius afficiuntur. Deinde porrum & panem cum ſale imponito, aut allium cum aceto, aut cinerem ipſius exuſtum,aut fraxini cinerem, aut alium quemuis cum aceto,aut haſtulæ regiæ folia,aut

ſycomori folia cum pane, aut lauri foliis teneris coctis & cum oleo tritis locos intege priuſquam claudantur, aut caprinum ſtercus imponito cum vino. Aſclepiadæ epithema, ad viperæ morſum: Sagapeni, piperis, laſeris, maximè Cyrenaici: opopanacis, cuiuſque vnciam vnam, galbani ſextantem, ſulphuris viui ſextantem. ſuccos aceto diſſoluito, & arida trita inſpergito, & ad emplaſtri formã redacta plagæ imponito: forinſecus autem foliis fici aut vrticæ contegito. Aliud. Centaureæ, ariſtolochiæ, radicis peucedani, æquales partes contundito, cribrato, & aceto ſubigito, adiectóque galbano, in emplaſtri formã reducito. Aliud. Canchryos, ſtaphidis ſylueſtris, ariſtolochiæ, radicis bryoniæ, ſingulorum partem vnam, opopanacis partes duas. aceto ſubige, & vtere vt dictũ eſt. Vtendum & prædictis communibus cataplaſmatis, & epithematis, maximè verò Andromachi theriaca. Aliud valde bonum: Cancrorum fluuialium carnes terito, & adiecta iride & calaminthe, rurſus ſufficienter terito, idémque rurſus modico ſale addito facito, & paſtillos informato, quibus in vmbra exſiccatis vtitor, in potu quidem ex aqua mulſa, aut vino: in cataplaſmata verò cum lacte diſſoluito.

De dipſade, Cap. XXII.

DIpſas à quibuſdam cauſus appellatur, éſtque viperæ ſpecies quæ in maritimis magis locis reperitur, magnitudine cubitali, ex craſſa in tenuem deſinens. notas autẽ habet per omne corpus fuluas & nigras: caput verò anguſtius. Sequitur autem ab ea morſos, præter ea quæ de vipera dicta ſunt, & ſitis intolerabilis planè, adeo vt etiã ſi multus eis potus exhibeatur, ſitis non ſedetur. & tamẽ neque per vrinas, neque per vomitum, neque per ſudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam ſitim exuſti, ſi potum non ſumant: aut ob multam expletionem diſtentus rumpitur venter, vel infernè circa inguina, vel circa imum ventrem, quemadmodum in hydropicis fieri conſueuit. Cæterùm & his veluti à vipera morſis auxiliamur: propriè autẽ in his potiones magis vrinam cientes exhibeantur. Aluus item per infuſum eluatur, & oleo cum decoctionibus exhibito ad vomitum cogantur. Ad plagæ verò locum, poſt exuctionem & ſcarificationem, & cucurbitularum affixionem, & diſſectas gallinas, calcem viuam cum oleo imponito, & emplaſtra attractoria & theriacen.

De hæmorrho & hæmorrhoide, Cap. XXIII.

ANimalia hæc colore quidem ſunt arenoſo, magnitudine autem tres palmos æquant, & in tenuem ac anguſta figura caudam paulatim deſinũt. ſunt autem igneo oculorum fulgore, rectáque & tardè proreptant. per corpus verò multis notis albis & nigris variegata ſunt, & aſperioribus ſquamis obſita, quapropter dum ſerpunt ſonus auditur. & fœmina quidem ventri incumbens per terrã reptat, & greſſum infernè circa caudam firmat: mas verò circa ventrem ingreſſu nititur, & collum in ſerpendo extendit. Conſequitur horum morſum color ictiloci cruentus, mali coloris & nigricans: ex quo nihil in principio effluit, præterquam paucum quippiam aquoſum. Stomachi adeſt dolor, & ſpirandi difficultas. deinde ſanguis ex naribus profluit, & ex foraminibus ipſius morſus. Et quicquid eſt in toto corpore cicatricum, id rumpitur & ſanguinem profundit: atque hæc quidem in maris hæmorrhi morſu contingunt. A fœminæ verò hæmorrhoidis morſu, adhæc & anguli oculorum ſanguine manant, & gingiuæ dẽtium, & vnguium radices: &, vt ſimpliciter dicam, per omne corpus ſanguinem efferri contingit. dentes præterea excidunt & gingiuæ putreſiunt. Horum porrò curam facere oportet, primùm quidem ſanguinis eruptioni obluctando ac reſiſtendo per ea quæ aptè ſanguinem ſiſtere poſſunt: deinde cataplaſmata plagæ imponendo ex foliis vitis coctis tritis cum melle, & portulacæ foliis cum polenta. Antea verò quàm cruenta prodeat vrina, allium multum edant, & vinum multum dilutum bibant, & ad vomitum cogantur: deinde confeſtim theriace exhibeatur, & poſtea piſces multos, alliis tritis cum oleo tinctos, edant. Sumant item in cibo panem & vuam paſſam dulcem, & deinde vino diluto largè hauſto vo-

A mant. Plaga verò aqua frigida proluatur. veſica autem ſpongiis calidis foueatur.

Præparatio ſanguinis teſtudinis marinæ, & vſus, Cap. XXIIII.

TEſtudinem ſuper ligneum aut fictile vas ſupinam reclinato, eiúſque caput ſtatim amputato, & leuata ipſa ſanguinem ſuppoſito vaſe excipito, & congelatum deinde per harundinem in multas partes ſecato, atque operculi vice cribrum vaſi ſuperponito, & ad ſolem locato: ſiccatum verò reponito, ac vtitor ad viperæ morſum
B drachmis duabus exhibitis, ex poſcæ cyatho vno, ſequenti deinde die ſicci ſanguinis drach. quatuor cũ aceti cyathis duobus dato: & tertia deinceps ſanguinis drach. octo ex aceti cyathis tribus.

De ammodyte aut cenchria, Cap. XXV.

AMmodytes magnitudine quidem cubitalis eſt: maior enim non pingitur neque ſcribitur: colore verò arenoſus, per corpus autẽ maculis nigris inſignitur. caudam autem habet præduram ſupernè diſciſſam. A qui-
C buſdam verò cenchrias, hoc eſt miliaris, ob caudæ inſtar milii duritiem appellatus eſt. Latiores autem maxillas quàm vipera habet, quúmque in multis aliàs ei ſimilis ſit, colore magis diſcerni poteſt. vipera enim ſubflaua eſt. Cæterùm ab ammodyte percuſſos feſtina vtplurimùm mors ſequitur. qui verò breui non pereunt, his ſanguis ex vulnere promanat, & vulnus intumeſcit. paulo pòſt autem ſanies effertur, ſequitúrque capitis grauitas, & animi deliquium: qui verò optimè diſpoſiti ſunt, in triduo intereunt. quanquam aliqui vſque ad ſeptimum diem du-
D rarint. celerius verò mors adeſt iis qui à fœmina ſauciantur. Auxilium porrò & hi ferunt, primùm quidem à communibus remediis, vtpote à cucurbitularum appoſitione cum ſcarificatione per ambitum vulneris locorum, & ſuperiorum partium conſtrictione, & ad ipſam plagam ſcalpelli admotione. Propriè autem eis auxiliatur mentha cũ aqua mulſa potata, caſtoreũ, caſia, & artemiſiæ ſuccus cum aqua. danda etiam in potu theriace: eadem quoque plagæ imponẽda. Vtendum & emplaſtris attractoriis: poſtea verò cataplaſmata, quæ ad nomas ſiue vlcera ſerpen-
E tia conducunt, imponenda.

De ſepe, Cap. XXVI.

SErpens qui ſeps appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex craſſo autem in tenuem abit, rectà verò ac tardè proſerpit: caput habet latum, os acutum: vniuerſum autem corpus multis albis notis reſperſum. Cæterùm iis qui ab eo percuſſi ſunt, ex vulneribus manifeſtus ſanguis excernitur: paulo pòſt verò ſanies graueolens, tumor & dolor languidus eſt: at affectæ partes putrefactæ dealbãtur, ac totum corpus vitiligini (quæ
F alphos appellatur) ſimili colore inficitur: defluunt capilli toto corpore: atque intra tres aut quatuor dies pereunt. Porrò opem & hi ſentiunt ex eiſdem rebus quæ in viperæ & ceraſtæ & ammodytæ morſu relatæ ſunt. Exhibenda eſt præterea portulaca multa in cibo, & vinum bibendum myrtites meracius. Conueniet item ſpongiam calido aceto imbutam morſui imponere, & ex butyro cum melle locum illinire: aut milium cum melle. aut paleas vnà cum terra eis adhærente exuſtas illinito.

De cenchrite ſiue acontia, Cap. XXVII.

G CEnchrites ſerpens eſt magnitudine duorum cubitorum, figura autem craſſa in tenuem abeunte. colore viridi, maximè iuxta aluum, vt milium colore referat: vnde & cenchrias, hoc eſt miliaris appellatur. aiunt etiam hunc ſeipſo fortiorem fieri quum milium floret. Cæterùm vbi ſe ad lædendum parat, extendit ſeipſum, ac veluti iaculum vibratum corporibus inuolat, atque hoc modo verberat. Ab huius morſu omnia quæ de vipera dicta ſunt ſequuntur, atque etiam grauiora, adeò vt etiam pu-
H trefactiones & carnium defluxus conſequãtur, ac grauior item mors ſuccedat. Cæterùm remedia ſimiliter eadem quæ ad viperæ morſum his conducunt.

De ceraſte, Cap. XXVIII.

CEraſtes magnitudine cubitalis eſt, longiſſimus cubitorum eſt duorum: corpore verò arenoſus eſt, & iuxta

caudam deſquamatus, eminentias habet in capite duas cornuum ſimilitudine. partes verò circa ventrem ex ordine ſquamis obſitæ ſunt: quapropter in ſerpẽdo ſonum ſibilo ſimilem edit. per obliquum autem, non rectà proreptat. Cæterùm percuſſis ab eo, eleuatio ac tumor plagæ capitis claui ſimilitudine inſurgit, & ſanies profluit vini colore aut nigricans, & maximè per ambitum, velut in cruentatis ac ſugillatis aliâs fieri conſueuit. Reliqua item quæ in viperæ morſu dicta ſunt, etiam his ſuccedunt, cum intenſione vehementiori. vtplurimùm verò vſque ad nonum diem ſuperſunt. Remedia autem eadem quæ morſis à vipera conferunt.

De dryino, Cap. XXIX.

SErpentes dryini appellati abundãt magis iuxta Helleſpontum: latibula autem habent in quercuum radicibus. Eſt autem dryinus fœtidus: vnde & ſiquis eum non videat, fœtore loci cognoſcatur. Eſt autem cubitorum duorum longitudine, & obeſus, ac aſperrimis ſquamis circa vniuerſum corpus munitus. in his ipſis ſquamis muſcæ pennis æreis latibula ſua habere dicuntur, quæ tandẽ ipſos ſerpentes occidunt. Adeo autem malignæ ac nocentis naturæ eſt, vt ſiquis eum calcet modò, illius pedes excoriet, & tumorẽ ingentem circa crura inducat. & (quod magis mirum videri poteſt) aiunt etiam medici curantis ægrum manus excoriari. Si quis autem, inquiunt, animal ipſum occidat, omnia quæ odorat, ab eius fœtore corrupta putat. Porrò qui ab eo percutiuntur, his tumor inſurgit nigricans, dolor vehemens, nome, delirium, corporis ſiccitas, ſingultus, vomitus bilioſus aut omnino vomitus ſimplex, vrinæ ſuppreſſio, tremor, interceptio vocis, ſtupor, ſciſſura & mortificatio percuſſorum locorum. plurimi etiã intereunt. Porrò & hi ipſi quoque ex iis quæ de viperæ morſu dicta ſunt, opem ſentiunt: itémque ex communibus remediis iuxta conſequentium acceſſionum proportionem adhibitis.

De amphiſbæna & ſcytala, Cap. XXX.

ANimalia hæc inter ſe ſimilia ſunt: non enim ex craſſis in caudam tenuẽ abeunt, ſed æqualis craſſitudinis per totum exiſtunt, vt neque cognoſcant videntes ea, iuxta vtram partem caput aut cauda ſint ſita. Differt autem amphiſbæna à ſcytala, in eo quòd ex vtraque parte progrediatur: vnde & amphiſbæna *Græcis* eſt appellata: Galenus autem amphiſbænam animal biceps eſſe dicit. De hac beſtia ferunt quòd ſi fœmina vterum ferens ipſam tranſgrediatur, conceptum malè pariat ac abortiat. Cæterùm ab vtroque animãte demorſis, cõtingit morſum obſcurum eſſe, ac vix apparere, veluti ſunt muſcarum punctüræ: quapropter etiamſi mordeant, non enecant tamen: verùm inflammationes inducunt, veluti contingunt etiã ab apum ac veſparum ſtimulis. quare transferantur ad hos quoque quæ de illis ſunt relata: verùm facultate intenſiore. Aiunt autem ſcytalam Chalcidicam eiuſmodi acceſſiones ſequi, quales à vipera morſos. Vnde & iiſdem remediis ad eius morſum vtendum: &, vt compendiò dicam, ad omnẽ venenatæ feræ morſum, cuius ſpeciei hic non reperis nomenclaturam, auxilia eadem quæ ad viperæ morſum conducunt.

De parea & ſpathiuro, Cap. XXXI.

PAreas ſerpens in Syriæ locis reperitur, colore autẽ alii quidem æs referunt, alii verò nigricant. Morſum autem etiamſi inflixerint, non enecãt: verùm quemadmodum amphiſbæna & ſcytala, ita & hic plaga ſua tantùm inflammationem inducit. quare ex iiſdem etiam curentur, & ex iis quæ de cherſydro referentur. Cæterùm ſpathiurus in locis iuxta Chalcidem magis inuenitur. Eſt autem animal ex craſſo in caudam abiens tenuem: latũ habens caput, ac mures comedens. Neque verò hic morſu enecat, ſed inflammationes tantùm inducit. quapropter ab eis percuſſi itidem conſimilibus remediis curentur.

De peliade & elape, Cap. XXXII.

SIgna quidem horum animalium apud veteres nõ ſunt deſcripta, vtpote quæ omnibus ſunt manifeſta. Contingit à peliade morſis dolor circa locum, & putrefactio, non periculoſa tamẽ, & vexatio ac obfuſcatio oculorum,
A ex veneni nimirum ad ipſos diſtributione. Curantur au-
tem ſucco ptiſanæ cum oleo in potu exhibito, & oxyla-
pathi decocto, & ſimpliciorib⁹ remediis ad ictericos de-
ſcriptis. Oculi verò lotio pueri venerem nondum exper-
ti proluantur tum per ſe tum muria admixta. caput item
ſimiliter ex eiſdem perfundatur. Poſt purgationẽ dein-
de corporis, opobalſamum cum melle illine, aut collyriũ
aliquod viſum acuens quod meatus rarefacere poteſt. ſi-
mul enim cum lacrymarum profuſione & venenum ex-
cernetur. Si verò dolor conſequatur oculorum, eum leni-
B bus collyriis mitigare oportet, quæ tamen non ſtupefa-
ctent. Elapis porrò morſum tormen voluuloſum conſe-
quitur. Aliâs communibus auxiliis curantur. maximè ve-
rò his quæ tormina leniunt, & vrinam cient.

De baſiliſco, Cap. XXXIII.

HOcce animal magnitudine eſt palmorum trium,
ſubflauum & capite acuto. in capite autem eminen-
tias tres habet. Vim verò ſuper alia omnia reptilia maxi-
mam acquiſiuit, vt nulla ex eis queant vel ſibilum ſaltem
ipſius ſuſtinere. quin & ſi quod ex reliquis animalibus
C venenum iaculantibus ad cibum aut potum capiendum
properet, & baſiliſci iuxta locũ præſentiam perſentiſcat,
retrocedit, neceſſarii etiam ad vitam nutrimenti negli-
gens. Cæterũ percuſſos ab eo totius corporis ardor com-
itatur, itémque liuor: defluunt capilli è corpore confe-
ſtim, & in inſtãti omnino tempore mors ſequitur. Neque
verò corpus ipſius mortui vllum aliquod animal carniuo
rum attingit: ſi verò fame coactum ipſum cõtingat, tum
& ipſi ilico eodem loci mors inſtat. aiunt autẽ quòd con-
ſpectus modò, & ſibilans auditus, eos qui ipſum audierũt,
D tollat, ſimilitérque ab ipſo conſpectos. quare vanum & ſu
perfluum duximus auxilia contra eum referre.

De draconibus, Cap. XXXIIII.

ANimal quidem hoc venenum non iacit: attractione
autem & vi ſua enecat. Abundãt quidem igitur dra-
cones in Æthiopia & Lycia: colore autem differunt: alii
enim nigri ſunt, alii rufi, alii cinerei coloris: & rurſus alii
quidem cubitorum quinque ſunt, alii verò decem. ſunt
& qui ad triginta cubitos ſe extendant: quidam etiam
E maiores narrantur. Squamis autem obſiti ſunt per totum
corpus aſperrimis: magnos oculos habent, & ſupra oculos
præeminentias quaſdam ſimilitudine pellium flexibiliũ
ſuperciliorum. in mento autem excreſcentiam quandam
habent quam barbam appellãt: maximè hiante ſunt oris
rictu, lingua exerta, & dentibus magnis ſimilitudine ſyl-
ueſtrium ſuum, cum quibus etiam fracturas & colliſio-
nes corporum inferunt. Quare curationes veluti ad mor-
dentia animalia fiunt, nõ vt in iis quæ venenum iaciunt.

De cherſydro, Cap. XXXV.

F SErpens hic cherſydri appellationem inde habet, quòd
in principio quidem in aquoſis degit locis, & hydrus
appellatur ab ipſis aquis, *hoc eſt natrix*: poſtea verò ſiccos
incolit locos, & ex compoſitione locorum, cherſydri, *id
eſt natricis terreſtris* nomen inuenit. In terra itaque degens,
cherſydrus appellatur, & tum ſanè ſeipſo ſæuior redditur.
equidem in humectis locis ex humido victu exſatiatus,
non purum venenum habet: quum verò terreſtris fit, ma
ximè merum & nocentius id acquirit. Cæterùm ſimili-
tudine eſt aſpidis terreſtris paruæ, præterquam quòd cer-
G uicem non ita latam habet. hoc enim inſigne ſolum aſpi-
des præ his habent. Qui igitur ab his morſi ſunt, eis com-
muniter eadem accedunt quæ in aliorum ſerpentiũ mor
ſu: veluti eſt tumor, continuus dolor arſiuus, liuidus locus
& fæculẽtus, vertigo oculorum, exolutio, vomitus bilio-
ſi fœtidi. propriè autem motus totius corporis inordina-
tus, vt & per ventrem quædam inordinatè ferantur. mors
autem intra tres dies. Porrò ex communibus remediis e-
tiam hi opem ferunt, & ex theriacis antidotis. priuatim
verò cupreſſi pilularum drach. vnam, & myrti baccarum
H itidem drach. vnã terito, & cum melle roſaceo aut vino
mulſo in potu exhibeto. Iuxta affectum autem locũ cal-
cem viuam & ſimilia cum oleo imponito.

De rana rubeta, Cap. XXXVI.

RVbeta, ranæ ſpecies eſt quæ paluſtris vitæ conditio-
nem in terreſtrem mutauit, vnde & rubeta appella-

tur.hac autem mutatione, ſimiliter vt cherſydrus, ægrè curabilem afflictionem eis qui in eam inciderunt, inducit: eſt enim animal magnitudine nihilo minus teſtudine parua.exaſperat autem & vibrat terga dum ſpiritu expletur,atque ob idipſum audentius euadit.Ad lædendum itaque & manifeſtè inſurgit, & ſaltibus interpoſitū ſpatium contrahit:rarò quidem morſum infligēs,verùm anhelitum conſueuit vehementer virulentum inducere, adeo vt etiam ſi anhelitu contingat tantùm, eos qui propè ſunt lædat.Plura autem de hoc animante hiſtoriis relata relinquimus,his tantùm quæ cognitu vtiliora iudicauimus appoſitis.Cæterùm qui ab eis læſi ſunt, his omne corpus intumeſcit,& diffinditur,ac citò omnino pereūt. Porrò quæ opem auxiliarem his ferre poſſunt,ex vniuerſalibus & communibus antidotis ac epithematis huc tranſferātur,itémque & reliquis quæ ad curationem pertinere videbuntur.

De turture ſeu paſtinaca marina,
Cap. XXXVII.

QVI à marina paſtinaca percuſſi ſunt,his vulneris locus manifeſtè apparet:ſequitur autē dolor pertinax, & totius corporis ſtupor: acutum enim & firmum habet aculeum, quo vehementiſſima vi in altum impulſo uerui ſauciantur. quapropter in aliquibus mors derepente totum conuellens corpus comitatur. Narrant quidam ſiquis caudam paſtinacæ quæ ictum intulit,auferat, & in arborem,maximè quercum,ſuſpendat ac figat,ipſam quidem arborem areſcere,ægrum autē ſanari: atque id iuxta contrariæ affectionis & remedii rationem contingere. Cæterùm auxilium ferunt percuſſi ab ea, vbi ſtupor & refrigeratio totius corporis cōſequatur, ex calidis illitionibus & cōſimilibus cataplaſmatis.Propriè autem furfures aceto cocti & pro cataplaſmate impoſiti,eis auxiliantur, & ipſum adeo acetum affuſum pro fotu valde prodeſt.Magis autem conueniunt eis attractoria, & quæ tenuium partium ſunt,ac calida:quò nimirum per attractoriam facultatem venenum ex profundo attrahatur,& per calorem frigiditas mitigetur,& quæ tenuiū ſunt partium in altum prorepetent.Ad hanc igitur rem in promptu habebis apta:Sulphur viuum vrina veteri rigatum, marrubium,lauri folia,echium,radicem panacis, ſaluiam,& ſimilia.at verò ſi his careas,fermentum acidum cum liquida pice emollitum impoſito : mirabiliter enim auxiliatur.Cum his concordat emplaſtrumPiſcatoris, & ex bryonia paſtillus tum impoſitus tum ex vino calido diluto potatus. eueſtigio autem vtilitatem ſuam demonſtrat: deſcribetur autem in fine huius Sermonis. Dato item & lauri decoctum, aut ſuccum Cyrenaicum erui quātitate, cum myrrha,magnitudine fabæ, ac modico pipere: terito,ac dato cum vino.aut ſilphium, aut laſer ex vino:aut ſucci fici guttas quinque cum tribus ſerpylli granis bibendas præbe.

De muræna, Cap. XXXVIII.

MOrſis à muræna eadem accidunt quæ morſis à vipera:quapropter etiam ſimilia remedia eis adhibenda. dato autem & fici ſuccum cum ſerpyllo, vt prædictum eſt.

De dracone marino, Cap. XXXIX.

AD marini draconis plagam, locum percuſſum cum plumbo fricato,ipſúmque draconem diſſectum plagæ impoſito.Serpyllum item tritum aut lenticulam coctām pro cataplaſmate impoſito.in potu verò abſinthiū cum vino diluto præbeto,aut ſaluiam cum paſſo. Mirè etiam his conducit ex bryonia & eruo paſtillus cum vino potatus.

De ſcorpio marino, Cap. XL.

SCorpii marini plagam ſanat mullus diſſectus & impoſitus, ſulphur viuum cum aceto illitum: lauri baccæ tres tritæ in potu acceptæ.

De culicibus, Cap. XLI.

QVandoquidem & hi hominum corpora lædunt, etiam de ipſis pauca dicemus. Culices fugātur cedrinorum lignorum ſcobe cum atramento ſutorio ſuffito. Idem faciunt cupreſſi pilulæ,aut coma aut ramenta, & vini fæx ſicca,& conyza, & bubulum ſtercus poſtquam cō-

A traxerit nigrorem.Aut melanthium vel abſinthium oleo coctum illine,& culices non appropinquabunt.Aut melanthium cum abſinthio, aut ceruſſam cum atramento ſutorio in bubulo ſtercore ſuffito.

De muſcis, Cap. XLII.

MVſcas necat veratrum album tritum, lacti aut aquæ mulſæ inſperſum. Aliud. Semen hyoſcyami,& veratrum nigrum,& argenti ſpuma ſimul trita, & cum polenta irrigata & ſubacta, butyróque aut adipe nidoroſa facta,& in maſſas coacta, & muſcis expoſita, ipſas

B occidunt.

Ad pulices, Cap. XLIII.

PVlices necat rhododaphnes, aut cumini decoctum reſperſum.Idem & aqua marina facit.

Ad cimices, Cap. XLIIII.

VT ne cimices gignantur, chamæleontis nigri decoctum facit,ſi ex eo lectus proluatur. Deinde ſutoriū atramentum cum felle tauri terito,ex eóque lectum illinito.Aut etiam oleum per ſe,aut cum atramento ſutorio inungito.

C De venenis, Cap. XLV.

EX animalibus exitioſa & lethaliter corrumpētia,ſunt cantharis,bupreſtis,ſalamandra,eruca pinorum, rana rubeta,lepus marinus,rana paluſtris muta,hirudines. Ex ſeminibus autem,hyoſcyamum,coriandrum,cicuta, pſyllium. Ex ſuccis, papaueris ſuccus, opocarpaſum, ſuccus thapſiæ,elaterium, ſuccus mandragoræ. Ex radicibus,thapſia,aconitum,ixias,veratrum nigrum,agaricum, ephemeron. Ex oleribus autem,taxus, ſolanum furioſum,herba ſardonia,papauer cornutum,ruta ſylueſtris.In

D his etiam fungorum genera connumerantur. Ex animalibus verò,ſanguis tauri,mel Heraclea Ponti vrbe natum,lac coagulatū. Ex metallicis,gypſum, ceruſſa,calx, auripigmentum,ſandaracha,ſpuma argenti,argētum viuum. Ex iis verò quæ nobis familiaria ſunt,vinū multum aceruatim à balneo potum: ſimiliter & aqua frigida aceruatim à balneo aut curſu ingeſta.

Methodus præſeruatiua nequis à venenoſo pharmaco lædatur, Cap. XLVI.

QVòd ſiquis venenum habeat ſuſpectum, præcauere

E omnino oportet,prima cura ad hoc adhibita vt corpus ita apparetur, quò læſioni ac veneni impreſſioni minimè obnoxium reddatur: quam ad rem bona cōcoctio vel in primis conducit. Cibi autem ea gratia ſumendi ſunt boni ſucci & magis carnoſi, animaduerſione habita nequod obſonium conſuetum non referat colorem, aut odorem,aut guſtum, aut qualitatem. multa enim venena à prouidis & probè conſiderantibus facilè cognoſcūtur. Qui igitur in potu aut cibo venenum ſuſpectum habet, is ſignis certis quale ſit id deprehendat. Ex odore nanque

F & amaritudine potus & cibi,opium cognoſcatur. Ex colore autem, ceruſſa, gypſum, calx. Ex iis verò quæ in cibo & potu innatant,lac coagulatum,& recēs mactati tauri ſanguis.Ex fœtore autem & qualitate ac odore,rana rubeta,& lepus marinus. Quin & reliqua ex aliis quibuſdā ſignis noſcuntur, de quibus ſigillatim amplius dicetur. Cæterùm præſeruātia ſunt,quæ ſiquis ieiunus præſumat, & pòſt ſumere venenum contingat, minimè ab ipſo lædatur.ſúntque huiuſmodi:Calaminthe quotidie accepta, ex natura ſua omni lethali pharmaco reſiſtit:& ſi in vene-

G ni ſuſpicione exhibeatur,deſtruit iam acceptā exitioſam facultatem. Theodorus autē ita inquit, Antidotus quæ incorrupta manens omnia venena vincit,hæc eſt: Nucū iuglandum vnc.vnam, caricarum pinguium ſextantem, ſeſami vnc.vnam,vnumquodque per ſe tundito: deinde etiam ſimul piſtillo ex oleo optimo madefacto, & paſtillos nucis Ponticæ magnitudine formato,ex eíſque vnum aut tres dato,& nō continget ipſum in vniuerſum vllum aliquod lethale pharmacum. quidam etiam rutæ trientem admiſcent. Strato autē, commune eſt, inquit, hoc

H præſidium ab omni exitioſo pharmaco præſeruans: Rutæ folia viginti, nuces iuglandes duas, caricas duas, ſalis grumum. hæc ieiuno præſumenda dato,& à nullo lethali pharmaco lædetur. Alia antidotus Aſclepiadæ, ad exitialia venena, quæ antè data adſeruat:ſi verò ab acce-

pto veneno detur,ipſum cognobile facit. Baccarũ iuniperi drachmas duas, terræ Lemniæ quæ ſphragis dicitur drachmas duas,contere & melle aut oleo excipe. Vſu verò expetente, ad nucis Ponticæ magnitudinem ex aquæ mulſæ cyathis duobus, à balneo bibendum præbe. Hoc quidem igitur pharmacum,ſi nulla lethalis adſit vis,ſumptum manet,neque per vomitum reiicitur: ſi verò quippiam lethale hauſtum ſit,nauſeam mouet, & vomere cogit,vt acceptum venenum vnà cum antidoto excernatur. Quidam dimidiam tantùm partem Lemniæ terræ, ex iuniperi baccis coniiciunt, & cum oleo omphacino ſubactis,ſimiliter vtuntur.

Quomodo cognoſcantur qui venenum ſumpſerunt, Cap. XLVII.

COgnoſcere autem & diſcernere oportet eos qui tale quippiam ſumpſerunt, ex ſignis quæ coincidunt & conſequũtur.Vbi enim in aliquem placidæ & bene compoſitæ prius mentis,& bonæ itidẽ habitudinis,accedente etiam iuſta ciborum concoctione,ſtatim & derepente variæ acceſſiones irruant,præſertim ab accepto ſtatim cibo aut potu:veluti ſi accedat tuſſis, aut fœtida ſanguinis per os reiectio,aut moleſta & ægra lotii excretio, aut dolor in alto nitens,aut ardor iuuenilis & vehemens,aut ſenſus eroſionis, aut ſtuporis perculſio: punctura item, tremor,ſingultus,cũtractio,eruptio bullarum,liuor,tumor, coarctatio,quarundam partium putrefactio, vomitus fœtidus & plenus,manifeſta alicuius venenoſæ qualitatis apparitio & demonſtratio. Ex his omnibus ſiquid repentè ab accepto cibo ſano homini accidat: veneno infectum eſſe hunc ipſum exiſtimandum eſt.

Communia remedia & cura omnis veneni, Cap. XLVIII.

IN iis igitur qui ignari venenum ſumpſerũt, aut quibus circumtectum exhibitum eſt, communibus remediis eſt vtendum. Itaque vbi adhuc datum venenum in ventre eſt, & ob id morſum & nauſeam infert, aut etiam alias acceſſiones, eueſtigio ad vomitum infectus cogendus eſt,aut mox inde à veneno videlicet accepto,ſua ſponte, aut aqua & oleo tepidis in potu datis, aut butyro, (ſi oleũ nõ adſit) cum aqua calida dato. Licebit & maluæ decoctũ exhibere cum oleo,aut fœnigræci,aut ſeminis lini,aut furfurũ, aut ptiſanæ ſuccum, aut ſeminis vrticæ decoctum: vnumquodque ex his oleo admixto. A vomitu autẽ raphanos multos edendos dato, aut cum aqua tepida tritos abſorbendos:aut(ſi hæc non adſint)nitrũ cum aqua præbeto, rurſúmq; vomere iubeto. Poſt ſufficientẽ verò vomitũ,cõmunia remedia paulò mox dicẽda,in potu exhibeto. dato etiam id quod ex iuniperi baccis & terra Lemnia eſt præſcriptum. Quòd ſi venenum antea ad inteſtina deſcenderit, & tormina circa vmbilicũ induxerit,clyſtere efficaciſſimo aluũ euacuare oportet,ex maluæ videlicet,althææ,fœnigræci,furfurũ,centaureæ, ariſtolochiæ,& ſimilium decocto,melléque & nitro largo,itémque oleo admixto. In cibo verò exhibeatur raphanus, & ſalſamentum,alliáque & cepæ. at in potu, vinum recens mari mixtum.Si verò in veſicam impetum fecerit venenum,in aquam & oleum vtere deceſſu,ita vt in aqua ipſa fœnumgræcũ,ac lini ſemen, malua ſyueſtris & ſatiua,ammiique ſemẽ ſint decocta.In potu etiã idẽ ammii ſemen præbendũ,aut apiũ,aut fœniculum,aut ſpicã nardi, & ſimilia odorata & ſimpliciora vrinã cientia. Si verò veſicã rodat venenũ,cucumeris ſemẽ deſquamatum & tritum, cochlearii mẽſura ex paſſo diluto præbeto. Similiter autem,& ſi ventrẽ vehementer exurat,idem ſemẽ dato, ab omni calidiorum rerũ adhibitione abſtinẽdo: & iis quæ ad cantharidẽ & bupreſtim referentur,vtendo. Cæterùm ad cutem iam delato veneno,irrigationem adhibeto, & illitionem ex oleo modico calido, in oleum item aut aquam & oleum in ſolio deſeſſum.Cibos autem facilè digeſtibiles & ſorbitiones cum melle exhibeto:piſcibus itẽ recentibus teneris, & volucribus facilè cõcoctilibus vtitor.In potu deinde vinũ album & rufum, vetus & quamodoratiſſimum præbeto.Quòd ſi ad caput decurrat venenum,vt grauitas & ſopor conſequatur, primùm quidem aluus per infuſum ex fœnigræci,ſeminis lini,althææ & cu-

A cumeris ſylueſtris,maximè radicis decocto,ſubducatur: deinde ſternutatorium ex ſtruthio & pipere adhibeatur, & cyclamini ſuccus,aut elaterii naribus infundatur: odoramenta item admoueantur,caſtoreum,& ſimilia cum aceto diluta.Præterea & præſeruantibus præſidiis vtendũ eſt,eóque quod ex nucibus & caricis conſtat, & quod ex iuniperi baccis ac Lemnia ſphragide apparatur, & theriaca Andromachi ex viperis, & Mithridatis antidoto, & cõſimilibus. At verò,ſi compoſita nõ adſint, parabilibus vtaris, & communiter ad omnia ferme venena deſtinatis. B communiter autem ad omnia lethalia venena facit irionis ſemen cum vino & oleo: Lemnia ſphragis cum vino: egregiè enim & quamcelerrimè vomitum procurat. Aut nuces iuglandes cum caricis & ruta edat,aut hæc ipſa decoquito, & decocto accepto vomat:aut ſeminis lini, aut maluæ,aut fœnigræci decoctum cum oleo ſumat. Porrò ad acceſſiones quæ cum frigore incidunt, abrotonum in aceto mulſo cum ſale dato. item irionis ſemen, eryngii radicem,ſpicæ Celticæ radicẽ, ſerpyllum, bryoniæ radicem,caſtoreum,porri ſuccum,laſer,ſagapenum,opopana- C ca,ſuccum Cyrenaicum,rutæ ſylueſtris ſemẽ. Polii etiam ac ſcordii & betonicæ, cuiuſque drach. vnam, cum vino aut aceto mulſo.

Ad eos qui cantharidas hauſerunt, Cap. XLIX.

QVI cantharidas acceperunt in corpus, his ſtatim virus earum in nares diſtribuitur odore picis. picis item aut cedriæ qualitas,linguæ inferri videtur. ſequitur autem & ſtomachi morſus,ventríſque ac renum,& maximè veſicæ.Quandoque & ſanguinis excretio per vrinam D & aluum fortes morſus concomitatur. vnde ſanè locus circa os ventris vehementer dolet, adeò vt ipſum pectoris os quod chondrum xiphoeidea à capitis gladii figura *Græci* appellãt, dolore affici putetur.Inflammatur autem & dextrum ilium:deinde vrinæ eiiciẽdæ difficultas,imò & ſuppreſſio,conſequitur. Amplius autem & vis viſiua oculorum conſumitur, delirántque & à loco in locum iactantur. Cæterùm auxilium ſentiunt, ſi quamcelerrimè vinum dulce eis præbeatur, nucleis pineis recentibus aqua calida præ maceratis ac probè tritis ei admixtis, aut E cucumeris ſemine decorticato ſimiliter admixto. Lac etiam aſſiduè cum melle modico primùm exhibendum, poſtea & per ſe recèns mulctum. Aliquãdo & adipem anſerinum aut gallinaceum liquefactum potui adfundito, aut terræ Samiæ drach. I. aut roſmarini drach. I. ex aqua mulſa dato.Danda etiam iura pinguia porcina,aut ouilla aut anſerina: carnes etiam agninæ,gallinarum,porcellorum recèns natorũ pingues ac probè coctæ, & cerebella porcina.amplius autem de iure abſorbẽdum præbeatur, donec affectus ad vomitum concitetur.Bibat inſuper vi- F num dulce tepidum plurimum dilutũ. vbi biberit autẽ, vnumquodque vomitu reiiciat,rurſúmque bibẽs vomat, idémq; ſæpe repetitis vicibus faciat. Poſt vomitum verò lac recèns mulctum,aut ptiſanæ ſuccus,vel alicæ, aut oryzæ,aut maluæ,aut ſeminis lini ſuccus cum adipe anſerino vel gallinaceo per clyſterem infundatur.Quòd ſi exolutiones & morſus oboriantur, lac bubulum recèns mulctum aſſiduè bibendum & citò reuomendum exhibeto. aut vitis germina contuſa cum paſſo diluto dato. At verò contrariæ affectionis ratione, quantum nihil aliud, G his auxiliantur,cantharidum alæ & pedes cum paſſo potata, & ſcorpii radix trita ex paſſo potata: quæ itidem optimè ad bupreſtim facit.Dandum & ex viperarum theriaca parum quid,aut ex Mithridatis antidoto. Porrò vbi acceſſiones fuerint ſedatæ, farina hordeacea cum aqua mulſa ilio imponatur, & vniuerſo corpore ex oleo gleucino aut Cyprino illito, æger in balneum deducatur, & in ſolio diutius moretur. Cibis autem facilè concoctilibus, & acrimoniam lenientibus,multo tempore vtatur. vinis item dulcibus & lactis potu.

H De bupreſti, Cap. L.

BVpreſtis ſpecies quidẽ eſt cantharidis, verùm viroſi tum guſtus tũ odoris. Ab eius autẽ hauſtu vehemẽs ſtomachi & alui dolor cõſequitur. Intumeſcit itẽ os ventris, vẽtérq; ipſe ac totũ corpus attollitur, quemadmodũ

in hydro-

in hydropicis fieri conſueuit,& lotium cohibetur. Cæterùm eadem remedia quæ ad cantharidas dicta ſunt, etiã ad bupreſtis ſumptionem exhibẽtur. Propriè autem poſt vomitum à iuſculis pinguibus & paſſo concitatũ,& poſt euacuationes per clyſterem, ficus aridæ pingues in cibo conueniunt:& decoctum ipſarum in potu cum vino. Cõmodiſſimum autem tum his tum qui cãtharidas acceperunt,eſt muliebre lac ex ipſis mamillis aſſiduè exuctum.

De eruca pini, Cap. LI.

ERuca pinus potata, ſtatim dolor circa os &palatũ oboritur, & linguæ inflammatio fortis, & ſtomachi aliquie ac inteſtinorum afflictio vehemens, cum pruriginoſo circa interna ſenſu: ardor item per totum corpus, & ſtomachi faſtidium. Cæterùm eadem his auxiliatur quæ ad cantharidas ſunt relata. propriè autem oleum melinũ pro ſimplici oleo exhibitum,& vomitu reiectum.

De ſalamandra, Cap. LII.

SAlamandra, animal ſimile eſt ſtellioni,aſperius & ſcabrum magis quàm lacerta venenata. Penetrat autem hoc animal per ignem ardentem, nihilque læditur,diſſecta & diſcedente ab ipſo flamma. ſi verò per tempus aliquod in igne immoretur,conſumpto frigido in eo humore, exuritur. Comitatur autem ſalamandræ acceptionem, inflammatio linguæ,mens impedita & turbata, tremórque cum ſtupore quodam & exolutione. Quædam etiam corporis partes per ambitum liueſcunt,adeò vt etiam decidãt ſæpius,putrefactæ. Primùm equidem maculæ albæ per corpus apparent, deinde rubræ,poſtea nigræ,cum putrefactione & defluuio capillorum. Dandaverò & his quæ in cantharide ſunt relata,vt inde vomant. Propriè autem reſinam pinus cum melle tritam delingendam præbe: aut etiam galbanum cum melle, aut nuces pineas tritas cum chamæpityos decocto:aut vrticæ folia liliis incocta cum oleo. Præter opinionem autem eis auxilia tur ranarum iuſculum,ſi eryngii radices in eo coquantur.

De lepore marino, Cap. LIII.

LEpus marinus reperitur fermè in totum inter loligines,animal paruũ,viroſum odorem habens.Concomitatur autem eos qui eum in corpus ingeſſerunt, ſapor in ore ſimilis piſcibus viroſis: paulo verò pòſt aluum dolitãt,& color corporis ad arquati ſimilitudinẽ permutatur,deinde plũbeus redditur cum faciei tumore.Incẽdunt autẽ pedis plantæ,& pudendum tumefactum cohibet vrinæ effuſionem:progrediente verò malo,etiam cærulei coloris lotium emingunt, quandoque etiam ſanguinolentum. deinde nauſeabundi facti biliofa vomunt ſanguine permixta, & piſcium loturam olentia. Exudãt item graueolentia,& omne piſcis genus auerſantur ac odio habent præter cancrum. His igitur lac aſininum recèns mulctũ cum paſſo aſſiduè præbeatur,aut,ſi hoc non adſit,bubulum, aut maluæ decoctum: indéque confeſtim vomant: deinde radicis cyclamini tritæ drach.IIII. cũ vino diluto dẽtur.aut veratri nigri drach.vna,aut ſcãmoniæ ſcrupuli duo cum bubulo lacte aut aqua mulſa. aut mali Punici acini,vel cedrides,*hoc eſt cedri fructus*,triti ex vino. Aut picem liquidam, aut cedriam modicam cũ paſſo delingendam dato. Anſeris item ſanguinem adhuc calentem,cum paſſo bibendum præbeto. Edat & cancros aſſiduè:piſcem enim nullum admittit. ſignum porrò ſalutis iudicabis,ſi piſcem edere poſſit.

De rana rubeta, Cap. LIIII.

RANÆ rubetæ duæ ſunt ſpecies: altera quidem ſurda eſt:altera verò non. Surda autem exitioſa cenſetur: paſcitur autem in arundinibus,roris lictu viuens:ex ea ſanè venenum apparatur: quod qui acceperint,febris comitatur,extremæ partes incenduntur,frequentíque anhelatione ac difficili ſpiratione anguntur. tumor autem ſequitur corporis cum pallore buxeo intenſo, fœtórque oris & ſingultus. quãdoque etiam ſeminis inuoluntariũ profluuium contingit.Cæterùm facilè opem reperiunt,ſi poſt aquæ & olei vomitum,vinum meracum multum ſumant,aut picem cum vino.Radicem etiam harundinum in quibus ranæ rubetæ paſcuntur, contuſam ex vino bibendam dato,aut cyperum ibidem enatam pondere drachmarũ II. ex vino. Aut marinæ teſtudinis ſanguinẽ cum

A leporis coagulo & cumino ex vino præbeto. Porrò dolium inſuper aut furnũ igne feruefacito, ignéque extracto laterem imponito,& ægrum immitti,multùmque ac diu exudare iubeto.Cogatur autem & ad continẽtem inambulationem,curſúmque ac exercitationem,propter cõtentũ in ipſis ſtuporem. vehementer enim efficax exercitatio in ipſis exiſtit.Quotidie etiam lauetur.

De rana paluſtri, Cap. LV.

QVI ranam paluſtrem acceperunt,appetitione priuãtur,ſequitúrque oris humectatio,nauſea,vomitus, & B oris ſtomachi leuior morſus. Curantur autem vini multi potu cum omnibus quæ calfactoriã vim habent:velut eſt Cyrenaicus ſuccus,laſer,ſilphiũ,cuminũ,piper &ſimilia.

De hirudinibus, Cap. LVI.

HIrudines cum aqua deuoratæ, faucibus adhærent, aut iuxta quempiam ſtomachi locum,aut ipſi ori vẽtris,& primùm quidem ſenſim exugunt ſanguinem: expletæ autem, iis quæ deglutimus viam obſtruunt: ſuperexpletæ verò,etiam ſanguinem quem exuxerunt foras profundunt, vt imaginationem inducant tanquam ſanguis ex internis locis reiectetur. Cæterùm qui affectis C cõtingit exuctionis ſenſus, is ſignum ſit tibi hirudinem deglutitam eſſe. Excutit autem ipſas muria continuè & paulatim abſorpta,atque id eo magis,ſi acida muria ſit & laſer ei admiſceatur. idem facit & nix aceto diſſoluta & aſſiduè abſorpta. Gargarizet inſuper nitrum cũ aqua, aut aquam marinam,aut atramentum ſutorium cum aceto, aut ſinapi,aut hyſſopũ,aut origanum.Si verò infernè circa os ventris hirudo adhæreat, prædicta itidem omnia bibenda dato,præter ſutorium atramentũ. vtendum etiã iis quæ aluum ſoluere poſſunt,aut medicamento purga- D tiuo.cũ excrementis enim exire cõnſueuerunt. nos autẽ per allii multi eſum has eiiciẽtes,nullo ex prædictis opus habemus.Quæ poſtremũ gutturi affixæ ſunt,hoc modo excutere oportet: Ægrum in ſolium calida expletũ vſq; ad collum immittito, & frigidiſſimam aquam ore tenẽdam exhibeto, eámque frequenter permutato. egreditur enim inde hirudo frigidæ appetentia prolecta.

De ephemero, Cap. LVII.

QVI ephemerum,quod aliqui colchicum aut bul- E bum ſylueſtrem appellant, in corpus adſumpſerunt,hos pruritus totius corporis concomitatur, non diſſimilis ei qui vrticæ aut ſquillæ irritamẽtis laceſſitus excitatur. circa ſtomachum inſuper acrimoniam ſentiunt, & vruntur cum multa grauitate. Inualeſcente autem malo, per aluum cruentum quiddam ramentoſam admixtionem habens effertur. His veluti ſalamandra accepta auxiliari oportet, per vomitus videlicet aſſiduos & infuſorum immiſſionem. Cæterùm antequam inualeſcat venenum,querci foliorum,aut glandium, aut mali- F corii decoctum cum vino præbeto, aut origanum cum lixiuio, aut vuas paſſas pingues tritas cum lacte exhibeto.Mirabiliter autem auxiliatur lac bubulum recèns mulctum aſſiduè potatum, & in ore detentum, vt alio auxilio non ſit opus.

De dorycnio aut ſolano furioſo, Cap. LVIII.

DOrycnio ſiue ſolano(vt alii appellauerunt)furioſo potato,in guſtu veluti lactis quædam qualitas ſentitur, ſingultus adeſt continuus, humectatio linguæ & ſanguis aceruatim reiicitur,atque per aluum ramentoſa quædam G feruntur,quemadmodum in dyſentericis fieri conſueuit. Antequam verò quid tale conſequatur, poſt vomitum & clyſterẽ, aqua mulſa,aut lac aſininum recèns mulctũ aſſiduè potatũ auxiliatur,paſſum item tepidum cũ aniſo potatum & amygdalis amaris tribus: pectuſcula etiam gallinarum probè cocta, & omne conchyliorum genus crudũ & aſſatum in cibo acceptum, & locuſtæ & gammari, & iuſculum ipſorum in potu.

De aconito, Cap. LIX.

ACOnitũ verò quod quidã irin ſylueſtrẽ appellãt, ſta- H tim dũ potatur,linguã edulcorat cum quadã adſtrictione.deinde paulo pòſt in lingua amareſcit,& cõſtrictio mandibularũ cõcomitatur,& oris ſtomachi morſus,& laterũ dolor,pectoriſq; grauitas ac præcordiorũ:materia enĩ quæpiã circa vmbilicũ innititur,&cũ multis flatibus cõ-

ſequētibus corruptio contingit.grauatur item caput & tē
pora cōtremiſcūt:oculi verò turbatiores fiūt & ſubcruēti
ac lacrymas profundūt. quòd ſi diutius perſeueret malū,
etiā tremor ac cōcuſſio ac tumor totius corporis ſequitur.
Cæterùm his poſt vomitus & infuſa,origani potu ſuccur-
rendum eſt,& rutæ,marrubii,abſinthii,erucæ,abrotoni,
chamelææ ac trixaginis cum vino: aut coaguli ceruini,
aut hœdi, aut leporis potu ex aceto. Aut ferri recremen-
tum,aut ipſum ferrum,aut aurum ſiue argentum, aut la-
pidem molarem. omnia igne candefacta in vino extin
guito,ipſúmque vinum calidum bibendum præbeto,aut
lixiuium cum vino dato.Aut pullum gallinaceum tene-
rum & pinguiſſimum coquito & decoquendo eliquato,
donec oſſa ſola relinquantur, & iuſculum per ſe vel cum
vino bibendum exhibeto.facit & vitulinum pingue ius
potatum & vomitu reiectum. Maximè verò propriè facit
trixago potata,& caſtoreum,& iris ac ruta: quanquam a-
liqui à nullo horum ſe auxilium ſenſiſſe aſſerant.

De melle quod in Heraclea Ponti naſcitur,
Cap. LX.

HOC mel,ſiue in potu ſiue in cibo acceptum, eaſdem
afflictiones infert quas aconitum: in Heraclea enim
Ponti vrbe aconitum gignitur,ex quo colligitur ibidem
iſtud mellis genus. Conueniunt igitur eadem auxilia in
aconito iam relata, & magis vtiq; rutæ folia ex vino mul
ſo potata.

De coriandro, Cap. LXI.

COriandrum potum validam & aſperam vocem fa-
cit, & delirium furioſum non diſſimile illi quod ab
ebrietate proficiſcitur,inducit,hoc accedente etiam quòd
turpia dictu infecti loquantur, & per omne corpus odor
coriandri trāſpiret. Auxiliatur autem eis vomitus ex oleo
irino, & vinum meracum cum per ſe tum cum abſin-
thio potatum: oua item in vnū vaſculum euacuata cō-
quaſſata & tepefacta ex muriáque abſorpta.ius itidē pin-
gue ſalſum tum anſerinum,tum gallinaceum.paſſum etiā
& aniſum in vino acido ſiue vappa ſumptum.

De pſyllio, Cap. LXII.

PSyllion potatum totius corporis frigiditatē inducit,
& ſtuporem cum exolutione & mœrore. auxiliantur
autem iis eadem quæ coriandro hauſto.

De cicuta, Cap. LXIII.

CIcuta potata vertiginem & caliginem oculorum in-
ducit,adeò vt neque minimum cernere poſſint:ſin-
gultum inſuper ac mentis perculſionem & frigiditatem.
ſequitur deinde ſuffocatio,& ſegnities ac liuor:poſtremū
conuulſi,ſpiritu in reſpiratione ſuppreſſo,ſtrangulantur.
In principio igitur per vomitum ex aqua & oleo cicutam
excutere oportet:quod verò ad inteſtinum delapſum eſt,
per euacuationem expurgetur.Deinde tanquam ad maxi
mum remedium,ad paſſi meraci potum perueniendum,
ita vt interuallis meraci potus,bubulum lac aut aſininum
recèns mulctum,aut abſinthium cum pipere in potu ex-
hibeamus: rutam item & caſtoreum ac mentham cum
vino. aut amomi drach.I.aut ſtyracis drach. I. cum ſemi-
ne vrticæ ex vino. aut lauri folia, aut ſilphium, aut laſer,
aut ſuccum Cyrenaicum, aut apii ſemen, aut iridis radi-
cem,aut ſeſeli Maſſilienſe, omnia ex vino dulci, aut ni-
trum cum aqua larga.Totum præterea corpus calefacere
conducit,& præſertim præcordia.ad vehementiorem i-
tem motum ac curſum æger cogatur.

De ſmilace ſeu taxo, Cap. LXIIII.

SMilax quæ & thymion, atque apud Romanos taxus ap
pellatur,potata frigus totius corporis & ſuffocationē
inducit,& celerem omnino mortem. Cæterùm remedia
eadem quæ ad cicutæ hauſtum relata ſunt,eis auxiliātur.

De ſucco carpaſi, Cap. LXV.

CArpaſi ſuccus potatus ſoporem grauiorem inducit,&
ſenſus hebetat abſque dolore. exudationem etiam fa
cit,& repentinam ſuffocationem cum exitioſæ ſaniei reie
ctatione. Opem verò ſentiunt ex iis quibus curantur qui
cicutam hauſerunt & toxicum,atque item ephemeron.

De herba ſardonia, Cap. LXVI.

HErba quæ ſardonia appellatur, & ranunculi ſpecies
eſt,potata,furorem & conuulſiones inducit,maláſq;
A contrahit,vt riſus imaginem de ſe præbeat qui eam hau-
ſit,à qua diſpoſitione etiam ſardonius riſus non admodū
boni nominis adagio vulgò circumfertur. eſt enim acceſ
ſio grauis omnino quæ falſi riſus prætextu præſentem &
inſperatam mortem inducit. Cæterùm qui eam hauſe-
runt,poſt vomitum,aquæ mulſæ ac lactis potu iuuantur,
fotúque ac irrigatione & pinguefactione totius corporis
per calfactoria vnguenta. Immittēdi etiā ſunt in aquā &
oleum calidum,inungendíque ac fricandi plurima poſt
egreſſum ex ſolio perfrictione.in vniuerſum enim velut
B ad conuulſionem,curam moliri oportet: caſtoreo item
cum paſſo & per ſe in potu dato, & ſiqua ei conſimilia
exiſtunt.

De hyoſcyamo, Cap. LXVII.

HYoſcyamus acceptus delirium quali ebrii obnoxii
fiunt,inducit,& iactationem corporis cum diſtortio-
ne.his ſuccedit exolutio animi deliquio ſimilis,& oculo-
rū rubor,pruritus,deinde tremor.ſúntque omnino deliri
& putāt ſe flagris corpore cædi.Cæterùm facilè curātur a-
quæ mulſæ largo:& lactis potu,ſi haberi poſſit, aſinini: id
C verò ſi nō adſit,caprinū aut bubulū exhibēdū. Facit autē
& ad eos vinum ſalſum, & vrticæ ſemen, ſimiliter & fo-
lia cocta ex vino ſalſo.ſinapi præterea,& raphanus,naſtur
tium,cæpe,& allia eis conueniunt, vnumquodque ex vi-
no ſalſo. At verò quieſcere eos conuenit vt vinum eo me
lius concoquatur. auxiliatur etiam eis muliebris lactis
exuctio.

De mandragora, Cap. LXVIII.

MAndragoræ radicem nemo latēter exhibere poteſt.
etenim trita quidem liquida grauem quendam &
D nauſeabundum odorem exhibet, & guſtui etiam amaru-
lenta eſt & iniucunda: certa itidem copia & menſura ad
lædendum exhibetur: de cætero verò moleſtias quidem
facit:interitum autem ſerius inducit. Cæterùm ex iis qui
radicem hanc hauſerunt, alii quidem ſegnes & languidi
triſtéſq; ac exoluti fiūt,& refrigerati in grauē veternoſum
ſoporem delabuntur, & ſiquis eos excitet,vix audiunt, &
excitati,citò rurſus recidūt. Alii verò calidi quidē mini-
mè fiunt,verùm mēte perturbati,tardè in obliuioſum ſo-
porē incidunt.Cura itaque adhuc perturbatis adhibenda
E eſt poſt vomitum,coriandri ſemine aut pulegio tenuiſſi-
mè trito in potu cum aqua calida dato,aut iis quæ ventrē
infernè exoluere poſſunt.Eis verò qui graui ſopore preſſi
ſunt, poſt vomitum, origanum ex aqua frigida exhi-
bendum eſt: valde enim inde iuuantur. Dandum etiam
abſinthium in paſſo diluto. caput verò ex aceto roſaceo
irrigandum eſt ægro aſſiduè excitato. Odoramenta e-
tiam naribus admouēda,caſtoreum, ruta, pulegium cum
aceto.Porrò mandragoræ mala perfectè matura,à quibuſ
dam comeduntur citra noxam,ſemine tamen reiecto: &
F ſi plura quàm oporteat edātur,plus ſomni quàm iuxta na-
turā conuenit, inducunt: immatura verò & crudiora,&
præſertim cum ſemine comeſta, maximum periculum
inferunt. ſequitur ab eorum acceptione ardor circa ſu-
perficiem corporis. lingua verò & os exſiccantur vſque
eo vt neque ſaliua hæ partes humectentur. hiant ſemper,
ore citra intermiſſionem aerem attrahentes. & ſi non ſta-
tim auxilium feratur,conuulſi pereunt. At verò ſi reme-
dia afferantur,facilè curabiles exiſtunt.aquam nanque cū
theriaca ex viperis Andromachi potantes, ab omnibus
G moleſtiis liberātur. Vehemēter autē iuuātur in aqua fri-
gida natatione, maximè ſi aliquādiu in ipſa immorētur.

De ſucco papaueris, Cap. LXIX.

QVemadmodum de mandragoræ radice prædictum
eſt,ita neque papaueris ſuccum quiſpiam latenter ſa
no homini exhibere poſſit,propter ſaporis proprietatem
& amaritudinem ac graueolentiam odoris, & quòd certa
copia ad interitum inferendum exhibeatur. Quando igi
tur aliqui voluntariè hoc pharmacum biberint, ſiue id
manifeſtare noluerint, ſiue volentes dicere non poſſint,
H per huiuſmodi acceſſiones cognoſcentur. Sequitur enim
eos qui eum acceperunt, in ſomnum grauem collapſio,
cum frigiditate & pruritu intenſo,vt aliquando ob ipſum
excitentur,odórque opii per totum corpus effertur & ex-
halat. inferior maxilla laxatur, tumeſcunt labra, irruit

ſingultus,diſtorquetur naſus,adeſt pallor,liuor vnguium,
præcordiorum diuulſio,reſpiratio parua & frigida, & per
interualla fiſſuræ.ad finem etiam conuulſio.Auxiliatur au
tem his poſt vomitionem ex oleo, & acrioris clyſteris in-
fuſionē , acetum mulſum potatum,& acetum calidū per
ſe,& vinū vet⁹rufū meracū largū cū abſinthio & caſia,&
nitrū cū aqua: & origan⁹cū lixiuio, rutæ ſylueſtris ſemē,
piper & caſtoreū ex aceto mulſo, ſatureiæ & origani de-
coctum cum vino.Oportet autem & hos odoramentis ex
citare , & in calidū ſolium immittere & fouere ob pruri-
tum.poſt balneum autem pinguia iuſcula,& medulla cer
uina exhibenda. Manifeſtum autem quòd & his & omni
bus qui etiam aliud venenum ſumpſerunt,dari debeat the
riace,tum ante tum poſt vomitum.

De toxico, Cap. LXX.

TOxicum inde appellatum videtur, quòd barbari ſa-
gittas,quas toxeumata *Græci* vocant,ex eo illinirent.
Concomitatur autem eos qui toxicum biberunt,labio-
rum & linguæ inflammatio,furor adeò vehemens vt æ-
gri variis imaginationibus obuerſantibus coerceri non
poſſint:atque ob id adeo etiam ægrè curentur , & rarò a-
liquem ſeruari contingat. Vinculis igitur eos cōſtringe-
re oportet, & cogere ad paſſi cum roſaceo potum , & vo-
mitum per immiſſionem pinnularum. deinde iuſculum
pulli gallinacei pinguis abſorbēdum dato. Auxiliatur au
tem eis rapi ſemen potatum. magis propriè autem quin-
quefolii radix, & ſanguis hirci vel capræ,& cortex querci
nus cum lacte tritus,& mala cotonea comeſta, aut deco-
ctum ipſorum potatum,& pulegium potatum,amomúm
que & carpobalſamum ex vino. Quòd ſiquis periculum
effugiat, multo tamen tempore in lecto decumbet:ſtupi
dus autem & dubiæ ac vacillantis rationis per reliquum
vitæ tempus manebit.

De iis qui ixian hauſerunt, Cap. LXXI.

IXia quæ & vlophonon appellatur,potata ſaporē & odo
rē ocymo ſimilem habet.linguæ autem inflāmationē
fortem infert & furorem : recrementorum vias omnes
obſtruit murmuráque ac rugitus inteſtinorum cum ani-
mi deliquio inducit,quum tamen interim nihil excerna-
tur. Auxiliantur autem eis poſt largam vomitionem &
vētris per clyſterem ſubductionem, abſinthii cremor cū
vino multo aut aceto,aut aceto mulſo potatus,aut ſylue-
ſtris rutæ ſemen,aut ſilphii radix, aut tragorigani deco-
ctum cum aliquo ex prædictis,vel cum lacte. aut reſinæ
terebinthinæ & nardi & ſilphii cuiuſque obol. I. ex vino.
aut caſtorei & rutæ & terebinthinæ, ſingulorum drach. I.

De chamæleonte, Cap. LXXII.

A Chamæleōtis potu,morſus ventris & linguæ tumor
cum rugitibus inteſtinorum ſequitur, facies diſtor-
quetur,& vomitus ſpumoſus,& tremores & concuſſiones
& totius corporis conuulſiones,ac vocis interceptio con-
comitantur.qui verò album chamæleontem hauſerū,te-
tiam ſtrangulantur.Cæterùm curantur ex iis quæ ad fun-
gos ſunt relata.Datur eis & thlaſpios & betæ ſuccus,& tri-
ticeæ ptiſanæ ſuccus ex paſſo,abſinthii cremor,& nitrum
cum aceto mulſo.vbi verò vomuerint,lac recèns mulctū
ſæpe exhibeto,& aluum cum lubricis infuſis eluito, vel-
ut eſt fœnigræci & althææ decoctum. Præcordiis etiam
fomenta ac calfactoria adhibeto.

De fungis, Cap. LXXIII.

FVngorum aliqui genere,aliqui copia noxii ſunt.infe-
runt autem ſuffocationes ſtrangulationibus non abſi-
miles.quibus confeſtim priuſquam penitus vincantur,au
xiliari oportet,per raphani aut rutæ foliorum largā com-
eſtionem. Dandum & nitrum bibendum ex poſca tepi
da aut aceto mulſo, ita vt his liquoribus hyſſopum , ori-
ganum,thymúmque ſint incocta, atque inde ad vomitū
cogantur.mirabiliter autem iuuantur lixiuii ex ſarmēto-
rum cinere excolati potu:atque eo amplius ſi ex piraſtri
ligno lixiuium ſit factum, aceto ac nitro ad cinerem
eius adiecto.ſylueſtria verò pira, aut arboris ipſorum,pi-
raſtri videlicet folia,cum fungis cocta,ſtrangulandi vim
ex eis tollunt,inſupérque ab eorum acceptione comeſta,
auxiliātur.Bibitur & commodè ariſtolochiæ drach. I. aut
A abſinthii ex vino,meliſſophyllon cum nitro , radix pana
cis cum vino.naſturtium item viride edat,aut ſemen bi-
bat.Cæterùm Philagrius,Gallinaceum ſtercus album,in-
quit,tritum exhibemus ex poſca aut aceto mulſo:huius e-
nim manifeſtum habemus experimentum quòd ad fun-
gorum ſtrangulationes auxilietur . oportet autem & acri
infuſo aluum euacuare.Quando verò quidam fungi à fe-
ris venenum iaculantibus arroſi aut infecti , aut etiam in
locis vbi eiuſmodi beſtiæ latibula ſua habent,enati, non
modò ſuffocationem inducunt, ſed & inteſtina exulce-
B rant,abſinthii & ficuum decoctum largè in potu exhibē-
dum eſt,& origanum cum melle , indéque vomendum:
deinde verò theriacen bibat,& in calidam aquam demit
tatur.

De ſanguine tauri, Cap. LXXIIII.

SAnguis tauri recèns mactati potatus,in aluo in gru-
mos cogitur,ægrámque ſpirationem inducit ac ſuffo
cationem:comprimit etiam os ventris, & continuas con
uulſiones infert.Inuenitur autem horum lingua rubra,&
gingiuæ corroſæ,& ſanguinis grumi inter dentes . In his
C itaque vomitum vitamus : etenim grumi in ore ventris
coadunati,vomitum impediunt : damus autem eis quæ-
cunque grumos diſſoluere poſſunt.groſſos igitur ex fico,
maximè ſylueſtri,ſucci plenos cum poſca & nitro dato,
aut fici ſuccū eodem modo,aut lixiuiū ex cinere ligno-
rum fici,aut ramulos fici tritos cum nitro & poſca præ-
beto.at verò ſylueſtris fici fructus etiam ſiccus comeſtus,
eueſtigio grumos diſſoluit.Datur & ſilphii radix vtiliter
ex aceto,& amarātum,& braſſicæ ſemen,& conyzæ folia
cum pipere & lixiuio.Aluus autem pinguibus & lubri-
D cis infuſis eluatur.

De lacte in grumos coacto, Cap. LXXV.

LAC coagulatum aut multum & aceruatim hauſtū,
ſuffocationem aliquando infert in grumos coactum.
Auxiliatur autem his coagulum omne, maximè verò le-
porinum ex aceto potatum. etenim coagulum recenti la
cti iniectum,ipſum cogit & inſpiſſat, id verò quod iam
coactum eſt,ex natura ſua diſſoluit.Datur eis & calamin-
thæ viridis ſuccus,aut folia arida trita,& iuniperi baccæ.
item ea quæ ad ſanguinem in grumos dēſatum ſunt præ-
E dicta.Vomitum verò etiam in his recuſamus,neque quic
quam omnino ſalſum exhibemus.

De gypſo, Cap. LXXVI.

GYpſum potatum in lapidem induratur ac ſtrangula-
tionem inducit: quapropter eadem auxilia quæ ad
fungos relata ſunt huc tranſferre oportet, ita tamen vt in
his pro oleo,maluæ,aut fœnigræci,aut ficuum decoctum
exhibeamus,aut oleum cum aqua mulſa.his item eadem
decocta, per clyſteres infundenda.

De ceruſſa, Cap. LXXVII.

F CEruſſa ob colorem ſuum latere non poteſt:accepta e-
nim palatum inalbat,linguámque ac gingiuas,in qui
bus etiam pars aliqua ceruſſæ reperietur.Infert autem ſin
gultus & tuſſes, linguǽque ac faucium ariditatem:frige-
ſcunt corporis extrema cum delirio & mentis perculſio-
ne,& difficili motu ſiue torpore . His porrò aqua mulſa
exhibenda eſt,aut ficuum & maluæ decoctum,aut lac ca-
lidum, aut ſeſamum tritum ex paſſo, aut lixiuium ex ci-
nere ſarmentitio,aut oleum irinum . omnibus enim o-
leum largè admiſcere oportet : ab vnoquoque verò vo-
G mant.facit & ſcammonia cum aqua mulſa potata.

De argenti ſpuma, Cap. LXXVIII.

ARgēti ſpuma potata grauitatem ſtomachi inducit,
aluíque ac inteſtinorum,cum torminibus voluulo-
ſis intenſis, quæ circa vmbilicum maximè innituntur.
Lotium ſupprimitur,corpus intumeſcit,liueſcit ac plum
bi colorem induit,& articuli incenduntur ac ardent . ad
finem verò & ſuffocatio ſequitur. Confert igitur poſt vo-
mitum à decoctionibus lubricis factum,hormini ſemē,
& myrrhæ oboli tres ex vino,aut abſinthium,aut apii ſe-
H men,aut hyſſopum,aut piper , & columbinum ſtercus cū
vino & oleo,aut cum vino mulſo & oleo . Si verò nimiū
proflua ſit aluus,lauacra calida , & carnes ſuillæ pingues
aſſatæ conueniunt , & aquæ potus , & oleum ſimiliter in
potu.

De argento viuo, Cap. LXXIX.

ARgentum viuum hydrargyros *Græcis* appellatũ potatum eadem infert quæ argenti ſpuma conſimilẽ etiam curam expoſtulat. Auxiliatur autem imprimis lac aſininum recens mulctum potatum ac vomitu reiectum.

De calce, ſandaracha, & auripigmento, Cap. LXXX.

CAlx, ſandaracha, & auripigmentum potata dolorem ventris & inteſtinorum cum vehementi morſu inducunt. Iuuantur autem ſucci maluæ potu, aut ſeminis lini, aut oryzæ, aut alicæ pinguibus iuſculis potatis, aquáque mulſa & lacte calido, ſi ea aſſiduo vomitu reiectent.

De thapſia, veratro, elaterio, & agarico, Cap. LXXXI.

EX iis quæ hominiob commoditatem in vſu veniunt, aliquando verò pericula inducunt, eſt thapſia, veratrum album & nigrum, elaterium, agaricum. Quandoque enim & hæc ſuffocationem inferunt, & purgationem vltra quàm oportet: agaricum verò in quibuſdam per aluũ non ſubductum, tremorem & reſolutionem produxit. Suffocationibus igitur, veluti in fungis dictũ eſt, nos opponemus, aut velut de albo veratro relatũ eſt in tertio Sermone. Purgationes autem vltra modum factas, per ea quæ cohibere poſſunt ſedabimus, & per ea itidem quæ firmitatem corpori addũt, de quibus ſimiliter in tertio Sermone eſt prædictum.

De rutæ ſylueſtris & melanthii nocumentis, Cap. LXXXII.

LVbricorum & acrimoniam hebetantium decoctorũ potu cum largo oleo opus habent, qui ea hauſerunt.

De aceruato frigidæ aquæ potu, Cap. LXXXIII.

FRigida aqua aceruatim pota, aut etiam vinum meracum, aut paſſum, à balneo maximè, aut curſu, aut concitatioribus exercitamentis, morſus & dolores inducunt. verùm in his ſtatim venam ſecare oportet, & per clyſterem euacuare.

De ſtrangulatis, Cap. LXXXIIII.

STrangulatis, adhuc tamen inſpirantibus & aerem attrahentibus, ſternutatorium naribus admotum auxiliatur, & venæ in cubito ſectio. Piper autem ex aceto ſiue poſca bibendum dato, & ad vomitum cogito. coarctatis deinde colli locis, aquam & oleum calidum adhibeto, aut anethinum calidum, aut adipem anſerinum. lanis inſuper mollibus collum amplectendum eſt ac fouendum.

De iis qui ex alto ceciderunt, Cap. LXXXV.

EX alto præcipitatis eueſtigio auxiliantur vitis ſarmẽta aquæ incocta, ſi aqua in potu ſumatur: quòd ſi æger potam aquam non ferat, ſed vomitu reiiciat, morietur. Si verò is qui cecidit, ſanguinem expuit, & venarum ruptura ſit ſuſpecta, ſarmenta ipſa vrito, & aqua reſtinguito, ipſámque aquam percolatam bibendam dato, quò inde ſanguinis grumi diſſoluantur. at verò ſarmentis non præſentibus, cinerem quencunque pelluito, & lixiuio inde vtitor.

De præſeruantibus & præſagis animalibus, Cap. LXXXVI.

QVando verò & præſeruatiua quædam ac præſaga animalia deſcripta ſunt veteribus, quæ iuxta contrariæ affectionis rationem venena produnt, ex his etiam magis probata eligemus, atque hic apponemus, quò vniuerſus ſermo huius tractationis perfectior fiat. Piſo itaq; in libro De animalibus, ait perdicem qui domi noſtræ cõnutritur, vociferari ac clamare, circumplicaréque, ac lacerare cortem in qua perdices connutriuntur, vbi cognouerit medicamentum quodpiam intra ædes parari aut aliud venenũ. Menelbus autem, Aquila (inquit) intra ædes connutrita, inſilit, & arcet eos qui talia moliuntur. Simonides verò pauonem tradit cognito apparato medicamẽto, ad locum prodire & clamare, ſéque expandere & medicamẽtum ex vaſis diſpergere, aut etiam effodere ſi quidem ſit ſub terram defoſſum. Ariſtodemus porrò ichneu monem domi nutritum medicamenta ſub terram defoſſa præſagire ſcribit. Pherecydes autem narrat pſittacum marem obſeruare & arguere ac nominatim deferre eos qui talia faciunt, aut in domum important. Cæterùm

A poſt ſcripta venena, etiam antidotos multi vſus & commoditatis, experimentóque cognitas, ex ordine ſubnectemus.

De theriaca ex viperis, Andromachi, Cap. LXXXVII.

ORdiemur autem à theriaca Andromachi ex viperis, cuius admiratione ductus Galenus hæc de ea ſcribit: Quum multa diſcordia ſit circa theriaces deſcriptiones, nos Andromachi deſcriptione vt longè optima vtimur, quæ etiam in regum vſus apparatur. ſit autem apparatus

B eius hoc modo. Primùm quidem ſquilliticos paſtillos apparare oportet, propterea quòd reſiccatione per multos dies opus habent. apparantur autem hoc modo.

Paſtillorum ſquilliticorum præparatio, Cap. LXXXVIII.

SQuillã, accipere oportet recentem, probè coaltam, ruſam & non valde magnam, eámque non (vt quidam faciunt) luto, ſed fermento mundo integere, & in cacabos in quibus panes aſſãtur inditam in furnum vt aſſetur immittere. Deinde extractam per ambitum purgare & acce

C ptis internis partibus tenerioribus eas ipſas probè terere, & farinæ eruinæ ex eruo rufo recenti factæ, duas tertias ſquillæ partes inſpergere, ita vt erui quidẽ libræ ſint duæ, ſquillæ verò tres: quanquam aliquando ex æquo ambo commiſceantur. Hæc ipſa, inquam, vnire ac committere oportet, indéque paruos orbiculos formare, roſaceo oleo in his conformãdis adhibito. deinde in vmbra reſiccare, atque bis per ſingulos dies verſare.

Hedychroi confectio, Cap. LXXXIX.

ARi, aſari, amaraci, aſpalathi, opobalſami, floris iunci

D odorati, calami aromatici, phu Pontici, ſingulorum drachm. decem, xylobalſami, cinnamomi, coſti, cuiuſque drach. XII. myrrhæ troglodyticæ, folii, ſpicæ nardi, croci, caſiæ, cuiuſque drach. XXX. amomi drachm. VII. maſtiches drach. V. vini veteris odorati dulcis quantum ſatis eſt. Arida contundito & cribrato: crocum verò cum vino in pila diligenter terito: deinde myrrha & maſtiche adiectis ac probè tritis, opobalſamum adiicito, ac arida inſpergito, ſimúlque commiſſis omnibus paſtillos tenuiores formato, vino in his conformandis adhibito: ipſos deinde

E paſtillos in vmbra refrigerato, ſinguliſque dieb[9] verſato.

Paſtillorum theriacorum præparatio, Cap. XC.

CÆterùm paſtillos theriacos hoc modo apparato: Viperas fœminas accipito, non quocunque tempore captas, ſed deſinẽte vere, nondum verò inchoata æſtate. ſi verò ver diutius hybernum ſit, iuxta æſtatis principium, nõ ita diu poſt vergiliarum ortum. Quæcunque enim viperæ prægnantes fiunt, eas vitare oportet, neque ad confectionem paſtillorum adhibere. magis enim exaſperatæ

F ſeipſis red duntur prægnantes. Ipſas igitur accipito quum in latibulis ſuis deliteſcere ceſſant, & de cætero in locos ſub diuo egrediuntur, & non adeo malignum habent venenũ. intus enim deliteſcẽtia animalia, & calẽtis aeris vi minimè per cutis meatus reſoluta, nocentiorem & magis exitioſam veneni vim in ſe coaceruant. Sunt autem animalia ipſa ſubflaua, ingentia & agilia: oculos ſubrubros habent, collum anguſtum, & latius caput, & caudam aceruatim in tenuitatem abeuntem ac carne penitus nudam, ventrem autem ſinuoſiorem habent, & greſſum cir

G ca caudæ ſummum firmant, caudam ipſam non circumuoluentia, ſed magis contorquentia, & lentius inambulãtia. His enim ſignis fœmina à mare dignoſcitur, inſupérque quòd quatuor habet caninos dentes, quum mas tantùm duos habeat, & anguſtius caput, ac craſſius collum, & totum corpus tenuius, caudámque paulatim in tenuem deſinentem, non aceruatim vt fœmina, neque omnino carne nudatam. Cauere enim oportet ne mares viperas in antidoti confectionem aſſumamus. Neque verò minus etiam reliqua ſerpentium genera viperæ ſimilia vitanda

H ſunt. Similis eſt autem viperæ, maximè quidẽ ammodytes, imò & hæmorrhus, & cenchrias, & ſeps. Quos omnes ex prædictis in eorum tractatu ſignis dignoſcere oportet, & præcipuè ex colore. flauo enim & ſub fuluo colore vipera eſt: alia verò genera arenoſi ſunt

coloris aut fuſca,aut nigricantia.verùm nō oportet etiā prædicta de vnoquoque ſigna alia negligere.Has ſanè viperas prædicto tempore eadē die aut præcedēte omnino captas accipito.ac primùm quidem ipſarum capita ac caudas amputato,in tantū ſanè quantū videris in eis carne nudatum. At verò non amputationis tantùm reſpectum habere oportet,ſed & num ſtatim exanguia & immobilia ac omnino mortua animalia appareant: talia enim vt inutilia ad antidoti compoſitionem,cenſenda.Si verò prædictis partibus amputatis, motum quendam videris in reliquo corpore ſuperſtitem,& animalia ipſa cruorē aliquandiu in ſe conſeruent,hæc ipſa vt optima in antidoti confectionem ſunt admiſcenda. Poſt hoc verò ipſorum pellem totam diligenter excoriato, adipéque ac omnibus pectori inſitis,vt inutilibus reiectis,carnes ipſas ex duabus aut tribus aquis lauato,poſteáque in ollam puram iniicito,& congruentem aquæ mēſuram affundito, ac anethi viridis faſciculum addito, ſubiectíſque lignis vitis coquito.Quòd ſi efferueat olla,(ſolet enim aſſiduè in decoquendo aqua ebullire & ex olla effundi) quotieſcunque hoc ipſum contigerit,frigidam aquam irrorato.Modum autem decoctionis ſufficientem iudicabis, vbi carnes à ſpinis diſceſſiſſe videbis, penitúſque ſeparatas, vt nequid ex ipſis ſpinis inhærens carnibus te fallat. Ad manum deinde peluim appoſitam habere oportet mūdam, & ex iuſculo coctutæ aliquid continentem,atque in eam ipſam depuratas carnes iniicere.facilè enim reſiccantur: & proinde difficulter conteri poſſunt. At verò vbi carnes ipſas puras feceris, ac manibus diligenter expreſſeris,eas pōderato;& in pilam culinariam aſperiorem coniicito, ac fortiter aliquandiu terito, paulatímque iuſculum inſtillato. Vbi autem quamtenuiſſimè fuerint tritæ, panis puriſſimi recentis aridi,non ex veteri farina apparati,contuſi & cribrati quartam carnium partem addito:aliquādo autem quintam ſolùm:& rurſus paulatim iuſculi quod ſatis eſt,affundito, ac in conterendo quamdiligentiſſimè vnito:atque ita paſtillos mediocres tenues formato,modico opobalſamo in his formandis adhibito. eóſque deinde in vmbra ſiccato in domus ſuperiore cœnaculo ad meridiem, aut omnino ad ſeptentrionem ſito. Verſare autem ipſos aſſiduè oportet quò æqualiter reſiccentur,& ne aliqua pars diutius humecta permanens, putrefactioni obnoxia fiat & periclitetur. Poſtquam verò ſicciores fuerint facti,eos opobalſamo optimo oblinito, & in vitreo vaſe aſſeruato:ac quicquid puluerulenti & albi ex eis per ſitum productum eſt,poſt dies aliquot linteo extergito. perforantur enim ſi idipſum eis diutius adhæreſcat.

De reliquis quæ in antidotum coniiciuntur, Cap.xci.

CÆterùm ſimplicia pharmaca quæ cum tribus antea præparatis paſtillis in antidoti confectionem coniiciuntur,hæc ſunt: Paſtillorum ſquilliticorum dr. xlviii. paſtillorum theriacorum drach.xxiiii. maſſæ hedychroi drach.xxiiii.piperis nigri drach.xxiiii.opii Thebaici recentis drach.xxiiii. roſarum ſiccarum repurgatarum dr. xii.ſcordii Cretici,ſeminis buniadis agreſtis,cuiuſque dr. xii. iridis Illyricæ nō corroſæ drach.xii.agarici Pōtici albi drach. xii. cinnamomi drachm. xii.aut caſiæ duplū: ſucci glycyrrhizæ ſicci drach.xii.opobalſami optimi dr. xii.myrrhæ troglodyticæ dr. vi. croci Cilicii drach. vi. zingiberis non perforati drach.vi.rhei Pontici recentis, drach.vi.radicis quinquefolii dr.vi.calaminthæ mōtanæ drach.vi.comæ marrubii in vigore conſiſtentis drachm. vi.cacuminum & foliorum ſtœchadis drach.vi. petroſelini Macedonici drach.vi.coſti recentis drach. vi. piperis albi drach. vi. aut nigri loco eius drach.ix. piperis longi non corroſi drach.vi.dictamni Cretici drachm.vi.thuris maſculi integri & in partes nō comminuti dr.vi.floris iūci odorati drach.vi.terebinthinæ Chiæ drach.vi.caſiæ fiſtulæ drach.vi.ſpicæ nardi drach.vi.radicis gentianæ dr. iiii.comæ polii drach. iiii. ſtyracis calamitæ drach. iiii. ſeſelis Maſſilienſis incorrupti drachm. iiii. ſeminis thlaſpios drachm.iiii.ſeminis ammii drach. iiii.comæ chamædryos drachmas iiii.chamæpityos drachmas iiii.ſucci hypociſthidis ſicci drach.iiii. foliorum malabathri. dr. iiii.ſpicæ Celticæ drach.iiii. aniſi Helladici, dr.iiii.mei athamantici drach.iiii.ſeminis fœniculi drach. iiii. Lemniæ terræ quæ ſphragis appellatur drach.iiii. chalcitidis ſemiaſſatæ drach.iiii.amomi racemi drach.iiii. radicis acori drach.iiii.phu Pontici drach.iiii.carpobalſami drach.iiii.hyperici in vigore conſiſtentis drach.iiii.acaciæ liquidæ drach.iiii. gummi vermiculati drach. iiii. cardamomi drach.iiii.dauci Cretici drach.ii.galbani puri drach.ii.opopanacis drach.ii. ſagapeni Perſici drach. ii.bituminis Iudaici dr.ii. comæ centaureæ minoris dr. ii.caſtorei drach.ii.ariſtolochiæ tenuis drach.ii. vini veteris dulcis quantum ſufficit, mellis Attici deſpumati libras x.aut quod ſatis eſt.

Modus conficiendi. Cap. xcii.

APparatur autem antidotus hoc modo:Sex drachmas caſiæ, & alias etiam xxiiii. quæ cinnamomi loco ſunt coniectæ,per ſe tundito ac cribrato. deinde crocum primum in pilam coniectum cum vino probè terito: atq; vbi quamtenuiſſimus factus fuerit,ei cribratam caſiam addito,ac rurſus infuſo vino terito. vbi verò caſia ſufficienter fuerit trita,Lemniam terram cum vino modico, in alia parua pila per ſe terito, & aſphaltum ſiue bitumen ſimiliter diſſolutum ad crocum & caſiam iniicito,ac rurſus aliquandiu terito.Reliqua verò omnia herbacei generis cum tribus paſtillis & cum caſtoreo tundito,& per tenuiſſimum cribrum excutito. ſucculenta autem omnia, acaciam inquam,myrrham, opium,thus, hypociſthidis ſuccum,& glycyrrhizam,opopanaca,ſagapenum, galbanum & gummi contuſa,in competenti vini menſura vna die antè macerato. Styracem verò in pilam magnam ac amplam coniectum cum opobalſamo terito, & priuatim vnito.deinde & præmacerata ſucculenta in pilā iniicito ac probè terito,atque(ſi opus fuerit)vinum paulatim affundito.poſtquam autem & hæc ſufficienter fuerint trita,ſtyracem antea tritum,& caſiam,& crocum,& quæ cū eis ſunt,adiicito, & diligenter vnito. Chalcitidis deinde bonæ ſeſcuncem aut amplius in ollulam paruam nouam ampli oris iniicito,& ſupra carbones ardentes imponito, ac chalcitidem aſſiduè cum pura rudicula agitato. Quum verò liquefieri cœperit,& lutoſam ſubſidentiam acquiſierit,ſtatim ab igne auferto,poſitáque in terram ollula,quò vniatur diligenter agitato,coagmentatámque pauliſper ſinito.Deinde ablato & abiecto eo quod in ſuperficie ſiccius & rufum apparet,ex medio quod viridius eſt & molle apparet accipito,ac quatuor drachmas ponderato, eáſque in mediam pilam iniicito, in qua reliqua prius trita habes,cum modicóque vino in vno aliquo pilæ loco diſſolutas,cum reliquis committito,ac modico addito melle deſpumato vnito.Poſtquam verò chalcitis ad reliqua trita fuerit admixta,omniáque nigrum acceperint colorem,tunc addito etiam terebinthinam cū modico melle prius diſſolutam. Qua deinde admixta, arida etiam contuſa & cribrata adiicito, & reliquū item mellis paulatim admiſceto.poſtea cum magno piſtillo omnibus quamdiligentiſſimè vnitis,antidotū ipſam in mortariū tranſfundito, & piſtillis ligneis ex grauiſſimo ligno & politiſſimo fabrefactis,eam ad ſolem expoſitam in mortario tundito.deinde probè contectam ſinito,& rurſus poſt triduū aut quatriduum ad horas tres tūdito,atque id donec quadraginta tranſierint dies facito:deinde vaſis vitreis modico melle deſpumato prius imbutis excipito.neq; verò vaſa valde expleto,ſed locū quēdam quò trāſpirare pharmacum poſſit relinquito, probéque contectum ac obligatum aſſeruato.Hæc quidem igitur omnia ad pharmaci virtutem ac conſeruationem ſunt deſcripta. Vt autem nigrum fiat,non ſcio quomodo in conſuetudinem venerit,& ſanè quiſquis hunc colorem in eius apparatu non aſſequitur,is irridetur.modus verò aſſequendi omnibus promptu eſt. Noſſe tamen operæpretium eſt ex colore pharmaci vim ipſius minimè permutari. Quòd verò circa colorem pharmaci offendamus & delinquamus, ob chalcitidem eſt plus iuſto vſtam. ſi enim parum ſuperuratur,rubicundiorem antidoti colorem reddit:

ſi verò amplius, non rubicundiorem ſed à naturali parū immutatum facit colorem. Per menſem porrò antidotū ipſam viſitare oportet, & rudicula munda agitare, ne id quod in ſuperficie eſt & quod vaſi contiguum adhæret, exareſcat. Cæterùm tempore ad concoctionem non modico opus habet, quò matura vſui antidotus fiat, & iuſtè concoquatur. vtplurimùm verò per duodecim menſiū tempus coadunatur & concoquitur.

Poſt quantum tempus ea ſit vtendum, Cap. XCIII.

QVI verò ipſa magis vigente & validiore vti volunt, etiam poſt vnum menſem ea vtuntur, præſertim ad eos qui à venenatis beſtiis demorſi ſūt, & à venenoſis pharmacis infecti. hi enim quum grauiore malo vrgeantur, potentiore etiam ab antidoto auxilio opus habent.

Quanto tempore efficax ſit, Cap. XCIIII.

EST autem pharmacum validum, inquit Galenus, vſque ad XXX annū, in his affectionibus in quibus non tāta eſt nocentis cauſa. Quòd ſi verò per tēpus ſiccior fiat antidotus, eā in mortariū coniectā & piſtillo tritā optimo melle deſpumato affuſo, rurſus vnire ac excipere oportet: atq; id quotieſcūque aridior facta fuerit, faciēdū eſt.

Modus probandi theriacen, Cap. XCV.

MVlti igitur ipſius potentiæ probandæ ac cognoſcendæ gratia, aliquod purgatiuum pharmacum prius exhibent: deinde ab eius acceptione antidotum bibendā præbent, atque hoc modo eius iudicationem per comparationem quandam faciunt. Si enim valida & vigore efficax fuerit, purgationē fieri minimè permittit, ſua vi exuperans pharmaci purgatiui facultatem. Si verò æquè purgetur homo veluti ſi antidotum non accepiſſet, manifeſtum fit eam inualidam & exilem eſſe, vt quæ retinere nō potuit purgatiui medicamenti fluxum. Quidam verò papaueris ſuccum duorum ſcrupulorum pondere aqua diſſoluunt, eúmque cani aut gallinæ vel columbæ bibendū præbent. deinde etiam confeſtim antidotum diſſoluunt, ex eáque nucis Ponticæ magnitudinem ori animalis infundunt, neque quicquam mali inde comitatur.

De exhibitionis menſura, & vtendi modo, & in quibus conueniat morbis, Cap. XCVI.

CÆterùm facultatis eius menſura non eadem in omnibus hominibus exiſtit: ſicut neque liquor idem eſt, in quo diſſolutam ipſam exhibemus. In venenatis nanq; pharmacis, aut venenum iaculantis animalis plaga, nucis Pōticæ magnitudine in vini cyathis tribus diſſolutā bibēdā præbemus. in aliis autē affectionibus tū mēſura tū liquore diuerſimodè vtimur: ſecundum affectionum enim diuerſitatem, etiam pharmacorum quantitatem competenter metimur, & conuenientem ſimiliter liquorem eligimus. Non enim ſolùm ad beſtiarum morſus & venena à natura ſua auxiliatur, ſed & ad alias magnas affectiones auxiliare pharmacum per vſus experientiam à nobis inuentum eſt. Capitis igitur dolores diuturnos & vertigines ſanat: auditum grauem & viſum obtuſum potu ſedat. quandoque & guſtus organum debilitatum emēdat, & comitiali morbo auxiliari conſueuit. Auxiliatur & ſuſpirioſis & qui orthopnoïci dicuntur, ex aqua mulſa potata, diſſecans & attenuans ac facilè eductiles reddens coactos & viſcoſos humores. commodat veteri ac recenti tuſſi, & quibus pectoris aut laterum partes dolent, magnitudine fabæ: febre carentibus ex vino mulſo, febricitantibus, ex aqua mulſa. Conuenit & ſanguinem per ſputum reiicientibus, ſiue ex pectore, ſiue è pulmone eductio fiat: ſi quidem recens ſit elatio, cum poſca: inueterato autem malo, ex aquæ cyathis tribus. præſtiterit autem aquam ipſam radicis ſymphyti decoctum eſſe. datur autē fabæ Ægyptiæ magnitudo ad noctē & manè. Sæpe verò & ſtomachi vitia curauit, & faſtidiū eius, ciborúmque inappetentiam in eorū deſyderiū & appetentiā ſuauiter cōmutauit. quin & ventriculi difficilem concoctionem & imbecillitatem corrigit, ſimilitérque & ſtomacho inflatos, & inteſtinis tortos, aut colum dolentes placat. Aliquando autem & cholericæ affectioni præclarè auxiliatur, corporis miſcellam corroborans, & pleraſque cohibens fluxiones.

A Maxima verò eius efficacia in iis qui ex oris ſtomachi morſu animo linquuntur, cardiacos *Græci* appellant, apparet. præ multis enim & aſſiduis ſudoribus corpore diffluente, & viribus exoluto, quum ex vini potu ſæpè nihil opis ſentiant, antidotus ipſa potu ſudores ſiſtit, & vires concidentes velut erigit ac fortiores reddit. Lūbricorū etiā omne genus mirabiliter ex inteſtinis exigit. & hepaticas omnéſque inueteratas affectiones ſæpe curat. Arquatum item morbum ex aliqua hepatis affectione obortum, ſtrenuè ſanat. Quandoque & induratos lienes liquefa-
B cit, ſordibus eorum & ſuperflua ſubſtantia paulatim conſumptis. atque hoc cum aceto mulſo data præſtabilius facit. Deterit & lapides renum, omnéque terrenum & ſordidum ex illis repurgat, cum decocto petroſelini. difficilē item mictionem veſicæ compeſcit: & in ipſa vlcerationes quādoq; perſanat. Laudatur & ob id quòd omnem inſultum diuturni rigoris & algorem tollat, biliſque vomitū, acceſſionis exacerbationum tempore aliquēdo concomitantem ſedet. Maximè verò quartanis conducit ſiquis ea ingenioſè vtatur. Ego igitur (inquit Galenus) multos
C quartanarios hoc ductu vſus facillimè liberaui. primùm quidem eos per vomitum à cœna euacuaui: deinde ſequenti die manè abſinthii cremorem exhibui, atque ita duabus horis ante acceſſionem antidotum ipſam dedi: & mirabiliter adeo ſæpe ſucceſſiſſe noui, vt confeſtim nulla acceſſione qui accepiſſet impeteretur. verùm vtendi tempus non in principio morbi eſt, ſed quum perfecta concoctio in vrinis apparet. etenim ſi in principio morborum ſiue ipſa ſiue aliud pharmacum præbeatur, congeminat morbum. Datur & hydropicis cum ſiſari deco-
D cto & ſimilibus: & eam præſertim quæ aqua inter cutem & *Græcis* leucophlegmatias appellatur, generoſè iuuare cōſueuit per totū corpus digeſta & diſtributa, atque vndiquaq; ex carnibus exprimēs humorē. Quapropter etiā iis qui malo corporis habitu præditi ſunt, optimum pharmacum exiſtit. & elephantiaſin ſæpe curare ſolet, corruptionem corporis fieri prohibens: & rigore neruorum conuulſis plurimùm auxiliatur: & membrorum reſolutiones in potu accepta ſæpe perſanauit. Credita eſt & fœminis menſtruas purgationes ciere, & immortuos fœtus eiice-
E re, quos natura propter debilitatem expellere non poteſt. Dāda itaque eis ex paſſo aut aqua mulſa magnitudine fabæ: ruta tamē aut dictamno in prædictis liquoribus decoctis. Podagra etiam affectis & articulorū omnium fluxione infeſtatis opitulatur, maximè quum augmenti tempus præterierit, & ſtatus acuminis inſtiterit. doloribus enim ſedatis per ea quæ eos mitigare poſſunt, antidotum in potu præbere oportet. illatos enim fluores conſumit, & alios inferri impedit. maximè autem profuerit ſi ſani adhuc ipſam accipiant. ſuperfluos enim humores
F expandit & totam corporis miſcellam permutat. Multi igitur in principio podagræ per aſſiduum eius potum perfectè ab affectione ſunt liberati. Admirari porrò ſubit antidotum, quum ipſam non modò corpori medentem videmus, ſed ipſum animum ſæpe ab affectibus malè diſpoſitū, iuuare potentem: ex atra bile enim obortos animi affectus ipſa ſedat. Etenim aſſiduè exhibitū pharmacum ex venis & vicinis partibus atrā bilem velut exhaurit & conſumit: quemadmodum etiam ex ferarum ictu illatum venenum. Quin & aquæ formidinem peſſi-
G mum morbum quo à cane morſi laborant, ſæpe tollere conſueuit, atque ita mirificè tantorum malorum concurſum impugnat. Cognita eſt præterea nobis antidotus vt quæ in peſtilentibus conſtitutionibus peſte apprehenſis vnicè auxiliari poteſt. Eos verò q eā præbiberint, peſtilēti affectione apprehēdi prohibet. Ipſa enim velut tēperamētū quoddā, & ſanā conſtitutionē corporibus inducit, redundantes humores conſumendo, & refrigeratas partes concalefaciendo, inſuper & innatam facultatem corroborans, ad naturales actiones probè obeundas. Cæte-
H rùm in peregrinādo maximè conſulo vt ea vtaris quum frigido exiſtente aere per hyemē iter facis. eſt enim veluti bonum viſcerum indumentum, quod plurimam caliditatem ipſis exhibere poteſt. De Mithridate ſanè magno illo belli duce referunt, quòd theriacen quidem nō

biberit: neque enim adhuc in vſu erat: verùm ex alterius antidoti,quæ poſtea Mithridatica ab illo appellata eſt, vſu,ita corpus apparauerit vt nulla veneni vi lædi poſſet: & quum etiam lethale pharmacum accepiſſet, mori non poſſet. quum etiam ab hoſtibus vinceretur,ſeipſum interficere vrgebatur,quando plurimo veneni hauſtu mortem ſibi cõſciſcere nequiuiſſet: quapropter vocato quopiam ex amicis,ei iugulum præbuit. Quare vides multæ mixturæ pharmaca multã etiã vim habere, quò corpora ex eorũ vſu corroborata, nullis veneni affectionibus,vel rarò & difficulter admodum, obnoxia reddantur. atque hac facultate vel in primis theriacen præditam eſſe conſtat. Porrò tempus exhibitionis commodum eſt quum probè concoxerit,ipſam accepturus, neque ciborum copia ſit oneratus.Bibat autem ieiunus,quò ſufficiens temporis interuallum ſuperſit ad ipſius pharmaci concoctionem. Anni præterea tempus ſimúlque regionem inſpicito,in quibus ipſum es exhibiturus. Æſtate enim neque in totum dabis. quapropter etiam eis qui in ætate vigoris ſunt,& plurimum habent naturalem calorem,neque multum neque ſæpe pharmacum ipſum exhibere moneo: quemadmodum contrà eis qui iam vrgente & adfecta ætate ſunt,tum plurimum,tum ſæpe cum aqua: quanquã potius conſulam vt cum vino accipiatur. In pueris verò, pharmaci exhibitionem omnino vitare oportet: maior eſt enim pharmaci facultas quàm vires eorum tolerare poſſunt,& corpus ſanè facilè diſſoluit,&inſitum ſpiritum citò extinguit: quemadmodum & lucernæ flammam oleum ipſum,ſi ignem ſuperet,facilè extinguit.Atque ego verè id narrare poſſum,inquit Galenus, puerum quẽdam ab intempeſtiuo antidoti vſu exolutum eſſe. omnem nãque ipſius habitum pharmacũ ipſum diſſoluit,& ventrem fluore commouit, atque ita noctu puer expirauit. Quòd ſi aliquando calidiorem regionem inhabites,vitare oportet antidoti vſum,ſufficiente tibi illius loci aeris calore: vnde neque hominibus qui ſub primo ſolis ortu habitantes calidiſſimi ſunt, & multum habent illius regionis calorem,antidotum theriacen conuenire puto.

Sales theriaci ex libris Marciani,cum quibus cõſentit Galenus, Cap. XCVII.

SAles ex viperis hoc modo apparantur. faciunt autem & ipſi ad omnia prædicta moderatè, per aſſiduum vſum commoditatem exhibentes: quãquam ſint qui eorũ auxiliarẽ potentiã penitus negẽt, per exuſtionẽ diſſipari affirmãtes ferarũ facultatẽ.Ego verò dicere auſim,eandẽ quidẽ potentiã cum theriaca ſales non habere,non tamẽ eorum vim per ignẽ perire, quum multa ſint quæ per ignis familiaritatem meliora reddita conſpiciantur,velut eſt aurum, & calx, & ſimilia. Viperæ enim integræ vſtæ,intenſiorem & malignam vim per exuſtionem deponunt: temperamentum autem auxiliare & ſymmetriam ab igne ſumunt.Propriè autem in affectionibus cutis curandis,ſales commendantur, cuius generis ſunt,leuce,lepra,impetigo agreſtis,elephantiaſis,alphos, ſcabies agreſtis,& raritas ac defluuium capillorum. huiuſmodi enim cutis vitia confeſtim delent, & acria recrementa ſubter cutem redundãtia optimè diſcutiunt. Pleriſque enim ex eorum eſu ſudor prolicitur, atque ita per exudationem corrupta ſubſtantia euacuatur,adeo vt quidam in principio pediculos excluſerint, intra quatuordecim ad ſummum dies: poſt hos enim nullus in corpore pedunculus apparet. quidam verò pro pediculis ſputa pituitoſa reiectant,à ſalium reiectione initium facientes:deinde paulo pòſt,etiam ſputa repurgata ſiſtuntur. Licet autem tum in prandio tum in cœna eis vti, cum quibuſcunque eduliis eos accipere velis, neque vltrà ad eorũ acceptionem prouocare oportet: tanta enim ipſis inſita ſuauitas eſt,vt magis voluptatis gratia eos confectos quis dicere poſſit. licet igitur vſque ad tria cochlearia per diẽ ex eis ſumere,maximè ſi cibus prius in ventre ſit probè concoctus. Qui enim eos accipiunt,concoquunt melius & cibi appetentiores ſiunt.floridius etiam corpus habent,& ſenſus omnes vegetiores. Suffuſiones igitur incipientes & nondum congelatas:egregiè diſſoluunt,neque planè quis ſuffuſionem incurrat qui eos quotidie accipiat.purgatio-

A nes item lunares propter obturationem aliquam aut ſanguinis coactionem ſuppreſſas cient.iidem etiam largum & impetuoſum menſium defluxum ſiſtunt. Quiſquis autem eos præſumpſerit, omnes venenorum & virus iaculantium beſtiarum inſidias euincet: neque etiam quum infectus fuerit,& poſtea ſtatim ſales acceperit,periculum incurret: maximè ſi corporis ſui temperamentum per horum ſalium vſum multo tempore appararit ac veluti cõdierit,quemadmodum Mithridatem feciſſe dixi. Præſtat & peſtilenti conſtitutione inſtãte,ad auxiliare hoc & ma- B li depulſorium pharmacum confugere: præſertim ſi ei myricæ herbam admiſcueris. Morborũ præterea omniũ medici ſales exiſtunt,maximè tamen eorum qui in renibus conſiſtunt:lapides enim in eis atterunt,& planè marcidos renes reſtituunt. vertigini verò & dolori capitis inueterato, morbóque comitiali,nulla alia conſimilis medela exhiberi queat,ſiquis eos per integrum annum ex ordine largè ſumat. Noui & arquatos diuturnos,& ſplenicos ac colicos, qui frequenter in hanc affectionẽ inciderunt, per eos ſanatos.hydropem etiam,maximè ſubter cutem, C per eorum vſum reſiccaui, & ingẽtem famem (bulimon *Græci* dicunt)diſſolui. Vt quis etiam per frigidum aerem iter faciens minus frigore lædatur, comeſti faciunt: rigores autem per circuitum repetentes diuturnos cohibent,& tuſſes humectas reſiccant: Tabidos verò iam mirabiliter ad bonam corporis habitudinem reduxerunt, paulatim eduliis adſperſi: exolutos autem à languore perfectè reuiuiſcere faciunt. ſcio nanque plurimos membris penitus reſolutos per ipſos ſanatos. Ad podagram demũ maximè incipientẽ, & omnino ad omnes articulari mor- D bo affectos,vnicum hoc edulium conſtructum eſſe videtur. Adhortor igitur eos qui à podagra liberati ſunt,vt eis continuè vtantur. Quidam verò viperas totas extendunt & ſiccant,poſteáque terunt ac eas in potu cõtra morbum articulorum exhibent. Cæterùm vix ſatis dignis verbis aſſequi queas,quantum diuturnas quartanas & deliria ex atra bile oborta dilatent & remorẽtur,ſi ante acceſſiones & in interuallis quoque ſumantur. Enecant item omne lumbricorum genus.optimum eſt etiam per ipſos,maximè craſſiores dentes confricare. non enim albiores tan- E tùm eos reddunt,ſed neque dens poſtea laxior factus mouebitur,neque erodetur,neque ſtuporem incurret. Extrahunt etiam per caput recrementorum copiam, ac caput purgant, & oculos leuiores reddunt. Apparantur autem hoc modo: Viperas accipere oportet magnas, eiuſmodi qualem prædiximus ſpecie eodémque tempore captas, numero quatuor,nõ vltra biduum poſtquam captæ ſunt adſeruatas: ſed ſi fieri poteſt, eadem qua captæ ſunt die, eaſdem in ollam figulinam puram magnam coniicere oportet,ſtatimque ſupra ipſas pro ſale ammoniaco,ſalem F communem lotum & exſiccatum iniicere. præſtiterit quidem ammoniacum ſalem eſſe, ſi verò haberi non poſſit,communis & albi Italici modii dimidium hoc eſt libras viginti,iniicito:atque id non in meridie facito ſed mané. tunc enim rigẽtes adhuc beſtiæ ad motũ tardiores ſunt.Quòd ſi phagi etiam arboris ramulo viperas cædas,ad motum ipſas tardiores reddes, & mirabilem eis ſoporem induces. eſt antẽ phagus ſpecies quercus. Quum igitur velut dictum eſt,viperas ſalibus grauaris & oppreſſeris, paſtillos inſuper ad ſales adiice hoc modo appara- G tos:Radicis gentianæ ſeſquilibram, ariſtolochiæ rotũdæ ſeſquilibram,comæ centaureæ minoris lib.duas,ſeminis cardamomi libras duas, marrubii, ſcordii, apii, chamædryos, ſeminis rutæ hortenſis,ſingulorum libram vnam. Hæc omnia in craſſas partes contundito, & cum Attico melle ſubacta in quinque aut ſeptem paſtillos latiores, quò probè exuri queant,reducito. Hos equidem paſtillos eo quo dixi modo præparatos habens, ad ſales viperis viuis iniectos imponito. Deinde ſquillas electas,magnitudine ſua manum explẽtes, recẽtes quinque in tenues par- H tes diſſectas paſtillis ſuperindito, aliũmque dimidium modium Italicum hoc eſt viginti libras alias ſalis, ſupra ſquillã & paſtillos iniicito, & deinde ollam operculo tria foramina habente obturato, eámque forinſecus totam luto figulino,vt ſi rũpatur nihil pereat,oblinito.indéque

ſenſim igni adhibeto, paulatímque circumlitum lutum torreto, deinde aucta flamma per ficulneorum aut vitis lignorum ollæ ſubiectorum exuſtionem, vaporem inde per foramina elatũ obſeruato. primùm enim fumus multus caliginoſus & turbatus valde exiens apparebit, ſignificationem perhibens quòd ignis iam feras ipſas contingit, quo tempore diligenter cauere iubeo ne quid ex illo fumo per (reſpirationẽ) haurias, aere nimirum per ferarũ exhalationem infecto. deinde vbi ceſſauerit vapor, & flãmam quandã exilẽ per foramina conſpexeris egredientem, tunc ſanè quamoptimè aſſatas putato, atque ita olla ab igne ablata, pérque diem ac noctem refrigerata, vſta per apertam ollam eximito, & cum ſubſcriptis tundito. ſunt autem hæc: Seminis rutæ ſylueſtris dodrantem, hyſſopi dodrantem, nardi Celticæ ſeſcuncẽ, ſtachyos ſeſcuncem (eſt autem marrubio ſimilis non tamen ſpinoſa planta ſeu frutex) ſeminis fœniculi montani ſeſcuncem, petroſelini Macedonici trientem, comæ origani dodrantem, ſeminis hormini toſti dodrantem, racemi amomi quadrantem, cacuminum thymi dodrantem. Foliorum malabathri trientem, carnium iuniperorum baccarum lib. duas, ſeminis coriandri ſeſcuncem, piperis longi libras duas, radicis ſilphii vncias ſeptendecim, zingiberis non corroſi lib. II. ſeminis ſatyrii quadrantem: quidam verò radicis ſatyrii coniiciunt ſeſcuncem: pulegii montani ſeſcuncem, ſeminis menthæ ſeſcuncem, aut (ſi haberi non poſſit) herbæ ſiccæ ſeſcuncem, tordylii & caſiæ, cuiuſque quadrantem, ſeſelis Maſſilienſis ſeſcuncem, cinnamomi vnciam vnam. Maximopere autem conandum eſt vt craſſiora, veluti ſunt lignoſa omnia, contundendo attenuentur, neque quicquam ex eis reiiciatur. Tuſa autem, per anguſtiſſimum cribrum excutito, bis & ter per eadem cribella excutiendo, quò quamoptimè vniantur: atque ita omnia in vitreis vaſculis reponito, neque ſtatim vtitor, ſed poſt quadrageſimum tandem diem. Inueteratum enim pharmacum maiorem commoditatem de ſe præbet, maximè ſi extra omnem humiditatem ipſum ſiccum adſeruaris. cæterùm colore non valde nigreſcit. Ego verò, inquit Galenus, beſtias ipſas non exuro, ſed paſtillos ex eis, quorum confectionem in theriaca docui, reliquis quæ cum beſtiis vruntur admiſceo & ſimul exuro, quò eam quam in ſe habent amaritudinem per exuſtionem abiiciant. tantam autem paſtillorum menſuram adiicio, quantam coniectura aſſequi poſſum quatuor numero viperas habere, & ſanè ſales verè optimi euaſerunt, vtpote qui neque ex vſtione cinereum retulerint ſaporem, neq; nigrum colorem, ſed & ob qualitatem vſui gratiſſimi ſint facti, & qui vim qua eos propriè præſtare prædicaui, efficaciorem haberent. Efficiunt autem quatuor viperæ magnæ, paſtillorum ſiccorũ ſextãtem & vnciæ dimidiũ. atque hic quidem eſt totius confectionis ſalium theriacorum modus. Oportet autem medicum variè ipſis vti: vtpote ſi ſanguinem ſpuentibus ſales hos exhibiturus ſit, radicis ſymphyti contuſæ & cribratæ ſextam partem ad ſalis modum addet. veluti ſi quinque cochleariis pharmaci vnam ſymphyti addat. In phthiſicis autem ſiue tabefactis & pectore ſuppuratis, iridis tenuiſſimè tritæ aut dictamni ſextam partem ſalis ponderi adiiciet. Hepaticis verò chamæpityn, ſpleniticis cyclamini radicem, aut capparis corticem, aut piperis addet ſextã partem. Quòd ſi ad podagricos apparare velis, dimidiũ præſcripti ponderis ſatyrii auferto, vitãdo ne rabioſas & membra exoluentes in ipſis excites voluptates. Cæterùm in renibus lapides quammaximè atterunt ſales, ſi carpobalſamum aut lithoſperma appellatum habuerint admixtum. Si verò vim contra venena intenſiorem facere velis, in ſalium confectione ſcordium & marrubium duplicabis, inſupérque anatum ſanguinem ſiccum adiicies. Eis verò qui à rabido cane morſi ſunt, amplius conferent, ſi pæoniæ radicem addas aut cancros exuſtos. Opiſthotonicis autem qui retrò neruis conuelluntur, maximè profuerint, ſi caſtorei & opopanacis parum habeant admixtum, in eis ſanè qui id tolerare poſſunt. Viſum porrò exacuit malabathri folium duplato pondere in confectione additum. Concoctionem verò ciborum iuuant, ſi caſiæ & coſti eis

A ſufficiens modus addatur. ad inflationes autem cuminũ adiicito. Vrinam amplius ciet dauci ſemen additum. quartanas verò amplius ſoluunt ſi verbenacã rectam, & eupatorium, & ſuccum Cyrenaicum, aut ipſum laſer aſſumant. verùm (vt ſummatim dicam) omne quod commodum & habile noueris affecto membro, idipſum ad ſales, ſiue in ipſorum confectione, ſiue exhibitionis modo admiſceto. Quin & amariores ſcio ſales apparatos. ex iis enim quæ cum viperis vruntur, ariſtolochiam, & ſcordium, & cardamomum, & dimidium centaureæ detraho, B eadémque poſtea cum reliquis quæ tunduntur, miſceo, imò & ſtœchadis parem ſcordii menſuram addo: atque ita guſtu amariores ſales euaſerunt, & in vſu ſanè ad multa mihi commodiores ſunt experti. Porrò cauendum eſt ne eos prægnantibus & ab vbere lactãtibus exhibeamus: & ne pueris ac temperamento calidioribus, & præſertim tempore æſtiuo & regione calida, & qui acuta & ſicca febre laborant, eos quoquo modo præbeamus.

Antidotus Mithridatica, Cap. XCVIII.

HÆC, vt Antipater & Cleopater tradunt, iſta capit: C Myrrhæ drachmas octo obolos quatuor, ſpicæ nardi tantundem, croci drachmas ſeptem obolos tres, opii drach. quatuor obolos duos & dimidium, ſtyracis drach. quinque, caſtorei drach. ſex obol. vnũ, cinnamomi drach. ſeptendecim, polii drach. quinque, ſcordii drach. ſeptendecim, zingiberis tantundem, coſti drach. ſedecim, piperis albi drach. quinque obol. vnum, piperis longi drach. ſedecim, ſeſelis incorrupti drach. quinque obolos duos, petroſelini drach. quatuordecim, ſeminis dauci drach. ſedecim, caſiæ drach. quindecim, thuris drach. ſedecim, ſucci D hypociſthidis drach. VI. & ſeſquiobolum, nardi Celticæ drach. quatuor, ſeminis fœniculi drach. quatuor, folii malabathri drach. quatuor, acori incorrupti, phu, ſagapeni, carpobalſami, hyperici, iridis Illyricæ, acaciæ, gummi, ſeminis cardamomi citra medullam, ſeminis pelecini, ſingulorum drach. duas, Lemniæ ſphragidis, confectionis cypheos, partiũ ſcinci iuxta renes ſitarum, ſingulorũ drach. II. ſeminis thlaſpios drach. XVI. gẽtianæ drach. IIII. aniſi drach. III. roſarum ſiccarum mundarum drach. V. E mei drach. quatuor, florum iunci odorati drach. ſex, opopanacis drach. ſex, galbani drach. ſex obol. tres, opobalſami drach. ſex obol. tres, ariſtolochiæ drach. vnam, hyſſopi drach. tres, marrubii drach. vnam, chamæpityos drach. tres, roſmarini drach. quinque, terebinthinæ Chiæ drach. ſex obol. tres, mellis Attici deſpumati quantum ſufficit. Vinum ne addas, ſed prædiſſolutis melle calido ſuccis, indéque tritis ac adiecta terebinthina, inſpergito ſicca contuſa & anguſtiſſimo cribro excuſſa: vnitóque, & reponito omnia. Datur drachmæ põdere, aut ad ſummum ſiliquæ F vigintiquatuor ex ea exhibentur.

Confectio cypheos, Cap. XCIX.

CÆterùm cypheos quæ in antidotum coniicitur, deſcriptio hæc eſt: Vuæ paſſæ tenuis ac pinguiſſimæ detracta pellicula & vinaceis, hoc eſt ipſius carnis, drach. vigintiquatuor, terebinthinæ vſtæ drach. vigintiquatuor, myrrhæ dr. duodecim, cinnamomi drachm. quatuor, floris iunci odorati drach. quatuordecim, croci drach. vnã, bdellii drach. ſex, onychos hoc eſt vnguis aromatici drachmam vnam, aſpalathi drach. duas & dimidiam, ſpicæ G nardi drach. tres, caſiæ drach. tres. cyperi drach. tres & dimidiam, baccarum iuniperi magnarum drach. tres & dimidiam, calami aromatici drach. nouem, mellis quãtum ſatis eſt, vini odorati parum. Myrrham, bdellium, & terebinthinam vſtam contere cum vino vt mellis craſſitudinem induant: deinde vuam paſſam per ſe probè tritam adiice, ſimúlque tritis mellis ſufficientem modum infunde, ac reliqua inſperge, paſtilliſque inde formatis vtere. Vritur autem terebinthina hoc modo: Terebinthinam coniice in ollam, & triplum aut etiam amplius aquæ in- H funde, & ad ignem adhibe, nihilque omnino mouendo coque. vbi verò conſumpta fuerit aqua, & terebinthina attenuata ac inualida reddita, vt digitis confringi poſſit, eam tolle, atque in antidoti confectionem aſſume. Si verò inſumpta aqua adhuc mollior appareat terebinthina, aliam aquam ſuperfunde, rurſúſque ad ignem adhibe,

donec friabilis reddatur.Datur autem cyphi ipſum & per ſe commodè iis qui hepar, aut pulmonem, aut renes, aut aliquod aliud viſcus exulceratum vel obturatum habent.

De antidoti Mithridaticæ vſu,

Cap. C.

DAtur itaque ad ſummum ex præſcripta antidoto Mithridatica nucis, Pōticæ magnitudo: eis verò qui ad integram ætatem peruenerunt Græcæ fabæ. augetur autem & minuitur hæc magnitudo in mediis ætatibus. Atque iis quidem qui febre carent,ex vino danda eſt, aut vino mulſo,aut condito, ſi quidem hepar habeant obturatum:febricitantibus verò,ex aqua aut aqua mulſa. Facit enim ad antiquas ſtomachi fluxiones, itémque thoracis, & ad omnes inueteratas in profundo corporis exulcerationes aut abſceſſus, facit ad tabidos, & ad ventris inflationes. & cœliacis medetur. Emēdat & reducit obtuſum appetitum,& bonum colorem corpori addit. Frangit lapides,ſanat vrinæ difficultatem & atram bilem congregari vetat:fœtus immortuos expellit,& ad alias item affectiones conueniens eſt.Acuit viſum eorum qui eam accipiunt. plurimam autem(præſertim præſumpta)vim habet,quòd non permittat quempiam à lethali veneno lædi: qua gratia etiam à Mithridate compoſita eſt & appellata.

Antidotus Eſdræ aut prophetæ doctoris,

Cap. CI.

AMomi ſcrup. duodecim, floris iunci odorati drach. nouem,pyrethri drach. ſex, croci ſcrup. trigintaſex, cinnamomi ſcrup.ſex aut caſiæ duplū,myrrhæ troglodyticæ ſcrup. duodecim, ſtyracis calamitæ ſcrup. XVIII. petroſelini ſcrup.tres,ſeminis dauci ſcrup. tres, tragacanthæ ſcrup.ſex, ſucci hypociſthidis ſcrup. IX. iridis Illyricæ incorroſæ ſcrup. quindecim, ſeminis fœniculi ſcrup. ſex,bdellii ſcrup.nouem, thuris drach.vnā,ſulphuris viui ſcrup.ſex,ſeminis hyoſcyami albi ſcrup. vigintiſeptē, caſiæ ſcrup.nouem,ſeminis papaueris ſcrup.triginta, ſpicæ nardi ſcrup.duodecim, ſeminis rutæ ſcrup.tres,ſeminis ocymi ſcrup.tres,rhois culinarii ſcrup.quinquagintaquinque,ſeminis anethi ſcrup.ſex,aſari drach.vnam,ſeminis cardamomi reiecta medulla ſcrup. ſex, opii ſcrup. vigintiſeptem, euphorbii ſcrup. ſex, piperis ſcrupulos triginta,roſarum ſiccarum ſcrup.nouem,folii ſcrup. duodecim,opobalſami ſcrupulos vigintiquatuor, ventris mergi ſcrupulos ſex,laccæ ſcrup. duodecim, lycii Indici ſcrupul.duodecim,caryophylli ſcrup.duodecim, ſtercoris reperti in aluo mergi ſcrup.ſex,rhei Pontici ſcrup.duodecim, mei athamātici ſcrup.ſex,floris nerii ſcrup.quatuor & dimidium,terræ cimoliæ ſcrup.duodecim,ſucci artemiſiæ ſcrup.viginti,foliorum ſeridis ſcrup.nouem,ſpicæ Celticæ ſcrup.duodecim,roſarum rhododaphnes ſcrup. ſex (alii etiam caſtorei ſcrup.duodecim:verùm tu caſtorei ſcrup.tres coniicito) coſti ſcrup.duodecim, gentianæ ſcrup.duodecim, confectionis hedychroi ſcrup.nouem, aniſi ſcrup.ſex,ſiſonis ſcrup.octodecim,ammoniaci thymiamatis ſcrup.duodecim,quandoque & foliorum citri ſcrup.duodecim, vini veteris odorati quantum ſatis eſt, mellis deſpumati primarii lib.quinque vel ſex. Apparatur autem hoc modo: Arida omnia cum croco & caſtoreo ac hedychroo tundito, & per anguſtiſſimum cribrū excutito: opium verò,myrrham, hypociſthidē, bdelliū, lycium,ammoniacum in vino macerato. tragacantham autem per ſe macerato.Sequenti deinde die roſas rhododaphnes & ſerin terito ac vnito, & tragacāthæ ſimiliter probè tritæ reliqua trita adiicito,& cum ſucco artemiſiæ vnito. mel quoque deſpumatum & tepefactum ſæpe inſtillato ne tragacantha exareſcat: deinde & arida tuſa inſpergito,ſufficientérque vnita probè contegito:in ſequentibus verò diebus ſeptem aut nouem,in ſole terito, & vaſis vitreis excipito. neque tamen vaſa expleto, ſed locum reſpirationi reliquum facito. Vſus eius eſt ad venenum iaculantium animalium plagas. datur autem fabæ magnitudine ex vini cyathis duobus manè & ante ſomnū eodem modo. illinitur & plagæ,eámque à periculo vindicat.Eis verò qui lethale venenum hauſerunt,poſt vomitus & ante, nucis Ponticæ magnitudine datur,manè &

A ad ſomnum cum vino.præſumpta etiam,veneno vim lædendi adimit. Ad capitis porrò dolorem eam in ſapa dilutam fronti illinito. dato & ad ſomnū phaſioli magnitudine,modica aqua & ſapa diſſolutam. Furioſis verò ante ſomnum datur fabæ magnitudine ex ſapa diluta:diſſoluitur etiam cum ſapa,& toti fronti & inter ſupercilia illinitur:per omnem item foris naſum ante ſomnum: maximè enim ſomnum inducit.Cæterùm ad oculorum inueteratas fluxiones ſapa liquefactam ad frontem vſque ad ſupercilia illinito.Ad molares dentes eroſos,itémque

B ad dentium dolores,cum ſapa liquefactam & calefactam ore detinendam præbe,& confeſtim quieſcet dolor. Ad tuſſim verò diuturnam & ſpirandi difficultatem ac orthopnœam,datur nucis Ponticæ magnitudine,non febricitantibus,cum aqua frigida:febricitātibus,cum aqua mulſa.datur autem ex ordine per dies ſeptem ante ſomnum. Ad tabidos verò ſubcruenta expuentes & eos qui abſceſſum internum habent,fabæ magnitudine dato cum ſapa modica frigida aqua diluta. Dato autē ad plures dies manè & ante ſomnum, & ſanabitur affectio quantumuis

C ſit diuturna.vtere igitur,neque eam contemnito. Porrò ad diuturnos ſtomachi dolores ex frigiditate obortos, cum ſapæ cyathis tribus magnitudinem fabæ dato ante ſomnum:ſi verò febricitent, cum aqua mulſa.Ad ſingultum verò ob repletionem aut frigiditatem,datur fabæ magnitudine ex aqua mulſa ante ſomnum: ad hepatis obturationes,fabæ magnitudine cum condito: ad durities verò cum aqua mulſa: ad ſplenicos ex aceto aut acetomulſo: arquato infectis ex vino mulſo, hydropicis ex aceto mulſo aut vino mulſo.illinito etiam cum antidoto

D tumefactas partes,& tumorem reficcabit. E lapide laborantibus datur cum ſapa: ad vrinæ difficultatem cum apii decocto,aut petroſelini,aut aliquo conſimili. Ad profluuium ventris & cœliacis & dyſenteriæ, maximè incipienti,nucis Ponticæ magnitudine dato, manè & ad ſomnum ex vino:in febrientibus ex poſca diluta confidenter vtitor. Ad podagrā fabæ magnitudine præbeto cum aqua mulſa. eliquatam etiam cum ſapa affectis locis illinito.Et ſiquidem principium fuerit affectionis,liberabitur ac euadet: ſi verò diuturnum fuerit malum,magno-

E pere iuuabitur.Ad coxendices affectos & reliquos articulos corporis fluxione infeſtatos, eam cum vnguento aliquo,gleucino puta,aut irino,aut ſicyonio eliquato, ac articulis illinito. Ad elephātiaſin, in principio præſertim, imò & iis qui iam malo oppreſſi ſunt, nucis Ponticæ magnitudine ex aqua mulſa bis per diem dato,eliquatam etiam cum vino toti corpori per nouem ex ordine dies in ſole illinito.diſcedit enim paulatim à corpore cutis,& veluti ſquamulæ decidunt, & tota concretio & corporis miſcella renouatur.Ad ægrè parientes mulierculas ipſam

F per ſe ad imum ventrem illinito, & facilè partus prodibit.Ad vlcera poſtremùm maligna & diuturna in cutis ſuperficie oborta, veſtis detritæ panniculo exceptam imponito.

Antidotus pæonia, Cap. CII.

ANtidotus pæonia,verè pæonium pharmacum multo vſu iudicatum & approbatum.Amomi ſcrup.octodecim,croci ſcrup. quadraginta, radicis pæoniæ ſcrupul. duodecim,ſeminis pæoniæ ſcrup. duodecim, piperis albi ſcrup. nouem, piperis communis ſcrup. duodecim.

G phylli ſcrup. nouem,euphorbii ſcrup.nouem, ſpicæ nardi vnciam vnam,rhei Pontici ſcrupulos duodecim,coſti ſcrup.duodecim,petroſelini ſcrup.XIII.opii ſcrup.quindecim,ſeminis hyoſcyami albi ſcrupulos duodecim,(alii ſcrupulos octodecim habent) ſtyracis primarii ſcrupulos nouem, myrrhæ troglodyticæ ſcrupul. duodecim,caſiæ vnciam vnā, pyrethri ſcrupulos duodecim,thuris ſcrupulos octodecim,caſtorei ſcrupulos ſex,calaminthæ ſcrupulos nouem, mellis deſpumati quod ſatis eſt, itémq; vini. Opium,myrrham, thus, cum vino terito: ſtyracem verò

H cum modico melle liquefactum ſimiliter probè terito, atque eis vnito:adiectiſque aridis tritis melle excipito,ac vtitor.Dantur ex ea ſiliquæ tres,cum aqua calida ieiunis, frequenter etiam ante ſomnum prout res vrget. Facit autem ad deſtillationes è capite,& tuſſes, puriſque reiecta-

tiones,tabidos,peripneumonicos,pleuriticos. præter opinionẽ enim thoracẽ extra periculũ ſiſtit,tũ quod à deſtillationibus tũ quod ab vlcerationibus imminet,etiãſi ſanguinẽ reiectẽt. Ad anginã verò vino mulſo diluta vtere aſſiduè gargarizãdo,pinnuláq; etiã cũ melle illini. Ad colicos autẽ & ex renum lapide affectos, excellẽter efficax exiſtit. In exacerbationibus enim colicorum febre carentium exhibita, eueſtigio dolores ſedat: ſi verò febriant, remiſſiones febriles obſeruato: atque ita exhibeto. Frangit enim calculos,& ab vrinæ difficultate liberat, ea præſertim quæ ex craſſis humoribus & propter obturationem eſt oborta. Infunditur etiam,& maximè in ipſis colicis, vehementiſſimis vrgentibus doloribus, cum oleo rutaceo:& ſtatim à periculo liberat. Longas autem febres, maximè quotidianam & quartanam facilè ſoluit duabus ante acceſſionem horis data. quin & ægros ad reficienda corpora optimè paratos fecit. Datur autem non in principio morborum, ſed quum perfecta concoctio apparuerit in vrinis. Cæterùm ad peſtilentes & populariter graſſantes morbos ex vitiato aere obortos in corporibus, ſummè auxiliatur,& in principio ſanè data peſtilentem prohibuit ſæpe diſpoſitionem. præſeruat etiam in dyſenteriis & torminibus inteſtinorum. Inducit & ſomnos dolori minimè obnoxios, neque ſoporem ac ſtuporem infert veluti reliqua ad leuandos dolores apparata: verùm ſomnum tandiu detinet, quouſque pharmacum penetrarit, & cauſas dolorum diſſoluerit. Et ſanè multi ex ægris à ſomno ſurrexerunt adeo concoquendi facultate præſtantes, vt obliti ſint an vnquã aliquid à principio doluerint. Plura autem his & vltra promiſſa, ei confidere potes. At verò ſi viſceris alicuius inflammatio adſit, cauere oportet ne exhibeamus eam priuſquam inflammatio laxetur. Quòd ſi tamen periculum maximum inſtet, id ipſum præfatus ac præteſtatus dato, quò ſucceſſuræ curationi per ipſam æger adſeruetur, eáque tandem victoriam obtineat morbi.

Antidotus aromatica optima, Galli,
Cap. CIII.

FAcit ad omnes, maximè tamen inueteratas circa os ventris atque ipſum adeo ventrem, affectiones, & ad hepaticos. eſt ſtomacho vehementer grata & efficax. Cinnamomi drach. vnam, aut caſiæ duplum, amomi dextantem, ſpicæ nardi trientem, folii trientem, myrrhæ troglodyticæ drachmam vnam, caſiæ beſſem, croci vnciam vnam, floris iunci odorati vnciam vnam, coſti vnciam vnam, piperis ſeſcuncem, mellis Attici deſpumati quantum ſatis eſt. Ego autem, inquit, cinnamomi modum cõduplico, meliórque antidotus redditur. Datur nucis Ponticæ magnitudine cum vino aut vino mulſo, aut etiam cum aqua mulſa, ſi adſit febris.

Antidotus ex duobus piperis generibus,
Cap. CIIII.

ANtidotus ex duobus piperis generibus quemadmodum eam deſcribit Archigenes, leuans dolorem, finiens febrem, reſiccans & concoquens. facit ad colicos. Hanc etiam Crito apparauit hoc modo: Croci drach. ſex, caſiæ drach. tres, cinnamomi drach. duas, coſti drachm. quatuor, ſtyracis drach. octo, piperis longi drach. quatuor, piperis albi drach. quatuor, galbani drach. quatuor, myrrhæ drachmas quatuor, (quidam verò decem ſumunt) opii drach. tres, caſtorei drach. quinque. Succulenta cum vino vetere terito, reliqua verò contundito & cribrato ac tritis adſpergito,& mellis deſpumati quantum ſufficit adiicito, vnitóque ac adſeruato. datur quibuſdam magnitudine fabæ, aliis magnitudine erui. colicis verò à cibo præbeto cum vini auſteri cyatho vno: in affectionibus autem circa hepar & veſicam ex paſſo dato: tabidis & pectore ſuppuratis fluxionéque infeſtatis ex aqua mulſa. Vtitor & ad quartanas & ad alios diuturnos & per circuitum repetentes rigores, duabus ante acceſſionem horis.

Antidotus Athanaſia, Cap. CV.

ATHanaſia, vt nunc apparatur: eſt autem Ægyptiorum inuentum. Croci, ſpicæ nardi, folii malabathri, coſti, fœnigræci, glycyrrhizæ, radicis eupatorii, petroſelini, ſtyracis, caſiæ, opii, ſing. æquales partes, mellis quod ſatis eſt. Datur ad ſummum nucis auellanæ magnitudine, hepaticis quidem, ſi non febriant, cum vino mulſo: febrientibus verò, cum aqua mulſa. datur ad dies ex ordine ſeptẽ. In angina cum melle delingẽdam dato: in affectionibus pulmonis & pleuriticis cum aqua mulſa. Stomachicis,& qui non concoquunt cibum, cum poſca: in fluxionibus verò ſtomachi ac alui in catapotia informatã dato: quibus deglutitis aquam frigidam præbe bibendam. Ad exulceratam veſicam & vuluam cum tepida aqua: in morbo arquato, hydrope,& renum morbo cum vino mulſo exhibeto. Ad febres diuturnas per circuitum redeuntes, ſummè auxiliatur ante acceſſionem accepta. iis qui diuturna oculorum fluxione laborant, ad noctem dato, & frontem ex ea illinito. Hæmoptoicis & dyſentericis ex poſca ante ſomnum exhibeto.

Oribaſii theriaca, qua Marcus Imperator vſus eſt, quæ ante & poſt infectionem ſumitur,
Cap. CVI.

TRifolii bitumen olentis ſeminis, rutæ ſylueſtris, farinæ erui rufi, ariſtolochiæ rotũdæ, æquales omnium partes in paſtillos redige,& ex eis drach. vnam cum vino & oleo præbe. Alia confectio valde bona. Farinæ erui rufi drach. quadragintaocto, aniſi, ſeminis fœniculi, ammii, ſeminis apii, ſing. drach. octo, mei drach. quatuor, ſeminis trifolii, opopanacis, ſerpylli, cuiuſque drach. quatuor, cum vino redige in paſtillos, & cum vino ter præbe bibendos.

Oribaſii theriaca ex bryonia,
Cap. CVII.

THeriaca ex bryonia ad venenatorum animalium morſus & veneni hauſtum, ad morſos à vipera,& à ſcorpio percuſſos: Radicis bryoniæ, opopanacis, iridis, roſmarini, opii, myrrhæ, ſing. drach. quatuor, ariſtolochiæ drach. quinque, thuris drach. ſex, ſeminis rutæ ſylueſtris drach. ſex, cumini drach. ſedecim, (alii tres tantùm drachmas habent) farinæ erui drach. ſedecim, (alii quatuor habent) cum vino paſtillos informato, atque ter cum vino præbeto. Philonis antidotus ad colicos præſcripta eſt: Iſotheos antidotus ad tuſſim relata eſt.

Antidotus Hadriani, Cap. CVIII.

PIperis drach. viginti, ſeminis hyoſcyami albi drach. viginti, opii drach. decem; croci drach. quinque, ſpicæ nardi, euphorbii, amomi, pyrethri, cyperi, cardamomi, folii, rutæ ſiccæ, caſiæ, caſtorei, ſeminis dauci, myrrhæ, petroſelini, cuiuſq; drach. I. roſarũ ſiccarũ ſeſquidrach. ſeminis apii ſeſquidrach. zingiberis drach. II. opobalſami drach. II. mellis quantum ſatis eſt. Datur ad ſummũ nucis Ponticæ magnitudine: minimum verò fabæ Ægyptiæ modo. Facit ad colicos ante ſomnum data ex aqua calida: ſtomachicis,& qui reuomunt cibum, ex poſca, in vrinæ ſtillicidio ex aqua calida: hæmoptoicis ex poſca: dyſẽtericis eam in catapotia redigito,& ab eorum deglutitione modicam poſcam abſorbendam præbeto. Tabidis ad noctem cum hydromelite dato: aridè verò tuſſientibus cum melle delingendam exhibeto: morſis à phalangiis & viperis cum vino mulſo. Educit & menſes cum vino mulſo accepta in quo pulegium, aut calaminthe, aut ruta ſint incocta. colicis cum aqua mulſa datur.

Antidotus achariſtos, cui digna gratia referri non poteſt, Cap. CIX.

CAſiæ, myrrhæ, piperis albi, piperis nigri, caſtorei, galbani, ſtyracis, croci, coſti, opii, ſpicæ nardi, ſingul. par pondus. mellis quantum ſatis eſt. datur magnitudine fabæ. Facit ad omnia diuturni temporis purulenta in thorace,& ad hepaticos, cum aqua mulſa, & ad colicos eodem modo: ad ſplenicos cum aceto mulſo. Reperias autem ipſam & ad alias plurimas affectiones approbatam.

Philagrii antidotus ex ſulphure viuo,
Cap. CX.

FEbrem finit. Hac, inquit Philagrius, omnino vtor ad diuturnos per circuitum repetentes rigores: Sulphuris viui, ſeminis hyoſcyami albi, ſeminis cardamomi citra medullam, ſtyracis, opii, myrrhæ, cuiuſque drachm. octo, coſti drach. decem, rutæ drach. decem, croci drach.

tres,caſiæ drach.vndecim,piperis drach.duodecim.exci A
pe melle Attico deſpumato. Dato hora vna ante impetũ
exacerbationis ex poſca dilutiore calida,& poſt modicũ
interſtitium dormire iubeto.ſomnum enim inducit,at-
que omnes diuturnos febrium inſultus ſoluit. Verùm nõ
conuenit eam prius exhibere quàm bona concoctio ma-
nifeſtiſſimè ex vrinis deprehendatur.Bene proſpicere e-
tiam oportet quò is qui accepturus eſt,redundantibus ex-
crementis non ſit onuſtus,& maximè ſi febres quotidia-
næ exiſtant.Datur ad ſummum, quum adhuc in vigore
eſt pharmacum,nucis Ponticæ magnitudine. B

Theriaca Democratis, Cap. cxi.

MEdetur hæc morſibus animantium virus iaculan-
tium,viperarum,ceraſtæ,aſpidum, natricum terre-
ſtrium plagis,& paruarum beſtiarum puncturis, itémque
veſparum:& marinæ turturis ſiue paſtinacæ ac draconis
ictibus, phalangiorum item & ſcorpionum. Apparatur
hoc modo:Iridis Illyricæ,zingiberis,opopanacis,opii,her
bæ roſmarini,myrrhæ troglodyticæ, ſeminis trifolii bi-
tumen olentis,cuiuſque drach.octo, ariſtolochiæ drach.
vndecim,ſeminis rutæ ſylueſtris drach.duodecim, radi- C
cis bryoniæ aridæ albiſſimæ drach. ſedecim, ſerpylli,ca-
ſtorei,radicis eryngii,ſeminis apii,cumini Æthiopici re-
centis,cuiuſque drach.ſex,(alii drach.duodecim habent)
farinæ erui rufi,drach.vigintiquatuor.Omnia hæc contũ
dito & cribrato:opopanaca verò cum vino diſſoluito, ei-
que arida inſpergito,& in paſtillos reducito,& ex eis dra-
chmam vnam cum vino veteri meraco bibendam præ-
beto. ſtatim enim vt potatur commoditatem ſuam oſtẽ-
dit.facit ad coli aut ventris inflationes ex aqua ter pota-
ta. facit & ad eos qui intrinſecus aliqua parte dolent D
citra manifeſtam cauſam.

Antidotus theodoretos ex anacardiis,
Cap. cxii.

ANtidotus theodoretos, *hoc eſt diuinum munus*, ad totũ
hominem vtilis eſt.facit ad vertiginem & omnes ca
pitis affectiones,omniáque pectoris vitia emendat: ma-
ximè verò ſuſpirioſis,orthopnoicis,tabidis,pleuriticis,he
paticis,ſplenicis,& quibus exaceſcit in ventre cibus, & o-
mnibus diuturnis circa ſtomachum & ventrem affectio-
nibus prodeſt.His item qui ex longis morbis ſe ægrè re- E
ficere poſſunt,& qui decolores ſunt, & quib⁹ corpus in ar-
quati colorem mutatur,& quibus aqua ſubter cutem ef-
fundi incipit,renum etiam affectionibus,& eis qui aſſi-
duo coli dolore affliguntur,auxiliatur:omnémque habi-
tum corporis corroborat. Quin & febribus inordinatè
veteraſcẽtibus, atque etiam per certum circuitũ redeũ-
tibus, ante acceſſionem data prodeſt. Mirabiliter vtilis
eſt mulierculis quæ purgationis menſtruæ ſtillicidio ac
ſtrangulatu vexantur,& quæ ab vtero ſuffocantur. ſoluit
etiam ventrem citra moleſtiam. educit enim ea quæ iã F
longo tempore inteſtinis inhæſerunt.&(vt ſemel dicam)
eſt diuinum donũ. huius enim vſu in omnibus ſenties
ſucceſſum. Quòd ſiquis,vere & autumno præſertim, ſe-
mel aut bis ea vtatur,neque circa diætam magnopere de-
linquat,nullis morbis obnoxius fiet.non ſolùm enim præ
ſentes affectiones ſedat, ſed quas etiam futuras timemus
impedit. habet autem hoc modo:Croci,caſiæ,phylli,ſpi-
cæ nardi,mei,agarici,rhei Pontici, floris iunci odorati,
acori,epithymi,piperis,ſarxiphagi,iridis Illyricæ,caryo-
phylli,carpobalſami,myrobalani interni,cuiuſque ſcrup. G
nouem,anacardiorum ſcrup.decem,aloes ſcrup.xxvi.
mellis deſpumati lib.iii.Datur ad ſummum drach. qua-
tuor põdere ex aqua mulſa,aut vino,aut vino mulſo, ſe-
cundum quod cuique affectioni commodum fore pu-
tas.Cæterùm ſi ſcãmoniæ ſcrup.ix. aſſumpſerit,præter o-
pinionẽ flauã bilẽ purgat:ſi verò epithymi ſcrup.ix. acce
perit & ſcãmoniæ ſcrupuli dimidium,atrã bilẽ expurgat.
id quod multo adhuc efficacius præſtat, ſi pro epithymo
veratri nigri corticis drachmam vnam aſſumat. In pitui
toſis porrò vtiliter ad eius exhibitionem colocynthidis H
medulla tuſa & tenuiſſimè cribrata admiſcetur.

Theodoretos aliter apparata, Cap. cxiii.

ALoes drach. lx.& ſiliquas lx.agarici drach. xxiiii.
croci drach.ſex,rhei Pontici drach. ſex,aſari drach.
iiii.coſti drach.octo,acori drach.ſex, cinnamomi drach.
ſex,xylobalſami drach.quatuor, ſpicæ nardi drach. tres,
caſiæ drach.ſex,mei drach. duas,chamædryos drach.iiii.
maſtiches drach. ſex, piperis albi drach. quatuor, mellis
deſpumati quantum ſufficit. dantur ex ea ad ſummum
drach.quatuor,ad emolliendum ventrem. Quòd ſi quo-
tidie ea vt antidoto vti velis in aliqua ex prædictis affe-
ctionibus,nucis Ponticæ aut ampliori magnitudine præ-
bebis.Quidam verò & piperis nigri,& albi, & longi,ſin-
gulorum drach.duas addunt.item amomi,floris iunci o-
dorati,zingiberis,cuiuſque drach.duas. gentianæ inſuper
drach.duas aliqui adiiciunt.

Theodoretos per acetum mulſum apparata,
Cap. cxiiii.

FAcit hæc magis ad omnes capitis affectiones, & deli-
ria ex atra bile oborta,itémque inſaniam.facit ſtoma-
chicis & colicis, hepaticis, atque amplius adhuc ſpleni-
cis & hydropicis. Habet compoſitio hoc modo: Spicæ
nardi,folii,croci,mei, caſiæ, epithymi, floris iunci odo-
rati,rhei Põtici, myrobalani,caryophylli,cuiuſq; drach.
quatuor, aloes ſextantem, carpobalſami ſcrup. ſedecim,
zingiberis ſcrup. ſedecim, maſtiches ſcrup. quatuor, iri-
dis trientem,anacardiorum ſcrup.quatuor, agarici ſcrup.
octo,corticis radicis fœniculi libr.vnam, aceti acerrimi
ſeſquiſextarium,mellis ſeſquiſextarium. Corticem præ-
lotum,in aceto per triduum macerato. deinde vt dimi-
dium relinquatur coquito, percolato, & ad acetum mel
adiicito,rurſúſque ad mellis ſpiſſitudinem coquito, atq;
vbi tepuerit,ad arida tenuiſſimè trita in mortarium ad-
dito,& diligenter vnito,reponito,ac vtitor velut in prio-
ribus dictum eſt.

Picra ſiue amara per acetum mulſum apparata,
Oribaſii, Cap. cxv.

FAcit ad ſtomachicos,colicos,vuluæ ſtrangulatus,hy-
dropicos. Corticis radicis fœniculi libras tres, aceti
acerrimi libras ſex. radices aceto ad tertias coquito, &
percolato,aceto mellis libras quatuor adiicito,& ad mel-
lis ſpiſſitudinem coquendo redigito,refrigerato,& pau-
latim ad ſubſcripta tenuiſſimè trita in mortarium addi-
to. ſunt autem hæc:Aloes beſſem,iridis ſextantem, ma-
ſtiches vnciam vnam,zingiberis,caſiæ,nardi Celticæ,he
lenii,ſing.vnciam vnam,piperis drach.quatuor,mei vnc.
vnam, aut ſi non adſit, nihil impedit. Datur cochlearii
menſura cum aquæ mulſæ cyamis quatuor. (eſt id pocu-
li genus,& Ægyptio vocabulo ciborium appellatur.) Ab
acceptione etiam,aquæ calidæ cyamos duos abſorbeant.

Cyphi ex rebus trigintaſex, Cap. cxvi.

THuris ſeſcuncem, ſtyracis pinguis libr.vnam, myr-
rhæ trientem,folii quadrantem, coſti trientem, a-
momi quadrantem,ſpicæ nardi quadrantem, caſiæ qua-
drantem,ſabinæ,cardamomi, ammoniaci thymiamatis,
iridis,carpobalſami, ſing.ſextantem, nardi Celticæ,hele-
nii,hypni,floris iunci odorati,aſpalathi, cuiuſque vnciã
vnam, maſtiches quadrantem, ladani quadrantem, bac-
carum iuniperi magnarum & paruarum,bdellii,ſingulo-
rum ſextãtem,ſeſelis vnciam vnam,cyperi vnciam vnam,
croci trientem,ſeminis cupreſſi vnciam vnam,(alii dra-
chmam vnam habent) calami aromatici drachmas qua-
tuor,roſas virides numero quingentas, terebinthinæ de-
puratæ ſeſcunciam,caricarum pinguium ſeſcuncem,pal-
marum pinguium quadrantem, carunculæ vuarum paſ-
ſarum quadrantem,nucum pinearum quadrantem, ſucci
haſtulæ regiæ vnciam vnam,mellis ſeſquilibram,vini o-
dorati quantum ſatis eſt.Arida contuſa & cribrata cum li
quidis excipito,palmis,caricis, vuis paſſis prius in morta
rio tuſis.deinde maſtichen tritam eis addito, & bdelliũ,
ac pineas nuces roſáſque, & thus, vnumquodque per ſe
tritum.poſtea etiam ſtyracem adiicito, & ladanum,per ſe
in mortario contuſa: deinde terebinthinã & mel adfun-
dito,& arida infarcito.Ego verò thus, bdellium,myrrhã
& ladanum cum vino tero, atque ita ad tuſa in mortariũ
coniicio, & paſtillis inde formatis vtor. Facit ad capitis
dolorem fronti illitum cum aceto, ſimiliter & ad oculo-
rum lippitudinem cum vino: ad hepatis & renum exul-
cerationes cum paſſo, ad obturationes eorundem, cum

vino mulſo. Tuſſientibus, tabidis, orthopnoicis, cum aqua mulſa. ſtomachicis, ſplenicis, iſchiadicis, cum aceto mulſo. Ad tormina, lunaticos & morbum comitialem, cum aqua calida. datur drachmæ pondere.

Cyphi ex rebus vigintiocto, Cap. CXVII.

ASpalathi, bdellii, helenii, ladani, ſtyracis, myrrhæ, cuiuſque drachmas ſeptem, baccarum iuniperi magnarum quinquaginta, paruarum itidem quinquaginta, ſucci haſtulæ regiæ trientem, ſabinæ trientem, croci ſextantem, coſti ſextãtem, cardamomi quincuncem, cyperorum quincuncem, ſeminis cupreſſi quadrantem, nardi Celticæ dextantem, (alii etiam caſiæ habent ſextantem) ſphagni ſiue hypni quincũcem, amomi ſextantem, ſpicæ nardi ſextantem, roſarum ſiccarũ quadrantem, floris iunci odorati ſextantem, nucum pinearum quadrantem, foliorum malabathri quadrantem, caricarum libras duas, vuarum paſſarum pinguium ſextantem, terebinthinæ Chiæ libram vnam, palmularum pinguium carunculæ lib. vnam, mellis libr. quinque, vini ſextarios duos. Apparato & vtitor vt dictum eſt. etenim quæ ex huiuſmodi rebus apparantur, ad prædicta optimè faciunt.

Maſnaphii confectio, Cap. CXVIII.

CRoci quadrantem, ſtyracis vnc. triginta, ladani vnc. XXIIII. galbani quadrantem, caryophylli ſeſcuncem, roſarum ſiccarũ vnc. XII. ſertulæ Campanæ vnc. XVIII. hypni (canabicula id parua eſt ex arbore quæ Damaſcenea dicitur, itémque ea quæ Rhodacinea appellatur exorta) beſſem, malabathri ſeſcuncem, arnabo vnc. XII. coſti, vnguium aromaticorum, caſiæ, zacathii, ſingulorum ſeſcuncem, aſari quadrantem, carpobalſami vnc. XXIIII. pilularũ cupreſſi quadrãtem, foliorum lauri quadrantem, cachula quod cauchryõ eſt, vnc. I. amomi vnc. XII. ſpicæ nardi, gummi, cuiuſque ſeſcuncem, vini libr. VI. contere & ad formam quancunque velis redige.

Thymiama ſiue ſuffimentum Berenices, Cap. CXIX.

SEminis viticis, melanthii, cornu cerui, ſampſuchi, baccarum lauri, abſinthii, ſulphuris viui, bituminis Iudaici, ſaluiæ, radicis cyclamini, artemiſiæ, origani, rutæ ſylueſtris, cumini, caſtorei, lapidis gagatæ, aniſi, conyzæ, roſmarini, buccinorum vſtorum, reſinæ, ſing. vnc. I. cedriæ ſextantem, picis zacynthiæ pinguis lib. I. quidam etiam radicis pæoniæ vnc. I. ſed nos eam non admittimus. Omnia contuſa & cribrata, cedria, reſina, ac pice excipito, in paſtillóſque redigito, ac vtitor. Facit ad anginam potatum, & ſuffitum ita vt hiante ore æger vaporem hauriat. Ad omnem verò vigiliarum ſpeciem vino liquefactum fronti illinito, atque ipſi forinſecus naſo: quin & intrinſecus nares ſublinito, & ſuper prunas proiectum ſuffito, & ſomnum ægro conciliabit. Facit & ad ozænas ſordidum & fœtidum narium vlcus, ipſis naribus ex eo illitis cum aceto. Fugat animalia venenata muſcáſque & culices ſuffitu. & (vt quidam tradunt) etiam immundos ſpiritus arcet. Porrò de pharmacis dolorem leuãtibus ſcriptum eſt in præcedentibus Quaternionibus, ſermonis noni Cap. XXXII. & octaui Cap. LV.

De Elephantiaſi, ex lib. Archigenis, Cap. CXX.

ELephantiaſis à quibuſdam leontiaſis, ab aliis ſatyriaſis appellatur. Elephantiaſis quidem à magnitudine & diuturnitate affectionis nomẽ accepit, imò & propter cutis aſperitatem quæ in quibuſdam ſuccedere conſueuit: leontiaſis autem appellatur, quum frons ægrorum cum quodam tumore laxior redditur, ad ſimilitudinẽ pellis flexilis ſuperciliorum leonis: ſatyriaſis verò dicitur propterea quòd malæ faciei iiſdem cum rubore attolluntur, & muſculis maxillaribus veluti conuulſionem patientibus, mentum ipſum dilatatur, quemadmodum etiam ridentibus euenire ſolet, ſimilitudine quadam ad picturas ſatyrorum: quin & alacritas vehemens ad coitum ipſis adeſt, quemadmodum & de ſatyris fertur. Eſt autem grauis morbus, & propè ex eorum numero qui incurabiles exiſtunt: & grauis quidem eſt ipſi ægro, intolerabilis autẽ conſpicientibus, vtpote qui ipſum omnino auerſantur, adeo vt & plerique ex neceſſariis & domeſticis, ægri

A ipſius conuerſationem deuitent. etenim ſuſpicionem de ſe præbet malum tanquam ſit contagioſum. Atque ego ſanè malum eſſe affirmo cum ipſis conuerſari: inquinatur enim aer quem inſpirando adtrahimus, ex vlcerũ fœtore & ex vitiata ſpiritus exhalatione. Cæterùm affectio ipſa non ſolùm ob id grauis eſt quòd indiſſolubilem ferè habeat ſtructuram & apparatum, ſed quòd principia generationis eius fermè ſint ignota. quum enim circa ſuperficiem iam veſtigia eius apparent, tunc non gignitur ſed perficitur, intus à viſceribus initio facto, & progreſſu B vſque ad cutem dilatato: quare non abſimile eſt tumentes eminentias etiam in internis oboriri. Apprehenduntur autem hac affectione viri magis quàm fœminæ: atque inter illos magis qui craſſum & viſcoſum ac atra bile redundantem ſanguinem habent, & qui pituitam multam ſalſam aut acidam gignunt: amplius verò & qui victu craſſo & ægrè concoctili vtuntur, & qui in otio degunt: non minus verò iis & qui multis exercitiis inordinatè vtuntur, & per hoc ſanguinem inſpiſſant: itémque ii qui cibos aſſiduè in ventre corrumpunt: quod verò ad æ- C tatem attinet, pueri & iuuenes, maximè quo tempore pubeſcere incipiunt. Regio verò huius mali inductrix eſt, tum quæ valde calida eſt, tum quæ vehementer frigida eſt. Et altera quidem ob id quòd ſanguinem adaſſet: altera, quòd frigore ſuo eundem congelet, & perſpirationes prohibeat, ac inſitum calorem ſuffocet. Conſequitur eos qui obnoxii futuri ſunt malo, ſegnities, ſpiratio tarda, ſpirandi difficultas, motus difficilis, aſſidua conſtrictio alui, vrinarum veluti ſunt iumentorum lotia excretio, reſpiratio grauis & fœtida, ructus continui, qui etiam ipſis ægris D aliquid moleſtiæ addunt, appetitus non obtuſi quidem neque inflammati, impetus in venerem intenſus. Iam verò vbi ad cutem progreſſum fuerit malũ, malæ primùm craſſiores fiunt & mentum: deinde rubeſcunt, non florido ſed liuido rubore. Et ſub lingua venulæ varicoſæ fiunt ac nigreſcunt: quod ſignum eſt etiam viſcera ipſa in ſimili conſtitutione eſſe, eiuſmodi planè qualis in porcis quibuſdam circa interna videtur, quæ grandinis nomine inſignitur. Quandoque verò & per omne corpus eminentiæ apparent, & præſertim iuxta ſummam frontem ac E mẽtum. Corpus præterea ipſorum magnum eſſe videtur, & cuiuſdam intolerabilis grauitatis ſenſus eis adeſt: vnde neque potu neque cibo admodum ſuauiter delectantur. Puſillanimes fiunt ad omnia, neque præ vitæ amore vitam relinquere & cõtemnere poſſunt, neque affectionem ipſam generoſo animo perferre: verùm veluti ſeipſos condemnantes ſe occultant, & notos homines vitant. Quidam porrò ex eis, ad modum eorum qui ſuffocantur aut ſtrangulantur, maximè circa ſomnos, afficiuntur. Quemadmodum igitur perfectè à malo eiúſque diuturnitate F victis fruſtra manum admouemus, ita & abſtinere ab iis qui iam affectione corripi & tentari videntur, planè deſperantium hominum eſt & malignorum. Humanum enim & plenum beneuolentiæ ſignum eſt, in extremis etiam malis vſque ad experimentum procedere, ad difficultatem affectionis compeſcendam.

Cura elephantiaſi affectorum, Cap. CXXI.

QVum igitur quædam ex prædictis ſigna affectionis apparuerint, citra dilationem ſanguis auferatur par- G ticulatim ex vtroque cubito. reuiuiſcit enim inde aliquo modo inſitus calor, vt ſenſibiliter corpus ipſum alleuetur. habendus tamen eſt modus in euacuãdo: in multo enim inutili & vitiato ſanguine, parũ quiddã genuini ſanguinis ineſt. Poſt ſanguinis autẽ detractionẽ, paucis dieb⁹ interpoſitis aluus infernè ſubducatur. & primùm quidẽ colocynthidis pulte vtendum eſt, ex qua catapotia XVIII. nucum Ponticarum magnitudine exhibeãtur. eius autem apparatus prædictus eſt in coxendicum morbi tractatu. Sequẽti deinde die duodecim catapotia præbeantur: ſi H verò ea accipere recuſarit, per hieram noſtram purgato. mirabiliter autem eis conducit per menſem ſemel data.

Poſt dies autem aliquot, ſero lactis ſciſſi vtendum, ex eóque non minus tribus heminis, neque vltra quinque accipiendum. fit autem lac aſininum, ſi haberi poteſt, ex quo

ex quo ſerum ipſum ſumitur. Admiſcendum eſt etiam i-
pſi veratrũ trium obolorum pondere,& ſcammoniæ ſcru
pulus I. ita vt hæc ipſa cum modico ſero ieiunis præbea
mus,atque deinde ipſum ſerum paulatim per ſe exhibea-
mus, hac enim purgatione frequenter vtendum eſſe cẽ-
ſeo. Omnino nanque conandum eſt vt omnem corporis
miſcellam ab affectione occupatam liquefaciamus,aliám
que quandam veluti ex integro regeneremus. Idipſum
verò fiet ſi per interualla opportunè purgationes adhibeã
tur,& cibi apponantur qui facilè concoqui, & per corpus
diſtribui poſſint. Poſt quorum acceptionem vomitus à ci
bo fiãt,deinde etiam à raphanis à ieiunis:poſtea ad vera-
trum perueniendũ: ac primùm quidem decoctum vera-
tri exhibendum eſt: deinde & bulbos ipſius contuſos, &
ad finem virgas optimas ex eo præbebimus. id verò
quomodo fieri debeat,iam antea diligẽtiſſimè traditum
eſt in tertio huius tractationis Sermone. poſt hæc autem
virium refocillatrice diæta vtendũ. Ad os vẽtris & vtrin
que ad viſcera cucurbita inanis affigatur. Et primo quidẽ
circuitu auxiliorum hoc modo perfecto, rurſus ad prin-
cipium reflectendum eſt. Et venæ quidem ſectio vitetur:
ab hiera verò principium purgandi ſumatur, & reliqua
conſequenter facienda velut prædictum eſt,ter & quater
in anno eodem ductu repetito. Maligna enim & difficul-
ter cedens affectio eſt: quapropter plurima cura opus eſt
ne in peius euadat

De iis qui caſtrantur. Cap. CXXII.

NOuimus quoſdam audaciores qui ſibiipſis teſtes fer
ro reſecarunt:caſtratis enim non in peius malum i-
pſum procedet. Neque enim temere reperias,inquit Ar-
chigenes,vllum aliquem caſtratum elephantiaſi laboran
tem, neque item facilè mulierem: quare etiam quidam
ex cõfidẽtioribus medicis, manum admouerũt, & quot-
quot ſanè ex eis ex ſectione periculũ euaſerunt, per conſe-
quẽtis curationis vſum perfectè ab hac maligna affectione
liberati ſunt. Noui etiã quendã qui valde correptus eſſe
exiſtimabatur, à tali quopiam pharmaco curatum: A-
ceti optimi,& cedriæ,ſingul. cyamum I. ſucci braſſicæ cy
amum I. commiſceto,& ieiunis manè præbeto. deinde
ad veſperam ordeaceum panem modicũ exhibeto cum
quopiam volucrium leuiorum, & per ſolum hoc, maxi-
mum curationis ſperato ſucceſſum. Vtere autem ipſo per
annum,ſemel in hebdomade ex eo præbens:quandoque
tamen bis: quanquam ad vſum eius aſſuefactis etiam ri-
gidius procedendum ſit,nimirum ad duplam pharmaci
menſuram. Quum verò & ad comitialem morbum præ-
clarè faciat ,eo ſanè & ad ipſum vtor, & præ omnib⁹ aliis
eius profectum laudo. Facit & braſſicæ decoctum quoti-
die potatum,quum ex cedria pharmacum non datur. Mul
ti etiam ſideritin herbam laudant. datur autem folio-
rum eius aridorum drachma vna,ex vino auſtero. Noui
& trifolium herbam bitumen olentem probè huc facien
tem. datur autem & ipſa drachmæ pondere trita ex vi-
ni cyatho vno,aceti vno,mellis vno. Eboris etiam & cor-
nu ceruini ramenta cochlearii menſura ſæpe ad prædi-
ctam menſuram admiſcentur. nam & per ſeipſum vnum-
quodque eorum potatum vtiliſſimum exiſtit. In regione
Indorum elephantiaſi affectos, aſſiduè per ſedem eluere
per vrinæ aſininæ infuſionem heminæ menſura calefa-
ctæ conſueuerunt. Crocodilum item terreſtrem accipiũt,
eiúſque extremas partes amputant, ac interiora proie-
ctant. deinde fermento obuolutum aſſant: deinde abla-
to fermẽto,& ſcabritie eius deraſa, carnis ipſius drach. I.
quotidie bibendam præbent. & magnum ſanè teſtimo-
nium de hoc remedio præbent. Præclarè autem ſuccus
Cyrenaicus facit, erui magnitudine deuoratus. ſimul e-
nim vt acceptus eſt,per omne corpus diffuſus vehitur. A-
ſelli item ſub aquario vaſe ſtabulantes, qui & millepedæ
appellantur, quinq; aut ſex numero cũ hydromelitis cy-
athis III. triti potati præter opinionem tum his tum ſuſpi
rioſis,& omnibus ſuffocatione apprehenſis auxiliantur.
Multæ commoditatis eſt & ſquillæ ſemen trium obolorũ
pondere in cyatho mellis ſemicocti delinctum. aſperam
enim arteriam à pituita repurgat, & coarctationem via-
rum vocis probè dilatat. Similiter autem & paſtillorum
A ſquilliticorũ, qui in theriaces confectionem coniiciun-
tur,drach. I. exhibetur cũ vino auſtero meraco trita. ex
calida autem datur. Theriaca porrò ex viperis Androma-
chi cõpendium totius medicationis exiſtit, ſi poſt pur-
gationes,per modica interualla præbeatur.

De viperarum eſu,& de pruritibus, Archigenis,
Cap. CXXIII.

MIrabile elephantiaſis remedium, viperarum eſus exi-
ſtit:eas verò hoc modo apparatas edere oportet. pri-
mùm quidem amputato capite & cauda, & detracta pel-
B le,exemptiſque interioribus viſceribus omnibus,caro a-
qua pura bis ac ter lota,in olla inſtar anguillarum coqui-
tur,aqua quidem ſufficiente affuſa, & oleo modico cum
anetho & porro. poſt ſufficientem deinde cocturam,iu-
ſculum moderato ſale cõdiatur,atque ita ægro in ſole de-
ſidenti exhibeatur:capite tamen probè velato Neque ve
rò ſemel tantùm aut bis viperas edere ſatis eſt, ſed ſæpe
id fiat,quum extra periculum ſit,& inſuper commodita-
tem adferat. Sint autem viperæ recens captæ,& ex hume-
ctioribus locis accipiantur. nam quæ iuxta mare degũt,
C vehementer ſiticuloſæ exiſtunt. Vtimur & ad ipſos ſali-
bus theriacis eos quotidie pro liquamentis ad intinctus
exhibentes vnà cum obſoniis. ſúntque tum ſapore, tum
odore gratiſſimi. Quin & ex betonica antidotus ad poda-
gricos præſcripta vtiliter purgans, etiã his commodè ex-
hibetur. Et vt in vniuerſum dicam, propter inſidentes
ipſis ſuffocationes, etiam ea quæ orthopnoicis præben-
tur,his vtilia ſunt,vtpote quæ craſſos humores non mo-
dò in thorace, ſed & in toto corpore contentos ſecant
& diducunt. At verò ob id quòd ferinus eſt humor, ea
D quæ lumbricos enecant & expellũt etiam his danda ſunt.
Forinſecus porrò cuti pſilothrum aſſiduè per modica in-
terualla in balneo adhibendum eſt, oculis probè commu
nitis nequid ex pſilothro in ipſos dilapſum eos lædat.
Commodè item facies ipſa ex eo illinitur, vtpote quæ
maximè ab affectione ſit correpta. multo etiam tempore
in eius vſu perſeuerandum eſt, donec cutis ipſa rubefiat,
non tamen exulceretur. quapropter ex ptiſanæ ſucco pſi-
lothrum apparetur. Vrſinus autem maximè aut vulpinus
adeps,vel ſi hi haberi non poſſint, taurinus cum ſarmen-
E titio cinere emollitus, & cum lixiuio coctus,probè atte-
nuat eminentes tumores. hoc enim modo etiam ſapo
præparatur,quem in vſum conuertere oportet ſi vrſinus
aut vulpinus adeps non adſit. Bona eſt & portulaca cum
aceto trita, & ſemperuiuum minus quod Romani ille-
cebram vocant, & Mercurialis decoctum tum per ſe,
tum cum aridis quibuſdam mixtum, & fici ſylueſtris fo
lia arida & contuſa & cribrata cum aceto illita,& in bal-
neo affricta. optimè facit & decoctum ipſorum. & be-
tæ & ocymo cum aceto tritis aut coactis dignam lau-
F dem tribues ſi per eorum attritum fueris deterſus. My-
robalanus item cum aceto præſtat: probè auxiliatur &
alumen cum ſale, & ſandaracha æquis partibus in vino &
oleo,maximè lentiſcino, aut ſi non adſit, roſaceo tritis.
Aridum quoque inſpergimen ad alphos ſiue vitiliginem
à nobis compoſitum,liberaliter extergit & repurgat. Eſt
autem hoc. Alcyoniũ,nitrum,ſulphur viuum,myrti folia
& fici agreſtis folia ſicca, ſingula pari mẽſura contũdito,
& cribrato: deinde cum aceto trita oblinito,& in balneo
affricato. Cõuenit & alcyoniũ aſſatum cum aceto tritum
G & affrictum:teſtæ item oſtreorum omnium vſtæ & cum
pari melle ac modico aceto tritæ. Et aceti fæce arida
vſta cum ſulphure trita in exudatorio loco commodè
vteris. Amygdalino autem oleo inũgito, atque hoc mo-
do corpus forinſecus illinito. Oribaſii ſmegma ad ele-
phantiaſin. Pumicis,teſtæ ſepiæ, nitri aſſati, gallæ,ci-
moliæ,cuiuſque ſextantem, gummi vnciam vnam, ari-
da affrica. Aliud optimum ſmegma. Nitri aſſati,pu-
micis vſti,teſtæ ſæpiæ vſtæ,gallæ, cimoliæ, cuiuſque ſe-
xtãtem,gummi vnc. I. arido vtere in balneo aut lauacro,
H & aqua marina ablue. Aliud efficax. Spumæ nitri
albæ drachmas viginti,cimoliæ drach. XII. melãthii dr.
II. radicis bryoniæ drach. II. alcyonii drachm. VI. ſulphu-
ris viui drach. IIII. radicis chamæleontis albi ſiccæ drach.
quatuor, trita in balneo inſpergito & affricato. Aliud,

ſmegma. Ad omnem corporis pruritum & humoris atræ bilis fluxionem celebre. Veratri albi vnc.I. veratri nigri vnc.I. baccarum lauri ſextantem, ceruſſæ, pumicis vſti, teſtarum ſepiæ vſtarum, pompholygis, rutæ viridis, ſing. trientem, ſulphuris viui beſſem, ſpumæ nitri albæ beſſem, mellis beſſem, aloes quæ in vtriculis afferri ſolet, beſſem, aceti quantum ſatis. vtere in balneo. Remedium ad pſoras, Archigenis. Magni nominis eſt, & ad elephã tiaſi laborantes, id quod ad pſoram feram à nobis priuatim eſt apparatum. Idipſum hoc modo habet: Rumicis ſatiui, & rumicum acutorum radicũ faſciculos manipulares duos in aceto coquito. deinde in mortario tuſis, ac poſtea etiam in pila tritis; acetum paulatim inſtillato id ipſum in quo decoctæ ſunt radices, aut etiam aliud atque deinde hæc ipſis infarcito. Nitri drach. XLVIII. ſulphuris viui drach. XXV. thuris drach. XV. Omnia ad ſtrigmẽti craſſitiem reducta vnito, ac æſtate quidẽ ad ſolẽ ſæpe illinito: hyeme verò in balneo donec exudarint. Apparatur autem à nobis pharmacum ad elephantiaſin ſummè congruum huiuſcemodi. Rumicis ſatiui & rumicis acuti radicum faſciculos manipulares duos in aceto coquito, tundito, ac terito, vt prædictum eſt. deinde hæc quamtenuiſſimè trita eis infarcito: Alcyonii lib.I. ſulphuris viui lib.I. ſpumæ nitri beſſem, teſtarum cochlearum vſtarum trientem, radicis chamæleontis nigri ſextantem. Omnia ſimul conteruntur, donec ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem redigantur: & illinuntur æſtate quidem ad ſolem ſæpe: hyeme verò in balneo, donec exudent.

Illitiones ad tumentes corporis eminentias, Cap. CXXIIII.

ILlinantur autem tumores in cute efferati & inflammati, ex glaucii ſucco, aut polii, aut lycii, aut hypociſthidis, aut aloes, & ſimilibus ſuccis, aut alicæ vel erui farina cum plantaginis, aut polygoni, aut perdicii, aut portulacæ, aut braſſicæ ſucco diluta. Quòd ſi cataplaſmatis opus habeant loci inflammati, cum alica cruda polygoni aut plantaginis, aut marrubii ſucco admixto, cõtegantur. Poſtquam verò inflammationes mitigatæ & laxatæ remiſerint, herbæ ſerapiadis triteſticularis viridis folia tenera aut ſemina probè terito, & ægrum ad ſolem calidum locatum, ad horas duas defricato, atque vbi prodierit ſudor, vinum meracum vetus odoratum bibendum præbeto, rurſúſque herbam ipſam affricato. deinde ipſum in aqua marina abluito, & hoc quotidie per dies aliquot facito, & reperies ad ſanitatem conſequendam ſucceſſum. Optima eſt & hæc illitio Critonis. Ad tumentes eminentias, & ad faciei pruritus, ac principium elephantiaſis. Gummi albi, ſpumæ nitri, thuris, ſulphuris viui, ſingulorum par pondus in aceto diſſoluito, & ex probè penitus contritis paſtillos formato, eóſque in vmbra reſiccato. vſus verò tempore poſtulante, aceto dilutos illinito. Vbi autem exaruerint, ſubſcripta confectione defricato: eſt autem hæc. Saponis libram vnam, ammoniaci thymiamatis libram vnam, thuris quadrantem, ſpumæ nitri albæ quadrantem, maſtiches quadrantem. Ammoniacum cum aqua prius tritum, & ſapone ei adiecto, in figulino vaſe coquito, duob⁹ ſextariis aquæ affuſis: atque, vbi diſſolutus fuerit, thus, maſtichen, ſpumam nitri, vnumquodque per ſe tenuiſſimè tritum & vnitum adiicito. deinde in mortarium tranſlata & diligenter tuſa, in vitreum vas reponito, ac vtitor. Optimè faciunt & hæc ad tumores non inflammatos illita: Ammoniacum thymiama ex aceto, aut marrubii ſuccus & thus eodem modo, & verbenaca recta, & fel capræ aut hirci, & flos æris cum melle, & caninum ſtercus cum aqua, & aloe cum thure ex aceto mulſo potata & illita. Vtiliter illinitur & dictamni ſuccus melle cocto & cedria permixtus, & ſulphur viuum cum liquida pice, aut ſeſamum, aut amygdalæ amaræ, aut chamæleontis nigri radix ſimiliter cum liquida pice, & alcyonium cum cedria. Efficaciſſima verò eſt cedria cũ phocæ adipe aut etiam vrſino illita, ita vt ſimul eliquatis ſulphur viuum infarciatur. Valde efficax & hoc eſt, ſi alumen liquidũ linteolo illigatum & vſtum, deinde cum aceto acerrimo, & braſſicæ, aut ocymi ſucco tritum, illiniri præceperis.

Aliud. Thuris, aluminis ſciſſi, cuiuſque ſextantem, ſulphuris viui, ramentorum plumbi, cuiuſque quantum ſatis eſt, vnito, & leuiter illinito, eminentiis ex pumice præfricatis. Aliud. Ammoniacum thymiama, & ſulphur viuum, & columbæ ſtercus, & vitrum tenuiſſimè tritum, in aqua, aut vino, aut aceto terito, & prout commodum æſtimaueris illinito. Aliud valde efficax. Cedriæ ſeſquilibram, aceti lib.II. foliorum cupreſſi lib.I. folia tuſa ad biduum in aceto macerato: deinde excolato aceto, cypariſſum probè terito, eíque cedriam adiicito ac vnito. & cum vulturis pennis, ægro in ſole locato, illinito.

Aliud. Efficaciſſima eſt & hæc illitio. Auripigmenti drach. ſex, thuris drachm. octo, coſti drachmas duas, calcis drachm. quatuor, baccarum lauri ſextantem, cedriæ drachmas IIII. omnia teruntur, & cum foliorum populi albæ arboris decocto in coquendo inſpiſſato illinuntur.

Aliud, ad faciei eminentes tumores præcipuè conducens.

Maſtiches vnc.I. myrrhæ drach.IIII. ſulphuris viui drachmas IIII. olei omphacini quantum ſufficit, vtere. Mirabiliter autem prodeſt ad faciei tumentes eminentias, ex Mileſia herba remedium. Tunduntur autem folia herbæ viridia cum axungia veteri, & imponuntur. Et rubefiunt ſanè inde plurimùm partes quibus impoſita ſunt: contrahuntur autem facilè, pane impoſito, aut cerato ex oleo amygdalino, rurſúſque in naturalem ſuum colorem reſtituuntur. Poſtquam verò exæquatæ fuerint eminentiæ, illitionem talem parato: Thuris vnc.I. gũmi albi vnc. I. cimoliæ trientem, vino veteri aut aceto trita illini.

Emplaſtrum, quod & ipſum ad maiores & liuentes eminentias facit, inquit Archigenes. Terebinthinæ drach. X. radicis ariſtolochiæ drach.IIII. radicis capparis, veratri albi, ſulphuris viui, lapidis pyritæ, cuiuſq; dr.II. thuris dr.I. terebinthinã liquefacito, & ab igne ablatæ reliqua tenuiſſimè trita infarcito. Optimè facit & Andronis paſtillus & Muſæ paſtillus ſimiliter illitus vterque. Maiores porrò tumores etiã emplaſtro aliquo diſcuſſorio cõtegantur. Efficaciter eis auxiliatur emplaſtrũ ex aſellis ad meliceridas vlcera mellei humoris & ſtrumas deſcriptum. Magis propriè autem hoc conuenit: Olei cicini lib.I. ſpumæ argenti drachm. C. picis crudæ heminam I. ad lentum ignem aſſiduè agitando coquito: atque vbi coacta fuerint, ab igne ablatis chamæleontis nigri radicem tenuiſſimè tritam drachm. X. pondere inſpergito, & ex tithymali ſucco parum. Aliud. Ceram & viſcum cum modico myrteo oleo liquefacito, & diphrygis triti quod ſatis eſt inſpergito, ac vtitor. Aliud. Radicis panacis dr.IIII. nitri dr.V. calcis dr.I. ceræ drachm. II. adipis vrſini ſextantem. liquefacta aridis affundito, & miſceto. Cæterùm nigras eminentias aut valde liuidas, cum ſcalpello leuibus vulnuſculis impactis incidito: deinde ſplenio cruentis vulneribus deſtinato, & quod inflãmationem arcere poteſt, integito. eius generis eſt emplaſtrum Barbarum appellatũ. aut ſalem tenuiſſimè tritum oleo ſubactum, & lanis ſuccidis exceptum imponito: & poſtea radicem maluæ teneram cataplaſmatis vice adhibeto. aut cerato ex diphryge cicatricem inducente vtitor. Audẽdũ autẽ in fortioribus corporibus, præſertim vbi prius corpori robur addideris, etiam excoriatorium ad impetiginem ferã deſcriptum illinire, citra tamen cantharidum admixtionẽ apparatum. quod vbi factum fuerit, & bullæ eruperint, eas viridi Epigoni emplaſtro quod Iſis à quibuſdam appellatur integito, & per balneas curato, & tunc lac potandum præbeto. Vlcerationes autem obortas, cerato ex diphryge cicatricem obducente, aut melino cerato ex vino apparato, ſanabis. facit idẽ & ex pompholyge ceratũ, & quod ex cadmia apparatum appellatur. Quòd ſi curationem difficulter accipiant, velut chironia vlcera tractato: ſi verò paſcẽdo proſerpant vlcera, Corace paſtillo ex aceto mulſo apparato vtitor, aut paſtillo Andronis. Aliud ad vitiliginem quæ leuce dicitur, & ad pſoras. Calx in vino aut roſaceo fermentata cum aqua illinitur, & poſt hoc ceratum roſaceum adhibetur. Aliud celebre ad elephã tiaſin. Atramenti ſutorii partes IIII. aluminis ſciſſi madefacti partes ſex, luto fuſco ſubigito, & ægro nudato

ac præfoto,corpus eius illinito. deinde lauato, ac rurſus A eodem modo foueto,illinito,ac abluito. quod vbi ter feceris,cutem roſaceo inungito, ægrúmque per totam noctem contegito,& reperies ſanum. Aliud ad elephantiaſi affectos,carcinomata,podagrã,articularem morbum, ſtrumas, condylomata & cõuulſiones neruorum. Vulturis cerebrum vnà cum capitis oſſiculis & reliquis carnibus capitis accipito,& in vino dulci coquito,atque excolata quidem illa proiicito:cum iuſculo verò ipſo,euphorbii,croci,atramenti Indici,piperis albi,caſtorei,myrrhæ, cuiuſque ſextãtem coquito,& foliorum rubi, ſeminis ſatyrii, cuiuſque quadrantem, picis quadrantem, ſucci B mandragoræ, cedriæ, cuiuſque vnciam vnam, fel tauri aut capræ integrum,vermes ex lignis putreſcentibus & marcidis numero III. addito.hæc ſanè omnia in vini dulcis ſextariis nouẽ ſimul coquito. hoc iuramento adſtrictus accepi,ne cuipiam reuelarẽ. Hic apparatus ad illitionem,in nouem dies ſufficit, & eminentias ipſas exterit. cæterùm cum penna vulturis etiam illinatur. Aliud ad elephantiaſin, abſceſſus,condylomata, ſtrumas,eminentias corporis,tubercula,pingue quiddã in ſe collectũ habẽtia, *Græcis* inde ſteatomata appellata,vnguium abſceſſus C paronychias vocatos,& gutturis tumores qui bronchocelæ appellãtur:ad omnes item malignas eminentias quacunque corporis parte,multo experimento cognitum. Vulturem viuum accipito,eúmque in vini dulcis aut ſapæ ſextariis nouem aut ſex ſuffocato. aut vulturinũ gallũ eodem modo tractato, & à veſpera vſque ad matutinum ad vitis ligna coquito. Cæterùm ægrum tenui victu connutrito,ſæpe etiam inediam perferre iubeto, & per ſubſcriptum purgatiuum medicamentum purgato, pérque D dies ſeptem ex marina aqua lauato. Poſtquam verò vultur coctus fuerit ac excolatus, oſſa ipſius contrita cum ægri ſudore, præſertim qui à ſole prolectus eſt, cani edenda proiicito:maſſas verò ſeptem inde formatas cani dato. Vulturem autem ipſum per triduum à veſpere vſque ad matutinum tempus, ne ab aurora conſpiciatur, coquito,atque id ſimiliter tertia die facito,probéque cõtectum omni die manè in domo tenebricoſa reponito. Atque vbi tandẽ ita percoctum ac excolatum habueris, ad iuſculum in nocte,minimè verò in die,ſequẽtia addi- E to:Salis foſſilis,algæ ſiue fuci marini in petris condenſati trientem,(alii vnciam vnam habent)galbani,opopanacis, cuiuſque ſextãtem,colophoniæ, picis, cuiuſque quadrantem,euphorbii,caſtorei,ſanguinis capræ,cuiuſq; trientem,ammoniaci thymiamatis,myrrhæ glutinis aceto diſſoluti,picis liquidæ,ſingulorum ſeſcuncem,rutæ ſyluestris ramulos ſeptem,catanancæ herbæ ſcrupulos tres, amianti ſcrup.I.polypathii herbæ quæ per contrariam affectionem luna deſinente auxiliatur, lapidis gagatæ, cedriæ,ſing.quadrantem,bituminis Iudaici ſextarium vnũ, F artemiſiæ herbæ, chamæleõtis herbæ,cuiuſque ſextantẽ. Hæc omnia cũ iuſculo vt dictum eſt apparato, probè trita committito & vnito.Cæterùm vulturem primùm vnà cum pennis vſque ad pedes excoriato,atque ita in ſapam coniectum ſuffocato. Pellem autem ipſam cum pennis myrrha conditam,& in fumum ſuſpenſam exſiccari ſinito: pedes verò in oleo coquito,& cum oleo podagricos, per vulturis etiam pennam,illinito.Neruos verò ad pedes podagrici pro amuleto appendito, & ab affectione eum liberabis, Porrò purgatiuum cuius mentionem feci,hocce eſt: Aloes vnciæ dimidium,gari, aceti,parem menſu G ram:vnito,& octauam ſextarii partem bibendam præbeto. Ad condylomata in facie elephantiaſi affectorum.

Thus cum vino auſtero tritum pinnulis illinito. Illitio alia optima ad elephantiaſi laborantes.facit & ad pruritus. Gummi,gallarum,ſingulorum drachmas decem, pumicis drachmas viginti contundito & cribrato, ac vtitor vt optimo. Aliud etiam ad lepram. Veratri nigri, gummi,cuiuſque quadrantem, ſpumæ ptiſanæ quantum ſufficit, coniice in ollam,& coque donec ſucculenta fiãt, H ac tritis vtere.

Diæta elephantiaſi correptorum, Cap. CXXV.

Diæta elephanticorum talis ſit:A ſomno membra eorum plurimùm & leniter manibus contrectentur: deinde aluus conſueta recrementa deponat, & poſthæc ipſe æger ſub diuo aut in porticu deambulet, mollibus calceamentis ſubligatis, conficiátque deambulando vſque ad ſtadia triginta. Deinde cataplaſma ei imponatur primùm ex pane,aut faba cocta, aut ptiſana, aut aliquo conſimili illinatur:verùm ad vnumquodque prædictorum citrii acidi ſuccus admiſceatur,ſi haberi poſſit: aut ſi deſit,peponum aqua. & poſt modicum interſtitiũ aqua pura largè abluatur. Poſtea cerato roſaceo liquidiore facies ſupernè leuiter illinatur. Deinde vbi geſtationis genere aliquo fuerit vectus,rurſus deambulet cõcitatiore greſſu.Poſtea verò potione aliqua ex prædictis accepta quotidiano alicui & cõſueto muneri vacet. Circa quartã autem horam cõcitatiore gymnaſio exerceatur,& deterſo ſudore,vrſino aut vulpino adipe illinatur:qui ſi non adſint,caprinus,aut taurinus,aut equinus, aut aliquis ex volucrum genere,aut butyrum recens ſumatur. Deinde cũ fœnigræci aut ptiſanæ ſucco, qui parum ammoniaci cũ aceto liquefacti admixtum habeat,perfundatur,atque ita lauacro quodam præſcripto vtatur. nociuum eſt enim affectioni ſiquis no lauet. Per interualla autem pſilothro, vt dictũ eſt,defricetur: & quodã ex prædictis ſmegmate quotidie expurgetur.Commoda ſunt etiam arida fomẽta,& poſt ſufficientem ex dictorum vſu exudationem, natationes in mari, aut in ſulphurulentis & aluminoſis aquis,non extremè frigidis, quales ſunt aquæ, Albulæ in Italia vocatæ. quòd ſi tales non adſint, frigidæ lauacro aſſiduè vtatur,raróque balneum petat, niſi pſilothri gratia,aut aliqua altera vrgente neceſſitate cogatur. Si verò quis ad frigidæ lauacrum cunctantior ſit, eum in balnei aere plurima aqua frigida perfundi commodius erit. Præſtat item ſolium ex decocto aliquo eorum quæ adſtringũt apparare:plantaginis præſertim,aut rumicis,aut perdicii. quanquam efficacius omnino cenſeatur betæ decoctum,cui ſanè & ex aceto parum eſt affundendum. Extergatur etiam(veluti prædictum eſt) in balneis cum quopiam prædictorum ſmegmatũ, & cum myrobalano aſſiduè ex aceto.Quibus deinde ablutis,ad acrimoniæ & mordacitatis curationem oleo lentiſcino cum aceto & vino auſtero conquaſſato, aut ex oleo myrteo & pari vino conquaſſatis illinatur. Licet tamen aliquando parum ammoniaci, aut alumen rotundum in vino conterere. optimum eſt & butyrum recèns illitum.Poſt lotionem & exterſionem per tenera linteola, ad horæ dimidiũ quieſcat: deinde aqua tepida hauſta ſpontè vomat:aut ſi id facere nequeat, per immiſſionem digitorum. Poſtea modico interuallo temporis interpoſito, vinum abſinthites aut origanites bibat,nõ infra heminæ menſuram, & paulo pòſt cibus ei apponatur. A vino in poſterum omnino abſtineat,paſſóque & vino mulſo, ab omníque cibo difficulter concoctili: & maximè à frigidæ potu. Cæterùm cibi,tẽpore purgationum,qui facilè ſecerni queãt,ſumãtur.Panis hordeaceus,aut triticeus recens calidus.Ex oleribus,beta, & porrũ capitatum duabus aquis edulcatum: lactucáque & capparis ex aceto mulſo.Ex mari verò herinacei recentes, oſtrea, pelorides, pectunculi, tellinæ cum beta coctæ,& ſalſamentum vetus ex aceto mulſo. Vbi verò poſt purgationes refocillare, & vires reſtaurare velimus,acria auferenda ſunt,præter condimenta,quorum vt vrinam cientium vſus commodus eſt. Exhibendus eſt autem panis optimè præparatus, oua ſorbilia, alica lota, & lac cum melle:omnia tamen cum pane.Ex oleribus, malua,rumex,ſiſarum,lactuca,ſeris,fœniculum,ficus coctæ: à quorum acceptione parum aquæ calidæ bibat,in qua decocta ſint quæ vrinam moderatè cient. De cætero verò abſtineat vt ne potet vſque ad cœnam. Bis enim cibum capere præſtat quàm ſemel ſe explere: nam (vt dixi) etiam prandium ipſum ſimpliciſſimè paretur: cœnam magis variã concedo. In cœnam etiam duæ tertiæ panis partes reſeruentur. Præbeatur item in ea piſcis molli carne,non graueolens, coctus, ſimplici iuſculo apparatus:& ex auiculis montanis extremæ partes & vẽtres:

ex pedeſtribus, hœdorum carnes, & leporinæ & dorcadum. Pro condimento & embammate ad intinctus, acetum ſquilliticum, & ſales ſquillitici commodi ſunt. Ex leguminibus, ptiſana vtiliſſima cenſetur. danda tamen & per interualla oryza, porro in cocturam eius addito. Ex fructibus conueniunt, ficus electæ, vua arefacta, pirum coctum in aqua mulſa, ſimiliter & cotonea: vnumquodque certo pro coniectura modo. à reliquis fructibus omnino abſtineant. Ex dulciariis mellitis, placentam dato ex amygdalis modicè toſtis, & paucis pineis nucleis, & cnici ſemine contuſo & cribrato, ac modico pipere apparatam. Ex bellariis, parum ex caricis aridis concedito, & vuas paſſas pingues, amygdala toſta, piſtacia, & terebinthos toſtos, & cicer toſtum, cnico cum eis torrefacto & muria adſtillata. In potu, aqua calida eis omnino conuenientior eſt. ſed viribus reſtaurandis vinum album & tenue, ac non valde vetus in cœna poſt cibos detur: quamminimum tamen potent, in ſitis tantùm expletionem. Reliquæ potiones ex vino & melle confectæ, propomata *Græcè* peculiariter appellatæ, vitandæ. Acetum autẽ mulſum non incommodè exhibetur tum ieiunis tum inter cibos, ſi ſtomachus tolerare poſſit. Somnus porrò diurnus nociuus elephanticis eſt: nocturnus autem aptiſſimus. Poſt longum à cœna interſtitium, deambulatio lenta ac ſenſim facta commoda eſt, quò cibi eo melius deſcendant. matutinarum verò exercitationum ſint ſtudioſi. Coitus affectioni infeſtiſſimus eſt. etenim non reperias vllum aliquem temere, qui exectus ab elephantiaſi apprehendatur, neque etiam facilè mulierem. fortè ob id quòd vtili ac bono humore ſeminis emiſſio prodeat, aut quòd largior generatio ipſius in ſeminariis locis ob materiæ ſpiſſitudinem contingat. multo itaque ſemine elephantiaſi correpti abundant. Nõ tamẽ abſurdũ fuerit puerorũ gignendorũ gratia per rariora interualla coire: neq; enim intotum contagioſæ ſucceſſiones ipſius affectionis in omnibus fiunt. præſertim ſiquis optimè diſpoſitus, ad venerem incitetur. Quòd ſi ſuccedat curatio, etiã ad quotidiana vitæ munia obeunda demittantur, & longis peregrinationibus ſanitati vberius conſulant: ſi verò nõ ſuccedat, procul à mari & vrbibus ſegregentur.

De pruritu, Archigenis, Cap. c x x v i.

IN omnibus pruritibus, venæ ſectione vtendũ eſt: ſi iuuenes ſint, & multo ſanguine redundent qui ex eo laborant, & nihil aliud impediat eam admittere. particulatim autem & paulatim eum detrahere oportet, & quãdoque ſequenti die ſectione repetita rurſus auferre. deinde reſtauratis viribus, per purgatiuum pharmacũ aluus ſubducatur. Lauandi ſunt omnino quidem ieiuni, quandoque tamen vbi parum quiddam cibi acceperint. à concoctione autem ſecundario lauentur: ægrè enim humectari poteſt malum. Radenda etiam pilis obſita, & cum maluæ ſylueſtris aut ſatiuæ, aut betæ, aut fœnigræci, aut ſeſami, aut furfurum decocto repurgãda. Totum verò corpus ex farina fabacea, aut lupinorum, aut myrobalani conſpergatur. Quòd ſi diutius duret affectio, fomenta quidem & lotiones ex ſaluiæ, myricæ, mercurialis, origani, pulegii, baccarum lauri, radicum cucumeris agreſtis decocto adhibeantur: ex lixiuio item & muria acida. Corpus verò nitro tenuiſſimè trito conſpergatur, vini fæce vſta & arida adiecta. aut cũ hac miſtura: Spumæ nitri albæ, ſulphuris viui, alcyonii vſti, ſingulorum æquales partes committe & inſperge. ſi verò intenſiorem vim eius facere velis, etiam veratrum album adde, eáque ſimul citra pinguium admixtionem corpori inſperge. Aliud bonum & mitius. Spumæ nitri libram vnam, thuris libram vnam, cimoliæ ſeſcuncem. Aliud. Atramenti ſutorii, thuris, ſulphuris viui, nitri, æquales ſingulorum partes in vino terito, & in prima balnei domo illinito: deinde lauato, & cum vino & oleo inungito: Aliud, ad pruritum totius corporis. Plumbaginis, ſpumæ argenti, nitri, cimoliæ, iridis, chamæleontis nigri radicis, pumicis, aluminis, ſulphuris viui, ſampſuchi, lapidis ſpecularis vſti, omnium æquales partes committito, ac vtitor in balneo. Aliud ſmegma ad pruritus. Nitri libram vnam,

A pumicis vſti libram vnã, ſpumæ nitri ſeſcuncem, oſtreorum vſtorum quadrantem, baccarum lauri, coſti, nardi Celticæ, ſingulorum ſextãtem, cyperi vnc. i. folii malabathri quantum voles, odoris conciliandi gratia: contuſis & cribratis vtere in balneo. Aliud, faciens & ad pſoras.

Sulphuris, nitri, ſpumæ argenti, pumicis vſti, cumini, omnium parem modum ſume, & vtere. Inungendi ſunt & aceto ac oleo in quibus ſtaphis ſylueſtris ſit contrita, pulegii item ac thuris æquis partibus cum oleo & vino tritis. Frequentius verò cum cimolia in vino madefacta
B eos expurga, aut cochleas terreſtres vſtas & tritas cũ melle adfrica. Optimum autem eſt & hoc in balneo: Mellis partes duas, aluminis liquidi partem vnam, coquito ad permutationem aliquantulam, ac vtitor primùm in ſole, deinde in prima balnei domo: atque vbi parum humectati fuerint, thus cum ſulphure viuo, & nitri, & gummi æquali pondere trita arida corporibus eorum inſpergito. Critonis, ad pruritum vehementiorem. Foliorum lauri viridium faſciculum, ſalis pinguis cyamum i. aceti ſextarium vnum, olei lib. iii. Omnia ſimul coquito,
C atque vbi bis aut ter efferbuerint, ab igne auferto, & frigefieri ſinito: deinde oleum ſegregatum inungito. Aliud, ad ægrè tolerabiles pruritus. Fæcis vini vſtæ, nitri aſſati, cimoliæ, cuiuſque lib. i. ſtaphidis ſylueſtris quincũcem, iridis trientẽ, aceti ſextar. iiii. olei lẽtiſcini ſextar. ii. arida cõtuſa & cribrata humidis excipito. Vſus eius eſt in ſole aut balneo. Aliud, Critonis. Radicis rumicis, fœnigræci, gũmi, ſing. drach. xii. ſulphuris viui, aluminis liquidi, cuiuſque drach. iiii. myrobalani, cimoliæ, fæcis vini vſtæ, cuiuſque drachm. ſedecim, aceti ſextarios duos,
D olei ſextarium vnum, committito, ac vtere vt dictum eſt. Efficax eſt & id quod ex rumicis radicibus ad elephantiaſin eſt præſcriptum. Probè facit etiam ad omnẽ pruritum, inquit, oleum in quo rhododaphne incocta ſit, illitum. Aliud, ad intolerabilem pruritum, & qui domari non poteſt. Cæterùm quum neque venæ ſectio, neque defricatio aliqua quicquam profuiſſet, quidam ex huius remedii vſu malum exuperarũt. Teſtudo terreſtris viua in oleo coquitur, & ex oleo corpus inungitur. Sedant & pruritus valde egregiè, mori folia arida tri-
E ta affricta, & portulaca trita per ſe, & perdicium, & apium cum ſulphure viuo & ſale. Quum verò caliditas multa affuerit cum pruritu, ptiſanæ ſuccus commodiſſimus eſt, tum per ſe tum modico aceto admixto. Quòd ſi vehementer vrgeat afflictio, quædam ex prædictis ſmegmatis ad ptiſanæ ſuccum admiſceto. Vitãdæ autem ſunt inſolationes, præſertim in æſtiuo ſole. Aqua autem marina, maximè frigida, conuenientiſſima eſt pruritui. quare tentandum eſt vt æger bis & ter in die probè perfrictus in ea natet: bis quidem ante prandium, ſemel ve-
F rò circa veſperam. Diæta boni ſucci & ventri commoda eligatur. & ſi aluus adſtricta ſit, catapotia ex aloe ſex numero in erui magnitudinẽ formata poſt cœnam præbe. Abſtineat æger ab omni acrium ciborum eſu, & ab omni ſalſo edulio, & à cunctis oleribus crudis. Ad ſcabioſos pruritus. Cæterùm ad pruritus ſcabie perplexos, lac ſciſſum aſſiduè adhibitũ cõmodum eſt, & ſmegmata omnia prædicta vtiliter adhibẽtur. Priuatim autem hæc: Myrrham cum aceto & oleo tritam illinendã præbe donec exudent: ſinapi item & myrobalanum cum aceto &
G oleo eodem modo. Aliud. Spumæ nitri, alcyonii vſti, ſulphuris, ſing. æquales partes tritas & linteolo exceptas in oleo madefacito, & deinde ex arido accipito, locóſque donec erodãtur defricato, atq; ita aqua abluito. Aliud.

Ammoniaci ſalis, nitri aſſati, ſulphuris viui, ſing. vnciam vnam, myrti aridæ ſextantem. vtere ſicco. Aliud celebre. Farina cicerum cum caprini ſtercoris pari modo vtitor. Aliud ad pſoras, pruritus, vitiligines, & impetigines. Bituminis, ſulphuris viui, thuris, buccinorum vſtorum, æquales partes cum aceto & melle tritas adhi-
H be. Optimè facit & pulegium cum mannæ puluiſculo ex oleo & vino illitum. Vnguentum ad pſoras. Hederæ folia tenerrima & modicum ſalem cum vino & oleo trita illinito. Aliud. Oleum amygdalinum vinúmque

ac butyrum conquaſſata illinito. Aliud. Aloes,ceruſſæ,
ſpumæ argenti,ſyrici, plumbaginis, glaucii, recrementi
argenti,ſaponis Conſtantini,ſingulorū æquales partes,a-
ceti & roſacei quantum ſatis eſt.vtere in balneo. Aliud
valde celebre. Nuces rancidas quindecim,ſulphuris vi
ui quadrantem,gari Pontici quãtum vſui fuerit. tritis vte
re in balneo. Aliud. Perdicium herbam cum ſale &
ſulphure affricato. Aliud experimento conſtans. Nu
ces rancidas quinquaginta,ſalis manus plenæ menſuram,
ſulphuris viui vnc.I.tritis vtere in balneo,ad defricatio-
nem oleo non adhibito: tque vbi exudarit,ægrum in ſo
lium calida expletum demittito.indéq; egreſſū,rurſus de
fricato, & ſtatim rurſus in ſoliū demittito. Aliud præ-
ſens remediū. Panis aridi,nucū iuglandiū rancidarū,æ-
quales partes,ſulphuris viui,paulo pl⁹ quàm pro panis mē
ſura:optimè terito,vino auſtero affuſo,donec ad ſtrigmē
toiū ſpiſſitudinē redigãtur,& abſque oleo in balneo affri
canda præbeto. Aliud. Saponis Gallici,nitri,pumicis,
ſulphuris viui,perdicii herbæ, cuiuſq; vnc.I.adipis porci
ni recentis vnc.XVIII.carpobalſami drach.IIII.vtere in bal
neo. Vnguentum optimum ad pſoras. Picis ſeſcun-
cem,ceræ quadrantem & vnc.dimidium,ſpumæ nitri ſe-
xtãtem,ſulphuris viui ſextantem, olei myrtei quod ſatis
eſt vt ad ſtrigmenti ſolidioris craſſitudinem redigatur.
vtere in balneo. Aliud. Pyrethri drach.IIII.herbæ la-
nariæ dr.IIII.fœnigræci dr.VIII.cõtuſa & cribrata reponi
to. vſu verò expetente quantū tribus digitis apprehendi
poteſt accipito,& cum aceto acerrimo conquaſſato: dein
de roſaceo ſufficienti addito,vnà cum ſmegmatis illini-
to. Aliud. Aluminis ſciſſilis,ſpumæ nitri,ſulphuris vi
ui,cuiuſque ſextãt. ſtaphidis ſylueſtris ſeſcuncē. aceto &
roſaceo diluta illinito. Aliud ad inueteratas pſoras.
Atramētū ſutorium cum lacte & roſaceo tritum illini.
quidam verò cum adipe ſuillo vtuntur. Aliud. Chalci-
tidis,miſyos,æquale pondus. tritis cum vino & roſaceo
vtitor. Aliud. Nitrum aſſatum, ſulphur viuum,alu-
men vſtum, æquis partibus cum oleo circumlinito. Fa-
cit & cētaurea arida trita affricta,ſimiliter & chamæpitys.
Aliud. Raphani ſuccum cū ouo in balneo diligenter
illinito,& in paucis diebus curabit ægrum. idem & rapi
ſuccus cum ouo probè facit. Aliud ad pſoras. Spumæ
argenti trientem,oua integra quinque,aceti lib.V.& dimi
diam,olei myrtei ſextarium vnum:trita illini. Aliud ad
pſoras ſanie fluentes & fœtidas. Mali Punicæ ramulos
teneriores aut folia tuſa terito,aqua aut poſca, prout me-
lius iudicaueris,affuſa illine aſſiduè, & miraberis. Aliud
ad pſoras ægrè curabiles, & principium elephantiaſis.
Serapiadis triteſticularis manus plenæ menſurā,radicis al
thææ tantūdē, hyoſcyami viridis tantundē,myrti viridis
tãtundē, ſquillā vnā mediocris magnitudinis,aut paruas
II. olei ſextar. tres,aceti ſextarios tres,ſpumæ argenti do-
drantem, ceruſſæ trientem, croci ſeſquiunciam, candi-
dum ouorum decem.Spumam argenti, ceruſſam, & cro-
cum cum aceto terito: herbas verò cum oleo & reliquo
aceto coquito, percolato, ac tritis affundito,& candida
ouorum addito, vnito, vtitor. Ego verò & perdiciadem
herbam adieci,& in magnis affectionibus etiam chamæ
leontem & roſmarinum herbam. Aliud ad pſoras,quo
vſus ſum in elephantiaſis principio. Nitri,aluminis,ſul
phuris viui,ceræ,cuiuſque ſextantem,picis trientem,olei
in quo rhododaphnæ coctæ ſint,libr.I. Cæterùm ego ſul
phuris viui ſeſcūcem cōieci,& pro arida pice liquidā in-
didi:& corpore ex his illito,vſque ad miraculum profeci.
Verùm vbi iā ad cicatricē perducta eſſent vlcera,ſulphu-
ris ſextantē,& picem aridam inieci. Ceratum ad pſoras,
valde celebre. Colophoniæ vnc.I. ceræ vnc.I. emplaſtri
ex ſuccis ſeſquiunciam, myrti quadrãtem. Vſu expetēte,
ſi quidem pſoræ fuerint aſperiores, ipſum vt habet adhi-
be: in exulceratis verò,roſaceo liquefacito, ac vtitor.
Aliud quo in exulceratis pſoris per omnia vtimur. Ce-
ræ ſextantem, picis aridæ ſextantem, emplaſtri ex ſuccis
quadrantem, roſacei trientem:liquefacito,ac vtitor vel-
uti eo quod præter opinionem auxilietur. Cæterùm ſi
diuturna ſit affectio, ſubſcriptis vteris. Epithema præ-
clarum.facit & ad vlcera cicatricem difficulter recipien-
A tia. Æruginis vnciam vnam, atramenti ſutorii vnciam
vnam,ceræ vnciam vnam,adipis porcini recentis ſextan
tem: liquefacta aridis committito & imponito, ac poſt
triduum ſoluito:facta verò exulceratione, velut igne am
buſta curato. Aliud epithema. Sandarachæ vnciam
vnam,ammoniaci vnciam vnam,terito, & terebinthina
excipito vt emplaſtri accipiant formam,& præfricto lo-
co,pellicula excepta,imponito,ac poſt dies quinque ſolui
to. Vbi verò tectorium vlceri fuerit inductum, eodem
B pharmaco donec tectorium excidat,vtitor. Ad exulcera-
tam autē cutem,iis quæ ambuſtis conueniunt vtendū eſt:
& maximè emplaſtro ex ordeo apparato.Porrò vbi in cal-
lum induruerit affectio, magiſque fuerit exacerbata, ſe-
quentibus vtendum erit. Epithema ad pſoras in callum
obduratas,& ad leproſas diſpoſitiones: pharmacum pro-
ſperè accōmodatum:nam & callos coercet,& ex profundo
extirpat,& vlcerationes ad cicatricem perducit. ſolum e-
nim ea quæ præter naturam accreuerunt corpora contin
git. Farinæ lupinorum tenuiſſimè tritorum(ſylueſtrium
C quidem malim ſi adſint:aut ſatiuorum, ſi illi haberi non
poſſint)vnc.XIII.farinæ loliaceæ ſeptūcem,nitri rubri ſe-
ſcuncem, picis liquidæ Italicum ſextarium vnum, ace-
ti acerrimi Italicum ſextarium vnum, terebinthinæ
beſſem. picem cum aceto coquito, & vbi vnita fuerint,
terebinthinā adiicito,& ab igne ablata aliquomodo fri-
gefieri ſinito, & inſperſis ac infartis farinis aſſiduè agita-
to: deinde ad ignē lētiſſimū admotū coquito,indeſinen
terque agitato donec pharmacum à teſta in qua coquitur
incipit ſeparari. quo facto,ipſum in mortarium tranſlatū
D & probè tritum reponito.vſu verò exigente, præfricto ex
nitro loco, linteolo exceptum nouo & denſo imponito,
ac poſt tertium diem ſoluito,& alia noua ſplenia concin-
nata imponito,atque id vſque ad perfectam ſanationem
facito. Oportet autem non modò hoc epithema, verùm
etiam alia quæ ex aceto & pice cruda apparantur,in loco
ſub diuo apparare. facilè enim dehiſcunt & diſparantur.
Heraclides in æreo vaſe coquendum eſſe admonet,& te-
rebinthinam poſtremam coniiciendam. Oribaſii,ad vl
ceratas & feruidas in ſuris eruptiones. In balneis quidē
E myrobalanum & ſulphur cum liquido cerato leuiter illi-
nito:poſtquam verò frigidæ aquæ ſolium inſcenderit, ex
oleo myrteo cum vino inungito,aut ex roſaceo aut lenti-
ſcino eodem modo. potes & lentiſcino citra vinum vti.
Ad pſoram,Magiſtriani,valde neceſſarium. Rhododa-
phnes ramulos in oleo coquito.deinde nuces rancidas &
ſulphur viuum in mortario terito, infuſóque ad ea oleo
ſimúlq; trito,locos in ſole illinito, & poſt horā lauato, &
ſanabis. Aliud præter opinionem ad pſoras faciens:
Ceruſſæ,ſpumæ argenti,ſulphuris viui,ceræ,ſing. ſextan-
F tem,oua numero duo.Oua recentia in aceto per tres dies
ac noctes macerato,deinde vnà cum putaminibus trita,
reliquis probè tritis aridis admiſceto,& ceram cum roſa-
cei lib.II.& dimidia liquefactam cum eis committito,ac
vtitor in balneo pro vnguento. Aliud ex ochra ad pſo
ras commodum: Spumæ argenti trientem,ceruſſæ vn-
ciam I.ochræ ſextantē,cadmiæ vnciam vnam,ceræ trien
tem, olei myrtei lib.II.arida cum vino terito, & liquefa-
cta affundito,ac vtitor.

Ad pruriginoſas papularum eruptiones,
Cap. CXXVII.

G Diphryges cum aceto illinito,& mori radicem ex ace-
to,plumbaginem,rubiginem ferri, miſy, cyclamini
radicem,omnia ex aceto: alumen omne melle coctum,ru
tam cum ſale & oleo,ceruſſam & argenti ſpumam ex ace
to,rutam cum cerato myrteo quadrupla parte. Aliud ad
pſoras, humentes lichenes, pinguéſque & tumentes ac
multo humore manantes, mirabile. Cadmiam vino
& oleo tritam illinito. Ad omnē pſoram vlceratam cū
pruritu aut dolore, & ad vlcera capitis manantia, eryſipe
lata,& herpetas. Plumbi vſti,cadmiæ,plumbaginis, cu-
H iuſque vnc.I.ſcoriæ argenti quæ & helcyſma,ſeſquiunciā,
ſpumæ argenti ſeſquiunciā,vini & olei omphacini aut ro
ſacei quantum ſufficit. vtere ad omne vlcus aut papulam
in toto corpore.præter opinionem enim facit,præſertim
in infantibus. Aliud ad pſoram aſperiorē & tubercula

optimum. Cadmiæ,ceruſſæ, ſulphuris viui, maſtiches, cuiuſque vnc. I. ceræ quincuncem, roſacei dextantem. vtere,locos ex eo integẽdo. In balneo autem ex pharmaco vnc. I. & ſapone ſeſquiũciã miſceto, ac illinẽda dato.

Ad puſtulas pſydracas Græcis appellatas,& ad papulas ex feruore aut ſudore obortas,

Cap. CXXVIII.

Fiunt in toto corpore puſtulæ,dolorem inducentes citra ſaniei collectionem.Eas eczemata, ab ebulliente feruore,*Græci* vulgò appellant.In his plumbago conuenit cum vino aut lentiſcino oleo trita,aut ceruſſa cum vino & oleo myrteo,aut minium ſinopicum cum adipe ſuillo recenti,aut miſy aſſatum cum vino & roſaceo. Ad exulceratas puſtulas. Vbi verò exulceratæ fuerint puſtulæ, ſubſcriptis vtendum erit:Scoriam plumbi,& ſpumam argenti,pari pondere vino & oleo myrteo excepta illine. Aliud. Malicorii,ſpumæ argenti, atramenti ſutorii,ſingulorũ æquas partes cum vino & roſaceo illine. Aliud.

Baccarum myrti nigrarũ,malicorii, atramenti ſutorii, ſpumæ argẽti lotæ,ſing.æquale põdus cũ oleo myrteo illinito. Smegma,ad puſtularũ eruptiones.Farinæ fabarũ, ptiſanæ mola tritæ,radicis polygoni contuſæ & cribratæ, terræ cimoliæ toſtæ, ſingulorum drach.II.ſpumæ nitri albæ drach.I.thuris tenuiſſimè triti tantundem. vſus eius in balneo eſt. Ex eo autem quãtum ſufficere putaueris accipito,ac cũ oui cãdido ſubigito: deinde corpus ex eo circũlitũ exſudare ſinito: à balneo autẽ ex roſaceo aut myrteo corpus illinito. Aliud ſmegma. Cimoliæ drach. II.farinæ erui drachm.II.quod ex myrobalano contuſa & expreſſa reliquum eſt,tantundem,iridis tuſæ drach.II.nitri dr. II. myrti ſiccæ tuſæ dr.dimidiũ: tritis vtere vt dictum eſt. Aliud. Radicis hyoſcyami contuſæ drach. I.farinæ lupinorum drach.I.cimoliæ drach.dimidium,iridis drach.III.& dimidiam:tritis vtere vt dictum eſt.

Oribaſii, ad nigras cicatrices inalbandas,

Cap. CXXIX.

Spumæ argenti,menthæ,thuris,æquales omnium partes,cum melle vtitor. Aliud. Stercoris crocodili dr. X.thuris drach.I.ceruſſæ drach.II.aut ex aqua aut cum cerato cyprino mixta illinuntur. Aliud. Columbinum ſtercus ex aqua illinito,ipſúmque citò abluito ne exulcerationem inducat. Aliud. Cimoliæ,ſtercoris columbini,ſaponis,thuris,ſingul.pares partes cum aceto illinito. Aliud. Hirundinis ſtercus ex aqua illinito. Aliud. Saponis,ſtercoris canini albi,ceræ,olei inalbati,æquales omnium partes committe ac vtere. Aliud. Nitri,ammoniaci thymiamatis,myrrhæ,ſulphuris viui, ſingul.æquas portiones in aceto albo terito, aut vino & aqua trita modicè illinito,ne exulceratio ſuccedat. De impetigine, præſcriptum eſt Sermone octauo. De herpete, & ſimilibus,in Sermone quartodecimo. De verrucis,tum quæ myrmeciæ,à formicis:tum quæ thymi,à ſimilitudine cacuminum thymi, appellantur,item in decimoquarto Sermone ſcribetur. Ad papulas autem infantium,in quarto Sermone tractata ſunt remedia

Ad vlceroſas papularum eruptiones,tum in tibiis tum in toto crure obortas,

Cap. CXXX.

In balneo ex myrobalano & ſulphure cerato liquido exceptis leuiter illinantur, & in aquam leniter calidam demittantur: poſtquam verò frigidæ aquæ ſolium inſcenderint,loci ex myrteo oleo cum vino,aut roſaceo,aut lentiſcino cum vino inungantur. lentiſcino etiam per ſe vtendum. Probè faciũt ad eas & mali Punici putamina vino cocta & trita, ac cerato modico liquidiore ex myrteo aut roſaceo oleo apparato excepta & illita. Facit & myrſinatum dictum pharmacum, & emplaſtrum ex ordeo cum largo roſaceo aut myrteo dilutum & illitum. Aliud. Valde commodum & hoc eſt,quod in adoleſcẽtulo quopiam ſumus experti,qui pſoram multam inueteratam iã, ac aſperrimam circum crura habebat,quæque à genubus vſque ad pedum digitos procedebat. Semen lini cum aqua contuſum quamcraſſiſſimè illinito, & aſſiduè tanquam vehementer approbato vtitor. Aliud valde efficax, in quodam qui aſperrimam pſoram circum crura habebat,cõgnitum, in quo adeo affectio ipſa inualuerat, vt elephanticorum corporibus non abſimilis eſſet: qui ſanè in paucis diebus ſanatus eſt. Sulphur viuum quamtenuiſſimè tritum,amurca & oleo exceptum, in balneo ad defricationem exhibeto,& poſt balneũ ex eodẽ illinatur.

Ad cicatrices nigras ex vlceribus relictas,

Cap. CXXXI.

Qvãdoquidem verò in profundorum vlcerum curationibus cicatrices nigræ cõflantur,etiã de his dicere operæpretium fuerit.Differunt autem cicatrices à vitiligine nigra, quæ alphos appellatur, in hoc quòd læue corpus habent. vitiligo enim tum aſpectui tum tactui aſpera ſubiacet. Ad nigras itaque cicatrices ſubſcriptis vtendum eſt:Plumbi vſti,ſpumæ argenti,æquales partes cum vino tritas,& in cerati craſſitiem redactas,reponito. vbi verò vſus expetit,vino & roſaceo liquefactas, & ad pinguis emplaſtri ſpiſſitudinem deductas illinito. Aliud. Sulphuris viui,& myrobalani, æquas partes cum aqua illine,aut terebinthina exceptas,& veſtis detritæ panniculo infartas impone. Aliud. Myrobalani vnc.I. ſtercoris columbini vnciam.I.melanthii ſextantem,tritis vtere pro ſmegmate.poteris & cum aceto illinire. Aliud. Myrobalanum,ſulphur viuum,alcyonium,cum aqua ad ſtrigmentorum ſpiſſitudinem redacta illinito. Aliud. Buccinorum vſtorum ſextantem,thuris vnciam vnam, illine cum aceto. Oribaſii,ad cicatrices nigras. Radicis cucumeris ſylueſtris viridis drach. duodecim, adipis ſuilli recentis drach.quindecim,aluminis ſciſſi drachm. duas, ſulphuris viui, nitri,cuiuſque drachmas duas. Aliud. Spumæ argenti,ceruſſæ,æquales partes lotas terito,& cum oui cãdido illinito. Smegma cicatrices inalbans. Cimoliæ,ſtercoris columbini,ſaponis,thuris,æquales omnium partes cũ aceto affricato, & rurſus ex eodẽ illinito. Aliud. Veratri albi dr.II.thuris dr.II.ſpumæ nitri drachm.vnam,cimoliæ drach.I.vtere cum aceto. Aliud. Bryoniæ radicem conciſam,in oleo donec ſucculenta reddatur coquito,& oleum ipſum aſſiduè illinito. Aliud. Erucæ ſemen cum felle bubulo, aut alio quod haberi poſſit, illinito. Aliud. Spumæ argenti ſextantem,ſulphuris viui vnciam vnam,erucæ ſucco trita illini: vbi verò exaruerint, laua: à balneo verò ex ſola argenti ſpuma cum erucæ ſucco illine. Aliud. Talum ouillum vſtũ cum vino terito ac illinito. Paſtillus ad cicatrices nigras in quacunque corporis parte. Cornu ceruini vſti,buccinorum vſtorum, ſpumæ argenti, ceruſſæ, thuris,alcyonii vſti,ſingulorum vnciam I.piperis ſeſquiunciam, ſulphuris viui ſeſquiunciam, gummi vnciam vnam,cum vino paſtillos quemadmodum noſti formato.

Alius paſtillus,per experientiam concolores cicatrices faciens. Lapidis pyritæ,comæ abſinthii,lupinorum amarorum,pompholygis,cimoliæ,ſtercoris columbini,myrobalani,melanthii,æquales ſingulorum partes in paſtillos cum aceto cogito, ſimilitérque vtitor. Ad cubitorum & coxendicum nigredines ex cinctura obortas. Alcyoniũ vſtum,ſiquidem tenera cute præditus ſit,cum aqua:ſi verò duriorem cutem habeat,cum aceto ſtatim à balneo illinito. Smegma idémque illitio,ad nigras in toto corpore cicatrices:Farinæ fabarum Italicam chœnicem vnã, baccarum lauri drach.VIII.veratri albi drach. VIII. myrobalani drach.IIII.ſpumæ nitri drach.IIII. contuſa reponito:vſu verò exigente,cum aqua illinito.vtere & pro ſmegmate in balneo. Aliud. Farinæ erui, ſpumæ nitri albæ,radicis bryoniæ,alcyonii aſperi,myrobalani,ſingulorum æquales partes committito,ac vtitor vt dictum eſt.

De vitiligine ſeu alpho, Cap. CXXXII.

Vitiliginum,quæ alphi *Græcis* dicuntur,generatio,eiuſdem ſpeciei eſt cum leuce & lepra,non tamen omnino in profundo caro in eis affecta eſt,ſed ſumma tantùm cutis,& velut ſquamulæ quædam vitiligines ipſæ affixæ inhærent,albæ quidem ex pituita,nigræ verò ex atræ bilis humore obortæ.Dictus eſt autem *Græcis* alphos, ex eo quòd colorem cutis immutet: immutare enim apud veteres,ἀλφαίνειν dicebatur. Ad albas igitur vitiligines & nigras communiter faciunt,folia fici,ſulphur viuum,alumen, æqualibus partibus cum aceto illita: quare eis vt

præſtãtiſſimis,vtaris. Aliud,ad vtraq;. Calcẽ aqua mul-
toties lotã in æſtiuo ſole deſiccato:vſus verò tẽpore cũ a-
qua liquefactam dilutiorem illinito. Ad nigras vitiligi
nes. Ad nigras verò vitiligines priuatim ſubſcriptis v-
tendũ eſt: Veratri nigri,terræ Cimoliæ,æquales partes a-
ceto aut aqua dilutas, & ad ſtrigmẽtitiam ſpiſſitudinem
redactas in ſole illinito,præfricto antea loco. Aliud.
Radicis narciſſi,ſeminis vrticæ,cuiuſque ſextantem,nitri
rubri vnciam vnam cum aceto illine. Aliud. Veratri
nigri, nitri, æquis partibus ex aceto vtere. Aliud. Co-
chleas terreſtres vſtas & cum melle tritas, poſt modicum
temporis interuallum affricato. Ad inueteratas nigras
vitiligines,& ſuperficie iam in callum indurata, ſubſcri-
ptis vtendum eſt: Radicis chamæleontis nigri dodran
tem,ſulphuris viui ſextantem,ſpumæ nitri vnc.vnam.V-
tere in aceto diſſolutis,illinendo ad ſolem. Aliud. Al
cyonii ſextantem, nitri ſextantem, ſtaphidis ſylueſtris vn
ciam I.ſulphuris viui vnciam vnam.hæc arida adſeruato,
primúmque pſilothro vtitor,& interiecta vna die corpus
in balneo humectum ex aridis conſpergito, & ſudorem
ab eo excludet. Aliud. Alcyonii vſti,ſpumæ nitri,ſul-
phuris viui,veratri nigri, ſingulorum æquas partes cum
aceto illinito,& cum eodem etiam in balneo defricando
repurgato. Aliud odoratum efficaciſſimum. Veratri
nigri drach.octo,iridis,ſpumæ nitri,coſti, cuiuſq; drach.
quatuor,cum aceto illinito, & in balneo citra pinguitudi
nis admixtionem affricato. Optimè facit & adhæc id
quod ad albas vitiligines apparatur adiaptotõ(ex eo quòd
citra opem non dilabatur)inſcriptum. Smegma ad ni-
gras vitiligines. Radicem cucumeris ſylueſtris contu-
ſam & cribratam affricandam exhibeto. Aliud. Fo-
liorum fici in vmbra deſiccatorum drach.ſex, ſimilagi-
nis drach.quatuor,nitri drach.octo, alcyonii drach.octo.
contuſa,cribrata reponito. Ante vſum autem,ad ſolẽ exu
dare affectũ oportet:deinde inſpergere, & ſinere exſicca-
ti:deinde citra olei admixtionem defricare.Hoc in quin
que diebus vitiligines curat. Aliud. Melanthii, vera-
tri albi,coſti,ſingulorum drach.quatuor,nitri drach.duo-
decim. Vtere in balneo citra pinguium admixtionem.
Manifeſtum eſt autem(etiamſi nullus dicam) quòd prius
ex hiera Galeni corpora purgare oporteat,aut ex colocyn
thide & aloe catapotiis: deinde verò ſubſcriptis vti. Bul-
bos cum aceto tritos illinito. poteris item purgatiuis ex
veratro nigro & epithymo vti. Ad vitiligines albas. Hos
itidem prius cum Galeni hiera purgare oportet, aut per
catapotia ex colocynthide & aloe formata,deinde ſequẽ-
tibus vti.Dracunculi radicem,aut ari radicem,cum fari-
na ordeacea ex aceto illinito. Aliud. Bulbos tritos cũ
aceto illinito. Aliud. Althææ ſemen cum aceto tri-
tum illinito. Aliud. Bryoniæ radicem cõciſam cum
oleo decoquito, donec oleum inde ſucculentum redda-
tur,& aſſiduè illinito. Aliud. Baccarum lauri, cimo-
liæ,nitri,æqualibus partibus vtere cum aceto. illine autẽ
ad ſolem,& poſt paruum interſtitium aqua ablue. A-
liud. Fœnigræci trientem, ſpumæ nitri ſextantem, al-
cyonii vſti vnc.vnam, cum aceto illinito. eodem etiam
pro ſmegmate in balneo vtitor. Aliud valde efficax.
Alcyonii vſti,ſulphuris viui,veratri albi, ſpumæ nitri,æ-
qualibus partibus in balneo ad defricandum vtere: cum
aceto item in ſole illine. Aliud adiaptoton (quòd citra
opem non dilabatur)appellatum. Radicis chamæleon-
tis albi drach. octo,alcyonii vſti, ſulphuris viui,atramen-
ti ſutorii,ſpumæ nitri,cardamomi,pyrethri, foliorum fi-
ci ſylueſtris,aluminis liquidi,pulueris calcis viuæ, qui pa
rietibus adhæret domus in qua calx repoſita eſt, ſingul.
drach.quatuor tere,& in ſole cum aceto illine,ægro prius
in balneo ex eo defricto. facit & ad vitiligines nigras.
Aliud ad nigras ac albas vitiligines celeberrimum. Myr
rhæ,ſulphuris viui, ſpumæ nitri,veratri albi, cuiuſque ſe-
xtantem,alcyonii vſti ſeſcuncem. Vtere confidenter pro
ſmegmate in balneo:& in ſole item cum aceto illinito.

De leuce vitiligine altius inſidente,Galeni,

Cap. CXXXIII.

PItuitoſus & lentus ac viſcoſus ſanguis, & affectorum
locorum debilitas, cauſæ ſunt ob quas leuce genera-

A tur.Quum enim ex pituitoſo ſimúlque viſcoſo ſanguine,
caro per multum tempus connutritur,facillimè leuce o-
mnis per profundum ipſius pituitoſa oboritur,neque po-
teſt amplius delatum ad locum nutrimentum ad propriã
naturam in rubedinem tranſmutare Accedit his quòd &
ipſe qui ad locum influit ſanguis, pituitoſus veluti præ-
dictum eſt exiſtit.Qualem igitur locuſta, aut cancer flu-
uialis, & ferè omnia exanguia oſtrea ex natura ſua carnẽ
habent: talem habent & ex tranſmutatione ac in aliam
ſpeciem degeneratione, ii qui leucis corripiuntur: ete-
B nim hanc carnis affectionem ita appellant ab albo colore
nomine accepto. Quum enim in pilo obſitis locis leuce
oboritur,pilo locos ipſos non denudat, ſed canos omni-
no facit: ſi verò loci piloſi glabri & pilis nudi reddantur,
incurabilis leuce cenſetur. Ad leucas igitur ſubſcriptis
remediis vtendum eſt: Fici ſylueſtris nigræ virgultorum
libram vnam, rutæ ſeſcuncem, miſyos vnc. vnam, calcis
viuæ vnc.vnam,aceti acerrimi quantum ſatis eſt. conte-
re obnixè,& paſtillos informa, eóſque in vmbra reſicca.
Vſu verò exigente illine in ſole, loco prius confricto: &,
C ſi bullæ oboriantur,eas acicula penetrato,& ceratum im-
ponito. Aliud. Fici nigræ virgulta in aceto macera-
to, & quamtenuiſſimè terito,eiſque ſpumæ nitri,ſulphu-
ris viui,fructus myricæ, ſingulorum æquales partes ad-
miſceto,& locum cum nitro prius defricato, indéque in
ſole illinito,diligenter obſeruans ne vlceratio ex eis cõ-
ſequatur. Aliud. Fici nigræ folia viridia in aceto ma-
cerato:ſit autem aceti tantum vt ea ſuperet & penitus cõ-
tegat. deinde contuſa & trita cum ſufficiente calce viua
miſceto,& locis prius exterſis in ſole illinito, vſquequo
D lẽtigini ſimilem imaginem ipſa leuce induat, atque de-
inde fici ſuccum recentem ſupra iſtam illitionem indu-
cito,ipſámque leucem ſolam aliquandiu confricato,& ne
vicinas partes exulceres obſeruato. egregiè enim auxilia-
tur. Aliud,ad leucem diuinum donum: facit & ad le-
pram. Sandaracham terito,eíque nucum iuglandium vi-
ridem teſtam adiicito, ac adfuſo aceto, rurſus ſimul
probè terito,& loco prius deterſo, in ſole illinito. quòd
ſi acre ægro appareat,paucum panem admiſceto, & aſſi-
duè lauato. Aliud, ex cuius vſu ſæpicule laudem ade-
E ptus ſum. citra exulcerationem medetur. Vſus ſum eo in
muliercula quadam quæ in fronte leucem habebat, &
valde egregiè vires ſuas declarauit. Seminis cardamo-
mi ſeſcunciam, atramenti ſutorii ſextantem, ſulphuris
viui drach. quatuor, aluminis rotundi & ſciſſi, cuiuſque
drach.quatuor,cum aceto diligenter terito,locóque ex ni
tro & aceto præfricto,in ſole illinito. in quibuſdam ſanè
bullam quotieſcunque illinitur producit: qua ſublata le-
pram item tollit. Aliud, ad leucas & lepras. Nucum
iuglandium immaturarum & adhuc acerbarum exterio-
F rem corticem viridem detrahito; & fici nigræ ſylueſtris
ramulos amputato,& ad hæc ſpumam argenti coniicito,
ac cum aceto coquito, terito, & ad vnguenti formam re-
ducito,ídque ipſum in ſole illinito.in decoquendo etiam
hordei grana ſeptem addito. hinc enim ſufficientis de-
coctionis ſignũ habebis,vbi videlicet hordei grana cocta
videris. Aliud,Archelai. Veratri nigri,radicis bryoniæ,
radicis chamæleontis nigri, ſulphuris viui, atramenti ſu-
torii,miſyos,alcyonii,foliorũ fici nigræ ſylueſtris, ſing.
æquales partes cõtuſas per anguſtiſſimum cribrum excu-
G tito,deinde in mortarium coniicito, & aceto affuſo dili-
genter terito,atque vbi ad liquidiſſimi cerati ſpiſſitudi-
nem fuerint redacta, in pyxidem plumbeam recondito.
Vſu autem expetente,loco prius cum nitro perfricto, ad
ſolem liquidius pharmacum illinito. ſummè etiam ad le
pras conducit. Ad leucas quantumuis craſſæ exiſtant:
Adarces,canchryos,ſulphuris viui,æquales partes:vnum-
quodque per ſe priuatim contundito & cribrato, deinde
ſimul cum aceto ad multos dies ſufficiẽter in ſole terito,
& loco prius confricto, non aceruatim illinito ſed dilu-
H tius, obſeruans etiam in principio ne cutis exulceretur.
In progreſſu verò temporis. parum quid ex veratro, tan-
tundémque ex gallis, ad trita prædicta admiſceto. A-
liud. Olus eſt in Syria folia habens ſeridis anguſto fo-
lio præditæ. vocatur autem lepidium, & cum lacte con-

A ditum,ſeruatur: cum radice verò eius lanæ tinguntur, & nigrum induunt colorem. Hoc ipſum olus tritum & impoſitum,cutem liuidam reddit & attollit,vt excoriatæ ſimilis videatur. Eſt autem radix eius alba, craſſitudine digitali: ex qua in ſole ſiccata corticem detrahere oportet, & per diem vnum in acerrimo aceto macerare: deinde manè probè & conſtanter terere,affuſóque aceto ſufficiēti ad ſtrigmētitiam craſſitudinem redigere,atque ita repoſitum adſeruare. Vbi verò vſus exegerit,locum nitro defrictum pauliſper tranſpirare ſinito, atque ita pharmacum ipſum ad calentiſſimum ſolem illinito,& quodam- B modo adfricato. deinde acetum paulatim ad illitum inſtillato. Quum verò æger vellicationem ac morſum perceperit,eum ad tolerātiam inhortator. bullæ nanque ſuccedent,quas acicula penetratas excoriare oportet. Vbi itaque excoriatæ fuerint, ſi quidem affectus locus excoriatus concolor appareat, ipſum vt ſecundum naturam habentem & reſtitutum ſinito: ſi verò non, rurſus ad duos & tres dies idem pharmacum illinito, donec omnino perfectè videris locum ipſum ſanatum. Aliquibus verò C ex hac curatione bullæ non erumpunt, verùm locus ipſe excoriatur. hos itaque velut igne ambuſta curare oportet. Aliud. Floris mali Punici drach. octo, ſpumæ nitri drach. quinque,alcyonii drach. tres, ſulphuris viui drachmas duas. vtere cum aceto. Eſt item Siccum optimum ad leucas, & inſpergitur poſtquam exciderint cruſtæ ex acribus pharmacis obortæ. Cæterùm ad cicatricem obducendam,& cicatrices reliquo corpori concolores reddendas,aceto excipe,& loco probè præfricto illine. vbi verò bullæ emerſerint,pharmacum ipſum cum melle catapla- D ſmatis modo impone. efficacius autem fit,ſi pro ſulphure veratrum nigrum coniiciatur. Smegmatis porrò ad leucen itémque lepram plurimis ex præſcriptis illitionibus vti oportet. Præclariſſimè autem ad ipſos Siccum magnum facit,quod Indum inſcriptū eſt, quo etiam ad elephantiaſin,& omnem cutis ſcabriciem: ad articularem item morbum,& membrorum reſolutiones,& ad hydropicos vti conuenit: Salis ammoniaci,ſalis communis,ſalis Cappadocici, ſalis amari,nitri aſſati, farinæ fabaceæ, pumicis vſti,ſpumæ nitri, ſingulorum trientem, veratri albi,veratri nigri,radicis ſtruthii,radicis bryoniæ, cype- E rorum,aluminis liquidi,aluminis ſciſſi, floris iunci odorati,gummi, iridis, lapidis ſpecularis vſti, teſtarū ſæpiæ, ſeminis lini,coſti,baccarum lauri,farinæ lupinorum,pulegii,thuris,ſeminis viticis,ſingulorum ſextātem, oſtreorum vſtorum,radicis dracūculi,fæcis vini vſtæ,pyrethri, radicis chamæleontis nigri, ſulphuris viui,ſtaphidis ſylueſtris,ſinapis,radicis pæoniæ,ſampſuchi, ſpicæ nardi,comæ marrubii,fœnigræci,grani cnidii,phylli, ſingul. vnc. vnam,radicis cucumeris ſylueſtris,cimoliæ,gallarum, ſingulorum ſcrup. ſedecim.

F De lepra, Archigenis, Cap. CXXXIIII.

EX craſſo ac viſcoſo, & magis atræ bilis humore,lepra generatur. Differt autem lepra,à leuce & alpho vitiliginis ſpeciebus,in eo quòd lepra aſpera eſt ad cōtactum, & pruritum locorum inducit. cutis enim ſola eſt quæ affecta eſt vnde & excoriata cute,caro ſubiecta ſana reperitur. in leuce verò,velut dictum eſt,ſubiecta cuti caro tota per profundum tranſmutata eſt,ad albidiorem colorē & ſuperficies affecti loci læuiſſima eſt, & confricta citius G rubeſcit, præſertim in iis qui facilè curantur. at verò alphos in ſuperficie hæret, & velut ſquamæ cuti affixus eſt. Cæterùm à ſcabie differt lepra, quòd in ſcabie quidem furfuracea quædam cuti inhærentia apparent: in le-

A pra verò quædam velut magnorum piſciū ſquamæ. Differt autem lepra ab impetigine ſylueſtri, eo quòd impetigo orbiculatius ſemper ad vicinos locos proſerpit: lepra verò non ita eodem modo. Ad leprā igitur faciunt plurima ex iis quæ præſcripta ſunt ad leucem: peculiariter autem talia: Glutinis,ſaluiæ,lacrymæ oleæ ſylueſtris, ſing. drach. octo,corticis radicis capparis,gummi,ſingul. drach. ſedecim. Vtere cum aceto illinens præfrictis in ſole. Aliud. Cardamomi, atramenti ſutorii, aluminis rotundi,radicis chamæleontis nigri,nitri aſſati,farinæ lo- B lii,ſingulorum æquales partes. loco ex nitro præparato, medicamētū hoc in ſole impone. Aliud. Atramēti ſutorii drach. II. ſulphuris viui drach. II. cardamomi drach. IIII. farinæ lolii dr. VIII. foliorū fici drachm. VIII. carnis caricarū pinguiū drach. octo. aceto trita impone,& alternis ſolue,ac rurſus lotis impone. Aliud. Veratri nigri, ſulphuris viui,radicis bryoniæ,nitri,bituminis,foliorum fici,miſyos,alcyonii vſti,radicis chamæleontis nigri, atramenti ſutorii,ſingulorum æquales partes. vtere cum aceto ad præfrictos in ſole. Aliud ad lepram experimento C cognitum. tollit eam per dies quinque: Æruginis drach. quatuor,reſinæ pinus liquidæ drach. tres, thuris recentis drach. duas. Arida cum aceto terito, & adiecta reſina liquata præfrictis imponito,& alternis ſoluito: & reperies lepram ſplenio adhærentem. deinde vero loco per poſcā deterſo ac confricto,vt cruentus fiat,rurſus impone. At ſi exulceratio facta fuerit, per muriam & lenticulam cum melle depurga. & poſtea per ceratum ad ambuſta paratū: curationem perfice. Aliud ad lepras, ipſas excorians: Radicis chamæleontis nigri partem vnam, ſucci thapſiæ D partem vnam,ventrium cantharidum, ſulphuris, æquales ſingulorum partes pice liquida excipe, & loco illine, vbi prius ipſum probè confricueris. poſtquam verò bullæ ac puſtulæ excitatæ fuerint,lenticulam cum melle impone. Archigenis ad lepram,Magiſtriani. Arietis nigri adipem accipito,& locum ex eo aſſiduè inungito: & in paucis omnino diebus citra exulcerationem eam tollit. Aliud. Seminis raphani drach. quatuor, ſandarachæ drach. ſedecim,lupinorum aridorum decorticatorū, ſulphuris viui,ſing. drach. ſedecim,gallarum omphacina- E rum,veratri nigri,gummi,ſing. drach octo. Aceto excipe & præfricto ex fici nigræ foliis loco, illine in ſole. cum eodem item in balneo citra olei admixtionem ſicco,per dies nouem defricato. Critonis, ad lepram, veluti Oribaſius tradit: Farinæ lolii chœnicem Italicam vnam,cardamomi drach. quatuor, ſpumæ nitri drach. quatuor, atramenti ſutorii drach. octo, radices haſtulæ regiæ medias IIII. terito omnia & miſceto. Vſu verò expetēte,quantum ſatis videbitur accipito,acetóque acerrimo coquito, & vbi ad cerati ſpiſſitudinem redegeris, craſſius illinito, F loco tamen prius ex nitro cōfricto: ſupernè verò linteolū obligato,idque tertio quoque die ſoluito,frigidáque abluito,ac rurſus illinito. Aliud,vt Oribaſius tradit. citra exulcerationem perſanat: Radicis rumicis ſylueſtris drachmas vigintiquatuor,gummi drach. duodecim, ſulphuris viui drach. ſex,myrrhæ drach. quatuor, gallarū drach. quatuor. Rumicis radices in aceto ad tertias decoquito, eiſque tritis reliqua admiſceto, ac ſimul terito: ad finem verò etiam gummi addito. Vſus autem tempore loco prius ex nitro confricto,illinito: ſequenti verò die laua- G to ac ſimiliter curato. Vtere eo & ad impetigines ac pſoras aſperas ac ſcabras. Oribaſii,ad leproſos. Succi radicis haſtulæ regiæ ſeſcūcem,ſulphuris viui drach. quatuor, mannæ drach. decem,nitri drach. octo illine cum aceto.

INDEX EORVM QVÆ IN SECVNDO SERMONE Tetrabibli quartæ Aetii habentur.

DE affectionibus ſedis, Cap.I.
De inflammationibus ſedis, Cap.II.
De fiſſuris ſedis,& de tuberculis, Cap.III.
De thymis in ſede ac reliquo corpore naſcentibus,ſycoſique ac verrucis formicariis appellatis, item de clauis, Cap.IIII.
De hæmorrhoidibus ſedis, Cap.V.
De hæmorrhoidum chirurgia, Cap.VI.
Ad anum aut ſedem procidentem, Cap. VII.
De prolabentis ſedis peruſtione, Cap.VIII.
De abſceſſibus ſedis, Cap. IX.
De vlceribus ſedis proſerpentibus ac depaſcentibus, Cap. X.
De fiſtulis ani, Cap. XI.
Ad intertrigines inter femora ex itinere obortas, Cap.XII.
De thymis in pudendis, Cap.XIII.
De rimis in pudendis, Cap.XIIII.
Medicamenta ad rimas ac reliqua pudendorum vlcera, Cap.XV.
Ad inflammationes pudendorum, Cap.XVI.
Ad nomas in pudendis, Cap.XVII.
Ad carbunculos pudendorum, Cap.XVIII.
Ad interna in meatu vrinæ vlcera, Cap.XIX.
Ad ſcabioſum ac prurigìnoſum ſcrotum, Cap. XX.
De teſtium ac ſcroti inflammatione, Cap.XXI.
De hernia aquoſa, Cap.XXII.
De hernia inteſtinorum, Cap.XXIII.
De hernia inguinis, Cap.XXIIII.
De emplaſtrorum præparatione ac coctura, & quæ in ea coniiciuntur, Cap.XXV.
De cruentorum vulnerum curatione, Cap. XXVI.
De ſauciatis neruis, Cap.XXVII.
Curatio neruorum denudatorum ac vulneratorum in vlceribus, Cap.XXVIII.
De neruorum contuſione, Cap.XXIX.
De glandularum inguinis inflammatione, Cap.XXX.
De quacunque inflammatione, Cap.XXXI.
De abſceſſibus Cap.XXXII.
De cauis vlceribus non malignis: & ratio curandorum vlcerum, Cap.XXXIII.
Medicamenta quæ per linamenta induntur,& ad ſuppurandum, repurgandum ac incarnandum, Cap.XXXIIII.
De ſiccis repurgantibus ac incarnantibus, cephalicis appellatis, Cap.XXXV.
De vlceribus in quibus caro ſuperexcreſcit,& quæ depreſſione opus habent,& de medicamentis ſiccantibus, Cap.XXXVI.
De vlceribus non malignis cicatrice indigentibus, Cap.XXXVII.
Sicca,vlceribus non malignis cicatricem inducentia, Cap.XXXVIII.
Emplaſtra quæ non maligna vlcera cicatrice includunt, Cap.XXXIX.
De malignis & ægrè recipientibus cicatricem vlceribus, Cap.XL.
Simplicia medicamenta quæ citra mordacitatem reficcant vlcera maligna, Cap.XLI.
De vſu relatorum medicamentorum, Cap.XLII.
De ligamenti & curationis ratione, Cap.XLIII.
De emplaſtrorum compoſitione ad maligna vlcera, Cap.XLIIII.
De vlceribus quæ poſt obductam cicatricem rurſus rumpuntur, Cap.XLV.
Ad extremitatum vlcera, Cap.XLVI.
Ad callos extremarum partium, Cap.XLVII.
Ad vermes in vlceribus, Cap. XLVIII.
Ad nomas & putredines vlcerum, Cap. XLIX.
Sicca cruſtam inducentia, inter quæ etiam paſtilli multi vſus, Cap.L.
De ſanguinis eruptione,& quæ cruſtam inurunt, Cap.LI.
Exedentia & vrentia medicamenta, Cap.LII.
De ſinibus, Cap.LIII.
De ſinibus attritam cutē habentibus, Cap.LIIII.
De fiſtulis, Cap.LV.
De gangræna & ſphacelo, Cap.LVI.
De canceratis tumoribus, Cap.LVII.
De carbunculis, Cap.LVIII.
De eryſipelate,hoc eſt igne ſacro, Cap.LIX.
De herpete, Cap. LX.
Ad epinyctidas,hoc eſt puſtulas noctu erumpentes, Cap.LXI.
De terminthо, Cap.LXII.
De papulis ſiue puſtulis, Cap.LXIII.
Ad ambuſta ab igne, Cap.LXIIII.
Ad flagellatos, Cap.LXV.
Ad deſquamata, Cap.LXVI.
Ad intertrigines, Cap.LXVII.
Ad contuſa & ſugillata, Cap.LXVIII.
De ruptione, Cap.LXIX.
De vulſione, Cap.LXX.
Ad luxatos articulos, Cap.LXXI.
Ad laxos articulos, Cap.LXXII.
Ad perniones, Cap.LXXIII.
Ad digitorum pterygia ſiue reduuias, Cap.LXXIIII.
Ad paronychias,id eſt vnguium abſceſſus, Cap.LXXV.
Ad contuſos vngues, Cap.LXXVI.
Ad ſuberuentos vngues, Cap.LXXVII.
Ad motos vngues, Cap.LXXVIII.
Ad ſcabros ac leproſos vngues, Cap.LXXIX.
Ad reparandos vngues, Cap. LXXX.
De anulis digitis impactis, Cap.LXXXI.
Ad clauos, Cap.LXXXII.
Ad plantarum rimas, Cap. LXXXIII.
De crurum ac reliquarum partium varicibus, Cap.LXXXIIII.
De brachiorum ac crurū dracunculis, Cap. LXXXV.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis quarti, Sermo ſecundus.

De ſedis, pudendorum ac ſcroti affectionibus, & de ſimplicibus medicamentis quæ in emplaſtra coniiciuntur. Et de cruentis vulneribus & inflammationibus, abſceſſib uſque, ac vlceribus veteribus.

De affectionibus ſedis, ex Galeno, Caput I.

AFFECTIONES circa ſedem ob multas cauſas difficulter curantur. Nam & valde tenero ſenſu prædita pars eſt: ſæpe verò dictum eſt, tales partes facilè ab acrioribus ac auſterioribus medicament s irritari: & ipſe ſuperfluitatū alimēti trāſitus, tum per ſe mordax eſt, tū ob id maximè quòd ſimul cum ipſis pertranſit bilis, & aliquando quidam ſeroſi humores. Et adhæc accedit, quòd neque præfinitum eſt medicis certum tempus ad medicamenta imponenda: ſed aliquando etiam tempore non conuenienti, ægri ad recrementorum excretionem progrediuntur. Quin & humiditas ac caliditas locorum, ſiccantibus ſimulque frigefacientibus opus habens, non parum efficit vt vlcera ægrè curabilia fiant. Mordent enim adſtringentia: locus autem ferre non poteſt morſum, quum ſubtili ſenſu præditus exiſtat. Quapropter conueniunt ipſis medicamenta quæ adſtringūt citra aſperitatem: qualia maximè ſunt ex metallicis, ea quæ neque acria, neque acerba valde ſunt. hæc enim lota, citra mordacitatem faciunt id quo opus eſt. Horum igitur in ſumma memores, materiam experimento cognitam conſequenter ſcriptam habete.

De inflammationibus ſedis, Cap. II.

AD inflammationes ani, ſiue ex fiſſuris, ſiue ex tuberculis, ſiue ex vlcere fuerint. Palmarum paſſarum ſextantem, panis ſiliginei vnc. vnam, croci drach. duas. palmas & micas panis ſapa præmaceratas terito ac illinito. quum autem inflammatio ceſſauerit, imminuto pane, palmulas & crocum auge, donéc curetur. curata verò inflammatione, vtere ſicco hoc ad vlcus: Ceruſſæ & ſyrici pares portiones ſiccas tritas inſperge. facit hoc etiam ad tubercula condylomata appellata. Medicamentum optimum ad ſedem: curat fiſſuras, & tubercula conſumit, & dolorem confeſtim eximit. ſanat etiam vlcera depaſcentia, ac maligna, & ægrè cicatricem accipientia. deprimit præminentia, & replet caua. facit etiam ad tibiarum vlcera, & ea quæ dulcia appellantur ſanat. Maſtiches, ceruſſæ, ſpumæ argenti, ſucci hyoſcyami, ſing. vnciam vnā, olei myrtei aut lentiſcini, quò ſtrigmentoſum pharmacū fiat. Quòd ſi etiam amplius quid de hyoſcyami ſucco cōieceris, prodeſt. reponitur in plumbea pyxide. Medicamenum ad ſedem, Oribaſii: Olei myrtei lib. vnam, ceruſſæ trientem, thuris ſextātem. Ceruſſam cum oleo myrteo ad mellis compagem coctam, ad thus in mortario tritum affunde, & vnitis vtere. Phicotyche Oribaſii emplaſtrum probatum: Thuris drach. decē, myrrhæ drach. ſeptem, opii drach. quatuor, butyri drach. quatuor, aluminis ſciſſi drach. vnam, cadmiæ vſtæ ac lotæ, pompholygis vtriuſque drach. ſex, ceræ Tyrrhenicæ drach. quatuor, vitellorum ouorum aſſatorum, numero quatuor, adipis anſerini drach. ſedecim, roſacei drach. ſedecim, medullæ ceruinæ drach. quatuordecim, ceruſſæ drach. quatuordecim, plūbi vſti & loti drach. VIII. lapidis hæmatitæ drach. vnam, œſypi drach. quatuor & dimidiam. arida teruntur cum vino. Ambroſia emplaſtrum Oribaſii. Ceræ, mellis, roſacei, ſpumæ argenti, ceruſſæ, adipis caprini, butyri recentis, ſingulorum quadrantem, thuris vnciam vnam. Aliud emplaſtrum ſedis, dolorem mitigans ac adimens. Spumæ argenti, ceruſſæ, ceræ, ſing. vnc. vnam, roſacei ſeſcuncem, croci drach. quatuor, medullæ ceruinæ drach. quatuor, amyli drach. quatuor, meliloti vnc. vnam, terebinthinæ drach. duas. aliquando & ouorum aſſatorum vitellos duos aut tres. Spuma argenti & ceruſſa lotæ ac ſiccatæ miſcentur, deinde teruntur paſſo cum meliloto, croco & amylo. Emplaſtrum ſedis ex cerebellis, Andreæ: Adipis anſerini curati, ceræ, thuris, medullæ ceruí, floris roſarum, pompholygis lotæ, cadmiæ teneræ lotæ, plumbi vſti loti, ſingulorum drach. quatuor, ceruſſæ drach. octo, cerebellorum gruum drach. duas, opii ſeſquidrachmā, œſypi drach. quinque, ſucci intybi cochleariū vnum, roſacei ſeſcuncem. præpara, & vtere velut dictum eſt. Ad inflammationem ignis ſacri in ſede. Emplaſtri ex ſuccis lib. vnam, panis ſiliginei libram vnam, croci vnciam vnam, opii drach. quatuor, roſacei libr. duas. Crocus & opium paſſo macerantur, panis verò in aqua, & ad ipſa trita affunduntur liquida. facit etiam ad podagras, in calida intemperie ac fluxione bilioſa, ad eminentias protuberantes. De rumicis agreſtis radice humida adhuc, corticem detrahe, & ipſam radicem parum contuſam vt ex proprio ſucco madeſcat, ſtatim eminentiæ ipſi affrica poſt factam alui exonerationem, nimirum vbi aqua ablueris, & linteo deterſeris humiditatem. hoc decreſcēte luna fiat. Aliud optimum ad omnem ſedis inflammationem. Malicorii ſeſquiunciam, meliloti vnciam vnam, fœnigræci cyathos duos, vini dulcis veteris heminas quinque. coquito ad tertias, & abiectis herbis, terito in vino ceruſſæ lotæ ſextantem, pompholygis lotæ vnc. vnam, thuris trientem, plumbi vſti vnciam vnam: & liquefacito ceræ Tyrrhenicæ ſextantem, olei myrtei quadrantem, roſacei quadrātem, butyri recentis inſulſi ſextātem, œſypi vnc. vnam, medullæ ceruinæ vnciam vnam, adipis anſerini trientem: hæc liquefacta frigefacta ac eraſa, ad trita adiicito, & intybi ſuccum paulatim adſtillato, & probè vnitis vtitor. Aliud Andromachi, quo vtor, inquit. Roſarum viridium drach. ſeptem, capitum papaueris drach. quatuor, oua cruda integra duo, butyri recentis, œſypi, malicorii læuiſſimè triti, ſing. drach. ſedecim, mellis dodrantem, roſacei aut myrtei ſeſcuncem, ceræ beſſem. Aliud, quo vtor, ait. Ceruſſæ drach. quinque, ſpumæ argenti lotæ drach. quinque, thuris drach. ſex, aluminis drach. tres, croci obolos tres, vini & roſacei quantum ſatis eſt.

De fiſſuris ſedis & de tuberculis, Cap. III.

TVberculum quod condyloma appellatur, in ſede fit, ruga aliqua corporum in ano reduplicatorum inſurgente, ac præter naturam intumeſcente. Quum enim ſinuoſus ſit anus, rugas coagmentatas habet. vbi verò amplius intumuerit ruga, tūc ſanè fit condyloma. & aliquando quidem citra inflammationem fit, & molle eſt: quandoque verò cum inflammatione, & durum eſt ac doloroſum. At verò fiſſuræ ac rimæ in ſede fiunt, quandoque in adſtrictiori parte, ſiue muſculo adſtringente: quandoque verò in ano: & aliquando ex influentium acrimonia conſiſtunt: aliquando autem propter condylomatum inflammationem ac diſtentionem, partes circumſitæ rupturam ſuſtinent. Curationes autem primùm quidē fiunt per medicamenta. dilata verò curatione, dum & indurantur & calloſæ fiunt affectiones, chirurgiam adhibere oportet, ita vt in condylomatis quidem æger commodè locetur, & ipſum condyloma volſella diſtentum funditus excidatur: in fiſſuris autem, vt calloſa rimæ labia deradantur, quò ſupina ac recēs vlceratio fiat ad facilem curationem. Poſt chirurgiam conſequens curatio primùm eſt ſuppuratoria, deinde repurgatoria, poſtea ad cicatricem perducens. Quæ verò in principio adhibentur ipſis auxilia, talia ſunt. Ad condylomata pharmacum, quod contrahit ac cōſumit ipſa: Miſy aſſatum terebinthina liquida excipe, vt emplaſtri compagem habeat, & adhibito prius per aquam fomento impone. vtere velut admirando. Aliud. Teſtas ouorum vſtas ac tritas lauato, &

ſiccatas inſpergito. Aliud Lucii. Ad inflammationes
ſedis & rimas,ac condylomata. facit etiam ad rimas pu-
dendorum inflammatas: Ceruſſæ quincuncem, ſpumæ
argenti lotæ ſextantem & vnciæ dimidium, recrementi
plumbi loti,aluminis ſciſſi,thuris, ſingulorum ſextātem.
Hæc cum vino albo veteri trita,ad ceratum myrteum ac
roſaceum admiſceto,ac vtitor.Facit ad ſordida vlcera ſe-
dis,maximè verò circa coronam glandis & præputium
conſiſtentia,quæ neque linamentis repurgātur, & à me-
dicamentis ad depaſcentia vlcera deſtinatis exacerban-
tur.In ſumma verò perfuſiones in condylomatis adſtrin-
gentes eſſe oportet, & medicamenta ipſorū adſtrictione
quadam participare debent. Aliud ad rimas in ſede in-
flammatas,& ad condylomata. Cadmiæ teneræ ter v-
ſtæ ac lotæ,ceruſſæ lotæ,ſpumæ argenti lotæ,ſingulorum
ſextantem,ceræ quadrantem, ouorum duorum aſſatorū
vitellos,ſapæ cyathum vnum,roſacei cyathū vnum. vte-
re.eſt valde commodum etiam ad antiquata. Ad rimas
inflammatas,morſúſque ac feruores, quo ego ſemper v-
ſus,nullo alio opus habui. Collyria aſteris aut thuris, aut
aliquod conſimile,ſucco hyoſcyami & ſapa diluito,& ro-
ſaceo ſufficienti addito quò ſtrigmētoſum pharmacum
fiat,ex hoc anum aſſiduè illinere iubeto. Et primùm qui-
dem dolores ſedat:celerrimè verò etiam vlcera ſanat.Po-
tes & ſpecies collyrii accipere, & cum hyoſcyami ſucco
terere,ac paſtillos efformare: & vſus tempore cum ſapa
ac roſaceo diluere. Aliud Andromachi,quo vtor,inquit,
ad rimas ſedis & condylomata inflammata. Lapidis hæ
matitæ,ammoniaci thymiamatis,thuris,aluminis rotū-
di,ſingulorum drach. xii. (in alio exemplari, ſextantem)
gallarum, croci, ſingulorum drach. vnam, terebinthinæ
drach.quatuor, ceræ Tyrrhenicæ drach.duodecim, roſa-
cei drach.decem. vtere ad ſedem quidem cum roſaceo:
ad vterum verò cum vnguento Salca appellato. Aliud
ad condylomata & rimas, quo melius non eſt. Alumi-
nis ſciſſi drach. tres, croci drach.quatuor,ceruſſæ drach.
duas, opobalſami drach.vnam, thuris drach. quatuor, a-
loes drach.vnam,œſypi drach.octo, ceræ drach. octo, li-
quabilia liquefacito,& ad arida trita affundito, ac vnitis
vtitor. Ad rimas in ano ac pudendis. Reſinam pi-
nus ſiccam cum roſaceo terito, donec ſtrigmentoſa fiat,
& oui aſſati vitellum admiſceto ac illinito. Ad rimas
ſedis,inflammationéſque ac condylomata, puluis ſiccus
mitigans ac eximens dolorem. Rhoidarii, ſyrici, ce-
ruſſæ,ſpumæ argenti, æquales portiones ſiccas inſperge.
Aliud. Foliorum hederæ ſiccorum cinerem cum vino
& roſaceo in pila plumbea tere,ac vtere. Aliud. Cine
ris raſuræ linteorum vſtæ,& amyli, æquales partes tere,&
foliorum oleæ viridium ſuccum miſce,ac illine. Aliud
Maiæ ſiue obſtetricis ad fiſſuras & condylomata. Gallæ
drach.octo,plumbaginis drach.octo,myrrhæ drach.qua-
tuor, ceruſſæ drach.quatuor, tritis vtere. prodeſt ad o-
mnia. Paſtillus Aretæ Andromachi,pharmacum accō-
modatum ad rimas & condylomata,in maximis dolori-
bus citò liberat.Stybii, acaciæ, plumbi vſti & loti, ſingu-
lorum drach. ſedecim, cineris ſiue ſpodii pompholygis
lotæ,drach. octo: fructus ericæ, aluminis ſciſſilis, thuris,
atramenti ſutorii,myrrhæ,opii, ſingulorum drach. octo,
Vino terito velut collyrium, & excipe ac forma in paſtil
los, quos vſus tempore paſſo diluito. Paſtillus ad ſedē
& omnia ani vlcera,rimas ac condylomata: Pompholy
gis lotæ,terræ Samiæ,amyli,terræ Lemniæ, aloes vſtæ ac
lotæ,thuris,ſádycis,plumbi vſti & loti,radicis ſymphyti,
centaureæ,ſingulorum ſextantem,croci, ſquamæ æris, o-
pii,tragacanthæ,ſingulorum ſeſquiunciam.Excipe vino,
& vtere vt voles. Paſtillus ex ſolano halicacabo, velut
Heras prodit,qui ad rimas parari ſolet in ſede ac puden-
do,& ad vlcera,cōdylomata, ad verrucas thymos ac for-
micarias appellatas, & ad omnem eminentiam. facit &
ad puſtulas nocturnas,papulas,reduuias circa vngues & i-
gnem ſacrum, & ad aures purulentas, & labiorum ac plan
tarum fiſſuras. Spumæ argenti drachmas vigintiqua-
tuor,ceruſſæ drachmas duodecim,corticis radicis halica-
cabi ſicci drachmas octo, atramenti ſutorii drachmas
quatuor. Terito velut collyrium cum aqua, & forma pa-
ſtillos,ac vtere, ad valde inflammata cum lacte muliebri;
ad ea quæ cicatrice opus habēt cū vino. Andromachus
autem hunc paſtillum ſic præparat: Ceruſſæ libram v-
nam,ſpumæ argenti,corticis halicacabi, atramenti ſuto-
rii,rubricæ ſinopidis,ſingulorum ſextātem(in alio exem
plari ſeſcuncem)terito cum aceto,ac formato paſtillos.

Medicamentū cicatricem inducens vlceribus in ſede.
Cadmiæ vſtæ & vino extinctæ ſextantem, ceruſſæ lotæ
vnciam vnam,plumbi vſti ac loti vnciam vnam, ceræ vn
B ciam vnam; olei myrtei libram vnam. Sicca cum vino
terito ad dies ſufficientes, & ceratum liquefactum adii-
cito,ac vtitor vnitis. Aliud ſiccum,ad rimas præputii ac
ſedis, inducit cicatricem: Cadmiæ, ceruſſæ, thuris,æ-
quales partes. facit & ad alia vlcera mirabiliter. Aliud
cicatricem inducens: Cadmiæ ter vſtæ ac lotæ, plumbi
vſti ac loti,diphrygis, ſingulorum vnciam vnam. Vino
trita excipe, cerato habente ceræ quincuncem, terebin-
thinæ drachmas quatuordecim, olei myrtei quincun-
cem:& vnita ac in maſſam coacta ſeruato. Vſus verò tem
C pore,de pharmaco ſextantem,ceræ trientem,olei myrtei
quantum ſatis eſt accipe. Aliud ſiccum,rimas ac vlcera
ad cicatricem perducens: Seminis ſpinæ Ægyptiæ ſe-
xtantem,maſtiches vnciam vnam. Singula ſeorſim trita
miſcentur,& poſt ſedatas inflammationes inſperſa cicatri
cem inducunt. Aliud. Lapidis Phrygii ter vſti ac vi-
no extincti,cadmiæ vſtæ lotæ,ceruſſæ lotæ, aloes,thuris,
ſingulorum drachmas quatuor, ſquamæ æris lotæ dra-
chmas duas,diphrygis drachmas duas,diligenter tere:ac
vtere. Aliud. Fructus ericæ, gallarum, thuris, acaciæ,
D pares portiones ſiccas inſperge.

De thymis in ſede ac reliquo corpore naſcentibus,ſy-
coſique ac verrucis formicariis,itém que cla-
uis, Cap. III.

THymi appellationis originatio tranſſumpta eſt à ca-
cuminibus eiuſdem nominis herbæ in montibus
naſcentis.Thymi enim in corpore tuberculoſæ ſunt emi-
nentiæ,aſperæ, ſubrubræ, oblongæ, præter naturam au-
ctæ, ſanguinem effundentes dum auferuntur, amplius
E quàm pro apparente magnitudine. Abundat autem hæc
affectio circa ſedem & pudenda ac media femora.quan-
doque etiam in facie cōſiſtit. Et quidam ſanè parui ſunt,
& vocantur thymi:aliqui verò magnitudine excedunt, &
appellantur ficus:& aliqui manſueti ſunt:aliqui verò ma-
ligni. Manſueti igitur thymi, carunculæ ſunt paruæ qui-
dem,verùm inæquales, obſcuris eminentiis exaſperatæ,
albicantis coloris,aut ſubrubræ,& doloris expertes.Mali-
gni verò thymi, duriores ſunt & aſperiores ac maiores,
fæculenti ac liuidi coloris, doloroſique ac punctorium
F dolorem inducentes, & exacerbantur maximè ad ma-
nuum contactum & medicamentorum adhibitionem.
Sunt autem omnes manſueti facilè curabiles: maligni
verò incurabiles. Curantur autem aliquando hi, non
locali exectione, ſed cum ablatione totius partis in
qua ſunt. Ad thymos. Saluiam herbam ſiccam tu-
ſam cum pinguibus caricis præbe edendam, & diſpare-
bunt. Verùm in pecoribus ordeum rori exponito,& ean-
dem herbam inſpergito,& edere ſinito, ac miraberis.
Ad eminentias. Soleas veteramentarias humidas vri-
G to ac terito, & vino præimbutas imponito. Aliud.
Serpentis exuuium tritum carne caricarum reiectis gra-
nis excipito, & emplaſtri modo imponito: ſi verò intra
ſedem fuerint,glandulam inde facito, ſubdito,ac mira-
beris. Aliud. Caninum ſtercus album vſtum ac tri-
tum,& vino madefactum imponito. Cæterùm verru-
ca,acrochordon *Græcis* dicta, tuberculoſa eſt eminentia.
Nomen verò inde habet, quòd ſimilis eſt vertice ſuo re-
ſectæ chordæ iuxta extremitatem. At verruca formica-
ria,tuberculoſa ac calloſa eſt eminentia, nigricantis co-
H loris,fundamentum latum habens,& ad cutem reſidens,
ad contactum dolorem exhibens eiuſmodi qualis à mor
ſu formicæ animalis contingit: vnde etiam nomen ha-
bet. Verùm in ablatione ſanguinem fundit, non pro ap-

parentis magnitudinis ratione. Clauus autem calloſa eſt eminentia,capiti claui aſſimilis. frequens autem eſt circa manuum extremitates,& circa calcaneum. Appellant porrò etiam in facie orientes magnas eminentias,ficus:à magnitudine impoſita appellatione. Proinde conandum eſt vt per pharmaca,tum manſuetos, tum malignos thymos curemus, ita vt manſuetis quidem, ea quæ conſumere ac contrahere poſſunt adhibeamus: malignis autem,ea quæ ad cancerata vlcera deſcribentur, præſertim in mammis ac vtero. At vbi victa fuerint pharmaca,& curatio protrahatur, thymos quidem qui ſunt in muſculo ani adſtrictorio, volſella attractos radicitus excindere oportet, & ſiccum medicamentum ſanguinem ſiſtens inſpergere,quale eſt quod flauum appellatur: & poſt chirurgiam,pharmaca reſiccantia adhibere donec perfectè curentur. nam vnctuoſa curatio affectionem refricat. Si verò in partibus magis expoſitis fuerint thymi,poſt exectionem quum magni fuerint ac multi, vſtionem adhibere expedit ad ſanguinem ſiſtendum, & regenerationem in poſterum prohibẽdam. Adhibita igitur vſtione, curatio decernatur communis ad peruſta: primùm videlicet ea quæ cruſtas amouere poteſt:deinde repurgatoria: poſtea reſiccatoria. Cruſtas autẽ remouere poſſunt in talibus,lac & mel per linamenta adhibita. Quòd ſi ſcalpello ſolùm exciſi fuerint thymi, poſt exciſionem ſiccum ſanguinem ſiſtens adhibeatur,& reliquus curationis ductus reſiccans,velut dictum eſt. Pharmaca cõſumentia ac reſiccantia thymos, & verrucas formicarias atque acrochordonas. Medicamenta quæ conſumunt ac reſiccant thymos,ſunt ea quæ communiter curant etiam reliquas verrucas:quale eſt hoc quod facit ad thymos in ſede ac pudendo,aut in alio corporis loco obortos. Aluminis ſciſſi,atramenti ſutorii vſti, glutinis, ſingulorum vnciam vnam,ſquamæ æris ſextantem. Trita glutine excipito cum aceto prædiſſoluto, illinito. Ad thymos in ſede,& dura ac noninflammata condylomata, & ficus. Squamæ æris drachmam vnam, ſandarachæ drachmam vnam, auripigmenti drachmam vnam, aluminis ſciſſi drachmas duas. Terito per ſe ſingula, & cum roſaceo, & ad ſtrigmentitiã craſſitudinem redacta largè illinito, & raſuram linteoli imponito, atque bis ſingulis diebus curato. at verò in aliis corporis partibus aceto diluta illinito. Mirabiliter autem contrahit ac deprimit thymos in ſede ac condylomata,& inflammata lenit, paſtillus ſuperiore capite deſcriptus,Arete appellatus. Heraclidæ Tarentini ad verrucas formicarias inueteratas: Sulphuris viui,ſandarachæ, atramenti ſutorii, ſingulorum æquales partes,terito cum aceto,& paſtillos formato. & vſus tempore aceto dilutos illine. Nos autem appoſuimus his etiam elaterium pari portione, & ad formicarias atque acutas verrucas mirabiliter profuit: verùm in formicariis primùm ſcalpello circumſcalpere oportet, atque ſic pharmacum illinere. Oribaſii ad formicarias verrucas & acrochordones: Chalcitidis drachmas ſex, ſandarachæ drachmas quatuor,cadmiæ drachmas decem, cum aceto aſſiduè illine donec exciderint. Aliud melinum ſiccum, geminæ mixturæ, Heliocaes, *hoc eſt ſole uſtum* appellatum: Calcis viuæ partes duas, auripigmenti partem vnam. auripigmentum aqua prius terito,& calcem adiicito,& in vaſe aqua repleto ſiccari ſinito. Hoc vbi tertiò feceris, in vas fictile procul ab omni humiditate deponito. facit ad verrucas formicarias,& inſtar chordæ apicis acutas, pterygia, callos, nomas,& epulidas. Aliud. Auripigmenti drachmas octo, ſandarachæ drachmas ſex,elaterii drachmas octo, ſulphuris viui drachmas ſex, radicis chamæleontis nigri drachmas quatuor. Aceto diluta cogito in paſtillos,& vtere cum aceto. Verùm in formicaria verruca baſim prius circumſcalpe,velut dictum eſt. Aliud pharmacum accommodatum. hoc vſus ſanaui thymos malignos: Elaterii drachmas octo,auripigmenti tantundem, ſulphuris viui drachmas ſex,glutinis piſcium drachmas quatuor, trita excipe glutino aceto prædiſſoluto. Et vtere in aliis quidem locis cum aceto diſſolutis: ad ſedem verò cum roſaceo. Quomodo verò gluten piſcium diſſoluere oporteat, dictum eſt in capite De ſanguinem ſpuentibus,in paſtillo qui gluten piſcium recipit,Sermone octauo. Ad thymos valde malignos poſt exectionem & vſtionem exorientes. verrucas item formicarias,& inſtar apicis chordæ acutas. Paſtillus Paſionis: Squamæ æris drachmas duodecim, æris vſti drachmas octo,ſalis ammoniaci drachmas octo,aluminis rotundi drachmas octo,thuris drachmas ſedecim. Omnia terito excepto thure,ad multos dies aceto affuſo in ſole. Deinde thus adiice,ac rurſus probè tere, & paſtillos efforma,eóſque aſſiduè cum aceto illine, donec penitus exciderint: ad eos verò qui in ſede ſunt,cum paſſo diluito. Cæterùm ficus ablatos,& thymos ac condylomata curat, & rurſus generari non ſinit, & iam extantes præclarè tollit,cinis lignorum vitis cum aceto illitus,& cinis ex vinaceis vſtis cum aceto.

De hæmorrhoidibus ſedis,

Cap. v.

HÆmorrhois appellationis originationem habet à ſanguinis fluxu. eſt autem velut dilatatio localis in ſede facta, vaſis quibuſdam iſtic apertis, & progreſſu temporis calloſioribus factis. Hæmorrhoidum verò aliæ ſunt cæcæ,aliæ apertæ. cæcæ ſunt quæ omni tempore inflatæ ſunt,& nihil excernunt: apertæ verò ſunt quæ per tempora ſanguinem effundunt. Hæc affectio malorum plurimorum cauſa hominibus exiſtit. nam & deformitatem,& miſeram vitam hæmorrhoides inducunt: multos verò etiam vita priuant. Et deformitatem quidem, propter coloris totius corporis vitiationem, ex euacuatione ſuccedentem: miſeram verò vitam, propter corporis debilitatem. Quandoque autem & de vita periclitantur ſic affecti,quum ob excedentem euacuationem perfrigeratum hepar, aquam inter cutem operatur. Conuenit igitur recta diæta ac venæ ſectione præmiſſa,hæmorrhoidum extirpationem moliri, & nullam penitus relinquere,quemadmodum quibuſdam viſum fuit. poſſibile eſt enim incolumes euadere, optimúmque curationis finem aſſequi, poſt hœmorrhoidum extirpationem, eos qui opportuno tempore venæ ſectione & conuenienti diæta ſemper vtantur,quemadmodum Hippocrati placet. Inquit enim, Hæmorrhoidas ſananti inueteratas ſi non adſeruetur,periculum eſt hydropem aut tabem ſuccedere. Non enim(velut quidam opinantur) dixit, ſi non vna fuerit ſeruata hæmorrhois ad ſanguinis excretionem: ſed dixit,Si non adſeruetur, hoc eſt ſi non conuenienti diæta vtatur. Quòd autem ſic velit Hippocrates, ipſa aphoriſmi diſtinctio oſtendit: ait enim hic vir,Hæmorrhoidas inueteratas ſananti. eſt autem ſanatio perfecta liberatio,& legitima curatio. Quare iuxta Hippocratem non oportet aliquam hæmorrhoidem relinquere, ſed omnes excindere, & poſt perfectam ipſarum curationem per conuenientem, velut dictum eſt,diætam ad naturalem ſtatum corpus curatum reducere, incideréque cubiti venam tempore opportuno, quò videlicet coaceruatus in corpore ſanguis euacuetur.

De hæmorrhoidum chirurgia,

Cap. VI.

AEgrum itaque præparare oportet per modici cibi vſum,& aquæ potum,& vtplurimùm etiam per clyſteris infuſum,tum prolectandi ſtercoris gratia, tum vt ſedes irritata promptior ad euerſionem fiat. Deinde adhibeatur chirurgia, quemadmodum in tractatu De chirurgia oſtenſum eſt, ita vt ſingulæ hæmorrhoides vncino diſtendantur,& baſis prius circumſcalpatur, & per vncinum obtorqueantur. Deinde paruo interſtitio facto obligentur,& reſecentur. ipſa enim obtortio adſtrictioni correſpondens,vaſa contrahit vt conſidant,quò poſt exciſionem ſedes minus ſanguinis effundat. Quapropter oportet vnamquanque hæmorrhoidem hamulo diſtẽdere: deinde fundamentum circumſcalpere, poſtea per hamulum obtorquere, & porrigere hamum tenendum miniſtro, poſtea verò etiam in aliis idem faciendum eſt. Poſtquam verò omnes hamulis diſtendimus, circumſcalptas funiculis obligabimus,& miniſtro tenendas dabimus. Et

tunc

tunc primùm diſtẽtam primã excidimus, & reliquas cõſequenter ex ordine tollimus. Poſt exectionem verò, ſiccum ſanguinem ſiſtẽs apponimus, & ſpongiam lino obligatam adhibemus, & fili principium foris relinquimus. Poſtea decernimus conſequentem curationem, per linamentorum immiſſionem, ſpongiarum appoſitionẽ, obligationem ſedi conuenientem. curatio verò poſtea communis eſt. Securior itaque & compendiaria curatio hæmorrhoidum eſt ipſa chirurgia. Quandoquidem verò quidam melius eſſe putant aſſiduè purgari per hæmorrhoidas, velut mulieres: quidam verò, ob timiditatem, per medicamenta potius aliquas ex his aut omnes tolli cupiunt, conſequenter ſubiungemus auxilia ad has conueniẽtia. Extractoria hæmorrhoidum. Quãdoquidem pleræque hæmorrhoides opus habẽt extractione, ad faciliorem medicamentorum impoſitionem, neceſſarium eſt & talia pharmaca deſcribere: Cyclamini ſuccus illitus, & hæmorrhoidas irritat, & non ſinit ipſas contrahi in chirurgia, & ſedem extrahit ac euertit. Magni pharmacum accommodatum ad hæmorrhoidas extrahendas: Piperis ac nitri, vtriuſque pares partes terito, & ſedi adhibeto.

Aliud. Succum cyclamini cum pari mellis menſura ad compagem mellis coquito. probè facit. Aliud. Hoc vix prolabentes hæmorrhoidas extrahit. Succi cẽtaurii drach. II. aluminis liquidi drach. II. miſyos drach. I. ſtaphidis agreſtis drachm. I. excipe melle & illine ſedem. aut lanam pharmaco imbutam in ſedem inde. Quum autem promptitudinem induxerit, & ſedes prolapſa fuerit, & hæmorrhoides apparuerint, imponito ea quæ ad hæmorrhoidum curationem deſcribentur. Quæ aperiant hæmorrhoidas. Aperiunt autem has, in iis quibus ſanguinem per ipſas excerni volumus, amaracinum vnguentum illitum, perdicii herbæ folia viridia aſſiduè affricta, mercurialis trita & velut glans immiſſa, fel bubulum per lanæ tomentum inditum. Siſtentia ſanguinis hæmorrhoidum fluxum. Sanguinem qui ex hæmorrhoidib⁹ nimiùm euacuatur, ſiſtũt, aloe impoſita, ſquama ferri, plumbum vſtum cum poſca. Aliud ſanguinẽ ſiſtens confeſtim. Acaciæ fuluæ drach. IIII. plumbaginis drach. IIII. tragacanthæ drach. II. Singula ſeorſim terito & miſceto, & aqua ſubacta craſſius imponito: ſi verò penitiores fuerint, in maſſam coacta indito. Aliud delẽs hæmorrhoidas & omnem ſanguinis eruptionem: Mororum crudiſſimorum ſiccorum ſeſquiunciam, chalcitidis ſeſquiunciam, lapidis molaris trientem, pennarum corui ſcrup. XXI. Extremitates pennarum torreto ac terito. deinde omnia vino ſubacta ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem redigito. & in hæmorrhoidibus quidem indito: in extrinſecis verò ſanguinis eruptionibus illinito, ac obligato. Aſclepiadæ prolutio hæmorrhoidum: Spinæ Ægyptiæ quincuncem, foliorum ſalicis, artemiſiæ, ſideritidis herbæ, ſingul. trientem, in quatuor aquæ ſextariis coquito ad dimidias. & herbas quidem abiicito: ad aquam verò decocti ſiccum hoc admiſceto. Melanteriæ à clauis drach. X. aluminis rotũdi drach. VIII. ſpumæ argenti drach. IIII. gallarum drach. III. miſyos drach. II. ſoreos drachm. II. Siccũ in decocto diluito, & cũ eo ſepties in die perfundito, atque hoc per triduũ facito. Si verò reliquiæ quædam hæmorrhoidum reſtiterint, eas quarta die acu cõpungito. Et ſi quidem ſenſerint, aut cruentatæ fuerint, decoctũ illud ſimiliter prodeſt: de ſicco verò dimidiã partem miſce. Prolutione verò facta, ipſum ſiccũ pharmacũ adhibe, vt exactè vrantur: propter inflammationẽ autẽ, forinſecus pane impone. hoc citò vrit. ex cataplaſmate verò intra ſeptimum diem excidunt cruſtæ. Mirabiliter quoque hæmorrhoidas hoc tollit: Cicutæ ſiccæ drach. II. ſucci hyoſcyami drach. IIII. aluminis drach. II. æris vſti drach. II. rubricæ drach. I. cerato roſaceo excipe & impone. Faciunt & mali Punici acidi cortices ſicci cũ aceto impoſiti: ſi verò penitiores fuerint, velut glandem ſuppoſititiam indito.

Aliud valde præclarum. Sandarachæ drachmas VIII. auripigmenti drach. VIII. cum lixiuio diluta impone, ægro antea probè collocato. mortificatur enim hæmorrhois, & decidit in ſemihora reſiccata, & à fundamẽto deuoluta. Verùm circũ hæmorrhoides ceratũ illinitur: & fit hoc in ſole, aut apud ignẽ. debet enim homo in eodem ſitu permanere donec pharmacum abluatur. Aliud ad hæmorrhoidas, quod ſedat etiã inflãmationes ani: & illæ mortificatæ reſiccantur velut vuæ paſſæ, & decidunt in ſeptẽ diebus citra exulcerationẽ. Cæterùm ad condylomata ac fiſtulas cõfert, eáque curat hoc: Fæcis vini ſiccæ vſtæ quadrantẽ, miſyos ſextantẽ, aut pro miſy, ſoreos ſextãtem. vtere velut optimo. fæx autẽ occulitur in prunas, & vritur donec albeſcat. Aliud. Stercus aſini ſiccũ accipito, & ex eo ollulam paruã impleto, & mannæ thuris drach. octo, & tithymali ſicci manipulũ vnum addito, & accenſo ſtercore bubulo, ad carbonum ſpeciem exurito, eáque trita imponito donec excidant. ſeptima enim die citra inflammationẽ mortificatæ decidunt. Aliud mirabiliter excindens hæmorrhoidas. Chalcitidis vſtæ, miſyos vſti, atramẽti ſutorii vſti, diphrygis, ſoreos, ſingulorum drach. IIII. ſquamæ æris vſtæ drach. II. vtere ipſo ſicco, & inſtar teſtæ induratæ excident. Eſt hoc præclarũ, & omnem carnis eminentiã contrahit. Aliud Hippocratis ad hæmorrhoidas admirãdum. Gallarũ ſextantem, myrrhæ ſextantem, aluminis ſciſſi quadrantem, melanteriæ quadrantem, cõtundito, cribrato, terito, ac vtere ſicco. Ego verò in penuria melãteriæ, ſori adieci. & fecit mirabiliter: nam intra paucos dies citra mordacitatem ac vlcerationem hæmorrhoidas diſſipat. verùm vino præeluere oportet, atque ſic inſpergere.

Ad anum aut ſedem procidentem, Cap. VII.

NOs per muriã aut marinam aquã prius anum fouere ſolemus prolapſum, & ſæpe nullo alio auxilio opus habuimus. Aliquãdo verò ſalem tritũ inſpergimus, ægro cõmodè ad hoc collocato, & ſufficiẽs tẽpus expectamus, donec deſtillantes humiditates extrà proceſſerint. Deinde abluta prolapſa recti inteſtini parte, illitionibus adſtringẽtibus vtimur, nimirum acacia, aut hypociſthide cum vino. Deinde anum retrudimus, & ſequenti die inſeſſionẽ paramus, aut infuſum adſtrictoriã vim habens: quale eſt vinum nigrũ auſterum, in quo decocta eſt myrtus, aut oleæ folia, aut malicoriũ. Cæterùm in pueris adſtringentiũ vſum remittere oportet, & mitiora adhibere. Si verò res vrgeat, etiã lumbis adſtringentia imponemus cataplaſmata ex palmulis ac malis cotoneis & ſimilibus. item ſedi ſimilia adhibebimus. Victus autẽ ſit boni ſucci, & lactis potus decernatur. & pultes ex lacte parentur, qualis eſt oryza cũ lacte cocta, & ſimilia. vinum detur aquoſius. Pharmaca verò huic affectioni cõmoda ſunt eiuſmodi: Gallam coquito, & cum læuigata anum integito, & ſi quidem fortiore auxilio opus habes, in vino cocturã facito: ſin leniore, in aqua. Aliud. Corticis pinus drach. octo, pilularum cupreſſi drach. II. plumbaginis drach. II. prælauato cum vino adſtringente & acerbo, & ſicca trita inſpergito. Aliud. Recrementi plumbi drach. octo, thuris drach. II. prælue, & trita inſperge. Aliud. Balauſtiorum drach. I. malicorii drach. II. ſeminis hyoſcyami drach. octo, ceruſſæ drach. octo, myrrhæ drach. II. plũbi loti drach. II. prælue & inſperge. Aliud noſtrum ad procidentem anum: Fructus ericæ, gallarum, acaciæ, ceruſſæ, ſucci hypociſthidis, corticis pini, myrrhæ, thuris, æquales partes ſiccas inſperge, vbi vino auſtero ſedem prius laueris. Aliud. Lẽtis vſtæ, panis vſti, farinæ erui, æquales partes imponito cum aceto & ſapa. Aliud. Sedem vino prælauato, & picem aridam tritam inſpergito, aut ollulas vſtas tritas. Aliud. Cupreſſi decocto perfundito, & ſtercus caninum ſiccum inſpergito: picem verò ſiccam, bitumen, & cyperum ſuffito. Aliud. Coriandri ſemen, & laſer, trita cum vino illinito. & torpedinem viuam aſſiduè apponito, & contrahet. Aliud. Bitumen & gallam æquis portionibus tritis ſiccis ſedi inſpergito. valde præclarum hoc eſt.

De prolabentis ſedis peruſtione, Leonidæ, Cap. VIII.

QVum fluxus ægrè curabilis apparuerit, & diæta nihil profecerit, neque medicamẽta cõtulerint, ſtructura mali iã inueterata, ad vſtionẽ peruenire oportet. Quum enĩ alia inteſtina inter partes prĩcipales cõnumerẽtur, ex-

terna extremitas inteſtini recti principalis non eſt: ſed &
dum vritur & ſecatur, nullum periculum inducit, velut i-
pſa experientia teſtatur. Inurere autem conuenit per cau-
teria nucleoformia externam ſedis partem extremam, ex
moderatis interuallis. ſufficiens eſt enim vſtio ad fluxi-
onem ſuperandam. cicatrix autem ſolida ſuccedens, a-
num in ambitu conſtringit. poſt vſtionem verò, lac cum
melle vnito, & linamenta ex eo imbuta indito, ac obliga
to. poſtquam verò elapſæ fuerint cruſtæ, lentem cum
melle imponito. Repurgatis autem vlceribus, vtere em-
plaſtro ex ordeo, aut aliis cicatricem inducentibus, ſuprà
ad ſedis affectiones præſcriptis.

De abſceſſibus ſedis, Leonidæ, Cap. IX.

INflammatione prægreſſa aliquando circa anum abſ-
ceſſus oritur. Quod vbi contingit, plura corpuſcula pu-
treſcunt propter locorum humiditatem ac largam calidi
tatem. vnde neceſſarium eſt in chirurgia ablatione vti, &
propterea facilè in fiſtulam tranſire. Proinde in ſimplicio
ribus quidem abſceſſibus facilis eſt curatio: verùm in
magnis affectionibus, ano orbiculatim amputato, plerun-
que dum cicatrix inducitur, podicis meatus cõſtringitur,
& obturatio contingit. Quapropter conducit inter curan-
dum, primis curationis temporibus linamentum parare,
idque in tetrapharmaco, aut alio quodam ad curationem
commodo, diſſoluto intinctum indere in ſedem: tem-
pore verò inducendæ cicatricis, canalem ſtanneum rotun
dum ſedis meatui conuenientem immittere, qui foris
quidem ſit amplus, verùm appoſita parte in profundo ſi-
ta rotũdus ac leuis, habeátque in medio foramẽ per quod
flatus reddi poſſunt. Illinatur autẽ canalis ex medicamẽto
cicatricem inducẽte, aut Samia terra cũ vino, aut ceruſſa.
forinſecus autem ſplenium aut lana incumbat, & commo
da obligatio fiat. At verò canalis ipſe vſque ad perfectam
curationem inditus ſinatur.

De vlceribus ſedis proſerpentibus ac depaſcentibus,
Cap. X.

FIunt aliquando in ſede vlcera proſerpentia & depa-
ſcẽtia. Si quidem igitur nome depaſcens in adſtricto-
rio muſculo fiat, conari oportet vt per ſedulam medica-
tionem ad nomas pertinentem affectio curetur. Nam in-
teriores ani partes, ipſe inquam adſtrictorius muſculus,
neruoſus quum ſit, neque vſtionem neque ſectionem ſuſ-
tinet. exciſo enim muſculo illo, conuulſio ſequitur, & ni-
mirum etiam carunculæ imminutio ac detrimentum: id
quod inde nobis cognoſcere datur, quòd etiã ſæpe nõ ad-
hibita chirurgia, ab ipſo depaſcente vlcere muſculus ille
cõſumitur, & carunculæ decrementũ (rhœada *Græci* vo-
cant) conſequitur. Vtendum igitur eſt auxiliis ad nomas
deſcriptis, ita vt myrtorum ac malicorii & rubi decocto,
ac ſimilibus aſſiduè irrigemus, & primùm quidem corpo
ribus à natura alienis cruſtam inuramus, per Fauſtinũ ap
pellatum paſtillum aut conſimiles: deinde vtamur eo qui
ex vſta charta conſtat. poſtea Iſidem emplaſtrum cũ mul
to roſaceo diſſolutum per linamenta indamus, & ſic reli-
qua deinceps conſequentia faciamus. Cæterùm phagedæ
nico vlcere proſerpendo exedente in ano exiſtente, au-
dere aliquid oportet, & aliena à ſanis excindere: deinde
vſtionem adhibere. quum enim carnoſus ſit podex, tales
chirurgias facilè ſuſtinet. Poſt chirurgiam autem conſe-
quenter curatio, velut aliorum vlcerum facienda. Si verò
vſtio adhibita fuerit, curare conuenit velut in prolaben-
te ſede dictum eſt.

De fiſtulis ani, Leonidæ, Cap. XI.

QVandoquidem ex mala vlcerum curatione, & præ-
cipuè circa ſedem, ſæpe fiſtula ſuccedit, conſequen-
ter etiam de his dicendum eſt. Proinde ægro in ſella, aut
alio quodam plano loco collocato, artifex à dextris ma-
gis ipſius ægri deſidens chirurgiam perficiat. Conuenit
autem ſpecillum accipere, & caput eius in medium fiſtu
læ immittere, ipſúmque propellere quouſque per inanẽ
meatum progreditur. deinde medium ſiniſtræ manus di
gitum in ſedem immittens, per ipſum ſpecilli caput arri-
piat, poſtea reflectens ſpecillum, & ambas fiſtulæ extremi
tates inter ſe adæquatas ſiniſtra manu diſtendat, atque ſic
omnia corpuſcula calloſa per ambitum exſcindat, vnico

A contactu, ſi id fieri poteſt. Si verò poſt ſectionem apparue
rit callus adhuc inſidens, circumſcalpatur. manifeſtus autẽ
eſt callus, quum ſit ſubalbidus ac renitens. Si verò etiam
rugæ propinquæ apparuerint, volſella extentæ reſecentur
ad vlcerum explanationem, & facilem deinceps curatio-
nem. Poſt chirurgiam manna thuris ſectionem implebi-
mus, & linamentis additis conuenienter deligabimus, &
conſequenter communi aliorum vlcerum curatione vte-
mur. Cæterùm in iis qui ob mollitiem aut timiditatem
B rogant nos vt per medicamenta curentur, primùm cona-
ri oportet vt per pharmaca reſiccantia ac fiſtulas clauden-
tia curemus. Quæ ſi nihil effecerint, ad ea quæ calloſa cor
puſcula erodere ac conſumere poſſunt, tranſeundum eſt,
quæ fiſtularia collyria appellantur: quorum præparatio-
nes in vniuerſali De fiſtulis tractatu paulo pòſt in hoc ſer-
mone dicemus. At verò medicamẽta quæ fiſtularum re-
ſiccationem promittunt, ſunt emplaſtrum ex ſpuma argẽ-
ti & aceto ac oleo paratum, & emplaſtrum ſine cera, & ful
uum Galeni, & harmonii, & ex ſalicibus, & ex lolio con-
C ſtans & conſimilia. Facit & hoc ad fiſtulas incipientes in
ſede, rimáſque ac condylomata: Pæoniæ radicis vſtæ
quadrantem, bituminis Iudaici ſextantem, ſulphuris viui
vnciam vnam, ceræ ſextantẽ, olei myrtei quantũ ſatis eſt.
Aliud. Mala cotonea ad cinerẽ exurito, ac trita ſupernè
ad oſculum fiſtulæ imponito, & linamẽto indito, empla
ſtrũ ex vino & oleo aut ſimile quoddã adhibeto, ac deli-
gato, & alternis diebus ſoluito. Paſtillus ad fiſtulas ſedis.
Chalcitidis vſtæ dr. VIII. æris vſti dr. IIII. cadmiæ dr. IIII.
Creticæ terræ dr. IIII. põpholygis dr. III. lycii dr. III. aloes
D dr. II. croci dr. II. gũmi dr. XVI. terito cũ ſucco ſenecionis
aut ſerapiadis tres teſticulos habentis, & formato paſtillos.
& vtitor ſiccis, & cum aceto & cum cerato. Vtere etiam
ad vniuerſales fiſtulas deſcribendis.

Ad intertrigines inter femora ex itinere obortas,
Cap. XII.

CHalcitis cũ aqua trita ac illita prodeſt. Et plũbago cũ
aceto aut vino. Et ſpuma argenti per ſe, & cũ myrto
ſicca trita. Aut alumẽ in teſta vſtum tritũ inſperge. Aut fi-
ci folia vſta ac trita cũ oleo illine. Aut roſarũ capita vnà cũ
E flore trita inſperge. Aliud quo vtor, valde efficax: Plũ-
baginis dr. VIII. gallarũ dr. IIII. aluminis dr. I. myrrhæ dr. II.
ſiccũ hoc inſperge: aliquando verò cũ oleo myrteo illine.
Ego verò vino ſemper prius lauo, & ſiccũ inſpergo. A-
liud. facit & ad papulas feruidas in femoribus ac ſub alis
ex ſudoribus obortas præſertim in corpulẽtis hominib⁹.
Syrici vnc. I. fuci tinctorii vnciam I. teſtæ ex clibano anti-
quo ſextantẽ, prælauato & inſpergito. probè quidem fa-
cit, verùm lintea inficit. facit & ad ambuſta cum cerato.

De thymis in pudendis, Leonidæ, Cap. XIII.

F HVius affectionis proprietatem in loco De thymis in
ſede diximus. fiunt autẽ & hîc thymi, aut in ſola glã
de, aut in cole, aut in præputio: aliquando verò in omni-
bus relatis locis. Antea verò dictum eſt quòd mãſueti fa-
cilè curãtur: maligni difficulter, & per affectæ partis abla
tionem ſanantur. Quomodo autẽ cognoſcere oporteat &
manſuetos & malignos, etiam relatum eſt. Si quidẽ igitur
mãſueti fuerint thymi ac parui, per volſellam diſtenti ex-
cindantur, & aliquo ſanguinem ſiſtente ac cruſtam indu-
cente illinãtur, quale eſt ſiccũ flauum appellatum, quò per
G cruſtam ſimile quiddam vſtioni efficiamus. Quum verò
multi fuerint & magni, tunc poſt exciſionem vſtio adhi-
beatur ad ſanguinem ſiſtendum, & affectos locos ad aliũ
ſtatũ tranſmutandos, & thymorũ regenerationẽ prohi-
bendã. Cum autẽ totum præputiũ, thymis fuerit refertũ,
tum iuxta internam, tùm circa externam partem diffici-
le erit conſeruare. Itaque neceſſarium erit, quantum eius
fieri poteſt, ad cutis præputii ſectionem progredi. Quum
igitur vſtio poſt exciſionẽ adhibetur, curatio decernatur
ad peruſta, relata in tractatu de prolabente ſede. Exciſis au
tẽ thymis, & poſt exciſionem ſicco cruſtam inurente ad-
H hibito: poſt cruſtæ diſceſſum reliqua curatio reſiccatoria
fiat. vnctuoſa enim pharmaca affectionẽ refricant. Cæte-
rùm in iis qui chirurgiam reiiciunt, vtendum eſt talibus
medicamentis. Medicamentum reſiccãs thymos, xera
phium appellatũ. Chalcitidis crudæ ſeſquiunciam, mi-

ſyos crudi ſeſquiunciam, ſquamæ æris ſextantē,aluminis A ſciſſi vnc.i.Locū cū vino prius lauato,& ſiccū inſpergito. Aliud. Gallam & alumen trita inſpergito, & exareſcent.vtere etiam ſi in alio corporis loco thymi fiunt. Aliud egregiè tollens thymos & carnem excreſcentem in pudendis. Origanum & rutæ radicem,paribus partibus vrito terito ac inſpergito. vtere hoc velut optimo.

De rimis in pudendis, Leonidæ, Cap. XIIII.

Rimæ ac fiſſuræ in præputii ſummitate fiunt,quando anguſta ea exiſtens violenter reducitur. Ruptis autem corporibus,inflammationes ſuccedunt & dolores in B tenti.In principiis igitur,omnis rima dum recens eſt,cruentatur: antiqua verò calloſa fit, & rurſus quum violenter diſparatur, rupta rurſus cruentatur. proinde ad curā feſtinare oportet.Vbi verò antiquatæ fuerint, & calloſæ factæ curationem diſtulerint,nihil proficientibus medicamentis,confert cutem abducere & calloſa rimarum labia ſupino ſcalpro,quantum eius fieri poteſt,ſuperficiaria ſectione diducere.Reſupinatæ enim & recentes factæ rimæ ac fiſſuræ,celerrimè ſanantur.

Medicamenta ad rimas & reliqua pudendorum C vlcera, Cap. XV.

Rimas medicamentis curare conandum eſt antea citra chirurgiam, & vtendum eſt pleriſque ad rimas ſedis præſcriptis,& præſertim eo quod Lucio inſcribitur. facit enim & ad rimas in præputio, & ad vlcera ſordida, & præcipuè quum detrahi ac reduci non poteſt.iniicitur autem cum oleo & vino per clyſteriolum.Mirabiliter autē facit ad rimas in præputio & recentes & inueteratas,v-rina quæ inter mingendum intra præputium ac glandem obiter ſuſcipitur, & celerrimè ſanat, vt ne opus quidem D ſit alio auxilio. Aliud ad rimas præputii. Reſinam frictam cum roſaceo terito donec ſtrigmentitiam compagē accipiat,& admixto oui aſſati vitello vtere. Aliud ad rimas & reliqua vlcera. Colocynthidem ſiccam vrito ac terito, & cum roſarum flore vtere. idem facit & anethum vſtum. Aliud. Ad præputii rimas, & glandis vlcera.repurgat & cicatricem inducit. Lapidis Phrygii ter vſti & extincti, primùm butyro aut roſaceo, deinde melle,poſtea vino,ſextantem,florum roſarum vnc.i.malicorii vnc.i.vtere. Aliud.Ad rimas præputii & ani,&pu E dendi muliebris. Ceruſſæ,plumbaginis,gallarum, myrrhæ,æqualibus partibus vtere ſiccis,aut cum vino & oleo. Aliud,rimas & vlcera ad cicatricem perducens,& acrimonias obtundens. Cadmiæ teneræ ter vſtæ ſextantē, roſarum recentium detractis vnguibus ſeſcuncem. Cadmiā tundito ac cribrato, & cū roſis terito donec exareſcat,& ſicca inſpergito,vbi prælaueris cum vino. Aliud ad pudenda & ſedem. Lapidis Phrygii ter vſti ac extincti velut dictum eſt,ceruſſæ lotæ, cadmiæ, thuris,aloes, ſingul.vnc.i.ſquamæ æris drach.II.diphrygis dr.IIII.vtere ſicco. Aliud ſiccum,ad pudendorum rimas & vlcera F ſpontanea. Aloes vnc.i.florum roſarum ſextantem. vtere confidenter. Aliud ad eadem. Aloē ſolam tritā inſpergito. ſi verò adſtrinxerint,cadmiam ter vſtam admiſcetoꝰ mirabiliter efficax eſt. Aliud. Paſtillū ex halicacabo lacte dilutum exhibeto. habetur eius præparatio capite tertio,vbi De fiſſuris & tuberculis ſedis tractatur. Verùm in iis qui præputium reducere non poſſunt,lacte eundem diluito,& tepidum per clyſteriolum iniicito. Aliud. Ad ſpontaneas puſtulas in pudendis, & maximè in iis qui G præputium reducere non poſſunt.Glaucium cum vino terito,& vbi prælaueris per fiſtulam pus attrahentem, tepidum iniicito. Aliud lene incarnans & cicatricem inducens. Amylum per ſe tritum inſpergito. Aliud. Colophoniam tritam ſolam inſpergito. Aliud. Colophoniā,thus,amylū,paribus portionibus inſpergito. Aliud. Aloes primariæ,ceruſſæ,roſarū ſiccarū,æqualibꝰ partibꝰ tritis vtere. Aliud. Collyriū ex thure tritum ſiccū inſperge,aut cum vino dilutum per linamenta indito, aut cum lacte iniicito.facit & quod After appellatur, & quod H Cleoni inſcribitur, & ſimilia. Oribaſii ad præputii ac a-ni rimas.inducit cicatricem. Cadmiæ lotæ,ceruſſæ, thuris, æqualibus portionibus. vtere: facit & ad alia vlcera mirabiliter.

Ad inflammationes pudendorum, Cap. XVI.

Inflammata pudenda,roſarū & meliloti decocto perfundito: aut betæ folia ſiue ſemen tritū,in aqua ferueſacito,& calido perfundito. facit ad eos qui præputium retrahere non poſſunt.Cataplaſma verò adhibe ex pane cū palmulis ſapa præmaceratis, cum modico roſaceo. aut malicorium in vino coctum ac tritum cum pane ac modico roſaceo pro cataplaſmate impone.

Ad nomas in pudendis, Cap. XVII.

Si vlcus depaſcens,(nomen *Græci* vocant) aut eroſio fiat, laxa forinſecus apparet pars erodenda.Et ſi circumprematur,humorem tenuem ſubcruentum excernit:deinde fæculentum. Conuenit itaque perfuſionibus adſtringentibus in his vti, ex decocto myrti,ruborum, oleæ ſylueſtris,roſarum,malicorii,plantaginis, polygoni.Pharmaca verò ad nomas commoda ſunt,paſtillus corax, id eſt coruus inſcriptus.habet autem ſic :Gallarum ſextātem, ſquamæ æris ſeſquiunciam , chalcitidis crudæ vnc.i. thuris vnc.i.terito in aceto ad ſufficientes dies,& ad finē mellis quincuncem addito. & ex olei myrtei lib.i.ac ſemiſſe, adipis taurini recentis beſſe,ceræ triente, terebinthinæ vnc.i.ceratum efficeꝰ& in linamentis vtere, & per fiſtulā puris attractoriam iniice per roſaceum diſſolutum : & ſupernè ſpongiam ex vino expreſſam impone,aut ceratū habens malicorium aut gallas. Aliud ex charta vſta.

Chartæ vſtæ ſeſquiunciam , ſquamæ æris ſeſquiunciā, auripigmenti drach.VI.ſulphuris viui drach.VI. plumbi vſti drach.III.inſperge ſiccū, aut melle & roſaceo dilutū per linamēta inde.Si verò præputiū reducere nō poteſt, plurimo roſaceo dilutum &modico melle addito,iniice. Aliud ſiccū,quod ſanauit quoſdā iam ſecandos. Chartæ vſtæ ſextantem,gallarum ſextantem.vtere ſicco.

Ad carbunculos pudendorum, Cap.XVIII.

Spumæ argenti drach.quatuor,ceruſſæ drach.II. thuris drach.I.trita inſperge,& raſuras linteorum impone. Aliud. Adipem caprinum cum vuis paſſis tritum impone velut cataplaſma.Hoc ſuppurat,& dolorem eximit, poſtea eundē adipem cum pice liquida vnitū imponito. Aliud. Pilulas ſtercoris caprini vſtaſcū melle imponito.

Ad interna in meatū vrinæ vlcera, Cap.XIX.

Lycii drach.II.myrrhæ drach.II. atramēti ſutorii dr.I. chalcitidis drach.I.omnia ſimul trita cū paſſi hemina vna,& vini veteris odorati cyatho vno , coquito donec vniantur,& reponito in plumbo. vſus verò tēpore roſaceo diluta iniice.facit & ad vlcera inter anum & teſtes. Ego autem Cygnaria collyria cum lacte diluta per clyſteriolum iniicio,& bonum teſtimonium ipſis præbeo.

Ad ſcabioſum ſcrotum & pruriginoſum, Cap.XX.

Contingit etiam circa ſcrotum aſſiduè ſcabies & pruritus,ex influxu humorum acrium vlcerantium cutem.Et vbi quidem plures fuerint & acriores allati humores,cutem ipſam exulcerant:ſi verò pauciores ac craſſiores,ſquamas generant, & pruritum inducunt. Curatio horum fit per cōgruam victus rationem, & per medicamenta: aliquando verò & rarò, per chirurgiam. Itaque ab acrium eſu abſtinendum eſt; & præſertim ab oleribus mali ſucci. quæ verò exhibentur, bono ſucco prædita ſint. qualis eſt lactis potus aſſiduus , ptiſana, alica, gallinarū oua,porcellorū extremitates & ventriculi. vinum tenue dilutius & album.Ex localibus auxiliis,præſertim vbi ſquamæ vlceri adhærēt,& dolor adeſt,cōuenit cataplaſma ex fabæ lomento.nā & dolorem mitigat, & vlcera repurgat. fit autē ex faba Ægyptia lomentum.Idem facit ſeſamū crudum,& erui farina melle ſubacta & impoſita.Repurgatione verò vlcerum facta,pruritúque lenito, ad cicatricem inducendam pergemus. Probè autem facit in his partibus,miſy cum ſulphure viuo tritum, & cerato myrteo exceptum.Conducit & plumbi recremētū, & ſpuma argenti cum myrteo cerato. & emplaſtrum ex cadmia,& emplaſtrū ex hordeo.Præclarè auxiliatur etiā ſcroto in ſuperficie tumefacto,terra cimolia cū aqua diluta ac illita,quā illitā exareſcere ſines, & aqua tepida loco abluto,myrtū ſiccā tritam modica myrrha addita inſperges:inducta verò cicatrice , nullâq; moleſtia nec pruritu vexāte,curatio tranſacta eſt.At ſi ſcabie ſanata , pruritus

reſtat,aut augetur,aut ſcrotum humore deſtillat. Nitrum
cum ſtaphide agreſti & alumine liquido,roſaceo & aceto
dilutum, in balneo illinire iubemus: & à balneo oui can-
didum cum melle imponere.Si verò vehemens & intole-
rabilis eſt ſcroti pruritus,fæx aceti ſicca cum vino made-
facta adhibetur,eodem modo velut præcedens medica-
mētum:illito etiam poſtea oui albumine.Quòd ſi adhuc
amplius vim eius augere voles,vſtam fæcem accipies. I-
dem præſtat alumen cum melle probè coctum,& reliqua
quæ ad pruritus retulimus.

De teſtiũ ac ſcroti inflãmatione,Leonidæ, Cap.XXI.

B
QVandoque teſtes ſoli per ſe inflammantur, quando-
que teſtibus nihil affectis,ſcrotũ inflammatum eſt:
aliquando verò teſtes vnà cum ſcroto inflammantur.Sic-
ut autem in aliis corporis partibus, ita etiã in his,vel ex
humorum influxu,vel ictu,vel colliſione,inflammatio cõ
tingit.Proinde ſolo teſticulo inflammato,ſcrotum colo-
rem naturalem habet: ipſe verò teſtis tumidior,duriórq;
ac amplior tactui occurrit: adeſt dolor pulſatiuus vſque
ad renes pertingens. At ſi ſcrotum inflammatum eſt, tu-
mor rubicundus in ſuperficie eſt, renitens ad tactum ac
C
dolens. Vtriſque verò inflãmatis,teſtibus videlicet & ſcro
to,ex ſignorum augmento magnitudinem inflammati-
onis iudicabimus. Proinde cibi parſimonia,& aquæ potu
per totum curationis tempus vtendum eſt.Et ſi inflamma
tio vehemēs fuerit,præſertim in iuuene ſanguinem mul
tum habente,vena cubiti ſecanda eſt,ſi id fieri poteſt: ſin
minus,tali.nam & hanc ſecare prodeſt,vbi ſanguis nõ fu-
erit multus.At pro localibus auxiliis,ſi teſtes ſunt inflam-
mati,& maximè vbi nerui à quibus pendent,ſimul affecti
fuerint: lanam oleo communi aut anethino imbutam ad
D
hibebimus ac deligabimus. probè facit & verbenaca re-
cta in oleo cocta modico vino addito,& ſcroto impoſita,
atque lana ſuperilligata.Cataplaſmatis verò ad inflamma-
tiones ſoluendas idoneis vtemur: è quorum numero ad-
mirandum eſt, ad teſtium præſertim inflammationem,
cataplaſma ex faba Ægyptia. decorticatur autem faba
cocta,& cum modico melle trita illinitur. Præſtat etiam
ad teſtium ac ſcroti inflammationes,cataplaſma ex puro
pane,quo ego aſſiduè vtor,quandoque cum oleo & aqua,
quandoque cum mulſa. Egregiè facit etiam id quod ex
E
vuis paſſis cum cumino torrefacto ac trito,modico mel-
le addito paratur. prodeſt & aſphodeli radix cum poléta
in vino cocta. & lini ſemen in aqua mulſa coctum. & ſe-
necio cum polenta. & cupreſſi folia per ſe, vel cum panis
mica. Ceratum ad teſtium inflammationes efficax: Ce-
ræ,reſinæ pinus, olei anethini & narciſſini, ſingulorũ de-
xtantem,cumini ſeſcuncem,fimi aſinini pilas tres.fimum
arefactum terito,& cribrato,& cumino admiſceto,dein-
de cum cerato liquefacto cõmittito ac imponito. & lanã
narciſſino aut roſaceo oleo imbutam ſuperilligato.Con-
F
fert etiam emplaſtrum ex ſuccis roſaceo dilutum.Duran-
te verò inflammatione, aqua marina calida affundenda
eſt,& cerata adhibenda inflammationes diſcutientia:qua-
lia ſunt ad mamillas inflammatas deſcripta. Quòd ſi non
ſoluatur inflammatio, ſed tranſmutetur, ſuppurationem
cum cataplaſmatis adiuuare oportet.perfectóque iã abſ-
ceſſu,chirurgia adhibenda eſt, & communi curatione v-
tēdum:ſi verò nomæ depaſcens acceſſerit,eadem curatio
ne etiam vtendum erit quam ſuperius ad ſedis nomas tra
didimus. Oribaſii ad teſtium tumores laxos,ac inflam-
G
mationes. Olei lib.I.(alii habent dextantem)plumbagi
nis,cumini,paſſularum ſine vinaceis,farinæ fabarũ,ſing.
trientem,ceræ ſextantem.plumbaginem cum oleo ad cõ
pagem coquito,deinde cerã cum colophoniæ dr.VI.adii-
cito & ad perfrigerata paſſulas ac farinã admiſceto,ac v-
titor. Aliquãdo tamen farinam ad liquefacta iniicito,in-
quit,poſtquam feruor ipſorum quieuit. Aliud eiuſdem.

Vuarum paſſarum ſine vinaceis drach.XXV. cumini a-
cetabulum I.reſinæ pinus quadrantem, mellis quod ſatis
eſt.Sanguinis porrò euacuatio efficaciſſimum auxilium
H
eſt ad teſtes inflammatos,inquit Oribaſius. Cæterùm ad
teſtium duritias, cucumeris ſylueſtris radicem terito ac
cribrato, & in aqua mulſa coctam cum loliacea farina
imponito. Aut lilii radicem vino coctam,&modico mel-

A
le ſubactam imponito.

De hernia aquoſa, Leonidæ, Cap. XXII.

HErnia aquoſa,quãdoque ex occulta,quãdoque ex ma
nifeſta cauſa contingit.Ex occulta quidem,quum a-
quoſus humor circa partes corpuſculorum quæ ſcrotum
contexunt ac implicant,ſanguini admixtus collectus fue
rit:ex manifeſta verò,quum ex plaga colliſis aut fractis va
ſis,ſanguis affluens ad aquoſam ſubſtantiam tranſmuta-
tur. Vbi igitur ſpontè conſtiterit aquoſus humor colle-
ctus,ſubflauus aut ſubpallidus is inuenitur:vbi verò ex pla
B
ga,cruentam ac fæculentam materiam reperies. Humor
autem vel intra rubicundam teſticuli pelliculam conſi-
ſtit, vel extra ipſam,inter eam & pelliculas adiacentes:vel
in propria pellicula velut veſica quadam continetur: at-
que hoc genus herniam in tunica ſuperagnata vocamus.
Aliquando verò duplex hernia oboritur, quum collectio
& in rubicunda tunica,& in ſuperagnata conſiſtit. Si qui-
dem igitur in pellicula rubicũda humor collectus fuerit,
tumor vnius coloris apparet ſine dolore, in principio dũ
adhuc parua eſt collectio,ad contactum cedēs: poſtea ve
C
rò aucta collectione, teſticulus humore vndique circun-
datus occultatur. At tumor in ambitu extentus ac reni-
tens ad tactum, herniæ carnoſæ ſuſpicionem imperitis
exhibet.poſſunt tamen tactu diſcerni.nam hernia carno-
ſa,omnino renititur.ſed aquoſa, digitis cedit. Si verò in
ſuperagnata tunica humor colligatur,tumor ipſe ſiue ma
gnus ſiue paruus fuerit,omnino circumſcribetur. At ſi ſi-
mul quoque in rubicunda tunica collectus fuerit,duo tu-
mores deprehēdētur,alter in ſuperagnata, alter in rubicũ
da pellicula. quòd ſi extra rubicundam pelliculam colle-
D
ctio fiat,teſticulus tactui occurrit. Cæterùm ab hernia a-
quoſa differt hernia inteſtinorum.quoniam in aquoſa tu-
mor eiuſdem penitus magnitudinis, ſemper & in quoli-
bet corporis ſitu perſiſtit.neque enim humores, velut in-
teſtina transferuntur. Inguen præterea in hernia aquoſa
ſecundum naturã ſe habet, qua nota vel maximè aquoſa
ab omenti hernia diſtinguitur. Nam in hernia omenti,
ſemper in ſcroto omentum perſiſtit, neque vnquam trãſ
fertur: id quod etiam in aquoſa contingit: verùm in o-
menti hernia, inguen rarefactum deprehenditur. Tutiſ-
E
ſima itaque curatio herniarum,chirurgia & vſtione perfi-
citur, ſi peritus artifex contingat. Poteſt tamen etiam
medicamento ſcrotum inuri, & conſumpto humore ac
cicatrice inducta firmari. Ad hunc vſum efficax hoc eſt:

Radicis braſſicæ vſtæ cinerem, cum adipe ſuillo inue-
terato liquefacto ad emplaſtri formam adigito,& impo-
ſitũ alligato,ægrúmque quieſcere ſinito,& poſtridie ſolu-
to medicamento fomentum adhibeto,& rurſus apponito,
ídque tamdiu repetito,donec vſtio peracta fuerit. Empla
ſtrum autem anguſtum & oblongum eſſe oportet:neque
F
plus quàm cõuenit,locus inuratur:ita vt in magnis tumo-
ribus quatuor digitorum longitudinem & pollicis latitu
dinem habeat: in paruis duorum digitorum longitudinē
& auricularis digiti latitudinem exæquet. At verò vbi tu
nica per vſtionem detecta eſt,ſcalpello eam diduces,exclu
ſóque humore fiſtulare collyrium fiſſuræ indes, quò vici-
næ partes erodantur.deinde ſuppurante medicamento v-
teris:poſtea dilapſa cruſta, repurgatoria vlcerum per lina
menta immittes: poſtremò ad adſtringētia progredieris,
quale eſt emplaſtrum Barbarum appellatum. Poteris e-
G
tiam pro braſſicæ radice,medicamēta erodentia, ſeptica
Græcis appellata,adhibere: de quibus ſequenti ſermone
agetur. Poſt humoris excluſionem,ne rurſus collectio fiat,
huiuſmodi malagmatis vteris: Ceræ ſeſquilibram, picis
dodrantem,ammoniaci thymiamatis lib.I.&dodrantem,
aluminis liquidi ſeſquiunciam aut ſextantem. Aliud
Aſclepiadæ, ad herniam aquoſam accõmodatum, quod
peracta eroſione & humoris excluſione adhibitum per-
ſanat,& omnem duritiam reſoluit: Picis aridæ lib.IIII.ce-
ræ, terebinthinæ,ammoniaci thymiamatis,galbani,thu-
H
ris,ſingulorum lib.I.aceti ſextarios III.olei cyprini quantũ
ſatis eſt. Picem tritam cum aceti ſeſquiſextario coquito:
deinde ammoniacum cum modico aceto tritum adiici-
to,& parum feruere ſinito. poſtea ceram iniicito eáque
liquefacta galbanũ ac th⁹ aceto trita admiſceto, omniáq;

A ynita & ab igne ablata ad reſiduum aceti in mortarium mittito, & cyprino adſtillato probè ſubigito, ac vtitor. Præclarè facit etiam emplaſtrum ex loliis, quod Sermone decimoquinto inter Nigra habetur. Sunt etiam medicamenta quæ citra vſtionem ac eroſionem, humoris diſcuſſionem promittunt: quale eſt hoc quod habet, Spumæ argenti drachm. VI. ſalis foſſitii, atramenti ſutorii, ſingulorum drachm. X. ceruſſæ drachm. XIIII. terebinthinæ drachm. X I. olei libram vnam. Spumam argenti, ceruſſam, ſal, cum oleo donec non inquinent coquito. deinde B atramentum ſutorium cum aceto tritum addito, cauendo ne efferueſcat: atque vbi parum ebullierit, terebinthinam addito, & ab igne ablata in mortario ſubigito, & repoſitis vtitor. Aliud ad quæcunque ſine ſcalpro curare volueris. Ceræ, ſpumæ nitri, rubricæ ſinopidis, nitri, ſingulorum ſextantem, terebinthinæ, mãnæ thuris, maſtiches, ſingulorum drachmas XVIII. olei heminam vnã, aquæ marinæ ſiue muriæ ſeſcuncem. arida cum muria diluito & liquefacta admiſceto, ac vnitis vtitor. Aliud. Naſturtii drachm. XXX. nitri drachm. X. fimi columbini drach. C ſex, galbani, terebinthinæ, ſingulorũ drach. XX. liquefacta cum aridis committito, ac vtitor confidenter. Confert & pſittacium inſcriptum, quod Sermone decimoquinto inter emplaſtra mollientia ac diſcutientia habetur. Hoc ego ad hernias aquoſas vſus ſum, & primùm tumorem emolliuit & valde compeſcuit, & poſt paucos dies exudantibus teſticulis plurimam aquam extraxit. Aliud ad herniam aquoſam, valde efficax. Carnium vuarum paſſarũ, ammii, terebinthinæ, ſingulorum drach. VIII. nitri rubri dr. X. mellis optimi ſextantem. arida ſeorſim terito ac cri- D brato: inde vuas paſſas probè contuſas admiſceto ac vnito, deinde mel cum terebinthina modicè coctum addito, & ad emplaſtri formã redigito, & linteo excepta adhibeto, ac lata faſciola deligato, ægrúmq; quieſcere iubeto, & à balneo ac vehementi motu abſtinere. Solues autem hoc alternis diebus, & ſpongia locum fouebis, ac rurſus impones. vtere etiam emplaſtris diſcuſſoriis ac reſiccãtibus ad hydropicos ſuprà deſcriptis, & præcipuè eo quod Veſtæ nomine inſcribitur.

E De hernia inteſtinorum, ex eodem, Cap. XXIII.

HErnia inteſtinorum, eſt inteſtini aliquando ad inguẽ, aliquando ad ſcrotum delapſus. qui multarum moleſtiarum author eſt. Nam & deformitatẽ & miſeram vitam, & mortis periculum inducit, quando inteſtina duris recrementis diſtenta, ad ſcrotum delata condenſantur. Inde enim tormina voluuloſa, ac ſæpe inflammationes ſuccedunt, ex quibus pernicies cõſequitur. Generatur hoc malum aut peritonæo membrana aluum ac inteſtina amplectente nimiùm extenta, aut eadem rupta. Si ab exten- F ſione fiat, primùm quidem laxitas ad inguen procumbit & ſumma ventri incumbens pars conuellitur, ſimúlque pili pubis reuulſi conſpiciuntur: verùm poſtea tumore aucto, ſcrotum violatur ac intumeſcit. Si verò rupta fuerit peritonæi membrana quæ ad inguen pertingit, inteſtinũ per rupturam delatum rubicundæ tunicæ innititur, & hæc tandem temporis mora oppreſſa, etiam ipſa inferius prolabitur. Quòd ſi plaga adeo violenta contigerit, vt ſimul & peritonæi membrana & rubicunda tunica rumpãtur, tunc inteſtina repentè nudo teſticulo occurrentia ad ſcrotum præcipitantur. Cæterùm noſſe expedit, inteſtino- G rum herniam qualiſcunque fuerit, ſemper aquoſa eſſe deteriorem. Quæ verò propter extẽſionem peritonæi membranæ fit inteſtinorum hernia, difficilius ſanatur quàm quæ propter eiuſdem rupturam. Et ſanè inteſtinorum hernia extremè mala, ſola chirurgia curari poteſt, eáque graui ac periculoſa.

De hernia inguinis, Cap. XXIIII

INguinis hernia propter peritonæi mẽbranæ extenſionem facta, in principio adſtringentibus appoſitis, ali- H quando curari poteſt. tutior tamen eſt vſtio ſi peritus artifex contingat. Nunc autem quo pacto hoc malum medicamentis adhibitis ac ligamentis ſiſtamus, vt ne in peius procedat, oſtendemus, & ſimul quomodo ſuccedentibus accidentibus ſit occurrendum. Proinde delapſo ad ſcrotum inteſtino, & voluuloſis torminibus diuexãtibus,

A ſtatim conabimur, decliui locato ægro, diductis cruribus inteſtina ſenſim ad inguen reducere, ac reducta commodis ligamentis retinere. At ſi partes ſcroto vicinæ vehementibus doloribus vnà cum inflammatione vexentur, tormina item ac flatus adſint, tamdiu differenda eſt reductio donec quieuerint. Et interim partes vicinas alternis diebus, primùm lana ſuccida oleo ac vino imbuta: deinde etiam illitionibus rigabimus, & dolentes partes circumſcarificabimus. neglectæ enim ſæpe mortifican- B tur. Declinante malo emplaſtra adhibebimus, quale eſt Mnaſeæ inſcriptum, & alia huiuſmodi. Et vt ne recidat æger, aſſeruãdi gratia, perpetuis ligamentis vtatur. Preſbyteri emplaſtrũ ad herniam inguinis. Thuris, myrrhæ, glaucii, opopanacis, ſarcocollæ, tragacãthæ, gummi, glutinis taurini, glutinis piſcium, cinnabaris quo fabri ferrarii vtuntur, carnis cochlearum terreſtrium, ſingulorum ſeſcuncẽ, fæcis vini adſtringentis veteris quantum ſatis eſt. Gluten vtrunque & quæ macerari poſſunt, in vini fæce macerato, atque aridis tritis admiſceto, & ad emplaſtri C formã reducito, imponito, alligato, & quieſcere iubeto, ac ſeptima die ſoluito. Ad inteſtina prolapſa. Symphyti lib. vnam, mannæ thuris quadrantẽ, candidi ouorũ recentium vnà cum vitello, numero ſex. Symphyton tritũ ac cribratum in fictile vas coniicimus, eique thuris mãnam ſiue pollinem vnà cum ouis ſubactum addimus: deinde ſuillo adipe veteri adiecto ad emplaſtri formam redigimus, atque hoc inteſtino prius reducto adhibemus, & ligamento alligamus. Aliud. Folia & teneras cupreſſi pilulas impone & alliga. & ſi ſicca fuerint, in vino prius D coque. Hoc auxilium, inquit Galenus, omnibus corporibus nimio humore flaccidis confert: reſiccat enim & corroborat. Decimo autem die id exoluere ac renouare oportet, ita vt ter repetatur, & puer interim per triginta hos dies in lecto decumbat, & cupreſſi decoctum bibat. Aliud celebre. Aloes, malicorii in vino nigro cocti, ſucci hypociſthidis, thuris, glutinis fabrilis, ſingulorum æquales portiones. Gluten in paſſo donec diſſoluatur coquito, ac probè terito, & reliqua minutiſſimè trita admiſceto, ac vtitor velut iã ſæpe dictũ eſt. Aliud. E Balauſtiorum ſeſcũcem, thuris, aloes, rhois coriarii, glutinis fabrilis, corallorũ, ſingulorum quadrantẽ, malicorii, gallarũ, ſingulorũ lib. I. Gallas & malicoriũ in vino nigro è vinaceis expreſſo coquito, & poſtea in mortario terito, & ad trita reliqua cũ polygoni ſucco diſſoluta addito, & omnia melle cocto excipito, ac vtitor velut dictum eſt.

Emplaſtrum datum cuidam adoleſcenti ob herniæ inteſtinalis turpitudinem ſummè anxio, ex quo ſanatus eſt: Reſinæ ſiccæ, ammoniaci thymiamatis, bituminis, ſulphuris viui, æquales portiones. liquabilia liquato, eiſque F ab igne ablatis ſulphur adiicito, & in mortario ad emplaſtri formam redigito, adhibeto, ac alligato. Oportet autẽ ſplenium in quo adhibetur calfactum apponere, neque frequenter amouere, ſed ſinere donec ſponte decidat. quidam pro ammoniaco picem, quidam alcyonium iniiciunt. Aliud. Terebinthinæ ſeſquiunciam, ceræ, thuris, myrrhæ, glutinis piſcium, carnis cochlearum, ſingulorum vnc. I. Gluten per triduum aceto maceratur: deinde in mortario teritur, & ad prunas eliquatur, rurſúſque teritur, & ad ipſum reliqua trita admiſcẽtur. Vtere præterea Iſide inſcripto emplaſtro, quod ſermone XV. inter empla- G ſtra multi vſus habetur. Aliud Theodori, admirandũ ad herniam inteſtinorũ, quod nos experti ſumus, & cũ multorum admiratione ſanauimus. curat magnas & diuturnas affectiones. Chartam in aqua frigida ad triduũ madefacito, & vbi humorẽ velut ſpongia imbiberit, ex ea pilam facito, quã reducto prius inteſtino, inguini adhibeto ac alligato, neque ante tertium diem exoluito. tertio enim die miraberis de efficacia ipſius. At verò ægro minimè indicabis quid ſit id medicaminis, ſed chartam vel H pãniculo inuolues, vel atro colore tinges. neque verò tu vilitatẽ rei deſpicias. Aliud, inteſtinorũ hernias agglutinans. Chryſocollæ, glutinis piſcium, lapidis gagatæ, rhois coriarii, acaciæ, ſymphyti, carnis cochlearũ, ſing. ſeſquiunciam, ammoniaci thymiamatis, lapidis pyritæ, lapidis magnetis, aluminis ſciſſilis, thuris, ſulphuris viui,

alcyonii,picis Brutiæ,nitri,ſingulorum vnc.1.Gluten piſcium in vino nigro auſtero macerato,poſtea in pila terito,& ad prunas cum eodem vino eliquato,& rurſus terito,& ad ipſum reliqua trita admiſceto quò ſolidum emplaſtrum fiat,quod inguini adhibebis ac deligabis,ægróque quieſcere iuſſo,ſeptima die ſolues. Verùm ante adhibitionem locum alicuius valde adſtringentis decocto rigato.Sunt qui prædicta myrteo cerato excipiunt.Ego vero acaciam,thus,ammoniacum,ſeorſim in vino macero ac tero,atque ad gluten piſcium rectè præparatum admiſceo. deinde cochlearum carnibus tritis adiectis, itémq; reliquis tritis,ad emplaſtri cõpagem redigo,quod craſſiſſimè inguini impono,& charta impoſita deligo. Aliud, Oribaſii. Picis liquidæ,terebinthinæ ſiccæ,ſing.lib.1.viſci ſeſcuncem,propolis trientem. quidam etiam colophoniæ ſextantem, galbani ſextantem.Pici & colophoniæ liquatis, terebinthinam, deinde galbanum & propolin in mortario prius trita admiſceto:ſtatímque vbi ab igne ſuſtuleris,viſcum adiicito, & rudicula agitato donec frigeſcat.Facit ad ſtrumas, meliceridas,vlcera, & inflammatos ſub alis tumores,& ad abſceſſus colli. repurgat & agglutinat. aiunt porrò aetiten lapidẽ geſtatũ vt inguẽ contingat,prohibere ne inteſtinũ aſſiduè delabatur. Idẽ etiã tritus,rectè medicamẽtis quæ imponũtur admiſcetur.

De emplaſtrorum præparatione ac coctura,
& quæ in ipſa coniiciuntur, Galeni,
Cap. xxv.

EMplaſtrorum compoſitionis,multæ ac variæ particulares differentiæ ſunt.Quædam enim ipſorum ad cruenta vulnera commoda ſunt, itémq; vulnera agglutinãt, atque fracturis conueniunt: aliqua maturant,aliqua diſcutiunt,aliqua attrahunt:aliqua ſinus explent,alia reſiccant, alia cicatricem inducunt, alia leniunt, alia pinguia ſunt: quorum omnium varietates varia ſimplicium medicamentorum natura diſtinguit.Quapropter prius ſimpliciũ vires cognoſcere oportet.ita enim etiam compoſitorum facultates & cauſas propter quas inter ſe differunt,dignoſcemus,vt non ſolùm ſingulorum naturas intelligamus, ſed componẽdi quoque artẽ ediſcamus:quò,ſi forte liber in quo pharmacorum compoſitiones quibus vtimur ſcriptas habemus, intercidat,ipſi conſimilia deperditis componere poſſimus.Graue enim fuit idquod duobus medicis mihi notis contigit. quorum alter ob huiuſmodi ſcriptorum amiſſionem mœrore contabuit, alter verò medicandi artem deſiuit.Adeſt autem exercitatis,ad hoc quòd pharmaca componere poſſunt, etiam iudicandi facultas de iis quæ priores medici deſcripſerũt,vt & iis quæ ab illis ſcripta ſunt, commodè vti poſſis, & iis quæ ipſe iuxta rectam methodum compoſuiſti. præſtat tamen iis quæ longo experimento probata ſunt vti, quàm noua vſurpare. Sed velut dixi,neceſſitas aliquando nos cogit in peregrinationibus,vt noua quædam& experimento non cognita vſurpemus. At verò ſi omnibus præter naturam affectionibus ſimplici medicina mederi poſſemus, compoſitis non opus haberemus. frequenter enim ad certum quendam modum corpus calfacere volentes,nullum ſimplex quod id facere poſſit reperimus. Nam medicamentum curandæ affectioni correſpõdere oportet. Quin & aliqua ſimplicia citra alterius miſturam in vſum deduci non poſſunt: velut quando medicamentum meatus obducens adhibere volumus,nullum ſimplex ad hanc rẽ idoneum habemus.Neque enim bitumẽ,neque cera, neque reſina, neque pix, neque propolis, nec ladanum, nec ærugo, nec ceruſſa, nec argenti ſpuma, nec alia metallica, talia ſunt.Ideóque qui primò medicamenta emplaſtica & meatus obducentia excogitauerunt, cum oleo metallica coxerunt,& liquabilia eliquarunt: deinde herbas ſiccas tritas admiſcuerunt. Contrà in aliquibus affectionibus, vnico quidem ſimplici medicamento opus habemus:ſed alia quædam illi miſcemus,vel ad virium ipſius vehementiam obtundendam, vel ad ſaporis aſperitatem mitigandam, velut quum ad purgantia medicamenta quicquam admiſcemus ex iis quæ ſtomacho grata ſunt: & ad dolorem ſedantia,quædam vim ipſorum lenientia, velut caſtoreum & cætera huiuſmodi, ad opium & man-

A dragoram.Tunc autem maxima cõponẽdi pharmaca neceſſitas eſt,quum morbus contrarias facultates inter ſe requirit,velut repellentes ſimul & extergentes,aut inſpiſſantes & ſimul attenuantes, quale eſt quod ex papaueris capitibus ac melle paratur. papauer enim tenues deſtillationes à capite inſpiſſat: mel autem humores ad pectus iam delapſos, reiectu faciles facit.Neceſſario præterea componuntur medicamenta, vt idem medicamentum habere poſſimus ad plures morbos congruum,velut ad virus eia-
B culantium beſtiarum ictus,& ad venenoſas potiones. De Antidotis ergo & epithematis ſatis ſuprà tractatum eſt. Cæterùm eorum quæ in emplaſtra iniiciuntur, quædam terrea ſunt,veluti metallica,& lapidum ac terræ ſpecies, fæcéſque ac cineres & teſtæ: quædam oleoſa,quædam lacrymæ,quædam liquores,quædam ſucci,quædam liquabilia,quædam ſemina, quædam herbæ,quædam radices. & rurſus quædam qualitatis expertia,quædam acria,quædam adſtringentia, quædam calfacientia,quædam exterſoria,quædam maturantia,aliqua diffundẽtia,aliqua mol-
C lientia,aliqua diſcuſſoria,& innumeræ aliæ differẽtiæ reperiuntur. Spuma igitur argenti exſiccat,extergit,calefacit,ac refrigerat moderatè, ad omnia æqualiter efficax. hæc aliquando in oleo ſolo, aliquando aqua aut vino,aut aceto admixto coquitur.Primò autem ſeorſim exactiſſimè terẽda eſt,deinde rurſus cum oleo ad ſtrigmentitiam compagem redigenda, atque ita aſſiduè agitata ad lentũ ignem coquenda. Intumeſcit primùm ac bullas emittit, quum autem ſufficienti cocturæ propinqua fuerit,colorẽ fæcis induit.Menſuram verò cocturæ iuſtam recipit,quũ
D tumor cõtractus fuerit neque amplius inquinat. Similes ſpumæ argenti vires plumbago habet, ad frigiditatem tantùm magis progreſſa,nec pariter extergens. Eodem etiam modo coquitur,niſi quòd in eius coctura non ſolùm quæritur vt ne inquinet,ſed vt colorem quoque ex igneo rubore ad fuluum ac valde floridum tranſmutet. Æs vſtum,adſtrictionis & acrimoniæ particeps eſt, contrahit, cicatricem inducit, & ab inflammatione tutatur. Quum autem coquitur,non ſtatim in principio immittitur, ſed emplaſtro iam ſemicocto. Menſuram cocturæ, niſi valde
E modicum iniiciatur,color indicat,vt videlicet exuberet & fuluum emplaſtrum faciat. Squama æris carnem erodit,adſtringit,& validius glutinat quàm æs,ſed minus diſcutit. Coquitur ſicut æs,& eodem tempore iniicitur,eandémque cocturæ rationem habet. Niſi enim color eius exuberauerit,& fuluum emplaſtrum effecerit, nondum ad iuſtam cocturam peruenit. Squama verò ferri,præſertim ſtomomatis,ampliori adſtrictione participat: quapropter ad malefica vlcera illi præfertur. eodem autem tempore iniicitur, & rutilum colorem inducit.
F Diphryges mixtas vires habet, adſtrictoriam cum acrimonia. quare ad putrida ac maligna vlcera vtilis eſt. Et hoc medio cocturæ tempore iniicitur, bullitque donec color eius exuberet, neque amplius inquinet. Chalcitis adſtrictione ſimul ac acrimonia participat,contrahit,attenuat,diſcutit,aperit, amplius ſuperioribus adſtringit, ac minus mollit.vſta verò tenuior euadit, & adſtrictionem perdit. Coquitur ſicut æs, citius tamen liquefit. Menſura cocturæ eſt, vt rubicundius ac punicei coloris emplaſtrũ faciat. Miſy ſimiles chalcitidi vires habet,tenuio-
G rum tamen partium eſt,& ideo magis attenuat,diſcutit & aperit:ſed minus mollit ac adſtringit. Ad finẽ verò cocturæ iniicitur,neque vllam menſuram exhibet. Sori quoq; ſimiles chalcitidi vires habet, niſi quòd magis terreum ac craſſum eſt,atque ideo magis adſtringit. Iniicitur & ipſum medio cocturæ tempore: & tardius liqueſcit, & niſi quid prohibuerit,atrũ colorem reddit. Flos æris tenuior eſt ære vſto & ſquama æris:participat nonnihil abſterſoria vi, ideóque attenuat & agglutinat. coquitur velut de ære diximus. Atramentum ſutorium ex mixtis facultatibus conſtat. valde enim adſtringit,neque ingeneroſè ca-
H lefacit. præ omnibus itaque humidas carnes ſiccare, omnémque humiditatem cõſumere cogeréque ac adſtringere poteſt.iniicitur medio cocturæ tempore,& liuidiorem emplaſtri colorem facit.imò niſi alia obſtiterint, atrum eius colorem faciet. Auripigmentum & ſandara-

cha ambo vrendi facultatem habent.Magis igitur prædi-
ctis diſcutiunt,& vſta tenuioris eſſentiæ ſunt.iniiciuntur
autem ad cocturæ finem. Plumbum vſtum, ex iis quæ
citra eroſionem ſiccant, efficaciſſimum eſt ad maligna
chironiaque ac canceroſa vlcera, habétque per ſe,& cum
aliis mixtum,facultatem inducendi cicatricem.iniicitur
medio cocturæ tempore. Ceruſſa meatus obducit, &
moderatè frigida eſt: cocta verò ſiccior ſeipſa euadit.
Hæc in emplaſtra alba ad finem cocturæ iniicitur: ſic e-
nim colorem conſeruat,& magis inalbat: in nigra verò,
aut melina,ſtatim in principio inditur. Ærugo æris a-
crimoniæ particeps eſt, diſcutiendi incidendique ac cō-
ſumendi omnem carnem vim habet:plurimo autem ce-
rato admixta exterget ac cicatricem inducit. hæc in em-
plaſtra viridia poſt cocturam iniicitur. In quibuſdam ve-
rò ne iniicitur quidem in ollam, ſed cum aceto in mor-
tario teritur,& reliqua ad ipſam affunduntur. in melina
verò emplaſtra medio cocturæ tempore inditur. at in ea
quæ geminam faciem ac colorem præſeferunt, ſtatim à
principio iniicitur. dum enim coquitur ærugo, primùm
melina,deinde bicolor,poſtremùm fulua efficitur. Alu-
men omne vehementiſſimam habet adſtringendi facul
tatem reſiccatoriam & agglutinatoriam. omnium autē
tenuiſſimum eſt ſciſſile.Iniicitur plerunque poſt cocturā:
neque peculiarem cocturæ menſuram habet. color eius
plerunque ad viriditatem mutatur. Rubrica adſtringit,
reſiccat, agglutinat, iniicitur in fine cocturæ. Cadmia
exterſoriā vim habet,caliditate & adſtrictione tempera-
ta.vſta lota ſine eroſione exterget ac reſiccat. Pōpholyx
quoque leniſſimum pharmacum eſt,& malignis ac vlce-
roſis vlceribus congruum.iniiciuntur ambo in cocturæ
principio. Sal mixtā facultatem habet extergendi ac ad
ſtringendi: magis tamen adſtringit, & valde reſiccat. Ni-
trum autem extergendi incidendique ac exſiccandi vim
habet.In attractoriis emplaſtris ſal ipſi miſceri ſolet. &
ambo medio cocturæ tempore induntur. Sulphur omne
attractoriam vim habet,calidæque ac tenuis eſſentiæ eſt.
iniicitur in fine cocturæ.nigrefacit enim emplaſtra. Atq;
hæc quidem metallica ſunt que in emplaſtra iniiciuntur.
Terræ verò in ipſa induntur, Samia, Eretria, Cimolia, am
pelitis & Lemnia. Ex lapidibus autē Phrygius, Aſius, py-
rites, hæmatites, magnes, achates, iaſpis, gagates, cos. ho-
rum vires ſuperius expoſuimus. Iniicitur & pumex, exter
gendi attenuādique ac diſcutiendi vim habens. Teſtæ,
præterea conchyliorum vſtæ ac crudæ, tāquam attenuan
tes, extergentes, ac diſcutientes, & reſiccantes, ad ſinus
glutinandos admiſcentur.idem præſtāt & fictilium teſtæ
exterſoriæ etiam ipſæ ac reſiccantis facultatis. Iniicitur
item calx tanquam præclarè reſiccans, & ad cicatricem
perducens. Cinis verò, præſertim ſarmentorum, ſinus
agglutinat, callóſq; exterit ac reſiccat. Hæc omnia terrea
in fine cocturæ iniiciūtur. At verò in pinguia emplaſtra
oleum recipientia,oleum ſtatim à principio cum metal-
licis iniicere oportet.Si verò cum reſina quadam, aut pi-
ce liquida emplaſtrum paretur, & oleum ſtatim ab ini-
tio inieceris, incohærens faciet medicamentum. Qua-
propter vt compages fiat, reſinas liquidas primùm inde-
re oportet, deinde in fine oleum ſuperaddere, atque ita
rurſus ad bonam cōpagem coquere. Reliquæ pingue-
dines,& præſertim adipes recentes tenerrimi, medio co-
cturæ tēpore iniiciuntur. Ex vnguentis,irinum quidem
cocturam ſuſtinet:cyprinum verò & roſaceum, minus ſe
runt:cætera omnino non tolerant. quapropter hæc in fi-
ne cocturæ iniicies. Cera porrò calefacit & moderatè
mollit,minúſque glutinat vulnera cruenta.Nunquam co-
quitur per ſe,ita enim vreretur:neque cum reſina aut pice
liquida,ita enim incompacta maneret:ſed iniicitur ad o-
leum purum,vel aliud cum metallicis coctum,aut ad re-
ſinam vel picem præcoctam. Reſina omnis multo ma
gis quàm cera calefacit,diſcutit,mollit,extrahit & aperit,
ac cruenta vulnera glutinat. Et arida quidem reſina poſt
ceram iniicitur:liquida verò ſeorſim præ cæteris omni-
bus coquitur, niſi admodum fuerit modica. Pix vires
omnes reſinæ habet,ſed validiores. iniicitur præ aliis o-
mnibus.Menſura cocturæ liquidæ, eſt vt cogatur: ſiccæ

A verò,præſertim ſi cum aceto coquitur, vt non amplius
bullas emittat,neq; intumeſcat. Bitumē cruēta vulnera
glutinat, & præclarè calfacit ac reſiccat, & ſinus implet.
coquitur ſtatim ab initio iniectū. Verùm nō minutè tri
tum id iniicere oportet, habet enim aſperitates ficuum
granis ſimiles: quare craſſius contundendum eſt, & in a-
ceto coquendum citra agitationem, donec non amplius
bullas emittit. agitatum enim in grumos cogitur. At ſi
abſque aceto coquendum eſt, oleo ſimul additum facilè
liqueſcit. Propolis calfacit, diſcutit, maturat, extergit
B & attrahit. hanc præmollire oportet,atque ita coquere ab
igne ablatis iniectam: nullam enim ampliorem cocturā
tolerat. Ammoniacum mollit, diſcutit, calfacit,putre-
dinem educit,attrahit. iniicitur medio cocturæ tempo-
re.Et ſi quidem conteri ac cribrari poteſt, leuiſſimum in-
ſperges:ſin minus,cum liquore quopiam læuigatum im-
mittes: cum aceto quidem aut vino, ſi ad cruenta vulne-
nera emplaſtrum paratur: ſi verò ad fiſtulas aut ſtrumas,
penitus cum aceto: ſi verò molle fuerit emplaſtrum,qua
lia ſunt quæ ad ſedem parantur, cum aqua, ita vt ad reli-
C qua refrigerata infundas,vt ne efferueſcant, ac rurſus co-
quas. Opopanax magis calfacit quàm ammoniacum,
diſcutit & reſiccat. iniicitur peracta coctura, qua penitus
modica opus habet. & hunc aceto aut vino prius terere
oportet. Galbanum valde calefacit, concoquit ac diſcu
tit. cocturam autem penitus non tolerat.Itaque ablato ab
igne medicamento,probè mollitum iniicere oportet:aut
cum aceto vel vino ad ſtrigmentitiam compagem dilu-
tum reliquis admiſcere. Sagapenum vires habet galba
no ſimiles, magis tamen diſcutit & attenuat. Iniicitur in
D fine aceto aut vino prius tritum, ita vt cum ablato ab igne
emplaſtro emolliatur. Bdellium calfacit, diſcutit, at-
trahit,mollit. iniicitur tritum poſt peractam cocturam
Si verò pingue fuerit,ac teri non poſſit, in mortario tu-
ſum cum emplaſtro emolliatur. Thus parum calfacit,
præclarè maturat, modicè attrahit, & ſinus glutinat.
Pollen eius,ſimiles vires habet, magis tamen adſtringit.
quare medicamentis ad cruenta vulnera commodè mi-
ſcetur.iniicitur vtrunque in fine cocturæ. Myrrha cal-
facit,concoquit,attenuat,diſcutit & exſiccat,facit ad vul-
E nera cruenta iniicitur in fine cocturæ cum aliquo liquo-
re qui emplaſtris miſcetur, contrita. Aloe ex variis fa-
cultatibus conſtat. adſtringit enim,calfacit,attenuat,diſ-
cutit,ſinus glutinat ac reſiccat: additur poſt omnem co-
cturā. Succus papaueris ſtrenuè perfrigerat,dolores ac
inflammationes mitigat,& cruenta vulnera glutinat. Hic
pridie in aqua modica maceratur, & in mortario teritur,
atque ſic emplaſtrum ad ipſum diffunditur. Thapſia ca
lefacit & rubificat cutem. iniicitur poſtrema liquore
quodam trita. At verò nulla herba,aut radix,aut ſemen,
F cocturam tolerat:celerrimè enim torrefiunt. Teruntur i-
gitur ac manent in mortario,& liquefacta reliqua ad ipſa
diffunduntur. Aliquando tamen herbas aut radices præ-
maceratas,in oleo coquimus,& expreſſas abiicimus,& o-
leum ad medicamenta aſſumimus.

De cruentorum vulnerum curatione,Galeni, Cap. XXVI.

PArua & ſuperficiaria vulnera, natura ſua ſponte,nul-
lius medicamenti indiga ſanare ſolet: labia ſolùm à
nobis contrahantur,& ligamento circundentur,ne pilus,
G aut arena,aut tale quid illabatur: & vlcus penitus coale-
ſcet. At ſi amplum fuerit vulnus, vt labia contrahi non
poſſint,& ſanies congregetur,aut vrgeat dolor, tale vul-
nus ſola labiorum contractione agglutinari non poteſt,
ſed per medicamenta reſiccantia collectam ſaniem conſu
mere,& affluentem prohibere oportet:talia verò ſunt ag-
glutinatoria pharmaca inflammationem arcentia. Si ve-
rò vulnus profundius fuerit, & in ſuperficie anguſtius,
ſcalpello incidatur,vt æqualis amplitudo fiat,& in ſinua-
ti humores non putreſcant,neque vicinas partes corrum-
H pant.proinde qui cruenta vulnera glutinare voluerit,hæc
cōſideret, & præ omnibus grumos diligēter ex vulnere
educat. quantulacunq; enim eorū pars in cauitate relicta
in pus conuertitur, & carnes ſubinde putrefacit. Educe-
mus autem grumos,ſpongiarum mollium aſſiduo fotu,

atque hæ non in omnibus ex aceto exprimantur: ſed ſi vulnera ſine eruptione ſanguinis fuerint, aqua ſolùm foueantur: ita enim carnem nihil offendemus, quam adſtringens acetum impedit ne citò coaleſcat. At verò profundiora vulnera penitiores & difficulter extirpabiles grumos in ſe habentia, aceto rigabimus, quod ex ſpongia vſque ad fundum ipſorum exprimemus. Acetum enim ad diſſoluendos grumos efficax eſt, per adſtrictoriam facultatem aperta vaſa occludens, allationémque ſanguinis cohibens: quibus omnibus à principio intentum eſſe cõuenit: etiamſi aliàs acetum obturando corpora, tardiorem facit vulneris vnionem. Cæterùm ſi in capite vulnus fuerit, ſuprà relata membrana caluariam ambiens conſideranda eſt, an illæſa aut ſimul pertuſa ſit: ſi enim illæſa permanſerit, labia ſuturis protinus contrahes, & agglutinatoriis vteris: ſi verò perforatam aut cõtuſam repereris, ad tutiorem curationem membranam diſſecabis, & os diligenter derades, linamentáque conuulſa indes, & forinſecus ſplenium inflammationem arcens impones, & ſupra id lanam ſuccidam ſeu ſpongiam molliſſimam, vino aut aceto imbutam ac expreſſam, ſine oleo adhibebis, præcipuè ſi ſanguinis eruptio præceſſit: poſtea faſciolam lineam aceto rigatam ac expreſſam obligabis, vinculi capite in vulneris loco ſtatuto, quemadmodum in artuum fracturis fieri ſolet. Studio verò habendum eſt vt ligatura ſurſum vergat. verùm conſtrictionem eius moderatam eſſe conuenit. nam vehementior, dolorem excitat: laxior, inutilis eſt. Poſt tertiam diem vulnus fractura carens ſpõgiis foueatur, deinde linamenta medicamento ſuppuratorio illita indantur, & reliqua ſuppuratoria curatio adhibeatur. poſtea ad repurgandum ac incarnandum progreſſus fiat, quemadmodum paulo pòſt de vlceribus indicabitur. Porrò quoniam rupta caluariæ membrana, vbi vulnus negligitur, inflammatio conſequitur, ſi in principio inflammationis voceris, protinus ſecare vulnus conare, & membranam diducere, atque os caluæ deradere. vulnere enim diducto, inflammatio antequam excãdeſcat, ſupprimitur. Facta diſſectione linamenta indes, & ad ea retinenda linteum vino & oleo imbutum, aut ſplenium inflammationem arcens, forinſecus impones, & ſupra hoc lanam vino & oleo imbutam adhibebis: & deinde ad ſuppuratorium ductum te conuertes. ſi verò inflammationem vehementem nactus fueris, deraſis capillis locũ aqua moderatè calida rigabis, & medicamenta adhibebis inflammationem ſedantia. Inflammatione verò ſedata, membrana caluã ambiens ſuppuratur, & vicinæ partes abſceſſum patiuntur. quapropter expedit vt diſſecetur velut dictum eſt, & pus excernatur, ac caluariæ os deradatur, & poſtea communis vlcerum curatio fiat. Si verò fractura in capite aut alio loco vnà cũ vulnere fuerit, emplaſtrum ad fracturas accommodatum imponatur. De eo verò partem quadrangularem reſecare oportet quo loco vulnus exiſtit, aliúdque paruum ſplenium vulneri imponere quale diximus. Atque hoc paruum ſplenium quotidie tollendum eſt, & vlcus curãdum, ac deligandũ. Cæterùm agglutinatoria medicamenta Sermone xv. ſcripta habentur.

De ſauciatis neruis, Galeni, Cap. xxvii.

NEruus vulneratus aut punctus, dolorem & inflammationem vehementiſſimam habet, propter ſenſus ſubtilitatem. Quapropter cutis vulnus inagglutinatum ſeruare oportet, quo per ipſum ſanioſi humores effluant: vbi verò vulneris os latius fuerit, conari vt reſiccantibus medicamentis labia ipſius cõmittantur ac vniantur. At ſi per acum, aut paxillum, aut tale quiddam, vulnus inflictũ fuerit, & in altum progreſſum, id ſaltem ſtudio habendũ eſt ne inflammatio ſequatur. Eſſétque longè tutius vt cutis circa vulneris oſculum diſſecaretur, quò commodius in altum procederent vires medicamentorum. At verò ſi vires validæ fuerint, & nihil impedierit, vniuerſum corpus per venæ ſectionẽ euacuetur. Seruãdáque eſt in euacuando locorum affinitas, vt dextra manu ſauciata, dexter malleolus ſiue talus: ſiniſtra, ſiniſter incidatur: & vice verſa dextro crure vulnerato ſubalaris vena, dextræ ma-

A nus: ſiniſtro ſiniſtræ, (rectitudine ſeruata) ſecetur: ſi verò
ſubalaris nõ apparuerit, mediam ſecabimus. Quòd ſi cor-
pus vitioſis humoribus repletum fuerit, purgatione per
idoneum pharmacũ vtemur. Cæterùm aqua calida quæ
reliquis inflammationibus commodiſſima eſt, his infe-
ſtiſſima exiſtit. ab humectantibus enim & calfacienti-
bus putrefactio inducitur. præſtat igitur neruos ſauciatos
oleo moderatè calido tenuíque ac nihil adſtringente ri-
gare: tale autem eſt dulciſſimum, quod melius longè fue-
rit ſi annos duos aut tres habuerit. Nerui enim ſauciati
B curatio, medicamentis opus habet quæ tepidam calidita-
tem habent, valde verò ſiccant, atque hoc citra moleſtiã
& quæ ſubſtantia tenuiſſima prædita ſunt. Huiuſmodi e-
nim ſola ſine partium diſtẽtione ac mordacitate, ſaniem
ex alto euocare poſſunt. Quapropter oleo in quo anethũ
& ruta decocta ſunt calido perfundimus. ſæpe etiam ce-
ratum ex euphorbio, aut emplaſtrum Anicetũ, aut quod-
dam ex iis quæ ad vulneratos neruos deſcribentur, modi-
co oleo liquatum adhibemus. Deinde emplaſtro aliquo
ex prædictis impoſito, lanam oleo calido imbutam ex-
C trinſecus illigamus, & per ſingulos dies bis aut ter ſolui-
mus: & ſi longiores fuerint noctes, noctu quoque, præ-
ſertim vbi mordacitas vulnus irritet. Quòd ſi neque mor
dacitas, neque dolor percipiatur, bis tantùm in die, & cir-
ca veſperam ſemel ſoluemus: & præterea alas ac collum
oleo calido largè rigabimus. Si verò neruus in crure ſau-
ciatus fuerit, inguina ac totam ſpinam & collum, oleo itẽ
calido vbertim perfundimus. At verò ſi neruorum vul-
nera à principio malè fuerint curata, maxima inflamma-
tio ac putrefactio ſequi ſolet. Itaque farinam hordeaceã,
D aut fabarum, aut erui, in lixiuio cum aceto mulſo coctã
imponere oportet. eſt enim hoc cataplaſma efficax ad ea
quæ iam putreſcũt. Si verò vehemens inflammatio cum
maximo dolore infeſtauerit, farinam erui aut fabarum
cum optima ſapa, modico aceto addito coctam imponi-
to, calido oleo prius affuſo. Ceratum verò ex euphor-
bio ad neruos vulneratos, cuius paulo antè mentionem
fecimus, hoc modo præparatur: Ceræ, terebinthinæ, o-
lei, ſingulorum trientem, euphorbii recentis ſextantem,
aut biennalis quadrantem, aut prorſus antiqui triẽtem. &
E ſi terebinthina defuerit, colophoniam pro ea accipito.
Longè verò præſtantius euadet medicamentum, ſi propo
lin pinguem ac recentem acceperit, vt ſit terebinthinæ
quadrans, propolis triens, ceræ vnc. vna, olei triens, eu-
phorbii ſextans. Deficiente verò euphorbio, ſulphur aut
caſtoreum, aut conſimile quiddam calidum ac tenuium
partium admiſcebis. Quòd ſi omnino ab exacta & media
pharmacorum ad ſauciatos neruos compage aberrãdum
ſit, præſtat ad molliorem compagem declinare, etiamſi
ita parum inquinet. Optimum præterea ad eũdem vſum
F pharmacum eſt ex Brutia pice & opopanace, quod etiam
ad morſus canis rabidi facit, præcipuè ſi corpora contige
rint robuſtiora. Nam in tenerioribus per ceratum ex o-
leo aliquo diſcuſſorio vires eius mitigare potes, quale eſt
irinum, aut amaracinum, aut opobalſamum, aut oleum
vetus. Egregiè facit & Anicetum, quod ſermone xv. in-
ter emollientia medicamenta habetur. Quin & ex metal-
licis conſtans pharmacum, efficax eſt ad neruorum pun-
ctiones. Habet id hoc modo: Chalcitidis crudæ drach.
octo, miſyos crudi drach. ſedecim, ſquamæ æris drach.
G vigintiquatuor, ceræ drach. nonagintaſex, olei dulcis aut
veteris, æſtate quidem drach. centumocto, hyeme ve-
rò centumviginti, thuris drach. vigintiquatuor, terebin-
thinæ drach. ſedecim, galbani drach. duodecim, aceti a-
cerrimi & antiqui quantum ſatis eſt. Metallica ad ſolem
æſtiuum pluribus diebus terito, indéque addito thure
rurſus conterito, & quæ liquari poſſunt liquata affundito
ac ſubigito. Hoc medicamentum vulneri appoſitum in-
flammationem arcet, velut ſæpe experti ſumus. Admi-
randum præterea ad ſauciatos neruos medicamentum
H eſt quod è ſenecione paratur, & habet, Senecionis ſucci
vnc. vigintiquatuor, olei antiqui, olei cyprini, olei dulcis,
apochymatis ſiue picis è nauibus eraſæ, ſingulorum trien
tem, galbani, æruginis, ſingulorum drach. quatuor, tere-
binthinæ drach. ſex, adipis veteris drach. vndecim, ceræ

drach.octo,reſinæ pinus ſiccæ drach.ſex. ſuccum cum oleis coquito donec propemodũ conſumatur. Æruginẽ verò cum modico ſucco terito, & quæ liquari poſſunt liquato ac excolato,iniectáque terebinthina cum decoctis vnito,poſtremùmque omnia ad æruginem tritam affundito ac ſubigito: facit ad maximas muſculorum in vulneribus inflammationes: & duritias ac recentes puerorũ ſtrumas diſſoluit. Porrò qui ſauciatos neruos habent, vrgente neceſſitate, poſt ſeptimam, vel vbi dolor penitus quieuit,lauari poſſunt. Verùm lauãdis medicamẽta vulneri indimus,& forinſecus multiplicia lintea oleo imbuta imponimus,& faſciã ex linteo obligamus. deinde æger in ſolium deſcenſuro,ligamenta multo oleo rigamus. & poſt balneum remotis omnibus quæ applicata fuerant, præſcriptam curationem adhibemus. At ſi vulnus in manu fuerit,admoneatur æger ne id calidæ ſiue frigidæ lauacro humectet. Oribaſii ad priuatos ſauciatorũ neruorum abſceſſus.(priuatos autem vocat,quãdo in proximis puncturæ locis abſceſſus parui & multi per certa interualla oriũtur.) Ceræ,colophoniæ,butyri,ſingulorum libram vnam,picis ſiccæ,mellis,ſingulorum ſeſcuncem,æruginis quadrantem,aceti quantum ſatis eſt ad æruginem conterendam ac diſſoluendam.

Curatio neruorum denudatorum ac vulneratorum in vlceribus, Cap. XXVIII.

QVòd ſi neruus non fuerit punctus,ſed manifeſta diſſectione inciſus,ita vt etiam cutis præpoſita ſit diſſecta,& appareat nudus neruus, ſecundum rectitudinem & non tranſuerſim diſſectus:relata ex euphorbio aut metallicis medicamenta, minimè adhibenda ſunt. Abſtinendum etiam ab emplaſtro Aniceto,& cæteris tãta acrimonia præditis. nudus enim neruus vehementem ipſorum vim non feret. Proinde calcem aſſumes lotam plurimo roſaceo dilutam. fit autem calx in diebus canicularibus ad ſolem aqua dulciſſima ſæpe elota ac reſiccata. Bonum eſt & ex pompholyge medicamentum plurimo ac optimo roſaceo dilutum. pompholygem autem itidem lauare velut calcem oportet. ſed & cera in huiuſmodi pharmaca recipienda,lauanda eſt. Per omnem enim denudati nerui curationem, reſiccare citra mordacitatem intendimus:quare nihil acre vulneri admouendum eſt. ſubtiliſſimo enim ſenſu præditus eſt neruus,& temperamento frigidus,ac principaliſſimo principio cohærens ac coniunctus. ſed nec oleo tale vlcus rigandum eſt: ſordidũ enim inde euadit. verùm lana molli ſpecillo obuoluta, ſanies detergenda:& ne arida lana vulnus contingat,ſapa imbui poteſt,& ea expreſſa vulnus detergi. præterea medicamenta quæ adhibentur, tepida eſſe oportet: quæ enim frigida apponuntur,conuulſionem inducunt. Ad neruos quoque denudatos emplaſtrum AEgyptium efficaciſſimum eſt, quod è ſuccida lana paratur, & fuluum Piſcatoris:ambo roſaceo diluta & linamẽtis indita. Omniũ autem præſtantiſſimum eſt & nulli comparandum, emplaſtrum Iſis appellatum,optimo roſaceo diſſolutum, & cum linamento tepidum vlceri inditum. Sedat enim dolores & ſordida vlcera citò repurgat,incarnat, & ad cicatricem perducit. At vbi linamenta vlceri immiſeris, forinſecus emplaſtrum è ſenecione,ſi haberi poteſt:ſin minus, Anicetum adhibebis. Cæterùm ſi vulnus nerui trãſuerſum fuerit,maximum conuulſionis periculum immi net,inflammatione à diſſectis fibris ad integras tranſeunte. Quòd ſi integræ fibræ conuulſæ fuerint, eadem curatio & his,& vlceri adhibetur. parcius tamen hinc ægro ſanguis auferendus eſt, & diæta tenuis conſtituenda, & quies imperanda,& ſtratum molliſſimum parãdum. plurimum item oleum calidum inguinibus, ſpinæ, axillæ, collo,ac capiti affundendum eſt. Atque hæc curatio communis ad omnia neruorum vulnera eſt.

De neruorum contuſione, Cap. XXIX.

COntuſo neruo,ſi cutis ſimul contuſa fuerit,& vlceratio fiat,farinam fabaceam cum aceto mulſo,aut erui farinã cum ſapa & modico aceto impones : ambæ enim ſunt efficaces. Quòd ſi cum contuſione dolor adſit,picem liquidam ad fabaceæ farinæ cataplaſma addes, & ſimul cocta calida adhibebis. Si verò maiori reſiccatione opus

A habueris,parem menſuram farinæ erui admiſcebis,itém que itidem Illyricam,ſi adhuc fortius reſiccare volueris. Vniuerſi verò corporis curatio eadem eſt cum ea quam paulo antè præſcripſimus. At ſi neruus fuerit contuſus citra manifeſtam cutis contuſionem,oleo calido diſcuſſorio,anethino aut rutaceo locus aſſiduè perfundatur,& lana oleo imbuta adhibeatur. reliqua verò curatio prædictis ſimilis fiat. Porrò ſi totus neruus fuerit diſſectus, nullum quidem periculum imminet: verùm pars mutila fit, præſertim ſi diſſectus neruus magnus fuerit. curatio vero

B rò eadem velut ad vlcera adhibetur.

De glandularum inguinis inflammatione, Galeni, Cap. XXX.

QVVM glandulæ inguinis vniuerſo corpore pleno, citra aliam manifeſtam cauſam, inflammatæ intumuerint,humores circa glandulas conſtipantur. Proinde, niſi quid prohibeat,cubiti venam ſecabimus, tantúmq; ſanguinis auferemus quantum plenitudo oſtenderit. Loco verò inflammato,& ante ſectionem venæ & in ipſo ſectionis tempore,adſtringentia ac repellentia medicamẽ

C ta apponemus. Verùm poſtea euacuato corpore, diſcutiẽtibus ea quæ affluxerunt vtemur. At ſi vlcus in crure fuerit,& per conſenſum glandulas inguinis affluxerit, quemadmodum in digitorum pedis offenſa fieri ſolet,glandulam inflammari incipientem, ſtatim à principio lana oleo calido imbuta mitigabimus, non adiecto ſale velut aliqui faciunt. ſal enim tenuiores humores confertim diſcutiens,reliquum calloſum,ægrè curabile, & ſæpe immedicabile relinquit. Poſtquam autem inflammationis feruor quieuit, mitigatoria relinquemus, & diſcuſſoriis

D vtemur,quæ ad cerati compagem redactæ glandulis imponi debent. nam quæ duriora fuerint,eas partes diſtendunt,& rurſus inflammationes irritant. Atque hoc equidem modo glandulæ tractentur:ipſum verò crus ſtatim à principio calfaciendum ac humectandum eſt,ita vt vlceri inflammationis cauſæ cataplaſma mitigatorium, aut ceratum aliquod ad ſedis affectiones paratum imponas, totúmque membrum lana oleo calido imbuta foueas, & ægro quietem imperes. Sedato autem vlcere, plerunque etiam glandulæ doloris exortes fiunt. Egregiè verò glan-

E dulis confert pſyllium aqua calida madefactum, & panni culo aut braſſicæ folio exceptum & impoſitum: item ceratum ex butyro paratum,& quod oſtrea vſta recipit. Confert & diſcuſſorium emplaſtrum, Dionyſias appellatum, & quòd è buccinis præparatur, quorum omnium præparationes Sermone XV. habentur: vbi etiam ceratum è pſyllio eſt,aut emplaſtrum,ſi ita appellare malueris.

De quacunque inflammatione, Eiuſdem, Cap. XXXI.

F OMnis inflammatio,ob ſanguinis affluxum,vel à manifeſta,vel ab occulta cauſa generatur. A manifeſta, quando ab offenſo pede glandulæ inflammantur: ab occulta, quando aliqua parte delegante, aut toto corpore tranſmittente,& affecta parte ob debilitatem recipiente, humorum copia affluxerit,velut ſuprà de podagra oſtenſum eſt. Sæpe verò etiam pars quæ inflammatur,ob morboſam aliquam & præter naturam caliditatem, materiã ad ſe trahit. Erit itaque inflammationis principium, quũ primùm pars ſanguinea materia repletur: augmẽtum verò,quando affluxus aliunde ceſſat, & qui in parte conti-

G netur putreſcere incipit. Atque eo tempore caloris præter naturam incrementum, & humorum diffuſio, & partis diſtentio,longè maior eſt quàm antea fuit: vbi verò iam pus conflatur, maximéque dolores adſunt, inflammatio in vigore eſt. Declinationem autem dicimus,quum allapſus humor diſcutitur, & tumor ac diſtẽtio minuitur, & dolores mitigantur. Inchoante itaque inflãmatione, victus ratio moderanda eſt, cibúſque contrahendus, & aquæ potus imperãdus. Et ſi inflammationis magnitudo ſanguinis detractionem poſtulat,& ætas ac corporis habi

H tus,& anni tempus non obſtat, præſertim in hominibus ſanguine abundantibus, poſt præſtitutam victus rationẽ venam ſecabimus, tantúmque euacuabimus quantum plenitudo & inflammationis magnitudo, & ægri vires indicauerint. Verùm in principio, & ante venæ ſectionẽ,

& ipſo ſectionis tempore, inflammatæ parti cataplaſmata repellētia adhibebimus: in augmēto verò, ex diſcuſſoriis aliqua ad repellentia admiſcebimus. At in vigore dum vehementiſſimi ſunt dolores, mitigatoria applicabimus, velut in declinatione ea ſolùm quæ diſcuſſoriam vim habent. Inchoantes itaque inflammationes repellunt, glaucium, perdicium, ſtratiotes in aquis naſcens, plantago, polygonum & ſimilia. Mitigant autem, & dolori in vigore inflammationis commoda ſunt, malua per ſe, & cum modico pane ac roſaceo impoſita. præſtat & melilotum in paſſo coctum & cum pane impoſitum. Idem præſtant palmulæ in paſſo coctæ, & cum pane ac roſaceo ſubactæ impoſitæ. In declinatione verò agreſtis malua pollet, & vuæ paſſæ vinaceis exemptis, cum pane ac modico melle. itē ordei farina cum melle aut oleo adhibita. Quòd ſi locus affectus nimia materia turgeat, non mox ad chirurgiam prorumpere oportet, velut quidam faciunt, ſed conari vt materia collecta, per pharmaca diſcuſſoria digeratur: quale eſt quod è buccinis vſtis conſtat, Ariobarzanium appellatum, aut Oribaſii fuluum, aut quod Dionyſias appellatur è miſy paratū, & reliqua eius generis, quæ Sermone decimoquinto habentur. At ſi reſiduum ex inflāmatione calloſum factum fuerit, vehementioribus medicamentis vtendum erit, ita vt ſingulis diebus bis quantum ea proficiant inſpectemus.

De abſceſſibus, Cap. XXXII.

SI inflammationes producantur, & ad ſuppurationem conuertantur, adiuuare oportet vt quamcelerrimè tranſmutentur: proinde partem affectam althææ ac ficuū decocto rigabimus, & farinam ordei aut panem cum aqua & oleo imponemus. Quòd ſi ægrè ſuppuretur inflammatio, hordeum aut panem in pinguium caricarum & althææ decocto coctum imponemus. At ſi adhuc diutius perſtiterit, fimum columbinum, & nitrum, & terebinthinam adiiciemus: peracta verò tranſmutatione in pus, locus aperiatur qua parte maximè eminet. ibi enim tenuiſſima eſt cutis. Et ſi pars aliqua ſuppurati loci putrida videbitur, ea neceſſariò reſcindenda eſt. Reſectio autem ad myrtei folii formam fiat, lōga videlicet & anguſta. quod ſanè in axillis ac inguinum abſceſſibus faciendum eſt. In capite verò & huiuſmodi locis, ſimplici ſectione vtemur, qua facta thuris pollinem tenuiſſimum vlceris cauitati inſpergemus, & linamenta conuulſa indemus. At verò vbi duæ aut tres ſectiones factæ fuerint, limniſcos immittere oportet, & poſtea linamentis conuulſis vlcus replere. Ad tutandum verò locum ſimplex linteolum vino & oleo imbutum obligauimus. Tertia inde die ad ſuppuratorium curationis ductum conuertemur, per tetrapharmacum & ſimilia roſaceo diluta. Si verò poſt indita linamenta circumſitæ partes adhuc fuerint inflammatæ, cataplaſmata adhibebimus: & ſi nihil amplius vrgeat, ſplenium ſedandis inflammationibus aptum imponemus. Cæterùm ſuppuratione facta, repurgantibus vtēdum eſt, ex quorū numero præſtat emplaſtrum Ægyptium, quod recipit terebinthinæ liquidæ & mellis, ac roſacei portiones æquales ſimul liquatas. Sed in robuſtioribus corporibus, ac impurioribus vlceribus, terebinthinæ ac mellis par menſura abſque oleo liquatur, & mirificè repurgat. Verùm ad vlcera quæ difficulter repurgantur, confert Ægyptium quod coctum appellatur, colore fuluum, cum ærugine raſa ac melle coctum, donec fuluum colorē ſuſceperit. Sūt & alia huic ſimilia, quæ ad fiſtulas paulo pòſt referentur. Repurgatis vlceribus, ad incarnantia tranſeundum eſt, quæ paulo inferius ad caua vlcera deſcribemus: facta verò incarnatione, rhodio emplaſtro aut pſaro committantur: & vbi explanata fuerint, ad cicatricem perducantur per ſicca medicamenta quæ referentur ad ea quæ cicatrice opus habent. Suppuratorium abſceſſuum, experimento conſtans. Maluæ agreſtis tritæ ac coctæ, farinæ tritici, ſtercoris ſuilli, æquales partes in ſapa coquito ac imponito, & celerrimè ſuppuratio continget. Philoſophi. Ad omnes inflammationes diſcutiendas. facit priuatim ad mamillas & glandulas inflammatas. Adipis ſuilli ſeſcūcem, albumina ouorum duorum, mel ad ouorum menſuram, nitri ſextantem, farinæ polentæ quantū ſatis eſt. Adipi liquefacto oua admiſceto & mel, deindè nitrum, poſtremùm etiam polentæ farinam quantum ad emplaſtri compagem ſatis erit. Sunt qui ita præparent: Accipiunt oua vnà cum vitellis vndecim numero, farinæ polentæ libram vnam, adipis ſuilli libram vnam, mellis quantum ſufficere putant. Nam diſcutere volentes, vberius: ſedare intendentes, parcius admiſcent. quidam etiā nitrum addunt. Sed quod nitrum habet, magis diſcutit: quod nō habet, magis ſedat. Vtere præterea eo quod ex pſyllii ſucco paratur. Ruptorium abſceſſuum. Nitrū & ammoniacum aceto ſubacta impone, quandiu locum perrumpi volueris. quidam pro ammoniaco thus adiiciunt. Abſceſſus autem etiam permutatos diſcutiunt, Ariobarzanium ex buccinis conſtans, & quod Dionyſias appellatur, ambo in ſequēti Sermone deſcripta. At quod ad Oribaſium refertur, ſic habet: Lapidis pyritæ drach. duodecim, ammoniaci thymiamatis tantundem, farinæ fabarum drach. ſex terito ac cribrato, & reſina excipito. ſitque reſina, ſi haberi poteſt, terebinthina: ſin minus, liquida, quò emplaſtri forma fiat. Hoc vel diſcutiet, vel dirumpet, euacuabit, ad cicatricem perducet, & ſanabit. nec verò diutius antea præparandum eſt hoc pharmacum: citò enim exareſcit. In decimoquinto Sermone etiam aliud diſcuſſorium, & aliqua ruptoria reperies. Oribaſii Ægyptium repurgans: Mellis deſpumati lib. vnam, aceti lib. duas, ſquamæ æris vnciam vnam, æruginis drach. quatuor. acetum & mel ad mellis compagem coquito, deinde reliqua admiſceto. Aliud eiuſdem, vlcera ſordida probè repurgans. Amurcæ coctæ, mellis deſpumati, aluminis Phorimi appellati, æquales portiones. Aliud ad abſceſſus, diſcutiens aut rumpens, & ſine dolore euacuās.

Spumæ argenti, ceruſſæ, ammoniaci, ſingulorum lib. vnam, olei quantum ſatis eſt, reſinæ pinus, propolis, opopanacis, ſingulorum ſeſcuncem, caſtorei trientem, galbani, myrrhæ, thuris, ſingulorum ſextantem, aceti quantum ſufficit. ſpumam argenti & ceruſſam cum aceto coquito, & terenda cum aceto terito, & quæ liquari poſſunt liquefacito, & ad cocta admiſceto, & tritis adiicito, refrigerato ac ſubigito.

De cauis vlceribus non malignis. Et ratio curandorum vlcerum, Galeni,

Cap. XXXIII.

CAuum vlcus humidum ac ſordidū eſt, & ideo pharmacis moderatè ſiccantibus ac extergentibus opus habet. Sæpe verò à nobis dictū eſt, non omni naturæ eadem medicamenta conuenire, ſed debiliori molliorique molliora, validiori validiora eſſe adhibenda. neq; enim tolerat debilis natura potentiora. proinde quanto humidius fuerit corpus in quo eſt vlcus, tanto minus reſiccantes medicinas poſtulat. Quare duobus vlceribus æquali humiditate præditis, alterum quod in ſicciori temperatura eſt, maiorem reſiccationem poſtulat: alterum quod in humidiore eſt, minore reſiccatione opus habet, quanto hæc natura alia humidior exiſtit. Carnem enim quæ ad vlceris nutritionem diſtribuitur, reliquo corpori ſimilem eſſe oportet. Vbi igitur priſtina caro ſiccior eſt, ibi noua quoque ſuperueniens ſiccior fieri debet. Meritò ergo reſiccanda eſt, & quanto prior ſiccior fuerit, tanto ampliorem ſiccandi facultatem medicamentum habere debet. & vice verſa, tanto minus reſiccantia medicamenta conueniunt, quanto minus ſicca prior fuerit caro. Thuris itaque qualitas ad humani corporis naturam comparata, cum temperatis & mediis naturis conſentit: humidiores autem paulo amplius reſiccat, quemadmodum ſanè etiam extremè ſiccis aliquanto humidius exiſtit. Si igitur diligenter obſeruaris, comperies thus in humidioribus quidem naturis carnem producere: in ſiccioribus autem minimè, ſed potius ſuppurare. Thus ergo ſicut moderatè calidum eſt, ita ex omnibus incarnantibus appellatis minimè ſiccat. At hordeacea & fabacea farina magis ſiccat quàm thus, & nulla caliditate participat. Ariſtolochia verò & panax omnibus amplius in ſuo genere reſiccant, & calidioris ſunt naturæ. Medium verò inter hæc obtinēt farina erui & iris. Et huiuſmodi omnia in primo ordine reſiccantium ac extergentium locantur, & minoris ac

maioris diſcrimine tantùm inter ſe differunt, & quòd a-
lia vires quibus excellũt ſimplices habent, alia compoſi-
tas. In libro verò De ſimplicibus medicamentis oſtendi-
mus, pompholygem vſtam & lotam & cætera huiuſmo-
di, velut cadmiam & oſtreorum teſtas, ex eorum eſſe or-
dine quæ ſine mordacitate ſiccãt & incarnant. Præterea
ad vlcera caua incarnanda, emplaſtrum viride conducit,
quale eſt quod Iſis appellatur, multo roſaceo dilutum.
Qui ergo recta via medicandi procedet, vbi ægri naturã
cõſiderauit, ſtatim dignoſcit quo medicamẽto vlcus indi
get. Quũ autẽ medicamẽtũ incarnãs adhibuerit, & nihil
profecerit, ſic quodãmodo ad aliud trãſire oportet. Nã ſi
ampliores ſordes fuerint, & humidius vlcus, noſſe debet
quòd medicamentum minus quàm oportuit reſiccauit:
quapropter mellis admixtione vires eius intendet. Si ve-
rò purum & humiditatis exors vlcus cõpererit, plus quàm
debuit reſiccauit: quare oleum admiſcebit, & ceratum li-
quidum adhibebit. Atque in his ſumma diligentia vten-
dum eſt: cõtingit enim aliquando vt à fortiore medica-
mento vlceris caro colliquetur, & ſordidum ac humidũ
appareat vlcus, velut ea quæ minus quàm oportuit ſunt
reſiccata. Verùm hoc à peritis facilè dignoſcitur: vlcus e-
nim eliquatum, cauius ſeipſo efficitur, & labia protube-
rantia habet. rubet item, & inflammationem habet, & æ-
ger ſæpe manifeſtè mordacitatem percipit. alterum autẽ
vlcus quod minus reſiccatum eſt, tale nihil conſequens
habet.

Medicamenta quæ per linamenta induntur, ad ſuppurandum, repurgandum ac incarnandum, Cap. XXXIIII.

SVnt & alia multa ad repurgandum idonea, velut lens,
iris, marrubium, (ſingula cum melle cocta) h erinacei
marini teſta vſta, narciſſi radix cum roſaceo & melle. Ba-
ſilicum verò tetrapharmacum, & quod ad Azaniten re-
fertur, & Macedonicum, ſingula liquefacta ſuppurandi
vim habent, & omnia Sermone decimoquinto deſcribẽ
tur. Sed & hoc mirificè ſuppurat, omnem quoque duri-
tiem citra dolorẽ emollit, & incarnat, & cauis vlceribus
eximiè prodeſt: Ceræ, terebinthinæ, medullæ ceruinæ,
adipis vitulini anſerini bubuli, butyri recentis, mellis At-
tici, olei roſacei, myrrhæ, ſingulorum drach. octo. myrrha
cum melle trita ad prunas coquitur, & reliqua liquata af-
funduntur ac vniuntur. Aliud Ægyptium, ad vlcera repur
ganda mirandum. Mel cum pari terebinthinæ menſu
ra aut roſaceo, aut (ſi neruoſæ fuerint partes affectæ) buty
ro ad prunas colliquamus. Verùm in robuſtioribus cor-
poribus, & ſordidioribus vlceribus, terebinthinam cum
melle adhibemus. Vtere etiam eo quod ex melle, aceto,
& liliorum ſucco cõſtat, quod Galenus valde approbauit,
cuius præparationem & vtendi modum, in ſimplicium
Sermone, capite De liliis, habes. His omnibus efficacius
eſt quod aliqui Ægyptium vocant, ſic habens: Ærugi-
nis drach. quatuor, ſquamæ æris vnc. vnam, aceti trientẽ,
mellis dodrantem. Arida cum aceto terito, & adiecto
melle ad prunas ad fuluum colorem coquito. Aliud au
reum vocatum, antiqua & recentia vulnera repurgans &
incarnans: Salis communis, ceruſſæ, atramenti ſutorii,
ſpumæ nitri albæ, ſingulorum quadrantem, ariſtolochiæ
longæ & rotũdæ, aluminis ſciſſi, ſingulorum vnc. vnam.
Arida cum aceto trita, ceræ ſextante & olei dodrante ex-
cipito: deinde vſu expetente cum plurimo roſaceo ad o-
lei ſpiſſitudinem diluito, & admiraberis. Idem capitis
quoque oſſibus denudatis per linamenta inditur. Aliud
caua vlcera replens. Adipis vitulini recentis, ceræ, tere-
binthinæ, ſing. drach. IIII. roſacei drach. XVI. para, & vtere.
Aliud Archigenis, Nutrix appellatum, ad cauitates ex-
plendas: Roſacei, terebinthinæ, mellis, ſing. ſextantẽ,
ceruſſæ, butyri, ſing. vnc. vnam para, & vtere. quidam &
thuris vnc. vnam addunt. Aliud ad caua & pura vlcera
explenda, experimento conſtans. Roſacei trientem, ce-
ræ ſextantẽ, terebinthinæ, butyri, mellis, ſingulorum vnc.
vnam. Omnibus ad calidum cinerem colliquatis ac ſi-
mul vnitis ad linamenta tingenda vtere. ſi verò ſordida
fuerint vlcera, repurgatis antea, velut dictum eſt, adhibe-
to. Aliud. Ceruſſæ, ſpumæ argenti, pares portiones vi-

A no odorato & oleo excipe, & per linamenta vſque ad ci-
catricem inductam inde. Aliud, ad ſordida, cicatricem
non recipientia, malignáque ac calloſa vlcera. Marrubii
ſuccum optimo melle exceptum inde. Aliud ſiccum,
maligna & profundiſſima vlcera explens: Farinæ erui
drach. triginta, iridis drach. viginti, ſpumæ argẽti drach.
quindecim, ariſtolochiæ longæ tantundem, mannæ thu-
ris, terræ Samiæ, ſingulorum drach. decem, ſquamæ æris,
cadmiæ, ſing. drach. quindecim. hoc in ſordidis largè, in
puris parciſſimè linamentis illinito. Exæquatis verò vlce-
B ribus, & iam cicatrice indigentibus, aridum ſpecilli nu-
cleo inſperſum vlceri indito, & poſtea linamentum vino
imbuto immittito.

De ſiccis repurgantibus ac incarnantibus, cephalicis appellatis, Galeni, Cap. XXXV.

SIcca medicamenta quæ cephalica, *hoc eſt capitalia* appel
lantur, omnibus quidẽ totius corporis, maximè tamẽ
capitis vlceribus incarnandis conueniunt, præſertim vbi
oſſa in quacũq; parte fuerint denudata. nã ad oſſa denu-
data, pinguiũ & eorum quæ ad tingenda linamenta pa-
C rãtur, vſum vitamus, & ſiccis tãtùm vtimur. Quin & citra
oſſium denudationẽ, pinguia non ita frequẽter in vlce-
rum curatione adhibemus. Sunt autem ſicca cephalica
huiuſcemodi. Aſclepiadis ſiccum cephalicum ad Xeno
cratem relatum, quo fiſtulas ſanabat: Erui farinæ trien-
tem, iridis Illyricæ ſextantem, ariſtolochiæ tenuis, ſqua-
mæ æris, mannæ thuris, ſingulorum vnc. vnam. miſce, ac
vtere. Quidam etiam radicis panaceæ vnc. vnã adiiciunt;
& ex melle cocto oblongum quaſi collyrium faciunt,
quod in fiſtulam immittunt, & poſtea ſiccum inſpergunt.
D Aliud ſiccum: Erui drach. viginti, ariſtolochiæ tenuis
drach. decẽ, ſquamæ æris, radicis vitis albæ, ſingulorum
drach. quinque. Vtere, ad repurgandum, cum melle: ad re-
plendum, ſicco inſperſo. Aliud ſiccum optimum, tunicu
las vlcerum relictas conſumens, callos reſcindens, ſordida
vlcera purgans, caua replens: Squamæ æris, reſinæ pinus,
ſingulorum drach. duodecim, pumicis vſti & vino extin
cti, iridis, ariſtolochiæ tenuis, ſilphii, ſingulorum drach.
octo, thuris drachm. quatuor. miſce, ac vtere ſicco, vel
cum melle. Aliud ſiccum omne profundum vlcus in-
E carnans. Farinæ erui drach. viginti, thuris drach. octo-
decim, fuci tinctorii, amyli, ſingulorum drach. octo: mi-
ſce, & vtere. Aliud ad capitis vlcera replenda. Amyli,
alicæ, thuris, lapidis ſpecularis trãſlucidi vſti, ſingulorum
vnciam vnam. Aliud. Colophonia ſeorſim trita vl-
cus repleto, & citò ſanabitur. Aliud. Colophoniæ, a-
myli, thuris, ceruſſæ, æquales portiones para, & vtere ſic-
cis. Aliud admirandum Seueri, ad oſſa, præcipuè capi-
tis, denudata, detaſo oſſi inſperſum: celerrimè enim incar
nat. Pollinis tritici, colophoniæ tenuiſſimè tritæ, pares
F portiones præpara, ac vtere, & linamento indito, eius re-
tinendi gratia emplaſtrum quoddam molle cicatricem
inducens impone. Aliud ad vlcera contrahenda: Mi-
ſyos drach. quatuor, gallarum, chalcitidis, atramenti ſuto-
rii, aluminis ſciſſi, ſquamæ æris, ſingulorum vnciam v-
nam. para, & vtere.

De vlceribus in quibus caro ſuperexcreſcit, & quæ depreſſione opus habent, & de medicamentis ſiccantibus, Galeni, Cap. XXXVI.

G CArnem in vlceribus ſuperexcreſcentem conſumunt
medicamenta fortiter ſiccantia: qualis eſt flos aſiæ pe
træ, & teſtacea omnia vſta, & vterque herinaceus cum to-
to corpore exuſtus, & diphryges inſperſum, & æris flos.
verùm ærugo omnia robore ſuo vincit. Siccum Her-
culis: Squamæ æris, miſyos, chalcitidis vſtæ, atramenti ſu
torii, aluminis ſciſſi, æquas portiones præpara, & vtere.
Aliud Rhodium appellatum, refertur ad Heram. ſiſtici-
tem ſanguinem. Gallarum drachm. nouem, ſquamæ æris
drach. quinque, atramenti ſutorii drach. tres, aluminis ſciſ
H ſi drach. duas. gallas ex dimidio vſtas vino auſtero extin-
guito, & reliquis tritis admiſceto. Quidam atramenti ſuto
rii drach. quinque, ſquamæ drach. tres coniiciunt, & gal-
las omnes comburunt. Rhodium, inquit Heras, ad ſangui
nem ſiſtẽdum efficax eſt. Facit & ad ſacros ignes, & vlcera

proſerpendo depaſcentia, ac nimio humore marceſcentia contrahit ac cicatrice includit. Quidam hoc modo Rhodium conficiunt,& valde laudant. Chalcitidis crudæ,miſyos crudi,ſing.drach.decem,ſquamæ ferri drach. ſedecim, gallarum drach.octo. Siccum Pſarum appellatum.Hoc largè inſperſum contrahit ac deprimit: parcè adhibitum,ad cicatricem ducit. Chalcitidis crudæ lib. vnam,miſyos crudi ſeſcuncem,atramẽti ſutorii lib.vnã, æris vſti ſeſcuncem,ſquamæ æris ſeſcuncem , præpara,& vtere. Aliud vtiliſſimum, deprimendi vim habens. Squamæ æris drach.quatuor,æruginis drach. vnam. Aliud. Squamæ æris,calcis viuæ, mannæ thuris, æquales partes præpara,& vtere.Facit ad vlcera maligna,& carnes fungis ſimiles cum melle repurgat,& cum cerato replet. Aliud. Miſyos drach. quatuor, chalcitidis drach. duas, gallarum drach. quatuor,atramenti ſutorii,aluminis ſciſſi,ſquamæ æris, ſingulorum drach.duas, terito & aperto vlcere cum ſpecillo inſpergito. Vtere etiam ad maximas carnis ſuperexcreſcẽtias, iis quæ ad ſedis thymos deſcripta ſunt. Aliud. Lanæ ſuccidæ vſtæ ac tritæ inſperſæ, carnes marcidas ac flaccidas conſumũt. Idem faciunt balauſtia vbertim inſperſa.

De vlceribus non malignis cicatrice indigentibus, Galeni, Cap. XXXVII.

IN vlceribus quæ cicatrice opus habent ,caro quidem innato operimento munitur, ſed cutis enaſci non poteſt. quapropter in ſumma carnis ſuperficie ſimile quiddam cuti efficiendum eſt. Quoniam verò cutis carne ſiccior eſt ac denſior,ſi carnem ſiccabimus &adſtringemus, cuti perſimilem faciemus. Neq; verò ſatis eſt hoc docere quòd reſiccantia & adſtringentia adhibere oportet: nã & quæ cruenta vulnera agglutinant, ſiccantia ſunt & adſtringentia: verùm in glutinandis vulneribus id tantùm quod influit reſiccare conamur , quò pars affecta ſuperfluitatibus careat:in cicatricibus verò inducendis, nõ ſolùm influentem,verumetiam contentum in carnibus humorem conſumere oportet. Itaque medicamẽtum quod cicatricem inducit, longè ſiccius eſſe oportet eo quod glutinat,quò non ſolùm ſuperfluum conſumat, ſed naturalem quoque humorem attingat. Hanc itaque rem præſtant,galla omphacitis,malicorium, ſpinæ Ægyptiæ fructus, & quæ citra mordacitatem vehementer adſtringũt, qualis eſt myrtus. Teſtæ etiam & cadmia, & plumbum, ſingula vſta & lota,citra mordacitatem ſiccant, & ad cicatricem perducunt: ſed his valentiora ſunt,chalcitis,miſy, alumen ſciſſum. & his adhuc potentius eſt æs vſtum. Omnium autem potentiſſima eſt ſquama æris, quæ vſta lene medicamentum efficitur ad antiqua vlcera cicatrice includenda. Illitio tetanica, ab extendendo ac explanando appellata,conſumens ac deprimens. Adipis ſuilli,ceræ,ſing.vnc.I.terebinthinæ ſemiunciam,nitri vnc.I. fellis taurini ſemiunciã,reſinæ vnc.I. Omnia ſimul decocta ac excolata vbi tepuerint, manibus ſubige ac vtere. quidam adiiciunt atramenti ſutorii drach.V.& medicamẽto ab igne remoto aceti &ſaponis,ſing.vnc.I.adiiciũt, ita vt hæc prius in alio vaſe ſimul ſint contrita ac diſſoluta.Obſeruandum eſt ne pharmacum hoc in bulliendo efferueſcat:& aſſiduè agitãdũ donec ad cõpagẽ perueniat.

Sicca vlceribus non malignis cicatricem inducentia, Cap. XXXVIII.

SIccum quod cicatricem inducit: Oſtreorum vſtorũ drach.XII.mannæ thuris drach.VI. cadmiæ drach. IIII. præpara,& vtere. Aliud. Spumæ argenti, ceruſſæ,ſing. drach.VIII.recrementi plumbi, myrti ſiccæ , gallarũ omphacitidum,ſing.drach.IIII.para,& vtere. Aliud ſiccum cicatricem inducens. Cadmiæ, ceruſſæ,mannæ thuris, amyli, æquales partes vnito,ac vtitor. Aliud admirandum. Ceruſſæ ſextãtem,amyli vnc.I.ſpumæ argẽti,thuris,roſacei,ſing.ſextantem,vnito,ac vtitor.incarnat enim & ad cicatricem ducit. Aliud.Hoc etiã diuturna ad cicatricem perducit: Corticis pinus drach.VI.cornu cerui vſti drach.IIII.ceruſſæ drach.IIII.æruginis drach.II. cadmiæ drach. VIII.mãnæ thuris dr. VI. præpara,& vtere. Aliud. Ariſtolochiæ drach.VI.corticis pinus,pumicis vſti & vino extincti, colophoniæ,ſing.drachm. IIII. iridis drachm.duas.vnito ac vtere ad incarnandum & cicatricẽ inducendã. Aliud. Pumicis vſti & vino extincti drach.VIII. mannæ thuris, ſquamæ æris, ſing. drach.IIII. præpara,& vtere. Aliud mirabile. Aluminis ſciſſi drach. IIII.in aqua diſſoluito, & in eo diluto linteolum tenue vetus ac detritum,purum tingito,& in ſole ſiccato,atque hoc vſus tempore conciſum vlceri indito. Verùm ad ſedis vlcera & diuturna alia,alumen in vino diſſolues,& ſimiliter facies:ad aurium verò affectus, lanam pro linteo accipies. Aliud. Plantaginem cum radicibus ſiccam terito & cribrato,ac vtere confidenter. Aliud. Ceruſſæ drach. VIII. gallarum, myrti, recrementi plumbi,ſing. drach.IIII.para,& vtere. Aliud. Oſtrea vſta,ceruſſam, cadmiam,mannã thuris,paribus portionibus vnito,ac vtitor. Aliud ſiccum , ad caua & maligna vlcera replenda.expertus loquor. Farinæ erui drach. X. iridis drach. XX.ſpumæ argenti drach.XV.mannæ thuris drach. XV. terræ Samiæ drach. X. ſquamæ æris, ariſtolochiæ tenuis, cadmiæ,ſing.drach.V.præpara,& ad ſordida vlcera largè,ad pura parcè adhibe , & hapſum lanæ è vino expreſſum ſuperimpone.Hoc & chironia vlcera appellata ad cicatricẽ ducit. Aliud,quod etiã callos exterit. Chalcitidis crudæ,ſpumæ argenti,ladani,ſing.drach.X.bituminis drach. VIII.ceræ drach.II.olei myrtei lib.I.vini heminam I. Vſu expetente ſplenium ex eo imponito, & linamenta eo tincta indito. Aliud Andromachi: Spumæ argenti drach. XXXII.atramenti ſutorii drach.VIII. aluminis ſciſſi drach. XII.ceræ drach.C.ſquamæ æris drach.VIII.bituminis, ladani,ſing.drach.XXXII.olei myrtei lib.I. & quadrantem, vini veteris adſtringentis quantum ſatis:vtere velut prædicto. Aliud. Bituminis,ladani,ſing.drach.VIII.ſquamæ æris,myrti,ſpumæ argenti,ſing.drach. IIII. ceræ drachm. XXIIII. olei myrtei drach. XXX. & ſi hyems fuerit,drach. XXXVI. Vini quod ſatis eſt,præpara,&vtere velut dictũ eſt.

Emplaſtra quæ non maligna vlcera cicatrice includunt, Cap. XXXIX.

EMplaſtrum è Cadmia præparatum , roſaceo dilutum, repurgat vlcera, incarnátque,& cicatrices concolores cuti efficit:pernionibus item,fiſſuris,& ani affectionibus medetur.habet autem hoc modo: Chalcitidis vſtæ lib. II.cadmiæ vſtæ & vino extinctæ lib.I.ceræ trientem,terebinthinæ libr.II. olei myrtei libr .III. chalcitidem & cadmiam cum vino ſufficiẽti diluito ac cõterito,& reliqua liquata admiſceto,ac vtitor. Aliud. Cadmiæ,chalcitidis vſtæ,ſing.drach.XXV.ceræ drach.XLVIII.terebinthinæ drach.XXIIII.olei myrtei lib.I.vini quod ſatis eſt,præpara,& vtere. Aliud ad cicatrices inducendas efficaciſſimum.Facit & ad igne ambuſta mirificé: Ceruſſæ,ſpumæ argenti,ordei vſti,ſing.vnc.I.ceræ quadrantem,roſacei aut myrtei olei beſſem. ceruſſam & argenti ſpumam cum vino terito:ceram verò cum oleo liquefacito,& ad medicamentum ab igne ablatum, hordeum vſtum tritũ ac cribratum iniicito atque vnito:& omnia frigefacta in mortarium coniecta ſubigito,ac vtitor. Aliud è ladano, vlcera antiqua ad cicatricem perducens. Spumæ argenti drach.C.picis drach.L.ladani drachm.XXV.æruginis dr. VIII.æris vſti drach.VIII.ſquamæ æris drach.II. olei myrtei lib.VI. Argenti ſpumam cum oleo coquito , & medio cocturæ tempore,æruginem, ſquamam, & æs adiicito,& coquito donec non amplius inquinent . & poſtea picem liquefactam ac excolatam coctis admiſceto.His verò vnitis & amplius non inquinantibus, ac ab igne amotis, depoſito iam feruore,ladanum cum vino tritum addito,& perfrigerata in mortarium coniecta probè ſubigito,& ad maligna vlcera ac fiſtulas vtitor. Aliud. Cadmiæ, chalcitidis,ſingulorum trientem,ceræ,colophoniæ, olei myrtei,ſing.vnc.I.vini quantum ſatis eſt. Aliud. Æris vſti & crudi,ſingul.ſextantem,cadmiæ ſeſcuncẽ, chalcitidis vſtæ ſeſquilibram,ceræ lib.I.olei myrtei lib.II.vini quod ſatis eſt. Aliud emplaſtrum candidum , ad cicatricem perducens experimento conſtans,faciens ad tenera corpora,velut ſunt mulierum, eunuchorum ac puerorum. conuenit etiam vlceribus ſpontaneis. Spumæ argenti libram vnam & trientem, ceruſſæ libram vnam, ceræ lib.I.& trientẽ,thuris & mannæ eius,ſing.quincũcẽ,

terebin

A terebinthinæ vnc.i.aquæ lib.i. olei myrtei lib.ii. ceruſſẽ & argenti ſpumam in aqua coquito, & conſumpta aqua ac medicamento non amplius inquinãte, cerã primùm, deinde reſinam addito, & ablato ab igne pharmaco thus ac mannam ſiue pollinem eius admiſceto.

De malignis & ægrè recipientibus cicatricem vlceribus. Cap. XL.

QVemadmodum antea diximus, duplex ſcopus propoſitus eſt in curatione partium quibus nullus deprauatus habitus ineſt: alter repellẽdi quod influit, alter diſcu B tiẽdi quod in affecta parte impactũ eſt. atque hæc à cõtrariis qualitatibus fiunt: nam quæcunque aſtringunt, repellere poſſunt quod influit: quæ verò attrahunt, diſcutiunt id quod in affecto loco continetur. Adſtringentia itaque exaſperant, & ob id dolorem inducunt: attrahentia verò & diſcutiẽtia quum acria ſint, loca vlcerata mordẽt. Quare contingit vt ex iis quæ exaſperant & mordent, ſuperflua humiditas ad affectas partes illabatur, quam inflammatio & eroſio vlceris conſequuntur. Cæterùm eius meminiſſe oportet, quod ſæpe à nobis dictum eſt, quòd cor C pora plena ſanguine, aut vitioſis humorib⁹ referta, & mollia ac ſubtili ſenſu prædita, ex mordacitate facilè inflammantur. Mulieres autẽ & pueri & eunuchi, itémque viri colore albidi & mulieroſam vitã degẽtes, inter molles naturas numerãtur: proinde quãtũ ei⁹ fieri poteſt medicamẽtorũ materia perueſtigãda eſt quæ citra mordacitatem ac dolorem vlcus reſiccet, quam ſanè nunquam inueniet medicus, niſi quid ſingula medicamenta adhibita peregerint, rectè expenderit. Itaque conſiderabit quantum humiditatis primum pharmacum ab vlcere deſiccauit, D aut ſi ſordidum eſt, quantum ſordium deterſit, idque tertiùm ac quartùm experietur, donec purum ac ſiccum vlcus apparuerit. quod vbi deprehendet, ad aliud medicamentum, eiuſdem quidem generis cum priore, ſed debilius, ſe conuertet: fortiora enim repurgatis iam vlceribus morſum ac dolorem inferunt, & influxiones ac inflammationes pariunt: talia igitur corpora exactè euacuare, & à ſuperfluitatibus aſſeruare oportet. Aliis itaque ſanguis ſi redundet, detrahendus eſt: aliis purgatio vitioſi humoris & ſimul venæ ſectio conuenit: quibuſ- E dam varicem excidere ex vlcere oportet: aliquibus iecur aut ſplenem curandum aſſumimus. Neque verò malignis crurium aut ſurarum vlceribus ea curatio debetur, ſed manuum quoque ac reliquarum corporis partium. nam cuidam adoleſcenti diuturnum vlcus ad radicem manus habenti, venam ad vlcus ſupernè allatam excidi, atque intra paucos dies hominem ſanaui qui per quinquennium ea affectione laborauerat. Sunt quibus loca vlceri vicina ſcarificare oportet: quibuſdam verò labia vlceris calloſa circumcidere. Si verò nihil ex his fecerimus, humiditatis F ac ſordium quantitatem conſiderabimus, & inde ad cõgruum medicamentũ tranſibimus, ita vt diligenter expẽdamus quæ ſiccandi quidem vim habent, non autem extergendi: & quæ contrà extergent, non autem fortiter ſiccant. ſúntque in hoc etiam qualitatis ſingulorum gradus expendendi. Medicamentum cicatricem inducens: Plumbi vſti ſeſcuncem, cadmiæ trientẽ, æris ſextantẽ, colophoniæ, olei myrtei, ſing. lib.ii. vini veteris odorati quãtũ ſatis eſt. Aliud. Cadmiæ, ceruſſæ, ſing. trientẽ, ceræ, olei myrtei, ſing. ſeſcuncẽ. Aliud. Cadmiæ, ſpumæ ar- G genti, ceruſſæ, ſing. vnc.i. ceræ trientẽ, roſacei ſeſcuncem. Aliud è ladano. Squamæ æris vnc.i. bituminis, terebinthinæ ſing. drach.iiii. ceræ, ladani, ſing. quadrantem, olei myrtei quadrantem: at ſi hyems fuerit, amplius de oleo accipies. Ceram cũ oleo & bitumine liquefacito, & terebinthinam adiicito, deinde omnia ad ſquamam ac ladanum prius trita admiſceto.

Simplicia medicamenta quæ citra mordacitatem reſiccant vlcera maligna, Cap. XLI.

SImplicia porrò medicamenta ſine mordacitate & manifeſta exaſperatione reſiccantia vlcera, hæc ſunt: Lẽnia H terra ſigillum appellata, moderatè reſiccat. Cadmia item ſub caniculæ æſtu cum vino trita ac ſiccata: vbi verò vlcera valde ſunt maligna, ex aceto terenda eſt. Vtranque ſuperat chalcitis vſta, & velut cadmia trita ac reſiccata,

A nã cruda adeo efficax eſt vt etiam cruſtas inurat. Huic ſimilis eſt ærugo vſta: nõ vſta enim ſicut & chalcitis nimis efficax eſt, niſi quòd chalcitis ſimul adſtringit. Atramẽtum ſutoriũ inter omnia metalla ſummè reſiccat. Chalcitidi ſimilia ſunt miſy & ſory, maioris tantũ ac minoris ratione differentia. Stibiũ magis quàm ſory ſiccat & adſtringit. Diphryges cõmodè ſiccat: ſed aliquantulum mordax eſt. Omnia aluminis genera exactè ſiccandi vim habent, vehementerque adſtringunt: quapropter alumen ſolum B per ſe ad huiuſmodi vſus adhibetur. Chryſocolla naturalis & artificialis eandem vim habent. Plumbum vſtum ſori ac ſtibio præſtat. Plumbi recrementum, & ſquama ferri, præſertim ſtomomatis, plurimũ ſiccant. Æris ſquama præter reſiccandi vim, etiam exterget: quare vlcera præ omnibus repurgat. Omnia tamẽ metalla prius lauare oportet, deinde vlceribus admouere: ita enim mirificè ſiccare citra mordacitatẽ poſſunt. Siccant etiã buccinorũ, purpurarũ, oſtreorúmque teſtæ vſtæ ac lotæ. Item tranſlucidus lapis ſpecularis, mollia corpora citra mordacitatem C ſiccat. Idem facit nitrum vſtum, & quod in æneis lebetibus balneorum adhæreſceus ex aquæ coctura reperitur: æquè enim ſiccat & adſtringit. Præterea gallæ & malicorium vſta ac arida trita adhibita, malignis & ægrè recipientibus cicatricẽ vlceribus cõmodiſſima ſunt. Quin & capparis cortex tritus & ſiccus inſperſus, maligno ac putrido vlceri cõmodus eſt. Polium item tenuè ſiccãdi vim habet, & caries lignorum, vnà cum exterſoria facultate. Item peucedani & paſtinacæ, præſertim agreſtis, radix & folia. ſcordiũ quoque ac centaurea, & alia huiuſcemodi, D vel priuatim per ſe vel ſimul compoſita.

De vſu relatorum medicamentorum, Cap. XLII.

NEceſſariò verò talia vlcera vitioſo humore referta, ſordidiſſima exiſtunt. quare vbi aliquod ex relatis ſimplex aut cõpoſitum ſiccum adhibituri ſumus, linteolo prius molli, puro ac ſicco vlcus extergemus, deinde medicamento cauitatem explemus, & extrinſecus ſplenium ad vlcerum labia attenuanda imponimus. Et linteolo ſupra ſplenium impoſito ac ligato, ſpongiam ex frigida aut E vino expreſſam adhibemus, conamúrque vt per totum tempus ſpongia frigida permaneat: quod facilè cõtinget, ſi aſſiduè illi frigida inſtilletur, citra vinculi linteoli ſiue faſciæ obligatæ ſolutionem.

De ligamenti & curationis ratione, Cap. XLIII.

LIgamentum vlceri conuenit quod ad fracturas vſurpamus. Quòd ſi vnum tantùm fuerit ligamentum, principio ipſius ad ſuperiorẽ vlceris partẽ locato obligabimus, ſiue ſura, ſiue genu, ſiue talus, ſiue cubitus, fuerit F pars ipſa affecta. At ſi duobus ligamentis vti malueris, velut in fracturis fieri ſolet, primum ab vlcere ad ſuperiorem regionẽ ducatur: ſecundum verò, initiũ ſumat ab vlcere, & prius infrà obligetur, & poſtea ſurſum deſinat, & ad eundẽ terminũ cum primo ducatur: nam ad alia cõmoda etiã hoc accedet, quòd vlcera ob rotũditatẽ coaleſcere nequeuntia oblõga reddẽtur. Solutio autẽ nõ quotidie ſed alternis fiat: & à ſolutione aqua vlceri ne aſpergatur, ſed cum molli puro ac ſicco linteolo ſanies detergatur. Quòd ſi partes vlceri vicinæ inflãmatæ appareant, G ſplenio latiore facto liquidũ medicamẽtum illines, quale eſt phœnicinum emplaſtrũ aut aliquod ſimile: ita vt hoc diſſoluas vino adſtringente, ſitque oleum quod adiicitur, melinũ aut myrteũ. At ſi durities circa vicinas vlceri partes apparuerit, emplaſtrũ phœnicinum oleo antiquo aut cicino diſſolues. Tutiúſq; fuerit ſuperiori regioni aliquod repellendi vi præditũ adhibere, præſertim in crurũ vlceribus, & iis quæ eminentem varicem habent. Vena verò quæ amplior fuerit, & atræ bilis ſanguinem habuerit, excidenda eſt velut diximus. Aliquando tamen eiuſmodi vena exciſa, vlcus quidem protinus coaleſcit ac ſanum H euadit: ſed qua parte vena reciſa eſt, nouum malignum ſuccedit, quod cicatricem reſpuit. Præſtat igitur in talibus vires ægri perpendere, & à venæ ſectione auſpicari, deinde pharmaco atræ bilis ac pituitæ humorem educente purgare: nam & pituita aliquando ad huiuſmodi

varices confluit:atque tunc varicoſam venam reſecare, multáque ſanguinis copia hinc educta varicis ſectionem prius curare:quæ vbi exactè coaluit,tunc demum maligni vlceris curationem aggredi eo quē retulimus modo. Aluus porrò lactis ſero in quo cnicus coctus eſt, aceti mulſi modica mēſura addita,aſſiduè emollienda eſt. Dabis autem ex eo,ab hemina vna vſque ad quinque mēſurā augens,ſic tamen vt æger per multos antea dies aquā biberit. Optimum item eſt & lac recèns mulctum per ſe, vel cum aqua calida aut modico paſſo,ante cibum ſumptum. nam & humores contemperat,&vētrem eluit. Cōfert etiā aloes dr.I. per interualla deuorata. Balnea verò minimè dulcia,ſed ſulphurea potius & bituminoſa adhibenda ſunt. Quòd ſi æger illotus manere non poſſit citra totius corporis læſionem, lauandus eſt vlcere nequaquā denudato. Poſtremùm ab omnibus eduliis ac potibus acribus & ægrè concoctilibus,ac vitioſos humores generantibus penitus abſtinere oportet.

De emplaſtrorum compoſitione ad maligna vlcera, Cap. XLIIII.

QVandoquidem in malignis vlceribus quæ difficulter cicatricem recipiunt,is ſcopus nobis propoſitus eſt vt medicamento non mordaci reſiccemus: & oleum ac aqua maximè omnium humectant, ab vtriſque penitus cauere oportet,ipſáque neq; per ſe adhibere,neque cū relatis ſiccis permiſcere. Cera igitur recens pinguis & in ſole ſubacta ac mollita,idonea eſt ad ſicca medicamenta excipienda. Quòd ſi caloris ex ſole copia non detur, cerā prope ignem molliemus,vel in feruentem aquam iniiciemus:neq; enim illi omnino admiſcetur aqua. at verò proportio miſcendi,huiuſmodi eſt,vt ſi moderatum pharmacum eſſe volueris, metallicorum quartā partem ceræ miſceas: ſi validius,tertiā. Neque verò parua varietas eſt pro corporum ratione, ánne molliores aut duriores habeant carnes. quare fieri non poteſt vt omnibus idem medicamentum conueniat:itaque his conſideratis,vbi ſimpliciū facultates cognoueris, facilè iudicare poteris vniuſcuiuſque compoſiti medicamenti facultatem, prout ab antiquis ſunt deſcripta. Emplaſtrum admirandum è ſori, cicatricem inducens, deploratis vlceribus opitulans quæ à multis fruſtra fuerunt tentata,cui fidendum eſt velut multo experimento cognito. Soreos drach. XXIIII. gallarum drach. XXXII. aluminis ſciſſi,calcis viuæ,malicorii,ſingul. drach. XVI. thuris drach. XXXII. ceræ drach. CXX. adipis vitulini drach. CLX. olei antiqui lib. I. & ſi vitulinus adeps nō affuerit,porcinus antiquus ſine ſale admiſceatur:nam taurinus calidior eſt. arida terito & cribrato: deinde liquata ab igne remota admiſceto:& omnibus probè vnitis, alumen,thus,ſory,calcem,cum vino adſtringente trita adiicito,ac vtitor. Ego,inquit Galenus,dum hoc medicamētum præpararem,oleum & adipem quadraginta annorū adieci, & ſemper mihi præter ſpem ſucceſſit ad maligna ac diuturna vlcera. ſunt autē talia vlcera,à quibus pars affecta in deprauatum habitum perducta adeo eſt,vt etiāſi probè coctus ſit ſanguis qui ad ipſam alimēti gratia affertur,ipſum trāſmutet ac corrūpat: & ſi vitioſus ſit humor qui affluit, ab ipſo ſolo erodatur,etiāſi pars ipſa minimè eſſet affecta. Aliud ſplenium optimum. Plumbi vſti & loti trientem,cadmiæ ſeſquiunc. æris vſti vnc. I. thuris ſeſquiunc. aluminis ſciſſi vnc. I. æruginis ſextant. ceræ ſeſcuncem,olei myrtei lib. I. Aliud Galeni ad maligna & chironia. Ceræ,picis,bituminis,ſing. lib I. mannæ thuris,ceruſſæ,æruginis,ſingulorum ſeſcuncem, malicorii, gallarum,ſpinæ Ægyptiæ fructus,iridis, ariſtolochiæ rotundæ,atramenti ſutorii ,ſingulorum vnc. I. ariſtolochiæ lōgæ,æris vſti,ſing. ſextautē. Olei antiqui aut cicini lib. I. arida in aceto pluribus diebus terito,& liquabilia liquata affundito,ac vtitor. Aliud Oribaſii,ad efferata vlcera deprimenda ac contrahenda. Ochra Attica vſta trita ſicca, vtiliter adhibetur. Ego verò,inquit,etiā Cypria vſus ſum. Idem facit &chamæleontis nigri radix,& malicorium vſtum. & ſupernè hapſus lanæ vino imbutus illigatur. Aliud Galeni fuluum. Spumæ argēti lib. III. olei cicini aut antiqui lib. III. aceti acerrimi lib. II. ſquamæ æris,chalcitidis,æruginis, ſingul. ſextantem. Spumam argenti cum o-

A leo coquito, medióque coctura tempore metallica ad æſtiuum ſolem multis diebus cum aceto trita adiicito,tam diúque ad ignem ſinito donec non inquinarint. quū autem metallica adiicis,lebes ab igne tollatur, ne efferueſcāt & ſuperfundantur. Sed & ſpumam argēti cū aceto & oleo decoquere licet. & medio cocturæ tempore metallica addere,& ſimul ſinere vt ebulliant donec non amplius inquinent. Hoc pharmacum fiſtulas glutinat,&labia vlcerum calloſa reſiccans vnit ac committit , ita vt non amplius diſparentur ſiquis recta diæta vtatur. diuturna B inſuper vlcera & cicatricem reſpuentia,chironia appellata,per ſe adhibitum,nullo antea puris eueſtigio apparente maturat & ſuppurat:at non quotidie, ſed alternis hoc ſoluendum eſt. quòd ſi ſtomomatis ferri ſquamam addideris, longè præſtantius pharmacum euadet. Ego dum hoc præparabam,aliquando etiam diphrygis vnc. I. adieci,aliquando chryſocollæ ſextantem,ſæpe etiam vtrunq; admiſcui. atque ita præparatum magna vulnera glutinat. hactenus Galenus. Nūc verò hoc modo cōficitur: Spumæ argenti lib. III. olei antiqui libr. VI. aceti libr. II. æruginis, C ſquamæ æris,chalcitidis,ſing. quadrantem,coquito ſicut dictum eſt. Quidā diphrygis vnc. I. addūt,aſſerúntque efficaciſſimè ſtrumas diſcutere. Aliud Galeni, ad chironia vlcera in mollibus corporibus. Ceræ lib. I. ceruſſæ beſſē,roſacei lib. I. ſalis ammoniaci triētē, ſquamæ æris ſextātē, thuris, aluminis,æruginis,malicorii,calcis viuæ,ſing. vnc. I. quæ liquari poſſunt,liquata ac refrigefacta ad ſicca cū vino trita miſceto. Aliud ad maligna & ſerpendo depaſcentia vlcera,præſertim tibiarū. Spumæ argenti,maſtiches,adipis caprini,roſacei,ſing. ſeſcūcē,ouorū vitellos D V. argenti ſpumā cum roſaceo & adipe coquito: deinde maſtichen adiicito,& ad frigefacta ouorū vitellos admiſceto. Aliud ad maligna tibiarū vlcera experimento cognitum. Lupinos aridos vſtos tritos largè inſpergito, & hapſum lanæ ex vino expreſſum ſuperligato. Hoc expurgat,incarnat,& ad cicatricem perducit.

De vlceribus quæ poſt obductam cicatricem rurſus rumpuntur, Cap. XLV.

QVædam vlcera poſt receptā cicatricē non multo tēpore interpoſito inflammantur ac refringuntur. Nā E quum ſubſtratum os malè ſit affectum,vicina quidem caro cicatricem recipit,& exactè ſana apparet:verùm poſtea ſanie paulatim ex corrupto in alto oſſe affluente putreſcit, & oborta inflāmatione cicatrix rūpitur. Quæ igitur horum curatio inſtituenda eſt?nimirum vt hactenus exſiccemus quatenus ſquama affecti oſſis excidat. facilè verò excident oſſium ſquamæ ſi papaueris ſylueſtris & fici folia cum vino & polenta impoſueris : aut hyoſcyami & atramenti ſutorii pares portiones adhibueris. ſed & peucedani radix trita citiſſimè oſſium ſquamas diſparat. Vtere F etiā ſiccis capitalibus ſuprà deſcriptis:præſertim eo quod ſilphiū recipit. Aliud ſiccū,ad chironia & cicatricē reſpuentia vlcera mirificū: Squamæ æris,thuris,ſingulorum ſextantem,aluminis,ſalis ammoniaci,ſing. trientem,malicorii,ceruſſæ,ſing. vnc. I. vtere ſicco:vel ſi malueris,cum cerato. Aliud. Pumicis multifori ſeſcuncem , ſulphuris viui vnc. I terito & cribrato,ac vtitor. facit & pumex per ſe aridus tritus inſperſus. Aliud ad cicatricem inducendā diuturnis tibiarum ac totius corporis vlceribus: Calcis viuæ ac lotæ in aqua & ſiccatæ,vnc. I. Cimoliæ G tantundē,ceræ,terebinthinæ liquidæ, ſing. ſextantem, olei myrtei aut roſacei quadrantem. poteris & oſtreorū vſtorum tritorum vnc. I. addere. Ad ſicca in mortario cum vino trita quæ liquari poſſunt liquata admiſceto ac vnito. Hoc,itémque reliqua omnia relata, & præcipuè quod è ſory ſit,chironiis ac malignis vlceribus medētur. Eiſdē quoque priuatim cōmodant,capparis radix trita inſperſa, centaurea minor,ſcordium,caries lignorum veterū,paſtinacæ radix,peucedani radix, malicorium, oleum in quo ſquillæ bulbus coctus eſt,abſque linamentis cum penna H illitum. malicorium in vino coctum & roſaceo cerato exceptū:omnium verò efficaciſſima eſt theriaca Andromachi è viperis roſaceo modico diluta, & emplaſtri modo appoſita. Aliud. Sandaracham tenuiſſimè tritam vrſino adipe exceptā imponito : aut ammoniacū ſalē eodē

modo præparatum,vel per ſe adhibeto.

Ad extremitatum vlcera, Cap. XLVI.

MYrti baccas cum vino coctas impone:vel peucedani radicem tritam: vel lignorum veterum cariem inſperge:aut braſſicæ vel ſabinæ folia cum fœnigræci farina & aceto ſubacta impone:aut ſideritidem melle exceptam adhibe: aut oleum in quo ſquilla cocta eſt abſque linamentis cum penna illine: ita enim ne muſca quidem vlceri appropinquabit.

Ad callos extremarum partium, Cap. XLVII.

BRaſſicæ folia cum melle terito, & cerato ex ſinopica rubrica præparato, excipito, & adhibeto. Aliud. Clibani antiqui teſtam cum vino auſtero terito, & cum cerato ex ouis facto,aut cum medicamento ex pompholyge ad ſedis affectiones parato,adhibeto.

Ad vermes in vlceribus, Cap. XLVIII.

VErmes in vlceribus generatos enecant,plantago ſicca,ligni ficulni cinis, calaminthæ ſuccus aſſiduè inſtillatus.Ceruſſæ (inquit Theodorus)& polii pares portiones cum pice liquida adhibe. quidam pro ceruſſa abſinthium ſcribunt. Aliud. Linamentum ex ſaliua hominis ieiuni illitum adhibeto. hoc etiam aurium vermes necat,& cicatrices concolores facit.

Ad nomas & putredines vlcerum, Cap. XLIX.

NOmæ,hoc eſt proſerpendo depaſcentia ac putrida vlcera appellãtur, quæ vicinas partes erodunt & putrefaciunt.Et ſanè vehementiſſimis medicamentis opus habent,& ſæpiſſime vſtiones requirunt. Siccum optimum, faciens ad nomas, putredines, polypos, verrucas thymos & formicarias appellatas,hæmorrhoidas,citra omnem mordacitatem. Miſyos crudi,chalcitidis crudæ, ſingul.drach.VIII.ochræ drach.III. ſandarachæ drachm. IIII.chalcis viuæ drach.II.ſquamæ æris, aluminis,ſingul. drach.II.diphrygis drach.IIII.vnito ac vtitor.

Sicca cruſtam inducentia,inter quæ etiam paſtilli multi vſus, Cap. L.

MElinum cruſtas inducẽs & callos exterẽs, inſperſum, ſiue cũ ſpecilli nucleo adhibitũ, & leuiter ſaltẽ vlceris ſuperficiei inductũ vt inde coloretur modò,vlcera cõmittit ac ſanat quæ ægrè curantur. Chalcitidis crudæ dr. VIII.cadmiæ drach.III. ieiuni hominis ſaliua excipito ac ſubigito,& in mortario operta mali cydonii colorem aſſumere ſinito,& cum piſtillo leuiter trita in vmbra aſſiccato. alii tamen aliter præparant,& à colore quem acquirit,fuſcum appellant.Sumũt enim chalcitidis drach. XII. cadmiæ drach.VIII. & ad caniculæ æſtum cum aceto terunt,atque ita in vmbra ſiccant. Aliud ſiccum,quod item ad ſolis feruorem paratur,& melinũ colorẽ habet. Calcis viuæ ſextantẽ,auripigmenti vnc.I.auripigmẽtũ cũ aqua terito,& calcẽ addito,ac ſimul probè conterito:deinde in mortariũ aqua plenum coniicito vt ſubſideant,& vbi ſubſederint,priore aqua diffuſa,nouã affũdito,ac diu verſato,& rurſus ſubſidere ſinito.quo facto rurſus priore aqua diffuſa,nouã affundito, atque idem tertiò repetito. poſtremũ vaſe aqua repleto ſinito, ac ſingulis diebus verſato donec areſiat, & conſumpta aqua aliã affundito. atque hoc per dies XL.ſub caniculæ æſtu facito: & tandem pharmacũ ſiccatum in fictili vaſe in ſuperiore parte domus nõ humida ſeruato. Hoc citra mordacitatem cruſtas inducit &valde deprimit.Facit & ad gingiuas putridas,& epulidũ eminentias deprimit.dentes inalbat.Poteſt quoque in mortario ſubactum in fictile tranſferri,atque inſolari. Vtere Fauſtini quoque paſtillo ac reliquis eiuſmodi ad dyſenteriam deſcriptis. Aliud ad totius corporis putredines & nomas. Calcis viuæ,chalcitidis,ſingulorũ drachm.II.auripigmenti drach.I.Hoc ad reduuias digitorum,& ad putredines adhibetur, partibus putridis ex eo inſperſis. Facit & ad carbunculos ſplenio reſinato exceptum. confert fiſtulis melle exceptum cocto, & velut collyrium inditum. Oribaſii ad pudendorum nomas, præſertim meliceridas dictas. Gallarum, floris mali Punici ſatiui itémque ſylueſtris, ariſtolochiæ rotundæ, ſquamæ æris, chalcitidis crudæ, ſingul. drachm. VIII.atramenti ſutorii drach.VII.aluminis ſciſſi drach.IIII.

A malicorii drach. I.adhibetur pudendo cum melle, quẽadmodum id quod ex charta præparatur.Facit ad nomas valde profundas: ſicut etiam paſtillus Andronis. Cæterùm medicamentum ex charta hoc eſt: Squamæ æris, chartæ vſtæ, ſingulorum drachmas XXIIII.auripigmenti,ſulphuris viui,ſingul.drach.XII.(vel vt alii habẽt XIIII.) plumbi vſti drach. quatuor:(alii drach. ſex) charta primũ teritur,deinde metallica læuiſſimè trita admiſcentur. Facit ad oris ac totius corporis putredines, ad humidiores quidem,ſiccum inſperſum:ad ſicciores,roſaceo imbu-
B tum.Additur aliquando & mellis modicũ: ego verò plũbi drach.ſex adiicio. Siccum ad antiquas nomas,& ad gingiuas cruentas. deprimit etiam carnem excreſcẽtem. Chalcitidis vſtæ drach.XL.miſyos drach.XXX. æris vſti drach.X.atramenti ſutorii drach.VIII. ſandarachæ drach. quinque,auripigmenti drach.II.vnito ac vtitor. Aliud experimento cõſtans. Rhois culinarii drach.X. ſquamæ æris,aloes,foliorũ oleaſtri ſiccorũ,ſing.drach.octo,chalcitidis drach.V.auripigmẽti, ſandarachæ,aluminis ſciſſi, ſalis toſti,ſing.drach.IIII. malicorii ſicci drach. ſex, chry-
C ſocollæ factitiæ drach. IIII. ruſci ſicci drach. VIII. trita vnito,ac vtitor. Aliud ad nomas & putredines,Oribaſii. Salis foſſilis drach.II. aluminis in fictili vſti vnc.I. ſquamæ æris,pumicis vſti,ſing. vnc.I. Aliud eiuſdem. Auripigmẽti,ſquamæ æris,miſyos, chalcitidis,portiones æquas præpara,& vtere. Aliud Paſiphilum vocatum. Atramenti ſutorii,ſandarachæ,miſyos, chalcitidis pares portiones cõmittito. Siccum aureum appellatum. Aufert oſſa,reprimit influxiones,fiſtularum callos exterit,& contrahit ſinus.in fiſtularũ autẽ & ſinuum cõcauitates per
D ſpecillum lana obuolutum inditur. Melanteriæ à vetuſtis clauis deraſæ drach.V.malicorii drach.XXV. aluminis ſciſſi drach.III. atramenti ſutorii,miſyos,chalcitidis,æris vſti,ſing.drach.octo,ſquamæ æris drach.XVI.gallarũ drachmas XV.aceti quãtum ſatis eſt.Oportet autẽ aceto in vas æneum cõiecto clauos quotidie agitare,& deinde acetũ excolare.lõgè verò præſtat quod in fundo reſidet. Aliud ſiccum. Ad nomas,defluxus,gingiuas,columnellas & pudenda. Ochræ ſeſquilibrã,croci lib.I.putaminũ ouorũ
E vſtorum ſeſcuncem,gallarũ ſeſcuncem: tritis vtere. gallæ autẽ ſint omphacitides. Paſtillus ad nomas commodus. Sabinæ,myrrhæ,ſing.drach.III. ſoreos, miſyos Cyprii,atramẽti ſutorii,thuris,aloes,ſing.drach.II. terito cũ vino,& formato paſtillos. Paſtillus ad nomas & putredines: quo vtor,inquit Oribaſius.appellatur Aſclepius ſiue Æſculapius,& Cyriacus,*hoc eſt dominicus*.Gallarũ drach. octo,florũ mali Punici,ariſtolochiæ rotundæ, chalcitidis crudæ,cadmiæ,ſing.drach .ſex,iridis, ſquamæ æris, ſing. drach.quatuor,miſyos crudi,atramenti ſutorii, aluminis
F ſciſſi,thuris,nitri,ſing.drach.III. Terito cũ aceto ad dies ſufficientes,& paſtillos XX.formato: eóſque vſus tempore aceto mulſo diſſolutos cerato excipito, hoc modo vtens:

Accipe paſtillorum trientem,ceræ quadrantem, olei myrtei ſeſcuncem, galbani trientem: & paſtillis aceto diſſolutis,ac tritis liquata admiſceto. Atque hoc quidem modo præparantur ad ignem ſacrum, panos & condylomata: ad ozænas verò,carbunculos, & carnis excreſcẽtias, paſtilli ſicci inſpergũtur, vel aceto mulſo triti ac diſſoluti. Paſtillus Corax,*id eſt coruus* appellatus. Ad putridorũ vlcerũ,præſertim pudendorũ,nomas. Gallarũ ſe-
G xtãtẽ,ſquamæ æris ſeſquiunciã, chalcitidis crudæ, thuris, ſingulorũ quadrantẽ,ceræ trientẽ,terebinthinæ vnc.I.adipis taurini beſſem,olei myrtei dextantẽ.Arida cum aceto in ſole ad ſufficientes dies terito,& mellis ſeſcuncem adiicito,deinde cerato exceptis vtitor.Hic paſtillus citra admixtionem per ſe adhibitus, omnibus nomis, præſertim ſiccioribus,confert,& vbi nerui ſunt denudati.Cũ æquali verò cerati portione,ſordida vlcera exterget:cũ vberiore cerato cicatricem inducit.Ego(inquit Aſclepiades) ſic præparaui: Squamæ lib.I.gallarum,adipis taurini,ſing.
H dodrantẽ,chalcitidis,thuris, ſingulorũ ſeſcuncẽ,cũ aceto velut collyria tero,& paſtillos formo.Poſtea verò ex paſtillis drach.XXII.aceto tero, & mellis drach.X.addo, & cerato quod habet olei myrtei, adipis taurini,ſingulorum dodrantẽ,ceræ ſextãtem,terebinthinæ trientẽ excipio.

Paſtillus è croco. Myrrhæ, malicorii, æruginis, aluminis ſciſſi, ſingul. ſextantem, croci vnc. I. aloes, ſquamæ æris, thuris, ſingul. vnc. I. ſulphuris viui drach. IIII. mellis libram I. cum vino adſtringente terito. Facit ad nomas, putredines oris, & cuiuſcunq; loci. dentes motos firmat, vlcera marcida & flaccida repurgat & adſtrīgit: purulētas aures, ſinus, fiſtulas, & carbunculos curat, ſquamas oſſium reſoluit & incarnat. eſt enim valde cōmodus ad oſſa carne veſtienda. Confert etiam dyſentericis, & adhibetur vel aridus, vel hoc modo coctus: B Mellis lib. III. aceti lib. I. paſtilli ſextans, ſimul ebulliant ad mellis compagem: ſi verò partibus molli ſenſu præditis adhibendus eſt, vino tantùm diluitur. Paſtillus ex plantis inſcriptus: Malicorii, foliorum myrti ſiccorum, teſtarum nucum iuglandium ſiccarum, fructus ſpinæ, ſingul. drachm. VIII. gallarum drachm. IIII. ſalis foſſilis drach. VIII. omnia tunduntur, & cribrata aceto ſubiguntur, & in vas fictile mittuntur, ac aſſantur. deinde cum aceto teruntur, & adiiciūtur myrrhæ drach. IIII. thuris drach. II. & formantur paſtilli. vſus horum eſt cum aceto. C Paſtillus ex lanis ſuccidis quem Leonidas valde laudat: Lanæ ſuccidæ vſtæ, ramētorum plumbi, ſquamæ æris, bituminis, ſingul. drachm. X. aluminis ſciſſi & rotundi, gallarum, malicorii, miſyos, thuris, chalcitidis, ſingulorum drachm. V. myrrhæ drach. II. amurcæ ſeſquiheminam, terito cum aceto, & formato paſtillos, ac vtitor. Paſtillus Bithynus. Ad nomas, fiſtulas, reduuias digitorum. carnem excreſcentem citra mordacitatem deprimit: cum cerato autem facit ad ignem ſacrum & alia huiuſmodi. Malicorii, gallarum, ariſtolochiæ, chalcitidis, cadmiæ, ſing. drach. VI. D iridis, ſquamæ æris, ſing. drach. IIII. miſyos, atramenti ſutorii, aluminis ſciſſi, ſingul. drach. III. nitri, thuris, ſingul. dr. II. ſub canis æſtu cum aceto terito, & paſtillos formato. Paſtillus Paſionis. Squamæ æris drach. XII. æris vſti, ſalis ammoniaci, aluminis, æruginis, thuris, ſing. drach. VIII. Æruginē cum ære, ſquama & alumine ſub ſole terito, & ad probè trita thus addito, ſimúlque terito, ac paſtillos formato. vſus ex aceto. Polyidæ ſphragis ſiue ſigillum vt habet Aſclepiades. Aluminis ſciſſi drach. III. thuris dr. IIII. myrrhæ, aloes, fellis taurini, ſingul. dr. VIII. E floris mali Punici ſatiui drach. XII. atramenti ſutorii drach. III. excipe vino dulci, & vtere. Sigillum Coracinum. Facit ad tonſillarū inflāmationes, luxatā columnellā & gingiuas humore flaccidas. facit & ad nomas & affectiones ſedis. Ariſtolochiæ rotundæ, florum mali Punici ſatiui, chalcitidis toſtæ, thuris, myrrhæ, atramenti ſutorii, crocomagmatis, aloes, fellis taurini, æquales portiones paſſo excipe velut dictum eſt. Paſtillus Andronius. Ad vlcera fluida, inflāmatas columnellas, tōſillarum fluxiones, extrinſecus ſub mentum illitus. Facit & ad pterygia oculorum, & F glādularum circa inguina inflāmationes incipientes, & ad ruptos inteſtinorum abſceſſus: callóſque fiſtularum exterit.

Florum mali Punici ſatiui drach. X. gallarum, ariſtolochiæ ſingul. drach. VIII. aluminis ſciſſi, atramenti ſutorii, ſingulorum drach. IIII. (alii II. tantùm habent) myrrhæ, aloes, thuris, croci, ſingulor. dr. I. ſingula ſeorſim primùm, deinde ſimul terito, & in paſtillos redigito. Infunditur per clyſterem prout vires tolerarint, ad ruptos inteſtinorum abſceſſus, ſi febris adſit, cum aquæ cyathis VIII. ſi non, G cum vino. Paſtillus Antonii Muſæ. Aluminis ſciſſi, aloes, myrrhæ, florum mali Punici ſatiui, ſingul. drach. VI. atramenti ſutorii drachm. III. croci, crocomagmatis, ſingulorum drach. III. Terito è vino mulſo ex paſſo confecto, & paſtillos formato, quos in vmbra exſiccabis. Heras quidē & nos ita præparamus: Aſclepiades autem hunc ad Ariſtarchum Tharſenſem refert: & cætera quidem ſimili modo componit: verùm atramenti ſutorii drachm. VI. accipit, & cum vino falerno paſtillos formare iubet. Facit ad vlcera recentia ac vetera, putrida, marcida, efferata, phagedænica, ac fiſtuloſa, & quæ priuatim ceria appellantur. ad H ozænas diluitur cum vino. ad ſuppuratas aures cum ſapa & modico aceto. ad condylomata item cum ſapa. ad vlcera genarum carbunculoſa ac maligna, cum ſapa. ad carnis excreſcentias in naribus, ore, extremitatibus omnibus, vulua, pudendis: omnem eminentiam compe-

A ſcit, & digitorum reduuias tollit, vlcera caua replet, ſinus & fiſtulas melle dilutus ac cum lixiuio inſtillatus glutinat. idē ad oris vitia gargarizatur. quod ſi ſemel in mēſe fiat, neque dentes dolebunt, neque aliquid incōmodi ori accidet. Facit & ad teſtium ſacrum ignem, & articulorum inflammationes illitus. & ad hæc omnia vtitur eo Aſclepiades. Quòd ſi mollire diſcuteréque volueris, quadruplū ammoniaci miſcebis, & cum aceto ad mellis ſpiſſitudinem conteres, illinéſque & alligabis. Si verò em- B plaſtri formam malueris, quadruplum terebinthinæ admiſcebis, adiecto etiam oleo ſi durius pharmacum apparebit. mollit enim & cicatricem inducit ac glutinat. Idē paſtillus ſplenicis, hepaticis, ac dyſentericis confert, & viſcerum vlcera ſanat, & incipienti tabi auxiliatur. Dantur ex eo oboli tres cum familiari in ſingulis affectionibus potione. Per aliquot autē dies ducit vrinas loturæ carnis ſimiles. itaque ab eius vſu deſiſtendū non eſt ante ſanitatē reſtitutam. Vino quoque mulſo & mali Punici dulcis ſucco dilutꝰ, & cū pēna illitus, anginis medetur. verùm C interim dū illinitur nauſeā excitat, & vomitū prouocat. Cæterùm crocomagma quod in paſtillū recipitur, & quo ad capitis dolores vtimur, ita præparatur: Croci dr. C. myrrhæ troglodyticæ, roſarū recētiū reſectis vnguibus, amyli recentis, ſingulorum drach. C L. cū vino ad collyrii formam terito, & paſtillos formato. Porrò paſtillus ex ſolano halicacabo, ſuperius ad fiſſuras ac tubercula ſedis, deſcriptus eſt.

De ſanguinis eruptione, & quæ cruſtam inurant, Rufi, Cap. LI.

D QVandoquidem pleraque ex iis quæ ad ſanguinis eruptionem adhibemus ad nomas quoque vſurpari ſolēt, annectemus etiam de ſanguinis eruptione tractationem: ex ea enim præſens aliquādo periculū incurrimus, exhibétque ea res imperitis negotium turbationémque ac formidinem, vt ne medico quidem parua ſolicitudo impendeat. Primùm itaque noſſe oportet, arterias ad ſanguinis eruptionem magis quàm venas paratas eſſe. Perpetuò enim pulſant amplioréſque meatus ac ſolidiores tunicas habent, vt non facilè cedant. Sanguis quoque in ipſis E contentus, tenuior eſt & plurimo ſpiritu abundat. Quin & aliquando obducta cicatrice cutis, & arteriæ fiſſura non obturata, ſanguis ſub cutem exilit, & efficitur tumor, quē aneuriſma hoc eſt arteriæ dilatationem *Græci* appellant, Ab arteria igitur aut à vena ſanguis manat, vel oſculis ipſarum apertis, vel tunica diuiſa, vel per tranſudationem, vt ita dicam. Porrò tunica diuiditur, vel ex vulnere, vel ex contuſione, vel ruptione, vel eroſione. Oſcula verò aperiuntur, aut ob multitudinem confertim ad oſculum vaſis prorumpentem, aut propter acrem qua- F litatem extrinſecus allabentem, aut propter vaſis imbecillitatē. Trāſudatio verò aut perſultatio fit, tunica quidem rarefacta, ſanguine verò attenuato. poteſt tamē aliquādo etiam fieri paruarum venularum oſculis apertis. Si ergo ex vulnere, aut contuſione, aut caſu, aut clamore, ruptio cōtigit, cauſa iam præteriit. ſi verò ex multitudine, fieri poteſt vt adhuc nunc etiam vas amplius rumpatur, quum efficiens cauſa adhuc maneat. In huiuſmodi itaque affectione multitudo quamcitiſſimè euacuanda eſt: deinde ſanguis ſiſtendus, poſtremò vlcus curandum. In quibus G verò iā ceſſauit cauſa efficiēs, protinꝰ ſanguis ſiſtēdus eſt, & deinceps vlcus curandum. At quo modo ſanguinem ſiſtemus? nimirum vt ruptum adſtringamus ac obturemꝰ, & ſanguinem aliò diuertamus. Obturabuntur autem labia, vel digitis noſtris, ſi in ſuperficie vlcus fuerit: vel per deligationem, & per refrigerantium ac adſtringentium pharmacorum adhibitionem. Nonnūquam & grumis cōcreti ſanguinis vaſis oſcula occluduntur. Cæterùm ex iis quæ imponuntur, aliqua adſtringunt, aliqua meatus obducunt, aliqua cruſtas inurunt. Quæ itaque meatus obſtruūt ad ſanguinis eruptionem adhibita, citò occludunt: quæ H verò cruſtam inurūt, cruſta excidente vlcus cauū faciūt, & ſæpiſſimè excidētibus cruſtis, ſanguinis eruptio curatu difficillima ſequitur. quapropter eiuſmodi medicamētis non niſi cogēte neceſſitate vtemur, veluti ſi à putrida eroſione ſanguis erūpat. tūc enim omni putrido exciſo,

tutius eſt vel cauteriis mali radicem exurere,vel cruſtam
inurentia adhibere,præſertim in pudendorũ ac ſedis af-
fectionibus. Nam tales partes ob redundantem humidi-
tatem, & acrium recrementorũ tranſitum facillimè pu-
treſcunt. Proinde in eligendis medicamentis quæ cruſtã
inducunt,non tantùm caliditatẽ ſed etiam adſtrictionẽ
cõſiderabimus:talia verò ſunt,miſy,chalcitis, atramentũ
ſutorium. Quæ enim ex calce viua & auripigmento fiunt,
vehementiora quidem his ſunt,ſed cruſtæ inde inductæ
citò excidunt,eo quòd nulla adeſt ipſis adſtrictoria facul-
B tas: quæ verò ab adſtringentibus inducuntur cruſtæ,diu-
tius in corporibus perſiſtunt. quæ res non modicã cõmo
ditatem affert: priuſquam enim excidant, peruenit in-
carnatio,vt caro mediis partibus innata,tanquam opercu
lum quoddam vaſis fiat. Et hac de cauſa non feſtinandũ
eſt(velut multi faciunt)ad cruſtarum ablationem,vbi eru
ptionis ſanguinis periculum imminet: ſed in his tantùm
affectionibus in quibus ob putredinẽ cauteriũ adhibere
coacti fuimus. Vocatur autẽ huiuſmodi affectio Nome,
quoniã ab affectis partibus proſerpens, partes ſecundum
C naturam ſe habentes depaſcitur, & ſemper aliquã ipſarũ
vlterius inuadit. Medicus itaque his cõſiliis inſtructus,ad
ſanguinis eruptiones curandas accedet,pro locorũ natura
& venarum magnitudine remedia adhibendo. Et ſtatim
quidem digitis oſculum vlceris vaſis apprehendat,leni-
ter innitens ac citra dolorem comprimens. ſimul enim
& ſanguinem ſiſtet,& grumũ vulneri infiget. Quòd ſi vas
vnde ſanguis manat,in profundo etiã ſitum fuerit, exa-
ctius ſanè hinc & ſitum ipſius,& magnitudinem didice-
rit,& vtrum vena ſit an arteria cognoſcet. Poſtea verò im
D miſſo vncino extendat,ac moderatè ipſum obtorqueat. ſi
verò neq; ſic ſanguis ſiſtatur,ſi quidẽ vena fuerit,conãdũ
eſt vt citra vinculũ ſanguinẽ ſupprimat per aliquod ſan-
guinẽ ſiſtens medicamentũ. Optima autẽ ex his ſunt quæ
meatus obſtruunt,cõpoſita ex reſina fricta,& farinæ tri-
tici polline,ac gypſo,& aliis huius generis. Si verò arteria
fuerit, ex duobus alterũ faciens,aut vinculũ circundans,
aut totum vas præcidens ac diſſecans, ſanguinem ſiſtes.
Cogimur tamen aliquando etiam magnis venis vincu-
lum obligare, atque etiam aliquando totas ipſas diſſeca-
E re, tranſuerſas videlicet: quæ neceſſitas incumbet in iis
quæ rectæ ex alto ſurſum feruntur, & præſertim per an-
guſtiam aliquam aut principales partes. Sic enim vtra-
que pars vtrinque retrahitur,&ab incumbẽtibus corpori-
bus vulnus tegitur & occultatur. His autem peractis,incar
nãdum vulnus eſt priuſquam vinculum vaſis excidat. Ni-
ſi enim producta caro circumſitum diſſectæ arteriæ locũ
præmuniuerit, ſed vacuus locus inuentus fuerit,affectio
ſequetur quam aneuriſma appellant. Quapropter in his
potius ſuadeo vt ſanguinem ſiſtentibus,quæ meatus ob-
F ſtruunt,vtaris,quàm iis quæ cruſtam inurunt. citius enim
ac tutius poſt illa vulnus incarnatur. Optimum itaque o-
mnium quæ ego noui medicamentorum, quo etiam ad
ſanguinis è cerebri membranis eruptionem tutius vte-
mur hoc eſt. Thuris partes II. aloes partem I. cum oui cã-
dido ad mellis compagem ſubige,& molliſſimis leporis
pilis excepta,vaſi ac toti vlceri vbertim impone,& forin
ſecus faſcia ex linteo deliga, ita vt primas quatuor aut
quinque eius obuolutiones ſuper ipſum vas quod ſangui
nẽ fundit facias,& hinc ad radicem eius procedas: dein-
G de alternis diebus ſoluas:& ſi quidem adhuc tutò adhæ-
ſerit vlceri,medicamẽtum rurſus aliud ipſi circũfundas,
& linamentũ prius ex pilis leporis cõſtans velut prius ma
defacias,ac rurſus velut antea deliges. Si verò prius lina-
mentũ ſua ſponte exciderit,ſenſim per digitum vaſis radi
cem comprimas:& hoc quidem leniter adimas,aliud au-
tẽ apponas. Atque eo curationis ductu vteris donec vas
carne impletũ fuerit,ægro in multa quiete ſeruato. At ve
rò hoc medicamento variè vtimur aliquando duplũ thu
ris ad aloen addentes, aliquando ambo æquali pondere
H miſcẽtes. Sed & mannam quãdoque pro thure admiſcui,
vt quæ vehementius adſtringat. Illud porrò cõſtat,in duri
oribus corporibus ea quæ magis adſtringũt,& plus aloes
habẽt,adhibẽda eſſe:in mollib⁹,ea quæ plus thuris habẽt.
Sed & ad ſanguinis è cerebri mẽbranis eruptionem,& ad

A vulnera in collo vſq; ad ipſas iugulares venas,medicamẽ
to vtimur quod plurimũ thuris recipit. in his enim ſan-
guinẽ citra vinculũ ſiſtit. Et quãuis multa ſint quæ meat⁹
obſtruũt medicamẽta,nullũ tamẽ æquè incarnat. Opti-
mè etiã obſtruũt meatus pharmaca ex pice torrefacta, &
colophonia,& puluere molẽdini parietibus adhærẽte, &
gũmi,& tragacãtha ac ſimilibus: quandoque etiam ex gy
pſo præparata. & ſymphyti quoque radix ad hanc præſtã-
tiſſima eſt. Maximè conuenit vt medicus pharmaca ſan-
guini ſiſtendo idonea apud ſe præparata habeat, quò ſin-
B gulis opportunè opem ferat. tale eſt ſiccum Philagrii ad
ſanguinem ſiſtendum ex aloe & thure paratum. Primùm
autem digitis diſſectæ partes cõmittantur ac cõpriman-
tur donec cohæreant. tunc enim impactum medicamẽ-
tum ſanguinis impetũ cohibet: qui amplius adhuc ſup-
primetur, ſi leporis pilos molles ſub ventre repertos ad
impactum medicamentũ apponemus, & ex eodem ſicco
ſuperinſpergemus. atque hoc ita ſinendum eſt,donec ca
ro excreuerit velut operculum ſectioni obducta. Confert
ad idem Rhodiũ ſuprà inter deprimentia ac cõtrahentia
C relatum. Cæterùm quædã ex ſanguinem ſiſtẽtibus (velut
diximus) cruſtã inducunt, quædã cum ſiccitate adſtrin-
gunt,quædã explent & glutinãt, quorũ aliqua magis pa-
rabilia referemus,quò ad ſingulas cauſas peculiare medi-
camẽtum in prõptu habeatur. Ex iis igitur quæ cruſtam
inurunt, citra mordacitatẽ & efficaciter ſanguinẽ ſiſtit
hoc: Sandarachæ,auripigmenti,chalcitidis,calcis,ſing.
drach. IIII. hoc Ammonius chirurgus vtebatur. Eo verò
adhuc efficacius eſt quod habet, Chalcitidis drach. octo,
atramenti ſutorii drach. decem,calcis viuæ drach. VI. æris
D vſti drach. VI. miſyos,diphrygis,ſing. drach. V. Aliud ce-
lebre. Aluminis ſciſſi, atramenti ſutorii, gallarum,ſing.
drach. VI. miſyos drach. octo,ſoreos drach. IIII. hoc opti-
mè facit & ad nomas. Aliud ex Eretria terra. Terræ
Eretriæ aut Cimoliæ,drach. octo,ſquamæ æris,aluminis
ſciſſi,reſinæ aridæ,thuris,myrrhæ,ſing. drach. octo, aceti
quantum ſatis eſt. terito in ſole ad cõpagem, & paſtillos
formato. Aliud. Spongiã nouam liquida pice imbutã
bitumine trito inſperſo,in olla exurito: deinde eius ſe-
xtãtẽ accipito,chalcitidis,miſyos,ſing. vnc. I. At ſi mitius
E facere volueris,accipe ſpõgiæ ita vſtæ ſextantem,plumbi
vſti & loti vnc. I. ſtibii vnc. I. hoc cruſtã nõ inducit. A-
liud cõfeſtim ſiſtens ſanguinis eruptionem. Chalcitidis
drach. VIII. thuris ſiue mannæ eius drach. XVI. reſinæ ari-
dæ,gypſi recentis,ſing. drach. VIII. Cætera trita ac cribra-
ta in pyxide ærea ſeruato: gypſum verò quo tẽpore medi-
camento miſcendũ eſt,recẽs terito,& admiſceto. Aliud
ſanguinẽ ſiſtẽs,citra cruſtæ inuſtionem: Miſyos,ſucci po
lygoni ſicci,ſing. drach. XIII. aluminis ſciſſi drach. XXI. a-
ridum aceto rigatum ſpongia excipe, & vlceri appoſi-
F tum deliga. Aliud Oribaſii. facit ad pudendorum & to
tius corporis nomas: callos etiam exterit, & ſtrumas ſa-
nat. Minii cum oleo roſaceo ſubacti, ſulphuris viui,au-
ripigmenti,ſandarachæ,calcis viuæ, æquas portiones v-
nito,ac vtitor. Aliud. Optimum ad ſanguinis eru-
ptiones,Galeni. Gypſum & tritici pollinem oui cãdido
excipe, & cum leporis pilis impone. Aliud. Reſinam
pinus probè tritam vel per ſe, vel cum thuris polline ad-
hibe. Qui ergo plura medicamẽta expetit, multa in ſim-
plicium medicamẽtorum libris, & in tractatione de ſin-
G gularum partium morbis inueniet. ſed & quæ nunc re-
cenſui ſufficere poſſunt. Omnia enim alia ex iiſdem præ-
parantur,& non longè viribus inter ſe differunt. quædam
fortiora, quædam debiliora ſunt,vt cuique congruũ eligi
poſſit. Etenim quũ eunuchus quidam in ſummitate ma-
nus vlcus haberet, idque malignum euaderet, & circum-
circa eroderet, & ſanguis ex ipſo manaret, medicamen-
tum ex thure & aloe appoſui albumine oui exceptum, &
hoc magis auxit ſanguinis eruptionem. Detracta itaque
aloe, thus ipſum per ſe cũ ouo impoſui, & neque ſic ſan-
H guis ſiſti potuit. Cognoui autẽ quòd ex multa ſenſus ſub-
tilitate hoc pateretur: quapropter linamenta poſca dilutiſ
ſima imbuta indidi,iuſſique tandẽ aſſiduè ſuper linamẽta
inſtillare,atq; ita ſtatim ſanguinis eruptionẽ ſuppreſſi, ne-
que ab eodem medicamẽto vſq; ad exactã incarnationẽ

deſtiti. Aliud ad arteriam diſſectam. Sal commune, & equi aut aſini fimum ſiccum, pari portione cum lixiuio quercini cineris ſubactum impone. Aliud. Porrum cum aceto tuſum impone. Aliud. Cochleas cũ domibus ſuis, tum paruas tum magnas, vſtas tritas impone.

Exedentia & vrentia medicamenta,
Cap. LII.

ERodentia & vſtoria medicamenta, ad columellas adhibemus aſſiduè deſtillantes ac laxatas, & ad calloſas carnis excreſcẽtias, vlceráque cãcerata & ſtrumas quas erodere volumus: item ad coxendicum & articularẽ morbum, affectiones ſplenis, pro cauterio: præterea ad formicarias verrucas, clauos, ficoſos tumores, & alia huiuſcemodi. Præcipua verò ipſorum vis eſt ad carbunculoſa & maligna vlcera. adhibita enim nomas compeſcunt, & cruſtas exterunt. Eroſiuum citra mordacitatem: Squamæ æris drach. IIII. ſandarachæ drach. II. veratri nigri, auripigmenti, ſing. drach. I. præſtantius hoc euadet, ſi pro auripigmento aluminis ſciſſi par pondus adieceris. Aliud. Squamæ æris, ſandarachæ, auripigmenti, veratri nigri, ſeminis vrticæ toſti, æquales portiones cum roſaceo terito, ac vtitor. Aliud citra omnem mordacitatem cruſtas in altum inducens: Squamæ æris, ſandarachæ, ſingul. drach. III. veratri nigri drachm. I. ad humida vlcera vtere ſicco: ad reliqua cum roſaceo. Oribaſii eroſiuum efficaciſſimũ quo vtor: Seminis vrticæ, ſquamæ æris rubræ, ſandarachæ, par pondus cum roſaceo terito, ac vtitor. Aliud. Sandarachæ, aluminis ſciſſi, ſingul. drachm. IIII. ſquamæ æris drach. II. auripigmenti drach. I. Et ſi quidem nome eſt quæ adſtringi debet, ſiccum adhibeto: ſi verò ſtruma aut canceratus tumor curandus eſt, roſaceo excipe, & quotidie bis impone. Ceratũ vſtorium quo ad lippitudines vtimur, temporibus adhibito donec rubefiant. facit & ad coxendices: ſtatim enim ſedat dolorem. Cantharidum, atramenti ſutorii, ſucci thapſiæ, allii, ſingulorũ vnc. I. ceræ trientem, olei quincuncẽ. Aridis ex aceto tritis liquabilia liquata admiſceto. & vbi locus rubicundus factus fuerit, illinito ea quæ ad ambuſta ab igne præparãtur. Aliud cauterium è viſco: Calcis viuæ, fæcis vini vſtæ, ſing. drach. IIII. viſci drach. II. nitri dr. vnã. Mitius hoc fiet, ſi calcis drach. III. ſolùm acceperis, & ſaponis quantum ſatis eſt. at ſi deſit ſapo, lixiuii lib. I. ad tertias coquito, atque hoc modo præparato: Arida læuiſſimè trita, viſco ad ignem liquato excipies, & rudicula agitabis. deinde ad frigefacta lixiuiũ paulatim inſtillabis, & emollies vt medicamentum ſtrigmentitia ſpiſſitudine liquidius euadat. quod in plũbea pyxide ſolidiore ſeruabis, & ſi reſiccetur, lixiuium ſubinde inſtillabis. Hoc ad menti impetigines ad ſemihoræ ſpatium illinito, & poſtea loco per ſpongiam foto, albumen oui, aut emplaſtrum ex plumbagine aut ordeo, paratum imponito. Hoc aliqui etiam ad coxendices, & ſplenis affectiones, ac articularem morbum vtuntur, hoc modo applicantes: Linteolo cuidã detrito medicamentum aliquod glutinoſum illinunt, & hoc rotundis foraminibus pertuſum adhibent, foramina vertentes eò vbi inuſtionem facere volunt: atque iſtic medicamentum vſtorium vbertim imponunt, quò videlicet pars requiſita tantùm inuratur. tum braſſicæ aut betæ folia ſuperimponunt, & decem aut pluribus horis ſinunt: & ablato poſtea medicamento, ad mitigatoria tranſeunt quæ ad ambuſta parantur. Eroſiuum incomparabile: Veratri nigri drachm. III. ſquamæ æris rubræ drachmas XII. ſandarachæ, auripigmenti, ſingulorum drachm. II. atramenti ſutorii drach. IIII. ventrium cantharidum drach. XII. omnia lixiuio excipito. Cauterium ad columellas, Demoſthenis: Calcis viuæ drach. IIII. fæcis vini vſtæ drachmas II. (ſit autem fæx nõ vetuſta, ſed duorum mẽſium) nitri toſti drach. II. minii drachm. I. Cum lixiuio ad mellis liquidioris ſpiſſitudinem terito, & bis aut ter ebullire ſinito donec cogatur. deinde in plumbeam pyxidem recondito ne exareſcat, & ea gratia ſubinde lixiuium inſtillato. Facit ad verrucas cum alias, tum formicarias appellatas: reduuias digitorum, clauos pedum ac manuum, callos, cicatrices eminentes, & carbunculos. At verò poſt columellæ vſtionem, oleum gargarizandum & in ore tenẽ-

A dum exhibeto. Tertia die tranſacta, ex aqua mulſa, aut lacte cum melle os eluatur, donec excidat cruſta. eodẽ modo etiam anthero, ſiue florido, aut Phrygio medicamento vteris. In aliis verò corporis partibus ad locum inuſtũ repurgandum, aluminis liquidi, amurcæ, mellis cocti, æquales portiones miſce & adhibe. Et poſt repurgata vlcera, mitigatoriis medicamentis vtere.

De ſinibus, Galeni, Cap. LIII.

OMnia ſinuoſa vlcera modò aqua mulſa, modò vino, modò vino mulſo, modò aceto mulſo eluimus. ad B extergendam enim ſaniem, aqua mulſa præſtat: ad repurgandum verò & roborandum, vinum mulſum confert: ad glutinationem, vinum: ad cruentum ac graueolentem humorem, acetum mulſum. At in diuturnis affectionibus incarnatione opus habentibus, medicamenta meatus obſtruentia plurimo roſaceo diluta, per fiſtulam in directum perforatam cui veſica alligata eſt, infundemus. In quem vſum probè facit Machærionis emplaſtrũ, & quod Iſis, & quod Harmonia appellatur, & pleraque nigra. Sed & hoc quod ſubiiciemus probè facit. primũ enim ſinus C repurgat, deinde incarnat, poſtea glutinat. Corticem caprifici à teneris ramulis detractum in oleo coquito, & oleo excolato ceræ quantũ ſatis eſt admiſceto, vt liquidũ & infuſile fiat medicamentum. De quo quantum ſatis eſſe videbitur, tepidum in ſinum infundes, & parato ex eodem ſolidiore cerato, ipſum impones ac deligabis. Potes & forinſecus imponere emplaſtrũ Barbarum, & quæ ex pice ac bitumine præparantur, & quod ex ſalicibus conficitur, & quod è vino mulſo, & quod ex ſpuma argẽti, & Harmonia, & emplaſtrũ Piſcatoris, & melinũ Paſionis. Ad D eos tamen qui vicinas partes teneriores habent, magis cõueniũt emplaſtra ex ſale parata. Supra emplaſtra verò ſpõgia aceto mulſo, aut poſca, aut vino imbuta imponatur. Deligatio verò à fundo ſinus incipiat, & ad oſculum vlceris deſinat. Et linteorum obuolutiones citra dolorẽ quidem fundum ſinus adſtringant, ſed inde paulatim remittantur, ac laxius ad oſculum vlceris connectantur: ita vt emplaſtrum quod forinſecus ſinui adhibitum eſt, iuxta oſculum forcipe præcidatur, quò ſanies excerni poſſit, & aliud paruum reciſi loco imponatur ex eodẽ medicamẽ- E to. ſit autem laxius propter eandem ſaniei excretionem, & alternis diebus auferatur, relicto illo totum ſinum ambiente. deinde vbi ſinum agglutinatum cognouerimus, ad cicatricem inducentia pergemus. An autem probè glutinatus ſit ſinus in profundo, ex pure effluente cognoſcemus, ſi modicum effluxerit & cõcoctum: & ſi in ipſo ſinu neque dolor, neque tumor percipiatur, ſed contractus fuerit locus, ſiccúſq; ac doloris expers. Illitio ad ſinus antiquos. Gallas omphacitidas ad duas horas oleo maceratos, & in fictile ſiue æneum lebetem coniectas cum oleo F coquito ad prunas donec nigreſcant & velut torrefiant. deinde ex oleo eximito, ac frigefactarum vnc. I. accipito, & aluminis ſciſſi, aloes, ſing. vnc. I. addito, & radicum althææ ſiccarum, artemiſiæ vnicaulis ſiccæ, ſampſuchi, ſingulorum ſextantem adiicito, & ſingula ſeorſim terito, ac cribrato, & poſtea miſta ſimul ſeruato, & vſu expetente, oui luteo excepta illinito. At verò in ipſo vlceris oſculo paruum emplaſtrum impones ex paſtillo qui ad Iudæum refertur. Idem medicamentum facit ad fiſtulas, herniam aquoſam, & podagram.

G

De ſinibus attritam cutem habentibus, eiuſdem,
Cap. LIIII.

INflammationibus ad abſceſſum mutatis, ſi ſerius inciſio fiat, contingit aliquando vt cutis ſinui incumbens, tenuis velut detritum veſtimentum reddatur, & propterea huiuſmodi vlcera detrita appellantur, quæ difficulter coaleſcunt ac glutinantur: & præſertim ſiquis compage ſiccum medicamentum imponat. Ab his enim magis adhuc cutis deteretur, & exareſcet velut pelles attritæ. Ad ea H igitur glutinanda vtendum eſt medicamento compage quidem liquido, facultate verò ſicco: quale eſt phœnicinum emplaſtrum Galeni, quod nos ad huiuſmodi affectiones præſtare cognouimus, ſi ita paratum fuerit vt neque valde durum ſit, neque adhuc inquinare deſiuerit: ita

enim præparatum & cruenta vulnera glutinat, & omnibus vlceribus cicatricem inducit. Ad ſinus autem detritos efficaciſſimum eſt, quod tenerum eſt & compagem mollem habet,& cum oleo veteri ac vino moderatè antiquo reſolutum eſt. nam ſicut duritiam ad hos vſus improbamus, ita mollitiem nimis fluidam reiicimus. liquidum enim calido corpori incumbens diffluit, & linteolum ſiccum relinquit, quod non ſolùm nihil prodeſt ſed etiam glutinandæ cuti obeſt. Sed & mel moderatè coctum ad hanc ſinuum affectionem mirificè cõducit: cui myrrham,vel aloen,vel thus probè trita,ſeorſim ſingula, vel ſimul omnia inſpergere prodeſt. præferam ſi linteolo illitum mel liquidius appareat. Expertus ſum & centaurium tenue mirandum pharmacum ad hos vſus: deinde ſymphytum, & plantaginis folia cum radicibus ſiccata. Conuenit & rumicis radix,oleaſtri folia,verbenaca ſupina cum radicibus,vitis alba,iris, dictamnum,ſaluia, polium,ſabina, cupreſſi folia,ſalicis ſuccus: & in teneris carnibus erui farina. Quæ omnia prius tundenda ac cribranda ſunt. & ex eis tunc melli admiſcendum eſt quum coctum ab igne aufertur, ita vt probè cum eis agitatũ mel, donec tepidum fiat,imponatur linteo inductum.

De fiſtulis, Cap. LV.

Qvandoquidem ſinus malè curati in fiſtulas mutari ſolent, de his quoque ex ordine dicendum eſt. Appellantur autẽ fiſtulæ per tranſlationẽ à fiſtulis arundinũ aut ex alia materia confectis. Nam in ipſis cauitas quædam eſt arundinum cauitatibus ſimilis, & ſinus calloſus ineſt qui citra chirurgiam aut fortius pharmacum reſcindi non poteſt. Fiſtulis itaque obliquis ſub cutem extenſis, ſpecilli nucleum immittimus,& eleuata cute totam longitudinem vna ſectione incidimus. deinde callos velut fiſtularum cauſas,ſi in ſuperficie fuerint,ſpecillo deradimus: ſin in profundum penetrauerint,ſcalpello reſcindimus. Niſi enim reſcindantur,neque caro produci, neque vlcus coaleſcere poterit. At ſi fiſtula non fuerit obliqua, ſed decliuis & ad profundum vergens,fiſtulæ ambitum reſecamus,tantum de carne circumſita auferentes, quò calli commodè reſecari poſſint. Si verò fiſtula in os deſinat, ab oſſe denudato ſquamam deradimus. Cæterùm fiſtulæ in os deſinentes, ampliores quidem nucleo ſpecilli immiſſo ex renitentia deprehenduntur: in anguſtioribus verò apice ſpecilli pertentamus, & durum ac oſſeum corpus occurrens contingimus ac ſonum quẽdam percipimus,velut aſſis ære percuſſi,qua arte non ſolùm fiſtulam oſſi contiguam eſſe, ſed etiam an corruptum aut illæſum ſit dignoſcimus. Inducto enim vndiquaque ſpecillo, ſi tanquam à læui corpore ipſum ſemper lapſare percipimus,os incorruptum eſt: ſi verò ſpecillum aliquibus partibus inhæſerit, inæqualitates ac aſperitates ſubeſſe indicium eſt,& ex eo os corruptum eſſe coniectamus. At in fiſtulis quæ ampliſſima habent oſcula, ſæpe viſu os deprehendimus, vt coniectura non ſit opus. Si verò obliquæ fuerint, flexúmque aliquem vel plures habuerint,vt ſpecilli apex progredi non poſſit, virgulam plumbeam aut ſtanneam parabimus, qua iter pertentemus. quum enim flexilis valde ſit, ad fiſtulæ figuram facilè ſe accommodabit. Si verò propter nimiam obliquitatem fiſtula nihil tale admiſerit,ex humoris allati natura fiſtulæ terminum cognoſcemus. Quòd ſi fiſtula neruum attigerit, ex dolore indicabitur. punctionis enim ſenſum exhibebit, aut ſtuporis: deinde motus qui ab illo neruo perfici ſolet, deterior apparebit. Sed & in ſpecilli contactu moleſtus ſenſus perceptus, indicationem faciet: humor autem inde allatus tenuior eſt,ſimilis ei qui ab oſſibus defluit, non quidem oleoſus aut pinguis, ſed ſanioſus & glutinoſus. Eadem verò accidentia concomitantur fiſtulas ad muſculos penetrantes. In iis autẽ quæ carnes tantùm penetrant, craſſiorem ac humectiorem ſaniem reperies. Quæ verò venas occupant,eadem accidẽtia habẽt quæ ad neruos ſunt relata,ſed imbecilliora, dolores item ac puncturas. verùm nullus motus impedietur. idem verò etiã de his dicendum eſt quæ ad arteriã pertingũt. At verò ſi fiſtula locũ erodente vena ſuberit,plurimus ac craſſus ſanguis effunditur: ſi verò arteria, tenuis & flauus cũ multo ſpiritu ac ſtridore exilit. Atque hactenus de fiſtularum ſignis ac differẽtiis, deinceps autẽ de medicamẽtis ad eaſdem cõferentibus tractandũ eſt. Poſt calloſarũ igitur partiũ reſectionẽ, carnoſis quidem partibus ſuppurãdi ductum adhibebimus,& deſquamata oſſa ſiccare conabimur. Baſilicũ itaque emplaſtrũ & reliqua huiuſmodi inter ſuppurantia medicamenta habẽtur: ſicut etiã quæ capitalia appellantur deſiccãdi vim habent. linamenta quoque melle illita cõmodè induntur. Ad fiſtulas verò inchoantes nec adeo profundas, quarũ chirurgiã ægri penitus recuſant,medicamẽta callos exterentia adhibebimus. deinde remoto callo, curatione reliquis vlceribus cõmuni vtemur. Collyriũ fiſtulare, ab antiquis fiſtulis callos exterens: Atramenti ſutorii,miſyos,chalcitidis crudæ,æruginis, aluminis ſciſſilis, rubricæ ſinopicæ,gummi,æquales portiones aceto accipito. Quòd ſi pro gummi,thus adieceris,& duodecuplũ mellis admiſcueris, calloſos ſinus repurgat. at ſi vni eiuſdem parti octuplum mellis adieceris,incarnat & ad cicatricem perducit. Aliud, faciens ad fiſtulas antiquas: Miſyos, atramenti ſutorii, aluminis ſciſſi, ammoniaci thymiamatis, æquales portiones excipe aceto. Aliud ſiccum,callos fiſtularũ exterens: Cadmiæ,chalcitidis crudæ, ſandarachæ, gummi,ſing. quadrantem, æris vſti, miſyos crudi, ſing. ſeſquiunc. Aliud xyraphium, *hoc eſt callos deradens*: ad capitis ac menti ficoſas papulas faciens. Miſyos,chalcitidis crudæ, ſing. drach. II. aluminis ſciſſi drachm. I. præpara,& eloto prius loco,medicamentum vbertim inſperge,& poſtridie rurſus eloto loco,& calli ramento ſpongia deterſo,nouum medicamentum adhibeto, tamdiu hoc repetens donec totus callus fuerit deraſus. & cauendum interim eſt ne olei cõtactu pars curãda inquinetur. Quòd ſi ita viſum fuerit,poteris ammoniaci thymiamatis drachmam vnam aceto reſolutam ad ſeptem huius medicamenti drachmas admiſcere, & collyria efformare. Aliud collyrium fiſtulare: Chalcitidis crudæ, miſyos crudi, æruginis,ſoreos,atramenti ſutorii, ammoniaci thymiamatis,æquales portiones aceto excipito. Aliud Philoſophi: Braſſicæ radicem,cùcurbitam ſiccatam, os canini capitis,cerui cornu,ſimul exurito, & ad cinerem ipſorum, origanum & ſtercus gallinaceum,vtrũque ſiccum ac tritum,admiſceto,& arida ſeruato. Vſu verò expetente,fiſtulæ oſculum vino humectato,& ſiccum largè inſpergito, & linteolo impoſito deligato. hoc abſceſſus rumpit, & ſanat fiſtulas chirurgia nondum attactas. Aliud eiuſdem.

Conchas cum teſtis exuſtas & tritas adhibe: vel carnes cochlearum cum myrrha,thure & aloe, in fiſtulam inde, externiſque impone. Aliud fiſtulas mirificè reſiccans. facit & ad ſeminis fluxum,capitis deſtillationem,aures cõtuſas ac dyſenterias. Conſumit omnem humiditatem. idẽ pubi & lumbis impoſitum,muliebrem fluxum & hæmorrhoidas ſiſtit. Cochlearum carnes cum domibus ſuis,bulbum paruum,bitumen,aloen, thus cum aceto terito, ac vtitor. Aliud ad fiſtulas optimum. Polygoni folia à ieiuno commanſa apponito, & vuas paſſas vnà cum vinaceis tritas ſuperligato. & ne contempſeris medicamenti vilitatem. Aliud ſiccum Magiſtriani, fiſtulas incarnans: Chamæleontis nigri radicem, corticem pinus, thus maſculum,ariſtolochiam longam, ſingula paribus portionibus terito,& fiſtulæ aqua mulſa elotæ ſicca inſpergito. Aliud. Aloes ſextantem, radicis anchuſæ vnciã vnam. replet & incarnat. Aliud. Squillam in olla vſtã ac tritam indito. Aliud præſentaneum, quod Hercules appellatur. idem etiam ægilopas radicitus tollit. Pridie verò papyrus in fiſtulam indatur: deinde collyrium ad fiſtulæ ſiue papyri menſuram immittatur, & per triduum ſinatur, & in quarta fiſtulam prorſus ſanatam comperies: Cadmiæ oſtracitidis drachmas ſex, æris vſti drachmas quinque,miſyos toſti drachmas nouem,chalcitidis crudæ drachmas octo, cantharidas numero ſeptem, libanotidis ſiccæ drach. I. hermodactyli radicem integrã, gummi drach. X. excipe aceto & collyria formato. ſunt qui atramenti ſutorii & æruginis, ſingulorum drach. ſex adiiciunt. Aliud ad fiſtulas vſque ad os pertingentes: Squamæ æris,æruginis,ammoniaci thymiamatis, ſingu-

lorum æquas partes aceto ſubige,& paſtillos efforma. Vſu expetente quantum ſatis eſt accipito,& ad ignem emollito,& collyria formato fiſtulæ æqualia, eáque indito.

Aliud Oribaſii, ad fiſtulas & vibices, à Dionyſio acceptum. Foliorũ lepidii herbæ in vmbra ſiccatorum, floris cnici, mellis deſpumati, terebinthinæ, æquales portiones. Arida cũ aceto terito,& adiecto modico roſaceo, omnia ſimul ad emplaſtri formam ſubigito: poſtea fiſtulæ ex aceto præfrictæ, lepidii folia ſicca trita inſpergito,& ſplenium ex medicamento illitum ſuperimponito. Aliud experimento conſtans: Radicum liliorum vſtorum cinere fiſtulam expleto,& callus exteretur, quo ſublato ſmilacem herbam arundinibus ſe implicantem, flore candido, foliis hortenſi phaſelo ſimilibus, accipito, eámque ſiccã vſtam tritam fiſtulæ indito,& incarnabitur. Aliud. Oleaſtri radicem vſtam terito,& ſiccam fiſtulæ vino calido auſtero elotæ inſpergito,& callus excidet. Aliud fiſtulas incarnans: Lapidem tranſlucidum ſpecularem appellatum vrito, ac tritum fiſtulæ inſpergito. Cæterùm poſt vſum eorum quæ callos exterunt, collyriis repurgantibus vtendum eſt ex ærugine & melle cocto. Medicamentum ſinus repurgans & incarnans: Myrrhæ, croci, ariſtolochiæ, rubricæ ſinopicæ, ſingulorum vnciam vnam, fel taurinũ integrum, mellis quadrantem. Fel cum melle coquito, deinde reliqua tenuiſſimè trita admiſceto, & rurſus coquito,& collyria formato. Aliud. Muſcii herbæ, quam & dorcadiadem vocant, miſyos torrefacti, ſingulorum drachmas octo, ſalis communis, aluminis ſciſſi, æruginis, ſingulorum drachmas duas, chalcitidis drachmas decem, nitri, terebinthinæ, ſingulorum drachmas quatuor, mellis libras tres, aceti libram vnam. Quæ teri poſſunt terito, & omnia melle excepta coquito,& collyria formato, quæ in ſinus ac cauitates indes. Emplaſtrum Oribaſii ad ſinus & fiſtulas, è cedria præparatum. diſcutit enim ſtrumas,& ad elephantiaſis tumores prodeſt: Ceræ, picis ſiccæ, ſingulorum libram vnam, colophoniæ beſſem, cedriæ ſeſcuncem, propolis trientem, vel (vt alii habent) ſeſcuncem. reliqua omnia donec non inquinent coquito: deinde propolin adiicito, vnito, ac vtitor. Aliud. Picis, ceræ, ſingulorum libram vnam, colophoniæ, cedriæ, ſingulorum ſeſcuncem, coquito ſimul donec non amplius inquinẽt, & propolis ſeſcuncem adiicito,& ſublatis ab igne, thuris, aloes,& aliquando myrrhæ, ſingulorum vnciam vnã admiſceto. Emplaſtrum Magus vel Hephæſtias nuncupatũ. glutinat ſinus & fiſtulas,& alia huiuſmodi: Spumæ argẽti libram vnam, ſcoriæ argenti quæ helcyſma *Græcis* appellatur, libras duas, teſtæ clibani antiqui, ceræ, ſingulorũ libras tres, olei libras ſex, ſucci coriandri ſextar. vnum, ſimul coquito donec non amplius inquinẽt: deinde ceram adiicito, vnito, ac vtitor. idem hydropicis confert. Quidã ceræ nihil, quidam quadrantem ſaltem iniiciunt: alii verò ita præparant: Teſtæ fictilium libras duas, plumbaginis libras duas, olei ſextarium vnum. ſed hoc modo compagẽ nõ acquirit. Commodũ eſt fiſtulis etiam nigrum è lolio præparatum,& reliqua eius generis. tutò etiam adhibetur quod ex argenti ſpuma paratur,& quod ex aceto & oleo. vtrunque in proximo Sermone habetur. Commodat quoque fuluum Galeni quod ad maligna vlcera paulo antè deſcriptum eſt.

De gangræna & ſphacelo, Galeni, Cap. LVI.

GAngrænam appellant quãdo ob inflammationis magnitudinem, mortificatio partis imminet. & niſi celerrimè ſuccurratur, pars ita affecta facilè mortificatur, & malum ad contiguas partes proſerpens ſingulis perniciẽ impertit. At vbi iam pars mortificata penitus ſenſum amiſit, non amplius gangræna ſed ſphacelus, *id eſt caries*, malum appellatur. Accidit autẽ hæc affectio etiam oſſibus, quum circumſita caro vitioſos humores generãs, per hos illa perrigauerit ac putrefecerit. Proinde partem mortificatam celerrimè reſecare oportet, quatenus contingit vicinam ſanam, ita vt nihil prorſus putridi ac carioſi relinquatur. deinde locum inurere,& poſtea ſeſamum cũ melle, vel ſiccum capitale item cum melle adhibere: deinde panem exterius, vel farinam ordeaceã aqua & oleo ſubactam imponere. Sed & iris & panacis radix, & ariſtolo-
A chia, ac eruum cruſtas tollunt, ſingula cum melle. Itẽ Machærionis emplaſtrum & iſis, cum roſaceo & melle diluta. Vbi verò cruſtæ exciderint, curationẽ reliquis vlceribus communem adhibeto. Cæterùm priuſquã pars mortificatur,& affectio adhuc gãgræna appellatur, ſanguinẽ in loco affecto impactum, quantum eius fieri poteſt, plurimum euacuabimus: propter quem ſanè mortificatio cõtingit, quum arteriæ ob locorum anguſtiam diſtendi nõ poſſint: atque ſic reliquo perſpirationẽ exhibebimus. aut
B igitur ſi vena magna fuerit in loco affecto, hac diſſecta corruptum ſanguinem euacuare oportet,& ſæpe velut varicem volſella correptum excindere: aut totam cutem affectæ partis profundis ſectionibus diuidere, aut vulnuſculis altioribus incuſſis ſcarificare,& ſanguinem effluere ſinere,& poſtea imponere pharmacum ad putreſcentia cõmodum. Talia verò ſunt, farina erui aut lolii cum aceto mulſo: vel ſi hæ non ſunt, fabacea. Quarũ vires quũ intendere volumus ſalem adiicimus, aut aliquem paſtillum læuiſſimè tritum ad nomas ſuprà deſcriptum: qualis eſt
C Andronis, Paſionis, & Muſæ, & noſter Aſclepius appellatus, quibus omnibus pro ægroti corporis habitu vtere. ruſticana enim & duriora natura, fortioribus medicamentis opus habent: molliora, debilioribus. Proſunt etiã gangrænis nuces veteres, farina lolii cum raphano & ſale, & aliquando aceto. Vuæ paſſæ demptis vinaceis cum raphani cortice, vrticæ folia, raphani ſemen cũ aceto: quæ etiam cruſtas tollunt. item lupinorum amarorum decoctum affuſum. Aliud ad gangrænas: Sordes matulæ adhærentes illinito.& poſtea vrina abluito. nonnulli cedriã
D ſordibus admiſcent. Aliud. Plurimas lactucas exemptis fibris cum loliacea farina imponito. aliqui iridis farinam accipiunt. Aliud. Hoc & vitiligines & alia huiuſmodi ſanat,& inflammationes mitigat. Herbam catanancen vrito, eiúſque drach. octo cum gummi drach. ſedecim cum aceto terito & imponito. Aliud. Æruginem, rubricam, alumen ſciſſile, paribus portionibus ex aceto trita adhibeto.

De canceratis tumoribus, eiuſdem, Cap. LVII.

E CAncerati tumores ex atra bile craſſiore efferuente generãtur: quæ ſi etiam acrior fuerit, vlceratos tumores efficit. Quapropter huiuſmodi tumores inflammationibus acriores ſunt, citra tantam caliditatem, habéntque venas plenas & circumcirca extentas, ad ſimilitudinem pedum cancri animantis. Quandoquidem verò è profundo inutilis ſanguinis multitudo attrahitur, ideo varicoſæ reddũtur venæ,& inſanabilis morbus efficitur, quum ob nimiam craſſitudinem, humor neque repelli, neque diſcuti, neque per totius corporis purgationem leuari poſ-
F ſit.& leniora quidem medicamenta adhibita contemnit: ab acrioribus autem irritatur. Fieri tamen poteſt vt incipientes cancros, priuſquam in affecta parte confirmentur, augeri prohibeamus, atræ bilis humore euacuato. Primùm itaque mitioribus ad hoc vtemur, quale eſt epithymum cum ſero lactis: deinde Hiera Rufi, quæ veratrum pro virium robore admixtum habet. At ſolani ſuccus forinſecus illitus, vlceratum cancrum mirificè mitigat. Ex eo autem linteolum molle duplicatum madefactum imponendum eſt,& ſupra ipſum quoque lana tenera imponenda eodem ſucco imbuta, ſed & ipſe ſuccus aſſiduè his
G ſuperfundendus eſt, vt ne hæc exareſcant. vtendum eſt & medicamento è pompholyge ad cancros vlceratos. Sed & hoc quod ſubiungam, ad cancerata ac maligna pudendorum, ſcroti, ſedis, mamillarúmque affectiones,& ad ani ac muliebriũ locorum rimas & tubercula efficax eſt. Oleum roſaceum & hyoſcyami, aut ſolani, aut ſemperuiuæ, aut vmbilici veneris, aut pſyllii, aut vuæ acerbæ ſuccũ in plumbeo mortario cum plumbeo piſtillo ad ſtrigmẽtitiam compagem terito. confert & cancri vſti cinis cum
H cadmia lota inſperſus, vel cum cerato adhibitus. idem etiam gangrænis conducit. Aliud. Irionis ſemen cum melle ad emplaſtri formam terendo redactum adhibeto, & maligna vlcera in quacunque corporis parte citò ad cicatricem perducet. idẽ facit & malicorium vſtum tritũ inſperſum. Aliud ad cancerata & maligna: Teſtudi-

nem terreſtrem donec inalbeſcat vrito,& cinerem ad alia cum butyro, ad cancros verò vlceratos cum oleo dulci ad emplaſtri formã ſubactum,ſplenio illinito ac imponito: repurgat enim,conſtringit,& ad cicatricem perducit, & prohibet ne malum reuertatur. Adhibetur idem vtiliter & gangrænis. Nec incommoda Theriace Andromachi cum modico roſaceo diluta. Æger porrò ptiſanæ ſucco vberrimè alatur,& lactis ſero: & ex oleribus malua, atriplice,blito,& cucurbita: piſcibus verò petroſis:& volucribus omnibus præterquam paluſtribus.

De carbunculis, ex eodem,
Cap. LVIII.

CArbunculi à ſanguine atrabiliario efferuente, & ad partem aliquam irruente generantur.& ſunt ſanè vlcera cruſtoſa,plerunque à puſtula incipientia, aliquando etiam citra hanc. Pruritus certè in principio in parte affecta adeſt, deinde modò vna puſtula, modò plures tenues velut milii grana inſurgunt, quibus ruptis ſimiliter cruſtoſum vlcus ſuccedit. Quòd ſi etiam citra puſtulas cutis excoriatur, ſemper tamen cruſtoſum apparet vlcus, velut ea quæ à cauteriis fiunt,cruſta iam cinereũ,iam nigrum colorem habente, & fundo adhærente, & velut clauo affixa,comitante etiam noma depaſcente. At reliqua caro circumſita vehementer inflammatur, & nigra fit ac ſplendida inſtar bituminis & picis. talis autem eſt exquiſitè atra bilis. Febris autem ægrotos longè vehementior quàm igne ſacro correptos inuadit. At verò carbunculi qui iuxta carnem conſiſtunt,citò abolentur. qui verò in membranis aut neruis fiunt,diutius permanent, & ſubiectos locos per conſenſum afficiunt. nam qui caput occupant,ad collum,aut ceruicẽ, aut pectus, aut brachia, aut ſub alas conſenſum diſtribuunt. qui verò pudenda inuadunt, crura & inguina ſimul afficiunt. Aliquæ verò partes etiam ad ſuppurationem veniunt, quæ videlicet magis expoſitæ ſunt iniuriæ. Dolores inſuper accedunt longè maiores quàm pro paruitatis ratione. Sæpe etiam in repurgando vlcere,membrana aut neruus putrefactus medullæ ſpeciem præſe ferens eximitur. Carbunculum igitur vbi primùm eruperit,ſtatim curare oportet, ſãguine vſque ad animi deliquium euacuato. Niſi enim venæ ſectionem quid prohibeat, à nullo auxilio maius emolumentum conſequitur. Poſt ſectam venam non inconueniens eſt locum ſcarificare, vulnuſculis profundioribus impactis, ob humoris craſſitudinem. Deinde aluus eluenda eſt, tenuiſſimáque victus ratio cum quiete & tranquillitate imperanda. Ad locum verò nihil vehementer repellens aut refrigerans adhibendum eſt. hinc enim maius diſpendium quàm compendium ſequetur. Non tamen affluxus negligendus eſt, ſed medicamenta adhibenda quæ cum moderata repulſione etiam diſcutiunt. Tale autem eſt ex plantagine & lẽticula cocta cataplaſma cui addita eſt panis clibano cocti, neque nimis puri neq; ſordidi medulla. In ipſo verò carbunculi ambitu emplaſtra imponantur ad ambuſta deſcripta. Super ipſum verò vlcus fortiora pharmaca imponemus,quale eſt Andronis, aut Paſionis,aut Polyidæ paſtillus, & reliqui huiuſmodi ad nomas parati, cum paſſo ad mellis compagem diluti. Carbunculorum autem cruſtas mirificè eximunt, & fluxionem ad locum ſiſtunt, Verbenacæ rectæ folia cum adipe trita & appoſita. idem faciunt & cupreſſi folia ac tenera germina, & pilulæ teneræ cum polenta. Aliud. Gallinaceum ſtercus ſiccum cum axungia ſubactum ipſi ſolùm carbunculo imponito,& bene ſperato. Aliud. Nitri & rutæ pares portiones cum aceto adhibeto. Aliud. Fimi columbini,& ſeminis lini, æquales portiones cum melle imponito. Aliud. Silphium, rutam & nitrum, æquis portionibus cum melle ſoli carbunculo imponito. Sæpe etiam erodentia aliqua ſuprà deſcripta vlceri imponimus,& per linamenta indimus. In ambitu verò carbunculi, lenticulam coctam circumponimus.

Aliud ad carbunculos mirabile. Liliorum radicem recentem & humidam ad emplaſtri formam tritam imponito, & braſſicæ folium ne exareſcat ſuperimponito, & admiraberis. Circumſcarificat enim & cruſtas eximit, repurgat, replet, ad cicatricem perducit, vt ne veſtigium

A quidem eius appareat. Aliud Oribaſii, minimè contemnendum: Saponis partem vnam, axungiæ tantundem,ſalis, cineris ſarmentorum vitis, aut lignorum fici, ſing. dimidiam partem,præpara & adhibe, & forinſecus panem illine. Aliud ſiccum,ad carbunculos & nomas. Chalcitidis crudæ,miſyos crudi, atramenti ſutorii, æris vſti,æquales portiones ſub ſole in aceto terito donec ſiccentur,& vtere ſicco. miſy verò non vratur ſed tantùm torreatur. Siccum Oribaſii, ad carbunculos, nomas, gangrænas, vlcera antiqua,& chironia, & ad ſtrumas ac

B podagras: Spumæ argenti lib. vnam,olei antiqui ſeſquilibram,auripigmenti vnc. vnam. ſpumam argenti cum oleo coquito donec non inquinet, & ablatis ab igne auripigmẽtum adiicito,ac rurſus coquito donec nigreſcat. Deinde manibus refrigeratum ſubigito,& vtitor ad ſtrumas quidem tali quale eſt:ad alia verò,cum oleo diluto, quò linamentis illini poſſit. Aliud Maſſilienſis, quod ſuæ ciuitati compoſuit,quum in ipſa carbunculi ſæuirẽt, & multos occiderẽt. Bouis armentarii fimum ſiccum ac tritum ſeruato: vſu verò expetente, aqua madefactum ſo-

C li carbunculo imponito:& linteum aqua humectum,aut cataplaſma è lenticula ſuperponito. Aliud. Chryſocollæ,nitri toſti,lapidis aſii,auripigmenti, ſandarachæ, miſyos torrefacti, chalcitidis, aluminis ſciſſi, diphrygis, ſing. drach. quatuor, terito & in æreo vaſe ſeruato. Vſus verò tempore,cum ſpecilli nucleo in ipſum carbunculi vlcus indito,& viride ſubſcriptum ſuperimponito. Emplaſtrum viride. Thuris,æruginis,ſing. drach. vnam,ſquamæ æris,aluminis ſciſſi,ſalis ammoniaci,ſing. obol. quatuor,ceræ drach. octo,reſinæ pinus ſiccæ drach. ſedecim,

D olei libram vnam. arida ad ſolem in aceto terito, & reliqua liquata adiicito,ac vtitor. Aliud Aſclepiadæ: Nitri torrefacti,ſucci Cyrenenſis,ſing. drachm. tres, laſeris drach. quatuor, S. ceræ colophoniæ,olei,ſing. ſeſquiunciã, præpara & adhibe. Carbunculi humorẽ reſiccat,& circũſitas partes ſcarificat. His autẽ ſcarificatis,vtere hoc quod mox deſcribam: nam poſt ſcarificationem carbunculos à vicinis partibus radicitus euellit. Mali Punici acidi recentis ac maturi corticem,exemptis interioribus,in aceto coquito, & flaccidum factum tritũ & ſuper linteolum

E ad emplaſtri formam extenſum adhibeto, aſſiduéque acetum ſuperſtillato ne exareſcat. Idem etiam in paſtillos formari poteſt,& in vmbra ſiccari, qui deinde vſu expetente aceto diluti adhibentur. hoc ego frequenter in principio vſus ſanitatem reſtitui. Cæterùm pudendorum carbunculos eodem modo curabis, quem in oculorum carbunculis retulimus. Confert & mel admixta ſapa coctum,& cum ſpecilli nucleo ſæpe præputio impoſitũ.

Aliud Oribaſii ad carbunculos: Chalcitidis,atramenti ſutorii,ſing. drach. octo,ſpumæ nitri drach. vnam. cum

F aqua tere & vtere. Probè facit & ouillum ſtercus torrefactum cum melle. Aliud. Ad carbunculos, nomas,putredines oris,ſuppuratas aures,& digitorum reduuias. Aluminis ſciſſi drach. octo,chalcitidis drach. ſex, ſandarachæ drach. tres,malicorii, miſyos,atramenti ſutorii,nitri, omphacii ſicci,ſing. drach. duas. præpara, & vtere arido vel cum melle, & lenticulam coctam cum pane ſuperimpone.

De eryſipelate,hoc eſt igne ſacro, Galeni,
Cap. LIX.

G FLaua bilis tenuior & acrior facta, vnà cum ſanguine ad aliquam corporis partem irruens, eryſipelas efficit, quod aut exulceratur,aut ſine vlcere exiſtit. Si itaque ſanguis dominium habuerit,inflammatio ad eryſipelatis naturam vergens exoritur: ſi contrà bilis dominatur,eryſipelas ad inflammationem tendens appellatur. quòd ſi neuter humor exceſſerit,affectio inter eryſipelas & inflãmationem media vocatur. At verò eryſipelatis tumor feruentior ac flauior quàm inflammationis percipitur: non tamen dolorem,neque pulſum,neque preſſionem,neque

H tenſionem inflammationi æqualem inducit. ſæpe enim per cutem tantùm diffunditur, carnem nulla iniuria afficiens. atque hoc eſt quod exactè eryſipelas nominatur. Grauiora verò ſunt eryſipelata circa caput:quare niſi efficacibus auxiliis opem feramus, partes tonſillarum per

conſenſum afficiunt, inflammántque ac ſuffocant. Ea igitur venæ ſectione curabimus ſi ſanguis redundarit: ſin bilis, per medicamentum bilem flauam expurgans. vtemur & infuſis efficacioribus. & quod influit repellemus, & feruorem refrigerabimus per ea quæ humectāt ſimúlque frigefaciunt. ſit autem terminus refrigerandi, mutatio coloris. At verò id quod non exactè eryſipelas eſt, ſed quodammodo ad inflammationis naturam vergit, liuidam cutem facit ſi plus æquo refrigeretur. Et niſi medicus deſtiterit à refrigerando, etiam denigrabit, præſertim ſi ſenile fuerit corpus quod curatur, ita vt eryſipelata ſic refrigerata, ne diſcuſſoriis quidem medicamentis diſcuti poſſint, ſed induratum quendam tumorem in parte relinquāt. proinde præſtat ab humectantibus ac refrigerantibus ad diſcuſſoria progredi, poſtquam mutatus fuerit color, antequam niger aut liuidus appareat. Sunt autem humectantia ac refrigerantia citra manifeſtam adſtrictionem, eryſipelatis commoda, ſolanum, ſemperuiuum, portulaca, vmbilicus veneris, pſyllium, lenticula paluſtris, hyoſcyamus, & glaucium: & cerata ex frigida aqua præparata. Cera enim cum oleo optimo, præſertim roſaceo vel omphacino, liquatur, & ceratum liquidum fit, quod frigefactum in mortario aqua frigida paulatim inſtillata quantum imbibere poteſt, cum piſtillo teritur. ſit autem oleum duplum aut quadruplum ceræ reſpectu. Si verò tenuis & albi ac pellucidi aceti modicum affuderis, medicamentum refrigeratorium magis effieies. poteſt & ſuccus aliquis herbarū relatarum admiſceri: paſtilli quoque ad eryſipelata præparati, non affectis modò partibus ſed ſanis quoque vicinis adhibendi ſunt, & aſſiduè permutandi: citiſſimè enim reſiccantur ac vires amittunt. prioribus itaque per ſpōgias ex tepida aqua expreſſas elotis, recentes adhibeantur. Paſtillus Andromachi. quo vtor (inquit) ad eryſipelata: Spumæ argenti libras duas, ceruſſæ libram vnam, opii, ſulphuris viui, croci, ſing. quadrantem, excipe paſſo, & vtere cum paſſo. Oribaſius autē Paſtillus, inquit, ad eryſipelata admirandus ita præparatur: Spumæ argenti, ceruſſæ, croci, ſulphuris viui, opii, ſing. quadrantem paſſo excipito. Alius. Acaciæ drach. octo, miſyos drach. quatuor, thuris drach. quatuor, opii drach. II. præpara, & vtere velut dictum eſt: ad ignes autem ſacros aceto dilue. quidam etiam aloes drach. duas adiiciunt.

Cæterùm ad eryſipelata, faciei præſertim, hirundinis nidum tritum ac cribratum melle excipito, & cum penna illinito. citò enim diſcuties. At ſedata inflammatione, priuſquam pars liueſcat, diſcuſſoria adhibenda ſunt, & aqua calida affundenda, itémque marina ac muria. cataplaſmatis etiam eædem admiſceantur. Confert & braſſica per ſe, vel cum polenta adhibita. aut mandragoræ radix cum pane & aceto. aut terra figularis cum coriandri ſucco. aut ceratum roſaceum paulo antè deſcriptū cum calce. Quòd ſi liuor aut durities partem affectam præoccuparit, ſcarificatio profundior fiat, & marina aqua aut muria affundatur: deinde verò cataplaſmata adhibeātur.

De Herpete, ex eodem, Cap. LX.

SI flaua bilis citra alterius humoris mixturam ſecreta iuxta partem aliquam conſtiterit, Herpes appellatur affectio. Si quidem igitur craſſa fuerit compage, & magis acris, omnem cutem vſque ad ſubiectam carnem exulcerat, & vocatur Herpes exedens: ſi vero tenuior fuerit, & minus acris, ſuperficiem ſolùm velut inurit. atque hæc ſpecies generis appellationem tulit, ſimpliciterque ac citra appoſitionem, Herpes vocatur: eſt enim adhuc tertia herpetis ſpecies quæ miliaris appellatur, eo quòd puſtulas paruas & multas in ſuperficie cutis excitat, milio ſimiles. Oritur autem etiam ipſa à bile: verùm minus acri & calida quàm priores. Alii verò hunc pituitæ ad bilem flauam admixtione fieri putant: proinde herpetem curabimus rectè, ſi præuacuato vniuerſo corpore, localia deinde medicamenta adhibuerimus. Qui verò cuti ſolidandæ ſtatim à principio intentus eſt, hanc quidem ſanabit: verùm humorem affluentem non prohibebit, ſed ſemper prioribus vlceribus ſolidatis, contigua cutis rurſus velut prior in ſuperficie erodetur. Itaque in herpetibus erodentibus, ſero lactis cum ſcammonia A exhibito, totum corpus euacuabimus: in miliaribus verò, pharmacum exhibebimus quod bilem ſimul ac pituitam educit. At verò partibus affectis, non eadem quæ eryſipelatis adhibentur. tametſi enim refrigeratione vel ut eryſipelata opus habent, non tamen item humectatione indigent. His itaque medicamenta refrigerantia ac ſimul reſiccantia cum adſtrictione conueniunt, ita vt erodentibus quidē, & in ſuperficie hærentibus, mitiſſima adhibeamus: miliarib⁹ verò magis diſcuſſoria. Quare neque lactucam, neque ſemperuiuum, neque quicquam aliud B refrigerans ac humectans adhibebimus: ſed in principio facta purgatione, pampinos vitis, rubique aut polygoni, aut plantaginis folia imponemus: poſtea verò his etiam lenticulam, & mel, & polentam miſcebimus. Illitiones verò ad herpetas commodæ ſunt, acacia cum aceto, plantaginis ſuccus, glaucium paſſo dilutum. Ad puſtuloſum verò herpetem, plumbi recrementum è vino auſtero tritum illinitur, & folia betæ in vino cocta imponuntur. Aliud. Olei myrtei ſeſcuncem, recrementi plumbi trientem, ceræ trientem. recrementum dilue cum vi- C no, & liquata cera excipe, & illine. Aliud ad herpetas vehementer erodentes: Lanæ ſuccidæ mollis tædæ obuolutæ & vſtæ drach. tres, malicorii è Punico malo dulci, ſpumæ argenti, ſing. drach. ſex, ceræ, adipis caprini, ſing. ſeſquiunciam, olei myrtei trientem aut quincūcem, præpara, & vtere. ad herpetem verò ſub cute extantem, plumbi recrementum cum ſucco polygoni tritum illine.

Aliud ad herpetas: Lanæ mollis ſuccidæ tædæ obuolutæ & vſtæ drach. duodecim, S. recrementi plumbi ſeſquiunciam, ceræ drach. viginti quinque, adipis caprini depura- D ti & frigida loti drach. viginti quinque, olei myrtei quincuncem, præpara & vtere. Aliud. Ad herpetas puſtuláſque ſuperficiarias inſigne medicamentum. Cornu caprinum cum aceto tritum illinito. cornu verò vrendum ſuper flamma detineto, exurgentéſque bullas excutito, & poſtea in mortario terito. Idē præſtat etiam cornu ouillū & præcipuè arietinum. poteſt idem cinis etiam cerato excipi. Paſtillus ad herpetas: Terræ Cimoliæ, rubricæ ſinopicæ, ſing. drach. tres, miſyos torrefacti, aluminis rotundi, corticis thuris, ſing. drach. ſex, terito ex aqua, & E formato paſtillos: Vtere verò cum aceto aut vino myrteo. Alius paſtillus. Miſyos drachm. octo, ſalis foſſilis drach. quatuor, gummi drach. duas, terito cum vino & formato paſtillos, & vtitor cum vino. Alius. Aluminis ſciſſi, atramenti ſutorii, ſalis foſſitii, ſing. drach. duas, excipe aceto & vtere cum paſſo. Alius præclarus. Aluminis rotundi, chalcitidis, melanteriæ, ſoreos, ſing. drachm. duas, miſyos, malicorii, acaciæ, ſing. drach. quatuor, calcis viuæ drachm. ſedecim, aceti ſextarium vnum. tere & forma paſtillos, & vtere cum aqua. Ego verò his omnibus F fortioribus, & Andronio ac Muſæ paſtillo, & reliquis huiuſmodi ad affectiones diuturnas vtor. Quum enim fortiſſimi ſint, valde reſiccant, quapropter in principio lenioribus vtēdum eſt. Eſt & hoc medicamentum ad diuturnas affectiones mirabile: Nitri, chalcitidis, atramēti ſutorii, miſyos, calcis, acaciæ, partes æquales aceto excipe, & vtere cum aqua. Ceratum ad herpetas excoriatos: Ceruſſæ, ſpumæ argenti, radicis anchuſæ vſtæ, ſing. drachm. duas, pollinis thuris, aluminis ſciſſi, ſing. drach. vnam, ceræ drach. ſedecim, adipis vituli drach. centum, olei ſeſ- G cuncem, ouorum candidum duorum. arida cum vino tere & liquatis reliquis admiſce. Aliud ad excoriatos herpetas. Ceruſſæ, ſpumæ argenti, radicis anchuſæ crematæ, ſing. drach. quatuor, aluminis ſciſſi, miſyos torrefacti, ſingulorum drach. vnam, reſinæ pinus drachm. ſex, ceræ trientem, olei myrtei libram vnam & trientem, vini heminam vnam. Arida cum vino tere donec fuerit cōſumptum, deinde cum liquatis committe, & paratum medicamentum linteolo inductum adhibe. Conuenit quoque emplaſtrum ex hordeo, oleo dilutum, ad eoſdem herpe- H tas. foueatur item ac rigetur locus aſſiduè per ſpongiam ex vino, vel ſi id non liceat, ex aqua expreſſam. & humiditas tenui linteo extergatur, & poſtea relata medicamenta adhibeantur. Neque interim ſquamæ ab vlceribus detrahantur donec ſpontè excidant aut diſcedant: neque

ſplenium durum imponatur. Si verò depaſcendo profer-pentia fuerint vlcera, cataplaſma ex lenticula cum melle adhibeto. At ſi pura & nuda fuerint, & nome ſedata, ſpumam argenti aut plumbaginem, cum vino tritam impone.

Ad epinyctidas, hoc eſt puſtulas noctu erumpentes, Cap. LXI.

EPinyctides, vlcuſcula ſunt ſponte erumpentia, puſtuloſa, ſubrubra, quibus ruptis ſanies ſubcruenta effluit. Hæc interdiu non valde infeſtant: noctu verò maiorem dolorem excitant quàm pro vlceris magnitudine. His itaque medentur braſſicæ, vel ſolani, vel hyoſcyami, vel rhamni folia, cum melle impoſita, & plantago trita, & centaurium viride, & vua paſſa cum ruta, & cucumeris ſatiui folia cum aqua, & ſeſamum cum aceto tritum. Egregiè facit & calx cum oleo ad mellis compagem ſubacta, impoſita, & laſer cum aqua. deſiccat enim abſque mordacitate. Aut ſulphuris viui, & ſpumæ argenti pares portiones, cum aceto & oleo myrteo ad ſtrigmentitiam formã tritas adhibe. Ego verò, inquit Oribaſius, oleum non admitto, & pro aceto potius cum vino tero. Lenticula item cocta & emplaſtrum ex polline tritici, vtiliter imponitur. poſtquam verò epinyctis excoriata fuerit, emplaſtris liquidis vtere, & caue ne acria, & acida, ac ſalſa adhibeas. Vitanda ſunt item fomenta, balnea, & ſol.

De terminthο, Cap. LXII.

TErminthus tuberculi ſpecies eſt. Incumbit autem ipſius puſtula nigra ſupernè ac infernè, qua rupta infernè deſquamato ſimilis apparet: hoc autem diſſecto, pus inuenitur. At verò curatio huius, ſimilis medelæ puſtularum nocturnarum iam relatæ.

De papulis ſiue puſtulis, Cap. LXIII.

PApulæ quibuſdam exoriuntur ſimiles his quæ à feruida aqua ambuſtis emergunt, non tamen multum dolorem inducentes. Quibus ruptis ſubflaui humoris copia paulatim effluit, ad biduum aliquando ac triduum durans. Hæ fœminis quibus menſtrua defecerunt, aut aliàs non rectè profluunt, ſæpe in cruribus oriri ſolent: infantibus verò aliquando in toto corpore. verùm viris rariſſimè accidunt. Quomodo verò infantium vlcera curare oporteat, iam antea ſermone quarto oſtenſum eſt: in fœminis autem, menſes opportunè ciere oportet: virorum verò corpora congruo medicamento purgare: vtriſque verò alimenta aluum emollientia exhibebimus, & vrinas proliciemus, acriàque ac ſalſa prohibebimus. Ipſas autem puſtulas acu perforare oportet, & humorem excludere, & emplaſtrum è tritici polline adhibere. Euacuato verò humore, & non amplius effluente, id quod ex hordeo præparatur, apponendum eſt.

Ad ambuſta ab igne, Cap. LXIIII.

COrpora ab igne aut feruida aqua ambuſta, moderatè extergentibus pharmacis opus habent, citra manifeſtam calfactionem aut refrigerationem. Protinus itaque ad puſtularum bullas prohibendas, terra quæcunque occurrerit, modò læuis ſit, in teneris carnibus cum aqua, in durioribus cum poſca illinatur: præſtat tamen terra Cimolia, ſi haberi poteſt. Ouum item crudum molli lana exceptum, refrigerat & ſiccat citra mordacitatem, & thus cum aqua tritum, & betæ folia contuſa & cocta ac cum vino impoſita: & alumen omne cum aqua & oui candido. Facit & hoc mirificè: Æruginis & ſpumæ argẽti pares portiones cum vino & oleo tritas, cum pinna illine: à manuum enim contactu prorſus abſtinere oportet, & tenue linteolum ſuperimponere. quòd ſi bullæ emerſerint, eas in principio ne rumpas: ſi verò durauerint, rumpe & ceratum impone. Poteſt autẽ paſtillus præparari ac in hunc vſum ſeruari: Aluminis drachmas quatuor, thuris drach. II. cum aqua terito, & paſtillos formato, ac vtitor cum poſca. Aliud. Cimoliæ ſextantẽ, corticis thuris, miſyos vſti, ſing. drach. ſex, rubricæ drach. III. cum aqua formato paſtillos, & vtere cum poſca. Cæterùm cunctari non oportet, ſed ſtatim terram quæcunque ad manum fuerit cum aqua illinere, eámque poſtea tepida poſca abluere, & quæ relata ſunt adhibere. Porrò ad ambuſta iam puſtuloſa, rhoem & polentam aceto trita impone:

A aut fel porci coctum. Aut hyoſcyami viridis ſuccum aſſiduè illine, & bullæ marceſcent. Ex foliis quoque hyoſcyami viridibus paſtillos forma, & in vmbra exſicca, & in hyemem reſerua, quos vſu expetente aqua dilue. aut calcem viuam cerato liquido exceptam, & linteo inductam impone. aut myrrham vino tritam adhibe. Excoriatis verò & vlceratis, betæ folia in vino cocta ac trita illine: aut ad ceratum roſaceum liquidum, betæ ſuccum paulatim inſtilla, quantum imbibere poteſt. ſint autem olei partes tres, ceræ vna, ſucci quantum ſatis eſt:

B vtere, & miraberis. Aliud, fimum columbinum panniculo lineo illigatum exurito, cinerémque cum vino tritum, aut cerato exceptum adhibeto. Aliud. Lupinorum madefactorum & coctorum, quales quotidie comeduntur, cortices in mortario tritos, vnciæ pondere accipito, & cum ceræ ſextante, ac olei quincunce colliquatis commiſceto, ac vtitor. Sed & hoc ambuſta citò ad cicatricem perducit: Ceruſſæ, ſpumæ argenti, hordei vſti ac triti, ſing. vnc. vnam, ceræ quadrantem, roſacei aut myrtei dodrantem. hordeum ad ceratum liquidum admi-

C ſce, & poſtea ſpumam argenti ac ceruſſam in mortario cum vino tritas adiice.

Ad flagellatos, Cap. LXV.

PEllem ouillam recèns detractam & adhuc calentem flagellatis circunda, omninóque intra vnius diei ac noctis ſpatium ſanabit. cõfert & braſſicæ ſuccus affuſus. Eſt & hæc irrigatio inflammationi arcendæ commodiſſima: Olei partes tres, aceti partẽ vnam, ſurculorum anethi faſciculum vnum. acetum & oleum aſſiduè per anethi faſciculum agitata coquuntur, ad aceti conſum-

D ptionem. deinde adiicitur cera, quanta ſatis eſt ad ſtrigmentitiam compagem. poteſt autem ex hac irrigatione etiam ſolidius ceratum præparari. Sed & Sphærium ad irrigationem efficax eſt, & reliqua quæ ſequenti Sermone habentur emplaſtra, diluta velut ibi oſtẽdimus. At verò aurigæ ad ictus flagrorum vtuntur calce trita cum ouis crudis ſoluta, adiecto roſaceo cerato. Accipiũt autem calcis quadrantem, ceræ quadrantem, roſacei ſextantem, oua cruda tria. hoc medicamentum illinunt, & aſſiduè renouant. Ad vibices verò flagellorum facit hoc: Ceræ,

E terebinthinæ, ſpumæ argẽti, butyri, thuris, mellis, æquales portiones, loco prius foto impone, & quotidie permuta. Aliud. Calcis viuæ lotæ, ſucci ſolani, olei roſacei, pares portiones committe, illine, & linteolum ſuperimpone.

Ad deſquamata, Cap. LXVI.

DEſquamata appellantur quando ex lapſu aut violenta aliqua offenſa, cutis auulſa eſt. Hæc ab inflammatione tutãtur: Rhus ruber cum melle illitus, ſideritidis folia trita, ſtratiotes herba in aquis naſcens cum aceto. Vtere,

F & cerato ad intertrigines ſubſcripto, & cæteris huiuſmodi.

Ad intertrigines, Cap. LXVII.

INtertrigines ex calceamentorum attritu obortæ, dum dolorem excitant, pulmone ſuillo aut agnino calido appoſito mitigantur, & ab inflatione aſſeruantur. item calceamento veteri vſto trito inſperſo: aut ſuccida lana: aut mali Punici ſatiui flore, ſingulis vſtis tritis inſperſis: aut acacia cum aceto illita. Iis verò qui teneras carnes habent, emplaſtrum ex hordeo ad ambuſta deſcriptum, & alia huiuſmodi adhibeto. Sed & ad papularũ eruptio-

G nes, intertrigineſque ac ambuſta, efficaciſſimum eſt hoc: Recrementi plumbi quadrantem, ceræ trientem, adipis ſuilli recentis vnc. vnam, olei myrtei lib. vnam. ad cicatricem verò inducendam abſque adipe præpara. Vtere etiam emplaſtro è pſyllii ſucco, quod ſequenti Sermone habetur, ex ſpuma argenti, ceruſſa, & amylo paratum.

Ad contuſa & ſugillata, Cap. LXVIII.

CArne ab aliquo graui illapſo contuſa, & paruis in ea venulis diſparatis, ſanguis per perſultationẽ profun-

H ditur, qui ſub cute collectus ſugillationem appellatam efficit. Scopus igitur eſt curationis vt ſanguis ſub cute contentus diſcutiatur, & hoc citò antequam locus nigreſcat. In principio autem aliquid ex adſtringentibus ad diſcuſſoria admiſcendum eſt, quemadmodum Sermone octauo ad faciei ſugillationes docuimus. Tunicæ enim venarum

contuſæ, opus habent vt denſētur ac firmentur ne noua materia attracta ad locum allabatur: poſtea verò ſolis diſcuſſoriis vtemur. Sed & in principio ſcarificamus ſugillata, atque ſic reliquam curationē facimus. Optimè autem facit ad contuſa, citrii mali pars interna cum oleo illita. Aut linteum oleo cicino imbutum imponito, & miraberis.

De ruptione, Cap. LXIX.

RVptio non in fibroſis, ſed carnoſis muſculorum partibus ſoluta continuitas exiſtit, nunquam citra ſanguinis effuſionē contingens. Quæ à ſinu differt, eo quòd nullum oſculum ad humorum effluxum velut ſinus habet: proinde & in hac diſcuſſoriis vtemur, ad ea quæ in rupto corpore continentur diſcutienda. Ad hoc autem idonea ſunt medicamenta laſſitudinem eximentia, Acopa *Græcis* appellata. Tale autem eſt quod ex populo nigra paratur, itémque quod ex abiete ac reliqua huiuſcemodi. Omnino verò vbi in profundioribus partibus ruptiones fuerint, acriora ac magis incidentia pharmaca adhibere oportet. atque ea de cauſa cucurbitæ quoque adhiberi debent. Si quidem igitur ſtatim totus ſanguis effuſus, fuerit diſcuſſus, facilè caro diducta coaleſcit: ſi verò diutius perſeuerauerit, & ſordes ſubnutrita fuerit, ruptio de cætero coaleſcere non poteſt: labia ſolùm inter ſe componuntur, vt ex leui occaſione facilè diſparentur, & intermedius locus humore quodam repleatur, fiátque quodammodo aſſiduè ſanguinis effuſio, ſimilis ei quæ ab initio cōtigit.

De vulſione, Cap. LXX.

VVlſio fit fibris quibuſdam diſtractis, quæ in membranis ac muſculis continentur. & ſola mitigatione opus habet, vt doloris exors maneat. Neque enim fieri poteſt vt huiuſmodi fibræ glutinentur, quum è ſinuum genere ſint, velut etiam ruptiones. Eſt & huius affectionis ſimilis velut ruptionum prædictarum curatio, ex diſcuſſoriis & citra moleſtiam ſiccantibus conſtans. Verùm ad ruptiones ac vulſiones in profundo factas, in pectore videlicet aut inteſtinis, ariſtolochia rotunda vtiliter potatur, &, ſi quicquam aliud, commoda exiſtit. Similiter etiam centaureæ magnæ radix & ſuccus. item rheon, coſtus, bdellium, ſingula cum aceto mulſo pota.

Ad luxatos articulos, Cap. LXXI.

LVxationes ex lubrica præſertim emotione factas, mitigat lana ſuccida, aut ſpongia noua aceto & oleo imbuta ac impoſita, ita vt quies imperetur, & deligationes fiant ad oſſium fracturas fieri ſolitæ. Facit etiam ad eaſdē bulbus coctus cum melle, aut cerato liquido exceptus, & folia viticis, & ſal ac nitrum aſſatum cum cerato, aut ſymphytum cum cerato, & vrticæ folia cum ſale, & heliotropium ſcorpiurum appellatum, & cinis ſarmētorum cum axungia veteri. Sed nihil præſtantius eſt quàm emplaſtrū quoddam apponere ex iis quæ ad oſſium fracturas parantur, ſi eius copia detur.

Ad laxos articulos, Cap. LXXII.

LAxos articulos contrahit ac firmat acaciæ ſuccus aqua dilutus ac affuſus. & ſpinæ Ægyptiæ fructus: rubi item ac myrti, & malicorii, ac foliorū quercus decoctū, & myrteum ac lentiſcinum oleum aſſiduè illitum. & malicorium coctum & cerato myrteo exceptum, aut per ſe vino coctum tritum ac impoſitum.

Ad perniones, Cap. LXXIII.

APernionibus præſeruat ſal cum melle tritum, manibus ac pedibus aſſiduè inde perfrictis. Aliud, non modò præſeruans, ſed genitos etiam perniones curans: Citriorum magnorum internam partem acidam, reiectis ſeminibus, diligenter terito, & cum adipe ſuillo vetuſto ad cerati compagem redigito, & ad hyemis initium quotidie illinēs ex eo digitos, vtitor. Aliud Oribaſii: Sulphur viuum cum melle cocto imponito. Aliud. facit etiam ad omnes feruidas eruptiones: Myrrhæ trientem, aluminis liquidi ſextantem, aceti quantum ſatis eſt, præpara, & pernionibus non vlceratis, ac pruriginoſis feruidis eruptionibus imponito. Aliud. Succi vuæ acerbæ lib. vnam, thuris drach. tres, ceræ drach. ſedecim, coquito ſimul ad ſucci ferme conſumptionem: deinde in mortario ſubige, ac vtere. Aliud, valde inſigne ad reliquas quoque inflammationes commodum: Ceruſſæ, ſpumæ argenti, aluminis liquidi, ſing. lib. vnam, myrrhæ, thuris, ſingulorum quadrantem, ouorum aſſatorum vitellos ſedecim, adipis ſuilli veteris lib. vnam. arida cum aceto terito in quo malicorium decoctum eſt, & vbi ſtrigmentitiam compagem habuerint, adipem adiicito, ac ſimul probè ſubigito, & in plumbeo vaſe ſeruato: vſu verò poſtulante, roſaceo aut myrteo oleo diluito ac illinito.

Aliud. Hyoſcyami ſuccus aſſiduè illitus, eodem die inflammationem ac dolorem ſedat. Aliud. Allium in oleo torreto, eóque abiecto, & cera ad oleum addita, ceratum facito ac imponito. probè facit etiam amurca illita, & rhus coriarius. Cæterùm irrigationes circum perniones conueniunt: Radicis cyclamini decoctum, item rhois coriarii, betæ, ac lupinorum amarorum, marina aqua calida per ſe. verùm rapi decoctum reliquis omnibus præſtat. Aliud, ad vlceratos perniones efficaciſſimum: Ceratum roſaceum in magno rapo ad ollæ ſimilitudinem excauato, ad feruentem cinerem liquefacito: & adhibeto. Idem ceratum etiam in raphani radice liquefieri poteſt. faciunt & cancri fluuiatiles vſti, melle aut cerato excepti. Aliud. Vmbilicum Veneris & malicorium in vino coquito, & cerato roſaceo excipito. Aliud. Rutæ, medullæ taurinæ, roſacei, æquas portiones vnito. hoc etiam ad vlcera antiqua facit, & articulorum oſſa denudata. Aliud, perniones imminentes arcens: Atramēti ſutorii, florū mali Punici ſatiui, ſing. drach. IIII. aluminis ſciſſi drach. III. myrrhæ, thuris, ſing. drach. duas, ceræ drach. quatuor, adipis ſuilli drach. octo, olei myrtei quantum ſatis eſt. Aliud. Aluminis ſciſſi drach. decem, ſpumæ argenti drach. quatuor, myrrhæ drach. vnā, ouorum albumina duo. vino & oleo myrteo excipe, ac vtere. Aliud. Aluminis rotundi drach. quatuor, calcis viuæ drach. duas, ceræ vnciam vnam, roſacei aut myrtei olei trientem: præpara, ac vtere. idem & ad attritus facit. Aliud. Spumæ argenti drachm. decem, ceruſſæ drachmas tres, ceræ drachmas duodecim, adipis ſuilli recentis drach. viginti, ouorum aſſatorum vitellos duos, pollinis thuris drach. vnam. ſpumam argenti, ceruſſam, & oua cum aceto terito, deinde ceratum adiicito, ac præparatum ſeruato: vſus auetm tempore cum roſaceo dilutum adhibeto. Aliud, perniones ad cicatricem ducens. confert etiam ad papularum eruptiones, excoriatas intertrigines, & deſquamata: Ceræ, adipis ſuilli, ſingulorū drachmas octo, ſpumæ argenti, corticis pinus, ſingulorū drach. ſedecim, mannæ thuris drach. octo, roſacei quantum ſatis eſt. quidam plumbaginem pro argenti ſpuma ſumunt. Oribaſii hexapharmacum. Ad perniones vlceratos: Olei omphacini, taurini adipis, ſucci hyoſcyami, ſing. lib. vnam, ſpumæ argenti ſeſcuncem, colophoniæ trientem, mellis ſeſcuncem.

Ad digitorum pterygia ſiue reduuias, Cap. LXXIIII.

FErruginem cum aceto illine: aut aluminis, ſandarachæ, calcis viuæ, diphrygis, æquales portiones impone, & linteolū vino imbutū ac mollē ſpōgiā ſuperimpone. Aliud. Squamæ æris, malicorii, caricarum leniter aſſatarum, æquales partes melle excipe, & loco prius ex ſpiſſamentorum adſtringentium decocto rigato impone, & quod de pterygio exareſcit depurga. Aliud citò reſiccans ac curans: Soreos vſti, thuris, ſing. drach. II. æruginis raſæ drachm. I. cum melle tere, & ſuper ipſum pterygium impone. facit & ad reliqua horum locorum vlcera maligna, nigredines & putredines. Oribaſii Zopyrios ad pterygia: Aluminis rotundi acetabulum in fictili exurito, & ad tritum aceti cyathum hoc eſt ſextātem, admiſceto, & mellis quadrantem, & hæc ſimul pterygiis imponito. Aliud bonum. Cimoliæ toſtæ drach. octo, pumicis vſti drach. quatuor, æris vſti, gallarum, ſing. drach. II. præpara, & vtere. Aliud ad pterygia putrefacta, & vlcera pudendorum: Thuris drachm. quatuor, ſquamæ æris drachmas duas, æruginis raſæ drachmas quatuor, mellis quadrantem, terito ad ſolem donec flaueſcant, & loco ex vino prærigato impone, & linteolum ex aqua expreſſum, as ſpongiam ſuperimpone. ex huius vſu magnum ſuc-

ceſſum

ceſſum habui. Aliud. Hoc per triduum citra mordacitatem ſanat. Caricarum pinguium toſtarum, vt probè teri poſſint, drachmas duas, miſyos Cyprii drachmas duas, ſquamæ æris drach. duas, mellis quantum ſatis eſt, præpara & vtere, ac miraberis. Ego verò ſquamam æris per ſe tritam adhibui, & linteolum è vino expreſſum ſuperimpoſui. Oribaſii ad pterygia. Gallarum, auripigmẽti, atramenti ſutorii, æquales portiones vnito, ac vtitor. Aliud. Æruginis drach. IIII. mannæ ſiue pollinis thuris, ſulphuris viui, ſing. drach. II. Vtere etiã paſtillo Muſæ velut admirando, linteúmque è vino expreſſum ſuperimpone. Aliud ad pterygia experimento conſtans. Gallam nõ perforatam cum carie ligni quercini tritam inſperge.

Ad paronychias, id eſt vnguium abſceſſus, Cap. LXXV.

AD paronychias incipientes priuſquam ſuppurentur, ſiue in manuum ſiue pedum digitis fuerint, lanam ex aqua frigida imbutam imponito, aut per linteolũ ex aqua expreſſum aſſiduè refrigerato. Aliud. Thus & gallam cum melle trita, ſimul aut ſeorſim imponito. Aliud. Folia myrti trita inſpergito, aut ceratũ myrteum imponito. aut ſordes aurium aſſiduè illinito, & ſanabis. At ſi fuerint inflammatæ, panem aqua madefactum cum roſaceo adhibeto. Aliud. Oliuæ folia tenera imponito. Aliud. Cadmiam tritam inſpergito. oportet autem carnem vndiquaq; ab vngue diſparare, linamentis conuulſis è linteo interpoſitis, & probè adhibita medicamenta alligare. poteſt etiam ſpodium ſimili modo inſpergi. Aliud ad paronychias exulceratas. Æruginis, ſpumæ argenti, ſing. drach. IIII. ſarcocollæ drachmã I. terito & largè inſpergito. aut farinam erui adhibeto. Carnem item eodem modo velut dictum eſt diſparato, & linteum ex vino expreſſum, itémque ſpongiam vino imbutam ſuperimponito. hoc ego ſæpe vti ſoleo. Aliud quo vtor. Nitri, ſquamæ æris, pumicis vſti, ſingul. vnc. I. cimoliæ quadrantem. omnia cum aceto & modico melle terito, & paſtillos formato: vſus autem tempore aqua diluito, & adhibeto linteo exceptum. Vtor etiam paſtillo inſigni, quã iridem vocant, cum vino diluto, qui ſic præparatur. Aluminis liquidi dr. C. croci, myrrhæ, ſing. dr. VIII. (quidã etiã aloes dr. VIII. adiiciũt.) Subigito ac formato paſtillos, ac vtitor cũ vino, & linteũ ex vino ſuperliga. prodeſt & Muſæ paſtillus, ac reliqui eius generis. At verò depaſcẽdo iã proſerpẽtes ſiſtes, auripigmẽto vſto trito vbertim inſperſo, & linteo è vino expreſſo ſuperimpoſito. Ego verò ſandaracham & auripigmẽtum, æquis portionibus ſimul trita adhibeo. & ſi cicatricem inducere oportet, eadẽ terebinthina liquida excipio ac adhibeo. Quòd ſi ſuppuratæ fuerint paronychiæ, primùm ipſas perforabis, & humorem exprimes, & deinde lenticulam cũ melle impones. Aut roſas virides, aut ſiccas aqua madefactas tritas adhibebis.

Ad contuſos vngues, Cap. LXXVI.

MYrti & mali Punicæ folia tenera impone. Aut felle tauri euacuato, in ipſam fellis veſicam vnguem indito, ac ſinito donec perfectè ſanentur. Aliud. Sal foſſile cũ aqua & oleo tritũ illinito. eſt enim efficaciſſimũ.

Ad ſubcruentos vngues, Cap. LXXVII.

PIcẽ ſiccam liquefacito, & cum farina mixtã apponito. præſtat tamẽ ſubcruẽtatũ vnguem in medio perforare, ac cruorem ſubterlapſum exprimere. ſi enim perſtiterit, putreſcet, & vlceris difficulter curabilis cauſam exhibebit.

Ad motos vngues, Cap. LXXVIII.

VNgues ex aliqua offenſa motos, & pungitiuo dolore affectos, caricæ cum melle tritæ mitigant. Quòd ſi dimidium vnguis exciderit, nitrum aut ſalem cum pari fellis vitulini menſura miſce, adhibe, & ſanabis.

Ad ſcabros & leproſos vngues, Cap. LXXIX.

ADipem ouillum emollitum, & ſuper linteum extenſum adhibeto, ac tertia die ſoluito, & ſi mollem vnguem repereris, deradito: & eundem rurſus imponito, & tertia die ſolutum ſimiliter deradito. atque hoc tandiu facito donec integra ſanitas accedat. Aliud. Thus tritũ adipe ouillo excipe, ac vtere velut dictum eſt. Aliud valde bonum: Alumen ſciſſum anſerino adipe excipe, ac vtere velut dictum eſt. Aliud, ex cuius vſu ſucceſſum ſentio: Maſtichen Chiam in aquam feruentem coniectam ac emollitam, vngui impone, ac obliga, & tertia die ſolue, & deraſo vngue rurſus impone. atque hoc facito vſque ad perfectam reſtitutionem. Aliud. Hordei farinã cũ pice ad emplaſtri formã coquito ac imponito velut dictum eſt. Aliud. Gummi drachmas ſex, lacrymæ oleaſtri drachmas quatuor, atramenti ſutorii drachmas tres. gummi & lacrymam aceto diluito, & adiecto atramento ſutorio in olla ad prunas ad compagem coquito, & deraſis vnguibus apponito & alligato, ac tertia die ſoluito, & vngue deraſo rurſus imponito, idque tandiu facito donec vnguis excidat. Aliud. Auripigmentum colore aureo, & ſandarachã æquis portionibus probè terito, terebinthina ad emplaſtri formam excipito, & imponito; vbi prius per vnum atque alterum diem, farinam ordeaceam cum aceto & ſylueſtris cucumeris radice tritã adhibueris. Tertia verò die ſimiliter ſoluito, ac tandiu repetito donec vnguis excidat. cauendum eſt autem ne locus oleo attingatur. Aliud. Sandarachæ, auripigmenti, chalcitidis, myrrhæ, thuris, ſing. drach. II. farinæ lolii drachmas ſex, terebinthina excipito & adhibeto. Aliud, auferens vngues citra exulcerationem: Bituminis drach. II. ſulphuris viui, ſandarachæ, auripigmenti, ſing. drach. I. Excipe terebinthina & vtere, ac per ſeptimum diem ſolue, deraſóque vngue, rurſus nouũ impone, atque vbi vnguis exciderit, ceratum myrteum cui aliquid eiuſdẽ medicamenti admixtum eſt applica. Aliud. Calcem viuam cum oleo, aut maſtichẽ cum opobalſamo imponito. Poſtquam autem morbus occalluit, & præſcripta medicamenta nihil proficiunt, excoriatoria nunc referẽda ſtatim adhibeantur. Excoriatorium leproſi vnguis, callos, verrucas, & clauos auferens. Cantharidas numero XV. ſulphuris viui, chalcitidis, ſingulorum drach. I. allii depurgati nucleos nouem. omnia probè trita terebinthina excipito. Vſus autem tẽpore partes vngui vicinas miti aliquo medicamento munito, & excoriatorium hoc pelliculæ veſicæ bubulæ illitum adhibeto, & poſtridie ſoluito, bulláſque exortas rumpito, & ſi ſubiacẽtibus locis ſordes inhæſerint, panem cum aqua mulſa aut lenticulam cum melle illinito: & deinde vlcera repurgata, cerato ex anſerino adipe, thuréque ex cerato parato, curato. Aliud excoriatorium: Naſturtii, ſinapis, ſulphuris viui, nigellæ, cantharidum, atramenti ſutorii, æquales portiones ex aceto probè tritas terebinthina excipito, & velut diximus vtitor. Aliud Oribaſii, leproſos vngues exterens: Propolis, ceræ, bituminis, ſing. drach. II. ſulphuris viui drach. I. præpara: & oleo, ne inquinetur. vſu autem expetente, calefactum vnguibus imponitur. Aliud eiuſdem. Atramentum ſutorium & ſulphur viuum ſufficiente viſco excipe, & corio inductum adhibe. Aliud. Picem liquidã, cerã, colophoniã, ammoniacũ thymiama æqualiter miſceto ac imponito. Aliud. Ceræ, colophoniæ, terebinthinæ, ſulphuris viui, ſtaphidis agreſtis, nitri, ſing. drach. II. ſandarachæ, cãtharidũ, ſing. dr. I. cedriæ quãtũ ſatis eſt.

Ad reparandos vngues, Cap. LXXX.

MYrrhæ drach. octo, aluminis ſciſſi drach. IIII. panis hordeacei ſicci drach. I. excipe melle, & impone.

Aliud ad vngues ægrè orientes: Betæ agreſtis ſemen cum aceto tritum imponito. Aliud. Polium cum adipe vitulino & terebinthina tritum adhibeto.

De anulis digitis impactis, Cap. LXXXI.

ANuli aliquando digitis impinguntur, quum circulus ipſorum anguſtior, violenter illorum partibus craſſioribus fuerit adactus, atque hoc tum maximè cõtingit, quum homo cibo ac potu diſtentus, prona ac pendula manu ſopitus decubuerit. Ita enim manuum extremitates longè magis intumeſcunt, quàm ſi erigantur. Aqua igitur & oleo, aut maluæ decocto, manus largè perfundatur: nam parca perfuſio tumorem magis auget. deinde anulus leuiter verſatus detrahatur. Quòd ſi perfuſio nihil effecerit: filum craſſius contortum accipito, & alterum eius caput ſub anulum ponito, & reliquum totum digito laxè circumligato, & poſtea caput fili anulo

ſuppoſitum ſurſum trahito:filo enim attracto, anulus deorſum procedet. Quòd ſi neque ſucceſſerit, ſpecilli partem latiorem ſub anulum ſubmittito, & anulum vtrinque prope ſigillum per ſpatham incidito, & filo lineo vtrinque circumdato anulum attrahito. & conſequēter lanam vino & oleo imbutam mitigandi gratia adhibeto.

Ad clauos, Cap. LXXXII.

CLauus, rotundum eſt tuberculum album, claui capiti ſimile, plerunque in calcaneis ac plantis pedum enaſcens, & in gradiendo dolorem inducens ad durioris alicuius rei occurſum. ſed & in ſummis manuum digitis ſæpiſſime oriri ſolet. Huius itaque tollendi gratia ſectionem & vſtionem recuſamus, quoniā hæ partes neruoſæ ſunt, ac ſubtili ſenſu præditæ. Vtimur autem vſtoriis medicamentis huiuſmodi: Cantharidum pectuſcula xv. ſulphuris viui, chalcitidis crudæ, ammii, ſing. obol. III. ſing. ſeorſim terito, & pice liquida ſiue terebinthina ad emplaſtri formam excipito, atque vtitor hoc modo: Caput claui & circumſitum eius ambitum deradito, & ſplenium inflammationi arcendæ idoneum, glutinoſum, in medio exciſum, quantum claui totius ambitus patet, adhibeto, & tunc ſplenium ex relato medicamento, ſuper ipſum clauum, ad glutinoſi ſplenii cæſuram imponito, & forinſecus charta integito, ac rurſus aliud linteolum cuſtodiæ gratia ſuperligato, atque ita per biduum aut triduum, ægrū quietū dimittito, idémque ſæpe repetito, donec clauus à ſubiecta carne prorſus diſceſſerit. Clauo verò ſublato, deraditur planta, & rurſus adhibetur emplaſtrum donec vlcus fuerit explanatum. Aliud. Deraſo prius ac repurgato loco, ſicut diximus, ſuccum Cyrenaicum: vel ſi is deſit, laſer cum nitro ficus pinguiſſimæ carne vel terebinthina excipito ac imponito. Aliud. Lupinos crudos vſtos melle excipe, & circumraſo ac depurgato clauo impone. aut gallinaceum ſtercus vſtum melle exceptum. aut nigellam cum aceto tritam, eodem modo adhibe. Aliud. Clauum circum circa repurgato, & ſuccum Cyrenaicum probè tritum, aut laſer vbertim adhibeto: & deinde ſplenium è melle eodémque ſucco illitū apponito. hoc etiam ad ſtrumas facit. Aliud. Repurgato clauo fabam freſam, aut lomentum fabaceum aceto coctum apponito. idem ad cicatricem perducit. Aliud. Clauo repurgato atramentum ſutorium læuiſſimè tritum inſpergito, & linteo alligato. Aliud, clauos è manibus ac pedibus tollens. Fimum columbinum in acer rimo aceto ad cerati compagem coquito, & clauo repurgato imponito. & per biduum aut triduum funditus tollet. Aut circumraſo ac repurgato clauo, ex erodentibus medicamentis ſuprà relatis aliquod adhibeto. Aliud, clauos digitorum citra moleſtiam auferens. Maſtichen nigram Ægyptiam in aceto coquito, atque ita calidam adhibeto.

Ad plantarum rimas, Cap. LXXXIII.

IN plantis quoque rimæ oriuntur, gradientes magis infeſtantes. Planta igitur aſſiduè ſcalpi debet, & hæc medicamēta adhiberi: Picem liquidam admixta cera, ita vt ceræ pars vna ſit, picis verò liquidæ duæ, illinito. Aliud. Squillæ medullam in oleo coquito, & cum terebinthina tritam imponito: aut etiam abiecta ſquilla, terebinthinam in oleo liquato, ac vtitor. Aliud. Cancrorum fluuiatilium vſtorum cinerem cum melle ſubactum impone, vel oleo diſſolutum rimis præſcalptis inſtilla. Aliud. Malicorium aceto coctum per dies quinque imponito, indéque purgatis calcem cum oleo adhibeto. Aliud. Cornu caprini vſti cinerem liquida pice aut terebinthina excipito, ac vtitor. Aliud. Amurcæ in æneo vaſe ad mellis compagem coctæ cyathum vnum, ace ti cyathum vnum, ſquamæ æris, pollinis thuris, ſing. drachmas II. lanæ ſuccidæ teneræ manipulum vnum. lanam tædæ obuolutam vrito, ac reliquis aridis admiſceto: amurcam verò cum aceto ad mellis compagem coquito, & illis adiicito. vtere hoc ad vulnera quidem cum vino diſſoluto: ad plantarum verò ac pudēdorum affectiones cum paſſo. Aliud, ad pedum rimas: Porcinum adipem ſale inueteratum calidum aſſiduè inſtilla. Aliud. Spumam argenti, colophoniam, mel, oleum, æquis portioni-

A bus præparato. hoc etiam ad reliqua caua vlcera facit.

Aliud ad pedum rimas, quod labiorum quoque duritiam emollit. Ceruſſæ drach. II. ſpumæ argenti drachm. x. myrrhæ drach. I. ouorum candida duo. vino odorato paulatim inſtillato terito, ac vtitor. mihi verò etiam oleū adiiciendum videtur, vt pinguis compages fiat. Et valde probo commune illud quod è melle paratur, & mellis, ceræ, olei, ſpumæ argenti, æquales portiones recipit. Nam hoc ad omnes pedum ac manuum exulcerationes facit, ſiue in vola, ſiue intra digitos fuerint, & præſertim ſi pro-

B pe vngues extiterint. Ad calcaneorum præterea intertrigines ex calceamentorum attritu obortas, & ad attritus ex longo decubitu factos, quales ſæpe in cubitis ac coxis viſuntur eorum qui diutino morbo laborauerunt: hoc me dicamento ſæpe proſperè vſus ſum. neque enim ſimile habetur, præſertim ad os ſacrum & femora & longo decubitu attrita, ac vlcera. Aliud floridum ad rimas. Calcis viuæ drachmas decem, ceruſſæ drachmas viginti, ceræ drachmas triginta, adipis ſuilli recentis ſeptuncem, colophoniæ dodrantem, ſucci ſeminis lini cyathum

C vnum, olei dulcis quincuncem. ceruſſam & calcem cum ſucco terito, & ad ceratum frigefactum admiſceto, & loco prius purgato adhibeto. hoc præ omnibus teneram plantam efficit: ad reliqua verò vlcera ob fœtorem improbatur. Aliud. Amurcæ, mellis deſpumati, ſing. drach. II. aluminis phorimi drach. I. hoc etiam gingiuas purgat ac firmat.

De crurum ac reliquarum partium varicibus, Cap. LXXXIIII.

D VAriees appellantur venæ dilatatæ, quæ aliquando circa teſtes, aliquando circa crura ampliantur. ſed qui in teſtibus fiunt, chirurgiam difficulter admittūt: qui verò alibi conſiſtunt, hoc modo curari ſolent: Primùm ſimplex ſectio fit cutis vaſi adiacentis, deinde vas ab ambientibus corpuſculis ſeparatum cæco vncino attrahitur, ac lineo funiculo ſupernè deligatur, & non aliter quàm in venæ ſectione fieri ſolet, vas inciditur, & euacuato ſangui ne quantum opus eſſe videtur, ſuperior pars conſtringitur, & poſtea totum quod ampliatum fuerat amputatur. Peracto opere, ſectio polline thuris impletur, & ſplenio ac

E linteo impoſito deligatur. Æger autē quieſcere iubetur, ſeruato accliui partis ſitu, ne ſi decliuis iaceat, humores ad ipſam confluant. Poſtea curationis ductus ad puris generationem dirigitur, & reliqua cura vlceribus communis adhibetur. atque hæc compendiaria at ſecura curatio eſt. Quidam verò vſtionem malunt, & per lati digiti ſpatium cauteria vaſis adhibent. & vbi cruſta exciderit, vlcúſque incarnatum ac cicatrix inducta fuerit, locum roborant. Alii varices incipientes talibus medicamentis

F prohibere conantur. Emplaſtrum citra moleſtiam reficiens, etiamſi vlcera manantia in ipſo varice fuerint: Bituminis Iudaici ſeſquilibrā, olei vetuſtiſſimi beſſem, terebinthinæ liquidæ ſeptuncem, ſulphuris viui trientē. bitumen ad cicerum magnitudinem craſſius contuſum, in oleo donec liqueſcat coquito, deinde adiecta terebinthina ſimul coquito donec nō amplius inquinēt, & ſublato ab igne medicamento ſulphur tritum inſpergito, atque ſimul omnia in mortarium frigida aqua plenum iniicito, & probè ſubactis vtitor.

G

De brachiorum ac crurum dracunculis, Leonidæ, Cap. LXXXV.

QVI appellantur dracunculi, lumbricis ſimiles ſunt, & aliquando magni, aliquando parui reperiuntur: frequentius quidem in cruribus, quandoque verò & in muſculoſis brachiorum partibus conſiſtentes. Naſcuntur autem hi in Æthiopia ac India in pueris præcipuè, éſtque ipſorum generatio non diſſimilis lumbricis latis ventris. Sub cute enim mouentur nihil moleſtiæ afferentes, verùm temporis progreſſu circa dracunculi extremitatem locus ſuppuratur, & cutis aperitur, ac dracunculi caput ex-

H eritur. Quòd ſi dracunculus attrahatur, vehementem dolorem inducit, præſertim ſi nimia tractus violentia fuerit ruptus. Nam quod relinquitur, moleſtiſſimos dolores infert: proinde vt ne recurrat animal, valido filo brachium conſtringere oportet, & quotidie hoc

moliri, vt dracunculus paulatim progrediens conſtrictione quidem includatur, nequaquam autem abrumpatur. Locus itē aqua mulſa, & oleo in quo abſinthiū aut abrotonū coctū eſt, aut alio quodā ex iis quæ ad alui lumbricos deſcripſim⁹, irrigādus eſt. omnia tamē acria vitāda, propter periculū inflāmationis. Cataplaſmata quoque laxatoria ac ſuppuratoria è farinis cū aqua mulſa & oleo præparata adhibeātur. Quòd ſi dracūculus ſpontè progrediēs facilè extrahi poterit, nihil amplius faciendum eſt: ſin ad

A ſuppurationem vertetur, à cataplaſmatis, & aquæ mulſæ ac olei rigatione non eſt diſcedendum. Nos verò emplaſtrum è baccis lauri, poſt cataplaſmatum ablationem, imponere ſolemus. Facta verò ſuppuratione, cutis per longitudinem diſſecetur, & dracunculus denudatus auferatur, & cutis linamentis inditis diſparetur, & reliqua curatio ſuppuratoria adhibeatur, ita vt animali ſuppurato & extracto, vlcus incarnetur, & ad cicatricem perducatur.

INDEX EORVM QVÆ IN TERTIO SERMONE Tetrabibli quartæ Aetii habentur.

DE tumoribus laxis, Cap. I.
De inflatione, Cap. II.
De tumoribus induratis, Cap. III.
Tendinum ac ligamentorum induratorum curatio, Cap. IIII.
De ſtrumis, Cap. V.
De brōchocela, hoc eſt gutturis tumore, Cap. VI.
De pultacei ac mellei humoris tumoribus, Cap. VII.
De ſteatomatibus, hoc eſt tumoribus adipoſis, Cap. VIII.
De ganglio, Cap. IX.
De vaſorum dilatatione, Cap. X.
De ceriis hoc eſt fauis, Cap. XI.
Emplaſtra ad cruenta vulnera glutinanda, & ad multos vſus commoda, Cap. XII.
Emplaſtra cephalica, & ad fracturas, & ad multa, cōmoda; & de iuſto eorum vſu, Cap. XIII.
Emplaſtra emollientia ac diſcuſſoria, ad multa commoda, Cap. XIIII.
De emplaſtro ex aſpidibus Cap. XV.
De emplaſtro aniceto, Cap. XVI.
Emplaſtra ruptoria, Cap. XVII.
Emplaſtra diſcuſſoria & attractoria Cap. XVIII.
Emplaſtrum Nechepſonis è cupreſſo, Cap. XIX.
Apochymatis præparatio, Cap. XX.
Cerata vtiliſſima Cap. XXI.
Heptapharmacum laxans, ſuppurans, incarnās, Cap. XXII.
Enneapharmacum, Hori Mendeſii, Cap. XXIII.
Emplaſtrum Philoſophi, Cap. XXIIII.
Œſypi præparatio, Cap. XXV.
Emplaſtrum Manus appellatum, Cap. XXVI.
Emplaſtrum Bromium appellatum, Cap. XXVII.
Emplaſtrum ex ouis, Cap. XXVIII.
Parhygrum Galeni, Cap. XXIX.
Emplaſtrum ex ouis, Oribaſii, Cap. XXX.
Parhygrum, Oribaſii, Cap. XXXI.
Emplaſtrum roſaceum inſcriptum Cap. XXXII.
Emplaſtrum phycotyche appellatum Cap. XXXIII.
Emplaſtrum ſphærium appellatum, Cap. XXXIIII.
Emplaſtrum pentatheton, Cap. XXXV.
Emplaſtrum ex ochra, Cap. XXXVI.
Emplaſtrum telamonium, Cap. XXXVII.
Pilarium ex recremento argenti, Cap. XXXVIII.
Emplaſtum ex pompholyge Cap. XXXIX.
Emplaſtrum rutaceum, Cap. XL.
Ceratum è perdicio, Cap. XLI.
Ceratum è ſucco betæ Cap. XLII.
Ceratum ex ſandyce, homo appellatū, Cap. XLIII.
Emplaſtrum ex alliis, Cap. XLIIII.
Emplaſtrum è ſquilla, Cap. XLV.
Emplaſtrum ex pompholyge, Heræ Cappadocis, Cap. XLVI.
Emplaſtrum nigrū, eſſentia appellatū, Cap. XLVII.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDIcinæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis quarti Sermo tertius.

De tumoribus laxis, itémque duris: & de ſtrumis, & emplaſtrorum multi vſus compoſitione.

De tumoribus laxis, Cap. I.

QVEMADMODVM ab influxu bilioſo eryſipelas, *hoc eſt ignis ſacer*, ita à pituitoſo tumor laxus, quem œdema *Græci* vocant, generatur. Eſt autem tumor hic citra dolorem, flatuoſum ſpiritum cōtinens, velut à vaporoſo humore prognatus. Solent etiam aliter tumores laxi fieri, circa pedes præcipuè, in hydrope, ac tabe, & malo corporis habitu: qui ſi digitis premantur, cauus locus fit. & hi in quibuſdam etiam faciem occupant. Verùm hi tumores acceſſio ſunt aliarum affectionum, & nullam propriam ac præcipuam curam requirunt. ſufficit enim ipſis frictio, aliquando per acetum ac oleum roſaceum permixta, aliquando per oleū & ſalem. poteſt etiam ſal ad acetum oleo roſaceo permixtū adiici. At ſi ob pituitoſi humoris influxum in parte aliqua laxus tumor conſiſtit, ſpongia poſca imbuta ac impoſita, & leui adſtrictione alligata, quæ ex infernis partibus initium ſumat, & in ſupernis deſinat, affectionē quādoque ſedauit. Oportet autem ſpongiam eſſe nouam: ſi verò talis non adſit, expurgāda eſt nitro vel ſpuma nitri, & lixiuio. Quòd ſi neque ſic tumor deprimatur, parum aluminis ad poſcam adiicies. Aptum eſt & Tarſicum ellychnium, aut aliud molliſſimum, eodem humore imbutum ac impoſitum. Confert & glaucium, & collyrium ex eo paratum. ſordes item lucernarum aqua mulſa dilutæ vtiliter adhibentur. Cæterùm diuturnos tumores laxos oleo præillitos, & ſpongia noua ex lixiuio ſuperimpoſita, violentius conſtrictos ſanabis. Diſcutit item ac compeſcit laxos tumores terra omnis illita, & præſertim quæ in lentibus reperitur, ad ſalem adhibita, velut Sermone ſecundo retulimus. item iſatis hortenſis ac ſatiua.

De inflatione, Cap. II.

FLatuoſus ſpiritus aliquando ſub cute, aliquando ſub pelliculis oſſa aut muſculos ambientibus colligitur, & inflationem parit: aliquando etiam circa viſcera vētrémque ac inteſtina coaceruatur. Si itaque viſcera inflata fuerint, ſatis conſtat ex vitioſo victu malum eſſe obortum: in muſculis autem contingit præcedente plerunque contuſione. Súntque huiuſmodi muſculorum affectiones curatu difficiles, quoniam in omnes ferme muſculi partes flatuoſus ſpiritus diſpergitur, conſtringitúrque ac intercluditur ab ambientibus pelliculis, & plurimis aliis corpuſculis vſque ad cutem prætenſis. Ad vētris ergo ac inteſtinorū & viſcerū inflationes, oleū tenue efficax eſt, in quo ruta aut cyminū, aut apii ſemen, & alia attenuātia ac

calefacientia coctum eſt, ſi aut irrigetur, aut per clyſterē infundatur. Magna etiam cucurbita circa vmbilicum abſque ſcarificatione appoſita, tam citò hominem à moleſtia liberat, vt admirabilis ſit ea celeritas, & incantationi ſimilis. At verò muſculis ex contuſione inflatis, ex calidorum & acrium vſu partes exacerbantur, & auctis inde inflammationibus, muſculi magis læduntur, ac dolores intenduntur. Mixtas itaque facultates habere oportet ea quæ inflatis muſculis adhibentur, præſertim ſi contuſio fuerit aliquantulum inflammata. quapropter in principio mitigatoria augenda ſunt: in declinatione verò diſcuſſoria. Neque repentè ab alteris ad altera tranſeundum eſt: ſed paulatim mitigatoriis detractis, diſcuſſoria augebimus. Mitigatoria verò in huiuſmodi affectionibus ſunt, ſapa, & œſypus, modico oleo adiecto: diſcuſſoria autem, acetum, nitrum, ſpuma nitri, & lixiuium. Et in principio quidem ſolam ſapam cum modico oleo, & aliquādo vino adhibemus, vt ne omnino repellēdi vi careat, & hæc omnia lana ſuccida excepta: quæ ſi nō adſit, œſypū reliquis quacūq; lana exceptis admiſcemus. præ omnibus verò curandum eſt vt hæc calida permaneant, neque ſinantur donec frigefiant. forinſecus itaque calida lana adhibeatur, & vbi calorem eius æger amplius non percipit, noua ſtatim applicetur. Mitigato autem ægroto, acetum aut nitrum admiſcebimus: copia ipſorum paulatim aucta. At verò neglectas & antiquatas inflationes primùm lixiuio fouebimus: deinde emplaſtrum quoddam molliēs ac diſcutiens imponemus, quale eſt hoc: Strigmenta feruefacta excolato, vt pura fiant, & rurſus in ollam mittito, & calcem viuam velut farinam tritam infarcito, vt lutoſa compages medicamenti euadat, & vtitor. Hoc verò adhuc efficacius eſt pharmacum ex ſycomoris compoſitum.

De tumoribus induratis, Cap. III.

INdurati tumores laxis opponuntur. Laxorum enim nota eſt vt appreſſis digitis cedant, & cauus locus fiat: durorū verò tumor pertinax eſt, & ad tactum renitens, & ad ſenſus difficultatem inclinat, vt tādem hi loci in quibus eſt, ſenſus exortes fiant, & ad oſſis duritiam perueniant, & nullam omnino curationem admittant. ſed & pili in ipſis oriri ſoliti, minimè nutriuntur, & exactè glabri fiunt. Duri itaque tumores aliquando ſtatim ab initio conſiſtunt ac augentur, aliquando verò à medicis inducuntur qui inflammationes ac eryſipelata vehementer perfrigerarūt ac adſtrinxerunt, quum tamen tranſacto principio diſcuſſoria adhiberi debeant. At verò qui ex eryſipelatis fiunt, cutis duritiam ſaltem præ ſe ferunt: qui verò ex inflammationibus ſuccedunt, ſubiectas etiam carnes inuadunt, tanto profundius quanto inflammationes eryſipelatis ſunt profundiores. Inchoantibus ergo duritiis, & debilem aliquem ſenſum adhuc habentibus, medicamenta emollientia adhibebimus, quæ ſimul moderatè etiam diſcutiunt: & talia ſanè ſunt quæ & molliendi ac diffundendi vim habent. Nam quæ vehementer diſcutiunt, & ſine mollitione ſtatim euacuant, manifeſtè quidem tumorem imminuunt, reliquias verò affectionis incurabiles efficiunt. Diſcuſſis enim tenuioribus humoribus, quod exactè terreum ac ſolidum eſt, pertinaciter reſtitat. quapropter in hunc vſum medicamenta adhibenda ſunt, quæ molliendi ſimúlque diſcutiendi vires habent. Primùm igitur mollientibus vtemur, deinde ad diſcuſſoria procedemus, eáque mollientibus paulatim miſcebimus. Conſiderandus tamen eſt & curandi corporis habitus, & affectionis ſtatus quantum proceſſerit. Hæc verò ſi rectè conſideraueris, coniecturalem quidem, non tamen penitus arte carentem, peritiam acquires: prima enim die ſtatim mollientia adhibebis, altera deinde aut tertia tranſacta, facilè intelliges an augere aut remittere medicamenti vim oporteat. Præſtat autē tū ad hos vſus, tū ad reliquos, ſi rectam curationem peragere velimus, oppoſita medicamenta, validiſſima videlicet ac mitiſſima, præparata adſeruare, quò pro affectionum diuerſitate diuerſæ mixturæ fieri poſſint. Ad duros itaque tumores molliendos caprinus bubulúſque adeps commodus eſt. At ſicut taurinus ac hircinus validiores ſunt, ita hœdinus ac vitulinus

A imbecilliores, & ſuillus debiliſſimus. Sed his omnibus præſtant ad diſcutiendum, non autē molliendum, leoninus, pantherinus, hyænæque ac anſeris. gallinaceus autem inter ſuillum ac anſerinum medius eſt. At inter medullas prima eſt ceruina, deinde vitulina. Cæterùm reſinæ odoris non acris, his medicamētis admixtæ viſcoſitatem exhibent, nec tamen molliendi vim auferunt. Commodiſſima verò omnium reſinarū eſt terebinthina quæ Chia appellatur, & laricis reſina, liquoris compage nihil ab illa
B differens. deinceps verò pinea & abietina. Verùm ſicciores, qualis eſt reſina pin⁹ arida, phyſema priuatim appellata, nimium ſiccant, & propterea ad emollientium medicamentorum compoſitionem inutiles ſunt: ſed terebinthina ac laricina eligendæ. Pix quoque Brutia quum eiuſdem facultatis ſit, in eoſdem vſus recipi poteſt, ſed aridiorem reprobamus, ſicut etiam bitumen. Habet & maſtiche Chia vim emolliēdi: Ægyptia verò maſtiche nigra, emollit quidem, ſed magis ſiccat ac diſcutit. Thus inſuper non expers eſt facultatis molliendi, itémque fœnigræci ſemē:
C hoc enim coctum mollire poteſt. quanquam thus quoque in mollitoriis medicamentis paululum eſt coquendum. Eiuſdem ordinis ſunt & balneorū ſtrigmenta, butyrū, althææ decoctū. media verò inter lenia & validiſſima, propolis eſt. Validiſſima autem appello, ammoniacum thymiama, bdellium, præſertim Scythicum reſinoſum, & colore nigricans: ſtyracem, maximè pallidum qui calamites vocatur, flauum item ac pinguem. Galbanum enim & opopanax ſuprā vim diſcuſſoriam, etiam molliūt: verùm galbanum molliendo, opopanax diſcutiendo præſtat. At-
D que huiuſmodi ſanè mollientium medicamentorum materia eſt. Tu verò libros adeptus medicamentarios, ſingulorum compoſitorum vires ex ſimplicibus expendes, quò varias pro maioris ac minoris ratione ipſorum differentias cognoſcas, & corporum ſimul ac affectionum differētias conſideres, atque ita fortia fortibus, & mitia debilibus adhibeas. Inter curandum autem affecta pars oleo calido foueatur, & glutinoſa medicamenta appoſita antequam ſpontè decidant, ne remoueantur: imò etiamſi lauādus ſit æger, omnino permittenda ſunt. A balneis tamen
E medicatis abſtinentiam conſulo, præſertim quæ aluminis, aut ſulphuris, aut æris qualitatem admixtam habent: hæc enim huiuſmodi affectib⁹ aduerſantur. Et hæc profectò ſufficere poſſent ingenioſis & in artis operib⁹ aliquatenus exercitatis viris. verùm quū nō omnes tales ſint, medicamenta quoq; vſu & experimentis cognita explicare oportet, initio ſumpto ab iis quæ ſummā molliendi vim obtinent, & paruis etiam inflammationibus commoda ſunt, quæ aliqua duritia participant. Horum autem ſimpliciſſimum eſt parhygrum appellatum, ex ceræ, butyri, &
F colophoniæ æquis portionibus cōſtans. deinde quod Mnaſeæ inſcribitur, & reliqua eiuſmodi. item helladicum mollitorium, & quod ex perna præparatur, & quod Lucio inſcribitur ad anchilopas, & reliqua quæ paulo inferius in hoc Sermone habentur.

Tendinum ac ligamentorum induratorum curatio, Cap. IIII.

TVmorum equidem induratorum emollitio ac diſcuſſio prædictis medicamentis perficitur, quæ emollientia appellantur. Quum verò partes quædam natura rario-
G res, quædam denſiores ſint, conſequens eſt vt ſingula propriis medicamentis priuatim opus habeant. Quapropter ad tendines ac ligamenta præſtabilius eſſe iudico, vt mollientibus medicamentis aliquid adiungatur quod incidendi vires habeat, inter quæ præcipuum eſt acetum. Affecta itaque parte commodis medicamentis præmollita, huiuſmodi fomentum ſæpe habuit ſucceſſum: Acerrimo aceto ignitum lapidem pyritem (ſi haberi poteſt) aut molarem ex quo molas faciunt, reſtinguo. Deinde ad excipiendum ſubſtrati lapidis calidum vaporem ab aſperſo aceto emergentem, ligamentum ſiue tendinem
H induratum adhibere iubeo ac commouere. hinc enim mirificè opem ſentit. Et poſtea rurſus medicamentum mollitorium impono, & paucis interpoſitis diebus idem fomentum rurſus repeto. Sæpe enim in hac ligamenti aut

tendinis admotione ac commotione, ita ab eleuato vapore duritia reſoluta eſt vt res incãtationi ſimilis videretur. In principio tamen affectam partem non aqua, ſed oleo plurimo quotidie largè perfundo. accipio autem oleum dulciſſimum adſtrictione penitus carens, in quo interdũ fœnumgræcũ, & althææ ac cucumeris ſylueſtris radicem, vel alicuius conſimilis coquo. Vtor præterea aceto etiã ad alias partes, quæ iãdiu medicamẽta alia expertæ ſunt. ſcio enim eſſe quædam medicamenta ex aceto parata, quæ poſt mollientium vſum per integrũ diem imponere ſoleo: deinde rurſus mollientia adhibere, & paucis interpoſitis diebus rurſus ex aceto præparata imponere. vis enim aceti per interualla locis iam præmollitis admota, craſſos & viſcoſos humores incidit ac diſſoluit, & hinc tales affectiones nõ leuiter iuuat. Verùm ſiquis adeò fortiter diſcutientibus plus æquo vſus fuerit, præſertim in principio, tenuiores quidem humores diſcutiet: reſiduũ verò ad lapideam naturã mutatum, loco impactum perſiſtet, ſupra hoc quòd nimius etiam eorum pharmacorum vſus, neruorum eſſentiam lædit. Quapropter neque frequenter, neque ab initio, neque duobus conſequenter diebus, medicamentis cum aceto præparatis, ad ligamentorum ac tendinum duritias vtendum eſt. Lienis tamẽ partibus duratis, tutus & commodus ipſorũ vſus eſt. & multi ſanè indurato lienis tumori ammoniacum thymiama cũ aceto ſubactum adhibẽt, & hoc ſolum ſæpe ad ſplenis indurati curationem ſufficit. Ego verò etiam carnoſarũ partium muſculis induratis, inter mollientia medicamenta, ammoniacum cum aceto adhibere ſoleo, & ſummam eius commoditatem deprehendo. At hoc etiam hîc vna tantùm aut altera die adhibendum eſt, & deinde ad mollientia reuertendum: & pluribus diebus interiectis rurſus ad medicamentum ex aceto tranſeundum, ſiue ammoniacum id ſit, ſiue aliud quoddã emolliens cum aceto præparatum. Molliens autem eſſe oportet, quod cum aceto paratur: ſiccantia enim primùm quidem prodeſſe videntur, ſed reſiduum poſtea incurabile efficiunt. Proinde inter emollientia frequenter hoc cataplaſmate vti ſoleo: Althææ radicem tritam ac anguſtiſſimo cribro excretam, adipe excipio ac appono. eſt enim medicamentum ad huiuſmodi affectiones efficax. ſit autẽ adeps anſerin9, ſi haberi poterit: ſin minus, gallinaceus. at ſi hic quoque defuerit, ſuillo vtemur. Sed & maluæ agreſtis vbique naſcentis folia aliquo relato adipe ſubacta vtiliter apponuntur: quæ ſi moderatè fuerint cocta, crudis erunt præſtantiora. talia enim pharmaca locis iam præmollitis adhibita, citra mordacitatem ac tutò diſcutiunt.

De ſtrumis, Leonidæ, Cap. v.

STrumas appellant *Græci* chœradas, à porcis, in quorũ gutture adenoſi quidam tumores reperiuntur ſtrumis ſimiles. alii à multiplici partu porcorum nomen deſumptum putant. Sunt autem ſtrumæ carnes ſubcandidæ, facilè augeſcentes, in membrana contentæ, & in ſumma, glandulæ induratæ, quæ in collo, ſub alis ac inguinibus oriuntur, vbi glandulæ vaſis ſubſtratæ ſunt. Aliquando etiam, ſed tamen raro, ex carne eorundem locorum fiunt, quæ affinitate quadam ad ſtrumarum naturam vertitur, & materiæ acceſſione augetur. Differunt ſtrumæ inter ſe, magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, & vaſorum complicatione. Magnitudine, quia aliæ paruæ, aliæ mediæ, aliæ magnæ, aliæ ingentes ſunt. Natura, quoniam aliquæ manſuetæ, aliquæ malignæ comperiuntur. manſuetæ, citra inflãmationem, citra dolorem, moderatam duritiã habẽt: neque enim molles ſunt velut tubercula adipoſa ſteatomata appellata, neq; duræ ſicut tumores indurati, ſed mediam quandam tactus proprietatem habent, & tumorem circumſcriptum rotundum ac æqualem: malignæ verò ſtrumæ, inflãmationes ac dolores pulſantes inducunt, & tumorem inæqualem præ ſe ferunt, in quo vaſa prominent, & ad manuum contactum ac medicamentorum impoſitionem efferantur. Loco autem differunt, quoniam quædam in anteriore colli parte, quædam ab altera ipſius parte, quædam ab vtraque oriuntur: quædã itẽ ſtatim ſub cute ſuperficiẽ habent, quædã circa magna ac nobilia vaſa penitus inſident. Ortu, quòd quædã velut eleuatæ, quædam inſertæ oriuntur. & eleuatæ quidem facilè huc & illuc mouentur: inſertæ verò ad contactum renituntur. Multitudine, quia & vna & plures generantur. Vaſorum complicatione: quædam enim venas ac arterias implicatas habent, quædam omnino non habẽt.

Paruæ igitur ſtrumæ facilius curãtur quàm magnæ, & manſuetæ citius quàm inflammatæ. at verò malignæ incurabiles ſunt. Quũ enim omnes huiuſmodi ſtrumæ cancerata ac vaſis refertæ ſint, ſi eas per chirurgiam aggrediaris, ſanguinis eruptionis periculũ imminet, ſupra hoc quòd penitus inſidentes reſcindi nõ poſſunt. Vaſa enim nobilia, venas videlicet iugulares & arterias carotidas appellatas, maligna ſtruma velut radices habet. Verùm pro loci ratione ſuperficiariæ, facilius curantur quàm profundæ. deinde & quæ in collo oriũtur facilius curãtur quàm reliquæ. vocales tamen neruos in his diligẽter vitare oportet: multi enim ſtrumas circa aſperam arteriam ſecantes, vocalibus neruis ſimul reciſis, hominem de cætero voce priuarũt. nã ſupra nerui reciſionẽ, vocalia inſtrumẽta denudata, & inter curãdũ perfrigerata, vocis actionem amiſerunt. Pro multitudine verò, certum eſt vnam facilius quàm plures curari poſſe: ſicut quantum ad ortũ attinet, lõgè citius curantur eleuatæ quàm inſertæ. Optima porrò ac compendioſiſſima ſanabilium ſtrumarum curatio fit per chirurgiã. Ægrum igitur proſtratum decumbere oportet. ſedens enim facilè animi deliquium incurret. Poſtquam igitur decubuerit, cruribus inter ſe cõpoſitis, caput à miniſtro detineatur. deinde cutis tumori incumbẽs recta vel obliqua ſectione incidatur. ſectio enim trãſuerſa collo incommoda eſt, quum vaſa & nerui rectà porrigantur. Neque vno impetu tota cutis craſſitudo diſſecetur. nihil enim violentè fieri debet. Et in paruis quidẽ tumoribus ſimplex ſectio fiat: in maioribus autem ad myrtei folii figuram cutem reſcindes, tum vaſa paulatim denudata ſepones, quæ quum naturali carne ſint candidiora, facilè diſcernes: poſtea ſectionis labia hamulis diſtendes, & pelliculas de ſtruma tum manu, tum ſcalpello detrahes. Quòd ſi inſerta fuerit, attentè res peragẽda eſt, ne per incuriam, ſanguinis eruptio fiat, atque ea gratia vnum tantùm ſectionis labium hamulis diſtendatur, & ita ſenſim à connexis corporibus per ſcalpellum ſeparetur. Et vbi ex vna parte cõnexa fuerint diſparata, in altera idem fiat. deinde tota baſis diligenter, propter neruos & vaſa ſubſtrata reſecetur. At in ſtrumis circa alas ac inguina ortis, ſectio trãſuerſa fit ob cutis reduplicationẽ. peracto opere, ſi ſanguis erumpat, medicamenta ſanguinem ſiſtentia ſuprà relata adhibeantur: ſin minus, ſectio thuris polline expleatur, & linamenta indantur, & lana vino imbuta adalligetur. poſtridie permiſſis ligamentis, locus vino & oleo perfundatur, & hoc vſque ad tertiam aut quartam diem fiat. Deinde ſoluatur, & ſuppuratio procuretur: & curatio reliquis vlceribus communis fiat. Ad repurgandum autem & incarnandum, ac cicatricem inducendam, theriaca efficaciſſima eſt. Cæterùm inchoantes ſtrumas tum in pueris, tum his qui chirurgiam non admittunt, medicamentis diſſoluere ac diſcutere conabimur. & ſanè curatio ipſarum ſimilis eſt ei quã ad induratos tumores paulo antè retulimus. primùm enim mollire, poſtea diſcutere oportet. Emplaſtrum ad ſtrumas. Strigmenta à palæſtræ parietibus deraſa ac probè ſubacta, ſuper linteolo extendito ac imponito. Aliud. Laſer, aut calcem viuam cerato cyprino aut irino exceptam imponito. Aliud. Sulphuris & galbani æquales portiones reſina excipito. aut clibani teſtam cum aceto terito, & velut ceratum efficito: aut corticem radicis mandragoræ cyprino aut irino cerato excipito. hoc equidem efficaciſſimum eſt.

Aliud, ſtrumas erodens: Sandaracham cum adipe caprino aut bubulo, aut calcẽ cũ eodẽ imponito: aut naſturtiũ cũ cerato. Aliud. Succũ Cyrenaicũ, aut, ſi haberi nõ poteſt, laſer cũ melle Attico ad cerati cõpagẽ illinito.

Aliud, rumpens ſtrumas. Pumex cum aceto tritus, ſtrumas rũpit ac deſiccat. Aliud. Semen naſturtii & lo-

mentum aqua ſubigito,& quotidie bis imponito.& poſt eruptionem eodem vſque ad exactam ſanitatem vtitor.

Aliud. Vrticæ ſemẽ cũ vino tritũ, rumpit, repurgat, incarnat,& cicatricem inducit. Aliud. Groſſos, præſertim caprifici, cũ axũgia imponito. omnẽ enim tumorem diſcutiũt. Aliud. Recrementũ ferri cũ oleo, aut bdelliũ cum melle, linteolo inducito, ac adhibeto: & quinq; diebus tranſactis ſoluito, & ſpongiis locum foueto, cauens ne oleo inquinetur. oportet autem bdellium ad prunas cum melle ſubactũ optimè diſtendi, atque ita applicari. Aliud. Pſyllii lomenti, ſeminis vrticæ pares portiones B pice liquida excipe, ac vtere. Aliud. Oſtreorum teſtas vſtas ac minutiſſimè tritas inſpergito, loco prius vino ex ore conſputo. atque hoc frequenter facito. Emplaſtra etiam adhibeantur, quæ paulo inferius deſcribentur. At quod ex achate lapide præparatur, ad ſuppurandum, rumpendum, perſanandum, commodiſſimum eſt. item quod pardalis appellatur, ſuperius ad hydropicos relatum. Strumis inſuper laborantes viperarum eſu magnopere iuuantur, quemadmodum de elephanticis diximus. item ſi laſer quotidie ieiuni ciceris magnitudine vorauerint. Aluum etiam facilè ſolubilem habere oportet, & tenui victu vti, vomitúmque frequenter ciere, & pituitam per os detrahere, ac caput reſiccare. Cataplaſmata quoque ſincipiti adhibenda ſunt quæ mediocres puſtulas excitare poſſunt, velut eſt capparis radix cum polenta, ac reliqua huiuſmodi. Smegmatis item ac puluillis eiuſdem facultatis vtendum eſt.

De bronchocela, hoc eſt gutturis tumore, Cap. VI.

BRõchocele appellatur tumor in gutture oriẽs: omnis enim tumor apud antiquos cele nũcupatur. nomen igitur cõmune eſt, ſed ſpecies tumorũ differunt. Quidã enim meliceris à melleo humore, quidam adipoſus, quidã pultaceus, quidam canceratus appellatur. Aliquando etiã propter localẽ vaſorũ dilatationẽ oritur, quomodo frequentiſſimè ex partu contingit, quum in vehementiſſimis doloribus puerpera ſpiritum violenter detinuerit. conſtátque vaſorum huius loci dilatationem incurabilem eſſe, quemadmodum etiam tumorem in ſcirrhum induratum, malignúmque ac magnitudine ingentem. Verùm reliqui omnes chirurgiæ ac medicamentis cedẽtes facilè ſanãtur. Chirurgia verò præſenti tumori cõueniens fit, ſiue meliceris, ſiue adipoſus, ſiue pultaceus tumor fuerit. At verò quæ gutturis tumores diſcutiũt, ſunt, bdellium cum melle tritum, calx cum axungia, laſer cum ſulphure, lixiuium cum melle, ſtercus caninum cum aceto. Aliud. Calcem viuam, ammoniacum, bdellium, teſtam clibani vſtam, æruginem, ſulphur viuum, paribus portionibus cum aceto terito, & axungia aut terebinthina excipito ac imponito. Aliud Adamãtii. Gallarum vnc. I. lapidis pyritæ drach. III. pyrethri drach. II. nitri dr. I. ſilphii ſeſquidrach. ſandarachæ drachm. II. terebinthinæ drach. II. ceræ, picis, ſing. drach. tres, axũgiæ veteris drach. duas, aluminis liquidi vnc. I. arida è vino ac ſapa terito, & liquabilia liquefacta admiſceto, ac vtitor. Aliud. Spumæ argenti, æris vſti, ſing. drach. VIII. olei antiqui dr. C. reſinæ pinus drach. XL. galbani, ammoniaci thymiamatis, ſing. vnciam vnam, aluminis ſciſſilis, mannæ thuris, ſing. drach. IIII. oleum cum ſpuma argenti coquito, & medio cocturæ tempore æs tritum inſpergito, & bullire ſinito donec non amplius inquinent. deinde liquabilia liquata adiicito, & ab igne ſublatis pollinem thuris ac alumen admiſceto, ac vtitor. Aliud. Silphii, ſimilaginis, ſing. drach. VIII. calcis viuæ drach. XVI. ſandarachæ drach. XII. mellis quantum ſatis eſt. præpara, ac vtere. Ad laxatos autẽ tumores qui ſub mento oriuntur, iridem Illyricam cum aqua tritam adiecta modica rubrica, ter ſingulis diebus illinito: eſt enim medicamentum inſigne.

De pultacei ac mellei humoris tumoribus, Leonidæ, Cap. VII.

ATheroma eſt tumor concolor, citra dolorem, in tunica neruoſa, humorem pulticulæ ſimilẽ quæ ex farina cocta fit, & athera *Græcis* appellatur, continens. Aliquan-

A do autem vnà cum pultaceo humore, lapidoſa quædam duráque corpuſcula, & alia tanquam ſulphuris ramenta reperiuntur: aliquando velut manſa gallinarum oſſicula. inuenimus etiam aliquando velut pilos craſſiſſimo humori complicatos. Philoxenus autẽ dicit, ſe aliquando reperiſſe animalia in humore culicibus aut muſcis paruis ſimilia. Eſt autem atheromatis tumor ſpecie & figura oblongus ſublatúſque, & ad compreſſionem digitorum, ob humoris craſſitudinem, tardè cedens, & amotis digitis tardè reuertens. Meliceris autem eſt pellicula neruoſa, te-
B nui humore inſtar mellis referta, ſimiliter citra dolorem conſiſtens, differens ab atheromate figura & humoris eſſentia. nam & figura rotundior eſt, & humoris eſſentia tenuior. & huius tumor magis extenditur, & ad digitorum compreſſionem celerius cedit, & amotis digitis pari celeritate reuertitur. Cæterùm pro chirurgiæ ratione nihil refert, ſiue pultaceus, ſiue melleus, ſiue fæculentus humor, aut cuiuſcunque eſſentiæ, fuerit contentus. Vnus enim ſcopus propoſitus eſt, vt tunica ſiue pellicula humorem continens auferatur. Sed id conſiderandum eſt quòd
C tumores quidam ſunt eleuati, & ad motum ac contactum expoſiti faciléque curabiles: quidam contrà inſerti, & ad motum non expoſiti, & in chirurgiæ aggreſſione ſummã diligentiam expetentes, propter imminentes ſanguinis eruptiones ac neruorum puncturas. Plerique enim chirurgi ob imperitiam, etiam neruos ſubſtratos cum huiuſmodi tumoribus recidunt. Chirurgiam itaque aggreſſuri, ægrum in ſella locabimus. & ſi paruus fuerit tumor, ſimplicem ſectionem faciemus, velut in ſtrumis diximus: ſi verò maior, ad myrtei folii figuram pro tumoris ratione cu-
D tem incumbentem reſcindemus. Sed neque hîc vno impetu tota ſectio fiat, ne pellicula humorem continens diſſecetur, & humor euacuetur: ſi enim euacuatus fuerit, & tumor cõnciderit, tunica difficulter excoriari ac curari poterit. Summa itaque diligentia pellicula paulatim excorianda eſt, nihílque de ipſa circa baſin relinquendum ne malum regeneretur. Poſt ablatam pelliculam, labia ſectionis committimus, & ſi plus æquo laxa fuerint, redundantem cutem reſecamus, deinde ſuturis labia connectimus. Illud porrò animaduerſione dignum eſt, vt ſi in ca-
E pite huiuſmodi tumor fuerit, poſt ablatam pelliculam, membranam os ambientem ſecemus, & caluariam diligenter deradamus. Peracto opere, in paruis tumoribus, quum paruam ſectionẽ fecerimus, nulla difficultas imminet, & ſtatim poſt ſuturam ſplenium glutinatorium inflãmationibus arcendis idoneum adhibemus. qui verò adhuc cruenti ſunt, & glutinari non poſſunt, in his ex maioribus interuallis ſuturas fieri oportet, vt oblonga ſectionis figura fiat: deinde linamenta indere, & puris generationi ſtudere, quemadmodum ſuperius de abſceſſibus docui-
F mus. At verò ad eos qui chirurgiã recuſant, medicamentis tumorem diſcutientibus vtemur. Emplaſtrum ad meliceridas. Paſſarum vuarum vinaceis ademptis lib. I. cumini leuiſſimè ſecti ſeſcuncẽ, nitri quadrantẽ. omnia ſimul in mortario ſubacta adhibeto ac adalligato. At ſi tenſiones ex conſtrictione remittere oportet, cerato excipito, ex oleo ſicyonio & pauca maſticha præparato. Aliud ad meliceridas, & ceria, id eſt *fauos* appellatos tumores, cõmodum: Squamam æris & pollinem paribus portionibus ad malagmatis formam ſubigito ac adhibeto. A-
G liud, ad meliceridas & ſteatomata. Ceræ, terebinthinæ, ſquamæ æris, ſing. ſextantem, ſulphuris viui, nitri, ſingul. vnciam vnam, radicum ſiccarum cannabis ſylueſtris drachmas trigintaquinque, &, ſi defuerint, ariſtolochiæ tantundem: olei antiqui libram vnam. Radices per triduum aqua madefactas & cõtuſas in oleo coquito donec torrefiant: deinde ipſis abiectis, cætera quæ liquari debent liquata admiſceto, & arida ex aceto trita adiicito, ac vtitor.

Aliud diſcuſſorium ad meliceridas. Salis ammoniaci, ſpumæ argenti ceruſſæ, ſing. libram vnam, ceræ, tere-
H binthinæ, galbani, opopanacis, ſing. vnciã vnã, rubricæ ſinopicæ ſeſcuncem, aceti heminam, olei antiqui libras III. ſpumã argenti, ceruſſam, & ſal læuiſſimè trita in oleo coquito, deinde rubricã aceto tritã adiicito, & liquabilia liquata affundito, omnibúſq; ſimul ſubactis ac perfrigeratis

opopanacem ac galbanum aceto diſſoluta admiſceto,ac vtitor. Aliud ex aſellis paratum ad ſtrumas & melicerides: quod etiam cicatricem inducit. Aſellos ſub hydriis ſtabulantes ducentos, oſtreorum vſtorum drachm. quatuor,rubricæ ſinopicæ drach. octo, terebinthinæ lib. vnam. oſtrea & rubricam primùm ſeorſim,deinde ſimul terito, & tum aſellos adhuc viuos adiicito,ac ſimul terito,& poſtea cum terebinthina ad calidum cinerem lentè coquito, donec non amplius inquinet: ſublatúmque ab igne medicamentum in mortario ſubigito,ac adhibeto, & quinta die exſoluito. poteſt tamen locus ſubinde prolui ac rigari aceto.

De ſteatomatibus,hoc eſt tumoribus adipoſis, Cap. VIII.

STeatoma eſt tumor præter naturam,adipem in ſe continens, malè concolor, & tactu lenis, & in principio quidem puſillus,ſed temporis progreſſu ampliatur.pleraque verò ſteatomata baſin habent ampliorem, raróque contingit vt baſis anguſtior, & apex amplior reperiatur. Differt à ſtruma,tactus mollitudine.qua nota etiam à meliceride & atheromate diſcernitur.Curatur & hic per chirurgiam,ſectione pro tumoris magnitudine fiente, ſimplici,aut ad myrtei folii ſimilitudinem: atque hîc liberè cutem incidimus.Non enim ſicut in atheromate ac meliceride tunicæ ſectionem formidamus. Nam pinguedo adipoſa etiam ſi ſecetur non effluet : verùm illud negligendum non eſt(quod in ſtrumis quoque prædiximus) ſi ſteatoma eleuatum fuerit,in circuitu & ſubter excoriari oportere:in circuitu per ſcalpellum, ſubter verò digitis. inſertum verò in ambitu & ſubter incidendum eſſe.Peracto opere,vulnerislabia ſuturis conſtringātur,vt melius glutinentur. aut linamenta profunda indantur,&curatio ad puris generationem adhibeatur.At verò ſi ſteatomata apicem amplum, & baſin anguſtam habuerint, omiſſis ſuperuacuis,tota à baſi reſcindemus. hic enim chirurgiæ modus expeditiſſimus eſt, & vlcus paruum ac planū fiet,& curatio compendio tranſigetur. Cæterùm ſteatomata diſcutiuntur,floribus buphthalmi cera & oleo antiquo exceptis.Idem facit & cyclamini radix axungia veteri excepta.poſſunt & emplaſtra ad melicerides præſcripta adhiberi, præſertim quod ex ſulphure & nitro paratur,& ſimilia inferius referenda.

De ganglio, Philagrii, Cap. IX.

GAnglium eſt nerui nodoſa coactio ac tumor,ex plaga aut labore obortus, raróque ſponte proueniens, manuum iuncturas ac talos frequentius occupans: rarius cubitum & caput. fit & in aliis partibus. Quantum ad notas attinet, tumor eſt inæqualis,paruus, dum comprimitur ſtupidum ſenſum exhibens. differtque à meliceride & atheromate tumoris inæqualitate & reniſu, & quòd nō orbiculatim velut illa tranſfertur, ſed dextrorſum ſolùm ac ſiniſtrorſum pro nerui ſitu flectitur. Cæterùm à gangliorum chirurgia abſtinemus, præſertim ſi in manibus fuerint ac pedibus, & medicamentis tantùm curamus. Ad hanc rem ammoniacum iuxta ignem ad emplaſtri compagem emollitū imponitur, & lamina plumbea tumori æqualis ſuperponitur,& ne hinc & inde labet,arctis vinculis media conſtringitur. Tranſactis aliquot diebus vbi ganglium fuerit emollitum, nulla rei mentione ad ægrum facta,ſtatim dum adhuc calet locus, vincula tollimus,& pollicem dextræ manus ganglio immittimus, ac reliquos quatuor digitos ipſi parti iniectos comprimimus,& ganglium confeſtim diſſoluitur. Vtere etiam mollitoriis emplaſtris,præſertim eo quod ex pſyllio,pice,maſticha nigra, ſtercore columbino,& malua ſylueſtri præparatur. vtere & Lucii malagmatis ad contractos articulos deſcriptis. Cōmodum eſt etiam hoc: Ceruſſæ,olei antiqui,reſinæ pinus,ſingulorum lib. vnam, ceræ ſextantem,ammoniaci thymiamatis,galbani, ſingulorum vnc. vnam. Ceruſſam cum oleo coquito donec non amplius inquinet:deinde ammoniacum tritum,poſtea reſinam & ceram:poſtremùm galbanum præmollitum adiicito. alii reſinæ quincuncem,ceræ autem trientem coniiciunt.

De vaſorum dilatatione, Cap. X.

VAſorum dilatatio, quam aneuriſma *Græci* vocant,in qualibet corporis parte fit,ſed in gutture frequētius, vbi tumorem branchocelam appellatum producit. Accidit ſæpiſſimè mulieribus in partu, propter violentam ſpiritus detentionem:ſed & in capite circa arteriarum locos, & in reliquo corpore vbi arteriæ vulnerantur: ſicut quando imperiti medici venam cubiti ſecturi, ſimul ſubiectā arteriam diſſecant. Oritur autem omnino vaſorum dilatatio,aut dum ſanguis &ſpiritus ex arteriis perſultant,aut dum oſcula ipſarum aperiuntur,aut dum rumpuntur. ſanguis autem & ſpiritus paulatim excreti ſub cute colliguntur. Notæ aneuriſmatis ſunt, tumor paruus aut magnus, concolor,citra dolorem,ad tactum mollis,ſpongioſam laxitatem præ ſe ferens: & ita ad digitorum compreſſionē cedens vt propemodum euaneſcere videatur: verùm amotis digitis citiſſimè reuertēs, id quod in menti aneuriſmate & reliquis quæ ſine vulnere fiunt, præcipuè videre datur. At vbi arteriæ vulnus præceſſit, & deinde coaleſcente cute vaſorum dilatatio acceſſit,tumor non ſimiliter mollis occurrit. Sāguis enim copioſior ſpiritu eſt, qui in grumos coit, & tumorem extendit. atque hæ quidem ſunt notæ. Quantum verò ad curationem attinet,ſciendū deplorata eſſe aneuriſmata apud chirurgos, quæ gutturi ac capiti accidunt. Simul enim cū aneuriſmatis ſectione, abundantiſſima ſanguinis eruptio contingit, cum qua etiam vitalis ſpiritus ſimul erumpit,vt homo ſæpe in medicorum manibus deficiat. At verò quod in cubiti cauitate fit aneuriſma, hoc modo per chirurgiā aggredimur. Primùm arteriam ſupernè ab ala ad cubitum per internam brachii partem delatam ſignamus:deinde in eadem interna brachii parte ſimplicem ſectionem,tribus aut quatuor digitis infra alam, per longitudinem facimus, vbi maximè ad tactum arteria occurrit, atque ea paulatim denudata,deinceps incumbentia corpuſcula ſenſim excoriamus ac ſeparamus,& ipſam arteriam cæco vncino attractā duobus fili vinculis probè adſtringimus,mediámque inter duo vincula diſſecamus, & ſectionem polline thuris explemus,ac linamentis inditis congruas deligationes adhibemus. Poſtea verò tumorem in cubiti cauitate ſiue flexura ſecuri ſecamus, nihil amplius verentes ſanguinis eruptionem. Tunc grumis euacuatis, arteriam vnde ſanguis prodiit perquirimus, & repertam vncino attractam ſicut priorem conſtringimus ac diſſecamus, rurſúſque thuris polline ſectione expleta,puris generationem procuramus. Cæterùm ad gutturis aneuriſmata, emplaſtrum è cupreſſo inferius inter diſcuſſoria medicamēta deſcribendum commodè adhibetur.

De ceriis,hoc eſt fauis, Cap. XI.

CErium tumor eſt vlceratus,incumbētem cutem perrodens,ita vt ex foraminibus melleus humor excernatur:quapropter tum ob foraminum figuram, tum propter excreti humoris ſpeciem, cerium, *hoc eſt fauus* appellatur. frequenter autem in muſculoſis locis,in articulis, & plantis pedum oritur. ſæpe etiam ſextam colli vertebram occupat,& aliquando etiam coſtas inuadit. Si verò in capite generatur,primùm reliquis partibus, deinde caluæ etiam putredinem tranſmittit. Proinde in principio ſubſcriptis medicamentis curationem tentabimus. Quibus ſuperatis,partes corruptas,præſertim in capite,reſecare oportet, deinde membrana caluam ambiente diſſecta, os caluæ deradere, tum ferreis cauteriis labia ſectionis exurere, ita vt caluam ne attingamus, id quod etiam in aliis diuturnis affectionibus fieri debet. Poſtea medicamenta ad nomas deſcripta adhibenda ſunt: quale eſt ſiccum ex charta vſta præparatū, & paſtillus è lana ſuccida, ac reliqua huiuſmodi. Lenticulam quoque coctam, cum malicorio aut oliuæ foliis imponemus. Sedata autem noma,curatio reliquis vlceribus communis fiat. At verò incipientibus fauis commoda hæc ſunt:Sulphur & ordei farinam aqua mulſa coctam imponito. aut adipis ſuilli,terebinthinæ,& mellis pares portiones ad congruam compagem coctas adhibeto. At vbi aperti fuerint,ſulphure viuo cum pice liquida vtitor. aut erui farinam cum melle impone. aut ſquamæ æris,pollinis thuris, paſſarum vuarum,pares portiones ſimul tritas adhibe. Ad ampliores

autem fauos;ficus probè tritas apponito. Ego verò lenticulam coctam, cum malicorio ac melle ſubactã, imponere ſoleo, & ſi inflammatio adſit, modicum panis adiicio. Sedata verò inflammatione, malagma Helladicum, aut emplaſtrum melinũ Serapionis, aut Paſionis, aut Venus appellatum adhibeo. Molliora autem adhibenda medicamenta eſſe oportet, propter moleſtias ex duris orientes. ſi itaque durius fuerit, cum oleo emolliendum erit.

Emplaſtra ad cruenta vulnera glutinanda, & ad multos vſus commoda,

Cap. XII.

Atractylis, quam aliqui androſæmon vocant, herba eſt aculeata, humorem ſanguineum reddens, ſi folia eius comprimantur. Hanc radicitus euulſam & in vmbra ſiccatam terito, & anguſtiſſimo cribro excernito, & de ea accipito trientem: colophoniæ ſeſquilibram, olei dulcis trientem: æruginis ſextãtem, ceræ beſſem. oleum, ceram & colophoniam liquefacito & excolato: deinde æruginẽ, & poſtea herbam tritam ac cribratã adiicito, tum omnia ſimul in frigidam aquam coniecta manibus ſubigito, & in eadem frigida per totam noctem ſinito, ac deinceps ad cruenta vulnera in quacunque corporis parte reponito ſiue in infãtibus, ſiue in adultis fuerint. Facit & ad vlcera antiqua, ſectiones, ictus, ſugillata, & ex frigore dolores. Exterit cruſtas, & cætera quæ in vlceribus difficulter repurgãtur. lepras item ac vitiligines curat. Etenim femur cuiuſdam enſe diſſectum ita vt vulnus vſque ad inguen penitiſſimè progrederetur, quum per quatuor menſes æger decubuiſſet, neque glutinationis initium appareret, hoc ego medicamento agglutinaui. Tibiam præterea alterius à poplite vſque ad talum vulneratam, inflammatione prius mitigata, cum cataplaſmate ex lomẽto paſſo, vino mulſo & roſaceo, intra paucos dies perſanaui. Ego verò, inquit Philagrius, cum Iſide emplaſtro antiquos ſinus, non inflammatos, & repurgatos, ac vino mulſo elotos, ad vires videlicet exſiccandas, feliciter curaui. Illud verò conſtat, fiſtularum ſinuúmque ligamenta à ſuperioribus partibus ad inferiores moderata conſtrictione ducenda eſſe, quò humores in cauitatibus deliteſcentes ad oſculum vlceris exprimantur. Viride Andromachi hecatontodrachmon vocatũ: Ammoniaci thymiamatis drach. octo, ſquamæ æris drach. duodecim, pollinis thuris drach. ſedecim, reſinæ pinus drach. duodecim, adipis vitulini drach. quatuordecim, terebinthinæ drach. octo, ceræ drach. triginta, olei drach. octo, aceti quantum ſatis eſt. Hoc magna vulnera glutinat, ſordida vlcera exterget, craſſáque ipſorum labia deterit, ſinus contrahit, diſcuſſoriam ac repulſoriam vim habet: & cum cerato linamentis illitum ac inditũ caua vlcera incarnat. Viride quod Iſis appellatur, à quibuſdam Hermoni ſacerdoti inſcriptum. Hoc ad multos vſus commodat, & ad omnia vulnera, præcipuè capitis vnà cum oſſibus diſſectis. Sanat enim citra deſtructionem ac perforationem. facit etiã ad puncturas, aculeos infixos, hominum ac canum morſus. ad viperæ item ac ſcorpionis, draconiſque marini, ac paſtinacæ venena. & ad artuum fracturas cum vulnere. citius enim ac ſecurius callum obducit. Facit ad fiſtulas omnes recentes, & antiquos ipſarum receſſus, ſinus, tubercula, parotidas, mammarũmque ac alarum abſceſſus, aut vt ne fiant, aut vt facti curentur, commodum ſaniei effluxum nobis procurantibus. idem ſtrumas aufert cum tunicis celerrimè ſuppurans. Fronti verò impoſitum fluxiones oculorum ſiſtit. Liuores delet, gangrænas obliterat, putredines repurgat. & in ſumma efficax eſt medicamentum ad omnia: Ceræ drach. centum, colophoniæ drach. ducentas, (alii cẽtum) ſquamæ æris rubri, æruginis raſæ, ariſtolochiæ rotundæ, thuris, ſalis ammoniaci, ammoniaci thymiamatis, æris vſti, ſingulorum drach. octo, aluminis vſti drach. ſex, aloes, myrrhæ, galbani, ſingulorum drach. duodecim, olei antiqui lib. vnam vel ſeſcuncem, aceti quantum ſatis eſt. atque hoc quidem emplaſtrum abſolutè Iſis appellatur. Verùm Iſis quæ Epigono inſcribitur, etiam radicis dracunculi drach. octo, recipit: qua Galenus ſe vti dicit. Sola enim dracunculi radix per ſe tuſa ac probè trita ad puluilli formam, maligna vlcera curat. Metallica igitur cum aceto in mortario terito, & deinde reliqua trita ac cribrata adiicito, & liquabilia liquata ad ipſa in mortarium affundito, ſubigito ac vnito, & vtitor aliquando puro, aliquando mixto ac diſſoluto. Ad vlcera enim ſordida adhibetur medicamenti pars vna, cerati verò roſacei liquidi partes duæ. Verùm ad ea quæ modica exterſione opus habent, medicamenti pars vna, cerati partibus tribus admiſcetur. Emplaſtrum Machærionis celebre, & ad multa cõmodum. Cõgruit ad relata omnia. ſed & recentia vulnera glutinat, & ab inflammatione tutatur, & præſertim quæ contuſa ſunt. Facit & ad canis rabidi morſum ſpatioſiore loco impoſitum, & aſſiduè permutatum. facit ad omnem nomen ac vlcera depaſcentia, & ad aurium ac pudendorum vlcera. in oſſibus autem denudatis carnem auget. competit & narium vlceribus. diluitur autem roſaceo. Ariſtolochiæ rotundæ, galbani, æruginis raſæ, opopanacis, iridis Illyricæ, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, ſingulorũ drach. octo, terebinthinæ, ceræ, olei omphacini, ſingulorum ſeptuncem & vnciæ dimidium. Olei dimidium cum ærugine terito, & reliquũ cum cera ac terebinthina coquito: opopanacem autem cum aceto diſſoluito & ſimul ſubigito omnia, ac vnito.

Emplaſtrũ cephalicum ex herbis, ſine perforatione. Squamas diſparat, & oſſa corrupta educit. verùm oſſibus præraſis adhibere oportet. Idem ad recentia vulnera facit, & nomas linamentis inditum repurgat: cum roſaceo verò cerato replet, vna eius parte ad duas cerati admixta. facit & ad carcinomata ac putrida vlcera. exterit lepras, furunculos diſſoluit, ſtrumas ſuppurat & expurgat. conuenit podagricis, & tophaceas ipſorum duritias diſſoluit. Anagallidis cæruleum florem habentis, papaueris corniculati, foliorum tenerorum hyoſcyami, marrubii viridis, ſingulorum drach. quinquagintaſex, ſquamæ æris rubri drach. vigintiquinque, mannæ thuris drach. viginti, reſinæ pinus ſiccæ drach. ſedecim, aloes drach. ſex, aluminis ſciſſi & rotundi, ammoniaci thymiamatis, ſalis ammoniaci, ſingulorum drach. quatuor, ceræ drach. centum, olei veteris heminas duas ſiue vncias vigintiquatuor, aceti quantum ſatis eſt. Herbarum folia in pila leuiter tundito vt ſuccus non exprimatur: deinde in mortarium coniecta minutiſſimè terito. Et in alio mortario, ſquamam, pollinem thuris, reſinam pinus, alumen, aloen, ſalem, & ammoniacum thymiama, ad ſolem ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinẽ cum aceto terito, & admixtis herbis omnia ſimul terito. Liquabilia deinde liquata frigefactáque ac eraſa adiicito, ſubigitóque ſimul, ac vtitor. Emplaſtrum Heſtia, id eſt *Veſta* appellatum, quod etiam ex *Græci* nominis ἑςία literarum calculo, drach. DXVI. inſcribitur, & ad Nechepſonem regem refertur. Conducit ad omne vulnerum genus. ad neruorum puncturas per ſe ſufficit. omnem oculorum deſtillationem pro glutinamento appoſitum reprimit. Venenum virus eiaculantium beſtiarum exugit, ita vt emplaſtro adhærens comperiatur. nomas item & fiſtulas ac vlcera maligna repurgat & ad cicatricẽ perducit. narium ozænas ſanat cum aceto. facit & ad ſtrumas, & tumores induratos. aut enim diſcutit ipſos, aut rumpit, vt admireris. varices ſanat, ſagittas & aculeos extrahit. Spumæ argenti, ceræ, ſingulorũ drach. ſeptuagintaquatuor, terebinthinæ drach. ſedecim, ariſtolochiæ, propolis, galbani, ſingulorum drachm. viginti, æruginis drach. decem, gallarum, radicis chamæleontis nigri, ſingulorum drach. vigintiquatuor, olei ſextar. quatuor, adipis vitulini drach. quadragintaocto, aceti drachm. vigintiquatuor, ſucci braſſicæ drach. octo, ſerapiadis triteſticularis drach. ſedecim, ſucci medullæ arũdinum drach. duodecim. oleum, ſpumam argenti, & adipem ſimul coquito donec probè vniantur: deinde ceram, reſinam, galbanũ. propolin prius cum modica cera in mortario tuſam adiicito, & ab igne ablatis, ariſtolochiam, gallam, radicem chamæleontis addito: æruginem verò cum ſuccis & aceto tritam, reliquis, vbi iam tepuerint, poſtremùm admiſceto, omniáque ſimul in mortarium coniecta ſubigito, ac manibus emollito. & vtere tanquam admirando. Aliud, ad cruenta vulnera glutinanda, Purpura inſcriptum: Spumæ argenti, olei dulcis, ſingulorum libras duas, picis,

ceræ,colophoniæ,ſingulorum vnc.ſedecim, radicis ſymphyti minutiſſimè tritæ ac cribratæ ſextantem, ſanguinis draconis ſextãtem,aquæ marinæ vnc. viginti.oleum, ſpumam argenti, & aquam marinam ſimul coquito, donec non amplius inquinent: deinde liquabilia liquefacta adiicito,& ab igne ablatis draconis ſanguinẽ ac ſymphytum addito,& perfrigerata manibus ſubigito, ac in maſſas efformato.Cæterùm ſanguis draconis in India ex herba dracũculo appellata colligitur. Phœnicinum Galeni: Spumæ argenti læuiſſimè tritæ libras tres, adipis ſuilli inſulſi antiqui libras duas, olei antiquiſſimi libras tres, chalcitidis crudæ trientem. Spumam argenti tritam ac cribratam, rurſus cum chalcitide in mortario exquiſitiſſimè conteres: deinde oleum in ſole admiſcebis,vt liquidum medicamentum permaneat. tum adipem exemptis fibris in mortario tuſum, quò facilè liqueſcat,ad ignem liquefacito, & excolato donec puriſſimus euadat: atque eius ita præparati lib. duas in mortario diligenter cum cæteris permiſceto. Deinde omnia ſimul in cacabum tranſfuſa coquito,ac palmæ ligno agitato. ſufficiet autem tibi ramus vnus magnus, vt craſſiore eius parte ad agitationem ſpathulæ vice vtaris. Adhærentes autem craſſæ eius parti ramulos vtrinque exortos reſecabis,& corticem detrahes, & in tenues partes conciſos in medicamentũ coniicies, vt ibi ſuccus ipſorum excoquatur.Hæc verò ſegmenta palmæ, tum demum iniicies vbi medicamentum cerato ſimilem compagem habuerit.Si enim à principio inieceris, ſuccus per decoctionẽ conſumetur,quem ob vim adſtrictoriam permanere volumus.Sed & ipſius ſpathæ qua pharmacum verſatur pars infima in coctura arefacta,reſiccanda ac abiiciẽda eſt, ac reſidua vtendum,atque hoc ſæpe faciendum eſt, vbi fuerint reſiccata.Vbi verò pharmacum non amplius inquinarit,priuſquam exareſcat ab igne tollatur, & exemptis omnibus rami ſegmentis agitetur donec frigefiat.Deinde in mortarium tranſlatum, ac manibus ſubactum, in maſſam redigatur.Hoc ad cruẽta vulnera, & vlcera ægrè cicatricem accipientia vtimur, & oleo dilutum in ſinus fundimus. Conuenit partibus omnibus inflammatis & podagris,quo tempore dolores non vehementer vrgent, & irrigationibus ac fomentis mitigantibus opus eſt. facit ad inguinum tumores, tubercula, ambuſta, perniones,contuſa,fracta,& omnes fluidas affectiones. At verò ſi chalcitidis ſeſcuncem inieceris, longè efficacius fiet ad ampla vulnera glutinanda,& ad cicatricem inducẽdam. ſed non ita inflammatis conueniet. In diſſoluendo verò pharmaco hanc proportionem ſeruabis, vt medicamentum paululum olei quantitatem excedat,præſertim æſtatis tempore, vt ſit medicamenti quidem dextans,olei verò dodrans.

Emplaſtrum duplicis coloris: Æris vſti quadrantem,aluminis ſciſſi vnc.vnam,colophoniæ,adipis ſuilli recentis,ceræ,ſingulorum lib.vnam,aceti quantum ſatis eſt.

Emplaſtrum ex aqua & oleo: Spumæ argẽti,olei ſynceri,aquæ puræ, ſingulorum libras duas. argenti ſpumam cum oleo & aqua in mortario exquiſitiſſimè terito, deinde ad prunas aſſiduè verſata coquito, donec non amplius inquinent. Hoc moderatè refrigerat, & ideo partibus vlceratis nihil influere ſinit, & quod iam influxit,repellit.Deſiccat etiam ac diſcutit & vlcera ad cicatricem perducit.Vtimur eo ad mulierum, infantium, eunuchorum,ac cætera corpora quæ molles ac albas carnes habent.Efficitur autem adeo glutinoſum vt ne ablutum quidem detergi poſſit.Sed vlceribus cicatrice includendis præcipuè commodum eſt, vt adhibitum multis diebus adhæreat. cuius facultatis eſt & parhygrum appellatum, & reliqua huiuſmodi.

Emplaſtrum ex vino & oleo: Spumæ argenti lib. vnam, vini & olei, ſingulorum lib.tres.Spumam argenti in mortario ſub caniculæ ardore per dies quindecim,cum vino antiquo dulci terito,tantum vini inſtillando quantum exſiccari poteſt, & poſt prædictos dies oleum ac vinum affundito,& coquito ſimul aſſiduè agitando,donec non amplius inquinent, & vtitor.Hoc ego medicamentum oleo dilutum ad vlceratas affectiones adhibui,& ſinus glutinaui. & femur diu induratum perſanaui,& optimum etiam ad vulnera cru-
A enta cognoui. ad ſinus verò & duritias,ſolidũ prout habet impoſui.

Emplaſtrum ex aceto & oleo. Spumæ argenti libr.vnam,olei antiquiſſimi libras tres, aceti albi acerrimi libras tres.ad lentum ignem aſſiduo verſatu coquito,obſeruans ne in grumos coeant: & per integrum diem ebullire ſinito,donec nigreſcat ac ſplendeat medicamentum. Enitendum eſt autem vt reuera non inquinet. facilè enim imperitis imponit. nam in frigidam aquam diffuſum,duriſſimum ſtatim euadit: ſed poſtea digitis diutius ſubactum remolleſcit, languétque ac rurſus
B inquinat. proinde non prius ab igne remouebis, donec compertum habueris non amplius inquinaturum. Habet hoc ſummas exſiccandi vires, & ideo cruenta vulnera glutinat. vlcera curatu difficilia,& fiſtulas incipientes ſanat.Ego enim cum eo fiſtulam pueri à parotide exortam ſanaui,quæ ſemeſtris exiſtens vſque ad mandibulæ articulationem progreſſa fuerat.Sed & mulieres & adoleſcentulos eodem curaui & induratos muſculos emolliui. Tribus autem diebus tranſactis,ſoluere hoc oportet, & nouum adhibere,idque rurſus poſt triduum exoluere.

C Emplaſtrum Galeni fuluum, Harmonia appellatum.ſuprà ad maligna vlcera deſcripſimus.

Emplaſtrum fuluum Piſcatoris. Ad cruenta vulnera,ſinus glutinat,inflammationes ſedat,duritias ac ſtrumas diſcutit,plurimo roſaceo dilutum caua vlcera replet,ſordida extergit,& ad cicatricem perducit: Spumæ argenti ſeſquilibram, ceræ libras duas,galbani,œſypi,terebinthinæ, propolis, pollinis thuris,rubricæ,ſingulorum ſextantem, olei libr.duas, aceti lib.tres.Spumam argenti ad æſtiuum ſolem cum aceto terito, quantum imbibere poteſt.deinde oleo ac re-
D liquo aceto affuſis,ſimul coquito donec non amplius inquinent.tũ liquabilia liquata & excolata iniicito,& poſtea ab igne ablatis pollinem thuris, rubricam, ac galbanum ex aceto tritum adiicito, omniáque ſimul ſubigito. & demum frigefacta ac eraſa manibus mollito, ac vtitor. Hoc ad ſinus glutinandos efficaciſſimum eſt, ita vt ſpongia ex vino expreſſa ſuperimponatur.

Aliud fuluum Piſcatoris.facit ad cruenta vulnera & conciſos neruos.itẽ ad antiqua ægrè recipientia cicatricem, ac fluida vlcera: probè etiam emollit, præſertim duritias circa mammas
E exortas. vtimur eo & ad hominum & canum morſus. Egregiè facit & ad paſtinacarum marinarum, & draconũ, & aliorum horrẽdorum piſcium plagas. Et in ſumma eſt cõpoſitio admiranda: Spumæ argenti,ceræ, ſingulorum drach.centum,terebinthinæ,mannæ thuris, galbani, rubricæ ſinopicæ,ſingulorum drach.octo, olei libras duas, præpara ſicut diximus, abſque tamen aceto.

Aliud Piſcatoris celebre: Spumæ argenti,ceræ,ſingulorum drach. centum,terebinthinæ,myrrhæ,minij ſinopici, æruginis raſæ,ſquamæ æris, ſingulorum drach. octo, ariſtolochiæ
F drach.octo,thuris drachmas xxv. diphrygis drach. ſex, ammoniaci thymiamatis, galbani, ſingulorum drachm. duodecim,olei libras duas.

Aliud Tyrium. Ad ampla vulnera & quadrupedum morſus. furunculos diſcutit aut rumpit,humorem ex cruſtis inductis extrahit,& ad cicatricem ducit, fronti impoſitum oculorum fluxiones reprimit.Hoc poſt cocturam, purpuræ Tyriæ colorem habet,atque hinc appellationem traxit: Spumæ argenti libras quinque, æris vſti, ſquamæ æris, æruginis, galbani, ſingulorum trientem, ceræ libras duas, reſinæ pinus pin-
G guis lib.tres,olei libras ſex. Spumam argenti & oleum in mortario ſimul probè trita,in ollam coniecta coquito, & aſſiduè verſato donec mellis compagem acquirant. deinde adiecta ærugine & ſquama,ebullire ſinito, & poſtea æs vſtum addito, & ſimul coquito donec bonus color euadat,& non amplius inquinent:tunc ceram ac reſinam excolata adiicito,ac rurſus coquito donec non inquinent,& poſtremùm ab igne ablatis galbanum admiſceto, manibúſque probè ſubigito ac vtitor.

Emplaſtrum ex ane-
H mona: Colophoniæ drach. ſeptuagintaquatuor, reſinæ pinus liquidæ,ceræ,ſingulorum trientem,olei dodrantẽ, florum anemones recentium, exempto nigro quod in eis reperitur,& reciſis vnguibus,beſſem.Colophoniam cum oleo ad lignorum pini ignem coquito,& tædacea ſpathula vſque ad ſolidam compagem agitato: deinde reſinam

adiicito, ac rurſus coquito donec non amplius inquinēt, &poſtea ceram addito , qua liquefacta medicamentum ab igne tollito,& ad flores in mortario tritos diffundito, manibúſque oleo illitis ſubigito : eſt enim glutinoſum. aquam autem vitare oportet. Facit ad cruenta vulnera,& carnes contuſas,ad maligna antiqua exuberantia ac ægrè cicatricem admittentia vlcera. ad venenum eiaculantium beſtiarum ictus. ad tumidos,inflammatos , dolentes ac ægrè mobiles articulos. ad ſtrumas,fiſtulas, gāglia, ſteatomata,furunculos,ſinus, nomas, abſceſſus tum aliarum partium,tum maximè thoracis. ad eruptionem ſanguinis narium,ſpleniū ex eodem,ſtomacho imponitur. poteſt & ad frontem imponi.Et in ſumma,mollit,diſcutit,contrahit,ſiccat,ac dolorem mitigat. Quòd ſi cum aceto præparare malueris hoc medicamentum , ita facito: flores anemones reciſis vnguibus purgatos , & ad ſolem ſiccatos,in vitreo vaſe ſeruato,& eorum poſtea beſſem ſumito,& aceti albi acerrimi heminas Atticas tres affundito,ac per diem ac noctē macerato , deinde manibus ſubigito , paulatímque omnem ſuccum exprimito. & colophoniæ lucidiſſimæ drach. quadragintaduas , reſinæ pinus liquidæ,ceræ, olei , ſingulorum trientem , ſucci anemones heminas Atticas duas & dimidiam accipito. & colophoniam cum oleo ad tædæ lignorum ignē lentum coquito,tædaceáque ſpathula aſſiduè agitato donec ſolidius pharmacum euaſerit.Deinde reſinam paulatim adiicito,ne ebulliens extra ollam redundet, & rurſus bullire ſinito:& vbi iam planè ſolidum videris,ceram addito, eáque liquata medicamentum ab igne ablatum ſpathula verſato,atque vbi iam deferbuit, ſuccum paulatim inſtillato,diligenter obſeruando ne efferueſcat. facilè enim ebullit,vt periculum ſit ne ſuperfundatur. poſtquam autem ita paulatim admixtus fuerit,varium purpureum ac ſuauem colorem pharmaco affricat. Omni igitur ſucco iniecto ac vnito, medicamentum in mortarium transferatur, atque frigefactum manibus ſubigatur donec totus ſuccus ſecedat. Hoc ad eadem commodum eſt, ad quæ illud prius recentium florum pharmacum cōducit: niſi quòd leuius eſt ac magis temperatum , & ad canum morſus,ac venenatorum ictus commodum. Idem roſaceo dilutum ad ani ac pudendorum vlcera conducit, vbi remiſſiore medicamento opus habent.

Emplaſtra cephalica,& ad fracturas,& ad multa commoda, & de iuſto eorum vſu, Cap. XIII.

CEphalica,*hoc eſt capitalia*,emplaſtra dici ſolent quæ vulneribus capitis adhibita,vim penetrandi in altum habent, ſquamáſque ac ramenta oſſium diſparata , non ſolùm in capite ſed etiam reliquo corpore educunt ac extrahunt. Itaque acrimoniam quandam ipſis inſitam eſſe oportet,per quam ex profundo extrahūt ad ſuperficiem externam, non ſolùm oſſa ſed multo magis craſſum viſcoſum, aut omnino vitioſum humorem . Quæ verò ad fracturas fiunt,exterſoriam ac diſcuſſoriam vim habent. Quidam verò etiam adſtringentia ipſis admiſcuerunt, vt quod ad affectas partes effluit repellatur , & exterſoriorū vis vſque ad profūdum deducatur. Verùm hoc noſſe expedit,quòd ſi adſtringentia non ad lanuginem minutiſſimam trita fuerint,atque hoc cum aceto,damnum magis quàm vtilitatem afferent, ſi attractoriis fuerint admixta. Sed & hoc ſcire oportet quòd inter emplaſtra ad fracturas præſtantiora ſunt quæ capitalia inſcribuntur : & propterea cum cerato,præſertim roſaceo,incarnare ſolent, linamentis excepta ac indita. Eiuſdem porrò generis cum cephalicis eſt Iſis quoque ſuperius deſcriptum emplaſtrū, & quod Machærioni inſcribitur,& barbarum Heræ Cappadocis,quod aliqui Aphrum appellant , hoc: Emplaſtrum nigrum , ad inſigniores præſertim capitis diſſectiones,fiſtulas,ſinus,fracturas citra inflammationem glutinandas,ad neruos , cartilagines,ac oſſa conciſa.Facit & ad vlcera profunda,ſinúſque magnos glutinat.Adhibetur etiam commodè abſceſſibus diſſectis ad ſaniei eductionem.Splenicis etiam ac hepaticis conducit. & eſt ad cruenta efficaciſſimum vulnera . Ad ſanguinem reiicientes duobus coriis inducitur , quorum alterum pectori ac co- A ſtis imponitur,alterum dorſo. ſanguinem enim ſupra opinionem ſiſtit. Facit & ad hominum ac canum morſus. & omnino inflammationes arcet: Ceræ, picis , bituminis,reſinæ pinus,ſingulorum lib.vnam , mannæ thuris ſeſcūcem, ceruſſæ,atramenti ſutorii,ſingulorum trientem, opopanacis ſextantem,olei,aceti, ſingulorum libr.vnam. Ceram,bitumen,oleum, acetum , modico ex eo relicto, omnia ſimul in ollam nouam indito, ac liquefacito. deinde picem & reſinam probè contuſa adiicito, & omnibus ſemicoctis,& ab igne remotis ac excolatis,atramen- B tum ſutorium modico aceto reſiduo tritum inſpergito, & ne efferueſcat caueto , atque iterum leniter coquito ac verſato.Vbi verò non amplius inquinat pharmacum , opopanacem reſiduo aceto maceratum ac diſſolutum affundito . & poſtea ceruſſam ac mannam probè trita inſpergito,& paululum tepefacito vt vniantur,cauens ne opopanax aut manna comburatur. atque ita medicamentum in mortarium diffundito,ac frigefieri ſinito, emollito,reponito,ac vtitor.hoc omnia vulneraria medicamēta ſuperat, velut experimento conſtat. Eſt autem hyeme C per ſeptem dies,æſtate per quinque,aut re ita vrgente per tres exoluendum. Nigrum inſigne ad multa commodum Panalethes appellatum: Olei dulcis dodrantem,bituminis,ceræ,reſinæ pinus ſiccæ,picis, ſingulorum librā vnam,ſpumæ argenti, ceruſſæ,æruginis, ſingulorum drachmas decem , ammoniaci thymiamatis, thuris, aloes, myrrhæ , ſingulorum drach. octo , opii , ſucci malorum mandragoræ,ſingulorum drach.ſex, aluminis ſciſſi, atramenti ſutorii,chalcitidis, croci, ſingulorum drach. quatuor,aceti quantum ſatis eſt. Omnia à ſpuma argenti vſq; D ad crocum,probè ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem terito,deinde oleum, & bitumen ad fabarum magnitudinē contuſum,& ceram ſimul liquefacito , eiſque liquatis picem ac reſinam adiicito . & hæc liquata ac excolata rurſus coquito,& trita adiicito,ſubigito,ac vtitor. facit hoc ad vulnera recentia,ad enſium,ſagittarum ac lancearum puncturas,ad fracturas item,ad contuſiones,ſiue cum vulnere,ſiue ſine vulnere fuerint. vtere & ad neruos vulneratos, ad canū,luporum, vrſorū, leonū, aprorū morſus.facit & ad venenum eiaculātium, & præſertim viperarum, E ictus,loco prius ſcarificato, & inde medicamento impoſito.Idem apponitur ad abſceſſus ſimplici ſectione diductos,& ſanie excluſa, vulnera ac vlcera repurgat. & quoſdam vertebris ac talis ſauciatos perſanauit.Ego verò manum alicuius enſe inter vlnam & radium vulneratam eo curaui.confert & ad ſcrotum conciſum , & ad hepatis ac ſplenis inflammationes ex febribus obortas. Duobus item coriis illitum,vt alterum pectori,alterum dorſo imponatur, ſanguinis reiectionem ſiſtit. Ad inflammationes autem irrigationis vice adhiberi poteſt, ita vt acci- F piatur de eo quadrās, ceræ verò & reſinæ frictæ ac picis, ſingulorum ſextans , & olei libra vna. hæc liquentur ac colentur: & cum medicamento , ac farinæ ordeaceæ quadrante cum aceto trito imponantur. ſic etiam flagellatis conducit. Ægyptium Andromachi celebre,ad ſinus maximos glutinandos,ad oſſa carne nudata ac conciſa,ad detortos ac luxatos articulos,ad abſceſſus,ad hominum,quadrupedum ac reptilium beſtiarum morſus.fronti impoſitum, oculorum fluxiones ſiſtit. maximas ac profundiſſimas enſium cæſuras triduo ſanat. Eximiam diſcutiendi vim habet, vt etiam pus , niſi valde multum G fuerit,ſine cutis perforatione diſcutiat. Membra quomodocunque indurata emollit, & maligna vlcera ad cicatricem perducit : Ceræ,ſpumæ argenti, ſingulorum drach. centum quadragintaquatuor , ammoniaci thymiamatis drach. ſexagintaduas , terebinthinæ drach. trigintaduas, lanæ ſuccidæ vſtæ drach. octodecim,ariſtolochiæ,thuris, ſquamæ æris,ſingulorum drach . octo, ſquamæ ferri ſtomomatis drach.octo,myrrhæ drach.tres, opopanacis drachmas duas , olei cicini aut ſicyonii vel antiqui libr.tres. H Spumam argenti cum oleo ad compagem coquito.deinde addita ſquama,rurſus bullire ſinito donec non inquinet.Tunc ceram primùm , deinde ammoniacum tritum adiicito,& his liquatis terebinthinam addito . & ab igne ablatis,thus tritum,& lanæ cinerem,inſpergito. & frige-

factum pharmacum manibus ſubigito, ac vtitor aliquan
do puro,aliquando diluto. Panacea emplaſtrum,quod
aliqui Trium fratrum vocant : Heras hygiean, *id eſt ſani-
tatem* appellat.Facit ad nomas & omnia vlcera maligna.
coercet enim nomas,neque cruſtam inducens, neq; cir-
cumſita corpora indurans, ſed omne corruptum rumpēs
ac tabefaciens, vt nihil differat ab vuis paſſis humectis.
Sanguinis fluxum ſupprimit tum alibi tum ex hæmor-
rhoidibus erumpētem.ſed & ipſas hæmorrhoidas tabe-
facit ac conſumit, præterea fiſtulas ſanat, & carbunculos,
& ægilopas,& vlcera chironia appellata : & in ſumma to-
tum ægrè curabilium ac diuturnorum genus : priuatim
verò ad mammarum duritias, earundémque cancros ac
nomas conducit. facit & ad hydropicos ſplenicóſque &
articulorum affectiones. Et ad vteri quidem affectiones
oleo Cyprino dilutum ac liquatum iniicitur: externis au
tem præſtat vt eſt imponere,velut ſingula alia.Omni ve-
rò vlceri impoſitum, etiamſi ferum fuerit, ſtatim ipſum
mitius efficit,& dolores itidem ac vigilias mitigat. At ve
rò roſaceo dilutũ, ſinus magnos & fiſtulas glutinat, prius
elotos : recentes autem ſinus aqua mulſa eluere oportet:
deinde exteriùs medicamentum adhibere, & debitam
ligationem facere. ad fauos etiã inflammatos efficaciſſi
mum eſt.Verùm Damocrates etiã ad canis rabioſi mor-
ſum,& venenum eiaculantium beſtiarum ictus iam li-
ueſcentes ac denigratos, & ad medicatas ſagittas facere
afferit: Spumæ argenti,bituminis Iudaici,terræ ampeli-
tidis,ſingulorum drach.ducentas,thuris, propolis,ſingu-
lorum drach.quinquaginta,aloes,polii, centaurii, galba-
ni, aluminis ſciſſi, ſingulorum drach. vigintiquinque.
chalcitidis vſtæ drach.ſedecim,chamæpityos,ſymphyti,
radicis chamæleontis nigri, marrubii, helenii, ariſtolo-
chiæ,ſingulorum drach.ſedecim, gallarum myrrhæ, iri-
dis,ſingulorum drach.duodecim,terebinthinæ drachm.
vigintiquinque, mellis Attici vnc. vigintiquinque, olei
noui lib.octo.Spumam argenti,terram ampelitidem,bi-
tumen contuſum,ad lentum ignem coquito, aſſiduéque
verſato:citiſſimè enim exuritur. & ad ſtrigmenti ſpiſſitu
dinem redactis chalcitidem inſpergito, bulliréque ſini-
to.deinde alumen adiicito ac rurſus coquito, donec non
amplius inquinet.in alio verò vaſe galbanum, propolin,
& terebinthinam cum melle liquefacta habeto, & medi-
camento ab igne amoto,hæc admiſceto, & his probè v-
nitis arida trita adiicito, omniáque ſimul ſubigito, & in
vaſe pelle cooperto reponito, ac vtitor tanquã admiran-
do.Poteris etiam Archigenis nigro emplaſtro vti, quod
inter orthopnoica medicamenta Sermone octauo habe-
tur. Nigrum Iceſii. Ad omne vlcus recens ac vetus.ad
contuſa, luxata, fracta, ad inflammationem & omnem
dolorem.ſtatim enim à dolore liberat.Facit ad canum ac
hominum morſus, ad furunculos & duritias, præſertim
mammarum: ad tubercula ſedis, ad hydropem, & quæ
diſcuti oportet. eſt enim attractorium ac glutinatorium.
Vlcera maligna,ſtrumas,parotidas, perniones, panos,cla-
uos, nigredines, impetigines, fiſtulas, & hæmorrhoidas
inflammatas ſanat, aculeos & infixa extrahit. facit & ad
venenatorum ictus, & quadrupedum morſus : Spumæ
argenti,bituminis,terræ ampelitidis, ſingulorum drach.
ducentas,propolis,ceræ,ſingulorum drach. quinquagin-
ta,terebinthinæ,galbani,aluminis ſciſſi, ſingulorum dra
chmas vigintiquinque,chalcitidis drach.octo, myrrhæ,
iridis,gallarum,ſing.drach.duodecim, mellis libras tres,
olei omphacini recentis libras octo,coquitur velut pana-
cea, & ſpathula tædacea aſſiduè agitatur,ne ſubſideat: fa-
cillimè enim comburitur. Nigrum Aſclepiadæ. Ad oſ-
ſium fracturas optimum.Hoc vſus ſum ad oſſium fractu
ras,in quibus oſſa diſparata velut innatabant, quæ quum
cæteri auferenda iudicarent, ita præter opinionem deti-
nuit vt inſtar calli coaluerint. Spumæ argenti drach. du-
centas quinquaginta,bituminis drach.ducentas,ceræ,pi-
cis,ſing.drach. cētum,reſinæ pinus drach.quinquaginta,
aluminis liquidi,propolis,ſing.drach.triginta, ammonia
ci thymiamatis drach.vigintiquatuor,æruginis drachm.
decem,olei drach.quadragintaquinque.Spumam argen-
ti cum oleo coquito, donec non inquinet. deinde ceram

A & bitumen priuatim liquato,& picem adiicito,& omnia
colata ad ſpumam argenti admiſceto: poſtea ammonia-
cum tritum addito, & rurſus ad bonam compagem co-
quito. deinde propolin ac reſinam pinus adiicito, & ab
igne ablatis alumen & æruginem minutiſſimè trita ad-
miſceto: poſtremùm medicamentum in aquam aceto
permixtam diffundito,manibus ſubigito,ac vtitor. Em
plaſtrum Athena inſcriptum: Cadmiæ drachm.viginti,
æris vſti,malicorii, gallarum, ariſtolochiæ longæ ac ro-
tundæ,ſalis ammoniaci,ſquamæ æris,nitri,aluminis ſciſ-
B ſi,aluminis rotundi,iridis,miſyos,atramenti ſutorii,chal
citidis,æruginis, aloes, myrrhæ, thuris, ammoniaci thy-
miamatis,galbani,ſing. drach.triginta, ceræ, picis, ſing.
drach.centum, (vel vt alii habent, ducentas) colophoniæ
drach.quadringentas,olei ſeſcuncem. Hoc quidem mo-
do apud Oribaſium habetur: Aſclepiades autem habet
aloes drach.duodecim,myrrhæ drach.duodecim, & am-
moniaci thymiamatis drach.ſedecim. Arida ad ſolem æ-
ſtiuum ſufficientibus diebus terito & ad ea poſtea liqua-
bilia liquefacta adiicito,ac vnito.facit ad ſinus, & maxi-
C ma capitis vulnera.citra inflammationem glutinat. Ce-
rato liquido dilutum per linamenta inditur, ad punctos
ac vulneratos neruos,ad muſculos conciſos,ad capitis vl-
cera,ad fiſtulas & vlcerum cuniculoſos receſſus. oſſa corru
pta citra perforationem educit.facit ad nomas, putredi-
nes,canceratas affectiones,inguinum,alarum, ac colli ni-
gredines,& ad vlcera ægrè recipientia cicatricem. & o-
mnino vires ſiccandi habet, quas laudes Aſclepiades ipſi
adſcripſit. Nigrum ex ſalicibus, celebre & ad multa
commodum. facit ad cruenta vulnera, ad reſolutos arti-
D culos,ad fiſtulas.madore flaccidas carnes conſtringit,ery-
ſipelata & alias affectiones citra oſſium fracturam obor-
tas ſanat,pectori ac dorſo adhibitum ſanguinis reiectio-
nem, tabidóſque ac pectore ſuppuratos,curat: Miſyos,
chalcitidis, æruginis, ceruſſæ,gallarum, aluminis ſciſſi &
rotundi,melanteriæ,ſing.ſeſcuncem, malicorii ſeſcuncē,
atramenti ſutorii ſeſcuncem,ceræ,reſinæ pinus,picis,bi-
tuminis, foliorum ſalicis viridium, olei,ſing.libr. duas,
olei roſacei trientem, aceti ſextarii dimidium vel quan-
tum ſatis eſt.folia ſalicis cum aceto ad tertias decoquito:
E deinde foliis contritis ac humore expreſſo, primùm æru
ginem,ceruſſam & melanteriã læuiſſimè trita, & deinde
etiam reliqua trita admiſceto,& poſtremùm liquabilia li-
quata affundito,frigefacito,ſubigito,eradito,ac vtitor.
Aliud è ſalicibus à Critone ad Herodotum relatum: Me-
lanteriæ,gallarum,aluminis ſciſſi & rotundi,ſingulorum
ſeſcuncem,ceræ,bituminis,picis ſiccæ, reſinæ pinus, fo-
liorum ſalicis,ſing.libr. duas, olei lib. duas, aceti ſextarii
dimidium, præpara velut dictum eſt. Aliud è ſucco ſa-
licis,ex Oribaſio. hoc Magnus,inquit,inuenit ad deſtilla-
F tiones: Salicis folia viridia ad ſolem terito,poſtea in ol-
lam nouam cum ſufficiente vino mittito, & appoſito o-
perculo ad lentum ignem coquito, & excolato, adiectiſ-
que foliis expreſſis ſuccum adſeruato, poſtea verò ſumito
colophoniæ vnc.vigintiquatuor, olei ſextantem,ſucci li-
bram vnam. & colophoniam percolatam cum oleo, ad
lentum ignem coquito donec in aquam diffuſa & ma-
nibus ſubacta non amplius inquinet. Deinde ceræ vnc.
vigintiquatuor admiſceto,eáque liquata,olláque ab igne
amota,ſuccum ſalicis adiicito: vinum videlicet in quo
G folia cocta ſunt,paulatim inſtillando vt ne efferueſcat, &
rurſus ad mitiſſimum ignem decoquito donec medica-
mentum reſederit.& deinde in mortarium tranſfuſum
eodem ſucco infuſo,manibus diligentiſſimè ſubigito.
Emplaſtrum Cyzicenum appellatum.facit ad recentia ac
vetera vulnera & vlcera cuniculoſa. duritias præſertim
mammarum diffundit,attrahit,repurgat,replet,glutinat,
cicatricem inducit.facit & ad canceratas duritias ac fiſtu-
las,& vbi ſcalpellum admoueri nõ poteſt, velut in collo,
collyrium ex hoc medicamento inditur. Idem minantes
H fieri abſceſſus mitigat,tubercula diffundit,ganglia,& col
lectiones fatigat ac rumpit. ſagittas, & oſſa, & aculeos,&
infixa extrahit,cruſtas citra moleſtiam exterit. verùm in
vlceribus cuniculoſis magnis ſpleniis vtendum eſt.Diſcu
tit etiam ſtrumas, & ad veſicæ affectiones egregiè facit,

pectini impoſitum ſanguinis eruptionem, (vel vt alii habēt, hæmorrhoidas ſupprimit) thoraci & dorſo adhibitum tabidis confert: Thuris, myrrhæ, croci, iridis, bdellii, atramenti ſutorii, propolis, aloes, chalcitidis, miſyos crudi, aluminis ſciſſi & rotundi, radicis panacis, malicorii, ammoniaci thymiamatis, viſci, opopanacis, æruginis, acaciæ, florum roſarum, ſing. drach. octo, æris vſti drach. vigintiquatuor, (alii pro ære, ſquamæ æris tantundem adiiciunt) ariſtolochiæ, gallarum, ſing. drach. ſedecim, terebinthinæ drachm. centum quadragintaquatuor, ceræ vnc. trigintaduas, adipis vitulini vnc. trigintaduas, aceti aut vini antiqui ſextarium. Si itaque pharmacum acre & diſcuſſorium habere malueris, acetum eligito: ſin adſtringens ac repulſorium, vinum accipito. Arida & quæ ad ſuccorum naturam accedunt, cum vino aut aceto terito. deinde ad ceram cum adipe liquatam ac excolatam terebinthinam adiicito, ſimûlque ad compagem coquito. poſtea propolin ac viſcum addito, & ſpathula verſato, & ad hæc diſſoluta, arida antea trita paulatim adiicito, ac fortiter agitato. & poſtremùm in mortarium tranſlata manibus ſubigito ac vnito. Ego verò neque acetum, neque vinum adhibeo, ſed arida omnia ſolùm contero & adiicio. nam ſi vinum aut acetum aut aqua admixta fuerit, ad compagem non peruenit. Emplaſtrum Moſchionis. Ad vulnera recentia ac conciſos neruos, & diſſectiones cum contuſione. facit & ad fracturas cum vulnere. nam & vulnera ſanat, & oſſibus callum obducit, cum debita deligatione impoſitum. facit & ad inchoantem hydropem, & teſtes contuſos. arefacit etiam eminētias ſedis. curat rimas butyro dilutum, & gutturis tumores ſanat: diſſoluit omnem duritiem. facit ad articulos luxatos ac diſtortos. calloſas manuum ac pedum eminentias quas clauos appellamus, aufert citra exulcerationem. Et eſt omnino pharmacum ad multa commodum. præparatur ſic: Spumæ argenti, picis ſiccæ, adipis vitulini, ſingulorum vnc. viginti, terebinthinæ, mannæ thuris, ſing. dextantem, ceræ quincuncem, æruginis, opopanacis, galbani, ſingulorum vnciam vnam, picis liquidæ ſelibram, aceti, ſucci ſycomororū, olei cicini vel ſicyonii vel antiqui, ſingulorum heminam vnam, id eſt libram vnam. Spumā argenti cum oleo coquito, & vbi ebullierit adipē adiicito, & aſſiduè agitato, & vbi cōpagē acceperint, cerā picē ac reſinā adiicito, & coquito donec non amplius inquinent. deinde ſuccū ſycomororū, & picē liquidā ſeorſim cocta, & ad cōpagē redacta admiſceto, & galbanum, ac æruginem, & mannam thuris inſpergito. poſtremùm opopanacem aceto diſſolutum addito: & ad ignē admota rurſus coquito donec non amplius inquinent. Atque ita præparatum medicamentum in vinum transferto, & per triduum ſinito: poſtea verò manibus emollito, ac vtitor. Oportet autem poſt impoſitum medicamentum, faſciam vino imbutam exprimere, & circundare. Cæterùm quod ſtatim ſubiiciam, ſuccum ſycomororum non habet. eſt autem medicamentum ad oſſium fracturas commodum. ad cruenta vulnera, ad ſinus glutinādos, & præſertim capiti aptum: Spumæ argenti, adipis taurini, picis ſiccæ, ſingulorum vnc. viginti, (vel vt alii habent ſedecim) olei cicini aut ſicyonii aut antiqui dextantem, pollinis thuris, terebinthinæ, ſing. beſſem, ceræ trientem, opopanacis, æruginis, galbani, ſing. vnc. vnam, viſci ſeſcuncem. Spumam argenti cum oleo & adipe ad bonam compagem coquito. deinde ceram, picem, ac reſinam adiicito, & mox ab igne tollito. atque vbi paululum frigefacta fuerint, reliqua cum aceto trita paulatim adiicito, ne efferueſcant, & rurſus ad prunas admota ſenſim coquito, donec non amplius inquinēt. & demum manibus emollito, ac vtitor. Emplaſtrum inſigne, ingentes ſinus ac fiſtulas ſanans, aculeos & ſagittas extrahens, inflammationes ac duritias diſſoluens. coxendicum item ac renum affectionibus commodum eſt: Spumæ argenti dextantem, olei vnc. quindecim, picis ſiccæ, colophoniæ, ſing. vnc. ſedecim, adipis taurini tantundem, miſyos, iridis, calcis viuæ, ſing. quadrantem, atramenti ſutorii ſeſquiunciam. Spumam argenti cum oleo ad bonam compagem coquito. deinde liquabilibus liquatis & excolatis adiectis, rurſus paulatim coquito donec non inquinent. & poſtea paululum frigefacta ad reliqua in mortario cum aceto trita admiſceto. Emplaſtrum theriaca appellatum, ex cētaureo, quod laudat Oribaſius. Facit ad neruorum ac muſculorum vulnera & puncturas. ad ferarum & canis rabioſi morſus. Glutinat ſinus antiquos, & ad cicatricem perducit. præcipuè verò ad reptilium ictus facit. genuum vlcera fluida & ægrè curabilia ſanat. Spumæ argenti ſeſcuncem, olei antiqui trientem, reſinæ pinus ſiccæ drach. XXXII. ammoniaci thymiamatis, propolis, thuris, ſing. drach. XII. ceruſſæ drach. VIII. æruginis, ſquamæ æris, galbani, ariſtolochiæ rotūdæ, cētaurii, ſing. drach. III. thuris, aloes, iridis, gallarum, chalcitidis, ſing. drach. IIII. Spumam argenti cum oleo ad moderatam compagem coquito. deinde ſquamam, æruginem, ceruſſam, & chalcitidem adiicito, & vbi non amplius inquinant, propolin, ammoniacum ac galbanum in mortario prius diſſoluta addito. & ab igne ablatis ac aliquantulum frigefactis, reliqua arida minutiſſimè trita admiſceto, & iam planè frigefacta manibus emollito. Aliud ex dictamno, cuius admiranda vis eſt ad neruos, muſculos, ac cartilagines conciſas. vlcera quoque antiqua ac ægrè curabilia ſanat, oſſa corrupta, aculeos, & infixa extrahit. habet vim diſcuſſoriam, facit ad capitis dolores, reprimit oculorum fluxiones. eſt & malagma pleuriticis commodum & hepaticis, cum emplaſtro ex ſiccis parato. facit ad omnium venenum eiaculantium reptilium plagas: Spumæ argenti drach. centum, colophoniæ drach. quinquaginta, ceræ drachmas vigintiquinque, ammoniaci thymiamatis, ariſtolochiæ, ſing. drach. ſedecim, mannæ thuris, galbani, ſing. drach. duodecim, æris vſti, æruginis, dictamni, aloes, propolis, ſing. drachm. octo, diphrygis, ſquamæ æris, radicis gentianæ, ſing. drach. ſex, olei antiqui lib. duas. Heras autem dictamni & ariſtolochiæ, ſing. drach. decem coniicit: ammoniaci verò ſolùm drach. ſedecim. in reliquis conſentit. Hoc præparatur velut emplaſtrum Piſcatoris, aut Tyrium, quæ ſuprà retulimus. Verùm eius meminiſſe conuenit, herbas nonniſi ablato ab igne pharmaco, minutiſſimè tritas immittendas eſſe. Sed & Damocrates in cæteris ſimilis, dictamni drach. decem, diphrygis verò octo recipit, & ad mammarum, colli ac ſpinæ vlcera conuenire aſſerit quantumuis fuerint diuturna.

Emplaſtra emollientia ac diſcuſſoria, ad multa commoda, Cap. XIIII.

EMplaſtrum Nigrum Aſclepiadis, Achillæ inſcriptū. mammarum duritias, & teſtium inflammationes diſcutit. Hoc medicamētum diſcuſſoria vi omnibus aliis præſtat, & ad multa cōmodum eſt. Locus autē prius abluēdus eſt. deinde medicamētum adhibēdum: Spumæ argenti lib. ſex, picis Brutiæ lib. IIII. bituminis, reſinæ pinus ſiccæ, ſing. lib. VI. terræ ampelitidis lib. II. ceræ lib. IIII. thuris ſeſquil. aluminis ſciſſi, aloes, myrrhæ, ſing. trientē, olei omphacini antiquiſſimi lib. VIII. ſucci ſerapiadis lib. VI. aceti quantū ſatis eſt. præpara velut panaceā. Nigrū è lolio, Heræ. Facit ad fiſtulas, alarúmq; ac inguinū abſceſſus, vt nihil abſcindere opus ſit per chirurgiā, ſed tātùm perforatione facta ac ſanie excluſa, medicamētū imponere. Illinendū eſt autē duobus coriis, altero iuxta alterū locato, neq; humor de ſpleniis detergēdus eſt. imbibitur enim & fortius fit medicamētū. Picis lib. II. reſinæ pinus ſiccæ dodrantē, ceræ Tyrrhenicæ, ceræ Ponticæ, ſing. quadrātem, olei antiqui quincuncē. liquabilibus liquatis ac excolatis loliaceam farinam inſpergito, & bitumē in aceti triente dilutum affundito, omniáque ſimul in mortario ſubigito manibus frigida humectatis. ſit autē bituminis ſeſquiuncia, farinæ loliaceæ vnc. XIIII. Facit ad malignas mammarum duritias, parotidas ac perniones. Emplaſtrum Eſſentia appellatum. deſiccandi vim & mitigandi dolores præ omnibus habet. facit ad ſanguinis reiectationem, ad articulorum ac coſtarum duritias, & gangrænas, ſinus, ſtrumas, vlcera chironia, fiſtulas, ægilopas. ſpicula extrahit, hydropicos intra ſeptimū diē curat. hepati ac ſpleni magnopere conducit pluribus diebus impoſitum, ſplenē penitus conſumit. facit ad podagricos, & coxendicum affectiones: Spumæ argēti drach. XX. ceruſſæ, æruginis, ſing. drach.

drach.xx.ſquamæ æris,thuris,ſing.vnc.I. bituminis beſſem,reſinæ pinus dextantem & vnciæ dimidiū,ceræ vncias XVI.picis vnc.XXXII. (in alio exemplari habetur,ammoniaci thymiamatis drach.VI.galbani drach.VI) ſpumā argenti & ceruſſam ad bonam cōpagem coquito. Aliqui etiam bitumen in principio cum his iniiciunt,vtuntúrque eo vbi magis ſiccare propoſuerunt: deinde reliqua ex ordine imponito,velut ſæpe diximus. at ſi plus iuſto coxeris,duritias non mollit. Emplaſtrum Ebrietas vocatum. Vim habet diſcutiendi ac rarefaciendi,duritias inflammatas diffundit,facit ad oſſium fracturas, ad vulnera cruenta,conuulſa,rupta,vulſiones,coxendices,calculos. Ad omnes capitis affectiones vtiliter adhibetur,aliquando fronti & temporibus, aliquando vertici deraſis pilis impoſitum. Spumæ argenti dodrantem,olei antiqui ſeſcūcem,olei roſacei, ceræ,ſing.ſextantem,adipis taurini, terebinthinæ,thuris,ſing.trientem,picis dodrantem,galbani,opopanacis,æruginis,ſing.quincuncem,aceti ſextarium I.præpara velut ſæpe dictum eſt. Emplaſtrum ex ſuccis. Vulnera neruorum ab inflāmatione tutatur,& ſectiones glutinat,vlcera inflammata & muſculos vulneratos,citra aliud cataplaſma aut fomentum ſanat. facit ad podagricos quocūque tempore adhibitum. Ad vteri inflammationes, veteres ac recentes in peſſis ſiue talorum formis ſubditur.Roſaceo aut myrteo oleo dilutum caua vlcera replet,citóque perſanat. & in ſumma, omnia reliqua cataplaſmata ac medicamenta exterius adhiberi vlcerib⁹ ſolita,ſuperuacua ſunt,hoc præſente.Duritias quoque mollit ac diſcutit,cæteris ad hūc vſum commodis admixtum.Spumæ argenti libr.VI. olei recentis æſtate quidem lib.VII.hyeme verò lib.IX.ſucci lib.IIII.oleum cum ſucco ad prunas coquito,& vbi feruere & bullas emittere deſierint,ſpumam argenti iniicito,& ad lentum ignem donec non amplius inquinent coquito,& vbi flauum ac bonum colorem acceperit, nondum autem fuluum attigerit,ab igne tollito, frigefacito, manibus ſubigito ac in maſſam cogito. Vſu verò expetente,ſumuntur medicamenti partes duæ,olei & ceræ,ſingul.pars vna,aut plus,prout res poſtularit.Succus porrò ita præparatur:Aquæ ſextarii xx.accipiuntur,radicis althææ recentis lib.III.ſeminis lini,fœnigræci,ſing.ſextarii dimidium.Radices lotas & contuſas aqua madefacito,& poſtridie fœnumgræcum purgatum & lotum adiicito,ac madefieri ſinito,& tertia die ſemen lini ſimiliter lotum addito.& quarta die ad bonam ſpiſſitudinem coquito,& percolatum ſuccum ad medicamenti præparationē accipito.Ego verò,inquit Oribaſius, duodecim aquæ ſextariis althææ libr. IIII. fœnigræci ac lini ſeminis, ſing. ſextarium iniicio. Aliud emplaſtrum è ſuccis, Oribaſii. Spumæ argenti,olei,ſingul.lib.II. ceræ beſſem,fœnigræci,ſeminis lini,radicum althææ,ptiſanæ, ſing.æquales portiones prius madefactas coquito donec craſſiſſimus ſuccus euadat.Et huius excolati lib. II. poſtea coquito velut dictum eſt. Emplaſtrum ex ptiſana. Fœnigræci,ſeminis lini,ptiſanæ,ſing.vnc.I.meliloti,radicis althææ,ſing.ſextantem.Hæc probè mundata ac lota per biduum in aqua madefacito ac coquito donec ſuccum reddiderint.& eius excolati lib.II.ſumito,& olei antiqui lib.III.ac ſimul coquito donec oleum ſolum reſtiterit,& huic poſtea taurini adipis ſeſcuncem admiſceto, colophoniæ tantundem,galbani vnc.I.ceræ lib.I.Hoc,vnguento quopiam diſſolutum, etiam laxandi vim habet. Emplaſtrum ex pſyllio. Spumæ argenti libras IIII. olei dulcis lib.VII.ceræ lib.I.reſinæ pinus lib.VII.ſucci pſyllii lib. III. Succum verò ita parabis.pſyllii quadrantem in aquæ ſextariis quinque madefacies:deinde coques,& excolatum ſuccum rurſus cum oleo & ſpuma argēti ad bonā compagē decoques,& liquabilia liquata adiicies.Hoc ad omnes induratas inflammationes vtiliter adhibetur. Aliud è pſyllio ſimplicius,inflammationibus,intertriginibus, papularum eruptionibus,tuberculis ac podagris cōmodū. Spumæ argenti,ceruſſæ,ſing.ſextantem,ceræ ſeſcuncem, olei roſacei lib.I.ſucci pſyllii lib.III.præpara & vtere crudo. non enim coquitur. Aliud è pſyllio ſimplicius. Ad inflāmationes podagricas,in ipſa præſertim exacerbatione cōmodū.Pſyllii triētē in duobus aquæ ſextar.madefa-

A cito ac coquito,& excolato ſuccū, eique ceræ ſeſcuncē, olei lib.I.admiſceto. Emplaſtrum ex ſerapiade,ad tubercula,papulas,& intertrigines: Spumæ argenti lib. I. olei lib.II.ſucci ſerapiadis triteſticularis lib.III. ſpumam argēti cum oleo & ſucco ad bonam compagem decoque,ac vtere. Pſittacium.Foliorum hyoſcyami viridium,colophoniæ,ceræ,adipis porcini,ſing.ſeſcuncem,ad folia trita affundito liquefacta,ac vtitor. Emplaſtrum ex althæa, Polletis. Corticem radicis althææ herba vigente in pila contundito,deinde in æneum aut fictile vas trāſlatum
B vino albo veteri odorato ac adſtringēte reſpergito,vt ſolùm humectetur: deinde tegito, ac per triduum ſinito. quarta die rurſus in pila tundito, & ſuccum fortiter exprimito. & accipito colophoniæ vnc.XXIIII.ceræ trientē, olei,æruginis,ſing.ſextantem, ſucci heminas Atticas II. præparatur autem hoc modo:Colophoniam oleo liquatā ac colatam,ad lentum lignorum pini ignem coquito, & tædacea ſpathula agitato donec in aquam inſtillata ſolidior euadat:deinde ceram adiicito,eáque liquefacta ollā ab igne tollito,& vbi frigefacta fuerint,ſuccum paulatim
C affundito,ac caueto ne efferueſcat. facilè enim ebullit vt ſupereffundatur. Poſtquam autem conſtiterit,rurſus igni adhibeto,& vbi incaluerint,æruginem iniicito,& ablata ab igne frigefacito,ac manibus ſubigito,vt probè vniātur. facit hoc ad noua & antiqua vlcera,ad ferarum ac canum morſus. Virus enim ab vlcere extrahit, panos & ſtrumas aut diſcutit,aut ſuppurat,aut rumpit,aut materiā ad ſuperficiem euocat, velut in ſugillatis, ac in vaporem diffundit.Sedat dolores,ſcabiem ac ſcabros vngues, leprámque ac vitiligines exterit: nec ſoluēdum eſt in his
D ante ſeptimū diē. Aculeos & infixa extrahit, podagricas inflammationes in ipſa exacerbatione mitigat, tumores articulorum ac ganglia diſſoluit,fauos ac ficus curat, hydrocephalam infantium aquoſam capitis affectionem ſanat.Splenis duritiam mollit,cancros non vlceratos lenit, imminentémque eroſionem compeſcit,peſſo exceptum ac ſubditum menſes ducit, pectini impoſitum calculos pellit, vrinæ difficultatem corrigit. aluum ſuppreſſam laxat.roſaceo dilutum plantarum rimas ſanat, vlcera teſtium ac pudēdorū repurgat & incarnat.Et ſi abſque æru-
E gine præparetur, ſerpentia vlcera ſiſtit. oſſium fracturis prodeſt irrigationis vice adhibitum. dolores enim ſedat. Fit etiā ex floribus althææ roſaceis ſimilibus efficaciſſimum pharmacū hoc modo: Flores illi reſectis vnguibus tunduntur,& ad puluillum rediguntur. & eius ſumuntur partes duodecim,colophoniæ partes XXXVI. ceræ partes ſex,olei partes duæ. omnia ſimul velut dixi præparata manibus probè ſubigito,ac vtitor.priore commodius eſt, & dolores amplius mitigat. Emplaſtrum ex ſemine lini, Polletis. Facit ad pectoris affectiones.neruoſarum partiū
F inflammationes diſcutit,ac dolorem mitigat. facit & ad exacerbationes podagricas, & contractos articulos relaxat. Seminis lini partes duas, farinæ hordeaceæ partes tres,colophoniæ partes quatuor,ceræ partes quatuor, reſinæ pinus liquidæ,vel cupreſſi,ſi haberi poteſt,partes II. ſeminis thlaſpios partem I.florum chamæmeli,pilularum cupreſſi clauſarum,ſing.partem I.olei partes duas. ceram & colophoniam cum oleo ad prunas liquefacito, & aſſiduè verſato,& ab igne ablatis cupreſſi pilulas tritas & cribratas adiicito,ac caueto ne efferueſcāt.deinde farinam,
G ſemen lini,reſinam liquidam addito, & rurſus ad ignem adhibeto, & paulatim donec vniantur coquito, poſtea procul ab igne chamæmelum & thlaſpin inſpergito. Et tandem medicamentum in mortarium frigida ſemiplenum coniectū diligenter manibus ſubigito. Emplaſtrū elephantinum. De elephantino. Polles libro ſecundo. Id ego,inquit,prius inueneram,ſed poſtea longo vſu ductus immutaui,& quum facilius meliúſque ac fortius cognouerim,in hunc ſecundum librum retuli: Dorycnii ſiue ſolani veſicarii dextantem,radicis mandragoræ beſſem,
H radicis panacis ſeſcuncem,colophoniæ ſextantem,reſinæ pinus liquidæ trientem,opopanacis ſextantē,ceræ, terebinthinæ,ſing.lib.I.bdellii vnc.XX.aceti lib.I. vel ampli⁹. quidam etiam potamogitonis vncias viginti adiiciunt: verùm deſcriptio nō habet. Aliud elephātinū. facit ad

contractos articulos, mollit ac diſcutit, podagricorum callosas concretiones, & in oſſium fracturis inductos callos diſſoluit. panos, ſtrumas, & quamlibet duritiam emollit. Quòd ſi experiri libuerit, eboris aut cornu ſegmentum ex eo illinito, & ad dies triginta aut quadraginta alligatum ſinito, & deinde ſoluito. & non reperis eboris aut cornu naturam, ſed aliud quid quod cõmodè flecti poſſit. paratur autem ſic: Corticis radicis dorycnii aut ſolani veſicarii virentis ſiue in vmbra ſiccati, corticis radicis mandragoræ, ſingul. beſſem, radicis panacis ſeſcuncem, opopanacis beſſem, potamogitonis viridis, bdellii, reſinæ pinus liquidæ, ſing. vnc. xx. terebinthinæ, lib. I. ceræ ſextantem, aceti albi beſſem. Mandragoræ ac ſolani cortices virentes quidem in pila tundito, & poſtea in mortario terito: ſiccos verò cum panacis radice terito ac cribrato: ſimiliter etiam bdellium terito, ac potamogitonem omniáque ſimul in mortario mixta terito, aceto paulatim inſtillato. & liquefactis quæ liquari debent, excolatíſque ac ad probam compagem coctis, & ad trita admixtis, medicamentum frigefactum manibus ſubigito, & in fictili vaſe aceto affuſo ſeruato, &, ne tranſpiret, probè cooperito. Emplaſtrũ ex herba ſacra ſiue verbenaca, Polletis. Verbenacæ rectæ in vigore cum radice euulſæ ac exſiccatæ, tuſæque ac cribratæ ſeſcuncem, colophoniæ libr. II. ceræ trientem, olei ſextantem. Liquabilia liquefacito, colato, & ad bonam compagem coquito, & adiecta verbenaca ſubigito, ac vtitor. facit ad omnem capitis dolorem, ad hemicraniam, ad oculorum fluxiones, ad dentium dolores extrà adhibitum. ad ſcorpionum ictus. ad neruoſarũ partiũ inflammationes, & omnino impoſitum partes à fluxione tutatur. Emplaſtrum Geranium, Polletis. Facit ad laxatos ac craſſos neruos reſolutionis periculum expectantes. ad omnes fluxiones, tumidóſque ac inflammatos articulos, ad ganglia, ſteatomata, atheromata, ſtrumas, panos, & quæcunque molliri, attenuari, rumpi, ac extergi debent.

Ramenta ſtatuæ æreæ ex aſſidua olei illitione ſordidæ ac æruginoſæ libras II. ceræ libras duas, ſandycis, ſandarachæ, terebinthinæ, ſingulorum libram vnam. Quòd ſi ſtatuæ ramenta ſicciora fuerint, terebinthinæ libras duas accipito, & cum his omnibus gruis pennas vnito, hoc modo. Gruis pennas omnes in ollam nouam coniicito ac operito, argilláque oblinito, & in fornacem mittito. Eámq; vbi totam exterius ignitam videris, extrahito, ac frigefieri ſinito. Ea deinde aperta pennas vſtas eximito, ac terito, & longo tempore antea paratas aſſeruato, medicamentum poſtea ſic præparato: Ceræ ac reſinæ liquatis ac excolatis, ſandycem & ſandaracham minutiſſimè tritas adiicito, & verſato donec omnia fuerint probè mixta, & poſtea ab igne ablatis pennarum cinerem admiſceto, ac ſimul ſubigito: frigefacto autem aliquatenus medicamento, ſtatuæ æruginem cum modico aceto tritam adiicito, atque in mortario probè vnito, ſubigito, ac vtitor. Emplaſtrum ex bugloſſo, Polletis. Bugloſſum herbam cum radice euulſam, & in vmbra ſiccatam terito ac cribrato, & ſumito eius partes quatuor: colophoniæ, reſinæ pinus liquidæ, ceræ, ſingulorum partes octo, olei partes quinque. Colophoniam cum oleo ad lẽtum ignem coquito, ac ſpathula agitato: vbi verò durior apparuerit, reſinam liquidã adiicito, ac rurſus coquito donec non amplius inquinet, & poſtea ceram adiicito. At vbi ab igne amoueris, cribratam herbam addito, & medicamentum in mortarium aqua ſemiplenum infundito, ac manibus ſubigito. Facit ad omnes inflammationes, ſtrumas, parotidas, panos, plagas, colliſiones. ad antiqua & maligna vlcera, ad vulneratos neruos, ſinus, nomas, fiſtulas. Repurgat, mollit, contrahit, attenuat, & quædam diſcutit, quædam rumpit, replet, & ad cicatricem perducit. Dolores vlcerum veterum ac recentium ſtatim ſedat, & liuida abolet. Ego verò in bugloſſæ defectu nycteridem herbam ab aliquibus vnguentum Helenes appellatã, ad coxendicum affectiones adhibui, & bene ſucceſſit. Emplaſtrum ex achate lapide, Polletis. Lapides achates appellatos, leoninæ pelli colore ſimiles, in fornacẽ fabrilẽ mittito, & aggeſtis carbonibus valde ſufflato, & vbi ignitos lapides videris, forcipe extrahito, refrigeratóſque terito ac arctiſſimo cribro excutito. deinde accipito colophoniæ drachmas quadragintaocto, reſinæ pinus, ceræ, ſingulorum beſſem, olei trientem, achatum lapidum vſtorum quincuncem. Colophoniam cum oleo liquatam coquito donec non amplius inquinet. deinde ceram ac reſinam prius liquata & excolata adiicito, & his vnitis lapidum cinerem addito, ac rurſus ad moderatam compagem coquito: poſtea medicamentum in frigidam aquam miſſum frigefieri ſinito, & manibus ſubactum in maſſam cogito. Vtere hoc ad ſcorpionum, viperarum, & venenum eiaculantium beſtiarũ ictus. facit ad tumores ægrè concoctiles ac ſanabiles: ad induratos tumores, ad liuida. velocem ſuppurandi vim habet. Strumas aut diſcutit aut cõcoquit & rumpit. erit autem efficacius ad ſtrumas, ſi capparis folia viridia, aut corticem eiuſdem probè tritum ad emplaſtrum calefactũ remollitum admiſcueris. Emplaſtrum parhygrum. Facit ad inflammationes ad duritiam quandam inclinantes. Adipis porcini à fibris depurati vnc. quadragintaquatuor, ceræ vncias vigintiquatuor, ſpumæ argenti, ceruſſæ, ſingulorum ſeſcuncem. liquida cum aridis permiſceto. Manebit quidem hoc pharmacum aliquandiu liquidius, ſed poſtea ad bonam cõpagem perueniet. Emplaſtrum è buccinis. Hoc Xenocrates malleoli abſceſſum ſuppuratum iam diſcuſſit. Inflammationes autem induratas, præſertim parotidas, priuſquam in pus tranſmutentur, mirificè diſſoluit. Spumæ argenti drachmas CC. ceræ drachmas LII. olei antiqui libras tres, ceruſſæ drachmas VIII. terebinthinæ drachmas LII. buccinorum vſtorum drachmas X. thuris drachmas XIX. aquæ ſextarium. Spumam argenti & ceruſſam minutiſſimè trita rurſus cum aqua terito, & iterum cum oleo, & ex mortario in ollam tranſlata lento igne coquito, aſſiduéque verſato ne ſubſideant: deinde ceram, & mox thus ac terebinthinam adiicito, & ad bonam compagem, non tamẽ multam duritiam, coquito. Poſtremùm cinerem buccinorum, addito, & paululum feruere ſinito, & medicamentũ ab igne tollito, & in mortarium aqua humectum effundito, & diu manibus ſubigito vt glutinoſum euadat: nam tẽporis progreſſu durius propter buccina efficitur. Emplaſtrum Dionyſia appellatum. Inflammationes & abſceſſus, mãmarum præſertim, diſcutit: omnem enim tumorẽ per cæcos meatus diffundit. ſed & duritias ac parotidas diſſoluit: Ceræ, terebinthinæ, ſpumæ nitri, olei antiqui, ſing. ſeſcũcẽ, miſyos crudi vnc. I. aquæ coactiliariorũ quãtum ſufficit. ſpumã nitri & miſy cum aqua terito, & cum oleo coquito: deinde ceram, mox terebinthinam adiicito, & ebullire ſinito donec non amplius inquinent, non tamen nimis ſolida euadant: & ſublatum ab igne medicamentum in mortarium aqua humectum diffundito, manibus ſubigito, ac vtitor. Hæc Dionyſia inter attractoria emplaſtra rectè deſcripta habetur, eáque vtaris velut iſtic deſcripta eſt. Emplaſtrum è ſapone, diſcuſſorium præcipuum ad furunculos. Adipis porcini, picis, ceræ, ſaponis nigri, æquales portiones liquatas excolato, ac vtitor. diſcutit etiam hydropas. Aliud ad furunculos, parotidas & panos. Olei antiqui, ceræ, ſaponis, nitri, lixiuii, æquales portiones. ceram cum oleo liquefacito, nitrũ verò cum lixiuio in mortario terito, & deinde ſaponẽ ſimul cõterito, & in ollã cõiecta paulatim coquito ad moderatã cõpagem, & vtitor. Emplaſtrũ ex heliotropio. Facit ad percuſſa, colliſa, luxata, vulſa, rupta, ſtilorum ac ſimilium rerum puncturas, ad dolores in profundo. Neruos ab ictu aut frigore craſſefactos, aut aliter affectos curat, firmat & dolore liberat. Vlceribus antiquis, & vulneribus recentibus confert. Aduerſus medicatas ſagittas loco affecto imponitur. Ad digitos contuſos, etiamſi oſſiculum colliſum ſit, ab inflammatione tutatur, & dolorem eximit. Maturat, ſuppurat, diſcutit, contrahit, glutinat, repurgat, incarnat, cauitates replet, & ad cicatricem perducit. Heliotropium herbam tria grana habentem, in autumno totam cum radice euulſam & in vmbra ſiccatam terito ac cribrato, & eius accipito trientẽ: Colophoniæ ſplẽdidiſſimæ vnc. XLVIII. reſinæ pinus aut cupreſſi liquidæ beſſem, ceræ beſſem, olei trientẽ. reſinã, oleũ, cerã ſimul liquefacito: deinde herba adiecta ad lentũ ignẽ coquito,

& tædacea ſpathula agitato donec bonam compagẽ acquiſierit medicamentum,& in frigidam diffuſum ſubigito,ac vtitor.Strumas &duritias ſuppurat,rumpit,ſiccat, incarnat,ad cicatricem ducit,& dolorem ſedat. Emplaſtrum Mnaſeæ,ſecundi mollientium ordinis. Spumæ argenti,adipis porcini,olei,æquales partes ſimul decoque donec non amplius inquinent,& ſi fortius medicamentũ efficere volueris,adipẽ & oleum vtrunque vetus accipito:vetuſtiora enim efficacius reddunt medicamentum. Quòd ſi magis emolliens eſſe volueris,oleum minues, & adipem augebis : ſi verò magis diſcuſſorium,adipi detrahe,& oleo adde. Quidam cum oleo & adipe, radicis althææ contuſæ ſeſquilibram coquunt donec torrefiat,eáque abiecta in oleo ac adipe colatis ſpumam argenti coquunt ſicut diximus. atque ſic quidem Galenus.Mnaſeas autem ſic.Spumæ argenti,ceræ,paſſi,colophoniæ,olei,axungiæ,ſing.lib.I.oleum & ſpumam argenti coquito donec non inquinent,& ceram,colophoniam,axungiam,liquatas & excolatas adiicito,ac rurſus ad bonam compagẽ coquito : deinde paſſum affundito, ac fortiter agitato . & ſublatum ab igne pharmacum ſub canis æſtu inſolato, & quotidie cum ſpathula verſato, donec ad debitam ſoliditatem perueniat. Emplaſtrum helladicum mollitorium. Ammoniaci thymiamatis, ſpumæ argenti , ceruſſæ,olei antiqui,reſinæ pinus,ceræ,ſing.lib.I. thuris ſeſcuncem,galbani ſextantem,caſtorei lib.II.propolis,opopanacis,ſing.lib.I.aceti quantum ſatis eſt.Oleum,ſpumam argenti & ceruſſam ſimul coquito,& medio cocturæ tempore ammoniacum tritum adiicito, & ebullire finito donec non amplius inquinent,deinde liquabilibus additis ac probè admixtis, thus & caſtoreum minutiſſimè trita addito.& poſtremùm opopanacem aceto diſſolutum affundito,&perfrigeratum pharmacum manibus ſubigito, ac vtitor.Diſcutit abſceſſus etiam in pus tranſmutatos. Aliud,emolliens ac diſcutiens abſceſſus: Spumæ argenti ſeſcuncem,ceruſſæ ſeſquiunciam,ceræ trientem, ammoniaci thymiamatis ſextantem,galbani, myrrhæ, thuris,ſing.trientem,olei lib.I.oleum,ſpumam argenti & ceruſſam coquito donec non amplius inquinet,deinde ammoniacum,mox ceram & thus ac galbanum adiicito, & ab igne ablatis myrrham addito, ſubigito,ac vtitor. Aliud. diſcutiens abſceſſus, & iam ruptos expurgans ac ſanans.facit & ad capitis lendes. Colophoniæ ſeſcuncem, ammoniaci thymiamatis ſextantem,maſtiches vnc.I.ceræ vnc.I.galbani ſcrup.IIII.opopanacis ſcrup.III.æruginis ſcrup.IIII.reſinæ pinus lignoſæ,olei, ſing. trientem. Aliud è tritici polline.facit ad abſceſſus & furũculos,ad herniam aquoſam & inteſtinorum,poſt chirurgiam inflammationibus ſedatis: Ceræ,pollinis tritici,reſinæ liquidæ, ſingul.ſeſcuncem,ammoniaci thymiamatis quadrantem, olei trientem , aceti aut vini quantum ſatis eſt.Pollinem pridie in aceto aut vino ſubiges. ſequenti die liquatis iis quæ liquari debent,fermentatum pollinem probè ſubactum in mortario admiſcebis ,& vteris. Aliud è fermento. Saponis,ſandarachæ, ſingul. ſextantem, fœnigræci vnciam I.reſinæ pinus libr.I.colophoniæ,ceræ,ſingul.ſeſcuncem,fermenti ſeſcuncem. Fermentum aqua dilutum cum liquabilibus liquefactis miſcebis, & terenda trita adiicies,omniáque ſimul ſubiges,ac vteris. hoc diſcutiendi ac rũpendi vim habet. Aliud è maſticha. Colophoniæ libram.I.ceræ ſeſcuncem, ammoniaci thymiamatis trientem,maſtiches,galbani,terebinthinæ, ſingul.ſextantem,omnia liquefacito ac excolato, & in frigidam coniecta emollito, ac vtitor. Aliud trium ſpecierum appellatum.Ceram,colophoniam,terebinthinam liquidam,paribus portionibus ſimul liquefacito, & in frigidam mittito,ſubigito,ac vtitor. hoc ſicut etiam quod proximè præcedit,oſſa capitis denudata incarnat, & ſquamas citra moleſtiam diſparat, & ſolum abſque alterius vſu ad cicatricem perducit. Quòd ſi maſtichen pari portione adiicias, ad oſſium fracturas admirandum euadet. Emplaſtrum Iudæi. Colophoniæ libram vnam, maſtiches vnc.I.olei trientem.omnia ſimul liquefacta in frigidã mittito,& poſt ruptos abſceſſus vtitor,ita vt nihil reſeces,neq; linamentũ indas,ſed ſolùm medicamẽto ca-

A uitatẽ expleas.Ex eodẽ etiã emplaſtrũ adhibeto.citiſſimẽ repurgat, ac præ cæteris incarnat.Poſtquam autem vlcus explanatum fuerit,ad cicatricem inducendam alio medicamẽto opus eſt.nã hoc ſuperuacuã carnem efficeret. Emplaſtrum reipublicæ præſidis. Reſinæ quæ in vaſculis ac lagunculis ligneis affertur, excolatæ lib.I.ceræ quadrantẽ,maſtiches tantundem, olei à Martyreo vel aliunde allati ſeſquiunciam.oleum cum reſina liquefacito,cẽtaureique viridis ſi haberi poteſt:ſin minus,arido faſciculo B agitato,& his excolatis reliqua admiſceto, ac manibus ſubigito.Quidã centaurei ſicci vnc.I.adiiciunt. Inter liquandum verò & dum agitas, hæc verba inſuſurrato: Deus Abraham , Deus Iſaac , Deus Iacob,huic pharmaco vires largiatur.Hoc ſinus & fiſtulas glutinat,ægilopas ſiccat. & ſi cẽtaureum receperit, duritias ac ſtrumas inchoantes emollit. Emplaſtrum mutum appellatum. Ammoniaci thymiamatis, galbani, opopanacis, ſingulorum vnc.I.maſtiches,ceræ,colophoniæ,ſing.ſeſcuncem,aquæ marinæ quantum ſatis eſt. Aliud. Hoc ad oſſium C fracturas,inflammationibus ſedatis,facit . optimè cicatricẽ inducit: Colophoniæ,reſinæ pinus,ſing.lib.I. ceræ ſeſcũcem. omnia in ollam feruidæ aquæ miſſa liquato ac excolato, deinde in frigidam tranſfuſa emollito, & in maſſam cogito,ac vtitor. Aliud mirificè molliens. facit ad ſtomachi duritiem ac frigidos affectus. Colophoniæ puræ ſextantem,ceræ albæ trientem,maſtiches puræ vnc.I.olei cyathum.I.omnia ſimul liquata ad probam cõpagem coquito. Emplaſtrum Pyxis inſcriptum. confert ad omnes inflammationes, præſertim pedum:D egregiè enim emollit.Ceræ,colophoniæ,ſingulorum ſeſcuncem,ſucci ſeminis lini trientem, adipis porcini ſextãtẽ, terebinthinæ quadrantem & vnciæ dimidium,olei omphacini dextantem,ammoniaci thymiamatis vnc.I. thuris quadrantem , lactis bubuli trientem & vnciæ dimidium,ouorum candida nouem . Ammoniacum & thus cum lacte,ſucco, & ouis terito, & reliquis liquefactis admiſceto. Aliud è melle.mollit ac diſcutit. Spumæ argẽti,olei,ſingulorũ libras duas,colophoniæ,ceræ, axungiæ, mellis,ſingulorũ vnc.viginti,ſpumã argenti cũ oleo & E axungia coquito donec non amplius inquinent: deinde reliqua liquata adiicito, & ab igne ablatis mel affundito, & frigefactũ medicamentũ manibus emollito. Melinũ Serapionis vulnerarium ad multa commodum. Omnes duritias diſſoluit, abſceſſus diſcutit, humores per occultos meatus diffundit. Sinus glutinat, ſpicula,oſſa corrupta & aculeos extrahit. Roſaceo dilutum caua vlcera replet.ſedat etiam inflammata. Hoc præceptor Lucius vtebatur,atque ipſum dupliciter præparabat,modò glutinoſum,modò ſolidius efficiens: collyria enim ex ſolidiore F formabat,& filum innectebat , & ſic ad vſum parata habebat,ac in ſinus fiſtuloſos indebat,filo foras propendente ad commodiorem extractionem . quæ enim ſine filo induntur,quum duriora ſint ſæpe frangũtur,& priuatim abſceſſus efficiunt. Spumæ argenti drach.centũquatuor, colophoniæ drach.ſexagintaquatuor,ceræ drach.quadragintaocto, ammoniaci thymiamatis drach. vigintiquatuor,æruginis,myrrhæ, galbani, ſingul.drach.XX.olei,æſtate vncias XV.hyeme octodecim.ſpumam argenti cum oleo ad lentum ignem coquito, & ab igne ablatis G æruginem iniicito,ac ne efferueſcat caueto , & rurſus coquito donec non inquinent,& ad cotonei mali colorem perueniant:deinde ceram ac reſinã liquefactas ac excolatas addito,& vbi parũ ebullierint, ammoniacũ læuiſſimè tritũ & aqua aut aceto dilutum admiſceto , & mox galbanum tritum addito,& tandem ab igne amotis myrrham inſpergito. Melinum Paſionis Athanaſia inſcriptum. Ad veteres ſinus , etiamſi vſque ad vacua perforati fuerint.idem puerorum ſtrumas recentes diſcutit. Facit & ad articulos diſtortos ac lancinatos , ſicut Heras & Galenus teſtantur: Spumæ argenti,reſinæ pinus ſiccæ,ſingul. H drach.C.ceræ drach.XII.S. olei, vini veteris odorati adſtringentis,ſing.heminæ dimidium. ſpumã argenti cum vino ad ſolem æſtiuum pluribus diebus terito donec fuerit exſiccata,& poſtea cum oleo ad lentum ignẽ coquito donec nõ ampliꝰ inquinet.Poſtea cerã ac reſinã adiicito,

præparato, ac vtitor. Emplaſtrum Venus appellatum,
ad multa cõmodum.Omnem duritiam diſſoluit,ſtrumas
diſcutit,ſpicula & aculeos extrahit.Ad venenum eiaculã
tiũ beſtiarum morſus mirificè cõmodũ.Fiſtulas & ſinus
glutinat.Podagricis per exacerbationũ interualla vtiliter
imponitur,& coxendici diuturnæ medetur.Spumæ argẽ
ti vnc.xxv.ammoniaci thymiamatis dextãt.colophoniæ
vnc.xvi.æruginis,galbani ſing.ſextantem,bdellii,opopa-
nacis,ſing.quadrantẽ,myrrhæ,ariſtolochiæ,ſing.vnc.i.o-
lei antiqui lib.ii. Oleum cum ſpuma argenti coquito, &
in medio coctur æ tempore æruginem adiicito,& donec
non inquinent bullire ſinito, deinde colopohoniam li-
quatam & excolatam addito,& ab igne ablatis, ariſtolo-
chiam ac myrrham aceto trita,cum galbano,bdellio ac o-
popanace admiſceto,& in mortarium tranſfuſa ſubigito,
vnito,ac vtitor. Aliud emplaſtrum Venus appellatum.
Facit ad eadem velut præcedẽs,& eſt ad podagras per ex-
acerbationum interualla valde inſigne.Olei antiqui libr.
tres,ſpumæ argenti libr.ii.ammoniaci thymiamatis lib.
vnã,ceræ vnc.xxii.colophoniæ dodrantem,galbani,æru-
ginis,ſing.quadrantem,reſinæ pinus vnc. xvi. myrrhæ
trientem,præpara velut dictum eſt. Emplaſtrũ panacea,
emolliens ac diſcuſſorium. Ceræ beſſem, colophoniæ,
terebinthinæ,ſing.lib.i.ammoniaci thymiamatis ſeſcun
cem,galbani,opopanacis,pollinis thuris,olei,ſingulorum
vnc.i.vini quantum ſatis eſt. Emplaſtrum è rumice, ad
multa commodum.abſceſſus diſcutit ac rumpit, ſtrumas
emollit. Ceræ,reſinæ,adipis porcini, foliorum rumicis
viridium probè cõtuſorum,ſpumæ nitri,ammoniaci thy
miamatis,ſing.lib.i. præpara, & vſus tempore cum oleo
antiquo molli,ac vtere. Emplaſtrum è perna. Omnẽ
duritiam,ſtrumas,ganglia,meliceridas, & reliqua huiuſ-
modi diſſoluit,ſinus glutinat. facit ad furunculos,abſceſ-
ſus,neruorum per conſenſum affectiones. confert pleuri-
ticis,coxendicúmque ac articulorum affectionibus.Pin-
guedinis ſuillæ è perna antiquiſſima, ſpumæ argẽti,ſing.
libr.iii.reſinæ pinus lib.i.ammoniaci thymiamatis qua-
drantem,galbani,thuris, euphorbii, ſing. vnc. i. pingue-
do verò de perna ſic paranda eſt: Pernam ſuis antiquam
in olla fictili cum aqua,præſertim marina,coquito,&eius
iuſculi excolati ac refrigerati pinguedinem concretam,
tum ſuperſtantem,tum ſubſidentem accipito,& expurga-
tam ad medicamenti præparationem aſſeruato.Cum hac
itaque liquata ſpumã argenti ad lentum ignem coquito,
donec non amplius inquinet,deinde ammoniacum adii-
cito tritum,& poſtea reſinã excolatã,& thus minutiſſimè
tritũ:his verò vnitis galbanũ præmollitũ addito, & ſub-
lato ab igne medicamento euphorbium admiſceto, ac
vtitor. Emplaſtrũ è perna, Galeni. Calloſas inſtar topho-
rũ concretiones diſſoluit. Pinguedinis pernæ ſuillæ præ-
paratæ velut dictum eſt,lib.i.ammoniaci thymiamatis,
caſei bubuli aut caprini vetuſtiſſimi, adipis taurini, apo-
chymatis hoc eſt reſinæ,cũ cera ex nauigiis deraſæ,ſing.li-
brã i.medullæ ceruinæ beſſem,œſypi quadrantem, opo-
panacis vnc.i.olei cyprini ſeſcuncẽ,vini quãtum ſatis eſt.
cætera liquato ac excolato: caſeum verò cum vino terito
ac liquefactis adiicito,præparato,& in mortario manibus
emollito. Emplaſtrum mollitorium Lucii præceptoris,
ad diſtortos articulos inſcriptum. Facit ad abſceſſus pro-
fundos,neruos,& articulos contractos. prodeſt opiſtho-
tonicis,neruorum per cõſenſum affectionibus. eximit laſ
ſitudinem oleo cyprino aut irino, aut laurino dilutum.I-
tem ad duritias diuturnas ac ægrè curabiles. Bdellii,adi-
pis vitulini,ammoniaci thymiamatis,iridis Illyricæ,ſin-
gul.drach.xvi.opopanacis drach.l.galbani,canchryos,ſty
racis,thuris,ſing.drach.viii.piperis grana clx.ceræ, tere
binthinæ,ſing.ſeſcuncem,olei irini æſtate quidem ſextã-
tem,hyeme verò quadrantem,vini quantum ſatis eſt.Ce
ram cum oleo liquefacito,& ammoniacum,bdellium,ac
thus trita admiſceto.& ſi thus ægrè teri poſſit,vino made
factum conteratur:& his omnibus probè vnitis terebin-
thinam ac ſtyracem addito, deinde ab igne ablatis, iri-
dem,cãchry,& piper minutiſſimè trita adiicito,& poſtre
mùm opopanacem vino diſſolutum affundito,& probè
ſubigito.Hoc medicamentum ſupremi ordinis eſt emol-

A lientium:nec facilè reperias quod magis induratas partes
molliat,ac duritiã diſcutiat. Emplaſtrũ è pſyllio, experi
mẽto cõſtãs. Strumas reſiccat ac diſcutit, furunculos diſ-
ſoluit,inguinũ ac alarũ abſceſſus etiã in pus trãſmutatos
diſcutit,ſinus glutinat,ganglia diffundit,clauos in mani-
bus ac pedibus exterit, carbũculos ſanat, vitiligines emẽ
dat.Radicis althææ tritæ cribratæ vnc.i.pſyllii triti cribra
ti ſextantem,ſtercoris columbini minutiſſimè triti, axun
giæ veteris purgatæ,ſing.quadrantem, picis ſiccæ libr. i.
maſtiches nigræ Æthiopicæ quadrantem, aut ſi haberi
B non poteſt,Chiæ tantundem.quæ liquari poſſunt liquato.
& ab igne amotis arida admiſceto,& frigefactum medi
camentum probè manibus ſubigito,atque vſus tempore
chartæ aut corio inducito. Mollitorium ex ruta. Articu
los manuum contractos mirificè emollit.Ceræ trientem,
terebinthinæ ſextantem,galbani,opopanacis,œſypi,caſto
rei,ſing.vnc.i.euphorbii trientem,rutæ ſextantem.Liqua
bilia liquefacito,& euphorbium,caſtoreum, ſingula ſeor
ſim trita cum opopanace ac rutæ foliis in mortario con-
tritis, ſimul ſubigito,& ad liquefacta admiſceto. Aliud
C emolliens. Strumas,parotidas,furunculos, panos ac me-
liceridas diſſoluit. Ladani mollis,bdellii Scythici reſino
ſi, propolis recentis ac mollis, ammoniaci thymiamatis,
terebinthinæ, æquales portiones præpara,& vtere. A-
liud molliens ac diſcutiens. Facit ad ſtrumas,parotidas,
meliceridas, itémque atheromata. vtimur eo etiam ad
vaſorum dilatationem.Spumæ argenti drach.c.colopho-
niæ,adipis caprini,ſing.drach. lxxx. ceræ,rubricæ, viſci,
ſingulorum drachm.xl.lapidis pyritæ drachm.xvi. picis
drachm. xxiiii. calcis viuæ marmoraceæ drachm. xxxii.
D galbani,ammoniaci thymiamatis, bdellii, ſingulorũ dr.
xvi.ceruſſæ,aloes,myrrhæ,bituminis,mannæ thuris,di-
ctamni,ſingulorum drachm.xii.olei antiqui lib. iii. ſpu-
mam argenti,oleum,ceruſſam,adipem, ſimul ad bonam
compagem coquito:deinde ammoniacum & bdellium
trita adiicito,& his liquatis primùm viſcum, deinde lapi
dem pyritẽ, ac calcẽ, & cætera ſicca trita addito,& omnia
vnita, frigefacta,manibus ſubigito,ac vtitor. Aliud abſ
ceſſus ac ſtrumas diſcutiens. Candidum canis fimum
terebinthina excipe,ac vtere. Aliud. Sedat inflamma
E ta,ſtrumas,hernias carnoſas,& omnem duritiam emollit.
Caricarum pinguium,nitri toſti,ſeminis naſturtii,ſingu-
lorum æquales partes cum melle emplaſtri forma excipi-
to,ac emollito. Emplaſtrum è bugloſſo. duritias diſſol-
uit. Bugloſſi beſſem,ſpumæ argenti quadrantem,ammo
niaci thymiamatis ſextantem,adipis porcini ſeſcuncem,
olei antiqui tantũdem. Emplaſtrum Perſarum è lapi-
dibus,Tyrrhenicum & Pampathes appellatũ. Veſicæ &
renum calculos confringit impoſitum. Callos in mani-
bus ac pedibus diſſoluit:citra moleſtiam enim eos ſuppu
F rat, & eſt poſt ſeptimam tandem diem exſoluendum: i-
dem etiã in ſteatomatis,ſtrumis,gutturis tumore,gãgliis,
& ſimilibus facit. Ad ægilopas & fiſtulas antiquas, præ-
ſertim ſedis,ſub alis,inguinũ ac mãmarũ,velut myſteriũ
diuinum habetur.in his autem quinta exoluendum eſt,
& callus fiſtulæ deraſus apparebit,nec deſiſtendum eſt ab
eius vſu,donec callus penitus fuerit exciſus.Facit & ad vl
cera maligna,& ad vngues manuũ ac pedũ motos, vt à
Deo miſſum putes. Ad herniam aquoſam, hydropẽ,ſple-
nis tumorẽ,corio pro tumoris magnitudine inductũ im-
G ponitur.In hydrope ſanè anterius ab alis vſque ad inguina:
poſterius à ceruice vſque ad lumbos. omnem enim aquã
videbis diuino quodã myſterio efferri, eóque vteris do-
nec res melius habere videbitur.Ad anheloſos inſuper ac
erecta ceruice ſpirãtes,tabidos & deploratos intus delite-
ſcẽtes abſceſſus,pilulas cũ modico melle ex eius paſtillis
feci, eáſq; viris,mulieribus,pueris,ſenibus exhibui,& de-
ploratos reuiuiſcere vidi. Idẽ & in peſtilẽtibus cõſtitutio
nibus feci,& plures à peſte liberaui. Verùm deſino plures
alias eiuſdẽ vires recenſere,ne tantùm Dei munus aliquis
H fabulã putet:Spumæ argẽti lib.i.ceræ vnc.xvii.ammoni-
aci thymiamatis quadrantẽ & ſemunciam, propolis vnc.
xvi.S. galbani ſeſquiunciam,ſquamæ æris vnciam vnam,
lapidis Phrygii vncias xviii.reſinæ pinus ſiccæ libram i.
diphrygis ſextantem & ſcrup.xviii.æris vſti vnc. i. thuris

ſextantẽ & obol.IIII.radicis ariſtolochiæ rotũdæ vnc.XL. & ſcrup.XVI.lapidis magnetis viuẽtis ac trahẽtis vnc.I. aloes ſextantẽ & ſemunciã,dictamni quadrantẽ,cinnabaris cõmunis ſcrup.XVIII.adipis ſtruthiocameli lib.II. lapidis pyritæ ſextantem,lapidis vitæ Scythici ſcrup.XVIII.lapidis hæmatitæ vnc.I.cadmiæ vſtæ trientem,gentianæ,ariſtolochiæ longæ,lapidis parciaci, aut pro eo gagatæ, ſingul. vnc.I.betonicæ, radicis chamæleontis nigri, ſing. vnc. I. (in alio exemplari,ſcrup XVIII)æruginis vnc.I.olei antiqui lib.I.(in alio lib.II)floris ſalis,aceti ſquillitici,ſing.quantũ ſatis eſt.Spumam argenti & lapides omnes primùm ſeorſim,deinde ſimul tritos,ad ſalis florem admiſceto, & ad fæcis compagem ſimul conterito. deinde æruginem & æs trita adiicito,poſtea thus,aloem,ammoniacum,ſingula ſeorſim trita addito,& mox galbanum, & ſemper florem ſalis addendo conterito. poſtremùm herbas minutiſſimè tritas ac cribratas immittito, & rurſus flore ſalis addito conterito ac ſubigito, & cũ aceto ſquillitico paſtillos & maſſas formato. quæ verò liquari debent,priuatim liquefacta ſeruato,& vbi medicamentũ in vſum aſſumere voles, admiſceto. Cæterùm locus cui adhibendum eſt medicamentum, oleo ne inquinetur. Aliud ſtrumas diſcutiẽs. Spumæ argenti lib.I.olei antiqui ſeſquilibrã, auripigmenti vnc.I. ſpumam argenti cum oleo coquito donec non amplius inquinet:deinde auripigmentũ prius cum olei ſextante tritum adiicito.vtere confidenter,& ne contempſeris vilitatem. Aliud ad ſtrumas. Spumæ argenti ſeſcuncem, æruginis ferri ſextantem, ammoniaci thymiamatis, olei antiqui,ſingulorum beſſem.Spumam argenti,æruginem,& ammoniacum,ſingula ſeorſim trita coquito,ita vt æruginem & ſpumã argenti cũ oleo primùm coquas,& ad ſemicocta ammoniacũ adiicias,ſináſque ebullire donec nõ amplius inquinẽt. Aliud è ſale, Damocratis.omnem duritiã diſcutit. Salis triti, ceruſſæ, ſingul.lib.I.galbani,propolis, ariſtolochiæ, ſingulorũ ſextantem,olei veteris libras duas.&ſi craſſius fuerit pharmacum,aliã adhuc olei libram adiicito. Ceruſſam & ſal cum oleo coquito donec non inquinet. Deinde galbanũ & propolin,poſtremùm ariſtolochiã, ſingula trita addito ac præparato. Aliud eiuſdem. Diſcutit ſtrumas, omnẽ frigidum humorem abſorbet, hepatis ac ſplenis aquoſas affectiones ſanat,vrinã prolectat,coxẽdices veteres curat. Ceræ,reſinæ pinus,colophoniæ,ſing.lib.I.calcis viuæ,aluminis ſciſſi,auripigmẽti ,ſing.vnc.I.Liquabilia cũ modico oleo liquato ac excolato,deinde ad arida cũ modico aceto trita admiſceto,ac vtitor.Poſſe hoc diuturnas viſcerũ duritias diſſoluere conſtat,ita vt multã humiditatẽ extrahat. ciet quoque menſes diu ſuppreſſos. Ego verò ablata calce,duplum aluminis adiicio,& medicamentum lõgè præſtãtius cõperio:neque enim puſtulas excitat. Emplaſtrũ Philagrii diſcuſſoriũ. Curat gutturis tumores, & duritias diſcutit.Spumæ argenti dr.L.reſinæ pinus dr.XL. olei antiqui drachmas LXXX. æris vſti, ammoniaci thymiamatis,ſing.drach.VIII.aluminis ſciſſi, mannæ thuris, ſing.dr.IIII.ceræ dr.L.Spumã argẽti cũ oleo coquito, & ad ſemicocta æs adiicito,& bullire ſinito donec non amplius inquinẽt:deinde ammoniacum tritũ addito,eóque liquato reſinã & cerã liquatas ac excolatas affundito, ac rurſus ad cõpagem non inquinantẽ coquito,ac mox galbanum præmollitũ addito,& ab igne ablatis,thuris mannã inſpergito,& vnito,& frigefactum medicamentũ manibus ſubigito. Emplaſtrũ diſcuſſorium abſceſſuum admirandũ.nulla enim ratione abſceſſus facta,pus craſſiſſimũ in emplaſtro inuenitur:idque detergẽdũ eſt,ac medicamentũ reparatũ rurſus imponẽdũ.Colophoniæ lib.I.ceræ ſeſquilibrã,olei hyeme cyathũ I.æſtate verò dimidiũ, nitri berenicarii fului aut albi & friabilis ſeſcuncem.Cætera liquefacito ac excolato, nitrũ verò minutiſſimè tritum inſpergito,& probè verſato,perfrigeratáque manib⁹ emollito,& in maſſam cogito. Obſeruandum eſt ne medicamentum in aquam tranſfundamus: aliâs enim nitrũ abolebitur. Aliud. Picis ſiccæ, ceræ nouæ, ſing.lib. II.olei lib.IIII.ad lentum ignẽ coquito,ſubigito,ac vtitor. Facit ad abſceſſus,ſtrumas,fiſtulas, & alia huiuſmodi.

Aliud Oribaſii. Ad ſtrumas & alarum ac inguinum & colli tumores duros: Papaueris corniculati folia cum axungia & propoli pingui terito,& imponito. Aliud ad ſtrumas & omnem duritiam. Verbenacæ rectæ foliorum viridium drachmas. XLII. hyoſcyami viridis drachmas CXLIIII.adipis porcini,reſinæ pinus ſiccæ drachm. XLVI.picis drach.XXIIII.Liquabilia liquata ac excolata cũ herbis tritis committito. Aliud è rumice. Foliorum rumicis, perdicii, ſenecionis,reſinæ pinus,ſing.dr.XLVIII. foliorum hyoſcyami,axungiæ antiquæ,ſing.drach.XCVI. galbani drach.octo. liquabilia liquefacito ac cum herbis committito. Aliud è rumice, ad ſtrumam & omnem duritiã,ad alarum ac inguinum abſceſſus,ad vlcera maligna & fiſtulas,ad vteri ſtrangulatus.Facit & ad ſplenem induratum. Allii nucleos XV.ceræ drach.XCVI. olei drachmas XCVI.nitri Alexandrini drach.XLVIII.æris vſti, terebinthinæ,ſingulorum drach. vigintiquatuor, thuris drachmas octo, foliorum rumicis in olla vel charta ſub recenti cinere reſiccatorum drach. XLVIII. Liquida cum aridis tritis committito,& in mortariis ſubigito:alia verò in oleo fricto terantur. Aliud è ſcolopendrio,Philoſophi. diſcutit abſceſſus,furunculos,& ad multa commodat: Colophoniæ libras duas,ceræ,axungiæ recentis, ſingulorum libram vnam,reſinæ pinus beſſem,olei ſeſcuncem,ſcolopendrii ſextãtem, vini antiqui ſextarios duos, pollinis tritici vncias quatuordecim. tritici pollinem cũ vino coquito, deinde liquida affundito ac vnito, & poſtremùm ſcolopendrium addito,ac vtitor. Quòd ſi oleũ reprobas,pro eo axungiæ ſeſcuncem accipito,& magis emolliet. at ſi oleum acceperit,magis diſcutiet.

De emplaſtro ex aſpidibus, Cap. XV.

EMplaſtrum ex aſpidibus, ſtrumas & alias duritias diſcutit.Facit & ad podagras per exacerbationum interualla adhibitum : Terebinthinæ, lapidis aſii, bituminis, ſingulorum drach.CCCLX.ſpumæ nitri, adipis vitulini, ceræ,baccarum lauri, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum drach.CCCXL.lapidis pyritæ,calcis viuæ,ſing.drach. CXX.cineris aſpidum viuarum vſtarum drach. CXL. olei antiqui libras duas.oleum & ceram primùm, deinde bitumen tritum liquefacito, & ad hæc adipem, mox ammoniacum,& terebinthinam adiicito. & his ab igne ablatis calcem & lapidem aſium admiſceto, deinde baccas lauri & nitri ſpumam. poſtremùm autem aſpidum cinerem frigefacto medicamento inſpergito,vt ne pereat, omniáque ſimul ſubige,ac vtere.Cæterùm ad aſpidum exuſtionem,ollam totam forinſecus argilla craſſius oblinito,& ad ſolem ſiccato.& iniectis aſpidibus ollam operito,& probè munito,duobus aut trib⁹ foraminib⁹ relictis ex quibus cognoſcas vbi vapor purus exhalet. Hoc emplaſtrum oleo gleucino dilutum & illitum articulorum affectiones ac coxendicum reſolutiones curat:& cum laurino oleo illitum vitiligines albas exterit.

De emplaſtro aniceto, Critonis, Cap. XVI.

EMplaſtrum anicetum, id eſt *inſuperabile* appellatum, in multo nobis vſu eſt. Attrahit,rumpit,expurgat,glutinat,pus per ſplenium educit. Collyrium ex eo in ſinus inditur.Diffundit duritias,& contractis neruis opitulatur impoſitum citra irrigationem,vt ne perfrigerentur. Vnguenti vicem explet diſſolutum velut vnguẽtum ad laſſitudines eximendas paratum:ſedat enim laſſitudines in principiis morborum,& ex obſcura cauſa obortas. Eſt & extremarum partium mollitorium, in magnis ſpleniis impoſitum.Glutinat etiam cruenta vulnera, poſt futuram aut hamulos impoſitos, ita vt linteũ complicatum ſolo aceto imbutũ ſplenio ſuperponatur,æſtate frigido:hyeme calido.Facit & ad plantarum offenſas putredinéſque ac digitorum affectiones,& ad fracturas cum vulnerib⁹, & neque incarnante,neque cicatricem inducente alio vtendum eſt, ſed ipſi ſoli fidendum .facit etiam ad hominum,canum ac ferarum morſus. Maxima verò eius promiſſio eſt quòd non ſinat fieri abſceſſus occultos in colo & membrana aluũ ac inteſtina ambiente,ſi ſanè nõ fuerint ſuppurati:aut ſi fuerint facti, quòd eos attenuet,

& ad inteſtina eorũ ruptionẽ diuertat. Oportet autẽ ſple
niũ ad locũ imponere, & hapſum lanæ aut linteũ ſuper-
ponere, aceto & oleo calido imbutum, & irrigare bis per
diẽ. ne ſolueris autẽ niſi per tres aut quatuor dies:deinde
fomento ad vaporẽ adhibito,rurſus impone. appellatio-
nem accepit ab admirandis ac multis operibus. Squamæ
æris dr. LVIII.pyrethri, ſtaphidis ſylueſtris, grani cnidii,
ſeminis ſinapis,cãchryos, ſtercoris columbini, ariſtolo-
chiæ tenuis,æruginis,miſyos Cyprii,ſeminis erucæ,cumi
ni,ſing.drach.XVI.nitri,ſalis ammoniaci,ſingul.dr.XXXII.
mannæ thuris,baccarum lauri,iridis,ſing.drach.CXX.ace-
ti acerrimi ſextarios XVI.caricarum decocti cyathos quin-
que.Decoctum porrò caricarum ſic paratur: Caricarum
pinguium libræ quinque in aquæ ſextariis ſex coquuntur
ad tertias. Omnia itaque contuſa ac cribrata ſimul cum
aceto terito ſub caniculæ feruore.vbi verò ſiccum & viri-
de euaſit medicamentum,affundito caricarum decoctũ
ac commollito,& ablatum in æris rubri pyxide ſeruato.
Vſu autem poſtulante,medicamenti partem vnam cum
aceto ad ſtrigmentitiã ſpiſſitudinem dilutam cum ceræ
ac colophoniæ modico oleo liquefactarum partibus ſex
committito.Quòd ſi durius efficere volueris, ceræ & co-
lophoniæ quatuor partes ſumito: ſin mollius & magis di
lutum,octo admiſceto.Idem & ad impetigines feras con
uenire dicitur, ſi meracius adhibeatur. Aliud,diſcu-
tiens abſceſſus. Ceræ,terebinthinæ, nitri,butyri,æqua-
les portiones committito. Aliud, ad abſceſſus. Ver-
benacam rectam cum nitro, ſulphure, & reſina liquida
committito,ac vtitor.

Emplaſtra ruptoria, Cap. XVII.

EMplaſtrum ſcalpelli vſum explens:Nitri lib.III.propo-
lis,fimi columbini, ſalis ammoniaci, æruginis, ſing.
ſeſcuncem, aquæ marinæ aut muriæ ſeſquilibram, olei
antiqui lib. III. arida ſeorſim primùm terito, deinde æru
ginem,nitrum & ſal ſimul in mortario læuiſſimè conteri
to,& mox affuſa aqua rurſus probè terito, & mox oleum
quoque admiſceto, vt ſtrigmẽtitia compages fiat, poſtea
ſimul omnia in fictilem ollam coniecta lento igne ad a-
quæ conſumptionem coquito.poſtremùm propolin præ-
mollitã adiicito,& ablato ab igne medicamento ac tepe-
facto,fimum columbinum inſpergito ac commiſceto,&
hoc linteo illitum faſtigiato ac molliori abſceſſus loco im
ponito.ſit autem ſplenium ex eo illitum minutũ,& aliud
amplum ipſi ſuperponatur,cui emplaſtrũ è ſuccis aut mel
le aut melinum Serapionis,aut Mnaſeæ,aut aliud mollito
rium ſit inductum. Aliud perforans. Ceræ vnc. XVI.
ſalis communis,ceruſſæ,ſing.drach.XL. cineris ſarmento
rum vitis, arundinum Græcarum vſtarum, æruginis,ni-
tri rubri,ſing.drach.X.Singulis ſeorſim tritis,deinde per-
mixtis aquam affundito,& ad ſtrigmentitiã ſpiſſitudinẽ
conterito: poſtea ceruſſam cum olei quincunce aliquate-
nus coquito,& deinde ceram addito,ſimúlque bullire ſi-
nito donec non amplius inquinent,& ad reliqua trita ad-
miſceto ac vtitor. Aliud perforans arundines & aculeos
& quæcũque infixa,ac in profundo hærentia extrahens,&
vlcera glutinans:Bituminis,nitri,ſing.drach.XXV. ariſtolo
chiæ drach.XII.baccarum lauri drach. XX. præpara,& vte-
re. Aliud. Fimi columbini,nitri,ſing.drach. IIII. cari-
cas numero VII. nitrum & fimum ſimul terito, & poſtea
cum caricis contuſis ſubigito,& linteo inducito: & ſi du-
rius videbitur, mel & axungiam depuratam addito. hoc
eadem die diſſipat ac rumpit. Oribaſii ruptorium.
Picis liquidæ,picis ſiccæ,propolis,portiones æquales vni
to & adhibeto.rumpit,& ad cicatricem perducit. Aliud
eiuſdem.Extrahit,rumpit,& glutinat. Ammoniaci thy-
miamatis,propolis,aluminis,ſingul.ſextantem, thuris ſe-
ſquidrachmã, galbani, auripigmenti,ſing.drach.I. Em-
plaſtrum ruptorium. Succi ranunculi, auripigmẽti, chal
citidis,lathyridis,ſquamæ æris rubri, ventrium canthari-
dum,ſing.vnc.I.calcis viuæ dr.II.excipe cedria. Vſus tẽ-
pore ſpleniũ dimidii digiti latitudine,& lõgitudine quã-
ta videbitur, ex eo illinito ac imponito,& emplaſtrum ex
ſuccis emollitũ ſuperimponito. Sinatur autẽ ad horas III.
vel V.& caueatur ne neru⁹ aut vena aut arteria attingatur,
néue prius adhibeatur quàm maturus fuerit abſceſſus:

A hoc etiam ſtrumas rumpit. Aliud,oxynitrum appella-
tum. Ceruſſæ vnc.XX.ſalis foſſilis dr.VII. nitri quadrantẽ
& ſemunciam,olei veteris trientẽ,aceti heminã I.omnia
ſimul coquito donec nõ amplius inquinẽt. Aliud, ſine
moleſtia rumpẽs.Ceræ,nitri,ſing.dodrantẽ & ſemunciã,
fæcis vini vſtæ vnc. XIIII. auripigmenti drachmas VII. o-
lei antiqui libras duas. liquabilia liquefacito,& ad arida
trita admiſceto. Aliud ad ſtrumas, ac omnem duri-
tiam: aut enim diſcutit, aut mollit, & rumpit,purgátque
B ac ſanat. Succi potamogitonis, ſtratiotæ,cæparum acer-
rimarum,ceræ,propolis,pollinis tritici,ſing.vnc.XVI. fer-
menti acidi,ſerapiadis triteſticularis,ſing.ſeſcuncem,tra-
gacanthæ,reſinæ pinus, ſingulorum quadrantem, (aliqui
etiam horum ſeſcuncem adiiciunt)galbani, opopanacis,
olei antiqui,ſingul. dodrantem. Tragacantham in parte
aliqua ſuccorum madefacito,ſimiliter opopanacẽ & gal-
banum ſeorſim madefacito ac terito, & his poſtea fer-
mentum cum ſuccis ſubactum admiſceto. poſtea oleo &
reſinæ liquatis & excolatis propolin emollitam adiicito,
C & ad hæc tritici pollinẽ inſpergito & vnito: poſtremùm
omnia in mortarium tranſlata manibus probè ſubigito.
Aliud, abſceſſus diſſipans vel rũpens. Vitrũ,ſpecularis
præſertim lapidis,minutiſſimè tritũ,& thus,æquis parti-
bus cũ aceto probè trita,penna illinito. Ruptoriũ effi-
cax. Bulbum Africanũ,naſturtiũ,nitrũ,fimum columbi
nũ,ficus aceto præmaceratas,axungiam depurgatã, æquis
portionibus omnia cum melle ad emplaſtri formã ſubi-
gito,ac imponito pro partis ratione quã rumpi voles.
Aliud,diſcutiendi ac extrahendi vires habẽs.Ad ſtrumas
D & gutturis tumorem mirũ in modũ cõmodũ. Olei ve-
teris lib.III.plumbi lib.II. coquito ſimul donec non am-
plius inquinent.deinde terebinthinæ,galbani,ſing. ſeſcũ
cem, ammoniaci thymiamatis ſextantem admiſceto,ac
vtitor. Aliud Oribaſii. Candidum canis ſtercus tere-
binthina excipe & impone.

Emplaſtra diſcuſſoria & attractoria,
Cap. XVIII.

QVI cõpoſitorũ pharmacorũ facultates deſcripſerũt,
quædam emplaſtra attractoria appellauerunt, ſicut
E quædã diſcuſſoria: aliquibus verò teſtimoniũ præbuerũt
vtriuſque facultatis:ſunt enim vicinæ inter ſe facultates,
attractoria ex profundo,& diſcuſſoria attractorũ.Nã quæ
attrahũt,omnino etiam diſcutiũt,& quæ diſcutiunt, etiã
attrahũt. & prædominatur in diſcuſſoriis quidẽ medica-
mentis,facultas diſcuſſoria: in attractoriis verò attracto-
ria.Attractoria porrò ex ſimplicibus cõpoſita ſunt, quæ
vim habent humorũ ſuperfluitates ex profundo ad cu-
tem attrahendi: diſcuſſoria autem ex iis quæ vim ha-
bent diſcutiendi attracta. Quò itaque emplaſtri forma
F fiat, alii ſpuma argenti miſcetur, alii reſina, alii oleum,
alii cera,alii pix:quum talia neque diſcuſſoriã memorabi-
lẽ neque attractoriã vim habeãt,quemadmodũ propolis,
galbanũ,calx,medullæ,aſiæ petræ flos,ſpuma nitri,acetũ,
piper,ſinapis,herba lanaria,ſal cibarius & ammoniacus,&
multa huiuſmodi quæ in ſuperioribus Sermonib⁹ de ſim
plicibus cõmemorauimus.Cæterũ aliqui adſtringentia
medicamẽta attractoriis admiſcuerũt, veriti id quod fie
ri ſolet in iis quib⁹ ſuperflui ſunt humores:attrahũt enim
aliquãdo plus quàm conuenit, vt non ſolùm ex parte quæ
G curatur,à profũdo attractionem faciãt, ſed etiã ex omni-
bus circũſitis eliciant.Eius verò meminiſſe oportet quod
ſuprà de incarnantibus medicamentis relatum eſt, attra-
ctoria & diſcuſſoria,& quæ magis quàm oportet detergẽt
omnia,fieri incarnantia per cerati admixtionẽ: ita vt iis
quæ fortia ſũt,amplius: quæ verò debilia,minus de cera-
to admiſceatur. Atque hac ratione diuturna vlcera cicatri
cem reſpuentia,putrida & ſerpentia,per emplaſtra ex ſale
ac reliqua huiuſmodi,cerato admixto repurgantur & ci-
catrice includuntur. At ſi medicamẽto attractorio aut diſ
cuſſorio admixtum fuerit aliquod adſtringens, eo phar-
H maco non eſt vtendum ad incarnandum, eo quòd fa-
cultas adſtringendi,ad vulnera quidem glutinanda, & ſi-
nus,& ad vlcera cicatrice includenda,vtilis eſt:verùm inu
tilis ad incarnãdũ. Cæterùm emplaſtra attractoria ac diſ-
cuſſoria,faciunt ad omnes panos ac inflammationes indu

ratas,ad furũculos,ſtrumas,atheromata,hominũ ferarũq; morſus.glutinãt etiã ſinus,quibus aſperi ac flaccidi ac mar
cidi calli inſũt. podagricis itẽ ac arthriticis in declinatio-
ne auxiliantur. frigidos enim & craſſos humores ab ar-
ticulis exugunt. Et ſi diſcuſſoria ac attractoria medi-
camenta in memoriam reuocaueris, tum ſuprà relata tũ
deſcribenda,facilè fuerit eorum vtilitatem ac vſum com
perire. Emplaſtrum, ad omne panorum genus diſcu-
tiendum & attrahendum, quod ab abſceſſu etiam in pus
tranſmurato,citra cutis cæſuram,pus velut per colum exu
git. deſiccat etiam ſinus forinſecus impoſitum efficaciſ-
ſimé. Radicum ſiccarum hyoſcyami, & cucumeris
ſyluestris,farinæ ordei,ſingulorum quincũcem. terito &
cribrato,ac hyoſcyami ſucco aſpergito,& in paſtillos co-
gito,eóſque in vmbra quotidie verſando ſiccato, & vſus
tempore aqua diluito, ac craſſius illinito. Ego verò,in-
quit,etiam corticum radicis capparis drach.duas,& ſucci
ſycamini drachm. vnam, ſi habere potui, adieci. Em-
plaſtrum attractorium album. ad ſtrumas ac parotidas &
particulares abſceſſus. facit & ad fiſtulas ac ægilopas,vt ci
tra ſectionem liberet. facit & ad fluida ac ægrè curabilia,
& ad hydropicos: Spumæ argenti, ceruſſæ, ſalis, ſingul.
drach.octoginta,olei veteris libras duas: ſingula ſeorſim
trita cum oleo in mortario ſubigito, tum in ollam cõie-
cta,aſſiduè agitando coquito donec non amplius inqui-
nent,& in mortarium tranſlata frigefactáque probè tun-
dito,mollito,ac vtitor. Aliud. Occultos abſceſſus diſ-
cutiens,roſaceo dilutum duritias diſſoluens,vetera ac pu
trida vlcera repurgans ac incarnans: Ceruſſæ, ceræ, ſing.
lib.duas,olei veteris lib.tres,atramenti ſutorii,ſalis com-
munis,ſing.ſeſcuncem,nitri lib.vnam,aceti quantum ſa-
tis eſt. Ceruſſam cum oleo ad bonam compagem coqui-
to,deinde ceram adiicito, & hac liquata ad arida trita in
mortarium diffundito,& omnia probè ſubigito, vnito,
ac vtitor. Aliud,attrahens,rumpens, ac cicatricem in-
ducens: Picis ſiccæ,picis liquidæ,propolis,æquales por-
tiones committito,ac vtitor. Aliud attractorium. huic
Philagrius teſtimonium præbet: Iridis, mannæ thuris,
ſpumæ nitri,pumicis,ſing. drach. octo, ammoniaci thy-
miamatis drach.vigintiquinque,galbani drach.ſex,can-
chryos drach. duodecim, ceræ drach. centum, olei libr.
duas: æſtate verò vncias quindecim. ceræ cum oleo li-
quatæ ac excolatæ, ammoniacum tritum adiicito, & eo
liquato galbanum præmollitum addito,& ab igne ablata
aridis minutiſſimè tritis admiſceto, ac ſimul commolli-
to. Andromachi melinum. Abſceſſus profundos reſor
bet,& habet exactam ponderum proportionem. facit ad
ſtrumas,ganglia,meliceridas,atheromata,panos, paroti-
das,furunculos. perforat abſceſſus,fiſtularum callos atte-
rit,ſinus glutinat: Ceruſſæ,ſalis foſſilis,olei antiqui,ſing.
lib.vnam,ceræ,colophoniæ, ſing. quincuncem, ammo-
niaci thymiamatis quadrantem, opopanacis, galbani,
ſingulorum vnc.vnam. Sal tritum & cribratum ad minu-
tiſſimum puluillum redigito: deinde cum aqua, marina
præſertim,probè ſubigito,& ceruſſam ſimul terito,dein-
de oleum affundito,& omnia probè vnita ad bonam cõ-
pagem coquito,& adiecto ammoniaco bullire ſinito,do-
nec non amplius inquinent. poſtremùm liquabilia liqua
ta cum galbano & opopanace madefactis ac præmollitis
admiſceto. Aliud, ad ſtrumas, gangrænas, antiqua &
chironia vlcera: Spumæ argẽti,olei antiqui,auripigmen
ti,ſing.lib.vnam. ſpumam argenti cum oleo coquito do-
nec non inquinet,& ab igne ablatis, auripigmẽtum cum
olei ſextante tritum adiicito, & ebullire ſinito donec
medicamentum nigreſcat,& poſtea in mortarium tranſ-
latum primùm piſtillo,deinde manibus diligenter ſubi-
gito,ac vtitor, ad ſtrumas quidem ac duritias,ſyncero &
meraco: ad podagras verò & vlcera,cum oleo diluto. Fa-
cit & ad carbunculos. Aliud attractorium Oribaſii:
Spumæ argenti, ceruſſæ,nitri, ceræ,colophoniæ, ammo-
niaci thymiamatis, ſingul. trientem, olei veteris libras
tres. ſpumam argenti,ceruſſam,nitrum,oleum,cum lixi-
uii è cinere ficulneo libris duabus coquito donec non
amplius inquinent,deinde ammoniacum tritum,poſtea
ceram,mox colophoniam adiicito. præſtat tamen pro ni

A tro ſpumam nitri iniicere. Aliud, ad ſtrumas, ganglia,
parotidas,mammarum abſceſſus mirificè efficax: tumo-
res enim diſſoluit, & impactum humorem per occultos
meatus educit, ſinus agglutinat,fiſtulas & ægilopas citra
ſectionem curat: Ceræ,terebinthinæ,nitri fului, olei ve-
teris,ſing.lib. vnam,aquæ heminã vnam. Andromachus
pro aqua lixiuium ponit. Nitrum tenuiſſimè terito per
ſe,& mox cum aqua,vt penitus diluatur,& poſtea in ficti-
li coquito.& coopertum per interualla verſato, & poſt ſe-
datum feruorem,liquabilia liquefacta affundito,aſſiduè-
B que agitato donec non amplius inquinent, & in morta-
rium tranſlata,frigefacta probè emollito. Aliud, quo
Menecrates vtebatur. Ad ſtrumas ac mammarum du-
ritias peculiare auxilium: tumores enim diſcutit & ferè
non rumpit,ſed tenuiſſimas rimulas infert,per quas velut
per colum impactus humor excernitur. Sinus etiam glu-
tinat,& ad cicatricem perducit. Ceræ, terebinthinæ, ſpu-
mæ nitri,galbani,reſinæ pinus,olei antiqui,ſing.lib. vnã,
cineris quercini ac ficulnei, ſingulorum ſextarium vnũ.
pendet autem cineris ſextarius vnc.decem. Liquabilia li-
C quata ac excolata coquito, deinde galbanum præmolli-
tum adiicito,& ab igne ablatis cineres admiſceto,& pro
bè ſubigito,& vtitor,ita vt primùm quinta die,poſtea ter
tia exoluas,donec tumor perforetur: deinde verò quoti-
die ſoluas ac cures. Aliud attractorium ac diſcuſſoriũ
efficax. Abſceſſuum humores citra ruptionem per cæ-
cos meatus velut excolat ac diffundit: Olei antiqui vnc.
vigintiduas,ceræ albæ vnc. quindecim, aphronitri albi
quadrantem,terebinthinæ libram vnam, lixiuii è cinere
querno aut ficulneo ſextarium vnum. Spumam nitri ſi-
D ue aphronitrum cum lixiuio per piſtillum ad ſtrigmen-
titiam compagem terito: ceram verò cum oleo liquefaci
to,& terebinthinam admiſceto,& ab igne ablatis aſſiduè-
que verſatis ac frigefactis,ſpumam nitri admiſceto, ſubi
gito, ac reſiduum lixiuium paulatim adſtillato. Aliud
Dionyſia inſcriptum,Heræ Cappadocis. Confert ad rela-
tas affectiones: & ad mammarum ac aliarum partium in-
duratas inflammationes præcipuum eſt: Ceræ, terebin-
thinæ,mannæ thuris,ſpumæ nitri albi,ſing. lib.vnam,o-
lei antiqui libras duas, aquæ ſiue lixiuii coactiliariorum
E ſextarium vnum,miſyos crudi ſextantem. Miſy & ſpumã
nitri cum dimidia lixiuii parte terito: ceræ verò cum o-
leo liquatæ terebinthinam adiicito,ac paulatim ad com-
pagem coquito.& ablatis ab igne,mannam thuris inſper-
gito,& aſſiduè agitando frigefacito, & ad reliqua prius
trita admiſceto, reſiduum lixiuii paulatim inſtillando,
donec totum fuerit abſumptum. At vbi inflammatione
diſcuſſa & dolore ſublato durities aliqua reſtiterit, hoc
medicamentum remouebis,& pro eo melinum, aut Ve-
nus inſcriptum, aut aliud emolliens ac diſcutiẽs adhibe-
F bis. Aliud attractorium ac diſcuſſorium longo vſu co-
gnitum: Colophoniæ lib.vnam,ceræ ſeſquiunciam, ni-
tri ſeſcuncem,olei hyeme quidem cyathum vnum,æſta-
te verò dimidium. Nitrum cum aqua vel poſca vel aceto
tritum,prout res poſtulat,cum liquabilibus liquatis com-
miſceto ac manibus ſubigito, obſeruando ne nimia a-
quæ copia ad nitrum affundatur, & in paſtillum cogito.
Facit hoc ad carbũculos,furũculos,ſtrumas,abſceſſus,fiſtu
las,ægilopas. Humorem per cæcos meatus citra ruptionẽ
exugit, vt emplaſtro impactus videatur. Emplaſtrum
G Piſcatorium inſcriptum: Nitri vnc.vnam,ſalis commu
nis,ceruſſæ,ſing.drach. octo, propolis drach.vigintiqua-
tuor,galbani drach.octo,medullæ ceruinæ libr.vnam,o-
lei veteris libras duas,ariſtolochiæ vnc.vnam. Erit autem
medicamentum præſtantius ſi pro oleo medulla ſuma-
tur,vt ſint medullæ lib.tres. Aliud Piſcatorium longo
vſu conſtans: Nitri drach. octodecim, ſtercoris colum-
bini,ſalis communis,ceruſſæ,ſing. drach. octo, ariſtolo-
chiæ rotundæ drach. octodecim,propolis drach. viginti-
H quatuor,galbani drach.vigintiocto, medullæ taurinæ, o-
lei antiqui,ſing. libr.tres. Ceruſſam, ſal, nitrum, ſingula
ſeorſim trita, ad emplaſtri compagem ſimul coquito, &
poſtea propolin ac galbanum adiicito,& ablatis ab igne,
ſtercus columbinum,& ariſtolochiã admiſceto. Aliud.
Ad ſtrumas, & reliqua huiuſmodi vſu cognitum: Ceræ

A libram vnam,colophoniæ dextantem,auripigmenti,galbani,opopanacis,myrrhæ,halcyonii,ſing.vnc.vnam,adarcæ ſextantem,floris ſalis,miſyos, ſingul. ſeſquiunciam,atramenti ſutorii,aluminis ſciſſi,ſing. ſextantem & ſcrup. ſex,aluminis rotundi,aluminis liquidi, ſing. vnc. vnam & ſcrup.tres , ſulphuris viui ſextantem & ſcrup.ſex , nitri drach. octodecim, ſalis communis drach. quadragintaduas,terebinthinæ quadrantem,olei lib.vnam, aquæ marinæ libram vnam & ſextantem.Colophoniam cum oleo diſſoluito , deinde cerã, mox terebinthinam adiicito,& B ſimul ebullire ſinito,& ab igne ablata & arida prius ſeorſim , & poſtea ſimul cum aqua marina trita admiſceto, ſubigito, ac vtitor. At verò vbi ſuperficiem ignitam , & locũ ruptum videris,infrà ſcriptum emplaſtrum adhibeto: Spumæ argenti,plumbaginis,ſing.libram vnam, picis ſiccæ,galbani,chalcitidis crudæ,æruginis,ſquamæ æris rubri,mannæ thuris,ſing.drach.vigintiduas,ſalis aſſati,viſci,ſingulorum drach.ſeptuagintaduas,olei lib.duas. Spumam argenti,plumbaginem,chalcitidem, ſquamam cum oleo coquito donec non inquinent &ad compagẽ C redacta fuerint:deinde liquabilia admiſceto , ſimúlque paulatim bullire ſinito.poſtea viſcum adiicito , & demũ arida addito , ac frigefactum medicamentum manibus ſubigito,ac vtitor vſque ad ſanationem.

Emplaſtrum Nechepſonis,è cupreſſo,

Cap. XIX.

FAcit ad ſtrumas,tumorem gutturis, parotidas, omnẽ duritiam,& totum laxorum tumorum genus.Cupreſſi folia virentia in vigore minutiſſimè terito vino inſperſo quod à vinaceis poſt primi vini collectionẽ exprimitur efficitque ſolidi ſtrigmenti craſſitudinem,ac locis af D fectis imponito: omnem enim tumorem diſcutit.& ſi ſtrumis impoſueris,tertia die ſoluito,ſtrumáſque contractas & vicinas ac incumbentes partes deſquamatas comperies. eas itaque digitis exprimito ac diſſoluito , & medicamentum rurſus adhibeto,ac tertia die rurſus ſoluito, iterúmque validiſſimè exprimito,& tertiò medicamentum adhibeto, ac ſimiliter exoluito . intra ſeptem enim aut ſummum nouem dies ſtrumæ abolebuntur. Vtere hoc auxilio velut admirando,& tanquam naturalẽ quandam proprietatem habente aduerſus hanc affectionem. E Nam ſi aliquid admiſcere, aut aliquo modo ipſum permutare volueris,magis officies quàm proficies.Facit &ad gutturis tumorem extra fauces prominentem.& eſt eodẽ penitus modo adhibendum cum digitorum preſſione, velut diximus:contrahit enim ac diſcutit,ſiccátque ac tumorem extirpat,& vaſa materiam ad affectum locum afferentia conſtringit.Confidenter igitur eo vtaris:promiſſionibus enim noſtris experimentum teſtimonium dabit.Emplaſtrum è cappari , Oribaſii: Plumbaginis, olei F antiqui,ſing.libr.duas,ſalis communis libr. vnam , ceræ ſeſcuncem,reſinæ pinus trientem,ſquamæ æris,corticum radicis capparis , ſingulorum quadrantem , ariſtolochiæ rotundæ ſextantem,propolis tantundem, galbani vnc.vnam.Squamam & plumbaginem tuſas ac cribratas,& ſal primùm ſeorſim, deinde ſimul cum his tritum , cum oleo in mortario probè ſubigito,& in ollam coniecta coquito donec non amplius inquinent.deinde ceram, reſinam, propolin , liquatas ac excolatas , & mox galbanum adiicito,& ablatis ab igne ariſtolochiã ac cortices capparis tritas inſpergito,vnito, frigefacito, emollito , ac vti- G tor.facit ad duritias, coxendicum affectiones , hemicranias, ac hydrocephalam in pueris aquoſam capitis affectionem:abraſis enim capillis capiti impoſitum,humorem exugit.Glutinat etiam ſinus.Aliqui etiam ſine cera præparant. Emplaſtrum ex agarico , occultos abſceſſus & omnem humiditatem reſorbens: Ceræ, colophoniæ, picis,ſpumæ nitri,thuris,agarici, ſing.lib.vnam,terebinthinæ , viſci quercini , ſingulorum ſeſcuncem , medullæ ceruinæ trientem, œſypi quadrantem,grani cnidii, pyrethri,galbani,ſing.ſextantem . Liquabilia liquato & exco- H lato,&ab igne remotis viſcum adiicito,eóque liquefacto arida admiſceto,ſubigito,ac vtitor.

Apochymatis præparatio, Oribaſii,

Cap. XX.

A PIcis lib.vnam,picis liquidæ,ceræ,ſing. trientem,reſinæ pinus ſeſcuncem.Omnia liquata & excolata in peluim aquæ marinæ ſiue communis plenam mittito,& manibus velut paſtillum ſubigito, ac vtitor. Emplaſtrum eiuſdem,ad colliſa mitigãda,irrigationis vicem ſupplẽs. Spumæ argenti libr.duas, ſtrigmentorum balnei excolatorum lib.ſeptem , aquæ marinæ è pelago hauſtæ ſextarios duos,colophoniæ vnc.ſedecim,ceræ ſextantem,ſquamæ æris quincuncem. Spumam argenti, ſquamam, ſtrigmenta,aquam marinam ſimul coquito, & arundinibus B virentibus agitato donec non amplius inquinent.deinde ceram ac reſinam adiicito , & rurſus ad bonam compagem coquito,& irrigationis loco vtitor. ego verò etiam olei lib.duas adiicio.Verùm inter emollientia emplaſtra Oribaſii,hac ſerie reperitur:Strigmentorum lib.tres, S. aquæ marinæ, olei antiqui , ſpumæ argenti, colophoniæ, ſing.lib.duas,ceræ lib.vnam,æris vſti , ammoniaci thymiamatis,ſing.ſextãtem.facit, inquit, ad duritias,& præparatur velut dictum eſt.

Cerata vtiliſſima, Cap. XXI.

C BAſilicum tetrapharmacum . Ceræ,colophoniæ,picis, adipis taurini , æquales portiones. Macedonicum. Ceræ,colophoniæ, picis , adipis taurini , thuris , æquales portiones . liquabilibus liquatis &ab igne amotis , thus inſpergito ac infarcito. Macedonicum Azanitæ, ad multa commodum & inſigne:Picis ſiccæ vnciam vnam, ceræ quadrantem , adipis ſuilli antiqui & expurgati ſeſcuncem,adipis taurini,œſypi, ſingulorum quadrantem, reſinæ pinus ſiue piceæ quincuncem . liquefacito ac vtitor.Facit ad omnia maligna,ad gangrænas, fiſtulas,vulne D ra recentia,ambuſta,perfrigefacta, velut acopon laſſitudini eximendæ deſtinatum . eſt & peſſus mollitorius. conuenit etiam ad vteri vlcera, panos, parotidas. & vbi caua fuerint vlcera,maiori eius copia vtendum eſt: vbi verò propè cicatrix inducta fuerit,pauciore . aduerſatur huic pharmaco oleum:quare hoc vitabis. Maximè autem facit in his quibus plaga circa neruos aut muſculos eſt.

Heptapharmacum laxans,ſuppurans, incarnans,

Cap. XXII.

E CEruſſæ beſſem, ſpumæ argenti trientem, ceræ, picis, colophoniæ , adipis taurini , thuris, ſingulorum ſextantem. liquabilia liquata cum aridis vnito , atque vſus tempore,medicamenti quidem ac ceræ, ſing. vnc.vnam, olei verò roſacei trientem accipito,ac vtitor . Quòd ſi laxandi vim intendere volueris, oleum, irinum aut ſicyonium,aut gleucinum ſit,& maiore copia, ſumatur.

Enneapharmacum, Hori Mendeſii,

Cap. XXIII.

HOc ſuppurat & laxat,præcipuè neruis per conſenſum F affectis.Ex eodem fit & peſſus ſiue peſſarium ad ſedis affectiones commodum.Adipis anſerini,vitulini,butyri, medullæ ceruinæ , ceræ, terebinthinæ , olei roſacei, cicini,mellis,ſingulorum portiones æquas liquefacito,vnito,ac vtitor.

Emplaſtrum Philoſophi, Cap. XXIIII.

FAcit ad calcitratus,vulneráque tumida . rumpit, pus educit,cicatricem inducit. Hyoſcyami , perdicii, & ſideritidis folia recentia, æquis portionibus conterito, & panem ſiligineum tuſum ac cribratum, vnius herbæ por G tione adiicito,omnia ſimul cum axungia ſubigito , & ad emplaſtri formam redigito, & vtitor velut admirando.

Œſypi præparatio, Cap. XXV.

HVius quidem optimam præparationem in ſecundo libro deſcripſimus : ex lanis enim ſuccidis paratur. verùm vbi illud haberi non poteſt, accipe hoc quod ita parari ſolet: Meliloti trientem, cardamomi, hyſſopi herbæ, ſingulorum ſextantem , lanæ ſuccidæ ex alis ouium ſumptæ trientem,colophoniæ,ceræ, reſinæ pinus,ſingul. dextantem,olei dulcis libr.duas, aquæ ſextarios tres.me- H lilotum,cardamomum,lanã,&hyſſopum, per triduũ aqua macerato,deinde ad tertias coquito,& excolato.Poſt ea liquabilia liquato ac excolato , & ſuccum ac oleum admiſceto , & omnia ſimul ad ſucci coſumptionem ebullire ſinito.

Emplaſtrum Manus appellatum,

Cap. XXVI.

HOC emplaſtrum à quinque rerum ſpeciebus quas recipit,Manus appellatur: Colophoniæ lib.quinque, ceræ lib.quatuor,reſinæ pinus libr.tres, adipis taurini lib. duas,butyri lib.vnam liquefacito,ac vtitor.

Emplaſtrum Bromium appellatum,

Cap. XXVII.

FŒnigræci,ſeminis lini,ſucci althææ, ſing. lib.vnam, ſimul ad ſucci conſumptionem coquito. & colophoniæ,reſinæ pinus,ſing.quadrantem,ceræ ſeſcuncem,galbani trientem,liquefacito, & admiſceto, ac vtitor. Aliud optimum: Seminis lini,althææ,fœnigræci,ſing. trientem,in duobus aquæ ſextariis macerato, & de expreſſo ſucco ſumito lib.vnam, ceræ lib.vnam, reſinæ pinus,colophoniæ,ſingularum ſeſcuncem, galbani ſextantem, opopanacis vnc.I.præpara, & vtere.

Emplaſtrum ex ouis, Cap. XXVIII.

SPumæ argenti,ceruſſæ,ſingularum trientem, cadmiæ ſextantem,ceræ libram vnam,roſacei libras duas,ouorum candida decem, metallica cum aqua ac vino terito, deinde cum ouorum candidis ſubigito, & liquabilibus liquatis admiſceto,vnito,ac vtitor.

Parhygrum Galeni, Cap. XXIX.

SPumæ argenti,ceruſſæ,ſingul. libr.vnam,olei puriſſimi,aquæ,ſingul. libr.duas. Ego verò,inquit, ſæpe olei quidem lib.vnam, adipis verò anſerini ſeſcuncem admiſceo,aut ſi is deſit,gallinacei, aut hoc quoque deficiente, ſuillum recentem accipio.Omnia ſimul ad prunas fumū non edentes citra ſolidam compagem coquuntur, & in coctur æ fine aliquando etiam amyli ſeſcuncem adiicio. Si itaque adipem receperit hoc medicamentum, maiorem mitigandi vim acquirit,& dolores exvulnere inflammato obortos ſedat.Sed ad cicatricem inducendam inutile eſt. at verò aquam addere frigiditatem, ſatis conſtat.

Emplaſtrum ex ouis, Oribaſii,

Cap. XXX.

CEræ vnc.I.ſpumæ argenti,ceruſſæ,amyli,ſing. ſextantem,oua numero IIII.roſacei lib.vnam, oua in præparatione poſtremùm addantur.

Parhygrum Oribaſii, Cap. XXXI.

FAcit hoc ad ſpontanea vlcera in corporibus delicatis. Adipis ſuilli recentis deuncem, ceræ ſeſcuncem, ceruſſæ,ſpumæ argenti,ſing.vnc. quindecim. liquida cum aridis committito.facit & ad vlcera ſerpentia. & cum roſaceo dilutum vuluarum ac ſedis affectionibus medetur, & malignas faciei puſtulas curat.

Emplaſtrum roſaceum inſcriptum,

Cap. XXXII.

HOc mammarum duritias diſcutit,& eſt ad ſedis affectiones efficaciſſimum, ſi cum roſaceo aut myrteo oleo diluatur: Spumæ argenti,ceruſſæ,adipis ſuilli recentis,ſingul. ſeſcuncem, olei veteris ſeſquilibram,myrrhæ drach.IIII.ouorum crudorum vitellos duos. Reliquis ad bonam compagem coctis ac frigefactis, oua cum vino albo trita admiſceto,& vtitor hoc medicamento aliquando ſyncero,aliquando diluto.

Emplaſtrum phycotyche appellatum,

Cap. XXXIII.

AD omnia vlcera & præcipuè in ſede commodum eſt hoc emplaſtrum: Croci vnc.vnam,ceruſſæ, ſpumæ argenti,medullæ ceruinæ,adipis anſerini, ceræ, ſingulorum ſeſcuncem,roſacei vncias trigintaſex, ouorum candida triginta,vini quantum ſatis eſt.

Emplaſtrum Sphærion appellatum,

Cap. XXXIIII.

HOC irrigationis vicem ſupplet. facit ad deſquamata, excoriata,intértrigines,ambuſta,ad flagellatos, ad tibias colliſas: Spumæ argenti,ceruſſæ,calcis viuæ, ſingularum quadrantem,ceræ ſeſquiunciam, nitri vnc.vnam, olei roſacei vnc.vnam.aridis minutiſſimè tritis liquida admiſceto, & ſphæria, *hoc eſt pilulas* formato. Vſu verò expetente olei ſeſcuncem,roſacei quadrantem, ceræ ſextantem,ad prunas liquefacito,& medicamenti ſextātem adiicito, ſpathuláque agitato, & vbi frigefactum fuerit

A medicamentum,cum aquæ dodrante contundito.

Emplaſtrum pentatheton, Cap. XXXV.

CEræ,picis,colophoniæ,adipis taurini, calcis viuæ, æquales portiones. liquabilia liquato,& calcem adiicito.Vſus autem tempore olei ſeſcuncem,ceræ ſextantem, olei ſicyonii quadrantem, liquefacito velut proximè dictum eſt,& medicamenti ſextantem adiicito.Facit ad vibices flagellorum,ad cutem excoriatam, & ad colliſa, ac cætera huiuſmodi.

Emplaſtrum ex ochra, Cap. XXXVI.

B EAſdem cum prædictis vires habet etiam hoc:Ochræ libras duas,cretæ,ceræ,ſingul.lib.vnam,colophoniæ, picis,reſinæ pinus,ſing.lib.vnam,ſpumæ argenti, terebinthinæ,ſing.beſſem, olei lib.duas, arida cum vino terito, & liquabilia liquata admiſceto,& in maſſas efformato. vſu verò poſtulante, ceræ lib.vnam, olei veteris lib.tres,liquefacito & excolato,& medicamēti lib.vnam admiſceto,& vino adſtillato contundito.

Emplaſtrum telamonium, Cap. XXXVII.

C HOC carbunculis medetur.dilutum ſinus ſiccat,& cicatricem inducit:Spumæ argenti, calcis viuæ,ceræ, reſinæ pinus,ſingularum dodrantem, ceruſſæ vncias viginti quinque, olei ſeſquilibram. Spumam argenti cum oleo ad compagem coquito: deinde ceram ac reſinam adiicito. poſtea calcem & ceruſſam minutiſſimè trita admiſceto,ac vtitor.Et ad carbunculos quidem linteo inductum imponitur:ad reliqua verò,roſaceo aut myrteo oleo ad ſtrigmentitiam compagem dilutum adhibetur.

Pilarium ex recremento argenti,

Cap. XXXVIII.

D REcrementi argenti ſeſcuncem, ceræ, adipis taurini, ſing.quincuncem,colophoniæ trientem, picis,olei, ſing.ſextantem. argenti recrementum vino aut fœnigræci ſucco teritur. Quòd ſi non poſſit haberi argenti recrementum, plumbaginem pro eo accipimus. facit ad deſquamata ac excoriata,& his ſimilia.

Emplaſtrum ex pompholyge,

Cap. XXXIX.

HOC longo vſu conſtat eunuchorum,mulierum,puerorum,ac aliorum mollium corporum vlceribus cō-

E uenire, ad cicatricem citra dolorem inducendam, & ad cancerata vlcera tutò adhibetur:Ceruſſæ, ſpumæ argenti, pompholygis,ſing.ſextantem,cadmiæ trientem, medullæ ceruinæ quadrantem,ceræ, olei roſacei,ſing.lib. vnam, olei myrtei ſeſcuncem.Metallica trita ac cribrata, & cum vino ſubacta,liquabilibus liquatis admiſceto,ac vtitor.

Aliud Archigenis & Oribaſii: Pompholygis, ceruſſæ,ſpumæ argenti,ſing.vnc. I. ladani ſextantem, acaciæ trientem,ceræ quadrantem,olei myrtei beſſem, ouorum aſſatorum vitellos ſex.vini quod ſatis eſt. Aliud Oribaſii,

F Spumæ argēti,ceruſſæ,ſing.ſextātem,pompholygis vnc. I.croci vnc.I. ceræ vnc.I. adipis anſerini quadrantem, ouorum aſſatorum vitellos IIII.roſacei vini quod ſatis eſt.

Emplaſtrum rutaceum, Cap. XL.

HOC ad fiſtulas ſcabras facit: Cadmiæ,ſpumæ argenti,recrementi argēti, ſulphuris viui,ſing.ſextātem, aluminis ſciſſi,rutæ viridis,ſing.vnc.I. ceræ beſſem, olei myrtei lib.II.vini quantum ſatis eſt.

Ceratum è perdicio, Cap. XLI.

G FAcit ad ſinus:Foliorum perdicii lib.II.ceræ, colophoniæ,olei,ſing.lib.I. Herbam exactiſſimè terito, & liquida admiſceto,& in mortario vnito. Hoc in aliquibus ob nimiam vim repellendi,vicinos locos inflammat, & materiam eò colligit. quod vbi contigerit, ad locum quidem inflammatum, idem medicamentum imponito:verùm ad ſinus oſculum emplaſtrum è lolio, aut quod Venus inſcribitur,aut quoddam attractorium adhibeto.

Ceratum è ſucco betæ, Cap. XLII.

FAcit ad vulnera inflammata,ad achoras capitis vlcuſcula,& ad ambuſta: Ceræ,libram vnam, olei ſeſqui-

H libram,liquato ac excolato, & ab igne ablatis, betæ ſuccum quantum imbibere poſſunt affundito, & in mortario ſubigito. præſtat autem paulatim ſuccum cerato inſtillare. Aliud è ſucco plantaginis, ad inflammationes & ſinus: Ceræ libram vnam,olei libras duas,S. ſucci plan-

taginis quantum ſatis eſt.Ceratum liquefactum & in fri- A
gidam aquam diffuſum, aqua ſæpe permutata probè la-
uatur,& poſtea in mortario piſtillo tunditur, ac ſubinde
plantaginis ſuccus paulatim inſtillatur,quantum eis imbi
bi poteſt. Ceratum myrteum. Ad oculorum inflam-
mationem, & cicatricem inducendam, ad intertrigines
ac ſcabioſas affectiones commodum: Ceræ libram v-
nam,olei myrtei libras duas,plumbi vſti ſeſcuncem, ce-
ruſſæ,ſpumæ argenti,ſyrici, ſingulorum vnc.vnam,vini
quantum ſatis eſt ad conterendum. Melinum cicatri-
ces inducens: Chalcitidis crudæ ſeſcuncem, cadmiæ B
quadrantem, ceræ lib. I. olei myrtei libr. I. vini quod
ſatis eſt.

Ceratum ex ſandyce,Homo appellatum, Cap. XLIII.

HOC vlcera diuturna ac maligna,& in tibiis oborta,
ſolum per ſe adhibitum ad cicatricem perducit:San
dycis lib.I.olei dulcis lib.II. coquito donec non amplius
inquinent,& vtere confidenter.

Emplaſtrum ex alliis, Cap. XLIIII.

HOC vim attractoriam habet. facit ad omnem du- C
ritiam,abſceſſus,furunculos,ſtrumas,inguinum tu-
mores,fiſtulas, impetigines humidas, mammas indura-
tas: Ceræ lib.II.colophoniæ ſeſcuncem, medullæ cerui-
næ tantundem,nitri albi beſſem,allia viginti, olei libras
quatuor. Allia depurgata in oleo coquito donec torrefiãt.
deinde ad oleum excolatum liquabilia adiicito,& poſtea
nitrum tritum adiicito,ac vtitor. Nos verò ita præpara-
mus: Ceræ,colophoniæ,olei, ſingulorum quincuncem,
nitri ſeſcuncem,medullæ ceruinæ ſextãtem,alliorum nu
cleos triginta,præpara,& vtere,præſertim ad fiſtulas: hu- D
morem enim attrahit, quem quotidie crebrò detergere
oportet.Hoc ſolum citra alterius opem extrahit,incarnat,
& cicatricem inducit. Aliud Oribaſii, ad puſtulas,in-
tertrigines,ambuſta ab igne, perniones non exulceratos,
ad bullas nondum apertas, ad cutis tibiarum excoriatio-
nem,ad vlcera antiqua & proſerpentia ſub cute. Recre-
menti plumbi trientem aut quadrantem ad ceratum ad-
miſceto quod habet ceræ beſſem aut dextantem, adipis
ſuilli recentis, olei myrtei, ſing. ſextantem aut quadran-
tem.Quòd ſi cicatrix inducenda eſt,abſque adipe præpa- E
retur.

Emplaſtrum è ſquilla, Aſclepiadæ, Cap. XLV.

HOC ad fiſtulas,ſinus,nomas & putredines facit.Vl-
cerum eminentias contrahit, ad fiſtulas anguſta o-
ſcula habentes collyrium ex eo formatum inditur. Si ve-
rò lata ac ampla fuerint oſcula,roſaceo dilutum adhibe-
tur,eloto prius ſinu ſiue fiſtula cum poſca aut vino mulſo
iniectum, locúſque emplaſtro munitur ac deligatur: hoc
enim modo incarnat,ac replet fiſtuloſa capitis vlcera.Cõ- F
uenit & nomis,ſi membrana non fuerit denudata. Idem
ſyncerum ad capitis fracturas adhibetur, & ad anheloſos
ac orthopnoicos amplis ſpleniis inductum pectori impo
nitur: conuenitque omnino vbi ad ſuperficiem materias
attrahere volumus. Squillæ repurgatæ quincũcem,ſqua-
mæ æris,iridis,ſing.quadrantem,myrrhæ drach. octode-
cim, ammoniaci thymiamatis drach. duodecim, galba-
ni,picis liquidæ,ſtyracis,æruginis,reſinæ pinus ſiccæ, ari
ſtolochiæ,ſing.ſeſcuncem,ceræ vnc.viginti, terebinthi-
næ triẽtem,olei veteris lib.duas, aceti acerrimi ſextarios
nouem,aut quod ſatis eſt. Squillã ad ſolem æſtiuum tun-
dito,& acetum paulatim inſtillato,quantum ſatis ad exa-
ctè terendam. In alio autem mortario ſquamam æris &
æruginem cum aceto diutiſſimè terito, & arida trita ac
cribrata adiicito. Poſtea ammoniacum,ſtyracem, myr-
rham, galbanum addito, & inſtillato aceto ſimul probè
conterito,deinde liquabilia liquefacta, iride ac ariſtolo-
chia inſperſis frigefacito,& ad reliqua admiſceto,ſubigi-
to ac vtitor: ad fiſtulas quidem & oſſa corrupta,collyria
ex eo formata indens:verùm ad vlcera repurganda ſumi-
to, medicamenti trientem, ceræ ſextantem, roſacei qua-
drantem, & pro repurgationis ratione aliquid de medi-
camento detrahito, & cerato adiicito donec cicatrix in-
ducatur,ita vt poſtremùm quum iam abſoluenda eſt ci-
catrix, medicamenti vnc. vnam, olei roſacei aut myrtei
dodrantem,& ceræ trientem commiſceas.

Emplaſtrum è pompholyge,Heræ Cappadocis, Cap. XLVI.

HOC ad ſedandos dolores ac inflammationes facit,
præcipuè ad vlcera maligna ac cancerata, antiquá-
que ac cicatricem non recipientia. facit & ad ambuſta
ab igne. roſaceo aut myrteo oleo dilutum, cicatricem
inducit: & butyro dilutum, incarnat. at cum roſaceo,ad
omnes ſedis affectiones cõmodum eſt. Cadmiæ botryi-
tidis lotæ drach. octo, pompholygis lotæ drach.ſeptem,
plumbi vſti & loti drach. nouem, thuris drach. quatuor,
ceruſſæ lotæ drach.nouem, ſpumæ argenti lotæ drach.o-
cto, ceræ albæ drach.centum, terebinthinæ Chiæ drach.
ſeptem,olei myrtei drach.centum ſeptuaginta. Arida tri-
ta & cribrata, in mortario plumbeo cum piſtillo plũbeo,
cum vini ſextariis quatuor terito. cæterùm in vino hoc,
infrà ſcripta polentæ modo contuſa, per diem ac noctem
præmaduiſſe oportet:Iridis,meliloti,ariſtolochiæ,capitu
lorum papaueris,ſeminis hyoſcyami albi, ſing. drach.o-
cto.cum hoc itaque vino excolato, metallica ſicut dixi-
mus ſunt conterenda vſque ad mellis compagem, & de-
inde oleum myrteum adiiciendũ, quò illitionis ſpiſſitu-
do fiat.Poſtea verò omnia in ollam nouam coniecta len-
to igne ad emplaſtri formam, & terebinthina adiecta,
medicamentum ab igne tollito, ac frigefacito, ſubigito,
& vtitor.

Emplaſtrum nigrum, Eſſentia appellatum, Cap. XLVII.

FAcit hoc ad duritias,ad articulos,& coſtas fractas.gan
glia,ſtrumas,& tumores diſſoluit. Tibiarum vlcera,chi
ronia,& fiſtulas curat. facit ad morſus ferarum. Aquæ in-
ter cutem molem delet. Clauos ſanat, aculeos extrahit.
Splenicis,podagricis, hepaticis prodeſt: Spumæ argenti,
ceruſſæ,æruginis raſæ,ſing.quadrantem, ſquamæ æris ſe-
xtantem,thuris maſculi ſextantem & ſemunciam, bitu-
minis Iudaici beſſem, terebinthinæ quadrantem, ceræ
flauæ,picis aridæ,ſing.lib.III.olei antiqui lib.I.lapidis ga-
gatæ,lapidis aſii,aluminis ſciſſi,magnetis viui, myroba-
lanorum,ſing. quadrantem. ſpumam argenti, ceruſſam,
ſquamam,æruginem,bitumen,& thus, omniáque arida
tũdito,& in mortario aceto paulatim inſtillato,ac ad ſtri-
gmentitiam ſpiſſitudinem terito. deinde ceram, picem,
oleum,ac reliqua liquabilia liquata admiſceto, vnito, ac
vtitor.

INDEX EORVM QVÆ IN QVARTO SERMONE Tetrabibli quartæ Aetii habentur.

De vteri ſitu, magnitudine, ac forma, Cap. I.
Quæ intra prægnantis vterũ naſcuntur, Cap. I I.
De ſecundæ generatione, Cap. I I I.
Menſtruæ mulierum purgationis ratio, Cap. I I I I.
Notæ futuræ virginum purgationis, Cap. V.
Quando ſemen appareat, & conceptus tempus aduenîat, Cap. V I.
Fœcundarum mulierum dignotio, Cap. V I I.
Quomodo cognoſcantur quæ conceperunt, Cap. V I I I.
Notæ fœtus maſculi ac fœminæ, Cap. I X.
De pica, Cap. X.
De tumoribus pedum in prægnãtibus, Cap. X I.
Cura prægnantibus adhibenda, Cap. X I I.
Notæ partus ſecundum naturã futuri, Cap. X I I I.
Parientibus facienda, Cap. X I I I I.
Cura circa ægrè parientes adhibẽda. Cap. X V.
Quomodo opẽ ferre oportet iis quæ non tutò cõcipiunt, Cap. X V I.
Peſſi ſterilitatem inducentes, Cap. X V I I.
Fœtum corrumpentia, Cap. X V I I I.
Signa futurum abortum præcedentia, Cap. X I X.
Quomodo abrupti fœtus eiectioni opitulemur, Cap. X X.
De iis quæ bimeſtres aut trimeſtres fœtus abortiunt, Cap. X X I.
Pariendi difficultatis cauſæ Cap. X X I I.
De fœtus extractione ac exectione, Cap. X X I I I.
De ſecundæ eductione, Cap. X X I I I I.
Cura poſt fœtus exectionem, Cap. X X V.
Cauſæ ſterilitatis, itémque curatio in viro ac muliere. Notæ item conceptionis, Cap. X X V I.
Frigidioris vteri ſigna, ac curatio, Cap. X X V I I.
Calidioris vteri ſigna, ac curatio, Cap. X X V I I I.
Humidioris vteri curatio, Cap. X X I X.
Siccioris curatio, Cap. X X X.
Diuerſarũ affectionum ob quas mulieres non concipiũt curatio, Cap. X X X I.
Potiones, peſſi, & ſuffitus ad conceptionem, Cap. X X X I I.
De lactis defectu, Cap. X X X I I I.
Ne lac in mammis coeat in grumos, Cap. X X X I I I I.
De coagulato in mammis lacte, & iiſdem turgentibus ob lactis redundantiam, Cap. X X X V.
De vitiato lacte mammas lædente, Cap. X X X V I.
Ad mammas inflammatas, Cap. X X X V I I.
Ad induratas mammarum inflammationes, Cap. X X X V I I I.
De mammarum abſceſſu, Cap. X X X I X.
De mammarum fiſtulis, Cap. X L.
De mammarum nomis, Cap. X L I.
De exedentibus mãmarum vlceribus, Cap. X L I I.
De cancris mammarum, Cap. X L I I I.
Qui cancri curatu faciles, & qui difficiles, Cap. X L I I I I.
Cancri chirurgia, Cap. X L V.
Cancri curatio poſt amputationem & inuſtionem, Cap. X L V I.
Cancrorum curatio citra chirurgiam, Cap. X L V I I.
Canceratorum tumorum non vlceratorum curatio, Cap. X L V I I I.
Cancri vlcerati curatio, Cap. X L I X.
De mammis induratis, Cap. L.
De menſtruis ſuppreſſis, Cap. L I.
Mulieribus quæ non purgantur accidentia, Cap. L I I.
Curatio earum quæ ob nimiam caliditatem non purgantur, Cap. L I I I.
Frigidæ temperaturæ dignotio ac curatio, Cap. L I I I I.
Peſſi menſes educentes, Cap. L V.
Curatio earum quæ præ pinguedine non concipiunt, Cap. L V I.
Curatio earum quæ ob plenitudinem non purgantur, Cap. L V I I.
Curatio earum quæ ob maciem non purgantur, Cap. L V I I I.
Curatio earum quæ ob vitioſos humores non purgãtur, Cap. L I X.
Curatio earum quibus ſanguis ad nares vel ſedem defertur, Cap. L X.
Curatio earum quæ ob nimium otium non purgantur, Cap. L X I.
Curatio earum quæ ob aliquam vteri affectionem non purgantur, Cap. L X I I.
De menſium ſtillicidio, Cap. L X I I I.
De nimia menſium purgatione, Cap. L X I I I I.
De fluxu muliebri, Cap. L X V.
Curatio rubri vteri fluxus, Cap. L X V I.
Albi fluxus curatio, Cap. L X V I I.
De vteri ſtrangulatione, Cap. L X V I I I.
Peſſi ad vteri ſtrangulationem idonei, Cap. L X I X.
Vnctiones ad vteri ſuffocationem, Cap. L X X.
Varia auxilia ad vteri ſtrangulationẽ, Cap. L X X I.
De ſeminis fluxu, Cap. L X X I I.
De vteri debilitate, Cap. L X X I I I.
De furore vterino, Cap. L X X I I I I.
De vteri reſolutione, Cap. L X X V.
De vteri prolapſu, Cap. L X X V I.
De reclinatione, auerſione, ac recurſu vteri, Cap. L X X V I I.
De vteri inflammatione, Cap. L X X V I I I.
De vteri hydrope, Cap. L X X I X.
De mola vteri, Cap. L X X X.
De tumore vteri laxo, Cap. L X X X I.
De ſatyriaſi, Cap. L X X X I I.
De vteri inflammatione, Cap. L X X X I I I.
De vtero in ſcirrhi tumorẽ indurato, Cap. L X X X I I I I.
De vteri abſceſſu, Cap. L X X X V.
Abſceſſus oris chirurgia, Cap. L X X X V I.
Abſceſſus vteri inter inteſtina & peritonæon membranã rupti curatio, Cap. L X X X V I I.
De vteri exulceratione, Cap. L X X X V I I I.
Vlcerum vteri carbunculoſorum curatio, Cap. L X X X I X.
Ad ſordida vteri vlcera, Cap. X C.
Ad humorem à muliebri pudendo profluentem, Cap. X C I.
Ad vteri nomas, Cap. X C I I.
Quæ ad cicatricem ducunt, Cap. X C I I I.
De cancris vteri, Cap. X C I I I I.
De vteri obturatione, Cap. X C V.
De vtero non perforato, Cap. X C V I.
De hæmorrhoidibus vteri, Cap. X C V I I.
De calculo vteri, Cap. X C V I I I.
De calculo veſicæ muliebris, Cap. X C I X.
De hernia aquoſa mulierum, Cap. C.
De hernia inguinis mulierum, Cap. C I.
De hernia varicoſa, Cap. C I I.
De nymphæ ſectione, Cap. C I I I.
De cauda, Cap. C I I I I.
De thymis, & verrucis tum aliis, tum formicariis vteri, Cap. C V.
De condylomatis, Cap. C V I.
De rimis ac fiſſuris vteri, Cap. C V I I.
De tuberculis vteri miliaceis, Cap. C V I I I.
De ſcabris vteri puſtulis, Cap. C I X.
De alarum pudendi muliebris abſceſſu, Cap. C X.
Ad vmbilicum prolapſum Cap. C X I.
Ad rugas ventris, rimáſque ac nigredines à partu exortas, Cap. C X I I.
Præparationes vnguentorum ſiccorum, moſchatorum, Item conditorum, & œnanthiariorum ac ſuffumigio-

rum variorum, Cap.cxiii.
Olei ſalca præparatio precioſa, Cap.cxiiii.
Olei ſiue vnguenti foliati, ac ſpicati præparatio, Cap.cxv.
Œnanthariorum præparationes, Cap.cxvi.
Abſinthati ſiue rhodabſinthati præparatio ſalubris, Cap.cxvii.
Conditi purgatorii præparatio, Cap.cxviii.
Rhodomeli præparatio, Cap.cxix.
Muſtati præparatio, Cap.cxx.
Gari præparatio pro abſtemiis, Cap.cxxi.
Suffumigii moſchati præparatio, Cap.cxxii.
Myrrhatio ad cadaueris conſeruationem, Cap.cxxiii.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICinæ, Tetrabibli, ſiue quaternionis quarti Sermo quartus.

De conceptus ac partus ratione, & de affectionibus muliebribus, vteri præſertim & mammarum. Item de vnguentorum pretioſorum, & potionum ac ſuffimigiorum præparatione.

De vteri ſitu, magnitudine, ac forma, Cap. I.

VTERVS *Græcis* Metra, *hoc eſt matrix* appellatur, quòd ex ipſo omnia animantia, velut à matre oriantur. Vocatur eiſdem hyſtera, quòd poſterior ſitu ſit omnibus viſceribus. Situs eſt enim vterus intra peritonæon membranam aluum & inteſtina omnia circumcirca amplectentem, inter veſicam ac rectum inteſtinum. Atque huic quidem ferme toti incũbit: veſicam verò iuxta vmbilicum, vbi fundum habet, vtplurimùm ſupereminet. Iuxta partem autem ad pudendum tendentem ipſa veſica vterum excedit collo. Magnitudo eius non in omnibus eadem eſt. multo enim minor eſt vterus eius quæ prægnans non eſt: maior autem prægnantis. eius verò quæ nunquam prægnans fuit, longè adhuc minor vterus exiſtit. & iuxta ætatem minimus eſt iis quæ ad venerem experiẽdam tempus nondum attigerunt. nam & aliàs ſemper minor eſt iis quæ venere non vtuntur. Longitudo itaque in moderatè ſe habentibus mulieribus, à fundo circa vmbilicum, vſque ad pudendum, eſt plerunque vndecim digitorum. latitudine verò ad vtrunque latus per cornua ſua extenditur. Quantum verò ad figuram attinet, totum quidem reliquum corpus, & maximè fundum, veſicæ ſimile eſt. In quãtum verò exortus papillares ad lumbos nutantes habet ab vtroque fundi latere productos, veſicæ ſimilis non eſt. appellantur autem hi exortus cornua, & primùm ſurſum vergunt, poſtea deorſum tendunt, & paulatim anguſtiores fiunt, vt poſtremæ partes venis ſimiles ſint. Hæ itaque anguſtæ cornuum partes, ſinuoſis flexibus ad teſtes inferuntur, qui à lateribus vteri ſiti ſunt, ſinguli ab vtraque fundi parte prope cornua: & per hos ſinuoſos cornuum flexus in congreſſu viri vterus ſemen à teſtibus attrahit. Sunt autem teſtes mulierum parui, neque ſicut in viris rotundi & oblongi, ac tenera carne præditi, ſed lati ac glanduloſi & pelliculoſi. Appendet porrò vterus veſicæ & inteſtino recto, per fibroſa quædam interſtitia. Appendet & oſſi ſacro, per robuſta quædam ligamenta neruoſa ac muſculoſa. Sunt & ligamenta ac appendices quæ in ipſum vterum inferuntur, partim quidem texentia & perplicantia ipſum vteri corpus, quorum non exigua pars ſunt nerui à ſpinali medulla orientes: partim verò incrementi ac nutrimenti ipſius vteri, itémque fœtus gratia facta, velut ſunt arteriæ & venæ. A vena enim caua quæ per ſpinam à gibba hepatis parte fertur, & ab arteria magna quæ illi incumbens ſimul defertur, duæ venæ & duæ arteriæ exoriuntur, vtrinque ſanè vena & arteria: atque hæc quatuor vaſa ad vterum delata, antequam in ipſum inferuntur, ramulos ad teſtes extendunt, & poſtea in ipſum vteri corpus deferuntur, ipſúmque intertexunt, & per ea mẽſtruus ſanguis in vterum deriuatur. Sunt autem & aliæ venæ ac arteriæ vtrinque vtero inſertæ, partim ad teſtes, partim ad ceruicem tendentes. At verò ipſum vteri corpus ex duabus tunicis conſtat, & externa quidem neruoſior eſt, interna verò venoſior. & externa quidem ſimplex & vna eſt: interna verò duplex, vt ſi excoriare volueris, duo tibi vteri eſſe videantur, ſub vna & eadem tunica ſiti. Cæte-

A rùm collum vteri muſculoſum, ex dura ac cartilaginoſa carne factum eſt, & ſemper durius ſeipſo euadit, & progreſſu temporis cartilaginoſum, adeò vt quæ ſæpius pepererunt, aut iam aniculæ ſunt, his multùm durum ac cartilaginoſum collum ſit, vt gutturi ſummo ſimile exiſtat. Eſt & in collo vteri foramen, per quod & menſes deferuntur, & mulier maſculi ſemen ſuſcipit, exitq; per ipſum etiã fœtus: incredibile enim dictu eſt quantum hîc meatus pro tempore amplitudinem euariat. Nam reliquo tempore toto ſpecilli extremam, aut paulo craſſius quiddam
B ſuſcipit: prægnãte verò muliere ita clauditur, vt nihil ſuſcipere poſſit. At vbi fœtus ab vtero exoluitur, dolores partus ipſum quamplurimùm extendunt, & quod mirum auditu eſt, animal totum per ipſum tranſit. Finit autem collum ac definit in muliebrem ſinum ſiue pudendum. Longitudo porrò pudendi in mulieribus ætate perfectis, ſex ferè digitorum menſura eſt. in partu tamen & concubitu breuius efficitur, collo nimirum vteri ſe extendẽte. Eſt & puellari ætate pudendum delicatius ac mollius: in aniculis verò & iis quæ ſæpius pepererunt calloſius eua-
C dit, & cartilagini ſimile: ex crebro enim congreſſus attritu, & partium exeuntium colliſione calleſcit. Sed & menſium delatione indureſcit, nõ aliter quàm ob plurimum & acrem humorem influentem vlcera calloſa ac fiſtuloſa fiunt. At verò imminente menſium tempore, vterus craſſeſcit ac intumeſcit, aliàs tenuior ac contractior exiſtens. Craſſior item eſt in iis quæ ſæpius pepererunt: tenuior autem in iis quæ nondum prægnantes fuerunt. Idem etiã primis à conceptu diebus craſſeſcit: vbi verò fœtus adoleuit, ac iam pariendi tempus adeſt, tenuiſſimus euadit.
D Attenuatur autem velut veſicæ flatu repletæ ſolent, craſſitudine in longitudinem abeunte. Atque hactenus de ſitu, figura, ac magnitudine vteri dictum ſit.

Quæ intra prægnantis vterum naſcuntur, Cap. II.

IMprægnationis tempore primùm ſecunda vtero adnaſcens, & totum fœtum ambiens generatur: deinde aliæ duæ pelliculæ, altera farciminalis à farciminis ſimilitudine appellata, eminentibus fœtus partibus duplicata incumbens: altera agnina à teneritudine vocata, quæ totum
E fœtum ambit ac complectitur.

De ſecundæ generatione, Cap. III.

SEcunda hoc modo generatur: Singula venarum ac arteriarum oſcula, quæ intra vterum perueniunt, in extremitatibus ſuis nodoſas quaſdam eminentias hæmorrhoidibus ani ſimiles habent, quas aliqui cotyledonas, *hoc eſt acetabula* appellant. Atque hæ in mulieribus ſunt minores, quàm quæ in vaccis, capris, ac ceruis, atque aliis talibus animalibus reperiuntur. Sed & in brutis flaccidiores ac
F mucoſiores ſunt, figura cotyledoni herbæ, *id eſt, vmbilico Veneris* ſimiles. Tales igitur eminentiæ in vteri ſinu vbi mulier conceptura eſt, aperiuntur. Contingit autem hoc tempus, incipientibus fluere menſtruis purgationibus, aut definentibus. Et quanquam etiam reliquo toto purgationis tempore apertæ ſint, tamen non concipit mulier. non enim poteſt ſemen in vtero manere, quum influentis ſanguinis multitudine eluatur. Quando verò ceſſant

ceſſant menſes,& quum incipiunt,aperta ſunt vaſa,& purgatio lunaris neque multa, neque coaceruatim effunditur,vt ſemen ob vteri aſperitatem facilè adhæreat, & ab allabentis ſanguinis paucitate abundè alatur. Priuſquam enim fluere cœperint menſes, mulier non conceperit, quòd & ſemen careat alimento, & vnde adhærere poſſit non habeat: læuis enim tunc vterus eſt ob vaſorum concluſionem, vt inde ſemen tãquam color à læui pariete elabatur. Nam qui parietes illituri ſunt, eos primùm exaſperant,deinde colores inducunt.Proinde ſemen viri iniectum,& in vtero detentum, acetabulis dextri vel ſiniſtri ſinus impingitur, contrahítque ſeipſum vterus,ac ſemen vndique complectitur. Secundæ itaque generatio ab oſculis in vterum apertis initium ſumit, ita vt ab vnoquoque oſculo vas generetur, ab oſculo arteriæ,arteria:à venæ oſculo,vena.atque hæc vaſa diſtinguit ac connectit membrana: & hoc modo ſecunda generatur. At verò hæc vaſa per ſecundam diſperſa rurſus inter ſe coeunt,& in duos veluti ſtipites deſinunt, bináſque venas ac binas arterias perficiunt, quæ ad ipſum fœtum ſe ingerunt circa vmbilicum. Nihil enim aliud eſt vmbilicus quàm quatuor hæc vaſa,in medio ſui ὀὐραχὸν, *hoc eſt lotii ductorem* appellatum habentia. Hic verò eſt principium pelliculæ farciminalis,perforatúſque eſt ad fundum veſicæ ipſius fœtus,vt per ipſum lotium fœtus excernatur, & in pellicula farciminali colligatur. Tum verò ex duabus venis vna tantùm efficitur, quæ per vmbilicum delata,ſimæ parti hepatis ipſius fœtus inſeritur, venáque caua appellatur. & per hanc ad fœtus alimentum ſanguis ab vtero deriuatur. Poſtquam enim hepar ipſius fœtus ſanguinem allatum ſuſcepit, in omnes corporis partes diſtribuit. Similiter etiam duæ arteriæ in vnam coaleſcunt,quæ circa veſicam firmatur, & magnæ arteriæ inſeritur,quæ ſpinæ eiuſdem fœtus adhæret. Et per hanc vitalis ſpiritus ex vteri arteriis ad fœtum diſtribuitur. Porrò partus tempore inſtante, quum magnus perfectúſque infans vterum vndiquaque diſtenderit, ſecunda pro infantis mole anguſta efficitur,neque iam ſanguis ab vtero allatus alimentum ſufficiens exhibet. Quapropter concitatus infans exilit,& ambientes pelliculas dirumpit. atque ita arcana quadam ratione vteri oſtium aperitur, ac fœtus progreditur. Et hæc quidem de fœtus generatione breuiter, & quàm luculentiſſimè id fieri potuit explicauimus. At ſiquis diligentius ſpeculari hæc voluerit,capram aut vaccam, vel ceruam diſſecare poterit,oſſa pubis remouendo, & cutem aptè reſecando: & vteri cum vicinis partibus vnionem apertè videbit.

Menſtruæ mulierum purgationis ratio,
Cap. IIII.

CIrca quartumdecimum annum menſes in fœminis apparere incipiunt, quo tempore & pubeſcunt, & mammæ ipſis intumeſcunt. Non tamen omnibus eodem tempore, eadémque menſura, & per totidem dies prodeunt. ſed pleriſque plus minus duarum heminarum menſura,quatuor dierum ſpatio,interpoſitis vigintiduobus diebus,aut ſummum triginta, ſingulis menſibus deferuntur. nec ante triceſimumquintum,nec ſerius quàm quinquageſimo anno deſinunt. rariſſimè enim ad ſexageſimum annum menſtruæ purgationes perueniunt.Citiſſimè verò in pinguibus corporibus deficiunt. Cæterùm ſanguinis qui profluit copia,paulatim vſque ad ætatis vigorem augeſcit. deinde aliquandiu æqualitatem ſeruans,paululum penitus creſcit aut minuitur. at vbi ad finem tendit,paulatim rurſus minuitur, donec in totum deſinat. Vt autem ordinem ſeruent aut excedant, & vt multitudine vel paucitate delinquant,in ætate ſitum eſt, ac anni tempore,itémque victus ratione, & peculiaribus mulierum ſtudiis. Huc faciunt & ciborum qualitates, & morbi accedentes.

Notæ futuræ virginum purgationis,
Cap. V.

VIrginibus futuram purgationem præſagiunt mammarum pruritus,lumborum,pectinis, & capitis dolor, bilis aut pituitæ vomitus. Quum hæc circa decimumquartum annum apparuerint,medicum coniectare oportet quomodo purgationem maturet, & per leuiores decoctiones ſanguinis delationem adiuuet.

Quando ſemen appareat,& conceptus tempus adueniat, Cap. VI.

SEmen quoque circa decimumquartum annum, & pleriſque in ipſo pubertatis tempore apparet. verùm ad generationem aptum efficitur anno plerunque decimooctauo aut viceſimo. Et ſtatim ſanè vbi ſemen comparuerit,coeundi deſiderio flagrare incipiunt.

Fœcundarum mulierum dignotio, Sorani,
Cap. VII.

A Decimoquinto ætatis anno,ferè vſque ad quadrageſimum, mulieres ad concipiendum idoneæ ſunt, quæ neque viragines, neque corporis habitu denſo aut duro præditæ ſunt, neque contrà humecto ac languido, neque alui fluxione aſſidua laborant: ſed & recta ratione ac læta mente funguntur,& lumbos habent latos,& ventrem amplum, & quibus menſes non impediuntur, & quæ vteri affectionibus nõ infeſtãtur. Cæterùm conceptura ſit an nõ,mulier,hoc modo deprehẽdi aiunt:Infernas partes veſtimentis contectas reſina ſuffiunt, ita vt intra pudendum vapor recipiatur: & ſi quidem odor per corpus ad os & nares tranſeat,fœcunditatis ſignum iudicant:ſin minus,ſterilitatis. Allia item decorticata, & lanæ inuoluta, mulier dormiendi tempore ſibiipſi velut peſſum ſiue tali formam ſubdat. & ex odore an ad os peruenerit aut non, fœcunditatem aut ſterilitatẽ iudicet.

Quomodo cognoſcantur quæ conceperunt,
Cap. VIII.

MVlierem concepiſſe argumento primùm eſt, ſi ab obſtetrice interrogata reſpondeat ſe poſt concubitum,viri ſemen non effudiſſe, & in ipſo coitus opere horrorem quendam percepiſſe, & moderato dolore circa pudendum ac vmbilicum vexari. & ad hæc ſi pudendi ſinus & os, arida ſint: & vteri oſculum non durum, nec inflammatum,ſed interius ac exterius occluſum fuerit & aliquantulum ſurſum progreſſum. Et ſi veneris appetentia languerit, & menſes conſueto tempore non apparuerint. Si venæ pectoris virere,& mammæ intumeſcere inceperint,& progreſſu temporis lac habuerint. ſi cauitates oculorum ſubpallidæ fiant. ſi nigræ maculæ in facie & aliquibus lentigines oriantur. ſi colli pars anterior calidior, ceruix verò frigidior appareat. ſi circa ſecundum menſem præter conſuetudinem ſalſa aut acida appetat. Quibuſdã etiã os nimio humore madeſcit, & ad agendũ torpor adeſt, & aſpectus languidus ac planè effœminatus efficitur,&color ad albedinẽ ac pallorẽ mutatur,prægreſſo plerunque rubore,ſi fœminæ viriliores fuerint. Circa conſueta item purgationis menſtruæ tempora aggrauantur prægnantes,& mammæ intumeſcunt,lumbi difficulter mouentur, veſica rubens ac ignitum lotium cum dolore excernit, & ſuppreſſorum menſium calor ſinum ac ceruicem vteri accendit.

Notæ fœtus maſculi ac fœminæ,
Cap. IX.

HIppocrates & alii quidam maris notam eſſe dixerũt, ſi prægnans ſit bene colorata,& ad motum facilis,& ſi dextra mamma amplior,& præſertim papilla, ſit. contrà verò pallidus color, ſiniſtráque mamma ac papilla tumidior,fœmellæ indicium eſt. Sed & in maſculi conceptu dextræ partis vaſa, venæ ac arteriæ magis intumeſcunt,præſertim ſub lingua. at in fœmellæ cõceptu contrarium apparet. Aiunt etiam papillas in fœminæ conceptu deorſum nutare,in maſculi verò,ſurſum tendere: ſed & lac prægnantis aquæ inſtillatum, ſi fœtus fœmella ſit, diuelli ac detrahi:ſi verò maſculus, in ſuperficie perſiſtere. Certiſſimum verò miniméque fallax maſculi fœtus ſignum eſt,ſi prægnans dextræ manus pulſum validiorẽ, velociorem,maiorémque ac duriorem habuerit: & vice verſa, in fœmella.

De pica, Galeni, Cap. X.

CIrca ſecundum menſem affectio quædam prægnantibus accidit,quæ à pica auicula nomen accepit. Alii

tamen ab hederæ ſimilitudine, quæ cittos *Græcis* vocatur, hanc affectionem cittam *Græcis* appellatam eſſe ſentiunt. nam ſicut illa variis plantis, prout occurrunt, ſe implicare ſolet: ita mulieres ex pica laborantes, varia edulia appetunt, atque ea contraria, quæ tum voluptatem tum inſuauitatem guſtanti exhibent. Accidit autem ferè circa quadrageſimum diem à conceptu. & eſt ſtomachi languor cũ nauſea & auerſatione ciborum, bilis ac pituitæ vomitum inducens. conſequuntur aſſiduè expuitiones oris, ventris morſus, ac anxietates. Atque hæc omnia ob humoris, ſanguinei præſertim, redũdantiã fiunt. qui enim per vteri vaſa ſingulis menſibus excerni ſolebat, à fœtu ſuppreſſus, ſurſum vergit, & ſtomachum præcipuè, velut ſubtiliore ſenſu præditum infeſtat: pro varietate autem vitioſi humoris, varia ac peregrina edulia appetunt, quædam ſalſa, aliquæ acida, aliquæ terram, aut teſtas, aut extinctos carbones. & ſæpe vſque ad quartum menſem hæc affectio durat. In principio enim modicus ſanguis ad fœtus alimoniam diſtribuitur. poſtea verò creſcente fœtu plus alimenti attrahitur. Itaque tum demum vitioſo humore partim per vomitum euacuato, partim ad vterum alendi fœtus gratia delato, relata accidentia remittunt. In quibus igitur multus ſanguis collectus videtur, his modicus cibus competit, & exercitia mulieribus conuenientia, quæ redundantem diſcutere poſſunt. proſunt & fatigationes ac peregrinationes. Quæ verò citra laborem viuere conſueuerunt, hæ prægnantes ægrè ferunt repentinos aut laborioſiores motus. Quarum verò ſtomachus ab acri acidóve aut ſalſo humore mordetur, hæ ad excitandum vomitum tepidam aquam commodè bibent, vt humor affligens reuomatur. Abſtineant autem à dulcibus obſoniis. & vinum fuluum, odoratum, antiquum, & ſubadſtringens bibant. Sit autem potus moderatus, ne alimenta ventriculo innatent. confert etiam ante cibum oliuas muria conditas cum pane molli exhibere. aut quinque vel ſeptem amygdalas amaras. aut polentam ſucco cotoneorum aut Punicorum malorum reſperſam. aut ſeridem ſiue intubum, aut aſparagum paluſtrem, aut ſiſarum. Ex auibus deligendæ ſunt, quæ neque pingues neque viroſæ ſunt. Conueniunt etiam pedes ac roſtra & ventriculi porcorum, & herinacei marini recentes. Poſt cibum verò, vuæ paſſæ, mala Punica ac pira exhibeantur. ſint tamen omnia quantitate moderata. At quæ cibos auerſantur, obſoniorum varietate ac iucunditate illectentur. Eis autem quæ terram comedunt, nihil ita prodeſt velut amylum recens pro terra oblatum. Cæterùm medicamenta contra picam commoda ſunt, portulacæ cremor, & ipſa in cibo ſumpta, cucumeris ſemen decorticatum, & ex aqua potum. Polygoni decoctum potum: ſimiliter etiam anethi. & rhei Pontici ac ſpicæ nardi cremor. item intubi ſuccus, vel ipſa herba cruda aut cocta, aſſiduè comeſta. At ſi craſſius eſt quod euomunt, & ob viſcoſitatem difficulter excernitur, ſalſamenta & raphanos ex aceto mulſo edant, omni ſtudio adhibito vt infeſtus humor citra moleſtiam ac conuulſionem educatur. Forinſecus autem adhibita, languido ſtomacho conferunt hæc, œnanthe, balauſtium, roſæ, cityni, myrtus, ſmyrnii coma, fœniculi ſemen, cum vino cataplaſmatis modo adhibita: addita etiam galla, aut cumino, aut abſinthio. Palmularum item carnes vino coctas aut maceratas, tritas pro emplaſtro imponere prodeſt. aut mala cotonea cũ poſca trita, roſaceo vel nardino cerato excepta, addito croco. Aut lanã ſuccidã, aut linteolũ vino & oleo, aut aceto & oleo, vel roſaceo & aceto, aut nardino & vino imbuito, & ſtomacho adhibeto. morſus enim & ſtomachi pũcturas mitigãt. Prætereа calidã aquã, nõ tamẽ feruidã, aſſiduè abſorbere, & ſenſim aſſiduè obambulare, & præcordia molli lana integere, fouere ac inungere, & ante cibum infernas partes pro viribus exercere. hæc omnia ad ſanitatem aſſequendam mirificè faciunt.

De tumoribus pedum in prægnantibus,
Cap. XI.

PEdum tumores in prægnantibus, roſaceo & aceto, & ſale aliquando addito, perfricato. Prodeſt & terram A Cimoliam cum aceto illinere, aut alumen ſciſſum cum vino. Bonum eſt & citriorum malorum decocto pedes lauare. Et anthyllin aceto maceratam obligare, & braſſicæ folia per latum diſtenta imponere ac obligare.

Cura prægnantibus adhibenda, Aſpaſiæ,
Cap. XII.

PRægnantes quæ recèns conceperunt, à timore, triſtitia, ac omni forti mentis perturbatione aſſeruandæ ſunt. Prohibendæ etiam geſtationes in curribus, & vio- B lenta exercitia, ac ſpiritus detenſiones, & coxendicum ictus. Neque verò permittendum eſt vt graue onus eleuet, aut ſaltet, aut duris ſellis inſideat. Sed nec acria edulia nec flatuoſa, nec clyſteres acutos, nec cibi aut potus inopiã aut ſuperfluitatem concedemus. Sanguinis etiam effluxio ſiue è naribus, ſiue ab hæmorrhoidibus, aut alio quocunq; loco, prægnantibus periculum inducit. Quapropter alimentis vtẽdum eſt moderatis, & ſtomacho commodis, lecticæ geſtatione, leni deambulatione, molli frictione, & lanificii exercitio. At circa octauum menſem qui o- C mnium moleſtiſſimus eſt, alimentũ contrahẽdum eſt, & motus vehementiores præſcribendi. Et ſi aluus ſuppreſſa fuerit, ob inteſtini recti anguſtias ab vtero illatas, edulia exhibeantur ventri ſubducendo apta, velut eſt ptiſanæ ſuccus, rumex coctus, malua, lactuca. Cæterùm menſe nono relaxandi corporis gratia, balneo frequenter vtẽdum eſt, & omni modo proſpiciẽdum vt paritura futuros partus dolores fortiter ferre poſſit.

Notæ partus ſecundum naturam futuri,
D Cap. XIII.

PArituris, pectinis ac ſuperioris ventris grauitas, pudẽdique ardor adeſt. Et vterus ad pudendum procumbit, vt obſtetrici facile ſit per contactum tentare. Os quoque vteri diſparatum ac dilatatum eſt, & ad tactum leue ac humectum percipitur. Partu autem inſtante, ſuperior venter contrahitur, & inguina ac pubes intumeſcunt, & aſſidua mingendi cupiditas adeſt. Deinde plurimus humor prodit, pleriſque etiam ſanguis tenuioribus ſecũdæ vaſis ruptis.

E Parientibus facienda, Cap. XIIII.

QVÆ præparare oportet, & quomodo ſecundum naturam parientibus conſulendum ſit, ſuperuacuum fuerit ſcripto prodere, quum ex longo vſu nõ modò obſtetrices, ſed reliquæ quoque mulieres iſta ſciant. De hoc tamen velut neceſſario admonebimus, quòd parientes ſpiritum detinere oportet, & ad inferiores partes propulſare, non velut imperitæ aliquæ faciunt, in gutture congregare. Inde enim pleriſque gutturis tumor, & vaſorum eius loci dilatatio contingit, quæ affectio penitus incu- F rabilis exiſtit.

Cura circa ægrè parientes adhibenda, Aſpaſiæ,
Cap. XV.

QVVM partus difficultas inſtat, & loci præcluſi manent, prægnans in balneum ducatur, & in calidæ labrum deſideat, ſæpéque perfundatur. Vtatúrque inſeſſionibus ac illitionibus lubricitatem inducentibus: quale eſt oleum tepidum, ouorum candida tuſa, maluæ, fœnigræci, ſeminis lini decoctum. Aut cerato liquido ex oleo cyprino præparato loci ac inguina illinantur. Sed & hirun- G dinum nidus oleo diſſolutus, & lumbis iuxta ſpinam affuſus, partum accelerat. Ferunt etiam tithymali maioris radicem linteo illigatam, femori vtiliter alligari, & ſimiliter ſtyracem, coryandrum viride, polygoni radicem, alcyonium, cucumeris ſylueſtris ſemen: atque hæc omnia ſtatim à partu amouenda eſſe. Cæterùm ſi poſt partum ſecunda non ſequatur, violenter ne extrahatur, ſed ſternutatio excitetur, & ſpiritus detineatur, & os ac nares obturentur. Et ſi adhuc remanſerit, extractio fiat velut poſtea docebimus.

H Quomodo opem ferre oportet eis quæ non tutò
concipiunt, Cap. XVI.

QVædã mulieres etiãſi cõcipiãt, in partu tamẽ periclitãtur, ſiue ob vteri paruitatẽ, vt ob id fœtũ perficere

nō poſſit, ſiue ob colli eiuſdem anguſtiam, ſiue quòd tuberculum aut tale quiddam in eiuſdem oſtio exortū eſt quod partum impedit. Atque hæ ſanè optimè fecerint, ſi à partu omnino cauerint: at ſi conceperint, ſatius eſt fœtum corrūpere quàm excidere. Quare ex ordine de corrumpentibus fœtum, & de inducentibus ſterilitatem agemus. Quod enim ſterilitatem inducit, differt ab eo quod fœtum corrumpit. illud enim conceptum fieri prohibet: hoc factum corrumpit & expellit. Proinde vt ne mulier concipiat, primùm caueat ne temporibus conceptui idoneis cum viro coeat, incipientibus videlicet aut deſinentibus menſibus. In ipſo verò concubitus tempore, quum vir ſemen eiecturus eſt, ſpiritum detineat, ne in vteri cauitatem ſemen feratur, ſtatímque exurgat ac genibus innixa ſternutamenta cieat, & pudendum probè detergeat. Ad prohibendum etiam concéptum, os vteri cum melle illinere oportet, aut cum opobalſamo, aut cedria per ſe, vel cum ceruſſa. item cum cerato myrteo liquido ceruſſa admixta: aut alumine liquido: aut galbano cum vino. Talia enim frigida, meatus obducentia ac adſtringētia, ante coitum os vteri claudunt, & ſemen in eius cauitatem penetrare non ſinunt. Calida verò proritantia, non ſolùm viri ſemen ab vtero pellunt, ſed reliquos etiam eius humores attrahunt ac exugunt. Sed & ea quæ ſequuntur, conceptionem prohibent ac ſterilitatem inducunt.

Peſſi ſterilitatem inducentes, Cap. XVII.

CORticum pinus, rhois coriarii, ſingulorū æquales portiones cum vino è vinaceis expreſſo terito, & in lana ante concubitum adhibeto. & hoc ablato, poſt duas horas mulier cum viro coeat. Aliud. Malicoriū recens cum aqua tritum ſubdito. Aliud. Malicorii partes duas, gallarum partem vnam terito, & glandulas paruas efformato, eáſque vbi menſes deſiuerint ſubdito. Aliud. Gallarum drach. III. myrrhæ drach. II. cum vino velut erui grana efformato, & in vmbra ſiccato, atque ante coitum pro peſſis ſubdito. Aliud. Caricarū carnes cum vino ſubactas adhibeto. Aliud. Florum mali Punici ſatiui dr. II. gallarum tantūdem, abſinthii drach. I. cum cedria velut ordei grana formato, & duobus diebus à ſedatis menſibus ſubdito, totóque die ſumantur, & his amotis tandē venere mulier vtatur. hoc non fallit, & longo vſu cognitū eſt. Potio ad idem. Succus Cyrenaicus ciceris magnitudine cū duobus vini diluti cyathis potus, cōceptū prohibet, & menſes ducit. Aliud. Succi Cyrenaici, foliorū rutæ, opopanacis, æquales portiones terito & cera obducito, & fabæ magnitudinem exhibeto, deinde vinum dilutum propinato. & hoc menſes prolectat. Aliud. Aloes drach. I. ſeminis violarum albarum obolos III. myrrhæ drach. III. piperis grana II. Hæc in tres partes diuidito, & tribus vicibus exhibeto, ſtatim vbi mēſes ceſſarint. Quin & fabrorum aqua in qua ferrum extinguunt, aſſiduè pota, maximè ſtatim vbi menſes ceſſarint, ſterilitatē inducit. idem facit & populi albæ drachma, ex aqua ſingulis menſibus ſemel pota. Aliud. Muſtellæ hepar ſiniſtro pedi alligetur. aut teſtes eiuſdem animalis circa vmbilicum geſtentur. Aliud. Adeps ſiue pinguedo vuluæ leænæ in vaſe eburneo geſtetur. eſt hoc efficaciſſimū.

Aliud. Ceruſſa cum oleo velut peſſus ſubdatur. Aliud. Florum mali Punici ſatiui, malicorii, gallarum, ſucci vuæ acerbæ, ſing. drach. II. abſinthii dr. I. cedria excipe, & velut ordei grana efforma. & mulieri quæ per biduum à viro ſecubuit ſubde. Aliud. Poſtquam mulier à viro ſecubuit, tot hederæ grana nigra è vino propinato, quot diebus fœminam concipere nolueris. Aliud. Hyoſcyami ſemen antequam in terram exciderit, ab ipſa herba decerpito, & cum lacte aſinino terito, & modica myrrha, ac hederæ nigro grano aut corymbo admixto, leporis aut muli aut cerui corio inuolutum, geſtandum exhibeto. obſeruandū eſt autē ne hoc amuletū terrā cōtingat: aut fabrorū aquā frigidā ieiunæ propinato: aut ſalicis decoctū cū melle, propter eximēdā amaritudinē potandū dato. Ferunt etiā, dentē infanti elapſum, ſi terrā nō attigerit, in anulo à muliere efficaciter geſtari. itē lūbricū lapidicinæ pro amuleto efficaciter appēdi. Aliud. Hyoſcyami ſemē cū equæ pullum alentis lacte ſubactum, & ceruino corio illigatum, ſiniſtro brachio appendito, & ne terram contingat caueto. Aliud. Coriandri ſemē toto anno potum, ſterilitatem inducit. Aliud. Vir aliquo adſtringenti illinatur, quale eſt alumen, malicorium, galla ex aceto trita, & ante coitum muria abluat, & non generabit. Omnia porrò medicamenta ſpleni conferentia, maxima ex parte conceptionem impediunt. Idem faciunt & mulorum caſtratorum teſtes vſti, & cum ſalicis decocto poti.

Fœtum corrumpentia, ex Aſpaſia, Cap. XVIII.

SI mulier ad gignendum fœtum inepta, per negligentiam conceperit, primùm vſque ad trigeſimum diem contraria fiant iis quæ ſuprà de cura prægnantibus adhibenda diximus, ita vt vehementiſſimis motibus vti iubeatur, & vt ſaliat, ac grauiſſima onera leuet. & vt decoctionibus vrinā ac menſes prolectātibus atq; aluū ſubducētibus aſſiduè vtatur, & acrioribus infuſis ventrē eluat. In balneo item ſuperiorem ventrem, pubem, ac lumbos quotidie defricet, & in aquæ tepidæ labro diu moretur, inſeſſúſque paret ex fœnigræci, althææque ac artemiſiæ decocto, & cum oleo antiquo per ſe, vel cum rutæ ſucco ac melle perfundatur: & ſi adhuc perſtiterit conceptus, præcordia & lumbos ex lupinorum farina taurino felle ſubacta integat, & epithemata huiuſmodi imponat: Cyclamini, elaterii, artemiſiæ, ſing. drach. V. abſinthii, grani cnidii, ſing. drach. X. nitri drach. octo, radicis cucumeris ſylueſtris drach. V. opopanacis drach. X. lupinorum amarorū, radicis chelidonii, ſeminis aut radicis violæ albæ, ſing. drach. ſex, olei cyprini quantum ſatis eſt ad emplaſtri formam. Hoc poſt perfuſionem cum artemiſiæ decocto, ſuperiori ventri imponere oportet: deinde caricas cū nitro aut ſimile quiddā in pudēdi ſinū ſubdere, aut cū oleo trita illinere. Hoc autē ſimplex inſigne eſt: Cupreſſi folia cocta trita, poſt balneū cubitū itura ventri imponat, & tota nocte ſinat, & ſupina iaceat. Præſtat & collyrium ex opopanace ſubdere, & allii cortices ac pilos muliebres ſuffire. Quòd ſi hæc nihil profecerint, ad validiora auxilia pergendū erit, neque tamen temere hoc faciendum eſt. Omnis enim fœtus corruptio periculoſa eſt, præſertim in muliere robuſta, vterúmque duriorem ac denſiorem habente. Quare diligenti animaduerſione opus eſt. & ſecundus maximè ac quartus menſis vitādus: eſt enim in vtroque naturalis quædā difficultas ac mora. & impares mēſes aptiores ſunt ad aggreſſionem ac firmitatem. Vnicū itaque tertii menſis tempus deligendum eſt: neque enim prius, neque poſterius conueniet. Mulier autem à qua fœtus expellendus eſt, per aliquot dies antea tenuiſſimo victu, & aſſiduis balneis ac peſſis emollientibus ſubditis vtatur, & à vino abſtineat: deinde vena ſecetur, & ſanguis copioſè detrahatur. Sanguis enim à muliere prægnāte euacuatus, abortum facit, inquit Hippocrates. Tum poſt biduum aut triduum, vbi interim à cœna euomuerit, foliorum Mercurialis fœminæ decoctum, cum oleo & garo conditum ieiuna abſorbeat: aut agaricum cum aqua mulſa bibat: aut ſeminis violæ albæ drach. I. aut artemiſiæ, aut dictamni, aut gentianæ, aut caſtorei, ſing. dr. I. aut ammoniacū thymiama, aut myrrhā, aut lauri baccas cum aqua mulſa, aut cacumina thymi, aut fel tauri congelatū nucis auellanæ magnitudine ex vino odorato dilutum bibat. hæc enim omnia etiam mortuos fœtus expellunt. Atque hæc quidem conceptum fœtum corrumpūt. ſi tamen nō profecerint, oportet ante potiones & epithemata quæ adhibentur, ſternutamenta ciere cum iis quæ ad hoc efficaciſſima habentur. Peſſus corrumpens fœtum: Iridis, galbani, grani cnidii, terebinthinæ, ſing. dr. I. cum ſuſino cyprino ac roſaceo oleo æquis portionibus efformato, & mulieri prius lotæ ſubdito, ac per totam noctem ſinito. Manè verò in fœnigræci & artemiſiæ decocto ſedeat, & ſi non ſucceſſerit, idem rurſus poſt balneum fiat. Alius. Seminis violæ albæ, nitri, abſinthii, myrrhæ, pares portiones cum vino ſubactas in lana ſubdito.

Alius. Foliorum rutæ, baccarum lauri, myrrhæ, ſingulorum drach. II. cum vino ſubacta ſubdito. Collyriū

citra moleſtiam trimeſtrem fœtum expellens: Seminis naſturtii, ſeminis violæ albæ, myrrhæ, abſinthii, ſing. dr. 1. cum aqua efformato, & mulieri prius lotæ ſubdito, & interim pulegii decoctum bibendum dato. Aliud inſigne. Abrotonum quantũ voles in aqua ad totius aquæ conſumptionem coquito & exprimito, eúmque liquorẽ exceptum lana ſubdendum exhibeto. vtere etiam auxiliis ac epithematis, quæ ad retentos menſes deſcribemus. Tradunt etiam ſtercus columbinum ſuffitum, fœtum expellere. & cucumeris ſylueſtris grana ſpontè excidentia, panno excepta antequam terram attingant, adalligata magnã vim habere ad fœtum corrumpendum.

Signa futurum abortum præcedentia, Cap. XIX.

FVturum abortum aquoſa primùm euacuatio, deinde ſanioſa aut cruenta, & velut carnium lotura præcedit. Vbi verò planè exolutio aduenerit, purus ſanguis, deinde grumi, ac demum fœtus ipſe formatus aut informis egreditur. pleriſque etiam lumborum ac coxarũ grauitas adeſt, & ſuperioris ventris, capitiſque ac oculorum dolor, ſtomachi morſus, extremarum partium frigiditas, animi deliquium, horror febrilis: quædam etiam conuulſiones retrorſum, & velut à comitiali morbo habent. Atque hæc præcipuè accidunt iis quæ ex medicamentorum violentia abortum procurarunt. Nam in iis quæ citra medicamẽta abortum faciunt, præcedit, velut Hippocrates teſtatur, mammarum gracilitas præter rationem oborta, femorũ frigiditas & grauitas, etiam lumbos occupans. At verò ex abortu minus læduntur quæ ſaniores ſunt, & aluum natura laxiorem ac vteri partes humidiores habent, & quæ frequenter magnos infantes ſine moleſtia pepererunt, & ætate prouectiores, paucúmque ſanguinem habẽtes, & non pingues.

Quomodo abrupti fœtus eiectioni opitulemur, Cap. XX.

SI fœtus abruptus fuerit, & in vteri collo detinetur, oleo cyprino, terebinthina admixta totum corpus, & præcipuè partes vtero vicinæ perfundantur. Eodem etiã eiecto iam fœtu loci aſſiduè rigentur, & ſi ſic non ſuccedat, mulier aromatum decocto inſideat, ac ſternutamenta adhibeat. & ex reſina ſicca, bitumine, propoli, & cancris fluuialibus ac galbano ſuffitus fiat. Hæc & alia huiuſcemodi facienda ſunt, ſi inflammatio non obſtiterit: nam ea præſente, intra inſeſſus laxandi ac mitigandi vires habentes nos continebimus. at ſi fœtus detinetur ex eo quòd vterus citra inflammationem concluſus eſt, papyrum & ſpongias aridas, primùm tenuiores, deinde craſſiores, inſtar peſſi ſubdemus, & extrema opopanace, vel panacis radice, cum melle ac terebinthina trita, illinemus. Porrò eiecto fœtu, ſi ſecunda non fuerit ſequuta, violenter extrahenda non eſt. ſed neque vmbilicus incidendus, & ſecunda relinquenda eſt: ſtrangulatus enim & certa pernicies ex hoc conſequeretur. Verùm ſi res diutius protrahatur, vmbilicus inciſus femori mulieris alligetur, & ſummum ſtudium adhibeatur vt ſecunda eximatur, quemadmodũ inferius de fœus exectione referemus.

De eis quæ bimeſtres aut trimeſtres fœtus aboriunt, Cap. XXI.

QVæcunque moderatè corpus habẽtes, bimeſtres aut trimeſtres abortus faciũt citra manifeſtam cauſam, his acetabula ſiue cotyledones muco plena ſunt, & non poſſunt præ grauitate fœtum continere, ſed abrumpitur, inquit Hippocrates. Has igitur curare oportet per medicamenta pituitam ducentia totũ corpus euacuando: qui enim ante totius corporis purgationem, & ante prohibitum humorum influxum, ſtatim à principio locos euacuare nititur, ſimile facit velut ſiquis perennem putei aquã exhaurire velit dum interim in exhauſtæ locum aſſiduè riuuli ſcaturiunt. Toto vero corpore euacuato, tandem cũ iis quæ pituitam ducunt etiam vterum purgabimus. quales ſunt peſſi ex colocynthide præparati, qui cõtra ſterilitatem ex humorum redundantia contingentem inferius deſcribentur. Optima autem elotio purgatoria pituitam ex vtero educens ſic fit: Colocynthidem magnã ſupernè incidito, & ſeminibus eiectis ac dimiſſa medulla oleum irinum infundito, & cum deſecta particula colocynthidem operito, & per diem ac noctem madeſcere ſinito. deinde feruenti cinere coquito, ac oleum excolato, & hoc tepidum in vuluã iniicito. hoc multas ſteriles, fœcũdas fecit, educta ex alto pituita, quæ cõceptum impediebat. Victus autem ratio adhibẽda eſt calefaciẽs ac ſiccãs. moderata item exercitia ac frictiones, & omnis perfrigeratio vitãda. At verò eis quæ ob naturalem facultatis retentiuæ debilitatem abortum faciunt, herinacei terreſtris pellis vſta, ex aqua aut vino pota, ex naturali quadã proprietate auxiliatur. idem facit & pudendi oſculo illita. Idem poteſt & marinus herinaceus, ac conchæ vſtæ. Item myrti baccæ cum vino, aut oleo lentiſcino ſiue ſuſino illitæ. Rubi quoque ac myrti & ſimilium decoctis loci vtiliter irrigantur. Aetites etiam lapis circa ventrem geſtatus, & prægnantes, & fœtus conſeruat, nec ſinit vterũ flacceſcere. Idem facit tritici granum intra panem repertũ, ſiniſtro brachio alligatum. Sardonius quoque lapis prodeſt ſuperiori ventri appenſus donec dolores partus inſtant, & tunc ablatus. Lapis item in vulua, aut corde, aut inteſtinis ceruarũ repertus, pro amuleto geſtetur. eſt enim ad retinẽdos fœtus efficaciſſimus. Iiſdẽ viribus præditus eſt lapis qui trũco arboris pro cunei more impingi ſolet.

Pariendi difficultatis cauſæ, Cap. XXII.

PAriendi difficultas variis de cauſis contingit: aut enim eo quòd puerpera animo aut corpore, aut vtriſq; ſimul imbecilla eſt, aut ob vteri paruitatem, aut propter meatus anguſtiam. Quæcũque autẽ propter ætatem ſtaturæ breuioris ſunt, hæ ferè vterum reliquis corporis partibus correſpondentem habent. Poteſt & difficultas pariendi contingere aut ob ceruicis vteri obliquitatem: aut ob carnem eidem ceruici vel oſculo eius adnatam: aut ob eiuſdem loci inflammationem, vel abſceſſum, vel duritiã: aut quòd tunicam ambientem ſolidiorem fœtus perrũpere non poteſt: aut quòd humor in vtero collectus ante debitũ tẽpus excretus eſt, & iuxta partus tẽpus ſine humore ac ſicci manẽt loci, quãdo maximè opus eſt hoc humore, vt qui facilẽ trãſitũ fœtui exhibeat: aut quòd puerpera veſicæ calculo laborat, qui dum vteri collum comprimit, difficultatem pariendi inducit: aut ob prægnantis carnoſitatem ſiue pinguitudinem. Sed & oſſa pubis nimiùm cõſerta, pariendi difficultatem faciũt, dum in partu dilatari non poſſunt. neque enim velut in viris, ita in mulieribus oſſa pubis alternatim conſeruntur, ſed forti copula cõnectuntur. Contingit item pariendi difficultas ob nimiã lumborum cauitatem vterum comprimentem: aut ob excrementorum copiam, in inteſtino recto aut veſica detẽtam. Aliquæ etiam prouecta ætate debilitatæ, ægrè pariunt. Aliæ quòd primùm parere incipiunt, anguntur, & propter imperitiam corpus aptè præparare ignorant, aut quòd per ætatem nondum viriles ſunt, nec vires vigoris adeptæ ſunt, ſed adhuc puellæ pueriliter agunt. Difficilis præterea fit partus quum fœtus totus, aut pars, magnitudine excellit: ſæpe enim caput, vel thorax, vel venter, plus æquo augeſcit: aut quum debilior eſt fœtus, & ſaltibus ac motibus ſuis matrem adiuuare non poteſt: aut quum biceps eſt aut tripes: aut quum gemini prodeunt, & repentè vterque ſimul collo vteri illabitur: aut quum fœtus interiit, & parturienti nihil auxilii præbet, aut quũ mortuus intumeſcit, & præter naturam iacet: ſitus enim prodeuntis fœtus naturalis eſt, vt rectà in caput, manibus ad vtrunque femur extentis prodeat: præter naturam verò caput in dextrã vel ſiniſtrã vteri partes declinat: aut altera aut vtraq; manus exeritur, & crura intus inter ſe diducuntur. Reliquis tamen figuris minus ſuſpecta eſt ea quæ in pedes contingit, præcipuè ſi manibus ſuper vtroque femore extentis prodeat. Fœtus verò qui altero pede prodeunt altero intus detento, aut duplicati alicui vuluæ parti innituntur, directione indigent: ſicut & qui manus expaſſas habent. Cæterùm qui obliqui prodeunt, minus improbandi ſunt, & hoc tripliciter contingere poteſt: aut enim in alterutrum latus, aut in ventrem prodeunt. ſed tutius eſt in latus progredi: ita enim obſtetricis manui loc⁹ datur, vt in caput aut pedes naſcẽtem dirigat. At qui du-

plicati prodeunt,in peſſimã figuram illapſi ſunt maximè ſi in coxarum vertebras deferantur. Tripliciter autem duplicari ſolent: nam vel capite & cruribus, vel ventre, vel coxarum vertebris,oſculo vteri incumbunt. verùm præſtat ventrem incumbere.eo enim à nobis diſſecto,& interaneis exemptis,conſidente corpuſculo,facilis eſt figuræ tranſmutatio.Difficilis itẽ fit partus, ſi ſecũda aut propter craſſitudinẽ non abrũpitur,aut propter tenuitatẽ antequã oportet diuellitur.Porrò ab externis cauſis pariendi difficultas oboritur,velut ſi anni tempus frigidum & hyemale meatus conſtrinxerit,aut calidum & æſtiuum exoluerit.Hæc omnia de muliere ægrè pariente medicum percũctari ex obſtetrice oportet,nec temere ad chirurgiã progredi. neq; verò obſtetrici permittẽdũ eſt vt vterũ diuti⁹ dilaniet.ſi ergo ob lũborũ cauitatẽ pariẽdi difficultas cõtigerit, puerpera in ſella, prona flexis genibus collocetur, vt vulua delabens ceruicẽ rectà extendat. eodẽ modo ſiſtantur etiã pingues ac carnoſæ. Si verò propter aliquam anguſtiam,aut ſtuporem,aut coarctationẽ, opẽ ferre oportet laxationi per inſeſſus calidos, & ſuffitiones, ita vt etiã aer domus calefiat, & per infuſiones oleorum tum actu tum potentia calidorum, itémque per illitiones ac cataplaſmata eiuſdem generis. Adhibenda quoque ſunt laxamenta à balneis, ſi non febris aut aliud quid prohibuerit,& ex geſtatione lecticæ in loco calidiore. quidam etiam concuſſiones fortes in his adhibuerunt. At verò eã quæ ob exolutionem imbecilla eſt ad partum, corroborare oportet condenſantibus ac maximè conſtringentibus, & firmitatem inducẽtibus: qualia ſunt reſperſiones ac inſeſſiones ex myrto aut pampinis vitis,aut malis Punicis, aut roſis. & odoramenta cum aceto, & vnguenta ex vino & oleo roſaceo frigidis. Si verò propter figurã præter naturã ipſius fœtus, partus difficultas adeſt, ad naturalẽ ſitũ reducẽdus eſt quãtum eius fieri poteſt. & ſi pedẽ aut manũ protruſit,ne attrahatur per membrũ:magis enim impingitur, aut luxatur,aut etiam abrumpitur. Verùm per digitos humero aut coxæ fœtus admotos, promiſſa pars ad conuenientem locum introducatur. Si verò vnà cum coarctatione,totius fœtus figura mala fuerit, prius ab oſculo vteri in ſublime eleuetur, & poſtea rurſus ad oſculũ rectà dirigatur, fiántque omnia placidè, leniter, ac citra compreſſionem, oleo aſſiduè locis affuſo: hoc enim ex ſalute tum fœtus tum parientis fuerit,& vterus ita quoque illæſus manet. At ſi vteri oſculum clauſum permanſerit, pinguibus medicamentis emolliatur ac relaxetur. Quòd ſi verò calculus affuerit,eum extra veſicæ collum per catheterem propellemus.& ſi veſica lotio plena fuerit, eodem catheteris inſtrumento lotium educemus. ſi verò inteſtinum rectum excrementis plenum fuerit, per clyſterem eluemus. At ſi ob inflammationem, abſceſſum, vlcus,tumorem laxum,aut duritiam,aut ſimile quiddam mulier parere nequeat,ſingulis pro affectionum ratione ſuccurremus. Si verò ob carnem collo vteri adnatam, aut ob tunicam aliquam innatam ſolidiorem, parturiendi difficultas eueniat,velut in nõ perforatis mulieribus accidit,quicquid impedimẽto fuerit,reſecetur.& ſi ſolidior fuerit membrana fœtum ambiens quàm vt abrumpi poſſit,diſcindatur. Quibus verò humor in tunicis contentus ante debitum tempus effluxit,ita vt loci ſint reſiccati,eis albumina ouorum cum maluæ aut fœnigræci decocto excolato, aut cum ptiſanæ cremore tepido infundantur. At ſi vteri paruitas in cauſa fuerit, loca pinguedine aliqua inungantur, ac foueãtur, & os vteri digitis dilatetur, & fœtus violenter extrahatur. ſi verò non ſucceſſerit,diſſecetur. quod tum maximè faciendum eſt, vbi fœtus fuerit magnus aut mortuus. mortuum autem cognoſcemus,ex eo quòd ad tactum frigidus occurrit, & motu caret. At ſi gemini aut tergemini fuerint, ac collum vteri obſederint,reliqui ad fundum vteri repellantur, & is qui magis paratus videbitur,prius educatur. Si verò ob capitis,aut thoracis,aut ventris magnitudinem,partus difficilis fiat,omnino neceſſarium eſt fœtum ſecare. Porrò tempus collocandi puerperam in ſellam, eſt quum vteri oſculo aperto,digitis occurrerit ac prominuerit id quod prærumpi ſolet.

A De fœtus extractione ac exectione, Philumeni, Cap. XXIII.

MEdicum ante exectionis aggreſſionẽ ſpectare oportet,reſoluta ſitne mulier aut nõ,& an ſeruari poſſit, vel ſit deplorata. & ſeruari quidem potentem aggredietur:deploratam verò relinquet. Quæ igitur lethaliter affectæ ſunt,lethargico ſopore premuntur, & reſolutæ ſunt, ac difficulter reuocari poſſunt & ad maximas inclamationes reuocatæ,debiliter reſpondentes rurſus deferũtur in ſoporem. Quædam etiam per conuulſionem contrahũ- B tur,aut neruis tremulæ fiunt. & pulſus fortiter tumidus: verùm obſcurus ac debilis deprehenditur. at verò ſeruãdæ,nihil tale patiuntur. Mulier itaque ſupina in lecto decumbat capite decliui,eleuatis cruribus, teneatúrque vtrinq; à peritis ac robuſtis mulieribus. Ac primùm duæ aut tres buccellæ panis vino imbutæ offerãtur ad arcẽdũ animi deliquium.& in ipſo opere aſſiduè facies vino reſpergatur. Chirurgus autem difficultatis cauſam per inſtrumentum pudendum diducens conſpicatus,thymúſne ſit, an calloſa eminentia,aut aliquid ex iis quæ retuli- C mus:quicquid id fuerit volſella arreptum ſcalpro amputabit,velut poſtea docebimus. Si verò tunica,vteri os obſtruxerit,eam quoque reſecabit,ſicut inferius de nõ perforatis mulieribus trademus. Si verò pelliculæ fœtũ ambientis ſoliditas obſtiterit, eam volſella extentam cultro aculeato incidemus.& inciſam digitis dilatabimus, & locum idoneum ad fœtus egreſſionem parabimus. At ſi caput fœtus locũ obſtruxerit,in pedes vertatur, atq; ita educatur. Quòd ſi ita impactum fuerit vt nullo modo retrudi poſſit,vncinus attractorius oculo,aut ori aut mẽto in- D figatur,& ita infans extrahatur,hoc modo vt inſtrumentum tractorium in dextra manu teneatur: vncinus verò ipſius digitis occultatus per ſiniſtram manum leniter cointroducatur,& in aliquo ex dictis locis figatur: & deinde alterum inſtrumentum ex altera parte oppoſitum ſimiliter immittatur ac infigatur,vt æqualis & ad neutram partem declinans attractio fiat,eáque tutior,ne fortè vnũ inſtrumentum in attrahendo elabatur, ac fœtum dimittat. Atque ita æqualiter non ſolùm in directum ſed etiam ad obliqua trahatur,& digitus pinguedine aliqua il- E litus,intra vteri os,& impactum corpus immittatur,& circumcirca ducatur. Dimidio autem fœtu extracto, attractorium inſtrumentum ad ſuperiores partes transferatur ac infigatur. At verò ſi caput vel natura vel hydrocephala affectione aquoſa,magis tumidum impactũ fuerit,ſcalpro incidendum eſt,atque ita euacuatum ac contractum extrahendum. Quòd ſi neque ſic prodierit,caluam contũdere oportet,& oſſa digitis eximere:ſi verò oſſa eminuerint,per forcipem dentarium aut oſſarium auferre,ac tũ F demum inſtrumentum attractorium infigere,ac fœtum extrahere. At ſi capite progreſſo, circa thoracem coarctatio fiat, itidem ſcalpro loci circa clauiculas diſſecentur vſque ad vacua,vt humore euacuato,moles thoracis concidat. Si verò minus vẽter inflatus fuerit,mortuo fœtu aut hydropico exiſtente, eadem methodo vtentes ventrem diſſecabimus,ac inteſtina eximemus: ſi verò manus protenſa fuerit,ab humero reſecetur.oportet autẽ linteo obuolutũ vt ne elabatur,aliquãtulũ extrahere,quò ſic humeri articulus exeratur,& tunc diductis pudendi labiis reſe- G ctionẽ facere,& poſtea ſiniſtrã manũ immittere,ac caput dirigere,& ita fœtum educere. idẽ faciendũ eſt etiã vbi ambæ manus fuerint protẽſæ. ſimiliter etiã pedes protẽſos reliquo corpore nõ cõſequẽte,ab inguinibus reſecare oportet. At ſi duplicatus fœtus occurrerit,& dirigi nõ poterit,ſi caput magis expoſitum fuerit,oſſa eius conteremus cute non diſſecta: deinde alicui eius parti attractorium inſtrumentum infigemus,ac attrahemus, & cruribus directis educemus. Sed ſi crura magis expoſita fuerint,coxæ articulum reſecabimus, & ita coxas tranſgrediemur vt caput fiat contritioni facilè paratum. Si verò H duplicatio pertinacior fuerit pedibus magis expoſitis,caput circa coarticulationem ad vertebram amputetur,deinde tranſgreſſo thorace pedes attrahantur. Si verò reliquis partibus ablatis, caput recurrens detineatur, ſiniſtra manus oleo illita in vteri profunditatem immittatur, &

câput requiratur, &per digitos ad vteri os deuoluatur,&
vnum aut duo attractoria inſtrumenta inſigantur. Cæte-
rùm loci ad inſigendum inſtrumẽtum idonei, in capite,
ſunt oculi,aurium meatus, os, menti pars inferna:in tho-
race,axillæ,clauiculæ,præcordia,pectus, vertebrarum ar-
ticuli,iugulum:in cruribus,oſſa pubis,fœmineum puden
dum.At verò ſi oſculum vteri ob inflammationem fuerit
concluſum,nihil violenter agendum eſt, ſed infuſioni-
bus pinguibus largè vtendum, inſeſſionibúſque ac irriga
tionibus & cataplaſmatis, quò inflammatione aliquate-
nus ſedata,& oſculo dilatato,fœtus velut dictum eſt edu-
catur.Vbi verò integram fœtus ſectionem fecerimus,o-
mnes eius partes componantur, diligentérque obſerue-
mus ne aliqua deſit,aut interius clàm nobis relinquatur,
deinde ſecunda protinus educatur.

De ſecundæ eductione, Philumeni,
Cap. XXIIII.

SI ſecunda, quæ etiam loculus appellatur:& ſecũda qui-
dem dicitur,quòd velut ſecundum domicilium ac re-
ceptaculum ſit ab vtero, & velut fœtus indumentum. ſi
ſecunda,inquam, detinetur, interdum vteri os clauſum,
interdum apertum reperitur,& aliquando inflammatum,
aliquando citra inflammationem. & modò vteri fundo
coniuncta ſecũda reperitur,modò ſeiuncta.Si ergo os vul
uæ apertum, & ſecunda ſeiuncta reperitur,circa aliquam
vteri partem inſtar pilæ conuoluta, facillima eſt eductio.
Siniſtram enim manum calidam &pinguefactam in pro
fundum immittere oportet,& arreptam ſecũdam extra-
here. Si verò vteri fundo connexa fuerit,ſimiliter quidẽ
manum immittemus,verùm apprehenſam ſecundam nõ
ſtatim rectà attrahemus, propter prolapſus vuluæ timo-
rem,ſed ſenſim nulla violentia adhibita,primùm in obli
quum placidè ducemus, hac & illac obuertentes: deinde
aliquanto validius attrahemus. ſic enim obedit & à con-
cretione exoluitur.At ſi vteri os clauſum fuerit,perfuſio-
nibus pinguibus vtemur,& per ſiniſtræ manus digitos le-
niter aperire, ac paulatim dilatare conabimur. & ſi non
ſucceſſerit,ſuperiorem ventrem ex cruda ordeacea fari-
na aqua calida ac oleo ſubacta integere oportet,rurſúſque
locos perfundere,pinguiáque fomenta adhibere.& ſi vi-
res non fuerint debiles,etiam ſternutatoriis vtendum eſt
ex caſtoreo ac pipere præparatis,& potionibus menſes ci-
entibus,de quibus poſtea agemus. atque hæc omnia pri-
ma ac ſecunda die facienda ſunt.Suffitibus inſuper vte-
mur per aromata ex olla,qualia ſunt caſia,nardus,iunci o-
dorati flos, artemiſia, iris, ſabina,dictamnum,pulegium,
& huiuſmodi:ita vt olla ſellæ ſupponatur,cui mulier inſi
deat vndique veſtimentis contecta. Poſtea verò tentabi-
mus: & ſi vteri oſculum apertum inuenerimus, manum
immittemus:&,ſicut dictum eſt,ſecundam educere cona
bimur. Si verò neque ſic educta fuerit, perturbari non o-
portet:intra paucos enim dies putrefacta, & in ſaniẽ diſ-
ſoluta excidet. Quandoquidem verò ob graueolentiam
caput replet & obturat, ac ſtomachum ſubuertit, odora-
menta aſſiduè ſuffiantur conuenientia. & ad hunc vſum
probata ſunt,cardamomũ,caricæ,bdellium,ſabina, thus,
ſtyrax, lapis gagates,onyx aromaticus,ladanum. Eiſdem
quoque caſtorei ac pulegii,ſing.drach.I.ex aqua mulſa bi
bẽda detur.Conueniunt etiam leniora menſes ducentia,
artemiſiæ decoctum,& baccarum lauri,cum vino mulſo.
Peſſi etiam ſubditi ad hoc faciunt,myrrha & cyclaminus
vnguento excepta. Facit item ouis & capræ ſecunda, are-
facta,trita,è vino pota,aut cum vnguento ſubdita,aut pro
amuleto geſtata. Alius peſſus. Carnium vuarum paſ-
ſarum,cumini,reſinæ terebinthinæ, ſpumæ nitri, ſingul.
drach.x.excipe melle,ac ſubde.Idem poſſunt & inſeſſio-
nes in artemiſiæ,baccarum lauri, anethi ac chamæmeli
decoctis.

Cura poſt fœtus exectionem. Aſpaſia,
Cap. XXV.

POſtquã ſecunda ſiue ſtatim ab educto fœtu,ſiue poſt-
ea educta fuerit, neque quicquam ſuperuacuum in
vtero relictum,crura componantur vt partes diſtractæ cõ
ueniant.& ſi loci ſatis purgati videbuntur,maluæ aut fœ-
nigræci decocto eluantur, & oleo calido perfundantur.
A eodémque lumbi ac pubes perfundantur, mollíque lana
oleo calido imbuta integantur. & alimenta ſorbilia offe-
rantur,& aquæ potus vitetur. At ſi purgationes non ſuffe-
cerint, inſeſſiones ex fœnigræci, artemiſiæ,althææ, pule
gii decoctis adhibebimus.Pulegii itẽ ac fœnigræci deco
ctum propinabimus. Si verò purgationes nimiùm pro-
ceſſerint, irrigationes moderatè adſtringentes, ac inſeſ
ſiones conſimiles adhibeantur, & venter longa faſcia
vinciatur, & cibi adſtringentes offerantur: ſi verò in-
B flammatio ſuperuenerit, inflammationi ſuccurrendum
eſt.& ſi copioſa ſanguinis eruptio,etiam ipſi medendum
eſt cum iis quæ poſtea referemus. ſi nihil horum ac-
ciderit,vteri collum ac oſculum,& pudendum,pinguitu-
dine aliqua inungantur ac foueantur.

Cauſæ ſterilitatis,itémque curatio in viro ac mulie-
re: notæ item conceptionis, Cap.XXVI.

STerilitas,aut viri,aut mulieris,aut vtriuſque ratione cõ
tingit.& ex viro quidem eſt,quum ſemen eius vel fer-
uidum & velut torrefactum,vel frigidum,tenue,aquoſum
C languidúmque fuerit,quale eſt decrepitorum:vel craſſius
quàm oportet emittitur.aut quũ viri ſemiſpadones ſunt,
& penem breuiſſimum habent, vt ſemen in vuluæ pro-
funditatem eiaculari non poſſint. quod etiam aliquando
ob nimiam obeſitatem contingit:tales enim præ nimia
aqualiculi mole,ſemen ad vteri receſſus non eiaculantur.
At verò mulier non concipit,ſi vterũ habet vel calidũ
& igneũ,vel frigidum & humidum, vel ſqualidũ ac ſic-
cum, vel carnoſum & pinguem, vel excarnem ac graci-
lem,aut debilem,aut anguſtum, aut breuem. aut quòd
D vaſa eius clauſa ſunt & obſtructa,aut per cicatricem indu-
ctam excæcata.aut quòd membranæ oſculum vteri obtu
rantes,nullum foramen relinquunt.aut quòd vteri ceruix
obliqua eſt. aut quòd oſculum nimis anguſtum vel am-
plum. aut quòd alia aliqua affectio ex inferius recenſen-
dis vuluam impedit.Sed & inuiti coitus inanes ac ſteriles
ſunt. amor enim genituram conciliat,& propterea fœmi
næ amẽtes crebrò pariunt. Ætas etiam vel iunior vel pro-
uectior,conceptionem impedit:quapropter primùm pu-
beſcentes à venere prohibendæ ſunt, ita vt vir quidẽ tri-
E geſimum annum, mulier verò decimumoctauum attin-
gat.maximè verò inepta mulieris forma,ſterilitatis occa
ſio eſt.fœcunda enim mulier habere debet proceritatem
corporis moderatam, lumbos & ſuperiorem ventrem la-
tos,nates eminentes,pectus anguſtum, mammas amplas.
tales enim mulieres,fœcundæ:his autem oppoſitæ, ſteri-
liores ſunt.Poteſt & præter enumeratas cauſas,aliqua ma-
gis recondita eſſe. verùm tot ferme ſunt quæ noſcuntur.
Viri itaque qui ob deprauatam victus rationem ſemen
corrumpunt,ad magis compoſitum & ſalubriorem victũ
F conuerſi, ſeminis fœcunditatem acquirunt. At qui alie-
nis fœminis delectati,propriis vxoribus non conueniũt,
ſeruata temperantia generabunt. Qui verò ſeminis proflu
uio laborant,curati fœcundi fiunt. At qui geniturę mea-
tus occæcatos habent,velut quidam quibus calculi execti
ſunt,eos pro deploratis habebimus. Sed neque ſemiſpa-
dones ac nimis anguſtis meatibus præditi, ſemen excer-
nũt. At verò vbi vir & mulier bene ſe habent,neque æ-
tas,neque corporis habit9,neque aliqua vteri affectio ob-
ſtat, tali victus ratione vtemur, vt neque nimio labore,tũ
G virum,tum mulierem defatigemus, neque prorſus otio-
ſos eſſe ſinamus. hoc enim ſuperfluitatibus corpus replet:
illud ſanguinem ſiccat,& purgationes conſumit. Balneis
vtantur neque aſſiduis, neque copioſis. Cibos ac potus
concoctu faciles,& quos venter ſuperare poteſt, ſumant.
Hoc verò velut maximum negligendum non eſt, vt nec
vir nec mulier pinguem habitum acquirant. Tales enim
inepti ſunt ad pueros gignendos: nam neque pudenda
inter ſe adaptare poſſunt,& viri parum ſeminis emittunt,
& mulieribus menſes pauci feruntur,quum maxima ali-
menti pars in pinguedinem tranſeat. cæterùm quomo-
H do pingues ſe gerere debeant, Sermone quarto de carniũ
ſubuerſione diximus.Conuenit & cibos ac potus venerẽ
ſtimulantes ac ſemen generãtes aſſumere:atque tales ſunt
qui calfaciunt & inflant. Vinum igitur aquæ præferen-
dum eſt.& ex oleribus prodeſt horminum, eruca, & irio,

ac ſimilia. A ruta verò menthâque ac calamintha penitus abſtinendum eſt: mentha enim ſemen quidem multum, ſed debile ac languidum gignit: ruta verò corrumpit. Illud autem obſeruandum eſt, lunari purgatione appetēte, opportuniſſimum concipiendi tempus eſſe. Tunc ergo mulieri ex vberiore alimento aliquid detrahendum eſt, & cibus moderatus, attenuans, ac boni ſucci exhibendus. Omnibus tamen alimentis admiſcenda ſunt quæ purgationes irritare poſſunt, velut ſunt olera odorata & acria, ſcandix, crethmon, fœniculum, gingidium, apium, ſmyrnium, aſparagus paluſtris, & ſimilia: ſpes eſt enim probè purgatam priuſquam vterus refrigeretur, concepturam eſſe. Quòd ſi à cōcubitu conceptionis notæ apparuerint, ſpes rata erit. Conceptionis notæ ſunt, ſi vteri os clauditur ac ſiccum eſt, & à pudendo recedit: imò peritiores fœminæ poſt ſemen immiſſum, vterum moueri percipiunt: mouetur enim ad geniture complexum. Quibuſdā præcordia exiliunt: aliis oris ventris dolor ac exolutio cum voluptate quadam accidit. Eſt & hoc non exiguum indicium, ſi mulier vrinæ ſtillicidio vexatur, quod præcipuè patiuntur quæ primùm concipiunt, & quæ menſtruas purgationes integrè non exegerunt. quanquam idem etiam aliis vſque ad ſeptimum diem aliquatenus accidit. Poſt ſeptimum autem, obſcura quædam picæ ſigna oboriuntur, acidorum ac ſalſorum deſiderium, vertigines, pallor, ſomni longiores. eodem etiam tempore menſes citra moleſtiam detinentur. Mas autem vehementius ac velocius in dextera parte magis mouetur: fœmella debilius & tardius, atque in ſiniſtra. Atque hactenus de præſeruatione dictum ſit. Nunc quomodo ſingulæ affectiones conceptionem impedientes curandæ ſint, dicetur.

Frigidioris vteri ſigna, ac curatio, Cap. XXVII.

SI mulier ob vteri frigiditatem non cōcipit, exercitiis omnique fomentorum genere caloremreuocet: neque incommodum fuerit, caſtoreum, cuminum, aniſum, pulegium, & alia huiuſmodi bibere, & ſingulis piper admiſcere. Vtilius tamen hoc medicamento purgabitur: Epithymi, euphorbii, piperis, dauci, petroſelini, ſingulorum æquales portiones bibat: ſit autem totū, drach. II. Hoc & aluum ducit, & vuluam calefacit, vt multis prius non purgatis hinc menſes eruperint. Quòd ſi purgatio per inferna non ſuffecerit, vomitus quoque prouocetur origani aut thymi decocto ante & poſt cibum, omni ſtudio adhibito vt pituita euacuetur. à vomitu verò caſtoreum & prædicta ſemina bibat. Vteri verò fomenta fiunt per ſuffitus & vapores, arundine ollæ operculo perforato inſerta, ita vt vapor intra pudendum excipiatur. fiunt etiam per affuſiones aquæ calidæ, in qua decocta eſt artemiſia, ſaluia, rutā, cuminum, pulegium, cyperus, acorum. poſſūt & hæc ſingula pectini imponi cataplaſmatis modo. confert & polyarchium epithema, & quod Amythaoni inſcribitur, & reliqua huiuſmodi. Pecten item ac coxæ irino & amaracino ac cyprino oleo perfricentur. Et peſſus ex myrrha, ruta, galbano, & caſtoreo paratus, vuluæ ſubdatur. Poſſunt etiam aliquando validiora admiſceri, velut eſt piper, ſal, fel bubulum. validum eſt elaterium, ſed minimè moleſtum. Fiant quoque ex aqua mulſa, aut marina per ſe, vel aceto admixto fomenta. Prædicta tamen medicamenta molli lana excepta adhibeantur, vt ne corpus mordeant, & exulcerationem faciant. neque difficile eſt ipſorum quantitatem metiri: pro affectionum enim magnitudine ac diuturnitate, medicamenta ſunt augenda aut minuenda. mora item longioris aut breuioris temporis trahenda in ipſorum vſu. Cæterùm vterorum frigiditatem ex mēſibus ſuppreſſis coniectamus: neque enim præ nimia craſſitudine commodè deferuntur. Sed & ſtupidus ſenſus circa pectinem, lumbos, ac crura percipitur. aliquæ etiam penitus crurum impotentes ſunt. Quòd ſi prorſus perfrigeratæ fuerint, ne venerem quidem appetunt, & vteri oſculum contractum habent. Atque hæc de vteri frigiditate ſufficiunt.

Calidioris vteri ſigna, & curatio, Cap. XXVIII.

VTerorum caliditas ex reliqui corporis caliditate cōiectatur, & ex menſium paucitate cum dolore pro- A deuntium, ita vt pudenda mulieris exulcerent. Sed & quæ prodeunt nigriora ſunt, & ob nimiam puncturā nullum ordinem ſeruant. Sequitur etiam ad hanc temperaturam inſignis ſalacitas, & totius corporis ſiccitas. His itaq; conueniunt humectantia ac frigefacientia: qualia ſunt ex oleribus quidem lactucæ, maluæ, blitum, cucumis, cucurbita, pepo, atriplex, & portulaca. item alii conſimiles cibi. Vinum verò tenue ſit, & album, ac aquoſius. Somnus autem longior. & aquarum dulcium balnea. Ad veſicam verò, & ſummum ventrem ac lumbos, frigefacientia adhi- B bēda ſunt, velut eſt ſolani aut vmbilici Veneris ſuccus roſaceo admixto lana exceptus. idem & in pudendum commodè ſubditur. Mercurialis item lumbis ac pectini impoſita, vtero calidiori prodeſt. Spuma quoque argenti & ceruſſa cum aqua trita. Horum autem omnium quātitatem rectè metieris, ſi ſemper ſingula multùm poſſe arbitratus, perfrigerationis exceſſum caueris.

Humidioris vteri curatio, Cap. XXIX.

C QVÆ ob vteri humiditatem non concipiunt, eas ſicciore diæta vti conuenit, multúmque exerceri ac fricari, & euacuationis ac auerſionis gratia, aliquādo poſt cibum, aliquando ieiunas vomere, & moderato cibi vſu reficcari, & carnes aſſatas potius vigentium ætate animalium, ac piſces duriores comedere, & vinum potens meracum quidem, ſed parcius bibere. Sicca etiam fomenta crebrò, balnea verò rarò adhibenda ſunt. Cæterùm qui ſtatim à principio reficcantia ac adſtringentia vtero adhibent, non parum lædunt: cohibita enim materia, ad principales partes decurrit. verùm vbi totum corpus pur- D gatum fuerit, tutius deinde vtero adſtringentia corroborantia adhibentur: quale eſt lentiſci decoctum, & myrti, ac roſarum, & rubi tenerorum virgultorum, & polygoni fœminæ decoctum: mas enim gramini magis ſimilis eſt, flore puniceo, foliis rutæ ſimilibus, ſemine intra folia puſillo. Poterit tamen etiam huius decoctum ieiunæ commodè in potum dari. Ad nimiam quoque vteri humiditatem, huiuſmodi potiones conueniunt: Myrti baccas, aut malicorium Punici dulcis, cum vino terito ac exhibeto. aut auellanas nuces vſtas cum vino tritas propinato. Hoc E autem epithemate vtendum eſt: Pſyllium tuſum, & palmularum carne cum aqua mulſa trita exceptum apponito. aut mala cotonea ſimiliter palmulis excepta adhibeto.

Siccioris vteri curatio, Cap. XXX.

MVlieri quæ ob vteri ſiccitatem non concipit, humidiora alimēta exhibenda ſunt, & reliqua victus ratio humidior conſtituenda: toto enim corpore humectato, vterus quoque eadem qualitate participabit.

Diuerſarum affectionum ob quas mulieres non F concipiunt, curatio, Cap. XXXI.

SI propter humorum craſſitudinem mulier non concipit, humorem conſiderare oportet, & mordentem ſero lactis purgare, heminis quinque paulatim exhibitis, cibos item boni ſucci offerre, & vomitum per interualla ciere. Pituitoſos autem & aquoſos humores, laboribus & exudationibus ac vomitibus crebris euacuare oportet. Quandoquidem verò etiam flatus in vtero exiſtentes, conceptionem impediunt, & flatus ab imperfecta concoctione fiunt, primùm quidem parcior cibus exhiben- G dus eſt, deinde danda quæ flatus expellunt, velut eſt ruta, cuminum, anethum, ac reliqua familiaria ſemina, & pleraque aromata: quæ etiam ſubdi poſſunt, præſertim ruta cum melle ac modico nitro: poſſunt ex iiſdem etiam fomenta parari. & cataplaſmata ac cerata, ad pubem imponenda. A leguminibus autem & eduliis dulcibus ac flatuoſis omnibus, abſtinendum eſt. Si verò concluſi fuerint vteri, odoratis perfuſionibꝰ, & mollitoriis ex adipe anſerino paratis aperiendi ſunt. A mollioribus tamē inſeſſionibus ac perfuſionibus incipiendum eſt, ex malua, ſemi- H ne lini, ac fœnogræco, & oleo, & aliquando melle paratis, deinde ad validiora tranſeundum, artemiſiam, conyzam, calaminthum, pulegium, amaracum & chamæmelum. Atque his adiiciendum eſt irinum ac cyprinum oleum, ac mel: myrrha verò troglodytica, terebinthina, nitrum,

caſia, caricarum carnes, vnguentum amaracinum,& huiuſmodi ſubdantur. At vero iis quæ ob vteri os nimiùm hians non concipiunt, conueniunt victus, & fomenta, ac medicamenta ſicciora ac adſtringentia. Talia ſunt gallarum decoctum, cytini, lentiſcus, rubi radix, myrtus,& eiuſmodi. Vteros verò diſtortos mollientibus fomentis dirigere ac corrigere oportet, (fomēta enim ad hoc maximè faciunt) & peſſos mollitorios ſubdere. quin & ſpecillo & digito correctio eorum facienda eſt. Maximè verò pulegii & artemiſiæ decoctum, & caſtoreum è poſca potum, vtero diſtorto conferunt. & tota curatio ad vteri declinationem poſtea referēda. At ſi per aliquorum pharmacorum adhibitionem, quæ conceptionem prohibent, mulier non concipiat, eius pharmaci facultas conſideretur, nunquid humoris attractione ſemen eluerit, aut flatuum multitudine idem eiecerit, aut per adſtrictionem os vteri obturauerit, ac ſeminis acceſſum interceperit. Et deinde ſingulis affectionibus ſuccurratur, perfuſionibus ac inſeſſionibus cōgruis. hæ verò maximè vtiles fuerint, ſi oſculum & acetabula vteri fuerint adſtricta. Pinguia etiam cuncta ac fomenta adhibenda ſunt,& quæ humiditates attrahere poſſunt. Cæterùm medicamenta ſterilitatem inducentia, quum vaſa vteri excæcent, incurabilem plerunque affectionem faciunt. & tamen non ſtatim omnes vires adimunt: quædam enim potiones cæcitatem curabilem inducunt, cui ſi protinus ſubuenias, mederi poſſis. Quemadmodum enim lethalia venena vomitu, aut clyſtere, aut medicamento congruo exoluuntur, temporis verò progreſſu nullo modo corrigi poſſunt: ſic & quæ validam ſterilitatem inducunt, aliquando depellere datur, ſi ſtatim opē feras: ſi verò diutius perſeuerauerint, incurabilia euadunt. Porrò vlcera & inflammationes vteri quomodo curare oporteat: item carnis excreſcentias, thymóſque ac tunicas auferre, ſingula ſuis locis ex ordine dicentur. ſuperuacuum eſt enim eadem ſæpe dicere. At verò ſi nulla re infeſta, nec in vtero, nec in reliquo corpore apparente, incertum fuerit cur mulier non concipiat, aſinino lacte ipſam purgabimus, cibiſque boni ſucci alemus,& fomentis ſuffitionibúſque odoratis,& peſſis ſubditis, vteri os aperientibus, & ſanguinem attrahentibus vtemur, venerémque per duos aut tres menſes prohibebimus.

Potiones, peſſi, & ſuffitus ad conceptionem,
Cap. XXXII.

MErcurialis cum caſtoreo, item abſinthium, tribus aut quatuor diebus conſueto menſium tempore in potu exhibeto. Eſt & hæc potio ad conceptum efficax: Salis ammoniaci drach. duas, ſaluiæ, cumini, ſing. drach. vnam, omnia ſimul per triduum menſtruis deſinentibus cum vino præbeto. Alia. Nigellæ, ſalis ammoniaci, ſing. drach. vnā, cyperi drach. ſex, ſimul terito, & in quatuor partes diuidito, & vnam ſingulis diebus cum vino bibendam dato, menſtruis deſinentibus, & poſtea cum viro congrediatur. Sed & virum ſtrenuam operam nauare oportet, interimque à venere abſtinuiſſe, & boni ſucci cibis nutritum eſſe. Peſſi verò ſubſcripti conueniunt, præſertim ſi ex humorum mucoſitate infœcūdæ fuerint, poteriſque ex his congruum ſingulis affectionibus medicamentum eligere. Peſſus Aſclepiadæ, vtero purgando idoneus: Cyperi, nitri, aluminis ſciſſi, myrrhæ, thuris, croci, ſpumæ nitri, mellis, æquales portiones cum modico pipere tritas melle excipe, & peſſum inde tenui linteo aut lana pura inuolutum ac roſaceo imbutum, mulieri prius elotæ ſubde. Vtere etiam elotione purgatoria admiranda, ſuprà ad bimeſtrem aut trimeſtrem fœtum abortientes deſcripta, ex colocynthide & oleo irino. Alius peſſus purgatorius: Succi cyclamini, medullæ colocynthidis, nitri rubri, mercurialis, ſing. drachmas quatuor, myrrhæ drach. duas. omnia ſeminis lini decocto excipe, & vtere poſt menſes purgatos velut dictum eſt. Alius: Medullæ colocynthidis, myrrhæ, nitri, cumini Æthiopici, ſing. vnciam vnam, excipe carne caricarum, & vtere poſt menſtruam purgationem. Alius: Aniſi, cardamomi, nitri, ariſtolochiæ, pulegii, fœnigræci, carnis caricarum pinguium, ſing. drachmas duas, arida terito & cri-

A brato. carnes autem caricarum paſſo ſubigito, eiſque arida excipito,& in cornea pyxide ſeruato. Deinde vſu expetente columbini oui magnitudine accipito,& irino oleo madefactum ad vteri oſculum ſubdito. huiuſmodi peſſi mucoſos humores educunt. Sufficiente verò purgatione facta, inſeſſiones adhibeantur. At verò quoniam non ea ſolùm quæ vterum purgant conceptioni conferunt, ſed alia etiam medicamenta ad parandam fœcunditatem deſcripta ſunt, ea itidem iuxta veterum traditionē ſubiungemus. Peſſus ad conceptionem idoneus: Coagu-
B li leporis partes duas, aluminis ſciſſi partem vnam. melle excipito,& peſſum formato, ac vtitor vbi prius vterus per prædicta fuerit purgatus. Alius. Seminis ſatyrii, mellis, ſing. ſeſcuncem: in peſſum efformato. aut veſicam fellis dorcadis aut hirci euacuato,& ex viſcoſo intus reperto peſſum formato, & paululum ante congreſſum ſubdito, aut penem ex eo illinito. aut purpuram veram hircino felle imbutam, mulieris vmbilico per ſeptem dies imponito,& deinde creſcente luna viro congrediatur. Alius. Dorcadis, hœdi, leporis coagulum,& fel, cum ſanguine &
C adipe agnino,& medulla ceruina, poſt purgationē ſubdito. nardini etiam ac roſacei olei aliquid addito. Alius, quo Aſclepiades in nobilibus fœminis vtebatur: Myrrhæ drachm. quatuor, iridis, ſtercoris leporis, ſingul. drach. duas, cum aqua in collyria efformato ac ſubdito menſibus deſinentibus. & poſtea cum viro miſceatur. Alius. Aluminis ſciſſi, rhois rubri, ſing. drachmas duas, myrrhæ drach. vnam, croci obolos duos, terito ac melle excipito. Vſu autem poſtulante, medicamenti gallæ paruæ quantitatem accipito, & hoc molli lana exceptum ac
D roſaceo imbutum, poſt mēſium declinationem ſubdito, & per triduum ſinito donec purgatio fuerit peracta. Tertia verò die mulier lauet,& locis roſaceo illitis cum viro concumbat. Aliud. Leonis, aut vrſi, aut hyænæ, aut taurini fellis veſicam euacuato, & in ipſam olei roſacei, nardini, irini, mellis, æquales portiones indito, omniáque ſimul ad calidum cinerem vnita ſeruato, ac vtitor poſt menſium purgationem ante concubitum. Alius. Fel piſcis per ſe vel cum melle ſubdatur. Aut verbenacæ rectæ ſuccus cum butyro, deſinēte lunari purgatione, ſuppo-
E natur. Alius leniſſimus: Radicis althææ purgatæ ac lotæ quadrantem contundito, & in olei ſextario torreto. deinde abiectis radicibus, adipis coturnicis ſeſcuncem, ceræ ſextantem admiſceto. ego verò trientem ceræ admiſceo,& ſimiliter in peſſo ſubdo. Amuletum naturale. Oſſa quæ in corde cerui reperiuntur, ſiniſtro brachio adalligata, arcana quadā naturæ vi conceptionem iuuare creduntur. Suffumigium ad conceptionem efficax. Bitumen, pilos leporis, rutam aridam ſimul terito, & cum cera præmollita in paſtillos formato,& ſuper ſter-
F core bubulo ſuffito. Aliud obſtetricis. Sandaracham tritam cum cupreſſi ramentis, ſufficienti cera in paſtillos cogito, eóſque ſuper bubulo ſtercore ſtatim poſt mēſium purgationem quatuor diebus ſuffito. Aliud eiuſdem. Caprini cornu ramenta oleo conſperſa peractis menſibus ſuffito,& locis adhuc calentibus mulier cum viro congrediatur. Ad mares generandos. Si vir dextro pede faſcia cādida vincto cum muliere coeat, marem (vt ferūt) generabit: ſi verò ſiniſtrum pedem colorata faſcia ligarit, fœmellam. Tradunt etiam ſatyrii ac ſerapiadis radicē
G ſolidiorem, ſalaces facere,& maſculis generādis prodeſſe: flaccidiorem verò contrarium efficere.

De lactis defectu, Cap. XXXIII.

HÆC affectio infantibus magis quàm mulieribus grauis eſt. Quapropter Sermone quarto vbi de pueris tractauimus, conuenientem curationem tradidimus. facit autem naturaliter lapis galactites pro amuleto adalligatus,& aqua diſſolutus ac potatus.

Ne lac in mammis coeat in grumos,
H Cap. XXXIIII.

VT ne lac in mammis puerperarum in grumos coeat, ab adultis ac peritis mulieribus leniter exugatur, & mammæ cyprino oleo, cum ouo & croco illinantur. Aut fœnigræci ſuccum, aut cumini decoctum cum modico croco oblinito. Aliud. Ceræ vnciam vnam, portula-

cæ ſeſquiunciā, cum oleo ſeſamino illine, ac vtere velut probato. Lac etiam inſtar caſei coagulari in mammis prohibet cera alba in pilulas redacta, & quotidie magnitudine trium erui granorum exhibita. Cæterùm Soranus mammas aſſiduè dolentes, neque à mulieribus, neque ab infantibus exugi oportere affirmat, & ſuctione plus materiæ attrahi aſſerit. Probè etiam facit terra Cimolia cum aceto aut aqua, & oleo roſaceo impoſita. & candidi marmoris aut candidorum lapidum ramenta ſimiliter adhibita. At ſi amplior fuerit plenitudo, & ob id mulier grauetur ac doleat, lentes áqua marina aut muria coquito, & cum decocto quidem mammas abluito, ipſas autem lentes contuſas imponito. confert item apium & mentham, & fel, bubulum præſertim, illinere aut imponere. Aliud. Fucum tinctorium terito, & cerato excipito, & adhibeto, ac ſingulis diebus bis permutato. ſit autem fuci triens, ceræ quadrans, olei myrtei dextans. Aliud. Pollinis thuris drach. decem, ceræ dextantem, pumicis vnc. viginti, olei roſacei vnc. viginti. vtere eodem modo. Aliud. Lapidis aſii, ceræ, ſing. ſextantem, olei roſacei aut cicini beſſem, præpara, ac vtere bis in die permutādo. lac enim abolet, & inflammationes ſedat. Quòd ſi aſiûs lapis defuerit, pyrites ſuccedat pro ipſo. Præſtat & aqua marina, aut muria aſſiduè fouere.

De coagulato in mammis lacte, & iiſdem turgentibus ob lactis redundantiam,

Cap. XXXV.

AD hæc vitia in principio leniter reprimentibus vtendum eſt, velut eſt ſpongia pura poſca imbuta, & palmulæ cum pane & poſca tritæ: deinde vincire ac moderatè conſtringere oportet. Quòd ſi lac reſtinguere malueris, alumen & pſyllium cum aceto & coriandri ſucco: aut lapidem pyriten cum roſaceo & aceto adhibeto. Ad coagulationem verò lactis priuatim furfures in aceto coctos cum rutæ decocto imponito, quum primùm lac gignere incipiunt. Idem facit mentha polentæ admixta, & iuglās cum ruta ac melle: & ricini folia trita, & cuminum priuatim, vel cum polenta, & capita papaueris cocta cum melle: & crocus cum lacte: & muriæ fomentum: & apium viride impoſitum, quod etiam grumos lactis diſſoluit. Vtendum & ceratis ad grumos deſcriptis.

De vitiato lacte mammas lædente,

Cap. XXXVI.

LAC vitiatum aliquando mammarum vaſa exulcerat. Quemadmodum itaque in reliquis partibus vitiati humores peculiares deſtillationes efficiunt: ſalſa enim lacryma oculum mordet, & acres excrementitiæ ſuperfluitates inteſtina erodunt: ita & lac in mammis vitiatum, ſcabiem, panos & papularum eruptiones producit: vlcera ergo hic enata, ſimili modo iiſdémque remediis quibus cætera totius corporis vlcera curantur. Ipſi tamen lactis vitiationi primùm ſuccurrendum eſt. Cuius improbos colores, ſubalbidum, nigricantem, flauum, ſubfuluum, aut viridem, hac arte deprehendemus: Tenuia ac candidiſſima linteorum fruſta eo lacte imbuta in vmbra ſiccabimus, & in his poſtea quātum lac à natiuo colore diſceſſit ſpeculabimur. At verò viroſúmne ſit, aut aliâs fœtidū, ex olfactu cognoſcemus, ſicut ſalſedinem, amaritudinem, acorem, inſipiditatem, guſtu dignoſcimus: tenuitatem verò ac craſſitiem, lubricitatem item ac lentorem, ex vngue probabimus. ſi enim gutta eius vngui inſtillata non decurret, nec velut mel aut gluten adhærebit, lac bonum eſſe iudicamus. Aliqui pilo probitatem lactis experiūtur. nam ſi pilus lacte madēs ſuſpendatur, & lac delabitur, aut vni parti guttula adhæret, lac reprobandum eſt: ſi verò totum pilum circumſidet, optimum eſſe confitentur. Alii lac per coagulum concretum digitis exprimunt: deinde ſeri ac caſei menſuras expendunt. Poſtquā igitur cuiuſq; lactis vitium cognouerimus, recta victus ratione id corrigemus, purgationéſque prorſus recuſabimus, præſertim ſi nutrices ſemper eo vitio laborare nouerimus, quandiu lactauerint. Priuatim itaque eas quæ ſalſo humore abundant, balneis & vini diluti potione curamus. Deinde copiam lactis vino mulſo & aceto mulſo reuocamus, & in cibo exhibemus lac ex aliis animalibus probatiſſimum,

A quod forma & ſimilitudine humani lactis ſpeciem refert. Eſt autem omnino rectæ diætæ eo amplius innitendum, quòd ſcimus hoc vitium ſolo alimento bono non difficulter curari poſſe. Neque negligenda eſt hæc curandi ratio. ſæpe enim infantes eiuſmodi lacte corrupti ad vltimam perniciem deueniunt. Ad panos & ſcabiem mammarum, myrrham cum oleo ſampſuchino tritam velut maximum remedium illinito. Ad coercendas autē virginum ac reliquarum mammas, ærugin m ferri cum oleo omphacino aut vino ſubactam adhibeto. aut cicu-
B tæ ſemen cum foliis tritum illinito.

Ad mammas inflammatas, Philumeni,

Cap. XXXVII.

SEſamum tritum butyro admixto moderatè tepefactū quotidie bis imponito. At ſi inflāmatio perſeuerauerit, medullæ panis aqua madefactæ ac tritæ partes duas, perdicii herbæ ſeorſim tuſæ partem vnam, cerati liquidi partem vnam & dimidiam ſimul ſubigito, & bis in die adhibeto. Idem etiam poſt eruptionem abſceſſus vſque ad perfectam ſanitatem conuenit. Vtere etiam hoc velut
C probatiſſimo: Foliorum hyoſcyami recentium, ceræ, colophoniæ, adipis porcini recētis, olei, æquales portiones. liquabilia liquefacito, & foliis tritis admiſceto. Pharmacum Iuniadæ, ad omnes inflammationes, præſertim mammarum: Olei antiqui libras tres, ceræ quadrantem, colophoniæ, adipis ſuilli, ſing. ſeſquilibram, ſpumæ argēti lib. I. pollinis tritici, ſeminis lini, ceruſſæ, ſing. ſeſcuncem, thuris ſeſquiunciam. Aliud eiuſdem: Spumæ argenti, ceruſſæ, ſing. drach. ſex, thuris ſeſquiunciam, ceræ, colophoniæ, ſing. ſeſcuncem, adipis gallinacei lib. I. polli-
D nis ordeacei ſeſquiunciam, ſucci ſeminis lini dextantem, olei communis trientem. ſpumam argenti, ceruſſam, & thus cum modico ſucco terito, deinde cum reſiduo ſucco pollinem ordeaceum ſubigito, & ita per duas aut tres horas ſinito: poſtea omnia admiſceto, & cerato excipito. Aliud ad inflammationes plurimûm prurientes, ac rubicundas: Ceruſſæ, ſpumæ argenti, mellis, butyri, ceræ, adipis gallinacei, ſing. ſeſcuncem, thuris ſextantem, roſacei vnc. vnam. ſpumam argenti & ceruſſam cum roſaceo coquito, & reliquo liquefacta adiicito, & vnitis mel addito,
E & ab igne amotis thus admiſceto, ac vtitor. Aliud ad inflāmationes, quo vtor. Tenerorū ſolani foliorū quātū ſatis eſſe videbitur, coquito ac terito, & mellis ſeſcuncem admiſceto. poſtea verò emplaſtri parhygri, ceræ, ſing. ſeſcuncem accipito, olei vnc. I. omniáque ſimul trita reliquis admiſceto, & loco prius eloto apponito. Hoc mammarum inflammationes per exudationes plurimas diſcutit. Vtere & medicamento ex ſeride ad ſedis affectiones præparato, & aliis huiuſmodi. Facit hoc & ad igneas mā marum inflammationes: Ceræ, colophoniæ, olei, ſingul.
F lib. vnam, foliorum papaueris cornuti quadrantem. liquata foliis tritis admiſceto. Tradūt & leporis coagulum cum aqua tritum ac illitum, omnibus tumoribus mammarum & affectionibus ob lactis redundantiam obortis prodeſſe. Ad profundas mammarum duritias. Spondylium herbam, & aſphodeli radices vino coctas imponito: aut terræ inteſtina, cum malis cotoneis: aut cancros fluuiatiles cum ouo adhibeto. hoc & lac extinguit.

Ad induratas māmarum inflāmationes, Philumeni, Cap. XXXVIII.

G SEmen lini, aut fœnigræci, aceto mulſo coctum imponito: aut ſeſamum illotum modicè toſtum cum melle terito, & calidum apponito: aut ſtercus caninum terebinthina exceptum adhibeto. Aliud optimum. Spumæ argenti libras duas, ſtrigmentorum balnei in quo viri ſolùm lauantur libras quatuor, colophoniæ, ceræ, ſing. beſſem, ſquamæ æris ſextantem & ſemunciam, aquæ marinæ aut muriæ lib. I. ſquamam aqua marina ſufficientibus diebus terito, & adiecta argenti ſpuma ac ſtrigmentis, ad probam compagem coquito, deinde ceram & colopho-
H niam liquefactas adiicito, & ablatum ab igne medicamentum frigefacito, manibus ſubigito, ac vtitor. Inter coquendum autem cum arundinis radice verſato donec non amplius inquinat. Facit & ad colliſa, fracta, vlcera antiqua, condylomata, oleo dilutum & adhibitum. Vtere

etiam emplaſtro Dionyſia, ſuperiori Sermone deſcripto, quod habet terebinthinam,mannam thuris,ſpumam nitri,oleum antiquum,ceram,ſingula ponderibus iſtic adſcriptis. nec minus conuenit Piſcatorium.

De mammarum abſceſſu, Cap. XXXIX.

INflammatione & duritia perſeuerantibus,& ad abſceſſum progredientibus,ſpe diſcutiendi ſublata,maturantibus auxiliabimur. Nos tamen mammarum inflammationes iam in pus tranſmutatas, per Dionyſiam emplaſtrum ſuprà relatum frequenter diſcuſſimus: totus enim humor ab ipſo per occultos meatus tranſpirat, & durities euaneſcit. Probè facit & fuluum Piſcatoris, citra acetum paratum,& nigrũ Aſclepiadæ. quæ omnia ſi parum profecerint, chirurgia opus erit. Reliquæ igitur mãmæ partes tutò incidũtur,ſi putrida corpora reperiuntur. verùm locus circa papillã lunari ſectione exactè incidendus eſt, vt per ſectionem quidem abſceſſus profunditas denudetur, ſed papilla conſeruetur, in maribus quidem formæ gratia,in fœminis verò præter formam, vt ne lactandi facultas intercipiatur. Peracta chirurgia linamenta ſectioni indantur,& omni modo obſeruetur ne plaga linamentis nimiùm obturetur: huic enim ſæpe fiſtula inducitur. Poſtea tertia die ſuppurationi ſtudendum eſt,deinde iis quæ repurgare poſſunt, poſtea reſiccantibus ac glutinantibus. Bene autem facit ad hæc emplaſtrum fuluum Piſcatoris, citra acetum paratum: et fuluum Galeni ad maligna vlcera ſuprà præſcriptum. Eſt autem his ſpongia ex vino expreſſa ſuperponenda. Prodeſt etiam Nigrum è lolio præparatum. euacuat enim & glutinat. Magiſtriani ad mammarum abſceſſus. Inteſtina terræ cum polenta terito & imponito.

De mammarum fiſtulis, Leonidæ,
Cap. XL.

ALiquando rupto abſceſſu ſi mamma non fuerit rectè curata,fiſtula cõſequitur: & ſanè fiſtulæ iſtic obortæ plerunque in carnem deſinunt, rariſſimè ad os, niſi diutius durauerint. Has itaque congruis primùm medicamentis curare conabimur,quale eſt quod ex lolio præparatur. Sed & hoc emplaſtrũ peculiariter prodeſt, quod & in mãmarum abſceſſibus atque omni tuberculorum genere,pus per occultos meatus educit, & propè incidendos abſceſſus diſcutit,& foris impoſitum fiſtulas efficaciſſimè deſiccat. papillam tamen ſemper ab eo medicamento adſeruare oportet: Spumæ argenti,olei,ſing. lib. vnam, aquæ ſeſcuncem,ammoniaci thymiamatis,pyrethri,ſingulorum ſeſcuncem,reſinæ pinus trientem, colophoniæ vnciam vnam. ſpumam argenti, oleum, & aquam ſimul ad prunas coquito donec non amplius inquinent. deinde ammoniacum cribratum inſpergito, eóque ſoluto reſinas adiicito, & ablato ab igne pharmaco pyrethrum addito,ſubigito,ac emollito,& imponito, lana ſicca ſuperpoſita,ita vt papillam velut diximus non contingat. At ſi perſeuerauerit fiſtula, nucleo ſpecilli attollatur ac incidatur,quatenus in profũdum ſpecillum fuerit progreſſum: & quicquid duri ac calloſi ineſt amputetur. Et facta inciſione emplaſtrum adhibeatur repurgans,deinde reſiccãs, & ad cicatricem perducens.

De mammarum nomis, Cap. XLI.

NOmæ mammarum perfuſionibus ac cataplaſmatis curãtur ad reliquas nomas deſcriptis. verùm ad muliebrium mammarum ac pudendorum nomas ac putredines,& alia huiuſmodi facit hoc medicamẽtum: Rhois coriarii lib. I. pilularum cupreſſi recentium tantundem, gallæ omphacitidis ſeſquilibram, vini auſteri lib. viginti. Hæc ſolida per triduũ macerato, deinde cum vino ad dimidias coquito, & cupreſſi ramo verſato. poſtea ad horã quieſcere ſinito ac deinde excolato & rurſus ad mellis cõpagem coquito. Atque ita paratum pharmacum in vaſe vitreo ſeruato. vſu verò expetente, ſi exterſione opus fuerit, melli admiſceto: ſi verò vim obducendi meatus augere volueris,lac adiicito.

De exedentibus mammarum vlceribus,
Cap. XLII.

PHagedænicum & exedens vlcus à cancerato differt, eo quòd circumſitas partes non ita duras, neque venas varicoſas habet, neque ita ad fundum perreptat. Sed & omnis phagedæna medicamentis cedit. maligna verò & efferata vlcera, medicamentis magis exacerbantur. Ad exedentia itaque vlcera compendiariam curam adhibere oportet, calloſorum videlicet labiorum exciſionem, ita vt eadem labia ignitis cauteriis inurantur. nam ſic & ſanguinis eruptionem coercebimus, & tutiorem medicationem peragemus. Poſtea verò medicamenta ad mammarum putrefactiones commoda adhibeantur, infrà ad cancros deſcripta.

B De cancris mammarum, Archigenis & Leonidæ,
Cap. XLIII.

CAncerati tumores circa mammas frequentiſſimè generantur,& mulieres magis quàm viros inuadunt, & ex illis eas quæ amplas ac carnoſas mammas habent. Veteres autem vlcus canceratum, malignum ac ferum appellabant, & cancerati ſanè appellatio à cancro animante tranſſumpta eſt. ſunt enim ea animantia aſpera & dura,& ſiquid forcipibus ſuis ceperint, haud facilè auelluntur. His itaque canceratuſ tumor ſimilis eſt. nam & prominet,
C & ad tactum renititur,& difficulter tractabilis eſt. Maleficum autem & ferum vlcus, à feris ac malignis animalibus cognominatur. eſt enim proteruum, & curatione efferatur,& manuum tractatione exacerbatur. Duæ verò ſunt ſupremæ cancrorum differentiæ: quidam enim ſine vlcere,quidam cum vlcere cõſiſtũt. Qui ſine vlcere ſunt, ab omnibus ferme veteribus occulti appellantur. Philoxenus tamen cancrum occultum priuatim nominauit, qui in vtero ac inteſtinis eſſet. Cancro itaque non vlcerato in mãma exiſtente, tumor apparet ingens, ad tactum
D renitens, inæqualis, inſtar feræ ſæuus, penitiſſimè pertinaciter inſertus, radices longè latéque extendens, & venis circumſitus velut illigatus, quas circumcirca varicoſas habet, colore cinericius ad ruborem vergens, & aliquando ſubliuidus,& videntibus quidem mollis apparet: tangentibus autem duriſſimus eſt, vt viſui hac parte non ſit credendum: dolorem autem inducit pungentem latè ſe extendentem, vt ſæpe per conſenſum, glandularum malignas inflammationes ſub alis excitet. Pertingunt etiam dolores vſque ad clauiculam & ſcapulas. At verò exulce-
E ratus cancer aſſiduè erodit, & ad profundum perfodit, nec ſiſti poteſt, & ſaniem emittit omni ferarum veneno deteriorem, copia & odore abominabilem. adſunt & huic dolores pungentes. Atque hic præcipuè medicamẽtis ac manuum tractatione exacerbatur.

Qui cancri curatu faciles,& qui difficiles,
Cap. XLIIII.

CAncros in pectore obortos omnino deploratos eſſe ſcito,quemadmodum & eos qui in capite, collo, humeris, ſub alis,& in inguinibus generantur: ſunt enim &
F hi incurabiles. Nam præterquam quòd perfectè tolli non poſſunt, ſanguinis eruptionis timor incumbit, ne ex ea æger inter manus pereat. Eos verò qui papillæ ſummitatem occupãt, affectæ partis amputatione facilè curaueris.

Cancri chirurgia, Leonidæ, Cap. XLV.

EGO quidem in cancris in pectore obortis chirurgia vti ſoleo, quæ ſic fit: Ægram ſupinam decumbere facio. deinde ſupra cancrum partem mammæ ſanam incido,& inciſam cauteriis inuro donec cruſta inducta ſanguinis eruptio ſiſtatur. Mox iterum incido, & profũdum
G mammæ diſſeco, ac rurſus partes inciſas vro, ſæpéque idem repeto,& ſecans, & ſiſtendi ſanguinis gratia inurẽs. Ita enim ſanguinis eruptionis periculum euitatur: poſt amputationem verò integrè peractam, rurſus partes omnes ad reſiccationem vſque inuro. Et primæ quidem inuſtiones ſiſtendi ſanguinis gratia fiunt: poſtremæ verò ad omnes morbi reliquias abolendas. Sæpè verò etiam citra inuſtionem opus perfeci, vbi induratus tumor cancri generationem minãs in mamma fuit: tali enim affectioni amputatio vſque ad ſanam partem ſufficit, quum
H nullum hic periculum eruptionis ſanguinis immineat.

Cancri curatio poſt amputationem & inuſtionem,
Cap. XLVI.

POſt amputationem ſi inuſtio facta non eſt, linamenta vlceri indemus, deinde ſuppurationi ſtudebimus, &

deinceps ad reliquam curationem reſiccatoriam progrediemur. Si verò poſt chirurgiam locos inuſſerimus, aliquando ſolo cataplaſmate ex plantagine, aut polygono, aut ſeſamo trito vtimur: aliquando etiam panis medullam alicui ex prædictis admiſcemus, & ſupra cataplaſma linteum aqua madefactum adhibemus. Citra dolorem verò cruſtas auſert lac melli admixtum ac illitum. Continendæ autem ſunt ægrotæ in domo calida: omnis enim frigiditas ipſis infeſta eſt, præcipuè quo tempore vlcera repurgantur. tunc enim maximè conuulſionis periculum imminet. Secunda verò aut tertia die exoluto medicamento, tepida aqua locum perfundimus, & lenticulam coctam cum modico melle imponimus, (mellis enim vim exacerbandi formidamus) deinde foliis vitis aut lactucæ foris impoſitis deligamentum adhibemus. Neque ab horũ vſu diſcedimus donec cruſtæ exciderint: poſtea linamenta indimus, atque in his tum acria tum pinguia medicamenta vitamus. vtraque enim malum renouant. Quapropter ſoleo muliebri aut aſinino lacti roſaceũ admiſcere, & ex eo madefacta linamenta indere, & pro linamenti conſeruatione linteum lene ac ſimplex eodem lacte imbutum forinſecus obligare. nam plurium linteorum onus graue eſt in hac affectione. Et ſuppurationis quidem tempore, roſarum amplius ſit: dum verò repurgamus, lac excellere debet. Quòd ſi res vrgeat, melilotũ cum roſaceo, & aqua, aut lacte muliebri cataplaſmati exterius adhibendo admiſceatur. cerata enim & nimis elaborata cataplaſmata, huiuſmodi affectionibus ſunt aduerſa. At ſi arido aliquo opus fuerit, ſpodium pompholygis probè lotum ac ſiccatum, aut cadmiam ter vſtam & roſaceo extinctam, & poſtea probè lotam ac reſiccatam inſpergito. Toto verò curationis tempore à vino & cibis ægrè concoctilibus, & frigidæ potu abſtinendum eſt. At dum vlcus ad cicatricem ducitur, diligenter ſtudebimus vt totius corporis firmus reddatur habitus, & vt bono ſucco impleatur, id quod bonis alimentis, exercitiis, geſtationibus, ac reliquis eiuſmodi corpus reficientibus facere oportet.

Cancrorum curatio citra chirurgiam, Cap. XLVII.

Primùm, velut ſæpe diximus, ante cuiuſque maligni vlceris curationem, totum corpus curare oportet, deinde localia auxilia adhibere. Aluus itaque conuenientibus alimentis, & aloe, vel picra ex aloe præparato pharmaco ſoluatur, & quæ venenis reſiſtunt, aſſiduè exhibeantur, velut eſt theriaca, Mithridaticum antidotum, & quod ex ſanguinibus conſtat. Ex ſimplicioribus autem, anſeris aut anatis recèns iugulatæ ſanguis calidus in potu detur. Aut trifolii bitumen olentis cochleare vnum, aut duo, cum aquæ cyathis tribus: aut ſeminis rutæ vncia vna, aut pulegii veteris drach. I. cum maluæ decocto. Prodeſt etiam cancrorum fluuiatilium decoctum cum lacte aſinino per dies quinque exhibitum, ita vt per totidẽ dies etiam ipſi cancri comedantur: talis enim periodus ſeptено circuitu peracta, mammarum cancros placidiſſimos efficit, vt deinceps per ſimplicium epithematum vſum priſtina ſanitas reſtituatur.

Canceratorum tumorum non vlceratorum curatio, Cap. XLVIII.

Tvmoribus canceratis non vlceratis panem cum modico ſymphyto impoſito, exigua quantitate, vt ne grauet. In exacerbationibus autem roſas, melilotum, ſemẽ papaueris, omnia cum paſſo paululum trita coquito. & cum vitellis ouorum ſubacta imponito: aut althææ folia cocta per ſe, vel pani admixta, imponito. Eſt & hoc in exacerbationibus efficax: Plantaginis, capitum papaueris vnà cum ſeminibus pſyllii, æquales portiones accipito, & reliqua quidem terito ac cribrato. Pſyllium verò paſſo Cretico maceratum, cum palmulis pinguibus ſubactum aridis admiſceto, & parum adipis anſerini adiicito. hoc medicamentum ſecurè adhibetur calefactum. Si verò frigidum potius malum poſtulauerit, omnia prædicta palmularum carne & modico pane madefacto excipito, ac frigida imponito. Prodeſt & irionis ſemen cum œſypo & aqua mulſa calidum impoſitum. Fraxini item arboris folia mollia, aqua cocta, & trita, per ſe calida impoſita, mali-

A gnorum vlcerum dolores mitigant, & aſſiduus ipſorum vſus mirificè ipſa diſcutiet. Ego verò eorũdem foliorum decocto huiuſmodi locos fouere ſoleo. Arbor ipſa ſterilis eſt, & ad materiam idonea. Poſtea verò cataplaſma è plantagine rurſus imponatur. Item Iceſii emplaſtrum, aut Nigrum panacea inſcriptum ad contactum molliſſimum, aut aliud quoddam huiuſmodi adhibeatur, niſi obſtiterit vlcus.

Cancri vlcerati curatio, Cap. XLIX.

B Vlceratis cancris leniſſima epithemata imponantur, quorum velut fundamentum, inquit Archigenes, hoc eſt: Spumæ argenti, adipis porcini recentis, ceræ albæ, ſing. libram vnam, olei boni vncias ſedecim, vitellos ouorum aſſatorum duodecim. Spumam argenti cum poſca terito, deinde olei parum affundito, & vitellos admiſceto: adipem verò exéptis in mortario terito, & cum cera liquefacito ac excolato. & his frigefactis reſiduum olei paulatim affũdito, & omnia ſimul in mortario probè ſubigito, poſtremùmque reliqua trita admiſceto. Hoc medicamentum vſus tempore roſaceo diſſoluito, & mol-

C li lana excepto pro linamento vtitor. Et ſi dolor aberit ab vlcere, etiam iridis, myrrhæ, ariſtolochiæ, ſing. drach. tres adiicito. idem etiam non vlceratis cancris adhibitum vtile comperies. Aliud. Vlceratis cancris blandè hoc medetur, & non vlceratos egregiè mitigat: Ceræ Tyrrhenicæ, terebinthinæ, adipis taurini, medullæ cerui, aut vituli recentis, olei cicini & roſacei recentis, adipis anſerini recentis, mellis optimi, thuris, diphrygis, ſingul. partem vnam, œſypi triplum. ſine thure tamen mitius eſt, & vlceribus commodius: verùm cum thure magis diſcutit, ac

D maturat. & non vlceratis magis commodat. Et ſi abſque thure præparabis, diphryges cum vino teres: ſi cum thure, vtrunque, diphryges videlicet ac thus aridum, liquatis reliquis adiicies, & deinde addito melle ſecurè adhibebis. Aliud, Theodori ad maligna: Spodii cyprii loti & reſiccati, plumbi vſti & loti, ſucci roſarum, ſing. drachmas quatuor, præpara, & vtere cum roſaceo. hoc quidem magis mitigatorium eſt. At verò ſi multa & depaſcẽs putrefactio fuerit, vltrà quàm credas efficax eſt hoc ad totum malum extirpandum: Rhois coriarii ſextarios duode-

E cim, pilularum cupreſſi libram vnam, gallarum omphacitidum, caſiæ, ſing. ſeſcuncem. Omnia ſimul contuſa in vini Adriani, id eſt adſtringentis, odorati & antiqui ſextariis viginti, per triduũ macerato, & deinde ad tertias coquito, ac cupreſſi ſpathula verſato: poſteáque omnibus probè expreſſis ac reiectis, ſuccum rurſus ad mellis compagem coquito, ac vitreo vaſe ſeruato. Hoc medicamento ad nomas ſyncero vtendum eſt, modico vino aliquando addito, ſi craſſius viſum fuerit: verùm ſi affectio in

F muliebri pudendo fuerit, exactè diluendum eſt. Sed & aſinino aut muliebri lacte dilutum mitigatorium eſt, & reliquas item nomas citra inflammationem curat. Aures diu purulentas, gingiuáſque madore flaccidas reſiccat. Vlcera curatu difficilia, & ægrè cicatricem admittentia ſanat, ſi moderatè adhibeatur, ac pro ratione diluatur. quomodo enim ipſi mitia reſtiterint, cui fera & agreſtia cedunt? Cæterùm hoc animaduerſione dignum eſt, vt ne vlcera ad cicatricem perducantur priuſquam omnis duritia fuerit reſoluta, modò linamentis maturantibus, mo-

G dò ſpleniis adhibitis, quale eſt Iceſii melinum, aut Serapionis, aut panacea. Ego verò declinationis tempore vſus ſum theriaca, lacte & roſaceo diluta, & in molli lana vlceri indita. eandem etiam ex paſſo bibendam præbeo. Ad huiuſmodi enim affectiones efficaciſſima eſt, ſicut quoque reliqua antidota ad reptilium ictus & venenoſas potiones parata. His itaque confidenter vtere, ac irriſores contemne qui mali naturam minimè intelligunt.

De mammis induratis, Leonidæ, Cap. L.

H In aliis equidem corporis partibus prius oſtendimus, induratum tumorem ſine dolore eſſe. at in mammis non ex affectionis natura, ſed detractæ papillæ grauitate dolorem inducit. Si itaque tota mamma indurata fuerit, atque ita ſcirrhi tumor induratus thoraci annexus, vt citra periculum à ſanis partibus amputari non poſſit, chir-

urgiam nequaquam attentabimus. ſi verò ſummitas mammæ ſolùm indurata fuerit, aut vltra dimidium affectio non occuparit, ſummitas amputanda eſt citra inuſtionem. neque enim in ſcirrhi tumore indurato, velut in cancro, ſanguinis eruptionem vereri oportet. Poſt amputationem verò linamenta indemus, & reliquam vlcerum curationem adhibebimus.

De menſtrùis ſuppreſſis, Rufi & Aſpaſiæ, Cap. L I.

MVlieres aliquas menſtrua purgatione omnino carere, vel naturale eſt vel præter naturã. Naturale eſt ſi mulier nulla inde moleſtia vel totius corporis, vel vteri afficitur. Proinde quantum ad ætatem attinet, infra decimumquartum annum, aut vltra quinquageſimum purgationes menſtruæ non fiunt. Sed & ſteriles, & prægnantes, cantrices item ac ſaltatrices naturaliter non purgantur. Quicquid enim in eis ſuperfluum eſt, nimia exercitii vehemẽtia conſumit. Et in ſumma, mulieres calidioris temperaturæ, & fortibus exercitiis vtentes, & agreſtes, parum purgantur. Quando igitur mulier plus iuſto calida fuerit, ſiue ob naturalẽ temperaturam, ſiue ob exercitiorum exceſſum, menſtruis purgationibus carebit. Ex multo enim calore corpora ſicca euadunt, & calida temperatura cibos optimè concoquens, nihil ſuperflui in toto corpore relinquit. Eſt autem talis mulier omnino virilis, coloris fuſci, corporis probè cõpacti, neruis robuſtis, venoſa, lumbos & nates ampliores habens, pectore ac humeris latioribus, mammis ſolidis, voce graui, fortior item ac hirſutior. talis enim aut omnino non, aut modicè purgatur. Aliquando verò etiam menſes vel ob nimiam pinguedinem, vel ob gracilitatem ſupprimi ſolent. Pingues enim magis exangues reliquis ſunt, minimáſque venulas habent, & ſanguis qui in ipſis eſt pauciſſimus, ferè in pinguedinem tranſit. Atque huius rei ex eo indicium eſt, quòd tales minimè omnium concipiunt. & ſi aliquando conceperint, fœtus graciles ac valde imbecilles pariunt. Quomodo ergo purgabuntur, quæ neque ſanguinem, neque venas amplas habent? At verò graciliores ob diuturnam aliquam ægritudinem attenuatæ, nihil penitus ſuperflui ſanguinis habent. Siſtuntur præterea menſes eis quibus ſanguis craſſus aut viſcoſus eſt, & quibus ad alios locos defertur, velut per nares aut ſedẽ. Quin & ex thorace ſanguinem reiectantibus, & quibus ex venæ ſectione multus ſanguis euacuatus eſt, menſes ſupprimuntur. Sed & reliqua excretionum genera ſæpe faciunt vt menſes intercipiantur: velut eſt multus ſudor, aſſidui vomitus, alui profluuia, ſaniei copia alicubi prodiẽs, puſtularum omne genus per cutem erumpens. Siſtunt item menſes morbi acuti ac magni, & alimenta vel infra vel ſupra modum ingeſta. modicum enim alimẽtum ſtatim tranſpirat: multum verò meatus obturat, & excretionem intercipit. Ad hos itaque ſcopos etiam curãdi ratio dirigenda eſt. Quæ enim ob plenitudinem non purgantur, venæ ſectione curantur. Cibi porrò craſſi ac pituitoſi purgationibus aduerſantur: verùm acres ſanguinem fluidum efficiunt. Quapropter vina craſſa & noua, aquas frigidas & crudas, labores nimios, otium item ſubleſtum vitare oportet. atque hæc victus ratio ad totum corpus pertinet. Quantũ verò ad ipſum vterum, concluſiones, ceruicis eiuſdem diſtortiones, durities, inflammationes, macies, reſolutiones, perfrigerationes, diſtentiones, atque aliæ huiuſmodi affectiones conſiderandæ ſunt. Et inſuper attendendum an aliquid vteri os obturans, ſanguinis exitum impediat. Calloſitates enim iſtic exortæ, aut carnis excreſcẽtiæ, aut pinguedinis copia, ſæpe purgationem prohibent. Aliquibus etiam ſtatim à principio pellicula quædam circa collum aut oſculum vteri adnaſcitur, quemadmodum iis accidit quæ imperforatæ appellantur. Et tales curari non poſſunt, niſi pellicula illa locum obturans perforetur aut reſecetur. Aliquibus etiam vlcerum cicatrices, oſcula vaſorum in vtero excæcarunt, quæ penitus incurabiles ſunt. Quibuſdam poſt abortum, vteri os exulceratur, ac deinceps ad cicatricem perducitur, atque ſic obturatio ſuperuenit, quæ tum alias vuluæ tranſpirationes impedit, tum ſanguinis excretionem prohibet. Quin & curæ aſſiduæ, & immodicus timor, ac mœror ingens, menſes ſupprimunt.

Mulieribus quæ non purgantur accidentia, Cap. L I I.

MVlieribus quæ non purgantur conſueto more, ſanguinis reiectationis ac ſyderationis periculum imminet. nam ſuppreſſis menſibus, moleſta accidentia conſequuntur: totius corporis grauitas, nauſeæ, faſtidia, horridi quidam diſcurſus, velut in eis quæ conceperunt: non tamen ita ſicut eis quæ conceperunt, vteri oſculum clauditur: illis enim occluſio adeſt cum quadam duritia. Dolores inſuper circa lumbos, femora, collum, ſinciput, & oculorum radices, adſunt. Febres item aſſiduè concomitantur, & vrinæ nigræ ſunt cum rubicundo quodam ſeroſo ac ſanioſo humore. difficultatem item ac ſtillicidiũ vrinæ patiuntur. Et quædam in melancholicum atræ bilis morbum, aut inſaniam delabuntur. Cutis ſuperficiem dolent, & inflammationes ac ignes ſacros diuerſimodè ſuſtinent.

Curatio earum quæ ob nimiam caliditatem non purgantur, Cap. L I I I.

PRæſtaret equidem ad integram ſanitatis cõſeruationem, victus rationem præſcribere, à qua mulieris corpus ita reſiccaretur vt menſtrua purgatione non haberet opus. verùm hoc conceptioni penitus aduerſaretur: non enim concipiunt quæ non purgantur. Proinde cõceptus gratia, & eo quòd omnes ferè mulieres temere victitant, purgationes ſunt neceſſariæ. & propterea curationem conſcribere conuenit, per quam menſes ſuppreſſi euocantur. Calidiores itaque mulieres & quæ plurimùm exercẽtur, quammaximè humectare oportet aquarum dulciũ dulcium balneis, vberiore humidioréque cibo ac potu. quales ſunt ptiſanæ ac alicæ ſorbitiones, & quæ ex lacte præparantur. Et ex oleribus, lactuca, cucurbita, & eiuſmodi. E carnibus, agni, hœdi, & porcelli recentes, cicures præſertim & fœmellæ. E piſcibus, qui teneras carnes habent. Ex auibus, teneriores. Ex fructibus, ficus recentes, vuæ maturæ, pepones, cucumeres. E potibus, vinum tenue, albũ, dilutum, non vetus.

Frigidæ temperaturæ dignotio ac curatio, Cap. L I I I I.

FRigidioris temperaturæ fœminas, tum ex iis quæ dicta ſunt cognoſcemus, tum quòd ſomnolentiores & ad motum pigriores ſunt, & coloris albi ſiue plumbei, venis ſubnigricantibus, vrina aquoſa. pituitam etiam aſſiduè excreant, & aliquando pituitoſos humores euomunt. Harum itaque curationem oppoſitam eſſe oportet ei quam ad calidiores retulimus. Plurimos enim labores imperabimus, & edulia calidiora exhibebimus. vinum item fuluum, odoratum, vetus, ac minimè dulce. confert etiam vinum aqua marina dilutum. Medicamenta verò eligenda ſunt quæ calore ſuo ſanguinẽ diſſoluunt, velut eſt thymi, pulegii, calaminthes, dictamni, abrotoni, iridis radicum aſphodeli, corticum radicis mori, mercurialis, caſiæ, carpeſii, floris iũci odorati, ſpicæ nardi ac Celticæ, acori, mei, phu, ſabinæ, aſari, ac ſimilium decoctum. Hæc enim ſingula in vino albo veteri coquuntur, & vinum ipſum merum excolatum calidum à balneo ieiunis bibendum datur. Atque ita menſes cientur iis quæ frigidam tẽperaturam habent. Probè facit & ſuccus Cyrenaicus erui quantitate potus: aut opopanacis vncia vna: aut ſagapeni tantundem: aut myrrha magnitudine fabæ: aut caſtorei drach. vna: aut nigella pota & ſublita. Idem poſſunt etiam ſeminum nobis familiarium decocta, velut cumini, fœniculi, petroſelini, laueris, dauci, ammii, cicerum. Eſt & hoc efficaciſſimum atque acerrimum: Pulegii, artemiſiæ, rutæ, ſaluiæ, anethi, ſingulorum manipulum vnum, piperis grana viginti, aquæ ſextarios duos. piper contuſum & herbis admixtum, per noctem aqua maceratur. Manè verò ad dimidias coquitur, & ad excolatum mellis quantum ſatis eſt adiicitur, indéque cyathi duo ieiunæ exhibentur. ipſa verò ſenſim inambulare iubeatur, & lectica geſtetur. Tempora autem ad talia medicamenta accipienda commoda ſunt, alterum appropinquante iam purgationis tempore: alterum vt poſt vnctionem

A ctionem fomentáque ac balneum ſtatim bibat, ita vt in calidum adhuc & ſolutum corpus illabens medicamentum, vires ſuas efficacius declaret. At verò ſiquis omnia auxilia in hunc vſum commoda recenſere velit, ei multo otio opus fuerit. ſufficere tamen poſſunt relata. Si verò nullum ex his menſes euocauerit, alius modus potentior exquiretur. Ego etenim quum hæc medicamēta fruſtra adhibuiſſem, mulierem ſolutiuum pharmacū bibere iuſſi: atque eâ accepto euphorbio cum petroſelino, per aluum purgata, deinde menſtruorum excretio ſucceſſit. B Quòd ſi redundans humor atræ bilis magis fuerit, epithymi drach. quinque exhibeto, cum aceti mulſi diluti hemina, pauco ſale adiecto. fæce enim ſanguinis educta, pars ſubtilior deinceps facilius ſequetur. Pleriſque etiam vomitus profuit. Vomant autē accepto prius thymi aut origani, aut hyſſopi decocto. deinde poſt vomitum, centaurii aut abſinthii cremorem potent. Quin & peſſis ſubdititiis vterus irritandus eſt: vt per victum quidem ſanguis calidus ac tenuis reddatur: per peſſos verò excretio prouocetur. Fortiores tamen euitabimus, quales ſunt qui C ex elaterio, cātharidibus, cyclamino, felle bubulo, & veratro fiūt. Periculū enim eſt ne ex huiuſmodi medicamētorū vehemētia, inflāmationes, vlcera ac febres exoriātur.

Peſſi menſes educentes, Cap. LV.

Mitiora proinde in peſſis adhibere oportet, velut eſt ruta, baccæ lauri, artemiſia, conyza tenuia folia habens, pulegium, mercurialis. hæc ſingula cum oleo irino ſubdantur. Quòd ſi validioribus opus erit, myrrhæ drach. vnam, aluminis ſciſſilis drach. duas cum vino terito, & D roſaceo admixto ſubdito. Aut terebinthinam cum myrrha, melle, & croco efformato. Hoc autem validius eſt pelecini ſemen cum myrrha & melle: aut bdellium, vel galbanum, vel ſtyrax cum abſinthio & lupinorum decocto: aut caricas pingues granulis exemptis, cum thure & nitro, ſingulis fabæ magnitudine, ſubdito. Vterus item calido quodam oleo ſiue vnguento perfundatur, velut eſt ſuſinum, cyprinūm, irinum, ſampſuchinum, laurinum, amaracinum, narciſſinum. Aſſidui etiam ſuffitus per ſtyracem galbanum ac thus fiant. probè facit etiam lapis gaE gates. Suffumigium probatiſſimum: Radicis ariſtolochiæ, radicis aſphodeli, reſinæ ſiccæ, ſandarachæ, atractylidis agreſtis, ſtercoris vulturis, bdellii, ſabinæ, cardamomi, artemiſiæ, ſing. drach. vnam, oſſium piſcium ſalſorū minutiſſimè tritorum drach. tres, nigellæ, ſtyracis, ſingul. drach. quatuor. paſtillos cum aqua formato, & vſus tempore ſuper bubulo ſtercore, bis in die manè ac veſperi ſuffito. Præcipuè verò odoratis fomentis vterum fouebimus, amaraco videlicet, ſerpyllo, pulegio, calamintha, cypero, iride, chamæmelo, coſto, aniſo, ac F ſimilibus in aqua coctis. Sit autem fomenti vſus talis: Olla operculo perforato operiatur, arundóque foramini inſeratur, & vndique oblinatur: & mulier ſedens excepta intra pudendum arundine fotum admittat. Alius verò fomenti modus eſt vt mulier in aliquo ex relatis decocto vſque ad vmbilicum inſideat, & deinde calida aqua dulci abluatur, & poſtea peſſos prædictos ſubdat. Peſſus optimus, menſes educens: Carpobalſami, caryophyllorum, olei amaracini aut ſuſini, ſingulorum drachmas octo, paſſarum vuarum pinguium exemptis G vinaceis libram vnam, carnes palmularum duodecim, ſalis cōmunis drachmas ſedecim, mellis cochlearia tria, efforma, ac vtere poſt balneum aut fomentum. Cataplaſmata inſuper adhibebimus ex cruda ordeacea farina, artemiſia, amaraco, iride, aut alio quodam ex relatis admixto. Liquor autem cataplaſmati admiſcendus, ſit vinum odoratum, mel, amaracinum irinum anethinum oleum. Poſtea lanam quoque oleo aliquo ex prædictis imbutam ſuperponemus. Bonum eſt etiam, bdelliū cum ſtyrace ac thure tritum, cum vino ac vnguento quodam H relato, imo ventri ac lumbis illinere. Epithema ad ſanguinem menſtruum euocandum: Elaterii, myrrhæ, galbani, farinæ ordeaceæ, ſing. drach. quatuor, foliorum rutæ recentium drach. duas, fellis taurini quantum ſatis eſt. reliquis omnibus minutiſſimè tritis & vnitis fel admiſceto, & lumbis ac imo ventri imponito. Ducit hoc menſes, & ſedis hæmorrhoidas prouocat. Vtere etiam aliis epithematis Sermone tertio conſcriptis. Philoſophi ad menſes educendos. Cancrum fluuiatilem in vinum coniectum ſuffocato. deinde vinum id meracum calefacito ac totum bibendum dato, & vbi ſatis ſanguinis purgatum videbitur, cancrum ſuffocatum comedēdum dato. Glans ſubdititia menſes educens. facit ad vteri ſtrangulatus diuturnos: Fellis taurini, ſucci abſinthii, & comæ eiuſdem, radicis ſtruthii, myrrhæ, ſingulorum drachmas quatuor, caſtorei, opobalſami, ſingulorum drach. vnam, ſucci cyclamini drach. decem. Omnia artemiſiæ ſucco excipito, & glandes paruas ſubdititias formato. Probè facit & fæx vini antiqui apii ſucco excepta ac ſubdita. aut lilii radix toſta ſubdita. aut nigella, aut ſeſamū, aut rutæ ſemē, & fœnumgræcum butyro ac melle exceptum ac ſubditum. Peſſus eadem die plerunque ſanguinem ducens: Folia artemiſiæ & nitrum pari portione oleo irino aut roſaceo excipito, & poſt balneum ſubdito.

Curatio earum quæ præ pinguedine non concipiunt, Cap. LVI.

Pinguiores mulieres victu attenuante curabimus. Dictum eſt autem in ſecundo ac quarto Sermone de his alimentorum facultatibus, & quomodo macies ſit reparanda. Non tamen interim fomenta & potiones prætermittantur: ſi enim materia infrà declinabit, haud ægrè euacuabitur, & corpus gracilius reddetur. Et quanquam purgatio per inferiorem aluum non ſit valde tuta, vt quæ corpus tabefaciat, mulieri tamen ita habenti hæc quoque adhibenda eſt. ſæpe enim ſola purgantis medicamenti potio ad menſes educendos ſufficit. Ex purgatoriis itaq; acerrima & pinguibus maximè idonea ſunt, granum cnidium, ſcammonia, & cortex radicis tithymali myrſinitæ. Singulis autem petroſelinum, aut daucum, aut aniſum, aut apium, iucunditatis gratia & ad ſanguinem attenuandum, admiſcere oportet. Peſſos quoque validiores his adhibebimus, velut pulpam colocynthidis, nigellam, myrrham, ſimul cum vino dulci trita ac ſubdita: aut nitrum cum cyclamino, felle bubulo ac melle: aut caricarum carnes cum nitro, melle & ruta. Fomenta item ac epithemata ad frigidiores temperaturas relata huc tranſferantur.

Curatio earum quæ ob plenitudinem non purgantur, Cap. LVII.

QVÆ propter plenitudinem non purgantur, congruo menſtruorum tempore magis grauantur: dolores circa lumbos ac imum ventrem percipiunt, flatúque replentur, ad quem diſtentiones ac horrores totius corporis conſequuntur. ſed præcipuè inſigni venarum tumore dignoſcuntur. Atque hæ quidem copioſa ſanguinis miſſione ſanantur. cubiti itaque ac tali venas ſecare oportet: deinde euacuato ſanguine cætera facere ſuprà relata, potiones videlicet ac fomenta adhibere. Poſtquam autem menſes fluere inceperint, mulieri quies imperanda eſt, & in lecto eadem detinenda. Ac prima die à balneis ac cibis abſtinendum: proxima verò, ptiſanæ ſuccus cum aceto præparatus in cibo exhibeatur. deinde olera ad hunc vſum idonea. Tertia autem die lauanda eſt, & conſueta victus ratio repetenda.

Curatio earum quæ ob maciem non purgantur, Cap. LVIII.

QVæcunque ob maciem gracilitatémque non purgantur, ſiue id ex morbo, ſiue alia ratione contigerit, eas primùm reficere oportet, & corporis carnem congruo exercitio, moderatóque labore ac vberioribus exercitiis reparare: vbi enim carnoſæ factæ fuerint, maxima ſpes eſt menſes ſponte erupturos eſſe. At ſi hoc non contigerit, potionibus ac peſſis prouocentur.

Curatio earum quæ ob vitiatos humores non purgantur, Cap. LIX.

Bilioſos ac pituitoſos humores, & quicunque alii ſanguini admixti menſium purgationem impediunt, totius habitus vitiatione cognoſcemus, ac reliquis notis ſæpe à nobis relatis, & aliquando ex iis quæ circa vterum cōtingere ſolent. Pauci enim mēſes qui deferūtur,

ſi biliosi fuerint, vuluam mordent ac rodunt, & coloris ſunt abundè fului: ſi verò pituitoſi, ſegnius prodeunt, craſſi ſunt, albique ac ſubfrigidi, & ſtuporem inducunt. Quum igitur huiuſmodi ſigna apparuerint, præſtantiſſimum eſt totum corpus congruis medicamentis purgare: deinde muliebres locos colluere ac fouere. Cibos autem dulces ac boni ſucci exhibere, & in potu vinum mulſum dare. Exhibeatur etiam lac aſininum cum melle. Et aqua in qua pulegium ebulliit cum vino dulci propinetur. hæc & mẽſes prouocat, & nullam ſuperfluitatem in ſanguine relinquit. Cibis inſuper ac potibus ſemper odoratum aliquid admiſceatur. Ex oleribus crethmum, gingidium & daucum, ſingula ad flacciditatem cocta, & fœniculum eligemus. Neque interim peſſi negligantur, qui quales eſſe debeant partim relatum eſt, partim proximè dicetur. Si enim bilioſa ducere volueris, elaterium cum carica pingui, aut cyclaminum cum vino ſubdes. Pituitam verò ſubdita trahunt, folia anemones, iris cum melle, loliacea farina lolio prius paululùm toſto cum modico pipere & melle, colocynthis cum carica. aquoſitatem autẽ euocat porrum cum melle. Poſt peſſos verò mulier in aqua deſideat, & vnguento roſaceo aut cerato, aut adipe gallinaceo vteri os inungat.

Curatio earum quibus ſanguis ad nares vel ſedem defertur, Cap. LX.

IN his à quacunque parte fluxerit ſanguis, reprimendus eſt, & ad vterum congruis auxiliis reuocandus, ne fortè inde propulſus ad principalem ac nobilem aliquã partem vertatur. itaque & ſudoribus, & vomitu, & aliis excretionibus corpus euacuetur. Verùm hoc ſciendum eſt, non multùm malè affici eas quæ ob tales cauſas non purgantur: ſicut neque quæ ob maciem, aut laborum exceſſum. concipere tamen nequeunt, quum vteri purgationes defecerunt.

Curatio earum quæ ob nimium otium non purgantur, Cap. LXI.

CErtum eſt eas quæ ob nimium otium non purgantur, laboribus deſtinandas eſſe. Labores autem mulieribus congruentes, deambulationes ſunt, & geſtationes aliquanto vehementiores. De cætero verò velut frigidæ ac pituitoſæ curentur: & omnino contraria, iuxta Hippocratem, dentur iis quæ ſanguinis delationem impediunt. & ſi ex aqua frigida cruda pota ſit offenſa, aliam optimam perquiremus, quam vino albo ac tenui permiſcebimus. Cibos item pro frigidis calidos, pro craſſis attenuantes, pro ſiccis humidos exhibebimus, & reliqua iuxta rationem.

Curatio earum quæ ob aliquam vteri affectionem non purgantur, Cap. LXII.

SI corpus bene ſe habuerit, victúſque ratio purgationi congrua fuerit, & tamen mulier non purgatur, conſiderãdum eſt an vterus aliqua affectione laboret. id quod ſi fuerit, nullum medicamentum omnino adhibeatur, neque aliqua potio menſes ducens detur, vt ne attracto ad vterum ſanguine, dum loci laxari non poſſunt, dolores moleſti velut in partu ingruant. Primùm itaque affectio curetur quæ ſuppreſſorum menſium cauſa eſt: deinde ſanguis prouocetur. Quomodò verò vteri affectiones curandæ ſint, poſtea ex ordine referemus.

De menſium ſtillicidio, Cap. LXIII.

MEnſium ſtillicidium vocatur, quum grauiſſimo dolore intimas partes vexante, ſanguis ſtillatim prodit. Aliqui enim morbi vteri, affectionibus veſicæ ſimiles ſunt. nam & in illa aliquando vrina ſupprimitur, aliquando ſtillatim prodit, & quandoque difficulter mingitur. Quinque verò ſunt ſtillicidii cauſæ ſpecie diuerſæ: meatuum anguſtia diuerſimodè contingens, virium debilitas, ſanguinis multitudo, ſanguis pituitoſus, & ſanguis fæculentus. His ſingulis quoties impedimento fuerint ſuccurrendum eſt, ita vt multitudinem euacuemus, craſſitudinem attenuemus, vires firmemus, & meatus dilatemus. Anguſtiæ tamẽ cauſam inquirere oportet, eámque auferre. cauſis enim ſublatis libera purgatio conſequitur. Quomodo verò ſingulis cauſis occurrendum ſit, partim de menſtruis ſuppreſſis diximus, partim deinceps refere-

A tur, vbi de vteri morbis agemus: nunc autem explicare inſtituimus quomodo graues dolores lenire oportet. Exacerbatione itaque inſtante, mulier in domicilio locetur moderatè tepido, non tamen obſcuro, & manuum ac pedum extremitates faſciis deligentur, neque vllus peſſus irritatorius interim adhibeatur. Aquæ potus vitetur, & omnino ab acribus potionibus ac cibis præcipuè flatuoſis abſtinendum eſt. Imus autem venter & femora variis calefactoriis foueantur, ita vt aliquando lana ſuccida vino & roſaceo calido imbuta imponatur, aliquando veſica oleo calido ſemiplena adhibeatur, aliquando vaſa va- B poratoria lenticulata admoueantur. Quòd ſi dolor perſtiterit, & vires ferre potuerint, cubiti vena ſecetur, & ſãguis pro virium ratione auferatur, & deinde rurſus eadem fomenta repetantur. Et ſi neque ſic ſucceſſerit, cataplaſma ẽ ſemine lini, pane, & aqua mulſa paratum adhibebimus, cui aliquando terebinthinam liquatam admiſcebimus. Vtemur & inſeſſionibus ex althææ, ſeminis lini, fœnigræci, anethi, rutæ, ac artemiſiæ decoctis: & ſpongiis ex iiſdem expreſſis pudendum fouebimus. Rutam item tri- C tam ac melle exceptam & panno lineo inductam pubi ac pectini imponemus. aliquando eodem cataplaſmate etiam pudendum integemus. Prodeſt & per vterifuſoriũ inſtrumentum, infrà ſcriptum liquorem infundere: Rutam & fœnumgræcum in oleo coquito, & ad hoc excolatum, butyri, terebinthinæ, œſypi, quantum ad cerati liquidioris formam ſatis eſt admiſceto. idem etiam in ſedem ad trium vel quatuor cyathorum mẽſuram iniici poteſt.

Aliud conſimile infuſum: Œſypi drach. quatuor, cerebella anſerum duorum, adipis anſerini, phaſiani, gallina- D cei, ſing. vnciam vnam, ceræ quadrantem. miſce, ac vtere velut priore. Peſſi præterea Libanus & Enneapharmacus ac aliis conſimiles ſubdantur, qui inferius ad vteri inflammationes & induratos tumores deſcribentur. Adhibenda ſunt & epithemata, primùm tetrapharmacum, bromium, & quod ex ſuccis conſtat: deinde polyarchium, & quod ex meliloto, & quod ex ſeminibus paratur, prout vſus poſtulauerit. Si verò adhuc malum non quieuerit, ſed aut per certos circuitus, aut incerto ordine vexauerit, ad validiora pergendum eſt auxilia. & cucur- E bitæ pectini ac inguinibus apponẽdæ: primùm quidem tres aut quatuor citra ſcarificationem: deinde ſi affectio durauerit, etiam ſcarificabimus, & moderatam ſanguinis quantitatem euacuabimus. Conferunt & hirudines poſt cucurbitas admotæ, nihil minus quàm cucurbitæ attrahentes. deinde epithemata ac dropaces adhibeantur & cutim rubificantia, & loci molliter aſſiduè cum oleo ac ſale confricentur. Exercitium præterea temperatum imperabimus, ac geſtationem deambulationi præferemus. Poſtremùm balnea naturalia adhibebimus, & marina a- F qua frigida iugiter abluemus.

De nimia menſium purgatione, Cap. LXIIII.

NImiæ menſium purgationes mulieribus fiunt, aliquando ſanguine copioſiore & per plures dies prodeunte, id quod rarius & in vehementioribus motibus fieri ſolet. aliquando poſt partum, plurimo ſanguine fœtum inſequente. ſæpe verò poſt abortus contingunt, & repentinum quandoque periculum inducunt. Primùm itaque conſideranda eſt erumpentis ſanguinis multitudo, & delationis modus. amplioribus enim vaſis ruptis G aut apertis, magna ſanguinis copia confertim profluit: à minoribus verò, vice verſa. ab eroſione verò paulatim & cum maximo dolore prodit. Sequitur autem ad redundantes ſanguinis eruptiones decoloratio, ac coloris vitiatio, aliquando cum febre, quandoque citra febrem, appetitus proſtratus, difficilis concoctio. Sæpe etiam pedum ac totius corporis tumores, & omnia quæ ad nimium hæmorrhoidum fluxum conſequi diximus. Artus ergo & extremas partes primùm conſtringere oportet, ab alis & inguinibus exordio facto: & poſcam non frigi- H dam ſed tepidam propinare, & eadem poſca locos perfundere, & multam lanam vino & oleo roſaceo aut melino aut myrteo imbutam imponere. Nam ſpongiæ ex poſca expreſſæ vterum ac veſicam perfrigerant, & damnũ amplius quàm cõmoditatem afferũt. imperandũ eſt autem

vnius aut alterius diei ieiunium. Quòd ſi tolerare nequeant, panis micas è poſca exhibebimus, aut alicam lotam, aut oryzam ex poſca, aut ouum ſorbile molle frigefactum. dabimus item in potu balauſtium ex poſca, aut hypociſthidis aut acaciæ ſuccum. aut lycium aut terram Samiam ſtellam appellatam, aut vuæ acerbæ ſuccum ſiccum. Prodeſt & ſeſamum poſca macerare, atque ita molleſactum edendum præbere. poteſt idem etiam conteri, ac in potu dari. Exhibebimus & rhei Pontici decoctum, aut idem tritum potioni inſpergemus. aut loti ramenta, & eorundem decoctum. aut corallorum drach. II. aut pæoniæ grana rubra XII. At verò ſpongia noua liquida pice imbuta, & in olla exuſta, cum aceto aut poſca ſubdita, mirificè auxiliatur: nam & iis quæ in vterum ſubiiciuntur ac induntur, vti debemus. Noui, inquit Galenus, per quatuor aliquando dies ſanguinem ab vtero manaſſe, & ad nullum auxilium ceſſiſſe, & tandem à nobis plantaginis ſucco ſuppreſſum eſſe. quantitas autem eius iniiciendi, ſit cyathi menſura. Hoc itaque optimum eſt medicamentũ ad ſanguinis eruptionem ex eroſione obortam, cui aliquando fortius aliquod admiſcere ſoleo, aliàs aliud, pro affectionis reſpectu. Si igitur vas vnde ſanguis profluit magnum & amplum fuerit, auſteris medicamentis opus fuerit, balauſtio, acacia, hypociſthide, ſucco vuæ acerbæ, gallis, malicorio, & ſimilibus: ſi verò paruum, (id quod facilè cognoſcemus ex modico ſanguine citra dolorem prodeunte) cõferent, aloe, manna thuris, cortex pinus, terra Lemnia ſigillata, ſpinæ Ægyptiæ fructus, crocus, lapis hæmatites, & reliqua huiuſmodi cum ſucco plantaginis, aut vino nigro auſtero, aut ſenecionis ſucco ſubdita & iniecta. at ſi ab eroſione ſanguis profluxerit, plerũque velut diximus non confertim, ſed modicus ac paulatim defertur. Et propterea Andronis, aut Paſionis, aut Polyidæ, aut Muſæ paſtillo, aut eo qui ex charta paratur, vtendum eſt. Omnes enim tales quum nomen ſiſtant, eroſionem curãt, ac ſanguinis eruptionem reprimunt. ſunt autem quodam liquore ex relatis diluendi. Peſſi verò ad ſanguinis ab vtero eruptionem faciunt huiuſmodi: Aluminis ſciſſi, acaciæ, medullæ gallarum, pollinis thuris, ſing. drachm. vnam: hæc plantaginis ſucco teruntur, & vitelli ouorum aſſatorum quatuor ipſis admiſcentur. Vſus autem tẽpore peſſo lanæ excipiantur, qui roſaceo tinctus ſubditur. ſũntque peſſi omnes penitus vſque ad vteri os immittendi. Eſt autem peſſus lana carpta ac conuoluta ad digiti figuram, qua medicamenta excipiuntur. Alius. Medullæ gallarum, & thuris pares portiones aqua ſubactas ſubdito, aut è polygono trito peſſum formato. ipſas præterea in hoc decocto aſſiduè inſidere iubeto: Capitulorum iunci acuti, foliorum myrti, roſarum, rhamni, virgultorũ rubi, æquales portiones in aqua coquito pro inſeſſu. Alius peſſus. Cytinorum, foliorum cupreſſi, oleæ, rubi, ſingul. æquas partes efformato. Forinſecus autẽ impoſita proſunt epithemata ac cataplaſmata ex palmulis ac malis cotoneis, quæ adſumãt balauſtium, acaciam, hypociſthidem, alumen, & ſimilia. Conferunt & emplaſtra glutinatoria, quale eſt fuluũ Galeni, & Iceſii, & quod è ſalicibus paratur: & Harmonia, & Pallas ſiue Athena inſcriptum, ſi lumbis ac pectini imponantur. Tauri item glutinum aceto maceratur donec diſſoluatur, deinde valido panniculo inductum lumbis agglutinatur, & efficaciter prodeſt. Sed & cucurbitæ leues ac magnæ ad mammas vtiliſſimè affiguntur.

De fluxu muliebri, Archigenis,

Cap. LXV.

FLuxus muliebris eſt vteri deſtillatio diuturna, à menſtrui ſanguinis eruptione differens, eo quòd in illa ſyncerus ſanguis prodit: hic verò fluxus corruptus apparet, & aliquando ruber eſt, velut ſanguinis ſanies: aliquando albus, velut ptiſanæ ſuccus, à pituitoſo videlicet ſanguine. interdum pallidus, vbi bilis amara redundarit: interdum aquoſus, à ſeroſorum humorum ſuperfluitate. Qui itaque exquiſitè colorem præſefert aliquem, is redundantem humorem facilè indicat. Si verò obſcurum colorem habet, cauſam ita perſcrutabimur: Linteum eo inquinatum arefactum ſimplici aqua eluemus, & inde à maculæ co-
A lore redundantis humoris notionem capiemus. Hic verò fluxus plerunque citra dolorem prodit: aliquando tamen vtero exulcerato etiam cum dolore promanat. Si itaque aliqua pars doluerit, & humor profluens planè cruentus fuerit, partis alicuius in vtero ruptionem aut eroſionem indicat, id quod maximè in collo vteri contingere ſolet, & poteſt hoc digiti immiſſione percipi. Inferre verò ſolet hic fluxus debilitatem, coloris vitiationem, appetitus ſubuerſionem, inenarrabilem triſtitiam, pedum tumorem. & in aliquibus perpetua deſtillatio perſeuerat:
B in aliquibus per interualla quædam redit. & ætate quidẽ vigentes, rubra ferè fluxio infeſtat: declinãte verò ætate, alba. Et vtraque ſanè fluxio ſi ſuæ ætati acciderit, facilè curatur: ſi alienæ, difficulter. In omni verò defluxu os aperitur ipſius vteri, & velut relaxatur. quibuſdam etiam vterus ipſe procidit, vt vſque ad muliebre pudendum progrediatur.

Curatio rubri vteri fluxus, Cap. LXVI.

MVlieri rubro fluxu vexatæ primùm ſanguinem euacuabimus per venæ ſectionem. hæc enim non
C ſolùm materiam ad vterum confluentem diuertit, ſed detentionem etiam ac cõſtrictionem efficit. multa enim ſequerentur incommoda, ſi ſanguinis vel cuiuſque defluxus lationem localibus auxiliis reprimeremus. Nam aliquæ inde in hydropem, aliquæ in neruorum affectiones, aut oris ventris, aut capitis vexationes collapſæ ſunt. Proinde ſi nihil obſtiterit, hoc eſt ſi nõ valde magna fuerint obſtacula, ſanguis mittatur: præſertim ſi ætas venæ ſectionem non prohibet. & ſanè paulo antè dictum eſt, iuniores ferè rubro fluxu vexari. Detractio verò ſãguinis velut
D in iis qui ſanguinem reiiciũt partiatur, vt paulatim reuulſio fiat. Et dilata venæ cubiti ſectione, à fronte, aut naribus, aut ſcapulis ſanguinem auferemus. At verò lumbis ac femoribus detrita ac mollia lintea imponantur, frigidis ſuccis imbuta. Locetur autẽ mulier coxis accliuibus, cruráque extendat ac inter ſe complicet ad vteri partes contrahendas. Quòd ſi copioſè ſanguis feratur, coxæ, pectẽn & lumbi ſpongiis poſca madefactis integantur. Si verò modicè deſtillet, lana ſuccida vino & roſaceo imbuta adhibeatur, & extremæ partes deligentur: atque hæc
E non ſolùm in principio fiant, ſed etiam poſt circuitus ante exacerbationem, & in ipſa exacerbatione. Vtatur ægra etiam inſeſſionibus ex myrti, rubi, malicorii & ſimilium decoctis, in quibus ſæpe aceto affuſo vſque ad vmbilicũ immergatur. Adhibeat & infuſiones adſtringẽtes ac moderatè frigefacientes, velut eſt plantaginis ſuccus, polygoni, ſtratiotæ, malorum cotoneorum, ac meſpilorum. Sed & ſideritidis herbæ aut parthenii ſuccus eximiè confert: hæc autem ſingula cum roſaceo aut myrteo oleo infundantur. Vinum item dulce in mali Punici cortice calfa-
F ctum, vtiliſſimè tepidum infunditur. Efficaciſſimè verò fluxum compeſcit ſpongiæ pice liquida imbutæ ac vſtæ cinis ſubditus, itémque leporis pili vſti. Solemus & linteum alumine madefactum ac reſiccatum ſimiliter adhibere. Aſininum autem lac, ſi eius copia fuerit, præſertim aſinæ per paſcua pratorum nutritæ, omnibus ſuccis præſtat, vbi fluxus cum dolore defertur. confert & ſtercoris eiuſdem aſinæ ſuccus, & alicæ aut ptiſanæ ſuccus: & roſaceum vel per ſe vel cum lacte infuſum. Cæterùm peſſi ad rubrum fluxum iidem faciunt qui ad ſanguinis eru-
G ptiones ſunt relati. ſunt autem in aliquo ex prædictis ſuccis madefaciendi. Facit & lycium, acacia, hypociſthidis ſuccus, ſingula lacte bubulo aut ſapa diluta. aut galla cum thure & roſaceo. aut ſpodium pompholygis cum roſis & paſſo. aut oui teſta vſta cum myrto ſicca & paſſo. aut cinerem ſarmentorum linteolo illigatum & aliquo prædicto ſucco tinctum ſubdito. aut ſenecionẽ herbam tritã ſubdito, & bibẽdam dato. Galla item vſta, & modò vino, modò aceto extincta, ac in peſſum efformata ſubiicitur. Ab-
H latis autẽ his, pedes adſtringentibus decoctis moderatè frigidis aut tepidis abluantur. & ex relatis ſuccis aliquis vtero infundatur. In debilioribus tamen ac delicatioribus fœminis mitiora adhibebimus. Aliquibus enim occulti vteri meatus à vehemẽtioribus medicamẽtis adeo conſtringũtur, vt vlcus aut duritia oboriatur, & cõcipiẽdi

facultas tollatur. Ventri quoque ac lumbis refrigerantia ac adſtringentia adhibeantur, velut eſt portulaca, perdicium, ſolanum, hyoſcyamus per ſe & cum polenta acetóque ac palmulis: aut ordeacea farina cum palmulis, malis cotoneis, ac meſpilis. Cerata item ex iiſdem præparata pectini ac lumbis imponantur. Conferunt & cucurbitæ dorſo & ſub alis affixæ. & quæcunque potiones ſanguinem reiectantibus congruunt, his quoque commodæ ſunt: velut eſt ex ſimplicibus rheon Ponticum, terra Samia, terra ſiue aſter appellata, terra Lemnia ſigillum vocata, cum plantaginis aut polygoni ſucco, & reliqua tum ſimplicia tum compoſita, ſuo loco relata. Sit porrò & vniuerſa victus ratio aſtrictoria, quæ aliquatenus craſſefaciat, & potus aqua. quòd ſi vires collabantur, vinum craſſius exhibeatur. At ſi fluxus multitudo reprimatur, paucus autem adhuc feratur, pro refrigerantibus ac adſtringentibus, media inter hæc adhibeantur, vt ne fluxu repentè ſuppreſſo, inflammatio aliqua oboriatur. Vtendum eſt & emplaſtris ad cruenta vulnera idoneis, velut eſt quod è ſalice paratur, & quod Iceſium appellatur, & alia huiuſmodi.

Albi fluxus curatio, Cap. LXVII.

SI fluxus albus, aut ſeroſus, aut ſanioſus, aut liuidus infeſtat, in principio quidem reſiſtendum non eſt vt aliena à corpore excernantur. poſt principium verò oleo ſuſino totum corpus largè illinatur. Geſtationes autem & vocis exercitationes, frictiones item ac deambulationes, non in hac ſolùm fluxus ſpecie, ſed etiam in aliis conueniunt. Ipſis verò locis moderatè adſtringentia adhibeantur, quæ ſimul extergendi vires habent. Et ſanies profluens aſſiduè calida aqua eluatur, & lana detergeatur, ne ab humore tranſeunte vlcus excitetur. Roſaceum item aut myrteum, aut melinum oleum illinatur. Aqua etiam pura nihil adſtringens habens admixtum, in principio præſertim, adhibeatur ob influentis humoris acrimoniam. & ob eandem cauſam etiam alicæ ac oryzæ ſuccus infundatur. Facit & fœnigræci decoctum plurimo oleo ſuſino admixto. ſuſinum enim oleum tum huic tum aliis ſuccis vtiliter admiſcetur. Atque hi quidem ſucci efficaciores erunt, ſiquid acaciæ, aut hypociſthidis, aut de aliquo quopiam ad rubrum fluxum relato, fuerit admixtum. Poſſumus etiam pro ſuſino oleo lentiſcinum aut œnanthinum adhibere. Stercus inſuper caprinum cum myrrha, thure & aloe, roſaceo & acero addito commodè ſubditur, ita vt his ablatis loci vino nigro auſtero abluantur. Vbi verò quæ profluunt fœtida ſunt, poſt relatorum vſum tetrapharmacum roſaceo dilutum adhibebimus, & per certa interualla viciſſim, tum prædicta auxilia, tum tetrapharmacum applicabimus. Si verò fluxus ſordidus fuerit, & dolorem intulerit, vitellos ouorum aſſatos cum modico croco & roſaceo ſubdemus. aut malum cotoneum aſſatum eodem modo. Et lenticulæ decoctum cum plantaginis ſucco infundemus. At ſi quæ profluunt, ſordida quidem fuerint & fæci ſimilia, dolorem tamen non intulerint, infuſa ad dyſenteriam idonea immittemus. Vbi autem loci purgati fuerint, adſtringentibus elotionibus confidenter vtemur. Locis verò induratis, aſininum lac cum roſaceo aut ſuſino oleo infundemus, & in peſſo ſubdemus. & ſi aſininum defuerit, caprinum ſuccedat. Lac verò præſtat quod ab animali per prata paſcente emulgetur. Aliquando etiam amylum ad craſſitudinem comparandam lacti admiſcemus. Peſſi inſuper iidem, cataplaſmatáque ac emplaſtra eadem quæ ad rubrum fluxum retulimus, huc tranſferantur. Præcipuam verò fiduciam in recta victus ratione habere oportet: nec quantitatis ſolùm, ſed etiam qualitatis eduliorum ratio habenda eſt. ſitque alimenti materia talis quæ & craſſefaciat ac vires corroboret, quales ſunt ſorbitiones è tritico ac lacte paratæ, non aquoſæ ac dilutæ, ſed probè compactæ, quæ pro occaſione etiam ex paſſo Cretico parentur. Carnes verò eligendæ ſunt ſiccandi vi præditæ, velut aues montanæ & ferarum animantium. Cæterùm vbi fluxus ceſſauerit, à veloci deãbulatione, à multis pectinum ac lumborum frictionibus, ab acrium eſu, à calfacientibus, à flatuoſis, & ab eis quæ vrinam prolectant, diu abſtinendum eſt, & balneis rarò vtendum, neque venter mouendus eſt, neq; ſpiritus retinẽdus. hæc enim omnia malum reuocant. Partes autem ſuperiores ſenſim ac leniter exerceantur, ac perfricentur inſeſſiones fiãt in aqua non adeò frigida. E peſſis autem ſubdititiis elaboratiores ac medicamentoſi vitentur. Verùm poſt inſeſſiones roſaceum lana exceptum ſubdatur, & in ipſo curationis tempore, ægrotæ bibant ea quæ ad ſanguinis per ſputum reiectionẽ retulimus. Faciunt & pæoniæ grana pallida quindecim aſſiduè pota. aut corallorum drachma vna è vino nigro. aut vinacea trita cum vino. aut leporis ſiue hœdi coagulum erui magnitudine in poſca dilutum. aut corticis loti arboris decoctum. Aliud Aſpaſiæ, ad mulieres quæ ſinum pudendi valde humectum habent, vt ex eo non concipiant: Gallas per octo dies aqua macerato, deinde lanam puram ac mollem in aqua illa ſiue cremore gallarum tingito, & non exprimito, ſed ſiccari ſinito, & lanam ita ſubdendam dato. Ex hoc mulier velut virgo reddetur. & hoc ſæpe repetat. Aliud. Semen rumicis acuti cum pauca aqua ſubigito. aut ſi viride fuerit, per ſe terito, & ſubdendum exhibeto, & fiet pudendum velut virginis adſtrictum.

De vteri ſtrangulatione, Cap. LXVIII.

VTeri ſtrangulatio ab vtero quidem infernè oritur: verùm ſupernæ partes, & principales præſertim, per cõſenſum afficiuntur. nam ad cor per arterias, ad cerebrum per ſpinæ membranas ac neruos, ad hepar per venas affectio tranſit, videtúrque vterus velut ad ſupernas partes aſcendiſſe. Conſequitur affectas, accedente exacerbatione, mentis languor, pigritia ad agendum, debilitas crurum, pallor faciei, triſtis aſpectus. Inſtante verò ſtrangulatione, ſopor grauis ac profundus, mentis ac ſenſuum apprehenſio, cum vocis interceptione. Pulſus autem parui ac debiles fiunt, & aliquando penitus intercipiuntur. quibuſdam autem neque reſpiratio ſenſibilis permanet. Aliquæ verò aliis actionibus integris manẽtibus, magnam reſpirationem ex hac affectione habent. Et hinc manifeſtum eſt quòd non circa cor & ſtomachum compreſſio, aut morſus, aut perfrigeratio, à partis aſcenſu fit, ſed circa partes reſpirationis & pulmonem hoc contingit. Quapropter neque animi deliquium his vehemẽs eſt, quum cor affectionis exors permanſerit. Neque enim fieri poteſt vt animi deliquium citra cordis conſenſum ingruat. Cæterùm affectionis differentiæ, pro cauſæ efficientis differentia ac magnitudine ſunt. Et ſanè quidam experiri volẽtes an aliqua adhuc ſuperſit reſpiratio, lanam carptam naribus admouent, atque inde ex lanæ motu colligunt an aliqua inſpiratio aut expiratio reſtet. Alii poculum aqua plenum ad os ventris ponunt, & conſiderant an aliquo motu aqua agitetur. Et profectò vtrique ignorant, aliquando ſublata penitus oris ac narium reſpiratione, ſupereſſe adhuc eam quæ in toto corpore ab arteriis perficitur. id quod etiam in reptilibus venenatis contingere videmus. Hæc enim per totam hyemem mortuis ſimillima in cauernis latitant, per arterias tantùm totius corporis reſpirantia. Sic etiam in vteri ſtrangulatione fieri poteſt, vt toto corpore frigefacto, oris ac narium reſpiratio intercidat, ſuperſit autem ea quæ ab arteriis fit. ſed & oris ac narium reſpiratio adeò parua eſſe poteſt vt ſenſum lateat. Profundiſſimo itaque ſopore corripiuntur huiuſmodi mulieres, voce, ſenſu, ac motu interceptis. Stomachi etiam dolore vexantur, & ſaliuam vomunt, ſi in ſtomacho aut capite humiditas ſita eſt. Deinde verò exolutis cauſis, corpus firmari incipit, & malæ rubeſcunt, & oculi poſt multam grauitatem attolluntur. & vbi iam malum ægram relicturum eſt, humiditas quædam ex locis muliebribus excurrens tactu percipitur, & inteſtina murmurant, & ipſe vterus paulatim laxatur. Atque ſic exurgens ægra intellectum ac ſenſum recipit. Accidit hæc affectio omni quidem tempore, ſed hyeme præcipuè ac autumno, iunioribus præſertim, ſalacibus ac ſterilibus, maximè ſi per medicamẽta ſteriles fuerint. Oritur autẽ vel vtero perfrigerato dum menſes prodeũt, vel propter abortũ, vel ſãguinis eruptione ab vtero, ab aliquo repẽtè ſuppreſſa. Atq; hic morbus vbi inuadere aſſueuerit,

comitialis modò diuturnus & per circuitum repetens ef
ficitur:& tutus quidem apparet, ſingulis tamen acceſſio-
nibus præceps periculum affert,vt nō eadem ſolùm die,
ſed intra paucas horas interimat. Et pulſus quidem pri-
mùm denſiores fiunt & inordinatè mouentur,deinde e-
tiam penitus intercipiuntur, & exigua quædam humidi-
tas cutis ſuperficiem irrorat. Similiter & reſpiratio pri-
mùm obſcuratur,poſtea penitus intercidit. Eſt autem hic
morbus flatuoſa perfrigeratio, non inflammatio, velut
Soranus putat. Semen enim in vtero paulatim coaerua-
tum,aut alia quædam materia inſita ac putrefacta,perfri-
geratur, & ad cerebrum ac cor frigiditatem tranſmittit,
atque hæ partes principales frigefactæ relata accidentia
inferunt. Et ego ſanè mulierem vidi in hunc morbum
collapſam,dum ab obſtetrice laxantia ac odorata auxilia
adhiberentur,& pudendi ſinus digitis penitius confrica-
retur,tum ex auxiliorum admotorum caliditate, tum ex
digitorum contrectatione,ſe contraxiſſe cū dolore quo-
dam voluptate permixto: deinde excreto multo craſſo
viſcoſóque ſemine, protinus à moleſtiis ac afflictionibus
liberatam eſſe. Neque mirum videri debet vel ex mini-
ma humorum mole tanta accidentia conſequi. ſi enim
pauciſſima veneni quantitas,& tam exiguum virus repti-
lium per anguſtiſſimum foramen eiectum, mala longè
ſæuiora inducit, non abſurdum dictu eſt, ſemen corru-
ptum aut menſtruum ſanguinem ſuppreſſum ac deten-
tum talia inuehere accidentia.Sed & ex canum rabie fa-
cilè huius rei coniectura eſt. tanta enim inde humorum
fit alteratio, vt ſi eorum canum ſaliua ſolùm corpus hu-
manum contigerit,confeſtim rabiem inducat. At verò
ſcire operæpretium eſt,hunc morbum non ſolùm ob vte
ri aſcenſum fieri, vitioſo humore velut diximus in eo
collecto,ſed ſæpe etiam ex ventris repletione vtero affe-
ctionem tranſmitti: & aliquando hepatis aut ſplenis cau-
ſa,vaſa ex quibus vterus dependet,retrahi.Quum ergo v-
terus ex ſeipſo laborat, pro ſeminis vel menſtrui ſangui-
nis coaceruati quantitate ac qualitate, alia aliâs acciden-
tia conſequentur. Si enim cauſa efficiens frigefaciendi
vires habuerit, ita vniuerſum corpus perfrigerabitur vt
reſpirationis ac pulſuum ſenſus penitus aboleatur.Si verò
humores affligentes craſſi aut acres fuerint, conuulſio
ſubſequetur, quemadmodum atræ bilis humores a-
nimi triſtitia comitatur. At animi deliquia,exacerbatio-
num vehementia, & maxima perfrigeratio, & oris ven-
tris afflictio,inducit. Ægra itaque ceruice ac ſcapulis ac-
cliuius collocetur, femoribus ac inguinibus decliuibus,
& in ipſis exacerbationibus extremæ partes deligen-
tur, & pedes ac crura fricentur. Naribus autem odo-
rata admoueantur, velut eſt galbanum, aut caſtoreum,
aut ſagapenum, ſingula ex aceto trita ac naribus illita.
aut acetum acerrimum, in quo pulegium, calaminthe,
thymus, origanum, conyza tenuis, & alia huiuſmodi a-
cria decocta ſunt, calefactum naribus adhibeatur. Hæc
enim craſſos vapores cerebri incidere & attenuare poſ-
ſunt,ac ſimul frigiditatem depellere, & inſpirata thora-
cem ac pulmonem expurgant, & ſtomachum corrobo-
rant. Excitentur etiam ſternutationes caſtoreo, pipe-
re,ſtruthio, naribus per ſpecillum admoto. Os autem
ægræ aperiatur, ac medius digitus ad vomitum proli-
ciendum intromittatur. Nares item caſtoreo, bitu-
mine,galbano, ſulphure ſuffiantur, ac funiculo lucerna-
rio recèns extincto, aut pennis vſtis, aut ſoleis antiquis,
aut cæparum, aut alliorum corticibus, aut capillis ipſius
propriis exuſtis, aut cornu caprino incenſo, aut pice ad
prunas liqueſcente,cedriáque ac veratro, aut pane recèns
incenſo, & ſimilibus. Quidam etiam matulam vrina-
riam inueteratam, & pannos ſulphuratos incenſos nari-
bus admouent. Sinapi item tritum cum aceto, & ga-
gates lapis aqua tinctus & incenſus,ac oleo extinctus, na-
ribus adhibeatur. aut rutam viridem manibus contri-
tam ſuffito. Vterum verò infernè per pudendum odo-
ratis ſuffito,ſtorace videlicet ac ſandalis, & aloe ac ſimi-
libus. Illinantur etiam intra pudendum ea quæ laxan-
di,calfaciendi,ac flatus diſſoluendi vires habent, qualis
eſt peſſus enneapharmacus appellatus,& cæteri eiuſmodi

A ad vteri duritias inferius deſcripti, amaracino, gleucino,
irino,cyprino,aut capniſto oleo diluti: adiecta etiam ru-
tæ aut cumini portione. Atque hæc digitis excepta ob-
ſtetrix vſque ad vteri os immittet, ac leniter ac diu con-
fricabit, vt hinc irritatus craſſus humor qui in vtero hæ-
ret,prouocetur ac calefactus excernatur.In ipſum quoque
vterum per vterifuſorium clyſterem, amaracinum aut
gleucinum aut foliatum vnguentum iniiciatur. Et in
ſedem glandes indantur, ex ruta, cumino, nitro & mel-
B le cum aliquo ex relatis vnguentis & butyro præparatæ.
Eſt & cucurbita primùm inguinibus ac femoribus, de-
inde vtrinque circa vmbilicum; cum plurima flamma
citra ſcarificationem affigenda.Et ſuper hæc omnia,mu-
lier magnis vociferationibus excitetur ac vocetur. Inſeſ-
ſiones quoque parentur in decoctis baccarum ac folio-
rum lauri, pulegii, calaminthes, marrubii, artemiſiæ,
conyzæ, ſabinæ, centaureæ, dictamni, ſampſuchi, fœ-
nigræci, althææ, chamæmeli, ariſtolochiæ, iridis, ſer-
pylli. Inſeſſionum verò tempore,cerebri cura non re-
C linquatur, ſed roſaceo & aceto caput irrigetur, & in ace-
to priùs ſerpyllum, ſpondylium, ruta, baccæ lauri, in-
terdum & caſtoreum coquatur. & naribus prædicta o-
doramenta aſſiduè adhibeantur, præſertim caſtoreum
cum aceto. Præcordia item faſciis vinciantur, & diſten-
tis manibus os vteri comprimatur. at vbi exacerbatio
inſtat, ægra ad vomitum cogatur: omnes enim vomitu
leuantur, ſed præcipuè quæ cibo grauantur. Tertia verò
die cucurbitæ cum ſcarificatione pectini ac lumbis affi-
gantur, deinde loci ſcarificati ſale conſpergantur. Et v-
D bi ab huiuſmodi auxiliis diſceſſerimus, ad caſtorei po-
tionem tranſibimus, quod aſſiduè potum ſæpe penitus
ab hoc morbo liberat. dandum eſt quotidie drachmæ
pondere, aliquando cum aqua mulſa, aliquando cum ar-
temiſiæ decocto: bituminis quoque ſcrupulus vtiliter
ei admiſcetur. Nec parum iiſdem confert acetum ſquil-
linum aſſiduè potum. atque hæc curatio in morbi ex-
acerbationibus adhibetur: vbi verò diuturnus factus
fuerit, plerunque à venæ ſectione initium faciamus,
præſertim ſi menſtruæ purgationes fuerint detentæ.
E Deinde ad alui euacuationem progredimur. ac hiera
quidem ex colocynthide omnium efficaciſſima eſt: mu-
lieribus tamen & vteri affectionibus magis conuenit
hiera ex aloe picra, *hoc eſt amara* appellata, quæ habet a-
loes drachmas centum, aſari, croci, cinnamomi, maſti-
ches,ſpicæ nardi,xylobalſami,ſingulorum drachmas ſex.
Hoc medicamentum aridum ſeruari debet. vſus verò
tempore ad integram alui ductionem, drachmas qua-
tuor. ex eo cum aquæ mulſæ cyathis ſex propinentur.
At ſi partitam purgationem maluerimus,drach.duas tan-
F tùm ex tribus aquæ mulſæ cyathis exhibebimus. ita e-
nim ſtomachum firmat,vires reparat,ac morbum depel-
lit. Neque poſt adeptam ſanitatem medicamenti vſus ſta
tim deſerendus eſt,ſed quantitas ſolùm paulatim immi-
nuenda. Peracta euacuatione,cucurbitæ inanes quidem,
ſed cum plurima flamma affigendæ ſunt, & violenter
detrahendæ. Aliquando etiam ſcarificatio fit,& ſcarifica-
ti loci ſale conſperguntur:deinde cum cyprino cerato ad
cicatricem perducuntur. Deinde emplaſtrum ſiue epithe
ma emolliens pectini adhibeatur, quod è ſeminibus
G præparatur, ſuprà inter ſplenis auxilia deſcriptum, pri-
mùm cum cerato dilutum,poſtea cerato paulatim detra
cto,ipſum ſolum per ſe imponatur, donec puſtulæ velut
vari in cutis ſuperficie excitentur: quæ poſtquam empla-
ſtro albo,aut alio quopiam ad ambuſta deſtinato fuerint
ſanatæ,iam locus eſt ſinapiſmis & dropaciſmis acopíſque
appellatis,ex euphorbio,pyrethro, adarce ac pipere para-
tis. Multùm verò conferet ad medicamenta, etiam recta
viuendi ratio,per deambulationes matutinas,geſtationéſ
que in curru,vel naui,vel iumēto. A motu verò geſtatio-
nis prodeſt vociferatio,& lectio clara, modulata ac con-
H cinna: item vnctio, frictio, & exercitatio per congrua
interualla repetita. Balneum autem raro, & nonniſi ſor
dis detergendæ gratia adhibeatur, & tamen bis aut ter
per totam curationem ad morbum expellendum ad-
mitti poteſt. Poſtremum verò confugium eſt ad balnea

naturalia, tum calida tum frigida. Recuperata tandem ſanitate mulier non omnino negligatur, ſed præſeruationis gratia per certa interualla, ſuſpectis præſertim temporibus, inſeſſiones ſuprà relatæ adhibeantur, & ſaluiæ, pulegii, mercurialis, fœnigræci decoctis, loci eluantur. & peſſi calefacientes & emollientes poſt elotiones ſubdantur. Philoſophus verò inquit, Ad mulierem ex vteri ſtrangulatu collapſam, plurimis remediis fruſtra tentatis, duos ſtaminum glomos in oleum anethinum feruens coniecimus: & alterum probè expreſſum calidiſſimum loco adhibuimus, & antequam frigefieret, alterum pro eo ſubiecimus, hócque viciſſim tandiu repetiuimus donec mulier citra dolorem exurgeret. Sed & ceratum ex araneis interdum vmbilico impoſuimus. Aliud, ad vteri ſtrangulatus ac dolores: Teſtudinis terreſtris hepar tritum, in peſſo ſubdito.

Peſſi ad vteri ſtrangulationem idonei,
Cap. LXIX.

PEſſi ad ſtrangulatum vteri idonei tales ſunt: Adipis anſerini ſeſcuncem, maſtiches, adipis phaſiani, ſtyracis, ſingul. quadrantem, ceræ quadrantem, vnguenti nardini, ſpicæ nardi, croci, ſing. vnc. vnam. crocus cum vino odorato veteri teratur, ſitque vinum adſtrictionis omnis exors. Alius. Ceræ ſeſcũcem, ammoniaci, maſtiches, ſing. vnciam vnam, opobalſami, olei irini, ſing. quadrantem. Alius. Styracis ſextantem, ceræ albæ dodrantẽ, caſiæ, ſpicæ nardi, amomi, croci, maſtiches, ſing. drach. I. adipis porcini, terebinthinæ, ſing. ſeſcuncem, thuris ſeſquiunciam, adipis anſeris & phaſiani, ſing. quadrantem, opobalſami, olei liliorum, amaracini, cyprini, nardini, irini, ſing. vnc. I. Quòd ſi validiorem facere malueris, cardamomi drachm. quatuor adiice, & ſeminis rutæ tantundem. Oportet autem, aeris conſtitutionis reſpectu, ea quæ calefaciunt detrahere vel addere.

Vnctiones ad vteri ſuffocationem, Philagrii,
Cap. LXX.

VNctiones poſt balnea præſeruationis gratia tales adhibeantur: Olei dulcis lib. vnam, ſeminis viticis, rutæ, contuſorum ſingul. quadrantem, caſiæ tritæ quadrantem. omnia ſimul miſceto, & ſub canis æſtu per dies quadraginta inſolato. Quòd ſi pro temporis anni, aut regionis, aut temperaturæ calidioris, ſiue frigidioris ratione, vnctionis vim intendere vel minuere volueris, addito ac detrahito ex medicamentis quantum ex re eſſe iudicaueris: aut ſi vnctio præparata non fuerit, irino vnguẽto rutam, aut caſiam, aut amomum, aut quicquam ex iis quæ ſuprà dicta ſunt admiſceto, ac vtitor. poſſunt & citra balneum hæ vnctiones pectini ac lumbis illini. Efficaciores autem euadent, ſi adarcen vſtum vel crudum, aut pyrethrum, aut piper tritum, aut oleum laurinum, aut cicinum, & reliqua eiuſmodi addideris, ita vt vnctio craſſior fiat. Alia vnctio ad eandem vteri ſtrangulationem: Terebinthinæ, olei laurini, ſing. ſeſcuncem, olei irini, anethini, ſing. lib. vnam, ſeminis cannabis, adarcæ, ſing. ſextantem, piperis, ſaluiæ, calaminthæ, ſing. vnciam vnam. pyrethri ſextãtẽ, nigellæ, caſiæ, ſing. vnc. I. Arida tenuiſſimè trita liquabilibus liquatis admiſceto, vnito, ac adſeruato. vſus autem tẽpore aliquo oleo calido diluito, pectinique ac lumbis illinito. Suffumigium vteri: Stercoris canini albi & ſabinæ æquales portiones ſuffito, & ſi tortiones ſucceſſerint, morbi vexationes quieſcent.

Varia auxilia ad vteri ſtrangulationem,
Philagrii, Cap. LXXI.

MVlieres ad vteri ſtrangulatum procliues, Dioſpolitico pharmaco aſſiduè vti debent, & eo quod ex tribus piperis generibus conſtat, & quod ex calamintha appellationem habet. Singulis autem admiſcenda ſunt quæ ſemen minuunt ac abolent, qualia ſunt viticis, rutæ, cannabis ſemina, nymphææ radix, ac reliqua huiuſmodi quæ in venereorum tractatu retulimus. caſtorei quoque drach. vnam aſſiduè potent, modico aniſo adiecto. At verò ſi prægnantibus reſpiratio intercepta fuerit, foris quidem ad corporis temperiem emendandam, auxilia adhibenda ſunt: verùm potiones, & quæ in vterum funduntur aut ſubduntur, penitus vitare oportet, ſicut etiam clyſteres & ſanguinis miſſionem. ex omnibus enim his abortus periculum imminet. Cæterùm meminiſſe oportet, vt eis quæ neque contractionem, neque declinationem vteri patiuntur, pro humiditatis aut ſiccitatis ratione medicamenta idonea exhibeantur, & validiora: ſicut eis quæ rarum ac molle corpus habent, imbecilliora: & rurſus oppoſitis, fortiora: itidémque iunioribus, ſimpliciora: ætate prouectioribus, efficaciora. & his quidem quæ totius corporis diſtentionem à flatu ventoſo percipiunt, flatus leuantia exhibenda ſunt: quæ verò grauitatem perceptant, incidentia ac attenuãtia: eis autem quæ humorum acrimonia vexantur, laxantia ac pinguia. At ſi declinatio, aut contractio, aut inflammatio circa vterum fuerit, omnia imbecilliora offerantur: fortiora enim morbum exacerbant, & ſeminis excretionem prohibent: & contrà quæ pro curandi corporis ratione moderata ſunt, tum ipſi affectioni medentur, tum ſeminis excretionem adiuuant.

De ſeminis fluxu, Sorani, Cap. LXXII.

MVlieres non aliter quã viri è ſeminis fluxu laborant. Eſt autem hæc affectio, ſeminis citra concitationem ac tenſionem veneream profluuium, ad quod vteri laxatio ac debilitas, & totius corporis tabefactio conſequitur. A toto enim corpore materia paulatim ad vterũ cõfluit, atque iſtic modicè velut in oculis lacryma mutatur. & ſæpe contingit vt affectio hæc diuturna fiat. Quaproter recentem adhuc reprimere ac ſedare conabimur per ea quæ ſenſim adſtringunt, velut eſt roſa, myrtus, rubus, lentiſcus, & huiuſmodi. Pectinique ac inguinibus acaciam, hypocyſthidẽ, & ſimilia cum vino auſtero imponemus. Cerata item ac cataplaſmata è palmulis, malis cotoneis, ac myrti baccis adhibebimus. Laminam quoque plumbeam latam ac tenuem lumbis alligare oportet, & ſtratũ non ſit delicatum, ſed potius aſperum. Vomitus à ieiunis quidem fiat, à cibo tamen admitti quoque poteſt. Præterea partes ſupernæ exerceantur ac diu confricentur. & cauendum ne affectæ partes inungantur aut calefiant. In potu detur ſolani radix arefacta, aut viticis, aut rutæ, aut cannabis ſemen ex aqua, ſingula drachmæ pondere. Cibi vitandi ſunt exoluti ac ſorbiles, & ad ſeminis generationem ac venerem excitandum idonei. Veſcatur autem ſolidioribus eduliis, & auiculis aſſatis vtatur, ac vinum fuluum bibat. & omnia vitet quæ ad venerem irritare poſſunt, ita vt neque picturas, neque ſigna formoſa ſpectet, neque de concubitu verba faciat: ſed tetrica viuendi ratione, lectionibúſque ac colloquiis ſeueris vtatur. Perſeuerante verò affectione, exercitia, ſudorum prolectationes, frictiones & frigida balnea adhibeantur, & roſaceum aſſiduè pectini ac lumbis illinatur. Si verò aliquando ob acriorem conſtitutionem ac qualitatem irritans, ac quodammodo mordens ſenſum, ſemen ipſis prodit, contrariis cibis ac potibus vtatur, balneis item ac lactis potu, & fructibus, & aquæ potu, ac ſimilibus. Transferantur etiam huc quæ ad ſeminis profluuium in viris, & ad ſeminis in ſomno effuſionem ſuprà relata ſunt.

De vteri debilitate, Sorani, Cap. LXXIII.

QVemadmodum aliæ corporis partes, ita etiam vterus aliquando debilitatur. Conſequitur ad hanc affectionem faſtidium veneris, flatus ventoſi excernuntur, menſes exuberant, & ſingulis menſibus bis aut ter inordinatè deferuntur, nigri & aquoſi. Neque ſemen viri iniectum diutius detinetur ſed à concubitu defluit, aliquibus ſtatim, quibuſdam poſt aliquos dies. Quædam abortum faciunt, aliquæ non abortientes gracilem ac imbecillem fœtum generant. Menſtruorum verò tempore, pectinis, lumborum ac crurum grauitas adeſt, & ſtomachus malè habet, & hinc vaporibus ad caput eleuatis aliquando deliria ſuccedũt, ſiméléſque ſunt harum vexationes eis quæ ab vtero ſtrangulantur. quandoque etiam velut atra bile perciti deſipiunt, ac furore aguntur. Oritur hoc malũ ex aſſiduo partu ac vteri diſtentione, præſertim vbi fœtus inſignis fuerit magnitudinis. Curatio ea facienda eſt, per ea quæ firmandi ac debiles partes corroborandi vires habent. Inſeſſiones itaque adſtringentes ad tactum tepidæ, & vteri elotiones conueniunt. & roſaceum oleum

tepidum,aut narciſſinum, aut melinum, aut ſuſinum, & huiuſmodi,pectini ac lumbis illinatur.Et mulier per congruos motus aſſiduè exerceatur, & alimẽtis vtatur paucis quidem, ſed quæ cum leui quadam adſtrictione, carnis copiam generant. Vinum autem fuluum adſtringens parciſſimè potet.eſt enim ſitis huic affectioni commoda. Omnem verò lactis eſum,& obſonia è caſeo parata vitare oportet.vniuerſas item purgationes atque alui ductiones recuſare.

De furore vterino, Eiuſdem, Cap. LXXIIII.

FVror vterinus eſt vteri intemperies, ad affectionis conſenſum cerebrum trahens,ad quam rabioſum delirium conſequitur. Differt ab vteri ſtrangulatione, primùm cauſa. neque enim hic vterus ſurſum tractus principalem aliquam partem ad affectionis conſenſum ducit, aut compreſſione,aut morſu, aut vapore: ſed eodem loco permanens per medullam ſpinalem aut alias ſibi inſertas propagines, vitioſam qualitatem (quancunque tandem)ad cerebrum mittit. Deinde etiam ſignis ab vteri ſtrangulatione differt.Ægrotæ enim minimè in hac ſicut in illa affectione mutæ ac ſine ſenſu decumbunt,ſed potius garrulæ,iracundæ ac inquietæ fiunt. Differt etiam à furore non per conſenſum,ſed primariò cerebrum impetente.harum enim amentia tota in venere verſatur,& nihil aliud imaginantur aut loquuntur quàm de coitu,pruriénſque pudendum habent, eiúſque attactu mirum in modum delectantur. Accidit hæc affectio temperatura calidis,ætate vigentibus,virginibúſque ac caſtitatem ſeruantibus,& quæ optimis eduliis veſcuntur, & in deliciis ac animi voluptate verſantur, præcipuè ſi aliàs libidini ac veneri aſſuetæ fuerint. Nihil enim aliud eſt hæc affectio quàm ardor & feruor vteri ad cerebrum & totum corpus diſtributus. Proinde quæ ſuprà ad calidam vteri intemperiem relata ſunt vtero adhibenda, huc tranſferantur. Irrigationes autem capitis, & alia auxilia furori congrua, Sermone ſexto retulimus. Peculiariter autem huc facit paſtillus Trigonus,cum æquis portionibus crocomagmatis ac cypheos aromatici. Facit & hydroroſati potus.& hoc medicamentum: Smyrnii, croci, ſpicæ nardi,ſing. vnciam vnam,excipe diacodio aut hydroroſato, & drach. duarũ pondus ieiunis exhibe cum coriãdri decocto. quòd ſi ob corrupti ſeminis redundantiam affectio contigerit,nitrum & cardamomum cerato excipito, ac pudendis ſubdito. ſaliuæ enim ſimile quid elicitur,& affectio ſedatur.Ruta verò cum caſtoreo in myrteo cerato ſuppoſita,genituram ſiue ſemen contrahit, & furorem mitigat. Sed & diacodium aceto aut ſolani ſucco admixto ſubditum ardorem extinguit.

De vteri reſolutione, Eiuſdem, Cap. LXXV.

VTerus ſæpe etiam ob alias cauſas, ſed maximè propter frequentes abortus reſoluitur. Conſequitur veneris odium,oris vteri frigefactio, eiuſdémque plenus, pinguis & velut infartus habitus, ceruicis item laxitas ac ſtupiditas. ſæpe etiam menſes ſupprimuntur, aut ægrè prodeunt. In congreſſu viri vel nihil omnino ſeminis in vterum immittitur,vel iniectum velut ex inanimato loco ſtatim effluit. aliquando etiam vrina & ſtercus importunè prodit. Curatio autem ſimilis eſt ei quàm de menſtruorum ſtillicidio diximus.Facit & aſſiduus caſtorei potus, & peſſorum calefacientium, elotionúmque ac vnctionum adhibitio.

De vteri prolapſu, Eiuſdem, Cap. LXXVI.

PRolabi vterum dicimus,quum ita euertitur vt foras promineat. neque enim totus à ſuis appendicibus exolutus,velut imperiti putant,excidit. nam ſi ita procideret,reſtitui non poſſet.Quod autem procidit,ſtruthiocameli ouo ſimile eſt,iuxta maioris ac minoris differentiam, prout violenta euerſio contigit. Sunt autem prolapſus cauſæ multæ. Ab alto enim delapſa mulier & in coxas delata,diruptis pelliculis ac ligamẽtis quæ vterũ continẽt ac vicinis partibus cõnectunt, hoc malo corripitur. corripitur & ob violentam ſecundæ extractionem, quod præcipuè in abortibus contingit. Præterea inartificioſa fœtus extractio,aut nimia ſpiritus detentio,aut immenſi oneris eleuatio,aut plaga, vteri prolapſum inducit. Sæpe etiam ob humoris plurimi ac lenti defluxum, & ob partuum frequentiam, appendices ex quibus vterus dependet,laxantur ac ſoluuntur.Quin & ob vehementes animi affectus,velut ſi liberorum amiſſio,aut hoſtium incurſus nuntietur, aut ob periculoſam nauigationem, aut eiuſmodi quandam cauſam,mulieres toto corpore exolui ſolent,ita vt vterus ſimul prolabatur. Aliquando etiam citra vllam eiuſmodi cauſam partes debilitantur, vt propter pellicularum ac muſculorum vterum ſuſtinentium reſolutionem,hæc affectio contingat,quod inclinata ætate maximè fieri ſolet. In principio itaque plurimus ſanguis erumpit,deinde conſequitur dolor præcordiorum, lumborum,imi ventris,ac pudendorum,& periculum eſt ne perfrigeratis locis conuulſio inferatur. Vbi verò temporis progreſſu affectio inualeſcit,& loci calloſi facti fuerint,neque conuulſionis periculum imminet, neque dolor infeſtat. Quum ergo adhuc recens eſt affectio,conari oportet vt vulua ipſa contrahatur.In principio enim facilè dirigitur, & rectè locata permanet, præcipuè in vigoris ætate. nam in ætate prouectioribus contrahitur quidem, ſed ex leui occaſione rurſus prolabitur. Si itaque durum ſtercus in recto inteſtino eſſe ſuſpicaberis, per clyſterem euacuabis.Similitérque ſi in veſica lotium collectum fuerit,per fiſtulam veſicæ adaptatam euocabis. Contingit enim plerunque vt illarum ſuperfluitatum detentione, vterus inter vtrunque,rectum inquam inteſtinum ac veſicam ſitus,comprimatur ac coarctetur, & impediatur ne repelli,& ad proprium ſitum reduci poſſit. His autem peractis ægram ſupinam collocabimus, coxis altioribus, reflexis poplitibus,ac cruribus diſparatis. Deinde prolapſam vteri partem oleo tepido,aut butyro,vel betæ, maluæ,althææ,fœnigræci, ſeminis lini, aut ſimilium decocto fouebimus: & lanam conuolutam figura ac craſſitudine muliebri pudendo correſpondentem accipiemus, eámq; linteolo inuoluemus,& acaciæ aut hypocyſthidis ſucco vino diluto intingemus, ac vtero apponemus,& citra violentiam totum quod prolapſum eſt reprimemus, donec tota moles intra ſinum recipiatur. Poſtea lanam in pudendum ſubdemus,& alium lanæ hapſum vino adſtringente imbutum ſuperponemus, atque totum pectinem ſpongiis ex poſca expreſſis integemus, & mulierem reclinabimus crura extenſa ac coaptata habentem, ita vt alterum alteri incumbat. tutius tamen fuerit per faſciam ad genua vſque conſtringere. Aliqui vterum recèns prolapſum cucurbitæ domeſticæ ac betæ decocto,cum vrina graueolenti, aut acri aceto, aut re aliqua fœtida proluunt. At verò ſi prolapſus vterus, temporis progreſſu intumuerit,plurimóque humore refertus fuerit,vt præ tumore reduci non poſſit, betarum decocto ipſum rigamus,deinde acetum affundimus, & ſalem tenuiſſimum inſpergimus, & poſtea ſedato tumore, eodem decocto perfuſum retrudimus. deinde cucurbitas vmbilico & vtrique lateri cum plurima flamma affigimus, & odorata aſſiduè naribus admouemus. Tertia verò die lana adhuc intra pudendi ſinum exiſtente,mulier in vino nigro auſtero aliquatenus tepefacto, aut in myrti, lentiſci, rubi, ac malicorii decocto inſideat.Et poſt inſeſſionem rurſus ſupina coxis altioribus locetur,& ſublata ex pudendo priore lana, alia rurſus eodem medicamento imbuta ſubdatur.Cataplaſmata verò forinſecus imponantur ad imum ventrem, ex palmulis,polenta, lenticula ac malicorio, cum aceto mulſo. atque hæc rurſus tertia die fiant, vſque ad perfectam curationem. Porrò vteri crebrò prolabentes poſca abluantur, in eadémque mulier diutius inſideat. deinde omnia relata fiant. Sæpe verò ob locorum ſenſus ſubtilitatem,reiecto aceto terram nigram quam in lentibus reperimus aqua diluimus, & ex ea partem affectam plurimùm fouemus,ac poſtea eadem medendi forma vtimur. At verò ſi vterus ob humorum lentorem difficulter repellitur,vini fæcem vſtam, aut nitrum lixiuio permixtũ obluimus, & cum decocto aliquo adſtringente, aut cum prædicta terra aqua diluta fouemus:

deinde plumbi cremorem oleo myrteo aut melino admixto, parti prolapſæ illitiemus ac in ſinum pudendi retrudemus. Loci inſuper interni, ægra vndiquaque circũtecta, rebus fœtidis ſuffiantur. naribus autem odoratiſſima quæque admoueantur: & cibi boni ſucci, & vina odorata tenuia offerantur. Ferunt torpedinis corium recèns detractum, parti prolapſæ obuolutum, ipſam repellere. atque idem poſſe paſtinacæ marinæ aculeum cum hyoſcyami ſucco illitum. Illud autem obſeruandum eſt ne aluus nimiùm ſubducatur. exoluuntur enim laxantúrque vicinæ partes, & vterus recidit. Si verò pars prolapſa temporis progreſſu per negligentiam computruerit, & ex aſſidua vrinæ irrigatione & adhærentibus ſordibus exulcerata fuerit, auferatur citra vllius periculi formidinem. Narrant enim totum vterum putrefactum aliquando ablatum eſſe, & mulierem nihilominus ſuperuixiſſe.

De reclinatione, auerſione ac recurſu vteri, Aſpaſiæ, Cap. LXXVII.

SVppreſſis menſibus neceſſe eſt venas & arterias ad vterum tendentes repleri. Nam ſanguis vſque ad vaſorum oſcula accurrit quidem, verùm intra vterum prodire non poteſt, aut eo quòd nimia craſſitudine oſculis impingitur, & grumoſus fit: aut quòd ipſa oſcula clauſa ſunt, & tranſitum impediunt, ita vt venæ humore refertæ extendantur, & vicinos vteri appendices humectent, quorũ extenſione vterus retrahitur. Si itaque ex vtraque parte æqualis retractio fiat, reclinatio, aut reuulſio ſiue recurſus vteri æqualis contingit: ſi verò in alteram partem maior retractio fiat, alterum è viſceribus his in cauſa eſt, ſplen videlicet aut hepar, quorum venæ ſuperfluo ſanguine extentæ à ſuis partibus vterum retrahunt: hepaticæ venæ è dextris, ſplenicæ è ſiniſtris, prout alteræ magis fuerint repletæ. In vtram verò partem vterus declinauerit, digitorum admotione, & ſignis inſequentibus cognoſcemus. Si enim in obliquum declinauerit, propinqui femoris diſtentio, dolor, perfrigeratio, impedimentum, & torpor indicio erit. aliquando verò etiam eiuſdem arefactio, & ad innitendum ac ambulandum impotentia conſequitur. Si verò retrò aut infrà inclinat, torpor ac difficilis vtriuſque cruris motus ſequitur. ſæpe etiam motus penitus intercipitur, & ingens vexat dolor. Aluus etiam ſupprimitur, neque clyſterem admittit, niſi genibus innitatur ægra. Flatus item retinentur, & dolores inter ſedendũ acuuntur, præſertim ſi verſus anum reclinatio contigerit. At ſi ad pubem vergit, imus venter ac pecten extenditur, & dolores ibidem percipiuntur, aliquando etiam vrina ſupprimitur. Quomodocũque igitur vterus retractus ac inclinatus fuerit, eodem modo velut inflammationes in exacerbationibus curare oportet. In remiſſionibus autem & declinationibus, magis emollientibus vtendum eſt: perſeuerante verò affectione, eis quæ ex alto attrahere, & corporis habitum mutare poſſunt. At verò auerſionem verſus anum ita curabimus: Primùm obſtetrici imperabimus, vt digito in anum immiſſo vterum propellat. deinde glandem ano ſubdat quatuor digitorum longitudine, ex galbano & cera paratam, cuius extremitati filum extractionis gratia ſit annexum. Aut caſtoreum aqua dilutum & lana exceptum ſimiliter ſubdatur: aut bitumen aridum, aut pix liquida. Poſtridie verò irinum aut ſuſinum oleum tepidum, in vterum & inteſtina infundatur. Et loci aromatum, aut marrubii, aut conyzæ decocto foueantur, & ex eodem vterus eluatur. poſtea ceratum roſaceum adhibeatur. Si verò in obliquũ retractio inclinat, primùm eadem fomẽta adhibeantur: deinde obſtetrix ſpecillo cum digito ſubimmiſſo, vteri collum dirigat. ægra verò in contrarium parti affectæ latus, aut ſupina, decumbat. Peſſis inſuper mollientibus aperientibúſque vtemur, & ex prædictis oleis aliquod infundemus, & pectini lanam vino & roſaceo imbutam, aut ſuccum ſeminis lini cerato exceptum imponemus. Et caſtoreum cum aniſo, aut cumino, aut nigella, aut pæoniæ radice, aut ſmyrnii, aut dauci ſemine, aut ariſtolochia, aut gentiana, aut helenio, ex aceto mulſo propinabimus. Eadem etiam repentinos vteri dolores faciunt, non ſingula ſolùm per ſe, ſed etiam ſimul coniuncta. Mulier autẽ accli-

A ui capite decumbat, & ſi compoſitus rectè vterus rurſus retrahatur, fœtida ſtatim naribus admoueãtur, & ſternutationes prouocentur. & ſi vrina ſupprimatur, fiſtula veſicæ ad hoc deſtinata proliciatur. & ſi ab his exacerbatio fuerit exoluta, quieſcendum eſt. Cæterùm pro afflictionis magnitudine, ſi ægram adoleſcentem & ſanguineam nacti fuerimus, conſiderabimus an cubiti vena ſit ſecãda. deinde menſes prouocantia propinabimus, & peſſis mitioribus vtemur.

De vteri inflatione, Cap. LXXVIII.

B VTerus aliquando ex partu perfrigeratus flatu impletur, oſculo ipſius concluſo, aut grumo ſanguinis in ipſo impacto. Flatus autem ipſe quandoque in vteri cauitate concluditur, quandoque in corporis ipſius vteri anguſtiis continetur. Conſequitur pectinis ac imi ventris tumor, velut in hydrope tympanite, cum dolore pungitiuo, perpungente vſque ad ſeptum tranſuerſum & ſtomachum, & nihilominus vtrinque in lateribus extento, & ſæpe ad alterum, ſæpe ad vtrunque inguen ſe extendente. Vmbilicum item lumbóſque ac pectinẽ idem infeſtat, C & caput quoque per conſenſum afficit. quandoque verò flatus per muliebre pudendum erumpit, vt ægrè id percipiant. Si itaque flatus in vteri cauitate fuerit concluſus, ſtrepitus ac ſonitus quidam in corporis flexu auditur, qualis in inteſtinis contingit quæ torminibus vexantur. & ad digitorum pulſationem ſonus tympani redditur. Si verò intra vteri anguſtias continetur, dolores vehementiores ac curatu difficiliores infeſtant. Huiuſmodi autem affectiones fame, ac olei dulcis calidi irrigatione, in quo ruta & anethum decocta ſunt, curantur. Et niſi ætas, D regio, & anni tempus obſtiterint, vena ſecetur. Inſeſſioneſque in rutæ, pulegii, calaminthes, marrubii, thymi, artemiſiæ, althææ, ac caricarum decoctis fiãt. & corpus per hierã Rufi & Archigenis ex colocynthide euacuetur. In exacerbationibus autem vulua his colluatur quæ laxandi ac flatus diſcutiendi vires habent, quale eſt oleum gleucinum, & peſſus eiuſdem facultatis plurimo oleo dilutus, & per vterifuſorium clyſterem immiſſus. Cataplaſmata etiam leuia ex caricis, hyſſopo, ruta ac nitro imponantur. At verò ſi flatus ob impactos grumos fuerit concluſus, E poſtquam ægra in aliqua ex relatis inſeſſionibus diutius conſedit, obſtetrix digitum illitum in pudendi ſinum immittat, & grumum ſenſim diſſoluat, ac educat. Perſeuerante verò inflatione, in exacerbatione efficaciora adhibeantur, interpoſitóque temporis ſpatio, illitionibus calidioribus, crurúmque ac affectorum locorum frictionibus vtemur. Et lumbis ac pectini dropacem adhibebimus. aut rubefactorium è ſinapi & caricis. aut farinam ordeaceam cum caricis, ruta, hyſſopo, & melle coctam. aut epithema ex ſeminibus, aut ex baccis lauri. aut polyar F chium cerato cyprino exceptum, aut poſtea etiam per ſe ſolum. Peſſi quoque eiuſdem facultatis ſubdantur, ex terebinthina, galbano, iride, ruta, & œſypo. & qui ex pulegii, nitri, mellis, fellis taurini, æquis portionibus paratur. Maximè autem conuenit hic: Caricarum pinguium probè contuſarum vt granula non percipiãtur drachmã vnam, cumini drachmas duas, ſpumæ nitri albæ drach. vnam. Verùm ad acrimoniam obtundendã, peſſum hunc in lac prius immergere oportet. Cucurbitæ quoque affigantur, & violenter detrahantur. aliquando etiam ſcarifi- G catio fiat. Vtẽdúmque eſt omnibus quæ ex alto attrahere materiam poſſunt, & balnearum naturaliũ aquis primùm calidis, deinde frigidis vt corpus ad tolerandam frigiditatem ſenſim alliciatur, & affectæ partes paulatim firmentur. Alimenta quoque attenuantia ac flatus diſcutientia exhibeantur. & medicamentũ dioſpoliticum, ac ex calamintha conſtans aliquando exhibeatur. At verò auxilia amplius medicata, & aromatum ſuffitus, tanquam capiti noxios reprobamus. ſed & epithemata aſtringentia, qualia ſunt quæ ex palmulis ac malis coroneis parantur, & ſi- H milia, ad hanc affectionem inepta ſunt.

De vteri hydrope, Cap. LXXIX.

QVVM mẽſes longo tẽpore fuerint ſuppreſſi, & impregnatio impedita, ſæpe humoris copia in vterum confluit, & aliquando corpuſcula quædam veſicæ fellis

ſimillima in ipſo generantur, in quibus humor colligitur. Sequitur affectionem hanc tumor circa imum ventrem amplus, laxus, flatuoſus, & murmura velut in inteſtinis, in ambulando grauitas, & ſpirandi difficultas, alui recrementa graueolentia ſunt, & menſes ac conceptus impediuntur, & quæ prodeunt nullo ordine ſeruato deferuntur. Vbi vero violẽter excernuntur, ruptis aliquãdo paruis illis corpuſculis, quæ veſicis ſimilia diximus, viſcoſa quædam ac aquoſa erumpunt. In quibus itaque humorem in vtero collectum ex propriis ſignis cognoueris, decubitu quieto, mox vomitu ac validis elotionibus vtendum eſt. Proinde corticis radicis tithymali myrtei ſicci drach. duas per ſe vel cum radicis panaceæ obolo propinabis. & in vterum infundes quæ mucoſos humores attrahunt, qualia ſunt, grani cnidii grana decem cum oleo irino & modico melle. aut veratri nigri drachmas duas, cum irino aut cyprino aut narciſſino oleo, cum modico melle per vterifuſorium clyſterem infundito. Verùm ante has elotiones cardamomum cum ſale, aceto mulſo, thymo, pulegio, calamintha, aut ſimili quopiam bibẽdum dabimus: deinde humorum copia per aluum excreta, prædictæ elotiones infundantur. Aut peſſi eiuſdem facultatis ſubdantur. & poſtea ſinus pudendi aqua marina proluatur, primùm ſola, deinde addito aceto, & aliquo ex prædictis in ipſa cocto. Elotione peracta ac locis probè deterſis, pudendo ac femoribus oleum cyprinum illinatur. Medicamenta verò iiſdem cõuenientia hæc ſunt: Pulegii drach. vnam, cum modico pipere, aut gentianæ vel origani drachmas duas cum ſemine dauci vel ſmyrnii, cum vino mulſo aut aqua mulſa in potu dentur. Salis præterea communis loco alimentis inſpergatur hoc: Hyſſopi trientem, pulegii quadrantem, origani, cumini, ſingulorum ſextantem, ſeminis ammii, ſpicæ nardi, ſing. vnc. vnam, ſalis toſti quadrantem. trita miſce ac vtere. Sed & pudendi ſinus reſina, myrrha, & amomo ſuffiatur. Peſſis autem huiuſmodi vtendum eſt: Nitri, colocynthidis, ſing. quadrantem. melle excipe, & peſſum inde paratum oleo cyprino tinctum ſubde. Alius. Cumini & nitri æquales portiones melle excipe. poteſt & violæ albæ ſemen addi. Alius. Colocynthidis quadrantem, ſalis vnciã vnam, pinguium caricarum carne excipe, vt ſit iuglandis magnitudo, & inde peſſum paratum ſubde. humorem enim fœtidum attrahit, ac mirificè prodeſt. Idem ſedi inditus ſtercoris & humorum ac flatuum copiam elicit, & vterum leuat. Alius. Comæ abſinthii, ammoniaci thymiamatis, ſing. drachmam vnam, æris vſti, nitri, ſing. drach. tres, melle excepta ſubdito. Hoc autem placidiſſimè & citra omnem dolorem attrahit: Cicutæ ſemen, ariſtolochiam, cuminum, ſalem, carne caricarum excipe, & ſubde. Cæterùm ad aquæ receptacula, eas videlicet veſicas quas in vtero generari diximus, fomentis vtemur ex aromatibus quæ menſes eliciunt, & peſſis ſanguinem trahentibus. Ex quorum numero hic eſt: Cneori, quod eſt grani cnidii radix, aut illo non præſente, chamelææ, elaterii, caſiæ, ſing. drach. quatuor, aluminis ſciſſi, miſyos, ſandarachæ, myrrhæ, coſti, croci, ſingulorũ drach. tres, melle excipito, atque aluo pridie euacuata per clyſterẽ, peſſum inde paratum ſubdito, integrámque diem ac noctem ſinito. ſi ſemel parum eduxerit, rurſus ſubdito: ſi verò mordacitatẽ induxerit, centaurii decocto tepido ſinus pudendi foueatur ac eluatur. & mitigandi gratia peſſus mollitorius ſubdatur. aut cicutæ ſemen cum ariſtolochia, cumino, ſale ac caricis (velut paulo antè diximus) ſubiiciatur. Mitiſſimum verò omnium ad huiuſmodi pelliceas & aqua refertas veſicas, eſt mercurialis maſculæ ſemẽ cum modica myrrha, ſale ac melle, lana exceptum, & multis diebus ſubditum. Poſt harum autem eductionem, exercitiis, ſudoris prouocatione, & validis totius corporis, & præcipuè imi ventris frictionibus vtendum eſt.

De mola vteri, Cap. LXXX.

QVÆ mola appellatur, tumor eſt vteri induratus, aliquando prægreſſa inflammatione ſuccedens, aliquando poſt locale vlcus, cui caro ſuperexcreuit. à motus autem difficultate & grauitate, molæ nomen accepit. A Conſequitur hunc tumorem detractio partium ſuperincumbentium, gracilitas, coloris vitiatio & appetitus proſtratus. Et primùm ſanè conceptus ſuſpicionem de ſe præbet. nam & menſes ſupprimũtur, & mammæ intumeſcunt, & ſtomachus ſubuertitur, & lumbi grauantur, ventérque attollitur. Verùm temporis progreſſu diſcernitur. molam enim dolor pũctionis ſenſum inferens ſubſequitur, nec in ea motus vllus, velut in vtero, conceptu percipitur. Quin & poſtea toto corpore imminuto, ac ventre ampliato, hydropis imaginem præſefert. diſcernitur tamen B ab illo per tumoris duritiam, & quòd tumor hic ad digitorum appreſſionem ac pulſationem non cedit, neque tympani ſonum velut in hydrope edit. & quòd neq; ad manus contactum vlla fluctuatio percipitur: aliquando tamen temporis progreſſu hepar perfrigeratur, & hydrops ſuperuenit. Quidam verò tradunt in quibuſdã mulieribus carunculas ad iuglandis nucis magnitudinem per pudendum excretas eſſe, aliquando ſingulis mẽſibus, aliquando bimeſtres aut trimeſtres. Hanc affectionem alii velut incurabilem penitus reliquerunt. alii incipientem C tantùm, curari poſſe confidunt: negligenda tamen nõ eſt, ſed omnia quæ conuenire videbuntur facienda. Cataplaſmata igitur laxandi viribus prædita, fomenta, elotiones mitigatorias, peſſos mollitorios ad duritias infrà deſcriptos, inſeſſiones eiuſdem facultatis, & cerata ex althæa & oleo cyprino parata adhibebimus. & malagma ex ſuccis, & quod Mnaſeæ inſcribitur imponemus. Deinde cucurbitas cum ſcarificatione apponemus, & alimenta boni ſucci offeremus. atque hæc quidem in ipſis exacerbationibus adhibere oportet. In interuallis autem corpus D reficiendum eſt per ea quæ id præſtant, geſtationem videlicet, deambulationem, balnea, & cibos conuenientes, ac vini potum. Partibus item affectis dropaces adhibebimus, & nitro ac ſale inſperſis eaſdem inſolabimus. & per medicamentum ex ſinapi ac caricis rubificabimus. Epithematis inſuper mollitoriis ex ſeminibus, ex baccis lauri, & polyarchio, ac ſimilibus vtemur. Suffitum etiam vaporis aquæ marinæ aut muriæ adhibebimus, aut decocti foliorum ac baccarum lauri, pulegii, thymi, hyſſopi, ſaluiæ, marrubii, artemiſiæ, centaureæ, dictamni, ſcordii, po E lii. Olla autem operculo perforato arundine inſerta ſellæ ſupponatur, atque inde per arundinem vapor intra pudendum recipiatur. Peſſi item ſubdantur ex œſypo, butyro, adipe anſerino, medulla, aut cerebro ceruino, melle, caricis pinguibus, vuis paſſis, cum oleo antiquo cyprino, irino, ſampſuchino, amaracino, ſuſino. Perſeuerante verò malo, acrium eduliorum eſus aſſumatur, & innatationes aquarum calidarum, & aquæ marinæ. & ab acceptis raphanis vomendum. Peſſos tamen & inſeſſiones acriores vitare oportet, ne loci ex aſſiduo eorum vſu exul- F cerentur. His autem tranſactis ſæpe plurima atri ac grumoſi ſanguinis copia repentè excernitur, & affectio diſſoluitur. Philoſophus verò, Detẽtis, inquit, vxoris amici cuiuſdam menſibus, arbitrabar primùm ipſam concepiſſe. poſtea aucto amplius tumore, hydropem ſuſpectum habui, quia totum corpus ac pedes tumeſcere videbam. At vbi tandem id affectionis genus eſſe deprehendi, quod alii laterem, alii molam vocant, rutam & anethum in vino veteri fuluo odorato coxi, & abiectis herbis, vinum calidum bibendum dedi, & ferme aquæ loco ex- G hibui, ſtatimque mulier excreta ſanguinis copia ſalutem adepta eſt.

De tumore vteri laxo, Sorani, Cap. LXXXI.

VTeri tumor laxus, pallidus ac albus eſt, ad tactum mollis & digitorum compreſſioni cedens, ſéque rurſus paulatim attollens, & cutis ventris manu apprehenſa facilè attrahitur. Loci itaque oleo communi calido aut irino, aut cyprino rigentur, & peſſi ſubdantur, ac reliqua auxilia adhibeantur quæ ſuprà de vteri inflatione H retulimus.

De ſatyriaſi, Eiuſdem, Cap. LXXXII.

MVlieribus quoque ſatyriaſis & tentigo accidit, qualem viris fieri ſuprà retulimus. Cõſequitur ad hãc, pudendorum ingens pruritus cum dolore, ita vt mulier

locis aſſiduè manus admoueat atque ideo intolerabili veneris deſiderio contabeſcit; & ſalſi humoris effluentis acrimoniam ac mordacitatem percipit, & loci vtero vicini inflammantur. Illud verò ardens coeundi deſideriũ ſæuiorem reddit affectionem. quum enim partes affectæ diſtentæ ſint, & ſemen excerni non poſſit, quoniam meatus per inflammationem obturantur, maior materiæ copia fruſtra ad locum attrahitur. Statim igitur à principio vena ipſis ſecanda eſt, & alimentum contrahendum, & pubi ac lumbis illinenda quæ leniter refrigerãt ac contrahunt. Caput aceto & roſaceo irrigetur, & in potu aqua tepida exhibeatur. Cibi verò ſint ſorbiles, omnis prorſus flatus ac venereæ concitationis exortes. Duobus verò à venæ ſectione diebus cucurbitæ cum ſcarificatione affigantur. Reliqua verò curatio eadem ſit cum ea quam ad inflammationem vteri mox referemus.

De vteri inflammatione, Philumeni, Cap. LXXXIII.

VTeri inflammatio ob multas cauſas contingit. nam & ex plaga, & menſium ſuppreſſione, & abortu, vlceratione, nimio coitu, ſellæ durioris inſeſſu, longa ac intenta ambulatione, frigiditatéque ac flatuoſitate oboritur. Indicant hanc, muliebrium locorum, pubis, imi ventris, ac lumborum dolores ardentes. Et ſi digitus in os vteri ſubmittatur, occurrit ad contactum durum, clauſum, feruens ac retractum, præſertim ſi in ipſo aut in collo fuerit inflammatio. nam vbi cauitas aut fundum vteri inflammatur, imi ventris dolor oſtendit, vt ne contactum quidem foris admittat. Et plerunque vterus ad inflãmatum locum retrahitur, atque ob hanc cauſam os & collum eius auertitur. Differt autem ab ea quam ſuprà vteri retractionem appellauimus, quia in inflammatione febris eſt acuta, & ardor intenſus. Si verò poſterior ipſius pars inflammata fuerit, dolor circa ſpinam magis hæret, & compreſſo inteſtino recto ſtercora detinentur. Anteriore autem parte inflammata, vrinæ difficultas aut ſtillicidium cõſequitur ex compreſſa veſica, præſertim ſi dolor pectinem affligit. At vbi obliquos laterum locos inflammatio occuparit, inguina diſtenduntur, & crura grauantur ac ægrè mouentur. Inualeſcente verò inflammatione, febres accedunt, dolor capitis, ſtomachi afflictio per conſenſum, imi ventris tumor, ardor, diſtenſio, grauitas coxarum, lumborum, præcordiorum, inguinum, femorum, horrores diſcurrentes ac pungentes, pedũ torpor, genuum perfrigeratio, extremarum partium exudatio, pulſus parui ac denſi, animi deliquium, exolutio. In augmento verò etiam ſingultus, dolor tendinis, colli, maxillarum, ſincipitis, oculorum, præſertim in fundo. vrináque ac ſtercorum recrementa ſupprimuntur. Et inflammatione adhuc magis aucta, febres augeſcunt, delirant, dentibus frendunt. In principio itaque curationem aggreſſi, ægrotam in domicilio obſcuro & moderatè tepido collocabimus, quietem imperantes, & omni crurum motu interdicentes. deinde artus manuum cõtrectatione demulcebimus, & pedum ac manuum iuncturas fouebimus, irrigabimúſque ac lana pura integemus: aluum autem eluemus, & molli infuſo euacuabimus. In potum verò & ad oris collutionem aquam calidam & ptiſanæ ſuccum dabimus. At ſi vehementior inflammatio fuerit, & neque ætas, neque habitus, neque anni tempus obſtiterit, neque inflammatio poſt abortum, aut nimiam ſanguinis euacuationẽ ſuperuenerit, cubiti vena ſecetur, & ſanguis pro virium ratione detrahatur. licétque in ſecunda die venam incidere, in tertia verò detractionem repetere. Deinde alica ex aqua mulſa, aut pane loto, aut ouo ſorbili, ægra alternis alatur. omnibus his moderatè exhibitis, feruente inflammatione lana ſuccida vino & oleo, aut aceto & roſaceo imbuta, imo ventri ac pubi imponatur. aut palmulæ vino coctæ, aut mala cydonia in poſca cocta, cerato melino aut roſaceo admixta. Cataplaſma verò imponatur ſic paratum: Melilotum in paſſo coquito ac terito, & vitellos ouorum aſſatorũ addito, & cum roſaceo, aut melino, aut crocino imponito, aut palmulas vino diluto ferueſactas, cum polentæ farina, & aliquo ex prædictis vnguentis terito, ac imponito. Cæte-

A rùm ad inflammationes eryſipelatas igneo ardore cognobiles, vtendum eſt cataplaſmatis ex polenta, & intubo, perdicio, vmbilico Veneris, ſedo, polygono, pampinis vitis, portulaca, plantagine, & ſimilibus præparatis, & lana aliquo harum herbarum ſucco, cum roſaceo aut melino oleo imbuta, in pudendum ſubdatur. Quòd ſi cataplaſmatum onus loci non tolerẽt, aqua roſaceo admixto ex modicis interuallis affundatur. In exacerbationis declinatione totum corpus inungatur, & ægra in aqua tepida vſque ad lumbos inſidere iubeatur. deinde peſſi ſubdantur
B ex aliquo vnguento leniter aſtringente parati, roſaceo videlicet, melino, lentiſcino, ac œnanthino, adiectis ouorũ vitellis crudis ſiue aſſatis & croco. poteſt & ex prædictis ſuccis aliquis admiſceri. caput præterea roſaceo cum modico aceto irrigetur. Mitigata verò inflammatione, mulier in aqua oleo admixto inſideat, & peſſos ex narciſſino aut ſuſino vnguento paratos ſubdat. & lanam oleo calido imbutam pectini ac lumbis adhibeat. Interdum & cucurbitæ lumbis affigantur, & tumore magno exiſtẽte etiam ſcarificatio fiat. Poſtquam autem inflammatio decli-
C nare inceperit, ad ea deueniemus quæ laxare ac diſcutere poſſunt. Proinde in fœnigræci, althææ, ſeminis lini: interdum etiam pulegii, marrubii, ſaluiæ, artemiſiæ decoctis ægra inſideat. Et ad imum ventrem ac pubem, farinam ordeaceam cum fœnogræco & lini ſemine in aqua mulſa coctam imponat. aut caricarum decoctum adhibeat. Quæ verò cataplaſmatum grauitatem ac calorem ferre non poſſunt, in aqua tepida inſideant, & roſaceo locos illinant, ac peſſos ſubdant moderatè refrigerantes, ex adipe gallinaceo, roſaceo, ac vino præparatos. At
D eis quæ calorem ferunt, ceratum nardinum adhibeatur, & infuſiones iniiciantur, ac peſſi ſubdantur ex œſypo, butyro, medulla ceruina, adipe anſerino, vnguento ſuſino, & cera Tyrrhenica. Vbi verò curatio proceſſerit, tenuis victus & ciborum parſimonia tollatur, & manifeſta iam facta declinatione balneum ac vinum concedi poſſunt, & cibi reficientes exhiberi: malagmatáque adhiberi, velut eſt quod ex meliloto paratur, & quod ad Mnaſeã, & quod ad Serapionem refertur. Peſſi porrò ad ſedandos inflammationum dolores vteri tales ſunt: Fœnumgræcum ma-
E defacito, & prima ac ſecunda aqua diffuſa, cum tertia pura ac dulci coquito ac excolato, & ad decoctum, adipem anſerinum vel gallinaceum recentem addito, & ad prunas liquari ſinito: & vbi frigefacta fuerint, concretum adipem tollito ac ſeruato, atque vſus tempore ſpathula in manu ſubactum peſſo excipito ac ſubdito. Alius dolores ſedans: Papaueris capita paſſo coquito, & flaccida facta exprimito, & ad decoctum excolatum medullam ceruinam liquatam admiſceto, ac vtitor: ſi ceruina medulla defuerit, vitulinam accipito. Alius. Fœnigræci ari-
F di triti ac cribrati drach. quatuor, in paſſo Cretico aut ſapa coquito. & terebinthinæ, adipis anſeris, ſing. drachm. quatuor, roſacei ſeſquiunciam accipito, & omnia ſimul liquefacito, & fœnigræci decocto admixta peſſo excipito ac ſubdenda dato. Alius peſſus ſoporifer, dolorem mitigans, & omnem duritiam molliens: Tria papaueris capita magnitudine mediocria in quatuor paſſi cyathis per biduum macerato: deinde coquito donec capita flacceſcant, & paſſum ad tertias redigatur. poſtea expreſſis & reiectis capitibus paſſum excolato, & galbani, myrrhæ
G troglodyticæ, thuris, opii, ſing. ſeſquidrach. caſiæ drach. tres accipito, & ſing. ſeorſim primùm, deinde ſimul probè terito, & capitulorum papaueris decoctum paulatim adſtillato donec omnia ad mellis compagem redigãtur: tum œſypi, medullæ ceruinæ, adipis anſerini, ſing. drach. quatuor, omnia ſimul colliquata admiſceto ac adſeruato. vſus autem tempore medicamentum hoc roſaceo dilutum peſſo excipe ac ſubde. Omnem enim dolorem & vehementes inflammationes ſtatim mitigat, vteri ſtrangulationi medetur, duritias mollit, & ſomnum conciliat.
H Alius peſſus ſomnum inducẽs, valẽs ad inflammationes. Muſci quem etiam hypnon dicunt, in aqua ferueſacti, expreſſi ac triti, panis aqua mulſa macerati ac contuſi, emplaſtri baſilici, emplaſtri ex ſuccis, vnguenti nardini, adipis gallinacei, æquales portiones liqueſacito, ac vtitor.

facit ad vrinarium meatum ac vterum inflammatum, & ad vteri declinationes. Ego verò pro pane fermentum puriſſimum non omnino acidum ſine ſale in aqua mulſa macero, ac vtor. Peſſus, Aureus appellatus. Ad inflammationes & vteri retractiones ſiue declinationes: Ouorum aſſatorum vitellos ſex, medullæ ceruinæ drachmas quatuor, croci drach. duas, œſypi drach. duas, ceræ albæ, terebinthinæ, adipis anſerini, ſingul. drachmam vnam. crocum cum modico vino dulci terito, & oua trita adiicito, & liquabilia liquefacta admiſceto ac adſeruato. Vſus autem tempore medicamentum oleo nardino dilutum peſſo excipito, ac ſubdito. Alius peſſus: Ceræ Tyrrhenicæ drach. vigintiquatuor, adipis anſerini, porcini, terebinthinæ, ſing. drach. ſex, decocti capitum papaueris drachmas quatuor, roſacei quantum ſatis eſt: aut irini, ſi calfactione ac diſcuſſione opus eſt. Alius. Adipis anſerini trientem, cerati roſacei aut ſuſini ſextantem, vitellorum ouorum aſſatorum, croci, ſingul. vnciam vnam, myrrhæ drachmas quatuor, opii obolos duos, aut pro opio, capitũ papaueris decoctum. Alius. Ceræ Tyrrhenicæ, medullæ ceruinæ, ſing. drach. centum, adipis anſerini, terebinthinæ, ſingulorum trientem, croci obol. quatuor, opii obolos duos, oui aſſati vitellum vnum, olei ſuſini, aut telini ex fœnogræco parati, quantum ſatis eſt. Peſſus, Enneapharmacus appellatus, ad inflammationes. Adipem anſerinum & bubulum, ceram albam, terebinthinam, butyrum, medullam ceruinam, mel, oleum roſaceum & cicinum. omnia recentia æquis portionibus liquefacito.

Peſſus ad feruentiores inflammationes. Emplaſtrum ex ſuccis cum roſaceo liquatum ſucco plantaginis admiſceto, & peſſum formato. ſi verò plantago defuerit, ſenecionis aut intubi ſuccum accipito. At ſi plurimùm excanduerit, & ad eryſipelatis naturam tenderit inflammatio, ſolani folia tenera cum lacte mulieris trita ſupponito. Alius peſſus ad inflammationes: Lilii flores tritos cerato roſaceo liquido excipito, & medullam ceruinam ac adipem anſerinum adiicito. Alius. Ex ſemine lini, fœnogræco & althæa ſuccum craſſiſſimum parato, & crocum illi admiſceto, deinde adipem anſerinum liquefactum addito, vnito, ac vtitor. Cæterùm butyrum, medulla, & adeps, omnia recentia ad peſſos deligenda ſunt. antiqua enim dum liquantur nidoroſa fiunt, ac calidiora euadunt, & inflammationes exacuunt. At verò nec in diſtentionibus, neque in inflammationibus vteri, menſes prouocãdi ſunt: loci enim magis diſtenduntur, & quum ob inflammationem concluſi ſint, ſanguinis tranſitum impediunt. Quin & tetrapharmacum ad vteri inflammationes commodè ſubditur, aut infunditur roſaceo dilutum. At ſi inflammationi vlcus coniunctum fuerit, ceratum roſaceum ex cera alba cum tertia adipis anſerini parte præparatum, albumine oui quãtum eius capere poteſt admixto, infundito. Sedata demum inflammatione, menſes prouocentur.

De vtero in ſcirrhi tumorem indurato, Sorani, Cap. LXXXIIII.

INduratur vterus aliquando derepente, nullo præindicio facto, plerunque verò inflammatione prægreſſa, quæ neque ſoluta eſt, neque in abſceſſum tranſmutata. Eſt autem huius indurationis in ſcirrhi tumorem ſpecies, ea duritia quæ in vteri ceruice vtplurimùm conſiſtit: & tumorem quidem ſimiliter habet, ſed minus renitentẽ, & cum moderato dolore. At verò vbi in ſcirrhum induratus tumor vteri fundum occupat, tumor vehemens & tactui renitens occurrit, cum grauitate ac ægro motu, non ſolùm crurum, ſed totius corporis: & ſegnities ad omnes vitæ functiones. Quòd ſi non recto ductu tractentur, conſequitur vitiatus corporis habitus, decolor, & ad ſimilitudinem hydropis. Duritiæ itaque circa os & collum vteri conſiſtentes, facilè curantur: circa fundum verò, difficulter. In principio itaque ſi nihil obſtiterit, neque ætas aut vires prohibuerint, ſanguinis mediocrem copiam à cubiti vena ſecta detrahemus, aut per hieram Archigenis purgabimus. Inſeſſionibúſque vtemur ex fœnigræci, ſeminis lini, pulegii, artemiſiæ, foliorum ſambuci, radicis & foliorum cucumeris ſylueſtris decoctis. Et aromatum

A vapore fomẽta faciemus. & vterum oleo ſuſino, narciſſino, irino, gleucino, adipe anſerino, gallinaceo, ſuillo recẽti, aliquo vnguento admixto. itẽ lacte bubulo aut caprino cũ adipe anſerino colluemus: Cataplaſma quoq; imo ventri apponemus è caricis, hyſſopo, nitro & abſinthio. & cucurbitas cum ſcarificatione affigemus. Malagmate item polyarchio vtemur, & eo quod è ſeminibus conſtat, & quod ex baccis lauri paratur, de quibus paulo pòſt agemus. Peſſi verò mitigatorii & aperientes ſubdantur. Facit & is quem infrà ad vteri condylomata deſcri-

B bemus, è lycio ac œſypo paratus, & quem ſuprà retulimus è tribus papaueris capitibus conſtans. Cui ſimilis eſt hic: Duo papaueris capita paſſo per triduum macerato, deinde ad tertias coquito, & expreſſis capitibus ad decoctum excolatum adiicito galbani drach. vnam, caſiæ, ſucci mandragoræ, ſing. drach. tres, myrrhæ, thuris, ſingul. drach. vnam, & poſtea medullæ ceruinæ, œſypi, adipis anſerini, ſingulorum ſimul liquefactorum drach. tres admiſceto, ac in plumbeo vaſe ſeruato. Vſu verò poſtulante ex hoc medicamento oliuæ magnitudine roſaceo diluito,

C & bis aut ter quotidie tepidũ ſubdito. Bene facit & tetrapharmacum, heptapharmacum, enneapharmacum, emplaſtrum Azanitæ, & emplaſtrum ex ſuccis: omnia oleo ſuſino aut cyprino diluta. Peſſus, Libanus appellatus, mollitorius: Ceræ albæ quadrantem, olei nardini, gleucini, ſuſini, medullæ ceruinæ, adipis anſerini, ſing. ſextantem, œſypi, butyri, nitri, ſingulorum drach. quatuor. aliqui oui aſſati vitellum addunt. Alius peſſus, Titianus vocatus: Ceræ ſeſcuncem, colophoniæ ſeſquiunciam, adipis taurini trientem, picis, terebinthinæ, ſingulorum

D quadrãtem, medullæ ceruinæ, ammoniaci thymiamatis, ſing. vnciam vnam. ammoniacum aqua diſſoluatur. Alius peſſus mollitorius: Ceræ albæ, vnguenti nardini, ſingulorum quadrantem, olei irini, gleucini, cyprini, adipis vrſi, pinguedinis porci, ſingul. ſextantem, butyri, medullæ ceruinæ, œſypi, terebinthinæ, ſing. trientem. Alius peſſus ad duritias: Ceræ albæ, terebinthinæ, medullæ ceruinæ, adipis gallinacei, anſerini, butyri, vnguenti nardini, ſuſini, myrrhæ, æquales portiones excipe melle, ac vtere. ſi ſuſinum oleum ſiue vnguentum non fuerit ad

E manum, telinum pro ipſo ſuccedat. Peſſus, Aureus vocatus, mollitorius: Ceræ trientem, medullæ ceruinæ, adipis anſerini, ſing. vnc. vnam, œſypi drach. quatuor, croci drach. vnam, myrrhæ, galbani, ſing. drach. vnam, olei ſuſini quantum ſatis eſt. Alius, ad omnes diuturnas vteri affectiones: Myrrhæ drach. vnam, bdellii drachm. duas, ſpicæ nardi, croci, ſing. drach. tres, caſiæ, ladani, ſing. drachmas duas, meliloti drach. octo, carnium palmularum decem, vini dulcis cyathum, olei ſuſini, roſacei, cyprini, ſing. trientem. Aridis cum vino dulci tritis olea admiſce-

F to, & molli igne coctis vtitor. Ad imum verò ventrem epithemata velut diximus imponantur, polyarchium, è ſeminibus, è baccis lauri, ex meliloto. Bene facit ad duritias ac vteri inflationes & hoc: Reſinæ pinus libr. tres, ceræ vnc. xx. apochymatis, fermenti acidi, ſing. lib. I. galbani quadrantem, ammoniaci thymiamatis, opopanacis, ſing. ſext. muriæ acerrimæ quãtum ſatis eſt. Opopanacẽ & ammoniacum cum muria coquito, & fermentum adiicito ac aliquatenus diſſoluito. deinde liquabilia liquata admiſceto, & ſpathula donec frigeſiant agitato, & in mor-

G tarium tranſlata probè ſubigito, ac vtitor. Aliud epithema è micis panis, laxandi ac diffundendi vim habens, faciens ad omnes duritias quocunque loco fuerint, & inflammationes duriores diſcutiens: Radicis althææ, carnium palmularum quæ Nicolai appellãtur, ſing. lib. duas, fœnigræci, ſeminis lini, ſing. lib. vnam, chamæmeli, meliloti, ſing. ſeſcuncem, vini antiqui adſtringentis ſextar. octo, ſpumæ argenti, ceruſſæ, colophoniæ, ſing. lib. duas, ceræ, terebinthinæ, ſing. lib. vnam, olei antiqui lib. quinque, panis ſiliginei ſicci contuſi ac cribrati libr. quinque.

H Herbæ in vino maceratæ coquantur, & ſuccus exprimatur, & in hoc ſucco panis madeſcat. Poſtridie verò ſpuma argenti & ceruſſa conteruntur, & oleo affuſo coquuntur donec non amplius inquinent. & ad hæc liquabilia liquata adiiciuntur. & ſublato ab igne medicamento panis

præmadefactus commollitur, ac paulatim reliquis admiſcetur, & per ſpathulam agitando vnitur. Hoc itaque modo ad duritias ſtomachi, alui profluuium, ac dyſenteriæ principium præparari ſolet: ad quas omnes affectiones ſecurè adhibetur. Verùm ad vteri ac cæterorum locorum duritias, viſceribus exceptis, ad prædicta hæc addimus: Æruginis, floris ſalis, thuris, ſing. ſeſcuncem, iridis, ariſtolochiæ, ſing. quadrātem, terebinthinæ lib. vnam. & terebinthina quidem reliquis liquabilibus admiſcetur: arida verò trita ac cribrata inſperguntur, medicamento ab igne ablato. & poſtremùm panis madefactus adiicitur, & omnia probè per ſpathulā agitata vniuntur: frigefacta verò in mortario, primū piſtillo, deinde manibꝰ ſubigūtur.

Peſſus ad vteri duritias: Ceræ, reſinæ pinus, picis, terebinthinæ, butyri, olei roſacei, irini, nardini, mellis, ſing. libr. I. nitri ſextantē & ſemiunciā. Alius peſſus, molliēdo efficax: Ceræ, olei ſuſini, roſacei, adipis anſerini, ſing. libr. vnam, iridis, terebinthinæ, adipis leonini, vrſini, ſingulorum ſeſcuncem, medullæ ceruinæ trientem. habet hic peſſus ex toto libras ſex, & trientem. Peſſus ex Archigenis ſcriptis. Facit ad duritiam, debilitatem, maciémque vteri præ omnibus quos ego noui efficaciſſimè, & ad omnes ferme vteri affectiones, & ad neruos affectos cōmodiſſimus eſt: & eſt acopon quoque inſigne: Olei irini, ſuſini, cyprini, ceræ, ſingulorum libram vnam, mellis Attici quincuncem, vnguenti foliati, nardini, ſingulorum trientem, adipis anſerini quadrantem, medullæ ceruinæ, œſypi, ſingulorum ſextantem, terebinthinæ ſeſquiunciā. œſypū & medullam cum melle ſubigito: deinde ceram cum oleis liquefacito, & poſtea terebinthinam & adipē, & conſequenter pretioſa vnguēta nardinum ac foliatum addito. & in mortarium tranſlata, probè vnito. Hoc ſi vſq; ad exactam curationem vteris, magnam laudem conſequeris. Sed & poſt adeptā ſanitatē aliquanto tēpore poſtea maioris ſecuritatis gratia adhiberi poteſt. Ego verò etiam pro malagmate forinſecus impono, & ad prædicta admiſceo thuris, ceræ, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, floris iunci odorati, ſing. drach. octo, picis drach. ſedecim, galbani, opopanacis, ſingul. drach. tres. thus, galbanum, opopanacem, vino odorato adſtringente terito, & ad œſypum & medullam ac mel adiicito, & omnia ſimul rurſus terito. deinde ceram cum pretioſis vnguentis liquato, & ammoniacum tritum reſinámque ac reliqua admiſceto. & ablato ab igne medicamento ac frigefacto, myrrham & florem iunci odorati inſpergito, vnito, ac vtitor. Epithema Oribaſii è baccis lauri. facit ad duritias: Ceræ, reſinæ pinus, picis, nitri, baccarum lauri, adipis taurini, ammoniaci thymiamatis, æquales portiones. ammoniacum & nitrum & baccas lauri, ſing. ſeorſim terito ac cribrato, & reliquis liquatis admiſceto. Ego verò, inquit Oribaſius, dimidium nitri accipio.

De vteri abſceſſu, Archigenis, Cap. LXXXV.

Abſceſſus in vtero velut in cæteris corporis partibus præcedente inflammatione generatur. Primùm igitur inflammationis notæ apparebunt, deinde circa puris generationem dolores augentur, febréſque cum horrore, plerunque ad veſperam ingruunt, tumor attollitur, dolor punctorius adeſt, aliquando vrina, aliquando ſtercoris recrementa ſupprimuntur: aut vtraque ſimul. dolor autem localis affectum locum indicabit. Proinde ſi diſcuti non poteſt, citius ſuppurationi auxilium ferendum eſt. Itaque ſemen lini, fœnumgræcum, farinā ordei, caricas coctas, althææ radicem, terebinthinam, in cataplaſmate imponemus. aliquando etiam columbinum ſtercus cum oleo & melle adhibebimus, Hæc autem cataplaſmata imo vētri ac lumbis imponantur. & pudendi ſinus per ſpongiam aſſiduè foueatur, & vapores per arundinem operculo ollæ perforato inſertam intra pudendum recipiantur. Inſeſſionéſque frequentes fiant, decoctis in aqua iis quæ attractoriam vim habent, velut eſt pulegium, marrubiū, laurus, ſaluia, arcemiſia, dictamnus, centaurea. Quòd ſi dolor vehementius infeſtauerit, papaueris capita in aqua coquantur, & contuſa cataplaſmatis admiſceantur. Caricæ item crudæ in mortario cum reſina pinus, terebinthina ac modico nitro tritæ imponantur. peſſis autem vtemur ex terebinthina, myrrha, œſypo ac butyro paratis. Verùm optimus ad vteri abſceſſus ſic præparatur: Carnis caricarum pinguium, adipis anſerini, olei irini, ſing. drachmas duas, terebinthinæ drach. vnam, rutæ drach. tres, myrrhæ, iridis, nitri, ſing. obol. duos. poſſunt etiam pro caricis vuæ paſſæ admiſceri. Excipiuntur lana in peſſum, qui oleo irino aut cyprino tepido tinctus ſubditur. Eſt & ad hunc vſum efficaciſſima compoſitio cyphoides appellata, & ſuprà ad hepatis abſceſſum deſcripta: itémque enneapharmacum ad duritias paratum: & malagma polyarchium, & alia huiuſmodi, oleo ſuſino aut telino imbuta, & peſſo in vterum ſubdita. Imus item venter ac pecten aſſiduè prædictis decoctis foueatur. At verò rupto abſceſſu, ſi pus ad veſicam fuerit delatum, & cum vrina excernitur, lactis potu vtendum eſt, & cucumeris ſemen propinandum. & cataplaſmata prædicta adhibenda, ceratáque emollientia ac odorata. Si verò ad inteſtinum rectum progreditur, & cum ſtercore vel per ſe egeritur, lentium & malicorii decoctum per clyſterem infundemus: ſi verò in pudendi ſinum erumpit, & purum eſt pus, roſaceum aut tetrapharmacum cum butyro recenti ac roſaceo infundatur. & loci roſarum aut lentium decocto, aut ptiſanæ ſucco eluantur. Sin tenuis & fœtida deſtillat ſanies, velut à noma & vlcere depaſcente, magis adſtringens ſit quod infunditur, velut eſt baccarum myrti, palmularum, lentium, & malicorii decoctum. Quòd ſi poſt humorum excretionem inflammatio perſeuerauerit, perſeuerandum quoque eſt in cataplaſmatis & inſeſſionibus ſuprà relatis. At ſi inæqualia fuerint quæ prodeunt, fomēta & inſeſſiones ex aqua mulſa fiant, in qua abſinthium, marrubium, eruum, centaurium, aut lentes ſunt decoctæ. Loci verò ptiſanæ ſucco eluantur, addito melle & roſaceo: vteri verò os & anus cerato roſaceo aut butyro inungatur, cui ſpodii, aut ſtibii, aut plumbaginis, aut ſpumæ argenti aliquid, cum muliebri lacte ſit admixtum. facit & plumbi ſuccus. Si verò profluens humor fœtidiſſimus fuerit, vino mulſo pudendi ſinus eluatur, & in eo vſque ad exactam curationem perſeuerandum eſt.

Abſceſſus oris vteri chirurgia, Cap. LXXXVI.

Si circa oſculum vteri abſceſſus conſtiterit, vt ſub chirurgiam duci poſſit, non promptè ad ſectionem feſtinandum eſt, ſed perfecta affectione, & inflammatione plurimùm aucta, & partibus puri incumbentibus attenuatis. Atque tum mulier locetur in ſella ſupina, vt crura habeat ad ventrem contracta, & femora inter ſe diſparata. Et cubiti ipſius poplitibus ſubiiciantur, & idoneis vinculis ad ceruicem religentur. & hoc ad claram lucem fiat: aſſideátque à dextris chirurgus, & per dioptrā inſtrumentum, pro ætate commodum, ad pudendi diductionē ſpeculetur, & per ſpecillum ſinus muliebris profunditatem dimetiatur, vt ne maior dioptræ tibia vterum comprimat. & ſi reperta fuerit tibia eius ſinu maior, lanæ conuolutæ labiis ſiue alis pudendi imponantur, vt in ipſis dioptra firmetur. Oportet autem tibiam immittere, cochlea ad ſupernam partem vergente, & dioptram quidem à chirurgo teneri, cochleam verò per miniſtrum circumuerti, vt diductis tibiæ plicis ſinus diſtendatur. Poſtquam autem occurrerit abſceſſus ad tactū lenis & tenuis, apex eius ſcalpello vel acicula diſſecetur, & excreto pure limniſcus linamentum tenerrimum roſaceo tinctum in ſectionem indatur, aut potius extra ſectionem in muliebrem ſinum citra impulſionem. Extra verò pudendi labia ad pectinem & lumbos lanæ ſuccidæ aut puræ oleo imbutæ imponantur. tertia deinde die ægra in aqua & oleo calidis inſideat, aut in maluæ decocto. Et deterſione facta, limniſcus tetrapharmaco per ſe aut cum melle illitus, in ſectionis fiſſuram leniter indatur. ſit autem tetrapharmacum butyro aut roſaceo dilutum. cataplaſmata autem forinſecus imponantur donec abſceſſus ab inflāmatione liberi ac puri fiant. Si verò difficulter repurgentur, per auricularem clyſterem iridis decocto eluantur. & per emplaſtrum ex cadmia, aut ex ladano paratum, aut id quod ex ordeo vſto conſtat, ſingulis roſaceo dilutis, ad cicatricem

cicatricem

catricem perducantur.Quòd ſi intra vteri os abſceſſus fuerit, chirurgiam reprobamus, & curationem paulo antè relatam adhibemus.

Abſceſſus vteri inter inteſtina & peritonæon membranam rupti curatio, Cap. LXXXVII.

ERuptionem inter inteſtina & peritonæon membranam aluum ac inteſtina ambientem, indicat tumor circa illas partes magis hærens.Si verò intra vterum rumpitur abſceſſus, dolor quieſcit, & os vteri ad tactum lenius occurrit. Eruptio itaque ad ſuperficiem tendens adiuuanda eſt,& cutis poſtquam ſatis fuerit attenuata, ſpecillo in ſummo apice diſſecanda,qua parte effluxū cōmodiorem fore ſperamus. At ſi ſanguinis eruptionis tumor eſt,pro ſpecillo ſiue ſcalpello cauterium eminentiori loco adhibebimus,& ita pus educemus. plurimùm enim ad totam curationem cauterium confert. Poſt excretū autē & probè expreſſum humorem, ægra collocetur vt reſiduū commodè excerni poſſit,& ſectio aqua mulſa eluatur, & poſtea bis quotidie ac ſemel in nocte ſpongiis foueatur. interdum & in aqua calida ægra inſideat, & vterus oleo cyprino calido eluatur. Reliqua verò curatio cæteris vlceribus ſimilis fiat. Alimenta autem exhibeantur boni ſucci & quæ non facilè difflantur,velut eſt lac cum amylo, alica, oryza, pedes porcini in alica aut priſana ad flacciditatem cocti,auiculæ & piſces boni ſucci.& niſi febris obſtiterit, vinum etiam dulce antiquum concedemus. Balnea autem & alimenta quæ exulcerationes exacerbāt, vitentur.

De vteri exulceratione, Archigenis, Cap. LXXXVIII.

VLceratur vterus ſæpe ex fluxione erodente,aut ab acribus medicamentis,aut ex abſceſſibus ruptis, aut ob partus difficultatem, aut fœtus extractionē, aut eiuſdem corruptionem. Ægrotæ verò in affecta parte dolorē punctorium perceptant,& ex interuallis fœtidi ac ſanioſi humores ab vlcere ſordido prodeunt,& conſequuntur etiam alia vtero affecto peculiaria accidentia, velut eſt capitis ac præſertim ſincipitis dolor:ligamentorum item ac radicis oculorum dolor, qui ad manus vſque ac digitos ſe extendit, & reliqua ſuprà de inflammatione relata. Vlcus itaque expoſitum, per dioptræ vſum deprehenditur:in profundo verò reconditū,humores qui excernuntur indicant.Non autē aliter huiuſmodi vlcera curantur quàm inſeſſionibus, irrigationibus, cataplaſmatiſque ac peſſis ſuprà relatis. Priuatim tamen commodum eſt hoc medicamentum:Crocus optimus cum muliebri lacte teritur,& cerato excipitur, & cera Tyrrhenica, & roſaceo aut ſuſino oleo, cum anſerino adipe parato, & in peſſo ſubditur.Hoc autē adhuc efficacius eſt,&ad dolores magis congruum,quod ſequitur: Papaueris capita decem in paſſo diluto per triduū macerantur,deinde donec flaccida fiant coquuntur,& poſtea expreſſa teruntur, cum ſeminis aut foliorum roſarum drach.quinque,croci drach.III. admixto etiam inter terendum ipſo decocto. deinde ceratum ex ceræ ſextāte,& roſacei aut narciſſini olei ſextante ad ea affunditur, & medicamentum in ſtannea pyxide ſeruatur: vſu verò expetente, roſaceo aut narciſſino oleo dilutum,& in peſſum exceptum ſubditur. Facit & peſſus ſuprà relatus,ex croco,roſaceo, adipe anſerino & medulla ceruina paratus. talia enim dolores mitigant,& vlcera ſanant. Philoſophi medicamentum, ad mulieris pudendum exulceratum,& ob acrium humorum influxum pruriginoſum: Plumbaginis ſextantem, glauci vnc.I. cum ſucco hyoſcyami terito, & olei myrtei aut roſacei quantum ſatis eſt admiſceto, vteréque vel manu illinens, vel in paſſo ſubdens.

Vlcerum vteri carbunculoſorum curatio, Cap. LXXXIX.

CArbunculoſis vteri vlceribus priuatim proſunt lentes,& oleæ folia, ſine melle: lupini in vino auſtero cocti:inſeſſiones in eorundem lupinorum decocto.

Ad ſordida vteri vlcera, Cap. XC.

AD ſordida vteri vlcera emplaſtro Ægyptio vtendum eſt,citra æruginem præparato. omnia enim mordacia, quemadmodum & cruſtas inducētia, vtero aduerſa ſunt. Vtemur etiam eo quod ex melle, terebinthina,ro- A ſaceo aut ſuſino oleo & butyro conſtat: quibus aliqui etiam crocum addunt. Ad vlcera repurganda efficax eſt & iris Illyrica cum melle impoſita: & ariſtolochiæ decoctum per ſe,vel cum melle infuſum. Peſſus optimus ad ſordida vlcera repurgāda: Terebinthinæ drach.quatuor, adipis anſerini drach. VII. myrrhæ drach. I. croci drach. tres,medullæ bubulæ,œſypi,ſing.drach.II.mellis, olei cyprini aut irini,ſing.drach.XVI.thuris,radicis panaceæ,iridis,ſing. drach. duas,cyperi drach.IIII.

Ad humorem à muliebri pudendo profluentem, B Cap. XCI.

ORdei vſti,amyli,thuris,ſingul.vnc. vnam, aluminis ſciſſi drach. quatuor:minutiſſimè terito ac cribrato, & aſinino lacte diluito, ac in pudendi ſinum per vteriſuſorium clyſterem infundito. Quòd ſi vlcus dolorem intulerit,tale medicamētum adhibeatur: Roſarum ſiccarum tritarum, capitum papaueris paululum torrefactorum, ſing.drach.tres,croci,ſtyracis,ſing.drach.duas,farinæ fœnigræci,œnāthes,ſing.drach. quatuor,thuris drach.duas. omnia cū paſſo Cretico ac oleo roſaceo paulatim affuſis C ad mellis compagem conterendo redigito, & in peſſum excepta calida ſubdito.

Ad vteri nomas, Aſpaſiæ, Cap. XCII.

NOmæ verò & vlcera depaſcentia ac efferata, equino aut aſinino lacte recēns mulcto eluātur. & in vtriuſque penuria, quodcunque haberi poteſt recens, coctum accipiatur. Duabus autem lactis heminis,mellis hemina dimidia addenda eſt, & quatuor iridis drachmæ inſpergendæ,& tale infuſum calidum ſæpe ſingulis diebus infundendum. Idem facit aqua mulſa in qua abſinthium, D aut calamus aromaticus,aut leucanthemum vel chamæmelum,aut buphthalmum decoctum eſt & vbi quod infuſum eſt,excretum fuerit, loci protinus maluæ decocto eluantur. deinde peſſus ſubdatur ex farinæ erui, iridis, ſing.drach.duabus,cum melle ſubactis,& peſſo exceptis. Alius peſſus. Melilotum in vino aquæ marinæ experte coctum terito,& melle admixto ſubdito. Alius,farinā lentium cum melle ſubdito. Alius. Oleæ folia cum vino trita, & melle admixto ſubdito. Alius. Vuarum paſſarum carnes tritas cum melle ſubdito. Alius. He- E deræ aureum florem habentis folia in vino cocta cum melle indito. Aſclepiadæ medicamentum in puluilli forma, ad vteri nomas præcipuum: Lupinos amaros tritos ac cribratos ſeruato, & vſus tempore ſine vllo liquore ſubdito, vel melli admiſceto. Alius peſſus optimus. Hederæ aureum florem habentis faſciculum, in vmbra paululum ſiccatum in vas fictile coniicito, idque vndiq; oblinito,ac torreto,& eo cinere vtitor. Alius ad humida vlcera: Ariſtolochiæ longæ tritæ drach. VI. rubricæ ſi- F nopicæ hepatis colorem referentis drach. VIII. miſce, & cum melle ad cerati craſſitudinem redige,& panniculo attrito excepta deliga, & ſub prunis exure. & vbi optimè aſſata fuerint, tere ac vtere.aut panniculum deligatum in ollam mittē, ac probè opertam & oblitam in ignem pone,donec medicamentū ad carbonis ſpeciem fuerit exuſtum,& deinde tritum ſerua. Vſu verò expetente,ad nomas ſubde,& breui contrahentur. Hoc vſque ad inductā cicatricem idoneum eſt. Alius. Seminis tamaricis partem vnam,nitri rubri tantundem, terito ac cribrato, & ſimul mixtis aridis vtitor, aut roſaceū admiſceto. Vbi G verò nomæ fuerint cohibitæ, adhibeantur ea quæ paulo antè ad vlcera repurganda relata ſunt.

Quæ ad cicatricem ducunt, Aſclepiadæ. Cap. XCIII.

POſtquam vlcera fuerint repurgata, vtendum eſt iis quæ ad cicatricem perducunt, primùm mitioribus, poſtea efficacioribus. Ceratum cicatricem inducens: Ceræ albæ quadrantem,roſacei optimi dodrantem, ad prunas liquefacito,& quadantenus refrigerato. deinde in mortarium coniicito,ac lacte muliebri aut aſinino aut H caprino recēns mulcto affuſo, cum piſtillo ſubigito donec totum inalbeſcat. deinde diffuſo priore lacte, nouum infundito ac rurſus ſubigito,& croci drachm. vnam admiſceto.Quòd ſi magis mitigatorium facere volueris, roſacei olei ſeptūcē,adipis anſerini & medullæ eiuſdem,

ſing.vnc.vnam accipito.potes & pro roſaceo,melinū aut ſuſinum admiſcere. Medicamentum ex ordeo ad vteri vlcera: Ordei vſti ac triti,ſpumæ argenti lotæ, ceruſſæ lotæ,ſing. libram vnam,adipis anſerini lib.quatuor,adipis capræ recentis lib. tres,olei myrtei lib.duas, mellis deſpumati beſſem, terebinthinæ quadrãtem ſiue triẽtem. hoc etiam ad ardores & vlcera pudendorum facit. Nec minus vtendum eſt iis quæ ad ſedis affectiones,ex pompholyge & plumbo vſto præparãtur:itémque eo quod ex cadmia, & quod ex ladano præparatur, ſingulis myrteo aut roſaceo oleo dilutis.

De cancris vteri, Archigenis, Cap. XCIIII.

CAnceratorum vteri tumorum aliqui vlcerati ſunt,aliqui non vlcerati: quemadmodum de mammis ſuprà diximus. Itaque in non exulceratis tumor circa os vteri reperitur durus,ad tactum renitens, inæqualis, eminens, colore fæculentus,ruber aut ſubliuidus, vehementes dolores inducẽs circa inguina,ſummum ventrem,pectinẽ, ac lumbos:qui ad manuũ contactum & medicamentorũ varietatem exacerbatur. Si verò vlceratus eſt cancer,ſupra dolores duritiáſque ac tumorem,vlcera corroſa & inæqualia videntur,plerunque ſordida, eminentia, albicantia: quæ verò pura putantur,fæculenta,liuida,rubicunda, & cruenta apparent. Excernitur autem ab ipſis ſanies tenuis,aquoſa,nigra,aut fulua graueolens. aliquando & ſanguis defertur, & alia ſigna adſunt ſuprà de vteri inflammatione relata. Proinde affectio quidem hæc incurabilis eſt,velut etiam Hippocrates pronuntiauit: mitigari tamẽ ac leniri poteſt inſeſſionib⁹ in fœnigræci ac maluæ decocto,& cataplaſmatis ſimilibus. In exacerbationibus autẽ valde mitigat malua,aut althæa in aqua mulſa ad flacciditatem cocta,& cum modico roſaceo trita ac impoſita. & cataplaſma è caricis, meliloto, ac ruta paratum. & quod ex palmulis paratur in paſſo coctis,ouorum vitellis ac polenta admixtis.aut papaueris capita trita & cribrata, cum polygoni aut intubi aut coriandri ſucco. aut ſolani folia tenera cum lacte muliebri impoſita.aut ſolanum cerato roſaceo exceptum,frigida aqua paulatim cerato inſtillata.aut maluæ folia cum lacte muliebri trita,& roſaceo cerato excepta. atque hæc omnia in dolorum vexationibus ſunt adhibenda. Poſtea verò ceratum imponatur ex roſaceo,aut myrteo, aut melino, aut œnanthino cum palmulis in paſſo coctis. Facit & cataplaſma ex ouis, & quod ex ordeo paratur:quibus etiam ad ambuſta vtimur. Peculiariter autem conuenit id quod ex fæce vaſorum æreorum in quibus aqua coquitur,paratur. hæc enim fæx aſſata teritur minutiſſimè,& cerato roſaceo excipitur. & hæc quidem forinſecus. Intrinſecus autem mitigat locos, vbi vlcerati fuerint,lac muliebre aut aſininum infuſum,& plãtaginis ſuccus tepidus:ſi verò cruentati fuerint, polygoni ſuccus cum modico thure. Idem faciunt etiam peſſi ex croco,& lacte muliebri, ſuccóq; papaueris ac œſypo præparati. Omnibus autem præſtat etiam ad ſedis affectiones hoc: Spumæ argenti lotæ ſeſcuncem,thuris maſculi,œſypi,adipis porcini recentis,butyri recentis,ceræ Tyrrhenicæ,ſing.ſextantem,roſacei trientem. Seruatur hoc medicamentum pyxide plumbea, & arefactum roſaceo diluitur. Ego verò, inquit Archigenes, ſpumam argenti cum ſeridis ſucci hemina diluo,& vbi mellis ſpiſſitudinem habet,liquatis aliis admiſceo. vtere etiam medicamentis ad ſedis affectiones præſcriptis. Optimum eſt & id quod ſuprà ad mammarum nomas deſcripſimus, ex vino, rhoe coriario,pilulis cupreſſi ac galla præparatum,quod muliebri aut aſinino lacte dilutum adhibetur. Philoſophi medicamentum ad cancros vteri: Cancros fluuiatiles tres aut quinque,impari numero,ſub prunis exurito, & cum oleo cyprino tritos per pennam illinito.

De vteri obturatione, Cap. XCV.

OBturatio circa os aut collum vteri fit, aut propter vlcerationem prægreſſam, aut ob inflammationẽ induratam,per quam loci adeò anguſti fiunt vt ſemen non amplius admittant, vel admiſſum non retineant. ob calloſam enim duritiam vterus contrahi non poteſt. Aliquando ſemen admiſſum,& intra anguſtiſſimũ os cõtentum, fœtus cauſa eſt. verùm hæc conceptio prægnanti mortis cauſam inducit, quum ob nimias locorum anguſtias fœtus prodire non poſſit. Inſeſſiones itaque ex oleo & aqua & fœnigræci decocto adhibeantur,& per cerata ac peſſos emollientes ex œſypo, terebinthina, ac nitro præparatos laxentur. At verò ſi loci ad tactum molles fuerint, ſpongiam ſiccam funiculo appenſo intra locorum anguſtias dilatandi gratia indemus.& ſi ea exciderit,aliam craſſiorem immittemus. Et ea de cauſa plures ac diuerſas ſpongias ſiccas paratas habere oportet, & poſtea tale medicamentum ſpongiæ illinemus: Sandarachæ,aluminis ſciſſi, ſing.drach.vnam, auripigmenti drach.tres, omnia ſimul contrita melle excipito,& ſpõgiæ indendæ illinito. Quòd ſi ſublata ſpongia locus non ſatis apertus videbitur, inflammatióque oborta fuerit,ſubiectum medicamentum ſpongiæ illinátur: Iridis drach II.adipis anſerini, terebinthinæ,thuris, olei irini, ceræ, ſing. drach. IV. Iridem primúm,deinde thus minutiſſimè terito ac cribrato,& terebinthinam,adipem, ceram, cum oleo liquato,ac omnia ſimul vnito. Vbi verò inflammatio quieuerit, & locus apertus fuerit, ceratum ex oleo roſaceo & adipe anſerino paratum,ſpongiæ illinátur,in quo vſque ad inductam cicatricem perſiſtendum eſt,vt locus paulatim cõſolidetur.

De vtero non perforato, Cap. XCVI.

QVædam à natiuitate vterum non perforatũ habent, & hoc trifariam contingit. Quibuſdam enim in ipſius pudendi alis ſiue labiis, membrana aut caro obturans enaſcitur:aliis in ipſo pudendi ſinu idem contingit: aliis circa ipſum vteri oſculum eadem obturatio fit. Quibus itaque in pudendi labiis membrana excreuit, eas curaturi ſupinas pro more reflexis ac diductis cruribus locabimus,& operientem membranam ſpecillo diſſecabimus, donec figura pudendi ad naturalem dimenſionem deueniat, poſtea linamentis conuulſis ſectionem replebimus ac deligabimus,& curationem ſuppuratoriam per cataplaſmata aliquot diebus adhibebimus. deinde linamentis cerato roſaceo liquido imbutis vtemur. At ſi poſt ſectionem,pudẽdi alas carnoſis partibus propinquis vnitas eſſe ſenſerimus,vtrinque excoriabimus,& per linamẽta dilatabimus,eodémque curationis modo vtemur. Mulier verò ſupina,puluinar intra femora habẽs,vſque ad cicatricẽ inductã permaneat. ſi verò pudendi quidẽ figura externa aperta eſt, in ſinu verò caro innata locũ obſtruit vt anguſtum foramen relinquatur,muliere eodem modo collocata,ſtilum in vteri ceruicem maioris tutelæ gratia immittemus,ne per errorem altiorem ſectionem faciamus:atque ita infra ſignatum per ſtilum locum diſſecabimus,per ſpecillum latum, donec ſinus ſecũdum naturam habere videatur:deinde labia diſſectæ carnis per volſellã diſtenta ad quadrangularem figuram circuncidemus. & erectam mulierem diductis cruribus ſtatuemus,vt humor in vtero collectus commodè profluat. Quod vbi ſufficiẽter factum fuerit, ægram ad priorem decubitus formam reducemus, & linamentum vino & oleo imbutum in ſectionem indemus: habeat autem hoc filum alligatum, quo facilè extrahi poſſit:& loco probè deligato quietem imperabimus. Sequentibus verò diebus locus cum aqua mulſa eluatur,& pharmacum ſuppuratorium linamento intorto illitum indatur.& vbi cicatrix inducenda eſt, canalis ex ſtanno indatur ac alligetur, donec locus fuerit conſolidatus. Quòd ſi partes rurſus inter ſe coiuerint, ac rurſus vteri os claudatur,ſpongiam ſiccam indito donec callus fuerit obductus. Si verò membrana ipſum vteri os obſtruxerit, muliere in eodem ſitu locata, dioptra immiſſa ſinus dilatetur,& membrana per volſellam arrepta ac extenta intorqueatur vt tota ſimul colligatur, & lato ſpecillo amputetur,& medicamentum ſiccum floridum inſpergatur,& linamentum tortum alligato filo indatur, & eadem curatio fiat. Quòd ſiquid de membrana relictum fuerit, florido aut pſaro appellato medicamento conſumatur. Repurgatis autem locis, hoc pharmaco linamenta tingito: Ceræ, terebinthinæ, adipis anſerini, ſingulorum drach. duas,iridis,thuris, ſingulorum drach. I.croci drach.tres,olei irini drach.XVI. Iridem,crocum,& thus cum paſſo terito, & liquabilia liquata admiſceto.

Dioptra verò aſſiduè immittenda eſt, ac cauendum ne caro ſuperexcreſcat, quæ tali medicamento reprimatur: Squamæ æris, æruginis, corticis thuris, ſing. drach. duas, terito, vnito, ac vtitor. Aut æruginem & ſquamam cum plūbi ſucco ſubige & adhibe. Sed nec ſpōgiæ ſiccæ vſus omittatur, donec labiis callus obducatur. Stanneus item canalis immittatur.

De hæmorrhoidibus vteri, Aſpaſiæ, Cap. XCVII.

Hæmorrhoides quandoque in oſculo vteri, quandoque in collo, & aliquando in ipſo vtero, & aliquando, licet rarò, in pudendo contingunt. Atque hæ etiam tactu melius, tamen per dioptram, deprehenduntur, & eadem accidentia inducunt, quæ reliquæ in ſede ortæ inducere ſolent. & præterea ſterilitatem ac lumborum grauitatē tempore purgationis inducunt. Varicoſas itaque ac malignas dimittere oportet: reliquæ verò non aliter curentur quàm quæ in ſede ſunt, duris quidem ac modicum ſanguinem fundentibus, neque vaſis annexis ſtatim amputatis: eis verò quæ multum ſanguinis emittunt, circa fundum circumcirca ſcarificatis, & volſella eleuatis, ac funiculo conſtrictis, & poſtea paulatim reſectis. atque hoc facto floridum medicamentum ſiccū inſpergatur. At verò ſi citra chirurgiam malueris hæmorrhoidas reſiccare ac excæcare, huiuſmodi ſicca apponito: Spodium & roſas ſiccas terito & inſpergito: aut acaciam vino auſtero tritam: aut terram Lemniam ſigillum appellatā, cum aceto illinito. Aliud. Stibii beſſem, roſarū ſiccarum, pollinis thuris, ſing. ſextantē, cytinorū vnc. i. Aliud. Balauſtiorum torrefactorū ſeſcuncē, malicorii quadrantē, florū roſarum, ſpodii, ſing. drach. ii. Aliud ad hæmorrhoidas efficacius: Succi mandragoræ, aluminis rotundi, acaciæ, ſing. drach. duas, cum vino terito, & in paſtillos efformato, eóſque vino dilutos illinito. Aliud. Succi cicutæ, ſucci hyoſcyami, aluminis ſciſſi, rubricæ ſinopicæ, ſing. drach. duas, ſandycis drach. i. cū vino terito & excipito. & vſus tempore vino item diluito. Aliud. Diphrygis drach. ſex, ceruſſæ, ſpumæ argenti, plumbi vſti & loti, ſucci hypociſthidis, ſing. drach. tres. excipe ſucco cicutæ, & cum vino adhibe. Vtere etiam medicamentis ad hæmorrhoidas ſedis relatis, & præſertim eo quod Hippocrati inſcribitur. & potiones exhibeto ad ſāguinis reiectionē deſcriptas. inſeſſiones quoque in decoctis adſtringentibus adhibeto.

De calculo vteri, Cap. XCVIII.

Calculi aliquādo tofacei in ipſo vtero generātur. quos ſi extrahere volueris, aluū prius per clyſterē ſtercoris eductoriū euacuato. deinde fœnigræci ac maluæ decocto roſaceo admixto, vterū eluito, & muliere ſupina diſparatis cruribus locata duos lōgiores ſiniſtræ manus digitos in ani foramē immittito, dextra verò ſuperiorē ventrem cōprimito, calculumq; extrorſum cogito ac propellito, ſimul per digitos in anū miſſos deducēs ac extrahēs. At verò tofaceā ſubſtantiā extrā in vteri collo, aut oſculo agnatā, muliere ritè locata, & locis per dioptrā dilatatis, ſcalpello reſecare oportet, & florido medicamento ſicco inſperſo curare.

De calculo veſicæ muliebris, Cap. XCIX.

In veſica muliebri rarò oriuntur calculi: latiorē enim & rectiorē vrinæ meatū habēt: atq; huius extractionē, ſi fortè innatus fuerit, ita facias: Mulier ſupina coxis decliuibus ac cruribus reclinatis locetur. quo facto duos lōgiores ſiniſtræ manus digitos in pudēdū mittito. Dextra verò veſicā ſupernè cōprimito, & calculū verſus veſicæ collum adſtringentē prodeat cogito, & tunc paululū ſupra pudēdi alas, quo loco calculus occurrit, ſectionē facito, & per calcularíū forcipē extrahito. poſtea verò ſectionē manna thuris repleto, & lanā purā oleo calido imbutā ventri ac lumbis imponito ac deligato, & quotidie bis aut ter, & nocte ſemel exoluito, & oleo calido perfundito. tertia die aridis medicamentis lenibus & incarnātibus vſq; ad perfectam incarnationē vulnus explemus, & per emplaſtrū ex aceto & oleo paratū cicatricē inducimus. Optimè autem huiuſmodi locos & omne cauū vlcus incarnat hoc: Mannæ thu-

A ris ſextantē, colophoniæ minutiſſimè tritæ vnc. i. ex hoc arido totam vulneris cauitatem expleto.

De hernia aquoſa mulierum, Aſpaſiæ, Cap. C.

Hernia aquoſa circa pudēdi alas cōſiſtit, inflationi ſimilis, debili ac molli tumore. & aliquādo alterā tantùm, quandoq; vtrāq; partē occupat, ad contactū fluctuationis apparentiā quandā exhibēs. Primùm itaq; diſcuſſoria adhibeantur, ſuprà ad hernias in viris aquoſas relata, præſertim in virginibus. At ſi parum ſucceſſerit, muliere
B ritè locata ſectionem rectā tumori congruam faciemus: diſſecta autē cute, ſubiectas tunicas paulatim excoriato, & volſella arreptas diſtendito, & membranam humorem continētem diſſecato. Excreto humore ſectionem membranæ ad myrtei folii figuram facito, & labiis ſectionis duabus aut tribus ſuturis adductis ſuppurantia medicamenta adhibeto. Vtere & olei irrigatione, ac reliqua curatione, ad aquoſas virorum hernias ſuprà tradita.

De hernia inguinis mulierum, Cap. CI.

C Fiunt & mulieribus herniæ inguinis, circa dextrum maximè pudendi ſinum. prominet his tumor durus immurmurans ac premens, præcipuè vbi mulieres crura dilatauerint, aut ſupinæ decubuerint: & has quoque congruis deligamentis ac medicamentis curare oportet, vel-ut dictum eſt in hernia virorum inteſtinali ac inguinali. At ſi hæc parum profecerint, ad chirurgiam veniendum eſt. Mulier itaque ſupina decliuibus cruribus locetur, & repulſo inteſtino locus circa inguen, obliquè ſecetur, & tunicæ cuti ſubiectæ ſenſim excorientur, atque ita laxata
D peritonæi membranæ pars attrahatur ac extendatur, & inteſtinum diligenter repellatur, & quod ſuperfluum eſt de peritonæo deligetur ac conſuatur, & tunc quod ſupra futuram extat ſuperuacuum reſecetur. deinde labia ſectionis cutis duabus aut tribus ſuturis adducantur, & linamenta indantur, lanáque ſuccida vino & oleo imbuta imponatur, & deligamēta congrua fiant: poſtea medicamenta ſuppurantia & repurgandi ac incarnandi vim habentia. Irrigationes item ac cataplaſmata adhibeantur donec inflammatio quieſcat, & inde ad cicatricem indu-
E centia progreſſus fiat.

De hernia varicoſa, Aſpaſiæ, Cap. CII.

Hernia quoque ſiue ramex varicoſus in pudendi alis naſci ſolet: & et venarum ampliatio, ſimilis varicibus in cruribus fieri ſolitis. proinde in huius curatione ſectionem rectā in ſuperficie pro vaſis figura facias, deinde tunicas vaſi adhærentes ſenſim excoriato, & denudatū vas cæca volſella eleuato, & duobus vinculis altero ſupernè, altero infernè deligato. deinde venam ſecato, velut in
F venæ ſectione ad ſanguinē auferendū fieri ſolet, & detracto ſanguine, medium vaſis inter duo vincula ſuperuacuum amputato. atque hoc ſanè omnibus vaſis in varicū formam tranſgreſſis commune eſt. deinde linamentis ſectioni inditis, ſpongiam aceto aut poſca imbutam adhibeto. & deinceps ad puris generationem, ac reliquam velut vlceris curationem progreditor.

De nymphæ ſectione, Cap. CIII.

Nympha, ſubſtantia quædam eſt muſculoſa, ſupra alarum pudendi cōmiſſuram ſita quo loco vrinarius
G eſt meatus. Hæc in aliquibus mulieribus ad tantam magnitudinem augetur, vt deformitatem ac pudorem inducat. quin & à veſtimentorum contactu aſſiduo arrigitur, & ad venerem ac coitum proritat. Quapropter Ægyptiis viſum eſt vt antequam exuberet, amputetur, tunc præcipuè quum nubiles virgines ſunt elocandæ. Amputandi verò modum hunc tradunt: Virgini in ſella locatæ retrò aſſideat adoleſcens robuſtus, qui brachia ſua poplitibus virginis ſubiiciat, cruráque eius ac totum corpus regat. & tum chirurgus ante ipſam ſtans, forcipe am-
H pliori nympham corripiat, & per ſiniſtram manū diſtendat: per dextrā verò prope forcipis dentes reſecet. Menſuram autem reſectionis eandem quam in columellæ ſectione ſeruare oportet, vt ne funditus ipſam reſecemus, ſed ſuperuacua tantùm pars amputetur. Proinde prope

dentes forcipis nympham reſecandam eſſe diximus: quoniam quum pelliculoſa ſit, plurimùm extenditur, & niſi quis diligenter obſeruet, facilè vltrà quàm oportet amputationem faciet, atque hinc carunculæ decrementum, *rhœada Græci uocant*, conſequitur. Peracta chirurgia, ſpongia ex vino adſtringente aut aqua frigida expreſſa vulnus detergeatur, & manna thuris inſpergatur, & linamentum poſca madefactum indatur, & ſpongia ex poſca expreſſa ſuperdeligetur. Poſt ſeptimam verò, cadmiam minutiſſimè tritam per ſe aut cum roſarum floribus inſperge: aut ſiccum ex lapide Phrygio paratum, & ad pudendorum fiſſuras deſcriptum, aut cinerem oſſium palmularum inſperge.

De cauda, Cap. CIIII.

IN quibuſdam mulieribus carnoſa quædam ſubſtantia ab vteri oſculo exoritur, & muliebre pudēdum replet: aliquando etiam extrà progreditur inſtar caudæ, vnde etiam nomen habet. Mulier itaque velut in nymphæ amputatione dictum eſt locetur, & prominens carūcula forcipe extēdatur, & tota ex baſi reſecetur: poſt chirurgiam curatio velut in nympha peragatur.

De thymis, & verrucis tum aliis tum formicariis vteri, Philumeni, Cap. CV.

THymus, aut in alis pudendi, aut in ipſo pudendo, aut in vteri oſculo aut collo generatur. Et eſt aſpera quædam eminentia thymi cacumini ſimilis, in quibuſdam mitis, in aliis maligna, rubra, cruenta, præcipuè poſt concubitum aut deambulationes, & ſanè moro maturo aſſimilatur, viſúque deprehenditur, aliquando ſine vlla arte, aliquando dioptra immiſſa, oblata. Huiuſmodi igitur eminentias in principio curabimus, quemadmodum de reliquis thymis ac verrucis diximus. verùm vbi diutius perſeuerant, chirurgiam adhibemus. Muliere itaque rectè locata, eminentiam volſella extentam, totam funditus reſecamus: deinde curationem cruentis vulneribus aptam facimus. thymos autem in abdito recōditos, quū chirurgiæ ſubiici non poſſint, medicamētis curabimus, ſuprà ad totius corporis thymos & verrucas formicarias relatis. Ad verrucas autem formicarias pudendorū ſummè confert hoc: Capræ iugulatæ recèns oculos compungito, & humorem inde profluentem aſſiduè illinito, & intra ſex dierum ſpatium formicariæ verrucæ extirpabuntur. Sed & bubulum ſtercus calidum illitum, formicarias in muliebri natura verrucas ſanat. Aliud, quod ego in vxore mea expertus ſum, & ipſas radicitus tollit: Origani feſtucam ad lucernam accendito, & formicariæ verrucæ admoueto, vt non inde incendatur ſed fumum ſolùm ſuſcipiat. & hoc ter ſingulis diebus facito. Aliud ad pudendi ac ſedis thymos: Soleas veteramentarias, & cucurbitam ſiccam exurito ſigillatim, & minutiſſimè trita paribus portionibus permiſceto, & locis vino prius elotis inſpergito. experientia hoc cognitum eſt. Cæterùm malignorum thymorum ſectionem, ob eruptionis ſanguinis periculum reprobare oportet: non malignos autem tutò reſecamus. neque enim hic ſanguinis eruptionis timor eſt. Cauendum tamen eſt ne vterus à ſcalpri acie lædatur, quod facile vitare eſt ſi thymus diſtentus prope volſellæ dētes amputetur, ſicut in nymphæ ſectione diximus. Reſectione verò facta, ad deſiccandos locos pharmacum quoddam ſanguinem ſiſtens adhibebimus. humectatio enim cauſa eſt vt thymi regenerentur, ſicut etiam pinguium medicamentorum vſus: proinde per totam curationem, laxantia ac pinguia ſunt fugienda. Poſt chirurgiam protinus galla trita aut alumen ſciſſum, cū pari thuris pondere admoueantur: deinde medicamento florido, ex ſtomomate ferri aut roſarum flore, & cytinis ſiccis parato vtemur. Nam hæc contrahunt & quadātenus repurgant, & vlcera ad cicatricem ducunt.

De condylomatis, Aſpaſiæ, Cap. CVI.

COndyloma, eſt rugoſa eminentia. Rugæ enim circa os vteri exiſtentes dum inflammantur, attolluntur & indurantur, tumorémque ac craſſitudinem quandam in locis efficiunt. præcipuè verò dum menſes prodeunt, & poſt partus, attolluntur, & per tactum facilè cognoſcuntur. Ad has igitur fomenta adſtringentia, & eiuſdem

A facultatis peſſi ſubdantur, quæ omnia ſuprà ad ſedis condylomata ſunt relata. facit & peſſus è malicorio & butyro præparatus, & qui ex lycio Indico ac œſypo paratur.

De rimis ac fiſſuris vteri, Cap. CVII.

RImæ circa os vteri ex violentis partibus ob magnitudinem capitis infantis fiunt. Sed & ex acrium humorum influxu locos rumpente ac corrodente fieri ſolēt. & primùm quidem latent, dolore à partu adhuc recente: poſtea verò paulatim ad ſenſum perueniunt. Nam & ad manuum contactum, & in coitu dolores excitantur, quā-
B do ſanè ex affrictu cruentantur: deprehenduntur autem dilatato ſinu: fiſſuræ enim circa vteri oſculum per ambitum viſuntur. In harum itaque curatione chirurgiam & omnia mordacia pharmaca reprobare oportet: talia enim inflammationes ac conuulſiones inducunt: & inſeſſionibus ſimplicioribus ac peſſis vti, & medicamentis ad ſedis rimas deſcriptis, præcipuè eo quod ex pompholyge, ſtibio, & plumbo vſto paratur. Quòd ſi calloſæ fuerint, medicamento ex charta vſta vtendum eſt plurimo roſaceo diluto. callos enim exterit, & vlcera repurgat. ſi verò
C nimiam eius acrimoniam non ferunt, iridem Illyricam terebinthina exceptam inde. Poſtquam autem cicatrix vlceribus inducta eſt, conuenit id quod ex cadmia conſtat, aut quoddam ſedi deſtinatum, velut eſt quod ex ſpuma argenti lota præparatur, paulo antè ad cancros vteri à nobis relatū: aut hoc quod ad rimas ſedis, & muliebrium locorum condylomata præparatur: Stybii, acaciæ, ſingul. drach. ſex, paſſo excipe, ac vtere. Sæpe & hoc vtimur: Aloes, opii, ſing. drachm. ſedecim, ſtibii drach. ſex, myrrhæ drach. quatuor, thuris, æruginis, ſing. drach. duas, vino ex-
D cipe, & vtere cum paſſo. Aliud citò conferens: Stibii, acaciæ, plumbi vſti & loti. ſing. drach. XVI. ſpodii pōpholygis lotæ drach. octo, fructus ericæ, aluminis ſciſſi, atramēti ſutorii, thuris, myrrhæ, opii, ſing. drach. VIII. cū vino terito velut collyriū, ac paſtillos formato, & cum paſſo dilutis vtitor. Aliud ad omnes pudēdorum muliebriū ac ſedis affectiones. ſiſtit etiā hæmorrhoidas: Spumæ argenti lotæ, ceruſſæ lotæ, plūbi vſti & loti, ſing. drach. XXV. ſtibii loti drach. IX. pōpholygis lotæ drach. octo, cadmiæ lotæ drach. V. Hæc omnia primùm ſeorſim, deinde ſimul
E terito, & vini ac olei myrtei, ſing. lib. I. paulatim adſtillato ac probè terito, & vnita in plūbea pyxide ſeruato, & velut optimo medicamento vtitor. Nos verò, inquit Archigenes, ceræ Tyrrhenicæ lib. vnam, & adipis anſerini tantundem adiicimus. quidam etiam plumbaginis drachmas viginti addunt.

De tuberculis vteri miliaribus, Cap. CVIII.

ALiquando in collo aut oſculo vteri, aut in ipſo pudendo, miliares quædam eminentiæ enaſcuntur, ad tactum quidem occurrentes, verùm certius ad dioptram
F patentes. ſoléntque ex coitus affrictu, tum menſes tum conceptionem impedire. In his aluus primùm purganda eſt: deinde linteolo locus detergendus, & glans ex carne caricarum pinguium ac alumine ſciſſo ſubdenda. aut peſſus ex alumine & felle: aut medicamenta ad concoquenda ac diſcutienda tubercula cōmoda illinenda. Elotiones quoque ex aqua mulſa, & aliquo aromatum decocto adhibeantur.

De ſcabris vteri puſtulis, Cap. CIX.

IN pudendo & vteri oſculo ſcabræ puſtulæ oriri ſolent,
G furfuraceas ſquamas reiicientes, pruritúmque inducentes, & calidæ aquæ affuſione gaudentes. In his aluus aſinino lacte purgetur. vomitus à cœna fiat. in balneo exudatio fiat, & in calidam inſeſſus. & loci vino calido cum nitro eluantur, & poſt vinum aqua calida infundatur. & lycium Indicum, aut amurca, aut butyrum cum ſulphure, aut ceratum myrteum cum ſpuma argenti: aut alumen rotundum cum melle: aut malicoriū cum myrrha & melle illinatur. Squamas autem & furfures exterit, cyclamini ra-
H dix cum melle illita. cæterùm in cibis omnia acria, ſalſa, & acida cauenda ſunt.

De alarū pudendi muliebris abſceſſu, Cap. CX.

SI in muliebris pudendi alis ſiue labiis abſceſſus ortus fuerit, & verſus ſedem declinauerit, ſectionem eius vitare oportet. Nam ex eorum locorum ſectione,

quum rugoſi ſint, facilè fiſtula generatur. Si verò ſurſum ad vrinarium meatum vergit, tutò ſecare licet.

Ad vmbilicum prolapſum, Cap. CXI.

AMmoniacum thymiama cum modico cumino ex vino tritum apponito ac deligato. aut buphthalmũ cum ſucco mori tritum imponito. Aliud. Bituminis drachmas duodecim, carnium caricarum pinguium tantundem, primùm ſeorſim deinde ſimul trita imponito.

Ad rugas ventris, rimâſque ac nigredines à partu exortas, Cap. CXII.

ADiantum, & ſpumam nitri albam exactiſſimè trita inſpergito, & venter non corrugabitur. hoc & in balneo & extra balneum vtendum eſt. Aliud. Narciſſi bulbos cortice detracto concidito, & in vmbra ſiccato, & de his ſumito drachmas octo: radicis ſtruthii contuſæ, farinæ ptiſanæ, farinæ fabarum, maximè Ægyptiarum, ſingulorum drachmas decem, radicis bryoniæ, radicis ari, radicis cucumeris ſylueſtris, coſti, ſingulorum trientem, terito & cribrato, ac ventri per erui farinam deterſo inſpergito, & rurſus affricando detergito. Nam & rugas & rimas generari non ſinit, & genitas tollit. maculas etiam ac nigredines in quauis corporis ſuperficie exterit. In puerperis igitur ventrem oleo antea probe cõfricato, & poſtea chartam medicamento conſperſam adhibeto, & faſcia deligato, ac poſt quartum diem exoluito. deinde totum corpus in balneo detergito, & omnes nigredines ac rugas abolebis. Aliud, ad ventres à partu nigrefactos: Oſtreorum vſtorum partem vnam, farinæ fabarũ, maximè Ægyptiarum, partes duas miſce, ac vtere in balneo. Aliud. Nigellæ, nitri, æquas portiones ad ſtrigmentitiam ſpiſſitudinem cum aqua terito. Aliud. Squillæ vſtæ drach. octo, cornu cerui vſti, aluminis ſciſſi, ſalis Cappadocici, myrrhæ ſtactes, nigellæ, ſingulorum drach. duas, farinæ ordei drach. quatuordecim. Vſus tempore melle excipito, & panniculo detrito infartum ventri adhibeto, & per dies ſeptem ſinito. octaua verò abluito, ac rurſus apponito, & totidem diebus ſinito. Smegma faciei ac reliqui corporis: Granorum ricini, bulborum narciſſi decorticatorum ac reſiccatorum, ſing. drachmas octo, ſimilaginis drach. quatuor, thuris drach. II. ouorum albumina duo, miſce, ac vtere. Smegma aliud efficax: Floris iunci odorati, iridis, ſing. drach. duas maſtiches drach. vnam, terito, & ptiſanæ ſucco excipito, ac paſtillos formato, quos vſus tẽpore aqua dilutos illinito, & per interuallum frigida abluito. Aliud ſmegma, ad corporis rugas, Rufi: Caricarum pinguium, radicis bryoniæ, farinæ erui, teſtarum ſepiæ vſtarum, ſingulorum æquales portiones. Terenda terito, & ad caricas in mortario contuſas admiſceto. hoc in balneo vtendum eſt. Aliud. Vitem albam farinæ erui admiſceto, ac vtitor.

Smegma, ad defricãdas nigredines multo vſu cognitũ. Thuris ſeſquiunciam, ceruſſæ lotæ, ſpumæ argenti lotæ, amyli, ſcobis marmoris Prœconeſii, maſtiches, ſpumæ nitri albæ, teſtarum ſepiæ, ſing. vnciam vnam, ſaponis Gallici vnc. duodecim, ouorum albumina decem, omnia ſapone excipe, & vtere in quacunque corporis parte. Smegma admirandum. cutis ſuperficiem exterit & illuſtrat: Farinæ fœnigræci, amyli, tragacanthæ, ſing. trientem, terræ Samiæ quæ ſtella vocatur, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum quadrantem, maſtiches, medullæ ceruinæ recentis, ſing. trientem. tragacantham lacte macerato, & reliqua minutiſſimè trita admiſceto, ac paſtillos formato, eóſque in vmbra exſiccato. Vtere etiam ſmegmatis Sermone octauo relatis, vbi habentur etiam ea quæ ad alarum ac oris fœtorem conferunt.

Præparationes vnguentorum ſiccorum, moſchatorũ. Item conditorum, œnanthariorũ, ac ſuffumigiorum variorum, Cap. CXIII.

XEromyrum, *hoc eſt unguentum ſiccum*, Beredrias appellatum. Arnabo, amomi, ſpicæ nardi, ſing. quadrantem, folii malabathri, ſtyracis, ſingulorum quadrantem, croci, caryophyllorum, ſing. ſeſquiunciam, opobalſami ſeſcuncem, roſarum viridium vnc. vigintiquinque, miſce. Xeromyrum moſchatum: Folii malabathri, caſiæ, croci, ſtyracis, arnabonis, amomi, ſpicæ nardi, ſingulorum ſeſquiunciam, caryophyllorum drachm. quatuor, moſchi ſcrup. tres, opobalſami vnc. vnam, olei Indici aut ſimilis, quadrantem, roſarum ſiccarum ſextantem, aut viridium trientem. Compoſitio Arabica. Maſuaphii, caryophyllorum, coſti, ſingulorum ſextantem, ſpicæ, folii, roſarum, ſingulorum ſcrup. duodecim, amomi, ſtyracis, ſingulorum vnc. vnam, gummi ſextantem. arida terito ac cribrato: gummi verò madefacito, & ad ſtyracem in mortario tritum arida admiſceto, & cum gummi pilulas rotundas ad ciceris madidi magnitudinem formato, eáſq; acu perforato, ac filum traiicito, & arefactas de collo ſuſpendendas præbeto. Xeromyron roſatum. Roſarum aridarum lib. vnam, coſti, folii, caryophyllorum, hypni, caſſami odorati, vnguium aromaticorum, ſtyracis, ſingulorum ſextantem. Aliud. Folii, roſarum ſiccarum, amomi, coſti, caryophyllorum, ſpicæ nardi, arnabo, croci, ſingulorum vnc. vnam, hypni, ſtyracis, opobalſami, ſing. drachmas tres. Aliud. Roſarum libras tres, hypni libr. vnam, ſtyracis flaui & pinguis, vnguium aromaticorum, ſingulorum vnc. vnam. Xeromyron leucophyllon appellatum. cuius vſus ad collum & axillas eſt. Terræ Samiæ libram vnam, ſtyracis, folii, opobalſami, ſing. ſextantem. Styracem cum opobalſamo ſubigito, folium verò terito ac cribrato. & ad omnia ſimul in mortario probè permixta, ſucci roſarum quantum ſatis eſt adiicito, ac vtitor. Hygromyron, *hoc eſt liquidum unguentum*, quo mulieres ad aures vtuntur. Folii, ſpicæ nardi, maſuaphii, maſtiches, caryophyllorum, ſingulorum vnciam vnam, ſcrup. duodecim, ſtyracis pinguis, opobalſami, ſing. ſextantem, croci ſcrup. ſex, moſchi ſcrup. vnum, olei ſalca electi trientem.

Olei ſalca præparatio pretioſa, Cap. CXIIII.

OLei omphacini ſextar. viginti, iridis Illyricæ libr. vnam, amomi ſeſcuncem, aſpalathi, hypni, ſing. lib. vnam, caſſami aromatici libr. duas, caryophyllorum, folii, carpobalſami, ſing. lib. vnam, xylocaſiæ quincuncem, caſiæ trientem, coſti, ſtyracis pinguis, croci, ſing. vnciam vnam, myrrhæ, arnabo, ſingulorum quadrantem, ſpicæ nardi trientem. omnia in aqua coquito. Modus autem præparandi habetur Sermone primo, vbi etiam aliam olei ſalca deſcriptionem, & vnguenti nardini præparationem habes. Hygromyri præparatio: Olei ſalca lib. duas, opobalſami lib. vnam, ſpicæ nardi, folii, ſingulorũ trientem, carpobalſami, arnabo, amomi, ambræ, ligni aloes, ſingul. ſextantem, maſtiches, moſchi, ſing. ſcrup. ſex: quòd ſi caphuræ copia fuerit, ſextantem ex ea addito. hoc ad axillas vtuntur, & in aures cum auriculario ſpecillo indunt.

Leucophylli ſiue xeromyri albi præparatio: Lapidis ſpecularis lib. I. folii, ſpicæ nardi, caryophyllorum, ſing. ſcrup. ſex, ſuccini ſcrup. XII. moſchi ſiliquas ſex.

Olei ſiue vnguenti foliati ac ſpicati præparatio, Cap. CXV.

OPobalſami lib. vnam, ſtyracis, amomi, ſing. quadrantem, caſiæ trientem, lilia viginti, ſimul terito, ac vtitor: & ſi craſſius fuerit, cum oleo ſalca diluito. Alia foliati deſcriptio: Ceræ libr. vnam, nardini olei Cyziceni, lib. tres, picis Brutiæ quincuncem, ladani vnc. vnam, ſtyracis pinguis quadrantem, coſti, caſiæ, ſing. ſextantem, cardamomi, folii, ſingulorum vnciam vnam, ſpicæ nardi ſemunciam, croci, vini Aminæi, ſing. vnc. vnam, opobalſami quadrantem. Foliati præparatio ex Oribaſio: Caſiæ ſeſcuncem, folii quadrantem, amomi, ladani, ſingulorum vnciam vnam, piperis grana quadraginta, myrrhæ troglodyticæ vnc. vnam, vnguenti nardini lib. vnam. Arida terito & tenuiſſimo cribro excutito. deinde nardinũ addito, ac rurſus probè terito: & vt nigrius reddatur medicamentum, iuglandium cortices vſtos ac tritos admiſceto, & opobalſami cochlearia tria inſtillato, ac vtitor. facit etiam eximiè ad reſolutiones. Spicati præparatio: Amomi ſextantem, myrrhæ troglodyticæ, coſti, ſingul. vnc. vnam, folii, caſiæ, vnguenti foliati aut ſalca, ſingulorum quadrantem, ſpicæ nardi vnciam vnam, ſpicæ Celticæ trientem, vnguenti nardini ſeſcuncem, ceræ albæ

quantum ſatis eſt: & vt compages liquidior fiat, opobalſami quadrantem addito.

Œnanthariorum præparationes, Cap. cxvi.

COſti ſextantem, caſiæ, carpobalſami, ſpicæ nardi, ſing. vnc. vnam, amomi quincuncem, nardi Celticæ trientem, vnguenti ſpicati & foliati, aut ſalca, ſing. quadrãtem, ceræ albæ quantum ſatis eſt: & vt compages liquidior euadat, opobalſami quadrantem admiſceto. Alia œnantharii deſcriptio: Coſti ſextantem, caſiæ, carpobalſami, maſuaphii, myrrhæ, ſing. vnc. vnam, amomi quincũcem, ſpicæ nardi, ſtyracis, ſing. trientem, caryophyllorum ſeſquiunciam, opobalſami ſeſcuncem, lilia quadraginta, vini adſtringentis odorati ſextar. duodecim, ſalis Cappadocici ſextantem. Folia liliorum, croco ipſorum ac vnguibus demptis, probè detergito, & in ſindone pura inuoluta per diem ac noctem in vmbra ſiccato donec marceſcant. deinde ad myrrham in mortario cum vino ſubactam arida trita admiſceto, & pariter cum vino ſubigito. Et his poſtea ſtyracem in minutiſſimas partes contuſum addito, & omnia opobalſamo affuſo vnito. deinde lilia quoque admiſceto, & omnia in vitreum vas tranſfuſa concutito, & vino poſtea in idem vas infuſo rurſus cõcutito, & vas ipſum moſcho aut hypno diligenter obturato, deligato, luto oblinito, & per dies quadraginta inſolato.

Abſinthati ſiue rhodabſinthati præparatio ſalubris, Cap. cxvii.

SPicæ nardi ſcrup. duos, folii, amomi, ſingul. ſcrup. vnum, maſtiches ſcrup. tres, roſarum ſiccarum ſcrupul. ſex, mellis ſextarium vnum, vini ſextar. quatuor, aut (vt alii habent) quinque. quidam pro amomo coſtum adiiciunt. Aliud. Roſarum, reſectis vnguibus & in ſindone per diem ac noctem reſiccatarum, lib. vnam, mellis optimi ſextarium vnum, vini antiqui ſextarios ſex. Roſas in vino ad dies quindecim macerato, & quotidie vas ipſum ad ſolem exponito. deinde vino excolato, ſpicæ nardi ſcrup. duos, & folii aut caſiæ ſcrup. vnum admiſceto. ſint autem hæc prius cum vino trita. Poſtea verò mel adiicito, vnito, ac vtitor. Aliud roſatum. Roſarum, exemptis vnguibus, in vmbra ſiccatarum libram vnam, vini antiqui ac ſplendidi ſextar. quinque, mellis ſextar. vnum. Roſas in vino per diem ac noctem macerato. deinde ad vinum excolatum, mel adiicito, & poſt triduum exhibeto. quidam maſtiches ſcrup. ſex addunt: & ita aluum mollit.

Conditi purgatorii præparatio, Cap. cxviii.

HOC condito ad pituitoſos hyemis tempore vteris: Mellis ſextarium vnum, vini ſextarios quinque, piperis grana quadragintaſex, ſtyracis calamitæ ſcrup. tres. ſtyracem ad prunas cum modico melle diluito, deinde in mortario cum pipere probè terito, & mel paulatim adſtillato, ac poſtea vinum admiſceto. Eius verò meminiſſe operæpretium eſt, quòd mel niſi valde purum fuerit, non permittit vt potio ex ipſo præparata deſideat ac pura & clara fiat. Proinde deſpumandum eſt mel ac purum faciendum: ſi enim deſpumatum fuerit, potio eadem die deſidebit ac pura euadet. Alia abſinthati præparatio: Spicæ nardi ſcrupulos quinque, croci ſiliquas tres, abſinthii drach. vnam, maſtiches ſcrup. vii. mellis ſextar. quatuor, vini ſextar. xxiiii. Alia conditi præparatio: Piperis ſcrupulos ſex, ſpicæ nardi ſcrup. vnum, croci, ſi libuerit, ſiliquam vnam, vini ſextar. quinque, mellis ſextar. vnum. Maſtichati ac cuminati præparatio: Cumini ſcrup. duodecim, maſtiches ſeſquiunciam, vini ſextar. v. mellis ſextar. vnum. Aniſati præparatio: Aniſi ſcrup. octo, ſpicæ nardi ſcrup. ſeptem, vini ſextar. quinque, mellis ſextarium vnum. Citrati præparatio: Corticis citri electi, vel foliorum eiuſdem beſſem, vini ſextarios octo, mellis ſextar. vnum. corticem aut folia in vino per dies ſeptem macerato, deinde vino excolato mel admiſceto.

Apiati præparatio: Seminis apii ſcrup. xii. ſeminis rutæ ſcrup. ſex, mellis ſextar. i. vini ſextar. iiii. aut v. pro abſtemiis vini loco aquam accipito.

Rhodomeli præparatio, Cap. cxix.

SVcci malorum cotoneorum, dempto cortice & granis ſiue medulla, expreſſi ſext. duos, ſucci roſarum ſextar. vnũ, aquæ ad tertias decoctæ ſextar. quatuor, mellis ſeſquiſextarium. Succum malorum ſuo tempore exprimito ac excolato, eique mel admiſceto, & ad roſarum tempus ſeruato: in vere autem cum aqua ad tertias decocta & roſarum ſucco aſſeruatum, cum melle malorum ſuccum vnito, ac vtitor.

Muſtati præparatio, Cap. cxx.

SImilaginis ſextar. xvi. olei omphacini ſextar. v. piperis quincuncem, folii malabathri, caryophyllorum, ſing. vnc. i. muſti dulciſſimi ſext. iii. mellis lib. duas, ex his omnibus velut placentulæ paruæ efformantur.

Gari præparatio pro abſtemiis, Cap. cxxi.

AQuæ ſextar. xxxi. ſalis ſextar. ii. cicerum nigrorũ ſiccorum ſextar. iiii. amanitarum lib. ii. caricas L. præparato, excolato, ac ſeruato.

Suffumigii moſchati præparatio, Cap. cxxii.

ROſarum viridium lib. ſex, mellis Attici excolati lib. tres & quadrantem, folii ſeſcũcem, amomi triẽtem, caryophyllorum ſextantem, ſpicæ nardi trientem, coſti beſſem, vnguium aromaticorum vnc. i. carpobalſami trientem, aſari ſextantẽ, aloes vnc. i. calami Indici ſeſcuncem, nuces Indicas tres, ſandalorum ſcrup. ſedecim, ambræ vnc. i. ſtyracis pinguis lib. tres. quidam pro ſtyrace, ladani pinguis & ſtactes myrrhæ, ſing. lib. vnam, aut (vt alii habent) dextantem accipiunt: croci vnciã i. maſtiches quadrantem, moſchi ſcrup. quatuor. Ad arida trita ac cribrata, ladanum, ſtyracem, ſtacten myrrhã, & mel in mortario admiſceto: deinde ambram liquefactam adiicito. poſtea moſchum aqua calida diſſoluito, & partem eius addito, & partem ad paſtillorum efformationem ſeruato: deinde manibus omnia probè ſubigito, ac cum moſcho efformato. Suffumigium regium: Styracis calamitæ lib. i. ligni aloes ſeſcuncem, ambræ vnc. i. moſchi ſcrup. quatuor. quidam ita præparant: Styracis calamitæ libram i. ligni aloes trientem, ambræ vnc. i. moſchi ſcrup. quatuor: & addunt ſucci roſarum quantum ſatis eſt. Suffumigium moſchatum Theopompi: Styracis pinguis dextantem, caryophyllorum, coſti, roſarum ſiccarum, folii, maſtiches, ſing. vnc. i. moſchi ſiliquas iiii. Ego verò, inquit, moſchi ſcrupulos tres, & balſami quantum ſatis eſt adiicio. Aliud ſuffumigium moſchatum: Folii, coſti, roſarum ſiccarum, hypni, ſpicæ nardi, ſing. vnc. i. croci, vnguium aromaticorũ, caryophyllorum, amomi, caſiæ, ſing. ſcr. xii. carpobalſami, bdellii, ſing. ſcrup. xii. ſtyracis ſcrup. xx. moſchi ſcrup. tres. rhodomelitis, *hoc eſt mellis roſacei* quantum ſatis eſt. Suffumigium moſchatum in eccleſia vſurpatum: Coſti lib. iii. & dimidiam, caryophyllorum lib. ix. folii ſeſquilib. ſpicæ nardi tantundem, caſſami vnc. xiiii. ſtyracis liquidi lib. xvi. aſpri lib. tres, croci dextantem, moſchi, ambræ, ſing. ſextantem. Cæterùm princeps orientis ſic præparat: Coſti quadrantem, ſpicæ nardi vnc. i. folii vnc. i. caryophyllorum ſeſquiunciã, caſſami ſemunciam, aſpri ſextantem, ſtyracis liquidi electi quincuncem, croci ſcrup. ii. moſchi, ambræ, ſing. ſcrup. ii. Suffumigium bonum roſatum: Foliorum roſarum aridorum, coſti, maſtiches, ſing. ſeſcuncem, ſpicæ nardi, amomi, opobalſami, ſing. ſeſquiunc. croci, myrrhæ, ſing. vnc. i. ſtyracis ſextantem, vini odorati antiqui, & mellis, quantum ſatis eſt. Suffumigii vnguentarii præparatio: Coſti ſeſquilib. helenii, roſarum ſiccarũ, nigellæ, ſing. lib. i. carpobalſami, aſpalathi, ſing. lib. ii. myrrhæ ſeſquilibrã, tari, *hoc eſt ligni aloes*, ladani, ſing. lib. iiii. amomi lib. vnam, maſtiches beſſem, ligni caryophyllorum ſeſcuncem, foliorum ſcylmatis, hypni, ſingul. lib. xii. myrrhæ ſtactes libras v. bdellii lib. ii. vnguium aromaticorum, croci, ſing. trientem. Suffumigium vnguentarium inſigne: Coſti ſeſquilib. caſſami lib. i. ligni caryophyllorum, foliorum ſcylmatis, ſpicæ nardi, ſing. ſeſcuncem, corticis aſpalathi, roſarum ſiccarum, ſing. quadrantẽ, maſtiches Chiæ, bdellii, ſing. ſextãtem, ladani lib. tres, ſtactes nigræ lib. ſex, croci ſcrup. ſex. Ego verò, inquit, pro ſtacte nigra, albæ lib. ii. & ſtyracis lib. iiii. admiſceo. Suffumigium valde amabile: Coſti vnc. xix. caryophyllorum trientem, ladani lib. i. ſpicæ nardi, folii, ſing. ſeſcuncem, ſtyracis libr. iii. aſpri vnc. xvi. croci ſeſcuncẽ, moſchi beſſem, mellis quincuncẽ.

Suffumigium dominæ Romulæ: Styracis calamitæ A libras duas,coſti,ſtactes albæ,ſing.ſeſcuncem,caryophyllorum,tari,ſing.ſextantem, ſpicæ nardi ſextantem & ſemunciam,croci trientem,ambræ drach. quatuor,ſuccini vnciam vnam, moſchi ſcrupulos quatuor vel quantum accipere volueris. Suffumigium roſatum Embularchi: Caſiæ,myrrhæ,bdellii,arnabo,calami Indici,ſuccini,carpobalſami,ladani pinguis,hypni,folii, ſing.quadrantem, caryophyllorum, vnguium aromaticorum magnorum, maſtiches, ſing.trientem, croci ſextantem, ſpicæ nardi, opobalſami,ſing.ſeſcuncem, roſarum ſiccarum, ſtyracis, B ſingul.lib.vnam,roſarum viridium lib.duas,vini odorati veteris,& mellis Attici,ſing.quantum ſatis eſt. Suffumigium Pamphili epiſcopi: Folii,caryophyllorum,hypni, ladani pinguis,ſing.ſextantem & ſemunciam,calami Indici,ſpicæ nardi, vnguium aromaticorum magnorum, bdellii,carpobalſami,croci,caſiæ,ſing.quadrãtem,amomi,maſtiches,ſing.quincuncem, coſti ſeſcuncem, arnabo tantundem, ſuccini vnciam vnam, opobalſami quadrantem, ſtyracis pinguis libras tres, roſarum viridium reſectis vnguibus libras ſex, vini mulſi quantum ſatis eſt. ſit autem mel electum, & vinum antiquum odoratum, ex quibus vinum mulſum parari debet.

Myrrhatio ad cadaueris conſeruationem, Cap. CXXIII.

ALoes,myrrhæ,gummi,ſing.libram vnam, ſarcocollæ libras duas,acaciæ ſeſquilibram,thuris ſeſcuncem, opobalſami quadrantem.

PONDERA IN AETIO VSVRPATA.

Libra	habet	vncias XII.
Deunx		vncias XI.
Dextans		vncias X.
Dodrans		vncias IX.
Bes		vncias VIII.
Septunx		vncias VII.
Seſcunx		vncias VI.
Quincunx		vncias V.
Triens		vncias IIII.
Quadrans		vncias III.
Sextans		vncias II.
Vncia		drachmas VIII.
Semuncia vel ſemiſſis		drachmas IIII.

Reliqua pondera ac menſuræ iuxta Pauli traditionem vſurpata ſunt.

PHILARETI MEDICI DE pulſuum ſcientia libellus,

Albano Torino Vitodurenſi interprete.

CLARISSIMO DOMINO IOACHIMO SCHILLERO AB HERderen, inſigni, cum ratione tum experimentis, medicinæ doctori, ALBANVS TORINVS S.

MVLTIFARIIS ſanè(quemadmodum, etiamſi nullus admoneam,probius noſti) indicibus ſolertes medici corporis valetudinem ægritudinúmque genera ſcitè venantur, Ioachime doctiſſime. Inter quos equidem duas(nam omnes referre longum) per Apollinem,fidas earum rerum exploratrices, nec adeo fallaces nuntias numero:exquiſitam de cordis & arteriarum percuſſibus doctrinam,& exactam retrimenti veſicæ cognitionem.Quæ vtraque ad naturarum diſcrimen,& morborum ſpecies noſcendas vtiliſſima & neceſſaria ſunt. Quibus niſi medici ad prætentandum iter ſcipionis modo iugiter vtantur,periculum eſt ne hallucinantes, perinde atque oculis capti, vndique impingant.Quod,vt eſt medicis turpiſſimum,ita eſt languentibus nihil damnoſius:quoniam illi fruſtrati,cum rubore ingenti turpiſſimè interdum ædibus eiiciuntur:hi verò,ſi non efferuntur,dolores tamen immenſos ſubeunt. Percuſſus quippe,arteriarum præcipuè,caloris & algoris vim in ſpiritibus: lotia verò,humorum quãtitatem & qualitatem, ſicuti alui retrimenta,ventris concoctiones cruditatéſque,detegunt. Pulſuum porrò diſciplinam Philaretus hic noſter, perluſtratis pluribus ac diuerſis medicinæ authoribus, quam alii vix multis voluminibus complexi ſunt,in ἐπιτομὴν redegit:vbique quod erat exquiſitiſſimum & rei maximè neceſſariũ,apis more decerpens, adeo feliciter vt ſpes ſit pium lectorem artiſque medicæ tyronem,in hoc argumenti genere haud ita multum deſideraturum.Galenus quippe medicorum κορυφαῖος ferme,adamuſſim quidem,ſed pluribus libris quàm pleriſque liceat euoluere,& argutius quàm poſſit à quouis intelligi (quum per ſe ſit difficilis de pulſibus tractatio)ſcripſit.De vrinarum verò ſcientia Theophilus omnium primus exactius diſputare cœpit,& omnibus breuiter,quaſi penicillo,ſuis(vt aiunt) coloribus graphicè expreſſit. Nam qui ante ipſum floruerunt,de vrinis negligenter abſque omni ordine confuſum quoddam & profundum chaos tradiderunt,quemadmodum ipſe in operis præfatione admonuit.Quantum autem Actuarius,qui palmã in eodem ſcribendi genere meruit,Theophilo debeat,liquidiſſimè conſtabit ei qui vtriuſque monumenta ſedulò euoluerit. Sunt præterea inter huius noſtræ ſcholæ profeſſores,oculati (ſi diis placet) vrinarũ ſpectatores,ſed potiſſimè triobolares quidam circumforanei lotiarii,qui doctrinam de vrinis tutiorem & promptiorem eſſe aſſerant, quòd ea ſub aſpectum omnia ponat,quàm de pulſibus ſcientiam,quæ rem omnem tactui commiſit: quaſi facilius ſit viſu quàm tactu iudicare. Ipſe de percuſſibus diſciplinam vt certiorem multo, ita & difficiliorem iudico: requirit enim ſyncerum intellectum, manus tenerrimi ſenſus,& attentionem acutiſſimam,quæ, miſſa manu in carpum, motuum & quietum interualla,& ſpatiorum tempora,craſſitudinéſque interuenientes,& cætera quæ ad eam rem ſpectant,amuſſatim metiantur.Vnde certiores corporis & ægritudinis notæ, quàm ex ſolius retrimenti veſicæ contemplatione eliciuntur. Semper equidem extremam eſſe dementiam putaui, totam hominis habitudinem,omniáque morborum genera velle è lotio coniectari, poſthabita,quæ prior eſſe debet,quæ de pulſibus tractat ſciẽtia.Sed (vt ſummatim expediam)qui vtranque diſciplinam de pulſu & lotio calluerit,eum ad exploranda morbi indicia & præuidentiam, vel nihil vel perparum certè fugerit, quemadmodum illum qui hac in qua hodie ſola vulgus medicorum ſe exercet ſcientia citra alterius quæ in primis diſcenda erat,vtitur,infiniti errores comitantur. Proinde hoſce in iuuentutis vſum vtroſque libellos Latina oratione in publicum edere viſum eſt,vnde quæ ad vtriuſque rem ſpectant,compendio hauriant: & tuæ humanitati eam lucubratiunculam(cuius ipſe fuiſti ὡς ἐργοδιώκτης) nuncupare, vtpote pulſus explorandi & vrinas contemplandi peritiſſimo. Vale ex animo chariſſime Schillere, nulláque ſit tibi dies μητρυιά, ἀλλὰ μητέρες πᾶσαι. Baſileæ Idibus Martiis, anno XXXIII.

PHILARETI MEDICI DE PVLSVVM SCIENtia commentariolus perutilis & neceſſarius,

Albano Torino Vitodurenſi interprete.

QVI hactenus de pulſuum ſcientia poſteris prodiderunt, ii magna ex parte vel mancis tractatibus,vel exactè quidem exornatóque ſcribẽdi artificio,ſed prolixioribus certè *logois* rẽ ipſam explicauerunt. Nos verò contrà, ſi non euigilata orationis concinnitate,ſumma tamen fide & diligentia,miráq; breuitate(quo memoriæ quæ docemus, haud difficulter inhæreant)quæcunque de pulſibus ſcire fuerit neceſſarium,in compendium redigere, & earum rerum florem tanquam per capita cõſcribere ſuſcepimus.Quocirca vbi in quinque partes quaſiq; hypotheſes omnem quæ ad perfectam pulſuum notitiam attinet tractationẽ diſpeſcerimus: verbi gratia,in percuſſus finitionem, vtilitatis eius commemorationem,arteriæ deſcriptionem, eiuſdem vocabuli etymon & cauſam, & ipſius denique inſtrumenti(hoc eſt metæ ſpiritus)originationem: primùm(diuina annuente virgula) eam partem quæ de fini- A tione percuſſus eſt,aggrediamur.

De percuſſus finitione, Caput I.

QVO dilucidius intelligantur ea quæ de pulſuũ ſcientia hoc compendiolo explicare decreuimus,confeſtim ab exordio,quid ſit pulſus definiendum eſt. Σφυγμὸς *id eſt percuſſus*,cordis motus & arteriarũ eſt, qui ſecundum συστολὴν & διαστολὴν,*id eſt diſparationem & contractionem*,ad refrigerandum inſitum feruorem, & diſcutiendum propulſandúmque excrementa fumida, editur. ſiue (vt veteres Græcorum medici quidam definiunt) σφυγμός, ἐστὶ διαστολὴ
B καὶ συστολὴ ἀδιαίρετος ἀρτηρίας καὶ καρδίας, *hoc eſt, percuſſus, eſt intenſio & remiſſio indiuiſibilis arteriæ & cordis.* Eſt autem διαστολὴ arteriæ ſublatio, dilatatióque: συστολὴ verò,arteriæ ſubmiſſio & contractio.

De vſu percuſſuum arteriarum, Cap. II.

FRuctus verò & opportunitas percuſſuum, duplex eſt: refrigerium ſcilicet natiui caloris per immiſſum

ſpiritum,eiuſdémque per emiſſum hunc purgatio,ſuper-
fluitate ſcilicet ad fumi naturam proximè accedēte pro-
fligata. In diaſtole enim, *hoc eſt ſublatione*, arteriæ ſub-
ſtantia quædam attrahitur. Explicata nanque arteria,re-
frigerans aer ingreditur qui refocillat vitalem firmitu-
dinem,vnde & animalis ſpiritus oboritur.In ſyſtole, *id eſt
compreſſione*,conuenientibus ad centrum extremis arteriæ,
id quod ex humorum deuſtione in toto corpore tanquā
fumoſum excrementum contractum eſt, eliminatur &
excernitur.

Quid arteria,quid vena, Cap. III.

ARteria eſt corpus in longum porrectum, teres inſtar
canalis,ac ſinuoſum,duabus tunicis(*quæ χιτῶνες appel
lantur*)contextum,ex corde propagatum & in ſingula cor
poris membra diſtributim diffuſum,aeris & ſpiritus na-
turalis abundantioris receptaculum, mixti cum pauculo
admodum ſanguine.Ineſt enim arteriis agitandi facultas
per diſparationem &contractionem,quo inde cordis fu-
mida euaporatio comparetur, & partibus cæteris ſpiritus
infundatur.Vena verò ſpiritus vaſculo ſimilis,ſanguinis
eſt receptaculum cum exiguo naturali ſpiritu confuſi.

De etymologia arteriæ, Cap. IIII.

Aρτηρία ſecundum etymologicos appellata eſt *παρὰ τὸ
τὸν ἀέρα τηρεῖν, quod eſt, ſi ad uerbum interpreteris, ab eo
quòd ſeruet aerem ac ſpiritum naturalem uitalémue.* Aeris nāque
ac ſpiritus(ceu diximus iam pridem) cōceptaculum eſt,
in quo abundantior ſpiritus, ſanguinis verò multò mi-
nus conſiſtit.

Arteriarum,venarúmque origo fontéſve,
Cap. V.

ARteriarum,à læua cordis fibra,quæ aorta appella-
tur,bipartito ramo oriri certum eſt: quorum alter
quidem per cætera viſcera interna deorſum verſus dupli
ci propagine in dextram & ſiniſtram ad coxendices vſ-
que & pedes,digitóſque pedum deſcendit:alter verò ſur-
ſum verſus porrigitur,& itidem ſciſſa in duos riuos pro-
pagine mox ad dextram & ſiniſtram per brachia in pal-
mas ac caput tendit:& is qui ad caput protenditur, con-
ſtituit arterias ad interuallum aurium, quas παρωτίδας no
minant.Qui verò dextram ſiniſtrámque intrinſecus per-
reptat,per alas ad brachia,& flexum brachii cubitóſue, ad
extimos vſque palmarum digitos peruenit. Cæterùm in
hoc commentariolo tam compendioſo animus eſt ad
præſens, ictuum agitationem, & dignotiones eorum,&
cauſas denique ſtrictim ſummatímque conſcribere,& po
ſteris tradere.

De percuſſuum mutationibus.
Cap. VI.

TRifariam in animalis corpore pulſus mutari ſolet
generatim (multiplicia enim ſunt ſpeciatim muta-
tionis genera.)Prima nanque ipſorum mutatio ex cauſa
naturali fit:ſecunda non naturalis quidem, ſed nondum
præter naturam:tertia præter naturam exiſtit:quemadmo
dum & ex marium & fœminarum ætatibus, præterea &
cæteris id genus coniugatis, mutationem ſubit. Morta-
lium quippe genus(quod vel cæco perſpicuum eſt)in ma
res diſpeſcitur & fœminas. atque illorum ſanè,alii tempe
ratura calidiore,alii verò frigidioris temperamenti exi-
ſtunt.Et illi quidem graciliores natura, & macilentiores:
hi verò obeſiores magiſque corpulenti ſiue carnoſi ſunt.
Atque in vniuerſum maribus ſemper lege naturæ plus
inſiti tum caloris tum roboris quàm mulieribus inditū
eſſe,res ipſa declarat & clamitat. Viri igitur,pulſus ma
gna ex parte non iniuria citatiores,maiores,longéque ve
hementiores edunt. Fœminæ verò(vt frigidioris na-
turæ)tardiores,exiliores,& non parum languidiores ar-
teriarum ictus habent. In vtriſque verò,puta maribus ac
fœminis,pro temperamenti tenore plus minus intento,
percuſſus quoque arteriarum plus minúſve intenduntur.

Calidiores enimuero natura, percuſſum vſque maio-
rem,citatiorem, & vehementiorem edunt: quoniam in
calore ſemper promptior agilitas, & motus lōgè citatior.
Frigidiores contrà,minorem, lentiorem & non adeò ve-
hementem: ſiquidem in frigido perpetim quædam (vt
ſic dixerim) eſt tarditas, ægerrimáque mobilitas. V-

A triſque porrò, viris inquam & mulieribus,alius atque alius
eſt(vt videtur)corporis habitus: verbi cauſa, macilentus
& corpulentus. In macilētis gracilioribúſve,percuſſus
eduntur maiores,longè rariores, & haud multo vehemē
tiores:corpulenti verò,minores,crebriores, & lāguidio-
res arteriarum percuſſus edunt. hoc itaque modo percuſ
ſus naturâ mutantur. Reſpicienda quoque in pulſuum
exacta dignotione, & ſolicitius etiam obſeruanda ſunt
coniugata circunſtātiæ: verbi cauſa,loci, tempora,anni,
ætates,& conſtitutiones particulares. De anni itaque ho-
B ris,ſuper quibus præ cæteris diſſerere inſtitui,ad hunc ſe
modum habet. Anni tempora quatuor in partes à vete
ribus diſtributa ſunt,ver ſcilicet,æſtatem, autumnum,&
hyemem.Quorum duo vtique,ver nempe & autumnus,
boni temperamenti:cætera duo,prauæ temperaturæ exi-
ſtunt. Veris itaque & autumni tempeſtate,cordis & ar-
teriarum motus, propter temporum qualitatis temperiē,
magni peruehementéſque, ſi ad reliqua tempora confe-
ras,non immeritò eduntur: celeritate verò & frequentia
mediocres,idque ſemper iuxta ætatum proportionem.

C Per æſtatem verò citatiores eduntur percuſſus & cre-
briores,idque ſemper pro vnaquaque ætate neceſſitatem
inducente,propter ambientis nos extrorſum aeris calidū
ſtatum. Per hyemis verò tempus,animantia percuſſus
habent lentos ac raros,propter aeris nos ambientis frigi-
dum ſtatum,& quæ inde conciliatur ſtricturam. Atque
hunc in modum pulſus pro temporum ratione differunt.

Iuxta regiones itidem,pro vniuſcuiuſque loci tempe-
ramento,arteriarum percuſſus mutantur. Calidior ſiqui
dem regio maiores & citatiores arteriarum percuſſus,
D ceu æſtas,efficit:frigidior cōtrà,minores & lentiores,tā-
quam hyemalibus horis, pulſus reddit: temperata ve-
rò regio,perinde atque ver, magnos & vehementes arte-
riarum ictus edit. atque ita quidem iuxta regiones va-
riant. Alii porrò aeris nos ambientis ſtatus, haud ali-
ter atque anni tempora,pulſus variant. Feruidi quidem,
feruidis anni temporibus:gelidi, gelidis:medii,mediis,
proportione reſpondēt. & ad hunc quidem modum ae-
ris qualitates pulſus commutant. Iam opportunum fue
rit de ætatum quoque pulſuum mutationibus verba face
E re. Si ætates aliquo inter ſe diſcrimine diſſidēt,inter per-
cuſſus quoque earum nonnihil variati diſcriminis inter-
cedere conſueuit. Puerorum nanque,& recèns in lucē
editorum infantū pulſus citatior eſt:crebrior item & lan-
guidus:iuxta magnitudinem verò,& vehementiam me-
dius. citatior autem eius ætatis pulſus fit, quoniam in ea
ætate calor naturalis in ſubſtantia abundat. crebrior,eo
quòd caliditas in pueris iuxta quantitatem redundat. lan
guidus, propter ſubimbecillam eorum quaſique langue-
ſcentem adhuc virium potentiam. Senum verò arteria-
F rum percuſſus è diuerſo lentiores & multo rariores,ſi cō-
feras ad pueros, exiſtunt: idque ob eius ætatis vires iam
exhauſtas & imbecilles: & quòd annis contraxerunt fri-
gus. Ii verò qui intra hos cōſiſtunt,hoc eſt florente æ-
tate(*Græci ἀκμαστικοῖς uocant*) pulſus maximos & vehemen-
tiſſimos edunt,propterea quòd viribus longè valentiori-
bus quàm vel pueri vel ſenio cōfecti,præditi ſunt. Cō-
pari modo & hominum temperamenta & percuſſus arte
riarum,temporum conſtitutionibus qualitatibúſque mu
tantur.Ambiēs etenim nos quicunque ſtatus &(quemad-
G modum demonſtratum eſt) continens,in ſuam tempera-
turam tranſfert contentum. Ad hunc igitur modum pul
ſus pro ætatum ratione ſe habent. Vterum porrò ge-
ſtantes fœminæ,percuſſus paruos,crebros,&citatos edūt.
paruos quidem, quòd vires à conceptu nonnihil mole-
ſtatæ deiiciūtur: crebros & citatos,propter angorem quo
in ventre habentes tentantur, & propter fœtum conce-
ptum. In partu verò,maiores, crebriores citatioréſque
redduntur pulſus. cætera iuxta naturam ſeruantur:ita cō-
ceptus & partus, pulſuum immutationem faciunt. So-
H mni quoque, etſi naturales, arteriarum tamen motiones
immutant.Inter ſomnum etenim percuſſus ſemper mi-
nores & languidiores fiunt:idque ex euidēti cauſa, quòd
videlicet naturalis calor, extimis corporis partibus reli-
ctis,intimius penetrat, & altum tanquam centrum petit.

Qui expergiſcuntur à ſomno, percuſſus à principio magnos quidem & vehementes, citatóſque & crebros parúmque turbulentos edunt: haud verò diu pòſt, mediocres, & iuſtam ſymmetriam obtinentes. Temperaturæ præterea corporis aſcititiæ & acquiſitæ, naturalium more pro re nata pulſuum immutationem conſtituunt. Nec aliter ſanè & habitudines corporis acquiſitæ, perinde atque naturales habitus, percuſſus immutant. Nam tenuis & macilentus, ſi carnoſus fiat ſiue corpulentus, percuſſum natura corpulentis obeſiſve perſimilem edit: ſi cōtrà corpulentus gracilitatem contrahat, puta quum vel naturaliter corporis robur afficitur, vel ſecundum ſubſtantiam alicuius principis partis, vel alia neſcio qua occaſione eam moleſtante, percuſſum eundem habet quem is qui natura talis eſt. Hactenus de pulſibus ſecūdum naturam.

De percuſſibus non naturalibus, Cap. VII.

Opportunum nunc fuerit de aliis quoque pulſuum mutationibus ex cauſis nō naturalibus vocatis, proficiſcentibus: verbi cauſa, exercitiis, balneis, eduliis, mulsi vini, & aquæ itidem plurimæ potu, paucis differere. Exercitationes igitur moderatæ, percuſſus reddunt magnos, citatos, vehementes & crebros: immoderatæ & ſupra languentis vires ſuſceptæ, exiguos, & languidos pulſus concitant. Balneis calidis efficiūtur percuſſus magni citati, crebri, & vehementes: gelidis, exigui, lenti, rari & languidi. Cibaria copioſa reddunt percuſſus inæquales & inordinatos: moderata, pulſus concitant magnos, vehementes, citatos & crebros: media, minus quàm moderata edulia, pulſum variat. Vini potus iuxta ciborum rationē percuſſum euariāt: aqua itidem perinde atque edulia inæquales, & inordinatos percuſſus concitat. Cætera cuncta eatenus percuſſum arteriarum euariant, quatenus alunt, vel calfaciunt vel refrigerant. Hunc in modum in cauſis non naturalibus vocatis motuum arteriarum, mutationes fiunt. Percūſſuum ex cauſis præter naturam mutationes, haud aliter atque prædictorum euariationes conſiderandæ ſunt. vocantur autem cauſæ ſiue res præter naturam, morbus & ſymptoma, & immoderata omnia. Breuiter enim ſcire oportet quòd naturalium cauſarum quælibet, & earum quæ non naturales dicuntur, ſi immoderatè fiunt, ſecundum quantitatem exceſſus in id quod præter naturam eſt, tranſit.

Quæ contemplanda ſint in pulſuum obſeruatione & notitia, Cap. VIII.

Quoties igitur laborantem quem antea nunquam oculis vſurpaſti, & proinde albus an ater (vt aiunt) ſit ignoras, primùm inuiſis, immittíſq; manum in carpum, principio ſexum accuratius ſolicitiúſque tecum reputa, máſne ſit an mulier. ſi mas, conſidera maris curioſè percuſſum: ſin mulier, muliebrem arteriarum motum. Mox ægrotantis quoque naturam perpende pariter & ætatem: deinde tempus anni & regionem: factáque omnium diligentiſſima collatione, coniice cuiuſmodinā fuerit neceſſario in proſpera valetudine arteriarum percuſſus. tum vtique adamuſſim facilè deprehendes mutationis percuſſus præter naturam factæ quantitatem.

De pulſuum generibus, Cap. IX.

Habentur autem percuſſuum genera decē, quorum primum genus ſecundum quantitatem diaſtoles in omnem dimenſionem conſiderare expedit. Sunt autem totius corporis arteriæ dimenſiones tres: in longum ſcilicet, altum, & latum. Haud abſurdè igitur quicunque trina diſtinctione pariter ſecundum longitudinem, latitudinē, & altitudinem medium modum excedit, magnus appellatur. Dicunt itaque in finitione, magnum pulſum eſſe qui triplici dimenſione ſimiliter ſit inſigniter auctus.

Alterum genus percuſſuum, ſecundum quantitatem motus arteriæ in diaſtole & ſyſtole, *id eſt diſparatione & contractione* conſideratur. Habentur autem nonnullæ huius generis pulſus diuerſitates: quoniam eſt & ſiccatus & lentus, & mediocris. Eſt verò citatus, qui arteria momento dilatata quatitur: lentus qui longo temporis ſpatio modica intercapedine moueur: mediocris, qui medium ad vnguem obtinet. Tertium verò percuſſuum genus, ſecundum robur virtutis editur, idque triplici differentia. nam eſt aut vehemens, aut languidus, aut medius. Crebritas nanque ſiue frequentia, quoties magnitudinem accipit, pulſum vehementem ac validum reddit. Quum enim virtus maximè regnat, pulſus vehementior efficitur, atque è diuerſo. Eſt autem pulſus vehemens, quando tangentis manus validè repellitur: languidus qui inualidè imbecillum ictum edit: mediocris verò qui mediam ſeruat proportionem ad vtrunque qui naturalis dicitur.

Quartum percuſſuum genus eſt, quod in conſtitutione organi, nempe arteriæ, verſatur. Sunt verò huius quoque generis differentiæ tres. nam inſtrumento rigidiore quàm natura exigat, pulſus redditur durus, ſiue aſpertœodem autem molliore, à mollitie nomen ſortitur pulſus, & vocitatur mollis: medium inter duritiam & mollitiem quodammodo obtinente, moderatus ſeu mediocris efficitur. Percuſſuum genus in ordine quintum, ſecundū quietis quantitatem perpenditur. in quo creber præcipuè & rarus conſiderandus eſt. Punctum enim temporis quietis, crebrum: longius verò tempus intercalatum, rarum pulſum efficit. Secundum æqualitatem & inæqualitatem, ſextum cenſetur in ordine percuſſuum genus. Obſeruatur autem id cum in vno tum in pluribus percuſſibus, quod ſyſtematicon vocatur. in vno quidem, ceu in capri-zante: in pluribus verò conſiſtens, vocatur inæqualitas. Cæterùm in vnaquaque inæqualitate inordinationem fieri oportet, quemadmodum in omnibus, quoniam arteriæ ictus vel decidit vel intercidit. id quod ſolet viribus aliqua ex cauſa deiectis accidere. Septimum genus percuſſuum ſecundum plenam ordinationem inordinationémque efficitur. Inciſo nanque, inæquali, percuſſus æqualis ſit: inæqualis verò, ſecundum periodos inordinatas. contemplatur autem cum in vno arteriarum motu, tum in pluribus. Secundum plenum ac vacuū, hoc eſt pro arteriæ figura & repletionis quantitate, octauum genus pulſuum conſideratur: ſingula nanque vaſcula vel plena vel vacua cenſentur. Eſt igitur plenus qui arteriam oſtendit ſolidiorem, vndoſámque eius in humore compreſſionem: vacuus verò qui arteriæ excitationem bullientem facit, ita vt ſub digito inanitatem fateatur.

Nonum genus percuſſuum per rhythmum ſit, in quo temporis proportiones ad tempus metiuntur. è qua re pulſus deficientes & intercidentes deprehenduntur. Eſt verò deficiens pulſus, inquit Galenus, in quo nō ad binos modò, ſed ternos pluréſue percuſſus immobilis perſiſtit arteria: intercidens autem, quum poſt duos ictus, peculiari ordine motio ſit, vnde media intercidit percuſſio.

Quoniam autem calor qui in corde continetur, per vniuerſum arteriæ corpus diffunditur, inibique euidētius apparet: decimum quoque percuſſuum genus prædictis annumerant, in quo vtique per tactum materiæ quæ ſubeſt corpori, qualitas perpenditur: verbi cauſa, malè tempe-rata & mordax. Conſideratur igitur in pulſuum generibus, quantitas, motio longitudinis, virtus, qualitas, motus ſpiſſitudinis, æqualitas, ordinatio, plenitudo, concordia rhythmúſue, & calor. Deinceps memorandum nobis videtur quænam ſint percuſſuum cauſæ & differentiæ.

De cauſis & differētiis pulſuum, Cap. X.

Enumeratis iam decem percuſſuum generibus, cauſas eorundem aliquas cum differentiis ſuis, tribus (quod aiunt) verbis deinceps perſtringemus. Nam ſiquis exactam harum rerum notitiam haurire deſideret, is ſedecim de pulſuum negotio volumina exarata non ignoret, quæ conſulenda arbitror. Nos verò breuitatis ſtudioſi, cū delectu modum ſeruātes, ſummam rei certè neceſſariæ in arctum redigere, & tanquam per capita differentias aliquot cauſáſque pulſuū recenſere inſtituimus. Feriunt humani corporis arteriæ, ad tēperati caloris cum in corde tum in cæteris partibus corporis tutelam. Saltus & percuſſus hoc dirimuntur diſcrimine, quòd ſaltus propter incidentem ſpiritum toto corpore editur: percuſſus verò per functiones ſpiritalis potentiæ in ſolis arteriis concitatur. Percuſſus magnus à vehemente hoc diſſidet, quòd magnus, arteria in longum, latum & profundum dilatata, tribus dimenſionibus perpenditur: vehemēs verò

motu,(valde nanque ferit)proinde virium robur porten A dit. Diſſidium inter percuſſum crebrum,& citatum,in continuo cõſiſtit atque diſcreto. creber enim,arteria non niſi momento quieſcente quaſi continuus eſt: citatus verò,quum arteria modico tempore dilatata fiat, diſcretus: perinde atq; ſiquis ocyſſimè volet ac ſubſiſtat. Percuſſus rarus & tardus hoc diſſidio dirimuntur, quòd rarus longiore quietis ſpatio interpoſito, imbecillitatis index eſt(ex infirmiore nanque robore proficiſcitur, & proinde plus ancipitis habet diſcriminis)lentus verò ex ſolo caloris defectu naſci ſolet. rarus autem vires maximè deie- B ctas ſignificat. Percuſſuum ſecundum diaſtolen *hoc eſt dilatationem* arteriæ, octo ſunt diſſidentes ſpecies: puta magnitudo,paruitas,vehemẽtia, remiſſio,celeritas, tarditas, duritia, & mollities. Indicium pulſus in duobus, ſenſu videlicet & intellectu, ſitum eſt. ſenſus enim præſentia iudicat: intellectus verò præterita & futura.

Pulſuum arteriarum effectrices cauſſæ tres ſunt: virtus nempe quæ corpus mouet ſpiritus ſemitæ: & vtilitas propter quam mouetur, & inſtrumentum obtemperans.

Pulſus arteriarum primum & omnium maximè vim C caliditatis, frigiditatiſque in ſpiritibus indicant. Penditur pulſus cum moderatus tum immoderatus, quadrifariam: iuxta nempe magnitudinem, celeritatem, vehementiam & ſecundum crebritatem. Differunt inter ſe pulſus inæqualis & inordinatus, quoniam inæqualis in vno percuſſu fit,& (ceu demonſtratum eſt pridem) in pluribus quoque conſiſtit: vel enim in vna modò diſparatione,vel in plurimis congregatis. nũcupatur verò eadem inæqualitas conſiſtens,in multitudine pulſuum conſiderata. Inordinatus autem pulſus fit ſecundũ rhythmõ. D veluti ſi tres magnas percuſſiones & vnam exiguam,comitantur duæ ingentes. Eſt autem rhythmus ordo & lex temporum,in quibus ſpirituum canales inſurgũt & concidunt. Pulſus deficiens & intercidens nonnullo ſanè dirimuntur inter ſe diſcrimine,eo quòd deficiens ex maiore virium imbecillitate oritur,& in eo interdum omni motione amiſſa, immobilis permanet arteria & maius detrimentum indicat, extremum nẽpe potentiæ lapſum: intercidens verò pugnante & reſiſtente, corporis viribus ſeipſas excitantibus ſua ſponte ad repellẽdum contraria, & minus detrimentũ arguũt. Pulſus σπασμώδης & κλονώδης quoque inter ſe differunt, quia ille vaſculum ſpiritus ad fidis tentæ inſtar extendit: hic verò dextrorſum ſiniſtrorſúmque tranſfertur. Percuſſus fluctuantes fiũt ex abundanti humore contento, ſemitam ſpiritus diducẽte,perindéque in aqua inter cutem, *quam* ὑπὸ σάρκα *cognominant.* Percuſſus qui à bis feriendo,δίκροτος,*id eſt bis pulſans* vocatur,& δορκαδίζων, *hoc eſt caprizans*, hoc inter ſe differunt,quòd hic inſurgendo & extollẽdo, ſed aliquantulum interciſus: deinde citatus differentes motus efficit, ceu caprea, *à Græcis* δορκάς *appellata*, quæ ſaliens hæret pedibus ſublimis in aere,& alterum ſubitum longè citatiorem ſaltum perpetrat. Editur autem is pulſus viribus humani corporis angore preſſis, & moleſta quapiam cauſa oneratis. Dicrotus verò bis quidem vna percuſſione pulſat,ſed impari celeritate: incipiens enim, citatior: deſinens verò,tardior eſt. Fit autem talis propter duritiem inſtrumenti feriente, & iterum violenter reuerberante ſpiritu ſecundum ictum abſoluit,quemadmodum in incudibus mallei percuſſionem reciprocant. Percuſſus σκωληκίζων *id eſt uermicularis*,à formicante(*qui Græcè* μυρμηκίζων *uocatur*) eo diſtat, quòd vermicularis quidem quandoque conuertitur demutatúrque in melius,& amplius eius patet inæqualitas: formicans verò,virtute deiecta & prorſum intermortua editus, interitum prænunciat. Atque hæc quidem in præſentia de ſimplici cordis & arteriarum motu pauciſſimis perſtrinxiſſe ſufficiat.

THEO-

THEOPHILI MEDICI DE exacta retrimentorũ veſicæ cognitione libellus,

Albano Torino Vitodurenſi interprete.

PRISCOS aliquot multos circa medicinæ ſtudia mirè vigilantes, & citra controuerſiam doctiſſimos, de vrinarum differentiis negotium aggreſſos eſſe liquidiſſimè conſtat: quorum omnium A & Ω Hippocrates Cous, cuius monimentis ſacroſanctis præcipuè inſudamus, princeps extitit. Poſt hunc Galenus vniuerſo orbi terrarum author ſuſpiciendus, eandem diſputationem ad retrimenta veſicæ ſpectantem, ſcribendi prouinciam ſuſcepit. Ab hoc Magnus medicus σοφιστὴς, *id eſt uir ſapiens*, de vrinarum proprietate dignoſcenda, præcepta poſteris reliquit ſpecioſa. Quos ſanè, ob multas res ad mortaliũ vtilitatem inuentas, egregiis ſummíſque laudibus certatim extollere (ne deos facere dicam) cõuenit: etſi neminem ex his rem totam vt par fuit, attigiſſe, ſed inchoatam modò & mancam de vrinis diſputationem reliquiſſe (multis ſcitu neceſſariis præteritis) compertum ſit. Hippocrates nanque Cous circa has res inuigilans, parua quædam, certè ſpecioſa quaſique florem huius negotii, paſſim obiter modò attigit: neque vrinarum genera, neque ſpecies, neque differentias, neque cauſas, neque iudicium ac præuidentias diſpoſitionum futurarum præter naturam, vel ſanorum corporum, vel ancipitum ægrimoniarum, neque alia multa quæ numeris omnibus exacta diſputatio poſcere videtur, adamuſſim abſoluit. Compari modo & Galeno quoque Pergamenſi, in eo quem περὶ κρίσεως inſcripſit libello, vbi res quæ ad vrinæ diſciplinam ſpectant carptim tractat, neſcio quónam pacto paruæ curæ fuit de hac re non curioſius ſolicitiúſque diſputare. Bonam nanque negotii portionem, vel omnino intactam, vel inchoatam ſaltem, vel parum denique enucleatam de vrinis, ſiue genus ſiue ſpecies ſiue differentias conſideres, diſciplinam reliquit. Poſt hos deinde longo temporis tractu Magnus medicus atque philoſophus, ratione quidem ſed ſine periculis vſu (quæ mater artium exiſtit) obſeruatis, ſcientiam de vrinis poſteris tradere aggreſſus eſt. haud abſurda ſanè diſtributione de lotiis diſciplinam auſpicãs, de eorum differentiis & ſpeciebus plus quiddam aliis ſcripſiſſe videtur: de præuidentiis verò & auguriis præſagiiſque (τὰ προγνωστικὰ *Græci uocant*) quæ ex vrinis ſumuntur, pluribus omiſſis, claudam & ipſus quoque de lotiis artem tradidit: adeò quidem vt ad perfectam earum rerum cognitionem, à poſteris medicæ rei ſtudioſis ſectatoribus millia deſiderẽtur, & ſeſe extricare non potentes, abſolutiorem eius rei ſcientiam indagare cogantur. Neque id, mea quidem ſententia, temerè, quoniam ex ea naſutus quiſque ac ſolers medicus rectè diiudicare, & præuidere, quaſique diuinare, & ex euidentibus res abditas abſtruſáſque coniectura quadam aſſequi ad vnguem poteſt. ſiquidem exacta vrinarũ cognitio ſcitáque inſpectio, abditas quaſque & affectas corporis ſedes, tanquã in tabula, exhibet & tẽperamentum & diſpoſitionẽ vniuſcuiuſque, naturaliſne ſit, an non naturalis quidẽ, ſed nondũ contra naturã, an præter naturã deniq;. Naturæ etenim ſuæ aptitudine accuratus vrinarũ & ſolers intuitus, tã certus quã Apollinis (vt ſic dixerim) oraculũ, eſt nuntius eius quæ in iecinore exiſtit virtutis effectiuæ ſanguinis, aliquo modo libera ſua functione præpeditæ. Quocirca neutiquã (meo quidẽ iudicio) abſurdũ fuerit neq; importunũ, etiã ſi ipſius laborẽ pro virili meo reddẽdi diſputationẽ exactã omnibus numeris de vrinis ſuſcepturus, quẽadmodum in arduis rebus fieri ſolenne eſt, numẽ implorauero. Inuoco itaque Chriſtũ Dominum noſtrũ, verũ & vnicũ opitulatorẽ cũctarúmque rerũ liberaliſſimũ largitorẽ, vt ope ſua ductúq; ſuo dignetur adeſſe conatibus noſtris, quò hæc noſtra lucubratio dignitatem exactiſſimæ de vrina diſpu-

A tationis aſſequi & indipiſci poſſit. quamobrẽ vt prõptius voti reddamur cõpotes, ea ratione agam⁹. Primũ omniũ à lotii definitione ſumemus exordiũ: poſt hæc de generatione vrinæ: mox in quẽ locũ excernatur, & vbi fiat eius liquoris ſequeſtratio, docebimus. Ab his poſtremò ad eruẽdam vrinarum abſolutã doctrinã in genera, ac ſpecies & differentias, diſputationem (diuino ſuffragante auxilio) diſtribuemus.

De definitione nominis lotii, Cap. I.

LOtium eſt ſanguinis aliorúmque humorũ colatura
B æſtúſve, vel vt alii quidã vocauere, ſerea quædã redũdantia, quã nõnulli dilutã & aqueã indigitant. neque deſunt, qui lotiũ ſaniẽ ſãguinis eſſe cõtendãt. Verùm de nomine nolim equidẽ in præſens vllã mouere cõtrouerſiã.

De generatione lotii, Cap. II.

SImam iocinoris partẽ vena στελεχιαία *à Græcis, ramalis uerò Romanis uulgò* appellata, diſperſim perreptat. quæ ſortita eſt virtutẽ effectiuã ſanguinis à cõditrice natura: vbi inter apparatum ſanguinis, ſerũ eius, hoc eſt lotiũ, quoq; generatur. Eſt verò ortus eius huiuſmodi: Vbi iã in hepate
C vis ſanguinis effectiua ſuo munere probè functa chylum ſuſceptum in ſanguinẽ alterauerit, facta eius humoris cõmotione turbáve, quicquid illic ſubtile & facile tranſiens fuerit (eſt autẽ id flauæ bilis quædã ſuperfluitas innata) id omne ſurſum (quia leue) petẽs, in ſublime eleuatum à folliculo flauæ bilis χοληδόχῳ *à Græcis* vocato (qui ad gibbũ iecoris iacet) per propinquum meatũ excipitur, & ad aliquã nimirum vtilitatẽ attrahitur. ſiquid verò ſubeſt terreſtris & fæculẽti humoris, id ipſum liẽ qui e regione adiacet, per ſuum meaculũ exugit, naturalibus quibuſdã tra-
D ctionibus ſingulis id quod peculiare exiſtit emulgentibus: tertiũ porrò, ac qui dilutus ſeroſus humor eſt, cũ ſanguine nõdum ſequeſtratus, relinquitur: hunc renes tandẽ per venã *Græcè* κοίλην *Latinè cauam* appellatã, attrahunt, & in vrinã cõparant. Quæſierit autẽ hìc haud abſurdè quiſpiã, nũquid quẽadmodum choledochus *hoc eſt bilioſa ueſicula*, bileum humorẽ, & lien atrã bilẽ ſanguinis περιττώματα, *i. ſuperflua*, ex ſimis iocinoris partibus per ſuos meatus emulgunt: ita & renes quoque lũbive huic viſceri adiacẽtes, dilutũ humorẽ & aqueũ ſuperfluum attrahendo
E ex eodẽ loco, ſuſcipiãt. Reſpõdemus, humorẽ hunc nõ ocyus à ſãguine ſequeſtrari, ſed magnæ opportunitatis cauſa, ad maius videlicet opus indiſcretum, à natura ſeruari. Ramalis nãque vena, ſanguinis, vt diximus, effectrix in ſimo iocinoris loco ſita, venæ cauæ appellatæ exti huius cõuexo adiacẽti, per teretes & ſtaminoſos quoſpiã anguſtóſque meaculos ſuggerit. Quũ igitur & ratione & ſenſu cõpertum ſit ſanguinẽ craſſioris eſſe ſubſtantiæ, atque ad penetrandũ venulas præpeditas anguſtioréſque vias, ſine impedimẽto ineptum, opus habuit comite ſeroſa redun-
F dãtia facilè trãſeunte. In hoc itaque natura ſagax, iſtum liquorẽ indiſcretum obtinuit, vt tenuitate ſerei ſuperflui, facilè cum ipſa ſanguis in κοίλην, *hoc eſt ſinuatam ac concauam* venam dilaberetur. Vbi verò eadem ſuperfluitas in ramum venæ cauæ quæ ſpinæ dorſi incũbit, & à ſummo deorſum progreditur, in renúmq; oppoſito in duplicem propaginẽ ſcinditur in Λ Græcæ literæ figurã (quarũ altera ad renem dextrum, altera ad læuum fertur, per quos meatus à grandiore & cõcaua vena aquoſum ſuperfluum in ſinus renum deriuatur) fuerit intruſa, excipiẽtes ipſam
G renes, bella metamorphoſi in lotii ſubſtantiam tranſmutant: & per vrinæ vias *quas Græci* οὐρητῆρας *dicunt*, in veſicã quæ lotii receptaculũ eſt, & ab eadem gente κύστη vocatur inſtillare cõpellunt. Ac ſi ſanguen ſyncerum & ad vnguẽ abſolutum fuerit (quod per exactum cõcoctionis officiũ contingit) neceſſum eſt & recrementum eius etiam eſſe huiuſmodi. Sin ſanguinis effectiua virtus à ſua functione

per occaſionem quampiã præpedita, fruſtretur, id genus ſeroſa ſuperfluitas euadit, quam *Græci οὖρον, Romani urinam ac lotium* appellant. Cuius etiã rei gratia interdum lotia tenuiſſima candidáque apparent, interdum verò cum albo colore craſſa: crudiore euadẽte ſanguine & imperfecto, effectrice facultate ſanguinis iacente, & cõcoctione facta veluti crudiore. Vbi autẽ ſãguineus humor plus ſatis torreſit ac feruet, conſimilẽ quoque ſuperfluitatem efficit. Proinde ex illiuſmodi cauſarum generibus lotiorum etiam ſpecies in alias atque alias identidem conſtitutiones faciéſque commutantur. Ante omnia igitur cuiuſmodi eſſe oporteat lotium naturale, quod ſanguinis ad vnguẽ facti comes eſt, differere inſtituimus: inculpatúmque principio lotium, quod naturæ leges nullo exceſſu ſuperat, neque vel latum vnguem deficit, & ob id naturale vocatur, definitione explicabimus. Inde cognoſcetur facilè excedẽs vel deficiẽs neutiquam ſanum, ſed illegitimum & præter naturam eſſe. Eſt itaque naturalis vrinæ definitio eiuſmodi.

Notæ & finitio vrinæ ſecundum naturam & optimæ, Cap. III.

Lotium ergo ſecundum naturã optimum eſt, cõditionibus omnibus, quas ſapiẽtiſſimus Hippocrates deſiderat, præditum. Definit autẽ is pulcherrimè illud, præſagiorum ſecundo, quum inquit, Τὸ δὲ οὖρον ἄριστόν ἐστιν ὅταν εἴη λευκή τε ἡ ὑπόστασις καὶ λείη καὶ ὁμαλὴ ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον. *hoc eſt, Vrina illa inculpabilis eſt in qua reſidet candidum, læue, & æquale per omne tempus.* Liquet autẽ definitionẽ numeris ſuis tum demũ cõſtare, ſi cõſequatur cum ſubſtãtia mediocri & colore decenti, & cõtenta ſuum locum obtinẽt, ad hunc ſcilicet modum: Lotium præcellẽs & omnium optimum eſt ſubſtãtia mediocri ſedimento (*quam ὑπόστασιν Græci nuncupant*) cãdido, & læui, & æquabili, colore rutilum & ſubigneũ, (*ſiue fuluũ ſubfuluúmque dicere mauis*) quod aliquantulum flaueſcat ob fulgorẽ, idq; per lõgum morbi decurſum obtinebit. Galeno quoque in hiſce ſtudiis vehemẽti teſte, vrina colore ſubrutilo ſubfuluóve, & ſubflauo, hoc eſt remiſſæ rubedinis, (ſi reliquæ bonitatis conditiones nõ deſint) ceu inculpabilis probatur. Sed Magnꝰ ſophiſtes ac medicus colorẽ fuluum ignitúmve, & ſubfuluum ſubrutilúmve optimum eſſe cõtendit. Nos verò optimum id ducimus lotium quod inter vtrunque medium locum & cõtemperantiã obtinet. Quodcunque verò ſecundum aliquot horum quatuor plus æquo exuperat, vel ſi quicquã iſtorum defecerit, vel ab hisquomodocunque immutatur, id non naturale ſed illegitimum appellamus. Cæterùm ſuper coloribus & ſedimentis nõ eſt narrãdi locus, ſed non multo pòſt de iiſdẽ ſermonem faciemus. De ſubſtantia verò in præſens diſſeremus.

De differentiis ſubſtantiarum ipſius vrinæ, Cap. IIII.

Opportunum eſſe puto hìc de fluorum profuſionúmve differentiis diſputare: eo quòd quæuis vrina, ſua eſſentia profuſio exiſtit aut conſtitutio. Subſtantia nãque vrinæ aliud nihil quàm humiditas eſt, quã pleriſq; circa has res ſapientiſſimis medicæ artis profeſſoribus, profuſionẽ humorémq; corporis nuncupare viſum eſt, quoniã quicquid in viſceribus aliiſve partibus effunditur in eadẽ ab oculato ſpectatur: verbi cauſa, biles & ſanguis. Sunt autẽ eiuſmodi cõſtitutionis ſubſtãtiæq; principes differẽtiæ nimirum duæ, tenuitas & craſſitudo: & ex vtriſque conſtãs mediocritas & tẽperata cõſiſtentia. Temperatæ autẽ & mediocris cõſtitutionis lotium ſecundum naturã exiſtens, nõ diſpeſcitur: quod verò tenuatur, ſcinditur bifariã. Vel enim ſubtili ſubſtãtia meiitur, & ſubtilis perſiſtit: aut mingitur quidem ſubtile, ſed inde turbeſcit, lutulentúmq; redditur, & craſſeſcit. Verùm illud quàm hoc (quoniã extremè incoquibile) exactiꝰ cõcoctionis officiũ præfert. Turbidum verò effectum & incraſſatum, cõcoctionis initium portendit. Eodẽ modo craſſeſcentiũ duæ ſunt ſpecies: Aut enim micta craſſa exiſtit vrina, & indiſcreta, vt à principio erat, ita manet: vel meiitur quidem craſſior: craſſitudine verò tota infunditur ſiſtendo *cõcedente, ſubtilis efficitur. Ac prima quidẽ quum ſpectatur, vehementẽ humorũ perturbationẽ in corpore, & firmitu-

A dinẽ vacillare: altera verò turbulentiã quidem eiuſmodi diſpeſci, ſed virtutis ſanguei humoris effectricis coquẽdi officiũ reſuſcitari, clarè ſignificat. Copulemus itaq; cum colore ſubſtantiã, & definiamus quæ ex iiſdẽ ipſis tẽperamenti corporis notæ, cum in hominibus ſecundum naturã, tum quomodolibet præter naturã habẽtibus. Quoniã autẽ cãdidus color reliquos colores, albis (quod aitũ) equis dignitate præcedit, & ſubtilis ſubſtãtiarum cæteras anteit, cũ cõſtitutione qualitates collocabimꝰ, tanquã ſub vnũ iugũ primitus ſubtilis eſſẽtia & cãdidi coloris vrinã.
B ac dicamus quot modis albus & tenuis calor intelligatur.

De iudiciis è ſubtili & candido lotio, vel tenuis ſubſtantiæ & albi coloris, Cap. V.

Lotium igitur ſubtilis eſſentiæ albíque coloris, plurima portẽdit. Nã ſi in mortalibus nulla præter naturã affectione conſtitutis extrema cum tenuitate & candore lotium appareat, prælargã ingurgitationẽ meri, cum prolixis eduliis pariter præter modum coniunctã oſtẽdit, & præcipuè quum vinum fuerit exile & leue. Lotium huius generis à pueris mictum, vt improbum vituperãdum
C eſt, dicẽte diuino Hippocrate, Τοῖσι παιδίοισι τὰ ὑδατώδεα κάκιστα, *hoc eſt in pueris lotium tenue & dilutum deterrimũ eſt.* Nõ diſſimilis ſubſtãtiæ & coloris vrina ſpectatur in ſenectute per naturã accidẽte, & in appellata à claris prudẽtibúſque medicis, ſenectute ab ægritudine diuturna, & præ ſe fert vniuerſalẽ imbecillitatẽ virium. Lotium præterea tenue albúmq;, quod ampliore copia & cõfertim profluxit (eã affectionẽ quæ *Græcis* διαβήτης nuncupatur, *Latini per circuitionem, Exuperans urinæ profluuiũ appellant*: ſapiẽtum quidã pæoniæ artis artificum matellæ inter cutẽ vocitarunt.
D & præſtãtes quidã medici, lotii διάρροιαν, nõnulli verò celeberrimi à ſiti quã parit extra modum, διψακόν) portẽdit hominis cõtra naturã affecti calidæ diſtẽperantiæ renum ægritudinẽ, quorum vehementiſſimo attractu neceſſum eſt eiuſmodi vrinarum vim prouenire, & ſine tinctura percurrere, ſiue trãſire. nã hoc eſt διαβαίνειν, vnde διαβήτης deducitur. Lotium tenue inſuper & cãdidum, cõfertim emictũ in febribus quotidianis amphemeriniſve, remiſſionẽ morbi ab huiuſmodi humore ſignificat. Similem quoq; vrinã, albã puta & tenuem, eſt cernere in iocinoris
E intemperie cõtra naturã frigidi. Quin etiã eaſdẽ ſubſtantias efficere cõperiuntur præfarctæ & occluſæ meatuum obſtructiones, quas *Græci* ἐμφράξεις nominant. itidem in renum morbo qui νεφρῖτις *Græcè* vocatur, & in quartanarum febrium principio. Spectatur etiam tenuis & candidæ ſubſtantiæ lotium in aqua inter cutem, propter abundantem humorum cauſam, euadere. Lotium porrò tenue & album in vitiis & ægrimoniis colli, capitis item & humerorum, σκοτοδινίαν, *hoc eſt uertiginẽ, &* λειποθυμίαν, *quod eſt animi deliquium*, ſignificat. *Vbi notandum eſt quod Græcis* σημαίνειν, *portendere cum futurum tum præteritum declarat: uerbi gra-*
F *tia, apud* Hippocratem *in hoc oraculo,* Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ τινὸς αἰτίης ἑτέρης γινόμενος, τῷ σώματι σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται· ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται τὰ σώματα: *quod eſt, Sudor multus ſub ſomno citra euidentem aliam occaſionem promanans, corpus nimio cibo uti præ ſe fert. quòd ſi, quum cibum quis non ſumpſerit, hoc fiat, euacuanda eſſe corpora docet.* Lotium tenuis & albæ eſſẽtiæ in febribus ancipitibus ſuperueniens, quietẽ indicat morbúmque deficere. Lotium eiuſdẽ cum coloris tum eſſentiæ circa re-
G miſſionem ac terminum grauiſſimarum febrium, morbi diſceſſionẽ, & quaſi tranſmigrationẽ futurã in eas partes quæ renibus ſubiacẽt. Lotium ſubtile cum colore cãdido, in ea febre cui ab ingẽti ardore nomẽ inditum eſt καῦσος, ſi apparuerit, amentiã φρενῖτιδάve inſinuat. quoniã καῦσοι, *i. feruidæ febres*, ex vi magna flauæ bilis originẽ trahũt quæ ſi vrinã colore ſuo nõ tingit, argumẽtum eſt clariſſimum bilei humoris abundantiã aſcẽdiſſe, & capitis arcẽ cõprehendiſſe. Qui ſi in priore capitis cerebrive parte inflammationẽ (*quam Græci* φλεγμονὴν *uocant*) cõfecerit, po-
H tiſſimè in ea membrana *quæ Græcè* μῆνιγξ appellatur, vel phrenitin vel παραφροσύνην, *hoc eſt delirium* excitat. Quòd ſi autem ex occaſione quapiam: verbi cauſa, ſanguinis narium profluuio, ex amplo ſudore capitis, vrina cum albore tenuatur, mali decrementum, quietémque pro

foribus eſſe indicio eſt. Nam ſi ſub eiuſmodi vrinæ conſtitutione phrenitis diuturna ſui ſimilis eſſe pergit, æger ille breui ſuperis concedet ab oris. Opportunum nunc & operæpretium, puto, fuerit, vt de colorum differentiis quæ vrinas tingunt, compendioſè diſputemus. Et breuiter numerum earum & qualitates, & cuiuſmodi cum fluore ſubſtantiáve poſſint componi, ſi non omnes, bonam ſaltem partem perſtringemus. Lotiorum alia ſunt candida, alia ſpicea, alia aurea, alia crocea, alia rubea, alia vinea, alia paſſea, alia veneta, alia liuida, alia nigra. neq; in hiſce omnes colorum ſpecies ſitæ ſunt: verùm in horum mediis & ſubmediis, perinde ac complures eſſent hinc colorum ſpecies introductæ. Intra quas primùm locum tenet candida. cuius latitudo in varias ſpecies diffunditur: quoniam intentionem & remiſſionem albedinis accipiunt. Sunt candidorum enim lotiorum, alia cryſtallea, alia niuea, alia inſtar calcis, alia veluti aqua limpida ac pura. Glacies enim cryſtallúſve & nix & calx & aqua, alborem quidem præ ſe ferunt, ſed non ſupremam albedinem nacta ſunt. A ſumma nanque albedine remiſſus color exiſtit lacteus, ita vocatus quòd ſimilis eſt lacti, qui bonitate præſtat aqueum & cryſtalleum: deinde albedo glauci ab hoc tantum receſſit (ſequitur enim lacteũ glaucus) quantum *χαροπός, hoc eſt rauus & blandus* color, remiſit alborem glauci. Nam glaucum exiſtit inſtar cornu attenuati perſpicuum, ſiue tranſparens modo ceratoeidis, id eſt cornea (vt vulgò appellant) tunicæ. Rauum autẽ (quod *χαροπὸν* medicorum ſcholæ appellant) ſimile eſt velleribus ſubalbicantibus cameli, vel vngui lapillo ita nuncupato, qui onychites & à quibuſdam onychinus vocatur.

Hæc itaque colorum genera, qualitate ſecundum intenſionem & remiſſionem (ceu diximus) in lotio candido conſpiciuntur, & concoctionis functionem iacere ſignificant. Vbi verò candida tincturam aliquam bilis, lotia capiunt, haud paruo à cruditate ſecedentia, in prima ratione ſubſpiceæ cernuntur, ita quidem vt ſpeciem perſimilem bili infuſæ liquori claro, (puta aquæ mediocriter decoctæ) vel apozematis ſemicrudæ carnis imaginem præferant. Deinde ſi coquendi virtus ſuo munere ad tempus fungi proſequatur, tincturam magis intendens, lotiũ ſpicei coloris exhibet, (quem & palearem vulgò nuncupant) ſignificans bilem probius decoctam dilutum lotiũ ſuſcepiſſe, & tinctura inde intenſiore imbutum. Quam vtranque vrinæ ſpeciem hac comparatione dilucidius accipe: Si malicorii liquoris, vel cytini decocti, vel id genus ſpicei humoris alicuius (nolo enim de ſuccis perſimilibus contendere) expreſſi parum ſucco alicui limpido, vt aquæ inieceris, colorem ſubſpiceum reddes: ſin amplius ex eodem addideris, colorem ſpiceum induces: quorum alter ab altero nomenclaturam ſortitur. Poſtquam inde concoctio proceſſerit, tum tinctura liberalius colorabit ſpiceũ, atque ſubrufa ſiue ſubaurea (quæ omnium temperatiſſima ſunt) lotia gignuntur, auro Celtico non vſquequaque puto perſimilia. Huicce ſuccedit lotium aureum, fuluũ appellatum ac igneum, ſonoro potius, puróque puto auro ſimile. Poſt hæc ſubcrocei coloris lotium ſequitur, quod cartamum, *quem Græci κνῆκον dicunt*, refert, qui colore inferior croco eſt. deinde exactè croceum, quod nihil differre à vero croco videtur. Succedunt memoratis *ὑπέρυθρα hoc eſt ſubrubea & ἐρυθρὰ, id eſt rubei coloris* lotia. Quorum illa ſanguinẽ dilutum repræſentant, veluti ex candido colore accedente fulgore, cuiuſmodi infectores flammeum nuncupant, qui lapidi Armenio ſimilis color eſt: & à Galeno ſanè phœnicos, *id eſt palmeus*, vocatur, eo quòd palmulis permaturis ſimilis ſit, qui dactyli dicuntur. Atque ad hunc modum alii, atque alii, dempto vel addito colore fiunt. Rubeum verò ſimilem cogitaueris puro ſanguini & ſincero: excedens nãque aut deficiens, non ſanum ſed illegitimum eſſe reputa. Vineum porrò lotium poſt memorata collocatur: quod nomen accepit à vino, quàm rubrum eſt, nigriore, etiam apud Græcos. *οἶνοψ* enim vinum nigrius huic genti appellatur, (quòd ea vrina nigri vini faciem præferre * ſignificat) etiã Homero, apud quem non ſemel legitur *ἐπ' οἴνοπα πόντον*. vel colore purpurei ſanguinis, & inſtar iocinoris. Proinde id extũ ſæpius, vinúmque vineum inſpicere expedit, atq; inde eiuſmodi vrinæ colorẽ conſiderare. Venetus porrò vel cæruleus color, tanquam tabidus ſanguis exiſtit ex bili flaua, ſeu valde aduſta, & inſtar gari, & lotii regio morbo (quem & arquatum dicunt) implicitorum, ſimilis. Cæterùm (vt ſummatim dicam) de Veneto colore ita habet: Venetus (Galeni libro de ſymptomatum differẽtiis quarto, definitio) color eſt, vbi candor ſplendori iunctus, non ita parum in atrum degenerat. Fit enim is quando purum album & nigrum æqua ratione confunduntur: verbi cauſa, ſi ceruſſa cum pice æquis ponderibus permiſceatur. Fuſcus verò phœnicos, idem ait, color, ex albo nigróque commixtis gignitur, velut ficuum atrarum quum exaruerunt. Viridis præterea color, *quem χλωρὸν Græci, Latini porracinum & praſinum quandoque uocant*, plures ſpecies habet, quoniam alius eſt, vt qui in foliis braſſicæ: alius, vt qui in foliis graminis: alius, vt in foliis violæ herbæ: alius, vt qui in ſmaragdo, qui margarodes vocatur & ſmargarodes: quæ ſingula colore ſunt viridi ſecundum intenſionem & remiſſionem, ita quidẽ vt inde ob exceſſum caloris appellationẽ ſumpſerint, & à caliditate proueniunt cuncta viridia. Liuidus præterea vrinæ color, phoſnio obſcurior eſt, quem ſiquis plumbi colorẽ dixerit, rem acu tetigerit. Is certè tantum verſus nigrum inclinauit quantum à colore cæruleo receſſit. cuiuſmodi ſunt coloris vibices luridæ ex verberibus corpori citra vulnus inflictæ, & exploſu flaceſcẽtes. generatur autem hic cum ex frigore tum ex plaga. Quin & quandoque non tam algoris quàm ardoris indicium eſt. ſi viride ſuccedit, calorem: ſin pallidum, frigiditatem portẽdit. Niger poſtremò color nemini (vt arbitror) non euidens eſt: nam reliquos anteit, neque veluti cæteri quoque latitudine vacat, quoniam more aliorum intenditur & remittitur. Oportet autem virum huic rei indulgentem memoratos colores perpendere: & in numerato omnes habere, quoniam ex his non pauca cum indicia tum præuidentiæ ſumuntur. Quin etiam colores propriis nominibus carentes, etſi definiti non ſint, ſecundum intenſionem & remiſſionem, collatione ad memoratos facta, conſiderandi ſunt. Atq; ita quidẽ de omnibus coloribus hactenus ſufficienter ex veteribus philoſophis ac medicis dictũ ac definitum exiſtimari poteſt. Verumtamen hinc colorũ qui explicati ſunt ſyzygiã cum craſſa & tenui ſubſtãtia, & quæ inde ſumi debẽt indicia & ſignificationes cũ in valetudine ſecũda tum etiã aduerſa, explicabimus. Quum verò de coloribus verba facientes candidi differẽtias recẽſuerimus, lacteum quoq; & glaucũ & rauũ non tanquã colorum quempiã incõiugatum ſilẽtio præteribimus quin cum ſubtili ſubſtãtia copulemus, & quod pariter portẽdat liquidò indicabimus. Lotium tenue, lacteũ & cãdidum, intra febriũ exordia ſuperueniẽs, perniciosum, eo quòd febris & ægritudinis diuturnitatẽ euidẽter declarat: in vigore verò & remittente morbo, ſi multũ eiuſmodi lotiũ appareat, malũ finẽ haud ita obſcurè portẽdit. Tenuis eſſentiæ cum cãdido & lacteo colore lotiũ, ſummã cruditatẽ ſignificare, veteres medici viri ſapiẽtes, vno ore omnes docuerũt. Colores verò etiã cæteri quicunq; albedini propius accedunt, coquẽdi virtutẽ pariter iacere, & naturalis caloris imbecillitatẽ arguunt. calidi enim eſt, vrinã coloratiorẽ reddere. Haud etenim ab inſito naturalíque calore, colores inficiũtur, & proinde tenuis color cruditatẽ exprimit. Concoctricẽ facultatẽ munus ſuũ aggredi docet vrina tenuis, ſpicea & ſubſpicea: Calor nãque naturalis adhuc imbecillior exiſtẽs quã vt poſſit ſubſtantiã vrinæ cõtumacius renitentẽ & craſſã facere. Colorẽ autẽ non adeo contumacẽ, ſed procliuiorẽ facilè intra cõcoctionis primũ aggreſſum alterat. Subtilis eſſentia ſubaureus aureúſq; vrinæ color (quẽ alii ſubrutilum vocant) ſuperioribus eſt præſtantior ac melior. Indicat autem inſitum corporis calorem ad ſe rediiſſe, viréſque ſuas recuperaſſe, quoniam vrinam non parum coloratiorem reddit: tenuis autem permanet eo quòd nondum tantum habet virium vt contumacem renitentem ſubſtantiam momento in craſſam permutet, & ob id quoque vrinam crudam appellamus. Quando eiuſmodi lotium in aqua inter cutem ſuperuenit,

ſonticum habetur & periculoſum: veluti quum dilutum & aqueum, planè ſalutare. Eſt præterea lotium cum tenui eſſentia ſubcroceum & croceum, (*Græci* ὑπόξανθον *&* ξανθὸν *dicunt, hoc eſt flauum & ſubflauum*) quæ ſubſtantia, cruditatem: coloribus verò, non naturæ modò exceſſum, verùm materiæ quoque penuriam oſtendunt. Nam quum adoleſcentum quiſpiam cibis defraudatus, inedia laborat, & naturæ & ætatis ratione lotia flaua & ſubflaua conſpiciuntur, propterea quòd caloris plurimum habent innati, qui tum intimius præter naturam abundans, bilis nimietatem parit, quoniam ardore immodico haud difficulter alteratur in bilem ſanguis, præſertim quum in tempore æſtiuo diuturnior perennat inedia, in quo frequenter innumeræ febres ferme corripiunt. atque inde quidem lotia ſubflauo flauóque colore tinguntur. Ex vigiliis præterea, ſolicitudinibúſque & laboribus flauæ rubeæve vrinæ redduntur. Sic vtique de tenuis ſubſtantiæ lotii complexu, & quibus cum coloribus iungi poſſit, ſufficiēter dictum eſſe exiſtimo: reſtat, vt de iiſdē in hūc modum perſpicuitatis gratia tranſigam & ob oculos tanquam in tabula ponam. Tenue lotium poteſt eſſe cum colore candido. Tenuis vrina exiſtit quandoque cum colore lacteo. Tenuis vrina glauco cum colore nonnunquam conſpicitur. Tenuis vrina colore interdum eſt rauo. Eiuſdem eſſentiæ lotium ſubflauum, & vt paucis dicam, Tenue lotiū flauum. Tenue lotium ſpiceū. Tenue lotium ſubſpiceum. Tenue lotium ſubfuluum. Tenue lotium fuluum.

De lotii coloribus cum craſſa ſubſtantia, & eius indiciis, Cap. VI.

QVandoquidem tenuis eſſentiæ lotii, quibus cum coloribus poſſit cōnecti, ſatis ſupérque (vt videtur) hactenus mentionem fecimus, iudiciáque eiuſdem curioſius explicauimus, opportunum nunc videtur de craſſa quoque ſubſtantia, quæ cum quibus coloribus queat infici, tranſigere ac perſequi. Vrina craſſa & candida plurimum crudi humoris in vaſis redundare oſtendit, & multiplicem pituitam: verbi gratia, vitream, ſalſam, & omnis qualitatis expertē. Id genus lotii, craſſum ſubſtantia, multum quantitate, candidum colore, in morbis ancipitibus abſceſſus articulorum diſcutit, non tam prius his languētibus quàm iis qui vtcunque iam malo tenentur, & qui in magna vi craſſorum humorum inueterauerunt.

Craſſa porrò vrinæ ſubſtantia cum lacteo colore non rarò conſpicitur: quæ ſi in decremento finéve morbi ſuperuenerit, calculum nunc veſicæ, tunc renum oſtendit.

Lotium craſſum colore χαροπὸν, *quem blandum quidam interpretantur ſiue cæruleum*, ſi neutiquam perturbatur, complures id genus humores corpus occupaſſe, & languorem pernicioſum vndique perfuſum, ſignificat. Quū verò lotium turbulentum (quale iumentorum eſt) redditur, capitis dolorem vel adeſſe vel aduenturum breui, oſtendit. Quū autem id conſpicitur, ſi turbulentum iam quoquomodo ſit, & reſiſtens igni admotum clareſcat: (bullæ enim in ſumma ſuperficie lotio calfacto natant) vel vrina quoquo modo perturbata fuerit, aut deuoluitur extrinſecus, calorem, bulláſque in ſumma cute fore ſignificat. Alioqui eiuſmodi craſſum lotium fruſtuloſum, non multum, ſi cum febre ſpectatur, non bonum, ſed multitudo veniens ex his, tenue *prodeſt, & febris diſceſſionem declarat. Poſt haſce vrinas ſubrubea quoque cum craſſa ſubſtantia ſæpe conſpicitur, & ſi ſedimentum fuerit eiuſmodi, morbum diuturniorem quidem, ſed à periculo immunem & non incurabilem oſtendit. Lotium cum craſſa ſubſtantia, rubeum quoque interdum cernitur. portendit autem ſanguinis magnam vim in corpore dominari, veluti in febre continua, & in ancipitibus cunctis. Huiuſmodi verò lotium ſi paulatim exit, ſonticum eſt, nunquam etenim non periculum denuntiat. Compari etiam modo & id genus lotium, ſi in eiuſmodi febribus turbulentum reddatur, cum ſurditate & dolore capitis, colli item & iliorum (*quæ* ὑποχόνδρια *Græci dicunt*) laborantem regio morbo corripi ante diem ſeptimum demonſtrat. Craſſa pariter & οἰνωπὴ, *i. uini faciem habens ad atrum tendentis*, vrina, ſi in febris æſtuoſæ (*Græci* καῦσον *appellant*)

A capitis doloribus emingitur, vel decretorium iam exiſtere, vel pro foribus id eſſe inſinuat. Lotium præterea cum craſſitudine ſæpius veneto colore exiſtit. Si id à conualeſcentibus meiitur, meatuum angorem præ ſe ferunt, vel hominem ſtrenuè plurimùm cucurriſſe, & malorum liberationem. Si in ſenibus huiuſmodi lotium effluat, idque tempore multo, vrinæ veſicam ex prauis humoribus à naturali conſtitutione permutari plerunque, & liberationem vtplurimùm portendit. Si in fine morbi humoris calculoſi (*quem Græci morbum* λιθίασιν *uocant*) tale reddatur B lotium, permutari, & vrinæ ſtrangulationem ſtillicidiúmque (*eadem gens* στραγγουρίαν *nuncupat*) imminere arguit. Lotium ſubſtantia craſſum & colore viride in febre non vacātibus morbis, auruginem vel oſtendit præſentem vel minatur. Lotium cum lurido colore craſſum in febribus non reſidens, mente captum ſignificat. Neque tamen id ſolùm ſed quiddam etiam aliud: in febre nanque cauſo eiuſmodi lotium profluēs, ſtanguriam futuram declarat. Iungitur itidem cum lotii craſſitudine nigredo, & id atram bilem expurgari docet, veluti in C decremento febris quartanæ, & liberatione ſolutionéque bilis atræ. fiunt etiam tales quandoque vrinæ ex algore, & ſanguinei humoris toſtura. Ex eiuſmodi ſanè cauſis dū incraſſeſcit ſubſtantia, eiuſmodi colores cum craſſitudine eſſentiæ gigni manifeſtat. Scire autem oportet quòd vera ratione tres habentur atri lotii ſpecies craſſiores. Quòd craſſior quàm natura ferat lotii ſubſtantia, hinc liquidiſſimè conſtat. Nam dum febris quartana ſoluitur, & atra bilis per lotium prodit, id ipſum craſſius reddi & nigrius certum eſt. Itidem quoque quādo morbus quiſpiam meD lancholicus diſcutitur, & reliqua vrina excernitur melācholiæ cauſa. Cæterùm quum atrebilarius humor terreus & craſſus & ater ſit, vrinas quoque craſſas & nigras efficit. Pari quoque modo ex toſtura ſanguinis, nigrior vrina (vt demonſtratum eſt) apparet, ſubſtantiámque parem facit, quoniam materiā quam ex humoribus in vaſculis, (hoc eſt receptaculis ſanguinis) toſtura haurit, colliquefactionis ratione frigus indēſat, & craſſū reddit. Portendit autem eiuſmodi lotium in febre conuulſionem ex ariditate toſturáve. Neque id tantùm indicat: ſed in febribus E valde ancipitibus ita emanās cum capitis & colli & dorſi ſudore, & ſpiritus difficultate, pernicioſum eſt, ratione deuſtionis: quin & aſthma non rarò portēdit. Significat præterea in febribus acutis id genus lotium cum graui odore & fœtido adueniens, interitum, ſi non veſica laboret. Eſt verò quando huiuſmodi vrina ſalutaris eſt, nempe in affectionibus quæ originem ab humore nigro traxerunt: quartanam enim febrim celerrimè terminat. Quemadmodū igitur de ſubtilis eſſentiæ lotio, & quibus id cum coloribus poſſit imbui ac cōiungi, paucis perſtrinximus, F & iudicia ac ſignificationes eorum, & cauſas ad hæc recenſuimus, & veluti ante conſpectum, claritatis gratia, in deſcriptione quadam ſerie poſuimus: ita & quæcunque de craſſa vrinæ ſubſtantia ſcitu & memoratu digna videtur, & quæ quos colores accipiat, & ſignificationes, & cauſas eorundem, accuratè enarrauimus & diſcuſſimus. Reliquum eſt vt per hanc deſcriptionem quam ſupponam lectori tanquam ex ſpeculo appareat. Craſſum ſubſtantiæ lotium eſſe poteſt candidum. Craſſæ ſubſtantiæ lotium eſt interdum lacteum. Craſſum ſubſtantia lotium G eſt quandoque rauum. Craſſum lotium breuiter ſubrubrum. Craſſum lotium colore viridi. Craſſum lotium lurido colore. Craſſum lotium, nigrum. Craſſum lotium, Venetum aut cæruleum.

De mediocri vrinæ ſubſtantia, & quibus coloribus poſſit imbui, Cap. VII.

SVbſtantia itaque lotii tenui craſſáque abſoluta, reſtat vt nunc de moderata quoque eſſentia curioſius diſputemus, & quibus colorari poſſit coloribus recenſeamus. nam ea ſola eſt ſecundum naturam ſubſtantia. Cum hac H itaque Galenus libro quem περὶ κρίσεως *hoc eſt de iudiciatorio*, inſcripſit, colorem ſubfuluum, ſubrutilum, ſubrubeúmque conſiſtere aſſerit: Magnus verò Sophiſta, fuluum & ſubfuluum, aut ſi vocare mauis rutilum ac ſubrutilum. Nos verò tantæ authoritatis viros erroris

inſimulare palã, aut reprehẽdere, religione prohibemur. quæ tamen ab vtriſque horum ſilentio ſunt præterita, haud negligenter reſarciemus, & congruam mixtionem cum mediocri ſubſtãtia cõfundemus, dicemúſque quòd cũ media vrinæ eſſentia cũcti colores copulãtur,(omiſſis ſubfuluo & ſubrubeo)in medio habentes fuluum. Sunt itaque mediocris ſubſtantiæ colores, ſubrubeus, fuluus & rubicundus. Sed vt id liquidius clareſcat, non parergon fortaſſe fuerit per ſeriem amplius hæc in huiuſmodi deſcriptione aperuiſſe. Moderatum lotium ſubrubeum. Moderatum lotium fuluum. Moderatum lotium rubicundum.

De eo quod reſidet in lotio *à Græcis ὑπόστασις, à Romanis ſedimentum appellatum,* Cap. VIII.

VBI verò oratio de iis quæ hactenus memorauimus neutiquam (vt videtur) abſurdè & ſufficienter facta eſt, & habita eſt haud negligens ordinis in his deſcribendi ratio, & formula quadam liquidè cuncta ob oculos huius diſciplinæ ſtudioſis poſuimus: nunc ea contenta quæ in fundum matulæ deſcendunt, *quæ Græci* ὑποστάσεις, *hoc eſt ſubiecta,* ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι, *hoc eſt ſubiici,* vocauere, explicemus, docẽtes quæ frugi ſit hypoſtaſis, & quæ ab hac præter naturam intenſionem remiſſionémve præ ſe ferat, ſignificatáque aperiemus, quæ ſontica diſcrimen portendant ſedimina, & quæ minus periculi, quæ ſalubritatem ſignificent cum in ægris tum in ſanis corporibus, & quæcunque præſagia inde ſumi poſſunt: hypoſtaſinq; & ſubſtantiæ colorúmque mixtionem ceu terminum perfectũ annotabimus. Ad quæ aperiẽda, veri ſummi optimique Dei fauor adſit, nequid quod ad rem faciat, prætermittamus. Sumamus itaque exordiũ ab hypoſtaſis (ſic enim vtendum eſt poſitis nominibus) inculpatilis expoſitione. Euidentius tamen & cæteris omnibus eruditius de ea Hippocrates ſapientiſſimus medicorúmque omnium princeps diſſeruit: de qua vt nihil detrahemus, ita ne tantillum quidem adiiciemus. quoniã appoſitio detractióque præter naturam ſunt. Facit igitur diuus ac ſapientiſſimus Hippocrates verba de ea quæ præter naturam non eſt hypoſtaſi. Lotiũ itaque ſecundum naturam, hoc eſt inculpatile, eſt in quo id quod ad fundũ matulæ conceſſerit, cãdidum & læue & æquabile per tẽpus cunctũ morbi ve decurſum exiſtit. Et ſanè ſapiẽs ille vir, breuitatis amator & ſummus artifex, hunc in modũ ex cõtento definitionem contexit, præteriens eſſentiam, colorem, tanquam particularia. Nos verò in præſens quæ omiſſa & intacta ab eo ſunt, ita ſarcire conamur, vt quotquot in hunc commentariolum inciderint, miro perfundãtur gaudio. plerique enim diffinitionem mancam audientes, tanquã parum ſapientem, ſummum authorem iudicant. Quocirca diffinitio numeris omnibus abſoluta lotii ſecundum naturam eſt huiuſmodi: Lotium optimum eſt & inculpabile in quo contentum matulæ fundum petens, (*à Græcis* ὑπόστασις, *à Romanis ſedimen & ſubiectum appellatum*) colore album, læue præterea & æquabile per vniuerſum morbi tẽpus reſidet: ſubſtãtiæ verò nõ diffugit moderationẽ, colorẽ fuluũ & ſubfuluũ cum perexigua rubedine cõiunctum præferens. Quoniam autem diffinitio hunc in modum abſoluitur, conſequens eſt in lotio quatuor hæc conſiderare, ſedimentum, colorem, eſſentiam, & tempus. Cæterùm cuiuſmodi ſingula in ſingulis eſſe conueniat, ordine explicabimus. Hypoſtaſis itaque naturalis colore alba eſt, & inferiorem quidem, ſed inculpabilem locum occupat, hoc eſt, neque matulæ fundum attingit, neque ſeparatur multum ab eo: læuis præterea & continua, & æquabilis, pluſculos ita dies permanens. nam id verè eſt æquale per tempus ſeruatum. Siquæ igitur hypoſtaſis vnã aut alteram ex quatuor hiſce conditionibus non habuerit, vel in diuerſum conuertatur, hanc minimè naturalem cenſeto. Cæterùm perinde atque iam pridem formulam aut compoſitionem ſubſtantiarum colorúmque concinnauimus, ita & hîc quoque cuncta, quæ obſeruanda ſunt, cum hypoſtaſi componere conabimur. Fiat autem poſtremo quod in hypoſtaſi perpendendum venit, æquabilis videlicet metamorphoſis in contrarium, reliquis immutatis perſiſtentibus, vltimum etiam inæquale. Sedimentum album, continuum & inæquale, concoquendi virtutem deiectã ſignificat. Interdũ enim vſqueadeo debilitatur ea, vt ſatis nõ valeat cõcoquere natura, ſed crudũ quidpiam relinquit, propterea quòd non perpetua fiat ſingulis diebus concoctio, ſed nunc quidem decocta, nunc verò cruda hypoſtaſis. Rurſum fiat & continui tranſformatio, ita quidem vt vtraque hæc in vnum conuertãtur, adeò vt hypoſtaſis ſit neque continua neque æquabilis.

Candidum ſedimentum diſcretum, ampliorem cruditatem præfert, & in coctrice facultate deficientibus duobus. neque enim æquabilitas tantùm, ſed & læuitas quoque amiſſa eſt: adeò vt hypoſtaſis præterquam quòd inæqualis videtur, diuulſa quoque cõſpiciatur. Cæterùm continuam hypoſtaſin flatuoſi ſpiritus interſecant & diuellunt, craſſitudinis indigi, & æqualitatem diſrumpentes. Hiſce itaque rationibus cætera ſubiecti portio vtriſque his crudior quàm ex vno horum, neceſſariò conficitur. Mutemus verò denuò quod conceſſum principio eſt.

Eſt præterea lotium, non leuem ſed diſſectam & æquabilem habens conſtitutionem. Cuius ſortis lotium pernicioſum cenſeo, quoniam multos ſpiritus quibus nequit natura euaporationis tantum conciliare vt digerantur, declarat. Porrò lotium nonnunquam diuulſum redditur & inæquabile, & ſuperiore ſalubrius eſt, eo quòd non perpetim in dies diſpergatur veluti æquabile, ſed interdum tamen diſſipetur, interdum verò minimè, atque ob id quidem minus eſſe flatus qui continuitatem diuellat ac diſtrahat. Id ipſum in arteriarum deficientis percuſſus exemplo declarabimus. Nam ſi is multis diebus eundem tenorem mordicus obſeruarit, magis ſonticum eſt quàm ſi diebus ſingulis alteretur. hoc enim erit inæquale. Præſtat itaque (quod horrendum auditu videtur) lotiorũ hypoſtaſin eſſe diuulſam & inæqualem, quàm non continuam & æquabilem.

De enæorematis quod eſt ſublationibus, & primitus quid continuum enæorema ſignificet, Cap. IX.

EA igitur contenta quæ in matulæ fundum deſcendunt, (hypoſtaſes dicuntur) ea candido colore eſſe expedit. Si eadem proprium locum prætermiſerint, & ad medium totius matulæ conceſſerint, appellantur *Græcè* ἐναιωρήματα, *hoc eſt ſublimia, ſiue dicas ſublationes,* ἀπὸ τοῦ ἐναιωρεῖν, *id eſt ab elatione pendendóue,* quaſi æquo ſpatio ab vtriſque extremis ſecederent. Eſt verò & ipſum quoque enæorema continuum & æquabile. Illud enim ſubcrudiuſculum adhuc non potuit à natura exactè concoqui, vt ad infernum locum ſecederet. Hoc concoctum quidem ſed flatulenti cuiuſpiam ſpiritus participatione incidentis contentum in medium matulæ locum effertur.

De nubibus quæ natant in vrina & primitus candidæ nubis, continuæ & æqualis notiones, Cap. X.

QVæcunque autem contenta ad ſummam vſque vrinæ ſuperficiem peruenerunt, νεφέλην *hoc eſt nubes,* vocauere, qui circa haſce res prudentes fuerunt: ſumpta tranſlatione à nubibus, quòd quemadmodum nubes à terra ſummè ſecedunt, ita & hæc contenta à fundo matulæ, quod illi terræ proportioni reſpondere putauerunt, in ſummam vrinæ ſuperficiem, vltra mediam regionem ex multo ſpiritu impulſa, aſcendunt, & eodem in loco hærent. Cæterùm nubes albo colore & ſpumoſa, ſupremam lotii ſedem in febribus ancipitibus intercurſans, bileum humorem portendit. Si in ſynocha febri album lotium nubes ſpumoſas habeat, valde exitioſum: ilia enim (*quæ* ὑποχόνδρια *dicuntur*) dextra doloribus affici notat. Si in cauſo, *hoc eſt in febre ardente,* lotium nubes atræ occupant, in quartanam febrem tranſire declarat. Sin verò neque flatus neque ſpiritus infernum matulæ locum fundúmque petit, exactum coquendi officium ſecundum naturam abſolui denuntiat. Vocatúrque (ceu dictum eſt) ὑποστάσεις, qua infernam habitudinem ſignificant. Cæterùm quæcunque de hypoſtaſi, item & de enæoremate memorata ſunt, eadem & de nube dicta putato. Vocantur autem hæc omnia communi & generali nomine παρυφιστάμενα, *hoc eſt contenta,* & ſolo ſitu diſſident. Liquet igitur cur de

OOOOoo. iii.

hoc loco non fuſius ac amplius quàm ſignificata ſeu notiones tradam. Alteratur autem albus color quandoque ex hypoſtaſi in nigrum. Nigredo contentorum,ſemper quidẽ mala, ſed in nebula minus prauum.In enæoremate grãdius malum,in hypoſtaſi peſſimum eſt indicium.

Compari quoque modo de contentis habet candidis. nam ſi candida,diſiecta,& æquabilis fuerit habitudo inferna,(quod ſedimentum eſt) non malum: ſi nubes candida,melius:ſi enæorema ſit candidum,euidẽtius & præſentius bonum. Hippocrates quoque infit, Nubeculæ in lotio ſuſpenſæ,albæ quidẽ bonæ: nigræ verò,malæ ſunt. Atque ex his ſanè ſatis dictum eſſe de trium contẽtorum ſitu exiſtimari poteſt. Quoniam autem de tempore, ſubſtantia,locóque determinauimus,non fuerit parergõ, imò operæpretium, de coloribus deinceps per ſeriem tranſigere. Exiſtit verò ceu diximus naturalis ſedimenti color,candidus: non naturalis,niger, vel liuidus, vel ſpiceus vel ſubfuluus, vel rubeus, vel viridis. Hypoſtaſis proinde ſubrubea,à ſanguine diluto (velut ſuprà docuimus)originem trahit, & cruditatem quidem portendit, verùm non lethalem.Rubea verò hypoſtaſis à ſincero ſanguine proficiſcitur,& exactum ſignificat concoctionis officium:quæ vbi moderata fuerit(hoc eſt,neque abundãs, neque deficiens & indiga)omni diſcrimine vacat. Quocirca quũ hypoſtaſis ſubrubea,materiæ familiaris ſit, nihil infert periculi. Materia autem,qui aqueus ſanguis eſt, proxima ſanguini exiſtit,atque ob id amica corpori:quare non multùm obeſſe poteſt(vt diximus) homini.Cæterùm quòd cruditatem quandam indicat, tempus ob id concoctionis expectandum eſt. Quod ſanè,vt res clamitat,humorum tempus ſuccedit,quoniam ii ante ſanguinem gignuntur: verbi cauſa,pituita & liquor:poſt ſanguinem verò,bilis vtraque.Sinceri verò ſanguinis generatio in medio vtrorumque exiſtit. Quoties itaque ſubrubeũ eſt lotium, colorem hunc ſumi à diluto ſanguine oſtenditur.Dilutum verò ſanguen & aqueum,ſemper ante ſincerum ſanguen naſcitur, atque ob id cruditatem & coquendi munus mãcum aut debile declarat. natura enim ſanguine inchoato,vrinam aqueo colore inficit.Liquet igitur (quod diximus) ſanguinem eſſe illum ſubcrudum & incoctum. Tempore itaque natura opus habet ad ſanguen dilutum coquendum. Rubea verò hypoſtaſis iudicatorium diem fore ſeptimo portendit. Nam ſi quarto die ſupremo loco nubeculam habuerit lotium rubeam, vnà cum cæteris concoctionis indiciis, perſpicuum eſt die ſeptimo morbum iudicari. vnde Hippocrates, Quibus ſeptima iudicatur, his nubeculam habet quarta die rubeam, & alia ex ratione. Hactenus igitur de ſubrubri coloris rubeique ſignificatione ſatis ſit. Sedimentum lotii coloris luridi,caloris virtutiſque extinctionem ſignificat. Præterea in febribus ancipitibus liuida vrinæ hypoſtaſis ſuperuenientis diei periculum denuntiat. Viride lotii ſedimentum,feruorem immẽſum, & cacohecticam ægrimoniam portendit. Sedimentum ſubnigrum,ab abſoluto nigrore nonnihil deficiat. Prædicit autem id,ſi plurimùm ad medium locum tendit, & enæorematis nomen accipit,in febre feruente (quam *καῦσον* dicunt) dementiam, & omne genus ſanguinis fluores, comitante magna ex parte iudicio,*quæ κρίσις Græcè uocatur*, non citra rigorem ſudorémque. Vrinæ hypoſtaſis atra,vt plurifariam, ita & diuerſam ſignificationem habet. Eſt etenim quando algoris, & eſt quando ardoris indicium eſt. de qua re in hunc breuiter modum diſputabimus.Quòd ſi ſedimentum, quod ſubiectum eſt, de quo hîc agimus, nigrum anteceſſit,liuidum fuerit,& nigredinem acceperit,frigiditatem ſubeſſe ſignificat. ſin autem hypoſtaſis viridis præceſſerit, & ater eius contenti color ſequutus ſit,dubio procul ex calore id factum ducito. Candidus color perpetuò inculpatæ ὑποστάσεως indicium eſſe creditur.Vbi ſciendum eſt quòd color non raròimponit artifici quantumuis ſolerti. quum videlicet crudus humor in habitudine quæ hypoſtaſis eſt,inferna,albus conſpicitur,& boni ſediminis ſpeciem præfert, quum nõ ſit,tum candore decipitur artifex,bonam hypoſtaſin iudicãs.Cæterùm id odore à naſuto pulchrè deprehenditur: grauеolentem enim odorem,ac fœtidum emittit. Quin & lumbi vlceribus impetiti,veſica item & iecur, vel alia quædã pars,dum per lotium expurgatur, purulentum quippiam eiiciunt: affirmante idipſum Hippocrate, libro ſentẽtiarum quarto: Siquis ſanguinem,inquit, vel pus minxerit, vel lumbi vel renes vel veſica vlcerata ſunt. Et rurſum. Quibus in vrinaria fiſtula,*quæ οὐρήθρα uocatur*,tubercula gignuntur,ſi ſuppurent & prorumpant,mali ſolutio fit.

Neque latere quempiam poteſt, quòd per eundem vrinarium meatum interdum ſanies emingitur. Cæterùm crudus ille humor ex inæquabilitate eſſentiæ hypoſtaſεως diiudicari poteſt, quoniam crudi humoris ſedimentum ſemper diſiectum cernitur,& ſabuloſum eſt. Horum verò ideo facta eſt mentio ne medico color imponat, ſed admonitus is ſtudeat verã hypoſtaſin à ſanie crudóque humore diſcernere: memineritque, ſi quiſpiam ſanguinem aut pus mingat aut ſquamas, malúſque & grauis odor inſit, vel lumborum vel renum vel veſicæ exulcerationem ſignificare: & ſi arenoſa in lotio ſubſiſtant, idque diutulè, veſicam aut renes calculo laborare. Quatuor igitur hactenus hypoſtaſis differentias, colorem, regionem, ſubſtantiam & tempus, compendioſè explicauimus. Reliquum eſt vt eadem,quatuor partibus ſubſcripta formula ante oculos ad hunc modum ponamus. Candidum lotii ſedimentum, continuum & æquabile. Candidum lotii ſedimentum,continuum & inæquabile. Candidum lotii ſedimentum, diſiectum & æquabile. Candidum lotii ſedimentum, diuulſum & inæquabile. Iſtæ igitur ſunt quatuor ſedimenti in formula tanquam in tabula propoſitæ ſpecies. Cæterùm vt altitudo corporis vrinæ trifariam diſpeſcitur, in fundum ſcilicet, ſuperficiem,& vtrarumque extremitatum medium, ita & contẽtorum *quæ Græcè παρυφιστάμενα dicuntur*,quoque tres locos eſſe docuimus,eáque contenta quæ ad imam regionem matulæ conceſſerunt,diximus ὑποστάσεις vocari:quæ verò ad totius altitudinis ab vtriſque pari ſpatio peruenerunt mediũ,ἐναιωρήματα:quæ autẽ ad ſupremã vſq; regionem cõceſſerunt,νεφέλην appellari. Singularũ adhæc rationes ob quas videlicet eiuſmodi regiones occupãt, & quid portẽdãt quidq; indicẽt. & vt eius quæ ad matulæ fundũ conceſſit deſcriptionẽ,& differentias deniq; retulimus,ita & ſublimiorum quoq; (*Græcis ἐναιωρήματα* vocatas) diſſidẽtes ſpecies hac formula tãquam ex ſpeculo patefactas elucere volumus. Enæorema,*hoc eſt ſublatio*,candidum cõtinuum & æquabile. Enæorema candidum continuum & inæquale. Enæorema candidum diſiectum & æquabile. Enæorema candidum diſiectum & inæquabile.

Hæ ſunt ergo enæorematis ſpeciales differentiæ, quas hic tanquam in tabula propoſuimus. Procedenti verò ſermone iudicia & præuidentias vniuſcuiuſque differentiæ exponemus. Nunc verò & tertiæ quoque contentorum ſpeciei,quæ ad ſupremam lotii regionem peruenit,& nubecula vocatur ſeu nebula, differentias proſequemur, quidque portendant ſingulæ,ſilentio non prætereuntes. Eſt autem eius deſcriptio talis. Nubecula candida,continua,æqualis. Nubecula candida,continua, inæqualis.

Nubecula candida, diuulſa, æqualis. Nubecula candida diuulſa inæqualis. Trium itaque παρυφισταμένων differentias breui quidem ſed abſoluto ſermone enumerauimus,& formulis quaſi deſcripſimus. nunc de cæteris ad hanc diſciplinam neceſſariis tranſigamus. Tria ſunt quæ hominis corpuſculum conſtituunt,ſpiritus videlicet, humores & ſolidæ partes. Humida autem ex quibus humanum corpus conſtat,humores ſunt,& eorũdem περιττώματα. Cæterùm ſuper iis quæ putrefactis humoribus iniunguntur, nihil quod referre oporteat, relictum eſſe autumo. Quocirca inpræſentiarum vt de vrinis exactam diſputationem reddamus, quæcunque ex ſolidis partibus per vrinas effluunt,ſingula perſtringemus. Enimuerò potiores quædam earum partium, nonnunquam eliquantur & olei ſubſtãtiam induunt,vel aliam id genus ideam æmulantur. Quum igitur adeps & caro ſolidarum partiũ liquidiora & molliora exiſtant, adipem quidem in primis vt omnium ſolidarum partium molliſſimam, & ad ſoluendum præ cæteris multo magis idoneum, mox

etiam carnem reſoluit. Adipem itaque liquefactum calor præter naturam in olei eſſentiam permutat. Quia verò eiuſdem non ſtatim quanta quanta eſt, fit cumulatim colliquefactio, verùm initium quoddam reſolutionis, incrementum item, & temporum ſummum vigorem habet, non fuerit fortaſſe parergon clariorem eius cognitionem facere. Lotii oleacei trinæ ſunt ſpecies, quarum quælibet proprio nomine gaudet. Siquidem in principio quum olei colorē præferunt quidem, ſed nondum exactè eo colore tincta ſunt lotia, ea præſentatur ſpecies quæ oleicolora dicitur, quū exiguum pinguis liquefactum eſt. In augmēto verò ſpectatur oleapparēs, quòd olei faciem præ ſe ferat, quum liquefactio iam maius ſpatium occupauit. Vbi verò adeps pinguéve iam exactè colliquatum fuerit, lotia colorē oleaceum exhibēt, vocātúrque huiuſmodi vrinæ oleaceæ. Proinde olei colorē repræſentātes vrinæ, dilutæ & quaſi aqueæ, colliquationiſque pinguedinis principium declarant. Quæ verò incremento tēporis olei inſtar apparent, exactiorem habent olei ad vrinam cōmixtionem. Oleaceæ verò vocatæ quæ in ſummo, manente ægritudine, conſpiciūtur, & colore & ſubſtātia oleum referunt. Lotium in febre oleaceum nigro tinctum, incenſionem & adulterinam caliditatem ex conuulſione, interitúmque oſtēdit. Atque vt ſummatim expediam, memoratæ vrinæ, quandoque liquefactum pingue totius corporis, quandoque renum tantummodo, ſignificant. Nam ſi paulatim huiuſmodi color proceſſerit, ita vt multo tempore eiuſmodi oleacei colores confirmentur, febris per vniuerſum corpus diffuſa: ſin breui & cumulatim iidē conſpiciantur, ſolorum renum affectio demonſtratur. cuius vtique rei euidens argumentum eſt, vehemens præſentis ſtatus caliditas. Illo nāque modo calor in toto corpore ſentitur: hoc verò, in renibus ſolis excitatur. In confeſſo enim eſt, quòd pinguedo in multas partes diffunditur. vel enim lumbos inuoluit & totos quaſi operit: vel in cunctas corporis partes diffunditur. Ea verò quæ circa renes eſt lumbóſve, pinguedine colliquata, & per lotium exeunte, magis cumulatim prorumpit quàm id quod in vniuerſo corpore exiſtit pingue. quoniam illa haud longè ab vrinariis meatibus: hoc verò ab his eminus conſiſtat. Hippocrates verò Cous id nauiter & ſcitè perpēdit, quum in libro ſententiarum ita prodidit: Quorumcūque lotio pingue multum & coactum ſedimētum ineſt, iis renum mala & grauia fore portēdit. indicium ſatis præclarum, pingue lumborum colliquefieri. Atque alibi: Lotium in febre feruida ſedimētum pingue habēs, interitum demōſtrat: quòd ſi abſque febre in ſenibus eiuſmodi cōpareat, *παραπληξίαν, hoc eſt membri cuiuſpiam ſolutionem*. Atque hoc pacto quiſque memorata cōſiderans, vrinas oleaceas ex colliquatione pinguis factas iudicare ſatis valuerit. proinde de his receptui canētes, par eſt vt de reliquis quæ æque ad hanc diſciplinā facient, diſputemus.

Depaſto iam corporis pingui, reliqua quoque caro eliqueſcit, & erui inſtar globoſa excernuntur in lotio ſedimēta, atque duo ſignificāt. aut enim renum aut totius corporis languorē: ſi cōcoctum fuerit lotium, & eruoſæ ſint hypoſtaſes, morbum renum: ſin incoctum, totius corporis malū portēditur. Proinde quū ſolidæ ac rigidæ corporis partes cōtineāt in ſeipſis lōgum, latū & altum, quæcūque euidētiora fruſtula ab hiſce cum latitudine & lōgitudine (nam nō adeò euidentē habēt altitudinē) abſciſſa diſſultant, aut ſuperficie tenus abraduntur, & laminarum (*quæ Græcis πέταλα dicūtur*) inſtar in lotio cōſpiciūtur, veſicæ vitium ſignificant, atque inde nomenclaturā ſortiuntur *πεταλώδεις, id eſt lamineæ*, quòd *πετάλοις, hoc eſt laminis*, quæ ex tritico friato excoriātur, ſimiles videantur. Cæterùm iuxta præfatā rationē ex lumbis quoque eiuſmodi laminarum ſpecies abſcinduntur. Nam ſiquis laboret febre & lotium lamineam ſortiatur eſſentiam, vniuerſum affici corpus cōiectare oportet. Quæ ab hectica febre non incēditur, ſi febris nō adſit, veſicæ ſolius malum ſubeſſe putato. Ablacerātur & exeūt huiuſmodi quoq; hypoſtaſes nō tā ſi vrina fuerit cōcocta q̄ incōcocta. Quòd ſi cruda fuerit, vniuerſi corporis malū præmonſtrat: ſin cum inculpabili cōcoctione, ſolius veſicæ malū adeſſe ſignificat. Vbi verò febris depaſto pingui altius corporis receptacula corripuerit, & ſolidiora attigerit corpora, euidentiora quidē & craſſiora, ſed anguſtiora quàm ſint lamineæ hypoſtaſes, in vrina abſciſſa fruſtula *πιτυρώδεα, hoc eſt furfurea*, excernuntur: vnde & hypoſtaſes appellātur furfureæ, quòd videantur ſimiles furfuri bene moliti tritici. Ac eiuſmodi ſanè hypoſtaſes, itidē vt præfatæ, & ſolius veſicæ ægritudinē, & vniuerſi corporis malū oſtēdunt. nā ſi febris affuerit, totius corporis eſt malum: ſin minus, veſicæ ſolius. Ac, ſi lotium fuerit incoctū, morbus totius eſt corporis: ſin crudum, ſolius receptaculi vrinæ. Cui ſentētiæ cōcinit Hippocrates: Quibus, inquiēs, in lotio craſſo furfuracea quædā ſimul eminguntur, his veſica ſcabie laborat. Quum autē febris per tria corporis interualla cōprehenderit, per longitudinē, latitudinem ac craſſitudinem, euadunt tales furfurum craſſiorum hypoſtaſes, appellātúrque *κριμνώδεις* & *ἀδρομερέστεραι*. Vbi nolim te latere *κριμνώδεας* appellari ὑποστάσεις, à craſſiuſcula quadā farina quā *κρίμνον Græci* vocāt, *Latini ſimilam: ἀδρομερέστεραι* autē, quòd ſectiones frumēti, quum molitur, volitātes, *ἀδρομερῆ* priſca *Græcorū* lingua vocabantur. Sunt verò nihil aliud quàm ex malè mollito tritico ordeóve cribrati furfures, non tenues ſed craſſiores & pleniores. Cæterùm *κριμνώδεα* huiuſmodi, duplicem ſignificationē prætēdunt, vel ſolidorum corporum vehemētē ac validā attritionē colliquefactionémq;, vel ſummā toſturā ſanguinis. at ſi cādido colore fuerit ſedimētum, ſolidorum eſt corporum lāguor: ſin rubeo colore infectū, ſanguinis. cuius vtique rei locuples teſtis eſt Hippocrates Aphoriſm. 7. Quibuſcunque, inquit, febricitātibus nō leuiter lotium biliosum, ſedimina veluti farina craſſior, nō bonū. Itémque, In febribus longis vrina cum ſedimento ſimilagineo, & aliis ſalubribus indiciis concurrētibus, morbi diſceſſionē pronuntiat. Itē in febribus enæorema ſimilaceum, longā ægritudinē fore ſignificat. Sed hactenus de craſſioris eſſentiæ ſediminibus quæ in lotiis apparent, ſatis dictum arbitror. Nunc par eſſe videtur, iudicia etiā vrinarū ſedimine priuatarum declarare.

De lotiorū hypoſtaſi carētium, iudicio, Cap. XI.

HYpoſtaſi priuata vrina, tenuiſſimæ eſſentiæ & percādido colore, obſtructionē vaſorum nō cōtemnendā vel ingēs frigus, & cōcoctricis potentiæ indecentē debilitatē, præſagit. & ſi lotium in his modeſtum ſit, & hæc erunt mediocria. Atqui hypoſtaſi ſpoliatum lotiū, ſpiceo colore ſubſpiceóque, minorē meatuum obturationē declarat: cæterùm ſimilē cruditatē. Nam cōcoctionis excremēta cōtenta nō præeunte cōcoctione nō incōcocta eſſe non poſſunt. Aureo autē colore & croceo citra ſedimen lotium, oppilationē quidē nō paruo exiliorē præferunt: ſed cruditatē obſeruāt, veluti adulterinus calor expugnaſſet naturalē. Quin & cruciatus vehemētes iſtiuſmodi lotia cōſtituunt, & exercitationes acres, defectionéſque materiæ, oblongas vigilias, & ſegnitiē denique naturæ. Vlterioribus tincta coloribus lotia, ipſis coloribus ſuccorum dominantium cum qualitatem tum proprietatem demonſtrant. de quibus ſuprà ſatis dictum eſt.

De iudicio vrinarum ab odore tetro, Cap. XII.

A Grauiter olente lotio non vna tātùm notio ſumēda eſt: ſiquidē à graueolētia vrinarum eſt cōiectare putredinē alicuius partis interioris. Grauiter olens vrina & vellicans, humorum putredinē ſignificat. lotium tetri odoris, mordax & vrēs, tabē denuntiat. Et rurſus in febribus lotium dilutum & albicās & copioſum cum cādidis enæorematis tetro odore, mentis vacillationē alienationémve (*quam παρακοπὴν Græci uocant*) ceſſaturā indicat. Et aliter: Lotium in febribus ancipitibus craſſum, atrū & graueolens, veſica nō lāguente, interitum demōſtrat. Vel lotium tetrum odorē emittens, colliquefactionē & putrefactionē naturæque extinctionē portēdit. atque ita quidē à fœtida vrina coniectādum. Satis nunc ſuper talibus vrinis dictum autumo. de complexu deinceps tranſigamus.

De complexu hypoſtaſeos colorum & ſubſtantiæ, Cap. XIII.

QVandoquidem ſuperius tenuis & craſſæ eſſentiæ lotia cū coloribus haud inſcitè, vt reor, cōpoſuimus:

Nunc de complexu ſubſtantiæ(quem & fluorem dicunt) & hypoſtaſis,quæ cum quibus coloribus cõuenire queāt, & quidnam horum vnumquodque præſagiat,verba facere inſtituimus. Vbi ſciendum eſt quòd vbi hypoſtaſis fuerit ſubſtantia craſſa, ex confeſſo concoctionem exactam oſtendit,vel immenſam craſſorum incoctorúmque humorum affluentiam . Cæterùm huiuſmodi ſedimentum cum tenui vrinæ ſubſtantia conciliari non poteſt. Copulemus itaque vno ſub iugo eſſentiam craſſiorem cum æquali ſedimine,& cum colore rubeo & ſubrubeo.in complexum nanque hi,cruditatem præ ſe fereutes,conuenire nequeunt. Auſpicabimur itaque à colore ſubrubeo complexum contexere,quia hoc ab diluto ſanguine , illud ab abſoluto ſanguine proficiſcitur. Scito autem quòd colores nonnulli ſubſtantiæ profuſionis coniuncti ſedimenti quidem,ſed imperfecti conſpectantur. Quum ſubrufo igitur colori craſſa ſubſtantia,quemadmodum diximus, coniungitur,morbi longitudinem præſagit.Quòd ſi cum ſubrufo colore lotii , ſubrufum ſedimentum non diſiectum & æquabile copulatur, et ſi craſſa fuerit vrinæ ſubſtantia pariter & craſſa hypoſtaſis rufa , & idem portendit,& affluentiam ſanguinis oſtēdit. Meiitur & huiuſ-

A modi complexus ſedimen craſſum,atrum cum lotii ſubſtantia craſſa & atra.Et non tam eſſentia quàm ſedimine ipſo ingentem vim ſanguinis ſignificat. Fit nonnunquam in lotio talis complexus,qui nõ tam eſſentia quàm ſedimine ipſo toſturam ſignificat.Pari etiam modo ſubſtantiæ ſediminíque colores appoſiti coniuncti idem declarant,ſiue ſecundum redundantiam ſiue defectionem, citra tamen vtrorumque cum eſſentiæ tum hypoſtaſis mediocritatem: modò colores præter naturam non ſint, ſed naturales.verbi cauſa,fuluus & ſubfuluus:quibus quū
B huiuſmodi lotium tingitur,exactam cõcoctionem , non tam eſſentia quàm ſedimento coloribúſque, præſagit.

Quòd ſi lotium croceo apparuerit colore & ſublatio atra ſit,nulla ſpes ſalutis affulget,ſed interitus demõſtratur. Si lotium fuerit roſaceum, (quod redundantem bilem albam ſignificat)ac in medio nigra contineatur nubecula, interitum ſignificat:At ſi nigra non ſit ſed aliter,ſcito toſtam eſſe bilem in vniuerſo corpore . Sed oratio ſuper vrinarum cognitione doctrináque ſatis habita,& per genera,ſpecies,ac differentias ſcitè admodum facta diſtri-
C butione,hoc in loco gradum ſiſtat.

ORIBASII SARDIANI MEDIci longè excellentiſſimi opera, tribus tomis digeſta,

Joanne Baptiſta Raſario interprete.

PRIMVS HABET
Synopſeωs ad Euſtathium filium libros nouem, quibus tota Medicina in compendium redacta continetur.

COSMO MEDICI ILLVSTRISSIMO ET EXcellentiſſimo duci Florentiæ, Ioannes Baptiſta Raſarius Nouarienſis medicus S. P. D.

QVVM mihi ab ineunte ætate perſuaſiſſem, Coſme Medice dux maxime, nihil ingenii exercitatione ſtudiiſque literarum eſſe præſtantius, nihilque eſſe homini magis proprium quàm pro virili parte omnibus prodeſſe: ita ſemper in literis ſum verſatus, vt quoad eius fieri à me poſſet, publicæ omniũ vtilitati conſulerem. itaque & libellos aliquod admodum adoleſcens de Græcis Latinos feci, & Græcas literas multos annos in academia Ticinenſi publicè docui: quo etiam munere in hac vrbe clariſſima nunc fungor. Quúmque arderem incredibili deſiderio vt aliquod mearum vigiliarum munus in tuo nomine appareret, vt quoniam tuo, maiorúmque tuorum beneficio literæ ſcientiæque omnes, quæ iamdiu exules in tenebris iacebant, reſtitutæ, atque in Italiæ luce collocatæ, & ad ſummum gradum euectæ fuerunt, aliquam tibi ego quoque grati animi mei ſignificationem darem, vt id poſſem efficere, mihi ſuppeditauit Nicolaus Sammichelius Nouocomenſis, vir præſtantiſſimus, & ſingulari medicinæ multarúmque artium ac ſcientiarum cognitione ornatiſſimus. Is enim quum ſciret ea quæ fuſa latius antiquiores medici perſequuti eſſent, omnia ab Oribaſio vnum in volumen eruditè diligentérq; fuiſſe redacta, vt vno quaſi aſpectu quilibet totam medicinam intueatur, mihi perſuaſit vt eum librum latinitate donarem. quod vt maturius facerem, codicem ſuum peruetuſtum, quem olim ex Græcia deportauerat, mihi accommodauit. Quúmque is liber ad eundem qui author ipſius confectionis fuiſſet, quaſi iũre quodam eſſet deferendus, ipſe Princeps admonere me cœpit atque hortari ne tibi id quod ſciret me iandiu animo exoptauiſſe, deberem diutius: quinetiam mihi vrgendam eſſe hanc occaſionem neque vllam reperiri meliorem poſſe confirmauit. Quod quũ vir ſumma virtute & humanitate Petrus Carneſeccus tui obſeruantiſſimus ex me cognouiſſet, ita approbauit, & conſilium hoc commendauit, & vt in eo omnino perſtarem, ampliſſimis verbis admonuit, vt licet ego non eſſe mihi properandum ſtatuiſſem, quanquam hoc valde cupiebam, tamen eruditiſſimorum hominum, & quibus me chariſſimum eſſe ſentirem, hortatu ac ſuaſu factus ſim promptior. nam præter rationes quas ipſi afferebant, videbam ego multas cauſas eſſe quamobrem Oribaſius medicus tibi eſſet dedicandus. Etenim præterquam quòd tanta ſit nominis tui celebritas atque fama, tantáque fuerit vſque à puero de te concepta opinio, re poſtea confirmata, & facta in dies maior, vt non modò tua feliciſſima Reſpub. te vehementer diligat atque obſeruet, ſed etiam vt omnes mortales te maximopere admirentur, quum omnes vno ore ſummam prudentiam tuam, & in iſta Repub. adminiſtranda æquitatem commendent, mores tuos optimos celebrent, temperantiam in te ita ſuſpiciant, vt licet in vrbe pulcherrima & in omni genere deliciarum affluenti, ſumma cum poteſtate ſis, ita tamen ſemper vixeris vt non modò crimine, ſed etiam ſuſpicione omnino carueris: & te quaſi numen quoddam in hac mundi ſede ad vſus hominum bonorum, & præſertim eorũ qui in literis tempus operámque ſuam ponunt, diuinitus collocatum venerentur. Quædam etiam non mediocris inter medicum & Medicem intercedit ſimilitudo. nam vt medicus corporis morbos profligat, vt animi ſedes ac domiciliũ conſeruetur: ita Medices animos ſanauit, vt ſe vnà cum corporibus tueri & conſeruare diutius poſſint. atque (vt de te, dux maxime, tuiſque maioribus ſimul verba faciam) id cognominis Dei optimi maximi voluntate vobis fuiſſe impoſitum videtur. Quum enim totam fere Italiam barbaries quædam occupaſſet, vt literæ omnes iacerent, artes ſordeſcerent, ſcientiæ contemptui ducerentur, vt vix vllum eſſet earum veſtigium, militaris denique diſciplina ita eſſet deſpecta vt Itali omnium ignauiſſimi haberentur: ita vos omnia reſtituiſtis, omnia inſtauraſtis, omnia denique à morte ad vitam reuocaſtis, vt quemadmodum reſolutos, attonitos, & eos quorum mens caligine quadam oppreſſa munere ſuo non fungitur, medici curant, & hominum ſalutem cuſtodiunt: ita vos languidos & propè iacentes erexiſtis, enerues robuſtos reddidiſtis, ſtupidos excitaſtis, tenebras ex animis hominum expuliſtis, & à barbarie, quæ erat rerũ omnium pernicies, liberaſtis, vt veſtra virtute veſtróque beneficio omnia priſtino nitori & decori fuerint reſtituta. quas in res tu nunc etiam ſic incumbis vt non modò ab optimis ſummíſque principibus originem ducere, & à Ioanne Medice clariſſimo fortiſſimóque Imperatore genitus eſſe videaris, ſed ſicut virtutem, ita etiam gloriam eorum omnium longè ſuperes: quod quidem res quamplurimæ à te præclariſſimè geſtæ, innumera ſanctiſſimáque inſtituta tua, & ingenium omni liberali doctrina politiſſimum, & perpetuum ſtudium in homines eruditos, perſpicuè declarant. quæ omnia propter ſingularem meam erga te obſeruantiam nunc libentiſſimè explicarem, niſi imparem factis orationem meam futuram planè ſcirem, & Oribaſius me admoneret ſe ideo compendium hoc conſcripſiſſe ne liber in ingens volumen excreſceret: & tu denique maximarum rerum, & iſtius optimæ Reip. adminiſtratione, & rei militaris negotiis ſis impeditus, vt multa huiuſmodi legere non poſſis. Quamobrem te maiorem in modum rogo vt Oribaſium in fidem amicitiámque tuam ſic recipias, vt quamuis Iulianum eruditiſſimum Imperatorem cui charus fuit, amiſerit, nunc tamen hac multo meliore patroni cõmutatione gratuletur: & quæſo vt hanc animi in te mei propenſionem ita accipias, vt ab homine qui te plurimùm colit & obſeruat profectam putes: nec huius opuſculi exiguitatem, ſed animũ quo nomini tuo conſecratur, æſtimes atque perpendas. Cura vt valeas. Venetiis, Calend. Decemb. M. D. LXII.

Primo libro continentur ea quæ ad bonam valetudinem tuendam pertinent, déque exercitationibus & euacuationibus quæ viris mulieribúſque conueniunt: & de aëre, ſudoribus, balneis naturalibus & arte paratis, cataplaſmatis, dropacibus, ſinapiſmis, & iis quæ ruborem inducunt, agitur. Eius verò capita ſunt hæc,

Præfatio ad filium,
De frictione præparante, Cap. I.
De exercitationibus, Cap. II.
De generibus exercitationum, Cap. III.
De frictione, Cap. IIII.
De vociferatione, Cap. V.
De rebus venereis, Cap. VI.
De venæ ſectione, Cap. VII.
De iterata ſanguinis miſſione, Cap. VIII.
Quantum ſanguinis mittendum ſit. Cap. IX.
Quæ vena ſit ſecanda, Cap. X.
De tempore venæ ſecandæ, Cap. XI.
De arteriarum ſectione, Cap. XII.
De cucurbitulis, Cap. XIII.
De ſcarificatione, Cap. XIIII.
De hirudinibus, Cap. XV.
De purgatione, Cap. XVI.
Quæ per inferiores partes purgent, Cap. XVII.
De vomitibus, Cap. XVIII.
De clyſteribus, Cap. XIX.
De glandibus, Cap. XX.
De iis quibus caput purgatur, Cap. XXI.
Quæ menſtruas purgationes ducant, Cap. XXII.
Sudores mouentia, Cap. XXIII.
De aëre, Cap. XXIIII.
De fomentis, Cap. XXV.
De cataplaſmate, Cap. XXVI.
De lotionibus, Cap. XXVII.
De balneis induſtria paratis, Cap. XXVIII.
De balneis pernaſcentibus, Cap. XXIX.
De dropacibus, Cap. XXX.
De ſinapiſmo, Cap. XXXI.
De inſeſſu in ſolio ex oleo, Cap. XXXII.
De ingreſſu in hydrelæum, Cap. XXXIII.
De remediis metaſyncriticis, Cap. XXXIIII.
Quæ ruborem inducant, Cap. XXXV.

ORIBASII SARDIANI SYNOPSEΩS ad Euſtathium filium, liber primus,

Ioanne Baptiſta Raſario Nouarienſi medico interprete.

A QVVM diuus Iulianus Imperator nobis olim iniunxiſſet vt quæcunque medici præſtantiſſimi conſcripſiſſent quæ ad tuendam valetudinem pertinerent, vnum in volumen redigeremus, nos ea ſeptuaginta libris prompto animo cõprehendimus. Nunc verò quum tu, Euſtathi fili ſuauiſſime, ea etiam in compendium redigi cuperes, id quoque impigrè confeci: ſiquidem videbam hoc non ſolùm tibi, quum iter faceres, ſed aliis etiam qui non oſcitanter medicinæ operam dant, maximè accommodatum fore. B Quicunque enim in latis medicinæ ſpatiis vagati, ſtudioſè & diligenter ſe in ea exercuerunt, hoc compendium habebunt, quod facilè eis ſuppeditabit ea quæ fuerint agenda. quandoquidem qui hæc quæ à me breuiter ſummatimque dicuntur, perlegent, ad memoriam reuocabunt omnia quæ ad cuiuſque rei cognitionem pertinent: & fiet vt eorum quæ in vſu medicinæ verſantur, ſatis magna eis ſuppetat copia, neque onus pergraue ſecum ferant. Ea autem morborum remedia ſolùm deſcribentur quæ in promptu ſunt, & parari facilè poſſunt, & C quæcunque medicamentis & victus ratione quod facto opus eſt, præſtare conſueuerunt. De parte verò medicinæ quæ manu medetur, quòd ea in itineribus tractari difficiliter poſſit, mentionem nullam faciam. ad eam enim plerunque opus eſt machinis atque inſtrumentis quæ neutiquam facilè ſuppetunt, quemadmodum in fracturis perſæpe & articulorum luxationibus contingit. ex quibus quæ ſolùm manu curari queunt, ab iis qui pueros corporis exercitationem docēt, quiq; athletarũ curã gerunt, optimè reſtituuntur. Hæc igitur & alia omnia D quæ manuum opera curantur, melius ab exercitoribus obeuntur. Quocirca hæc demandantes eiuſmodi hominibus, eorum quæ nos vrgent, quæque diutius conſultandi tempus non concedunt, curationes quæ medicamentis & ratione victus abſoluuntur, percenſebimus.

De frictione præparante, Cap. I.

ANte exercitationes corpus mediocriter calefacere frictione ex linteis oportet: mox oleo manibus nudis fricare, donec corpus probè calefiat & molliatur, & rubor floridus appareat, & in molem extollatur.

De exercitationibus, Cap. II.

EXercitatio eſt vehemens motus: Terminus vehementiæ eſt anhelitus ad frequentiorem alteratio. Porro laborioſæ exercitationes membra organica præparant, & robuſtiora ad actiones, & ad validiſſimam alimenti attractionem promptiſſimámque alterationem, & meliorem appetitum propter calorem excitatum reddunt, meatus purgant, & vehementi ſpiritus impetu excrementa expellunt. Quum igitur digeſtionem in corpus adiuuent, neque crudorũm neque incoctorum ciborum aut ſuccorum in ventriculo atque inteſtinis multitudo ſit, oportet, periculum enim eſſet ne antequam per concoctionem vtiles facti eſſent, in omnes animantis partes raperentur. ex quo perſpicuum eſt exercitationes debere cibum præcedere. Opportuni temporis nota, vrinæ color eſt. quæ enim aquæ ſpeciem præfert, crudùm adhuc eſſe eum ſuccum indicat qui à ventriculo ſubmittitur: quæ verò rufa bilioſáque eſt, iandudum concoctum eſſe: quæ mediocriter pallet, nuper factæ concoctionis ſignum eſt. ac tunc quidem adeunda eſt exercitatio, eiectis tamen prius excrementis quæ in veſica & ventre continentur.

De generibus exercitationis,

Cap. III.

OMnium exercitationum commune illud eſt vt animanti caloris incrementum ex ipſis excitetur. Ex ſingulis porro exercitationibus alia valens eſt, in qua reſpiratio eſt violenta ſine velocitate, quæ muſculis & neruis robur parat. eiuſmodi ſunt, fodere, & onere maximo ſublato, aut manere eodem in loco, aut paululum procedere. Decliues etiam inambulationes huius generis ſunt, vt ſiquis per funem manibus comprehenſum ſcandat, & alia quamplurima his ſimilia: aliæ verò citra robur & violentiam peraguntur, cuiuſmodi ſunt curſus & vmbratilis armorum exercitatio, & quum duo ſummis manibus concertant inter ſe. quæ verò per follem & paruam pilam fit exercitatio, eſt compoſita ex robuſta & citata. quæcunque autem exercitationes robuſtæ ſunt, iis omnibus vt vehementibus vti poſſumus, motus celeritate abiecta. Præterea ex ipſis exercitationibus aliæ magis lumbos quàm manus vel crura exercent: aliæ ſpinam aut thoracem ſolùm aut pulmonem. Vſqueeò exercendum eſt dum corpus intumeſcat, & floridum fiat, motúſque & prompti & æquabiles & concinni edantur: inter quæ ſudorem calidum commiſtum intueberis.
Ac tum primùm inhibenda exercitatio eſt quum aliquod horum fuerit immutatum: veluti ſi contractior corporis moles videbitur, illico deſiſtendum eſt: eodémque modo ſi floridus color euaneſcat, eſt ceſſandum. In motibus quoque ſiquid remitti videatur, ſtatim eſt deſinendum: itémque in ſudoribus ſiqua mutatio aut in copia aut in qualitate contingat, vt ſi vel minor vel frigidior edatur, erit itidem quieſcendum: tum corpus oleo perfundendum, & deinde vtendum apotherapia: poſtremò autem apotherapeutica frictione vtendum, vt exercitores facere conſueuerunt.

De propria frictione,

Cap. IIII.

EX frictionibus vehemens, denſandi, lenis, rarefaciendi vim habet. quocirca ea corpora quæ ſupra modum laxata ſunt, vehementer ſunt fricanda: quæ conſtricta ſunt, leniter: quæ mediocriter ſe habent, in iis nec vehementi nec leni frictione, ſed quoad eius fieri poteſt, vtroque extremo declinato, vtendum eſſe perſpicuum eſt. Nimia frictio extenuat: quæ verò quantitate media eſt, nutrit. Atque hæ tres differentiæ frictionum quæ à qualitate ducuntur, tribus quæ ex quãtitate exiſtunt, cõiunctæ, coniugationes nouem efficiunt.

De vociferatione,

Cap. V.

IN vociferationibus ſuauis & lenis vox nihil ad bonam valetudinem confert: at ſonus vocum grauiorum vtilis eſt: quocirca in eo exerceri conuenit. ita enim plurimus aër per inſpirationem attractus in corpus, thoracem atque ventriculum extendit, & totius corporis meatus dilatat atque diducit. Quamobrem in lectionibus humores exuberantes excernuntur: ac in elatioribus quidem lectionibus per ſudores: in ſubmiſſioribus verò, per occultum totius corporis perſpiratum. Illa enim attenuatione efficitur vt multa excrementa, ſcreatus, ſputa, mucus, & pituita expellantur, & conſumantur. nam quibus calore opus eſt propter frigiditatem, quódnam afferri accommodàtius auxilium poteſt quàm id quod actio reſpirationis præſtat? Ergo ſæpe legendum eſt, vt toto corpore laxato, carnéque raritate perfuſa, arteriam cæteróſque ſpiritus tranſitus ſtudioſè raros efficientes, per grauiores vocis terminationes modulemur. Vocis actione neque temere neque incõſultò vtendũ eſt, neque etiam quum prauorum corruptorúmque humorum adfuerit copia. Quinetiam vox exercẽda non eſt quum magnæ & euidentes ſtomachi cruditates apparẽt, ne corrupti vapores largius per corpus diſtribuantur.

De venereis, ex Rufo,

Cap. VI.

EX rebus venereis hæc commoda ſunt, quod ſuperuacaneum eſt inaniunt, corpus agile reddunt, ad incrementum A promouent, & magis vtile efficiunt. Animo verò id præſtatur à venere vt impeditam rationis vim explicet, irámque vehementem ſedet. ideo fit vt venus melancholicis, ſiquid aliud, accommodatiſſimum ſit remedium. Eadem integros ſenſus reddit eorum quicunque alio inſaniæ genere laborant: ſummè facit etiam ad morbos qui ex pituita naſcuntur. Alii ab inedia ad cibum facilè ſumendum redierunt: alii à continuis pollutionibus quæ in ſomnis fiebant, ſunt liberati. Naturæ autem venereis idoneæ, ſunt calidæ & humidæ: præ cæteris verò B quæ proniores ad venerem ſunt. Minimè omnium ad venerem facit victus exſiccans & refrigerans, atque ætas ſenilis, tempus autumnale. Ergo victus ratio humida & calida inſtituenda eſt: labores & cibi moderati ſint: quemadmodum labores moderati, ita etiam concubitus moderati conueniunt. nam & ad rem ipſam incitant, & conſuetudine facilitatem quandam præbent. Libido, ſiquid aliud, alimenti exuberantiam exigit: ex quo fit vt qui cibi valde nutriunt, ii ſint accommodati. Atque ex piſcibus, polypodes apti ſunt. excitare enim venerem C mirum in modum exiſtimantur: quicunque etiam molles carnes habent, huius ſunt generis. Ex oleribus, orminum, eryſimum, eruca, & rapa, hæcque vt medicamenta apta ſunt: ex leguminibus proſunt fabæ, cicer, eruilia, phaſeli, & piſi: à quibus corpus quum flatu impletur, tum verò etiam copioſè alitur. Ruta autem quia flatus diſcutit ac propellit, ideo commiſcendi corporis libidinem obtundit. Vuas ego magnopere commendo: nam & humectant, & ſpiritu replent ſanguinem qui impetu fertur in venerem. Qui ad venerem eſt acceſſurus, recentes D ſatietates, cruditates, ebrietates, & famem caueat. coire enim cum excremẽtis malum eſt. Qui venereis vti voluerit, optimè vtetur à cibo qui ad ſatietatem non ſit ingeſtus. nam hoc ad vires confert, & refrigerationes quæ ſubſequi ſolent, minus contingunt. noxium eſt poſt labores concumbere. Cauendus etiam concubitus eſt à laſſitudine, & poſt vomitus qui præceſſerint, itémque purgationes, & alui fluxus recentes: ſiquidem diuturnos quandoque venus exſiccat. Ita vehementes quoque cupiditates non laudo: imò verò tum continendum magis E cenſeo, ac præſertim iis quos morbus aliquis infeſta.

De venæ ſectione, ex Galeni ſententia,

Cap. VII.

VEnæ ſectio non ſolùm quum plenitudo eſt, eáque ſiue ad robur, ſiue ad vaſorum quibus ſucci continentur, amplitudinem pertineat, ſed etiamſi plenitudo nulla ſit, magnopere prodeſt initio inflammationis, quæ vel ex dolore, vel ex plaga, vel ex partium corporis imbecillitate oriatur. Si magnus morbus expectetur, ſanguis omnino mittendus erit, etiamſi plenitudinis ſigna F non adſint, habita tamen ratione ætatis, anni, temporis, & virium. Vtrúmne ad venæ ſectionem omnino progrediendum eſt, in vtroque plenitudinis genere, quum hæc ipſa appareant in aliquo qui adhuc conſueta munia obeat, an minimè neceſſe eſt, quum nullus magnus morbus imminere videatur? an ſtatuendum hoc omnino eſt vt in omnibus magnis morbis neceſſe ſit venæ ſectionem confeſtim adhiberi? Qui verò nihil eiuſmodi paſſi ſunt, omniúmque corporis partium conſtructionem vitio carentem ſunt ſortiti, duplici via euacuantur: ſanguinis G quidem miſſione ſi in victu ſint intemperantes, ſine venæ ſectione autem ſi temperatè vitam degant. nam & multa frictione, balneíſque, & ambulationibus, atque aliis motionibus, & item vnctionibus in quibus digerendi vis ineſt, ſtatim exhaurire plenitudinem poteris: niſi fortè craſſi melancholicíque ſanguinis abundantia tibi adeſſe videatur, quandoquidem tunc venæ eſt facienda ſectio. Vbi autem crudi ſucci exuperant, antequam morbus incipiat, euacuabis, ſed cautè: vbi verò febris iam accedit, non item. Siqui autem facilè H in morbos incidant, nec tamen vllum ſymptoma appareat, eis initio veris ſecanda vena eſt. Omnibus etiam quos ſingulis annis morbi qui ex plenitudine oriuntur, in æſtate exercere ſolent, ineunte vere

mittendus eſt ſanguis. Idem quoq; faciendum eſt in iis qui eiuſmodi morbis verno tempore corripiuntur. Id verò facere antequam æſtas incipiat, & ſub finem veris expediet.

De iterata ſanguinis miſsione,
Cap. VIII.

IN quibus multa euacuatione opus eſt, vires autem infirmæ ſunt, in iis partiri euacuationẽ præſtat, vt quũ parum ſanguinis detraxerimus, iterum, ſiq; lubet, etiam tertiò eundem mittamus: quemadmodum in iis fit in quibus crudorum humorum ineſt copia. Cæterùm vbi feruefcentis ſanguinis copia redundat, acutiſsimam febrim accendens, euacuatio confertim facienda eſt, cõnandumque eſt inanire vſque ad animi defectionem, virium robore diligenter inſpecto: quemadmodum ſcio quibuſdam ſex ſubinde heminas ſanguinis fuiſſe detractas. Quamobrem etiam de nocte venam interdum incidere ne verearis. Animum verò diligenter adhibere oportet ad detractionem, pulſus tangendo dum ſanguis adhuc fluit, ne fortè pro animi defectione, mortem afferre te neſcias.

Quantum ſanguinis mittendum ſit,
Cap. IX.

MOrbi magnitudo & virium robur primi ſcopi ſunt mittendi ſanguinis. hi aucti maiorem euacuationem eſſe faciendam indicant: non aucti, tantum eſſe diminuendum de ſanguinis miſsione, quantò illi minores ſint redditi. Deinde expendendum eſt qualis ſit hominis natura. quibus enim venæ amplæ ſunt, quíque mediocriter ſunt graciles, nec candidi, neq; tenera carne, eos copioſius euacuabis: qui verò contrà affecti ſunt, parcius. nam & parum ſanguinis habent, & facilè exoluuntur. Eadẽ etiam ratione pueris vena incidenda non eſt vſq; ad decimumquartum ætatis annum: pòſt verò ſi copiam ſanguinis cõgeſſerint, tempúſque anni vernum ſit, regióque temperata, ac puer ſit natura ſanguinea, ſanguinem minues. id quod multo etiam magis facies ſi grauioris morbi periculum immineat. Primùm autem detrahes vſque ad heminam, ad ſummum. quòd ſi vires firmæ eſſe tibi videbuntur, dimidium adiicies iterata miſsione. Iam ſeptuagenarios quoque, quum vires robuſtæ ſint, euacuabis. Mentem verò adhibere oportet ad ſanguinis mutationem tum in colore, tum etiam in cõſiſtentia, ac præſertim vbi inflammationis cauſa vena ſecetur.

Quæ vena ſit ſecanda,
Cap. X.

REuulſionis cauſa venam ſecato è directo partium ad quas ſanguis fluit, vt affecto liene, vena quæ eſt pro pe annularem digitum ſiniſtræ manus, vel interna cubiti ſecanda eſt. In lateris dolore eam quæ rectà ad locum affectum pertinet, incides. Oculorum præterea dolores vehementes mirum in modum ſedantur ſi vena humeraria in cubito è directo ſecetur. Sunt hi tres modi ſanguinis ex cubiti vena mittendi, interior, exterior, medius. Interior autem vtilis eſt iis quorum partes quæ infra collum ſunt, patiuntur: exterior verò iis quibus facies & caput laborant: medius denique ad inferiores & ſuperiores partes eſt accommodatus. Si in venæ ſectione error committatur, in media vena neruus ſubiectus incidetur: eámque, niſi magna neceſsitas vrgeat, ſecare cauendum eſt. Humerariam venam omnino ſine periculo ſecabis: & tamen ex hac quoque nonnulli diuturnos dolores acceperunt: ſed nemini eorum qui ita fuerunt affecti, ſemel vena fuit percuſſa, ſed bis & ter ab iis qui eam ſecabant, poſteaquam aberrauiſſent. Maxima verò inciſione ſemel facta, nemo inflammationem nec dolorem ſenſit: idcirco citra timorem incidenda eſt. Magna verò cura adhibenda eſt in ſecanda media. Inferiores verò ne ſecemus danda opera eſt. Porro vt partes memoratæ ſecta cubiti vena iuuantur, ita quæ his ſunt inferiores, hoc eſt coxa, veſica, & vterus, curãtur ſectione earum quæ prope malleolos & poplitem ſitæ ſunt. Renes ab vtraque parte venarum ſubleuantur. In prin-

A cipiis autem inflammationum vena ſecanda eſt ad reuellendum. In inueteratis, præcipuè mittendus eſt ſanguis ex ipſis affectis particulis. Si ab iis non queas, à pro pinquis mittito. In quibus autem corporibus nulla adhuc particula affecta eſt, euacuationémque vere ineunte antè molimur, vena omnis æquè eſt ad incidendum accommodata.

De tempore venæ ſecandæ,
Cap. XI.

B IN quacunque diei noctiſque hora, animum attendendo ad ſingularum acceſsionum in febricitantibus declinationem, venam ſecabis. In iis verò qui febrem non habent, hócque indigent auxilio, magnitudo affectionis ad quam venæ ſectione opus eſt, ſpectari debet. quũ nihil horum aut vrgeat aut prohibeat, præſtat manè venam ſecare, interiecto vnius horæ ſpatio, ex quo quiſpiam eſt experrectus. Alios lauari melius eſt: alios etiam prius deambulauiſſe: alios verò, poſtquam nonnullas res conſuetas confeciſſent. Vbi verò ſimpliciter euacuare volumus, eodem etiam die iteranda erit ſectio: at in
C quibus reuellere, ſi duobus deinceps diebus fiat, optimè fiet.

De arteriarum ſectione,
Cap. XII.

ARterias quæ in temporibus ſunt, medici ſecant quũ humores calidi & flatuoſi in oculos confluũt. eas verò quæ poſt aures ſunt, in vertigini obnoxiis, atque iis præſertim quos diuturni capitis morbi calidi & flatuoſi exerceant. Iam verò & in aliis quoque diuturnis capitis morbis, arterias quæ poſt aures ſunt, incidunt: a-
D lii verò incidere arterias verentur, quia ſanguinis fluxus difficiliter ſupprimitur, & quia quum ſectio ad cicatricẽ venit, aneuryſma efficitur.

De cucurbitulis,
Cap. XIII.

CVcurbitularum vſus neque in principiis morborum adhibetur, neque quum ſucci omnes æquabiliter exuperant in corpore: ſed quum antea euacuatum totum corpus fuerit, neque quicquã ad partem præterea fluat, opuſque ſit mouere, euocare, & ad partes extimas trahere. Ne verò prope mammas affigantur cucurbitulæ, ca-
E uendum eſt: illapſæ enim cucurbitulis nonnunquam mammæ, & inturgeſcentes, magna admodum difficultate auelluntur. quo quidem caſu cucurbitulas ſpongiis ex calida aqua circundare oportet, ſiquidem ita remittentur: ſin minus, cucurbitulas perforare conſilium eſt.

De ſcarificatione, ex Appollonii commentariis,
Cap. XIIII.

VEnam in anno ſæpe incidere non eſſe accommodatum puto, quoniam vnà cum multo ſanguine ſpi-
F ritus quoque vitalis effunditur: quo crebrius exhauſto, tota corporis compages refrigeratur, & omnes naturales actiones peius obeuntur. quocirca mea ſententia eſt, ab ignobiliſsimis partibus, vtpote à cruribus, ſanguinem mitti. Præſtantiſsimum hoc auxilium eſt tum ad tuendam ſanitatem, tum ad recuperandam, quum auerſa fuerit. Oculis quoque diutina fluxione oppreſsis, ac cæteris affectionibus capitis, itémq; thoracis & anginæ, prodeſt ſcarificatio. Conſtipationes autem quæ aliqua in parte ſint, locali ſcarificatione ſunt diſſoluendæ.

G
De hirudinibus, ex Antyllo,
Cap. XV.

HIrudines captæ vnum diem ſeruandæ, atque exiguo ſanguine alendæ ſunt. Vbi vti volueris, partem cui applicandæ ſunt, nitro fricabis, & ſanguine illines aut fouebis: hirudinéſque in aquam puram & tepidam iniiciendæ ſunt, deinde ſumendæ; tum ſpongia excipiendæ, & ſtrigmentis purgandæ, ac denique admouendæ. Intumeſcentes autem trahere non deſinent donec ſale aut cinere ora ipſarum perſpergantur. Qum exciderint,
H ſpongiis fouendus eſt locus. Si ſanguinis fluxus perſeueret, gallam vſtam, aut ſpongiam nouam pice liquida illitam, & chartam vſtam aceto madefactam applicato.

De purgatione, Cap. XVI.

SAna corpora difficiliter purgantur:nam & vertigine vexantur ac torquentur, fitque moleſta purgatio,& celerius præterea exoluuntur. Qui igitur adhuc valent, caſuri tamen in morbum ſunt niſi prius purgentur,euacuandi ſunt ineunte vere. In comitialibus verò, quíque ægrè ſpiritum ducunt, pituitoſos humores ſubducẽdo: in doloribus verò articulorum,ſi cũ multo calore ſint, amaram bilem, ſi cum tumoribus frigidis, pituitam. Prius tamẽ craſſi & glutinoſi humores attenuãdi ſecãdíque ſunt,& meatus etiam per quos humores à purgantibus medicamentis traiiciantur ac ducantur, aperiendi,ſi optima in rebus omnibus ſit ſucceſſura purgatio. Ergo in principio ſeroſos tenuéſque humores vacnabis: craſſorum atque tenacium,quales ſuapte natura ſunt pituita & atra bilis,cõcoctionem expectabis. In iis autem qui iam ægrotant ſi diuturnus morbus eſt futurus,ſemper eſt expectanda concoctio: at in acutis, quum materia turget, etiã in initio potes medicamẽtum præbere,ídque magna cum animaduerſione, quũ humores in motu ſunt, præcipites feruntur ac fluunt. Quicunque autem in aliquam partem decubuerunt,ii neque vllo alio auxilio mouendi,neque medicamento purgãdi ſunt priuſquàm fuerint concocti,quo etiam tempore criſis efficitur. Quum verò medicamenta purgantia ventriculi os lædant, excogitatum eſt, odorata eiuſdem admiſcere,vt ne ſola néve ſincera ipſorum vis ventriculi os attingat.

Quæ per infernas partes purgent,quibus vtamur, Cap. XVII.

ELleborus niger bilem & pituitam per aluum ducit ſcammonia admiſta. Si purgare mitius velis,ſatis erit ellebori radices ſiccas ad drachmas duas incidere,vinóque dulci,aut oxymelite perſpergere, deinde in lentibus aut ptiſſana coquere, vel cum iure gallinæ ſorbẽdum dare:ſcammoneæ verò tres oboli poſſunt elleboro admiſceri. Præſtat autem iucunditatis gratia, aniſi & petroſelini,& dauci parum elleboro adiungere. Cnidius coccus pituitam, & bilem, & aquoſa,& pleraque expurgat: eſt autem feruẽs & acutiſſimus ad purgandũ. Dantur eius grana triginta:ſi lenius purgare velis,viginti:cortex auferendus eſt: internáque pars cum melle & polenta trita præbetur,aut in melicrato potui datur,ſed cum vino melius bibitur. A potu verò parum olei abſorbeto ne fauces exurat: ſumitur etiã ex melle cocto, grana contrita melle illinendo. Mercurialis ſi tenera folia decocta comederis,abunde ſtercus expellẽt: ſi verò decoctum vino admiſtum bibas,valentius aluus deiiciet. Polypodium pituitã, bilem & aquoſa educit,radicis dãtur drachmæ duæ affuſæ aqua mulſa vel aqua. Non peſſimè etiam ſuper ſalſamentum deraditur, & ante prandium comeditur. Radix quoque in ptiſſana aut Gallinaceo iure incocta, citra moleſtiam purgat.

Colocynthis pituitam & bilem puram educit. datur medullæ interioris drachma vna ex aqua mulſa. Si mitior purgatio quæratur, colocynthidos ſemen eiicito,in corticem vinum dulce perfundito,ſub molli cinere coquito vſquedum probè concaluerit, ídque potui dato iis quibus non vehementi purgatione opus eſt, & quibus liuida exanthemata per cutim efflore ſcunt.

Aloe non acriter purgat,ſtomacho accommodatiſſima eſt. Satis eſt dare drachmas duas cum aqua mulſa. pituitam & bilem ducit. Sumi etiam commodè poteſt quotidie à cœna. pertrãſit enim,neq; cibos corrumpit, præterea neque ſitim neque famem inducit. Tritam aloẽ ſucco braſſicæ excipe, & catapotia ad ciceris aut fabæ magnitudinem confice:ex iis duo aut tria ſumito, vt euacuandi neceſſitas ſit. Potes etiam cum reſina catapotia conficere,& cum melle cocto, rectè quoque ſcãmoneam admiſcebis. Epithymum atram bilem pituitámque educit. Dato eius triti & cribrati drachmas binas cum vino dulci,aut plus eo cum melle, ſalem admiſcendo. Confert flatuoſis, & hypochondriacis affectionibus,& cruditatib⁹, & quibus iecur grauatur, quíque difficiliter ſpirant. Agaricum pituitam & bilẽ A purgat,& non acutè. Dãtur drachmæ duæ ex aqua mulſa vel oxymelite. Euphorbium aquoſa & bilioſa copioſè educit,éſtque eorum quæ norim acutiſſimum atque ardentiſſimum. Hoc quidem hydropicis, coliciſque,& iis qui ventres frigidiores habent conuenit, ſed cæteros vehementer perturbat,ſitímque affert. Odoratũ aliquod ſemen miſcendum ei eſt: bibendum ex melicrato ad tres obolos. Cnicus pituitam & bilem,ſed non vehemẽter,purgat. Seminis triti ſuccus excolandus eſt,& iure gallinaceo admixto ſorbendus. Quidam B aniſo,melli,amigdaliſque commiſcent, & catapotia ad arquatos conficiunt: huius quatuor drachmæ ſufficiunt. Scammonea nulla parte ſuperatur ab iis quæ agitant & commouent, neque in acrimonia neque in viribus: ſtomachi dolorem adfert, graueolens, inſuauis & valde ſiticuloſa eſt: ex quo fit vt aliqui non incommodè aloen ei miſceant,& ita præbeant: alii verò addãt thymi comã & ſalem,alii ſemina odorata. Pituitam & bilem vehementer educit:datur eius puræ drachma vna ad ſummum. Si vomitus inſtent, apiũ C aceto intingendum ac mandendum eſt, itémque oliua alba ſale condita,atque etiam ſalis grumus in ore eſt tenendus,quæ quidem omnia vomitum prohibent. Præterea confert coriandrum odorari,& pulegium,& calaminthame. Sed præſtat in lecto paulùlum in quiete contineri ventrem,& ſummos pedes fouendo, veluti etiam confeſtim deambulare,& copioſos vomitus, & ventriculi morſus & vertigines excitat. Quũ verò ad priſtinũ ſtatum redierint,tum deambulatio imperãda eſt,vt ſubinde ſenſim ſe ſubmoueant: id quod magis quàm celer D greſſus irritat. Purgatione ceſſante, vtilius erit in lecto recumbere,& ita vigiles quieſcere(magis enim cõfluet) tunc verò etiam paulatim ſorbeant modicum aquæ calidæ cũ aceto:nã & morſus abſterget,& excretiones proritat. Qui verò non purgantur,aquam mulſam ſorbeãt, aut nitrum aqua liquefactum:ſed melius etiam erit glãdem ex ſale & nitro confectam ano indere.

De vomitibus, Cap. XVIII.

QVoniam eos qui violenter vomunt, multa incõmoda ſequi conſueuerunt, operæpretium erit mo- E dos quibus facilè quis vomat,exponere. Vomitus enim pituitam euacuat,caput leuat,& quandoque eum qui auidius cibum iniecit, cruditatibus vexari, eúmque qui nimio vino ſe ingurgitauit,lædi non ſinit. Quæ autem ad ciendum vomitum adhibentur, ſunto neque acerba neque arida, ſed partim dulciora & liquidiora, partim acriora. Inter hæc probantur raphanus, eruca, vetus ſalſamentum,origanum viride,cæpe parum & porri. Conferunt etiam ptiſſanæ è leguminibus melle adiecto, itémque lomenta fabarum,& pingues carnes: non tamẽ F oportet horum ſuccos tantummodo ſumere, ſed totam molem deuorare:neque etiam diutius eſt in iis manducandis immorandum,ſiquis velit euomere. ſint autem omnia coquendo emollita. Inter vina,dulciora anteferenda ſunt: hæc enim magis fluitant. Potus eſto tepidior:amygdalas etiã melle intinctas par eſt edere,túmque placentam guſtare,peponis ac cucumeris ſemẽ maceratum & læuigatum cùm melle offerre. ad hoc facit etiam cucumeris radix trita ex melle. Qui volunt vehementius euomere,narciſſi bulbum aqua coquunt, eáq; G vinum miſcẽt. Ciet etiam vomitum irinum vnguentũ, ſiquis illitis eo digitis irritet. Valet etiam ad vomitum excitandum non ceſſare, neque quicquam intermittere. A vomitu tum os abluere, tum verò etiã faciem debemus poſca diluta abſtergere. hoc enim & dentibus prodeſt,& caput alleuat.

De clyſteribus, Cap. XIX.

CLyſteres qui iniiciuntur,vel mites vel acres ſunt: educendarum fæcum cauſa in febribus continuis & malignis, & in iis qui ob longam imbecillitatem vi- H res reficiunt,& excrementa difficulter eiiciũt,& in quibus flatus excitantur, calidiorem aquam imponemus, quum tepida ipſa inflet:ídque vna expreſſione clyſteris faciendum eſt. Fœnigræci verò decoctũ muliebribus corporibus & delicatis iniiciemus,maluæ itidem, & iis

præſertim in quibus ſiccitas ineſt:in quibus verò morſus ſint,ſeminis lini decoctū conueniet. Furfuris cremor,tragique,& item panis,& alicæ adferunt etiam aliquid alimenti: & quandoque vſus poſtulat vt vnà cum ſtercoris euacuatione aliquid quod alendi vim habeat adiungamus. Inteſtinorum etiam vlceribus quæ in ſuperficie ſint,hæc prodeſt iniectio,ad quæ accommodata etiā erit ptiſana adipe ſuillo addito. Betæ ſuccus & decoctum ad vertigines & palpitationes inteſtinorum iniecta valent:ſtercus etiā diſſoluunt,ac continuis morſiunculis occurrūt. Portulacæ ſuccꝰ vtilis eſt in feruoribus cæteriſque quæ conſequuntur, & iis quibus propter duri ſtercoris excretionem extrema recti inteſtini parte læſa, eryſipelatis affectio oborta eſt: ſed in eiuſmodi & ouum & oleum in quacunque inflammatione commiſcetur.Cóuenit hoc etiā iis in quibus tormina à flatibus excitantur.Magis verò flatus diſcutit decoctū rutæ vel cumini,vel anethi,vel baccarum lauri,iis quoque in quibꝰ frigꝰ febrim excitauit prodeſt. Lac quādoque iniicitur quum inteſtina vlcerata aut inflāmata ſunt,itémque renes & veſica & vterus. Roboris addendi gratia ſumendum etiam eſt mel, & anſerinus vel caprinus adeps. Hydrelæo vtemur in diſtentionibus, & ſtercoris retentione,atque etiam bitumine,quum eæ ex refrigeratione obueniunt. Butyrū iis indimus in quibus propter inflammationem inteſtini recti excrementa continentur,& ſordida vlcera circa inteſtinum ſunt. Maluæ ſuccus & decoctū vſui ſunt ad diutina tormina & inflammationes quibus inteſtina vexantur, quum anus quoque morbo ſimul afflictatur. Mulſa iniicitur quum partes inteſtinorum illæſæ permanent,& ſtercus difficulter molleſcit. Vino autem & oleo, vel ptiſſanæ ſucco aut maluæ vtimur in iis qui opium ſumpſerunt. Vinum autem cum roſaceo & alba ouorum,aut ſapam, aut roſaceum incoctum initio adhibemus iis qui à teneſmo infeſtantur:mulſam verò aut lentis decoctum cum melle,aut pariter erui aut ptiſſanæ ſuccum cum roſaceo in abſceſſibus colum inteſtinum diſcindentibus. Menſura eorum quæ iniiciuntur, ad ſummum tres heminæ ſunt:ad minus,vna:mediocris iniectio duabus heminis perficitur.Sæpe autem & bis & ter iniicimus, ac præcipuè in iis in quibus exulceratio & inflāmatio in recto inteſtino adiacens ſtercus cohibet.Cæterùm acribus clyſteribus vtimur in iſchiadicis,& erecta ceruice ſpirantibus in quibus ſpiritus à ſtomacho non efflatur. Clyſter qui ſanguinis ducendi vim habeat,conſtat ex garo ſiluri,muria & aqua marina.Paratur etiam hoc modo, Mellis heminæ dimidium, aquæ heminæ duæ,muriæ holcæ tres,olei quarta heminæ pars,componantur: nonnulli bina oua adiungunt.Iis verò qui fungos mortiferos comederunt, nitrum,abſinthium, & raphani ſuccus, & & rutæ decoctū iniicitur.Ad lúbricos qui aſcarides dicuntur,faciūt muria vel centauri decoctū,vel abſinthii, vel lupinorū,vel aloes, vel cedria cū alicuiꝰ decocto.Mihi verò vſu compertum eſt,auriculæ muris ſuccum triduò potui datum, ſæpenumero quod opus erat, confeciſſe:datur ſextarii quarta pars. In reſolutione inteſtini recti,clyſter ex muria imponēdus eſt.Quos helminthæ lumbrici infeſtant,iis decoctum lupinorum,aut eorum cremor,aut rhus,aut muria debet imponi. Cupiditatibꝰ autem nimiis deſidendi quas tineſmus excitat, parum muriæ adhibendum. Si verò ſanguis ſincerus propter inteſtinorum exulcerationem fluat, herbæ ſanguinalis aut plantaginis ſuccum, aut myrti baccarum nigrarum vino incoctarum dabimus.His poſtea admiſcemus thus vel acaciam,vel hypociſtidem,vel malìcorium, vel alumen. Vlceribus inteſtini non fluentibus lac caprinum indimus,aut etiam bubulum, aut lycii drachmas duas, aut terræ Samiæ drach. quatuor: fluentibus autē & perhumidis vlceribus,chartæ combuſtæ, aut lentiſci cinerem, aut medicamentum ex charta conſtans cum aqua, aut decoctum adſtringentium.

De glandibus, Cap. XX.

GLandibus ſæpe vtimur ſtercoris educendi gratia, atque etiā in iis in quibus quod clyſteri iniectum A eſt,non excernitur. Conficimus glandes ex ſale toſto melle & nitro:& thymum cocto melle excipitur: fiunt etiam ex reſina terebinthina & nitro:quandoque grani Cnidii parum addimus:morſus autem excitat, idcirco partes oleo ſunt vngendæ. Pyrethro itidem vtimur,oleo perfuſo:conuenitque paralyticis & flatibus ex frigore obortis.Centaurium verò cum pice & cerato accommodatum eſt ad pudendi remiſſionem.Infantibus grumus ſalis inditur: ficus etiam cum nitro atque cumino conficitur.

B

De iis quibus caput purgatur, Cap. XXI.

HVmores qui in capite ſunt,ſputis euacuamus ſi parū euacuare velimus:idque facimus piperis & maſtiches admiſtione.Si verò copioſius euacuare propoſitum ſit,pyrethrum aut vuam taminiam mandere iubemus: præterea anemonæ vtriuſque radix manſa pituitā euocat:itémque cortex radicis capparis.igitur ſeroſum excrementum his remediis expellitur. Craſſum verò & pituitoſum educit ſinapi cum oxymelite gargarizatum, aut ſapa,aut origanum,aut hyſſopum coctum.Ego verò C ſapam ſinapi cum oxymelite admiſceo. Si verò cerebrū muco purgandum ſit, acribus eum remediis quorum nonnulla mouent ſternutamentum,euocabimus.Per nares igitur purgat anagallidis vtriuſque ſuccus, omniſq; anemonæ & betæ.Naribus etiam infunditur foliorum cucumeris ſylueſtris ſuccus vel per ſe, vel cum betæ ſucco aut decocto. Sternutamentum autem crudis humoribus qui in thoracis, pulmonis, & capitis partibus continentur,minimè conuenit. Os ita illinetur, ſinapi cum betæ ſucco palatū columellámque vngito,& pro- D derit:idémque per nares purgat,& facilè ſuppetit. Sæpe etiam melanthio ad nares illiniendas vſus ſum, quandoque acri aceto pridie macerans, poſtero die aceto iterum læuigans,& naribus infundens. Quandoque verò cum oleo veteri idem melanthium tero,& eodem modo vtor.ita etiam Archigenes eo vſus eſt ad narium obſtructa foramina:id verò quod aceto paratur, ad arquatos adhibebat Crito.

Quæ menſtrua ducant, Cap. XXII.

QVæcunque vrinam cient,eadem menſtrua ducunt:
E Braſſicæ radicis decoctum epotum, perſicæ radix, ruta,chryſanthemon, dictamnum & erucæ ſemen. Mouent etiam menſtrua quæ ori vuluæ admouentur,vt ruta cum melle trita,aut anethi radix excalfacta, aut ſpodium cum melle, aut porri ſuccus, aut allium cōtuſum adhibitum,aut myrrha læuigata,& ex vino aut leporis coagulum.

Sudores mouentia, Cap. XXIII.

EX ſudorem prouocantibus eſt chamæmelum ſiccum,tritum, oleo perfuſum,cute valenter perfrica-
F ta,ſeſeli,pyrethrum,cachry,aniſum, oleo ſimiliter perfuſa,nitrum toſtum & tenuiſſimum cum oleo.Salis flos oleo cōmiſtus,ſuccus Cyrenaicus aqua reſolutus ad corpus confricandum.

De aere, Cap. XXIIII.

OPtimus aer eſt qui puriſſimus eſt: talis erit qui neque à ſtagnorum neque paludum euaporatione, neque ex barathro quopiā pernicioſam auram expirāte turbetur: ita quicunque ex cloaca magnam ciuitatē expurgante inficitur,malus eſt: itémque is qui nebuloſus
G eſt,non eſt bonus: ſicut etiam quicunque in caua regione magnis vndique montibus includitur,neque auram vllam ſuſcipit.

De fomentis, Cap. XXV.

CVtim rarefacere,eámque facilè perſpirabilem reddere,ſanguinémq; in inflammationibus attenuare & dirigere fomēta conſueuerunt. Sed ſi totum corpus excrementis abundet, plus materiæ ad partem calefactam trahetur quàm diſcutiatur. quamobrem ante fomētorum vſum totum corpus euacuandum eſt. Humi-
H da igitur fomēta inflammationibus quas ſucci bilioſiores pepererunt,conueniunt:arida verò iis qui ex tenui aqueóque ſanguine oriuntur: nō mordacia mordacibus ſuccis accommodata ſunt: mordacia, quia attenuant, craſſis & glutinoſis. Præcordia autem irrigationibus

ut fomentis calefacere, non ſemper eſt tutum: ſed in illis ſolùm ægrotis eſt faciendum in quibus nullum excrementum in toto corpore abundat: cæteris omnibus ſummum malum eſt. In principiis igitur, quum adhuc materia ad affectum locum confluit, præſtat repellere. Si verò latio materiæ repellētibus remediis cohibeatur, denſitáſque partibus affectis inducta craſsiora cōtineat, tunc iam tempus eſt laxandi, vt contenta vacuentur: præſertim verò vbi ad iecur aut ventriculum decubuerint ſuperflua, adſtringentibus vtēdum eſt. principales enim hæ partes ſunt. Imò verò vbi etiam tempus fuerit ea quæ impacta fuerint diſcutiendi, tunc quoque hæ partes adſtringendæ ſunt, vt abſinthium oleo coquentes irrigemus, aut etiam melino, aut lentiſcino, aut maſtichino. Ad eundem modum cataplaſmata compoſitam ex laxāte & attenuante, & ex amara atque aſtringente facultate vim habeant. Si colum, aut alia inteſtina, aut muſculi præcordiorum, aut abdomen fuerint affecta, adſtringentia miſcenda non ſunt: ſicut etiam neque quū veſica aut vulua affectæ ſunt, miſceri debent, quū (vt dictum eſt) nihil amplius defluat, neque plenitudo aut excrementum in toto copore redundet. Sic etiam cucurbitulis, euacuato prius toto corpore, non in principiis affectionum, vtemur.

De cataplaſmate ex fermento,

Cap. XXVI.

HOc cataplaſma ad diffundendum liquandúmque compacta valentiſsimum eſt: ſurculos extrahit, & durities iuuat, & plantarum pedum contuſiones. Fermentum verò eſt oleo ſubigendum quantum ſatis ſit, eóque vtendum. Si augere vim volueris, nitri parum adiungito. Si verò aceto fermentum diſſoluas, & coquendo ſpiſſaueris, erit ad ſplenis hepatíſque tumores duros accommodatiſsimum. Si thymum & pulegium & abſinthium ei admiſcueris, optimum medicamentum confeceris.

Aliud ex ficubus.

Ficus pingues vnà cum ſeminibus ita exquiſitè cōtundito vt nulla pars non contuſa relinquatur, iíſque vnguenti irini parum addito. Facit hoc ad durities neruorum, & ad articulos contractos, aut plus iuſto laxatos, & ad ſcirrhos, præſertímque lienis & iecinoris. Si verò nitri parum addas, abſceſſus rumpet, aculeóſque extrahet. Si verò ficubus ita paratis miſcueris pulegii, aut origani, aut thymi, aut abſinthii comam minutiſsimè tritā, hydropicis conueniet. Præterea ficus probè coctæ, vt diſſolui queāt, & contritæ, iterū ea coquātur aqua in qua pri⁹ fuerūt coctæ, deinde hordeaceā & frumētaceā farinā miſce, & iterū coque ad cōſiſtentiā: valebit hoc ad tubercula quæ non facilè matureſcunt. Si iniicere pinguedinem velis, butyrum miſce. Si rutæ folia trita læuigata miſceantur, ad dolores inteſtinorum quos flatus excitarint, faciet. Cuminū quoque oleo admiſto nō ſecus facit.

De lotionibus, Cap. XXVII.

AQua frigida lauari ita quidem commendo vt non iis qui nullo victus delectu degunt ex vſu eſſe aſſeram, ſed iis ſolis qui eodem accurato, laboribúſque ac cibis vt conuenit, vtuntur. Multis autem quibus maiore interdum refrigeratione opus eſt, ſatis eſt æſtiuo tempore, quum iuuenes ſunt: carnoſi, & frictionibus prius calefacti, in frigida natare. Sint autem neque venereis, neque alia ratione laſsi, neque cruditatem ſentiant, neque per vomitum aut per aluum inaniti, neque vigiliis fatigati. periculoſum enim eſt ſi aliter quiſpiam ſe lauet. Calidum balneum & optimum & tutiſsimum eſt: laſsitudines ſoluit, humorum plenitudinem digerit, & excalfacit, mitigátque ac mollit. Flatus, vbicunque decubuerint, diffundit: ſomnum conciliat, carne replet, & facilè omnibus, & viris & fœminis, & pueris & ſenibus, & priuatis adminiſtrari poteſt.

De balneis quæ induſtria parantur,

Cap. XXVIII.

BAlnea induſtria noſtra calefaciendi paramus, aut refrigerationis ſedandæ, aut laſsitudinis ſoluendæ, aut conuulſionis mitigandæ, aut doloris leniendi & reciendi gratia. Calidæ autem aquæ fiunt pulegio incocto, aut origano, aut hyſſopo, aut thymo, aut ſatureia, aut foliis lauri, aut pyrethri radice, atque his ſimilibus: oleum etiam iniicimus. Balnea quoque digerentia facimus quum totum corpus attenuare volumus. Adiicitur autem vis digerendi balneis aut ſale impoſito, aut ipſa marina iniecta, aut nitro. Mel quoque admiſtum addit aquæ vim digerendi, itémque cinis ſarmentorum & baccarum iuniperi decoctum. Molliendi gratia vtimur balneis in inflammationibus ac duritie. Ac in iis quos inflammatio malè habet, maluæ decoctum iniicimus, itémque ſeminis lini & fœnigræci. In fluidis autem inflammationibus, plantago aut polygonum incoquitur, aut malicorium, aut roſæ, aut rubi cima. In iis quibus imminet conuulſio vtimur iis quæ inflammationibus nō fluidis conueniunt: maximè verò iis prodeſt oleum cum aqua, in quibus malua & fœnumgræcum cocta ſunt. Ad duritiem ſine inflammatione vtimur iis quæ ad digerendum adhibentur. Balnea enim tum refrigerant, tum adſtringunt, quū materias habent in quibus adſtringēdi & refrigerandi vis ineſt.

De balneis ſuapte natura naſcentibus,

Cap. XXIX.

BAlneorum ſponte naſcentium alia nitri, alia ſalis, alia alumnis, alia ſulphuris, alia bituminis, alia æris, alia ferri vim obtinent, alia ex iis compoſita ſunt. Atque omnium quidem aquarum ſponte ſcaturientium ea vis eſt vt prorſus calefaciant & exſiccent, humidioribúſque ac frigidioribus maximè conueniant. In primis verò nitroſæ ac ſalſæ, capiti ac thoraci fluxione infeſtato, itémque ſtomacho perhumido, atque hydropicis adiumento ſunt. Aluminoſæ autem ad ſanguinis reiectationem ſiſtendam, ad ſtomachum qui ad vomitum procliuis ſit, ad mulieres quæ inordinate purgantur, & quæ frequenter abortum faciunt, ſunt accommodatæ. Sulphureæ verò neruos molliunt atque reſoluunt, ac dolores ſedant, ventriculum tamen relaxant, & peruertunt. Bituminoſæ caput replent, ac ſenſuum inſtrumentis nocent, atque etiam calefaciunt iugiter, & progreſſu temporis emolliunt. Quæ æris naturam referunt, ori, tonſillis, vuæ, & oculis excellenter proſunt. Ferreæ denique ventriculum & ſplenem iuuant. In aquam verò immerſio facienda eſt ſenſim, vt virtus corpori laxato occurrens, interius penetret.

De dropacibus, Cap. XXX.

DRopax diuturnis morbis maximè conuenit. Calefaciendi gratia adiicitur piper, pyrethrum, roris marini ſemen, bitumen. Si opus exſiccandi ſit, ſal, ſulphur viuum, cinis ſarmentorum: ſi aperire, limneſtis, euphorbium.

De ſinapiſmo. Cap. XXXI.

SInapiſmus, qui dropace vehemētior eſt, diutinis morbis eſt accommodatus. Eo vtendum eſt in ſegnioribus affectionibus, & immoderatis circa carnem partibus, & quarum vi etiam adhibita ſenſus obtuſus eſt. Terminus autem actionis medicamenti eſto vt ægrotus vehementer doleat, caróque nigrior reddatur, & fiat altior quàm ea quæ adiacet, & poſtquam ablotum fuerit, puſtulæ mitius erumpant. Ad morbos autem & partes facilè ſentientes, mitius vtendum eſt ſinapi, vt eius vſus menſura ſit, vt caro fiat paulò rubicundior. Conficiendi modus eſt huiuſmodi, Caricas in aqua tepida pridie macerare oportet, poſtridie verò eius diei vehementer expreſſas, probè contundere: deindè acre ſinapi (quale eſt Syriacum & Aegyptium) capere, ac per ſe conterere, aquam in qua caricæ fuerint infuſæ paulatim affundendo: tum in maſſas redigere, alteram ex caricis, ex ſinapi alteram, poſtremò miſcere. Si vehementi ſinapiſmo vti velimus, duas ſinapi partes vni caricarum addemus: ſi mediocri, pares portiones adhibebimus: ſin mitius, tertiam partem ſinapi, duas caricarum commiſcebimus. Poſt torporem ſinapi, & balnei vſum, ſi vehemens ſit dolor, & rubor, & puſtulæ eruperint, lana roſaceo & aqua intincta adhibenda eſt: aqua verò ſit maluæ decoctum, aut fœnigræci ſuccus. Poſtea verò cerato roſaceo

cum ceruſſa vtemur. Hoc etiam ſciendum eſt, ſi in aceto ſinapi maceretur, minus efficax cataplaſma fieri. Caprarum fimus cum aceto compactus efficacior ſinapi eſt: præcipuè autem & mirum in modum iſchiadicis conuenit.

De inſeſſu in ſolium ex oleo,
Cap. XXXII.

INſeſſus in ſolium ex oleo febribus diuturnis ex frigore, itémque laſſatis, & quibus vrina ſuppreſſa eſt, conueniunt. Quinta autem olei pars igni calefacienda eſt: reliquum verò in balnei ſolio. oleum enim in balneis nõ ſatis calidum efficitur.

De ingreſſu in hydrelæum, Cap. XXXIII.

SI imbecilli ſint qui in hydrelæum ſe demittunt, endromide amicti ingrediantur. Oleum autem cum aqua diligenter miſcendum eſt, neque minus quàm ſexta pars eſſe debet.

De remediis metaſyncriticis,
Cap. XXXIIII.

IN omnibus diuturnis morbis, quum cætera auxilia nihil profecerint, omnes fere ea remedia quæ methodi- A ci nominant metaſyncritica (hoc eſt quæ ex intimis partibus humores euocant) adhibere conſueuerunt. Ego verò vbi intemperies quædam humida & frigida in affectis particulis ineſt iis medicamẽta ex ſinapi, thapſiáq;, & his ſimilibus adhibeo: ad ſiccas verò & calidas, non vtor. Cæterùm qui affectiones cognoſcere non poſſunt, ſæpe quod conuenit perficiunt, quòd pleroſque homines eiuſmodi frigidæ atque humidæ affectiones ob malam ac vitiatam victus rationem infeſtent.

Quæ ruborem inducant,
B Cap. XXXV.

NAſturtii ſemen ruborem excitat & calefacit æquè ac ſinapi. Helenii radix æquè ac fimus columbarũ ſylueſtrium, quo admodum frequenter vtimur. Eo etiã cum naſturtii ſemine contuſo pro ſinapi vtor in iſchiade, hemicrania, vertigine, diuturnis doloribus capitis, laterum, humerorum, tẽdinum, & lumborum. Iam verò facit & ad renum vitia, & ad colicas affectiones, itémq; podagram, & articulorum dolores, quum nondum callum obduxerint.

C

SECVNDI LIBRI ARGVMENTVM.

IN ſecundo agitur de materia, quam naturam, vim, actionémque habeat, & quænam quibuſque affectibus conueniat: deinde ſimplicia medicamenta expenduntur, déque eorum menſura, mixtione, & coctione, itémque de ponderibus & menſuris, déque emplaſtris quæ πλατύσματα dicuntur, verba fiunt. Eius verò hæc ſunt capita.

CAPITA LIB. II.

Quæ media ſint inter calefacientia & refrigerantia, Cap. I.
Quæ calefaciant, Cap. II.
Quæ calefaciant primo ordine, Cap. III.
Quæ calefaciant ſecundo ordine, Cap. IIII.
Quæ tertio ordine calefaciant, Cap. V.
Quæ calefaciant quarto ordine, Cap. VI.
Quæ moderatè refrigerent, Cap. VII.
Quæ primo gradu refrigerent, Cap. VIII.
Quæ ſecundi gradus ſint, Cap. IX.
Quæ tertii ſint ordinis refrigerantium, Cap. X.
Quæ ſint quarti ordinis, Cap. XI.
Quæ modicè exſiccent, Cap. XII.
Quæ ſimpliciter exſiccent, Cap. XIII.
Quæ primo ordine exſiccent, Cap. XIIII.
Quæ ſecundo ordine ſiccent, Cap. XV.
Quæ tertio ordine exſiccent, Cap. XVI.
Quæ ſiccent quarto ordine, Cap. XVII.
Media inter ſiccantia & humectantia, Cap. XVIII.
Quæ primo ordine humectent, Cap. XIX.
Quæ ſecundo ordine humectent, Cap. XX.
Quæ aquoſam frigiditatem habeant, Cap. XXI.
Quæ tenuium ſint patrium, Cap. XXII.
Quæ craſſis è partibus conſtent, Cap. XXIII.
Corroborantia, Cap. XXIIII.
Quæ ſuppurent, Cap. XXV.
Quæ concoquant, Cap. XXVI.
Mollientia, Cap. XXVII.
Quæ indurent, Cap. XXVIII.
Quæ humiditatem ex ore trahant, Cap. XXIX.
Quæ per nares ducant, Cap. XXX.
Quæ ab oculis ducant, Cap. XXXI.
Quæ per aures purgent. Cap. XXXII.
Quæ aperiant, & purgent, Cap. XXXIII.
Quæ abſtergant, Cap. XXXIIII.
Quæ vrinam moueant, Cap. XXXV.
Quæ per vrinam è ſplene educant Cap. XXXVI.
Quæ ex hepate educant, Cap. XXXVII.
Quæ ex renibus ducant, Cap. XXXVIII.
Quibus educantur ea quæ in thorace inſunt, XXXIX.
Renes purgantia, Cap. XL.
Cutem rarefacientia, Cap. XLI
Oſa vaſorum aperientia, Cap. XLII.
Quæ cutim condenſent, Cap. XLIII.
Quæ corrodant, Cap. XLIIII.
Quæ reprimant, Cap. XLV.
Quæ ad cicatricem perducant, Cap. XLVI.
Superficiem exulcerantia, Cap. XLVII.
Adurentia, Cap. XLVIII.
Attrahentia, Cap. XLIX.
Diſcutientia, Cap. L.
Adſtringentia, Cap. LI.
Quæ lac gignant, Cap. LII.
Ad menſtrua ſuppreſſa, Cap. LIII.
Quæ ſemen generent ac prouocent, Cap. LIIII.
Quæ ſemen cohibeant, Cap. LV.
De ſimplicium medicamentorum electione, Cap. LVI.
Qui ceræ modus cum oleo ſit, Cap. LVI.
De ponderibus & menſuris, Cap. LVII.
Medicamentum renes à calculo ſeruans, Cap. LVIII.
De latis emplaſtris, Cap. LX.
De coctione medicamentorum, Cap. LXI.

ORIBASII SYNOPSEΩS AD EVSTAthium filium, liber ſecundus.

QVAE MEDIA SINT INTER CALEFACIENTIA ET REFRIGERANTIA, CAPVT I.

ADIANTVM, aſparagus, myacanthi-
nus, muſcus(qui etiam ſplanchnon di-
citur)glycyrrhizæ ſuccus,oleum dulciſ-
ſimum, cera, faba, lycium, lotus,(ſiue
trifolium)citrii cortex,filicis radix, pi-
nei nuclei,lentiſcus,lens, terra Chia &
Samia,Cadmia,argenti ſpuma.

Quæ calefaciant,
Cap. II.

VIticis folia & ſemen moderatè,vrticæ fructus & fo-
lia,amygdala dulcia,anagallis vtraque, atractylis,
cnicus agreſtis,aphace,rubi fructus maturus, radix gly-
cyrrhizæ,oleæ fructus maturus,fermentum, eryngium,
reſinæ omnes,cicerbita arida,iunci odorati flos, palmæ
fructus, cochlearum aduſtarum cinis, braſſica canina
multum,ranunculi radix & tota herba,pulegium, lauri
folia, ac magis etiam bacca, dictamnum, falſodicta-
mnũ,ſaluia,eryſimum,lanæ veſtæ,zingiber,thapſia, car
damomum,liquores,capilli vſti,bryoniæ radix, ariſto-
lochia,aſphodeli radix,daucus,chamædaphne, dracun-
culi radix,oleum raphaninum,cicer,viſcum,caucalis,li-
guſticum, ferulæ ſemen, ſagapenum, ſatyrium, apium,
ſium,ſinon,ſtyrax,idnon,piper, hypericon,ſal,ſulphur,
ſanguis,fel,vrina,ſaliua,caro viperarum, adeps, ſalſorũ
piſcium muria.

Quæ calefaciant primo ordine,
Cap. III.

ALoe,chamæmelum, arum, abſinthium, agaricum,
ladanum,lini ſemen,malabathri folium, ſpica nar-
di,nardum Celticum,vinum nouum, ſerum, caſeus, fi-
cus ſiccæ.

Quæ calefaciant ſecundo ordine,
Cap. IIII.

AMurca,anethum(ſed viride minus)artemiſia,balſa-
mum,elaphoboſcum,calamus aromaticus, crocus,
libanotus,Chia maſtiche,mel,vinum,pix,meliſſophyl-
lum, marrubium, propolis, cucumeris agreſtis ſuccus,
ſcandix,ſcilla, cardui radix, myrrha, terebinthi cortex,
& folia,& item fructus,fœnumgræcum, chamæleontis
vtriuſque radix,chamæpitys,ocimum.

Quæ tertio ordine calefaciant,
Cap. V.

ABrotonum(ac præſertim vſtum)lolium, populi ni-
græ flores,& reſina,acorum,amomum,ammi, ane-
thum vſtum,aniſum,iuniperus,aſari radix, Sabina,elle-
borus vterque,epithymum,mentha, ſatureia, arundinis
vallaris cortex vſtus,carum,caſia, cedrus vtraque, cnici
ſemen, conyzæ, cuminum, thuris fuligo, fœniculum,
melanthium,ſulphur,mei radix,moly,ruta, raphanum,
rhododaphne,vinum vetus,omne origanum,opopanax
petroſelinum,ſampſuchus, ſmyrnium, hyſſopum, cha-
mædrys,galbanum.

Quæ calefaciant quarto ordine,
Cap. VI.

ADarce, ampeloprаſum, euphorbium, oleum cedri
num,coſtus,cæpa,lepidium,ſinapi,allium,ſtruthii
radix, tithymalorum ſucci, & quæcunque adurendi vi
prædita ſunt.

Quæ moderatè refrigerent,
Cap. VII.

GRamẽ mediocriter,auricula muris citra adſtrictio-
nem,pira illita mediocriter,balauſtium,rubi folia,
germina, acerbus fructus & flores:auena mediocriter,
muſcus marinus, glaucium mediocriter, conyon vehe-
menter, lichen petris adnaſcens, omne papauer, pomi
frondes & fructus, oleæ frondes & fructus immaturus,
oleum myrteum,ſeſaminum,balaninum, helxine, quæ
& perdicium nominatur:moderatè,panicum, violæ fo-
lia & ſucci & cortices(dulcibus exceptis)Perſici fructus,
A caro citrii, fungi ſatis, omphacii ſuccus, amylum quod
ex frumento fit moderatè :roſaceum moderatè, ſordes
ex palæſtra,cicerbita non ſicca,tribulus vterque, palmæ
ramorum ſuccus, Samia terra moderatè, terra cimolia,
naxiæ cotis ſcobs,plumbago, ceruſſa, ſandyx moderatè,
caſeus recens.

Quæ primo gradu refrigerent,
Cap. VIII.

ACacia nõ lota,atriplex ſine adſtrictione, acini vuæ,
milium,hordeum,platanus,rhamnus,ſeris.

B Quæ ſecundi gradus ſint,
Cap. IX.

ACacia lota,plantago,beta, galla immatura, cucur-
bita,rhois,cucumis,pepo,ſolanum hortenſe, lens
paluſtris,alga viridis è mari euulſa,pſyllii ſemen.

Quæ tertii ſint ordinis refrigerantium, Cap. X.

SEmperuiua vtraque, portulaca, mandragora, citrii
pars acida,herba ſanguinalis,potamogiton, altercũ,
eiúſque flos,& ſemen album.

Quæ ſint quarti ordinis,
C Cap. XI.

SVccus papaueris & cicuta.

Quæ modicè exſiccent,
Cap. XII.

VRticæ ſemen & folia, amurca, anagallis vtraque,
plantago,auena,oleum dulce,inſulſum lotum,eri-
ca,fermentum,quod etiam ex alto trahit ac diſcutit,lu-
pinus amarus, cauda equina,iſatis vehementer, ſalicis
flos & folia cum adſtrictione quadam(nonnulli ex eis
ſuccum exprimunt,habéntque pro ſiccante medicamen
to ad multa vtili. nullum enim eſt ad plures vſus accom
D modatius medicamentum quàm quod citra mordacita-
tem exſiccat & adſtringit) iuglandis putamen vſtum,
quod eſt etiam tenuium partium,centaurium minus ve-
hementer,ceraſi gummi,lilium,faba foris appoſita,cu-
preſſi omnia,cyperi radix,nuclei pinei in aqua macera-
ti,nympheæ radix, malicorium valde, quinquefolii ra-
dix,polypodium,myrrha,ſarcocolla, ſtœbe,tragacãtha,
terra omnis, cadmia, Aſiæ petræ flos marceſcentes car-
nes arefacit,pompholyx continenter lota, calx extincta
& lota,ſtrenuè,ouorum candidum & putamen,& eorun
E dem etiam vitelli.

Quæ ſimpliciter exſiccent,
Cap. XIII.

VIticis folia & ſemen, radix graminis mediocriter,
adiantum,ſemperuiuum vtrunque, populi flores
& reſina,acte vtraque, amaranthus, quæ etiam pota flu-
xiones ſiſtit,bryoniæ radix,populi nigræ folia ſicca,pi-
ra illita.Mediocriter exſiccant ariſtolochiæ, aſparagus,
aſpalathus,aſphodeli radix, eiúſque potius exuſtæ cinis,
balauſtium valde, ruborum fructus immaturi, bulbus
F illitus, pæoniæ radix,lauri folia magnopere, & multo
etiam magis baccæ,quercus,& phagi partes omnes,oleũ
cyprinum,laurinum, tædinum, panicum illitum, eryn-
gium,cinis corticis ſalicis vehementer deſiccat, canna-
bis fructus,cardamomum,caucalis,daucus, lixiuium,&
magis etiam ex cinere ficulno,chrethmum,lilii folia &
radix,lichen qui in petris naſcitur,fuligo omnis, lotus,
omphacium,polypodium,amylum,ſal,nitrum, gypſus,
cadmiæ omnes,omniáque metallica lapideáque & terre
ſtria,teſta clibanorum,coagulum,& omne ſtercus,(anſe
G rum tamen inutile eſt propter nimiam acrimoniam)ſor
des,caro viperarum,capita menularum ſalſarum aduſta,
cornu ceruorum & caprarum vſtum,caſtoreum,oſſa vſta
vehementer exſiccant,capilli,ſepiæ teſta,cancrorum ci-
nis,garum abunde,itémque muria,

Quæ primo ordine exſiccent,
Cap. XIIII.

H CHamæmelum,iuniperi baccæ, carum,hordei polẽ-

ta,crocus,thus,fœniculum,rhododaphne,muſtum, cucumeris peponis ſemen,& radix ſicca,fœnumgræcum.

Quæ ſecundo ordine deſiccent,

Cap. XV.

Olium,amaracus,bitumen, anethum, balſamum,acinus vuæ,gingidium,elaphoboſcum, calamus aromaticus,thuris cortex & ſemen,maſtiche,mel,citrii cortex & ſemen,& arboris ipſius folia,mei radix,ſpica nardi, nardũ Celticum,vinum,eruum,opopanax,pix,myrrha,lentiſcus, terebinthi fructus & folia,lentes,alga viridis,malabathri folium,galbanum.

Quæ tertio ordine exſiccent,

Cap. XVI.

ABrotonum,& præcipuè vſtum,acacia, acorus, aloë, ammi,anethum vſtum,aniſi ſemen,iuniperus, aſarum,abſinthium,elleborus,epithymum, thymbra,calamintha,arundinis vallaris cortex vſtus, caſia,cedri,conyza,thuris fuligo,nigella,citrii ſemen, vinum vetus valde,acetum,origanum,quinquefolii radix,petroſelinum, ſmyrnium,ruta hortẽſis,marrubium,rhus,ſampſuchus, ſeriphium,hyſſopum,chamædrys,chamæleontes vtriq;, & eorum radix,chamæpitys.

Quæ quarto ordine ſiccent,

Cap. XVII.

AMpeloprafum, cedrinum oleum, ſinapi, ruta agreſtis,allium.

Quæ media ſint inter ſiccantia & humectantia,

Cap. XVIII.

GRaminis radix illita,oleum dulciſſimum.

Quæ primo ordine humectent,

Cap. XIX.

AVricula muris,bugloſſum,glycyrrhizæ ſucc⁹,lactuca modicè, violæ folia modicè, mali Perſicæ fructus,fungi,roſaceum,ſatyrium, ſtratiotes fluuiatilis, & qui in ſtagnis naſcitur.

Quæ ſecundo ordine humectent,Cap. XX.

POrtulacæ fructus & herba,atriplex,blitum, cucurbita,mali Armeniacæ fructus,cucumis,pepo, lenticula paluſtris.

Quæ aquoſam frigiditatem habeant,

Cap. XXI.

ACacia,protulaca,plantago,rubi folia, cucurbita,cotyledon,cicuta,picea arbor,malua hortenſis, mala præcocia,papauer,cucumis qui edendo eſt,ſonchus,iuncus odoratus,tribulus,lenticula paluſtris, pſyllii ſemen, plumbum.

Quæ tenuium ſint partium,

Cap. XXII.

ABrotonũ vſtum,vitex,ſcandix,populi nigræ flores, vrticæ fructus & folia,acorus, amomum, aſari radix,bryonia,chamæmelũ,aparine,ariſtolochia,plãtago ſicca, aſphodeli radix, eiuſque vſtæ cinis potius, balſamum,Sabina,ſinapi,rubi radix,oleum vet⁹, glycyrrhizæ radix,dictamnum,dracunculi radix,cicinum, elaphoboſcum,euphorbium, fermentum, ſalicis ſuccus, calamintha,calamus aromaticus,cannæ vallaris cortex vſtus,caſia,carpeſiũ,miliũ,cedrinũ oleum,gũmi prunorum,maſtiche, nigellæ, ſuccus cyrenaicus, opobalſamum, ruta, pix,piſtaciorum fructus, propolis, terebinthina, oleum roſaceum,ſagapenum, ſampſuchus,ſeſelis,cucumeris ſemen,ficus ſiccæ moderatè,iunci odorati flos, cinis,calx, hyſſopum,ſal,ſalis flos,nitrum,alcyonium Mileſium, arſenicum vſtum,gypſum vſtum,ſulphur, cadmia, pumex vſtus, lixiuium, Aſiæ petræ flos, melantheria, myſi, flos æris,chryſocolla, ſandix, fucus, adeps leonis & pardi, & hyænæ valde,caſtoreum,ſæpiæ teſta,lanæ combuſtæ.

Quæ craſſis partibus conſtent,

Cap. XXIII.

PLantaginis radix, balauſtium, acinus vuæ, zingiber, cæpæ,cucumis,ſquamæ omnes,ſory,alumen.

Corroborantia, Cap. XXIIII.

CAſia, ſtœchas, galla acerba, palmæ fructus, abſinthium.

Quæ ſuppurent, Cap. XXV.

AQua temperata ſuperfuſa,hydrelæum, oleum temperatum,farina triticea,panis triticeus, alica, adeps ſuillus & vitulinus,butyrum,thus,pix,reſina.

Quæ concoquant, Cap. XXVI.

AMomum,vua paſſa, cera, ladanum, colla, thus, pix Ægyptia,maſtiche,oleum roſaceum,myrrha,ſtyrax, galbanum,alica,butyrum,œſypus,adeps ſuillus.

Mollientia, Cap. XXVII.

SEuum caprinum, adeps gallinaceus, anſerinus, taurinus, hircinus, medulla cerui, vituli, ammoniacum, ſtyrax,galbanum, oleum ſicyonium, oleum liliaceum,
B chamæmelum, radix althææ, cucumeris agreſtis radix, folia maluæ ſylueſtris, maluæ caules, maſtiche, terebinthina,colophonia,opopanax,lutum,butyrum.

Quæ indurent, Cap. XXVIII.

SEmperuiuum,portulaca,pſyllium,lenticula paluſtris, ſolanum.Indurantur autem partes aut propter ſiccitatem,& tunc eas humectare oportet:aut propter plenitudinem, & tunc euacuatione opus eſt: aut propter concretionem,& tunc concretæ partes calefaciendæ ſunt, & concretio moderatè diſſoluenda, & iis quæ dicta ſunt
C mollienda.nam quæ vehementer ſiccant,concretionem maiorem faciunt.

Quæ humiditatem ex ore trahant,

Cap. XXIX.

PYrethrum, lapatium, capparis, ficus pingues,tæda, mel,myrica,abſinthium,origanum,raphanus,vua ſine acinis,itémque vua taminia, canchry, ſinapi, elleborus albus,elaterium, thymum, ſal, omphacium, aniſum, piper,coccus gnidius,lauri baccæ, balſamum, anemone, ammoniacum,fæx ſicca combuſta.

D Quæ per nares ducant, Cap. XXX.

ELaterium,piper,betæ ſuccus,cortex radicis cyclaminis,thlaſpi,coccus gnidius,anagallis,anemone,veratrum album, omphacium, marrubium, hederæ tenellæ folium.

Quæ ab oculis ducant, Cap. XXXI.

MEl,hyſſopum, oleum vetuſtum, anagallis, oleum laurinum,nardum,caſia,coſtus, ſuccus papaueris, ſagapenum,daucus,fœniculum,malum Punicum, amygdala,marrubium,veratrum album,anemone,ruta,caſto
E reum,lapis hæmatites, adeps anſeris,fel,myrrha, chalcitis,ſulphur,alumen ſciſſile,ſepiæ teſta,cortex thuris, ſcilla,ammoniacum,hepatis caprini ſanies,vuæ acerbæ ſuccus.

Quæ per aures purgent, Cap. XXXII.

MEl,piper,fel bubulum aut taurinum, mercurialis, betæ & radicum capparis ſuccus, granum gnidiũ, fructuum ficus ſylueſtris ſuccus,bdellium, caſia,veratrũ album,galbanum,omphacium.

Quæ aperiant & purgent,

F Cap. XXXIII.

POpuli nigræ folia ſicca,& radicis cortex, agaricum, vrticæ ſemen,amygdala amara,ipſáque arbor,adiantum,radix ari,pulegium,dracontium, daucus, gentianæ radix valde,cicer,eupatorium citra caliditatem, thymũ, caricæ pingues,calamintha, caſia, pruni arboris gummi, nigella,ruta,pepones,ſpondylii fructus & radix,ſtœchas chamædrys,& alia omnia in quibus amara qualitas excellit,& præterea attenuandi facultas ineſt.

Quæ abſtergant, Cap. XXXIIII.

G STercus caprinum vſtum & non vſtum,teſtæ omnium teſtaceorum,ſepiæ teſta,erinacei vtriuſque vſti cinis, ſerum lactis, mel, radix bryoniæ, amygdala eſculenta, itémque arbor,anagallides, anemonæ omnes, ariſtolochia,plantaginis folia,& ex quibus ſicca magis faciunt, arum,aſparagus,myacanthinus,ſtaphis,aſphodeli radix, atriplicis fructus,abſinthii ſuccus,bulbus impoſitus, elleborus vterque,parietaria,quæ & perdicium dicitur, ſalicis ſuccus, cannæ vallaris radix cum cortice facit ſine acrimonia:centaurium minus,& eius etiam ſuccus,braſ-
H ſica,eruum,hordeum moderatè,lilii folia & radix trita mediocriter,fabæ caro mediocriter,lampſana in catapla ſmate impoſita,lichen in petris naſcens,violæ albæ partes omnes,meum,platani cortex,& radix moderatè,marrubium illitum,propolis mediocriter,vlmi folia,magis

vero faciunt cortex & radix, ptiſſana, terebinthina magis quàm maſtiche, ſagapenum moderatè, cucumeres, peponis partes omnes; cucumeris agreſtis radix, myrrha, beta, tithymali, phu, chamæpitys, alcyonia omnia, terra Chia & Samia moderatè, & Cretenſis, cadmia, pumex vſtus & non vſtus, argenti ſpuma moderatè, ſmiris abunde facit, teſta clibanorum, cornu ceruinum & caprinum vſtum.

Quæ vrinam moueant, Cap. XXXVI.

APium, petroſelinum, fœniculum, daucus, ſmyrnium, aniſi ſemen, ameum, aſarum, acorus, aſparagus, oxymirſinum, bdellium, bryonia, cicer, thymum; calamus aromaticus, carum, carpeſia, caucalis, coſtus; cuminus, cyperi radix, liguſticum, meum, ſpica nardi, & nardum Celticum, ruta, polium, ſeſelis, cucumis qui editur, melopepo, ſcandix, allium, paſtinaca, iunci odorati flos, terebinthi fructus, abſinthium, Sabina. Sanguinem per vrinam ducit rubiæ radix. Vrinas craſſas & multas, & quandoque etiam ſanguinolentas mouet capnium: biliosas & multas educit orobus, qui ſumptus copioſior, ſanguinem per vrinam educit. Cardui radix magnam copiam educit graueolentium vrinarum, ſiquis vino incoquat, & decoctum bibat. Fœtidos vrinæ odores abſterget aqua mulſa, oxymel, vinum tenue & dilutum.

Quæ per vrinam è ſplene educant,
Cap. XXXVI.

TIthymali vallaris ſemen, cuminum, thymum, radix vitis ſylueſtris, capparis radix, allium, cytiſus, dracontium, ariſtolochiæ radix, origanum, polium, colocynthis agreſtis, bryonia, cyclamen, portulaca, potus vini in quo ſcorpius marinus ſuffocatus ſit.

Quæ ex hepate educant,
Cap. XXXVII.

VIticis ſemen, dauci folia, fœniculum, balſamum, capnium, aniſum, dactylorum oſſa, lauri folia, abſinthium, ſmyrnium, anagallides, mentha, œnanthe, ſilphii ſuccus, eryngium, aqua in qua hordeum maduerit, agaricum, aſarum.

Quæ ex renibus ducant, Cap. XXXVIII.

APii ſemen, piper, paſtinaca, marrubium, cnicus, radicum bryoniæ cortex, gramen, oua ſepiæ, ſulphur; cicer album.

Quibus educantur ea quæ in thorace ſunt,
Cap. XXXIX.

QVæcunque adaperiendi vim habent, accommodata ad id ſunt; nuclei pinei recentes, nuclei piceæ, butyrum, caſtoreum ſuper carbonibus ſuffumigatum, & per inſpirationem attractum. id enim humidam frigidámq; intemperiem, quæ pulmonem ac cerebrum infeſtet, maximè iuuat. Spica nardi capitis & thoracis fluxiones exſiccat. Porro ex pulmone educunt catapotia attrahentia, quæ dantur, vrticæ ſemen, dauci, & lini, papauer nigrũ, thymum, raphani ſuccus, ſinapi, aniſum, ſiſamum, eryſimum, ſcilla, eruum, cucumeris ſemen, piper, ruta, polium, arum, dracontium, coſtus, nardum, ſulphur, myrrha, baccarum lauri interna pars, cortex radicum capparis, amygdala amara, glycyrrhiza, caſtoreum, abrotonũ, ſtyrax, bdellium, ſilphium, hyſſopum, vua ſine acinis, omphacium, ariſtolochia, galbanum, marrubium, eryngii radix.

Renes purgantia, Cap. XL.

INcidentia omnia renes expurgant, vt plantaginis ſiccæ radices & fructus, aſparagus, myacanthinus, glycyrrhiza, cicer, amygdala.

Cutem rarefacientia, Cap. XLI.

CHamæmelum, anethum, althæa, cucumeris erratici radix, oleum vetus, abrotonum vſtum.

Ora vaſorum aperientia,
Cap. XLII.

ACria omnia, anemonæ omnes, allium, cæpa, fel taurinum, irini & amaricini fæces.

Quæ cutim condenſent,
Cap. XLIII.

AQua frigida, ſemperuiua, portulaca, tribulus viridis, pſyllium, lenticula paluſtris: & vno verbo, quæcunque non exſiccando refrigerant.

Quæ putrefaciant, Cap. XLIIII.

CEdria, auripigmentum, ſandaracha, chryſocolla, pityocampe, veratrum nigrum.

Quæ reprimant, Cap. XLV.

ELaterium, cucumeris ſylueſtris radix, ochra, mandragora, Aſiæ petræ flos, teſtacea omnia combuſta quæ in carne eminent, mediocriter reprimunt: echini vſti, lapis hæmatites ſiccus tritus; & in puluerem redactus, viola, & faba, ſquamæ æris, & chryſocolla.

Quæ ad cicatricem perducant,
Cap. XLVI.

ALumen, galla immatura, æs vſtum, (& præſertim lotum), malicorum aridum, plumbi recrementum, lithargyrus, plumbum vſtum, ceryces, teſtacea omnia, purpura, vitrum, pumex, ſpecularius lapis, gypſum vſtũ, ceruſſa, pompholyx, ſpodium, chryſocolla, ſtibium vſtum, diphryges, ſarcocolla. Hæc omnia ſi vlceribus inſperſeris, ea ad cicatricem rectè perducent. Mordẽdo autem cicatricem inducunt, atramentum ſutorium vſtum, cadmia, ſquama æris & ferri, ſtomomatis, ærugo, calx vſta & lota.

Superficiem exulcerantia,
Cap. XLVII.

RVbi canini folia, betæ radix, allium, pulegium, hyſſopum, origanum, ſepiæ teſta, aſphodeli radix, lini ſemen, quæque ſalſa, acria, & amara ſunt.

Adurentia, Cap. XLVIII.

CAntharis, diphryges, fæx vſta, anemone puniceum habens florem, allium, cinis ficulnus, nitrum toſtũ, æs vſtum, alumen, buccinarum teſta vſta, capita menularum, arſenicum, canchry, vua taminea, granum gnidium, pyrethri radix, calces vehementer, (non extincta vehementer vrit, extincta cruſtam inducit) ſinapi.

Attrahentia, Cap. XLIX.

ANemonæ omnes, vtraque anagallis, dictamnum, cicer, thapſia, cyclaminus, narciſſi radix, propolis valde trahit, fermentum, ſtercus omne, ſagapenum, ſuccus Cyrenaicus & Medicus, ſilphii ſuccus & radix, ſparti fructus, & virgarum ſuccus valde, terebinthina magis quàm aliæ reſinæ, ſulphur, ſtercus boum, & præcipuè eorũ qui eruum comedunt, calamintha cataplaſmatis more impoſita, coſtus, viſcum valde trahit.

Diſcutientia, Cap. L.

ABrotonum vſtum, agaricus, adiantus, ægilops, vrticæ ſemen, & folia abunde, ſambucus, ebulus, aniſi ſemen, ariſtolochiæ radix, atriplex, bulbus, herba Sabina, muſcus, (qui & ſplanchnon dicitur) daucus, hibiſcus, althæa, oleum dulce, vetus, raphaninum, thapſia, cannæ vallaris cortex vſtus abunde diſcutit, braſſica, lilii folia & radix, hederæ folia, ladanum, mercurialis, malua agreſtis, maſtiche Chia, mali perſicæ germina & folia, rhododaphne, prima ficus, opobalſamum, ſuccus cyrenaicus vehementiſſimè, paliuri radix & folia, ruta, marrubium, terebinthina, oleum roſaceum, ſordes ex ſtatuis, ſordes ex gymnaſio, ſampſuchus, cucumeris agreſtis radix, myrrha: ex caricis, pingues magis quàm quæ ex caprificu exiſtunt: beta diſcutit & non calefacit, vehementius facit alba, galbanum, ſal vſtum, ſalis flos, nitrũ, omnia alcyonia, terra Samia, faba, caſeus tener ex lacte acido moderatè, carnes viperarum vehementer, adeps leoninus magis quàm cæteri, oſſa combuſta, echini vtriuſque cinis.

Adſtringentia, Cap. LI.

OLeaſter, roſæ, lentiſcus, pirus agreſtis, apium, ſemperuiuum, papauer, cytiſus, aloë, vrtica, acini, pira, crocus, althæa, terebinthus, glans, altercum, hedera, nymphæa, palmæ, oui vitellus, paliurus, caudæ equinæ radix & herba, ſanguis concretus, cyperus, œnanthe, braſſica cocta, coagulum leporis, ſpongia vſta, rhamnus. Sunt etiã alia pleraque adſtringentia, quæ nota ſunt omnibus.

Quæ lac generent, Cap. LII.

ERuca, fœniculum, anethum, quum viridia ſunt, ſmyrnium, itémque apium, ſiſamum, cucumeris ſemen, canchry, ſmyrna, polypodium, glaux, cerebrum, bryoniæ

radix,crithmon,cuminum.

Ad menſtrua ſuppreſſa, Cap. LIII.

IN potu accepta valet Sabina,meum,iris,ruta,calamintha,pulegium,dictamnum,aſarum,coſtus,caſia,ariſtolochia:vnicuique miſcetur aut tritici decoctum, aut aqua in qua fœniculum coctum ſit,aut ptiſanæ ſuccus.Cataplaſma autem fit ex fœniculo,nigella, ſmyrna, hordei macerati ſucco,portulaca,adipe anſeris,vlmi foliis,cera, ſulphure,& felle taurino : apponuntur etiam adeps cerninus recens,itémque adeps anſeris,fæx vſta,ſal,oleum, cyperus,aphronitrum,ſtyrax,abſinthium,artemiſia,ſampſuchus,veratrum nigrum,granum gnidium, mercurialis,cuminum,fœnum græcũ,vua paſſa ſine acinis,citria.

Quæ ſemen generent ac prouocent, Cap. LIIII.

EDulia ſemen gignunt ea quæ magis nutriunt , quæque flatum excitant:medicamenta verò, quæ flatuoſa,quæque calida ſunt.Ita fit vt bulbi,cicer , fabæ ac ficus, inter edulia multum ſeminis gignant:ſcincus & ſatyrium,inter medicamenta:edulium verò ſimul & medicamentum,eruca,& lini ſemen.

Quæ ſemen cohibeant, Cap. LV.

QVæcunque edulia atque medicamenta refrigerare poſſunt,itémque quæ craſſum humorem gignunt, quæque condenſant,ea ſemen inhibent omnia:eiuſmodi ſunt lactucæ,betæ,atriplex,cucurbita,mora, melopepones,cucumeres.Quæ verò initio ſiccant,ea ne ſemen quidem gigni permittunt , licet ſuapte natura calida ſint, qualis eſt ruta.Si verò non calefacient,multo magis cohibebunt,vt facit nymphæa.

De ſimplicium medicamentorum electione, Cap. LVI.

AGaricum præſtantius eſt quod pectines rectos habet. Acaciam eligito modicè fuluam & odoratam. Aloen pinguem capito , non lapidoſam, ſplendidam, ſubflauam, friabilem, hepatis colore præditam,facilè liqueſcentem,amaritudinis intenſæ:nigram,& valde duram reiicito. Ammoniacum thymiama eligendum eſt quod ligneum non eſt, & granis thus refert,purum, denſum , nihil ſordium habens, caſtorei odorem præ ſe ferens,guſtúque amarum eſt.

Amomum præſtantius eſt quod recens,albúmque,aut ſubrufum,non compactum,aut ſpiſſum, ſed ſolutum, & diffuſum, ſemine plenum vt racemulis , valde graue & odoratum , non carioſum, acre ad guſtum , colore ſimplex,non varium. Adulteratur à quibuſdam amomide ei perſimili admiſta.ſemper enim reprobatis fragmentis, ramos ab vna radice prodeuntes eligito. Aſpalathus bonus eſt qui grauis eſt,quique poſt detractum corticem ſubrufus,& guſtui amarus eſt. Bitumen præſtantius eſt quod ad modum purpuræ ſplendet , intenti ac grauis odoris:nigrum malum eſt,ſiquidem pice admixta adulteratur. Abſinthium præſtat cæteris id quod in Ponto & Cappadocia naſcitur:eius ſuccus amurca cocta & commixta vitiatur. Bdellium probatiſſimum eſt quod guſtui eſt amarum,colore glutinis,pingue in profundo,& quod molliri facilè poteſt, lignorum & ſordium expers , ſuaue olens in ſuffitu , & vngui aromatico ſimile. Elleborus niger præſtantior eſt adultus,quique tenuem medullam habet , acer guſtui, & ignitus.talis eſt qui in Helicone , Parnaſo, & Anticyris naſcitur. Euphorbium eligendum eſt pellucidum & acre. Viſcum optimum eſt quod in Helicone naſcitur , cuius interior pars marrubii colorem refert,exterior ſubflaua. Gluten piſcium probatur album,ſubcraſſum,non ſcabrum,celerrimè liqueſcens. Calamus aromaticus præſtantiſſimus eſt fuluus,denſis geniculis , & qui fractus in multa fruſta diſſiliat:fiſtula plena telis aranearum , ſubcandidus, in mandendo viſcidus,adſtringens,& ſubacris. Cardamomum optimum eſt quod ex Armenia aduehitur. elige quod difficiliter frangitur,plenúmq; eſt &conclu-ſum. Caſſiam elige rufam,boni coloris,corallum referentem,anguſtam,admodum longam & craſſam, fi-

A ſtuli plenam,in guſtu mordacem,& adſtringentem cum aromatico feruore quodam ,vinum redolentem.Purpurea verò & craſſa, quæ gizera dicitur, roſam odore referens,eſt ad medicinæ vſum accommodatiſſima.

Cera optima eſt rufa,ſubpinguis,odorata, pura, pontica. Ladanum optimum eſt odoratum, ſubuiride,quod facilè mollitur,pingue,ſine arenulis , aut reſinoſum:tale eſt quod in Cypro naſcitur. Colla (quam xylocollam nonnulli appellant)optima eſt Rhodia,eſtque alba,pellucida:nigra verò deterior eſt.

B Gummi excellit cæteris id quod vermiculatũ, vitreũ, pellucidum,non lignoſum eſt:deinde verò album : reſinoſum verò & ſordidum inutile eſt. Coſtus præſtantior eſt Arabicus,qui & albus & leuis eſt,quique plurimo & ſuaui odore præſtat. Secundum locum tenet Indicus,qui buxei coloris eſt,naréſque odore percutit. Optimus autem eſt recens , albus , ex omni parte plenus, denſus,ſiccus,minimè carioſus,qui edendo non ſit, guſtuíque mordax,& igneus appareat. Hunc nonnulli corrumpunt helenii radicem miſcentes:ſed id facilè cognoſ-

C citur . nam helenium non feruefacit guſtum , neque intentam habet odoris bonitatem,neque mordacem.

Crocus Corycius optimus eſt,recens ac boni coloris, parum candoris in capreolo habens , procerus , integer, non friabilis,non pinguis, plenus , manus tamen attritu facilè tingens,non carioſus, validi odoris & acris . nam qui eiuſmodi non eſt,aut vetus eſt,aut maceratus.Vt autem facilè teri poſſit,in ſole erit continendus , aut in fictili nouo vertendus. Crocomagma fit ex croci-no vnguento aromatibus expreſſis & confectis.Præſtan-

D tius eſt odoratum , quod dimidium ex myrrha conſtat, graue,nigrum ,non lignoſum , colorem croci in attritu referens,ſubamarum,dentes ac linguam vehementer inficiens. Cyperus optima eſt grauiſſima & denſa, & ſolida,& difficiliter friabilis,odorata cum acrimonia quadam. Viola optima eſt lutea. Thus primas fert maſculum,rotundum,non ſectum,album,& quod ſectum intus pingue eſt. Adulteratur reſina aut gũmi:ſed facilè deprehenditur:nam gummi in ſuffitu flammam non excitat,reſina verò in fumum abit. Thu-

E ris cortex præſtantior eſt is qui craſſus eſt,pinguis,boni odoris,recẽs,leuis,non ſcaber,aut membranoſus. Vitiatur admiſto pinus aut nucis eius cortice. Index eſt ignis. nam alii ſuffiti fumum edunt , thuris verò cortex ardet cum odoris ſuauitate. Malabathari folium probatur quod recens eſt,ſubalbidum,quod halitu odoris ſenſum tentat, & in ſuauitate odoris perſtat , nardo ſimilis ad guſtum,nullo ſalis ſapore admiſto. Medulla primas tenet ceruina,ſecundas vitulina,tertias taurina. Bona eſt quæ æſtate ad autumnum vergente colligitur . a-

F liis enim temporibus ſanguinem admixtum habet.Paratur ad reponendum recens ſubacta & aqua affuſa:deinde per linteum traiicitur,tum denuò lauatur,vſquedum aqua pura reddatur:poſtea in duplici vaſe liquatur ſordibus fluitantibus penna ſublatis. Poſtquam concreuerit, in fictili nouo reponitur,derafa prius diligẽter fæce , ſiquæ poſt liquefactionem excolationémque ſubſederit.

Melilotus optimus eſt Atticus, quique in Cyzico naſcitur,croci colore & odore: Papaueris ſuccus optimus eſt denſus & grauis, & halitu odoris ſomnum inducens,

G guſtu amarus, qui in aqua facilè liqueſcit,leuis,albus,nõ aſper neq; conglobatus,neq; dum liqueſcit conglomeratus, non durus, & qui ſoli expoſitus non diffunditur : & quo ad lucernam admoto non atra flamma luceat,adulteratur lactucæ agreſtis ſucco admiſto. Spica nardi melior eſt recens,leuis,comata, colore flauo , admodum odorata , cyperi odorem referens , ſpicam habens breuem,guſtu amaram,linguam exiccans,odoris bonitate diu permanente. Hæc etiam diluta aqua venditur,id quod cognoſcitur ex ſpicæ candore & ſqualore , amiſſa

H lanugine. Omphacium eligito ſubflauum,friabile, egregiè adſtringens,linguámque mordens. Onyx præſtat is qui è rubro mari affertur albeſcens & pinguis.

Panacis radices præſtantiores ſunt ſiccæ,albæ, extentæ, non corroſæ , feruidæ guſtui,& aromaticæ. Liquor verò

probatur is qui guſtu eſt amariſſimus, intrinſecus albus, extrinſecus croceus, qui leuorem habet, pinguiſque ac friabilis eſt, quíque celeriter diluitur, & grauem ex ſe odorem mittit. Piper probatur quod grauius eſt, plenum, non admodum rugoſum, recens, & non furfuraceum. Peucedani ſuccus præſtantior eſt is qui graui odore, & colore rufo præditus eſt, guſtúque calefacit.

Polio montano vtimur. Reſina terebinthina probatur quæ dilucidiore eſt colore, odoratáque: minus verò illa quæ vitro eſt ſimilis. Myrrha primas fert ea quæ Troglodytica nominatur. Eligito recentem myrrham, fragilem, leuem, ex omni parte ſibiipſi cõcolorẽ, & quæ confracta intus habeat candidas diuiſiones humanorum vnguium figura: quæ minutis glebis ſit, amara, odorata, acris: quæ verò ponderoſa eſt & picei coloris, ea eſt inutilis. Stacte myrrha bona eſt quæ odorata eſt, leuorem habet, & cui oleum non ſit admixtum.

Styrax præſtat qui flauus eſt & pinguis, & reſinoſus, grumos habens ſubalbidos, cuius ſuauis odor diu perdurat, dúmque mollitur melleum humorem ex ſe remittit. crematur ſtyrax, & igni torretur, & ad fuliginem thuris modo vaporatur. Tragacantha eſt lacryma ſectæ radici inhærens, in qua bonitate antecedit quæ pellucida eſt, læuorémque habet, ac tenuis eſt, pura, & ſubalbida.

Hyoſcyamo vtendum eſt eo qui albis ſit floribus, & ſemine itidem albo. Si is non adſit, flauo vtendum: nigrúmque vt inutilem repudiare. Galbanum excellit quod thuri ſimile eſt, cartilaginoſum, purum, minimè lignoſum, & quod ferulæ, ſeminiſque aliquid admixtũ habeat, odore graui, neque admodum humidum, neque etiam ſiccum. Chalcanthum (*hoc eſt attramentum ſutorium*) eligendum eſt quod læuorem habet, & colore cœruleo, æqualéque eſt, & cruſtas habet ſquamarum modo, non lapidoſum, & boni coloris. Auripigmentũ optimũ eſt habendũ quod cruſtaceũ eſt, & aureo colore.

Terra ampelitis cæteris anteferenda eſt nigra, exiguiſque picearum carbonibus ſimilis & ſplendeſcens. Diphryges anteferendum aliis eſt quod guſtui æris ſaporem reddit, linguámque abunde adſtringit & exiccat.

Sulphur probatiſſimum eſt quod ignem non eſt expertum, quódque in eo genere ſplendet ac pellucidum eſt, & minimè calculoſum. In eo autem quod ignem expertum fuerit, primas tenet viride & pinguiſſimum.

Indicus lapis probatiſſimus eſt qui cæruleam ſpeciẽ, & læuorem habet, éſtque ſuccoſus. Cadmia optima eſt quæ botryitis (*hoc eſt acinoſa*) nominatur, mediocriter ponderoſa, quæque extremitatem acinis ſimilem habet, colore ſpodii: fracta cinerem intus habet atque rubiginem. Secundo loco cenſetur quæ foris eſt cœrulei coloris, intus verò maculis onychitæ lapidi ſimilibus.

Pumex probatur qui leuiſſimus eſt, ac fiſtuloſus, ſciſſiliſque, nec lapidoſus, quíque friabilis eſt, & candidus.

Lithargyrus (*hoc eſt argenti ſpuma*) probatur magis ea quæ chryſitis (*quaſi aurea*) nominatur, quæque ſplendet.

Lapis Aſius anteferendus eſt cæteris qui colore pumicis eſt, fiſtuloſus & leuis, itémque friabilis, quíque diſcriminationes luteas in profundo habeat. Lapis hæmatites probatiſſimus eſt qui friabilis, rubens, & in ſe ipſo durus, & æqualis eſt quíque nihil habet admixtum.

Gagates lapis probatur qui celerrimè accenditur, & dum vritur, bituminis odor ſentitur. Magnes probatiſſimus eſt qui facilè ferrum trahit, & colore ad cœruleum vergente, & denſus. Melanteria cæteris præſtat quæ ſulphureo colore eſt, læuorem habet, æqualis, pura, & in aquæ contactu ſtatim nigreſcit. vim in vrendo habet eandem quam miſy. Rubrica ſinopica optima eſt quæ eſt denſa & grauis, iecinoris colore, non calculoſa, ſibi ipſa tota concolor, & quæ quum diluitur, copioſe diffunditur. Miſy eligengendum eſt cyprium, quod auri ſpeciem refert, durum: quúmque frãgitur, aureas ſcintillas emittit, & ſtellarum more ſplendeſcit. Vritur eo modo quo chalcitis, niſi quod ex eo pſoricum non conficitur. Plumbago probatiſſima eſt quæ argenti ſpumæ ſpeciem præ ſe fert, flaua, modicè ſplendens, & in attritu rufa apparet.

A Nitrum probatur quod leue eſt, roſaceo colore, aut albo, & foraminibus plenum. Spuma nitri optima eſt leuiſſima, & grumoſa, & friabilis. eodem quo ſal comburitur modo. Pompholyx optima eſt Cypria: hæc aceto macerata æris halitum ex ſe emittit.

Sandaraca præferenda cæteris eſt ea quæ admodum rufa eſt, florida, pura, colore cinnabaris, habétque ſulphuris halitum. Stimmi præſtantiſſimum eſt quod radiat, fulgétque quum frangitur. Alumen probatiſſimum eſt ſciſſile, recens, admodum candidum,
B nec calculoſum. Sori anteferendum eſt Ægyptium, quódque in frangendo nigrius apparet.

Fæx præſtat cæteris quæ ex vino eſt. Æs vſtum probatur quod rubrum eſt, & in attritu cinnabaris colorem præfert. lauatur vt cadmia, ter in die aqua effuſum.

Qui ceræ modus cum oleo ſit, Cap. L V I I.

SI vnguenta quæ à leuanda laſſitudine acopa dicuntur, conficere volueris, oleum ceræ quadruplum iniicies:
C ſi verò liquidum ceratum, vt in fracturis fit, duplum. Si medicamentum emplaſtri modo conficere velimus, tantundem vtriuſque miſcebimus, ſi aër nos ambiens ſit moderatus: ſin autem cera vetus, aut arida, aérque frigidus fuerit, paulò plus olei adhibendum eſt: ſicut etiam ſi cera fuerit pinguis, aérque calidior, paulo minus olei debet eſſe. Hæc verò paulò minor portio, eſt duodecima pars medii inter vtramlibet partem exceſſus. etenim & vndecim & tredecim olei vnciis ceræ libram admiſcebimus.

D De ponderibus & menſuris, Cap. L V I I I.

AMphora Italica habet ſextarios X L V I I I.
Sextarius continet libram vnam, vncias octo.
Sextarius mellis libras duas continet.
Chus ſextarios ſex continet.
Sextarius heminas duas habet.
Cyathus drachmas duodecim.
Mina vncias octo continet.
Vncia ſcrupulos vigintiquatuor.
E Olca ſcrupulos tres habet.
Obolus ſcrupulum medium.
Oxybaphum quartam heminæ partem.
Cheme magna drachmas tres continet.

Ex libro de compoſitione medicamentorum κτ᾽ τόπους, renes calculo obnoxios ſeruans medicamentum, Cap. L I X.

VVarum paſſarum vnc. I. adianti drach. I I I I. ſeminis apii drachmæ dimidium, lithoſpermatis dach.
F I I. amygdalarum amararum drach. I I. damaſonii drach. I. phu tantundem, ſucci plantaginis puri drach. I. ſeminis peponis repurgati, & ſeminis cucumeris ſingulorum drach. I. Lemniæ ſphragitidos drach. med. thuris infecti grana V I I I. ſubigantur in minutiſſimas partes redacta, & in grana redigantur: tũ cum oxyſaccharo fermententur: fiántque grana magnitudinis ciceris: ex iiſque ſingulis menſibus per octo dies grana quinque quotidie ex mixto oxyſaccharo ſumantur: cæteris verò menſis diebus præter eos octo deinceps inſequentes, hoc facito quod
G ſequitur, Cicerum ius in quo vuæ paſſæ abſque acinis, itémque anethum, mẽtha, fœniculi radicum parum, ſaccharum, & amygdala ſubacta incocta ſint, per colum traiectum bibe, ipſóque per interualla vtitor.

Loca in quibus viperæ comperiuntur, ſunt Phanus, Typanges, Achlada, Xerocaſtellum, Alonitzin. In horum montanis ſtationibus præſtantiores & laudabiles viperæ degunt.

De latis emplaſtris, quæ κοπτὰ (hoc eſt contuſa) dicuntur,
H Cap. L X.

IN emplaſtris quæ à latitudine platyſmata vocantur, ſi medicamenti vim moderatã eſſe velis ad cicatricem inducendã vlceribus quæ difficiliter ſaneſcunt, quartam metallicorũ partem ceræ admiſcebis: ſi vehemẽtius me-

dicamentum conficere propoſueris, tertiam:ita tamen vt cera in ſole aut ad ignem, aut aqua calida molliatur, atque ita metallica admiſceantur.

Ex Antyıli commentariis de coctione medicamentorum, quæ ad emplaſtra conficienda adhıbentur, Cap. LXI.

IN coquendis medicamentis argenti ſpuma cum oleo decoquetur:eam verò læuigatam rurſus ex oleo conterere oportet, vt conſpiſſeſcat, deinde ita leni igni continuò agitatam coquere. Primùm autem intumeſcit, bullàſque emittit:vbi verò iam fere ſatis cocta fuerit, colorem fæci ſimiliorem recipiet. Coctionis terminus eſt quum tumor ſe remittit, & non inquinat. Molybdæna eodem modo quo ſpuma argenti coquitur:eius coctionis modus eſt, vt nõ modò digitos non inquinet, ſed etiam vt colorem ex igneo in fuluum, & admodum floridum commutet. Æs non in ipſo protinus initio ad coquẽdum imponitur, ſed ſemicocto iam emplaſtro. Modus coctionis, niſi admodum paucum iniectum ſit, erit, quum color ipſius exuperet, & fuluum emplaſtrum facit. Sory & diphryges ipſa quoque medio coctionis tempore iniiciuntur. Diphryges autem veluti etiam ſquama, coquitur vſquedum eius color vincat reliqua. Sory verò non habet peculiarem coquendi terminum, ſed is omnibus communis eſt, vt emplaſtrum non inquinans reddatur. Chalcitis ſicut æs coquitur. coquendi finem metimur ſi emplaſtrum magis fuluum, magiſque phœniceum euaſerit. Æris flos eo modo quo æs coquitur. eius terminus eſt is qui coctioni communis eſt. Atramentum ſutorium medio coctionis tempore iniicitur, coctum emplaſtri colorem vehementiorem efficit, ac niſi reliqua obſtiterint, emplaſtrum nigrum reddet. Miſy ad finem coctionis inditur, neque vllum habet coquendi finem ſibi definitum. Arſenicum & ſandaracha, in fine coctionis imponuntur. Plumbum vſtum in media coctione adhibetur. Ceruſſa in alba emplaſtra ad finem inditur. ſic enim & colorem ſuum conſeruat, & magis exalbeſcit: in nigra verò emplaſtra, in initio, ſiquidem cocta ceruſſa fit nigrior. Ærugo in emplaſtris viridibus poſt coctionem iniicitur. In quibus verò ne in ollam quidem coniicitur, cætera ad ipſam ex aceto detritam, in mortarióque manentem affunduntur. In melinis emplaſtris quum ſemicocta confectio eſt, imponitur:hæc enim mediocriter cocta melinum colorem efficit. In iis verò quæ geminam faciem, duplicémque colorem præ ſe ferunt, quæ διπρόσωπα & δίχρωμα nominantur, in ipſo ſtatim initio ærugo ponitur. In quibuſdam enim coquendo melinum colorem primùm inducit, qui duplicis coloris ſpeciem præfert:poſtremò autẽ fuluum colorem reddit. Alumen plerunque poſt coctionem additur. proprium coctionis modum nullũ habet. Rubrica ad finem iniicitur. Cadmia & pompholyx in principio imponuntur. Sal & nitrum in medio coctionis iniiciuntur. Sulphur in

A fine adiicitur. ipſius coctio nigra facit emplaſtra.

Terra omnis, itémque lapides, atque etiam pumex ad finem plerunque iniiciuntur. Oleum ſi in initio reſinæ alicui aut pici liquidæ fuerit iniectum, facit vt emplaſtrum non cohæreat. Quamobrem quum illa coctione coaluerint & conſtiterint, oleum indetur. Reliquæ pinguedines ſalis expertes in medio coctionis tempore imponendæ ſunt. Ex vnguentis, irinum coquitur, cyprinũ verò & roſaceum minus, cætera nequaquam coctionem ferũt:idcirco ad finem coctionis ſunt B immittẽda. Cera per ſe ipſa nõ coquitur (aduritur enim ſola) ſed nec etiá cũ reſina liquida, nec cum pice liquida: (neq; enim coit) verũ adiicitur aut oleo puro, aut oleoſo, quod cum aliquo metallico coctum ſit, aut reſinæ, aut pici prius coctæ. ac cera quidem prius iniicitur quàm cætera quæ iniicienda ſunt, coeant atque cohæreant.

Reſina arida poſt ceram inditur, liquida verò ipſa per ſe ante alia omnia coquitur, niſi eius perexigua ſumatur portio. Pix ante alia iniicitur. Finis coctionis eius picis quæ liquida eſt, habetur quum coit & ſpiſſatur: C aridæ verò, præſertim ſi cum aceto coquitur, quum non amplius bullas emittit, neque intumeſcit. Bitumen in principio impoſitum coquitur:id verò non eſt in leuorem redigẽdum. habet enim aſperitates ficuum granis ſimiles. In craſſiores ergo partes eſt frangendum, & aceto incoquendum ſic vt non agitetur, donec non amplius bullas mittat. Propolin præmollire oportet & coquere. à coctione enim neutiquam diffunditur. Ammoniacum circa mediam coctionem imponitur. Si verò ad cruenta vulnera emplaſtrum paratur, D aceto aut vino erit macerandum. Si molle fuerit emplaſtrum, qualia ſunt quæ ad anum parantur, cum aqua erit læuigandum, atque ita cæteris iam coctis infundendum.

Opopanax multo poſt ammoniacum iniicitur:omnino autem paucam coctionem requirit. id quoque ex vino aut aceto prius eſt læuigandum. Galbanum coctionem neutiquam fert, ſed vt ne inquinet digitos, emplaſtrum ab igne auferendum eſt, ipſumque emollitum infundendum. Sagapenum in mortario tunditur, & quum teneriuſculum factum eſt, cum emplaſtro E quod ab igne ſublatum ſit, emollitur. Aloë poſt conctionem inſpergitur. Succus papaueris pridie in modica aqua maceratur, & in mortario teritur, atque ita ei emplaſtrum affunditur. Thapſia poſtremo loco iniicitur. Bdellium læuigatum emplaſtro ab igne iam ſubalto inſpergitur. Sin autem pingue ſit vt læuigari non queat, ipſum æquè ac ſagapenum cõtuſum, ac in emplaſtri formam redactum, ſimul cum emplaſtro molliemus. Thus & manna coctione iam perfecta inſperguntur. Myrrha cum modico mellis læ F uigata, aut cum aceto & aqua, ſi modò humida emplaſtrum admittat, abſoluta coctione iniicitur. Semina, radices, & herbæ coctionem non ferunt:ergo læuigatis, & in mortario adhuc ſubſiſtentibus, liquefacta reliqua affunduntur.

QVID TERTIO LIBRO CONTINEATVR.

HOC libro habetur quæ vnguenta, emplaſtra, malagmata, cataplaſmata, paſtilli, ſicca collyria, liquidáque probata ſint: itémque de agglutinãtibus, ſmegmatis, dropacibúſque, inunctionibus, antidotis, purgationibus, & ſuffitibus, diſſeritur.

QVAE CONTINEANTVR IN HOC LIBRO,

Baſilicon emplaſtrum.
enneapharmacon.
ex cadmia.
attalicum album.
phœnicinum Galeni.
viride, quod lite appellatur.
dichromon.
pentatheton.
ex hyoſcyamo.
myrteum.
album ad ambuſta.
copton platyſma.
aphrum.
geranion Poletis.
ex dictamno.
ex lini ſemine.
ex verbenaca.
elephantinum.
ex anthemide.
halmyron.
ex ſalicibus Magni.
è buccinis.
ad alopecias.
adamantini ad idem.
ex ſalicibus Critonis.
ad cancros vlceratos.
ad vlcera phagedænica adamantini.
ad cancros depaſcentes & erodentes.
ad inteſtina prolapſa.
ad herniam adamantini.
aliud ad idem.
ad ramicem inguinis adamantini.
ad idem.
aliud.
ad aquoſos ramices.
ad meliceridas adamantini.
corax ad nomas.
ad ramicem gutturis.
ad ſedis inflammationes.
ad tentiginem ciendam.
ad fracturas oſſium.
ad teneros, & qui ex vlceribꝰ nimis grauiter cõflictãtur.
ad phagedænas Galeni.
Adamantini ad phagedænas.
aliud ad omnia vlcera maligna.
aliud.
ad vlcera carcinode.
ad vlcera perhumida
ad idem.
ad vlcera maligna fluentia.
ad vlcera chironia.
ad eadem.
ad putrida & depaſcentia.
ad vermes in vlceribus.
ad cauitates fiſtuloſas inueteratáſque.
ad vlcera flaccida.
ad vlcera quibus ægrè cicatrix inducitur.
ad vlcera vetuſta.
ad maculas & cicatrices exterendas.
ad vngues ſcabioſos.
διὰ ἁλῶν.
ad cancrum vlceratum.
cerata & perfuſiones ad parotidas & phymata.
ad bubono cœlen.
ceratum ex quatuor rebus.
azanites.
hypochondriaca anethine.
ad eryſipelata, quod illinitur.
perfuſio capitis.
alia ad percuſſiones & plagas.
ad cardiacos.
ad podagricos.
ceratium quod χεὶρ dicitur.
perfuſio capitis alia.
ad vlcera ſerpentia.
ad ſaniem.
vnctio ad neruorum affectiones.
amythaonis ad præcordiorum affectiones.
ex ſeminibus.
ex ptiſſana.
aliud.
malagma ex fœnogræco.
epithema ſtomacho aptum.
malagma tonſoris.
ex micis ad omnem duritiem.
ex palmulis.
epithema ad ſtomachicos.
aliud quod ϐαπλικὸν dicitur.
cyphoides.
ex œnanthe.
ex Galeni lib. ceratum ad oris ſtomachi inflammationẽ.
malagma ad lienem.
malagma ex baccis lauri.
malagma Apollophanis.
ad iſchiadicos.
clidion Philomeni Mnaſæi.
epithema infrigidans Galeni.
cataplaſma ex fermento.
cataplaſma ex pane.
cataplaſma ex furfure.
cataplaſma ex ficubus.
acopon decamœron.
pentamœron.
acopon vnguentum ex caſtoreo.
aliud ſimplex.
ad eos qui ob ſenectutem refrigerati ſunt.
ad pallorem & liuores.
ad penem erigendum vnguentum Rufi.
iſchiadicum.
ex hedera.
iſchiadicum vnguentum.
iſchiadicum Antonii archiatri.
metaſyncriticum.
paſtillus Andronis.
paſtillus Muſæ.
paſtillus Heræ.
alius eiuſdem.
paſtillus ex charta ad nomas.
paſtillus ad vtiligines.
paſtillus croceus.
paſtillus ad lichenas.
paſtillus ad tormina.
paſtillus Paſionis.
paſtillus podagricus, Procli.
paſtillus ex electro.
paſtillus ex acacia.
paſtillus ad hemicraniam.
ſiccum medicamentum ad cicatricem inducendam.
aliud ad idem.
cephalicum.
aliud cruſtas inducens.
aliud patefaciens citra dolorem.
rhodiacum.
ex charta,
ad nomas.
adurens.

anthera Philumeni.
collyrium libyanum.
pſilothrum Apollinaris.
cnicus flauus Baſſi.
ex erica.
vranium.
achariſton.
ex thure.
cygnus.
libyanum ad puſtulas & alia permulta.
ex cornu ceruino.
nilium Demoſthenis.
collyrium madicum.
ſpodiacum.
nardinum.
collyrium aromaticum.
chiacum.
ſiccum ad angulos oculorum ſcabioſos.
diacenteton.
πολύχρηστος Eraſiſtrati.
collyrium ad pura & impura vlcera.
aliud ad pura vlcera.
Dionis collyrium.
collyrium πεπιεσμένον appellatum.
collyrium ad carbunculos.
collyrium ad tabem.
collyrium ad ſuffuſiones.
Archigenis ad oculorum claritatem.
Demoſthenis ad veteres affectiones.
Cleonis gluten.
ſiccum palpebras pulchras efficiens.
aridum ad lippitudinem aridam.
liquida compoſitio.
alia ad callos.
collyrium ad aſpectus claritatem.
ad cicatrices oculorum.
gluten ad pilos.
ad crithas, chalaziáque.
ad ægilopas.
cataplaſma ad vehementes dolores oculorum.
vnguentum ad vehementes dolores.
dia rhodon Diagoræ.
croceum quod puerile inſcribitur.
Aſclepiadæ pacianum.
ad oculorum caligationem.
ſmegma quod Aſclepias nominatur.
ſmegma caput exiccans.
ſapo repellendi vim habens.
dropax Gallus.
alius ſimplex.
pſilothrum.

ad corrugationem.
ſmegma ſplendorem afferens.
ſtomaticum Philagrii.
anthera.
dia moron Galeni.
dia beſaſa.
ad anginam.
ad columellam laxatam.
aliud.
ad dentes conſeruandos, Galeni.
ad dentes tremulos.
Philagrii ad oris eroſiones.
antidotum ad colicos.
antidotum Philonis.
trigonos.
catapotium Dioſcoridæ ad exuſtos.
ad quartanarios Galeni.
ad eos qui à cane rabioſo morſi ſunt Galeni.
ad eos qui ex fungorum vſu ſuffocati ſunt, Galeni.
ad comitiales ex ſcilla.
paſtillus ad vocem firmandam.
alius.
medicamentum ex fructibus pomaceis
antidotum Quinti.
dioſpoliticon.
ex tribus piperis generibus.
ex calamintha.
ex ſucco cydoniorum.
antidotum Zenophili.
Galeni hiera picra.
quæ ſubducunt ventrem.
grana ſalubria.
purgans, quod κοπάδειον appellatur.
paſtillus purgans.
grana purgantia.
medicamentum ad colicos.
ſymbiotarium.
medicamentũ purgans ad eos qui elephãtia detinentur.
ius veteris galli.
inunctio ſedis ad flatus emittendos.
hiera Rufi.
Lyci purgans medicamentum.
aliud purgans eos quos elephantiaſis exercet.
inunctio purgans.
ſuffitus.
alius.
alius.
hiera ſimplex Rufi.
xeromyron compoſitio Arabica.
ſuffitus ad ſomnum conciliandum.
ſuffitus ex cupreſſo, quod Cyphi lunæ dicitur.

ORIBASII SYNOPSEΩS AD EVSTAthium filium liber tertius.

DE EMPLASTRORVM ET TROCHISCORVM COMPOSITIONIBVS.

BASILICON (quod etiam tetrapharmacum dicitur) habet pares portiones ceræ, picis, reſinæ frictæ, ſeui taurini. Si celeriter concoquere, carnémque inducere volueris, vnam thuris partem ad duodecim baſilici partes admiſceto. Enneapharmacon valet ad ſuppurandum: egregiè facit ad vacuas diſtentiones, & ad eas etiam quæ in thorace ſunt, & ad fiſtulas, quas etiam emollit. eſt item ad vteri duritias aptum, atque vlcera quæ in eo ſunt ſolutum ſanat. Habet autem ceræ, medullæ ceruinæ, adipis anſerini, taurini, butyri, terebinthinæ, mellis, olei roſacei, cicini, paria pondera. nõnulli autem roſacei loco liliaceum ponunt. Hoc purgat, ad cicatricem perducit, carnem creat. Ex cadmia, ad cicatricem inducendam, habet cadmiæ vſtæ & vino præparatæ, chalcitidis vſtæ, ſingulorum vnciam vnam, olei myrtei, ceræ, reſinæ, colophoniæ, ſingulorum libram vnam, vini Italici quod ſatis eſt. Chalcitis & cadmia ex vino terantur, vt liquidi cerati conſiſtentiam habeant: ceram verò ac reſinam eliquans, in ollam teſtaceam immittito. Metallica cum vino imponantur, omnibúſque in mortario læuigatis vtitor. ad inueterata vtere hoc puro emollito. ad recentia, cum cerato roſaceo. Attalicum album, quod facit ad vlcera ſenum & eorum qui mollem cutim habẽt, & eorum qui vlceribus humidis infeſtantur, ſanátque vlcera crurum, & egregiè valet ad abraſa genuum, & in quibus membrana oſſa tegẽs, nuda eſt. Habet ſpumæ argenti pondo denariûm centum, ceruſſæ pondo denariûm centum, ceræ albæ pondo denariûm quinquaginta, terebinthinæ pondo denariûm vigintiquinque, thuris vncias tres, aluminis ſciſſilis pondo ſcrup. ſex, piperis pondo denariorum trium, olei veteris heminas duas, aquæ heminas duas. Metallica in ſole coquito donec non amplius digitos inquinent: reſinam & ceram diligenter in vnum componito, thus primùm indito, ſecundo loco alumen, vltimo piper. Aliqui pro pipere cyperum iniiciunt. Phœnicinum Galeni habet adipis ſuilli veteris, ſalíſque expertis libras duas, ſpumæ argenti libras tres, olei antiquiſſimi libras tres, chalcitidis vncias quatuor: chalcitidem tritam ac contuſam tenuiſſimo cribro cribratam in mortarium coniice, & diligenter tere donec ſubtiliſſima reddatur: deinde argenti ſpumam tenuiſſimo itidem cribro cribratam, & in tenuiſſimum pollinem redactam infunde, & in mortario diligenter vnà cõtunde, oleúmque in ſole admiſceto, vt liquidum medicamentum permaneat: poſtremo loco adeps caprinus pondo librarum duarum adiicitur, qui ipſe quoque eſt diligenter contũdendus: ita omnia in cacabo coques, & rudicula ex palma agitabis. Cortex viridis externus ipſius virgæ palmeæ auferendus eſt, vt ſuum humorem impertiri medicamento queat. Vnus autem palmæ ramus tibi ad coctionem ſatis erit, vt craſſiore eius parte pro ſpatha vtaris: ramulos autem qui craſſæ particulæ adhærent, quíque vtrinque exoriuntur, reſecabis, & corticem detrahes, & in minutas partes conciſos, in medicamentum coniicies, vt eorum ſuccum eidem impertiant. Spatha autem ſtatim ab initio vti par eſt: tenues verò palmæ particulas iniicere oportet, quũ videbis medicamẽtum cerato ſimilem habere conſiſtentiam. nam ſi ab initio eas immittas, earum ſuccus coquendo conſumetur, quem nos propter eius adſtringendi vim, manere copioſè volumus. Quinetiam ipſius ſpathæ pars quæ à medicamento exſiccata fuerit, præcidenda eſt: id quod bis & ter erit faciendum, ſi eam arefactam videbis. Perſpicuũ autem eſt, palmæ ramum, & recens, & eodem die præciſum eſſe debere, vt ſucci plenus ſit. Medicamentum verò tum demum erit coctum quum non inquinabit. Hoc vtêris ad cruenta vulnera, quæque ad cicatricem difficiliter perducuntur, & ad ſinus oleo dilutum. Conuenit o-

A mnibus partibus inflammatis, podagris, articulorum doloribus, niſi quo tempore dolores vehementes ſunt. Aptum eſt bubonibus, tuberculis, ambuſtis, pernionibus, oſſium fracturis, & omnibus denique fluidis affectionibus. In hoc medicamento diſſoluendo hunc modum ſeruabis, vt medicamentum paululum olei menſuram excedat, ac præſertim æſtiuo tempore: vt, ſi medicamenti ſint vnciæ decem, olei nouem apponantur. Viride (quod lite appellatur) roſaceo dilutum, vlcus cauum & apertum ſanat. Conſtat ex ceræ reſinæque frictæ, B ſingulorum libra vna, æruginis libris duabus, olei heminis duabus. hoc delicatis adhibendum eſt. Dichrœmon, *id eſt duplicis coloris*, eſt in quo ſunt æris vſti, aluminis ſciſſilis, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum vnciæ vnæ, ceræ, colophoniæ, adipis taurini aut ſuilli, ſingulorum vncia vna. ſicca ex aceto læuigentur. Pentatheton habet ceræ, adipis taurini, reſinæ frictæ, picis, calcis, pares portiones. Vſus tempore olei ſicyonii quadrãtem, ceræ vncias tres, olei vnciam medicamenti quadrãti adiicito, ex vino & aceto contundito, atque vtitor.

C Ex hyoſcyamo quod pſittacion dicitur, habet reſinæ frictæ, ceræ, adipis ſuilli, liquoris hyoſcyami pares portiones. Myrteum habet ſpumæ argenti vnc. ſex, ceræ vnciam vnam, olei myrtei vncias duas, vini quod ſatis eſt. Album ad ambuſta, habet ſpumæ argenti, ceruſſæ, ſulphuris viui, ſingulorum vncias ſex, ceræ vnc. quatuor, olei myrtini quod ſatis eſt. Aliud. Spumæ argenti vncia, plumbi combuſti vnciã, ceræ vnciæ duæ, olei myrtini vncia. Copton platyſma habet æruginis vnciam, ſquamæ æris vnciã, terebinthinæ vncias duas, ceræ vncias quinque. Cera & reſina in pila te- D rantur, & in vnum redigantur: deinde ærugo adiiciatur vt emplaſtrum fiat, quod in tantam latitudinem extendatur quanta ſatis ſit ad vlcus comprehendendum: ſingulis autem diebus ſoluatur. Aphrum, ſanguinem ſupprimens facit ad inſignes diuiſiones, præſertim quæ in capite ſunt, ad fiſtulas, ſinus, fracturas. Item hepaticis & lienoſis conuenit, abſque inflammatione glutinat. Cartilaginibus etiam ac neruis, oſſibúſque præciſis mirabiliter prodeſt. valet quoq; ad vlcera profunda, & ſinus: nam inſigniter glutinat. Iam verò in abſceſſibus quum E eiecta eſt ſanies, imponitur. Eſt etiam ad ſupprimendum ſanguinem præſtantiſſimum, & præſertim in iis qui ſanguinem reiectant. Duobus autem linteis eſt inſpergendum, alterum pectori & coſtis imponendum, alterum dorſo: nam præter omnium opinionem ſanguinẽ ſiſtit. Eſt præterea ad canum morſus accommodatum, & inflammationes omnino ſedat, & ea quæ vulneribus adhibentur, vincit omnia. Hyberno tempore diebus ſeptem ſoluitur, æſtiuo quinque: ſi neceſſitas vrgeat, tribus. Habet autem ceræ, picis, bituminis, pityinæ liquidæ, ſingu- F lorum vnciam vnam, mannæ vncias ſex, ceruſſæ vncias quatuor, atramenti ſutorii tantundem, opopanacis vncias duas, roſacei libras duas (alii ſelibram) aceti heminas duas. Ceram, bitumen, oleum, acetũ in ollam coniicito, ac parum liquato, deinde picem ac reſinam in minutiſſimas particulas diligenter conciſas adiicito: vbi ſemicoctum fuerit, ollam tollito, & aliquandiu refrigerato, & atramentum ſutorium percolatum læuigatúmq; ex duabus aceti heminis paulatim, ne efferueſcat, inſpergito. Hoc infuſo, iterum leniter coquito agitãdo: quum G non amplius inquinat, ab igne amoueto: opopanacem in aceto quod reliquum fuerit, ita pridie maceratum vt diſſoluatur, infundito: deinde ceruſſam mannámque vnà pariter probè tritas inſpergito, & paululum tepefaciens quouſque in vnum coẽant, obſerua ne opopanax & mãna comburantur, in mortarium funde, & refrigerari ſinito, ac rurſus ſubactum reponito. Geranion Po- H letis facit ad neruos craſſorum humorum plenos ac laxatos, & in quibus periculum reſolutionis imminet, &

ad fluxiones quæ ad articulos feruntur,in quibus tumor etiam oritur,& ad partes quæ prolapſæ ſunt,& ad recenti cicatrice contractos articulos & incuruatos, qui que ſi vi moueantur, ſtrepunt, vt ſinguli ſonum edant. Valet etiam quum in cubitis aut genibus,aut aliqua alia particula lentus humor aut flatus continetur.Sanat ganglia, & omnes concretiones,& ſteatomata, &atheromata. Accommodatum etiam eſt ad aneuryſmata,ad ſtrumas &panos.Omnia præterea indurata emollit,rumpit,exterget, attenuat & glutinat,ac relaxata corroborat. Eius compoſitio eſt hæc,Ramẽti æreæ ſtatuæ ſordidæ & æruginoſæ, quale in iis quæ inunguntur reperitur, vnciæ vigintiquatuor,ceræ tantundem,ſandycis libra, ſandarachæ libra,terebinthinæ libra.Si ramentum durius ſit,tunc tãtundem terebinthinæ imponito. Gruis pennas omnes hoc modo crematas addito. In ollam fictilem nouam pennas omnes pone, os & totam ollam argilla illine, eámque in fornacem coniice donec ignita argilla ſit: tunc extrahe atque aperi,pennæ aduſtæ & in vnum redactæ comperientur:eas ad ſtrigmenti formam terito, deinde ceram ac reſinam ſuper carbonibus liquato: tum ſandaracham & ſandycem contritum affundito, & donec probè mixta hæc fuerint,agitato: poſtea ramentum in mortarium coniectum diligenter cõterito, vt omnia affuſa cum cera miſceantur,& medicamentum ad emplaſtri formam redigatur. Quod ex dictamno conficitur, habet dictamni partes vigintiocto, chamæmeli partes duodecim, ſphagni partes quinque, pentaphylli partes quatuor,cyperi partes ſeptem,ariſtolochiæ partes trigĩtaquinq;,ireos partes ſeptẽ,polii partes duodecim, cẽtaurii partes duodecim,gentianæ tantundẽ,libanotidos partes ſex,gagatis partes ſeptem,ſpumæ argenti partes centum quinquaginta,olei veteris partes octo & quadraginta,ceræ partes duodecim,reſinæ ſiccæ partes trigintaduas, colophoniæ partes quinquaginta,terebinthinæ partes quatuordecim,terræ ampelitidis partes vigintiquatuor,aut pityinæ ſiccæ partes duodecim,ammoniaci thymiamatis partes trigintaquinque, ſquamæ æris partes trigintaocto,æris combuſti partes duas de viginti, propoleos partes duodecim, diphrygis partes octo, amyli partes duodecim, ceruſſæ tantundem,aloës partes ſedecim, chalciteos partes decem, atramenti ſutorii partes vigintiquatuor, thuris albi partes duodecim, myrrhæ partes ſeptem.Oleum prius leni igni calefacere oportet,deinde argenti ſpumam in ſubtiliſſimum pollinem redactam iniicere, paulatim agitando donec colorem mutet,& aliquantulum conſiſtat, deinde picem terrámque ampelitidem addere.Quúmque denſari inceperit,cera iniicienda eſt,deinde reſina & colophonia, tum ammoniacum contritum: ad hæc ſquama æris atque æs, tum rubricam & diphryges:tum chalcitidem,atramentum ſutorium, & ceruſſam, deinde libanotida & myrrham, & aloën, deinde totam terebinthinam & thus: hǽcque omnia(vt par eſt)mixta ab igne detrahes, & ita herbas læuigatas iniice ſpatha agitando,vltimo verò loco chamæmelum infundito.Vtere hoc medicamẽto ad neruos vulneratos,ad vlcera vetuſta,ad venenatorum animalium ictus, & morſus, ad ſcorpionum morſus, ad condylomata & ganglia,ad ſtrumas & lenticulas,parotidas & phymata,& fiſtulas,& ad chironia,& maligna vlcera omnia,& ad oſſa.Itémque euellit ſpicula & tela,carnem & cicatricem inducit,inflammationes diſcutit:facit & ad omnia thoriacis vitia,& ad præcordiorum affectiones & duritias,vel ſcirrhos,& ad aquam inter cutem, & ad articulos contractos, & ad oſſium fracturas, & ad vlcera curatu difficilia,& depaſcentia,& ad neruos præciſos,& ad contuſiones & putredines,& abſceſſus,& perniones, & carbones, & ad quæcunque emollienda ſunt: itémque fluxiones oculorum fronti admotum ſiſtit. Roſaceo autem dilutum ad aures purulentas,ad ea quæ in pudendis & ano ſunt valet. Prodeſt etiam in ſuffitu vuluis quas frigus oblæſit,& iis quæ difficiliter partum edunt: nam ita fœtum viuum educes, neque vlla ex parte lædes.itémque ſecundas quæ vocantur, ſi vſu veniat. Auxiliatur etiam morbis qui ex circuitu redeunt, ſi ante

A acceſſionem fronti adhibeatur.Iam verò ſi in domo ſuffitus ex eo fiat, & viperas & omnia quæ venenum iaculantur extrudet. Ex lini ſemine Poletis facit ad thoracis affectiones,emollit,ac digerit, ac neruoſarum partium inflammationes mitigat. Facit ad podagricas exacerbationes,& contractos articulos relaxat.Lini ſeminis pars vna,ceræ partes quatuor,colophoniæ tantundẽ, farinæ hordeaceæ partes duæ,reſinæ cupreſſi tãtundem, thlapſeos pars vna,chamæmeli,pilularum viridium cupreſſi clauſarum cuiuſque pars vna, olei veteris partes
B duæ.Ceram & colophoniã ad carbones liquato,oleúmque mouendo adiicito. His diligenter miſtis, ollam ab igne auferto, cupreſſi pilulas tritas imponito, animum adhibendo ne medicamẽtum efferueſcat,& intumeſcat, & ollam egrediatur: deinde farinam, tum lini ſemen, poſtea thlaſpin,poſtremò chamæmelum adiungito, ad ignémque iterum ponito, commiſceto donec probè coeant.His in vnum redactis,reſinam cupreſſi ad finem iniice:quúmque hæc eliquata fuerit,medicamentum in mortarium aqua ſemiplenum verſa,deinde emolli, atq;
C vtitor. Ex verbenaca, vel ex ſacra herba,quod ad Poletem refertur,facit ad capitis dolorem veterem & recentem,ad hemicraniam, ſi fronti & temporibus applicetur. Valet etiam ad dentium dolores,& oculorum fluxiones, itémque ad vrinæ difficultatem pubi impoſitum. Eſt etiam accommodatum iis qui à ſcorpione icti ſunt, & denique neruoſarum partium inflammationibus.Habet autem ſacræ herbæ aut verbenacæ partes nouem,reſinæ colophoniæ partes vigintiquatuor,ceræ partes quatuor, olẽi partes duas. Emplaſtrum ele-
D phantinum,ſiue ex dorycnio,quod Poletes confecit:valet ad articulos cõtractos,ad callos fracturarum, (emollit enim,& ſoluit vitioſas agnationes) itémque ſtrumas amotu difficiles, atque ad ea quæ induruerunt, & quæ ægrè maturantur,quæque contumacia ſunt:nam diffundit,emollit,digerit,ac diſcutit vehementer.Quòd ſi eboris portionem medicamento illinas, itáque decem dies illitam dimiſeris,ita mollem effeceris vt perfodi queat: ſi verò plures dies ita continueris, molle videbis æquè ac lorum.Medicamentum fit ex his,Dorycnii recẽtis vi-
E ridis,aut in vmbra arefacti partes decem,radicis mandragoræ vel viridis vel ſiccæ,partes duæ,radicis panacis partes ſex,reſinæ colophoniæ partes viginti,reſinæ liquidæ pineæ partes quatuor,opopanacis partes duæ, terebinthinæ partes duodecim, bdellii partes viginti, ceræ partes duodecim,aceti albi hemina,aut plus eo,ſi medicamentum capax ſit.Dorycnium ſi viride ſit, totum cum radicibus euulſum in mortarium coniiciendum eſt,& vehementer contundendum,aceto paulatim inſtillato. Idem faciendum eſt quum mandragoræ radix imponitur.Pa-
F nacis autem radicem in fruſta ſecans, & conterens per ſe, iniicies deinde bdellium,quod quum in mortario prius confregeris, acetum inſtillando, admotis viribus contunde,vſquedum emplaſtri formam acquirat:deinde apparatas herbas miſce,poſtremóque opopanacem ex aceto læuigatum infunde:medicamento confecto vtitor.

Emplaſtrum ex anthemide. Anthemida verno tempore florentem & coloratam legere oportet, ex eáque ſuccum exprimere,&in ſole exſiccare:deinde ſumere reſinæ colophoniæ partes duas & quadraginta, pineæ partes o-
G cto, ceræ tantundem, olei partes quatuor: tum ſuccum herbæ diſſolutum paulatim compones,ab igni auferes, in mortarium coniicies, diligenter permiſcebis,vt in vnum conducantur. Vtere ad vulnera cruenta, carnis fracturas,vlcera maligna,vetuſta,quæque labra pertumida habent,grauéque olent,& difficiliter ad cicatricem perducuntur: ad beſtiarum virus eiaculantium morſus, ad vnguium pterygia, ad neruos craſſo humore imbutos, iique ſiue in articulis ſint diuturni & dolorem excitantes,ſiue etiam ex inflammatione ægrè moueantur,& do-
H lore afficiant:ad fiſtulas,ad ſtrumas, ad oſſium denudationes,ad ganglia, ad dothienás, ad ſteatomata, ad nomas,ad ſinus,ad coli inteſtini flatus,ad partes in quibus frigus dolorem excitauit,ad ambuſta, ad præcordia, viſcera,& ſtomachum,ad vitia thoracis,& item alia,ad abſ

ceſſus.Importunum & copioſum ſanguinis è naribus flu
xum ſiſtit:in quo caſu ſtomacho applicandum medica-
mentum eſt:præſtat tamen fronti etiam adhibere. Flu-
xiones quæ ad oculos feruntur,eius ſplenium fronti ap-
poſitum cohibet:roſaceo verò dilutum imponitur vl-
ceribus quæ in genitalibus depaſcendo ſerpunt. Hal
myron verò dicitur in quo lapis eſt quidam denſus,gra-
uis,lenis,totus ſalſus,vnius tantùm coloris, quem * In-
dicum vocant.Hic aduſtus,& ignitus, ac refrigeratus,al-
bus apparet.Hunc diligenter teras,& per cribrum traii-
cias, & oui album admiſceas, vlceraque puerorum quæ
aperta non ſunt,vnges:quinetiam vlcera ſerpentia ſiſtes,
atque exſiccabis,&ex eo optimum medicamentum para
bis,Reſinæ colophoniæ partes vigintiquatuor, liquidæ
partes ſex, ceræ partes quinque,olei partes tres, lapidis
partes ſex. Hoc medicamentum habet vim purgandi,
exiccandi,per halitum digerendi,attenuandi,diffunden
di,glutinandi,cicatricem inducendi. Valet ad eos qui
dolore conficiuntur, & quibus ventriculus propter eius
imbecillitatem,grauitatem affert. Facit etiam ad nuper
perforata,& ad vetera vlcera, & ad ſtrumas, & denique
ex roſaceo ad aures purulentas. Ex ſalicibus,quod
Magnus inuenit, ſine mordicatione exiccans ad omnes
deſtillationes facit:Salicis folia virentia terito, vini vete
ris quantum ad infuſionem ſatis ſit,addito,&ad lentum
ignem diu coquito: deinde in pilam iterum reiicito, &
ſimul contundito diligenter,& linteo denſo hæc ita cõ-
trita excipito,& comprimito,vt ſuccus exprimatur:poſt-
ea ſumito colophoniæ vncias vigintiquatuor, olei vn-
cias duas, ſucci expreſſi libram, colophoniámque prius
cum oleo percolatam placido igni decoques, quouſque
in aquam coniecta, & manibus ſubacta, non inquinet:
tum verò ceræ vncias vigintiquatuor admiſceto, eáque
liquefacta, olláque ab igni amota, ſalicis ſuccus paula-
tim admodum iniiciatur, deinde igni admoueatur, &
placidè coquatur,vt ne comburatur. Quum medicamen
tum ita in vaſe commiſtum fuerit,mortarium eodẽ ſuc-
co perfunde,& in ipſum coniice medicamentũ, idq; ma
nibus ſubigito,& emollito,atque vtitor. E buc-
cinis quod valet ad digerendum per halitum,non mor-
dendo, habet ſpumæ argenti drachmas x v i. cineris
buccinarum vnc. x v i i. ceruſſæ vnc. x x.olei antiqui
heminam,terebinthinæ drach.x i i i.thuris drach.x x.
aquæ cyathos i i i i. Ad alopeciam,euphorbii &
thapſiæ vtriuſque partes duas, ſulphuris viui partes qua-
tuor,ellebori albi aut nigri partem vnam:his ceræ par-
tes quindecim admiſceto, & oleo laurino antiquo eli-
quato.Erit hoc medicamentum præſtantiſſimum ad in-
ueteratas & curatu difficiles alopecias. Si thapſia tibi nõ
ſuppetat,tantundem ponito aut ſeminis naſturtii aut eru
cæ:ſique laurinum non adſit,liquidam picem adiicito.
Adamantii ad alopecias. Alliorum cinere ex melle
vngito. Ex ſalicibus præclarum, & ad multos v-
ſus accommodatum medicamentum, non ſecus quàm
quæ ſuprà ſunt allata, Crito ſic recenſuit. Medicamen-
tum ex ſalicibus facit ad vlcera cruenta, articulos ſolu-
tos,& ad fiſtulas impoſitum,ad flaccidas carnes,præſer-
tim quæ in extremis ſunt partibus, & ad eryſipelata, a-
liáſque pleraſque affectiones ſine vſtionibus. Habet au-
tem miſyos,chalcitidis,æruginis,ceruſſæ,gallarum non
tritarum,aluminis ſciſſi & rotundi, melanteriæ, ſingu-
lorum vncias ſex,ceræ,reſinæ pityinæ, picis, bituminis,
foliorum ſalicis,ſingulorum vncias duas,olei heminam
vnam & vncias quatuor,atramenti ſutorii vncias ſex,ma
licorii vncias tres,aceti ſextarios ſex. Folia ſalicis triduũ
aceto madefacta coque quouſq; acetũ in ſextarios duos
redigatur:deinde ærugini,ceruſſæ,melãteriæ,atque aliis
prius tritis folia,quæ ipſa quoq; diligẽter læuigata ſint,
deinde ſicca,læuigata addito,& in vnũ redigito: poſtea
liquefacta ſuperfundito,& cõponito,atq; vtitor. Ad cã-
cros vlceratos medicamentum mitiſſimum ex his fiet,
Argẽti ſpumæ,ceræ,adipis ſuilli,ſingulorum libram ca-
pe,vitellos ouorum toſtorum decem, olei cyathos octo.
Argenti ſpumam ex aqua quæ ſatis ſit,contere, ſimul e-
tiam aliquid olei affundes, ouorúmque vitellos ſimul

A tere,adipémque expurgatum cum cera eliquato,& con-
tritæ argenti ſpumæ adiicito,ac reliquum oleum indito.
Huius medicamenti vſus eſt, vt ſi cum linamento adhi-
beatur,cum roſaceo,aut lentiſcino,aut irino,vt conueni
re videbitur,imponendum ſit. Si verò vlcus doloris ex-
pers ſit,myrrhæ,ireos,ariſtolochiæ, ſingularũ drachmæ
tres commiſceantur, atque ita etiam non vlceratis con-
ueniet. Adamantii medicamentum ad vlcera pha
gedænica, Althæa viridi vel ſicca ſeuo hircino excepta
vtere. Si verò mirum in modum humida ſint vlcera, li-
B namenta ſicca prius impone,& ſeuum cum althæa adhi-
be. Ad hoc etiam vtere iis quæ triceſimoquinto capite
deſcribuntur. Ad cancros in quibus multa ac de-
paſcens eroſio ſit,hoc auxilium mirabiliter facit, quod
habet vini boni potentis ſextarios viginti, rhois exco-
riariæ lib.vnam,rotularum cupreſſi tantundem, gallarũ
immaturarum non cõtuſarum vncias ſex,caſſiæ optimæ
tantundem. Contuſa macerantur quatriduum, & co-
quuntur ad tertias aut quartas,rudicula cupreſſi agitan-
do. Híſque valde expreſſis & abiectis, reliqua ad mellis
C ſpiſſitudinem coquuntur,& in vas vitreum effunduntur.
Vſus eius medicamenti eſt,vt eo puro vtaris ad depaſcẽ-
tes cancros: quod ſi ſpiſſius ſit, vino poteris liquidum
reddere, id quod maximè vſu venit in pudendi mulie-
bris ſinu.Dolores etiam ſedat lacte dilutum, quod aliàs
quoque nomas mirabiliter ſanat. Ad inteſtina
prolapſa facit hoc quod habet cupreſſi, pilularum parua
rum & tenerarum,malicorii,ſingulorũ vcnias tres, vini
nigri quod ſatis eſt. Coque vinum affundendo, donec
omnino diſſoluantur:deinde in mortarium coniice, &
D ſubige diligenter,& adipe ſuillo veteri excipe, vt empla
ſtri ſpiſſitudinem habeat: tum ſuper linteo extende, ac
prius inteſtinum reducito. Foris autem pharmaco mol-
lem ſpongiam applica.ſolues autem medicamentum
tertio aut quarto quoque die. Adamantini ad her
niam,quum inteſtinum in ſcrotum deſcendit, habet gal
larum, halicacabi, radicis vrticæ portiones pares: vino
adſtringente prius coque,deinde læuiga donec fiat cera-
ti craſſities:peritonæo applica.ſolue ſeptimo die à cura-
tione:prius tamen delapſum inteſtinum ad priſtinum lo
cum retrahito. Aliud ad idem. Vuæ paſſæ acinis
E eiectis libram, cumini ad ſtrigmentum redacti vncias
ſex,nitri vncias tres.læuigatis vtitor. Si verò propter ad-
ſtrictionis moleſtiam opus ſit cerato Sicyonio, locum
maſtiche trita perſpergendo vtêris. Adamantini
medicamentum ad ramicem inguinis, habet gallarum
vnciam,lapidis pyritis vncias tres,pyrethri vncias duas,
nitri vnciam,terebinthinæ vnciam, ſilphii tantundem,
ſandarachæ drachmas duas,ceræ vncias tres, axungiæ ve
teris vncias duas, aluminis liquidi vnciam. Sicca vino
F quod mare expertum non ſit, & ſapa læuigato, & liquata
adiicito. Ad ramicem inguinis,& aquoſum. Bdel
liũ ſaliua ieiunus macerato, donec habeat emplaſtri cõ-
ſiſtentiam,atque vtere. Aliud.Folia,ramulos, &
pilulas cupreſſi recentes ac teneras læuigabis, & ad em-
plaſtri ſimilitudinem alligato. Quidam quum ex vino
prius coxerint, idem faciunt. hoc enim corporibus ni-
mio humore languentibus magnopere confert:exſiccat
enim, & corroborat. Ad aquoſos ramices, Car-
nium paſſularum, ameos, terebinthinæ, ſingulorum
G drach. v i i i. nitri rubei drach. x. mellis optimi vnc. i i.
arida per ſe minutiſſimè contundito,& cribrato, paſſu-
láſque diligenter ſubactas miſceto,& ſimul conficito:tũ
mel cum terebinthina parcè decoctum infundito, & ad
emplaſtri formam redigito:ſicca demum læuigata mel-
li adiicito,emollitóque,& vtere.Porro coxendicem vit-
ta deuincies:æger verò quieſcat,& abſtineat à balneo.Al
ternis diebus vinculum ſolues,& loco ſpongia foto no-
uum medicamentum adhibebis. Adamantini ad
meliceridas,& quæ ſimilia ſunt,Ceræ vnciæ i i.terebin-
H thinæ vnc. i i. ſquamæ æris vnciæ i i. ſulphuris ignem
non experti vncia, radicis ſiccæ cannabis agreſtis dena-
riûm pondo x x x v. olei veteris vncia.radices ex oleo
coque. Corax ad nomas valens, habet thuris vnc.
duas, æruginis vnc. i i i i. terebinthinæ vncias v i i i.

atramenti ſutorii vncias x v i. ceræ vnc.v iii.gallarum vnc.ii.ſeui taurini vnciam,mellis vnc.ii. aceti quantum ſatis eſt. Ad ramicem gutturis,ex ſale.facit etiam ad eos in quibus per halitum digerere oportet.Habet autem ſalis communis toſti drach.i.cineris porrorũ drach. ceruſſæ vnciam, olei tantundem . coquito donec manus non inficiat. Ad ſedis inflammationes facit hoc quod habet oui vitellum toſtum,opii obolum,croci tãtundem , mellis quod ſatis eſt. Emplaſtrum ad tentiginem ciendam,habet eupatorii vncias octo,ſeminis erucæ,pyrethri,vtriuſque vncias quatuor, canchryos vncias tres, pudendi ceruini vncias duas, caudæ ſcinci vncias duas,euphorbii vnciam vnam,terebinthinæ tantundem,ceræ vncias quatuor,oua paſſerum troglodytarum numero tria:ſtelliones oleo laurino aut irino adhuc viui madeſcant,& ex aceto in vaſe ex fimo & cocto,diebus quadraginta ſeruentur. Ad fracturas oſſium. Picis brutiæ libram vnam,ſpumæ argenti libram vnam, vncias quatuor,thuris vncias octo , terebinthinæ vncias octo,ſeui taurini librã vnã,vncias quatuor:galbani vncia vnã,opopanacis tantundem,ceræ vncias quatuor,olei veteris libram vnam,aceti vncias quinque componito. Ad teneros , & qui ex vlceribus nimis grauiter conflictantur,adhibe ceræ vnc.i.ceruſſæ vnc. 2. thuris vnciam,ſalis ammoniaci vnc.4.ſquamæ Cypriæ vnc. 2.aluminis ſciſſilis,æruginis, malicorii, calcis viuæ,ſingulorum vnciam. Alii pro ærugine habent ſulphuris duplum,& ſquamæ dimidium. Ad phagedænas ex quarto extremo de compoſitione medicamentorum per genera,habet ceruſſæ vnc.8. ſulphuris ignem non experti vnc. 2. ſquamæ , thuris , æruginis , ſingulorum vnciam , malicorii vncias duas , ſalis ammoniaci vnciam, aluminis vnc.2. calcis viuæ vnciam,ceræ libram, roſacei vnciam:ceram & roſaceum eliquans refrigera,cætera læuigato. Quum vti velis , linteum latum quantum vlcus eſt,capito,medicamentũmque imponito , & ſuperdabis ſpongiam ex aqua frigida , & medicamentum tertio aut quarto die commutabis. Adamantini ad phagedænas, & antiqua vlcera , quæque difficiliter ad cicatricem perducuntur. Bulborum ſcillæ vnius quod maximè tenerum eſt , in olei ſextarium coniice , & coque donec ad tertiam partem redigatur:oleo vtere,vlcus penna inũgens,nec linamentum indens.Idem purgat carnem,cicatricémque inducit. Qui verò maiore auxilio indigeat, quum hoc medicamento vnctus fuerit, apponat paſtinacæ folia trita ex melle. Erit autem præſtantior ad hanc rem paſtinaca erratica : ſi ea non ſuppetat , ſatiua capiatur. Aliud ad omnia vlcera maligna & phagedænica,quod habet, ſucci Cyrenaici, vngulæ aſini combuſtæ,cancrorum fluuiatilium combuſtorum,ſingulorum vnciam,plumbi vſti,lentiſci,cadmiæ,thuris,ſingulorum vnciam mediam. Vngulam autem ex lacte aſinino læuigabis,cancros ex aqua:plumbum verò & cadmiam oxyrrhodino ſeparatim. His læuigatis adde ſuccũ & thus cũ modico oleo myrtino , omniáque ſimul commiſce , & conficito ad modum agglutinamenti , & linteo inſperſum impone,& vbi exiccatum erit, ſæpe mutabis, quum ſolùm à ſanie inquinetur. Ad vlcera maligna difficiliter ad cicatricem peruenientia,putreſcentia & flaccida,Lemnium ſigillum huiuſmodi vlcera valde adiuuat præparatum ad luti conſiſtentiam:ſi verò vlcus ſordidum,& valde flaccidum fuerit, & in conſpectu ſit, ſigillũ aceto acerrimo aſperges : ſi minus,vino, aut aqua, aut poſca,aut oxymelite,aut mulſa. Ad vlcera carcinode & maligna,& ad inflammationes pudendi,teſtium,ani, mammarum,itémque ad rhagadas, rugas , & ardores ſedis & teſtium.In mortario plumbeo & piſtillo plumbeo tere ad ſtrigmenti craſſitudinem cum roſaceo,aut omphacino oleo,ſemperuiuæ ſuccum,aut vmbilici veneris,aut lactucæ,aut pſylli,aut vuæ acerbæ,& inũge. Centauriũ minus recens illitum cicatricem inducit vlceribus,quæ ad eam ægrè perueniunt, & quæ maligna ſunt ſanat. Ad vlcera perhumida , Cupreſſi folia & rami , & fructus noui & teneri , ad emplaſtri modum appoſita, vel per ſe,vel vino madida , vlcerũ flaccidorũ & putreſcentium cicatrices ſine dolore & tutò depaſcuntur. Vtere etiam remedio quod ſuprà viceſimoquinto & ſexto loco deſcripſimus. Ad idem, Cyperi radices maximè accommodatæ ſunt ad vlcera , quæ propter nimium humorem ad cicatricem ægrè perueniunt. cucurbitæ ſiccæ combuſtæ cinis vlceribus non inflammatis,at humidis & putreſcentibus conuenit:præſertim verò iis quæ in præputio pudendi ſunt. Radicis anethi cinis idem facit. Ad vlcera maligna fluentia & putreſcentia, plantaginem viridem adhibe ; aut ſiccam contuſam appone. Iſatis ſatiua efficax eſt contra huiuſmodi vlcera putreſcentia & depaſcentia : ſi verò vehementior iſatis videatur quàm ferre queat habitus ægrotantis,eiuſdem foliis aut panem aut hordeaceam aut triticeam farinam & polentam adiiciemus. Ad vlcera chironia,Squamæ æris denarios x.aluminis ſciſſilis denarios ii. ceræ quantum ſatis eſt : ceram calefac & emolli,ſicca ſubtiliſſimè trita commiſce,in linteum coniice,loco admoue : vel alumen ſciſſile combuſtum & tritum inſpergito. Ad eadem. Hyſſopi vnciæ iiii. vuarum paſſarum drach. iiii. nitri vnc. i. læuigato & apponito,vlcus melle prius inũgito. Ad putrida & depaſcentia,Chalcitis,auripigmentum, calx vel per ſe vel ſimul admota, faciunt : aut marrubium coctum ex vino adhibe,aut eruum tritum ex melle imponito , aut oliuæ foliis teneris coctis in vino,& contritis ſimiliter vtitor; aqua autem marina calida perfundito. Ad vermes qui in vlceribus putreſcentibus naſcuntur valet calaminthæ ſuccus , aut ipſa calamintha viridis læuigata,& adhibita. Ad inueteratas,fiſtuloſas,& in quibus caro difficulter creſcit,vlcerum cauitates , quæ ex diſtillationibus fiunt:Oſtreorum oſſa combure,læuiga,inſperge : item peucedani radix ſicca contrita ad ſtrigmenti formam.hæc enim expurgat carnem, & cicatricem inducit. Ad vlcera flaccida,Lanæ combuſtæ tritæ admotæ.Marceſcentes porro carnes in vlceribus ſtatim abſumit platani cortex vſtus & tritus inſperſus. Quæ verò propter humoris copiam flaccida & ſordida ſunt,ea etiã curat. Ad vlcera quæ ægrè ad cicatricem perueniunt. Aloë ſanat vlcera quæ difficiliter ad cicatricem perducuntur,præſertim verò in ſede & pudendo,& eorũ etiam inflammationem præcipuè ſedat aqua diluta.

Ad vlcera vetuſta facit cera in ſole emollita,cui ſquamæ æris ad ſtrigmẽtum redactæ quamplurimum potes, aut chryſocollam addas:linteo autem imponendum medicamentum eſt,& non ſæpe auferendum. Ad maculas & cicatrices exterendas.Gallas immaturas,melanteriam,itémque malicorium,contuſa,vt ſuccum emittant, impone:& ampelopraſorum ſuccum viridem adhibe,donec teneri cerati craſſitudinem habeat.Facies,aut alia corporis pars nitro perfricanda & abſtergenda eſt. Maculæ etiam exteruntur betæ decocto,aut nitro toſto, aut ſmegmate quod ex eruo conficitur:ſi verò nigror ex hoc appareat,florémque æris quiſpiam admiſceat,aut per ſe inſpergat,ſatis erit.Tolles porro maculas & cicatrices, cutim nitro confricando ad hunc modum : Maculas illine reſina per dies quinque, ſexto die ſoluas , acubus maculas denſis puncturis punge,vt locum æquè vellices , ſanguinémque fluentem abſterge:quúmq; horæ dimidium ita permiſeris,ſpongia locum munda, ac medicamẽtum in quamcunque maculam inde,tertio die iterum ſolues, & de ligaturis expedies.Sed propter medicamenti vſum nigror quidam qui non diuturnus erit,exorietur : ac viginti dierum ſpatio neque vlcus,neque cicatrix vlla,neque nigror apparebit. Medicamenti autem compoſitio fit ad hunc modum,Ceræ,nitri, aphronitri,calcis viuæ, lixiuii, thuris pares portiones contere , & melle excipe, quod ſit duplum vnius prædictorum, quódque cum cera ſit liquatum. Ad vngues ſcabioſos,Viſci quercini vncias duas,farinæ fœnigræci,ſucci thapſiæ,vtriuſque vnc.duas , cantharidum vnciam vnam , ſandarachæ vnc.duas,aceti quod ſatis ſit. Διὰ ἁλῶν (hoc eſt ex ſale) facit ad abſceſſus , ſtrumas, & ea omnia ad quæ ferro opus eſt.Salis ammoniaci,plumbaginis,olei,lixiuii ſarmentorum ſtillatitii, ſingulorum vncia , ſtercoris columbini vnciæ tres:ſalẽ in mortarium coniice, itémque lixiuium,& tandiu læuiga quandiu ſal diſſoluatur;

deinde plumbaginem,oleum,& ſtercus adiice,& omnia probè ſimul contere donec ſordium fiat ſpiſſitudo,& in ollam coniice, ac lento igni coque, vt non inquinet, & erue,atque vtitor. Ad cancrum vlceratum. Spumæ argenti,ceræ,adipis ſuilli, ſingulorum vnciam, vitellos ouorum toſtorum decem,olei cyathos octo ſume. Argenti ſpumam ex aqua quæ ſatis ſit, tere, aliquid olei affundens,tum vitellos ſimul contunde, adipem exemptis fibris cum cera eliquato: ſpumæ autẽ argenti læuigatæ reliquum olei addito. Vſus eius eſt ſi apponas,vt ex roſaceo cum linamento laneo imponas,aut cum peſſo laneo, vt conuenire videatur. Si verò vlcus doloris expers ſit,addito myrrhæ,ireos,ariſtolochiæ,ſingulorũ drach. 3.quòd etiam non vlcerato cancro conueniet. In quibus verò multa ac depaſcens eroſio eſt,admirabile eſt, quantum adiumenti afferat hoc quod habet vini quod Adrianum dicitur,ſextarios viginti,rhois coriarii, pilularum cupreſſi,ſingulorum lib. 1.gallarum acerbarum non contuſarum vnc.6.caſſiæ optimæ tantundem:pilulæ confractæ madeſcant quatriduum, & coquantur ad tertias aut quartas,rudicula ex cupreſſo verſando: deinde expreſſæ auferũtur:ſuccus coquitur vſqueadeo dum fiat tam craſſum quàm mel,& in vitreo vaſe ſeruatur.Hoc ad depaſcẽtia vlcera puro vtimur:quòd ſi craſſius ſit, vino erit humectandum,& præſertim in muliebris pudendi ſinu. Iã verò lacte dilutum dolores mitigat,cæteróſque depaſcẽtes morbos mirabiliter ſanat. Cerata & perfuſiones,ad porotidas,phymata omnia,& dothienas,Olei,ceræ,ſaponis,ſtactæ,nitri,ſingulorum libra:ceram cum oleo liquabis:ſapo verò cum ſtacte in mortario læuigetur, deinde nitrum in mortarium coniiciatur:quæq; in mortario ſint,in cacubum coniicito,& idem adiungito.

Ad bubonocœlem. Taurocollæ,malicorii, vtriuſque libra,thuris,ſucci hypociſtidos,vtriuſque vncia: excipe paſſo. Ceratum διὰ τεσσάρων (*ex quatuor rebus*) habet,ceræ,adipis taurini,frictæ,axũgiæ pares portiones.

Azanites ceratum habet,ceræ,pineæ,adipis ſuilli,ſingulorum libram:picis,œſypi,medullæ ceruinæ, ſingulorum vncias tres. Hypochondriaca anethine. Olei vnc. I I. marinæ lib. vna, anethi vnc. V I. ſcillæ vnc. I. adipis recentis tantundem,ceræ libra. In ardentibus verò febribus& fracturis,aqua fluuiatilis pro ſalſa,& etiam anchuſa ponitur. Ad eryſipelata quod illinitur. Ceruſſæ vnciæ duæ,ſulphuris viui drach. duæ,opii drac. quatuor,aceti quantum ſufficit. Perfuſio capitis. Vnguenti irini vnc. V I I I. opobalſami vnc. I I. ſtactes vnc. I I. cedriæ Laconicæ vnc. I I. Alia ad percuſſiones & plagas, vt inflammatio non ſubſequatur. Olei partes I I I I. aceti pars vna,anethi ligna alliga,vt verſes dum coquitur in calido cinere, quoad acetum coctum ſit: deinde ceram adde, vt ad ſtrigmenti craſſitudinem redigatur. Ad cardiacos. Ceram cum œnanthino eliquato,rhu ſyriacum addito,ac totum perungito.

Ad podagricos. Oleum vetuſtiſſimum coque vſque dum emplaſtri conſiſtentiam acquirat, & aſpergens nitrum ſubtiliſſimè tritum,& commiſcens, ac ſuper linteo extendens vtere. Ceratium quod Manus appellatur. Ceræ vnc. V. adipis taurini vnc. I I I I. butyri vnciæ I I I. œſypi vnc. I I. terebinthinæ vnc. I. colliquato.

Perfuſio capitis qua vtimur,Irini vnciæ V. nardi vnc. I I I I. opobalſami vnc. I I. laurini vnc. I I. Ad vlcera ſerpentia & eryſipelas,Menthæ, ſulphuris, ceruſſæ, acaciæ pares portiones,paſſo excipe:ſi vſus poſtularit, aceto:idque ſæpe ego paraui. Ad ſaniem. Spumæ argenti vnc. X X. calcis viuæ vnc. X X. aceti hemina,ea ex aceto diligenter læuigabis,oleíque lib. addes,excipies atque vtêris. Vnctio ad neruorum affectus: olei fœnigræci vnciæ I I. ceræ vnc. I I I I. terebinthinæ vnc. I I I. ſpumæ argenti vnc. I I I. adipis ſuilli vnc. I. frictæ vnc. V I. Amythaonis,ad hypochondriorum affectiones,omnem duritiam ſoluit.Facit etiam ad articulos qui ægrè mouentur. Guttæ ammoniaci vnc. X X X V I. ceræ tantundem,terebinthinæ,bdellii,galbanæ,ſingulorum vnc. V I I I. thuris,myrrhæ, olei cyprini, ſingulorum vnciæ I I I I. myrrha, thus, & bdellium in vino ma-

A deſcunt:ammoniacum aceto diſſoluitur:omnia verò piſtillo,cyprino oleo perfuſo,vſque ad perfectam diſſolutionem contunduntur. Quod ex ſeminibus fit ad omnia interna valens medicamentum,habet,ammoniaci vnc. V I I. fœnigræci,panacis, iridis,nitri, adipis taurini,ſingulorum vnciæ X X V. mellis vnc. X X. aceti heminam vnam,cyprini olei parum. Quod ex ptiſana conficitur,habet,fœnigræci, ſeminis lini, ptiſanæ, ſingulorum vnc. I. meliloti, radicis althææ, ſingul. vnc. I I. Hæc coquito quouſque ſuccum reddiderint, cu-
B ius tranſcolati ſumito lib. I I. olei antiqui lib. I I. & ſimul decoque donec oleum tantùm remanſerit: deinde oleo adde taurini adipis vncias V I. frictæ vncias V I. ceræ lib. I. galbani vnc. I. conſice ad ignem ex lignis.

Ceræ vnc. V I. adipis taurini noui vnc. I I I. roſacei vnc. X I I. ſucci ſeminis lini quantum capi à cerato poſſit: quæ eliquari poſſunt,liquentur,miſceantur,ac manu verſentur,& ſuccus paulatim adhibeatur, quem ſuccum ita conficies, Lini ſemen diligenter laua, & ad lini ſeminis ſextarium tres aquæ ſextarios cape,bis coque, & ita vte-
C re. Facit ad eos qui febri ardenti iactantur: itémque ad eos qui ſiti enecti ſunt,& ad iecoris lieníſque inflammationes. Malagma ex fœnogræco, Ceræ vnciæ I I. terebinthinæ vnciæ V I. œſypi vnc. I I I I. farinæ fœnigræci vnc. I I I I. aliquando etiam frictæ reſinæ vnc. additur. Epithema ſtomacho multiplicis vſus,Ceræ drachma, nardi drachma, aloës, maſtiches, abſinthii, ſingulorum vnciæ quatuor, caſiæ,ſtyracis,iunci, ſingulorum vnciæ tres. Malagma tonſoris,quod facit ad ſpleneticos,hepaticos, & iſchidiacos, habet picis
D ſiccæ vncias quatuor,ceræ,pineæ,ammoniaci,baccarum lauri,adipis taurini,ſingulorum vncias duas, nitri rubri vnc. I. farinæ fœnigræci ſextarios I I I. chamæleontis nigri radicis ſubtiliſſimè tritæ ſextarium. Ex micis ad omnem duritiem, Succi fœnigræci, ſeminis lini, althææ,ſingulorum drachma vna,ſpumæ argẽti drachmà vna,micarum panis drachmæ tres, frictæ vncia vna drachma duæ,olei libra vna, iridis, æruginis, ariſtolochiæ rotundæ,ſingulorum vnciæ duæ,meliloti, mannæ, floris ſalis,ſingulorum vnciæ tres. Διὰ φοινίκων (*id eſt, ex palmulis*) habet fœnigræci,ſeminis lini, vtriuſque lib.
E I. meliloti vnc. tres,palmularum lib. I I. vini odorati ſextarios I I. aquæ lib. I. panis puri lib. I I. ſpumæ argenti lib. I I. ceruſſæ lib. I I. olei lib. V. ceræ lib. I. colophoniæ lib. I I. terebinthinæ lib. I. coque donec non inquinet. Epithema ad ſtomachicos,hepaticos,& ad hypocondrium inflammationes,& ad omnes neruorum affectus. Ceræ drach. C. ammoniaci drach. C. melilotorum drach. X I I. croci drach. X I. myrrhæ drach. X I I. olei cyprini lib. I. Aliud quod βασιλικὸν dicitur, valens
F ad prædictas affectiones, & ad omnem neruorum affectionem per conſenſum. Ceræ minas tres,ammoniaci minas duas, reſinæ frictæ minam vnam, fertulæ campanæ minæ dimidium,propoleos,myrrhæ,ſtyracis,nardi Celtici,cyperi Indicæ,iridis Illyricæ, cardamomi, panacis, ſingulorum drach. X X. caſiæ,maſtiches,opobalſami,amomi,ſingulorum drac. X V I. vini Italici odorati quãtum ſatis eſt,nardini Aſiani aromatici lib. I. Sicca vino macerentur,& medicamentum pro more apparetur.

Cyphoides ad hepaticos & omnia thoracis vitia. Vuæ
G paſſæ carnis drach. X X V. croci drach. I. allii obolos tres, caſiæ obolos tres,nardi tantundem, iunci drach. I. myrrhæ drach. I I I I. terebinthinæ drach. I I I I. alii drach. X V I. ramentorum aſpalathi obolos X I I. mellis drach. X V I. vini quod ſatis eſt. Hoc medicamentum poteſt etiam per ſuffitum adhiberi. Ex œnanthe epithema valde efficax ad cibi faſtidium,ſtomachi æſtum & diſſolutionem. Œnanthes ſiccæ,gallarũm, acaciæ, roſarum ſiccarum,omphacii,aluminis rotundi,aloës,ſingulorum vncia I. olei myrtini, ceræ,picis, ſingulorum vncia I. rhois
H ſyriaci vnciæ quatuor. arida vino Aminæo aſpergantur.

Ex Galeni commentariis ceratũ ad oris ſtomachi inflãmationem,habet,ceræ Ponticæ aut Tyrrhenicæ,aut cuiuſuis alterius lotæ,hyeme drach. I X. æſtate verò drach. V I I. nardini vnguenti vncia I. Liquefiat cera in dupli-

ti vaſe,deinde eraſum ceratum miſce aloes & maſtiches diligenter tritarum drachmæ vni:ſi maiore adſtrictione opus ſit,vt tanta ſit imbecillitas vt continere cibum nō queat,omphacii drachma addatur. Omphacium autem primùm miſceatur,deinde alia. Quandoque etiam abſinthii ſuccum admiſcebis, & quandoque vtrunque:vt etiā hypociſtidis,aut œnanthes,aut rhois ſuccum. Sed & nardini cerati copia ſemper augenda eſt ad proportionem numeri aliorum medicamentorum. Malagma ad lienem valde efficax. Farinæ myrobalani vnc.tres,nitri vnc.quatuor,ceræ vnc.ſex,terebinthinæ vnc. VIII. aceti quantum ſufficit:idque ſplenem eliquat. Malagma ex baccis lauri ad ſplenicos,hydropicos,diſſoluit omnem duritiem, & omnes abſceſſus qui in profundo ſunt,abſorbet. Ceræ,reſinæ pinus,picis aridæ,nitri rubri, baccarum lauri,ammoniaci thymiamatis, adipis vituli-ni ſubacti, ſingulorum libra vna:quæ liquanda ſunt, liquantur, ſiccáque eis adiiciuntur, & ſimul contunduntur. Malagma Apollophanis habet, ceræ, ammoniaci thymiamatis, bdellii,iridis Illyricæ, ſingulorum drach.octo, reſinæ terebinthinæ,mãnæ,thuris, ſingulorum drachmam vnam ex irino contunduntur. Ad iſchiadicos: Seminis rutæ ſylueſtris, ſilphii, baccarum lauri,ſpumæ nitri,abrotani,colocynthidis medullæ,naſturtii, ammeos, ſingulorum drach. IIII. rutæ viridis minæ octauam partem,ceræ tantundem,picis tantundē, terebinthinæ tantundem,galbani drach.ſex, opopanacis drach. IIII. Hoc medicamentum magnam calefaciendi vim habet,& humores qui in profundis corporis partibus nobis moleſtiam afferunt,poteſt elicere. Ex Philomeni Mnaſæi commentariis Clidion. Gallæ immaturæ,hypociſtidos,aluminis rotundi, acaciæ, thū obſoniorum,malicorii ſicci,apii ſeminis,ſingulorum vncia, viſci quercini lib.quatuor, ammoniaci drach. quatuor, picis ſiccæ drachmæ duæ, ceræ drach.quatuor, olei lentiſcini aut myrtini vnc.quatuor. Gallæ coquendæ ſunt in vini cyathis nouem vſque ad tertias:deinde frangere, & cum aliis ex vino conterere oportet. Ammoniacum aceto læuigandum eſt ad mellis ſpiſſitudinem : viſcum ex modico oleo eſt molliendum:deinde pix vnà cum cera eliquentur,& cum reliquo oleo cæteris omnibus affundantur,& læuigentur,ac poſtremò in pila tundantur,donec in vnum omnia conueniant. Ex Galeni commentariis epithema infrigidans:Expreſſo humore alicuius infrigidantis,qualis eſt lactuca,aut ſolanum,aut oxalis,cum portulaca miſcemus : deinde contundentes exprimimus,vaſéque in aqua gelida aut niue conſtituto,farinæ tenuis modicum addimus,& ſubigentes iniicimus. Hoc verò ſæpius iterandum eſt, donec ægrotus refrigerationem ſentiat.

De cataplaſmatibus.

Cataplaſma ex fermento,quod cōpacta diffundere & eliquare maximè poteſt:nam & dothienas & ſuppurationes tardius ad mutationes peruenientes iuuat, ſurculos educit,ſcirrhis auxiliatur,plantarum pedum contuſionibus ſubuenit:multis modis conficitur. Nam vel fermentum cum oleo emollitur, quod ſatis eſt ad dothienas & tardiores ſuppurationes diſſoluendas:aut tenuis pars nitri toſti cum eo miſcetur, vbi acriore epithemate opus eſt, vt in vehementioribus ſcirrhis : vel quandoque fermentum diffundimus,& rurſus componimus, & coquimus,parum olei aut irini vnguenti admiſcentes. Eſt etiam alia præparatio. Fermentum aceto diſſoluitur, vt ſucci craſſitudo ſit, id quod ad ſcirrhos hepatis & ſplenis eſt accommodatum:vel abſinthii comam, aut iridē, aut abrotonum,aut thymū, aut pulegium admiſcemus: nam hæc omnia cum fermento ſatis ſunt ad tumores duros iecoris & lienis diſcutiendos.

De cataplaſmate quod ex pane fit.

Cataplaſma ex pane efficaciſſimū eſt:nam omnibus ferme inflammationibus conuenit. Modi autem eius cō ficiendi ſunt admodum multi:vel enim frigida aqua madefactus panis & ſubactus cum roſaceo illinitur,& inflā mationibus quæ ad eryſipelatis naturam tendunt, planè conuenit:vel ex aqua calida madefcit,ac cum oleo emollitur:deinde ita calidus adhibetur vt durioribus,& non adurentibus inflammationibus proſit:vel pro oleo butyrum addes,atque ita multo ad eaſdem affectiones accommodatius reddes. Atque ita etiam paratur : Panis multa aqua diſſoluitur, vt ſucci ſpiſſitudinem acquirat, eique oleum aut butyrum miſcetur:deinde ad conſiſtentiam coquitur. Hoc autem eſt omnium eorum quæ quidem ego nouerim,ad inflammationes vulnerum, & ad ſuppurationem perducendum ea ad quæ ſuppuratione opus eſt,præſtantiſſimum. Vbi verò neruus aut nerueum aliquid cōtuſum eſt, ibi ego etiam picis liquidæ parum miſcens,noui eſſe accommodatum cataplaſma. Id verò eſt etiam podagricis inflammationibus idoneum. Alius efficiendi modus. Heſterni panis medullam manibus cō terimus ad farinæ ſimilitudinē, inde melli in olla calefacto admiſcenda eſt,& coquenda ad mediocrem conſiſtentiam,oleique mediocrem portionem affundes. Hoc præcordiorum inflammationibus conuenit. Sed melius etiam fiet ſi parum aquæ melli admiſcueris : ita enim in coquendo melius diffunditur. Iam verò quod ex triticea farina cataplaſma componitur,eaſdem fere vires habet, & eiſdem etiam apparatur modis.

De cataplaſmate ex furfuribus.

Furfures ita parabis:Par eſt furfures in tenuiſſimas partes in mortario contundendo redigi, & cribro traiici, atque itidem contundi,iiſque vti quum ad omnium partium corporis tumores duros,tum verò præcipuè ad eos qui in iecinore atque liene ſunt fixi. Furfures ex oxymelite,vel etiam ammoniaco ſunt parandi, & calidi applicandi. Sed præſtiterit etiam ſi viciſſim imponantur, ne calor vnquam deficiat. Si verò quandoque teſticulus inflammatione tētaretur,hoc eſſet accommodatiſſimum, ſed ſine aceto fieri deberet. Faciet quoque id cataplaſma ad dothienas,& cætera dura tubercula. Sed furfures aceto imbuti,& viciſſim impoſiti,mirum in modum valēt contra ictus animalium venena iaculantium.

De cataplaſmate ex ficubus.

Multiplex eſt huius cataplaſmatis compoſitio, & ad multa valet. Ficus igitur diligenter contunduntur, vt nulla pars neque ficuum neque ſeminis, quoad eius fieri poteſt, non contuſa relinquatur. Iis ita confectis,ſuauitatis gratia parum irini vnguenti admiſcetur. Facit ad duritias neruorum,ad articulos contractos, & præter modum laxatos,& ad ſcirrhos, ac præſertim hepatis & ſplenis. Si verò nitri parum adiunxeris,ſinus rumpet,& cuſpides euellet. Si verò ita ficus contuſas,& pulegii, aut origani,aut thymi comam,aut abſinthii,in tenuiſſimas redactam partes miſcueris,fiet cataplaſma hydropicis idoneum,quod præcordiis omnibus & lumbis & dorſo imponetur. Alius conficiendi modus: Coquantur ficus donec facilè & valde diffundantur,deinde cum modico eius aquæ in qua fuerint coctæ læuigentur,tum hordeacea farina aut triticea,aut panis eis miſceatur, & diligenter ſubigantur, & rurſus coquantur ad cataplaſmatis conſiſtentiam. Conueniet hoc phymatis quæ non facilè maturefcunt,& parotidibus quas ad ſuppurationem perducere oportet, & furūculis. Pinguedinem autem ſi quis velit admiſcere,butyrum erit imponendum : ſed ſi rutæ etiam folia ſubtiliter trita miſceantur, fiet medicamentum ad dolores inteſtinorum à flatu excitatos valēs:pinguedo autem tunc addatur,aut oleum in quo cuminum aut ruta coquatur.

De Acopis.

Acopum decameron habet ſpicæ nardi,folii,euphorbii,piperis,coſti,adarces,ſingulorum vnciam vnam,maſtiches,opobalſami vnciam vnam,nardini vnguenti libram vnam,ceræ vncias tres. Pentameron habet, ſtyracis vncias duas,maſtiches vncias duas,ceræ albæ vncias tres,opobalſami vncias quatuor, vnguenti nardini vncias quinque. Acopon vnguentum ex caſtoreo ad paralyſes & diuturnas affectiones,habet,œſypi vncias tres, terebinthinæ tantundem, medullæ cerui vnc. IIII. ammoniaci,galbani, caſtorei,piperis albi,euphorbii,adarces,nitri ſpumæ,opopanacis,ſingulorum vnc. vnam,olei ſtyracini vnciam vnam,olei irini vncias nouē, olei veteris vnc. IIII. ceræ libras duas.confice. Aliud ſimplex. Butyrum, reſina, & colophonia,cera alba

noua,pari pondere capiantur,& eliquentur. Ad habitus ex ſenectute refrigeratos.Qui ſe lauat,ad ignem ſe hoc abſtergat, Calaminthæ,ſampſuchi,hyſſopi,baccarum lauri,& eius ex qua coronamenta fiunt roriſmarini, lapidis pyritæ,ſalicis,fæcis vſtæ,nitri,pumicis, ſingulorum ratam portionem cape:itémq; parum ſinapi , & vuæ taminiæ,& gnidii grani.A balneo verò vtatur acopo huiuſmodi , quod habet nardini amaracini & comageni ſingulorum minæ quartam partem , cucumeris agreſtis radicis , & bryoniæ , vtriuſque minæ dimidium , canchryos,pyrethri,euphorbii,zingiberis,alcyonii ſicci,coſti,ſingulorum drach.quatuor,piperis longi , foliorum ſiccorum rhododaphnes,ſing.drach.duas,ſulphuris viui vnam, liquoris thapſiæ vnam : omnibus valde contritis vnguenta affunduntur.hoc diu perfricandus homo eſt, ac nonnulli etiam languidi & ſoluti,hoc præſidio refecti ſunt. Ad pallorem & liuores valet oleum in quo bryoniæ radix diu ſit incocta:id quod etiam corpus rugarum expers efficit. Liuores autem tollit hoc quod habet,ſalis læuigati lib.v i.pulmonis hircini vſti drach. ſex,ſtruthii drach.octo,adhibe fouens decocto raphanorum aut abſinthio.

Ex Ruffi commentariis vnguentum valde efficax ad penem erigendum.

Myrrhæ, ſulphuris, cnici interioris, ſingulorum drachma vnà,melanthii drach.duæ, pyrethri oboli duo,piperis nigri grana triginta,gnidii grana pura viginti contundito,& cum drachma vna ſcillæ conterito:quúmque rectè fuerint trita , ceræ parum cum modico cicini olei atque mellis eliquato,perfundito,& terito.Mellis autem & olei menſura ſit vtriuſque hemina. Nonnulli etiam hoc vnguento anum illinunt.Poſt concubitum verò locus eſt linteo diligenter abſtergendus. Iſchiadicum.Olei cyprini,axungiæ,olei veteris,ſingulorum vncia , ceræ vnc. v i. ſulphuris viui drach. x v. adarces drach. x. nitri drach. x i i. piperis drach. x v i. pyrethri drach. x. rutæ teneræ,origani,ſingul.drach. x v i. baccarum lauri drach. x i i. euphorbii tantundem. quæ liquari poſſunt cum ſiccis miſceantur. Ex hedera.Facit ad laſſitudines & omnem neruorum aut muſculorum affectionem ex cōſenſu ortam. Fœnigræci lib. i. baccas lauri numero c. cupreſſi pilulas numero x x. herbæ Sabinæ lib. i. roriſmarini drach. i. olei veteris lib. i. ceræ lib. i. terebinthinæ vnc. v i. pineæ vnc. i. ſucci hederæ vnc. i i i i. aquæ ſextarii i i i. herbæ in aqua madeſcant triduum,deinde oleum infundito,& coque quantum ſatis eſt:tum diſſolutis iis quæ liquari poſſunt,addito , & ſuccum hederæ ſtatim læuigato & refrigerato,eliquatíſque in mortarium coniectis vtitor.

Iſchiadicum vnguentum efficax. Euphorbii drach. v. piperis drachmæ v i. adarces drach. i i i. caſtorei drach. i. ſampſuchi drach. i i. ſucci panacis drach. v i. ſtruthii drach. i i i i. olei cyprini drach. i i i i. olei irini drach. i i i. olei ſicini,laurini,ſingulorum drach. i i i. ceræ,œſypi,reſinæ liquidæ,ſingulorum drach.duæ.conſice. Iſchiadicum Antonii archiatri. Olei veteris ſextarios v. pilulas cucumeris agreſtis numero quinque coque in oleo donec frigantur : ceræ vnc. ſex , pyrethri vnc. i. ſulphuris viui vnc. i i i. terebinthinæ vnc. v i. euphorbii vnc. ii. vuæ taminiæ vnc. i. cachryos vnc. i. thapſiæ vnc. i. dictamni vnc. i i. adarces vnc. i. Metaſyncriticum.Opopanacis,ammoniaci,terebinthinæ,caſtorei, œſypi, euphorbii, galbani, adarces, ſingulorum vnc.duæ:piperis albi,medullæ ceruinæ,ſingulorum vncia:laurini,ſtyracini,vtriuſque vnc. i i i i. irini vnc. v i. ceræ,olei veteris,amaracini, ſingulorum vncia. Opopanax in mortario læuigandus eſt donec ſtrigmenti craſſitudo fiat:cera verò & oleum liquanda ſunt , deinde ammoniacum contuſum adhibendum:tum reliqua eliquata,deinde olla ab igne ſublata,arida iniice , & in mortarium depoſita ſimul omnia læuigabis,& recondes.

De paſtillis qui τροχίσκοι dicuntur.

Andronis paſtillus.Atramenti ſutorii,myrrhæ,malicorii,ſingulorum drachmæ duæ, thuris, aluminis ſciſſilis , ſingulorum drachmæ quatuor, ariſtolochiæ drach.

A v i i i.ex vino auſtero coactis,& aceto diſſolutis vtere.

Muſæ. Aluminis ſciſſilis,aloës,myrrhæ,ſingulorum drach.ſex,croci,crocomagmatis,æris combuſti,atramēti ſutorii,capitulorum Punici mali,ſingulorum drach. ſex,vino mulſo excipe. Heræ ad ſuggillata,lichenas,maculas, carnem excreſcentem, fiſtulas , & alia permulta.Sinapios,æruginis raſæ,thuris maſculi, aluminis ſciſſilis æquales portiones,aceti quod ſatis eſt. Heræ ad nomas omnes , & præſertim eas quæ in pudendis & ore paſcendo ſerpunt. Croci drach. octo , aluminis
B drach. c.myrrhæ drach.octo,diſſolue oxymelite, & linteo duplici madefacto vtitor. Paſtillus ex charta ad nomas.Chartæ combuſtæ drach. x x x i i. calcis,auripigmenti , ſandarachæ , ſingulorum vncia vna , ſucco plantaginis excipito. Paſtillus ad vitiligines,alphos,leucas,lepras,lichenáſque.Ellebori albi,piperis lōgi,cachryos,alcyonii,ſulphuris viui,ſandarachæ,calami aromatici,adarcæ,pares portiones tritæ & cribratæ in aceto diſſoluuntur, & paſtilli fiunt : partes autem infectæ confricandæ ſunt in balneo & vngendæ,ac deinde in ſo-
C le diu continendæ. Paſtillus croceus conſtat ex myrrhæ drach. i. caſtorei drach. x. croci drach. v i. ſucci papaueris , ſeminis apii , hyſſopi , ſtyracis , ſingulorum drach. i. ſeminis hyoſcyami drachmis v i. aqua excipe,& paſtillos trium obolorum conſice. Paſtillus ad lichenas. Chalciteos, miſyos, ſulphuris viui, atramenti ſutorii,thuris,ſing.drach. i i i i. ficus foliorum viridium vnc. v i. vino excipe. Paſtillus ad tormina,& ad ſanguinis ſcreatum,& fluxum muliebrem. Succi hypociſtidis,terræ Samiæ,gallæ omphacitidis , acaciæ ſiccæ:
D ſingulorum drach. octo,excipe aqua pluuia. Ad tormina vtimur diluto ſucco orizæ,aut lentis,aut alio eiuſmodi:in ſanguinis verò ſcreatu adhibetur huius medicamēti drach. vna ex aquæ frigidæ cyatho.Ad fluxum muliebrē diluitur ſucco aliquo,aut thapſus lana imbuitur, & ſucco ſolani, aut plantaginis, aut polygoni , aut alterius ſimilis diluitur. Paſtillus Pationis habet,ſquamæ æris drach. x i i. æris combuſti,ſalis ammoniaci, aluminis rotundi,æruginis raſæ,thuris,ſingulorū drach. octo. æs & alia in ſole terito,poſteriore loco thus:paſtillos conſice,quúmque vſus poſtulabit, aceto diſſolue, &
E inunge. Paſtillus podagricus Procli: hic podagram , iſchiada , & omnes penitus articulorum dolores, omnéſque labores annuo ſpatio potui datus curat , omnéſque ſenſus magis vegetos reddit : placidè per vrinas purgat,& totum corpus efficit valentius. Sanat etiam epilepſiam , tumoréſque duros iecinoris ac lienis tollit. Habet autem,chamædryos vnc. i x. centaurii albi & fructum ferentis vnc. v i i i. ariſtolochiæ montanæ vnc. v ii. gentianæ non contuſæ vnc. ſex,hyperici vnc. v. petroſelini vnc. tres,phu tantundem,agarici vnc. i. mellis hemi
F nas duas. Contunde ac cribra ſingula per ſe, & miſce, ac cum melle emolli, & deinde contere, ac paſtillos conficito drach. vnius. Vſus autem & eius potus eſto ei qui bene concoxit circa horam tertiam ante cibum , poſtquam aluus deiecerit. Diluitur autem aquæ calidæ cyathis duobus. iſque qui ſumpſit,inambulet,aut geſtetur. Initiū verò ſumendi huius medicamenti ne ſit æſtas,ſed aliquo alio tempore initium ſumatur. Interuallum inter ſumptum medicamentum & balneum,aut cibum, eſto hora-
G rum trium. Ei verò qui non concoxit omnino cauendus eſt hic potus. Compleatúrque anni dierum numerus, victúſque ratio ita inſtituatur vt cibi boni ſucci & facilis ad concoquendum ſumantur,neque ad ſatietatem cibus ingeratur. Atque ego quidem eos quos articulorum dolores exercent , vt braſſica veſcantur admoneo : craſſos enim gigni humores vetat. Vinum mediocre bibendum eſt,& moderatè mixtum,quum poſt cibum potui datur.

Ex electro paſtillus facit ad ſanguinem ſpuentes , tuſſes diutinas,tabidos,cruenta extuſſientes,cœliacos,dyſentericos,& flatu plenos. Valet etiam ad aures. Pſylli mun
H di drach. x l. iridis Illyricæ,ramentorum electri,croci, ſingulorum * lib. i. opii drach. x v. pſyllium in aquam calidam coniectum macerari ſinito. Quúmque viſcoſa ac glutinoſa effecta ſit aqua,liquorem è pſyllio exprimito,ac medicamentum parato. Paſtillos conficito, ac da-

to obolos tres dormitum euntibus. Aquæ verò ſextarii tres ſunto. Paſtillus ex acacia faciens podagricis, articulorum doloribus,inflammationibus, & iis omnibus vitiis, quæ pruritus affert,in principio adhibitus,habet acaciæ nigræ & flauæ vtriuſque vnc. I I I I. collæ artificum pellucidæ (ſed præſtat capere collam piſcium) vnc. I I I I. ammoniaci thymiamatis vnc. I I. aloës,glaucii,ſingulorum vnc. I I. thuris maſculi, veratri albi & nigri, vtriuſque vnc. I. coacta aceto ſcillino in paſtillos redige, quum vſus poſtulat, eodem aceto dilue, & illine,ſinitóque ſiccari, & in balneum mittito, quum exierit dato. Paſtillus ad hemieraniam, Seminis naſturtii drach. quatuor, foliorum rutæ viridium drach. I I I I. opii drach.quatuor, ex aceto confice. Siccum medicamentum ad cicatricem inducendam, quod facit etiam ad vlcera maligna, & nomas. Corticis pini drach.ſex,conu ceruini vſti drach.quatuor,æruginis raſæ drach. vna.tritis vtere. Aliud ad cicatricem inducendam, Oſtreorum combuſtorum drach. I I. mannæ drach. I. cadmiæ obol.quatuor.læuigatis vtitor,& ad nomas etiam adhibeto. Cephalicum ad caput accōmodatum, aufert ſquamas, educit oſſa,eáque digerit, & cauas partes carne implet:Iridis drach.IIII.panacis drach. IIII.ariſtolochiæ drach.duæ,thuris drach.duæ, mannæ tantundem. omnia conterito & cribrato, vtitor vel per ſe vel ex melle. Aliud cruſtas inducens, & vellicans,& abſcindens cataplaſmatis modo adhibitum, ſpecillóque ignito contritum. Valet etiam ad excreſcentia comprimenda:Chalciteos crudæ drac.octo,cadmiæ drac. quatuor, aceto acerrimo excipiuntur, ſiccantur & læuigantur. Putrefaciens abſque dolore.Auripigmenti,chalciteos,ſandarachæ,ſingulorum drach.quatuor,calcis drach.octo. Rhodiacum ad carnem ſupercreſcentem continendam.Gallæ immaturæ drach.nouem, ſquamæ æris drach.quinque,atramenti ſutorii drach. III. aluminis ſciſſilis drach.quatuor.gallas ad dimidias aduríto,& vino extinguito. Ex charta. Chartæ combuſtæ vnc.ſex,auripigmenti,ſandarachæ,calcis, ſingulorum vncia & drach.IIII.Si paſtillos velis conficere, ſucco plantaginis aut vino auſtero excipito. Ad nomas. Chalciteos,miſyos,ſquamæ,gallarum pares portiones.

Adurens ſine mordicatione,ſtatim alterans. Calcis viuæ vnc. vna,fæcis vini drach. vna, nitri vnciam mediam aceto læuiga, coque in ſtillatitia ficulnea donec bis aut ter ferueat. Antequam verò coquatur,habeat paſſi craſſitudinem.Si verò ad emplaſtri formam velis redigere, excipe viſco,quod ad vaporem aquæ dulcis calidæ ſit ſolutum. Anthera ex Philumeni ſcriptis ad vlcera oris.Sandarachæ,iridis,ſingulorum drach. quatuor,cyperi drach.octo,myrrhæ,croci,aluminis ſciſſilis,ſingulorũ drach.vna,florum roſarum drach.vna.

De collyriis.

Libyanum collyrium habet ſtimmeos vſti & loti drac. duodecim,cadmiæ combuſtæ & lotæ tantundem, ceruſſæ combuſtæ & lotæ drach. ſedecim, amyli tantundem, ſpodii drach.octo,aſteris Samii drach.octo,plumbi vſti & loti tantundem,myrrhæ tantundem, opii toſti drach. octo,gummi drach.vnam,alba ouorum recens natorum viginti,& aquam pluuiam ad excipiendum. Pſilothrum Apollinaris.Ceruſſæ drach.vigintiquatuor,cadmiæ drach.octo,æris combuſti drach.duodecim,myrrhæ drach.II.aloës drach.octo,croci tantundem,acaciæ drach.quatuor,tragacanthæ drach.vndecim,amyli drac. ſex,opii drach.XII.gummi drach.X.aquæ pluuiæ quantum ſatis eſt. Cnicus flauus Baſſi, ad deſtillationes,doloris vexationes,exulcerationéſque,ouo aut aqua dilutus:Cadmiæ vſtæ & lotæ drachmæ XXXII. ceruſſæ lotæ drach. XVI. ſpodii tantundem, opii toſti drach. VIII. acaciæ fuluæ,amyli, gummi, tragacanthæ, ſing. drach.quatuor,aquæ pluuialis quantum ſatis ſit. Ex erica:habet ericæ ſeminis,myrrhæ,opii, ſingulorũ drac. XXXVIII. atramenti ſutorii combuſti drach. I. gummi drach.VI. acaciæ drach. VI. cadmiæ tantundem, aquæ pluuiæ quantum ſatis eſt. Vranium collyrium ad vlcera, puſtulas,ruptiones,inuſtiones,prolapſus, ſtaphylomata,ſuggillata,corroſiones, nomas, carbunculos, & omnes magnas affectiones:præſertim verò ad ruborem & glaucedinem oculorum valens.In principiis magis dilutum infunditur:quum autem fluxio tenuis, mordax, & feruida fuerit,cum lacte vtitor:quum verò repurgare,ac craſſam fluxionem velis diſſoluere,cúm aqua.Terræ Samiæ vſtæ & lotæ vnc. III. ſpodii loti vnc. I. cadmiæ lotæ vnc. duæ,ſtibii loti vnc.duæ,ſquamæ æris lotæ vnc. III. opii drach.ſex,gummi vnc.quatuor:confice ex aqua pluuia. Collyrium achariſton,facit ad maximas humorum fluxiones,& præcipuè in agreſtium corporibus. Cadmiæ drach. ſex, acaciæ drach. octo, æris vſti & loti tantundem, opii drach. quatuor, ſeminis ericæ tantundem,myrrhæ drach.quatuor,gummi drach.ſex,aqua excipito. Vſus eſt cum lacte muliebri: temperatura ſit media. Quum verò non fluxio,ſed affectio circa oculos ſit, ab hoc collyrio abſtinebimus. Collyrium ex thure ad fluxiones & chemoſes, habet cadmiæ vſtæ & lotæ drach. octo, thuris drach.octo,ceruſſæ lotæ drach. XL. opii drach.ſex.aqua itidem excipito. Collyrium cygnus,ad vlcera omnis generis,fluxiones,doloris vexationes, oculos ſuggillatos, habet ſpodii loti drach. quatuor,terræ Samiæ,amyli,acaciæ,opii,ſingulorum drach. quatuor,tragacanthæ drach.vnam,excipe aqua pluuia.vſus eſt ex ouo. Libyanum collyrium ad puſtulas, inuſtiones,ruptiones,calomata,ſuggillata,chemoſes, ſtaphylomata,magnos dolores & affectiones oculorum,cicatrices etiam tollit. Habet autem cadmiæ vſtæ & lotæ, drach. ſedecim, ceruſſæ drach.tres, myrrhæ drach. duodecim,ſtibii vſti & loti drach. duodecim, bdellii vſti & loti drach.duodecim,aquæ verò quantum ſatis ſit, & ad excipiendum alba ouorum XX. In alio exemplari additum erat,opii drach.vndecim. Collyrium ex cornu ceruino ad vlcera, puſtuláſque ac cicatrices exterit. Cornu ceruini vſti drach. quatuor, thuris tantundem, plumbi vſti & loti drach. duæ, opii drach. vna, gummi drach.duæ,aqua pluuia excipiantur. Collyrium Nilium Demoſthenis ex roſis.Roſarum tenerarum drac. quatuor,croci drach.duæ, papaueris obolus, nardi obolus,gummi drach.II.aqua excipiuntur.Valet hoc ad chemoſes & prolapſus oculorum,& puſtulas,& vlcera etiam ſordida,ad vehementes dolores, & aſperitates palpebrarum. Madicum collyrium habet glaucii drach. quatuor,ſarcocollæ tantundem,croci drach.vnam,tragacanthæ tantundem. Cætera in aqua læuigato ita vt rectè madefacta ſint,& cum tragacantha conterito, & emolliens vtere.Sæpe autem ſubungens hoc ſpiſſiore vtitor.

Spodiacum faciens ad inflammationes & defluxus,habet thuris,ſtibii,ſingulorum drach. C. cadmiæ,ceruſſæ, ſingulorum drach. vigintiquatuor:terræ Samiæ,aſteris, ſingulorum drach. tres, papaueris drach. tres, gummi drach.XV. ſubige cum ſucco foliorum oliuæ. Quem quidem ſuccum ita conficies: Oliuæ folia quæ magis tenera ſint,abluta in mortario contundito,aquæ modicum affundens,exprimitóque,ac puro linteo excolato.

Nardinum collyrium habet cadmiæ drach. XVIII. æris combuſti drach.ſex,ſtibii drach. XX. nardi Syriaci drach. quatuor, acaciæ drach. X. gummi drach. XX. croci drach.vnam.ex aqua pluuia ſubigito. Collyria quædam ſunt quæ non condenſant craſſóſque humores reddunt, ſed diffundunt atque diſcutiunt: quale eſt aromaticum & chiacum. Aromaticum autem componitur ad hunc modum. Pompholygis drach. tres, æris vſti drach.duæ,myrrhæ drach. tres, vino Chio aut Falerno exceptis vtere. Chiacum ita conficitur, Spodii drach. tres, æris combuſti drach. tres, croci drach. I. myrrhæ drach. IIII. meconii tantundem, piperis albi grana octo,gummi drach. I. confice ex vino Chio marina non permiſto,aut aminæo. Succum ad oculorũ angulos ſcabioſos,habet chalcitidis drach.octo, cadmiæ drach. quinque.trita in vas fictile ponuntur, & vaſculum opertum in acetum temperatum coniicitur,vt exterius quidem madefiat, interius verò nihil humoris

confluat:ita ſeptem dies dimittito,deinde exiccato.

Collyrium diacenteton.Cadmiæ drach.quatuor,ærūginis drach.I.miſyos toſti obol.tres, piperis toſti drach. tres,gummi drach.I.Facit ad viſus hebetudines,ad incipientes ſuffuſiones,attenuátque.eſto autem calidum.

Eraſiſtrati παὐχρηςος (*id eſt omnino utilis*) liquida compoſitio atque admirabilis, faciens ad oculorū inflammationes,ad ophthalmias incipientes,& ad palpebras malè affectas,& ferme ad omnem ophthalmiam. Ea etiam vſus eſt ad pudenda contuſa,& aures purulentas, ad tonſillas, ad vuam,& ad reliqua vlcera corporis quæ alioqui non ſaneſcunt,& ad nigrores qui in vlceribus ſunt,& ad morbos in naribus orientes,& quibus etiam os infeſtatur.Habet autem æris combuſti drach. duas, myrrhæ drach.I. miſyos toſti drac.I piperis obolos duodecim,croci obol. tres.Vino Chio læuigentur donec medicamentum miſceatur:deinde miſcetur paſſi hemina,& iterum cōterun tur,tum in æreum vas coniecta lento igni coquūtur quouſque medicamentum ad viſci formam redigatur:poſtremò in æneam pyxidē reiicitur, & ita ad vſus antè dictos adſeruatur. Collyrium ad pura & impura vlcera, & depaſcentia,atque ad eminentias,itémque ad veteres affectiones,& aſperitates palpebrarum,& ſycoſes,& inuerſiones palpebrarum,ad clauos,ad ſtaphylomata,omnem defluxum,& graues dolores,& ſcabiem palpebrarum,accōmodatum.Facit ad recentia & craſſa mala, ad carbunculos,ad puris collectionem:ipſum enim pus conſumit: & vno verbo,ad omnia vitia oculorum valet.Spodii drach. tres,atramenti ſutorii drach.duæ,croci drach. I. myrrhæ oboli quatuor, meconii tantundem, piperis albi grana duodecim,gummi drach.I.vini Chii auſteri quantum ſatis eſt. Aliud ad pura vlcera,quæ carne implenda,& ad cicatricem perducēda ſunt.Cleonis autem collyrium appellatur,quo etiam nos vtimur, & vehementer laudamur:nam & vlcera profundiſſima replet celerrimè,& tenuibus,& oculorum obtutum penè fugientibus cicatricibus relictis ad cicatricem perducit, vlceráque abſque inflammatione conſeruat.Habet ſpodii drach.vnā,bdellii combuſti cum ſulphure viuo & loto drach.IIII. ſquamæ lotæ obolos tres,gummi drach.duas, aqua læuigans & cogens,vtere cum lacte aut albo oui. Dionis collyrium habet,ſpodii drach.quatuor,corticis thuris obolum,myrrhæ tantundem,ſquamæ æris,acaciæ,nardi Indici,meconii toſti,ſingulorum obolum,gummi drac. IIII. excipe aqua pluuiatili,& vtere ex ouo. Collyrium, quod πεπεσμένον dicitur, præſtantiſſimum eſt ad cicatrices,ad carnem excreſcentem,& ad aſperitates palpebrarū purgandas, ad earum inuerſiones, lithiaſes, chalazia, & ſcirrhoſas affectiones,ad vngues oculorum,ad encanthides,ſcabiem palpebrarum,& membranarū craſſitiem,& ad multos craſſóſque defluxus tollendos, & ad aquoſas copioſáſque fluxiones cohibendas: nam & abſumit, & perpurgat tutò, attenuat & conſumit vehementer mordens,oculum clarum conſeruat,ad aſpectum iucundiſſimum & blandiſſimum. Habet hoc, æris & combuſti & & loti obol.quatuor,croci drach.I.myrrhæ obol.tres,vini Chii quantum eſt ſatis.Si verò ſpodii drach. quatuor, adiicias,erit ad omnem fluxionem, omnémque lippitudinem accommodatiſſimum. Collyrium ad carbūculos aptum,quod ἀνίκητον nominatur. Spodii loti drac. IIII. meconii drach.I. ſucci ex hyoſcyamo expreſſi drach. I.acaciæ tantundem,nardi obol.II.æris rubri obol.II.fuliginis thuris obol.IIII.gummi drach. VI. ſucci è cicuta expreſſi drac.I.Eſt etiam perutile ad carbones hoc quod habet opii,acaciæ,hyoſcyami,aut miſyos, ſeminis myricæ pares portiones:contere,vino craſſo dilue,& carbúnculos oculorum,atque alias etiam partes inunge. Collyrium ad tabem: Ammoniaci drach. I. crocomagmatis drach.IIII.croci drach.II.æruginis drach.I.aqua excipiātur. Collyrium ad ſuffuſiones.Fœniculi viridis ſuccum cū melle miſce pari portione,ac ſimul coque donec mellis habeat conſiſtentiam:hoc autem vngues etiam oculorum tollit. Nos verò ſubſequenti collyrio præcipuè vtimur,quod in pleriſque id effecit quod opus erat. Habet caucalidis ſucci,chamædryos, ceronopidos, ſingulorum pares portiones:contere,ac collyria confice. Quandoq; autem othonis ſucci partē vnam miſcui, quā ſanè othonē aliqui magnū chelidonium vocant,vt Dioſcorides author eſt.Paruum autē Chelidonium,quod etiā agreſte triticum nominat,vitandū eſt, quippe quod acres vires habet,& cutim exulcerat, vt etiā Galenus memorauit.mitius autē eſt primū ad ſuffuſiones. Archigenis ad oculorū claritatem maximè valēs. Aſelli piſcis pinguedinē quæ in ventre eſt,cape pondo vnc.tres,ſcāmoneæ vnciam mediā,his læuigatis cedriæ vncia vna admiſcetur. Vngēdus eſt locus aut in balneo aut in ſole,fomēti loco.

Demoſthenis collyrium ad veteres affectiones. Lycii drach.tres, æris cōbuſti drach. vndecim, cadmiæ drach. duodecim,opii drach.ſex,croci drach.duodecim,acaciæ tantundē:aqua excipe. Cleonis gluten fluxionē cohibens:Terræ Samiæ pars vna,myrrhæ pars I.mānæ pars I.excipe albo oui,deinde linteo impoſitū,temporibus & fronti applica. Siccū palpebras pulchras faciēs,pueris maximè accōmodatum:ſtibii drach.ſedecim,plumbi vſti drac.octo,ſquamæ æris,croci,florum roſarum,myrrhæ,nardi Indici,thuris maſculi, piperis albi, ſingulorū drach.I.palmularū nuclei numero X X X. omnia in vas fictile coniicito,diligēter torrefacito,inde in mortarium reiice,ac contere, & opobalſami cochlearia duo adde, & ſimul contritis & areſactis vtere. Aridum ad aridam lippitudinem,ſycoſin,putredines,& carnes excreſcentes, habet,cadmiæ drac.I.chalcitidis drach.octo,piperis grana XV.nardi celtici drach.I.cadmiam & chalcitida ex vino contunde,quúmq; miſta fuerint,nardum & piper adde,& omnibus in puluerem redactis vtitor. Liquida compoſitio ad ſycoſas eruptiones,& omnes carnis exuperantias,& ad encanthidas,habet miſyos toſti drach.ſex,atramenti ſutorii drach.quatuor,mellis Attici cyathos X.

Alia ad callos & omnem eminentiam:æris combuſti, miſyos combuſti,myrrhæ, croci, vuæ acerbæ, ſingulorū drach.I.vini Chii cyathi octo,mellis Attici vncia vna.

Collyrium ad viſus claritatem & glaucedinem: fellis perdicis pars vna,mellis Attici partes tres, ſucci cētaurii pars vna. Ad oculorum cicatrices,fel leporis cum melle contere,& inunge. Gluten ad pilos,Ceræ,picis, glutinis quo lapides inter ſe componuntur, ſingulorum drachma:ſimul eliquata reponito, vſus tempore ſpecilli acumine medicamentum cape,& eo diſſoluto pilos agglutina. Ad crithas,& chalazia,ſagapenum cum aceto contere,& vtere. Ad ægilopas,thuris drach.octo, myrrhæ tantundem,ladani drach.quatuor,ceræ drach.octo,aluminis ſciſſilis drach.quatuor, nitri ſpumæ tantundem,coaguli leporis drach.quatuor, contunduntur omnia,& cum irini vnguenti ſedimento molliuntur. Cataplaſma ad vehementes oculorum dolores,habet roſarū ſiccarum drach.quatuor,opii drach.I.croci tantundem. dulci decocto meliloti excipiūtur. Vnguentum ad vehemētes dolores:aloës,lycii,roſarum viridium,croci, opii,myrrhæ,ſingulorum pares portiones, vino coactas in piſtillos coge, in vmbra exſicca, quū vſus poſtularit, paſſo dilue,oculos,frontē,tēpora perunge. Diarhodō Diagoræ, quod Magnū appellatur. Valet hoc ad dolores vehemētes,phlyctænas,aduſtiones,prolapſus, & ſuggillata in oculis,& itē ad defluxus,veteres lippitudines,& affectiones curatu difficiles.Cōtinet autē roſarū virētiū reſectis vnguibus drach.LXXII. cadmiæ drach.XXIIII.croci drac.ſex,opii drac.III.ſtibii drach.II.ſquamæ æris drach. II.nardi Indici drac.I.myrrhæ vnc.III.gūmi drac.XXIIII. excipe aqua pluuia. Croceū,quod Puerile inſcribitur, ad magnas fluxiones,vehemētéſq; dolores,& ad eas affectiones quæ ex plagis oriūtur, valēs. Cineris pōpholygis drac.16.croci drac.XV.tragacāthæ drac.VIII.aqua pluuia excipe,& ad medicamētū cōficiendū alba ouorū numero IIII.adhibeto. Aſclepiadæ pacianū valēs ad doloris vexationes,tenuē multúmq; defluxum, feruorē, puſtulas, mēbranarum eminētias,aſperitudines,affectiones diuturnas,& eos qui multis læſi ſunt illitionibus hoc cōfeſtim adiuuat. Habet verò cadmiæ, æris, croci, ſquamæ æris, ſingulorum drach.XII.myrrhæ,lapidis hæmatitæ, roſarum ſiccarum,nardi Indici, opii,ſingulorum drach. tres

piperis albi grana ſedecim, gummi drach. I x. vini Chii quantum eſt ſatis. vſus ex ouo eſt. Ad caliginem oculorũ. Singulis diebus in oculos imponendum eſt medicamentum quod ita conficitur, Fœniculum viride diebus & menſibus in vas fictile coniiciendum eſt, & foris pice vas oblinendum, aqua pluuia infundenda, fœniculũ deinde eximendũ, & eo quod reliquum fuerit, vtendum.

Smegmata & dropaces.

Smegma quod Aſclepius dicitur. Salis communis, ſalis ammoniaci, ſalis Cappadocici, toſtorum, pumicis, aphronitri albi, baccarum lauri ſiccarum, ſingulorũ drac. I. veratri albi, ſtruthii, vuæ taminiæ, ſinapis Alexandrini, ſulphuris viui, pyrethri, fæcis, floris iunci odorati, cyperi, ſingulorum vnc. V I. ſampſuchi, aluminis ſciſſilis, gallarum, gummi, thuris, alcyonii, piperis, cachryos, radicis cucumeris agreſtis, chamæleontis, iridis, marrubii ſicci, ſingulorum vnc. I. vel vnc. III. contundito, per cribrũ traiicito, & vtitor. Smegma caput exſiccans, habet cimoliæ drach. II. nitri, bryoniæ, ſicci corticis radicis cucumeris ſylueſtris, cumini, farinæ lupinorum, ſingulorũ drach. mediã: trita cõponito, & in balneo vtitor: auxiliatur vehementer. Sapo repellendi vim habens, Balauſtiorum vnc. I. aloes, gallarũ, aluminis, thuris, foliorum roſarum, malicorii, vtriuſque tunicarum, ſingulorum vnc. I. ſarcocollæ vnc. I. Gallici ſaponis vnc. ſex, decocti lupinorum amorum quantum ſatis eſt. Quidam addunt myrrhæ & citrinorum vtriuſq; vnciam. Dropax Gallus. Colophoniæ quæ thus redolet lib. IIII. pineæ lib. IIII. & eius quæ lignoſa dicitur, & in Italia ſolùm naſcitur, lib. IIII. reſinæ à nauibus deraſæ, quæ ἀπόχυμα nominatur, picis ſiccæ, ceræ, ſingulorum lib. IIII. frixæ vnc. XV. picis brutiæ lib. II. bituminis, galbani, adarces, pyrethri, ſingulorum vnc. V I. opopanacis, euphorbii, veratri albi, piperis, ſingulorum vnc. III. ſulphuris viui vnc. I I I. caſtorei, ammoniaci, vuæ taminiæ, ſingulorum vnc. II. olei ſicyonii lib. I. opobalſami vnc. ſex. Alius ſimplex. Ceræ lib. I. brutiæ, pineæ, ſingulorum lib. I. frixæ lib. I. vnc. tres.

Pſilothrum. Oryzam, farinam fabarum, ptiſanam aqua coquito, horum ſucco pro aqua vſus miſce auripigmenti vnciam, calcis viuæ libram, pumicis toſti ſemiſſem, opobalſami cochlearia duo. Ad corrugationem, ex Rufi commentariis ſmegma, quod continuò corpori rugoſo adhibetur: extenditur hoc cum ficubus pinguibus. Bryonia conteritur, & farina erui, itémque ſepiæ teſta cõbuſta, melle paulatim inſtillato excipiuntur. Smegma ſplendorem afferens, & ſitim auferẽs, habet farinæ fabarum choas duas, fœniculi in ptiſana cocti, & poſtea in oxymelite loti, deinde cõtuſi choas duas, ſaponis Gallici lib. I I. miſce ſaponem cum cæteris, ſubigens manibus, & in balneo vtitor. Stomaticum Philagrii ad oris corroſiones: fructus lentiſci nondum nigreſcentis, drach. XXIIII. gallarum drach. I I I I. coſti drach. I. folii drach. I. Anthera (*id eſt floridum*) ſmegma ad oris vlcera. Sãdarachæ, iridis, ſingulorum drach. quatuor, cyperi vnc. octo, croci, myrrhæ, aluminis ſciſſilis, ſingulorum drach. I I. florum roſarũ drach. I. miſce. Smegma odoratum ad dentes, vt & albi ſint, & ne corrodantur: Nitri, ſepiæ teſtæ, myrrhæ, ſingulorũ vncia vna, tritis vtitor. Dia moron, vt Galenus tradidit, habet mellis libram vnam, ſucci mororum heminas quinq;, croci drachmam, myrrhæ drachmam, & dimidium alterius, omphacii drachmam, vini auſteri heminas quinque: ſi omphacium deſit, in eius loco rhois ſuccum pone. Succus per ſe ipſe coquendus eſt donec ſordium habeat ſpiſſitudinem, deinde ſic mel adiiciẽdum: quũmq; lebetem ab igne ſublaturus eris, omnia agitato, vt in vnum probè componantur. Ac coctura quidem & ſymmetria huius medicamenti quod facultate medium eſt, moderatis inflammationibus congrua eſt, & in maiorum etiam inflammationum ſtatu, itémque in principiis & incrementis conuenit. Cæterùm ad induratas inflammationes, quum iam ſtatus ceſſat, nihilque præterea fluit, venit autem tempus in quo diſcutiendum eſt aliquid eorum quæ diſcutiendi vim habent, ſtomatico medicamento admiſcendum eſt: ſufficit autem ad prædictam medii medicamenti commenſurationem nitri ſemiſſem, thuris verò vncias duas adiungere. Diabeſaſa (*hoc eſt, ex ruta ſylueſtri*) medicamentum quod inungitur, celebre ad anginas deſperatas. Seminis aniſi, floris iunci odorati, aluminis ſciſſilis, iridis, rutæ ſylueſtris (quam nonnulli harmala appellant) cinnamomi, myrrhæ Troglodytidis, ariſtolochiæ longæ, caſiæ, crocomagmatis, roſarum ſiccarum, ſingularum vnc. I. hederæ, pullorum hirundinis cineris recentis, ſing. vnc. tres, croci vnc. I. nardi Indici, amomi, ſing. vnc. dimidium, gallas tres: læuigatis ex melle vtitor, & vbi vtendum eſt, melle diluito. Cancri fluuiatiles in hemina aquæ frigidæ contuſi & contriti gargariſma faciunt ad anginam præſtantiſſimum. craſſorum enim eductio anginas ſtatim lenit. Ad anginam. Stercus caninum album cape, exſicca, læuiga, cribra, & paratum habe: quum vſus poſtulabit, melle dilue, & inunge. Hoc medicamento nullum melius cognoui neque in anginæ neque in tonſillarum magna inflammatione, neque in glandulis quæ ſuffocationis periculum minantur. Quum verò canes oſſibus veſcuntur, eorum ſtercus candidum eſt, atque optimum. Ad columellam laxatam. Mellis lib. I I. aluminis liquidi lib. I. florum roſarum tantundem, ſucci hypociſtidos vnc. V. coque alumen cum melle, deinde ſicca coniice, & ita vtere: coque autem modicè. Hoc enim medicamentum bonum eſt, tribuſque modis eo eſt vtendum. Vnus modus eſt, & præſertim in principio, vt medicamẽtum aqua calida diſſoluatur, vel ex aqua mulſa ſuccus medicamenti exprimatur. id enim & dolorem ſedat, & quantum opus eſt, proficit. Interea verò dum hoc ita vtimur, conuenit etiam puro medicamento vti, idque tum digitis inungendo, tum verò cochleari contingendo, & comprimendo, & columellam foras trahendo. confert enim vel maximè ad linguam ipſam vergere, & à rectitudine deflectere.

Aliud. Lina multa, & præſertim quæ à marina purpura ſumuntur, in viperæ collum coniice, iiſque viperam ſuffoca: deinde vnumquódque linum collo applicabis. mirum eſt, quantum tonſillas cæteráque quæ in collo vitia ſunt, adiuuent. Galenus hoc medicamentum ad dentes conſeruandos commendat, quod habet cornu ceruini, & vſti, & loti partem vnam, maſtiches Chiæ partem mediam, cyperi parem portionem. his diligenter contuſis & cribratis vtitor. Ad dentes trementes. Alumen rotundum cum altero tanto ſalis dentibus adhibe, aut vlmi corticem ex vino decoctum admoue. Gallam omphacitida læuigatam excipe terebinthina, hyſſopo, aut melle, & inunge. Ad ſtuporem autem dentium arcendum, pinguedine aliqua expurgata bubula vel anſerina ſubunge. Philagrii ad oris eroſiones. Lentiſci fructus nondum nigreſcentis, gallarum, ſingulorum drach. quatuor, coſti, folii, vtriuſque drach. vna.

De antidotis.

Antidotum ad colicos. Lupinum ſtercus quidam colicis potui dedit, nõ tamen in acceſſionibus, ſed reliquo tempore: ex quo eſt effectum vt qui ſine inflammatione hoc morbo laborarent, eorum aliqui morbo capti amplius non fuerint, neque etiam vehementes dolores ſint paſſi, neque breui poſt tempore iiſdem correpti. Accepit is candidiſſimum ſtercus, quale eſt eorum qui oſſa comedunt. Qua in re mirari ſoleo, quòd ſæpenumero ex ſolo contactu, magno quibuſdam fuit adiumento. Stercus verò ſumendum eſt quod in terram non cecidit: id quod facilè comperies. Eſt enim huic animali perinde atque cani natura comparatum vt altero ex poſterioribus cruribus elato, & veſicam & aluum exoneret edito ſupra terram loco. Porro in hiſce ſtercoribus oſſium quoque particulæ inueniuntur: quæ ipſa itidem contundenda contendáque ſunt, & colicis in potu propinanda. In iis verò quæ puriora ſunt, alius quidã piper cõmiſcuit, & ex vino puro tenui, & quandoque ex aqua bibendũ dedit. Quod autẽ lumbis imponitur, habere condimentũ debet, præcipuè verò excretũ à lupo qui bouem aut ouem comederit. Si id non ſuppetat, corio ceruino ad excipiendũ vtemur. Philonis antidotum ad colicos, dolorem ſedans, conſtat ex his, Croci drach. V. pyrethri drach. quatuor, euphorbii drach. I. ſpicæ nardi drach. I. piperis

A drach.I.hyoſcyami drach.X X. opii drach.V.eſtque hoc medicamentum percelebre. Trigonos reſiccans, & dolorem leuans,habet ſeminis hyoſcyami drach.IIII. aniſi drach.I I.opii drach.I.cum aqua paſtillos efficito, & mane vnum,& veſperi alterum ex aqua frigida propinato. Catapotinm Dioſcoridæ ad exuſtos.Cucumeris ſatiui ſeminis drach.octo,tragacanthæ drach.quatuor:dilue tragacantham ex albo oui crudi & recentis: quúmque ea fuerit diſſoluta,conterens diligenter & miſcens,catapotia conficito,& in vmbra exſiccato,datóque vnum ſub lingua tenendum,vt humor qui inde emanat, B deglutiatur. Ad quartanarios Galeni.Liquoris Cyrenaici,piperis,myrrhæ, rutæ foliorum , ſingulorum drach.I.tritis & mixtis vtitor.Ante acceſſionem obolos duos tantùm in oxymelite dato. Ad eos qui à cane rabioſo morſi ſunt,Galeni.Fluuiatilium cãcrorum cinis ad rabioſi canis morſus mirabiliter valet, íſque & ſolus & cum gentiana atque thure.Eſto autem thuris vna pars, gentianæ quinque,cancrorum decem.Comburendi ſunt cancri ita vt in patella æris rubri poſiti vſque eò cõburã- C tur donec in cinerem redacti,facilè læuigentur.Commodum eſt hoc facere poſt Canis exortum,quũ Sol in Leone eſt:Luna autem eſt decimaoctaua.Bibant qui à rabido cane morſi ſunt hoc medicamentum quotidie ad quadrageſimum vſque diem , menſura cochlearii magni aqua inſperſum. Si verò non protinus ab initio , ſed aliquot poſt dies curam huiuſce demorſi ſuſcipias, quotidie duo cochlearia inſpergas.Ad ipſum autẽ vulnus medicamẽto quod ex brutia pice conficitur,vtêris.Habet verò picis libram vnam,acerrimi aceti ſextarium vnum Italicum, D opopanacis deniq; tres vncias.His Æſchrion vſus eſt,nec quiſquã vnquã eſt mortuus. Galeni,ad eos qui ab eſu fungorum ſtrangulantur.Valde prodeſt ab eſu fungorũ ſuffocatis aphronitrum & nitrum , ſimilitérque ſtercus gallinaceũ Atque ipſe quoque vſus ſum eo ex tribus aut quatuor oxycrati & oxymelitis cyathis læuigato:nam & perſpicuè & celeriter profuit.Qui enim fuerant ſtrangulati , paulo pòſt ſuccũ pituitoſum craſſiſſimúmq; euomuerunt,ex quo planè ab eo caſu ſunt liberati. Iam verò calaminthæ etiam ſuccus aut eius decoctum potui datũ E ſanat. Ad comitiales medicamẽtum ex ſcilla.Cape vas melleum,à quo mel ſit extractum , ſcillam in tenues partes manibus diſcerptam in id coniice , vas operculo firmo obtura , & extrinſecus totum os vaſculi pelle circundans diligenter liga, ídque in loco aliquo conſtitue qui meridiem ſpectet, quíque à Borealibus ventis ſit remotus,vt ab illis nulla ex parte perfletur.Ego verò id facere conſueui quadraginta Caniculæ diebus : in quibus quidem diebus paulatim vaſculum ad ſolem cõuerto,vt ex omni parte æquè incaleſcat:trãſactis quadraginta die F bus vas aperio,corpúſq; ſcillæ elixato ſimile comperio, ſuccum verò ex ea fluxiſſe,quem collectũ optimo melle iucundũ facio,eiúſque do quotidie cochlear vnum plenum,ac pueris quidem paruũ,adultis verò magnũ.Quinetiam ſcillæ ipſius partiũ contuſarum,& ex melle læuigatarum do cochlear vnum.Sed hoc quantum ad efficaciã pertinet,ſecundum à primo medicamento locum tenet.

Paſtillus ad vocem firmandam.Sinapi toſti & contuſi, & tenuiſſimo cribro cribrati partes tres,piperis tenuiſſimi pars vna:melle incocto excipiuntur , & paſtilli vnius G oboli effingũtur,quorum vnus comedendus eſt: nam & morſum & feruorem non exiguum excitabit, & arteriã etiam lenem efficiet. Alius,cuius ſub lingua tenetur quod fabæ magnitudinem impleat, vt liquor inde emanans paulatim deglutiatur.Hoc arteriam valde lenit , & ei vim addit.Eius hæc eſt cõpoſitio:Dulcis radicis drac. II.caſiæ drach.quat.croci, myrrhæ, folii, nardi Celtici, thuris,ſucci hypociſtidis, lycii, gũmi, ſingulorũ drach. II.partim contunduntur,partim teruntur,& omnia melle Attico cui terebinthina ſit admiſta,in vnum commi- H ſcentur. Medicamentum *δι' ὀπώρων*(*hoc eſt,ex fructibus pomaceis confectum*) ad dyſentericos & cœliacos accõmodatum.Mala punica integra X X. mala cotonea X. roſarum ſiccarum ſextar.I.prunorum agreſtium ſextar.II.ſorborum maturorum ſextar.II.pira Tarentina X X. poma

A Scandiana X X X. rhu ſyriaci ſextar. I I I. muſti aminæi cocti tertia coctione ſextar. X L V I I I.coque ſimul donec mellis habeant ſpiſſitudinem,& in teſtaceum vas repone. Antidotum Quinti,dolorem leuans,Styracis,opii,aſari,ſeminis hyoſcyami, caſtorii pares portiones,melle excipito. Dioſpoliticum aliàs ex paribus omnibus,cumino,pipere lõgo vel albo,ruta, & nitro conficitur:itaque magis ventrem ſoluit. Aliàs verò quũ cætera paria ſunt omnia,nitri dimidium ponitur. Cuminum autem in aceto acerrimo maceretur, deinde conti- B nuò contundatur , aut etiam prius modicè frigatur : rutæ quoq; folia ſunto modicè ſiccata.Quatuor his aliquãdo mel ſubactum & deſpumatũ admiſcetur, quandoque nihil:ſed ſola ſine melle reponuntur,ac ptiſanæ cremori,aut aliis eſculentis quibus conuenire videatur,iniiciũtur. *Διὰ τριῶν πεπέρεων,quod ex tribus piperis generibus ſimplex conficitur,*hoc mòdo paratur.Ad cuiuſque triũm piperum drach.L.ſatis eſt addere aniſi,& thymi,& zinziberis,ſingulorum drachmas octo. Ex calamintha medicamentum habet,Calaminthæ, pulegii, petro- C ſelini,ſeſeleos,ſing.drach.octo, ſeminis apii drach. quatuor,cacuminum thymi tãtundem,libyſtici drach.X V I. piperis drach.X L V I I I.mel optimum & deſpumatum.

Ex ſucco cydoniorum medicamentum componitur ad hùnc modum: Succi malorum ſextarios binos capimus:his mellis quamoptimi tantundem miſcemus,acetique ſextarium addimus:hǽcque prius coquimus mediocriter ad ignitos carbones,& ſpuma abiecta zinziber admiſcemus: & iterum ad carbones igne candentes ad mellis ſpiſſitudinem coquimus. Antidotum Ze- D nophili ad veſicam vlceratam, ad renes, & lapides frangens,à Deo donatum.Caſiæ fiſtulæ vnc.I.ſaxifragi vnc.I. bettonicæ,cyperi,petroſelini, coſti, ſingulorũ obol. tres, ſeminis paſtinacæ,ſeminis lini toſti,ſingulorum vnc.II. folii,ſpicæ nardi,aſari,dictamni,baccarum lauri , ocimi ſeminis,ſingul.vnc.I.pineæ vnc.V I.mellis lib.I I.Vbi vtendum eſt,id quod Atticæ fabæ magnitudinẽ impleat, in balneo vel ante balneum in potione vini mulſi diluitur. Galeni picra.Aloës drach.C.cinnamomi,ſpicæ nardi,xylobalſami,maſtiches,aſari, croci, ſingulorũ E drachmæ V I. Ego verò aloës drach.X C.croci drach. V. pono,& ita vtor.datur drach.vna. Quæ ſubducũt ventrem aut purgant. Zinziberis, ſcãmoneæ , vtriuſque vnc. I. ſalis ammoniaci vnc. I I I I. aloës totidem:aceti, gari,ſingulorum heminæ duæ. Coccaria ſalubria, apta ſtomacho,aluum maximè ſubducentia, quæ typos étiam denotant.Aloës vnc.I.ſucci abſinthii vnc.tres,ſcillæ Arcadicæ vnc.I.ſcilla in fermentum coniicienda eſt, & aſſanda ita vt coquatur. Scillam extrahe, & facito vt eius par pondus ſit , atque in mortarium coniectam ve- F hementer contunde,abſinthii ſuccum affundens:deinde aloën tenuiſſimam adiunge & emolli, vt medicamentum perficiatur.Facito fermentum,& excipito , & compone coccaria (*id eſt, granula*) quæ ciceris magnitudinem impleant,& dato iis qui ex longo morbo vires difficiliter recolligunt.Aliud. Scammonii vnc. I. aloes tantundem , colocynthidis interioris vnc. dimidium , bdellii drach.tres,abſinthii ſucci,braſſicæ ſucci,ſing.drach. I I. excipe,& ad erui magnitudinẽ cõfice:dato valẽtib' XVII. aut XIX.aut X X I.ægrotantibus autẽ V I I.aut X I.aut X V. G aut X I I I.idque deinceps diebus quinque,vel ſeptem,vel nouem. Si verò pituitam ab his duci aut validiora eſſe velis,adde fermento in totum euphorbii drachmam vnam. Medicamentum purgans,quod *κοπλάριον* (*hoc eſt placentula*)nominatur.Similæ drach.I.coni drac.quatuor,piperis drach.II ſcammoneæ drach.II.excipe melle Attico.Perfectum pondus quod dari queat eſt drach.II. Vtere etiam ad morbum regium. Paſtillus purgãs. Scãmoneæ,euphorbii,ſingulorũ drach.IIII piperis drac. II.folii vnc.II.mellis lib.vna.datur vnc.vna. Grana, H Scãmoneæ vnc.I I.aloes vnc.IIII.euphorbii drach.I I I I. Confice ex aqua ad erui magnitudinem, datóque V I I. aut I X.aut X I.aut X I I I.aut X V. aut X V I I. aut X I X.

Medicamentum ad colicos,purgãs.Euphorbii,cyperi,petroſelini,iridis,pares portiones. Symbiota-

rium.Scãmoneæ vnc.1.piperis,zinziberis,ſalis,petroſelini,ſingulorum vnc.vna. Medicamentum purgans ad eos qui elephantiaſi detinentur. Colocynthidas duas paris magnitudinis circunſcalpe,foraménque facito,& ſemina omnia abiicito,interiorẽ verò partẽ relĩquito, oleũ impone,& operculo proprio occluſas vnam noctem ita ſinito,die autem ſequenti euacuato:oleo coquẽdæ ſunt in aqua colocynthides donec flacceſcant, deinde eas abiice:oleo vero & aquæ mixtis, adde veratri nigri obolos tres, ſcammoneæ drachmam vnam, & vnà cum his polenta ex ſimila incoquitur, & ex hoc datur laboranti,qui tenui victu vtatur,quantum x x i i i i.nucum ponticarum magnitudinem impleat,& aqua potui detur. Medicamentum purgans ex iure veteris galli compoſitum.Interiora abiicienda ſunt, & ſal iniiciendus ita vt gallus impleatur,& conſuendus eſt, multáque aqua in qua parum olei ſit, multúmque anethi & porri, incoquendus: his colliquatis ius ſuaue & ſtomacho aptum, magíſque accommodatum ad purgandum redditur:eius colati dentur ad minus heminæ duæ.Summè facit ad inueteratas ad ſomnum propenſiones, quæ καταφοραὶ nominantur. Inunctio ſedis ad flatus emittendos.Ruta cum melle cocto læuigatur & teritur,vt ſucci plena efficiatur,& ex ea ſedes interior confricatur. Efficaciſſima erit ſi cumini parum accedat, itémque nitri aut cyclamini ſucci.Cæpa quoque non ſalita appoſita ad id valet.flatus enim ſatis multi,& aluum leuantes erumpunt. Hiera Rufi.Sicyoniæ ſiue colocynthidis interioris drach.tres, chamædryos drach. x. agarici drach. x.ſagapeni drach. octo, opopanacis drach.octo, petroſelini,ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ſingulorum drach.v.cinnamomi, aut duplum caſiæ fiſtulæ, ſpicæ nardi,croci, myrrhæ, ſingulorum drach.i i i i. polii drach.tres & dimidia.Hæc omnia miſce,in tenues partes redige,melle excipito,dato ad ſummum drachmas quatuor. Lyci purgans medicamentum.Scammonea cum ſale candidiſſimo quantum ſatis eſt læuigatur, deinde in pyxide plumbea in duplici vaſe coquitur.Modus autem duplicis coctionis eſt huiuſmodi, Pyxis duplex modius eſt,eius operculum aut foramen aut meatum habere debet:in eum meatum ſcammonea cum ſale læuigata coniicitur,& in vas imponitur,atque ita coquitur:éſtque non iniucunda ſtomacho,& nihilominus purgat.

Aliud purgans eos quos elephantiaſis exercet. Cape colocynthidis ſuccũ,atq; oleo perſperge,ipſámque colocynthida in vaſe nouo cum aqua donec flacceſcat,coquito: deinde tantum ſimilæ addito quantum capere aqua poſſit. Quúmque cocta fuerit, admiſce ellebori nigri drach.vnam,& ſurculo anethino agita,& verſa vſquedũ caleſcat:dato autem in potione quantum nucis Ponticæ magnitudinem impleat. Inunctio purgans,quæ aluum ciet.Alumen cum melle læuigatum vſque coquitur dum giluum fiat,ex quo ſedem iniungunt:hócq; medicamentum χεζανάγκη,*hoc eſt,quod aluum cogit deiicere*, nominatur.multa enim,ſed non ſine labore,educuntur.

Suffitus.

Roſarum nouarum lib.1.ſiccarum lib. i i. folii,croci, caſiæ,ſingulorum ſemis:ſtyracis vnc.1.amomi,onychis, ſingul.vnc.1.myrrhæ vnc.i i.bdellii vnc.1.carpobalſami vnc.1.chii vnc. 1. opobalſami vnc.i i. Roſarũ ſemũcia, myrrhæ vncia:myrrham cum vino læuiga, & omnia emolliens cum modico opobalſami conſice. Coſti,amomi,myrrhæ,caſiæ,ſing.vnc.1.ſtyracis,chiæ,bdellii,onychis,muſci,ladani,ſing.vnc.1. roſarum expurgatarum vnc. x x i x. Rufi hiera ſimplex.Colocynthidis drach. i i. marrubii,chamædryos,ſtœchados, ſingul.drach.x.gentianæ,agarici,ſing.drach.x i i. bdellii, ſpicæ nardi,croci,cinnamomi,ſing.drach. v i i i.caſiæ, iunci odorati floris,piperis albi,piperis longi,ſcillæ toſtæ,ſingulorum drach. v i. radicis centaurii drac. i i i i. omnia trita bdellio eliquato,& decocto panacis,& melle cocto admiſcentur. Xeromyron compoſitio Arabica.Foliorum amomi,coſti,zanazi,ſing.vnc.1. carpobalſami drach.1. Suffitus ad ſomnum conciliandum:Styracis,amomi,coſti, ammoniaci thymiamatis, bdellii Scythici, radicis mandragoræ, ſucci papaueris. Suffitus ex cupreſſo,quod cyphi Lunæ dicitur. Bdellii vnc. v i i. helenii tantundem, floris iunci odorati vnc.1.ſphagni vnc. v. baccæ iuniperi paruæ L. aſpalathi vnc. v i i. naſturtii vnc. v. ſpicæ nardi vnc. v i. cyperi vnc. i x. radicis aſphodeli vnc.i i i i. ſeminis cupreſſi vnc.i i i.Sabinæ vnc.iiii.nardi Celtici vnc.iii.coſti vnc.i i.myrrhæ vnc.v i i.caricarum pinguium lib.ii.vuarum paſſarum ſine acinis lib.i i.ſorborum vnc.i i i. terebinthi lib.1.roſarum ſiccarum vnc. i i i. ſtyracis vnc. v i i. palmularum pinguium lib. 1. mellis lib. v. vini odorati quantum ſatis eſt.

QVARTI LIBRI ARGVMENTVM.

Quartus liber facultates alimentorum continet:vt,quæ attenuent,quæ boni ſucci ſint, quæ calefaciant , quæ frigefaciant,quæ facilè & diſtribuantur & concoquantur,quæ apta ſtomacho,quæque flatus ſint expertia, quæ abſtergeant,aperiant,diſſecent,quæ craſſa ſint,quæ difficulter corrumpātur,quæ emolliant,quæ inter hæc media & contraria ſint,ac quomodo ſorbitiones coquendæ,itémque iura,eſculenta,& potiones , & quomodo lac potui detur,& quæ aquarum vis & natura ſit,intelligamus.

LIBRI CAPITA SVNT HAEC.

Quæ res extenuent, Cap.I.
Quæ craſſos ſuccos gignant, Cap.II.
Media inter attenuantia & craſſum ſuccum facientia, Cap.III.
Quæ viſcidum ſuccum in nobis faciant, Cap.IIII.
Quæ crudos humores in nobis pariant, Cap.V.
Quæ frigidos humores creent, Cap.VI.
Quæ pituitam gignant, Cap.VII.
Quæ melancholicum ſuccum pariant, Cap.VIII.
Quæ ſuccum bilioſum faciant, Cap.IX.
Quæ gignant excrementa, Cap.X.
Quæ multum nutriant, Cap.XI.
Quæ minus nutriant, Cap.XII.
Quæ res boni ſucci ſint, Cap.XIII.
Quæ mali ſucci ſint, Cap.XIIII.
Quæ res facilè concoquantur, Cap.XV.
Quæ difficiliter concoquantur, Cap.XVI.
Quæ res ſtomacho idoneæ ſint, Cap.XVII.
Quæ res ſtomacho alienæ ſint, Cap.XVIII.
Quæ res capiti noceant, Cap.XIX.
Quæ res non inflent, Cap.XX.
Quæ res inflent, Cap.XXI.
Quæ res abſtergant,incidant,aperiántque, Cap.XXII.
Quæ res obſtruant. Cap.XXIII.
Quæ tardi tranſitus ſint, Cap.XXIIII.
Quæ facilè corrumpantur, Cap.XXV.
Quæ difficulter vitientur, Cap.XXVI.
Quæ res in cibis aluum moueant, Cap.XXVII.
Quæ res mediæ ſint inter aluum purgantia & ſubducentia, Cap.XXVIII.
Quæ res aluum ſupprimant, Cap.XXIX.
Quæ res calefaciant, Cap.XXX.
Quæ res ſint acres & calidæ, Cap.XXXI.
Quæ res refrigerent, Cap.XXXII.
Quæ res exſiccent, Cap.XXXIII.
Quæ res humectent, Cap.XXXIIII.
Quomodo ſorbitiones coquendæ ſint, Cap.XXXV.
Quæ res loco olei in ſorbitiones iniiciantur, Cap.XXXVI.
De confectione alimentorum, Cap.XXXVII.
De aqua mulſa, Cap.XXXVIII.
De potionibus quæ vtiles ſunt ægrotantibus, Cap.XXXIX.
De lactis potione,ex Rufo, Cap.XL.
De aquis,ex Herodoto, Cap.XLI.

ORIBASII SYNOPSEωS AD EVSTAthium filium liber quartus.

QVAE NATVRA AC PROPRIETAS CVIVSQVE REI SIT QVA VESCIMVR, AC PRIMVM QVAE RES EXTENVENT, CAPVT I.

IN alimentis extenuant,allium,cæpe,naſturtium,porrum, ſinapi, piper, ſmyrnium,pyrethrum,origanum, calamintha,hyſſopum,ſiſymbrium,pulegium, thymum,ſatureia, viridia:nam exſiccata non amplius alimenta ſunt , ſed iam medicamenta. Id enim eſt perpetuum , quicquid ſiccius eſt,vehementius eſſe quàm id quod eſt virens : itémque omnia quæ in collibus aut in agris durioribus creuêre, iis quæ in pratis,aut hortis,aut locis paluſtribus naſcuntur, eſſe robuſtiora. Atque hæc quidem in omnibus ſunt communiter cognoſcenda. Porro eas res quæ dictæ ſunt, ſubſequuntur,eruca,ſium,apium,petroſelinum, ocimū, raphanus,braſſica,beta,carduus, iringium, coriandrum, vrtica,fœniculum,anethum,ruta,liguſticum,cuminum, capparis & terebinthi fructus,cari ſemen,aniſi,ſinapi,ameos,dauci,ſeſeleos, trochiſci,& omnium denique odoratorum & acrium,& planè calidorum ſemina. Inter ea verò quæ valde attenuant eſt rutæ ſemen , & cannabis, quippe quod ad medicamenti naturam accedat. Ex cerealibus ſeminibus ad victum attenuantem ſine moleſtia ſolum hordeum valet:poſt hoc,triticei panes in clibano cocti:à cæteris danda eſt opera vt abſtineamus , niſi fortaſſe quiſpiam per longa temporis interualla piſum aut lentem guſtare velit. Plurimam autem eámque innoxiā eduliorum copiam, ſi velis, ad victus attenuantis rationem tibi ſuppeditabunt piſces ſaxatiles,& auiculæ montanæ. omnia enim animantia quæ degunt in montibus, & ſicciore & calidiore natura ſunt prædita , eorúmque caro minimè eſt pituitoſa. Paſſeres igitur & turdos, merulos,perdices, licet edere:aues etiam quæ turricolæ vocantur,& quæcunque in vineis degunt,aptæ ſunt. Ex columbis,agreſtes domeſticis præſtant:& omnino agreſtia domeſticis præcellunt , quæque ſiccioribus alimentis quàm quæ humidioribus veſcuntur:& item quæ purum ac tenuem aërem inſpirant,iis quæ hoc non faciunt,meliora cenſentur. Ex piſcibus autem ſaxatilibus veſci poterimus iulide,phænicide,merulo, turdo, & ſcaro , & vno verbo,iis omnibus quorum eſt mollis caro, atque friabilis : ab iis contrà qui duram & glutinoſam carnem habent,abſtinendum omnino. Aſellorum autem caro mollis quidem eſt,ſed minus friabilis:at mullorum eſt friabilis illa quidem,ſed non mollis : ex quo fit vt mollities & friabilitas ſint indicia quæ nobis de cuiuſque animalis carne ſuppetant:ad quæ animum diligenter aduertentes,in quo vtrunque ineſſe compertum fuerit , eius carne,quantam velimus,veſcamur:cæterorum carnes in quibus neutrum ſit,omnino vitemus:in quibus alterutrum, ex iis interdum comedamus, quum aliarum nobis non ſuppetat copia:in quo cauendum eſt ne eas ad ſatietatem ingeramus. Quocirca quum ſaxatiles deſunt , aſellos & mullos,cæteróſq; pelagios piſces , ac præſertim eos qui cum ſinapi manduntur,qualis eſt ſcorpius, præbere poſſumus. Sunt porro quædam animalium genera quibus altera ex iis quas dixi , ineſt nota , ſed ea propter alterius exuperantiam non ſunt ad cibum adhibenda. Anguillæ autem & piſces cartilaginei,etſi carnem mollem habēt, tamen propter ſuccum lentum & pituitoſum qui in eis redundat , ſatis noxiæ afferunt. Iis verò qui attenuante victus ratione indigent , ex cartilagineis ſola torpedine & turture veſci licet,quum ſaxatiles non ſuppeditentur. Eadem facultate præditi ſunt bugloſſi & paſſeres. Non

verò autem gallinarum eſum iis qui ſe exercent, itémque A
columbarum & turturum, non recens, ſed pridie ad minus interemptarum: quod etiam in cæteris omnibus quæ carnem modicè duram habent, obſeruandum eſt. Piſces autem ſaliti exquiſitiſſimè extenuant. Ex his eligendi ſunt qui tenera carne ſuapte natura ſunt. Cetaceum genus eſt cauendum. Iam verò ſuillas carnes ſale conditas guſtare quiſpiam tutò poterit. Ex fructibus ii qui ventrem molliunt, minimè nocebunt. Molliores igitur magis quàm duros, & eos qui tardè tranſeunt comedere licet, non tamen ex vllo genere ad ſatietatem. Qui autem vehe B
menter auſteri & adſtringentes ſunt, huic rationi victus ſunt contrarii: magis verò omnino accommodantur caricæ, nuces, piſtacia, & amygdala ſubamara. Oliuæ eiuſmodi ſunt vt eas neque laudem neque vituperem. Ex dulcibus autem non modò eſculentis ſed etiam poculẽtis ſolum mel (vt ita dicàm) ſuccum tenuem gignit. Vina autem huiuſmodi ſuccum faciunt alba & tenuia: atque alba quidem craſſos ſuccos incidunt, & per vrinas expurgãt. Iam verò ſerum lactis inter ea numeratur quæ attenuandi vi ſunt prædita: ſed oxymel ad victus rationẽ C
attenuantem multo eſt accommodatius.

Quæ res craſſos ſuccos gignant, Cap. II.

CRaſſos ſuccos gignunt panes qui ſub cinere coquuntur, quíque rite non conficiuntur, & qui tragus appellatur, & placentæ ex muſto & ſimila, & lagana, & placentæ quæ itria dicuntur, & quodcunque ex triticea farina ſine fermento conficitur, & placentæ quæ ex eadem materia elaborantur. Præterea ſimila & alica abundè D
craſſi ſunt ſucci: amylum verò mediocriter. Lobi quoque craſſi ſucci ſunt, & lupini, & interna lentis pars, fabæ frictæ, ſiſami ſemen, eryſimi ſemen, piſces qui molles appellantur, loligines, ſepiæ, polypi, cetaceum genus. Satis verò craſſi ſunt ſucci patellæ, pectines, & omnia teſta inte-ctæ: itémque anguillæ, cochleæ, carnes ceruinæ, caprinæ, bubulæ, leporinæ, porcinæ, iecur, renes, pudenda, cerebrum, ſpinalis medulla, glandulæ, lingua mediocriter, lac nimis coctum, caſei omnes: recentes verò & qui ex acido lacte ſunt facti, minus: lac acidum igni decoctum: E
ex ouis, quæcunque ad perfectam concretionem ſunt cocta, & aſſata etiam magis, & longè maximè quæ in ſartagine fricta ſunt: palmulæ, caſtaneæ, glandes, bulbi, rapa, fungi, ari radix, tubera, nuces pineæ, ficus non probè maturæ, citrii caro, cucumeres vberius ſumpti. Inter vina, quæ dulcia ſunt, ea craſſum ſanguinem gignunt, & magis etiam id quod defrutum nominatur, & muſtum eodem modo: itémque craſſa & nigra vina.

Quæ media ſint inter attenuantia & craſſum ſuccum facientia, Cap. III. F

EIuſmodi ſunt optimè confecti panes, carnes gallinarum, gallorum gallinaceorum, phaſianorum, perdicum, columbarum, attagenum, turturum, turdorum, merulorum, & paruarum auicularum omnium: itémque ſaxatilium piſcium, & pelagiorum, gobiorum, murænarum, bugloſſorum, & abſolutè omnium piſcium quicunque neque lentorem, neque fœtorem edendo referant: & ficus, & pepones, & ex oleribus agreſtibus, feris, id quod eſt commune multorum genus. Singulorum autem ſpeciales appellationes apud Atticos ſunt, vt lactu- G
ca, chondrile, & alia ſexcẽta. Huius verò ſunt generis corruda, myacãthinus, & chamædaphnes, aſparagus, & bryoniæ. Vinum flauum ſimul & dulce & pellucidum, quale eſt Aruiſium, & Leſbium, & Falernum, & Tmolite. Hæc enim omnia & bonum & moderatè craſſum ſanguinem gignunt.

Quæ viſcidum ſuccum in nobis faciant, Cap. IIII.

TRiticum omne quod graue, denſum, & interius flaueſcens eſt, viſcidum ſuccum gignit: quod verò le- H
ue, rarum, candidúmque intus eſt, minus eſt huiuſmodi. Simila quoque & alica abundè viſcidæ ſunt: itémque tẽdines, muſculorum extremitates nerueæ, & partes quæ circa labra ſunt, & lingua, omnis ſuilla caro, itémq; agnina, ſeſami ſemen, bulbi, & pingues palmulæ.

Quæ crudos humores in nobis pariant, Cap. V.

PAlmulæ virides crudis humoribus replent eos qui ipſis veſcuntur, vt rigoribus quæ calefieri difficiliter poſſint, capiantur: & radix rapæ, ſiquis liberalius ea vtatur: & caro teſtaceorum, quorum caro dura eſt, & ſalſum ſuccum ex nimia coctione amiſit: & quæ mollia nominantur, polypi, ſepiæ, & quæ ſunt generis eiuſdem: cetaceum genus in mari degens: animalium ventriculi, inteſtina, vteri, acidum lac, panes in ſartagine cocti cum caſeo, lupini, vua in ventriculo contenta & non excreta.

Quæ res frigidos humores creent, Cap. VI.

QVi ſe cucumeribus valde explent, iis vt frigidum ſuccum coaceruent natura comparatum eſt, quum non facilè poſſint in bonum ſanguinem commutari. Eiuſmodi etiam ſuccum ventres, inteſtina, vteri, mala nõdum matura, & bulbi pariunt.

Quæ pituitam gignant, Cap. VII.

SVccum abſolutè pituitoſum gignunt nerueæ animalium particulæ, cerebrum, pulmo, ſpinalis medulla, glandulæ, agnina caro, boleti, fungi amanitæ, caro teſtaceorum, mala non matura.

Quæ res melancholicum ſuccum pariant, Cap. VIII.

CArnes bubulæ, caprinæ, & his multo magis hircinæ & taurinæ melancholicum ſuccum faciunt: & magis etiam aſininæ, camelinæ, vulpinæ, caninæ, leporinæ, & ſuum agreſtium. Ex piſcibus huiuſmodi ſuccum pariunt thynni, balenæ, cete, canis, delphin, & omne cetaceum genus: itémque cochleæ, braſſicæ, arborum germina quæ muria vel ex acida muria ſint condita, vt lentiſci, & tere binthi, & rubi, & canini rubi germina: cinaræ etiam caro, & lens eduliam eſt ſuccum melancholicum gignens vel maximè: poſt hanc panes furfuracei, quíque ex tipha conficiuntur: caſei vetuſti, & vinum craſſum & nigrum.

Quæ ſuccum bilioſum pariant, Cap. IX.

SIliquæ & cinaræ ſuccus amaram bilem facit: præſtat igitur cinaram coctam edere. Mel quoque facilè in bilem vertitur in calidis corporibus. omnia enim dulcia alimenta, & vina item dulcia, materiam flauæ bili gignundæ ſuppeditant.

Quæ gignant excrementa, Cap. X.

PAlumbi, anſeres, præter alas, viſcera omnia, ſpinalis medulla, cerebrum, aues paluſtres, & quæ in ſtagnis ac pratis vitam ducũt: cicer, fabæ virides, faba Ægyptia, porcelli nuper in lucem editi, caro pecudum, & omnium animantium recens natorum, quǽque in ocio vitam trãſigunt, & piſcium fluuiatilium, & paluſtrium, & qui in limo degunt, & omnes cetacei generis in mari, excremẽta faciunt.

Quæ res careant excrementis, Cap. XI.

ANimalium colla, caudæ, alæ, agreſtium animalium caro, & eorum quæ in ſiccis locis viuunt, excrementis carent.

Quæ multum nutriant, Cap. XII.

SVum domeſticorum caro præ omnibus eduliis maximum alimentum præbet: bubulum cerebrum, teſtes, cor, ſpinalis, & alia etiam medulla, alæ anſerum, & magis adhuc gallinarum: omnium volucrium ventres, cochleæ, ac præcipuè bis coctæ. Ex teſtaceis, quæ dura carne ſunt prædita, vt chymæ, purpuræ, buccina, & cætera generis eiuſdem plurimum alimenti afferunt. Iam verò aſtaci, paguri, cancri, locuſtæ, ſepiæ, ſquillæ, & iis ſimiles: & ex cartilagineis torpedo & turdus moderatè nutriunt: itémque bati, liobati, & rhina magis: muli autem & gobii minus. Lac magis alit quod craſſius eſt: quod verò liquidius eſt id minus alit. Ex panibus magis nutriunt ſiliginei, deinde ii qui ex ſimila parantur; tertio loco ii in quibus etiam furfur ſit. Triticum coctum, ſimila, alica, fabæ, carnem gignunt non firmam illam quidem & denſam, ſed potius laxiorem. Cicer magis nutrit quàm fabæ, magis phaſeoli, & ochri magis quàm fœnũgræcum. Dolichi quos lobos & phaſelos vocant, non mi

n.is quàm piſi nutriunt. Egregiè etiam alunt lupini, caſtaneæ, lentes, palmulæ dulces, vuæ dulces & pingues, glãdes, rapa quam napum nominant. Bulbi maximè nutriunt, & præſertim bis cocti: mel deſpumatum & ad diſtributionem & ad nutritionem redditur accommodatum, & melicratum probè coctum. Omne vinũ pro portione craſſitiei nutrit. Rubrum igitur & craſſum maximè omnium ad ſanguinem gignendum accommodatum eſt: ſecundo loco id quod nigrum craſſũmque ſit, & adſtringens. His minus nutrit album ſimul & craſſum & adſtringens. Minimè verò omnium, album & tenue. Ad ſummam, omnia quæ craſſi ſucci ſunt, ſi probè concoquantur, & conuertantur in ſanguinem, alimenti multum præſtant.

Quæ res minus nutriant, Cap. XII.

PArum nutriunt extremæ animalium partes, vterus, vẽter, inteſtina, cauda, aures, pinguedo, adeps. Omne volucrium genus terreſtrium generi comparatum, minus nutrit. Caro eorum quæ ſenio confecta ſunt, minus alit quàm caro eorum quæ adhuc augeſcunt. Alimentum quod piſces dant, tenuiorem ſanguinem gignit, vt neque abundè nutriat, & citò etiam digeratur. Ex iis quæ teſta intecta ſunt, quæ molli ſunt carne, velut oſtrea, exiguum alimentum præbent. Panes hordeacei, quomodocunque conficiantur, minimè omnium aliorum nutriũt: minus verò alit polenta quæ ex iis efficitur: itémque panes furfuracei, ac impuri omnes, & loti, amylum, maza ex polẽta hordeacea, auena, millium, eóque magis panicum, oryza, fabæ virides, ſemen papaueris, hormina, mora, rubi canini fructus, iuniperus, myrta, amygdala, piſtacia, pruna, perſica, armeniaca, præcocia, oliuæ, & præſertim maturæ, nuces auellanæ, & magis etiam regiæ: nuces, ſerica, corna, pruna ſylueſtria, zizipha, iuglandes, halicacabus, capparis, & præſertim ſale condita: terebinthi partes omnes, braſſica, beta, lapathum, portulaca, ſolanum, raphanus, napi, cardamum, pyrethrum, aſparagi omnes, paſtinaca, daucus, carus: cæpa autem & allium, & porrũ, & ampeloprasum, cruda quidem alimentum nullum præbent, bis autem térve cocta, pauciſſimum. Mala Punica parum nutriunt: pira verò, & præſertim magna, neſcio quid alimenti in ſe continent. Cucurbitæ quoq; modicũ alunt, itémq; vuæ paſſæ auſteræ, & nõ pingues. Porro inter ea quæ multũ & ea quæ parũ nutriũt, medii interiecti ſunt phaſeoli, ochri, araci, cicerculæ, & ficus, quæ nõ æquè ac alii æſtiui fructus, parum nutriunt. laxam enim carnem faciunt, id quod faciunt etiam vuæ: ipſæ verò minus quàm ficus alunt, laxámque & humectam carnem gignunt. Omnia autem edulia in quibus aliqua vehemens medicamenti qualitas inſit, quum eam qualitatem aut aſſando aut decoquendo aut parando depoſuerint, exiguum alimentum corpori dant, prius verò nullum præbent.

Quæ res boni ſucci ſint, Cap. XIII.

OMnium ferme eorum quibus veſcimur, lac optimi eſt ſucci: optimum autem lac eſt animalium integræ valetudinis, quum nuper expreſſum potatur. Oua tremula & ſorbilia boni ſunt ſucci: itémque gallinæ, & piſces fere omnes, præter eos qui in paludibus & ſtagnis, & fluminibus limoſis degunt: ac præſertim ſi aqua è ciuitate aliqua prodeat, cuius cloacas & balneas expurget, vel aquam admiſtam habeat quæ fullonibus ad veſtes tingendas vſui fuerit. Ergo tutius erit ſemper eos piſces offerre qui de mari quod aquæ dulci mixtum non ſit, excepti fuerint: quales ſunt qui pelagii & ſaxatiles appellantur. hi enim tum ſucci bonitate tum iucunditate cæteris longè præſtant. Si verò quidam ſint qui vtraque in aqua ſoliti ſint viuere, vt capito, lupus, aſellus, gobius, muræna, & cancri, & anguillæ, ſtatim quærendum erit vbinam ſint capti: deinde odoratu & guſtatu diſcernere. Etenim qui in aqua vitiata vitam duxerunt, etſi cæteris ſunt pinguiores, tamen & malè olent, & inſuaues ac mucoſi ſunt, & ſtatim putreſcunt: atque etiam ex conſuetis piſcium alimentis, aut meliores aut deteriores eſſe ex guſtu atque odore facilè cognoſcuntur: quemadmodum mulli omnium peſſimi ſunt qui cancros comederunt.

A Aliorum verò caro durior eſt illa quidem, ſed non mali ſucci: fidicula, rhombus, hepatus, bugloſſum, pſitza, & lacertus medii quodammodo ſunt inter eos qui teneram carnem habent. Alimentúmque eorum eſt optimum iis qui ſe non exercent, qui imbecilli ſunt: iis verò qui conualeſcunt, friabile & molle alimentum eſt ad bonam valetudinem accõmodatiſſimum. Omnium autem optimi ſucci ſunt carnes quadrupedum animalium, quæ ſi probè concoquantur, optimum ſanguinem gignunt, & præſertim eæ quæ boni ſucci animalium ſunt, quale ſuillum B eſt genus. Suum enim caro & ad iucunditatem & ad cõcoctionem eſt præſtantiſſima, & eorum vel maximè qui in media ætate ſunt conſtituti: vetuſtiſſimi nanque ſuis caro deterior eſt, itémque eius qui nuper natus comeditur. Nimis enim humidæ ſunt carnes eorum qui recens ſunt nati, & pituitæ plurimum faciunt: ſed tamen iecur boni ſucci eſt: at partes quæ circa labia ſunt & alæ, minus boni ſucci ſunt quàm caro. Glandulæ probè concoctæ æquè ac carnes boni ſunt ſucci: cor non mali ſucci eſſe cenſemus: meliores ſunt pedes porcorum & roſtrum C & aures. Cæterorum animantium, quanto carnes à porcorum carnibus in alimenti viribus ſuperantur, tãto partes extremæ in eiſdẽ partibus ſuillis cedũt. Cerebrũ volucriũ lõgè præſtat cerebro terreſtriũ. Ferarũ caro melioris ſucci eſt quàm cicurũ. Panis purus rite cõfectꝰ boni ſucci eſt, itémq; alica, ptiſana probè cocta. Fabæ, caſtaneǽque nõ mali ſucci ſunt, nec ficꝰ maturæ, & vua matura, pẽſilis verò reprehendi non poteſt. Caricæ ſtatim diſtributæ boni ſucci ſunt: quæ verò diutius in ventriculo morantur, mali ſucci euadunt, & pediculos generant. Hæ cum D nucibus in cibo acceptæ præſtantiſſimum edulium faciunt: qui verò ficus & caricas cum aliis eduliis comedunt, non mediocri detrimento afficiuntur. Lactuca, vt olus, bonum gignit ſanguinem: ſecundo poſt eam loco, intyba. Vina odorata boni ſucci ſunt: optimi verò ſunt ſucci Falerna, & potiſſimũ dulciſſima, itémque Aruiſiũ, & fuluum Tmolite dulce.

Quæ res mali ſucci ſint, Cap. XIIII.

MAli ſucci non vna ſpecies eſt. alius enim frigidior eſt, alius calidior, alius bilioſior, alius denique ad E aquæ naturam propius accedit, vt etiam magis melancholicus eſt alius. Ab omnibus autem mali ſucci eduliis etiamſi facilia concoctu ſint, abſtinendum eſſe conſulo. Succus enim malus ex eis coaceruatus diu latet in venis: quum verò occaſionem aliquam ad putredinem nãciſcitur, febres malignas gignit. Mali autem ſucci ſunt hæc, pecudũ caro & caprarũ ex acrimonia. hircorũ caro peſſima eſt: proximè ſuccedit caro arietina, deinde taurina. inter hæc omnia caro caſtratorũ eſt potior: ſeniorum verò F ſunt peſſimæ. Leporum caro gignit illa quidẽ ſanguinẽ craſſiorem, ſed tamen qui melior ſit ad ſuccos bonos faciendos quàm boum aut pecudum: & tamen ipſa quoque mali ſucci eſt. Ceruina caro mali eſt ſucci. Renes & teſtes adultorum animalium, præter teſtes gallorum gallinaceorum, mali ſucci ſunt. cerebrum, ſpinalis medulla, cor, lien, omnia viſcera animalium, oua frixa, caſei veteres, boleti, amanitæ fungi, mali ſucci ſũt: cæteros fungos nõ eſſe tutius eſt. Fœnumgræcum, lens, tipha, auena, & panes ex his confecti non bonum ſuccum pariunt. cicer bonũ G ſuccum non gignit: olyra verò peſſima eſt. panicum, millium, & cætera generis eiuſdem bonum ſuccum non creant. Piſces verò, dracones, cuculi, callionymi, ſcorpii, trachuri, muli, orphi, glauci, & cætera animalia cetoſa quæ in mari degũt, mali ſucci ſunt omnia. Fructꝰ omnes qui horæi dicũtur, mali ſucci ſunt: ficus verò minus quàm alii fructus. at caricæ, ſiquis frequentius eis veſcatur, non admodum probum ſanguinem gignunt: ex quo fit vt ex eis magna pediculorum copia conſequatur. Mala non matura, pira antequam matureſcant, terebinthi fructus, mali ſucci ſunt: cinara quoque, & præſertim quũ H durior eſt, itémque cucumeres & pepones, ſed minus. cucurbita his omnibus præſtat, ſed hæc quoque in ſtomacho corrupta abundè eſt mali ſucci. Ex oleribus nullum boni ſucci eſt. medium inter vtrãque partem locum te-

net lactuca & intyba & malua:deinde atriplex, & portu- A
laca, & beta, atque lapathum. Radices autem plantarum,
olerum, mali ſucci ſunt quæcunque acres ſunt, quales
ſunt cæparum, porrorum, & alliorum, & daucorum, &
raphanorum:mediæ ſunt,radices ari,rapæ quæ napus ap-
pellatur,& eius quem carum nominant. Ocimum ſucci
eſt peſſimi.Rapa cruda,braſſica,bulbi non probè cocti:
cæpæ,porra,allia,ampelopraſa,bis cocta ſucci prauitatẽ
deponunt.Peſſimi verò omnino ſucci ſunt olera omnia
quæ ſylueſtria nominantur,vt agreſtis lactuca, chondri-
le,ſcandix,gingidium,ſeris,& cichorea. Vina quæ craſſa B
ſunt & fœtida, & adſtringentia,quale eſt vile Bithynum,
quod in magnis doliis comportatur:nam quod in paruis
conuehitur,neque boni neque mali ſucci eſt,ſed mediũ
inter vtrunque locum tenet.

Quæ res facilè concoquantur,
Cap. X V.

FAcilè concoquitur panis probè confectus, piſces ſa-
xatiles omnes,gobius,torpedo,turtur,ſi auium gene
ri comparetur. Volucrum caro terreſtrium carni compa- C
rata,facilius concoquitur,præſertim verò perdicis, atta-
genis, columbæ, gallinæ, galli gallinacei, phaſiani. Alæ
anſerum faciles ad concoquendum ſunt,ſed gallinarum
ſunt faciliores:& ad ſummam,alæ bene educatorum &
iuniorum,optimè concoquuntur, peſſimè verò macilen
torum & ſeniorum.quæ verò ſero lactis educata ſunt,ie-
cúrque anſerum, & cæterorum quæ ſimiliter aluntur,
itémque gallinaceorum gallorum teſticuli,facillimè cõ
coquuntur.extremæ porcorum partes ſunt concoctu fa-
cillimæ.Ex bubulis & caprinis carnibus,meliores ad cõ- D
coctionem ſunt vituli : atque hœdi capris omnibus præ-
ſtant.Carnes eorum quæ adhuc creſcunt,facilius conco-
quuntur quàm carnes eorum quæ declinant : quæque in
ſiccis locis ſunt educata, carnibus ad concoquendum
facilioribus prædita ſunt quàm quæ aliis in locis. Iu-
glans facilius quàm auellana concoquitur : bulbi faci-
lius concoquuntur qui bis cocti ſunt, itémque oua tre-
mula & ſorbilia,lactucæ,intyba,malua,cucurbita cocta,
quum non corrumpitur in ventriculo. Vinum dulce fa-
cilius quàm adſtringens concoquitur. Porro ex iis quæ E
æquè ſalubria ſunt, id eſſe concoctu facilius ſciendum
eſt quod ſit iucundius.

Quæ res difficiliter concoquantur,
Cap. X V I.

DIfficulter concoquitur caro capræ, bouis, ceruique:
difficillimè autem caro hircorum,deinde arietum,
poſtea taurorum. animalium verò annoſorum peſſimè
concoquitur,itémque ſuum ſi ſniores fuerint:ventricu
lus quoque ægrè concoquitur,inteſtina, vterus, cor, ie-
cur,aures,caudæ, renes,viſcera omnia, cerebrum, ſpinæ F
medulla,adultorum animalium teſtes,ſanguis denique
omnis. Anſerum verò præter alas,& item palumborum,
ſturnorum,merulorum,& paruarum auium caro eſt du-
rior:ac magis etiam caro turturis antiqui,& anatis:& his
magis caro pauonum & otidum. Ventres omnes volu-
crum ægrè concoquuntur:qua in re quidam ſtruthioca-
meli & mergi ventrem quaſi medicamentum ad conco-
quendum valens falſò laudant:ſiquidem neque ipſe faci
lè concoquitur,neque aliorum ciborum concoquẽs me
dicamentum eſt.Cochleæ difficiliter concoquuntur,at- G
que etiam lac acidum & caſeus vetus:at recens & ex aci-
do lacte confectus,eſt præſtatior.Purpurarum autem ca-
ro,& buccinorum,& aliorum teſta intectorum,quorum
dura caro eſt, difficulter concoquitur:aſtaci verò, pagu-
ri,cancri,locuſtæ,ſquillæ,& cæteri generis eiuſdem:po-
lypi, ſepiæ, loligines, & omnes quæ molli cute præditi
nominantur:bati,liobati,rhinæ,dracones, cuculi, calio-
nymi,ſcorpii,trachuri,mulli,iphi,glauci,zygænæ,ſalpæ
næ,gongri,phagri,amiæ,aquilæ,oua toſta, cocta, fricta,
triticum coctum,tragus, (cui ſoli ineſt vt ſit quàm po- H
lenta concoctu difficilior)tipa, auena, panes ex eis con-
fecti,fabæ,ochri,dolichi,phaſeli,cicercula, araci, cicer,
oryza,lupini,panicum,milium,& cætera huius generis:
lens,tuſſilago, ſeſamum, eryſimum, caſtaneæ, glandes,

A poma,pira,& ficus antequam maturuerint:vuæ acidæ &
auſteræ,palmulæ omnes,ſiliquæ,citrium,cuius parte ex-
teriore ſiquis pro medicamento vtatur,ea ad concoctio-
nem faciet,quemadmodum alia pleraque acria faciunt:
ocimũ,rapa minus cocta,bulbi crudiores,paſtinaca,dau-
cus,carus,& omnes olerum radices, & ipſa itidem olera
omnia præter lactucam & intybum, ſunt eiuſmodi. Vi-
num quoque craſſum & nouum, atque etiam aqua om-
nis difficiliter concoquitur.

Quæ res ſtomacho idoneæ ſint,
B Cap. X V I I.

STomacho autem aptæ ſunt palmulæ auſteræ,mala cy-
donia.Oliuæ ſale conditæ præſtantiores ſunt quæ ex
aceto ſunt paratæ,vuæ paſſæ auſteræ, vua in vinaceis re-
poſita,nux regia,& magis quàm auellana, & multo ma-
gis ſi cum caricis comedatur. Spinoſa omnia ſtomacho
apta ſunt mediocriter:huius generis ſunt,carduus, atra-
ctylis inciſa magis quàm conueniat:cinara, ſiſeris radix
cocta,gingidum æquè ac ſcandix,quod crudum & coctũ
ſi edatur,ſtomacho mirum in modum idoneum eſt,lõ-
C giorem autem coctionem non fert:napi,raphanus,rapa,
cardamum, pyrethrum, regius aſparagus & paluſtris,
myrtus ſylueſtris,chamædaphne,oxyacãthæ,& bryoniæ.
Bulbi appetitum excitant,itémque capparis ſale condita.
Extima citrii pars ſtomachum roborat in medicamenti
vicem ſumpta. Vinum auſterum os ventriculi firmat,atq;
ipſum ventriculum,præſertim calida affectum intempe-
rie. Vt medicamenta verò,abſinthium,& aloë eundem
corroborant.

Quæ res alienæ ſtomacho ſint,
D Cap. X V I I I.

STomachum lædunt baccæ iuniperi, magis verò ce-
driæ,fructus arbuti, amaranthus, viticis ſemen:beta
verò ita ſtomacho aliena eſt vt ſi eſtur largius, morſum
etiã inducat:itémque lapathium, ocimum,rapa crudior,
blitum,atriplex,niſi ex aceto,oleo,& garo comedantur.
Fœnumgræcum ſtomachum ſubuertit, & eodem etiam
modo ſeſamum. Lac in iis qui frigido ventriculo ſunt
aceſcit:in iis verò qui calido ſunt,in nidorem tranſit: ex
quo fit vt febricitantibus iure noceat: ſiquis verò cum
E melle propinet,vomitum ciebit. Pepon non probè con-
coctus cholericos inducere morbos conſueuit: etenim
priuſquam corrumpatur,ad vomitum prouocandum eſt
idoneus: ſique copioſius eo quiſpiam veſcatur, neque
quicquam quod boni ſucci ſit pòſt comedat,omnino vo
mitum mouebit: idem melopepon facit. Iam cerebrum
omne ſtomacho non conuenit,& nauſeam ciet:quemad-
modum facit etiam oſſium medulla. Vinum nigrum &
auſterum facilè aceſcit:craſſum verò & nouum ad vomi
tum impellit. Inter medicamenta,abrotonum, ſeriphum,
F ſpuma nitri,ſtomacho non conueniunt.

Quæ res capiti noceant, Cap. X I X.

MOra,rubi fructus,caput lædunt:iuniperi baccæ,fru
ctus arbuti,cedriæ,cannabis ſemen,radix mei,pal-
mulæ omnes,eruca,fœnumgræcum,lini ſemen, vinum
fuluum & auſterum caput lædit, & mentem tentat ma-
gis quàm nigrum & auſterum:odoratum quoque caput
petit:at vinum aquoſum neque capitis dolorem exci-
tat, neque neruos lædit. Lac non eſt aptum capiti, niſi
quis caput admodum validum habeat. Aqua in qua vuæ
G madefactæ ſint,quæ fex etiã appellatur, capiti dolorem
infert:itémque vua quæ fuerit in vinaceis repoſita.

Quæ res non inflent, Cap. X X.

NOn inflant cuminum,liguſtici radix & ſemen,viti-
cis ſemen,fructus cannabis. Præterea ex iis quæ a-
lioqui inflandi vim habent, non inflant fabæ elixatæ
aut frictæ,bulbi aut multum aut bis cocti, & cum oleo,
garo,& aceto ſumpti. Mel deſpumatum, oxymel, flatus
diſcutit. Panes hordeacei quomodocunque cõficiantur,
minimè flatus excitant. Inter ea verò quæ inflant aut nõ
H inflant,medii ſunt phaſeli,ochri,cicerculæ,araci.

Quæ res inflent, Cap. X X I.

INflant autem hæc,piſa,phaſeli, fabæ, cicerculæ, len-
tes,caſei,cicer,lupini,ochri,panicum, milium, cæte-
ráq; generis eiuſdem. Faba freſa magis inflat quum per

ſe ſola quàm quum aliter cocta eſtur. Maza ex polẽta fla-
tum gignit, ſubacta verò, diúque contuſa, magis per aluũ
ducit, præcipuè verò ſi mellis portio ei fuerit indita. Suc
ci omnes inflant, præ cæteris cyrenaicus, ſatyrium, ſilphii
liquor, & radix. Ex ficubus breuis flatus excitatur, quia
facilè deiiciuntur: quæ verò exquiſitè maturæ ſunt, pa-
rum abeſt quin nihil penitus noceant, veluti caricæ. Pal-
mulæ virides ita flatum excitant vt ficus, rapa cruda. Lac
in ventriculo facilè ciet flatum, bulbi crudiores, mel nõ
perfectè coctũ. Vina dulcia diuturniores flatus excitãt:
dulcia ſimul & auſtera quæ neque diſtribuuntur, neque
digeruntur, ſed in ventre ſuperiore manent, flatum indu
cunt. Muſtum verò ipſum quoque inflat.

Quæ res abſtergant, incidant, aperiántque, Cap. XXII.

ABſterget verò ptiſana, fœnumgræcum, melopepon,
pepon, vuæ paſſæ dulces, fabæ, cicer, ac magis nigrũ,
quod lapides etiam in renibus egregiè confringit. Cappa
ris ſatis tenuium partium eſt: quæ verò ſale cõdita eſt, ab-
ſterget, & pituitam quæ in ventriculo eſt, deducit, & lie-
nis atque hepatis obſtructiones expurgat: ad quem vſum
adhibenda eſt cum oxymelite vel oleo ante alios cibos
omnes. Betarum ſuccus abſtergendi vim habet, eáſque
obſtructiones quibus hepar infeſtatur, diſſoluit: ſed præ
ſertim quum ex aceto & ſinapi eſtur: lapatia quoque, &
vrtica. Ari verò & aſphodeli radix tenuium partium eſt.
Bulbi vim habent extergendi, attenuandi, & aperiendi:
quocirca & aſparagum & aſphodelum ictericis vt ſum-
mum remedium præbent. Cæpæ, allia, porrum, ampelo-
praſum, attenuant ſecántque craſſos & glutinoſos humo
res qui redundant in corpore: atqui bis aut ter cocta acri-
moniam deponunt, & tamen etiam attenuant. Serum la-
ctis humorum craſſitudinem attenuat. Ficus abſtergent:
quam ob rem multæ arenulæ ex ficuum vſu in nephriti-
cis excernuntur. Caricæ extenuant, & incidunt: ex quo re
nes expurgant. Baccæ iuniperi ea quæ in iecinore & reni-
bus ſunt purgant, craſſóſque ac tenaces humores atte-
nuant. Amygdala extergent & attenuant, viſceráque ex-
purgant, & humorum reiectiones quæ per ſputum expe
ctore & pulmone fiunt, expeditiores reddunt. Piſtacia ad
iecoris firmitatem vtilia ſunt, & ad purgandos humores
qui in eius meatibus infarcti ſunt, valent. Raphanus atte
nuandi vim habet. Mel habet maiorem attenuandi vim,
quod ex calidis & ſiccis plantis factum eſt: quocirca etiã
aqua mulſa ad ſputum educendum eſt accommodata.
Oxymel ea facilè deducit quæ neque tenacia, neque craſ-
ſa admodum ſunt: viſceráque ſine moleſtia expurgat,
morbiſque thoracis & pulmonis mirificè conducit. Iis
qui ſuccum craſſum aceruãt, vina tenuiſſima conueniũt:
quòd ſi frigidi quoque humores illi fuerint, tenuia & an
tiqua & cum acrimonia cõferent. Vinum verò aquoſum
ad humorum ex pulmone eductionem aptum eſt. robo-
rat enim, & ſuccos humectat, & ſecat mediocriter. Vinũ
dulce in morbis acutis, veluti in peripneumonia atque
pleuritide, quum iam ſit facta concoctio, eſt ad vires re-
ficiendas accommodatum.

Quæ res obſtruant, Cap. XXIII.

LAc in quo plurimum ſeri ſit, minimè periculoſum
eſt, etiamſi ſemper eo veſcare: quod verò ſeri parum,
caſeíque multum habet, non tutum eſt ei qui in eius vſu
diu perſeueret. renes enim qui ad calculos generandos a-
pti ſunt, lædit, & iecinoris obſtructiones facit in iis qui in
eiuſmodi morbos facilè poſſint incidere. Caricæ ſunt ie-
cori & ſpleni inflammatis noxiæ, veluti etiam ficus, non
aliqua propria & excellenti earum facultate, ſed commu
ni omnium dulcium ratione. omnia enim dulcia lienem
& iecur obſtructa, & ſcirrho laborantia lædunt: ipſæ ve-
rò ſuapte natura neque obſunt, neq; proſunt vehementer:
additæ verò iis medicamentis in quibus abſtergendi &
incidendi vis eſt, non mediocrem vtilitatem afferunt. A-
qua mulſa incommoda eſt iis quorũ viſcera in tumorem
elata, aut ſcirrho, aut œdemate, aut inflammatione labo-
rãt: ſiquidem mel natura ſua in bilioſum ſuccũ celeriter
mutatur. Papaueris ſemen ea retinet quæ ex thorace pro-
leunt. Palmulæ pingues & dulces obſtruũt: id quod viri-
A des magis faciunt. Præterea omnia liborum genera, &
quæ ex ſimila conficiuntur, obturant, & lienem augent,
& lapidem in renibus pariunt. Idem facit triticea farina
ex lacte. Alica etiam incommoda eſt iis quorum iecur
obſtructum eſt, & quibus renes ſunt lapidi generando i-
donei. Vinum dulce obturat, & viſcerum tumoribus in-
crementum præſtat.

Quæ tardi tranſitus ſint, Cap. XXIIII.

TArdè autem tranſeunt omnia quæ ex itriis & ſimila
conficiuntur, fabæ frictæ, panes puri, lens detracto
B corticè, cerebrum, ſpinalis medulla, iecur, cor, triticum
coctum, oua cocta, & magis aſſata, & magis etiam fricta,
lupini, phaſeli, piſi, ſeſamum, eryſimum, glandes, mala,
pira non matura, ſiliquæ, vinum dulce, & magis quod au
ſterum eſt, & nigrum ſine dulcedine, itémque craſſum &
nouum omne. Aqua omnis tardi tranſitus eſt.

Quæ facilè corrumpantur, Cap. XXV.

PErſica, armeniaca, præcocia, facilè corrumpuntur. O-
mnes item fructus horæi, quorũ natura humida eſt,
in ventre facilè vitiantur, niſi prius citò deiiciantur, id-
C circo iis ante cætera omnia veſci oportet: ita enim celeri-
ter deiiciuntur, & alia etiam deducunt. quòd ſi poſt alias
dapes comedantur, eas etiam ſimul corrumpunt.

Quæ difficulter vitientur, Cap. XXVI.

CHamulæ paruæ, purpuræ, buccina, & cætera omnia te
ſta intecta. Quæ duram carnem habent, iis qui pro-
pter humorum malitiam cibos corrumpunt, dare conſue
uimus: eáque bis & ter in optima aqua incoquimus, & in
aliam puram transferimus. Eiuſmodi quoque ſunt aſtaci,
paguri, cancri, locuſtæ, ſquillæ, & quæcunque carnem ha
D bent quæ difficiliter vitietur, non ſecus quàm teſta con-
tecta, quorum caro dura eſt.

Quæ res in cibis aluum moueant, Cap. XXVII.

ALuum ſubducunt, lens, braſſica. Marina verò fere o-
mnia quæ teſtacea nominantur, compoſitam ex cõ-
trariis facultatibus naturam habẽt. ipſum enim ſolidum
vniuſcuiuſque corpus tardi tranſitus eſt, & ventrem ſiſtit.
Humiditas verò ad excernendum irritat. Siquis igitur aut
lentem, aut braſſicam, aut aliud quoddam ex iis marinis
animalibus quæ dixi, coquat, deinde eius decoctũ oleo,
garo & pipere condiat, tum potui det cui velit, ventrem
E eo potu ſubduci conſpiciet. Quinetiam marinorum eri-
naceorum, & conchularum omnium, & veterum gallorũ
iuſcula cient aluum. Braſſicam, ſi velimus aluum ſubdu-
cere, cacabo vnà cum aqua in qua fuerit cocta, propè col-
locata, extrahimus, & ſtatim in oleum & garum iniici-
mus. ea enim non eſt admodum coquenda. Mouent al-
uum panes furfuracei, & quia in ventre multum excremẽ
ti faciunt, & quia furfur abſtergendi vim habet. Fœni-
græci ſuccus cum melle coctus, & ſumptus, ad omnes vi-
F tiatos humores qui in inteſtinis ſunt, ſubducendos ido-
neus eſt: ea etiam vi abſtergendi quæ in eo eſt, cæteros
ad excretionem trahit. Mel verò quod ei miſcetur, parum
eſſe oportet, ne morſum excitet. Oliuæ ſalitæ ſi ante alios
cibos ex garo comedantur, aluum mouent. Quemadmo-
dum teſta intectis, ita etiam conchulis ineſt ſuccus ventri
ſubducendo idoneus: & propterea nonnulli eas ex oleo,
vino, & garo parant, & iure, quod inde fit, ad aluum cien-
dam vtuntur. Lac, quod liquidius eſt, magis ſubducit:
quod craſſius eſt, minus. Serum lactis valde aluum mol-
G lit, eique tantum mellis addendum eſt quantum ſatis ſit
ad condiendum citra ſtomachi ſubuerſionem: eodémq;
modo tantum ſalis adiiciendum quantum ſatis ſit, ne gu
ſtus offendatur: quòd ſi velis magis ſubducere, plurimũ
ſalis in tenuiſſimum læuorem redacti indito. Carnes ani
malium quibus parum admodum ætatis acceſſit, ac ma-
gis etiam eorum extremitates, per aluum tranſeunt. Simi
li quoque modo ex piſcibus cartilagineis torpedo & tur-
tur mediocriter tranſeunt. Beta & lapathiũ, vrtica, caſeus
recens cum melle, atriplex, blitum, cucurbita, pepones,
H melopepones, ficus, caricæ, vuæ dulces, & præſertim quũ
humidæ fuerint, ſycamina pura in ventriculum inciden-
tia, & præ cæteris cibis ſumpta, celerrimè ſubducuntur,
& cæteris etiam cibis viam parant: poſt alios verò cibos
accepta, etiamſi vitioſum ſuccum in ventriculo compe-

riant, tamen æquè ac cucurbitæ, celerrimè corrumpuntur. A
Nuces recentes ad alui excretionem faciunt: ſed & ſiccæ, ſi prius in aqua permaduerint, æquè ac virides faciunt. Pruna humida ſubducunt, ſicca verò in aqua mulſa in qua multum mellis ſit, infuſa, etiamſi quis ea ſola comedat, ſatis abundè ventrem leniunt: ſed multò magis ſi mulſam etiam ebibat. Eſt enim perſpicuum facere ad ventris ſubductionem, vt poſtquam ea ſumpſeris, aliquo poſt tempore vinum dulce bibas, neque ſtatim prandeas. Mora, ceraſia, præcocia, perſica, & omnia humida, & aquea, & omnino quæ nullam inſignem habere qualita- B
tem ea guſtantibus & olfacientibus videntur, ſi rectè affectus ſit ventriculus, facilè per infernas partes deiiciuntur: ſi verò non & ipſa ſupra cætera manent, nihil vẽtrem ad expellendum iuuant, quia nulla in eis ineſt acrimonia, aut nitroſa qualitas. Hæcque eduliorum materia eſt quodammodo media inter ea quæ aluum ſubducunt & ea quæ ſiſtunt, parum ad alteram partem vergens quum vſuuenit, vt neque languidè ventrem ſubducat, neque validè ad diſtributionem faciat. quandoque enim aluus ſiſtitur, & ea quibus cohibetur, in alteram partem parum C
quid vergunt. Ex quo fit vt aqua mulſa in quibus celeriter diſtribuitur, in iis non ſolùm aluum ad excernendum excitet, ſed cæteros etiam cibos commiſtos deducat: ſi verò non properet diſtribui, ſtatim irritet ad excretionẽ, quia habet aliquid acrimoniæ. Quin ipſum etiam mel ſolum, ſiquis non coctum lambat, aluum rectè ſubducit: aqua autem mulſa, parumper vel nihil cocta, antequam diſtributio fiat, ſubducetur. Oxymel imbecillius inteſtinum radit. Vinum dulce nonnihil adiuuat ventris excretionem: paſſum aluum ſubducit, itémque oua recentia, ſi ex D
multo oleo primo loco ſorbeantur.

Quæ res mediæ ſint inter aluum purgantia & ſubducentia, Cap. XXVIII.

MEdium verò locum inter purgantia & mollientia tenet mercurialis per ſe vel cum aliis oleribus cocta, & primùm in cibo ſumpta, & cum eius iure abſorpta. Itémque polypodium, ſimilitérque alypum, cuius ſemen in potione acceptum ad cochlearis quantitatem, nigram bilem purgat. Pari quoque modo cnici ſemen contuſum, & ſuccoſum redditum cum aqua mulſa, aut iure gallinæ, E
aut amygdalis, & nitro, & aniſo, & melli, & caricis cõmixtum.

Quæ res aluum ſupprimant, Cap. XXIX.

PAlmulæ auſteræ, vuæ auſteræ, mora rubi aluum ſupprimunt. Rubi canini fructus magis etiam ſiſtit. Myrta ſylueſtria, pruna agreſtia, quæ etiam pruna appellantur, mala adſtringentia ventrem detinent: acida verò quũ in ventriculo ſuccum craſſum inueniunt, eundem incidendo aluum ſubducunt, & ob eam cauſam fæces lique- F
faciunt. At ſi purum ventriculum inueniant, eum magis ſupprimũt. Quæ dulci ſucco ſunt prædita, ea ſine acrimonia facilius deſcendunt: aquea verò, & quæ expertia ſunt qualitatis, iniucunda ſunt, neque quicquam commodi in ſe habẽt. Quod de malis dictum eſt, idem quoque de malis punicis déque piris dictum puta. Siquis lac excoquat, ſerúmque conſumetur, aluum non ciebit. nam ſi lapides ignitos totiès in lac immittas vt ſerum conſumptum ſit, lac ita paratum adſtringet: idque iis quorum acria excrementa ventrem morſu infeſtant, dare conſueuimus. Sed G
non minus etiam quàm ex lapidibus ignitis id facies ferreis orbiculis igne candentibus. Verùm lac quod ita confeceris, in caſeum facilè coit in ventre: idcirco ei mel & ſalem admiſcemus: ſed tutius eſt aquam affundere. Neque mirum videri debet ſi conſumpto ſero lactis, aquam adhuc affundimus: quia non ſeri humiditatem, ſed acrimoniam, qua ventrem ſubducit, vitamus & fugimus. Aſtaci, cancri, paguri, locuſtæ, ſquillæ, & cætera omnia quæ molli teſta intecta ſunt, aluum ſupprimunt, ſed minus quàm ea quæ teſta ſunt intecta: habéntque hæc ſalſum in H
ſe humorẽ, quem ſi in aqua depoſuerint, nõ minus quàm oſtreorum, & aliorum teſta intectorum caro, ventrem cõpriment. Lenticula quoque & braſſica bis coctæ, & quum ſuccum depoſuerunt, ventrem ſiſtunt: quúmque humidum ventrem exſiccare in animo habemus, braſſicam

A mediocriter coctam, prima aqua abiecta, ſtatim in aliam calidam iniicimus, & in illa iterum eam coquimus donec flacceſcat: idque quod bis coquendum eſt, neque aërem, neq; aquam frigidam debet contingere: ſi quidem non poterit exquiſite flaccidum reddi, etiamſi plurimũ decoquas. Si corticem à lenticula auferas, vehementem adſtringedi vim amittet, neque ita fluxiones quæ in ventriculo ſunt, exſiccabit. Si verò eam contundas, bíſq; excõquas, priorémque aquam abiicias, deinde modicum ſalis aut gari commiſceas, & aliquid eorum quibus aluus
B conſtringitur adiicias, ita vt guſtus non lædatur, iucundiſſimum vtiliſſimumque & medicamentum & eduliũ parabis. Polẽta ex vino auſtero pota exſiccat. Oryza cohibet aluum, itémque panicum, milium, fricta omnia, leporis caro, vinum auſterum, & nigrum vacans dulcedine, albumque & auſterum, fuluum quoque & auſterum.

Quæ res calefaciant, Cap. XXX.

AT calefaciunt triticum coctum, & panes ex eo confecti, tipha, auena, fœnumgræcum, iuniperi baccæ, palmulæ dulces, poma dulcia, ſeſamum, eryſimum, & ob
C id ſitim inducunt: cannabis ſemen, vuæ dulces, vuæ paſſæ dulces, malua mediocriter, apium, ſmyrnium, eruca, raphanus, rapa, radicula, napi, cardamum, pyrethrum.

Quæ res ſint acres & calidæ, Cap. XXXI.

PAſtinaca, daucus, carus manifeſtò calefacit. Allium, gummi, porrum, ampelopraſum ſatis acria ſunt, ſed tamen bis térve cocta deponunt acrimoniam. Caſeus vetus calidus eſt, & idcirco ſitim affert: vinum dulce mediocriter: fuluum eſt nigro calidius: flauum verò eſt omniũ
D calidiſſimum, deinde fuluum, tũ rubrum, poſtea dulce, poſtremò album, minus quàm cætera omnia calidum eſt: vetuſtiſſimum verò abundè calefacit.

Quæ res refrigerent, Cap. XXXII.

REfrigerat hordeum quibuſcunque modis conficiatur, milium, panicum, tubera, cucurbita cocta, melopepones, cucumeres, pruna, ſycomora, auſteræ & acidæ vuæ, & paſſæ. Mala non adſtringentia frigidi & terreſtris ſucci ſunt, acida verò frigidum & tenuium partium ſuccum habent: quæ perfecta ἄποια (*hoc eſt, qualitatum ex-*
E *pertia*) ſunt, & veluti aquea: idem de piris & malis punicis iudicato. Non pauci quoque ſunt aliorum arborum fructus qui refrigerent, & præſertim ii qui reponi & aſſeruari non queunt. Palmulæ adſtringentes frigidum ſuccũ habent, lactuca, intubus, ſed hæc moderatius: portulaca, papaueris ſemen, cuius ſi plurimum ſumatur, ſoporiferũ fiet. Eos autem quibus tenuis deſtillatio fluit à capite iuuat: in quo caſu id quod cãdidius eſt, cæteris præſtat. Myrta refrigerant, ſed non vnà cum adſtrictione, quandoquidem acrimoniam quandam habent. Solanum efficax eſt
F in refrigerando & adſtringendo. Aqua, vinum aquoſum, non apertè calefacit: quamobrem eum minore periculo febricitantibus præbetur. Vinum autem album & auſterum, minimé, vt inter vina numeratum, calefacit: quod verò album ſimul, & auſterum eſt, itémq; craſſum & nouum, apertè refrigerat. Acetum quoq; tenuium partium eſt, & idcirco quum intimas partes penetret, magis quàm alia refrigerantia neruos lædit. Porro media quodammodo inter calefacientia & refrigerantia ſunt panes loti, amylum, & vinoſæ vuæ.

G Quæ res exſiccent, Cap. XXXIII.

LEns & braſſica pariter ſiccant, & ob eam cauſam aſpectum obtundunt, niſi fortè contingat vt totus oculus ſit humidior. Aſparagus verò minus quàm braſſica ipſa ſiccat: at aliorum olerum caulis eſt ſiccior. Contrà fit in raphano & rapis, & napis, cardamóque, ac pyrethro, atque omnibus quorum acrem eſſe aſparagum contingit. Polenta ſiccat, viticis ſemen, eruum bis aut ſæpe in aqua coctum, edulium exſiccans fit: præſtantius autem eſt album. Quod verò aſſatum aut frictum eſtur, ſiccius alimẽ
H tum præbet. Quæcunque autem in aqua prius elixantur, humidius alimentum præbent: quæcunque verò in ſartagine condiuntur medium inter hæc locum tenẽt: quodcunque autem plus vini & gari habet, ſiccius eſt quàm id quod nõ habet. Alia ſunt his lõgè inferiora: nam quæ defruti plus habent, aut in ſimplici & puro albo iure co-

quuntur,multo ſunt prædictis humidiora:quæ verò ex ſola aqua coquuntur,ſunt etiã his humidiora.magnũ enim diſcrimen ex ipſa conditura accedit ſeminibus,oleribus, & plantis,omnibus quidẽ exſiccantibus, ſed aliis magis, aliis minus, iuxta facultatem eorum quæ eis adiiciũtur.

Quæ res humectent, Cap. XXXIIII.

PTiſana,cucurbita cocta,pepones,melopepones,cucumeres,nux viridis,pruna,ſycomora,& ſycamina non corrupta,omnino humectant:non refrigerãt autem omnino,niſi frigida ſumantur. Humectat quoque lactuca, intubúſque,ſed his debilius portulaca. malua autem, & blitum,& atriplex magis aquea ſunt olera.quinetiam alii plerique fructus aliorum arborum humidi ſunt, ac præſertim ii qui reponi non poſſunt.Iam & lactucæ & papaueris ſemen humectat,itémque fabæ virides.Aqua humectat & refrigerat:ac calefacta,humectat,& calefacit.

Quomodo ſorbitiones coquendæ ſint, Cap. XXXV.

Quod quidem totum eſt deprauatum,& in eo multa deſunt,nec reſtitui coniectura ſatis tutò poterant.

PTiſana vt decet parabitur,quum coquendo in tumorem fuerit elata:deinde lento igni coquatur donec per multum ocium in ſuccum abeat. Quo quidem tempore quum planè intumuerit,acetũ ei miſcetur: quúmq; probè fuerit cocta,ſub edendi tempus ſal tenuiſſimus eſt iniiciendus:ſi verò oleum ab initio impoſueris, coctioni nihil incommodabis: aliud verò nihil admiſcendum eſt,niſi porri modicum & anethi; ídque in ipſo ſtatim principio.Quæ verò ex lentibus & ptiſana componitur, rectè paratur,ſi maior lentium imponatur copia, & eodem coquatur modo:præterquam quòd ſatureia aut pulegium ei adiicitur,fitque edulium ſuauiſſimum.Ex cucurbita quoque iucundiſſimus fit cibus, ſi cum aliquo ſalſamento ex ponticis,quæ mylla dicuntur,mandatur.Iis verò qui ſunt ad continendos cibos imbecilliores,neque ſumere craſſius alimentum queunt,optimum erit,alimẽtum aqua macerare,deinde coquere,deinde contundere. Poteſt ergo quiſpiam polentam, panémque calidum macerare:panes enim confracti & macerati,plurimum facultatis,veluti caliditatis,amittunt:eorum verò decoctorum potio longè præſtat, & multo etiam melius alimentum præbet.Hordeum verò quod febricitantibus dãdum eſt, non eſt confricandum,ſed lauandum, & in aqua coquendum:ac primùm quidem quum intepuerit,aqua abiicienda eſt,tum alia adiecta coquendum.Rectè autem coquetur ſi decem aquæ heminas in vnam hordei heminam iniicias:coquitur autem donec hordeum crepet, deinde abiiciatur tenuiſſima aqua,& melle admiſto id per ſe potui detur:hoc enim & ventriculo commodum eſt,& vrinam cit,& abundè nutrit.Datur item hordeum in polenta frictum,quod etiam καγχρύδα appellant:ſed antequam maceretur,leuiter fricandũ eſt,vt præuſta palea abſtergeatur:deinde macerandum & coquendum eſt.magis enim quàm quod antè dixi,ventrem cohibet.Ita etiam alimentum quodcunque ægrotanti eſſe accommodatum cenſetur,coqui poterit.Quæ verò ſubtrita ſunt,ea maceratis & coctis eſſe craſſiora & validiora videntur. poſſet autem omne fere alimentum ſubteri: ſimiliter quoque in potionibus quæ dantur.Panes verò ſiccos & recentes infundimus, & aqua emollitos conterimus, & ex linteo percolamus. Vt verò id album non videatur, addimus cucumeris ſemen frictum, itémque amygdala, & nuces pineas,& ſorba, & cum his ſingulis, vel cum aliquo eorum, vel cum omnibus,aniſi vel fœniculi ſemen admiſcetur,datúrque id febricitantibus ex aqua mulſa:qui verò febrem non habent,iis datur ex vino. Milium verò & panicum contuſa, & maximè fricta, & detracto cortice, præcipuè conueniunt iis quibus venter bilioſa laborat affectione,& quibus multæ tenuéſque excretiones per aluum fiunt. Hæc autem contuſa in aqua ſunt reſoluenda. Nec minus eſſe horum debet quàm quod acetabulũ contineat:aquæ verò acetabula decem.Quúmque in ſuccum ſint redacta,per denſum linteum excolanda ſunt, & vini auſteri modicum eſt perfundendum,& poſtea coquenda: tum ita confecta ieiunis exhibenda. Quinetiam accommodatum fuerit vnà cum milio nuces Euboicas cum internis membranis vſquedum non admodum ſuccoſæ reddantur, ſicuti milium contundere. Auena maximè omniũ leguminum eſt ad concoquendum accommodata: & eius optima eſt ſorbitio.Fit eodem modo quo ptiſana, vt hemina in decem aquæ heminis incoquatur.

Quæ res loco olei in ſorbitionibus imponantur, Cap. XXXVI.

IN omni ſorbitione,præter eam quæ ex lentibus fit,pro oleo aptum erit cucumeris ſemen crudum eliquatum. Ptiſanæ verò ac cæteris decoctis, vel conus, vel nux, vel auellanæ, vel thaſiæ nuces, vel amygdala miſcentur.Iis verò quos perturbata aluus exercet, pro oleo papauer album leuiter frixum:ídque robur addet. Iam ad fluxum ventris caſtaneæ quoque cum interioribus membranis contritæ adhibentur.

De confectione alimentorum, Cap. XXXVII.

SImila coquitur, vt quartupla eius portio in decem aquæ heminas imponatur,parúmque olei & anethi addatur: pridie verò lauanda ſimila eſt. Panis aqua calida maceretur, quæ aqua continenter ſubinde commutetur: non omnis tamen panis pars infundenda in aquam eſt, ſed interior.Huiuſce rei terminus eſto,vt non ſolùm panis intumeſcat,ſed etiam vt fermentum euaneſcat,nec panis fermentum redoleat.Ptiſana coquitur, vt in vna eius parte quindecim aquæ partes ſint:vſque autem coquitur dum quinta pars remaneat,eáq; diſſoluta ſit. Itriũ verò & panẽ aridum coques donec in partes admodũ teneras abeat, & in mortario teres,& iterũ ex aqua,ſale & oleo coques.Oua coquenda ſunt ex aqua,ea ſemper mouẽdo.mota enim neque ſimul cohærent,neque denſantur.Sed melius in poſca coquuntur:nam ita remanent humidiora.

De aqua mulſa, Cap. XXXVIII.

MVlſa non admodum vtilis eſt bilioſis.in ipſis enim in bilem mutatur:ergo eiuſmodi naturis mulſa dilutior conueniet.Eſt etiam incommoda mulſa iis qui viſcera habent morbis opportuna.Porro ita paranda mulſa eſt,vt octupla aquæ portio melli admiſceatur,coquatúrque donec ſpumam deſinat emittere.Spumã verò ſimulatque orta eſt,ab ea perpetuò tollere conuenit.

De potionibus quæ vtiles ſunt ægrotantibus, Cap. XXXIX.

FEbricitantibus optima potio eſt mulſa, vel oxymel, & aqua omni morſu vacans. Quæ verò adſtringendi vim habent,in ventris turbationibus non ſunt incommodæ.Porro ad vomitum ciendum etiam mel admiſceri illis poteſt. Ac æſtiuo quidem tempore mala in fruſta diſſecta in aqua infunduntur,donec ea colorem inde contrahat. Similique modo cydonia mala matura ſecantur in partes,& macerantur:hæcque præcipuè dantur iis qui bilem vomunt.Pira verò in aqua infunduntur quæ adſtringentia & dulcia ſunt.Myrta verò recentia vino dulci infuſa potionem quidem inſuauem,ſed tamen non mordentem & lenem faciunt. Acini quoque vuarum aridi in aqua macerantur:ſed eorum decoctum, quum neque acre neque acidum ſit,multo eſt vtilius.

De lactis potione,ex Rufo authore, Cap. XL.

QVi lac potat, ab aliis abſtinere cibis debet, donec fuerit concoctum,& ad partes infernas deſcenderit. Præſtat autem manè bibere lac recens mulctum, & poſt nihil ſumere:eóque tempore nimios labores vitare. Neceſſe enim eſt vt in iis aceſcat qui ſe tum laboribus dedunt.Sed melius eſt quietè inambulare,&interim vigiles quieſcere:nam hoc pacto quamprimum per aluum deſcẽdit. Vbi hoc deiectũ fuerit,aliud bibendum eſt:quúmq; hoc deſcenderit,aliud deinde bibendũ. In initio autem, nõ quidẽ ex reliqua corporis mole,ſed quæ in vẽtriculo ſunt,vtiliter purgat. Qua re cõfecta,venas mox ingreditur,ac optimè nutrit,neq; amplius deiicitur.In bilioſis autẽ fluxionibus, & quũ ad vẽtriculũ colliquationes confluũt,decoctũ lac dandũ eſt: ac primũ quidẽ lentè & paulatim coquetur,vt pars deſcendat, pars conſumatur: de-

inde multo magis coquetur, adhibita diligẽtia ne aduratur, néve in caſeum coaleſcat: quod ſanè diligentiſſimè curabitur, ſi leniter coquamus, & agitando, quod ſeceſſerit ex omni parte detrahamus: porro ferula leni & tenui agitandum erit: ſiquid verò labris ollæ adhæſerit, id etiam ſpongia erit abſtergendum. Sæpe enim vſuuenit vt ex eo totum prætere a lac fuerit corruptum. Quemadmodum igitur dictum eſt, lac vſquedum craſſius æqualiter dulciuſque crudo euaſerit, percoquatur.

De aquis, vt ab Herodoto authore traditum eſt, Cap. XLI.

QVæ autem virtus aquarum ſit, quódque vitiũ, ſcire nos oportet. Aquæ enim multiplicioris vſus ſunt quàm reliqua ferme omnia ad victus rationem inſtituendã. Ergo ſciendũ eſt optimã aquã eſſe eam quæ nullam omnino qualitatẽ neque guſtatui neque odoratui afferat: quæ quidem eſt bibentibus iucundiſſima, & ad aſpectũ pura videtur. quum verò præcordia celeriter permeet, nulla eſt quærenda præſtantior: nam quæ in præcordiis diu moratur, ventrémque ferit, flatu implet & prægrauat, licet ea bona quæ dixi habeat, ea tamen ſemi viciata exiſtimanda eſt: ſiquidem neque citò caleſcit, neque citò frigeſcit: quinetiam quæ in ipſa coquuntur, tardiſſimè coquũtur, & peius. Ergo melius eſt huiuſmodi aquam experiẽtia iudicare. Aquæ, is qui iudicare voluerit, ex his ipſis ſignis facere coniecturam poterit. aquæ enim quæ ad Septentrionem vergunt, ſolémque auerſum habẽt, cum tardiores ſunt, tum verò etiam difficilius coquuntur, & tardè refrigerantur, & calefiunt. Quæ verò ad orientem ſolem ſitæ ſunt, & per meatum aliquem aut terram ipſam fluunt, celerrimé que calefiunt & frigefiunt, eas eſſe optimas ſperandum eſt. Illæ etiam bonæ ſunt quæ æſtate frigidiores ſunt, hyeme verò calidiores. Nonnulli aquas pondere metiuntur, eáſque quæ leues ſunt potiores putant. hoc ſi aquis præter cætera accedat, laudabile eſt: ſolum verò nõ ſatis argumento eſt, aquas bonas eſſe. Pluuiales autem, inquit Hippocrates, leuiſſimæ ſunt, itémque dulciſſimæ, tenuiſſimæque & limpidiſſimæ; quia ſol quod leuiſſimum tenuiſſimúmque eſt trahit: id quod non ex aliis aquis ſolùm, ſed ex ipſo etiam mari & ipſis itidem corporibus facit. Quocirca aqua pluuia citiſſimè omnium putreſcit, vtpote quæ ex diuerſis & plurimis ſit permiſta qualitatibus. ſed nemo exiſtimet aquã quæ facilè putreſcit, eſſe peſſimam: nam facilitas mutationis potius virtuti quàm vitio attribuitur. ex quo conficitur vt quum aliæ optimarum aquarum notæ adfuerint, etiamſi facilè putreſcat, ea ſit cenſenda optima: & tamen quum mutari incipit, bibentibus raucitates, tuſſes, & vocis grauitates affert. Ex pluuiis aquis æſtiua, quæque ex tonitruo fit præſtantior eſt quàm quæ ex nimbis eſt demiſſa: quæ verò ex glacie & niue fiunt, peſſimæ ſunt: in aquæ enim concretione tenuis pars omnis excernitur. Porro paluſtres ác fœtidæ, quæque qualitatibus abſurdis præditæ ſunt, coquendo meliores fiũt, & bibẽdæ ſunt vino miſtæ, vt adſtringẽtibus dulcius vinum miſceatur, aliis verò id quod magis adſtringat. Vtile eſt etiam paluſtres, ſalſas, bituminoſáſque percolare: at quæ valde frigidæ ſunt, à cibo ſunt potui dandæ, ſed neque confertim, neque affatim, neque ſine vino. Nonnulli potus atque paſtus inuenerunt quibus aquarum vitium emendant: alii cicerum decoctum prius bibunt, ciceribúſque veſcuntur: alii caucalida comedunt cum aliquo piſciculo coctam: ſimili quoque modo fœniculum: alii denique betã & cucurbitã cum muria & vino diluto antè comedunt.

QVINTI LIBRI ARGVMENTVM.

In quinto agitur de grauidis, nutricibus, infantium educatione, & de omni ætate, & de dentium, auditus, oculorúmque curatione: itémque quomodo caro auferatur & reficiatur, & ibidem etiam temperaturarum cognitio & curatio traditur.

LIBRI QVINTI CAPITA.

Quæ grauidis eueniant, Cap. I.
De nutrice eligenda, Cap. II.
De lacte nutricis, Cap. III.
Quomodo lac vitiatum corrigatur, Cap. IIII.
Educatio pueruli, Cap. V.
De puſtulis quibus puellus afficitur, Cap. VI.
De tuſsi & grauedine eiuſdem, Cap. VII.
De pruritu gingiuarum, Cap. VIII.
De ortu dentium, Cap. IX.
De vlceribus, quæ ἄφθαι dicuntur, Cap. X.
Ad femorum intertrigines, Cap. XI.
Ad aurium humores, Cap. XII.
De aduſtione, quæ ſiriaſis nominatur, Cap. XIII.
Ratio victus infantium, & aliarum ætatum vſque ad declinantes, Cap. XIIII.
De laſsitudinibus quæ ab exercitatione oriuntur, Cap. XV.
De aſtrictione, Cap. XVI.
De laſsitudinibus quæ per ſe obueniunt, Cap. XVII.
Senum victus ratio, Cap. XVIII.
Ad eos qui venereis vti non poſſunt, Cap. XIX.
De corpore rugoſo, Cap. XX.
Vt corpus ſuauiter oleat, Cap. XXI.
Vt habitus calefiat, Cap. XXII.
Ad vitiatum colorem emendandum, Cap. XXIII.
Ad liuores, Cap. XXIIII.
Quæ dentes conſeruent, Cap. XXV.
Vt ne grauis auditus fiat, Cap. XXVI.
Ad caliginem oculorum, Cap. XXVII.
De repletione. Cap. XXVIII.
Ratio victus eorum qui ſunt negotiis occupati, Cap. XXIX.
Quibus cibi vitiantur in ſtomacho, Cap. XXX.
Victus eorum qui iter faciunt, Cap. XXXI.
Ex Eraſiſtrato, quid faciendum peregrinãtibus in aquis commutandis, Cap. XXXII.
Victus nauigantium, Cap. XXXIII.
De ebrietate, Cap. XXXIIII.
De iis qui rebus venereis nimium vſi ſunt, Cap. XXXV.
De refrigeratis, Cap. XXXVI.
De exuſtis, Cap. XXXVII.
Ex Galeno, de pituita quæ in ventriculo eſt, Cap. XXXVIII.
Ex eodem, quid in conſtitutionibus intemperatis faciendum ſit, Cap. XXXIX.
Ex eodem de carne minuenda, Cap. XL.
Quomodo graciles reficiendi ſint, Cap. XLI.
Quomodo attenuatæ particulæ curari debeant, Cap. XLII.
Optimæ temperaturæ dignotio, Cap. XLIII.
Corporum intemperatorum notæ, Cap. XLIIII.
De capitis formatione, Cap. XLV.
Temperaturæ cerebri ſigna, Cap. XLVI.
Ventriculi temperaturæ ſigna, Cap. XLVII.
Pulmonis ſigna, Cap. XLVIII.
Temperaturæ cordis notæ, Cap. XLIX.
Iecoris temperaturæ dignotio, Cap. L.
Calidioris, ſiccioris, atque humidioris intemperiei corporis correctio, Cap. LI.
Intemperiei frigidæ correctio, Cap. LII.
Curatio ſiccæ intemperiei ventriculi, quæ velut exemplum reliquarum curandarum proponitur, Cap. LIII.

ORIBASII SYNOPSEΩS AD EVSTATHIUM FILIUM LIBER QUINTUS.

Quæ grauidis eueniant, déque earum victus ratione, Cap. I.

QVONIAM hæc præcipuè grauidas infeſtant, nauſea, cõtinuus vomitus, ſputa, ſtomachi eroſiones, & cibi faſtidium, non ab re fuerit eis remedia præſcribere. Ambulationes ergo, cibi neque admodum dulces, neque admodum adſtringentes, vina fulua, odorata, quinque annorum, maxima ſunt remedia: vt medicamentum autem herbæ ſanguinalis decoctum bibant. Prodeſt eodem modo anethum & pontica radix, quam rha patrio vocabulo nominant: hæc & ante & poſt cibum ſumi poſſunt. Extrinſecus autem præcordiis imponitur cataplaſma ex œnanthe, balauſtio, cytiſi, & ſmyrnii coma, fœniculi ſemine promiſcuè: poteris eadem cum palmulis & vetere vino permiſcere. Stomachi autem eroſiones aquæ calidæ potus leuabit: cõfert etiam quietè ambulare, præcordiáque lana molli fouere. Eas verò quæ cibum faſtidiunt cohortaberis vt varios & iucundos cibos, & amylum ſiccum edant: idque magis erit offerendum iis quæ terram edere cupiunt. Appetitum excitant etiam labores, & longior peregrinatio. Quæ verò quietam agere vitam conſueuit, ea quum grauida eſt, ægrè repentinos motus fert: porro acria quandoque guſtare, præſertim ſinapi, conueniet ei quæ cibi faſtidio teneatur. Ad magnos autem pedum tumores confert anthyllis aceto excepta: itémque commodum eſt ſuperimponere folia braſſicæ latiora, & affectum locum creta cimolia ex aceto illinire: alumen quoque cum aceto erit accommodatum. Iam verò mala quæ medica nominantur, aquæ incocta pedibus vtiliter admouentur.

De nutrice eligenda, Cap. II.

NVtrix eligenda eſt nullo affecta morbo, quæ neque nimis iuuenis ſit, neque nimium ætate proceſſerit. Iunior autem ſit quinque & viginti annorum, & vndetriginta: quæ verò grandior ſit, trigintaquinque annos ſit nata. Pectore amplo ſit, mammis magnis, papillis neque conniuentibus, neque auerſis. Habeat autẽ reliquum corpus neque admodũ pingue, neque nimiũ gracile. Magnum etiam eſt infanti commodum nutricem non multo antè peperiſſe, & maius, ſi marẽ. Caueat nutrix valde ſiccantia, ſalſáque, & acerba, & acida, & amara, quǽque vehementer calefaciunt, itémque odores fœdos, & præter modum ſuaues, & condimenta, & cætera acria. Iam verò à venereis abſtineat, manúſque & & humeros exerceat, id quod molendo texendóque faciet. Puerulum verò trimeſtrem aut quadrimeſtrem vlnis geſtet.

De lacte nutricis, Cap. III.

LAc præſtantiſsimum eſt quod ſpiſſitudine, copia, colore, odore, & guſtu moderatum eſt. Illud etiam commendatur quod in vnguem pollicis ſtillatum, & in luce ſpectatum, vngue inclinato, neque citò neque tardè defluit. Probari autem hoc etiam pacto poteſt, lacti in vas vitreum infuſo, coaguli portio miſceatur, digitíſque agitetur, atque ita permittatur donec cogatur: deinde inſpiciendum eſt vtrum minor ſit pars quæ in caſeum concreuit quàm ea quæ in ſerum abiit. quod ſi ſit, vtile erit lac: ſi contrà, erit cõcoctu difficile. Quod verò æquam vtriuſque portionem habebit, id erit probatiſſimum.

Quomodo lac vitiatum corrigatur, Cap. IIII.

LActis vitia corrigenda ſunt hoc modo: Si craſſius ſit, pituita vomitu eliciatur: optimum verò erit oxymelite vomitum ciere. Eadem quoque laboribus qui cibum præcedãt, tenuãda eſt, ac tunc quidem origanũ, hyſſopum, ſatureia, ſcandix, & thymum, itémque radiculæ parum, & vetus ſalſamentum cum oxymelite accommodata ſunt. Si verò acrius tenuiúſque fiat, multis
A laboribus alleuanda nutrix eſt, ſorbitionibúſque, ac ſuil-
lis carnibus eſt reficienda, ſapáque & vinum dulce potui
dandum. Si diminutum lac fuerit, & ſorbitiones erunt
offerendæ, & vberius erit alenda: vinum dulce propi-
nandum, pectus & mammæ confricandæ, nonnullis e-
tiam affixa cucurbita mirum in modum auxiliata eſt.
Medicamenta verò, etſi ad lac gignendum proficere a-
liquid cognoui, tamen iis continenter eſſe vtendum nõ
cenſeo: (vehementius enim liquefaciunt) ea ſunt, fœni-
culi radix & ſemen ptiſanæ incocta, cytiſi folia in vino
B nigro, aut ptiſana, melanthium in vino dulci, itémque
anethũ, paſtinacæ radix & fructus, hæcque calida prius
perſperſa ita ſunt præbenda. Omne verò lac malum, ſiue
craſſum ſit, ſiue acre, ſiue fœtidum, puerum qui ipſum
prius ſuxerit, eadem inficit qualitate: acre autem lac ie-
iuno nunquam dandum eſt. Corrigere verò lactis fœto-
torem vinum odoratum & cibi ſuaues poſſunt.

Educatio pueruli, Cap. V.

PVer nuper in lucẽ editus melle primùm nutriatur:
deinde lacte bis in die, aut ter ad ſummum: quúm-
C que id alacriter puer aſſumit, ſpéſque eſt eum eſſe con-
cocturum, tum cibus iam offerri poteſt qui ipſum non
impleat: ſi verò nobis ignaris impleatur, ſtatim ad ſõ-
num procliuior & ſegnior efficitur, ventérque intume-
ſcit & inflatur, & vrina redditur aquoſior: quibus notis
perſpectis, nihil dandum eſt priuſquam quod in ven-
tre habet conſumpſerit. ſatis erit biennium lacte nutri-
re: deinde verò ad cibos tranſeundum eſt.

De puſtulis quibus puer affectus eſt, Cap. VI.

PVſtulas quæ circa pueri cutem oriuntur, primùm
ita ſinemus: quum verò valde creuerint, tum eſt ei
D adhibenda curatio: ea fiet balneis in quibus myrti aut
lentiſci folia aut roſæ incoquantur: deinde roſaceo aut
lentiſcino erit vtendum, & item cerato ceruſſato, leni-
térque nitro abſtergendum. neque enim puer feret ve-
hementiora. Erit etiam accommodatiſſimum nutrici
victus rationem ex dulcioribus inſtituere. Optimum
quoque fuerit ſi perulum ipſum ita educemus vt ne-
que expleamus, neque nimis tenuẽ victum præbeamus.
Si pueri aluus adſtringatur, mel cibo erit affundendũ,
& ſimul coquendum: ſi verò neque ita deiiciat, terebin-
E thinæ quantum ciceris magnitudinem impleat, adiicie-
mus. aluo autem humectata, milium præcipuè offeren-
dum eſt.

De tuſſi & grauedine infantis, Cap. VII.

SI verò tuſsis aut grauedo quandoque puerum exer-
ceat, linctus ex melle qui mellitiſſimi dicuntur, offe-
rendi ſunt. Puero igitur multa aqua calida loto, caput
eius copioſo melle calido illinendum eſt, deinde lin-
gua digito comprimenda. ita enim magnam pituitæ
copiam vomet.

De pruritu gingiuarum, Cap. VIII.

F SIquis puritus gingiuarum puero cõtingat, fotu vten-
dum eſt, & liberaliore etiam vnctione ex oleo non
cocto, in quo parum ceræ liquefactum ſit.

De ortu dentium, Cap. IX.

DEntes ſeptimo menſe oriuntur, ac tum quidem In-
flãmationes gingiuarum, maxillarũ, & tendinũ, &
quãdoque etiã conuulſiones ſubſequuntur: tunc nihil
puero dandũ eſt quod maſticatione indigeat. Gingiuas
autẽ continenter digito præter lauacrũ cõtractare, adi-
G péque gallinaceo vel leporis cerebello emollire opor-
tet. Vbi verò dẽtes iam eruperint, ceruix, caput atq; ma-
xillæ delicatis lanis puris inuoluẽtur, oleóque dulci &
calido fouebuntur, quod etiam in meatus auditus in-
ſtillabitur: quo ſane tẽpore puer erit vberius alendus, &
aqua calida lauandus. Si verò profluuium ventris fiat, id
epithematibus quæ præcipuè ſiſtũt, cuminum, aut ane-
thum, aut apium lanæ inſpergendo inhibere tentabi-
mus. Proderit etiam roſarum ſemen admiſcere, &
ſummatim calidis exſiccare: at ſi nihil venter deiiciat,

melle in glandis formam coacto leniter irritabitur,aut calamintha cũ melle trita illinetur. Cõuulſionibus autẽ puerorum auxiliari potiſſimum videtur heliotropium aqua incoctum, ſi in ea puer lauetur. Vtile quoque eſt eſt irino,aut cyprino, aut ſicyonio perungere, & totum calefacere. Quum verò exortis dentibus digitos vulnerat,beneſaciet iridis radix deraſa,nec multum ſicca ore detẽta:id quod etiã vlceribus auxilio eſt. Iam verò butyrum etiam cum melle illitum prodeſt.

De vlceribus quæ aphthæ dicuntur, Cap. x.

VLcus oris quod aphtha dicitur, puero oritur modò ſubalbidum, modò ſubrubrum, modò nigrum veluti cruſta:ac nigrum quidem peſsimum eſt,& maximè mortiferum. Succurrit autem iris cum melle, & ſi velis ſiccã inſpira,& roſarũ folia contuſa,& roſarũ flos, & crocũ,& myrrhæ portiuncula,& galla,& thus,& cortex thuris,&ſimul,& ſingula per ſe melle intincta. Præterea mulſa,& mali Punici dulcis ſuccus conuenit.

Ad femorum intertrigines, Cap. xI.

FEmorum intertrigines myrto arida, cypero, & roſis inſpergendæ ſunt.

Ad aurium humores, Cap. xII.

AVrium humores exiccat lana ex alumine impoſita,aut vinũ mulſum,aut vinum vetus inſtillatum, aut crocum ex vino tritum.

De aduſtione quæ ſiriaſis appellatur, Cap. xIII.

ADuſtio eſt inflammatio partiũ circa cerebrum & eius membranas, in qua ſinciput cauum efficitur, & caui cum pallore oculi,corporiſque ſiccitas fit. Reme dio eſt vitellus oui cum roſaceo ſincipiti impoſitus ad modum linamenti,vt continenter commutetur.

Ratio victus infantium,& aliarum ætatum vſque ad declinantes, Cap. xIIII.

INfantes,quique lactentes non ſunt,ſinendi ſunt vt liberiùs & hilariter viuãt:exercitationes,atque alimenta lenia ſunt eis præſcribenda: ab anno ſexto & ſeptimo pueri & puellæ literatoribus blãdis humaniſque tradẽtur. ita enim quieto animo & iucundè perdiſcent. Atque animi quidem quies ad bonam corporis educationem valet plurimùm. Quum duodecimum annum agunt,ad grammaticos iam & geometras adducẽdi ſunt, & corpus exercendum eſt. A quartodecimo anno vſque ad viceſimumprimum annum, exercendi erunt in mathematicis diſciplinis,& philoſophiæ ſtudio:& propter corporis robur plures exercitationes erũt eis imperãdæ, vt animo & corpore laborãtes, venereis vti prohibeantur:his etiam auferẽdum vinum eſt. Ætati florenti abſoluta victus ratio animi & corporis conuenit: idcirco omnibus exercitationibus,ac præſertim quibus quiſque aſſueuit; itémque cibo pleniore, & qui boni alimenti ſit,vtẽdum. Declinantibus verò conuenit victus ratio & animo & corpori debita. exercitationes enim,qualeſcunque ſint,pro horũ ratione ſubtrahendæ ſunt:quũmque eorum habitus frigeſcere incipiat, alimentum eſt diminuendum.

De laſſitudinibus quæ ab exercitationibus contrahuntur, Cap. xv.

LAſſitudo quæ vlceris ſenſum inuehit, ex copia excrementorum tenuium ſimul & acrium oritur: quæ verò tentionis ſenſum repræſentat, in qua tendi partes corporis videntur,nullum quidem excrementum notabile ineſſe in corpore indicat, ſed in neruis & muſculis affectio quædam exiſtit, qua vidẽtur tendi,etſi minimè tenduntur. Ea verò quæ inflammationi ſimilis eſt, in qua veluti contuſas, & inflammatione obſeſſas partes ſentimus, tum ſolet incidere quum muſculi nimium excalfacti quippiam ex circunfuſis ſibi excrementis attraxerunt. Eſt etiam alia quarta quædam affectio, quæ oritur quum muſculi vltra debitum exiccãtur:vt quum ſe homines exuerint,ſqualens,cõtractũmque corpus & ad motꝰ pigrũ videatur. Remediũ verò eius quæ vlceris ſenſũ præ ſe fert,erit excremẽtorũ euaporatio, quæ fiet frictione multa, mollique cũ oleo copioſiore, in quo nulla adſtringẽdi vis inſit. Altera verò laſſitudo in qua tẽſio ſentitur; pro remedio relaxationem poſtulat. Re-

A laxaturautem quod diſtentum eſt, tum pauca mollique frictione ex oleo dulci & apricato, tum verò omni intermiſſione & quiete, & balneis temperatis, atque in aqua calida mora diuturniore, adeò vt ſi bis & ter etiã laueris,plus ſis profecturus. Sanationi verò tertiæ laſſitudinis ſunt tria propoſita, ſuperuacanei euacuatio,diſtenti remiſſio,& inflammationis refrigeratio: ergo & oleum copioſum & tepidum; molliſſimæque frictiones, & in aquis temperatis mora longiſſima,huiuſmodi laſſitudines curat:multa itidem quies,aſſiduáque in-
B unctio idem præſtat. Quarta denique affectio primo die nihil ſanè diuerſum à ſuperioribus poſtulat,niſi calidiorem aquam,quæ ſenſim contrahat & roboret cutim, ſecundo die apotherapiæ exercitationem. In balneis verò ex calido ſolio in frigidam protinus exiliant. Porro quicunque laſſitudine grauantur, boni ſucci nutrimentum poſtulant.

De adſtrictione, Cap. xvI.

ADſtrictio oritur aut obſtructis meatibus, aut denſatis: deprehenditur autem protinus vbi ſe exue-
C rint,ex colore albo, & cutis duritie ac denſitate:in exercitatione verò,ex eo quòd ægrè incaleſcant. Remedium huius affectionis eſt calefactio:ergo valentiore exercitatione & balneis calidioribus vtendum eſt: mora verò in frigido ſolio diuturna ne fit: ſed nec ipſa aqua valde ſit frigida. Induẽdi autem vngantur aliquo quod mediocriter calefaciat,vt oleo dulci & tenui. Cutis etiã denſitati ſanãdæ ſatis eſt oleũ anethinũ,præſertim ſi ex anetho viridi fiat: oleum quoque ex populo nigra confectum ad idem facit.

D De laſſitudinibus quæ ſponte ſua nobis irrepunt, Cap. xvII.

QVoniam laſſitudo quæ vlceris naturam refert,ex acrium excrementorum vitio oritur, ſi vitioſus humor paucus omnino fuerit, apotherapiæ exercitatio ſufficiet: ſi copioſior ſit, & altius in corpore reſideat, neque exercitationẽ hanc, neque aliud genus exercitationis, neque motum vllum penitus iniungemus, ſed quies,ſomnus,& inedia diei totius imperabitur:deinde veſperi pingui vnctos,& tẽperato balneo lotos, exiguo
E boni ſucci cibo & ſorbili alemus. Sed neque à vino erũt abſtinendi. hoc enim,ſiquid aliud ,ſemicrudos humores concoquit. Si ergo ex his malum conquieuerit,homo ad conſueta munia paulatim erit adducendus. Si verò poſtero etiam die perſeueret,iam validioris remedii ineunda eſt ratio. Si vires conſtiterint,duorum alterum erit faciendum, aut ſanguis mittendus, aut exhibẽda purgatio, diſtinctione adhibita vtrũ magis oporteat:ſi vires ſunt imbecillæ,ſanguinẽ quidem nullo pacto detrahemus,ſed tamẽ moderatè purgabimus: ſi ve-
F rò permagna ſit humorum crudorũ copia, tum neque ſanguinẽ mittere,neque purgare,neque exercere,neque penitus mouere,neq; lauare cõuenit: ſed in omni quiete ſeruandi ſunt,dandáq; eſculenta & poculenta,ac medicamenta in quibus attenuãdi & incidẽdi abſque manifeſto calore vis inſit: ergo victus ex oxymelite,portiunculáque ptiſanæ inſtituetur, nonnunquã verò aquæ mulſæ parũ offeretur. Et quoniam omnibus his turgida inflatáque præcordia ſunt, & quicquid ſumpſerint in flatus facilè conuertitur,præſtabit cibo piper admiſce-
G re. Sed erit etiam accõmodatius vti medicamẽto quod dioſpoliticũ dicitur,& eo quod ex tribus piperibus ſimplex conficitur,atque oxymel eſt eis vtiliſſimũ. Pro potu vtantur apomelite,& præſertim vbi coacuit, & vino quod leuiter aceſcit, & cibis veſcãtur attenuãtibus ſine calore, qualis eſt capparis, ſi ex oxymelite aut oxelæo ſumatur. Laſſitudo verò tenſionis ſenſũ referens, quũ ſine exercitationibus incidit,copiã ſolidas corporis partes diſtendentẽ indicat. Quũ verò ſanguinis copia ſubſit perſpicuũ eſt,optimum eſſe aut venam incidere, aut
H malleolos ſcarificare. Spontanea autẽ laſſitudo, in qua vlceris ſenſus nobis ſe offert, ne paucis quidem horis, nedum duobus aut tribus diebus ita lentè occupat, ſed protinus febrim vehementiſſimam inducit,niſi præueniendo ſanguinem detrahas. Melius autem erit, ſi fieri

poterit, bis eodẽ die ſanguinẽ mittere: primùm autem ita euacuabimus vt ne animi defectionẽ inducamus: ſecundo verò loco, ne ipſa quidem animi erit formidãda defectio. Qui verò ita affecti, ſanguinis miſsione vacuati non fuerint, ii vt ſeruentur, bona fortuna indigent.

Senum victus ratio, Cap. XVIII.

SEnectus ſicca & frigida eſt: calefacientibus & humectantibus corrigitur. Eiuſmodi ſunt calida dulcium aquarum balnea, vini potio, & cibi omnes humectandi, ſimul & calefaciẽdi facultate præditi. Fricandi ſunt ſenes poſt ſomnum cum pinguedine aliqua: deinde ambulare, & geſtari citra laſſitudinem debent. Imbecillioribus ter in die dãdus cibus eſt: ac tertia quidem hora panis modicum cum melle Attico: ſeptima verò, quum frictione & exercitationibus cõgruis vſi fuerint, atque loti, primùm ſument quæ aluum molliunt, deinde piſces, vel aues: poſtea verò in cœna aliquid optimi ſucci, & quod non facilè vitietur. Non prohibeo etiã eis vinorum ex melle paratorũ vſum, præſertim iis ſenibus quibus ſuſpicio eſt calculi in renibus gignendi aut podagræ: túncque petroſelinum in vinum cõiiciendum eſt. Siquando verò ob pituitam in vẽtriculo obortam, cogimur aliquid ex iis quæ eam incîdant eligere, ad humectantem victum ſine mora eſt reuertendum. Eis verò ficus maturas ante alios cibos dabimus: hyeme verò caricas, ſi nullum vitium in dextra præcordiorũ parte ſentiant. Quoniam autem tum ſeroſa tum pituitoſa excrementa in ſenum corporibus aceruantur, vrinas moueri quotidie conuenit, & aluum ſoluere, præſertim oleo ante cibum abſorpto. Perſpicuum autẽ eſt, omnia olera ex oleo garóque ante cibum ſumi oportere. Si verò aluus præter modum ſit adſtricta, mercurialis & cnicum ad eam ciendam ſufficiẽt. Facit etiam terebinthina, eáque ſumenda eſt quandoque ad vnius auellanæ, quandoque ad duarum, quandoque verò ad trium magnitudinem. Oleum quodque clyſteri infuſum iis quibus aluus adſtricta eſt ſummam affert vtilitatem.

Ad eos qui venereis vti non poſſunt, Cap. XIX.

PVdenda continenter pinguedine vngenda ſunt, cui adiuncta ſit exigua narciſſi radicis portio, aut grani gnidii, aut pyrethri, aut vuæ taminiæ, aut viticis. Erigetur etiam penis ſiquis ſucci cyrenaici quantum milii magnitudo eſt, ei imponat. Ante cibum verò prodeſt bulbos aſſatos, rubentes, exiguos, cum ſale & oleo, aut mazam frictam cum ſalſamento, aut denique ſcillæ tabefactæ modicum edere.

De corpore rugoſo, Cap. XX.

RVgas corporis expellit erui farina viti albæ admiſta. Aliud ſmegma quod continuè illinitur: Ficus pingues cum bryona contuſas, farinam erui, aut ſepiæ teſtam vſtam cum modico melle inſtillato.

Vt corpus ſuauiter oleat, Cap. XXI.

VT verò corpus ſuauiter oleat, eidem vnctioni miſcenda eſt cupreſſi coma arida & contrita, aut pini cortex. Illud verò meminiſſe oportet, vt mane poſtquam ſtolam induerint, parum caſiæ aut herbæ Sabinæ guſtent.

Vt habitus calefiat, Cap. XXII.

AD habitum corporis calefaciẽdum hoc puluere in balneo vtitor. Habet verò nepetam, ſampſuchum, hyſſopum, lauri baccas, rorem marinum, lapidem pyritem, ſalem, fæcem vſtam, nitrum, pumicẽ pro cuiuſque ratione, itémque modicum ſinapi, vuæ taminiæ, & grani gnidii. A balneo verò vtendum erit acopo quod calefaciendi vim habeat.

Ad vitiatum colorẽ emendandum, Cap. XXIII.

VItiatum corporis colorem vita iucunda, cibus ſuauis emendat: cibo autem admiſcere oportet radiculam, porra, viride cicer. Bonum etiam colorẽ facit dulcis mali Punici ſuccus abſorptus. Prodeſt etiam oleum cui bryoniæ radix diu ſit incocta: id quod ad corporis quoque cutim intendendã valet. Smegmatis porro admiſcenda ſunt glutinantia, quæ ex aliquo abſtergentiũ fiunt, farina, bulbo narciſſi, & bryoniæ radice: quæ res corpus etiam intendit. Bene etiã colorant, ſi copia ſup-A petat, amaræ amygdalæ radix & ſemen in aqua cocta, & in balneo adhibita.

Ad liuores, Cap. XXIIII.

LIuores conſtare prohibebimus ſi cutem craſſam, & iniuriis minus patentẽ, & habitũ valde admodũ calidum effecerimus. quod vt celerius fiat, ſale in balneis ſuper ea parte quæ nigrorem cõtraxerit, vtemur: deinde verò eandem partem ſpongiis in decocto radiculæ aut abſinthii madefactis fouebimus.

B Quæ dentes conſeruant, Cap. XXV.

DEntes integri manebunt ſiquis faciat hæc: In primis caueat ne cibos corruptos edat, ne continenter vomat. Caueat eſcas dẽtibus incommodas, quales ſunt ficus ſiccæ, mel coctum & valde durum: palmulæ quæ difficiliter frãguntur: quæcunque glutinoſa ſunt, & vix frangi poſſunt, ita vt dentes moueant: quæ denique ſtuporem dentibus inducunt. Poſt cibum verò dẽtes quoque purgare oportet.

Vt ne grauis auditus fiat, Cap. XXVI.

C NE grauis auditus fiat primùm cõducit ſordes quæ in auditus meatu ſunt, abſtergere: per interualla autẽ linum dropaci intinctum in meatũ iniicere, & expreſſum euellere. meat⁹ enim ita valde purgatur, & auditus auribus reſtituitur. Deinde autem aliquid ad erui magnitudinẽ indere, & meatũ per vnũ diẽ obturare cõuenit: eo exẽpto vngere diebus quinque oleo amygdalino, aut nardino, aut chamæmelino, aut pinguedine anſeris, cum exiguo fellis bubuli. Poſt verò id tẽpus ſinapi & ficus cõteres, factúmque ex eis collyriũ, ad duas D horas impones, deinde eximes, oleúmque quod in aſphodeli radicis ſucco deferbuerit infundes.

Ad caliginem oculorum, Cap. XXVII.

NE tenebræ oculis offundantur, quum in aquam frigidam quiſpiam ſe mergit, oculos in eadem apertos diu teneat: aſpectus enim inde robur ſumit. Oculi nõ ſunt lectione fatigandi. Vinum craſſum & dulce vitent, itémque cibos qui in ventre ſuperiore diu morantur, qui difficiliter concoquũtur, humoréſque lentos & craſ E ſos gignũt, atque etiam erucam, porrum, & omnia quorum acrimonia ad ſuperiores partes fertur. Supinũ quoque decubitum diuturnũ, frigus, ventóſque contrarios, & fumũ & puluerẽ fugiant. Porro aquam ita confectã quotidie ad menſem & diem vnũ oculis inſtillent: Fœniculum viride in vas fictile foris picatũ cum aqua pluuia coniicitur, fœniculo extracto reliquum reponitur.

De repletione, Cap. XXVIII.

MAxima ex repletione in cibis noxa contrahitur. quãuis enim ventriculus probè concoquat, tamen F venæ ſuprà quàm par eſt expletæ laborant, diſtẽduntur, rumpuntur, obſtruuntur, & flatu implentur. Tibi verò planè perſuadeas repletionem peſſimarum ægritudinũ cauſam eſſe. Quum igitur venter expletus eſt, id quod ſuperfluit, tum per ſuperiores partes vacuatur, tum per infernas excernitur. Sed id omnino eſt imbecillius ea repletione quæ in venis eſt, non tamen eſt admittẽdum: ſed ſiquis plura ingeſſit, ſtatim debet euomere. periculũ enim eſt ne facta concoctione venæ expleantur, atque etiam magis quũ immoderato potu atque paſtu ſe conG tinẽter expleat, nec vllam interim inanitionẽ moliatur. Vomitus autem ciẽdus eſt antequam cibus corrumpatur: quòd ſi aliquid impediat ne vomitus excitetur, aluus ſoluta ſæpe iuuit: ſi ea non fluat, plurimũ dormiendum eſt, & aqua calida potui frequenter danda. Quum verò abundè ſit facta concoctio, præſertim ſi aluus deiecit, tum & lauare, & fomentis vti, & parum cibi dare, & potionem dilutam offerre, licebit: at ſi neque aluus deiecerit, neque ſtatim ſit facta concoctio, ad hæc verò, reliquum corpus graue, ſegne, & ſomniculoſum ſit, & aliH qua etiam inertia præter rationem mẽtem occupet, hæc inquam omnia repletionem in venis eſſe commoſtrabunt. Qui verò præterea laſſitudine p‑emuntur, eos, dũ ventriculus concoctionem obiuerit, quieſcere oportet, deinde verò laboribus inaniendi ſunt.

Ratio victus eorum qui ſunt negotiis occupati,
Ex Galeni commentariis, Cap. XXIX.

QVum quiſpiã negotiis occupatam vitam ducit,cõſiderandum eſt vtrum ſuperiore vitæ tempore exerceri conſueuerit, an exercitiis peractis lauari, an minimè exercitatus, huiuſmodi conſuetudinem moderatè ferat:vt quum tranſpirabile corpus habeat,non continenter ægrotet. Hæc enim corporis natura non eſt ad aliam conſuetudinem traducenda, vt nec etiam eorum qui ex longo temporis interuallo in morbum incidũt. Si verò quiſpiam ægrotare continenter videatur, ſi ex humorum redundantia id eueniat,tibi propoſitum ſit, rationem victus ſalubrem ita inſtituere vt ſemper moderatos humores habeat: ſi verò ex vitiatis humoribus, vt optimos. Qui igitur ſuccos omnes æqualiter coaceruant,ii planè in balneum ſunt ducẽdi,deinde fricandi, & paululum prius dimouendi: qui verò hæc antea facere conſueuerãt,iis eadem parum augere, cibi aliquid ſubtrahere, & cibos qui parum nutriant eſſe conſulemus. In iis verò qui humores prauos colligunt, non vnum propoſitum eſt, quia neque etiam vna eſt prauorum humorum ſpecies: nonnulli enim frigidiores magiſque pituitoſos colligunt. ergo & à cibis & à potibus iis acerbuntur quicunque collectũ in eis humorem promptè generare conſueuerũt. Sed & alui ſubductio horum omnium eſt commune præſidium.

Quibus cibi vitiantur in ſtomacho, Cap. XXX.

CIbis in ſtomacho vitiatis,ſi quæ corrupta ſunt, deiiciantur,erit maximè compendiaria ad ſanitatem via: ſin minus,iis quæ leniter ſubducunt,irritãda aluus eſt. Iis qui ita ſunt affecti, vomitus ante cibum,iſque vini paſſi potione excitus, prodeſt. Hoc etiam conſilii dandum eis eſt vt nihil aſſumant quod nidorem afferat, vel grauiter oleat,aut omnino cibũ qui facilè corrumpatur:ea verò quæ boni ſucci ſunt,deligant. Eis etiam ex moderato temporis interuallo aluum ſubducere, rebus moderatè purgantibus expediet.

Victus eorum qui iter faciunt,ex Dioclis ſententia, Cap. XXXI.

ITer facilè conficiet qui vnctus ſit,& non magno impetu proficiſcatur: per æſtatem verò faſcia tenui ſex aut ſeptem digitos lata,non minus autem quinque cubitis lõga,lumbos ad ilia vſque complectatur. Baculus quoque ad iter eſt vtilis. in decliuibus enim locis præmiſſus,corpus quod præceps ruit,tanquam baſis quædam continet: in accliuibus verò eidem innixi, corpus facilè ad aſcenſum promouemus. nam hoc ſcitum eſt, minus labi eum qui tribus,quàm qui duobus firmamẽtis nixus incedit. Quũ verò in itinere ceſſamus,eo tempore vnctio, & parum cibi ex fructibus qui æſtate ſuppetunt, & modica potio conuenit. A prandio requieſcendum eſt antequam in viam ſe dare. Quòd ſi neceſſitas cogat feſtinare, ſitiſque vrgeat, tenuis polenta ex aqua & exiguo ſale potui detur. Iam verò ſolis æſtus atque ardores cauẽdi ſunt,neque corpus nudum ei eſt exponendum,ſed contectũ,ne ſicceſcens indureſcat, præterquam quod ex itinere fit. ita enim & minus laſſitudine fatigatur,& nullam ex affectionibus antè dictis pari ratione perſentit. At hyberno tempore,quum frigus eſt, antequam viæ te committas, aluum ſubducere,inungi,hyberni cibi non multum ſumere, atque exigua potione contentum eſſe oportet. Faſcia quoque longiore non modò lumbos, ſed etiam ſpinam & pectus rectè & diligẽter obuolues. Quũ verò requieſcis,tali præſidio firmatus,ſi vehemens frigus ſit, neque vngi, neque cibum, neque potum guſtare eſt melius, quin neque etiam alia quauis ratione te fouere, niſi ibidem ſis permanſurus. Poſt longi verò itineris confectionem, alióſque vehementes labores,etſi laſſus quiſpiam non eſt,tamen non ſecus quàm ii qui laſſi ſunt curandus eſt: ſic enim minus incommodi quidpiam accidit.

Ex Eraſiſtrato,quid faciendum ſit peregrinantibus in aquis commutandis, Cap. XXXII.

AQuis in quibus nitri qualitas & ſalis ineſt,plurima eorum quæ odorata ſunt,quæque vrinam ducunt,

A miſcere optimum eſt ei qui potaturus eſt: qui verò totã aquam immixtã bibit, non multum debet bibere. hac enim ratione ab aquarum malitia minus ei moleſtiæ afferetur,quum ipſi aquæ ſuccos conſuetos, & aquarum malitiæ plurimum repugnantes miſcebit,& totius aquæ nõ multum potabit:cæteráque quæ ad victum pertinẽt conuenienter aquæ mutationi ſimul etiam commutabit. Decet quoque eos qui peregrinãtur, aeris, & cæterorum omnium quæ offeruntur,habere rationem. quæ enim aduerſam valetudinem allatura ſunt, vel ex nimiã
B copia alimenti,vel ex ſuccorum malitia,vel ab aëris inſpiratione cauſam ducunt.

Victus nauigantium ex Diocle, Cap. XXXIII.

VOmitibus qui nauigantes infeſtos habent, quiquè primùm oriuntur,neque facilè neque vtile eſt ſuccurrere: omnino enim iuuare conſueuerunt. A vomitu autẽ neque multi neq; quiuis cibi ſunt offerẽdi: ſed vel lẽticula ſicca & decocta,cui pulegii modicũ additũ ſit, vti: vel pane macerato in vino diluto, atque odorato, potũque modico,eóque vel ex vino prorſus diluto, vel
C aceto mulſo. Lentes autem coquẽdæ ſunt,deinde quum molles fuerint, ad læuorem redigendæ, tum ſiccandæ, atque ita in vas fictile reponendæ. Si verò vomitus diutius & crebrius infeſtent,cibo qui vehementius eos cohibeat vtendum erit: itémque modica potione quæ ex aceto mulſo cum aqua conſtet,in quo thymum aut pulegium fuerit infuſum: aut ex aqua cum polenta diluta, aut etiam vino odorato. Ad graues autẽ nauium odores,vel mala cydonia,vel thymum, vel pulegium naribus admouebũt. Mare verò intueri minimè debent vſ-
D quedum in nauibus verſari aſſueuerint. aquis præterea eſt adhibẽda diligẽtia, ne turbidæ,ne fœtidæ,néve ſalſæ ſint.

De ebrietate, Cap. XXXIIII.

EBriis vomitus ſtatim excitatus cõuenient: aqua autẽ & mulſa liberalius pota vomendum eſt, vſquedum plurima reiecta ſint,& ventriculi morſus obtundantur. Poſt vomitum,folium ingreſſi largè perungantur: reliquum verò tempus quieſcãt,& veſtibus tecti plurimùm dormiant,quouſque diſcutiatur vinolentia.

De iis qui immoderatè veneriis vſi ſunt, Cap. XXXV.

E QVi immodicè coiuerũt,iis veſtimẽta calida, quies, ſomni longiores conueniunt, quouſque ab imbecillitate ſeipſos vindicent.

De refrigeratis, Cap. XXXVI.

QVi in nimio frigore verſati ſunt,locis calidioribus cyprino aut irino perũcti decumbãt: deinde verò quum parum fuerint excalfacti, piper & myrrha in potione cũ vino veteri odorato, aut liquor cyrenaicus cũ vino vel aceto,aut pyrethrum,aut caſtoreum cum aceto
F dabitur: cibo autem calidiore & moderato nutrientur.

De exuſtis, Cap. XXXVII.

QVi verò in ſole ſunt exuſti,ii decũbant in locis perflabilibus,faciéſque, manus & crura ſunt aqua frigida perfundenda. Si ſitis vrgeat, frigidam bibant qui ei aſſueuerunt:hãcque non cõfertim,ſed paulatim. Cibo vtantur exiguo,quique facilè diſtribuatur: iſque humidior ſit potius quam denſior.

Ex Galeno de pituita, quæ in ventriculo eſt, Cap. XXXVIII.

G SI vnquam in aliquem incidiſti qui cibos valde nutrictes aduerſaretur,ab iiſque mirum in modum abſtineret,ſique cogeres aſſumere, nauſea corriperetur: ea verò ſolum quæ acriora ſunt expeteret, atque iis quidem oblectaretur, ſed tamen & venter inflaretur, diſtenderetúrque, ac nauſeabundus fieret, parúmque ructibus ſolis leuaretur, ipſique cibi aſſumpti corrumperentur, & in acorem potiſſimum couerterentur, noſti omnino auxiliorum caput eſſe vt pituitam à ventriculo abſtergeres. Equidem noui quãdoque homines
H ita affectos, qui quum radiculis ex oxymelite ſumptis magnam craſſiſſimæ pituitæ copiam euomuiſſent, integræ valetudini ſtatim ſint perfectè reſtituti.

Ex eodem,quid in conſtitutionibus intemperatis faciendum ſit, Cap. XXXIX.

IN omnibus conſtitutionibus ætas naturáque ſingulorum hominum, quam relationem ad conſtitutionẽ habeat, conſiderandum eſt. Conſtitutiones enim quæ naturis ſimiles ſunt, morbos pariunt: contrariæ verò iuuant. Ac temperatis quidem corporibus, temperatæ cõſtitutiones ſunt ſalubres: intemperatæ verò noxiæ. Sed quemadmodum nulla ex intemperatis cõſtitutionibus eſt bona temperatis, ita etiã non eſt magnopere damnoſa, velutis intemperatis eſſe ſolet. Corpora enim quæ ini bi ſunt, vt in talem quempiam morbũ propter familiarem eis intemperiem cadat, ea à ſimili aeris nos ambiẽtis intemperie corripiuntur: quæ verò contrà atque aer ambiens affecta ſunt, præterquam quòd nihil offendũtur, ad meliorẽ etiã ſtatum perducuntur, quũ præſertim contraria conſtitutio temperaturæ naturalis intemperiẽ corrigat. Id qui norit, is vict⁹ rationẽ cõſtitutioni aduerſam inſtituens, corpora in bona valetudine conſeruabit.

Ex eodem de carne minuenda, Cap. XL.

QVum nimia carne auctum corpus fuerit, liquandũ erit, & comprimendum. Porro autem calidius ſicciuſque temperamentum corpus gracile reddere oſtenſum nobis eſt: ergo tale temperamentum obeſis hominibus eſt inducendum, ſi eos ad mediocritatem velis perducere. Noſti autem veloces exercitationes, victum attenuantem, & ſimilia medicamenta, & animi curas, totam temperaturam ſicciorem, & ob id etiam corpus tenuius reddere. Quis autem victus attenuet, perſpicuum eſt. Medicamenta verò vehementiora ſunt hæc, rutæ ſemen, præſertim ſylueſtris, cum ipſis etiam corymbis, ariſtolochia rotunda, tenuis centaurea, gentiana, & polium: quæque ad ciendam vrinam multum valent, quale eſt petroſelinum. hæc enim & ſingula per ſe, & omnia inter ſe mixta, attenuare & vacuare humores poſſunt. Sed & ſal ex viperis crematis valde extenuat, & ipſa itidem theriace. Diſcutit etiam & extenuat inunctio olei, in quo radix cucumeris agreſtis, & althæa, & gentiana, & panacis radix, & ariſtolochia ſit incocta. Poliũ quoque & centaurea idem faciunt. Cibus non ſtatim à balneo dandus eſt, ſed ſomnus eſt prius imperãdus. Præſtaret autem aquam balnei vim habere diſcutiendi, ſi naturalem habere poſſent, vt Mitylenæ eſt: ſin minus, flos ſalis marinæ admiſceatur. Vino vtendum albo & tenui. Iam verò ſicca frictio ex linteis craſsioribus ad attenuandum multum valet. Cibus præterea non eſt pro ratione exercitationum offerendus. Apricatio quoque obeſis prodeſt. Potus non eſt eis ante cibum permittend⁹, præſtátque ſemel in die cibũ capere. In balneo quoque corpus ex multo nitro fricare, ipſum attenuat: paucum verò irritamentum eſt vt probè corpus nutriatur. Attenuat etiam hoc quod habet piperis & petroſelini duplum, aſari & aniſi ſimplum: id quod ciere vrinam, & ſubducere aluum poteſt.

Quomodo graciles reficiendi ſint, Cap. XLI.

QVum attenuatos renutrire volumus, vinum craſſum eduliáque multi ſucci dabimus: exercitationes tardas, & frictionem moderatam, & (vt ſummatim dicam) omnia ſupradictis cõtraria iniungemus. Iiſdem quoque accomodatum eſt, tribus quatuórve diebus pice oblini. Siquis ieiunus lauetur, ante balneum fricare corpus linteis debet, donec ruborem acquirat: poſt verò frictione non admodum dura vtendum erit, ne conſtringẽtes, denſam durámque cutim efficiamus. Decoloribus verò, quíque non nutriuntur, opus eſt neque ad iram impelli, neque animi commotionibus affici.

Quomodo attenuatæ particulæ curandæ ſint, Cap. XLII.

EX gracilitatibus quæ particulis eueniunt, quamplurimæ ex diuturna ipſarum quiete, aut ex deligationis fracturæ modo oriũtur. ergo vis extenuatæ partis firmãda eſt, ſanguíſque ad eam copioſè attrahẽdus tum moderatis frixionibus, tũ motibus accõmodatis, & moderata calentis aquæ perfuſione. Hæc autem eouſque faciẽda ſunt quouſque pars rubra facta extollatur: ceſſandum verò eſt priuſquam collabatur. medicamento etiam picatorum (vt dictum eſt) vti oportet. Quum verò particulam frigidiorem eſſe ſenſeris, tunc linteis confricanda eſt, & medicamẽtum aliquod calefaciens adhibendũ. Ego verò etiã thapſia quãdoque vſus ſum, quam tum cum melle, tum verò cum cerato illinebam.

Optimæ temperaturæ dignotio, Cap. XLIII.

TEmperatiſſimus homo eſt qui corpus habet in medio omnium extremitatum exquiſitè cõſtitutum, vt inter gracilitatem, craſsitudinem, mollitiem, duritiem, caliditatem, frigiditatem, humiditatẽ, & ſiccitatẽ: atque vno verbo, cuius naturales animaléſque actiones culpa vacant. Is quoque medius eſt inter glabrum & piloſum, nigrũ & album: atque in pueritia rufos magis quã nigros capillos: in florẽte verò ætate cõtrà habebit.

Corporum intemperatorum notæ, Cap. XLIIII.

COrpora quæ iuſto calidiora ſunt, dentes citius emittunt, & ſimiliter augentur. Tangentibus calidiora, & minus pinguia videntur. Eorum color rubidus, capilli nigri, modicè hiſpidi, venæque latæ. Siquis verò & pinguis & craſſus ſit, venáſque latas habeat, is non natura, ſed conſuetudine pinguis euaſit. Frigidioris autem temperaturæ notæ ſunt vt corpus frigidum tactui appareat, glabrũ ſit, & pingue, color vnà cum capillis rufus. Si frigiditas multa ſit, liuidus quodãmodo & plũbeus color eſt, & venæ anguſtæ. Cui autẽ venæ anguſtæ ſunt, ipſéq; eſt gracilis, is nõ neceſſariò talis eſt, ſed ex cõſuetudine ad eum ſtatũ eſt redactus. Arida tẽperatura durior graciliórque eſt quàm quæ tẽperata eſt atque hiſpida. Ac durities quidẽ à ſicca tẽperie ſeparari omnino non poteſt: gracilitas verò non ſolùm naturales tẽperaturas, ſed etiam lõga acquiſitas cõſuetudine ſequitur. Siccitatis ſignũ eſt ſi corpus difficiliter moueatur, ſqualidúmque ac ſiccum ab exſiccãtibus fiat. Humida verò temperies in cæteris quidem eſt ſimilis temperatæ: ſed tamen eſt mollior, & maiore carnis copia referta, atque ab ea ſeparari mollities non poteſt: ſicut etiã craſſitudo, quæ non modò innatam temperaturam, ſed eam etiam quæ ex longa conſuetudine contracta ſit, comitatur. Proprium verò humiditatis ſignum eſt, corpus ab humectantibus grauari. Quæ verò calida & ſicca eſt, hirſuta maximè eſt: capilli in capite celerrimè naſcũtur, iidémque nigri, & iuuenili ætate copioſi. Temporis verò progreſſu caluitium conſequitur. Venæ amplæ ſunt, veluti etiam arteriæ tum magnæ ſunt, tum verò etiam pulſant vehementiſſimè: totum præterea corpus robuſtum, articulatum, muſculoſum, & expers pinguedinis eſt. Cutis verò durior eſt atque nigrior. Quum verò temperies frigida atque humida ſit, pectus erit omnino perãguſtũ, totúmque corpus pilis vacans, cutis tenera atque alba, capilli ſubuſi, & præſertim in iuuentute: quúmque ſenectus aduenerit, caluitium non ſequitur. Huiuſmodi autem homines ſtatim timidi, puſillanimes ſegnéſque ſunt, venáſque latentes habent, craſſi ſunt & pingues, & femoribus & muſculis nõ aſpectabilibus ſunt: itémque inarticulati ſunt & bleſi. Sique frigiditas & humiditas magis aucta fuerit, color vnà cum capillis rufus erit: ſi verò plurimum augeatur, liueſcit. Calida verò atque humida temperies mollior eſt, & plus carnis habet quàm optima temperatura: quum verò plurimum aucta fuerit, ſtatim morbis putridis corripitur. Quum autem paulo humidior eſt, multóque calidior, tum ea præditi & paulo molliores ſunt, & plus carnis habent quàm temperati: hiſpidiores verò non paulo, nec paulo ſunt tangentibus calidiores. Si verò frigiditas & ſiccitas æquè augeantur, corpus ſuapte natura erit gracile, non muſculoſum, nec articulatum, nec coloratum, & pilis vacans, tactúique frigidum apparebit. Pinguedo tamen, licet graciles ſint, carni inſperſa erit. Capillorũ color pro portione frigiditati reſpondebit. Quantum verò ad animi mores pertinet, puſillanimes, timidi, & triſtes erunt: & &(vt ſummatim dicam) in tẽperaturis cõiungatis qualitatis exuperantis ſigna, cæterarum ſignis ſemper præſtabunt.

De capitis formatione, Cap. XLV.

PAruum autem caput prauæ cerebri conſtitutionis proprium indicium eſt: magnũ verò non neceſſariò

bonæ eſt indiciũ.Sed ſi ob innatæ facultatis robur; quæ
bonam multámque materiam effecerit,hoc eueniat, bo-
num ſignum erit:ſi verò ob ſolius materiæ copiam, non
item bonum. Sed hæc diſtinguenda ſunt ex forma & ex
iis quæ inde oriuntur:atque ex forma quidem, ſi concin-
na ſit:(hoc enim ſemper bonum eſt ſignum) ex iis verò
quæ oriuntur à capite,ſi optimè ſint affecta,ſique neruea
ipſorum pars bene alatur,robuſtáque ſit,ſi denique oculi
acriter aſpiciant.Capita autem acuminata mancam habẽt
circa frontem aut occiput,aut vltra debitum auctam emi
nentiam.Ita plerunque fit vt quemadmodum magnum
caput, ſic etiam ea quæ ſunt huiuſmodi, vitioſa cõperia-
mus: & tamen quandoque nonnulla ex iis, quum virtus
efformans valida ſit,bona inueniuntur.

Temperaturæ cerebri ſigna, Cap. XLVI.

TEmperatum cerebrum actiones animi habebit mo-
deratas,& excremẽta itidẽ moderata, miniméque ab
omnib⁹ externis rebus offendetur.Qui hoc præditi ſunt,
capillos in infantia ſubrufos,in pueritia ſubflauos,in per-
fecta ætate flauos, & medios inter exquiſitè criſpos &
ſimplices habet, nec facilè calueſcunt.Si cerebrũ calidius
temperato ſit,omnia ea quæ circa caput ſunt,rubicundio
ra & calidiora erunt, venæque in oculis apparebunt, iiſ-
que in lucem editis capilli ſtatim in capite naſcẽtur. Qui
verò multo calidiores ſunt, iis capilli nigri, & robuſti,
& criſpi,in primiſque non multum ſubflaui: deinde verò
nigri fiunt,& quum ætate procedunt, caluitio afficiũtur.
Horum pauca ſunt excrementa, quum valetudine quæ
vitio & culpa omni vacet,perfruuntur. Caput iis imple-
tur,grauatúrque à cibis potionibúſque calefacientibus:
itémque odoribus,& rebus foris incidentibus. Modicus
ſomnus atque is non profundus huiuſmodi naturis ſatis
eſt. Frigidioris porro quàm par eſt cerebri notæ ſunt,ma-
gna excrementorum copia per meatus peculiares manã-
tium, capilli recti, rufi, ac ſtabiles, faciléque à frigidis
cauſis lædi,deſtillationibúſque atque grauedinibus conti
nenter corripi,venáſque oculorum non apparére, & ad
ſomnum ferme procliuiores eſſe. Siccioris autem cere-
bri ſigna ſunt,ſi nihil excrementorum in meatibus fluit,
ſi ſenſus acres ſint,ſi vigilantes, ſi capillos robuſtiores, &
celerrimè exorientes:qúumq; orti fuerint,potius criſpos
habeant. Hi verò citò calui fiunt. Humidioris verò cere-
bri,capilli plani,nulla caluities,ſenſus obtuſi ſunt, excre-
mentorum copia redũdat, ſomnus multus & profundus.
Qui calido ſiccóque cerebro ſunt, ii carent excrementis,
ſenſibus ſunt exquiſitis, & vigilantiſſimi,& celeriter cal-
ueſcunt: & tamen capilli in eis primo quoque ortu celer-
rimè naſcuntur, & optimè nutriuntur:nigro criſpóque ca
pillo ſunt:caput tangenti calidum eſt: rubri verò ſunt ad
vigentem ætatem vſque. Vbi verò humiditas acceſſerit
caliditati,& vtraque mediocritatem paululum excedat,
tum & bonus color & calor adeſt,venæque in oculis ma-
gnæ videntur:excrementa plura ſunt, & mediocriter co-
cta, capilli recti ſubflauique, nec facilè caluitium patiun-
tur. Caput verò impletur atque aggrauatur calefacienti-
bus: qúumq; humor & calor plurimum increuerint,mor-
boſum caput redditur,ac facilè à calefacientibus & hu-
mectantibus læditur. Eiuſmodi tamen diu vigilare non
poſſunt,neque ſenſus exquiſitos habent. Frigidæ verò ſi-
múlque ſiccæ cerebri temperaturæ, frigidum & coloris
expers caput efficiunt:quique hac natura præditi ſunt, ve
nas in oculis non habent. A frigidis cauſis ſtatim offen-
duntur,ex quo fit vt inæquali valetudine fruantur: ſenſus
in iuuentute exquiſiti ſunt,& culpa omnino vacãt:at pro
greſſu temporis,celeriter cõtabeſcunt:atque(vt vno ver-
bo complectar)quantum ad totum caput pertinet,citò ſe-
neſcunt.His in lucem editis capilli vix prodeunt: atque ii
quidem non aluntur,flauique ſunt. Humida verò & frigi-
da cerebri natura facit ſoporoſos,ſomniculoſos, & ſenſi-
bus obtuſos: itémque capita excrementis redundantia,
frigori & repletioni opportuna,& deſtillationib⁹ ac gra-
uedinibus obnoxia:hi tamen non caluefiunt.

Ventriculi temperaturæ ſigna, Cap. XLVII.

VEntriculi qui natura ſiccior ſit,notæ ſunt,ſi celeriter
ſitibundi fiant,paucáque eis potio ſufficiat, largiore
A grauentur,fluctuationibus infeſtẽtur, aut quod redundat
ſuperfluitet,cibiſque ſiccioribus delectentur. Humidior
natura ventriculus cognoſcitur,ſi eo præditi,ſiti non affi-
ciantur,& copioſiorem humorem ſine moleſtia ferant, &
cibis gaudeant humidioribus. Calidiorem atteſtantur
hæc,vt eo præditi melius concoquant quàm appetant, &
dura potius,& item ea quæ immutari difficulter poſſunt:
cibis præterea potionibúſque calidioribus oblectentur;
neque à frigidis,niſi immodicè eis vtantur,noxam vllam
percipiant. Ventriculus autem natura frigidior ad appe-
B tendum quidem valet, ad concoquendum verò non itẽ;
præſertim verò ſi edulia quæ difficulter immutantur,
quæque frigida ſunt, aſſumpſerit. ſtatim enim in ea coa-
ceſcunt.Itémque frigidis quidem gaudet, ſed tamen ab
eorum vſu nimio læditur. Intemperies autem ventriculi
ex morbo contractæ,ab iis quæ ei natura inſitæ ſunt,dif
ferunt,quòd contraria,non autem ſimilia expetant.Ven-
triculus ergo qui probè concoquit,temperatus eſt:qui nõ
concoquit, intemperatus. Si ructus nidoroſos & fumeos
edat,immoderatum & igneum eius calorem eſſe indica-
C bit:ſi acidos,contrarium. Si verò cibos concoctu diffici-
les conficiat,immoderatum:ſi verò illos non concoquat;
piſces verò cõcoquat,imbecillum. Hoc autem vtrum ex
humore aliunde confluente accidat nécne,conſiderandũ
eſt. nam pituitoſi acidum,bilioſi nidoroſum, & graueo-
lens,aut alias extraneas qualitates eructant:communia ve
rò ſymptomata,nauſeæ ſunt. Sed ſi vitioſi humores in ca-
uo ſpatio ventriculi ſupernatent,euomuntur, qui verò in
corpore ventriculi ſunt, & eius tunicis continentur, fru-
ſtra nauſeis vomitu vacantibus turbabuntur.

D Pulmonis ſigna, Cap. XLVIII.

NOn ſolùm ventriculus ſitim adfert atque aufert,fri-
gidæque ac calidæ potionis cupiditatem inuehit;
ſed etiam viſcera quæ thorace continentur:& tamẽ quum
bibunt,non ſtatim ſitis ſedatur,ac frigida potio ſitim eo-
rum magis quàm valdè calida reſtinguit. Aër quoque
frigidus inſpiratus eos refrigerat,quum eos quibus vẽtri-
culus ſitim affert,nihil leuet. Qui verò contrà ſunt affecti;
à frigida inſpiratione moleſtia manifeſta ſenſibus afficiũ
tur:eſtque hoc maximũ frigidi pulmonis indiciũ: atq; e-
E tiã pituitã ſcreatu cũ tuſſi reiiciũt. Sicci pulmones excre-
mentis & pituita carent,quemadmodum humidi redun-
dant excrementis, & obſcuram atque raucam vocem fa-
ciunt:qúumque vehementius aut acutius loqui ſtudent,
tunc intercidunt excrementa.

Temperaturæ cordis notæ, Cap. XLIX.

COrdis calidioris ſigna ſunt magnitudo reſpirationis,
pulſus velox & frequens,audacia,& furibunda teme-
ritas,thorax hirſutus,ac præſertim pectus, & quæ præcor-
diis ſunt propinqua,magnáque ex parte totum corpus ca-
F lidũ eſt,niſi iecur magnopere obſtet. Thoracis quoq; am
plitudo caliditatẽ cordis arguit,niſi etiam tũc cerebrum
valde reſiſtat. Cor verò frigidius,pulſus mediocribus mi-
nores habet: quique tali ſunt corde, & timidi, & puſilli
animi,& ſegnes ſuapte natura ſunt, pectúſque glabrum
habent. Siccior cordis natura pulſus duros facit,iram nõ
ſubitam,ſed agreſtem,& quæ ſedari difficulter poſſit, ex-
citat:plerũque autem niſi iecur repugnet,vniuerſum cor-
pus eſt calidius. Humidius cor eſſe teſtantur pulſus mol-
les,& mores ad iram quæ placari facilè queat,procliues,to
G túmq; corpus,niſi hepatis partes cõtrà faciant, humidi⁹.
Calidum & ſiccum eſſe cor oſtendunt pulſus duri, & ma-
gni,& veloces,& frequentes, & reſpiratio itidem magna,
& velox,& frequens. Quibus huiuſmodi cor ineſt, maxi-
mè omnium hirſutum pectus habent, atque præcordia.
Ad actiones prompti,iracundi, temerarii, & tyrannicis
moribus præditi ſunt: in iram verò quæ non facilè ſeda-
tur,præcipites ruunt. Si verò vnà cum calore humiditas
ſuperauerit,hi minus quàm qui ſuprà cõmemorati ſunt,
hirſuti erunt: porro ad actiones impigri: neque in eis
H eſt agreſtis animus,ſed tamen ad iram magis pronus:pul-
ſus verò magni,molléſque,& veloces,& frequentes. Quũ
verò humidius frigidiuſque cor eſt, pulſus molles ſunt:
mores verò huiuſmodi vt puſilli animi,timidi,& ſegnes
ſint,& minimè furibundi, ſicut etiam ad iram non ſunt

ocliues. Frigidioris verò ſiccioriſque cordis, pulſus duriores, exiguique ſunt: quique ita ſunt, minimè omnium ſunt iracundi: vbi verò iraſcuntur, iram diu retinent, eorúmque minimè omnium hirſuta ſunt pectora.

Iecoris temperaturæ dignotio, Cap. L.

CAlidioris hepatis notæ ſunt venæ amplæ, flauæ bilis maior copia, in ætate verò conſiſtēti etiam atræ: ſanguis calidior, & ob hanc ipſam cauſam totum quoque corpus, niſi cor obſtiterit, vēter & præcordia hirſuta. Frigidius iecur oſtendunt venæ anguſtæ, pituita copioſior, ſanguiſque & totus habitus corporis frigidior, niſi quid ei caloris à corde impertiatur: præcordia nuda pilis, itémque venter. Siccioris ſigna ſunt ſanguis craſſior, & minor eius copia, venæ duriores, & totus corporis habitus ſiccior: humidioris ſigna ſunt ſanguis copioſior & humidus, venæ molliores, atque ita vniuerſum corpus, niſi cor contrà repugnet. Calidi verò ſiccíque ſigna ſunt præcordia maximè hirſuta, ſanguis craſſior, & ſimul etiā minor eius copia: amara bilis plurima, in ſtatu verò etiam atra: venæ amplæ duræque, & ita quoque corpus vniuerſum calidum & ſiccum. Calor enim qui manat à corde, frigus quod ab hepate exiſtit, non ſecus quàm frigus calorem poteſt vincere: at ſiccitas ab humidiore corde ad contrarium traduci non poteſt. Perſpicuum autem eſt, ſi vtriuſque principii temperaturæ in vnum conueniant, totum corpus conuenienter illis exquiſitè affici. Humidum ſimul & calidum hepar habet præcordia minus hirſuta quàm quod calidum ſiccúmque eſt: itémque multum ſanguinis, latas venas, habitúmque humidum & calidum obtinet, niſi cor obſiſtat. Si verò vtriuſque qualitatibus naturæ modū magis quàm par eſt, excedat, ſtatim in eos morbos incidit quos putredo & malitia humorum procreāt: ac tum quidē magis ſi humiditas plurimū ſit aucta: calor verò perexiguus, & vitioſi etiā humores fiunt. Humidi & frigidi ſigna ſunt glabra præcordia: ſanguis autem magis pituitoſus vnà cum venarum anguſtia redditur: totū præterea corpus eodem modo eſt affectum, niſi à corde ad cōtrarium habitum perducatur. Frigidum verò ſimul atque ſiccum iecur parum ſanguinis gignit, venas anguſtiores & corpus reddit frigidius, niſi cor hoc etiam loco dominetur.

Calidioris, ſiccioris, atque humidioris intemperiei corporis correctio, Cap. LI.

QVum in calida intemperie bilioſum excrementum redundet, ſi per inferiora deſcendat, perſpicuum eſt nihil eſſe molliendum: ſi verò ad ventrem feratur ſuperiorem, euacuādum eſſe vomitu, qui poſt exercitationē, ante cibum, aquæ potu cieatur. Eos verò qui ita ſunt affecti, præſtat exerceri, neque veloci & concitata exercitatione, ſed tardiore ac molliore. Quibuſdam verò qui ad modū calidi ſunt, nihil exercitatione opus eſt: ſed ſufficit deambulatio, & balneum, atque ii etiā balneis poſt cibum delectātur. Quibꝰ verò ſiccitas adiūcta eſt, iis opus eſt victu humectante ex cibis huiuſmodi, balneiſque, & exercitationum concitatarum & multarum abſtinentia: ex quo conficitur vt æſtiuo tēpore & citius, & à cibo rurſus ſint lauandi: quod humidum eſt, & frigida potio, his prodeſt. Siccis naturis maximè aduerſa eſt venus: cauere autem præcipuè debent laſſitudines, æſtus, ſolicitudines, vigilias. Humidæ natura temperaturæ in pueritia morbis quos defluxiones, & plenitudines, quóſque deinde humorum corruptelæ pariunt, ſunt obnoxiæ, quibus quidem fit rebus vt eis pluribus exercitationibus & exquiſita ventriculi concoctione opus ſit. Quocirca huiuſmodi naturæ ex bina & terna ante cibum lotione, & ex balneorum naturalium vſu maximum fructum ferent: ne verò defluxionibus infeſtentur, proſpiciendum eſt: id quod lauacris multis ante cibum, exercitationibus, vrinæque & alui excretione conficietur. Nihil etiam prohibet apophlegmatiſmis interdum vti, & etiam purgationibus: itémque cibis boni ſucci, & vino quod vrinæ ciendæ ſit vtantur.

Intemperiei frigidæ correctio, Cap. LII.

FRigidæ intemperiei tres ſunt differentiæ, quarū peſſima eſt ſicca. Nam quod progreſſu temporis ſeneſcētibus contingit, id ipſum iis qui ea temperatura ſunt, ab A initio ineſt: ergo humectandi calefaciendique ſunt. Id fiet exercitationibus moderatis, humidis, calidiſque alimentis, vini calidioris potu, & ſomnis etiam pluribus: in quo danda nobis opera eſt vt excrementa quæ quotidie fiunt in corpore, vacuentur omnia. Concubitus omnes ſicciores lædit, eos verò præcipuè qui præterquam quòd ſicci ſint, frigidi etiam ſunt: ſolis verò calidis & humidis eſt innoxius. Iam verò temperaturæ quæ humidæ & frigidæ ſunt, vitioſæ ſunt, corripiuntúrque à morbis iis qui defluxionibus accepti referuntur: hos iuuat balnei abſti- B nentia & multa exercitatio, victúſque tenuior, itémque calida mediocriter inunctio. Qui verò natura frigidiores, mediocritérque ſicci & humidi ſunt, eorum calor excitādus & confirmandus eſt. In totius autem victus ratione conſtituenda, victus qui inter humidum & ſiccum medius ſit interiectus deligatur.

Curatio ſiccæ intemperiei ventriculi quæ velut exemplum reliquarum curandarum proponitur, Cap. LIII.

INtemperies ſicca eſt vel quum ſolida ſubſtantia par- C tium ſimilium inter ſe fit ſiccior, quæ quidem eſt eiuſmodi vt ei adhiberi medicina nō poſſit, vel quum propria humiditas, vnde partes nutriuntur, omnino conſumpta eſt. Ea autem continetur in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas ſparſa, quam inſerere particulis ſine alimento non poſſumus: quam ob rem difficillima eſt huiuſmodi affectionum curatio: alia verò ſiccitas eſt, quæ in exilibus arteriis veniſque conſiſtit. Huiuſmodi ſiccitates curare oportet alimento humectante, ſingulas particulas ſimiles inter ſe propria humiditate implē- D do. Balneum ergo tēperatū cōuenit, in quo diutiꝰ morari ægrotum decet: à balneo verò lac aſininum recens mulctum, cuique mellis tepidi modicum ſit adiectum, nulla mora interpoſita dandum eſt: hominémque ita ad ſecundam vſque lauationem quieſcere permittemus, tum modicè fricabimus, & pinguiter, ſi vtique lac quod datum fuerit iam ad vnguem confecerit: id quod tum ex ructibus, tum ex ventriculi mole coniicere licebit. Moderatū verò temporis interuallum inter primam & ſecundam lauationem erit, ſi quatuor aut quinque horarum æquino- E ctalium ſpatium intercedat, ſi modò lauare tertiò paras: ſin minus, plurimum. Quinetiam poſt vnamquanque lauationem oleo hominem priuſquā ſe veſtiat, vngemus. Si verò lacte oblectetur, id etiam poſt ſecundam lauationem dabis: ſin aliter, ptiſſanam diligenter coctam, aut alicam ptiſſanæ modo confectam: deinde verò vbi rurſus quieuerit, ad tertiam lauationem, aut illico ad cœnam eſt ducēdus. Eſto autem ei paratus panis diligenter cōfectus, in furno coctus, purúſque: obſonium ex piſcibus ſaxatilibus, aut ex albo iure aſellus: & (vt paucis alimenti ſummā F complectar) ſit coctu facile, & nutriēs, miniméque glutinoſum, & excremento vacans. Potus eſto vinū aquoſum, albúmque purum, & quod minimam ſuſtineat aquæ miſtionem, quódque leuiter adſtringat: hæcque eſt maximæ ſiccitatis curatio. Modicæ verò ſiccitates non tam exquiſitum victum poſtulant, ſed pleniore cibo vti poſſunt. Ponamus ergo nunc ſiccitatem ſuperiori parem, ſed ſit ei cōiuncta frigiditas: ſanè iis quæ dicta ſunt, calefacientium materiam miſcebimus, & cæteris addemꝰ: ergo lacti mel copioſius addetur, & vinum minus aquoſum quàm prius G dabimus. Quinetiam ipſa quoque eſculenta calidiora, idque non ſolùm naturalibus ipſorum temperaturis, ſed etiam recens acquiſitis qualitatibus exhibēda erunt. Nardino etiam vnguento, aut maſtichino aſſiduè vngemus. Si verò cum ſiccitate multa ſit coniuncta frigiditas, primùm ipſam grauiſſimā, & ad corrigendum difficillimā exiſtimabis: iiſdem verò vtendum eſt, itémque melle per ſe deſpumato: vinum eligendum eſt antiquius. Optimum autem his omnibus medicamentum eſt quo picatores continenter vtuntur, eóque venter illinendus eſt, & cali- H dum etiamnum auferendum. His etiam prodeſt boni habitus puellus vnà dormiens, ſic vt abdomen ſemper contingat: deinceps verò ſiccitati iuncta caliditas eſto mediocris. In eiuſmodi intemperie primam victus inſtitutionē ſeruabimus, vt mel prorſus non guſtetur, vinúmque mi-

nimè vetuſtum exhibeatur:cibos verò tepētes & lacteos offeremus,ventriculúmque omphacino & melino vngemus. Hos autem vehementius refrigerare periculoſum eſt, quum huiuſmodi conſtitutio quodammodo febris naturam,quum calor abundarit, imitatur. Rurſus itaque proponamus intemperiem calidam exuperare, huicque humiditatem eſſe coniunctam:hanc intemperiem mino re metu aquæ frigidæ potione curabimus: huic accommodatus eſt ciborum adſtringentium vſus qui tamen citra calorem auſteri ſint: humidæ verò intemperiei ſi ſola conſiſtat, cibi exſiccantes, ita vt nō calefaciant nec refrigerent,itémque cōſuetæ potionis parcitas valde auxiliantur:intemperiei verò quæ cū frigiditate eſt coniuncta,optima remedia ſunt acria omnia,quibus admiſceantur adſtringentia,ſed quæ non manifeſtè refrigerent: optima etiam his eſt exigua potio,eáque vini egregiè calefacientis.Atque hæ quidem ſunt earum intemperierum quæ in qualitatibus conſiſtunt curationes.Quoniam verò perſæpe in ipſo ſinu ventriculi contentus humor, aut in ipſas ventriculi tunicas impactus,intemperies creat,operæpretium erit de his etiam loqui. Ergo prior affectio, ſi ſemel conſtiterit, vomitu expurgata facilè quieſcit: ſin rurſus ex alia parte quadā,vel aliis particulis humor cōfluxerit, exquiſita dignotione opus eſt, curatio verò ſtatim ſubſequetur.Vniuerſam enim curationem parti affectæ debemus accommodare,cura adhibita ne particulæ quæ recipiunt ea quæ confluunt,facilè admittant. Fiet autem hoc adſtringentibus & iis quæ totum corpus ad bonam habitudinem perducunt. Vitioſus autem ſuccus qui in vētriculi tunicis eſt receptus, curatur modicè purgantibus medicamentis,vt eſt aloë, & picra medicamentum quod ex ea componitur.Sed quibus lenta pituita ventriculo infixa eſt;iis priùs exhibenda ſunt quæcunque ipſam diſſecent,deinde purgandum:ſi ad vomēdum ſint idonei, vomitus ex radiculis cieatur.Si verò nec lētus nec craſſus humor ſit,vtiq; ſatis erit ex ptiſſanæ cremore vomere,itémque ex mulſa:bibēdus verò etiā abſinthii ſucc⁹ ex mulſa. Reliquarum verò partium intemperies ſimiliter iis quas propoſuimus, humores ad meatus idoneos deducendo, ſanabuntur.Si verò particula neque cauitatē neque ſenſibilem meatum habeat, euaporationibus & ſudoribus redundantes humores vel ichores qui in ipſa ſunt,veluti ſi ſpiritus flatulentus eſſet id quod continetur,euacuare nos oportet.

SEXTI LIBRI ARGVMENTVM.

In ſexto traduntur ſigna & curationes febrium,ſymptomatúmque,& inibi etiam de animi defectione,ſyncopa, dolore,fame,appetitu proſtrato,nimia fame,nauſea,vomitu,canina appetentia,vigiliis,graui ſapore,colliquatione & ſiti,verba fiunt.

LIBRI SEXTI CAPITA.

Signa critica in principio apparentia mala eſſe, Cap. I.
Quando optimam criſin factam cognoſcámus, Cap. II.
Quomodo futura criſis prænoſcenda ſit, Cap. III.
De ſignis quæ ab vrina ſumuntur, Cap. IIII.
De ſputis, Cap. V.
De febribus ephemeris, Cap. VI.
De putridarum febrium notis, Cap. VII.
Curatio febrium putridarum, Cap. VIII.
Signa tertianæ, Cap. IX.
Tertianæ curatio, Cap. X.
Tertianæ nothæ curatio, Cap. XI.
Quartanarum cognitio, Cap. XII.
Quartanæ curatio, Cap. XIII.
Quotidianæ febris ſigna, Cap. XIIII.
Quotidianæ curatio, Cap. XV.
Febrium continuarum indicia, Cap. XVI.
Continuarum febrium curatio, Cap. XVII.
Ardentium febrium ſigna, Cap. XVIII.
Ardentium curatio, Cap. XIX.
Febriū quæ ex affectione eryſipelas referente originē trahunt curatio, Cap. XX.
Hecticarum febrium cognitio, Cap. XXI.
Hecticarum febrium curatio, Cap. XXII.
De ſemitertianis, Cap. XXIII.
De morbis publicis, Cap. XXIIII.
De peſtilentia,ex Rufo, Cap. XXV.
De iis qui ob crudorum humorum copiam in ſyncopen cadunt, Cap. XXVI.
De iis qui ob tenues humores animi defectione tentantur, Cap. XXVII.
De aliis cauſis ex quibus ſyncopæ oriuntur, Cap. XXVIII.
De dolore, Cap. XXIX.
De colliquatione, Cap. XXX.
De vigiliis in febribus, Cap. XXXI.
De iiſdem, Cap. XXXII.
De graui ſapore, Cap. XXXIII.
De canina appetentia, Cap. XXXIIII.
De cibi faſtidio, Cap. XXXV.
De fame ingenti, Cap. XXXVI.
De ſiti immodica, Cap. XXXVII.
De ſiti Philumeni, Cap. XXXVIII.
Diſcoridæ catapotium ad ſitim, Cap. XXXIX.
De nauſea, Cap. XL.
Ex Philumeno vomitionis bilis curatio, Cap. XLI.
De ſingultu,ex Galeno, Cap. XLII.
Linguæ aſperæ curatio, Cap. XLIII.
Curatio exulcerationis quæ os ſacrum exercet, Cap. XLIIII.
De animi defectione ex inanitionibus, Cap. XLV.
Si anima deficiat ob plenitudinem, Cap. XLVI.
Curatio ad ſanguinis deſtillationem, Cap. XLVII.

ORIBASII SYNOPSEΩS AD EVSTAthium filium liber ſextus.

Signa critica quæ apparent in principio praua eſſe, Cap. I,

SIGNA concoctionis nunquam malè apparent:critica verò ſigna quandoque malè apparent.nam neque in principio, neque in incremento, neque in ſtatu ea debent apparere.

Quomodo optimam criſin factam cognoſcamus, Cap. II.

SI ægrotus febri ſit per criſin leuatus, aliiſque accidentibus liberatus, coloratiórque pro ratione euacuationis euaſerit,pulſúſq; vires acquiſiuerit, ipſeq; ad ſurgēdū, ſéque erigendum ſit robuſtior,ea optima criſis eſt: ſiquid horū deſit, tantum ab optima aberit quanta fuerit vis eius quod deeſt.

Quomodo futura criſis prænoſcenda ſit, Cap. III.

SI acceſſiones intendantur & anticipent, fiántque multo vehementiores,& tertio quoque die inuadāt, morbum breui iudicatum iri declarant: ſin autem lentè moueantur,eadémq; hora inuadāt,& quotidie affligāt,longiore poſt tempore criſin fore ſignificant. Iis etiam qui cum vehementibus rigoribus febri iactantur, morbus ſolui non poteſt priuſquam rigores leniantur, atque etiā niſi rigor ſe remittat, morbus ad ſtatum peruenire non poterit, atque ita multo minus ipſius ſperanda eſt declinatio.

De ſignis quæ ab vrina ſumuntur, Cap. IIII.

VRina optima eſt quæ ſanorum vrinæ ſimillima eſt: huiuſmodi eſt quæ ſubrufa & ſubflaua cernitur:hæc enim ſtatim craſſitiem moderatam habet. Etenim quum tres ſint turbidarum vrinarum differentiæ, vt vel excretæ tales paulo pòſt ſubſidant,vel conſimiles maneant perpetuò,vel puræ excernātur,deinde fiant turbidæ:quæ tertio loco dictæ ſunt, malæ ſunt:benignæ verò ſunt primæ: in medio vtrarumque ſecundæ ſtatuuntur. Summè cruda eſt ea quæ ad vnguem aquoſa eſt, vtpote quæ ſymptoma ſit deſperatæ venoſi generis concoctionis. Quum verò vrina celeriter deſcenderit,morbus cui diabetæ nomē eſt, oritur. Sed hæc vrinarum crudarum eſt deterrima: deinde verò ea quæ alba & tenuis eſt, aquæ inſtar :his vicina eſt alia vrina quæ in pleriſque morbis colorem vt vinū abundè habere videatur:hāc ſequitur ſubpallida: quæ verò pallida eſt, iam etiam erit ſubrufa, eáque iam concoquitur quantum ad colorem pertinet: háncque craſſitiē tantum à diluta recedere oportet, ſi concoqui rectè debeat,quantum etiam colore abeſt. Quòd ſi colorem qui ei ſecundum naturam ineſt,planè ſeruarit, ſubſidēs verò, album,leue, æquale,& copioſum fiat, exquiſitæ quidem concoctionis erit indicium; ſed plus crudi humoris expurgari ſignificabit:ſi verò craſſa mediocriter fuerit, & habeat quædam ſubſidentia,ea non concocta erit omnino. Si enim ſubſidētia parti farinæ craſſioris, aut laminis, aut furfuri ſimilia fuerint,præterquam quòd omnem huiuſmodi vrinam incōcoctā eſſe, mortis etiam imminere periculum oſtendunt. Quæ verò boni coloris vrina eſt,& ſimul etiam habet ſubſidentia lenia, atque alba, & æqualia,aut nebulis quibuſdam ſimilia, aut ſuſpenſa, ea eſt omnium probatiſſima: primæque tribuuntur ei in qua eiuſmodi ſubſidentia videntur:ſecundæ verò ei in qua ſuſpenſa cernuntur:tertiæ porro ei in qua nebulæ ſunt:& denique ea quæ in vrinis probè innatant,quo inferius ſubſident,eo ſunt præſtantiora.

De ſputis, Cap. V.

SPuta quæ ſubflaua,ſubrufa,ſubſpumea,& tenuia ſunt, ſolius cruditatis ſunt notæ: malum verò nullum inſignius denotant. Quæ verò ſincerè flaua,rufáque ſunt, ac ſpumea,ſúntque viridia,glutinoſa,& rotunda, mala ſunt: quibus etiam deteriora ſunt nigra. nam præter ſanguinē quicunque alius humor ſuperauerit, affectionem prauam A oſtendit à colore inflammato ducentem originē. Cructa igitur,pituitoſáq; ſputa, mediocria ſunt:flauæ autem vel atræ bilis,difficilia. Cæterùm quomodo educātur primùm conſiderandum eſt. nam ſi facilè excreentur, ea bona eſſe perſpicuum eſt: ſin ſecus,praua. perfectam námque concoctionem indicat ſputum quum leue, album, & æquale eſt,ſubſidétque neque humidū neque ſubcraſſum. Omnimodæ verò cruditatis ſignum eſt ſi nihil omnino expuatur:ſi verò ſpuatur,ſed tenue illud ſit,imbecillæ coctionis eſt indicium:quòd ſi parum ſit,rufum,aut flauum,nō bonum erit:ſi liuidum,& æruginoſum,vel nigrum, ſummè B pernicioſum erit.

De febribus ephemeris, Cap. VI.

FEbrium diariarum proprium & inſeparabile ſignum eſt,vrinarum in primo die concoctio, & caloris ſuauitas. Poſt primam verò febris ſolutionem, certiorem earū cognitionem habebis. in hac enim motus arteriarum ei motui qui fuit in ſecunda valetudine eſt omnino ſimilis, quum nulla ex aliis febribus ad naturalem ſtatum reuertatur:maximum quoque indicium eſt quum æger facilè C fert. His febribus opportuni ſunt in quorū corpore quod tranſpirat,non halituoſum, ſed acre, ac veluti fumoſum eſt:huiuſmodi ſunt quorum calida eſt natura,atque ſicca, & ad ſummā bilioſi: qui igitur ex laſſitudine in febrim inciderunt,pinguiter & molliter ſunt perfricandi, & ad balneum ducendi. Qui ex ſiccitate, minus fricandi ſunt illi quidem,ſed lauādi ſunt liberalius: qui ex curis,mœroribus,vigiliis,atque ira febricitant, non ſæpe lauandi, ſed multo oleo tepido,cui minimè adſtringens vis inſit, fricandi paululum,& ex conſuetudine lauandi: qui verò D ex vſtione febricitant,protinus ab initio refrigerantibus curandi ſunt,& crebrius lauandi:minimè tamen eis largo oleo & frictione eſt opus. Sint autem refrigerantia roſaceum,& omphacinum ſalis expers:eadem verò refrigerātia ſincipiti vehementer oportet infundere, & quum febris inclinauerit,lauare. Siquis verò ex frigore febrim cōtraxerit,is etiam in declinatione lauādus erit: ſi verò febri,& deſtillatione,grauedinéque vexetur, priuſquā hæc concocta ſint, lauandus non eſt: at qui propter vſtionem febricitant, ii vel quum hæc adſint, lauari debebunt. A E balneo verò amborum capita iiſdem madefaciēda ſunt: atque eorum quidem quibus vſtio febrim attulit,refrigerantibus:iis verò quibus frigus, calefacientibus,quæ ſint mediocria, quale eſt irinū & nardinum vnguētum. Quibus verò meatuum conſtipatio febrem excitauit, iis balnea dulcium aquarum & temperatarum conueniunt:tum frictio rarefaciens,& exercitationes,& victus ſuccis dulcibus procreandis idoneus. Qui verò ob inediam febri correpti ſunt,eos vbi prima acceſſio remiſerit, in balneū perduces,& plurimo oleo tepente perfundes,tum mitiſſi F mè fricabis, & diutiſſimè in calida ſolii aqua detinebis: ſimulatque exierint, ſéque recollegerint, in balneum introducendi ſunt, deinde aqua calida potui danda, mox ptiſanæ cremor offerendus, quandoque etiam lactuca,& piſces qui molli carne ſunt,ex albo iure. Omnium autem communis victus ſpecies eſto quæ boni ſucci ſit, & quæ facilè concoquatur,& quæ nuſquam meatibus inhæreat. Vinum dandum quod tum aſpectu,tum viribus ſit aquoſum. In primo autem acceſſionis inſultu nonnulla horum quandoque mutanda ſunt in iis in quibus corporis intē-G peries ad calidum ſiccúmq; conuerſa, febres gignit. Qui verò ex bubonibus febricitant, ii ne medicum quidem interrogant quid facto opus ſit,ſed vlceri à quo excitatus eſt bubo,proſpicientes,vbi acceſſio declinauerit, lauētur: iis vinum circuncidendum eſt donec bubo fuerit ſolutus,ſúntque tenuiore victu nutriendi.

Ex Galeno,de putridarum febrium notis, Cap. VII.

PVtridarum febrium notæ ſunt hæ, vt nulla cauſa euidens præceſſerit, vt neque à rigore febris inceperit,neque ab æſtu,neque frigore vehemēti præcedēti: id quod

non ſecus eſt putridarum febrium proprium quàm etiã A pulſuum depreſſio: ſic enim nominant, qum incipiente acceſſione pulſus admodũ exigui & inæquales ſunt, quod quidem eſt huiuſmodi febrium proprium vel maximé. Porro caloris qualitas maxima eſt putridarum febrium nota: ita enim fuliginoſa eſt, vt vel tactum erodat. Maximè verò proprium harum febrium eſt vrinæ cruditas, & obſcura concoctio: magnum verò & notabile concoctionis indicium in vrinis nunquam in hiſce febribus apparet.

Curatio febrium putridarum, Cap. VIII.

ERgo ſi vires eius qui ex putredine febricitat, valentes ſint, B mittendus ſtatim ſanguis eſt, ſi cruditas ventris non ſit: ſin vires ſint infirmæ, ætáſve prohibeat, non erit incidenda vena: corpore euacuato, putrida per vrinas, aluum, & ſudores expurganda ſunt: ſin autem ſponte ſua nõnunquam ad ventriculum impetu ferantur, etiam per vomitum, alioqui non ſunt præter naturam irritanda. Materiæ autem deligi debent huiuſmodi quæ non valde calefaciendo & ſiccando prædictas euacuationes perficiant: cuiuſmodi ſunt ptiſanæ cremor, aqua mulſa, oxymel, apomel, & apii radix: ſi aluus non deiicit, clyſtere C ex aqua mulſa cum oleo ciebitur. Totum verò corpus priuſquam vacuatum ſit, rarefacere non oportet: vbi fuerit euacuatum, licebit rarefacere medicamento quod tepidum calorem habeat, quale eſt quod ex chamæmelo conficitur. Hoc etiam tempore vinum aquoſum potui datum omnes excretiones mouet, itémque balneum aquæ dulcis temperatum. Verùm quum febris magnitudo obſtet, tum neque vino, neque lauacro, neque vnctione rare faciente vtendum erit: ſed aqua frigida in his febribus potui data eſt accommodatiſſima, niſi etiam aliquid hu- D ius vſum impediat. Ergo ſi omnes vires robuſtæ ſint, febríſq; ardentiſſima, & euidentiſſima ſigna concoctionis appareant, frigidam cum fiducia dabis. Ad hæc verò ſi bonæ habitudinis homo ſit, calidáque & ſicca ſit conſtitutio, etiamſi in frigidam natationem hunc demiſeris, nihil lædes: ſin autem mediocris ſit febris, viréſque inualidæ, vnà cum ſignis concoctionis, & balneum, & vini potio, & omnes vnctiones rarefacientes iis proſunt.

Signa tertianæ, Cap. IX.

TErtiana febris quum ex motu flauæ bilis exoritur, E ſtatim ab initio rigorem non paruum infert. Differt autem à rigore quartanæ, quòd pungere & conuulnerare cutim videatur, in quartanis autem acceſſionis ingreſſio vehementiorem perfrictionem habeat: quotidianas verò non rigor præcedit, ſed corpus modò perfrigeratur. In tertiana autem eſt etiam exquiſitus ordo pulſuum, eáque in ſtatu ſitim vehementem affert, atque hominem exurit, & paulo pòſt conſiſtit, calórque per omnes parteis æqualiter diffunditur. Si manum iniicias, primo cõtactu F calor copioſus & acer, ac veluti cum vapore quodam elatus, occurrit: ſed paulo pòſt à manu vincitur. Quum verò æger biberit, ſtatim copia vaporis calidi ex cute prodit, quæ ſudores futuros nunciat, vomitus flauæ bilis apparet, aluus ſoluitur, bilioſa per vrinam excernũtur: præterea ad integritatem febris peruenit, vbi tempus acceſſionis non plurium quàm duodecim horarum cõpleuerit. Ergo quæ duodecim horis terminatur, exquiſitam tertianam nominamus: quæ verò diuturniorem acceſſionem habet, eam ſimplici vocabulo tertianam appellamus: at quæ acceſſionem habet longiſſimè productam, & exiguum interual- G lum intercedit, ea tertiana extenſa nuncupatur.

Tertianæ curatio, Cap. X.

TErtiana febris exquiſita, vtpote quæ à flaua bili procreetur, humectanda & refrigeranda eſt: quódque in ventrem influit, vomitibus: quod ad inferiora vergit, alui excretionibus euacuandum, & item per vrinas atque ſudorem educendum. Aluus igitur mollibus clyſteribus cienda eſt, vrina verò potionibus in quibus apium & anethum maduerint prouocanda: ſique ſigna concoctionis H appareant, confidenter abſinthium dabis. Balnea proſunt ex aqua calida potabili, in quibus neque nitrum, neque ſal, neq; ſinapi ſint inſperſa: ſed oleo maximè calido infuſo æger eſt in balneũ ducẽd⁹. Qui balneis valde oblectã-tur, eos etiamſi bis laueris, non errabis: ſi verò ſigna concoctionis morbi ſeſe oſtendant, etiamſi ſæpius laueris, nihil delinques. A vino autem priuſquam morbus concoquatur, omnino abſtinendum: vbi verò concoqui cœperit, tenue, dilutum, & modicum ab initio dandum. Cibi quicunque humectant & refrigerãt, accommodati ſunt. Porro à melle, ſinapi, ſalſamentis atque acribus omnibus, & à vinis natura calidis abſtinere ægrum oportet.

Tertianæ nothæ curatio, Cap. XI.

IN nothis hiſce febribus in initio lauare non expedit, ſed quum iam coctionis ſigna ſe nobis offerant: neque cibus eſt quotidie eſt dandus, ſed alternis diebus ſatis eſt. Quies & fotus præcordiorum, & ſorbitiones concoctu faciles, & clyſteres nõ admodũ molles iuuãt: ſi verò ſanguinis miſſione opus ſit, ne hæc quidem erit omittenda. Sit autem tota victus ratio, non quæ refrigeret humectétque, ſed etiam modus aliquis qui magis calefaciat atque incidat adhibeatur. Maximè verò conueniet ptiſanæ cremor iniecto pipere, vel hyſſopum, vel origanum, vel ſpicam nardi mulſa aqua infundens, & decoquens potui dabis: itémque alia omnia quibus vrina cieri poteſt, præter ea quæ vehementer calefaciunt & exiccant. Maximè verò poſt ſeptimum diem abſinthii coma danda eſt. Iam oxymel quoque epotum multos iuuit, & nonnulla etiam ex iis quæ aluum leniter ſubducunt. Vomitus autem à cibo iis in quibus hæc febris inueterauerit, vtiliſſimus eſt.

Quartanarum cognitio, Cap. XII.

QVartana febris cum magna refrigeratione inuadit, vt quæ ex frigido humore atræ bilis originem ducat. Calorem verò atque feruorem, ſicut tertiana, non habet: imò verò neque bilis vomitus eã comitatur. Si præterea vrinæ albæ tenuéſque ſint, quartana febris erit. Eximium verò quartanæ indicium fuerit pulſus tardus atque rarus.

Quartanæ curatio, Cap. XIII.

QVi febrem quartanam habent, leuiter tractãdi ſunt, eíſque neque medicamentum vllum vehemens dãdum, neque tentanda vacuatio, ſi non vtique ſanguis redundare videatur, quo caſu ſecanda vena eſt. Victus optimus & minimè inflans inſtituendus, & venter emolliri conſuetis rebus debet. Si nihil hæc proficiant, mollibus clyſteribus in principio, deinde verò acrioribus agetur. Suilla caro ipſis eſt circuncidenda, itémque omnes cibi glutinoſi, quíque tardè permeant: & denique omnes quicunque refrigerant atque humectant. Vinum conuenit quod tenue, albúmque, & modicè calidum eſt. Salſis & ſinapi vti expedit, tum aliquot diebus interpoſitis medicamẽtũ ex tribus piperibus, aut quod dioſpoliticũ dicitur, ſumere. Piper quoque ſolum ex aqua quotidie rectè capitur. Si æger in morbi principio ſit, tenuiore victu alendus eſt: ſtatim verò etiam diuturna quies imperanda, viſceribúſque proſpiciendum eſt per ea quæ molliunt atque relaxant. Poſt verò vtendum erit medicamentis quæ vrinam cient: ſique ſigna coctionis appareant, tum melãcholici humores purgandi ſunt, iique non ſemel tantùm, ſed etiam perſæpe. Poſt validam verò purgationem, medicamentum quod ex viperis conſtat dandum erit, & item alia quæcunque ad huiuſmodi febres commendantur, inter quæ eſt etiam nobis familiare quod ex cyrenaico ſucco conficitur.

Quotidianæ febris ſigna, Cap. XIIII.

QVotidiana verò febris non ſtatim primo die cum rigore inuadit, ſed tẽporis progreſſu perfrigeratio potius quàm rigor exoritur. Ægrè verò incaleſcit, & incrementum diuturnum habet: ægrotantes tamen nõ exurit, neque multum & crebrò trahere ſpiritum, neque ex ore exufflare, neque frigidam bibere compellit. Pituitoſi vomitus fiunt: quæ verò aluo excernũtur, frigidiora, crudiora, & dilutiora in hiſce febribus inuenies. Sudores primis diebus non emittuntur, neque ad integritatem veniunt. Color eſt ex pallido & albo miſtus: vrinæ tenues & albæ, vel craſſæ, & turbulentæ, & rubræ ſunt.

Quotidianæ curatio, Cap. XV.

QVotidianam curantes oxymelite primis diebus vtimur, itémque iis quæ mouere valenter vrinam poſ-

ſunt. Tota verò ratio victus ad incidendum dirigatur. Cir-
ca ſtatum eſt habenda ventriculi,& præſertim oris ipſius
ratio:deinde ægris iubendum vt radicula & cibis aſſum-
ptis vomant,& iis quæ vacuant pituitam, vtantur.

Febrium continuarum indicia,
Cap. XVI.

Continuæ febres ſingulis intermittentibus finiti-
mæ dicuntur:ac tertianæ quidem exquiſitæ, ea quæ
exquiſita ardens eſt: quotidianæ, ea quæ ſingulis diebus
habet acceſſiones,neque ad integritatem redit:ſic etiam
quartanæ,ea quæ quarto accedit die. Exquiſita enim ar-
dens quum alia omnia exquiſitæ tertianæ febris indicia
ſeruet,in hoc ſolùm ab illa differt quòd neque cum rigo-
re inuadit,neque ad integritatem redit. Ea quoque quæ
ſingulis diebus accenditur, omnia ſigna quotidianarum
habet,niſi quòd ad integritatem non peruenit: qua in re
ab ipſa quotidiana, quæ ſpecie conſimilis eſt, diſcrepat.
Præterea quæ quarto quoque die accedit,neq; ad integri
tatẽ ceſſat,eiuſdẽ generis eſt cũ quartana. Eſt ergo febris
continua quæ non prius ad integritatem finitur quàm
omnino fuerit ſoluta. Quum autem nulla inclinatio ap-
pareat,hæc quoque ex ardẽtiũ eſt genere, ſed ex eo quòd
illa acuta eſt,differt.

Continuarum febrium curatio,
Cap. XVII.

Continuarum febrium curatio eſt miſſio ſanguinis
vſque ad animi defectionem. Qui ſi non fuerit miſ-
ſus,qui eam febrem habent,ad extremum periculum de-
ducuntur. Siquid autem euacuare per venæ ſectionem
prohibuerit,aliis vtendum eſt remediis quæ aperiãt,ma-
teriæ copiam vacuent,& febriũ feruorem leniant. Quum
verò ſigna coctionis humorum perſpicias, neque in prin
cipe particula inflammatio aliqua aut tumor, œdematis
aut ſcirrhi ſpeciem præ ſe ferens fuerit, neque particula
aliqua adeò frigida vt noxam ipſa contrahat,audacter a-
quam frigidã bibendam propinabis,præſertim verò ſi æ-
ger eius aſſuetus potioni ſit.

Ardentium febrium cognitio,
Cap. XVIII.

Ardentes febres hæc comitantur,lingua arida, ſciſſa,
& nigra,ventriculi morſus,deiectiones pallidæ, ſitis
vehemens,vigiliæ,& nonnunquam delirium.

Ardentium curatio, Cap. XIX.

In febribus ardentibus, ſi perfectè morbus ſolui de-
bet,horum alterutrum faciendum eſt, aut bilioſos hu-
mores excerni,aut extingui. Excernuntur autem aut ſudo
ribus,aut vomitibus,aut per aluum: extinguntur verò fri
gidæ potione,qua nos febres ardẽtes ex toto curauimus.
Victus autem ardenti laborantibus conuenit nõ ex aqua
ſola,neque ex ſola mulſa,ſed ex diluta mulſa cocta. nã qui
hoc morbo conflictantur,ſola potione ſunt alendi. Bal-
neum verò ardentem febrem habentibus ſolùm conue-
nit iis qui tumorem inflammationis,aut eryſipelatis ſpe-
ciem referentem nullum habent ac tum maximè conue-
niet ſi coctionis ſigna appareant:iis verò qui propter ſal-
ſum ſuccum ardente febre ſunt correpti,minimè accom-
modatum eſt:ſed & eos cremore etiam ptiſſanæ nutrire
conueniet.

Febrium quæ ex affectione eryſipelas referen-
te originem trahunt,curatio,
Cap. XX.

In febribus quæ ex affectione quæ eryſipelas refert, ex-
oriuntur,à balneo eſt omnino abſtinendum. Aqua fri-
gida per morbi ſtatum vehemẽti (hoc eſt frigidiſſima)
vtendum eſt:in principio non item. Sed refrigerantia fo-
ris imponũtur:ſique nihil hæc iuuerint, etiam intra cor-
pus ſumere cogentur:eis autem humidæ lactucæ præci-
puè conueniunt. Extrinſecus verò ipſe lactucæ ſuccus eſt
accommodatus:itémque ſemperuiuum, & reliqua refri-
gerantia. Hoc autem vt præſtantiſſimo vtimur vel maxi-
mè. Humorem alicuius refrigerantis expreſſum in pilam
cum portulaca iniicimus, deinde his contuſis exprimi-
mus,váſque in aqua gelida ſtatuentes, quum vſus exigit,
parum polentæ tenuis admiſcemus, tum linteum condu-
plicatum hoc medicamento intinctum extrinſecus præ-
A cordiis admouemus, idque diu adhærere nõn ſinimus,
ſed aliud frigidum ſubinde adhibemus. Cæterùm huic
medicamento quandoque omphacinum aut roſaceum
oleum admiſcemus.

Hecticarum febrium cognitio,
Cap. XXI.

Hectica febris non ſolùm in humoribus ſpiritúque,
ſed etiam in ſolidis partibus conſiſtit. Hæc dolore
vacat:quique ea detinentur,ſe omnino nõ febricitare ex-
iſtimant. calorem enim non ſentiunt, quum particulæ o-
B mnes coporis ſint in eis æqualiter calefactæ. Hecticarum
ſunt duo genera: quorum alterum ardentibus febribus
magna ex parte ſuperuenit, quod vſque adeo protrahitur
vt tractu temporis madorem corporis cordis, etiamſi co-
pioſus adhuc ſit, cõſumat:alterũ genus eſt,quod manen-
te adhuc humore cordis, corpus occupãs,inde accendi-
tur. Hæcque eſt vna febrium hecticarũ origo nobis ex-
poſita. Reliqua eſt quum ab initio protinus inuadit, pri-
mam originem diariis ſimilem ſortita,ex mœrore,ira,&
laſſitudine nimia vnà cum exuſtione contracta:atque has
febres haud difficulter curabimus. Quæ verò ex ipſis ad
C marcorem peruenerunt, ſaneſcere nullo pacto poſſunt.
Facillimè autem cognoſcũtur: nam eorum oculos cauos
præter modum videbis,craſſiorem pituitam ſiccam ipſis
inhærẽtem,ſqualidam affectionem quandam: vitalis flos
coloris euanuit:frons ſicca eſt,atque intenta, conniuént-
que plerunque,vt dormiturientes: verùm affectio nõ ſo-
mnus eſt,ſed quia vigilare non poſſunt. Præterea collapſa
ſunt tempora:nam quid porro aliud præter oſſa cutém-
que ſolam habent?hos ſi nudaueris,& partes ventris inſpe
D xeris,profectò in eis neque inteſtinum,neque viſcera vl-
la tibi ſupereſſe videbuntur:præcordia verò ſurſum vehe
menter conuelluntur,cutiſque ipſa eſt ad ſummum reſic-
cata. Pulſus gracilis,durus,& creber:calor verò primo con
tactu languidus, paulo pòſt acer, & erodens oſtenditur.
Ita fit vt vſque dũ aliquid humiditatis ſupereſt,hectica ſo
la febris ſit:quum verò periclitatur, nequid præterea hu-
iuſce humiditatis reliquum ſit, tum exquiſitus marcor iã
effectus eſt.

Hecticarum febrium curatio, Cap. XXII.

E Qui febrem hecticam habent,ſtatim ab initio nutri-
ri propter humores erodẽtes deſiderant: maximum
verò remediũ eſt victus humidus. Oportet igitur cremo-
re ptiſanæ,& alicæ ſorbitione ægrum nutrire,& panis ali-
quid addere, eúmque potione,non vehementer ſed mo-
deratè frigida,curare, quum neque inflammatio aliqua,
neque humorum ſubeſt putrefactio. Si verò magnam fo-
re noxam coniectura conſequeris,à frigidæ potione abſti
nendum eſt, vtendúmque iis remediis quæ extrinſecus
impoſita refrigerandi vim habent. Balnea verò huiuſmo
F di ægrotis in quocunque tempore conueniunt.

De ſemitertianis quæ hemitritæi dicuntur,
Cap. XXIII.

Qvum tertianã cũ rigore, quotidiana verò citra rigo
rem inuadat,quæ ex iis vtriſque conſtat, horrorem
affert qui rigore quidem eſt minor, & perfrictione certè
maior: quæ res coniunctis inter ſe extremis efficitur: ex
quo fit vt non immeritò huic febri ſemitertianæ nomen
ſit impoſitum. Duplici autem modo gignitur. vel enim
duæ acceſſiones in idem tempus concurrunt, vel ſtatim
G ab initio ambæ inter ſe commiſcentur. Quum igitur ter
tiana ſuperat,plus horroris accidit,eidémque in acceſſio-
ne nonnihil rigoris adiungitur: protinus verò hæc cali-
dior eſt,atque ardentior, & aliquem bilis vomitum, vel
excretionẽ, vel madorẽ inducit: quũ verò altera pituito-
ſa ſuperior eſt, tunc frigus partes extremas exercet, exi-
guique horrores ſunt,quin ne ſiticuloſi quidem ſunt,neq;
æſtu conflictantur. At quum pares ſunt tertiana intermit-
tens, & quotidiana continua, tum acceſſionis ingreſſus
cum horrore accidit: quúmque febris orta ex pituita ex-
H cellit,contractiones pulſuum,horroréſque fiunt: quum ve
rò calidior præſtat,ſubitò incaleſcunt. Atque ea quidem
eſt exquiſita ſemitertiana quæ ex pari miſtione duarum
febrium,tertianæ intermittentis, & quotidianæ conti-
nuæ exoritur:non exquiſita verò maiorem bilioſi aut pi-

tuito ſi humoris habet copiam.

De morbis publicis, Cap. XXIIII.

MOrbos publicos cõmunéſque nominant qui multis ſimul accidunt: quorum vt origo, ita etiam eſt cauſa communis. Cibi igitur communes praui, communes morbos pariunt: potio item aquæ vitiatæ, nimiæ ærumnæ, conſueti labores omiſſi, inedia, repletio dum fames vagatur, aut cum ſumma eſt annonæ vilitas. Regionum quoque naturæ communes morbos inferunt: quæ interdum paluſtres ſunt, nonnunquam barathrum vicinum habent, quod exitioſum prauúmque vaporem exhalat: atque hæc quidem accidere cõtinenter conſueuerunt. Aër verò nos circũſtans, qui tum calidior quàm par eſt, tum ſiccior, tum frigidior, tum humidior effectus, naturas noſtras cõtinuò mutat: in alias nãque cauſas neque omnes ſimul incidimus, neque in eis totos dies verſamur: At aër nos ambiens, & omnibus eſt foris circumfuſus, & per inſpirationem attrahitur: ergo neceſſe eſt, corpora animãtium pro aeris tẽperaturæ commutationibus affici. Hæc qui norit, nõ ſolùm qui morbi in quaque conſtitutione futuri ſint, præſagiet, ſed etiam cõtrarium immoderati circumflui aëris temperaturis victum inſtituẽs, ne fiant prohibebit. Corpora autem quæ morbo alicui ex propria intẽperie vicina ſunt, ea à ſimili circumdantis nos aeris temperatura deprehenduntur: quæ verò temperaturam cælo contrariam ſortita ſunt, ea præterquam quòd ab áere non afficiũtur, fiunt etiam meliora, quum temperatura contraria immoderationem corrigat. quod qui cognoſcit, is ſecundã valetudinem tuebitur, contraria corporibus inducens, partim refrigerantibus vtens, ſi ita vſuueniat, partim calfacientibus, aquæ perfuſionibus rẽfrigerans, itémque ocio & alimẽtorum penuria, & potione largiore: calefaciens autem operimento, laboribus, cibo liberaliore, & quandoque parciore. Iam verò ſiquis pyram incendat, is non mediocriter aërem prius humidum ad calidum ſiccúmque permutauerit, quemadmodum aiunt Acronem Agrigentinum feciſſe.

De peſtilentia, ex Rufo, Cap. XXV.

IN peſtilentia terribiliſſima ſunt omnia, neque quicquam, vt in ſingulis morbis, occultatur: nam & deliria, & bilis vomitiones fiunt, & multi ſudores erumpũt, & extrema algent, alui profluuia bilioſa, tenuia, flatus plena vrgent, vrinæ excernuntur aquoſæ, tenues, bilioſæ, nigræ, quæ mala habent ſubſidentia, quæque in eis innatant, peſſima: ſanguinis è naribus deſtillationes fiunt, pectus æſtuat, lingua torrida ſiticuloſáque, triſtitia oboritur, itémque vigiliæ, conuulſionéſque violentæ, & alia permulta praua & exulcerantia. Atque in peſtilentia quidem aliquid quod terribile non ſit, terribile, contráque quod alioqui terribile eſt, nõ terribile fiet. Siquis verò futuram peſtem proſpiciat, animum attendens ad anni tempora quæ mala ſunt, ad vitæ ſtudia bonæ valetudini minus conferentia, & ad cæterorum animalium interitum: quum hæc diligenter animo voluerit, illud etiam debebit perpendere, qualis ſit præſens tẽporis conſtitutio, qualis denique totus ſit annus: quibus ex rebus victus rationem optimè ſciet inſtituere: veluti quum tempus ſiccum eſſe deberet, ſi quidem rectè proceſſiſſet, nunc humidum factum ſit, victus ratione exiccare neceſſe eſt, vt ſuperuacaneus humor abſumatur. Vẽtris quoque cura habẽda eſt. Quibus autem ſuperior vẽter pituitam continet, eos vomitibus euacuare: quibus ſanguis redundat, venam ſecare oportet: itémque purgatio per vrinas, & cæteræ omnes ex toto corpore factæ vtiles ſunt. Si verò ægrotus ardore æſtuet, flammáque ad pectus vſque pertineat, non ab re fuerit ſuper pectus imponere refrigerantia, & frigidam offerre potionem, eámque nõ paulatim, ſi quidem magis incẽderet, ſed affatim, vt flammam reſtinguat. Si verò ardor interiora occupat, extremáque algent, & ſumma cutis eſt frigida, præcordia tẽdũtur, vẽter colliquationes partim ſurſum, partim deorſum mittit, vigiliæ vrgẽt, deliria fiũt, lingua eſt aſpera: iis calefaciẽtibus opus eſt, vt calor per totũ corpus diffũdatur: & vt ab interiorib⁹ partib⁹ ad exteriores trahatur, quacunque fieri ratione poterit, enitendum

A De iis qui ob crudorum humorum copiam in ſyncopen cadunt, Cap. XXVI.

FEbricitare quidam incipiunt quum magnam crudorum humorum copiam ore ventriculi ſimul offenſo congeſſerunt. His præcordia intumeſcunt, & os ventriculi in maiorem molem quàm ſecundum naturam ſit, attollitur, colórque ad albidius aquoſiúſque mutatur, quibuſdã etiam nigrior efficitur. Nemini ex iis ſanguis mitti ſine magna noxa ſolet: atqui vacuatione indigent: ſed neque venæ ſectionem, neque purgationem ferunt,
B vtpote qui etiam ſine his in ſyncopen derepentè cadant: ergo frictione ſunt curandi. Per initia verò morbi incipiendũ eſt, ac primùm quidem à cruribus ſupernè deorſum linteis modicè aſperioribus, deinde verò tota brachia ſupernè deorſum fricare conuenit. Vbi autem artus ſatis calidi videntur, & metus eſt ne laſſitudinis ſenſus aliquis inuehatur, tum oleo relaxante vtendũ eſt, ab adſtringentibus verò abſtinendum. Si hyems ſit, etiam digerentibus, quale eſt ſicyonium & chamæmelinum, vtemur: quum verò artus diu multúmque fricuerimus, o-
C leum erit deinde abſtergẽdum: tum ad totam ſpinam accedendum, eáque ſimili modo perfricãda, deinde rurſus ad crura redeundum: ab iis accedendum iterum ad brachia, tum ad ſpinam, ita vt per totum diem ad hunc modum æger tractetur. Commodiſſima eſt his aqua mulſa in qua coctum hyſſopum ſit: verùm neque cibus neque ſorbitio, neque aqua eis dãda eſt, neque permittendum vt largè bibant, ſed cõtenti ſint mulſa tribus primis diebus, ita deinceps fricando. Quòd ſi robur mediocre ſit, neque rectè ſit affecta aluus, audacter clyſtere vtitor. Si
D verò impet⁹ excremẽtorũ maior quàm oporteat ad aluũ feratur, principiò mulſa magis coquẽda eſt, quoniam ita minus ſubducit: ſin autem ſit citatior, ne tum quidem ſiſtatur, ſed aquæ mulſæ loco, ptiſanæ cremor detur: ſi verò fluere pergat, ſorbitione ex alica nutries. Si verò propter imbecillitatem vires collapſas eſſe ex pulſu cognouerimus, par erit panẽ ex vino diluto dare, ſi neque ventriculus, neque iecur inflammatione teneatur. Quæ quidem ſi inflammatione vrgeantur, quum plenum crudorum humorum corpus ſit, deſperatus ægrotus eſt: ſi
E verò craſſos eſſe humores videas, pro mulſa perpetuò oxymel dabis: ſique æſtas ſit, ægrotúſque frigidæ potioni ſit aſſuetus, oxymel frigidũ dabis, hyeme verò calidum. Balneum eſt his aduerſiſſimum. Si verò quis te vocet ad eos qui in ſyncopã iam inciderunt, quum partes de quibus mentionem modò feci, non ſint inflammatæ, panem exhibere modicum ex vino poteris, ſtatimque ad frictionem erit veniendũ, eáque vt dictum eſt vtendum. At quibus propter flauam bilem os ventriculi lædẽtem ſyncope accidit, eis potio frigida offerri debet: hæcque
F vinum tenue, antiquum, atque fuluum eſto.

De iis qui ob humores tenues ſyncopæ tentantur, Cap. XXVII.

QVI ob tenues humores in ſyncopen cadunt, contrà atque ii de quibus ſuprà diximus, curãdi ſunt. Hos paulatim continuò nutrimus: ſique iecur aut ventriculus inflammatione vexetur, viribus iam languentibus, hi nulla curatione poſſunt releuari. In hiſce affectionibus cadaueris facies ſtatim apparet. Eos igitur nu-
G trire neceſſe eſt, eorúmque cutem denſare non ſecus quàm in ſuperioribus erat rarefacienda. Frigidus aër eſt iis comparandus, vnguentis adſtringentibus vngendi, alimenta danda quæ non admodum facilè defluant: ergo panis, & ſorbitiones ex alica conuenient: itémque fugaces fructus auſteri, & qui difficiliter corrumpuntur: híque & per ſe, & verò etiam cum pane: dãda etiam ſunt oua, & præſertim eorum vitelli, & cerebrum porcellorũ. Vinum autem dilutum ſtatim ſub initio poſt cibum ſumptum eſt eis neceſſarium.

H De aliis cauſis ex quibus ſyncopæ oriuntur, Cap. XXVIII.

ALiæ porro cauſæ quatuor ſunt ex quibus ſyncopæ fiunt, dolor vehemens, vigiliæ, immodica euacuatio, & interdũ motio delirantiũ: ſi vis tu, quintam addes principiorũ intemperiem. ac celerrima quidẽ pernicies

ſubſequitur affecto corde, deinde cerebro, tum breui, iecore.

De dolore, Cap. XXIX.

DOlor igitur qui ſtuporem affert, ex affectione frigida oritur: pulſans verò dolor magnæ inflammationis eſt proprius: ſi verò tanquam ab aculeo infixo, aut tãquam à terebro perforari putes, doloris ſpecies eſt craſſi inteſtini. Pungens dolor in membranis verſatur, pertundens verò vehemẽtiſſimis non heterocraniis ſolùm, ſed etiam cephaleis accidit. Eſt hic dolor, quum à parte quæ primo loco affecta eſt, ceu à radice, ſtatim in vicinas partes perfertur. Diſtendentes ex vtraque parte neruorũ dolores ſunt, quia ad vtraque extrema nerui tenduntur: carent autem nerui doloribus in latum tendentibus, at membrana ſub cute exporrecta, tendentes ſtupefacientéſque dolores inducit. Quæ verò inter carnem inhæreſcunt, earum dolores veluti dilaniãtes ſunt: multæ enim ſunt, & inæqualiter inſertæ quæ carnem amplectuntur: at earum quæ oſſibus adiacent, profundi ſunt dolores, & ipſorum oſſium dolentium imaginem referunt. Quum igitur nulla doloris cauſa extrinſecus orta videatur, antecedens victus ratio perpendenda eſt: vtrum in maiore ocio quis vixerit quàm conſueſſet, an plus cibi ingeſſerit, idque ex valenti materia: an verò excretio aliqua conſueta retineatur. Siquid horum, aut hæc omnia ſubeſſe videantur, doloris in cauſa eſt repletio: quo caſu hominem quamcelerrimè euacuabis. Hac enim ratione tibi licebit cum ſumma tutela remediis in particulis dolore affectis vti, quæ fluxionem repellunt. Ergo ſi copia ſanguinis ſit quæ diſtendat, protinus incidenda eſt magna vena quæ parti affectæ propinqua ſit: ſi vitioſi humores ſolùm vexent, eſt adhibẽda purgatio: ſi vtrunque adſit, vtroque vacuationis genere vtẽdum, ita vt primùm vena ſecetur. His peractis, ſi dolor perſeueret, planum eſt, id quod dolorẽ inuehit, in affecta particula impactum eſſe: cõſtátque curationem ipſam in digerentibus medicamentis eſſe poſitam. Dolores quoque quos ſpiritus flatuoſus excitauit, curabimus: ſed in iis magis extenuãtibus cibis potionibúſque vtemur, & per ſedẽ iniectionibus, & irrorationibus, atq; fomẽtis ipſum corpus ambiens rarefaciemus. Si verò tumor aliquis aut grauãs aut contundens dolorẽ creet, tumor ipſe curãdus eſt: ſin humor erodens affligat, aduerſiſſima ei ſunt extenuãtia & calefacientia. Anethum verò oleo incoctum dolorem lenit, ſomnúmque cõciliat: id quod viride potius quàm ſiccum facit.

De colliquatione, Cap. XXX.

QVum excernitur aliquid per ventrem, quod non ab eſculentis & poculẽtis, ſed ex corpore procedit, humore in aluum confluente qui ſimilis eſt ei flauæ bili quæ continuò euomitur, & per ſeceſſum deiicitur, ab eáque differt tum fœditate odoris, tum quod deiectum excrementum magis rufum eſt, & habet craſſitudinem ſtrigmenti, & quandoque etiam olei, tunc caro pinguis & recẽs compacta ab ardẽti febre reſoluitur & colliquatur. Si malum inueterarit, etiam aliquid ex ſolidis partibus liqueſcit. In hac pernicioſiſſima febri vtilis eſt potio frigidæ, quæ à fonte frigidiſſimo hauriatur. Eiuſmodi quoque eſſe debent cataplaſmata & epithemata refrigerantia, quæ ſuper thoracem & præcordia imponantur: cibi etiam refrigerantes dandi ſunt.

De vigiliis in febribus, ex Galeno, Cap. XXXI.

QVum nimiis vigiliis ægri torquẽtur, iis crura & brachia vinciri quo tẽpore ſomno ſe tradere conſueuerunt, & item excitari iubemus: eóſque palpebras aperire & conniuere cogimus, donec abundè fatigati ſint: tum derepentè vincula ſoluimus, lucernam auferimus, multámque quietem imperamus.

De iiſdem, ex Herodoto, Cap. XXXII.

SI verò vehementius vigiliæ vrgeant, in acceſſionis remiſſione abluenda facies eſt nigrorum papauerũ decocto: naribus autem admoueatur papaueris albi cortex toſtus & tritus, & mandragoræ radicis tantundem læuigabis, & cum vino ac roſaceo malagma conficies. Fronti quoque imponendũ eſt ſerpyllum cum meliloto in paſſo decoctum. Hoc in acceſſionibus etiam vtendum eſt: vel trita papauera pane cum roſaceo vel cerato excipimus, & adhibemus. Victus eſto quodammodo plenior. Sorbitionibus autem imponatur ſeminis papauerum alborum quantum tria impleat cochlearia: oleribus verò admiſceatur papaueris nigri, ſi folia ſint, quãtum tribus digitis poſſis comprehendere: ſi ea non adſint, tria, quatuórve papauera ſicca ſimul incoquantur. Si ne ita quidem ſomno corripiantur, liquore papaueris, aut ſucco mandragoræ illinantur.

De graui ſopore qui καταφορὰ dicitur, ex Herodoto, Cap. XXXIII.

FAcies poſca in qua lactis parum ſit adiectum, abſtergenda eſt, extremáque ſunt validis excipienda ligamentis. Naribus quæ vim incidendi habeãt, admoueantur. In remiſſionibus curcubitulæ dorſo & ſpinæ egregiè affigantur. Si morbus adhuc maneat, in febrium remiſſionibus quæ ſternutamenta excitant, adhibeantur: ciborum verò materia ſit quæ incidendi diuidendíque vim habeat.

De canina appetentia, Cap. XXXIIII.

QVi appetitu, qui caninus appellatur, laborãt, iis pro ſummo remedio vinum dandum eſt ex eorum numero quæ abundè calefaciunt: eiuſmodi ſunt quæ colore fulua, rubráque ſunt, & minimè adſtringẽtia. Iis porro quum ad prandium accedunt, primùm pinguia, mox alia omnia ex veteri oleo præparata, in quo nihil auſteri vel adſtringentis ex ſe inſit, offerenda ſunt: poſt hæc vinum quod dixi, licet illi non ſitiant, dari iubeo. quum enim id diutius fecerint, ipſe morbus ita ſedabitur.

De cibi faſtidio, Cap. XXXV.

SI vitioſi humores cibi faſtidium induxerint, iis cibos & potiones dare conuenit qui ad eiuſmodi ſuccos vel per vomitum, vel per aluum excernendos, vel ad meliores reddendos ſint accommodati. In quibus verò virium imbecillitas cibi faſtidium peperit, in iis, quoniã omnes vires ex particularum intemperie ſunt infirmæ, ſpecies intemperiei ipſius eſt curanda contrariis.

De fame ingenti, quam βούλιμον nominant, Cap. XXXVI.

QVi in itineribus aut aliâs magna fame corripiuntur, reficiendi ſunt tum aliis quæ naribus admouẽtur, tum etiam carnibus ſuillis aſſatis, atque hœdinis, & ad ſummam, omnibus quæ nidoroſum odorem referunt. Extremæ eorum partes deligandæ ſunt, ipſique erigẽdi, maxillæ item pungendæ, & capilli, aut aures vellicãdæ. Quum refecti fuerint, panem ex diluta vini potione, aut aliquid aliud quod facilè diſtribuatur, eis dabimus.

De ſiti immodica, Cap. XXXVII.

SItim admodum longã ex ſiccitate aut caliditate particularum per quas humor ex ore in vẽtriculum importatur, oriri exiſtimandum eſt. Siccitatis autem remedium eſt ſomnus, vigiliæ verò caliditatis. Nonnulli verò ex vini potione ſitibundi ſiunt, & ex caliditate eſculẽtorum: his remedio eſt frigida potio. Sed qui ſiti quæ extingui non poteſt, enecti ſunt, quemadmodum cibos vitioſos expetunt pro portione humoris vitioſi qui exuperat, ita etiam prauas potiones deſiderãt, ex quibus etiam mortui ſunt. Noui ego qui viperas dipſadas comediſſent: itémque alios qui vino veteri ſe inebriaſſent: item nauigantes quicunque ob aquæ potabilis inopiam, marinam bibere auſi eſſent, omnes interiiſſe.

De ſiti, Philumeni, Cap. XXXVIII.

SItim quæ in febribus oritur, lenire conſueuit capitis irrigatio ex oleo frigidiſſimo, aut roſaceo deſuper irrorato. Optimè verò ad ſitim facit nigræ lactucæ ſemẽ commanducatum, & radix quæ dulcis appellatur, & cucumeris ſemen etiam cõmanducatum, & in ore retẽtum.

Dioſcoridæ catapotium ἄδιψον ad ſitim leniendam, Cap. XXXIX.

HAbet hoc catapotium, ſeminis cucumeris ſatiui drach. VIII. tragacãthæ drach. IIII. tragacãtha diſſoluitur albo ouorum crudorũ recentium. Quum diſſoluta fuerit, contritam cæteris adiunge: quúmque emollieris, catapotia cõficito, atque in vmbra exiccato. Ex iis

vnum ſub lingua tenendum præbetur,vt diſſolutus humor deglutiatur. Iam verò dilutum malorum cydoniorum, aut pirorum, aut meſpilorum, aut pãpinorũ vitis, aut mali granati liquorẽ, aut omphacii ſuccũ ſorbeant.

De nauſea, Cap. XL.

QVum æger abſque cibi ſumptione nauſea tentatur, poſſumus (arbitror) ratione facilè comprehendere,ventriculum prauis humoribus vexari.Nõnulli quidem vellicantur ,ſed quum humor in tunicis impactus ſit,nihil vomunt: ergo pituitoſi humores concoquendi ſunt,ſeruando ægrũ in quiete,inedia & ſomno.Tenuiores verò humores reiicit vomitus,qui nõnũquã ex ptiſanæ cremore,nõnũquã verò ex aqua mulſa ſit excit⁹:quicũque autẽ glutinoſi & craſſi ſunt, attenuãtia deſiderãt.

Ex Philumeno, quæ ſit vomitioni bilis adhibenda curatio, Cap. XLI.

BIlem vomẽtibus applicãdum eſt cataplaſma ex palmulis,aut malicorio,aut galla,vino incoctis;vel poſca , pane ſimul diſſoluto : acacia itidem,hypociſtis,balauſtium & rhus cataplaſmati adiungantur. Cucurbitula quoque cum largiore flamma affixa, magnopere adiuuat: cibũ ſæpe & paulatim dabimus . Iis verò qui atram bilem vomunt , & ſtomachus flatu eſt plenus,ſpongias acerrimo madefactas aceto imponito; vel hederæ folia in vino cocta adhibeto.

De ſingultu,ex Galeno, Cap. XLII.

SIngultus oritur ex repletione,aut inanitione ; aut acribus humoribus ſtomachũ erodẽtibus : quibus vomitu reiectis ſingultus ſedatur.Plerique autem ſumpto medicamento quod ex tribus piperis generibus cõſtat; ſi ſtatim vinum ſuperbiberint,ſingultiunt:nonnulli verò cibo intus corrupto à ſingultu corripiuntur . Cõpertum ergo eſt ,vomitum ſatis eſſe ad curandum eum ſingultum quem repletio aut morſus excitauit: eum verò qui à frigore ortum ducat,calore ſiniri.Quum autem ex humorũ repletione ſingultus oritur,violẽta euacuatione indiget,quæ ſternutamẽto præſtatur: at ſingultus ab inanitione obortos ſternutamẽtum non ſanat. ſingultientibus autem ruta cum vino ; vel calamintha, vel nardum celticum datur.

Quæ curatio ſit linguæ aſperæ adhibenda, Cap. XLIII.

LInguæ aſperitas humectanda eſt decocto ſeminis lini in os laborantis dato . Melius autem facit ſi myxa cum lini ſemine coquamus , ac digito in hunc ſuccum intincto linguam confricatam,aqua pura abluamus,vel ſpongia abſtergamus,deinde roſaceo illinamus. Atque etiam ipſum roſaceum melli admiſtum in id vehemẽter efficax eſt:itémque portulacæ ſuccus in ore retent⁹, & rhu obſoniorum mulſæ commiſtum . Egregiè quoq; faciunt damaſcenorum & myxarum oſſa in ore detenta, necnon & lactucæ cauliculi .

Curatio exulcerationis quæ circa os ſacrum exoritur, Cap. XLIIII.

QVum locus incipit rubeſcere , circulum iuſtæ magnitudinis ex lana eidẽ ſubiiciemus : deinde roſaceum aut myrtinum ceratum conficiemus,quod argenti ſpumam aut ceruſſam habeat , & imponemus . Exorta verò inflammatione cataplaſma ex pane cũ ſolano , aut herba ſanguinali,aut plantagine,aut tenera braſſica admouetur,ſi vlceratio paſcendo ſerpat,lẽticula cum malicorio illinenda erit.

De animæ defectione ex inanitionibus, Cap. XLV

QVum propter euacuationes anima deficit,iis aqua aſpergenda eſt , nares apprehẽdendæ,os ventriculi confricandũ, vomitus imperadus , quinetiã brachia & crura ligãda ſunt,ligamentáque plura & vehementiora eſſe debent:atq; à ſuperioribus partibus ad inferiores,& ab inferioribus ad ſuperiores pertinere . Diſſolutiones porro ex ſubitis euacuationibus ortas , vinũ frigida tẽperatum curat,ſi nihil ipſum dari vetet.Balnea ad defluxiones in ventriculũ ſunt accõmodata vel maximè , ſed ſanguinis profluuia vehementer proritant . Iis præterea qui propter nimiã ſudoris copiam reſoluũtur infenſiſſima ſunt:quandoquidem eorum cutis non laxanda,ſed refrigeranda atque adſtringenda eſt: iiſque præcipuè frigidum vinum dare conuenit.

Si anima deficiat ob plenitudinem, Cap. XLVI.

QVi ob plenitudinem animo deſtituuntur, iis confricandi ſunt artus,calefaciendique,ac vinciendi,à vino cibóque abſtinendi, itémque à balneo , ſi febrem habeant : iis ſatis eſt potio mulſæ in qua vel thymum, vel origanum, vel pulegium, vel hyſſopũ ſit incoctum, eiſdem quoque oxymel eſt idoneum.

Curatio ad ſanguinis diſtillãtionem, Cap. XLVII.

QVia deſtillatio quæ ex cõtuſione vel denſitate euenit,totius corporis aut capitis redũdatiam indicat: largior autem excretio poteſt redundantiam minuere atque laxare,conſentaneum eſt,ipſam inde moliri vnde natura initiũ mouendi ſumpſerit.accommodatius enim inde quàm aliunde ducitur.Quũ hæc mecũ ipſe reputarẽ,non veritus ſum in quartanarũ deſtillationibus ſcalpello (vt eſt in more poſitum)vaſa quæ in naribus ſunt, vulnerare:qua quidem in re nõ exiguo ſanguinis fluore contentum eſſe,ſed detrahere pro viribus oportet.

SEPTIMI LIBRI ARGVMENTVM.

Septimus,omnium vlcerum,ſanguinis profluuii,cicatricum, neruorum conuulneratorum,defluxionum,gangrænæ,abſceſſuum,ſtrumarum,fiſtularum,formicarum,& elephantiæ curationes exequitur.

LIBRI SEPTIMI CAPITA.

De ſimplicibus vlceribus, Cap.I.
De cauis vlceribus, Cap.II.
De vlceribus quibus eſt inducenda cicatrix, Cap.III.
Quomodo caro vlceribus ſupercreſcens exedatur, Cap.IIII.
Ad vlcera quæ in ſumma cute ſunt, ad intertrigines, ad abraſa,inueterata vlcera,ſenilem tenerámque cutem, Cap.V.
Ad ambuſta, Cap.VI.
Ad exanthemata, Cap.VII.
De pruritu, Cap.VIII.
De puſtulis quæ phlyctænæ dicuntur, Cap.IX.
De vlceribus quæ cicatrice obducta iterum rumpuntur, Cap.X
De vlceribus malignis, Cap.XI.
Ad carbunculos, Cap.XII.
De cancro, Cap.XIII.
De carne cõtuſa,& ſanguinis coitu ſubter cutem, quod ecchymoma nominatur, Cap.XIIII.
De ruptis & conuulſis, Cap.XV.
De luxatis & contuſis, Cap.XVI.
Quæ ſpicula,ſurculóſque educant, Cap.XVII.
De reduuiis, Cap.XVIII.
De vlceribus articulorum, Cap.XIX.
De ſanguinis profluuio, Cap.XX.
Ad cicatrices nigricãtes, & quæ ex impetigine fiunt, & ad ſtigmata, Cap.XXI.
De neruis vulneratis, Cap.XXII.
Ad articulos luxatos, Cap.XXIII.
De inflammatione, Cap.XXIIII.
De affectione quæ ex defluctionibus fit, Cap.XXV.
De iis qui ex affectionibus quas defluxio cõcitauit, purulenti fiunt, Cap.XXVI.
De gangræna & ſphacelo, Galeni, Cap.XXVII.
De abſceſsibus, Cap.XXVIII.
De ſtrumis & phymate, Cap.XXIX.
De fiſtula, Cap.XXX.
De bubonibus, Cap.XXXI.
De eryſipelate,hoc eſt,igne ſacro, Cap.XXXII.
De herpete, Cap.XXXIII.
De ſcirrhis, Cap.XXXIIII.
De œdemate, Cap.XXXV.

De terebintho, Cap.xxxvi.
De epinyctidibus, Cap.xxxvii.
De ligamentis diſſectis, Cap.xxxviii.
De thymo, Cap.xxxix.
De ficis, Cap.xl.
De furunculo,qui dothien vocatur, Cap.xli.
Ad epinyctidas, Cap.xlii.
De verrucis,myrmecio,& ſimilibus, Cap.xliii.
Ad ganglia, Cap.xliiii.
Ad perniones, Cap.xlv.
Ad digitorum,totiúſque pedis rimas, Cap.xlvi.
Ad pudenda vlcerata, Cap.xlvii.
De leuce,alpho,melane,lepra,& ſcabie, Cap.xlviii.
De impetigine, Cap.xlix.
De inflatione, Cap.l.
De elephantia, Cap.li.

ORIBASII SYNOPSEΩS AD EVSTAthium filium liber ſeptimus.

De ſimplicibus vlceribus, Cap. I.

QVONIAM ſimplex vlcus eſt ſolùm
diuiſio,ſiquis partes diuiſas faſcia in or-
bem circũdata committat, diductæ par-
tes abſque vllo negotio coaleſcẽt. Quũ
verò alterũ vlceris labium in obliquum
verſum ſit, inde incipiẽda eſt deligatio,
& in contrariam partem adducendum: quum verò in v-
tranque partem labia ſunt diducta,principium deligan
di ab vtroque ſumẽdum eſt,atque ita labia in vnum ad-
ducenda.nam quum nihil intra oras inciderit,vt pilus,
aut arena, aut oleum, aut ſordes, aut aliud generis eiuſ-
dem,vlcus omnino cõcreſcet. Verùm ſi magnum vlcus
ſit, vt partes diductæ in vnum penitus conduci non
queant, aut ſanies ſit ibidem accumulata,aut dolor vr-
geat, huiuſmodi vlcus ex ſola coniunctione conglu-
tinari non poteſt: opus verò eſt medicamẽto exiccante,
quod aggregatam ſaniem conſumat, & ne alia præterea
fluat impediat. Ex liquidis igitur optimum eſt vinum,
deinde poſca, atque etiã mulſa. Inter cætera verò vlcus
glutinãt folia quercus illita,itémque ſalicis & braſſicæ,
necnon etiam chamelææ fructus & folia, ſuccúſque au-
ſterioris & ſiccioris plantaginis:papyrus poſca aut vino
imbuta, & in orbem circundata. Recentia verò vlcera
glutinant pini & piceæ folia, & cortex recens inſtar li-
gamenti inuolutus:ſpongia noua cum aqua, aut poſca,
aut vino caſeus recẽs antè læuigatus. Extrinſecus autem
imponũtur folia lapathi,aut vitis,aut betæ,aut lactucæ.
Caſeus verò ex acido lacte confectus etiã vulnera maio-
ra conglutinat: pira ſylueſtria fluctionem reprimunt:
cauda equina herba illita neruos etiam inciſos iungit.
Iſatis ſatiua vlcera in duris corporibus etiamſi in capi-
tibus muſculorum ſint, perſanat. Cupreſſi folia & ger-
mina, nouelli globuli & teneri in duris quoque corpo-
ribus proſunt,ſed eis miſcenda eſt in puluerẽ redacta a-
ranea,quæ farinam recipiat è muro molis vicino: myr-
ra ex aqua illita, vel thuris lacryma. Terreſtres lumbri-
ci etiam neruos præciſos agglutinant,pentaphylli folia
cum melle,allia combuſta illita.Ad vlcera autem inue-
terata facit anagallis cum cerato,itémque hordeũ com-
buſtum, & ceruſſa cum cerati myrtei triplicato põdere.
Ad vlcera capitis myrrhã aridam inſperge,eámque non
madefacito, (nã celeriter in vnum cõducit) vel aridam
aloën, aut ariſtolochiam ex aqua tritam, id quod oſſa
quoque committit: aut thuris lacrymam, & myrrham
paribus portionibus contere, & cum melle & vino co-
que,donec mediocrem ſpiſſitudinem acquirant,deinde
linteo impoſita applicato. Ad vulnera porro quæ cum
dolore & inflammatione affligũt,valet malum punicũ
dulce vino incoctũ,tritúmque,& illitum. eſt enim hoc
remedium admirabile,& vſu multiplici cõmendatum:
nam & ad vlcera capitis,& pudẽdorum,& ad ea quæ in
toto corpore dolorem inuehunt,& item ad inflamma-
tiones oculorum eſt accommodatum.

De cauis vlceribus, Cap. II.

CAuum vlcus humidũ eſt atque ſordidum: eo fit vt
medicamẽta poſtulet quæ modicè exiccẽt & abſter
geant: huius generis ſunt lacryma thuris, farina hor-
dei,fabarum & erui,iris,ariſtolochia,cadmia,panax, &
pompholyx. Si medicamentum ad creandam carnem
adhibitum nihil proficiat, ad aliud erit ſic tranſeundũ:
ſi maior ſordium copia, vlcúſque ipſum ſit humidius,
ſcire conuenit,medicamentum minus deſiccaſſe, idque
A mellis admiſtione erit intẽdendum: ſi purum & abſque
humore videatur,pluſquam oportebat exiccaſſe: idque
olei & cerati miſtione erit molliendum. Fit quãdoque
vt quum medicamen ſit vehemẽtius,pars aliqua carnis
colliqueſcat, ita vt vlcus ſordidum & humidũ perinde
appareat ac ſi medicamentũ minus quàm par eſt exic-
caſſet. Sed huiuſmodi vlcus dum conſumitur, magis
cauum efficitur, labra intumeſcunt,rubétque ipſum, &
inflammationis eſt particeps, & ſæpenumero æger ſe e-
B rodi manifeſtè ſentit.In eo verò in quo medicamentum
min⁹ exiccat,nihil tale euenit. Putredo igitur lignorũ,
& præſertim eorum quæ moderatè adſtringendi, refri-
gerandi & abſtergẽdi vi prædita ſunt,quemadmodum
vlmus,vlcera purgat,eáque purgata carne implet. Ane-
monæ quoque appoſitæ idem præſtant. Pini cortex de-
raſus,cõtritúſque cum cerato,& linteis illitus,cauis vl-
ceribus,& præſertim recentibus adhibetur:ea enim car-
ne replet. Cauitates autẽ ſordium plenas expurgat mar-
rubium cum melle, ariſtolochia cum melle, & oliuæ
C colymbades illitæ.

De vlceribus quibus eſt cicatrix inducenda, Cap. III.

SI carnem vlcerum quæ ad cicatricem perducendá
ſunt, ita exiccemus atque adſtringamus, vt non ſo-
lùm id quod præter naturam abundat, diſcutiamus,ſed
etiam id quod ſecundum naturam eſt,attingamus, vlce
ris extremitatem cuti ſimilem efficiemus,& vlceri cica-
trix inducetur. Valent autem ad hanc rem galla imma-
tura,& malicorium modicè exiccans, quæque citra ad-
D ſtrictionem roſionémque exiccant. Atque hæc etiam
cicatricem inducunt:vt myrrha,ſpuma argẽti, & oſtrea,
ſi crementur. Hæc nanque ſicca inſperſa ad cicatricem
ſæpenumero perduxerunt, pini cortex cum myrteo ce-
rato, hederæ flos cum cerato, lilii radix cum roſaceo.
Vetera autem ad cicatricẽ perducit viſcum cum lacry-
ma thuris, ærugo & diphryges paribus portionibus
cum myrteo cerato.

Quomodo caro vlceribus ſupercreſcens exedatur, Cap. IIII.

E CAro vlceribus ſupercreſcẽs tollitur medicamentis
iis quæ valenter exiccãt: cuiuſmodi eſt Aſii lapidis
flos, & teſtacea omnia combuſta mediocriter, & erina-
cei vtrique cum toto corpore concremati, itémque di-
phryges inſperſum. Atramentum verò ſutorium & ſqua
mam æris inſperge.

Ad vlcera quæ in ſumma cute ſunt,ad intertrigines,ab abraſa,inueterata vlcera,ſenilem tenerámque cutem, Cap. V.

ARgenti ſpumæ chryſitidis drach. L. ceræ drach. XX.
F reſinæ ſiccæ ex picea drach. XII. olei hemina. Ar-
genti ſpumæ in oleo coctæ ceram & reſinam adiicito:
vbi emplaſtri ſpiſſitudinẽ acquiſiuerint, ab igne aufer-
to, in pilámque coniicito, & emollitis vtitor. Sed cutis
abraſa non eſt ab vlceribus amputãda, ſed medicamen-
tum ei indendũ,& foris etiam aliquod medicamentum
accõmodatum imponendũ.Sic enim licet iam nigreſcat
abraſa cutis, ſæpenumero agglutinatur. Si verò vlcus
carne nudum ſit, cicatrix difficiliter inducitur, quum
& erodatur, & ſordidum ſit. Abraſa autem ab inflam-
G matione tuetur rhu rubrum læuigatum, cum melle il-
litum,& iunci rotundi coma cremata,& cum melle im-
poſita. Ad intertrigines verò quæ à calceis efficiuntur,
valet pulmo agninus, & ſuillus, & caprillus. Porro cu-
tim ab æſtu aduſtam non iuuant ea quæ calefaciunt, ſed

quæ inflammationem ſedant. Hic verò cinis exiccandi vim habet: cæpam cum adipe gallinaceo læuigato,gallam adurito, contundito, & illine:acaciam aceto dilue, & inungito.

Ad igni combuſta, Cap. VI.

Quæ igni combuſta ſunt,medicamentis indigēt quæ citra euidentem calorem aut frigiditatem abſtergeant: ergo terra Chia & cimolia, & terra omnis læuis illita ex aceto non valde acri, vel aqua admixta,egregiè facit,& puſtulas vetat excitari: itémque ouum integrum crudum ſtatim impoſitum lana molli exceptum:nam & moderatè refrigerat, & citra mordicationem exiccat. Præterea atramentum ſciptorium illine,lenticulámque vbi decoxeris tere,& illine:lixiuium cum calce viua cetato admiſce, illitúmque linteolo impone: partes vlceratæ porris tritis oblinuntur. Columbinum ſtercus linteolo inuolutum combure donec in cinerem redigatur, eóque oleo diluto vtere. Mirificè autem facit pini aut piceæ cortex,aut adiantum ſiccum læuigatum,aut myrti folia combuſta & trita:horum verò vnumquodque etiam cum cerato coniunctum facit. Ad vſtiones verò ex aqua calida priuſquam puſtulæ prodierint,aqua oliuarū halmadum continuè aſperſa valet. Ipſæ quoque oliuæ contuſæ imponuntur:aut alumen ſciſſile ex aceto contere & illine: vel (vt Adamantinus facere ſolebat)liliorum bulbos cum roſaceo tere, & ad ſordium ſpiſſitudinem redige,atque illine.

Ad exanthemata, Cap. VII.

Exanthemata ex craſſis humoribus in cute concretis, & magis quum ſuperior pellicula eſt denſior,oriuntur. Qui hoc morbo vexantur,per cutem ſunt vacuandi, nec procul in altum attrahendum eſt per aluum,aut vomitus euacuando. Sed nemo putet me id conſilii dare, huiuſmodi humores non eſſe per aluum euacuandos, quia in quibus humorum plenitudo infixa eſt, primùm eſt adhibenda purgatio: quòd ſiquis non faciat,ſed primis diſcutere aggrediatur,humores obſtruet potiꝰ quàm per cutem euacuabit. Porro humorum qui cuti ſunt impacti,curatio ex adurentibus & calefacientibus ineunda eſt,idque præcipuè quum lata fuerint exanthemata:ea enim humorem neque tenuem neque calidum, ſed ſatis & frigidum & craſſum eſſe indicant. Ergo lauri tenerorum foliorum,& rutæ & mannæ pares portiones conterito atque illinito:Ceræ drach. VIII. ſulphuris tantundem,ſalis drach. VI. arida conterito, iiſque olei mediā heminā affundito,& ſimul incoquito, & emplaſtro facto vtitor. Sed coctioni eſt diligenter aſſiſtēdum, ſiquidem valde efficax medicamentum eſt.

De pruritu, Cap. VIII.

Pruritus excitandi ſunt quum ex alto euocare humores oportet:prohibendi verò,quum partes prurientes periclitantur,ne aut ſcabie,aut lepra, aut aliquo alio maligno vlcere corripiantur. Cæterùm prohibentur medicamentis repellentibus, vel etiam pruritum tolerando,neque contrectando:ſiquidem ita quoque ſedari pruritus cōſueuit. Pruritus verò à ſcabie excitatos, aqua marina calida,aut aceto calido perlue: ſimili quoque modo agreſtis cucumeris decocto perſperge: vel vitis veteris corticem in fictili frigito, eóque locum ſcabioſum fricato, butyróque illinito & alligato, hócque medicamento donec locus conſaneſcat, vtitor. Iam verò opium cum liquido cerato inunctum, & pruritus & puſtulas quæ pſydracia dicuntur,mitigat.

De puſtulis quæ phlyctænæ nominantur, Cap. IX.

Phlyctænas quoque acuta acu, qua parte defluxus humoris ſubeſt, perforare oportet: deinde humorē leuiter exprimere,& cutim obductam ſinere. Si occluſo foramine phlyctæna impleatur, ea erit eodē modo perforanda,& cutis comprimenda:atque ita compreſſa ſeruanda eſt donec id quod ſub ea vlceratum eſt,ad cicatricem veniat. Antequam igitur puſtulæ erumpant,coctam lenticulam cum aqua læuigatā illinito, aut mali granati virgulta cinere calido tepefacta imponito, locúmque torrefacito. Si autem ruptæ fuerint,vlcúſq; ſit

A excitatum, adeps ſuillus liquefactus cum lenticula læuigata linteo illinitur,& imponitur:aut lilii radix aqua incocta & contrita cum cerato adhibetur.

De vlceribus quæ cicatrice obducta iterum rumpuntur, Cap. X.

Nonnulla vlcera ſunt quæ inducta cicatrice, frequenter non multo poſt tempore,iterum inflammatione infeſtantur, & rumpuntur: etenim oſſe aliquo affecto, quandoque caro circundata ad cicatricem facilè perducitur, & ſanitatē planè videtur adepta eſſe: ſed
B quum humoris validus defluxus paulatim ex oſſe in profundo corrupto, delabitur, tum & inflammatio & pus ſuboritur,quibꝰ cicatrix obducta deraditur. Ecquæ igitur eſt horum vlcerū curatio? nimirū tāta exiccatio vt os affectū decidat. Oſſiū autē ſinus cōcauos facilè replebis ſi papaueris ſylueſtris,& ficulna folia læuigata cū polēta & vino illeueris,aut ſi alterci ſeminis & atramēti ſutorii par pondus contriueris, & impoſueris. Peucedani verò radix oſſium ſquamas celeriter difiungit.

De vlceribus malignis, Cap. XI.

C Maligna vlcera, quæque difficulter ad cicatricem perducūtur:itémque chironia,& putrida,Lemnia ſphragis vehementer adiuuat. Eius vſus quantitas ex malitia vlceris æſtimatur.nam ad vlcus quod tetri odoris eſt, admodúmque flaccidum & ſordidum,Lemnia ex aceto acerrimo diluitur ad luti ſpiſſitudinem. Adhibetur quoque ex vino, aut aqua,aut oxymelite, aut poſca,aut mulſa,aut quoquo modo vſus poſtulet. Accōmodatū verò medicamētum erit ſiquis eam in pila plūbea cum plumbeo piſtillo confecerit, roſaceum aut imma-
D turum oleum affundēs, aut ſemperuiuæ ſuccum aut cotyledonis,aut lactucæ, aut pſyllii,aut omphacii, & tanquam liquore aliquo vlcera contricuerit, atque inunxerit. Optimū enim habebit medicamentū ad carcinodes,malignáque vlcera,ad pudendorū teſtiū & māmarū inflammationes, & item ad ſedis vlcera,aut rugas eminentes. Porro centaurium minus recens inueteratis vlceribus,& quæ difficulter cicatricem recipiunt,ad cicatricem perducit,& maligna ſanat: itémque cupreſſi folia,& germina,& globuli noui & teneri,& humores qui
E in flaccidis & putridis affectionibus in profundo ſunt demerſi,ſine moleſtia & tutò depaſcunt. Cyperi radices vlcera quibus propter nimiū humorē induci cicatrix difficulter poteſt,mirabiliter iuuāt. Cucurbitæ aridæ cōbuſtæ cinis vlceribus humidis ſine inflammatione putreſcentibus, & præſertim iis quæ in pudendi præputio ſunt, conuenit: ſimili quoque modo benefacit anethi radix. Plantago etiam malignis vlceribus,defluxionibus,& putredini conuenit: & iſatis ſatiua omni vlceri
F maligno viriliter obſiſtit, licet putreſcat, licétque depaſcatur. Si verò vehementior fortè quàm ægri natura ferre queat,tibi videatur,eius foliis læuigatis addere oportebit vel panem, vel hordeaceam farinam, aut frumentaceā,aut polentam, pro ratione affectionis quæ in vnoquoque ſit. Teſtaceis porro vtimur ad cauitates diuturnas,quæque vix carne implentur,quæ ex defluxionibus ſiunt,& fiſtuloſæ ac profundæ ſunt. Lanæ autē combuſtæ carnes flaccidas vlcerum celerrimè liquefaciunt. Platani verò cortex combuſtus, atque inſperſus, vlcera quæ propter nimiam humiditatē flaccida ſordidáque
G ſunt, curat. Peucedani radix malignis vlceribus illita, præſtantiſſimum medicamentum eſt:nam & purgat, & carne replet,& ad cicatricem perducit. Aloë vlcera quæ ægrè ad cicatricem perueniunt,& præſertim quæ in ſede & pudēdis ſunt,curat. eſt etiā ad earundē partiū inflammationes vtilis ex aqua diſſoluta. Vlcera verò antiqua ſanat cera in ſole emollita, cui multū ſquamæ æris, aut chryſocollæ ſit adiunctum: eſt autem linteo illinenda & adhibenda,cuius ſplenium non eſt continuò auferendum. Ad chironia autē valet hoc quod habet ſquamæ
H æris drach. X. ceræ tātundem,aluminis drach. II. ceram calefacito, emollitóque, & arida in pollinē redacta excipito, iiſque linteo impoſitis vtitor. Ad efferata autem vlcera malicorium læuigatum combuſtum impoſito, aut alumen ſciſſile vſtum tritúmque inſpergito:aut hoc

medicamentum adhibe quod conſtat ex hyſſopi drachmis IIII. uuæ paſſæ drach. IIII. nitri drach. II. loco prius melle illito hæc trita applicantur. Putrida verò & depaſcentia vlcera valentioribus remediis indigent, qualia ſunt chalcitis, auripigmentum, & calx. hæc enim æquè ac ignis adurunt, & quandoque iis à morbo victis ad ignem confugimus. Iam verò marrubium ex vino coctum illine: eruum læuigatũ cum melle impone: oliuæ teneræ foliis in vino coctis & cõtritis eodem modo vtitor: præterea marina aqua calida perfundenda. Cæterùm vermes qui in vlceribus putreſcentibus ſunt, calaminthæ ſuccus aufert.

Ad carbunculos, Cap. XII.

SAnguis melancholicus effectus atque feruefcens, cutimque accendens carbones gignit: quocirca cum cruſta exoriuntur, puſtulis quæ phlyctenæ appellantur, vlcus præcedentibus, vt in igni ambuſtis fieri conſueuit: febrim quoque acutiſſimam, & periculum celerè inuehunt. Quum verò pruritu vexentur, quandoque vna, quandoque plures puſtulæ erumpunt exiguæ, & frequentes, & continuæ, milio ſimiles, quæ ruptæ, vlcus pariter cum cruſta faciunt, cuius color quandoque cinereus eſt, quandoque niger: caro verò circundata feruida inflammatione tentatur, nigróque colore perfunditur, & non ſecus quàm bitumẽ & pix ſplẽdet. Huiuſmodi verò eſt bilis exquiſitè atra. Qui adhibere huic morbo medicinam velit, ei à venæ ſectione incipiendum eſt, euacuandúmque vſque ad animi defectionem. Scarificare quoque poſt ſanguinis miſſionẽ non erit incõmodum: id quod altioribus plagis propter ſucci craſſitiem erit faciendum. Affectæ autem particulæ inducuntur quæ moderatè repellunt, atque digerunt: quale eſt cataplaſma quod ex plantagine & lenticula cocta conſtat, cui mica ſit adiuncta panis qui in furno confectus ſit, qui neque valde à furfure ſit purgatus, neque valde ſordidus ſit. Super ipſum verò vlcus aliquod medicamẽtum valens imponemus, vt quod ad Andronem authorem refertur, vino dulci diluẽtes ad ſordium ſpiſſitudinem. Sedata autem feruida illa inflammatione, vlceri perinde atque aliis cicatricem inducemus. Auellanæ veteres oleoſæ carbunculos ad pus perducunt, itémque cupreſſi folia & germina, noui & teneri globuli cum polenta, vua paſſa acinorum expers, & trita, ficus coctæ in vino contuſæ.

De cancro, Cap. XIII.

IAm verò cancri quoque ex atra bili feruente oriuntur, quæ ſi acrior fuerit, cũ vlcere erũpunt: quamobrem colore nigriore ſunt quàm inflãmationes, verùm abſque caliditate. Sed in his venæ magis quàm in inflammationibus implentur & diſtenduntur, neque ita rubent vt in inflammationibus, ſed color earum ſanguinis colori reſpondet. Cæterùm cancer propter huius humoris caſſitiem nõ ſaneſcit: ſiquidem neque repelli, neque diſcuti queat, neque totius corporis purgationibus cedat, mitioráque medicamẽta adhibita negligat, à vehemẽtioribus autem magis irritetur. Poſſumus tamen in initio prohibere ne augeſcat, melancholici humoris euacuatione, priuſquã altius in affecta particula impingatur. Euacuabimus autem aut ex aliquo ſimplici, vt epithymi drach. IIII. in ſero lactis aut mulſa propinatis, aut ex hiera quæ veratrum nigrum recipiat. Loco autem affecto ſuperpoſitum in vlceratis facit ſine dolore hoc medicamentum, Solani ſuccus linteo molli in eo intincto adhibetur: extrinſecus verò lana molliuſcula eodem quoque ſucco imbuta applicatur, adhibita diligentia ne hæc ſicceſcant, ſucco continenter affuſo. Erit etiam exulceratis cancris accommodatum id medicamentum quod ex pompholyge conſtat. Victus autem ægrotanti inſtituatur ex ptiſanæ cremore, & ſero lactis, & ex oleribus, ex malua, cucurbitáque, & his ſimilibus: ex piſcibus verò ſaxatiles, itémque aues omnes, præter paluſtres conueniunt.

De carne contuſa, & ſanguinis coitu ſubter cutem, quod ecchymoma dicitur, Cap. XIIII.

QVum caro ab aliquo pondere ſuperincidente contuſa ſit, exiléſque venæ quæ in ea ſunt, ruptæ fue-

A rint, ſanguis profunditur, vt ſolet quũ tunica venarum rariore facta trãſcolat: iſque ſub cute collectus facit id quod ecchymoma nominatur, cute etiamnum integra. Noſtrum in hoc conſilium eſt, concretum ſanguinem diſſipare: id quod celeriter faciendum eſt antequam nigreſcat. In initio autem adſtringentia ſunt digerentibus admiſcenda, propterea quòd tunicæ venarum contuſæ denſatione indigent: poſt hæc verò ſolis digerentibus ſine adſtringentibus vtimur: ſcarificatis autem initio ecchymomatis, reliquam deinde curationem adhibemus. Horum porro ſpecies ſunt quæ ſuggillata appel-

B lantur, & liuores ex ictu cõtracti, & inter vngues ſanguinis concurſus ex percuſsione proueniens. Cæterùm pellis ouis recens detracta, eos qui flagris cæſi ſunt, potius quàm alia omnia, die vnico perſanat: præterea hydropiper vnà cum fructu illitum, ſuggillata & induratos tumores adiuuat & diſcutit.

De ruptis & conuulſis, Cap. XV.

RVpta cum ecchymoſi omnino fiunt, medicamentiſque mediocriter calefacientibus curantur: quale

C eſt acopon quod ex nigra populo conficitur, & quæ ſimilia ſunt. Curandum verò eſt vt in ruptis quæ in profundo corpore hærent, medicamentorum vis intendatur, vt magis acria, magiſque incidentiá admoueantur: talibus autẽ cucurbitulæ vſus prodeſt. Cæterùm quum totum ecchymoma celeriter per halitum digeſtum eſt, rupta caro facilè coaleſcit: ſin longiore ſpatio, ſordes ſubnaſcitur, ita vt iam coire ruptio non queat: (labra enim inter ſe tantùm propè admouentur) ex quo fit vt leue momentum ea facilè ſeparet, & medium locum ali-

D quo humore impleat, & quodammodo nouum continuò ecchymoma gignatur, & primo ſimile, niſi quòd hoc celerius quàm illud digeritur, conſtátque ex tenui ſanie, quum prius ecchymoma eſſet à ſanguine. Conuulſa autem fibris quibuſdam diſtractis fiunt, lenirique tantum deſiderant quoad dolor ſit leuatus: conglutinari enim non poſſunt. Cæterùm ariſtolochia rotunda ruptis & cõuulſis, ſiquid aliud, eſt accõmodata: itémque maioris centaurii radix, eiũ ſque ſuccus, & rheum, & coſtus, & bdellium cum oxymelite in potu acceptum.

E

De luxatis & contuſis, Cap. XVI.

AD articulos luxatos cõtuſóſque valent lanæ ſuccidæ, ſpongia oxelæo imbuta & impoſita: bulbi elixi teneri cum melle, aut cerato, ſal læuigatus, farina cum melle, agni folia, & ſal, & nitrum toſtum cum cerato: vtere etiam aquæ marinæ calentis ſuperfuſione. Vbi inflammatio doloréſque conquieuerint, partes eluxatas etiam confricare rite poteris.

Quæ ſpicula, ſurculos, ſpináſque educunt, Cap. XVII.

F

SPicula, arundines, ſpináſque & ſurculos educunt ambæ anagallides, ariſtolochia, ammoniacum cum melle, alterci fructus tritus & illitus. Arũdinis radicem contunde, & melli admixtam in linteo largè illinito, impoſito, atque alligato. ſubitò enim educit.

De reduuiis, Cap. XVIII.

REduuias paruas & incipientes, galla cum melle reprimit, & prohibet confirmari: vbi verò caro præter naturam excreuerit, conſilium eſt, eam erodentibus

G abſumere, & colliquare. Valet autem ad reduuias aurium ſordes & lyciũ: quæ verò ſuppuratæ ſunt, acu perforari, humórque emitti, & ſpongia aqua imbuta imponi debet, aut lẽticula cum aqua trita illini: vel etiam roſis viridibus, aut ſiccis aqua perfuſis, tritiſq; , aut polenta trita cum aqua: caro autẽ eſt ex omni parte ab vngue ramentis lintei abducenda. Porro vngues contuſos myrti & mali Punici foliis teneris contritis illine, vnguibus autem ſubcruentis farinam pice admixtam adhibe. Vt autẽ vngues qui malè affecti fuerint decidãt,

H ſulphur tritum ſuillo adipe exceptum impone. Vt verò ſcabri quoque abſcedant, vtitor hoc quod habet viſci quercini, ſandarachæ, fœnigræci, ſingulorũ vncias duas, cantharidum, thapſiæ, ſingulorum vnciam, aceti quantum ſatis eſt. Ad idem valet fæx ſicca cum cerato impoſita, aut caro ficuum abiectis ſeminibus

contuſa: aut vnguem pice ſubunctum, ſulphure & ſandaracha tritis pari pondere illinito. Vnguis autem diligenter radendus, ad æqualitatem redigendus, & vinciendus eſt, vtendúmque iis quæ ad vngues abſcedentes valent: ſuper reduuias autem quæ in digitis ſunt, thuris lacrymam tritam impone, & alliga: aut eruum tritum eodem modo, aut thuris inſecti drachmam vnã, ſandarachæ duplum: trita radici vnguis applicato; diligentérque inſpergito, ſupra verò linamenta ſicca ponito: hoc ſtatim reduuias excitat. Eſt & aliud bonũ, quod etiam valde eſt ad maligna vlcera accommodatum, Gallarũ, malicorii acidi, ſquamæ rubri æris, & caricarũ cõbuſtarum pares portiones tere, & miſce cũ melle, & ad vnguenti ſpiſſitudinem redige, linamenta intinge, & bis in die impone, & liga, locis neque vnctis neque madefactis: ſi verò humor ſubſit, ſpongia vino perfuſa eundem abſtergebis.

De vlceribus articulorum, Cap. XIX.

ARticuli ſunt carnoſis partibus ſicciores, idcirco quũ vlcerati ſunt ſiccioribus egent medicamentis: ergo Polyidæ paſtillus ex vino ad ſordiũ ſpiſſitudinem ſubactus, itémque medicamenta quæ æquè ac is deſiccant, probè faciunt: marina quoque & muria ſæpenumero irrigatos articulos melius affectos vidimus: quamobrem in articulis vtendum eſt iis quæ maiorem etiam exiccandi vim habent.

De ſanguinis profluuio, Cap. XX.

SAnguinis profluuii remedium eſt appoſitus partis vulneratæ ſitus: huiuſmodi eſt is qui ſurſum vergit, & caret dolore. nam ſi infrà vergat, dolorémque afferat, tum non ſolùm mouebit profluuium, ſed etiamſi non ſit, prouocabit. Quum ergo particulæ vulneratæ ſunt, & ſanguis fluit, ſtatim digitum ori vaſis ex quo ſanguis effluit, admoueto, leniterque, & citra dolorem premens. ita enim grumo compacto ſanguinis defluuium ſiſtetur, eo ſuppreſſo. Medicamentis etiam ſanguinem ſiſtentibus vtendũ erit: inter quæ illa quæ obſtruũt; quæ emplaſtica nominantur, potiora ſunt cruſtas inducẽtibus: ſiquidem interdum quum cruſta excidit, ne iterum ſanguis fluat periculum eſt. Optimum verò, quod etiam valet ad defluuium ſanguinis è membranis cerebri, eſt hoc, Thuris pars vna, aloes dimidium, albo oui ſubigitur ad mellis craſſitudinem, deinde leporis molliſſimis pilis excipitur: tum vlceri toti liberaliſſimè imponitur, faſciáque linea alligandũ eſt: cuius faſciæ primi quatuor aut quinque amplexus ſuper ipſum vas profluens iniiciendi nobis ſunt, inde verò ad radicem vaſis ducentur, tertio verò die ſolues: ſique medicamentum toto adhuc vlceri adhæret, aliud rurſus ſuperimpones, ac veluti linamentum quod ex pilis factũ eſt. madefaciens ita deligabis vt initio feciſti: ſin ſua ſpõte linamentum excidat, radicem vaſis digito blandè cõprimens, quatenus nihil defluat, hoc leniter auferes, aliúdque impones, & quoad vas carne munietur, curare ad hunc modum debebis. At quæ cruſtas generant, vbi cruſta decidit, magis nudã partem quàm pro ipſius naturali habitu, derelinquunt: & ſæpenumero poſteaquam cruſta decidit, profuſio ſanguinis quæ ægrè ſupprimi potuit, ſuperuenit. quanquam cruſtificis medicamentis non ſecus atque ignitis ferramentis vti neceſſitas cogit, vbi ex eroſione putredinis profuſio ſanguinis concitatur. Iſatis ſatiua ſuper partibus è quibus ſanguis fluit, impoſita, egregiè ſiſtit: idem faciunt gallæ aduſtæ, quæ quũ ignitæ ſunt, aceto aut vino ſunt extinguendæ. Gypſum & oui cãdidum tenerum, farinámque triticeam puluerulentam, qualis parietibus adhæret, miſceto: medicamentum ad ſanguinis profluuium accommodatum conficies: quod vbi confeceris, leporis pilis, aut aliqua alia re pariter molli excipiẽdum erit. Ad ſanguinis autem profuſiones quæ ex ore, aut thymis, aut formicis, aut verrucis, aut hæmorroidibus fiũt, porri folia cõtunde, atque adhibe, aut rhoẽ rubram, aut acinos, aut capitula Punici mali, contundens impone, aut ſpongiam nouam pice cruda intinctam adure, & trita vtitor. eſt enim hoc valde efficax. Fluxionem verò ſanguinis ex ore comprimit decoctum frigidum roſarum viridium, aut ſiccarum, aut clauiculorum vitis,

A aut lentiſci foliorum, aut myrti, aut rubi, aut malorum cydoneorum, aut punicorum, aut acinorum, aut lenticularum: iis etiam vtendum erit inſeſſibus frigidis, qui ſedi atque vtero conueniunt. Cæterùm victus ratio iis quos ſanguinis exercet profuſio, ſit ex adſtringentibus atque incraſſantibus inſtituta: huiuſmodi ſunt alica, farináque pura decocta, caſeus mollis, bulbi cocti, piſces aſſati, palmulæ, vinum nigrum auſterum, lenticula, polenta, ouorũ tenerorum vitelli, pira ſylueſtria, mala cydonia, ſorba, mẽſpila, & quæ ſunt his cõſimilia. Ad ſanguinis autẽ fluxũ è B naribus valent platani globuli exiccati, quos re aliqua ex ſetis confecta fricabis, ſemen proiicies, lanuginémque collectam in vaſe fictili nouo repones: quum vſus exigit, hæc tenuia per calamum inſpira: frõtem autem & naſum gypſo aut luto figulari obline. Ad idem facit etiam porri ſuccus lana coacta aut linamento exceptus, & naribus inditus: & manna ſucco porri coacta, & impoſita. Foris autẽ oliuæ foliis læuigatis teneris naſus illinendus eſt, & ſuffitum ex cicuta ſuper molli cinere naribus admouebis, & ſpongiis aut lanis aqua frigida imbutis, meatus vtriuſque C pinnæ naris obſtrues: crura, brachiáque vincies, frontem & tempora oblines agglutinantibus iis quæ ad oculorũ defluxiones faciunt. Si verò grumi aliqui ſubſint, quum ſanguinis profuſio adhuc perſuerat, eos conueniet exprimere, celeritérque iterum vti medicamentis ſanguinem comprimentibus, & narium cartilaginem ſub ipſo oſſe duobus digitis pollice & indice comprimere. Prodeſt verò in hiſce profuſionibus, & in iis quæ ex inteſtinis fiunt, porri ſuccum ad cyathos duos potui dare, aut lauri tenera folia cõtuſa in oxymelite, aut thuris & lauri pares portio- D nes læuigabis in vino nigro, quod pari facultate conſtet, & bibendum propinabis, aut toſti oui vitellum ex aquæ portiũcula cõtritum præbe, aut farinam puram crudam, & thus, & gummi paribus portionibus cum aqua tere, & dato.

Ad cicatrices nigricantes, & quæ ex impetigine fiunt, & ſtigmata, Cap. XXI.

NIgras cicatrices tollit inũctum oleum, in quo bryoniæ albæ, & nigræ radix incocta ſit, donec ſuccum reddat, calamintha vino cocta, argenti ſpuma roſaceo o- E leo candido lota. Cicatrices verò quæ fiunt ex impetigine concolores reddit adeps aſininus inlitus cum argenti ſpuma, erucæ ſuccus cum argẽti ſpuma inũctus: ſtigmata exterit ranunculus inlitus, aut capparis folia, aut ceruſſa cum aceto inuncta: id verò proceſſu temporis aufert. Vibices denique concolores ſtatim facit oleum liliaceum continenter ſubactum.

De neruis vulneratis, Cap. XXI.

NEruus vulneratus & dolore & inflãmatione maiore quàm alia, propter ſenſus excellentiam, corripi- F tur. Quocirca cutis vulnus apertum eſt ſeruandum, vt ſanies per ipſum effluat, vulnerique adhibẽda medicamẽnta ſunt quæ dolorem leniant, & aditum effluxui patefaciant: ergo calidam aquam quæ cæteris apta eſt inflammationibus, his aduerſiſſimam eſſe ſciendum eſt, & accommodatiùs ad has eſſe vt oleo tenuium partium & experte adſtrictionis irrorentur. Ex medicamẽtis autem idonea eſt reſina, aut terebinthina, eáque per ſe in pueris, mulieribus, & iis qui molli ſunt carne: in cæteris verò cũ euphorbio: itémque propolis & per ſe & cum euphorbio G emollita: ſique nonnunquam duriora corpora contigerint, cum aliquo ſubtiliore oleo. Cataplaſmate autem in neruis inflammatis, & putreſcentibus vti quiſpiam poterit quod ex farina hordei, aut fabarum, aut erui in lixiuio ſtillatitio, aut oxymelite cocta, ſit confectum. Cerato verò vti poterit hoc quod habet ceræ vncias tres, euphorbii vnciam, aut fimi columbini in durioribus corporibus, olei vnc. II. Conuenit etiam baſilicum medicamentum quod nitrum recipit, aut calcem viuam, aut euphorbium aut ſulphur viuum, aut fimum ſylueſtris columbæ, vt in H tetraphamaci libram horum alicuius vnciã cõiicias. Iam verò in agro, vbi tibi nihil ſuppetat, poteris recẽtem pinguémque propolin vulneri admouere, aut fermẽtum ſolum propoli mixtum, aut tithymali ſuccum fermẽto admixtum. Porro cataplaſmatis ex lixiuio ſtillatitio atque

oxymelite,& farina fabarum, aut erui, aut cicerum, aut lupinorum amarorum,aut hordei,aut polenta, nõ ſolùm quum inflammatione tentantur,ſed etiam ſtatim in ipſo initio vtendum eſt.Si verò neruus non punctus ſit, ſed planè cæſim ſit vulneratus,ita vt ipſa etiam cutis ſubiecta ſit diuiſa, vt nudus neruus,& per directũ & nõ per trãſuerſum diuiſus conſpiciatur, tum nullo ex iis medicamentis quæ ex euphorbio conſtant, quæque non ſecus acria ſunt,vti oportet.Neruus enim nudatus horum vim quæ vehemens eſt,ferre non poterit.Calcem igitur æſtiuo tempore ſæpe lotam, & oleo copioſiore dilutam cape. Facit etiam ad hanc rem quod ex pompholyge conficitur, & quod ex melle, in roſaceo liberaliore eliquatum. Nihil autem horum debet vulnus contingere.quum enim neruus ſenſus vi præſtat,tum verò frigida temperatura eſt, & cum parte cæterarum longè principe cõtinuus eſt. Quin ne oleo quidem huiuſmodi vlcus irrigare conuenit: fit enim ſordidum: ergo ſanies tantùm abluenda eſt, molli lana ſpecillo circunuoluta. Si omnia ſuccedant ex ſententia,etiam vino dulci citra periculum madefaciemus.Poſtquam verò denudatus neruus fuerit contectus,linamenta aliquo medicamento quod anguſtis vulneribus accõmodatũ ſit,intincta,quale eſt quod ex euphorbio,aut fimo columbino paratur, extrinſecus circunducere oportet,ita vt etiam ſanas partes largè complectatur. Quùm verò tranſuerſum vulnus eſt,maius periculum conuulſionis imminet:ſed quantum ad curationem pertinet, eodẽ modo progrediendum eſt. Victus autem adhibeatur tenuior,quies imperetur,lectus mollis eſto,oleo liberaliore alæ capútque perfundãtur.Si verò nerui cõtuſi ſint, cúmque iis eſt contuſa cutis,& exulceratio ſubſequitur, cataplaſma ex farina fabarum & oxymelite conuenit,quúmque contuſioni coniunctus eſt dolor, pix liquida miſcetur.Si verò citra cutis contuſionem eueniat, oleo calente cui digerendi facultas inſit, ſæpiſſime perfundere oportet.Si totus neruus ſit præciſus, periculum nullum ſequetur,ſed membrum mutilum reddetur: curatio verò eadẽ quæ aliis quoque vlceribus adhibebitur.Liquefactũ medicamentum neruis compunctis idoneum. Facit etiam ad morſos à rabioſis,Aceti ſextarius,picis pinguis lib. opopanacis vnc.III.opopanacem aceto ſolutum magis læuigabis:picem liquefactam mixtámque incoques.Eſt autem hoc medicamentum ad neruos compunctos accommodatum,vtpote quod compunctionis os conniuere nõ ſinat:quemadmodum etiã in iis qui à cane rabioſo morſi ſunt,ne vlcus ad cicatricem perducatur,prohibet: ſed in duriuſculis tantùm corporibus facit.Si verò in pueris,aut mulieribus,aut molli carne præditis compunctis hoc vti velis,tibi licebit ipſum ex aliquo digerente, vt amaracino,aut opobalſamo,aut oleo vetere liquefacere.

Ad articulos relaxatos, Cap. XXIII.

FAcit ad laxatos articulos acaciæ ſuccus aqua dilutus & ſuperfuſus,aut rubi, aut malicorii, aut myrti folia cum myrteo cerato impoſita.

De inflammatione, Cap. XXIIII.

INflammationis initium eſt quum pars impletur ſanguinea ſubſtantia: incrementũ,quum id quod fluebat, ceſſat:quod verò in particula eſt,incipit putreſcere, calorémque præter naturã inuehit; effuſióque & flatus gignitur,particuláque magis quàm prius intẽditur: ſtatus verò quum pus iam conſiſtit, ſed labores maiores vexant: declinatio denique quum id quod fluxit digeſtum eſt,& moles eſt diminuta. In principio autem ea per ſe admouemus quæ vim habent repellendi:in incrementis, hæc minuimus,digerentiáque adiungimus:in ſtatu repellentibus & digerentibus pari portione vtimur:ſi dolor vehemens ſit,lenientibus opus eſt: in declinatione digerentia ſolùm adhibemus,nulla re adiuncta quæ vim adſtringendi habeat. Parietaria autem ad inflammationes tum in principio tum in incremento accommodata eſt,itémque glaucium. Atriplex, & maluæ hortenſes incipientibus & augeſcentibus,ac veluti ferueſcentibus conueniunt,at declinationib⁹,duratis,& refrigeratis, ſylueſtres magis ſunt idoneæ:lactuca verò & cucurbita calidis illitæ benefa-

A ciunt.Ad eas verò quæ ex fluxionibus fiunt, ſemperuiua, & tribuli vtrique valent: braſſica verò dureſcentibus cõuenit.

De affectione quæ ex defluxionibus fit, Cap. XXV.

QVum inflammatio derepente particulam aliquam ſine manifeſta cauſa præcedente obſedit,id quod affectionẽ eam gignit,defluxio nominatur: ipſe verò morbus affectio ex defluxione. In harum autem inflammationum principiis danda opera eſt vt rectè adhibeatur B curatio: totum ergo corpus euacuandum eſt euacuationibus accommodatis:ipſa verò pars inflammata, ſuperfundenda atque illinenda non calefacientibus aut humectantibus medicamentis: ſed iis quæ repellere defluxũ poſſint:quódque in partem affectam iam decubuit, euacuare,vimque & robur particulis laborantibus afferre. Illinendum ergo eſt cataplaſma quod ex ſemperuiuo, mali Punici cortice in vino incocto, cera & polenta adiunctis conficitur:hócque & ſimilibus quum dolor vehemẽs nõ eſt vtemur.Vbi verò particula cum defluxione dolorem C maiorem ſentit,tum ne aqua quidem calida, aut oleum, aut cataplaſmata ex farina ſunt adhibẽda.fluxionũ enim vitiis hæc inimica ſunt omnia.Debet verò doloris vehementia leniri medicamento quod ex paſſo,roſaceo, modica cera,lanis ſordidis,quæ œſypi multum habeant, cõfectum ſit,quæ per æſtatem frigida, hyeme verò tepida excipiũtur, & admouẽtur ita,vt ſuperiores partibus affectis locos ſpongia vino auſtero,aut poſca frigida imbuta comprehendant. Si ex horum vſu pus non ſubſidat, emplaſtro quod ex chalcitide conficitur,aut alio ſimili ex iis D quæ ad fluxiones valent,vtemur.Lanam verò puram vino auſtero imbutam ſuper medicamento extrinſecus accommodabimus:atque hoc quidem modo inflammationes ex defluxione ortas curabis: eas verò quæ ex aliqua occaſione concitantur, calefaciens & humectans nõ lædes:quas ſi ad puris confectionem velis perducere, farina triticea hydrelæo incocta illines:ſique vſus quandoque exiget vt ſcarifices,id etiam accommodatè facies. At ſi inflammationes quæ ex defluxionibus oriuntur, ſcarificatione tentabis,& præſertim in principio,eris in cauſa E vt æger malo aliquo magno afficiatur.

De iis qui ex affectionibus quas defluxio concitauit,purulenti fiunt, Cap. XXVI.

IN affectione quæ ex defluxione orta eſt, quum nulla cauſa perſpicua ſubſit,ſemel aut bis vtendum eſt cataplaſmate,ac tunc quidem quod ex hordeo conſtat, cæteris eſt præſtantius: ei tamen aliqua aceti aut vini portio addatur.Pure autem diſſecto & euacuato,cauẽdum poſtea erit ne oleum aut aqua offeratur: verùm ſi vſus poſtu- F let vt vulnus quandoque abluatur,aqua mulſa, poſca,vino & vino mulſo vtẽdũ erit:ſique iterũ inflãmatio accedat,cataplaſma ex lenticula imponetur:ſi nulla ſit inflammatio,aliquod medicamentum ex iis quæ emplaſtica dicuntur,& non minus id quod ex chalcitide conſtat, ad huiuſmodi diuiſiones accommodabimus: ſuper quod ſpongiam aut lanam vino adſtringenti imbutam imponemus.Cæterùm vulneri nullum medicamentum inpinguans admouendum eſt, quale eſt tetrapharmacum appellatum:ſiquidem ei exquiſita exiccatione opus eſt.

G De gangræna & ſphacelo, ex Galeno, Cap. XXVII.

GAngrænas appellant eas mortificationes quæ ex magnitudine inflammationis nondum factæ ſunt, ſed adhuc fiunt.Hanc affectionem niſi quis celerrimè curet, particula ita affecta, ſtatim emoritur, vicináſque partes comprehendit,& hominem occidit. Vbi verò membra ſic affecta ſenſus omnino ſunt facta expertia,tum morb⁹ non iam gangræna ſed ſphacelus nominatur. Atque hoc etiam malum oſſibus accidit,quum adiecta ipſis caro ſa- H niem prauam gignẽs,oſſa hac ipſa imbuerit, & corruptela conſumpſerit.Quum igitur membrũ eſt penitus emortuum,ſtatim præcidendum eſt quamproximè ſanæ parti.Gangræna curatur euacuãtibus nobis quamplurimum ſanguinis poſſumus ex membro vitiato, ſanguis enim

corruptus detrahendus eſt, aút véna ſecta; quum in ipſo membro vena magna ſit:aut cutis vniuerſa multis pro-fundiſque ſectionibus incidenda eſt quúmque ſanguinē effluere permiſerimus, aliquod medicamentum ex iis quæ ad putreſcentia valent,imponemus. Huiuſmodi eſt quod ex oxymelite,aut farina erui,aut lolii,aut fabarum conficitur. Si valentius velis imponere, ſal adiiciatur, aut paſtillus Andronis, aut alius generis eiuſdem. Ad gangrænas etiam faciunt vetuſtæ nuces oleoſæ: earum verò cortex expurgat,& tithymali liquor in tempore & modo adhibitus: iiſdem quoque lupinorum amarorum decoctum inſperſum auxiliatur.

De abſceſſibus, Cap. XXVIII.

IN abſceſſibus quæ apoſtemata dicuntur, ſi puris eruptio impediri non poſſe tibi videatur, panem hydrelæo coctum illines,aut farinam hordeaceam eodem modo apparatam:particulam verò aqua in qua althææ radix incocta ſit,fouebis.Quum verò tumor ægrè ad ſuppurationem veniat, ægréque diſcutiatur,cataplaſmate ex caricis vtitor.Oportet autem eas dulces pinguéſque incoctas aqua eliqueſcere,& aqua melli tenui ſimilem reddere, farinámque hordeaceam addere:ſique tumor minus quàm par ſit digeratur,cum caricis erit hyſſopum aut origanū incoquendum:ſi vim magis intendere volueris, decocto ſalem adiicito: ſed diligenter animaduertendum eſt ne dum vehementius exiccas, pars in duritiem calleſcat:ſiquid huiuſmodi quandoque videas; cum aqua radicem agreſtis cucumeris,aut althææ,aut bryoniæ coques: quibus omnibus dracunculi radix & valentior eſt, & ad digerēdum accommodatior. Ergo hanc quandoque per ſe coques, quandoque verò caricas addes, farinámque vnà cum adipe admiſcebis. Adiantum quoque abſceſſus digerit:itémque anethinū oleum diſcutit,& crudos humores, incoctóſque tumores maturat. Pix duros crudóſque tumores omnes cataplaſmatis indita, magiſque ea quæ liquida eſt,concoquit. Medicamētum quod abſceſſus iam coctos ſine labore expellit,vt ſæpe in ſplenio pus inuenia tur,qui verò cocti adhuc non ſunt perfectè digerit:Lapidis pyritæ drach.duodecim,ammoniaci triti tātundem, farinæ fabarum drach.ſex,excipe reſina liquida, pellique illitum impone: ſplenium verò ne auferas priuſquam ſponte ſua decidat:medicamentum verò non multo antè parandum eſt,vt quod confeſtim exareſcat.

De ſtrumis & hymate, Cap. XXIX.

LVpinorum amarorum farina,aut aceto,aut oxymelite,aut poſca incocta,non ſolùm liuores,ſed & ſtrumas & phymata ſanat.Medicus quidam in iis qui duro corpore eſſent,bubulo ſtercore ex aceto ad ſtrumas & tumores obduros,totos oblinēs vſus eſt. Phymata verò diſcutient trita & illita hæc,adiantum,atriplex,parietaria,althææ radix vino incocta,ammoniacum cum melle emollitum,& impoſitum,viſcum cum reſina,& cerato,ſalicis folia cum cerato.Rumpunt phymata lupini amari,propolis cum aceto illita,cucumeris ſylueſtris radix terebinthina excepta,capparis radix eodem modo,nitrum cum fermento aut ficubus. Abſceſſus verò internos rumpit marina cum mulſa epota:ſtrumas autem diſcutit calx viua, melle, aut ſordibus ex gymnaſio,aut oleo, aut adipe ſuillo excepta: lolii item farina cum fimo columbino & lini ſemine vino incocta:caprificorum groſſi agreſtes,aut ſatiui concîſi illiti,& concretionem omnem digerunt.

De fiſtula, Cap. XXX.

SPondylii radix circumraſa & impoſita,fiſtularum callos tollit: veratrum quoque nigrum impoſitum, duobus aut tribus diebus callum eximit. Eliquant etiam æruginis drach. II.ammoniaci tantundem:collyria conficiūtur ex aceto & aqua ad fiſtulas accommodata, itémque amurca cocta & in collutione adhibita. Sory crudum aut combuſtum,cum vini diluti aut mellis portiūcula ad colluendum adhibitum,& omphacium quoque colluendo carnem procreat.

De bubonibus, Cap. XXXI.

QVum bubones erumpunt, ſi totum corpus ſuccis æqualiter redundet, aut malitia humorū detineatur, A tum difficilis curatio eſt: ea tamen adhibenda eſt quam in affectione quæ ex defluxionib⁹ oritur,præſcripſimus:ſi exquiſitè ſanum ſit,facilis. Totùm autem crus calefaciendum & humectandum eſt, vt dolore vacās efficiatur:ipſi quē vlceri imponendum eſt linamentum lotum in roſaceo,aut aliquo oleo relaxante, quod tetrapharmaco colido ſit intinctum. Totum porro membrum carpto lanæ oleo imbuto obuoluendum eſt: foris verò vlcus emplaſtro calido illinendum,aut farina triticea,aut hordeacea, aut ex vtraque cum modico olei.Glandulam verò inflammatione tētatam, in initio lana oleo calido imbuta leni-B re oportet,non autem vt quidam faciunt, ſale adhibito: eo enim poſterius vtimur,quum artus quem plaga vexat, lenitus eſt,& quum dolorem vlcus non affert: quibus qui dem rebus glandularum inflammatio plerunque ſoluitur.ſæpe etiam augetur,& ad ſuppurationem perducitur. Ergo quum ille quaſi feruor inflammationisſe remiſerit, lenientia ſunt omittenda,& digerentibus vtendum. Paulatim à digerentibus ad ea quæ conſiſtentia liquida ſunt: qualia ſunt quæ cerati ſpeciem referunt, ſimilia iis quæ linamentis carptis excipiuntur (quæ ἔμμοτα dicuntur) C tranſeundo.In iis vitare oportet durorum emplaſtrorum vſum:quippe quæ particulas diſtendant,& inflāmari iterum cogant.Quum ſatis puris ſit, particuláque ad ſuppurationem peruenit, non ſtatim diuidemus,(vt nōnulli factitant)ſed medicamētis digerere conabimur. Lutū imi poſitum tumorem inguinum celeriter digerit.Ac bubones quidem qui ex prolapſu & vlcuſculis & doloribus cōtrahuntur periculo vacare:alios verò, & præſertim eos qui febribus ſuperueniunt,malos eſſe exiſtimandum eſt.

D

De eryſipelate,hoc eſt igne ſacro, Cap. XXXII.

CRaſſus acérque humor influens eryſipelas modò cū vlcere,modò ſine vlcere efficit. Hoc curandum eſt primùm vſu medicamēti quod bilem educat, deinde refrigerantibus repellendum eſt quod influit:atque à refrigerantibus ad digerentia priuſquā liueſcat & nigreſcat particula,progrediendum eſt. Requirunt autem eryſipelata quæ refrigerent cum humiditate, nec adſtringant: huiuſmodi eſt ſemperuiuum,portulaca,pſyllium, lenticū la paluſtris,vmbilicus veneris,ſolanum,altercum,lactuca E & glaucium,& cerata ex aqua admodum frigida. Admiſcetur etiam opii parum,aut ſucci papaueris, cicutæque, & mandragoræ. Compoſita autem medicamenta inducuntur,ceratum refrigerās, cera,quæ quoad ius fieri poſſit,pura ſit,oleo eliquatur,ceratúmque liquidum fit. Hæc refrigerata in pila manibus emollimus,aquam frigidam affundendo,quantum eius capere ceratum queat. Præſtat autem oleum eſſe roſaceum ex omphacino oleo ſine ſale confecto:debétque oleum quadruplum ceræ eſſe. Si parum aceti tenuis & pellucidi velis addere, medicamentū F liquidius frigidiúſque conficies, idque non ſolùm cōuenit eryſipelati,ſed hecticis etiam febribus, itémque inflammationibus pudendorum incipientibus, niſi depaſcens aliqua affectio partes exerceat. Herbæ quoque refrigerantes cum tenui polenta abunde refrigerant: itémque palmulæ pingues eiectis earum membranulis,& coctione tenellæ factæ,deinde læuigatæ,& impoſitæ: ſi verò ſiccio res videātur, cerato prædicto ad conſiſtentiam admiſcebis.Inflammatione ſedata,antequam particula liuida fiat, G cataplaſma ex hordei farina eſt imponēdum:ſi verò iam liuor occuparit, inciſa cute cataplaſma ſuperponendum eſt,locúſque perfundendus eſt aqua calida dulci: ſed & marina & muria interim conducet: quandoque etiā huiuſmodi aquæ cataplaſmati ſunt admiſcendæ.

De herpete, Cap. XXXIII.

HVmor quoque qui herpetē gignit,acer eſt:ſed ſi flaua bilis pura influat, vehementi acrimonia herpetē exedentem facit, qui continuam cutim cum corroſione H cōprehēdit:qua de re affectio ipſa, herpes nominatur: ſi verò cum pituita admiſceatur, alterum herpetem qui miliaris dicitur, qui eminentias in cute milii ſimiles excitat,efficiet.Ergo qui prius totum corpus purgat,dein de verò repellentia particulis affectis admouet,is herpetē

vt par eſt,curat:at qui ſtatim vtitur iis quæ cuticulæ cicatricem inducunt,is cuticulam quidem ſanat,cæterùm nõ prohibet quin deintegro priori ſimilis affectio exoriatur. Corpus ergo (vt in eryſipelate dictum eſt)euacuabimus:at particulis affectis non eadem imponemus. Poſtulant quidem refrigerantia æquè ac eryſipelata,ſed tamen humectantia nón ferunt: hiſque refrigerantia & ſiccantia conueniunt:ergo neque lactuca,neque lenticula paluſtris,neque portulaca,neque ſemperuiuum, neque aliud huiuſmodi ex refrigerantibus & humectantibus eis offerendùm eſt:ſed in principio vitis capreolos, & rubum, & plantaginem oportet illinire: deinde iis lenticulam admiſcere:interim verò & mel & polentam, & cataplaſmá quód ſupra ad inflãmationes ex defluxione remoto ſemperuiuo conſcripſi:exulcerata verò medicamentis inungenda ſunt iis quæ ad herpetẽ faciũt,vt paſtillis,paſſo,aut vino tenui,& auſtero nón veteri, aut poſca diluta reſolutis:cæterùm inueteratis iam huiuſmodi vlceribus, Muſæ & Andronis paſtillus conuenit. Herpetem verò qui extrémam tantummodo cutem exulcerat,niſi admodum inueteratus ſit,nullo horùm vngere oportet : ſiquidem & vehementiora ſunt,& magis quàm oportet exiccant. Ad talem verò herpetem accommodatum eſt glaucium, huicque ſimilia, præſertim aqua ſubacta, ſi morbus nihil remittat,aceto diluta admoueantur.Succo autem plantaginis aut ſolani,aut vinó ſoluta non mediocriter auxiliantur,aut lini ſemen torridum in vino & oleo incoquito,& contritum imponito, aut terram cimoliam ſolani ſucco ſubactam inungito, aut argenti ſpumæ vncias quatuor, porri ſucci heminæ dimidium,ſucci betæ par põdus, læuigata illinuntur.

De ſcirrhis, Cap. XXXIIII.

SCirrhus perinde atque os,durus eſt,& ſenſu caret : atq; is ſanari nullo pactó poteſt. Qui verò obſcurum habet ſenſum,digerentibus curatur medicamentis.Sed quæ digerunt,& confertim euacuant,neque molliunt, ea primis quidem diebus diminuere tumorem videntur ; ſed tamẽ quod reſtat,fit inſanabile,quum id omne quod tenuium érat partium,ſit digeſtum:ex quo fit vt ea medicamenta áccommodatiora ſint quæ molliendo poſſint digerere. Ergo molliẽtia ſunt adeps cerui & medulla, itémque taurinus & hircinus,vrſinúſque adeps, ammoniacum, bdellium,ſtyrax. Horum vſu & duritiem diſſoluemus,& digerentia itidem adhibebimus,qualia ſunt fœnũgræcum, fimus caprillus cum poſca. Componitur autem ſic à medicis medicamentum ad vtrunque faciendum, hoc eſt,ad ſcirrhum diſſoluendum,& ad digerendum accommodatum:cuiuſmodi eſt id quod ad Galenum authorẽ refertur. Pernæ ſuillæ veteris pinguis,ammoniaci thymiamatis,caſei bubuli,aut caprini veteris, adipis taurini, raſuræ nauis,ſingulorũ libra vna, medullæ ceruinæ vnciæ duæ, hyſſopi vnc. III. cyprini vnc. VI. vini Ægyptiaci heminã mediam. Sed in nono etiam libro de ſcirrhis in podagra exorientibus loquemur.

De œdemate, Cap. XXXV.

PItuitoſa fluxio œdema facit,tumorem laxum, cedentem,& qui digitis impreſſis cauatur, ſenſúſque expers eſt. Hunc curare oportet ſpongiam poſca imbutam cum ligamento leniter ſtringente imponendo, ita vt ab inferioribus partibus initium deligandi ſumatur, & ad ſuperiores progrediendo deſinamus. Spongia verò eſſe noua debet:quæ ſi talis non ſuppetat,ea nitro erit expurgãda,& melius etiam lixiuio quod ſtillatitium appellatur : ſi verò per hæc tumor non ſubſideat, paululum aluminis admiſcebis. Eſt etiam ad hoc aptum molliſſimum ex lucerna linamentum,hoc eodem humore imbutum & impoſitũ: benefacit etiam glaucium. Si autem œdema inueteratũ ſit,particulã óleo priús inunges,deinde ſpongiã ex lixiuio impones,arctiúſque ſtringes, & ita curabis. Iam verò iſatis ſatiua tumores huiuſmodi mirabiliter digerit, & cõprimit : idem facit terra omnis pinguis, & magis etiam Ægyptia.

De terebintho, Cap. XXXVI.

TErebinthus phymatis ſpecies eſt: in ſummo autem ipſo vlcere puſtula nigra eminet:qua rupta, id quod A ſubiectum eſt,ſimile deſquamato apparet : vbi hóc diuiſeris,pus inuenitur.

De epinyctidibus, Cap. XXXVII.

EPinyctides vlcuſcula ſunt quæ per ſe erumpunt, puſtularum ſpeciem præ ſe ferentia, ſubrubra : quibus ruptis ſanies ſubcruenta defluit. Atque hæ quidem interdiu nón magnopere excruciant: per noctem verò maiorẽ quàm pro modo vlceris;dolore affligũt. Ergo ſilphii ſuccũ aqua ſolutũ impónes. citra enim mordicationẽ deſiccat,aut cicutam tritam imponito.

B De ligamentis diſſectis, Cap. XXXVIII.

LIgamentum ex oſſe in os progrediẽs, minimè periculoſum eſt:quòd ſi quibuſcunque medicamentis velis deſiccaueris;non offendes.quod verò in muſculum inſertum eſt, quanto minus periculoſum eſt quàm tendo & neruus;tanto eſt cæteris ligamentis periculoſius, niſi rectè probéque curetur.

De thymo, Cap. XXXIX.

THymus eſt vlcus aſpera & ſqualida carne excreſcens. Fit autem & in ano & in pudendo : ac partim quidẽ facilis eſt,& ſpõte ſua decidit,partim verò deterior eſt,& C dolorem affert:& quidam præterea ex iis curationem nõ admittunt.

De ficis, Cap. XL.

FIcos appellant germina quædam ad modum vlcerũ rotunda,ſubdura,rubentia,quæ dolor etiam comitatur. Oriuntur plerunque in capite:naſcuntur tamen etiam in reliquis corporis partibus. His optimum medicamentum eſt alumen ſciſſile,æris flos toſtus,& glutẽ taurinum; tum ſquama æris quæ dupla ſit,teritúrque ex acéto,& illi- D nitur. Probantur etiam capita menularum combuſta,bulbi cocti,& cinis vnà cum aceto commixtus.

De furunculo qui dothien vocatur, Cap. XLI.

DOthienes ex craſſis fiunt humoribus. Hos digerit cõcoquitque triticum commanſum & impoſitum, & item maſtiche Ægyptia. Vuas paſſas abiectis acinis tere, ſali trito pari portione addito,& illinito. Hoc aut diſcutit aut rumpit:caricas coctas tere,aquam affunde, & vtitor, aut caricis reſinam miſce,& impone.

E Ad epinyctidas, Cap. XLII.

AD has valet apium cum polenta tritum & illitum: braſſicæ folia trita impoſita : alterci folia ex melle trita applicata. Solanum per ſe & cum cicuta viridi, aut oliuæ foliis cum aqua coctis vtitor. Vuas paſſas ademptis acinis tritas ádmiſceto, eáſque ſplenio illitas imponito. adiantum quoque ex melle tritum facit. Cauendum eſt ne acria,acida,& ſalſa offeramús,& à fomentis,balneis,& ſole abſtinendúm.

De verrucis,myrmecio,& ſimilibus,

F Cap. XLIII.

MYrmecia atque verrucæ vſu medicamentorum vehementer exulcerantium conuellentur:eorum verò quæ putrefaciunt, interimentur. Corticis ſalicis vſti cinis cum aceto acri dilutus,clauos,callos,myrmeciáque exterit. Similiter quoque melanthium eandem vim habet ad clauós atque reduuias. Pecudũ verò ſtercus ad verrucas, myrmecia,thymos,dothienas duros,in aceto ſolutum facit,groſſi decocti duros tumores diſcutiunt: crudi verò myrmecia & thymos expellunt. Condylomata verò comprimunt oliuæ flores cum aqua illiti,aloë cum paſſo inun- G cta, peutaphylli radix ſuperdata, cydonia cocta cum pane aut cum polenta, myrti folia combuſta cum cerato, propolis antè emollita & impoſita. Cõdylomata quoque & ficós aufert auripigmentum illitum, calx viua, & fæx viſco excepta,& ſplenii modo ſuperdata. Permagnos verò ficos tollit ærugo ferri cum vino dulci inuncta, ſeminis anethi combuſti cinis illitus, alumen liquidum cum pane,vino,& apio. Iam verò cinis palmitum ex aceto illitus,& ficos aufert,& quæ nunc dicta ſunt curat,atque au- H get,præterea prohibet.

Ad ganglia, Cap. XLIIII.

FAcit ad hæc plumbea maſſa ad modum vertebræ confecta,ganglio maior impoſita. hæc enim ſua grauitate ganglium proceſſu temporis diſſoluit.

Ad perniones, Cap. XLV.

MArina tepida perfundendi ſunt,aut betæ,aut lenticulæ,aut erui, aut radicis aſphodeli decocto. Poſt perfuſionem lenticulam vino incoctam tere,& illine,aut ficus ex oleo læuigatas impone:aut alumen & farinam paribus portionibus in vino tere,& illine.

Ad digitorum totiúſque pedis rimas, Cap. XLVI.

PIce liquida oblinito: cancrum fluuiatilem aut marinum ſuper carbones cremato,teſtam abradito, ex oleo tere,ad mellis ſpiſſitudinē redige,abſterſis prius ſciſſuris inſtillato. Prodeſt etiam ſcillæ medulla oleo feruefacta,& ex terebinthina contrita, itémque cornu capræ vſtum,caprillóque adipe exceptum. Sed calli circumpurgādi prius ſunt,deinde medicamentis vtendum eſt.

Ad pudenda vlcerata, Cap. XLVII.

HÆc perfundes adſtringentibus,aut perſperges,rubi, myrti, capitulorum mali Punici agreſtis, oliuæque agreſtis decocto:eadem quoque trita illinuntur. Lemnia itidem ſphragis inungitur,aut aloen cum melle diſſolue. Ad ſcrotum verò vehementi atque intolerabili pruritu vexatum facit fæx combuſta,donec leuetur perturbatio. Valet ad idem alumen liquidum.

De leuce,alpho,melane,lepra,& ſcabie, Cap. XLVIII.

SAnguis pituitoſus & glutinoſus, qui longo temporis ſpatio colorem vertterit, & ad albidiorem cōmutarit, leucē vitiliginem efficit. Alphorum ſimilis eſt origo,nō tamē caro tota affecta eſt,ſed extrema ſolùm cutis. Atque ab humore pituitoſo alphi albi fiunt,melas verò à melācholico:ſed humor qui lepram facit, ad imas vſque partes penetrat:ſcabies verò ipſa ſuperficiem occupat. Ergo ſi calcem lotam & torridam habeas,tanta aqua admiſta quāta ſatis ſit ad mediocrē craſſitudinē, inungendo curabis. In alpho autem multo liquidiore medicamento inungēdum eſt,craſſiore in ſcabie,craſſiſſimo denique in lepra. Dracunculi radix cum aceto illita ſanat alphos, itémque elleborus vterque:lupinorum amarorum decoctū ſuperfuſum, eorundem farina cum aceto aut oxymelite illita, cortex radicis capparis cum aceto,lilii radix cum melle, cæpa cum aceto in ſole perūcta:crocodili terreſtris fimus, ſturnorum etiam,quum orizam ſolùm comederint, aut ſepiæ teſta cremata. Ad ſcabiem verò facit vua taminia, elleborꝰ vterque,lupini amari, (vt diximus)cardamomū cum aceto,lilii radix cum melle,reſina terebinthina cum ſulphure,cuius nos periculum fecimus,cicer,fimus caprillus.Lepras verò expellunt anemonæ ſuperdatæ,elleborus & albæ vitis radices.

De impetigine, Cap. XLIX.

QVum ſanies tenuis atque acris cæteris craſſioribus admiſcetur,impetigines oriuntur, quæ facilè in lepram & ſcabiem tranſeunt:ex quo conficitur vt medicamenta valenter ſiccantia poſtulent. Itaque eas quibus à mediocriter ſiccantibus nihil adfertur auxilii,ab iis verò quæ vehementer exiccant,exacerbantur, ἀγρίας, *id eſt feras*,appellant.In his igitur vtendum eſt medicamētis quæ ſatis efficacia ſint,nec tamen vehementer erodant. Cicer ad impetigines facit,vterque elleborus: prunorum gummi pueris prodeſt:erinaceus in petris naſcens; pix cerato mixta:ſulphur cum reſina.hoc eſt experientia comprobatum.In puero autem apta eſt hominis ſaliua: affecta verò

A cutis continuò debet digitis ex ſaliua fricari; crocodili terreni & ſturnorum fimus.Ad impetigines verò recentes quæ mentum aut aliam faciei partem infeſtant, tritici multum capitur,incudique cuidam ignitæ imponitur, humórque qui inde emanat adhuc calidus ſumitur, & impetigines inunguntur:atque hoc quidem remedio plerique ſunt ſanati. Aut maluæ agreſtis fructum tenerum collige,eóque contuſo ſuccum exprime,& ſerua, & impetigines cōtinēter illine. Inueteratis impetiginibus, iis quæ ſubiiciam vtitor:Viticis folia contunde, modicum aceti B adde & illine:vel capparis folia detrita ex aceto impone. Paſtillus ad impetigines,Glutini figulini denarii quatuor, thuris denarii duo, aceti heminæ dimidium. In quibuſdam ſcriptum eſt, pares portiones:aceto ſoluta illinūtur.

De inflammatione, Cap. L.

SPiritus flatuoſus,craſſus,vaporoſúſque eſt materia inflationum:ſed & corporis denſitas vt ſpiritus non expiretur adiuuans cauſa eſt. Vnde curandi conſilium eò dirigitur vt denſata rarefaciamus,& craſſum ſpiritum attenuemus:quod medicamentis quæ tenuium partium ca C lidáque ſint,efficietur. Sed quum muſculi ex contuſione inflati ſunt,ex calidis & acribus excandeſcant, & dolores intenduntur.Ergo digerentibus lenientia miſcenda ſunt, atque in initio leniētium eſſe maior portio debet:quúmque morbus inclinet, eorum quæ digerunt. Præterea in huiuſmodi affectione muſculorum lenit & decoctū, & ipſum hyſſopum cum exiguo oleo: digerunt verò acetū, & nitrum,& lixiuium ſtillatitium.Ergo in principio vtendum eſt decocto cum olei momento, atque item vini: quod calens lanis ſuccidis excipiatur: quúmque particu- D las refrigerare non oporteat,curandum vt calor diu cōſeruetur.Vbi lenitus eſt æger,acetum nitrúmque, & deinde lixiuium ſtillatitium miſceatur: poſtremò verò imponenda ſunt emplaſtra quæ digerendi vim habeant,vt inflammatio ſubſidat,quale eſt quod ſequitur:Sordes ex gymnaſio feruefacias,primúmque percolato,vt puræ fiant, ruſúſque in lebetem coniicias,calcémque viuam tritam,vt farinam inſpergas,donec luti fiat ſpiſſitudo.

De elephantia, Cap. LI.

QVi hoc morbo correpti ſunt, iis mirabile auxilium E affert eſus viperarum: quas qui eſſe velit, parare ad hunc modum debebit:In primis caput,itémque cauda ad quatuor vſque digitos abſcindenda ſunt, interioráque omnia & cutis etiam auferenda,corpus aqua perluendum: deinde in ſartagine æquè ac anguillæ ex albo iure cōdiēdæ ſunt.Fit autem album ius aqua copioſa impoſita, exiguóque oleo,& porro,& anetho adiuncto. Eſt autem perſpicuum,carnes viperarum eſſe coquendas vſquedum teneræ fiant. Atque etiam ipſum medicamentum quod ex viperis conficitur,quod theriacen vocant, eſt accom- F modatum,vt ex eo copioſè bibant ii qui hoc morbo tenentur:ac ſicui placeat, eodem cutim inungat. Qui hæc faciunt omnia, quandoque eis euenit vt ſquama ex cute excidat, cuiuſmodi in ſerpentibus ſenectutem appellamus. Vtimur etiā ad hæc theriaco ſale & calamintha: ſed benefacit hoc quoque, quia nō ſolùm egregiè digerit tenues humores,ſed ſaniem attenuat,& craſſos humores ex quibus hoc morbi genus efficitur,incidit & diſſecat.Non tamen in ſingulis hominibus ab iis remediis incipimus. G prius enim omnino purgamus, & quandoque etiam venam incidimus.

SEXTI LIBRI ARGVMENTVM.

Octauo continentur quæ ad cerebrum,caput,oculos,nares,genas,maxillaſque pertinent omnia.

LIBRI OCTAVI CAPITA.

De memoriæ iactura, deque iis qui vigiliis, & de iis qui nimio ſopore torquentur, Cap.I.
De ephialte, Cap.II.
De morbo comitiali, Cap.III.
De eodem,ex Galeno, Cap.IIII.
De vertigine, Cap.V.
De apoplexia,ex Philumeno, Cap.VI.
De melancholia, Cap.VII.
De inſania ex Philumeno, Cap.VIII.
De amantibus, Cap.IX.
De lycathropia, Cap.X.
De cerebri inflammatione,ex Philumeno, Cap.XI.
De eryſipelate cerebri, Cap.XII.
Curatio aduerſus canis rabioſi morſum, Cap.XIII.
De neruorum reſolutione, Cap.XIIII.
De rigore qui calefieri non queat, Cap.XV.
De conuulſionibus, Cap.XVI.
De diſtentione,ex Philumeno, Cap.XVII.
De capitis doloribus, Cap.XVIII.
De cephalæa capitis dolore, Cap.XIX.
De hemicrania, Cap.XX.
Ad puerorum aduſtiones, Cap.XXI.
De alopecia & ophiaſi, Cap.XXII.
De capillis fluentibus, Cap.XXIII.
Quæ pilos attenuent, Cap.XXIIII.
De porrigine, Cap.XXV.
Ad pediculos, Cap.XXVI.
Ad vlcera capitis manantia,quæ achores dicuntur, & ad fauos, Cap.XXVII.
Ad capitis vlcuſcula, Cap.XXVIII.
Ad fœdum capitis odorem, Cap.XXIX.
Ad fœdum narium odorem, Cap.XXX.
Ad ecchymomata inueterata, Cap.XXXI.
Ad labia fiſſa, Cap.XXXII.
Ad ephelidem & maculas faciei,Galeni, Cap.XXXIII.
De varis,ex Galeno, Cap.XXXIIII.
Ad ficoſas menti eminentias, Cap.XXXV.
Ad fœdos alarum odores, Cap.XXXVI.
De lippitudine,ex Galeno, Cap.XXXVII.
De inflammationibus oculorum, Cap.XXXVIII.
De doloribus oculorum,ex Galeni ſententia, Cap.XXXIX.
De chemoſi,ex Demoſthene, Cap.XL.
De phlyctænis, Cap.XLI.
Ad phlyctænas oculorum, Cap.XLII.
De carbunculo, Cap.XLIII.
De mydriaſi, Cap.XLIIII.
De phthiſi & atrophia oculorum, Cap.XLV.
De nyctalope, Cap.XLVI.
De glaucomate & ſuffuſione,ex Rufo, Cap.XLVII.
De obſcuritate & hebetudine, Cap.XLVIII.
De ſtrabiſmo, Cap.XLIX.
De expreſſione, Cap.L.
De confuſione, Cap.LI.
De luſcioſis, Cap.LII.
De oculis lacrymantibus, Cap.LIII.
De encanthide, Cap.LIIII.
De pediculis palpebrarum, Cap.LV.
De naribus obſtructis,ex Archigene, Cap.LVI.
De ſtrangulatis,ex Theophraſto, Cap.LVII.

ORIBASII SYNOPSEOS AD EVSTAthium filium liber octauus.

De memoriæ iactura,deque iis qui vigiliis, & de iis qui nimio ſopore torquentur, Cap. I.

QVVM perdita memoria eſt, aut magna noxa affecta, ſi frigida omnino eſt intēperies,calefacere eam conuenit: non tamen eſt exiccandi,ſicut neque etiam humectandi neceſſitas:ſed ſi cum humiditate ſit coniūcta,exiccare: ſi cum ſiccitate, humectare:ſi in medio vtriuſque conſiſtat,eodem in ſtatu cōſeruare eam oportet. Eorum autem qui veterno detinentur,in ipſo ſtatim initio vena ſecanda eſt:id quod eſt vtrique morbo,& qui ex vigilia & qui ex ſopore fit,commune:éſtque vtrique commune oxyrrhodinum in principio adhibere: cætera contraria ſunt.ſedanda enim leniendáque ſunt quæ cum vigiliis vexant: excitanda verò quæ torporem afferunt.Meritò igitur quum ægrotantes in ætate florenti ſunt,morbiſque laborant,in quibus vigilant & deſipiunt, iis irrigationes ex capitibus papaueris offeremus,& ad olfaciendum dabimus, naſique pinnas ab interioribus partibus, aut frōtem inungemus.In morbis verò contrariis ægroti ſunt excitādi, humoriſque qui moleſtiam affert incidenda eſt craſſities,& calefacienda. Ergo thymū, & pulegium,& origanum,& alia huiuſmodi generis aceto incoquentes,ægrotātium naribus admouebimus:poſtea verò palatum validis acribúſque medicamentis inungemus: capiti quoque medicamenta eiuſdē facultatis vſque ad ſinapi imponemus.Quinetiam ſi vterque morbus inueterarit,cucurbitulis etiam & caſtoreo in vtroque vtemur.

De ephialte, Cap. II.

QVi ephialtes nominatur,non eſt quidem malus dæmon,ſed validus morbus quidam, atque etiam vates,ſacerdos,& Æſculapii miniſter.Morbum verò præue-

A niunt hæc,ſuffocatio,vocis ſuppreſſio,& grauitas.Occurrendum igitur inchoanti malo:nam perſeuerans,& ſingulis noctibus incidens,morbumaliquem magnum,vt apoplexiam, vt inſaniam, vt morbum comitialem,nuntiat, idque quum capiti cauſa tribuitur. Quæcunque enim comitiales interdiu patiuntur,eadem ephialticos dormientes infeſtāt: ergo vena ſecanda eſt,totúmque corpus purgandum.Maximum verò auxilium affert iis elleborus niger ad pōdus drachmæ vnius, cui ſucci ſcāmoneæ oboli tres,& aliqua odorata,qualia ſunt aniſum,daucum,petro-
B ſelinum, admiſceantur. Hiera quoque ex colocynthide mirum in modum eiſdem opitulatur. Diæta tenuis eſto, fœtida vitentur.Adiuuat etiā hos pæoniæ ſemē:eius autē grana quindecim nigra trita ex aqua cōtinuè potui dētur.

De morbo comitiali, Cap. III.

VBi concidit aliquis, conuulſa & diſtracta membra ſunt perungenda,tenendáque,ac dirigenda: deinde os aperiendum,digitúſque immittendus, aut penna oleo irino imbuta,vt pituitam euellamus: odoramentis quoque ſenſus excitare oportet,veluti peucedano,ſucco cyre-
C naico,bitumine,cedria,pice.Poſt acceſſiones,ſi nihil impedimento eſt,vena cubiti incidenda eſt:ſi nihil remittat acceſſio, extremæ partes ſinapiſmo oblinendæ ſunt: cucurbitula præcordiis affigenda. Si per hæc morbus non ceſſauit,exigua ſpes eſt:& tamen medicus audacter, & vi etiam adhibita, caſtoreum & ſuccum cyrenaicum cum melle & aceto ori infundat:per ſedē verò cētaurii aut colocynthidis decoctum iniiciat. Qui ex morbo conualeſcunt,viribus refectis,ex hiera purgari debēt. Atque hæc
D quidem eſt recentis & acuti comitialis morbi explicata curatio: nunc verò quomodo inueterato opitulandū ſit, ſubiiciam.Igitur qui in hunc morbum cadunt, aquā diu bibere oportet,& ſi nihil prohibet, vtrique ſanguis mitti debet: quatuor autem aut quinque diebus interpoſitis,

corpus reficere, & ita purgante medicamento euacuare. præſertim verò ex nigro veratro, aut colocynthide, aut etiam ſcammonea. Ipſum porro veratrũ ſine medulla tunſum cribratũmq; inſpergendum eſt aquæ mulſæ cyathis quinque, aut ſex, melléque crudo adiecto piperis momẽto excipiendum. Colocynthida verò abiecto ſemine, & quæ medullam adhuc habeat, paſſo implebis, totámque noctem ita ſines: mane verò paſſum temperatum potui dabis: vbi ſatis purgati ſint, lauari poterunt. Tertio die cucurbitulæ præcordiis & dorſo cum ſcarificatione applicabuntur: deinde compluſculis diebus interpoſitis, refecto corpuſculo, hieram ex colocynthide offeremus: poſt hæc capiti & occipitio cucurbitulas affigemus: ſequenti die panem aqua mulſa incoctum, tritúmque cum amaris amygdalis, ſerpyllo, mentha, aut calamintha, aut ruta ſuperdabimus: idque triduò faciendum eſt: poſt verò caput radendum, peucedanique liquore cui ſpondylium ſit incoctum, ex aceto diluto perungẽdum. Rurſus verò interpoſito ſpatio, & corpore recreato, antidoti ex colocynthide obolos nouem in aqua mulſa, diéque vno interiecto, tres etiam dabimus: inde medicamentis vtemur quæ ſternutamenta cieant. Poſt quinque aut decem dies caſtoreũ ex mulſa exhibebimus, ſpatióque interpoſito, clyſter ex centaurio iniicietur: deinde verò quæ pituitam per os & per nares ducant offeremus, tum ſinapiſmum capiti inducemus. Iam verò & acribus cibis quandoq; eſt vtendum.

De eodem, ex Galeno, Cap. IIII.

COmitiales adiuuat oxymel per ſe ſumptum, præſertim verò ſi cum ſcilla ſit confectum. Capparis quoque condita prodeſt ſi continuò edatur, itémque ſalſamentum. Eſt autem ſalſamentum, medicamentum quoddam ex ſcilla vtiliſſimum, ad hunc modum confectum, Vas in quo mel fuerit capimus, ſcillámque in tenues partes manibus diſcerptam in id iniicimus: vas operculo ſolido obturamus, totúmq; vaſculi os pelle circundatum diligenter ligamus, atque in ſole conſtituimus, vt ad meridiem ſpectet, & à borealibus ventis ſit remotum: (fiat hoc in Caniculæ ortu, quod eſt ſpatium quadraginta dierum) vaſculum verò eſt paulatim ad ſolem vertendum. Tranſactis hiſce diebus vas aperientes, corpus ſcillæ elixato ſimile comperiemus, ſuccúmque ex ea fluxiſſe, quem collectum optimo melle iucundum facimus: & eius quotidie cochlear vnum plenum, ac pueris quidem paruum, adultis verò magnum damus. Quinetiam corpoream ſcillæ partem ſimpliciter contundimus & læuigamus, cochleárque vnum cum melle offerimus: ſed huic quantum ad efficaciam pertinet, ſecundæ tribuuntur. Si verò primo loco ſtomachus ſit affectus, ægro imperandum eſt vt concoctionis curã gerat: panẽ ergo accuratè elaboratũ ex vino temperato leuiter adſtringente, atque albo, ad horam tertiam aſſumat. Medicamentum quoque ex aloë bis aut ter ſingulis annis dari poterit. Noui puerulum qui hoc morbo correptus nunquam fuerit poſteaquam radicis pæoniæ magnam & recentem partem collo appenſam tulit. Agaricum quoque, ſeſelis, ſpondylii fructus & radix, ariſtolochia rotunda ex aqua epota comitialibus prodeſt. Scarificatio denique crurum ſæpiſſime iterata eoſdem vehementer iuuat.

De vertigine, Cap. V.

QVi hoc morbo tentantur, in acceſſione excitandi ſunt medicamentis quæ odore moueant, & extremarum partium frictionibus, & cæteris generis eiuſdem. Quum verò morbus conquieuit, vt profligetur, primùm ſecanda eſt vena, deinde purgandum ex hiera, tum interiecto ſpatio, clyſteri acri ex centaurii vel colocynthidos decocto vtendum. His euacuationibus peractis, caput ipſum ad occipitium eſt ſcalpello conuulnerandum, cucurbitulæque cum ſcarificatione adhibendæ: poſtremò iis medicamentis vtendum quæ pituitam eliciant, & quæ per ſternutamenta euacuent.

De apoplexia, ex Philumeno, Cap. VI.

QVi apoplexia correpti ſunt, oleo copioſiore eliquato inungẽdi ſunt, caputq; perfundẽdũ roſaceo in quo
A ſpõdyliũ ſit incoctũ, mulſáq; inſtillãda, & adhibẽda odorameta, vt caſtoreũ, vel opopanax, & galbanũ. Os quoq uè
per vim aperiẽdũ eſt, digitúſq;, aut pẽna oleo intĩcta iniiciẽda, vt ſiquid ſuperuacaneum ibi ſit, abſtergatur: ſedes
quoq; inũgẽda eſt iis quæ flatus educũt. Si per hæc morb[9]
nõ inclinat, clyſteribus acrioribus vtemur, quib[9] muriã &
mel admiſcebimus. His ita confectis, incidenda vena eſt:
facta autem venæ ſectione, iterum vtemur excitantibus.

De melancholia, Cap. VII.

IN hoc morbi genere, quando in toto corpore melãcho-
B licus ſanguis redundarit, initium curationis à venæ
ſectione ſumendum eſt: quum verò is cerebrum ſolum occuparit, tum ſanguinis miſſione non eſt opus. Sed eſt etiã
tertia melancholiæ differentia quædam, quum ea non
ſecus atque morbus comitialis, à ventriculo ducit originem. hanc nonnulli veteres hypochondriacum morbum
nominant. Quum igitur ex præcordiis melancholia oritur, primùm ſymptomata circa ventriculum apparent:
quúmque maior ſit effecta, eam melancholicæ perturbationes comitantur. Leuatur autem æger alui ſubductio-
C nibus, vomitibus, concoctione & ructu. Hypochõdriacũ
etiam hunc morbum, flatuoſum appellamus, ſymptomáque eius eſſe dicemus triſtitiam & timorem. Quum igitur propria melancholiæ ſymptomata magna appareant,
ventriculum verò vel nullum, vel minimum quippiã infeſtet, tũc cerebrum ob atram bilem in eo accumulatam
præcipuè affectum eſſe exiſtimandum eſt. Hanc verò melancholiæ ſpeciem continuis balneis, diæta boni ſucci &
humida abſque vllo alio præſidio curare oportet. Quum
verò humor is qui infeſtus eſt, ob temporis diuturnita-
D tem effectus eſt difficilis ad euacuandum, tunc & magis
varia & potentiora remedia par eſt adhibere. ergo morbum hunc incipientem curare conuenit: inueteratus verò
atque auctus eſt tractatu difficillimus. Igitur in principio epithymo aut aloë purgentur: nam & parum quotidie ex his ſumptum, non mediocriter iuuat, leuitérque
aluum mouet. Vbi verò ita vti dictum eſt purgati fuerint,
abſinthium dabitur, modò herba ipſa duobus aquæ cyathis perfuſa & incocta, modò eius ſucci drach. dimidiũ
aquæ continenter liquefacti. Datur quoque aceti modi-
E cum dormituro, multáque obſonia in aceto intincta comedenda offeruntur. Sed melius erit aceto ſcillam, polium, & tenuem ariſtolochiam miſcuiſſe. Quum verò ad
curandum morbum qui iam inceperit, atque ex totius
corporis conſenſu ducat originem, fortè accedas, non minus venam in cubito ſecabis. Facta ſanguinis miſſione, viribus refectis per inferiores partes medicamento quod
ex colocynthide, quódque ex elleboro nigro conficitur,
purgabis. Quo in caſu etiam quod ex epithymo, quódque
ex aloë conſtat, conueniet. prodeſt quoque euphorbium
F admiſcere, & ex ſero lactis parare. Iam & facultates quæ
vrinam cient, purgationéſque quæ ſudoribus fiunt, huic
malo medentur: quinetiam præcordiis proſpiciendum
eſt. Fouebuntur autem perfuſa decocto rutæ, & anethi, &
abſinthii, & pulegii, & viticis ſeminis, & baccarum lauri;
hæc enim oleo incocta, & affectæ parti admota, & leniũt
dolores, & flatus diſcutiunt. Porro cataplaſmatis inſit etiam aliquid eorum quæ flatus pellunt: cuiuſmodi eſt apium, aut aniſum, aut cuminum. Nec minus etiam cataplaſmati miſcere cyperum, irida, & roſmarinum, & per-
G mittere vt diu atque adeò per diem & paſto & ieiuno
adhæreant: quum auferes, aliquod aliud operimentum, vt
lanam latiorem, impone. Cucurbitulis ad flatus excutiendos leuibus vtendum eſt: ad dolores autem atque inflammationes, cum ſcarificatione. Quum verò curando procedas, non erit obliuioni mandandum ſinapi: ſed & acria
ſmegmata & dropaces dorſo & ventri ſunt imponenda.

De inſania, ex Philumeno, Cap. VIII.

INſaniæ eadem eſt quæ malancholiæ curatio: præcipuè
tamen inſanientes iuuat hippomarathri radix, ſeménque in aqua potum, & bryoniæ radicis denarius ex aqua
quotidie ſumptus.

De amantibus, Cap. IX.

EOs qui ex amore curis affecti, vigiliiſque torti eſſent,
quum nonnulli id minus intelligerent, balnei cibiq;

abſtinentia ; & tenui victu conſumpſerunt. In quibus quum nos amorem in cauſa eorum eſſe deprehenderimus, eorum animos ab amore ad balnea, ad compotationes, ad geſtationes, ad ludos, & ad fabulas abduximus: nonnullis timorem incuſſimus. nam qui amori ſemper inſeruiunt, ab iis affectio difficulter remouetur. Nonnulli autem obiurgandi ſunt ex vitæ inſtituto quod ſibi quiſque delegerit. Cæterùm amantes hæc conſequuntur, Oculi caui, non lacrymantes, ſed vt voluptatis pleni videantur, continuus palpebrarum motus: quúmque reliquæ corporis partes concidant, in amantibus hi ſoli non concidunt.

De lycanthropia, quum homines luporum naturam imitantur, Cap. X.

QVos hoc malum infeſtos habet, nocturno tempore domo egreſſi, lupos in rebus omnibus imitantur, & ad diem vſque circa tumulos vagantur mortuorum. Hos ita cognoſces, pallidi ſunt, oculos hebetes & ſiccos, non illacrymantes, eóſque concauos habent, lingua ſicciſſima eſt, nulla penitus in ore ſaliua conſpicitur, ſiti enecti ſunt: crura verò, quia noctu ſæpe offendunt, ſine remedio exulcerata. Hæ ſunt illorum notæ. Qua in re ſciendum eſt, lycanthropiam eſſe melancholiæ ſpeciem: quam acceſſionis tempore curabis ſecta vena, & facta vſque ad animi defectionem vacuatione, cibíſq; boni ſucci. Vtitor quoque balneis dulcibus: deinde ſero lactis per triduum vſus, etiam hiera ex colocynthide ſemel, bis & ter purgabis. Poſt purgationes theriacen ex viperis dato, & item alia quæ in melancholiæ curatione ſunt commemorata. Morbo inuadente æger perſpergendus eſt iis quæ ſomnũ conciliare conſueuerunt. Vbi verò ſomnus acceſſerit, aures & nares opio illinantur.

De cerebri inflammatione, ex Philumeno, Cap. XI.

CErebrum inflammatum ita ſæpe intumeſcit vt etiam ſuturæ capitis deducantur: dolor maximus & diuturnus comitatur, vehemens faſtidium, rubor in facie multus, oculi exeruntur, faciéſq; & totum caput intumeſcit: ergo ſecanda vena eſt in cubito & euacuandum: itémque ex naribus & vaſculis quæ ſub lingua ſunt ſita, ſanguis mitti debet, irrigationéſque inflammationibus capitis congruæ, linimentáque humectantia, & maturantia ſunt adhibenda.

De eryſipelate cerebri, Cap. XII.

ERyſipelas in cerebro ſit, hæcque ægrotus patitur, toto capite dolet, vt flamma in eo eſſe videatur, facies frigida eſt & ſubpallida, os inareſcit. Vena ſecanda eſt ei qui ægrotat: præcipuè verò quæ ſub lingua ſunt venæ incidi debent. Refrigerantia quoque admoue, quibus in aliis itidem eryſipelatis vtimur.

Curatio aduerſus canis rabioſi morſum, Cap. XIII.

CAnes rabioſos hæc comitantur, muti omnino ſunt, & veluti inſani, vt ne domeſticos quidem agnoſcãt, cibum auerſantur, ſiti premuntur, nec bibunt, anhelant vehementer, auribus demiſſis ſunt, ſaliuam copioſam & ſpumeam edunt. Qui verò ab iis morſi ſunt, curare ſtatim oportet omni legitima curatione, etiamſi vlcus ſit perexiguum, & extremitatem ſolùm occupet: neque cicatrix celeriter inducenda eſt. Vulnus autem abluetur aqua in qua chamæmelum & agreſtis lapathi radix ſit incocta. In potione verò ſument lycium, & ſilphii liquorem, quem in vulnus etiam imponent: ſument quoque in potu chamædryn, ſcordium, gentianæ radicẽ, polium, fluuiatilium cancrorum decoctum, cui anethũ multum admiſcebunt. Purgabuntur verò medicamẽto quod ex colocynthide conficitur: cuius quotidie dabis quantũ fabæ magnitudinẽ compleat, ſed non vt integra fiat purgatio. Humor verò quîcum dabitur, eſto decoctum heleliſphaci, aut ſideritidis heracleæ (quam & halyſſon vocant) quia ipſa ſola iuuet. Vtiliter quoque dari poterit medicamentum ex viperis. Vſus etiam eorum quæ vrinam mouent eſt accõmodatus. Iam & iecur canis qui momordit, dandum eſt. Sed non vni ſoli remedio confidendũ: & quibuſcunque rationibus poſſis eſt inueſtiganda atque tractanda curatio. Appollonius verò Pergamenus ait fuiſſe memoriæ commendatum, multos quidem ex iis in quibus ob aliã cauſã aquæ timor natus eſſet (quos ὑδροφόβους appellant) fuiſſe ſeruatos: ex iis verò qui à cane rabioſo morſi fuiſſent, ſeruatum eſſe neminem.

De neruorum reſolutione, Cap. XIIII.

QVum nerui omnes ſimul ſenſum motúmque amiſerunt, apoplexia morbus nominatur: quum verò in altera parte, ſiue dextera ſiue ſiniſtra id accidat, dicitur paralyſis (*hoc eſt reſolutio*) neruorum illius partis quam obſedit. Originem ducit hic morbus ab humoribus glutinoſis & craſſis neruos obſtruẽtibus, per quos voluntarii motus eduntur: ex quo patet, eos humores eſſe vacuandos. His euacuatis, primùm hieræ drachma potui dabitur ſine melle, iniecto tamen pipere in puluerẽ redacto: ſi quidem volumus non purgationem, ſed diſtributionem ab hoc medicamento fieri: & tertio die drachmam itidem dabimus, aut etiam plus eo. Quatuor verò diebus interpoſitis duas ſimiliter, atque etiam tres drachmas exhibebimus: deinde quatuor diebus interiectis quatuor drach. adiecto mellis & ſalis cochleari: quo tempore etiam piper eſt addendum. Si hac dandi medicamenti ratione æger minus perfectè fuerit purgatus, quinque drachmas, & quibuſdam etiam ſex (ſi modò ætas florens ſit) dabimus. Diæta ſit attenuans. parti verò quæ propter ſolam obſtructionem ſit reſoluta, impone aliquod medicamentum quod digerendi vim habeat. Quibus verò partes faciei ſunt reſolutæ, ad eos medicamenta faciunt quæ pituitam educunt, quæ continuò ſunt adhibenda, vt eorum robur excitetur. Iiſdem ſunt excitanda ſternutamenta, capitíſq; habenda omnino cura eſt: at in quibus reſolutio faciem non vexat, iis ſatis erit occipitio, & in primis vertebris applicare medicamenta, in quibus etiam medicamentis pituitam euocantibus vti debebimus.

De rigore qui calefieri non queat, Cap. XV.

RIgor huiuſmodi ex pituita vitrea admodum frigida ſine febre oritur. In iis verò qui ita ſunt affecti, calefacientibus vti ſine metu debemus, & quæ humorum craſſitiem diſſecent adhibere: talia quoque eſſe debent eſculenta & poculenta. Vtendum verò eſt medicamento quod ex tribus piperibus, deinde eo quod ex calamintha, tum verò eo quod ex ſucco cyrenaico & caſtoreo conficitur.

De conuulſionibus, Cap. XVI.

QVum ſtatim ab initio morbi, aut non ita multo pòſt conuulſiones quæ oriri incipiunt, diutius perdurãt, ex repletione oriuntur: quum verò ex multis ſudoribus, aut vomitib⁹, aut alui excretionibus, aut ſanguinis defluuio, aut vigiliis, aut fame, aut motibus nimiis, & vehementibus ſequuntur, ex inanitione ortum trahũt: quúmque aliquis ſanus derepente conuellitur, id ex repletione fieri neceſſe eſt. Si verò ex febribus ardentiſſimis totum corpus atque nerui exicceſcant, atque ex ea ſiccitate poſtea ſequatur conuulſio, id ſummum malum eſt, & eiuſmodi vt fere nullus ſit remedio locus. Ergo quum partes corporis ad anteriora trahuntur, ea conuulſio ἐμπροσθότονος: quum verò ad poſteriora, ὀπισθότονος: quum deniq; rectè inter vtrãque partem intenduntur, τέτανος nominatur. Cæterùm conuulſiones quæ ex repletione aut inflammatione oriuntur, curabis ſi copiam humorum euacues, inflammationémque peculiaribus remediis propulſes. Conuulſio autem accidere etiam ſolet quum vomentes vehementius ſeſe torquent. His ſuccurrit acanthii radix, & ſpinæ albæ, & ſpinæ Ægyptiæ ſemen epotum. Quidam etiam centaurii minoris ſuccum potui dant, quum ex repletione exiſtit conuulſio: caſtoreũ verò non modò bibitur, ſed etiã extrinſecus cum oleo ſicyonio cuti illinitur.

De diſtentione quæ τέτανος dicitur, ex Philumeno, Cap. XVII.

QVibus ceruix recta intenditur, veſicam oleo calido repletam admouere tendinibus oportet, vt quæ leniter calefiunt, etiam contraria quæ diſtentio inuehit, ferre queãt. Ergo totum conſilium eſt eo dirigendum vt irrigationibus & lotionibus curationem tranſigamus.

Primùm autem vtemur oleo dulci, deinde verò rutaceo & ſicyonio: ſed magis etiam laxant cataplaſmata ex fœnogræco, lini ſemine, farina hordei, quæ mel copioſum atque oleum recipiant: ea autem comprehendant ceruicem, vtranque maxillam, totámque ſpinam vſque ad lumbos. Adhibendæ etiam ſunt cucurbitulæ ſic vt cutis incidatur: admoueantur autem ceruicibus ſpinæ ab vtraque parte, & pectori vbi muſculoſum eſt; & item præcordiis. Eos verò in quibus morbus inueterarit, in oleum totos deſcendere etiam bis die conuenit. Si vires ſubuertuntur, oleum rutaceum leniter calidum, in quo reſina ſit eliquata, per ſedem iniectum eos mirabiliter iuuat: prius tamen bibant ſuccum cyrenaicum: ſed quia diſſolutum facit erodentem potionem, oblinatur melle cocto ad erui magnitudinem. Silphii quoque radix ex mulſa epota vtiliter præbetur: ſimili quoque modo myrrha & hyſſôpi decoctum: ſed caſtoreum reliquis longe præſtat omnibus. Quocirca duo cochlearia ſigillatim diſtincta ex mulſa danda ſunt.

De capitis doloribus, Cap. XVIII.

CApitis dolores quos æſtus aut calor aliquis excitauit, curant ea quæ refrigerandi vim ſine adſtrictione poſſident. Inter ea præſtant cæteris quorũ eſt ſubſtãtia tenuior: quocirca in principio nihil eſt roſaceo meli⁹ quod abſque ſale ſit confectum: non debet autem vetus eſſe. Poſt roſaceum ſequitur chamæmelinum oleum, aptum iis in quibus refrigerare mediocriter oporteat: vbi verò vehementer refrigerare velimus roſaceo vtemur, eidémque ſemperuiui, aut portulacæ, aut lactucæ, aut vuæ acerbæ ſuccum miſcebimus. Papaueris verò & mandragoræ ſuccus, quum non ſine noxa refrigeret, vitandus eſt: ſed ſi neceſſitas quandoque cogat, eius parum miſcendum eſt. Eraſiſtratus autem author eſt, calidiores temperaturas, quum quis eas ſoli ſit expoſiturus, mirum in modum præſeruari ſpongia lata ac denſa ex aqua frigida valde expreſſa, & capiti admota. In dolore verò capitis qui ex frigore ortum ducit, rutaceo oleo vteris: ſi maiore calore opus ſit, parum euphorbii oleo miſce: præterea illine irino vnguento & amaracino: iam & laurinum hoc tempore erit accommodatum: atque his quidem & frontem, & narium & aurium meatus inungere oportet: quæ in recentibus capitis doloribus ſunt ſeruãda. In iis autem qui ſunt inueterati, & neceſſe eſt caput radere, medicamenta adhibemus quæ tum emplaſtrorum tum ceratorum forma ſint confecta: quum verò capilli breuiſſimi ſint, liquidiora imponimus: horum autem materia aliunde eſt huc comportanda. Ea igitur quæ refrigerant, ex iis quibus eryſipelata curantur: quæ verò calefaciunt, ex calefacientibus componenda ſunt, quale eſt quod ex euphorbio conficitur. ſatis eſt enim vnam euphorbii drachmam olei dulcis vnciæ vni, & ceræ vnciis tribus adiicere. Dolorem verò capitis qui vitio ſtomachi ortus ſit, ſanabis vacuatione quæ vomitibus quamcelerrimè conficitur: ſi verò nihil euomuerint, etiamſi valde ſint conati, dabimus operam vt ſuccorum vitiatam malitiam cibis boni ſucci corrigamus. Porro peſſima affectio fit quum vitioſi humores in ventriculi tunicas ita ſunt infarcti, vt elui non poſſe videantur: quorum optimum remedium eſt picra. Quum verò calor dolorem afferens ſuperarit, curatio adhibenda eſt ex iis quæ refrigerandi vim habent, poſtea mitigantia & concoquentia medicamenta repellentibus commiſcebimus, tum verò digerentia & attenuantia adiungemus. Dolores ex febrium magnitudine obortos, perfuſiones ex capitibus papaueris ſanant. Qui verò ex vini potu caput dolent, vacuandi ſunt, quiéſque ac ſomnus imperandus, balneúmque veſperi adhibendum, & cibis vtendum boni quidem ſucci, ſed non calefacientibus. In iis denique qui ex ictu aut plaga dolore capitis vexantur, quum iam inflammatio quædam conſtiterit, venæ ſectione vti conuenit: ſi quid prohibeat, clyſteri euacuabimus.

De cephalæa capitis dolore, Cap. XIX.

IN cephalæa dolores aggrauantes, multitudinem indicant: erodentes, vaporum aut humorum acrimoniam: pulſantes, inflammationem: extendentes, ſi grauitas &

A pulſus non adſint, ſpiritus tenuis ac flatuoſi copiam in membranis contentam teſtantur. Ergo ſi multitudo vaporum aut humorum contineatur, vtrum id euenerit propter particulæ illius imbecillitatem, an propter totius corporis repletionem conſiderandum eſt, vt totum corpus euacuando, etiam capitis dolorem ex particulæ imbecillitate contractum ſanes. nam materiam in totum corpus reuellendo, affectæ particulæ medemur.

De hemicrania, Cap. XX.

QVi curaturus hemicraniam eſt, qua purgatione aut
B venæ ſectione ægrotus indigeat, conſiderare debet, atque ita ad capitis auxilia progrediens, tum per digitos manus ſuæ, tum per linteolum dimidiam frontis partem ante tempus acceſſionis confricãdo excalfaciat. Poſt acceſſionem verò medicamentis quæ hemicrània medici vocant, vtendum eſt: ſique multus calor in doloribus ſentiatur, iis in quibus refrigerans aliquid inſit: ſin ſecus, iis quæ abundè calefaciant: vtriſque verò aliquid ex iis quæ robur addunt, miſceatur, quod facultatem adſtringendi habeat. Iuuat etiam hos ſi oleum tepidum in aures
C inſtilletur, modico euphorbii ad oleum iniecto, vt ad libram vnam olei, euphorbii dimidium vnciæ addatur. Ad eos qui caput mobile habent, ex Dioſcoride, Stichadem ex aqua aut hydromelite bibendum præbe, & ſaneſcent.

Ad puerorum aduſtiones, quæ ſiriaſes dicuntur, ex eodem, Cap. XXI.

SIncipiti imponenda ſunt heliotropii folia, cucurbitæ ramenta, cucumeris (quem peponem appellant) cutis, quæ carni adiacet, ſolani hortenſis folia & ſuccus cum roſaceo.

D De alopecia & ophiaſi, Cap. XXII.

EX medicamentis quæ ad areas faciunt, euphorbium admodum calidum eſt: eo minus eſt thapſia, deinde ſinapi, & naſturtium & adarce, tum ſtruthium, & ſpuma nitri, & ſulphur vernicarium, & veratrum vtrunque, & oleum laurinum, & alcyonia, & arundinis radix & cortex combuſti, & pix liquida, vrſi adeps. His vtitor, & potentioribus cerãtũ, imbecillioribus oleum laurinũ admiſceto.

De capillis fluentibus, Cap. XXIII.

NVllum præſtantius medicamentum expertus ſum,
E nullúmque fore animo cõcipio capillis fluetibus, quàm quod ex ladano & oleo lentiſcino conficitur. Si verò fluor ſit copioſus propter magnam cutis raritatem, nõ erit incommodum pro lentiſcino myrteum oleum ladano miſcere. Perſpicuum autem eſt, caput prius fricandum, & capillorum copiam tollendam eſſe: iis verò quibus ex morbo capilli defluunt, diæta refectrice opus eſt. Lotus arbor pilos fluentes cohibet, vel abrotoni cinis cum aliquo ex iis oleis, lanuginem inducit. Defluuium autem quod citra morbum accidit, braſſica arida, trita,
F ex aqua illita curat, aut loti radix eodem modo capillos prohibet excidere, quod etiam laudauit Galenus. Ladanum in vino maceratum læuigabis, myrteum oleum & vinum viciſſim inſpergens. Satius verò eſt adiantum dimidio ladani pondere admiſcere, & myrteo oleo exceptũ illinere, aut cum arundine combuſta admiſcere. Vt autem capilli naſcantur, ficulnis foliis contritis locum illine. Ad pilos autem palpebrarum cadentes cedriam combure, fuliginéque vtitor.

Quæ pilos attenuant,

G Cap. XXIIII.

PIlos attenuant hordeum, fabæ, eruum, aphronitrum, & nitrum. Vehementiora his ſunt teſtæ fictilium, clibanique, pumex ignem non expertus, alcyonia, ellebori, bryoniæ & dracunculi radix, ariſtolochia, & cachry. Si odorata fieri volueris, cyperum, melilotum, roſas ſiccas, iunci odorati florem, iridem, ſpicam, nardum Indicum & Celticum, fœniculi folia, itémq; amomum & coſtum admiſcebis.

De porrigine, Cap. XXV.

H POrrigo ex vitioſis humoribus oritur. Eſt ergo perſpicuum, digerentia & abſtergentia medicamenta adhibenda eſſe. Furfurum ſextarium medium in aquæ heminis duabus macerabis, deinde confricabis, poſtea excolabis, & cremorem heminæ aceti ſemiſſe adiecta, vſque ad

vini ſpiſſitudinem coques, eóque caput illines: poſtea verò caput lauabis aqua in qua beta aut fœnumgræcum aut lupini ſint incocti. Inunctionibus vtitor, vt irini vnguenti fæce. hoc enim medicamentum citra morſum digerit. Ad inueteratas porrigines valet hoc quod habet atramēti ſutorii, ſulphuris ignem non experti, ſpumæ nitri pares portiones, quæ vino affuſo excipiantur oleo lentiſcino, componuntúrque ad ſtrigmenti ſpiſſitudinem, & pili ſubunguntur.

Ad pediculos, Cap. XXVI.

VVæ taminiæ partes duæ, ſandarachæ & nitri, vtriuſque pars vna: ex aceto atque oleo caput vngito.

Ad vlcera capitis manantia, quæ achores dicuntur, & ad fauos, Cap. XXVII.

HÆc in capitis cute tenuibus foraminibus eroſa, tenuem modicéque viſcoſum humorem in ſe habentia conſiſtunt: fauus autem maiora habet foramina. ergo patet, humores ex quibus morbus originē ducit, euacuādos eſſe. Sique amplius influant, primùm ipſorum influxus prohibendus eſt, & per capitis & per totius corporis euacuationem, vt in alopeciæ curatione diximus, conueniéntque medicamenta incidentia. Nonnulla autem medicamenta, quum excrementis totum corpus redundat, achores incipientes curant, quæ adſtringendi & repellēdi vim habent, qualia ſunt myrti baccæ, pini cortex, rubus, & ſycaminus: nonnulla verò & obſiſtunt achorum incrementis, & id quod influit repellunt, atque etiam, quum mixtis viribus ſint, id quod iam in parte affecta continetur, concoquunt, & digerunt. tale eſt myrtinum, & roſaceum, lentiſcus, cyperus, & lenticula: nonnulla verò digerendi vi ſunt prædita, & abſque calore ſenſibili abſtergunt, vt beta, & plumbum vſtum: nonnulla denique valentiores vires habent, achoréſque qui à craſſis glutinoſiſque humoribus fiunt, euacuare poſſunt. Huiuſmodi ſunt ſal, chalcitis, vini fæx vſta, ſandaracha, & calx extincta, fel calidorum ſiccorúmque animalium. acetum verò acerrimum ad achoras omni tempore accommodatum eſt: hoc autem diluta metallica achoras curant. Si verò achor inflammationis ſenſum inuehat, id in primis facies, vt inflammationem humido medicamento quod πάρυγρον dicitur, ſedes. Ad idem valent hæc ſimplicia, Papaueris agreſtis, & alterci folia tere ex vino, atque illine, aut ſcoriam ferri & roſas pari portione tere, & ex vino illinito: id quod nonnulli cerato roſaceo excipiunt.

Ad capitis vlcuſcula, Cap. XXVIII.

CApitis vlcuſculis conuenit hoc quod habet plumbaginis, papaueris foliorum pares portiones: contere hæc inter ſe, oleóque myrteo exceptis, vt cerati fiat craſſitudo, inungens vtitor.

Aliud ad idem valens,

Calaminthæ teneræ folia, ceruſſámque pari portione tere, decocto capitum papaueris diſſolue, myrteo oleo excipe, vt ſtrigmenti craſſitudinem habeat, atque vtitor.

Ad fœdum capitis odorem, Cap. XXIX.

GLandis vnguentariæ & nardi pares portiones ex eodem conterito ad mellis ſpiſſitudinem: caput abraſum cum vino vetere inungito.

Ad fœdum narium odorem, Cap. XXX.

MYrrhæ, acaciæ, amomi, ſingulorum drach. I. contūde & cribra, melle cocto excipe. iube vt hoc ſummo narium intercepto agglutinet.

Ad ecchymomata inueterata, Cap. XXXI.

RAdicula illita ad hæc facit. auferenda eſt quum eroſionem incipit inducere, aut radiculæ ſuccum cum micis panis illinito.

Ad labia fiſſa, Cap. XXXII.

OVi membranulam interiorem vt ſplenium impone: idem faciunt telæ aranearum candidæ, quæ in arcis inueniuntur: quæ verò altius ſciſſa ſunt, bubulo aut caprino adipe, aut medulla bubula, & reſina inungito.

Ad ephelidem & maculas faciei, ex Galeno, Cap. XXXIII.

VItis ſylueſtris racemi ephelidas & maculas, & quæcunque generis eiuſdem in ſumma cute oriuntur, curant. Amygdala amara ephelida tollit, itémque huius arboris radices coctæ: coſtus ex aqua & melle ad idem valet. Braſſica ad ephelidem & lenticulas facit: & ad cætera omnia ad quæ mediocri adſtrictione & abſterſione opus eſt. Sepiæ teſta combuſta eadem præſtat.

De varis, ex Galeno, Cap. XXXIIII.

QVi varus appellatur, tumor quidam exiguus atque durus in faciei cuticula eſt: ad quem exterendum valent emollientia & digerentia medicamenta. Aliud. Mellis Attici cyathus, acerrimi aceti par portio: diligenter mixta excipe terebinthina: vbi emollieris impone.

Ad ficoſas menti eminentias, ex Galeno, Cap. XXXV.

SPumæ argenti, miſyos crudi par pondus, tere, & illine. Aliud. Thuris drach. octo. ſpumæ argenti drach. IIII. ſalis foſſilis drach. octo. trita illinito.

Ad fœdos alarum odores, Cap. XXXVI.

ALuminis liquidi partibus duabus, myrrhæ parte vna, vino diſſolutis vtitor.

De lippitudine, ex Galeno, Cap. XXXVII.

OPhthalmia eſt inflammatio tunicæ, os capitis & caluariam ambientis: ad hanc medicamenta ſunt adhibenda quæ repellant, nec exaſperent, hoc eſt quæ non vehementer adſtringāt: vtplurimum verò albus oui liquor cum accommodatis medicamentis, per collyria quæ vnius diei dicuntur, ſanare lippitudinem poteſt: poſtridie verò eius diei collyrio quod nardium appellatur, ad inſtaurandum & corroborandum inungetur. In quibus autem adſtringentia ſuperant, plurimum oui candidi, parúmque collyrii eſſe debet: in quibus verò concoquentia excellunt, iis paulo craſſioribus eſt vtendum. Fomento ex ſpongia vtemur, ſi quidem mediocris ſit dolor, ſemel aut bis in die: ſi vehementior, & ter & quater, & ſæpius vti præſtat. Fomentum verò ex meliloti & fœnigræci decocto conficiatur.

De inflammationibus oculorum, Cap. XXXVIII.

SI plenitudo ſubſit, vena ſecanda eſt, aut adhibenda purgatio, aut clyſter iniicēdus, aut imperanda inedia, atque ita progredi, adhibitis iis quæ repellere fluxionem poſſint. Si plenitudo non adſit, ſed mediocris affectio oculos obſidens fluxiunculam pariat, in principio vtendum eſt inunctione, vt irritationem oculis infeſtam leniamus, & defluxum ſiſtamus: quale eſt quod ad Nilum authorem refertur ex roſis, & medicum, & nardinum. Si verò humor in capite tantummodo obſtructus redundet, cucurbitulas occipitio affigere oportet, & cutim ſcarificare, vel hirudinem adhibere, & fronti qua dolet oculus, aſſiduè oui candidum, aut lac inſtillare, & hiſce remediis dolores lenire. In quibus verò ardens, calida, & acris defluxio eſt, aut ſalſa, hoc cataplaſmate vtemur: Panis puri medullam aqua macerato, læuigato, roſacei modicum admiſceto, ſuperiori palpebræ imponito: aut capitum papaueris decocto polentam coque, & modico roſacei adiecto illine. Palpebræ autem inungendæ ſunt medicamento quod diarhodon appellatur, diluto capitum papaueris decocto: agglutinantibus quoque & vnguentis vtendum eſt, quum vaſa quæ in fronte & temporibus ſunt, contorta diſtenduntur. Sed quum defluxio à vaſculis quæ altius inhærent, proueniat, ab his abſtinendum eſt. Si verò inflammatio à materia concocta excitetur, purgante medicamento confertim euacuabimus. balneum quoque in hoc caſu erit accommodatum. Quum inflammatio remittit, cataplaſmatis calidis per initia vtendum. Si craſſum ſit id quod inflammationem facit, primùm omnium adhibenda curatio eſt alui ſolutione, inunctionibúſque medicamentorum quæ neque impleant, neque craſſos humores reddant, ſed quæ diffundere, humectare, & excernere poſſint: quale eſt chiacum collyrium. ad hæc imponenda ſunt catapotia dolorem leuantia, odoramentáque, & cataplaſmata, &

medicamenta quæ inunguntur:celeriúſque balneo vten- A dum, & ſerum lactis propinandum.

De doloribus oculorum,ex Galeni ſententia,

Cap. XXXIX.

QVoties dolores vehementes oculis accidunt, perquirendum eſt quænam affectio in inflammatione dolorem eis afferat: nam aut ex vehementi acris humoris confluentis morſu,aut quòd eorum tunicæ plenitudine diſtenduntur,aut propter craſſorum humorum, aut ſuccorum,aut ſpiritus flatuoſi extenſionem vehementes in oculis dolores excitantur. Ac morſus quidem purganti- B bus medicamentis, & ipſi particulæ oui humore infuſo curabis. Vbi autem prius concocta inflammatio ipſa fuerit,corpuſque vacuum,tum vtique lauationes ſunt aptiſſimæ. Quæ verò ex repletione inflammationes proueniunt,miſſione ſanguinis,alui deiectione, infernarúmq; partium frictione curare conueniet. Extenſiones verò curabimus toto corpore prius euacuato,atque etiam humorum momento deorſum auerſo,tum medicamẽtis localibus quæ digerant vtendum erit. Fouendi igitur ſunt, ac fœnigræci decoctum infundendum. In quibus verò C ſanguinis craſſioris copia in venulis oculorum continetur,ſine ſuccorum in toto corpore redundantia, vini potione vtendum eſt, quippe quod calefacere, euacuare, & obſtructiones aperire queat.

De chemoſi,ex Demoſthene,

Cap. XL.

QVum ex vehementi inflammatione palpebræ inuertuntur,vt vix contegere oculos queant,curare oportet venæ ſectione, medicamento purgante, & collyrio diarhodon cum lacte,aut oui candido palpebras illinen- D do,eodem quoque tempora & frontem illines. Corpore plurimum euacuato,ſi ferre queant, fomentum ex ſpongia adhibendum eſt,cataplaſmatáque ex farina pura, & polenta ex hydromelite cocta imponenda, eáque ſæpius mutanda ſunt,ipſique polentæ & ſeris & ſolanum admiſceri debẽt. In principio ſubungendum nõ eſt. ſatis enim eſt lactis vti infuſione: ſequenti verò die admouere ea quæ ad inflammationem faciunt,& præſertim diarhodõ collyrium:quũ inflammatio remittit,medicamẽto purgante vtendum,& acrioribus inungendum. E

De phlyctænis, Cap. XLI.

PHlyctænæ curandæ ſunt ad hunc modum: in primis iubendum eſt vt ægri parum loquantur, ſternutationes, iram, ſpiritus retentionem vitent: potum & cibum quammaximè poſſumus contrahere oportet, euacuationéque vti ex clyſteribus non acribus, obſcuro loco ægrum continere,ligamenta quoque, & linteorum applicationes vitare oportet. Cataplaſmatis vtendum [illegible] leuioribus,& ſubadſtringentibus,collyrium verò Nili diarhodon lacte dilutum conueniet. F

Ad phlyctænas oculorum,

Cap. XLII.

PHlyctænæ quæ in oculis ſunt, medicamenta digerentia poſtulant:quæ igitur recẽtes ſunt,atque adhuc inflammatæ,medicamentis quæ ex myrrha,& thure,& croco conſtãt,arcentur:inueteratæ verò aliquid eorum quæ maiorem digerendi vim habent,requirunt.

De carbunculo, Cap. XLIII.

PRimùm clyſteri vacuare,deinde lacte non cocto mediocriter purgare conuenit:deinde ſpongia fotum e- G rui farina,vel triticea,ex aqua mulſa cocta illinere: nonnunquam verò iridiem tenuem illinere,& lacte oculum perluere:ſi vlcera ſerpant,lenticula cum melle, vel mala cydonia cocta ſuperdanda:ſi latius depaſcendo ſerpant, foliis oliuæ decoctis,vel malicorio in vino decocto læuigatóque illinito:ſi ceſſent ſerpere,cruſtáque medicamento quod ſubiiciam impoſita exciderit, vlceráque pura ſin ,luteis ouorum toſtis læuigatiſque cum melle,& croco donec ad cicatricem peruenient,illinentur:medicamẽtu verò eſt huiuſmodi:Spodii drach. quatuor, croci o- H boli tres,vino aminæo læuigentur quouſque inaruerint: paſſúmque creticum vetus miſcetur: omniáque ſimul læuigantur,& liquor pyxide fictili excipitur, & oblinitur.

De mydriaſi, Cap. XLIIII.

QVum pupillæ color nihil immutatur,ſed multo quã naturaliter eſſe conſueuit,eſt latior,& interim lumine penitus priuat,interim verò quæ videntur, multo minora apparent omnia,mydriaſis malum vocatur. Eius cu ratio ſanguinis miſſione ex cubito, aut purgatione tentanda eſt:ſin minus, venas in angulis oculorum oportet incidere,deinde cucurbitulam occipitio affigere,& aquâ marina faciem & oculos perfundere:ſi ea non adſit,muria vel poſca vtemur:cæterùm medicamenta adhibenda erunt ea quæ ad phlyctænas etiam faciunt.

De phthiſi & atrophia oculorum,

Cap. XLV.

PHthiſis eſt quum pupilla anguſtior,obſcurior, & rugoſior efficitur:res verò quæ cernuntur, his maiores apparent. Inter phthiſin & atrophiam hoc intereſt, quòd phthiſis anguſtiorem pupillam efficit: atrophia verò totum oculum & minorem & humiliorem reddit. Curandus hic morbus eſt exercitatione partium ſuperiorum,& diligenti admodum capitis, faciei, & oculorum frictione,& acriore medicamento,quale eſt quod ſequitur,rarefacere oportet: Ammoniaci drach. vna, crocomagmatis drac. quatuor,æruginis drach. vna: tritis in aqua & ſubactis vtitor.

De nyctalope, Cap. XLVI.

NYctalopem vocant eum qui per diem videt,ſole occidente obſcurius,nocte verò omnino nihil cernit. Curari debet ſanguine ex cubito, & angulis oculorum miſſo: deinde purgatione aut euacuatione ex clyſteri: tum apophlegmatiſmi imperabuntur,aut vt ſternutamẽta excitentur. Ante cibum hyſſopum potui dabimus: ſi morbus ita non finiatur, medicamentum purgans quod ex ſcãmonea caſtoreóque conficitur,iterum dabimus:oculi melle deſpumato illinentur, claudentúrque humores comprimendo,& continendo. Aut aluminis Ægyptii combuſti partes duas, ſalis foſſilis partem vnam, tere ex melle & ſublinito.

De glaucomate & ſuffuſione,ex Rufo,

Cap. XLVII.

GLaucoma & ſuffuſionem veteres vnum eundémque morbum eſſe exiſtimarunt: poſteriores verò glaucomata humoris glacialis qui ex proprio colore in glaucum conuertatur & mutetur, morbum eſſe putauerunt: ſuffuſionem verò eſſe effuſionem humorum inter vueam & cryſtalloidem tunicam concreſcentium:cæterùm glaucomata omnia curationem non recipiunt:ſuffuſiones verò recipiunt, ſed non omnes. Diſcutere igitur ſuffuſionem oportet ſanguinis ex cubito detractione, itémque purgatione,& acrioribus euacuationibus, veluti centaurii decocto, aut amari cucumeris, & alui ſolutione frequentiore: cucurbitulas etiam occipitio cute inciſa admouendo. Aqua toto curationis tempore bibenda eſt, cibíque aſſumendi qui attenuent. Proderit etiam progreſſu temporis apophlegmatiſmos per dies aliquot adhibere. Medicamentis vtendum eſt primùm ſimplicibus, qualia ſunt mel,oleum,fœniculi ſuccus: deinde compoſitis,quale eſt hoc quod accipit ſagapeni drachmas duas, ſucci cyrenaici, veratri albi, ſingulorum drachmas ſex, rutæ ſylueſtris drachmam vnam, ſpumæ nitri drachmas ſex,allii quinque, mellis cochlearia octo, aut ſucci chamædryos,ſanguinariæ,ſingulorum pares portiones, collyria conficito.

De obſcuritate & hebetudine,

Cap. XLVIII.

OBſcuritas eſt plerunque totius aſpectus impedimentum abſque manifeſta oculi affectione: hebetudo verò eſt obſcurior aſpectus ab aliqua ignota cauſa proueniens. Communis omnium obſcuritatum curatio eſt venæ ſectio in cubito,& in angulis oculorum: deinde verò humores euacuationibus ad partes inferiores reuellendi ſunt:poſtea cucurbitula occipitio affigenda, hirudinéſque temporibus admouendæ,& partes inferiores confricandæ:aqua potui danda,cibis vtendum qui facilè digerantur, temporis ſpatio ſternutamenta quoque excitandæ, vomitus ante cibum ciendus,inunctiones adhibẽdæ:

ac primùm quidem ex paribus mellis & olei portioni- A bus:deinde hoc compoſito quod ſubiicio, Croci oboli duo, fellis hyænæ drach. vna, piperis communis grana L X X X V. ſucci fœniculi drach. X V I. guttæ ammoniaci drachma I. æruginis tantundem, mellis cochl. V I. tritis omnibus fœniculi ſuccum affunde, deinde læuigata exſiccato, túncque mel admiſceto, in pyxidem æneam repo nito, & vtitor. Antequam inungas, oculos ſpongia quæ marina calida imbuta ſit, fouebis.

De ſtrabiſmo, Cap. XLIX.

QVi ſtrabones oriuntur, curantur rebus faciei adie- B ctis, vt rectè aſpiciant, & lucerna in conſpectu ipſorum conſtituta, ne obliquè intueantur: quúmque ad nares oculis conniuent, ſtipulas ex palma etiam angulis oculorum qui ad tempora ſunt, agglutinare conuenit, vt aſpectu ad has firmiter directo oculos emendent.

De expreſſione, Cap. L.

OCuli verò interdum exprimuntur ita vt exerti permaneant: ſi ex ſtrangulatu ſic compreſſi ſint, vena in cubito ſecanda eſt: ſi alia cauſa ſubſit, purgandum elle- C boro nigro aut ſcammonea. Compreſſiones verò quæ ex doloribus oriuntur, purgationes quæ in puerperiis eueniunt, ſæpenumero ſoluunt: vnde nos quoque vnà cum iis debemus opitulari: in viris autem poſt ſanguinis miſſionem, ſi morbus non remiſerit, cucurbitula occipitio affigetur: lana melle imbuta imponetur, aut ſtuppam ex aqua & ſupra linteolum leniter deligabimus. Marina quoque frigida faciei inſperſa eoſdem iuuat, & ſereos & polygoni ſuccus cum meconio illitus, itémque alia quæ comprimendi & contrahendi vim habent. D

De confuſione, Cap. LI.

COnfuſiones quæ ex plaga conſequuntur, venæ cubiti ſectione curamus, itémque totum oculum ſanguine recens mactati animalis, præſertim verò turturis, ſin minus, columbæ, implendo: deinde lanam mollem, ouo cum vino & roſaceo contuſo intinctam, & impoſitam deligando: die ſequenti idem faciendum: tertio verò, fomento vtendum, lac inſtillandum, quæ accommodata ſunt, applicanda: poſtremò ſublinendum iis medicamentis quæ ad veteres affectiones valent, quale eſt quod Chia E cum dicitur.

De luſcioſis, Cap. LII.

LVſcioſi dicuntur qui ita nati ſunt vt quæ propè ſunt videant, quæ procul ſunt, non item: quæ quidem affectio curationem nullam recipit: ſeneſcentes verò contrà ac luſcioſi affecti ſunt. propinqua enim non videntes, remota aſpiciunt.

De oculis lacrymantibus, Cap. LIII.

LAcrymantes oculos ſublinere medicamentis agglutinantibus, refrigerantibus, & adſtringentibus, itémque poſca proluere conuenit.

De encanthide, Cap. LIIII.

ENcanthis eſt incrementum carnis quod in angulo maiore prouenit loco vlcerato: ſi maligna encanthis non ſit, dolore vacat, mollis ſublaxáque eſt: ſi maligna, eſt durior, inæqualis, & pungentes dolores affert: malignæ dimittendæ ſunt, non malignas curare conuenit: ac paruas quidem medicamentis ſiccis, quale eſt quod ex chalcitide, & cadmia & pſorico conficitur: maiores verò, chirurgia.

De pediculis palpebrarum, Cap. LV.

PEdiculis pri⁹ eiectis, palpebras marina tepida colluere oportet: deinde ciliis admouere medicamentum hoc quod ſubiiciam, Aluminis ſciſſilis partes duæ, vuæ taminiæ pars vna, tritis vtitor.

De naribus obſtructis ex Archigene, Cap. LVI.

QVum nares obſtructæ ſunt, acriſque nobis qualitas permittit, prius danda opera eſt vt aluum cieamus: deinde ſupra nares hirudinem applicemus: tertia die ſplenium à media fronte ad nares extendamus: naſi verò partem emplaſtris quæ digerere pollicentur, per dies quindecim illinemus: poſtea confectione amara ex aloë, aut hiera ex colocynthide ventrem ducemus: quibus peractis, apophlegmatiſmis vtendum eſt: deinde molliens medicamentum naribus & fronti ſuperdandum, tum prouocanda ſternutamenta, mox ſinapiſmo caput vſque ad frontem obducendum, caſtoreum denique aceto dilutum odorandum offeretur. Si poſt hos omnes motus aliquo præterea auxilio ſit opus, vomitus ex raphanis & oxymelite excitetur: die ſequenti abſinthii ſucci quantum cochleatis [illegible] compleat, aut etiam hyſſopi, aut tragorigani bibendum datur. Malagmatum quoque vſus conuenit, quæ impones vſquedum varos excitent. Hæc autem & bis & ſæpius ad affectiones pertinaciores admouere oportet.

De ſuffocatis, ex Theophraſto, Cap. LVII.

SVffocati reuocantur aceti infuſione, & filicis, aut vrticæ ſemine in aceto acerrimo trito, & diluto: difficiliter autem quidpiam ſumunt, ſed vi cogendi ſunt. Diſſolutis verò colli impedimentis ſtatim reſpiciunt, & an[illegible]: hi non ſecus reuocari videntur atque illi qui nau[illegible] fecerunt, & ad ſummam, vt qui ſuffocatione fuerunt oppreſſi, ſiquidem eorum calor ita recreatur.

NONI LIBRI ARGVMENTVM.

Nono traduntur omnia quæ ad thoracem, viſceráque, vſque ad pudenda, pertinent, déque muliebribus morbis, & podagra, atque articulorum doloribus agitur.

LIBRI NONI CAPITA.

De ſanguinis reiectatione ex deſtillatione, Cap. I.
De reiectatione ſanguinis, Cap. II.
De purulentis, ex Galeno, Cap. III.
De tabe, Cap. IIII.
De aſthmate, Cap. V.
De cordis palpitationibus, ex Galeno, Cap. VI.
De lateris dolore, Cap. VII.
De lateris dolore ſine febre, Cap. VIII.
De mammillis affectis, Cap. IX.
De oris ventriculi affectionibus, Cap. X.
De flatu ventriculi, Cap. XI.
De ventris excretionibus, quæ præter naturam fiunt, Cap. XII.
Tineſmi curatio, Cap. XIII.
Dyſenteriæ curatio, Cap. XIIII.
Ad dyſentericos & cœliacos, Cap. XV.
De tenuioris inteſtini morbo, Cap. XVI.
De ſedis affectionibus, Cap. XVII.
De hæmorrhoidibus, Cap. XVIII.
De iecoris affectionibus, Cap. XIX.
De iecoris imbecillitate, Cap. XX.
De ſcirrho iecoris, Cap. XXI.
De malo corporis habitu, Cap. XXII.
De aqua inter cutem, Cap. XXIII.
De lienis affectionibus, Cap. XXIIII.
De renum & veſicæ affectibus, Cap. XXV.
De renum veſicæque inflammationibus, Cap. XXVI.
De abſceſſu renum, & veſicæ, & meatuum vrinæ exulceratione, Cap. XXVII.
De renum duritie, Cap. XXVIII.
De renum imbecillitate, Cap. XXIX.
De ſcabioſa veſica, Cap. XXX.
De veſicæ inflammatione, ex Rufo, Cap. XXXI.
De vaſe rupto in veſica, Cap. XXXII.
De veſicæ tuberculis, Cap. XXXIII.
De veſicæ vlceribus, Cap. XXXIIII.
De diabete, ex Galeno, Cap. XXXV.
Diabetæ curatio, ex Rufo, Cap. XXXVI.
De vlceribus quæ in ſede & pudendis ſunt, Cap. XXXVII.
Ad teſtium & pudendi affectiones, Cap. XXXVIII.
De gonorrhœa & ſatyriaſi, Cap. XXXIX.
De pollutione quæ in ſomnis fit, Cap. XL.
De priapiſmo, Cap. XLI.
De hæmorrhoidibus, Cap. XLII.
De vteri affectionibus, Cap. XLIII.
De nimia purgatione, Cap. XLIIII.
Mulierum non concipientium curatio, Cap. XLV.
Non ſpirantium curatio, Cap. XLVI.
De ſuffocatione ex vtero, Philumeni, Cap. XLVII.
De fluore muliebri, Cap. XLVIII.
Simplicia muliebrem fluorem curantia, Cap. XLIX.
De vteri inflammatione, Cap. L.
De vuluæ abſceſſibus, Cap. LI.
De vuluæ vlceribus, Cap. LII.
De cancro vuluæ, Cap. LIII.
Ad vuluæ fiſſa, Cap. LIIII.
De phymo vteri, Cap. LV.
De vuluæ inflatione, Cap. LVI.
De vtero procidente, Cap. LVII.
De articulorum doloribus, podagricis, iſchiadicíſque ſanandis, Cap. LVIII.
Curatio ſcirrhorum qui in morbis articulorum ſunt, Cap. LIX.
Ad ſcirrhos, Philagrii, Cap. LX.
Quomodo ſe quiſpiam à podagra tueatur, Cap. LXI.
Ad iſchiadicos, Cap. LXII.

ORIBASII SYNOPSEΩS AD EVSTAthium filium liber nonus.

DE SANGVINIS REIECTATIONE EX deſtillatione, Caput I.

QVIBVS cruentum ſputum ex deſtillatione oritur, iis in ipſo ſtatim initio ſecanda vena eſt, aut clyſter acer iniiciendus: tum crura manúſque calfacienti medicamento plurimùm fricanda, & vincienda: mox caput radendum, cui deinde medicamentum quod ex ſtercore palumborum conſtat, imponetur: interpoſitíſque tribus horis in balneum ducentur, ac nullo pingui caput contingẽdo lauabuntur: dein caput idoneo pileo contegentur: & ſola ſorbitione fructuum autumnalium auſterorum alentur: dormituris medicamentum ex viperis nuper quatuor ante menſes confectum dabitur: ſecundo verò die totum corpus præter caput, rite fricabitur, & ipſi in quiete habebuntur: rurſus autem veſperi medicamentum ipſum ex viperis dabitur: cohibita ob id deſtillatione, tertio die manè mellis cocti parum dato, in quiete conſerua, totúmque corpus frica: ptiſanæ cremorem cum exiguo pane pro cibo exhibe. Quarto porro die mane dato medicamen ex viperis, ídque cum melle copioſo: capiti verò eodem impoſito medicamento, ipſíſque lotis, moderatéque nutritis, pulmonem quinto die valentius expurgabis, ac deinde rurſus per interualla cerato ex thapſia quod conſuetum eſt, ad caput vtere: totam denique corporis curam ad reficiendum dirigito. Qui verò ob frigiditatem membrorum reſpirationis ſanguinem expuunt, iis ſtatim venam incides, bíſque eodem die ſanguinem detrahes: deinde rurſum poſtridie bis, ſed artuũ frictione, & deligatione pridie vſus, ad veſperam medicamentum quod diaſpermaton dicitur exhibebis: ſecundo die poſt ſanguinis detractionẽ, toti pectori ceratum quod ex thapſia conficitur, impones: mox veſperi, ne ſupra modũ calefaciat, auferes: tertio die rurſus ad tres horas imponito, atque hominem lauato, & tribus deinceps diebus ſorbitionibus nutries: tertióq; præter cremorem ptiſanæ, aliquem etiam piſcem qui facilè concoquatur, & ſimpliciter ſit præparatus, adiicito: medicamentum quoque diaſpermaton & ſecundo & tertio die ad veſperam ſimiliter dabis. nam & ſomnum conciliat, & dolorem lenit, & exſiccat. Quum igitur particulæ ad bonam temperiem redactæ ſint, ſedatáque ſit inflammatio, expurgare validè poteris, adhibito ſimul vſu medicamenti quod ex viperis conſtat: quo ſumpto, & lactis potu, & aliis etiam cibis conuenienter vteris. Atque hoc quidem modo eos qui eodẽ die ſe tibi committent, curare poteris: qui verò poſt duos aut tres dies, non omnes, ſed aliquibus eorum inſanabile vlcus eſt factum. vlcera nanque quæ in pulmone ſunt, difficilius ſanantur, & ſtatim vena in cubito interna ſecanda eſt: bíſque, vel etiam ter detrahere ſanguinem oportet, tum fricare, & artus omnes vinculis excipere. His

A B C

confectis,primùm poſca diluta tepida potui detur, vt ſiquis grumus ſanguinis in viſcere concreuit, diſſolutus eiiciatur. id quod bis atque ter efficere nihil prohibet. Poſt hæc verò, medicamenta obſtruentia & adſtringentia primo die ex poſca diluta, aut ex decocto malorum,aut myrtorum,aut alterius cuiuſpiam adſtringentis exhibeantur. Veſperi autem rurſus medicamentum ſimiliter dare conueniet: ægérque ab omni cibo erit abſtinendus. Præſtabit autem ſecundo itidem die parum ſanguinis detrahere,nutriréque,& medicamenta ſimiliter ad quartum vſque diem adhibere, pectore in orbem madefacto:atque æſtate quidem melino & roſaceo,hyeme verò nardino vnguento. Vtitor etiam emplaſticis medicamentis per ſe, quale eſt quod ex bitumine & aceto conficitur. Ex iis verò ii ſoli inſanabiles mihi videntur qui ex ſucci vitioſi eroſione ſanguinem reiectant.

De reiectatione ſanguinis,

Cap. II.

IN ſanguinis reiectatione primum periculum in nimia euacuatione eſt poſitum: ægrotis auxiliari ſtatim his quæ ſubiiciam poteris.medicorum enim officium eſt totam affectionem animo perpendere. Portulaca verò ad hoc facere conſueuit:ſed eius ſuccus potui datus eſt efficacior:itémque balauſtii rubique fructus & flos epotus: membranoſa quercus pars,& liber qui inter corticẽ & lignum intercedit:præſertim verò truncum ipſum, & item fagum incoquentes vtuntur.efficacior eſt althææ radicis decoctum & mentaſtrum.Ad recentes reiectationes,Centaurii maioris drach.II.febricitantibus ex aqua, non febricitantibus ex vino dabis.Rheum,lentiſci folia & cortex,Samius aſter,ad omnes reiectationes valet, eodémq; modo Lemnia ſphragis. Ad ſanguinis verò grumos facit vel maximè leporis coagulum in potione ſumptum: eoſdem quoque grumos diſſipat ficulnus cinis ex aqua potus,itémque thymum,& ſatureia cum aceto.

De purulentis,ex Galeno,

Cap. III.

PVrulentos vocant eos qui in thorace & pulmone pus coaceruatum habent.nam poſt ruptionem pus in media thoracis & pulmonis regione continetur: ac niſi celeriter excreetur,tabidi moriuntur.Febricitant ſemper tenuiter febri hectica.erũpit verò pus,partim ſuprà,partim infrà:quódq; infrà delabitur,tũ in vẽtre & inteſtino intercipitur,tum in veſica,in quã per vaſa quædã importatur.Quãdo verò ſurſum abſceſſus erumpet, periculoſiores eſt.In primis igitur puris eſt adiuuanda concoctio:id fiet fomentis per ſpongias,& cataplaſmatis ex hordei farina,additis caricis coctis, modico reſinæ, ſtercoris columbini,nitri,& hibiſci.hæc enim attenuant atque digerunt. ſani quoque lateris incubitus eruptionem adiuuat. Abſorbeant per interualla mulſam, & ptiſanæ cremorem ex melle:robuſtiores verò hyſſopi & thymi decoctum bibant. Opitulatur etiam ruptioni ſalſamentorum eſus, & catapotia hieræ ex colocynthide dormituris data.Quum pus excerni incipit,hyſſopũ in mulſa & oleo coctũ dandum erit.Si verò exulceratio difficulter purgetur, mulſa continenter vtemur, in qua duas aut tres particulas iridis incoquemus.dulcis quoque radicis ſuccus læuigatus, & ſiſamo admixtus,prodeſt.

De tabe, Cap. IIII.

TAbes eſt vlcus in pulmone,quod in purulentis & iis qui diſtillatione diuturna laborarunt,oriri conſueuit:atque etiam ex ſputo ſanguinis conſequitur, quum ſuppreſſo profluuio ſanguinis neque vlcus agglutinatur, neque ad cicatricem perducitur. Curare oportet ita humores qui ibi ſunt parando, vt tuſſi educi facilè queant, & diligentia quoque adhibita ne alii præterea colligantur. Porrum ergo capitatum in ptiſana tandiu coctum vt liqueſcat,conueniet,quódque aliis quoque ſorbitionibus aut pultibus ſit incoctum,quod etiam bis per ſe coctum dari poterit.Potus ſit aqua pluuia, quæ ſatis etiam decocta ſit. Vbi malum conquieuerit, per initia cataplaſmata ex lini ſemine & polline, ex fœnigræci decocto, vel maluæ,& olei & mellis,quibus althææ folia commixta ſint,adhibeantur. Temporis verò progreſſu ad cerata

A ex butyro,laurino oleo,& cyprino;& iride tranſeundum eſt, mox vtendum malagmate eſt: ac primùm eo quod diateſſaron dicitur ex cera & terebinthina,& duæ aut tres iridis particulæ in mulſa cum dulci radice incoctæ. Si tuſſis vehementer moleſta ſit,thymum tritum & hyſſopum melle non cocto excipe, & ad lapilli magnitudinem ſub lingua tenendum dato. Mithridatum quoque per interualla datum, itémque medicamentum ex viperis conueniet.Sed lactis potio eſt tabidis omnium vtiliſſima.

B De aſthmate, Cap. V.

QVi ſpirare ſine ſono & anhelatione non poſſunt(qui aſthmatici nominantur)iis medicamenta diſſecantia & non vehementer calefacientia conueniunt: quamobrem acetum ſcilliticum eos optimè iuuat. quin & ipſa ſcilla & oxymel quod ex hoc aceto conficitur, conuenit. Iis verò qui nonniſi recta ceruice ſpiritum trahunt (qui orthopnoici vocantur)prodeſt pumex cum nitro,& vini fæx combuſta cum iunci rotundi flore, & auripigmentum cum alcyonio. Philippus autem ſcribit ſe nouiſſe C quendam qui duas partes iridis, vnámque ſpumæ nitri contereret,cribróque traiectas vnguento alicui commiſceret,pectúſque & dorſum donec ignita & ſanguinolenta fierent, confricaret: ex qua re difficultatem ſpirandi, tuſſim,& purulentam affectionem propulſauit. Maiora autem remedia ſunt frequentior ex validis medicamentis purgatio,vomitus ex raphano excitus,&omnia malagmata attrahentia,& ipſarum partium exulceratio. Ariſtolochia autem rotunda ex aqua pota aſthmaticis prodeſt:itémque centaurii maioris radix, ſpondylii fructus D & radix,calaminthæ fructus & hyſſopum, & iris, & melanthium. item aſellos qui ſub hydriis morantur, potes in vas fictile coniicere,& ad carbones ignitos torrefacere:quum inalbuerint,terito,& melle cocto excipito,& dato ante cibum cochlearia duo ad delingendum. Aliud, Scillæ crudæ ſuccum exprime,mélque ei pari mẽſura admiſce,& ad prunas coque,eiúſque ante & poſt cibum cochlearia duo delingenda exhibeto.

De cordis palpitationibus,ex Galeno,

Cap. VI.

E NOui quendam quotannis verno tempore huiuſmodi palpitationis caſu vexatum,qui quum per triennium à ſanguinis detractione ſe adiutum intelligeret, anno quarto,antequam hoc malo corriperetur,ſanguinẽ miſit:id quod deinceps multis annis fecit.

De lateris dolore, Cap. VII.

EXquiſitus lateris dolor fit membrana ſuccingente coſtas primo loco affecta:quocirca à præcordiis vſque ad clauiculam dolor extenditur.Ergo ſi dolor ad iugulum vſque pertinet,venæ ſectione opus eſt:ſin ad præcor F dia deſcendat, purgatione. Si dolor moderatus & pungens ſit,non magnum admodum auxilium poſtulat. Iis ergo ægrotantibus medicamenta quorum attenuans facultas ſit,dabimus:ac mediocria quidem inflammatione correptis adhibebimus: in remiſſionibus verò inflãmationum,validioribus vtemur.moderatus autem eſt ptiſanæ cremor,& mulſa:validius verò vrticæ ſemen, & id in quo aliqua ex acribus herbis iniicitur, vt origanum, vt hyſſopum,vt calamintha,vt pulegium,vt iris.

De laterum dolore ſine febre,

G Cap. VIII.

LAterum dolores ſine febri curat bdellium, coſtus, braſſicæ caulium combuſtarum cineri vetus adeps admixtus. Hoc nanque medicamento ad laterum dolores vtimur,& item aliis huic ſimilibus.magnam enim digerendi vim habet.

De mammillis affectis, Cap. IX.

MAmmillarum inflammatione laborantium efficax remedium eſt lutum impoſitum: quòd ſi tibi ſiccius videatur, cyprino aut roſaceo emollies. Valet autẽ H ad reſtinguendum lac quod in caſeum coit in mammis earum quæ nuper pepererunt: quum totum, quo roſaceo admixto vtimur non ſolùm ad mammillarum,ſed etiam ad aliarum complurium partium inflammationes. Sordes etiam ex palæſtra remedio ſunt mammis inflamma-

tis:ſiquidem igneum id quod in ipſis eſt extinguunt, & quod influit ſiſtunt,& quod ibi continetur digerunt. Fabacea farina mammarum & teſtium cataplaſma idoneũ eſt. nam hæ particulæ quum inflammatione tententur, modicè refrigerari deſiderant:& præſertim quum lac in caſeum concreſcit. Naxiæ verò cotis retrimentum virginum & puerorum mammas inflari nõ ſinit:ſuum quoq; teſtes abſcindito;mammáſque ſanguine inungito, & nõ augentur. Mammas autem quæ ob lactis copiam intumeſcunt & extẽdũtur, lẽticula marina aqua incocta & impoſita curat:mentaſtrum cum polenta illitum,cimolia ex aceto inũcta,lac muliebre cũ cicutæ ſucco,cicutæ folia illita, muria ex fomẽto adhibita. Valet etiã ad idem fabarũ farina vel per ſe vel cum polenta illita,itémque cydonia cocta cum melle. Præterea non ſinit lac in grumos tranſire cera alba in pilulas redacta,quarum quotidie decem numero milii magnitudine ſumentur.

De oris ventriculi affectionibus, Cap. X.

QVi canino appetitu correpti ſunt, hoc eſt, qui fame continuò torquentur, iis vt magnum auxilium,vinum copioſum,& abundè calidum dandũ eſt,tale autẽ vinum & fuluo & rubro colore citra adſtrictionem eſt: & appetitus ex fame excitati ex ſtomachi frigiditate exiſtunt:vt non ſine cauſa huiuſmodi vinum eos ſedet. His quũ ad prandium accedunt, primùm cibi dandi ſunt pingues & oleoſi,& alia omnia ex oleo copioſiore parata,& in quibus nihil auſterum & adſtringens inſit: mox verò imperandum eſt vt vinum eis,etiamſi non ſitiant, detur. Fames enim hac ratione ſtatim lenietur,& ita longo temporis ſpatio peragendo ſedabitur. Singultientibus danda eſt ruta cum vino,aut nitrum in mulſa,aut apium,aut cuminum,aut acetum ſcilliticum, aut calamintha, aut aſarum, aut nardum Celticum,& ſingula per ſe, & ſimul etiam. Caſtoreum verò conuenit iis quibus multitudo ſingultum ex frigidis & glutinoſis ſuccis excitauit. dãdum autem potui eſt cum poſca. atque etiam cuti vnà cum ſicyonio aut vetere oleo impoſitum prodeſt. Quum verò ex repletione humorum ſingultus oritur, (plerunque enim ex hac cauſa ducit originem) violenta indiget euacuatione ea quæ ſternutamentis conficitur. Nauſea verò fit quum ventriculus ad vomitum propellitur,quum ſcilicet multitudo eum prægrauet, aut morſu infeſtetur, aut denique vitioſis ſuccis obſideatur. nonnulli autem turbantur, ſed nihil euomunt, in quibus is qui infeſtat ſuccus neque multus eſt,neque ventriculi ſpatio,ſed tunicis ipſis continetur:atque in aliquibus, vt aqua in ſpongia:aliquibus verò ita impactus vt diſſolui ægrè poſſit. Curatio tribus capitibus concoctione, attenuatione, & euacuatione perficitur. Qui igitur magis pituitoſi & crudi ſunt,quiete, inedia, & ſomno concoquuntur: ex aliis verò qui tenuiores ſunt,& modicè infarcti, vomitus eiiciuntur:qui interdum ex ptiſanæ cremore,aut mulſa, interdum ex aqua ſola cientur. at quicunque glutinoſi,craſſique ſunt,& ita ventriculo impacti vt auelli difficulter queant, ii medicamenta ſuccos attenuantia poſtulant. Quum verò humiditas vitioſa ventriculi tunicas obſidet,picra ex aloë hanc ipſam vtiliter purgat:adſtringentia verò nocent egregiè:veluti etiam vbi multa humiditas citra malitiam ſuccorum eſt,ac veluti mador quidam, & qui ſola quantitate affligit,adſtringentia ſunt vtiliſſima. medicamentum verò ex aloë confectum, omnes qui vſi ſunt,ad marcorem perducit. In iis verò qui frigidam affectionem eſſe ſenſerint,addere poterimus calefacientia adſtringentibus:eſſe autem frigidiorem affectionem illud ſatis indicabit,ſi ſitis abſit. Quũ enim æger non ſitiat, neque os ventriculi æſtuare ſentiat, ſanè patet non eſſe affectionem calidam. Inflammationes autem oris ventriculi & iecoris, adſtringentium adhibitionem poſtulant. nam ſiquis relaxantibus ſolùm vtatur, vitæ periculum afferet. ergo ſiue oleum,ſiue cataplaſma locis affectis ſuperdetur, aliquid cui facultas adſtringendi inſit, admiſcere oporter,vt abſinthium,aut nardinum vnguentum,aut melinum, aut cydonium incoquendo. Ceratum quo vtimur continenter, Ceræ albæ vnc. I. aloës, maſtiches,ſingulorum denarius. Si maiore adſtrictione opus ſit,quum tanta imbecillitas ventriculi ſit vt ne continere quidem cibum queat, omphacii par portio addatur. Atque in cerato primùm omphacium, deinde alia miſceantur:& quemadmodum omphacium, ita etiam abſinthii ſuccum, & quandoque etiam vtrunque adiungimus, & tertio itidem loco hypociſtidis, & œnanthes, & rhois ſuccum: deinde cerato modus eſt adiungendus, qui aliorum medicamentorum numero pro portione reſpondeat. Si inueteraſcit, iámque indureſcit inflammatio,tum magis varia medicamenta, quæque aromatum, itémque mollientium & digerentium quippiam habeant, applicare oportet, quale eſt id quod ex meliloto conficitur. Viridis iaſpis ſtomachi os attingens, ſtomachum iuuat:cuius rei ſatis magnum periculum viſum eſt. torques autem conficiendus eſt, eáque moderatione collo aptandus vt os ventriculi contingat. In calida verò ſtomachi intemperie,vt ardeat cum diſſolutione, vel quaſi anima deficiat, vel quoddam cibi faſtidium vrgeat,ex quacunque tandem occaſione præterquàm à febri,aquam frigidam cum omphacii ſucco, aut cydoniorum decoctum,aut clauiculorum vitis,vel ſeminis cucumeris, aut ipſa ſemina trita dabis:aut menthæ ramulos tritos potui dato. foris autem veſicam aqua frigida plenam ſtomacho impone,aut niuem adhibe, aut cucurbitæ ramenta. Catapotium ſitim ſedans iis qui æſtuant. cucumeris ſatiui ſeminis drach. octo, tragacanthæ drach. ſex. ſoluitur tragacantha ouorum crudorum recentium albo:quũmq; fuerit diſſoluta, ſtudioſéque contrita, cæteris addatur: omnibúſque commixtis catapotia fingantur,& in vmbra exſiccentur: dentur autem vt ſub lingua teneantur: humor verò qui inde emanat, deglutiatur. Hoc verò cum refrigerat, tum verò etiam firmat ſtomachum humeſcentem, quum humida calidáque affectione tenetur: Foliorum roſarum viridium drach. ſex. dulcis radicis drach. quatuor, nardi Indici tantundem. vino dulci excipe, catapotia confinge, dato ſub lingua continenda: vel diſſolue ex aqua frigida ad ciceris magnitudinem. Cæterùm refrigeratis, & in quibus craſſior pituita calefieri diſſecaríque poſtulat, hoc quod ſequitur conuenit. Marathri radicis corticis vncia vna, aceti ſextarius vnus, aloës vncia vna. radices aceto incoquuntur,quúmque coctæ fuerint,eis aloë commiſcetur: dato huius cochlearia tria ex aqua. nonnulli etiam abſque aloë id conficiunt. Quibus autem cibus aceſcit hoc eſt accommodatum;Piperis drach. I. Seminis anethi drach. I. cumini drach. quatuor. terito, & dormituris cochlear vnum ex vino diluto dabis. Iis verò qui atram bilem gignunt, & ſtomachus flatu infeſtatur, ſpongias aceto acerrimo imbutas,& præſertim in acceſſionibus applicato:deinde ſi dolor remanſerit,alumen liquidum cum ære trito,melle exceptum imponito. Ei verò cui ſtomachus diſtentus,ac flatu plenus ſit,calaminthes decoctum aqua,ſub dio refrigeratum,modico mellis & piperis adiuncto offeres. Ad ſtomachi ſubuerſiones facit hoc, Mali granati acidi nucleorum ſucci partes tres, menthæ ſucci pars vna. coniectas in vas fictile, continuò mouendo coquito:quúmq; in vnum coiuerint, ab igni auferto. quum vſus poſtularit myſtrum vnum ante cibum dabis.

De flatu ventriculi, Cap. XI.

FLatus in ventriculo gignuntur ex ſuccis aut cibis ab imbecillo calore in vapores diſſolutis. refrigeratio enim, quòd attenuare, diſſoluerĕque ſuapte natura non queat,flatus nullos gignit. calor autem vehementior non ſolùm attenuat atque diſſoluit, ſed etiam digerit: ideo fit vt flatus procreationem impediat:at imbecillus calor fundit,& commutat ipſe quidem alimentum,ſed minus quàm par eſt: inde flatuum origines exiſtunt. ex quo fit vt calefacientibus medicamentis attenuare eos oporteat: id fiet ſi oleo cuminum,aut apii,aut ſpondylii,aut dauci ſemen incoxerimus. Si huic affectioni coniuncta frigiditas ſit,rutam,baccas lauri, melanthium, marathrúmque oleo incoquemus,bituménque & oleum laurinum admiſcebimus. Sed ſi inflammatio dolores comitetur, loco

eorum quæ calefaciunt, relaxantibus vtemur: anethum enim incoquemus, & gallinaceum & anſerinum adipem admiſcebimus. Ad eos porro qui flatu torquentur, facit polii faſciculus coctus; & in potu ſumptus, aut etiam calaminthæ decoctum, mellis portiuncula & piperis drachma adiecta. Atque hæc quidem quum dolor vehemens vrget, applicanda ſunt: quum verò moderatus dolor eſt, ſatis erunt fomenta ex milio aut pannis lineis. Præterea cucurbita iuſtæ magnitudinis, quæ vmbilicum ex omni parte comprehendat, ſæpenumero laborantes morbo liberat: caſtoreum quoque epotum, atque etiam ex poſca, & foris ex oleo ſicyonio impoſitũ iuuat; etiamſi flatus huiuſmodi ſint, vt circa vmbilicum inteſtina torqueantur. Suis etiam talus vſtus & potus, tormina & flatus tollit: quod facit etiam rotunda ariſtolochia. Ad dolores autem flatuoſos ex ventris obſtructione, aut ſanguinis craſſitie, aut ex perfrictione excitatos vinum meracius à cibo ſumptum valet, quúmque ſomnus acceſſerit, eoſdem planè ſedat.

De ventris excretionibus, quæ præter naturam fiunt, Cap. XII.

IN ventris excretionibus quum vehemens deſidendi cũpiditas eſt, excernuntúrque primùm pinguia, & mucoſa, deinde verò etiam abraſis ſimilia, tum parum ſanguinis qui excretioni ſupernatat, neque excrementis mixtus eſt, in recto inteſtino radices egiſſe affectionem conſtat, eáque tineſmus appellatur: quum verò nulla pinguis excretio præcedit, in bilioſis ſtatim raſuris ſimilia excernuntur, omnino quidem cum morſu, & quandoque etiam cum torminibus, cruentáque excrementis mixta, tunc in gracilioribus inteſtinis eſſe affectionem coniectamus: ſed ſi pinguia & cruenta non ſint cõmixta excrementis, tum in craſſis inteſtinis eſſe morbum cõiicimus, & vtraque affectio dyſenteria nominatur. Quandoque etiam vſuuenit vt ſolus ſanguis copioſè excernatur: quam affectionem medici quidam cruentam dyſenteriam vocant. Eſt & alia quædam præter has quas diximus, affectio, quæ ventris & inteſtinorum obſidet loca, per quam quum primùm ingeſti ſunt cibi, ſtatim nulla acquiſita mutatione, ſed crudi, incõcocti, in ſuccum non conuerſi excernuntur: quod mali genus, omnes læuitatem inteſtinorum appellarunt: quam ſanè affectionem vel ex totius inteſtini exulceratione, vel ex ventriculi imbecillitate, qui continere cibos non poteſt, oriri dicimus. Sæpe etiam propter iecoris imbecillitatem, ex ventre excernuntur quædam lotioni carnium recens mactatarum perſimilia. Quinetiam alia eſt peculiaris excretio dilutior, quum ventriculus quidem exquiſitè concoquit, ſed diſtributio ipſa non fit: & quandoque etiam nigrior ſanguis quàm eſſe naturaliter deberet, & ſplendeſcens excernitur: id quod accidit quum iecur alimentum diſtributum non probè concoquit.

Tineſmi curatio, Cap. XIII.

IN ipſo ſtatim initio irrigare oportet imum ventrem, inguina, & perinæum oleo myrtino, aut roſaceo cum vino: deinde caprini lactis recens mulcti nõ minus quàm heminam dare, verùm non confertim, ſed partitè. Sequenti verò die euaporatum lac detur: coquatur autem ad dimidias, aut ad duarum partium conſumptionem, ablatáque craſſiore ſpuma quæ ſuperſtat, exhibeatur. Loca autem inferiora irrigentur oleo in quo cuminum tritũ, aut apium ſit incoctum: in rectum autem inteſtinum ptiſanæ cremor in quo roſæ incoctæ ſint, aut lac, aut alica, aut lenticula, aut malicorium iniiciatur. Sin violentior ſit inflammatio, oleum dulce leniter calidum infuſum, & multis horis retentum, doloris vehementiam ſoluit. Fomenta quoque adhibenda ſunt imo ventri ex ſacculo in quo frictum milium atque ſal inſit: in ſedem verò per ſpongias acaciam contuſam, aut myrti, aut rubi, aut malicorii decoctum infundes.

Dyſenteriæ curatio, Cap. XIIII.

SI exulceratio ſolum ſit, neque quicquam præterea influat, ex vna validi medicamenti iniectione omnino abſtergetur atque curatur: ſin ſecus, altera adhibita, neque tertia opus eſt. Ergo ſi dyſenteria à flaua bili originẽ
A ducit, eam plerunque curamus: at ſi ab atra bile oriatur, quum nihil à cancro exulcerato differat, curari non poteſt.

Ad dyſentericos cœliacos, Cap. XV.

LEmnia ſphragis etiam depaſcentem iam dyſenteriã, & epota & infuſa curat. Primus enim exulceratio abluẽda eſt mulſa meraciore; deinde muria, tum Lemnia ex plãtaginis ſucco infudẽda. Potui verò dãda eſt poſca diluta, & lac caſeoſum, quod conficitur lapillis ignitis iniectis
B donec concoquatur, & plurima ſeri pars abſumatur. eſtq; præſtantiſſimum dyſentericorum & omnium quibus defluxiones acres ventrem exerceent, remedium. Caninum verò ſtercus tritum lacti ſic parato miſce, medicamẽtum ſummè ad dyſentericos accomodatum facies. Sed canis nihil præter oſſa debet comedere: ita enim & fœdo odore vacans, & candidum ſtercus excernet. Alui quoque defluxiones exſiccat ouum ex aceto coctum, & mãducatum. Si verò miſcere aliquid velis eorũ quæ ad dyſentericos & cœliacos valent, in ſartagine ex igni fumi experte
C aſſatũ dabis: magnopere enim homini proderis. Sed vtiliſſimum eſt omphaciũ, rhus rubrũ, eiúſq; ſuccus, cinis cochlearum vniuerſarum coctarum, malicorium, gallæ, acini, meſpila, myrta, corna. Cochlearum vnà cum teſtis combuſtarum cineris partes quatuor, gallarum partes duæ, piperis pars vna, in puluerem redigantur, & obſoniis inſpergantur: vel ex aqua aut vino albo diluto potui dato: iuuat hoc mirificè dyſenterias in quibus vlcus putridum nondum eſt. Portulacæ ſuccus epotus dyſentericis conuenit, itémque plantaginis ſuccus, rubiq; fructus
D & folia: radicis althææ decoctum & ad dyſenteriam & ad fluorem alui efficax eſt. ad idem egregiè facit cauda equina ex aqua aut vino pota: eiúſque ſuccus ad fluorem ſimiliter eſt accommodatus. Eundem ſanat adiantum, paliuri folia, radix pini, piceæ cortex, lenticula bis cocta, & priore aqua abiecta: acini cuicunque affectioni ventris & inteſtinorum ex defluxione valde proſunt. Spica nardi, oxyacanthæ fructus manducatus & epotus, ſpina alba cœliacos & ſtomachicos iuuat: mori fructus intempeſtiuus exiccatus medicamentum ſatis adſtringens efficitur: ita vt valeat ad dyſentericos & cœliacos, & ad cæteras affe-
E ctiones omnes quæ ex defluxione oriuntur. contũditur enim, & obſoniis inſpergitur, (quemadmodum etiã ixiæ fructus) vel ſiquis velit, ex aqua aut vino bibitur: ſed magis per ſe valet. Rubi quoque fructus exiccati & repoſiti conueniunt.

De tenuioris inteſtini morbo, quem εἰλεὸν nominant, Cap. XVI.

TEnuioris inteſtini morbus cum difficilis morbus eſt, tum verò ſiquis in eum incidit, rarò euaſit: ſed
F maximè mortiferum eſſe ſciendum eſt eum qui fœtidus nominatur, in quo vel ſtercus euomitur, vel fœtida eſt expiratio: quandoque autem ructus huiuſmodi fit, quandoque verò totius corporis odor teterrimus excitatur. Mirum in modum iuuantur qui hoc morbo tenẽtur, etiamſi iam ſtercus vomant, ſi anethum in oleo & aqua decoquant, & bibant: deinde fruſta panis ex aqua feruenti ſtatim dum incaleſcit, comedant. ſeruabũtur enim, etſi iam ſuffocentur. Ad eos autem qui frequenter vomunt,
G cibúmque non continent, rhus & cuminum in eodem tritum in ſenis oxymelitis cyathis bibendum dato. Aut vitis foliorum aut clauiculorum ſuccum cum polenta potui dabis.

De ſedis affectionibus, Cap. XVII.

GAllam flauam coque, eámque in puluerem redígito, ac ſedis inflammationes, anúmque procidentem illine. Si valentiore opus remedio fuerit, in vino: ſi mitiore, in aqua decoquito. Succus quoque echini ad ſedem
H atque vterum procidentem facit. Aliud. Pini corticis drach. octo. cupreſſi globulorum ſiccorum drach. octo, plumbi drach. octo, vino auſtero deterge, & tritis vtitor. Ad ardentes verò ſedis dolores, oui aſſati vitellum tritũ, vino albo & roſaceo cerato exceptum illine, catapla-

ſmáque impone; quod ex pane puro contrito & aqua & roſaceo excepto,in quo vitellus oui aſſatus adiunctus ſit, conſtet. Aliud.Roſarum ſiccarum drachmas tres, ouorum aſſatorum vitellos numero.II.ex vino albo læuigentur,& roſaceo ac myrteo cerato excipiantur,itáque vtitor.Ceta quoque non ſecus ad id faciunt. Ad rimas verò quæ in ſede & pudendis ſunt,raſuram linteolorum concremato, eiúſque cinerem & amylum pari menſura terito, cum ſucco foliorum oliuæ ſubigito,& vtitor.

De hæmorrhoidibus, Cap. XVIII.

HÆmorrhoidas nimium apertas ſiſtit aloë illita, aut diſſoluta & impoſita,& perfuſio ex poſca,in qua ferri ſquama plumbúmque vſtum ſit. Aperit autem ora venarum allium commanducatum, amaracinum vel iriñū vnguentum illitum. Sanguinem verò hæmorrhoidum confeſtim reprimit hoc quod ſequitur, Acaciæ drach. quatuor,tragacanthæ drach.octo,atramenti ſutorii drach. octo,rubricæ drach. I. ceruſſæ drachma: cerato roſaceo excipiantur:& acidi punici cortex tritus, & ex aceto impoſitus ad idem valet:ſique hæmorrhoides interius deliteſcant,ad formam glandis imponito. Hoc etiam mirabiliter facit,Sandarachæ,auripigmenti,aluminis ſciſſilis, ſingulorum drach. octo, ægrum aptè præparatum obline.hæmorrhoides enim areſactæ,& à ſede ſua demolitæ, in ſemihora morientur & decident.Medicamentum verò lixiuio diluitur: ceratum verò in orbem applicatur; & ſub ſole vel ad ignem conficitur.

De iecoris affectionibus, Cap. XIX.

SI inflammatio iecur exerceat, tum dolor vrget, tum verò dolorem omnino febris cum humorum plenitudine conſequitur.Ergo quum repletum corpus eſt, ſanguis euacuatur,& quod in ſanguine ſuperfluit, venæ ſectione in cubito dextri brachii reuellitur:vt cibus autem ptiſana in principio danda eſt: vt medicamentum verò, oxymel dilutius,& apii decoctum. Poſt verò quàm concocta iam fuerit inflammatio,aſaro & nardo Celtico, & petroſelino,& iunci odorati flore vti poteris; & item iis quæ aluum ſubducunt,vt vrtica,mercuriali,& epithymo: in declinationibus verò,etiam polypodio.Iam verò euacuatio quoque clyſteribus peragenda eſt:ac in ipſo principio,ex mulſa cum ſale atque nitro:quum verò adeſt declinatio, hyſſopum, origanum, aut colocynthida potes adiungere.Ad hoc autem viſcus quod facilè indureſcit, opus eſt abſtergentibus. Quum verò dolor abſque febri vrget,ſciendum eſt abſtructione vehementi à craſſis glutinoſiſque ſuccis excitata viſcus obſideri. Scirrhum porro incipientem poſſit quiſpiam longo temporis ſpatio ſanare; inueteratum verò nullo pacto. In aqua verò inter cutem ſi oboriatur ſcirrhus,longiore ſpatio interibunt.Qui verò curari poſſunt,calefacientibus atque attenuantibus medicamentis,quibus mollientia mixta ſint, curantur.Imbecillitatis verò iecoris in cauſa ſunt intemperies,quæ quidem & difficillimæ ſunt, & ſatis varias & difficillimas ſymptomatum formas inducunt:quæque eiuſmodi ſunt vt non facilè tractari ab artificibus poſſint. Viticis ſemen,hepar ſcirrho laborans iuuat:obſtructo verò iecori proſunt plantaginis ſiccæ radices, fructus & folia,myacantha,& præcipuè ſemen,& radices,lauri radicis cortex trium obolorum pondere cum vino odorato epotus.Concoquit enim,& particulæ robur adiungit lupinorum amarorum decoctum,cum ruta & pipere epotum: idem facit eorum farina illita, & capnium poſt hæc impoſitum:ſpica nardi pota,& extrinſecus impoſita,iris,piſtacii fructus,praſium,amygdala,dracuntii radix expurgat viſcera omnia: craſſóſque & glutinoſos ſuccos attenuat agaricum: anthemis aut chamæmelum præcordiis propitium eſt. Omnibus verò præſtant cichorea, & ſeris in calida iecoris intemperie,& ſummè proſunt,& firmitatem eidem addunt, ipſúmque abſtergunt.Dabis igitur cichorii aut ſeridis ſucci cyathum vnum cum aquæ cyathis tribus,mellis Attici cum aqua cochleari addito.Horum verò non ſolùm ſuccus vtilis eſt & recens & exiccatus,ſed etiam folia ſicca ſtudioſè contuſa, deinde potioni in ſperſa: quæ ſiquis etiam cocta bibat, valde prode-

A runt.Quum verò intemperies calida non eſt,ſed ſola obſtructio iecur obſidet, herbæ ex vino albo & tenui potæ magnopere iuuant.Hepar lupi diligenter teritur; daturque drachma ex cyatho vini dulcis:id quod magnum experimentum dedit: omnibus enim intemperiebus conuenit, vt quod ex ſubſtantiæ proprietate & non qualitate vlla agat. Quum verò febris non obſcura eſt, melius ex aqua præbetur: atque etiam longè melius ſi cum aliquo ex ſuccis antedictis,vt ex ſeridis ſucco, detur. B Philonis quoque medicamentum mirificè facit:ac quandoque ſemel exhibitum calidam iecoris intemperiem curauit. Compoſitum medicamentum quod aperiendi vim habet,Amygdalarum amararum denarii tres,cumini denarii octo,ſeminis apii denarius,dato cochlearium ex vino. Paſtillus,Aniſi,ſeminis apii,aſari,amygdalarum amararum purgatarum, abſinthii, ſingulorum drachmas quatuor,aqua excipe,paſtillos fingito drachmæ vnius.nō febricitantibus,cum vino diluto,febricitantibus verò,ex hydromelite dabis.

De iecoris imbecillitate, Cap. XX.

C INtemperies ſunt imbecillitatis cauſæ.In hepate enim diuerſæ affectiones oriuntur:nam calidæ intemperies ſuccos qui in eo,prius ſunt,aſſant: frigidæ verò, contentos in ipſo humores craſſos, & ad fluxum atque motum cōtumaces reddūt:quod verò in ipſū fertur pituitoſum, crudum & ſemicoctum efficiunt,Sicca verò intemperies, ſicciores craſſioréſque ſuccos reddit: humida verò, tenuiorum partium & dilutiores efficit.Quum autem calida intemperies eſt,colliquationes fiunt:ac primùm D quidem ſuccorum,deinde verò & ipſius iecoris carnis:quæque per aluum excernuntur,fœtida admodum ſunt:bilis craſſa ſuo colore imbuta deiicitur.Quum frigida intemperies eſt,neque frequens,neque copioſa deiectio eſt:affectióque inueteraſcit,& quibuſdam diebus venter fluet, & cumulatius: eorúmque quæ excernuntur ſpecies ſanguini putri erit ſimilis,veluti ſanguinis craſſi fæx. At in ſicciore intemperie ſicciora excernuntur, & in humida, humidiora.

De ſcirrho iecoris, Cap. XXI.

E IEcoris ſcirrhum incipientem ſæpe ſanauimus:qui verò in multos dies eſſet prorogatus,neque nos curauimus, neque alium quenquam qui curare eum poſſet, vidimus. Omnes enim quicunque hoc tumore infeſtantur,in aquā inter cutem cadunt,ac longiore temporis ſpatio moriuntur.In curatione facultas mollientium intendenda eſt in medicamentis quæ ad inflammationem valent: ea enim quæ inflammationi conueniunt,ex coma abſinthii & vtroque nardo conſtant,itémque ex croco,œnanthe,& vnguento ex ſpica nardi & maſtiche. His igitur ammoniacum,bdellium,medullas, & adipem admiſcere oportet: F & incipientem ſcirrhum adhibita conuenienti victus ratione curare.In medicamentis verò quæ bibuntur,cò dirigendum conſilium eſt, vt aperiendi & abſtergendi viſceris vim habeant: quæ omnia lapides etiam in renibus confringunt. Sed eis aliquid etiam quod ciendæ vrinæ ſit,admiſcebimus.

De malo corporis habitu, Cap. XXII.

G MAlum corporis habitum principium hydropicarum affectionum vocare conſueuimus:is curandus eſt venæ ſectione partita,ita vt ad tertium quartúmque vſque diem ſanguinem detrahamus. Sanguinis verò copia neque tres heminas excedat, neque duabus minor eſto in iis quibus ſuppreſſæ hæmorrhoides affectionem pepererunt:qui verò ob aliam cauſam malum hunc habitum contraxerunt,iis vena ſecanda omnino eſt,quum vires primam ſectionem fieri debere valde adhortētur.Cæterùm qui hoc morbo tenentur, hiera ex colocynthide purgandi ſunt.Diæta verò ſit attenuans & exiccans: & H aquas ſponte natas, potiúſque aluminoſas & nitroſas, ac deinde ſulphureas oportet ſumere:alia verò genera lauationum raro ſunt adhibenda. Eos autem mirandum in modum largior abſinthii potus,cottabiſmique & dropaces iuuant.

De aqua inter cutem, Cap. XXIII.

AQua inter cutem fit vel propter nimiam iecoris refrigerationem, vel ex frigoris multitudine quæ in tota mole corporis redundet, vel ex quibuſdam aliis partibus vehementer refrigeratis, quæ iecur æquè ac ipſæ ſunt, poſſunt afficere. nam niſi refrigeratum iecur ſit, effici hydrops non poteſt. Simul verò iecur afficitur quum lienis, & ventriculus, & inteſtina (ac præſertim ieiunum) itémque quum pulmo, renes, & ſeptum tranſuerſum refrigerata fuerint. Oritur etiam ex immoderata hæmorrhoidum euacuatione, & fluxu muliebri, atque etiam menſtruis purgationibus ſuppreſſis. Atque eius tres ſpecies ſunt, quarum vna aſcites nominatur, in qua humor tenuis ea loca implet quæ infra thoracem ſunt: altera tympanias eſt, quæ eadem loca flatu implet: tertia dicitur hypoſarca, in qua totum corpus intumeſcit, & cadaueri fere ſimile redditur. Hydropicorum verò curatio non eſt cuique facilis, indigétque artificis præſentia: & tamen quædam ad curationem accommodata indicabo, quæ tu quoque poſſis efficere: Stercus bouis gregarii ſiccum diligenter tere, in poſca coque, vt farinam hordeaceam, ſulphuris quartam partem inſperge, & ſuper totius ventris capacitatem impone: aut caprinum ſtercus in pueri vrina, aut capræ ad luti ſpiſſitudinem ventri applicata ſummè eos purgat. Dabis etiam potui decoctum radicis calaminthæ, aut apii, aut corticis radicis ari ex vino: aut ficum agreſtem vino auſtero triduum macerato, & cyathum vnum dato, & paulo pòſt vſque ad tres cyathos exhibeto: vel ſquamæ drach. I. medulla panis excipe. catapotia fac, & da. Epithema vehementer aquam educens: Fœnigræci vncias quatuor, farinæ hordeaceæ vnc. tres, ſtercoris columbini vnc. quatuor, reſinæ frictæ lib. I. axúgiæ veteris lib. duas: quæ liquari poſſunt, eliquentur, aliiſque prius tritis in aceto, affundantur: vtitor.

De lienis affectionibus,

Cap. XXIIII.

QVum lien inflammatione laborat, ſcirrhum ſtatim contrahit, ſanguine qui in venis eſt, propter craſſitudinem obſtructo. opus ergo eſt medicamentis attenuantibus, nec manifeſtò calfacientibus: iiſque parum adſtringentium admiſcere oportet, vt firmata particula propriã actionem ſeruet: hanc verò ſuapte natura vim habere videtur flos ſalis, qui in veſica appoſitus lienis ſcirrhos curat. poſt huius vſum valentioribus etiam remediis vtendum eſt. Compeſcit enim abſque moleſtia lienem cortex radicis capparis: ſed nihilo minus induratum ſplenem iuuat extrinſecus impoſitus, & in potu ſumptus: ſiquidem epotus, craſſos glutinoſóſque humores, & quandoque etiam cruentos, eóſque non modò per vrinam, ſed per aluum etiam vacuat. Idem facit minoris centaurii ſuccus foris adhibitus, & epotus, & cyclaminus viridis & ſiccus illitus: violæ albæ radices cum aceto, acorum, ammoniacum, caprinum ſtercus illitum, & foris cum ficubus applicitum: lupinorum amarorum decoctum cum ruta & pipere potui datum, eorundem farina illita, aqua in qua ferrum candens ſæpe extinctum ſit: hanc febricitantibus per ſe dabis, non febricitantibus verò, cum vino. Illine etiam cinerem cochlearum cum aceto, aut capparim aceto maceratam, tritámque, & cyprino cerato exceptam, aut fæcem ex acri aceto impone. cataplaſma verò adhibe ex fœnigræci vnciis quatuor, farinæ hordeaceæ vnc. tribus, cardamomi vnc. I. ficuum pinguium libra I. verbenacæ vncia. I. ficus aceto acerrimo perfunde, & validè contundens in mortario cætera miſce, & in vnum redactis vtitor.

De renum & veſicæ affectionibus,

Cap. XXV.

REnibus natura comparatum eſt vt ſeroſum excrementum tenuiſſimo ſanguini in venis commixto in ſe trahant. ergo vbi meatus per quos huiuſmodi excrementum attrahitur, plus quàm par eſt fuerint dilatati, veriſimile eſt cum tenui ſanguine craſſiorem quoque materiam tranſmitti: deinde ſi renes calidiore acrioréque temperatura fuerint, neceſſe eſt craſſiorem illam materiam excalfactam & exiccatam, in arenæ lapillorúmque ignitorum formam concreſcere. Ergo lapidem frangẽtibus & incidentibus, citra perſpicuam caliditatem medicamentis vti oportet. maior enim caliditas quum magis exiccet, calculorum aut arenæ concretionem adiuuat. Calculos frangentia huiuſmodi ſunt, baſilicorum aſparagorum radices, rubique & vitrum combuſtum, graminis radix, adiantum, bdellium, lauri radicis cortex, althææ ſemen, cicer arietinum, & præſertim nigrum, ceraſi, rhu arboris, & pruni gummi, cyperi radix, paliuri fructus, triboli fructus, lapis ſpongiarum, acetum ſcillite, maluæ agreſtis radix, rutæ ſylueſtris radix. apii radicem in vino coque, humorémque exprime, eiúſque cyathos binos dato, & aquæ tantundem. ac lapides quidem qui in renibus ſunt, in declinante ætate: qui verò in veſica gignuntur, in puerili fieri conſueuerunt. Medicamentum quod calculoſis inſpergitur, Balſami fructus, lapidis ſpõgiarum, pulegii ſicci, maluæ agreſtis ſeminis ſicci pares portiones contunde, cribra, datóque cochlear vnum ex vini diluti cyathis duobus. lapides enim confringit.

De renum & veſicæ inflammationibus,

Cap. XXVI.

REnum veſicæque inflammatio præcipuam curationem poſtulat: nam quum ſeroſum excrementum per eas partes purgetur, ideo fit vt ſi id acre & bilioſum in toto corpore ſit, nullo eorum quæ vrinam cient vti debeamus: nocebunt enim, vtpote mordaces ſuccos partibus inflammatis inducentes. Si verò nihil tale ſubſit, neque malitia humorum in toto corpore inſit, mulſa dilutior potui dabitur: ea enim inflammationes ſoluit citra mordicationem, humores impactos euacuans: nam & incidit, & attenuat, & rarefacit. Cæterùm quod de mulſa exempli gratia dictum eſt, ad omnia quæ attenuant & incidunt citra mordicationem, transferri poteſt. Et quemadmodum particulis omnibus inflammatis quies conuenit, ita has quoque quieſcere eſt melius. Sed quum quieſcere non poſſint, quum ipſa vrinæ ſint inſtrumenta, perexiguam admodum potionem dare oportet, vt quo longiore tempore fieri poſſit, conquieſcant. Illud eſt præterea perpendendum, totúmne corpus acrium excrementorum ſit plenum. nam ſi ita ſit, quo plures ad renes & veſicam humores ferantur, eo magis conualeſcent: potúſque copioſior eſt offerendus, acrimoniáque minus obtũdenda, & præſertim nobis quæ mordicationes obtundũt, commiſcentibus. In tempore verò inflammationum, cataplaſmata, & medicamenta, & irrigationes ex oleo, & cætera omnia quæ inflammationes ſoluunt, adhibere oportet. Ad renũ & veſicæ affectionem inflammationis ſenſum referentem, Seminis lini drach. I. amyli drach. I. dato cochlear ex aqua modicè bibendum.

De abſceſſu renum, & veſicæ, & meatuum vrinæ exulceratione, Cap. XXVII.

DOlores circa ilia, per interualla horrores inæquales, febréſque inordinatæ accidunt iis quorum renes abſceſſus infeſtat: pus autem concoctum per vrinas excretum, vlcus eſſe teſtatur, quod celeri auxilio indiget: nam ſi non citò ad cicatricem perducatur, difficilem curationem reddit. Vlcera verò quæ in renibus quæque in veſica ſunt, ex ſitu, actione, & proprietate eorum ſubſtantiæ & facultatis diſcerni debent. Ex ſitu verò ad hunc modum: Quum veſica patitur in pube, imóque ventre dolor ſentitur, at renibus affectis, lumbos dolor poſterius exercet: ex actione, difficultas vrinæ, eiúſdemque ſuppreſſio fit, quum veſica morbo cauſam affert: ſed renibus laborãtibus, vrina ſine impedimento redditur: ex corporis proprietate, carnes fibroſæ ex renibus excernuntur, ſquamæ verò membranoſæ ex veſica vlcerata: ex ipſa denique facultate, quia in exulcerationibus veſica vehementi dolore cruciatur, renes verò obſcurè dolent, & quaſi ponderis ſenſum in lumbis habẽt. In meatibus quoque vrinæ exulceratio quandoque oritur, púſque & ſanguis mingitur: ſunt enim hi inter renes & veſicam collocati. Si verò exulceratum pudendum ſit, pus & ſanguis citra vrinam excernitur. Ad abſceſſus qui renes & veſicam obſident, Seminis lini, ſeminis cucumeris, ſeminis papaueris albi,

tragacanthæ,ſingulorum drach.*octo,amyli drach.quatuor. paſtillos confice. Ad vlcera veſicæ cum inflammatione:Nuclei pinei numero viginti, cucumeris ſatiui ſeminis grana XL.amyli,nardi, ſingul.drachma,ſeminis apii drach.v.Nardum & apium in aquæ ſextario coquantur: deinde ex decocto duo cyathi præſcriptis admiſcentur. Ad ſanguinis profluuium ex veſica. Aluminis ſciſſilis drachmam,tragacanthæ drach.octo, gummi obolos quinque cum paſſo dabis.

De renum duritie ex Rufo,

Cap. XXVIII.

QVæcunque durities in renibus oriuntur, dolorem nullum afferunt:ægris tamen ceu pondus quoddam ab iliis videtur pendere,coxendices ſtupent,crura imbecilla ſunt:vrina modica emittitur: totus denique habitus iis ſimillimus eſt qui aqua inter cutem laborant. Hos ergo mollire ceratis,malagmatis,frictionibus,& fomentis oportet:eiſque offerenda ſunt quæ vrinam cient, & item ſubduci aluus debet.

De renum imbecillitate,

Cap.XXIX.

EST autem hic etiam renum morbus, quo efficitur vt continere vrinam non queant, ſed latioribus effectis aliquid etiam ſanguinis è vena laxati emittitur, & alia itidem craſſiora effluunt.His cibi adſtringentes,& vinum nigrum conueniunt:ab vrinā verò mouentibus abſtinendum:exhibenda in potu ſunt ea quæ ad ſanguinis reiectationem valent:præcipuè verò ſanguinariæ ſuccus, tragacātha in vino macerata, ſymphyti radicis decoctū. Extrinſecus autem imponenda ſunt quæ ad fluxum & ad ſputum ſanguinis accommodata ſunt. His confectis reficere ægrum oportet aſinino lacte, ſitanio pane,& carnibus.Si verò ſanguis per circuitum quendam excernatur, priuſquam ſanguis ipſe vacuetur, grauitas in lumbis & humeris ſentitur:ſanguine euacuato, leuitas ſequitur.Ergo vena in cubito paulo ante circuitum ſecanda eſt, victúſque ratio inſtituenda, quæ humorum redundantiam non gignat.

De ſcabioſa veſica, Cap. XXX.

QVum vnà cum vrina furfuracea ſubſidentia excernuntur,tum venas aut veſicam ſcabie tētari ſignum eſt.id verò & tenuitate & craſſitudine vrinarū internoſcetur. nam vrinæ tenues,venas:non tenues,veſicam affectam eſſe oſtendent.

De veſicæ inflammatione,

Cap. XXXI.

VEſicæ inflammatio cum difficillimè curatur, tum verò maximè mortifera affectio eſt: nam & febrim acutam ægroti habent,& vigiliis torquentur,& delirant, & bilioſa pura euomunt,& excernere vrinam nō poſſunt. In his,ſi nihil prohibet,vena ſine mora ſecanda eſt: perfuſionibúſque continenter calefacere eos oportet. porro in oleo coquatur ruta,anethum & althææ radix.aluus molli clyſtere abluatur.Præſtabit etiam oleo papauer indere & anſeris adipem eliquare, aut gallinæ adipem infundere.Atque ego quidem ſemiobolum ſucci papaueris cum myrrhæ & croci portiuncula diſſoluens in oleum quandoque conieci,peſſúſque confeci,vt mulieribus adhiberi ſolent,& ſtatim dolor ſedatus eſt,& ſomnus homini irrepſit.Fomentis etiam vti prodeſt:& in aqua calida inſidere:eſto autem ea aqua ſeminis lini,& fœnigræci decoctum.Cerata quoque ex hyſſopo & caſtoreo cōfecta,ſunt imponenda.

De vaſe rupto in veſica,

Cap. XXXII.

VAs in veſica ruptum,acutum morbum parit: ſanguis partim foras emittitur, partim intus condenſatur. ac ad ſanguinis quidem fluuium talia adhibebis qualia cæteris quoque ſanguinis defluxionibus conueniunt: id quod & potui dando, & foris imponendo medicamenta idonea,perficies. Sed quum ſanguis in veſica concretus eſt,in primis danda nobis opera eſt vt eum medicamentis diſſoluamus. Artemiſia igitur in potu præbenda eſt, & helichryſum, & Cyreniacus liquor,& ſilphiū,& conyza,& abſinthii & radiculæ ſemen vino ſolutum. Poſt hæc verò,niſi grumi diſſoluantur, ſpatium quod inter anum & pudendum interiacet,quod perinæum dicitur, ſecare oportebit, quemadmodum in veſicæ calculo fieri cōſueuit,atque ita grumos educere:in cæteris rebus non ſecùs quàm in ſanguinis defluuio, progrediendum eſt.

De veſicæ tuberculis, Cap.XXXIII.

QVum in veſica tubercula oriuntur, optimum eſt curare vt matureſcant,vt quūprimùm incipiūt,diſſoluantur,ne in ſuppurationem conuertantur.Si verò maturari non queant,iis medicamentis quæ ad renes conſcripſimus,addendum erit naſturtium,erui farina cū melle, ſtercore columbino,& caricis,& fomentis vtemur.

De veſicæ vlceribus, Cap. XXXIIII.

VLcerum veſicæ curatio non differt ab ea quam ad renum vlcera deſcripſimus: nam & hic quoque copioſius lactis potus conuenit. reliqua verò diæta frugi & bona eſſe debet. Leniens itidem medicamentum supernè quod pectinem comprehendat,adhibebitur:itémque ceratum quod ex œſypo,loto,butyro, ſtyrace,& anſerino adipe conficiatur. In meatum verò vrinæ infundemus aquam & lac,& roſaceum calidum:in inteſtina verò ptiſſanæ cremorem,butyrum,cucumeris ſemen cum lacte tritum,ſingulis roſaceo perfuſis,iniiciemus. Quum iniicere clyſterē velis,in genua pronus homo reclinetur:ita enim veſicæ ſecedunt, & inteſtinum laxant,vt infuſum commodè recipiāt.frequenter etiam in aqua calida æger deſideat,cæteráque faciat quæ de renum vlceribus præſcripta ſunt nobis.

De diabete ex Galeno, Cap.XXXV.

MIhi quidem ad renes etiam pertinere videtur morbus quem nonnulli hydropem matellæ, nonnulli profluuium vrinæ,nonnulli diabetem, nonnulli verò ab immenſa ſiti dipſacon nominant:qui rariſſimè contingit. Qui hoc morbo tenentur, ſiti enecantur, & idcirco largè bibunt: idque quod biberunt, tale reddunt quale fuit ab iis epotum.Huius morbi cauſam renum imbecillitati quiſpiam poſſet attribuere.

Diabetæ curatio ex Rufo,

Cap. XXXVI.

SVmmum remedium huic morbo eſt, vomitum ſtatim prouocare,potum verò frigidiorem exhibere:& reliqua diæta vti frigidiore, ita vt coctis oleribus veſcatur,potionē ex melle & vino mixtam bibat,ptiſſanǽque cremorē ſorbeat.vrinā prouocantia adhibenda non ſunt. Præterea per ſudores reuellere oportet: optimè quoque faciet,ſi in dolio ita fiat euaporatio ad exudandum,vt caput foras excedat,reliquum verò corpus totum calefiat,& aerem ipſe frigidum trahat:in cæteris,velut febris ardēs, curandus morbus eſt.ergo farinæ florem aceto & roſaceo ſubactum cataplaſmatis modo præcordiis impone: vitis etiam folia tenera contrita,& vmbilici Veneris, & parietariæ,& portulacæ,& aliarum omnium conſimiliū: herbæ verò ſanguinalis ſuccum & helenium aſſiduè præbibēdum in vino nigro dabis:& palmuſarum cremorem, & item baccarum myrti, & pyrorum. In principiis verò venam etiam in cubito ſecamus,& quandoque medicamentis torporem inducentibus vtimur.

De vlceribus quæ in ſede & pudendis ſunt,

Cap. XXXVII.

PVdendorum anique vlcera quæ abſque inflammatione oriuntur,valde exiccantia medicamenta poſtulant:quale eſt id quod ex charta combuſta conficitur:anethum aridum,& cucurbita cremata.Siccis verò recentibúſque vlceribus etiam aloe arida in puluerem redacta & applicata prodeſt.Sed omnium maximè dolorem lenit, & nihilo tamen minus efficax eſt,pompholyx.Si humida ſint vlcera, pini cortex per ſe, & lapis hæmatites conueniet:ſi verò etiam altè deſcendant, prædictis manna miſcebitur. Cæterùm vteri veſicæque exulcerationes iiſdem remediis curantur: indigent autem inſtrumentis per quæ intromittantur: quocirca ex medicamentis quæ inſperſilia nominantur, aptiora ſunt ea quæ ſicciora ſunt, vt crocus, & pompholyx, & aloe roſaceo mixta, tum plantaginis aut alio etiam ſimili ſucco excepta.

Ad teſtium & pudendi affectiones,
Cap. XXXVIII.

AD ſcroti pudendi dolores, Butyri, reſinæ, paribus portionibus vtitor: vel lini ſemen cum aqua decoquito, additáque myrrhæ & reſinæ decima parte, illinito. Ad pudendum verò intumeſcens facit hoc, Vitis folia XXX. thuris denarius, ceruſſæ denarii quinque, tere & illine. Vtere etiam marinæ frigidæ perfuſione, & quiete, & colis deligatione: ſi verò à ſudoribus vlcera in ſcroto gignantur, gallam tritam aut alumen inſperge. Ad excreſcentia verò quæ thymia dicũtur, elaterium infunde: pyri ſemen contritum impone, aut mænularum quinque & viginti capita contere & illine, & hircinum fel oblinito. Iam ad rimas quoque pudẽdorum valet reſina fricta cum roſaceo trita donec ad ſtrigmenti craſſitudinem, mixto etiã oui aſſati vitello, redigatur. Hederæ quoque foliorum ſiccorum cõbuſtorum cinis cum roſaceo in pila plumbea tritus imponitur. Ad inflãmationes verò pudendorũ vuam paſſam exectis acinis, & cuminũ, trita imponito. aut hordei farinam aqua mulſa incoquito: aut vitis folia tenera trita cum polenta imponito: aut cuminum tritũ cum butyri & reſinæ pari portione eliquata adhibeto. Teſticulos verò vlcere aphthis ſimili correptos terra Cimolia ex aqua oblinito, ſinitóque ſicceſcere, & aqua calida abluito, myrto arido trita, & modico ſmyrnio trito conſpergito. Carnem verò in teſtibus increſcentem cinis ſarmẽtorum cũ nitro & aqua ſubactus atque illitus curat.

De gonorrhœa & ſatyriaſi, Cap. XXXIX.

GOnorrhœa eſt ſeminis excretio inuita, quæ continuò fit citra colis extenſionem: in ſatyriaſi verò pudendum palpitat, quemadmodum etiam alia corporis pars palpitatione corripitur, ac niſi pudendi palpitatio ſedetur, vaſa ſeminis in reſolutionem, vel conuulſionem cadunt. Pudendum verò in ſatyriaſi ſemper arrectum eſt, moriuntúrque celerrimè qui ſic affecti ſunt: qúumque vitam finiunt, aluus inflatur, & frigidi ſudores erumpunt, quales occupare etiam alios ſolent quibus conuulſiones vitam auferunt. Hic morbus rarò mulieribus accidit. Ergo vbi pudendum palpitat, vena ſecanda eſt, & victus ratio attenuans inſtituenda eſt, vinúmque circuncidẽdum: cibum aſſumere quotidie quidem, valenter nunquam, ſed paulatim conuenit. Optima autem ſunt beta & malua, & modicum mercurialis eis admixtæ, & ius cochlearum eſculentum. non peſſimè feceris, ſi clyſterem quoque ſimplicem inieceris. quæ vrinam mouent, cauenda ſunt. Lumbis verò refrigerantia, vt ſolani ſuccus, aut portulacæ, aut alterci, aut cicutæ, adhibeantur. Eſt etiam neceſſe colem & pubem aliquo refrigerãte quod dolorem leniat, inũgere, vt argenti ſpuma, Cimolia, & ceruſſa, quæ aceto aut aqua aut vino dulci, aut ſapa diluantur. Supinũ verò requieſcere noxium eſt. Conuenit etiam bibere medicamentum ex nymphææ radice atque iride cõfectum. Rutæ verò ſuccus & ei qui profluuio ſeminis vexetur, & ei cuius penis arrectus ſit, proderit.

De pollutione quæ in ſomnis fit,
Cap. XL.

POllutiones quæ in ſomnis cõtingunt cohibere oportet victus diminutione, & qui minus calefaciat. & laſſitudinibus cauendis. adiuuat etiam cubile frigidius, & corporis in dextram vel ſiniſtram partem reclinatio, & medicamẽta omnia frigida lumbis ſubſtrata, qualia ſunt corianum, *apium, cicuta, ceruſſa, & portulaca: eáque omnia ex aceto.

De priapiſmo, Cap. XLI.

PRiapiſmus eſt auctio pudendi ſtabilis in longitudinem & orbẽ tumefacti, ſine venerearũ rerũ appetitu. eſt autem flatus ventoſus qui membrum tumefacit, ex humoribus glutinoſis & craſſis à magna caliditate generatis. Perſpicuum autem eſt non oportere membra calefacere, ſed leniter refrigerare cerato roſaceo cum aqua conquaſſato, & ex chamæmelino, pudendo & lumbis impoſito. Victus medicamentáque adhibenda ſunt quæ attenuandi vi citra manifeſtam calefactionem ſint prædita. Vtendum etiam eſt iis quæ ſuapte natura efficacia ſunt, & per experientiam inuenta: nymphæáque in potu danda, &

A viticis ſemẽ & ruta viridis obſoniis miſcenda: ſed hæc in principio danda non eſt (abundè enim calefacit) ſed poſt aliorum extenuantium vſum adhiberi debet. Qui euacuatione vti velit, id vomitibus faciet. quæ enim per inferiores partes euacuationes fiunt, ſæpenumero vicinas partes fluxione tentant.

De hæmorrhoidibus, Cap. XLII.

QVibus venæ quæ in ano ſunt, nimio plus ſanguinem profuderũt, iis habitũ in aquã inter cutẽ trãſire cõtingit, habitúſque fieri deteriores, & eiuſmodi vt non nutriantur.
B Qui enim ita ſunt affecti, curari difficulter poſſunt. periculũ enim eſt ne cohibito quãdoq; ſanguine, quũ largũ eius profluuium ſit, propter defectionem & imbecillitatẽ aliquid patiantur. quocirca quum multæ hæmorrhoides ſint, vna relinquẽda eſt per quam fiat expurgatio. Sed nõnullæ ſunt interius quæ non apparent, eǽque difficilius curantur: nonnullæ verò cæcæ, quæ cruẽti quidem nihil excernunt, ſed tamen plus doloris quàm illæ afferunt. harũ verò oracyclamini ſuccus illitus aperit.

De vteri affectionibus, Cap. XLIII.

C SVffocationibus quæ ex vtero fiunt, conuenit agarici drachma ex vino: plantaginis fructus & ſuccus cum vino: vngula, qualis cochleæ eſt, epota: acetum ſquillite abſorptum. Olfacta verò ſuffocatas excitãt, bitumẽ, caſtoreum, galbanum, pix liquida, cedria, accenſum & extinctum ex lucerna linamentum naribus admotum, capilli combuſti, ruta, ſilphium, cæpæ. Suffitus præterea fiunt, ex gagate lapide, vngue purpurarum, bitumine, caſtoreo, galbano, ſilphio, cornu ceruino: ano verò ruta cum melle lana excepta imponitur.

D De nimia purgatione, Cap. XLIIII.

IN primis extremæ partes vinciendæ ſunt: poſca potui danda. & ex poſca perfuſiones fiant. micæ panis in poſca ſumantur, aut alica lota, aut oryza, aut ouum tenerum frigidum. loco autem imponendum eſt medicamentum ad ſanguinis profluuium accommodatum. Potui verò dandum balauſtium cum poſca, aut hypociſthidos aut acaciæ ſuccus, aut terræ Samiæ aſter. omnibus præſtat ſeſamum in poſca madefactum donec tenerum reddatur, deinde edatur. rheum quoque cum poſca ad id valet. Sed
E & per ſinum muliebrem inditum ſanguinis fluxionem compeſcit. quod facit etiam hypociſthidis, itémque acaciæ ſuccus cum aceto & manna contritus. Mirificè quoque auxiliatur ſpongia noua in liquida pice intincta, deinde combuſta, tum trita & admota. Suber quoque vetuſtiſſimo fictili comburitur, donec candeſcat: deinde teritur, & tum loco inſpergitur, tum verò in peſſo iniicitur. Vtilia quoque ſunt ad ſanguinem cohibendum ea quæ extrinſecus admouentur, ac præſertim quod ex taurocolla conficitur: taurocolla enim pulchra & dilucida in
F poſca madeſcit quoad diſſoluatur: deinde in linteolum validum illinitur, tum pubi lumbíſque agglutinatur. Emplaſtra quoque agglutinantia ad hoc valent.

Mulierum non concipientium curatio,
Cap. XLV.

MVlieribus non concipientibus inſtituenda victus ratio eſt vt neque otioſè neque laborioſè vitam degant. lauacra adhibẽda ſunt neque aſſidua, neque copioſa. cibi potúſque ſufficient qui facilius concoquãtur. Hoc verò quod præcipuũ eſt, minimè deſpici debet, vt neque
G viri, neque fœminæ corpus obeſum reddatur. Vir enim pinguis ad liberorũ procreationem aptus nõ eſt, quia pudendum pudendo aptè cõferri non poteſt: & pingues parũ ſeminis emittũt. Sed neq; admodũ attenuandæ ſunt, quas cõcipere velimus: eſt enim perſpicuũ ſi aqua aut aliud quippiã excernatur, eas nõ eſſe liberis creandis idoneas. Aquæ vitãdæ ſunt quæ per aquæductus importãtur, & cæteræ quæ duræ, ſalſæ & nitroſæ ſunt, quæq; aluũ ſubducunt: nam quæ plus ſubducunt, propter imbecillitatem conceptionẽ impediũt. Porro calefaciẽtia omnia iuuãt, quæq; leniter flatus pariunt: ergo vini potum aquæ potui
H præponimus. Ex oleribus, orminum, eryſimum, erucam, & ſiquid aliud eiuſmodi eſt, miſceri adhortamur: ruta verò & mentha maximè omnium vitandæ ſunt. Quũ autem purgatio propinqua eſt, ei quæ vſa ſit cibis ſanguinem

gignentibus, & vberius ſit educata, alimentum ſubtrahendum erit, & aliquid addendum quod minus ſanguinis creet. & item quippiam ſumendum quod purgationem irritet: qualia ſunt odorata acriáque olera: hæc enim vuluam excitant, præſertim verò ſcādix, crethmon, fœniculum, apium, ſmyrniúmque. Si verò propter ſuccorum malitiam mulier non concipiat, ea erit euacuanda aut bona victus ratione corrigenda. Sin ob vteri frigiditatem conceptus non fiat, laboribus omnibúſque fomentis adhibitis calor erit reuocandus: nec ab re fuerit caſtoreum potui dare, itémque ſemina odorata offerre, vt cuminum, aniſum, pulegii comā, iuniperi fructum, pipere ſingulis adiecto. Sed præſtabit hoc vti medicamēto: Epithymū, euphorbium, piper, dauci ſemen, petroſelini ſemen, contere ad drachmas octo: potui hoc dato. Ventrem probè ſubducit, vterúmque calefacit ita vt multis iam menſtruæ purgationes fluxerint, quæ antè non purgabantur. Si non ſatis ſit per inferiora purgatio, vomitus ciendus erit: id enim quod pituitam quæ inferiores partes obſidet, euacuat, omnino prodeſt. id faciunt vteri fomenta: hæc vaporibus perficiūtur, vapores autem ex aqua calida adhibentur. Ergo mulier in ſella collocata vapores rectè aſſumet. abluenda autem aqua eſt, in qua elelíſphacus, artemiſia, ruta, cyperus, pulegium, & acorum, ſemináque odorata ſint incocta. Hæc etiam ſingulatim pubi applicantur. Polyarchi quoque epithema proficit: quin & frictiones pubis & lumborum nihilo minus conducunt. vuluæ quoque apponenda ſunt calefacientia. Sunto autem quæ apponenda ſunt, ex myrrha, ruta, galbano, & caſtoreo confecta: vulua tamen prius aqua mulſa aut marina fouenda eſt. quādoque etiam ex aceto diluto medicamēta imponēda ſunt: tenui autē linteo aut molli lana ſunt illinēda, vt ne adhibita corpus erodant aut exulcerent. Arguit autem frigidiorem vuluā menſium ſuppreſſio, victus non probè inſtitutus, & craſſi ſucci, & ſtupor in pube, lumbis & cruribus. quæ verò penitus refrigeratæ ſunt, eæ ne venerem quidem cupiūt. ergo in frigidis ſic progredi oportet. Calidiores verò vuluas cognoſces tum ex toto reliquo corpore calidiore, tum verò ex menſtruis purgationibus perexiguis & laborioſis, & pudenda muliebria exulcerātibus: & ex multa caliditate ſiccitas conſequitur. ergo humidiora alimenta iis adhibenda ſunt: atque ex oleribus maximè conueniunt lactuca, malua, blitum, aut cucurbita, cucumis, pepon, atriplex, portulaca, & omnia ea quæ frigidiora ſunt. Veſicæ verò & lumbis & pubi refrigerantia imponenda ſunt, & ſucci etiam ſunt illinendi. Quum verò menſtruas purgationes rectè procedere appareat, tunc deſinente purgatione opportunum corporis commiſcendi tempus eſt. Quum verò ſucci humidiores conceptum impediunt, victus ſiccior conuenit, labores partium ſuperiorum augere, frictionéſque adhibere, & vomitus copioſius ciere, exiccaréque alimenti mediocritate oportet, & victus omnis ſiccior inſtituēdus eſt. Sed proderit etiam vuluam medicamentis adſtringentibus confirmare: qualia ſunt lentiſci, myrti, roſarum, rhu, & Punici, rubique florum tenerorum, & gallarum decocta. Si verò à craſſioribus ſuccis concipere prohibeantur, humor erit conſiderandus. Si erodens ſit, mulieres purgare medicamento cuique humori accommodato oportebit: deinde ſero lactis aluū ducere. tum victū meliorē inſtituere: pituitoſos autē aquoſóſq; humores, laboribus, ſudoribus, & vomitionibus abſumere. Sufficiet autē caſtoreū bibere, & fomentis foueri. Quoniā verò flatus quoq; ne mulier concipiat impedimēto ſunt, primùm cibi parcitas imperanda eſt: deinde cuminū & aniſum, & apii ſemen, rutæq;, & anethum, & permulta aromata offerēda ſunt, quæ tum potui danda, tum verò præparanda & imponenda. Quæ verò propter vteri os clauſum nō cōcipiunt, earū vterus odoratorum ablutionibus, fomētis, & applicitis medicamentis aperiendus eſt: prius tamen molliores ablutiones adhibēdæ ſunt, in quibus malua, & lini ſemē, & fœnumgræcum ſit incoctū, & oleum probū ſit infuſum. quandoq; etiam mel iniicitur. Poſt molliora verò, ad validiora progrediēdum eſt, vt ad artemiſiā, ad conyzā, ad calaminthā, ad pulegiū, & ad anthemida. Applicabūtur verò reſina, terebinthina, nitrū, ficus pingues, caſia, & ſerū picis. Quibus verò vteri os nimiū fatiſcit, victus ſiccior; fomenta medicamentáq; ſicciora cōueniunt, vt horum ope vteri os cōniueat: talia ſunt capitula Punici mali, lētiſcus, rubi radix, & myrtus. Poſtremò autē vteri auerſiones fomentis dirigemus: id enim fomenta præcipuè poſſunt: quod fiet etiam iis quæ molliunt, inditis. Cæterùm præpoſtera venus maximè facere ad conceptionem videtur.

Non ſpirantium curatio, Cap. XLVI.

QVæcunque propter repletionē & ſuppreſſionem ſanguinis ſpiritu priuantur; eis venam ſtatim incidere cōuenit, ſiquidem ita celeriter reſpirant: ſúntque parciore victu alendæ. Si verò in hoc malum propter perfrictionē & imbecillitatē caloris qui in corde eſt, cadāt, euacuationes vitare oportet ne euacuādo magis etiā perfrigerentur. Præſtat igitur, quacūque fieri ratione poſſit, calorem deinceps excitare, vt ipſæ refrigerii cupiditate externum aerem trahant: ad quod quum peruenerint, curatæ ſunt, neque vlla præterea curatione indigent.

De ſuffocatione ex vtero, ex Philumeno, Cap. XLVII.

IN prima acceſſione, vel ſi iam vteri ſuffocatione correpta mulier ſit, ſumma deligare, & poſt vincula fricare valēter poplites, ſuras, cruráq; omnia cōuenit: quæque fœdioris odoris ſunt, narib⁹ admouere: & cucurbitulas inguinibus & imo ventri agglutinare, clyſterémque iniicere. In lōgis verò acceſſionibus etiā quæ flatus educunt, in anū & ſinum muliebrē indenda ſunt, quale eſt hoc quod conſtat ex ruta trita cum melle, addito modico cumini & nitri, quo partes vtrobiq; copioſè inungūtur. Cæterùm vnguēta odorata in vuluam indita, ipſam ad ſe trahere conſueuerunt: ad hæc verò quiſpiam voce aſperiuſcula eaſdem inclamet, deinde admoueat quæ ſtrenutamentum excitant. Quum mulier ab acceſſione euaſerit, ei vena ſecanda eſt, ſi nihil vetet: & melius eſt vt à poplite ſanguis detrahatur. Interpoſito verò ſeptem dierum ſpatio, hiera ex colocynthide dabitur, mox caſtorei potione vtemur: hoc enim ſæpe mulierem ægram morbo liberauit: diluēdum autē eſt mulſa & artemiſiæ decocto. Peſſuli quoque mollientes, & inſeſſus eidem affectioni aptè adhibebuntur.

De fluore muliebri. Cap. XLVIII.

FLuor qui muliebris dicitur, eſt quū totum corpus per vterū expurgatur & euacuatur, citra vuluæ ipſius affectū. Id verò quod euacuatur, eiuſmodi eſt cuiuſmodi eſt id quod ſuperat in corpore: nam quod rubrum eſt, ſanies ſanguinis eſt, quódque albū eſt, à pituita prouenit: pallidū verò à bili proficiſcitur: quandoque verò aquæ ſpeciē præ ſe fert. Si verò ſanguis purus fluat (vt in venæ ſectione fit) diligenter animaduertendum eſt ne qua eroſio in vulua ſit facta. Ergo quum affectus ſit humidus, oportet auxilia ſiccantia citra manifeſtum calorem adhibere: frictionibus totius corporis, & vnctione ex melle abundè cocto vti: daréque medicamenta quæ vrinam moueant, qualis eſt aqua in qua aſarum & apium ſint incocta. Præterea totum corpus per ventrem euacuare expedit.

Simplicia muliebrem fluorem curantia, Cap. XLIX.

POrtulaca in paſtu, & eius ſuccus in potu acceptus: balauſtii, rubique fructus, & flos: roboris pars quæ ſub cortice habetur. trunci membranoſa pars: quod glandis putamini ſubeſt: cauda equina maximè rubrum fluorem ex vino aut aqua pota curat. Itémque hypociſthis, lentiſci fructus frictus & ex vino epotus. rubrum quoque fluorē Samius aſter, & Lemnia ſphragis compeſcit.

De vteri inflammatione, Cap. L.

IN primis irrigatione ex vino & roſaceo, deinde ex oleo puro vtendum eſt: Hapſus verò lanæ ſuccidæ, pubi & lumbis abſque deligatione adhibeatur: poſt triduum vena ſecanda eſt, ſanguiſque à cubito detrahi debet. Cibus erit alica ex mulſa, & panis lotus, aut oua ſorbilia. Facta inclinatione, cataplaſmatis vtendum eſt. componetur autem cataplaſma dolorem leniens & ſomnum concilians, ſiquis capita papauerum in mulſa coquat, eáque capita abiiciat, & oleum immiſceat, & quæ ad cataplaſma adhibēda ſunt, adiiciat. Si vero inflāmatio calidis irritabitur,

A quum affectum eryſipelatis naturam referentem habeat, ab iis cataplaſmatis abſtinere conuenit: vti autẽ eo quod ex ouorum luteis vnà contritis,& addito roſaceo aut melino conſtat. Quum verò declinatio appareat, refrigerantia cataplaſmata omittenda ſunt,& ad cerata tranſeundum. Denique per totum curationis tempus inſeſſibus vti expedit.

De vuluæ abſceſſibus, Cap. LI.

QVum inflammatio in ſuppurationem conuerſa eſt, ſuppuratio cataplaſmate ex fœnogræco,& lini ſemi- B ne,& præcipuè etiam ex hordeacea farina, cui ficus adiiciatur, adiuuanda eſt: interdum verò ſtercus quoque columbinum adhibetur. Inſeſſus frequentiores vtiles ſunt. Peſſuli imponantur in quibus calefaciendi & irritandi vis inſit. Sciendum verò eſt, abſceſſum rumpi quandoque per vuluæ ipſius os, quãdoque per veſicam: ac ſæpe etiam in rectum inteſtinum rumpitur.

De vteri vlceribus, Cap. LII.

APtè quis curabit vuluæ vlcera, tũ inſeſſibus, tum irrigationibus, tum verò etiam cataplaſmatis. Sed ac- C commodatius hoc medicamentum eſt: Crocus optimus cum muliebri lacte læuigatur: deinde cera Tyrrhenica ſoluta cum roſaceo,& adipe anſerino excipitur, tum linteolo inungitur. Sed quod ſequitur,& melius eſt & ad dolorem ſedandum multò aptius. Capita papaueris in paſſo diluto biduum aut triduum madeſcunt, deinde coquuntur donec abundè molleſcant: mox capere oportet florũ roſarum, aut foliorum contuſorum & cribratorum drachmas quinque,& croci drach. tres, & ſimul omnia conterere, tum decoctum papauerũ his admiſcere, ceræ Tyrrhenicæ drach. octo eliquatas, roſaceique parem por- D tionem affundere iis quæ in pila fuerint, ac ſimul mollire: poſtremò verò medicamentum in vaſe ſtanneo ſeruare, & in ipſo vſu roſaceo deliquare, & in peſſo imponere.

De cancro vuluæ, Cap. LIII.

HIc morbus curationem non recipit: lenire tamen & dolores temperare cõuenit inſeſſibus ex fœnigræci maluæque decocto. Egregiè autẽ leniunt, in ipſis acceſ- E ſionibus adhibita maluæ aut althææ folia in mulſa cocta, donec flacceſcãt, pauciſque micis,& roſaceo & caricis melilotóque & ruta adiectis: hæc enim quandoque indurata diſſoluunt. His peractis, cerata lenientia applicanda ſunt. Lac verò muliebre emulſum leuat, ſuccúſque plantaginis calidus itémque peſſi ex croco,* hyſſopo,& lacte muliebri confecti ægrotas etiam leuant.

Ad vuluæ fiſſa, Cap. LIIII.

AD vuluæ fiſſa iridem cum melle, & terebinthinam ſimul emollias,& imponas. Inſeſſus quoque ex ptiſſa- F na in craſſum ſuccum diſſoluta, aut ex ficuum decocto conueniũt: callis enim ſublatis, id quod è cadmia conficitur roſaceo deliquatum conueniet.

De phymo vteri, Cap. LV.

ORitur phymus in ore vuluæ vel propter exulcerationem præcedentem, vel propter inflammationem quæ ſcirrhum contraxit. Curandus verò eſt inſeſſibus emollientibus ex hydrelæo & fœnigræci decocto,& cataplaſmatum & peſſuum emollientium impoſitione. Si in- G ueterarit, vtendum erit vaporibus & ſuffitibus ex aromatibus. Phymum denique ſoluit peſſus ex* hyſſopo, reſina & terebinthina confectus.

De vuluæ inflatione, Cap. LVI.

INflatur vulua tum ſpiritu in concauo eius ſpatio concepto, quo caſu pubes etiam intumeſcit, tum verò etiã quum totus imus venter nõ minor eſt quàm in hydrope tympanite cõſpicitur. Statim autẽ affectæ mulieri in initio auxiliari oportet: nam ſi inueterarit, curari nullo pacto poteſt. Ergo in principio, ſi nihil impediat, venæ ſectio facienda eſt, aut tentanda per hierã ex colocynthide purgatio: mox cataplaſmata ex caricis, hyſſopo, nitro, ruta, H adhibenda: tum cucurbitulæ cum ſcarificatione affigendæ,& malagma Polyarchi imponendum,& vtendum inſeſſibus ex rutæ, pulegii, artemiſiæ, caſiæ,& caricarum decocto. Peſſus quoque ex terebinthina, galbano, myrrha, iride,& hyſſopo confecti conuenient.

De vtero procidente. Cap. LVII.

A VTerum procidentem continere ſuo loco oportet, prius iniecto clyſtere ad fæces deiiciendas. Eodémque modo, ſi in veſica excrementa ſint, per catheterem fiſtulam erunt educenda: deinde ægra in ſella ſupina collocanda eſt, coxis accliuibus, poplitibúſque reflexis, & cruribus diuaricatis: deinde hapſus lanæ mollis capiendus eſt, qui figura & craſſitudine ſinui muliebri proportione reſpondeat tenuique linteolo circundãdus eſt,& in ſuccũ hypociſthidos, aut acaciæ vino dilutæ immergendus,& B vuluæ imponendus,& citra laborẽ id totum quod procidit, ſurſum agendum, quoad totus tumor in ſinu factus ſubſederit. Pubes verò ſpongia ex poſca expreſſa extrìſecus operiẽda eſt. Porro mulier ita iacebit, vt cruribus extenſis ſit, alterúmque alteri incumbat. His confectis, cucurbitulas cum flamma copioſiore ſuprà ad vmbilicum & vtraque ilia affigere oportet. Tertio die lana ſinui iniecta inſideat mulier in vino nigro auſtero modicè tepido: aut in rubi, aut myrti, aut malicorii decocto. Quum C hæc peracta fuerint, lana iniecta tollitur, alteráq; eodem medicamento imbuta imponitur. Cataplaſmata verò foris imponuntur ſuper imum ventrem, quæ ex palmulis, & polenta, vel lenticula, vel malicorio conficiuntur: tribus deinde diebus interpoſitis eadem fiant, donec ex eo quòd particulæ conſtrictæ manent, firmum argumẽtum vitii ſublati capiamus.

De articulorum doloribus, podagricis, iſchiadiciſque ſanandis, Cap. LVIII.

HOrum curandorum intentio communis eſt cum ea quæ inflammatis particulis adhibetur: diſcutiẽdum enim eſt id quod in loca confluxit. Quod ſi tenue ſit, bre- D uiore temporis ſpatio fiet: ſin craſſum & tenax, longiore: & multò etiam longiore ſi glutinoſus craſſúſque ſanguis ſit. & licet longius proferatur, tamen quadrageſimũ diem non excedet inflammationis curatio, ſi medicus omnia rectè faciat, & æger dicto audiens ſit. Quandoque autem humor qui irruit, ſanguineus eſt, quem plerunque in doloribus articulorum eſſe dixeris, éſtque hic craſſus ad ſimilitudinem quodammodo craſſitudinis vitri fuſi: vbi E verò in ipſis articulis diutius immoratus ſit, non ſolùm craſſior ſed glutinoſior etiã redditur: atque ex iis tophi oriuntur: & poſtquam effecti fuerint, articulum ad priſtinum ſtatum redire planè poſſe ne ſperaueris. Principium verò curationis ſumendum eſt à vacuatione humoris affligentis. Si corpus humoribus ex æquo redundarit, facta primùm omnium venæ ſectione, purgatio deinde adhibeatur, cui ſuccedat vſus medicamentorum localium loco & tempore adhibendorum, ita vt manibus & pedibus ea imponantur quæ repellere defluxum poſſint. In F coxendicum verò morbis hæc vitemus: quum enim ea in profundo ſita ſit, ſanguis à vicinis vaſculis & muſculis ad ipſam attrahitur: ergo in coxendicum dolore mitigantibus medicamentis in principio opus eſt, quæ neque multùm refrigerent neque valenter calefaciant, qualia poſtea adhiberi oportet. Cæterùm eos qui abdomini inſeruiunt, quique mala victus ratione vtuntur, ne curandos quidem ſuſcipere debemus. Qui verò nobis curantibus parent, maximopere iuuabis ſi ineunte vere primùm euacuabis, deinde ad exercitationes,& ſalubrem diætam G perduces. Quum autem coxendicũ dolor à ſanguinis multitudine non raró fiat, eum celerrimè curabimus venis poplitis aut malleolorum inciſis. Siquis verò ante totius corporis vacuationem acria medicamenta ſuper particulas affectas imponat, is affectum ita reddit, vt ſanari nullo pacto poſſit, copia nimirum ibidem condenſata atque impacta. Iam verò vomitus quoque coxendicum doloribus magis quàm infernæ euacuationes auxiliantur. In quibus verò humorum denſatio vehemens, & quæ diſſolui ægrè poſſit, ab acribus medicamentis facta ſit, iis affixa cucurbita ſummum adfert auxilium: itém- H que clyſter expurgantibus confectus, qualis eſt is qui ex colocynthide paratur. Ad articulos podagra laborantes,& affectiones ex defluxionibus obortas,& item ſcirrhos, ariſtolochia ex aqua epota iuuat. Farina fabarum cocta ſuillo adipe adiecto ad hæc valde facit: vt verò

Ada mantinus cenſuit, braſſicarum ſiccarum radicum & caulium combuſtorum cinis cum ſuillo adipe optimè facit:ſi dolor adſit,nouo & inſulſo:ſi digerendum ſit, vetuſto & ſalſo. Vulpes totæ incoctæ in oleo, articulorũ morbos ſanant:has nonnulli viuas in magnum vas,nonnulli verò mortuas coniiciunt. Simili quoque modo hyænas coquunt,& oleum digerens conficiunt:deinde peluim eo implent, & totos in eo arthriticos immerſos voluerunt, atque vt ibidem diutius immorarentur, imperauerunt: ex hoc enim effectum eſt vt non ſolùm tumores qui in articulis eſſent, ſed vt totum etiam corpus euacuaretur. Cæterùm de tophis licet ſeptimo libro dictũ ſit, tamen nonnulla etiam dicentur.

Curatio tophorum qui in morbo articulorum ſunt, Cap. LIX.

ALbarum violarum radices cum aceto, ſcirrhoſas inflammationes in articulis curant. Caſeo quoque acerrimo in tophis articulorum vſus ſum: eſt autem diſſoluẽdus carnis ſuillæ ſale conditæ decocto, & diligenter in mortario terendus, atque ita tophis impoſitus magnopere prodeſt: nam quum ſponte ſua cutis rumpatur, quotidie & ſectionẽ ipſam & tophos abſque moleſtia humore qui excernitur, replet. Platani folia viridia trita inflammationes quæ in genibus ſunt, iuuant. Præterea genu quod ex frigore dolorem contraxit, euphorbium tritum oleo eliquato mixtum, & cera adiecta ſæpe adhibui: id quod etiam in aliis particulis feci, & ſtatim dolorem ſedaui.

Ad ſcirrhos Philagrii medicamentum in quinto podagricorum, Cap. LX.

PEucedani radicis, aſii lapidis floris, (ſi huius copia nõ ſit, ſalis ammoniaci) propolidis pinguis, ſingulorum vnc. duas, ammoniaci thymiamatis vnc. vnã, lanæ ſuccidæ combuſtæ vnc. vnam, ariſtolochiæ rotundæ, pumicis canini ſtercoris, æruginis raſæ, ſquamæ æris, miſyos, ſingulorum denar. XVIII, caſtorei ſcrup. duodecim, myrrhæ vnc. tres, viſci quercini vnc. tres, ceræ vnc. vndecim & ſemiſſem, pitynæ vnc. duodecim & ſemiſſem, picis Brutiæ vnc. XVIII. ſcrup. duodecim, olei veteris & aceti acerrimi, vtriuſque quantum ſatis ſit.

Quomodo ſe quiſpiam à podagra tueatur, Cap. LXI.

SAl cum oleo tritus in frictione adhibitus, omnes qui ſe à podagra vindicare voluerunt, niſi admodum ſicca intemperie præditi eſſent, mirum in modum iuuit. Hoc autem remedio per totum vitæ ſpatium manè & veſperi, & vbi inflammationes declinauerint, vtendũ eſt. Aliud A ad podagricos. Quæ tertio libro cap. L. deſcripta ſunt, Cape, oleo vetuſtiſſimo coque ad emplaſtri craſſitudinẽ, & nitrum tritiſſimum inſperge, tum excipe, & linteum illinendo vtere.

Ad iſchiadicos, Cap. LXII.

FArinam lupinorum amarorum cum aceto, aut oxymelite, aut poſca, iſchiadicis applicant: aut calamintham coquunt, & cataplaſma conficiunt, iſchiadiciſque B vt efficax remedium admouent. Capparis radicis cortex coxendicum dolores tum epotus tum extrinſecus cataplaſmatis accommodatis mixtus, iuuat. Coſto præterea & oleo reſolutos & iſchiadicos vtiliter perfricamus. garũ & muria ex piſcibus ſale conditis iſchiadicis infunditur. eoſdem etiam thlaſpis ſemen ſanguineum humorem vacuans per anum impoſitum iuuat. cum centaurei verò minoris decocto nonnulli infundunt, ac bilioſum humorem vacuat: ſed ſi ſanguineũ educat, magis proficiet. Sunt etiam quædam in potione experta, vt omnino à C morbo liberare exiſtimentur. Sed ſimpliciſſimum eſt id quod diateſſaron nominatur. Chamædryos lib. I. gentianæ vnc. IX. ariſtolochiæ rotundæ vnc. IX., ſeminis rutæ ſicci ſextarius. contũdenda ſunt, & per cribrum traiicienda, dandúmque ex eis quotidie cochlear. vnum magnum ieiunis, & peracta concoctione ex aquæ frigidæ cyathis duobus per annuum tempus. Quod verò ex ſeptem rebus conficitur, eſt huiuſmodi: Hyperici vnc. I. centaurei vnc. tres, chamæpityos vnc. tres, gentianæ vnc. quinque, ariſtolochiæ rotundæ vnc. I. agarici vnc. tres, petroſelini vnc. vnam, mellis Attici lib. quinque. Datur autem D drachma ex aquæ cyathis tribus: atque ita deinceps eo eſt vtendum.

NONI ET VLTIMI LIBRI FINIS.

Interim dum editionem Oribaſii librorum qui ex epitome collectorum ad Iulianum ſuperſunt, paramus, hoc opuſculum in lucem protulimus. quanuis enim uideremus multa menda ſubeſſe, quæ nequè auxilio eorum codicum quos habuimus, neque Galeno quem Oribaſius autorem habet, neque Paulo & Aetio qui ſtudioſè Oribaſium ſunt ſequuti, adiuuantibus reſtitui potuerunt, tamen maluimus hoc qualecunque eſt, in manus hominum peruenire, ut fructum quem poterunt, ex eo ferant, quàm ut re tandiu deſiderata ob hanc cauſam diutius priuarentur. Nos uerò, ſi melior unquam codex in manus noſtras incidet, curabimus diligenter ut quod nobis conceſſum nunc non fuit, tunc planè conficiamus. Hæc te ſcire interpres uolebat.

ORIBASIVS DE LAQVEIS ex Heracle,

VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.


VIDIVS LECTORI.

LAudatur liber de laqueis à Gal. in libro De faſciis: quanuis alibi quoque mentionem facit laqueorum qui hoc opere continentur: refertur tamen hic liber in Græco exemplo ad Oribaſium autorem. Quicquid eſt, opus utiliſſimum eſt, ſine quo multa ſunt quæ in medicinali arte nec comprehendi nec præſtari poſſunt. Pertinent enim laquei non modò ad faſciandum, ſed etiam extendendum oſſa fracta uel ſuo loco mota, ſeu æqualiter ſeu inæqualiter adhibere uim oporteat, tum ad curanda atque alliganda membra dum manus adhibetur.

Quæ ratio ſit laquei attollentis. G

AD attollentem habena adhibetur duplicata, cuius vtrunque caput ſiniſtra manu continetur. ſinus verò dextra prehenditur, & capitibus ſuperiniicitur, ſic vt capita ſita ſint in medio ſinu: quò fit vt ex vna parte, laquei nexus feratur, capita ex altera. Habet autem hic laqueus facultatem extendendi æqualiter, pertinétque non modò ad extenden- F dum membra, ſed etiam ad continendum, quum in ſuam ſedem compelluntur, & ad figurandum corpora, vbi quid manu fieri oportet. Rectè quidem eas partes intendit, quæ binis oſſibus continentur. Quandocunque enim alterum vitioſum ſit, ſinus ſuper ipſum, capita

I



ſuper integrum imponuntur. Nam ſinus corpori inhærentes affectam partem vehementer diſtendunt. at capita

quum recedant à corpore, eam partem quæ bene valet, vel nihil omnino intendunt, vel certè quam minimùm. Membris quoque, quum reponuntur, aptiſſimus eſt: ſicuti cubito, quum in aliquam trium partium excidit. in quas vbi prolapſus eſt. brachium curuum eſt, neque extenditur, id eſt in poſteriorem, interiorem, atque exteriorem: in quo caſu laqueus oſſibus brachii iuxta primã palmæ partem iniicitur, capitáque eius ſublimiora feruntur, & vt retinacula ſint, ad aliquid immobile deligantur. Ad figuranda inſuper corpora, vbi manu medemur, adhibetur commodiſſimè: in iis enim quæ iuxta anum vitia infeſtãt, vbi tractãtur, brachia poplitibus ſubiiciũtur, & huiuſmodi habenæ attollentes ad brachia dãtur in vicinia manus, eorúmque capita ad ceruices hominis adducta, inter ſe vinciuntur: quoniam attollens laqueus non ſolùm iniicitur implicitus, ſed ſuper membrum quoque circumponitur. Suſpenſa enim faſcia ſinus membro ſubiicitur, capitáque eius per medium ſinum traiiciuntur, eáque ratione circumpoſitus conficitur.

Quomodo laqueus nauticus debeat adhiberi, Cap. II.

EX medio ſinu duplicatæ habenæ duos item ſinus facere oportet, eóſque inter ſe permutatos ita collocare vt interior extrinſecus, exterior ab interiori parte ſitus ſit. hac enim via nexus laquei ab vna parte, ab altera capita procedunt. Eſt autem idoneus iis quæ extendi in-


2



æqualiter debent: valet item tum ad continendas ferulas quæ fracturis accommodantur. Iunctura nanque adhibita vnum habenæ caput ſiniſtra manu teneatur: alterum verò per affectam partem voluatur, ſic vt vnus & alter ſinus fiat, per quos reliquum habenæ caput traiiciatur, vt ab ea parte quæ in nos ſpectat, verſus contrariam porrectum ſiniſtra rurſus contineatur. quo iniecto, ferulæ in ſinus demiſſæ ad vitioſum membrum dentur, capitáque attrahantur, & inter ſe alligentur vt ferulas teneant. Valet item ad cubitum ſuſtinendum, non ſecus atque ad intentionem, aut ad ferulas continendas: imponitur enim implicatúrque ad cubitum ſuſpendendum, vbi lata faſcia non eſt. In quo caſu ſinus ita inter ſe diducendi ſunt vt alter prope cubitum ſit, iuxta manum alter, capita verò ad ceruicem adducenda ſunt, ibique nodo inter ſe deliganda.

Laqueus χιαστὸς quomodo implicetur, Cap. III.

AD χιαστὸν habena duplicanda eſt, cuius vtrunque caput ſiniſtra manu continendum: ſinus verò, dextra prehenſus conuertendus eſt, ſic vt capita ad ſimilitudinẽ literæ X aduerſa inter ſe ſint: inde enim nomen habuit



χιαστός. Quo facto ſinus capitibus X literam referentibus ſuperinniciendus, quódque ex his ſubiectum eſt, per me-

A dium ſinum attrahendum. Eóque fit vt medius laquei nexus appareat: à lateribus verò hinc ſinus vnus, inde duo capita ſe oſtendant. Valet autem, vbi oportet inæqualiter diſtendere.

Paſtoralis laqueus qui ſandalius dicitur, quomodo iniiciatur, Cap. IIII.

PAſtoralis, dictus à quibuſdam ſandalius, cum eo implicatur quem χιαστὸν nominauimus: hic ſiquidem primò eſt adhibendus vt ſandalius fiat: quo iniecto ſinus eius dependens attrahi debet ab inferiori parte ſurſum, per
B medium eius ſinus qui contra capita ſitus eſt: ſic enim ab vna parte laquei nexus, ab altera capita collocantur: in nexu verò terni ſinus, duo ſcilicet à lateribus, tertius in medio conſpiciuntur. Adhibetur autem commodiſſimè

C



D ad talum prolapſum, vbi reponitur. Vnus enim ſinus à poſteriori parte tali ſuper latum neruum datur: à priori alter ad partem pedis ſuperiorem: medius, hoc eſt tertius, plantæ ſubiicitur. Quo facto, capita ad id vinciuntur, quo extendendi cauſa vtimur: neque talo duntaxat conuenit, ſed maxillæ quæ excidit, vbi in ſuam ſedem compellitur. Vnus enim ſinus ad frontem hominis, alter ad occipitium datur, medius per os procedit vtrinque ſub malis: capita verò per tempora ad ægri caput feruntur, ac ſiue, vt retinacula ſunt, ſiue, vt à ſuperiori parte extendant,
E ibi inter ſe vinciuntur.

Draco laqueus qua via iniiciatur, Cap. V.

AD laqueum draconem media habena à poſteriori parte tali incipiat iuxta latum neruum: capita verò verſus priorem ferantur ad ſuperiorem partem pedis, vbi X literæ ſimilitudine accepta, ad plantam porrigantur, & rurſus inter ſe aduerſa eandem literam repræſentent: poſt hæc circa talum, vel ab
F inferiori parte ſurſum, vel à ſuperiori deorſum circundentur, tum deligentur ad id cuius opera ad extendendum vtimur. Facit autem hic laqueus ad talum ſuo loco motum, vbi reconditur.



G Qua ratione is laqueus adhibeatur quem ſimplicem nodum dixerunt, Cap. VI.


LAqueus cui nomen eſt ſimplex nodus, à quibuſdam perineos appellatur. Quomodocunque autem vocetur, eius ratio eſt: Habena ſimplicem nodũ accipiat, eiuſdémq; ſinus attrahat, capita verò dependeant: deinde membrum
H quod reponere opus eſt, inter ſuperiores ſinus collocandum: tum alter ſinus in alterum inſitus, ad capita ducendus, communique no-



do cum capitibus ad id vinciendus, quod intendendum adhibemus. Habet autem inæqualem extendendi facultatem.

Lupus laqueus quomodo nectatur, Cap. VII.

DVÆ habenæ iuſtæ longitudinis duplicentur ſic vt capita ab eadem parte collocentur, ſinus inter ſe aduerſi ſint, tum capita quæ ab inferiori parte, ſurſum: quæ à ſuperiori, deorſum vellantur, ſic vt medius laquei nexus, vtrinque verò bina capita ſe oſtendant. Habet autē vim extēdendi æqualiter, pertinétque non modò ad oſ-




ſium quæ reſtituuntur, intētionem, ſed in herniæ curatione ad membranam abdominis adſtringendam: item ad vincienda venarum capita ſanguinem fundentia. Nos autem in ſinus coniicere lina ſimplicia conſueuimus, quæ communi medicorum vocabulo (quòd relaxent) χαστήρια dicuntur: neque hæc ipſa temerè adiiciuntur, ſed vt, vbi quæ arctata ſunt, remittere volumus, per lina id præſtemus & non per capita.

Nodi Herculei ratio, Cap. VIII.

AD nodum Herculeum, habenam adhibere oportet quæ duos nodos accipiat inter ſe diſtantes, quò fit vt Herculeus nodus vtrinque ſe oſtendat: hinc autem ſinus, inde verò ſint capita duo. Valet vbi æqualiter intendere conſilium eſt. Quòd ſi ſinus, qui contra capita eſt medi⁹ incidatur, à lupo laqueo non differet.

8



8



Simplex carcheſius qua via implicetur, Cap. IX.



AD ſimplicem carcheſiū, qui vim habet extendendi æqualiter, duplicari habena debet, capitáque eius ſiniſtra manu contineri: ſinus verò dextra ſurſum conuerſus ſuperimponi capitibus, quæ media opus eſt aduerſa inter ſe collocare in ſpeciem X literæ. Eo facto ſinus capitibus iniectus, à ſuperiori parte deorſum attrahatur, per medium eius partis qua X, literæ fuit accepta ſimilitudo: ſic


A enim laquei nexus medius apparet, ab vno latere ſinus vnus, ab altero duo capita.

Duplex carcheſius quo modo implicetur, Cap. X.

DVplex carcheſius æqualiter diſtendit, ac ſimplici longè eſt efficacior. Eius autem ratio eſt: Habenam prehendimus duplicatam, capitáque leua continentes, ſinum patimur dependere: tum ex capitibus quæ contra ſinum ſunt, alterum duplicamus, ſic vt paruus ſinus fiat,

B

10



C

quem in ſiniſtra manu ponimus: alterum per ſinum traiicimus, deinde nexum per ſinus conuertimus & in ſiniſtra collocamus. Quo facto, ex capite quod contra ſinum eſt, rurſus alterū ſinū efficimus quē nexui adiungimus:
D poſtremò pendentem ſinum per medium nexum trahimus, ab inferiori parte ſurſum: quò fit vt ab vno latere ſint duo capita ab altero vnus ſinus, quibus laquei nexus medius interiiciatur.

Duplex carcheſius quomodo ex ſimplici fiat, Cap. XI.

QVum duplex carcheſius variè conſueuerit implicari (ſiquidem per ſe interdum, interdum fit ex ſimplici,
E nonnunquam conficitur circumponendo) ſuprà demonſtratum eſt quomodo per ſe iniiciatur, nunc qua ratione ex ſimplici fiat exponemus. Adhibere igitur primò ſimplicem carcheſium oportet, ſinúſque alterum ab altero

11

F



G


diducere: deinde eum qui ſubiectus eſt, in ſuperiorem cōiicere, & ſimiliter vtrunque diducere, ac per ſpatiū quod ipſis medium interiicitur, ſinum qui contra capita eſt, ab inferiori parte ſurſum attrahere: ſic enim rurſus laquei nexus medium ſeſe oſtendit, hinc vnus ſinus, inde bina capita conſpiciuntur.

Duplex carcheſius quomodo implicetur circumponendo, Cap. XII.

QVoniam vehementi validorum corporum intentione, laquei capita ex vna parte ſæpius rumpuntur, ante perfectam intentionem, ne cogamur intendentis

adhuc laquei capita relaxare,carcheſium circũponimus.
Tenentes igitur ſiniſtra manu caput, circa membrum re
ſtituendum tres ſinus efficimus inter ſe diſtãtes,ita vt ex

12



iis quod ſatis eſt dependente,poſt hæc primum ſinum in
poſtremum demittimus,& ſemel aut iterum eos conuer
timus,per quos medium ſinum rurſus attrahimus. Quò
fit vt circa mẽbrũ laquei nexus,ab vno latere vnus ſinus, C
ab altero duo capita ſe oſtendant.

Plinthii,quod alioquin quadruplex circulus
dicitur,quæ ratio ſit, Cap.x i i i.

AD linthium laqueũ adhibetur habena circulum repræſentans,id eſt ſine capitibus:hæc abinteriori par
te manus,pollicibus minimiſque digitis circundatur,nec
non vtrique indici,vt ſinus in vtraque manu terni ſint,v-
nus circa minimum digitum,circa indicẽ alter,tertius ſu
per pollicem.Poſt hæc ſinus in quos inſiti pollices ſunt,
ad proximos minimis transferuntur: tum ad indices qui
minimis iniecti fuerũt,deinde ſinus in quos indices de-
miſſi poſtremò erant, medii à pollice à ſuperiori parte
deorſum velluntur:ſicque ab vno latere duo ſinus, toti-

13



dem ab altero,medium inter hos laquei nexus ad rhõm-
bi ſimilitudinem conſpectui ſubiiciuntur. Habet autem
æqualem intendendi facultatem,& non ſolùm ad inten-
tionem,ſed videtur ad menti quoque fracti compoſitio- F
nem pertinere.Nam mentum ipſum ſub fractura aliquan
do peruerſum,in laquei complexum rhombum referen-
tem inſeritur ab exteriori parte:ſinus verò per malas,par-
téſque ſuperiores,ad ſummum caput feruntur, atque ibi
inter ſe deligantur.

Laqueus epangylotus (ita enim appellatur,quoniam
ſinus ſuper ſinum iniicitur)qua via in-
ſeri poſſit, Cap.x i i i i.

AD epangylotu m,vnum habenæ caput inter ſiniſtræ
manus pollicem & indicem collocamus, eámq; ex- G

14



A trinſecus vltra primam palmæ partem adducimus: inde
per palmam ipſam datam inter pollicem & indicem vtri
uſque manus attrahimus. poſt hæc inter minimum & pro
ximum digitum demittimus. Eo facto habenæ caput de-
xtra manu ſurſum vellimus, extremámque partem inter
minimum ac proximum digitum tenemus. quò fit vt
duo ſinus efficiantur:inter quos attractus nodus apparet.
Facit autem ad corpora figuranda, vbi manu curatio ad-
hibetur. Inter ſinus enim vtraque manu hominis con-
B iecta reliquis habenæ partibus totum corpus firmiter con
tinetur.

Ratio eius laquei quem auriculas
nuncupant, Cap. x v.

AD auriculas,epangylotus primò iniiciendus: danda
autem opera eſt vt alter ſinus amplior ſit,quem im-
plicare oportet ad modum laquei chiaſti,ſic vt duo ſinus
oculis exponantur,inter quos,quod ex habena dependet,
duplicatum ſe oſtendat.Rectè autem adhibetur vbi prola

15



pſa maxilla reponitur,tùm ad proceſſus capitis reconden
D dos .Sinus enim dantur ad tempora ægrotantis,quódque
inter eos duplicatum conſpicitur,ad frontem:deinde vin
culum illud iniicitur quod leporem auritum appellant:
poſtremò auriculæ; vel vt contineant vel vt à ſuperiori
parte extendant,ſuper caput offenſi porriguntur.

Laqueus duos habens ſinus(quem nonnulli minus pro-
priè ſtrangulantem dixerunt)quo modo
iniiciatur, Cap. x v i.

LAqueus quem duos ſinus habentem appellant, ex bi-
nis conſtat chiaſtis,quorum alter ab altero diducitur.
E Eſt autem aptiſſimus ad corpora figuranda, vbi vitia iu-
xta anum curantur: ſiquidẽ brachia ſubiecta poplitibus,
eiuſmodi laqueis adſtringuntur:at pars,quæ media inter

16



16




ſinus duplicata dependet,ad ceruicem hominis fertur,at
que hac via corpus figuratur.

H Ratio laquei quem ſtrangulantem propriè
nuncupant, Cap.x v i i.

LAqueus qui propriè ſtrangulans nuncupatur, ex ſimpli
ci fit carcheſio: hic enim primò iniicitur ſic, vt alter
ſinus ab altero diſtet.Confert autem ad quos proximè ex-
poſitus: brachia nãque rurſus cõiecta in ſinus coarctantur.

& ea pars habenæ quæ duplicata eſt, media ſimiliter col-
A locatur in eámque ceruices inſeruntur.

17



m. Quomodo adhibeatur laqueus ὑπερβατὸς: id enim nomen traxit ex eo quòd ſuprà feratur, Cap. XVIII.



B HYperbatus fit ex laqueo nautico, ſiquidem in hunc
primò implicitum brachia inſeri debent, ſinúſque
inter ſe diduci, & capita ad ceruices deligari. Laquei i-
gitur quorum expeditiſſima comprehenſio eſt, huiuſ-
modi ſunt.

ORIBASIVS EX HELIODORO

De machinamentis,

VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.

VIDIVS LECTORI.

MAchinamentis non ſolùm utuntur architecti, ſed medici etiam, quum his robuſtiora membra utiliter, & quantum fieri poteſt, ſine dolore extendant, ubi luxatis uel fractis medentur. Hæc ab Oribaſio collecta ſunt ex Hippocrate, Galeno, *atque aliis autoribus ut patet ubi ſingulorũ uſus & ſtructura exponitur. ſed præter utilitatem, quam in curatione exhibent, multos aperiunt in medicina locos, qui ſine his omnino ſunt incomprehenſibiles. Quanquam in hoc libro machinamenta aliqua deſũt quæ autor inter initia commemorauit, ubi uniuerſam machinamentorum rationem recenſet: ſed optimè nobiſcum agitur, quando non omnia interierunt.*

Quibus modis luxata reſtituantur, Cap. I.

LVXATA in ſuam ſedem tribus generalibus modis collocantur, quibus alii ferè omnes continentur. Vnus vocatur palæſtricus, ad quem ferè ſolas manus admouemus, atque hic, vtpote imbecillis, aptatur ad mollia corpora, muliebria nimirũ & puerilia: tum ad maſcula quæ illis robuſtiora ſunt, modo recens vitium fuerit. alter methodicus dicitur, ad quem inſtrumẽta adhibemus, quorum vſus in communi vita eſt: hic omnibus idoneus, eſt, pueris, fœminis, maſculis iam robuſtioribus, & corpori iuuenili, atque iis luxatis quæ iam vetuſta ſunt. Tertius reponendi modus qui per organa eſt, maius momentum habet. valet enim ad prolapſa, vbi malum diutius trahitur: valet ad corpora athletarum: præterea quæcunque prolapſa curationem recipiunt & ſub methodico modo curari nequeunt, omnia organorum opera reponuntur.

De organorum differentiis, Cap. II.

ORganorum medicinalium differentiæ in vniuerſum & quaſi generales, ſummùm, vt alii ſentiunt, ternæ habentur: alia enim tractoria ſunt, alia machinamenta, alia quæ erecta collocantur. nobis autem placet nonnulla attractoria eſſe, nonnulla machinamenta, nonnulla quæ erecta, nonnulla quæ plana collocãtur. Tractoria ſunt, quæ quum parua breuíque ſint ſtructura, extendendi duntaxat facultatem habent. Hæc vt ſuo munere fungantur, aduentitia quædam poſtulant, vt ſcamnum, lectum, ſcalam, eo quod per ſe vſui eſſe minimè poſſint: quo circa & alligata, & in plano ſita nuncupantur. Nam vbi in agro, aut ſolitudine quapiam, quæ ſuo loco mota ſunt reponimus, ac neque ſcamni, neque lecti, neque ſcalæ copia eſt, aliquid in ſolum defigimus, ad quod tractorium organum alligemus. Machinamẽta ſunt organa tractoriis ampliora minora tamen aliis, quæ non modò intentionem, ſed impulſum quoque pollicentur, ac præcipuè quorundã membrorum gratia comparantur. Erecta organa ſublimiorẽ

C ſtructuram habent, & non ſolùm ad extendẽdum valent,
ſed etiã ad impellẽdum. Porrò autẽ plana organa ſunt,
quorum humilis ſtructura eſt. Ex iis conſtant, quæ & extẽ-
dendi & impellendi vim habent, ita vt homine illis inſi-
dente, recondi quod elapſum eſt, poſſit. Reperiuntur etiã
in his quædam propria ſtructuræ diſcrimina.

Ex qua materia ſtruantur organa, Cap. III.

BAſis, crura, latera, tranſuerſaria, cubiti, teſtudines, ad-
iuncta crura, hæc omnia quæ in organis ampliora ex-
pediuntur, ex robuſtiori materia conficienda ſunt, vtpu-
D ta ilignea, vel fraxinea, quæ ſecundas obtinet. Oportet au-
tem ea de cauſa validiſſimam eſſe organorum materiam
vt vim queant in condendis articulis ſuſtinere, quod in
iis potiſſimùm organis requiritur quæ erecta collocan-
tur. Vertebræ, radices, claui, vnci, catenulæ, vectes, omnia
quæcunque exigua ſunt, quǽque plus efficiunt, ærea vel
ferrea comparentur, vt quod ſtructuræ exiguitas detra-
hit, materiæ firmitas reſtituat. Aliquando autem quæſitũ
eſt, ferreáne an ænea ſumi debeant. Inquiunt qui ferro
æs præferunt, hoc leuius eſſe & facilius tractari, minúſque
E rubiginem trahere quàm ferrum: contrà qui æri ferrum
anteponunt, validiorem huius materiam laudant. ære e-
nim efficacius robuſtiúſque ferrum eſt. Atqui de ferro cõ-
uenit, firmius eſſe: ſed ſuperuacuũ eſt eximiũ robur, vbi
eius nullus eſt vſus, quũ liceat hæc ex ære fabricare quod
mollius eſt, & ſatis roboris habet: licet tamẽ & ex ferro,
quòd ſi ex ære fiãt, ſumatur id quod ducitur: nã quod cõ-
flatur, facilius rũpitur cõminuitúrq;: ita vt præſtet ex fer-
ro hæc parare, quàm ex fuſo ære. Sed quoniã ferrum citò
rubigine obducitur, idcirco aliquot interpoſitis diebus
F ſubinde pingui aliquo inungẽdum, ac ne rubiginem ſen-
tiat, manu perfricandum. At dicet quis, ſi ferrum negle-
ctum rubigine corrumpatur, id culpa domini ipſius or-
gani fieri.

Ex quibus partibus organa conſtent, & quis ſit earum vſus, Cap. IIII.

COntinetur omne organum non omnibus ſed quibuſ-
dam ex iis quæ numerabo, nempe baſi, cruribus, trãſ-
uerſariis, cubitis, axibus, regulis, teſtudinibus, cochleis,
tympanis, clauis, manubriolis ductariis, vectibus, baculis
G verſantibus, obicibus, cuneis: item lunatis lignis, orbicu-
lis, trochleis, foſſis, operculis, vertebris, fibulis, radicibus,
vncis, catenis, forficibus, ſedilibus, priapiſcis, ad hæc co-
chlea fœmina, quæ Græcè θηλικόχλιον appellatur, cuneolis
chiniſcis, columbariis, ergata. Hæc fere ſunt quibus orga-
na cõponũtur, quorũ vſus ſigillatim iam nunc exponẽ-
dus nobis, eſt. Baſis ad id potiſſimũ ſtruitur, vt ſuper eã

erecta organa ſtatuãtur. Crura in organis & latera dicũtur;
in iis quæ erecta collocãtur, propriè crura, minus propriè
latera: ſed in tractoriis propriè latera dicũtur, minus pro-
priè crura. Hæc ferè in organis ſtatuũtur, vt ipſorũ machi
nationes cõtineãt: propriè autẽ in organis erectis crura re
ctè cõmodéq; dimẽſa, ad illam pertinẽt cõdẽdi rationẽ
quæ excitãdo præſtatur. Trãſuerſaria quæ διαπήγματα di-
cũtur (vt Græcũ nomen indicat) ad crurum laterúmque
compaginem fiunt, ad quem vſum primò præcipuéque
deſtinantur: huc accedit, quòd machinationes quoque ſu-
ſtinent, vt puta trochleas, cubitos, atque alia quædam. Cu
biti ad eum vſum in organis comparantur vt per ipſos,
quæ ſuo loco mota ſunt, à ſuperiori parte extenta reponã-
tur: quemadmodum videre licet in organis Fabri atque
Andreæ, in quibus cubiti per ſuperius tranſuerſarium de
miſſi in teſtudinem figurantur, vt hac elata, quæ prolapſa
ſunt à ſuperiori parte intenta recondantur. Latæ cubitorũ
ſummitates, alæ ab architectis dicuntur: imæ verò partes
quadratæ, calces. Hi ergo propriè cubiti nominantur, ſed
quidam vocabulo abutuntur. Spathæ impellendo ſunt i-
doneæ: ea autem ſpatha quæ in Fabri atque Andreæ ma-
chinamento eſt, vtimur, vbi extrahendo impellimus, ad
femur in poſteriorem partem erumpens. Sunt & aliæ
ſpathæ in quibuſdam organis, ad alios impellẽdi modos
fabricatæ. Radices & fibulæ complures vſus in organis
præſtant. Primò enim radix & fibula in organo Fabri ſpa
tham diſtinent ad teſtudinem. Eſt quidem in teſtudine
radix: ſpatha verò qua parte quadrata eſt, medium habet
cauum, in quo radix eadem inditur: deinde fibula conti-
nendi cauſa, in ſpathã atque radicem pertuſam inſeritur.
propriè radices ad id fiunt vt recipere vncos poſſint, & a-
lios effectus præſtare: ſed fibulæ item gratia eſt quòd ma
chinationes immobiles ſeruat, vt puta axes. Catenæ eò
pertinent vt fibulæ ex ipſis ſuſpendantur, quò ſeruentur
in organis, neque decidant. Vnci adiiciuntur, ne mobiles
machinationes moueantur, veluti axes, quóue in radices
coniecti quædam organorum machinamenta ſiſtant. Per
vertebras (quas Græci ςροφάματα dicunt) ferè id efficimus
vt quædam organa immobilia moueantur, ſicuti crura
organi Andreæ. Crura enim in organo tranſuerſa ſecta,
vertebris fibuliſque continentur, vt organo modò erecto
modò per vertebras inclinato, circumducendo impella-
mus. Ad exemplum huius ſtructuræ organi Andreæ plin-
thii crura prope baſim ſecta ſunt: rurſúſq; vertebris cõti-
nẽtur, vt organũ modò erigatur, modò per vertebras mo
tũ adiũctis cruribus innitatur, vſúmque illius organi præ
ſtet quod planũ collocatur. Hi ſunt effectus vertebrarũ in
organis. Axes ad corporum ductionem, hoc eſt intentio-
nem ſpectant, quorum quidam ab vna parte ad alteram
penetrant, ac per ſe mouentur: quidam latent, & per alias
machinationes conuertuntur. Penetrat axis in plinthio
Nilei, & ſcamno Hippocratis: latet in Apellidis organo,
quod quia per tres funes circumuoluitur, triſpaſtum ap-
pellatur: & in Nymphodori gloſſocomo. Penetrantes igi-
tur igitur per ſe manibus conuertuntur: latentes autẽ per
alias quaſdam machinationes. exẽpli cauſa: Nymphodori
gloſſocomo per tympanum & cochleã ad lentis imagi-
nem fabricatã, in triſpaſto per funes alligatos, ad clauos
qui in axibus infiguntur, funes alligantur, vel habenæ at-
que huiuſmodi alia ad extendendum pertinentia. Ma-
nubriola ductaria, bacula verſantia & vectes, omnes hæ
machinationes ad axium cochlearúmq; verſationes ſta-
tuuntur. primas obtinẽt manubriola ductaria, ſecundas
vectes, quibus minus efficacia ſunt bacula verſantia: ple-
raq; enim ex ipſis exigua quũ ſint, vna manu conuertũ-
tur. Chiniſci (cuiuſmodi ſunt in lyra) excogitati ſunt ad a-
xes cõtinẽdos. vbi enim fibulæ nõ ſint, quid poterit aliud
vtilius inueniri? Quod enim ad vim pertinet, vſum habẽt
fibularũ: decoris autẽ cauſa, inſculpta habẽt anſerina capi
ta lignea. Statuũtur in organis phliæ, vt ab vno latere ad
alterũ penetrãtes axes contineãt: cuiuſmodi ſunt in ſcãno
Hippocratis, & in noſtro. Eſt & alia media phlia in orga-
no Hippocratis ad ſimilitudinẽ literæ ×, eo nomine fabri
cata, vt ad eam impellendi rationem quæ extrahendo fit;

A vbi femur excidit accõmodetur. Trochleæ in organis col
locantur, vt funes liberè duci poſſint, veluti in organo Fa
bri quod duplicem trochleã, qua teſtudo mouetur, in ſu-
periori tranſuerſario continet. In noſtro quoque organo
rurſus trochleæ ſunt quæ per inditos funes, axes attollũt.
Verùm trochleæ ferè ad id fiunt, vt axes & habenæ celeri
ter ducantur, ſimúlque vt ad intentionem, quæ alio inter
cedente motu fit accommodentur. Orbiculi ſtruuntur ad
trochlearum motionem quæ per ſe ſunt immobiles: col-
locantur autem in medio earum; quemadmodum in De-
B moſthenis ἀςράβη, & ad funes continendos, vt in triſpaſto
Apellidis. Cuneus præſertim paratur ad humeri caput in
alam prolapſum: ac deinceps ad alios quoque vſus. At lu
natum lignum prodeſt, vbi humeri caput in priorem aut
poſteriorem partem excidit. Eſt autem polus lignum infi
xum ſuperioribus crurum extremitatibus, in organo Phi
liſtionis. Luxato enim humeri capite brachium extendi-
tur, polúſque obiicitur ad hominis ceruices. Epipoma ve-
rò quod & epipegma dicitur, eſt × figura in ligno inſcul
pta in quam coniicitur × inuerſum: qualis conſpicitur in
C eo organo quod hermes dicitur. Fit autem hoc ne ab her
mis vultu corpora terantur, vt in organi compactione o-
ſtẽdemus. σκαλάθιον verò & σκυθάλιον communiter parata
ſunt, vt epipegma ferant. eſt quidem σκυθάλιον lignum
ſex digitorum in medio hebes: σκαλάθιον verò lignum
ſex digitorum rotundum, quod anguſtiori baſi nititur, &
quaſillo ſimile eſt. Sunt & in organis quædam columba-
ria inſculpta ad ſimilitudinem columbarum, quæ & or-
nandi cauſa facta ſunt, atque ad id etiam vt aliud ferant
epipegma. Tympanis hæc gratia eſt quòd quædam orga
D norũ machinationes quæ maximũ vſum præſtãt, per i-
pſa paulatim mouẽtur, vt axes & cochleæ. eſt autẽ tympa
nũ, totũda machinatio dentata. At delphines dentibus in
cluſi machinationes motu prohibent: quod vnci quoque
efficiunt. Teſtudines in organis ad id collocatæ ſunt vt
corpora quæ reſtituũtur, paulatim & minimè cõcuſſa ex-
tẽdantur. Quemadmodũ enim teſtudines animalia lento
gradu procedunt, ita machinationes quibus illa referun
tur. Porrò autẽ ex teſtudinib⁹ nõnullæ trãſuerſariis ſimi
E les ſunt, aliæ oblõgæ, aliæ cubi ſpeciẽ repræſẽtãt. Trãſuer
ſariis ſimiles ſunt in organo Andreæ, Fabríue: oblongæ
in quadrata columna quæ appellatur hermes. Cubum re-
ferunt in rotunda columna Heraclidæ Epheſii. Præterea
teſtudinum aliæ cubitos & ſpatham attollunt, aliæ cunea
tã & lunatam appendicẽ: quædã nihil attollũt, ſed ſolùm
ſunt ad extendendum inuentæ. Cubitos attollit teſtudo
quæ ſurſum fertur in organo Andreæ: cubitos & ſpathã
teſtudo quæ eſt in organo Fabri. Cuneata & lunata appẽ-
dix ea teſtudine excitatur quæ in herme eſt. Nihil attol-
F lit, ſed ſolummodo extendendo eſt ea teſtudo quæ in ro-
tunda columna Heraclidæ Epheſii collocatur. ſimiliter &
quæ deorſum fertur in organo Andreæ. Aliæ autẽ & dra-
cones fibulæq; infixæ, clauorũ vſum præſtãt: propriè autẽ
dracones, quod ad materiam pertinet, in vicẽ manubrioli
ductarii fabricantur. Quoniam verò teſtudines plerunque
à cochleis mouentur, proximum eſt vt cochlearum ſtru-
cturam atque vſum exponam. Comparãtur ergo cochleæ
in organis ad alias machinationes impellendas, puta tym
pana & teſtudines, qua paulatim & nulla ratione concu-
G tiendo extendant. Cochlearum quædam quadratæ ſunt,
quædam ad imaginem lentis quæ figuræ nomen inue-
nerunt relatæ ad capreolos, at non ad ſtructuram ſcapi:
quælibet enim cochlea rotunda, eſt ad tornum rotunda-
ta. Differunt cochleæ à capreolis, quòd aliæ quadratæ, a-
liæ ad lentis imaginem dicuntur. Quadrata cochlea eſt
quæ capreolos habet quadratos, atque ex iis non ſolùm
quod prominet, ſed etiam quod cauum eſt: cuiuſmodi co-
chleas videmus in organo Andreæ. quæ in lentis ſpeciem
ſunt, id capreoli quod cauum eſt altè anguſtum habent;
latum verum in ſummo, contrà quod prominet à baſi la
H tum vertice ipſo tenuatur. Similis autem eſt huiuſmodi
capreolus lenticulæ dimidiatæ, à qua figura cochlea hæc
ad imaginem lentis dicta eſt. Cochleæ igitur tam quadra
tæ quàm ad imaginẽ lentis, ad motionem diuerſarũ ma-

chinationum ſtatuuntur. Quadratæ enim teſtudines compellunt, quæ ſunt ad imaginē lentis, primò quidem tympana, interdum etiam teſtudines in iis quæ pericochlia nuncupantur.

Qua ratione quadrata cochlea teſtudinem moueat, Cap. V.

DEmus teſtudines ita eſſe fabricatas quemadmodum in organo Andreæ, quarum ſingulæ pertuſæ ſint atque in id cauum cochleæ demiſſæ: ab interiori autem parte caui ferrea, vel ænea lamina teſtudini infixa ſit, quæ quidem lamina dens nuncupatur. Hic igitur dens teſtudinis in cochleæ capreolo includitur: quò fit vt in quadam cochleæ conuerſione, lamina quæ dens nuncupatur, teſtudini infixa, atque in cauo capreoli contenta, teſtudinem moueat. Præterea ex iis ipſis cochleis quadratis, alia ſimplex eſt, alia duplex. Simplex cochlea eſt, quæ vno duntaxat capreolo excauata, vnámque teſtudinem impellit: in duplici, bini ſecti ſunt capreoli, hæc & binas teſtudines mouet, qualis cochlea reperitur in magno Andreæ organo quod plinthium nuncupatur. Excauatum enim lignū eſt à medio ad tranſuerſaria capreolis inter ſe aduerſis, ita vt quadam cochleæ conuerſione orſæ teſtudines, vel à medio verſus tranſuerſaria, vel à tranſuerſariis verſus medium impellantur. Eſt & alia cochlea duplex in eo quod κηρύκιον appellatur, excauata à ſummo principio vſque ad extremum aduerſis capreolis, quæ rurſus duas teſtudines mouet, quemadmodum in ipſa organi ſtructura videmus. At cochlea ad imaginem lentis tympanum mouet: ſiquidem capreoli cochleæ, tympani dētibus inſiti, machinationem conuertunt, quemadmodum cochlea, quæ baculo verſante vel manubriolo ductario conuertetur, in tympani dentes conueniens machinationes mouet. Mouet interdum eadem cochlea teſtudinem, ſed non amplius per dentem, quemadmodum quadrata, verùm in fœmina cochlea contenta quæ in ipſa teſtudine ſtruitur: quoniam teſtudinis cauum, in quod cochlea demittitur, exciſos habet capreolos aduerſos iis qui ſunt in cochlea lentis formam referente, ſic vt id quod prominet ex capreolis cochleæ lentem referentis, in cauo capreoli fœminæ cochleæ recipiatur, quódque cauū eſt in capreolis cochleæ, id quod extat ex capreolo, cochleæ fœminæ capreolis admittat. Accidit autem in cochleæ cōuerſione, vt teſtudo modò ſurſum moueatur, modò deorſum, quum cochlea in ipſius capreolis voluatur. Huiuſmodi ſtructuræ plurimæ adhibentur ad organa quæ plana collocantur: ad id enim fabricantur vt homines quibus luxata reſtituuntur, inclinatis organis inſidant: organa enim quæ plana collocantur, ita parata ſunt vt ægris ſuper ipſa vel ſedentibus vel cubantibus, luxata reponantur. Priapiſcus, qui & ſtiliſcus & ſcalmus nuncupatur, in quolibet organo quod planum collocetur, ſtatuitur. Fit autem ea de cauſa vt ei parti quæ inter anum & naturale eſt, obex ſit, vbi quæ prolapſa ſunt, reſtituūtur. Eſt igitur priapiſcus lignum octo digitorum, magna ex parte rotundum, ab eo quod ſupereſt quadratum, ſic vt quadrata ipſius pars coniiciatur in cauum, ad literæ π ſimilitudinem quadratum, in organo quod planum collocatur: reliqua verò pars quæ extat inter anum & naturale, obiiciatur. Configitur autem in trāſuerſarium π ferreum, vt firmiter priapiſcum contineat. Sed in noſtro organo videre licet magnum π ferreum ad alium vſum comparatum, nempe ad gibbā ſpinam per preſſum impellendam. Opercula in organis parantur, vt machinationes ſub ipſis occultentur, ne ſi abſque operculo fuerint, idiotis pateant. Annuli adhibentur ad organa tractoria, vt alligari poſſint: ad alia verò, vt machinationes contineant, quemadmodum in Menecriti bucranio, vbi axis cōtinetur: atq; eadē de cauſa in aliis organis. Forfices in organis arctè trāſuerſaria cū cruribus iūgūt: ad hūc enim vſum infixas forfices æneas inuenimus. Adiūcta crura id efficiūt vt organa quæ erecta collocātur, illis innixa, inclinatáque, eundem vſum præſtent ac ſi plana ſtatuerentur. Præfatus ex quibus omnia organa parentur, & quorſum ſingulæ ipſorum machinationes ſpectent, decla-

A rabo in ſequentibus quænam ex organis immota ſuo munere fungantur, & quæ mota: tum ex iis quæ mouentur, quænā ſuo loco maneāt, quæ locū mutēt dū mouētur: rurſus ex iis quæ immobilia ſunt, quæ perpetuò & vbique immobilia maneāt, quæ eximi poſſint, ad alios quoq; vſus idonea. Hæc itaq; immobilia ſunt in organis: baſis, crura, latera, trāſuerſaria, cuneata & lunata appēdix, ſedile, priapiſci, atq; alia cōplura. Vſui ſunt quū mouētur, vertebræ, vnci, axes, tympana, cubiti, cochleæ, teſtudines, atq; huius

B generis plurima. Mouentur in eodē loco manentia, vertebræ, vnci, tympana, cochleæ, plerique axes. Locum mutant teſtudines, cubiti. Eorum quæ in organis immobilia ſunt, quædam ſemper & vbique immobilia ſunt, quædam & eximi & inſeri poſſunt. Semper quidem immobilia manent, baſis, crura, latera, tranſuerſaria, radices, ſedilia, lunata appendix: extrahi poſſunt in quibuſdam organis, quanuis immobilia ſint, tum cunei, tum priapiſci, qui ad alios quoque vſus facti extrahuntur & immittuntur.

Ex Galeno de machinamentis, Cap. VI.

C ARticulis reponendis Hippocratis ſcamnum per ſe abundè eſt. Siquis autem velit aliis quoque vti, eſt polyſpaſton (ita appellatum, quoniam multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præſtet) quod iter facientibus maximè idoneum eſt. refertur autem ad Archimedem autorem. In vrbibus verò non alienum eſt Fabri vel Andreæ organon, quum erecto opus eſt: vbi plano, ſcamnum Hippocratis præcipuè aptatur.

De gloſſocomo machinamento, Cap. VII.

D NON ab re quidem mihi gloſſocomum videtur à iunioribus medicis inuentum, quod ſeu femur, ſeu crus cōminutum ſit, vbi callus circundatur, commodiſſimè admouetur. Habet autem à prima parte axem, ad quem extremi laquei in diuerſa extendentes deligantur. Iniiciantur laquei extremis partibus oſſis quod curatur, fiántque ex duabus habenis, ſic vt quatuor vterque capita habeat, bina à dextra, totidem à ſiniſtra. Ex iis capitibus quæ inferioris laquei ſunt, per foramina facta in inferiori parte gloſſocomi, ad axem duci debent: quæ ſupe-

E rioris, primò procedere ad ſuperiora, deinceps ipſa quoque per latera gloſſocomi perforata traiici, quibus foraminibus trochleæ includantur. Vtrinque ergo ab exteriori parte gloſſocomi, ſuperioris laquei capita ferenda ſunt ad axem: his enim ita conſtitutis, vna axis conuerſio pariter ambos laqueos extendit deorſum verſus, illum qui ad inferiora fracti oſſis alligatur ſurſum, alterum ſic vt compoſita fractura, in poſterum liceat quotidie hanc laqueorū


F

G

H

CAPSVLÆ MACHINARIÆ ICON.

A *Axis ad quē laqueorū capita circumiiciuntur.*
B *Laqueus ſuperior,*
C *Laqueus inferior.*
D *Inferius caput capſulæ.*
E *Trochleæ.*
F *Superioris laquei capita ab exteriori parte capſulæ.*



in diuerſas partes intentionem corrigere valentius vel A
leuius extendendo. Laqueum igitur qui in inferiori
parte eſt, directa ductione axis extendit: eum qui in ſupe-
riori parte, intercedente alio motu: Græci διὰ τῆς μεταληπτι-
κῆς στάσεως dicunt.

Nilei plinthium, Cap. VIII.

FActum eſt plinthium Nilei ad eorum organorum e-
xemplum, quæ vocātur tractoria quadrata oblonga.
Duo enim habet latera longa palmos quatuor digiti craſ
ſitudine, quæ extremis partibus tranſuerſariis inter ſe cō- B
pacta ſunt. Eſt autem tranſuerſariorum craſſitudo & latitu
do quanta laterum, ſed longitudo palmum implet. Meri-
tò igitur quum talis compactio ſit, vt latera quatuor pal-
mos longa ſint, tranſuerſaria vnum, totius organi quadra-
ti ſtructura oblonga confecta eſt. Licebit autem ſiquis vo-
luerit, latera breuiora quàm dictum eſt, efficere: quando-
quidem organum per vnicum axem effectum præſtat.
Media itaque latera pertuſa ſunt rotundis ac peruiis fora-
minibus per quæ axis traiicitur, qui media parte clauum
infixum habet: capitibus verò quibus latera excedit, ve-
ctes æneos vel ferreos decem digitorum magnitudine. C
Sunt itē in organo quatuor annuli lateribus affixi, bini ab
inferiori parte, totidē à ſuperiori. Antiqua huius organi
ſtructura autore Nileo talis eſt. Herodotus quidam archi-
tectus tranſuerſariorum priores partes medias excaua-
uit ad figuram literæ ω, ne habenæ quæ à corporibus qui-
bus vis adhibetur ad axis clauū feruntur, extātibus angu
lis atterantur, ſed rectà procedant. Hactenus Herodotus.

Nos verò quam accipimus hiſtoriam, referemus. Fe-
runt Paſicratem architectum Sidone organum hoc vidiſ- D
ſe quod à ſtatua continebatur, aliter tamen fabricatum.
Nam quum eadem compactio eſſet, conſpiciebantur
in eo organo ab extantibus axis capitibus æneorum dra-

Nilei plinthii effigies.

A *Duo latera.* B *Tranſuerſaria.* C *Rotunda, ac peruia foramina.* D *Axis, qui media parte clauum infixum habet.* E *Vectes ænei.* F *Annuli.* G *Tranſuerſarii priores partes excauatæ ad figurā literæ ω.* H *Æneorum draconum cōplexus.* I *Foramina rotunda.* K *Tympana ænea dentata.* L *Fibula indita.* M *Vncus.* E




conum complexus, quorum capita è regione ad caudas
ſpectabant. Sed quò pertinebāt hi dracones? nōn aliò niſi H
vt inuicem vectium axes conuerterent: tum in organo,
quod Sidone erat, media tranſuerſaria pertuſa erant ro-
tundis foraminibus, quæ clauo axis reſponderent. Conſtat

autem foraminum eundem eſſe vſum qui in organo He-
rodoti, nimirum vt habenæ quibus corpora extenduntur,
ad clauum rectæ per ea foramina porrigantur. Retulit
inſuper Paſicrates, axem incluſa habuiſſe in vicinia late-
rum tympana quatuor ex ære dentata, duo ab interiori
parte, totidem ab exteriori: atque item in lateribus fora-
mina fuiſſe dentium ordini reſpondentia, vt poſtquam
abundè extenta corpora fuiſſent, fibulæ inter dentes eò
demiſſæ, vbi in luxatis reſtituendis opus eſſet, axem ſiſte-
rent. Sed recētiores, tympanis omiſſis, priori parte latera
pertuderunt: pertuderunt item in orbem aliquo inter-
miſſo ſpatio, & ipſa axium capita, quò ad vſum dictum
fibulæ inditæ axem mobilem tuerentur. Ego autem quū
fibulæ decidant, ad eum quem dixi vſum vncos lateri-
bus infixi: axis verò capita foraui ſic vt huius foramina il
lis conuenirent, quæ erant in orbem in lateribus aliquo
ſpatio interiecto, quò vbi vellē in luxatis condendis axē
immobilem reddere, vncum includerem in foramen,
quod eſſet accommodatum.

Communis plinthii tractorii fabricatio huiuſmo-
di eſt. Verùm ego aliter plinthium ſtruxi: ſalua enim
eadem laterum menſura, inferius tranſuerſarium ſur-
ſum tranſtuli, quatuor digitis infra tranſuerſarium ex-
trema crura relinquens: axem verò collocaui in me-
dio tranſuerſariorum, cui parti Græcè φάτνη nomen eſt.

Plinthii alterius, ſcamnum referentis, icon.

N *Scamnum quale in ludo uidemus,*
O *Caua quadrata.*
P *Fibula.*



Scamnum quoddam, quale in ludo videmus, ab vna extre
mitate excidi cauis quadratis atque oblongis, vt propoſi-
torum crurum extrema in eiuſmodi caua conuenirent: i-
pſa item latera extremis partibus tranſuerſa pertudi, fo-
raminibus ab vno latere ad aliud penetrantibus, vt fibula
in foramina coniecta plinthium contineret. Hæc de or-
gani ſtructura: nunc ipſius motionem aggrediar.

De motu organi tractorii, Cap. IX.

F QVoniam tractoria organa imperfecta ſunt, nec præ-
ſtare quicquam per ſe poſſunt; ſed alterius operam
requirunt, puta ſcalæ, lecti, ſcamni, quæ vbi non ſunt, eo-
rum vicem exhibet pauimentum terráque ad prolapſa
reſtituenda, mihi operæpretium videtur, quaſi doceam
in ludo gratia eorum quæ nunc tractantur, ſuper ſcalam
præparatam organi motum enarrare.


Scala præparata ad humerum reſtituendum in alam prolapſum, Cap. X.

PAratur ſcala vna ex iis quæ in communi vſu ſunt, nō
G lata, quæ obliquè collocatos gradus habeat: ſiquidem
talis luxatis reponendis eſt aliena, ſed æquè craſſa ſit, qua
dratiſque gradibus conſtet, leuatis angulis ne corpora
conterant, atque in rotundam figuram redactis: huiuſmo-
di ſcalæ vbi copia non ſit quò mollius corpora inſidant,
gradus lana inuoluantur. Ordiar autem ab humeri capite
in alam excidente. Oportet igitur vbi id reſtituitur, cu-
neum funibus ſuſpenſum collocare ſuper gradum ido-
neum cui brachium (vt oſtendi) ſuperimponatur, & per fu
nes ad eum alligare. Eſt autem ille gradus reponendo ido
neus, quem retuli. Brachio ſuperiniecto intentionéque ad
hibita, ſuſpendendus homo eſt ſic vt duos palmos à paui
mento recedat, & cuneus ad gradum firmiter alligandus,
non temerè, ſed eo obſeruato, vt ex partibus quæ cū cauo
quodam capitulata eſt, ad humerum detur, quæ gibba iu
xtà eſt, ad latus. A cuneo verò deorſum verſus alterius

ſiue

A ſiue tertii gradus interuallo; organum ad ſcalam vinciendum eſt per eos quos habet annulos & funes aut habenas,aut alia quæpiam traiecta. Ipſa item ſcala in pauimentum fortiter adigenda eſt,ne in extendendo moueatur,ſed ſtabilis maneat,ac ſine vlla inclinatione. Quatuor præterea trochleæ, ſiue ſolidæ, ſiue ex duobus lignis curioſius factæ alligentur,quarum duæ à ſummo gradū ſuſpenſæ deorſum ſpectent:duæ ab imo ſurſum.Qua fabricatione parata,cuneus ad id quod prolapſum eſt reponēdum,admoueatur,tenui lana mollique obuolutus,tum vt lignum quod durum eſt,circundata lana minus tactu lædat,tum vt ſudor,qui propriè oriri ſolet ala plurimùm calefacta,magiſque ægrotantis metu ac labore, lana cuneo impoſita combibatur. Hæc autem ſcala vel contineatur ſtabiliter ab aſſiſtentibus, vel extremis partibus in pauimentum defigatur, cuneiſque (vt propoſitum eſt) confirmetur.Illud autem in apertò eſt,ſcalam bene longam eſſe debere,vt poſtquam demiſſa in terram fuerit, quod extat vbique pro magnitudine eius qui curatur, abundè longum ſit.Scala confirmata ſubſellium iuxtà collocetur.

Scalæ,ad humeri in alam prolapſi,reſtitutionem,expreſſio.



A Cuneus funibus ſuſpenſus,ac ſuper gradum alligatus.
B Organum ad ſcalam alligatum.
C Trochleæ duæ à ſummo gradu ſuſpenſæ, deorſum ſpectantes.
D Trochleæ duæ ab imo gradu ſuſpenſæ,ſurſum ſpectantes.
E Subſellium.

F

De humeri capite in alam prolapſo, Cap. x I.

SVper ſubſellium homo aſcendens,brachium ſuper gradum traiiciat,ita vt cuneus aptè in alam demittatur: poſt hæc duplicata habena media inter cuneum & humerum detur,capitáque eius extrinſecus pendeant:deinde carcheſius laqueus,vel alius æqualiter extendens humero iniiciatur,non circa medium, ne lacertum vrgeat, ſed citra tumorem vel vltra: ſic enim cubiti inæqualitas G
laqueum deorſum labi non patietur, præterquam quòd hoc modo vtilius imponetur.Sequuntur enim facilius ea corpora quæ ampliori interiecto ſpatio adducuntur: quæ exiguo,difficilius.Circūdato laqueo,capita eius rectà deorſum ducta ad clauum axis religentur, & axis vel per vectes vel ſolis manibus cōuertatur,vt eius conuerſio directa deductione ab inferiori parte intendat. Eodem autem tempore,quum aucta iam intentio eſt,ſubſelliū ſubtrahatur,vt homo à ſcala pendeat,atque ita excitando re- H
poni luxatum poſſit.Suſpenſo homine miniſter aſſiſtens à poſteriori parte vtranque manum ſimul iunctam ad ceruicem eius adducat,collúmque in contrariam partem cogat,idque fiat quo tempore intendimus atque excitamus, quum laquei ægro iniecti poſtea laxentur. Neruis abundè diductis,debet qui reponit aſſiſtens habenæ capita prehendere,cubitúmque ad ſcalam repellens,humeri caput per habenam extrahere: quo facto, remittenda intentio eſt,& ipſe articulus ſurſum cōpellendus,vt in regionem priſtinam reuertatur. Ratio directæ ductionis ita habet.Sed vt tutò reponamus, optimum fuerit priuſquam nerui extendantur,habenis & crura hominis inter ſe,& integrum brachium ad latus deuincire, ne ob tormentum quod in condendo articulo ſentiet,vel ſuper ſcalam aſcendat,vel manu laquei capita contineat. Lice-
B bit etiamnum alio intercedente motu, ab inferiori parte extendere:id qua ratione fiat,ſubiiciam. Iiſdem omnibus factis quæ præcepimus, quum ab inferiori parte extendentes directa ductione vtebamur,laquei capita per inferiores trochleas traiiciuntur ab inferiori parte extrà, atque ad axis clauum religantur,vel ducta ab exteriori parte verſus interiorem ad axis vectes vinciuntur, vt axe verſato,alio intercedente motu ab inferiori parte extendamus. Nihil item prohibet quo minus eadem fabricatione parata,duplici motu contrario intercedente ab infe-
C riori parte adducamus:quod ad quem modum fiat, indicabimus. Laquei capita ad inferiores trochleas ducta ibique traiecta, ad ſuperiores referuntur, tum deorſum attracta, ad axis vectes alligantur, vt eius conuerſio duplici motu contrario intercedente ab inferiori parte extendat. Poſtquam abundè extenderimus, proximum eſt vt impellamus eo quo oſtendimus modò, vbi de directa ductione loqueremur. Ii ſunt modi quibus ab inferiori parte intendimus. Poſtquam reconditus articulus fuerit, ſubſellium ad ſcalam referendum eſt,vt æger ſuper id ſta-
D tuatur,tam à ſcala quàm à cuneo remotus, collocato humero,vt antè dixi. Verùm quum maiores noſtri idem organum idoneum à ſuperiori parte attrahando tradiderunt,ſequitur vt nos quoque à ſuperiori parte extendendi rationem vobis aperiamus. Ergo (ſicut dixi) placuit maioribus luxati reſtituendi modum, & à ſuperiori parte adducendo, & in diuerſa trahendo, explicare. Potiſſimùm autem à ſuperiori parte intenderunt, vbi humerus non ſolùm elapſus eſſet, ſed etiam perfractus. Spectemus igitur quibus modis voluerint luxata reſtitue-
E re, à ſuperiori parte intendentes. Scala igitur in cæteris eodem modo præparata, cuneum non amplius ex fu-

Scalæ ad humeri capitis in alam prolapſi reſtitutionem expreſſio.



nibus ſuſpenſum ad gradū alligant, ſed ſolùm ſuperimponunt:funium verò capita admodum longa per ſuperiores

trochleas ab inferiori parte extrà traiiciunt: poſt hæc A deorſum demiſſa vectibus, qui pro clauis ſint, circumligant. His ita conſtitutis, ſubſellium ad ſcalam ponunt, ſuper quod homo aſcendens brachium ſuperiniiciat, vt cuneus rurſum in alam indatur, deinceps carcheſium laqueum vel alterum æqualiter extendentem humero iniiciunt,capitáque eius deorſum ducta, vt contineantur,ad aliquem ſcalæ gradum deuinciunt.Quibus ita contentis,axis conuertitur, per quam conuerſionem cunei funis alio intercedente motu attractus,à ſuperiori B parte intendit.Neruis,quantum res poſtulat, intentis,impulſus adhibetur, per duplicem habenam extrahendo, & manibus ſurſum compellendo.Equidem huic reponendi modo non ſubſcribo,ea de cauſa quam adiungam. Cuneus elatus circumagitur, qui quum ſub ala non manet, articulus ex toto non reponitur, ac potiſſimùm vbi quis velit ſuſpenſo homine excitando illum reponere. Ea verò extendendi ratio quæ ab inferiori parte adducit, ſtabilis eſt,cuneo ſuper gradum collocato, & per funes alligato, vt antea diximus. At quo pacto nos à ſuperiori parte C adducentes firmiter reſtituamus, paulo pòſt intelligetis, vbi cōdendi luxati rationem recenſebimus. Ratio autem quæ in diuerſa diducit,ſic habet: Cæteris omnibus ordinatis, laquei capita non amplius ad gradum vinciuntur, ſed ad axis clauum dantur per ſe, vel alio motu intercedente,vt prius ſcilicet per inferiores trochleas traiiciantur, túncque ad axem deligentur. Eadem nunc culpari poſſunt,in hac in diuerſa extendendi ratione quæ paulo antè dicta ſunt in illa quæ à ſuperiori parte extendit. Vbique enim probo,quum is cuius articulus repónitur,rectus D collocatur,ſolam ab inferiori parte extendēdi rationem adhiberi. Nunc proximum eſt,quum de humero in alam prolapſo dixerimus,vt de eodem quoque in priorem partem excidente pertractemus.

De humeri capite in priorem vel poſteriorem partem excidente, Cap. XII.

AD humeri caput in priorem vel poſteriorem partem elapſum, ſcala eadem ratione modóque præparata vel figurata,organóque & trochleis (vt antea dictum eſt) E alligatis rurſus vbi reſtituere volumus,ſubſellium iuxtà ponimus,lanáque vel linteis cōtegimus gradum idoneū ſuper quem reſtituamus:cui(ſicut oſtenſum eſt) inuoluto ala inſidat:tum carcheſium laqueum vel alium æqualiter extendendi vim habentem,humero (vt propoſitum eſt) circundamus,cuius capita deorſum attracta ad organi axem religamus,quemadmodum ad humerum in alā prolapſum tradidimus, vt conuerſus axis directa ductione ab inferiori parte intendat.Eodem momento quo intendimus,aliquis rurſus à poſteriori parte aſſiſtens, vtra- F que manu ad ceruices hominis data, corpus in contrariam partem repellat.Licebit autem in hoc caſu magis & extendere & ducere ad inferiora. Subſellio itaque ſubtracto,homo ſuſpenditur,vt ſimul articulus excitetur, & quæ illi ſuperiecta ſunt,laxentur.Vbi quantum reponendus articulus poſtulat intenderimus, circunducendo impellimus:ſiquidem in priorem partem humeri caput exciderit,ab ea ſede in quam venit ad eam, vbi eſſe naturaliter debet,prominentiori palmæ parte vrgemus,atque altera manu cubitum à poſteriori parte in priorem addu- G cimus: quo facto,miniſter aſſiſtens manum apertam lato ſcapularum oſſi opponat atque id repellat, ne vis operæ reſoluatur. verùm ſi in poſteriorem partem prorumpat, contrarium fieri debet, humeri quidem caput prominentiori parte palmæ vrgendum eſt,vt à lato ſcapularum oſſe in ſuam ſedem reuertatur, atque altera manu cubitum à poſteriori parte in priorem adducimus: quo facto,miniſtēr aſſiſtēs manū apertā lato ſcapularū oſſi oppo- nat,atque id repellat,ne vis operæ reſoluatur. Hac igitur H ratione humeri caput reſtituendū ducimus,vbi in priorē vel poſteriorē partem eruperit. Sed alii in vtroq; caſu eam reponendi rationem probarunt quæ à ſuperiori parte extendit:hoc quo pacto agant,videamus.Scala eodem modo parata,duplicatæ habenæ vel funis medium lana vel linteo inuolutum alæ ſubiiciunt, capitáque eius per ſuperiores trochleas traducta, deorſum ad axis vectes tanquam ad clauos alligant,deinde humero carcheſium laqueum vel alium qui æqualiter extendere valeat, circundant,cuius capita deorſum demiſſa, vt contineantur ad aliquem ſcalæ gradum deuinciunt. Quibus ita cōſtitutis, axis conuertitur:quo conuerſo & continent & à ſuperiori parte intendunt, ac poſtquam abundè extenderunt, adducendo impellunt. At quum in diuerſa contendunt, capita laquei vel directa ductione, vel alio intercedente motu,funis verò,per alium motum interiectum ad axis clauum alligant,vt conuerſo axe in diuerſa diducāt: poſtquam ſatis intenderunt adducendo impellunt. Intentiones quidem ſuccedunt:ſed impulſus fallax eſt. Siquidem homine excitato,& ſuſpenſione diſtracto, ægrè articulus reſtituitur: atque ob hanc cauſam nunc placuit extendendi rationem tam à ſuperiori parte quàm ab vtraque præterire. Humeri ergo caput in quancunque partem venerit, conuenit ab inferiori parte extendendo reponere, quum erectus homo collocatur. Qua via humeri caput reſtituatur, expoſuimus: pergamus igitur ad cubitum.

De cubito, Cap. XIII.

AEquè duo brachii oſſa in quatuor partes erumpunt, in interiorem,exteriorem,priorem & poſteriorem: atque vbi in tres partes venerint,exteriorem ſcilicet, interiorem & poſteriorem, brachium curuatur & extendi non poteſt.Commune eſt horum trium caſuum, in quibus curuum brachium minimè extenditur, ſcalam cum organo(vt dictum eſt)ad reſtituendum parare: poſtea hominem iuxta ſcalam collocare,vt ſuper ſubſellium aſcēdens brachium ſuper conuenientem ſcalæ gradum iniiciat,tum ea iunctura quæ palma nuncupatur, humerum continere,& laqueum inæqualiter extendentem, vt attollentem chiaſtum aut nauticum brachio in vicinia manus circundare, eiúſque capita ad vnum ſcalæ gradum, vt retinacula ſint,deuincire, vt vbi vis adhibetur, recti anguli figura fideliter conſeruetur, eóque facto medium duplicatæ habenæ, brachio prope cubitum iniicere: capita verò deorſum ducere ad axem,ibique vel directa ductione ad axis clauum alligare,vel alio intercedente motu,non ſecus ac vbi humeri caput reponitur, vt ſimiliter axis conuerſio ab inferiori parte intendat. Traditur etiam ad cubitum ille reponendi modus, qui à ſuperiori parte extendit, cuius ratio eſt hæc. Cæteris omnibus (vt præpoſitum eſt) conſtitutis, humerus non amplius vt contineatur, deuincitur, ſed laqueus carcheſius aut alius ex his qui æqualiter extendunt, ipſi circumligatur, cuius capita ad ſuperiores trochleas adducta, ab inferiori parte in exteriorem attracta deorſum feruntur, & ad axium vectes quaſi ad clauum alligantur: duplicatæ verò habenæ capita deorſum adducta, vt retinacula ſint ad aliquid immobile dantur. Conuerſo igitur axe & continemus, & alio intercedente motu à ſuperiori parte extendimus. At modus qui in diuerſa extendit, hinc manifeſtus eſt: vbi enim in diuerſa extendimus, laquei capita per ſe ad clauum axis vel alio intercedente motu ad eiuſdem vectes deligantur,vt eadem conuerſio in diuerſa extendat. Neruis quantum res poſtulat extentis,conuenienter impellere oportet, adducendo, ſi luxata in duas partes venerint,in interiorem ſcilicet & exteriorem:extrahendo, ſi in poſteriorem. quas impellendi rationes in opere de articulis expoſui.Hæc igitur fieri debent,quando cubitus in propoſitas partes erumpit: verùm ſi in priorem,(in quo caſu diximus extentum brachium non curuari)iterum eadem ſcala atque organum comparatur:æger ſcalæ aſſiſtēs brachium ſuper commodum eius gradum imponit,humerus ad ſcalam per eandem iuncturam vincitur,laqueus æqualiter extendens ad brachium datur in vicinia manus, cuius capita deorſum feruntur ad organum, vt ab inferiori parte attrahātur. Siquis autē velit agere hoc tum continendo, tū à ſuperiori

parte adducendo, humerum non amplius ad ſcalam deuinciat,ſed vtrique membro laqueum iniiciat,qui æqualiter intendat,vnum ſcilicet humero,alterum brachio, & ſuperioris quidem laquei capita ſurſum ferat vltra caput, alterius verò deorſum,vt (quemadmodum in aliis reponendi rationibus declarauimus) extendat. Quod vbi abundè fecerit,tunc reponendi cauſa duo modi impellendi potiſſimùm aptantur, qui premit & qui circunducit.Sed antè quidem premere conuenit, dum intentio adhuc manet: dehinc circumducere, quos impellendi modos multo antè expoſui in opere de articulis. Oportet autem eo quod luxatum eſt, reſtituto, brachium curuare atque extendere,pronúmque & ſupinum collocare,vt ex toto reſtitutum eſſe intelligas,tum ad angulum rectum in ſequentē curationem figurare. Vtraque igitur brachii oſſa,vbi loco ſuo non ſunt, per ſuperiores modos reponuntur. Verùm quoniam vtrũque per ſe propriè vitiatur, quum ſuo loco mouetur, poſthac neceſſe eſt,ſcribamus quónammodo cubitus erumpens,radiúſque diductus ab inferiori parte extenti reuertantur.

Scalæ ſequentis,per literas declaratio.

- A *Cuneus ſub ala per funes ſuſpenſus.*
- B *Organum ad ſcalam alligatum.*
- C *Trochleæ à ſummo gradu ſuſpenſæ.*
- D *Trochleæ ab imo gradu ſuſpenſæ.*
- E *Subſellium.*
- F *Iunctura quæ palma nuncupatur.*
- G *Laqueus attollens in vicinia manus.*
- H *Capita laquei,ut retinacula ſint,ad ſcalæ gradum deuincta.*
- I *Medium duplicatæ habenæ prope cubitum iniectum.*
- K *Capita ad axis clauum directa ductione alligata.*

Scalæ,qua brachii oſſa è loco ſuo mota reponantur,expreſſio.



De cubito & radio, Cap. XIIII.

Mouetur per ſe cubitus interdum loco, & rurſus per ſe radius diducitur,iis modis quòs in opere de articulis declarauimus. Ad hæc igitur oſſa reſtituenda,ſcala ſimiliter paratur,humerúſque ad gradum vincitur ea iunctura quæ palma dicitur: ad ipſum verò brachiũ vtiliter

A datur laqueus aliquis, ex iis qui inæqualiter extendunt, cuius laquei ſinus à parte quæ reſtituitur, capita à contraria,hoc eſt ab integra collocentur. Propriè enim laquei qui inæqualiter extendunt, eas partes magis cogunt,quibus ſinus hærent:minus verò quibus capita.Siquidem cōſilium eſt,vbi ſuperius os excidit,ab inferiori parte attrahere:ad id quod ſuo loco eſt,vim minimè adhibere.Huius igitur laquei capita ad axis clauum dari debent, vel directa ductione, vel alio motu intercedente, vt conuerſio axis ab inferiori parte extendat. Sed vbi quantum re-

B ſtituendum os poſcit, extenderimus,idoneis impellendi modis vti conuenit, cubito quidem in interiorem partem excidente; radióque in exteriorem adducto, vtriuſque manus digitos inter ſe iunctos eminentiæ cubiti ſubiicimus,prominentioréſque palmarũ partes vtrinque ponimus, atque his ſummopere vrgentibus adducimus: ſed in ſi poſteriorem partem prorumpant,cubitus præſertim,ea reponendi ratio efficaciſſima eſt quæ extrahendo impellit.ſin radius in priorem partem conuertatur, expedit premendo & circunducendo impellere, quēadmo-

C dum oſtendimus vbi vtrunque os in priorem partem elapſum ponebamus. exquiſitos autem reponendi modos in opere de articulis expoſuimus. Repoſiti autem oſſis indicium erit,in cubito libera brachii contractio atque porrectio:in radio, in pronum vel ſupinũ habitum conuerſio. Quomodo igitur per ſcalam homine erecto

Scalæ qua cubitus erumpens,radiúſque diductus reuertantur,expreſſio.

- B *Organum ad ſcalam alligatum.* C *Trochleæ ſuperiores.*
- D *Trochleæ inferiores.* E *Subſellium.*
- F *Iunctura quæ palma nuncupatur.*
- G *Laqueus inæqualiter extendens.*
- H *Capita laquei duplici intercedente motu ad axem data.*

D



reſtituere laxatum conueniat, demonſtrauimus. Verùm quia iuſta aliqua de cauſa, aut propter imbecillitatem,aut ob femur ſeu crus ſimul comminutum, æger ſtare nequit dum luxatum reſtituitur,neceſſe eſt in ſequentibus aperire quæ ratio ſit reſtituendi,homine ſuper planam ſcalam iacente.

Quo pacto iacente homine reſtituatur humerus in alam prolapſus, Cap. XV.


H Scalam collocare planam oportet, & vt à pauimēto attollatur,extremitatibus lapides vel ligna ab vtraq; parte ſubiicere atque æquandi gradus cauſa linteum ſuperimponere:huiuſmodi enim lect⁹, quòd pertinet ad ægrū

iacentem,dum reſtituitur,ſcamni munus præſtabit. Or- A
ganum verò ad ſcalam alligandum ab inferiori crurum
extremitate, rurſúſque trochleæ(quemadmodum dictū
eſt)binæ à ſuperiori ſcalæ parte,totidē ab inferiori vin-
ciendæ.Satius autem eſt ad luxata reſtituenda, pro ſcala
adhibere ſcamnum quod ab altero extremo quadratis
foſſis excauatum ſit,vbi organum firmiter inſiſtat. Quæ
præparatio eſſe debeat,dictum eſt: modos autem quibus
humeri caput reſtituitur,exequemur.Prolapſo igitur hu-
meri capite,collocare hominem cōuenit; ſic vt iaceat ſu-
per ſcalam,organo ad pedes conſtituto,ſupinus,vbi in a- B
lam vel priorem partem excidit:in ventrem,vbi in poſte
riorem. Igitur vbi in alam conuertitur, funis capita ſu-
per caput à priori vel poſteriori parte adducenda, me-
diúmque habenæ duplicatæ dandum eſt ad humerum,
ſic vt inter ipſum & cuneum demittatur, capitáque eius
ab exteriori parte ferantur,atque ita pendeant: poſt hæc
laqueus carcheſius,vel alius ex iis qui æqualiter extendūt,
humero(vt ſuprà oſtenſum eſt) iniiciendus, cuius capita
deorſum ad organum adducenda. Quum capita ergo ad
pedes ferantur,agemus vel continentes & ab inferiori C
parte extendentes,vel in diuerſa trahentes, ſiue directis
ductionibus vtamur,ſiue alius motus intercedat, vt an-
tea indicauimus.Quum ſatis extenderimus,condere hu-
merum debemus,idoneam impellendi rationem adhi-
bentes. Præcipuè autem duplex impellendi ratio idonea
eſt,& quæ articulum extrahit, & quæ ſurſum compellit.
Manente intentione,duplicatæ habenæ capita tenentes,
vi humeri caput extrahimus, eodémque momēto cubi-
tum in interiorem partem ad latus repellimus; eò enim
fit vt humeri caput facilè promptéque in exteriorem par-
tem ducatur,moueatúrque.Quo facto remiſſa intentiône D
protinus ſurſum compellimus: poſt hæc humerum pre-
hendētes attollimus,vt in ſuum locum collocemus. Hæc
ſunt quæ fieri oportet,vbi humeri caput in alam excidit.

Scalæ ſequentis per literas deſcriptio.

A *Cuneus alligatus ad funem, cuius capita dantur ad gradum ſupra caput.*
B *Organum ad ſcalam alligatum.*
C *Trochleæ à ſummo gradu ſuſpenſæ deorſum ſpectantes.*
Γ *Trochleæ ab imo gradu.*
E *Habena media demiſſa inter cuneum & humerum, cuius capita ſpectent in partem exteriorem.*
F *Carcheſius ad humerum datus.*

Scalæ planæ,qua iacētis hominis humerus in alam prolapſus reſtituitur,expreſſio.



De humeri capite in priorem vel poſteriorem partem excidente, Cap. XVI.

SED ſi humeri caput in priorem vel poſteriorem par-
tem conuertatur,homine(vt dictum eſt)figurato, nē-
pe ſupino,ſi in priorem partem venit:in ventrem, ſi in
poſteriorem,funis aut habenæ medium lana ſiue linteo
obuolutum alæ ſubiicitur,capitáque ſuper caput ferun-
tur,non quidem è regione viriati humeri, ſed obliqua
verſus partem contrariam,ad rem aliquam immobilem
vinciuntur,qua retineantur. Ambigitur verò quamobrē
capita non rectè ferantur, ſed verſus contrariam partem
obliqua.Paſicrates quidem atque alii nonnulli hoc ea de
cauſa fieri aiunt,ne à medio funis humeri capite ſurſum
attracto prohibeamur quominus ab inferiori parte extē-
damus.Sed decipiuntur ſimilitudine femoris,quum res
aliter habeat: ſiquidem femur ad Γ literæ ſimilitudinem
declinat:at humeri caput dimidiū orbiculatum eſt,neque
poteſt femoris modo à medio fune ſurſum adduci.Quor
ſum igitur id fit,ne ſub medio fune quæ ſub ala ſunt cō-
preſſa,alæ regionem compleant: completo enim receſſu,
humeri caput locum non habebit in quem recondatur.
Nos etiam non ſecus atque ii qui nō multo antè vixerūt,
ob propoſitam cauſam,habenam & funem ſimiliter col-
locamus.Conſueuimus interdum & aliter cōtinere: duos
enim laqueos ex iis qui inæqualiter extendunt,implican
tes thoraci dorſóque ſub alis circumponimus, eorúmque
capita continendi cauſa ad gradum qui contrà ſitus eſt,
alligamus:qua continendi ratione adhibita laqueum æ-
qualiter extēdentem humero circumponimus, quēmad-
modum tradidimus,qua de humeri capite in alam pro-
lapſo:cuius deinde laquei capita ab inferiori parte ad or-
ganum demittimus,& ad axem deuincimus, vt eo con-
uerſo contineamus,& ab inferiori parte pariter extenda-
mus:vi,quantum res exigit,adhibita vt articulum reſti-
tuamus,premendo impellimus. Prominentiori enim v-
nius manus palma vi humeri caput comprimimus: altera
verò cubitum huc atque illùc agitamus. Indicium autem
repoſiti oſſis in ſuperioribus explananimus. Fit etiam in-
E terdum vt ad humeri caput luxatum,medii quoque hu-
meri fractura accedat,cogatúrque medicus eodem tem-
pore vtrique vitio ſubuenire.Docendi autem gratia ſer-
moni inſiſtam,qui eum caſum explicet, vbi & caput hu-
meri in alam excidit,& medius humerus comminuitur.

De humero ſimul fracto & prolapſo, Cap. XVII.

QVæſitum eſt à maioribus noſtris qua via hæc reſti-
tuantur. Paſicrates quidem os ſuo loco motum pri-
F mò reſtituit, quòd maiorem vim in reſtituendo poſtulet
quàm fractura. At ſiquis ſub fractura laqueum iniiciens
eodem momēto velit tam quod fractum eſt, quàm quod
excidit,reſtituere,dum vis ad luxatum quantum poſtu-
lat,adhibetur,fractura plus iuſto intenta, partes fracturæ
ſuperiectæ vltra debitum extentæ lædentur, reſoluentur
nerui aut abrumpentur,& fortaſſe corpora tota priuſquā
articulus laxetur:atque hac de cauſa cenſuit ipſe laqueum
ſuper fracturam imponendum,& antè quod luxatum,de-
inde quod fractum eſt,reſtituendum. Voluit Ariſtiō eo-
G dem tempore & luxatum & fractum humerum reſtitue-
re,ne ſi luxatum prius reponatur, dum fractura compo-
nitur,præ vi poſitum humeri caput erumpat.Quæ dicun-
tur in vtroque caſu ſequi detrimenta,verè ſic habent:qua
propter nobis placet antè articulum reponi, proximéque
fracturam curari,ea cautione,ne dum quod fractum eſt
ab inferiori parte extenditur, articulus elabatur. Ad luxa-
tum igitur reſtituendum cuneus à funibus dependens in
alam conicitur,rurſúſque capita funis ſurſum adducun-
tur ſuper caput: humero ſuper fracturam carcheſius la-
queus imponitur, vel alius qui æqualiter extendat, eiuſ-
que capita deorſum demiſſa, vt retineantur ad aliquam
H moram vinciuntur,atque à ſuperiori parte attrahēdo,ar-
ticulus reponitur:quo facto,cuneus in ala relinquitur, vt
humeri articulus maneat:laquei verò capita inferiori par
te reſoluuntur,& ſuper caput adducta tanquā retinacula

vinciuntur vt vtriuſque præſidio,cunei ſcilicet & laquei, articulus ſuo loco ſeruetur. Poſt hæc carcheſius laqueus, vel alius æqualiter extendens humero iniicitur, cuius capita deorſum demiſſa ad axem vt ab inferiori parte intendant,religantur:quò fit vt fractura ab inferiori parte intenta componatur, ſuperiori articulo non excidente. Hactenus de humeri capite,nunc de cubito.


De cubito luxato, Cap. XVIII.

CVbito in illas tres partes conuerſo,in quas vbi procidit,brachium curuum eſt neque extēditur,homo reſupinandus eſt ſuper aſſerem ſcalæ inſidentem : alligatis trochleis organóque ab inferiori parte,laqueus inæqualiter extendens brachio prope manum iniiciendus, cuius capita ſuper caput adducta ad oppoſitam moram alligentur:tum duplicatæ habenæ medium iuxta cubitum dandum,capitáque eius deorſum adducenda. Dantes igitur capita, laquei quidē humero iniecti,ſupra caput,duplicatæ verò habenæ,deorſum,continebimus ſimul, & ab inferiori parte extendemus, vt oſtenſum fuit in ſuperioribus:neruis abundè intentis,eo modo impellemus quem paulo ſuprà diximus, quū de erecta ſcala pertractauimus. At ſi in priorem partem elabatur,in quo caſu brachium extenditur,reſupinato itidem homine,laqueus æqualiter extēdēs humero iniiciatur, capitáque eius ſuper hominis caput attrahantur:tum alter laqueus æqualiter extendens ad extremum brachium alligetur, eiúſque capita deorſum ducantur. intentionem verò à pedibus adhibendam eſſe antea expoſui.Eodem autem modo vbi articulum reſtituimus,impellere oportet,premēdo ſcilicet & circumducendo,eadémque ratione quæ in opere de luxatis dicta eſt. Verùm ſi alterum os præter naturam habeat, ſiue cubitus excidat,ſiue radius diducatur, laqueo rurſus æqualiter extendente ad humerum dato, capitibúſque eius ſurſum ſuper caput adductis vt retinacula ſint, brachio laqueus iniicitur qui inæqualiter extendat (quemadmodum explicauimus)capitáque eius deorſum ad organum adducuntur,& iidem impellendi modi accommodātur. Abſoluimus iam ſermonem vniuerſum de cubito atque humeri capite, reſtat vt ad manum accedamus.

De manu, Cap. XIX.

Scalæ,qua manus ſecundum motum vitiata reſtituitur, expreſſio.

A Organum ad ſcalam alligatum. B Trochleæ. C Ferramentum datum ad ſinus manus. D Sinus laquei dati ad ferramenti extremitatem. E Laqueus æqualiter extendens brachio iniectus in uicinia manus.



A MAnus in quatuor partes mouetur,in interiorem, exteriorem,priorem & poſteriorem. Reſtitui autem debet vel ſuper ſcamnum,vel ſuper ſcalam quæ plana collocetur.Homine itaque iuxta ſcalam vel ſcamnum ſedēte,figuretur manus ſupina,ſi in interiorem partem erupit: prona,ſi in reliquas tres.Deinceps circa ſinum manus,ferramentum quo adurimus,tranſuerſum vel tranſuerſus axis detur,atque ad ipſam palmam vinciatur: tū extremitatibus propoſiti vectis ſeu ferramenti ſinus laquei inæqualiter intendentis vel mediæ habenæ iniiciātur, capi-
B táque à priori parte ad organum ferantur.Brachio autem in vicinia manus circumligetur laqueus æqualiter extēdens,cuius capita ferantur à poſteriori parte,rurſúſque intentio adhibeatur quæ paulo antè expoſitā eſt,vel continēdo & ſeu ab inferiori ſeu ſuperiori parte extēdēdo, vel in diuerſa adducendo:poſtquam abundè intenderimus, impellere debemus, quemadmodum in libro de luxatis expoſuimus,premēdo,vbi in interiorē vel exteriorē partē venit: vbi in priorem & poſteriorem,adducendo.Sed
C venio ad ſpinam.

De ſpina, Cap. XX.

SPina gibba recenti ictu reſtituitur. Oportet in reſtituēdo hominem pronum collocare, vel ſuper ſcalam cuius gradibus aſſer iniectus ſit,vel ſuper ſcamnū, trochleáſque(vt dictū eſt)adhibere: poſt hæc ad ſpinā dare binos laqueos æqualiter extēdētes,vnum à ſuperiori parte gibbi,alterum ab inferiori:vel quaternos ex iis qui inæqualiter extendunt,inter ſe oppoſitos,binos à ſuperiori parte,totidem ab inferiori: & ſuperiorum quidē capita ſur-
D ſum,inferiorum verò deorſum adducere,ſiue vt retinacula ſint,& vel ab inferiori vel à ſuperiori parte intēdāt, ſiue vt in diuerſa diducant. verùm vbi in diuerſa diducimus, trochleis vtimur alio intercedente motu agentes. Poſtquam abundè intenderimus, eo modo impellimus quem in libro de articulis enarrauimus. Sequitur autem vt de modis reponendi femoris pertractemus.

De femore, Cap. XXI.

FEmur in quatuor partes prorumpit,interiorem,exte-
E riorem,priorem & poſteriorem:atque vbi in tres partes conuertitur,crus extentum eſt,& curuari minimè poteſt:quòd ſi in poſteriorem partem prolabatur,curuatur, ſed non extenditur.Igitur ſi in illas tres partes venit, vbi extētū crus minimè implicatur,reſupinādus homo eſt ſuper ſcalam vel ſcamnum,& duplicatæ habenæ vel funis medium lana ſeu linteo circundatum inter anum & naturale iniiciendum,capitáque eius ſuper caput adducenda. Si in exteriorem quidem & priorem partem femur eruperit,media habena variè quacūq; parte inter anū & na-
F turale dari poteſt:ſed ſi in interiorem partem exciderit, inter femur integrum adhibenda eſt,& articulum qui reſtitui debet,ne ſi femoris capiti ſubiecta fuerit,membrū ab inferiori parte attrahi non ſinat.Quo facto,carcheſius laqueus vel alius,æqualiter extēdens,femori extremo circumponendus eſt,capitáque deorſum ad organum ferēda, & ad axis clauum alligāda,vt adhibitis retinaculis cōuerſo axe contineamus,& ab inferiori parte extēdamus. Nihil item prohibet quo minus à ſuperiori intendamus, quemadmodum dictum eſt qua de humeri capite. Ner-
G uis quantum ſatis eſt diductis, iiſdem vtendum eſt impellendi modis quos in opere de articulis indicauimus. At ſi femur in poſteriorem partem prolabatur, vbi complicari crus diximus,ſed nullo modo extendi, organo ab inferiori parte alligato æger ſedeat, magis tamen in ſupinum habitum conuerſus, in alteram coxam inclinetur: poſt hæc contineatur ſicut in opere de articulis oſtendimus.tunc carcheſius laqueus vel alius æqualiter extendēs femori circūdetur,eiúſque capita deorſum demiſſa, vt ab inferiori parte extendantur,ad axē religentur. Neruis
H quantum res poſtulat intentis,oportet eadem ratione in reſtituendo impellere quæ in opere de articulis expoſita eſt,ſpatha premendo idonea extrahere, & femoris caput in exteriorē partē adurgere,ſicque crure deorſum extēto atque homine reſupinato,articulus reponitur. Crus autem

reſtitutum teſtatur eius flexus atque porrectio:in quan-
cunque enim partem venerit,vbi reſtitutum eſt, liberam
eius actionem ſpectamus, flexum ſcilicet & porre-
ctionem.

De genu, Cap.XXII.

GEnu in tres partes erumpit, interiorem, exteriorē,
& poſteriorem: vbique autem crus extentum eſt. Si
in interiorem & exteriorem partem veniat, hominem
reſupinare conuenit:ſi in poſteriorem,pronum collocare,
túncque laqueos æqualiter extendentes membris iniice-
re,vnum quidem femori prope genu,alterum cruri ſuper
eam regionem quæ carnoſa à poſteriori parte prominet,
rurſúſque organo ad inferiora deligato, eaſdem adhibe-
re intendendi rationes quæ in aliis luxatis ſunt oſtenſæ,
impulſúmque in opere de articulis declaratum.


De talo, Cap.XXIII.

TAlus modò in interiorem, modò exteriorem partem
prolabitur,nonnunquam etiam in poſteriorem.Rur-
ſus itaque oportet hominem ſedere,extentóque cruri la-
queum imponere,qui æqualiter extendat, eiúſque capita
ad poſteriorem partem porrigere, ad talum verò ſanda-
lium vel draconem laqueum dare,capitáque à priore par
te ad axē adducere,continēdóque ab inferiori parte ex-
tendere,& iiſdem vti modis impellendi, quos in opere
de luxatis explicauimus. Reſtituendi rationem præteri-
mus,quoniam de hac præcipuè agimus, vbi organorum
quæ plana collocantur,præſertímque noſtri machinamē-
ti,motum declaramus.

Scalæ ſequentis per literas deſcriptio.

A *Laqueus iniectus cruri æqualiter extendens.*
B *Sandalius laqueus ad talum datus.*

Scalæ, qua talus è loco ſuo motus re-
ſtituitur, expreſſio.



G

Gloſſocomum Nymphodori, Cap. XXIIII.

GLoſſocomum Nymphodori tractorium organum eſt
quadratum : habet autem duo latera quæ extremis
partibus per duo tranſuerſaria inter ſe iunguntur:laterum H


A verò & trāſuerſariorum eadem eſt magnitudo: ſunt enim
longa latáque duos palmos,craſſa digitos totidem. qua-
re quum æqualis ſit eorum modus,iure gloſſocomum ex
eorum numero eſt quæ propriè quadrata appellantur.
Media igitur latera exculpta cauatáque ſunt, cauis non
nimis altè penetrantibus: quibus includitur axis habens
in medio tympanum, cui ab vtraque parte ferrei vnci
ſunt.duo in vniuerſum,vel foramina,in quæ poſſint con-
iici funes, quorum hæc ratio eſt. Funes duo vncis me-
B dii circumligantur, & ab vtraque parte prope forami-
na nodum accipiunt, quorum capita quum quatuor ſint,
duo traiiciuntur per tranſuerſarium prius, ab interiori
parte extrà,reliqua duo per id quod poſterius eſt. Secun-
dum tympanum cochlea ſpeciem lentis referens rectà
collocatur:hæc compoſito vocabulo Græcè κοχλιάζων di
citur:eius extremitas demittitur in cauum non penetrans
prioris tranſuerſarii:pars verò quæ cochleæ modo ſtriata
eſt,iuxta tympanum collocatur:quod ſupereſt ex eius lō-
gitudine per foramen tranſit,extremáque parte baculum
C verſans habet quo torquetur, vt cochlea per id verſata
tympanum moueat:conuerſo hoc axis verſetur,quo mo-
to funium capita,quæ extrà procedunt, ad intendendum
ducuntur.Sunt item in gloſſocomo opercula, vt quæ in
eo ſunt machinationes occultentur:tum quatuor annuli
ad latera fixi,bini ab inferiori parte, totidem à ſuperiori,
ea de cauſa vt alligari organum poſſit. Huius fabricatio-
nis autor eſt Ariſtion filius Paſicratis: ſiquidem aliter
ſtructum fuit à Nymphodoro. In vetuſta enim ſtructu-
ra extat cochlea non per tranſuerſarium,ſed quà opercu-
D la ſita ſunt, traiecta: duas enim forfices ferreas ad latera
affixa habet ad mediū pertuſas, quarū vna axi ſubiicitur,
altera ſuperponitur,vtraque à latere tympani collocatur:
inferior anguſtius foramen habet, ſuperior latius. Co-
chlea igitur ab ea parte qua opercula ſita ſunt, traiecta,
atque à forficibus contenta,alterum operculum ſine im-
pedimeto clauditur: alterum claudi non patitur pars co-
chleæ,quam penetrare diximus, cuíque baculum verſans
affigitur. Hoc itaque operculum medium tranſuerſum
in duas partes ſecatur, quarum altera manet immobilis,
E altera clauditur, atque hæc media in longitudinem lu-
nata figura exciditur,vt quum operculum clauditur, lu-
natum eius cauum propoſitam cochleæ partem excipiat.
Hanc Nymphodori ſtructurā nō accepit Ariſtion,ſed ad-
iecit organo axem habentem tympana foraminàque,vt
axis qui in medio eſt motus, vbi velis conſiſtat, & vi mi
nimè voluatur:tranſtulit item annulos iuxta prius tranſ-
uerſarium,ne organum à parte operculi,ſed à parte prio-
ris trāſuerſarii alligetur.traiecit præterea funium capita
per opercula,hæc quidem à ſuperiori parte, illa verò ab
inferiori.Quod quidem pertinet ad annulorum ſitum,v-
F nà nobiſcum ſentit:ſed axem quem adiunxit, tanquam
ſuperuacaneum reiicimus. ſiquidem vnus axis ex robu-
ſta materia præparatus,quod opus eſt abdūè efficit. Sed
quum gloſſocomi fabricationem abſoluerimus, ſequitur
vt ad eius motum veniamus.

Gloſſoco-

Gloſſocomi Nymphodori, clauſi & aperti, per literas declaratio.


A Latera. B Tranſuerſarium prius. C Tranſuerſarium poſterius. D Cauum non penetrans. E Axis habens tympanum in medio. F Foramina, in quæ funes conijci poſſint. G Funes duo.

Nymphodori gloſſocomum clauſum.



H Capita funium traiecta per prius tranſuerſarium.
I Capita funium per poſterius tranſuerſarium traiecta.
K Cochlea ſpeciem lentis referens. L Manubriolum.
M Quatuor annuli in tranſuerſariis. N Ferrea forfex.
O Pars operculi, quæ manet immobilis. P Pars operculi in lunatam figuram exciſa. Q Axis habens tympana foraminâque.

Nymphodori gloſſocomum apertum.



De motu organi, Cap. xxv.

VBI humeri caput ſuo loco mouetur, præcipuéque ſi in alam veniat, ad ſcalam eodem modo paratam quo in Nilei plinthio explicauimus, nunc pro plinthio gloſſocomum alligetur, non ab operculis, (ne ſub cochlea habenæ abrumpantur)ſed à priori tranſuerſario, annulis prope ipſum affixis. Aperiantur item opercula, capitáque funium ad axem alligata excipiantur: hæc quidem à ſu-

A perіori parte, illa verò ab inferiori: ac deinceps, vbi re-
ſtituere volumus, ſubſellium prope ſcalam ponatur ſuper
quod homo aſcendens brachium ſic traijciat vt indatur
cuneus in alam. Circumligetur inſuper humero carche-
ſius laqueus vel alius æqualiter extendens, eiúſque capi-
ta ducantur ad ſuperiora funium capita, vt machinatio-
num motu, aut directis ductionib⁹ ab inferiori parte in-
tendamus, aut alio intercedente motu, aut per duos con-
trarios motus interiectos, hoc modo: Laquei capita per
inferiores trochleas traiiciantur, & cum funium capiti-
B bus colligentur, quò rurſus fit vt machinationes motæ a-
lio intercedente motu, ab inferiori parte extendant: ve-
rùm ſi per ſuperiores laquei capita traiiciantur, deinceps
per inferiores demiſſa ad funium capita vinciantur, rur-
ſus machinationum motus per duos cōtrarios motus in-
teriectos, ab inferiori parte extendit. Impulſus verò, quos
deinde res poſtulat, fiunt quemadmodum dictum eſt v-
bi humerus in alam prolabitur, & per duplicem habenā
extrahendo, & intentione remiſſa per manus ſurſum
compellendo. Retulerunt alii organum hoc vbi à ſuperio
C ri parte extendere volumus idoneum eſſe: transferunt e-
nim ipſum ad ſuperiorem partem ſupra caput, cuneúm-
que ad gradum adhærentem, ſolutum tamen in alam con
iiciunt: deinde capita funium cunei, ad inferiora capita
funium organi religant, & carcheſium laqueum humero
iniiciunt, cuius capita deorſum adducta, ad imum ſcalæ
gradum immobilem deuinciunt, vt per hæc retinaculis
adhibitis, directis ductionibus à ſuperiori parte intēdāt.
Licet etiam organo ab inferiori parte alligato, à ſuperiori
extendere alio intercedente motu: alligatis enim laquei
D capitibus, vt (quemadmodum dictum eſt) retinacula ſint,
cunei funium capita per trochleas traiecta cum ſupe-
rioribus capitibus funium organi vinciunt, vt ma-
chinationibus motis, alio intercedente motu à ſupe-
riori parte extendant, aut laquei capitibus non amplius
retinaculi vicem exhibentibus, ſed ad funium organi
capita alligatis, vel ad ſuperiora directis ductionibus,
vel alio intercedente motu ad inferiora idem præſtent:
quúmque abundè extendunt, eoſdem adhibent im-
E pulſus quos paulo antè propoſuimus. Quæ relata ſunt
adſcripſimus: probamus autem & in hoc quod de Nilei
plinthio diximus, vbi ſcala erecta collocetur, intentionē
ab inferiori parte adhiberi, cuneo ad ſcalam alligato: eā
verò quæ vel à ſuperiori parte trahit, vel in diuerſa didu-
cit, ex toto prætermitti: eiuſmodi ſiquidem imbecilles
ſunt. quòd ſi homo iaceat ſic interdum cenſui luxatum
reponi. Contentus ſum propoſitis reponendi rationibus,
exempli cauſa propter organi motum huc allatis. Omnia
enim luxata per hoc quoque inſtrumentum reponi poſ-
F ſunt, non ſecus ac per Nilei plinthium. Vtriuſque machi
nationes ſunt diuerſæ, ſed reponendi rationes eædem, ſic
vt liceat ex ſuperioribus vniuerſum huius organi motū
intelligere.

Triſpaſtum Apellidis ſeu Archimedis, Cap. xxvi.

ILlud in primis ſcire cōuenit, quòd neque Apellides ne-
que Archimedes medici fuerunt, ſed architecti, qui
machinamentum hoc excogitarūt, (quemadmodum nos
accepimus de hiſtoria) ad naues deducendas funibus nō
G per manus, ſed per ergatam attractis: illius autem ſeculi
medici eius ſtructuræ modum minuentes, triſpaſtum
organum medicinale ad luxata fractáque reſtituenda fa
bricarunt in hunc modum. Totum organum ex eorum
genere eſt quæ oblonga quadrata nuncupantur: eſt autem
hoc modo compactum. Duo latera longa palmas qua-
tuor, digiti craſſitudine, inter ſe coagmentantur per tranſ
uerſaria lōga palmos duos, craſſa digitum. Latitudo potiſ
ſimùm poſterioris trāſuerſarii, ſex digitos æquat: prioris,
propter opercula, palmos duos. Vt retulit autē Paſicrates,
media latera excauata ſunt cauis non nimis altè penetran
H tibus, quibus duo axes includūtur, rotas habētes in vici-
nia laterum. Vtriuſque axis rotæ perforatæ ſunt, peruiis
foraminibus, quæ non alia de cauſa facta ſunt niſi vt in
ea funes immittantur, quorum ratio hæc eſt: Funes duo
extrema parte nodum accipientes, coniecti in prioris


axis foramina,attrahuntur ita vt nodi ſuper foramina col A
locentur: tũ funes circa ſuas vterque rotas inuoluũtur,&
per poſterioris axis foramina traiecti nodum accipiunt.
Poſterior axis medius inter rotas foramen habet, in
quod rurſus funis coniici debet: ſumitur funis longus,
qui ab vtraque extremitate nodum acceperit: deinceps
per propoſitum foramen traiicitur ſic vt nodus forami-
ni iũgatur:poſthæc circa medium axem inuoluitur: quo
facto altera eius extremitas per poſterius tranſuerſarium
quod medium perforatum ſit traiicitur. At quid nunc B
fit fune traiecto? manu tractus euolutúſque poſteriorem
axem conuertit: quo conuerſo,alia capita funium qui ex-
tra procedunt,ducuntur. adhibentur autem funes qua-
tuor, duo & item duo, atque ad hunc modum immittũ-
tur.ſumuntur funes duo,qui extrema parte nodum acce-
perint, & per duo foramina prioris axis, quæ inter rotas
ſunt traiiciuntur,attrahuntúrque ſic vt duo nodi forami-
na contingant,túncque funium capita per prius tranſuer
ſarium perforatum ab interiori parte verſus exteriorem
traiiciuntur aut prehenditur funis vnus duplex,cuius ca- C
pita coniecta in prioris axis foramina attrahuntur,vt me
dius funis inter foramina ſtatuatur:poſtea eiuſdem funis
capita traiiciuntur per foramina trãſuerſarii prioris.Duo
item alii funes ſumuntur,nodo extrema parte deuincti,
hi per foramina inter rotas poſterioris axis facta, & à me
dio foramine recedentia attrahuntur: qui deinde vbi eo
rum nodi ad foramina peruenerint, tunc ducuntur traii-
ciuntúrque per poſterius tranſuerſarium perforatum, ſic
vt quinque nunc ſint funium, quæ extrà feruntur,capita,
duo per prius tranſuerſarium,tria per poſterius. His po- D
ſterioribus manu attractis incluſiſque funibus (vt dictum
eſt)inuolutis atque euolutis,capita eorum qui exterius fe
rebantur,ducuntur, extendúntque capita habenarum qui
bus diſtenditur corpus.Huiuſmodi organi ſtructuram Pa
ſicrates exponens reprehendit tanquam minimè effica-
cem: vniuerſum enim organi opus conſiſtit in ductione
funis poſterioris qui manu attrahitur,ac nequit manꝰ in
reſtituendis luxatis vim tantam ſuſtinere, præſertim vbi
magni articuli ſunt,& corpora robuſta. Quamobrem or-
gani ſtructuram immutauit,duóſque axes qui incluſi e- E
rant, ita ſtruxit vt penetrarent, & priorem, minorem e-
xiguis capitibus extantem, poſteriorem maiorem & lon-
giora capita habentem, & ad prioris quidem axis extan-
tia capita clauos cõfixit:poſteriori vectes adiecit: demiſ-
ſis axibus duobus digitis machinamentum in reſtituen-
do ſic mouit. Habenas extendendis corporibus iniectas
ad extantia prioris axis capita deligauit, vt poſteriori axe
conuerſo prior moueretur,& euolutis inuolutiſque funi-
bus nerui extenderentur. Sed Ariſtion Paſicratis filius pa
tri aduerſatur, vt vetuſtam organi ſtructuram ignoranti. F
In vetuſta enim (inquit) organi ſtructura, axes non mo-
uebantur in laterum cauis,ſed circa ferreos chodaces af-
fixos lateribus in capreoli formam excauatis,quod vide-
re licet in organis ad aquam hauriendam comparatis,
quæ ob fabricationis rationem facilè conuertuntur, ne-
que tamen rotæ in ſe continẽt armillam ſed chodacem.
Quoniam igitur axes per armillas mouentur circa choda-
ces, & rotæ per chodaces circa armillas axes promptè ad-
modum verſabuntur, atque idcirco ſine impedimento e-
runt,etiamſi funis manu ducatur. Ob id autem ipſum tri- G
ſpaſtum organum appellatum eſt, quoniam tres funes a-
gũt: vnus quidẽ extrà ductus,duo incluſi. Hactenus ipſe
probabiliter ſcripſit,ſed vera ſunt quæ à Paſicrate addu-
cuntur:non enim poteſt manus funem ducens bene re-
ſtituere, ſed fortaſſe monſtrationis cauſa in ludo organũ
mouere:vis autem quæ in reſtituendo requiritur per ma-
num minimè poterit adhiberi. atque ea de cauſa iiſdem
omnibus factis quæ in vetuſta ſcriptura ſunt oſtenſa, ter-
tium axem organo adiiciendum iudicauimus, cuius ca-
pita traiecta per latera eſſent, vt poſterior axis nunc me- H
dius fiat:medius autem perforetur: in extantibus capiti-
bus vectes demittantur,vel manubriola,aut bacula ducta
ria:medius verò funis poſterior,vbi circa axem eſt inuo-
lutus,traiicitur per foramen axis penetrantis, ſuóque ibi

A capite alligatur. His ita conſtitutis,conuerſus poſterior a-
xis, ille inquam cuius capita extant, funem circa ſe inuol
uit,quò fit vt medius axis moueatur:quo moto,prior quo
que axis mouetur. Tribus axibus conuerſis, funium qui
extrà ducuntur,capita tenduntur,cum quibus vinciuntur
habenæ quæ corpora extendunt.Habet item organum o-
percula,veluti gloſſocomum,ne machinationes oculis ex
ponantur,atque item annulos ad latera affixos,quibus al-
ligetur. Hæc eſt vniuerſi triſpaſti fabricatio. Reſtituendi
B autem modi aptantur iidem quos poſuimus in gloſſoco
mo: diſtat enim ſolùm quibus mouetur machinationi-
bus: præterea funium eadem eſt ductio, habenis ad eos al
ligatis. Sed iam triſpaſti fabricationem explicatam ha-
bemus.

Triſpaſti machinamenti Apellidis ſeu Archimedis per literas declaratio.

A *Dũo latera.*
B *Prius tranſuerſarium.*
C *Poſterius tranſuerſarium.*
D *Duo axes habentes rotas in ũicinia laterum.*
E *Funes circa rotas inuoluti.*
F *Funis coniectus in foramen medium inter rotas poſterioris axis.*
G *Funis duplex cuiꝰ capita traiecta per foramina prioris axis per prioris tranſuerſarii foramina traiiciuntur.*
H *Tertius axis cuius capita traiecta ſint per latera.*
I *Vectes in extantibus capitibus demiſſi.*
K *Annuli ad latera affixi.*

Triſpaſtum Apellidis ſeu Archimedis.



Fabri organum, Cap. XXVII.


FAbri organum ad hunc modum fit: ſuper baſin, quæ κρηπὶς nominatur, pro organo dimenſam, ſtatuuntur crura duo: quorum longitudo duos cubitos & ſemiſſem æquat, aut etiã excedit: latitudo implet digitos quatuor, craſſitudo tres. Crura hæc per duo tranſuerſaria inter ſe coagmentãtur, altero ab inferiori parte, quod quinque palmos à baſi recedat, altero à ſuperiori quà crura finiuntur. Inferiori tranſuerſario ſubiicitur aſſer tranſuerſus, qui & cum lateribus organi, & cum tranſuerſario committitur. hunc aſſerem ſedile conſueuerunt omnes appellare, cuius medium ad tranſuerſarium exciditur ad effigiẽ x,

inuerſi,qua parte tranſuerſario infigitur æneum ꟾꟾ.accom A
modatur tam cauum quam ꟾꟾ, demittendo priapiſco o-
cto digitos longo. Inter tranſuerſaria ab interiori parte
crurum canaliculi excauantur,in quibus,dum luxata re-
ponuntur,moueatur quadrata teſtudo,ſpatham &cubitos
mouens.Quandoquidem prior pars teſtudinis (frontem
dicunt)peruio foramine pertunditur,in quod radix con-
iicitur,cui us extremum quà extenuatur, ad poſteriorem
teſtudinis partem per craſſitudinem traiicitur.Propoſita
pars radicis peruio foramine pertunditur,per quod fibu- B
la demittitur ne radix euellatur, ſed manens in forami-
ne torqueatur: fibula autem in extrema radice ſcutulo
ſuperpoſito includitur. Radix eò pertinet vt ſpatham in
organo ſuſtineat:habet enim organum ſpatham capitulo
leniter cauo aſſurgentem,ita longã vt à teſtudine ad ſu-
perius tranſuerſariũ quod caput nominatur, pertineat, &
cuneati axis modo excedat.Hui⁹ ſpathæ extremitas, quæ
contra capitulum eſt,media in quadratam figuram exci-
ditur,atque in id cauum includitur radicis extremitas la-
ta,quæ perforatur. Perforatur item ſpatha ab vno latere
ad alterum,in quod foramen fibula demittitur, vt ſpa- C
tham detineat ad radicem.Ipſa verò teſtudo iuxta mediũ
pertunditur foraminibus quatuor, vel ordine diſpoſitis
vel duobus à priori parte,totidem à poſteriori conſtitu-
tis, quæ non alia de cauſa fiunt niſi vt funes in ea indan-
tur,vt in ſequentibus oſtendam.Medium caput,hoc eſt ſu
perius tranſuerſariũ,in quadratam figuram excauatur, in
quod cauum duplex trochlea inditur,quæ circa axiculum
verſatur. Habet item ſuperius tranſuerſarium duo alia ca
ua quadrata peruia,nempe ab vtroque trochleæ latere v- D
num, in quæ coniiciuntur quadratæ cubitorum partes:
duo enim cubiti per ſuperius tranſuerſarium demittun-
tur deorſum & teſtudini inhærent,quæ quadrata caua in
ſummo habet. Imas cubitorum partes quadratas tenuéſ-
que architecti calces nuncuparunt:ſuperiores latas ac ro-
tundas,dixerunt alas.In alas ergo cubitorum quæ ſupe-
rius tranſuerſarium excedunt,& peruiis foraminibus per-
tuſæ ſunt, axis coniicitur,cuius capita vtrinque excedũt:
medium cuneatum eſt: in extremis capitibus vectes ſunt
vel manubriola ductaria,quibus conuertatur.Alarum par E
tes priores iuxta foramina & axis capita rurſus forãtur,vt
ſi quãdo opus ſit,in foramina fibulæ demiſſæ ſeruent axẽ
immobilem. Organo præterea iuxta crurum extremita-
tes alia duo ſunt adiuncta crura,vt ſiquando ſedilis vicem
exhibeat, ſuper baſim atque adiũcta crura iaceat. Verùm
quia teſtudo per funem elata,& cubitos & ſpatham attol-
lit,in ſequẽtibus qua ratione funis indatur, adiiciam.Su-
mitur funis duplex, cuius capita per duo foramina quæ
vel iuxta cubitos ſunt,vel à priori parte, vel à poſteriori
vel in medio traiiciuntur, vel ab inferiori parte ſurſum F
adducuntur,ſic vt medius funis inter foramina colloce-
tur, deinde capita ſurſum feruntur,& circa duplicem tro
chleam prioris tranſuerſarii inuoluuntur,atque (vt dictũ
eſt)permutata deorſum procedunt, & ad clauos penetran
tis axis religantur:continetur enim organo Fabri,alius a-
xis coniectus in crura quæ ſuper tranſuerſarium inferius
digitis quinque interpoſitis perforata ſunt. In axis medio
duo claui ſunt infixi:in extãtibus capitibus vectes vel ma
nubriola ductaria quibus conuertitur axis,cuius cõuerſio
per funes teſtudinem attollit,atque vnà cum ſpatha ſimul
cubiti & axis, qui alis continetur, ſurſum feruntur ad lu- G
xata, quæ à ſuperiori parte extenta in ſuam ſedem collo-
cantur. Huiuſmodi eſt antiqua ſtructura organi quod ad
Fabrum refertur autorem.


Fabri organa per literas declarata.

A *Baſis.*
B *Crura duo.*
C *Traſuerſarium ſuperius.*
D *Tranſuerſarium inferius.*
E *Aſſer tranſuerſus ſubiectus inferiori tranſuerſario.*
F *Medium aſſeris exciſi ad formam* ꟾꟾ *inuerſi.*
G *Priapiſcus.*
H *Canaliculi excauati ab interiori parte crurium.*
I *Quadrata teſtudo.*
K *Spatha.*
L *Cubiti.*
M *Prior pars teſtudinis peruio foramine pertuſa.*
N *Radix.*
O *Fibula demiſſa per radicem.*
P *Capitulum ſpathæ cuneati axis modo.*
Q *Extremitas ſpathæ in quadratam figuram perforata.*
R *Foramina quatuor teſtudinis.*
S *Duplex trochlea indita in cauũ ſuperioris trãſuerſarii*
T *Caua duo quadrata ſuperioris trãſuerſarii, in quæ demittuntur cubiti.*
V *Imæ partes cubitorum quadratæ.*
X *ſuperiores cubitorũ partes rotundæ quæ alæ dicuntur.*
Y *Axis in alas cubitorum demiſſus.*
Z *Fibulæ demiſſæ in alas perforatas quæ axem immobilem ſeruent.*
a *Alia duo crura adiuncta.*
b *Funis duplex.*
c *Alius axis,qui in cruribus continetur.*
d *Vectes quibus conuertitur axis.*
e *Trochleæ binæ ad baſim.*
f *Binæ trochleæ ad ſumma crura.*
g *Cuneus.*

Fabri organum.




Fabri organum.



De motu organi, Cap. XXVIII.

QVVM erecta organa comparentur ad reponendũ humeri caput excitando, & aliis quoque modis idonea ſint, de humeri capite reſtituendo tractare conſtitui: ordiar autem ab eo caſu ſub quo in alã prolabitur. Verùm vt organi motum perfectum habeamus, quaternæ trochleæ organo adiicientur, binæ ab inferiori parte qua

Organum quo humeri caput cubitus luxatus, &c. reſtituitur, expreſſum,



baſis ſurſum ſpectat: totidem à ſuperiori ad ſumma crura. Vbi ergo luxatum reſtituere volumus, cuneata pars axis primùm lana vel linteo circundetur, ſubſelliúmque iuxta organum ponatur, ſuper quod homo aſcendat: deinceps vinciantur crura quidem habena inter ſe, ſed integrum brachium extentum, ad latus: in foramina autem alarum indantur fibulæ, vt axis ſeruetur immobilis vſ-

A quedum eo moto opus erit. His ita conſtituti brachium
ſuper axem imponatur: atque vbi cuneata pars axis in alã
coniecta ſit, laqueus carcheſius, vel alius æqualiter exten-
dens humero iniiciatur, eiúſque capita deorſum addu-
cta, ad clauum eius axis qui in cruribus annectitur, alligẽ
tur, fune non amplius indito, quemadmodum in organi
fabricatione retulimus, axis conuerſio directa ductione
ab inferiori parte extendet: id quod etiam, alio interce-
dente motu, ad hunc modum fit. Laquei capita primô
B per inferiores trochleas traducuntur, inde ſurſum data
ad clauos axis alligãtur, vt hic verſatus propoſitam inten
tionem moliatur. Idem quoque efficitur duplici contra-
rio motu interiecto. laquei enim capita per inferiores tro
chleas traiecta ad ſuperiores feruntur: inde ad axis clauos
vinciuntur vt duplici contrario motu interiecto ab infe-
riori parte extendant. Tales ſunt modi quibus ab infe-
riori parte intendimus. Siquis autem à ſuperiori inten-
dere voluerit, fune in teſtudinem coniecto, veluti in or-
gani ſtructura poſuimus, laquei capita deorſum adducat,
C & tanquam retinacula ad aliquid immobile deuinciat:
poſt hæc axem conuertat: quo conuerſo teſtudo alio mo-
tu intercedente, per funem elata à ſuperiori parte inten-
det. Ex his quoque ille modus comprehenditur qui in
diuerſa extendit, hic non amplius requirit vt capita re-
tinacula ſint, ſed ab interiori parte ad axis clauos vincian-
tur, vel per ſe vel alio motu intercedente, vt per vnum
machinationis motum, propoſitus extẽdendi modus ad-
hibeatur. Seruetur autem in intendendo axis immobilis,
quemadmodum declarauimus. Poſtquam abundè intẽ-
D derimus fibulæ, quæ moueri illum non patiebantur, reci-
piendæ ſunt, atque ipſe per vectes vel manubriola ducta-
ria conuertendus, vt cuneo aliqua ex parte inclinato, ex-
trahendo impellamus, ſicut in aliis organis oſtendimus:
poſthæc dum reſtituimus humero deorſum intẽto, mini
ſter à poſteriori parte aſſiſtens, manus det ad ceruices ho-
minis, vt corpus verſus pedum regionem cogat in contra
riam partem. Verùm vbi reſtituimus, miniſtro id præſtan
te quod oſtendimus, ſubſellium pedibus hominis ſubie-
ctum ſubtrahatur, vt ipſe ſuſpendatur ab organo, tum (vt
E alibi dictum eſt) eodem momento, quo ab inferiori par-
te extendimus atque excitamus, per cuneum extrahendo
impellemus: deinde intentione remiſſa ſurſum, cogemus
vtraque manu membro comprehenſo, &; vt in ſuum lo-
cũ recondatur, elato. Hac igitur ratione humeri caput in
alam prolapſum reſtituitur.

Verùm ſi in priorem partem aut poſteriorẽ veniat, ver-
tere ſic axem oportet, vt quod ex eo cuneatum eſt, deor-
ſum ſpectet, ſurſum quod æquum eſt: hoc ſiquidem nunc
aptatur ad reponendum humeri caput, quod in propoſi-
F tas partes eruperit. Eo facto homo ſuper ſubſellium quod
iuxtà ſit aſcendens brachium ſuper ponat ſic vt axi inſi-
dat: eædémque intendendi rationes adhibeantur quæ
traditæ ſunt vbi in alam excidit. Neruis abundè diductis
impulſus conuenit quem in aliorum organorum motio-
ne monſtrauimus.

Sed ſi neque cubiti ſint, neque axis in alas cõiectus, hu-
meri caput in alam prolapſum ita reſtituitur. Agitatur ſpa
tha ſic vt capitulum eius, perinde atque cuneata pars axis
ſuperius tranſuerſariũ excedat. tum duplex habena me-
G dia inter ſpatham & tranſuerſarium datur, cuius capita ab
exteriori parte pendent. In reſtituendo autem, æger ad
organum aſſiſtens, brachium ſuper tranſuerſarium impo
nit ſic vt ſpatha in alam indatur: poſthæc carcheſius la-
queus, vel alius æqualiter extendens humero iniicitur, cu
ius capita deorſum demiſſa ad tranſuerſarium vt retina-
cula deligantur. fune ad teſtudinem dato, axis conuerſus
teſtudinem, cúmque ea ſpatham attollens à ſuperiori par-
te extendit. Aptatur item ille extendendi modus qui in
diuerſa ducit: laquei capita mutata ad axem alligantur,
H tunc ſiquidem conuerſus axis in diuerſa diducet. Poſtquã
ſatis extenderimus, duplicis habenæ capita cõtinenda
ſunt, & per hanc ipſa ſpatha, vt per ſpatham extrahendo
impellamus. Quo facto intentio remittenda eſt, mem-
brúmque ſurſum adducendum, vt quamcelerrimè in
ſuum locum articulus collocetur. At ſi organum ſpatham

nõ habeat, nõ cubitos, non axem illis contentum, humeri caput in alam veniens per cuneum ſic reponi debet. Cuneus in quem funes coniecti ſint, ſuperiori tranſuerſario inſidat, & per funes ad ipſum vĩciatur: deinceps æger brachium ſuperimponat, cuneúſque in alam coniiciatur: quo coniecto, laqueus carcheſius humero circumligetur, eiúſque capita deorſum demiſſa dentur ad axem qui cruribus continetur, vt axis verſatio ab inferiori parte extendat. At vbi ſatis intenderit, impellere oportet, velut in aliis organis demonſtrauimus, aut extrahendo, aut ſurſum compellendo: qui modi, quum ab inferiori parte extendimus, potiſſimùm ad rem pertinent. Placuit aliis per teſtudinem ita reponere. Funem primò reſoluunt, ipſúmque duplicant, cuius duplicati capita per duo teſtudinis foramina traiiciunt, à ſuperiori parte deorſum, & ad inferioris axis clauos alligant. attollunt itaque teſtudinem propè ſuperius tranſuerſarium, túncque reſtituendum brachium ſuperiniiciunt, cuneúmque in alam demittũt. poſt hæc brachium per palmam iũcturam ad teſtudinem vinciunt. His ita conſtitutis, inferior axis conuertitur, teſtudóque à ſubiecto fune deorſum verſus attracta ab inferiori parte ducit. quo pacto intentio quidem ab inferiori parte adhibetur, ſed humero ad teſtudinem alligato prohibetur conueniens impulſus.


Cubito in illas tres partes elapſo, vbi brachium curuatur, interiorem inquam, exteriorem, & poſteriorem, iuxta organum ab omni parte præparatum ſtare æger ſuper ſubſellium debet, atque axis conuerti ſic vt pars eius quæ cuneata eſt, deorſum ſpectet, ſurſum, quæ æqua, dehinc brachium dare ſuper axem. Quo facto, humerus ad axem per palmam iuncturam deligandus eſt: brachio verò in vi D
cinia manus iniiciendus eſt laqueus inæqualiter extendens, eiúſque capita ſurſum adducenda, & ad alam vel ad extans caput axis è regione alliganda: brachio ſic ad rectũ angulum figurato, habenæ vel latæ faſciæ medium ad eam regionem detur quæ proximè ſub cubito eſt, cuius capita deorſum ad axem porrigantur. Quod ad extendendum pertinet, iidem modi conueniunt quos vbi humeri caput reſtituitur, oſtendimus: nunc ſiquidem licebit, vel continendo & à ſuperiori parte extendendo, vel in diuer E
ſa ducendo vim adhibere: qua abundè adhibita, eadem impellendi ratio accommodatur quæ tradita eſt vbi de aliorum organorum motu pertractauimus. At ſi cubitus in priorem partem moueatur, in quo caſu brachium extenditur, membro ſuperimpoſito, humerus ad axem deligetur, tunc carcheſius laqueus vel alius æqualiter extendens brachio iniiciatur, eiúſque capita deorſum ferantur, eadem intendendi ratio adhibeatur: pòſt idem impellendi modus expeditiſſimus, quem in tractandis organis demonſtrauimus. Propriè autem ſpatha plurimùm videtur ad cubitum reſtituendum pertinere. Videamus autem quomodo, vbi neque cubiti in organo ſint neque axis in alis contineatur, opus hoc efficiendum ſit. Funis igitur reſoluitur duplicatúrque, & eius capita per duo foramina teſtudinis à ſuperiori parte deorſum traiecta, ad axis clauos alligantur. Teſtudo autem cum ſpatha prope ſuperius tranſuerſarium, attollitur: dein ſpatha torquetur & brachiũ ſuper tranſuerſariũ cui lana circũdata ſit, imponitur humerúſque ad tranſuerſariũ per palmã iuncturã alligatur: brachiũ verò ad ſpathã toto membro curuato. Conuertitur igitur axis cruribus contentus, teſtudóque deorſum verſus à fune coacta ſpatham ſimiliter deorſum adducit, ſicque ab inferiori parte intendimus. At vbi ſatis extenderimus aptatur impulſus, quem paulo ſuprà poſuimus, ſi in exteriorem vel interiorem partem cubitus elabatur, adducendo: ſi in poſteriorem, extrahendo. Porro ab inferiori parte extendere poſſumus: impulſu autem, eo quòd brachium deuinctum ſit, ad ſpatham extrinſecus prohibemur, niſi quum radix euelli ex foramine poſſit, extrahendo impellamus. Magis autem accommodatur ſpatha, vbi cubitus in priorem erupit, quem ſi reſtituere velimus, funem demittere ſimiliter oportet, ſineréque vt ſpatha dependeat: deinde membro ſuperiniecto, hume-
A rum ad tranſuerſarium deuincire, brachium verò ad ſpatham. poſt hæc ab inferiori parte extendere, vi, quantum res poſtulat, adhibita impellere; antè quidem premẽdo tum circumducendo, ſpatha cum brachio torta curuatáque premendi cauſa. Hactenus de cubito luxato.

Ex Ruffo ſcamnum Hippocratis,
Cap. XXIX.

Hippocrates maximè admiratione dignus multis in locis ſuum organum ξύλον appellauit, in quibuſdam etiam σχεδίαν: recentiores id βάθρον, id eſt ſcamnum, dixe-
B runt, eóque affixis cruribus, & pro organo & pro ſcamno vſi ſunt. ſtruitur autẽ ſic. Paratur lignũ ſex cubitos longũ, latum duos, nouem digitorum craſſitudine, reſupinatúrque, & quatuor alia ligna pedem longa extremis partibus rotunda, duo ſcilicet & duo, cuius eius extremis iunguntur huiuſmodi ligna, quæ φλιαὶ ab Hippocrate vocantur, in latitudine peruiis foraminibus pertunduntur, quibus continentur penetrantes axes in medio clauos habentes, & in extantibus capitibus manubriola ductaria ad conuertendum. Totum lignum in medio vſque ad alteram
C partem quatuor digitorum ſpatio iniecto, caua habet, quorum altitudo pariter & latitudo tres digitos æquet: caua hæc Hippocrates καπέτους nuncupauit. Medium præterea lignum altè in quadratam figuram excauatur, quo ſcalmus demittitur qui priapiſcus vocatur. Alias item φλιὰς in medio ad ſimilitudinem literæ Π, non inutiliter

Scamnum Hippocratis.

A *Lignum quadrangulum ſex cubitorum, latitudine bicubitali, craſſitudine dodrantali.*
B *Poſtes breues axes habentes.*
C *Foſſulæ.*
D *Lignum teres in medio cauo infixum.*
E *Poſtes pedales lignum tranſuerſum tanquam ſcalæ gradum continent.*



adiectas. Structura igitur Paſicrate autore huiuſmodi eſt, cui deinceps ſubdam qua ratione moueatur ſcamnum
F Hippocratis, quod vbi vetuſtam ſtructuram habeat, homine iacẽte, ad luxata omnia reſtituẽda idoneum eſt, vt dũ ſingula exequar, declarabo.

De maxilla reſtituenda, Cap. XXX.

Maxilla excidente ſiue ab altera parte ſiue ab vtraque, homo reſupinatur ſic vt caput iuxta axem qui ab eius parte eſt, collocetur, brachiis ad pectus atque abdomen alligatis, cruribúſq; inter ſe, & omnibus ad ſcãnũ organum deuinctis. Tum capiti ea iunctura imponitur quæ lepus auritus dicitur, eiúſque ſinus ad ea ligna quæ proximum axem ſuſtinent, vt retinacula ſint, deligantur:
G media habena in os inditur, quantum poteſt intima, iuxta eã regionem, qua maxilla cum malis committitur, inter dentes maxillares, eiúſque capita deorſum demiſſa ad axem qui à pedibus eſt, alligantur, aliáque habena media mentũ complectitur, & in vtranque partem vltra caput adducta ad axem qui ſuper ipſum eſt, diducendi cauſa deuincitur. His ita conſtitutis, inferior axis torquetur, vt continendo, & ab inferiori parte extendendo vis adhibeatur. Poſtquam intenderis, quantum res ipſa poſtulat, ad eos impellendi modos venies quos in opere de articulis expoſuimus. Si maxilla quidem ab vna parte exciderit,
H tria efficies, adduces, premes & ſurſum compelles: ſin ab vtraque extrema mota fuerint, premere conueniet, & ſurſum compellere. Hæc de maxilla, nunc venio ad humeri caput.

A *Iunctura lepus auritus.*
B *Sinus leporis deligati ad ea ligna quæ ſuſtinent axem proximum,ut retinacula ſint.*
C *Habena quæ media in os inditur.*
D *Capita habenæ alligata ad axem qui à pedibus eſt.*
E *Alia habena quæ media mentum complectitur.*
F *Habena alterius capita diducendi cauſa ad axem deuincta.*



De humeri capite in alam prolapſo,
Cap. xxxI.

VBicunque humeri caput reſtituimus,ſi in alam vel in E
priorem partem venerit, reſupinare hominem de
bemus: ſi in poſteriorem,pronum collocare. Vbi ergo in
alam prolapſum reſtituimus,cuneus eò immittendus eſt,
ſic vt quà capitulum aſſurgit rotundum ac leniter cauum,
in priorem partem ſpectet, quà æquus eſt, in poſteriorē:
expedit autem cuneum,vt mollior ſit,linteo vel lana in-
uoluere.Omne enim lignum (autore Hippocrate) durum
eſt,& tactu lædit,atque hac de cauſa potiſſimùm lana cir-
cundatur. Adde quòd hæc ſudorem abſorbet qui in a-
la oritur,& ob curationis metum,& ob calorem eius par- F
tis naturalem qui ad diducendum confert:& quòd cuneū
labi non patitur. deinde funium capita hæc quidem à
priori parte,illa verò à poſteriori ſuper caput ad axem ad-
ducenda.Media item habena ſub ala inter cuneum & hu-
merum danda eſt,vel (vt aliis placuit)inter cuneum & la-
tera,eiúſque capita ab exteriori parte attrahenda. Ipſi au-
tem humero carcheſius laqueus, vel alius æqualiter extē-
dens,iniiciendus nō quà laceratus eſt, ne quum neruoſus
ſit,ſi adſtringatur,doleat:ſed ſuprà vel infrà. Plerique ſu-
periorem regionem anteponunt tanquam magis ido-
neam, quòd proxime ad articulum accedat,ſed locus hic G
ad curationem minus accommodatur: prohibet enim
rectum impulſum. Sub muſculo igitur deligandum cen-
ſemus,& ob hanc cauſam, & propterea quòd locus qui iu
xtà adſtringitur,ægrè laxatur: quæ verò mediocri interie
cto ſpatio attrahuntur, facilè ſequuntur. Expedit autem,
vt laqueus mollius incidat, humerum lana obuoluere,
deinde laqueum iniicere:tubercula enim cubito ſubiecta
prohibent quo minus laqueus ſub extendentium vi deor
ſum labatur.His ita conſtitutis,laquei capita deorſum de
miſſa, è regione ad axis clauum alliganda ſunt, vel circa
ipſum obuoluta, vel nodo inter ſe deuincta:magis autem H
ad rem pertinent, vbi inter ſe alligato clauo circumpo-
nuntur,tunc ſiquidem opus ſuum firmius præſtant:neceſ-

A ſe autem eſt,vel continere,& ſeu ab inferiori, ſeu à ſupe-
riori parte extendere, vel per organi axes in diuerſa con-
tendere. Abundè vi adhibita,primùm conuenit impelle-
re, per duplicem habenam extrahendo:& eodem quo ex
trahimus momento cubitum altera manu ab exteriori
parte in interiorem agere,intentione adhuc manente: tū
hac remiſſa laxatáque,manibus ſurſum compellere. At ſi
caput humeri in priorem partem moueatur, hominem
ſupinum collocamus:pronum, ſi in poſteriorem, cuneó-
B que omiſſo,medium duplicatæ habenæ lana inuolutum
ſub alam demittimus,capitáque eius ſupra caput adduci-
mus,non è regione humeri vitiati, ſed verſus cōtrariam
partem,homine reſupinato,ſi in priorem partem articu-
lus exciderit. Quæſita autem cauſa eſt quamobrem id fiat.
Paſicrates quidē id propterea fieri dixit ne humerus de-
tineatur,habena è regione ſurſum verſus attracta: recen-
tiores non ea de cauſa, capita obliquè ducenda eſſe dixe-
runt,ſed ne corpora quibus ala continetur,compreſſa lati
ſcapularum oſsis ſinum impleant:nobis verò cum omni-
bus conuenit,capita obliquè danda eſſe ad contrariæ par-
C tis ligna quibus axis continetur. Rurſus autem humero
carcheſius laqueus iniiciatur, vel alius qui æqualiter ex-
tendat, eiuſqúe capita deorſum ad axem qui à pedibus
eſt,demittantur, vt vel retinaculis adhibitis ab inferio-
ri partem intendamus, vel (ſi placeat) in diuerſa cōtenda-
mus. Conuenit autem impulſus (quemadmodum ſuprà
declarauimus)manibus præcipuè adducendo,cōprimen-
dóque.Similiter autem vbi humeri caput in poſteriorem
partem moueatur,homine prono eadem moliri conue-
D nit, quæ, vbi in priorem venit,tradita ſunt. At vbi ſatis
extenderimus,manibus premere & adducere, & ſurſum
compellere neceſſarium eſt.

A *Cuneus.*
B *Funium capita ad axem ſupra caput adducta.*
C *Habena media inter cuneum & humerum data.*
D *Carcheſius laqueus humero iniectus.*
E *Laquei capita ad axem qui à pedibus eſt,alligata.*



De humero luxato comminutóque
Cap. xxxII.

H NOnnunquam accidit, vt prolapſo humero fractura
quoque adiiciatur mēbro medio cōminuto,in quo
caſu recondere articulū oportet, & fracturam cōponere.
Quod

Quod ad reponendum pertinet, retinaculo vti expedit,
& à ſuperiori parte extendere:quod ad fracturam,ſimili-
ter vti retinaculo,& ab inferiori parte attrahere: ſed antè
reſtituere quod prolapſum eſt oportet , deinde quod fra-
ctum . Ergo vbi volumus quod prolapſum eſt condere,
cuneum in alam indimus,capitáque funium ſuper caput
attrahimus,ac mediam habenam inter cuneum & hume
rũ demittimus , cuius caput ab exteriori parte procedat.
Tum infra cuneum ac ſuper fracturam carcheſium la-
queum iniicimus,eiúſque capita deorſum ad ligna quæ
axem ſuſtinent,ad retinendum alligamus: ſed funium ca
pita ad axem qui ſuper caput eſt,vincimus,vt eo conuer-
ſo & contineamus & à ſuperiori parte extendamus.Ner-
uis abundè intentis per conuenientem impulſum articu
lum rēſtituimus:quo facto,laquei capita ſuper caput data
retinacula fiunt,& alter laqueus æqualiter extendens,cu-
iuſmodi carcheſius eſt, humero iniicitur , cuius capita
demiſſa ad axem qui à pedibus eſt,vinciuntur,vt & reti-
nendo , & à ſuperiori parte extendendo vis adhibeatur.
Neque nunc eſt quod timeamus ne fractura ab inferiori
parte,attracta repoſitus articulus excidat:' ſiquidē,quum
à ſuperiori parte tam à cuneo quàm à ſuperiori laqueo
retineatur , vi ſatis adhibita,fracturam manibus compo
nimus,quemadmodum ſæpius indicauimus. Quòd ſi hu
meri caput in priorem vel poſteriorem partem venerit,
vbi reſtituitur,eaſdem animaduerſiones deſiderat.Hacte
nus de humeri capite.

De cubito, Cap. XXXIII.

CVbito in illas tres partes elapſo,in quas vbi venit bra
chium curuum eſt, neque extenditur in interiorem,
exteriorem,& poſteriorem,homo ſuper organum reſupi-
netur,quo commodè figurato, carcheſius laqueus, vel a-
lius æqualiter intendens humero circundetur, cuius ca-
pita vt retinacula ſint, ſurſum ſuper caput vinciantur:bra
chio autem in vicinia manus laqueus iniiciatur,qui inæ-
qualiter extendat, puta attollens, chiaſtus, aut nauticus,
cuius capita ſurſum adducta ad ligna quibus axis contine
tur, religentur: vtrunque ſcilicet ad id a d quod ſpectat è
regione,ſic vt cubitus cum humero ad rectum angulum
figuretur. Tum duplicatæ habenæ,ſeu latæ faſciæ mediũ E
ad brachium dentur iuxta cubiti iuncturam, cuius capi-
ta ad axem qui à pedibus eſt,vinciantur.Datis igitur ca-
pitibus laquei,ad ſuperiora duplicatæ habenæ , ad infe-
riora,b iniſque axibus vno ſuper caput,altero iuxta pedes
collocato, vim adhibebimus,vel continendo & à ſupe-
riori vel inferiori parte attrahendo,vel in diuerſa ducen
do: eáque ratione impellemus quæ reponendo articulo
idonea ſit. Vbi in interiorē vel exteriórem partem con-
uertatur, adducemus : vbi in poſteriorem,extrahemus. F
Quòd ſi in priorem partem articulus elabatur,in quo ca
ſu curuari extentum brachium nequit,homo ſupinus ia-
ceat in vitiatam partem inclinatus, brachio ſuper ſca-
mnum extento , carcheſius laqueus humero iniiciatur,
cuius capita ſuper caput procedāt : extremo itē brachio,
in vicinia manus,alius detur laqueus qui æqualiter exten
dat,cuius capita deorſum attrahantur.item eadē vis ad-
hibeatur,nempe retinaculis,& intentione à parte inferio
ri. Equidem ſatius duco in diuerſa contendere: nam hoc
ad articulum reponendum efficacius eſt quàm ſi ab in- G
feriori parte ſolummodo extendamus . Oportet autem
quũ abundè extenderimus,ad commodè impellendum
tranſire,premendo nimirum & circunducendo. premē-
do quidem,intentione adhuc manente: circunducendo,
poſtquam remiſſa fuerit. Condito articulo,vt eius reſtitu
ti certa indicia habeantur,experiri oportet naturales bra-
chii actiones, flexum inquam & porrectionem,præterea
ſitum in pronum habitum ac ſupinum,quoniã vbi huiuſ
modi actiones liberæ ſint,perfectè reſtituti articuli fidem
faciunt: poſſumus& conferentes cum altero cubito,num
ex toto luxatũ reſtituerimus,colligere.Quo perfectè reſti
tuto,brachium commodè ad rectum angulum curuetur, H
contineatúrque in ſequentem curationem . Duo igitur
brachii oſſa,vbi ſuo loco mota ſunt, his modis reuertun-
tur: ſed poteſt ſeorſum vtrunque etiam offēdi,quum cu-
bitus erumpat,radius diducatur,quod nunc quoque ex-


A plicabo. Læditur per ſe cubitus radio inuiolato:dehiſcit
ſeorſum radius,cubito in ſua ſede manente. Vtrumlibet
horum oſsium lædatur,vbi per hoc organum reſtituitur
humerus,iniecto laqueo ad ligna quæ axem ſuper caput
continent, alligatur, extremóque brachio rurſus laqueus
circundatur,qui inæqualiter extendat ſicut attollens, aut
nauticus. cuius capita deorſum demiſſa intendendi cau-
ſa ad axis clauos vinciuntur. In circundando laqueo qui
inæqualiter extendit,id obſeruatur vt ſinus ſuper eã par-
tem quæ reponitur,capita ſuper contrariam collocentur:
B ſiquidē laquei inæqualiter extendentes propriè illas par-
tes magis cogunt,quibus eorum capita inſident, minus
verò contrarias. Ergo quũ brachium duobus oſſibus cō
tineatur,vbi alterum ſuo loco motum reponitur , cogere
id potiſſimùm expedit, & alterum(ſi fieri poteſt)non vr-
gere. Intenſione abundè adhibita,illi conueniunt impel
lendi modi quos luxati genus poſtulat.ſi quidem cubitus
in interiorem partem venerit, vtriuſque man⁹ digiti in-
ter ſe iuncti ab exteriori parte radii eminentiã cubiti cō-
plectuntur,prominentioréſque palmarum partes à latere
C dantur,vt his impellentibus,quaſi adducendo, os in ſuã
ſedem collocetur. at ſicubitus ad poſteriora radii pro ru
petit ,brachio aliquantiſper curuato eodem momento
quo ab inferiori parte extendimus,prominentiori palmæ
parte premere debemus,vt os in ſuam ſedem reponatur:
hæc enim premendi ratio ad reſtituendum propriè apta
tur.At vbi radius in priorem partē recedat, extento bra-
chio perinde agere cōuenit quaſi vtrunque in eãdem par
tem exceſſerit: adhibenda itaque vis eſt , & continendo,
& ab inferiori parte extendendo : quo abundè facto,du-
D plex impulſus accommodatur,&qui premit,& qui circun
ducit.qui premit intentione manente; hac remiſſa : qui
circunducit,vt oſtenſum iam eſt. Commune eſt vtriuſque
vbi reſtituta fuerint,ſpectare an brachium ſuo munere ſi
ne impedimento fungatur, curuetur nimirum & exten-
datur,& ſupinum pronúmque figuretur: quæ actiones ſi
liberæ ſint,ex toto reſtitutum eſſe teſtantur . Quo facto,
brachium in ſequentem curationem ad rectum angu-
lum collocetur.

A Carcheſius laqueus humero iniectus, cuius capita ſurſum ut retinacula ſint,adducantur.

B Attollens laqueus in uicinia manus, cuius capita ad ligna quibus continetur axis,religantur.

C Medium duplicatæ habenæ ad brachium datæ.

D Capita duplicatæ habenæ religatæ ad axem,qui à pedibus eſt.



De manu, Cap. XXXIIII.


MAnus in quatuor partes prolabitur, in interiorẽ,exteriorem,priorem,& poſteriorem.Oportet,ſi in interiorem partem veniat,ſupinam collocare ſuper ſcamnũ homine ſimiliter reſupinato : pronam, ſi in reliquas tres parte elabatur : deinde carcheſium laqueum , vel alium æqualiter extendentem brachio iniicere, & ſuper ſinum manus dare vectem tranſuerſum : vel ferramentum quo adurimus,ad palmam ipſam deligare eo vinculo quod(ad extremas partes) inſcribitur : tum vectis vel ferramenti extremitatibus iniicere vel medias habenas duplicatas, vel laqueorum inæqualiter extendentiũ ſinus, deorſumque demittere,atque alterum laqueum æqualiter extendentem brachio circumponere, eiúſque capita ſuper caput adducta,vt retinacula ſint,deuincire : quæ verò deorſum ferebantur capita,extendendi cauſa ad axem,qui à pedibus eſt religare,vt eius conuerſione & contineamus, & ab inferiori parte extendamus. Quam rem vbi ſatis præſtitimus,conuenienter impellimus.Nunc autem maximè ad manum reſtituendam pertinet, adhibito retinaculo, ab inferiori parte extendere: licebit præterea & ſurſum adducere,& in diuerſa contendere.Neruis abundè diductis,impulſus neceſſarii ſunt qui eã compellere in ſuum locum poſſint.Quòd ſi in anteriorem vel exteriorem partem exciderit, prominentiore parte palmæ,aut etiam calce ſuperdato preſſa oſſa coguntur, deinceps manus iuxta digitos huc atque illuc agitur: ſin in priorem vel poſteriorem partem eruperit,vtiliter adducendo impellimus.

De ſpina luxata, Cap. XXXV.

HIppocratis organum luxatis omnibus reſtituendis accommodatur,ſed præcipuè ſpinæ, quæ vbi gibba facta eſt,tunc maximè curari poſſe cẽſetur , cùm recens ex ictu vitium eſt.Collocatur igitur homo pronus ſuper ſcamnum,vt laquei capita è regione ad axem ferantur , circundantur ſpinæ laquei duo æqualiter extendentes,vnus ſupra gibbum locum,alter infrà , aut quaterni ex iis qui inæqualiter extendunt,bini à ſuperiori parte,totidem ab inferiori inter ſe aduerſi iniiciuntur,vt in opere de luxatis explicauimus. Vis neruis adhibetur potiſſimum in diuerſa deducendo,interdum tamen continendo, & vel ab inferiori,vel à ſuperiori parte extendendo. Intentione abundè adhibita, ille impulſus quo premimus,accommodatur.Hippocrates varios tradidit impellendi modos , & per prominentiorem palmæ partem , & per ſpatham premendo idoneam.Impulſus per huiuſmodi ſpatham illis reſtituendi modis annumeratur qui facilè comparantur. extremitas enim ſpathæ in foſſam aliquã demittitur,vel in lignum excauatum. Nos, vt ſpathæ obex opponeretur, Hippocratis ſcamno Π ferreum adiecimus , quod & extrahi & infigi poſſet,& ſpathæ reſponderet, pertuſúmque pluribus foraminibus eſſet, & in foramina crurũ organi demitteretur, vt Π pro gibbi magnitudine accõmodaretur, ſpatháque extrema in Π coniecta , eius partem premendo accommodatam ſuper gibbum dantes premẽdo impulimus. Alii duplicatæ habenæ medium organo ſubiicientes eandem ſpatham , ſuper locum iniectam premunt.Premendi modum in opere de articulis exquiſitius indicauimus.

A *Laqueus æqualiter extendens ſupra gibbum, cuiuscapita recta ad axem feruntur.*
B *Laqueus æqualiter extendens infra gibbum,cuius capita recta ad axem feruntur.*
C *Spatha,*
D *Π ferream.*

A



B

C

D

De femore Cap. XXXVI.

FEmur in quatuor partes promouetur: in interiorẽ, exteriorem , priorem , & poſteriorem . ſi in tres partes prolapſum eſt,interiorem, exteriorem , & priorem , crus extenſum eſt, implicarique non poteſt: ſi in poſteriorem , curuum eſt, neque extenditur. Ergo ſi in illas tres partes erumpat, in quas vbi venit, crus extenſum eſt , reſupinato homine medium duplicatæ habenæ lana inuolutum inter anum & naturale dimittendum eſt,capitá-
E que eius ſuper caput adducẽda: vbi in alias partes venerit, nullo interpoſito diſcrimine inter anum & naturale dari habena debet: ſed ea animaduerſione, ſi in interiorem partem exciderit, vt ad integrum femur magis ſpectet, ne femoris caput,quũ extenditur,habena media detineatur,cuius capita vel ad ligna quibus axis qui à capite eſt, continetur. vbi & retinemus, & ab inferiori parte extendimus . Extremo autem femori prope genu carcheſius laqueus iniiciatur,eiúſque capita deorſum demiſſa ad axis clauum vinciantur,vt eo conuerſo,& contineamus,& ab inferiori parte adducamus . Neruis,quantum res exi-
F git,intentis, veniendum eſt ad impulſum.

De femore in interiorem partem prolapſo. Cap. XXXVII.

PRopriè autem ad femur in interiorem partem prolapſum excogitata ſunt ligna ad ſimilitudinem Π à lignis quibus axis continetur, non abhorrentia . Vbi ergo femur in interiorem partem erumpens reſtituitur , æger in integrum latus verſus iaceat , euulſóque priapiſco integrum crus propoſito ligno ſubiiciatur, alligetúrque
G ad ſcamnum ita vt immobile perſeueret,eadémque ratione & brachia,& reliquum corpus.Crus autẽ vitiatum detur ſuper tranſuerſarium lignorum quæ Π literam repræſentant,ita vt tranſuerſariũ inter anum & naturale collocetur: ſed extremo femori iuxta genu iniiciatur laqueus, vel carcheſius,vel alius qui æqualiter extendat , eiúſque capita ad inferiorem axem demittantur.Super ipſum vero lignũ Π literã repræſentans,ſub crure quod reſtituitur detur ſpatha quæ premẽdo aptatur, vel lignũ habens in ſummo capitulũ rotundũ ac leniter cauũ,ab interiori par-
H te à ſũmo crure ad imũ pertinẽs.Quo facto vbi reſtituere

volumus, axis conuertitur, cuius conuerſio ab inferiori A
parte extendit. poſtquam nerui abundè extenti fuerint ſpatha vel eo ligno quod in ſummo capitulum habet, ſuper id lignum quod.π. literam refert, cum crure magna vi deorſum adducto, impulſus extrahēdo adhibetur; poſt quem alius idoneus eſt qui ſurſum verſus compellit, quēadmodum diximus de humero in alam prolapſo.

- A *Poſtes.π.literam repræſentantes.*
- B *Tranſuerſarium.*
- C *Carcheſius laqueus.*
- D *Lignum à ſuperiori parte cruris ad imum pertinens.*



De femore in poſteriorem partem prolapſo. Cap. XXXVIII.

VErùm ſi femur in poſteriorem partem elabatur, neque pronum, neque ſupinum hominem collocamus ſed ſedentem, magis autem in integram coxam inclinatum. Homine ita figurato, duas prehendere habenas oportet, earúmque vnam ſimplicem extendere, atque alteram duplicem demittere in mediam ſimplicem, & ſimplici quidem hominem cingere, duplicē à ſuperiori parte deorſum demittere ab ea regione quæ vmbilico proximè ſubiicitur, ad eam quæ inter anum & naturale eſt, per anum ſurſum adducere, vt quatuor habenæ capita à poſteriore parte ad retinendum vinciantur. Retinaculis datis lata pars ſpathæ, quæ premendo accommodatur, coxæ ſupponatur imóque femori iuxta genu laqueus iniiciatur qui æqualiter extendit, cuius capita ad inferiorē axem demittantur vt eo conuerſo, & contineamus, & ab inferiori parte intendamus. Intentione ſatis adhibita, dum adhuc intendimus, caput femoris per ſpatham in exteriora propellatur, apertáque manu æger reſupinetur. per hanc enim vim femur in ſuum locum compelletur. Repoſiti autem indicium erit, cōparatio cum altero crure, & liberæ ipſius actiones. Nam ſi citra impedimentum complicari & extendi poteſt, ex toto intus eſſe coniicien dum eſt.

De genu, XXXIX.

GEnu in tres partes prolabitur, interiorem, exteriorē, & poſteriorem. in omnibus his caſibus, crus extentū eſt, & minimè complicatur. Oportet, ſi in exteriorem partem prociderit, hominem extento crure ſuper ſcamnum collocare: tum duos laqueos æqualiter extendentes, cruri iniicere: alterum à ſuperiori parte ſuper femur, alterum infra genu: dein capita ſuperioris ſuper caput adducere, B inferioris; ad axem: neruóſque intendere quemadmodū in reliquis articulis dictum eſt, ſiue retinaculis vſi ab inferiori vel ſuperiori parte intendamus, ſiue in diuerſa diducamus. Neruis abundè diductis, ſi in latus ab interiori vel exteriori parte motum fuerit, ille impellendi modus conuenit qui adducit ſi in poſteriorem, & ille qui premit, & ille qui circumducit. Qui impellendi modi quum ſimiles illis ſint qui ad cubitum traduntur, commodè in hunc locum transferuntur.


C

De talo. XL.

TAlus modò in interiorem partem procidit, interdū in poſteriorem quoque conuertitur: in quas partes vbi venerit, æquè reſupinare hominem conuenit crure extento, ac cruri carcheſium laqueum æqualiter extendentem circumponere, eiúſque capita à poſteriori parte ad axem, qui ſupra caput eſt, adducere: talo autem draconem vel ſandalium laqueum iniicere, eiúſque capita ad inferiorem axem alligare, túncque membrum vel in D diuerſa diducere, vel continere, & ab inferiori parte extendere: neruis, quantum res poſtulat diductis, conueniē ter impellere: vbi in interiorem vel exteriorem partem eruperit, retro cogendo, vbi in poſteriorem, extrahendo: nunc ſiquidem ob eum habitum impulſus extrahendo aptatur. De modis autem impellendi diligentius tractabimus in opere de luxatis.

- A *Carcheſius laqueus.*
- B *Sandalius laqueus.*

E



F

G

TOMVS II

ORIBASII SARDIANI COLlectorum, ad imp. Iulian. Cæſ. Aug. libros complectens XVII

Qui ex magno ſeptuaginta librorum volumine ad noſtram ætatem ſoli peruenerunt.

Ioanne Baptiſta Raſario, medico Nouarienſi interprete.

IOANNES BAPTISTA RASARIVS, Nouarienſis, medicus,

NICOLAO SAMMICHELIO MEDICO, Nouocomenſi, S. P. D.

TANTA eſt virtus tua Nicolae ornatiſſime, vt omnium animos tum rerũ cognitione atque vſu, tum morum ſuauitate & vitæ integritate tibi deuincias: tanta verò eſt tui in me officii magnitudo, vt quum tu & conſilio & re iuuare me nunquam deſtiteris, & teſtimonio tuo ſingulari me perpetuò ornaueris, niſi ego te vehementer diligam & ſummopere obſeruem, meúmque tibi aliqua ex parte gratum animum oſtendam, inhumanus iudicari meritò poſſim. Quanquam enim ſcio te eſſe animo tam excelſo magnóque, vt nihil vnquam in me officii contuleris vt gratiam tibi à me referri aut expectares, aut velles: tamen ſicut tu beneuolentiam tuam in me extare voluiſti, ita mihi dandam eſſe operã exiſtimo vt aliquo ſaltem vigiliarum mearum munuſculo te afficiam. id quod erit eiuſmodi vt non à me proficiſcens ad te veniat, ſed vt abs te prius profectum mihíque donatum nunc ad te reuerti valde cupiat. Itaque quum tu præter cætera tua in me merita, vnum & triginta libros Oribaſii miſiſſes, quorum nouem ad Euſtathium filium miſſi, Latini à me facti anno ſuperiore prodierunt in lucem: ſeptendecim verò ſuperſunt ex magno illo ſeptuaginta librorum volumine, quod totam in ſe artis materiam complectebatur, quod ad Iulianum Cæſarem ſcriptum fuerat: quatuor denique ad Eunapium: rogaſti, ac propemodum efflagitaſti à me, ne libros à ſtudioſis omnibus maximopere expectatos paterer latere diutius, tantáque vtilitate genus humanum priuarem. Ego verò, quanquam id ipſum vehementer cupiebam vt hoc æs alienum diſſoluerem, tamen vix audebam aggredi eam prouinciam, ad quam ritè conficiendam maiore otio atque copia librorum manu ſcriptorum opus eſſet: quum præſertim ego in publico munere quotidie verſer, & duo tantùm exempla librorum Oribaſii mihi ſuppetant, quorum alterum mihi tu dediſti, alterum verò eſt apud virum clariſſimum & ſenatorem grauiſſimũ, Matthæum Dandulum: à quo cætera omnia (vt ego quidem puto) tanquam à fonte manarunt. Et quanuis codex ille ſit omnium quos ego in hac maxima vrbe viderim, vetuſtiſſimus, tamen tute ſcis quot in eo quoque loca ſint in quibus interpretandis vel diuinandum, vel (quod maximè periculoſum eſt) coniectura vtendum ſit. veruntamen tu me ita hortatus es vt omnem meam operam, omne ſtudium, omnémque diligentiam mihi eſſe adhibendam cenſuerim, vt libros, alioqui ſtudioſis vtiliſſimos, in linguam Latinam conuerterem. his enim ea cognitio continetur, vt omne hominum genus delectare iuuaréque poſſe videatur. nam ſiquis medicamenta ſcire aueat, eáque ſiue ſimplicia ſiue compoſita ſint, totam eorum ſyluam longè latéque diffuſam in hiſce libris comperiet: ſi ea quibus veſcimur, herbas, plantas, fructus, ſemina, radices, ſuccos, liquores, lapides, metalla, & cætera quæ ex terra prodeunt, hinc eidem ſuppetent omnia. ſi verò quæ ſit aquarum dulcium vis & natura, quæque earum in quibus aliqua medicamenti qualitas ineſt, & quæ lauacra arte confici queant, vt ad omnia genera morborum ſint accommodata, velit cognoſcere, id cumulatius ſuppeditabunt hi libri, quàm vt longè abeamus. Siquidem quæ de his rebus non modò Hippocrates & Galenus quorum ad nos ſcripta peruenerunt, ſed etiam Diocles Caryſtius, Archigenes, Agathinnus, Menemachus, Dieuches, Philotimus, Anthyllus, Philagrius, Cteſius, Pliſtonicus, Athenæus, Poſſidonius, Herodotus, Xenocrates, Zopyrus, Rufus, & cæteri veteres medici præſtantiſſimi, quorum libros iniuria temporis nobis ademit, conſcripſerunt, in vnum hoc volumen Oribaſius redigit. tum verò ex eorundem ſententia de mari & lacubus, de fluminibus & aquis pluuiis, & de iis omnibus quæ in mari degunt atque naſcuntur, abundè diſſeruit. Idem quoque cælum cælique regiones & orbis terræ partes ſalubres & peſtilentes, & habitationes vrbéſque ad bonam valetudinem tuendam & morbos profligandos accommodatas definiuit: déque aeriis & volatilibus egit: tum ſiderum ortus & occaſus, & vim ventorum, & quæ in ſuperna cæli regione fiant, eſt cumulatè perſequutus. Iam quid de humani corporis fabricatione dicam? Qui muſculus, qui neruus, quæ vena, quæ arteria, quæ denique oſſa ſunt, quæ in his libris non deſcripta ſed ferè depicta non videantur? omittam hoc loco tot támque varia genera exercitationum, quibus veteres vtebantur: nihil etiam commemorabo quot menda ex Galeni libris tum in medicamentis expendendis, tum in hominis fabricatione explicanda, ſublata fuerint: nihil denique afferam, quanta ſit inter huius & Dioſcoridis deſcriptiones herbarum differentia. quippe quum & tu omnia diligenter inſpexeris, & cæteri iudicare facilius queant. Quum igitur hanc tantam támque variam

vtilitatem his libris contineri perſpiceres, tantum abeſt vt quorundam morem tibi ſeruandum eſſe exiſtimares, qui theſauros huiuſmodi reconditos perire malunt quàm egentibus impertiri, vt non prius conquieueris quàm impetraris à me vt hos ſeptendecim libros, quò peruenire ad omnes poſſent, interpretarer. quod quum feciſſem, non debere eos in alio nomine apparere quàm in tuo, planè intelligebam: ſiquidem iure quodam domum tuam repetere videbantur, & quòd tu eorum confectionis autor fuiſſes, & quòd Oribaſium honorificè ſemper tractauiſſes, tum in ſimplicium medicamentorum & diſſectionis humani corporis cognitione, in qua ſummopere excellis: tum in facienda medicina, in qua ſic verſaris vt innumeros non ſanaueris modò, ſed à morte penè ad vitam reuocaueris, ídque quotidie facias. præterea verò ſciebat eius nomen à te fuiſſe celebratum, quum tu ſumma cum laude in florentiſſima academia Patauina reconditam ſcientiam tuam, & ſingularem medicinæ cognitionem quæ in te elucet, cunctis patefaceres atque aperires arcana ſenis noſtri, omnis medicinæ parentis, ita ad hominum ſtudia ſalutémque accommodatè reſerares, vt qui te audirent, ſummum fructum ferrent, tu verò laudem immortalem, & gloriam tibi parares ſempiternam. Mitto igitur ad te Oribaſium, qui licet alia lingua loquatur, eſt tamen idem qui tecum multos annos vixit: atque ita mitto, vt ſiquid meo ſtudio & diligentia fuerit ornamenti conſequutus, totum id cæteri tibi acceptum referant: ſin quid offendat, id mihi & libri mendis adſcriptum velint: laudent tamen induſtriam, qui quantum poſſum, quantúmque valeo, totum ad illorum ſtudia libenter accommodo. Vale.

ORIBASII MEDICINALIVM collectorum, ad imperatorem Iulianum Cæſ. Aug.

LIBER PRIMVS,

Ioanne Baptiſta Raſario medico, Nouarienſi, interprete.

EPITOMAS quas tu olim Diue Iuliane Cæſar, mihi conficiendas mandaueras, iampridē quum in Gallia citeriore eſſemus, ad finem, quemadmodum tu voluiſti, perduximus: quas quidem ex iis ſolis confeceram, quæ Galenus conſcripſiſſet quumque tu eas laudauiſſes, alterum mihi laborem adiunxiſti, vt perquiſitis omnibus quæ medici præſtātiſsimi maximè opportuna dixiſſent, & quæcunque ad medicinæ finē pertinerent, vnum in volumen redigerem: id quod ego pro virili parte me prompto animo facturum decreui, quum exiſtimem hæc collecta, fore vtilia iis in quorum manus incident, vt ſtatim, quid ſemper iis qui auxilio indigeant vtile ſit, cōperiant. Nunc verò quum ſuperuacaneum & omnino ineptum putem eadem ſæpius adſcribere, & quæ ab optimis medicis, & quæ ab iis qui non ita diligēter res tractauerunt, ſcripta fuerint, ea ſolùm colligam quæ nobis reliquerunt ii qui cæteris præſtiterunt. ſed nihil omittam eorum quæ Galenus dixerit: ſiquidem ex iis qui eaſdem res pertractarunt, ipſe & via ac ratione, & diſtinctione cæteris omnibus antecellit, ac principia & ſententias Hippocratis imitatur. Hoc verò ordine, hoc loco vtar. In primis colligā ea quæ de parte materiæ ſunt: deinde de natura atque fabrica hominis: tum de tuenda ſanitate, & reficiendis corporibus agetur: quibus confectis addam quæ ad dignotionē & prænotionem pertinent: adhæc, quæ de morbis déque ſymptomatis ſunt, accedent: & denique ea quæ valent ad corrigendum ea quæ præter naturam ſunt, adhibebuntur. à facultatibus autem alimentorum initium dicendi ſumam.

Ex Gal. de virtute & vitio Cerealium ſeminum, Cap. I.

NON ſolùm quum in alienam regionē profectus inſueti quippiam comedere debeas, ſed etiam apud nos ipſos cuiuſque rei naturam tentare prius, tum in aqua ſola citra decoctionem macerando, tum etiam adhibita coctione & aſſatione, poteris. Semina enim quæ in tumorem elata, ſtatim priſtinam duritiem & lentorem obiiciunt & molliora redduntur, meliora ſunt omnia: at quæ priſtinum tumorem vnà cum duritie conſeruant, ea ſunt deteriora. nam & difficulter concoquuntur, & terreæ ſubſtantiæ ſunt, vt vix in ſanguinem conuertantur. Hoc pacto & amygdalas, & nuces magnas & paruas & caſtaneas probabis. At de ptiſana quorſum attinet dicere? nam id vel pueri ſciunt, eam quæ ſtatim intumeſcit, eſſe optimam: quæ verò longo tempore exiguum tumorē acquirit, peſſimam. Sed ex ſeminibus Cerealibus nonnulla ſunt quæ ne cocta quidem in tumorem apta ſunt efferri: quæ veteres Græci quidam indomita vocauerunt. quæ verò exigua mole plurimum habent ſubſtantiæ, eáque craſſa eſt & glutinoſa, omnia optimi ſucci ſunt, & alimenti plurimum præbent: ſed tamen non facilè ſecedunt. Contrà verò, quæcunque laxam mollémque ſubſtātiam habent, eorúmque partes admodum furfuraceæ ſunt, ea melius quidem deiiciuntur, ſed minus nutriunt: ex quibus ſanè quæ graueolentia ſunt, & iniucunditatem guſtui afferunt, perſpicuum eſt ea eſſe omnino mali ſucci, & difficulter concoqui. In exigua autem mole plurimum ſubſtantiæ ineſſe, pondus ipſorum lance libratum, & farinæ copia ſigno tibi erunt. nam ex mole exigua ſeminum, quæ cōpactam habeant ſubſtantiam, multum farinæ efficietur. Ergo tritica quæ totam ipſorum ſubſtantiam denſam, & compactam habent, vt vix dentibus frangantur, color verò eorum eſt flauus, ea exigua mole plurimum alimēti corporibus præbent: quæcunque verò iis ſunt contraria, vt facilè à dentibus conſtringantur, & confracta rara & laxa appareant: ea magna mole dant exiguum alimentum. Hordeum optimum eſt quod candidum vbi pin-

A ſitum eſt apparet, aliquidque denſitatis ac ponderis, quātum hordeo licet, habet. Præterea, quod totū plenum eſt & externā circumſcriptionem tenſam habet, ei quod gracile rugoſúmque ſit, præſtat. Sed non ſolum hordeum, verumetiam quæcunque ſemina plena ſunt & externam circumſcriptionem tenſam habent, optima ſunt omnia: niſi fortè multo maiorem quàm eorum natura ferat, molem habeant, ſintque & molliora & laxiora. nam quæ ita ſunt, ea ſcito cum excrementitiam humiditatem habere, tum verò etiam eſſe prædictis deteriora. quamob-

B rem quum ea collegeris, vti eiſdem non debes: ſed locis ſiccis repoſita diutius permitte: vt interim pars ſuper uacanei humoris exhalet, pars verò etiam concoquatur: vſquedum ſiccata mediocriter contrahantur. quæ nanque diutiſsimè repoſita fuerint, facultatibus deterioribus fiunt. Huius autem rei terminus eſto quum iis diuiſis tāquam tenuis puluis quidam excidit. Iam verò in tritico ſæpenumero frequens lolium inuenitur: in hordeo parum quidem lolii, ſed frequens ægilops. In lentibus quoque ex ipſarum mutatione araci & pelecini ſemina dura,

C & rotunda quæque eſculenta non ſunt, ſicut aparine & eruangina in eruo comperiuntur. valde enim hæc pernicioſa ſunt ſemina. Quod verò melampyron appellatur, ex tritici quoque mutatione oritur, ſed prauitate permultum à lolio ſuperatur. Inueniuntur etiam aliæ nonnullæ huiuſmodi in ſeminibus mutationes. quocirca nō par eſt nos negligentes eſſe in omnibus ſeminibus purgandis quæ ad veſcendum comparantur, quum ſciamus etiam ſi noxam quæ quotidie fit, ob exiguitatem non ſentiamus, tamen quod longiore temporis ſpatio ab ipſa

D coaceruatur, eſſe quādoque erupturum. Fructus autem ad reponendum idoneos ſcito eſſe eos qui antequam putreſcant, exiccantur. Ac probabiliter quidem tipham paruum triticum quiſpiam appellauerit: vtpote quæ & colore, & denſitate & caliditate ſimilem tritico facultatem habere videatur. Sunt autem & alia permulta ſemina prædictis ſimilia, quæ tamen non exquiſitè eandem habent ſpeciem: atque ea quidem partim inter hordeum & tipham, partim inter triticum & tipham media ſunt: & partim ad oliræ, partim ad hordei, vel tiphæ vel tritici:

E quemadmodum alia partim ad panici, partim ad milii naturam propius accedunt: habéntque nomina alia ſimplicia, vt in Italia ſitanium: alia verò compoſita, vt in Cappadocia gymnocrithon, id eſt hordeum nudum: & in Bithynia, quod ex zea & tritico fit, zeopyron nūcupatur.

De tritico ex Athenæi commentariis, ex libro primo, Cap. II.

EX cibis valentiſsimum ad nutriēdum eſt triticum: cuius magna differentia vt magis minúſque calefaciat & humectet, à genere, à locis in quibus naſcitur, à

F temporum conſtitutione, ab aere, & à temporibus ducitur. Ac generis quidem ratione differt triticū, quia alterū ſitaniū & farinaceū, alterū verò ſimilaceū eſt: ſitaniū verò leue eſt & laxū conſiſtentia atque albū. hoc enim eſt elaboratū, terrea ſubſtantia multùm in eo affuſa, & à propria concoctione diſſoluta: quocirca & promptū & quod bene concoquatur, &, ad ſummum, quod facilè immutetur, alimentum præbet: quinetiam, quod facilè perſpiretur & conficiatur: minus tamen fit, neque par ei quod ſimilaceum afferat: & quod magis ad bonam valetudi-

G nem quàm ad robur accōmodatum ſit. Similaceum verò eſt grauius, & denſum, & flauum, & pellucidum. eſtque difficile ad concoquendum: diſtributionem tamen copioſam & quæ non facilè perſpiretur, habet. & omnino potius ad robur quàm ad ſanitatem eſt accōmodatum. Ex locis autem differt triticum, quod in ſiccis & nō pinguibus regionibus natum ſit, ab eo quod in fertilibus & pinguibus oriatur. Illud enim quum ex minore materia

leuioréque,& tenuiorum partium conſtet, facilè conficitur,faciléque mutatur illud quidẽ,ſed minus alit: quare affectum eſt id quod in locis quæ exuſta vocantur, ſeritur. Quum enim loci materia exuſta ſit propter cinerẽ pinguedine & nutritione carentem,triticum album laxum &ſitanium efficitur. At quod in pinguibus & fertilibus locis naſcitur,copioſa & ſolida materia educatum eſt & denſum,& graue, atque etiam multùm nutrit. Ac loca quidem aperta, quæque bene perſpirantur & aprica ſunt, melius triticum ferunt,& quod multò magis nutriat. Differt quoque loci ratione triticum quod in locis admodum frigidis & niualibus oritur,ab eo quod in calidis regionibus ſeritur : nam quod oritur in frigidis locis,magis eſt elaboratum & tenuium partium : quale eſt ſitanium. quum enim non velut deliteſcat in eis vis, exiguúmque alimentum,idque paulatim capiat,permultùm autem concoquat, efficitur vt pars terrea magis in eis elaboretur& fundatur:ex quo conficitur vt triticum, quum leue ſit,tum verò etiam in tenuem farinam diſſoluatur. Quod trimeſtre triticum eſt,leuius eſſe:&præſertim quod in niualibus locis naſcitur,huiuſmodi eſſe accepimus. Quod verò in calidis locis oritur,& copioſum alimentum & multã denſitatem, & minus fuſam atque ſecretam capit. Paluſtre porrò triticum alimento vacat, éſtque leuius,& vitioſum ſanguinem facit,&corpora minus calefacit. Loca autem perhumida triticum ferunt, quod minus alit quódque eſt imbecillius, & ex toto genere videtur in lolium propter aquæ vim & copiam degenerare.Quod verò in vmbroſis & nemoroſis locis naſcitur,plus habet aceris quàm vtilitatis. Ex temporum verò atque aeris conſtitutione exiſtit etiam tritici differentia.atque ex temporibus quidem,quum eorum ſit tẽperatura,& moderata in frigore,calore,imbrib⁹,& poſtea in aquarum defluentium cohibitione commutatio: tunc enim triticum boni alimenti fieri,eiúſque molem impleri contingit:vt contrà fit quum intempeſtiuè,intẽperatè,& immoderatè quæ prædiximus eueniunt. nam & gracile & alimonia vacans efficitur.Aeris autem ratione, quum opportunis tẽporibus ſerenus apricúſque eſt, & à ventis aptè perflatur: vel contrà,quum nubilus eſt,& opacus :ſæpe enim minutulam pluuiam emittit, quum iã tempus ſit calidum & triticum ad perfectionem peruenerit:quo caſu triticum rubigine tentatum perit.Simili quoque modo fit quum venti graues,ſicci,& calidi ſub tempus quo ſpicæ implentur,exoriuntur.Quúmque vehementes & multo tempore ſpirauerint ii qui καύσωνες, hoc eſt,ardentes nominantur, ſpicas adurunt & exiccant: & idcirco faciunt vt alimenti nihil habeant. Ratione verò temporis, nouum à vetere & eo quod inter vtrunque eſt intermedium,differt. nam recens plus ſucci habet,flatus gignit,& multùm alit: vetuſtum contrà,ſucco vacat,ſiccius eſt, & minus alit: quod verò eſt medium, ratione temporis habet medietates prædictorum.

De carnibus pro anni temporibus,

Cap. III.

SVes verno tempore vſque occaſum autumnalem pleiadum ſunt peſsimi:ex eo verò tempore vſque ad vernum tempus,optimi. Capræ hyeme peſsimæ ſunt: vere autem vſque ad arcturi occaſum eſſe meliores incipiũt. Pecudes quoque hyberno tempore ſunt peſsimæ: poſt æquinoctium verò vſque ad ſolſtitium æſtiuum pingueſcunt. Boues verò,quum herba fructum ferat, & finito vere,& per æſtatem totam. Ex auibus nonnullæ per hyemem ſunt optimæ: quæ nimirum hyeme apparent, vt merula,atque ſturnus,& palũbus.Attagenes verò& atricapillæ, autumno præſtant.Itémque ficedulæ &luſciniæ & coturnices eo tempore ſunt pinguiſsimæ. Galli verò gallinacei hyeme non admodum corpore augentur, & præſertim in auſtrinis locis:turtur verò autumno excellit. Ex piſcibus verò prægnantes optimi ſunt,caris, carabus,& molles,ſepia,&loligines:alii verò quum ouis incipiunt incubare,vt capitones:quum verò fœtu pleni ſunt tenues ſunt & non nutriunt:& multo etiam magis quum partum ediderunt. Thynnus autem poſt arcturum pinguiſsimus eſt:æſtate verò,eſt deterior.

Ex Galeno de tritico elixato,

Cap. IIII.

TRiticum elixatum edulium eſt graue, & quod difficulter concoquitur. Vires autem magnas habet triticum,ſi ita ſumptum concoquatur,corpúſque egregiè nutrit,ac robur inſigne præbet iis qui vſi eo fuerint.

De alica, Cap. V.

ALica eſt ex genere tritici: eáque & valenter nutrit,& glutinoſum habet ſuccum,ſiue in aqua ſolùm cocta ex vino mulſo ,aut vino dulci aut adſtringenti,(nam his ſingulis ſuo tempore vtimur) ſiue cum oleo & ſale frixa ſumatur. ei verò quandoque acetum adiungitur ac medici alicam ita confectam ptiſſanæ præparationem fuiſſe aiunt. Iam verò panes ex alica confecti,plurimi quidem alimenti ſunt,ſed minus ſubſidunt.

De amylo, Cap. VI.

AMylum ex tritico conficitur, habétque vim exaſperatas partes læuigandi: nam neque adſtrictionem vllam neque acrimoniam inſignem habet : éſtque ſimilis facultatis cum panibus lotis.ſed tamen & minus alimenti dat corpori & non calefacit.

De placentis quæ ex farina triticea fiunt, Cap. VII.

TAginitæ ex oleo ſolo parantur:Oleum in ſartaginem igni qui fumi expers ſit,impoſitam,iniicitur.huic calefacto triticea farina multa aqua in buta affunditur:quæ quum in oleo coquitur, ſtatim æquè ac caſeus tener conſiſtit atque craſſeſcit.ac tunc quidem qui eam parant vertunt,& ſupernam extremitatem eſſe infernam faciunt, vt ſartaginem contingat:quæ verò erat inferior,quæ iam ſatis erat cocta, in ſublime efferunt vt ſuprà maneat: quúmque inferior pars fuerit cõdenſata, ipſam bis & ter voluunt vſquedum eis æquè eſſe cocta videatur. Eſt enim perſpicuum,hanc craſſi eſſe ſucci, & ventrem cohibere,& ſuccos crudos efficere : quamobrem ei quidam mel adiiciunt. ſunt etiam qui marinum ſalem miſceant. Iam verò fuerit hoc placentæ genus quoddam,vt ſunt etiam aliæ huiuſmodi placentarum ſpecies, quas cum ruſtici tum vrbani pauperes extempore parant. Etenim & πέμματα ἄζυμα quæ in clibano aſſant, deinde extrahunt,& ſtatim in mel calidum coniiciunt, vt id in ſe tota recipiant,placentæ quoque ſunt genus quoddã. Eiuſmodi quoque ſunt quæ ex itriis cum melle parantur omnia. Eſt autem itriorum duplex ſpecies : præſtantiórque eſt,quam rhyemata:deterior verò,quam lachana vocant. Nunc verò omnia quæ ex his,quæque ex ſimila cõponuntur,craſsi ſucci& tardi tranſitus ſunt:& meatus iecoris,per quos alimentum importatur,obſtruunt, & lienem imbecillum augent,& calculos in renibus gignunt. Valenter autem nutrient, ſi concoquantur, & probè in ſanguinem commutentur. Quæ verò cum melle parantur,mixtæ facultatis fiunt:vt quum mel ſuccum tenuem habeat, ea quoque quibuſcum miſcetur , attenuet: ex quo meritò fit vt quæ cum maiore mellis copia parata fuerint,& diuturniorem coctionem ſint conſequuta,minus tardè ſubducantur,& ſuccum ex tenui & craſſo mixtum gignant,iecorique &renibus,& lieni in iis qui integra valetudine fruuntur, potiora ſint quàm quæ ſine melle conficiuntur:in iis verò in quibus eſt initium obſtructionis,aut qui inflammatione,aut ſcirrho laborant, nihil minus quàm illa, nocẽt:& nonnunquã etiam multo magis,& omnium longè maximè quorum farina admodum glutinoſa fuerit. Et tamen nihil eorum quæ ita confecta ſunt,neque thoracem neque pulmonem lædit. Cæterùm quum apud nos triticeam farinam cum lacte multi coquant,ſciendũ eſt hoc eduliũ eſſe ex iis quæ intus obſtruunt: nam quemadmodum hæc omnia edulia, quum boni ſucci ſunt,tum alimentum afferunt,ita etiam lædunt eos qui ipſis continenter veſcuntur : ſiquidem & iecoris obſtructiones faciant, & calculos in renibus gignant.

De panibus triticeis, Cap. VIII.

OPtimus panis ac ſaluberrimus homini neque iuueni neque exercitato fuerit is qui plurimum fermenti, plurimumque ſalis habeat:quique plurimùm ſit ſubactus & elaboratus, & in clibano moderatè calido ſit aſſatus. hoc verò quod dixi plurimum fermenti atque ſalis,tu guſtu iudicato.quod enim in copioſiore horum miſtura iã moleſtum eſt,id noxium eſt.Quicunque autem panis lauandi rationem excogitarunt,ii paucioris quidem alimẽti cibum, ſed qui à noxa obſtructionis abſit quàmmaximè fieri poteſt,inuenerunt: hic enim panis ſuccum craſſum & glutinoſum minimè habet, vtpote qui ex magis terreſtri,magis ſit factus aërius.Eius autem leuitas tum ex pondere per lancem, tum verò ex eo quod in aqua non ſubmergitur,ſed inſtar ſuberis ſupernatat,apparet. Panes autem omnium optimi ſunt clibanitæ, deinde ipnitæ, quum eodem modo fuerint confecti. ſed quia interius non aſſantur æquè ac clibanitæ, idcirco ab illis ſuperantur. qui verò ſuper craticulam,aut calidum cinerem aſſati ſunt,quia inæqualis diſpoſitio in eis eſt,ſunt omnes noxii:ſiquidem extima pars præter modum aſſata eſt, intima verò cruda.Poſt triticeos panes,qui ex olyra conficiũtur,principem locum tenent,ſi ex olyra bona fiant:ſecundi ab iis ſunt ii qui fiunt ex tipha.

De panibus ex Athenæo.

Cap. IX.

PAnes tenues paucioris ſucci, paucioriſque alimenti ſunt, quum aſſatio magis extenuet, magiſque diminuat in eis vim alendi:quocirca itria, & lachana paucioris ſucci ſunt.Hac quoque ratione aſſati & bis cocti panes minus alunt,quàm ſucci pleni:nam quum ſint quadantenus aſſati,iterũ cõterũtur:deinde cõtriti iterũ aſſantur. cõtingit enim vt excalfacti,& admodum confuſi,multo magis ex attritu fundantur & diſſoluantur. Sed quum tales ex ſecunda aſſatione ſint redditi, quod valẽs eſt in eis, conſumptum fuit:quod verò reſtat,& leue,& laxum,& tenuium partium fit,& facilè diſtribuitur.Iam verò calidos recentéſque panes valentius nutrire, quàm frigidos & veteres,eſt perſpicuum, ſiquidem caliditas quoque concoctionem adiuuat.

De hordeo ex Galeno,

Cap. X.

TRiticum perſpicuè calefacit : hordeum verò quoquo modo eo vtaris,ſiue panes ex eo conficias,ſiue ptiſanam coquas,ſiue polentam pares,aliquid refrigerantis habet: ſuccum verò,qui abſtergendo eſt gignit. Panes autẽ qui ex ipſo fiunt, non modò magis quàm triticei,ſed etiã magis quàm olyrini,&multo magis etiam quàm tiphini, friabiles ſunt:quum in ſe glutinoſi nihil habeant:ex quo planum eſt,exiguũ ex his alimentũ corporibus præberi.

De hordeo ex Athenæo,

Cap. XI.

HOrdeum aliud nudum eſt,& expers corticis,& multi ſucci eſt,ac valde nutrit, idque propius ad triticum, quàm aliud accedit:aliud verò ſecundum eſt,quod ſpicas habet binis granorum verſibus conſtantes. quod etiam minus habet excrementi quàm triticum quod ſpicam habet quæ ex vnico granorum conſtat ordine.

De polenta & maza ex Galeno,

Cap. XII.

POlenta exiguum corporibus alimentum præbet,iis verò quæ exercentur,minus: quæ verò exercitatione non vtuntur,ſatis multum.Maza verò tanto eſt pane hordeaceo inferior in alendo, quantum ille triticeo cedit, atque etiam ægrius,quàm hordeacei panes,concoquitur: & ventrem magis flatu implet:in quo ſi diutius maneat, turbationem quoque efficit.Hæc verò ſubacta & contrita diutius,per aluum potius ſecedit.Si verò mel eidem adiiciatur,citius deſcendet atque etiam ob hanc cauſam aluum ad excretionem irritabit.

De tipha & olyra,

Cap. XIII.

OLyrini panes poſt triticeos optimi ſunt, ſi ex olyra proba conficiantur: his ſuccedunt tiphini. ſi verò illi ex vitioſa olyra ſint facti, tiphini non erunt illis inferiores. Quum verò tipha eſt optima, calidi tiphini ſunt olyrinis multo præſtantiores:at aſſeruati,deteriores illis fiunt ita vt qui poſt vnum,vel duos , & multo magis poſt aliquot deinceps dies huiuſmodi panem comederit, lutum ſibi ventriculo ineſſe exiſtimet: quum verò adhuc calidus eſt,ab ipſis etiam vrbanis expetitur,eúmque cum caſeo quodam familiari comedunt, quem oxygalactinum vocant.Ergo hic calidus commanducatus non modò à ruſticis,ſed etiam ab ipſis vrbanis in deliciis habetur: qui verò triduo aut quatriduo antè ſit confectus , vel ab ipſis ruſticis iniucundius manditur: difficiliuſque concoquitur, ac tardius per aluum ſubducitur:quæ calido minimè accidunt.Atqui hic calidus corpus valenter nutrit, vt parum triticeo ſyncomiſto ſit inferior. Porro tiphæ ſemen extrinſecus habet corticem veluti olyra, atque hordeum.ex eo pinſito panes fiunt, & vſui omnino accommodatur.Ex aqua itidẽ elixũ mãditur à ruſticis ſapa adiecta,non ſecus quàm quod apothermum nominant: quandoque verò cum ſale comeditur. Ex nobiliſſima autem olyra, quum cortex ita vt par eſt,fuerit excuſſus,appellatum tragum conficiunt: quo aqua elixato plerique vtuntur:deinde aqua effuſa,ſapam, aut vinum dulce aut vinũ mulſum affundunt:ac nuces quoque pineas aqua præmaceratas,donec plurimum intumuerint,ſuperiniiciunt.

De auena. Cap. XIIII.

HO C ſemen,eſt iumentorum,non hominum alimentum: niſi fortaſſis magna quandoque fame ad panẽ ex hoc ſemine conficiendum compellantur . Si verò fames non ſit,decoctum ex aqua cum vino dulci,aut defruto aut vino mulſo veluti tipha comeditur. Satis enim habet caloris æquè atque illa, non tamen eſt æquè durum: quamobrem corpus minus alit. alioqui autem panis ex eo confectus inſuauis eſt : aluum tamen neque cohibet, neque proritat

De milio,& panico quod etiam μελίνην vocant, Cap. XV.

EX his quoque panis interdum conficitur,quum dictarum frugum eſt penuria;quique ex eis fit, parum nunutrit,& frigidus eſt:planúmque eſt,eum eſſe prædurum atque friabilem. quare meritò humectam aluum exiccat. Ruſtici verò farinam eorum elixantes,deinde ſuillã pinguedinem,aut oleum admiſcentes,mandunt.Milium verò eſt in rebus omnibus panico præſtãtius:nam & ſuauius editur,& minus difficulter concoquitur, minúſque aluum ſiſtit,& magis alit. Farina quoque eorum decocta ex lacte ruſtici quandoque non ſecus quàm triticea, veſcuntur: éſtque perſpicuum, hoc edulium ita ſumptum, tanto eſſe præſtantius quantum lac & ad bonum, & ad multum ſuccum & ad alia omnia efficienda excellit.

De oryza, Cap. XVI.

HO C ſemine ad aluum cohibendam vtuntur: difficilius tamen quam alica,concoquitur,& item minus alit.

De lentibus, Cap. XVII.

LEntes corticem habent adſtringentem:quæ verò ipſarum eſt veluti caro,craſſi ſucci & terrei eſt, & exiguũ auſteræ qualitatis habet: cuius multæ cortex eſt particeps. Succus in eis eſt adſtringenti contrarius:idcirco ſiquis lẽtes aqua coxerit, & aquam ſale, aut garo & addito oleo præbeat, hic potus aluum deiiciet.Ex lentibus autem bis (vt diximus)decoctis,lens ipſa apparata vim habet ſucco contrariam, vt quæ ventris fluxum exciccet, & ſtomachum & inteſtina & totum denique ventrem roboret. Cui verò cortex ſit detractus, vt adſtringendi vehementiam amiſit, ita etiam magis quàm cui cortex non ſit ademptus,nutrit ſuccíque craſſi eſt,& tardè permeat & tamen alui fluxus non exiccat,vt facit ea quæ non ſit ſpoliata cortice.Præterea verò hoc edulium mali ſucci eſt , ſucc úmque melancholicum facit.Hebetat autem aſpectum integrum,eundem nimium exiccans:qui verò contrà ſit affectus,eum lentis vſus iuuat.

De fabis, Cap. xviii.

PVLS fabarum & per ſe & cum ptiſana paratur: hæc autem corporis habitum carne non conſtricta illa quidē (ut ſuilla facit) ſed quodammodo multo laxiore implet. hoc edulium quomodocunque ſit paratum, flatus gignit. Subſtantia vero non denſa, & grauis, ſed laxa & leuis fabis ineſt: habent tamen vim abſtergendi non ſecus quàm ptiſana. Quum verò fabarum puls flatus gignat, multò etiam maior flatus excitabitur ſi quis ipſis fabis integris coctis veſcatur. at frixæ flatum quidem deponunt: ſed difficilius concoquuntur, & tardius ventrem permeant, & craſſi ſucci alimentum corpori præbent. Quum verò virides, antequam maturæ & exiccatæ fuerint, ſumuntur, habent id quod omnium fructuum quos ante perfectionē edimus, eſt commune vt humidius alimentum corpori præbeant.

De piſis, Cap. xix.

QVVM piſa totius ſubſtantiæ ratione, quādam cū fabis habeant ſimilitudinem, iiſdémq; modis quibus fabæ, comedantur, in duobus ab illis differunt, tum quia non ita ſunt flatulenta ſicut fabæ: tum quia abſtergendi facultate carent: ex quo fit vt tardius, quàm fabæ per aluum ſecedant.

De ciceribus, Cap. xx.

CIcer edulium eſt non minus quàm faba, flatulentum: nutrit verò non minus, quàm illa. Ad venerem incitat, & ſimul quoque ſemen gignit: in eo maior eſt abſtergendi vis quam in fabis. ex quo fit, vt nōnulli cicerum vſu lapides qui in renibus eſſent, euidenter cōfregerint. nigra autem ſunt ea, & parua, & arietina vocantur: ſed præſtat ipſorum in aqua coctorum ſuccum ſolum bibere. Viridia verò æquè, ac reliqua omnia, excrementitia ſunt: quēadmodū etiam frixa flatum quidem deponunt, cæterum difficilius concoquuntur, ventrémque magis ſiſtunt, & corpori minus alimenti afferunt.

De lupinis, Cap. xxi.

LVpini dura terreſtriſque ſubſtantia eſt: quocirca & vt difficulter concoquatur, & vt ſuccum craſſum gignat, neceſſe eſt, ex quo in venis non probè confecto ſuccus propriè crudus appellatus aceruatur. Cæterum edendo qualitatis, quæ ſenſu deprehendatur, expers eſt. Par ergo eſt, ipſum neque ad aluum deiiciendam, neque ad eandē cohibendam eſſe accommodatum.

De fœnogræco quod & bouis cornu dicitur, Cap. xxii.

HOC ſemen cum garo præmanſum, aluum ſubducit: eſtur quoque ex aceto & garo & ex vino & garo & oleo. aliqui cum pane idem ſumunt, nec capitis dolorem affert, veluti cum garo. Eſtur quoque fœnumgræcum ex aceto & garo antequam eius planta fructum ferat: aliqui verò oleum affundentes, cū pane veſcuntur. ſed ita caput ferit. Succus autē decocti fœnigræci cū melle ſumptus, ad omnes vitiatos humores qui in inteſtinis ſunt, ſubducendos valet. & quia abſtergendi facultate præditus eſt, ideo inteſtinum ad excretionem irritat.

De phaſelis & eruilia, Cap. xxiii.

HÆC quoque ſemina perinde ac fœnumgræcum mortales aqua præmacerantes donec radicem produxerint, ante alios cibos garo intingentes alui ſubducendæ gratia comedunt: ſuccum verò, cum concocta & diſtributa fuerint, copioſioris alimenti quàm fœnumgræcum, habent. Hæc porro mediaquodammodo ſunt inter ea quæ boni ſucci ſunt, quæque facilè & quæ difficulter concoquuntur: & quæ tardè, & quæ celeriter tranſeunt: & quæ flatulēta ſunt, quæque flatus nō excitāt: quæ denique exiguum, & quæ multum dant alimenti. neque enim vllam qualitatem efficacem habent.

De cicercula, Cap. xxiiii.

HAC veſcuntur homines, vt phacoptiſana. Habet verò ſuccum facultate quidem phaſelis, & eruiliis quodammodo ſimilem, ſed conſiſtentia craſſiorem. ex quo fit, vt cicerculæ magis ferè quàm illi nutriant.

De aracis, Cap. xxv.

HOC ſemen eſt cicerculæ ſemini perſimile: atque etiam vſus omnis, itémque eorum vis cicerculis eſt ſi-
A milis niſi quod duriores ſunt, & minus facile elixantur: ex quo ſequitur vt araci quoq; difficilius quàm cicerculæ, concoquantur. Apud nos verò agreſte quoddam, ac durū & rotundum ſemen, eruo longius, in cerealibus fructibus inuentum, quod arachum per ch nominant, ſeligunt, & non ſecus quàm pelecinum, abiiciunt.

De dolichis, hoc eſt phaſiolis. Cap. xxvi.

HOS aliqui ſiliquas, aliqui phaſiolos appellant: faci-
B lius autem deiiciuntur quàm piſa, minúſque inflant atque etiam alunt.

De eruo, Cap. xxvii.

MAgna quandoque famē compulſi homines hoc veſcuntur: minus verò medicamentoſum eſt album quàm quod ad flauum pallidúmve colorem abſcedit. Quum verò coctum bis fuerit, & in aqua perſæpe dulce redditum, inſuauitatem quidem deponit: ſed cum ea facultatem quoque abſtergendi & incidendi amittit, vt ſola ſubſtantia terreſtris ei remaneat quæ facit vt edulium
C citra inſignem amaritiem exiccans fiat.

De ſeſamo & eryſimo, Cap. xxviii.

PIngue eſt ſeſami ſemen, ideo celerrime fit oleoſum: quamobrem eos qui ipſo veſcuntur, celeriter implet, ſtomachúmque ſubuertit, & tardè cōcoquitur & corpori alimentum pingue affert: quoniam verò craſſi ſucci eſt, idcirco non celeriter ſecedit. At eryſimum corporis quidem ſubſtantia eſt quodammodo ſimile ſeſamo, ſed in cibo eſt inſuauius, & corpus minus alit, & eſt omnino deterius: ambo verò ſunt calido temperamento, & ob eam
D quoque rem ſitim afferunt.

De papaueris ſemine, Cap. xxix.

SAtiui papaueris ſemen panibus, ceu condimentum, vtiliter inſpergitur: ac ſemen quidem, quod candidius eſt, præſtat ei quod nigrius ſit. Vim refrigerandi habet, quamobrem ſomnum quoque conciliat. ſique liberalius ſumptum fuerit, grauem etiam ſoporem inducet, & ægrè concoquetur. Præterea verò quæ ex thorace, ac pulmone tuſſi eiiciuntur, cohibet: iuuat eos quos tenuis à capite diſtillatio exercet. alimentum non notabile dat
E corpori.

De lini ſemine, Cap. xxx.

ALienum ſtomacho eſt & concoctu difficile lini ſemen & exiguum alimentum corpori præbet: nullā verò habet alui deiiciendæ facultatem: habet quidem exiguam vim vrinæ ciendæ, ac præcipuè frixum.

De ormino, Cap. xxxi.

HOC frixo vtuntur, ipſúmque læuigant, & mel adiiciunt: parum verò in eo ineſt alimenti.

De cannabis ſemine, Cap. xxxii.

F CAnnabis ſemen ægrè concoquitur, ſtomacho alienū eſt, caput ferit, mali eſt ſucci, & egregiè calefacit.

De viticis ſemine, Cap. xxxiii.

CRedunt hoc ſemen venereas appetitiones cohibere. Corpori verò parum alimenti, eiuſque ſiccantis, ac refrigerantis affert. flatus valde diſcutit: quibus omnibus rationibus, iis qui ſe à rebus venereis puros ſeruare ſtudēt, conuenit

De aphace & vicia, Cap. xxxiiii.

HOrum ſeminum figura eſt fabis ſimilis. quum fames
G eſt, iis etiam viridibus, ſicuti ciceribus & fabis, mortales veſcuntur & præſertim vere. Sunt autem non ſolúm inſuauia, ſed etiam concoctu difficilia & aluum ſiſtunt, malúmque ſuccum, atque etiā melācholicū gignūt.

De cucurbita, Cap. xxxv.

CVcurbita probè cocta nullam euidentem ſaporis qualitatem habet: quocirca meritò multis modis apparatur vt pote quæ in medio exceſſuum omnium ſit conſtituta. atque ipſa quidem quantum in ſe eſt, humidum frigidúmque, & propterea etiam exiguum corpori dat alimentum: facilè autem ſubſidet ſuæ ſubſtantiæ lubricita-
H te. concoquitur verò non malè, ſi non prius fuerit corrupta. Aſſata autem, aut in ſartagine frixa, plurimum quidē humiditatis propriæ deponit, ſed quod reliquum eſt

nullam inſignem facultatem obtinet, veluti nec quum ſimplici iure fuerit parata. Meritò autem propter aqueã qualitatem origano gaudet. Nonnulli eius ſemen abiiciunt & partem quæ eſt velut caro exiccant, & in hyemẽ reponunt. Illis autem ita repoſitis omnino aliter veſcuntur quàm vt cucurbitis: ſiquidem & ſucco vacantes, & ſiccæ perinde vt coria redduntur.

De peponibus, Cap. XXXVI.

TOta peponum natura frigidior eſt cum humiditate copioſa coniuncta: habent autem quandam abſtergẽdi vim, & idcirco vrinam mouent: & melius quàm cucurbitæ, & melopepones, ſubducuntur: eorum ſemen potentius quàm ipſorum veluti caro deterget. Succum in corpore vitioſum facit, & potiſſimum quum non probe fuerit concoctum: quo quidem caſu cholericos efficere conſueuit. Quinetiam priuſquam corrumpatur, ad ciendum vomitum valet: ſique largius eo quiſpiam veſcatur, neque quicquam eorum quæ boni ſucci ſunt, ſuper mãdat, omnino vomitum excitabit.

De melopeponibus, Cap. XXXVII.

MElopepones minus quàm pepones, humidi ſunt, minúſque mali ſucci, & minus vrinam cient, & minus infrà ſubducuntur: neque parem vim cum peponibus ad vomitum excitandum habent. A fructibus autumnalibus ſtomacho idoneis multùm abſunt: & tamen non ita vt pepones, ſtomacho ſunt noxii.

De cucumeribus, Cap. XXXVIII.

HIS quoque ciendæ vrinæ vis, vt peponibus, ſed minor ineſt: qui verò eos probè cõcoquunt, quum iis affatim ſe expleuerint, longo temporis ſpatio accidit vt ſuccum craſſum immoderatè aceruent, qui in ea concoctione, quæ in venis fit, non facilè in probum ſanguinem commutetur.

De ficubus, Cap. XXXIX.

QVod eſt omnium fructuum non modo autumnalium ſed etiam horæorum commune, idquoque ficus habent, quum ſucci prauitatem effugere non potuerint: minus tamen quàm reliqui omnes horæi fructus, eius participes ſunt. In eis hæc inſunt bona, vt ventrẽ pertranſeant, & per totum corpus facilè ſecedant: habent etiam vim abſtergendi notabilem. quum verò autumnales fructus omnes parum alimenti corpori præbeant, id minimè omnium in ficus cadit: carnem neque compactam, neque firmam, ſed ſublaxam, vt fabæ, faciunt: ſed & ipſæ flatu ventrem implent: verùm quia celeriter deſcendunt, ideo breuem flatum cient. Quæ verò exquiſitè matura ficus eſt, prope eſt vt nihil omnino lædat, ſicut etiam caricæ, quibus multa quidem inſunt commoda, ſed noxam tamen quandam iis qui liberalius eis veſcuntur, afferunt: ſiquidem non admodum probum ſanguinem faciunt: ex quo fit vt ex eorum vſu pediculorum copia exoriatur. Habẽt autem attenuandi incidendique facultatem: qua & ventrem ad excretionem impellunt, & renes expurgãt. Iecori, lieni, inflãmatis noxiæ ſunt: nõ propria facultate quadã excellẽti, ſed cõmuni omniũ dulciũ eduliorum ratione: obſtructis verò & ſcirrho obſeſſis ipſæ per ſe neque proſunt, neque obſunt: at cæteris medicamentis abſtergentibus & incidentibus adiectæ non parũ vtilitatis afferunt. Quicunque autem caricas, ficúſque cum aliquo craſſi ſucci cibo mandunt, ii non parum læduntur.

Ex Rufo de ficubus, Cap. XL.

FIcus ſunt cæteris autumnalibus meliores, & tamen noxam quandam afferunt. Caricæ ſatis alere corpus queunt: quamobrem veteres permittebant vt athletæ caricis veſcerentur. Goras primus Eurameni Samio carnẽ afferens hunc vſum antiquauit, atque ita illa viuendi conſuetudo eſt ſublata.

De vuis ex Galeno, Cap. XLI.

FIcus & vuæ inter autumnales fructus primas ferunt: nam & magis quàm reliqui omnes fructus horæi, nutriunt minimúmque praui ſucci habẽt, & præſertim quũ exquiſitè maturæ fuerint: caro tamen quæ ab eis efficitur, neque firma neque denſa eſt, ſed laxa atque fluida: quamobrem celeriter contrahitur. Vuæ autem minus quàm ficus, nutriunt: maximum verò hoc eis bonum ineſt, quod citò ſubſident: quocirca ſi quando cõtineantur, egregiè nocent, quum hoc vitii ficubus non inſit: nam ſi non, vt conſentaneum eſt, deiiciantur, innoxium alimentum corpori præbent. At vuæ neutrum horum habent: nã retentæ neque probè concoquuntur, & dum in iecur venáſque diſtribuuntur, ſuccum crudum faciunt, qui in ſanguinem non facilè commutatur. Potius enim per ventrẽ tranſeunt, ſi grana ſine acinis deglutiantur: adſtringunt nanque acini, quum neque concoquantur, neque mutentur. Inter eas quæ reponuntur, quæ in vinaceis aſſeruatur, ventriculum roborat, ac cibum faſtidientibus appetentiã excitat: non tamen per aluum ſubſidet: ſique largius ea quiſpiam veſcatur, caput feriet: quæ verò in muſto conditur, magis etiam caput tentat. At penſilis neque caput lædit neque aluum ſiſtit, neque proritat: eſt autem omnium compoſitarum vuarum concoctu facillima. Cæterùm vuæ dulces calidiorem ſuccum habent, & propterea ſitim afferunt: auſteræ verò & acidæ, frigidiorem: vinoſæ denique inter calidum & frigidum ſunt mediæ. Dulces aluũ ſubducunt, præſertim verò vbi humidæ fuerint: acidæ verò & auſteræ non modo huic rei, ſed etiam coctioni quæ in ventriculo fit, ſunt incommodæ. Omnium verò vſus eſt tutiſſimus quum vuæ ſuapte natura ſint carnoſæ, & eiſdem optimè maturis quiſpiam moderatè veſcatur: idque ſiue in vite ſummam maturitatem ſint conſequutæ, ſiue quod deerat, ex ſuſpenſione ſint adeptæ. Secundo verò loco cenſentur humidæ, acida aut auſtera qualitate vacantes: quas alui deiiciendæ gratia copioſè poſſumus ingerere. Nonnulli quoque muſtum, idque dulce, eiuſdem rei cauſa bibunt: id enim maximè ſubducit: quod verò ex vuis auſteris, aut acidis exprimitur, ad omnia peſſimũ eſt. Iam verò dilutum vuarum ad ciendam vrinam valet.

De vuis paſſis, Cap. XLII.

QVemadmodum vuæ paſſæ dulces calidiores ſunt, ita quoque auſteræ temperatura ſunt frigidiore, ſtomachúmque roborant, & ventrem cõſtringunt. Sed perſpicuum eſt, acerbas id etiam magis quàm auſteras efficere: dulces verò medium quodammodo ſtatum inducũt, vtpote quæ neque ſtomachum apertè diſſoluant, neque ventrem ſubducant. Et tamen vis quædam cõtemperandi, ſicut etiam facultas modicè abſtergendi ſemper ineſt dulcibus: vt vtriuſque facultatis ratione exiguos oris ventriculi morſus obtundant. ſiquidem planum eſt, maiores morſus valentiora remedia poſtulare. Inter vuas paſſas, cæteris præſtant pinguiores, quǽque veluti corticem habent tenuem. Nonnulli autem, & rectè quidem, è dulcibus magnîſque, cuiuſmodi ſunt Scybeliticæ, priuſquam veſcantur, ſemina eximunt: atque eæ quoque inueteratæ duram craſſámque cutim habent, eáſque in aqua prius oportet macerare: ita enim ſemen facilius eximitur. Aliæ quædam ſunt his contrariæ, auſteræ & paruæ, quæ nullum omnino ſemen habent. Quod autem ex paſſis alimentum corpori affertur, tale qualitate eſt, quales paſſæ fuerint: quantitate verò, copioſius ex pinguibus & dulcibus: parcius ex auſteris, & macris: cæterũ magis quàm caricæ, ſtomacho ſunt idoneæ.

De ſycaminis, quæ & mora nominãtur, Cap. XLIII.

SYcamina ſi in ventriculum purum inciderint, primóque loco ſumpta ſint, celerrimè pertranſeunt & aliis cibis præeunt: ſumpta verò poſt alios cibos, aut ſi malũ ſuccum inuenerint, in ventriculo celerrimè corrumpuntur abſurda quadam corruptela, quæ explicari verbis non poteſt, vt in cucurbitis vſu venit. Quum autem minus noxia ſint horæis cibis ſi non celeriter ſubſederint, noxiam habent corruptelam peponum corruptelæ conſimilem: quanquam pepones ſi celeriter ſubducantur, nullam magnam noxam inuehunt. Tempus autem quo ſycaminis, eſt id quo etiam peponibus, vtamur, quum ſqualidũ æſtúque preſſum eſt ventriculi corpus: tunc enim tale quodãmodo iecur itidẽ eſſe neceſſe eſt. Habent ſycamina vim quandam aſtringendi, omnino verò humectant, non tamen omnino refrigerant, niſi frigida ſumantur: alimẽtũ minimũ dant corpori, vt etiam pepones faciũt.

De rubi fructu, Cap. XLIIII.

RVbi fructus magis quàm mora adſtringũt.ſique largius quiſpiam eis veſcatur, capite dolebit. Alii ſtomacho etiam anguntur: ergo diligenter abluendus fructus eſt prius quàm eum comedere aggrediamur: quod non minus in ſycaminis eſt faciendum. ventrem tamen non ſubducit hic fructus,ſed potius cohibet.

De canini rubi fructu, Cap. XLV.

CAnini rubi fructus paulo maiorem adſtringẽdi vim quàm rubi fructus habet:quamobrem aluum quoque magis cohibet:corpori verò exiguum alimentũ præbet.

De fructibus iuniperi, Cap. XLVI.

IVniperi fructus exiguam dulcedinem minorémque adſtrictionem habẽt:præterea aromatici quippiam eis ineſt,& eos calefacere propter acrimoniam perſpicuum eſt:corpus parum alunt.Sique liberalius eis quiſpiam veſcatur,ſtomachum mordent,capútque calefaciunt,& dolore vexant.Vrinas verò mediocriter cient.

De Perſicis, Cap. XLVII.

HOrum quoque ſuccus & quæ veluti caro eſt, facilè corrumpitur,prauáque eſt omnino.quocirca non debent, vt à quibuſdam fieri conſueuit,poſt alios cibos ſumi:nam ſuperfluitantia corrumpuntur, & cætera quoque ſimul vitiant.

De Armeniacis & præcocibus,
Cap. XLVIII.

HÆ C quoque Perſicorum genere continentur:illis tamen bonitate nonnihil præſtant,neque enim æquè atque illa in ventriculo corrumpuntur neque aceſcunt. Vulgò autem iucundiora apparent, & propterea ſtomacho magis idonea: porro his fructibus exiguam alendi vim ineſſe, prius dictum eſt.cæterùm præcocia ſunt Armeniacis præſtantiora.

De malis, Cap. XLIX.

MALA quæ adſtringunt, ſuccum frigidum ac terreum habent:quæ acida videntur, ſuccum quidem frigidum habent,ſed qui ſit tenuium partium:mediæ verò temperaturæ ſunt dulcia, quæ ad calidius vergunt: vt quæ planè qualitatis ſunt expertia,& veluti aquea,ad frigidius inclinant.Eſt autem perſpicuum mala adſtringentia alui deiectiones cohibere: acida verò craſſum ſuccum quem in ventriculo inuenerunt, incidunt, ac deorſum ſubducunt, & propterea deiectiones humectant: quum verò purum ventrem inueniunt,eum magis ſiſtunt.Dulcia potius diſtribuũtur: quæ verò qualitatis ſunt expertia, quum neque iucunda ſint,neque ventriculum roborent, neque ipſum ſiſtant,meritò deſpiciuntur & ſuibus proiiciuntur:quæ verò probè in plantis maturuerunt ac reponuntur, in morbis ſæpenumero ſunt vtiliſſima, ſiue ad modum cataplaſmatis cum farina adhibita, ſiue in calido cinere mediocriter aſſata,ſiue in vapore bullientis aquæ probè cocta:ſtatim autem à cibo danda ſunt: quandoque verò cum pane ventriculi & ſtomachi roborandi gratia iis quibus proſtratus appetitus,quique tardè concoquunt,& vomitu,fluore alui,ac torminibus vexantur: ad quem vſum acerba ſunt accõmodata. Apparata item vt nuper dicebam,mediocrem adſtrictionem habent:quum ea quæ mediocriter auſtera ſunt, omnem in ea præparatione adſtrictionem depoſuiſſent,& ob eam cauſam ſimilia iis quæ ab initio aquea ſunt,euaſiſſent.

De cydoniis & ſtruthiomelis,
Cap. L.

EXimium quid ineſt his, quod alia mala non habent: cum enim adſtrictionem maiorem habent, tum verò eorum ſuccus perdurat ſiquis coctum ex melle velit adſeruare. Aliorum autem malorum ſuccus repoſitus,quum copioſum frigidum humorem habeat,aceſcit: ſtruthiorum verò malorum ſuccus diutius durat,atque adeo in multos annos manebit, quum os vaſculi denſam cruſtam habuerit,quæ in melle atque aliis quibuſdam ſæpenumero cõcreſcit:hàncque adiacẽtem ſeruare oportet, quum diutiſſimè citra mutationem ſeruare medicamentum velis. Cydoniorum verò ſuccus minus ſuauis eſt, & magis adſtringit: idcirco ad roborandum ventriculum diſſolutum hoc etiam quandoque vtemur.

De piris & Punicis, Cap. LI.

SI ea quæ de malis diximus,ad pira & Punica trãſferas omnia,nihil erit quod nos noui quicquã de eiſdẽ afferamus. Punica verò omnino perexiguum alimentum corpori dant:ac pira,& præſertim magna,quæ menatæ à noſtratibus dicuntur,aliquantulum nutriunt.

De meſpilis & ſorbis, Cap. LII.

HÆ C adſtringunt ambo: ſed meſpila multo magis quàm ſorba:quocirca vtiliſſimus eſt ventri fluenti cibus:ſorba tamen ſunt in cibo ſuauiora. Conſtat autem omnibus huiuſmodi parcè,non autem largè,vt vuis & ficubus,eſſe veſcendum.

De fructu palmæ, Cap. LIII.

EX palmis quædam ſunt ſiccæ & adſtringẽtes, vt Ægyptiæ: quædam molles,humidæ,& dulces, vt quæ cariotæ appellantur, quæ præſtantiſſimæ in Palæſtina Syria in Hiericũte naſcũtur.Cæteræ verò aliæ palmæ omnes inter hoc genus vtrunque medium locum tenent, vt aliæ magis,aliæ minus ſint humidæ,ſiccæ dulces & adſtringẽtes. Verùm extremis conſtitutis,iam quodcunque in medio eſt,facillimè deprehenditur. Oſtendimus enim dulcem ſuccum alendo eſſe: auſterum verò ſtomacho idoneum,& ventrem ſiſtere. Palmæ autem omnes difficulter concoquuntur,& copioſius ſumptæ, capitis dolorem excitant:quædam verò morſus etiam cuiuſdam ſenſum ori ventriculi afferunt. ſuccus porro qui ab ipſis in corpus diſtribuitur craſſus eſt omnino, habétque lentoris aliquid, quũ pinguis palmula eſt. quúmque huic ſucco aliquid dulcedinis miſtum fuerit, iecur ab eo celerrimè obſtruitur:atque ab earum eſu maximè læditur inflamatúrque, & ſcirrho obſidetur. Poſt iecur verò, lien quoque obſtruitur,& læditur.

De oliuis, Cap. LIIII.

IPſæ quoque exiguum alimentum dant corpori,& potiſſimùm caducæ. Et quemadmodum caducæ, ſuccum pinguem habent,ita quæ halmades & colymbades appellantur, adſtringentem.quocirca ſtomachum roborant,appetitúmque excitant. Ad hoc verò aptiſſimæ ſunt, quæ cum aceto componuntur.

De nucibus, Cap. LV.

NVCES magnæ & auellanæ corpus non multùm alunt, auellana tamen magis.vtraque autem mediocriter adſtringentis qualitatis eſt particeps, quæ progreſſu temporis in oleoſum commutatur. Viridis autem nux neque qualitatis perſpicuè adſtringentis eſt particeps neque oleoſæ: ſed eſt expers quodammodo qualitatis, & aquea.Nux verò melius quàm auellana concoquitur: éſtq; ſtomacho magis idonea, & multo magis ſi cum caricis edatur.Eſt præterea manifeſtum humidam nucem ad deiectionem aptiorem eſſe:ſiccam verò minus,ſed hæc quoque aqua macerata, & abiecto putamine, ſimilem viridi facultatem habet.

De amygdalis, Cap. LVI.

IN his attenuandi & abſtergendi facultas excellit. Nõnullis verò tanta vis ineſt craſſos glutinoſóſque ſuccos incidendi,vt præ amaritie mandi non poſſint: oleoſæ tamen & pinguis qualitatis,vt etiam nuces,ſunt participes: exiguum verò alimentum dant corpori.

De piſtaciis, Cap. LVII.

MInimum quidem alimentum præbent,ſed ad iecur firmandum ſunt vtilia:habéntque ſubamarũ & ſubadſtringentem qualitatem.

De prunis, Cap. LVIII.

PRuna minimum alimentum corpori præbent, vtilia tamen ſunt iis quibus humectare & refrigerare mediocriter ventrem eſt propoſitum.Hæc verò etiam exiccata poſſunt vſui eſſe:quæ verò Damaſci naſcuntur, cæteris præſtant omnibus.

De ſericis, Cap. LIX.

EST hoc mulierum & puerorum effrænatorum edulium:parum nutriunt,difficulter concoquuntur. non ſunt ſtomacho idonea,minimũ alimenti corpori præbẽt.

De ſiliquis, Cap. LX.

MALI ſucci ſunt,& lignoſæ & difficulter concoquũtur,& non celeriter deiiciuntur.

De cappare,

De cappare, Cap. L X I.

A CAppari facultas ineſt tenuium partium : ex quo fit vt corpori minimũ alimẽti diſtribuat. Sale verò cõdita, & abluta, vſquedum facultatem quam ex ſale contraxit, depoſuerit, parũ quidẽ alit, ſed tamen pituitam ex vẽtriculo abſterget : & ex aceto mulſo, aut aceto & oleo præ cæteris cibis ſumpta, viſcera liberat obſtructione.

De ſycomoris Cap. L X I I.

HÆC planta naſcitur Alexandriæ: fructum ficui ſimilem fert : nullam acrimoniam habet, exiguæ dulcedinis particeps eſt : humidæ quodammodo & frigidioris eſt facultatis.

De perſio, Cap. L X I I I.

HÆC itidem planta Alexandriæ eſt : huius fructum apud Perſas ita eſſe noxium commemorant, vt eo veſcentes interimat: in AEgyptum verò tranſlatum, fieri eſculentum, & æquè mandi ac pira atque poma.

De citrio, Cap. L X I I I I.

TRes ſunt huius fructus partes, acida quæ in ipſo medio eſt: ea quæ eſt veluti caro, quæ medium ipſum ambit: & tertia quæ eſt tegumentum extrinſecus circundatum. Eſt autem hoc odoratum & aromaticũ, ſed difficulter concoquitur: concoctionem autem adiuuat ſiquis eodem vt medicamento vtatur: parcè verò ſumptũ ſtomacho robur adiungit. Parte autem acida, & quæ nõ eſtur, ita vtuntur vt in acetum coniiciant, vt acidiorem
B reddãt: quæ verò inter duas alias media eſt, quæque corpus etiam nutrit, difficulter concoquitur.

De fructibus plantarum agreſtium,

Cap. L X V.

HI fructus præterquam quod exiguum alimentum præbent, malum etiam ſuccum omnes faciũt: ac nõ nulli noxii ſtomacho ſunt, præter ſpinoſos qui in terra optima exoriuntur.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM liber ſecundus.

De lactuca, Cap. I.

QVVM olera omnia pauciſſimum maliq; ſucci ſanguinem gignant, lactuca non multum illa quidem ſanguinis, ſed qui non ſit praui ſucci, nec tamen omnino probi, gignit. Succum autem humidũ ac frigidum habet, ſed qui mali ſucci non ſit, vti diximus.

De intybo, Cap. II.

INtyba ſimilem lactucis facultatem habent : à lactuca tamen & ſuauitate, & aliis quæ ſuprà de lactuca diximus, ſuperantur.

De malua, Cap. III.

MAlua lentoris quippiam habet quod lactucæ non ineſt: perſpicuè verò à refrigerando abeſt. Hoc olus facilè ſubducitur, ac præſertim ſiquis ex oleo & garo copioſè ipſum ſumat: nutrit autem mediocriter.

De beta, Cap. IIII.

BEtarum ſuccum abſtergentem eſſe planum eſt: qui quidem ventrem quoque ad excernendum irritat, ac ſtomachum interdum mordicat: idcirco copioſi⁹ ſumpta ſtomachum lædit. Alimentum verò exiguum, vt cætera olera, corporibus affert: accommodata eſt ad iecoris obſtructiones: ac præcipuè quũ ex ſinapi aut aceto eſtur, quomodo lienoſis quoque fit vtilis.

De braſſica, Cap. V.

BRaſſicæ ſuccus vim quandam purgandi habet: at corpus ipſum communi exiccantium ratione magis cohibet quàm ad excretionẽ impellat. Exiccat ergo braſſica æquè ac lens: quamobrem aſpectum hebetat, niſi totus oculus præter naturam ſit humidior : & tamẽ nõ ita boni ſucci edulium eſt, ſicut lactuca, ſed prauum & graueolentem ſuccum habet.

De blito & atriplice, Cap. VI.

HÆc ſunt cæteris oleribus magis aquea, & (vt diceret quiſpiã) omnino qualitatis expertia. Cæterùm dictum eſt, hæc olera ad facilem deiectionem propenſa eſſe, ac tũ vel maximè quũ vnà cum humiditate lubricũ quid habeant. Sed quia nulla acris ac nitroſa qualitas eis ineſt, ideo fit vt non vehementem habeant ad inferna propenſionem: éſtque planè perſpicuum, parum admodum corpus ab his nutriri.

De portulaca, Cap. VII.

HÆc, vt cibus, exiguum alimẽtum, idque humidũ & frigidũ & glutinoſum præbet : vt medicamentum verò, dentium ſtuporẽ ſuo lentore morſus experte, curat.

De oxylapatho, Cap. VIII.

LApatho crudo nemo veſcitur, quemadmodum nec beta : ac ruſtici oxylapathum crudum edũt: id verò non nutrit, atque etiam multo minus quàm lapathum.

De lapatho, Cap. IX.

LApathum non ſolùm guſtu, ſed etiam facultate eſt betæ hortenſi adſimile: verùm quia beta eſt ſuauior, idcirco omnes homines eadem potius veſcuntur.

De ſolano. Cap. X.

INter olera quibus veſcimur, nullum noui quod tantam quantam ſolanum adſtrictionem habeat. Iure i-
C gitur vt alimento, perraro, vt medicamẽto ſæpe vtimur. eſt enim efficax in ea in quibus adſtringentis refrigerationis eſt vſus.

De plantis ſpinoſis, Cap. XI.

PLerique ruſtici huiuſmodi plãtis è terra nuper exorientibus veſcuntur: alẽdi vis minima eis vt cæteris oleribus, ineſt, eáque tum aquea, tum verò etiam tenuis. Ac ſpinoſa quidem mediocriter ſtomachum iuuant. Inter haſce plantas eſt carduus, atractylis, ſpina alba, dipſacus, cnicus, tragacantha, atractis, & quam magis quàm
D par eſt, æſtimant, cinara: eſt enim praui ſucci edulium, & præſertim quum iam ſit facta durior. Nam & bilioſum ſuccum in ſe copioſum habet, & totam ſubſtãtiam quæ ad ligni naturam magis tendit, vt ex ea melancholicus ſuccus: ex ſucco verò ipſius, tenuis, & admodum bilioſus gignatur: ergo ſatius eſt eandem elixatam comedere.

De hippoſelino, ſio, ſmyrnio, & apio, Cap. XII.

HÆc vrinã cient omnia : apium verò inter ea eſt vſitatiſſimũ, ſuauius, & ſtomacho magis aptũ. Smyr-
E nium verò acrius, calidiúſque eſt multo quàm apium, & hippoſelinum, & ſium. Cætera cruda etiam comedũtur : hippoſelinum verò & ſium elixata : ſiquidem horum vtrunque crudum inſuaue apparet. Quidam verò apium & ſmyrnium lactucæ foliis admiſcentes offerunt: nam cum lactuca ſit olus inſipidũ, habeátque frigidum ſuccum, & ſuauior & vtilior efficitur, ſi acrium olerum quoddam aſſumſperit.

De eruca, Cap. XIII.

HOc olus manifeſtè calfacit, quocirca ipſum ſolum, niſi lactucæ foliis miſceatur, non facilè manditur.
F Creditur quoque ſemen gignere, & rerum venerearum cupiditatem excitare. Capiti etiam dolorem affert, ac præſertim ſiquis eo ſolo veſcatur.

De vrtica quam κνίδην etiam vocant,

Cap. XIIII.

VIm habet tenuium partium, & meritò ea vt alimen to nemo vtitur: vt obſonium verò, ac medicamentum, vſui eſt ad aluum deiiciendam.

De gingidio, & ſcandice, Cap. XV.

G GIngidium eſt ſcandici perſimile, ſtomacho valde idoneũ, ſiue crudo ſiue cocto veſcaris. Diuturniorem coctionem non fert: adſtrictionis verò & amaroris non mediocris eſt particeps.

De ocymo, Cap. XVI.

HOc peſſimi ſucci eſt : idcirco nonnulli de eo falſò prodiderunt, ſi tritum in ollam nouã coniiceretur, celerrimè paucis diebus ſcorpiones generare. eſt autem etiam ſtomacho noxium.

De aſparagis, Cap. XVII.

ASparagus braſſicæ minus quàm ipſa braſſica exiccat: aliorũ olerũ caulis magis exiccat quàm folia,

Aliud autem aſparagorũ eſt genus, quod in plantis fruticoſis naſcitur, oxymyrſine, chamædaphne, & oxyacantha. Alii quoque ab his diuerſi ſunt, vt regius, & qui paluſtris nominatur: cuiuſmodi alius quoque eſt bryoniæ aſparagus. Omnes verò ſtomacho idonei ſunt: vrinámque prouocant, & parum nutriunt.

De rapis, quæ βυνιάδες quoque nominantur, Cap. XVIII.

SI rapæ minus quàm vlla alia planta quæ ſit eiuſdem generis, nutrirent, vtique mirarer: ſuccum in corpus diſtribuũt moderato craſſiorem: ita fit vt qui liberalius eiſdem veſcatur, ſuccũ crudũ ſit aceruaturus: bis verò cocta laudatiſſima redditur. Si verò crudior ſumatur, difficulter cõcoquitur, flatus excitat, & mali ſucci eſt: nonnunquam verò morſus ventriculum vexat.

De aro, Cap. XIX.

ARi quoque radix eodem modo quo rapæ mãditur: in quibuſdam verò locis ácrior prouenit, ita vt propè ad dracontii radicem accedat, eámque bis coctã mandere oportet. Cyrenæ verò minimè eſt medicamentoſa, & acris, vt rapis etiam ſit vtilior. Conſtat enim hanc ad alendum eſſe potiorem: ad educendum verò ex thorace & pulmone acrior præſtat. Eſtur quoque elixa cum ſinapi vel aceto, ex oleo & garo: eſt nanque perſpicuum, alimẽtum quod ex ipſa in corpus diſtribuitur, non ſecus quàm ex rapis, eſſe quodammodo craſſius.

De dracontio, Cap. XX.

HVius itidem radicem bis térve elixatam, vt quod medicamẽtoſum in ea eſt deponat, mandendã damus quum vehementiore facultate opus eſt ad humores ex thorace & pulmone eiiciendos.

De aſphodelo, Cap. XXI.

ASphodeli radix parata vt lupini, amaroris plurimũ deponit. Fame autem vagante hanc complurimis elixationibus, & aquæ dulcis macerationibus vix factam eſſe eſculentam vidi: eius facultas eſt, vt quemadmodũ dracontii radix, aperiat ac incîdat.

De bulbis, Cap. XXII.

HOrum quoque radices comeduntur: interdũ verò & eorum aſparagi verno tempore. Amaram, auſterámque facultatem habẽt: vnde etiam ſtomachum exolutum ad appetendum excitant: non aduerſantur autem iis qui ex thorace & pulmone expuere aliquid volunt, licet ſubſtantia corporis craſſiore & glutinoſiore ſint: ſed amaritudo quæ ſuapte natura glutinoſa craſſáque incidit, craſſitiei obſiſtit. Præſtabit verò tunc eos conditos ex aceto, oleo & garo comedere: quo etiam modo minus flatus cient, plus alunt, & facilius concoquuntur. Nonnulli verò ex ipſorum eſu liberaliore, & ſemen ſibi inauctũ, & ad res venereas promptiores redditos apertè ſenſerunt.

De paſtinaca, dauco, & caro, Cap. XXIII.

RAdicibus quoque horum mortales veſcuntur, minúſque quàm rapæ, & arum cyrenaicum nutriunt, manifeſtè calfaciũt, & aromaticum quiddam præ ſe ferunt. Sunt tamen, vt aliæ quoque radices, concoctu difficiles, vrinam cient, ſique liberalius quiſpiam iis veſcatur, modicè peioris ſucci erunt: melioris tamen ſucci eſt carus quàm paſtinaca. Quidam verò agreſtem paſtinacam daucum nominãt, qui vrinam magis ciet, medicamentoſiórque eſt, ac ſiquis comedere ipſum velit, permultum erit elixandus.

De tuberibus, Cap. XXIIII.

TVberibus multa perſpicua qualitas ineſt: ipſis tamẽ ad condimenta excipienda vtuntur, ſicuti cæteris quæ ad guſtum qualitatis expertia & aquea nominant: quorum omnium commune eſt, vt alimẽtum quod ab eis corpori diſtribuitur, non calfaciat, ſed ſubfrigidum quidẽ ſit, craſſitie verò tale quale id eſt quod ſumptum fuerit, quódque ex tuberibus craſſius eſt: quod verò ex aliis, ad horum proportionem humidius atque tenuius.

De fungis, Cap. XXV.

EX fungis boleti aqua rite elixati, prope ad qualitatis expertium eduliorum naturã accedunt: alimentum quod præbent, pituitoſum frigidúmque eſt, ſique copioſius quiſpiam eis vtatur, mali ſucci. Atque hi quidẽ cæterorũ omnium ſunt minimè noxii. Secũdæ tribuuntur amanitis: cæteros verò tutius eſt ne omnino quidem attingere: plerique enim ex eorum vſu perierunt.

De rádicula, Cap. XXVI.

VIm habet attenuantem, ac perſpicuè calefacit, in eáque qualitas acris excellit.

De cæpis, porris, alliis, & ampeloprafis, Cap. XXVII.

HÆc facultatem inſigniter acrem habent, & pro eius ratione corpora calefaciunt, craſſóſque humores quibus obſidentur attenuãt, & glutinoſos incidunt. Bis tamen térve elixata, acrimoniam quidem deponunt, ſed attenuãt adhuc, & pauciſſimũ alimentũ præbent, quum priuſquam elixarentur nullum darent. Ampelopraſa verò tantum à porris differunt quantũ in cæteris omnibus quæ ſunt generis eiuſdem, ſatiua ab agreſtibus differunt. Cæterùm à continuo acrium omnium eſu abſtinẽdum eſt, ac præcipuè quum is qui veſcitur, ſit natura biliofior: hæc enim edulia iis ſolùm qui ſuccum aceruant pituitoſum, aut crudum, aut craſſum, aut glutinoſum, conueniunt.

De alimento quod ab animalibus ſumitur, Cap. XXVIII.

OMnes animaliũ partes non eandem facultatem habent: ſed carnes quum probè fuerint concoctæ, ſanguinem optimum gignunt, ac præcipuè ſi animalium boni ſucci fuerint, quale eſt ſuillũ genus: partes autem neruez, pituitoſiores ſunt. Omniũ ergo eduliorũ ſuilla caro valentiſſimè nutrit: bubula verò præbet ipſa quoq; alimentũ non mediocre, nec quod facilè per halitũ digeratur, ſanguinẽ tamen craſſiorẽ quàm par ſit, efficit. Ac ſiquis ſuapte natura ſit tẽperatura magis melancholica, ſi bubula veſcatur largius, aliquo melancholico affectu corripietur. quantum enim totius ſuæ ſubſtantiæ craſſitie bubulæ carnes ſuillas ſuperant, tanto ſuillæ bubulis lentore præſtant: & tamen ſuillæ ſunt ad concoquẽdum multo præſtantiores. Vituli melius quàm perfecti boues concoquuntur, vt etiam hœdi melius quàm capræ. Capra verò minus ſicco eſt temperamento quàm bos, at ſui comparata, multum ſuperat. Porcelli verò alimentum nobis dant eo magis excrementis redundans, quo ipſi ſunt magnis humidiores: ac meritò etiã minus nutriunt. agnorum quoque caro humidiſſima pituitoſáque eſt. Sed & pecudum caro plura habet excrementa, ac peioris ſucci eſt: caprarũ verò caro habet præterea acrimoniã. Hircina autẽ & ad concoquẽdum, & ad ſuccum bonum faciendum eſt peſſima: hanc ſequitur arietina: tum verò taurina. In his autẽ omnibus caſtratorũ carnes præſtantiores ſunt. Annoſæ verò ad concoctionem, ad ſucci bonitatem, & ad alimentum ſunt deterrimæ: quocirca ſues quoque ipſi quanuis humidæ tẽperaturæ ſint, ſi cõſenuerint, carnem fibroſam, ſiccámque, & propterea concoctu difficilem habent. Leporis autem caro licet craſſiorem ſanguinem faciat, tamen melioris ſucci eſt quàm caro boum & pecudum. Nihilominus his mali ſucci eſt ceruina caro, éſtque dura, & difficilis ad concoquẽdum. Huic propinqui ſunt aſini agreſtes bene habiti, ac iuuenes: atqui nonnulli quoque aſinorũ domeſticorum ſenio cõfectorum carnes, quæ peſſimi ſucci ſunt, difficulter cõcoquuntur, alienæ ſunt ſtomacho, atque etiã inſuaues, comedunt: quemadmodum equorum & camelorũ carnibus veſcuntur, quum ipſi & animo & corpore ſint aſinini. Quinetiã ſunt qui vrſorum carnes & his peiores, leonum ac pardorum, edant. De canibus verò quid iam attinet dicere, quos itidẽ iuuenes ac pingues, ac præſertim quum caſtrati fuerint, apud nonnullas gentes comedant, quum pantheris quoque veſcãtur? Vulpiũ verò carnes venatores apud nos autumno comedunt. Hoc verò eſt ſciendum, animalia quæ herbam altiorem debent paſcere, ea hyeme & primo vere gracilia ac praui ſucci fieri: veluti boues, qui progreſſu temporis melioris ſucci, & craſſiores manifeſtò apparent quum herbæ creſcunt, ac denſæ fiunt, & ad ſemen

ferēdum properāt:quæ verò humili herba nutriri queantea primo ac medio vere præſtātiora ſunt,veluti pecudes: æſtate autem prima & media, capræ:quum fruticum germina quibus veſci capræ conſueuerunt, ſunt frequentiſſima.

De cochleis, Cap. XXIX.

COchlearum dura eſt caro, ob idque difficulter concoquitur: quæ ſi concocta fuerit, valentiſſimè nutrit. Succus eis, vt etiam teſtaceis, ineſt qui vētrem ſubducit: quamobrem quidam oleo, garo & vino eas condiunt, ac iure quod conficitur ad aluum deiiciendam, vtuntur. Sin autem huius animalis carne, vt ſolo cibo eſculento vti velis, quum prius in aqua elixaris, in aliam aquam tranſferes, in qua iterum coques, & ita condies donec caro diligenter flaccida reddatur: ita enim præparata, aluum quidem ſiſtet: cæterùm corpori alimentum egregium dabit.

De animalium pedeſtrium partibus extremis, Cap. XXX.

POrcellorum pedes ptiſanæ incocti aptiſſimi ſunt. Extremæ verò corporis partes omnes, vt nimiū pinguedinis, ita quoque naturæ carnoſæ nimium habent. neruea enim cutaceáque natura in eis excellit: cuiuſmodi etiam cutis & nerui ſunt in toto corpore, ſed in extremis magis exercentur, & idcirco magis lenti ſunt. Etenim neruus atque cutis omnis dum elixantur, ad talem naturam perueniunt. ergo iure fit vt corpus minus alant, ſed propter lentorem facilius per aluum deiiciantur. Pedes autem porcellorum ſunt grunno præſtantiores, ſicut etiam grunnus auribus præſtat, ſiquidem ex ſola cartilagine & cute conſtant. Ac cartilago quidem in adultis animalibus omnino concoqui non poteſt: in iis verò quæ adhuc augeſcunt, ſi in ore probè leuigata, & in ventriculo concocta fuerit, exiguum alimentum dabit. Quod verò nunc diximus, in aliis animalibus ad proportionem eſt intelligendum: quantum enim ipſorum carnes alimenti bonitate ſuillis cedunt, tanto etiā illorum partes extremæ partib⁹ ſuillis extremis deteriores ſunt.

De terreſtrium animalium lingua, Cap. XXXI.

IN hac parte ſubſtantiæ proprietas quædam ineſt, vt carnem laxiorem, ac magis ſanguineam habeat. muſculi enim, & potiſſimum ipſorum partes mediæ, ſunt carnes exquiſitæ.

De glandulis, Cap. XXXII.

QVantum lingua à carnis ſubſtantia, tantum glandulæ à linguæ ſubſtantia diſtinctæ ſunt: ergo glādularum omniū cōmune eſt vt in cibo ſuaues ac friabiles appareant: quæ verò māmillarū ſunt, quū lac habent, ipſius quoque dulcedinem præ ſe ferunt. quapropter quum lacte ſint plenæ, magnoperè à guloſis expetuntur. Alimentum autem quod ex iis probè concoctis præbetur, propè ad carnis alimētū accedit: ſi verò min⁹ quàm par eſt cōficiātur, crudū ac pituitoſum ſuccū faciunt. Quum verò teſtes ex glandularū ſint genere, non tamē tā boni ſucci ſunt vt glandulæ māmillarū: ſed habēt viroſum quippiā, ſeminis quod gignūt, naturā referētes, vt etiā renes, vrinæ. Quinetiā animaliū terreſtriū teſtes multo difficilius cōcoquūtur: nam gallorū gallinaceorū altilium cum ſuaues ſunt, tum verò etiam optimum alimentum corpori præbent.

De renibus, Cap. XXXIII.

REnes praui admodum ſucci ſunt, ac difficulter concoquuntur.

De teſtibus, Cap. XXXIIII.

OMnium quadrupedum animalium teſtes ſunt concoctu difficiles ac praui ſucci: probè verò concocti nutriunt. Soli autem gallorum gallinaceorū, ac præſertim altilium ſunt omnium præſtantiſſimi.

De cerebro, Cap. XXXV.

CErebrum omne cibus pituitoſior prauique ſucci eſt, ac tardè permeat, & difficulter concoquitur, & non minimum ſtomacho nocet. Quidam eius mollitie

A decepti, ipſum offerunt, quum præter cætera nauſeam quoque excitet: quumque craſſi ſucci ſit, & excrementitium, melius redditur cum incidentibus & calefacientibus paratum: ſi verò bene coquatur, alimentum corpori notabile præſtabit.

De oſſium medulla, Cap. XXXVI.

MEdulla quæ in oſſibus inuenitur, eſt cerebro dulcior, ſuauior, ac pinguior, ita vt ſiquis facta comparatione guſtet, cerebrum aliquid etiam auſteri habere videatur: præterea medulla largius ſumpta perinde ac B cerebrum, nauſeam ciet: quæ quidem ſi bellè cōcoquatur, ipſa itidem nutrit.

De ſpinali medulla, Cap. XXXVII.

PInguedinis minimum habet, idcirco nauſeam non prouocat: ſi verò probè concoquatur, non mediocre alimentum dat corpori.

De pinguedine & adipe, Cap. XXXVIII.

ET pinguedo & adeps exigui alimenti ſunt, & potius carnium quibus alimur, ſunt condimenta.

De terreſtrium animalium viſceribus, Cap. XXXIX.

C IEcur omnium animalium craſſi ſucci eſt, difficultérque cōcoquitur, ac tardè pertranſit: eſt verò omnium præſtantiſſimum non modò ad voluptatem, ſed etiam ad alia omnia, quod συκωτὸν appellatur, quod quidem inde nomen inuenit quia mactādi animalis iecur, multarum ſiccarum ficuum eſu ſic præparent: quam rem in ſuibus maximè faciunt, propterea quòd ſuilla viſcera ſunt aliorum viſceribus multo ſuauiora. Ex reliquis autem viſceribus lienis non eſt guſtui ſuauis: perſpicua e-D nim acerbitas quædā in eo ineſt, ac meritò quoque praui eſſe ſucci creditur; quippe qui melancholicum ſanguinem gignat. At pulmo vt eſt rarior vtroque, ſic etiā eſt ad concoquendū facilior: quātum vèrò ad alimentū pertinet, eſt iecore multo inferior, & quod alimentum corpori præbet, eſt etiā multo pituitoſius. Cor, ſubſtantia quidem caro eſt fibroſa, atque dura, ideóque difficulter cōcoquitur, & tardè permeat, ſed tamen ſi probè cōficiatur, alimentum corpori non pauciū, neque mali ſucci præbet.

E De quadrupedum animalium ventriculo, vtero, & inteſtinis, Cap. XL.

HÆ partes carnibus duriores ſunt: quocirca etiamſi probè concoquantur, ſuccum tamen non exquiſitè ſanguineū, ſed frigidiorem ac crudiorem faciunt, multóque tempore indigent vt conficiātur, ac in ſanguinem probum commutentur.

De agreſtium & domeſticorum animalium differentia, Cap. XLI.

DOmeſticorum animalium temperatura eſt agreſtiū F humidior: agreſtium verò eſt durior, pinguedinisque aut nihil omnino, aut certè pauciſſimum habet: quamobrem eorū caro pluribus quoque diebus quàm domeſticorum & in ocio educatorum, imputris ſeruatur: eſtque perſpicuum, alimentum quod inde prouenit multo minus excrementi habere: quod verò à domeſticis atque ocioſis ſumitur, eſſe excrementitium.

De alimento quod à volucribus animalibus ſumitur, Cap. XLII.

AVium omnium volucriū genus, greſſilium generi, G ac præſertim ſuillæ carni comparatum, minus alimenti præbet: volucrium tamen caro eſt ad cōcoquendum facilior, præcipuè perdicis, attagenis, columbæ, gallinæ, & galli gallinacei: turdorum verò & merularū & paruorum paſſerum, inter quos ſunt etiam qui turricolæ nominantur, caro eſt prædictorum carne durior, atque horum quoque multo magis caro turturis, palumbi, atque anatis. Phaſianorum, quod ad concoctionem & alimentum attinet, gallinarum carni eſt ſimilis, voluptate tamen in edendo excellit: his durior, cōcoctu H difficilior, ac fibroſior eſt pauonū caro. In omnib⁹ autē volucrib⁹ animalibus perinde ac in quadrupedibus generatim ſciendum eſt, carnem augeſcentium multo eſſe carne declinantium meliorem: prauam verò admodum nouellorū, ſed lōgè alia ratione quàm ſenio cōfectorū:

ſiquidem ſenum caro dura & neruea eſt, & idcirco praua ad concoquendum, & alimenti exigui eſt: at corpora animalium quæ nuperrimè in lucem edita ſunt, mucoſa, humidáque ſunt, & ideo excrementorum plena. omnino verò per aluum ſecedunt.

De anſeribus & ſtruthiocamelis, Cap. XLIII.

HOrum caro excremētitia eſt, multóque ad concoquēdum difficilior quàm prædictorum animaliū caro, ac potiſſimum quæ parua ſunt, & carne dura ſunt prædita. Alarum natura fibroſa eſt ac dura: quorundam verò caro tota eſt huiuſmodi, quales ſunt grues, quas comedunt quum prius multos dies mortuas tenuerint. Inter grues autem & anſeres caro tardarum, quæ ὠτίδες apellantur, eſt quodammodo media.

De volucrium animalium viſceribus, Cap. XLIIII.

HOrum ventriculi eſculenti ſunt, ac nutriunt: quidā verò ſunt etiam periucundi, ceu anſerum, deinde gallorum gallinaceorum altilium. Et quemadmodum iecur in ſuibus adhuc viuentibus eſu caricarū iucundū præparant, ita in anſeribus alimenta ſero lactis imbuuntur, vt iecur non modò ſuauiſſimū ſit, ſed vt etiā valentiſſimè nutriat, optimi ſucci ſit, & non difficulter deiiciatur, & pariter, vt in ventriculo probè concoquatur. Alæ quoque anſerum ad concoquendum & alendum ſunt idoneæ, & his magis gallinarum: peſſimæ ſunt anſerum, optimæ verò iuniorū, ac probè nutritorum. Gallorū autē gallinaceorū teſtes ſunt optimi, præcipuè autē altiliū, ac multo magis ſi cibus eorum ſero lactis fuerit imbutus. nam & boni ſucci ſunt, & nutriunt, & facillimè concoquuntur. Nonnulli autē ſtruthiocameli ventriculum tanquā medicamentū cōcoctionem adiuuans, falſò laudant: alii verò magis mergi ventriculum commendant: verùm hæc neque facilè concoquuntur, neque medicamenta ſunt alios cibos concoquentia.

De ouis, Cap. XLV.

GAllinarum ac phaſianorum oua cæteris præſtant: anſerum verò ac ſtruthiocamelorum ſunt deteriora: recētia quoque veteribus, quæque minus cocta ſunt iis quæ plus, præſtantiora ſunt. Tremula autem ad corpus alendum ſunt omnium præſtantiſſima: ſorbilia verò minus nutriunt illa quidem, ſed facilius ſubducuntur: elixa verò & aſſa difficulter cōcoquūtur, tardè tranſeunt, corpúſque alimento craſſo nutriunt: quin multo etiam tardius tranſeunt, craſſiúſque alimentū præbent, quæ in calido cinere aſſantur. Quæ verò in ſartagine inſpiſſata ſunt, & τηγανιστὰ propterea dicuntur, alimenti ſunt ad omnia peſſimi. Quæ verò ſuffocata appellantur, elixis & aſſis meliora ſunt. ea ſic parant, Oleo garo, ac modico vini inſpergunt, vas quo continentur, caccabo in quo aqua calida inſit, imponunt, ipſum operculo totum obſtruunt, ignem ſubſtruunt, quoad oua mediocrem conſiſtentiam ſint conſequuta: nam quæ ſupra modum craſſa ſunt, elixis & aſſis ſimilia redduntur. Eidem etiā mediocritati conſiſtentiæ intentos eſſe nos oportet in ouis quæ ſupernè caldariis infunduntur, vt ne ipſa omnino incraſſari permittamus: ſed quum adhuc ſuccum habeant, vas ab igni auferamus.

De mugile, Cap. XLVI.

CAro mugilum qui in aqua paluſtri ſordidáque viuunt, excrementitia eſt, atque admodum mucoſa: optima verò eſt eorum qui in puro mari degunt. Sed mugiles quoque praui ſunt qui in ſtagnis vitam ducūt: ac præſertim qui in paruis verſantur, & magis etiam quum aqua non effluit, ſed ſtabilis eſt. Inter fluuiatiles autem præſtantiores ſunt qui oriuntur in fluminibus quorum aqua rapidè fertur, ac copioſa eſt: qui verò in ſtagnantibus, ii non boni ſunt. Iam verò guſtus tibi mandenti præſtantiorem mugilem indicabit: acrior enim, iucundiórque, & pinguedinis expers eius eſt caro. At pingues, & guſtui exoluti, cum ad veſcendum deteriores ſunt, tum peius concoquuntur, & à ſtomacho ſunt alieni, prauúmque ſuccum faciunt: quamobrem ex origano eos parant.

A De labrace, Cap. XLVII.

HIc piſcis pelagius eſt: alimētum verò quod ex hoc cæteriſque piſcibus habetur, ſanguinē facit tenuioris cōſiſtentiæ quàm id quod animalia terreſtria ſuppeditant, vt copioſè non nutriat, & citius diſcutiatur.

De mullo, Cap. XLVIII.

INter pelagios hic quoque numeratur, omniū ferme aliorum carnem habet duriſſimam, & friabilem. Nutrit, quum probè concoctus fuerit, valentius quàm cæteri piſces. hi verò tum propter purum mare, tum
B propter cibum, vt etiā alii piſces omnes, optimi fiunt. Ergo qui cancellos comedunt, & grauiter olent, & inſuaues ſunt, & difficulter cōcoquuntur, & praui ſunt ſucci. Hos dignoſces ſi prius quàm veſcare, vētrem reſeraris: inter veſcendū verò primus ſtatim odoratus atque guſtatus tibi eoſdem indicabit.

De piſcibus ſaxatilibus, Cap. XLIX.

HIs omnibus ſcarus excellere ſuauitate creditur, ſecundo loco cenſentur merulæ ac turdi, tertio iuliæ, fucæ, ac percæ. Alimentum verò quod ſuppeditāt,
C non modò eſt cōcoctu facilè, ſed hominum etiam corporibus, vt quod ſanguinem mediæ cōſiſtentiæ gignat, eſt ſaluberrimum.

De gobio, Cap. L.

GObius littoralis eſt piſcis, ex eorū numero qui perpetuò ſemper manent. Præſtantiſſimus autem ad ſuauitatem, concoctionem, diſtributionem, & ſucci bonitatem eſt is qui in arenoſis littoribus, aut ſaxoſis promontoriis degit: at qui in oſtiis fluminum aut ſtagnis maritimis viuit, neque ad cōcoquendum facilis eſt, ne-
D que boni ſucci. Si verò limoſa quoq; fuerit aqua, aut fluuius vrbē expurget, gobius ibi genit⁹ erit peſſimus, qualesſunt cæteri piſces omnes qui in eiuſmodi aquis vitā exigunt. Porro gobiorū caro, vt eſt ſaxatilibus durior, ita eſt mullorum carne certè mollior: ergo veſcentium corpora pro portione nutrit.

De piſcibus molli carne præditis, & albi iuris conficiendi ratione, Cap. LI.

ASelli ſi probo alimēto vtantur, & in mari puro degant, carnis bonitate cum ſaxatilibus cōtendent: at
E qui alimēto prauo vtūtur, & in aquis mixtis verſantur, mollitiem quidem carnis non amittunt, ſed tamen pinguedinem acquirunt, propter quam non æquè vt prius ſuaues manent, atque alimentum excrementorum plenum corpori præbent. Cæterùm in omnibus piſcibus hoc eſt communiter (vt diximus) memoria tenendum, peſſimos gigni in oſtiis fluuiorum qui latrinas, aut balneas, aut culinas, aut veſtium ac linteorum ſordes expurgant. Iam caro etiam murænæ quæ in huiuſmodi aqua verſatur, peſſima inuenitur. Bugloſſus verò & mol-
F lior, & ſuauior, & omnino melior eſt paſſere. Lacerti verò medium quodammodo inter piſces quorum mollis caro eſt, & quorum eſt dura, locum tenent: horum autem piſcium apparatus ad cōcoctionem optimus eſt is qui ex albo iure conficitur, quod quidem parant hoc modo: In aquā copioſam olei quod ſatis ſit effundito, parúmque anethi & porri addito: quum piſces ſemicocti fuerint, tantum ſalis adhibeto vt totum ius nondum ſalſum videatur: hic apparatus vel ipſis ægrotis eſt accō-
G modatus. Omnium autem prædictorū piſcium alimentum hominibus qui non exercentur, ocioſis, imbecillibus, & ægrotantibus aptum eſt: qui verò exercentur, cibos valentioris materiæ poſtulant. Sæpe autem diximus molle friabiléque alimentum, vel ex eo quod optimi ſucci eſt, ad bonam valetudinem eſſe accommodatiſſimum. nihil enim eſt quod magis quàm ſucci bonitas ad tuendam ſanitatem pertineat.

De piſcibus quorum dura caro eſt, Cap. LII.

DRacones ac cuculi omnibus iis qui eos comederunt, durā habere carnē perſpicuò videntur: galeo-
H nymi verò durā ipſi quoque carnem habent, præter eum qui apud Romanos in ſummo pretio eſt, quē galaxiam vocant, qui mollis eſt carnis: eſt verò hic etiam ex genere muſtelorū. Iam ſcorpii, trachuri, orphi, & mulli duræ carnis piſcibus adnumerantur. Eſt verò perſpicuum,

piſces duræ carnis difficilius quàm eos qui molli carne præditi ſunt,confici : ſiquidem & concoctio quæ in vẽtriculo,& quæ in iecore,& venis ſanguinis origo,& quæ in ſingulis corporis partibus alendis aſſimilatio fit, in mollioribꝰ facilius, in durioribus ægrius efficitur:præterea ex durioribus piſcibus craſſus ſuccus, ex mollioribus verò tenuior gignitur.

De animalibus teſtaceis, Cap. LIII.

BVccinæ, purpuræ, oſtrea, hiatulæ, cæteráque his ſimilia, quum integumentum quo extrinſecus ambiuntur teſtæ ſit perſimile, teſtacea nominantur. Eſt autem horum omnium commune vt ſuccũ ſalſum in carne contineant,aluo ſubducendæ idoneum, qui in vnoquoque magis minúſque ad hanc rem pro qualitatis ac quantitatis ratione ſit proprius. Siquidem oſtrea carnẽ aliorum omnium teſtaceorum molliſſimam habent: at paruæ hiatulæ, & purpuræ, & buccinæ, & quæcunque huiuſmodi ſunt, duram: ergo iure ſit vt oſtrea potius aluum ſubducant,minúſque corpus alant: duriora verò difficilius concoquantur & magis nutriãt.Quemadmodũ enim ex animalibus teſtaceis, quæ duræ carnis ſunt, carnem ad concoquendum ,ita etiam ad corrũpendum difficilem habent:quamobrem ea ſæpe iis damus quibꝰ cibus vitiatur in ventriculo ob prauos ſuccos qui vel ex iecore in ipſum confluant, vel in ſuiſmet tunicis contineantur:nam ex eis plurimus ſuccus crudus, quem vocant:ex iis qui mollioris carnis ſunt, pituita gignitur. Vt igitur,quum ſuccum ſalſum abiecerint, eorum caro difficulter corrumpitur,aluúmque ſiſtit: ita ſiquis confectum ex ipſis ius biberit, aluus quidem ei abundè deiicietur,id tamen corpori nihil alimenti offeret.

De molli teſta intectis, Cap. LIIII.

AStaci, paguri,cancri, locuſtæ, carides, & alia conſimilia tenui teſta,duritie quidẽ ſimili teſtaceis, ſed quæ minor ſit, conteguntur: habent tamen ſalſum ſuccum,eúmque non exiguum. Dura carne in totum conſtãt: & idcirco difficulter cõcoquuntur,& firmiter alũt, quum ſcilicet in aqua potabili præcocta fuerint. Horum etiam caro, vt oſtreorum, quum ex aqua (vt dictum eſt) præcocta, ſuccum ſalſum depoſuerit, aluum cohibet: hǽcque ægrè non ſecus quàm teſtacea duræ carnis corrumpuntur.

De mollibus, Cap. LV.

MOllia vocantur quæ neque ſquamas,neque aſperã, neque teſtaceam cutim, ſed mollem qualis humana eſt habent. Huius generis ſunt polypus, ſepiæ, & cætera his ſimilia : hæc nanque tangentibus mollia videntur:duræ tamen carnis ſunt,difficulter concoquuntur,& exiguum ſalſum ſuccum in ſe continent. Si tamẽ concoquantur, corpus non parum nutriunt: cæterùm hæc quoque plurimum ſucci crudi generant.

De cartilagineis, Cap. LVI.

ASpera noctúque ſplendens eſt horum animalium cutis: idcirco nonnulli ἀπὸ τοῦ σέλας ἔχειν, (*hoc eſt quia ſplendorem habeant*) ea σελάχια nominata fuiſſe dixerũt. Inter ipſa autem torpedo & paſtinaca carnem habent mollem atque ſuauem, quæque mediocriter per ventrem tranſeat, & non difficulter concoquatur: nutriunt etiam mediocriter, vt alia quoque omnia quæ molli teſta ſunt intecta. Eſt verò omnibus commune vt partes quæ ad caudam ſunt, mediis partibus ſint carnoſiores:id quod præcipuè ineſt torpedinibus.nam partes horum animalium mediæ videntur habere in ſe tabidam cartilaginẽ quandã.Bati autẽ, liobati,& rhinæ, omniáque huiuſmodi,duriora ſunt,& ad concoquẽdũ difficiliora:& valẽtius quàm paſtinaca & torpedo corpus alũt.

De cetaceis animalibus, Cap. LVII

PHocæ,balenæ,delphines,libellæ,grandiores thynni, itémque canes,cæteráque cetacea his ſimilia,duram, mali ſucci, ac plenam excrementorum carnem habent: quapropter ſale prius condientes ad vſum ipſa redigũt.

Ex Xenocrate de alimento quod ex aquatilibus exiſtit, Cap. LVIII.

NAtantium natura cibus extitit, qui in conuiuiis ſplendidis in deliciis eſt habitus,ac magnũ quoque

A ad ſalubrem victus rationem vſum præſtitit. Differunt verò piſces ex ipſa compage: ſiquidem alii duræ, alii mollis carnis ſunt. Ac duræ quidem ſunt carnis phagri, ſynodontes, bugloſſi, & lati,quales ſunt pheſæ, & rhõbi:mollem verò carnem habent turdi, merulæ, fucæ, & eiuſmodi qui facilè digeruntur. Inter hos medii ſunt aſelli,bacchi,vmbellæ. Præterea quidam ſaxatiles, quidã pelagii ſunt: ac magis alunt qui prope littora quàm qui aquæductuum meatibus mali ſucci & ori ingrati feruntur. Iam maria quoque in hac re differunt: ſunt B nanque mediocres piſces qui in Adriano:ſed qui in Tyrrheno degunt, ſuauiſſimi: quinetiam verno tempore quamplurimi, quòd oua pariant, ſunt præſtantiores,vt mulli: æſtate verò phagri & ſynodontes: autumno verò hepatus,qui quum annum excedit,mali ſucci eſt.mugiles & lupi delicatiores ſunt. Ex ætate verò parui & noui facilè corrumpuntur: cetacei verò difficulter in ſuccum commutantur, duri ſunt, ac ſtomacho noxii: qui verò medium locum tenent, ii medio quoque modo ad diC ſtributionem ſunt affecti.In partibus quoque differunt. nam in partibus quæ ad caudam ſunt, quum motu exerceantur,bonum alimentum afferunt,ac delicati ſunt: in iis verò quæ ad ventrem pertinent, quum pingues fuerint, tum fluitant,tum verò ad excretiones rite ſunt affecti:in dorſo verò dura caro eſt.at capita omnino propter ſalſum humorem & pinguedinem non nutriunt,& difficulter diſtribuuntur.At facilè admodum excernuntur maraugiæ & paguri,ſed maximè omnium mulli. Ex apparatu, aſſi magis nutriunt, ſed difficilius tranſeunt: elixi verò, parum nutriunt, ſed facillimè deiiciuntur: D itémque marini ori ſuaues, apti ſtomacho, facillimi ad diſtribuendum,flaccidas ac molles carnes faciunt: nam & coloratos faciunt, & ſanguinem creant, aluúmque ſubducunt. At fluuiatiles,& qui in ſtagnis degunt, ſtomacho noxii ſunt,craſſam materiam faciunt,difficulter excernuntur, & nonnulli non ſunt marinæ materiæ expertes,vt coracinus qui in Nilo naſcitur,& perca in Rheno,& in Tyberi lupus,qui eſt ſubſignatus:itémque Anienis, palúſque in Phalernis, eiuſdem naturæ piſces gignunt. nam pabulum quod illic eis ſuppetit & boni E ſucci eſt, & valde accommodatum. Ex omnibus verò piſcibus anteponẽdi ſunt ii qui virus non habẽt,& præpingues ſunt, ac boni ſucci & moderati. Cæterùm ex piſcibus alii natantes, alii cartilaginei, alii molles, alii teſta operti, quorum exponendæ ſunt qualitates. Apua minimus eſt, gregarius, & in olla paratur. Alopeces,Lippuri, Thriſſæ, Lerúſque ex mari in flumen confugientia difficulter in ſuccum mutãtur,ſtomacho non conueniunt, difficiliter concoquuntur, & exiguum alimentum præbent. Acharnes verò duræ eſt naturæ, ægrè F corrumpitur, nec eſt ſtomacho accommodatus, nec probum ſuccũ gignit. Velonæ, quæ roſtri cornei ſunt, ineptæ ſtomacho,malique ſucci ſunt,non nutriunt. Facilè corrumpuntur phocæ, Iulides, Trachuri (qui Sauri ab aliquibus nominantur) & Canni, & cæteri omnes qui ſartagini conueniunt, ori quidem comedendo apti ſunt,ſed tamen ſtomacho non ſunt idonei,& facilè corrumpuntur, fluitant, ventrem non alunt. Erythrinus ori gratus aluum ſiſtit: duræ compagis eſt, ad nutriendum valet: & ad res venereas excitandas, ſiquis eum viG no ſuffocatum bibat,aptus eſt. Thranis, aut xiphias cetaceus eſt piſcis,& in fruſta ſecatur:ori autem ingratus eſt,ſcaber,difficilis ad conficiendum,valenter nutriens, graueolens: quamobrem & cum ſinapi comeditur, & in olla paratur:eiúſque præſtantior pars eſt imus venter. Thynnus,& thynnis,colias,orcyinus,pelamis,ſcombrúſque non apti ſtomacho ſunt: mali ſucci ſunt, flatum gignunt, ſcabri, difficiles ad excernendũ,nutriunt: quorum valentiſſimè nutrit pelamis : colias verò & ori H ingratus eſt, & nullius ſucci : at thynnis ei ſubiicitur: thynnus verò difficulter concoquitur. Siones, brachicephali, pectines, chelidones, vranoſcopi, galei, canes, & qui ſunt generis eiuſdem, mali ſucci, & grauis odoris ſunt, ſegnem materiam trahunt, & gignunt. Apti autem menſæ ſunt ſargi, melanuri,cãthari,

ſúntque ſtomacho idonei, boni ſucci, ac facilè diſtribuuntur: præterea verò alunt, & apti ad excernendum. Salpæ autem pelagiæ acris ſunt ſaporis, ori gratæ, difficulter corrumpuntur, difficulter ſeparātur, alunt, facilè excernūtur: at quæ in littoribus capiūtur, duræ ſunt carnis, & mali ſucci, & ori inſuaues. Bugloſſi verò & paſſeres duram carnem habent, ac difficiliter corrumpuntur: boni tamen ſucci ſunt, & facilè excernuntur: glaucus, cum lupo (eſt enim in omnibus ei ſimilis) minus. Præſtat autem ſparo, ellops, ſtomachóque eſt idoneus, ſuccū dulcē gignit, alit, faciléque excernitur, hepatus: hemaxias mediocriter alit, delicatus, ſolutus, ori gratus, difficulter verò cōcoquitur, & alit, & facilis excretionis eſt. mugil verò pelagius optimus, ori gratus, acer, lupo non cedens. Præterea hic quoque præterquam quòd tener eſt, facilè ſubducitur: in limpidis autem ac puris fluminibus natans marinam duritiam dulcis temperiei beneficio remittit: qui verò in turbidis & ſtagnis in quibus aqua ſtat, grauioris odoris eſt, difficillimè diſtribuitur, quúmque ex fimo pinguis ſit redditus, admodum inertem carnem habet: quum verò in magnitudinem excreuit, indureſcit. nonnulli verò mugilem, plotem vocant. Cytharus & rhombus lati ſunt: rhombúſque ſolidus eſt, difficiliter corrūpitur, qui quidem ſi magnus ſit, quoniam difficiliter conficitur, & ſatis alit, per vnum diem adſeruatus coqui debet: ac citharus mali ſucci eſt, & ſtomacho non idoneus: ægrè corrumpitur, facilè excernitur. Ciclæ, cottyphi, phæcides teneræ ſunt carnis, boni ſucci, facilè digeruntur, non nutriunt, ad alui deiectionem accommodati. Coraxus duræ carnis eſt: & quum maior eſt atque auctior, grauis odoris, difficilis diſtributionis, ori aptus: alienus tamen à malæ materiei ſobole: éſtque cæteris ſimilib⁹ ſuauior. Lupus verò variatur: nam quanto maior eſt, tanto durior efficitur: bimeſtris eſt optimus, ſtomacho idoneus, boni ſucci, tener. Vrſa dulcem ſuccum facit, nutrit, facilè diſtribuitur, & facilè excernitur. Atque ita quidem de pelagia cenſendum eſt: at quæ in piſcinis degit, omnia habet contraria, quemadmodum in aliis quoque piſcibus vſu venit. Ori nanque inſuaues ſunt ii qui concluſi viuunt: quæ verò in fluminibus degit, eo quòd ex mari frigidam aquam ſubit, ori grata, teneráque eſt: quæ verò in portus tranſit, limoſa, & coanguſtata, & pinguis reddita, ori ingrata eſt. Aſellus non acris ſaporis eſt, boni ſucci, difficilis diſtributionis, facilè ſubducitur, alit. Scorpenæ duræ carnis propter ſuccos ſunt, & ob eam cauſam apparatu indigent: & quum ad excretiones aptæ ſint, ori quoque ſunt gratæ. Vmbellæ ori ſuaues, boni ſucci, facilis diſtributionis, non admodum nutriunt, facilè excernuntur. Scarus ori gratus, difficulter digeritur, facilè corrumpitur, & deiicitur: qui verò nuper captus eſt, neque viuariis fuit incluſus, multa habet interiora, & ori gratus eſt, & fluitans, facilè corrūpitur. Synodus habet ille quidem carnem duram, ſed tamen non eſt alimenti expers: boni verò eſt ſucci, ac facilè diſtribuitur, & mediocriter nutrit, & facilè excernitur. Mullus obſoniorum præſtantiſſimus eſt, & ſtomacho idoneus, & boni ſucci, & ori gratus, caro plana, difficilis ad corrumpendum, & mediocris ad excernendum. Differt autem pelagius à ſaxatili, quòd rufus ſit, cinnabaríque atque auro ſimilem aſpectum habeat, itémque barbam fert: his autem inferiores ſunt ii qui in littoribus viuunt. Phagrus duræ carnis eſt, difficulter corrumpitur, non facilè ſecernitur. Aurata candidæ carnis eſt, ſolida, cōdēſa, boni ſucci, facilis diſtributionis, alítque, & non difficulter excernitur. Congrus nec ori gratus, nec mali ſucci eſt, modicè aptus ad concoquendum, & alendum, & ad excernendum vitio vacans.

De vrtica.

Vrticæ quæ etiam acaliphæ dicuntur, gratæ ori, & ſtomacho non mediocriter ineptæ: ſed aſſatæ ſunt elixis accommodatiores, aluum cient, vrinámque magis mouēt, quæ poſt purgationem exortæ iuxta calculos, lotæ, & perexiguo ſali mixtæ, atque ita parum aſperſæ ſunt, vt mediocriter mandi poſſint, & aſſatione concretæ aut A verubus aut ſurculis ſuper carbonibus maluæ aut ſarmentorum, vt valenter ſoluant. Cum paſſo autem aut vino mulſo guſtum excitantes, facilè concoquuntur, faciléque excernuntur: quæ verò ex paſſo & oleo elixantur cum alio etiam condimento, id quidem ſeruant vt lubricæ ſint, atque attrahant: ſed & explent, & difficulter concoquuntur, & aluum magis relaxant.

De teſta opertis.

Glandes optimæ ſunt quæ æſtate capiūtur, aptæ vt eis veſcamur: quæ quidem exoriuntur vbi aqua dulcis B mari admiſcetur. nā & alunt, & dulces ſunt: plerunque autem in petris educantur. Suauiſſimæ enim ſunt quæ alunt, friabiléſque ſunt, multúmque ſucci faciunt, & ad aluum molliēdam accommodatæ, & ſtomacho idoneæ, ori gratæ, teneræ, & vrinam cient. Succus earum ſimplex confici non poteſt: aut ius decoctarum ad excretionem valet. Quæ verò in petris vitam non degunt, acres ſunt, & medicamenti facultatem præ ſe ferunt, & plus ventrem citant quàm vrinas moueāt. Glycymerides præſtantiores ſunt trachibus, inferiores autem peloridibus. C hæ nanque ſtomachum diſgregant. earum caro dura eſt illa quidem, ſed non expers alimenti, & vrinam magis quàm pelorides cient: aſſatæ autem (mea quidem ſententia) indureſcunt: elixatæ verò & condîtæ ori ſunt gratæ. Ex genere peloridum ſunt hiatulæ. diuerſæ autem ſunt, atquè variæ, & longæ, vt Dicæarchiæ in Lucrino lacu, & Alexandriæ in portu: (ſunt enim dulces, & boni ſucci) quæ verò ſub Pharo, & Diolco, & Ponte, & inſula oblongæ ſunt & aſperæ, glandibus quercinis ſimiles, & æquè ac phagi echinum producentes: albæ autem D ſunt, duræ, atque acres. Pectines optimi ſunt qui ad iuſtam magnitudinem peruenerūt, caui, colore nigriore: præſtant autem vere atquæ æſtate: ſiquidem eo tempore ad Lunæ incrementum maximè augentur. Omnibus autem antecellunt Mitylenæi magnitudine, natura, humoris bonitate. His ſimiles Ionium mare iuxta Illyrida, Hetruriam, Salonas, & Latium producit. Iam verò & Chios, & vicinæ inſulæ, itémque Alexandria huiuſmodi piſces ferunt. Pontus verò multos fert, ſed minutos, & qui ægrè augeātur: dulces ſunt, ac facilius quàm E oſtrea concoquuntur. Ex aceto ſumpti ad excretionem accommodantur: & quum ex poſca coquuntur, dulcitudinis participes ſunt, quam aſſando deponunt. Pari quoque modo contriti aluum ſoluunt, idque ſiue recentes, ſiue vetuſti fuerint: parum autem vrinam cient. Qui buxei coloris ſunt, ſicut oſtrea, non facilè corrumpuntur. Elixi ſunt aſſatis ad aluum ſubducendam aptiores, quíque magis aſſati ſunt, minus ſucci habent, & difficiliter excernuntur. Exiſtimandum quoque eſt, eos qui in ſuis teſtis aſſantur, minus huiuſce incommodi habe- F re, & facilius alere, & minus eos perturbare: valentiores autem aſſati ſunt: quíque expurgati planè puréque fuerint, ii grati ori ſunt, & facilè concoquuntur: & teſtaceis anteferendi ſunt illi qui ſale cōditi ſunt, nec admodum perturbant. natiuam autem dulcedinem in muria conſeruant, & vrinam mouent: ac candidi quidem & lati ſunt dulciores. Atque albi ſunt duri, rufi verò ſunt viróſi, & vrinam cient: varii autem medii ſunt, & eorum aliqui fucis ſunt ſimiles, qui per ſe dati, difficulter concoquuntur, & tamen vrinam mouent. Aſſumpti verò G pectines remedio ſunt iis quorum veſica vlceribus ſordidis, & cruſtam habentibus vexatur, ſiquidem ea expurgant. Buccinæ ſunt duriores purpura, & magnitudine ac loco differunt: tripliceſque vires habent teſtæ, colli, & excrementi in teſta contenti. Nam ſcabra ſubſtantia piſcis aluum ſiſtit, ac præcipuè ſi aſſetur: contrà magis facit elixa. Collum earum aluum ſoluit, difficultérque concoquitur, idcirco ex ſinapi, vel aceto, aut liquore, aut pipere corrigere ipſum debēt qui eodem veſcun- H tur. Aqua denique quæ ex eis emanat, calefacta ventrem ſubducit: cum eo verò excremento quod teſta continetur, cocta, magis gilua fit, & piſcis qualitatem præfert: ſi verò totæ decoquantur, maiorem ſiſtendi vim habebunt, & ſitim afferent: quidam verò eas elixantes læuigant, & æquè ac vrticas condiunt, fiúntque

ori gratæ. Luna exoriente plenæ & æſtate graciles: pur-
puræ maiores duriores ſunt: & earum coria mediocri-
ter corrumpuntur: colla difficulter conficiuntur, ægrè ſe-
cedunt, ægréque corrumpuntur: aptæ ſtomacho, pauci
humoris ſunt, vix mandendo diſſolutæ: fundum ve-
rò aut earum excrementum facilè conficitur, facilè ſece-
dit, maiorem piſcis facultatem affert, vrinam ciet, ſudorẽ
mouet, ſputum creat. Siquis eo largius veſcatur, bilẽ nau-
ſeámque facit, & atri humoris copiam gignit: partes autẽ
ad caudam pertinentes, aut extremitates earum quæ e-
iuſdem ſunt generis, quæ turbinatæ ſunt, omnium ſunt a-
ptiſſimæ, earúmque vſus elixando & aſſando humorem
ex ſe emittit ori gratum, ventriculo idoneum, aluum ſub-
ducentem, dulcium vrinarum motorem, parum tamen
carnis facit, ad cochlearum proportionem: ſed & ori ſua-
uem odorem conciliat. Ad vini potum incommodæ, eli-
xatæ nutriunt, aſſatæ verò duræ ſunt, earum excrementũ
quod teſta continetur, ſiſtit more buccinarum. Cochleæ
duræ ſunt, difficulter cõficiuntur: harum ſpecies ſunt hæ,
teres, quæ tubæ modo ſufflat: rotunda, quæ oleum effun-
dit: harum quæ nimis magnæ ſunt, ineptæ ad comeden-
dum cenſentur, quia viroſæ ſunt, duræq; ac bilim creãt,
& multa eis caro ineſt, cetaceǽque ſunt. Breuium vſus nõ
nullis placet cum aceto mulſo, aut cum foliis viridibus
rutæ, cũ oxypipere: quæ verò quinque digitorum ſunt, &
imam partem acutam habent, quæque helices, aut actino
phori nominantur, minus quidem carnis quàm cæteræ
cochleæ habent, ſed tamen explent, & ſuperfluunt: at præ-
madefactæ, & aſſatæ, atque ex aceto ſumptæ, accommoda
tiores ſunt. Ac cochleæ omnes incoctæ ventrem pertur-
bant: marinæ verò vertices habent dulciores: ſuntque te-
neræ, boni ſucci, difficulter corrumpuntur, leues compa-
ratione terreſtrium. valentiores enim & molliores ad ex-
cretionem cenſentur, ſuauioriſque odoris, & ima eorum
pars ſtomacho idonea. Cochleæ porro ægrè concoquun-
tur: cum aceto verò & ſucco aperiunt, vt qui eis veſcuntur
pingueſcant: ac cum eruca etiam comeduntur. Lopades
minutæ ſunt: in quibuſdam verò locis ſunt magnæ, vt ab
oſtreis non abſimiles videantur: maximæ in India, ſicut
cætera omnia, naſcũtur: cæterùm duræ, & pauci ſucci, dif-
ficultérque conficiuntur, & excernuntur; coctæ autem
& conditæ ſunt gratæ ori. Murices ſalſi, viroſi: eis ſuccurri
tur liquore cyrenaico, ruta, & aceto: ventrem turbant, vri
nam cient, ori non grati, concoctu difficiles, obſtruunt
craſſo ſanguine, pituitam gignunt, & magis adeo recen-
tes: idcirco parandi ſunt cum acribus, vt ſinapi, erucáque:
aſſi difficulter ſecedunt, magnam ſitim inuehunt, grauãt:
elixati, contriti, & conditi minus viroſi ſunt: ſed eadem
quæ turbinati faciũt. Mures rotundiores quidẽ ſunt mu-
ricibus, ſed minores & hirſuti, teſtámque tenuem ferũt,
caro magis tenera eſt ac dulcior. ſucci magis varii, minus
etiam nutriunt, os mordicant, faucium deglutitionem
conuellunt, vocem condenſant, aut abſcindunt: qui largè
eis veſcuntur, tuſſes ſiccas, & raucitates eis excitant: areno
ſi verò boni non ſunt, vel qui in fictilibus figulorum, vel
in petris, vel in alga naſcuntur: ſunt enim acres. Oſtrea
vero pelagia rara & inutilia ſunt, quia ea ſol non aſpicit,
& exiguæ magnitudinis fiunt, amaráque ſunt, nec eſculẽ
ta, quia ventrem mordicãt: gaudent dulci temperamento
immixta, quod carnes dulces auget: idcirco ad Nili oſtia
præcipuè in Ægypto, & in Epheſo ad Caiſtri ingreſſum
incluſa, vt ſemina ponunt, & ita creſcunt. Vere igitur craſ
ſeſcunt expleta albo humore & lacteo: præterea Brũduſii,
Tarracone, Narbonæ, Dicæarchiæ, in Lucrino lacu, Cheli-
donia, Leucade, Actio, & Lybico ſinu idem fit. Pelorides
verò, aut melænides optimæ ſunt, quæ ſimiles ſũt oſtreis
in ſtagnis, & limoſis paludibus, vbi aqua dulcis immiſce
tur: quæ verò in fundo degunt, cum raræ ſunt, tũ verò e-
tiam inſuauiores. His accommodatè vtere ex iure condi-
tis ad alui ſubductionem: adiuuant concoctionem, me-
diocriter ſecedunt. Pinnæ locorum cauſa aptæ ſunt, tene-
ræque bene alunt: ex lutulentis locis captæ, & in quibus a-
qua dulcis & tranquilla miſcetur, quia ab vndis nõ offen-
duntur, teneræ permanent. Pinophylaces verò qui ſunt
eiuſdem alimenti participes, titillantes ac pinnas admo-

A nentes, pinnæ conſulunt, atque auxiliantur: ac potius in la-
pidoſis & pinnis aſſuetis locis morantur. magnitudinis
autem cauſa pinnæ minores ſunt magis teneræ quàm ma
iores. Verno autem tẽpore atque æſtiuo captæ longè ex-
cellunt iis quæ alio tempore capiuntur: nam præterquam
quòd bonam alimoniam dant, dulces etiam ſunt, quum
tunc oriantur: & magnitudinis ratione quæ non magnæ
ſunt, aliis præſtant: mediæ carnem habent mollem, albã;
dulcem. Earum dura ſunt colla, concoctúque difficilia, &
quæ ægrè diuiduntur, & ægrè corrumpuntur: ſed earum
B corpus facilius quàm collum corrumpitur. Elixãtur oleo
dulci, melle, ſimiliter & vino: quæ verò ex aqua elixantur,
iis præter naturam conchularum, ex ſinapi veſcimur. aſſæ
duriores ſunt elixis, & præſertim quæ vino parantur: præ-
ſtat enim eas ex liquore, aceto, & ſinapi parare. At earum
quæ in vino & aceto maduerunt, magis tenera eſt caro;
ſed flatum ciet. Strombi verò duri ſunt, ægrè conficiun-
tur, ac magis etiam ii qui auriculis maiores ſunt: cum ſi-
napi verò & liquore in aceto læuigati accõmodati ſunt.
Solenes, aut auli, aut donaces, mares ac fœminæ ſunt;
C quæ vngues nominantur. Differunt autem: nam fœ-
minæ mundæ ſunt, & vrinam cient, humectant. parantur
verò apertæ, recentes verò ac magni, quique nigris quaſi
virgis diſtincti verſicolores ſunt, mares ſunt, vrinámque
turbant: ſed omni moleſtia vacantes redduntur ſale & ace
to parati. At vitioſi, & excrementorum pleni, ex oleo & ſa
le ſumpti, æquè ac loligines ad potum parantur. Optimi
ſunt maiores & craſſiores aſſati, minimi dulces ſunt: ac
dulciores quoque fœminæ vnius coloris. Vere autem vi-
gent & florent, ſale conditi inſuaues ſunt. Tethea in limo
D naſcuntur & littoribus algæ feracibus: inueniuntúrque
in muſco, alga, & fuco: ſimiliáque ſunt fungo plantæ ma-
rinæ: præterea verò qualitatem manui indunt quæ diffi-
culter abſtergeatur: maximè verò eorum coria non confi
ciuntur. Auxiliantur autem renibus, aut quibus vitiatus
eſt ſtomachus, & quos tineſmus exercet, & coxẽdicis mor
bis laborãtib[9], & ventri ſuperiori vnà cum ruta. Secantur
etiam & lauantur, ac liquore cyrenaico, & ruta, muria, &
aceto, vel ex aceto condiuntur, éſtque operæpretium ea
cum vriridi mẽtha conficere: præſtãtiſſima verò in Smyr
E na inſula Aſiæ naſcuntur. Ægyptus verò hæc non fert o-
mnino. Telinæ, ſiue xiphydria aluum ſubducunt: locis a-
renoſis proueniunt, & portubus vndis agitatis: fluuiatiles
telinæ maiores ſunt, & plus ſucci habent, quales Ægyptiæ
ſunt. Elixatæ ſunt dulces, earúmque ius aluum ſoluit: clau-
ſæ verò ſale ſparguntur, & per teſtas humorem trahunt: fri
gida leuantur aqua, & ex oleo & aceto, vel mentha, vel ru
ta comeduntur. Qui aluum ſoluere voluerint, eas ſolubili
apparatu cum oleribus condient: quæ florem ætatis agũt,
ſi comedantur, vere ſunt optimæ. Ex chemis aſperas non-
F nulli glycymaridas appellant: alii conchas vocant. quæ lõ-
giuſculæ ſunt, ſed minores quàm quæ in Ægypto viſun-
tur, quæ in ſectione aſperitates habent glandium querci-
narum aſperitatibus non diſſimiles: in longitudine verò
virgatæ ſunt, & eruptiones à cæteris differentes habent:
quæ verò guſtatui maris odorẽ repræſentãt, durioris ſunt
carnis, dãtúrque imbecillis. Aqua ab eis manãs ſtomacho
eſt idonea, & vẽtri in trãſitu: eædẽ ſale cõditæ trahere vri
nas poſſunt. os itidem iuuant comedendo, & præſertim
ex ſinapi, aut aceto, & ruta. Leues autem chemæ maximè
differunt ab aſperis. habent enim latam teſtam & pelluci-
G dam, ac facilè concoquuntur, boni alimenti, boníque ſuc-
ci, ac dulces ſunt, & non iniucundæ ſtomacho. Ex liquore
cyrenaico & ſinapi eis elixis & aſſis veſcimur: coctarum
iuſculum ſoluit ventrem. At glycymarides iucundiores
ſunt conchis, quæ leui teſta ſunt: ſed minus quàm pelori-
des. Differunt autem ex locorum ſitu, vt pelorides varieta
te ac figura. nam quæ in portu Alexandriæ inueniuntur,
optimæ ſunt: quæ verò prope Dioclum & Pharum & Põ-
tem teretes ſunt atque aſperæ: quæ verò auriculæ nominã
H tur, prope petras naſcuntur, duræque ſunt, difficulter con-
coquuntur, ori inſuaues, & alienæ ſtomacho, & per aluum
ſecedentes, cum ruta exhibentur, quum non alia ratione
gratæ fiant: magnæ in Illyria naſcuntur in Ionio ſinu,
atque ex cyrenaico liquore, aceto, & ruta comeduntur.

De piſcibus cetaceis ſale conditis.

Sale conditi piſces communiter quidem ſunt ori grati:ſed mali ſucci,& ſtomacho alieni:leniúntque ac turbant aluum.Ex ſale verò conditis alii duræ carnis ſunt, alii ſuapte natura humidæ compagis ſunt: alii teneri, alii medii inter hos,alii carnoſi,alii ex pinguedine conſtant: alii vetuſti,alii medii,alii recentes: ex quibus pelagii extenſi ſunt,nuper capti cedentes:medii verò diuturni,mediocres:atque alii quidem valde pingues ſunt,& excremẽtorum pleni:minus illi nutriunt:de cæteris qui duræ ſunt carnis,ii difficulter vitiantur:qui magis teneri ſunt,facilè corrumpuntur.Colii ſunt ori grati,aluum mouent, Iberici cæteris præſtant omnibus. Pelamis exigua naſcitur in Mæotide,ori grata,facilè corrumpitur, faciléq; excernitur.Cybium,hoc eſt conciſa , pelamis , quæ poſt quadraginta dies à Ponto in Mæotim reuertitur,ori grata, & boni alimenti·quod verò Leoræum appellatur,ſuaue eſt,boni alimenti,ſitim non inuehit·Triton ſectum cybium ægrè vitiatur:ſolidius eſt cybio,in cæteris par. Orycalus eſt pelamis magna quæ in paludem non redit, tritoni ſimilis:ſed quia difficilius vitiatur,ideo inſignem vetuſtatem fert: tritone friabilior,ſed oris ſuauitate illi cedens : facilè verò diſtribuitur,atque concoquitur.Sarda(ita vocatur pelamis lõga ex Oceano veniens)ori grata eſt , acrimonia cybio præſtans,appetitum excitans,facilè ad excretiones lubricans.Scomber ori gratus,difficilis corruptu,ſitim afferens,laudatiſſimus eſt Parius. Salſamenta verò quæ ex thynnis fiũt, magnam inter ſe differentiam oſtendunt.alia enim eorum facilè diſtribuuntur,alia difficulter: eorũ ceruix fit ſalſamentum quod ori gratum eſt,& ægrè vitiatur , quia eſt pinguedine vacans, laudatiſſimum Cumis. Thynni verò vẽter quum recens eſt,aptus eſt ad comedẽdum:ſed vetuſtatem non moratur: eſtque ſtomacho idoneus,vt in genere ſale conditorum : boni eſt ſucci,faciléque corrumpitur,ſed propter pinguedinem excrementũ parit.Cæteræ partes melandryæ dicuntur propter ſimilitudinem quam cum nigricantibus quercus radicibus habent:appetitum excitant ſinapi adiuncto:& quia pinguedinis ſunt expertes, ideo fit vt difficilius quàm imus venter corrumpantur. Atque hæ quidem partes propriè & vſitato vocabulo τάριχα, (*hoc eſt ſalſamenta*) nominantur.mulli enim & phagri ex India duri exiſtimãtur: ſuntque cetacei,nec inter puriores marinos annumerati.

De ſalſamentis fluuiatilium & paluſtrium.

Ex fluuiatilibus ac paluſtribus Nilus mures & phagros producit , qui quoniam pinguiſſimi ſunt,ideo elixi ex ſinapi comeduntur : ſi maior eorum copia aſſumatur, ſupernatant.De media materia ex mugilibus in ſalſamenta condiuntur ii qui ad ſpinam diſſecti ſunt , & mendeſii vocantur:eugies verò marini ſunt, hique in fictilibus ſale conditi cibo apti ſunt, qui etiam crudi detracta pelle & euulſa comedũtur. Ex mugilibus quoq; qui acropaſti vocãtur,ſuaues ſunt,& aſſi comedũtur,nõ ſecus quàm marini & mendeſii. Ex coracinis qui ſale conditi ſunt,hemineri dicuntur: ipſique aſſi aſſumpti vicem gerunt alicuius autumnalis fructus:hique non omni tempore,ſed hyeme naſcuntur:ſiunt quoque alia minima ſalſamenta , quibus crudis veſcimur. Auris proba quidẽ eſt,ſed aruinam peculiarem quandam inducit,& idcirco cum acribus oleribus ea veſcũtur,quorum(vt ſit hæc perfecta tractatio cõmemoratio facienda eſt nobis. Vocantur ergo alia eorũ coracidia,alia boridia,alia collia,alia typhlinidia,alia abramidia:quæ omnia ſtomacho aliena ſunt,difficultérque corrumpuntur,& aluum ſubducunt.

Galeni de lacte & caſeo, Cap. LIX.

BVbulum lac craſſiſſimum eſt ac pinguiſſimum:camelinum verò liquidiſſimum, & minimè pingue : deinde verò equinum,tum aſininum: at caprillum moderatæ conſiſtentiæ eſt,quo craſſius eſt ouillum. Habita verò anni temporis ratione lac poſt partum eſt liquidiſſimum:& temporis progreſſu ſemper ac magis magiſque incraſſeſcit:media autem æſtate ipſum quoque in medio naturæ ſuæ conſiſtit:poſt verò hoc tempus , paulatim iam craſſeſcit,donec prorſus deficiat.Vere vt liquidiſſimum eſt, ita maxima eius eſt copia. Porro ex contrariis ſubſtantiis ſe-

A ro & caſeo lac conſtat:præterea verò habet tertio loco,vt pinguis ſucci particeps ſit,cuius plurimum habet(vt diximus)lac bubulum:ideóque butýrum,quod vocant, ex eo conficitur:ouillum verò ac caprillum lac habet quidem aliquid pinguedinis,ſed minus quàm bubulũ: quamobrem efficitur vt quandoque in ventriculo alicuius ſit coagulatum,ſi ſtatim vt emunctum eſt,calidum fuerit epotũ: ſi verò ſal aut mel addatur, neque concreſcere neque coagulari in vẽtriculo poterit.Ad lactis verò bonitatẽ magno pere facit paſtio beſtiarum . Perſpicuè autem videmus lac earum quæ ſcammoniam aut tithymalum depaſtæ B ſunt,purgãdi vim habere:ex quo planũ eſt,lac eſſe acre & acidum & auſterum,vbi vitiatæ paſtiones ſunt, quũ ſemper herbarum naturæ aſſimiletur. Non ergo opus eſt paſtus beſtiarum neque acres,neque acidos,neque auſteros nimium eſſe,vt lac afferant , quo tanquam optimi ſucci vſuri ſimus.Iam verò debere eſſe animal florentis ætatis, & præditum corporis habitu qui vitio careat,clarum vtique eſt,& nihil eſt cur ego id pluribus explicem, ſed mirum in modum vſus eius frequens,dentes & gingiuas lædit.nam gingiuas flaccidas,dentes putrefactioni & ero- C ſioni obnoxios facit: ergo ſumpto lacte os vino diluto colluendum eſt:erit etiam accommodatius ſi mel eidem adiicias.Dignoſcitur autem lac quum vel calefit,vel coagulo cogitur,at alio quouis modo:nam & ſciſſio quam ap pellant,vel citra coagulum,idem efficit, quũ lacte abunde excalfacto oxymel frigidum inſtillamus: quod idem vino mulſo efficimus,ac quandoque nihil ei inſtillantes, vaſe aquæ frigidiſſimæ pleno in lac demiſſo ipſum ſcindimus. Præterea id lac quod poſt partum emunctum eſt, D abſque coagulo protinus coagulatur , ſi parumper ſuper calidum cinerem calefiat : appellatur autem id quod ita confectum fuerit,pyriaſtes & pyriephthus.Ex caſeis mollior eſt duriore præſtantior:rariórque ac laxus denſiore & compacto : quum etiam vitioſi ſint & qui valde glutinoſus,& qui ad aſperitatem vſque eſt friabilis. Quod autem pertinet ad eam cognitionem quæ ex guſtatu exiſtit , omnium optimus cenſendus eſt is qui nullam vehementẽ qualitatẽ habet , ſed dulcitudo parum cæteras qualitates excedit:eſt etiam præſtantior ac ſuauior qui mediocrem E ſalem quàm qui permultũ,aut prorſus nihil habet . Poſtquam verò caſeum ſic examinatum ſumpſeris,tibi licebit ex ructu qualiſnam optimus ſit , cognoſcere . cuius enim qualitas paulatim aboletur,præſtantior eſt : cuiꝰ verò perdurat,is non bonus eſt:nam planum eſt huiuſmodi caſeũ ægrè mutari , & difficulter alterari.

De acido lacte, Cap. LX.

ACidum lac eos lædit qui frigida ſunt dentium temperatura, vtpote quibus dentium ſtuporem inducat. eſt etiam perſpicuum,lædi ventriculum qui ſit frigidior, F nec commodè acidum ab eo lac confici .qui nanque mo deratæ temperaturæ eſt,vix ipſum concoquit,non tamen penitus immutatum continet. Verùm ſi ventriculus fuerit quàm par eſt calidior,tantum abeſt vt lædatur,vt etiã aliquo commodo perfruatur.ex quo patet,acidum lac frigidæ temperiei eſſe,& craſſum ſuccum efficere.

Ex Rufo de potu lactis:hoc autem in medio quinti libri continetur,quum de lacte loquitur, Cap. LXI.

QVI lac potare in animo habet, ab aliis abſtinere cibis & potionibus debet, donec ipſum fuerit concoc- G ctum,& ad infernas partes deſcenderit. Nam ſi parum quidpiã cuiuſuis rei lacti miſceatur , neceſſe eſt & ipſum lac,& id quoque quod aſſumptum fuerit corrumpi . Præſtat igitur mane bibere lac recens mulctum , & poſt nihil ſumere:eóque tempore nimios labores vitare:(neceſſe enim eſt vt in iis aceſcat qui tum ſe labori dedunt)ſed melius eſt quietè inambulare , & interim vigiles quieſcere: nam hoc pacto lac quamprimum per aluum deſcendit. Vbi hoc deiectum fuerit,aliud bibendum eſt: quúmque H hoc deſcenderit,aliud deinde bibẽdum. Atque in initio quidem vtiliter ex alia corporis mole non admodũ multum purgat,ſed ea quæ in ventriculo ſunt,& quæ cum illa ſeceſſerint,ex propinquis partibus eò dilabuntur . qua re confecta venas ingreditur,& optimè nutrit, & nõ ampliꝰ

ſecedit,ſed ventrem ſiſtit. Ergo ei qui alui ſubducendæ cauſa lac bibit,maior eius copia non erit incommoda: at qui alẽdi gratia, eius adhuc cupidus ab eodem abſtineat: quia multa conſiderare opus eſt:nam & corpus inane cruda recipit,& inani facillimum eſt impleri. Ob eam cauſam in euacuationibus ſeruare modum conuenit:nec debet quiuis bibendi lactis cauſa ad aliam victus rationem mutari: præſertim verò in morbis thoracis diuturnis, & quos tuſſis affert. Si verò ſputum decidat ac defluat, longior lactis oblatio cõferet: ſed aliquid temporis eſt intermittendum,deinde iterum dandum. Ad erodẽtes humores & ecchymomata potui dãdum melle admiſtum: ita enim & præſtãtius eſt,& aluũ magis deiicit: ſapa quoque & vinum dulce ei admiſcetur. Sed aluum quoque deiicit ſi ſal adiiciatur,verùm fit inſuauius. In torminibus & biliofis fluxionib⁹, & omnino in iis quos ieiunum inteſtinum vexat,& quum ad ventriculum colliquationes confluunt,decoctum lac dari conuenit. Ac primùm quidem lentè & paulatim coquetur, vt pars deſcendat, pars verò abſumatur: deinde magis magiſque coquetur,adhibita diligentia ne aduratur, néve caſeus aut ſerum ex eo fiat. Curabitur hoc diligẽtiſſimè,ſi leniter coquas, & agitãdo, id ex omni parte detrahas quod ſeceſſerit. Ferula autem leni & tenui agitandum eſt:ac ſiquid labris ollæ inſederit,id ſpongia abſtergẽdum: ſæpe enim fit vt inde totum fuerit deprauatum. Lac igitur vſquedum craſſum æquabiliter,& crudo dulcius euaſerit,coquatur.

Galeni de optimo melle, Cap. LXII.

MEl præſtantiſſimum eſt quod dulciſſimum eſt atq; acerrimum:colore verò pallidum, conſiſtentia neque craſſum,neque concretum,neque valde dilutum: ſed vnitum in omni parte, & tenax ita vt ſi eius particulam digito ſuſtuleris,& defluere permiſeris, ſibiipſi continuũ extendatur,& perinde ac viſcum non abſciſſum, non in particulas diſſectum deſcẽdat. Tale autem eſt Hymettiũ, Thaſium, & vno verbo, Atticum: quod conſequitur id quod ex inſulis Cycladibus aduehitur. Fit quoque mel optimũ inter Pergamũ & Elæam vrbẽ. Ad mellis autẽ bonitatem aut malitiam videtur aliquid accedere ex plantis,in quarum foliis mel colligitur:& ob eam cauſam laudatiſſimum conficitur mel in iis locis in quibus thymi & aliarũ quarundã herbarũ & fruticum calidi & ſicci tãperamẽti plurima copia eſt:nõnulli id vitiãt thymo impoſito,quod vitiatum eſſe ita cognoſces: Nam mel optimũ thymi quidem acrimoniam præ ſe fert, ſed tamen odorẽ eius non reddit,vt etiam nec ita eſt guſtui vehemens. Siquis mel delingat,minus nutrietur,ſed aluum magis ſubducet:ſiquis id largius ſumat, vomitum excitare conſueuit. Elixum ſine aqua, neque pari modo vomitum ciet, neque aluum ita ſubducit,ſed diſtribuitur & nutrit. Atque id vrinas minus quàm id quod cum aqua coctum eſt mouet:verùm quum nutrit, non multum alimenti corpori affert. ex quo fit vt ſenibus & cæteris quorum frigida eſt temperatura,mel conueniat: at florentis ætatis hominib⁹ & calidis,in bilem conuertatur. Præterea exiguum nobis alimentum inde accedit, ſi non prius in bilem mutetur: in quo ſciendum eſt, ſi id ei contingat, ipſum eo tempore nihil prorſus nutrire poſſe.

Ex Rufo de optimo melle:habetur hoc in ſecundo de ratione victus,hoc eſt de potionibus,ad finem, Cap. LXIII.

ATticum mel commendatur,éſtque celeberrimum,ac cætera omnia ad hujus comparationem nihil eſſe cẽſentur: at ego neque etiam omne id quod ibi conficitur, laudo,exiſtimóque alibi etiam inueniri quod bonitate & virtutibus præſtet: & in primis quod in Marathone fit, peſſimum eſt, non quidem Hymettio comparatum: (ſiquidem Hymettium eſt præſtantiſſimum) ſed etiam vt alio ſit inferius. eſt etiam malũ Mileſium,& id quod ex Aphidna, quódque ex Sicilia comportatur. Sed præter Atticum bonum eſt mel Chium, Syrium, & Scythicum,& Siphnium,& quod aliunde aduehitur ex multis Cycladibus inſulis:& Siculum hyblæum,& Creticum, & Bœoticum quod Œchaliæ gignitur.

De mediis eduliis, Galeni, Cap. LXIIII.

IN ſingulis differentiis quas ineſſe alimentis diximus, media quædã interiecta ſunt:etenim inter ea quæ molli ſunt carne & quæ dura medium quid inuenies quod nec duræ nec teneræ carnis ſit:pari quoque ratione inter attenuantia & incraſſantia,vel calfacientia & refrigerantia,vel exiccantia & humectantia:ac animãtibus quidem naturalem temperaturam vitio carentẽ ſeruantibus cibi ſuis naturis ſimiles conueniunt: at quibus praua temperies aut innata eſt,aut pòſt acquiſita,nõ ſimilia ſuæ naturæ ſunt idonea:ſed contrariorum vſus, vitiatam temperaturam ad propriam naturam atque ſuam adducit.

De iis quorum liquida & dura conſiſtentia eſt, Cap. LXV.

QVorum liquidior ſubſtantia eſt,exiguum alimenti corpori dant omnia,atque eiuſmodi vt cito in vapores abeat & digeratur,vt alterius non ita multo pòſt indigeat. Quæ verò dura ſunt ac terrea, multũ & firmũ,quódque difficulter digeratur,alimentum præbent:quòd ſi glutinoſi particeps ſit,multo magis hæc omnia valẽter præſtabit. Eſt etiam perſpicuum, hæc non facilè concoqui, nec in ſanguinem abire,neque aſſimilari ſolidis animalis particulis:quòd ſi ita ſit,ne celeriter quidem nutrient:ſed vbi fuerint ſuperata & elaborata atque confecta, tum corpori multum alimentum ſuppeditabunt.

Qua ratione fiat vt pomorum adſtringentium,aut pirorum eſus ventrem deiiciat, Cap. LXVI.

QVibuſdam contingit vt poma adſtringentia comedendo aluus deiecerit,quum prius fœnumgræcum, & radiculã,& maluas ex oleo & garo, & omnino ea quæ ſubducere aluum conſueuerunt,ſumpſiſſent,& poſtea auſtera pira,aut poma,aut mala Punica comediſſent. Vẽter enim tum maximè emollitur quum imbecillus eſt, & ab adſtringentibus roboratur,& ad excretionem impellitur: ſiquid cõtrà feceris,& prius ſumas auſtera,deinde ea quæ molliunt,contrà quoque comprimetur. Quocirca ſiquis alius ſuccus ventrem ſubuertat,id quod ſolet pallida bilis in quibuſdam efficere,in quib⁹ maior eius copia ſit coaceruata, qui ita affectus eſt, ſiquod adſtringentiũ guſtarit,is ſtatim ſuccum vexantem deorſum excernet. Quum igitur olim iuuenis quidam ſcammoniam purgandi corporis gratia ſumpſiſſet,iámque horis quinque lapſis nulla ſubſequuta fuiſſet excretio, quereretur autem ſtomachum ſibi premi,& ventriculum intumeſcere, atque grauari,& idcirco palleſcere,& animi pendere, iuſſi vt exiguum quid mali adſtringentis aut Punici,aut piri comederet:qui ſimulatque comediſſet, à perturbationibus illis fuerit liberatus,facta copioſiſſima confertáque vẽtris excretione. Hæc ſatis ſint ad oſtendendum iis qui imbecillo ventriculo ſunt,aluum ſubduci quum poſt alios cibos aliquid adſtringentium aſſumpſerint.

Ex Mneſithei Athenæi de facultatibus alimẽtorum, Cap. LXVII.

OMnibus ſeminibus communis quædam ineſt affectio,de qua neceſſariò dicendum eſt: quum enim ſuperioris anni ſunt,aptiora redduntur ad bonam concoctionem: at quæ vetuſtiora ſunt, leuia ſunt illa quidem, ſed minus nutriunt:quæ verò iuniora ſunt ſemeſtribus,alimẽtũ graue,ſtabile,& quod ægrè cõficiatur exhibẽt. Atque hæc quidem proprietas quæ exoriũtur,ferme omnia (vt ita dicam) conſequitur: quorum enim radices maximè comeduntur,eorum ſemine minimè veſcimur: contrà etiam quæcunque ſemina nobis alimentum ſuis fructibus præbent,eorum radices ſunt ad veſcendũ inutiles.

De iis quæ ſolidis vngulis ſunt, Cap. LXVIII.

SOlidarum vngularum animantium eſus admodum vilis eſt. Omnibus tamen præſtant, leuiſſimæque ſunt carnes aſinorum(quemadmodum aiunt ii qui Aſiam peragrant)ſylueſtrium:quemadmodum verò nos ibidem vidimus,eorum qui diligentiſſimè fuerint educati. Secundo loco cenſentur equorum,peſſimæ ſunt muli:equorum verò ſylueſtrium ſunt peſſimæ omnium:ſed ex iis vbique

laſtentium ſunt optimæ, ſecundas ferunt recentiſſimo-
rũ. Quæ autem bifidæ ſunt, corporis habitum qui im-
becillus ſit, alere præcipuè poſſunt: poſt piſces verò, hœdo
rum & agnorum lactentium: nam & facilè cõcoquuntur,
& alendo ſunt, & aluum humectant: atque in his etiã quæ-
renda ſunt ea animalia quæ ab ortu lacte ipſo fuerint a-
bunde nutrita, & non multas herbas in paſcuis ſint depa-
ſta. nam eorum omnium & teneræ ſunt carnes propter
ætatem, & propter alimentum quod eis lac affert, facilè
concoquuntur. Vitulorum verò & porcellorum lacten-
tium caro & odoris ſuauitate, & iucunditate, ac deliciis
nullius carne eſt inferior: ſed ægrotis, aut iis qui ſe refi-
ciunt, non eſt eius vſus accommodatus. nam vitelli gra-
uiores ſunt, & porcelli nimis humidi, & ventrem pertur-
bant. At victimæ quæ non amplius lac ſugunt, nec tamen
adhuc venerem ſunt expertæ, præſtantiores ſunt porcis,
quum ad eam ætatem peruenerunt: ſiquidem humectãs
vis quæ ex lacte prodit, in eis non ineſt: ac pinguedo na-
turalis, & tenera ætas temperatum ex vtriſque eſum facit.
Cætera porro genera victimarum quum ad eum gradum
peruenerunt, duriores quàm lactentes ſunt, & difficilius
concoquuntur: & ſi conficiantur, durius alimentum cor-
pori præbent. Quæ verò deinceps hæc conſequuntur, &
rebus venereis iam vtuntur, quæque ex eis maximè flore-
re videntur, vtilia ſunt illa quidem iis qui ea poſſunt con-
coquere, cæterùm moleſtia afficere conſueuerunt. Iis præ
terea qui robur ex vſu carnium quærunt, neceſſe eſt dete-
riores eſſe vetuſtas, quia ætas ſemper in deterius vergit:
quocirca non ſunt ſponte aſſumendæ: ſi verò quandoque
neceſſitas cogat, magis coctis veſcemur. Caninæ carnes
aluum ſubducunt: non ſemper tamen afferunt eam leui-
tatem quam ex multis aliis conſequimur: nam & muco-
ſæ ſunt & glutinoſæ, & tamen tenerrimorum catulorum
caro præſtantiſſima redditur. Vulpina & vrſina caro mu-
coſa eſt, & quodam autumni tempore fit craſſior, & inter
eas præſtantiſſima eſt ferarum quæ carnem vorant, vt lu-
pinorum, & leonum, & omnes qui eiuſmodi ferarum car-
nes comederunt, eas ægrè cõcoqui aiunt, grauéſque eſſe,
& inteſtina dolore vexare. Mures qui in arboribus vitam
agunt, aluum deiicere, ſed nihil nutrire comperiuntur: at
qui mures domeſticos & montanas teſtudines, & lacer-
tos agreſtes, & paluſtres, & eiuſmodi belluas comedunt,
eos animo valde placatos eſſe quiſpiam dixerit.

Ex Philotino de facultatibus alimento-
rum, Cap. LXIX.

A Sorbitio omnis, non magnæ admodum confectionis
quæ in ventriculo fiat indiget: nam & humoribus eſt
mixta, & liquata eſt, & calfacta, & computruit, & multam
propriæ molis alterationem eſt ſortita. Aceris diluta ſuc-
cum acerbum, quique tormina & flatus vehementer ex-
citat, corpori diſtribuunt: ſiquidem in ore facultatem ha-
bere acerbam oſtendunt, & prædictas moleſtias, ſimulat-
que ſumpta ſunt, ex eis oriri conſpicimus. Carnes conue-
nienter animalium naturæ meliores cenſentur, vt nouel-
læ ſint præſtantiores vetuſtioribus, & quibus maior copia
B carnis ineſt, gracilioribus: quæ pabulis concoctu facilibus
vtuntur, iis quæ non huiuſmodi: & pinguiores macriori-
bus, & inter has, carneæ partes cæteris præſtent: itémque
executa animalia nõ diſſectis: & fœminæ maribus, quibus
pares vires habeant. Ex partibus verò animalium, po-
ſteriores excellunt, ac dexteræ ſiniſtris anteponuntur. De
pedibus verò partes inferiores, & internæ crurum ex-
ternis, & tergoris partes partibus ad ventrem & pectus ſi-
tis duriores ſunt, & difficilius conficiuntur. Simili quo-
que modo affecta eſſe vidẽtur ea quæ intra ſpinam ſunt
C & latera ad ea quæ extrà ſunt ſita. Porra elixa ægrè confi-
ciuntur. flexibilia enim in modum lori fiunt, & ab ore dif
ficulter læuigantur: cæterùm verò alimentum nulla noxa
afficiunt: ex quo ſequitur vt nullam eius cruditatem vi-
deamus. Cruda facilius concoquuntur, quia magis tenera
ſunt, & ab ore cõficiuntur. Cucurbita ex iure carnis cocta
celerrimè & maximè concoquitur: atque minutatim diſ-
ſecta, at quæ ita ſimul cocta eſt, quemadmodũ quamplu-
rimi coquere conſueuerunt, difficilius quàm illa confici-
tur. Ex oliuis nigræ ſunt omnium pinguiſſimæ, difficilli-
D mæ ad conficiendum, & choleram maximè omnium ef-
ficiunt, & diuturnas nauſeas excitant, & ſeceſſiones per al
uum paulatim, & plures mouent: quæ verò pyrallides no-
minantur, faciunt illæ quidem eadem quæ nigræ, cæte-
rùm quia minus pingues ſunt, minus etiam ea quàm ni-
græ faciunt: vtræque tamen ſuccum pinguem glutino-
ſumque, & in quo acerbitas quædam inſit, gignũt in cor-
pore: quamobrem fit vt ſuccus vitellinus ex ea oriatur.
Oliuæ autem quæ in aceto compoſitæ ſunt, facilè quidẽ
confici poſſunt, ſed acidum ſuccum in corpus diſtribuũt.
E Albæ verò ex muria paratæ minus difficulter quàm præ-
dictæ conficiuntur: verùm ſalſas afferunt facultates, ama-
ráſque & acerbas, ex quibus ſucci vitellis oui ſimiles creã
tur. Confractæ denique oliuæ facilius quidem quàm al-
bæ conficiuntur, veruntamen ſalſus ex eis ſuccus in cor-
pore generatur.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM, Lib. III.

De attenuante & incraſſante victus ratione, ex Galeno, Cap. I.

ATtenuans diæta trãſitus anguſtos aperit,
& adhæreſcentem humorum tenacita-
tem extrudit, incíditque craſſos humo-
res, atque attenuat. Sed ſiquis in ea diu-
tius immoretur, ſanguis ſeroſus, aut bi-
lioſus, aut melancholicus progreſſu tem-
poris fiet: ſiquidẽ huiuſmodi omnia calefacere vehemẽ-
ter, & exiccare apta ſunt: quamobrem calculi tophacei in
renibus gignuntur. Ergo cauendus eſt omnium acrium
vſus continuus, ac præſertim quum is qui illis vtitur, ſit
natura bilioſior: quandoquidem hæc edulia ſolis iis qui
pituitoſum, aut crudum, aut craſſum & glutinoſum hu-
morem congregauerunt, idonea ſunt. Ac plerique etiam
diuturni morbi ſolo vſu diætæ attenuantis plerũque ſub-
lati fuerũt. Et multo melius eſt vt in iis in quibus ſola vi
ctus ratione finem optatum conſequimur, à medicamen-
tis abſtineamus: quemadmodũ ego multas nephritidas,
& arthritidas non paucas, quæ etiam cum tophis articu-

A los nudauerant, alias quidem hac victus ratione omnino
perſanatas, alias verò mitiores redditas fuiſſe conſpexi.
Noui etiam qui difficultate ſpirandi laborarent, non pau
cos adeò adiutos, vt vel prorſus conualeſcerent, aut longo
temporis interuallo parum affligerentur. Hæc eadem at-
tenuãs victus ratio lienes magnos, & iecur induratum e-
liquat, & morbos comitiales adhuc paruos & incipientes
curat: at diuturnos & inueteratos non mediocriter iuuat.
Omnia igitur quæ irritant ac mordent olfactum & gu-
ſtum, ea acria ſunt & attenuant. Iam verò quæcunque ni-
B troſa & quæcunque amara ſunt, quandam incidendi vim
habent. Sed non exigua differentia erit, ſiquid horum cũ
oxymelle, aut aceto, aut ſale, aut oleo propines: nam ace-
tum & oxymel eorum vires intendit, oleum verò dimi-
nuit. Ergo ex eduliis attenuantibus plurima quiſpiam me
dicamenta quàm alimenta nominarit: quæ verò craſſos
glutinoſóſque humores gignunt, valentiſſimi ſunt alimẽ-
ti: ſique probè & in ventriculo & in iecore concoquantur,
bonum efficere ſanguinem conſueuerunt, & tamen lienẽ
& iecur obſtruunt. Sique in viſceribus paruum quoddam

inflammationis initium fuerit, eã valde augẽt,non ſec⁹ quàm inflationes & ſcirrhoſas affectiones exacuũt,& ab ſceſſus etiam gignũt.Sed quædam ſunt quæ tãtummodo craſſum ſuccũ faciunt,ſicut lens:quædam glutinoſum,vt malua:quædam vtrunque,vt animalia teſta operta,& quæ mollia nominantur. Ac ad tuendam quidem valetudinẽ, planum eſt accommodatiorem eſſe attenuantem quàm incraſſantẽ victus rationẽ:firmã tamen corporis affectionẽ,& robur præſtare corpori propter alimenti exiguitatẽ non poteſt:idcirco neceſſe eſt quandoque edulia attingere quæ valde nutriunt,quæque craſſos ſuccos faciunt. id tamen moderatè faciendum eſt, atque illis præſertim tẽporibus in quibus perſpicuè ſentiunt ſe alimẽti indigere. Porro iis hominib⁹ qui multis ſe credere exercitationibus poſſunt,& dormire donec velint,quique vitam elegerunt à reipublicæ negotiis liberam,iis vſu venit vt edulia glutinoſa & craſſi ſucci poſſint comedere, ac præcipuè ſi quum ſe illis expleuerint, nullum vnquam ſenſum aut grauitatis aut tenſionis in hypochondrio habeant. Quicunque verò aut ætate aut imbecillitate impediti ſeſe ante cibos exercere nõ poſſunt,ii penit⁹ ab huiuſmodi eduliis abſtinẽdi ſunt: qui verò omnino in ocio vitã degũt,ne ii quoque talibus cibis veſcãtur. Etenim ad bonæ valetudinis tutelã cum maximum malum eſt quies corporis,tum verò ſummum bonum cẽſetur moderatus motus:quibus quidem fit rebus vt tutius ſit abſtinere à cibis craſſis & glutinoſis eos qui ſolùm bonæ valetudinis habent rationem,& non firmæ conſtitutionis corporis, cuius ſtudio athletæ tenentur.Minimè ergo reprehendenda inter edulia ſunt ea quæ media interiecta ſunt inter attenuantia & incraſſantia, vtpote quæ in moderatione & medio exceſſuum ſint conſtituta,& ſanguinem conſiſtentia moderatum faciant.Hoc igitur alimentum eſt corporibus noſtris optimum:quod verò craſſos ſuccos gignit, deterrimum,quod eſt perpetuò fugiendum. & eduliorũ varietas,& præſertim quum ex contrariis viribus cõſtãt, maximè noxia eſt cenſenda:quippe quæ res aſſumptas nõ probè concoqui permittat. ac vires quidem vniuerſales tales quædam ſunt:eorum verò materias deinceps adſcribemus.

Quænam alimenta attenuant, Cap. II.

Allia,cæpa,naſturtium,porra,ſinapi,piper,ſmyrnium, pyrethrum,origanum,nepeta,mentha,hyſſopum,ſiſymbrium,pulegium,ſatureia,viridia adhibita:nam exiccata iam medicamenta ſunt,non alimẽta. Omnino enim quicquid ſiccum eſt,viridi valentius eſt: & quæ in montibus aut locis ſiccis creſcunt, iis quæ in planis,aut hortis, aut paludibus ſunt fortiora:quæ ſanè de omnibus cõmuniter ſunt intelligenda. Prædictas verò ordine conſequũtur eruca,ſium,apium, petroſelinũ,ocyma,radiculæ,braſſica,beta,carduus,eryngium,vrtica, fœniculum, coriandrum,ruta,anethum,libyſticum,cuminum,capparis,terebinthi fructus:itémque ſemen cari,aniſi, ſinonis, ameos, dauci,ſeſeleos,tordili: ac denique omnium odoratorum & acrium,& perſpi cuè calidorum. Vehemẽter autem attenuat rutæ ſemen & cannabis, vt medicamẽti ſimilitudinem habeat.Ex reliquo cerealium ſeminum genere ad victus rationem attenuantem, ſolum hordeum moleſtia vacat: ſecundum locum tenent triticei panes in clibano cocti:à cæteris abſtinere homo debet.Maxima quoque,ſi volueris,copia tibi ciborum ad rationem victus attenuãtem accommodata ſuppetet à piſcibus ſaxatilibus, & ab auiculis montanis.nam quæ in montibus degunt animãtes,naturæ ſicciores ac calidioris ſunt,earúmque caro minimè pituitoſa glutinoſáq; eſt:ſturnos igitur,turdos,merulos & perdices poteris comedere:itémque paſſeres turricolas,& quæcunque in vineis vitam agunt.Ex columbis verò,quæ turres inhabitant,domeſticis præſtant:& omnino quæ exercentur,otioſis: & quæ ſiccioribus pabulis,iis quæ humidioribus vtuntur: quæque purum & tenuem aërem inſpirant, iis quæ contrarium,anteponẽda ſunt.Ex piſcibus ſaxatilibus veſci poteris iulide,fuca,merula,turdo,ſcaro,& ad ſummam quicunque mollem ſimul ac friabilem carnem habent: ab iis verò quorum dura glutinoſáque caro eſt,omnino abſtinebis : ac mollis quidẽ eſt

A caro aſellorum, verùm minus friabilis quàm piſcium ſaxatilium:at mullorum friabilis eſt illa,ſ;quidẽ,ſed nõ mollis.Friabilitas igitur & mollities duæ notæ ſint vt cuiuſque animalis carnem cognoſcas:quibus attentus,eam carnem cui ineſſe vtranque conſpicias, ad ſatietatem vſque poteris comedere:cui neutram,eius vſus omnino circuncidendus:cui alterutra tantùm,ea quum aliæ tibi non ſuppetant,aliquando veſci,non tamen ad ſaturitatem vſque: quamobrem aſellos,mullos,alióſque pelagios piſces mãdere licet quum ſaxatiles deſunt,& præſertim quæ ex ſina

B pi comeduntur,quemadmodum ſcorpius. Sunt verò alia quædam genera animalium in quibus altera ex iis notis quas dixi, ineſt,ſed proter alterius notæ exuperantiam, ab eorum vſu abſtinendum eſt:nam anguillæ,& plerique cartilaginei piſces,mollem quidem habent carnem, ſed quoniam glutinoſi & pituitoſi ſunt,ſatis noxæ afferunt iis quibus victu attenuante opus eſt. Ex cartilagineis verò torpedo & turtur ſolùm accommodati ſunt, potéſque eis nonnunquam vti quum ſaxatiles non ſuppeditantur: ſunt quoque eiuſdem facultatis bugloſſi & paſſeres. Gallinis

C veſci non veto eos qui exercentur, itémque columbis & turturibus, & præſertim qui in montibus degant : oportet autem eos nõ recens,ſed pridie ad minus eſſe mactatos:quod etiam in cæteris omnibus quæ carnem modicè duram habent,obſeruandum eſt. Piſces autem ſaliti exquiſitiſſimè attenuant & incidunt:ex his eligendi ſunt qui ſuapte natura tenera ſunt carne : cetaceum genus eſt cauẽdũ.Iã verò ſuillas carnes ſale cõditas guſtare quiſpiã tutò poterit. Ex fructibus autumnalibus ii qui ventrem molliũt minimè nocebũt: molliores igitur potius quàm

D duros,& quàm eos qui tardè tranſeũt,comedere licet,nõ tamẽ ex vllo genere ad ſatietatem: qui autem vehementer auſteri & acerbi ſunt,huic rationi victus ſunt contrarii.Omnibus verò aliis accommodatiores ſunt caricæ,nuces, piſtacia, & amygdalæ ſubamaræ. Oliuæ eiuſmodi ſunt vt eas neque laudem neque vituperem. Ex dulcibus autem non modò eſculentis,ſed etiam poculentis, ſolum mel(vt ita dicam)ſuccum tenuem exquiſitè gignit. Vina alba & tenuia craſſos humores incidunt,& per vrinas ex-

E purgant.Iam verò ſerum lactis inter ea nũmeratur quæ attenuandi vi ſunt prædita:ſed oxymel ad victus rationẽ attenuantem multo eſt accommodatius.

Quæ res craſſos ſuccos faciunt, Cap. III.

Craſſos ſuccos faciunt panes qui ſub cinere coquuntur,quique rite non conficiuntur,& qui tragus appellatur,& placentæ ex muſto & ſimila. & lagana, & placentæ quæ itria nominantur: & quodcunque ex triticea farina ſine fermento conficitur : & placentæ quæ ex eadem materia elaborantur:præterea ſimila & alica abunde craſ

F ſi ſunt ſucci, amylum verò mediocriter: lobi quoq; craſſi ſucci ſunt,& lupini,& interna pars lentis: fabæ frictæ, ſeſami ſemen,eriſimi ſemen,piſces qui molles appellãtur, loligines,ſepiæ,polipodes,& cetaceum genus. Valde autem craſſi ſucci ſunt oſtrea,buccinæ,purpuræ,chemæ,patellæ, pectines,pinnæ,&(vno verbo)omnia quæ teſta conteguntur:itémque anguillæ,cochleæ, carnes ceruinæ, caprinæ, bubulæ,porcinæ,leporinæ,iecur,renes,teſtes, cerebrum, ſpinalis medulla,mammæ,lingua, glandulæ mediocriter: lac nimis coctum,caſei omnes: recentes verò & qui exa-

G cido lacte conſtant,minus:lac acidum igni decoctum: ex ouis,quæ ad perfectam concretionem ſunt cocta,& aſſata etiam magis: & longè maximè quæ in ſartagine fricta ſunt:palmulæ,caſtaneæ,glandes,bulbi,rapa,fungi, ari radix,tubera,nuces pineæ,ficus non probè maturæ,citrii caro,cucumeres vberius ſumpti,poma nondum matura.Inter vina quæ dulcia ſunt ea craſſum ſanguinem gignunt, & magis etiam id quod defrutum nominatur, & muſtũ eodem modo,itémque craſſa & nigra vina.

Media attenuantium & craſſos ſuccos facientium, Cap. IIII.

H Panes optimè confecti,ſunt eiuſmodi,& carnes gallinarum, gallorum gallinaceorum,phaſianorum, perdicum,columbarum, attagenum, turturum, turdorum, merularum,& paruarum auicularum omnium : itémque

piſcium ſaxatilium, littoralium,& pelagiorum,& gobiorum,murænarum, bugloſſorum, & abſolutè omnium piſcium qui neque lentorem neque fœtorem edendo referant,& ficus maturæ,& ex oleribus agreſtibus feris: atque id eſt commune multorum genus: ſingulorum verò ſpeciales appellationes apud Atticos ſunt,vt lactuca,chondrille, gingidia, & alia innumera. Huius verò ſunt generis paluſtris, myacanthinus & chamædaphnes ac bryoniæ aſparagus. Vinum flauum ſimul & dulce, & pellucidum, quale eſt Aruiſium,& Leſbium,& Falernum, & Tmolite: hæc enim omnia & bonum & moderatè craſſum ſanguinem gignunt.

Quæ viſcidum ſuccum faciant,
Cap. v.

TRiticum omne quod graue,denſum, & interius flaueſcẽs eſt,viſcidũ ſuccũ gignit:quod verò leue,rarũ, cãdidúmque intus eſt,minus eſt huiuſmodi. Simila quoque & alica abunde viſcidæ ſunt: itémque tendines, & muſculorum extremitates neruea, & partes quæ circa labra ſunt,& lingua,omnis ſuilla caro,itémque agnina, ſeſami ſemen,bulbi,& pingues palmulæ.

Quæ crudos in nobis humores pariant,
Cap. vi.

PAlmulæ virides crudis humoribus explent eos qui ipſis veſcuntur, vt rigoribus qui calefieri difficulter poſſint,capiãtur,& radix rapæ,ſiquis ea liberalius vtatur, & caro teſtaceorum,quorum eſt dura caro,quæque ſalſum ſuccũ ex nimia coctione amiſit:& quæ mollia nominãtur polypodes,ſepiæ,& quæ ſũt generiseiuſdẽ:omne cetaceũ genus in mari degentium animalium:ventriculi, inteſtina,vterus quadrupedum, duræ glandulæ incoctæ; acidũ lac,caſeus,panes in ſartagine cocti,lupini, vua in ventriculo contenta.

Quæ frigidos humores creent, Cap. vii.

QVI ſe cucumeribus valde explent, iis vt frigidum ſuccum coaceruent, natura comparatum eſt, quum non facilè poſſint in probum ſanguinem commutari. Eiuſmodi etiam ſuccum vẽtres,inteſtina,vterus quadrupedum beſtiarum,acidum lac,boleti, poma immatura,& bulbi pariunt.

Quæ pituitam gignant, Cap. viii.

SVccum abſolutè pituitoſum gignunt nerueæ animalium particulæ,cerebrũ,pulmo,ſpinalis medulla, glãdulæ incoctæ, agnina caro, boleti Amanitæ, caro teſtaceorum mollis carnis,poma nondum matura.

Quæ res melancholicum ſuccum pariant,
Cap. ix.

CArnes bubulæ,caprinæ,& iis multo magis hircinæ & taurinæ melancholicum ſuccum faciũt:& magis etiam aſininæ,camelinæ,vulpinæ,caninæ,leporinæ,& ſuũ agreſtium, carnes animalium terreſtrium ſale conditæ, lienes animalium. Ex marinis huiuſmodi ſuccum pariũt carnes thynni,balenæ,phocæ,canis,delphinis, & omniũ cetaceorum:itémque cochleæ,braſſicæ,arborum germina quæ muria vel ex acida muria ſunt condîta, vt lẽtiſci, terebinthi, rubi,& canini rubi germina: cinaræ etiã caro,& lens,edulium eſt melancholicum vel maximè: poſt hanc panes furfuracei, quique ex tipha,& aliis vitioſis ſeminibus conficiuntur:triticum tenerum,aphace,& vicia, & vina craſſa & nigra.

Quæ ſuccum bilioſum pariant, Cap. x.

SIliquæ,cinaræ ſuccus tenuis eſt, & amaram bilem facit:præſtat igitur cinaram coctam edere. Mel quoque facilè in bilem vertitur in calidis corporibus: omnia enim dulcia alimenta,& vina item dulcia,materiam flauæ bili gignundæ ſuppeditant.

Quæ gignant excrementa, Cap. xi.

PAlũbi,anſeres,præter alas viſcera omnia, ſpinalis medulla,cerebrum,aues paluſtres,& quæ in ſtagnis ac pratis vitam ducunt,cicer,fabæ virides, faba Ægyptia, porcelli nuper in lucem editi,caro pecudum,& omnium animantium recens natorum, quæque in ocio vitam tranſigunt,& piſcium fluuiatilium ac paluſtrium, quique in limo degunt,& omnes cetacei generis in mari, excrementa faciunt.

Quæ vacent excrementis, Cap. xii.

ANimalium colla,caudæ,alæ,agreſtium animantium caro,& eorum quæ in ſiccis locis viuunt,excrementis carent.

Quæ valde nutriant, Cap. xiii.

SVum domeſticorum caro præ omnibus eduliis maximum alimentum præbet,bubulum cerebrum, teſtes, cor,ſpinalis,& item alia medulla,alæ anſerum,& magis etiam gallinarum, omnium volucrium ventres, cochleæ, & præcipuè ter coctæ. Ex teſtaceis, quæ dura carne ſunt prædita,vt chemæ,purpuræ,buccina,& cætera generis eiuſdem plurimum alimenti afferunt. Iam verò aſtaci, paguri,cancri,locuſtæ,ſquillæ,& iis ſimiles: itémque molles appellati,vt polypodes,ſepiæ,loligines,& cõſimiles: & ex cartilagineis torpedo & turdus moderatè nutriunt:itémque bati,liobati,& rhina magis,mulli autem & gobii minus. Lac magis alit quod craſſius eſt, quod verò liquidius eſt,id minus alit. Ex panibus magis nutriunt ſiliginei,deinde ii qui ex ſimila parantur:tertio loco ii in quibus etiã furfur ſit. Triticum elixum,ſimila,alica,fabæ,carnem gignunt,non firmam illam quidem & denſam, ſed potius laxiorem. Cicer magis nutrit quàm fabæ, magis phaſeoli, & ochri magis quàm fœnumgræcum,dolichi(quos lobos & phaſelos vocant)non minus quàm piſa nutriunt. alunt etiam lupini,caſtaneæ,lentes,palmulæ dulces,vuæ dulces & pingues,glandes,rapa, quam napum nominant. bulbi maximè nutriunt,& magis etiam bis cocti. mel deſpumatum & ad diſtributionem & ad nutritionem redditur accommodatum,itémque melicratum probè coctũ. Omne vinum pro portione craſſitiei nutrit:rubrũ ergo & craſſum maximè omnium ad ſanguinem gignendum accõmodatum eſt:ſecundo loco nigrum ſimul,& dulce,& craſſum,tum rubrum & craſſum & adſtringens:his minus nutrit album ſimul & craſſum & auſterum: minimè omniũ album & tenue. ad ſummam omnia quæ craſſi ſunt ſucci, ſi probè concoquantur,multum alimenti præbent.

Quæ res minus nutriant, Cap. xiiii.

EXtremæ partes animalium parum nutriunt, itémque vterus,venter,inteſtina,cauda,aures,pinguedo,adeps: omne volucrium genus terreſtriũ generi comparatum minus nutrit. Caro eorum quæ ſenio confecta ſunt, minus alit quàm eorum quæ adhuc augeſcunt. alimentum quod piſces dant,ſanguinem magis tenuem facit, vt neque ſatis nutriat,& citò digeratur. ex iis quæ teſta intecta ſunt quæ molli ſunt carne,velut oſtrea, exiguũ alimentũ præbent. Panes hordeacei quomodocunque conficiantur,minimè omnium aliorum nutriunt: æquè verò ac ii nutrit polenta ex eis confecta,itémque panes furfuracei, & impuri omnes,ac loti, amylum,maza ex polenta hordeacea,auena,milium,eóque magis panicum,oryza, fabæ virides,ſemen papaueris,ſemen lini,ormina, ſycamina,rubi canini fructus,iuniperi baccæ,myrta,amygdalæ, piſtacia,pruna,perſica,armeniaca,præcocia,oliuæ, & præſertim maturæ,nuces auellanæ,& magis etiã regiæ,nuces, ſerica,corna,pruna,rubi fructus,fruct⁹ arbuti,zizipha,iuglãdes,halicacab⁹,capparis,& præſertim ſale cõdîta,braſſica,beta,lapathum,oxylapathum,portulaca,ſolanum,raphanus,rapa,ſinapi,naſturtium, pyrethrum, aſparagi omnes,paſtinaca,daucus,carus: cæpa autem & allium, & porrum,& ampeloproſum cruda quidem alimentum nullum præbent, bis autem térve cocta pauciſſimum. Mala Punica parũ nutriunt, pira verò & præſertim magna neſcio quid alimẽti in ſe continent:cucurbitæ quoque modicũ alũt,itémq; vuæ paſſæ auſteræ & nõ pingues. Porro inter ea quæ multũ & ea quæ parũ nutriũt,medii interiecti ſũt phaſeoli,ochri,araci,cicerculæ,& fic⁹ quæ nõ æquè ac alii autumnales fructus,parũ nutriũt. laxam enim carnem faciunt,id quod efficiunt etiam vuæ:ipſæ verò minus quàm ficus alunt,laxámque & humectam carnem gignunt. Omnia autem edulia in quibus aliqua vehemens medicamenti qualitas inſit,quum eam qualitatem aut aſſando, aut elixando, aut parando depoſuerint, exiguum alimentum corpori dant: prius verò nullum præbent.

Quæ res boni ſucci ſint, Cap. XV.

OMnium ferme earum quibus veſcimur, lac optimi eſt ſucci:eſt autem optimum lac animalium integræ valetudinis,quum nuper expreſſum potatur.Oua tremula & ſorbilia boni ſucci ſunt:præſtantiora autem ſunt gallinarum & phaſianorum : deteriora verò ſunt anſerum & ſtruthiocamelorum. Aues autem & piſces ferme omnes boni ſucci cenſentur, præter eos qui in paludibus ac ſtagnis, & fluminibus limoſis degunt:ac præſertim ſi aqua è ciuitate aliqua prodeat,cuius cloacas,balneas & culinas expurget,vel aquâ admiſtâ habeat quæ fullonibus ad veſtes tinctas abluendas vſui fuerit. Ergo tutius erit ſemper eos piſces offerre qui de mari quod aquæ dulci mixtum non ſit, excepti fuerint, quales ſunt qui pelagii & ſaxatiles appellantur.hi enim tum ſucci bonitate, tum iucunditate cæteris longè præſtant. Si verò quidem ſint qui vtraque in aqua viuere ſint ſoliti,vt capito, lupus, aſellus, cobio, muræna, cancri, & anguillæ, ſtatim quærendum erit vbinam ſint capti: deinde odoratu ac guſtatu diſcernendum. Etenim qui in aqua vitiata vitam duxerunt,etſi cæteris pinguiores ſunt, tamen & malè olent, & inſuaues ac mucoſi ſunt, & citò putreſcunt: atque etiam ex conſuetis piſciū alimētis aut meliores aut deteriores eſſe ex guſtu atque odore facilè cognoſcuntur: quemadmodum mulli peſſimi omnium ſunt qui cancros comederunt: aliorum verò caro durior eſt illa quidem, ſed non mali ſucci. Fidicula, rhombus, hepatus, bugloſſus, paſſer & lacertus medii quodammodo ſunt inter eos qui teneram durámque carnem habent, alimentúmque eorum eſt optimum iis qui ſe non exercent, quique imbecilli ſunt: iis verò qui conualeſcunt, friabile & molle alimentum eſt ad bonam valetudinem accommodatiſſimum: quocirca optimum omnium ſuccum creat. Carnes animalium quadrupedum ſi probè concoquantur,optimum ſanguinem gignunt, & præſertim eæ quæ boni ſucci animalium ſunt:quale ſuillum eſt genus.nam caro ſuum & ad iucunditatem, & ad concoctionem eſt præſtantiſſima, & maximè eorum qui in media ætate ſunt conſtituti:vetuſtiſſimi nanque ſuis caro deterior eſt,itémque eius qui nuper natus comeditur:nimis enim humidæ ſunt carnes eorum qui recens ſunt nati,& pituitæ plurimum faciunt. Mamma boni ſucci eſt. Iecur, partes quæ circa labia ſunt, alæ, & cæteræ extremitates, itémque inteſtina, & vterus, & cauda, minus quàm carnes boni ſucci ſunt: glandulæ concoctæ probè, proximè ad carnes in alendo accedunt. Cor non mali eſt ſucci: pedes meliores ſunt roſtro atque auribus. etenim cartilago in perfectis animalibus omnino concoqui non poteſt:in iis verò quæ adhuc creſcunt, quum exquiſitè fuerit in ore contrita,concoquitur:cæterarum verò animantium quanto carnes à porcorum carnibus,in alimenti viribus ſuperantur, tanto partes extremæ in eiſdem partibus ſuillis cedunt. Cerebrum volatilium longè præſtat cerebro terreſtrium. Sylueſtrium caro melioris ſucci eſt quàm cicurum. Panis purus & rite confectus boni ſucci eſt:itémque alica,ptiſana probè cocta, fabæ, caſtaneæque non mali ſucci ſunt:ficus maturæ, vua matura & penſilis non ſunt reprehendendæ:caricæ ſtatim diſtributæ boni ſucci ſunt:quæ verò diutius in ventriculo morantur,mali ſucci euadunt,& pediculos gignunt:hæ cum nucibus in cibo acceptæ præſtantiſſimum edulium faciunt:qui verò ficus & caricas cum aliquibus aliis eduliis comedunt,non mediocriter offenduntur. Lactuca inter olera bonum gignit ſanguinem,deinde verò intyba. Vina odorata boni ſucci ſunt:optimi verò ſunt ſucci Falerna,& potiſſimum dulciſſima:itémque Aruiſium, & fuluum Tmolite dulce.

Quæ res malos ſuccos faciant, Cap. XVI.

MAli ſucci non vna ſpecies eſt.nam alius frigidior & pituitoſior eſt,ali⁹ calidior & bilioſior,alius deniſque magis melancholicus.Ab omnibus autem mali ſucci eduliis,etiamſi ab aliquibus facilè concoquantur, abſtinendum eſſe conſulo.ſuccus enim malus ex eis acceruatus longo tempore latet in venis: quúmque vel paruam occaſionem ad corruptelam nanciſcitur, febres malignas

A gignit.Mali ſucci ſunt hæc : pecudum caro, & caprarum ſimili modo, adiuncta etiam acrimonia. hircorum caro peſſima eſt,proximè ſuccedit caro arietina,deinde taurina.Inter has omnes caro caſtratorum eſt potior:ſeniorum verò carnes ſunt peſſimæ. Leporum caro gignit illa quidem ſanguinem craſſiorem, ſed tamen qui melior ſit ad ſuccos bonos faciendos quàm boum aut pecudum. ceruina quoque caro non minus quàm eæ ſucci mali eſt. renes & teſtes nimis adultorum animalium, præter teſtes gallorum gallinaceorum,mali ſucci ſunt.Cerebrum,ſpi-
B nalis medulla,cor,lien (minus autem ſuillus) omnia viſcera,oua fricta,caſei veteres,boleti, amanitæ mali ſucci ſunt:cæteros fungos non eſſe tutius eſt. Fœnumgræcum, lens,tipha,auena,& panis ex eis confectus,non boni ſucci ſunt.olyra tanto eſt tritico deterior,quanto eſt tipha,atque auena præſtantior.panicum,milium,& cætera generis eiuſdem non boni ſucci ſunt.Piſces verò dracones,cuculi,galeonymi,ſcorpii,trachuri,mulli,orphi, glauci, & cætera animalia cetacea in mari degentia, mali ſucci ſunt omnia. Fructus omnes qui horæi dicuntur, mali ſucci
C ſunt:ficus verò minus quàm alii horæi fructus:at caricæ, ſiquis liberalius eis veſcatur, non admodum probum ſanguinem gignunt, & ob eam cauſam magna pediculorum vis ex eis conſequitur.Poma nondum matura, pira antequam maturuerint, terebinthi fructus mali ſucci ſunt:cinara quoque,& præſertim quum durior eſt, itémque cucumeres, & pepones, & melopepones, ſed hi minus. Cucurbita his omnibus præſtat : ſed ipſa quoque in ſtomacho corrupta mali ſucci abundè eſt.Ex oleribus nullum boni ſucci eſt:medium inter res mali & res boni ſuc
D ci locum tenet lactuca, & intyba, & malua, deinde atriplex,& portulaca, & beta,atque lapathum. Radices plantarum olerum mali ſucci ſunt quæcunque acres ſunt,quales ſunt cæparum, porrorum, alliorum, radicularum, & dauci:mediæ ſunt radices ari, rapæ, quæ napus appellatur:& eius quem carum nominant.Ocymum ſucci eſt peſſimi,rapa crudior,braſſica,bulbi non probè cocti, cæpæ, porra,allia,ampelopraſa bis cocta ſucci prauitatem depo nunt. Omnino verò peſſimi ſucci ſunt olera omnia quæ agreſtia nominantur,vt agreſtis lactuca, chondrile, ſcan-
E dix,gingidium,ſeris,& cichorium. Vina quæ craſſa ſunt & fœtida,& auſtera,quale eſt vile Bithynum,quod in magnis doliis comportatur, mali ſucci ſunt.nam quod in paruis conuehitur,neque boni neque mali ſucci eſt, ſed medium inter vtrunque locum tenet.

Quæ facilè concoquantur, Cap. XVII.

FAcile concoquuntur panes rite confecti, ſaxatiles piſces omnes,cobio,torpedo,turtur:omne genus volucrium.auium nanque caro terreſtrium carni comparata, facilius concoquitur, præſertim verò perdicis,attagenis,
F columbæ,gallinæ, galli gallinacei, phaſiani. Alæ anſerum faciles ad concoquendum ſunt,ſed gallinarum ſunt faciliores:& ad ſummam,alæ bene educatorum,& iuniorum optimè concoquuntur,peſſimè verò macilentorum, & ſeniorum : quæ verò ſero lactis educata ſunt, & iecur anſerum,& cæterorum quæ ſimiliter aluntur, itémque teſticuli gallorum gallinaceorum, facillimè concoquuntur.Carnes porcorum facillimæ cōcoctu ſunt: vituli melius quàm adultorum boum caro concoquitur, itémque hœdi melius quàm capræ.Omnium creſcentium caro fa-
G cilius quàm declinantium : & eorum quæ ſiccis in locis, quàm eorum quæ in aliis degunt, concoquitur. Iuglans facilius quàm auellana concoquitur. bulbi facilius concoquuntur qui bis cocti ſint: itémque oua tremula & ſorbilia, lactucæque & intyba ac malua, & cucurbita elixa, quum in ventriculo non corrumpitur. Vinum dulce facilius quàm auſterum cōcoquitur. Porro ex iis quæ æquè ſalubria ſunt,id eſſe concoctu facilius ſciendum eſt quod ſit iucundius.

H Quæ difficulter concoquantur, Cap. XVIII.

CAprina,bubula, ceruináque caro ægrè concoquitur, peſſimè verò hircina, deinde arietina, poſtea taurina. Animalium verò annoſorum caro peſſimè conco-

quitur,& ſuũ annis cõfectorũ. Vẽtriculꝰ ægrè cõficitur,itémq; inteſtina,vterꝰ, cor,&adultorũ teſtes: ſãguis õnis, anſeres,præter alas. Palũborũ verò,ſturnorũ,merulorũ,ac paruarũ auiũ caro eſt durior:ac magis etiã turturis atque anatis: & his magis caro pauonũ otiduumq;. Vẽtres omnes volucrũ ægrè cõcoquũtur: quãobrẽ quidã ſtruthiocameli & mergi vẽtrẽ falſò cõmẽdũt,vt medicamẽtũ ad cõcoquẽdũ valẽs,quũ neq; ipſe facilè cõcoquatur,neq; aliorũ ciborũ cõcoquẽs ſit medicamẽtũ. Cochleæ difficulter cõcoquũtur,atq; etiã lac acidũ,& præſertim in iis quorum frigidus vẽtriculus eſt. Caſeꝰ itidẽ vetus eſt huiuſmodi:at recẽs,& præſertim ex acido lacte cõfectus, præſtãtior habetur. Purpurarũ autẽ caro & buccinarũ,& aliorũ teſta intectorũ,quorũ dura caro eſt,difficulter cõcoquitur. Aſtaci quoq;,paguri,cancri, locuſtæ, ſquillæ, & cæteri huius generis,polypodes,ſepiæ,loligenes , & omnes qui molli cute præditi nominãtur,bati,liobati,rhinæ,dracones,cuculi,galeonymi,ſcorpii,trachuri,mulli,orphi,glauci,zyzænæ,ſalpæ,congri,phagri,amiæ,aquilæ, oua toſta,elixa, fricta,triticũ elixũ,tragꝰ,farina craſſiuſcula, quæ difficiliꝰ cõcoquitur quàm polẽta,tipha,auena,panes ex eis cõfecti,fabæ,ochri,dolichi,phaſeli,cicercula,araci,cicer,oryza,lupini,panicũ,miliũ,& his cõſimilia,lẽs, tuſſilago, ſeſamũ,eryſimũ,caſtaneæ,glãdes,poma,pira,ficꝰ,& ſorba antequã maturuerint. Vuæ acidæ & auſteræ , palmulæ omnes,ſiliquæ,citriũ,cuius parte exteriore ſiquis pro medicamẽto vtatur,& ad cõcoctionẽ faciet, quẽadmodũ alia pleraq; acria cõſueuerunt. Ocymũ,rapa crudior,bulbi crudiores,paſtinaca,daucus,carus, & omnes olerum radices,& ipſa itidem olera omnia,præter lactucam& intybũ, ſunt eiuſmodi. Vinum quoque craſſum & nouum , tale eſt,atque etiam aqua admodum difficulter concoquitur.

Quæ res ſtomacho idoneæ ſint,ipſúmque roborent,
Cap. XIX.

STomacho autem aptæ ſunt palmulæ auſteræ,mala cydonia,oliuæ ſale cõditæ:præſtãtiores autem ſunt quæ ex aceto ſunt paratæ:vuæ paſſæ auſteræ,vua in vinaceis repoſita,nux regia , & magis quã auellana,& multo magis ſi cũ caricis comedatur. Spinoſa õnia ſtomacho apta ſunt mediocriter:huiꝰ generis ſunt carduꝰ,atractylis,leucacãtha,labrũ Veneris,cyix,tragacãtha,atrace,cui maior quã par eſt,honor eſt habitꝰ,cinara,ſiſeris radix elixa,gĩgidiũ æquè ac ſandix,quod quidẽ & crudũ & coctũ aſſumptum ſtomacho mirũ in modũ idoneũ eſt,lõgiorémq; coctionẽ nõ fert. Sinapi,raphanus,rapa,naſturtium,pyrethrũ,regius aſparagus,paluſtris,oxymyrtinus,chamædaphnes,oxyacãthæ & bryoniæ. Bulbi appetitũ excitãt, itémq; capparis ſale cõdita. extima citrii pars ſtomachũ roborat in medicamenti vicem ſumpta. Vinũ auſterũ,ventriculum, & præſertim calida intẽperie affectum iuuat. Inter medicamenta verò abſinthium & aloë eundem corroborant.

Quæ res alienæ ſtomacho ſint,
Cap. XX.

LÆdũt ſtomachũ baccæ iuniperi ,magis verò cedriæ, fructꝰ arbuti,amarãthꝰ,viticis ſemẽ:beta verò ita ſtomacho aliena eſt, vt ſi eſtur largiꝰ,morſum etiã inducat. itémq; lapatiũ,ocymũ, rapa crudior, blitũ,atriplex , niſi ex aceto,oleo,& garo comedatur:fœnũgræcũ ſtomachũ ſubuertit,& eodẽ etiã modo ſeſamũ. Lac in iis qui frigido vẽtriculo ſunt,aceſcit:in iis verò qui calido ſunt,in nidorẽ trãſit:ex quo fit vt febricitãtibꝰ iure noceat. Siquis verò lac cũ melle propinet,vomitũ excitabit. Pepo nõ probè cõcoctꝰ cholericos inducere morbos cõſueuit. etenim priuſquã corrũpatur, ad vomitũ prouocãdũ eſt idoneꝰ, ſiq; copioſiꝰ eo quiſpiã veſcatur,nec quicquã quod boni ſucci ſit pòſt comedat, omnino vomitũ ciebit. idẽ facit melopepo. Iã verò cerebrũ omne ſtomacho alienũ eſt, & nauſeã ciet,vt facit etiã oſſiũ medulla. Vinũ nigrũ & auſterum facilè aceſcit , & ad vomitum impellit : craſſum quoque & nouum. Inter medicamenta abrotonum , ſeriphum,& ſpuma nitri,ſtomacho non conueniunt.

Quæ res caput lædant, Cap. XXI.

CAput lædũt mora,fructus rubi,& arbuti,iuniperi baccæ,cedriæ,ſemẽ cãnabis,radix mei,palmulæ omnes, eruca,fœnũgræcũ,viticis ſemẽ. Vinũ fuluũ & auſterũ caput lædit,& mentem tentat magis quàm nigrum & auſterum:odoratum quoq; caput petit. At vinum aquoſum neq; capitis dolorẽ excitat,neq; neruos pertingit:at quod ὀλιγοφόρον dicitur,ſedat etiam capitis dolores , quos ſucci ventriculo contenti excitarunt. Lac non eſt aptum capiti, niſi quis caput admodum validum habeat. Aqua in qua vuæ maduerint,quæ fæx quoque nominatur,capiti dolorem infert:itémque vua quæ fuerit in vinaceis repoſita.

Quæ res non inflent,
Cap. XXII.

PIſa,phaſeoli,cuminũ,libyſtici radix & ſemẽ,viticis ſemẽ,cannabis fructꝰ,fabæ frictæ,bulbi multũ aut bis cocti, & ex oleo,garo,& aceto ſumpti,mel deſpumatũ, oxymel flatus diſcutit. Panes hordeacei quomodocunque cõficiãtur,flatꝰ ſunt expertes. Inter ea quæ inflant & non inflant medii ſunt phaſeli,ochri,cicerculæ,atque araci.

Quæ res inflent, Cap. XXIII.

CIcer,lupini,phaſeoli,ochri,panicũ,miliũ,& ſimilia, inflãt:itémq; faba freſa magis inflat quũ per ſe quã quũ aliter cocta eſtur. Maza ex polẽta flatũ gignit:ſubacta verò diúq; cõtuſa,magis per aluũ ducit, præcipuè verò ſi mellis portio ei fuerit addita. Zythus, & liquores omnes inflãt:præ cæteris verò cyrenaicus,ſatyriũ,ſilphii liquor & radix. Ex ficubꝰ breuis flatus excitatur,quia facilè deiiciũtur:quæ verò exquiſitè maturæ ſunt , parum abeſt quĩ nihil penitꝰ noceãt,veluti caricæ. Palmulæ virides ita flatũ excitãt vt ficꝰ, rapa crudior:lac in ventriculo facilè ciet flatũ,bulbi crudiores,mel nõ planè coctũ. Vina dulcia flatus diuturniores ciẽt: dulcia verò ſimul & auſtera, quæ neq; diſtribuũtur neq; digerũtur,ſed in vẽtre ſuperiore manẽt diutius,flatus inducunt:muſtũ quoq; inflat.

Quæ res abſtergeant,incîdant,aperiántque,
Cap. XXIIII.

PTiſana abſterget,itémq; fœnũgræcũ, melopepo , pepo,vuæ paſſæ dulces, fabæ, cicer, ac magis nigrum, quod lapides etiã in renibꝰ egregiè frangit. Capparis ſatis tenuiũ partiũ eſt: quæ verò ſale cõdîta eſt,abſterget,& pituitã quæ in vẽtriculo eſt,deducit,& lienis & iecoris obſtructiones expurgat:ad quẽ vſum adhibẽda eſt cũ oxymelite,aut aceto,& oleo ante alios cibos omnes. Betarũ ſuccꝰ abſtergẽdi vim habet,eáſq; obſtructiones quibꝰ iecur infeſtatur,diſſoluit,ac præſertim quũ ex aceto & ſinapi eſtur:lapatia quoq; & vrtica. Ari verò & aſphodeli radix tenuiũ partiũ eſt. Bulbi vim habẽt extergẽdi,attenuãdi, & aperiẽdi,quocirca & aſparagũ aſphodeli ictericis, vt ſummũ remediũ,præbẽt. Cæpæ,allia,porra, ampelopraſa attenuãt,ſecántq; craſſos & glutinoſos humores, qui redũdãt ĩ corpore: atqui bis aut ter cocta acrimoniã deponũt, & tamẽ etiã attenuãt. Serũ lactis humorũ craſſitudinẽ attenuat,ficus abſtergẽt : quãobrẽ multæ arenulæ ex ficuũ vſu in nephriticis excernũtur,caricæ extenuãt, & incidũt: ex quo omnes expurgãt. Baccæ iuniperi ea quæ in iecore & renibus ſunt,purgãt, craſſóſque ac tenaces humores attenuãt. Amygdalæ extergẽt & attenuãt,viſceráq; expurgãt, & humorũ reiectiones, quæ per ſputum ex pector& pulmone fiunt,expeditiores reddũt. Piſtacia ad iecoris firmitatẽ vtilia ſunt,& ad purgãdos humores qui in eiꝰ meatibꝰ infarcti ſunt,valẽt. radicula attenuãdi vim habet. mel habet maiorẽ attenuãdi vim,quod ex calidis & ſiccis plãtis factũ eſt:quocirca etiã aqua mulſa ad ſputũ educẽdũ eſt accõmodata. Oxymel ea facilè deducit quæ neq; tenacia , neque craſſa omnino ſunt : viſceráque ſine moleſtia expurgat:morbíſque thoracis & pulmonis mirificè conducit. Iis qui ſuccum craſſum aceruant , vina tenuia conueniunt:quòd ſi frigidi quoque humores illi fuerint, tenuia,& antiqua,& cum acrimonia conferent. Vinum verò aquoſum ad humorum ex pulmone eductionem aptũ eſt. roborat enim,& ſuccos humectat , & ſecat mediocriter. Vinum dulce in morbis acutis,veluti in peripneumonia,& pleuritide,quum iam ſit facta concoctio, ad ſputa elicienda eſt accommodatum.

Quæ res obſtruant, Cap. XXV.

LAc in quo plurimum ſeri ſit, minimè periculoſum eſt,etiamſi ſemper eo veſcare:quod verò ſeri parum,

caſeique multum habet,non tutum eſt ei qui in eius vſu longo tempore permaneat:renes enim calculo obnoxios lædit, & iecoris obſtructiones facit in iis qui in hoſce morbos facilè poſſint incidere. Palmulæ ſunt iecori & ſpleni inflammatis noxiæ,veluti etiam ficus, non aliqua propria & præcipua earum facultate,ſed cõmuni omniũ dulciũ ratione:oĩa enim dulcia lienẽ & iecur obſtructa, & ſcirrho laborãtia,lædũt:ipſæ verò ſuapte natura neq; obſũt,neq; proſunt vehemẽter:additæ verò iis medicamẽtis ĩ quibꝰ abſtergẽdi & incidẽdi vis eſt,nõ mediocrẽ vtilitatẽ afferũt. Aqua mulſa incõmoda eſt iis quorũ viſcera in tumorẽ elata aut ſcirrho,aut œdemate,aut inflãmatione laborãt:quãdoquidẽ mel ſuapte natura ĩ bilioſũ ſuccũ celeriter mutatur. Papaueris ſemen ea retinet quæ ex thorace prodeũt:palmulæ pĩgues & dulces obſtruũt,id quod virides magis faciunt. Præterea omnia liborum genera, & quæ ex ſimila conficiuntur,obturant,& lienem augent,& lapidẽ in renibus faciũt:idẽ efficit triticea farina ex lacte. alica etiam incommoda eſt iis quorum iecur obſtructũ eſt,& quibus renes ſunt lapidi gignundo idonei. Vinum dulce obturat,& viſcerum tumoribus incremẽtũ addit.

Quæ tardè tranſeant, Cap. XXVI.

TArdè trãſeũt omnia quæ ex itriis & ſimila cõficiũtur, fabæ frictæ,panes puri,lẽs detracto cortice,cerebrũ, ſpinalis medulla,iecur,cor,triticũ elixũ,oua elixa, & magis aſſata,& multo magis fricta,lupini,phaſeli,piſa, ſeſamum,eryſimum,glãdes,mala,pira non matura, ſiliquæ, vinum dulce,& magis quod auſterum eſt,& nigrum dulcedine vacans, itémque craſſum, & nouum omne. Aqua valde tardi tranſitus eſt.

Quæ facilè corrumpantur, Cap. XXVII.

PErſica, armeniaca, præcocia, facilè corrumpuntur. omnes itidem frũctus horæi, quorum natura humida eſt,in ventre facilè vitiantur, niſi prius citò deiiciantur: idcirco iis ante cætera omnia veſci oportet:ita enim celeriter ſecedunt,& alia quoque deducunt.Si verò poſt alias dapes comedantur,eas etiam ſimul corrumpunt.

Quæ difficulter corrumpantur, Cap. XXVIII.

CHamulæ paruæ,purpuræ,buccina,& cætera omnia teſta intecta:quæ durã carnẽ habẽt,iis qui propter humorum malitiam cibos corrumpunt,dare conſueuimus: eáque bis & ter in optima aqua incoquimus, & in aliam purã transferimus,quũ prima iã ſalſa facta eſſe videatur. Eiuſmodi quoq; ſunt aſtaci,paguri,cãcri,locuſtæ, ſquillæ,& quæcunque carnem habent quæ difficulter vitietur, non ſecus quàm teſta contecta,quorum caro eſt dura.

Quæ res aluum ſubducant, Cap. XXIX.

ALuũ ſubducũt lẽs,braſſica. Ex marinis verò fere omnia quæ teſtacea nominãtur, cõpoſitã ex cõtrariis qualitatibꝰ habẽt naturã.ipſum enĩ ſolidũ cuiuſq; corpus tardè permeat,& aluũ cohibet:humor verò ad excernẽdũ proritat.Siquis igitur aut lẽtẽ,aut braſſicã,aut aliud quippia ex marinis animalibꝰ(vt dixi)coquat,deinde eiꝰ decoctũ oleo,garo,& pipere cõdiat,tũ potui det cui velit, vẽtrẽ eo potu ſubduci cõſpiciet. Quinetiã marinorũ erinaceorũ,& cõchularũ omniũ,& veterũ gallorũ iuſcula ciẽt aluũ.Braſſicã,ſi velis aluũ ſubducere,cacabo vnà cũ aqua in qua fuerit cocta,prope collocata extrahimꝰ, & ſtatĩ in oleũ & garũ iniicimus.ea enim nõ eſt admodũ coquẽda. Panes furfuracei aluũ mouẽt,& quia in vẽtre multũ excremẽti faciũt,& quia furfur extergẽdi vim habet.fœnigræci ſuccꝰ cũ melle coctꝰ,& ſumptus,ad omnes vitiatos humores qui in inteſtinis ſunt,ſubducẽdos eſt idoneꝰ:ea quoq; abſtergẽdi vi quæ in eo eſt,inteſtinũ ad excretionẽ impellit:mel verò quod ei miſcetur,parũ eſſe oportet, ne morſum excitet. Oliuæ ſalitæ ſi ante alios cibos ex garo comedãtur,aluũ mouẽt.Quẽadmodũ teſta intectis, ita etiã cõchulis ſuccus ineſt vẽtri ſubducẽdo idoneus:& propterea nõnulli eas ex oleo,vino,garóq; parãt,& iure quod inde fit,ad ciẽdã aluũ vtũtur.Lac quod liquidius eſt magis ſubducit:quod craſſius eſt,minus.Serũ lactis valde aluũ mollit,eiq; tãtũ optimi mellis adiiciẽdũ eſt quãtũ ſatis ſit ad cõdiẽdũ citra ſtomachi ſubuerſionẽ:eodémque modo tãtũ ſalis imponẽdũ quãtũ ſufficiat,ne guſtus offẽdatur:quòd ſi velis magis ſubducere,plurimũ ſalis indito.Carnes animaliũ quibꝰ parũ admodũ ætatis acceſſit,ac

A ſimiliter etiã eorũ extremitates,per aluũ facilius trãſeũt. Ex piſcibus cartilagineis torpedo & turdus mediocriter trãſeũt:beta,& lapathũ,vrtica,caſeus recẽs cũ melle, atriplex,blitũ,cucurbita,pepones,melopepones,ficꝰ,caricæ, vuæ dulces,& præſertim quũ humidæ fuerint.Mora in purũ vẽtriculũ incidẽtia,& præ cæteris cibis ſũpta, celerrimè ſubducũtur,& cæteris quoq; cibis viã parãt:at poſt alios cibos accepta,etiãſi vitioſum ſuccũ in vẽtriculo cõperiãt,tamẽ æquè ac cucurbita,celerrimè corrũpũtur.Nuces recẽtes ad alui excretionẽ faciũt:ſed & ſiccæ ſi priꝰ in
B aqua permaduerint,æquè ac virides ad aluũ ſubducẽdam valẽt.Pruna humida ſubducũt:ſicca verò in aquã mulſa in qua multũ mellis ſit,infuſa, etiãſi quis ea ſola comedat,ſatis abũdè vẽtrẽ leniũt: ſed multo magis ſi mulſam etiã ebibat.Eſt enim clarũ facere ad vẽtris ſubductionẽ, vt poſtquã ea ſumpſeris,aliquo pòſt tẽpore vinũ dulce bibas,neq; ſtatim prodeas.Mora,ceraſia,præcocia,perſica,& omnia humida,& aquea,& omnino quæ nullã inſignem habere qualitatẽ ea guſtãtibus & odorãtibus videntur,ſi rectè affectus ſit vẽter ad infernã deiectionẽ, facilè deii-
C ciũtur:ſi verò nõ,& ipſa ſupra cætera manẽt, & nihil ventrẽ ad expellẽdũ iuuãt,quia nulla in eis acrimonia aut nitroſa qualitas eſt.Hæcq; eduliorũ materia eſt quodãmodo media inter ea quæ aluũ ſubducũt,& ea quæ ſiſtũt:parumper ad alteram partem vergens,quum neque ventrẽ admodum languidum ad excretionẽ,neque validum ad diſtributionem ſortiatur. quandoque enim ſiſtit aluũ: ex quo fit vt aqua mulſa,in quibus celeriter diſtribuitur, in iis nõ ſolùm aluũ ad excernẽdũ excitet,ſed cæteros etiã cibos cõmiſtos deducat:ſi verò nõ properet diſtribui,ſta-
D tim irritet ad excretionẽ,quia habet aliquid acrimoniæ. Quin ipſum quoq; mel ſolũ ſiquis nõ coctũ lambat, aluum rectè ſubducit.Aqua autem mulſa parumper vel nihil cocta,antequam diſtributio fiat,ſubducetur: oxymel imbecillius inteſtinum radit.Vinum dulce nonnihil adiuuat ventris excretionem:paſſum aluum ſubducit.

Quæ res aluum ſupprimant, Cap. XXX.

PAlmulæ auſteræ,vuæ paſſæ auſteræ,mora,rubi fructꝰ aluũ ſupprimũt:magis etiã ſiſtit rubi canini fructus, myrta ſylueſtria,agreſtia pruna,quæ etiã pruna dicuntur.
E Mala adſtringẽtia vẽtrẽ detinẽt:acida verò quũ in vẽtriculo ſuccũ craſſum inueniũt,eũdẽ incidẽdo,aluũ ſubducũt, & ob eã cauſam fæces liquefaciũt:at ſi purũ vẽtriculũ inueniant, eum magis cohibent. Quæ dulcem ſuccum habent ſine acrimonia,ea facilius diſtribuuntur:cum acrimonia verò adiũcta, ſecedũt:aquea verò & qualitatis expertia,iniucunda ſunt,& nihil cõmodi habẽt in ſe.Quod de malis dictũ eſt,idẽ quoq; de malis Punicis, déq; piris dictũ eſto.Siquis lac excoquat,ſerũmq; cõſumatur, aluũ nõ ciebit:nã ſi lapides ignitos toties in lac immittas vt ſe-
F rũ cõſumptũ ſit,lac ita paratũ adſtringet:idq; iis quorũ acria excremẽta vẽtrẽ morſu infeſtãt,dare cõſueuimꝰ.Sed nõ minus etiã quã ex lapillis ignitis, imò verò magis idẽ facies ferreis orbiculis igne cãdẽtibus: verũ lac quod ita cõfeceris,in caſeũ facilè coit in vẽtre,idcirco ei mel & ſalẽ admiſcemus:ſed tutius eſt aquã ei affundere. Neq; mirũ videri debet ſi cõſumpto ſero lactis aquã adhuc infundimus:quia nõ ſeri humiditatẽ,ſed acrimoniã qua vẽtrẽ ſubducit,fugere volumus. Aſtaci,cancri,paguri,locuſtæ, ſquillæ,& cætera omnia quæ molli teſta intecta ſunt,aluũ
G ſupprimũt,ſed minus quàm ea quæ dura teſta ſunt opertà:habéntq; hæc ſalſum in ſe humorem, quem ſi in aqua depoſuerint,nõ minus quàm oſtreorũ & aliorũ dura teſta contectorum carnes,ventrem compriment.Lẽticula quoque & braſſica bis coctæ, & quum ſuccum depoſuerunt, vẽtrẽ ſiſtũt.quúmq; humidũ vẽtrẽ exiccare in animo habemꝰ,braſſicã mediocriter coctã prima aqua abiecta,ſtatim in aliã calidã cõiicimus,atq; in illa iterũ eã coquimꝰ donec flacceſcat:idq; quod bis coquẽdũ eſt,neq; aẽrẽ,neq; aquã frigidã debet cõtingere:ſiquidẽ nõ poterit exqui-
H ſitè flaccidũ reddi,etiãſi plurimũ decoquas. Si corticẽ à lẽticula auferas,vehemẽtẽ adſtringẽdi vim amittet, neq; ita fluxiones quæ in ventriculo fuerint,exiccabit:ſi verò eã cõtundas,bíſque excoquas,priorémque aquã abiicias, deinde modicũ ſalis aut gari permiſceas, & aliquid eorũ quibus aluꝰ cõſtringitur, addas, ita vt guſtus nõ lædatur,

iucundiſſimū accōmodatiſſimúmque medicamentū & edulium parabis. Polēta ex vino auſtero epota,exiccat:oryza cohibet aluum,itémque panicum,milium,fricta,leporis caro,vinum auſterum & fuluum atque auſterum.

Quæ res calefaciāt,acréſq; & calidæ ſint, Cap. XXXI.

CAlefaciunt autē hæc,triticū coctū,panes ex eo cōfecti,tipha,auena,fœnūgræcū,iuniperi baccæ, palmulæ dulces,poma dulcia,ſeſamū,eryſimū,& ob id ſitim inducunt:cānabis ſemē,vuæ dulces, & ideo ſitim afferunt: vuæ paſſæ dulces,malua mediocriter,apiū,ſmyrniū,eruca,raphan⁹,rapa,radicula,ſinapi,cardamū & pyrethrum. B Acria verò & calida ſunt hæc, paſtinaca, daucus,& carus manifeſtò calefaciēs:alliū,cæpa,porrū,ampelopraſum ſatis acria ſunt,ſed tamē bis térve cocta deponunt acrimoniā.Caſeus vetus calidus eſt,& idcirco ſitim affert. Vinū dulce mediocriter calidū eſt,& ideo ſitim inducit:fuluū eſt nigro calidius : flauū verò eſt extremè calidiſſimum, deinde fuluum,tum rubrum,poſtea dulce ; poſtremò album minus quàm cætera omnia calefacit : at vetuſtiſſimum vinum abundè calefacit.

Quæ refrigerant, Cap. XXXII.

C REfrigerat hordeū,quibuſcūq; modis cōficiatur,miliū,panicū,tubera,cucurbita elixa,melopepones,cucumeres,pruna,auſteræ & acidæ vuæ,& paſſæ auſteræ.Mala adſtrīgētia frigidi & terreſtris ſucci ſunt, acida verò frigidū & tenuiū partiū ſuccū habēt:atq; ea etiā quæ planè qualitatū ſunt expertia,& veluti aquea.Idē de piris & malis Punicis iudicato.Non pauci quoq; ſunt aliarū arborū fructus,qui refrigerēt,& præſertim ii qui reponi & aſſeruari nō poſſunt:itémq; palmulæ adſtringētes frigidi ſucci ſunt,lactuca,intubus, ſed moderatius:portulaca, D papaueris ſemē,cuius ſi pl⁹ ſumatur,ſoporiferū fiet, & nimiā propenſionē in ſomnū afferet:eos verò quibus tenuis deſtillatio fluit à capite,iuuat:in qua re præſtat id quod cādidius eſt.myrta refrigerāt,ſed nō cū adſtrictione,quādo quidē acrimoniā quādā habēt.ſolanum efficax eſt in refrigerādo & adſtringēdo.Aqua,vinū aquoſum nō apertè

A calefacit:quāobrē cū minore periculo febricitātibus datur. Vinū albū,& auſterū,& craſſum,& nouum manifeſtò refrigerat,& acetum:éſtq; tenuium partiū,& idcirco quū intimas partes magis quàm alia refrigerātia penetret,neruos lædit. Media verò quodammodo inter calefacientia & refrigerantia ſunt,panes loti,amylum,& vuæ vinoſæ.

Quæ res exiccent, Cap. XXXIII.

LEns & braſſica pariter ſiccāt,& ob eā cauſam aſpectū obtundūt,niſi fortè cōtingat vt totus ocul⁹ ſit humidior:eius verò aſparagus min⁹ quàm braſſica ſiccat. B Aliorū verò olerū caulis eſt ſiccior:cōtrà verò eſt radiculæ,rapæ,ſinapis,naſturtiíq; ac pyrethri, & cæterorū omnium quorū acrē eſſe aſparagū cōtingit.polēta ſiccat,viticis ſemē,eruū bis coctū,& ſæpe in aqua dulce redditū, eduliū exiccās ſit:præſtātius autē eſt albū.Quæcūque autē aſſata aut fricta comedūtur, ſiccius alimētu præbēt:at quæcūq; in aqua prius elixātur,humidi⁹:quæcūque verò in ſartagine cōdiūtur,mediū inter hæc locū tenēt.quodcūque autē plus vini & gari habet,ſiccius eſt quàm id quod nō habet:quæ verò minus horū,aut defruti plus habent, aut in C ſimplici & puro albo iure coquūtur,multo ſunt prædictis humidiora:quæ verò ex aqua ſola coquuntur,ſunt etiam his humidiora.magna enim differentia ex conditura accedit ſeminibus , oleribus & plantis , omnibus quidem exiccantibus, ſed aliis magis , aliis minus , pro facultate earum rerum quæ eis adiiciuntur.

Quæ res humectant, Cap. XXXIIII.

PTiſana, cucurbita elixa,pepones,melopepones, cucumeres,nux viridis,pruna,ſycomora,mora nō corrupta,omnino humectāt:nō refrigerāt autē omnino niſi D frigida ſumātur.Humectat quoque lactuca,intubúſque,ſed min⁹:portulaca,ac malua, & blitū,atq; atriplex maximè omniū olerū aquea ſunt:quinetiā alii plerique fruct⁹ aliarū arborū humidi ſunt,ac præſertī ii qui vt ſeruētur,reponi non poſſunt.Iā verò lactucæ & papaueris ſemē humectat,itémque fabæ virides,cicérq; viride. Aqua porro humectat & refrigerat:calfacta verò humectat & calefacit.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM liber quartus.

Ex Galeno,de apparatu alimentorum, Cap. I.

E EX nobiliſſima olyra, detracto (vt par eſt) cortice, tragū quē nominād, cōficiūt : nā & ex hac ipſa atque ex typha, nō ſec⁹ quā ex hordeo, quū detractus cortex eſt, ſiquidē extrinſecus corticē habēt , panis cōficitur. Tritico verò molito ſiquis tenuiſſimā farinā excuſſerit,ex reliqua panes qui furfuracei dicūtur,efficiet:ſiligine⁹ verò & ſimilace⁹ panis ex puriſſimo fit.Ac puri quidē panes copioſiore fermēto īdigēt,& ſubigēdi quoq; diuti⁹ ſunt,nec ſtatī poſt fermētū & ſubactionē aſſādi. F furfuraceis ſatis eſt paucū fermētū, leuis ſubactio,& tēpus exiguū. Pari quoq; modo puri aſſationē diuturniorē,furfuracei verò breuiorē exigunt.Inter puriſſimos verò & ſordidiſſimos,nō parua maioris minoríſq; ratione latitudo intercedit.eſt autē inter hos exquiſitè media ſpecies panū qui αὐτόπυροι & συγκομιστοί appellātur,qui ex farina indiſtincta,& furfure ac farina nō ſeiunctis fiūt.

De polenta.

Ex nouo hordeo mediocriter fricto præſtātiſſima polēta fit:ſi hoc deſit,plerūq; ex alio eā cōficim⁹. Quúmque G polēta omnis quæ rite facta ſit,boni odoris ſit,tū verò optimi odoris erit ea quæ ex optimo atque nouo hordeo, quódque ariſtā nō admodū ſiccā habeat, confecta ſit.Eſt hoc in more poſitū multorū qui ſani ſunt, vt polētā ſapa aut vino dulci,aut mulſo,& quādoq; ſola aqua cōſpergāt, & æſtiuo tēpore duab⁹ tribúſve ante balneū horis eā bibāt:aiúntq; ſentire ſe hui⁹ potione ſiti liberari.Iā verò ex polētis aqua tēperatis mazæ quoq; cōficiūtur.

De alica.

Alica ex genere tritici eſt:adhibere verò diligēter mētē debem⁹ iis ſorbitionib⁹ quæ ex ipſamet alica parātur.Eſt enī hic eius ſucc⁹ aqua cōmixt⁹,plurimámq; coctionē H expoſtulat:q veluti ſatis coct⁹,decipit eos q ipſum parāt,& nō mediocriter ægrotos lædit:nā citò concreſcit & dēſatur,quia lētus ad modū glutinis eſt. Ergo permulta aqua E admixt⁹,ſuper carbones plurimū coquēdus eſt,atq; mouēdus anetho donec coct⁹ fuerit:atq; eo tēpore ſal quoque adiiciēd⁹ eſt:oleū verò,etiāſi ī initio indas nihil incōmodi erit.Sanis verò quum interdum propter vehementem vētriculi morſum,aut bilioſi humoris trāſitū ſorbitionis indigent,alicā plurimū coctā vſquedum extabuerit,tum percolatā, vt ptiſanæ ſucco percolato ſimilis ſit, tūc ſorbendam damus.eadē quoque eſt alicæ lotæ parādæ ratio.

De ptiſana.

Parabitur autē ptiſana ſicut decet, quū coquēdo in tumorē plurimū elata fuerit:deīde lēto igni longo tēporis F ſpatio in ſuccū abeat:quo quidē tēpore quū planè intumuerit,acetū ei inditur:quúmque probè fuerit cocta,paulo antè quā edatur,ſal tenuis iniiciēdus eſt.Si verò oleu ab initio impoſueris,coctioni nihil incommodaueris:aliud verò nihil admiſcēdū eſt,niſi porri modicū & anethi,idque in ipſo ſtatim principio. Oportet autē crudā ptiſanā in aqua aliquādiu præmaceratā,deinde in mortariū cōiectā cōfricare manib⁹,aſperā quāpiā rē in ſe habētib⁹,cuiuſmodi eſt ſpart⁹ ex quo iumētis ſoleas nectūt. Vſque eò verò cōfricāda dū præpoſit⁹ cortex abiect⁹ ſit:ſi verò totū G ac⁹ nō deciderit, ptiſana elixa magis abſterget,& nullā præterea noxam cōtrahet. Peſſima verò ptiſanæ cōfectio eſt quū coqui crudā in mortario ex aqua cōtuſam parumper coxerint, & defrutum ac ſapam iniiciunt.nonnulli verò mel & cuminū cū iis etiam imponunt,vt cinnum potius quā ptiſſanā parare videantur.

De phacoptiſana.

Ex lētibus & ptiſana præſtātiſſimū eduliū fit, cui phacoptiſanæ eſt nomē:nō tamē pari menſura lētes & ptiſana cōmiſcētur,ſed ptiſanæ min⁹ iniicitur, quippe quæ in ſuccū vertatur,& in maiorē molē extollatur:lētes verò H coctæ perexiguū tumorē nāciſcātur:& tamē hui⁹ quoque edulii cōfectio eadē eſt quæ ptiſanæ, præterquàm quòd ſatureia aut pulegio indito ſuauius ſimul,& ad concoquēdum accōmodati⁹ redditur, quum ptiſana anetho & ſolo

porro contenta; illa minimè exigat. Peſſimè autem à co-
quis lens ex ſapa diuitibus apparatur. Si verò ſuillam inco
quere ſimul velis ptiſanæ recentem, ac præſertim pedes,
lentibus verò ſale iandiu conditam, cõuenire comperies,
quemadmodum ea quæ inter has media eſt, quæ nuper
ſale condita ſit, phaco ptiſanæ conuenit.

De teut lophaca.

Præſtans edulium eſt quod ex beta & lentibus con-
fectum, teutlophace nominatur. multæ autem betæ impo
nendæ ſunt, & paulò plus ſalis ac gari dulcis: ſiquidem ita
facilius ſubducetur.

De cucurbita.

Cucurbita verò propter aqueam qualitatem ſibi in-
natam origano meritò gaudet: omnia enim quæ eiuſ-
modi ſunt, acribus, aut acidis, aut auſteris, aut ſalſis
ſuccis admiſcenda ſunt, ſi neque inſuauia ſunt futura, ne-
que iis qui ea ſumpſerint, nauſeam allatura. Ex cucurbi-
ta quoque iucundiſſimũ eduliũ fit ſi ea cum aliquo ſalſa-
mẽto ex Põticis, quæ mylla dicũtur, in ſartagine paretur.

De rapis.

Rapæ quas *βουνιάδας* etiã vocant, diuturniorẽ coctionẽ
poſtulãt: ſuntq; laudatiſſimæ quæ bis aut tercoctæ fuerĩt.

De radice ari.

Ari autem radix æquè ac rapæ eſtur: ea in quibuſdam
regionibus acrior naſcitur. Ad Cyrenem hæc planta ori-
tur à noſtrate diuerſa: ſiquidem in illis locis arum mini-
mè medicamẽtoſum acréq; eſt, vt rapis quoq; ſit vtilius:
ſed & dracontii radicẽ bis térve coctã, mãdendã damus.

De aſphodeli radice.

Aſphodeli radix vt lupini apparatur: nam quum e-
iuſmodi bis elixauerimus, quum mediocriter cocta vi-
deantur, aqua priori abiecta ſtatim in aliam calidam con-
iicimus, & deinde in ea iterum coquimus donec colli-
quentur. In quo illud eſt cauendum ne quod bis coquen-
dum eſt, aut aërem aut aquam frigidam attingat: quia li-
cet plurimùm coqueres, nunquã tamẽ tenerũ redderetur.

De cochlearum coctione.

Cochleas ſecundo loco elixare oportet: deinde paratas
tertiò elixare, donec intabeſcant: ita enim alent. Verùm
ad aluum deiiciendã in ipſo ſtatim initio parãdæ ſunt ex
oleo, garo, & pauco vino: & iuſculo quod inde fit vtẽdũ.

Quæ corpora animalium, & quorum apta ſunt
vt ſale condiantur.

Corpora ad ſaliendum apta ſunt quæ & dura ſunt, &
carnes excrementis affluentes habent: quæ verò aut val-
de mollem, aut valde ſiccum, & excrementis vacantem
corporis habitum nacta ſunt, non ſunt ad ſaliendum ac-
commodata: etenim ſicca corpora ſale conſperſa exare-
ſcunt, & inepta cibo redduntur, vt in lepore conſpicitur.
Suum verò ætate florentium & pinguium carnes aptæ ad
ſaliendum ſunt, quum vtriuſque incommodi, & ſiccita-
tis annoſorum, & immoderatæ nouellorum porcellorũ
humiditatis ſint expertes. Vt enim corpora ſicca ſale con
dita coris ſimilia redduntur, ſic contrà fit in iis quæ hu-
more nimio diffluunt, vt ſalis commercio colliquentur:
quamobrem nec piſces mollis carnis & excrementorum
expertes, quales ſunt qui ſaxatiles appellantur, nec aſelli,
qui ex puro mari capiuntur, ſaliendo ſunt. Graculi verò,
& mulli, & pelamides, & ſardæ, & ſardenæ, & quæ ſaxa-
tina dicuntur, ſunt ad ſaliendum idonea. Cetacea quoque
marina ſale condita, quoniam ipſa quoque carnem ex-
crementis redundantem habent, præſtantiora fiunt. mul
li verò quòd eorum ſicca & vacans excrementis caro eſt,
incommoda ſunt vt ſaliantur. Ex his autem perſpi-
cuum eſt, quæcunque ſale condita, dura, neruea, & fe-
re coria redduntur, eſſe concoctu difficillima: quæ con-
trà affecta ſunt, & ipſa tenuium fieri partium, & craſſos
ac glutinoſos humores attenuare. Laudatiſſima verò o-
mnium quæ mihi vſu cognoſcere licuerit, ſunt Gadita-
na ſalſamenta, quæ nunc Sardæ appellantur, deinde
mulli qui ex Ponto aduehuntur, poſt hos ſecundum lo-
cũ tenent graculi, pelamides, & quæ ſaxatina nominãtur.

De cerebro coquendo.

Cerebrum omne cum incidentibus & calefacientibus
apparatum, fit ex omni parte præſtantius.

A Quomodo ius album conficiatur.

Album ius atque ſimplex, ex ſola aqua, & oleo, pauco
anethi & porri, & ſale modico iniecto poſt idoneam co-
ctionem, conficitur.

De decoctionibus.

Decoctum plurimorum, aut etiam omnium, quãto diu
tius coquas, eo magis ſalſum fit, poſtea verò etiam ama-
rum. Corpus verò ſolidum quòd in aqua elixatur, qualita
tes quæ eidem primùm inerant, in ea deponit, vt tandem
qualitatis expers & aquoſum reddatur, nec quicquam ſal-
ſedinis, aut amaroris, aut adſtrictionis habeat. Atque a-
B mara quidem ſi bis aut ter elixare volueris, ea amarorem
in aqua planè deponent, eruntque ſimilia iis quæ exper-
tia qualitatum dicuntur: eodémque modo acria elixata
deponunt acrimoniam: eadem quoque adſtringentium
eſt ratio. Iam verò aqua per ſe ipſa cocta diutius, magis
ſeipſa ſalſa redditur.

Ex Rufo de parandis eduliis. Eſt autem hoc caput in pri-
mi libri extremo, de victus ratione, Cap. II.

QVæ aſſa præbemus, ea vim habent exiccandi: quæ ve
rò elixa ſunt, ea humectant, licet ſuapte natura diuer
C ſam vim haberent: éſtque inter hæc differentia ex condi-
mentis quæ admiſcentur, vt ex coriandro, & anetho, &
cumino, & porris, & cæteris quæ vt condimenta carni-
bus imponuntur. Minimè autem adiiciendæ ſunt notæ
condimentis: nam quæ ita ſunt parata, etiamſi ventri non
ſunt nota, tamen ſi in principio indantur, præſtantiſſima
ſunt: poſtea verò admixta, fiunt deteriora, quum non ſit
æqualis elixatio. Atque eò quidem tempore valentiori-
bus conueniunt. Ac ſal copioſus ad pinguedinis colli-
quationem accommodatus eſt: & quod pingue eſt, ſa-
D lem recipit, & plurimo igni coquendum: at gracilia &
ſanguine vacantia, ſi aſſare volueris, magis lento igni ad-
mouebis. Ex carnibus autem caprarum aut pecudum,
quas ſub æſtiuo ſolſtitio elixabis, (ſiquidem eo tempo-
re grauioris odoris ſunt) itémque arietis, & magis e-
tiam hirci, (aſſata enim grauius olent) in elixando o-
perculum auferendum eſt, & ex plurima aqua elixare, &
condimentis alterare oportet. Oſſa quoque carnium
mali odoris præcidenda, & confringenda ſunt omnia,
medullæ enim in primis putreſcunt: quæ quum putres
E non ſunt, & pinguiſſimæ ſunt & ſuauiſſimæ. Cogno-
ſcere verò debemus quæ ſtatim & quæ poſt elixanda
ſint. Carnes ergo omnium agreſtium poſt: cicurum
verò, ſuis, ouis, & capræ, ſtatim coquendæ: bubulæ
autem interiecto ſpatio: aues quoque magnæ, & palu-
ſtres, itémque gallinæ, palumbi, perdices, pauones atque
attagenes: ſed turtur, columba, turdúſque ſtatim. Piſces
verò omnes quamprimùm etiam feſtinando coquere de
bemus, quia non commodè adſeruari reponíque poſſunt:
quæ autem adſeruanda ſunt, ſed elixanda, ea fragiliora
F fiunt aceto. Gallinas verò aſſeruare poſſumus infuſo ace-
to, quandoquidem ita perdurant. Si verò agreſtes, quum
primùm eas venatus fueris, elixes, non eris magnopere
reprehendendus. Calazas quæ in carnibus fieri ſolent ma-
ximè, ne laudabis: quæ verò ſuibus obueniunt, exiguas
carnem facere ſuauiorem exiſtimato, maiores verò humi
diorem atque iniucundiorem: dandáque opera eſt vt ho-
rum vſus circuncidatur: ſi verò oporteat, parum ceræ a-
diicito, & aſſando veru cera inungito. Ac viuis quidem
adhuc animalibus, vtrum calazas habeant cognoſces
G ex lingua, quæ tibi ſigna dabit, itémque ex pedibus
poſterioribus, ſiquidem conſiſtere non poſſunt. Iam ve-
rò qui celerius elixare aliquid volunt, alii nitrum, alii
ſilphii ſuccum, alii ceram, alii ramum ficulnum, &
magis etiam caprificum indunt, quum caprificus etiam
rebus aſſandis acceleret aſſationem. Intrita verò, vt myt-
totum, (quod ex allio & aliis quibuſdam rebus fit) &
mentha, & apium, itémque omnia quæ ex caſeo & ace-
to parantur, omnia ad coctionem maximè faciunt: myt-
totum verò aliis ſecedit. Senibus appoſitæ ſunt carnes
H quæ ante coctionem extractæ fuerint, & parumper in a-
qua ſalem, thymum, aut tragoriganũ habente maduerint.
Piſces non ſinẽdi ſunt inueteraſcere, niſi nimis duri ſint,
neq; quatiẽdi niſi molles: ſed omnes æquè ac carnes præ
madeſcere in aqua ſalé & thymũ habẽte debẽt. Atque ita

quidem carnes quadrupedum rite elixatas coquas, vt celerrimè conficiantur : cæteræ verò neque prius elixandæ ſunt,nequæ aſſandæ, ſed ſoli igni admouendæ . ita enim maximè piſces moriuntur,quodque glutinoſum eſt exugitur.quos verò aſſare non poſſumus,hos tenuiſſimè elixare couuenit.Idem de auibus & carnibus,quum quiſpiã elixis delectatur,eſt faciendum. Siquis oſtrea ſinat prius feruere, deinde aſſet, exiguum ſinapi ac piper addendo ſumat.Ac nunc non opus eſt ea minuere, aut teſtes gallorum gallinaceorum veſcos etiam ægrotantibus commendare.Cydonia mala non admodum corrumpuntur,eáque ex melle ſumenda ſunt : eadem ex vino quoque detracto cortice coquuntur, aut abiecto ſemine mel inditur : toti denique cydonio cruſta ex farina aqua ſubacta circumlinitur,& mel imponitur, & coquitur vſquedũ cruſta aduſta ſit : quo ſanè tempore & totum cydonium eſt coctum,& mel totum eſt exhauſtum.

Ex Diocle,de alimentorum præparatione,

Cap. III.

QVoniam pleraque edulia alicuius apparatus indigent,fiũtque meliora,vt alia eis quidpiam addendo, alia ab eiſdem auferendo, alia omnino aliter diſponendo, fortaſſe non erit incommodum hac de re pauca dicere.Etenim eorum purgatio,quum adhuc cruda ſunt, non mediocre ad bonam valetudinem & ad iucunditatem momentum affert:nec vlla in parte huic rei minore ſtudio incumbendum eſt, vt quæ inutilia ſunt, abiiciantur,quæ fœda atque incommoda ſunt,perpurgentur. Purgantur autẽ omnia vel elixando,vel macerando,vel perſæpe lauando. Elixanda porro in aqua ſunt ea in quibus amarities vel adſtrictio ineſt quædam : quæ mordent, quæque acrimoniam habent,aceto temperanda:macerãda verò ſunt ea quæ ſalſa ſunt:lauanda denique ea in quibus aliquas immunditias conſpicimus.In elixis atque aſſis ignis ipſe & condimenta, ad fœdum odorem,ad inſipiditatem, & ad ſucci malitiam auferendam maximè cõueniunt:ad hæc verò omnibus inſpargenda eſt ruta, cuminum, coriandrum, & cætera viridia condimenta. ac nullum quidem contritum, ſed cui conueniat, eorum contuſorum ſuccus imponetur:itémque origanum, ſatureiam,thymum,ſalem, acetum, & oleum,in quibus omnibus ſuæ virtutes inſunt,adiiciemus. Caſeus eſt prædictis deterior : minimè verò infenſus caprin' ex coagulo cõcretus,nõ vetuſtus,odoratus,exiguus, & potius toſtus. Silphium verò, ſicubi eo opus fuerit, candidiſſimum odoratiſſimum,& minimũ capietur:odoribus enim condimentorum ſuauitates atque virtutes continentur.Quæ verò craſſa ſunt,& ex copioſiore caſeo, ſeſamo, ſilphio, & copia contritorum fiunt, nihilo maiorem voluptatem afferunt,ſed ſæpenumero moleſtia conficiunt : at obſonia quæ exigua aut nulla correctione indigent, ea (vt vno verbo dicam) aqua ſunt elixanda:quæ verò viroſa,& humida, & inſipida ſunt, cum aceto : atque ea quidem quæ humida, quæque fatua ſunt, aceto : quæ deterioris ſucci ſunt,magíſque auſtera,aceto dulci.Maximi autem refert vt res omnes conuenienter & ſuccis & odoribus citra contritionem componamus & temperemus : quod præcipuè conſequetur is qui diligenter animaduertat vt neque odore neque ſucco aliquo res commixta ſatietur,ſed vnus omnium odor,vnúſque ſuccus appareat, qui ſingulis rebus confectis conueniat.Super carbonibus æqualiter coquuntur omnia. Quum elixa edulia ſunt,è vaſis extrahi debẽt feruẽtibus adhuc humoribus,nec ſunt in frigidãtibus immittenda. Quæ cum humoribus non comeduntur,ea lento & æquabili igni aſſanda ſunt omnia : & quæ vitioſos ſuccos habent,magis ſiccanda:quæ bonos, ſucci reddenda pleniora.

Ex Mneſitheo Cyzicino de braſſica,

Cap. IIII.

BRaſſica quamacutiſſimo ferro concidenda eſt,deinde abluenda,& aqua abiicienda, & coriandri atque rutæ quantum ſatis ſit,vnà contundendum:tum oxymelite totum aſpergendum,& perexigua ſilphii portiuncula ſuperabradenda. Huius ſi tantum quantum acetabuli menſura continet, ſumere velis, nihil tibi vitioſi in corpore concreſcet:imò verò ſiquid prius inhæſerat, extrudit:ſedat præterea caligines oculorum, itémque ſuffocationes, ſiquid etiam incommodi vel circa ſeptum tranſuerſum, vel hypochondria accidit,ſubuenit,emendátq; ea quæ lieni obiunt:ſique lien permagnus ſit,eundem extenuat. ad melancholicos verò mirè facit cruda ſumpta, ſiquidẽ venas expurgat. Ad morbos verò articulorum nihil æquè efficax eſt ac braſſica ita cõpoſita,& ieiuno & mane data.Ad tormina inteſtinorum ita paranda eſt,vt braſſicam diligenter plurima aqua maceremus,deinde in calidam aquam coniectam elixemus donec intabuerit,tum aqua tota abiecta oleum indere,poſtea ſinemus vt ſimul ferueant:tum in vas coniecta interemus, & cum aliquo cibo,aut ſolam braſſicam,eámque frigidam,mãdendam dabimus,ídque non ſemel,ſed ſingulis diebus manè longo dierum ſpacio faciendum eſt:ſed non multum eius propinandum,ne obſiſtat.

Ex Dieuche de conficiendis panibus,

Cap. V.

PAnem conficere oportet ex farina tritici maximè inconglutinati,& leuiter fermentati dulci fermento,vt ex maſſa firmiſſima : éſtque multo tempore ſubigendus. Præterea verò aſſatio in furno mihi tutior quàm quæ in clibano fit,apparet:& multo etiam tutior ea quæ fit cruſtis circundantibus:ſiquidem mollis,& longiore tempore fit aſſatio. adhæc quoque ignis non facilè adurit rem quæ aſſatur,quia exuſtio externas partes congraſſatur.At panis qui in clibano coquitur,ſiccior eſt ille quidem, & ori iucundior quàm is qui in furno conficitur:ſed tamẽ aſſatio non eſt tuta:nam exteriora ſtatim exuruntur, interna pars cruda remanet.Subcineritius verò eſt omnium ſicciſſimus,atque etiam difficilior eſt eius aſſatio quàm quæ in clibano cõficitur. Prunas enĩ multas eſſe oportet, & ad hæc cinerem copioſum adeſſe. maſſa verò ex farina triticea,non ex ſimila,& abunde ſubacta,eſt præſtantior, debétque maiorem habere mollitiem quàm panis in clibano confectus:deinde in cinerem imponi qui igni incumbat:tum deſuper alio cinere maſſam contegere,& ſuper eo cinere prunas quamplurimas coniicere,& maximè ſupernam partem incendere, quo loco aſſatur. hic panis omnium eſt ſicciſſimus, erítque ad ventres humidos, & non concoquentes, quibuſque pituitæ copia redundat, accommodatiſſimus.

Ex Dieuche,de polenta,

Cap. VI.

POlenta vti quiſpiam poteſt,& potione,& pulte quæ in aqua coquitur,confecta:vel ſi farinam in gallinæ ius coniectam ferueſaciat,vt maximè aſſata polenta euadat, quum eam non agitet, ſed ſinat coire,ſenſim calefaciens igni vel aqua calida,ita vt bis coquatur.In agninum quoque & in hœdinum non omnino pinguedinis expers, atque in ſuillæ carnis ius coniecta,& ſimul cocta,dyſentericis facit.Satis autem eſt in quartupla parte choæ polentæ optimæ & ponderoſiſſimæ cyathos duos lactis,&aquæ tertiam partem indere, & quum ab igni abſtuleris, papaueris,aut eius capitum,vel dum adhuc ad ignem eſt, cucumeris læuigati quãtum holcæ triobolus contineat,admiſcere,& ſimul incoquere, & ad ſorbitionis craſſitudinem redigere,ac propinare.Hæc ita cõfecta, ceſſationem quandam reſurgendi, & ſomnum affert:nec debet quiſquam hac vti ſæpius,ſed ter aut quater,& præcipuè in robuſtis corporibus,quia imbecillitatem quãdam inducit: & iis qui eadem vtuntur liberalius, vrina rarò procedit. Ex auena quoque polenta conficitur:tota enim cum acere frigitur,repurgatúrque ac ſubigitur, & quemadmodũ hordeacea, polenta trahitur : ſed tamen hæc præſtantior eſt,& minus quàm hordeacea flatus ciet.

Ex Dieuchis commentariis,de parandis alimentis, Cap. VII.

QVi imbecilli admodum ſunt,& craſſius alimentum quàm aqua ſit, ſumere amplius non queunt, optimum eſt vt eis alimentum in potione data maceretur,coquatur & teratur.ita enim fit vt totius alimenti diſtributio tenuis,& in vaporem diſſoluta diſtribuatur, & excrementa in ventre non remaneant,& toto die & alimentũ & potio diſtribuatur.Hæcque propinatio præcipuè vtilis erit iis quorum ventres conſiſtunt,& non turbantur, in-

digéntque tenui,& quod pondus habeat alimento:ma- A
cerabit ergo quiſpiam polentam calidam,& quæ ericides
dicuntur.magnam verò facultatem panes quamcalidiſſi-
mi amittunt quum franguntur & macerantur. Simili
quoque modo triticum toſtum & confractum macerabi
tur:eorum enim quæ magis etiam coquuntur,melior eſt
potus,& magis etiam alit. Febricitantibus ergo , & qui-
bus criſes non facilè fiunt,hordeum confringendum non
eſt,ſed lotum in aqua elixandum:priórq; aqua quum in-
tepuerit,abiiciēda,tum alia impoſita coquendum. Ac re-
ctè quidem coquetur ſi decem aquæ heminas in vnam B
hordei heminam coniicias : coquitur autem vſquedum
hordeum crepet , deinde aqua tenuiſſima excolanda eſt,
& melle admixto,vel per ſe ſola danda : hæc enim quum
aluum probè ſoluit,ciétque vrinam,tum verò etiam abū
dè nutrit.Datur etiam hordeum in polēta frictum,quod
toſtum hordeum nominant : priuſquam verò hordeum
tundatur,abſtergendum leuiter eſt acus illud aduſtum,&
vbi maceratum fuerit,coquendum : ſed ventrem magis
quàm ſuperius,cohibet:eſt verò in aqua coquendum,non
ſecus quàm crudum.Ericidas quoque in aqua ab agitatio C
ne abſtinendo quiſpiam decoquet,vt quamtenuiſſimum
ſit decoctum:decoquet etiam quiſpiam panes & fermen-
tum,ſiccúmque ac recens triticum crudum , & frictum,
& milium,& omne ferme alimentum quod ægrotanti
accommodatum eſſe exiſtimauerit : idque & in potione
data, & in iure gallinæ , & in aliis pleriſque humoribus.
Quæ verò ſubtrita ſunt,ea maceratis & coctis eſſe craſſio
ra & validiora videntur. Ac omne quidem memoratum
alimentum,in potionibus quæ dantur,ferme ſubteri poſ-
ſet:itémque multis arborum fructibus & leguminibus, D
alendi , & vires quibuſdam ægrotantibus addendi cauſa
vtitur aliquis eadem incidendo,contundendo,& ſuccum
exprimendo, vt potui dato indat. Iam verò panes & ſic-
cos & recentes , & placentulas macerare aqua immerſas,
& ex linteolo percolare expedit:ad candorem verò,ne co
lor ex pane appareat, cucumeris ſemen toſtum , itémque
amygdalas,& nuces pineas,& ſorba admiſceto,& cū vno
quoq; horū,& cū aliquibus,vel etiam his omnibus,aniſi
aut fœniculi ſemen adiungito,idque febricitantibus , ex
aqua mulſa, non febricitātibus verò,ex vino propinato. E
Milium verò & panicū contuſa detracto cortice conue-
niunt iis quibus venter bilioſa affectione premitur , &
quibus tenues,eǽque multæ,excretiones per aluum fiūt:
hæc autem conterendo,aqua diluenda ſunt , non minus
quàm quod acetabulum contineat : ſi viro des , excolato
ex denſo linteo,& in aquæ heminam vini auſteri modi-
cum adhibe,& ieiuno da. Accommodatum quoque fue-
rit vnà cum milio nuces Euboicas cum internis membra
nis non multas contundere. nam in ſuccum redactæ vnà
cum milio,ſorbitionem febricitantibus idoneam faciūt. F
Sed omnium infirmiſſima ſorbitio eſt quam καχρύδα,
id eſt,ex hordeo toſto confectam,vocant. Hæc verò ita fit,
vt in ſemichœnice heminæ ſex aquæ infint : ſi bis coqua-
tur,vt crepet,erit præſtantior.Iam ex ptiſana quoque ſuc-
cū exprimimus,& vētrē minus quàm ptiſana deiicit,ſuc
cúſq; fit tenuior. Auena autē maximè omniū leguminū
eſt ad cōcoquēdum accōmodata,& eius eſt præſtatiſſima
ſorbitio,valētiórq; quàm quæ καχρὺς dicitur, ſed ptiſana
imbecillior & ſuauior.Coquitur eodem modo quo pti-
ſana,vt hemina in decem aquæ heminis incoquatur. Sor- G
bitio verò quæ ex lentibus fit,facienda eſt vt non torrea-
tur,tenuiſſimo cinere circumpoſito:quæ verò atype du-
pla quàm lens fit,efficitur,leuiter concutienda eſt,donec
quicquid eſt aceris diligenter excidat : tum cribro tenui
agitanda:cinis verò infrà erit. Lentem verò ſæpe lotam,&
anethi aut pulegii portionem abſque oleo indens,ſalém-
que modicum addens, elixabis,& aceti parum affundes
quum iam erit diſcocta : non febricitantibus , & quibus
aluus profluit , vini odoratiſſimi cyathum pro aceto in-
fundes. Sed & ventri proſunt pira,& mala cydonia diſſe- H
cta in partes , & in lentibus abſque vino & aceto incoctæ:
atque hemina quidem lentium in ſeptem aquæ heminis
coquetur. In iis præterea quorum aluum humectare opor
teat,vti poterit quiſpiam nouellarum betarum foliis pu-
ris,ſimul coquendo aut maluam,aut cucumerem,aut cu-
curbitam in minutas diſſectam partes. Amylinæ verò ſor
bitionis vſus febrim habentibus aptus erit iis quorum in
febribus aluus profluit,& alui cauſa lentes admiſceri po
terunt. Sed & in lacte quoque vti ea licebit , & aqua itidē
admixta,& ipſa etiā per ſe data:ac magis quoque dyſen-
tericis,& fluxionibus quæ tuſſi excitantur,conueniet:ita
verò coques vt decem eius drachmæ in quatuor heminis
aquæ coquantur.at milium non conueniet febricitanti-
bus:veruntamen iis quos turbata aluus exercet , eſt maxi-
mè accommodatum:eiúſque acetabulum in decem aquæ
acetabulis bis coques , atque etiam id ipſum in mortario
contundes,& prædictam aquæ mēſuram infundes, liqua-
biſque,ac percolabis,& in illa ipſa aqua ita coques , & a-
nethi ſaliſque parum iniicies. Præterea verò quod ex mi-
lio percolatum eſt,& lētibus & ptiſanæ admiſcebitur. Ac
in omni ſorbitione,præter eam quæ ex lentibus confici-
tur,pro oleo crudum cucumeris ſemē miſcebis:quod vbi
eliquaueris,& ptiſanæ,& cæteris decoctionibus indes:vel
pineam nucem,aut ponticas,aut thaſias nuces,ac præſer-
tim in iis quibus admiſcere aliquid lactis loco volueris:
vt in iis quos tuſſis vexat,maximè cōueniet,ſi amygdalas
ſubtritas ſorbitionibus imponas : at iis quos perturbata
aluus infeſtat,pro oleo ſubteres papauer album leuiter to
ſtum cum vtriculo ſuo,atque ex eo ſuccum in decoctionē
exprimes,id quod etiā ad ſomnum conciliandum facit.
Iam ad aluum quoque Euboicæ nuces,quas Sardianas vo
cant,cū internis mēbranis quæ cum nucibus ipſis ſunt,
teres,& aquā papaueris exprimes. Similam verò coques,
vt quartupla eius portio in decem aquæ heminis impona
tur,parumq; olei & anethi addatur:prius verò lauāda ſi-
mila eſt:alicæ quoq;,ſi facere ſorbitionē ex ea velis,eadē
eſt habenda ratio. Coques etiā lac addendo,vt quū iā co-
ctæ decoctiones fuerint, calidū lac indas , nec diu ſimul
coquere permittas. Alica verò debet aqua prius macerari,
tum quarta pars chœnicis capi,vt ſeptem heminis aquæ,
duæ heminæ lactis accedāt. Coquenda ſuper carbonibus
leuiter,& agitanda,& vas manu tenendū,ne aduratur. Sed
lac omni ſorbitioni poteris ad eundē modū adiungere.
Placentula verò(quā itriū quidam nominant) minus mo-
leſtiæ afferet ſi confringas, contūdas,tenuémque facias,
& cū amygdalis vel cucumeris ſemine coquas:ſin ſecus,
(vt mos eſt)ex oleo & anetho. Vtetur hac re quiſpiam ad
aluū,vel ſola,vel lentibus admixta:at febricitātibus nul-
lum alimētū dari poſſet inutilius. Coquūt id rite illi quo
que qui in gallinaceo iure aut agnino coquūt:quādoqui-
dē id faciunt in iure copioſiore,atque in ollis , nec quic-
quā tangūt,neq; cōmouēt,vt vel hac ratione maximè in-
tabeſcāt,& percoquantur. Panis aridus leuiſſimū decoctū
facit:ac febricitantibus quidē eſt ad ignē tepidus reddē-
dus,& vbi maceratus fuerit , in læuorē terendo redigen-
dus,& eius decem drachmæ in duabus aquæ heminis co-
quendæ,donec ad ſorbitionis craſſitudinem perueniant:
ſed cum hoc ſubterēdæ quoque ſunt aut amygdalæ , aut
cucumeris ſemē.atque iis qui febrē non habent,confrin-
ges ad ſimilæ aut alicæ magnitudinem,& breui tempore
macerabis , ac decem eius drachmis tres aquæ ſemi-
heminas affundes , & aliquid eorum quæ dicta ſunt
contundes,& ad ſpiſſitudinem alicæ rediges,& ex melle,
vel vt ægrotanti placebit propinabis. Valebit etiam ad
ventriculos qui non concoquunt,quiq; flatibus torquē-
tur,& qui nimium humecti ſunt,idque vel per ſe vel cum
lentibus:præterea ad aluum conſiſtentem,in maiore gal-
linacei iuris portione macerabis,aut decoques.

Quomodo ex amylo & reliquis ſubſidentia fiant,
Cap. VIII.

EX omnibus leguminibus,quēadmodū ex amylo,ſub-
ſidentia cōficiūtur. fiunt autem hoc modo, Similam
quampurgatiſſimā capimus,leuiter maceratam lauamus,
linteo ex copioſiſſima aqua percolamus, collā, vt maxi-
mè fieri poteſt,auferimus,in vaſe fictili ſubſidere permit
timus,aquam deinde percolamus,aliámque eodem mo-
do affundimus : tum ita faciendo vſque eò permutamus
dum id quod excolatur,purum ſit:poſtremò verò ſubſi-
dentia extrahimus , atque in vaſe fictili ad ſolem , donec

perfectè ſicca ſint,exiccamus.

De iis quæ ex eruo fiunt.

Eodémque modo in eruo faciendũ eſt:præcipuè autẽ albũ freſum,& quũ feruẽdo acus abiecit,madefaciẽdum eſt,& conterendũ,vt læuũ reddatur:quod quũ copioſiore aqua eliquatũ fuerit,abiicienda per diẽ aqua eſt perſæpe, donec ea quæ effunditur pura ſit:atque ita ſiccabis,& repones.Hoc vtêris ad ſuppuratos,itémq; ad mulierũ purgationem,carnẽ augendam,& bonum colorẽ comparandum:idq; ex vino mulſo vel polenta propinabis: ex quo ſatis erit acetabulum & viro & fœminæ bene valentibus;

De iis quæ fiunt ex lentibus.

Fiunt etiam ex lentibus ſubſidentia, quum feruendò acus abiecerũt,madueruntq;,ac cõtuſæ(vt de eruo dictũ eſt)fuerunt:& aqua vſq; abiecta dum ea quæ exit,pura ſit. Hæc ſubſidentia ſiccata miſcebis decoctionibus in iis quos turbata aluus vexat,& præſertim poſt milium, poſt panem ſiccum,poſt ptiſanam,& poſt alias complures ſorbitiones quibus aliquis vſus eſſet. Iam decoctiones quæ ex leguminibus fiunt,incommodiores febricitantibus ſunt quàm prædictæ,quippe quæ & minus alant,& flatus magis cieant.Vteretur etiam quiſpiam eiſdem ex crudis leguminibus lomenta conficiens.

De lomento fabarum.

Lomentũ fabarum ſi flatus expers conficere volueris, multã aquam affundes atq; elixabis:quúmq; perfrixũ & decoctũ fuerit,totũ effundes,& calidam aquã iterum indes:ſatis autem erit ſi quartuplæ chœnicis portioni lomenti quod iam effuderis & confeceris,duas heminas aquæ & olei admiſceas.eius vſus eſſe poteſt in grauedinibus & deſtillationibus,addita faui portiuncula.eo quoq; vtetur quis ad dyſenterias & tineſmos,ſi pinguius reddat, nec prius excoquat,nec aquam abiiciat:ad quẽ vſum medulla quoque ei addetur,itémque cera & caſeus,& præcipuè frixus : & oleum copioſius in iis quos eiicere ſtercus volumus.Cum ptiſana quoque & lẽtibus lomentũ cõponetur ad dyſenterias & tineſmos.Iã verò lomentũ nõ excoctũ elixabitur, vt in quartupla chœnicis portione ſex heminæ aquæ imponãtur.Piſorũ verò lomentum minus flatum ciet quàm fabarum, & facilius conficitur, atque ideo imbecillis erit accõmodatius. Idque dari poteſt iis qui defluxionibus & tuſſi vexantur.Huius quoque quartupla pars chœnicis in ſenis aquæ heminis incoquetur. At lomẽtũ quod ex phaſelis fit, omnibus dulcedine præſtat:ſed & difficulter coquitur,& cætera habet prædictis ſimilia:atque id quoque in pari humore elixatur. quod denique ex dolichis & aracis fit,omniũ peſſimũ eſt,& ad nullam rem ægrotantibus vtilis eorum eſt decoctio.

De coctionibus, Cap. IX.

LEgumina omnia,hordeũ,& triticum coquenda ſunt oſculo ollæ cruſta obturato:diutiſſimè autẽ coquenda ſunt,& igni quo magis lẽto fieri poteſt:tunc enim licet quantumuis coquãtur,nunquã comburuntur. Debemus ergo leguminibus iã valde decoctis ita vas manu cõtinere vt agitando non cõburantur:& ad decoctiones, & ad obſonia oleo quod minimè odorẽ habeat, & nullã omnino facultatẽ ori præ ſe ferat,vti : huiuſmodi eſt omphacinum.Piſces verò qui flatum excitant,in patinis elixandi & aſſandi ſunt:ſi verò elixes,diſtribuenda conditura eſt,& ſatis olei indendum,& prius muria elixanda, deinde in eam feruentem piſcis coniiciendus. ſi ſic condias,piſcis ſucci plenior fiet,& proprium ſuccum in ſe cõtinebit.Idem quoque in patinis aſſatus,& melior, & maximè tener,& plurimi alimenti reddetur : ſed conditura cum oleo diſtribuenda eſt, & ſal abundè inſpargendus, itémque tenuis farinæ quod ſatis ſit.

Ex Philotimo de milio condiendo, Cap. X.

MIliũ crudũ tritum,& læuigatum, & affuſa aqua iterum cõtritum,& percolatum,& coctum,& molito ſimile factũ,in collæ modũ redditur,habétq; adſtrictionẽ,& ventrẽ ſiſtit,& difficulter in vẽtriculo cõficitur:ſed ſi totũ coquatur(vt faciũt) eſt multo ad cõficiendũ diffici-

A lius:& quãdoque aluum molliorẽ facit, & nõ admodum in excrementis alteratur,& glutinoſum eſt : ſuccum verò qui dulcem adſtrictionem habet,corpori diſtribuit.

Ex Antyllo de alimentis quæ continenter ægrotantibus dantur, déque ratione eorum apparandorum: ſuntq; hæc in tertio de auxiliis libro, de iis quæ in cibis adhibentur,capite ſecundo, Cap. XI.

IN morbis cõtinuis eligendũ alimentũ eſt quod facillimè cõcoquatur,celerrimè diſtribuatur, & nõ admodũ nutriat,& facilè perſpiretur.nam quæ continẽtur in cor-
B pore,febres pariut:atq; has quidẽ virtutes panis aqua lotus in ſe omnes cõtinet. Sed eſto panis ipſe ex tritico trimeſtri,& nõ admodũ puro,ſiquidẽ valde purũ,valde etiã nutrit:cõteratur verò diligenter atq; aſſetur.Ex ſimila verò cõfectus,neque ex huiuſmodi tritico,neq; ex aliis propter ſui vehementiã capiatur : ſitque potius heſternus, & cum fermẽto:iſq; calida aqua maceretur,alia atq; alia cõtinenter effuſa:nec totus panis,ſed pars interior:nã exterior eius pars quæ cutis vicem gerit,ad diſtributionem & ad concoctionem inepta eſt.macerandi verò terminus ſit,vt
C non ſolùm panis in tumorem efferatur,ſed vt fermentum euaneſcat,& illius odorem non referat.Alica quoque lota eſt generis eiuſdem, quum ſuccus expreſſus, & ipſa ſatis lota ſit,& elixa detur ex aqua vel mulſa. Similis quoque generis eſt ptiſſanæ ſuccus ita coctus, vt in vna eius parte quindecim aquæ partes indantur.quum enim coquendo quinta pars remaneat,& percoletur, ſuccus modica mulſa addita potui datur.Ipſam quoque mulſam in horum alimẽtorum genere poſſet quiſpiam conſtituere. Coquitur vt ptiſanã coqui diximus,quum mel in multas
D aquæ partes coniicitur, & in quintam partem coquendo redigitur.Ex alica etiam ſorbitio cõficitur ad hunc modum:Alica lota,& aqua ſæpe abiecta,iterum aqua pura vnius horæ ſpatio maceratur:deinde manibus in aqua confricatur,donec aqua colorem & ſpiſſitudinẽ lactis acquirat:deinde alica ita percolata,ipſa quidem extra remanet, quod verò lacteũ ab ipſa eſt effectũ,parum ſalis capit:& in iis quorum ſtomachus & inteſtina morſu infeſtãtur,parũ anethi adiungitur.In iis verò quibus ſtomachus peruertitur, & nauſea vexatur, pulegii & thymi:in iis qui flatus
E pleni ſunt,cumini.Coquitur ad conſiſtẽtiam,& datur antequam refrigerata ſit.Hoc alimenti genus ſi rite cõficiatur,& dandi promptitudine,& concoctionis facilitate,& celeritate reficiendi,quum alicam & panem præferimus. Atque alimenta quidẽ quæ in morbis acutis cõueniunt, hæc ſunt quæ expoſuimus.Sed perſæpe ordo variatur,vel quia hæc non ſuppetant,vel quia nõ rite affecti ad ea ſint ægrotantes,aliis alimẽtis vti neceſſitas nos cogit:in quorum numero ſunt itria,olera,& polenta,& oua.Itrium igitur eſt ex tritico,quum ſit ipſum quoque panis rectè aſ-
F ſatus.Debet autem tenue eſſe magnopere, ſiquidem craſſum inæqualiter aſſatur:debétque præcipuè quam tenuiſſimè conteri,vt ſit polentæ perſimile : atque in aqua elixari, & præſertim pluuia:ſi ea non ſuppetet, alia puriſſima : ídque plurimùm vt coquendo in vnum conducatur. Modicum quoque ſalis inſit,oleique ſit expers,vel parum omnino olei imponatur:& priuſquam itrium eo perſpergatur,oleum cum aqua ſit incoctum:alica verò cum iiſdẽ condimentis coquitur.Omnium verò olerum accõmodatiſſima malua eſt,quæ ex garo & oleo cocta comeditur,
G vel ſorbitio quæ ex ea fit hoc modo:Folia maluæ nouella abſque fibris elixantur, deinde in mortario contunduntur,& iterum ex aqua,ſale,& oleo elixantur. Secundum locum tenet cucurbita.Sed admodum nouellas cucurbitas debemus eligere,atque totas non abraſas coquere, ne elixatæ aqua impleãtur:vbi verò elixatæ fuerint, tum abradantur,dentúrque præcipuè in aqua & muria:(nam hoc pacto ori non erunt ingratæ) ſin ſecus, ex garo dentur & oleo.Oua in aqua ſunt coquenda,atque continuò agitanda:ſiquidem ita commota,neque ſimul cohærent,neque
H denſantur:ſed præſtat etiam ea in poſca coquere, quoniã magis etiam liquida permanent.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM liber quintus.

EX GALENI LIBRIS DE AQVIS, CAP. I.

AQua optima omnis qualitatis non mo-
dò guſtatui, ſed etiam olfactui expers eſ
ſe debet:atque eiuſmodi quidem erit bi-
benti iucundiſſima,& planè pura. Si verò
etiam hypochondria celeriter permeet,
nulla eſt quærenda præſtantior. at quæ
puræ,limpidæ,potuiq; non inſuaues ſunt, ſed tamen diu-
tius in præcordiis morantur, eæque aut ventrem feriunt,
aut flatu implent,aut prægrauant,ſemipraux ſunt exiſti-
mandæ : cuius ſanè generis multæ ſunt, de quibus mihi
præcipuè videtur Hippocrates,vt eas ab optimis aquis diſ
cerneremus,ſcripſiſſe,quum ait, Aqua quæ citò calefit,&
citò frigefit,leuiſſima eſt:etenim neque in cœnoſis,neque
in graueolentibus,neque in iis quæ guſtatui medicamen
ti facultatem aliquam afferunt, vtilis eſt huiuſmodi di-
gnotio,quum eæ vel omnibus perſpicuè ſint notæ:ſed in
quibus nihil quidem tale eſt, verùm alia quædam pra-
uitas ob corrupti aëris admiſtionem,aut aliud quoddam
vitium ipſi aquæ innatum, ab ignota cauſa proueniens,
aquis ineſt.Siquidem in eiuſmodi prædicta dignotio o-
ptimum iudicandi inſtrumentum eſt:nam quæ tales ſunt,
neque citò frigeſiunt,neque citò calefiunt. Alia quoque
huic ſimilis dignotio ex oleribus, aut leguminibus, aut
carnibus,aut fructibus,aut denique radicibus quæ aquis
incoquuntur, ſumi poteſt:celerrimè nanque in optimis,
tardiſſimè verò in prauis res elixantur. Ac nonnulli ex
veteribus aquas ita prauas, indomitas, & crudas, æquè
ac legumina quæ difficulter elixantur, appellauerunt:er-
go tutiſſimum fuerit vt experientia de huiuſmodi aqua
iudicium fiat. Ac ſiquis eſt qui ex notis potius vim eius
prænoſſe aueat, is ſciat, quarum fontes è petra ſcaturien-
tes ad Septentrionem fluunt,ſolémque auerſum habent,
eas omnes difficulter coqui poſſe, tardique tranſitus eſſe
iudicandum eſt:idque eis ſtatim ineſſe vt tardè calefiant
ac frigefiant: quarum verò fontes ad Orientem ſolem e-
rumpunt,& per meatum aliquem,aut terram puram co-
lantur, ac celerrimè calefiunt & frigefiunt, eas eſſe opti-
mas ſperandum eſt. Pluuiales verò ex Hippocratis ſen-
tentia leuiſſimæ ſunt. ſol enim quod leuiſſimum in aqua
tenuiſſimúmque eſt,attollit & ſurſum rapit:id quod non
ex aliis aquis ſolùm, ſed etiam ex mari, & ipſis itidem
humanis corporibus facit: idcirco fit vt celerrimè om-
nium computreſcant. Maximè enim corpora quæ vni-
cam in ſe qualitatem habent, quum nulla aliunde cauſa
ſubſit quamobrem difficulter aut facilè putreſcant, ea
difficilius quàm quæ multas qualitates habent compu-
treſcunt. Sed animaduertendum eſt nequis putet aquam
quæ celerrimè putreſcit eſſe peſſimam: poteſt enim ea-
dem eſſe præſtantiſſima, quum aliæ omnes optimarum
aquarum notæ quas antè diximus,ei adſint. nam facilitas
immutationis in qualitate, potius bonitati aquæ quàm
vitio attribuenda eſt. Aquam verò pluuiam bonitate
præſtare, argumento eſt, quòd etiam à ſolis calore co-
quitur:nam & cætera quæ elixantur,dulciora ſeipſis fiunt
omnia,quúmq; cœpit putreſcere,omnino eſt inepta po-
tui:ſiquidem qui aquam adhuc putreſcentem bibunt,hos
raucitates,tuſſes ac vocis grauitates corripiunt. Ex pluuiis
autem aquis æſtiua, (quam horæam Hippocrates vocat)
quǽque ex tonitruo fit, præſtantior eſt quàm quæ nim-
bis eſt demiſſa: quæ verò ex glacie & niue ſoluta fiunt,
peſſimæ ſunt: in iis enim quæ ex frigore concreſcunt,te-
nuiſſima pars omnis excernitur. Porro paluſtres & fœ-
tidæ, & in quibus abſurdæ qualitates inſunt, coctione
alteratæ offerantur. Quinetiam in alium vſum aquam
prius calefacimus, & poſtea refrigeramus, tametſi ne-
que guſtatui,neque odoratui vllum vitium afferat,ac pla
nè pura ſit, quum eam in ventriculo morari diutius, &
noxam aliquam inferre experti fuerimus:nam caliditas

A totam aquam quæ elixatur fundens, aptam ad ſecretio-
nẽ facit:dum aqua refrigeratur,partes terreæ innata gra-
uitate deſcendentes,in fundo vaſis reſidebunt:aqua verò
ſuper eis fluitabit,qua ſenſim in aliud vas tranſfuſa, citra
noxam vti poterimus. Poſt decoctionem verò quum fri-
gidiſſimam reddere aquam voluerimus,ſi nix nobis ſup-
petat,aquam prius calefacimus; deinde niuem extrinſe-
cus ei circunfundimus:ſi nix non adſit,è puteis vel aquæ-
ductibus refrigerationem ei comparamus: eam itidem
prius calefacientes, vt facilius alteretur. nam quicquid
B prius excalefactum eſt, id citius in ſe totum alteratio-
nem à rebus vicinis proficiſcentẽ capit. Quũ autem vas in
puteum demittimus,aut aquæductibus ſubiicimus, tum
vaſculum operculo claudimus neceſſariò, & ipſum ex
omni parte diligenter obturamus, nec vaſculum imple-
mus,ſed aliqua ex parte vacuum permittimus,vt aër qui
inter operculum & aquam interiacet prius refrigeratus,
eo attactu vicinam aquam refrigeret. Vbi verò nihil ho-
rum nobis ſuppeditatur (vt in Ægypto vſu venit) ibi va-
ſculum ſuſpendimus,& quò aërem ſuſcipiat,ſine opercu-
C lo ſinimus. Quoniam verò aqua neque incidendi, neque
calfaciendi vim habet, ideo iure fit vt aqua omnis tardi
tranſitus ſit,ægrè concoquatur,& ægrè ſubducatur, licet
alioqui ſit optima: nam & multum temporis manet in
ventriculo, & fluctuationes plerunque parit:ſique bilio-
ſus ventriculus ſit, ipſa quoque ſimul corrumpitur.
quúmque à ventriculo ad ieiunum inteſtinum ægrè per-
ueniat, non facilè diſtribuitur: quamobrem neque ad
ciendam vrinam, neque ad ſputum educendum apta eſt:
D quin ne ſitim quidem ſedat, etiamſi in ventriculo diu-
tiſſimè moretur, quum nec in totum ſe profundum im-
mergat, nec quod ſqualidum eſt, irroret. Porro aquam
non alere, ſed vehiculum tantummodo alimenti eſſe, &
Hippocrates, & cæteri præſtantiſſimi medici dixerunt,
ob eámque cauſam non poteſt vitalem facultatem robo-
rare: & hoc fuit in cauſa vt Hippocrates ab aquæ vſu in
ægrotantibus abſtinens, ad mulſam, oxymel, & vinum
ſe contulerit. Atque his quidem rationibus nemo vn-
quam aqua vteretur: plerique tamen in aliis decepti ad
aquam confugiunt, in qua nihil eſt quod magnopere
E contra animi ſententiam ſuccedat, quum ipſa quoque
non magna vi ſit prædita: at oxymelitis, vini, & mulſæ
vſus eſt vitioſus propter repentinas mutationes, & pro-
pter ſinceram permixtionem quæ à medicis plerunque
fieri ſolet. Vinum enim quod tanquam manus quædam
ad diſtributionem aquam trahat, eſt omnino pauciſſi-
mum aquæ miſcendum, vt aquæ ſinceritatem tollamus:
eadémque ratione oxymel aquoſum laudo. Cum mino-
re quoque periculo aquoſa mulſa quis vti poterit. nam
impermixta, niſi ſubducere aluum properet, maximè
F noxia eſt: & præſertim in amaræ bilis hominibus, quí-
que magna habent viſcera,quibus ipſa quoque aqua eſt
noxia, quum in bilem conuerſa,in hypochondriis diu-
tius manet. Ad hæc enim omnia mala quæ in ea ſunt,hoc
accedit etiam,quòd quum ſtercoris ſit expers,aluum non
ſubducit: aquam verò in principiis acceſſionum potam
lædere, perſpicuum omnibus eſt. Ecquando igitur a-
qua potui vtiliter datur? nimirum quum ægrotus ex ſo-
la potione viuit, nec adhuc ptiſanæ cremorem ſumit.
G tunc enim in medio aliarum potionum aquam in tempo
re quiſpiam dederit,& præcipuè quum ægrotus ſiti ene-
ctus ſit,quandoquidem eo tempore inundationem quan-
dam, hoc eſt, humiditatis copiam ab ea induci, ſcri-
ptum reliquit Hippocrates. quocirca inter mulſam &
oxymel, parum aquæ ad humectanda ea quæ expuenda
ſunt,accommodatum præbet. Quinetiam vbi vinum ma
gnopere noxium ſit, tum etiam aquam exhibet. No-
cet enim vinum quum ægrotans vel delirat, vel capite

vehementer dolet. Hanc autem propriam naturam humidam & frigidam haber aqua: aduentitia verò caliditate acquiſita calefacit & humectat ipſa quidem ea quibus admouetur,ſed tamen vt vtrunque æquè faciat, non eſt ei natura comparatum:verùm humectat quidem ſummè,ſiue temperata,ſiue tepida, ſiue etiam calidior ſit:calefacit verò non ſummè,niſi quæ extremè ferueat.Quod dicimus,in temperata natura prius exploremus. Ergo ſi huic naturæ aquam temperatè calidam offeras, ſiue lauans, ſiue perfundens partem aliquam, profectò ipſam partem humidiorem, & calidiorem in ipſo perfuſionis tempore factam videbis:ſi poſtea quieſcas,nec corpus frigida contrahas & conſtipes,paulo pòſt eadem partem ſeipſa factam frigidiorem comperies, quòd calor innatus immoderatius perſpirauerit:non tamen quemadmodum frigidius poſtea, aquæ calidæ vſus,ita etiam ſiccius corpus deſtituit: & tamen hoc quoque debere fieri videtur, cum ob meatuum raritatem & corporis mollitudinem, tum verò ob ſubſtantiæ fuſionem.plus enim in huiuſmodi affectionibus euaporetur neceſſe eſt: vapor autem eſt humor attenuatus. Veruntamen non ita ſe res habet: humores enim qui in vaſis aliiſque vacuis ſpatiis continentur,omnes exhauriuntur:corpora verò vaſorum, & vniuerſum carnoſum genus,humidius ſeipſo redditur:atque hanc ſolam facultatem (vt videtur) aqua nunquam deponit.Neque enim quum feruens comburit corpora, facit vt quæ ambuſta ſunt,ſicca ſint,vt quæ igni aſſata fuerunt: ſimili quoque modo quum ſummè frigida facta eſt,totóque die aut etiam longiore tempore ſuper aliquã partem perfunditur,eam non efficit ſicciorem, quamuis rugoſa,& admodum exilis videatur:verùm hæc ideo eueniunt quòd qui in vaſis,aliiſque ſpatiis eſt humor, euacuatus eſt:partes verò genuinæ atque ſolidæ, nihil ſeipſis ſicciores redduntur.

De aqua frigida,& oxymelite ægrotantibus potui dando, Cap. II.

QVoniam oſtendimus omnem corporis affectionem quæ præter naturam eſt,à ſui contrariis curari, planum eſt febrim quoque à frigida extinctum iri omnino, quum ipſa ſola fuerit ſine vlla affectione quæ à frigida lædatur. nam ſi febri adiuncta ſit alia affectio quam frigida lædat, licet ea febris quæ ex ipſa affectione orta eſt, confeſtim à frigida ſit reſtincta, altera tamen deinde febris grauior accendetur aucta affectione quam potio frigidæ oblæſerat. Læduntur autem à frigida affectiones partium quæ inflammatione obſidentur, & in quibus incocti humores ſunt,quorum indicium eſt vrinarum incoctio: ſi igitur concoctæ vrinæ ſint, nullàque princeps pars inflammatione vexetur, ſatis erunt vt ad frigidam potui dandam impellamur. Si verò æſtiuo tempore vehementia febris quandoque vrgeat,laboránſque iuuenis ſit,& frigidæ potioni aſſuetus,ſi cum aſpectu & conſiſtentia vrinarum laudabile ſublimamentum videas, tum, etiamſi pars aliqua inflammationem patiatur, frigidam dando non errabis: ſiquidem debes anteponere, vt febris vehementiam eo tempore ſedes, pluribus diebus quibus ad reliquias inflammationis tollendas opus ſit: quas quidem & magis ſcirrhoſas, & ſolutu difficiliores euadere neceſſe eſt. Si verò non admodum adurentes febres ſint, & frigidam dederis particulis inflammatione laborantibus, magnopere tua te fallet opinio. febres enim quæ vehementer flammeæ ſunt, inflammationem eryſipelatis ſpeciem referentem quodammodo ſubeſſe nobis oſtendunt, & ideo frigida quoque eandem iuuat,vt in exterioribus etiam partibus perſpicitur: ergo in iis in quibus incipiunt in iecore, ventriculo, & aliis huiuſmodi particulis inflammationes,diligentius conſiderandum eſt.nam ii omnes magnopere lædũtur etiamſi in tempore ſumpſerint,ſi potio fuerit paulo largior.Etenim quum principia inflammationum quæ ſine ictu & vulnere fiunt,vel ex particularum imbecillitate,vel ex ignea caliditate quadam oriantur,eas quarũ origo eſt imbecillitas, frigida ſemper lædet: quæ verò ex ignea quadam caliditate exiſtunt,moderata frigidæ potio iuuabit. periculum enim eſt ne in largiore potione propinanda, pars ad contrarium exceſſum traducatur. Præterea verò huiuſmodi potio tales affectiones magis iuuabit, ſi dum bene valerent ea vtebantur.Ergo vehementes morbi qui in ventriculo, in iecore, in collo & toto capite ſunt, prius conſiderari debent: artus enim fortaſſe non magnopere lædentur, & tamen ipſi quoque offendentur in quibuſdam affectionibus, quas deinceps exponam. Sed horum fore tantam noxam quantam partes vehementer affectæ contrahent, ne ignarus quidem affirmaret. Si igitur affectio eryſipelatis aut herpetis ſpeciem referens in hypochondrio ſit, aut inflammatio eryſipelatis naturam referens,aut aliqua alia affectio ſummè calida ex intemperie ſine ſuccis exorta, frigidæ potio iuuabit: ſicut eadem mirum in modum lædit, quum abſceſſus, œdema, ſcirrhus, vlcus, & frigidæ affectiones partes obſederint. Ac quoniam de artubus me dicturum promiſi, illud ſciendum eſt, inflammationes neruoſarum partium quæ in eis ſunt, à quibus alioqui periculum conuulſionis imminet, frigidæ potione lædi vel maximè: ſi verò in carnoſis artuum partibus inflammatio gignatur, & bibere frigidam homo poterit, & ſi parti inflammatæ foris admoueat, noxam quidem inuehet, ſed neque notabilem neque manifeſtam: ac præcipuè ſi frigidæ potioni fuerit aſſuetus. Ergo quum febris ſit, non adiuncta vlla alia affectione quam frigida poſſit lædere, tantum frigidæ dandum eſt quantum vno hauſtu ægrotus poſſit haurire. Oxymel vel æſtiuo tempore frigidum datur, ne laborantis ſitim exacuat: quamobrem æſtate frigidum oxymel dare audemus etiam ante morbi concoctionem, quum aquam frigidam in eiuſmodi affectione ad ſatietatem daturi non eſſemus. Tunc enim inflammationem denſaret, ſi febris ex inflammatione orta eſſet: ac ſuccos incoctos ſeruaret, ſi illi morbi cauſam attuliſſent. Sed tunc parum oxymellis damus, vt quod in ventriculo eſt,prius intepeſcat quàm ad coſtam vſque frigiditas eius diſtribuatur. quòd ſiquid exiguum fuerit etiam diſtributum,id ab ipſo oxymelite in quo vis incidendi ineſt,corrigetur.

Ex Rufi commentariis,de aquis.Eſt in ſecundo libro de diæta,vel de potionibus, Cap. III.

REſides aquæ (ita enim aquas puteorum voco) quia non fatigantur,ideo non admodum ſunt tenues: & quum intrò ingreſſæ fuerint, minus madefacient cibos atque diſſoluent, minúſque concoquent, & præ craſſitudine,& quia frigidæ ſunt, non bene per vrinam excernentur. Aptiores autem potui redduntur crebrò hauriendo ac ſi effluerent, & puteorum expurgatione: quæ verò fluunt,multo tenuiores ſunt, & præſtantiores ad madefaciendum & concoquendum, & ad vrinam reddendam. Quæ è ſtagnis ſunt, peſſimæ ſunt omnes: nam & odorem abſurdum veluti putreſcentes habent, & æſtate calidæ,atque hyeme frigidæ ſunt: quod ego vitii aquarum maximum eſſe ſignum ſtatuo. Ideo fit vt æſtate ventres perturbent, & tardè in veſicam tranſeant: ac ſæpe etiam tormina & læuitates inteſtinorum hominibus pariunt,ex quibus in aquam inter cutem cadunt:hyeme verò quæ frigidæ ſunt, ventres non admodum perturbant illæ quidem, ſed tamen & ruptiones, & lateris dolores, & tuſſes afferunt, & ad lienem etiam repunt, & poſtremò in aquam inter cutem deſinunt. Ex liene autem etiam pedes vlcerantur, eáque vlcera non celeriter curantur. Solæ paludes Ægyptiæ inter omnes quas quidem ego nouerim, ſalubres ſunt, quia hyeme aqua non putreſcit,ſiquidem non ſupercalfit:autumno verò Nilus paludes explens, veterem aquam proiicit, & aliam nouam inuehit. De aquis pluuiis ita ſtatuo, Aquæ pluuiæ leues ſunt,tenues, puræ,& guſtanti dulces: ſique in eis aliquid elixes, celerrimè elixabitur:ſique eas calfacias, celerrimè calefient, & vino perexiguo temperantur: quocirca bonæ ſunt,& ad concoctionem, & ad vrinarum excretionem, itémque accommodatæ iecori, lieni, renibus, pulmoni,neruiſque.quum enim vis non admodum refrigerans in eis ſit, idcirco benigniores hiſce partibus fiunt. Vernæ igitur atque hybernæ maximè opportunæ ſunt

atq; optimæ,quas ego laudo vel maximè:autumnales vero atque æſtiuæ fuerint quidem aliis meliores, ſed non omnes omnibus. nam viribus quidem antecellunt eas quæ ſunt in terra: verùm quãtũ ſuperentur à vernis atque hybernis ne dici quidem poteſt. Nam æſtate atque autumno terra ſicciores vapores edit, aërque multas terræ ſordes habet, quæ pluuia expurgantur. Idcirco fit vt tales aquæ ſicciores & nitroſiores ſint, & ad abſtergendum, ac per inteſtina deſcendendum accommodatæ:ſed neque renibus, neque pulmoni, neque arteriæ idoneæ.Quinetiam plus vini has ferre neceſſe eſt, vt nitroſa facultas vincatur. Iam verò aquæ non parua differentia ex ventis aquilonalibus & auſtrinis accedit. nam flantibus aquilonalibus, dulcior pluit quidem, ſed frigidior:auſtrinis verò ſpirantibus, minus dulcis, ſed calidior. Ad ſummam verò, tempora pluuia,dulciores:non nimboſa & ſqualida, magis nitroſam aquam efficiunt. Quæcunque autem ex niue fluunt & glacie, duræ omnes ſunt, & frigiditate excellunt,ſed guſtanti dulces:at aqua dura & frigida, neque ad concoquendum, neque ad meiendum accommodata eſt: itémque noxia eſt neruis, pectori, & coſtis. nam & conuulſiones & tetanos inducit, & ruptiones facit in pectore, vt nonnulli ſubcruenta expuant & ſuppurentur. Fontanæ aquæ ad orientem vergentes cæteris præſtant humiditate, tenuitate, odoris ſuauitate, & moderatè refrigerando, moderatéque calfaciendo: quæ ad Septentrionem, dulces ſunt illæ quidem, ſed immoderatè refrigerant: quæ ad Occidentem, violentæ ſunt & refrigeratione & duritie: quamobrem raucitates, laterum dolores, & conuulſiones pariunt.quæ ad meridiem ſpectant,magis ſalſæ ſunt,& calidiores, & ad meiendum non idoneæ, ſed ad deſcendendum per inteſtina præſtantiores. Quanquam autem aquas quæ ad Meridiem fluunt non laudo, Nilum tamen ita commendo,vt aquæ bonitate paucis fluminibus comparari poſſe videatur: nam & aluum ſubducit, & purgationes mulieribus ciet, ſi in puerperio bibatur. Sed pleræque ex aquis ad meridiem reſides ſunt, quibus duplex eſt noxa coniuncta: altera è regione contracta,altera quòd non effluant. Pro terræ autem natura ſic de aquis decernendum eſt: terra enim alia plana eſt, alia collibus, alia montibus continetur. Plana eſt ad aquarum effluxiones deterior, multique in ea putei foſſiles & reſides fontes: colles verò & montes potiores ſunt.nam & puriores, & tenuiores, & odoratiores, & dulcedine ſuauiores aquas emittunt. Cæterùm ex planis alia ſalſuginem & nitrum æſtate & autumno producit,alia nihil:ſed eam terram dulcem vocant.In hac igitur præſtantior, & potui aptior:in illa verò ſalſa & nitroſa aqua eſt.Ex montibus præterea alii terrei,alii petroſi ſunt: terrei aquas ferunt præſtantiores & mollitie, & quòd minus frigidæ ſint: ſaxei aquas habent deteriores tum duritie tum frigore: puriores tamen quàm aliæ ſunt, minimèque habent ſubſidentia. Maxima autem maximéque notabilis differentia aquis ineſt ex metallis,& ex herbis eis innatis: ac metalla quidem cum ad aliam habitationem,tum verò ad aquarum potum ſunt noxia. Herbæ verò quandoque mirum in modum lædunt, quandoque etiam valde aquam corrigunt:tale autem eſt ſium, nepeta, & adiantum.etenim hæ plurimæ riuis innaſcuntur,quæ quidem bonam aquam vitiant,malam verò alioqui iuuant quum ab eis quoddã quaſi medicamentum aquæ impertiatur: ſuntque huiuſmodi aquæ ad meiendum potiores. Ergo diligenter etiam atque etiam conſiderandum eſt ne vllum vitium aut à terra aut aliunde aquis accedat, quum non ſatis ſit è fontibus hic quidem præſtantiorem potuíque aptiorem,illic verò ſalſam & nitroſam aquam ſcaturire,niſi etiam quæ per riuos deriuantur, ſint eiuſdem generis.Hactenus quæ maximi momenti ſunt, oratione complexi ſumus: nunc alia quoque aquarum bonitatis ſigna recenſeantur.Aquæ omnes quæ hyeme calidæ,æſtate frigidæ ſunt,optimæ eſſe quodammodo videtur:quæ verò frigiditatem &caliditatem habent anni temporibus parem,peſſimæ.æſtate enim calor extimam terræ partem occupat,hyeme verò mergitur in profundum. Atq; ideo mihi videtur fontes qui à profundiſſimis partibꝰ fluunt,

A & ſpeluncas cauas omnes hyberno tempore calidiſſimas aquas cõtinere,æſtate frigidiſſimas:idcirco aquæ omnes quæ in terræ ſunt extremitate,ad temporum varietatem, quoquo modo tempora frigida fiunt aut calida, commutantur.

De fonte qui in Lycia ad Chimæram montem eſt,quem à Pegaſo fuiſſe apertum ferunt.

MIrabile eſt, aquam hyeme euaneſcere, æſtate autem apparere: & tamen contrà deberet contingere. Sed B huius etiam rei cauſa calor eſt qui profundas aquas ſecum vehit: ſiquidem hæ quoque calorem ſentiunt. Omnes enim profundos fontes,quíque parum admodum ab externis imbribus ſuſcipiunt, hyeme & per vehementiſſima frigora minimos, æſtate maximos comperies: vt ſtagnum itidem quod in Delo eſt,id ipſum propter eandem cauſam patiatur, atque etiam putei qui Pythopoli viſuntur.Eſt autem vna hæc bonarũ prauarúmque aquarum dignotio,ſi hyeme calidæ ſint,æſtate verò frigidæ: altera verò eſt,ſi nihil ori guſtantis notabile afferant, & C ita non multo vino ad eas temperandas opus erit, atque omni vino conuenient. Eſt verò etiam pura ea quæ præſtantior eſt,neque alioqui colore infecto, nec fæcem habeat, nec ſubſidentia. nam & quæ pura eſt, eadem etiam pondere eſt leuis. nam quæ pondere leuis eſt, ſemper terræ impermixta eſt:quæ verò grauis,terræ ratione plus grauat.Sed & hæc non minus conſideranda ſunt,vt ſi citò calefiat ac refrigeretur,quoniam hæc cæteris præſtat:&quo modo ad coctiones,quomodo ad ſeceſſionem affecta ſit. D nam quæ citius coquuntur,præſtantiores ſunt:quǽque ſecedunt,meliores ſi per veſicam ſecedant. at aquæ per inteſtina ſeceſſio,deterior eſt.quarum verò noſtræ artis non eſt effecta perdiſcere, ea debemus ab incolis perquirere: nullo autem pacto facilè eſt ea quæ præter rationem fiũt, intelligere.

Hiſtoriæ rerum admirabilium quæ in aquis contingunt.

Ac ne longè abeam,aqua in Leontinis eſt,ex qua ſiquis bibat, moritur: alia talis in Phæneo Arcadiæ eſt, quam aquam Stygis vocant: alia quoque talis in Thra- E cia viſitur,itémque ſtagnum apud Sauromatas, quod ne aues quidem tranſuolare queunt, aliúdque apud Medos, in quo nigrum ichorem dicunt ſupernatare: quo vbi vſus ſit quiſpiam, ſi igni ſe admoueat, accenditur.eo medicamento Creontis filiam à Medea fuiſſe perditam ferunt. Eſt etiam Suſis aqua, quæ epota dentes excutit.Sybaris fluuius homines facit infœcundos. Aqua verò quæ apud Æthiopes eſt, quam rubram nominant, furorem inducit:at quæ in Ægypto eſt,capita bibentium pilis nu- F dat. Harum rerum nihil ſciri ſanè poteſt, quamobrem plerique qui illis nulla conſideratione adhibita vſi fuerunt, mortui ſint, alii verò aliquod aliud incommodum ſint perpeſſi.

Hæc verba ex tractatione de aqua deſcripta adiuncta ſunt,quæ eiuſdem Rufi ſunt.

Sunt etiam aliæ quamplures aquarum facultates, quæ non communi natura affectæ ſunt.nam quæ in Lyceſtis eſt, bibentes ebrios facit. In aqua verò quæ in Clitorio Arcadiæ eſt, ſiquis ſe lauerit, vini odorem ferre amplius non poteſt.Aqua Arethuſæ in Chalcide mulieribus pro- G deſt:aliæ verò animantes ex eius potu dolores pedũ contrahunt.Cydnus dolores pedum ſedare creditur,quamuis frigiditate excellat. Qui habitat vbi praua aqua eſt, dare operam debet vt eam potui magis idoneam reddat: erit ergo optimum vt in vaſis fictilibus elixetur, & vbi nocte refrigerata fuerit,atque iterum calfacta, potui detur. In exercitu verò ſi ex praua aqua reddere bonam opus ſit,foueas ex ordine ex locis altiſſimis ad decliues fodere, pérque eas aquam ducere oportet,terra dulci ac pingui, quæ faciendis fictilibus idonea ſit,in foueas coniecta: ſiqui- H dem ita ſemper aquæ prauitas in foueis remanebit.

Dioclis,de aqua corrigenda,
Cap. IIII.

AQuam maximè imbecillam facies ſi tertiam partem decoquas,& alba ouorum ſimiliter incoquas:in hæc ipſa iniicienda eſt argillæ ſiccæ gleba,donec maceretur.

menſura verò eſt, vt ſemiſextarius amphoræ indatur: vbi decoxeris, bibatur. Odorem etiam ab aqua remouebis ſi calfactam manu ad ventum ferias, & ſub dio in vaſe immenſo teneas, & in multa vaſa paulatim diffundas.

Athenæi, aquæ purgatio, Cap. V.

AQua defæcatur partim ſtillicidiis quæ ſtacta dicuntur, vt ſit Alexandriæ: partim colis, iiſque interdum ſimplicibus, interdum verò duplicibus, vel triplicibus, vt aqua puriſſima per eadem excipiatur. Fiunt etiam iuxta mare & iuxta ſtagna foueæ, illic quum aquā potabilem à mari ſecernere volumus: hîc verò, vt quum ſtagnum fuerit turbatum, hirudinéſque aut alia quædam vitia cōtineat, aqua puriſſima & maximè innoxia per terram tranſiliens, in foſſis colligatur. Vbi verò multa aquæ copia ſit haurienda, vt in exercitu fieri ſolet, latera foueæ lapidibus ligníſque ambiunt, & quum pauimentum ſimili modo inſtrauerint, puras ſeruare aquas nituntur. Aquæ autem quæ purgantur, leuiores ac puriores fiunt, & ob eam ipſam cauſam etiam frigidiores. multæ verò licet fuerint percolatæ, tamē facultates à ſordidis corporibus contractas adhuc ſeruant.

De vino, Galeni, Cap. VI.

VInum aquoſum homines vocant quod colore & conſiſtentia aquæ ſimile eſt: nam & pellucidum, & ſplendens, & purum eſt, & conſiſtentia tenue videtur, & guſtanti nullam affert qualitatem inſignem: ſique ipſum aqua diluas, non multum aquæ feret: quamobrem pauciferum veteres appellauerunt. huiuſmodi autem vinum non planè adſtrictionis expers eſt, ſed languidam omnino adſtrictionem habet, quoniam ſi ipſum aquæ compararis, ex ipſa aquæ comparatione exiguam adſtrictionem quandam factam fuiſſe ſenties: ac facultate quoque eſt aquæ perſimile. Nam neque imbecillum caput tentat, neque neruos debilitat, quum ne perſpicuè quidem calefaciat: quinetiâm nullam aliam qualitatem inſignem, vt neque auſteritatem, neque acerbitatem, neque dulcedinem, neque acrimoniam guſtui afferat. Accommodatum hoc vinum eſt ad educendum è pulmone, quum vires roboret, ſuccóſque humectet, & mediocriter incîdat. hoc quoque cum minore periculo quàm cætera vina omnia, febricitantibus datur, quod vt aquæ & vini prauitates effugiat, ei ſoli inter reliqua contingat. Iam verò præterquam quòd caput non lædit, etiam ſæpe prodeſt ſedando paruos dolores, quos humores ventre cōtenti procrearunt. Inuenies etiam nonnullos quibus ex aquæ potu dolor capitis oriatur, quum præſertim aqua vitioſa fuerit, vt ipſa corrupta natiuum ventriculi robur exoluat: quo imbecillo ichores bilioſi ex corpore in ipſius caua ſolent confluere: quemadmodum etiam ieiunantibus vſu venit, à quorum vitiis & noxis prædictum vinum hominem liberat: ac ſtatim quidem ratione contemperationis, paulo pòſt verò robur ventriculo addens, qui res noxias à ſe deorſum propellit. Homini verò temperaturæ valde calidæ, vtilior eſt aquæ potus quàm vini: ſi verò quandoque vinum dare oporteat, dandum quod tenue ſit & mediocriter auſterum. Mouent etiam vrinam vina aquoſa & tenuia, & minimum alimenti corporibus præbent, eàque ſola bono eſſe poſſunt ſi nouella bibantur, quale eſt id quod Gaurianum vocant, & quædam eorum quæ in Sabinis naſcuntur: & vbique fere gentium facile eſt huiuſmodi vina reperire. Quāprimùm verò apud nos ad bibēdum apta ſunt Tibenum & Arſynium, & poſt hæc Titacazenum. Dulce vinum exquiſitè tenue & ſplendidum nunquam reperies, ſed magis & minus ab his remota, & eorum neutrum habentia. Vinum omne dulce & craſſum conſiſtentiæ ratione calefacit: eiúſque ſingulæ facultates, quas epotum oſtendit, ex hiſce duabus qualitatibus conſequuntur. Color enim ſui ratione, ad iuuandum aut lædendum nullam vim habet. Quanto igitur tale vinum conſiſtentia craſſius fuerit, tanto etiam tardius trāſibit, vt non ſolùm aperturum non ſit partes aliquas obſtructas, ſed etiam eaſdem obſtructurum. Quamobrem iecori malè affecto vinum huiuſmodi maximè nocet: ac præſertim vbi inflammatione aut ſcirrho obſideatur: minus verò nocet ſi viſcus à craſſis humoribus ſit obſtructum, aut ſiquid propter imbecillitatem patiatur, quemadmodum in affectionibus quæ propriè hepaticæ nominantur, vſu venit. Poſt iecoris noxam, lienem vina dulcia lædunt: at pulmonem non item, quum in eius alis craſſus humor ſit impactus. Præterea verò dulce vinum in morbis acutis, vbi facta concoctio ſit, ad ſputum eliciendum, vt in peripneumonia & pleuritide, valet, vbi particulæ non amplius inflammatione vexantur: quantum autem dulcia abſunt à vehementi caliditate, eo minus etiam caput grauant & mentem lædunt. Melius verò per aluum ſecedunt, & viſcerum tumores augent: nec ſunt accommodata iis qui amaram bilem aceruant, quoniam omnes ſucci dulces, materiæ ſunt flauæ bili gignundæ. hæcque vina non ſolùm quia multus calor huiuſmodi ſuccos amaros facit, non ſunt febricitantibus idonea, ſed etiam quia craſſa ſunt, neque per vrinas citò excernūtur, neque ſecum cætera deducunt, neque bilioſos humores ſimul euacuant; ídque vnum in ſe bonum continent, quòd aluum emolliunt. Quocirca ea præ reliquis bibunt, quo bono ſi fruſtrentur, omnino lædunt. nam ad cætera mala hoc accedit etiam vt ſitim inducant: qua re oſtendunt ſe facilè in bilem cōuerti: ſed flatus etiam gignunt, verùm inferiori inteſtino non ſunt noxia, quanuis flatus qui ab eis excitatur tardi ſit tranſitus, & in hypochōdriis moretur, donec plenè concoquantur, & perfectè attenuentur: ſi verò ſemel concoquantur, naturam habebunt qua celerius commeabunt, & partium tenuiorum fiant. Dulce autem ſimul & auſterum vinum, quale eſt in Cilicia Abates, atque ex contrariis qualitatibus conſtans, prauum eſt, quum neque diſtribuatur, neque deorſum ſecedat, ſed diutius in ventre ſuperiore maneat, ipſúmque flatu impleat: at quod ſine dulcedine nigrum eſt, atque perſpicuè acerbum aut auſterum, id ſatiat, & tardè permeat, & vtranque excretionem, tam eam quæ per aluum, quàm eam quæ per veſicam fit, cohibet, & in hypochondriis diutiſſimè commoratur: facilè quoque aceſcit, & ad vomitum impellit, ac ſolùm ventris defluxionibus eſt accommodatum: ſed ita affectis non eſt bibendum ad ſatietatem. Auſterum verò vnà & album non eſt ipſum quoque ciendæ vrinæ aptum, verùm ſi craſſum ſit, in hypochondriis moram trahit: ſi craſſum non ſit, neque tandiu permanet in ventre quandiu nigrum, neque ita per vrinam expellitur, ſicut vina quæ alba ſunt & mediocriter auſtera. Fuluum verò auſterum conuenit ipſum quoque ventris defluxionibus: éſtque duplex fuluum, ſicut etiam nigrum, alterum dulce, auſterum alterum: ſed fuluum caput & mentem magis tentat quàm nigrum, quoniam eſt etiam eo calidius: at flauum ſummè calidum eſt, ſicut poſt ipſum tale eſt fuluum: poſt hæc rubrum, tum dulce: album verò min⁹ quàm alia omnia calefacit. Nullum autem album vinum dulce eſt, ſed quædam auſtera ſunt & craſſa, quædā aquoſa & tenuia. Ex flauis autem & fuluis, alia dulcia mediocriter ſunt, vt Hippodamantinum & Fauſtianum: alia neutiquam dulcia ſunt. Rubra ſunt his craſſiora quæ colore proximè accedunt ad nigra: quæ omnia ad proportionem craſſitudinis nutritū quāobrē iis quibus recreatione opus eſt, dulcia vina ſunt cōcedenda, ac præſertim ſi nihil eis vitii fuerit in iecore, liene, ac renibus. Quibus verò craſſus humor in venis colligitur, vinum tenuis conſiſtentiæ ex vſu eſt: verùm ſi frigidi humores in venis collecti fuerint, acria & antiqua conueniunt: ſi frigidi non ſint, ea apta erunt quibus neutrum horum inſit. ad ſucci verò bonitatem præſtātius eſt odoratum, cæterum caput ferit. Vinis auſteris vtimur vt

citatam aluum ſiſtamus, alioqui non vſuri, quod neque
deducendo alimento,neque ſanguini gignundo, neque
ſucci bonitati,neque ciendis vrinis, neque ſudoribus e-
liciendis,neque verò ſubducendæ aluo conferant. Ergo
corporibus quæ bilioſiora ſunt, nec Falernum nec Tmo
lite fuluum & dulce, neque Aruiſium, neque Leſbiũ o-
dorum & fuluum, antedictis ſimile, accõmodatum eſt,
ſiquidem hæc calidiora ſunt omnia: quique huiuſmodi
biberit,facilè caput dolebit,& in febrim incidet,& ner-
ui quoque patientur. Tale igitur vinũ nec bilioſis natu-
ris,nec peruſtis,neque in æſtu multo,aut inedia,aut mœ-
rore;aut anni tempore,aut regione, & calida cõſtitutio-
ne concedendum eſt.Idem verò è diuerſo probatur in iis
quibus excalfactione opus eſt, pituitoſis ac frigidis
temperaturis, crudiorũmque humorum copiam colli-
gentibus,vitam in ocio ducentibus,regione frigida atq;
hyeme, & cæli ſtatu frigido atque humido. Vinis au-
tem omnibus, quæ quidem nec craſſa valde nec dulcia
nimium ſunt,quale eſt Theræum & Scybelite,commu-
ne eſt vt temporis progreſſu flauum colorem acquirãt,
& aliquid ſpledeſcentis inſtar ignis habeant: nam nigra
quoque, cuiuſmodi eſt apud nos Perperiniũ,ſi inuetera-
rint,in rubram aut fuluam prius qualitatem, deinde ve-
rò in flauam abeunt. ita etiam album, quale eſt Bithynũ
Aminæum: hócque ita inueteratũ Romani Cæcubũ vo-
cant. Iámque huiuſmodi vinũm amarum eſt, & ob eam
cauſam minimè potui accomodatum: ergo ita vetuſto-
rum potus fugiendus, ſicut etiam nimis nouellorum.
Ac maximè quidem à vinis ſuapte natura craſſis, quum
nouella ſint,abſtinendum eſt:ſiquidem tantum abeſt vt
quicquam ad ciborum concoctionem cõducant, vt ipſa
etiã vix cõcoquãtur. Præterea verò nec aluum ſubeunt,
nec facilè diſtribuuntur,nec vrinam cient,nec gignẽdo
ſanguini,nec nutricationi cõferũt: manẽt verò diutiꝰ in
ventre ſuſpenſa ſicut aqua: ſique paululum quid eorum
quiſpiã bibat, facilè aceſcit. Porro vetuſtiſſima vina tã
tum ab albo vnà & auſtero, & nouo & craſſo differunt,
vt illa vehementiſſimè calefaciant,hæc verò ſic refrige-
rent vt ſenſus ipſe percipiat. Quemadmodum verò mu-
ſtum flatus plenum, & concoctu difficile,& craſſi ſucci
ſit, omnes norunt: quod etiam id ſolùm boni habet vt
aluum ſubducat: quòd ſi quandoque non faciat, perni-
cioſiſſimum eſt. Cæterùm celerrimè omnium alba & a-
quoſa inueteraſcũt,hoc eſt,celeriter in vetuſtorũ qualita
tem commutantur. Eſt autem ea qualitas, acrimonia pri
mùm qua planè calefaciunt, poſtea verò amaritudo: ad
quam aquoſa vina nouennio, aut quandoque decennio
perueniſſe vidimus,niſi primis tribus aut quatuor annis
aceſcere properauerint:at potentibus & auſteris,& albis,
ſed craſſis quandoque contigit vt etiam poſt decenniũ,
quum rite non aſſeruarentur,aceſcerent. Sed cõtingit e-
tiam vt plurimo tempore inueteraſcant: talia ſunt in I-
talia Tiburtinum, Signinum, Marſum & Surrentinum,
quod ferme ante viceſimum annum factum,potui aptũ
diu perdurat,nec facilè amareſcit, & cum Falerno præ-
ſtantia virtutéque contendit. His contrarias affectiones
patiuntur vina aquoſa, quale eſt, Sabinum,Gaurianum,
Arſynium,Titacazenum,Tibenum,& cætera generis e-
iuſdem,quæ omnia contrarias qualitates, acidam inquã,
& ſi perdurarint, amaram facilè ſuſcipiunt. Locus ta-
mẽ in quo reponuntur, vt ad alterutram mutentur qua
litatem,multũ facit. Optimus igitur in principio locus
frigidus eſt,poſt calidus,quoniam tepidus acida vina fa
cile reddit. quanquam vina quæ duobus aut tribus annis
frigido loco repoſita bona mãſerunt, in cellam calidam
ſatis poſtea tranſferenda ſunt,nec vnquam tepida & tem
perata indigent:quædam tamen vſque adeò debilia & a-
quoſa reperiuntur,vt frigus ne à principio quidem fe-
rant. Vaſa autem vinaria quæ recluſa ſinis, in cauſa ſunt
vt vinum facilè aceſcat:veluti contra quum operculum
habẽt,clauſáque ſunt,id minus eis contingit:& multo e-
tiam minus id vaſa plena patiuntur. Nam quæ aliquan-
tulum vacua ſunt, quoniam aerem incluſum habent,
per illum intermedium celerius ab extrinſecus ambi-

A ente immutantur: plena verò, ita vt operculum vi-
num attingãt, per illud quidem imbecilliter admodum
& obſcurè eouſque vitiantur quouſque tegumenti den-
ſitas peruenit. ex quo fit vt picata & gypſata dolia diu-
tius vina ſincera conſeruare comperias:ſed quæ ſolo co-
rio,ſicut ea etiam quæ cuneis obſtruuntur,minus durãt.
Cæterùm in Aſia apud nos tria vina fulua ſunt præſtan-
tiſſima,Tmolite,Leſbium,& à veteribus laudatiſſimum
Aruiſium,quod in Chio cõficitur: quod omnes ad opti-
ma medicamenta, & præſertim ad antidota conficienda
B adhibuerunt.

Rufi,de vino: eſt libro XII. de diæta,vel
potionibus, Cap. VII.

VInum ſic ad ſanitatem,vt rem vllam aliam cõmen-
do:ſed oportet bibentem ſcientia præditum eſſe, ſi
velit non grauiſſimas pœnas dare. Etenim vinum poteſt
calorem accendere,corpus viribus implere, alimentum
omnino concoquere: neque vllum vinum tam prauum
eſt quod hæc non faciat:ſed hic quoque vt in cæteris, &
deterius & melius comperies. quinetiam vinum pote-
C rit animum quodãmodo afficere, quippe quum vinum
ſit mœroris medicamentum. atque Helena quidem mi-
hi videtur hoc crateri infudiſſe,vt mœrorem ſedaret. Ei
ergo qui moderatè bibit, & voluptatẽ, & humanitatem
& bonam valetudinem affert: is verò qui immoderatè
potat, aliquid quidem iucunditatis in nimio potu, ſed
incommodi quoque aliquid capit. Nam quî fieri po-
teſt quin incommodo afficiatur is qui nimium bibit,
quum animus in tanto vino immerſus ſit,vt eo cali-
diſſimo frigefiat? Sunt autem tibi hæc argumenta: nam
D ebrii corpus impotens primùm fit, tum ſomno graua-
tur, & calore quoque alimentum concoquitur: atque
hæc quidem ebrii patiuntur,vt ſtatim frigeſcant: poſtea
verò ne ego quidem explicare queam quot malis circun
ueniantur: nam & veriſimile eſt eos attonitos reddi, &
articulos vitiari,& partem aliquam debilitari corporis,
& iecori, ſpleni, capitíque proprios cuiuſque morbos
afferri. Ac mihi quidem talia cogitanti videri ſolet ad-
mirabile quî fiat vt quum in vino tot bona tótque mala
planè appareant, liceátque ex vino optima quæque ſu-
E mere,homines tamen peſſima potius eligant.

Galeni,de ſapa, Cap. VIII.

SApa ex muſto fiat: id autem non ex auſteris vuis, ſed
quamdulciſſimis paretur: neque ex primo fluẽte,ſed
poſtremo. Tale muſtum ſi fuerit,vſque eo coquendum
eſt dum ad dimidium eius quod initio iniectũ fuit re-
digatur:ſin minus tale fuerit, ad tertias erit coquẽdum.

Rufi,de ſapa. ſumptum ex ſecundo libro de
victus ratione, Cap. IX.

SApa vim habet ipſa quidem calfaciendi, ſed non ta-
F men æquè ac vinum: qua de re quidã etiam eam fri-
gefacere putauerunt. mihi verò non probatur, dulce ita
refrigerare,vt exiſtimant: quoniã neceſſe eſt,dulce ſua-
ue eſſe: quod verò ſuaue eſt,effuſionẽ aut diſſolutionem
facit: hæc verò calor efficit. Verùm neque per vrinam
expellitur,neque ad diſtributionem facilè mouetur,ſed
in ventre moram trahit,cúmque propter craſſitiem im-
plet; & ſua craſſitudine ſanguinẽ quoque craſſum facit:
præterea craſſum iecur,craſſúmque lienem efficit.

Galeni,de aceto, Cap. X.

G ACetum ex mixta ſubſtantia,frigida,& calida,quarũ
vtraque tenuium partium eſt, conſtat: veruntamen
frigida facultas quæ tenuium eſt partium in eo excellit:
quocirca vim habet repellendi.

Rufi,de aceto,ex ſecundo libro de diæta,
Cap. XI.

ACeti vſus in ratione victus eſt plurimus: nam ex eo
præſtantiſſimũ condimentũ obſoniis accedit,mul-
táque ſine aceto veſca non ſunt, ſique aliquis eo non v-
tatur,maximè lædetur,nõ ſecus quàm ſi etiã ſine ſale ci-
H bis veſceretur is cui ſal conueniret. Eſt autẽ cordi accõ-
modatiſſimum,& cibo aptiſſimũ,& concoctiones adiu
uat, & pituitæ inimicum. Laudatiſſimum verò acetum
ex potentiſſimis vinis fit:talia ſunt quæ acerbiora ſunt.

Ruſi, de potione quadàm quæ ex vinaceis ſit, ex eodem libro, Cap. XII.

EX vinaceis huiuſmodi potio conficitur. expreſſo ex vuis vino, aquam vinaceis immiſcent, eáſque calcāt, deinde exprimūt, túncque decoquunt donec tertiā toti⁹ pars reſtet. Fit potus dulcis quidem vt ſapa, ſed neque craſſus neque potens. Sique aliquis diligenter decoquat, & ſuauis, & ad vrinam aptus, & flatus expers reddetur, vt etiam ægrotāti confidenter dare queas, ſiquādo opus ſit: ſi non decoquas, acetum inde prauū fiet. Dioſcorides verò ſingulis eius vini decocti cōgiis ſextarios duos ſalis miſcet, & poſt hyemē in dolia condi iubet, ſuadétque vt poſt annum eo homines vtantur, quoniā citò exoleſcit.

Ex Dioſcoride, de vino impotenti, Cap. XIII.

EST etiam aliud quòd ἀδυνάμον vocant. par autem muſti & aquæ menſura miſcenda eſt, tum lento igni leniter decoquenda donec aqua tota cōſumatur: quúmque refrixerit, id in picatum dolium fundemus.

Galeni, de melicrato, Cap. XIIII.

MElicratum non admodum vtile eſt iis qui amaram bilem coaceruāt, quoniam in eis in bilem vertitur niſi prius vel inteſtina vel veſicam pertranſeat: quod ſi faciat, nō modò non lædit, verumetiam maximè iuuat: nam ſecum bilioſa excremēta deducit. Ergo huiuſmodi naturis dilutius melicratum dare conuenit, vt nec ſitim afferat, nec bilem gignat. Vt autē iis in quibus amara bilis redundat, ita iis quibus in tumorē elata ſunt viſcera ſiue ex ſcirrho, ſiue inflāmatione, ſiue œdemate, eſt incōmodum: nam in eis prauum fit, quia citò pertranſire viſcera ipſa non poſſit, & facilè in bilem conuertatur, præſertímque in inflammationibus propter caloris magnitudinem. Mel igitur quoniam rerum omnium eſt dulciſſimum, quum in calidam corporis temperaturam incidit, ſtatim mutatur, & in bilioſum humorem in ventre citò conuertitur, priuſquam in venas diſtribuatur: ſi verò abſq; huiuſmodi mutatione diſtribui properet, omnino in venis cōmutatur. Cætera verò ad proportionem dulcitudinis, ſuſcipiunt eadem ratione citius aut ſerius mutationem, vt in calidiore natura citius, in frigidiore tardius immutentur. Quum igitur mel in acutis morbis in bilem conuertatur, & ob eam cauſam eis ſit noxium, aqua autem tardè penetret, & in hypochōdriis diutius moretur, ſitque idcirco fugienda: id quod ex vtríſque miſtum eſt, idoneum redditur, quum ea temperatura conſtat, vt aquæ plurimæ tantum mellis miſceatur, vt viam aquæ paret, & eā ad diſtributionē ducat. His enim ita temperatis vrinæ facilius tranſibunt, & ſputum ocyus educetur: ſi verò multū mellis imponas, ſitim facit, & ſputum viſcoſum reddit. Ad hæc igitur melicratum dilutius eſt magis accomodatum, meracius verò ad alui deiectionē: ac melicratum quidem crudum magis aluum ſubducit: probè autem coctum valentius alet. Fit autem ad hunc modum, primùm multum aquæ melli indimus: deinde tantiſper coquimus quoad ſpumare deſinat: ſpumā autē quū primùm emergat, tollere ab eo oportet: atque ita quidem paratum acrimoniā deponet.

De apomelite, Galeni, Cap. XV.

APomel aquæ frigidæ mixtū vt refrigeret, ac ſitim extinguat, æſtiuo tempore bibunt: éſtque vtile iis qui crudos humores coaceruant, ac præſertim vbi coacuit: id quod ei ſæpe cōtingit, aliâs magis, aliâs minus: vtpote quod ex aqua non pluuia, ſicut hydromalum, ſed qualibet confectum ſit. Ad hunc verò modū conficitur, è fauis non vitioſis expreſſum mel in lebetem in quo ſit aqua fontana quæ pura & ſuauis ſit, coniicimus: deinde coquendum donec faui omnem eorum humorem depoſuiſſe planè videantur: tum reponimus atque aſſeruamus, eóque in potu vtimur, quē veteres ὀξυγλυκὺ, *hoc eſt acidum dulce*, nominauerunt.

De hydromelo, quo veteres vtebantur, Galeni, Cap. XVI.

QVum aqua pluuia ceſſat putreſcere, tum dulcedinem acquirit. hac mel prius decoctum, & à quo ſpuma ſit abiecta, permiſcemus, eóque vtimur: hæcque potio conſueto nomine hydromalum nōminatur. Dioſcorides verò id hydromeli vocat: aitque cōfici, vt vni mellis parti duæ partes aquæ pluuiæ veteris miſceantur, & ad ſolem teneantur: traditque nonnullos aquam fontanam admiſcere, & ad tertias decoquere, & reponere.

Philagrii, de apomelite, ex libro de potionibus ſuauibus, Cap. XVII.

TEmpus apomelitis potioni accommodatum eſt, quum ſignū coctionis apparet: ac in febribus quidem ex vrinis: in pulmone verò, ſi quippiā ſit quod hac potione indigeat, quòd ea quæ expuūtur nobis indicet, non importunè quoque ante coctionem dabitur: ſiquidem vim quandam habet incidendi & abſtergendi, poteſtque ipſum concoquere: ſed melius etiam concoquit quàm melicratum. Præſtantius ergo tempus apomelitis eſt poſterius, vtpote quod vinoſi quidpiā acquiſiuerit. euenit enim vt febres magis accēdātur ex vini potione, niſi iam morbus declinat, quo ſanè tempore cauſæ extenuatæ ſunt, & meatus aperti fuerunt: ac tum quidem vinum potui datum permeat, nec febres auget, & ad cutim calorem trahit, & humores temperans ſtatim acrimoniā extrahit: paulò pòſt verò ſudores quoſdam & vrinas commouet. ex quo fit vt tēpus declinationis ſit vini & aliorum potuum vinoſorum potioni accommodatum. Sed quoniam apomeli eſt vino itidem in calore debilius, habétque vim incidendi & abſtergendi, idque vim habet præparandi ſolutionem febrium quæ ex putreſcentibus humoribus accenduntur, idcirco fit vt etiam ante declinationem apomeli potui detur. At melicratum compoſitum ſtatim præbetur: oxymeli verò dari poterit ſtatim confectum: ſed ſi melius ſit, diutinum illud dato: tunc enim facultates inter ſe diligenter ſunt diſtinctæ. Rhodomeli verò & omphacomeli & diacodyon inueteraſcere valde poſtulant. pars enim in eis craſſa & fæculenta eſt, pars verò contrà vtilis & potabilis: & tempore opus eſt vt ſecernatur, idque præſertim in apomelite, quod priuſquam vinoſi quidpiam quod tractu temporis acquiſiuerit, & guſtanti & odoranti afferat, nihil à melicrato differre videtur. coctū enim, & ſex menſium ſpatio aſſeruatum, non ſolùm ea quæ dixi præſtat, ſed vim etiam roborandi, more vini, demonſtrat, nec caput tentat. ergo diu antè factum apomeli bibendum eſt. Hæc verò eſt eius cōfectio, Fauos mellis plenos, albi coloris, pellucidúmque mel continentes capimus, manibúſque humorem exprimimus: aquam fontanam optimam indimus. ſi mel craſſius ſit, vni mellis parti quatuor aquæ partes iniicimus: ſi mediocre, tres & dimidiū alterius: ſi tenuius ſit & liquidius, tres. Partē verò terreā faui, reliquias inquam ex quibus mel expreſſum fuit, manibus multum confringimus, & in tenues partes diſſectas in aqua exprimimus: deinde humorem in vnum adductum, & totum mel diſſolutū in ollam nouam, in qua prius ad terreum odorem tollendum aqua pedetentim ferbuerit, coniicimus, & igni ex carbonibus, aut tenuiore flamma ex lignis fumum non reddentibus decoquimus, ablata iugiter ſpuma, & quicquid veluti fæx feruendo reiicitur. Poſt primam verò coctionem auferimus quicquid terreum eſt, ac nimirum etiā ſpumam, ollā ab igni tollimus: deinde planè frigere ſinimus. Vbi iam frigida ſit, quod ſuprà fluitat abiicimus: totum poſtea ſic frigefactum igni excalfacimus, & vbi ferbuerit tollimus, & vbi frigeſcat, iterum quodcunque ſuperfluitat excipimus: vbi verò tertiò ferbuerit, frigefactum ſit, & excrementum abiectum, apomeli confectum in vas fictile cōiicimus. Sunt autem ad hoc accommodata quæ Philadelphina & Caryena & Omphacera nominantur: id reponimus in cella vinaria, vbi vinum reconditum moueri non ſolet. Eſt verò perſpicuum hoc eſſe diutius decoquēdum: nam ſi ollam auferas, vbi feruere incepit, aut parum ferbuerit, imperfectam coctionem facies, & excrementum terreum in ea relinquetur, quod efficere poterit vt potus putreſcat & corrumpatur. Eſt autem

& corrumpatur. Eſt autem duplex apomelitis compoſitio: alterum fit, quum ſoli faui poſteaquã mel expreſſum fuerit, in aqua decoquuntur: quod ruſtici plerunque faciunt, quod & vinoſum & craſſum & nigrius eſt: alterum verò quale ego deſcripſi, in quo mellis poti⁹ quàm fauorum vſus cernitur, quandoquidem faui in aqua tum lauantur, non coquuntur: quum tamen mel totum cum aqua decoquatur. Hácque compoſitione nos ſemper vtimur, aquæ ſolius potione vtplurimùm deuitata: ſiquidem ea ægrotis febricitantibus neque pauca neque exigua mala ſolet inuehere.

De confectione quæ διὰ κωδειῶν dicitur, Galeni, Cap. XVIII.

VNi aquæ ſextario capita papaueris decẽ iniiciuntur: præmacerantur vnum diem & noctem, ſi humidiora & molliora fuerint: ſi verò duriora & ſicciora ſint, etiam diutius quàm vnum diem. melius verò eſt nõdum indurata accipere: eſtque perſpicuum, valde mollia abiicienda eſſe. Nam ſicciora exiguum ſuccum habent, humidiora verò multum quidem, ſed incoctum adhuc & aquoſum, & debilem: quamobrem ex humidis & paluſtribus locis accepta, fugienda ſunt. Numerum verò quẽ dixi indi oportere iuxta aquæ proportionem, de iis quorum eſt mediocris magnitudo intelligere oportet. Quædam nanque ſunt moderatis maiora, quædam minora, quædam verò media, vt plerunque eſſe ſolẽt: ex his prædictum numerum ad ſextarium coniice. Coquendi terminus eſto, non vt tertia, aut quarta, aut aliqua alia talis pars aquæ reſtet, verùm quumprimùm tota flaccida facta fuerint, quippe quum eorum ſuccum velimus exprimere: id quod ſatis vſu veniet, eis flaccidis effectis. Huic ſucco mellis dimidiam menſuram adiiciendam cenſeo, & igni fumi experte coquendum ſimul ad Attici mellis conſiſtentiam. coquenda præterea ſunt in aqua pluuia aut fontana. Vſus eius eſt in iis quibus ſomno opus eſt, quibus etiã ſæpe medicamenta ex opio confecta damus, quibus tenuis defluxio à capite ad aſperã arteriã deſtillat, quæ propter tuſſes inſequẽtes dormire nõ ſinit. In hiſce confueui etiã medicamenti confectionẽ ex ſapa parare: ſatis autem ad eiuſmodi coquitur, quum capita papaueris ad aquæ medietatẽ fuerint decocta. quinetiã ex paſſo & ſapa Cretica melius quàm ex melle coquitur, vbi fluxus valde tenuis ſit. mel enim attenuandi vim habet, & tunc fugiendum eſt, quoniam tenues defluxus auget. Huic etiam medicamento dum coquitur, radix glycyrrhizæ addenda eſt quò ſimul coquatur: vbi hæc non ſuppetat, ſuccus impo nẽdus qui ex Creta aduehitur. Si verò copia defluxus à capite delati in pulmone cõſiſtat, confectio ex melle eſt accommodatior. ergo ad id quod vrget animum aduertẽs, vbi in ſomnum vertitur æger, aut quod ex melle conſtat, aut quod ſine melle apparatum eſt, medicamentũ dabis. Aliquãdo etiam vtrunque permiſcebis ad id quod vrget, in miſcẽdo intentus, vt ſcias cuiuſnam maior imponenda ſit copia. Datur verò commoderata menſura, duorum ſatis magnorũ cochlearium magnitudo: hanc menſuram augebis aut minues, habita ratione magnitudinis corporis cui das, itémque ætatis, annique temporis & regionis. In his enim omnibus, frigidioribus minimum dabis, calidioribus amplius. Habita verò etiam ratione quantitatis & qualitatis ipſius defluxionis, te plus minúſque daturum planè patet: ſiquidem hoc in omnibus auxiliis eſt commune.

De eadem confectione ex capitibus papauerum, Philagrii ex libro de potionibus ſuauibus, Cap. XIX.

EGo non ſolùm iis qui ſe quieti tradidiſſent, ſomnóque indigerent, confectionem ex capitibus papaueris exhibui, aut ad tuſſes arcẽdas dedi, in quibus & dandi tempus & menſuram rite Galenus definiuit: ſed etiam iis qui vehementi febri iactarẽtur, quique calore quem ferre non poſſent affligerentur, & os ventriculi ardore opprimeretur: itémque in eryſipelate & alio calido quouis affectu: in quibus etiam valde quãtitatem auximus, vt quinque & ſex cochlearia daremus: idque non ſemel,

A ſed & bis & ter, ídque ſæpius in die: nec ſolùm in ſtatu morborum quos febris affert, ſed etiam antè ſtatum, & verò etiam ante concoctionem euidentem in quibus vigilia calórque acet, aut magnus quidam hominem oppugnabat. Idcirco rectè facere mihi videntur qui antè ſtatum morborũ qui ex febre exiſtunt, bibere hanc confectionem volunt, vt oxymel admiſceant: quandoquidẽ oxymel eius materiæ craſſitudinem attenuat, ſeruátque cõfectio ſuam vim refrigerãdi, & celeritati cõcoctionis nullum affert incommodum. Nec ſolùm verò in febri-
B bus ex humorum craſſorum corruptela accenſis oxymel admiſcere, & præſertim quum ante ſtatum damus, ſed etiam in viſceribus obſtructis, vt iecore, pulmone, liene, & eiuſmodi febribus adurentibus oportet: tunc autem quinque aut ſex perfecta cochlearia damus, nec frigiditatem nimiam, quemadmodũ in iis quos tuſſis abſque febre vexat, pertimeſcimus. Calorem enim qui præter naturã eſt corrigimus, cui etiam conuenit quantitas medicamenti, vt ad naturalem calorẽ redigatur, quum minimè videlicet vehemẽtibus potionibus accenditur. Sed
C non ſolùm febris, verumetiam acceſſio debent conuenire, vt vterque vigor, & priuatæ acceſſionis & morbi ipſius in vnũ incidat. Vehemẽtes autẽ potiones voco eas quæ magnopere augentur, quum morbum criſi diſſolutum iri ſperamus: nam ante morbi vigorem, quum nobis perſuademus criſim nihil mouere poſſe, nos refrigerationis cauſa potione vtimur, eiúſque moderatam menſuram damus: ſed eandem etiam dare poterit quiſpiam in ſtatu vel ſolam vel cum oxymelite & cum omphacomelite, modicum tamen admiſcens: & alioqui e-
D tiam cum rhodomelle, & vino aliquo eorum quæ permeant: ac præſertim ſi confectio ex aqua facta ſit, quum aqua ſuapte natura tardi ſit tranſitus. Eſt autem paulo melius ad capita papauerum decoquenda, vinum quod magis tenue ac pellucidum ſit quàm aquam aſſumere: ita enim melius penetrat, & roborandi quoque vim habet. Quinetiam in cute denſiore hoc vinum admixtum melius adiuuat: quemadmodum etiam omphacomeli aptius eſt in corporibus rarioribus, aut ore ventriculi imbecilliore, & magis etiam ſi cibi faſtidio teneatur. Iis
E præterea qui dulcia bibunt, aut aliquem in ventre habẽt medicamentoſum humorem fluentem aut bilioſum, iis qui ita affecti ſint, rhodomeli admiſcebis. Atque hæc quidem in febribus ſatis diſtincta ſint nobis: cæterarum verò affectionum deinceps eſt faciẽda commemoratio. Hic igitur potus non ſolùm pulmoni ſuppurato & defluxione oppreſſo & tuſſienti vtilis eſt, ſed cæteris itidẽ viſceribus: quamobrem damus non modò hepaticis & ſpleneticis, ſed etiã quibus renes & veſica vitium cõtraxerunt, ſi modò calida ſit affectio. Ergo vrinæ ſtillicidia
F quæ ex lotii acrimonia ſint exorta, præcipuè verò in balneo, aut ante balneum, copioſè datus efficaciſſimè comprimit: inſtituendáque eſt victus ratio craſſior, & ſucci melioris. Ad renum autem vitia, & quum ilia atque lũbi calidiores ſunt, hic potus valde facit: itémque accommodatus eſt iis quibus diabete & cholericæ affectiones periculum minantur: in quibus vtriſque ſi nihil vetet, frigida temperatus, ſæpe eſt vtiliſſimus. Etenim extremum cholericorum affectuum remedium frigidus potus eſt: ſed totus venter prius roborari debet melino
G & maſtichino, & vuæ acerbæ ſucco, & aliqua portiuncula aluminis ſciſſilis, & cæteris generis eiuſdem: totáque ægroti cutis diutius confricanda eſt manibus inunctis, aut etiam linteis mollibus: tum cucurbitulæ dorſo, ſcapulis, & thoraci affigendæ. Poſtremò hunc potum calido omphacomelite temperatum dabimus. Si verò his peractis inanitio valde perduret, ſitque aliqua ſyncopes & cõuulſionis ſuſpicio atque timor, ad frigidæ potionẽ neceſſe eſt confugere. Thoracem verò euacuabis, ſi hoc
H quoque opus eſſe propter vigilias aut calorẽ immoderatum videbis: ſi verò concoquendus morbus ſit, butyro, & terebinthina, & iride, vnà cum eis vti poteris. Si inueterarit, mel quoque & ſimilia danda erunt: & quum ſomno ſe traderit, potum ipſum dabis: ſi verò humores cõtentos ſecare & abſtergere oporteat, tũ hæc ipſa, tum

verò etiam pulegii comam, itémque hyſſopi & adianti & panacis ex aqua decoques: atque etiam oxymel ſolum, vel cum herbarum decoctione propinabis: id quod facies eo tempore quod antè dixi, vnà cum medicamento quod ex papauerum capitibus conficitur: & ſi opus fuerit, etiam de die, aut alio quoque aliquo nocturno tempore, quum febris ardens aliqua aut vigiliæ vrgeant,

Philagrii de cõfectione ex malis cydoniis, & quæ ex cornis & aqua fit, ex eodem libro excepta, Cap. XX.

CONfectio ex malis cydoniis ad hunc modũ paratur. aufertur cortex & medulla, & coquuntur ex optima aqua fontana, donec tertia pars aquæ conſumatur: reliquæ verò duæ partes vaſis fictilibus rectè infunduntur, & prædictis locis accommodatis reponũtur. Fit hoc vinoſum & auſterum, & potum cœliacis prodeſt, & os ventriculi imbecillũ atque hepar corroborat, quum ſeipſis humidiora quandoque ſunt facta. Quandoque autem optimum mel admixtũ perfecta iam coctione inditur, idque non ſolùm voluptatis cauſa, ſed etiam vt compoſitio cõſeruetur. humor enim, ſi in eo mel ſit, non facilè putreſcit. Eſt ergo perſpicuum id conuenire iis morbis in quibus abſtergendum vnà & adſtringendum ſit, quales ſunt partium internarum vlceratarũ, vt oris ventriculi atque ſtomachi. Huic ſimilis quidam potus ex aliis quibuſdam fit, & præſertim ex iis quæ corna dicuntur, qui & eodem modo conficitur, & parem ei qui ex cydoniis fit, vſum habet.

De omphacomelite, Philagrii, ex eodem libro, Cap. XXI.

ACreſtæ racemos propè initium maturationis capere oportet quum acidam qualitatem cõſiſtentem adhuc ſeruant, neque adſtrictionis ſunt expertes: deinde loco temperato reponere tribus aut quatuor diebus, ac præcipuè ſi aër ambiens ſit humidior. Poſtquam verò repoſiti fuerint, exprimendi ſunt, ſuccúſque in vitreum vas excipiendus, tribúſque ſucci partibus vna mellis optimi deſpumati adiicienda. Multis verò diebus id inſolabis vſquedum acreſtæ humor feruefactus conſiſtat: id quod longo tempore fieri ſolet: deinde in ſublimiore parte domus ſeruato, ne putreſcat. ita ego medicamentum hoc facere, & ad prædictas affectiones vti conſueui: itémque in iis quorũ inteſtina diuturnis & tenuibus defluctionibus infeſtantur, ſic vt continuæ excretiones ex quadam intemperie calida fiant. Id etiam dare ſoleo iis quibus os vẽtriculi propter calidam ſimul atque humidam affectionẽ non appetit, quum prius per alia quædã abſterſero ea quæ ad ipſum ventriculi os humores quoſdam vitioſos mittũt, & ne appetitus excitetur, prohibent. Do etiam non præmiſſa abſterſione iis quibus ſuccus non fuit epotus: probè enim inappetẽtias omphacomeli potũ ſedat, ac præcipuè ſi meracius potui detur. Confert etiam iis qui propter corporis raritatẽ ex tenuitate humorum fluẽtium animo linquũtur, & præſertim in febribus: quorum repentina purgatio ſine perſpicua excretione facta, morbi naturã valde producit. In quo genere affectionis tota curationis vis in vino quod permeet, & alicuius adſtrictionis particeps ſit, collocata eſt: ſi tale non adſit, poterimus vino tenuis ſubſtãtiæ & flaui coloris hunc potum miſcere, & ita ex pane propinare: atque æſtate quidem aqua frigida temperatum, ſi nulla in partibus principem locum tenentibus inflammatio ſit: hyeme verò, calida neceſſarió. Quúmque hæc ſyncope vehemens accidit, ſemper calida temperare oportet. Eſt etiam quum acutiſſima diſtributione in acutiſſimis ſyncopis indigemus: atque iis quidẽ qui ita exoluuntur, accommodatum eſt quod & citò diſtribuitur, & quod ad cõtinendum valet: taléque erit meritò quod calidam & adſtringentem in ſe vim habeat: nam vi caloris penetrat, adſtrictionis autem vi permanet. His ergo rationibus omphacomeli eſt accommodatum: nam mel in ſe habet vt penetret, itémq; acris qualitas. Adſtrictio verò quæ ſuapte natura tardè permeat, eſt permanẽs: ſed erit præſtantius ſi vinũ aſſumpſerit, vt acidã in eo facultatem qua ſucci attenuantur, obtundamus: ideóque vinũ fuluum & ſubdulce, & non admodũ tenue, eſt ad miſcendum accõmodatius. Ergo ad calidas intemperies & morbos vtilem cõperies vtrunque potũ, & qui ex capitibus papaueris, & qui ex acreſta & melle fit: & poſt hos eum qui ex roſis & melle conficitur, quod etiã omphacomeli ſuperat: & ob eam ipſam cauſam iis qui propter mordaces & calidos humores, atque etiã febri acutiſſima exuruntur, vtiliſſimum eſt, in quibus videlicet nõ eſt moleſta ventris ſolutio. nam in eiuſmodi illud eſt præſtãtius. febrium enim affectionem ſimul concoqui par eſt, vt ita vtrunque eorum poſtea detur.

De rhodomelite, Philagrii, ex eodem libro, Cap. XXII.

MEl roſaceum, tres ſucci roſarum excolati partes, vnámque mellis capit. coquitur ad ſolem eodem modo quo omphacomeli. leuiter autẽ adſtringit & refrigerat, & nonnihil etiam abſterget, & neſcio quid acrimoniæ nanciſcitur: ideóque ori confert quod calida inflammatione, & quod ob talis fluxionis defluxũ laboret: leuiter enim id quod delabitur cõprimit, & quod feruet, moderatè refrigerat: potéſtque acrimoniã retundere non ſecus quàm potus ex capitibus papaueris facit. Ita etiam facit in humoribus qui in profundo ſint ſiti. Nam vi abſtergendi eluit mordaces humores, & refrigerium affert iis qui calore & morſu vexãtur, & adſtrictione naturales facultates corroborat. Præterea verò aqua mixtum cum aliis, tum verò etiam febricitantibus damus, quum vigor acceſſionis & morbi ipſius iam conſtiterit. Iis quoque in quibus non eſt humorum redundantia dari poteſt abſque omnimoda euacuatione, itémque iis in quibus accẽſi ſunt humores, aut noxia euomuerũt, aut excrementa infeſta per inferiora expulſa ſunt. Sed in iis qui exuruntur, eius potio cõtinua erit, vt aliquis medicamentoſus humor ad os ventriculi ex partibus adiacentibus intercidat. Ac ſæpenumero etiã in febribus vna tantùm potio copioſor in tempore cõgruo data integrã morbi ſolutionem potuit afferre prouocato ſudore, aut citata aluo, aut vomitu moto, quæ ex cæteris quoque potionibus in vigore datis conſequi conſueuerunt.

De ſelinato, Philagrii, ex eodem, Cap. XXIIII.

APii decoctum, & flatum incoctum & crudum facit, & copiam humorũ per vrinas ducit: ídque dari conuenit iis qui febri iactantur, & præſertim ſi acuta febris ſit, quum non confertis criſibus earum ſolutio perficitur, ſed cõcoctione ea quæ adiuuãs nominatur. ſed præſtat radices modicè decoquere, ne ita vehemẽs ſit: & antequam humores febrim accendentes diſcernantur, non erit potui dandum.

De oxymelite, Galeni, Cap. XXIIII.

QVũ melicrati facultas cætera omnia habeat quæ ad acutos morbos opus ſunt, in vno tamẽ duntaxat eis eſt contraria, quòd ſupercalfacta in bilem conuertatur: hanc eius mutationem aceti permixtio cohibens, præſtãtiſſimum medicamẽtum efficit: tantúmque aceti melicrato addendum eſt quantum ſatis ſit vt facultas in bilem cõuertendi corrigatur. id enim ſitim non afferet, ſputáque non omnino craſſa & glutinoſa facilè educet. Has verò ambas eius actiones ſequitur etiam oris & faucium humectatio: & qua ratione hæc efficit, eadem quoque iecori & lieni ſummè eſt accõmodatum, quum viſcera abſque moleſtia expurget. In pulmonis verò thoracíſque affectionibus eius vſus eſt plurimus, maximámque affert vtilitatẽ propter cõmoderatã aquæ, aceti ac mellis miſtionẽ. tale enim oxymeli ſpiritũ craſſum & flatuoſum in hypochõdrio ſecat: & flatus rũpens, viáſq; omnes expurgãs, ad vrinas ſeroſa & biliosa excrementa deducit. Oxymeli igitur mediocriter tẽperatũ, noxas omnes quæ ex melicrato, vino & aqua oriuntur, effugiẽs, ſolum nocet interdũ, quòd inteſtinũ radit: ídque facit iis qui inteſtinũ imbecillius habẽt natura, & quod ad patiendum ſit idoneum. Quum igitur mel facultate calidum ſit, & in bilem citò in calidis corporibus vertatur, idcirco eduliũ eſt pituitoſioribus naturis & ſenioribus, ac morbis frigidis accommodatum: at oxymeli omni ætati & naturæ ad tuendam valetudinem vtiliſſimum

eſt quũ omnes anguſtos meatus aperiat, ſic vt craſſus aut A
glutinoſus humor nuſquam contineatur. Quam etiã ob
rem medicamenta quæ tueri valetudinem à medicis di-
cuntur,attenuãte facultate ſunt prædita. Ac tibi quoque
& ratione & experientia perpendenti ea quæ ad victum
attenuantem faciunt, oxymeli accõmodatiſſimum vide-
bitur: nam neque mali ſucci eſt, neque ſtomacho infen-
ſum, neque vllam aliam abſurdam facultatem habet. Si
verò ſcilliticum acetum fuerit,ita non modò eorum quæ
ad victus rationem,ſed omnium medicamentorum accõ
modatiſſimum ad incidendum eſt,conuenitque hoc vti, B
itémque vino & aceto, eos qui ſummè incidere & atte-
nuare morbum qui in corpore ſit, quod craſſum,glutino
ſum,& pituitoſum excremẽtum contineat. Atque infini-
tos propè vidi qui ex aceti ſcillitici atque etiã vini vſu,
ad vitæ finem vſque ſani vixerunt. Oxymeli verò hoc mo
do conficiendum eſt. Melli optimo ſuper carbonibus ſpu
mam aufer, in ipſúmque tantum aceti coniice quantum
guſtanti nec acidum nimis nec dulce videatur, ac denuò
ſuper carbones coque quoad planè in vnum coierint am
borum facultates, nec appareat guſtanti acetum adhuc C
crudum: hinc ab igni auferes,quúmque vti voles,aquam
miſcebis,ita temperãs vt vinum. Ergo melius erit ex ſu-
mentis guſtu quàm noſtro,iudicium de modo facere; id
eſſe ſumentis naturæ aptiſſimum oxymeli exiſtimantes,
quod vtique eſt iucundiſſimum, proindéque vtile: ad-
uerſiſſimúmque eſſe quod eſt iniucundiſſimũ. Eius tamẽ
primam miſtionem vt quamplurimis conueniat, talem
eſſe oportet: Vni aceti parti, mellis à quo abiecta ſpuma
ſit,duplum miſcendum eſt. Cum aqua verò ſtatim ita in
initio facies: Melli quadruplum optimæ aquæ admiſce- D
bis,deinde coques mediocriter quoad ſpumare deſinat.
Ac malum quidẽ mel multum ſpumæ egerit: quamobrẽ
eſt etiam coquendum diutius: optimum verò vt breuiſſi-
mo tẽpore coquitur, ſic minimum ſpumæ emittit,vnde
nec pari ei coctione opus eſt. Plurima igitur coctio quar
tã partẽ eius quod initio inditum eſt,amittit. Conficitur
etiam oxymeli, tribus ſtatim ab initio mixtis,vt ſit aceti
pars vna,mellis duæ, & aquæ quatuor: hæcq; ad tertiam
aut quartam partem coquuntur,ſpuma interim detracta:
ſique valentius facere volueris, tantundem aceti & mel- E
lis iniicies.

Aceti ſcillitici,& vinorum confectio,ex
Dioſcoride, Cap. XXV.

ACetum ſcillinum fit hoc modo; Scillæ purgatæ &
candidæ minam concidimus, & in boni aceti ſexta-
rios ſex coniicimus; & vaſe diligenter operto ſex mẽſes
ita ſinimus, tum exceptam ſcillam exprimimus atque
abiicimus: defæcatum verò acetum in vaſe funditur ac
reponitur. Datur quotidie ieiunis ſorbendum,inter ini-
tia modicum, paulatim adaugendo vſque ad cyathum: F
nonnulli tamen duos cyathos aut plures etiam dederunt.
Scilliten autem vinum ſic facies,Scillæ purgatæ & diſſe-
ctæ minas tres in muſti boni metretam Italicam demit-
tito,operculo obducito, ac ſemeſtri ſpatio ſic demittito:
poſt id tempus excolatum vinum recondito: vetuſtate fit
præſtantius: eius tamẽ vſus in febribus, & quum internæ
partes vlceratæ ſunt,fugiendus eſt. Quod verò melitẽ ap-
pellant,datur in longis febribus: nam & aluum mollit,
& vrinas cit: prodeſt articulorum doloribus & iis qui in-
firmo capite ſunt. Ita verò condies vt ad quinque auſte- G
ri muſti cõgios, mellis congium & ſalis cyathum addas:
in amplo vaſe conficiendum eſt,quò magis ad efferueſcẽ
dum locus detur, ſálque prædictus paulatim inſpergen-
dus donec ferueat: quúmque feruere ceſſauerit, in aliud
dolium diffundetur.

Mulſi confectio.

Mulſum præſtat id quod ex vetere auſteróque vino &
melle probato conficitur: minus enim inflat. mulſum
verò plerunque fit,vt duab⁹ vini metretis vna mellis ad- H
iiciatur. Quidam verò, vt celerius præberi poſſit, mel
cum vino decoquunt, ſicque in vaſa diffundunt: alii, v-
tilitatis gratia, muſti ſextariis ſex vnum mellis addunt,&
vbi deferbuit,in dolia diffundunt: dulce autẽ permanet.

Vini ex cotoneis malis confectio.

Cydoniten vinum (quod meliten aliqui vocant) ità
condies, Mala ſeminibus purgato, & raporum modo
cõcidito: tum in muſti metretam malorum minas XII.
demiſſas triginta diebus ſinito,vinũ poſteà defæcatum
recondito. Quinetiam malomel quod cydonomel iti-
dem nominant, hoc modo fit, Mala ſeminibus purgata
in eam copiam mellis cõiiciuntur vt eo demerſa obruã-
tur: miteſcit hoc poſt annum mulſo ſimile. Vtrunque
verò adſtringendi vim habet,ſtomacho prodeſt, dyſen-
tericis, hepaticis, renum vitiis, & vrinæ difficultati ac-
commodatum.

Hydromali confectio.

Fit hydromalum, vt malorum cotoneorum ſucci
ſextariis quatuor, mellis octo & aquæ duodecim ſexta-
rii miſceãtur: ſub canicula inſolato. eandem quam præ-
dicta vim habet.

Alia eiuſdem confectio.

Mala cydonia optima XXXII. ſeminibus purgata,
calamo in tenues partes diſſecato, eáque in mellis præ-
ſtantiſſimi ſextarios octo coniicito. poſt octo menſes a-
quæ pluuiæ veteris ſextarios duodecim addito, & in æ-
ſtu caniculæ inſolato: à pluuia & rore cuſtodito.

Vinum ex Punicis confectum.

Ex punicis conficies hoc modo: Sumito matura pu
nica ſine nucleis,ab acinis eorum ſuccum exprimito, &
ad tertias decoctum reponito. hoc contra internas flu-
xiones & fluidas febres efficax eſt. ſtomacho prodeſt,
atque aluum adſtringit.

De roſaceo vino.

Rhoditen hoc modo condies: Roſarum ſiccarum
& tuſarum minam linteo deligatam in ſextarios octo
muſti demergito,& operculum obducito: poſt tres men
ſes defæcatum in vas tranſfundito,ac reponito. Vtile eſt
iis qui febrem non habẽt,& ad humidas aluos, & ad tor
mina inteſtinorum facit.

Roſacei confectio.

Conficitur præterea ex roſarũ ſucco & melle com-
mixtis,quod rhodomel vocatur.

De vino ex myrti baccis.

Vinum myrtiten ſic facito, Myrti quammaturiſſi-
mas baccas nigras ſumito, & in ſole ſiccatas tundito: ea-
rúmque tuſarum modio tres aquæ heminas, & vini au-
ſteri tantundẽ miſcebis: ſicque exprimes & repones: hoc
vehementer adſtringit,& ſtomacho acommodatum eſt:
fluctionibus ventris & ſtomachi prodeſt: & ad inter-
nas vlcerationes, & ad fluxum muliebrem valet,& capil
los etiam denigrat.

Omphacitæ confectio.

Omphaciten ſic faciunt, Vua nondum penitus ma-
tura,ſed adhuc acerba in cratibus diſpoſita, areſcat ad ſo
lem diebus tribus aut quatuor, donec racemi rugas con
trahant: tum vinũ expreſſum cadis inſolatur: ídque ad-
ſtringendi vim habet,& ſtomacho idoneum eſt. Credi-
tur quoque in peſtilẽtibus cõſtitutionibus vtiliter bibi:
ſed huiuſmodi vinum nonniſi poſt multos annos bibi
poteſt.

Picatum vinum qomodo fiat.

Vinum picatum ex liquida pice & muſto confici-
tur. Pix verò prius lauanda eſt marina aut muria vſque-
dũ exalbeſcat, & marina aqua pura defluat: poſtea verò
lauanda iterum eſt aqua dulci: & octo muſti congiis vna
picis vncia adiicitur,& ita permittitur. vbi deferbuerint
& conſtiterint,in vaſa diffunduntur. Calefacit picatum
vinum,concoctiones adiuuat, abſtergit,repurgat,vtilé-
que eſt pectoris, ventris, iecoris, lienis, & muliebrium
locorum doloribus: itémque diutinis defluxionibus &
exulcerationibus quæ in profundo ſint, ſi febris abſit.
Iam verò ad tuſſes, tardas concoctiones, inflationes &
ſuſpiria facit.

De abſinthite vino.

Vinum abſinthiten ſic condire oportet, Pontici
abſinthii pondo librã cum muſti quadraginta octo Ita-
licarum amphorarũ ſextariis decoque vſque ad tertias,

tum ſuperinfunde muſti ſextarios ſex, abſinthiique pondo ſemiſſem: omniáque diligenter mixta in vaſa diffunde & repone. Eſt autem ſtomacho idoneum, vrinas ciet, hepaticis, regio morbo, & renum vitiis auxiliatur. tardè concoquentibus vtile eſt, itémque cibum auerſantibus, & iis quibus iam longo tempore præcordia tenduntur: efficax etiam eſt contra inflationes, rotundos alui lumbricos, & menſtruas purgationes ſuppreſſas.

Elleboriten quomodo facias.

Facies autem elleboriten hoc modo, Ellebori nigri vncias duodecim, aphronitri vncias quatuor, muſti heminas duodecim diebus quindecim macerato, & percolatis poſt ſex menſes vtitor: id etiam partum enecat: datur cyathus.

E ſcammonea vt fiat.

Scammoniten facies ſic, Scammoneæ radicis per meſſem effoſſæ vncias quindecim in linteolo ligatas in muſti congium vnum coniice, & diebus triginta finito. aluum purgat, bilem ac pituitam trahit.

Ex thymo quomodo condiatur.

Thymi cõtuſi & cribrati triobolos centum linteo colligatos in muſti amphoram demittito. facit hoc ad ægras concoctiones, cibi faſtidia, ructus difficultatem, neruorum & hypochondriorum dolores, hybernos horrores, & denique ad venenata animalia quorum ictum frigus inſequitur, & locus computreſcit.

Dioclis vinum ſanitatem conſeruans, Cap. XXVI.

QVum in dolia coniectum muſtum fuerit, in metretas decem praſii minam indito.

Herodoti, de vino propinando, Cap. XXVII.

In hoc capite plurima eſſe menda conſpiciuntur.

QVum dandi vini duplex ſit ratio, vſúſque poſtulet vt vinũ demus, vel vt febrim ſoluamus, vel vt cõcretionem fluentem ſiſtamus, ideo in iis vini exhibitione omnino vtendum eſt eò vt vires confirmemus. at quibus vt febris infirmetur, vinum damus, fit vt aliis dandum, aliis non dandum eſſe iudicemus: ſiquidem non vna eſt indicatio. atque ætas quidẽ eſt ad hoc idonea ea quæ floret, vel quæ non multum abſit. Præterea viri aptiores ad hoc ſunt quàm fœminæ, tempus vernum & æſtiuum, naturæ perhumidæ: itémque non multæ calidæ febres, breues, & quæ ſine ſymptomatibus accedunt: & quæ in firma declinatione ſunt potius quàm quæ declinare incipiunt. Omnino autem ad hoc inepti ſunt qui cum duritie aut inflammatione partium ægrotant, ſiccíque ſunt, & difficulter perſpirantur, quíque febres continuas habent, & quibus neruoſa pars noxam contraxit: vinum autem ieiunis dandum eſt, indita quinta aquæ calidiſſimæ parte: ſique admodum potẽs ſit, quarta. Sed ſi defæcabitur, magis etiã eius vis infringetur, ſiquidem multum eius perſpiratur. Primam verò eius exhibitionem remiſſam eſſe oportet, habita interim ratione conſuetudinis: ſique facilè ferat, etiam ſecundo loco, dandum erit: ſique promptus capiat, etiam tertio. Ii verò qui præbibere conſueuerunt, bibacéſque alioqui ſunt, hortandi ſunt vt ad ſex vſque heminas bibant. qui verò athletarum vitam degunt, quíque cõſueti ſunt ad ludos quos apocottabiſmos vocant, quum videlicet poculis plenis alter alteri propinat, duplum ſi velint præbibant & euomant: tunc enim ex conſuetudine datus eis humor acer & pituitoſus excernetur. Adhortandi quoque ſunt vt qui velint in medio cibo bibãt, & etiam poſt ſumptũ cibum definitam menſurã aſſumãt. Sed potus omnib⁹ ne ſerius duarũ horarũ ſpacio à cibo ſumpto detur: ſi poſtea ſiti vrgebuntur, aquam bibant. Qui verò frigidũ aliquid ſumpſerunt, iis in medio cibo aut poſt cibũ potus exhibeatur. Qui verò ieiuni bibere non conſueuerũt, nec poſſunt abſque cibo potũ ſumere, ſi voluerimus nuda corpora à vino cõtingi, fruſtula panis in vinum temperatum calidum cõfracta iniiciemus, ſorbendum dabimus, atque vt ita temperatum ſumant iubebimus. ita enim proportione reſpondebit potationi quæ ieiuno ſtomacho fit. Eadem quoque & in ſenibus & in pueris & in pleriſque mulierib⁹ faciẽda ſunt, itémque in iis qui parũ bibunt, vel qui ſuapte natura læduntur:

A qui verò à pauco initium ſumunt, & in medio cibo vini indigent, iis antè & poſt etiam conſuetam aquam dabimus. Omnes verò quibus febris infirmandæ cauſa vinũ damus, ſi res ex ſententia ſuccedunt, cogere oportet vt dilutius quàm eis conueniat ebibant. menſuram verò in omnibus communem definire, quum magna & propè infinita ſit in iis qui ſumpturi ſunt differẽtia, nõ poſſumus: & tamen danda opera eſt vt medium terminum inter plurimum & minimum determinemus. Ne plus igitur quàm tres heminas, nec minus quàm vnam bibãt. B Iis verò qui ieiuni bibunt, dum apocottabiſmum exercent, tertia præterea epoti pars adiungatur: qui verò poſt longum tempus loti ſunt, portio cõſueta dari eis debet: itémque iis quibus à balneo vinum damus. Omnibus enim qui datum vinum biberint, ſequenti die ſi bibant, aquæ potionem commendamus: quam niſi eis perſuaſerimus, admonendi erunt vt pauco vino vtantur, & copia etiam alimenti minuenda erit. Qui verò febris infirmandæ cauſa ſecundum balneum ingrediũtur, in eiſdem vinis perſeuerare oportet: qui verò cauſa refectionis, hi debent ad robuſtiora tranſire: ſed trãſitus ne fiat confertim & repentè, ſed pedetentim. Nunc verò ſigna quæ ſequi eos debent quibus rectè vinum ſit datum, exponenda ſunt nobis: nam his cognitis mala quoque ſimul intelligentur. Ergo faciei rubor cum naturali coloris elegantia coniunctus, cõmoda ſpiratio, ſudores calidi per totum corpus, capitis leuitas, partium corporis agilitas, animi hilaritas, oculus humidus, conſequẽtur: tum verò ſentiet ſe rectè lotum, & ad vinũ rectè erit affectus, & poſtquam biberit, cibos magnopere appetet,
D & eorum vſum commodè feret, itémque ructus à quibus leuabitur excitabuntur, & à cibo potum quæret, moderati ſudores prodibũt, qui paulò poſt ceſſabunt: vrina excernetur, corpus denique reddetur molle & probè coloratum. Qui verò incommodè vinum ſumpſerint, eos ſequetur faciei pallor, & ſiccitas per omnia, vel certè plurima corporis membra, ac, ſicubi ſignificat, ſudor frigidus apparebit vnà cũ capitis grauitate, in quo æger omnium artuum motus conſpicietur: itémque animi demiſſio, & ſtomachus ad cibum ſupinus, & ſitis
E quæ ſedari potando non poterit, & æſtus in hypochondrio, & voluntas eructandi, nec vlli ructus fient: ſique fiant, nihil leuabunt. veſica ſæpe vrinam retinens, atque etiam paulatim eam reddens: eorum quoque pulſus denſus erit neceſſarió. Quum hæc tùm omnia tum plurima appareant, ſi nauſea eos tentabit, vomitus ſtatim imperabitur. Si nauſea non adſit, ipſi tamẽ alioqui facilè vomant, tunc etiam vt vomant iniungemus: ſi difficulter vomant, aquam calidam potui dantes laborem ſedabimus: qui verò febrim habent, ſi euomãt, & longa fuerit
F acceſſio, poſt vomitum exiguo cibo ſunt alendi: ſi breuis, poſt ſequentis diei ſomnum. Si non euomuerint, in iis cauere oportet diatriton, & mediis diebus aſſiduus potus tẽporibus à nobis definitis dandus erit. noxium enim eſt quum febres poſt vini potionem accidunt, ſiccitate in ægro regendo vti: quamobrem par eſt vt continuis potionibus humectãtes particulas corporis exiccatas, vini potione expediamus & liberemus.

Antylli de collutione, ex tertio de auxiliis quæ extrinſecus adhibentur, Cap. XXVIII.

G COllutio ſitim lenit, oris ſiccitatem humectat, linguæ aſperitatem leuigat, diſſolutionem mitigat, ac quod in dentibus viſcidum eſt, expurgat. Ac collutio quidem non ſolùm in remiſſione danda eſt, ſed etiam moderatè in omni tempore, præterquam in principio, ea vti poſſumus. Gargarizatio verò iuuat ipſa quidem parum, extremas ſtomachi partes humectans, ſed tamen magis etiam lædit, quum materiam ſurſum petẽtem efficiens, caput obſtruat.

De potu, ex libro eodem Antylli, Cap. XXIX.

H AQua calida quoquo modo omnibus ægrotantibus in temporibus opportunis danda eſt: frigida verò, præcipuè vt calorem qui non ex alia affectione, puta ab inflammatione, ſit exortus, ſed ipſe per ſe vexet, vt in ardentibus febribus flammeis, exhibetur. Per obſiſtẽtiam

verò frigidam damus iis qui frigidæ potioni ſunt aſſueti,& qui alieni ſunt ab vſu calidæ, aut quibus ſtomachus in morbo propter calidæ potionem ſubuertitur. Si verò ob febris æſtum frigidam quis bibat, is voraciter & largius bibat:ſi ob aliam quampiam cauſam,parum & quaſi ſorbeat. Cauendum autem eſt ne ſtatim à cibo bibatur niſi vinum & frigida:acetum nanque per ſe non damus, ſicut ne vinum quidem,niſi quandoque paululum,& medicamenti vice. Poſca verò datur iis qui ſanguinem reiectant,præſertim verò ſi à ſtomacho aut vẽtre fiat reiectatio: atque etiam iis quos nauſea vehementer exercet, & qui in nauigationibus nimium expurgantur. Quandoque etiam pituitoſis poſcam damus vt pituitam euomant: & oxymeli ſumimus,vt affectionibus thoracem infeſtantibus ſuccurramus,& quum quiſpiam fungos comedit, atque etiã vbi quis gypſum potauit,& magis quoq; vbi taurinum ſanguinem bibit. Mulſum verò vinum vtrum alicui ægrotanti accommodatum ſit,ego certè non noui:at melicratum & iis prodeſt qui febrem habent, & iis qui ſine febre neruorum affectionibus correpti ſunt. Hydromeli verò & apomeli,& melimalũ,ipſa per ſe nõ ſunt idonei potus,quandoquidem facilè corrumpũtur & aceſcũt. Ori verò ſatis accommodata ſunt iis qui non appetunt in febribus nõ prauis,& morbis qui iã inueterarint,& à quibus febris abſit:ſi minus aptè datum alimentum eſt, nobiſque placet ſtatim à cibo & frigidam & vinum dare,horum aliquid ſumemus:tum enim corpus & præſertim vẽtriculus & ſtomachus iam expleta, nihil mali neq; à morſu frigidæ,neque à vini facultate, atque vino patientur. ex quo fit vt neque ieiunis, neque multo poſt cibum demus:quum ſimile ſit ſi longo poſt cibum aſſumptum tempore,ac ſi ieiunis propinemus. Poſt potionem verò cibos ſtatim offerre, ne accommodatum quidem eſt iis qui ieiuni præbibunt. vinum enim & frigida prius corpus lædunt quàm cibi ingrediantur. Sed neque conuenit dare iis qui multo antè comederunt,& poſtea ſuperbibunt: nã quomodo hæc frigidæ morſum poſſint retundere,aut vini potentiam hebetare,quum iam cõfecta ſint, nihil eſt quod afferri poſſe videatur.

Herodoti de potu,& quonam acceſſionis tempore potu ſit vtendum,

Cap. XXX.

QVum tota annotatio integra ſectione in principiũ, ſtatum & declinationem diuidatur, omnem partem ad potum præbendum neceſſariam inueniemus. Qui igitur ſumpto cibo febricitarint, aut facta conuẽienti ciborum corruptione,ſi in principiis quoque annotationum nutriti fuerint,vel ſuſpicio eſt nequid vitioſi alimẽti ſumpſerint,ſi eis vomendum eſſe iudicauerimus, his vomitũ poſt aſſumptum potum imperabimus.quibus quidem vt reliquiæ diligenter expurgentur,etiam ſecundo loco dabimus:& ſæpe etiã vt res ſubiectæ temperentur, & per inferiora ſecedant. Sed aliæ quoque circunſtantiæ inueniri poſſunt, quæ potum in principio annotationum poſtulent,qualis eſt infantium ætas:ſed id demum tempus opportunum exiſtimamus quum nec ſerius nec citius datur. Qui verò potũ auerſantur,& ob eã cauſam in periculo verſantur, id quod in difficilibus inſtantiis fieri ſolet, ſi in principio acceſſionis potum expetant,non erit eis negandus:in temporibus verò incrementi plures cauſæ dãdi potus ſunt. Ergo ſi vehemẽs ſitis in acceſſionibus quoſdam inuadat,ferrique ea ægrè poſſit,nõ ex malitia & incremento morborũ,ſed ex quadã propria mali qualitate, omnino neceſſe eſt ſymptoma mitigare: quod niſi fiat, febris magnitudinem multo magis ſitis augebit. Qua in re ſpectanda eſt etiam ægrotantis natura: nam ſi in cæteris tolerans patiénſque ſit, & ſitim non ferat, profectò aptus erit vt in acceſſionis incremento bibat: & item qui multum bilioſi humoris in ſtomacho aceruãt,& magno cum labore id reiiciunt,& quodammodo leuantur:ſed extrema frigent pallidique ipſi ſunt,& propè deficiunt,neq; decubitum ferunt,exuſti atque enecti ſiti, quanuis ab excretione leuari debuiſſent,quum ex quibuſdam numeris conſtitutis hæc viciſſitudine quadam patiantur, neque quieſcunt,neque ad extremas vſque partes febris peruenit,ſi multum humoris eis præbuerimus, eos quodammodo abluemus. Iis quum euomuerint,accidit vt ſtatim poſt aſſumptionem & vomitum,calor confertim per corpus euehatur,& ad ſtatus proprietates proximè accedat. Síque partitio annotationis in imparia diſtribuatur, vt maior pars incrementi,minor verò ſtatus ſit, tempus potionis dãdæ erit in accretione:ſiquidem illud proportione reſpondet tempori ſtatus,quoniam in iis temporibus cauſa dominatur, & homo ipſe vexatur. Citiꝰ quoq; alẽdi ſunt qui facultates habent quæ facilè opprimuntur, quos multo antè non ſolùm potu dando communire oportet, ſed cibis etiam præbendis. Qui verò in febribus difficulter bibant,quia ſtomachus ex peculiari calore exaruerit, ſi magnitudo febris ſit,hi niſi continenter bibendo humectentur,cum magno ſuo damno in tempore alimenti reparantur. Nonnulli ſunt qui ex ſuffocatione talia patiũtur à quibus periculum ſuffocationis imminens auertentes,ante ſtatum potionem dabimus. In iis autem qui ſuapte natura non appetunt,& cum labore ſumunt ea quæ offeruntur,& præcipuè ſi ſiccitas os occupet, continuo potu vtendum eſt,quum maior inde propter res futuras euaſura ſit vtilitas. Citius quoque potum damus iis quibus attractiones ingentis famis accidunt, vt ſymptoma mitigemus. Atque calidi quidem potus dandi tempus expoſuimus:ſiquid omiſſum à nobis ſit, facile erit ex iis quæ dicta ſunt inuenire. Frigidi verò potus, quum incipit annotatio, vſus eſt in iis qui ſanguinem fundũt:in accretiotione verò dandus eſt iis qui propter aliquem caſum ſumere calidũ non poſſunt. Frigida verò potio quæ ardentibus infirmandi cauſa datur, ante remiſſionem in ipſius ſtatus tempore præbetur:eadem exhibendi tempora ſunt tepidæ,lacteæ & gelidæ potionis. Calidæ autem exhibitionis diuerſa ſunt tempora:nam ſi detur in principio annotationis vt vomitus cieatur, & copioſa & tepida detur: ſimili quoque modo ſi propinetur vt vehementem & ardentẽ ſitim extinguere velimus,ſiq; vnà cũ defluxionibꝰ multi acres bilioſique humores in ſtomachũ confluant, ſi quidem eo tempore quod ſumptum eſt,non ſuperatur, ſed excernitur. In frigida verò potione ad ſitim tollendam,facere debemus vt paulatim eam ſumant, & parcè bibendo diutius in potione immorentur: at quum mouẽdi vomitus cauſa bibitur, vt confertim ac quantum vno hauſtu poſſint,ea vtãtur. Si verò propter annotationis lõgitudinem, aut virium vexationem,aut propter iam memoratas circunſtantias demus, quum in accretione aut ſtatu ſint conſtituti,moderata potio danda erit, vt neque ſolùm guſtent,neque etiam ſe expleãt: commodum nanque in febribus eſt,ventrem vacuum & non tenſum ſeruare. Qui verò propter ſiccitatem & propter ſuffocationẽ ex ipſa ortam ſiccitate potum ſumunt,in quibus etiam ſeruari volumus quæ ad potionem pertinent, eis paulatim & continenter offeremus. Si verò etiam febricitantes aut ſtomachi aut alui fluoribus vexentur,tunc etiam cauendum eſt ne potio confertim ſumatur,quandoquidẽ ſymptomata excitat atque irritat:optimúmque eſt vt ex vaſculis quorum peranguſta ſint ora,paulatim bibãt:quòd ſi in remiſſionibus potum præbeamus iis qui defluxionibus tenentur,nunquam nec multum nec affatim & cõfertim dabimus, ſed eo modo quẽ diximus. cæteri ad expletionem vſque bibãt. Siccis verò & quorum caro occluſa eſt, & ex omni parte conſtricta, plus dandum eſt quàm vt ſitis poſtulet ratio:ſique opꝰ ſit,iterũ dãdũ: eadẽ enim & vnius & plurium potionum eſt occaſio. Facienda tamen coniectura eſt an primus humor concoctus ſit:& corporũ natura eſt indaganda,non autem deſiderii ægrotantis habenda ratio. nam ſi ſudores qui poſt datam potionem apparẽt vtiles ſint ac bene cedant, perſeuerandum eſt in ſecunda potione propinanda:ſi verò copioſis largioribúſq; ſudoribus opus ſit,ipſi verò ceſſent, excitandi erunt. Quũ verò ſingultus infeſtet,aut ſicca tuſſis intendatur, pauca calida abſorbenda eſt: gelida verò aut frigida ſi pro calida detur,iiſdem modis iiſdémque temporibus danda eſt: ſi verò vt ſudores aut alia ſymptomata cohibeantur quæ ſuprà numerauimus,paulatim & ex maioribus interuallis exhibenda:itémque frigida quæ à cibo datur, pauca eſto:

A frigida verò quæ in febribus ardentibus certatim datur,
aut lactea,aut gelida,quomodo danda ſit,in libris ad cu-
rationem pertinētibus explicabimus. Aqua verò quæ po-
tatur,ſit optima,& decocta ad carbones in vaſe fictili:ſed
nos aquam in vitream phialam immittimus,& in aquam
feruentem indimus: quæ ſic parata,omni reprehenſione
caret.Si praua ſit aqua,vbi decocta fuerit, ſub dio tenea-
tur:frigida verò,pura eſto frigida & mollis. Si verò accō-
modatè atque aptè tepeſiat,lacteáque aut egelida redda-
tur,diuerſis rationibus ea erit vtēdum,facta comparatio
ne cùm calida.Cæterùm tepida ita temperetur. Calidæ a-
B quæ potui accommodatæ cyathis quinque vnus frigidæ
addatur:egelida verò ſic mutetur, vt calidæ cyathum v-
nū & frigidæ quinque habeat:lactea verò ex pari vtriuſ-
que menſura temperatur. ſit autem intenta quæ frigida
eſt: ſi verò remiſſa ſit,plus frigidæ erit adiungendum.

De potionibus quæ ægrotis conueniunt,
Cap. XXXI.

FEbricitantibus optima potio eſt melicratum aut oxy-
meli,quorum cordi eſt accommodatū.Aqua verò in
febricitante omni morſu vacat,excretiones verò non ad-
C modum facit.Aquæ verò in quibus aliquid maduerit, in
quibus vis adſtringendi ineſt,non ſunt incommodæ vē-
tris perturbationibus,& valent etiam ad vomitus cohi-
bēdos,quibus mellis & oxymelitis potio eſt aduerſa.Ma-
la verò dulcia, æſtiuo tempore in tenues partes diſſecta,
in aqua macerentur vſquedum aqua colorem inde con-
trahat:vel Cydonia mala matura ſecantur in partes,& ſi-
militer macerantur.quod verò ex malis fit, dandum præ-
cipuè eſt iis qui bilem vomunt,& quibus fluit aluus: ſed
ne mala aciditatem vllam habeant,diligenter conſiderā-
D dum eſt.Simili quoque modo pira ſunt maceranda quæ
acerba dulciáque ſunt.Omne autem dilutum quod ex pi
ris conficitur,maiorem vini facultatem refert. Secundas
in hac refert id quod ex malis fit cydoneis: minimè verò
quod ex crudis palmulis paratur:éſtque præſtāti⁹ id quod
ex ſemimaturis cōficitur. Myrta verò tenera macerata paſ
ſo vinoſam quidem potionem, ſed tamen morſus exper-
tem & lenem faciunt.Succus verò qui ex Punicis extat,
non minus quàm quæ dicta ſunt vinoſiſſimus eſt: éſtque
hic quoque ſuccus lenis,& nihil habet caloris.Atque hiſce
E dilutis quæ acerba ſunt vti poterit quiſpiam in iis febri-
bus quæ & turbationis expertes & tutæ ſunt, & omnino
in iis quos citata aluus exercet. Diluta verò quæ à ſorbis
piriſque ſiccis & myrtis,itémque palmulis fiunt,minus ſtri
gmenti modo craſſa ſunt. vti his poterimus in iis qui-
bus vinum non eſt dandum. Acini quoque vuarum con-
ſciſſi macerantur,ſed eorum decoctum eſt vtilius, quod
adſtringendo eſt efficaciſſimum:nec vllam aliam acrimo
niam neque aciditatem habet. Vina verò quæ ex myrtis,
fauis,tritico, & hordeo fiunt, nihilo imbecilliora ſunt
F quàm quæ ex vua conficiuntur,ſed multo tardiora peio-
ráque ſunt:at quæ ex palmulis & ficubus fiunt, quum in
principio bibuntur,ſimilia dulci vino guſtantibus viden
tur,at facultate multo deteriora & grauiora, & ad confi-
ciendum difficiliora: quum verò inueteraſcunt, ſimilia
vino auſtero & calore & facultate redduntur.

Philotimi de potione quæ antè & poſt cibū
datur, Cap. XXXII.

QVum poſt cibum potus confertim ſumitur, vſu ve-
nit vt ſtomachus, & præſertim ſuperior, fiat latior,
G venter extendatur,cibi madeſcant,& parentur vt diffun-
di queant:os,partes capitis,guttur & ventriculus calefiāt.
Qui verò nocte frigidam bibunt,iis omnia prædicta lo-
ca refrigerantur, & alimentum quod non longè aberat
vt calefieret,perfrigerat,& coctionem impedit:alimētúm
que feruens,& bullas in eo iam excitatas deprimit atque
deponit, facítque vt quieſcat, partémque alimenti iam
diſſolutam & eliquatam reddit craſſiorem. Siquis verò
frigidam ieiunus bibat,in eo quoque eadem loca perfri-
gerari,& citò,& plurimum humorem & calefactum mi-
H nus ex ventre in corpus diſtribui,& pituitā quæ in vētri-
culo continetur,fieri craſſiorem contingit. Iis verò qui
ex laboribus,balneis & febribus bibunt,cum diſtributio
humoris celerrimè fit,tum miſtionem,minus ſuſtinet:ali
mentúmque quod in venis eſt,& os,& vultum,& ſtoma-
chum,& ventrem maximè perfrigerat, & ſuccos qui ve-
nis cōtinētur,paruo tēpore refrigerat,ac craſſiores facit.

Roſacei confectio, Cap. XXXIII.

ROſas purgatis ſordibus & exectis vnguibus, in per-
uetuſtum vinum quot velis coniice, non tamen a-
ceruatim,ſed paulatim:ſinguliſque diebus calamo qui ad
fundum vaſis pertineat commoueto, ita tamen vt ipſum
diligēter obtures,ne fiat perſpiratio, & ſinito trigita dies:
quibus lapſis vinum defæcabis,& in quinque eius ſexta-
rios vnum mellis ſextarium coniicies: itémque operculo
probè concludes, & quum triginta dies ſic permiſeris vt
conſiſtat, vtitor.

Eiuſdem alia compoſita confectio.

Roſis, exectis vnguibus, iniice mellis ſextarios ſe-
nos,& per annum ita ſinito:tum huius compoſiti cape li-
bram vnam,mellis puri libras quinque: eiſque omnibus
læuigatis vini optimi ſextarios decem affunde.

Hydroroſatum.

Mellis optimi libras XXX. foliorum roſarum libras
X. aquæ fontanæ libras LX. coque aquam donec ferueat,
& ablato ab igni vaſe,roſas iniice:tum vas obturabis do-
nec perfecta ſit facta concoctio. vbi coxeris, mel ſepara-
tim coquendo ſpuma expurgabis,& defæcatis roſis, mel
decocto roſarum infunde.

Aliud roſaceum.

Vini quod primùm exprimitur, pondo XXI. mellis pō
do VIII. foliorum roſarum pondo III. roſæ vino imma
deſcant dies quindecim,tum è vino per colum traiicies,
mélque excoques, & ſpumā abiicies, & vino in quo ro-
ſæ maduerint addes,& probè obturata ſic permittes.

Aliud roſaceum recens.

Mellis pondo VII. vini pondo XXI. foliorum roſarū
pondo II. tritas vt par eſt roſas vino biduum admiſceto,
tum roſis excolatis & melle cocto, vtrumque cōmiſce-
bis, & probè obturata dimittes.

Violaceum.

Mellis pondo VII. vini pondo XXI. violarum manipu
li CCXL. has in folia redactas in vino triginta dies mace
rabis,tum violis colo traiectis, mel coques, tum vtrum-
que in vnum compones,& obturata ita ſines.

Chamæmelatum.

Vini aſcalonitæ pondo XXI. mellis pondo VII. gra-
norum chamæmeli vnc. VI. grana vino diebus quinis
macerato, iiſque excolatis, mel coquito, & abiecta ſpu-
ma in vnum omnia rediges,& obturata permittes.

Conditum ad lapidem in veſica frangendum.

Mellis ſextarius, vini ſextarii quinque, piperis vncia,
ſaxifragi drach. quatuor, ſpicæ nardi tantundem, carpe-
ſii,zinziberis,mei,aſſari,caſſiæ, ſinonis, petroſelini, aco-
ri,gētianæ,dauci ſingul. drach. IIII. ſicca melle deſpuma
to,& vino componantur, & vas in quo poſita fuerint,
dies CCX. ita ſinito vt fiat concoctio.

Conditum.

Mellis libras X. vini prioris libras XXX. piperis vn-
ciam vnam,piper contundendum eſt, vinóque admiſcē-
dū,tū mel deſpumatū cū vino cōpones,& obturata ſines.

Aniſatum.

Mellis lib. X. vini prioris albi lib. XXX. aniſi vnc. V.

Ex iunco odorato.

Ad drachmas XVI. iunci odorati adde croci pōdera
XII. maſtiches drachmas XVI. hæc omnia contrita vino
compones,mélque deſpumabis,& omnia ſimul miſcebis
obturabiſque,& ita permittes.

Styracatum.

Mellis libras XXX. ſtyracis libram vnam,vini libras
ſex,mel deſpumato,ſtyracem terito,commiſceto, & cum
melle deſpumato:vinum in mortario miſceto, & manu
tua excipiens vtitor.

Abſinthite.

Ad vini ſextarios quinquaginta iniice, coſti, folii,
amomi,caſiæ,ſingulorum ſemiſſem, mellis ſextarios X.
& abſinthium herbam pauco vino macerabis, & prædi-
ctis rebus tātum eius diluti affunde quantum tibi guſtā-
ti rite confectum eſſe videatur.

De decubitu, ex Antylli quarto libro, de auxiliis quæ fiunt. Cap. I.

A DEcumbere autem confert iis qui acuto morbo detinentur, quoniam qui ita laborant, laſſari non debent: qui verò diuturnis morbis ſunt correpti, ſolùm confert decumbere quum vrget acceſſio. at in interuallis etiam moueri nihil prohibet, quum motione & variis quoque excitationibus indigeant. Figura autem decubitus eorum quibus caput laborat, in ſublime vergat, præterquam in phreneticis, quoniã B in eis humilem atque inclinatum decubitum volumus: quia decubitus in ſublime elatus quodammodo eos perturbat. Præterea iis quæ in thorace accidunt, ſublimis decubitus eſt accõmodatus. In dyſentericis verò & cœliacis decubitus conuenit ad ilia inclinatior. In gonorrhœa, ſatyriaſi, & renum dolore, in vtrunuis latus decumbere poteſt: nam gonorrhœa & ſatyriaſis exacui exacerbarique ſolent locis excalefactis, quum in reclinato decubitu manent. renum dolor tum exacerbatur quum lumbus ea figura comprimitur. iis autem qui non nutriuntur, quique C tardè concoquunt, in ſiniſtrum latus vtile eſt decumbere, vt iecur ventriculo circunfuſum, eundem calefaciat. In ſcirrhoſis verò iecoris affectionibus, & tumoribus, & inflammationibus contumacibus, in dextrum latus decumbere eſt melius: quemadmodum ſi lien eiſdem malis correptus ſit, in eum decumbere ſatius eſt. ſed in torminibus inteſtinorum, & in ilei atque coli affectionibus, medius inter ſupinum & ſiniſtrum conuenit. Cauẽdum autem eſt in colicis ne illorum dolorem mitigemus, à pedibus decubitum altiorem facientes, quum hic decubi- D tus & caput & inſtrumenta ſenſuũ repleat. Præterea quos ventris dolor aut eiuſdem frigus vexat, eis quoque talis figura decumbendi non eſt accommodata.

De quiete, ex eodem libro, Cap. II.

QVibus decubitus iis etiam quies & tranquillitas conuenit, ac præcipuè quidem in principiis acceſſionũ, itémque incrementis, & poſt cibum nuper ſumptum, & quum quis dormire cogitat, apta eſt quies atque tranquillitas.

De ægroto abſtinendo, ex eodem libro, Cap. III.

E ABſtinendus æger eſt quum carnis & ſanguinis copiã cõtrahere volumus, itémq; cibos incõcoctos coquere, plenitudinẽ euacuare, defluxiones ſiccare, eáſq; præcipuè quæ ex plenitudine oriuntur: quæ res madores quoque mitigat: ſed & dolores ipſos lenit quos acrimonia excitauit: qui verò ex plenitudine oriuntur, eos irritat.

De ſomno & vigilia, Galeni, Cap. IIII.

F SOmnus ſemper humectat, nõ ſecus quàm vigiliæ ſemper exiccant: non tamen aptus vt calefaciat ſemper aut refrigeret, verùm quum in iis qui febrem non habent, pituitoſos aut crudos, aut quouis modo frigidos ſuccos in corpore inuentos cõfecerit, atque incoxerit, ex eíſque probum ſanguinem procrearit, tunc hominem inſiti caloris incremento calefaciat. at quum ex huiuſmodi humorum putredine iam febricitantes occuparit, tum febris calorẽ extinguens, proprium verò augens, eos refrigerat. Quum igitur ſomnus proprium calorem augeat & roboret, eum verò qui præter naturã eſt cõminuat & extinguat, meri- G tò etiam quis vno & eodem tempore corpus frigidius ſimul & calidius ſeipſo à ſomno reddi cenſebit. Quum verò duplex læſio exiſtat ex ſomno, altera communis, quando ægroti in principiis acceſſionum dormierint: altera propria in quibuſdam morbis, quando in aliquo alio tempore dormierint, hãc periculoſam eſſe exiſtimare debemus: illa enim neque mortem, neque aliquod aliud graue ſignificat, quum naturã temporis conſequatur. In principiis enim acceſſionum, calor & humores in profundum corporis vergunt, ac ſi qua inflammatio in viſceribus ſit,

A meritò augetur: ſique humores aliqui ad ventrem confluant, non concoquuntur illi quidem vt in aliis ſomnis, ſed multo plures fiunt. quamobrem eo tempore vigilias ægrotis imperamus, ſpiritus, ſanguinis & caloris qui in eis eſt lationem ad exteriora, quæ à vigiliis fit, opponentes, tanquam maximum auxilium lationi eorundem ad interiora, quæ in principiis acceſſionum efficitur. Ex ſomnis verò qui aliis temporibus capiuntur, maxima ex parte vtilitas manifeſta cõſequitur, præſertim verò vbi morbo declinante adhibeantur: nam & in ſtatu etiam aliquando B manifeſtam vtilitatem ſomnus affert: quandoque etiam in extremis incremẽti partibus quæ ſtatum contingunt: euidentiſſima tamen omnium vtilitas eſt ea quæ affertur in declinationibus. Veruntamen quum ſomni nocent, minus exitiales ſunt iam conſiſtente atque increſcẽte acceſſione: præcipuè autem pernicioſi ſunt in declinationibus. quo enim tempore aliquid eſt vtiliſſimum, ſi præterquam quòd nihil prodeſt, etiam nocet, mortem iurè ſignificat. Iam ex ſomno læſiones ſunt quæ ſunt vtilitatibus contrariæ, tum quòd febres ab eo non diſſoluantur vel e- C tiam augeantur, tum quòd dolores intendantur, & fluxiones multiplicentur, & inflammationes creſcant. Ex ſuccis verò quibus cõcoctione opus eſt, eis ſomnus prodeſt: quibus verò digeſtione per halitũ, vigilia: præterea ſuccos qui in ventriculum, inteſtina, & iecur vergũt, ſomnus intendit, vigiliæ reuellunt: itémque in humoribus quorum craſſitudinem aut lentorem attenuare oportet, vigilia vtilis eſt, ſed non immoderata. ſunt enim etiam in parte cõcoquendi, id quod ſomnus efficit. Maxima verò læſio frigidis humoribus accedit quum quiſpiam permittit vt D quantum illi poſtulent dormiatur: eò enim propter frigiditatem inclinant. veruntamen eis non prodeſt, ſed tantùm in huiuſmodi humoribus dormiendum eſt, quantũ ſatis ſit ad vires quæ in vigilia laborarunt reficiendas, & ad quandam concoctionem obeundam. Somnus nanque fit vel quum naturalis calor propter aliquem laborem aut nimiam ſiccitatem ad alimentum conuertitur, vel propter nimiam humiditatem quæ foras extendi non poſſit: ac prior quidem & ſalubris & naturalis eſt: alter verò eſt qualis in comate & lethargis euenire conſueuit.

E Antylli, de vtilitate quam ſomnus affert, ex quarto libro auxiliorum quæ fiunt, Cap. V.

SOmnus remittit quæ tenſa ſunt, emollit indurata, fundit cohærentia, inæqualia ad æqualitatem perducit: itémque quaſſationes & animi turbationes ſedat, ſpiritũ lenit, defluxiones ſiſtit, humores qui ſunt in corpore craſſos faciens. Somni verò tempus in morbis intermittentibus eſt quum fit remiſſio: quòd ſi longior ſit acceſſio, tũc & ſtatus & declinationis tempus accommodatum eſt. at F tempus principii eſt inutilius: atque etiam minimè aptũ eſt id quod acceſſiones antecedit. In incremento verò ſi breue ſit, non eſt in eo refugiendus ſomnus. at ſi longius atque poſt medium diei fiat, tunc eſt prohibendus: ſuapte enim natura omnis veſpertinus ſomnus eſt malus. Verùm ſi poſt mediam noctem, & præſertim circa diluculum, medium quodammodo incrementi contingat, permittendum eſt vt cõtinuò dormiatur. Nox autem eſt die aptior, in ipſáque nocte accommodatiora ſunt ea quæ poſt horã tertiam ſunt, & præſertim vltima: in die verò, G diluculum & pars vſque ad meridiem cæteris præſtant.

Eiuſdem, & ex eodem libro, de vigilia, Cap. VI.

VIgilia plenitudinem per halitũ digerit, quæ in vẽtre ſunt minuit, & vt per partes infernas exeant præparat: languorem diſſoluit, grauitatem diſpenſat, reſoluta corrigit, & robur naturæ atque animo adiungit, ſudores cohibet. Iis verò qui ex medicamento purgãtur vt vſque ad perfectam purgationem vigilent, imperandum eſt. poſt etiam ſumptum tunc cibum & potum, itémque in acceſſione & ante acceſſionem, vt quum de ſomno

loqueremur memorauimus, vigilare homines debent. Vigilias inducunt frictiones duriores ſine pinguedine,& magis etiam ſi ex lineis pānis crudis obeantur: præcipuè autem crura fricentur: vnguináque cōueniunt quæ acriora ſunt, quæ nitrum, aut euphorbium, aut limneſten, aut cachry, aut cardamomum, aut pyrethrum, aut vuam Taminiam, aut granum Cnidium, aut ſinapi capiunt. Cataplaſmata quoque cruribus ex ſinapi ſuperdentur. Vigilias etiam faciunt hæc, pruritus violentus, pilorum euulſio, digitorum tractio, ſtomachi vellicatio digitis iniectis facta, quæ ano admouentur atque induntur, quorum eſt iam deſcripta materia: ex iis quæ odorari ſolemus, quæ fœdi ſunt odoris, quæ ſternutamenta cient: acria medicamenta oculis admota, aut oleum ipſum infuſum: cucurbitulæ inguinibus affixæ, clamores cōtinui, nūcii turbulēti, ſermones qui affligunt & cruciant. Spectacula verò nō ſolùm vigiliarum ſunt efficientia, ſed etiam propenſionem in ſomnum nimiam diſſoluunt: ergo quid ſiet incommodi ſi adhibeantur.

Eiuſdem de ſermone, ex eodem libro,

Cap. VII.

SErmo vim quandam habet vt caput impleat, & grauitatem afferat: quinetiam vires diſſoluit, idque præcipuè in febribꝰ, & magis quoq; in acceſſionibus. Sitim etiam inducit ac linguam ſiccat. eſt itidem lippientibus & quibus ſanguis è naribus funditur, & maximè iis qui ſanguinem reiectant, incommodus: eſt autem aptus iis qui præter modum ad ſomnum ſunt propenſi.

Eiuſdem de vociferatione, ex eodem libro,

Cap. VIII.

VOciferatio eſt thoracis & vocalium inſtrumentorū: & prius etiam quàm horum, naturalis caloris exercitatio. Calorem nanque auget, purgat, firmat & attenuat: ſolidas verò corporis partes, robuſtas, puras, & offenſæ minimè obnoxias reddit. Vociferatione autem vtimur quādoque ad morbi medelam, vel vocis defeſſæ, vel totius etiam corporis: quandoque verò vt vocem vel ex morbo, vel ſuapte natura malè affectam emendemus. Conuenit autem hæc ſtomachicis, vomentibus, acidum ructātibus, ægrè concoquentibus: atque etiam accommoda eſt iis quibus pituita redundat in corpore, & mulieribus prægnantibus, faſtidio (cui picæ nomen eſt) obſeſſis. Capitis verò affectionibus non eſt idonea, quum neſcio quid facultatis ad replendum caput & inſtrumenta ſenſuum capite contentorum habeat. Iam verò iis qui cibi faſtidio tenentur, quíque non aluntur conuenit: præcipuè verò languidis, hydropicis, & aſthmaticis, itémq; refectionibꝰ ex morbo accommodatiſſima eſt. Nunc verò quoniam vox laborat, partim propter longam & nimiam loquelam, partim propter clamoris magnitudinem, partim propter acumen & contentionem, partim verò propter ſilētium, quaſi ſuarum actionum oblita, ideo fit vt in hiſce omnibus quæ dicta ſunt, vociferationis vſus ſit vtilis, quum longā loquelam diſſoluat, & noxæ quæ ex clamoris magnitudine contracta eſt, placida & quieta imminutione medeatur: acumini verò occurrat, grauiores ſonos inſpergendo. Qui verò ex ſilentio oritur, quanuis non propriè vocis ſit labor, tamen cum vocis labore proportionem quandā habet: quocirca ad eū quoque vociferatio eſt vtilis quæ vocem exerceat. Si denique vocalia inſtrumenta defeſſa ſint, totúmque corpus ſuum tenorem non ſeruet, aut laſſitudine obſideatur, tunc ad eorum reſtitutionem & curationem vtilis eſt vociferatio.

Quis ſit vociferationis modus, eiuſdem & ex eodem libro, Cap. IX.

QVi vociferaturus eſt, debet quum aluus deiecit, fricari leniter, ac præcipuè partes inferiores, faciémque ſpongia madefacere aut abluere: & prius ſenſim loqui, ac per interualla mediocria. ſed melius eſt vt prius deambularit, pòſt verò ad vociferationē accedat. Is verò qui doctrinæ expers eſt, vociferando dicat quorum meminerit, quæque clara, & multas habere lenitatis & aſperitatis mutationes videantur. Sin autem verſus ſciat, iambicos dicat, & tertius locus elegiæ deturt, quartꝰ modulis numeriſque. qua in re præſtat etiam memoria recitare quàm legere. In primis autem vociferandum eſt, vocem quam grauiſſimis fieri ſonis poteſt producendo, tum ad acutiſſimos eandem redigendo: deinde quum non multum in acuto ſono permāſum ſit, retro viciſſim paulatim reflectendum, vocem diminuēdo, donec ad grauiſſimā à qua ductum initium eſt, reuertatur. Modus verò à viribus, animi alacritate & conſuetudine ſumendus eſt.

Antylli de ſalubri vociferatione,

Cap. X.

QVum vocis exercitationem rite initam omniū præceptorum ad ſanitatis tutelam & conſeruationem efficaciſſimam eſſe vſu atque experientia didicerim, dedi operam vt & auxilii naturam, & qua via & ratione adhibeatur, quoad eius fieri à me poteſt, deſcriberem. Nunc igitur quiſnam modus veræ exercitationis vocis, ad firmam & diuturnam corporis valetudinem ſit, dicendum eſt nobis. Vox omnis fit à ſpiritu per reſpirationem atque inſpirationem deprompto, & formato ab iis inſtrumentis quæ natura ad hunc vſum eſt fabricata: vt eius materia ſit reſpiratus aër, ars verò (ſi ita dicēdum eſt) partes corporis quæ aërem extendunt atque dilatant. Ergo neceſſe eſt eius præſtantiam & vitium, aut in ſpiritu aut in ſpiritum formantibus inſtrumentis verſari. Inſtrumenta autē ſunt, extremorum aſperæ arteriæ locorum, eius quæ epiglottis dicitur, oris partium, linguæ, palati, dentium, & laborū harmonia commoderata, atque ad actionem rite diſpoſita. Conſiderandum igitur eſt qualis aër, & quomodo diſpēſatus, optimam vocem efficiat: ac in acutiſſimis quidem ſonis vſu venit vt comprimatur & anguſtetur collum, & mentum compreſſum vehementer ſuprà à locis quæ ad gurgulionem ſunt, ad extremas linguæ partes cōprimatur & anguſtetur, atque etiam vt ad prædictarum partium proportionem totum corpus ſimul attenuetur, & aer ad menſuram diſtantiæ locorum pertrāſeat: & in pronunciationibus & melodiis quæ ex ipſis fiunt, & collum, quammaximè fieri poteſt, dilatetur atque amplificetur, & os ad extremas linguæ radices à locis quæ ad gurgulionem ſunt maximopere abſcedat & diducatur: & in pronūciando multus ſpiritus exſuffletur, totúmque reliquū corpus remittatur, & propter raritatem relaxetur. Ergo acutiorum ſonorum exercitationem inutilémque intentionē quam hypate paulatim efficit, aut artificioſam accreſcēdi induſtriam, vt multum valeat, ſinere deberet. Quòd ſi ad corporis tutelam ſuauitas cantus, & vocis præſtantia conducat, grauiorum ſonorum vocem exerceamus: etenim aër quamplurimus reſpiratione in corpus per arteriam & per cæteros apertos cutis meatus occultos attractus, maximum momentum afferre, & præcipua præſtantiæ vocis eſſe videtur portio. Id verò fit vel maximè à multa vaſorum aërem attrahentium latitudine. Latitudo verò à concinna exercitatione conficitur, quum nos meatus accommodatè diducimus, & dilatamus, & paulatim quamplurimū excipere aërem, & rurſus eūdē exſufflare conamur. Parum enim deeſt quin omnes virtutes quas pronunciatio affert, à ſpiritus multitudine & copia præſtari comperiamus. Nam neque quiſpiam vehementem ſonum vnquam ederet, niſi vehementi propter copiam ſpiritu vteretur: neque magnum quippiam, niſi ei magna ſpiritus copia abundaret. Sed nec etiam longum tempus duraret, ſi nō vocis productioni ſpiritus multitudo ſuppeditaretur: ſicut etiam nec denſum, aut clarum, aut plenū quid emitteret, aut propter paruitatem, & imbecillitatem inſpirationis inanem, raucum, ſolutúmque ſonum ederet, quū perſpectas perſpicuáſque dictiones reddat, aut quū propter ſpiritus exilitatem, quaſi celet quæ dicuntur atque impediat, nec ad pronunciandum ſit ſatis: quo tempore nulla re alia vocem corriget, niſi multo ſpiritu vtatur. Quum igitur copia aëris per ſpirationem attracti maximum pondus afferre ad vocis præſtantiam videatur, in primis eius habenda eſt ratio ei qui vocem exerceat. quis autem ſit modus huius curæ & diligentiæ exponendum eſt. Ergo quum ſpiritus in nos attractio fiat, diducto pulmone, & ventre, & meatibus qui in tota ſunt carne (aër enim intro vi pellitur ad eam capacitatem à diductione factam, naturali quadam neceſſitate, vt quod vacuū eſt impleatur)

nos eum per nares atque os ingredientem videmus, ac multũ etiã eius per totiꝰ cutis meatꝰ ingreditur. Eo plus autem externi aëris intra nos recipiemus, quo maiorem fecerimus capacitatem eorum locorum quæ ſunt eundẽ attractura. Quamobrem quorum denſa cutis eſt, & meatus anguſtos habent, exiguæ vocis ſunt, & ad ſonos edendos imbecilli: rari verò, & quibus vaſa aperta ſunt, vehementem vocem edunt. Ac pueri quidem, & mulieres, & eunuchi, vocem imbecillius quàm viri emittunt: id quod eis propter meatuum anguſtiam contingit: atque etiam ægrotantes, ob eandem cauſam minorem vocem quàm bene valentes habent. Quũ ergo oſtẽderimus cauſam vocis corrigendæ eſſe aërem ſpirando attractum, aëriſque cauſam eſſe meatuum dilatationem & diductionem, cõſequens eſt vt quomodo hæc ipſa fiat, conſiderandum eſſe videatur. Quoniam igitur omnis corporis capacitas & cauitas duobus modis augetur, & paulatim diducitur, vel quum tunicæ quæ cauitates amplectuntur, ex omni parte in orbem concluduntur, vel quum corpora ad id ac commodata ex additione augentur, vtriuſque ratio nobis habenda eſt, & meatus dilatandi: in qua re denſationẽ omnem, & eam quoque inducentes cauſas fugere debemus: vt maximè remittatur, quod non tenſum eſt, in longitudinem: quod verò fuſum eſt, in latitudinem, & moles corporis conſeruetur. Præterea verò aërem augere oportet, tum per inſpirationes paulatim adductum reſpirãdo, & amplius vaſa ad ipſum excipiendum accommodata diducendo, tùm etiam conando ex additione quamplurimum foras excernere, & ſpiritum prius ingreſſum exprimere, & vacuare violẽtius. Nam & carnis remiſſio atque fuſio latitudinem meatibus præſtabit, quum copioſioris aëris per reſpirationem adductio eos ad maiorem ſemper latitudinẽ diducat: & expirationis aſſiduitas, quò plurimus ſpiritus reddatur, magnopere meatus diducit. Quo enim quiſpiam maiorem diligentiam adhibuerit vt thoracem ſpiritu per expirationem vacuet, eo copioſiore aëre, vt in illius cõſumpti locum ſufficiat, indigebit. Ex quo conficitur vt vocis exercitatio corpus meatuũ diductione rarefaciat: cæteræ verò exercitationes omnes carnẽ ſtipant, denſant, & conſtringunt: illa verò leuem molem corporis meatus dilatando: cæteræ verò ſolidam, duram & grauem efficiunt. Atque ex ipſa vocis exercitatione & raritate quam ipſa inducit, videre eſt carnem obſequentem, & ad omnem actionem maximè tractabilem reddi: ex aliis verò exercitationibus, reſiſtentem, duram, ægrè ſentientem. Ideo fit vt idiotæ & plerique athletæ ingenio ſint ſtupido tardóq;. Ergo vocis exercitatio eſt cæteris anteponẽda. In primis enim in ipſis lectionibus accommodatis perſpicuas humorum redundantium excretiones facit: qui verò maiore vi legunt, maiores, atque adeo etiam per ſudores: qui verò lenius legunt, per occultam exhalationem quæ in tota mole corporis efficitur: atque in omnibus ſimili modo per effluxionẽ, quũ expirando multi humores extrà efferuntur, & ex irritatione facta à vociferatione & attenuatione, vt multa excrementa, & ſputa & muci, & pituitæ prouenientes excreentur. Iam verò ex robuſta reſpiratione quam vociferatio præparauit, præterquam quod vaſa abſterguntur, multi etiam humores cõſumuntur, qui & clàm per corporis extremitatem, & per nares & per os efflantur. Iis verò qui recalefaciẽdi ex frigiditate ſunt, ecquod maius auxilium afferri poteſt quàm actio reſpirationis exercitatæ? Spiritus enim calorem noſtrum aſſiduo motu ex colliſione attritúque excitat & ſuſcitat, talémque reddit per inceſſantem actionis in corpore noſtro feruorem. Quocirca ſi nõ ſingulas in nobis partes reſpirationis refrigeratione refrigeramus, lateat nos ſimilia pati qualia patiuntur ii qui in maiorem humiditatem cadunt quàm ſit in nobis, atque etiam vehementiſſimæ refrigerationis correctionem eos rectè conſequi qui rite vociferatione vſi fuerint, dictum eſt. Quinetiam ſi in noſtris corporibus ſiccitas & calor præter modum redundare videantur, multus aer per meatuum latitudinẽ reſpirando ingrediens, quæ exiccata ſunt, maximè humectabit: & quum ſit tenuiorum partium, & liquidior quàm

A omnis aqua, duritiem à ſiccitate inductã emolliet. Porrò autem calorem qui in corporibus præter modũ fit, quid attinet dicere, quũ à nullo alio magis quàm ab aere continenter per reſpirationem attracto refrigeretur atque extinguatur. Oportet ergo ſæpe legere, corpúſque totum laxare & remittere, carnémque raritate perfundere, arteriã cæteróſque tranſitus ſpiritus ſtudioſè diducere, & per grauiſſimas vocis terminationes modulari. Vt autem procul à nobis valeãt ſoni qui ex additione ad notas ſtudioſè conſcendunt, faciendum eſt. ſcimus enim & viribus &
B intentioni meatuum, alieniſſimum eſſe vocis acumens Sonorum verò concinnitates & varietates, mutationibus cantus temperatis conueniunt, ſed nihil eſt quod ad ſalubrem corporis tutelam conducant. Vociferationibus verò quæ per hypatas fiunt, quammaximè fieri poteſt, ſonũ dilatare coguntur: at in iis qui legunt ita vt audiantur, aut differunt, internam humiditatem euidentiſſimè conſumi declarat dẽſus vapor ex ore legẽtiũ prodiẽs, & ſuperfluitates vetuſtiorũ humorũ qui vnicuiq; meatui adhærẽbant, quæ excernuntur non ſolùm in prædictis expiratio-
C nibus, ſed per alias quæ extemplò appareant, vt per ſputa, mucos, pituitam, quæ expelluntur: quibus omnibus corpus ipſum cauſas morborum effectrices extrudit & reiicit. Prædictis autem vocis actionibꝰ neque temere neque inconſultò vtendum eſt, ac præſertim iis qui huic exercitationi non aſſueti incipiunt, neque etiam quũ prauorum corruptorúmque humorum adſit copia. Quinetiã vox non eſt exercenda tum quum magnis & euidentibus cruditatibus ſtomachus obſidetur, ne ex actione inſpirationis & expirationis quæ firmior & citatior facta ſit, dũ
D vox in magnitudinem & multitudinem accreuit, vapores corrupti largius per corpus diſtribuantur.

Galeni de exercitationibus, Cap. XI.

NOn omnis motus exercitatio eſt, ſed ſolùm vehemẽtior. Quoniam autem id quod vehementius eſt, in iis eſt quæ cum aliquo cõferuntur, ſit vt idem motus alteri ſit exercitatio, alteri non ſit. Terminus autem vehementiæ eſt anhelitus alteratio, vt motus qui anhelitum non mutant, nondum exercitationes vocemus. Quum igi-
E tur vehemens motus exercitatio ſit, neceſſe quidem eſt hæc tria ab ea perfici in corpore quod exerceatur, duritiem membrorum ex mutuo attritu, innati caloris incrementum, & ſpiritus citatiorem motum: ſequi verò hæc reliqua omnia priuatim cõmoda quæ corpus ab exercitatione conſequitur: vt ex membrorum duritia, tum vt minus ex labore patiantur, tum ad actiones robur: ex calore tùm deducẽdorum in corpus validiorem attractum, tum alterationem magis expeditam, tum nutritionem præſtãtiorem, tum ſingularum corporis partium fuſionem: cuiꝰ
F fuſionis beneficio, & ſolida fieri molliora, & humida tenuari, & meatus dilatari contingit: ex vehementiore verò ſpiritus impetu, & meatus purgari, & excrementa expelli neceſſe eſt. Calefaciunt igitur ac refrigerant exercitationes, ſuperuacaneas humiditates per halitum digerẽdo: ac morbos etiam frigidos & humidos ex accidẽti faciunt. Ergo in iis qui pituitam aceruant, humorem continuò diffundit, & ad aliquem principem partem fluere cogit, atque ita principe parte humectata aut refrigerata, totum corpus frigida aut humida affectione corripitur.
G Ocia verò vtplurimum frigidi humoris copiam congregant, & rarò etiam calefaciunt, quum ſcilicet natura corporis intemperata ſit, vt acres defluxus habeat, qui in omnimodo ocio cohibiti, febris calorem afferunt, Sed exiccat quoq; ociũ ex accidenti, quũ vires imbecillas facit, per quas alimenti diſtributio ſolidas partes ſiccat. Corporis autem exercitationes non ſunt contemnendæ, quemadmodũ contemnere eas ſolent ii qui in diſciplinis ſtudioſè verſantur: ſed & totũ ipſum corpus, quoad eius fieri poteſt, mouendum, & particulæ motibus qui viribus
H æquales ſint tractãdæ, & dimouẽdæ in omni genere exercitationum, in quibus ſingulæ ſuo munere fungantur. Motus autem vtiliores ſunt qui è nobis eduntur, quum ab interioribus partibus feruntur, & noſtræ actiones ſunt.

Quodnam tempus exercitationum eſſe debeat, Cap. XII.

SI ergo exercitatio hæc efficit, nõ difficile erit tempus eius vſus ſtatuere. nam quoniam digeſtionem in corpus adiuuat, non debet quum adminiſtratur crudi incoctique cibi aut ſucci multitudo, aut ventriculo aut vaſis contineri: vnde periculum ſit ne priuſquam per maturam concoctionem vtilis fiat, in omnes animantis partes rapiatur: & quoniam meatus expurgat, & excrementa expellit, præſtat eam ante cibos adhiberi, quandoquidem impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes. Ex quibꝰ perſpicuum eſt tempus ad exercitationem commodiſſimum eſſe, quum heſternus cibus duplici concoctione & ea quæ in ventriculo, & ea quæ in vaſis fit, prorſus ſit confectus atque concoctus, & alterius cibi ſumendi tempus iam inſtet. Quòd ſi aut prius aut poſteriꝰ exercitatione veteris, aut crudis humoribus hominem implebis, aut pallidæ bilis prouentum augebis. Huiuſce autem temporis nota eſt vrinæ color: quæ enim aquæ ſpeciem præfert, crudum adhuc eſſe in venis indicat eum ſuccum qui à vẽtriculo ſubmittitur: quæ verò rufa bilioſáque eſt, iamdudũ huiuſmodi ſuccũ cõcoctũ eſſe: quæ modicè pallet, peractæ modò ſecundæ concoctionis eſt ſignum. Eo igitur tempore adeunda exercitatio eſt, ſed expulſis prius excrementis quæ vel in veſica, vel inferioribus inteſtinis continentur. Periculum enim eſt nequid ex his in habitum corporis rapiatur, correptum videlicet vi caloris quẽ accendit exercitatio.

De frictione præparante, Cap. XIII.

ERgo ſiquis poſita iam veſte protinus ad valentiores motus prius accedat quàm totum corpus molliatur, & excrementa extenuentur, & meatus laxentur, periculum eſt ne aliqua ſolidarum partium rumpatur aut cõuellatur: periculum præterea eſt ne excrementa impetu ſpiritus impulſa, meatus obſtruant. Vt igitur hæc non fiant, oportet linteo corpus mediocriter fricando prius calefacere, mox oleo fricare. neque enim protinus accedendum ad pingue cenſeo, antequam cutis incaluerit, & meatus laxentur, & (vt vno verbo dicam) quàm præparatum corpus ſit ad oleum ſuſcipiendum. Huic rei ſatis omnino ſunt pauci manuum circumactus, qui nullo compreſſu ſint graues & modicè celeres, vt corpus citra compreſſum calefaciant: ſiquidem his peractis cernere licebit floridum ruborem per totam cutim diffundi: ac tum quidem pingue inducendum, & nudum manibus fricandum, quæ medium inter molle durúmque modum ſeruent, ne corpus coactũ conſtrictúmque, neque vltrà quàm par eſt, laxum reſolutúmque reddatur, ſed in ſua natura conſeruetur. Fricandum verò primo cõtrectatu blandiꝰ, inde ſenſim augendum, eatenus aucta ſemper ad valẽtius frictione quoad iam carnem manifeſtè premat, ne tamẽ contundatur. Non tamen tam valida frictione diu vtendum eſt, ſed ſemel aut bis in quaque parte: quandoquidẽ non eò fricatur ad hũc modum pueri corpus vt duretur, quum id iã ad labores producimus, ſed quò ad actiones excitetur, & robur colligatur, & raritas quæ mollem frictionem conſequuta eſt conſtringatur: ſiquidem in medio temperamento ſeruari huius corpus oportet, nec vſquam durum ſiccúmque reddi, ne aliqua ratione naturale eius incrementum inhibeatur: & progreſſu temporis quando iam nobis ſit factus adoleſcens, tunc & duriore frictione vtemur, & præterea frigida poſt exercitationes lauatione. Variæ autem ex manuum iniectu circumactúque frictiones eſſe debebũt, nec ſupernè modò deorſum aut infernè ſurſum adhibitæ, ſed etiam tum in ſubrectum tum in obliquum, tum in tranſuerſum, tum in ſubtranſuerſum, quo vniuerſæ (quoad fieri poteſt) muſculorum fibræ ex omni parte fricentur. Domus autem in qua obeũda exercitatio eſt, nec calidior nec frigidior eſſe debet, vt corpus abſoluta temperie tempore frictionis perfruatur. Nam ſi calidior aut frigidior ſit quàm oporteat, fiet vt in calidiore copus ſudet priuſquam ſatis fuerit emollitum: in frigidiore verò, neque prorſus calefiat, neque vn-
A quam probè molleſcat, neque ruborem floridum oſtendat, neque in tumorem extollatur. hæc enim ſunt in aëris temperie, & ſtatu corporis temperato, moderatæ frictionis ſigna.

De generibus exercitationum, déque earum facultate, Cap. XIIII.

COmmune omnium exercitationum illud eſt vt animanti caloris incrementum ex ipſis excitetur. Singu
larum verò exercitationum hæc ſunt propria, Valens, hoc
B eſt quæ violenter ſine velocitate exercetur, muſculis &
neruis robur parat: cuiuſmodi ſunt, fodere, & quatuor ſi-
mul equos habenis coercere; aut onere maximo ſublato,
aut manere eodem in loco, aut paululum procedere. Ac-
cliues quoque inambulationes huius generis ſunt, & ſi-
quis per funem manibus apprehenſum ſcandat, atque e-
tiam ſiquis comprimat digitos pugnúmque faciat, aut di
ducat; & manũ dilatet, vel in ſublime attollat, & ita diu-
tius permaneat, & adhibitum quempiam deducere ſibi
manus iubeat, nec tamen ipſe remittat: id quoque magis
C fiet ſiquis ſummis manibus apprehenſo põdere (cuiuſmo-
di ſunt qui in palæſtra halteres nominãtur) manus porri-
gat, aut in ſublime erigat. Sed in palæſtra ſexcentæ aliæ
ſunt huius generis valentes exercitationes, quarũ omniũ
peritiam ſimul atque vſum exercitor callet, qui ſic eſt di-
uerſus à gymnaſte, ſicut à medico coquus. Quæ ergo valẽ
tes exercitationes ſint, iam dictum eſt: nunc verò ad eas
perueniendum eſt quæ celeritate citra robur aut violen-
tiam peraguntur. eiuſmodi ſunt, curſus, & vmbratilis ar-
morum exercitatio, & quum duo ſummis manibus inter
D ſe concertãt. Atque etiam quæ per follem & paruam pilã
fit exercitatio, eſt talis: eius quoque generis eſt quod ἐκ-
πλεθρίζειν & πιτυλίζειν dicũt. eſt autem ἐκπλεθρίζειν quum
in plethro (*hoc eſt ſexta parte ſtadii*) quis prorſum retror-
ſúmque viciſſim, idque ſæpe in vtranque partem ſine flu
xu curſitans, vnoquoque curſu breue quiddam de ſpatio
demit, quoad denique in vnico greſſu conſiſtat. πιτυλίζειν
verò ſiquis ſummis pedibus ingrediens, tẽſas in ſublime
manus, hanc antrorſum, illam retrorſum celerrimè mo-
ueat. Celeres motus, ſed non violenti ſunt qui in palæſtra
E edũtur, nobis vel ſolis vel cum aliis humi celeriter circũ-
uolutis. Licet autem & erectis, tum circumactis ac veloci-
ter prope adſtantem mutantibus celerem peragere exer-
citationem: ſæpe etiam cruribus retro tantùm reſiliẽdo,
interim verò in anteriora vtrunque crus ſingillatim refe-
rendo. Quin & per manus exercitatione celeri tantundẽ
valẽte vti quiſpiam etiã citra halteres poteſt, ſi vtique fre-
quẽtiæ celeritatique motus earum impenſè incumbat, ſi-
ue has in pugnũ ductas, ſiue explicatas mauis. ac eiuſmo-
di quidem celeris exercitatio eſt, in quibꝰ dixi ſpeciebus
F comprehenſa. Ad vehementem autem veniendum eſt:
ea enim ex valenti & celeri compoſita eſt, quando quas
valentes diximus, iis omnibus vt vehementibus vti poſ-
ſumus, motus celeritate adiecta. Nõ in poſtremis autem
vehementes hæ ſunt fodere, diſcũ mittere, ſaltare, idque
continuato opere ſine intermiſſione: ſimiliter quoque
graue aliquod telum iaculari, ictus maximè continuãdo:
aut graui armatura tectum, celeriter agitare. Hæc igitur
omnia exercitationum ſunt genera: & præterea ex eis a-
liæ magis lumbos quàm brachia & crura exercent: aliæ
G ſpinam aut thoracem ſolum aut pulmonem. quippe in-
ceſſus curſúſque, propriæ crurum exercitationes ſunt: ex-
tremarũ manuũ concertatio, & vmbratilis armorum pu
gna, brachiorum: lumborum verò aſſiduè ſe inclinare, ac
rurſus reuocare: thoracis verò & pulmonis, maximæ re-
ſpirationes propriæ exercitationes ſunt: quemadmodum
præter iam dicta, maxima vox, omnium vocis inſtrumẽ-
torum. Ex motibus igitur alii animantibus ex ſeipſis in-
ſunt, de quibus antè diximus: alii extrinſecus adueniunt,
qui nauigando, equitando aut geſtando, ſiue vehiculo
H ſiue lectulo pendente, ſiue cunis agitatis præſtantur, ſiue
per vlnas nutricum in infantibus. Extrinſecus etiam ad-
uenientium frictio ſit. Nonnulli tamen motus planè mi-
xti ſunt, qualis eſt equitatio: non enim vt in vehiculis, ita
etiam quum equo inſideas accidit, vt à geſtante tantum

agiteris,ipſe nihil facias. ſed & ſpinam erectam ſuſtinere, & vtriſque feminibus equi coſtis firmiter inhærere, & crura extendere,& etiam antè proſpicere oportet quo in genere & aſpectus exercetur, & collum laborat,& viſcera agitantur. Sed æquè etiam dimouentur viſcera iis qui ſaliunt: verùm iis qui vehiculo geſtãtur non æquè. Quare ſiquis viſcera quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt;mouere violentius velit,& prædictos labores adeat, & præterea ad frictionem quæ per circumiectam faſciam adminiſtratur,accedat.Sanè concutiunt etiam nõnihil viſcera quæ ſub ſepto ſunt, maximè reſpirationes & voces, ſicut etiam efflatus.Iam verò ipſa ſpiritus retentio exercitatio quædam muſculorum eſt,non minus eorum qui in abdomine quàm eorum qui in thorace inſunt: atque hi quidem ſunt motus qui nobis extrinſecus adueniunt.

Quomodo adeunda ſit exercitatio, Cap. XV.

EXuat ſe adoleſcens vbi in lotio (vti diximus) perfecta concoctio videatur:mox fricetur mediocriter. docebit id color floridus in ſumma cuteréſidens, & artuum flexibilitas,atque ad omnem motũ habilitas.poſt ea verò exerceatur,dum & corpꝰ intumeſcit, & color illi floridus apparet, & motus alacriter,æquabiliter,& concinnè edit. Inter hæc verò ſudorem cum calido vapore commiſtum cernes. Inhibenda verò tum primùm exercitatio eſt quum aliquod horum fuerit immutatũ:quippe ſi paulo contractior corporis moles videbitur, illico deſiſtendum eſt: nam ſi vltrà quid progrediatur,etiam boni quippiam educetur, atque ita tum gracilius corpus fiet tum aridius,atque ad incrementum minus habile.Simili quoque modo ſi coloris gratia euaneſcat, ceſſandũ eſt:quoniam ſi adhuc exerceas,frigidum corpus efficies, & nimirum exhauries.Iam verò ſi motuum alacritas,æquabilitas,vel concinnitas remitti quippiam collabique cernitur; vtique ſtatim deſinere oportet.Itidem ſi in ſudore accidat vlla qualitatis eius quantitatiſve mutatio: quippe quem & magis copioſum ſemper & magis incalentẽ edi par eſt,prout motus vehementiores fiant.Quũ igitur is aut minor aut frigidior redditur,tum ſcito corpus exhauriri refrigerarique, & ſiccari plus iuſto: quam obrem animum diligenter attendere exercitando corpori debemus, vt quum dictarũ iã notarum quælibet appareat,protinus ceſſet.Nec tamen protinus mittendum eſt ad lauandum,ſed ſummam intentionem exercitationis remittere ſiſteréque iubebitur,ſique velit ſpiritus cohibitione implere ilia, perfundi oleo, atque apotherapia deinceps vti debebit, quæ genere duplex eſt, altera ceu pars exercitationis,altera eius ceu ſpecies:ac dè ea quidẽ quæ ſpecies eſt,poſtea dicemus.

De apotherapia frictione, Cap. XVI.

NVnc autem de ea quæ vt pars exercitationis habetur,dicendũ eſt. Omnis exercitationis probè peractæ poſtrema pars apotherapia dicitur. Duplex eius eſt ſcopus, vt excrementa purget,& corpus à laſſitudine tutum conſeruet:prior verò eſt etiam toti excercitationi communis;quando ei quoque duo omnino eſſe propoſita diximus, vt ſolidas animalis partes firmet, & excrementa expurget. Proprius autem apotherapiæ ſcopus eſt vt laſſitudinem quæ ſuccedere immodicæ exercitationi ſolet, ſubmoueat atque prohibeat:qualis autẽ adhibenda ſit, ipſa finium ad quos tendimus natura demonſtrabit. Nam quoniam propoſitum eſt vt ſolidarũ animalis partium excrementa,quæcunque excalfacta attenuatáque per exercitationem in corpore adhuc manent,prorſus eiiciantur, & frictiones quæ per alios cum celeritate adminiſtrantur, adhiberi oportebit, & plurium manibus fricandum, quò nulla corporis pars nuda relinquatur, & cum his vnà tum ipſarum quæ fricantur partium tenſionem, tum etiam ſpiritus cohibitionem. Oleum quoque fricando corpori largiter erit circumfundẽdum: (id enim ad velocitatem ſimul &mollitiem cum frictione conducit) & alioqui aliud non mediocre commodum ſecum affert: quando & quæ tenſa ſunt remittit,& quæ ex vehementiore actione fatigata ſunt emollit. Media igitur eſto mollis duráque, quæ

A eadem mediocris eſt. Perficietur autem fricantiũ manibus valenter iniectis; ita vt earum compreſſio proximè ad duram frictionem accedat: cæterùm pinguedinis copia & velocitate mouendi eatenus remiſſis vt planè mediocris euadat.Porro tendẽdas dũ fricantur partes cẽſemus,vt quicquid inter cutem & ſubiectam carnem excrementorum reſidet,id per cutim expellatur.Et ob hãc etiã cauſam non exigua portio apotherapiæ eſt, ſpiritus detentio & cohibitio:quæ quidem efficitur tẽſis omnibus thoracis muſculis, iis verò qui ſub ſepto & abdo-
B mine ſunt,remiſſis:qua ſanè ratione excremẽta deorſum ferentur. Secundo autem loco cẽnſenda eſt ea quæ mediocriter eos muſculos qui in abdomine ſunt, tendit, quo videlicet ea quæ ſub ſepto ſunt viſcera apotherapiæ fructum ſentiant. His ipſis de cauſis etiam faſciarũ circumactus fiant,tendẽte ſe ad ſingulas eo qui fricatur,nõ tamen cum omnibus pariter ſe vertente,quũ neque continuos motus nec vehemẽtes ei contingere ex apotherapia conueniat,ſed certè aliquot; & quibus per interualla frictiones ſint interpoſitæ. Itaque tum ſæpe reuolua-
C tur, tum ſæpe hoc ipſo tempore progymnaſtem mutet: ſæpe ipſe à tergo gymnaſtæ incumbens, atque vtrunque crus per vices ei circũplectens,idque cum tẽſione aliqua non vrgente,ab aliis qui commodè cõtrectent,fricetur. hac enim vel præcipuè ratione & calorem qui exercendo adauctus eſt feruauerit,& excrementa propriis ipſius tum tenſionibus tum motibus eiecerit. ad quam rem conficiendam ſpiritus quoque cohibitio non parum videtur conducere. Quinetiam inter ipſas exercitationes, ſpiritus cohibitionem interponunt optimi gymnaſtæ:
D ſicut etiam quam ſupra diximus apotherapiæ debitam frictionẽ:ſimul etiã ceſſando, quum homo laſſari incipit,ſimul cutis meatus paulatim expurgãdo,quò ſcilicet perſpirabile purũmque corpus ad ſubſequentes labores ſit: quum alioqui verendum ſit ne ſiquid tale gymnaſtã prouiderit,obſtruat potius meatus quàm expurget:nam vehementiores materierum motus diuerſis temporibus & rationibus contrarias edere actiones poſſunt. obſtruere autem quum craſſum ſimul ac multum fuerit quod confertim ac præceps agitur:purgare verò, quum
E exiguum tenuéque eſt, nec præproperè nec violẽter cogitur ſimul omne expelli. Ob has igitur cauſas, qui etiã in mediis laboribus apotherapia vtuntur, potiſſimùmque in iis qui grauia quæ vocant certamina exercent; laudo atque commendo.

De propria frictione, Cap. XVII.

FRictio quandoque per ſeipſa commodum aliquod corporibus noſtris affert, quandoque verò iis quæ commodum afferũt miniſtrare poteſt: miniſtrat autem
F in exercitationibus,præparãs ad eas copora:& itẽ quum poſt eas adhibetur.Ac prior quidem frictio præparans, poſterior verò apotherapeutica nominatur, de quibus ſuprà verba fecimus. Quæ verò per ſe ipſa boni quid facit, ea ſoluendi, ligandi, carnem augẽdi & minuendi vim habet,vt dura corpus ligetur,molli ſoluatur, multa extenuetur, mediocri denique craſſeſcat. Quatuor enim hæ genere differentiæ in quadruplici frictionum omniũ facultate atque vſu inſunt: ſique medias harum quæ vnà cum his intelligantur annumeres,ſex differen-
G tiæ omnes fient. Nam ſi dura ligãdi,mollis ſoluẽdi vim habet,corpora quæ ſupra modum ſoluta ſunt,ea duriter fricare oportet:quæ cõſtricta ſunt,molliter:ſi modicè ſe habeant,ea nec molliter, nec duriter, ſed quatenus fieri poteſt vtroque extremo declinato, fricanda eſſe perſpicuum eſt. Quemadmodum verò in iis differẽtiis quæ in qualitate ſunt,non ſolùm dura molliſque conſiſtunt,ſed etiam media:ita in iis quæ in quantitate verſantur, non ſolùm multa & pauca,ſed etiã media eſt. Quum igitur duæ res ſint toto genere diſiũctæ,ſi modò id quod facit
H ab eo quod fit,genere diſtinguitur,frictiones ex eorum numero ſunt quæ faciunt:affectus verò qui ab eis in corpore relinquuntur, ex iis quæ fiunt. quare cõtrarietates quoque alias in genere frictionum, vt tum mollem & duram, tum multã & paucam: alias in affectibus,vt tum

colligationem & ſolutionem corporum,tum gracilitatem & craſſitudinem,neceſſe eſt conſtituamus.Ac prior quidem affectuũ contrarietas ex priore frictionum contrarietate naſcitur,ſecunda non item.euenit enim in hac vt gracilitas proueniat ex multa frictione, carnis incremẽtũ ex mediocri:quippe quum pauca augendæ carni non ſufficiat,propterea quòd id quod carnis incremẽtũ accepturum eſt, & ſanguinis moderato acceſſu & valida virtute indigeat: quorum vtrunque mediocris commodè præſtat frictio: pauca neutrum,nec abundè,nec ſatis. Hippocrates igitur redactis veluti in elementa ſimplicibus differentiis,vniuerſam frictionum rationem abſoluit: quemadmodum carnem ſatis adiicias,quemadmodum detrahas,quemadmodũ corpus mollias,& quẽadmodum conſtringas.Cum his vnà protinus ſe promunt tum media earum opera, tum quæ per coniugationem faciunt.media,quum neque ligare corpus,neque ſoluere,neque carnem augere,neque minuere ſtudemus: per coniugationem verò fiunt,vt quum verbi gratia,pariter colligare & carnem durã adiicere volumus, frictionem duram vnà cum mediocri quãtitate adhibeamus:quum verò mollem,frictionem quoque mollem & quãtitate mediocrem adminiſtremus: & in aliis etiam coniugationibus ad proportionem. Etenim tres differentiæ frictionum à qualitate ſumptæ, tribus quæ ſumuntur à quantitate coniunctæ, nouem coniugationes efficiunt. eas nos formula quadam deſcribemus, in qua duorum verſuum qui ſupernè pinguntur, priorem, qualitatum: ſecundum,eſſe quantitatum volo.

Dura,	Pauca, Multa, Mediocris.
Mollis,	Pauca, Multa, Mediocris.
Mediocris.	Pauca, Multa, Mediocris.

De matutina frictione. Cap. XVIII.

DE matutina frictione in corpore temperato ad hunc modum differendum eſt.Si nihil ſit de quo queratur,certè ſuperuacaneum erit eum fricare: niſi ſiquando ingenti frigori occurrendum videtur. tum nanque veluti qui frigida ſunt vſuri,ſic frictione quoque hoc præparabimus.Si verò laſſitudinis ſenſus vllus appareat,tum vngendus homo eſt & molliter fricãdus. Simili quoque modo,ſi ſiccior iuſto ſit,oleo dulci vngẽd⁹ eſt(id enim ſicca corpora humectat) fricandúſque vt omnino parciſſimè,ita nec duriter, nec molliter: quippe quum ſuccurrere digeſtioni in corpus,non cutis carniſque habitum mutare, neque etiam quod in his continetur quicquam per halitũ digerere oporteat. Quorum mollis vtrunque,dura alterum facit:ſiquidem hæc cutim denſat duratque: mollis verò per halitum digerit,ac corpus laxum molléque facit. Verùm ſi cutis denſitatem corrigere velis,ei quæ ex duris tum frictionibus tum pertractionibus, atque ex vehementi exercitatione & multo puluere orta eſt, mollis frictio cum copioſo & dulci oleo medetur:quæ verò ex frigore contracta eſt,eam primùm frictione ſicca & celeri, deinde cum oleo adhibito calfacientes, ad naturam ſuam redigemus. Laxitatem verò quæ frequens balneum, mollémque frictionẽ & veneris vſum cõſecuta eſt,paucula frictione, primùm quidem ſicca, deinde cum oleo aliquo eorum quæ adſtringunt,ſanaueris. Humiditatem verò quæ nimiæ potioni ſucceſſit, ſicca frictio, & cum linteo adminiſtrata, & cum manica, interdum etiam ſolis manibus, idque vel citra vllum pingue, vel cum eo planè exiguo,corrigit. Eſto autem oleum hoc quod per halitum euocet,& omni facultate adſtringente vacans.

De veſpertina frictione. Cap. XIX.

ATque ita quidẽ de matutina frictione. Veſpertina verò iis vtilis eſt quos vel valida laſſitudo premit, vel immodica ſiccitas malè habet, vel quorum corpus ex alimento non nutritur. Verùm ſymptoma quum corpus non nutritur, nunc ſeponatur vnà cum aliis omnibus ſymptomatis quæ pòſt tractabuntur. In temperata verò natura,quum aut calida laſſitudo aut immodica ſiccitas corpus afficit, prandium minus eſto: tum ab eo ad cœnam longius tẽpus interponatur. plurimùm quieſcat:exiguum tamen quippiam inambulet, vt cibus recto motu concuſſus ſubſidat. melius etiam fit ſi exonerare aluum poſſit. His omnibus ritè peractis, ſecurus oleo dulci fricabis. non multum tamen ventrem continges: ſi ſecus facias, periculum eſt ne & cibũ deterius concoquat,& ſuccus aliquis ex eo ſemicrudus in corpus digeratur, capútque turbetur, & ſtomach⁹ ſubuertatur. Optimum ergo fuerit omnino ventrem non attingere:ſi

C verò in muſculis ei vicinis vel ſenſus aliquis laſſitudinis vel ſiccitas maior appareat, blandè & mediocriter vngi debebunt.

De frictione quæ ad febrim tollendam adhibetur, Ex libro Herodoti de auxiliis quæ fiunt, Cap. XX.

FRictiones quæ cauſa ſoluendæ febris adhibentur, hiſce temporibus ſunt adminiſtrãdæ. conueniunt e-
D nim circa morbi ſtatum,non omni quidem in parte, ſed extrema,vt non longè à declinatione abſit. In temporibus verò acceſſionum,primùm in declinatione fieri debent.Obſeruandi tamen ſunt qui partes aliquas inflammationibus obſeſſas habent: nam ſi eæ ſint, diſſolui febris nullo pacto poterit. Quin obſeruare etiam oportet ſpirandi difficultates, itémque ſudores qui ſine ordine in toto corpore aut vultu & collo ſeſe oſtendunt. Ergo quibus facta criſis eſt in principio declinationis, æſtate atque autumno accõmodatè in loco temperato reclina-
E bis,atque inibi paratũ hydrelæũ calidũ,in quo aphronitrum toſtum iniectum ſit,habebis. Frictio autem in iunioribus & minoribus,à quatuor fiat: in iis verò quorũ ætas floret, quique maiores ſunt, à ſex adminiſtretur: vt alii brachia ad manus digitos vſque fricent, alii thoracẽ vſque ad inguina, alii denique crura vſque ad pedes. Effuſo verò pingui aliquo, manus ſupernè deorſum deducant,ita vt pars omnis infricetur: deinde hominem pronum ſtatuant, ipſúmque ad eandem proportionem fricent.ac principio quidẽ,leui manuum iniectione lentáque vtantur:deinde verò, celeri & comprimente: po-
F ſtremò verò remiſſa, & quæ in omnibus primæ ſit par atque ſimilis. Iam verò etiam partes capitis & ceruix adiuncto pingui cõtrectentur. Partes autem ſingulæ in iunioribus centies,in florenti ætate ducenties fricentur: in iis qui athletarum more vitam degunt, duplicandus eſt numerus. Interim verò dum frictio adminiſtratur,ſi multa hilaritas adſit,ſimúlque febris ſedetur, faciliſque reſpiratio & bonus color appareat,& pulſus ma-
G gnitudo nõ ita multũ ſit imminuta, neque dẽſus pulſus ſit,& caro in tumorẽ adiuncto rubore ſit elata,tum numero frictionũ aliquid debet accedere:at ſi iis qui fricãtur ſudor prodeat qui prius nõ apparebat,tum ſcire conuenit rectè progreſſam eſſe frictionem, & inde vtilitatem ægrotanti fuiſſe allatam, & tamen eum ſecunda quoque experientia indigere. neque etiam quum pares acceſſiones fiunt,nihílque occurrit quod ſenſus iudicio vtile aut noxium ſit, ſed per ſe ipſæ impulſus capiunt, expectãda criſis eſt. nam ex ſecũda adminiſtratione per-
H ſpicua vtilitas apparebit.Omnibus porrò poſt frictionẽ, aquæ calidæ quod ſatis ſit dãdum eſt. ſique tempora remiſſionis adſint, poſt turbationem quam auxilium hoc

hoc attulit, & poſt ſedationem concuſſionis alendus æger eſt. At in quibus nihil quicquã remittitur, eos perfectas remiſſiones expectando nutrimus, in mediis temporibus largum potum dantes, & præſertim iis quos ſiccitas malè habet. alimenta verò liquida & calida danda ſunt. Si hyems ſit, ea quæ ad curationem pertinent, in loco calidiore fiãt, oleóque aphronitrum miſceatur, & vini decima pars indatur. In ſecundis verò frictionibus, ſi non laxentur, viréſque corporis validæ ſint, & pulſus in propria magnitudine permaneant, nec vlla turbatæ reſpirationis nota videatur, à frictione refectos inſidere oportet, atque perfundi, vt inde laxãdis corporib⁹, ſimile quippiã iis quæ per ſudores fiunt, poſt criſin perficiatur, atque vtilitates magis variæ extẽt: nã vel manẽt in eodẽ ſtatu (vt antè dixi) adiuti ad morbũ diſcutiendũ, vel typi in alterius generis formas tranſeũt, vel intermiſſiones capiunt, vel fiunt vehemẽtiores, & eodẽ die ceſſant. Sæpè etiam tutas perſeuerãtias inferunt, poſt quas laborioſus frictionum modus cauendus eſt: ſed in primis frictionibus manendum, quum non procul finis conſpiciatur. Si verò intendas manuum iniectionem, neque ferant, vlceríſque ſenſum tactus inuehat, à frictione deſiſtendum: ſi verò fricando multum circa ſe calorem ſentiant, idque ſemper, & maiore itidem malo afficiantur, adſit verò etiam aliquod ſymptoma implacidum, tunc à tali quoque auxilio abſtinendum eſt, quum eis immẽſum calorem afferamus, & vt cætera adhiberi queant, tempora remiſſionis expectabimus. Si verò adhibita frictione in diuturnis & intermittentibus febribus accidat vt continua & vehemens febris ſubſequatur, moueri & turbari non debemus quaſi res malè ceſſit, quandoquidem inde ſtatim æger recreabitur. Iam verò frictionem quoque tollendæ febris cauſa adhibere debemus in iis qui febres molles & tepidas habent, quæ vel ab initio tales in eadem forma perſtiterunt, vel ex vehementibus & difficilibus febribus, declinantes, ad haſce magnitudines peruenerunt. Quibus verò frictiones adhibẽdæ non ſunt, diſcerni debent ex temporibus morbi, ne aliquid incommodi palàm afferamus: quinetiam facta ægrotantis ſecum comparatione, id diſcernetur. Quamobrẽ noxæ quæ inuehuntur, ſpectandæ ſunt. nam quum febres quæ à frictionibus excitantur vehementes ſint, nec declinent, ſciendum eſt hoc auxilium non proficere: ſimili quoque modo, ſi ſegnes & ſomnolentæ per totum caloris tempus ſint, laxúmque corpus, reſpirationem denſiorem, & pulſus exiguos & obſcuros, atque etiam frequentes reddant, tum frictionem malè cedere iudicamus: ſed & tremor & conuulſio ex frictione intempeſtiua & multa fiet: pariter etiam ex dolore inflammatio exorietur, carne in tota corporis mole intumeſcente. His ſymptomatis animum diligenter attendere, & copiam remediorum paratam habere oportet.

De inambulatione, ex xxx. libro Antylli, de auxiliis quæ fiunt, Cap. XXI.

DEambulationis duo ſtatuenda ſunt genera, quorum alterum vt auxilium, alterum ad corporis recurationem adhibetur. Deambulare igitur auxilii gratia cenſemus in affectionibus quæ capiti, itémque oculis, gurgulioni, & thoraci, præterquam in ſputo ſanguinis, contingunt. Eſt verò etiam maximè vtilis deambulatio ſtomacho humeſcenti, dolenti, & in quo alimenta coaceſcunt & corrumpũtur: efficax eſt etiam ad mulieres quibus ſuppreſſæ ſunt purgationes: & quum aluus ſiſtitur, & cibi ſupernatant, & vrina retinetur. Non mediocriter quoque coxendicis morbis prodeſt: & ad ſummam, omnibus iis in quib⁹ neceſſe eſt aut à ſuperioribus partibus ad inferiores aliquid defluere, aut quæ ad inferiores partes propẽſa ferũtur, excernẽda ſunt. De ambulatione verò apotherapeutica vtemur cõfectis grauioribus exercitationibus, & poſt purgationes quas medicamẽta fecerint, & poſt ſublitionẽ oculorũ, & poſt copioſum vomitũ: & abſolutè atq; vno verbo, deãbulatio apotherapeutica poteſt animũ remittere, ſpiritũ cõmutare, & in ordinẽ adducere, & quæ diſtẽta ſunt ſoluere, itémq; thoracẽ purgare, & vt facilè reſpirationẽ edat efficere, inſtrumẽtáque ſenſus roborare, & ventriculũ firmare, &, quod maximi refert, omnẽ affectionẽ quæ laſſitudinis ſenſum affert, quǽque perturbat, explicare atque diſſoluere. Ac deambulatio quidẽ quæ auxilii cauſa ſuſcipitur, & multa & cõtenta eſſe debet: tũ crura impariter mouẽda, calcibúſque incedẽdum, tũ pectoribus pedũ cum popli tũ cõtentione ambulandũ: ac initio quidẽ quietè, deinceps verò vehementius, & rurſus viciſſim remittẽdum: quantitas autem ex viribus iudicetur. Verùm quæ recurãdi cauſa initur, pauca & placidè adminiſtrata, & quieta, animi corporiſque effuſione cõiuncta eſſe debet. Ex quo fit vt quietæ deambulationes imbecillioribus accommodatæ ſint. Eædem quoque conueniunt iis qui à cibo deambulationibus vtuntur, itémque iis qui nuper è ſomno ſunt experrecti, & qui ante maiores exercitationes, ad eas ineundas ſe deambulãdo præparant, & qui parte quauis dolent. Robuſtæ verò deãbulationes conueniunt valentioribus perfrigeratis, quique ſpiritum ægrè trahunt, languidúmque vnà etiam cum viribus habent, quique ſegniore ſunt mole corporis, & qui carnem reficiunt, & cõualeſcentibus. Quæ verò cum intentione crurum aut calcibus incumbẽdo fiunt, capiti malè affecto ſunt accommodatiſſimæ, itémque thoraci humidiori, & vtero conuulſo, & purgationi ſuppreſſæ, & quum partes infernæ ex alimento fructum non capiunt: & omnino quibus materia ſurſum repit & fertur. Non intẽtæ verò deambulationes placidis ſimiles ſunt, atque ad eadem valent: quæ verò extremis digitis obeũtur, eas obſeruatum eſt propriè lippientibus & aluo ſuppreſſæ vtiles eſſe: accliues autem thoraci qui ſpiritũ exiguum ducat, idque ante cibũ, & quum loco aliquarũ maiorum exercitationum iniungitur deambulatio. Decliues verò cruribus laborem afferunt illæ quidem, ſed tamẽ magis quàm aliæ materiam infrà trahunt, quum eam à capite ad inferiores partes deducãt. Inæquales verò vtiles ſunt iis qui citò deambulãdo fatigãtur. Quæ in campo fiunt, magis laborioſæ quàm hæ ſunt, & magis etiã ſunt accõmodatæ ad ſpiritũ & ad corpus conſtituendũ: quæ loco aſpero fiunt, caput replẽt: quæ in arena, & præſertim profunda, (eſt enim hoc vnũ genus exercitationis vehemẽtiſſimæ) efficaciſſimæ ſunt ad omnes partes corporis firmãdas, & potẽtiſſimè ad materiã è ſupernis ad infernas partes deducendã: quæ verò in terra molli fiũt, proximè accedũt ad eas quæ in arena fiũt: quæ in pratis exercẽtur blandiſſimæ ſunt, nihil omnino ſenſus tentãt, nihil cõmouent, ſed tamen caput implent, cum propter odoris ſuauitatem, tum propter humiditatem quæ in eis ineſt: quæ verò in viis fiunt, minore cum labore fiũt quàm eæ quas in locis deambulationibus dicatis obimus, quæ verò habent inuolutiones, ſunt capiti noxiæ. Oblongæ verò ſimiles ſunt iis quæ in viis fiunt: quæ verò in locis ſuperioribus domus fiunt, cæteris omnibus ſunt anteponendæ: nam & vaporum qui è terra efferuntur ſunt expertes, & aerem habent puriorem. Atque ex eis accõmodatiores etiam ſunt quæ fiunt in locis quæ tabulis ſint ſtrata: ſiquidem obſecundãt, & caput læuant, & materiã deorſum trahunt. Exigua deãbulatio prodeſt iis qui fatigati ſunt, quique poſt exercitationes loti nõ ſunt, & iis quibus à cibo deambulationibus opus eſt, quibus grauitas eſt in corpore. Multa verò deambulatio iuuat eos qui caput aut thoracem malè affectum habent, & quibus infernæ corporis partes non nutriuntur, & qui in exercitationibus vehementiore motu egent. Iam verò quæ prope mare fiunt, ſiccandi & materiam attenuandi vim habent: at quæ circũ flumina & ſtagna fiunt, humectãdi vim habẽt: verũtamẽ quæ prope ſtagna fiũt, deteriores cẽſentur: quæ verò in mediterraneis fiũt partib⁹, eæ ſunt aliis quæ dictæ ſunt præſtantiores, verùm ſuperantur ab iis quæ propè mare obeuntur. Quæ in rore fiunt, ſimiles ſunt iis quæ ad ſtagna fiũt: quæ in locis auiũ volatu frequẽtatis fiunt, efficaciſſimæ ſunt ad euocandũ per halitũ, & ad leuandũ: ſimili quoque modo eæ quæ in ſublimib⁹ fiũt locis. At quæ cauis locis & ſpeluncis (aer enim ibi intẽperat⁹ & vitioſus ineſt) itémq; quæ ſub tecto fiũt,

deteriores ſunt iis quæ ſub dio. valent enim ad replendũ
vel maximè, ſi humili tecto caſa ſit munita. Quæ loco
ventris non perflato fiunt valent ad euocandum per ha-
litum, & ad excremẽta diſpergenda, itémque remittunt,
non feriunt: at ex iis quæ vento perflante fiunt, quæ ſub
Borea, tuſſes excitãt, thoracem lædunt, ſtomachum diſ-
ſolutum roborant, vires collabentes firmãt, & ſenſuum
integritatem afferunt: quæ ſub Auſtro, caput replẽt, ſen-
ſuum inſtrumenta hebetant, aluum molliunt, atque ad
diſſoluendum valent: at quæ Zephyris ſpirãtibus fiunt,
eæ præſtãt cæteris omnibus quæ in vento fiunt. non ha-
bent enim Boreæ inſuauitates, quum eis manſuetudo ſi-
mul atque iucunditas ſit coniuncta. quæ in Apeliote
fiunt, malæ ſunt, & feriunt: quæ in Sole, effundunt, & ca-
put implẽt, & inæqualitates gignũt. Quæ ſub arboribus
fiunt, meliores ſunt iis quæ ſub tecto. aër enim ventila-
tur, & redditur ſalubrior: eǽque conuenienter arborum
qualitatibus aut nocẽt corporibus, aut proſunt. Quæ ve-
rò cælo ſereno, leuant, per halitum euocant, attenuant,
bonam reſpirationem & mouendi facilitatem parant:
quæ nubilo, caput implent, grauitatẽ important, minúſ-
que per halitum euocant. ac matutinæ aluum molliunt,
& ſegnitiem è ſomno cõtractam diſſoluunt, ſpiritúſque
attenuant: veſpertinæ verò ad ſomnum hominem præ-
parant, & inflationes diſpergunt.

De curſu, ex eodem Antylli libro, Cap. XXII.

QVoniam curſus eſt deambulatio vehemens & con-
citata, ideo inter vehemẽtes exercitationes nume-
ratur: eſt verò accõmodatus hyberno tempore, itém que
æſtate media. Valet autem ad corpora calfacienda, appe-
titum reuocandum, & ad naturales actiones corroboran-
das, & ſtomachum firmandum, & defluxiones euocan-
das. Etſi enim primùm defluctiones videtur excita-
re, eas tamẽ poſtea cohibet & comprimit: verùm caput
implet. In renum autem morbis, & ſeminis profluuio,
vt aſſeruatũ quoddam auxilium, nos curſum adhibui-
mus. Prodeſt iſchiadicis, in quibus in curſus initio vix
moueri poſſunt: ſed vbi in curſu ſunt, ita properant vt
morbi propemodũ obliti videantur. In iis verò quorũ
viſcera torquentur, & qui fungos eſitarunt, & qui à ſcor-
pionibus icti ſunt, nos curſum profuiſſe obſeruauimus.
Ergo differẽtias quæ ex qualitate & quãtitate ſumũtur,
& cæteras etiã generis eiuſdẽ, ex iis intelligemus quæ ſu-
prà de ipſis deãbulationibus dicta ſunt nobis: at quæ nõ
dixerimꝰ, quæ quidẽ ſunt perpauca, ea nũc perſequemur.
Eſt ergo curſus quidã qui rectà ad anteriora fit, qui inde
etiã nomen duxit: alius in poſteriora, quẽ recurſum vo-
cãt: alius in orbem, quẽ circuncurſum nominant. ex qui-
bus is qui ad anteriora fit, ea præſtat quæ iam diximus: at
recurſus in poſteriora, is non celeriter initus, & capiti, &
oculis, & tendinibus, & ſtomacho, & lumbis accommo-
datus eſt atque vtilis: idcirco nõ replet caput. Porro in-
ceſſus qui pedibus in altum ſublatis fit, qui cogit vt fir-
mius ſummis pedibus incũbendo homines vadãt, ne cõ-
cidant, materiã infrà trahit. Curſus verò in orbem, tho-
raci & cruribus accommodatus eſt, at capiti eſt alienus.
Ergo curſus qui tecto corpore ineuntur, ii carnem calfa-
ciunt, & ſudores mouẽt: qui non tecto corpore, non ma-
gnam illi quidem ſudorũ copiam eliciunt, veruntamen
clàm vehementer per halitum euocant, atque etiam cor-
pora durant & exiccant.

De geſtatione, Eiuſdem, ex eodem libro,
Cap. XXIII.

ALiæ exercitationes in motu corporis conſiſtunt:
geſtatio verò media eſt inter motum & ſitum par-
tium corporis quieſcentium: quúmque totum corpus
ferendo moueatur, inde exiſtit vtiliſſima & placidiſſi-
ma exercitatio, quæ ipſas itidem partes nõ minus quàm
magnæ exercitationes, moueat. Omnis autem geſtatio
poteſt naturalem calorem augere, & materiæ multitu-
dinem diſcutere, & habitũ corporis firmare, & actiones
ſtupidas excitare, & ſegnitiem præterea diſſoluere, & cor-
poris turbationẽ ſedare, & iis quos vigiliæ exercent, ſo-
mnum conciliare, & cõtra etiam veternoſis & diſſolutis
reditum ad ſe, & vigilias parare. Ac ſomnum quidem

A conciliat, excremẽta quæ à capite & ſtomacho delabun-
tur, per halitũ digerendo, quum hæ partes ſint vigiliarũ
cauſæ præcipuæ: at vigilias poſtea inducit, corporis te-
norem ad ſe reuocando & corroborando. Geſtationis au-
tem differentias cõmunes in oratione quæ de ambula-
tionibꝰ habita eſt expoſuimꝰ. propriæ verò ſunt hæ. Vna
in lectica fit quæ fulcra habeat lineis ab angulo ad an-
gulũ per pedes diſtincta: vel fit in ſella: hǽcque duplex
eſt, vel ſedentibus iis qui geſtantur vel iacentibus, vel in
vehiculo, vel in naui: ac in naui quidem quæ aut ventis
B aut remigibus impellatur. Geſtationi quoque ſubiicia-
tur equitatio, quanuis nonnulli de ea priuatim loquan-
tur. Ergo geſtatione quæ in lectica fit, vtimur in febri-
citantibus, aut qui diuturna imbecillitate laborãt, quí-
que elleborum ſumpſerunt: atque etiam dum vires refi-
ciuntur, quum imbecilli adhuc homines ſunt, prodeſt:
itémque vigilantibus, quíque ſegnitie & pigritia quadã
ſunt oppreſſi, & iis quibus caninum in modum appeti-
tus eſt intentus, quippe quæ intentionẽ illam ſedet: & iis
qui tardè alimentũ conficiunt, & iis qui alias obire exer-
C citationes non poſſunt: eadem quoque proportione, iis
qui diuturno morbo impliciti ſunt vtilis eſt. Sed aliud
genus quod lectulo penſili fit, & ante & poſt cibum pro-
deſt: alterum verò, poſt cibum eſt inutile. Quomodo
autem vti hac geſtatione debeamus, explicatur à nobis
vbi de elleboro propinãdo loquimur. In ſella autẽ ſtra-
tos geſtamus eos qui febrim habent, atque ex iis lethar-
gicos potiꝰ, & quos cataphora vrget. Qui verò ſimplici,
& permanẽti, & diuturna febri iactantur, ſi vires ferant,
debent geſtari quamplurimum, quandoquidem geſta-
D tio minus mouens corpora, quandoque febrim excitat.
Ergo in febricitãtibus qui ad integritatem perueniunt,
vel quorum longa admodum remiſſio eſt, vel qui fe-
bribus tenẽtur longis, etiamſi non magna interualla ha-
beant, conuenit hæc geſtatio. Qui febrim non habent,
in cathedra non tecta potius quàm tecta geſtandi ſunt.
Tempora autẽ & loca in quibus geſtatione vtendũ ſit,
& quibus modis fieri debeat, deambulationis tractatio
nobis expoſuit. Quæ autem in vehiculo fit, habet vim
quandam amoliendi commouendíque morbos ſtabiles
E & permanentes: quæ verò in nauibus fit, parum plerun-
que diſtĩguitur ab ea quæ in terra adminiſtratur: ac quæ
trãquillo mari obitur, non admodum magnã turbatio-
nem neque concuſſionẽ affert. Ex quo fit vt ferme accõ-
modata ſit iis quibus etiã geſtatio per currum cõuenit:
niſi quòd hoc magis habet, quòd in purgato aere, & in
quo non humidi vapores, ſed ſicci & acres ſint, efficitur,
& ob eã ipſam cauſã eſt præſtãtior. Quæ verò per pontũ
fit, vẽtis nauim ferẽtibus, ea maximè varia eſt, & ex maxi-
mè cõtrariis cõſtat. Habet enim motũ acutiſſimũ, vehe-
F mentiſſimũ, & neutiquã ceſſantẽ dum nauis à vento im-
pellitur: éſtque mixtus ex ſecuritate & timore, habétque
facillimas & celerrimas mutationes: ac tales quidem
mutationes omnem diuturnam morborũ affectionem
remouẽt. Commotio denique quæ in nauigatione exci-
tatur, vim habet elleboro leui & albo perſimilem.

De equitatione, ex eodem, Cap. XXIIII.

EQuitationis exiguus in ægrotantibus eſt vſus: nam ſi
placidè equus gradiatur, nihil magis quàm laſſitu-
dinẽ, & præſertim inguinibus, afferet: ſi vehemẽter im-
G pellatur, quanuis totum corpus laborioſè concutiat, ta-
men aliquid vtilitatis affert: ſiquidem magis quàm o-
mnes aliæ exercitationes, corpus, & præſertim ſtomachũ
firmat, & ſenſuum inſtrumenta purgat, eáque reddit acu-
tiora: ſed thoraci exercitatio hæc eſt infenſiſſima.

De geſtatione quæ in febribus conuenit, ex
Herodoti libro de auxiliis quæ fiunt,
Cap. XXV.

GEſtationis quæ in ſella aut cathedra fit, primus mo-
dus eſt vt neque minus quinque ſtadiis, neque plus
H quàm huius duplũ producatur: qui modus ſequẽti etiã
die erit obſeruãdus. A tertio verò die quinque ſtadia ſin-
gulis diebus accedãt vſque ad triginta ſtadia. qui verò
longiore geſtatione indigẽt, ii curru qui manu ducatur
vtũtur, quos per triginta ſtadia mouere incipimꝰ, deinde

ea conduplicamus. Qui in febribus vigilia premuntur, eos vſquedum ſomnum capiant geſtare oportet: quos verò dolor vexat, aut aliud tale ſymptoma exercet, geſtandi ſunt donec id quod eos infeſtat moueatur. Geſtatio verò quæ lecto penſili fit,numero quidem non facilè definiri poteſt quanta eſſe debeat: verùm conſequi ratione debemus tanto tempore vtendum ea eſſe quanto quiſpiam in ſella perlatus quadraginta ſtadiorum iter conficeret. Qui verò in bigis geſtantur, à ſtadiis triginta aut quadraginta ducentes initium, vſque ad ſpatium altero tantò maius progredi debēt. Quibus maiore menſura opus eſt, ſunt qui equitare conſueuerunt: in quibus equitatio quoque antepoñenda eſt, vtpote eorū naturæ accommodatior, & habita etiam conſuetudinis ratione. Qui denique nauibus geſtantur, à ſexaginta ſtadiis incipiant,& in duplum horum definant.

De tricilaſia,ex quarto libro Antylli,de auxiliis quæ fiunt, Cap XXVI.

HÆC exercitatio intenta corpora mollire poteſt, & quæ locò ſtabiliri non poſſunt, tū reuolutionibus, tum verò etiam figurarum corporis varietate ſic parare vt facilè flectantur & ſtabiliantur:neruóſque imbecillos firmare & laxare,& calorem excitare, & intelligentiam quæ deflexit de via & atra bili agitatur, ad ſtatum ſuum reuocare. Sit autem ctici diameter minor quàm ſit hominis longitudo,vt eius altitudo ad mammas vſque perueniat: neque impellatur per longitudinem, ſed etiam errando. Eſto autem ferreus auriga, qui anſam ligneam habeat.Nōnulli tamē tenues cricos rotæ adiectos ſuperuacaneos eſſe putauerūt:veruntamē nō ita ſe res habet, ſed ſtridor ex eis ortus hilaritatē & voluptatē animæ parit.In initio autē rectos impellere cricos oportet:vbi autem corpus incaluerit atque inane ſit factum,tum exiliendum & diſcurrendum: ſub ſinē verò, iterum recti impellendi ſunt,vt ſtatum quem exercitatio parauit, tueamur.Tēpus autem accōmodatū eſt ante cibū aut balneū, vt etiam in aliis magnis excercitationibus obſeruatur.

De natatione, Eiuſdem,ex eodem libro, Cap. XXVII.

PAuci diuturni morbi ſunt in quib⁹ apta ſit natatio, & perrarò etiam adhibetur: ac æſtate ſolùm ea vtimur,poteſtque gracilem reddere, per halitum euocare, firmare,calefacere, attenuare,hominem iniuriæ minus obnoxium facere. Quæ ergo in mari fit,ea hydropibus, ſcabioſis,& quos exanthemata infeſtos habent,itémque elephantiaſin patientibus, & quorum crura aut aliquæ aliæ corporis partes defluxione tentantur,accommodata eſt.Facit quoque ad eos qui ex alimento fructum nō ſentiunt, iiſque qui in morbo exagitantur. Capiti verò nocet non ſolùm quæ in mari,ſed etiam quæ vbique fit: quæ verò in dulcibus aquis, ægrè & imbecilliter prædictas res poteſt.Quamobrē vitanda plerunque eſt: nam ſi quis in ea diuti⁹ immoretur, ei nerui cū propter frigus, tū propter humiditatē lædētur:at quæ ſit in calidis ſpōtè naſcētib⁹,incōmoda eſt,quippe quæ impleat. Sed multo magis fugiēda natatio eſt quæ ex calefacta aqua cōſtet. Quinetiam ſiue in marina ſiue in alia aqua natare quis voluerit, debebit is prius moderatè vnxiſſe, & frictione præcalfeciſſe corp⁹, & eueſtigio in aquā ſe proiicere.

De palæſtra, Cap. XXVIII.

PAlæſtra vehemens firmum & validum ſpiritum efficit, itémque corpus ſolidum & muſculoſum:neruos etiam confirmat, & ſenſus exacuit, & naturales actiones corroborat. Carnem dēſam illam quidem & excitatam, ſed tamen ex omni parte paucam adiicit.Pinguedinem, omnia œdemata,tumores, aquam intercutem diſſoluit: thoraci aliena eſt. At placida palæſtra vice verſa carnem multam cōparat:ex quo ſit vt iis qui reficere ſe incipiunt ſit ſuperiore accōmodatior. Præterea erecta palæſtra capiti prodeſt & thoraci, & neruos corroborat: quæ verò ſuper pauimento ſit,lumbos,genua,præcordia,& inteſtina vitiata adiuuat: ſed capiti eſt ineptior.

De vmbratili certamine,ex eodem libro eiuſdem, Cap. XXIX.

VMbratilis pugna valet ad ſedandam affectionem laſſitudinis ſenſum referentem, & ad humeros ſirmandos, & ad neruorum imbecillitatē & ad tremorem corrigendum.quinetiā materiam infrà deducit, & præſertim in iis qui ſummis pedibus pugiles imitantur. Eſt etiam vtilis renibus,colo inteſtino,atque vitiis quæ thoraci ſolent accidere. Oportet autem nō ſolùm manibus cum vmbra depugnare,ſed etiā cruribus: ac interdū tanquā ſalientes,interdùm verò tanquā calcibus cædentes.

De geſticulatione,ex eodem libro, Cap. XXX.

INter choream & vmbratilem pugnam media interiecta eſt geſticulatio, ſed ad vmbratilem pugnam propius accedit: eſtque ad eadem vtilis ad quæ pugna vmbratilis eſt.ſed hæc pueris,mulieribus,ſenibus,& quorū corpus mirū in modū gracile atq; imbecillū eſt, magis cōuenit: ſiquidē vtilis & accōmodata eis eſt exercitatio.

De exiliendo & ſaltando,ex eodem libro, Cap. XXXI.

DIffert exilire à ſaltādo:nam exilire eſt curſui ſimile, quum eodē in loco corpus manet, poplites inflectendo & circumuehendo: ſaltus verò eſt fermè crurum continuus. His ſimilis eſt ſaltus quo Lacænæ mulieres ad nates ſaltando priſcis temporibus vtebantur.ſaltabāt enim circunflexis cruribus,ita vt calcibus nates attingerent: quandoque cruribus alternatim inflexis, vt calcibus nates peterent: quandoque verò vtriſque vno & eodem tempore. Exilire verò accommodatum eſt diuturnis morbis capitis,thoraci,materiæ quæ ad partes ſuperiores propēſa fertur,cruribus imbecillis, ſeſe non alentibus, excarnibus,ſtupidis, & tremulis. Saltus verò magis quàm ſiquis exiliat, materiam infrà ducit: ſed quia thoracem cōcutit, ideo eius affectionibus non cōuenit, verūtamen & ad motum & ad actiones promptum corpus valde reddit. Saltatio verò ad nates caput purgat & ſiccat:euocat etiam menſtruas mulierū purgationes, & fœtus nimiū adhærentes expellit,quemadmodum Hippocrates in libro de natura pueruli ſcriptum reliquit. ſecundas quoque retentas deiicit, & vterum qui ſuprà ſe contraxit, in ſuum locum trahit, & hæmorrhoidas itidem prouocat.

De pila,ex eodem libro, Cap. XXXII.

EXercitatio quæ ex pila exiſtit, promptiores ad motū reddit eos qui in ea ſe exercent, & vitales actiones roborat. Eſt autem in ea differentia quæ ex pilæ differentia oritur.nā alia parua eſt,magna alia,& media alia: atque alia iuſtæ magnitudinis,alia deniq; inanis & vacua. Paruæ pilæ magnitudinis ſūt tria genera,& ex vnoquoque genere vna extat exercitatio.quædā enim valde parua eſt:qui in ea exercētur,corpore maximè elato ludunt, & colludētes manus manibus proximè admouent: hæcque exercitatio cruribus aptiſſima eſt: ſiquidē vnà cum intentione crurum adminiſtratur. Vtilis eſt etiam dorſo & coſtis pullulātibus,itémque brachiis:carnem quoque ſolidam reddit. Alia pila eſt paulo maior,qua etiam homines vtuntur,& cubitos cubitis ludendo immiſcēt: nec corporibus mutuò hærēt,nec annuūt,ſed variis modis mouentur, & propter varios pilæ ictus atque motus, huc atque illuc digrediuntur.atque hæc pilæ exercitatio præſtantiſſima eſt, & quòd corpus ſanum & promptum ad motus cum robore coniuncto præſtat, & quòd aſpectum firmat, nec caput replet. Tertia verò pila quæ his maior eſt, diſtantes inter ſe homines ludunt: ſed in ea, ſtataria pars eſt & motoria. Qui manent,pilam emittunt cū vehemētia & cōtinuitate, brachiáque & oculi iuuantur: in motoria verò & brachia & oculi pariter iuuātur: ſed cruribus etiā propter curſum,& ſpinæ propter inflexiones quæ currendo fiunt,commodum accedit. Atque hæc quidem de parua pila ſufficiant. Exercitatio autem quæ à magna pila oritur, non modò à ſuperioribus differt ex pilæ magnitudine, ſed etiam ex manuum figura.nam in ſuperioribus omnibus ſummæ manus ſemper humiliores humeris tenētur:in hac verò,capite altiores. & idcirco ille quoque excitatur in hac exercitatione, atque diſcutitur.quandoque etiā ſummis pedibus vadunt, vt manus altius extollant:quandoque etiā ſaltant,quum pila ſupra eos fertur. ita firmat totū corpus huiuſmodi exercitatio,& capiti prodeſt materiā infra deducēs.Quæ

A verò plus iuſto magna pila eſt;brachia quidē in ea proiicienda firmat,& vtraque etiam manu propter magnitudinem emittitur, ſed plagas duras affert: eàque non modò ægrotis aut conualeſcentibus inutilis eſt, ſed etiā bene valentibus. Inanis verò pila,cui etiam folliculo nomen eſt,æquè exercet ac motoria in qua curritur. ſed tamen non admodum facilis eſt neque apta, atque ideo omittenda eſt.

De pugillatorio folle,ex eodem libro, Cap. XXXIII.

B FOllis pugillatorius in corporibus imbecillioribus grano ficulno aut farina,in robuſtioribus arena impletur: eius verò magnitudo ad vires corporis,& ad ætatem accommodetur. Suſpenditur autem in gymnaſiis ſupernè è culmine, tantúmque à terra diſtat vt fundum ad eius qui exercetur vmbilicum pertineat. Hunc vtriſque manibus tenentes qui exercentur,primùm quidem quietè, poſtea verò vehementius geſtant, ita vt ipſum recedentem conſequantur, & iterum redeunti cedant violentia compulſi: poſtremò verò eum è manibus reiicientes emittunt, vt quum reuertitur,vehementius C corpori aduentu ſuo occurrat. Ad extremum verò in ſedem ſuam ſæpiſſimè reſtituendo demittunt, vt ex congreſſu ſi non valde aduertant retrocedat. Ex quo fit vt quandoque manibus occurrant dum propinquat, quandoque verò pectore,manibus paſſis,quādoque verò iis ad terga reuolutis. Poteſt igitur hoc exercitationis genus muſculoſum corpus reddere,& robur afferre,éſtque humeris & toti corpori aptū, & propter plagas quas infligit omnibus viſceribus idoneum.

D De exercitatione,quæ halteribus contorquendis fit,ex eodem, Cap. XXXIIII.

HAlterum iaculatio, dura exercitatio eſt: ſtomacho autem quem defluxio infeſtat, quique imbecillus eſt,& in quo cibus areſcit,& qui cum labore concoquit, eſt accōmodata, & probè etiā humeros exercet: carnem creat,ſed nec capiti nec thoraci conuenit. Differunt autem halteres inter ſe: nam vel ſeparatim mittuntur manibus extenſis & circumactis, vel tenētur ſolùm in protenſione manuum plerunque quieſcētium,& breui motu agitatarum: & iis ipſis qui exercentur introeuntibus, E & æquè ac pugiles cōcutientibus: vel quum ii qui exercētur, manus ad ſpinam iaculando inflectunt. Primùm genus ea præſtat quæ diximus: ſecundum verò, crura neruóſque confirmat,& materiam deducit: tertium verò ſpinam iliáque iuuat & mollit,ſed caput peſſimè afficit.

De ingreſſu per loca ſima,ex eodem libro, Cap. XXXV.

HOc exercitationis genus ſpiritum roborat, & corpori faciles flexiones parat, ac præſertim eam vim cruribus indit, ac ſimul etiam robur iis partibus quæ F mouentur,cōparat: longum verò tenorem præparat,neruos conſeruat,materiam deducit,& ſuperiora excrementa ad ſuos meatus pellit. Si verò etiam cum arteriarum firmitate adhibeatur,fiet vna è validiſſimis exercitationibus,quæ inferiores & ſuperiores partes corporis æquè fatigabit.

De armorum pugna,ex eodem libro, Cap. XXXVI.

HÆc exercitatio apud veteres non erat: non erat,inquam,inter eas quæ ægrotantibus proſunt, quum G aliter ſe in armis veteres exercerent. Romani verò hanc poſtea exercitationem inuenerūt, quæ primùm quidem conducebat, vt ad bellum paratiores eſſent: ſed quam nunc inſtituimus, ad corpora fatiganda pertinet. Ergo milites (hæc enim ad ſingulare certamen pertinet) armis indutis, vel contra aduerſarios, vel contra columnam tanquam cōtra aduerſarium pugnant. Hæc autem exercitatio poteſt corpus aptius ad motum & ad carnem ſuſcipiēdam reddere: veruntamen carnem mollem laxámque facit,éſtque capiti noxia, tum quia mirum in H modum à pileo contegatur & galea,tum quia pondere preſſum laboret. Maxima autem huius exercitationis profeſſio eſt & pollicitatio,vt longam reſpirationem & corporis firmitatē gignat,quum ii qui huic ſe dedunt,omnem aliam ſpiritus expulſionem ferre poſſint.

De rebus venereis,Galeni, Cap. XXXVII.

RErum venerearum ex Epicuri ſententia nullus eſt vſus ſalubris. re vera autem ſalubris eſt vſus ſi tantum interualli interponatur vt neque reſolutio vlla ſentiatur,& ipſe homo ſeipſo leuior factus,& melius etiam ſpirare videatur. Tempus autem ad vtendum opportunum eſt quum corpus in exquiſita omnium externarum circunſtantiarum mediocritate ſit conſtitutum, vt neque nimis plenum ſit,neque vacuum, neque nimis perfrigeratum, neque ſupercalefactum, neque exiccatum, neq; humectatū. Si verò errare cōtingat,paruus ſit error. ſed melius eſt vt potius calefactū quàm perfrigeratum, & plenum quàm vacuum,& humectatum quàm exiccatum venereis rebus vtatur. Qui ergo imbecillas vires habent, ii à veneris vſu ad ſummam infirmitatem deueniunt: qui verò robuſtas, ſed propter magnā pituitæ copiam morbo detinentur,ideo patiuntur quòd humores plus iuſto per halitum digerantur. Innoxia enim venus iis eſt qui calidi humidíque ſunt,quíque ſemine naturaliter abundant. Quinetiā corpus eorum qui firmas vires habent venus calefacit: at eorum quibus eædem imbecillæ ſunt, protinus quidē calefacit,ſed poſtea vehemēter refrigerat. Nonnulli enim ſunt quos protinus à iuuenture concubitus imbecilliores efficit: nonnulli verò niſi coeant aſſiduè, capitis grauitate infeſtantur, cibos faſtidiunt, ac febribus obnoxii fiunt: atque vt deterius appetunt, ita etiam minus concoquunt. Quoſdam noui qui quum huiuſmodi natura eſſent vt à coitu abſtinerent,torpidi pigríque ac ſegnes facti ſint: quoſdam verò qui melancholicorum more præter modum mœſti ac ſpei expertes euaſerint: hæcq; omnia ſtatim veneris vſu vſu ſedata fuiſſe. Hæc igitur conſideranti mihi,ſeminis retentio lædere magnopere videtur, & præſertim in iis in quibus ſemen ſuapte natura deterioris ſucci eſt & copioſius, & ipſi otioſam vitam degunt, quíque antea rebus venereis frequentiſſimè vtebantur, poſtea verò affatim abſtinuerunt. Qui verò firmiores & iuuenes ſunt, horum habitus corporis in raritatem potius quàm vires in imbecillitatē mutatur: itaque corriguntur per ea quæ cogunt & contrahunt, qualis eſt præparans exercitatio. ſi verò etiam aliqua refrigeratio poſt venerem corporibus adueniat, erit etiam exercitatione præparante ob eam cauſam vtendum: quandoquidem ea calorem excitat. ſi verò anni tempus non diſſuadeat, nec à frigido balneo abſtinendum erit. Cibi copia quidem ſint minores,qualitate verò humidiores, tum vt probè concoquantur,tum verò etiam vt ſiccitas quæ ex venere contracta eſt, corrigatur. Debet verò nec frigidiore tēperatura eſſe, ſed vel media, vel calidiore. nā quoniam corpus à venere & laxius & frigidius, & imbecillius & ſiccius eſt effectum,debent planè quæ denſent & calfaciāt, & vires reparent,adhiberi, atque ad hæc ſtudium omne impendi.

De rebus venereis ex Rufo: in quo eſt etiam victus ratio,Cap. XXXVIII.

OMnino autem concubitus frigidius corpus efficiunt: attamen minus laboris à muliere impenditur quàm à viro, atque ita etiam minus moleſtiæ mulieri accedit. nam vehementes ſunt virorum concubitus, & ideo maior itidem labor in concumbendo ab eis adhibetur. Qui etiam erectis hominibus fiunt,maiorem laſſitudinem afferunt: atque illi etiam ſunt huiuſmodi qui poſt ſatietatem ineuntur,itémque poſt ebrietatem. Qui ante cibum fiunt, faciles quidem ac celerrimi ſunt, ſed neſcio quid imbecillitatis inuehunt. ſeminis verò interceptiones quæ in medio concubitu fiunt, renibus & veſicæ ſunt peſſimæ. Verùm non omnino peſſimæ ſunt res venereæ,ſi & tempus opportunum, & modum velis animaduertere. Ex eis ergo hæc extant commoda, plenitudinem euacuant, corpus agile reddunt, ad incrementum promouent, & magis virile efficiunt. Animo verò id præſtant, vt impeditam vim rationis explicent, irámque nimiam cohibeant. Ideo fit vt melancholicis, ſiquid aliud, accommodatiſſimo ſint reme-

dio,quicunque etiam alio inſaniæ genere laborãt, & nõ nullos etiã comitiales ſanauerũt , facta in pubertatis tẽpore mutatione:itémque nonnullos qui capitis grauitatem aut dolorem patiebantur,ſanitati reſtituerunt. Hippocrates autem vno verbo res venereas morbis quos pituita gignit,accommodatiſſimas eſſe pronunciauit:multi enim qui ex morbo non alebantur,ad cibum facilè ſumendum redierunt:alii quum prius ægrè ſpiritum ducerent,facilè ſpirantes euaſerunt: quidam quum cibos faſtidirent,ad eos capiendos promptiores ſunt facti, alii à cõtinuis pollutionibus quæ in ſomnis fiebant,ſunt liberati. quæ res minus afferre noxæ exiſtimatur , ſed mihi quidẽ nõ videtur,quippe quæ diſſolutum corpus in ſomnis, adhuc magis diſſoluunt.Atque hæc quidem ſunt primæ huiuſce orationis partes à nobis expoſitæ. Naturæ autem veneri idoneæ ſunt calidæ atque humidæ, victus verò ratio calidior & humidior:ac tale etiam anni tempus atque ætas:ac tempus quidem,ver:ætas verò,iuuentus. Victus verò multo quàm alii ad res venereas accommodatior eſt, qui ſit calidior atque humidior. Minimè autem ad eas facit victus ſiccans & refrigerans , atque ætas ſenilis & autumnus,& natura quæ ſit maximè ſimilis:atque ita oratio mea finem eum eſt conſequuta quem initio propoſuerã. Nunc verò rationes victus ad concubitum accommodatæ,& curationes adhibendæ iis qui vti rebus venereis nõ poſſunt,ſeſe offerunt.Diæta ergo calida & humida inſtituenda eſt:labores quoque moderati eſſe debent , & cibi facilè diduci,quod eſt totius diætæ caput. Singuli autem labores ſint contentæ deambulationes , curſus tardi & quieti, equitationes neque admodum concitatæ, neque admodum multæ:nam in eis & lumbos & teſtes fatigari vehemẽtius neceſſe eſt.Ei verò qui ſit frigidior, itémque ei qui humidior,hæc & magis & acrius facienda ſunt omnia:eum verò qui ſiccior ſit in quiete continens,in ſtatu opportuno conſtitues.Quemadmodum autem prædicti labores moderati iuuant,ita etiam moderati concubitus conueniunt.nam & ad rem ipſa incitant,& conſuetudine facilitatem afferunt:vt multi qui omiſſa conſuetudine concumbendi, non potuerint concumbere, alii verò ægrè & magno labore poſtea concubuerint:adeò non ſolùm oportet conſequenti inſtitutione corpus in ſuum ſtatum redigere.Labores autem his minus conueniunt: at palæſtræ & multæ frictiones,& geſticulationes, & miſſilium iactus,valent quidem ad robur comparandum , ſed in alias partes potius alimẽtum perducunt. Venus,ſiquid aliud,alimenti exuberantiam exigit:ergo miſeria & abſtinentia nemo conuenienter vtetur , at potu atque paſtu vtetur.Potui autem conueniunt vina fulua , quippe quæ omnium ſunt moderatiſſima,neque per veſicã adeò permeant ſicut alba:neque ſicca & craſſa ſunt,veluti nigra. eadem ſunt capiti maximè idonea, & facillimè concoquuntur:quibus omnibus eſt opus.Panes apti ſunt,puri, furno decocti:ſiquidem humidiores ſunt cæteris, obſonia ſunto carnes hœdorum,agnorum,ſuum,gallinarum, gallorũ gallinaceorum,attagenum,perdicum,anſerum, anatúmque:nã hæ omnes alunt maximé. Ex piſcibus idonei ſunt polypodes:excitare enim venerem hi mirum in modum exiſtimantur.quicunque etiam mollem carnem habent, ſunt accommodati. Inter olera,orminum,eryſimum,eruca, & rapa ad hoc faciunt,quæ etiam medicamenti vicẽ gerunt.E leguminibus,faba,cicer, eruilia,phaſeli,& piſi, quòd flatu corpus impleant, & quòd copioſè alant,conueniunt:veluti ruta,quia flatus diſcutit ac propellit,ita cõ miſcendi corporis libidinem obtundit ac diſcutit. Vuas ego in hac diæta magnopere commendo :nam & humiditate præſtant,& breui tempore probè ſubducuntur, & probè etiam nutriunt, & humanum ſanguinem replent flatu qui maximo impetu ad venerem impellit.Iam verò accommodatum etiam huic loco eſt , vt quæ tẽpora ſint rebus venereis idonea perſcrutemur,nequid in hac tracta-

A tione deſiderari poſſe videatur. Ergo tempora in omnibus multa ſunt,prout quiſque eſt paratus : ſed ſumma eſt vt recentes ſatietates & ebrietates vitentur,quia poſt has nullus alius conuenit labor.fames quoque cauenda eſt:verùntamen magis ſalutariter eo tempore cõcubitur quàm quum quis ſe expleuerit:ſed imbecillius corpus redditur. Fugiendæ quoque cruditates ſunt: idcirco cõcubitus qui media nocte fiunt,periculoſi ſunt, ſi cibo nondum confecto exerceantur. eiuſmodi ſunt ii qui ſub aurora fiunt, quum fortaſſe cruda adhuc ſint ea quæ ventriculo continentur:& quia neque excrementa neque vrinas homines B emiſerint,neque aluus deiecerit,ac concumbere cum excrementis eſt malum.Ante verò exercitationes & balnea, minus periculoſum eſt. Ei verò qui conſueta munia obiturus ſit,imbecillitatem parit.Optimè ergo concumbet à cibo qui ad ſatietatem non ſit ingeſtus:nam hoc & ad vires confert,& ita refrigerationes quæ ſubſequi ſolent,minus contingunt. Inde verò ſicui poſt prãdium rerum venerearum pruritus excitetur,ceſſandum eſt donec alimẽtum ex multo ſomno conſtiterit:ſi poſt cœnam, antè dormire oportet,ſiquidem hæc maxima ceſſatio eſt.Ac natu- C ra quoq; videtur ratione quadam id efficere vt primùm eo tempore maximè ad venerem impellat,poſtea verò id quod ſuperfluit,quàm quod ei aptum & æquale eſt,accõmodatius excernat. Quod quũ medici animaduerterint, in filiorum procreatione admonent virum qui comederit,& epulis & cõuiuio exceptus fuerit:mulierẽ verò quæ parcius ſit educata,debere commiſceri:cauſa eſt,quoniam vir dare,accipere verò mulier debet.Sed ad hæc quæ diximus,aliæ quoque affectiones corporis ſunt examinandæ. Etenim poſt labores prauũ eſt concumbere:& tamẽ D exiſtimant nonnulli ſolui concubitu labores: ſed non rectè ſentiunt , quum imbecillitas non ſit laborum remedium:& tamen calore neruorum qui in lumbis ſunt,vim quandam afferunt.Ergo vitandæ ſunt laſſitudines, itémque vomitus qui paulo pòſt ſint erupturi , quique paulo antè præceſſerint:itémque purgationes & alui fluxus recẽtes:nam inueteratos quandoque venus exiccat. Habenda quoque ratio eſt omnium morborum thoracem obſidentium,aut quos obſeſſuros eſſe ſuſpicamur : & vitiorũ qui- E bus nerui affliguntur. quamobrem vehemẽtes cupiditates ego neutiquam laudo:ſed cenſeo tunc magis eſſe à cõcubitu abſtinendum,idque tum in aliis,tum vel maximè in iis quorum veſica & renes aliquo morbo vexantur, & quos morbus comitialis aut inſania infeſtos habet: nam vbi morbi acceſſuri ſunt,tum vehementes impetus excitantur. Optimum autem eſt vt tum quiſque rebus venereis vtatur, vt quũ prompto animo atque expedito concubitum expetat,tũc etiam corpus eò feratur.decet enim animum dominari,corpus verò obedire.Non ſunt hæ o- F piniones,ſed prouidentiæ naturæ quæ euacuationis indiget,vt etiam cæteras animantes facere decet. Diætæ igitur quibus aſſueſcere debemus , ſunt huiuſmodi. quibus cognitis poterit quiſpiam remedia facilè inuenire quæ iis qui concumbere non poſſunt,adhibeantur. Nam Corinthius qui ad nos venit,ſe quidem magna corporis commiſcendi libidine teneri dixit,ſed in cõcubitu ſemẽ nõ emittere,flatum verò multum efflare.In hoc coniectura cõ ſequutus ſum,ex ſiccitate malum exiſtere: id quod indicauit curatio.nam quumprimum victu humido ali cœpit,ſtatim ſemen emiſit. Iuuenis verò Mileſius, qui an- G num fortè natus erat ſecundum & viceſimum , aiebat ſe in concubitu emittere genituram non poſſe,at in ſomno magnam eius copiam excerni.Is mihi viſus eſt ob multã humidam perfrictionem non poſſe concumbendo foueri & calefieri:in ſomno verò nimium calefieri , quatenus ſomni id præſtant vt interiora calefiant,& exteriora perfrigerentur: ideo labores ei ſatis fuerunt ad curationem, equitatio ſcilicet:medicamentum verò teſticulus caſtoris epotus:reliqua denique victus ratio omnis ſicca & calida.

Quæ corporum affectiones euacuationis indigeant, ex Galeno, Cap. I.

QVVM plenitudo duobus modis fiat atque dicatur, vno quũ ad vires, altero quũ ad capacitatem vaſorum humores continentium refertur, vtrique opus eſt euacuatione, ſiue in ægrotante homine ſiue ſano fiat. Quemadmodum enim qui onus geſtat, non protinus ſimulatque grauatur & fatigatur, iã cecidit, & ab eo eſt victus: ita etiam vbi vires à plenitudine grauantur, fieri poteſt vt homo nondum ægrotet. ſiquidem nonnulli qui conſueta adhuc munera obeunt, ſentire ſe aiunt graues, pigros, ſegnes, atque ita vt ægrè moueantur: eáque plenitudo eſt quæ ad vires pertinet. veluti quũ poſt exercitationes tendi videntur, non parua nota eſt alterius plenitudinis quam nonnulli κατὰ τὸ ἔγχυμα vocant, quia in humoribus per vaſa infuſis conſiſtit atque intelligitur. Senſus autem vlceris ſpeciem referens, in toto corpore proueniens, ac præcipuè in motionibus, mali ſucci eſt ſoboles atq; progenies, qui quidẽ pleriſque cõſuetas etiamnum actiones obeuntibus aduenire conſpicitur. Quandoque autem in quibuſdam corporis partib⁹, non in tota mole, apparent indicia affectionum quæ in illis partibus ſunt, ſimilium iis quas in toto corpore conſiſtere dictum ſit: ac quandoque ſolum caput grauari ſentiunt, aut quendam vlceris ſenſum habere, aut muſculos temporum intendi, idque aut ſimpliciter, aut cum maiore calore cõiuncto. Sic quoque in iecore, liene, ventre, coſtis & ſepto tranſuerſo grauitatem ſæpe ſentimus. Simili quoque modo in ore ventriculi aut grauitatem aut abſurdum aliquem ſenſum percipimus. Ad hæc, dolores in parte quadam infixi vel ob humorum copiam quæ confertim ingruit, vel ob ſpiritum flatuoſum, euacuationem indicant: quemadmodum etiam faciunt qui ab acri humore partem exedente atque erodente excitantur. Sunt etiam qui ab intemperie naſcantur: & ex iis quidam ab ea ſola citra humores, alii verò cum humoribus. Ergo in his omnibus quæ dicta, infeſtantium humorum aut vaporũ euacuationes ab his affectionibus hominem liberant. nõ prorſus tamen venam ſecare opus eſt, ſed ſatis eſt tũ purgare, tum fricare, tum lauare, tum aliquo medicamento vti quod per halitum euocet. Deinceps igitur quænam affectiones venæ ſectione iuuentur exponamus.

Quæ affectiones venæ ſectione indigeant, Cap. II.

QVI conſueta munia adhuc obeunt, ſed princeps aliqua pars, aut totum corpus in eis grauatur aut tenditur, iis neceſſaria eſt euacuatio. Si verò per ætatẽ neque pueri adhuc ſint, nec iam ſenes, conſilium de ſecanda vena inibis: habita tamen præcipuè ratione primarum intẽtionum, hoc eſt quantitatis qualitatíſque plenitudinis, & roboris aut imbecillitatis virium: deinceps verò naturalis totius corporis habitus, itémque anni temporis, regionis, & vitæ anteactæ: tum vtrum copia eſculentorum poculentorúmque, & præſertim valentis materiæ, qui ita affectus eſt, ſe expleuerit: & quibus motibus vel conſuetis vel nõ cõſuetis ſe mouerit, quáſque excretiones habuerit aut præter conſuetudinem compeſcuerit: ad hæc autem omnia, num gracilior aut craſſior ſit effectus. Sanè vtriuſque plenitudinis quãtitas ex propriorum ſignorum magnitudine dignoſcetur. quanto enim grauior ſibi homo videtur, perſpicuum eſt plenitudinem quo ad vires tantũ auctam eſſe: eodémque modo, quantum tenſionis ſenſus auctus fuerit, tantum quoque auctam eſſe alteram plenitudinem, quam à quibuſdam κατὰ τὸ ἔγχυμα vocari dixim⁹. Vtriuſque verò plenitudinis qualitatem partim ex colore cognoſces, memor colorem humorum eſſe, ſi quidem modicè totum corpus à calore frigoréque externo affectum fuerit: partim verò ex iis quæ naturæ humorũ ſunt coniũcta. Frigidiores enim frigidior totius corporis ſenſus ſequitur: calidiores, calidior. humores verò qui in ve-

A nis aceruantur, tumor & vaſorum diſtentio: eos qui in carne, ſenſus in ea aut grauitatis aut tenſionis, ſicut etiam caliditatis aut frigiditatis conſequitur. Porro facultatum nos diſpenſantium infirmitates ac robur propriis actionibus iudicantur: ac voluntariæ quidem, in neruis & horũ principio cerebro: pulſantes verò, in arteriis & corde. Ex facultate verò qua bona nutritio fit, aut color bonus aut malus, tertia facultas quæ nutrix eſt, quã à iecore proficiſci oſtẽdimus, cognitionẽ ſortitur. Vbi ergo adfuerint plenitudinis ſigna, & facultates valentes fuerint, tum ſi B videlicet affectio tẽſionis ſenſum referat, nihil præterea attẽdens, venã incides: ac multo etiã magis ſi ſenſum referat inflammationis. Si verò infeſta plenitudo grauans ſit, nõ ſemper eſt ſanguinis faciẽda detractio. cõtingit enim vt crudus humor in corpore ſit collectus. In quo diligenter eſt aduertendum quantum vires robuſtæ ſint, & quantum humor ipſe ſit refrigeratus. Etenim exolutæ ab huiuſmodi affectionib⁹ vires, adhibita ſanguinis miſſione in extremum recidere malum ſolent, vt reſtitui poſtea nullo modo poſſint: quod vbi factum eſt, periculum non C mediocre conſequitur, ac præſertim ſi febris accedat ſtatu æſtiuo, ſtomacho malè affecto, & toto corpore molli ſuapte natura, & temperie humido. huiuſmodi enim homines per halitum digeruntur, & celerrimè animo linquuntur, etiamſi non magna febris inuadat. Si verò nihil horum ſit, cæterùm hyems ſit, regione natura frigida, atque hominis natura frigidior, iis & totum corpus venæ ſectione grauiter refrigeratur, & nonnulla etiam ſymptomata accidunt, quæ ex graui refrigeratione cõſequuntur. Quamobrẽ qui ita affecti ſunt, hos venæ ſectione vacua D re non conuenit, ſed frictionibus & vnctionibus mediocriter calfacientibus, & potionibus humorum craſſitudinem incidentibus, & modicè calfacientibus. nam quæ vehementer calfaciunt, ea tum vires diſſoluunt, tum etiã febres adaugent. Quicunque autem ſanguine per ſputum reiecto nunc quidem curati ſunt, ſed eam habent ſtructuram in partibus thoracis atque pulmonis, vt ſi vel paululo pluſculum ſanguinis colligatur, protinus aut vaſis alicuius oſculum reſeretur, aut vas ipſum rumpatur, iis etiã ſi nondum vllum in corpore ſymptoma extet, tamen in- E eunte vere ſanguis mittendus eſt: ſimili quoque modo iis qui facilè in comitialem morbum vel apoplexiam cadunt. Eodémque modo ſi alicui alii morbo obnoxium hominem cognouerimus, vt peripneumoniæ, pleuritidíve, aut anginæ, melius eſt prius venam ſecare quàm expectare vt aliquod euidens ſymptoma plenitudinis appareat. Ad eũdẽ modũ, ſi hæmorrhoides retẽtæ ſint, & præſertim illi magis melancholici videantur. Omnibus etiã quos ſingulis annis morbi qui ex plenitudine oriuntur, in æſtate ſolẽt exercere, ineunte vere mittendus ſanguis F eſt: id quod etiam faciendum eſt in iis qui eiuſmodi morbis verno tempore corripiũtur. Homines enim experiẽtia edocti ſunt nõ à ſeipſis ſolùm, ſed à iumentis, vtile eſſe vt priuſquam æſtas incipiat, ſub finem veris ſanguinẽ mittant: memores à quibus morbis capi ſoleant, quum repẽte calida æſtas aduenıat. ea enim & ſanguinem plus protendit, & fundit, & tanquam ebullitionem quandam eius parat, ita vt tunc non amplius in venis tanquam moderatus contineatur, ſed vel eas rumpat, vel erodat: ſique immoderatior in partem quampiam irrumpat, aut inflã- G mationem, aut eryſipelas, aut talem quempiam morbum gignat. Etenim cum multo plures, tum verò etiam maiores quàm ſint morbi plethorici, ex humorum fuſione progignuntur. Quidam autem ſunt oculis imbecillioribus, qui affectionibus quæ ſcotomaticæ nominantur, facilè corripiuntur. quos etiam initio veris euacuare oportet. Prius tamen conſiderandum eſt nobis quid in eis aceruetur. ſiquidem nonnulli amaræ bilis ſuccũ copioſius quàm reliquos colligunt: nonnulli melancholicum, aut pituitoſum: nonnulli verò ex æquo omnes coaceruant, in quib⁹ abũdare ſanguis dicitur. Hos ergo omnes vacuabis, ſicut

etiam podagricos & arthriticos initio veris:idq; aut medicamento purgante,aut venæ ſectione. Porro venæ ſectio non ſolùm quum plenitudo eſt,eáque ſiue ad vires,ſiue ad vaſorum quibus ſucci continentur amplitudinem pertineat, ſed etiã ſi plenitudo nulla ſit, magnopere prodeſt initio inflammationis,quæ vel ex plaga, vel ex dolore,vel ex partium infirmitate oriatur. Si quoque magnus morbus expectetur,ſanguis omnino mittendus eſt,etiam ſi plenitudinis ſigna nulla adſint:habita tamen ratione ætatis,anni,temporis,& virium. Itaque tria ſunt quæ agnitionem continent,morbi magnitudo aut præſens aut imminens,robur virium,ætas omnis præter puerilem atque ſenilem:qui ſcopi ſatis ſunt ad venæ ſectionem indicãdam. Neque enim vbi tanta crudorum humorum copia accumulata eſt vt ſecandam venam prohibeat,ratio reprehenditur,quia iis virium robur non adeſt, hócque indicio eſt non poſſe eos ſanguinis ferre remiſſionem,quum vnà cum totius corporis colore, qui ita ſit redactus vt nõ indicet abundare ſanguinẽ, pulſus quoque in vehementia & magnitudine inæqualis eſt, imbecillibus & paruis in ipſa inæqualitate exuperantibus. Nunc verò de vtriuſque plenitudinis notis conſideremus,an vbi eæ in homine ſolita munia obeunte apparuerint,mittẽdus illi omnino ſit ſanguis:an id neceſſarium non ſit,vbi nulla magni morbi fuerit expectatio. Quid verò ego in hac re ſentiã, noſtis quum ſæpe adfueritis quum ſanguinis miſſionem ſuaderem vel podagricis, vel articulorum dolore laborantibus,vel morbo comitiali vexatis,vel melancholicis, vel iis qui ſanguinem prius expuiſſent, aut thoracis ſtructuram fortiti eſſent ad aliquod tale malum contrahendum idoneam:aut ſcotomaticis,aut qui angina continuò corriperentur,aut pulmonis & iecoris vitiis eſſent obnoxii, aut vehementes lippitudines paterentur,aut (vt vno verbo dicam)aliquo magno morbo premerẽtur: nam in his omnibus cenſeo miſſionem ſanguinis neceſſarium eſſe remedium,quæ ſtatim poſt virium atque ætatis habitam rationem adhibeatur: quæ ſiquando non memorentur, ſubaudiendæ tamen ſunt. At qui nihil huiuſmodi antè ſunt paſſi,omniúmque corporis partium inculpatam ſtructuram nacti ſunt,in eis duplicem me vacuationis rationem ſubieciſſe cognouiſtis:venæ quidem ſectione, ſi in victu ſint intemperantes:ſine venæ ſectione autem, ſi tẽperatè viuãt. Nam & multa frictione,& balneis & deambulationibus atque aliis motionibus,& item vnctionib⁹ in quibus digerendi vis ineſt, ſtatim exhaurire plenitudinem licet,niſi fortè craſſi ſanguinis redundantia tibi adeſſe videatur.talis enim maximè eſt melancholicus plerunque, raro verò crudorum quos vocant humorum. Cæterùm in redundantia melancholici humoris, præſtat venam incidere,aut certè vti medicamento atram bilem expurgante:at vbi crudi ſucci exuperãt,antequam morb⁹ incipiat,cautè euacuabis: vbi verò febris iam accedit,(vt antè dixi)nequaquam. Erit verò indicio color eorum plũbeus,aut ex pallido albus,omniáq; potius quàm ruber, itémque pulſuum inæqualitas. Si verò etiam talis plenitudo multum excreuerit, tum & corporis quoque grauitas adeſt,& pigritia ad motus,& mentis tarditas, & ſenſus hebetudo. Contrà verò quibus cumulatus in corpore ſanguis ex compreſſis hæmorrhoidibus ſit,iis venam audacter incides,etiamſi grauem antea morbum experti non fuerint. Fieri enim poteſt vt apti quidẽ ad aliquem huiuſmodi morbũ fuerint, verùm ob hæmorrhoidum inanitionem nondum paſſi. Si verò etiam aliquæ in eis particulæ vitioſam habere conſtructionem, & præſertim in thorace videantur,eis omnino venam celerrimè ſecabis. Idẽ me ſentire de mulieribus quibus menſtrua purgatio ſuppreſſa eſt intellexiſtis:enimuero in eis nõ prorogãda euacuatio:veruntamen venam ſcindere non eſt neceſſe,quũ malleolorũ ſcarificationes ei quod ſuperuacaneũ eſt euacuando,ſatis eſſe poſſint, quum alioqui vim etiam quandam habeant menſium ciendorum, non ſecus quàm venæ in malleolis ac talis inciſæ. Plenitudines enim quæ ex menſium retentione ſunt ortæ,per crura vacuabis,ſiue ſecare venam,ſiue ſcarificare oporteat. Reuellere autẽ mulierum purgationes ſecta in cubito vena ſolet: nam quæ

A candidiores ſunt,tenuiorem aceruare ſanguinem conſueuerunt,idcirco à malleolorum ſcarificationibus maximè iuuantur. Nigriores verò venam ſecando curato, ſiqui iẽ eæ craſſiorem ac magis melancholicum ſanguinem coaceruant. Quod magis etiam facies ſi magnas habere venas videantur,id quod gracilioribus ac nigrioribus ſolet plerunque contingere,veluti carnoſis & candidis venæ inſunt exiguæ,in quibus præſtat malleolos ſcarificare quàm venam incidere,quippe quum hæ paruas in cruribus venas habeant,vt licet etiam rite ſecentur, quod iu- B ſtum tamen ſit non fluat. Multæ verò ſanguinis copiam non paruam habent,ſed extremè ſunt tenues: aliæ contrà craſſæ,ſed parum habent ſanguinis. Ac mulierem quidẽ tenuiſſimam, cui iam octo menſibus ſuppreſſa menſtrua purgatio fuerat,nõ modico ſanguine detracto ad priſtinũ ſtatum breuiſſimo tempore perduxi. Primo enim die ſeſquilibram,ſecundo libram, tertio non multo plus quàm ſelibram detraxi. In hanc verò ſententiam adductus ſum, quum eius venas eminentes conſpicerem,quæ ſanguinis C liuidi plenæ videbãtur. Cæterùm non contemnenda eſt venæ ſectio,tanquam auxilium reuellens non ſit,quũ me perſæpe videritis in ſanguinis è naribus eruptione,quum ea vehemens ſit, ea vſum, protinus effluxionẽ ſedauiſſe. Conuenit autem nõ vſque eò ſanguinem ſeducere,vt ad extremum caſum virium perueniatur, ſed quoad iuſta menſura videatur educta,& prorumpentis ſanguinis impetus validus perſeueret: vena in cubito ſecanda eſt.

De partita ſanguinis miſſione,

Cap. III.

QVibus multa euacuatione opus eſt, vires autem in- D firmæ ſunt, in iis partiri euacuationem præſtat,vt quum parum ſanguinis detraxerimus,iterum,ac,ſi lubet, tertiò eundem mittamus: quemadmodum me quoque feciſſe in iis in quibus crudiorũ humorum inerat copia,cõſpexiſtis. Nam vbi parum ſanguinis detraxi,protinus melicratum exhibeo probè coctum cum aliquo attenuanti medicamento,vt puta hyſſopo aut origano, & interdum etiam nepeta aut pulegio: aut certè cum melicrato, oxymeli,aut oxyglycy: atque ita ſanguinem iterum minuo, quandoque autẽ eodem die, quandoque verò poſtero: in E quo rurſus dato aliquo ex prædictis medicamẽtis, iterũ aliquid ſanguinis detraho: ac tertio die quoque idem facio,vbi aliquid ſimiliter dedero. Verùm vbi feruefcentis ſanguinis copia redundat,acutiſſimam febrim accẽdens, euacuatio confertim facienda eſt,conandúmque eſt inanire vſque ad animi defectionem,virium robore diligẽter inſpecto, quemadmodũ ſcio quibuſdam ſex ſubinde heminas,aut poſtero aut tertio aut quarto die fuiſſe detractas. Quandoque etiam primo die,quum febris in principio noctis aut medio incepiſſet, probè autem concocta F fuiſſent quæ pridie comediſſent:nonullis verò pridie inæqualitatem, aut grauitatem, aut capitis,aut alterius cuiuſdam partis dolorem ſentire ſe querentibus, ac proinde parcè comedentibus,vbi febris præcedente nocte inuaſiſſet,memini me primo etiã die ſanguinẽ detraxiſſe:nã in quibus copia feruentis ſanguinis apparet, dato operam vt eum quamcelerrimè vacues, priuſquam in principem aliquam partem irruat. Quamobrẽ etiam de nocte venã incidere ne verearis: nam ita affectis ægrotis expedit vſque ad animi defectionem vt diximus, ſanguinem mitti. Noui enim ex eis quoſdam ex animi defectione ne- G ceſſariò refrigeratos,& madoribus toto corpore affluentibus,& aluo citata,celeriter morbo liberatos. Præterea in maximis inflammationibus & vehementiſſimis doloribus nullum maius remedium noui quàm vſque ad animi defectionem euacuare,adhibita diſtinctione, an ſanguinem mittere,an purgare oporteat. Euacuandum autẽ eſt vſque ad animi defectionem,ſed nõ omnem; neque enim intelligendum eſt de ea quæ ægrotis ex timore cõtingit:neque de ea quæ ex mordacibus ſuccis os ventricu- H li obſidentibus oritur, quum tunc quoque animi defectionem ægroti pati ſoleant. Verùm talis animi defectio non eſt ſufficiens menſura euacuationis, quæ contingit quandoque antequam conueniat:quemadmodum febricitantibus quoque ſæpe vſu venit, vt inter ſurgẽdum vel

reſidēdum, animò linquātur. Animi igitur defectio quæ ratione euacuationis fit, ſit menſura euacuationis, in affectionibus antedictis. Mentem verò adhibere oportet vtrum purgationem ferant, pulſus eorum contingendo dū ſanguis adhuc fluit, ſicut in aliis omnibus quibus ſanguis mittitur facere conſueui, ne fortè ignarus pro animi defectione mortem afferas.

De menſura euacuationis ſanguinis, Cap. IIII.

SCiendum eſt, dùm propoſiti ſcopi huius præſidii augētur, maiorem euacuationem indicari: dum verò non augentur, tantum detrahendum de ſanguinis miſſione quantum illi fuerint imminuti. Morbi autem magnitudo & robur virium, primi ſcopi erunt ſanguinis detrahēdi: quibus vtriſque ſcopis præſentibus perſpicuum eſt (vt antè diximus) nullam eſſe crudorum humorum tantam talémque plenitudinem quæ inhibere hoc auxiliū queat. Deinde verò ſpectandum eſt quæ ſit naturalis hominis temperatura. nam quibus amplæ venæ ſunt, quique modicè graciles ſunt nec albi, neq; tenera carne copioſius euacuabis: contrarios verò parcius: quippe qui exiguum habeant ſanguinē, & eorū caro facilè per halitū digeratur. qua etiam ratione pueris non eſt ſecanda vena vſque ad quartumdecimum ætatis annum: poſt quem ſi magna copia ſanguinis congeſta eſſe videatur, tempúſque anni vernum ſit, regióque natura temperata, & puer ſit natura benè ſanguinea, ſanguinem minues: id quod multo etiam magis facies ſi peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut omnino alterius cuiuſdam acuti & vehementis morbi periculum immineat. Primùm autem detrahes vſque ad heminam ad ſummum: ſi verò tibi incipienti vires firmæ permanere videbuntur, dimidium heminæ adiicies, iterata miſſione. noſti enim vehementi pulſui cum æqualitate, tanquam minimè fallaci virium robuſtarum ſigno, ſemper adhibendam fidem, ex abundanti autem & magno. Itaque & ſeptuagenariis ſi dicti pulſus adſint, & affectio iubeat, venam ſecabis. quidam enim eius ætatis multum ſanguinis habent, & vires itidem robuſtas: ſicut alii ſicci ſunt, & pauci ſanguinis, & facilè nigreſcētes quauis parte percuſſa. Itaque non ſolùm numero annorum animum adhibebis, ſed etiam habitui corporis. nam ſunt qui ſexaginta annos ſolùm nati, ſanguinis miſſionem non ferant: veruntamen minus his vtique detrahes, quanuis eandem habere affectionem quàm florens corpus, videātur. Sed optimum fuerit antequam vena ſecetur, hæc omnia cōſideraſſe, & præſertim quum ſuppreſſæ hæmorrhoides ſint, & mulieris retenta purgatio. Etenim vbi inciſa vena ſanguis fluit, tū eius mutationi, & præſertim quū iā adeſt inflāmatio, & tenori fluxionis nō labaſcēti, potiſſimum autem pulſuum mutationi, tanquam indicio non mendaci, animum diligenter attendas oportet: & continuò ceſſandum eſt quū pulſus immutatur, aut in magnitudine, aut quauis inæqualitate: nam de mutatione in imbecillitatē quid attinet dicere? Scis enim in hac qualitate certū fieri iudiciū firmarū & infirmarū viriū. In quibus autem prope ſectam venam magna aliqua inflammatio eſt, in iis ſanguinis & in colore, & in conſiſtētia mutationem expectare eſt optimum. Diuerſus enim eſt ſanguis qui ineſt inflāmationi, à naturali, quia nimis excalfactus eſt. nam ſi crudior erat prius, modò rubrior & flauior efficitur: ſin eiuſmodi prius fuerat, ad nigrum aduſtione conuertitur. Nam ſanguinis mutatio, ſigno eſt aliquid ex inflammatione in venam ſectam tranſſumptum fuiſſe: non tamen omni ex parte expectanda eſt mutatio, ſed eſt quādoque vt antequā mutatio appareat ceſſandū ſit, idq; vel propter viriū imbecillitatē, vel propter malignitatē inflāmationis. interdū enim nihil ab ea emittitur, ſed inibi vehemēter eſt conſtrictus. Si tamen vires nondū exolui euacuatione videātur, id quod ſcies pulſus tangendo & ſi is cui ſanguis mittitur, ætate florēti ſit, expectāda mutatio eſt: potiſſimum verò ſi aër ambiens ſit temperatus. Duo enim hæc ſunt quibus præcipuè dignoſcitur quantum hoc præſidio ſit euacuādum, ægrotantis, inquam, natura qualis ſit, quam exquiſitè cognoſcere nō poſſumus: & ambientis temperies qualis futura ſit miſſo ſanguine. nam quum is calor quem febris affert, multum ſanguinis digerit, & ægrotus abſtinens viuit, alimentum ex ſanguine eum breui tēpore neceſſariò deſtituit, atque interim vires exoluuntur. Cōſumitur enim ob temperiem ægrotantis, ſi humida & calida ſit, qualis eſt puerorum: ob aërem verò ambientem ſi regio calida ſit, & æſtiuum tempus. Proinde minus detrahumus quàm affectio commonet, habita ætatis ratione in pueris: habitus corporis in cādidis, & quibus tenera caro eſt: temporis verò, ſub Cane. eadem quoque regionum & conſtitutionum eſt ratio. Alio verò modo (vt etiam antè diximus) in cōtrariis, hoc eſt, frigidis temporibus, & regionibus, largam euacuationem vitamus, propter refrigerationem conſequentem: quapropter vnum in his ſingulis euacuationis modū ſcripto definire non poſſumus. Noui enim quibus ſex libræ ſanguinis fuerint detractæ, & febrim protinus fuiſſe extinctam; nec vllum virium detrimentum eſſe conſequutum: nonnullis verò ſeſquilibra non ſine leui quadam virium noxa detrahi potuit: quibus ſi duas libras quis euacuaſſet, extremè læſiſſet. Quāobrem ſcio me quādoque vnam quoque libram & quandoque etiam minus vtiliter detraxiſſe.

Quæ vena ſecanda ſit, Cap. V.

SI venam cauſa reuulſionis ſeces è directo partium ad quas ſanguis fluit, perſpicuam inde vtilitatem celeriter videbis: at ſi contrà ſeces, nihil proderit. Ita affecto liene vena quæ eſt propè annularem ſiniſtræ manus digitum inciſa iuuit. Nōnulli verò eam venam incîdunt quæ inter medium & annularem interiacet, & ſanguinem fluere ſinunt donec ipſe per ſe ſiſtatur, lienémque iuuari aiunt atque ſi venam internam cubiti ſecueris. ſanguis enim è ſiniſtra manu detractus lienem malè affectum mirum in modum iuuat. Præſtat autem nō ſemel extrahere quantum conueniat, ſed in duos dies eſt facienda partitio. Quinetiam pleuriticis ſanguinis miſſio è directo laborantis lateris adhibita euidentiſſimam ſæpe vtilitatē attulit: quæ verò ex brachio oppoſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt temporis ſpatium. Ac ſæpè etiam oculorum dolores grauiſſimos venæ ſectio è directo facta, intra horæ ſpatium ſedauit. Ergo in oculis laborantibus vena quæ humeralis vocatur, quæque ex ea deriuata eſt, in cubito inciſæ, perſpicuam vtilitatē celeriter afferunt. at dolente latere, aut pulmone, aut ſepto trāſuerſo, aut liene, aut iecore, aut ventriculo, ea quæ per alas in cubiti iuncturam pertinet: maximè autē hæc ipſa interior ſecanda eſt: ſin ſecus, ea quæ ab ipſa diducta in flexu iuncturæ apparet, quam iandiu noſtis ab humerali vena diductam eſſe, ipſámque contingere. Sūt enim hi tres modi ſanguinis in cubito mittendi, interior, exterior, & medius. Interior vtilis eſt iis quibus inferiores collo partes patiūtur: exterior iis quib⁹ affectæ quæ ſunt illis ſūt ſuperiores, vt facies & caput: medi⁹ verò loc⁹ interdū vtráſq; venas diductas habet in vlteriores partes brachii pertinētes: interdū verò celeriter in vnū inter ſe coëūtes in flexu iūcturæ: ac nōnūquā earū alterā obſcurā, claram alteram. Vbi ergo vena quæ parti affectæ propria eſt, obſcurior fuerit, & ad aliquam ex mediis accedas, da operam vt eā potius incîdas quæ à propria diducitur: quādoque etiam vſu venit vt quæ inferiores ſunt cubiti iunctura, quæ in vlna ſunt, eas nihil prohibeat incîdere vbi quæ in cubito ſunt, non vtique appareant: & ex iis ipſis incidendæ ſunt quæ è directo partium affectarum ſitæ ſint. Sanguinis ergo miſſio quæ in brachio fit, rectè quidē adminiſtrata nihil magni habet in ſe: at ſi in ea peccatum ſit, triplex error conſequitur, vt in media neruus exiguus, in humerali nerueus capitis muſculus: in interiore verò arteriæ vena ſubiecta ſimul etiam incidatur.

Cauendum eſſe ne axillarem venam incidamus ſi neceſſitas non vrgeat, idque propter arteriam ei ſubiectā, Cap. VI.

SIquis autem alibi vnquam in vena ſecanda arteriam quoque ſecuit, hoc loco id contigit; ergo maximè ca-

uendum eſt ne eã incidamus. ſi verò neceſſitas id cogat
efficere, duo hæc conſideranda erũt, vt eam ligemus qua
maximè parte pulſus arteriæ nobis indicat. quod vbi fe-
cerimus, videamus an locus vlla ex parte infletur: ſiq; in-
fletur, vinculum ſtatim ſoluendum, & quod inflatum eſt,
ad æqualitatem redigendum, & iterum ligandum initio
deligationis in primo loco, vbi arteria ſub interius bra-
chii caput eſt ſita. conãdúmque eſt vt venam inferius in-
cidamus, quia eo in loco disiuncta ab arteria eſt per ve-
nam mediam, cui nullum vas ſubiicitur. Sed neruus eſt (vt
antè dixi) notabilis in medio flexu: quem ne tangamus,
diligenter eſt animaduertendum.

Situm & ſectionem humeralis venæ omni ratione vacare periculo.

Venam autem humeralem ſecare omnibus modis
ſine periculo licet: & tamẽ quibuſdam etiam ex huius ſe-
ctione muſculus ſub radio conſtitutus indoluit: alios in-
flammatio ſubſequuta vexauit, & dolor diu perdurauit.
Verũtamẽ iis qui ſic affecti fuerint, vena nõ vno ictu fuit
diuiſa, ſed quũ primùm fuiſſet aberratum, ſecundò & ter-
tiò, & quãdoque etiam quartò fuit percuſſa. quamobrem
quum muſculi caput ſæpe punctum fuiſſet, eiuſmodi affe
ctiones excitatæ ſunt. At vnico ictu magna facta diuiſio-
ne, nec quiſquã inflãmatione correptꝰ eſt, nec dolorẽ cõ
traxit. quocirca hæc eſt intrepidè ſecãda, ſed interior, cau-
tè admodum & conſideratè. Conãdum autem eſt in me-
dia incidenda, ne vbi neruus eſt ſitus, fiat ſectio. Nũc ve-
rò, quemadmodum prædictæ omnes partes ſecta cubiti
vena (vt dictum eſt) iuuantur: ita etiã quæ inferiores ſunt,
iuuantur inciſis iis quæ in malleolis & poplitibus inſunt.
Prædictis autem inferiores ſunt coxendix, veſica, atque
vterus. renes ad vtranque partem pertinẽt: ſiquidem infe-
riores ſunt iis quas prius diximus, ſuperiores verò quàm
eæ quas ſecundo loco recenſuimus. Itaque miſſus ex cubi
to ſanguis interdum eis prodeſt, vbi recens inflammatio
ſit, & ſanguis redundet: quibus verò affectio ineſt quam
propriè nephritin vocant, venas poplitis aut certè mal-
leolorum ſecare conuenit. Vteri verò inflammationibus
magis etiam quàm renum, venis in crure ſectis ſuccurri-
tur. nam euacuationes quæ ex cubito fiunt, aliud etiã ma-
lum habent adiunctum, vt mẽſtruas purgationes, ſangui-
nem ad partes ſuperiores corporis retrahendo, compri-
mant. at iis quæ in cruribus fiunt, hoc etiam ineſt vt mẽ-
ſes cieant. Memini verò me iſchiadas quæ non ex frigo-
re, ſed impletis ſanguine quæ in coxa ſunt venis exortæ
eſſent, vno die, facta ex cruribus euacuatione, curauiſſe.
idcirco vena poplitis vtilius ita affectis quàm malleolorũ
ſecatur: at ſcarificatio nihil eis perſpicuò prodeſt. Vt autẽ
ſummatim dicam, incipientes inflammationes reuellen-
do euacuandæ ſunt: inueteratæ ex iis, ſi fieri poteſt, affe-
ctis partibus: ſi non queat, ex vicinis. In iis quæ incipiunt
auertendum eſt quod influit: in inueteratis, id tantũ quod
affectæ parti infixum eſt euacuandum. Id autem optimè
euacuabitur per venas cum iis coniunctas quæ ſunt in i-
pſis partibꝰ. Cui rationi ſubſcribit etiam experientia. quo-
circa quæ in gutture & arteria graui inflammatione affli
guntur, in principio vena ſecta in cubito, poſt ipſum verò
in lingua, egregiè prodeſt, inciſis videlicet ambabus ve-
nis quæ in ea ſunt. Sic quoque induratas inflammationũ
in oculis reliquias iuuat inciſa vena quæ ad magnum o-
culi angulum decurrit: vt etiam capitis grauitates & inue
teratos eius ex plenitudine dolores leuare manifeſtè ſo-
let in fronte ſecta vena. At incipientes aut vigentes iuuat
per cucurbitulam in ceruice facta reuulſio, eáque interdũ
per ſe, interdum cũ ſcarificatione adhibita. Cæterùm priꝰ
euacuare totum corpus oportet. Eadem quoque ratione
incipientes in occipitio dolores atque vigentes vena frõ
tis inciſa iuuat. In quibus verò corporibꝰ nulla adhuc par-
ticula affecta eſt, ſed ineunte vere vacuationem anticipa
mus, in iis, ſi quidem talis ſit homo qui quotannis æſtiuo
tempore morbis febrilibus obnoxius eſſe ſolitus ſit, &
euacuare ſtudeamus id quod materiam morbis ſuppedi-
tat, omnis pars eſt ad detrahẽdum ſanguinem accommo

A data: ſicut etiam ſi arthriticus ſit qui omnibus articulis la
boret. Quibus verò pars aliqua præcipuè infeſtetur, vbi
prius euacuati nõ fuerint, nõ eſt ex quauis parte molienda
vacuatio, ſed ſicut in iis qui pati iã incipiũt. quãobrẽ po-
dagricos ex cubito vacuabis: quos verò comitialis morbꝰ
aut vertigo affligat, potius ex crueribꝰ. Si verò ad venæ ſe-
ctiones propter ſuppreſſas hæmorrhoides peruenias, ſi co
hibere eas velis, quæ in brachio ſunt: ſi prouocare, quæ in
cruribus ſunt venas ſecare oportet. At in quibus mẽſes re
B tinẽtur, ſemper in cruribus, ſi quidem ciere eos oporteat.
Accidit tamen aliquando vt ex vtero per eroſionem ſan
guis erumpat. in quo non eſt idem curationis conſilium.
ſiquidem non effluere ſanguinem volumus, vt in men-
ſtrua purgatione, ſed planè ſiſtere conſilium eſt. Ego ve-
rò quandoque in aliqua ſimia diſſecanda, neruum venæ
mediæ in cubito ſubiectum, & rurſus in alia eundem pro
pe venam ei parem ſimiliter conſpexi. Quorum cõſpectꝰ
vt rarus eſt, ita vtilis fuit ad tollendam calumniam medi-
corum, vtpote neruum incidentium: quãdoquidem poſt
C ſectionẽ ſtatim illi quibus eſſet adhibita ſectio, affectio-
nem ſtupidam in brachii longitudine ſentirẽt, quæ poſt-
ea toto vitæ tempore eos occuparet. Ego verò iis qui me-
dicis id vitio verterent, indicaui propriam corporis fa-
bricationem ita quandoque fieri: & hac ratione medi-
cos dedecore liberaui.

Quod tempus ſit venæ ſecandæ, & iterandæ euacuationis.

Quibus euacuatione opus eſt, in iis eſt maturanda
euacuatio: niſi quædam corruptio cibi in ventre con-
D coquendi facta ſit, aut tarda concoctio, aut etiam cibi
in eo contineantur. Verùm quoniam ſæpe quintus aut
ſextus eſt ab initio dies antequam nos ad curandum
accerſant, expediet tunc quoque ſanguinem mittere,
etiamſi primum huius auxilii tempus ſit omiſſum. Quo-
cunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotan-
te compereris, in eo hoc auxiliũ adhibeto, etiamſi vice-
ſimus à principio dies agatur. At quinam ſcopi erãt? mor
bus magnus, & virium robur, puerili ætate excepta, & aẽ-
re nos ambiente valde calido. Quoniam verò progreſſu
E temporis virtus in pleriſque morbis exoluitur, ideo mit-
tendi ſanguinis occaſio multitudine dierum aufertur: nõ
quò primariò dies hoc efficiant, ſed per medium virium
diſſolutionis. Itaque ſiquando vel ſecũdo à principio die
vires exolui videantur, à vena ſecanda vtique abſtinebi-
mus. In quacũque autẽ diei noctiſque hora ſanguinẽ mit
tes, ſi in febricitantibus, ſcopum habeas declinationem
ſingularum acceſſionum. quibus autem aut propter lippi-
tudinẽ aut aliud tale quippiã citra febrim hoc auxilio eſt
opus, in iis magnitudinem doloris, aut inflammationis,
F aut totius affectionis cui ſecta vena opus eſt, reſpicias.
Quúmque nihil tale aut vrgeat, aut prohibeat, præſtat ma
ne venam incidere, non ſtatim è ſomno experrectis, ſed
circiter horæ ſpatiũ antè vigilantibꝰ. Quoſdã lauare prius
eſt meliꝰ, quoſdã etiã prius deãbulare. Cæterùm in quibꝰ
vere ineũte venã incidere aggredimur, aut propter metũ
febris aut alterius cuiuſpiam affectionis, ſcio me ſangui-
nem etiam quibuſdam detraxiſſe, poſteaquam rerum con
ſuetarum aliquid confeciſſent. Iteratæ autem detractio-
nis tempus, in quibus ſimpliciter euacuare nobis propoſi-
G tum eſt, eodem die eſto: in quibus autẽ reuellere, ſi duo-
bus deinceps diebus fiat reuulſio, melius ſuccedet.

Ex Antylli ſecundo libro de præſidio euacuante, quænam vaſa in corporis partibus ſint ſecanda, Cap. VII.

SI à fronte ſanguis auferendus ſit, rectam in fronte ve-
nam ſecamus. in plurimis verò, in ſuperioribus frontis
partibus & caluaria, vbi vena ad Y literæ ſimilitudinem
ſcinditur. Sectio autem in parte inferiore ad ipſam venæ
H ſciſſionem eſt faciẽda. Quæ verò in angulis oculorũ ſunt
prope ſupercilia, multo ſupra angulos incidimus. Poſt au
rem verò ſecanda eſt ea quæ duræ parti auris eſt oppoſi-
ta. Quæ ſub lingua ſunt, ſi nõ vtranque, at certè eam quæ
magnitudine excedit, dextram vtiq; ſecamus. In brachio

verò,eam quæ ex humero deſcendit : in manu, eam quæ
inter medium & annularē interiacet:in poplite quæ ma
ximè media eſt:in malleolis,interiorē : ſique ante & poſt
malleolos ſint,eas quæ antè,ſed propter vaſorum exigui-
tatem non eſt ſæpe in noſtra poteſtate , vt quod velimus
incidamus.Porro in ſecandis cubiti venis,& quæ circa cu
bitum ſunt,varia animaduerſione eſt opus : hic etiam ſi
minus in nobis ſit vt eligamus quam velimus, aut vnà ſo-
lùm appareat,vel etiam ſi aliæ appareant, ſed accommo-
datius ex vna fiat euacuatio,dare operam debemus vt ex
ea ſanguinem detrahamus:ſi verò,vt natura fert, & in ple
riſque accommodatæ ſunt tres,eǽque ſunt perſpicuæ , ea
nimirum quæ ſuprà eſt ad muſculum,& media,& quæ ad
brachii exortum eſt, cui etiam ſubſtrata eſt arteria , tunc
quænam in aliquibus ſecanda ſit,diſcernendum erit. Nā
in iis qui animo linquuntur , aut ſtomachus aliquo vitio
affectus eſt,aut virium robur ſuſpectum eſt,vena ſuperior
incidenda eſt:quibus confertim facta detractione,& cō-
citata euacuatione eſt opus,media : at quibus mutationē
in melius & diuerſitate,inferior. Ac ſuperior quidem ca-
uenda eſt in iis qui muſculos conuerſos & circumſcriptos
habēt,& in quibus muſculorum curuitas vaſis incumbit,
paulo ſupra flexum vena eſt incidēda. In gracilibus vitā-
da eſt inferioris inciſio : & in quibus vena ipſa firma &
valde magna eſt.metꝰ enim eſt ne vires exoluātur,magna
ſectione adhibita.Si verò hoc fugientes,exiguā ſectionē
fecerimꝰ,ſanguis in grumos cōcreſcet, & fiēt aneuryſma-
ta quæ ſatis longo tempore perdurant , ſed poſtea ſedan-
tur.In valde pinguibus,ſi venter aliquis ſectione venæ di
uidatur , vena ſuperior incidenda eſt : nam & muſcu-
lus humectus qui ſuprà eſt plurimum à vaſe abdu -
ctus eſt , & nerui plurimùm ab hac parte ſunt diſiuncti:
quamobrem etiamſi quiſpiam profundiſſimam ſectio-
nem fecerit deinduſtria,ad eos non ſit peruenturus.Vena
verò in omnibus ſemel abſolutè pinguedinis eſt expers,
& detecta,& facilè ſcinditur,& facilè fluit. Iam verò me-
dia quoque multum abeſt à neruis qui ſub ea ſunt ſiti.ſed
ea in pleriſque antequam ad flexum perueniat , in multas
partes,aut ſaltem in duas ſcinditur , quarum altera ſuprà,
altera verò infrà vergit.Quocirca in venæ ſectionibꝰ quæ
tactu fieri dicuntur , ſed coniectura fiunt , quibus venæ
inciduntur,ii pati ſolent.Quoniam enim in venarum ſciſ
ſione venæ ipſæ ſciſſæ tenuiſſimæ ſunt , & non apparent,
ideo errores committuntur.ergo hæc vena non tunden-
da eſt.Quinetiam alius quidam error in deligando bra-
chio ad venā ſecandā cōmittitur,vt cutis vehemēter tē-
ſa in medio flexu,quia ad brachii muſculum extenditur,
opinionem ſæpe vaſis facit : quare hoc cauēdū nobis eſt.

Quod tempus opportunum ſit venæ ſecandæ in ſingulis temporibus,ex Herodoti libro de præſidiis euacuantibus, Cap. VIII.

IN ſingulis temporibus morborum, in principiis acceſ-
ſionum incommoda eſt venæ ſectio, niſi magnum ali-
quod malum febricitantes inuadat,vt ſuffocatio,aut con-
uulſio,aut excrucians dolor : ſi verò nihil extrinſecus vr-
geat,remiſſionis tempora ſunt expectanda:ſique longa in
terualla ſint,in perfecta remiſſione venam ſecare conue-
niet. Vires enim robuſtæ facilius euacuantia præſidia fe-
runt,& conſtant pro earum robore , & tantum non auxi-
liis manus præbent,quæ omnia in longa mutatione fiūt.
Atquum in acceſſionibus conciderint,auxiliis tātùm in-
digent quibus recreentur:ſi verò breue ſit remiſſionis tē-
pus,præueniendum erit vt ne eam perfectā expectemus,
ſed quum incipit remiſſio ſecanda vena eſt.Licebit enim
nobis paulo interiecto tempore poſt detractionem,in re
miſſione alere : & in febribus quādoque auferentia reme
dia adhibemus,addentia verò non item , ſed abſurdum
eſt vt alendi tempus in venæ ſecandæ tempore conſuma
mus:quúmque inuaſionis tempora elapſa ſtatū faciant,i-
gnota verò ſint tempora ſtatum ſuſcipientia, propter in-
uaſionem eo tempore eſt facienda ſectio: nam quod reli-
quum eſt ſedabitur . Quum verò ad remiſſionem currit
inuaſio,tunc inſpiciēdū eſt : quum verò eò peruenit,mo-
A uendum eſt;& præſertim hoc præſidio. At quorum con-
tinuus morbus eſt,nec diſcerni tempora poſſunt , idē eſt
venæ ſecandæ,& cibi dandi tempus,vt paulo ante corpo-
ris recurationem ſanguis detrahatur:ſi verò continentes
febres ſint,& aliquam acceſſionem perſpicuam afferant,
in qua accedentes in eadem magnitudine maneant,& or-
dinatas aut inordinatas inuaſiones faciant,diligentiſſimè
animaduertendum erit ne increſcentibus inuaſionibus
detractiones moliamur, ſed in temporibus inæqualibus,
quod etiam tempus ad cibum dandum erit accommō-
datum.

B Antylli quid ante venæ ſectionem faciendum,ex ſecundo de vacuantibus præſidiis libro, Cap. IX.

ANte venæ ſectionem ligandum eſt brachium robu-
ſto vinculo,quod habeat duorum digitorum latitu-
dinē;aut paulo plus eo.In iis verò qui muſculos brachio-
rum elatos & circūſcriptos habent,vinculum eſt inferius
iniiciendum,ac præſertim ſiquibus venæ ſectio adhibe-
tur,ſint oblongi : ſiquidem in eis interuallū longitudinis
à muſculo ad cubiti flexum ſatis magnum intercedit : in
C paruis autem non multum. Simili quoque modo iis qui
muſculos contortos habent,ſuperior cōſtrictio eſt inuti-
lis.Eſt enim paulo inferius medietate muſculi facienda li
gatio,ad finem muſculi vinculo conſtituto:at in mulieri-
bus,& qui muſculos flaccidos habēt,nihil prohibet me-
dio muſculo vinculum adhibere.Sed ſi inferius quàm to-
tus muſculus ſit,aut ſi in inferioribꝰ eius partibꝰ deligaue
rimus, licebit nobis valida admodum conſtrictione vti:
quod tamen partibus quæ conſtringuntur , non eſt vtile,
D quandoquidem in conſtrictione & vaſa occultiora fiunt,
& obſtupeſcit manꝰ ,ac dolore cōficitur. Verùm ſi in mu-
ſculi medietate fiat conſtrictio, neutiquam premendum
eſt,ac præſertim in mulieribus & delicatis . compreſſo e-
nim muſculi ventre , perſæpe in brachio hypoſphagma
oritur:nonnullis verò & eryſipelas & abſceſſus conſequū
tur.In quo etiā videndū eſt ne vinculū cutim inuertat cu
biti , ſed naturalem eius ſitum cōſeruet,vt quum ablatum
fuerit,cutis in proprium locum ſecedens in cauſa ſit ne
ſanguis effluat,quum diſſecta cutis in locum venæ ſectio
E nis abeat,atque ita eam claudat. Qui verò in vaſorum nō
apparentium ſectione infra cubitum conſtringunt,non
rectè faciunt.nunquam enim in vllo membro vaſa eleua
ta ſunt ab inferiore cōſtrictione. quin ne illi quidem qui
prius ſpongiis vaſa quæ in cubito ſunt,fouent, quicquam
proſunt, quia non eleuarentur niſi adhibita conſtrictio-
ne:vbi verò ſit facta deligatio , manus inter ſe fricandæ
ſunt,& aliquid manu tenendum . Quibus verò in fronte
aut angulis oculorum,aut ſub lingua, aut ſecūdum aures
venæ ſecantur,vinculum eſt collo iniiciendum, & ægro-
F tanti imperandum vt dextram aut ſiniſtram manum ſub
mento teneat,aut ſolùm pollicē totum, atque ita laqueus
digitis alligandus & adſtringendus: ita enim guttur non
deficiet,& vtriuſque partis vaſa ad caputtēſa eo compreſ-
ſu in ſuperioribus partibus intumeſcent. In abſurdis verò
aut languidis hominibus,miniſter adſtans manum mēto
ſubiiciet.Si à manu detrahere ſanguinem velis,prius per-
fundenda eſt aqua calida,atque ita cum conſtrictione re-
laxanda:in malleolis verò, conſtrictio ſupra genu in fe-
more fiat:ſanguiſque,ſi fieri poteſt, in balneo detrahatur,
vel ante fomenta adhibeantur : quúmque fuerit admota
G conſtrictio,laborans inambulet:quúmque ſit facienda ſe-
ctio,rectus ſuper vnico crure conſiſtat. Idem fiat in vena-
rum poplitis ſectione,& conſtrictio paulo ſupra poplitem
adhibeatur.

Quomodo vena ſecanda ſit,ex eodem, Cap. X.

VEnas incidimus quandoque punctim , quandoque
cæſim:ac punctim quidem eas quæ non apparent,
cæſim verò eas quæ valde in ſuperficie cutis ſunt ſitæ.
H Non totum autem vas ſecandum eſt.nam auerſis eius la-
biis fluxio non fit cum eiaculatione : ſed neque etiā infe-
rior vaſis pars ſecāda eſt,verùm ſuperior . Dico autē infe
riorē, quæ ad brachii exortū infrà vergit: ſuperiorē verò

quæ ad radium. Nam ſuperiore parte inciſa, decentior fit ſanguinis iaculatio: at partibus inferioribus inciſis nihil iaculabitur.

Quando, qua magnitudine, quáque forma ſecanda vena ſit, ex eodem libro,

Cap. XI.

IN iis qui euacuatione confertim facta indigent, ampla inciſio facienda eſt: at vbi ſanguinis lationem reuellere atque auertere oporteat (quemadmodum vſu venit in iis qui ſanguinem reiectant, aut ora venarum aperta ſunt, aut ſanguis è naribus aut alia parte quadam fluit) perexigua eſt faciẽda. Eiuſmodi enim quum ab ipſa affectione vacuantur, non iam euacuatione, ſed retractione atque auerſione indigent: ex quo fit vt ſanguis multo tempore fluere ex vena debeat. Præterea anguſta ſectio in paruis vaſis eſt itidem facienda, ampla in magnis. Nam ſiquis in magno vaſe ſectionem paruam faciat, ſanguis neceſſario collectus concreſcet. Sunt autem tres incidendarum venarum figuræ, tranſuerſa, recta, quæ non pungit venam, ſed ſcindit: & harum media obliqua. Ac tranſuerſa quidem vtendum eſt vbi iterationem nullo modo faciendam eſſe exiſtimamus: curuato enim cubito ſtatim conglutinatur: obliqua iterandæ ſanguinis miſſioni apta eſt, quoniam in flexu cubiti non ita exquiſitè labia ſectionis componuntur. forma verò oblonga conuenit iis in quibus non ſolùm eodem die iteranda eſt ſanguinis detractio, ſed tertio etiam die & quarto: ſiquidem cubito curuato labia ſectionis à ſeſe plurimùm diducuntur.

Quid faciendum ſit vt ſanguis facilè fluat, ex eodem libro, Cap. XII.

SI fluxio ſanguinis non procedat quòd violentior ſit adhibita conſtrictio, remittenda ea eſt: ſi verò cute recurrente, vaſis inciſio ſit abſcondita ex cõtractu cutis ſupergreſſæ, cubitus in omnes figuras erit conſtituendus ac voluendus, vt ſupinus, vt ſublimis, vt extenſus, vt denique contractus teneatur, donec in ea tandem figura conſiſtat, vt vaſis ſectione contra cutis diuiſionem rectè conſtituta, ſanguis facilè fluat: ſique parua ſit facta diuiſio, iterum erit diuidenda. Quum verò præ timore ſanguis non fluit, accommodatius erit vt ſine ſtrepitu effluat: ea enim turbatio ſedatur, ſi non exiſtiment vlcera paſcentia non eſſe conſequutura. Si animi defectio perturbet, ſtratis & reclinatis ſanguis mittetur, & ſtomachus tum vomitibus & digitorum in os immiſſionibus vellicandus, tum odoramentis recreandus: ſed & partes extremæ vinciendæ erũt ſic, vt magna moleſtia afficiatur. Si verò cõcretio ſanguinis in grumos interturbet impediátque effluxionem, concretionem diſſoluere ambobus vtriuſque manus indicibus digitis oportebit, & comprimendo elidere, atque exprimere: oleúmque erit infundendum, & multo etiam magis acetum, quod ſanè habet grumos diſſoluendi poteſtatem. Si perfrictio vetet ne ſanguis exeat, eáque ſit vel propter aërem frigidum, vel quia morbus frigidus ſit, vt eſt comitialis atque attonitus, & qui ſunt generis eiuſdem, fouendus erit locus perfundendo, fricando, vngendo, & omnino ad contrarium ſtatum erit redigendus. Iam verò pinguedo & caro in pinguibus & carnoſis proſilit dum ſanguis aufertur, eúmque cohibet: in quibus hæc vnica eſt ratio: nam vel auferre eum qui recurrit, vel retinere oportet.

De arteriarum ſectione, Galeni,

Cap. XIII.

ARterias quoque ſecare medici conſueuerunt: alias quidem in temporibus ob humores calidos & flatuoſos ad oculos confluentes: alias verò ſecundum aures, ac præſertim in vertiginoſis, & quicunque diuturnis capitis doloribus calidis & flatuoſis afficiuntur. Iam verò & ob alias quaſdam capitis affectiones diuturnas, arteriarum quæ poſt aures ſunt ſectione vtuntur, non tamen eas ſecant quum vlla alia pars affecta eſt, quum tamen multæ ſint quæ hoc auxilio potius quàm venæ ſectione indigeant. Vbi enim calidus flatuoſúſque ſanguis in arteriis collectus infeſtat, illic communibus affectæ partis ſectis arteriis eſt opus: verùm quia ſanguinis fluxus difficulter comprimitur, arterias ſecare medici non audent: atque etiam quum vulnus ad cicatricem perducitur, aneuriſma efficitur. Idcirco maiuſculas arterias medici ob hanc cauſam refugiunt: paruas autem tanquam non ita multum profuturas non incidunt: quanquam & ipſæ quoque nonnunquam non mediocre commodum attuliſſe viſæ ſunt, & cicatrix etiã eis abſq; aneuriſmate fuit obducta. Quin etiam ſi maior arteria ſit, cicatrix ei inducitur ſine aneuriſmate, tota vtique ſecta: quæ res ſæpe imminens ex profluuio ſanguinis periculum ſuſtulit. apparet enim perſpicuè quum tranſuerſa ſectione tota per ſe totam diſcinditur, reuulſis vtrinque ambabus partibus, vnam ſurſum, alteram deorſum concedere. Equidem admonitus quibuſdam inſomniis mihi perſpicuis, arteriam ſecui quæ inter pollicem atque indicem dextræ manus ſita eſt, ſanguinémque effluere permiſi donec ipſe per ſe ceſſaret, quum ita ſomnium mandauiſſet: effluxit autem non tota libra. Atque ita ſubitò diuturnus dolor, in ea præcipuè parte infixus qua iecur ſepto tranſuerſo committitur, ſedatus eſt. Alteri verò cui ex vulnere in malleolis accepto ſecta fuerat arteria, ſanguinis curſus non ceſſauit donec ego vocatus totam arteriam ſecui: deinde medicamento ex aloe, thure, & albis ouorum, pilis leporum molliuſculis excepto vſus ſum; & vulnus citra aneuriſma curuatum eſt, carne videlicet oſculo arteriæ obducta: homo verò ille quadriennio per exigua temporum interualla coxæ dolorẽ ſentiens, exinde perfectè conualuit. Hæc itaque mihi ſæpenumero perſuaſerunt, vt in ſummis artubus, imò verò & in capite, arterias ſecarem in omnibus doloribus qui à calida flatuoſáque ſubſtantia naſci viderentur, ac præſertim in membranis quarum dolor pungentis ſpeciem refert, & ſenſim expãditur: pungente quidem in vna parte ſenſu, tanquam in affecti loci centro infixo: tenſionis verò ſenſum percipiente omni particula quæ circa centrum ſit conſtituta.

De arteriarum ſectione, ex Antyllo,

Cap. XIIII.

ARteriam ſecamus, ſi fieri poſſit, quæ ſub vertice ad occiput & media inter tẽdines: ſin ſecus, eam quæ ſecundum aures eſt, vel eas quæ in vtroque verticis latere ad ſinciput ſunt. pertinent enim ad coronalem & mediã ſuturam. Quæ verò à temporibus ad frontem pertinent, ideo non ſecantur quia ſitæ contra muſculum ſunt: eas enim facilè ſine periculo incidemus, ſi iuſſerimus ei cui arteriæ ſecantur, vt genas moueat, inhæreátque, ac innitatur. Ita enim muſculi omnes temporum toti per ſe totos perſpicuè mouentur. Poterimus ergo omiſſa parte quæ mouetur, in ea parte quæ in fronte quieſcit facere ſectionem: veruntamen neque multum, neque confertim ſanguis ex arteriis propter earum exiguitatem fluit: ſed nec etiam cum multo ſpiritu exit. venoſæ enim ſunt. Non igitur multa ſectio facienda eſt: hinc magis varia fit detractio. Quæ verò ante aures ſunt qua muſculi mandibularum exurgunt, firmæ admodum ſunt ac robuſtæ, ſed rarò citra periculum ſecantur, propter muſculorum propinquitatem, & propter implicationem eius loci membranarum. In ſecandis verò arteriis occipitis, vſque ad os ſecanda arteria eſt: óſque ipſum abradendum, vt caro ex ipſo oſſe ſuppullulet, & per eius medium oſcula arteriæ excipiantur: & præcidatur. melius enim eſt vt ipſam tanquam varicem excipiamus, & ſubiecta volſcella, aut alio quodã inſtrumento ſimili, incidamus non multũ, ſed particulatim. Vbi ſatis ſanguinis effluxerit, ſuppoſita volſcella vas extrahendum eſt, & medium præcidendum: ita enim neque committetur, neque ex fluxu ſanguinis periculum vllum conſequetur, quum oſcula arteriæ in carnem recurrant.

De cucurbitula, ex Galeno,

Cap. XV.

CVcurbitulæ corporibus prius euacuatis vtiles ſunt. quum enim plethorica ſunt corpora, cucurbitulas non adhibemus. Eadem quoque ratione in cerebri membranarúmque inflammationibus non vtimur cucurbi-

tulis in principio affectionum, quemadmodum ne in vlla quidem alia parte quam obſideat inflammatio: ſed tum quum nihil præterea influat, totúmque corpus antè ſit euacuatum, atque vſus poſtulet vt aliquid eorum quæ in parte inflammata ſunt, moueamus & amoliamur, vel ad exteriora attrahamus. Quum verò affectiones adhuc fiunt, tum non iis membris quæ laborare incipiunt, ſed eis quæ his continuata ſunt, reuellendi cauſa cucurbitula admouetur: in principio verò vtendum eſt repellentibus.

Antylli, de cucurbitula, ex ſecundo libro de præſidiis euacuantibus,

Cap. XVI.

IN mediocri dolore & ſimilibus, leuibus cucurbitulis quæ ſine ſcarificatione admouentur, vtimur: vbi autem volumus roborare, vehementibus: in oppletis verò particulis, vt in iis quæ à corrupta materia vexantur, præciſa cute affiguntur. Antequam verò applicentur, ventrem iā emollitum eſſe oportet, aut omnino nullam infeſtātium excrementorum ſuſpicionem ſubeſſe, & prius omnino comediſſe, aut poſt leuem cibum, eúmque iam ſubductum, aquam prębibiſſe. Maximè autem ſi ſanguinem detracturi ſimus, primùm locus eſt parumper illinendus: ſique poſtea ſatis ruber & tumidus à cucurbitula ſit factus, ſcarificandus erit: ſi non, tertio loco erit admouenda, donec pars in tumorem extollatur atque rubeſcat. Si verò nec tumor nec rubor excitetur, partes vſquedum puniceæ fiant, ſpongiis fouendæ ſunt, & ita poſtea ſcarificandæ: at ſi norit quiſpiam corpora non rubefactum iri (veluti in iis quorum pingue abdomen eſt, aut in refrigeratis, & mulieribus quæ pepererunt vſu venit) tum antequam cucurbitula affigatur, cataplaſma partibus ſuperdabitur. Sed fit interdum vt à leuibus cucurbitulis tumor validus, colore liuidiore excitetur: vbi verò ſcarificatio ſit facta, aut parum quidpiam, aut certè nihil ſanguinis effluat, quum & craſſius ſit quod antè ſtat atque carnoſius. in eiuſmodi ergo, ſpongiis maximè fouere locum, tenuémque & facilè fluentem reddere ſanguinem conuenit. Ne verò prope mammas cucurbitulæ affigantur cauendum eſt: illapſæ enim cucurbitulis nonnunquam mammæ & inturgeſcentes, magna admodum difficultate auelluntur: vbi autem eas auulſeris, oleum erit perfundendum. Applicandæ autem cucurbitulæ ſunt ex modico igni: nam ſi vehementes adhibeantur, vapore inflammantes contendentéſque corpora, nihil notabile attrahunt: eo verò ſitu collocandas eſſe partes vt ne ſanguis in eis contineatur, craſſeſcénſque excretioni impedimento ſit, ſed vt pronus ad inferiora effluat, inter omnes conſtat. Ablatis cucurbitulis, ſiquod eductum eſt ſatis ſit, partes curabimus: ſin ſecꝰ, iterum eas affigemus. In capite verò non cum multo igni affigendæ ſunt, ſiquidem vehementer attrahent, & euelli difficulter poterunt: quæ ex modico igne admouentur, id quod opus eſt facient. Quum verò ad auellendum difficiles ſunt, ſpongiis calida & frigida aqua imbutis circundare eas oportet, ſiquidem ita remittentur: ſin minus, eas perforare conſilium eſt.

De cucurbitularum differentia ex materia & figura ſumpta.

Differentiæ cucurbitularum quæ ſumuntur à materia, tres ſunt, vitreæ, corneæ, æneæ. Argenteas quia vehementer igniuntur, reiicimus: ænearum eſt vſus frequentior: vitreis quoque vti poſſemus in quibus ſanguinis eſt conſideranda euacuatio: & corneis item in capite, vbi æneas auulſu difficiles fore cognoſceremus: itémque in timidis, qui à flamma deterrentur. In figura autem præcipuè differunt æneæ: altiores enim magis quàm humiliores trahunt: quæque humiliores ſunt, quia non vehementer attrahunt, capiti ſunt accōmodatiores. Quæ habēt plana labia, corporibus latis: quarum labra reſima ſunt, curuis & gracilibus aptius admouentur: quæ acutum os habent, iis conueniunt in quibus non ſcarificamus, ſed vehementi impoſitione cucurbitularum quas leues affigimus, attrahere volumus, quum acumen labrorum ad violētū attractum faciat. Quæ labra habent obtuſa, cum in

A alis, tum vel maximè in capite vtimur. Attractio verò ænearum itémque vitrearum cucurbitularum ex igne fit: cornearum citra ignem: ſiquidem in extremo perforatæ ſunt, quúmque adhibentur, abſterſæ vehemēter per foramen trahunt. ſtatim verò foramen digito aut cera clauditur.

Herodoti de cucurbitulis, ex libris de præſidiis euacuantibus,

Cap. XVII.

CVcurbitula materiam quæ in capite eſt, euacuare poteſt, itémque dolorem ſoluere, inflammationem mi-
B nuere, inflationes diſcutere, appetitum reuocare, imbecillum exolutúmque ſtomachum roborare, animi defectiones amouere, quæ in profundo ſunt, ad ſuperficiem traducere, fluxiones ſiccare, ſanguinis eruptiones cohibere, mēſtruas purgationes prouocare, facultates corruptionis effectrices attrahere, rigores ſedare, circuitus ſoluere, à propenſione in ſomnum excitare, ſomnum conciliare, grauitates leuare. atque hæc quidem, quæque his ſimilia ſunt, præſtare cucurbitularum vſus poteſt.

C De ſcarificatione, ex libris Antylli de præſidiis vacuantibus, Cap. XVIII.

SCarificamus partes corporis quæ aut inflammatione aut duro tumore laborant, eáque ſiue diſtentæ ſint ac dolore vexentur, ſiue fluxionibus infeſtentur, quum ſcilicet ad ſtatum venit fluxio, aut iam eundem ſit conſequuta, aut acris adſit materia. Pars autem quæ ſcarificāda eſt, prius ſi fieri poteſt, lauari debet: ſin minus, aqua tepida perfundi, vſquedum rubefiat: aut ſpongiis foueri, aut ſoli ignive exponi, & poſtea ſcarificari. Adhibēdæ autem ſunt incisiones cruribus & abdomini per rectitudinem: eo-
D démque modo in thorace, dorſo, & ceruice: at in capite, pro ſitu capillorum: in fronte, obliquæ. Porro inciſiones ſint æquali inter ſe magnitudine, ſintque æqualia quæ inter eas ſunt interualla, initiúmque ſcarificationis ab inferioribus partibus ſumatur: ita enim ſanguis ad extimas partes influens, non obſcurabit eas quæ deinceps ſcarificandæ erunt. Situs verò ſcarificationum per æquales inter ſe ordines fiat: non fiat autem ſcarificatio plagam infligendo, ſed per tractum. hoc enim pacto dolore vacabit.

E Apollonii de ſcarificatione,

Cap. XIX.

QVum ad corroborationem & quamlibet corporis tutelam, ſanguinem conferre plurimùm didicerim, qui quidem plerunque redundat, & interdum qualitate in peius vertitur, exiſtimaui vbi redundat, imminutionē: vbi correptus eſt, immutationem conuenire. Venas igitur eodem anno ſæpe incidere non eſſe accommodatum cenſui, quoniam vnà cum multo ſanguine ſpiritum quoque vitalē effundi intelligebā: quo crebriꝰ exhauſto, tota
F corporis cōpages refrigeratur, & omnes naturales actiones peiꝰ obeūtur. Quocirca iudicaui à particulis ignobiliſſimis, vtpote à cruribus, ſanguinis detractionem ſcarificādo fieri debere, quantitatem metiendo ex hominis habitu atque vſu qui expoſtulet. Præſtantiſſimum autem hoc auxilium eſt, tum ad tuendam ſanitatem, tum ad recuperandam, quum auerſa fuerit, vel ab aliquibus huiuſmodi cauſis. Sed nemo tamen putet me venæ ſectionem reiicere. eā enim ego in maximis periculoſiſſimiſq; affectionibus non omitto: in quibus abunde affatimque ſanguinē
G effundere oportet. nam in vehementibus affectionibus euacuationes affatim faciendæ ſunt. Plethoram verò mediocrem, quæ aliquid mali ſit factura, & iam conuerſionē in morboſum ſtatum attingat, tibia ſcarificationibus vexata, quæque ſine moleſtia, & quantam voluerimus ſanguinis extruſionem reddiderit, citra validam totius corporeæ molis commotionem ſoluit. Sæpe autē plus quàm ſatis ſit congregatur: quare non eſt cunctādum, quin quoties ſigna plenitudinis inciderint, eam tollamus eo modo quem nunc præſcripſi. Præſtat autem viſcera, quæque
H in toto corpore inſunt vaſa, nō repleri immoderatè, neque diſtendi, ſed potius in quadam relaxatione terminata contineri, vt expeditè permeare ſpiritus naturalis queat.

Scarificationem mulieribus quæ non probè purgantur, itémque aliis pleriſque affectionibus prodeſſe, Cap. XX.

MVlieribus quibus non proſperè ſuccedit purgatio, ſcarificatio mirabiliter auxiliatur: nam quod illic minus eſt factum, hac ratione euacuatur. Statutum autem purgationis tempus expectandum eſt, túncq; ſi nihil aut parum ſponte ſua effluxerit, hoc auxilio tantum detrahemus quantum vſus poſtularit. Quinetiam hoc auxilium quibuſdam mulieribus maxime profuit, vt menſtruæ purgationes de more iterum redirent: continua enim ad partes inferiores ſanguinis deductio, ei quoque viam ac propenſionem parat. Equidem mulieres quæ multum ætate proceſſerunt, quibus iampridem menſtruæ purgationis nihil apparuerat, vbi aliqua moleſtia corporea vexarentur, hac curatione ſubleuare conſueui. eſt enim hæc mulierum propria, multúmque efficax eſt, quippe quæ naturalis excretionis modum imitetur. Euacuare autem interdum ſcalpello ſoleo, interdum hirudines admouendo. Iam verò quum oculos quidam ex longo tempore ab inceſſabili fluxione infectos haberet, hoc præſidio ſanatus eſt, quum nos aliis quoque localibus auxiliis ad oculos vteremur, & totius corporis curam geſſiſſemus. Senex etiam quidam, quum prius per longa interualla, deinde breuia, ſtrangulante circa pulmonem anguſtia vexaretur, ſimili modo eſt curatus. Vacuandum autem tantum eſt quantum conuenire videatur: éſtque cauenda refrigeratio: alimentúmque moderatum tribus aut quatuor diebus dandum. Quúmque peſtilentia vehemens per Aſiam vagaretur, multique ob eam cauſam obirent, egóque in morbum itidem incidiſſem, ſecũdo die quum remiſſio fieret, crus ſcarificaui, & ad duas libras ſanguinis detraxi, atque hac ratione vitaui periculum. quo ſanè auxilio quũ multi quoque vſi eſſent, ſunt ſeruati: erant enim ſigna plenitudinis. atque illi præcipuè euaſerunt qui ſanguinem copioſè euacuauiſſent. Quinetiã capitis dolores moderatos, tonſillarum inflammationes, ac dolores laterum recentes tollit: nam diuturniora huiuſmodi ſymptomata localibus ſcarificationibus diſſoluimus: eos denique qui vires reficiunt, & ad ſtatum naturalem difficulter redeũt, nihil ſanè eſt quod æquè ad eis accommodatam & idoneam bonámque nutritionem ducat ac ſanguinis per ſcarificationem euacuatio.

Antylli de hirudinibus, ex libris de præſidiis euacuantibus, Cap. XXI.

NOnnulli captas hirudines includunt, eíſque ad multa vtuntur. Vbi enim miteſcunt, carni facilè admouentur, quum aliæ quandoque peregrinè ſe gerant: eas verò experientia docti protinus admouemus. quæ verò nuper ſunt captæ, vnum diem ſeruare, & parum ſanguinis alendi gratia iniicere conuenit: ita enim virus earum exprimetur. Vbi vti volumus, locus cui applicandæ hirudines ſunt, nitro prius fricandus eſt, ac ſanguine alicuius animalis, aut argilla liquida illinendus, aut fouendus, aut vnguibus ſcalpendus: ſiquidem ita promptius carnem apprehendent: hirudinéſque in aquam puram & tepidam in vaſe lato atque magno iniiciendæ ſunt, vt commotæ virus abiiciant: deinde ſpongia ſunt excipiendæ, & ſtrigmentis purgandæ, ac denique manibus admouendæ. Vbi omnes inhæſerint, oleum tepidum particulæ ne refrigeretur infundemus. Si verò manibus aut pedibus affigendæ ſint, partem in aquam in qua hirudines ſunt iniiciemus. Si verò quum cruore plenæ ſint, vti etiam eis oporteat, vel quia paucæ nobis hirudines ſuppetant, vel quia paucæ carni inhæſerint, earũ caudas vbi expletæ ſanguine fuerint, forcipe excidemus. nã ſanguine fluente nũquam trahere ceſſant, donec nos ſale, aut nitro, aut cinere, earum ora perſpergamus. Quum exciderint, ſi locus eſt cucubitulæ capax, eius applicatione virus extrahendum eſt, eáque erit validè agglutinanda, celeritérque auellenda: ſi verò capere cucurbitulam non queat, ſpongiis fouendus eſt: ſi verò ex corporibus aut oſculis cruentæ lacrymæ adhuc effluxerint, mannam, vel cuminum, vel farinam inſperges, deinde lana pauco oleo madente conuolues. Si ſanguis etiam erumpat, linteola vel telas aranearum ex acero iniicies, vel gallam, vel ſpongiam nouam pice liquida illitam & combuſtam: deinde chartulam aceto madefactam applicabis atque alligabis. Hæc in mediis corporis partibus agenda ſunt: nam in artubus (hoc eſt, brachiis & cruribus) ſola deligatio ad cohibendum ſanguinem eſt ſatis: quæ poſtero die ſoluenda eſt, ſique ſanguis conſtiterit, abiicienda: ſi non, iiſdem vtendum. Scire autem conuenit, hirudines non ex intimis partibus ſanguinem attrahere, ſed eum qui carni adiacet exugere. Porro vtimur hirudinibus in iis qui inciſiones pertimeſcunt, vel in iis particulis quibus propter exiguitatem, aut gibboſitatem, aut inæqualitatem affigere cucurbitulas non poſſumus. Hirudines autem auellimus quando eius ſanguinis quem detrahi oportere exiſtimamus, dimidium extractum fuiſſe coniicimus: deinde tandiu ſinimus effluere, quandiu fuerit excretus is qui ſatis ſit. Quúmque particula tum ab hirudinibus quæ ſuapte natura ſunt frigidæ, tum ab aëre ambiente refrigeretur, ideo fouenda eſt ac recalfacienda: ſanguiníſque effluxio non refrigerãtibus, ſed adſtringentibus, & emplaſticis (vt diximus) cohibenda eſt.

Menemachi de hirudinibus, Cap. XXI.

HIrudines locis affectis, aut iis quæ nõ pinguibus proxima ſunt applicantur: nam oleum earum appetentiam ſubuertit. In anguſtiam verò ſtricti calami, ab vtraque parte non perforati, aut in operculum paruæ arundinis, aut quippiam ſimile demitti debent quum admouẽdæ ſunt. Earum numerus ex duabus magnitudinibus, loci videlicet & affectionis, eſt ſumendus. Auferantur autem oleo calido earum labiis infuſo. Mordacitas verò aliarũ in partibus vlceratis conueniet. quod verò poſt auulſas hirudines effluit, digitus impoſitus cohibet. Quãtitas autẽ excretionis ex hirudinum erectione apparet: ſed euidentius quoque cernitur, ſi in vnum conducta fuerit, vbi hirudines à corporibus diuulſæ ſanguinem euomuerint. Hirudinibus verò adhæreſcentibus, loca quibus affigendæ ſunt, ſuperficie tenus ſcarificandæ ſunt. nam vbi ſanguinem guſtauerint, eundem magis expetunt.

Galeni, quos purgare conueniat, quibus purgationibus, & quo tempore, Cap. XXII.

SAna corpora difficulter purgantur: nam & vertigine vexantur, & torquentur, & fit moleſta purgatio, & celerius præterea exoluuntur. Hæc autem omnia fiunt, quòd purgans medicamentum proprium educere humorem cupiens, ipſúmque nõ cõperiẽs, ſanguinem & carnes colliquat, vt ex eis quod ſuum eſt, eliciat. At qui ſani adhuc ſunt, illi quidem, ſed tamen niſi euacuentur, in morbos caſuri ſunt, præueniendi ſunt, & ineunte vere vacuandi, vel miſſo ſanguine, ſi ex multitudine: vel purgatione, ſi ex humorum corruptela capi morbis ſoleant. Ac nos quidem & podagram & articulorum dolores in principio, quum nondum circum articulos tophum excitaſſent, huiuſmodi euacuatione cõplures annos inhibuimus: eodémque modo pleroſque attonitos, comitiales, melancholicos, & aliis eiuſmodi diuturnis affectionibus vexatos, prædicta euacuatione ſanauimus. Aliis itaque pituitam, aliis amaram bilim, aliis atram, aliis ſeroſa excrementa, ad eſſentiam eorum morborum quibus capi conſueuerunt, euacuari conducit. Ac protinus melãcholia quiſpiam niſi purgatus fuerit ſingulis annis capietur. Hunc ergo nõ ſolùm vere, ſed autumno etiam purgo: itémque fœminam quæ in mamma cancrum habuit, quotannis ineunte vere ſimiliter purgãdam curo: quam quidem ad ſanitatem perduxi vehementer euacuando, vſus medicamento nigram bilim expurgante: ſique aſſumpta purgatio non fuerit, ſentit mammam altius dolore vexari. Quinetiam incipiẽtẽ elephãtiaſin miſſo primùm ſanguine, & purgatione

OOO.ii.

data,in alio curaui:deinde ei quoque vnica ſingulis an-
nis purgatio ſufficit : eáq; intermiſſa,morbum ſtatim re-
uocat. Atque hæ quidem ægritudines nigros humores
purgari poſtulant:comitiales autem attoniti,& aſthmati-
ci,pituitoſos:velut dolores articulorum,ſi cum multo ca-
lore infeſtent,amaram bilem: ſi cum tumoribus frigidis;
pituitam euacuari poſtulant. Alius quidam æſtiuo tempo
re tertiana ſemper corripiebatur,qui multos ab hinc an-
nos in febrem non incidit, ſub finem veris pallidam bilē
noſtro conſilio antè purgando .Hoc enim tempore eiuſ-
modi homines euacuare eſt melius:quemadmodum co-
mitiales,arthriticos,& melancholicos,& quicūque ex hu
morum craſſitie in morbo cadunt,ineunte vere præſtat e-
uacuare.Antequam autem medicamentum purgans exhi
beamus,craſſos humores attenuare,tenacéſque diſſecare,
ac meatus per quos traduci trahique debent,aperire opor
tet,ſi purgatio ſit optimè ſucceſſura,idque cum in reliquis
omnibus,tum vel maximè in iis qui elleborum ſumunt:
nam medicamenti vis quæ diuellit,quum excutit humo-
res qui altius affectis partibus inhærēt,& ob eam cauſam
diuturnis morbis prodeſt, facilius id facit humoribus
prius attenuatis.Qui hoc negligunt,iis moleſtæ purgatio-
nes ſuccedunt,& cum torminibus,& interdum cum verti
gine quadam,multáque nauſea,malo pulſu,exolutione ac
difficultate. Eius autem qui elleborū ſumpturus eſt,prius
experiri naturam debemus quomodo ea ad ſupernas pur
gationes,hoc eſt,quæ vomitibus fiunt,affecta ſit.Experie-
mur autem dandis iis quæ vomitum mediocriter prouo-
cant:nam ſi ita non facilè purgetur,non erit ad elleborū
agendus,ſi non antè præparetur.Præparatur autem vomi-
tu ipſo ſæpius excito. Quum ergo is qui ſumpturus ellebo
rum ſit,promptius vomere aſſueuerit,melius etiam fiet ſi
antè corpus humectabimus. Humidum verò fit corpus,
tum multo cibo,tum quiete.Ac quietem quidem id face-
re perſpicuum eſt: quando,vt exercitatio membra exicca
re poteſt,ita quies,quum vacatio quædā & exercitationis
vacuitas ſit,humiditates conſeruet. At cibus copioſior nō
abſolutè humectare aptus eſt, ſed is denique qui vehemē
tis qualitatis expers ſit,hoc eſt, qui neque acerbus, neque
acer,neque ſalſus, neq; amarus ſit. Nos verò oxymeli quā-
doque potui dedimus, in quo ellebori albi ramuſculos
per diem ac noctem raphanis infixos demiſeramus:eſſét
que hæc ellebori imbecilla purgatio.Cæterùm qui angu-
ſtum thoracem, & idcirco pulmonem cōpreſſum habēt,
ſunt ad vomendum ineptiſſimi,cum aliis quæ vomitum
cient,tum præcipuè elleboro albo:vaſculū enim aliquod
ex iis quæ in inſtrumentis reſpirationis ſunt,diſrumpent.
Præterea amaram bilem per ſuperiora, pituitam potius
per inferiora purgare conuenit:quanquam interdum cō-
trà eſt faciēdū,ſi pituita in ventriculo,amara verò bilis in
inteſtinis aceruata fuerit.at melancholicū ſuccum per in-
feriora ſemper educimus. Ac de anni quidem temporib⁹
ſcriptum in aphoriſmis reliquit Hippocrates,æſtate ſupe-
riores, hyeme inferiores partes medicamento purgandas
eſſe. Atque ad temporum anni proportionem,regionum
habenda eſt ratio,vt calore, frigoréque diſtinguantur: i-
démque de ætatibus eſt ſentiendum . Iam verò conſuetu-
do quoque non parum facit ad indicandum euacuatio-
nem.nam qui vomere ſunt aſſueti,purgationem per ſupe
riora minus moleſtè ferunt:qui aſſueti non ſunt,non ſine
periculo,& præſertim elleboro purgantur. Sed par eſt etiā
vt genus morbi cōſideretur: nam quum corpus albidum
& pituitoſum totum apparet(quam hydropem leucophle-
gmatiam vocant)opus eſt medicamento quod pituitam
educat:ac primùm quidem per inferiora, poſtea per vo-
mit⁹,poſtremò per ea quæ per nares & palatum pituitam
trahunt. Quum enim redundans humor in toto corpore
ſit diffuſus, omnes euacuationes admouebimus: ſi verò
aſcites ſit hydrops, medicamentum quod aquæ educen-
dæ ſit,dabimus:quemadmodum in arquatis aliquid dan-
dum eſt quod per bilem educat:nam & his bilem multis
modis euocare oportet,ſurſum, deorſum, per vrinas, per
palatum,per nares. Ita,etiamſi melancholicus ſuccus re-
dundarit,vt in melancholia,cancro, & elephantiaſi, me-
A dicamentum quo nigra bilis educatur, exhibemus : nam
in comitialibus vtimur medicamentis pituitam extrahē
tibus.Ex quibus eſt perſpicuum,à morbi conditione no-
bis oſtendi & humorem euacuandum , & locum per quē
eundem educere debeamus. Iis enim quorum iecur in-
flammatione vexatur, ſimulatque concocta inflammatio
ſit, purgationem adhibemus : ac per inferiora quidem
quum ea in ſimis iecoris partibus ſit: per vrinas verò,quū
in gibbis. Ita quoque in reliquis ſpectabimus & humo-
rem exuberantem, & affectum locum , ex quo tanquam
B cauſa quadam morbus conſurgit. Hæc enim , & quis hu-
mor euacuandus ſit,& quomodo,& qua parte ſit educen-
dus,indicabunt,& ad hæc omnia tempus etiam accom-
modatum commonſtrabunt.Nam inter initia , tenues &
ſeroſos humores vacuabis:concoctionem verò expecta-
bis, vbi craſſi & glutinoſi fuerint, quales ſuapte natura
ſunt pituita atque atra bilis.Acceſſiones quoque tibi eua
cuationis modum indicabūt, vt dum vrget acceſſio,à ſu-
periorib⁹ educas:vbi ceſſet,quæ remiſſio dicitur,ab inferi
orib⁹:nā ſic etiā iuuāt quæ per ſe in morbis eueniūt, quū
C in acceſſionib⁹ vomitus pleriſq; excitetur,& ſanguis è na-
ribus erūpat: in remiſſionib⁹ verò lotiū & aluus fluat. Tē-
pora autem acceſſionum & criticorum dierum maximè
obſeruanda ſunt, ſiquando purgationem per inferiora
moliaris:nam ſi humores ad ſuperiora propenſi ferantur,
vis medicamenti per inferiora purgantis impeditur. In
iis autem qui iam ægrotant,ſi morbus diuturnus futurus
eſt,expectanda ſemper erit concoctio:in acutis verò mor
bis,quum turgeat materia,inter initia medicamento pur
gāte vti licet: atque id ipſum cum magna animaduerſio-
D ne diligentíque conſideratione faciendum eſt: nam in a-
cutis periculum non mediocre eſt ne purgatio malè ſuc-
cedat,eo quòd omnia medicamenta purgantia calidæ
ſint facultatis:& febris in eo quòd febris eſt,& ſui ratione
non ſicca,nec calida, ſed his maximè contraria,humida
frigidáque expoſtulet.Non ergo febrilis caloris cauſa pur
gans medicamentū propinamus, quod nos quoque quā-
tum in ipſo eſt,nocere ſcimus:verùm vt humores febrim
concitantes educamus.Debet igitur maior vtilitas proue
nire infeſtis humoribus detractis, quàm ſit noxa quæ à
E medicamento expurgante corpori infligitur, neceſſarió.
Prouenit autem vtilitas,ſi & ſine moleſtia,& omnis infe-
ſtus humor euacuetur.Quod vt fiat,conſiderandum prius
eſt vtrum is qui morbo laborat, ad eam purgationem ſit
idoneus. Etenim qui pleriſque cruditatibus laborarint,
craſſiſque ac tenacibus eduliis veſci conſueuerint, itém-
que quibus tenſa hypochondria inflatáque ſint,aut ſatis
ſupérque calida atque feruentia, aut in eiſdem locis in-
flāmatio quædā ſit,ii omnes ad purgationes ſunt inepti:
quamobrem dimittendi ſunt,& ægrotātis humores,quo-
F ad eius fieri maximè poteſt, ad fluendum paratos eſſe o-
portet,hoc eſt,tenues,& minimè tenacitatis vllius parti-
cipes,& meatus per quos eſt tranſitura purgatio, apertos
eſſe.Hæc enim nos antè paramus, quum aliquem ſumus
purgaturi:at in acutis morbis,ſi ſtatim inter initia,vel pri-
mo die,vel non vlterius ſecundo,purgatione vſuri ſimus,
turgente materia,nihil huic præparationi relinquitur lo-
ci:niſi quis fortè occaſionem nactus ſit mulſam potui dā-
di,in qua parum hyſſopi,aut origani,aut trogorigani,aut
thymi, aut pulegii, aut aliquid eiuſmodi attenuans ſit
G incoctum. Quocirca conſentaneum eſt vt in acutis mor-
bis raro purgante medicamento vtamur,quòd in princi-
pio non ſæpe turgeant humores affligentes, neque ſi tur-
geant,ægrot⁹ ſit ad purgationem aptus: neque etiam no-
bis tempus ſui parandi accommodatum præſtet. Turge-
re autem dicuntur humores quum motu vehementio-
re agitantur,& ab vno loco in alium confluentes, in prin
cipio morbi vexāt hominem,doloréſque ac titillationes
afferendo,eū quieſcere nō ſinūt.Hos ergo humores eua-
cuare cōuenit,eos dico qui in motu,latione & flexu ſunt:
H qui verò in aliqua parte corporis iā cōſederūt, neq; vllo
alio auxilio,neque medicamēto purgante mouendi ſunt,
priuſquam concocti fuerint. tunc enim naturam etiam
euacuationi habebimus adiutricem.hæc enim ſimulatq;

humores concocti ſunt,eoſdem dimouere,idque quod ſuperuacaneum eſt expellere conſpicitur:quo ſanè tempore criſes etiam fiunt. Verùm quum natura perfectè excernit, nullo præterea medicamento opus eſt:quũ verò ipſa mediocriter atque imbecilli⁹ facit,quod deeſt ſupplere medici debent. Illud autem ſciendum eſt,rarò euenire vt humores ab vno membro ad aliud confluant, ac ſæpius in vno aliquo membro quieſcere,ibique manere donec cõcoquantur,toto morbi tempore vſque ad morbi ſolutionem. Quum igitur nõ ſolùm morbus acutus fuerit, ſed etiam cum vehementiſſima febri coniunctus, cauendum eſt ne purgationem offeramus,præcipuè quum ægrotantis natura nobis ſit ignota. Nonnulli enim ſuapte natura difficulter purgantur:nõnulli verò modica potione medicamenti epota copioſè purgantur. Quum igitur febris non ſit vehemens,tùque ægroti naturam noſcas,medicamentum dabis:quam ad rem vtitor elleboro nigro, aut alio quopiam ſimili,è quorum numero etiam eſt quod ex colocynthide conficitur,quod vſitato nomine hierã vocant. Hæc autem quum variè conficiatur,ea quæ elleborum aſſumpſit,nec ſcammoneam habet, præſtãtiſſimum medicamentum eſt in iis qui medicamentum ſubducẽs ſumere omnino poſſunt. Poſt aſſumptam verò purgationem,vtile eſt ptiſanam ſorbere, quemadmodum ait Hippocrates:ipſum enim purgãs medicamẽtũ,vt exiguũ fuerit,in fundum ventriculi deſcẽdit:in deſcenſu verò cum gula, tum pars omnis ſublimis ventriculi non ſolùm medicamenti purgantis qualitate,ſed ſubſtantia quoque in deſcenſu appulſa inficitur,& magnopere læditur. ex quo fit vt ptiſanæ ſuccus vtiliter abſorbeatur, quippe qui abſtergere, & inferius trahere poſſit id quod tranſeundo meatibus ſe implicuit,& temperare atque immutare medicamenti qualitatem quæ membris inſedit. quas ob res iubet Hippocrates vt poſt purgationis potionem ægroti ptiſanam abſorbeant:quum verò purgatio incipit procedere,ptiſanam dari vetat,veritus ne purgantis medicamẽti actio diſſoluatur.

Quot modis aluus non excernat.quum datum purgans medicamentum fuerit, Cap. XXIIII.

NON excernit autem quandoque aluus medicamento purgante exhibito,vel ob ægrotãtis hominis naturæ proprietatem,vel ob medicamenti dati exiguitatẽ. Quandoque etiam ſtercus denſatum,atque in aliquo inteſtino exiccatum,quum clyſteri educendum eſſet,antequã medicamentum daretur,euacuationem impedit. Poteſt quoque natura ad vrinam vergente, purgans medicamẽtum nihil facere: interdum etiam quum euacuatio fruſtratur,præterquam quòd corpori nihil noxæ affert,in alimentum etiam tranſit:interdum verò in perniciem mutatur atque venenum.

Quæ medicamentis purgantibus indantur, Cap. XXV.

QVVM omnia purgantia medicamenta vẽtriculum lædant,& eius os præcipuè quod ex neruis quamplurimis conſtat,& acerrimum ſenſum habet, excogitatum eſt, vt medicamentis bene olentia miſceantur, ne ſola & ſincera ipſorum vis ventriculi os attingat. Talia autem eſſe debent ſemina quæ induntur, quæ & medicamenti malitiam retundant,& eius actionem impedire non poſſint:quæque attenuandi & incidendi vim habeant, vt & craſſos humores ſecare,& vias per quas educendi ſunt, aperire ac patefacere queant. Oportet etiam vt commiſta medicamenta ſibi inuicem conſentiant, & in nulla parte diſcrepent:diſſentiunt autem non quum hoc bilem,illud pituitam fortè euacuet: (vtraque enim pari modo euacuari poſſunt)ſed quum hoc celeriter,illud tardius ab aſſumptione purgationem mouet. ita enim euacuatio inæqualiter fit,quanuis ſimul fuerint accepta. Dico autem inæqualiter fieri purgationem,vt quum ipſa deſinere videatur,alterius euacuationis initium exoritur.

Rufi,de purgantibus medicamentis, Cap. XXVI.

NEque omnes qui quoquo modo affecti ſint,nec quo-
A cunque tempore, nec ſtatim vbi contigerit, purgandi ſunt. Sanos verò,& in quibus excrementum nullum redundat,purgare non conuenit. nam quæ tandem afferri vtilitas poteſt, ſi id quod accõmodatum naturæ eſt detrahas,atque etiam nõ ſine moleſtia id facias? Omne enim quod medicamento educitur neceſſariò, bonum eſt: & ideo ex paruis excretionibus animi defectiones, exolutiones,atque alias difficultates, & afferes atque inuehes. nam vtut vacuaris,bonum vtique educes. Verùm ſi homo pituitæ portione,aut bilis,aut alterius cuiuſpiã
B humoris redundantia grauetur, tum eſt accommodata purgatio. Vtriſque enim auxiliantibus, & natura & medicamento,ſuccedit purgatio:eáque facilius peragitur, & melior eſt,quum moleſtus humor ſubducitur. Obſeruare autem eos oportet qui pingues ſunt,& quorum habitus tabidus eſt,ſiquidem hi colliquantur:pingues verò ab attenuatione & quauis euacuatione læduntur. Tẽporum quoque repentinas mutationes,& aſtrorum ortus aut occaſus,tempora valdè immutantes, Arcturum dico, Pleiadas, ſolſtitia, æquinoctia,Canémque obſer-
C uare oportet. priuſquam enim probè conſtiterint,mouere nihil cõuenit. Præterea in purgationib⁹ quæ per inferiora fiunt, obſeruandæ ſunt hæmorrhoides, & fluxus muliebris ſanguinolentus: itémque omnes qui teneſmo,quique alui fluore tentantur,& quorum inteſtinum vlceratur, & quorum admodum ſicca eſt aluus: hos ſiqua neceſſitas purgandi vrgeat,clyſteri prius euacuatos purgato. Atque hæc quidem in purgationibus inferis vitãda ſunt: in ſuperioribus verò partibus huiuſmodi morbi,tuſſes, aſthmata, interiora vlcera,vt pul-
D monis,tabes,iecoris colliquatio,& quum quiſpiam ſanguinem exſpuit, ſed nunc benè valere videatur:periculum verò eſt ne vena rumpatur, & ſiquem in gurgulione,aut faucibus,aut ceruice morbus exercere cõſueuit, huiuſmodi,inquam,omnes morbi prohibent ne per ſuperiora purgemus,ac præſertim elleboro. Huc accedũt oris ſtomachi dolores, & quum cibus non continetur, nec tamen vomitu reiicitur. Forma quoque corporis attrita,& oblõga ceruice,ſed tergo breui & exiguo,& cauo,non eſt euacuanda per ſuperiores partes: ſiquidem
E eiuſmodi naturæ plerunque tubercula habẽt in thorace, & difficulter ſpirant, & tuſſe vexantur, vt in validis vomitibus & ſuffocationes & ſputa ſanguinis excitentur. Quinetiam ne pinguiores quidem ſupernas purgationes facilè ferunt, neque etiam qui facilè exoluũtur, neque ii qui omni ex parte ſunt expleti, neque timidi, neque illi qui puſillo ſunt animo: nam ſi in vlla re alia, tum vel maximè in hac forti animo eſt opus: quamobrem neque mulieres, neque pueri, neque ſenes apti admodum ſunt vt ſuperiora purgentur, quippe quũm hi
F timidi ſunt omnes. Sed mulieri quoque periculum ineſt ne vterus cõuellatur,atque ita vocis & ſenſus expers fiat. Purgandi autem pituitoſi per ſupernas,bilioſi per infernas partes ſunt: ac præſertim quibus nigra euacuanda bilis eſt,& autumno, & vere,per quam partem videatur,educere conueniet. At hyeme & æſtate ſi inanire cogaris, hyeme per inferiora, æſtate per ſuperiora, & contra etiam quàm materia vergat id facies:nam reuellere in quibuſdam eſt melius: alios verò quà materia vergit euacuabis præcipuè:quum ſecedit,neque vtiliter
G neque moderatè vergit,in cæteris contrà erit faciendũ. Ex anni temporibus Ver eſt ad purgationes accommodatiſſimum: ſecundas tenet Autumnus:ſæpenumero enim ſub Pleiadibus conſtitutionem Veri parem ſortitur, vt neque difficulter nonnulli purgentur,& æſtatis ſuperfluitates opportunè eiiciant,priuſquam hyems adueniens eas condenſet,& corporibus infigat. Ac Vere quidem purgationes ſunt præſtantiſſimæ, quòd excrementa quæ hyeme collecta fuerint, educunt priuſquàm calor ea contingens, moueat atque perturbet. Signa au-
H tẽ ex quibus purgatione opus eſſe cognoſcas,erunt vertigines, capitis grauitates, & dolores repentini,aurium continentes ſoni, aſpectus difficultates, obtuſus auditus,tardus ſenſus,ſopor, nulla cibi ſumptio, ſique vinum bonum quis bibat, ei amarum, aut alio quouis

modo inſuaue videatur:mentis alienationes,& quorum
quis antè meminerat,obliuiſci:palpitationes variis mo-
dis per corpus exilientes,inſomnia cõtinua,& formido-
loſa,& perturbantia,& neſcio quis horror ſub cute,lum
borum grauitas,ventris diſtortiones, quúmque nec ci-
bus expetitur,nec vbi expetitus ſit,concoquitur: nec ſi
coquatur,eo homo delectetur:itémque quum aluus pro
alimenti proportione non deiicit,vrinaque exigua ex-
cernitur:nauſeæ,oris humiditates,& color in hoc bilio
ſus,in illo pituitoſus,in alio ſubniger,præter ſtatum na
turalem eius hominis in quo ineſt:itémque trahi, ægrè
ſpirare,non facilè moueri,& tamen corpore bene vale-
re ſibi videri:quæque in cute pullulant, aut ex pituito-
ſis vlceribus,aut iis quæ per ſe erumpunt, aut ab aſperi-
tatibus oriuntur,aut etiam ephelides.Hæc omnia quæ-
cunque inuenire alius poteſt, quæ nobis argumẽto ſunt
humorum repletionem malitiámque ſubeſſe, ad purga
tiones obeundas nos hortãtur.Si verò humor quiſpiam
ſic redundet in corpore vt non modò futurus ſit mor-
bus,ſed iam adſit,euacuandus eſt. Sed multo melius eſt
vt noxios humores ex omni parte præueniendo aufe-
ras,ſi modò poſſis. Quæ verò medicamenta vnicuique
morbo conueniant,deinceps dicemus. Victus verò ratio
eius qui per infernas partes purgãdus eſt,minor eſſe de-
bet,ſed nõ multo:verũ vſqueadeo vt cibus qui dat⁹ fue
rit,citò concoquatur,nec multum ſtercoris in inteſtino
conficiatur:ſiquidem hoc dolore conficit ventrem, &
vomitum ciet,quum medicamentum ad ſe trahens ſub-
duci non poteſt. Quocirca non eſt alienum vt priuſ-
quàm medicamentum purgans detur,aluus molliatur,
& malua,& beta,& lapatho, & iure conchularum, aut
aliis rebus,quales alii aliis conuenientes atque idoneas
inuenerunt:ſin ſecus,clyſteri idem fiet molliore. Non-
nullis verò,vt pituitoſis,cibum pridie non dediſſe con-
uenit, quibus etiam non peſſimum eſt ante purgatio-
nem euomere. nam ſiquid aliud aluo impedimento eſt
ne facile ſubducatur,tum vel maximè eſt pituita copio
ſior.ex quo fit vt in quibus pituita redundat, eos per in-
feriora purgari non valde probem.Sed quandoque mor
bo non ita conuenit.nam & capitis grauitatem, & ocu-
lorum dolorem, & aliquos comitiales aut vertigine la-
borantes,& pleroſque hydropas, & articulorum dolore
vexatos,& alios præterea morbos per inferiora purgare
oportet. qui etiam per ſuperiora purgandus eſt, verùm
quæ dicta ſunt impediunt, ídque licet ille pituita ſit re-
fertus, eíque neceſſaria eſt inferna purgatio, ſolùm vi-
ctus ratione erit rectè inſtruendus. Quinetiam medica-
menta ego deſcribam quibus pituita refertus homo per
inferiora,ſi opus ſit,vtiliter purgàbitur: & quoniam pro
natura inteſtini aliis facilè,aliis difficulter aluus ſubdu-
citur, conſentaneum eſt eum qui rite per ſuperiora &
per inferiora purgaturus eſt huius rei non eſſe ignarum
oportere. Venter enim in homine ſuapte natura oſcu-
lum habet aduerſum,& in dextra parte ad ſpinam,latius
quàm in cæteris animantibus: inde verò fit anguſtius,
deinde meſaræum ſubit,atque ita deinceps vſque ad co-
li principium.huiuſmodi ergo cibis facilè euacuantur.
At quibus oſculũ ſuperius ſpectat, vel eſt anguſtius quã
par ſit,vel quod ita ab ortu factum fuerit, vel quod ali-
qua inflammatio obſideat,aut durus tumor poſtea ena-
tus comprimat, aut aliæ quædam obſtructiones impe-
diant, iis cibi difficulter deſcendunt, ſed facilè ſubdu-
cuntur.Signa ſunt hæc:qui ab ortu tales ſunt,hi ad qua-
cunque ratione vomendum ſunt parati,ſed eis difficul-
ter aluus ſubducitur, plurimúſque ſenſus in eis excita-
tur,quum cibus in ventriculo moratur: ſuperiores par-
tes flatu agitatas magis habent,& partes quæ ſupra vm-
bilicum ſunt, magis tumentes: quos quidem omnes ne
per inferiora purgemus,cauendum eſt.At quibus ventri
culi os propter morbos anguſtum eſt redditum, ſimilia
quidem eueniunt:veruntamen progreſſu temporis mor
bis ſolutis,ſymptomata quoque ſoluũtur. Quamobrem
non ſemper ita affecti ſunt tum ad concoctionem ob-
eundam,tum ad ructus,tum ad alui deiectionem: ergo
ne ita quoque ad infernas purgationes ſemper eodem

A modo ſunt affecti. Qualia nanque de ſuperiore ventre
dicta ſunt nobis,talia itidem de inferiore ſunt cenſenda:
etenim venter inferior, in principio ſecundum naturã
latus eſt,ad finem verò fit anguſtior, ac præſertim in ſi-
niſtra parte qua lien occupat:inde enim ipſe incipit,eí-
que inteſtinum quod cæcum nominant,adnaſcitur.Por-
rò in ilibus ad dextram partem, vnde inteſtinum initiũ
ducit, melius inuenies: ſed ſemper magíſque ad extrè-
mum anguſtatur.Quòd ſi hoc etiam inteſtinum,tum na
B tura,tum morbo aliquo non tantum quantum opus eſt
diducatur,tum magna neceſſitas quædam cogit vt cibi
deſuper celerius delabantur:quos ipſum retinens, & in-
teſtina torquet,& flatus,& tumultus,& grauitates affert,
donec paulatim in colum inteſtinum incidant, ex quo
iam ad ſubductionem ſunt paratiores.Ergo quæ natura
facit,eodem modo ſemper fiunt:quæ verò à quibuſdam
ægritudinibus adminiſtrantur, quatenus ægritudines
intenduntur & ſoluuntur,ita etiam ipſa faciunt: & quæ
natura fiunt,obſeruanda ſemper ſunt:quæ verò vi mor-
C borum, quatenus morbi vetant. Cæterùm in eiuſmodi
purgationibus maius periculum impendet iis quorum
os ventriculi non probè trãſmittit excrementum, quod
& à liene & à cæteris locis ad inſuetum vomitum impel
litur:quod quidem retro cedens labores parit. Qui ve-
rò ob coli inteſtini principium ad dextrum ile cibos nõ
traiiciunt atque diducunt,ii vehementius conflictan-
tur. quum enim colum inde exoriens ad ſiniſtram par-
tem ſupra vmbilicum procedat,& in ſiniſtra reflexum,
tenuia inteſtina ſubeat, meritò fit vt labores eo in loco
D vehementiores excitentur. De purgationibus verò quæ
per ſuperiores partes fiunt,& præſertim de ea quæ ex el-
leboro conficitur, ſingillatim poſtea loquemur,& vi-
ctus etiam rationem, & cætera omnia explicabimus.
Medico enim nihilo minus quàm res aliæ, hæc quoque
nota eſſe debẽt, vt vbinam laudatiſſima medicamenta
habeantur, planè ſciat.neque enim omnia vbique præ-
ſtantiſſima naſcuntur, ſed ſcammonea Colophone, in
Ionia,& ſub Myſio Olympo:thapſia in Sicilia & Libya:
elaterium,quod eſt cucumeris agreſtis liquor, Cyrenis:
E epithymum, Athenis,& ad Iſthmum:granum Gnidium,
in Caria, vnde nomen etiam traxerunt Aſclepiadæ Gni-
dii,quòd hoc grano plurimùm vterentur: at elleborus
in Œta monte,& Anticyris:ex quo niger non eſt etiam
prauus is qui Lyceſtide,quíque ſupra Aſcaniam paludem
& in Parnaſſo,quique in Ætolia naſcitur: quemadmo-
dum albus,vbicunque alibi naſcatur,eſt peſſimus.is au-
tem apud Armenos naſcitur,& trans flumen Sagarium,
quà nunc Galatæ colunt omnia. Quibus quidem fit re-
bus vt vbi probatiſſima medicamenta naſcantur, &
F quando incidãtur,ſit conſiderandum:magni enim etiã
refert vt in tẽpore incidãtur,& parẽtur, vt quũ de eis ver
ba fient exponetur. Hæc autem ſatis ſint ad medicum
cohortandum, ne vlla in re quæ ad medicinam perti-
tineat,ſocors ſit.Menſura verò purgantium medicamen
torum quæ mihi & tibi & illi ſit accommodata, defini-
ri à me non poteſt,quia non eadem eſt omnibus homi-
nibus offerenda: ſed debes tu eam menſuram quæ cui-
que conueniat, cognoſcere. hæc enim omnia, corpus,
diæta,tempus anni,ventris natura,vis medicamenti,ſuc
corum facultates,maximè faciunt vt quis facilè & diffi
G culter purgetur,& vt ne magis à maiore copia medica-
menti quàm ab æquali euacuetur: imò verò alicui mi-
nor copia ad purgationem ſufficit. Igitur (vt ita dicam)
menſura multis apta exponetur, quatenus exiſtimaro
nec minorem eſſe quàm ſatis ſit,nec maiorem quàm o-
porteat: verùm ſi magna quẽdoque differentia inuenie-
tur,non iam mihi,ſed naturæ quæ medicamento obuiã
non proceſſit,vitio vertendum eſt. Quæ igitur præfari
oportere cenſuimus ad omnem purgantium medica-
mentorum artem, & rationem pertinentia, hæc ſunt
H quæ diximus:qua verò ex parte,& quænam ſint quæ pur
gent,deinceps exponam. Qua in re ſatis fore arbitror ſi
quod in omnibus plerunque fit propoſuero.In eiuſmo-
di enim nihil eſt vel minimùm ſicut elleborus, quem
perſpicuè credunt & per ſuperiores purgare,& per infe-

riora euacuare.nam quæ aluum cient,multis admodum
vomitus mouent, & præſertim quibus ianitor ventris
non facilè fluens eſt. Ac copioſum quoque & exiguum
medicamentum ad vomitum impellit. nam illud mul-
ta,eáque confertim ad partem trahit quæ ſuprà effluũt:
hoc verò, quia præ exiguitate propellere infrà non po-
teſt,ſtomachi quoque imbecillitas,& conſuetudo euo-
mendi,& magna pituitoſi ſucci copia, qui etiam à bile
ſecretus ad ventriculum peruenit , hæc,inquam,omnia
in purgationibus vomitus mouent:idcirco ſatis eſt de
eis dicere,quod in plerìſque ſolet contingere. Ergo ni-
ger elleborus per infernas partes purgat , itémque eius
radices & ſemen:purgat quoque granum Gnidium, pi-
tyuſa,ſambucus,mercurialis,polypodium,iris,colocyn-
this, phacoides,(quod alii empetron vocant) peplium,
(quod etiam portulacam nominãt) & peplos(quem alii
ficum,alii papauer ſpumeum appellant)& aloë,& hippo
phaës,& hippophæſtum, & clematis, pycnocomum, &
vitis agreſtis, & vitis chironia , quam etiam bryoniam
vocant:itémque thymum,epithymum,amaracus,origa-
num,conile,papauer littorale,quod cornutum eſt, & pa
pauer quod rhœas dicitur,& cucumeris ſylueſtris radix,
& ſcorpiurum , & ſiſamoides album, & tithymalus he-
lioſcopius,& tithymalus cypariſſias , & tithymalus fœ-
mina , quæ tithymali quoque marini nomen habet : &
chamelæa,& braſſica marina,& lathyris,& agaricum, &
euphorbium,& lychnis, agreſtis,& cnicus,& ſcãmonea,
& præter hæc etiam, ſquama æris,& flos æris. Per ſupe-
riores verò partes purgat elleborus albus , ſeſamoi-
des magnum , quod etiam Anticyræi veratrum Anti-
cyræum nominant,proximè autem ad ſenecionis herbæ
formam accedit. Iam per ſuperiora quoque purgat vua
tamínia,& narciſſus,& ſpartus,& bulbus,& ſilybum, &
cucumeris ſatiui radix ac ſemen,& caules agreſtis,& ra-
diculæ ſemen, & lauri folia,& præter hæc ærugo , atra-
mentum ſutorium . quæ ambigua ſunt , daphnoides,
(quod eupetalon quidã vocant) thapſia,elaterium,rici-
num(quod aliqui Cyprium ſeſeli,Ægyptii verò Cici vo
cant) tithymali maiores.Ex iis ſunt etiam qui characiæ
dicuntur,qui in herbis mares dicuntur,& alii ſunt myr-
ſinitæ quæ fœminæ vocãtur. Ferunt verò fructum nuci
maximè ſimilem,éſtque alius qui lata habet folia.atque
hi tithymali,& per ſupernas,& per infernas partes pur-
gant: itémque apios , cuius forma talis eſt qualis helio-
ſcopius tithymalus eſt , niſi quòd partes radicis fructui
piri ſunt ſimiles.De his verò omnibus nunc dicemus,vt
quid ſingula educant,& quibus morbis conueniant , &
quam menſuram quiſpiam ſatis eſſe coniiciat , intelli-
gatur.

Caput XXVII.

Elleborus niger bilem & pituitam per aluum purgat:
datur hemicranico dolore capitis laborantibus , &
furentibus.Melampus quoq; Amithaonis filius furẽtes
Prœti filias hoc purgauiſſe fertur,ex quo elleborus Me-
lampodii cognomen inuenit. Hippocrates verò pleuri-
ticos,quum infernas partes dolor infeſtat,elleboro pur
gat , ac quandoque elleborum per ſe , quandoque verò
peplio admiſtum præbens : eúmque magnopere lauda-
uit. Licet etiam liquore ſcammoneæ eãdem admiſcere,
& egregiè purgabit. Quum verò mitius purgare velis,
ſolum elleborum dabis . non enim tantam vim habet
quãtam eius nomen indicat. Satis ergo erit,radices eius
ſiccas incidere, vinóq; dulci & oxymelite ad drachmas
binas perſpergere,& in lẽtibus,aut ptiſſana,aut iure gal
linaceo decoctas ſorbere.ſcãmoneæ verò oboli tres vni
drachmæ ellebori miſcebũtur.Eius autẽ ſemen eſt cnico
ſimile ; quod etiam ſeſamoides nominatur : educit ea-
dem quæ radix,ſed vehementius.eius ſeminis non pau-
lò minus quàm drachmæ duæ in melicrato dandæ ſunt.
Præſtat autem iucunditatis gratia,tam ſemini quàm ra-
dicibus,aniſum, & petroſelinum , & daucum,& aliquid
huius generis admiſcere.

Granum Gnidium pituitam , bilem,& aquoſa multa
expurgat.eſt enim feruens & acerrimum ad purgandum
ſi triginta grana dederis:ſin agere mitius velis , viginti

A dabis. Cortex auferendus eſt,internáque pars cum melle
& polenta trita præbetur , aut in melicrato potui da-
tur, ſed cum vino melius bibitur.à potu verò parum o-
lei abſorbendum ; ne guttur exurat. Sumitur etiam ex
melle cocto , grana contrita melle illinendo. Vide-
tur autem magis conferre fœminis quàm viris:ali-
cui enim abſque vlla alia purgatione ad vterum pur-
gationes adduxit : & alioqui etiam naturæ conuenit:
quamobrem non incommodè datur hydropibus , &
quorum venter eſt frigidior:itémque comitialibus , at-
B tonitis,articulorum doloribus vexatis:& denique capi-
tis defluxiones exiccat. Eſt autem ſemen Cneori:(quem
fruticem Cneſtrum,& linum,& thymelæam vocant)ſed
& foliis eadem facultas ineſt,verùm imbecillior:ea ſic-
cata danda ſunt cum melle ad acetabuli pondus : & a-
quoſiora educit. Aliud verò Cneoron, quo Athenienſes
quoque in myſteriis vtuntur,nihil huic habet ſimile,ac
ne fructum quidem:poteſt tamen paululum mollire.

Pityuſæ verò ſemen,pituitam & bilem purgat,& quã
doque etiam aquea:confert iiſdem quibus granum Gni-
C dium,atque etiamſi plenitudinem per inferna euacua-
re aliter volueris. Succus verò eius vehementior eſt : ſe-
cundæ ſemini , tertiæ verò dantur radicibus. ſucci verò
ſatis erunt tres oboli melicrato diſſoluti, potui dati.ſe-
minis drachma,radicis duplum quàm ſeminis datur.

Acta duplex eſt,altera arborea, quam ſambucum vo-
cant : altera humilis, quam ebulum nominant. vtraque
pituitoſos humores,& hydropicos per inferiores partes
expurgat. earum facultates non ſunt calidæ , quales ple-
ríſque aliis purgantibus inſunt , ſed etiam frigidiores.
D Radix autem in vino coquenda eſt , & hydropicis ſæpe
danda,ſiquidem ea ad ventrem deducit:caulem quoque
tenerum, ſiquis olerum more elixatum mandat,medio-
criter purgabitur. omnino verò non ſæpius quàm bis
comedendus eſt.

Mercurialis & maſcula & fœmina æquè ac ſambucus,
ſed magis bilioſa expurgat.Ergo ſi tenera folia decocta
comederis , ſtercus abundè expellent , & parum etiam à
propinquis partibus trahent:ſi verò decoctum vino ad-
mixtum bibas,valentius aluus deiiciet. Conuenit autem
E ei qui quotidie euacuari debet : itémque febricitanti,
cui aluus non deiiciat,& ſeni,& puero,& fœminæ:ac fœ
minæ quidem magis:nam valet ad aluum ſubducẽdam.

Polypodium pituitam,bilem,& aquoſa educit.eius
radicis dantur drachmæ duæ deraſæ in melicrato aut a-
qua. non peſſimè quoque ſuper ſalſamento deraditur,
& ante prandium comeditur. Radix etiam in ptiſana
aut gallinaceo iure incocta citra moleſtiam purgat. erit
autem ſatis hæc purgatio pro anni temporibus,& præci
puè adoleſcentibus.nam in morbis nihil ita magnope-
F re purgandum eſt.

Iris educit pituitoſa,ſubmucoſa, & bilioſa:ſi plus iu-
ſto dederis,etiam ſanguinea & nigra euacuabit.Ergo vt
moderatè purges , cyathus ſufficit. Eſt ſtomacho admo-
dum aliena: radicis dantur ex melicrato drachmæ tres
ſpleneticis,quotidianam quartanámque febrem haben
tibus,ſpiritus anguſtia laborantibus,& quos tuſſes & co
licus dolor infeſtat.

Colocynthis pituitam & bilem puram educit . datur
medullæ interioris drachma vna ex melicrato:ſi mitior
G purgatio quæratur,colocynthidos ſemen eiicito, in cor
ticem vinum dulce fundito , ſub molli cinere coquito
vſquedum probè concaluerit:idque potandum dato iis
quibus non vehementi purgatione opus eſt,& quibus li
uida exanthemata per cutem effloreſcunt. Totum autem
colocynthidis corpus conuenit aſthmaticis,laterum do
loribus,diuturnis doloribus capitis,vertiginibus, viſus
hebetudini:éſtque ea amariſſima, verùm homines ad ci
bos prõptiores parat.

Phacoides educit quidem aquea,pituitoſa,& bilioſa;
ſed drachmarum duarum pondus melicrato admixta-
rum ſatis eſt quod potetur.

H Peplos & peplium eandem in purgando vim habent:
ſeminis verò pondus acetabuli pituitoſa & bilioſa cum
flatibus per infernas partes expurgat. folia quoque ſic-

cata leniter purgant. Aloë non eſt acris in purgando. ſtomacho placidiſſima eſt, non ſecus quàm abſinthium. ſatis erit ſi duas drachmas ex melicrato potui dederis. pituitam autem & bilem euacuat. Sumi etiam quotidie poteſt à cœna: ſubducitur enim, & ciborum vim non hebetat: præterea ſitim non inducit, & hominem ad cibos ſumendos facit promptiorem. Tritam aloën ſucco braſſicæ excipe, & catapotia ad ciceris aut fabæ magnitudinem confice: ex iis duo aut tria ſumito, vt euacuandi neceſſitas poſtulabit. Potes etiam cum reſina catapotia conficere, itémque cum melle cocto, & præſertim in iis qui amaritiem difficulter ferunt: rectè quoque ſcammoneæ, & alii cuipiam admiſcebitur eorum quæ triſtitiam afferre ſolent. Morbis autem confert, febribus quotidianis, morbo regio, iecoris dolori, & quū quiſpiam cibum reſpuit, & cruditatibus: nec minus fœminis quàm viris, ſique amaritudo nimia non eſſet, pueris quoque eſſet accommodatiſſima: ſed rem adeò amaram guſtare puer non vult. Hippophaes autem & hippophæſtum pituitam, bilem, & aquam educit: atque hippophæſtum in aqueis educendis eſt efficacius: conuenit in morbo comitiali, morbo attonito, manuum crurúmque reſolutione: prodeſt obliuioſis, ægrè ſpiritum ducentibus, recta ceruice ſpirantibus, & omnibus palpitationibus, quæ alioqui continentes fiunt in corpore. ſi purgationem augere velis, ſuccum dato: ſi per ſe, obolos tres: ſin cum eruo conficias, drachmam vnam ex melicrato afferes. Coma, & radix ſicca, & contuſa minus purgant: ſed euacuant hæ quoque ad pondus drachmarum duarum ex melicrato datæ. Præſtat tamen in omnibus peragendis hippophæſtum, & ideo minus ex eo dan- D dum eſt. Clematis pituitam & bilem vacuat: eius fructus ad drachmæ pondus ex melicrato exhibetur.

Pycnocomum bilioſa exinanit. dato radicem comedendam, ſiquidem ea ſola purgat: éſtque rotunda exiguo pomo maximè ſimilis. Vites per infernas partes bilioſa & aquoſa purgant: duæ autem drachmæ ſatis ſunt. Optimè autem vtêris ſi Chironiam comitialibus & inſanientibus, agreſtem verò hydropibus adhibeas. Thymum, epithymum, amaracum, origanum, & conilem ad nigros & pituitoſos humores E purgandos adhibebis: ſed epithymum in rebus omnibus præſtat aliis. Dato eius triti & cribrati ſenas drachmas cum vino dulci, aut plus eo. potes idem à cœna commodè dare ſi velis. nihil enim prohibet quin moderatè euacuet. In matutinis verò purgationibus cum oxymelite, cæteris etiam admixtis, vtitor. confert epithymum flatuoſis hypochondriaciſque affectionibus, & cruditatibus, & quibus iecur grauatur, quíque difficiliter ſpirant. Thymus verò educit quidem nigra, F ſed pituitoſa copioſius. Eius comæ datur acetabulum ex melle aſthmaticis, tuſſi diutina vexatis, & quibus craſſities in ventre ineſt. Amaracus ſiccus oxymelite inſperſus datur ad drachmas quatuor cum aliis: & ſimilibus prodeſt. Origanum quoque ſiccum ad acetabuli pondus ex melicrato propinabis. Papauera leuiter ſubducunt: eorum ſeminis acetabulum ex melicrato ſatis eſt. Cucumeris ſylueſtris radix in potu ſumpta conuenit hydropibus: purgat verò pituitam & bilem: ſed ſucci radicis ſatis eſt tres obolos dare: caulis G verò etiam triplum. elaterii verò, quantum paulo pòſt dicetur. Scorpiurum pituitam educit & bilem. Satis eſt drachmam aqua moderatè incoctam, & vino mixtam bibere. Seſamoides album purgat ipſum quoque pituitam & bilem. menſura eius ſeminis eſt vt dimidium acetabuli detur. Tithymalus helioſcopius eſt omnium aliorum tithymalorum infirmiſſimus: ſed & ipſe infrà bilioſa pituitoſáque deducit, ſiue liquorem eius & ſemen, ſiue etiam folia dederis: ſed ad omnia liquor eſt efficacior. ſecundas ſibi vendicat ſe- H men, tertias folium. Liquoris ergo ſatis eſt drachmam dare: cæterorum verò, pro ratione virium. Cypariſſias quoque ſimilia, ſed valentius expurgat: idcirco ſufficiet, etiamſi minus dederis. At tithymalis laudatiſſima inter tithymalos eſt: quocirca ſi inſtillatum caricis liquorem

A dederis, probè purgabit: idem facient folia ad medii acetabuli pondus melicrato valde perſperſa. Chamælea pituitam bilémque purgat. folia capienda ſunt, conterendáque, & melle cocto inuoluta exhibenda: erodit enim hoc vehemēter. Aliqui abſinthio addito catapotia conficiunt. ſatis eſt drachmas binas dare. Braſſica marina datur cocta, & (vt aliud quidpiam olus) apparata: éſtque ſtomacho peſſima, & ſtatim perturbat.

Lathyridos ſatis eſt grana decē comedere: erúntque guſtanti dulcia: bilioſáque & aquoſa copioſè educent. B Sufficiet quoque eius herbæ liquorem mulſa reſolutum ad obolos tres dare: folia etiam cum gallinaceo iure incoquentur: eadem nanque ab eis, ſed minus à foliis, euacuabuntur. Agaricum pituitam & bilem purgat, ſed non acutè. eſt autem accommodatiſſimum iecori, lieni, pulmoni, iis qui ægrè ſpirant, quos acidi ructus exercent, & articulorum dolores vexant, quíque capitis grauitate tentantur, ac vertiginibus morbiſque comitialibus corripiuntur. mulieribus etiam hyſtericis prodeſt. Quum igitur ſit his omnibus vtiliſſimum, dātur ex me- C licrato aut oxymelite drachmæ duæ. Euphorbium aquoſa & bilioſa copioſè educit, éſtq; eorum quæ norim, acutiſſimum atq; ardentiſſimum: quamobrem hydropicis coliciſque, & iis qui ventres frigidiores habent, conuenit: cæteros verò vehementer perturbat, ſitímque affert. Ei verò miſcēdum eſt petroſelini, aut dauci ſemen, aut aniſi, aut apii, aut tordili: ſiquidem hæc inſuauitatem euphorbii quaſi condiunt, & partem quandam magni illius impetus cohibent, & ad veſicam deducunt. Iis præterea qui recta ceruice ſpirant, & qui ægrè D ſpiritum trahunt, fructum etiam ex euphorbii potione ferēt. eſt autem bibendum ad trium obolorum pondus, indito pari pondere alicuius eorū ſeminū quæ diximus.

Lychnis ſylueſtris bilē & pituitam purgat. ſeminis dantur drachmæ duæ: alii ſuccum foliorum in melicrato præbent. Cnicus pituitam & bilem, ſed non vehementer, euacuat: ex trito ſemine ſuccus exprimendus eſt, & iure gallinaceo admiſto ſorbendus. Quidam aniſo, melli, amygdaliſque commiſcent, & catapotia ad arquatos conficiunt. huius drachmæ quatuor ſufficiunt. E Vidi etiam in Caria medicos qui ex Cnico & ſero lactis purgationes conficerent: ſed quæ ad lac pertinent, omnia nobis ſeparatim exponentur. Scammonea nulla parte ſuperatur ab iis quæ agitant & commouent, neque in acrimonia, neque in viribus ſtomachi dolorem affert, graue olens, inſuauis, & valde ſiticuloſa eſt: ex quo fit vt aliqui non incommodè aloen ei miſceant, & ita præbeant: alii verò addant thymi comam & ſalem: alii ſemina odorata: ergo nec ei qui ventrem ardentem habeat, nec ei qui ſtomacho imbecillo ſit, & cui pe- F riculum immineat ne habitus corporis colliquetur, nec etiam hydropi (ſiquidem ei id eſt tanquam colliquatio) danda eſt, ſed potius ei qui arquato morbo, capitis dolore, lethargo, febre quartana & quotidiana teneatur, & quibus ſub cute eſfloreſcāt furunculi incocti, quíque doloribus oculorum, & laterum diuturnis laboribus conflictantur. Pituitam autem & bilem impermixtam vehementer euacuat drachma eius ad ſummum: ſi mitius vacuandum ſit, quo minus purgare velis, eo minus dandum eius erit: ſed radicis plus dabis, ſiquidem G ea multum à liquore ſuperatur: quocirca dari eius drach. duæ poſſunt. Squama æris educit aquoſa, videtúrque hydropibus conuenire. ſatis eſt drach. duas ex cocto melle in catapotia redactas ſumere, aut ex aqua mulſa bibere. Flos æris craſſa & pituitoſa educit. huius oboli tres ex melicrato ſufficiunt. Ea igitur quæ per infernas partes purgant, quæ quidem ego nouerim, hæc ſunt, nec tamen alia quamplura eſſe deſpero. Quæ igitur dicta ſunt, pleriſque tum morbis, tum naturis conueniunt, prout cuique ſuppetant, & in tempore vigent. H & quanquam eorum vires augentur, ſiquis commiſcere eadem velit, tamen non ſemper commodè id fiet. nam quæ acutiſſima ardentiſſimáque ſunt, multò magis talia euadent ſi commiſceantur: quemadmodum ſi granum Gnidium, tithymalos, colocynthida, & euphorbium ad-

miſceas, eorum vis augebitur. Ergo nemo eſt qui hæc inter ſe mixta, aut alia eiuſdem generis rectè adhibeat, qui nõ facturus ſit purgationes inſuauiores:& vomitus; dolorem vẽtriculi, ſitim quæ ſedari non poſſit,& colliquationes excitaturus, & denique toti corpori noxam allaturus. In quibus verò augendà vis eſt, bene habet vt miſceas: at qui infirmiſſima miſcet infirmiſſimis, ecquam is vtilitatem feret? quænam vis ex altero accedit alteri, quum vtrunque ſit infirmiſſimum? ergo ne hæc quidem permixtio probatur. Verùm ne ea quidem qua miſcentur, ea quæ per ſuperiora purgant, iis quæ per inferiores partes euacuant, niſi quiſpiam ambigua medicamenta velit componere: neque etiam rectè miſcentur quæ ori ſtomachi triſtitiã afferunt, vt ſcãmonea, acta, & marina braſſica, quoniam ad eas aliis condimẽtis opus eſt. Quoniam verò ex medicamentis alia decocta damus comedenda, alia ſicca in puluerem redacta aut contuſa; aliorum verò liquores, aliorũ denique radices exhibemus, non ſunt cocta crudis commiſcenda, nec radices ſucco admodum temperandæ. Ac quiſpiã melius morbis accommodata medicamẽta diſtribuit, ſi qualis quiſque morbus ſit intelligat, iſque ſolida ab iis quæ alterius generis ſint, diſtinguet: quod qui nouerit, is etiam cui morbo vnumquodque medicamentũ conueniat, ſimul nouerit: nam quæ maximè contrariis morbis conueniant, ſimul miſcenda non ſunt. Reſtat igitur vt feruida refrigerantibus, fortia debilioribus tempetantes offeramus: itémque inſuauia iucundis, vt pulegii coma, nepitæ, thymi, petroſelini ſemine, dauciq́ue, & aniſi, & cæteris, atque etiam pipere, & ſiquid aliud aptũ eſt condiendo. Ex iis alia purgationem adiuuant, quale eſt piper, & ſales: alia prohibent nequid pluſquam opus eſt euacuetur, vt faciunt prædicta ſemina: alia medicamentum perducunt ad eas partes quæ purgationis indigent: exempli cauſa, ſi in regio morbo ea quæ vrinæ ciendæ ſint addat, ac magis etiam nepitam, aut abſinthium, iecur promptius expurgabitur. ita quoque ſi ei cui dolet caput, aut aſpectũ habet hebetem, ſagapenũ aut panacis liquorẽ purgationi indideris, id quoque medicamentum ita confectum expeditius à capite deducet: quanquàm hæc valde moleſta ſunt: & tamen ſine his non poſſumus à ſupernis partibus cõmodè purgare. Iam qui caſtorium ſcammonea miſtum lethargicis dãt, id quod opus eſt euacuant, & medicamenti morbo alioqui accommodatiſſimi compoſitionem inuenerunt. Ita quoque muliebribus in ſuppreſſa menſtrua purgatione datur ex decocto artemiſiæ, aut eleliſphaci, aut cuiuſpiam eorum quæ menſes cient: nam præterquã quòd in multis per ventrem purgare conſpicitur, etiam per vterum educere planè apparet. Eadem eſt in pleuriticis habẽda ratio, itémque pulmonis affectionibus, quibus ſi purgatione opus eſt, idem fieri conuenit. multo enim melius colocynthis, & ſcammonea, & elleborus cum agarico educunt ex thorace, quàm ſi illorũ vnum ſolum dederis: ſed deducẽt etiam cum ammoniaco, ſiquidẽ hoc quoque eſt pectori & pulmoni amiciſſimum, & aptiſſimum. Ad lumbricos verò, ſi lati ſint, pulegiũ, aut minus heliotropium, aut hyſſopũ, aut origanum, aut bitumẽ rectè purgãti medicamẽto inditur. nam hæc breuiſſimo tempore lumbricos interimũt, quos poſtea medicamentum educit. ſi verò rotũdi ſint, decoctum ononidis, aut abſinthium, aut vrticæ ſemẽ, aut cuminũ Æthiopicum, aut braſſicæ radix, aut eiuſdem caules induntur: hæc enim lumbricos occidunt, & eoſdẽ educit purgatio. Atque ita quidem in medicamentorum mixtione verſari medicus debet, qui ad artem quæ commouent, quæque perturbãt, velit redigere. Quãuis enim multa experiendo atque audiẽdo didicerit, hæc tamen quæ nunc dicta ſunt, niſi conſideret, atque animo diligenter perpendat, is profectò eiuſmodi eſt vt mihi nihil ab ignaro homine in cognoſcẽdis turbãtibus & valde agitãtibus differre videatur. Sciat quoque hæc, nonnullos ſumpſiſſe medicamentum vt purgarentur, alióſque nihil quicquam fuiſſe purgatos, alios verò pluſquam par eſſet, & nõ ſine magna moleſtia: ad quæ auxilio aliquo eſt opus. Victus

A ratio quæ ante medicamentum purgans ſeruanda eſt, expoſita eſt à nobis: quique eam ita diu tenuerunt, nulla rẽ præterea indiguerunt. Vbi verò epotum medicamentum ſit; ſi vomitus excitentur, vt pleriſque contingit, vel propter inſuauitatẽ, vel propter metum & ſuſpicionem de medicamento conceptam; vel propter nouitatem, vel propter ſtomachi mollitiem: huic apium aceto intinctum, illi oliuam albam ſale conditã, mandendam dabis: alii verò ſalis grumũ ori impones, & ita maximè medicamentum confirmabitur, ſiquidem hæc vomi- B tum prohibent. Quam ad rem valet etiam coriandrum odoratum, & pulegium, & nepita: ſed præſtat in lecto paululum quieſcere, ventrẽ & pedes calfaciendo, quemadmodum qui ſtatim deambulauiſſent; copioſi vomitus, ſtomachi eroſiones, & vertigines ſunt excitatæ. Quũ verò ad priſtinum ſtatum redierint, tum deambulatio imperãda eſt, vt ſubinde ſenſim ſe ſubmoueãt, id quod etiam magis quàm celer greſſus irritat. nam præterquam quòd laſſitudinem attulit, ſæpe etiam multa celeriſque deambulatio, ne perfecta fieret purgatio pro- C hibuit. Purgatione procedente vtilius erit in lecto recumbere, & ita vigiles quieſcere: (magis enim confluet) tunc verò erit interim abſorbẽda paulatim aqua calida. nam & morſus ſedat, & excretiones proritat. Quibus purgatio non it, aquam mulſam ſorbeant, aut nitrum aqua liquefactum: ſed melius etiam erit glandem confectam ex ſale aut nitro aut alumine magneſio, aut cyclamine, aut grano Gnidio, aut felle bubulo, aut radice bryoniæ, (quam alii pſilothrum vocant) ano indere. hæc glans pituitoſioribus magis apta eſt, abſinthium verò bilio- D ſioribus. Si verò flatus multi ſuborti ſic diſtendant inteſtinum vt nihil extrà emittatur, ruta melli cocto, itémque cuminum, & mentha, & reſina admiſceantur: vbi flatus eruperint, ſtatim alia purgatio conſequitur. Quicunque autem conantur clyſteribus irritare purgationes, ad ſuffocationes quidẽ quæ ex elleboro exiſtũt, rectè vſum clyſteris inuenerunt: ſed ad purgationes quæ per infernas partes agere debent, & non procedunt, tantum abeſt vt clyſter magnopere iuuet, vt etiam noceat: periculum enim eſt ne quum inteſtinum plenum E ſit, clyſter infuſus ſupra redundet, & dolores inuehat, quemadmodum vſu venit vt quum quis clyſterem iniecit, iſque nõ ſubducatur, protinus alterum imponit. Atque in acutis quidem medicamentis maximè cauendæ retentiones, & cohibitiones ſunt: nam ſi non ſubducantur, ſtatim hydropas homines reddunt, & fortaſſe etiam alias noxas ſtomacho, ventri, iecori, & lieni afferunt. ac nonnullis tota corporis moles decoloratior eſt facta. At medicamenta molliora, etiamſi non purgent, nullum tamen ex eis periculum imminet: & magis etiã F quæ decocta damus, qualis eſt mercurialis, actæ folia: nec aloe quicquam grauius facit, ſi non purget: neque etiam epithymum, neque agaricum, neque etiam ſurculi bryoniæ. Atque hi quidem, quia nõ valde aluum deiiciunt, periculo vacãt: at radix vim habet maximã. Ergo quum purgans medicamentum des, ad cætera omnia animaduerte, vtrum mali aliquid ſuccedat, vt re atque vſu doctus confidas in ſingulis, & timeas. In quo ſpectandum etiã eſt vtrum alia excretio purgationẽ impediat, G vt plerique ſudoribus, & vrina excretis, aut vomitibus citatis nihil infrà deiecerunt: quibus minus noxæ afferũr quàm qui alio modo fuerint purgati. Videndum eſt qualia quantáque ſint ea quæ purgantur, ſed magis etiã qualia: hoc enim magis propriũ eſt quàm maiorẽ menſurã ſpectare. multi nanque quũ ſatis vacuati viderẽtur, facilè ferebãt. ex quo fit vt melius ſit ſtatuere ſignũ eius purgationis quæ ſatis ſit, quũ quiſpiã facilè ferat. Quũ verò homines exoluũtur, & decolores fiunt, & extrema refrigerantur & conuelluntur, continenda eſt purgatio: ſique medicamentum infeſtet, aqua calida bibenda erit, H & vomendum: ſi aquam non bibat, euomat tamen, niſi ei alioqui fuerit grata: nam multis potus affatim & confertim ſumptus, ſatis fuit ad cohibendã alui ſubductionem: ſed ſi paulatim ſumatur, magis excretiones excitat. Quin melius quoque eſt manus & pedes oleo calido

inungere: ſi verò vehementius inaniantur, tum extrema liganda erunt, & omnia deinceps facienda quæ in choleris facere conſueuimus: nam & eo caſu periculum eſt nè effœtus quiſpiam (quemadmodum etiam fieri poteſt is qui purgatur) ex nimia euacuatione euadat; ſed nihilo etiam minus ſiſtit ſomnus & balneum calidius. Ac multis quidem poſt purgationes balnea contulerunt: ei verò qui non ſatis fuerit purgatus, non lauari magis profuit. Noctu autem abſterguntur, & tamen victus ratio deinceps parcior eſſe debet, vt à cibis & à condimentis aliquid detrahamus, & vinū acerbius demus; & poſtea ptiſanæ cremorem, aut aliā quampiam ſorbitionem è cerealibus offeramus: ſed ei qui benè alatur, oua, alicam, ſorbitionem, & dulce vinum dabimus, vt inteſtinum purgatione deraſum mitigetur. Conueniet etiam poſtridie lac cū melle aut paſſo bibere: ita enim confluentes colliquationes abluens, purgationem perfeceris: deinde vires erunt reficiendæ, acceſſione paulatim creſcente, deambulationibus, frictionibus, balneis, cibis, & cæteris rebus quæ ad victus rationē pertinent, donec ad priſtinum ſtatum corpus redigatur: id quod eſt ſano & bene valenti maximè propriū. Hactenus igitur de iis quæ per infernas partes purgant. Sed quum prima oratione quæ de purgationibus inſtituta eſt, de iis quoque quæ per ſuperiora euacuant, mentio ſit facta, conſequens eſt vt nunc etiam de eis quæ decent, quæque oportet, afferamus. Ergo elleborus albus eſt omnium validiſſimus, ſecundæ ſeſamoidi, tertiæ vuæ, quartæ flori & fructui ſparti tribuuntur: cætera minus faciunt. Incidet tamen aliquis in medicamentum quod nō ita validum eſſe videbitur, quod tamē immodicè purgabit, vbi & cibus, & potus, & auditus, aut aliud quippiam vomitum & ſubductionē commouerit. Sed hoc in purgationibus quæ per ſuperiora obeuntur, In aliis quoq; quæ dixim⁹, vſu poteſt cōtingere. Elleborus verò grauiſſimus videtur eſſe ad bibendum: quocirca plerique medici & ægrotantes hoc medicamentum refugiunt: verùm ſiquis totam artem atque apparatum eius cognoſcens det, is neque quicquam facilius eſſe elleboro, & ipſum perſpicuè euacuationē moliri, & nihil penitus mali committere planè intelliget. Cōuenit autem hiſce morbis, inſaniæ, melancholiæ, pedum & inueteratis coxendicum doloribus, itémque doloribus articulorum, comitiali morbo, & attonito, vertiginibus fanaticis, diutino capitis dolori, mentis ſegnitiei, & veterno, vitiligini, & lepræ, & ſiquid aliud in cute excitetur. Facit etiam ad pilorum barbæ & capitis denudationem: confert itidem iis qui noctè ab ephialte ſuffocantur, & aquam reformidantibus, vbi iam pertimuerint: & interim dum bibunt, ne amplius metuāt, efficit. Id autem olim agricolæ quoque cognouerunt, qui vbi canes morbo caperentur, elleboro purgabant: ac medici multo poſt tempore homini qui ſimili morbo laborabat, elleborum dare in animum induxerunt. Atque Hippocrates quidem, qui artem nobis inſtituit & tradidit, iis quibus magnus articulus cū vulnere luxatus eſt, & quibus oſſa rupta eminēt, iubet eodem die aut poſtero elleborum dare: qui licet in cæteris rebus ſint malè affecti, fortaſſè tamen hoc medicamentum prohibiturū ſit nè gangrænis & conuulſionibus corripiantur: quib⁹ verbis non facilè eſt fidem non adhibere. Eius verò difficilis vſus eſt, quum videatur defectus præ prādio, quo tempore moleſtiā affert. Ac ſiquis putat nigrum elleborum intelligi hoc loco, in primis huic quoque actionis difficultas ineſt ad excernendum, etiamſi quid operoſum poſt medicamentum ſumatur: deinde verò ad opera conficienda, quibus opus eſt, ei par vis & facultas non ineſt: ſiquidē multo imbecillius hic tracturus eſt. Ergo propter hanc ambiguitatem præſtabit fortaſſe hominibus ita affectis elleborum non dare: ac febricitantium nemini elleborus conuenit: quartanis verò quandoque conducit. Eſt quoque accommodatus iis qui renes habent lapillo vexatos, itémque diuturnis cruditatibus: valet etiā ad albam pituitam, ad lienem, & ad vlcera carcinode occulta: quanuis minimè cōue-

A nire vlceribus videtur. Verūtamen ego mulierem quādam vidi ab eiuſmodi vlcere liberatam, quum medicus quidam in Co inſula hoc ei remediū adhibuiſſet, quum tamen alioqui non eſſet clarus & probatus, ſed in ellebori potione diligēter eſſet exercitatus. Hi morbi ſunt quibus elleborus conuenit. Verùm non ſatis eſt vt morbus medicamentum admittat, niſi alia quoque opportunè deinceps adſint. ſuprà enim diximus quibus purgationes per ſuperiores partes conueniant, & quo anni tempore medicamentum purgans dandum ſit: nunc verò B tempora morbi explicabuntur. Ea autem duo ſunt: alterum ad totum morbum, alterū ad acceſſiones & intermiſſiones pertinet. De eo quod ad totum morbum refertur, ſic ſtatuendum eſt: ſi morbus quiſpiam ſit qui ſuapte natura diuturnus eſſe ſoleat, multo melius eſt vt in principio medicamentum purgans detur, quum præſertim maximam vtilitatem ei qui morbo detineatur, ſit allaturum. Ergo inſanienti, arthritico ſcabioſo, & cui nerui ſtupore laborent, ſtatim medicamentum dandum priuſquam morbus maiores vires acquirat quàm hoc C medicamentum habeat, quemadmodū pleræque ſimiles affectiones conſuetudine & tempore inuictæ atque inſuperabiles euaſerunt: quæ tamen admodum facilè ſublatæ ſunt, ſi ægrotantes in officio permaneant, & medicus excellens & peritus ſit. Si verò morbus de numero eorum ſit qui incerti ſunt, qui & citò & ſerius iudicantur, ei qui ſtatim, non dandū medicamentum eſt: illi verò qui ſerius, exhibendum. atque ita de toto morbo cenſendum eſt. In acceſſionibus verò morbi qui magnas & ordinatas intermiſſiones habeat & multas, D antè medicari oportet: quum verò paruas & inordinatas, purgatio adhibenda eſt quumprimùm acceſſio ceſſat, & præcipuè in morbo comitiali: verendum enim eſt ne morbus vocis & ſenſus expertem hominem reddens, & omnium immoderatiſſima occupet, & graue ac terribile aliquid faciat. In cōtinuis verò morbis ratio temporis tum ab hora ſumitur, tum quum ægrotans promptus eſt, & mente conſtat, & robur corporis adeſt, & cætera quæ pertinēt ad apparatum, ſuppetunt. De iis autem quæ purgationem antecedunt, ſic ſtatuēdum eſt: E Quum tibi veratrum dandum eſſe videatur, victus ratio eſt inſtituenda: ea verò eſt, vt qui difficulter vomunt, ad vomitum aſſueſiant: tum ſpectandum eſt totius habitus robur: quia ſiqua re alia, robore præſertim ad hoc medicamentū opus eſt: at vomere & à cœna, & ieiuni, & ex origano, & ex hyſſopo, & ex raphano, & ex eruca, poterunt: nec debebūt diutius vomitib⁹ extenuari. Satis enim erit vt qui facilius vomit, ter euomat, primùm à cœna, pòſt ieiunus, poſtremū ex raphano, aut aliquo ex iis quæ nunc memorauimus: ac magis etiā pituitoſo quàm bilioſo vomitus à cœna conuenit: tum biduum aut F triduū à vomitu intermittere. At qui difficulter vomit, longiore temporis ſpatio, & pluribus diebus aſſueſaciendus eſt. Quum verò proximè ad ſumēdum medicamentum acceſſerit, frequentius vomere debebit: poſt vltimū vomitum, vnum diem intermittere antequam veratrum ſumat. quo die clyſteri vacuetur, tum lauetur, tum exiguo cibo nutriatur: ſequenti die veratrum dandum vbi placida frictione ex oleo vſi fuerimus. Multis autem modis conficitur, vt dari queat. alii enim diem & G noctem in aqua macerant, tum ei diluto origanum, aut abſinthium, aut nitrum indentes, præbent: alii dilutum cum melle decoquunt. Porro maceratur tum in aqua, tū in vino, tum in paſſo: at veratrum cum vino videtur nigros humores magis educere: alii thapſiam addunt, alii ſeſamoides, alii taminiam vuam, vtpote quæ vomitus magis cieat: liceátque his qui elleborum dant, rectè purgare. Cui autem ocium eſt, atque in eo ſtudio tempus ponit, multa de apparādo veratro comperiet. nam præterquam quòd omnibus modis miſceri & temperari H queat, veteres etiam ipſius admotu atque odoratu purgare ſunt conati: è quorū numero eſt Pliſtonicus. hic enim glandes aliter atque aliter ex elleboro conficiens, ano appoſuit, & vomitus exciuit. Cæterùm elleborum paſſo componens, & diluēs vnā cum felle bubulo, odo-

randũ iis dedit quibus neque mucus è naſo, neque ſputũ poſſet procedere, ratus id quod erat, fore vt vomitus facilius prouocarentur, ac magis etiam ſiquis eo diutius vteretur. Diocles verò etiam vtero glandem ex elleboro impoſuit, & vomitus prouocauit. Dieuches verò anũ quoq; elleboro inſtar emplaſtri circũdedit. Ac nũc etiã pedes irrigãt cocto in aqua marina elleboro, oleóque cyprio & nitro infuſis: ex qua perfuſione pituitoſi vomitus conſequuntur, qui pedum articulorúmque doloribus prodeſſe videantur. Atque ita quidem ellebori in pleriſque vſus eſt plurimus, quum etiam Philotimum meminerim, vbi mitiore purgatione opus eſſet, poſt cœnam non dare, ſed elleborum raphanis impingere ſolitum, & ſequenti die raphanos præbuiſſe. Ita enim concitatiſſimè homo vomet, id quod minus ex elleboro faciet. Vſus autem validiſſimus & optimus eſt, vt elleborum æquè ac polentam contuſam incidas: nec differt ſiue cum medulla ſeces, an ſecus, quum ea neque iuuet, neque quicquam noceat: tantùm æquè ſecare conuenit. Si purgare mitius velis, paulo maiores particulæ faciendæ: ſi vehementius, tenuiores, ſed non multo. & melius etiam eſt ſi ab vna radice ſumas quantũ oporteat, ſique ea æqualis ſit, vt quæ incidis ſint æqualia inter ſe: ſin minus, curabis vt quæ craſſiora ſunt, æqualis craſſitudinis cum tenuioribus efficiantur. Qui verò harum rerum nullam habendam eſſe rationem cenſet, multa is ignorat. Si verò particulæ inciſæ, admodum exiguæ fuerint, periculum eſt ne longa alioqui, & ſuffocationes afferẽs, purgatio conſequatur.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM

Liber octauus.

Archigenis, quomodo præparandus ſit is qui elleborum ſumpturus eſt, ex primo de ratione morbos diuturnos curandi, Cap. I.

QVI ſumpturi elleborum ſunt, præparari debent vt corpore robuſto, & animo conſtanti ſint, vt eorum humores ad fluendum, ipſique ad vomendum faciles reddantur. Ne igitur ſuperiora loca vitientur, venter eſt prius inaniẽdus, vt iam docui: poſt verò quatuor aut quinque dierum refectionẽ, vomitus à cœna Luna deſinente cieatur, & trãſactis quinque diebus, alius vomitus citetur: & in menſis incremento corpus iterum erit reficiendum: tum aluo emollita, factáque excretione, duo aut tres vomitus à cœna ita prouocentur, vt tertio quoque die ſinguli moueantur: atque id ſub Lunam deſinentem. Vbi autem ea inclinauerit, raphanis vomitꝰ prouocabitur, vt poſt viceſimumprimum diem elleborus detur. Qui verò mediocriter ſit affectus, ita eſt regendus, vt accommodatus fiat, vt ad vomitum procliuis reddatur, vt humores eius nõ craſſi ex cõcretione ſint, vt ipſe bono animo ſit, vt elata mente vomitui à cœna ſufficiat, commoto paululum ventre, & poſt triduum aut quatriduum ex raphanis vomitum cieat: vno verò aut duobus diebus pòſt, elleborus detur. Neque maximè cõtraria cenſenda erunt, vt multi vomitus à cœna prouocentur, multæque attractiones ad infernas partes fiant, multíque ex raphanis vomitus concitentur, ac deinde elleborus detur.

Quæ danda ſunt perpetuò vomituris.

Dicendum igitur eſt quænam cœnæ per vomitum ſint reiiciendæ, & quomodo à raphanis eruãtur. Feſtos ergo dies nonnulli eſſe exiſtimant eas cœnas in quibus multa opiparè, variéque apparata, ad ebrietatem & crapulam ingurgitantur: quæ quidem in cæteris rebus non prohibentur, ſi modò quid tale ſit neceſſarium: at quos elleboro ſumẽdo parare velis, ii paulo plura quàm conſueuerint, ſumere debebunt, vt grauia & aliena eſſe videantur. at ſtomachũ ſuprà quàm par eſt extẽdere alienum eſt: quoniam quanuis protinus ſit leuãdus, redditur tamen imbecillior. Nam quid opus eſt eum morbo vacantem ad medicationem adigere? Eadem ratio eſt eorum quæ ſumuntur. danda ſunt enim quæ infrà dilabi ſtatim queant, adhibita diligẽtia ne flatu impleant, ne venter inferior fluere poſſit, & minimè nutriatur: & ſuperior venter ea fluitantia & non confecta ſtatim reiiciat: quod à flatibus fieri conſueuit. Quocirca ea quæ prius dantur, acria eſſe non debent, nec cõtrà dulcia aut pinguia, ſed huiuſmodi ad finem ſeruanda ſunt. Quæ verò friabiliora ſunt, prima ingerẽda: vt panis, puls, arborum baccæ ſolidæ: tum carnes ſumẽdæ ſunt non quæ grauis ſint materiæ, ſed pinguioris, eæque ex aliquo ſapore offerendæ. Ex leguminibus ea quæ cibum ſimul rapiant: in quibus ſit aliquid acrius, vt cæpa, radicula, aut porrum: tum pauca ex adſtringẽtibus danda. Adhæc accedet aliquid nidoroſum, & placenta mellita, & bellaria, ficus, vua paſſa, nux, & punicum quoque ad vomitum valet. Interim verò lene aliquod ſuauéque vinum frequentius interbibendum eſt, quãdoque etiã paſſum, & quandoque vinum mulſum copioſius capiatur: hæc nanque inflationes pariunt, eo quòd omnia in ſublime tollant. Oliua autem, & præſertim ſale condita, vitanda eſt. Lentes verò, ſiquis eas poſtea ſumat, aceſcunt, & vomitus inſuauiores faciunt. Vua paſſa eſt iucundior: ficus ſecundo loco cẽſetur. habet enim detergẽdi vim maiorem. Si verò quiſpiam poſſit, ptiſanã vino dulci & melle temperatam in medio capiat. At iis qui valde cibum cohibent & continent, dandum eſt ſeſamum, itémque bulbi narciſſi, qui quum alioqui dari queant, tum etiam ptiſanæ de qua nunc diximus, imponantur. nauſeas enim pariunt. Salſamẽtum quoque aliquod pingue ex iis quæ ſine aceto ſumũtur, in primis ex aceto & plurimo oleo ſumptum, vt cibus in ſublime feratur efficit. adduntur etiã aliqua olera elixa, vt blitum, vt atriplex, & ex crudis, vt portulaca, & radicula media. Vbi cõfertim ſumpta fuerit potio, poſt interuallũ, neque longius duabus horis, neque breuius vna, poſtremum frumẽtaceum ingerendum erit: deinde verò ab inferiore ventre attrahitur quicquid cibi infrà ſit delapſum, qui valde admodũ apprehenſus fuerat: & deãbulatio in loco aprico ineunda: quúmque ructus qui ſenſu percipiatur, aſcẽdat, vt res ad actionẽ deducatur, digitus imponẽdus eſt, aut penna, vt res celerius conficiatur, epiglottide pingui oleo quodam inuncto: tum contentum premẽdum & vrgendum eſt vt deglutiatur: ac ſtatim opus aggredi, immiſſo poſtea digito, aut alio corpore, conuenit. Eo nanque tempore ſtomachi os aperitur, & fauces faciunt vt attrectetur atque tangatur. qua in re perſeuerandum eſt donec cibus confertus educatur: ſed non confertim attrahendi ſunt digiti ad primam ſpiritus attractio-

nem:ſæpe autem exinde venter compreſſus ſatis fuit ad maiorem partem, ſi non omnem, expellendam. A Debet autem is qui vomit, inclinatus & pronus rem adiuuare, quum ſtratis ſegniores vomitus excitentur: qui ergo denſum flatum ſpirat, inclinetur. Quum verò flatus intus nullus adeſt, in ventrem procumbendum eſt: ſi verò pars eorum aliqua ad membra reſpirationis excutiatur, tunc cibus qui inſedit, cum multa pituita coniunctus conſequitur: qui verò rite euomuerunt, in iis etiam bilioſi quippiam ſequitur, quod non ita conſpiciatur, vt guſtui ſit perſpicuum. B Nonnulli quum vomendi rationem edocti non eſſent, in elleboro ſumendo præ imperitia in periculum adducti ſunt, quũ ea res auxilio quãdoque indigeat: quocirca diligenter eſt à nobis cõmonſtrandum quibus accommodatum tempus euomendi ſit, & quomodo attrectãdæ ſint partes, & quomodo abdomine infra deducto intenſiones fiant: ſed non ex locis quæ circa collum ſunt: nam v[illegible]entia inde emanans potius cohiberet. Talis igitur eſt vomitus qui à cœna ſit ciendus.

De vomitu ex raphanis excitato. C

Qui ex raphanis excitus eſt vomit⁹, vſitatior eſt, & de elleboro prius quid faciendum ſit edocet: nam & morſus excitat, & quandoque facit ſuperfluitationes quæ animi defectiones inuehant: quandoque etiam gutturis anguſtias parit. Debet autem pondus eius quod ſumitur maius eſſe libra, non maius tamen quàm tres ſelibræ. Acres autem raphanos & teneros [illegible]e oportet: ſique dulciores ſint, caulẽ capere oportebit, [illegible]cum eo etiam pars foliorum quæ tenerrima ſint & trãſuerſa. Sumitur poſt ſumptum exiguum cibum, & aquæ potum, aliis longo D tempore, omnibus verò pridie aluo emollita, vel per ſe, vel ſi ſponte ſua non deieciſſet, clyſteri admoto nos eã exciuimus: quũmque multa deambulatio præceſſiſſet, in loco aprico, & ſub dio, aut qui probè perfletur ad meridiem: mélque aſſumatur, vt ſaltem prima quæ ingerantur condiantur: tum albus ſal & purus capiatur, tum in oxymelite inuoluãtur, atque ipſum oxymeli interim abſorbeatur, non celeriter, ſed parcè, vſque ad heminæ dimidium. Sit autem ſcilliticum acetum, ſi fieri poteſt, mélque ex apibus thymo paſtis. E Studioſus etiã ac diligens ad rem intendendam atque amplificandam, origanum ex ſale non calculoſo leuigatum aſſumeret: & ſalẽ ipſum per ſe, &, vt conſtãter negotium perficiat, parum oxymelitis ei ſorbendum erit, quantum ſatis ſit, vt qualitates quæ relictæ fuerint eluantur: tum paululum decumbendum, & pedes contrectandi. His confectis exurgendum, & ſeſe circumuertendo, modicum inambulandum: & quum ſedem repererit, conabitur eructare, & rem ad horam vſque producere, quum paulo maius F temporis ſpatium interceſſerit. Excitata autem nauſea tibi ſit indicio: tum ſtomachum proritare & laceſſere opus eſt, vt fiat perfecta purgatio. Occurrit etiam ſatis magna tenuis humoris copia, plurimáque pituitoſi: ac poſtremò nonnullis amareſcens humor excernitur, quales quodammodo raphanos ſenſerant, niſi ſegnior ſit facta attractio. Poſt hunc vomitum oris collutione ſtatim opus eſt, item gargariſmate ex hydromelite, tum ex aqua: & item exiguo decubitu, & ſatis copioſa pedum G contrectatione: ſique parumper dormiatur, tentandum eſt vt aluus eiiciat flatus: inde deambulandum, tũ in calidum balneum ingrediendum, tum cibus offerendus qui incipiat ab aliqua re acri, aut à ſalſamento gracili, & ori grato, quod caro auis aut alterius ſimilis excipiat. At vomitum qui à cœna ſit, balneum præcedat, quum quis difficulter vomat, ita præparatus, vt poſt ſecũdum vomitum à raphanis excitum, quieſcat & ceſſet, exurgẽs potius quàm alimentis per dies corpus reficiens: atque ita denique ad elleborũ de quo dicetur, erit adigẽdus.

Eiuſdem de elleboro eligendo & dando, Cap. 11. H

ANtequã de elleboro præparãdo loquar, dicã quod nã ſit anteferẽdum. Primùm igitur eo qui in Œta monte, deinde verò qui in Galatia naſcitur, vtendum A eſt: ſi huiuſmodi nõ ſuppetat, Siculo. Atque hic quidẽ virgas habet extentas & rigidiſſimas, & ligni ſpeciem referentes: craſſitudine verò tenuiores, minúſque raras cæteris. Qui verò in Galatia naſcitur, is craſſior eſt, & quodammodo rugoſus, leuiter laxus, cãdidior, apparétque ferulaceus. Œteus verò minus candidus eſt quàm Galaticus, & ad nigriorẽ colorem magis vergit quàm vt terræ colorem referat, id quod Siculo vſu venit: qui etiam minus rectis eſt ramis, minúſque rigentibus, quíque craſſior euadit: ſed is minimè eligendus eſt. magis B autem quàm par ſit, rugoſus eſt, quum non ſatis magna alimenti ei ſuppetit copia. Is præterea fractus, valde albus intus eſt: guſtanti verò linguam quadantenus mordet, & ſenſim intenditur, & ſaliuam ciet, & in hiſce facultatibus diutius perdurat. elleborus omnis dulceſcit, ſed hic magis quàm alii. At Galaticus irruit celeriter, ſuo morſu linguam ſtatim exurens, & immoderatius ſaliuam educens: ſed protinus extinguitur. Siculi denique humectati maior eſt mordicatio: eſt tamen inferior ea quam Galaticus inuehit, permanétque talis qualis in- C cepit, diutius quàm Galatici: ſaliuam verò non admodum excitat, & obtundendo interimit. Siccum præſtat accipere: ita nanque cõfractus, puluerẽ quendam aſperginem non redolentem efflat. Qui verò in Œta prouenit, licet aridus ſit, tamen confrãctus habet medullam interiorem adhærentem & propè conflatam: verùm ſi prius humectetur, eandem habebit circum ſolutam, & quæ auelli facilè queat. ea quoque ad intenſam purgationem opus eſt. Nonnulli eius partem quæ ſuffocat ademerunt, & tanquam caſtratum medicamẽtum vexa- D tionis cuiuſdam ad nullam rem efficacis præbuerunt. Cæterùm elleborus non eſto liuidus, nec alia in eo macula conſpicitor, ſed extrinſecus purus ſit & fractus, intrinſecus mirum in modum candidus: qui talis ſit eligendus eſt. Præterea potius incidendus eſt quàm in ramenta adigendus, ſiquidem ita difficile eſt æqualitatem coniectari: atque etiam dum in ramenta redigitur, puluis qui in vibrationibus efficitur, ibidem inſidet, qui etiam inæqualem & ſuffocãtem purgationẽ facit. Craſſa autem virga ſecetur, & per rectũ, idque ſemel aut bis, E pro craſſitudinis ratione: tum ad latera ſpectãdum erit, vt partes æquales ſint, earúmque tanta ſit magnitudo quanta eſt pultis non paruæ: ſed huic maiorem, illi minorem portionem dare cõueniet. qui inciſus in tenuiores partes ſit, intẽtius mouet: ſi verò tenues virgæ fuerit, per longitudines diuidãtur, vt virgæ explanentur. Menſura eſt, vt quum copioſiſſimè detur, duæ drachmæ ſint: quum parciſſimè, oboli octo: quum mediocriter, decem oboli. Ac minor quidem copia maiorem turbationem ciet: maior verò copioſiorem inanitionem, & F minorem turbam inducit: media verò moderatè agit. Hoc etiam in memoria habendum eſt, vt quum elleborum elegerimus, eundem refrigeremus: ſed non ſtatim poſt compoſitionem ſectum demus, ſiquidẽ ita maiorem ſuffocandi vim habet. Quem ſanè Agathinus in rebus omnibus diligentiſſimus, cani dedit, quum non adhiberet electioni fidem: ſed experientia, vt tutò res tranſigatur, opus eſſe perſpiceret, vt quonam pacto canis euomeret, eodem etiam homo qui eundem ſumpſiſſet, purgaretur: quamobrem experiẽtiam eſſe tutam G ſtatuit. Porro cum aliis palàm datur, quandoquidem nihil patiuntur: tũ verò inſaniẽtes ab eo auertit deliriũ, partim quòd dicto audiẽtes nõ ſint, partim quòd ita ſpiritũ ducunt, vt hoc eis auxiliũ non rite afferri poſſe videatur. Ad hoc accedit etiam vt quidã medicamẽta reformident, atque ita delirent. Ergo his curãdis inſidiæ ſtruendæ ſunt, & alia domus parata eſſe debet in quam eos deducamus vt elleborum ſumant: in qua domo etiã geſtationis alicuius inſit occaſio, & cæteri quoque apparatus, ad ea quæ in purgationibus occurrunt accom- H dati. Atque ita cũ ipſis verſantes, tanquã ad cibũ ſumẽdũ adducemus: &, vt nobis in tẽpore obediãt, aſſuefiant multo ante tẽpore aut pulti, aut alicæ lotæ, aut mellitæ alicui placentæ. In primis ergo afferendum eſt id quod iam conſuetum eſt: tum infuſo medicamento globuli

conformandi ſunt,ac poſt pultem & placentas quas elixas fecimus, dandi vt deglutiantur. Ergo ex quorundam optimorum hominum contentione,& æmulatione eorundem,antequam quicquam præuideant;eos in inſidias,quum vſus poſtulabit,adduces.Commiſceatur igitur elleborus pulti:triticeæ nanque ptiſanæ nō admodum affundendum eſt:(nam in pulte & placentis latet) & ſi deprehenditur, negligentiam potius quàm inſidias noſtras ſubeſſe indicat.In multis enim fruſtulis eadem menſura debet occultari,vt ſi parum ex aliquo guſtarint,ab alio ſumant quod ſatis ſit:qua in re coniectura opus eſt, vt ex multis fruſtulis ſumpta portio iuſtam mēſuram cōpleat. Nec tamen periculum vllum imminet, etiamſi ſecundo loco ſumatur, vt plerique metuunt, ſed eos ſatis quoque purgatos vidimus:& lubricus lapſus proritat,& per vacuū fit.Sique futura eſſet ſtrāgulatio,ei remedium afferret:ex quo fit vt quum præter modum capiatur, non omnino vis auxilii diſſoluatur,vt homines arbitrantur, ſed facili⁹ adminiſtretur. Et ad id potius vergēdum eſt:nam præter cætera quæ huic medicamento inſunt bona, hoc accedit etiam vt quoquo modo primùm educat,non grauis ſit nimiæ purgationis timor:facilè enim eſt & abſtergere ſtomachū & adſtringere:ergo qui tractabiles ſunt, ita erunt pertractandi.Sed quidam ita dementes ſunt vt aſtutioribus inſidiis ſit opus,de quibus nunc itidem dicemus. Ergo ſi neque in placentis teneris occultare elleborum poterimus, neque antedictis ptiſanis indere, bulbo vtemur: ita quoque pulti inuolutus celabitur. Conteritur enim & in ſorbitione,& pulte,& lente, & in omnibus iis quæ deglutiri poſſunt,non duarum drachmarum pondere, ſed quatuor etiam datur.Imbecillius enim ſuas vires elleborus purgando exercet,veruntamen & multum,& tenuius, atque adeo atrā bilem vſquedum velis educit: ſi ita non poſſis,eo in eclegmate vtitor: hócq; modo paratur, Ellebori libra capienda eſt,quæ in ramenta redigenda eſt, & aquæ ſextariis ſenis triduò maceranda:tum coquenda vſquedum ſextarii tres relinquantur:poſtea diligēter expreſſas virgulas abiicere oportet:tres deinde libræ mellis reliquæ addendæ,& coquēdū donec ad eclegmatis conſiſtētiam redigatur:tum in vaſe vitreo aut argenteo reponendum atque aſſeruandum,adhibita cura ne perſpiretur.Dabis autem homini præparato quantum myſtri moderati magnitudinem impleat,& vehementer purgabit; neque hominē attonitū reddet.Sed ad hoc quoque faciendum inſidiæ adhibendæ ſunt:ergo modico mellis & aquæ addito diſſolue,ac potui da.Si hac non ſucceſſerit, ſuper calido cinere id ipſum coagmentato, ac catapotia conficito vt deglutiātur.Si verò tuſſis moleſta ſit,tempus accommodatum erit,vt catapotia tanquam ſedandæ tuſſis gratia ægrotus deglutiat: quo caſu in fruſta moderata virgulas ſecabimus,& melle cocto inuolutas dabimus. Quoſdā etiam vi purgauimus,vbi inſidiis non fuiſſet locus:idque clyſteri in quo duplex eclegmatis menſura ineſſet,& modica aqua infuſa:tum virgultorum particulæ ptiſanæ cremore temperatæ & affuſæ,quum inſaniunt.

Cætera ad finem capitis uſque non extant.

De elleboro propinando, Cap. III.

Ex Herodoti libro de præſidiis euacuantibus.

Elleborus decoctus dari apud nos minimo periculo ſolet. eius apparandi hæc eſt ratio: Ellebori libram ſenis aquæ heminis triduò maceratam,lento igni decoquimus vſquedum tertia pars aquæ conſumpta ſit: deinde elleborum exprimimus:tum mellis heminas duas decocto addimus,itémque decoquimus donec non inquinet: ex hoc damus iis qui non admodum purgandi ſunt,cochlearia duo:robuſtis verò myſtri magnitudinē. Purgatio quæ per huiuſmodi fiat, neque ſtrangulationis, neque vllum alium metum, quem nimia purgatio ſolet incutere, vnquam nobis attulit; ſed enim & violentæ & vehementis actionis,& ſine his & per hæc(vt par eſt) minus prodeſt. Datur autem in morbis rectè conſtitutis,vbi opus eſt breui & expedita curatione: & qui rite conſtitui à cæteris remediis,niſi longiore temporis ſpatio non poſſunt. id enim ex elleboro lucri facimus,vt ſtatim perficiat id quod ars ipſa polliceatur.Iis verò qui inſaniunt,neque vllo pacto eum ſumpturi ſunt,propterea quòd omne alimentum ſuſpectum habeant,ita paratum optimè dabimus. Nam licet perfectè morbum non expellat, minuit tamen adeò vt ſæpe etiam ipſis volentibus iterum propinemus. Offeratur autem hydromelite diſſolutus,vel ex pulte alicæ.poteſt etiamnum ex lentibus aut libis exhiberi: ſed melius etiam ſincerus datur,ſiquidem ita corpora magis contingit.Quinetiam in affectionibus iis quæ difficulter curantur,elleborum damus. Nō omnibus tamē elleborus accōmodatè præbetur, vt ætati ambiguæ; vt ei cui adiuncta ſit naturalis imbecillitas corporis,vt timidæ naturæ: nam in eiuſmodi quum bis terve datus eis fuiſſet elleborus, maximi morbi ſunt exorti.In quo verò medicamentum experti ſine periculo fuimus,eúmque timorem qui circūſtare ſolet,abiecimus;ei nos ſincerum purúmque elleborum dedimus.

Herodoti,ex eodem libro, qualis ſit elleborus præſtantiſſimus, Cap. IIII.

Elleborus præſtantiſſimus eſt is qui naſcitur Anticyræ:reliquus autē quum citò excretiones proritet, intra tres quatuórve horas à purgatione ceſſat. Cæterùm elleborus Anticyrinus in primis eſt lætior cæteris,deinde fungoſus,& quodammodo multum inanis, colore verò ochræ reſolutæ ſimilis:præſtantiſſimus tamen in hoc genere eſt rectus,& rugoſus,& cui⁹ plurima pars æquali craſſitudine conſtat:ſub finem verò, in muris caudam deſinit;nihilo tamen minus ſit lætus & vegetus, atque in hoc conſiſtat.Nam qui plurima eius parte in tenues pectinū modo lineas eſt reſolutus, ſi non natura eſt lætus, is non fuit ſectus in tempore opportuno. Debet autem quum frangitur, intus albus videri, & tenuem habere medullam:idémque naribus admotus, non multo pòſt ſternutationes ciere, & commanſus feruido guſtu os implere, atque etiam dulceſcere,ac magnam ſaliuæ copiam attrahere.Quum verò confractus puluerulentum quid ex ſe mittit, tum non eſt bonitatis indicium, ſed aridum eſſe elleborum oſtendit: qui quidem aridus etiam eſſe debet:ſi frutex ſit,capienda ea pars eſt quæ læſa ſit,& præcipuè vt inde quantum oporteat, ſumas: ſi inde ſumere totum non queas, dato operam vt ab alio qui ſit eiuſdem generis,& in omnibus ſimilis,quod deeſt capias, ne purgatio temporibus inæqualibus ſuccedat.

Antylli de elleboro,ex libro de remediis euacuantibus, Cap. V.

HOC in primis ſcire conuenit, elleborum in ramenta deraſum celeriter purgationem ordiri,ac plerunque duas horas non excedere: bilémque ac pituitam ſine multa turbatione educere, ipſúmque vomitu ſimul reiectatum,intra quatuor aut quinque horas terminari purgationem. qui verò parti farinæ craſſioris eſt ſimilis, & multo magis etiam qui in puluerem redactus eſt,tardiſſimè agūt,vt ſæpe poſt quatuor aut quinque horas incipiāt. Cæterùm omne & bilis & pituitæ genus educunt, ídque non ſine conuulſionis & nimiæ purgationis periculo, ob nimiam purgandi prolixitatem: multiplicem tamen vtilitatem afferunt. Aqua verò in qua veratrum maduerit,datur ſenibus,pueris,iis qui laxiorem habitū habent,quibus mens exoluta eſt, quíque facilè ſtrangulantur,aut eorum morbos habent,aut vt prius periculum faciamus vtrum elleborus poſtea dandus ſit. Oportet autem drachmas quinque ramentorum,in aquæ pluuiæ heminæ Atticæ ſemiſſe triduò madeſcere, tum colo traiici, atque in vaſe duplici calefieri,atque ita decoctum propinari.

Quomodo occurrendum ſit ſymptomatis ex elleboro conſequentibus, Cap. VI.

PPP 4

SI facilè purgētur ii qui elleborum biberunt, hæc poſt-
ea faciemus, vbi medicamentum biberint, aquam fri-
gidam ori colluendo dabimus, tum aliquod odoramen-
tum porrigemus: ſique vires conſtent, eis perſuadebimus
vt ſedeant: ſi infirmæ ſint, vt in ſtrato aliquo humi depreſ
ſo vſque ad duas aut tres horas decumbant: & odoramen-
ta quoque per interualla offeremus, & aquam frigidam
ad os colluendum exhibebimus, mentémque aliqua lepi-
da fabella abducemus: extremas partes confricabimus, &
vinciemus. Hæc omnia ideo faciēda ſunt ne citius quàm
par eſt medicamētum euomatur. Poſtea verò ægrotos in
lectulo penſili aut aliquo alio ſublimi loco collocatos vo-
mere permittemus. Primùm nāque calor ſtomachum &
gulam inuadet: deinde ſaliua & humor in os confluet: qui
bus ſputo reiectis, iterum pituitam obuolutam reiiciunt,
tum interiecto ſpatio, partē cibi & medicamenti cum pi
tuita euomunt, idémque interiecto ſpatio faciunt. Quúm
que medicamentum atque cibum euomuerunt, pituitam
cum exiguia bilis portione reiectant: tum cum multa bi-
li pituitam, & denique bilem puram vomūt. Leniter etiā
in tempore intermedio ſingultiunt: & habent alioqui fa-
ciem ferme face ſuccenſam, & rubentem: tum venæ attol
lentur, pulſúſque rariſſimus fiet. Vbi verò purgatio proceſ
ſerit, probum colorem vultꝰ acquiret, pulſus denſus ma-
iórque reddetur, ac ſingultus ceſſabit, & lōgiore ſpatio
interiecto, & paulatim voment. His autem in media pur-
gatione quum ſingultu vexantur, melicratum in quo ruta
ſit incocta, ſorbendum damus: ad finem verò tepidam a-
quam dantes paululum intermittimus, tum vt aquam i-
pſam, & ſiquid eidem adiaceat, euomant imperabimus.
totum verò corpus aliquo pingui valde vngemus, & in-
teriecto duarum horarum interuallo lauabimus, & cibū
ſtomacho idoneum offeremus. Si verò inordinatior & ir
ritatior ſuccedat purgatio, aut alioqui incōmodior, hæc
incommoda expectabimus, vt ſimulatque ſumptum me-
dicamentum fuerit, ſtatim euomant, nullámque vtilitatē
tardæ purgationis capiant: qua in re & ſtrangulationis &
ſingultus, & contractionis, & delirii, & animi defectionis,
& nimiæ purgationis, & caſus virium, & immoderatorū
ſudorum, & exolutionis periculum imminet. Quúmque
mininimè planum ſit quódnam horum malorum ſit fu-
turum, ad omnia præparatos eſſe oportet: quæ verò pa-
randa ſunt, nunc perſequar.

Quæ præparanda ſint iis qui elleboro purgandi ſunt.

Præparare debemus lectulum ſublimem, itémque a-
lium qui ſtrata habeat, ceu lineas, ab angulo ad angulum
perducta, & tertium quoque penſilem: ſpōgias quoque &
poſcā & melicratū diuerſis modis confecta, quorū vnum
hyſſopum incoctum habeat, aliud origanum, aliud rutā,
aliud denique thymum: oleum cyprinum, melinum, iri-
num, roſaceúmque: emplaſtra, ellebori dilutum, cucurbi-
tulas, cuneolos, pennam, digitalia, clyſteres, fomenta, ab-
ſinthium, vinum, cibos, glandulam. Si igitur antequam
tempus opportunum ſit, vomitus irritari velit, metúſque
ſit ne medicamentum reiiciant priuſquam vllum ab eo
fructum ferant, vt ipſum contineant hæc faciemus.

Quæ facienda ſint, vt qui medicamentum ſumpſerunt, vomitum cohibeant.

Aquam frigidam dabimus ad os perpetuò colluen-
dum: ſi non ſedetur turbatio, poſcam: & extrema valde
conſtringemus, & fricabimus, & muriam, quantum parui
myſtri magnitudinem cōpleat, per interualla in os inde-
mus: aut vt capparim ex muria in ore contineant, ſileánt
que, nullóque motu cieantur, vel vt ſedentes valde ſurſum
verſi collocentur, imperabimus. Si ne ita quidem leuen-
tur, cucurbitulas ex multo igni dorſo & ori ventriculi ap-
plicabimus, & parum aquæ feruentis per interualla ſorbē-
dum offeremus: ſique vehementer ſtimulentur, parū ſuc-
ci abſinthii, aut eius decocti addemus. Nemo enim ita
procliuis ad vomitum eſt, neque ſtomachum ita habet a-
A uerſum, qui non à duobus aut tribus ex his remediis leue-
tur: ſi verò contrà propter robur ſtomachi, aut aliquam a-
liam cauſam non debito tempore purgari incipiant, in ſu
blimi lectulo qui deorſum vergat, collocabuntur, & vt di-
gitos in os coniiciant iniungemus, & vt gurgulionem
& tonſillas vnguium latitudine contingant. ita enim
potiſſimum vomitus irritabitur. Præterea iubebimus vt
tibias & poplites quamplurimū poſſint extendant, & fle-
ctant, itémque ſpinam: & vt vtriuſque manus pugnos in
ventrem impingant, aut nos impingemus, ſi ipſi per ſe nō
poterunt. Si verò ne ita quidem euacuabuntur, eos in le-
B ctulo collocabimus cuius ſtrata angularia ſint, & ipſe ſit
penſilis: eóſque agitabimus & concutiemus, ibidē eos ad-
hortantes & iubentes vt vomere contendant, & in eam
rem incumbant: eorúmque digitos irino aut cyprino inū
gemus. Noui etiam qui ſcammonii liquore digitos vnge-
rent, & ita purgationem concitarent. Sed ſi ita non ſequa-
tur purgatio, pennas anſerinas ex cauda octo aut decem,
cyprino aut irino intinctas indemus, aut etiam digitalia.
Cōſuuntur enim digitalia ex corio Carthaginienſi, aut
alio quouis molliſſimo ad longitudinem digitorum de-
C cem aut duodecim, inſtar digiti. Ex his ſpatiū ſenum di-
gitorum lana impletur: reliquum verò quod quaternûm
digitorum eſt, inane relinquitur, vt digitis aptetur. Hæc i-
gitur antedictis vnguētis intincta, in ſtomachum immit-
temus. Eſt autem annotandum in iis qui in lecto penſili
ſtatuuntur, motum verſus pedes aut caput cieri: in iis ve-
rò qui vomere non poſſunt, in latera. in quo caſu penſilis
quoque inæqualis eſſe debet, vt motꝰ nauigationi ſimilis
efficiatur. Præterea melicratum in quo hyſſopum aut o-
riganum aut thymum incoquatur, ſorbendum dabi-
D mus.

Quid faciendum ſit quum ſtrangulatio occupat eos qui elleborum ſumpſerunt.

Quoniam nōnulli difficulter vomunt, & ideo ſuffo-
cantur, & ſæpe etiam voce priuantur, idcirco ſtrangula-
tionem ſedabimus continua melicrati ſorbitione, in quo
ruta præcipuè ſit incocta: ſin minus, aliquid aliud eorum
quæ prædicta ſunt, idque paulatim & cōtinenter propina-
E bimus: itémque ſtomachum proritabimus, in lectulo pen
nam vehementius immittendo: ſi verò valde admodum
perturbentur, diluti ellebori cyathos tres, aut quatuor of-
feremus: quæ verò ad vomitum prouocandū adhiberi ſo
lent, reprobamus vel ob hanc cauſam quòd ellebori dilu
tum eiuſdē qualitatis cū elleboro eſt, & purgationem ad-
iuuat. at quæ vomitum prouocantia dicuntur, quum di-
uerſæ qualitatis ſint, ſtomachum ſolum irritant, elleborū
verò non commouent. Si periculum quod ex ſuffocatio-
ne imminet, nullo ex his remediis ſubleuetur, acerrimo
F clyſteri rem tranſigemus. intermiſſionem enim periculi
præbet, & tempus nobis ſuppeditat, vt aliis vti remediis
poſſimus. dabimus quoque galbani tres obolos quos de-
deglutiant. Sed ſi ne ita quidem ſequatur leuatio, vt duos
vetuſtiſſimæ vrinæ cyathos ſorbeāt, cogemus: hæc enim
ambo vomitum non cient, & ſuffocationem ſubleuant.

Quid agendum quum in his & vox & ſenſus amittitur.

Si vocis ac ſenſus expertes fiant, cuneolis eorum dē-
tes diducemus in vtrāque partem, & pēnas immittemus,
G aut digitalia indemus, & quod ſternutationem excitet af
feremus, ac præſertim elleboro ipſo ad id vtemur: ſin ſe-
cus, euphorbio, aut aliquo alio conſimili. quādoque enim
ſternutantes, vorticem quendam pituitoſum ſimul eiece-
runt, qui quum ſtomacho ineſſet, & ſuffocationis & amiſ-
ſæ vocis cauſā afferebat. Si verò & vocis & ſenſus priuatio
ita perſeueret, veſtimentum aliquod admodum firmum
& robuſtum extendemus, & ex duabus partibus tenendū
iuuenibus robuſtis, & aliis qui contrà ſeſe ſint conſtituti,
ac iubebimus vt ipſum veſtimentum ſublime à terra
H extendant, tum in eo reclinabimus hominem qui elle-
borum ſumpſit, ac quandoque in ſublime tollemus, eo-
dem etiam veſtimentum circumuertemus, quando-
que verò in latus vtrunque deuoluemus, aliis id latus

quod prope eós ſit;attollenti bus ; aliis verò deprimentibus.ac tunc quidem ſcire conuenit,niſi homo his quaſſationibus & commotionibus à ſenſus priuatione non ſubleuetur,eum non eſſe præterea ſenſum recuperaturum.

Quibus remediis vtendum ad horum ſin gultus & conuulſiones.

Quoniam pleroſque ac ferme omnes eos quibus el leborus datus ſit,ſingultus corripit, non omnibus tamen periculum inuehit:ideo fit vt qui leniter & maiore ſpatio interpoſito intercurrit,eum ita ſinamus: quandoquidem non ſit futurus inutilis,quum ſtomachum proritet,& qua ſi recordationem excretionis ei ſuggerat. Si verò fuerit contentus,& vehemens,& multis os vibret & quatiat, & conuulſiones inducat,in primis melicratū dabimus,quod in ſingulis ictibus calidius abſorbeatur: parum autem rutæ ſimul decoquatur,aut per ſe ſuccus exprimatur, & ſingulatim,aut ex melicrato,aut calida aqua ſorbendum exhibebimus:ſi non ſubleuetur,remedio vtemur quod ſternutamentum cieat : ſi verò ita quoque moleſtia perſeueret,per totam ſpinæ longitudinem cucurbitulas applicabimus:ſi verò admodum oſſea ſpina fuerit, dorſo prius perunćto,vnam cucurbitulam ſub magna colli vertebra affigemus,eámque deducere ſenſim,& deorſum in ſpinā trahere conabimur : quúmque ad eum locum perducta fuerit vbi ventriculus adiunctus eſt,aliam quoque admouebimus prope vertebram, & ita eam etiam deducemus: atque ita primam ablatam iterū ſuperius applicabimus. nam ſæpenumero cucurbitulæ admotæ ſtomachum à ſin gultu contractum,& veluti contortum dirigunt,& ad ſuū ſtatum redigunt.Præterea verò partes extremas vinculis excipiemus, eáſque calfaciemus tum fomentis,tum in aquam calidam infundendo.Adhæc etiam pauores quoſdam machinamur,& cōtumeliis eos inceſſimus,& vt magnas inſpirationes edant edicimus : atque etiam vt,longo tēpore ſpiritum intro trahāt,& vt longo tractu reſpirēt.

Quid facto opus ſit in contractionibus quæ conſequuntur.

Quemadmodum ſingultus omnes inuadere, ita cōtractiones quoque conſueuerunt : quarum vehementes; quæ præſertim muſculis accidunt qui in cruris ſura ſunt, itémque in femoribus,& brachiis,& muſculis maſticatoribus,& in extremis pedibus,& potius etiam in manibus, quarum,inquam,vehementes ſedabimus,copioſè vngentes,comprimentes,calfacientes,fouentéſque: quin huiuſmodi contentiones compreſſio muſculorum manibus facta ſummopere adiuuat.nam qui in eorum ventribus collectus eſt ſpiritus,qui cōtractionis eſt author, manuū compreſſu eliditur.Iam verò oleum Sicyonium,& vetus, & ex acopis quæ calfaciunt & molliunt, & caſtoreum per fuſum,& epotum,& per ſe & cum melicrato , & melicratum copioſum cum ruta abſorptum, obtundere & leuare contractiones ſolent: ſed maximè omnium contractos iu uat balneum.Quapropter ſi purgatio abunde ſucceſſit, vt in pleriſque eorum qui vehementer contrahuntur contingit,eos lauabimus & iterum & tertiò. Ac quēdam etiā vno die octies lotum vidimus, non eo die quidem quo elleborum ſumpſerat,ſed conſequente: nam ſecundo die vehementi contractione correptus,balnei auxilio fuit leuatus.

Quid faciendum in nimia purgatione, vt vomitus comprimatur.

Nimias purgationes ſiſtemus calidiſſimum potum propinando, & extrema ligando , & vehementi frictione,& validis cucurbitulis tum hypochondrio , tum verò dorſo admotis,& vi etiam auulſis.Summè etiam vomitus cohibet abſinthii potio:ſed ſi vomitus perſeuerarint, etiā ſoporiferis dolorem mitigātibus vtemur. hæc enim quū ſuapte natura vim exiccādi habeant,& quia ſomnum inducunt,ideo excretiones ſiſtunt : ſiquidē ſomnus quoque vim excretionis ſiſtendæ habet.

Quid agendum quum ſudores conſequūtur.

Sudores immoderatos ſiſtemus ventulum commouendo,corpúſque ſpongiis aqua frigida aut poſca imbutis,& expreſſis,abſtergendo:vtemúrque linimentis & ſtipantibus & emplaſticis : caſum autem virium alimentis & vino recuperabimus . Qui verò teporem aut anxietatē ſentiunt, ii mihi videntur neſcire anxietatem à caſu virium diſtinguere.

Ex Herodoto,de iis quibus ſuffocationis periculum imminet:ex libro de remediis euacuantibus,

Cap. VII.

QVI periclitantur ne ſuffocentur;ii in principio purgationis modicum ſaliuæ expuunt: quum autem vehemens vomendi appetitus excitatur , nihil excernunt; facies intumeſcit,oculi exeruntur, colligantur & conſtipantur partes ad reſpirationem pertinentes , cum ſpirandi difficultate coniuncta:nonnulli verò linguam exerūt; & copioſo ſudore madeſcunt:alii dentes concutiunt; eiſque mens tentatur . Quum igitur imminens periculum cognoſcamus,nulla interpoſita mora quamprimum ſuccurrere debemus.vnguenta enim pennis obuoluta indemus,& dabimus operam vt pituitam quæ locis deglutionis inſideat atque inhæreat euellamus. Atq; ego quidem in quodam qui ſuffocatione correptus inibi erat vt moreretur,(nam dētibus contractis ita conciderat, vt faciē iugulatæ hoſtiæ) ore cuneolis aperto , & dentibus obfirmatis,ne eos clauderet,manum inieci, & contractis in orbem neruis qui ad deglutionem ſunt, manui adhærēſcentem pituitam extraxi,quæ etiam abſterſa indiuidua permanſit.

Cteſii,de elleboro, Cap. VIII.

PAtris auique mei temporibus nullus medicus elleborum dedit:nam neque eius temperiem, neque modū, neque pondus quod dandum eſſet illi cognouerant.Si verò quiſpiam elleborum potui daret, in primis hominem admonebat,fore vt in magnum periculum caſurus eſſet: cæterùm ex iis qui ſumpſerunt,multi ſuffocati ſunt,pauci ſeruati:at nunc tutò dari videtur.

Mneſithei,de elleboro, Cap. IX.

ELlebori potioni magnum periculum coniunctū eſt: nam vel ſtatim valentem hominē reddidit, vel multam longámque moleſtiam in morbo concitauit. Danda verò huiuſmodi remedia ſunt iis qui ſe tuta curationē præterea curatum iri non putant.

Ex ſecundo libro Antylli de remediis euacuantibus,de apophlegmatiſmo,

Cap. X.

APophlegmatiſmis vtendum eſt vbi cætera remedia fuerint adhibita quæ deducere queant materiem ſtabilem quæ iam facta ſit,& localibus remediis potius indigeat.Etenim apophlegmatiſmus poteſt ſimul calefacere,& materias infeſtas abducere; corporáque corrigere,& emendare,diſtributis ſuper eis medicamentis iis quæ pituitam auocant, ad ſinapiſmi proportionem. His autem vtendum eſt quum àluus pridie deiecit aut clyſteri,aut aliquo alio leuiter & purè ſubducēte irritata:poſt apophlegmatiſmum,melicrato calido colluemus.Si verò vehemens morſus remaneat, lacte aut roſaceo id ipſum erit faciendum.

Galeni de iis quæ caput euacuant, Cap. XI.

SVccos qui in capite ſunt,ſputis euacuamus : quòd ſi leuiter facere voluerimus, piper & maſtichen admiſcebimus:ſi vberius euacuare propoſitum ſit , vt pyrethrum & vuam taminiam mandant imperabimus . Anemonæ quoque vtriuſque radix commanſa pituitam prouocat; itémque capparis radicis cortex : ſeroſum excrementum hæc remedia vacuant.Craſſam verò lentámque pituitam ſinapi cum oxymelite,aut ſapa in qua origanum aut hyſſopum incoxeris.Ego verò(vt tu noſti)eam ſinapi cum oxymelite admiſceo. Si verò cerebrum muco purgandum ſit,acribus eū remediis,quorū nōnulla ſternutamēta itidē cient,euocabimus.Itaque anemonæ omnis, itémque cyclamini & betæ ſuccus per nares purgat . Sternutamenta verò mouet ranūculi radix æquè ac alia omnia quæ vehementer ſiccant,& ſternutamenta prouocant,itémque flores & ſtruthii radix. Porro ſternutamenta in ſuccis crudis qui thorace, pulmone , & capite continentur , non conueniunt . partes enim illas vehementer quatiunt & perturbant , quæ moderatè calefieri & quieſcere , vt crudi

ſucci concoquantur deſiderant: quibus agitatis contrarium euenit, ſiquidem ita magis implentur, & ſuccos in eis contentos non concoquunt. Contrà verò vbi iam cōcocti fuerint, ad excrementa euacuanda ſternutamenta conducunt. Videmus enim in grauedinibus deſtillationibúſque, in initio eas à ſternutamentis acui, atque exacerbari morbos, in declinationibus verò diſſolui.

Antylli, de ſuffumigatione ex ſecundo de remediis euacuantibus, Cap. XII.

SVffumigatio nō multis quidem, ſed iis quibus thorax morbo obſidetur, accommodata eſt: atque ne iis quidem omnibus: neque enim ſanguinem ſpuētibus adhibenda, neque etiam arido morbo laborantibus, ſed iis ſolùm conuenit qui aſthmatici ſunt, & nōniſi recta ceruice ſpirant, quatenus à multitudine pituitæ quæ difficulter educi queat, vexantur. Suffumigationibus autem vtendum eſt quum cæteris quoque localibus remediis vtimur, prius tamen aluo emollita: homo verò veſtibus totus tectus in ſede locandus eſt ita vt diuaricatis cruribus prona facie ad vtrunque genu decumbat, & os fatiſcat. in ſpatio verò intermedio, olla aut lebes ignitos carbones habens ſtatuatur: tum in ignem ſpargenda eſt ariſtolochia, ac præſertim quæ clematitis dicitur: ſin minus, quæ dactylitis nominatur: vel ſulfur ignem non expertum, aut ladanum, aut tædam, aut ligna, perſicæ arboris, aut funiculū deraſum impones, in quo genere melior eſt nauticus, qui mari fuerit madefactus. homini poſt ea imperandum eſt vt ore patulo fumum promptè attrahat: multi enim hoc confecto pituitam excreuerunt.

De iis quæ per nares caput purgant, ex eodem libro Antylli, Cap. XIII.

IIs quæ per nares caput euacuant, vtimur ad hunc modum: calamus tenuis per rectum perforatus qui in nares indi poſſit, quique ſit ſex digitorum longitudinis, in nares imponitur: tum capacitas tota medicamento impletur. eſto autem calamus aut naturalis, aut æneus. Eo igitur naribus admoto, ex altera extremitate inſufflādo medicamentum in nares propellimus. quæ imponūtur ſunt hæc, apœlium, ſuccus cyclamini, aut betæ, aut elaterium tritum, cedræa, & quæcunque huiuſmodi ſunt materiæ.

Ex eodem, de iis quæ per lacrymas purgant, Cap. XIIII.

EOrum quæ lacrymas cient exiguus eſt vſus: ad oculos enim diuturno morbo exiccatos duntaxat, itémque palpebras ſcabie oppreſſas, & quum oculi nō nutriuntur, vtimur, vt oculos humore perfundamus, aut materiam ad eos adducamus, qua probè alantur. Lacrymas autē prouocant collyria quæ acria ſunt: quæ verò odoratu lacrymas proritant, ſunt veluti, ſinapi, cepæ, & ſilphii liquor. Fumus verò, quippe qui magis lædat quàm iuuet, euitādus eſt.

Ex eodem, de iis quæ per vrinam inaniunt, Cap. XV.

VRinam mouentium vſus cauendus eſt in tabeſcentibus, aut macie confectis, quandoquidem eos valde perturbat. ex iis verò quæ vrinā ciēt, alia ſumūtur ore potui data, alia glandi colis imponuntur. his verò potiſſimū vtimur quum veſica expleta eſt, & idcirco contrahi, & vacuare vrinam non poteſt. in glandem verò priapi nitrum aqua reſolutum, itémque muriam, ſalis florem, ſel, cyclaminum, & corem animal indimus.

De iis quæ ſanguinem educunt, ex eodem libro, Cap. XVI.

VTimur iis quæ ſanguinem educunt, in mulieribus quibus mēſtruæ purgationes ſuppreſſæ ſunt. ſanguinem verò educunt ea quæ vrinam prouocant omnia, & quæcunque non cum ſiccitate, ſed cum acrimonia calfaciunt. Inter hæc numeratur braſſicæ radix decocta, cuius decoctū potui detur, & præcipuè agreſtis braſſicæ, & magis eius quæ marina vocatur: perſeæ radix, itémq; ſaluia, ruta, amaranthus, chryſanthemon, dictamnum, erucæ ſemen. Prouocant etiam quæ adhibentur extrinſecus, quū ori vuluæ admouentur, vt ruta trita per ſe, vel cum ſale, vel cum melle, vel cinis radicis anethi cum melle, porri ſuccus, alliorum capita admota, myrrha trita ex vino, amomum, & denique leporis coagulum.

De iis quæ ſudorem prouocant, ex eodem libro, Cap. XVII.

SVdorem mouētibus vtimur vel vt ſiccitatem minuamus quæ in ſumma cute à febribus & præcipuè tabidis inducta fuerit: vel vt pruritus & commorſiones vehementer vexantes amoueamus, vel in reficiendo poſt longum morbum corpore, vbi ſumma cutis exaruit. Vtimur pari modo eiſdem vbi corpus ex alimento fructum nullum fert, & in corporis extenuatione, & in cruditate, & hydrope qui ἀνὰ σάρκα nominatur, & in quibus eruptio aliqua in ſumma cute excitatur, quum aut corruptio præceſſiſſet, aut cibi acrimonia. Sudorem autem prouocant hæc, chamæmelum ſiccum tritum oleo inſperſum, & ſummæ cuti validè confricatum, ſeſeli Maſſilienſe, pyrethrū, cachry, aniſum ſimiliter oleo inſperſum: nitrum toſtum non nimis tenue, ſed craſſiuſculum cum oleo: ſalis flos oleo temperatus, liquor cyrenaicꝰ aqua dilutus, corpori infricatus, & ad ciceris magnitudinem epotus.

De deriuatione, Galeni, Cap. XVIII.

DEriuatio eiuſdem generis eſt cum euacuatione quæ fit per eam partem quæ fluxionem ſuſcipit: ea fit per aliquam vicinam partem, vt quum per gurgulionem aut palatum fit fluxio. ipſius deriuatio accommodatè per nares fiet, nobis irritantibus, aut per acria medicamenta prouocantibus. Quum autem ad oculos aut aures ſucci vergunt, tum eos non in nares tantùm, ſed in os etiam deriuare debemus, medicamento quod ex origano & ſapa, & quod ex ſinapi conſtat, dato ad os colluendum & gargarizandum. Id etiam nobis eſt perſpicuum, vuam taminiā commāſam, pyrethrúmque, & cætera huiꝰ generis acria, ſuccorum copiam quæ in oculos aut aures ex capite fertur, ad os traducere. Fit etiam deriuatio, ſi id quod per aſperam arteriam in pulmonem defluit, ad ſtomachum diuertamus: ſiquidem hoc eſt potius eligendum. Atque etiā in muliere ſi per venas ſedis ſanguis erumpat, eúmque ad vteri venas traducamus, fiet deriuatio: ex quo fit vt riuare ſit per riuos ducere, deriuare verò eſt è riuis ad latera diuertere.

De reuulſione, eiuſdem, Cap. XIX.

VEhementiſſimos influxus ſuccorum auxiliis reuellētibus confertim ingruere prohibemus. Sunt autem reuellentia auxilia, vincula artuum, vbi ſucci in thoracem & ventrem vehementer inclinant: vomitus verò, vbi partes infernas petūt: quemadmodum etiam acres clyſteres, vbi ad vomitum vergunt. Has ambas ſuccorum inclinationes, eā, inquam, quæ per ſuperiorē & per inferiorē vētrem fit, ad vrinas & ſudores reuelles. Vrinas quoque tum ad ſudores, tum ad alui deiectiones trahes. reuellens etiā præſidium eſt cucurbitula prope mām̄as affixa. Quæ verò hypochondriis adhibentur, ſæpenumero ſanguinis ad nares impetum valde reuulſiſſe conſpexiſtis, quemadmodum etiam immodicas per vterum eruptiones: acria quoque medicamenta artubus impoſita, ſuccos ad caput viſceráque vergentes reuellunt. Omnino autem reuulſio facienda eſt deorſum, vbi ſucci ſurſum vergunt: ſurſum verò, vbi ad inferiora feruntur: & vbi introrſum, ad exteriora: vbi extrorſum, ad interiora: ſique dextrorſum inclināt, in ſiniſtram: ſi ſiniſtrorſum, ad dextrā facienda reuulſio eſt. eodémq; modo fluxiones quæ retro inclināt, antrorſū: quæ verò in anteriora, retrorſum reuellēdæ ſunt. Timocrates igitur Heracleotes, quū iuuenis quidam ex agro nō mediocre pondus in vrbē dextra manu tuliſſet, ob eámq; cauſam impleta manus fuiſſet, iuſſit vt pari pondere ſiniſtræ impoſito tantundem itineris conficeret: ita enim fore vt manus tumor euaneſceret. qua re confecta, ſtatim tumor ceſſauit. Ac me quidem non ſolùm in manibus, ſed cruribus etiam tale aliquid facere conſpicitis: cruri nanque in quod humor confluit, aliquod repellens medicamentum adhibeo, idque aptè ligo: eáq; deligatio ab inferioribus partibus incipit: eáque ſemper vicinas partes continenter excipiens & denſans, vſque ad inguina progreditur: alteri verò cruri aliquod medicamētū calfaciēs

impono,atque ita fluxionem commuto,& ad alterū crus
reuello.

Ex Galeno,de vomitu, Cap. xx.

QVI vomere conſueuerunt,iis quandoque conſuetu-
dinem ſeruare, quandoque verò intermittere
conducit.Si ergo in ventrem flaua bilis confluat, homó-
que ſit ea natura vt amara bilis in eo redundet,regionémi
que calidam habitet,& vitam laborioſam atque ærumno
ſam degat,is aſſuefaciēdus eſt vt bilim priꝰ vomat quàm
cibum capiat.Si verò malum inde originem ducat quòd
multum vini à balneo ante cibum velit bibere,tum & vo
mendi conſuetudo eſt omittenda, & ſimul etiam potus
atque paſtus multitudo auferenda. Ventriculus enim ab
his factus imbecillus,totius corporis redundantiam quæ
in eum confluit ſuſcipere aſſueſcit.Quibuſdam tamen tē-
poribus prodeſt euomere,vt ſuccum glutinoſum, & plu-
rimum à ventre abſtergamus: quo quidem tempore ra-
diculas ex oxymelle,& quæcunque ſunt huius generis of
feremus:ſique talem ſuccum in ventriculo quis continuò
aceruarit,is continuò quoque ad vomitum impellendus
erit: contrà verò, ſi ventriculus imbecillus ita ſit vt quæ
ſumpta fuerint ferre non queat,vomitum prohibebimus:
pauculóſque cibos,& eos quidem ſtomacho idoneos,da-
bimus,& medicamentis quæ foris ſuperdantur, eum rò-
borabimus. Cui autem à cœna vomitum ſine moleſtia
cieri volumus,narciſci bulbos vnà cū aliquo eorum qui-
bus ille veſcatur propinantes, eum ita afficiemus vt faci-
lè vomat.Narciſci enim bulbus quem caput vocant,me-
dicamentum eſt ad vomitum efficax.Valet etiam ad vo
mitum prouocandum ſemen anagyri, & glandis vnguen
tariæ carnis drachma ex melicrato epota: hæc itidem
per infernam aluum copioſe ſubducit. Itaque quum hoc
medicamento vtimur ad alicuiꝰ viſceris purgationem,&
præſertim iecoris & lienis,ex oxycrato dare ipſum con-
ſueuimus.

Quomodo facilè quis vomat,ex iis quæ ad
Potamonianum de vomitibus ſcri-
pta ſunt, Cap. xxi.

QVoniam iis qui violenter & difficulter vomunt, nō
mediocre periculum imminet & venam aliquam
rumpendi,& aſpectum lædendi,& fauces,& columellam
& gulam dolore conficiendi,& aliquod aliud incommo
dum patiendi, idcirco medici rationes inuenerunt qui-
bus facilè quiſpiam vomat,ne cæteris commodis quæ ex
vomitu conſequuntur,ob eam cauſam priuentur. Vomi-
tus enim pituitam euacuat,caput leuat, & totum reliquū
habitum corporis agiliorem reddit: & quandoque eum
qui cibum auidius ingeſſit, cruditatibus vexari; & eum
qui nimio vino ſe ingurgitarit,lædi non ſinit.Summa er-
go & totius rei caput eſt facilitas in mediocri repletione
vomendi. qui enim ſe nimis expleuerunt, ita ventrem
quoque impleuerunt vt eum contrahere nullo modo poſ
ſint.Adhibenda quoque diligentia eſt ne quæ dentur, a-
cerba aridáque ſint, ſed partim dulciora & humidiora;
partim verò acriora ſint.Inter hæc probātur radicula,eru
ca,vetus ſalſamentum,origanum, & parum cepæ atque
porri.Valent ad hoc etiam ptiſanæ ex leguminibus melle
adiecto:itémque lomēta fabarum,& pingues carnes. nec
tamen horum ſucci tantùm ſumendi ſunt, ſed tota etiam
moles deglutienda: ſi quidem ita accommodatius euo-
mentur. Nam quæ facilè in ſuccum vertuntur,ea & ſua te-
nuitate,& quòd parum abeſt quin concocti ſint, facilius
diſtribuuntur.Ergo qui vomiturus ſit,non debet in man
dendo morari diutius:ſint autem omnia coquēdo emol-
lita.Inter vina,dulciora anteferenda ſunt. hæc enim ma-
gis fluitant,& multo etiam magis ſi maiore aquæ copia
quàm cōſueuerint diluantur.Debet autē is qui vult euo-
mere,& tepidiorē & largiorem potum ſumere, amygda-
láſque melle intinctas edere,& eodem tempore placen-
tas guſtare, peponíſque ac cucumeris ſemen maceratum
& læuigatum cum melle offerre.ita enim vomitum mirū
in modum citat. Idem facit etiam cucumeris radix trita
ex melle. Qui volunt vehementius euomere, ii narciſſi
A bulbum aqua decoquunt, eáque vinum temperant. ciet
non ſecus vomitum irinum vnguentum, ſiquis illitis eo
digitis irritet. Ad ſummam,non multum ſpatii debet in-
tercedere inter cœnam & vomitum,ſed dum cibi adhuc
ſublimes ſunt,vomitus incipiēdus: ſi verò te impediat re-
pletio vt cogaris intermittere,tū primum ſomnum dor-
mies:ita enim & venter aperitur,& cibi facilè ſurſum re-
deunt. Qui verò in ſomnis vomunt, confert aquam fre-
quentius abſorbere,& vomitus neque acorē neque mor-
ſum habentes ſoluet. Valet etiā ad vomitum,nec ceſſare,
B nec quicquam intermittere:ſed vbi primùm vomitus ap-
parebit,etiamſi perexiguus ſit, irritandus erit,nec ab irri
tatione ceſſandum:interim verò tepidiorem aquam bibe
re,quandoquidem hoc pacto quiſpiam abſque vlla mole
ſtia pulcherrimè vomet. Poſt vomitus autem os colluen-
dum eſt,& facies poſca aut aqua abſtergenda. hoc enim
& dentibus prodeſt,& caput alleuat.Sinciput verò præſtat
oleo roſaceo,aut crudo, quod omotribes vocant,vngere:
quúmque eſt quieſcendum,iubere alicui debemus vt pe-
des placidè fricet,quum hoc etiam caput leuet.

C

Ex Diocle,de iis quæ ad vomitum valent;
Cap. xxii.

EX iis quæ vomitum prouocant, quæ medicamenti
vim habēt,quæque efficacia ſunt,nō debēt adhiberi:
vtendum verò eſt familiaribus, & præſertim quæ conſue
tæ victus rationis ſunt. Huiuſmodi erit dilutum cucume-
rum tenerorum,& in fruſta ſectorum, & aqua macerato-
rum:qua deinde temperemus potum quem à cœna tepi-
dum ſumamus:itémque aqua decocti ſphæni eodem mo-
D do pota,aut pura polenta non admodum cocta,cum mel-
le in ſorbitione ſumpta & ante & poſt cœnam: aut allia
toſta ex melle ſumpta,aut ſiſama fricta tritáque,& tribus
melicrati ſemiheminis perfuſa. Hæc omnia & tepida, &
aceruatim ſumenda ſunt: ac facilius quoque ſedēs quàm
ſtans quiſpiam euomet. non debet autem ad vomitum in
citatus cogi, vt omnia exquiſitè euomat: ſed vbi ſatis fue
rit euacuatus,tum ceſſandum,nec interim quicquam vel
exiguum bibendum.Qui verò aridum vomit, is debet a-
quam tepidam ſuperbibere: quúm que tantum vomuerit
E quantum eſſe conſentaneum videatur,tum ventrem tan-
quam vas quoddam lauet potu melicrati, aut aquæ per-
multæ,& iterum vomat: ſi non faciem aqua perſpergat,
& os vino mero & tepido colluat, & tribus cyathis eiuſ-
dem paulatim gargarizet.

Archigenis de vomitibus à cibo excitatis;
Cap. xxiii.

In quo interpretando fuit propemodum diuinandum.

VOmitus à cibo non conſuetudine,ſed neceſſitate cō-
mouetur. Mirabilis autem vtilitas inde conſequetur
F ſi bis térve in menſe cieatur. nam & ex eo quod neceſſita-
te,ac propemodum vi prouocatur, facilitas quædam con
ſequitur,à qua nonnulli iam eam conſuetudinem ſibi ac-
quiſiuerunt,vt onus ciborum continuum alii exquiſitè,
alii verò planè depoſuerint. ſúntque admodum negligen
tes ii qui non dant operam vt quæ vehementer eis mo-
leſta ſunt,& præſertim quæ à colo procedunt,extinguant,
& ad nihilum redigant.Ego tamē ne in his quidē perſpi-
cuis præmiis quæ propoſita ſunt,vllum tale medicamen-
tum homini puro,& qui temperantiam ſeruari poſſe pu-
G tet,ſuaderem.eſſet enim commutatio,vt alteri morbo lo
cus daretur:& alicui quidem deteſtandus,alicui ἀτροφία,
quum ex alimento nullum fructum corpus fert: alii de-
formitas aut grauis imbecillitas,amaræ bilis vitia, itém-
que atræ bilis,difficultas reſpirationis,vitioſa nutritio,de
fectio voluptatis,redundantia cupiditatis. Ac nonnulli i-
ta ſtomachi aſſueti ſunt, vt ſtatim id quod ingeſtum ſit re
iiciant,priuſquam ex eo vtilitatem vllam percipiant: vel
propter malū quoddā quod explicari nō poſſit,ipſum vo-
mā t:idque nō digitorū prouocatione, ſed rudiculis qui-
H buſdā in ipſum ferme ventriculū iniectis:idque quod re-
lictū eſt,æquè ac totū grauat,& facilè & abſurdè corrūpi-
tur,neq; vnquā cōcoquitur. Præterea alui ſeceſſiones im-
moderatè mehercule perturbāt,doloréſq; duri parti hinc

partim aliunde exoriuntur, corpus occupantes, quum præſtò ſit & paratum corpus, vt iniuria à quacunque cauſa afficiatur: & morbi etiam in quibuſdam latitant acceſſionibus à ventre interciſis: contrà verò ſeſe offerunt, quum anguſta eſt via per quam auxilium afferatur, quum quiſpiam ita animum inducit vt relicta & pro nihilo ducta temperantia in huiuſmodi cumulum malorum cadat.

Rufi, de clyſteribus, Cap. XXIIII.

EX clyſteribꝰ qui iniiciũtur, alii molles, alii acres ſunt. Molles cõſtãt ex aqua calida & aqua & oleo cõmixtis, ex lacte, ex fœnigræci, alicæ, tragi, lini ſeminis, & maluæ decocto, ex cremore ptiſanæ, aut tritici, ex portulaca, plãtagine, beta, pane, vino & oleo mixtis, eruo decocto lentium, & roſis, & roſaceo: nonnullis verò adhibetur adeps anſerinus, ſuillus, caprinus, hircinus, & gallinaceꝰ, butyrũ, reſina terebinthina, ruta, cuminum, lauri baccæ, anethũ, & bitumen. Acres autẽ ſunt, muria, aqua marina, garum, ſiluri, decoctum iridis, thymi, ſatureiæ, ariſtolochiæ rotũdæ, cucumeris ſylueſtris, abſinthii, melicratum cum ſale & nitro, colocyuthidos decoctum, centaurii ſuccus, cnici decoctum, itémque ellebori nigri, mercurialis, polipodiique: acetum cum nitro, rhus quo vtuntur coriarii. Molles ergo clyſteres conueniunt iis in quibus ſtercus durũ inſidet, & in quibꝰ maiꝰ aliquod remediũ adhibere volumꝰ, vt cucurbitulas, dropacem, venæ ſectionem: aut abradere aliquid inſtituimus, aut chirurgiã exercere, in geſtatione, balneo, aut vomitu, & præſertim purgante. Iam verò mollem clyſterem indimus etiam iis quos medicamento aliquo per infernas partes purgante ſumus purgaturi, vt id facilius ſuccedat, & minimè conſentaneum ſit vt nudum medicamentum corpora cõtingat. Eodẽ quoque vtimur quaſi curationis cauſa poſt acrem clyſterem iniectum, vt abſtergamus ſiquid inſedit, ne acres res quæ inhæſerint, nimis mordeãt. Vtimur quoque molli clyſtere in iis qui ſanguinem ſpuunt, ne vaſa nimia cupiditate & volũtate exorta, à vehementia diſrumpãtur. Et in quibus partes adiacentes acres ſunt, vt in exulceratione inteſtinorum quæ defluxiones afferat, & in iis quorũ inteſtina à medicamẽtis eroſa fuerunt, & in torminibus & flatibus, & quum ſtomachus morſibus vexatur, & in continuis nimiiſque deſidendi cupiditatibus, & in quibus grauitas rectum inteſtinum vrget, quam perfrictiones quædam excitarint: & in vrinæ difficultatibus, & in ſuffocationibus quæ ex vtero fiunt, & quum inteſtina inflammatione tentantur, & quũ chirurgia in ſcroto adminiſtratur: & omnino in capitis dolore in initio ante alia remedia, vt materiam aliò traducamus. Non tamen eadem iniecta proſunt omnibus, ſed aqua per ſe infuſa facit vt ſtercus excernatur in febribus continuis & malignis, & in ætatibus & naturis corporis delicatioribus, & in quibus non longo tempore ſtercus contentum exaruit, & in iis qui ex lõga imbecillitate corpus reficiunt, in quibus excrementa difficulter reddũtur, & in chirurgiis prope anum adminiſtratis. Cæterùm in iis in quibus flatuum inuolutiones fiunt, aqua vtemur calidiore, quippe quum tepida flatum gignat, & vnica iniectione clyſteris infundemus: nam quod interiecto ſpatio inditur, procreare flatus ſolet. Fœnigræci dcoctum mulieribus potius conuenit, itémque mollioribus & delicatioribus, quorũ ſtercus ſit aſperiꝰ. Eodem quoque modo maluæ decocto vtemur, & præcipuè in quibus locorũ mitigare ficcitatem oporteat. Lini ſeminis autem, in quibus morſus ſunt, partibus mediis inflãmatione obſeſſis, ſi tamen acutæ febres fuerint, capútque patiatur, hæc iniectio quia caput replet, fugienda eſt. Erit autem accommodata locis muliebribus, veſicæ, renibus, & inteſtinis inflammatione vexatis. Furfurum cremor, tragi, panis, & alicæ, vim etiam quandam alendi habent, & ſæpe etiam vbi deiecta fuerint excrementa, vſus poſtulat vt aliquid quod alat iniiciamus: vt in attonitis, & quibuſdam cardiacis, qui quum ſumere aliquid volunt, non poſſunt, neque etiam tranſmittũt, quũ ſtercore ſint repleti. Præterea habent etiam vim diſſoluẽdi, præſertim ſi triticei ſint: quin hæc etiam iniectio inteſtinorum vlcerationibus quæ in ſumma cute ſunt, prodeſt, quibus itidem ptiſana cõuenit. magis enim abſtergit, & ſtatim ſtercus diſſoluit: ſique ſuil-

A lum adipem adiunctum habeat, morſibus medebitur, efficacior eſt hircinꝰ. Betæ ſuccus & decoctum, inteſtinorũ vertigines & palpitationes diſſoluunt, & ſtercus molliũt, & morſionibus occurrunt. Portulacæ ſuccus vtilis eſt feruoribus cum alioqui exortis, tum verò ob læſionem aliquam conſequentibus, & iis in quibus ob duri ſtercoris excretionem, quæ paulatim per ablationem facta fuerit, malè affectus conſtrictor, & rectum inteſtinum affectionem eryſipelatis naturam referentem contraxit. in quo caſu eidem ouum & oleum admiſcetur, in omni verò in-
B flammatione per ſe iniectus cõuenit. Aptus eſt iis quorũ loca imbecillia ſunt, & in quibus tormina fiunt: at rutæ decoctum magis valet ad flatus diſcutiendos, aut etiam cymini, aut anethi, aut lauri baccarum. quandoque etiam huiuſmodi decoctum febricitantibus ob perfrictionem prodeſt. Lac clyſteri iniicitur, vbi inteſtina, renes, veſica, & vterus vlceratione & inflammatione obſidentur. Acres verò adhibentur, vt pruritus, extuberationes, & cutis vlcerationes excitentur: quibus roboris cauſa (niſi à noma ſit
C origo) mel, aut adeps anſerinus aut ſuillus accedit. Reſinã terebinthinam antedictis adiungimus: hydrelæo verò in morbis in quibꝰ ſtercus retinetur, & præſertim quos perfrictio inuexit: itémque bitumẽ. butyrum verò indimus quum propter inteſtini recti inflammationem ſtercora continentur, & concreta excernũtur: quúmque vlcera ſordida inteſtinum obſideant, idem clyſter conueniet. Maluæ decoctum & ſuccus in longis torminibus, & quæ etiã diutius extendantur, atque etiam in inflammationibus inteſtinorum, quum ſedes quoque ſimul affecta eſt, & muliebres læſiones adſunt, vtiliter admodum iniicitur. Meli-
D cratum verò inditur quum nullo modo partes ſunt affectæ, ſed ſtercus contentum molliri difficulter poteſt: & in quibus notabili quadã chirurgica adminiſtratione vtendum ſit. Vino autem, oleo, & cremore ptiſanæ aut maluæ colluemus eos qui papaueris liquorem ſumpſerint: ſique aluus ſubducatur, frigidis clyſteribus: ſi non, calidis vtemur. qua in re occaſio eſt vt feſtinemus. Lac bubulũ, aut caprillum, aut ius gallinarum infundemus iis qui altercũ ſumpſerunt. Vinum cum roſaceo, vitello ouorum, aut dulci roſaceo incoctum, iis aptum eſt quos crebra deſidendi
E cupiditas (quam τεινεσμώδη vocãt) exerceat: idque in principio. Hydromeli verò aut decoctum lenticularum cum melle, aut erui decoctum eodem modo, aut ptiſanæ cremorem cum roſaceo iniicimus, quũ aliquid eorum quæ ora obturant, in colo inteſtino fractum ſit. Ficuum decoctum accommodatum eſt iis qui bupreſtim biberunt. Menſura eorum quæ iniicienda ſunt, habita naturæ ratione in viris minor, in fœminis maior ſit: ita tamẽ vt maxima ſit triũ heminarũ, minor verò vnius. Habẽda quoque eſt ætatis & vitæ ſtudiorum, & magnitudinis ventris,
F & morborum, & ſymptomatum ratio. Sæpe enim & bis & ter iniicimus, & præſertim in quibus vlceratio & inflammatio in recto inteſtino ſtercus quod inibi eſt, continet, vinculi inſtar, idque quod iniectum eſt ſuperiores partes petere nõ poteſt: & ita ſurſum excernitur, vt tantummodo ad perfundendum & madefaciendũ valuerit. Atque hæc quidem de clyſteribus, déque iniectionibꝰ mollibus commemorata ſunt nobis. Acres autem clyſteres in laterum doloribus conueniunt: itémque gingiuarum defluxionibus, capitis doloribus, febribus inordinatis quæ nõ vehementes inuaſiones habent, ſed remiſſas & inæqua-
G les: grauitáſque in inteſtinis ſit, & vẽter humidus, & molle hypochõdriũ. Valẽt etiam in quotidiana febre quum & ſuffocationes ſunt, & propenſio in ſomnum nimia, & etiã in magna difficultate reſpirandi, morbo pulmonis, angina, tetano, morbo comitiali, inſania, coxendicis doloribus, vertiginibus, nonniſi recta ceruice ſpirantibus, lippitudine laborantibus, lumbricis teretibꝰ & latis, qui intus contineãtur, iis qui lethale aliquid ſumpſerint aut medicamentũ: vlceribus, aut ebullitionibus & eruptionibus
H quæ in capite fiunt, callis & extuberationibus in ſumma cute naſcentibus, ſcabie, lepra, recti inteſtini vſque ad conſtrictionem reſolutione, lethargicis & qui pituitam in vẽtriculo adhæreſcentem habent, & ob eã cauſam non concoquunt, nec fructum ex alimento ſentiunt, & decolores

ſunt:in fluore alui, cœliacis, hebetudine oculorum, & vlceratis inteſtinis. In hoc genere non idem omnibus conuenit: nam acres clyſteres in acutis & vehementibus febribus, & in quibus ſtomachus, aut inteſtina, aut alia imbecilla ſint, vitare conuenit: quorum etiam vſus fugiendus eſt in iis quorum veſica, aut renes, aut vterus malè affecti ſunt, & quibus aluus per ſe humectatur. Itémque hyeme, aut æſtate ardēti, & in corporibus imbecillis, quæ vel ob morbum ita ſint affecta, aut quod ita delicata ſint nata: atque etiam in pueris, & mulieribus, & eunuchis, & populis qui ad Septentrionem ſunt ſiti, & regionem frigidā incolunt, vt Galli, vt Thraces, vt Itali: ſiquidem hi clyſteres acres ferre non poſſunt: & item in iis in quibus ob quamcunque iniectionem aut cauſam inteſtina vlcerantur, & in vulneribus notabilibus, & quæ neruis inflicta ſint. Audētius autem huiuſmodi ablutionibus vtemur in viris iuuenibus, quorum firma ſit corporis conſtitutio, & athletica: in locis verò, vt in Ægypto, vbi huic remedio aſſueti ſunt homines, itémque in aliis temperatis. Iam verò valde acribus, in iis quorū firma eſt corporis affectio, ipſique fortiſſimi ſunt, & eis aſſueti, quum neque febres neque morbi diuturni adſint, craſſitudo autem humorum ſubſit, aut torpor & ſegnities corporis conſequatur, vti conſueuimus. In coxēdicis autem doloribus, & ea ſpiratione quæ recta ceruice dūtaxat fit quum ſpiritus à ſtomacho non eliditur, clyſteres ii ſunt accommodati qui ſanguinem educunt: vt garum, ſiluri, muria, aqua maris: at in quibus ipſa tantummodo affectio eſt, & partes adiacentes integræ ſunt, cæteri clyſteres cōueniunt, & magis quum adhibeantur, vt corpus ad alia auxilia præparetur. Parantur autem hoc modo: Mellis heminæ dimidium, aquæ marinæ heminæ duæ, ſalis holcæ tres, olei quarta heminæ pars: quidā verò duo oua adiungūt. Alius clyſter: Salis eadem mēſura, nitri tātundem, cremor ptiſanæ adiungitur. Alius. Decoctū colocynthidis: eius enim tomentum per ſe decoquendum eſt, eíque ſal aut nitrum à nonnullis quandoque admiſcetur. Simplices fiunt ex decocto iridis, thymi, ſatureiæ, abſinthii, cucumeris agreſtis, quibus ſal additur. In quibus verò ſunt calli, aut tubercula in ſumma cute erūpunt, aut ſcabies, aut lepra, quæ grauitatem aut cruditatem efficiant, aliquis clyſter cōueniet ex iis de quibus diximus: ſed præcipuè is qui ex rotūdæ ariſtolochiæ decocto cum melle aut ſale iniicitur. Qui verò lateris dolore vexātur, vbi detractus ſanguis fuerit, aliquo ex his clyſteribus vti debent: ſimili quoque modo iis quibus defluxio gingiuas malè habet. Capitis verò dolor & morbus comitialis magnopere iuuantur ſi initium auxiliorum à clyſteribus ducant: quibus conueniet quoque veratri nigri decoctum, mercuriali adiecta: & poſtea vel rotundæ ariſtolochiæ, vel cēraurii ſuccus, vel polypodii decoctum, quibus non ſecus mel accedat. Si verò propter lentorum humorum copiam hebetes oculi ſint facti, aliquo apparato clyſteri vtemur. In pleuriticis quoque & peripneumonicis & vertiginoſis, & tetano, & angina, & lippitudine laborantibus, poſt venæ ſectionem, ſi capaces homines ſint, eundem clyſterem iniicimus. Qui verò taurinum ſanguinem potauerunt, iis clyſteres memorati conueniunt: ſed propriè acetum cum nitro infuſum, & braſſicæ ſuccus, aut ſemen cum aceto. Iis qui mortiferos fungos comederūt, nitrum, abſinthium, & raphani ſuccus, & rutæ decoctum iniicitur: iis verò qui lac biberunt, acetum ex nitro, aut lac aſininum cum multo ſale. In recti inteſtini reſolutione clyſter ex muria imponēdus eſt. Qui verò aſcaridas lumbricos gignunt, iis muriam aut centaurii decoctum, aut etiam abſinthii, aut lupinorum, aut aloēn, aut cedriam cum aliquo ex prædictis decoctis iniicimus. Quibus aluus diuturna fluxione vexatur, prodeſt muria & abſinthii decoctum: exterit cauitates, & renouat quod deeſt. Quos helminthæ lumbrici infeſtāt, iis decoctum lupinorum, aut eorum dilutum, aut rhun coriariorū, aut decoctum abrotoni, vel abſinthii, aut oleum cicinum, aut muriam imponimus. Lethargicis verò poſt ea remedia quæ eis in prin-

A cipio cōueniunt, iniicimus melicratum, quod nitrum, ſalémque, & abſinthii ſucci portiunculam acceperit. Iis quos læuitas inteſtinorum exercet, qui ob inteſtini imbecillitatem, id quod ingeſtum eſt reddunt, abſinthii decoctum damus. Cupiditatibus nimiis deſidēdi, quas tineſmus excitat, parum muriæ adhibendum quum vires non laborāt, nec affectio altè intra corpus deliteſcat, mel verò non admiſcemus, quia permanentius humectat, & madoris efficiens eſt. Si verò ſanguis purus, ob inteſtini exulcerationem fluat, herbæ ſanguinalis, aut B plantaginis, aut myrti baccarum nigrarum vino decoctarum ſuccum dabimus: quibus poſtea admiſcebimus rhus, aut acaciam, aut hypociſtida, aut balauſtium, aut malicorium, aut rhois ſuccum, aut lanæ, aut ſepiæ cinerem, vel lintei multiplicis vnà cum alumine ſciſſili combuſti, aut ſpongiæ ſanguine taurino & pice imbutæ, aut fimi aſinini per ſe, & præſertim ſi ab vlceribus depaſcentibus morbus oriatur: aut iniicienda ſunt frigida, vt ne ictu ſuo pungant. Vlceribus autem inteſtini non fluentibus lac caprillum indimus, aut etiam bubu- C lum, aut lycii drachmas duas, terræ Samiæ drachmas duas, aut amyli tātundē, aut triticeæ ptiſanæ cum bulbo combuſto, aut abſinthio. Fluentibus etiam aut perhumidis vlceribus chartæ combuſtæ, aut lentiſci cinerem iniicimus, aut medicamentum ex charta conſtans cum aqua aut decocto alicuius adſtringētium. In vſu clyſterum qui efficaciores ſunt, prius clyſter mollis iniiciendus eſt, vt ſtercus inſidens excernatur, & ne tam acer clyſter corpora cōfertim attingat. Sed in febribus, morbus tempus non concedit vt ſæpe clyſteres imponamus: in D iis verò qui febris ſunt expertes, nobis permiſſum eſt vt in tēpore opportuno clyſteres adhibere poſſimus. Debet autē primus clyſter eſſe copioſior: ſecundū verò minorem, & largiorem quoque in iis in quibus capitis, aut eius partium cauſa indimus: minus largum verò quum earum partium cauſa quæ in promptu ſunt & paratæ, vt ab eis id quod volumus, ſubducamus. In quibus tamen diuturna ſtercoris retentio fuit, non debemus protinus (efficacem enim purgationem reſpuit affectio) acrem iniicere clyſterem, ſed perſæpe & ſecundum & E tertium clyſterem mollem, qui accipiat aut reſinam terebinthinam aut butyrum, imponimus: facta verò excretione, tū vtimur iis qui acres & efficaces ſunt. Tempus verò acrium clyſterum in ſtatu febre vacante eſt, vt in acutis, in principiis, & in ſtatibus morbi adhibeātur: quinetiam in remiſſione acceſſionū eos iniicere oportet. In diuturnis verò & declinantibus, omne tempus eſt accommodatum: quúmque in febribus fiat intentio atque remiſſio, initiū remiſſionis magis probatur. Sæpe etiam in quibuſdam febribus in principio vtile eſt acri F clyſteri vti, qui vicem ſectionis venæ ferat: idque in naturis temperatis & calidioribus, vt in quibuſdam quorū firma eſt corporis cōſtitutio, & plenitudo in carne eſt. Vbi verò humores dominantur & ſuperant, ibi vtilius eſt materiam purgatione minuere: & præſertim in athletis propter vſum quem in clyſteribus habent, quum pituitoſa aluus eorum ſit, & magna coaceruatio per infernas partes conſequatur, quum vna etiam alia ſyndrome adſit. Quibus enim in ventre pituita eſt, iis clyſter cōuenit, id quod nobis perſpicuū ex eo fit quòd alimēta non G concoquantur, & continui ructus & acidi fiant, & cibi euomantur, & non opportunè ſudor in balneis cieatur, venter ſolitos clyſteres aut purgationes deſerat, imbecillis reddatur graciliſque, ſique in febrim homo incidat, difficili rigore capiatur, totum corpus non æqualiter calefiat, maximè verò partes circa ventrem exurantur, appetitus verò abſurdarum & acrium rerum excitētur, appetitúſque ad cibos ſumendos deiiciatur, facies decolor & plumbea euadat, pulſus lentus ſit, ægrè moueatur, & percuſſiones quaſdam raras habeat, his ſtatibus o- H mnibus acres clyſteres conueniunt. Cæterùm fiſtulæ partim per rectū ſunt perforatæ, partim non item, quibus vtimur in dyſentericis, & in quibus partes corporis facilè afficiuntur, ne ſtimulus fiat, & in quibus euacuatione facere promptius volumus. quæ verò per rectum

ſunt perforatæ,adhibentur iis in quibus volumus clyſterem plura expellere,& à ſuperioribus locis deducere, & quibus craſſiora ſunt quæ per clyſterem iniicimus. quocirca erit huic rei accommodatum, vt loca affecta ſingillatim indicemus,vt quantum differant intelligatur: ex quo etiam planum fiet ad quænam fiſtulis per rectũ perforatis vti debeamus.

Signa quibus cognoſcamus quorum locorum affectione ſtercus retineatur.

Si igitur ſtercus propter affectionem quæ in ſuperioribus ſit partibus contineatur, ſtomachi diſtentio apparebit, dolores dorſi, & ſpiritus anguſtiæ conſequentur:ſi verò à ieiuno inteſtino cohibeatur,& gracilibus inteſtinis,nauſeæ,ſaliuæ copia,& frequẽtes in vmbilico æſtus erunt. colo verò inteſtino malè affecto, flatus accidunt, retẽtionéſque,& circa vmbilicum inteſtina violentè torquebuntur. Lumbis patiẽtibus grauitas ſentitur quæ laſſitudinis ſenſum inuehit: quǽque excernũtur,æquè ac in defluxionibus,infracta & ſanie imbuta ſunt. Si vẽter laboret,ſtercꝰ ſubalbicãs,aut modica flaua bili coloratũ & laxum deſcendet: ſi ieiunum inteſtinum, concretum ſtrigmentoſumque humorem, ac nigricantem, in quo ſanguinolentæ interdum fibræ conſpiciuntur, ſtercus habebit: interdum verò flaua admodum copioſáque & ex glande non ita multa lubricantur. A tenuibꝰ verò inteſtinis excernuntur quæ porri colorem referãt, variáque ſint,ac cõtinuò pauca, & quæ celeres mutationes ſortiantur, ac magna cum moleſtia & marcore deſcendant. At ab inteſtinis craſſis,furfuracea colore,mucum quendam imitantia: ac cupiditate ſtatim excitata, multa confertim & ſæpe ſubducuntur. A recto inteſtino mucus purus qui craſſitudinem habet, ac ſanguis floridus cum magna & frequenti cupiditate deſidendi, quæ vix inhibetur,fluit. Quum igitur hæc ſigna ſint, neminem iam latebit quibus vtendum fiſtulis in ægrotantibus eſſe videatur. Ablutione autem per clyſterem auricularem,cum in ſinu magno, tum in abſceſſu in intercoſtali exorto & in fiſtulis, vt primùm humorem aqua calida abluamus,tum melicrato repurgemus:poſtremò verò medicamenta indamus quæ pus creent. In coli quoque vlceribus infuſo melicrato, furfurum decocto & ptiſanæ cremore,medicamenta iniicimus. In ſinus verò muliebres inflammatione oppreſſos, coniicimus fœnigræci decoctum, maluæque & ptiſanæ cum ſeuo porcino, anſerino,& gallinaceo:vbi verò vlcere tentãtur,imponimus medicamẽtũ quod τετραφάρμακον nominatur, aut ceruinam medullam, aut butyrum,& deinde peſſos ad id accommodatos. Purulentos verò abluimus melicrato alumine ex aqua,ſtœbes decocto cum vino,aut roſis,aut hedera,aut malicorio,aut galla,aut myrto,aut vino cum modico alumine, aut paribus vini & vrinæ portionibus, aut myrti decocto & vrina. obſtructos verò propter alicuius rei adiectionem,abluimus aqua, nitro ex aqua, melicrato,cum multo impetu & ſtridore. ſic enim expelletur id quod coiuerat. Prurientibus verò betarum ſuccum, porri,chartam cum aceto, cæpam,amygdalinum aut roſaceum cum aceto iniicimus.

Ex Lyci commentariis,materiæ ad clyſteres dyſentericorum, Cap XXV.

Dyſenteriæ(hoc eſt tormina inteſtinorũ)quædã ſunt huiuſmodi vt nullam inflammationem adiunctam habeant: quibuſdam verò etiam inflammatio ſit coniuncta: vtriuſque generis hæ ſunt notæ. Dolor ergo nimius,& febres quædam antecedentes,inflammationẽ cum vlceribus ſubeſſe ſignificant. omnes verò febres, & dolor non vehemens abſque inflammatione, vlcera eſſe declarat. Si ergo ad vlcera acceſſerit inflammatio, clyſteres hi conuenient: ſuccus lenticulæ, vel per ſe, vel cũ lenticulis lentiſci portio aut myrti decoquatũr,vel ipſæ ſolæ decoquantur. Facit ad idem cydoniorum decoctũ: decoquuntur etiam triticum,oryza,& alica:cum quibus ſingulis decoquimus aut mala, aut ſymphyti radicem, aut flores mali Punici:quorum florũ non debet magna portio ſimul decoqui. efficaciſſima hæc ablutio ad partẽ firmãdã erit. His cõfectis,cætera omnia quæ cõſtringũt, ſi humida fuerint,conuenient: ſin verò arida, in aliqua re decoquentur, quæ illorum corrumpere facultatem non queat: ſuntque eiuſmodi quamplurima. Si verò vlcera ſint inflammationis expertia, idem genus ablutionum erit accomodatum: cæterùm vis adſtringendi erit parum intendenda,non tamẽ multo maior eſſe debet, quandoquidem in his quoque adſtrictio modum excedens,& mordicationem affert,& vlcera proritat, & eo adigit vt vel inflammentur vel humectentur:ex quo fit vt huiuſmodi ablutiones hiſce dyſenteriis conueniant. Eſt porro alia dyſenteriæ differentia, vt vlcera quandoque in ipſis inteſtinis computreſcant,partim magis,partim minus. Putreſcentium ſigna ſunt hæc, odor eorum quæ exeunt,teter:color ad liuidum & nigrũ vergit. ergo in hoc genere facultas adſtringens augenda eſt. Fiat igitur clyſter ex vino quodcunque maximè adſtringens videatur. in eo rhus coriariorum decoquatur, itémque rubi ramuſculi,aut myrti,aut gallæ, aut punicæ cortex, vel ipſe rhois ſuccus tãtus vino dilutus quantꝰ ſatis ſit vt ablutio in inteſtinũ per cornu importetur: ſuccus etiam lenticularum ſatis erit ad hunc vſum præſtandum,vt iis quæ dicta ſunt commiſceatur. Gallæ verò aut cortices punicæ, ſiquis eas ſiccauerit & contuderit, ita vt in tenuiſſimũ pollinem redigantur, & cribro traiiciat,& ſucco lentis admiſceat,aptè per clyſterẽ iniicientur. Hæc igitur conueniunt iis quæ modicè putreſcunt:vbi verò malum procedit,maiórque putredo efficitur, atque adeo augetur vt fibræ quædã aut etiam tunicæ inteſtinorum abſcedant, tunc non iam ſolùm adſtringentibus opus eſt, ſed medicamentis quoque cruſtas inducturis. In quibus cautè admodum eſt progrediendum. Plerunque enim quum vnà cum putredine coniuncta ſit inflammatio, à medicamentis nimium vehementibus magnopere augeri conſueuit. Ergo non ita ſtatim ad horum remediorum auxilium confugiendũ eſt; ſed tum denique quum malum ita tranſgreſſum eſt vt ſumma neceſſitas nos talibus vti cogat. Huius quoq; generis ablutionũ numerus eſt maximus. at ego non omnes adſcribam, ſed eas tantùm quæ vſu comprobatæ(vt ſunt etiam eæ de quibus antè dixi)præſtare cæteris exiſtimantur. Vna igitur ad hunc modũm ablutio per clyſterem efficitur: Aluminis duri partes duæ,mali punici fructus, aut corticis pars vna: cortex aridus eſto. His diligenter tritis lenticulæ ſuccũ miſcebis,& ablutionem admodum accommodatam iis quibus iam vlcera coputruerunt iniicies: eáque nec vehementiſſima erit, ſed inter adſtringentes & cruſtam inducentes quodammodo media. Alius clyſter: Auripigmẽtum & alumen trita, alicui adſtringenti humori commixta infunduntur: cui nonnulli chartæ cinerem præterea admiſcent. Alius admodum validus:Chartæ cinis,auripigmentum,calx viua paribus portionibus alicui ex prædictis humoribus adſtringẽtibus admiſcentur. Alius, qui ipſe quoque valde eſt efficax: Corticis punicæ & gallarum,ariſtolochiæ,panacis, cadmiæ,aluminis ſciſſilis, thuris, ſalis foſſilis, æruginis, aluminis rotundi, ſingulorum pares portiones: cadmiæ verò duplum. hæc omnia cõtunduntur,& ſimul omnia ex aceto læuigantur, vt fiunt medicamenta quæ ad oculos valent:tenuiſſimè nanque læuigantur:tum coniecta in mortarium,in paſtillos rediguntur,& quum vſus poſtulat, iterum læuigantur,& ſucco lentium commiſcẽtur. maior autem minórve copia adhibenda eſt, vt rei neceſſitas exigit. Aliud: Calcis viuæ,auripigmenti, ſandarachæ,chartæ cõbuſtæ,calcitidis pares portiones, in pollinẽ redigantur,& aceto admixto paſtillos confice:vbi vſus poſtulat,myrti decocto diſſolue:& medicamentum huiuſmodi eſt præſtãtius. Aliud admodum bonum, & cui coniuncta ſecuritas eſt:Florum roſarum, liquoris papaueris, acaciæ, gummi, balauſtii, ſucci hypocyſtidis,ſingulorum partes tres,gallarum,plantaginis ſeminis,cuiuſque horum partes duæ, lycii Indici:ſi roſarum ſuccus in promptu nõ ſit, tres foliorum partes pro ſucco ſatis erunt:hæcque læuigẽtur omnia,& plantaginis ſucco excepta,in paſtillos ponderis drachmæ

vnius redigantur. In his medicamentis hoc ſciendum eſt, quæcunque adurentium, cruſtas inducentium, & vehementiſſimorum maximam copiam habent admi-xtam, eis cautius eſſe vtendum propter metum eis ad-iunctum, ne error committatur: quæcunque verò ma-iorem partem habent adſtringentium, eis audacius & confidentius vtendum, quia ſiquid præter ſententiam accidat, noxa grauis non ſequitur. Hoc etiam in dyſen-teriis viſum fuit, vt quum vlcus aliquod vaſculum eo-rum quæ intra inteſtinum ſunt, contingeret, &, magis oppreſſo inteſtino, in cauſa eſſet vt ſanguis ipſe excer-neretur, & quandoque ſanguis concretus exiuit, quan-doque verò non compactus huic conſtitutioni conue-niunt clyſteres qui adſtringunt. Eſt etiam alia quædam in dyſenteriis differentia, vt quæ vehementer deſcen-dunt, in quibuſdã acria excernẽdo ſint: horum ſignum eſt ipſius ægrotantis anticipatio: nam morſiones mole-ſtiſſimæ ſunt, & vlcera quoque ab acrimonia defluxio-nis excitatur. Clyſteres igitur tum conueniunt qui acri-moniam obtundant, quales ſunt qui ex tritico parantur, cum quibus decoquatur pinguedo capræ: ſed ſatis erit ſuis & bouis: ſed caprilla magis apta eſſe exiſtimatur. tri ticum decoctum ſuccum craſſum ex ſe mittit, qui vnà cum pinguedine commixtus, clyſterem facit ad ea quæ nunc dicta ſunt accommodatum. Alii clyſteres. Oryza decoquitur, aut alica eodem modo, aut lenticula cum caprilla pinguedine, aut palmulæ pingues, & ex eis cly-ſter efficitur. Alii. Gummi, aut tragacãtha ſimul cum aliquo ex antedictis coquitur: ſi verò papauer etiam ſi-mul incoquatur, clyſter is dolorẽ valde leuabit. Alius, qui paratur hoc modo. Lini ſemen cum papaueris va-gina, & ipſo etiamnum ſemine, & ſuccus qui inde ema-nat, mordicationibus aptus clyſter efficitur. Alius qui ad eadem valet. Ex prædictis ſuccis quemuis cape, & papaueris liquorem clyſteri iniice: præſtatiſſimus enim omnium ad has effectiones eſt. Sed cautione opus eſt: nam ſi ſupra vires ægrotantis indatur, periculum affert. Ergo quum imbecillum corpus eſt, hoc remedio non eſt vtendum: vel ſi vtamur, perexiguũ imponemus, habita virium eius cui datur ratione. Si etiam gracilis ægrotus ſit, ne tunc quidem hunc liquorem infundemus, niſi ad-modum paucum. In his eſt etiam hoc intelligendum, quibuſdam dyſentericis purulenta excerni, quæ pura vl-cera eſſe declarant: in quibus vtendum hiſce clyſteribus eſt. Ceratum ex myrteo aut roſaceo fit, & admodum liquidum iniicitur, aut aliquid adſtringentium quæ an-tè memorauimus: ſed adſtringentis pauca eſſe debet co-pia. Hos clyſteres intendes aut remittes, ſi addas aut mi-nuas, habita ratione affectionis quæ propoſita ſit: ſimili quoque modo ex vno in alium trãſfundes, quũ ita poſtu lare tempus videatur. Menſura autem clyſterũ pauca e-ſto, ne ſua illuuie prægrauet, & ideo excernendi cupidi-tatem excitet: non tamen ita exigua ſit vt ob eam cau-ſam in ipſum inteſtinum lõgiſſimè peruenire nõ queat: nec etiam ſemel duntaxat, ſed ſæpe iniiciendi clyſteres ſunt: & hoc in omni alui ſeceſſione eſt optimũ, niſi cly-ſter ex liquore infundatur. Quinetiam clyſteres medica menta cruſtas inducentia continentes non ſunt cõtinen ter ingerendi, ſed magnis ſpatiis interpoſitis. Iam verò præſtat etiam id indicare, clyſterem non omnino calidũ eſſe debere, ſed vſqueadeo vt ne frigoris ſenſum inue-hat. Atque hæc de clyſterib[9] ad dyſentericos accõmoda-tis, à me dicta ſint: nam de iis qui tineſmo conueniunt, nihil eſt quod diuerſum à ſuperioribus dicendũ putem: verùm id ſolùm commemorãdum, clyſteres in tineſmo maius emolumentum afferre quàm in dyſenteriis, quia in tineſmo longiore tempore in affecta parte moran-tur.

Aliud genus clyſteris extremo inteſti-no laboranti idoneum, Cap. XXV.

Circa inteſtina morbus quidam huiuſmodi obori-tur: mucus permultus excernitur: eſtque mucus res quædam qualis eſt inteſtinorum abraſio: neque eſt ſa-nies quædam, neque ſanguini ſimile vnà effluit: & in ex-

A cernendo quum hoc ipſum exit, nulla deſidendi cupidi-tas vrgens excitatur, nec vlla vehemens neceſſitas vrget vt citius excernatur: ſed talis eſt vt grauitatem extremo inteſtino afferat, quæ neque eſt præcipuè vehemens, ne-que quicquam affert moleſtiæ. Ciborum verò excre-mẽta, ſi nihil aliud incidat quod ea pertubet, per ſe ipſa procedunt ſanis ſimilia, neque quicquam eſt eis admi-xtum: totũmque corpus nihil inſigniter neque in colo-re, neque in carnis copia, neque in viribus lædi videtur. Veruntamẽ qui in hoc ſtatu morbi eſt, non omnino ab-
B eſt à calamitate. In quo quidem morbo malè affectum eſſe extremum inteſtinum videtur, ſed accidens vlcus non eſt: ſed (mea quidem ſententia) quod efficitur inde trahere originem videtur quòd excrementa ſin-gulis corporis partibus ingenita eò confluant, quæ non aliunde fiunt quàm quum alimentum ſingulis partibus diſtribuitur, & partes ipſæ minus rectè ſunt affectæ. Er-go quum hic morb[9] in extrema inteſtini parte inſideat, clyſteres apti fient ex ficubus ſiccis aqua decoctis, in qua aqua myrrha trita immergatur: atque hoc medicamen-
C tum erit huic morbo idoneum. Alius clyſter fit etiam hoc modo: Aloë ficuũ decocto admiſcetur. Hi clyſteres inteſtinum humeſcens exiccãntes, expellere morbum poſſunt.

Clyſteres in cholera ſicca, Cap. XXVII.

Cholera ſicca à vehementi quadam eorum quibus homines veſcuntur corruptela exoritur, cum ea nõ excernuntur, ſed in ventre atque inteſtinis continentur, repletionéſque & dolores vehementes creant. Huius
D mali remedium eſt clyſter iniectus qui euacuandi vim habeat. Quum enim cibi nuper corrupti fuerint, atque in eas inteſtini partes amandati, profectò clyſter eis ad-mixtus poteſt ea quæ ibidem cohibentur educere. ſed tamen omittendi huiuſmodi clyſteres ſunt, vtẽdúmque iis qui flatus attenuant, & eorum quæ continentur con-cretionem diffundunt. ſunt autem hi, Oleum ipſum ca-lidum: aut ei incoquatur cuminum, aut fœniculum, aut rutæ ſemen, quæ optima erit ſi montana fuerit. Bonus etiã clyſter ex ruta viridi fit, ſed multi comam oleo de-
E coquunt, verùm decoctio rutæ vim perdit. Ita igitur pa-rabitur: Vbi oleum valde ferbuerit, ab igni amoueto, eique adhuc feruenti rutæ comam iniicito. cõflacceſcit enim in oleo, & in eo vires ſuas relinquit: atque ita hic clyſter mirum in modum choleræ ſiccæ conducit.

Ad ileon (hoc eſt, tenuius inteſtinum) accommo-dati clyſteres, Cap. XXV.

Voluulus poſt inflammationem aliquam fit, quæ ſuo tumore tranſitus & meatus occupet: ſique maior & perfectus tumor ſit, ne flatus quoque tranſeant prohi-
F bebit, & ne cibi excrementa deſcendant: ſi minor, tantũ-modo difficilem exitum facit, ſed non penitus ſtercus vetat excerni. Cæterùm inflammatio modò hanc mo-dò illam inteſtini partem obſidet, quæ res facit vt tum benè tum malè hiſce clyſteribus vtamur. Interdum e-nim ſuperiores partes prope vẽtrem occupat: interdum verò & ianitoris partem aliquam apprehendit: interdũ in gracilibus inteſtinis inſidet: interdum colon obſidet: quæ omnia ex his ſignis dignoſcentur: Si inflammatio
G fiat ab iis partibus qua à vẽtriculo ad inteſtinum tranſ-itus patet, ventriculus ſtatim impleri mirum in modum videtur, etiamſi perexiguum quid biberint aut comẽ-derint: multíque vomitus ex quauis occaſione contin-gunt, & totum etiam corpus perturbatione & moleſtia afficitur: ſi verò aliquod ex gracilibus inteſtinis inflam-matio occuparit, in eo quoque caſu vomitus fiũt, ſed nõ tamen ita multi. Vbi autem ſita hæc inteſtina ſint, nobis prius diſſectio commonſtrauit, & potius in his videtur dolor eſſe: verùm neque in his, neque in ſuperioribus omnino prohibetur excretio. Quum enim in ſublimi-
H bus partibus ſit inflammatio, omnia (vtvt ſors feret) in-ferius deſcendere properantia exitu non priuabuntur, niſi aliquod aliud impedimẽtum (quale eſt cui voluuli nomen eſt) contingat: & venter admodum fluit, quum inflammatio ſuperiores partes exerceat, venæque infra

locum affectum quæ in meſenterio ſunt, ſemper ad in- A feriorem inteſtini partem aliquid propellant. idque eſt quod Hippocrates ileon inanem vocauit. Si verò inflammatio in colo ſit, hæc conſequētur, vomitus multi fiunt, & perturbatio eo tempore modum excedit; & dolore conficit eam partem vbi diſſectio colum eſſe docuit: & trāſitus ciborum, & flatuum nunc penitus impediuntur, vel parum admodum dehiſcunt, quatenus diminuta inflammatio ſuo tumore internam coli partem occupans, relinquit tranſeundi locum. Sunt igitur hæ notæ. At qui hoc morbo detinentur, non eis omnibus iniiciendi clyſteres ſunt, ſed iis quibus circa colon inteſtinum inflam- B matio eſt. Erunt autem vtiles ad hoc morbo laborantes, clyſteres omnes quicunque ad ſedandas inflammationes valent, qui ſunt huiuſmodi: oleum calidum per ſe, vel cui melicratum ſit incoctum. Eſt & alius huic idoneus, qui ad hunc modum componitur: Cum oleo butyrum eliquatur, & ita moderatè calidum iniicitur: interdum etiam oleo & butyro lini ſeminis ſuccus commiſcetur. Alius huiuſmodi: Hyſſopum cum oleo colliquamus, & parum reſinæ terebinthinæ admiſcemus. C Alius. Cum oleo caput papaueris decoquitur, caput poſtea papaueris abiicitur, tum oleo butyrum miſcetur: ſed hunc clyſterem non eſſe copioſum oportet; quoniam impleta in inflammationibus inteſtina contunduntur atque affliguntur.

Ad colicos, Cap. XXIX.

COlon à dextro ili incipiēs vſque ad eum locum pertingit in quo iecur eſt: inde demiſſum, & dextrum hypochondrium prætervectum, ad ſiniſtrum venit eodem: vbi proximè ad ſplenem acceſſit, ad ſiniſtrum ile vi D ciſſim pergit: cæterùm propè ſpinam infrà deſcendit. In ea igitur parte in qua locatum eſſe colon nouimus, dolores quidam & inflationes oboriuntur. hominibus ita affectis conueniunt clyſteres tales quales in cholera ſicca diximus.

Ad renum vitia, Cap. XXX.

REnes & colon mutuò afficiuntur: & quemadmodū mutuis morbis corripiuntur, ita etiam remediis eiſdem ſubleuantur. ex quo fit vt nephritici plerique iis clyſteribus vti debeant quos colicis idoneos eſſe docui E mus: qui quidem ſunt ii qui ad choleram ſiccam valere à nobis ſunt dicti.

Ad vteri affectiones, Cap. XXXII.

COmmune quippiam habent, & conſenſum morborum inter ſe colon & vterus, ita vt inflammationi vterum obſidenti, meritò conferant ea quæ in colon iniiciūtur. Ergo infundendum eſt calidum oleum, cui accedat anſerina aut gallinacea pinguedo: aut butyrum cum oleo miſceatur, aut hyſſopum, aut lini ſeminis decoctum, aut aliquid aliud eorum quæ in ileo attulimus, F adiungemus.

Ad veſicæ morbos, Cap. XXXII.

QVoniam autem veſica vicina eſt inteſtino, & ſimul etiam connata eſt, & in morbi conſenſum cum eo adducitur, quādoque etiam aliquo ex iis clyſteribus vti conuenit. Ergo vbi inflammatio veſicā vexet vtiles erūt clyſteres quos ad ileum facere ſuprà memorauimus. Si vlcus in ea ſit, eique adiuncta ſit inflammatio, idem clyſter erit idoneus: ſi inflammatio coniuncta non ſit, clyſteribus non eſt opus. Veſicæ quoque talis G quidam morbus accidit: vrinæ non paucæ à renibus in veſicam tranſmittuntur. Qui ſic affecti ſunt, atque hac calamitate circumuenti, foras pellere vrinas præ imbecillitate non poſſunt, ſed ipſæ per ſumen loco accommodato reperto exeunt. Ad hos faciunt clyſteres qui conſtāt ex oleo in quo cyminū ſit decoctum, quod calidum iniiciatur: in eodem incoquitur nō ſecus fœniculum & ruta: ad quod malum cætera quoque vrinam prouocantia faciunt. nam læuigando remittunt veſicam, & leuant, & promptiorem ad excretionem reddunt. Si verò H propter nimiam vrinæ copiam ſupprimatur vrina, clyſter motſum aliquem inuehēs, & expultricē potētiam excitās, veſicam ad excretionem præparabit. Aloe pura hoc poteſt efficere, itémque cyclamini ſuccus: omnino verò id quod iniicitur paucum eſſe debet, & cornu clyſteris eſſe quambreuiſſimum, ne vlla clyſteris portio debitas partes tranſgrediatur.

Ad lumbricos, qui helminthæ nominantur, Cap. XXXIII.

HElminthæ qui ſuperioribus inteſtinis cōtinentur, accommodatis potionibus expellēdi ſunt: eos verò qui ad colum ſunt, per infernas partes educere poſſunt clyſteres: qualis eſt qui oleum recipit, in quo abſinthium, aut abrotonū, aut cuminum, aut mentha, aut lupini decoquantur: atque vbi ſatis decocta hæc fuerint, oleum per clyſterem iniicitur.

Ad aſcaridas.

Ad extremam inteſtini oram talis quidam morbus oritur: animalia quædam puſilla quæ à materia creantur, aſcarides dicuntur. eis remedio ſunt clyſteres, tum ex aſcribus quidam, tum vnus etiam eſt qui ex cedriæ inunctione perſanat. Porro clyſter non debet eſſe recta perforatus, ſed in latera, ſic vt multa exigua foramina in orbem habeat. id etiam quod infunditur, non debet multum eſſe: ita enim partes debitas non excedet. Apta eſt huic morbo aqua ex cinere confecta, vtpote quæ præſentiſſimo ſit remedio: eadem per clyſterē iniicitur.

Qui clyſteres vim habeant alendi eos qui alioqui non nutriuntur, Cap. XXXIIII.

ALia quoque calamitas quandoque contingit, ad quam tollēdam clyſteribus eſt opus. nonnulli tam vehementer ab alimentis abhorrent vt periculum conſequatur ne ob alimoniæ defectionem pereant: quibus clyſteres ii ſunt idonei qui alere corpus poſſunt, quales ſunt hi, Ptiſanæ aut tritici cremor, aut farinæ ablutio, aut alicæ cremor, aut res quæ ſunt generis eiuſdē. Debet autem cornu clyſteris, ſi vſquam alibi, tum hoc loco eſſe quamlongiſſimum: & manibus compellendus maxima vi clyſter eſt, vt ad remotas ſupernâſque partes quā maximè conſcendat.

Quibus clyſteres iniiciantur quum minimè opus ſit, Cap. XXXVI.

PLerique ſunt qui nihil excernunt, excrementáque eorum in colon non perueniunt, ſed ſuprà continentur: iis non iniiciendus clyſter eſt, quandoquidem ſcire debemus, clyſterem non longius quàm ad colon aſcendere, neque educere quicquam poſſe eorum quæ ſuperioribus inteſtinis continentur. Ergo ſuperuacaneum eſt eo tempore clyſteribus vti: ſed in primis danda opera eſt vt excrementa in colon deſcendāt: ad quam rem conficiēdam, in primis vtrum tempus ſatis ſit, an ſecus, ſpectandum eſt: & cum tempore etiam facilitas tranſitus, aut difficultas ciborum quibus homines veſcūtur. nam alia citius, alia tardius deorſum deſcendunt: præterea habenda quoque ratio eſt naturæ eius quum non ægrotaret. Si enim aluus ſuapte natura facilè fluebat, citius excremēta ſubducētur: ſi verò difficulter, tardius. Quinetiam ſi manum admouerimus, eius repletionem perſpicuè inueniemus, ſi modò infrà peruenerunt fæces: ſi non infrà pulſæ ſunt, ea parte locus inanis apparebit. ad hæc in lumbis quoque grauitas eſt, ſi extremum inteſtinum ſit repletum: ſed & flatus eo tempore ſtercoris fœtorem redolentes, excrementa infrà perueniſſe nobis declarabunt.

Quibus clyſteres non iniiciuntur, quum tamen opus ſit, Cap. XXXVI.

SEceſſum alui quendam περίρροιαν (*hoc eſt, circumfluxum*) Hippocrates nominat. Fluxus tenuis is eſt, & fæcibus non commixtus, & partim per ſe prodit, partim cum duris cibi excrementis quæ in egeſtionem delabuntur, quibus tamen admixtus non eſt. Si igitur quæ à cibis intercidunt, foras egerantur, nihil opus eſt clyſteri: ſi verò ea non excernantur, hícque circumfluxus ſolus exeat, tunc medici quamplures clyſterem perhorreſcūt: verùm qui prudens eſt & ſapiens, eo vtitur: hic enim tenuis fluxus aut nihil aut certè parum, non mediocrem moleſtiam afferet. Signum autem humectatæ alui hoc tenui fluxu, vt ciborum excrementa non ſecedant, pri-

mum eſt, vt quum prius ſeceſſio non eſſet cohibita, nūc nullo modo fæces excernantur: deinde verò tangenti, colon impletum eſſe manus ſignificabit.

De figura eius cui clyſter inijcitur,
Cap. XXXVII.

AEgrotus reſupinatus eſſe debet, tum contegendus: ac ne cauitas appareat, ſtragula admouenda ſunt, vt corpus contingant: ſintque aut veſtes attritæ, aut linteorum partes, aut talia quædam: calida etiam ſint, ne ſuo frigore homini horrorem incutiant: tum crura contrahantur. qui ſitus mihi videtur cōuenire: nam ſublimen extra lumbum attollere incōmodum eſt. Perinde enim eſt acſi corpori inanimato clyſterem indas. Quandoque etiam in latus æger vertendus eſt: nam ſi veſica inflammata ſit, in coxendice ſit ſuppuratio, aut gibbus redditur: atque ita pondus aut tumor impedit aut clyſteris ingreſſum aut exitum excrementorum. Oportet ergo facere vt in alterutram partem deorſum tumor vergatur, ſi abſque impedimento perficere cuncta volimus. Interim dum clyſter imponitur, ægroto imperandum eſt vt neque clamet, neque reſpirationem contrahens, ſurſum imum ventrem retrahat, ſed ſimpliciter iacentem conari vt ſimpliciſſimè reſpiret: qua ratione nemo iniectioni clyſteris repugnabit. Vbi verò ceſſat is qui medicinā adhibuit, plerique iubēt vt homo ſeſe huc atque illuc circumuoluat: ego verò id fieri prohibeo.

Quot modis clyſteres voto non reſpondeant,
ex Mneſithei commentariis,
Cap. XXXVIII.

CLyſterum fruſtrationes tribus fieri modis conſueuerunt, vel quum quis clyſterem non recipit, vel quū eum non cōtinet, vel eum emittere nō poteſt. Hæ cauſæ fiunt partim à corporibus & morbis, partim quòd malè clyſteribus vtantur. Quòd ergo clyſter non recipiatur impediēte morbo, cauſæ quædam huiuſmodi: vt quum inflammatio partes ani internas exerceat, & tumor excitatus ſit, vt humor expreſſus lōgius progredi non queat tumore impediēte, & contrà agente: itémque flatus eodem loco contentus id ipſum efficiet, quum ſcilicet neque ſecedit ipſe, neque humoribus ingredientibus trāſitum concedit. Medicorum errores ſub tempore conſtituuntur, vt quum in durum ſeceſſum incidunt, nō obſeruant clyſteris fiſtulam, ſed ab ipſo ſeceſſu impediti, vi impellunt, & fiſtulam in ſtercus coniiciunt: ex quo fit vt eius foramen ab iis quæ obſiſtunt obturatū, non poſſit prorſum clyſterem emittere. Idem eueniet ſi non rectè fiſtulā impoſuerint, ſed in aliquod latus inclinarint: ſiquidē cutis foramē obſtruit. Huic ſimile quippiā contingit quū plena lotii veſica eſt, & reſupinatis clyſterem indentes, veſicæ grauitatem & pondus ad inteſtinum retrahant. ita enim fiſtula occluſa vim clyſteris antè progredi non ſinit. Ex quo fit vt ægroti clyſteres his modis non recipiant. Continere autem eos non poſſunt, cauſa aliqua circa anum naturam irritante: propter verò medicorum errores, is etiam error qui tempori attribuitur, contingit, quum acrem admodum clyſterem faciunt. Ergo cur clyſteres non contineantur, has cauſas afferre quiſpiam poterit. Quamobrem autem is qui clyſterem accepit, emittere non poſſit, cauſam aliquis, & præcipuè in affectionibus tenuioris inteſtini, in morbū retulerit, quum plerunque in inteſtinis ſit, plerunque verò in loco qui inter ventrem interiectus eſt & cutim, quæ totam naturam internorum articulorum in orbem complectitur. Quum igitur compreſſis inteſtinis ab illo ambitu orbiculato ſpiritus ſuprà firmetur & incumbat, ſi conetur quiſpiam eo tempore clyſterem eò vi adigere, flatus eum foras prodire amplius non ſinit. comprimit enim extrinſecus inteſtinum conſtringens. Medici verò vehemēter errant qui res acres iniiciunt. Quū enim locus cōtinens exacerbationē, nullius cupiditatis deſidendi vim habeat, continet: præterea ſiquis clyſterē vi comprimens, faciat vt ſuprà magis conſcendat, eum ad ſuperiorem inteſtinorum inuolutionem propellet, & clyſteri non parabit viam, vt retro poſſit cedere atque exire: nam morſu excitato, locus ſtatim intumeſcit, & flatus conuoluit, qui ne exitus pateat impedimento ſunt. Eſt autem hoc plurimorū commune erratum, quia exiſtimant ſimulátque clyſter iniici incipiat, ſi quamprimùm eum intrò expreſſerint, ſe hominem facillimè liberaturos: ſed minimè verùm hoc eſt: nā ſi citò introeat, citóque exeat clyſter, ſeceſſus exuſtus nō ſtatim perſpergitur & humectatur. Siquis enim mollire ſeceſſū velit, totúſque clyſter iniectus diutius contineatur, venter à plenitudine diſtendetur & dolebit. Quamobrem paulatim iniici clyſter debet: etenim ſenſus non ita moleſtia afficietur, & ea pars clyſteris quæ primùm ingreſſa fuerit, paulatim fæces humectabit: ſi verò tot' ingrediatur, non omne tempus à primo vſque ad extremum dabitur inſperſioni eorum quæ intus continentur. Ex quo fit vt nihil vetet, quum totus clyſter fuerit expreſſus, quin ſtatim excitationem ad ſedem moliatur: nec multo tempore venter ob clyſteris copiā intumeſcat, neque ad excretionem fæces adhuc ſiccæ excitentur. Iam verò qui clyſterem imponit, debet ſemper inanem clyſteris partē conuoluere. eſt enim hoc valde accommodatum, quia ſæpe nos præterit, clyſterem ex ventre in ipſum vas clyſteris recurrere, niſi continenter exprimatur.

Ex Rufo, de glandibus,
Cap. XXXIX.

COnſequens eſt vt de glandibus dicamus: iis enim ſæpe vtimur vt fæces excernantur, & præſertim in iis qui clyſteres non admittūt, itémque in pueris & mulieribus: quandoque etiam in is qui ſtomachū auerſum habent, aut quibus caput obſtructum eſt, aut in quibus partes à clyſteribus facilè irritantur, aut in quibus detinetur id quod iniectum fuerit, vt memoria atque irritatio excretionis ſuggeratur. Sæpe etiā purgādi cauſa glādes imponuntur, quandoquē deriuandi gratia, vt in febribus quibuſdam acutis & diuturnis, in angina, & cæteris ſuffocationibus: itémque in doloribus capitis, lippitudinibus, vertiginibus quæ cōtinenter contingunt, & tenebricoſis perturbationibus, eis vtimur: & vt reliquias inflationis & reſolutionis excutiamus: & auxiliī etiam cauſa adhibentur, vt mulieres faciunt quum menſtruæ purgationes incipiūt apparere: & quæ iam trimeſtres fœtus in vtero geſtant, quos glandibus mirum in modum mordētibus corrumpunt. Vtuntur etiam ii qui valde mordacem glandem prius indiderunt, & quos crebra deſidendi cupiditas exercet: quibus itidem hæmorrhoides procidunt, accommodatæ ſunt, & conueniunt doloribus hypochōdriorum in febribus obortis, & quibus ſuſpicio eſt ne in ſomni propenſionem cadāt. Cæterùm glandulæ cōficiuntur ex ſale toſto & melle: & ex melle ipſo per ſe concocto ad cōſiſtentiam, cui etiam admixtum ſit abſinthium. Huiuſmodi autem cōmodè ad ſtomachi ſubuerſionem vtemur, & ad helminthas: quam ad rem hyſſopum quoque & tragoriganum, & lupinos melli cocto admiſcebimus, hǽcque robuſtioribus ventriculis conueniunt. Fiunt etiamnum ex reſina terebinthina & nitro, & quandoque ex grano Gnidio, cuius moderata ſit portio: ſed quia morſus excitantur, idcirco partes oleo moderato vnguntur: quandoque autem modicum pyrethri, aut piperis, aut ſinapis reſinæ miſcebimus, eáque glandula paralyticis, & flatibus quos perfrictio exciuit, cōueniet. Centaurium verò pici & cerato additur, & inditum & aſſumptum ad pudēdi reſolutionem vtiliter adhibetur. Infantibus verò grumus ſalis inditur per ſe oleo perfuſus. menſura eſt, vt nucleo ſit ſimilis. Et agetharium detracto cortice. quæ etiam teri poſſunt & excipi, vt pari modo quiſpiam eis vtatur. Bitumen verò & reſina cum exiguo panace & hyſſopo cōpoſita, conueniunt iis qui craſſos humores colligunt, & quorum refrigeratæ ſunt partes, & qui lumbricos aſcaridas gignunt, & colis reſolutionibus, & menſtruis purgationibus ſuppreſſis, & item duritiæ, & diuturnis refrigerationibus. Ficus etiam cum nitro miſcentur, & vua paſſa abiectis acinis, adiecto nitro & cymino. Ex his quædam nucleo, quædam collyriis ſimilia infunduntur, & quædam per ſe imponuntur, quædam lana molli excepta induntur, lana prominente, vt facilius euellantur.

quod præcipuè in iis quæ acria ſunt,& anum facilè cõmordent,obſeruatur.

De inunctionibus, Cap. XL.

IIs quæ inunguntur,vtimur in corporibus quæ nimis adſtricta ſunt,quǽque partes delicatiores & imbecilliores habent,ſed trahendum eſt vehementius. Vſu verò ad hoc probata ſunt hæc,cyclamini ſuccus aqua aut hydromelite reſolutus,fel taurinum, elaterium,granum gnidium, vua taminia: hǽcque terenda & melle excipienda ſunt, itémque colocynthidos decoctũ quæ melicrato incoquatur, cuíque fel taurinum accedat. Cæterùm in omnibus acribus admouendis prius fouẽdæ partes ſunt, & oleo prius inungendæ: deinde inſidendum in fœnigræci & maluæ decocto,ſedem eo feruore intẽdendo ſimul,& foras propellendo:quæ ſi plus excedat, portulacæ ſucco & oui inunctione vtemur,& melilotum melicrato incoctum ſuperdabimus: vitellos quoque ouorum elixos, & cerata ex myrto facta imponemus. Ex omnibus autem glandulis ad morbos diuturnos efficacioribus vtendum eſt: & in quibuſdam bonis corporis habitibus,quũ febribus inordinatis nõ iactantur,idem obſeruandum: ſimplicioribus verò vtendum in delicatioribus,& febribus acutis,vt fæces deiiciãtur: tempus verò horum adminiſtrandorum idem eſt atque id quod clyſteribus eſt præſcriptum. Atque hæc quidẽ ſunt quæ de clyſteribus déque glandulis tradenda eſſe exiſtimauimus.

Ex Diocle,quæ ventrem ſoluant,
Cap. XLI.

MErcurialis & vitis tum per ſe,tũ cum betis & braſſica incoctæ, & vnà cum cibis aſſumptæ, aut cum pulte in ſorbitione datæ,deiectionẽ abundè cient. Cnicus multis modis apparatus,idem facit: nam vel ſuccus ex eo exprimitur,& potui datur,íſque ante cibum melle aut vino dulci temperatus,aluum ſubducere conſueuit. fit ex eodem ſorbitio ad eandem rem valens: in maza quoque coniectus idem præſtat.Sed & obſonia in eo coquũtur.Eodem vti poterit quiſpiam ſi ſiccet,& modicè contundat, & cribro traiiciat: tum iterum tundat cum melle,& ad ceræ formam nõ admodum duram redigat, & ex ea ante cœnam capiat quantum caricæ mediocris magnitudinem compleat,aut paulo maius aut minus,vt ei qui vtitur conferre videatur.Fiet autem vehementior ſi cnicus crudus frangatur,& pars interna eximatur, conteratúrque, & melle excepta eodem modo, minus tamẽ quàm quum frigitur,ſumatur.Nihilo verò minus abſque moleſtia ſoluit aluum fluor qui ex ſycaminis prodit,ex melicrato ſumptus,itémque cibis inſperſus & commixtus.Ex conſuetis verò terebinthina reſina præſtat omnibus:ea verò vt eſt paulo maiore mẽſura quàm ſit faba Ægyptia,poſt cœnam capienda eſt,aut in poculum coniicienda,addendúmque mellis nõ minus quàm triplum,& duobus aquæ calidæ cyathis diffundenda, & ita bibenda.

Ex Dieuche, quæ leuiter per infernas partes purgent, Cap. XLII.

MArina aqua decocta, & ſub dio detenta potatur, in primis quidem cum pari aquæ dulcis portione: tum vbi ſubducit,duæ aquæ dulcis partes vni parti marinæ adduntur,ídque vſquedum ſatis purgatum eſſe videatur.Hoc etiam facere ſolent: braſſicam læuigant exprimúntque,& cnicum contuſum inſpergunt,& in vaſe fictili ad ſolem ponunt donec craſſitudinem nanciſcatur,tum remouent. Dant verò huius drachmas duas ieiunis ex melicrato,& leuiter aluum ſubducit. Lenticularum quoque decoctum cum modico ſalis purgat.Iam verò vuæ paſſæ ſatiuæ decoctum ſub diuo detentũ purgat,ac ſimile quippiam facit ſalis acetabulum cum pari mellis portione,& aceti heminis duabus,ſub dio poſitum, & poſtea temperatum aqua datum: magis verò aluum ſoluunt allia in melicrato elixa, & reſina nitro excepta,& ante cœnam data:& betæ & cæpæ in melicrato decoctæ:& catapotia ex nitro,pipere,reſina, confecta: & braſſica, ſiquis ea decocta cum nitro veſcatur, & iuſculum abſorbeat:aut folia actes cum beta decocta idẽ præſtabunt.

Ex Lyco,aluum ſubducentia,
Cap. XLIII.

STyracis,ſcammoniæ,vtriuſque pares portiones:cõficitur ad hunc modum, Styrax valde admodum in mortario teritur vt moliri queat, eíque ſcãmonia adiicitur, & globuli ad fabæ magnitudinem cõformantur.

Aliud. Scãmonia cum ſale candidiſſimo permultum læuigatur, tum in plumbea pyxide decoquitur. Ratio verò decoquendi eſt huiuſmodi,Pyxis plumbea duplex eſt: eius operculum habere debet aut foramen aut fiſtulam: per eam viam ſcammonea cum ſale trita inditur, ídque vas in olla quæ lomento fabarum plena ſit, inſidet. Coquitur autem lomentum fabarum quod pyxida continet,poſca affuſa,non autem aqua. Vbi lomentum coctum fuerit,etiam ſatis cocta erit ſcammonia. Quum hoc factum fuerit,medicamentum ipſum ſinendum eſt vt in pyxide refrigeretur:id poſtea iterum læuigabis vel per ſe,vel piperis albi tantum addens quantum ſatis ſit ad medicamentum rite condiendum. atque ita parata ſcammonea neque ori neque ſtomacho inſuauis erit, & & nihilo ſecius purgabit.

Galeni Picra, Cap. XLIIII.

ALoës drachmæ centum, ſpicæ nardi, xylobalſami, maſtiches, aſari, croci,cinnamomi,ſingulorũ drachmæ ſex. Ego verò aloes drachmis x c. croci drachmas quinque impono, atque ita vtor. Præterea ad aluum ſubducendam,aloen non lotam accommodatiorem eſſe ſcire debemus, eámque lotam magnam medicamẽtoſæ facultatis vim amittere: quam etiam febricitantibus dare quiſpiam audeat,ſi non vehemẽs, ſed admodũ debilis febris ſit. Multi verò etiam medicamentum ex aloe non lota febricitãtibus dederunt, ac deinde quum nihil manifeſtè læſiſſent,in aliis maximam noxam ſunt experti: infeſtiſſima enim aloe etiam lota eſt iis qui citra vitiatos humores calida & ſicca intemperie laborãt: proximè ad hos accedũt qui ſiccam intemperiẽ, etiamſi cum frigore coniũcta ſit,cõtraxerunt. Ad ſummam,qui ex ſola qualitate particulam aliquam læſam habẽt, ab aloe offenduntur. Intemperies enim quæ in humoribus ſunt,medicamentis eos euacuantibus indigent: quæ verò abſque his conſiſtunt, in tabem penitus ex vſu huius medicamenti quod ex aloe conſtat,deueniunt. Vbi ergo vitiatus humor ventriculi tunicas irrigat, ita vt nauſeæ ſymptomata magis aut minus conſequantur, picra ex aloe vtilis eſt,eum humorem euacuans. ineſt enim aloæ purgandi vis,ſed non valida,ſed tãta vt quæ in ventre ſunt, quæ etiam contingit, purgare poſſit: ſi verò aliquãdo copioſius exhibeatur,vſque ad loca iecoris conſcendit. Non eſt tamen medicamentũ quod totum corpus purget: verùm bilioſarum ventriculi affectionum optimum medicamẽtum eſt,adeò vt vno die ſæpe multos qui ſtomachici exiſtimantur, perſanet. In iis autem qui tardè concoquuntur, non omnibus par eſt picram dare, ſed iis ſolùm quibus id à ſuccis vitiatis excitatur: & eo magis etiã ſi tenues illi bilioſique fuerint. Quandam etiam facilitatem afferet iis qui humida intemperie citra humores laborant, quæ partem affectam ita irriget,vt non ſecus quàm nerui colligantes in articulis relaxatis, exoluatur atque laxetur. Quibus verò bilis in ventriculo, & præſertim imis eius tunicis continetur, accommodatius inuenire medicamentum nullum poteris. iis verò qui inflammatione aliqua vexantur, non abſolutè omnibus temporibus inflammationis datur, ſed vbi ea concocta fuerit,& declinet: nam & concocta medicanda eſſe, præclarè cenſuit Hippocrates. Rectè autem quis hoc medicamentum tardè concoquẽtibus, bilimque vomentibus,aut quibus alia quadam fluctione ſtomachus teneatur, dabit, ſi aquæ cyathis quatuor mixtum dederit,veritus ne mel ſtomachi ſubuerſionem quæ fieri conſueuit,excitet.Sed in declinatione internarum inflammationum rectè ex hydromelite propinabitur, quemadmodum etiam præbetur iis quibus ciere vrinam, aut purgationes mẽſtruas prouocare oporteat. Sæpe autem hoc medicamentum dare conſueui iis qui

ſuffuſorũ ſymptomata ex ſtomachi affectione patiũtur, & iis qui aluo adſtricta laborant, & mulieribus quæ non probè(ſicut dixi)purgantur:in quibus maiorem efficaciã habet, vbi aloës drachmæ LXXX, & croci ſex fuerint. Præſtat etiam pro aſaro carpeſium coniicere: quanquã etiam vtriſque adhibitis aliquando medicamentum con feci. Datur ad ſummum huius medicamenti drachma vna cum aquæ cyathis tribus.

Purgans medicamentum ex cydonio.

Scalpendum eſt cydonium circa ſemen, deinde euacuatum ſcammonia implendum, tum cruſta circumplectẽdum & aſſandum, poſtremò dandum vt comedatur: atque ita aluus ſubducitur, & ſtomachus minimè ſubuertitur.

Catapotia ex aloë.

Colocynthidos pars vna, ſcammoneæ & aloës, ſingulorum partes duæ, ſucci abſinthii pars vna.

Philumeni purgans medicamentum ad oculos diuturna fluxione oppreſſos. Cap. XLV.

MArrubii, agarici, chamædryos, colocynthidos medullæ, ſtœchadis, ſingulorum pondo decem: opopanacis, ſagapeni, petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ſingulorum quinque, cinnamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ, polii, croci, ſingulorum quatuor: ſicca terẽda ſimul ſunt omnia, & per cribrum traiicienda: opopanacẽ verò ſagapenúmque & myrrham confracta in pila macerare in melle oportet. his poſtea læuigatis ſicca addenda, & ita cõterenda, & ſic confecta vitreo vaſe excipienda: ſique mel deſit, affundendũ erit. Hoc medicamentũ mirabile eſt, propriè in morbis capitis diuturnis: quamobrem oculorum quoque affectionibus accommodatiſſimum eſſe vſu compertum eſt: ventrem enim mediocriter ſoluit. Si verò ſub vtendi tẽpus obolos quatuor aut ſex ſcammoneæ capiat, efficacius purgabit: reuellit nanque à capite omnia, & ferme etiã nimis: & quod à naturali corporis habitu alienũ inuenit, ſecernit, & foras pellit, vt recentiora ab eo reddita corpora, & conſtitutiones & actiones ſuas non ita multo poſt purgationem acquirant. ſumma eius potio drachmas duas continet, cum melicrati cyathis quinque præter ſcammoniam, quæ adiungitur. ac quibuſdam quidem medicamentum ipſum, idque vna eius potione, priſtinam partium valetudinem potuit reſtituere: non tamen nuda puráque purgatione naturalem affectionem, & hilaritatem ratione diſtributionis gignere atque reſtituere exiſtimetur. quibuſdam autem id effecit tum ſecunda, tum verò etiam tertia potione: in aliis verò ita præparat corpora, vt auxilium à metaſyncriticis ſint perceptura.

Archigenis purgantia medicamenta febricitantium, Cap. XLVI.

INn febribus bonorum morum, hoc eſt, in quibus vires corporis ſubſunt, ſed tẽpus breue eſt, detractio cõfertim facienda eſt, vt morbi continuitas intercidatur. ergo in tẽperatis vtendũ eſt venæ ſectione, idque potius in calidioribus quàm humidioribꝰ eſt faciendũ. Si verò humor ſit abundãtior, tũc materia vtilius purgatione diminuitur, ſiq; purges, nõ ſtatim ſcãmonea aut aliquo violento medicamento, ſed placido id facies. primùm enim quæ imponũtur, quæque illinũtur, ſi ex violenta materia cõſtent, quum per diſtributionem & tranſmiſſionẽ agãt, languida reddũtur. Equidẽ cataplaſmate in dieiſpatio vti conſueui, quod hypochondrio ſuperdarem, ita latum vt vſque ad vmbilicum pertineret. Quãdoque etiam loliaceæ farinæ partes tres vni parti cneori admixtas melle decoquens, totum ventrẽ cõprehendo, aut tithymali liquore oblino, aut cyclamini ſuccum pari pondere, dimidio elaterii miſcens, & liquido cyclamini ſucco reſoluẽs vnà cum modico mellis, ne nimis exiccata reddantur friabilia, glandulas cõficio: quæ vbi cyclamini ſuccum accepit, atque in muria præmaduerit, impono, aut aliquid aliud generis eiuſdem. Tum ex iis quæ ſumũtur, ſatis fuit mercurialis ſuccus trium heminarum mẽſura, cui ſal inditus fuiſſet, aut ſerum lactis eodem modo. Sine moleſtia verò

A hoc omni ætati eſt accommodatum: Polypodii partes duæ, cneori, ſalis, nitri, ſingulorũ pars vna, cnici pars vna. dantur iis qui viribus integris ſunt, drachmæ tres: melle autem imbuitur inſtar placentæ, aut in hydromelite inſpergitur. Ipſe quoque cnicus per ſe eodem pondere, aut ad ſummum holcarũ quatuor, datus, ſatis egregiè mouet: ſiquidem febribus antè dictis accõmodatiſſimus is quoque eſt, & placẽta itidem quam diximus. Clyſter verò ex mercurialis & colocynthidis decocto eſt vtilis, ſi modò non ſolas fæces, ſed etiam aliud quippiam deſuper educere B in animo habemus. Quemadmodum igitur in his febribus hæc dantur non tanquam cibi, quum cibi perfectam purgationem recipiant: ita ego alimẽtorum loco pultem ex colocynthide dare conſueui. XXIIII. globulos qui ponticæ nucis magnitudinem compleant, deglutiat vnà cum cibis ille qui curatur: tũ os colluat, & aquæ calidæ cyathos ternos ſorbeat, & quieti ſe tradat, purgationẽ expectãs. Eſt hæc præſtãtiſſima purgatio, febri quoq; non graui: educit autẽ biles aqueas & craſſas. poſtea verò multos fuiſſe curatos vidimus, multos verò parũ ab acceſſio- C nibus vexatos, balnei vſu fuiſſe integræ valetudini reſtitutos. Quibuſdã verò bis dari hoc medicamentũ neceſſe fuit, quibus globuli ex eodem temperamento fuerunt dati: & tempus ſecundæ euacuationis eſt ſtatus febrium, quæ bonorum morum dicuntur: quúmque laſſitudines, capitis dolores, grauitates, imbecillitates, feruidæ in coxendice affectiones, & labor vrgent, tunc præſtantiſſimum medicamentum eſt quod ad hunc paratur modum: Duæ colocynthides capiuntur, excauantur, oleum eis infunditur. per noctem ibi moratur, in ollam nouã reii- D citur, aqua pari portione additur: confractæ colocinthides incoquuntur, expreſſæ abiiciuntur, ſuccus in aliam ollam tranſfunditur, fuligo abſtergetur, puls decoquitur: vbi rite ſe habeat, nigri veratri & ſcammoniæ leuis ſemiholca, ſi mite velis medicamentum: ſi intentum, holca imponitur. his omnibus in ramenta diductis, orbes fiunt.

Hiera Rufi, quæ ex colocynthide conficitur: ex libro, qui eſt de morbis qui articulis contingunt, Cap. XLVII.

E HÆc primùm ad dolorem lateris inuenta, poſtea ad alia mala valde vtilis viſa eſt: labores enim non diutius producit, neque nimis acutè purgat. datur ex melicrato aut oxymelite. imponitur autem ſucco ptiſanæ diluto & melle condito. dantur ad ſummum drachmæ tres: minimum verò vna, in quibus pauca euacuatione opus eſſe videatur. Facit etiam ad dolores articulorum, eámque dare ſæpe oportet, & in ea confidere: quippe quæ ſemper id quod decet efficiat: purgat enim neque acriter, neque confertim, neque aliunde magis quàm à morbo. F Menſura in his ſatis eſt drach. IIII. in melicrato aqua: ſal verò admiſcendus, quia facilius ita pertranſit. Eius talis eſt confectio: Colocynthidis interioris drachmæ duæ: agarici, chamædryos, ſingulorum drachmæ decem: opopanacis, ſagapeni, ſingulorum drach. octo: petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ſingulorum drach. V. cinnamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ, croci, polii, ſingulorum drachmæ quatuor: mellis quod ſatis ſit ad hæc omnia aſſumenda.

Purgans medicamentum, quod ſordes ventris G accommodatè deducit, & ſimul thoracem & caput ſubleuat. idque ad Iuſtum authorem refertur.

Habet hoc medicamẽtum interioris colocynthidis Ægyptiæ denarios duos & triginta, marrubii, chamædryos, ſtœchados, ſingulorum denarios XIIII. gentianæ, agarici, ſingulorum XII. bdellii, ſpicæ nardi, croci, cinnamomi, ſingulorum VIII. caſiæ, floris, iũci odorati, piperis albi, longique, ſcillæ toſtæ, ſingulorum VI. radicis cẽtaurii, IIII. omnia trita bdellio reſolutio, panacis decocto, H & melli cocto commiſcentur, & ex ipſo medicamento fabæ magnitudo ante cibos ſumitur.

Aluum ſoluentia.

Liquaminis zingiberis denarios duos: piperis longi, ſcammoniæ, liquoris cyrenaici, ſingulorum denarium

vnum: aceti, gari, vtriuſque cyathum: contere, in vnum redigito, datóque cum lactucis vnum, ſi ſoluere aluū vis: duos, ſi purgare. Aliud. Zingiberis, ſcammonii, ſingulorū vnc. I. ſalis ſcrup. IIII. aceti, gari, ſingulorū cyathus.

Granula ſalubria, ſtomacho idonea, ventrem ſubducentia, & præſertim in typis.

Aloës ſcrup. II. ſucci abſinthii ſcrup. II. Scillam fermento oblitam torrebis, ita vt coquatur: inde educito, & villis abiectis ponderato, & in mortarium coniectam valenter tundito, abſinthii ſuccum affundendo, & aloëm tritam inſpergēdo: ſimúlque omnia commiſceto atque excipito, & molliēdo, in vnum corpus redigito. facto hoc fermento, extrahe & repone, factis tamen prius granulis ad ciceris magnitudinem, dato iis qui ex longo morbo difficulter vires reſumunt, ſi per typos ægrotent, grana VII. aut XI. aut XIII. aut XV. deinceps per dies V. aut VII. aut IX. Si autem pituitam ab eis duci velis, aut efficaciora fieri, adde toti fermento euphorbii denarium vnum.

Purgans, quod placentula dicitur.

Similæ drach. vnam, coni drach. IIII. piperis drach. II. ſcammoneæ drach. III. excipe melle Attico. dantur ſummum drach. II. Vtere etiam ad arquatos.

Paſtillus purgans.

Scammoneæ drach. IIII. euphorbii, piperis, ſingulorū, tantundem: pholii drach. I. mellis lib. I. vncia datur.

Oliuæ purgantes.

Gummi vnc. I. palmularum conculcatarum abiectis oſſibus lib. I. mellis tantundem, piperis ſcrup. IIII. amii tantundem, cymini denarii IIII. aniſi tantundem, aceti ſextarium, oliuarum muria confectarum ſine oſſibus lib. I. palmulas cum melle & gummi contere in pila tamaricea: gummi verò aceto prius macera: vbi probè fuit læuigatum, cætera omnia contuſa indito, & ſimul læuigato, & aceto infuſo in vnum omnia fermēti inſtar adigito: tum maceratas, & dulcedinem in aqua dulci nactas oliuas valde exprimito & imponito. dato liquoris cochlearia quinque, oliuas tres, ſi is qui ſumit, bene concoquat, & præcedenti die non multa ſumpſerit. ego verò ſcammoneæ denarios quatuor addo.

Aluum ſubducens.

Piperis vnc. I. cumini vnc. I. zingiberis vnc. I. foliorum rutæ ſcrup. IIII. epithymi drach. III. polypodii drach. III. cnici vnc. I. mellis quod ſatis eſt.

Alia placentula.

Cnici albi fricti & deſquamati libra vna, mellis cyathi tres, aniſi drach. carnis caricarum XXX. dātur ante cœnam factis partibus ad regiæ nucis magnitudinem, dantúrque duæ aut tres. Alia. Scammoneæ vnc. aloës drach. IIII. euphorbii tantundem. aqua excipiuntur, granáque erui inſtar conformantur. Ex his VII. aut IX. aut XI. aut XIII. aut XV. aut XVII. aut XIX. aut XXI. dato.

Medicamentum ad colicos, purgans.

Euphorbii, aut iridis, petroſelini, cyperi pares portiones.

Symbiotarium.

Scammoneæ vnc. II. piperis, zingiberis, ſalis, petroſelini, ſingulorum vnc. IIII.

Purgans medicamentum eos qui elephantiaſi detinentur.

Colocynthidem pulchram bonámque capito, facitóque vt diem & noctem in oleo madeſcat: deinde oleum effunde, & in noua ollula colocynthida cum aqua decoque, vſquedum flacceſcēs reddatur. tantum poſtea ſimilæ adiice quantum excipere aqua poſſit. quúmque fuerit facta decoctio, adde ellebori nigri drachmam vnam & mediam, ſcammoneæ drachmā vnam, & ſurculo anethino agita, & confice orbes inſtar lupinorum aut auellanæ, datóque deglutiendos.

Hiera Iuſti.

Colocynthidis interioris denarii XXIIII. ſtœchados, chamædryos, piperis albi, piperis nigri, agarici, veratri nigri, ſcammoneæ, ſingulorum denarii XIII. ammoniaci, thymi, croci, euphorbii, ſingulorum denarii VIII. myrrhæ denarii IIII. ſcillæ toſtæ denarii XVI. aliqui addūt caſiæ denarios IIII. & ſpicæ nardi denarios VIII. mellis quod ſatis ſit.

Epithema vomitum ciens.

Veratri albi denarii VIII. piperis denarii quatuor, fellis taurini quantum ad excipiendum ſatis ſit: admoueto.

Medicamentum quod odoratui admotum per aluum purgat.

Fellis terreſtris echini, melanthii, aut nitri, vtriuſque denarii CI. ſucci thapſiæ denarii IIII. grani Gnidii denarii III. elaterii denarius. læuigantur inſtar cerati, oleo ſicyonio aut cyprino admiſto, fiúntque orbes vnius denarii. horum vnum odorabitur is qui purgandus eſt ſi bene concoxit. hoc autem admodum debilitabit, ſed aliquo vnguento odorato vires poſtea recreabuntur.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM

Liber nonus.

De aere, ex Galeno, Cap. I.

OPtimus aer eſt is qui prorſus ſit purus: talis eſt qui neque ſtagnorum, neque paludum halitu ſit perturbatus, neque ex profundo aliquo ſpecu pernicioſam auram exhalante ſit infectus, qualis eſt Sardibus & Hierapoli. Improbatur etiā qui ex cloaca magnam aliquam vrbem aut numeroſum exercitum expurgante vitium contraxit. Malus etiam eſt is qui ex animalium aut olerum putredine, & fimo coinquinetur: quique ob ſtagnum vel flumen vicinum nebuloſus eſt: quemadmodum etiam celſis vndique montibus cauo loco incluſus perflatum nullum recipit. Suffocans enim is eſt & putris, ſimilis nimirum ei qui in domibus quibuſdā clauſus eſt, in quibus ob putredinē, & quia non perflātur, plurimus ſitus aceruatur. Huiuſmodi autē aeres, omnibus ætatibus ſunt noxii, velut qui prorſus eſt purus, omnibus ætatibus eſt vtilis. Differentia verò aeris quæ ex calore, frigore, ſiccitate, atque humiditate exiſtit, non eodem modo in omnibus hominibus affecta eſt, ſed corporibus quæ optimo temperamento ſunt, etiam aer optimè temperatus eſt ſaluberrimus. in quibus verò aliqua exuperans qualitas dominatur, iis vtiliſſimus eſt aer qui ei qualitati maximè contrarius eſt, frigidus calidæ, calidus frigidæ, humidiori ſiccus: ſicciori verò quàm par eſt, tanto humidior quanto ſiccitas modum excedit.

De anni temporibus, Cap. II.

HYemem humidam eſſe & frigidam dicimus, non quòd aliorū temporū humidiſſima frigidiſſimáque ſit, ſed quia id ei aliter contingit. quū enim in ea humiditas ſiccitatē ſuperet, frigiditáſque caliditatē, ideo fit vt humida frigidáque dicatur: eodémque modo æſtas, quia in ea minor eſt humiditas quàm ſiccitas, & minor frigiditas quàm caliditas, idcirco calida & ſicca eſſe dicitur. Enimuero æquum eſt vt ſingula tempora ex propria natura atque ſua examinata, aut calida, aut frigida, aut humida, aut ſicca nominentur. id verò quod in exquiſitè medio omnium exceſſuum eſt, deprehenditur. nam quēadmodum in hyeme frigus ſuperat calorem, & in æſtate ſuperatur: ita in eis quædā eſt ſiccitatis atq; humiditatis

æqua portio, quæ neque vt in æſtate ſiccitas, neque vt
in hyeme humiditas dominetur. Autumni eſt eadem ra
tio, nihilque in eo eſt extremum. Excellit autem in eo
ſiccitas: verùm in caliditatis & frigiditatis differētia mi
xtus ex vtriſque eſt: eique aliud accedit malum, tempe-
raturæ inæqualitas, quæ autumnum maximè morboſũ
facit: nam meridie multo calidius eſt quàm ſit mane &
veſperi. Quamobrem qui quatuor temperamentorum
coniugationes in quatuor anni tempora diſtribuere ſtu-
duerunt, ſciant ſe non ſolùm veri malè attribuiſſe hu-
midum calidúmque temperamentum, ſed etiam autu-
mno frigidum & ſiccũ: ego verò tantum abeſt vt aut ver
calidum & humidum pronunciem, aut ſiquid tempera-
tum ſit, id calidum & humidum eſſe concedam iis qui
ita afferant, vt quod planè contrarium eſt, id affirmem,
omnium aeris nos ambientis temperamentorum peſſi-
mum eſſe id quod humidum & calidum eſt, quod qui-
dem in anni temporibus neutiquam comperies: at in
morboſo & peſtilenti aeris ſtatu quandoque incidit, in
quo ſtatu omnia apta ſunt vt computreſcant. Quùm ve-
rò tempora ſibiipſis conueniens temperamentum ſer-
uarint, ver inter ea ſaluberrimum erit. Acutiſſimos verò
morbos, & ad aliorum anni temporum comparationem
maximè mortiferos autumnus afferet. Quùmque ver
ſit temperatiſſimum, autumnus eſt malus: ſiquidē vno
& eodem die modò frigore, modò calore nos afficit: i-
pſéque æſtatem excipit, in qua multis aſſati ſunt humo
res, quibuſdam etiam vires debilitatæ fuerunt. Sed non
ſolùm hoc nomine malus eſt autumnus, ſed quia humo
res primùm ad cutim mouebātur, autumno verò in pro
fundum ab aeris ambientis frigore compelluntur: at-
que hæc quidem ſunt omnium hominum communia.
Qui verò minus rectam victus rationem ſequuntur, iis
id malum etiam accedit, vt qui ſe fructibus largiter im-
pleuerint, ſuccorum malitia impleātur: ex quo conſe-
quitur, vt morbi qui æſtati ſunt proprii, periculũ quod-
dam omnino moueāt, quandoquidem eo tempore pro-
funda corporis pars expurgatur, & à partibus princi-
pem locum tenentibus ad cutim ſucci vitioſi perueni-
unt: ergo lepræ, vitiligines, lichenes, vlcerationes quæ-
dam, puſtulæ multæ exoriuntur. Alio verò modo pro-
funda corporis pars per phymata & dolores articulo-
rũ expurgatur, quum praui ſucci in principes partes cō-
migrent. Fiunt etiam ſanguinis fluxiones quæ plenitu-
dinem & ſuccorum malitiam euacuant, & morbos qui
ab ea gignuntur reſoluunt. Si verò tempus vernum cor-
pus alicuius bonis ſuccis refertum capiat, id ſaluber-
rimum conſeruat, nihil ex propia natura innouās: at æ-
ſtas aut autumnus aut hyems non item: nam hæc ſi purũ
corpus & omni prorſus reprehenſione vacans accepe-
rint, illa pallidam bilē copioſiorē quàm par ſit gignere
conſueuit: ille verò atrā: hyems denique pituitā. Æſtate
igitur frigidæ atque humidæ naturæ optimè afficiũtur:
hyeme verò calidæ & ſiccæ: quēadmodũ calidæ & ſiccæ
æſtate, humidæ verò & frigidæ hyeme malè afficiuntur.

Ex Antyllo, de aeris differentia quæ in menſe eſt, ex primo libro qui eſt de præſidiis extrinſecus incidentibus, Cap. III.

LVna quæ, æquè ac ſol zodaicum perluſtrat orbem,
differentiā in aere creat. Facit enim quatuor tēpora
menſis, quæ anni partibus proportione reſpondent, at-
que hebdomadibus diſtinguuntur. Prima igitur menſis
hebdomas à nouilunio ducit initium, & vſquedũ Luna
duas in partes æqualiter diuiſa apparet, progreditur: eſt
quæ veri ſimilis, quũ Luna humida calidáque ſit eo tē-
pore, & aer nos ambiens eo tempore humidiſſimus &
calidiſſimus: ac tunc quidem humores plerunque ruũt,
& fœcundi ſunt, non ſecus quàm vere. Secunda autem
hebdomas tunc incipit quum Luna in duas partes æqua-
liter ſecta eſt, & ad pleniluniũ vſque procedit: eáque æ-
ſtati ſimilis eſt, ob hanc vnā cauſam quòd fructus con-
coquit vel maximé. Hebdomas verò quæ plenilunium
ſequitur, quum Luna vſque minuitur donec duas in par-
tes ſit æqualiter ſecta, ſicca eſt, atque autũno eſt ſimilis:
vltima verò hyemi comparatur. Quot igitur anni tēpora
feruntur, tot etiam mēſtrua eſſe tēpora exiſtimandũ eſt.

A Illud quoque eſt animaduertendum, Solem ſua vi cor-
pora calefacere, Lunam potius humectare. quod in cauſa
eſt vt Luna humidius ſemper cerebrum reddat, & car-
nes putres faciat, corporáque eorum qui ſub dio viuūt,
humidiora & obtuſiora efficiat: eadémque cauſa capi-
tibus grauitates, morbóſque comitiales gignat.

Ex eodem libro Eiuſdem, de aeris differentia quæ in diei partibus eſt, Cap. IIII.

DIem vnà cum nocte modò intelligimus, eúmque
anno ſimilem eſſe pronūciamus. Matutinum enim
B tempus humidum calidumque eſt, veri ſimile: quam-
obrem ſomni puri, & corpora tam ſanorũ quàm ægro-
tantium recreantur. ex quo fit vt febricitantes hac ho-
ra placidiſſimè degant: nam exhalationes manè diſſol-
uuntur, & humidæ fluminum auræ reſpirāt, & ros cadit.
meridies autem æſtati comparatur: pars verò quæ ad oc-
caſum pertinet, autũno, noctis verò pars prima & quæ
circa veſperam eſt, occaſui ſimilis eſt: eo tēpore neque
ſomnum ægrotis ſuademus, neque potũ damus, neque
vllũ aliud auxiliũ adhibem⁹, niſi quid aliud admoneat:
C quod facimus veriti illud tēpus æquè ac tēpus occaſus.
mediæ noctis tēpus hyemi cōparatum eſt: ſiquidē tum
Sol plurimùm à nobis (vt hybernis diebus) diſtat. ergo
dolores nocturno tempore vehementiores ſunt, ídque
meritò, quum nox ſuo frigore extremā cutim denſet, &
perſpirationem quæ clàm in corporibus fit, intercipiat:
& defluxiones tum eorum qui lippitudine laborāt, tum
eorum quos tormina inteſtinorum exercēt, tum eorum
qui cœliaci nominantur, tum eorũ quibus ſanguis fluit,
ab hac eadem cauſa promouentur: quũ ii qui defluxio-
D nibus correpti ſunt, id totum quod clàm ferri cōſueuit,
vnum in locum amādent. Vltima noctis pars propterea
quòd matutino tempori propinqua eſt, eiuſdem cum
eo temperamenti eſt particeps.

Athenæi, de aere, ex libro 29. Cap. V.

AER à Sole illuſtratus ab eo differt quem Sol non
vidit, & vmbroſus eſt: itémque diurnus à noctur-
no. nam quē Sol perluſtrauit, calidior eſt & tenuior: vm
broſus verò, craſſior. Similíque modo lucidus, mi-
nus frigidus eſt & tenuis: tenebricoſus verò & obſcu-
E rus, frigidior eſt & craſſior. Ergo qui calidior tenuiór-
que eſt, corpora facilè perſpirātia reddit: cōtrà facit qui
frigidus craſſúſque eſt: ex quo fit vt noctes ſint iis qui
ex defluxione laborant, & iis qui inflammatione vexan
tur & febricitantibus, moleſtiſſimæ. Differt etiam aer
qui vnius ciuitatis ſit ab aere regionis. In primis enim
aer ciuitatis à domibus coarctatur: quocirca non ſe-
cus quàm in cauis locis calidior eſt & craſſior. Sol enim
aerem qui non perſpiratur, continuò calefacit, & magis
accendit: at motus vacuitas craſſum reddit, quũ motus
æquè ac ii qui follibus perflāt, aerem attenuet & ſiccet.
F Cæterùm aer qui in ciuitate cōtinetur, craſſus fit non ſo-
lùm qui in ſeſe cogatur, ex eo quòd nullo motu cieatur,
ſed ex eo etiam quòd multo tēpore in vmbra ſit, & mul
to magis quòd plurimæ atque omnis generis exhalatio-
nes ex vrbe in aerē ipſum prodeunt & fluant: & id quo-
que multo magis in iis vrbibus quæ perſpirationibus
omnino vacant: qui verò in regione eſt aer, quum tenuis
purúſque ſit, facit vt cibi appetentiores ſimus, & melius
etiam concoquamus, & melius alamur, & meatus ma-
G gis fluxiles ſint, & ſenſus nobis ſint integriores. Cauſa
eſt quia aer ciuitatis quum vndique ſit concluſus, tum à
multitudine domorum, tum à tectis ſuperimpoſitis,
corpora facit quibus ſucci difficulter digerantur, eáque
replet. at qui in regione eſt, quũ latè pateat, & ſub dio ſit,
remiſſè & diſſolutè id quod ſuperfluit excernēs, & leue
& probè perſpirans, & promptũ ad ſumendos cibos cor
pus reddit.

De regionibus, ex Galeni cōmentariis, Cap. VI.

REgionibus quædam attributa ſunt (vt ita dicam) ab
orbis terræ ſitu, quædam à proprietate ſua, quædā
H verè à ſymptomatibus. Ab orbis verò ſitu eis ineſt vt fri
gidæ ſint quæ ad Iſtrum & Mæotida paludem ſint ſi-
tæ, & (vno verbo) omnes quæ ad ſeptentrionem ſunt:
calidæ verò quæ in Æthiopia atque India habentur, &

(vt ſummatim dicam)quæ meridiem pertinẽt:temperatæ verò ſint quæ in harum medio ſint locatæ. In his omnibus fere orbis terræ partibus propria quædam regionis eſt natura atque ſua,quatenus aliæ ad meridiem, aliæ ad occidentem aut orientem ſolem propius accedunt,aliæ verò ad ſeptentrionem magis vergunt. Quæ verò à ſymptomatibus oriuntur,ſunt ea quæ regionibus tribuunt lutulenta ſtagna, & aquæ paluſtres,quæ vel lapides in renibus gignunt,vel lienem amplificant:itémque venti qui habitationibus familiares ſint,qui vel ex ſtagnis,vel ex fluminibus,vel ex paludibus,vel ex ſinu, vel ex pelago exoriantur. Iam verò quæ ex terræ exhalationibus excitantur,partim bona,partim praua ſunt: qualia ſunt quæ ex metallis afferuntur,& quæ à ſpecu quod Charonium vocant,exhalantur. In frigidis verò quibuſdam regionibus,vt in Thracia & Ponto, quoniam loca mari adiacentia humilia ſunt,ob eam cauſam calidiore ſunt temperatura:in calidioribus verò, quales ſunt Ægyptus & Lybia, quoniam æſtate à ventis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus calida ſunt iis quæ ad mediterranea receſſerunt. Zona vero exquiſitè temperata, ac media orbis terrarum, eſt quæ ad Gnidum eſt & Co: & quæcunque loca non multum ab his vel ad Aquilonem vel ad Auſtrum receſſerunt.

De ventis, Cap. VII.

EVrus ab ortu ſolis, Notus à meridie, Zephyrus ab occidente, Boreas ab Vrſa ſpirat. Hæc quatuor loca contrario inter ſe nomine opponuntur, ſinguláque magnam latitudinem habent. Accedunt etiam aliæ vẽtorũ octo differẽtiæ. Quũ enim orbis finiẽs,cui hoc nomẽ impoſitum fuit quia mundi partem quæ ſub aſpectum cadit, ab ea quæ non videtur diſtinguit,aſpectúmque noſtrum definit,in ſex partes diuidatur, proximè ad has ſectiones latitudo ſolis ortꝰ & occaſꝰ accedit. Duæ poſtea & viginti ſunt aliarum duarum partium ſeptentrionis & meridiei,quæ in duas partes diuiduntur:quarum vtraque ex vndecim conſtat: vt etiam totus orbis à latitudine meridiei in ſex diſtribuitur. Notꝰ igitur ab humili polo ſpirat. inter hunc & ortum ſolis hybernũ, eſt is qui Euronotus appellatur:vt inter hunc & polum, & hybernum occaſum, eſt Libonotus. hique omnes humidi calidique ſunt,atque ita ob eam cauſam caput aggrauant. Notus tamen non ſemper humidus eſt. videtur enim quandoque ſiccus eſſe,eũmque vulgus Caurũ vocat. atque is Notus ſubinde vehemens eſt: ſemper ergo motum perſpicuum habet:lenis verò alius eſt Notus, vt eius motum in aere & nubibus non ſentias, éſtque is ſemper calidus:at Caurus quandoque perſpicuè frigidus apparet.

De ortu & occaſu ſyderum, Cap. VIII.

IN ea regione in qua medicaturi ſumus, ſingulorum ſyderum ortum & occaſum noſſe debemus,quoniam ex iis anni tempora veteres definiunt. In Helleſponti autem parallelo veris principium eſt æquinoctium, quod eo tempore contingit: finis verò, ortus vergiliarum. idem finis eſt æſtatis principium, vt etiam finis æſtatis & principium autumni,eſt Arcturi exortus, qui æquinoctiũ autumnale diebus fere duodecim anticipat & præcurrit,atque etiam vergiliarum occaſus hyemis initiũ adducit, & autumno finem affert. Qui verò annum in ſeptem diſtribuunt tempeſtates, æſtatẽ vſque ad Canis exortum producunt:inde vſque ad Arcturi ortum, autumnum: iidem hyemem in tres partes diuidunt, cuius mediũ id tẽpus quod ſub ſolſtitium eſt, conſtituunt: extrema verò, primùm ſementem, poſtremũ inſerendi tempus vocant. Hæcque anni temporum diuiſio,ex ſpatio temporis quod in eis eſt efficitur. nam quod inter vergilias & arcturum intercedit tempus, quatuor eſt menſium:pluriũ autem quàm quatuor,quod inter Vergiliarum occaſum & æquinoctium vernum intereſt. Veris autẽ tẽpus ne duorum quidem integrorũ eſt mẽſiũ: ex quo fit vt meritò non diuidatur. Hinc etiã autumni tẽpꝰ maius eſt quàm veris: in duos enim mẽſes extẽditur. hoc tamẽ ab æſtiuo hybernóque tẽpore lõgè ſuperatur. Hæc igitur in memoria habeãtur,quò facilius ad

A aliarũ nationũ menſes trãſire poſſimus. nã æquinoctiũ mũdana quædã res eſt:at menſes ſingulis gentibus ſunt proprii. Sexto Calend. verò Loi menſis ſub exortũ ſolis Canis oriri apud nos Pergami exiſtimant: ego verò quadam via & ratione poſt decem dies ab hac præſcriptione eundem oriri comperi.

Antylli de ventis,ex primo libro de auxiliis, Cap. IX.

VEntus eſt aeris motus. Ventorum duæ ſunt differentiæ:alii vniuerſales ſunt,alii locorum proprii. Qui B locis tribuuntur, ſunt qui regionibus conueniunt: vniuerſales, qui vbique locorum eodem nomine & vocabulo gaudent: qui ad loca pertinent, naturã ſequuntur locorum à quibus efflantur: qui à ſalubribus, ſalubres: qui à morboſis,morboſi ſunt. pro parte verò,qui à terra ſpirant, ſicciores: qui ab aquis, humidores: qui à mari prodeunt, ſalubres ſunt, maximè hyeme & vere: æſtate verò calidiores ſunt quàm par ſit. quos flumina mittũt, his humidiores ſunt,hyeme deteriores,æſtate meliores: qui è ſtagnis exhalãt,vtriſque abſurdiores. Peſſimi verò C iudicantur qui è paludibus exeunt,neque vllo tempore ſunt boni: qui à campis & terra perſpirata,meliores. Ad ſumã igitur,qui locorum ſunt, magis morboſi quàm vniuerſales cenſentur. cæterùm boreales ſaluberrimi. Zephyri ab occidente flantes humidi ſunt & lenes: minus tamen quàm boreas,ſalubres: corpori autẽ magis quàm alii ſunt apti atque accõmodati. praui autem & aduerſi valetudini ſunt Euri,qui ab ortu ſolis ſpirant.

De ſitu ciuitatum,ex Galeno, Cap. X.

VRbium ſitus in quam orbis terræ partem vergant D ſpectãdum eſt: id quod vſu venit in iis quæ altis in locis ſunt cõditæ:nam planæ & æquales ad nullam orbis partẽ eſſe verſæ vtique dicerẽtur: attamẽ domos quæ in eis ſunt ad aliquẽ ex quatuor mundi partibus verſas eſſe neceſſe eſt: quẽadmodũ domos balneorũ in quibus lauamur,ad octauã horã verſas cõſtruunt architecti ii qui optimũ cõiectare ſitũ vidẽtur. Huius rei iudiciũ ex illo diei tẽpore fit in quo ſol feneſtras totas domꝰ illuſtrat, nec ad vllum alium murum deflectit.

Antylli de locis,ex primo libro de auxiliis,
E Cap. XI.

LOca ſublimia ſaluberrima ſunt, quum aer in eis non ſit permanens, ſed perfundatur, & à ventis continenter exagitetur: quúmque rectè perſpirentur, omnibus thoracis affectionibus erunt accommodata. tenuia verò & capiti laborãti,& omnibus ſenſuum inſtrumentis cõuenient. At loca humilia antedictis non ſunt idonea:iis verò qui per halitum digerũtur, qui in ſyncopas cadunt,& ſenibus apta ſunt:loca verò maritima hydropicis,& quibus quæuis defluxio moleſta eſt, F accommodata ſunt: itémque vbi detergẽdum,aut calfaciendum, aut aperiendũ eſt conueniunt: ſed proſunt etiam omnibus iis qui neruorum & articulorũ doloribus torquentur. Iam deprauatis quoque appetitibus proſunt. Mediterranea verò ſunt maritis frigidiora: cæterùm ad morbos acutos,ſi neque vitibus conſita, neque caua fuerint, ſunt maritimis accommodatiora, ſed ad morbos diuturnos ineptiora ſtagnantia, cum ſemper ſunt in vitio, tum verò etiam æſtate ſunt peſtilẽtia. Præterea quæ metallis propinqua ſunt,mala itidem exiſtimantur, G ſiquidem ſicca ſunt & ſuffocantia. Quæ verò ſub terra ſunt, ſi boni ſucci fuerint,ſiccioribus affectionibus apta cenſentur. Argiloſa verò robur diſſoluũt,quum exhalationem habeant in qua exoluendi vis ineſt. rufa maiore exiccandi vi quàm quæ nunc diximus,ſunt prædita:nigra verò omnibus bonitate longè præſtant.

Ex Athenæi libro primo de loco, Cap. XII.

SVblimia loca frigidiora ſunt, & facilioris perſpirationis: frigidiora verò ideo quòd à planitiei exiguitate paucas radiorum ſolis reflexiones habeãt: facilius H autem perſpirantur,quia vndique ſunt aperta, nec quicquam ſit quod ventos repellat. ex quo fit vt qui in eis degunt,plerunque ſani viuãt: hyeme tamen in morbos quos frigus excitat, magis incidunt. Loca verò humilia non ita ſalubria ſunt. in cauſa eſt calor, & præſertim

æſtiuo tẽpore:atque etiam quia minus perflantur,quum humilior ſit regio. quòd ſi altis quoque montibus ſint incluſa,eorum aer multo magis feruidus ab adurẽtium temporum reflexionibus reddetur. Præterea regio plantis conſita, minus perflatur,minúſque à Sole luſtratur, quàm nuda: quocirca per hyemen vmbroſa eſt ac frigida: per æſtatem verò difficulter à vẽtis perflatur, ſuffocánſque eſt, & ob eam ipſam cauſam reſpirationem habitantibus deteriorem parat. Quæcunque autem regiones & ciuitates flumina habent quæ extrinſecus perducuntur,quũ ipſa moderata ſint, & præſertim ſi loca ſicciſſima eſſe cõtingat,fiunt temperatiſſimæ:ſi verò excedant,non parua fit ad morbos gignẽdos acceſſio,quandoquidem & aer humectatur, & reſpirãdo atque inſpirando,corpora ſimul humectat:tum etiam matutinas ac veſpertinas aquarum defluxiones frigidiores excipiẽs, corpora perfrigerat, & in æſtate conſtitutionem affert autumni. Stagnantia verò loca in quibus paludes ſunt, multis de cauſis ſunt morboſa : nam à ſtagnis tota adiacens regio madefacta ſupra modum humectatur. Atque in primis qui in ea fructus proueniunt,morboſi ſunt omnes, quum præ humiditate ſuã temperiem nõ ſint ſortiti,nec ad idoneam maturitatẽ peruenerint: aer verò in hiſce locis humid⁹ craſſúſque eſt. Quúmque ſtagna corruptelarum omne genus ſuſcipiant,exhalatio quæ ab eis manat,aerem non ſolùm craſſum,ſed etiã prauum reddit. Ad hoc accedit etiam vt perhumidæ regiones plerunque arboribus ſint refertæ:quæque dẽſis arbori obſidentur, difficulter perflantur. Præterea regiones quæ ſalſæ ſunt,ac ſuapte natura perhumidæ & cauæ,morboſæ ſunt, id quod eis ineſt non ſolùm propter aquas & aerem : (quanquam plerique hæc in cauſa potius eſſe volunt) ſed etiam propter alimenta humidiora frigidioráque,de quibus nemo verbum vllum fecit. Veruntamen quoniam caua loca eiuſmodi ſunt fere,nõ modò non perflantur, verùm & craſſa ſunt propter humilitatem,& æſtate æſtuoſa:etenim idem aer permanens à locis adiacẽtibus ſolis reflexione nimis calefit, ac præſertim ſi ſublimia ſint loca,aerem plus æquo æſtuoſũ reddunt. Iam verò morboſiora loca eſſe cenſemus ſtagnãtia atque paluſtria,& præcipuè per æſtatem,ob aeris inæqualitatem. matutinæ enim auræ à ſtagnis manantes refrigerãt eos qui inhabitant:meridianæ verò calefaciunt, veſpertinæ perfrigerant,& propter caloris frigoríſque inæqualitatem,autumnus morboſus eſt. Regiones porro aquis vacãtes & ſiccæ, habitus ſimul exciccant,& melius ſpirantes ac puriores faciunt. atque aer quidem ſiccus non modò ſicciores habitus facit,ſed etiamſi alimenta calidiora ſiccioráque fuerint,facilè conficientur, faciléque diſtribuentur, & naturas calidiores purioréſque conſtituent. Loca etiam mediterranea à maritimis differunt, quoniã maritima omnia humiliora calidioráque mediterraneis ſunt: idcirco pleraque ex maritimis ſalubriora ſunt, ſicciorésque habent regiones poti⁹ quàm humidas,& imbrib⁹ irriguas. Quæ res facit vt inſulæ ſaluberrimæ ſint, & excellentiores fructus ferãt. In locis quoque magna differẽtia ex qualitate regionis verſatur : nam montana ſalubriora ſunt, & inter inſignia, quæ ſicciora ſunt. etenim exhalationes ab humo elatæ, tenues ſiccæque ſunt. Quare aer qui ab eis excitatur,tãtum abeſt vt aliquid addãt corporibus,vt contrà etiã aliquid ab eis euocet,& propter ſiccitatẽ euacuet. Aquæ, ſi nullo alio vitio terra ſit imbuta,tenues quum ſint,puræque,ſunt leuiores. fructus ad bonam valetudinem accomodatiores,multo puriorem tenuioremque materiã gignunt,& rite ſunt concocti.

Antylli,ex primo libro de auxiliis,de domo, Cap. XIII.

Domus quæ ad terram ſunt, cum febricitantibus, tum vel maximè iis qui ardenti febri iactãtur,quique in ſyncopen cadunt, accommodatæ ſunt : quandoquidem ſunt aptè frigidiores quàm ſublimia tabulata, & vires ægrotantium ſuſtinent & continent. Conueniunt eædem iis qui ſanguinem reiiciunt, & qui capitis dolore vexantur : tabulata verò ſuperiora apta ſunt iis qui pituitam in thorace collegerunt. Ad ſummam, corpori quod multæ materiæ ſit, magnæ domus ſunt idoneæ:valent enim ad diſcutiendam materiam,& integrã vim, probámque facultatem, quam corpora quodammodo rapiunt, propter aeris copiã impertiuntur. paruæ domus horum contraria efficiunt. ſublimes verò reſpirationis facilitatem gignunt;caput leuãt, ac præſertim quod ex febri vitium contraxerit. humiles omnino improbantur. Quæ ad meridiem ſitæ ſunt,ad omnem affectionem ſunt accommodatæ,præterquam ad eas quibus refrigeratione opus eſt, ad quas aptiores ſunt aquilonares. ſecundo loco cenſentur quæ ad orientem ſolẽ ſpectant: peſſimæ quæ ad occidentem,& præſertim æſtate. habent enim lucem matutini temporis,in quo maximè ægrotãtes ſunt meliuſculi, triſtem & inamœnam: & veſpertinas horas atque nocturnas cũ moleſtia traducunt. Quæ calce oblitæ ſunt, ſplẽdore calcis ſenſum tentant, iniucundæque ſunt : ſed ſunt etiam iniucundiores quæ ſine lapidibus ſunt coagmentatæ. Cæterùm quæ ex lapidib⁹ cõſtructæ ſunt, immitiores & frigidiores quàm quæ ex lateribus,cenſentur. quæ ſunt picturis diſtinctæ atque ornatæ, febricitantibus & inſanientibus omnino improbãtur,quippe quæ abſurda viſa excitent. quarum parietes tenues ſunt atque exiles, prauæ ſunt : quandoquidem aer qui in eis eſt,facilè ab externo aere commutatus,faciles mutationes capit.

De ſtrato, Cap. XIIII.

Decubitus qui in lectica fiunt,præſtãt iis qui in paleis,foliis,& gramine:quæ in paleis, foliis, & gramine,iis qui in terra. ſed hæc duo genera ſunt iniucundiora quàm in lectica recubare. Ipſe verò decubitus in terra præterquam quòd iniucũdus eſt,vapore etiam qui infernè aſcendit, implet corpus. Præterea lecticæ quæ pedes humiles habent,corpus replent,quum exhalationem quæ ex terra manat,propinquam habeãt:quæ verò ſublimibus pedibus nituntur,timoris vehementis ſunt plenæ,& ſpeciem faciunt quaſi penſiles ſint. Sunt ergo laudabiliores quæ mediocrẽ habent altitudinem: quin paruæ quoque lecticæ damnantur: (moleſtiã enim afferunt) itémque nimis magnæ,quia nõ eodem in ſtatu ægrotantes quieſcunt, ſed errãdo,& locum ex loco commutando laſſitudine capiũtur. Quæ verò quatiũtur, aut quoquo modo mouentur, ſunt firmis deteriores : ob eandémque rationem funes contenti ſint, neque quicquam ſe remittant: ſintque ſtrata nec pauca, nec dura, quia laſſant & concutiunt corpus,atque cõfringunt: ne ſint etiam profundiora quàm vt quæ opus ſunt,capiant: quibus hoc accedit incõmodi vt nequis ſe vergere facilè queat. Quæ verò ſurſum repunt ac vergũt, vehementem laſſitudinem gignũt:ſimiliáque ſunt figuræ cathedræ cuiuſdã. At iis quæ ad caput pertinẽt,minimè ſitus ille incommodus eſt: qui verò ſitus deorſum repunt, muliebribus defluxibus conueniunt. Quæ ſtrata ſplendidi coloris ſunt,implent,& ſenſus feriunt. Idem faciũt quæ accuratè ſunt tincta. quæ varia ſunt, & animalium figuris diſtincta, in morbis acutis in cauſa ſunt vt mens vacillet ac perturbetur:quæ ſordida ſunt,quum primus decubitus in eis ſit frigidus,& ſi quis in eis diutius moretur,calidiora quàm par ſit euadant,ideo minimè conueniunt.

Ex Sabino,de temperie regionum, Cap. XV.

Qvæ regionibus adiacẽt,alia deorſum vergunt, alia ſurſum. Quæ deorſum vergũt,omnia ad meridiem ſita faciunt regionis ſtatum calidiorem:ac maiora quidẽ magis,minora verò minus : quæque magis æqualia tenuiáque ſunt, id magis efficiunt. quæ ſurſum vergunt,aerẽ ſitu ſuo frigidiorẽ reddunt. Quæ verò magis ad ſeptentrionẽ vergũt, ſublimioráque ſunt,calefaciũt: ſupina verò conſtitutionẽ refrigerãt. Quæ ad orientem & occidentem ſolem ſunt poſita,ſiue ſupina,ſiue ſublimia ſint,minus calfaciunt & frigefaciunt quàm quæ ad ſeptentrionem & meridiem. Omnia porro & calfacientia & refrigerantia regionibus partim ſalubriter partim ſecus adiacẽt. nam iis quæ in calidiore ſitæ ſunt climate, quæ refrigerant,ſalubria ſunt: quæ verò calfaciunt,

non ſunt ſalubria. iis verò qui in frigidiore ſunt,calfa-
cientia ſalubria:refrigerantia,non ſalubria.dicetur autē
quæ calidiores quæve frigidiores ſint regiones. Terræ
pars quæ ad meridiem eſt propinqua ei quæ non habi-
tabilis eſt,calidiſſima eſt & ſicciſſima earum quæ habi-
tantur: eā Æthiopes inhabitāt. pars terræ quæ ad Vrſam
eſt,frigidiſſima humidiſſimáq; eſt: hāc Scythæ incolūt;
hæ noſtrum habitabilem orbem terminant. quæ inter
Scythas atque Æthiopes interiacet, eius partis regiones
meridiei attributæ,tēperamento veris ſunt ſimiles:ſunt
tamen ſicciores:quæ ad ſeptentrionē pertinēt,autumni
temperaturæ comparātur:ſunt tamen humidiora. Quæ
igitur ex habitu eorum quæ deorſum vergētia ſunt re-
gionibus adiuncta,eueniunt, hæc ſunt. Eſt autem aliud
quippiam additum, quod non ex habitu exiſtit, ſed per
ſe vnicuique eorum quæ adiacent, attributum eſt. ergo
quod ex mari, campeſtribus locis aqua vacantibus, &
montibus, itémque tumulis & collibus accedit & affer-
tur,id ſicciorem conſtitutionem reddit:quod verò è flu
minibus, & omnibus aquis potui aptis emanat, humi-
diorem ſtatum facit:at quod ex ſtagnis & paludibus af-
fertur, aerem facit craſſiorem. Ex his quæ adiecta ſunt
regionibus quæ in ſicciore climate ſunt conſtitutæ,ſuis
defluctionibus humectare poſſunt, atque ita ſtatum
eum ſalubriorem reddunt:(quod Nilus Ægypto tribuit)
at humidioribus,ſtatum magis morboſum comparant.
Quæ ſiccū efficere aerem poſſunt, ſi humidioribus ad-
iungantur,proderūt: ſi ſiccioribus,nocebunt. Cæterùm
quænam regiones humidiores, quæque ſicciores ſint,
prius expoſuimus.

De plantis ſalubribus & non ſalubribus,
Cap. XVI.

EOrum quæ ex terra naſcuntur, alia ſalubres,alia nō
ſalubres defluxus habent. Quæ fructum ferunt qui
edendo eſt,ſalubria ſunt: itémque odorata, vt laurus, &
cupreſſus,& flores omnes qui ſuauem odorem ex ſe mit
tunt:& quæ ita etiam odorata naſcūtur, in quorum nu-
merum anethum, apiū, thymum,& omnia quæ tenuio-
rem reddere aerem queunt, regionibus quæ habitantur
adiacentia,referuntur. At quæcunque exorta neque fru-
ctum quo veſci poſſimus, afferunt, neque odorata ſunt,
neque attenuandi vim habent, ea ſalubria non ſunt ha-
benda: quinetiam nōnulla mortiferam euaporationem
obtinent,vt taxus. homines enim qui prope hanc arbo-
rem dormiunt,moriūtur:qui procul diſtant, non item:
quandoquidem halitus procul delatus, pleriſque de-
fluxibus aliorum commixtus,eam vim amittit.

Cognitio ſalubris exhalationis regionum,
Cap. XVII.

PRimum ſalubris exhalationis regionis ſignum ex
terra ipſa ſumitur. ea enim humore perfuſa non ſo-
lùm terrenum quid redolet, ſed ſuauem etiam odorem
ſpirat, qualem Ægyptus facit: deinde verò manè quum
domus nondum fumo & nidore eſt imbuta, odórque
eorum quæ in ciuitatem comportantur,vnà cum regio-
nis exhalatione temperatur:ex quo ſit vt vaporem quē-
dam gratum(quod in Ægypto vſu venit)è terra elatum
ſentiamus: ſique in terra quiſpiam recūbat,ibique mo-
retur,videre videatur ſeleuiorem,& ad motus aptiorem
atque agiliorem eſſe factum,cibúmque appetere. Erit
etiam tibi argumento, ſi quæ ex terra oriuntur, bene
tincta,& probè colorata,& odoratiora ſint.ac ſiquis vi-
rentes herbas intueatur, nolit aſpectum alio citò tradu-
cere: ſique arbores magis ligneæ humi incumbentes o-
ptabiliores ſint quàm ſublimiores:ſique omnia habue-
rint probè colorata & folia rite nutrita: ſique fructus
ſtatim maturos & odoratiores ferant. Iam verò poteris
facere coniecturam vtrū regionis iucundior exhalatio
ſalubris ſit ex iis animalib⁹ quæ in ea regione naſcūtur.
Pueri enim omnes floridi,& ſucci pleni,& coloratiores
ſunt:itémque catuli & cæterorū animantiū filioli nuper
in lucem editi, meliores præſtātioréſque ſunt,eóſque ſa
lubriores quàm in aliis regionibus cōſpicies. Quinetiā
ſi quæ homines reponunt,vt triticū,hordeū, cæteríque
fructus,& caricæ, & palmulæ, & cætera generis eiuſdē,

A diutius māſerint incorrupta,ſigno erit ſalubrē è regione
vaporē emitti. Sed & ſomnos ſuauiores inuenies,& ani-
mum à viſis in ſomnis nequaquam pertubari cōſpicies.

Cognitio prauæ & vitioſæ exhalationis,
Cap. XVIII.

COniectura aſſequeris vitioſam eſſe regionis exhala-
lationē, ſi terræ glebā capias, & aqua madefacias.
odor enim inde emanabit perinde ac è carbonib⁹ reſtin
ctis. Præterea quum in regionibus omnia contrà quàm
ſuprà dixerim,comperias,iam cognoſces prauā eius eſſe
B exhalationē. Si verò neceſſitas aliqua te in ea regione a-
liquod tēporis ſpaciū morari cogat,ſi in tabulatis,ſubli
miorib⁹ habitationibus morā traxeris,minimè læderis.
omnia enim quæ ex terra, aut humoribus exhalātur, in
ſublime elata,craſſiorem eorum partē in aëris parte craſ
ſiore relinquentia,concoquuntur atque purgantur.

Regiones quatenus ad ſolem pertinent,ſalubres
aut non ſalubres eſſe, Cap. XIX.

ERegionibus quæ ad meridiem ſunt,in omnibúſque
anni diebus, ac per totos ferme dies ſolem habent,
C ſunt maximè ſalubres: quæ decliues ad ſeptentrionem
ſunt,vtpote quæ non omnibus anni diebus ſolis ſplēdo-
rem recipiant, perexigua diei parte illuſtrantur,& quan
doque lux maximè inclinata, atque imbecillior eis in-
cidit, ideóq; minimè ſunt ſalubres: id quod eſt ſanè per-
ſpicuum. Nam ſi omnis quæ ad meridiem eſt ſita regio,
odoratior eſt quàm quæ ad ſeptentrionē eſt poſita, ma-
gis etiam cōcocta eſt & matura. Quin omnium quoque
arborum fructus qui maiorem ſolis partem nacti ſunt,
præſtant iis qui minoris participes fuerunt: ſunt præte-
D rea maiores odoratioréſque,& celerius matureſcunt,&
gratioris ſunt guſtus. Cuiuſque etiam arboris pars quæ
ad meridiem vergit,humidior,rarior,magis tenera,fle-
xibilior,leuior,efficacior,& fabro accommodatior eſt;
& in latitudinem plus augetur. Quæ verò verſa ad ſeptē
trionem eſt,ſiccior,denſior,grauior,difficilior ad fle-
ctendum,& fabris incommodior, minus in ambitu au-
getur. Quibus quidem fit vt non ſolùm planū ſit, quæ
ad meridiem ſunt verſæ decliues regiones,cauſa eius re-
laxationis quam habēt ad ſolem, eſſe iis quæ ad ſepten-
E trionem vergunt ſalubriores:ſed hoc etiam,eas quæ de-
cliues ad orientem aut occidentem ſolem verſæ ſunt;
minus ſalubres eſſe iis quæ decliues meridiem ſpectant:
eſſéque ſalubriores quàm quæ ſeptentrionem vergunt:
cauſa eſt quoniam magis participes ſolis ſunt quàm hæ:
ſed minus quàm ſuperiores,quæ meridiem ſpectant.

Quænam viæ ciuitatis ſtatum ſalubrem aut
non ſalubrem faciant, Cap. XX.

QVū in ciuitate viæ diſtēt æquo inter ſe interuallo,
ſemper mutua longitudine mutuáque latitudine
F protenduntur: & quæ ſunt eiuſdem ordinis,ad oriētem
& occidentem rectà ſtatuuntur: aliæ verò ad ſeptentrio-
nem & meridiem. quibus omnibus ciuitas diuiditur,vt
aliæ per totam longitudinem, aliæ per latitudinē vſque
ad fines progrediantur, nec vllum ædificium inter eas
ſingulas in ſuburbiis ſit conſtructum,ſed puras directò
vias per ſe ſingillatim habeant: hæ nanque vrbem aerē
bene comparant,& ſtatum bene à ſole illuſtratū purúm-
que,& qui bene à ventis perfletur,efficiunt:quoniā Bo-
reas & Notus,Eurúſque & Zephyrus, qui maximè ſunt
G ventorū coryphæi,ordinatiſſimi per vias defluunt quæ
directò ad eos ſunt ſitæ:ſique nihil habeāt quod eorum
defluxū retineat, per vrbē perflati & perſpirantes, nihil
violenti faciunt. nam venti quum nihil eos impediat,
nos in trāſitu latent, nec lenti ciuitatē præteruehuntur,
atque ita conſtitutionem purgant,quū fumos,puluerē,
& omnes exhalationes à ciuitate repellant: ex quo fit vt
viæ quæ ſic conſtitutæ ſunt,vrbem ſoli rectè exponant,
quia ſol exoriens & occidens in eas ingreditur,& oriens
recta eas luce complet. Quum verò medium cælum con
H ſcēdit,in omnes eas quæ ad ſeptentrionē & meridiē ver-
gunt, ſeſe pandit, ita vt totum diem viæ ciuitatis radiis
ſolis perfundantur. Si verò non omnes viæ pari inter-
uallo inter ſe diſtributæ ſint,neq; rectæ, ſed flexus quoſ
dam habeant qui percurri non poſſint, & obliqui ad

ventos ſint, multam aeris turbationē excitari cōtingit. quum enim vnus ventus ſpirat,multos fieri accidit, eóſque pugnare inter ſe:nam ventus per rectum fluit:at viæ non ſunt rectæ. Ergo incidens in eas quæ exitus non habent,ventus non ingreditur, quia ei nulla ibidem patet via:aërem verò qui in ea via eſt, collidit, & vndabundus per flexus,eáſque vias quæ exitus habent iactatur, quandoquidē aliter ab aliis atq; aliis inflectatur & refringatur. A quibus autē vibratus circumfluit, & ſæpe viciſſim fertur,in eis ad eadem loca debilis fluit, & vndoſus ſeſe iactat. A quibus verò in alios conſtitutos mittuntur,contrarias ſpirationes faciunt,vt lumen luminis reflexum:ad pares enim angulos ſemper reflectitur. Illi verò perinde atq; aqua faciunt,vt quum inter ſe in via inciderint,præterfluāt, quum rectà tranſire non poſſint. Accidit autem quandoque vt ventus qui arctè incidit, in vtrunque latus diuidatur,quum vtrinque ſint acceſſus: atque eundē rurſus aliam fluxionem pati,ſiquid tale ei occurrat:&ex vno multi fiant,& in ſeſe incidere modò è lateribus,modò ex contrariis partibus delatos, & in ſingulis viarum inclinationibus repercuſſos,ſua offenſione vehementer cæli ſtatum commouere. Aliis enim venti molliter cedunt, alia verò repercutiunt. Ex quo fit vt ſtatus ciuitatis nullo more à contrariis perflatus,perturbetur. Quum igitur vnus ſit ventus, confundetur aër & turbabitur, non ſecus quàm ſpiritus homini innatus,qui quum ita ſit,concoctiones & diſtributiones impediet. Eſſet autem huiuſmodi ſalubris: ſed lux ſolis quæ ſemper directò ab eo fertur, ſinuoſa in vias,non autem æqualis incidit,ſed ſparſè & vagè eos attingit:atque ita ciuitas minimè à ſole perluſtratur, miniméque à ſole diſſoluitur exhalatio: quocirca ſtatus ille craſſ⁹ eſt maximè,& perſpiratu difficilis:quique talis eſt, is non eſt ſalubris: quod ſolet vſu venire quum in plana regione vrbes ſunt ſitæ. Si verò inæqualitates ſint quæ vias habeant æquè diſtantes, aëris difficilis redduntur, quum contrà quàm ſitæ ſunt altiſſimæ viarum partes, vētus ſpiret: quæ verò ſinuoſas vias habent, præſtantiores ſunt:ſiquidem fit vt vrbis partes in ſublimioribus regionis partibus ſtatutæ melius perflentur,& aëre perfruātur.

Galeni,de fomentationibus,cataplaſmatis, & cucurbitulis, Cap. XXI.

Fomenta cutim ad tranſpirationes raram facere, ſanguinémque qui ineſt inflammationibus,attenuare & digerere conſueuerunt:quæ ſi facta fuerint, non ſolùm aliquid ſanguinis euacuabitur, ſed etiā affectæ partes quæ minus diſtenduntur,mitius dolore prementur. At quum ſanguis in inflammatione non minuitur vel etiam ſpiritus vaporoſus ex calore gignitur, augeri dolorem contingit. Porro ſanguis non minuitur propter ſuccorum redūdantiam quæ in toto corpore ineſt: nam ad partem quæ calefit,plus attrahitur quàm ab ea euaporetur: quum hoc ſit calefacientibus natura comparatum vt digerant id quod partibus quibus admouentur, continetur, quódque redundat ex propinquis,trahant. Humida igitur fomenta, inflammationibus iis quæ à ſuccis bilioſioribus oriuntur, cōueniunt: ſicca verò iis quas ſanguis tenuis & aquoſus excitauit. Semper enim in memoria habendum eſt,contraria eſſe contrariorum remedia. Hoc igitur propoſito, fomenta morſu vacantia ad mordentes ſuccos faciunt:mordentia verò, quòd tenuent, ad craſſos & tenaces. Cæterùm calefacere præcordia cataplaſmatis aut perfuſionibus,non eſt perpetuò tutum,ſed in iis tātùm ægris in quibus nihil ſuperuacaneum eſt in toto corpore:cæteris omnibus extrema pernicies eſt. Eorum igitur quæ in medio ſunt corpore(vt quidam vocant)prouidentia, vbi detractus ſanguis non eſt, maximum eſt planè malum: vbi detractus eſt, non maximum. quanquam ſic quoque noxia eſſe in ſynochis febribus poteſt: ſiquidem deuſta immodico calori viſcera, etiam amplius deuruntur & torrentur. Ergo huiuſmodi prouidentiam illi duntaxat requirent quibus in vna particula conſtitit putredo, ſi tamen iis quoque ſanguis fuerit miſſus. Prouidebitur autem his non ſtatim inter initia relaxando,ſed in pluri mis prorſus contrà faciendo. Quum enim adhue ad affe-

A ctum locum fluxio fertur, reprimere remittereque hanc expedit,non ad ipſum attrahere. Si verò tum fluxio humorum per ea remedia cohibetur, tum denſitas quæ ex adſtrictione in affecta particula eſt relicta, craſſiora detinet,iam tempeſtiua relaxatio eſt,vt ea quæ retenta ſunt, vacuentur. Præcipuè autem adſtringentibus eſt vtendum vbi in iecur aut ventriculum ſuperuacanea profluunt, quando & è primoribus admodum hæ partes ſunt,& munus ſuum obeant vel in ipſis morbis,eſt neceſſarium. Nō eſt autem exiguum eorum munus. quamobrē impenſius
B quàm cætera membra,ventriculus & iecur adſtringentia deſiderant. Ergo quum ea quæ iam infixa ſunt,euocandi tempus eſt, tum quoque modicè adſtringi poſtulant. Idcirco ſi vel minima ſuſpicio ſit iecur aut ventriculum laborare,abſinthium ponticum oleo protinus incoquemus,& eas particulas perfundemus. Vbi abſinthium non ſuppetit,inter initia vel melinum, vel maſtichinum, vel lentiſcinum ſatiſfecit:ſi exigua febris ſit, etiam vnguentum quod ex nardo conficitur,atque etiam aliorum medi
C camentorum in quibus miſta cum amaritudine adſtringendi vis eſt,aliquid in oleum coniicere, & ad eundem modum vti licet. Simili quoque modo & cataplaſmata compoſitam vim habeant,ex ea quæ tenuium partium eſt ac relaxet,tum verò ex amara & adſtringente: ſuperet autem in iis,vbi ſcilicet reprimere & robur addere ſtudemus,quod adſtringat: vbi incidere ac detergere, amarū: vbi euocare, quæ inter relaxantia tenuium partium ſint vel maximè:ſiquidem quæ craſſæ ſubſtantiæ ſunt, ea pus mouentibus conuenire docuimus. Vnde nec colo laborātes,nec quouis reliquorū inteſtinorum, nec muſculis qui
D ſunt in hypochondriis,aut ipſo peritonæo,miſcenda ſunt vllo pacto adſtringentia:ſicut nec quum veſica aut vterus malè habent,quum(vt dictum eſt)nihil præterea ad locū fluat, nec plenitudo, nec multa excrementa in toto ſint corpore. Renes & thorax in media prædictorum ſunt cōditione,quantum ſcilicet à ventriculi iecoriſque ſolicitudine abſunt,tantum reliquorum ſuperant. De liene pronūtiare abſolutè non licet,nec niſi prius definita tum corporis totius natura,tum verò affectione quæ curationis tempore occupauit. Nam ſi vel ægrotus ex iis ſit qui atræ bi-
E lis excrementum naturaliter congerant,vel etiam eo tempore ſuccus in eo abundet, neceſſe eſt in liene curando adſtringentia reliquis admiſceas, quò viſceris robur cuſtodias:ita enim & excrementa ad ſe trahet,& quum corpus expurgarit, ipſe rurſus per ventriculum excernet. Si nullum omnino ſit atræ bilis excrementum,aut omnino adſtringendum non eſt,aut quamparciſſimè. Non ſolùm autem in liene,verumetiam in omnibus partibus in quibus humor putreſcit, obſeruandum eſt diligenter quod ſymptoma ſit vehementiſſimum,quod ſecundo loco aut
F tertio,quò ex ipſis inuenta planè affectione, idonea eidē curatio adhibeatur. Etenim in mēbro affecto tum calor ſuperat,tum verò tumor,qui vel propter abundantiā humoris,vel propter craſſitudinem fit durus. Si igitur calor ſuperet,danda opera eſt vt ſenſim per ea quæ tepentē calorem obtinent,digeratur:cuius generis eſt tum lini ſemen, tum chamæmelum:quibus adiici vel hordei vel fabarum farina debet,quippe quorum neutrum excalfacit. Sæpe autem(vti noſti)quod medici artomeli vocant,pro cataplaſmate huiuſmodi inflammationis præparantes, aliquid
G aquæ miſcemus:ad lienem verò etiam aliquid aceti quandoque. Si verò inflammatæ partis calor non multum à natura exceſſerit,ſed magnitudo eius notabilis fuerit, digerere haud timidè ſine aqua debebis, etiam fœnigræci aliquid ſupradictis immiſcēs. Si verò veluti ſcirrhoſa inflammatio ſit propter humorum quos continet vel craſſitudinem,vel lentorem,tum aceti aliquid, tum attenuantia medicamenta ſimul immiſcebis, & præſertim in liene:hoc enim viſcus propterea quòd à iecore craſſum ſuccum trahit,eiuſmodi humoris occaſione plerunque labo
H rat:quo magis cataplaſmata quæ ex abſinthio,oxymelite, & cappari fiunt, illi ſunt idonea. Parcius verò ad pectus eſt adſtringentibus vtendum,quoniam talia humores qui inflammationem excitant, in pulmonem & cor nōnun-

quam reprimunt:ac cibis potius horum firmitudini con-
ſulẽdum eſt.Sed multo etiam magis in pulmonis inflam-
matione abſtinendum ab adſtringentibus eſt,quando in
eo ipſis quoque relaxantibus admiſcendum aliquid acriũ
& euidenter calfacientium eſt:quippe foras trahere potiꝰ
quàm reprimere in eo debemus.Itaque etiam cucurbitu-
la vtiliter iis qui ſic laborant,ſi prius fuerint vacuati, ap-
plicabitur:ſi verò abundantia ſuccorum ſit, cucurbitulis
in principio nõ vtemur:ſicut neq; etiã vlla alia re calfaciẽ
te:ſed quum nihil præterea influat, & totum corpus eua-
cuauerimus,vſúſque poſtulet vt rem inflammantem mo-
ueamus,aut amoliamur,aut foras abſtrahamus.Vbi verò
morbi exoriuntur,non ipſis membris laborare incipien-
tibus,ſed iis quæ illis continua ſunt, cucurbitulæ admo-
uendæ erunt reuulſionis cauſa.Inter initia verò quæ repri
mendi vim habent ſunt adhibenda. Sed quum in oſſibus
cranii medium occupantibus in altum deſcendere repri-
mentium vim cupimus, eorum quæ præire & deducere
ea poſſunt aliquid reprimentibus admiſcemus: eiuſmodi
ſunt quæ ex tenui ſubſtantia cõſtant.Atque acetum quidẽ
non modò tenuium eſt partium, ſed etiam non medio-
crem reprimendi vim obtinet,vnde meritò in principiis
affectionum eo cum roſaceo vtuntur:progreſſu verò tem
poris etiam ſpondylii & ſerpylli, quibus iam non modò
partium tenuitas,ſed caliditas etiam ineſt,aliquid admi-
ſcent:quo ſcilicet tempore tranſire ad ea quæ concoquãt
& digerant par eſt: atque hæc vtraque valentiora quàm
poſtulet ipſa pars inflammatione affecta,deligere:ceu vi-
ribus eorum per ea oſſa quæ interſunt, remittendis. Sanè
ad eum modum & caſtoreo vtimur, quum tamen eo in
aliis inflammationibus minimè vtamur,etiamſi in ſum-
ma declinatione ſint:eſt enim calidius id quàm vt in in-
flammationibus ſit idoneum. huic quoque medicamen-
to partium tenuitas ineſt.

Ex Antyllo,de madefactionibus,ex primo
de præſidiis libro, Cap. XXII.

MAdefactio minorem vim habet quàm cataplaſma.
iis vtimur, cataplaſmata vel propter tẽpus eis mini
mè aptum,aut propter locum,aut propter eorum vim,de
uitãtes. Ac temporis quidem ratione in principio made-
factiones adhibentur,quum eo tempore cataplaſmatum
intempeſtiuus ſit vſus: propter locum verò, in capite ma-
defactionibus vtimur in iis qui non rectè admodũ ad ca
taplaſmata ſunt affecti:propter vim denique in gracilibꝰ,
quum vires imbecillæ cataplaſmatum pondus ferre non
queant. Accommodatiſſimum autem eſt chamæmelinũ
oleum,& præſertim in iis in quibus oleũ capiti admotũ
euaporationi finem imponit, eámque quæ in capite eſt,
digerit,aliámque nõ attrahit, quod nulli præterea medi-
camento contigit.Illud ſanè ſcire conuenit,madefactio-
nes in phreneticis ſincipiti & temporibus adhibendas eſ
ſe,adhibita diligentia ne verticem & partem poſteriorẽ
attingamus:ſiquidem hæ particulæ perfrictiones non fe-
runt,quum ſint origines neruorum.quin calidas quoque
perfuſiones eis largè admouere conuenit. Noſſe autem
debemus aquam frigidam aut poſcam nouis ſpõgiis eſſe
excipiendam:vinum verò cum oleo lanis ſordidis,itém-
que hydrelæum:linamẽta verò ex linteis puris ad omnes
madefactiones ſunt accommodata.

De irrigationibus, ſpongiæ applicatione,
aſperſionéque,ex eodem libro,
Cap. XXIII.

IRrigatione vtimur vt corpora perſpergamus(hoc eſt,
balneorum vſum imitantes) quum alia circunſtantia
impediti,balneo vti non poſſumus.Quum autem hume-
ctare corpora velimus,id madefactione facere non vale-
mus,quum ea non altè admodum deſcendat. ſpongiam
verò admouemus, vt ſordem adhærentem abſtergamus,
ſiue ſanies ſit,ſiue ſanguis,ſiue ſtrigmentum, ſiue pus cõ-
cretum ſit,ſiue ipſa medicamenta, ſiue quæ inuncta fue-
rint,aut vt morſum & pruritum corpus vexãtes ſedemus.
In facie verò quum recreare & robur indere volumus,e-
iuſdem rei cauſa aſperſione vtimur. Aſpergendum verò
caput eſt in vigiliis & deliriis. ſtomachus autem atque
A hypochondria oleo calido perfunduntur: Simili quoque
modo coſtæ, ſpina,veſica, oleo calido aſperguntur:itém-
que tetanici,& iſchiadici denique.at crura eorum qui fe-
bribus diuturnis & ſiccis detinentur,ſi planè conſtiterint,
aut poſt ſudores exiccata ſint,hydrelæo perſperguntur:&
aliò traducendi cauſa crura multa aqua aut hydrelæo ir-
rigamus:quod facimus vt errantem materiam in parti-
bus ignobilioribus contineamus,quo tempore calidiore
vtimur ad morſum vſque:& finem irrigationis ruborem
& tumorem conſtituimus.Iam verò irrigamus vbi inflam
B mationes reſoluere in animo habemꝰ,aut vbi abſceſſus ci
tius ad pus perducere conſilium eſt.Aſperſione verò vti-
mur ad faciem,atque in febribus ardentibus æſtiuo tem-
pore aqua lactea:hyberno verò,calidiore,præſertim ſi ca-
put nullo malo vrgeatur.Cauenda tamen in diuturnis af-
fectionibus aſperſio eſt:ſtupefactionis enim & frigidita-
tis periculoſæ initium faceret. Debet autem is cui adhi
betur aſperſio,ore contrà flare,ne à perfuſione impleatur,
ſed illi occurrere ſpiritum obiiciendo. ſpongia quoque
ſicca mẽto adhibẽda eſt,ne aqua ex perfuſione in pectus
C confluat.Quãdoque verò etiam poſca aſpergimus,& præ
ſertim in febribus ſimplicioribus, & quæ nihil maligni
habent. Ad oculos verò deſtillantes decocto nucum pi-
nearum confractarum vtimur. hyberno tempore ad ve-
hementes chemoſes, fœnigræci albi decoctum adhibe-
mus,in quo bis térve decoctum eſſe fœnumgræcum de-
bet,ita vt prima decoctio abiiciatur,& vltima nobis vſui
ſit vt perfundamus. Spongia autem applicatur quæ eadẽ
materia ſit imbuta,ex qua conſtat etiam aſperſio:ſiquidẽ
ſimilẽ quoq; vim habet. ſed abluẽdi & abſtergẽdi cauſa,
D ſpõgia ex aqua calida ſatis eſt. quãdoq; etiã medicamẽtũ
quoddam quod abſtergendi vim habeat,aut aqua reſolu-
tum,aut antequam ſpongia admoueatur,inunctum,vt ni
trum,aut aphronitrum, aut aliquod his ſimile conuenit.
In febricitantibus in quibus ſpongia vtendum eſt, ex a-
qua frigida id facimus: in incremento tamẽ id vitamus:
at in ſtatu vel declinationibus audacter hoc remedium
adhibemus.Muſculi itidem qui ad aures ſunt,oleo illinẽ-
di ſunt.in meatus verò auditus & nares oleum indendũ
eſt ne refrigerentur. Archigenis autem ſententia eſt,in ar-
E dentis febris exceſſu,ſpongia non faciem tantùm, ſed pe-
ctus etiam in vigore fouẽdum eſſe:at in intempeſtiuis in
ſomnum propenſionibus faciem, nitro in aqua eliquato
perſpergendam:totum verò corpus in valde ſiccis & ar-
dentibus febribus ex hydrelæo,expectantes acceſſionum
conſtitutionem,ſpongia perfundimus.

De cataplaſmatis ex eodem libro,
Cap. XXIIII.

INflãmationibus quæ neque madefactiones neque
emplaſtra recipere aptè queunt,quum delicatiores ſint
F quàm vt horũ applicationes ferant, potiſſimum catapla-
ſmata conueniunt Ex cataplaſmatis autem alia calfaciũt
& digerũt,alia refrigerant,adſtringunt,& reprimunt:aliá-
que ſine aqua, alia ſine decoctione,& alia cocta parãtur.
Quæ autem non decoquuntur,pinſa nominãtur:quorum
apparatus terminus eſt,vt valde læuigata & in vnum con-
ducta ſint,& non inquinẽt, & non defluant. Coctis verò
non eſt ſtatutus terminus vt non inquinent, id quod e-
tiam fieri poſſet ob copiam rerum ſiccarum quæ humidis
imponuntur, quæ miſcendo & vniendo vires ſuas in ea
G fundunt. Præterea variis cataplaſmatis vtimur tum pro-
pter locorum varietatem ea poſtulantem,tum propter af-
fectiones quæ neque omnes, neque omni tẽpore eadem
cataplaſmata requirunt.Ergo decoctis vtimur ad commu
nes hypochõdriorum inflammationes.Ex decoctis maxi-
mè in promptu eſt commune, quod luteum appellamus.
In aquam lini ſemen & pollinem inſpergimus,& poſt de-
coctionẽ oleum infundimus: ſique humectare hypochon
dria quæ ſicca ſint,velimus,pollinem adhibemus: ſi mol-
lire,pro polline panem lini ſemini commiſcebimus:ſi ca-
H lefacere vehemẽtius velimus, hordeaceum panem ſemi-
ni lini addemus: ſi calefacere & ſiccare, fœnumgræcum:
ſi calefacere & euocare,furfures:ſi verò flatus hypochon-
dria infeſtent,lini ſemen cum cymino eodem modo de-

coĉto ſuperdamus.ſi diſſolutus ſtomachus ſit,emplaſtrum
polēta capiat: ſi non appetat,& imbecillus ſit,abſinthii co
ma prius decoquatur, tum ei decoĉto polenta commiſce
tur in iis qui ſunt mirum in modum delicati: eam tamen
non ſiccam,vt lini ſemen, aut pollinē, aut fœnūgræcum,
indimus, ſed eam pingui melicrato decoquimus, deco-
ĉtum colo traiicimus, idque quod traieĉtum ſit,infundi-
mus, tum coquimus vſquedum cōſiſtat. Si verò febris ad-
iunĉta ſit, pollinem in oxymelite coĉtum eodem modo
imponimus:ſi laxum œdema ſit, farinæ fabarum cumi-
num Æthiopicū miſcemus: ſi ſcirrhoſum ſit,id quod ex
ficubus conſtat imponimus, quod ita conficitur: Ficus
abſque ſeminibus contunduntur,& ita læuigata vino dul
ci incoquuntur: quibus parum nitri in læuorem redaĉti
additur.ſi lien valde obduruit, ſic⁹ oxymelite decoquun-
tur.Iecori inflammato fœnumgræcum melicrato deco-
ĉtum, & panis cum lini ſemine prodeſt.præſtantius quo-
que eſt ſi eryngii ſemē accedat. Ad inteſtinorum inflam-
mationes facit quod ex lini ſemine & polline conſtat: ad
eorundem verò defluĉtiones, id quod ex milio cōficitur:
ad veſicam verò lini ſemen cum roſmarino. Pudendis
incommoda ſunt pinguia, proſunt autem adſtringentia:
quale eſt quod ex malicorio paratur.malicorium verò a-
ridum tuſum vino inſpergi debet, eique admiſceri galla
contrita.valet ad idem quod ex lentibus fit, ita vt lentes
prius aqua decoquātur,deinde læuigētur,tum mel eis ad-
datur.Pudēdis quoq; cōueniet id quod polentam recipit,
ſaliſque expers eſt,& vino incoĉtū. Ad tumores verò la-
xos aquæ inter cutem facit vua paſſa cum acinis trita,vnà
cum ficubus pinguibus in melicrato decoĉta: huic autem
ſtercus caprinum ad exiccandum additur,& magis iuuat.
Obſeruatum quoque eſt, gypſum vetuſtum, & præſertim
quod longo tempore in cataplaſmate tritum inueterarit,
cum ficubus & nitro rubro in vino mulſo decoĉtum face
re. Si coxendix & teſtes inflammatione tententur,ſi ea ex
chirurgica aliqua adminiſtratione, aut manifeſta cauſa
exorta fuerit,communia cataplaſmata imponentur:quum
verò per ſe nata fuerit, œdematáque adiunĉta habeat,fa-
rina fabarum cum vua paſſa pingui in melicrato decoĉta
proderit:quandoque etiam lomenta fabarum decoquen
tes, poſtea læuigamus, & cum melle & cumino catapla-
ſmatis inſtar obducimus.Inflammationes verò quæ in par
tibus ſunt, pane melicrato incoĉto mitigamus.ſed ſi fe-
brim inuehant,decoĉta refrigerātia ei pani admiſcemus,
vt decoĉtum plantaginis, herbæ ſanguinalis. Si defluĉtio
accedat, adſtringentia addimus,vt decoĉtum rhois,rubi,
lentiſci,malicorii, gallæ.In iis verò inflāmationibus quæ
reſiſtunt, duræque ſunt, panem in decoĉtum maluæ, aut
fœnigræci, aut lini ſeminis iniicimus.

De cataplaſmate quod citra aquam conficitur.

Cataplaſmata quæ ſine aqua parantur, ex melle &
reſina terebinthina, aut ex vtriſque componuntur. Mel
autem atque reſina prius coquenda ſunt, quibus ſicca in-
ſperguntur,vt in humidis cataplaſmatis fit. in humidis e-
nim relaxantur:at in iis quæ aquæ ſunt expertia, nequic-
quam taĉtu faciliora,& molliora decoquendo fiunt. Hoc
quoque ſcitu dignum eſt, in humidis opus eſſe conco-
ĉtione,poſtquam ſicca fuerint inieĉta:in his verò vbi mel
& reſina ſatis coĉta fuerint, ſicca imponi, nec præterea
coquenda: ſiquidem vis ſiccorum in melle frigeretur, &
euaneſceret. Lini ſemen imponatur hiſce cataplaſmatis,
quum ab igni fuerint amota. Conueniunt autem hæc ca-
taplaſmata iis quos refrigerari veremur,aut in quibus ca
uemus nequid humefiat, & iis quos diutius calefacere &
exiccare, & defluĉtionē cohibere volumus.Præcipuè igi
tur hiſce continenter ad hypochōdria ſiue cum febri ſiue
etiam ſine febri vtimur.nam liquida cataplaſmata ſunt
his quæ arida aut aquæ expertia nominātur,exiguo tēpo
poris ſpatio valētiora: humor enim qui eis ineſt, tenuior
eſt,& diſſoluit, atque ita facilè deducit vim ſuam in cor-
pora. Ac nemo eſt qui ſatis ſanus ſit qui cataplaſmata cō-
tinēter mutari deleĉtetur.modus autem eſt, vt temperata
imponantur. Vtendum ergo eſt hiſce quæ expertia ſunt
aquæ, quum volumus (vti diximus) totum diem totám-
que noĉtē cataplaſma loco adhærere: & in hypochōdriis,

A & iis qui cōtinenter exudāt,inflammationibúſque vrgen
tur:itémque vtilia ſunt iis qui pondus ſuſtinere non poſ-
ſunt: atque etiam in iis qui ſic perfrigerantur vt calefieri
non queant.

Ex Lyco,de cataplaſmate ex fermento,

Cap. XXV.

HOc cataplaſma ad diffundendū liquandúmque com
paĉta valentiſſimum eſt:nam & dothienas iuuat, &
ſuppurationes quæ tardius ad commutationem progre-
diuntur,promouet,& ſurculos educit,& duritias maturat,
B & plantarum pedum contuſiones ſanat. Variis autem mo
dis conficitur.nam vel fermentum oleo mollitur: itaque
facit ad dothienas, ad artuum alienationes: aut,ſi effica-
cius facere velis, nitrum tritum commiſcetur, quo ad
ſcirrhos admodum vtiles vtimur. Eſt quandoque quum
fermentum diffundimus, & rurſus ipſum decoquen-
do componimus, eique aut olei parum, aut irinum vn-
guentum addimus.quin aliter etiam paratur:Fermentum
aceto ſubigitur, vt ad ſucci craſſitudinem redigatur:(id
quod ſcirrhis qui in iecore & liene ſunt, aptum eſt)aut ei
C coma abſinthii,aut iris,aut abrotonum, aut thymum, aut
pulegium admiſcentur: ſiquidem hæc omnia fermento
adiunĉta ſcirrhis iecoris & lienis conueniunt.

De cataplaſmate quod ex pane conficitur,

Cap. XXVI.

CAtaplaſma quod ex pane fit,ad omnia fere valet.nam
omnibus propemodum inflammationibus conue-
nit.multis id quoque modis conficitur.in aqua frigidiſſi-
ma panis immergitur,& cum roſaceo ſubigitur, atque ita
imponitur. Conuenit autem ſic concoĉtum cataplaſma
D inflammationibus iis quæ eryſipelatis naturam referunt:
aut pro aqua,ad eius cōfeĉtionem poſca vtimur:ita enim
accommodatius eſt inflammationibus eryſipelatis natu-
ram imitantibus.aut etiam aqua calida maceratur, & ſi-
mul cum oleo emollitur, tum panis calidus admouetur:
conuenítque eo modo durioribus & feruentibus inflam-
mationibus:vel loco olei butyrum indes, & ad eaſdem af
feĉtiones accommodatius conficies. Fit etiam ad hunc
modum: Panis aqua diſſoluitur, vt cremoris conſiſten-
tiam acquirat, eique oleum aut butyrum admiſcetur,
E deinde coquitur donec conſiſtat. Hoc eorum omnium
quæ quidem ego nouerim, eſt maximè ad vulnerum in-
flammationes accommodatum, & ad ſuppurationem ce-
lerrimè excitandam,vbi ea opus eſt:quúmque neruus,aut
neruea pars aliqua cōtuſa fuerit, tum ego parum liquidæ
picis admiſcens, cataplaſma perutile confeciſſe me noui,
quod eſt etiam inflammationibus idoneum quæ ex po-
dagra excitantur. Alia quoque conficiendi ratio eſt. He-
ſterni panis medullā manibus cōterere oportet: vbi verò
ad farinæ ſimilitudinem ſit redaĉta, ei farinæ mel admi-
F ſcendum eſt,& coquēdum donec mediocrem conſiſten-
tiam nanciſcatur:vbi ſatis eſſe coĉtum videatur, oleo affu
ſo miſcendum. Prodeſt hoc hypochondriorum inflam-
mationib⁹: ſed præſtantius eſt ſi melli parum aquæ fuerit
adieĉtum: farina enim coquendo magis diffunditur.
Iam verò quod ex tritico & triticea farina conſtat, ea-
dem ferme poteſt efficere,& totidem quoque modis con
ficitur.

De cataplaſmate ex furfure,

Cap. XXVII.

G FVrfures ita parantur, vt ſæpe ſtringantur & preman-
tur,donec in tenuiſſimas partes abeant:aut in morta-
rio teruntur,& cribo traiiciuntur. Vtimur autem ad ſcir-
rhos qui in quauis corporis parte conſtiterint, præcipuè
verò in iecore atque liene. Paratur autem cataplaſma ex
oxymelite: aut etiam ammoniacum admiſcemus, & cali-
dum admouemus: ſed melius erit ſiquis alterum alteri
addat, vt nunquam refrigeſcat.ſi verò teſtes inflamma-
tione tentabuntur,hoc cataplaſma erit vtiliſſimum,quod
H ſine aceto erit conficiēdum. Facit etiam ad dothienem &
cæteros furunculos.Mirificè verò proſunt furfures contra
animalia venenum iaculantia, ſi aceto madefaĉta & im-
buta inuicem imponantur.

De cataplaſmate quod ex farina hordeacea fit,

Cap. XXVIII.

Cataplaſma quod ex hordei farina conficitur, valet contra duras muſculorum inflammationes, quas vel diſſoluit, vel facilè ad pus perducit. hoc ita fit: Farina debet pollen eſſe, & in melicrato coqui: mel autem plus eſto; aqua verò parcior; adeò vt ipſa ſola farinam ipſam indomitam coquendo diffundat: ſiquidem hæc non perinde vt triticea, facilè diſſolui poteſt. A

Altera confectio, & ad eadem faciens.

Maluæ radix aut ipſa herba, poſteaquàm decocta fuerit, vnà cum melle terenda eſt: quúmque fuerit diſſoluta, cum farina coquitur. hæcque confectio maximè facit ad vtrúmque, & ad molliēda ea quæ hactenus dura fue runt, & ad pus perducendum. Vbi verò ſatis coctum fuerit, etiam pannis exceptam, tunc oleum affundendum eſt: ita enim gratioris coloris erit, & dum aufertur, à pannis cuti affixum non relinquetur. Cæterùm & ad cõuulſiones & ad tetanos hoc ita paratum faciet: ſed in aqua in qua farina coquenda eſt, prius rutæ aut cucumeris agreſtis radix, aut lauri baccæ, aut ſampſuchum, aut iris decoquenda ſunt. Erit etiam accommodatum ſi poſt coctionem cataplaſmati addatur: & totum pannum illinere, & ita toti ſpinæ ſuperdare, ac melius erit etiam ſi cataplaſma caput comprehendat. In pleuriticis verò aut peripneumonicis, abrotonum aut lauri baccæ prius in hydromelite incoquuntur, tum farina additur: ſi verò ſcirrhus viſcera obſideat, ammoniacum, aut terebinthina & nitrum additur: & quandoque acetum, quum inteſtina ſunt inflammata, admiſcetur. Vbi verò veſica, tum acetum, tum verò etiam ruta addi ſolet. B C

De cataplaſmate ex lini ſemine, Cap. XXIX. D

Cataplaſma ex lini ſemine confectum, omnes inflammationes quæ in quauis corporis parte obortæ fuerint, iuuat: ac præſertim ſi cum eis dolores quoque vehementiores ſint coniuncti, vt quum tangas dolor augeatur. Hypochondria verò inflammatione obſeſſa ſiquis hoc cataplaſmate velit obducere, ita conficiet, vt poſteaquàm mel ferbuerit, ſemen in tenuiſſimam farinam redactum ei miſceat.

De eo quod ex polenta conficitur,

Cap. XXX. E

Pollen ex polenta fit, ſubigitúrque ſucco clauicularum vitis, aut polygoni, aut pomorum. ſanat hoc nauſeas & exæſtuationes. Si verò polenta in melle coquatur, ſálque aut nitrum adiiciatur, hydropicis erit accommodatum. Idem ad teſtium inflammationes, ſine ſale tamen & nitro, faciet.

De cataplaſmate ex fœnogræco,

Cap. XXXI.

Farina ex fœnogræco confecta, non eſt ad multa vtilis: nam inflammationibus non conuenit: at ſcirrhoſis affectionibus, ſi lini ſemen aſſumpſerit, idonea erit. Sed fœnumgræcum alio modo apparatum, erit ad multas res vtile. Aqua igitur decoquitur longo tempore, donec ſatis coctum ſit: tum aqua effunditur, fœnumgræcum verò iterum læuigatur, & mellis quod ſatis eſt, ei miſcetur, quúmque rectè cum melle fuerit ſubactum, læuigatum vſque decoquitur dum fiat tam craſſam quàm epithema. Hoc ita confectum vtile eſt ad multa perinde ac plurima epithemata, & ferme ad omnes inflammationes facit quæ extrinſecus oriuntur. F G

Ad hypochondria, inteſtina, atque vterum.

Ad hypochondria verò, inteſtina, vterúmque probè facit. quum autem decoctum, & in læuorem redactum (vt diximus) loco mellis iterum in aqua decoquitur, oculis & ſedi inflammatis conuenit: atque etiam efficacius ſi ſertulam campanam capiat.

De cataplaſmate ex alica, Cap. XXXII.

Avrium naſique contuſiones, alica vtiliter obducimus. Eſt autem decoquēda & læuiganda. eáque præſtantior fiet ſi gummi & thuris parū ei miſceatur. Eſt non ſecus efficax alica ad dothienas, ad lichenas, & ad ſcabiē. H

De cataplaſmate ex millio, Cap. XXXIII.

Conficitur hoc cataplaſma eo modo quo etiam ex lini ſemine parari docuimus. Valet hoc ſi ventris defluxus dolorem afferat, & œdema ſubſit. Si verò picem liquidā aſſumat, iſchiadicis vtile reddetur. Aqua verò, acetóve, aut poſca exceptum, cōtra morſus ſcolopendræ efficax eſſe obſeruatum eſt.

De cataplaſmate ex ficubus, Cap. XXXIIII.

Multiplex omnino eſt huius cataplaſmatis confectio, & ad multa itidem valet. Ficus ergo ipſa, & ſemen, quoad eius fieri poteſt, teruntur: quum hoc feceris, parum irini vnguenti manſuetudinis cauſa adiungitur. Facit hoc ad duritias neruorum, ad articulos contractos, aut plus iuſto relaxatos: & ad ſcirrhos, præſertímque lienis, & ad eos quoque qui in iecore ſunt, valet. Si verò nitri parum addas, ſinus rumpet, aculeóſque extrahet. Si dénique ficubus ita paratis miſcueris pulegii, aut origani, aut thymi, aut abſinthii comam minutiſſimè tritam, hydropicis conueniet, eritque totis hypochondriis, lumbis, & toti dorſo ſuperdandum.

Alia confectio.

Ficus coquuntur vſquedum facilè diſſolui poſſint; deinde læuigantur, & in eadem aqua decoquuntur in qua decoctæ prius fuerant, tum hordeacea triticeáve farina, aut panis, eiſdem admiſcetur, & diligentiſſimè ſubiguntur, & iterum ad cataplaſmatis conſiſtentiam decoquuntur. Facit hoc ad tubercula quæ non facilè maturreſcunt, & ad parotidas quas deducere ad ſuppurationem oportet, & ad dothienas, ſi quum quis vti velit, butyrū addat. Si verò rutæ folia trita miſceantur, dolores inteſtinorum à flatu excitatos iuuabit. Oleū porro aut pinguedo admiſceatur, quum ruta aut cuminum incoquitur.

De cataplaſmate ex lomento fabarum,

Cap. XXXV.

Coquitur lomentum fabarum ad conſiſtentiam, tum cyminum non admodum tritum additur, fitque cataplaſma quod teſticulis inflāmatis aptiſſimum eſt. Idem faciet ſi narciſſi fructus in tenuiſſimas partes redacti parum indideris. Cæterùm ad vetuſtiores teſticulorū inflāmationes ammoniaci portiunculam admiſcere cõueniet.

De cataplaſmate ex lupinis, Cap. XXXVI.

Tenuiſſima lupinorum farina cum melle, aut per ſe lini ſemine decoquitur, éique oleum non multum adiūgitur: fitque cataplaſma ad helminthas lumbricos ac commodatum.

Alia eiuſdem cataplaſmatis confectio.

Lupini ex aqua decoquūtur, vt facilè læuigari queāt, éiſque fel taurinum adhibetur, & abrotoni coma tenuiſſimè trita additur: valétque ad idem, éſtque aduerſus helminthas efficax medicamentum. Quum decocti lupini fuerint, melanthium læuigatum, & mel admiſcentur, ac ſimul omnia læuigantur, & iterum decoquuntur.

De cataplaſmate ex lentibus, Cap. XXXVII.

Lens coquitur, aqua effunditur, multùm læuigatur, roſaceum aſſumit. epithema præſtantiſſimum pudendorum inflammatorum efficitur. Cum rubia verò & pane addito egregiè facit.

Alia conficiendi ratio.

Punicæ inanes partes cum lentibus incoquuntur, & vtrunque ſimul valde cum roſaceo læuigatur. Si panis eis accedat, mitius cataplaſma fiet. Hoc conueniet vbi cruſtæ ex igni excitatæ fuerint, & vbi vlcera depaſcantur, ac præſertim in pudendis. Sed ſcire par eſt, quum inflammatio dominatur, maiorem panis copiam indēdam eſſe: quum verò vlcus depaſcens maius periculum minatur, minorem panis portionem adhibendam.

Alia confectio.

Tenuiſſimam lentis farinam, & punicæ corticem tenuiſſimum oxymelite mediocriter decoquimus, & apponimus. Acetum non ita multum eſſe debet: ita enim epithema fit quod non facilè diſcinditur: facítque ad nomas & defluctiones.

Alius apparatus.

Lenticula incocta cum beta vnà læuigatur. Valet hoc ad vlcera quæ circa caput ſunt: itémque ad ſerpentia vlcera, ſi cum defluxu inflammata fuerint.

De cataplaſmate ex eruo, Cap. XXXVIII.

Erui farina ex melle decocta, ad carbones, ad cruſtas ex igni excitatas facit, & vlcera quæ depaſcuntur

repurgat.Eruum quoque per ſe,& tritum pari modo quo lẽtes,mitius cataplaſma conficit:ſi verò maceretur & tene rũ fiat vt læuigetur,facilius cataplaſma cõpones. Præterea mitius quoque cataplaſma ex eo ita parato conficietur, quod fit ad cruſtas abolendas, aut carbones, & depaſcentia vlcera purganda accommodatius: quod idem ad eorum inflammationes non erit inutile.

De cataplaſmate quod ex ciceribus fit,
Cap. XXXIX.

QVod fit ex ciceribus,id hydropibus quos tympanias vocant,idoneum eſt. Hæc autem eius eſt confectio: Rutæ viridis folia læuigantur valde admodum, deinde ſubiguntur,tum melle decoquuntur. Iis decoctis cicerum farina adiicitur.

De eo quod ex palmulis conſtat,
Cap. XL.

PAlmulæ cõculcatæ modico vino perſperguntur,eiſque pollen polẽtæ commiſcetur:ſtomacho autem faſtidio oppreſſo hoc imponitur. Si verò huiuſmodi palmulæ tibi non ſuppetant, aliæ pinguiores confricentur, vinóque macerentur adeò, donec humore vini perfruantur, tum contunduntur & læuigantur. Additur poſtea pollen polentæ,itáque conficitur,atque ad eadem valet. Quinetiam ſi inflammatio quædam ſimul hypochondria obſideat,hoc cataplaſma ad eam multum facit. Parum nanque mellis cum palmulis coquitur, ac denique lini ſemen in læuorem redactum ei adiicitur.

Aliud.

Palmulæ vino admiſcẽtur,& cum eis myrti folia tenuiſſimè trita ſubigũtur:idque vlceribus iis quæ per ſe in cute erumpunt,accommodatum eſt.

Aliud.

Ex papaueris foliis tenerrimis ſuccus exprimitur:in eo palmula conculcata diffunditur: fitque cataplaſma oculis dolentibus aptum.

Aliud.

Palmulæ in aqua diluuntur,& cum exiguo melle coquuntur, & rhus coriariorum aridum tenuiſſimè tritum inſpergitur,itémque lini ſemen læuigatum. Valet hoc ad tormina inteſtinorum, & vehementes ſanguinis eruptiones poteſt ſiſtere.

De cataplaſmate ex acerdis,
Cap. XLI.

OEdemata laxa in articulis tũ alibi,tum vel maximè in genibus naſcũtur,eáque non admodum facilè ſedantur. Fotis ergo prius locis muria aut marina, cataplaſma imponitur quod ex agreſtib⁹ acerdis fit, fructu eorum ſimul contuſo:eſt enim hoc cataplaſma friabile, ideo pannis valde affigendum eſt,vt permaneat.

De cataplaſmate ex lolio,
Cap. XLII.

LOlii farina ita parata vt in cæteris ſuprà diximus, ſatis fecit hydropibus, calce tamen inſperſa: ſiquidem hæc euocat ac digerit, & ſcirrhum minuit,ſiue is lienem, ſiue etiam iecur occupet. Si verò quis continuò vtatur, is etiam diuturna œdemata articulorũ & genuum curabit. Cæterùm lolii farina ſulfuri admixta,tumoribus aurium laxis conuenit.

De cataplaſmate quod ex papauere fit,
Cap. XLIII.

PApaueris tenera folia læuigantur,fitq; cataplaſma oculis inflammatis dolẽtibúſque accommodatum: ídque ſedi & capitis doloribus prodeſt, & podagricos dolentes iuuat. Vitellus itidem oui coctus ſimul læuigatur, & ad eadem efficax redditur. Lini ſemini molito,aut pani,aut pſyllio commiſta & ſubacta, faciunt cataplaſma ad eryſipelas præſtãtiſſimum. Siquis eorum ſuccum vitellis ouorum admiſcere velit, aut pani,aut lini ſemini, aut pſyllio, is optimum medicamentum ad eadem parabit. Id etiam ita apparatum,ſomnum cõciliat,ſi capiti admoueatur. Si verò papaueris caput quod liquidum ſit &probè coctum, his æquè ac folia admiſceatur, fiet cataplaſma ad eadem valens: vt etiamſi ex ipſis capitibus ſuccus exprimi poſſit, iſque perinde vt ſuccus foliorum indatur, ad eadem faciet.Ipſum quoq; papauer ſiccum parum vnà cum ſemine decoctũ,vt tenerum fiat,in mortario tunditur, vt in cataplaſmatis formam ſe induat.humor verò coquendus eſt, ſiue aqua,ſiue oleum ſit.Facit ad eadem ſiue ſolũ papauer ſuperdetur,ſiue alicui prædictorum commiſtum. Humor quoque in quo papauer decoctum fuerit,alicui eorũ quæ diximus miſtum,eadem præſtat. Caput verò ſiccum vnà cum ſemine contuſum & concuſſum,ſi alicui eorum quæ ſuprà ſunt allata, commiſceatur, ad eadem valebit:ſique adiungatur iis quæ fluentem aluum cohibẽt, medicamenta reddet efficaciora.Fiunt non ſecus quàm ex foliis cataplaſmata quoque ex floribus papaueris, quæ ad eadem faciunt.

De cataplaſmate ex bulbis,
Cap. XLIIII.

BVlbi aſſati atque impoſiti,cruſtas quæ ex adurentibus ortæ ſunt,facilè amoliuntur.Iidem ad carbones ſimili quoque modo faciunt. Superdãtur etiam bulbi vtiliter maculis,lentiginibus,ephelidibus,& cæteris quæ in facie naſcuntur: ferenda tamen moleſtia eſt, quam affert cataplaſma. etenim colorem rubrum reddit, & extimam cutim excoriat:ſed non multo pòſt cutis renaſcitur, nec vlcus vllum fit, & macula enaneſcit. Facillimè quiſpiam id ſuſtinebit,ſi poſtquam bulbos admouerit, faciẽ pane obducat.Cæterùm panis roſaceo illinendus eſt.

De cataplaſmate ex porris,
Cap. XLV.

VBi ex iis quæ adurunt, cruſtæ concitatæ ſunt,ibi folia porri ſuperdata facillimè cruſtas auferunt: vehementer enim contunduntur, & ſalis non multum eis admiſcetur.atque hoc cataplaſma eſt remedium ad carbunculos efficaciſſimum.

De cataplaſmate quod ex lactuca conficitur,
Cap. XLVI.

QVum ex calore caput dolet, lactucæ folia cõtunduntur, & fronti admota valde iuuant.Sit autem ad hoc faciendum lactuca eius generis quæ liquorem candidum denſúmque emittat.atque hoc cataplaſma ſomnum quoque inducit. Si verò interim dũ contũditur aceto reſpergatur,etiam eryſipelati quod vlceris expers ſit conueniet.

De cataplaſmate ex hyſſopo & pulegio,
Cap. XLVII.

HYſſopi herba ſicca contunditur & quatitur vt tenuiſſima reddatur,coquitúrque cum ſeminis lini farina, & cataplaſma pectori accõmodatum conficitur: valétque ad eos qui propter lentorem ſputa non facilè educunt & excreant. Vtile quoque eſt ad ſcirrhum iecoris. Ex pulegio verò non ſecus fiet cataplaſma, & ad eadem valebit. Sed eo quod ex hyſſopo conſtat,hoc erit vtilius.

De cataplaſmate ex ocymo,
Cap. XLVIII.

CAtaplaſma quod ex ocymo fit, aduerſus ictum ſcorpionis valet.Ipſum enim ocymum contunditur, nec aliud quicquam ei adiungitur, niſi quiſpiam parum acetĩ velit eidem affundere.

De cataplaſmate ex mentha,
Cap. XLIX.

MEntha ſicca cõtundenda eſt donec tenuiſſima fiat: miſcetúrque aut lini ſemini, aut hordei farinæ, aut pani alicui generis eiuſdem, eique parum mellis accedit vt hæc cohæreant, fitque medicamentum aduerſus helminthas moleſtiam afferentes. Idem quoque cõueniet tuſſibus in quibus propter lentorẽ difficulter humores educantur.

De cataplaſmate quod ex ficu ſylueſtri fit,
Cap. L.

FIcus agreſtis (quæ & trifolium & aſphaltium dicitur) ſuperdata iis quos ſcorpio vulnerauit,mirabiliter prodeſt:id quod ego quoque ſum expertus.Ea contundenda eſt,atque imponenda.

De cataplaſmate ex braſſica,
Cap. LI.

BRaſſica contuſa pollini triticeo additur. Si verò quis non ipſam braſſicam, ſed ſuccum pollini admiſceat,

is cataplaſma conficiet quod eryſipelati & ſtrumis re- A centibus conueniet: eas enim graciles reddit atque extenuat. Mammis quoque ex partu ſucci plenis,& dolentibus, & timorem eruptionis incutientibus, vtiliter admouetur.

De cataplaſmate ex malua,

Cap. LII.

MAlua decocta ſiue cruda, pani aut pollini farinæ miſcetur,fitque cataplaſma moleſtis inflammationibus aptum, eáſque interdum ad ſuppurationem perduxit. B

De cataplaſmate ex beta,

Cap. LIII.

BEta & cocta & cruda,ad ichores, & herpetes,& lichenas,& porrigines, ſi caput arefaciant, ſuperdata mirum in modum accommodata eſt.

De cataplaſmate ex radicula,

Cap. LIIII.

RAdiculæ ex modico ſale contuſæ,& admotæ, ad ecchymomata, hoc eſt, quum ſanguis in loco contuſo collectus eſt,faciunt.Si ergo ex re aliqua extrinſecus incidēte id eueniat,ſiue ex ſenectute in tibiis & ſuris oriatur, radiculæ ad priſtinum ſtatum colorem redigentes, medentur. Siquis verò ſuccum radicularum pani & modico ſalis admiſceat, is etiam ad ecchymomata medicamentum vtile parabit.

De cataplaſmate ex pſyllio,

Cap. LV.

PSyllii ſemen neque mola frangere, neque contundere poſſumus,ſed aqua ei affundenda eſt, & manibus agitandum:ſiquidē ita & glutinoſum,& emplaſtri inſtar efficietur.Facit hoc ad eryſipelata: éſtque ſæpius commutandum.Prodeſt idem ad ſtrumarum inflammationes: nam vel ſtatim eas ſedat,aut quammaximè leuat.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM liber decimus.

Ex Galeni commentariis,de facultate atque vſu dulcium balneorum

Cap. I.

C BAlneorum quæ ex aquis dulcibus calfactis ſunt, facultas eſt,ſi tēperatæ ſint,humida & calida: ſi tepidiores, humida & frigida: ſi iuſto calidiores fiant, calida quidem, ſed non perinde humida: ſiquidem horrere corpora contrahique eorum meatus cogūt,ita vt nec externo humore perfrui, nec excrementi quod intus latet, emittere quicquam poſſint.Enimuero quæ temperatæ ſunt, per ſe ſemper calefaciunt & humectant. Euenit tamen ex accidenti aliquo,vt D aut per alitū humiditates digerāt,vel corporis particulas fluxione ſuperuacanea repleāt,aut molliāt,aut cōcoquāt, aut vires firmēt,aut infirmēt:ad quæ non parum quātitas aquæ confert.Totum autem balneum ex partibus inter ſe facultate differentibus conſtat:ſiquidem ingredientes in aëre calido verſantur, poſtea in aquā calidam deſcēdunt: mox ex hac egreſſi,in frigidam:poſtremò ſudorem detergent.Poteſt autē prima eius pars totū corpus æquè calfacere,materias fundere, inæqualitates æquare, cutim rare facere,& multa quæ ſub hac antè detinebātur, euacuare. E Secunda verò pars vbi quiſpiam in ſicca affectione corporis ea vtitur, poteſt madorem vtilem ſolidis partibus indere. Tertia verò balneorum pars, & totum corpus refrigerare,& cutem denſare, & vires firmare poteſt, quarta verò corpus per ſudores citra noxam refrigerationis euacuare.Quum hæc igitur in homine facere poſſit dulcium aquarum temperatum balneum, & præter hæc etiam, ſiquis intempeſtiuè lauetur, horrores & cutis denſitatem, danda nobis opera eſt vt omnia deinceps diſtinguamus. multos enim eorum qui cruditate laborant, plures verò F eorum in quibus mordentium excrementorum ineſt copia,omnes præterea qui vel in febris ſignificatione, vel in accenſu,vel in ſtatu ſunt,præter admodum paucos,ſiue hi ſint in balneum ingreſſi, ſiue in calido ſole ſint morati,ſiue exercitationes, frictiones, geſtationéſque tentauerint,meritò contigit horreſcere: hæc enim ſingula confertim & impetu agi excrementum cogit. Quum igitur eorum qui lauantur,denſa adhuc cutis ſit, hæc excremēta detenta atque aceruata mordere neceſſariò coguntur: G qui verò opportunè in balneum fuerint ingreſſi, eos omnia prius memorata conſequi neceſſe eſt. Ac vacuatio quidem excrementorum omni febri eſt vtiliſſima, itémque rarefactio & relaxatio:fuſio tamen & calor non item, ſed calor eſt omni febri inimicus. at fundi æqualiter ſolidis quidem animalis partibus non eſt alienum. Succis certè non eſt vtile perpetuò: ſed quoties in animante vel inflammatio quæpiam aut affectio inflammationi ſimilis conſtitit,aut plenitudo eſt,tunc inimiciſſimum eſt: inflammationes enim quum calefacti & liquati ſucci ad ipſas confluunt,augentur. Tunicæ verò vaſorum multitudinem quæ ex fuſione ſpiritu eſt impleta, non continentes,diſtenduntur,ac vires hoc ipſo malè afficiuntur. Ergo calidis his ſiccíſque affectionibus effundi mordacia eſt vtile:fuſio enim eorum citra periculum eſt.Atque hæc quidem ex prima balnei parte iis qui ita laborant,prouenire, modò tempeſtiuè balneo vtantur, memoria tenendum eſt.Ad ſecundam eius partem modò tranſeundum: erat enim id quod maximè propriè lauacrum nominăt: ergo in hac ſicut ex humectatione iuuantur, ſic ex calore nihil eis cōmodi accedit. Ergo ad tertiam accedamus, in qua & refrigerantur ſine moleſtia quæ fuerant excalfacta, & vires roborantur, & quæ rarefacta,& plus iuſto ſunt laxata,ea ad naturalem mediocritatē redeunt. Id quod etiam quarta balnei pars indicat:quippe quibus omnia rite ſunt peracta, ii poſt frigidæ vſum adhuc ſudant,& omnia ipſis excrementa vacuantur. Nullus æger quum lauatur,detergendus eſt, niſi ſordidus ſit, & pruritu vexetur: nam qui lauantur,citra omnem laborem læſionémque perfundi aqua debent.Deterſio verò fit iis quæ abſtergendi purgandique vim habent, quæ & mordacia & exiccantia ſunt omnia: ex quo fit vt ea tum viribus tum vſui balneorum ſit contraria vel maximè. Verūtamen ſi laborans ad ſordes & ad pruritum deterſione indigeat, detergentis medicamenti vim largiore aqua admixta, & modico etiam oleo affuſo,debem⁹ exoluere, & ſtatim copioſam aquam calidam purámque affundere. Æger verò prorſus citra laſſitudinem ſeruandus eſt,ob eámque cauſam labrum facilem ingreſſum & egreſſum habeat: quod ſanè fiet ſi paries qui aquam continet,neque altus,neque anguſtus fuerit. Æger verò quietè lauetur. facit enim quies ægrotantis vt corpus tum laxius tum mollius in balneo fiat.Dum enim corpus mouetur,muſculi tenduntur: tenſi verò mi-

nus molliuntur atque laxantur. Debet autem ea aqua parata eſſe quæ ſuper eum qui lauatur fundenda eſt, poſtquam eo lauacro quod in labro eſt vſus fuerit: quod nunc quoque omnes medici facere ſolent, quum infirmum lauant. neque enim eum in frigidum ſolium ingredi ſinũt, ſed aqua tepida perfundunt. alii tota labra huiuſmodi aqua implent: etenim ſicut relaxatum rarefactũmque eſt corpus in calido lauacro, ſic contra ipſum cogere ſenſim ac ſtringere volunt: hoc enim tum ad virium firmitatem confert, tum verò facit vt homo non facilè lædatur, ſi ſubita in aëre ad frigidum fieret commutatio. quamobrem qui ſani ſunt, in frigidam aquam ſe poſt calidum lauacrũ coniiciunt: at infirmi, frigidæ contactum citra noxam non ferunt, ideóque frigiditatem calida admiſta frangimus. miſtionis porro quantitas inuenitur, primùm quidem corporis affectione à nobis inſpecta, deinde verò propria natura laborantis, itémque conſuetudine, ætate, tempore, regione, & cæli conſtitutione: denique ſanè melius agunt ii qui poſt lauacrum calidum nõ minus quàm tres aquas tepidas inter ſe differentes parant, vt prima tepida abundè ſit, ſecũda minus tepida quàm prima, tertia magis adhuc ad frigidum vergat: quod faciũt vt à calido ad frigidum paulatim accedatur, quando ſubitam in contrarium mutationem ferre laborans non poteſt. Quidam etiam medici poſt lauacrum laborantes inuoluunt, alii linteis, alii veſtimentis, & præſertim non puris, eóſque ex omni parte conſtipant, quò plurimùm ſudent. Et tamen non ſemper opus eſt laborantem poſt balneum ſudare plurimùm. ſæpe enim non euacuandi corporis cauſa ad balneum accedimus, ſed contrà prorſus vt humectemus, idque omnino irrigemus quod immoderatius erat exiccatum. In hiſce igitur non admodum multos ſudores intus in balneo expectare debemus, ſed ſtatim in aquam quæ in labro eſt coniiciendi ſunt: mox à balneo egreſſi, abſtergendi, nec valde ſiccũ corpus vngendum. Neceſſe autem eſt cõſideremus vtrum poſtquam ſudauerit is qui lauatur, oleum ei perfundendum ſit, an antequam ſudauerit, ſed quumprimum ſe exuerit, an verò neutrum horum, ſed quum madeſcere inceperit. Atque is qui in memoria habeat ea quæ de olei facultate diximus, nouit optimum ad olei vſum in iis qui lauantur eſſe id quod tertium ſtatuimus. Illud etiam didicit, oleum antè calfactum corpori eius qui lauatur adhibẽdum eſſe: ſiquidem tale mollit corpus & rarefacit, quum frigidum ſuo contactu nõ modò horum neutrum facere queat, ſed etiam eis qui lauantur, horrorem incutiat. Poſtquam autem cibum potúmque ſumſperint, lauãdi ſtatim non ſunt: nam eorum qui biberunt, caput repletur: eorum verò qui comederunt, non ſolùm caput, ſed corpus etiam vniuerſum: quippe quòd cibum ad ſe, priuſquam ſit cõcoctus, attrahat. Præſtat ergo poſt balneũ, ſedata ea turbatione quam balneum attulit, eſſe & bibere, quemadmodum fit etiam in exercitationibus, vt turbatione ſedata corpus alamus: nam ſi poſt exercitationem potum paſtúmque protinus offeras, cum implebitur caput, tum verò id quod deglutitum fuerit, interdum ſupernatabit. Cæterùm ſcire conuenit, quibus plura per aluum ſecedunt, balneum ſiſtere, eadem in corpus vniuerſum reuellendo, atque ea ratione nocere. Qui verò nihil prorſus deiecerunt, iis ſatius eſſe ſtercus antiquum vacuaſſe, neminem præterit, ſicut etiam eos quorum vires reſolutæ ſunt, à balneo magis reſolui. Iã nec faſtidioſos, nec vomitui obnoxios par eſt lauare: nam ne hi quoque repẽtè reſoluãtur eſt metus, ita vt ſyncopa quæ ſtomachica dicitur, conſequatur. Proximè ad hos accedũt qui os vẽtriculi bili affectũ habent, quos ex eructatione bilioſa cognoſcimus. ſimili quoque modo lauare non conuenit eos quibus ſanguis è naribus abundè prorũpit: ſanguis enim immoderatiſſimè erumpet. Conſentaneum igitur eſt, ſi ſanguis minus quàm par ſit erumpat, vt lauẽtur. Hi etiam ſunt qui & largo lauacro & motu vehementiore propter ſanguinem qui in capite eſt indigent: ſimili quoque modo lauamus, ſi iis quibus ſanguinis eruptione opus eſt, ſanguis non erumpat. Concoctis autem iam affectionibus, balneum citra periculum

A adhibetur, quum etiam ad expurgationem ſputorum quæ pleuriticorũ & peripneumonicorum thorace & pulmone cõtinẽtur, maximè cõferat. In iis ergo qui ſic affecti ſunt, quũ indicatio itidẽ quæ à cõſuetudine ſumitur, acceſſerit, balneum iterare nihil prohibuerit. Omnino verò ſcire oportet, niſi prius vacuato corpori balneum adhibeatur, partes affectas fluxione tentari: vacuato verò ſi offeratur, adiuuari concoctionem.

Ex libris Antylli, de balneis induſtria paratis, ex primo libro de remediis, Cap. II.

B LAuacra partim ex aquis dulcibus, & qualitatis expertibus cõſtant, partim verò ex iis quæ & qualitate ſunt præditæ, & vim habent vehementem atque conſpicuam: eáque in quibus ineſt qualitas, partim induſtria parata ſunt, partim per ſe ita naſcũtur. Porro eorũ quæ ex induſtria fiunt, alia calfaciendi, alia digerendi, alia humectandi, alia refrigerandi, alia adſtringendi cauſa parantur: ac calidis quidem vtimur quum aut refrigeratos calfacere, aut laſſitudinem ſoluere, aut cõuulſiones, aut dolores mitigare nobis propoſitum eſt. Sanè his etiam vtimur refe-C ctionis cauſa, quum alimentum non facilè diſtribuitur. Calidas autem aquas reddimus quum pulegium, aut origanum, aut hyſſopum, aut thymum, aut ſatureiam, aut lauri folia, & chamæpityos ramulos & panacis ac pyrethri radices, & cachry, & alia generis eiuſdem incoquimus. oleum quoque in aquam coniicimus. Lauacra autem digerentia faciemus quum totum corpus quod præpingue ſit, volumus extenuare, aut tumefactum totum corpus, vel membrum aliquod contrahere, idque ſiue propter inflammationem, ſiue ob aliam affectionem fluxione la-D boret. Fiunt autem digerẽtia quum vel ſalem iniicimus, vel ipſa marina aqua vtimur, aut nitrũ admiſcemus. Iam mel quoque admixtum digerendi vim aquæ indit, itémque vua taminia incocta, & cinis ſarmentorum, & ſulfur ignem non expertum, aut baccarum iuniperi, aut mercurialis decoctum. Molliendi verò cauſa balneis vtimur in corporibus quæ vel inflammatione laborant, vel indurata ſunt. Atque ad inflammationes blanda eſſe debent & molliant in iis quæ obduruerunt, ſi inflammationis ſint expertia, potentia & efficacia. Quocirca in iis qui inflam-E matione laborant, maluæ, & lini ſeminis, & fœnigræci decoctum miſcemus: in fluxione vexatis inflammationibus, plantaginem, aut herbam ſanguinalem, aut malicorium, aut roſas, aut rubi cimas incoquimus. In iis verò quæ conuulſionem minantur, iiſdem vtimur quæ adhibemus etiam iis quæ ſunt fluxionis expertes. Præter cætera verò hydrelæum in quo malua aut fœnumgræcum incoctum ſit, iuuat. In duritia autem citra inflammationẽ balneis eiuſdem qualitatis vtẽdum eſt, quibus ad eos qui digeſtionis indigebant vtebamur. Cæterùm refrigerant F & adſtringunt balnea quæ ſimili modo parata ſunt quo adſtringentes refrigerantéſque madefactiones, quarum ſylua poteſt in hunc transferri locum.

De balneis ſponte naſcentibus, ex eodem libro, Cap. III.

BAlneorum ſpontè naſcentium multò maior & efficacior vis eſt quàm eorum quæ arte parãtur. multæ autem eorum differentiæ ſunt propter terræ per quam feruntur, qualitatem: alia enim nitri, alia ſalis, alia aluminis, alia ſulphuris, alia bituminis, alia æris, alia ferri vim obti-G nent, alia compoſita ſunt ex multis harum qualitatũm ſimul coniũctarum. Vis autem omnium aquarum ſponte naſcentium eſt exiccans & calfaciẽs prorſus, quum valde intenſæ ſint: quocirca acutis morbis minimè cõueniũt, ſed poti⁹ diuturnis, & præcipuè humidis & frigidis. Quæ autẽ nitri aut ſalis facultate præditæ ſunt, accommodatæ ſunt capiti, & thoraci fluxione malè habito, & ventriculo perhumido, & iis qui aqua inter cutẽ laborãt, & œdematis quæ ex morbis vel ex pituitæ concretione oriuntur. Quæ alumen referunt, ad fluxum ſanguinis, ad vomitus H procliuitatem, ad immoderatas hæmorrhoidum perturbationes, ad inordinatas mulierum purgationes, & continuos abortus adhibentur. In quibus verò vis ineſt ſulphuris, neruos molliunt, concretiones calfaciunt,

dolores leniunt,ſtomachum imbecillum reddunt atque ſubuertunt. Quæ bitumen ſapiunt,caput replent,ac ſenſuum inſtrumenta vitiant,& enixè calefaciunt,& temporis progreſſu molliunt: quod facere præſertim in vulua, veſica,& colo inteſtino conſueuerunt. Quæ verò æris naturam referunt,ori,tonſillis,vuæ & oculis mirum in modum aptæ ſunt. In quibus ferri qualitas reperitur, ſtomacho & lieni malè affectis poſſunt ſubuenire:quæ verò ex mixtis qualitatibus conſtant,eæ faciunt pro ratione eius qualitatis quæ in eis excellit. His autem aquis ſponte naſcentibus vti debemus firmis & quietis: vapor enim ab ipſis commotis emergens,quum grauis ſit & feriens,capiti moleſtus eſt: quamobrem in aquam ingrediendum eſt ſenſim , vt vis corpori laxato accedens imprimatur. eorum verò qui cum tumultu & impetu ſeſe in aquas iniiciunt,corpus denſatum qualitatem aquæ non recipit, ita fit vt in huiuſmodi,neque natare, neque immergi cõmodum ſit. Vti autem ductibus aquarum ſponte ſcaturientium eos ſolos oportet quibus qualitates illarum capiti ſunt congruæ:ſiquidem qui ſe exhibent aquis quæ à ductibus bituminoſis & ſulfureis fluunt , quamfacillimè læduntur.

Herodoti de lauacro,ex libro de præſidiis extrinſecus occurrentibus, Cap. IIII.

SI calidiore interno aere indigemus,ad hoc auxilii genus accedendum eſt.Vrna aquæ frigidæ inſtillanda ignitæ materiæ eſt:calor enim qui inde emanat,non multo tempore perdurat, ſed citò reſtinguitur : quocirca id paulo ante introitum aggrediendum eſt.

Herodoti, de aquis ſponte naſcentibus,ex eodem libro, Cap. V.

FAcultas ſingularum aquarum ſpontè naſcentiũ quæ magnam habent differentiam, aſſumenda eſt ex iis quæ experientia comprobantur.exquiſitam enim omnium ſingillatim notitiã tradere non poſſumus, tum quia nos omnibus vſi non ſumus,tum verò quia ne in omnibus quidem eſt cognitio,quæ facultatibus medicamentorũ proportione reſpondeat:nã frigidæ aquæ quæ ſpõte naſcuntur,accommodatæ ſunt omnibus fluxionibus, veſicæ affectionibus , capitis doloribus,& vlceribus malignis. De iis verò quæ potantur,ſiue calidæ, ſiue frigidæ ſint,quum vniuerſalem quandam conſtitutionem non recipiant , in particularibus dicetur . In omnibus autem ſit quædam temporis apta menſura:nam ſi vſurus ſit quiſpiam his aquis per tres hebdomadas , ita exordietur , vt incipiat à dimidia hora,deinde paulatim progrediatur, vt per hebdomadam ſpatium duarum horarum perficiatur , hoc interuallo ad ſecundam vſque hebdomadam perſeuerando:ab ea tantundem auferendum,& in prima menſura deſinendum , & ita viciſſim ſubtrahendum. In aquis enim ſtatim à principio diu immorari non eſt vtile:neque etiam eſt frugiferum, ad finem vſque permanere eodem temporis ſpatio,propterea quòd confert & incipere & deſinere ab hoc præſidio cõuenienter rationi: quo etiã modo exercitationibus vtimur & abſtinemus. ſi verò menſura quam prius fueramus coniectati vtilitatem non afferat,aquis per interualla erit vtendum. In exacerbationibus autem accuratè omnis hæc facienda eſt præparatio : nam qui plurimas partes dolent,hi accedentes toti introeãnt: ſi verò aliquas laborantes habeant,madefiant. Labore ſedato eos deducemus:deinde quũ rurſus acceſſio redierit,vt in aquã deſcendãt imperabimus, aquis vtentes non ſecus quàm fomentis & cataplaſmatis extrinſecus adhibitis . Quocirca quantum his aquis vti debeamus,ipſa neceſſitas commonebit. Noui ego quoſdam ,quum per totum diem hoc genere curationis vterentur,mirum in modum adiutos fuiſſe: nam exacerbatio quæ prius longa,& ad ſoluẽdum difficilis erat facta, ceſſauit:qua ex re affectioni quoque commodum acceſſit. Si verò affectæ partes poſſint cæteris tectis madefieri, non erit incommodum diutius & ſæpe per diem aquis vti:quod tamen ante cibum faciendum eſt. inutile enim eſt materia noua plenos, aquas etiam ſumere quæ tantopere cõmouere queãt. ſi vires eos deficiant, parũ cibi eis offeratur. Quum verò plurimæ ex iis aquis in locis paluſtribus & æſtuoſis oriãtur,& propterea moborſæ ſint,eis opportunè vtêris vere & autũno,quatenus hyeme adurũt: atq; illud quidẽ tẽpus aquarũ vires firmat. Si verò in ſalutaribus locis ſint, erunt etiã æſtate aſſumendæ ſi frigidæ fuerint. Quoniã autẽ nõnulli ignari putant calidas aquas cõducere ad tuendã ſanitatẽ,& ob eam cauſam eis imprudenter, & nulla habita ratione cõſtitutionis tẽporis vtuntur , idque cum damno,(vt eſt etiam veriſimile) æquum eſſet eos ex hac falſa opinione decedere. his autem aquis ſi adeſſent, vterentur etiã communium balneorum loco.

Ex Galeno,de frigidi lauacri vſu, Cap. VI.

QVemadmodum quiſpiã frigida lauari primùm incipiat, nec vllã ex repentina mutatione noxam ſentiat,id vtique ad omnia ſciendum eſt. multi enim quum malè incepiſſent,adeò in frigidam lauationem malè fuerunt affecti, vt nec iis qui tutò eam adminiſtrarent,ſe vnquam permitterent. Eſto igitur anni tempus æſtatis initium,vt ante hyemen in ſpatio interpoſito cõſuetudo notabilis pariatur. eſto præterea dies in quo auſpicabimur, quammaximè tranquillus,& quod id tempus feret , calidiſſimus : eáque diei pars calidiſſima, & gymnaſterium temperatum. hæcque eſt externa præparatio. Corpus verò eius qui frigida lauandus eſt,ſic parabitur. ætas illi eſto quarti maximè ſeptenarii medium, nulla nec eo die, nec præcedenti nocte , noua re alterato. eſto autem iuuenis qui frigida vtetur,animo præſenti & planè hilari: ac primùm linteis vberius fricetur quàm prius. Sunto autem frictiones eo tempore vehementiores quàm antè, atque etiam linteis durioribus adminiſtratæ : dehinc oleo vt aſſueuit fricetur:inde exerceatur,exercitationibus multitudine quidem paribus , ſed citatioribus quàm prius. ab his in frigidam deſcendat,non tamen cunctãter, ſed celeriter,vel etiam ſemel totus inſiliat: nam ſi ſenſim aquæ accedat, horror concitabitur. Eſto verò & aqua ipſa, nec tepida nec planè cruda & glacialis,altera nanque nõ agit, repercuſſu caloris:altera verò ferit inſuetos,atque refrigerat:ſiquidẽ progreſſu temporis tali quoque aqua iuuenis aliquãdo vtetur. Vbi ex aqua egreſſus ſit,fricari oleo,idque à pluriribus expedit,quoad cutis incaleſcat. poſt hæc cibum vberiorem quàm cõſueuit, potionẽ infra cõſuetudinẽ capiat: quæ ipſemet vel iniuſſus faciet,modò omnia rite ſint peracta. nã à frigida lauatione & plus appetũt,& melius cõcoquũt, ac minus ſitiunt: veniúntque poſtridie ad exercitationes habitu corporis planè meliore , mõle quidẽ pari ei quæ antè erat,cæterùm compacta,& muſculoſiore, & vegetiore. In hoc igitur omnia ad eundẽ modum ſecundo die faciẽda ſunt, itémque tertio & quarto: poſtea verò procedente tempore ſimili modo frigidam iterum ingredi mandabimus. Verùm tertio eam ingredi quòd quidam iuſſerunt,non laudo:nam & iterum id feciſſe,mihi ſatis eſſe videtur,quũ præſertim iubere poſſimus vt homo tandiu in ea immoretur quandiu nobis lubeat. Scopus autẽ tẽporis quo ſit immorandũ,à quotidiana ipſius experientia percipitur. Nam ſi egreſſus frigidã, colorat⁹ ex frictionib⁹ citò redditur,moderatè immoratũ indicat:ſin & ægrius incaleſcat,& decolor diutius permaneat,immoderatius in frigida moratum docet. Ex his ſignis cognoſces vtrum ſatis moratus ſit , an potius ad minus aut maius aliquid ſit immutandum.

Ex Agathino,de calida & frigida lauatione, Cap. VII.

QVam naturam habeat tum calida tum frigida lauatio,conſiderãdum eſt nobis. optimum autem mihi videtur,lauacra calida non eſſe prorſus reiicienda, rarius tamen adhibenda. Iis igitur tanquam opportunum quid habentibus,vtendum quandoque eſt:nam & laſſitudines ſedant,& ſocordiam quam cruditates afferunt , ipſa eximunt,ac præſertim ſiquis in balneo aquam calidam potauerit , ſuccóſque ex alimento corrupto aceruatos euomuerit. Calidum quoque lauacrum mollit corpus , quod præter rationem quandoque colligatum conſtrictúmque ſit. Conuenit etiam iis qui non ita præſenti anima ad frigidam lauationem ſunt affecti,& ad vnctionem prompti non ſunt. Modus apotherapiæ eſt alimentum & balneum:

quod incommodum eſt, ſi aſſiduè: non incommodum verò, ſi tempeſtiuè adminiſtretur. Qui autem hunc breuem vitæ curſum ſani cupiunt tranſigere, frigida lauari ſæpe debent: vix enim verbis exequi poſſum quantum vtilitatis ex frigida lauatione percipiatur. quod in cauſa eſt vt qui frigida lauantur, etiamſi ſenio propemodum confecti ſint, corpore tamen conſtanti & compacto, & colore florido comperias: & omnino, qui multum virilitatis & tenoris præ ſe ferant. Quinetiam quæ ad appetitiones cōcoctionéſque pertinēt, firma, ſenſúſque plerunque integros & exquiſitos, & (vno verbo) naturales actiones ritè conſtitutas habent. Qui verò calida lauantur, carnes flaccidas fluidáſque ſolent habere, & colorem auerſum, & tenore videntur eneruati eſſe, malléque cibum appetere, atque omnia habere cæteris deteriora. quid enim re vera mediocre faciat tam aſſidua in aëre feruenti & perhumido elixatio? Equidem in more poſitum barbarorum audiui vt infantes in frigidam aſſiduè dimittant: nos verò calidis lauationibus cōtinuis elixamus, à nutricibus perſuaſi, quæ tum demum gaudēt quum poſt laborem in balneo perceptum, infantibus ſopor irrepit: quæ quidem ſatis ipſis eſſe exiſtimant ſi infantes non magnopere noctu vexentur: aiúntque eos ſomno vix capi qui non fuerint fermè à copia lauationis calidæ ſoporati. quamobrē ego filiolū meum, & pleroſque cæterorū, vnctionibus ſolùm perfundo: réſque mihi ſucceſſit ex ſententia. At pueruli ab aliis educati, qui aſſiduè lauantur, plurimúmque elixātur, non mirum eſt ſi epilepticis conuulſionibus capiantur, & ab eo morbo difficulter liberentur. Nulli igitur puerulo qui infantum ætatem exceſſerit, frigidam lauationem eſſe incongruā cenſeo, modò ne propria quædā natura huic & aliis vtilibus rebus obſiſtat: multa enim huiuſmodi ſunt memoriæ prodita. Frigidæ autem lauationis initium in iis qui ei aſſueti non ſunt, multi ſumendum eſſe exiſtimant, quum æſtas in ſummo ſtatu eſt: ego tamen quamplurimos vidi qui quocunque anni tempore eam auſpicati, innoxiè id fecerunt. ex quo fit vt omni tempore citra noxam poſſit principium frigidæ lauationis ſumi. ſed ſiqua ineſſe varietas debet, ego vernū tempus cæteris anteponerem. Cæterùm quum ad frigidam lauationem accedimus, cum ſemper alias, tum vel maximè quum incipimus, optimè diſtributum id quod in nobis eſt eſſe debet, & nos leues eſſe atque expeditos par eſt. Semper autē noſmetipſos exercitationibus eouſque dimouere prius debemus donec propēſione & alacritate in frigidam ingrediendi capiamur: etenim vehementia, & multitudine motionum prius corpuſculum defatigare, & ad laſſitudinem vſque perducere, quum alioqui abſurdum ſit: (nihil enim, in quo ſupra modum ſtudium noſtrum ponamus, ſalutare eſt) tum verò ad frigidam lauationem eſt ineptiſſimum: ſiquidem & ipſa corpora colligat, & vehemētiores laſſitudines affert. ſed præſtat (opinor) vtendi rationem, ſumpto altius initio, totam exponere. Poſtquā igitur negociis familiaribus, aut ambulationibus, aut geſtationibus corpus fuerit antea concitatum, tunc ad frigidæ lauationis vſum debebit accedere: nec prius quàm ſit hora prandii conſueta, nec ſanè multo tardius: vtrunque enim hoc tempus eſt reiiciendum. Nudandus autem, ſi tempus permiſerit, in ſole eſt, loco à ventis non perflato. Sæpe etiam ſi dum exuuntur rigor eos infeſtos haberet, corpus iterum veſtimentis tectum intentiore ambulatione, poplitibus vehementius tenſis, vel etiam curſu poſtea dimouendum eſt. ad hæc autem linteis aſperis validè ad multam vſque contrectationem tum per ſe, tum per alios rubefieri debet. Optimum quoque fuerit ſi miniſtri ad hoc manicas ex linteis conſutas habuerint: alioqui autē inæquali frictione adhibita, complicatis nimirum linteis, cutis excoriationes quandoque conſequuntur. poſtea verò manibus tum ab aliis, tum ipſe per ſe ſiccè fricandus eſt: quæ res præterquam quòd fouet, tenorem etiam admirabilem corpori indit. Nulla igitur alia re tentata, poteſt, quatenus alacritas fert, poſt hanc ſiccam frictionem frigida lauari. Vngi ergo oleo moderatè debet, & fricari multū: ac præcipuè à ſe, tum etiam ab aliis: nihil enim eſt quod tam laſſitudine doloréque vacet, atque efficax ſit, quàm frictio quam quis ſibi ipſe adminiſtrat. Siquis igitur ea promptitudine ad frigidā lauationē contentus ſit, donec ſpiritulus creber fiat, aliis exercitationibus non erit opus: ſed tamen id difficulter omnes cōſequimur, quum quid ſatietatis res adiunctū habeat. Ergo aliis vnicuique conſuetis exercitationibus vtendum eſt, intra tamen laſſitudinem (vt dixi) laborando, nec omnino expectandū quouſque in molem extollatur, (quod plurimis mos eſt) ſed donec corpuſculū fuerit calefactum, & ad frigidam lauationem abundè præparatum. Exercitationibus autem finitis, tunc ſe ipſos omnino, niſi etiam prius, fricare debent, ſpiritum continendo. aliquando etiam corpore puluere prius cōſperſo, ſi madore humeſcat, atque ita ſine vlla mora & ſubitò in frigidam deſcēdere: vel ſubitò aqua circunfundātur. Aqua autem, ſi nobis optio detur, nec glacialis, nec remiſſa omnino frigiditate eligenda eſt: ſiquidem hæc magis nocet quàm quæ in altera parte excedit. Æquarū autem ad frigidam lauationem, præſertimque quum primùm quis incipit, præſtantiſſima eſt marina, quippe quæ frigoris ſatis habeat, & morſus qui ex ſalſedine prouenit, corpus facilè percalefacit. Qualis autem cunque ea fuerit, pura eſto & perlucida, nec paluſtris, nec cœnoſa, nec alioqui reſes. Cæterùm anteponendū eſt ſi liceat, in aquam deſcēdere, quàm circūfundi: ſed primo quoque ingreſſu parum fricādum corpus eſt, poſtea ingrediendū: ac ſeſe violenter fricare debet, rurſúſque deſcēdendum: ac tunc perſeuerare natando, aut alio quouis modo, vt diutius ibi commoretur, ita tamen vt rurſus & ad oleum, & ad frictionem præſto ſit. Deinde quum tertiò deſcenderint, & non diutius ſint immorati, debēt caput & quæ ad ſtomachum attinēt, aquæductibus ſubiicere: ſin minus, pluribus hydriis perfundi, & ita moderatè fricandi. quo tempore non diſſoluimus oleo eam firmitatem quæ corpori prius aduenit. Poſt hæc verò ſtrigilibus non amodum obtuſis diutius corpuſculum detergemus, & ad ruborem perducimus: nam & roboratur, & ſuperficies æqualis redditur. Si verò etiam in eos qui cibū ſumſperunt incidamus, non omnino à frigida lauatione abſtinebimus, quoniā vehementer appetimus, & quia motiones quædam ad id nos impellant, vel quia æſtus ipſe quodāmodo ſimul elixauerit: neſcio enim an quicquā hoc præſtantius faciat is quā exuritur, & cōtinenter ſudoribus perfunditur. Equidem ſæpenumero à cœna, quū ægrè in ſomnū propter æſtum delabor, in frigidam deſcendere cōſueui: & mirabile eſt quàm iucundam noctem tranſigam. In vſu tamen frigidæ, habēda ratio eſt auriū, ne frigida in eas clàm influat. quum enim frigida lauatio ad omnia ſit multo quàm cæteræ diætæ vtilior, quomodo meatus auditui deſeruiētes tantum cum noxa contingat, certè neſcio.

De ſiccatione per arenam, Herodoti ex libro de remediis extrinſecus occurrentibus, Cap. VIII.

FOmentum quod ex arena adhibetur, accōmodatum eſt aſtmaticis, iis quorum pectus defluxione laborat, cœliacis, podagricis, iis qui per extentionem reſoluuntur, iis qui malo ſunt corporis habitu, hydropicis, & denique omnibus quos diuturnus morbus vexat. Omnéſque præter infantes, ad huiuſce fomenti vſum fermè apti ſunt. tempus ad hoc idoneum eſt æſtas, in qua etiam dies ardentiſſimi ſunt eligendi. In ortu autem ſolis, in littore, in arena profunda duæ foueæ aut tres paris magnitudinis ei qui vſurus ſit, parandæ ſunt, vt à ſole calefiant. ægrotus verò cibos optimè confecerit, priúſque inambulet & geſtetur: quúmque aër ſit factus calidior, arenáque ſatis feruens fuerit reddita, in fouea recumbens, in arena quæ circum ſit maneat, vt ratio poſtulat, conuolutus, vſquedum facilè ferat. caput verò debet contegere, & ſolis radios declinare, ſempérque ante oculos operimentum aliquod habere. figura verò in qua exardeſcat, eſto in primis diei partibus eiuſmodi, vt meridiem, in mediis, vt boream ſpectet. ſpongia quoque aqua frigida imbuta faciei applicetur. iis verò qui nimium patiuntur,

collutio itidem offertur. ſi verò necdum calfactam aut
refrigeratam carnem propter vim ſudoris erumpentis
ſenſerint, id ſignificare debebunt:iique qui adſtant,are-
nam propellent,eóſque educent, & in alia fouea propin-
qua collocabunt,in qua vt dictum eſt, occultabuntur.id
tertio quoque loco erit faciendum,ſi opus eſſe videatur.
Qua in re ſpectādus morbus eſt,itémque vires ægrotātis:
tēporis verò additio ex iis pendet quæ ſunt dicta prius.
Iam verò recūbentes occultabimus, ac cōtegemus aſth-
maticos,& quorum pectus & coſtas defluxio vexat, itém-
que ſtomachicos & qui malo habitu corporis ſunt,& qui
aqua inter cutem laborant.ſedentes verò eos hydropicos
quos aſcitas nominamus, ſique opus ſit, etiā tympanitas.
Ex aliis verò morbis colicos quoque & hepaticos & ſple-
neticos,& iſchiadicos, & podagricos, & quorum reſoluti
ſunt pedes aut crura: ad finem verò hi omnes ſunt toti
contegendi,quippe quum relaxatio rite toti corpori ad-
hibetur, & vtilitas partes etiam morbo vacantes debet
peruadere, & præſertim ſi frigida lauatione ſint vſuri.
circa foueas paratæ ſint ſcenæ ex perlucidis cornibus con
fectæ,itémque vrnæ aquæ dulcis, & ſolia aquæ maris, in
quæ ſedatis ſudoribus ingrediendū eſt,tū exeūtes perfun
dēdi, & oleo cōfricandi.Si verò dies trāquill⁹, corporáq;
robuſta fuerint,natatione etiā vtantur, à quibus abducti,
abundè quieſcant.Sed hydropici quinque aut ſex aquæ ca
lidæ cyathos prius epotos,effundere cogendi ſunt:cæteris
mos ſuus eſt ſeruādus. alēdi autē ſunt ii,vt propter mala
quæ in ſole ſunt paſſi,potus augeatur.Numerus dierum in
morbis intermittētib⁹ nō ſit minor quàm quatuordecim,
nec vnū & viceſimū diē excedat. At in hydropicis nume
rus dierū eſt ad rationē inanitionis ipſorū molis referē-
dus, & ſubducendus: quúmque vtilitas poſt viceſimum
primum diem ſtatum nanciſcatur, biduum aut triduum
intermittere conuenit, tum redire ad vſum. Si verò hy-
berno tempore hydropem cures, cæteræque medicinæ
præſidia non iuuent,ægérque expectare tempus opportu
num nō queat,réſque vrgeat vt arena adminiſtretur, ne-
que vt ea vtilitas quam tempus accommodatum affert,
expectare liceat, tum in maritimo loco inſtituenda are-
na eſt,& quum æger in ſomnis horret,ea totus obducēdus
eſt vt diximus, & cætera quæ admonuimus,faciēda,pro-
ſperúmque ſucceſſum qui inde futurus eſt, diuturnum
fore ſperandum eſt.

De inſolatione,ex eodem libro, Cap. IX.

INſolationes maximè neceſſariæ ſunt iis qui refectio-
nis & carnis acceſſionis egent: ſol tamen nubilus eſt
vitandus,iſque qui ſæpe in tranquillis regionibus obſcu-
ratur. Studēdum ergo eſt vt hyeme,vere, & autumno,in-
tempeſtiuam inſolationem vitemus. æſtate autem pro-
pter nimium calorem debilibus cauēda eſt.ſoli verò at-
que igni præter cætera dorſum admouere cōuenit: nerui
enim qui voluntatis ſunt,in eo potiſſimum ſunt ſiti: qui-
bus caleſcentibus totum corpus valentius redditur.caput
verò aliquo operimento contegatur.

De vtilitate quæ ex igni & carbonibus affertur, ex eodem libro, Cap. X.

FOmentum quod fit ex carbonibus, adhibendum eſt
in balnei loco qui vngendis hominibus ſit dicatus,
iis qui diuturnis doloribus teneantur. partes autem cor-
poris torreātur,donec difficulter ferre queant.Carbones
ſunto ex balneis ſumpti, aut prius madeſcant. Cæterùm
torreri ad muros ignitos, eandem affert vtilitatem: ſique
placidè ſint calidi, eis particulæ dolentes admoueantur:
ſi nimis calidi ſint,affectæ partes crudis lineis pannis ſe-
pientur, atque ita parietibus adhærebunt.

De aduſtione,ex eodem, Cap. XI.

ADuſtionibus vtimur tum per cauteria,tum per radi-
ces, tum per medicamenta. præſtātiſſimæ ſunt quæ
cauteriis adminiſtrantur, ſiqui ſint qui chirurgiam re-
formident: ſecundum locum tenent quas medicamenta
excitant: quæ verò per multos dies adurunt, iis cicatrix
non obducitur.

Ex Antyllo,de dropace, ex primo libro qui eſt de remediis extrinſecus occurſantibus, Cap. XII.

A DRopax vt malagma paratur, vſúmque cataplaſmatis
præbet.Conuenit is morbis diuturnis, quibus etiam
ſinapiſmus eſt idoneus: & quum quis ſinapiſmo vti velit,
prius dropacem adhibet, vt corpus ad ſinapi præparet: &
poſt ſinapiſmum quoque adhibetur, vt reliquiæ morbi
euellantur. Cæterùm dropax, ſi calfacere præter modum
oporteat,accipere debet pyrethrum, cachry, & bitumen:
ſi opus ſiccatione ſit,ſulphur ignem nō expertum, ſalem,
cinerē ſarmentorum: ſi ſcarificare, limneſium & euphor-
bium. Vngere verò locum oportet dropace prius cal-
B facto, eáque craſſitudine id efficere quam vires ægrotan-
tis ferre queant: atque in iis qui ſunt imbecilliores,partes
piloſæ prius abradendæ ſunt,in rubuſtioribus verò & ef-
ficaciore dropace indigentibus,non abradendæ,niſi for-
tè capiti,aut mento,aut pubi applicandus eſſet.

Antylli,de ſinapiſmo,ex eodem libro, Cap. XIII.

CAtaplaſma quod ex ſinapi conficitur, efficacius eſt,
quod in acutis morbis non admodum probatur: in
ſegnioribus nanque naturis ſolùm ſtupidiſque, in acutis
C morbis, ſinapi vtimur. Ad diuturnas verò ægritudines
ferme omnes,vbi aliorum remediorum vim imbecillio-
rem & minorem morbo cognouerimus, efficaciſſimus
ſinapiſmus eſt, ſed tamen in tabidis & colliquatione la-
borantibus ex vlcere quod iecur obſideat, ſinapiſmum
non admittimus, neque etiā in vlla alia vlceratione quæ
intimas partes vexet,ſiquidem exacuuntur,& efferæ à ſi-
napis acrimonia redduntur. quinetiam in cartilagineis
partibus cauendus eius eſt vſus, vt in auribus, & ſummis
naribus,quippe quæ exurantur,& quandoque etiam quæ
D carnis expertia ſunt & cartilaginea, nigreſcant. cæteræ
verò omnes corporis partes, & morbi diuturni hoc re-
medio perfruuntur.Penis autē & veſicæ reſolutiones hoc
auxilio gaudent:itémque partes omnes reſolutæ. in rectū
quoque inteſtinum reſolutum glans inditur. In iis verò
qui difficulter audiunt, collyrium linimento impactum
auribus imponitur, tum vbi ſenſum collyrii pars quo-
dammodo perceperit, collyrio per linamentum exacto,
pars melicrato abluitur. Sinapiſmus autem ſegnioribus
partibus,iiſque quæ carnoſæ ſunt, & vi adhibita difficul-
E ter ſentiunt. Terminus autem actionis medicamenti eſto
vt ægrotus vehemēter doleat, caróque nigrior reddatur,
& fiat altior quàm quæ adiacet: & poſtquā ablotū fuerit,
puſtulæ leniter erumpant. ad morbos autem & partes fa-
cilè ſentientes, mitius vtendum ſinapi eſt, vt eo vtamur
donec caro fiat paulo rubicundior. Ne tamen mitis ille
vſus vanus ſit,alio die, aut duobus ſæpe erit ſinapiſmo v-
tendum, vt continuus vſus vnius robuſti ſinapiſmi vim
præbeat:cuius ſanè continui vſus menſura eſt,quum par-
tes ſinapiſmo obductæ atque illitæ nullū doloris ſenſum
F habeant. In acutis verò morbis rarò adhibemus hoc re-
medii genus,eóque ſolùm in lethargicis,& cæteris nimiis
in ſomnum propenſionibus, quæ in febribus cōtingunt,
& catocha & perfrictione,quæ ægrè caleſiat.eorum tamē
qui in ſomnum ſunt nimium propenſi, crura ſinapiſmo
obducimus: in perfrigentibus verò, & crura, & cubitos.
cæterùm ſinapi tenue cæteris omnibus linteo exceptis
inſpergatur.

Sinapiſmi confectio.

Sinapiſmi conficiendi modus eſt huiuſmodi: Cari-
G cas in aqua tepida pridie macerare oportet:poſtridie ve-
rò eius diei vehementer expreſſas valde contundere,
deinde acre ſinapi, quale eſt Syriacum & Ægyptiacum,
capere, ac per ſe conterere,aquam in qua caricæ madue-
rint, paulatim affundendo (nam humore perfuſum me-
lius læuigatur) tum in maſſas leues redigito,alterā ex ca-
ricis, ex ſinapi alteram. Fiet autem ſinapiſmus vehemens
ſi duas partes ſinapi vni caricarum parti addemus, me-
diocris verò,ex paribus vtriuſque portionibus conſtabit:
ſin mitior exigatur, tertiam partem ſinapi, duas cari-
H carum commiſcebimus. Linteo verò aut panno illitus
adhibetur, locus verò cui admouendus ſinapiſmus eſt,
prius nitro illinatur,& omnino inunctus eſto, eique ita
cataplaſma adhibeatur, & ſuprà ligetur. Vtendum ve-
rò ſinapiſmo in ſole, aut aprica domo, & potius ante

balneum: certum tamen temporis ſpatium quo teneatur, definiri non poteſt, propterea quòd alii citius, alii ſerius eius ſenſum percipiant. Ergo ſæpe intueri locum oportet, vtrum ſatis roboris contraxerit. Si verò longo ſpatio admotum ſinapi non agat,ſpongiis aqua calida imbutis, & panno in quo cataplaſma eſt, appoſitis; fouendus eſt. poſteaquam verò ſinapiſmo vſi abundè fuerimus, æger in balneũ ducetur, & vt modicè laxetur, totus perfundẽdus eſt, ac potius etiam partes quibus ſinapiſmus fuerit admotus: eæque non vngũtur. ſique ferre poſſe æger videatur,ſuſtinere debet,& iterum balneum ingredi,& perfundi,ac ne tum quidem vngi. nonnullos etiam vſque in ſequentem diem non vnctos ſeruantes lauamus. Poſt balneum verò vltimum partes roſaceo illinimus :ſi vehemẽs ſit dolor, & puſtulæ eruperint, partes erunt lana aqua & roſaceo intinctæ obducẽdæ, aut etiam amygdalino cum aqua:melius autem eſt vt aqua ſit maluæ ſuccus.In iis verò quos vehemens dolor vexat,locus malua probè decocta vel per ſe vel cum pane oblinẽdus:vbi dolor ceſſarit, cerato roſaceo cum ceruſſa vtemur. Lethargici verò, & qui acutis morbis detinẽtur, lauandi ſunt. Cæterùm quibus ſynapiſmus adhibetur,oleo perfundimus: & idem facimus in iis qui carnibus ſunt mirum in modum delicatioribus. In quibus verò ſinapiſmo vtimur non propter partes quæ altius reſident, ſed propter eas quæ prope cutim ſunt, panis læuigatus pro caricis ſinapi admiſcetur. Hoc etiam ſciendum eſt,ſi in aceto ſinapi maceretur, cataplaſma obtuſius: ſi in aqua, minus mordax fieri. Qui aures ſinapiſmo oblinunt, panno debẽt contrectare, aut duplicatis linteis excipere: malleolos verò oleo prius vngere, tum duplicatis linteis excipere.

De ſcilla.

Scilla in mortario contuſa parem ſinapi vim habet, ſi illinatur:ſed breui tempore teneatur:nam ſi tardarit,vlcus excitabit. ea priuatim in pectore vtemur ad eos qui nonniſi recta ceruice ſpirant: & ad reſolutionem, quum non ſolùm motus, ſed ſenſus quoque eſt læſus. ſed & nitrum,& balneum, & remedium, vt in ſinapiſmo, adminiſtrare conuenit.olei verò perfuſio morſiones quas ſcilla excitat,propriè mitigat.

De fimo caprillo.

Caprarum fimus viribus ſinapiſmo non cedit, præſertim globuli aceto læuigati. propriè verò conuenire iſchiadidis hoc cataplaſma,quippe quod ſinapiſmo ſit efficacius, nos ipſi experientia atque vſu didicimus.

Ex Menemacho,de pſilothro, Cap. XIII.

PSilothrum ex arte quæ cultui & odoratui eſt dicata, ſumptum eſt.carnem in ſuperficie vellicat:id quod ex rubore quẽ affert, & materia quæ adurens eſt;planè patet. Si tardarit, cutim vlcerat, puſtuláſque excitat. eius actio minor eſt quàm dropacis: ſiquidem hoc carnem delicatã relinquit:dropax verò habitiorẽ & muſculoſiorem. huius porro moleſtus eſt vſus. Cæterùm oleoſa pars à corpore abſtergenda eſt, propterea quòd non adhæreſceret, & in eius vſu multo tempore morandũ eſſet.quocirca pedum lotiones, ad quas pſilothrum adhibetur, modicè vnctas eſſe oportet,ne vis planè diſſoluatur.

De tonſura & deraſione, Cap. XV.

TOndendorũ abradendorúmque pilorum vſum medicina accepit euacuãdi cauſa: eſtque is ad diutinas affectiones accommodatus. In capite autem capilli erunt forfice præcidẽdi,tum radendi, & abraſione etiam vtendum. Deraſio verò partium in quibus capilli non ſunt, purior eſt & manſuetior quàm ſit cutis tonſura: verùm propter irrigationem & frictionẽ moleſtior eſt, & magis etiam in profunda coma:tonſura verò quæ æquè ac deraſio capillis caput nudat,habet neſcio quid ſenſum tentãs. quocirca in iis qui facilè mutãtur,tactu leni & manſueto vtendum eſt. ſed quum opus eſt cucurbitulas etiam admouere,locus abradẽdus eſt,vt ipſæ poſſint excidere:quo ſanè tempore irrigatione & frictione nihil præterea fuerit opus. Cæterùm mitis tonſura & deraſio perſpiratum parat, partéſque ad alia efficacia remedia paratas & idoneas reddit.

De pectendis capillis, Cap. XVI.

IN mulieribus quæ ornatum capillorum ſanitati anteponunt, pro locali remedio pectere comã vicem gerit frictionis: efficaciúſque prodeſt quum caro ad cuiuſque capilli exortum trahatur. ſique dentes pectinum denſiores fuerint,maiore etiam vi capillos attrahent.

Ex Herodoto,de pectenda coma,ex libro de remediis extrinſecus occurrentibus, Cap. XVII.

NE caput pectatur primis quidem diebus,cauendum eſt (neque enim neceſſarium eſt,neq; vtile) poſt vnctionem verò quæ ante cibum adhibetur, & poſt clyſteris vſum,ſi ita conſueuerint, pectẽdum erit donec partes capitis nulla moleſtia afficiantur. Si verò aliquod ſymptoma extrinſecus appareat, vt dolor capitis,vt defluxio quæ nuper cõſtiterit,aut exanthemata,aut ſanguis ſtillãs, aut alia quædam mala ſuſpicio ſubſit,omittendum eſt.

Herodoti,de perſtrictione & interceptione, Cap. XVIII.

IN quacunque morbi parte,perſtrictio interceptióque, & ante acceſſionem, & in eius initio, adhibenda eſt. Colligare ergo & intercipere partes vna aut duabus antè horis eſt accommodatum: ſi verò tempora ſuſpecta ignorẽtur,acceſſionéſque inuaſerint,non iam magnoperè harũ rerum auxilio indigebimus,veruntamẽ eis vtendũ eſt, atque affectionib⁹ quæ cum rigore inuadũt, itémque doloribus,conuulſionibus,defluxionibus,ſanguinis eruptionibus, palpitationibus, ſingultibus, inflationibus,& vigiliis, perſtrictio conuenit. Interceptio verò omnibus qui vel ex morbo, vel ex ſymptomate refrigerantur, adhibetur. Perſtrictiones autem vaſis latioribus, in quibus multum ſanguinis & ſpiritus eſt, admoueantur. Ergo ad perſtrictionem aptæ ſunt partes brachiorum quæ ad alas & ad carpum pertinent: crurũ verò partes quæ ad inguina,poplites & malleolos ſunt. hoc enim pacto attractio materiæ morbum gignentis retrahitur & auertitur. Interceptio verò ad poplites adhibita prodeſt,quippe quæ materiam contineat,naturalémque calorem ſeruet:idque præcipuè facit ſi cum vnguine admoueatur. Hæc autem auxilia conueniunt iis qui ſtatis temporibus neruorum dolores ſentiunt, cuiuſmodi podagrici & arthritici ſunt: incommoda verò cenſentur iis quibus ante acceſſionem ſudores prorumpunt, & quos acceſſiones cum ſudore cõiunctæ obſident:nam ſi vinculis exciperẽtur,eorum ſymptomata fierent diuturniora.Interceptionis ratio ſit, vt lanæ molles in latos orbes redigantur, hiſque ab extremis manus digitis ad alas vſque brachium intercipiamus:eodémque modò ab inguinibus ad digitos vſque pedum progrediemur.ac partes quidem pedis quæ incuruæ ſunt, itémque genua pluribus lanis excipiemus, quoniam eæ partes tum extendendo,tum flectendo facilè denudentur, quum alioqui carnis copia ſit in eis perexigua, atque ita immoderatius refrigerentur:compreſſiones verò pro viribus fiant.Intercipiemus etiã particulas hoc modo:lanarum carpta extremitatibus ſuperdamus, & vinculis laxis ſuperexcipimus, & pro viribus iterum premimus: vbi omnes partes fuerint interceptæ, pulſus eſt per interualla contingendus,ne vitiare vires nos lateat: quo in caſu debemus etiam exteriora contemplari,vt colorem,vt reſpirationem, excretionẽ,atque decubitum. Sudores verò qui erumpent,ſi ex mora fiant interceptionis,in eáque perſeuerent,ac vires nihil minuantur, boni ſunt iudicãdi. In acceſſionibus verò ceſſandum, & interceptiones ſoluendæ:in iis verò quæ calorem extremorum inuadendo augent,æſtate citius expediendæ interceptiones ſunt: hyeme verò diutius immorentur. Quæ autem intercepta ſunt, non ſunt directo exoluenda: ſed partes brachiorum teneris manibus contrectantes, & ea quæ circumiecta ſunt auferentes, æſtate contegere togis oportet, hyeme verò manibus.nam aëri confertim expoſitæ refrigerantur: cæteras quoque partes exoluimus,quiete eiſdem imperata:ſique fieri poſſit, vt vnico decubitu vtantur.

De deligatione.

Deligationes fiant ad hunc modum: Lata vincula ex lana contorta, aut conſtricta & coacta, aut veſtes attritas capimus, extremitatibúſque circumponimus, &

adhibita cura ne carnes contundantur, comprimendum obſequenter eſt,vt firmiter liges.quod rite procedet ſi vincula & lata & lenia fuerint.ſed magis etiam conſtringuntur poſt ſecundam comprehenſionem:neque enim caro offendetur,ſed comprimetur. Optima verò deligationis quæ ſatis ſit,menſura eſt, vt tota caro quæ circum partes deligatas eſt,cum rubore inſurgat, nóſque vaſorū excitationem obſeruando,iterum vehementius comprimamus,cauendo ne particulæ in ſtuporē cadant, nóſque doloris cauſam afferamus.Optimus autem huiuſce rei ter minus eſt, depulſio rigoris,& extremorum calor, quum ſcilicet inuaſio ſe remittit:in cæteris verò,quum ſymptomata remittuntur.

Antylli de ſuffitionibus, ex primo libro qui eſt de iis quæ extrinſecus occurrunt, Cap. XIX.

SVffiunt medici mulieres quæ ex vtero ſuffocātur, ſiue vter⁹ procidat,ſiue refrigeratus, ſiue ſiccatus, ſiue multo humore perfuſus ſit. Vtimur quoque ſuffitu in morbis comitialibus, heterocrania, capitis dolore, in rectâ ceruice ſpirātibus, in aſthmaticis, in iis qui defluctione vexātur & in iis qui canina cōuulſione capiūtur.In vteri verò ſuffocationibus,& caſu atq; auerſione mulieres ſuffiāt ſe myrrha,aut thure,aut bdellio:ſi verò ſedere mulier poſſit,in ſella qua parturientes vtuntur collocabimus,& totam pannis diligenter circumuallabimus, vt nulla pars nuda præter faciē ſit. Si verò ſedere aut propter ſuffocationem,aut propter imbecillitatem non poſſit, ſuffienda erit igni ſub veſtibus contecto.Vbi vulua procidit,tetris odoribus ſuffienda,vt hirudinum nidore,pennis aut capillis,aut lanis,aut ſpongiis combuſtis:vel ita ſuffitum parabimus cōiecto in ollam nouam vino,hæc inſpergem⁹, atque ita ſuffitus fiet. Quum vulua refrigerata eſt,myrrham tritam, amomū,caſiámque adhibemus: quum exſiccata eſt,ſampſuchum,ſpicam, crocúmque:quū nimio eſt humore perfuſa,acetum,pulegiū,irida, thymúmque. Poculum verò ligneum in ollā coniicimus,quod in medio ſit perforatum:poculúmque labris ollæ agglutinam⁹, aut luto figulorum, aut paſta:in foramen verò calamum rectâ perforatum ponimus,atque ita aptamus vt nulla ſit perſpiratio,alteri verò calami extremitati fiſtulam plumbeam aptamus,cuius lenē ſit labrum: mulierem ipſam in ſella ad partum edendum accommodata,cuius effractum medium ſit,collocamus:tum ignem leniter ſellæ ſubiicimus,& in ſellam calamum imponimus. eſto verò calami tanta longitudo vt plumbea fiſtula calamo aptata ſellam excedat. Fiſtulam hanc ori vuluæ admoueri iubemus,atque ita ignem ollæ ſubdimus:quo incendente,vapor ex iis quæ in olla ſunt elatus & per calamum tranſiens, in vterum perueniet. Circundatur autem plumbum manſuetudinis cauſa,vt ne calamus locum vellicet. Poſtquam ſatis fomenti adhibueris,calamo adhuc vuluæ inſidente,olla ab igni auferatur:nam ſi calamus ſubducatur,quum vapor aſcendens adhuc feruet,ſinus muliebris exuritur.In comitialibus verò,vt cognoſcamus vtrum eo morbi genere teneantur,ex gagate lapide ſuffitus fiet.Vt autem qui comate opprimuntur,expergiſcātur,ex caſtorio,capillis combuſtis,ſulfure, eboris raſura,cornu ceruino,& equina vngula:in iis quibus altera capitis pars dolet,qui heterocranici vocantur,itémque in ſcotomaticis, & qui canina conuulſione corripiūtur,ex ſerpyllo,hederæ foliis,mādragora,& fœniculo:in aſthmaticis & recta ceruice ſpirantibus,ex ſulfure,abrotono, hyſſopo,& mētha.Quibus ſuffitus adhibentur, ſedere debent,pānīſque circūtegi,& ignē in mediis crurib⁹ habere,& inclinatos hianti ore ſpiritū attrahere. Vbi ſuffitus adhibitus fuerit, cæteri colluendi ſunt melicrato:qui verò thoracem malè affectum habēt,lacte.

De olfactoriis,ex eodem libro, Cap. XX.

IIs quæ olfactu ſenſum excitant,vtimur in vteri ſtrangulationibus, vt caſtorio aceto diluto,capillis combuſtis,lanis cōcrematis, ſpongia itidē, & ellychnio lucernæ nuper reſtincto,ſulfure ignem nō experto, quæ omnia ex igne ſuffiuntur: itémque hirundinibus fumum eructantibus. Vbi verò vterus procidit, odorari debent ſpicam,
A caſiam,coſtum,iridis folia,vnguenta odorifera,quæ etiā ad animi defectionē & nauſeam faciunt:& multò etiam magis vinum cum aliquo eorū miſtum, aut acetū in quo thymum, pulegium, ſatureia, origanum, apiúmque imaduerint. folia quoque vitis & roſarum conueniunt. Ad diſſolutionem autem virium quæ ex defectione oritur, hæc olfactoria ſunt apta:panis vſtus,polenta vino mā deſcens, pomum,pirum,melopepo: at qui ex capitis dolore in animi defectionem cadūt,peucedanum, polium,
B baccas lauri, cupreſſi globulos, ſerpyllum, melanthium quod aduritur,odorari debebunt.

De abſtergentibus medicamentis,quæ ſmegmata dicuntur,ex eodem libro, Cap. XXI.

SMegmata ſolent adhiberi vt cutis ſuperficies abſtergatur: alia vt ſcarificetur aperiatúrque corpus, alia ad porriginē,aut ſcabiem, aut morbū pedicularem exterendum, aut ad lendium moleſtias tollendas valent. Abſtergent autem,nitrum,aphronitrum,ſal,mel,ſalis flos, cimolia,lomētum fabarum,fermētum hordeaceæ farinæ,fur-
C fur,cinis communis,pumex omnis,arena:attenuāt autem, veratrum album tritum,alcyonium,ſulfur,herba pedicularis,napy, cachry, pyrethrum, piper, limneſtis, granum Gnidiū,euphorbium. Ad porrigines verò & ſcabiem, & morbum pericularem ſmegmata faciunt quæ conſtāt ex betæ ſucco,ptiſanæ cremore,ſulphure ignem non experto,veratro,herba pediculari,teſta ſepiæ combuſta.omnia autem ſmegmata corpori admouenda ſunt ſine vnguine in linteo ſicco,quum ſiccatum prius fuerit corpus, priúſque ſudauerit.

D De iis qui ſanguinem ſiſtunt,ex eodē, Cap. XXII.

EOrum quibus ſanguis cohibetur, alia refrigerando, alia adſtringendo, alia agglutinando, alia ſiccando, alia adurēdo ſanguinis eruptiones ſupprimūt.Ergo aqua frigida,pſyllii ſuccus,cicutæ,ſeridis,& herbæ ſanguinalis ſiſtit refrigerando:acetum verò,oxycraton,ſuccus portulacæ,plantaginis,rhois ſyriaci,hypociſtidos,balauſtii,adſtringendo:itémque galla,acacia,acreſta, ſquama,ærugo, gypſum, cadmia, ceruſſa diphryges vſtum, Samius aſter, terra Samia,electrum,rubrica Lemnia,& araneorum tela,
E & māna thuris,cohibet agglutinādo:& ſpongia noua acēto imbuta, vini fæx & aceti exiccando. at miſy & chalcitis,& atramentum ſutorium, & cauterium, adurendo, & corpora congregando. Initium verò à refrigerantibus & adſtringentibus ducendum eſt, & ad extremum adhibenda ſunt adurentia.Illud porro ſcire conuenit,aliarum partium eruptiones ſanguinis, poſtulare plurima remedia ſanguinem ſupprimētia:eas verò quæ ab vtero fluūt, quæque in profundis partibus manent & ſunt, omnino aliter curari: nam minus parent refrigerantibus, quippe
F quum vterus adſtringentibus præcipuè delectetur quæ per os erumpunt, ſiccantia non admittunt,nec quæ modò diximus,ſed iis quæ glutinant curantur:ſed ne iis quidem omnibus, verùm imponi poſſunt & quæ periculo vacant.nam ceruſſa,gypſum,& diphryges, & cadmia venēni vim habēt: quæ quidem in ſanguinis eruptionibus partium externarum conuenienter adhibentur.

De collyriis,ex eodem, Cap. XXIII.

QVæ collyria propriè dicuntur,ea oculis adhibentur: læuigata verò quæ communiter integra nominan-
G tur, alia apponuntur, alia imponuntur: apponuntur aure vtero: imponuntur verò fiſtulis & ſinibus: quæque vtero adhibentur, purgationes prouocant, & fœtum educunt: ea autem ex colophonia,myrrha,& braſſicæ radice, dictamno, & elaterio conficiuntur. Debent autem collyria longitudinis quatuor digitorum eſſe, eorúmque figura caudæ muris eſſe ſimilis.ſunt etiam linamētis aut filo oblongo appendēda, vt quum tēporis quod ſatis ſit permanſerint,auelli foras queant.Collyriū quoque cyprī
H no vngendum:ſed animaduertendū eſt ne vtero inflammato aut dolenti collyriū admoueatur.Quæ verò fiſtulis & ſinibus indūtur,ea vt agglutinētur imponi ſolent. hæc autē ex melle cocto fiūt,aut ex taurino glutine,aut ex ærugine,aut ære cōbuſto:quæ fiſtulis indūtur,ea ad callos

exterendos imponimus, fiúntque ex melle, miſy, atramento ſutorio, chalcitide, ſquama nigra, radice marrubii, cedria, & ſeride. Hæc verò, & quæ in ſinus induntur, eſto lõgitudinis paris fiſtulis & ſinibus: craſſitudinis verò minoris, ne cunei inſtar imponantur. Spongia quoque & papyrus exiccata ex lino inditur, & in fiſtulas & in ſinus exiccãdi cauſa, ſi exiccãdi ſit neceſſitas: trahunt enim hæ ad ſe humorem, & vt dilatemus aperiamúſque ora fiſtularum; & locum vt collyria ingredi poſſint; præbeamus. Cæterùm collyriorum quæ ad oculos pertinent ſyluam & materiam exponimus, vbi de madefactionibus, & cataplaſmatis, & empaſmatis verba facimus. Vere parare collyria debemus: nam æſtate eorum vis euaneſcit, & præcipuè aromatum aridorum contuſorum: at hyeme etiamſi arida contundantur, nihil tamen lædẽtur. Cum humore autem contritæ inhorreſcunt, neque vires remittunt, neque inter ſe permiſcentur. Quandoque etiam (quemadmodum in regionibus quæ hyberna ſæuitia rigent) medicamenta in humore trita ſuas vires hyeme amittunt: ſiquidem congelantur. Sed nec etiam valde ſicca medicamenta conterenda ſunt: nam puluerulenta eorum pars quæ puriſſima facultate eſt, euaporat, & in nihilum abit. Sicca autem per ſe terenda ſunt, vt per tenuiſſimum cribrum ſine vi traiici cum humore queant: non tamen humor confertim affundendus eſt, ſed paulatim, vt ſemper ſtrigmentoſum & viſcoſum medicamentum teratur. Ex quo conſequetur, vt quæ iniecta fuerint, inter ſe cohæreant: ſi verò totus humor affundatur, metallica reſidebunt, aromatica verò innatabunt, neque inter ſe vniri cogentur, neque ſub piſtillum cadent, quippe quæ præcurrant, & cum humore confugiant. Aqua autem eſto pluuia. ea nanque tenuis eſt, & omnia permeat: ſin ſecus, collyrium vino excipiendum erit. Quæ autem ex metallicis parantur, multo tempore læuigantur: quæ ex ſuccis, exigui temporis contritione indigent. Vbi verò ſatis fuerint læuigata, gummi collyriis additur vt componãtur: & quia poſtquam ſiccata ſint, facit vt collyria non frangantur: nullam tamen propriam facultatem oculis gummi præbet. Vbi verò cõfecta fuerint, in æneo vaſe reponentur: nam quæ ad oculos pertinent, meliora ab ære fiunt. At quæ ex ſuccis conſtant, iis vtendum ſtatim eſt: quæ verò ex metallicis conficiuntur, inueterata meliora redduntur.

Vſus collyriorum & modus.

Lippitudini autem incipienti conueniunt ea quæ ex glaucio, croco, & ſarcocolla conficiuntur, idque præſertim æſtate. Defluxioni verò, quæ ex roſis, quæ ex oſſibus palmularum combuſtis, quæ ex ſummis oleæ coliculis conſtant: vehemẽtibus doloribus, quæ ex aſtere, quæ ex amylo, quæque Babylonia vocantur. Ad chemoſes verò facit collyriũ ex pompholyge, ex ceruſſa, ex nardo. Ad vlcera quæ ex thure fiunt, ad affectiones quæ inueterarint, valẽt aeria collyria: eadem ad hebetes oculos accommodata ſunt. Collyriorum autem materiæ apud omnes ſunt: cæterùm in chemoſi, & vehemẽtibus inflammationibus infundere collyria conuenit, ne ſpecillũ contingens morbum irritet. In cæteris caſibus ſublinenda ſunt. Verùm oculus non eſt acie ſpecilli tangendus, ſed palpebra inferiore illita medicamentum apponendum. Illitiones verò quæ per ſubiectionem & quæ per euerſionem adhibentur, neſcio quid decori continere videntur, cæterùm non ſanant: nam quæ ex ſubiectione fiunt, oculos ſoluunt, ſpecillo obſiſtente fricãdo. Quæ verò per euerſionem admouentur, palpebris callos obducunt: quæ liquidæ vocantur, vtiles ſunt ad hebetudines & incipiẽtes ſuffuſiones, fiúntque ex Attico melle, opobalſamo, felle, & præſertim hyænæ: ſi id nõ ſit, viperæ, aut aquilæ, aut vlturis, aut perdicis, aut gallorum alborum, aut coracinorum piſcium. quandoque fœniculi ſuccum capiunt, aut oleum quod ob vetuſtatem ſit pertenue & ſolutum: aut liquorem cyrenaicum, aut cinnamomum, aut ſemen eius quod beſaſa dicitur, quod nos agreſtem eſſe rutam exiſtimamus. Humidæ porro attenuare, calfacere, & purgare poſſunt. Omnia autem medicamenta oculorum, & præcipuè liquida, ſi accommodatè admoueri debeant, non pleno capite, & mollita aluo adhibenda ſunt. Quod præſertim in liquidis ob-

A ſeruandum eſt, idque in puro aere, auſtrino, ſud dio: nam ſpirante Noto, & cælo nubilo, aut humido, aut frigido & condenſato, inutiliter admouentur. Idem vſu venit in cæteris collyriis quæ ad acumen viſus pertinent: itémque in aliis omnibus quæ ad lippitudinem faciunt, eadem aëris obſeruatio ſeruãda eſt, niſi fortaſſe quiſpiam ſic vrgeatur vt eis vtatur: quo caſu & raro & paucis vti debebit.

De paſtillis, ex eodem libro,
Cap. XXIIII.

B PAſtillorum ſunt tria genera: quorum vnum potui datur, alterum in aluum coniicitur, tertium illinitur. De paſtillis verò qui potui dantur, tum dicemus quum de iis qui ægrotis offeruntur, verba à nobis fient: de cæteris nũc inſtituta eſt oratio. Eorum ergo qui induntur alii obtũdunt, alii adſtringunt, alii adurũt. Iis qui obtũdunt vtimur in iis quibus per infernas partes acria excernuntur, & quæ inteſtinum omnino mordeant. Eorũ materiæ ſunt amylum, Samius aſter, pompholyx, gummi, tragacantha, dulcis radicis ſuccus, opium, manna, bdellium. Hi paſtilli triti cum cremore ptiſanæ, aut etiam cum polline, aut cre-

C more furfuris, aut lentium decocto iniiciendi ſunt. Adſtringentibus verò vtimur in quibus fluxum immoderatum ſiſtere ſtudemus, & in quibus roborare inteſtinum volumus. Horum materia eſt alumen, acacia, hypociſtis, thus Syriacus, balauſtium, œnanthe, galla, malicorium, myrtus. Induntur hi cum ſucco roſarum, aut lẽticularum, aut plantaginis. Adurentium vſus eſt in depaſcentibus vlceribus. Fiunt illi ex ſandaracha, calce viua, ſquama æris, charta combuſta, & cæteris huius generis. Sunt autem imponendi paſtilli huiuſmodi, poſtquam ægroti comede-

D rint & biberint, ne ſtomachus ab exhalatione feriatur. Præterea antequam indantur, clyſter ex muria imponendus eſt, vt vlceribus prius abſterſis paſtilli indantur, quippe qui eo modo efficaciores ſint futuri. Cæterùm quos iniecturi ſumus, in vaſculum coniectos plurimùm agitare oportet, & ita indere, ne medicamentum in fundo vaſis ſubſidat. Vbi autem canaliculum ano impoſuerimus, exprimere debemus, & vertere eodem in loco, ne ſi fortè vlcere obſideatur ea pars, medicamentum concidat. Paſtilli verò qui illinũtur, parẽ vim habẽt cum iis qui infundun-

E tur: nam alii adſtringunt, vt is qui ad Andronem authorẽ refertur: itémque is qui à Polyida eſt confectus, & croceus, & fuluꝰ, qui ex lanis ſordidis fiunt. Tales etiam ſunt qui ex halicacabo conſtant: valéntque ad exanthemata, herpetas, ignem ſacrum, intertrigines, ſanguinis eruptiones, & vlcera fluentia. Alii hebetant, & ad epinyctidas, carbunculos, & vlcera maligna faciunt.

De peſſis, ex eodem libro,
Cap. XXV.

F PEſſi vtero ſoli admouentur. Eorum tres ſunt differentiæ: alii nanque molliunt, adſtringunt alii, alii denique aperiunt. Mollientibus ad vteri inflammationes, exulcerationes, perfrictiones, ſtrangulatus, auerſiones, & inflationes vtimur. Fiunt autem ex cera Tyrrhenica, cyprino, ſuſino, pinguedine anſeris aut gallinæ, butyro inſulſo, reſina deuſta, medulla ceruina, fœnogræco, & ſimilibꝰ. Aperientes vtiles ſunt quum purgationem ſuppreſſam prouocare volumus, aut conniuentem compreſſámve vuluam emendare: hique ex melle, artemiſia, dictamno, braſſica, dulcis radicis ſucco, ruta, & ſcammonea. Adſtringentium

G vſus contrarius eſt aperientibus: nam fluorem muliebrem cohibent, & vterum ſuſpenſum contrahunt, & prolapſum reprimunt. Cæterùm materiam adſtringentium ſuprà comprehendimus quum de collyriis & paſtillis loqueremur. Peſſi craſſitudo inſtar ſtrigmenti, & paulò ſpiſſior facienda eſt: deinde lana tortili linamento ſimilis duplicata medicamento tincta in os vuluæ indenda eſt, ſic vt ſtuppam oblongam alligatam habeat, quo facilè peſſus extrahatur.

De medicamentis quæ infunduntur,
H Cap. XXVI.

VTimur iis quæ infunduntur, propriè in vtero per ſpecillum, quod infundendo in ipſum liquori accommodatum eſt, quod μητρεγχύτην vocant: in ſinu verò qui ante vterum eſt, per follem. Id verò quod infunditur &

in ſinum & in vterum,eſt eiuſdem generis. Poteſt autem infuſio mollire,adſtringere,calfacere, inflationes diſcutere,dolores mitigare : quæ omnia pro materia ex qua conſtat,ſolet efficere.Debet autem liquida eſſe,aut oleo paulò craſſior.

De vnguinibus,ex eodem libro,
Cap. XXVII.

VNguinibus vtimur in iis partibus corporis in quibus neque madefactioni neque cataplaſmatis eſt locus, vt in palpebris,auribus, ſummo naſo , & tota facie : ſiquidem à cataplaſmatis grauatur, & à madefactionibus defluentibus læditur. Eadem quoque admouemus iis partibus quæ multum mouentur , quum in eis cataplaſmata conſiſtere non queant,& madefactionibus vti non poſſimus.Præterea inungimus feruidas inflāmationes, & quæ naturam eryſipelatis referunt, quæq; & à cataplaſmatis & à madefactionibus irritātur. Exulcerationes quoque quæ in ſūma cute ſunt,& deſquamatas inungimꝰ: quippe quæ à cataplaſmatis & madefactionibus aggrauētur : itémque ſuggilata, & laxos tumores, & alia permulta inungimus.

Materiæ vnguinum ad frontem & oculos fluentes accommodatorum.

Ex leuibus vnguinibꝰ eſt album oui vel per ſe, vel cum roſaceo,vel cum vino adſtringēti , vel cum ſitania farina. Valentius fit ex ouo cum manna,aut cum gūmi.Magis etiam colla aqua feruenti reſoluta, & cochleæ albæ cum teſtis contritæ, eæque vel per ſe vel cum ouo. Crocus quoque cum vino illitus mitigat, & magis etiam glaucium ex vino. Præſtantiſſimum eſt quod ex Lemnio ſigillo, & aceto,aut ſucco herbæ perdicii conficitur. Acacia itidem fulua cum vino ſimiliter iuuat. Ex his quædam tenſam frontis & temporum cutim faciunt, & idcirco vaſa comprimunt , & ad ſanguinis defluxionem amoliendam valent: alia verò vnà cum protenſione,ſua adſtrictione vaſa adſtringunt.

Vnguina faciei.

Exanthemata quæ in facie naſcuntur , ouo cum ceruſſa,aut lycio cum amurca ſuperficie tenus decocto illinūtur.Facit hoc etiā ad fiſſa labia. ſuffuſiones verò ſucco thapſiæ illinendæ ſunt , aut hyſſopo viridi. Faciem verò maculatam prius fouere debemus thymo , aut ſatureia, aut origano , in linteum rarum coniectis , & aqua calida decoctis,& floribus impoſitis ita illinere.

Vnguen aurium quæ inflammatione obſideantur.

Aures inflammatæ, ac præcipuè ex plaga, colla cum aqua, aut myrrha cum vino, aut māna cum vino illinuntur. Exanthemata verò capitis , poſtquam deraſum caput fuerit, cimolia cum aceto,aut betæ ſucco oblinimus:quæ humidiora ſunt, cedria: quæ glutinoſas ſanies excernunt, amygdalino vngimus : quæ naſum & nares obſident, vnguine quod ex alumine , myrrha & aloë conſtat , curantur. Eryſipelati verò glaucium, vel ſuccum plantaginis , vel herbæ ſanguinalis aut lentiſci , aut cicutæ, aut acaciæ , aut hypociſtidos adhibemus: ſed ſuillum fel ad eryſipelata eſt omnium accommodatiſſimum. Humida verò pinguibꝰ,vt ſeuo,butyro,cera Tyrrhenica cum roſaceo,oblinimus: pudenda verò valde adſtringentibus & attenuantibus , vt mella cum ſquama æris , aut aloë cum vino mulſo. ſed melius eſt brathy aloë inſpergere , atque illinere : intumeſcentes verò partes in hydropicis , aut aliis generibus morborum,cimolia cum aceto,aut cum fece vini liquida,aut ipſa fæce vngimus.Corpora verò præpinguia,ſunt tota melle cui ſal admixtus ſit,illinenda:ſed melius eſt in eiuſmódi coporibus vt calami rore vtamur. Myrmecia verò heliotropii, aut chelidonii,aut batrachii ſucco inunguntur. Epinyctidas verò liquore cyrenaico, aut parthico cum vino dulci,aut calce viua cum oleo,aut coriandri ſucco illinimus. Vermes concretos coagulum leporis,aut alterius cuiuſuis animalis illitū educit:ad ſcabie obſeſſas partes cardamomum aceto illinimus.Ad ambuſta verò,ne puſtulæ excitentur,myrrha ex vino læuigata valet:ad idem facit alumen ſciſſile ex aceto & lixiuio,& calx viua ex aqua.Vnguiū quoq; reduuias alumen liquidū illitū mirè iuuat.Perniones naſci non ſinit thus,& alumē, & ſeuum,ſuillum illitum. Ad ſcabiei moleſtias & pruritus facit herba pedicularis cum viuo ſulfure & aceto. Ad tumidas eminētias alterci ſuccus valet: ad eminentias verò quæ in ano & pudendis ſunt,alumen ſciſſile cum myrrha ſtacte & atramento ſutorio facit.

De malagmatis,ex eodem libro.

Malagmatū tres ſunt maximè differentiæ:alia enim ex quibuſdā ſiccis,radicibus,inquā,herbis & ſeminibus fiūt: alia ex metallicis,aut iis quæ metallicis proportione reſpōdent:alia ex ſuccis,ſeuo,lacrymis , & quæ coniunctè molliuntur. Quæ autem ex ſiccis conficiuntur,coctione nunquā egent,ſed ſolū liquefactione.In hoc genere ſicca ſunt liquabilibus affundēda,quoniam radices & herbæ decoquendo frigerentur. Si verò exigua portio aridorum imponatur,cætera erunt prius decoquenda,& quum ea ſatis cocta fuerint,ab igni detrahentur,& ſicca adiiciētur:quæ verò ex metallicis & liquabilibus fiunt,quomodo paranda ſint , tum expoſuimus quum de emplaſtris loqueremur. Cæterùm quæ ex ſiccis conſtant , hypochondriis,& omnibus mediis partibus cōmuniter , & præcipuè ſtomacho imbecillo,aut non appenti,aut non concoquenti,aut flatus pleno conueniunt,vt quæ ex ſeminibus, quæ ex ſertula campana , quæque ex ſampſucho conſtant. Defluxione verò laboranti , aut æſtuanti , quæ ex œnanthe, quæ ex alumine, quæque ex omphacio fiunt. Lieni verò & iecori conueniunt ea quæ ex myrobalano , ex ammoniaco , ex viſco , ex aceto , ex calce , ex cardamomo, ex nitro,ex radicibus capparis cōficiuntur.Pectori & ſanguinis reiectationibus adſtringentia ſunt idonea , vt quæ ex alumine,ex œnanthe,ex ſalicibus, ex bitumine parantur.Ad tabē facit quod ex baccis lauri,quod ex marrubio, quod ex cardamomo , quódque ex lixiuia fit, quæ etiam iſchiadicis cōueniūt:at capiti,quod ex baccis lauri,quódque ex cachrye conſtat. Hæc autem exempli cauſa dicta ſint , quoniam alibi quæ facultates ſint malagmatum ad ſingulas res accōmodatorum, explicatum eſt. Quæ ex adipe & cera fiunt , præcipuè in neruis & articulis obduratis vtimur,& horum deſcriptiones apud omnes ſunt vulgatæ. Iis denique quæ ex materia metallica parantur, artubus obduratis,& digeſtione per halitum indigentibus, adhibentur.

De acopis,ex eodem libro,
Cap. XXIX.

ACoporum commodus eſt vſus vel in iis qui permanente & aſſidente impinguatione indigent , quum madefactiones propter earum defluxum nihil magnopere poſſint:vel in iis quibus propterea quòd morbi inueterarint,madefactiones minimè ſunt idoneæ. In quo genere ſic poſt madefactiones acopa adhibētur,ſicut etiam malagmata poſt cerata. Acoporum ſunt tres differentiæ: calefaciunt,molliunt,cutim ſcarificant: calfacientibus in acutis morbis vtimur , vbi neruos læſum iri ſuſpicio eſt: vel quum extrema refrigerata ſint, ita vt dificulter calfieri queant:vel quum ſudores cum perfrictione ægrum vexant:mollientibus verò,in morbis diutinis. Scarificātium vſus eſt in diuturnis morbis qui difficulter amouentur:ſegniores ſunt , in quibus etiam ſinapiſmum commendamus. Materiam verò ſcarificantem & calfacientem tum ſumus perſequuti quum de madefactionibꝰ & emplaſtris differuimus.

De iis quæ ſternumenta excitant,
Cap. XXX.

STernutamēta excitātibus vtimur,vel vt eos qui nimia propenſione in ſomnum detinentur , excitare feſtinemus , vel vt mentem deſipientem ad ſtatum redigamus, vel vt fœtum aut ſecundas expellamus, vel vt aculeos qui in pectore latent,in aſpectum adducamus, vel vt vertiginē ſedemus,vel vt aliquid expellamus quod in aures conciderit,vel vt diuturnā affectionē quæ in capite reſideat, amoliamur & diſcutiamus,vel vt ſpiritū prolapſū ſiue in parte,ſiue in toto corpore,erigamus & roboremus,vt in reſolutione,in morbo attonito,& morbo comitiali. Excitat autem ſternutamēta caſtoreū læuigatum. penna madefacienda eſt, & ea caſtoreum excipiendum , ac in nares indendum:& poſtquam pennam in naribus verſaris , nares

comprimendæ ſunt. Si maiore vti velimus, caſtoreo piper addemus: ſi etiam vehementiore, ſtruthium pyrethro, aut vuam taminiam piperi admiſcebimus: in quo caſu piper album adbibendum eſt. Sinapi verò non eſt accommodatum, quoniam caput replet. Præterea iis qui dicto audiẽtes eſſe poſſunt, imperandum eſt vt ſpiritum intrò attrahant, & manſuetum lumen, aut ignem, aut ſolem aduerſum intueantur. Melius eſt etiam vt ægrotis ſupinis & ſurſum verſus recũbentibus quàm ſedẽtibus, ſternutamentum excitans medicamentum imponamus: quúmque ſum pſerint, deambulent, ſi modò poſſint, ſurſúmque reſpiciant: quique lauari poſſunt, lauẽtur, ita vt caput largè perfundatur. In caro & cataphora & ſingultu tempus accommodatum eſt vt feſtinemus: idem eſt quum ſecundas aut infantem mortuum expellere oporteat. Ne ſit autem ſternutamentum inefficax, ſed & vbi exciderint iam medicamẽta quæ abigendo fœtui prius ſumpta fuerint, vel etiã inſeſſus, ita ſternutamentum ciens medicamentum admoueatur. Idem quoque tempus in aliis obſeruandum eſt, & item in iis quæ in aures exciderunt: at in febribus tempus eſt commodum quum febris ſe remitit: in morbis diuturnis, in diebus intermittentibus. Ii verò qui præſidiorum materiam perſequuntur, vt venæ ſectionis, purgationis, clyſteris, vomitus, & localium, & maiorum, vt cucurbitulæ, arteriarum ſectionis, hirudinum, ſinapiſmique; ea quæ ſternutamenta cient, adhibere poſtremo loco debent.

De medicamentis quæ inſperguntur, quæ empaſmata vocantur, ex eodem libro, Cap. XXXI.

Empaſmata, cataplaſmata, & diapaſmata differũt. empaſmata enim ſũt quæ, vt immoderati ſudores aut alia per halitum digeſtio cohibeatur, aut vt cutis extremitas ſcarificetur, aut pruritu tentetur, adhibentur: cataplaſmata autem dicuntur quæ vlceribus ſuperdantur: diapaſmata verò quæ ad ſuauem odorem cuti conciliandum, aut toti corpori tribuendum, aut partibus, vt alis & feminibus, accommodata ſunt. Ergo quum ſudores aut digeſtio per halitum infeſtant, vtendum eſt ceruſſa trita, aut gypſo, aut argenti ſpuma, myrto ſicca læuigata, malicorio, rhoë ſyriaco, ſorbis ſiccis tritis, polentis, amylo, polline, galla acerba, acacia. Vt autem pruritus & ſcarificationem excitemus, eos quibus empaſmata fuerint admouẽda, in ſole ſicca frictione confricamus, & prius laxamus ſenſim exercẽtes, tum empaſmata adhibemus: atque hydropicos quidem arena, fæce vini vſta, cimolia, gypſo, nitro, ſaléque: iſchiadicos, recta ſolùm ceruice ſpirantes, & diuturnis capitis morbis oppreſſos, ſulfure, ſinapi, naſturtio, cachrye, pyrethro, pipere, & nitro oblinimus.

De cataplaſmatis ex eodem libro, Cap. XXXII.

Ex cataplaſmatis alia ſordidis vlceribus conueniunt, & ad ea purganda ſunt accommodata, vt æs combuſtum, eruum læuigatũ, ariſtolochia longa, panax, cadmia, & diphryges: alia comprimunt carnes excreſcentes. Comprimit autẽ placidè ærugo, ſquama: magis verò calx, fæx: vehementer verò miſy, chalcitis, atramentum ſutorium, elaterium. Conchulæ verò combuſtæ adhibentur vt morſus ab vlceribus excitatos mitigent. pinus verò & ſpina Ægyptia & cinis femoribus inſperguntur.

De diapaſmatis, ex eodem libro, Cap. XXXIII.

Diapaſmata ſunt, ceruſſa, iris, terra ſelinuſia, myrtus ſicca læuigata, lauri baccæ aridæ, manna, ſpica, folium, amomum, iunci odorati flos aridus.

De perunctionibus ex eodem libro, Cap. XXXIIII.

Perunctionibus vtimur in iis meatibus qui ſenſu percipiuntur: in quos medicamenta ad ſtrigmenti craſſitudinem indimus, vt in os, in nares, in aures, in ſedem, in meatum vrinæ. Horum vis eſt aut exiceans, aut humectans, aut adſtringens, aut incidens, aut ſoluens, aut denſans, aut læuigãs, aut ſiſtens, aut molliens, aut dolorem leniens. Ac ſiccantibus quidem vtimur in aphthis oris & cæteris humidis vlceribus: eodémque modo ſi in naribus aut alliis meatibus humida vlcera & ſaniem emittentia ſint: huius generis ſunt iris trita cum melle illita, linteum nouum combuſtum, paſtillus ex hirudinibus concrematis, amurca olei, fæx vini combuſta, & vino aut aqua reſoluta. Humidæ verò perunctiones ſiccis & carbonum naturam imitãtibus vlceribus conueniunt, qualia præcipuè in auribus & naribus oriuntur. Humectantur autem perunctiones quum ex ſuccis humectantibus parantur: quorum ſyluam quum de madefactionibus loqueremur, demonſtrauimus. Sed vitandum eſt ne ſuccos huiuſmodi capiamus, in quibus aliqua vis corrumpendi inſit: ſiquidem tales adhibiti non ſolùm ori, ſed cæteris etiam meatibus ſenſilibus nocent. Quæ adſtringunt, vlceribus oris depaſcẽtibus, & gingiuarum madoribus, & affectionibus herpetis naturam referentibus, itémque tonſillis, & vuæ laxationibus, & arteriæ defluxionibus accommodãtur. Adſtringentium verò materia, tum ſimplicium tum compoſitorum, eſt omnibus perſpicua. In his eſt id quod ex moris conficitur, quódque ex capitulis Punici mali conſtat, & anthera, aut cõfectio quæ ex roſis paratur. Læuigantium vſus eſt in arteria exiccata, aut quæ aſperitatem cõtraxerit, in voce rauca, in gurgulione, in tonſillis occluſis. Ex eo genere eſt tragacantha, gummi, nux pinea, vua paſſa dulcis, mel crudum, faba freſa cum melle, dulcis radicis ſuccus, confectio ex papaueris capitibus quæ ex vino ſcybelite ſit facta. Incidentibus & ſecantibus vtimur in anginis, quum ea quæ nos vexant & quæ inflant, quæ ad guttur & os pertinent, attenuare ſtudemus. Hoc verò genere continetur nitrum cum melle, ſinapis in ſuccum redacta, ſuccus braſſicæ, ſemen rutæ ſylueſtris, pyrethrum, cardamomum cum melle. Iis verò quæ denſare poſſunt, vtimur ad ea ad quæ ſiccantia diximus accommodari: huiuſmodi autem ſunt quæ refrigerant. Quæ verò mollire pollicentur, eiſdem quibus etiam humectantes, conueniunt.

De medicamentis ad aures accommodatis, ex eodem libro, Cap. XXXV.

Medicamentorum quæ auribus conueniunt, alia ad dolores ſedandos, alia ad vlcera, alia ad aures purulentas, alia ad ſonitus accommodata ſunt. Opium papaueris lacte aut aqua reſolutum doloribus prodeſt: ad idem facit mãdragoræ & cucurbitæ ſuccus, & oleũ in quo blatta animal ſit incoctum, aut aſelli qui ſub hydriis naſcuntur, aut terræ vermes: itémque pinguedo phocæ delphiníque, & butyrum, & animalium medullæ, ſandaracha ex melle, amygdalinúmque & roſaceum, & irinum, & garus: alumẽ quoque cum melle & cedria, & paſtillus qui Heræ dicitur. Acoribus verò purulentis vtile eſt lentiſcinum, terebinthina, tetrapharmacum reſolutum, confectio ex adipibus, & quæ ex cadmia conſtat, ſi reſoluãtur. Ad vlcera verò quæ in auribus ſunt, adhibeatur etiam oleum in quo ſenecta ſerpentis ſit incocta, aut cuminum Æthiopicum: myrrha verò aut thus, aut veratrum nigrum, aut caſtoreum cum paſſo læuigata & inſtillata, ſonitus perſanant.

De iis quæ dentibus conueniunt, ex eodem libro, Cap. XXXVI.

Quæ dentibus adhibentur, partim concuſſis, partim eroſis, partim dolentibus, partim denigratis conueniunt. Stomatica igitur & perunctiones, vt confectio ex moris, aut quæ ex roſis fit, aut anthera, concuſſos dentes ſiſtũt: idémque faciũt diphryges, æs, ſquama cum melle, ſi dentes eis confricentur. galla quoque nigra aceto incocta, ita vt quarta pars relinquatur, prodeſt vt eo decocto dentes laborantes colluantur. liquidum etiam alumen idem præſtat. Iam & piper in loco inani dentis dolẽtis impoſitum, dolorem mitigat, eundem lenit galbanum illitum, & cera cũ maſculo thure, & acetũ, ſi os eo colluatur, & caricæ pingues, & allium, & myrrha incocta. Ne verò nigri fiant aut corrodãtur, ea ſmegmata quæ ad dentes accommodata dicuntur, faciunt: ex quo genere eſt ſal cum pulegio, aut cornu ceruino, aut ſepiæ teſta, aut ouorum læuigata putamina.

De ingreſſu in oleum, ex Herodoti libro de remediis extrinſecus occurrentibus,

Cap. XXXVII.

DEſcenſus in ſolium ex oleo conueniunt iis qui diuturnis febribus cum perfrictione conflictantur: iiſque qui laſſitudine fuerūt oppreſſi,& iis quibus dum febri iactantur, dolent nerui qui oſſibus ſunt admoti. Tempus omne accommodatum eſt, omníſque ætas,ſed magis ſenilis. Atque in ſymptomatis cum febri coniunctis apti ſunt huiuſmodi ingreſſus in declinatione: in quartanis verò febribus, etiam in ſtatu. particularia verò tempora ſunt,vt in remiſſionibus in omnibus conueniant: in conuulſis verò & dolentibus,& vrinæ ſuppreſſione,vt feſtinemus. Cæterùm quinta olei pars calfacienda eſt,reliquū in balnei ſoliis ſit:nam quod in balneis eſt, neque ſatis calidum redditur,neque totum rite ad ignem calefieret:ſiquidem ad ſecundum vſum inutile redderetur, quandoquidem nidoroſum fieret.Solium verò in quo oleum ſit, ad proportionē ægrotantis magnū eſſe debebit. Locetur autē in tentorio, aut domo ex omni parte incluſus:eſto autē in ſella,ſuper qua endromis ponatur, perforata per interualla quaternûm digitorū, cuius initia conſuta ſint lignis quadratis oblōgis:id quod facimus quia ægroti qui carnis mole ſunt onuſti, non facilè à ſolio auferantur: dilabuntur enim geſtantium manus.Quod ſi cauēdum ſit ne fiat, manib⁹ tenaciter apprehēdenda ſunt corpora,quæ res carnes tenues & imbecillas contundit. Præterea decubitus in nudo ſolio difficilem actionem tum ſua duritia tum verò feruore efficit: æs enim vehementius incaleſcit. quam etiam ob rem iubemus vt ſpongias ſubſternant,vt ad mollia corpora ægroti adnitantur. Foramina verò adhibentur,vt poſtquam fuerint deportati, oleum defluat. Ergo cōſtitutus æger in ſella,caróque reddita æqualis per mollem & moderatam frictionem fuerit.Reuolutis autem lignis,in oleum rite imponatur: reuoluantur verò in cōtrarium ligna,vſquedū ægrum in ſubiectis ſpongiis ſtatuant, párſque ad caput ſpectans eſto ſublimior.Prima autem olei oblatio mitis eſto: vbi paululum immorati homines in humore quieto fuerint,oleum per ſe agitēt:quique adſtant,conuenienter rationi eoſdem perfundant. Sed non eſt ignorandum, & multum, & præter animi ſententiam ex eo motu calorem excitari.Si verò feruidiore temperie indigeant,calidius oleum erit affundendum:infuſio verò ad pedes & ad ſolium fieri debet. præterea qui caput perſpergit, immergendus eſt,ſed ſpongia mollis ante oculos admoueatur. Temporis menſura definienda eſt in iis qui ſolutionis cauſa deſcendunt in oleum, vt vel rigorem,vel febrim,vel inflationes ſoluant:& in iis qui alimentū malè diſtribuunt.in principio enim, vt corporis raritate in facie madidum vaporem capiant: poſtea verò, vt longiore tempore immorentur. Præterea ſciendum eſt, ex hoc ingreſſu in ſolium multos ſudores,atque adeò plures quàm in balneis, excitari. Quocirca vires omnium nobis ſcopi erunt propoſiti:cum quibus ſudorum etiam qui excernēdi erunt,habenda eſt ratio.Si verò doloris,aut conuulſionis,aut vrinæ ſuppreſſionis cauſa in ſoliū ex oleo deſcendant, non modò vires, ſed etiam eorum quæ infeſtant elationem aut diminutionem, conſiderare conuenit. Vbi autem è ſolio decreuerimus hominem educere, ligna deuoluimus, & eum auferimus: quúmque in ſella fuerit locatus,ſpōgiis calidis compreſſis,tum linteis obductum efferimus: faciem verò aqua lacteo tepore perfundimus:ſique ob exolutionem fiat, etiam frigida.his confectis eum in tentorium deferre celeriter oportet, aut in eundem locum traducere in quo fuerat prius: etenim in puro temperatóque aëre quamprimùm eum ſtatuere neceſſe eſt,eandémque diligentiam & curam quam iis deberi diximus quos animi defectio premit, adhibere. Eos autem qui morbis per circuitus redeuntibus tenentur,alternis diebus: qui verò ob aliquod ſymptoma vrgens hoc præſidio vtuntur, ſingulis diebus in ſolium demittemus.

De inſeſſu in ſolio,ex hydrelæo, ex eodem libro,

Cap. XXXVIII.

SI debiles ſint qui in hydrelæum ſe demittunt, endromide amicti ingrediantur: ſi robuſti, etiam ſine veſte id faciant. Oleum autem cum aqua diligenter miſcendum eſt,nec minus quàm ſexta pars eſſe debet: qui verò laſſitudinis aut diuturni laboris cauſa in hydrelæum deſcendunt, in ſecunda balnei domo multum temporis inſidere in ſolio debent.

De marinis,ex eodem libro,

Cap. XXXIX.

DEinceps ſequitur vt de marinis dicendum eſſe videatur: hæ nanque medicamentoſa qualitate ſunt præditæ,& ad multas affectiones valent.mordent hæ carnem,& extremitatem cutis vellicant, ſuáque denſatione ac ſiccitate humorem qui nimius redundat in corpore,bibunt atque conſumunt:quamobrē vtiles ſunt iis qui articuli defluctione laborāt.Sunto autem hæ tepidæ ad ſummum,vt in eis immorari ægroti diutius poſſint:nam maior caliditas citius quàm par eſt vires ſoluit: nationes verò in iiſdem fiant,vt prædictæ vtilitates capiantur.Quum verò ſint vtiles iis quorum artus defluxione tentantur, & quorum malè affecti ſunt nerui,eædem ſunt incommodæ morbis veſicæ, aut vlceribus, & item exanthematis quæ per ſuperficiem erumpunt. Optimum eſt vt poſt earum vſum balneo vtantur: ſin minus, aqua dulci omnino perſpergantur: nam marinæ humor in corpore relictus craſſeſcit, & cum ſumma moleſtia aëris attractionibus quæ fiunt,aſſidet.Nationibus verò in mari vtantur ii qui frigida,quíque calida lauantur. poſt quos,omnes ii qui oleo ſe vnxerint, vt totam eam humiditatem quæ corpori adhæſit abluant & abſtergant,eradantur. Quoniam verò ſæpenumero affectiones exigunt multarum aquarum experientiam, optimum fuerit ſi vtendum ſit calidis & frigidis,vt ab aquis thermarum, quæ marinas etiam præcedant,initium ducamus.

De ſudorem euocātibus,ex eodem libro,

Cap. XL.

QVæ ſudorem euocant,non ſolùm iis vaporibus quos ex ſe calidos ſiccóſque mittunt, vtilitatem afferunt: (huius enim cauſa idem faciunt, quæ ad illorum imitationem excogitantur) ſed quadam etiam propria eorum facultate. Etenim tenues euaporantéſque exhalationes in puro & vndique aperto aëre perlatæ, morborū ſobolem in corporibus eliquant, & reliquum carnis cōdenſant, & totam corporis molem calefaciunt. eadem res ſpiritum firmat,ſique aliquid in eo craſſum & perhumidum fuerit, excernit, ſimúlque humorem qui in capite inſedit, conſumit. Vtplurimum verò contrariam vim aquis ſpontè naſcentibus id habet. Eſt autem iis accommodatum qui caput dolent, quíque ſcotomatici ſunt, & qui difficulter audiunt,& quos aurium ſonitus vrgent: itémque oculis ſuffuſis & ſtomachi madoribus,& defluxionibus,& exanthematis in cute efflореſcentibus:malo etiam corporis habitui, & regio morbo inueterato: iis itidem qui & multam & ſegnem carnē aceruarunt.Morbos quoque incurabiles ſanat:nam hydropē quem cataſarca vocāt nullo alio præſidio vtentem, emendat & corrigit.idem iuuat eos quos aſcitas nominamus. Qui permanentibus diuturniſque morbis tenentur, poſt acceſſiones vti ſudorem euocantibus debent:qui verò prædictorum morborum cauſa experiuntur,ſtatim nulla mora interpoſita vtantur. Neque enim in partibus malè affectis licet fluxum intueri, quum inanitiones ex toto corpore æqualiter fiant: ſiquidem humores ex omnibus partibus expelluntur,caróque humiditates emittens,cum quadem denſa compreſſione ſiccatur, vt ne id quidem quod ſibi infundi poſſit, excipiat.Poſt exudationes alii in balneas & marinas natationes ſe demittant: alii ſolis natationibus contenti ſint: alii calida aut frigida aqua perfundantur.Ordo autem qui in iis vtendis ſeruandus eſt, ſimilis ſit ei quem in aquis perſcripſimus. Quæ verò ad imitationem eorum quæ ſuapte natura ſudorem euocant, excogitantur fomentatiunculæ, quæ multo minorem vtilitatem quàm pollicentur afferant,quum caſus vrget,adhibeantur.

Galeni,de remediis metaſyncriticis, Cap. XLI.

IN omnibus diutiſſimè inueteratis morbis, quum cætera auxilia nihil profecerint, omnes fere ea remedia quæ methodici metaſyncritica nominant,adhibere conſueuerũt. Ego verò, vbi intemperies quædam humida & frigida,aut per ſe ipſa in partibus affectis ineſt,aut propter huiuſmodi humorum frigiditatem fuerit exorta, medicamenta ex ſinape, & thapſia, atque ex ſimilibus adhibeo: ad ſiccas verò & calidas non vtor. Cæterùm qui dignoſcere affectiones non poſſunt, ad eiuſmodi medica- B menta,velùt ad ſacram(vt aiunt)anchoram confugiunt,& ſæpe id quod opus eſt efficunt, quòd pleroſque homines eiuſmodi affectiones ob malam & vitiatam victus ratio- A nem infeſtent.

Quæ ruborem inducant, Cap. XLII.

NAſturtii ſemen coxendicũ capitiſque dolores,& cætera omnia quibus rubore opus eſt, excalfacit æquè ac ſinapis,eodémq; modo helenii radix: eáque continuis articulorũ lapſibus,qui ex humore procedunt, opitulatur. Fimo autem colũbarum ſylueſtrium frequentiſſimè vtor: eo etiã cum ſemine ſinapis contuſo & cribrato pro ſinapi vtor in iſchiade,hemicrania,tenebricoſis & terrificis imaginationibus,cephalæa,laterum,ſcapularũ,tendinũ,lumborúmque doloribus diuturnis.Iam verò facit etiã ad renum vitia,& ad colicas affectiones,& ad pedum articulorúmque dolores,quum nondum callum obduxerint.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM liber vndecimus.

Ex Dioſcoride de ſimplicium medicamẽtorum facultate per ordinem literarum ab A vſque M.& eorundem apparatus.

A

ABrotonum quod fœmina dicitur,arboris ſpecie frutex eſt, ſubcandidus, foliis circum ramulos minutim inciſis ad ſeriphi modum,florum plenus; corymbis in ſummo auri fulgore comãtibus.quod æſtate natum eſt, id guſtui amarũ eſt: tale autem Siculum videtur eſſe. Alterum verò mas voca- D tur,éſtque ſarmẽtoſum:folia habet tenuia, vt abſinthium: plurimum in Cappadocia,Galatia,& Hierapoli Syriæ naſcitur.

Agallochum lignum eſt quod ex India atque Arabia aduehitur,thyiæ ligno ſimile:éſtque odoratum,cum amaritudine quadam guſtum adſtringens.cortex corii ſimilitudinem habet,éſtque verſicolor.

Agaricum fertur radix laſerpitio ſimilis,non denſa ſuperficie,ſicut laſerpitium, ſed tota rara.eius alterum mas, alterum fœmina. Præſtat autem fœmina,rectas intus ha- E bens diuiſiones:maſculum verò rotundum eſt,& vndique concretum.vtrique guſtus in initio dulceſcens, mox vbi diffunditur,amarus. Naſcitur etiam in Galatia Aſiæ,& in Cilicia in arboribus:ſed friabile & infirmum.

Ageratum frutex eſt ſurculoſus, duorum palmorũ longitudine,humilis,ſimplex,origano valde ſimilis, vmbellam habens, in qua maximè bullæ aureæ ſunt: elichryſo minor.

Anchuſa(quam alii calyca, alii onocleam vocant) folia habet lactucæ, cuius acuta ſint folia, ſimilia, hirſuta, F aſpera,magna,multa, vndique ab radice per terram ſparſa,ſpinoſáque radix: eſt digiti craſſitudine.ſanguinei coloris æſtate prouenit,manúſque inficit.naſcitur autem læto ſolo.

Eſt & alia quam Alcibiadium aut Onocholes vocauerunt. Differt hæc à ſuperiore, quòd minora folia habeat. æquè autem eſt aſpera, ramulóſque habet exiles, in quibus flos eſt,purpureus aut puniceus:radices rubras oblon- G gas,& per meſſem ſanguineo quodam ſucco fluentes:naſcitur autem ſolo arenoſo.

Quinetiam alia anchuſa eſt quæ lycopſis nominatur, huic adſimilis: habet autem fructum puniceum, quem ſiquis commanducatum in os ſerpentis inſpuerit, eum enecabit.

Lycopſis verò quæ à quibuſdam anchuſa vocatur, folia habet lactucæ foliis ſimilia,ſed longiora & craſſiora,& aſpera,ad caput radicis decidua.Caulis exit lõgus,aſper,re- C ctus, adnatis multis cubitalibus aſperis, in quibus flores parui purpurei ſunt.radix rubra & adſtringens.naſcitur in campeſtribus.

Adiantũ(quod alii polytrichon vocãt)folia habet exigua, coriandro ſimilia, & in extremo inciſuris diuiſa. Cauliculi ex quibus exoriuntur, nigri, extremæ gracilitatis,dodrantales: nec florem, nec fructum fert. radix eſt inutilis.

Adiantũ aliud eſt(quod trichomanes aliqui appellant) filici ſimile,paruum,læue:foliis tenuibus in ordine vtrinque digeſtis,lenti ſimilibus, contrariis inter ſe, in ramulis paruis,tenuibus,acerbis,ſubnigris.

Ægilops herbula eſt,folia habens tritico ſimilia,molliora tamen.In ſummo autem capite duo aut tria ſemina rubra fert,inter quæ ariſtæ veluti capilli prodeunt.

Aizoon(*id eſt,ſemperuiuum*) magnum (alii buphthalmõ, *id eſt,bubulum oculum*, alii ſtergethron, *hoc eſt,amorem concilians*, vocarunt)caules cubitales emittit, & etiam maiores pollicis craſſitudine, pingues,egregiè virentes, inciſuras habentes vt vallaris tithymalus.Folia habet pinguia,pollicis magnitudine, in acumine linguæ ſimilia.quæque inferiora ſunt,in terram conuexa ſunt: quæ verò in capite, concreta inter ſe, circulum oculi inſtar circunſcribunt. Naſcitur in locis montanis, & ſupra domicilia in vaſis fictilibus quidam ipſum conſerunt.

Aizoon minus in parietibus & vmbroſis ſepulchris & petris,& murorum coronis naſcitur. cauliculi multi ab vna radice prodeunt,repleti foliolis pinguibus,paruis,& in ſummo acuminatis.Exit etiam è medio caulis,dodrantali fere magnitudine, vmbellam habens, floréſque tenues virides, multos.folia verò eandem quam ſuperius vim habent.

Aizoi tertium genus videtur eſſe quod alii portulacam agreſtem aut telephion vocant. Folia habet latiora ad portulacæ ſimilitudinem, itémque hirſuta. naſcitur in petris.

Æthiopis folia habent verbaſco ſimilia, valde hirſuta, & denſa,in orbem circa imam radicem redacta. Caulem quadrangulum, aſperum, apiaſtro aut arctio ſimilem, multis alis concauum.ſemen erui magnitudine in ſingulis vaſculis geminum: radices ab eodem fundo numeroſas, longas,craſſas, ſapore glutinoſo. Siccatæ verò nigræ, duræ,& cornibus ſimiles redduntur.plurima naſcitur in Meſſenia & Ida monte.

Acacalis fructus eſt fruticis in Ægypto naſcentis, qui

ſemini myricæ quadantenus eſt ſimilis.

Acacia naſcitur in Ægypto. ſpina eſt arboreſcens, fruticoſa,non rectà in altum creſcens, flore albo, ſemine ceu lupinorum,candido in ſiliquis,ex quo ſuccus exprimitur,& in ſole ſiccatur,ex maturo niger,ex immaturo ſubrufus.Eligatur modicè rufus & odoratus, vt in acacia eſſe poteſt. Aliqui etiam ex foliis vnà cum ſemine ſuccũ exprimunt.ex hac etiam ſpina manat gummi. Lauatur in aqua ad oculorum medecinam ſuccus identidem confricatus, abiectis iis quæ in ſummo concreuerint, donec pura aqua relinquatur,atque ita in paſtillos cogitur. Vritur etiam in olla cruda cum tegulis in fornace, torretúrque ad carbones perflata. huius ſpinæ decoctũ ſolutos artus fotu ſiſtit. Naſcitur altera acacia in Cappadocia & Ponto,quæ Ægyptiæ quidem eſt ſimilis,cæterùm minus efficax,& oculorum medicinæ inutilis.

Acaliphes, *hoc eſt urticæ*, quam cniden vocãt, duplex eſt genus:alterum agreſtioribus,aſperioribus, & nigrioribus foliis eſt,ſeménque lini ſemini fert ſimile, ſed minus:alterum exili ſemine,& non ita aſpero.

Acantha,ſpina alba in montanis & ſyluoſis locis naſcitur:folia habet chamæleonti albo ſimilia, ſed anguſtiora candidioráque,& aliquantum hiſpida.Caulem habet ſpinoſum, candidum, duos cubitos excedentem,ad policis craſſitudinem,aut etiam maiorem,ſubalbum,inanem.In acumine caput eſt ſpinoſum,echino marino ſimile:eſt tamen minus & oblongum.flores eius purpurei, in quibus ſemen eſt vt cnicus,ſed rotundius.

Acantha Arabica albæ eſt acanthæ ſimilis. adſtringit.

Acanthium folia ſimilia habet albæ acanthæ, in ſummis extremitatibus aculeata, in quibus eſt lanugo inſtar araneæ telæ:qua collecta,& in vnum conducta,bombycis effigiem præbent.

Acanthus,aut melamphyllos, aut pæderos, naſcitur in hortis & petroſis & aquatilibus locis: folia multo latiora habet quàm lactuca,inciſuris diſtincta,vt erucæ folia, nigra,pinguia,læuia: caulem leuẽ, duorum cubitorum,digiti craſſitudine, per interualla vſque ad verticem foliolis quibuſdam veluti nucamentis oblongis hyacintho ſimilibus cicundatum, è quibus flos albus, ſemen oblongum,luteum,caput thyrſi figura: radices ſubſunt glutinoſæ,fulueſcentes, longæ. Naſcitur etiam agreſtis acantha carduo ſimilis, aculeata, & breuior quàm ea quæ in ortis prouenit.

Acinus, *hoc eſt,ocymaſtrum*, herba eſt coronaria,tenui ramulo,ſimilis ocymo,hirſutior,& odorata.à nonnullis verò in hortis ſeritur.

Aconitum, vel pardalianches, vel cynoctonon, folia habet tria aut quatuor cyclamini aut ſylueſtri cucumeri ſimilia, minora tamen & aſpera: caulis eſt dodrantalis:radix ſimilis caudæ ſcorpionis, alabaſtri modo ſplendens.

Aconitum alterum eſt quod lupicidam vocant: plurimùm in Italia montibus Iuſtinis prouenit,ſuperiore præſtantius. folia autem habet platani ſimilia, ſed pluribus inciſuris diſtincta, & multo minora, & nigriora. caulem habet vt filicis germen glabrum, cubiti altitudine, aut etiam maiorem. Fructus in ſiliquis quodammodo oblongis: radices cirris ſquillarum ſimiles,nigræ.

Acorum folia habet iridi ſimilia, ſed anguſtiora:radices non diſſimiles, complicatas, non in rectum ſed obliquum tendẽtes,& in ſuperficie geniculis interſectas, ſubalbas,guſtui acres,& odori nõ ingratas.Præſtat autẽ albũ, & denſum, & non exeſum, & plenum, & odoratum.tale autem eſt quod in Colchide,quódque ex Galatia allatùm, aſplenum nominatur.

Actæ, hoc eſt ſambuci altera ſpecies eſt quæ in arborẽ aſſurgit,ſurculos arundinis forma habet, rotundos, albicantes,oblongos,cauos:folia quaterna quináve per interualla ex virgis prodeunt, iuglandi nuci ſimilia, graueolentia,& longiora.in extremo autem caule circinatæ vmbellæ,flores candidi,fructus terebintho ſimilis, qui in nigro modicè purpuraſcit,acinoſus, copioſi ac vinoſi ſucci. Altera verò ſpecies quam chamæacten (*hoc eſt ebulum*)

A aut heliaſactẽ vocãt,minor eſt,& herbæ ſimilior. caulem quadratum habet,multis geniculis interſeptum, folia per interualla ex ſingulis geniculis exeunt amygdalæ ſimilia, per orbem ſecta, & longiora, graueolentiáque.in ſummo vmbella eſt ſimilis antedictæ, itémque flos & fructus:radix longa ad digiti craſſitudinem ſubeſt.

Halimus,frutex eſt ſepimentis idoneus, rhamno ſimilis,ſpinis vacans, folia oliuæ ſimilia, latiora tamen gerit. Naſcitur maritimis locis & præruptis, itémque in ſepibus.parantur eius folia coquendo ad veſcendum.

B Althæa,aut hibiſcus ſylueſtris, maluæ ſpecies eſt. folia habet rotunda,vt cyclaminum, & lanuginoſa. florem roſaceum,trium cubitorũ caulem, radicem glutinoſam,intus albam.

Aliſma (quod alii damaſonium, alii lyron appellant) foliis eſt plantagini ſimilibus,anguſtioribus tamen, & in terram deflexis,caule tenui & ſimplici,ad cubiti altitudinem:capitulo ad thyrſi formam, floribus albis, ſubpallidis:radicibus,quales nigri veratri ſunt, tenuibus, odoratis,acribus,ſubpinguibus,aquoſa loca amat.

C Aloë habet ſcillæ folium, craſſum, pingue,in rotundo modicè latum,retrorſum pandum:folia vtrinque ex obliquis ſpinulas raras & mutilas habet.caulis aſſurgit antherico ſimilis.flos eius alb⁹:fruct⁹ haſtulæ regiæ ſimilis.grauis eſt odoris, guſtui amariſſima. radicem vnicam, ceu palum humi defixum,habet.Plurima verò in India naſcitur,vnde & liquor comportatur. Oritur quoque in Aſia, & quibuſdam maritimis locis atque inſulis,vt in Andro. Sed ad exprimendum ex ea ſuccum inutilis: glutinandis verò vulneribus trita atque illita eſt accõmadata. Duplex D autem eſt eius liquoris genus:alterum arenoſum,quod putrioris aloës ſedimentum eſſe videatur, alterum ad iecoris formam.Eligito pinguem,calculis vacantem,ſplendẽtem,ſubflauam,friabilem,iecoris modò concretam,facilè liqueſcentem,& quæ eximiæ amaritudinis ſit: nigram verò,& quæ non facilè frangitur,reprobato. Adulteratur gummi admixtione,quod guſtu deprehenditur & amaritudine,& odoris intẽtione,& quòd digitis friata,ad minimũ vſque ramẽtum non diſſoluitur. Alii acaciã quoque miſcent. Torretur autẽ etiam ad oculorum medicinas in E pura & igni candente teſta:rudiculáque ſubinde verſatur, donec tota æqualiter cãdeat.lauatúrque abiecto eo quod arenoſum eſt,tanquam inutili:quod verò pinguius & leue ſit,ſeruatur.

Alſine,nonnulli myoſota(*id eſt, muris auriculam*)vocant, quæ inde nomen traxit quòd folia muris auriculæ habeat ſimilia: dicitur autem alſine,quod *ἄλση, id eſt lucos*,& vmbroſa amet luca.folia ſimilia habet helxinæ, ſed humiliora,& longiora,non hirſuta. Quum teritur, cucumeris odorem refert.

F Alyſſon exiguus eſt frutex,ſubaſper,ſingulari caule,foliis rotundis,in quibus fructus ſunt vt duplices clypeoli,in quibus ſemen modicè latum continetur.Ipſum verò mõtanis & aſperis locis naſcitur.

Alypon fruticoſa eſt herba, & ſubrubra, foliis tenuibus, ramuliſque tenuibus, flore molli & leui. radix plena eſt acris ſucci,ſemen verò epithymo ſimile.Naſcitur maritimis locis,ac præſertim in Libya:quanquam in aliis etiam pleriſque prouenit.

Ambroſia (quam alii botryn, *id eſt racemum*, alii arteG miſiam vocarunt) fruticulus eſt racemoſus, triũ dodrantum. huic folia quâ caulis erumpit, exigua, vt rutæ folia, ſurgunt:ramuli exiguis ſeminibus ſunt pleni, inſtar racemulorum,quæ nunquam florent, vinoſo odore. radix tenuis eſt duûm dodrantum. In Cappadocia verò coronis inſeritur.

Ammi(alii Æthiopicum cuminum) notum eſt ſemen hoc exiguum. Multo exilius cumino eſt. origani ſaporem guſtui affert. probato quod purum eſt, & furfuris expers.

H Ammoniacum ferulæ liquor eſt.totus frutex cum radice agaſyllus dicitur. probatur bene coloratum, ligni expers, thuris ſapore, calculis vacans, denſum, ſine ſordibus,caſtorei odorem referens,guſtui amarum. Hoc verò *θραῦμα hoc eſt,fragmentum*, vocant: quod verò terram aut

lapillos habet mixtos, φύραμα, *hoc eſt mixtionem*, appellant. naſcitur in Libya ad Iouis Ammonis templum: éſtque ſuccus arboris ferulas gerentis.

Amurca eſt olei ſedimentum. hæc decocta cupreo vaſe, ad mellis conſiſtentiam adſtringit, & ad eadem ad quæ lycium facit.

Agreſtis vitis ſarmēta vitis viniferæ modo longa emittit, lignoſa, aſpera, folia hortenſi ſolano ſimilia, longiora tamen & latiora. florem habet vt capillos muſcoſos. fructum fert exiguis vuis ſimilem, quum maturuerit, rubrū. rotunda eſt, acinorum figura.

Alba vitis (ab aliis bryonia, ab aliis ophioſtaphylon, *hoc eſt, ſerpentum uitis*, ab aliis chelidonium, ab aliis pſilothrum vocatur) folia clauiculóſque ſatiuæ viti ſimilia habet, magis tamen hirſuta ſunt omnia, & propinquis fruticibus ſeſe clauiculis applicāt. fructum fert racemoſum, rufum, quo pilis coria ſpoliantur. huius aſparagis decoctis veſcuntur qui aluum & vrinam cient.

Ampelos, *hoc eſt, uitis nigra* (quam propriè bryoniam nonnulli vocant, alii Chironiam vitem nominant) foliis eſt hederæ ſimilibus, ſed ad ſmilacis hederæ folia propius accedentibus: caule quoque ei ſimili: verùm hæc in omnibus maior. ipſa quoque ſuis clauiculis arbores apprehendit. fructus eius racemoſus eſt, viridis in initio: cō coctus verò, niger. radix extrinſecus nigra, intrinſecus coloris buxei.

Ampelos agria, *hoc eſt, uitis agreſtis, uel labruſca*, duplex eſt: alterius vua non matureſcit, ſed ad florem vſque producit eam, quæ οἰνάνθη, *id eſt flos uitis*, appellatur: altera fructum abſoluit, eáque paruos habet acinos, & nigra eſt, atque adſtringens.

Amygdalæ amaræ radix decocta & trita, ephelidas in facie emendat. ipſæ itidem amygdalæ illitæ idem efficiunt. admotæ menſes cient. capitis dolori medentur illitæ fronti cum aceto & roſaceo. faciunt ad epinyctidas, ex vino: ad vlcera verò putreſcentia ſerpentia & canum morſus, ex melle. in cibo ſumptæ leniunt dolorem, ventrem molliunt, ſomnum conciliant, vrinam prouocant, ad ſanguinis reiectationem cum amylo & mentha ſumpta valent. ad renū verò & pulmonis vitia ex aqua potui dantur.

Amylum laudatiſſimum eſt quod conficitur ex tritico purgato & loto, & macerato in aqua dulci, abiecta quinquies per diem aqua, & ſi fieri poteſt, etiam per noctem. Vbi emollitum fuerit, aqua ſenſim abſque agitatione effundenda eſt, ne id etiam quod reſidere debet, ſimul defluat. Quū molliſſimum redditum videbitur, aqua abiecta pedibus terendum eſt, tum aqua affuſa furfures ſupernatantes cribro eximendi: quod ſupererit per colum traiiciendum, mox vt excolatum fuerit, in nouis tegulis in ſole ardentiſſimo ſiccandum. nam ſi vdum pauliſper maneat, aceſcit.

Amomum præſtantiſſimum eſt Armeniacum, quod auri colore eſt, habétque lignum ſubfuluum, & valde odoratum: medicum verò, quoniam in campeſtribus & aquoſis locis naſcitur, infirmius eſt: magnum viridéque eſt, & tactu molle, lignis fibroſis, origani odore. Ponticum verò ſubfuluum, fractu difficile, racemoſum, plenū fructu, odore feriēs. Eligito recens, album, aut ſubrubrū, nō adſtrictum aut compactum, ſed ſolutum & diffuſum, plenum ſeminis, vuarum racemulis ſimilis, graue & valde odoratum, ſine carie, acre, guſtum mordens, ſimplici colore, & non vario. Adulterant amomum nonnulli admixta herba amomide, quæ eſt amomo conſimilis, quæ tamen odore & fructu vacat. ea in Armenia naſcitur. florem habet origano ſimilem. Porrò in huiuſmodi rerum probationibus fragmenta ſemper vitanda ſunt. elige verò quæ ab vna radice ſuos ramos integros habent.

Anagallidis duplex eſt genus, flore differens: nam quæ cæruleum fert florem, fœmina: quæ puniceum, mas dicitur.

Anagyris (alii helcopon vocant) frutex eſt foliis & virgis vitici ſimilis, arboreſcens, grauiſſimi odoris, flores braſſicæ ſimiles. fructum in exiguis ſiliquis fert, renum

A figura, varium, ſolidum. dureſcit vua matureſcente.

Androſaces in Syria naſcitur, locis maritimis. herba candida eſt, tenui ramulo, amara, foliorum expers, folliculum in capite habens quo ſemina continentur.

Androſæmon (alii dionyſiada, alii aſcyron vocant) frutex eſt tenues habens ramulos, ſurculoſus, virgis puniceī coloris, foliis rutæ triplis, quæ trita vinoſum ſuccum emittunt. Complures alas habet in cacumine vtrinque expanſas, circa quas floſculi parui ſunt lutei coloris. in germinum capitulis fructus eſt nigri papaueris ſimilis, veluti B punctis diſtinctus: coma verò confricata reſinoſum odorem exhalat.

Anemone duplex eſt: altera ſatiua, agreſtis altera. itémque ex ſatiua, alia eſt quæ puniceos flores producit, alia albeſcentes & lacteſcentes, vel purpureos. folia habet coriandri, tenuioribus prope terram diuiſuris: cauliculos habet fibroſos tenuéſque, in quibus flores quales ſunt papaueris inſident. media capitula nigra ſunt, vel cærulea. radix oliuæ magnitudine, vel maiore, ferméque geni C culis quibuſdā interſepta. Agreſtis verò in omnibus maior quàm ſatiua eſt: folia habet latiora durioráque, caput oblongius, florem puniceum, radiculas tenues, & plures. eſt etiam quæ nigra folia habet, acriórque eſt. Qui verò ab agreſti anemona neſciunt argemonā, & papauer quod rhœam vocant (de quo inter papauera dicemus) diſtinguere, quòd flos eiuſdem coloris punicei in vtroque viſitur, falluntur, & argemonam eupatorium nominant: & tamen argemonés & papaueris rhœadis color minus profundè puniceus eſt, & ſerius quàm anemone florent. D Præterea argemone liquorem croci ſaporis, guſtui valde acrem, rhœas verò album & acrem emittit: & vtrunque habet intermedia capitula agreſti papaueri ſimilia, niſi quòd argemones capitulum in ſuperiore parte latiuſculum, rhœadis verò anguſtius: anemonæ verò neque liquorem emittunt, nec vaſculum habent, ſed quaſi aſparagi cacumen. ad hæc, in agris illæ plerunque naſcuntur.

Anethini confectio: Olei veteris lib. xi. vnc. viii. florum anethi tantundem, diem vnū oleo macerabis, tū manibus exprimes, atque repones. ſi iterum velis perfundere, recens anethum eo modo macerato. Poteſt hoc v- E teri partes mollire, & aperire. contra rigores circuitu redeuntes accommodatum eſt, calfaciens, & laſſitudines diſcutiens. prodeſt etiam doloribus articulorum.

Anthemida (aliqui leucanthemon, aut heranthemon, aut chamæmelum, aut melanthemon: alii chryſocalliam, alii calliam vocant) huius tria ſunt genera, floribus tantummodo differentia. capitula habent rotunda, intus alba, & floſculum aurei coloris continent: foris verò orbiculato ambitu alba, aut lutea, aut purpurea ſunt. colligi F tur vere.

Antyllis eſt duplex: altera habet folia & ramulos lenti ſimiles, dodrantis altitudine, recta habet folia mollia q; : radix tenuis & parua: naſcitur ſubſalſis & apricis locis, guſtui ſubſalſa apparet. alterius verò folia & ramuſculi, chamæpytii ſimiles ſunt, hirſutiores tamen: eius flos purpureus eſt, grauiſſimi odoris: radix vt cichorii.

Anonis (quam ononida aliqui vocant) dodrantales habet ramulos, & etiam maiores, fruticoſos, frequentibus geniculis plenos, alas multas habentes, capita rotunda, foliola parua, exilia, ad rutæ aut loti pratenſis foliorum ſimilitudinem, ſubhirſuta, odorata, non inſua G uia. Sale conditur hæc antequam ſpinas producat, éſtque ſuauiſſima. Ramuli quoque ſpinas habent acutas ſurculorum more, firmas, craſſas. radix ei eſt firma & candida.

Aparine (quam philanthropon vocant) ſemen durum, rotundum, in medio ſubcauum, vt vmbilicum, habet. veſtibus hæc herba adhæreſcit. paſtores ea coli vice vtuntur ad pilos è lacte eximendos.

Apion (quidam iſchiada, quidam chamæbalanū agreſtem, alii linozoſtin vocant) ramulos binos aut ternos ab H humo ſe tollētes ſpargit. folia habet rutæ ſimilia, ſed oblongiora & viridia. fructus exiguus ineſt. radices aſphodelo ſimiles, rotundiores tamen, & ad piri figuram, liquoris

plenæ : nigro foris cortice,intus albo.

Argemone eſt tota agreſti papaueri ſimilis. folia habet anemones diuiſa, caulem puniceo flori ſimilem. caput rhœadis papaueris,ſed oblongius,& latius in parte ſuperiore.radix eſt rotunda, liquorem emittit crocei ſaporis,acrémque.

Ariſarum perexigúa herba eſt,radice ad oliuæ magnitudinem,éſtque aro acrior.

Ariſtolochia rotunda folia habet hederæ figura. odorata cum acrimonia,ſubrotunda,tenera, multis germinibus ab vna radice prodeuntibus.ſarmenta oblonga ſunt, albi flores,pileolis ſimiles: quod in eis ineſt,rubrum eſt, & malè olet.Longa verò ariſtolochia folia habet oblongiora quàm rotunda, & ramulos exiles, longitudine dodrantis,florem fert purpureum,malè olentem,qui quum cœpit effloreſcere, piro fit ſimilis. rotundæ autem radix orbiculata eſt ad modum rapi: longæ verò radix eſt craſſitudinis digiti dodrantaliſque,aut maior. vtrique folia ſunt intus buxea,amara,& viroſa. Eſt etiã quædam longa quæ clematitis vocatur, quæ ramulos exiles habet, folia ſubrotunda, ſemperuiui minoris ſimilia,floribus referta qui ſimiles rutæ ſint. radices eius ſunt longiſſimæ ac tenues,quæ corticem craſſum & aromaticum odorem referentem habent,qui propriè conficiendis vnguentis eſt idoneus.

Arcion(ſunt qui proſopida vocent) folia habet cucurbitæ ſimilia,maiora tamen & duriora,& nigriora, & hirſuta.caule vacans herba eſt,radix magna & alba.

Arction(alii arcturum vocãt) foliis eſt verbaſco ſimilibus,hirſutioribus tamen, rotundioribúſque, radice tenera,alba,dulci,caule longo,molli : fructu denique cymino paruo ſimili.

Arnogloſſum, *hoc eſt plantago*,(quam alii heptaneuron, alii polyneuron vocant) duplex eſt,maior & minor.nam minor plantago folia habet longiora & anguſtiora, ac læuiora, caulem anguloſum,in terram inclinatum, flores pallidos,ſemen in ſummo caule : maior verò eſt virentior,latiore folio,oleris figura.caulis etiam huius anguloſus eſt,ſubruber,cubiti altitudine, à medio vſque ad verticem tenui ſemine circundatus.radicibus nititur teneris,multis,hirſutis,albis,digiti craſſitudine.

Arum (quod lupha à Syris vocatur) folia emittit dracontii foliis ſimilia,minora tamen, & maculis minus diſtincta.caulem dodrantalem fert,ſubfuluum,piſtilli ſpecie,in quo croci ſapore fructus eſt.radix alba,ad dracunculi radicem accedens, quæ quoniam minus acris eſt, ideo elixa eſtur.ſale condiuntur folia,& veſca fiunt : per ſe etiam ſiccata, elixa comeduntur.

Artemeſia plerunque in maritimis locis naſcitur. herba eſt fruticoſa,abſinthio ſimilis, ſed maiora pinguiorá-que ei ſunt folia : éſtque eius altera virens, foliis latioribus,itémque ramulis : altera tenuior, exiguo flore,albo, graui odore.æſtate autem floret.Nonnulli verò in mediterraneis locis naſcentem herbulam ramis tenuioribus, ſingulari caule, admodum exiguam, flore refertam tenui,cuius color ceræ ſimilis eſt,artemiſiam appellant: eſt enim hæc odoratior quàm ſuperior.

Aſarum ſolia habet hederæ ſimilia, ſed multo minora & rotundiora. flores inter folia ad radicem purpureum alterco aut cytino ſimilem,in quibus ſemen eſt acino ſimile.radicibus innititur multis,geniculatis,tenuibus,latis,gramini ſimilibus,ſed multo gracilioribus, & odoratis, & calfacientibus, & linguam mordentibus. naſcitur montibus vmbriferis : plurimùm verò in Ponto, & in Phrygia,& Illyride,& Iuſtinis Italiæ montibus.

Aſclepias ramulos longos emittit,in quibus folia ſunt hederæ ſimilia : radices habet multas, tenues, odoratas : flores grauis odoris : ſemen,quale eſt pelecini.in montibus naſcitur.

Aſcyron (quod androſæmon quidam vocant) hyperici eſt ſpecies,magnitudine differens,ramulis maioribus, fruticoſius,& puniceum. flores luteos profert, fructum hyperico ſimilem,odore reſinæ, cuius attritu digiti fere cruentantur, vt vel ob hanc cauſam *ἀνδρόσαιμον* ſit vocatum.

Aſphalathus probatur qui grauis eſt,quiq; detracto cortice rubeſcit aut purpuraſcit,denſúſque eſt,odoratus, guſtu amareſcens. Eſt & aliud eius genus album , lign ſum, inodorum,quod etiam deterius cenſetur.

Aſplenum(ſunt qui ſcolopendrium, qui hemionium, ſunt etiam qui pteryga vocant) habet autem folia ſcolopẽdræ animali ſimilia,eáque plura,& ab vna radice prodeuntia . in petris & parietibus ſiliceis , & opacis , caule, floribus,fructu vacantia naſcuntur . inciſuris verò vt polypodium diſtincta ſunt, ſubflaua inferius & hirſuta, at ſuperius viridia.

Aſtragalus frutex in terra eſt,foliis & ramulis ciceri ſimilibus,floribus purpureis paruiſque . radix ei ſubeſt rotunda,grandis raphani modo,adnatas appendices firmas habet , itémque nigras , duriſſimas , vt cornua inter ſe implicitas , guſtúque adſtringentes . naſcitur locis vento perflatis niualibúſque . copioſè in Phæneo Arcadiæ prouenit.

Aſter Atticus,aut bubonium, ramulus eſt lignoſus , in quo ſummo flos eſt luteus, qualis eſt anthemidis. capitulum vndique diuiſum : foliola quoque habet ſtellæ ſimilia . folia verò quæ circa caulem ſunt , oblonga ſunt atque hirſuta.

Aſphaltus,*hoc eſt bitumen*,præſtat cæteris Iudaicum:probatum autem eſt quod purpuræ modo ſplẽdet,odore intento,& graue : nigrum verò & ſordidum,prauum eſt : adulteratur pice admixta . Naſcitur in Phœnice & Sidone, & Babylonia, & Zacyntho. Vocatur etiam quoddam bitumen nepta aut aphtha,éſtque id quod ex bitumine Babylonio excolatum eſt, colore candido : quin nigrum etiam inuenitur,quod vim ignium rapacem habet , ita vt per interualla ipſos arripiat. Valet hoc ad ſuffuſiones & albugines oculorum.

Atractylis , aut cnicus agreſtis, ſpina eſt cnico ſimilis, multo autem minor. folia in ſummo ramulo habet : magna ex parte nuda eſt:ea fœminæ pro fuſis vtuntur . habet etiam comam in ſummo aculeatam. flos pallidus eſt, radixque tenuis.

B

Balauſtium eſt agreſtis punici flos: eius multa ſunt genera:ſiquidem & album, & purpureũ , & roſei coloris inuenitur.eſt autem cytino punici ſimile. exprimitur ex eo ſuccus,vt hypociſtis & cytinus.

Baccharis herba eſt odorata, quæ coronamentis inditur,cuius aſpera ſunt folia,caulis anguloſus , dodrantis altitudine,ſubaſper,adnata etiam habens . flos ei eſt purpureus,albicans,radices nigro cinnamomo ſimiles:amat autem aſpera & ſqualida loca.

Balanos,*id eſt glans*,vnguentaria,fructus eſt arboris quæ myricæ eſt ſimilis, qui fructus auellanæ nuci quam ponticam vocant , eſt æqualis : cuius interior pars expreſſa humorem , vt amara amygdala,ex ſe mittit , quo ad precioſa vnguenta vtuntur pro oleo. naſcitur in Æthiopia,& Ægypto,& Arabia,& ad Petram Iudææ oppidum.excellit bonitate quæ recens eſt, plena, alba, cui facilè cortex detrahitur.

Ballote(ab aliis nigrum marrubium vocatur) caules quadratos ex ſe mittit nigros,ſubhirſutos, ab vna radice permultos : folia habet marrubii,ſed maiora,& rotundiora,nigra,& hiſpida,ex interuallis in caule diſpoſita , apiaſtro ſimilia,fœdi odoris . quamobrem hanc nonnulli apiaſtrum appellauerunt. flores quoque in rotæ ſpeciem caules circumplectuntur.

Batos Idæa,*id eſt rubus*,hoc nomen inuenit,quia plurima eius copia in Ida naſcitur, éſtque hic rubus multo tenerior quàm caninus, ſpináſque paruas habet,atque ſpinis vacans inuenitur.

Batrachion,*id eſt ranunculum*,appellant quidam agreſte apium.huius genera ſunt plura : vnum enim coriandri habet folia,latiora tamen,& ſubalba, & pinguia : florem luteum,quandoque purpureum: caulem non craſſum,ad cubiti altitudinem , cui radix alba & longa adiuncta eſt, quæ ellebori modo appendices habet.naſcitur ſecũdum aquarum decurſus.

Secundum genus eſt geniculoſius,& longiorem habet

caulem,& pluribus foliorum ſectionibus, atque acerrimum.

Tertium verò eſt admodum exiguum,moleſti odoris, aurei floris: cui accedit etiam quartum eidem ſimile,ſed lacteo flore.

Bdellium eſt arboris Arabicæ lacryma. probatum autem eſt quod guſtu amarum eſt,tranſlucidum,ad glutinis taurini modum,interius pingue,facilè molleſcens,lignorum & ſordium expers,in ſuffitu odoratum,vngui ſimile. Eſt autem quoddam ſordidum & nigrum, in offas cõuolutum,aſpalathi odore,quod ex India aduehitur. ex Petræa quoque Arabia reſinoſum & liueſcens affertur; bonitate inferius. Adulteratur gũmi admixtione: quódque tale eſt,non ita amareſcit in guſtu, nec ita odoratum in ſuffitu eſt.

Betonica herba eſt cuius caulis eſt quadratus, tenuis, altitudine cubiti & aliquanto maior:folia longa, mollia, quercui ſimilia,quorum ambitus inciſuris diuiſus eſt,odorata: quæque ad radicem ſita ſunt,maiora. in ſummo autem caule ſemen eſt ſatureiæ modo ſpicatum. Huius folia legenda ſunt, & ſiccanda, quorum etiam frequentior eſt vſus. radicibus tenuibus,vt veratrum,innititur.

Bretanica (aut Vettonica) herba eſt quæ ſylueſtris lapathi habet folia, ſed nigriora & hiſpidiora, guſtum adſtringentia. caulem non magnum producit,radicem verò exilem & breuem. ſuccus ex foliis exprimitur, qui ad ſolem & ad ignem cogitur.

Bechion(*hoc eſt,tuſſilago*)folia habet hederæ,ſed maiora, ſex aut ſeptem à radice prodeuntia, inferius alba, ſuperius virẽtia, in angulos multos abeuntia. caulis eſt dodrantis altitudine,flos pallidus,verno tẽpore: ſed quamprimum & flores & caulem amittit, radix tenuis eſt. naſcitur prope aquarum ſcaturigines & rigua loca.

Bulbus,qui ad ciendum vomitum accommodatus dicitur,folia habet corrigiæ modo lentiora, & multo longiora quàm is qui edendo eſt : radicem verò illi ſimilem, circa quam niger eſt cortex. hæc per ſe in cibo ſumpta, & item eius decoctum potui datum, vomitus mouet.

Botrys tota eſt lutei coloris herba, & in multas alas ſparſa,ſemen totis ramulis adnaſcitur, folia habet cichorio æqualia.tota ſuauem odorem ſpirat, & ideo veſtibus immiſcetur. naſcitur præcipuè circa profluentes aquas & torrentes.

Bugloſſum eſt verbaſco ſimile. folium humi ſparſum, aſperius,nigrius,& minus.bouis linguæ ſimile.

Bunion, ſunt qui action vocent. Napus caulem quadratum,oblongum,craſſitudine digiti emittit, folia fert apii ſimilia,ſed multo tenuiora,coriandris proxima. flos vt anethinus: ſemen odoratum eſt,alterco minus.

Butyrum probatum ex pinguiſſimo lacte,quale eſt lac pecudum, conficitur. ex caprino quoque fit in vaſis agitato, quo motu quod pingue eſt,à reliquo lacte ſecernitur.Fuligo etiam ex butyro colligitur,hoc modo:butyrũ in lucernam nouam infunde, accende, vas obtura fictili anguſto,quod ſupernè fiſtulæ formam, infernè verò foramẽ habeat vt clybani:idque ſinito ardere.vbi primum butyrum abſumptum fuerit, aliud affunde, idque facito vſquedum tantum fuliginis quantum volueris effectum ſit:penna poſtea deradito,atque vtitor.

Buphthalmõ caules profert teneros,folia fœniculo ſimilia,flores luteos,anthemide maiores,oculi ſimilitudine,vnde etiam nomen inuenit.naſcitur circa vrbes.

Brabe herba eſt cubiti altitudine, tenues ramos multóſque ſpargens:& ex vtroque latere folia,ceu lepidii,ſed molliora & candidiora.in ſummo vmbellam gerit ſambuci figura,in qua candidi flores inſunt.

Brathy, *hoc eſt, herba Sabina*, duorum generum eſt: alterum foliis cupreſſi ſimile,ſpinoſius tamen, grauioris odoris,& acre,feruidæque naturæ. curta eſt hæc arbor,& in latitudinem magis effunditur, eiúſque foliis ad ſuffitus nonnulli vtuntur.alterum verò genus eſt myricæ foliis ſimile.

Bryon, vel ſplanchnon, *id eſt, muſcus*, in arboribus cedro, populo alba, & quercu inuenitur. cæteris præſtat cedrinus,viridis,montanus. ſecundo loco cenſetur is qui ex alba colligitur populo. ex quo etiam probatur is qui odoratus albúſque eſt: nigricans verò eſt deterior.

Bryon marinũ naſcitur in lapidibus, & piſcium teſtis prope mare,capillaceum, gracile, caulis expers, egregia adſtringendi vi præditum.

Bryopteris naſcitur in muſcoſis vetuſtarum quercuum partibus,filici ſimilis,ſed multo minoribus foliorum inciſuris. radices habet implicitas,hirſutas,ſapore cum dulci,acerbo.

Γ

Gallium(ſunt qui gallarium vocent,eo quod *γάλα, id eſt lac*,inſtar coaguli cogat) ramulum & foliũ aparinæ ſimillimũ habet,ſed rectum:& in eo ſummo flos luteus,tenuis,denſus, multi odoris inſidet: naſcitur in paluſtribus locis.

Galiopſis, aut galeobdulon, totus frutex cum caule & foliis,vrticæ eſt ſimilis,ſed læuiora ſunt folia:& in attritu valde grauis odoris. flores tenues & purpurei. naſcitur circa ſepes,ædificia,& ſemitas vbique.

Gentianæ folia quæ ad radicem ſunt, iuglandi nuci aut plantagini ſunt ſimilia,colore ſubrubra : quæ verò in medio caule,& præſertim iuxta cacumen, paululum diſſecta. Caulis eſt vacuus, cauus, digiti craſſitudine, altitudine binûm cubitorum,geniculis interſeptus,ex maioribus interuallis foliis circundatus.Semen habet in foliculis latum,læue,glumoſum,quod ad ſpondylii ſeminis ſimilitudinem accedit: radicem verò lõgam ariſtolochiæ ſimilẽ,craſſam,amarámque.naſcitur in celſiſſimis montium verticibus, itémque vmbroſis locis & aquoſis.Succus autem ex radice ad hunc modum exprimitur. contuſa radix quinque diebus in aqua maceratur:tum ex aqua decoquitur donec radices ſuperſtent. vbi aqua refrixit, linteo excolatur, & coquitur donec ad mellis cõſiſtentiã redigatur,& in teſtaceo vaſe reponitur.

Geraniũ folia diſſecta anemonæ ſimilia habet,verùm longiora:radix ei rotunda eſt,& quum eſtur,dulcis.

Glaucium ſuccus eſt herbæ ad Hierapolin Syriæ vrbẽ enaſcentis. habet folia cornuti papaueris foliis ſimilia, ſed pinguiora, & humi depreſſa, grauis odoris, guſtanti amara. Succo abundat qui crocei coloris eſt. Eius folia incolæ in ollam coniecta in furnis ſemicalidis calfaciunt vſquedum flacceſcant, tum contundunt, ſuccúmque exprimunt,qui quoniam refrigerandi vim habet, ad oculorum medicinas in principio adhibetur.

Glaux cytiſo aut lenticulæ folia habet ſimilia, quorũ inferna pars candidior, viridis ſuperna.ramuli quini aut ſeni prodeunt è terra,tenues, ab radice dodrantem alti. flores purpurei,vt albæ violæ,ſed minores. naſcitur prope mare.

Gleucinum, *hoc eſt muſteum*,vnguentum ſimplex cõficitur ex omphacino oleo,iunco,calamo, nardo celtico, ſpatha,aſpalatho,ſertula campana,toſto,& muſto,circundato vinaceis vaſe quod aromata, vinum & oleam contineat.triginta diebus bis in die mouetur,tum expreſſum oleum reponitur.

Glycyrrhiza, *hoc eſt, dulcis radix*, naſcitur plurima in Cappadocia & Ponto. breuis frutex eſt,ramulóſq; duûm habet cubitorum,in quibus folia denſa ſunt, lentiſco ſimilia,pinguia, & tangenti glutinoſa. flos ei ſimilis hyacintho eſt,fructus pilularum platani magnitudine,ſed aſperior,qui ſiliquas habet,vt lẽticula, rufas & longas. radicibus innititur longis, buxei coloris, vt gentiana, ſubacerbis, dulcibus: è quibus, vt ex lycio, ſuccus exprimittur.

Glycyſis, *id eſt pæonia*, caule naſcitur fere duorum dodrantum altitudine,multa habẽs adnata.Huius duo ſunt genera: mas, folia regiæ nucis ſimilia fert:fœminæ diuiſa ſunt folia,vt ſmyrnio. ſummo caule ſiliquas emittit amygdalis ſimiles: in quibus apertis rubentia grana exigua,multa acinis punicorum ſimilia, & in medio nigra, quinque aut ſex purpurea inueniuntur. Radix maris tenuis eſt, digiti craſſitudine, dodrantis verò longitudine, guſtu adſtringens, alba. Fœminæ verò radicibus

appendiculæ,ceu glandes, ſeptem aut octo inhærent,vt in aſphodelo cernitur.

Glechon, *id eſt pulegiũ*,herba eſt nota omnibus:attenuat, calfacit,concoquit.potui data menſes,ſecundas, & fœtus extrahit. Pulegium autem cum melle & aloe potum ex pulmone educit,conuulſis auxiliatur, nauſeas & ſtomachi morſus ex poſca permulcet,nigram bilem per aluum euacuat, ex vino epotum venenatorum ictibus ſubuenit: naribus cum aceto admotum eos quos defecit animus, reuocat.ſiccatum,tritum,combuſtúmque, gingiuas confirmat.Inflammationes omnes cum polẽta emplaſtri modo ſuperdata lenit. podagris ſubuenit per ſe impoſitum, vſquedum rubeſcat locus , cum cerato varos extinguit. ſpleniticis quoque cum ſale illitum prodeſt.Pruritus eius decocto lauando ſedantur . in inſeſſionibus denique ad inflationes, duritias & conuerſiones vuluæ eſt accommodatum.

Gnaphalium:huius foliis quæ alba & mollia ſunt,quidã pro tomento vtuntur: quæ quidem folia ex vino auſtero pota ad dyſenteriam ſunt efficacia.

Gongyle,*id eſt rapũm*, huius radix decocta alit,inflat,flaccidas carnes creat, venerem ſtimulat, eiuſdem aſparagi decocti in cibo ſumpti vrinam cient. ſemen antidotis & theriacis quæ lauando dolori ſunt, inditur: ſed ſylueſtre rapum in agris naſcitur, frutéxque eſt cubiti altitudine, ramis refertus:in ſummo læuis,& folia item læuia,digiti craſſitudine,aut maiora:ſemẽ in calyculatis ſiliquis fert, cúmque ea inuolucra aperiũtur: alia intus ſiliqua viſitur ad capitis figuram accedens,quo ſemina parua nigra cõtinentur:quæ quum franguntur, alba intus ſunt.

Δ

Daucus creticus,fœniculo ſimilia habet folia,ſed minora tenuioráque,colem dodrantis,vmbellã coriandro ſimilẽ,flores albos,in quib⁹ acer ineſt fructus,albúſq; & hirſut⁹,ſuauis odoris in mãdẽdo. radix digiti craſſitudine & dodrãtis lõgitudine eſt. naſcitur ſaxoſis & apricis locis. Alter etiã eſt agreſti apio ſimilis,aromatic⁹ acer,odoratúſque,& guſtui feruẽs ſed Cretic⁹ eſt præſtãtior. Tertiũ porro genus eſt folio coriandri , albo flore , capite & fructu anethi ſimilibus:habétque erraticæ paſtinacæ vmbellam oblongi ſeminis,vt cumini,acriſque plenam.

Daphne(*id eſt laurus*)quædam tenũi folio,quædam latiore conſtat. vtraque calfaciendi & molliendi vim habet:quocirca decoctum earum inſidendo vuluæ & veſicæ affectionibus conuenit.folia virentia leuiter adſtringunt:trita atque illita veſparum atque apum ictibus medentur. eadem quoque cum pane aut polenta ſuperdata, inflammationes cunctas leniunt: pota verò ſtomachum ſubuertunt,& vomitus cient.

Daphne,*hoc eſt laurus*,Alexandrina, folia ruſco ſimilia, ſed maiora,& molliora,& candidiora habet. fructum in mediis fert rubrum, ciceris magnitudine.ramulos humi ſpargit dodrantales,aut etiam maiores. radix ei ruſco ſimilis eſt,ſed maior, odoratáque & mollior.naſcitur mõtanis locis.

Daphnoides frutex exiguus eſt,cubitalis, ramos habet multos à medio in ſuperiorem partem corrigiæ modo flexiles,in quibus inſunt folia.eorum ramulorum cortex eſt egregiè glutinoſus.folia lauri,molliora , graciliorãque,& fractu facilia, quorum guſtatu os & fauces mordentur atque incenduntur.flores candidi,bacca nigra,vbi matura eſt:radix inutilis:naſcitur locis montanis.

Delphinium(ſunt qui diacriſin,qui hyacinthum vocãt) ramos ab vna radice duorum dodrantum longitudine & aliquãdo maiores emittit:in quib⁹ foliola diuiſa tenuia, oblonga viſuntur,delphini formam referentia, vnde ei nomẽ eſt datum.flos ſimilis albæ violæ eſt, purpureóque colore:ſemen in ſiliquis milio ſimile continetur. Alterũ quoque delphinium eſt quod ſuperiori eſt ſimile, ſed ramos foliáque habet multo quàm ſuperius graciliora.

Dictamnum(ſunt qui agreſte pulegium vocent)Creteſis herba eſt,acris,læuis,pulegio ſimilis,ſed foliis maioribus,quæ tomẽto & lanoſa pube ſunt obducta: ea neque florem,neque fructũ fert.facit ad omnia ad quæ ſatiuum pulegium,ſed efficacius. Quod verò falſum dictamnum vocant, pleriſque locis naſcitur antedicto ſimile, ſed minus acre eſt, & non æquè efficax. Affertur etiam ex Creta aliud dictamni genus, foliis ſiſymbrii, ramis maioribus, in quibus flos inſidet origano ſylueſtri ſimilis, niger, & mollis: odor foliorum medius inter ſiſymbrium & ſaluiam eſt iucundiſſimus.

Dipſacon,*id eſt,labrum Veneris*, inter aculeatas referunt: caulẽ habet excelſum aculeatúmque, folia caulem complectentia,lactucæ ſimilia,in ſingulis geniculis bina, oblonga; ceu bullas quaſdam intus & extra in medio dorſo aculeatas habentia, concauo, quà ſe in geniculis coniungunt,ſinu, quo rores & pluuiæ continentur: vnde etiam *δίψακον,id eſt,ſitientis* nomẽ inuenit in cacumine caulis ſingula capitula ſurculis inſunt, oblonga,ſpinoſa, echino ſimilia, quæ quum aruerunt, candida videntur. habent & capitula illa diuiſa vermiculos in media medulla.

Dorycnium Crateuas halicacabum aut caleam vocat. frutex eſt oleæ nuper prodeunti ſimilis: ramulos habet cubito breuiores: naſcitur in petris non procul à mari, foliis oleæ ſimilibus colore,minoribus tamen, firmioribus, & valde ſcabris:flore candido, in cacumine ſiliquis, vt ciceris,dẽſis, in quibus exigua ſemina quinque aut ſex inſunt, rotunda, exigui erui magnitudine, læuia, firma, varia. radix ad digiti craſſitudinem,& cubiti longitudinem accedit.

Dracunculum magnum aliqui aron, (aliqui iſaron appellant) naſcitur is vmbroſis locis circa ſepes.caulem habet læuem, rectum, fere duorum cubitorum , ad baculi craſſitudinem,pro tempore verſicolorem,vt angui ſimilis videatur: vincunt tamen in eo purpureæ maculæ. folia inſtar lapathi, inter ſeſe implicita. fructum in ſummo caule racemoſum fert , cinereo primũm colore, mox vbi maturuit, croceo puniceóque. Radixque ei ſatis magna eſt, rotunda,alba,quæ tenui cortice veſtitur. Minor verò dracunculus habet,hederæ folia,magna,candidis maculis inſignia: caulem rectum , duum cubitorũ, varium,draconis formam præ ſe ferentem,purpureis variegatum notis,baculi craſſitudine:fructum in cacumine racemoſum,colore primùm felleo,quũ maturuit,croceo, guſtum erodentem. radicem quodammodo rotundam, bulbĩ forma,aro ſimilem,quæ tenui cortice circundatur. In ſepibus ſeptíſque vmbroſis naſcitur.

Ε

Ebenus probatiſſima eſt Æthiopica, nigra, pectinã expers,læuore ſuo cornu laborato ſimilis: quum frangitur, denſa,mordens in guſtu,& ſubadſtringẽs, pruniſque iniecta, ſuauem odorem,& ſine fumo euaporans. recens ob pinguedinem igni admota accenditur, trita autem in cote ſubfulua redditur. Eſt etiam alia Indica, quæ internatas habet lineas cãdidas & fuluas,& maculas eodẽ modo denſas, & tamen prior eſt præſtantior. Vendunt nonnulli ſeſamina, aut ſpinea ligna pro ebeno, quod vel ex eo dignoſcitur quòd ea inania ſunt, & in exigua fragmenta purpurei coloris conſcinduntur, nec in guſtu quicquam mordent, nec in ſuffitu ſuauem ex ſe odorem mittunt.

Elaphoboſcum,(quod elaphicon, aut ophigenion vocant) caulis eſt rori marino aut fœniculo ſimilis,& geniculatus. folia habet duorum digitorum latitudine, admodum longa, vt terebinthus, circumfracta, quodammodo aſpera: quinetiam multas appendices caulis habet, quæ vmbellas anetho ſimiles ferunt, flores ei ſunt ſublutei, ſemen anetho ſimile, radix ad trium digitorum longitudinem , & vnius craſſitudinem accedit, eáque alba eſt,dulcis,& veſca:caulis tener pro olere manditur.

Elatina folia habet helxinæ ſimilia, ſed longiora, rotundiora,hirſuta, ramos tenues dodrantales,quinque aut ſex ab radice prodeuntes, plena eſt foliis guſtui acerbis: naſcitur in ſegetibus & cultis locis.

Ελένιον (ſunt qui ſymphytum nominent) folia habet

verbaſci anguſtifolii, ſed aſperiora & oblonga. Caulem aliquibus in locis non profert: radicem verò ſubalbidam, ſubfuluam, odoratam, magnã, ſubamaram, ex qua ad conditiones germina liliorum & ari modò capiuntur. naſcitur mõtanis, vmbroſis, & ſqualidis locis. Radix autem æſtate foditur, & in fruſta diſſecta ſiccatur.

Elelisphacus, *hoc eſt, ſaluia*, frutex eſt oblongus, multos habens ramos virgáſque quadratas & albicantes, folia mali cotonei effigie, ſed longiora, aſperiora, craſſioráque; & quæ ſenſim attritæ veſtis modo ſcabra ſunt, ſubalba, vehementer odorata, viroſa: fructum in ſummis caulibus, vt agreſte orminum, continet. locis aſperis prouenit.

Ελίχρυσον, (quod chryſanthemon aut amaranthum vocant) virgula eſt alba virens, recta, ſolida, foliis anguſtis per interualla, ad arbrotoni foliorum ſimilitudinẽ. coma ei eſt in orbem acta, aureum colorem oſtẽdens. vmbellã gerit orbiculatam, veluti corymbos areſcentes. radicem habet tenuem. locis aſperis & aquoſis conuallibus prouenit.

Elleborus albus folia plantaginis aut betæ ſylueſtris ſimilia, ſed breuiora, nigriora, & rubri coloris fert. caulem habet palmi altitudine, cauum, & quum cœpit areſcere, cortice circumuoluto. Radices ei ſubſunt multæ, tenues, ab exiguo capitulo & oblongo, velut à cæpis prodeũtes: naſcitur in montibus & aſperis locis. radices per meſſem colligũtur. Præſtat in hoc genere is qui modicè extẽtus & albus eſt, & friabilis, & carnoſus, non acuminatum tamen & iunceum, puluerem emittens dum frangitur: quique eſt medulla tenui, guſtu neque admodum, neque confertim feruens, neque ſaliuam proritans: nam huiuſmodi ſtrangulat. Porro principem locum tenet Cyrenaicus: ſiquidem qui apud Galatas & Cappadocas naſcitur, cãdidior, puluerulentúſque eſt, maiorémque ſtrangulandi vim habet.

Elleborus verò niger, (quem melampodium, aut polyrrhizon vocant) folia habet virentia, platani ſimilia, ſed minora, ad ſpondylii ſimilitudinem, pluribus diuiſuris inciſa, nigriora, & ſubaſpera: caulis aſper, flores albi, purpuraſcẽtes, figura racemoſi, ſemen cnico ſimile; quod Antyciris Seſamoides vocant, ipſóque ad purgationes vtuntur: radicibus nititur tenuibus, nigris, veluti ab vno cæpæ capitulo dependentibus, quarum etiam vſus eſt. naſcitur locis aſperis, collibus, & ſiccis locis.

Ελξίνη, (quam alii ſideritim, vel heracliam, vel elitin vocant) naſcitur in ſepibus, ſeptis, vinetis, & ſegetibus. folia habet mercuriali ſimilia, hirſuta. circa caules ſunt veluti ſemina exigua, veſtibus adhærentia.

Ελυμος, *id eſt, panicum*, μελίνην, aliqui dicunt, inter frumentacea numeratur, éſtque milio ſimilis, & pari modò ad panem conficiendum, & ad res eaſdem accõmodatur. minus tamen nutrit quàm milium, & minus adſtringit.

Epithymum eſt flos thymi durioris, & ſatureiæ ſimilis: habet autem capitula tenuia, inania, caudas ad formam capillorum habentia.

Epimedium, (quod πολύῤῥιζον, *id eſt, multarum radicum*, herbam aliqui appellant) caulis eſt non magnus, cuius folia ſunt hederæ foliis ſimilia, eáque ſunt x. fere, aut XII. nec ſemen nec florem fert. radices ei ſunt tenues, nigræ, graueolentes, ſapore inſipidæ. aquoſis naſcitur locis.

Epipactis (ſeu elleborine) paruulus frutex eſt, foliola habet minima, quæ contra venena & iecoris vitia pota facit.

Erice fruticoſa arbor eſt, myricæ ſimilis, ſed multo minor. eius florem ſumentes in cibo apes mel non probum faciunt, & tamen coma floréſque ſerpentum ictibus medentur.

Erinum, (ſunt qui ocymoides nominent) naſcitur prope flumina & fontes. folia ocymi, ſed minora habet, & è partibus ſuperioribus inciſuris diſtincta. ramulos quinque aut ſex dodrantales profert. flores candidi ſunt, ſemẽ fert nigrum, paruum, acerbo ſapore. porrò caulis & folia liquore abundant.

Ερπυλλος, *id eſt ſerpyllum*; duplex eſt, hortenſe, quod ſampſuchi odorem refert, & coronis additur, à ſerpẽdo nomen trahit, & quòd quæcunque eius pars terram contigerit, facilè radices agit: folia ramulóſque origano ſimiles, verùm cãdidiores profert. Quod verò ſylueſtre eſt, zygiſque vocatur, per terram non ſerpit, ſed rectùm ramulos erigit ſurculoſos, foliis refertos rutæ ſimilibus, anguſtioribus verò oblongioribúſque ac durioribus. flores habet guſtanti acres, odoranti ſuaues, radicémque inutilem. in petris naſcens efficacius eſt, & maiore calefaciendi vi quàm hortenſe præditum.

Eryſimum aliqui chamæplion nominant. naſcitur iuxta vrbes, domicilia atque hortos. folia habet agreſti erucæ ſimilia, cauliculos corrigiæ modo, folia lutea. in cacumine ſiliquas cornu forma graciles, vt fœnũgræcum, habet, in quibus exigua ſemina ſunt naſturtio ſimilia, feruida guſtantibus.

Erythrodanon, *id eſt, rubia*, radix rubra eſt, ad tingendum accommodata: alteráque ſylueſtris eſt, ſatiua altera, qualis in Thebana Galileæ, & Rauennæ in Italia naſcitur. In Caria verò inter oleas, vt in aruis, ſeritur. vtiliter autem ſeritur, quia magnus ex ea prouentus capitur. eius caules quadrati ſunt, longi, aſperi, aparinæ caulibus ſimiles, ſed maiores, ac robuſtiores omnino, in quibus folia ſunt per interualla in ſingulis geniculis, ſtellarũ modo in orbem radiata. fructum fert rotũdum, in primis viridem, poſtea quum maturuit, nigrum: radix tenuis, longa, rubráque ſubeſt.

Eryngium in genere aculeatarum plantarũ eſt, cuius folia in principio inter cibos ſale condita capiuntur. ea autem lata ſunt, per ambitum aſpera, & guſtu aromatica. vbi augentur, ſpinis implentur per multas caulium eminentias, in quibus capitula quædam globoſa ſunt, ſpinis acutiſſimis in orbem vt ſtellæ, & duris circũdata, quarum color modò viridis, modò albus, modò cæruleus inuenitur. Radix oblonga, lata, nigra foris, intus candida, pollicis magnitudine, quæ eſt etiam ſuauis odoris, & aromatica. naſcitur autem campeſtribus locis & aſperis.

Eupatorium (aliqui epatorium, aliqui hepatitim vocãt) fruticoſa herba eſt: virgam vnicam profert, tenuem, lignoſam, rectam, nigram, piloſam, cubitalem, & etiam maiorẽ. folia habet per interualla partibus diſtincta quinque fere, aliquando pluribus, quinquefolii aut cannabis foliis ſimilia: eadem ſubnigra ſunt, in extremitatibus ad modum ſerræ inciſa. ſemen in medio caule adnaſcitur, ſubhirſutum; infrà annuens, quod ſiccatum veſtibus inhæret.

Euphorbium Libyca arbor eſt, ferulæ ſpeciem gerẽs, quæ in Atlante mõte iuxta Mauritaniam acerrimo ſucco plena inuenitur. eius nimium feruorem timẽtes incolæ, ouillos ventres lotos arbori circumligant, & eminus caulem haſtilibus præcidunt, ſtatimque velut ex vaſe quodã, copioſus ſuccus in ventriculos effluit, ex quo etiam vulnere liquor in terram proiicitur. Huius ſucci duo ſunt genera: alterum orobi magnitudine, pellucidum, vt ſarcocolla eſt, alterum in ventriculis vitreum & concretum eſt. Adulteratur euphorbium ſarcocolla & glutine admixtis: eligito quod pellucidũ acréque ſit. nam guſtu haud facilè probatur, propterea quòd linguæ ſemel admotum, lingam ita incẽdit, vt quum eius feruor ſatis longo tempore perduret, quodcunque linguæ obiicias, euphorbium eſſe videatur. Inuentum autem hoc eſt in Libya, regnante Iuba.

Echion (aliqui atidam, aliqui alcibiadion appellant) folia habet prælõga, aſpera, ſubalbida, anchuſæ proxima: minora tamẽ, ſubrubra, & pinguiora. Spinas tenues habet adiacentes, quibus etiam folia fiunt horridula: cauliculos exiles, multos, folioláque ab vtroque latere tenuia, ad modum pennæ, nigra, habet, quæ ad ſummum caulis cacumen accedendo, minora pro ſua proportione decreſcendo fiunt. Flores fert iuxta folia purpuraſcentes, in quibus ſemina capiti viperarum ſimilia ſunt: radix eſt digito tenuior, & nigricans.

Z

Zea duplex eſt: altera ſimplex, vniúſque grani: alte-

ƒagrani duplicis,quæ binis vtriculis coniunctum ſemen continet:nutrit magis quàm hordeum,ori ſuauis,& in panes redacta minus alit quàm triticum.

Zingiber ſui generis planta eſt,in Troglodytica Arabia plurimùm naſcens,cuius frõde ad multa illi, perinde ac nos ruta, vtuntur, ac primis potionibus pulmentiſque immiſcent.radices habet cyperi modo paruas, albicantes,piper ſapore imitantes, odoratáſque. eligito quæ tineas non ſenſerunt:& quoniam facilè computreſcunt,ab aliquibus ſale cõdiuntur, & vaſculis impoſitæ in Italiam comportãtur,& ita ad veſcendum vtiles cum ſalſamẽtis ſumuntur.

H

Hedyoſmos (quam mintham alii, calamintham alii vocant)cognita omnibus herba eſt:calefaciẽdi autẽ adſtringendique ac ſiccandi vim habet. Eſt etiam agreſtis mentha, quã mentaſtrum appellant, hirſutiore folio, & vndecunque maiore quàm ſiſymbrium,& odore magis viroſo naſcens, & idcirco minus ad vſum ſanitatis accommodatur.

Hedyſarum(vnguentarii pelecinum vocãt)frutex eſt, foliola ciceri ſimilia ferens, ſiliquas corniculorum modo inflexas, quibus rufum ſemen continetur,ſecuri ancipiti ſimile:quæ res ei nomen impoſuit. éſtque id amarũ guſtantibus.

Heliotropium maius(alii ſcorpiuron, *hoc eſt caudam ſcorpionis*,appellant) quòd ea ſit floris ipſius effigies: heliotropion verò, quòd ad ſolis motum circumagatur. Ocymo ſimilia habet ſolia,ſed hirſutiora, nigriora, maioráque,ramulos ab radice tres fere aut quatuor, aut quinque profert: ab his alas permultas. in cacumine flos candidus,ſubfuluus,inflexus inſtar caudæ ſcorpionis. radix tenuis eſt,& ad nullam rem vtilis. aſperis verò locis naſcitur.

Heliotropium minus(quod & aliqui ſcorpiurũ vocãt) iuxta lacus paluſtribus locis prouenit. folia habet prædicto ſimilia,rotundiora tamen.ſemen rotundum verrucarum inſtar pendens fert.

Hemerocallis, *hoc eſt lilium ſylueſtre*, folia & caulem habet lilio ſimilia, viridia verò vt porrum. flores in caule per ſingulos exortus terni aut quaterni exoriuntur, lilio diuiſura ſimiles vbi dehiſcere inceperint,colore admodum pallido: radici innititur permagno bulbo conſimili.

Hemionitis(à quibuſdam ſpleniõ dicitur) folium dracunculo ſimile profert,lunatũ.radices ei multæ tenuéſq; ſubſunt: nec caulem,nec fructum,nec florem fert.naſcitur ſaxoſis locis,adſtringenti guſtu eſt prædita.

Ηριγέρων, *hod eſt ſenecio*(quam erechthitem aliqui vocant)eſt cauliculus cubitalis,ſubruber,foliis continuis,in ſummitatibus erucæ modo diuiſis,ſed multo minorib⁹: luteis floribus,qui celeriter dehiſcunt,& in pappos euaneſcunt. atque ex eo nomen traxit quòd flores vere more capillorum caneſcant.radix eius inutilis naſcitur præcipuè in aggeribus murorum,& circa oppida.

Θ

Thalictrum coriandro ſimilia habet folia, pinguiora tamen: cauliculum rutæ craſſitudine, in quo ſunt folia, quæ conciſa & ſuperdata diuturna vlcera ad cicatricem perducunt.naſcitur potiſſimum in campeſtribus.

Thlaſpi (ſunt qui thlaſpidion vocent) exigua herba eſt,anguſtis foliis,digiti longitudine,in terram verſis,in ſummo diuiſis,ſubpinguibus, caule tenui, duorum dodrantum altitudine,in quo pauci exortus ſunt.circa caulẽ fructus eſt in ſummo modicè latus,in quo ſemen eſt ſimile naſturtio,ad diſci formam veluti infractum,ex quo ei nomen eſt ductum.flos albus eſt,ſemen acre, naſcitur in ſemitis,ſepibus,& ſeptis.

Thelipteris:à quibuſdam nymphæa pteris dicitur. ea habet folia filici ſimilia, non ſingulari vt illa pediculo fulta,ſed multis,hiſque altioribus agnationibus. radices ſubſunt longæ,latæ,plures,& in nigro colore ſubflauæ,

A & quædam etiam rubræ inueniuntur.

Thymelæa quæ à quibuſdam chamælæa dicitur,eſt ex qua Cnidium granum colligitur,virgas autem ex ſe pulchras multáſque emittit,fere bicubiti longitudine. folia habet chamelææ ſimilia, niſi quòd anguſtiora pinguioráque hac ſunt, viſcoſa, glutinoſáque mandendo. flores fert candidos, in quibus fructus eſt exiguus, rotundúſque, myrto ſimilis, in initio viridis, móxque rubens, operimentum durum & nigrum: interna verò B pars candida.

Thymbra, *hoc eſt, ſatureia*, nota omnibus herba eſt, tenui & aſpero ſolo naſcens, thymo ſimilis, veruntamen minor, & magis tenera, ſpicam flore plenam, & viridi colore fert. eadem poteſt quæ thymum eodem ſumpta modo. aptus eius ad ſanitatem vſus. Eſt etiam quædam ſatiua, ſylueſtri omnino minor. ſed quia tantam acrimoniam non habet, ideo eſt ad veſcendum acommodatior.

Thymum quidam cephaloton, quidam epithymum vocant. Frutex omnibus notus,exiguus,ſurculoſus,folio- C lis multis, & anguſtis interſeptus, in cacumine capitula floris purpuraſcentis habens. gracili ſolo & petroſo naſcitur.

I

Iberis folia habet naſturtio ſimilia, vere magis florentia. longitudo eius eſt cubiti, aut minor. in cultis locis naſcitur. lacteum florem æſtate profert,atque eo tempore eſt efficacior: binas præterea radices naſturtio ſimiles habet.

D Idæa radix folia habet ruſco ſimilia: his adhærent velut exigui pampini,in quibus flos eſt.

Ιεϱάκιον τὸ μέγα,maius hieracium, *hoc eſt,erratica lactuca*, aſpero, rubente, ſpinoſo, & concauo caule eſt: foliis ex interuallo rariuſculè diuiſis, ſimilibus ſoncho per ambitum. in oblongis eius capitulis flos luteus continetur.Minus verò hieracium(quod ſonchitem aliqui vocant)folia habet per interualla diuiſa in ambitu: cauliculos teneros virẽtéſque emittit,in quib⁹ flores lutei circulũ deſcribũt.

Ιππομάϱαθϱον(quod alii *μάϱαθϱον ἄγϱιον, id eſt,agreſte fœ-* E *niculum*,vocant)magnum eſt:ſemen fert cachry ſimile.radix odorata eſt.

Ιπποσέλινον,verò, *hoc eſt,olus atrum*, hortenſi apio maius eſt,& cãdidius. caulem habet cauum,excelſum,tenerum, & quaſi lineis interſectum:folia latiora,in puniceum vergentia, libanotidis comam, floris plenam corymborum modo,ant equam floreat concretam. eius ſemen nigrum, longum, ſolidum,acre,aromatum odorem referẽs: radix odorata, alba, ori grata, non craſſa. naſcitur in vmbroſis & paluſtribus.

Ιππόγλωσσον,exiguus frutex eſt,foliis ſylueſtri tenuique F myrto ſimilibus:coma aculeata, & in ſummo veluti lingulis ſecus folia exeuntibus.

Ιπποφαὲς (quod hyppophyes aliqui, *ideſt,lappaginem*, vocant) qua fullones veſtes poliunt, in arenoſis maritimiſque naſcitur locis. ſurculoſus frutex eſt, denſus,frõdoſus, foliis longioribus,vt oliua, anguſtioribus tamen & tenuioribus,inter quæ albicãtes ſpinæ ſiccæ,anguloſæ, interuallo quodã diductæ emicãt. flores hederæ corymbis ſimiles, ceu racemi inter ſe adiacent: ſunt tamen mino- G res & molles,candidi, ex parte rubeſcẽtes. radix craſſa & mollis,ſucci plena,guſtãti amara:ex qua non ſecus quàm ex thapſia ſuccus exprimitur, qui cum erui farina ſubactus ſiccatur,atque reponitur.

Ιππόφαιστον,ſunt qui hoc quoque hyppophaës eſſe velint: naſcitur iiſdẽ quibus hippophaës locis, éſtque fullonum ſpinæ genus.ſerpit autem humi, folioláque tãtùm parua, & capitula inania habet. hæc caulis & floris expers eſt. radix eis ſubeſt craſſa molliſque.

Ιππουϱὶς, *id eſt,cauda equina*,naſcitur aquoſis locis,& foſ- H ſis: cauliculos inanes habet, ſubaſperos, ſolidos, geniculis interſeptos, in vicem inſertos, circa quos folia ſunt iuncorum figura, denſa, graciliáque. in ſublime autem tollitur,vicinos arborum caudices aſcendens, pendétque

ex eis circumamplexa multis nigríſque comis,ceu cauda A equina. radix ei lignoſa duráque eſt. Eſt & aliud equiſetum, comas ex interuallo habens breuiores, candidiores & molliores.

Ixos, *id eſt uiſcum*, optimum eſt recens,quod intus porri colorem habet, foris verò flaueſcit, in quo nihil aſperum aut furfuraceum ſit.fit acinis in quercu naſcentibus, foliis buxo ſimilibus:tunditur fructus, tum lauatur,deinde in aqua decoquitur. quidam etiam commanducando viſcum conficiunt.Gignitur quoque in pomo,piro,& aliis pleriſque arboribus:atque etiam in quorundam fruticum B radicibus inuenitur.

Ios, *hoc eſt, uiola purpurea*, foliis eſt minoribus tenuioribúſque quàm hedera, nigrioribus item, & non diſſimilibus. Caulis medius inter folia ab radice prodit.in eo eſt floſculus ſuaueolens, purpureus. Vmbroſis hæc & aſperis locis enaſcitur.

Iris (ab aliquibus Illyrica, ab aliis vrania nominatur) folia habet gladiolæ herbæ ſimilia, ſed maiora, latiora, pinguioráque: flores in ſummis caulibus alterno ſitû incuruos varióſque:ſiquidem candidi,vel pallentes,vel ni- C gri,vel purpurei,vel cærulei conſpiciuntur:ob quam colorum varietatem ad cæleſtis iridis imaginem nomen hoc inuenit. radicibus nititur geniculatis, ſolidis, odoratis, quæ in partes diſſectæ,& in vmbra ſiccatæ, tum funiculo traiectæ,recōduntur. Probatiſſima iris eſt Illyrica,& Macedonica:inter has præſtantior eſt quæ quaſi decurtatā ac denſam habet radicem,frangenti contumax,colore ſubfuluo,valde odorata, guſtui feruida, ſincero odore,nullū ſitum redolente, quæ quum tunditur,ſternutamēta cieat. Secundo loco cenſetur Lybica, colore candida,guſtu a- D mara:cæterùm omnes quum inueterarint,à tineis tentantur,ſed tum odoratiores fiunt.

Iſatis ſatiua herba eſt qua tingendis lanis infectores vtuntur:folia plantaginis habet,pinguiora tamen & nigriora:caulis cubitum excedit. Sylueſtris verò iſatis eſt ſatiuæ ſimilis,folia tantùm habet maiora, ad lactucæ foliorum ſimilitudinem: itémque caules tenuiores, multis diuiſionibus refertos, rubeſcentes, in quorum cacumine veluti folliculi inſtar linguarum multi penduliſque habentur,quibus ſemen continetur. Luteum tenuémque florem E profert.

Iſopyron:ſunt qui phaſiolon nominēt, quia in ſummo cacumine folium eius more phaſiolorū in clauiculas torqueatur. Capitula in ſummo ſunt tenuia, plena ſeminis exigui,quod melanthii guſtum præ ſe fert.

K

Calamintha, *id eſt, nepita*, quædam montana eſt,habétque ocymi folia, ſubalbida, ramulos & ſurculos angulo- F ſos, & purpureum florem: quædam verò eſt ſimilis pulegio,maior tamen: quare nonnulli eam agreſte pulegium vocarunt,quia odore proximè ad ipſum accedit. Tertium denique genus mēthæ ſylueſtri eſt ſimile,foliis longioribus, caule & ramis maioribus quàm ſuprà dictæ, ſed minus efficacibus.Omnium folia guſtu valde feruentia & acria:radix inutilis:campeſtribus,aſperis,& humentibus loci enaſcitur.

Calamus aromaticus in India prouenit: probatiſſimus G eſt fuluus,crebris geniculis refertus, qui in aſſulas multas frangitur,fiſtulis aranearum plenis, ſubcandidus, & inter commanducandum glutinoſus, adſtringens, ſubacer, amarus.

Cannabis(ab aliquibus hydraſtina vocatur)virgulas althææ ſimiles profert,minores tamen, nigriores, aſperiores, cubiti altitudine.folia habet ſatiuæ ſimilia,verùm aſperiora & nigriora:flores ei ſunt rubeſcētes, Lychnidi ſimiles,ſemen verò & radices althææ.

Capnos, *id eſt fumaria*, herbula eſt fruticoſa, coriandro H ſimilis,valde tenera,foliis cādidioribus,vndique numeroſis,cinericei coloris, flore purpureo.

Capparis (ſunt qui cynoſbaton, *hoc eſt, ſentem canis*,ſunt qui capriam vocent)aculeatus frutex eſt,qui per terram in gyrum ſternitur. Hamatas ſpinas vt rubus habet,folia rotunda, cotonei mali foliis ſimilia, fructum oliuæ figura, qui dehiſcens florem cādidum promit,quo cadente quiddam velut oblonga glans inuenitur, quod apertum grana acinis punicorum ſimilia, exigua rubentiáque oſtendit: radices lignoſas magnáſq; & numeroſas habet:naſcitur vt plurimum aſperis locis,& tenui ſolo,& in inſulis iuxta domicilia: caulis & fructus ad cibum ſale condiuntur.

Cardamomum probatiſſimum eſt quod ex Comagene, Armenia, & Boſphoro aduehitur: prouenit etiam in India,& Arabia.Eligito quod difficulter frangitur, quod plenum præclusúmque ſit(nam quod huiuſmodi non eſt, intāpeſtiuum eſt) quódque odore ſenſum feriat,guſtúque acre ſit ac ſubamarum.

Caſiæ complura ſunt genera, quæ in Arabia odorifera naſcuntur. Habet caſia virgam craſſi corticis, piperis folium.eligenda eſt fulueſcens, pulchri coloris, corallii ſimilis, perquam anguſta, longa,craſſa, fiſtularum plena, guſtum mordens, adſtringens cum multo feruore coniuncto, aromatica, odorémque vini referens, qualis eſt quæ ab incolis achy, ab Alexandrinis verò mercatoribus daphnitis appellatur. Hāc autem antecellit nigra,quæque purpuraſcit,& craſſa eſt (Zigir nominata)roſarum odore, cuius vſus in medicina eſt præcipuus. Secundum locum tenet antedicta: tertia eſt quæ moſyleticus blaſtus nominatur:reliquæ viles ſunt.

Caucalis(ab aliquibus myritis, à Democrito bryō *quaſi muſcus* dicitur) dodrantalis eſt cauliculus, aut etiam maior, leniterque hiſpidus, foliis apio ſimilibus,& ad fœniculi ſimilitudinem per extrema multifidis, & hirſutis: candida verò vmbella in cacumine eſt,odore ſuaui.

Cedrus arbor eſt grandis,ex qua cedria colligitur, iuniperi modo baccas fert rotūdas,ad myrteæ baccæ magnitudinem. Cæterùm præſtantiſſima cedria eſt, quæ craſſa, perlucidáque eſt,& graui odore,quæque dum effunditur, guttis ſeſe continet,nec diffluit.

Centarium maius eſt & minus:ac maius quidem folia habet iuglandis,oblonga,colore virenti,vt braſſica,ſerrata in ambitu:caulem,ceu lapathum,duorum triúmve cubitorum:multa ab radice adnata: in quibus capita papaueris ſimilia,teretia. Florem cæruleum pofert, fructum cnico ſimilem, floribus veluti floccis quibuſdam laneis inuolutum.radix eius craſſa,ſolida,grauíſque eſt, & binos cubitos excedit:ſucci plena eſt,ſapore acri,cum adſtrictione & dulcedine quadam, rubeſcens. ſolum verò pingue & apricum, ſyluáſque ac colles diligit. abundat in Lycia, Peloponneſo,Helide,Arcadia,Meſſene, ac pluribus circa Pholoēn,Lyciam ac Smyrnam locis.

Centaurium verò minus, herba eſt hypetico aut origano ſimilis:caulem habet palmo altiorem,anguloſum,flores in puniceo Lychnidis colore purpuraſcentes:folia parua,prælonga,vt ruta,fructū tritico ſimilem, radicem exiguam,nulliúſque vſus.

Cepæa herba portulacæ ſimilis eſt,nigriora tamen habet folia.radix ei tenuis ſubeſt.

Cinnamomi genera ſūt multa,quæ à patria in qua oriūtur,nominantur:omnibus verò præſtat quod moſylicum dicunt,quod caſiæ quæ moſyletica appellatur,aliquam ſimilitudinem gerat:& in hoc ipſo genere, recens, colore nigro,ex vinoſo in cinereum vergens, tenuibus virgulis, læue,frequentibus nodis cinctum, odoratiſſimum.ac ferè optimi temperatura ex ſuauis odoris proprietate conſtat: ſiquidem in optimo quoque, & quod verum propriúmque ſit, odor rutæ, cardamomóve ſimilis inuenitur.

Circæa(quam & dircæam aliqui vocāt)folia habet hortenſis ſolani,multa adnata, flores paruos, nigros, multos, fructum in quibuſdam veluti corniculis milio ſimilem: radices palmi longitudine,ternas aut quaternas, cādidas, odore præſtantes.

Ciſtus frutex eſt ſaxoſis locis exoriens, ramoſus, folioſus,non procerus,foliis rotūdis,acerbis,hirſutis:flore punicæ figura:ſed in fœmina,calore candido.

Ciſſus, *hoc eſt, hedera*, multas habet differentias ſpeciei ratione,ſed præcipuas tātùm tres,quarum vna dicitur alba, altera nigra,tertia helix.candida fructum candidum fert,

nigra nigrum, aut croci æmulum, quam etiam vulgus dionyſiam vocat. helix fructum non edit, ſed tenues habet palmites, foliáque parua, anguloſa, & rubra.

Clematis læto ſolo prouenit, viticulas exiguas ſpargit, iunci craſſitudine, folio breui, lauro ſimile colore figuráque, ſed multo minore. Altera verò clematis viticulã emittit rubentem, lentam, folium guſtanti accerrimum & exulcerans. circumuoluitur arboribus vt ſmilax.

Clinopodium frutex ſurculoſus eſt duorum palmorum, in petris naſcens, foliis ſerpyllo ſimilibus, floribus ad pedum lecti ſimilitudinem, & per interualla marrubii modo diſpoſitis.

Clymenon caulem quadratum fert, fabaceo cauli ſimilem: folia habet plãtaginis, folliculos in caule inter ſe annuentes, iridi, aut polyporum cirris ſimiles. montanum autem eſt præſtantiſſimum.

Cnicus oblõga folia, diuiſa, aſpera, referta ſpinis habet, cauléſque dodrantales, capitulo magnitudine grandis oliuæ, flore croco perſimili, ſemine candido & rufo, longo, anguloſo.

Colchicum (quod ephemerum aliqui nominãt) florem albicantem crocino ſimilem ſub finem autumni profert: poſtea verò folia producit bulbo ſimilia, ſed pinguiora: caulem dodrantalem, fuluum fructum continentem. radix eius corticem habet in nigro fulueſcentem, ea nudata cortice, alba, tenera, ſuccique plena & dulcis inuenitur. Habet bulbus in medio fiſſuram, ex qua flos prodit. naſcitur plurimum in Meſſenia & Colchis.

Colocynthis viticulas foliáque diuiſa ſatiuo cucumeri ſimilia per terram ſpargit, fructum fert rotundum, globo mediocri ſimilem, amariſſimũ, qui colligendus eſt quum vergere ad pallorem incipit.

Comarus, *id eſt, arbutus*, cotoneæ malo eſt ſimilis: folia tenuia, fructum prunorum magnitudine ſine nucleis habet, quem mæmecylon vocant, ſubfuluo aut rubente in maturitate colore. is quum manditur, veluti acus palearum linguæ & dentibus affert. éſtque alienum ſtomacho, & capitis dolorem gignit.

Chondrilla (quam alii ſerin vocãt) caulem, flores, & folia habet cichorio ſimilia: ideóque agreſtis intybi ſpeciem aliqui eam eſſe dixerunt: ſed eſt tota tenuior. in huius ramulis gummi ſimile maſtiches, fabæ magnitudine inuenitur.

Conyza (quæ & iſchys, & danais à quibuſdam dicitur) altera eſt quæ parua dicitur, éſtque odoratior: altera maior frutice, foliiſque latioribus, & graui odore minorem ſuperans. vtriuſque folia oliuæ ſimilia ſunt, hirſuta, pinguia: altitudo caulis in maiore eſt duûm cubitorum: in minore, pedis: flos ſqualidus, luteus, ſubamarus, qui in pappos euaneſcit, radix ad nullum vſum accommodata.

Eſt & tertium conyzæ genus, cuius caulis craſſior molliórque eſt, foliis tamen maioribus quàm gracilis, & minoribus quàm maior. Hæc autem pinguis non eſt, multo tamen grauiore odore, iniucundiórque, & minus efficax: eáque humentibus prouenit locis.

Coriandrum (quod etiam hypericon vocant) folia habet erices foliis ſimilia, ſed minora, pinguiora, & rubra. frutex eſt palmi altitudine, ori gratus, acer, odoratus.

Cotinos, *hoc eſt oleaſter*, (alii oliuam ſylueſtrem, alii Æthiopicam oleam nominant) folia habet adſtringentia. tunduntur autem eius folia, tum aqua aut vino effuſo exprimuntur, ſiccatúſque in ſole ſuccus in paſtillos redigitur: quique ex vino, validior eſt, & ad recõdendum accõmodatior, quàm qui ex aqua fuerit expreſſus. Vruntur cum floribus folia, vt cinis ſpodii vicem gerat, in cruda olla oblito ore luto vſquedum fictile percoquatur, tum vino reſtinguntur, & ſubacta rurſus eodem modo cremãtur, poſtremò elota vt ceruſſa, in paſtillos coguntur. Hic autem cinis in medicamentis oculorum ſpodio cedere non videtur. Idem poſſunt ſatiuæ oleæ folia, ſed minore efficacia ſunt: & ideo quoniam mitiore facultate ſunt, oculorum medicinæ magis conueniunt. Lacryma verò quæ ab olea Æthiopica diſtillat, ſcammoneæ fere ſimilis eſt, fulueſcit exiguis è guttis concreta, & erodendi vi prædi-

A ta. Quæ verò ſimilis eſt gummi, magna, & læuis, non erodit: at quæ nigricat, erodens eſt, atque inutilis. Talem verò apud nos oleaſtri ferunt.

Coronopus oblonga herba eſt, quæ per terram ſternitur, foliis fiſſis, coquitur inter olera.

Coſtus laudatiſſimus omnium eſt Arabicus, candidus & læuis, plurimo & iucundo odore: ſecundas fert Indicus, ſpecioſus, niger, & velut ferula læuis: tertiæ tribuuntur Syriaco, qui grauis, buxeóque colore eſt, & odore ſenſum ferit. Præſtantiſſimus autem eſt recens, albus, plenus vndique, denſus, ſiccus, à teredinibus intactus, non viroſus, ferB uido & erodente guſtu. Quidam verò vt eum adulterinũ faciant, ſolidiſſimas Comagini helenii radices commiſcent: ſed eſt facilis dignotio: ſiquidem helenium neque guſtu feruet, nec odoris ſuauitatem adeò eximiam, nec ſenſum ferientem affert.

Cotyledon (aliquibus ſcytalion eſt, & vmbilicus Veneris dicitur) folium habet ad acetabuli vaſis formam in orbem circumactum, leni in concauitatem deſcenſu, vt ſenſum fallat. Cauliculum breuem habet, in quo ſemẽ eſt: & radicem oliuæ modo rotundam.

C Eſt alia cotyledonis ſpecies, cuius latiora & pinguiora ſunt folia, lingularum modo circa radicẽ denſa, tanquam oculum in medio deſcribentia, vt in maiore ſemperuiuo cernitur. adſtringentis porrò guſtus eſt. Caulem verò gracilem profert, in quo flores & exigua ſemina hyperico ſimilia inſunt, ſed maiore radice. facit ad eadem ad quæ ſemperuiuum.

Crambe agria, *id eſt, braſſica agreſtis*, naſcitur plerunque maritimis & præruptis locis, ſatiuæ ſimilis, ſed candidior hirſutiórque, & amara.

D Crithmon (quod crithamon vocant alii) fruticoſa herbula eſt, vtrinque foliata, cubiti altitudine, eáque ſaxoſis & maritimis locis exoritur, foliis vndique plena, pinguibus & albeſcentibus, portulacæ foliorum figura, ſed tamen latioribus, & prælongioribus, & in guſtu ſalſis. flores fert luteos, albos. fructum rori marino ſimilem, mollem, odoratum, rotundum, qui ſiccatus rũpitur, & intus ſemen quaſi rufum habet. radices ſũt digiti craſſitudine tres aut quatuor, odoratæ & ſuaues.

Κρίνου τὸ ἄνθος id eſt, lilii flos, (quem aliqui lirium vocant) E eſt ex quo vnguentum conficiunt quod lirinum alii, ſuſinum alii nominant.

Crocodilium, nigro chamæleoni ſimile eſt: naſcitur in ſyluoſis locis, radicem habet longam, ſubcraſſam, atque acrem, odorémque naſturtio ſimilem.

Crommyon, *id eſt, cæpa*, longa eſt acrior quàm rotunda, & flaua magis quàm alba, & ſicca magis quàm viridis, & quæ cruda eſt magis quàm cocta, aut ſale condita.

Crocus optimus eſt Corycius, recens, boni coloris, parum candidi habens in capreolo, oblongus, integer, non F fragilis, non mancus, plenus, facilè manus madefactas inficiens, qui cariem non ſenſerit, vel humeſcat: odore autẽ iucundo, & acer ſit. nam qui talis non eſt, is aut vetus eſt, aut humore perfuſus. adulteratur admixto crocomagmate cõtuſo, aut ſpuma argẽti, aut plũbagine propter eius põdus, aut defruti aſperſione: verùm inſidens puluis & defruti odor fraudem indicat. Vt autem facilè teratur, nouo fictili calido in ſole ſiccandus eſt, & celeriter conuoluendus.

Crocomagma verò fit expreſſis crocini vnguenti aroG matibus, & in paſtillos redactis. Præſtat in eo genere odoratum, myrrham modicè olens, graue, nigrum, ligni expers, quod quum ſubigitur, colorem valde croceum reddit, læue, ſubamarum, dentes & linguam vehementer inficiens, & quod aliquot horas continuas perdurat. Tale autem eſt quod ex Syria aduehitur.

Cyminum agreſte plurimũ efficaciúſque Carthagine Hiſpaniæ naſcitur. Caulem habet dodrantalem tenuémque: foliola quatuor aut quinque exilia, gingidii modo H ſerrata: habétque in ſummo capitula quinque aut ſex rotunda molliáque, in quibus fructus ciceris plenus eſt, qui guſtanti acrior eſt quàm ſatiui fructus. naſcitur in collibus.

Alterum quoque agreſte cuminum eſt, ſatiuo ſimile, quod è ſingulis floribus ſiliquas ſublimes emittit, quibus ſemen melanthio ſimile continetur.

Cyclaminus folia habet hederæ, varia, ſuprà infráque maculis albicantibus. Caulem quatuor digitorum longitudine profert, nudum, in quo flores roſarum figura ſunt purpuraſcentes. Radix nigra eſt, rapo ſimilis, modicè lata. radix ſecta reponitur, vt ſcilla: naſcitur vmbroſis, & præcipuè ſub arboribus.

Eſt etiam altera cyclaminus quam ciſſanthemon vocāt: folia habet hederæ ſimilia, ſed minora, cauléſque craſſos, geniculatos, & capreolorum modo vicinis arboribus ſe implicantes: flores albos, odoratos, fructum acini vuæ figura, hederæ ſimilem, mollem, guſtanti leniter acrem & glutinoſū. Radix eſt inutilis: aſperis locis prouenit.

Cyperus præſtantiſſima eſt, grauiſſima, denſa, plena, non fragilis, aſpera, odorata cum acrimonia quadam. Talis autem eſt quam Cilicia & Syria mittit, & à Cycladibus inſulis affertur.

Cyprus arbor eſt foliis circum virgas oleæ ſimilibus, ſed latioribus & viridioribus: flores habet candidos, racemoſos, odoratos, ſeménque nigrum ſambuco ſimile.

Conion, *id eſt cicuta*, inter lethalia numeratur, refrigerando enecans. Ei remedio eſt meri potio: ſuccus autem fit è ſumma coma, antequam ſemen ſicceſcat, cōtunditúrque atque exprimitur, & in ſole ſubigitur: eiúſque in medicina vſus eſt plurimus. eſt verò efficaciſſimus Creticus, Megaricus, & Atticus, & is denique qui in Cicilia conficitur.

Λ

Λαγὼς θαλάττιος, id eſt lepus marinus, paruæ loligini ſimilis eſt. iſque tritus & per ſe & cum marina vrtica illitus, pilos euellit.

Lathyris, totus frutex eſt ſucci plenus, quemadmodum tithymalus.

Lapathum, aliud oxylapathum vocant, quod in paludibus naſcitur, durum in cacumine & acutum: aliud ſatiuum eſt, non omnino ſimile priori: tertium eſt agreſte partium, quod eſt plantagini ſimile, molle, humile. Eſt etiam quartum genus quod alii oxalida, aut anaxyrida, aut lapathum agreſte vocant, habétque folia ſylueſtri & paruo lapatho ſimilia. Caulis non magnus eſt, fructus ſubacutus, rubens, acer, in caule & adnatis appēdicibus naſcens. Hippolapathum verò lapathum grande eſt, in paludibus exoriens, & eaſdem quas ſuprà dicta, vires habet.

Leontopetalon (ſunt qui leontopodion, qui pardalium, qui thorybethrum vocant) caulem vnius palmi emittit, qui alas multas habet, in quibus ſummis ſiliquæ ſunt ſimiles ciceri: in iis duo aut tria ſemina exigua: folia braſſicæ ſimilia: radix nigra, vt rapi, quæ tubercula quædam pugni inſtar habet. Naſcitur in aruis, & inter ſegetes.

Lepidium herbula nota omnibus eſt. Muria cum lacte adſeruatur.

Leucoion, *id eſt, uiola*, differt in floribus: nam vel luteo, vel candido, vel purpureo flore inuenitur. Luteus verò ad medicinæ vſum valde eſt accommodatus.

Libanos, *id eſt, thus*, naſcitur in Arabia, quæ thurifera nominatur. primas fert quod maſculum dicitur, indiuiduum, album, quum frangitur pingue, in ſuffitu ſtatim ardens. Indicum verò ſubfuluo & liuido colore eſt, fitque rotundum induſtria. ipſum enim in quadratas figuras diuidentes, & in fictilia coniicientes, in gyrum verſant, vſquedum in rotūdam formam ſe induat. ſed quod tale eſt, progreſſu temporis flaueſcit, idque ſyagrum appellant. ſecundum autem locum tenet orobium, quod minimum eſt, & maximè fuluum.

Eſt etiam aliud quod amomite dicitur, cādidum quidem, ſed quum molitur, lenteſcit vt maſtiche. Adulteratur thus omne pinea, reſina & gummi, quod dignoſci facile poteſt: nam gummi ſuffitum non emittit flammam, & reſina in fumum abit: at thus ardet, ſed dolum quoque odor indicat. Ei vis ineſt adſtringendi, calfaciendi, caliginem oculorum diſcutiendi, caua vlcera implendi, ad cicatricem perducendi, cruenta vulnera glutinandi, omnes ſanguinis eruptiones, atque adeò eas quæ ex membranis cerebri fluunt, cohibendi, ſedis ad reliquarū corporis partium maligna vlcera leniendi.

Crematur thus in puro fictili impoſitum, ſuccenſum grumo à lucerna accenſo, donec exuratur: poſtquàm verò totum incenſum fuerit, operiendum fictili eſt vſquedum extinctum ſit. ſic enim in cineres non redigitur. Torretur etiam in fictili nouo ad carbones ignitos, donec nullæ bullæ excitentur, nec pinguedo, nec vapor ex eo remittatur. facilè enim comminuitur quod eſt crematum. Cortex verò thuris omnibus præſtat is qui pinguis, odoratus, recens, læuis, non ſcaber, & membranis eſt vacans. Adulteratur admixto pini aut nucis eius cortice. huius rei index ignis eſt. cæteri enim cortices in ſuffitu non accenduntur, ſed fumo edito abſque vlla odoris ſuauitate euaneſcunt: at thuris cortex accenditur, & cum odoris fragrantia vaporem ex ſe mittit: hic etiam eodem modo quo thus vritur. Manna verò thuris probatur ea quæ alba eſt, pura, grumoſa: vim eandem habet quàm thus, ſed multò inualidiorem. Quidam eam adulterāt mixta reſina pinea, aut polline, aut tuſo thuris cortice: ſed ignis dolum arguit. neque enim æquè & pari motu adulterata vaporem aërium emittet, ſed fuliginoſum & impurum: præterea odoris ſuauitas alieno halitu permiſta ſentietur. Thuris verò fulginem ſic facito, Singulos thuris grumos forcipicula exceptos lucernis accendito, in nouam fictilem ollam concauam coniicito: tum æreo vaſe in medio perforato, & diligenter deterſo, obtegito: ex altera eius parte, aut vtrobique lapillos altitudine quaternûm digitorum ſubiicito, quo facilius queas perſpicere vtrum grumi exurantur: & vt locus ſit quo ſubiicere alios grumos integros ſemper poſſis, & antequā primus grumus penitus reſtinguatur, alium adiicito, donec fuliginis quod ſatis ſit, collectum fuiſſe videatur. Continuò tamen externas ærei vaſis partes ſpongia ex frigida aqua abſtergito: ſic enim aheno non magnopere calente fuligo omnis adhærebit, quæ alioqui per læuitatem cadens thuris cineri commiſcetur. Deraſa itaque prima fuligine cremati thuris cinerem per ſe excipito, & idem vſquedum volueris, facito: eodémque modo ex myrrha & ſtyrace fuliginem conficies: valet fuligo ad eadem. præterea verò ex aliis lacrymis fuliginem ſimiliter excipito.

Libanotis, fructum fert altera qui cachry dicitur, foliáque fœniculo habet ſimilia, ſed craſſiora, & in rotæ ſpeciem humi ſparſa, odorata: caulem cubiti altitudine, aut maiorem, cui multæ inſunt alæ, & in cacumine vmbellæ, in quibus fructus copioſus eſt, albus, ſpondylio ſimilis, circinatus, angulos habens, acer, reſinæ ſapore, & qui manſus guſtum incendit. radix prægrandis, quæ thus redolet. Altera verò, libanotis eſt ſuperiori in omnibus ſimilis: ſemen fert latum, nigrum, vt ſpondylium, odoratum, non feruidum. radix foris nigra, fracta verò, alba cernitur. Altera verò quæ fructum non fert, eſt in rebus omnibus ſimilis ſuperioribus, eáque nec caulem, nec florem, nec ſemen gignit. Naſcitur aſperis & ſaxoſis locis. In potionibus verò vtēdum eſt ſemine eius libanotidis quæ cachryn non fert, ſiquidem illud acre eſt, & arteriam exaſperat.

Libanotis verò quam roſmarinū Romani vocant, qua vtuntur ii qui coronas nectunt, tenues virgæ ſunt, in quibus prælonga inſunt folia, gracilia, intus alba, foris virentia, graui odore.

Liguſticum plurimum naſcitur apud Ligures. panaces incolæ non immeritò vocant: nam & radix heracleotico panaci ſimilis eſt, & ipſum viribus eiſdem eſt præditum. Semen nigrum, durum, oblongum, ad fœniculi ſimilitudinem, guſtanti acre: radix candida, odorata. Miſcetur autem vtiliter oxyporis (*hoc eſt, citò tranſeuntibus*) medicamentis, & iis quæ concoctionem adiuuant. ori valde gratum eſt: quocirca pro pipere eo vtuntur incolæ ad obſonia conficienda. adulteratur ſemine quodam conſimili, ſed guſtu diſcernitur: amariſſimum enim eſt. Nonnulli verò fœniculi aut ſeſeleos ſemen addentes, adulterinum faciunt.

Lithoſpermon (quod ægonichon, aut æetonychon, aut dioſpyron, aut heracleam ob ſeminis duritiam vocant) folia habet oliuæ ſimilia, longiora tamen, & in imo per

terram ſtrata: ramulos tenues, rectos, craſſitudine acu- A
ti iunci, firmos,ſucci plenos,in quibus ſummis bifidi ex-
ortus caulicorum ſpeciem præbent, foliis exiguis, inter
quæ ſemen rotundum,lapideum,album, paruo eruo ſimi
le: aſperis & excelſis locis naſcitur.

Limoniũ(quod neruodes alii vocant) foliis eſt betæ
ſimilibus, ſed tenuioribus,& lõgioribus,ac numeroſiori-
bus:caule tenui,recto,vt lilium,rubro ſemine referto,gu-
ſtúmque adſtringente. naſcitur in pratis & paluſtibus lo-
cis.

Linozoſtis,*id eſt mercurialis*,herba,quæ fœmina eſt,fru B
ctũ fert racemoſum,,& multum: maſcula verò iuxta folia
exiguum,rotundum, ceu binos teſticulos vnà cohæren-
tes.totus frutex exiguus dodrantalis eſt,& maior.

Lichen in petris naſcens eſt muſcus petris rore con-
ſperſis adhærens.

Lonchitis folia habet porri latioris,ſed latiora,ſubru
bra,plurima,ad radicem circunfracta, vt ad terram pro-
cumbentia:pauca etiam habet in caule, in quo flores ſunt
pileolis ſimiles,more comicarum perſonarum hiantes,ni
gri,candidum tamen quiddam hiatu oris veluti lingulã C
ad labrum inferius exerentes.ſemen eſt lanceæ ſimile, tri
quetrum,in inuolucro clauſum.radix dauco ſimilis: aſpe-
ris,ſqualidiſque locis exoritur.

Lonchitis verò altera aſpera folia profert ſcolopen-
dræ ſimilia, aſperiora tamen maioráque,& magis diuiſa.

Lycium arbor eſt ſpinoſa, virgas trium cubitorum,
& maiores proferens,in quibus folia inſunt denſa, buxo
ſimilia. fructum fert piperis, nigrum, amarum, læuem.
cortex ei eſt pallidus, diluto lycio ſimilis: radices latæ,
lignoſæ. plurimum in Cappadocia & Lycia naſcitur,itém D
que in aliis pleriſque locis.aſperum amat ſolum.ſuccus ex
eo exprimitur tuſis vnà cum frutice radicibus,& poſtquã
aliquot dies in aqua maduerint,decoctis:tum exempto li
gno,iterum eo qui ſupereſt liquore ad mellis conſiſtentiã
decocto.adulteratur amurca inter coquendum admiſta,
aut abſinthii ſucco,aut felle bubulo.Spuma autẽ coquen-
do innatans aufertur, & ad medicamenta oculorum ad-
ſeruatur:reliquo ad alia vtitor. Succus quoque ex ſemine
expreſſo & in ſole ſiccato conficitur. Lycium optimum
eſt quod igni accenditur,& reſtinctum ſpumam rubentẽ E
habet,foris nigrum: quum frãgitur,fuluum,nõ viroſum,
adſtringens cum amarore,colore croceo:quale eſt Indicũ
quod præſtat cæteris,& eſt efficacius.

Lyſimachia caules cubitales, & maiores tenuéſque,
fruticoſóſque fert:in quorum geniculis folia ſalici ſimi-
lia exoriuntur,quæ guſtu adſtringente ſunt. flos rufus eſt,
aut aureus.naſcitur paluſtribus & aquoſis locis.

Lychnis coronaria flos eſt,albæ violæ ſimilis,purpu
raſcens,qui ad coronamenta adhibetur.

Lychnis agreſtis in omnibus eſt ſatiuæ ſimilis. eius F
ſeminis binæ drachmæ potui datæ bilem per aluum edu-
cunt.

Lotus agreſtis in Libya naſcitur caule duorum cubi-
torum,atque etiam maiore, qui alas multas habeat: folia
verò trifolio in pratis naſcenti ſimilia: ſemen fœnogræ-
co ſimile,ſed multo minus fert:guſtúque medicato.

M

G

Macer cortex eſt ſubflauus, craſſus, guſtu valde ad-
ſtringens,qui ex Barbaria aduehitur.

Malabathri folium laudatur quod recens eſt, & cũ
nigrore quodam candicat,non fragile,integrum, odore
caput feriens,& odoris bonitate diutius permanens, nar-
dum ſapore imitans,guſtu non ſalſo: quod verò infirmũ,
minutim contuſum,& carioſum halitum affert, vitioſum
eſt.eãdem vim habet quam nardum: ſed illud ad omnia
eſt efficacius.malabathri tamen vis ad vrinam ciendam
eſt maior, & ſtomacho magis congruit. H

Mandragora,alter mas,alter fœmina:ac fœmina qui
dem mandragora niger eſt, qui tridacias dicitur, foliis
anguſtioribus ac minoribus quàm lactucæ,viroſis,graueo
lentibus,in terram ſparſis:inter quæ poma ſunt ſorbis aut
achradibus ſimilia,odorata:in quibus fructus eſt,vt pyri.

A radices prægrandes binæ aut terniæ inter ſe conuolutæ,ni
gra ſuperficie,intus albæ,craſſo cortice: caulem non ha-
bet.mas verò folia habet alba,lata, admodum magna, vt
betæ.poma duplo maiora,crocei coloris,odorata cũ gra-
uitate quadam,quibus etiam paſtores veſcuntur, & ſopo-
re quodammodo corripiuntur. radix eſt alterius radici ſi-
milis, ſed maior & candidior. Eſt hic quoque caulis ex-
pers: ſuccus colligitur ex cortice radicis viridi contuſó-
que,& prælo ſubiecto, qui in ſole verſatus denſatur, & in
fictili reponitur: ſuccus quoque è pomis ſimiliter expri-
B mitur:ſed ignauus eſt is qui è pomis collectus fuerit. Cor-
tex itidem à radice detractus ligno traiicitur,& ſuſpenſus
adſeruatur. Nonnulli radices ex vino ad tertias deco-
quunt, & defæcatum ſeruant: & cyathi vnius menſura ad
magnos dolores, vigilias, & vbi ſine ſenſu doloris ſecare
aut vrere velint,vtuntur.Iam liquor ex radice profundius
excauata,in orbem punctis aperta, emanat, defluente in
eam cauitatem liquore,atque ibidem collecto: ſuccus ve-
rò eſt liquore efficacior:ſed radices non vbique liquorem
ferunt.

C Marathron, *hoc eſt, fœniculum*, agreſte, magnum, quod
hippomarathrum vocant, ſemen cachry ſimile fert,radix
ei ſubeſt odorata. Quinetiam aliud hippomarathrum vo-
catur quod folia habet exigua,anguſta,oblonga:fructum
rotundum ad coriãdri ſimilitudinem,acrem, odoratum,
& calfaciendi vi præditum. Viribus autem prædicto re-
ſpondet,ſed tamen agit imbecillius.

Marum herba eſt ſurculoſa, origani flori ſimilis: eius
tamen folia multo candidiora ſunt,& flos odoratus,plu-
rimum verò ad Magneſiam & Tralles naſcitur.

D Mancoron genus quoddam mellis eſt cõcreti, quod
in India & Arabia felici in harundinibus inuenitur, ſa-
lis conſiſtentia,& quod dentibus ſubiectum ita vt ſal con-
fringitur.

Melilotos præſtantiſſimus eſt Atticus,quíque in Cy-
zico naſcitur, & Carthagine, croci colore,& odoratus.O-
ritur etiam in Campania prope Nolam colore luteo,odo
re infirmo.

Meliſſophyllon herba eſt qua apes delectantur.eius
folia cedri odorem exhalant.

E Meſpilum arbor ſpinoſa eſt, fructum exiguum,po-
mo ſimilem,iucundum ferens,habétque tria oſſicula:ad-
ſtringit,& in cibo ſumptus idoneus ſtomacho eſt.ſed a-
luum ſupprimit.

Medion herba naſcitur vmbroſis ſaxoſiſque locis,fo
liis ſeridi ſimilibus,caule trium cubitorum, floribus pur-
pureis,magnis,orbiculatis:fructu paruo,cnico ſimili:radi
ce dodrantali,quæ baculi craſſitudinem habet,acerbique
ſaporis eſt.

Mecon rhœas, *id eſt, papauer erraticum*, ita nomina-
F tum eſt quia eius flos celeriter decidat. naſcitur in aruis
verno tempore,quo etiam colligitur: folia habet origano
ſimilia,aut cichorio,aut thymo, diuiſa, longiora: caulem
iunci figura, rectum, craſſum, ad cubiti altitudinem:flo-
rem puniceum,quandóque candidum,anemonæ flori ſi-
milem:fructum rufum:radicem oblongam, ſubalbam,&
parui digiti craſſitudinem habentem. Papauer autem par
uum alterum ſatiuum eſt & hortenſe, cuius ſemen pani
inditur ad tuendæ valetudinis vſum,& cum melle pro ſe-
G ſamo eodem vtuntur: thylacitem vocant, oblogum ha-
bens capitulum, ſemen album. Alterum verò agreſte eſt,
capite demiſſo,nigro ſemine, quod etiam pithite nomi-
natur: ídque ab aliquib⁹ rhœas papauer vocatur, propter-
ea quòd ex eo liquor defluat. Eſt tertium genus his agre-
ſtius,& magis medicatum,& longius,oblõgo capite: pro-
batiſſimus autem liquor eſt denſus,ponderoſus,odore ſo-
poriferus,guſtu amarus,qui facilè aqua diluitur, læuis, al-
bus,non aſper, neque grumoſus, quique inter colandum
non coeat veluti cera, & in ſole diffunditur, & ad lucer-
H nam non atra flamma ardet:quique vbi reſtinctus ſit,odo
ris vim conſeruat. Hunc adulterant miſcendo glaucium,
aut gummi,aut agreſtis lactucæ ſuccum: quique glaucio
indito adulteratur,in dilutione croci colorem reddit: qui
ex lactucæ agreſtis ſucco, infirmo odore eſt, & aſperior:
qui ex gummi, ignauus & pellucidus. Quidam verò [illegible]

ſunt abſurdi, vt terra etiam ei indant. torretur ad oculorum medicinas, in fictili nouo, donec mollis & fuluus videatur. non erit fortaſſe alienum deſcribere quonam pacto liquor colligatur. Aliqui igitur capita & folia contundunt, ac prælo exprimunt: tum in mortario terunt, & in paſtillos redigunt: idque meconium nominatur; poteſtate multo ignauius quàm liquor ſit. In liquore autem colligendo oportet quum ros exaruerit cultello aſteriſco circundante, ne ad interiora deſcēdat, ex obliquo in rectum ſummam capitum ſuperficiem incidere, & lacrymam exeuntem in cōchulam digito detergere, & non ita multo pòſt redire, ſiquidem concreta inuenietur: atque etiam ſequenti die ſimili modo comperietur: quæ in pila teri debet, & in paſtillos conformari, ac reponi: quum tamen inciditur, retrocedendum eſt, ne liquor à veſtibus deteratur.

Mecon ceratitis, *id eſt cornutum papauer*, (quod aliqui paralium, aliqui agreſte vocant) folia habet candida, hirſuta, verbaſco ſimilia, in ambitu ſerrata, vt papaueris agreſtis folia, caulémque ſimilem, florem palidum: fructum paruum, inflexum, fœnigræci corniculis ſimilem: ſemen exiguum, papaueris ſemini conſimile: radicem, cuius extrema pars nigra craſſáque. naſcitur maritimis & aſperis locis. Quidam errore ducti glaucium ex hoc papauere propter foliorum ſimilitudinem fieri putauerunt.

Mecon aphrodes, *id eſt, ſpumeum papauer*, (à nonnullis heraclea nominatur) caulē dodrātalem habet, foliúmque admodum paruum, ſtruthio ſimile. In eo fructum fert album: totáque herba ipſa alba eſt & ſpumea: radice nititur plerunque tenui: huius fructus colligitur æſtate, quum perfectè adoleuit, & ſiccatum reponitur.

Meum Athamanticum naſcitur plurimum in Macedonia, caule & foliis anetho ſimilib⁹, bicubiti plerunq; altitudine, radicibus in partes diſtractis, tenuibus, obliquis, & rectis, longis, odoratis, linguam calfacientibus. Medullarum præſtantiſſima eſt ceruina, deinde vitulina, tum taurina, poſtea caprilla, denique ouilla. cōcreſcit medulla ſub finem ætatis autumno appropinquante: reliquis verò temporibus concrementum ſanguinis, & veluti caro friabilis in oſſibus inuenitur. nec cognoſci facilè poteſt, niſi quis eam ex oſſibus extrahat atque recondat. Curatur medulla recens aquæ aſperſione mollita ex ſelectis oſſibus, & per linteum excolata, & ſimiliter elota donec pura aqua defluat, tum in duplici vaſe liquata, ſordibus ſupernatātibus penna exceptis, & in pilam percolata: vbi compacta fuerit, in nouo fictili vaſe reponitur, omni fæce quæ ſubſidit diligenter deraſa. Si verò libet non curatam reponere, facito omnia quæ in anſerum & gallinarum adipe fiunt.

Mycetæ, *hoc eſt, fungi*, qui perniciosi ſunt, multis de cauſis fiunt: nam vel apud clauos rubigine obſitos, aut veſtes putres, aut ſerpentum latibula, aut arbores ſua proprietate noxias oriuntur. Continent qui tales ſunt, concretum ſupra ſe lentorem quendam, & è terra eruti, ſi ita ſinantur, celerrimè putres redditi corrūpuntur. at qui eſculēti ſunt, iuſculum faciunt: ſed ipſi quoque liberalius ſumpti nocent, quum difficulter in ſtomacho coquantur, aut ſtrangulent, aut choleram afferant. Omnibus ſuccurritur potione olei aut nitri, aut lixiuii cum acida muria, aut decocto ſatureiæ, aut origani, aut ſtercore gallinaceo cum aceto epoto, aut cum melle copioſo delincto.

Myos ota, *id eſt, auricula muris*, multos ab vna radice caules mittit, ſubrubros, ab imo concauos: folia anguſta, oblonga, dorſo elato, nigricantia: per interualla deinceps geminata, & in acutius deſinentia. Exoriuntur etiam ex alis tenues cauliculi, in quibus floſculi cærulei, vt anagallidis ſunt, radices craſſitudinis digitorum, multas habent progerminationes. ad ſummam, eſt herba hæc ſcolopendræ ſimilis, tenuior tamen & minor. Huius radix illita ægilopas ſanat. ſunt etiam qui helxinem auriculam muris appellent.

Myrica arbor eſt quæ prope paludes & ſtagna naſcitur, fructum veluti florem ferens, conſiſtentia muſcoſum. Satiua autem in Ægypto & Syria prouenit, ſed in cæteris eſt agreſti ſimilis. fructum verò edit gallæ ſimilem, inæqualem, guſtum adſtringentem, qui vice gallæ oris medicamentis adhibetur.

Myriophyllon, *hoc eſt, millefolium*, caulis eſt tener, vniúſque radicis, circa quam multa folia læuia, fœniculo ſimilia, vnde nomen traxit, conſpiciuntur. Caulis ipſe eſt fulueſcens, prædenſus, ac veluti deinduſtria expolitus. naſcitur verò paluſtribus locis.

Myrtus ſatiua medicinæ accommodatior eſt nigra quàm candida, & in hoc genere, potius montana, & tamen fructum imbecilliorem fert.

Myrtidanum verò quod vocant, inæqualis exortus eſt, tumenſque, & myrto concolor. trūcum eius quaſi manu complectens: ſed maior in eo quàm in myrto adſtringendi vis ineſt. Tuſus addito vino auſtero reponitur, & in paſtillos redactus, in vmbra ſiccatur: éſtque & cortice & fructu efficacior.

Myrtus agreſtis, aut oxymyrſine, cuius aſparagus nuper in lucem editus eſtur, vrinámque ciet: fructum orbiculatum, rubrum dum matureſcit, & interiorem partem oſſeam habentem profert.

Myrrhis (quam myrrham aliqui vocant) & caule & foliis cicutæ ſimilis eſt. radice nititur tenera, oblonga, orbiculata, odorata, ad mandendum ſuaui.

Moly folia gramini ſimilia, latiora tamen, humíque ſparſa habet, florem albæ violæ ſimilem, lacteo colore, minorem tamen, & ad violæ ſimilitudinem accedentem: caulem fert tenuem, quatuor cubitorum, in cuius ſummo quidam allio ſimile eſt. radix ei parua bulloſáque ſubeſt.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM liber duodecimus.

Ex Dioſcoride, de ſimpliciũ medicamentorum facultate atque apparatu, ab N litera vſque ad Ω.

N

NArdi ſunt duo genera: alterùm Indicum, Syriacum alterũ nominatur, non quòd in Syria naſcatur, ſed quòd montis in quo oritur, vna pars ad Syrios, B altera ad Indos vergit. Cæterùm in Syriaci genere præſtantius eſt recens, læue, multam comam habens, flauo colore, admodum odoratum, cyperum odore referens, breui ſpica, guſtu amaro, & linguam exiccante, & multo tempore in odoris iucunditate perdurante. Indicum verò alterum Gangitin vocant, à flumine quodam Gange quod præterfluit deducto nomine, iuxta quod nardum exoritur. Eius autem vis eſt propter aquoſos tractus imbecillior, ipſúmque eſt oblongius: & ab vnica eius radice numeroſæ ſpicæ, eæque ad- C modum crinitæ, & implicitæ, ac viroſi odoris exoriuntur. Quod verò altius in monte naſcitur, odoratius, curta ſpica, cyperum ſuauitate redolens, aliáque habens omnia quæ Syriaco ineſſe dicta ſunt. Vocatur etiam aliud quoddam ſamphariticum à regione in qua naſcitur, éſtque magna ſpica, cãdidiore caule, quem medium ex ſe interdum mittit, hircorum odorem vehementer exhalantem: quod genus eſt reiiciendum. Venditur etiam nardum madefactũ, quod ex eo cognoſcitur quòd alba, ſqualida, & ſine ſua lanugine ſpica ſit. Adulteratur ſtibio cũ aqua, aut palmeo D vino, vt dẽſetur, & põderoſior fiat, inſpirato. Vbi vti velimus, auferendum eſt ab radicibus lutum, ſi ſit, & cribro excutiendus eſt puluis, qui ad manus eluendas accommodatus eſt. Reconditur autem ad oculorum medicinas in fictili nouo non picato tritum, & ex vino in paſtillos redactum.

Nardum verò Celticum in alpibus apud Ligures naſcitur, idque ab incolis Gallicum nominatur. Naſcitur etiam in Iſtria, éſtque exiguus frutex breuiſque, qui cum radice vellitur, & in faſciculos manipulóſque ligatur, & cõ- E ponitur: folia habet oblonga, ſubflaua: florem luteum. Caulibus tantùm radicibúſque vtimur, hique ſoli odoris bonitate ſunt præditi. quamobrem faſciculi pridie aqua ſpargendi ſunt, & ſiquid terreni inhæſerit, abiiciendum: humido pauimento ſubiecta prius charta ſternendi ſunt, ſequenti die purgandi, ſiquidem quod vtile eſt, ab aceroſo & alieno propter vim humoris non excutietur. Adulteratur impoſita eidem herba perſimili, quam ob viroſum odorem, hircum vocant: ſed facilè dignoſcitur, quoniam ea herba caulis expers eſt, atque candidior, & minus ob- F longa habet folia: quin ne radicem quidem amaram & aromaticam habet, vt nardi radix eſt. Itaq; cauliculos & radices, abiectis foliis, ad vſum reponito, ſique ſeruare volueris, trita vino excipito, in paſtillos conformato, fictili nouo diligenter operto recondito. Laudatiſſimum verò Celticum nardum eſt, quod recens eſt odoratúmque, ac multis radicibus præditum, non fragile, plenum.

Nardum montanum in Cilicia naſcitur. eius caules & folia eryngio ſimilia ſunt, minora tamen, & non aſpera, & aculeata. radices illi ſunt nigræ, odoratæ, binæ, G aut etiam plures, vt aſphodeli: ſed multo graciliores, candidiores, & minores. nec caulem, nec fructum, nec florem profert. radix ad eadem ad quæ Celticum nardum facit.

Narciſſus habet folia porro ſimilia, ſed tenuia, & multo minora: cauliculum paruum, inanem, foliis vacantem, dodrante maiorem, in quo flos albus eſt, interius croceus, & in quibuſdam purpureus. Radix ei eſt alba, rotunda, ad bulbi formam: fructus veluti in membrana niger, prælõgus. Naſcitur præſtantiſſimus in montanis locis, odora- A túſque. at qui in pratis & arenoſis oritur, porrum ſapit & herbaceum halitum ex ſe mittit.

Naſcaphthon (quod narcaphthon aliqui vocant) ex India affertur. corticis formam gerit, libro ſycamini ſimilem. Ad ſuffitus adhibetur propter ſuauem odorem quem ex ſe mitit.

Nymphæa in paludibus & ſtagnis naſcitur: folia habet ciborio ſimilia, minora tamen, & oblongiora quodammodo, aquam excedentia: aliqua etiam in aqua de- B merſa, multáque ex vna radice prodeuntia. flos albus eſt, lilio ſimilis, eius media pars crocea eſt. quũ defloruit, in rotundam formam redigitur, ad pomi aut capitis papaueris ſimilitudinem. Colore nigro fit, in quo fructus latus, dẽſus, guſtanti glutinoſus includitur: caulis non læuis, craſſus, niger, ciborii cauli ſimilis: radix nigra, craſſa, clauæ ſimilis, quæ autũno præciditur. Plurima in Cilicia in Anigro flumine, & in Haliarto Bœotiæ. Naſcitur & alia nymphæa antedictæ ſimilibus foliis, attamen alba radice & aſpera, flore luteo, & modo roſæ ſplendente. Oritur hæc in C Theſſalia ad flumen Peneum.

Ξ

Xanthium (quod phaſganon aliqui vocant) in pinguibus locis & paludibus naſcitur. caulem pinguem habet anguloſúmque: in eóque alarum caua permulta ſunt. atriplici ſimilia ſunt folia, ſectiones habentia, odore naſturtii: fructum rotũdum fert, vt oliua magna: aculeatum, vt platani pilulæ, & veſtibus contactu inhærentem.

D Xyris (quam aliqui agreſtẽ iridem appellãt, Romani gladiolũ vocant) folium gerit iridi ſimile, ſed latius, & in ſummo acutum. è mediis foliis caulis prodit cubitalis, valde craſſus, in quo ſiliquæ ſunt triquetræ, & in eis flos purpureus, idque quod in medio eſt, puniceum. fructus in folliculis eruo ſimilis, rotũdus, magnus, acer: radixque geniculoſa, longa, rufa.

Xyphion (quod phaſganon, *id eſt enſem*, propter figuram foliorum nominant) iridi ſimile eſt, ſed breuius, atque anguſtius, & cultelli modo in mucronem deſinens, fi- E broſum. caulem emittit cubitalem, ſucci plenum, in quo purpurei flores in ordinẽ digeſti, inter ſe diſtant. fructum edit rotundum. radices duas profert, alteram ſub altera conſidentem, exiguorum bulborum figura, quarum inferior eſt gracilis, ſuperna vberior. potiſſimum verò in aruis naſcitur.

O

Œnanthe folia habet paſtinacæ, florem candidum, F caulem craſſum, dodrantalem, fructum atriplicis, radicem magnam, multis rotundis capitibus abundantem. naſcitur in petris.

Œnanthe etiam agreſtis vuæ fructus nominatur. quum floret, recondi debet fictili non picato: collectáque ſubſtrato linteo in vmbra ſiccanda.

Omphacium eſt acerbæ vuæ (vt Thaſiæ, aut Aminææ) nondum matureſcentis ſuccus, qui ante Canis exortum exprimendus eſt: expreſſúſque in æreo rutilo vaſe linteo operto vſquedum cogatur inſolandus. Oportet au- G tem ſemper quicquid concretum ſit, liquido permiſcere, & cauere ne per noctẽ ſub dio maneat: ſiquidem ros concretionem impediet. Eligito flauum omphacium, friabile, perquam adſtringens mordénſque linguam. quidam etiam coquendo ſuccum condenſant.

Onagra frutex eſt arboris inſtar, prægrandis, amygdalino folio, ſed latiore, lilio non diſſimili: flore roſaceo magno, radice candida, longa, quæ ſiccata vini odorem refert. montanis locis naſcitur.

Onobrychis folia habet lenti ſimilia, paulo tamen longiora, caulem dodrantalem, florem puniceum, radi-

cem paruam.naſcitur humidis & incultis locis.

Onix, *hoc eſt unguis*, conchylii tegumentum eſt, ei ſimile quo tegitur purpura: quod in India in lacubus nardum ferentibus inuenitur. quod ideo ſuauem odorem ſpirat quòd conchylia inibi nardo veſcantur. Præſtantiſſimus onyx eſt qui è rubro mari affertur, albicans, pinguiſque: nam qui Babylone aduehitur, niger eſt & minor. vterque in ſuffitu odoratus, ſed caſtoreum quodammodo olet.

Oxyacantha, *hoc eſt acuta ſpina*, arbor eſt pyraſtris ſimilis, ſed minor, & valde ſpinoſa. fructum fert myrti baccis ſimilem, plenum, rubrum, fragilem, & inter nucleum: radicem habet multifidam, altè deſcendentem.

Oreoſelinum, *id eſt apium montanum*, caulis dodrantalis eſt, ex tenui radice prodiens, circa quem ramuli & capitula ſunt cicutæ ſimilia, multo tamen tenuiora: in quibus fructus eſt prælongus, acer, odoratus, cumino ſimilis. montanis verò locis prouenit.

Oreſtia herba eſt parua, tribus aut quatuor digitis terram excedens, foliis & viticulis coronopidi aut gramini ſimilibus, adſtringentibus: radice prætenui, vt capillus eſt, alba, vinoſa, quatuor digitorum longitudine. naſcitur in collibus.

Origanum Heracleoticum (quod Conilam vocant) folium hyſſopi habet, vmbellam verò non in rotæ ſpeciē, ſed veluti multifidam: ſeménque in ſummis virgis non denſum.

Quod verò onitin appellant, folia habet candidiora, & hyſſopo magis ſimilia: ſeménque fert veluti coniunctos corymbos. vim Heracleotici habet, ſed non ita efficax eſt.

Sylueſtre autem origanum (quod alii panaces Heracleum, alii conilam nominant) folia origani, virgulta dodrantalia, tenuia, in quibus vmbellæ ſunt anetho ſimiles. radix exilis eſt atque inutilis.

Orminum herba eſt foliis marrubio ſimilibus, caule ſemicubitali, quadrato, circa quem eminentiæ ſiliquis ſimiles prodeunt, quæ ad radicem ſpectant, in quibus diuerſum ineſt ſemen: nam in ſylueſtri rotundum & fuſcum inuenitur: in alio verò oblongum nigrúmque, quo vtimur.

Ὀρόβινον ἄλευρον (*id eſt erui farinam*) ſic cōficito: Vberiora candidáque grana deligito, permiſcendóque aqua perſpergito, donec quod ſatis ſit combibant, deinde torreto vſquedum cortex rumpatur: tum mola trita cribro tenui traiecta farina reponatur.

Ὄρχις, *id eſt teſticulus* (quem cynoſorchin, *hoc eſt teſticulum canis*, vocant) folia habet circa caulem & imam eius partem humi ſtrata, oleæ molli ſimilia, anguſtiora tamen & longiora: cauliculis longitudine dodrantis, in quibus purpurei ſunt flores: radicem bulboſam, oblongam, duplicem, anguſtam, vt oliuæ, ſuperius alteram, & alteram inferius. alterámque plenam, alteram mollem, ac rugoſam.

Alius teſticulus eſt quem ſerapiadem aliqui vocant. is folia habet porri, oblonga, ſed latiora, & craſſa: caulem dodrantalem, flores ſubrufos purpureóſque: radix teſticulis ſimilis ſubeſt.

Orchis, *id eſt teſticulus caſtoris*. Eligito ſemper huius animalis teſticulos qui ex vno principio connexi ſunt, (non poſſunt enim duo folliculi in vna membrana coniuncti reperiri) & qui liquorem intus ceroſum habent, odore graui & viroſo, guſtu acri, mordente ac friabili: & qui naturalibus membranis vndique interſepti ſunt. Adulterant caſtoreum nonnulli, ammoniacum aut gummi cum eiuſdem animalis ſanguine, aut caſtoreo ipſo ſubactum in folliculos inſtillantes, & exiccantes. Falſò aiunt hoc animal, quum à venatoribus vrgetur, auellere ſibi teſtes, atque abiicere, quum ne eos tangere quidem poſſit: ſunt enim parum exerti, vt in ſue. Oportet autem diuiſa pelle, melleum liquorem cum ambiente membrana aſſumere, & ita ſiccatum reponere.

Oſyris exiguus frutex eſt, niger, tenuis, virgulam fractu difficilem habens, & in ea foliola, vt lini, in initio nigra, quæ deinde mutato colore rubeſcentia fiunt.

P

Panaces (quidam herculeum vocant) ex hoc opopanax colligitur, plurimúmque in Bœotia & Phocide Arcadiæ naſcitur, & inibi ob quæſtum quem ex liquore faciūt, ſtudioſè colitur. foliis eſt aſperis, in terra iacentibus, viridibus, ad ficulna multum accedentibus, in ambitu quinquepartita diuiſione partitis. caulem, vt ferulam, fert altiſſimum, alba lanugine præditum, folia circa ipſum minora, vmbellámque in ſummo, vt anethum, habentem, florem verò luteum, ſemen odoratum & feruidum: radices multas, ab vno principio exorientes, albas, graui odore, craſſo cortice, ſubamaro guſtu. Naſcitur idem in Cyrene Libyæ & Macedonia. Colligitur liquor ſecta radice cauliculis nuper pullulantibus. album autem liquorem ex ſe mittit, qui ſiccatus crocei coloris habet extremitatem. Excipiunt etiam liquorē effluentem foliis excauato ſolo ſubſtratis, eáque ſiccata tolluntur. Ex caule quoque per meſſem ſecto, liquorem eodem modo excipiunt. Ex radicibus verò præſtantiores ſunt albæ, diſtentæ, quæ cariem non ſenſerint, guſtu feruidæ, & aromaticæ. Fructus ex media ferula prodiens cibo idoneus eſt: qui verò ex agnatis oritur, minus nutrit. Liquor verò laudatiſſimus eſt qui amariſſimus eſt, intus albus, foris croceus, læuis, pinguis, friabilis, citò liqueſcens, grauis odoris. nam niger & mollis, vitioſus eſt. Adulteratur ammoniaco & cera. Probatur digitis in aqua confricatus. qui enim vitio caret, reſoluitur, & lactei fit coloris.

Panaces Aſclepium & Chironium caulem tenuem è terra emittit, geniculis interſeptum, cubitalem, circa quē folia fœniculo ſimilia funduntur: ſunt tamen maiora, hiſpidioráque, & graueolentia. Suprà verò vmbella eſt, in qua flores aurei coloris ſunt, acres, odorati: radix exigua tenuiſque. Sunt etiam qui ſylueſtre origanum panaces vocent, alii verò conilam. de quibus quum de origano ageretur dictum eſt.

Panaces verò Chironium præcipuè naſcitur in monte Pelio, foliis amaraco ſimilibus, flore aureo, radice tenui, non profunda. herba ipſa guſtu acri eſt.

Pancration (quod aliqui etiam ſcillam vocant) radix eſt magno bulbo ſimilis, ſubrufa, amara, feruida ad guſtum: folia lilii habet, ſed longiora.

Parthenium (quod aliqui amaracum, aliqui leucanthemon appellant) folia coriandri habet, flores per ambitum albos, in medio luteos, odore ſubuiroſo, & ſapore amareſcente.

Paronychia exiguus frutex eſt, naſcitúrque in petris, peplo ſimilis, longitudine minor, foliis maior.

Piper fructum fert in principio prælongum, veluti ſiliquas, quod longum piper eſt, habétque intus aliquid tenui milio ſimile: quod abſolutum, piper euadit. id autem ſuis temporibus dehiſcens, racemos ex ſe mittit, grana quæ videmus ferentes: & alia acerba quæ albi piperis nomen habent, quod oculorum medicinis, antidotíſque accommodatiſſimum eſt. Nigrū verò eſt ſuauius & acrius albo. atque album quidem quòd acerbum ſit, cæteris imbecillius eſt. Eligito piper quod ponderoſius ſit, plenum, nigrum, non valde rugoſum, recens, non furfuraceum. In nigri verò genere inuenitur etiam quod defectum, inane, leuéque ſit, quod braſma (*quaſi abortus*) vocatur. In fictili nouo ad carbones torretur continuè mouendo. Eius radix non eſt zingiber, vt quidam ſunt rati. coſto autem eſt ſimilis, & guſtum excalfacit.

Peplus (ſunt qui ſycen, qui ſpumeum papauer nominent) frutex eſt exiguus, albi liquoris plenus, folio paruo rutæ ſimili, ſed latiore. tota verò coma fere dodrantalis eſt, in orbem circumacta, in terra iacens. ſub foliis minutus fructus rotundúſque eſt. radix vnica, inutilis. in hortis naſcitur & vinetis. colligitur par meſſem. in vmbra ſiccatur, & continuò verſatur. fructus tuſus & feruefactus reconditur.

Peplis verò (quam ſylueſtrem portulacam vocant, Hippocratéſque ipſe peplion nominat) in maritimis maximè naſcitur locis. frutex frōdoſus, liquoris cādidi plenus, folio ſatiuæ portulacæ, ſed in orbē acto, & in parte inferiore rubeſcēte. Fruct⁹ rotūdus foliis ſubeſt, vt in peplo: fer-

uido guſtu. radix tenuis,inutilis. colligitur, reponitur, & ſale conditur,& datur vt peplus,eadem vi prædita.

Periclymenon (quod alii ſplenion, alii etiam clymenōn ipſum vocant) frutex paruus eſt,ſimplex, caule quadradrato,& per interualla foliolis circundato albicantibus,hederæ figura.inter folia ſurculi exeūt, in quibus fructus eſt hederæ ſimilis,qui quaſi in folium procumbit,durus,qui difficulter auellitur: radix longa. Oritur in aruis & ſepibus,ſeſe fruticibus adſtantibus inuolens.

Periſtereon,aquoſis locis naſcitur. videtur autem inde nomen traxiſſe quòd περιστεραὶ, *id eſt columbæ*,in eo libenter verſentur.herba eſt dodrantis habens altitudinem,aut etiam maiorem. folia ex caule prodeunt inciſa & ſubalbida : eáque plerunque ex vnico ramo, vnicáque radice conſtare comperitur.

Perſea arbor eſt in Ægypto proueniens.

Petaſitis,pediculus eſt cubito maior, pollicis craſſitudine : in quo petaſi figura folium eſt,grande,ad fungi ſimilitudinem impoſitum.

Peucedanum,caulem gracilem emittit, fœniculo ſimilem : comam habet copioſam, & denſam, florem luteum,nigram radicem, graueolentem, vberem , liquoris plenam. in montibus vmbroſis naſcitur. Liquor excipitur è radice tenera cultello conciſa : & quod defluit, ſtatim in vmbra reponitur.gignit verò,dum colligitur , capitis dolorem,& vertiginem : niſi quis nares roſaceo inungat,& caput perfundat. Vbi detractus liquor eſt, radix ad nullam rem eſt vtilis.ſed ex caulibus quoque liquor ſuccúſque colligitur,vt ex mandragora, ſuccúſque minus efficax eſt quàm liquor,& citius euaneſcit.Quandoque autem concreta lacryma inuenitur thuri ſimilis caulibus, radicique peucedani inhærens.Liquor laudatiſſimus eſt is qui in Sardinia & Samothracia conficitur, odore graui, fulueſcente,& guſtu feruido.

Peganon,*id eſt ruta*,acrior eſt montana quàm ſatiua, & ineptior. ex hortenſi verò ruta ea quæ prope ficus naſcitur,eſt ad veſcendum accommodatior.

Peganon verò agreſte (quod moly quidam vocant) in Cappadocia & Galatia Aſiæ natum, frutex eſt,plures ab vna radice virgas proferens, foliáque multo longiora quàm alia ruta,itémque magis tenera,& graui odore: florem album. in cacumine capitula habet paulo maiora quàm ruta ſatiua , quæ maximè ex tribus partibus conſtant.in iis ſemen eſt ſubfuluum,triquetrum,valde amarum guſtantibus,cuius eſt vſus. Autumno matureſcit ſemen, quod nonnulli harmala vocant, Syri verò beſaſa, Cappadoces moly, quoniam cum moly ſimilitudinem quandam habet:radice nigra,flore albo.naſcitur in collibus & fœcundis locis.

Pix liquida ex pinguiſſimis piceæ & pini lignis colligitur. probatur ſplendens,læuis,pura. Fit quoque piſſelæon ex pice,ſeparato eo quod aquoſum in ea ineſt,quod vt ſerum in lacte,ſic in pice ſupernatat : excipitúrque in pice coquenda puris ſupra eam lanis expanſis,quæ vbi euaporato halitu madeſcunt,in vas exprimuntur:id quod vſque faciendum eſt dum pix coquitur.Fuligo verò ex liquida pice colligitur ad hunc modum:In lucernam nouam quæ ellychnium habeat,aliquid picis inde,atque accende,obturáque fictili vaſe quod clibani formam habeat,ſupernè quidem fornicato & anguſto, infernè verò foramen habente,vt clibani habent, atque inibi ſine vt ardeat. vbi verò prior humor conſumptus fuerit,nouum infundito, donec tantū fuliginis quantū ſatis ſit feceris:tū ea vtitor.

Pix verò ſicca ex liquida decocta fit.ex ea quædam eſt viſcoſa;quædam ſicca.probatur autem quæ pinguis eſt, pura,viſcoſa,ſubfulua,& reſinoſa:talis porrò eſt Lycia, & Brutia,cōiuncta ſimul picis reſinæque natura.Vocatur etiam quædam piſſaſphaltus,eáque in Appollonia ad Epidaurum fit,quæ ex Cerauniis montibus impetu fluminis rapitur,æſtúque in littus eructatur,coacta in glebas,mixtam bitumini picem redolens.

Polemonium,(alii phileterium vocant)ramos tenues habet,vtrinque pinnatos : folia paulo maiora quàm ruta, ſed longiora,ad polygoni aut nepitæ ſimilitudinem. In eis ſummis veluti corymbi ſunt,in quibus ſemen nigrū. radix ei cubitalis eſt,ſubcandida,ſtruthio ſimilis.montanis & aſperis naſcitur locis.

Polium alterum montanū eſt,cui nomen eſt teuthrio, & cuius eſt vſus . exiguus frutex eſt,albus,tenui folio,dodrantalis,fructu refertus,capitulum in ſummo habens corymbi forma, paruum , cano capillo ſimile,graui odore, cum quadam odoris ſuauitate. alterum fruticoſius eſt,nō vſqueadeo odore valido,atque etiam inefficacius

Polygalon(quidam oſirin vocant) caulem dodrantalē habet,folia lenticulæ,guſtum ſubacerbum.

Polygonon , *id eſt herba ſanguinalis* : mas , ab aliis carcinethron,ab aliis teuthrobanon,ab aliis clema dicitur,herba eſt quæ ramos tenues, teneros,multóſque habet,ac geniculis interſeptos,qui per terram ſerpunt vt gramen:folia rutæ ſimilia , longiora tamen & molliora . fructum in ſingulis foliis fert,quamobrem maſcula nominatur . flos albus eſt aut puniceus.

Polygonon fœmina paruus frutex eſt, multos ramos ferens:cuius caulis eſt tener,harundini ſimilis, denſis geniculis,& inter ſe tubarum modo inſitis.geniculos cingunt in orbem apices foliolis pini ſimiles. radix eſt inutilis. naſcitur in riguis locis.

Polygonatum naſcitur in montibus . frutex eſt cubito maior.folia habet lauri,ſed latiora & leuiora:ſaporem cydonii, aut punici mali , cum adſtrictione.in vnoquoque exortu foliorum flores albi prodeunt plures , & numero maiores quàm folia,cœpta à radice ſupputatione . radicē fert albam,longam,mollem,geniculis plenam, hirſutam, graueolentem,craſſitudine digiti.

Polycnemō,paruus frutex eſt,ſurculoſus,foliis origani, caule vt pulegii, geniculis multis interſepto:vmbellam tamen non habet,ſed in ſummo paruos corymbos, acres ſimul,& ſuauitatem etiam odoris ſpirantes.

Polypodium naſcitur in petris muſcoſis,& antris , aut arborum,ac præſertim quercuum caudicibus, palmi altitudine,filici ſimile , ſubhiſpidum, inciſuris diuiſum , ſed non adeò minutis . radix ſubeſt hirſuta, in qua cirri, ceu polyporum,continentur craſsitudine parui digiti. abraſa verò interna pars viridis,guſtu acerbo,& ſubdulci.

Poterium(ſunt qui phrynion, Iones neurada, qui acidoton appellent)grandis frutex eſt,ramis mollibus , longis, lentis, tenuibúſque , ac tragacanthæ ſimilibus, foliis paruis,orbiculatis:totus denique frutex eſt lanoſa circundatus lanugine,éſtque aculeatus, floribus exiguis, viridibus.fructum fert guſtanti odoratum , & acrem , ſed nullius vſus.naſcitur arenoſis locis,& in collibus.radices ſubſunt duum cubitorum aut trium, firmæ , nerueæ,quæ ad terram reſciſſæ lacrymam gummi ſimilem ex ſe mittunt.

Potamogeton folium betæ habet,hirſutum, paululum extra aquam eminens.

Propolis eligenda eſt quæ flaua eſt odoratáque, & ſtyracem redolet,& quæ in ſubarido mollis ſit, ac maſtiches inſtar ſit ductilis.

Ptarmica exiguus frutex eſt,multis ramis, tenuibus, orbiculatis,abrotono ſimilib⁹ refertus.circa quos folia ſunt oblonga,oleis ſimilia.in ſummo capitulum , vt in anthemide eſt,paruum,orbiculatum,acre,& ſuo odoratu ſternutationes excitans.

Pteris,*id eſt filix*(ſunt qui blāchnon,qui polyrrhizon vocent) folia habet caulis, fructus, & floris expertia, ex vno pediculo prodeuntia,ad cubiti magnitudinem , multifida , & alarum auium modo pennata , ſub graui odore. radicem habet nigræ extremitatis , prælongam , ex qua plures aliæ veluti adnatæ exoriuntur : guſtu ſubadſtringenti . naſcitur montanis & ſaxoſis locis . Pycnocomon erucæ ſimilia habet folia,ſed aſpera, acria , & craſſiora : caulem quadratum , florem ocymo ſimilem , fructum vt porrum,radicem nigram, rotundam, pallidam, vt paruum pomum,terreſtre quid redolentem . oritur locis ſaxoſis.

Pyrethrum herba eſt,caulem,foliáque emittit,vt daucum ſylueſtre aut fœniculum : vmbellam inſtar rotæ, vt anethum.radix eſt pollicis craſſitudine,longa, guſtui feruidiſsima,& eadem pituitam elicit.

P

Rha aut rheum probatiſſimum eſt quod teredinem nõ ſenſit, quod in guſtu glutinoſum cum leni adſtrictione lenteſcit, commanducatúmque palleſcit, & croci colorem aliquem refert.

Rhamnus frutex eſt in ſepibus naſcens, ramos rectos ferens, vt oxyacantha, folia oblonga, ſubpinguia, mollia. Eſt & altera rhamnus candidior: atque etiam tertia nigrior, quæ folia habet latiora, & etiam leniter rubeſcentia, cuius rami quinûm cubitorum longitudinem implent, magis ſpinoſi illi quidem, ſed ſpinis infirmioribus, & minus rigentibus. fructus latus tenuíſque folliculi figura & ſpondylio ſimilis.

Reſina ex lentiſco fit, quæ lentiſcina nominatur, & ab aliquibus maſtiche. ea plurima præſtantiſſimáque in Chio inſula conficitur. Cæteris præfertur in eo genere quæ pellucet, & ſuo candore ceræ Tyrrhenicæ ſimilis eſt, adulta, retorrida, friabilis, odorata. viridis minus probatur. adulteratur hæc admiſto thure, pineǽque nucis reſina.

Reſina terebinthina cæteris excellit quæ dilucidior eſt, alba, vitrei coloris, odorata, terebinthum olens. ac terebinthina quidem cæteras omnes antecedit. proxima huic lentiſcina, deinde pinea, & abiegna, poſtea verò ex pcea & pineis nucibus confecta numeratur.

Reſina liquida ex pinu & picea, ex Gallia & Hetruria aduehitur, & olim etiam ex vrbe Colophone afferebatur: ex qua etiam nomen traxit, vt Colophonia reſina diceretur. A Gallia quoque ſubalpina venit (quam incolæ laricem vocant) quæ egregiè facit ad tuſſes inueteratas. Colore autem differunt inter ſe: alia enim candida eſt, alia olei colore, alia melli ſimilis, vt larinx eſt. Cupreſſus quoque liquidam reſinam fundit. Quæ verò ſicca eſt, alia eſt ex pineis nucibus, alia ex picea, alia pinea, alia abiegna. Inter omnes elige odoratiſſimam, pellucidam, non torridam, neque dilutam, friabilem, ac ceræ ſimilem. Inter eas præſtat cæteris pinea & abiegna: ſunt enim odoratæ, & thus olent. Ex Pityuſa Hiſpaniæ inſula multæ reſinæ comportantur: quæ verò ex picea & nucleis pineis fit, itémque ex cupreſſo, inferiores ſunt, nec pares aliis vires habent, & tamen ad eadem ad quæ aliæ, itidem adhibentur. Lentiſcina verò proportione reſpondet terebinthinæ. Vritur liquida reſina omnis in vaſe, quod quadrupli capax ſit eius humoris qui infunditur. Reſinæ autem congius in duobus aquæ pluuiæ congiis in vaſe æneo coquitur leuiter ad carbones, continuè agitando, donec odorem omnem amiſerit, friabiliſque & torrida efficiatur, ac digitis cedat: tum refrigerata in vaſe fictili non picato reponenda eſt. Eximii autem candoris fiet ſi reſina omnis eliquata percoletur, & ſordes ab ea excernantur. Cremantur etiam reſinæ ſine aqua ad carbones leuiter primùm: & vbi coire cœperint, maior carbonum copia ſubiicienda eſt, & tres dies ac noctes abſq; vllo interuallo diſcoquendæ, vſquedum antedictas ſuas proprietates amiſerint, ac poſtea (vt dictum eſt) reponendæ. Aridas verò vnius diei ſpatio ſatis erit decoxiſſe, atque ita reponere. Ex reſina quoque non ſecus quàm ex thure fuligo colligitur, ſi vas aliquod cauum ſuperponatur.

Roſa refrigerat: quæ ſicca eſt, magis adſtringit. ſuccus ex teneris exprimitur vnguibus exectis: reliquum in pila conteri ac premi debet in vmbra, donec cogatur, atque ita reponendum, ad oculos circumlinendos accommodatum. folia in vmbra ſiccantur continuò verſata, ne ſitum contrahant.

Rhodia radix in Macedonia naſcitur, coſto ſimilis, ſed læuior, & inæqualis: eáque contrita roſarum odorem præfert.

Rhus obſoniorum, fructus eſt rhois, qua coriorum infectores vtuntur.

Rhous verò arbuſcula eſt in petris naſcens duûm fere cubitorum altitudine, in qua folia oblonga, ſubrubentia, in ambitu ad ſerræ modum diuiſa. fructus illi racemulis ſimilis, denſus, terebinthi magnitudine, quadantenus latus, cuius id quod vice corticis eum continet, perquam vtile eſt. Liquamentum verò ex foliis aridis fit aqua incoctis, vt lycium, ad conſiſtentiam vſque, ad eadem ad quæ lycium valens.

S

Sagapenum, liquor eſt herbæ ferulaceæ in Media naſcentis. præſtantius eſt id quod pellucidum eſt, extrà fuluum, intus candidum, olens aliquid mediũ inter ſilphii liquorem & galbani, & quod guſtu acri ſit.

Salamandra, ſpecies lacertæ eſt, iners, varia, quæ falſò credita eſt igni non cremari. vim habet erodentem, vlcerantem, & calfacientem. miſcetur exedentibus, & vlcerantibus facultatibus, & lepras abolentibus, veluti cantharis: & ſimili modo adſeruatur. liquefacta etiam in oleo ilos euellit.

Sampſuchum laudatiſſimum eſt Cyzicenum & Cyprium: ſecundo loco cenſetur Ægyptium. vocatur autem à Cyzicenis & Siculis, amaracus. herba autem eſt multis ramis prædita, per terram ſerpens, foliis hirſutis, & orbiculatis, atque eius calaminthæ quæ tenui conſtat folio, ſimilibus. odoratiſſima herba eſt, ac calfaciens, & coronis inſeritur.

Sarcocolla lacryma eſt arboris in Perſide naſcentis, pollini thuris ſimilis, ſubfulua, guſtu amaro, adulteratur gummi admixto.

Satyrion (aliqui trifolium vocant) quoniam tria folia plerunque fert, vt ad terram fracta, lapatho aut lilio ſimilia: minora tamen ac rubeſcentia. caulem longum nudúmque cubiti altitudine, florem lilii forma candidum, radicem bulboſam pomi magnitudine profert rufam, intus verò albam, vt ouum: guſtu dulci & ori grato.

Eſt etiam alterum ſatyrion quod erythroicum, *hoc eſt rubens*, dicitur, ſemini lini ſimile. ſed maius, & ſplendeſcens, & læue, & æquè firmum. Eius verò radicis cortex tenuis eſt & rufus: interior verò pars alba, éſtque guſtanti ori grata & dulcis. Naſcitur in apricis & montanis locis.

Santonicum abſinthio ſimile eſt, non tamen ita ſemine refertum: itémque ſubamarum, & ad eadem ad quæ ſeriphum efficax.

Eleoſelinon, *id eſt apium paluſtre*, naſcitur aquoſis locis, ſatiuo aliquanto maius.

Seris agreſtis eſt & ſatiua: agreſtis picris aut cichorium vocatur, cuius & latiora, & ori iucundiora quàm hortenſis ſunt folia. Hortenſis verò duplex eſt genus: altera enim magis ad lactucæ ſimilitudinem accedit, & latis foliis eſt, & amareſcens: altera folia habet anguſtiora, & ſubamara eſt.

Seriphium, *hoc eſt marinum abſinthium*, in monte Tauro copioſiſſimum prouenit. herba eſt tenuis, abrotoni parui ſimilitudine, referta minutis ſeminibus, ſubamara, ſtomacho aliena, graueolens, & cum quadam caliditate adſtringens.

Seſeli Maſſilienſe, folia habet fœniculo ſimilia, craſſiora tamen, & caulem vegetiorem; vmbellam profert anetho ſimilem, in qua fructus oblongus, anguloſus, acer in cibo ſtatim. radix longa, odorata.

Seſeli verò Æthiopicum hederæ folia habet, ſed minora, & oblonga, ad periclymeni ſimilitudinem accedentia. frutex eſt grandis. viticulas fere duorum cubitorum habet, in quibus ramuli dodrantales ſunt: capita vt anethi: ſemen nigrum, denſum, vt triticum: & acrius, & odoratius Maſſilienſi, & valde ſuaue. éſtque ad eadem efficax.

Seſeli Peloponneſiacum folia habet cicutæ, craſſiora tamen, caulémque Maſſilienſi maiorem, ferulaceum, in quo ſummo vmbella eſt ampla: in ea fructus latior, & carnoſior, & odoratus continetur: eaſdémque vires habet. Naſcitur in aſperis humidíſque locis & collibus. In Ida quoque exoritur.

Seſamoides maius (quod Anticyraicum veratrum vocant, quoniam albo veratro in purgationibus miſcetur) folia habet rutæ ſimilia, longa, florem album, radicem gracilem, ignauam, ſemen ſeſamo ſimile, guſtu amarum.

Seſamoides minus cauliculos dodrantales habet foliis coronopi, hiſpidioribus tamen & minoribus. in ſum-

mis cauliculis capitula ſunt florum penè purpureorum, A quorum medium albicat, ſemen ſeſamo ſimile, amarum, fuluum. radix tenuis. naſcitur in aſperis locis.

Sideritin (aliqui heracleam vocant) folia habet marrubii, ſed longiora, ad ſaluiæ aut quercus formam accedentia, minora tamen, & aſpera. quadratos caules ac dodrantales, vel etiam maiores producit, non ingrato guſtu, & qui quodammodo adſtringant: in quibus per interualla orbiculatæ vertebræ, vt in marrubio, ſunt, atque in eis ſemen nigrum. naſcitur locis lapidoſis.

Sideritis altera eſt ramulis duorum cubitorum, exili- B bus. folia habet longis pediculis inhærentia, foliis filicis ſimilia, numeroſa, vtrinque per oras diuiſa. habet etiam à ſuperioribus alarum cauis alios ramulos prodeuntes, tenues, longos: in quorum cacumine orbiculata capitula & aſpera ſunt, quibus ſemen betæ ſimile, ſed rotundius ac durius continetur.

Sideritis tertia eſt (quam heracleam quoque Crateuas nominat) quæ in parietibus vinetíſque naſcitur, foliis paruis, numeroſis, ab vna radice exorientibus, coriandro ſimilibus. circa cauliculos dodrantales, teneros, ſubcandi- C dos, & ſubrubicundos, flores puniceos, paruos, guſtanti amaros ac glutinoſos habet.

Sideritin quoque nonnulli achilleam vocant: hæc ramulos dodrantales aut maiores profert, fuſorum forma. circa eos foliola parua, tenuia, ex obliquo multas denſáſque diuiſiones habentia, ad coriandri ſimilitudinem, ſubrufa, multum olentia, glutinoſa, multi odoris, non iniucundi, ſed medicati. vmbella in eis ſummis orbiculata inſidet. flores candidi ſunt, & deinde aurei. naſcitur pingui ſolo. D

Σίκυος ἄγριος, id eſt agreſtis cucumis, eſt ex quo id quod elaterium vocant, ad hunc modum conficitur: Decerpito huiuſmodi cucumeres qui tacti protinus exiliunt, & diem vnum ſeruato: poſtridie verò, cribrum non adeò denſum crateri ſuperponito, & cultro ſupino, cuius acies ſurſum vergat, vtriſque manibus cucumeres ſingulos apprehendito, ac findito: humorémque in ſubiectum cratera per cribrum exprimito, ſimúlque carnoſum quod cribro inhæſerit exprimito: quod ita ex cucumeribus expreſſeris, in peluim paratam demittito. Coaceruata autem in cri- E bro omnia quæ inciſa fuerint, aqua dulci perfundantur, & vbi expreſſeris, abiiciãtur. humor verò qui in pelui eſt, agitandus & ſubigendus eſt, ac linteo contectus in ſole ſtatuendus: vbi conſtiterit, tota aqua ſupernatans, & quod in ſummo concreuit, effundatur. quod identidem facies vſquedum aqua ſupernatabit. quam quum diligenter exterſeris, tum ſubſidentia in mortarium coniecta contere, & in paſtillos redige. Videtur autem præſtantiſſimum elaterium eſſe quod cum candore leuiter humectum eſt, ac læuorem & leuitatem habet, guſtúque amariſſimum: F & lucernæ admotum, facilè accenditur. contrà verò quod porri colorem habet, aſperúmque eſt, & aſpectu turbidum, ſordiúmque ac cineris plenum, id & graue eſt & vitioſum. Nonnulli etiam ſunt qui cucumeris ſuccum miſceant: nonnulli amylum, vt & candorem & leuitatem imitentur. Duorum autem annorum vſque ad decem annos purgationibus accommodatum elaterium eſt: perfecta menſura eſt obolus, minima ſemiobolus: pueris ærei duo. copioſius datum, periculum affert. G

Silybum ſpina eſt cuius latiora ſunt folia, chamæleoni albo ſimilia: quæ recens, decocta ex oleo & ſale comeditur.

Silphium, *id eſt laſerpitium*, radix naſcitur in Syria, Armenia, & Libya. eius caulem maſtieron vocant, ferulæ ſimilem, foliis apio ſimilibus, ſemine lato, quod magudarin appellant. radix autem excalfacit, flatus gignit, ructus excitat, exiccat, ægrè cõcoquitur, & veſicæ nocet. colligitur è radice ſcarificata, & item caule, ex ſilphio liquor: in quo genere præſtat is qui rubeſcit, ac pellucidus eſt, qui- H que myrrham olet, & odore valet, guſtúque ſuaui: non porraceus, neque cuius immitis guſtus eſt, & qui quum diluitur, facilè exalbeſcit. Cyrenaicus verò, ſiquis modicum eius guſtarit, humorem in toto corpore ciebit: blandiſſimo autem odore eſt, vt guſtantis os ipſum, niſi paulum, oleat: at Medicus & Syriacus imbecilliores ſunt, ſed magis viroſum odorẽ reddunt. liquor omnis, priuſquam ſiccatus fuerit, adulteratur indito ſagapeno aut lomento fabarum: quod guſtu, odore, aſpectu, & diluendo deprehenditur. Quidam etiam ipſum ſilphii nomine appellauerunt, radicem verò magudarin, folia verò maſpeta. Efficaciſſimus autem eſt liquor, deinde folia, tum caulis. flatus gignit, acérque eſt. Ad potiones reſoluitur amygdalis amaris, aut ruta, aut calido pane, aut melle, aut aqua. Foliorum verò liquor eadem præſtat, ſed efficacia multo minore. eſtur autem ex aceto malſo, ad arteriæ aſperæ vitia accommodatum. veſcuntur etiam cum lactucis, ſilphium pro eruca adhibentes.

Altera quoque magudaris in Libya eſſe perhibetur, cuius radix ſilphio eſt ſimilis, minus tamen acris & laxa, & quæ liquorem nullum habet: quæ eadem quæ ſilphium præſtat.

Sinapi eligi debet non magnopere ſiccum, & retorridum, ſed quod fractum intus vireſcat, & veluti quendam ſuccum habeat: ſiquidem quod tale ſit, id & recens & vigens eſt. Exprimitur ex viridis ſuccus, & ſiccatur in ſole.

Sinon ſemen paruum eſt in Syria naſcens, apio ſimile, oblongum, nigrum, feruens.

Sium frutex eſt rectus, pinguis, foliis oluſatri, minoribus tamen, & aromaticis. De hoc Crateuas ita memoriæ prodidit, vt eſſe herbam fruticis ſpecie, pauca ferentem folia, rotunda, maiora quàm menthæ, nigra, pinguia, ad erucam accedentia, ſcriptum reliquerit.

Siſymbrium (quod alii Cardaminem, alii ſium vocant) aquatilis herba eſt, in eiſdem locis in quibus ſium proueniens: hanc cardaminam aliqui nominant, quoniam Cardamo, *id eſt naſturtio*, ſit guſtu ſimilis. folium habet in principio orbiculatum: vbi adoleuit, erucæ modo fiſſum.

Siſymbrium (ſunt qui ſerpyllum maiorem nominẽt) naſcitur in cultis locis menthæ ſatiuæ ſimile, latiore tamen folio, & odorato. coronis inſeritur.

Scammonea multos ab vna radice ramos ternos aut quaternos mittit, trium aut quatuor cubitorum longitudine, pingues, aliquid craſſitudinis præ ſe ferentes: folia hirſuta, helxinæ aut hederæ ſimilia, molliora tamen, & triangula: flores albos, orbiculatos, & in calathi modum cauos, & graueolentes: radicem oblongam, craſſam, vt brachium, albam, graueolentem, liquoris plenam. Colligitur autem liquor capite ab radice diſſecto, & in teſtudinis formam excauata cultro radice: ita enim in cauum liquor defluit, qui poſtea conchulis excipitur. Alii ſcrobes in terra mortarii inſtar effodiunt, in quos ſubſtratis nucum foliis radices abradentes, liquorem effundunt, atque ita ſiccatum extrahunt. Probatur qui pellucidus eſt, læuis, rarus, taurinæ collæ colore, tenuibus fiſtulis, ſpongioſus, qualis eſt is qui in Myſia Aſiæ conficitur. Nec ſolùm autem animum attendere oportet, vtrum linguam tangendo exalbeſcat, ſiquidem hoc etiam fiet permixto eidem tithymali liquore: ſed potius adhibere mentem antedictis conuenit, & item ſi non vehementer linguam exurat, quod tithymalo ei admixto ſolet contingere.

Scinchus alius Ægyptius eſt, alius Indicus, atque alius etiã in Rubro naſcitur mari, alius denique Apolloniæ in Mauritania reperitur. Eſt autẽ terreſtris crocodilus, ſuum proprium genus habens, & cum naſturtio ſale conditur.

Scilla acrem feruidámque vim habet. aſſata ad multas res vtilis efficitur. Cruſta autem ex polline, aut luto inuoluta in furnum aut fornacem iniicitur, aut carbonibus obruitur, donec lutum aut cruſta obducta ſit abundè toſta. ea ablata, ſi ſcilla nondum emolleſcat, eam iterum oblinemus, atque idem faciemus: ſi verò ne tum quidem aſſata erit, maximè noxia eſt, vt per interna detur. Aſſatur eadem in olla quæ luto clauſa in furnum demittitur. ex ea ſumitur quod maximè intimum eſt, & exteriora abiiciuntur: & diſſecta in partes ſcilla coquitur, effuſa priore aqua, & alia impoſita, donec nec amara, nec acris aqua ſit. atque ita ſecta in vmbra ſiccatur, lino traiecta ita vt fruſta ſeſe non contingant.

Scolymus, *hoc eſt carduus*, folia habet media inter chamæleonem & ſpinam albam, ſed nigriora & craſſiora. caulem longum foliorum plenum profert, in quo eſt aculeatum caput. radix nigra eſt craſſáque, in qua vis & facultas ineſt.

Scordium in montanis & paluſtribus naſcitur, foliis chamædryos, ſed maioribus, nec ſic in ambitu diuiſis, odore aliquantum allium olentibus, guſtu amaris & adſtringentibus: caulibus quadratis, in quibus flos rubeſcens inſidet.

Scordon, *hoc eſt allium*, quoddam ſatiuum eſt, quod hortenſe eſt, & in Ægypto naſcitur vno capite, albũ: vocántque eius diuiſiones, ſpicas: quoddam verò agreſte, quod ophioſcorodon, *quaſi anguinum allium*, nominant.

Scordopraſum verò porri magnitudinẽ exæquat, éſtque porri & alii qualitatis particeps.

Smilax hortenſis, cuius fructus ab aliquibus lobia, *id eſt paruæ ſiliquæ*, ab aliquibus aſparagus vocatur: folia habet hederæ, molliora tamen: caules tenues, & capreolos qui vicinis fruticibus ſeſe inuoluant: qui vſqueadeo creſcunt, vt ſcenas etiam repræſentent. fructum fert fœnogræco ſimilem, ſed longiorem, & magis toroſum. in eo ſemina ſunt renibus ſimilia, ſed non æquali colore, ſed in parte ſubpurpureo.

Smyrna, *hoc eſt myrrha*, lacryma eſt arboris in Arabia naſcentis, éſtque ſpinæ Ægyptiæ ſimilis, è qua vulnerata defluit lacryma in tegetes ſubſtratas: alia verò circa arboris truncum concreſcit. Vocatur ex his vna pediaſimos pinguis, qua expreſſa ſtacte emittitur: alia verò gabira pinguiſſima, quæ læto & pingui ſolo naſcitur, quæ multum ſtactes ex ſe mittit. Principem verò locum tenet quæ Troglodytica nominatur, à regione quæ eandem parit: ſubuiridis hæc eſt tranſlucidáque. Quinetiam legitur tenuis quædam, quæ poſt Troglodyticam in myrrhæ cenſu reponitur, bdellii inſtar lenteſcens, odore ſubuiroſo, & apricis locis proueniens. Alia quædam caucalis dicitur, admodum exoleta, nigra & torrida. Omnium peſſima eſt ea quæ ergaſima nominatur, ſqualida, & pinguedine vacans, acris, gummi odore & viribus proxima. Quæ itidem minea vocatur, reprobanda eſt. Ex omnibus expreſſiones fiunt: ſed à pinguibus odoratæ & pingues: à ſiccis, non pingues nec odoratæ. minus verò odorata eſt expreſſa myrrha, quæ quum exprimeretur, & in paſtillos redigeretur, oleum non aſſumpſit. Adulteratur macerato gummi in aqua, in qua myrrha maduerit, & myrrhæ admixto. Eligenda eſt recens, fragilis, læuis, concolor ex omni parte, & quæ quum frangitur, diuiſiones vnguium modo læues candidáſque oſtendat, minutis glebis, amara, odorata, acris, calfaciens. grauis verò & quæ piceo colore eſt inutilis eſt. Fuligo etiam ex ea fit, vt ex thure fieri oſtendimus, quæ ad eadem eſt accommodata.

Smyrna verò, *hoc eſt myrrha*, Bœotica incíſa, radix eſt arboris in Bœotia naſcentis. eligito eam quæ myrrhã ſuauitate odoris refert.

Sonchi ſunt duo genera: alterum agreſtius eſt, & ſpinoſius, alterum tenerius & veſcum: caulis anguloſus, ſubrubeſcens, inanis, folia in ambitum ex interuallis diſſecta.

Sparganium folia habet gladioli, anguſtiora tamen: in ſummo caule veluti pilulas, in quibus fructus eſt.

Spartus frutex eſt virgas longas, foliorum expertes, firmas, non fragiles ferens, idem ſiliquas, vt phaſeoli, producit, in quibus ſemina exilia, vt lenticulæ, continentur. flos luteus, vt albæ violæ.

Spondylium folia platano quodammodo ſimilia habet, ad panacis accedentia ſimilitudinem: caules cubitales, aut maiores, fœniculo ſimiles. in cacumine ſemen ſeſeli ſimile, duplex, craſſius tamen & candidius. & plus acris habens, graueolens. flores albi ſunt. radix alba, raphano ſimilis: paluſtribus & aquoſis innaſcitur locis.

Stacte nominatur pinguedo recentis myrrhæ tuſæ, cum exigua aqua, & prælo expreſſa. eſt autem odoratiſſima precioſáque, quum per ſe etiam vnguentũ faciat, cui ſtacte nomen eſt. Probatur ea cui oleũ admixtũ nõ ſit, & quæ in exigua portione maximã vim habeat calfaciendi, quæ proportione myrrhæ & cæteris calfacientibus vnguentis reſpondeat.

Staphis agria, *id eſt herba pedicularis, aut vua taminia*, folia habet labruſcæ, diuiſa, coliculos rectos, nigros, florem iſati ſimilem: fructum in folliculis viridibus, vt cicer, triangulum, ſcabrum, in nigro ſubfuluũ. interna pars alba eſt, guſtu acris.

Staphylinus, *hoc eſt paſtinaca ſylueſtris* (à nonnullis ceras, *hoc eſt cornu*, dicitur) habet gingidii folia, ſed latiora, & ſubamara. rectũ fert caulem, aſperũ, in quo vmbella eſt anetho ſimilis, in qua flores albi, & in medio paululũ quid purpuraſcens, quaſi croceum. radix ad digiti craſsitudinem, palmique longitudinem accedit. odorata eſt & cocta eſtur.

Stear, *hoc eſt adeps*, vuluæ conuenit recens anſerinus, aut gallinaceus, & ſine ſale cõditus: nam qui ſalem aſſumpſit, vtero infenſus eſt: & item is qui progreſſu temporis acrimoniam contraxit. Ex iis recentem aliquem capito, & membranulis exemptis in nouam fictilem ollam, quæ altero tanto capacior ſit quàm adipis modus quem curare velis, coniicito, & vas diligenter opertum ardentiſsimo ſoli exponito. liquatum ſubinde adipem in aliud picatum vas, vſquedum totum fluxerit, excolato: tum loco gelido reponito, atque vtitor. Quidam pro ſole in feruenti aqua aut tenui & molli pruna fictile conſtituunt. Eſt etiam alia curandi adipis ratio huiuſmodi: Vbi membranas exemeris, teritur, & in fictile coniectum exiguo tritóque ſale conſperſum eliquatur, tum linteo panno defæcatus reponitur, & acopis vtiliter additur. Suillus verò & agninus adeps hoc modo curantur. Recens, præpinguis, qualis à renibus detrahitur, adipem in copioſam aquam pluuiam, & quàm frigidiſsimam coniicito, membranulas adimito, manibus diligenter ſubigito, ac confricato, quaſi diſtringas: tum alia aqua ſæpe ablutum in ollam fictilem dupli capacem imponito: aquam affundito, vt adipem ſuperet: lenibus prunis admoueto, ac rudicula agitato. vbi eliquatus ſit, colo in aquam trãſfundito, ac refrigerari ſinito: & rurſus excolata diligenter aqua, in aliam ollam prius lotã coniicito, & aqua affuſa, permittito vt ſenſim liquefiat. amotum deinde ab igni, & breui ſpatio ſic dimiſſum vt fæx ſubſidat, in mortarium ſpongia ex aqua prius madefactum verſato: vbi coire cœpit, reſidens in imo ſordes eximitur, & tertiò ſine aqua liquatur: liquatúmque in mortarium iterum effuſum, purgatum in fictile coniicito, & operculo impoſito, perquam frigido loco reponito.

Hircinus verò & ouillus, itémque ceruinus ita curantur: Capitur (vt diximus) alicuius horum adeps, lauatúrque, ac membranulis purgatur, vt in ſuillo oſtendimus: in pilam coniicitur, ac manibus fricatur, aquam paulatim affundendo, donec nullum ſanguinis veſtigium excernatur, nec vlla pinguedo ſupernatet, ſed aqua limpida reddatur. deinde in ollam fictilem coniice, & affuſa aqua vt ſuperemineat, lenibus prunis admoueto, & agitato: Quum totus fuerit liquatus, in aquam verſato, & refrigeratum ac lotum in fictilem iterum indito, & eliquato. & idem facito quod in cæteris: tertio verò loco citra aquã liquato, & in pilam humore perfuſam excolato, & vbi refrixerit, reponito, vt de ſuillo admonuimus.

Bubulus quoque adeps à renibus detractus membranulis purgandus eſt, & marina ex alto petita abluendus, & in pila contundendus diligenter, aſperſa maris aqua. Vbi totus fuerit diſſolutus, in fictilem ollam coniiciendus, & marinæ aquæ tantum indendum quantum ſupernatet, non minus quàm palmi altitudo ſit: tum coquendus adeps vſquedum proprium odorem abiecerit, additis ad ſingulas adipis Atticas minas quaternis ceræ Tyrrhenicæ drachmis. Colandus verò eſt, & abiectis quæ in imo reſidebant ſordibus, in nouum fictile reponendus, opertúſque interdiu in ſole tenendus, vt exalbeſcat, & virus odoris aboleatur.

Taurinus verò ita parandus eſt. tauri adipem recentẽ, & ex renibus capito, in amne fluente abluito, membranis exemptis in ollam fictilem coniicito, ſalis parum inſpergito, liquefacito, tum in aquam pellucidam per ce

lum traiicito,vbi cœpit concreſcere,manibus vehementer confricando iterum lauato,aqua ſæpius infuſa atque effuſa,donec optimè elotus videatur : ac deintegro in ollam coniectum coquito cum pari vini odorati portione. vbi autem bis efferbuerit,amoue ab igni ollam, ſinito adipem ita per noctem eſſe.ſequenti die ſiquid fœdi adhuc odoris relictum ſit,eundem adipẽ in aliam nouam fictilem ollam coniicito,ac vinum odoratum affundito, &eadem quæ prius facito,donec omne odoris virus amiſerit. Liquatur idem ſine ſale ad quaſdam affectiones quibus ſal aduerſatur: veruntamen qui ſic paratur, non admodum candidus redditur. Siquis verò anſerinum, aut gallinaceum,aut vitulinum adipem non curatũ ſeruare imputrem velit,ſic faciat: Capiat recentem cuius velit adipem,eúmque diligenter lauet,tum in vmbra ſuper cribro ſiccet : vbi ſiccatus fuerit,linteo inuoluat, & manibus vehementer exprimat: mox lino traiectum vmbroſo in loco ſuſpendat,& poſt multos dies noua charta inuolutum frigidiſſimo loco reponat.permanent etiam incorrupti adipes,qui in melle reponuntur.

Stachys frutex eſt marrubio ſimilis, qui longiora plurique folia habet,ſubhiſpida,dura,odorata, alba : virgulas item plures ab vna radice prodeuntes, eáſque marrubii virgis candidiores.oritur in mõtanis aſperiſque locis.

Stœchas in inſulis iuxta Galliam,cõtra Maſſiliam, quæ Stœchades appellantur,prouenit,atque inde etiam ei nomen eſt ductum.herba tenuibus ſurculis eſt, coma thymi,ſed folio longiore,eáque aliquantulum acri guſtu, & ſubamara eſt.

Stratiotes, qui in aquis naſcitur, hoc nomen inuenit quia ſine radice in aqua ſupernatat. folium habet ſemperuiuo ſimile,ſed tamen maius.

Stratiotes verò millefolium,paruus frutex eſt, puſillus, dodrantalis,& etiam maior.habet folia auicularum pennis ſimilia,breui admodum ac diſſecto foliorum exortu.folia agreſti cymino maximè ſunt ſua breuitate ſimilia,ſed ſunt etiam breuiora.vmbella hirſuta eſt, ſed denſior, & adultior in cacumine: ſurculos exiguos gerit, in quibus inſident vmbellæ anethi inſtar. flores albi paruique.naſcitur præcipuè locis ſubaſperis,& potiſſimum circa ſemitas.

Strychnon,*hoc eſt ſolanum*,quod hortenſe eſt,frutex paruus eſt,cibis aptus,multis concauus alis,foliis nigris ocymi,& maioribus,& latioribus. fructus rotundus, viridis: vbi maturuit , niger, aut fuluus.innoxii guſtus herba eſt.

Eſt etiam aliud ſolani genus quod halicacabum vocant, foliis antedicto ſimilibus, latioribus tamen , cuius caules quum adoleuerunt,humi ſternuntur. fructum fert in folliculis rotundis veſicarum inſtar,rufum,læuem, acinorum vuæ forma : quo vtuntur etiam ad componenda ſerta ii qui coronamenta conficiunt.

Strychnon verò,*hoc eſt ſolanum*(quod ſoporiferum vocatur, ab aliis halicacabi,ab aliis calliæ nomine appellatur) eſt frutex multis, denſis , caudicoſis , & ægrè fragilibus caulibus,foliorum pinguium plenis, malo cydonio ſimilibus : flore rubro,iuſtæ magnitudinis.in ſaxoſis naſcitur.

Strychnon verò *μανικὸν,id eſt furioſum* (quod alii perſion,alii pentodryon vocant) folia habet erucæ, ſed maiora,ad acanthi quem pædarota nominant,folium accedentia.caules ab radice proceros emittit denos aut duodenos,vlnæ altitudine,in quibus oliuarum figura ſuperpoſita ſunt capitula,ſed hirſutiora, vt platani pilulæ, maiora tamen & craſſiora.flos illi niger.poſt florem,fert fructum racemi forma, rotundum, nigrum , ex denis aut duodenis acinis conſtantem, hederæ corymbis ſimilibus, & ſicut vua mollibus. radix alba eſt,craſſa,caua, cubitalis:montanis,vento perflatis,& platanis conſitis locis naſcitur.

Styrax arboris cotoneo malo ſimilis lacryma eſt. excellit cæteris flauus, pinguis , reſinoſus, grumos habens albicantes,quamplurimum in odoris bonitate permanens,& dum emollitur melleũ quendã humorẽ emittens . talis Gabalites eſt,Piſidiacúſque,& Lycius.at niger, friabilis,& furfuraceus,deterior eſt.Reperitur quoque lacryma gummi ſimilis , pellucida, myrrham olens: ſed ea perexigua eſt . Adulteratur ſuæ arboris ſcobe,quam vermes eroſerunt , admixtis melle atque iridis ſedimento, & aliis rebus quibuſdam . Alii ceram aut adipem odoribus imbutum ad ſolem ardentiſsimum cum ſtyrace ſubigunt , & per laxa cribri foramina in aquam frigidam tanquam vermiculos exprimunt vendúntque : húncque ſcolociten , à vermium figura nominant . atque imperiti hunc vt minimè adulteratum , cæteris anteponunt , ad intentam odoris fragrantiam nihil animum aduertentes.nam qui fraudis expers eſt,is eſt admodum acer. Cæterùm non ſecus quàm thus,torretur, aſſatúrque, & ex eo fuligo colligitur.

Sycomorum(aliqui etiam ſycaminum vocant , cuius fructus etiam ſycomorum propter imbecillem & ignauum guſtum nominatur) Grandis arbor eſt , fico ſimilis, multi admodum liquoris , foliis mori. fructum ter aut quater anno fert , non ex ramis vt ficus , ſed ab ipſo caudice , caprifico ſimilem , ſed groſſis dulciorem , ac ſine granis interioribus, quiq; niſi vngue aut ferro ſcalpatur, non matureſcit . Copioſè naſcitur in Caria,& Rhodo,ac locis tritici nõ feracibus.in caritate autem annonæ,propter fructum quem continuum fert,auxilio eſt.fructus aluo vtilis eſt,ſed exiguum alimentum præbet : éſtque ſtomacho alien⁹.Liquor ex arbore colligitur vere priuſquàm fructum ferat,lapidis ictu ſummo cortice contuſo : nam ſi altius vulneretur , nihil emittet . Lacryma colligitur ſpongia aut lana:ac ſiccata,& in paſtillos redacta,fictili vaſe adſeruatur . Gignitur etiam in Cypro arbor genere ab hac differens , ſiquidem folia non ſycamini , ſed platani gerit. fructum verò fert pruni magnitudine , ſed dulciorem.in cæteris omnibus ſimilis eſt iis de quibus modò diximus.

Symphytum petræum in petris naſcitur , ramulis origani,tenuibus, capitulis thymi. totum verò eſt lignoſum atque odoratum, guſtu dulcius , & adſtringens . radicem habet longam,ſubrufam,digiti craſſitudine.

Symphytum(quod alii pecton vocant)caulem bicubitalem emittit,aut maiorem,anguloſum , inanem , vt ſonchi caulis eſt.circa quem non ex magnis interuallis folia ſunt hirſuta,anguſta,prælonga,ad bugloſſi formam,& ſecundum eos angulos,caulis ſtrictus eſt,foliis à ſingulis alarum cauis prodeuntibus,flores fert luteos,& fructum in caule , vt verbaſcum : ac totus denique caulis atque folia ſubaſpera lanugine quadã horrent , ac tangenti pruritum excitant.radix ſubeſt,cuius extremitas nigra eſt , interior verò pars alba & glutinoſa.

Schinos , *hoc eſt lentiſcus* , nota arbor eſt , cui toti vis adſtringendi ineſt : nam & fructus, & folia ,& cortex ramorum & radicis parem vim habent . Exprimitur etiam ſuccus ex cortice radicis, foliiſque in aqua vſqueadeo decoctis vt ſatis ſit : vbi verò refrigerata ſunt , foliis abiectis,aqua iterum coquitur , donec fiat tam ſpiſſa quàm mel.

Schœnus,*id eſt iuncus*.vocatur alter læuis , alter verò acutus,qui in mucronem deſinit. cuius etiam duo ſunt genera: nam alter ſterilis eſt, alter verò fructum edit nigrũ, orbiculatum , cuius craſſiores & carnoſiores ſunt calami. Eſt etiam tertius iuncus antedictis carnoſior, quem holoſchœnon vocant:ipſéque fructum in cacumine ſupradicto ſimilem parit.

T

Teucris herba eſt virgata,chamædryi ſimilis, foliis tenuibus,ciceris figura. plurima verò naſcitur in Cilicia,in ea parte quam Ciſſadem Gentiadémque nominant.

Telephium(quod alii agreſte ſemperuiuum,alii agreſtem portulacam,alii muſcum vocant)folia & caulem habet portulacæ,binas alas habet, quæ in ſingulis foliorum geniculis exoriuntur. ramuli à radice ſex aut ſeptem exeunt,foliis referti craſsis, carnoſis,& glutinoſis.flores albi ſunt.naſcitur vere,in vinetis & cultis locis.

Tithymali genera ſunt ſeptem: quorum maſculus characias (*quaſi uallaris*) dicitur:(ab aliquibus propter comam,cometes: ab aliquibus verò amygdaloides , & ab

aliquibus gobius) Fœmina verò myrtites vocatur, quem quidam à nucibus caryitē vocant.alius eſt paralius, quem quidam tithymalida nominauerūt:alius eſt helioſcopius, alius cypariſſias,alius dendrodes,alius platyphyllos appellatur.

Tithymali qui characias dicitur, caules cubitum excedunt,rubri, liquoris albi & acris pleni.folia in virgis oliuæ ſimilia,ſed minora & anguſtiora,craſſa, lignoſáque: in quorum ſummo coma eſt, qualis in iuncorum virgis. ſub ipſis verò caua peluibus ſimilia, in quibus fructus ineſt.Oritur hic in aſperis & montanis locis.

Liquor ex omni tithymalo per meſſem colligitur,ramulis congeſtis,tum diſſectis,& vaſe concluſis.quidā erui farinam adiiciunt,& in paſtillos digerunt, qui erui magnitudinem impleant:alii ſiccatis ficubus tres quatuórve guttas inſtillant, & quum inaruerint, reponunt. per ſe etiam tuſus in pila,& in paſtillos redactus reponitur. Dum verò liquor excipitur, neque vento expoſitum eſſe hominem oportet, neque manū oculis admouere: ſed antequam ad excipiendum liquorem accedat,corpus,ac præſertim faciem & ſcrotum,adipe aut oleo cum vino perungere.Fauces etiam exaſperat.

Fœmina verò(quam myrtitem aliqui vocant, & caryitē nominauerūt)ſimilis daphnoidi eſt,ſuaptéque natura alba eſt,& folia habet myrti,ſed maiora,& firma, & in ſummo acuta aculeatáque.viticulas ab radice mittit dodrantales: fructum alternis annis nuci ſimilem fert, qui leniter linguam mordet. Hæc quoque aſperis prouenit locis.eius liquor,eiúſque folia & fructus eandem vim habent quam ſuperior,& eodem modo reponuntur. Superior tamen eſt efficacior.

Tithymalus verò qui paralius dicitur(quem tithymallidem aut meconem appellauerunt) maritimis locis naſcitur.ramos habet dodrantales, rectos, quinos, ſenóſve, ſubrubentes, à radice prodeuntes: in quibus folia ſunt deinceps digeſta,parua,ſubanguſta,oblonga,lino ſimilia. caput in cacumine denſum,orbiculatum, in quo fructus inſtar erui,varius. Flores albi:totus denique frutex radixque copioſo liquore albo abundant. hic etiam ad eoſdem vſus,eodémque modo quo ſuperiores aſſeruatur.

Qui verò helioſcopius, *quaſi ſolis aſſecla*, nominatur, portulacæ habet folia, tenuiora tamen, rotundioráque. ramos quatuòr aut quinque ab radice dodrantales mittit, tenues, rubros, liquoris albi copioſi plenos. caput anethi forma:fructus ceu in foliis includitur.Circumagitur huius coma ad curſum ſolis, vnde ei nomen eſt ductum. naſcitur potiſſimum in ruderibus, & circa oppida. liquor fructúſque ex hoc vt ab aliis,colliguntur,qui eandem vim,ſed non ita efficacem habent.

Cypariſſias caulem profert dodrantalem, & maiorem,ſubrubeſcentem: ex quo folia pino ſimilia exoriuntur, teneriora tamen tenuioráque. omnino autem pino nuper naſcēti ſimilis eſt, ex quo etiam nomen inuenit.Eſt hic quoque liquoris albi plenus,& eandem quam ſuperiores vim habet.

Dēdrodes verò, *hoc eſt arboreſcens*, in petris naſcitur, frondoſus ex omni parte,& multa coma refertus,liquoris plenus, ramis ſubrubentibus, foliis myrti tenuis,fructu characiæ ſimili. Hic ad eandem efficax, & eodem modo quo ſupra dicti,reconditur.

Platyphyllos, *hoc eſt, lata folia habens*,tithymalus,verbaſco ſimilis eſt: cuius liquor, radix & folia per aluum aquoſa trahunt.piſces itidem enecat tuſus,& aquæ inſperſus.id quod etiam ii de quibus ſuprà diximus efficiunt.

Pithyuſa(quam antiqui ſarmentū,vel crambiō,vel paralion,vel canopicon vocant)ſpecie à cypariſſia tithymalo differre exiſtimatur: vnde inter tithymalos hæc etiam numeratur.caule aſſurgit cubito maiore, geniculato, foliolis acutis tenuibúſque veſtito, pini ſimilibus. flores habet exiguos veluti purpureos fructum latum lenticulæ inſtar: radicem candidam, craſſam, liquoris plenam.quibuſdam autem in locis valde grandis inuenitur.

Tordylon (quod aliqui ſeſeli Creticum vocant) naſcitur in Amano Ciliciæ monte.exigua herba eſt, ſurculoſa, ſemine rotundo, duplici, clypeolis ſimili,ſubacri,aromatico.

Tragoriganum paruus frutex eſt agreſti ſerpyllo ſimilis folio & ramulis.pro locis autem in quibus oritur,lætior,& latioribus foliis inuenitur,glutinoſúſque valde eſt. Alterum tragoriganum eſt tenuioribus ſurculis, & foliis,quod marrubium quidam vocauerunt. Optimum verò eſt Cilicium,Smyrnæum,& Creticum.

Tragacantha radix lata lignoſáque eſt,ſupra terrā emergens,ex qua rami humiles, denſi, firmi,& latè ſe pandentes prodeunt: in eis foliola tenuia, nūmeroſa ſunt, in quibus mediis aculei ſe proferunt foliis operti,cādidi,recti, firmi. Eſt etiamnum tragacantha lacryma, quæ ex vulnerata radice manans concreuit: in qua præſtat ea quæ pellucida,læuis, gracilis,pura & ſubdulcis eſt.

Tragus formam habet alicæ ſimilem.multo minus quàm zea nutrit, quia multum aceris habet, quocirca ægrius conficitur,& aluum emollit.

Tragium in Creta ſolùm naſcitur.folia,virgas & fructum lentiſci fert,omnia tamen minora.Liquorem etiam gummi ſimilem profert.

Tragium alterum eſt quod folia ſcolopendræ habet,radicem albam,tenuem,ſylueſtri raphano ſimilem.

Tragium (quod ſcorpium, aut tragoriganum vocant) prope mare naſcitur.paruus frutex eſt, non admodum ſupra terram grandis, magnitudine dodrantis, aut maiore:foliis vacat: puſillos tamē circa ramos ceu acinos habet,rufos, tritici magnitudine, acuminato cacumine, multos,guſtanti adſtringentes.

Tragopogos, *id eſt, barba hirci* (ab aliis coma dicitur) breui caule eſt,foliis croci,radice longa,dulci,magno ſupra caulem calyce.in ſummo nigrum ſemen, vnde ei nomen eſt inditum.herba eſui apta eſt.

Tribulus terreſtris folia habet portulacæ, tenuiora tamen.viticulas habet longas, per terram ſtratas:ſpinas in foliis duras.naſcitur ſecus flumina, & in areis domorum. eſt alius aquatilis,qui in fluminibus naſcitur,comam exerens,ſpinam recondens.habet is folia lata, longum pediculum,caulem in ſummo craſſiorē quàm in imo:adſunt ei & capillamenta quædam ſpicæ forma:fructus vt alteri, durus:nam vterque adſtringit,refrigerat.

Thraces verò Strymonis fluminis accolæ viridi herba tribulorum equos ſaginant, & ſemen eorum dulce, & ad nutriendum aptum pinſunt,ac pro pane vtuntur.

Tripolium naſcitur locis maritimis, ad quæ vnda maris peruenit,& recedit:ſed neque in mari, neque in ſicco.folia iſatidis habet, craſſiora tamen: caulem dodrantalem ſupernè diuiſum.Huius flos ter in die colorem mutare perhibetur, manè candidus,meridie purpureus, veſperi puniceus.radix ei alba,odorata & guſtu calfaciens.

Trifolium,(alii menyanthes,alii aſphaltion,alii cnicon, alii oxyphyllon vocant) frutex eſt cubiti altitudine, aut etiam maiore: virgis tenuibus, nigris, iunceis,appendiculas habentibus, in quibus folia loti arboris terna in ſingulis germinationibus prodeunt.his recens natis rutæ odor eſt:adultis,bituminis:florem emittit purpureum:ſemen hirſutum, quodammodo latum, in altera extremitate veluti apicem habens:radix tenuis,longa,firma.

Tyros hippiaca,caſeus equinus eſt,virus redolens,ac magnopere alens.ad bubuli proportionem.Nonnulli verò hippacem,equinum coagulum vocarunt.

Typha profert folium cyperidi ſimile, caulem læuem, æquabilem, florem in cacumine ambientem,denſum, qui in pappos reſoluitur, quam paniculam aliqui nominant.

Y

Ὑάκινθος, hoc eſt, hyacinthus, folia habet bulbi,caulem dodrantalem,læuem,paruo digito tenuiorem, virentem, comam procumbentem, incuruam, florem purpureum, plenum:& radicem item bulbi.

Ὑδροπέπερι, hoc eſt, hydropipper, maximè iuxta ſtagnantes aquas,aut leniter fluētes naſcitur.caulem geniculatū fert, in quo alæ,& folia menthæ, maiora & candidiora,& tenuiora: guſtus acris, vt piper, non tamen aromata redo-

let:fructum acrem in ramulis fert prope folia naſcentem, continuum,& acinorum figura.

Ὑοσκύαμος, hoc eſt altercum,(ſunt qui adamãta vocẽt)frutex eſt qui caules craſſos,lata folia,oblonga,diuiſa,nigra, hirſuta profert.Per caulem verò deinceps flores tanquam cytini punicorum clypeolis ſepti, ac ſeminis vt papaueris pleni prodeũt. Alterci autem eſt triplex differentia:vnum enim flores ſubpurpureos fert,folia ſmilacis,ſemen nigrũ,& cythos duros,ac ſpinoſos.alterius flores lutei;folia ac ſiliquæ teneriores, ſemen ſubflauum, vt eryſimum: vtrunque autem inſaniam & ſoporem inducit, & idcirco inutile vt ad curationem adhibeatur.mitiſſimum eſt tertium, quod pingue, tenerum; lanuginoſúmque eſt, floribus albis,& albo itidem ſemine.oritur id in maritimis atque ruderibus. Albo igitur vtendum eſt:ſi hoc non ſuppetat,flauo:nigrum,vt deterrimum, reiiciendum cenſeo. Ex fructu tenero,foliis,caulibúſque contuſis,ſuccus colligitur,& humor in ſole ſiccatur. Vſus ad annum pertinet, ſiquidem facilè putreſcit.Colligitur etiam ſuccus ex ſicco ſemine,quum per ſe teritur aqua calida affuſa,& exprimitur.atque hic quidẽ ſuccus eſt antedicto melior, & ad dolores leniendos magis valet.ipſa etiam herba recens tuſa,& farina trimeſtris tritici admixta in paſtillos conformatur,& reponitur.

Ὑπέρικον (ſunt qui androſæmon,qui corion,qui chamæpityn appellent, quoniam ſemen odore pineam reſinam imitatur)folia rutæ habet: fruticem ſurculoſum, dodrantalem,ſubrubrum: violæ albæ florem: ſiliquam ſubhirſutam, teretem, hordei magnitudine: in quo ſemen nigrum reſinam olens continetur.in locis cultis atque aſperis gignitur.

Ὑποκιστις ad ciſti radices naſcitur, quæ hypociſtis nominatur(quam aliqui orobethron,aliqui cytinum vocãt) éſtque punicorum cytinis quodammodo ſimilis.quædam autem fulua eſt,quædam alba,ex qua ſuccus, vt ab acacia, colligitur. quidam tamen eam ſiccatam tuſámque macerant & coquunt,& cætera faciunt omnia ſicut in Lycio.

Ὑπήκοον in ſegetibus aruíſque naſcitur. folium rutæ, ramóſque paruos habet. vis eius papaueris ſucco proportione reſpondet.

Ὕσσωπος,hyſſopus, herba eſt nemini incognita.duplex hæc eſt,montana & hortenſis.omnium verò laudatiſſima quæ in Cilicia naſcitur.

Φ

Φακὸς, id eſt lenticula,quæ paluſtris nominatur, in aquis ſtagantibus reperitur,foliáque habet lenti ſimilia.

Phalangium(ſunt qui phalangiten,ſunt qui leucantham vocant)ramos habet binos aut ternos,aut etiam plures inter ſe diſſidentes,flores albo lilio ſimiles, multas inciſuras habentes: ſemen craſſum, nigrum, ad dimidiatæ lentis figuram,ſed multo tenuius: radiculam tenuem,viridem,dum è terra eruitur:nam poſtea contrahitur. in tumulis gignitur.

Phalaris caliculos emittit è radicibus tenuibus & inutilibus geniculatos,ac culmis zeæ ſimiles, ſed graciliores, & guſtu dulci.foliis itidem eſt zeæ ſimilibus. ſemen candidum, oblongum,milii magnitudine.

Philyris arbor eſt magnitudine cypro ſimilis. folia fert oliuæ, ſed latiora, & nigriora: fructum echino ſimilem,nigrum,modicè dulcem, quaſi in racemis iacentem. naſcitur locis aſperis.

Ψλόμος, hoc eſt uerbaſcum, duas ſummas habet differẽtias: alterum enim album eſt,nigrum alterum. album verò alterum maſculum; alterum fœmina. ac fœminæ quidem folia braſſicæ ſunt, ſed hirſutiora, candidioráque: caulis cubitalis,& maior,albus,modicè hirſutus,flores cãdidi, ſubuirides, ſemen nigrum: radix longa, acerbi guſtus,craſſitudinis digiti. naſcitur in campeſtribus. Alterum maſculum dicitur *λευκόφυλλον, hoc eſt, albis foliis*, oblõgum,ſed foliis anguſtioribus, & caule tenuiore. Nigrum quoque eſt albo in rebus omnibus ſimile,veruntamen latiora nigrioráque habet folia. Quod verò ſylueſtre nominatur,excelſas virgas,arboreſcentéſque, ac folia ſaluiæ ſimilia fert, & ramos in virgis habet, vt marrubium: florem luteum auri fulgore.Sunt etiam verbaſcula duo hirſuta,terræ inhærentia,foliis rotundis. Eſt & tertium verbaſcum,(quod lichnitin,quidam verò thryallida vocant) id tria,aut quatuor, aut etiam plura fert folia, craſſa,pinguia,hirſuta,ad funiculos lucernarum accommodata.

Φοῖνιξ, id eſt palma, (quam aliqui elaten, aut ſpatham vocant)fructus palmarum adhuc florentium inuolucrum eſt. eo vtuntur vnguentarii in vnguentis conſpiſſandis. præſtantiſſimum eſt quod odoratum eſt,adſtringens, graue,præcluſum,intus pingue.

Phœnix ab aliquibus rhus, ab aliquibus aichynopes vocatur:folia habet hordei,ſed breuiora & anguſtiora:ſpicam lolio ſimilem,ramos radici inuolutos,ſenum digitorum:ſpicas verò ſeptenas aut octonas.oritur in aruis & tectis recens illitis.

Phu(quod aliqui ſylueſtre nardum vocant) naſcitur in Ponto foliis elaphoboſci,aut oluſatri.caulem habet cubitalem, aut maiorem; læuem, tenerum, purpureum, in medio cauum; geniculis diſtinctum: flores narciſſo proximos, maiores tamen, & in ſubalbo colore purpureos. Radix verò ſuperius ad digiti minoris craſſitudinem accedit, habétque adnaſcentes ex obliquo radices exiguas, vt iuncus odoratus, aut veratrum nigrum, inter ſe complicatas, ſubflauas, odoratas, nardum odore referentes, cum quadam viroſa grauitate coniuncta.

Φῦκος θαλάσσιον, id eſt, alga maris, uel fucus marinus, partim latus eſt,partim oblongus & puniceus,partim candidus; qui in Creta ad terram naſcitur, valde floridus, & non putreſcens; omnes verò habent adſtringendi poteſtatem. Nicander autem author eſt,puniceum venenatis prodeſſe: quem exiſtimauerunt quidam eſſe fucum quo mulieres vtuntur, quum tamen ſit radicula eiuſdem nominis,quam ad eam rem mulieres adhibent.

Phyllitis folia emittit lapatho ſimilia, oblongiora vernantioráque,ſena aut ſeptena,recta, interiore ſui parte læuia, à tergo autem penſiles quaſi vermiculos quoſdam tenues habentia.naſcitur in vmbroſis locis, & hortis, guſtu acerbo: eáque nec caulem, nec fructum, nec florem profert.

Χ

Χαλβάνη, hoc eſt Galbanum, liquor eſt ferulæ in Syria naſcentis, quod nonnulli metopium vocant. Probatiſſimum galbanum eſt quod thuris ſpeciem gerit, grumoſum,purum,ligni expers,ſeminis ac ferulæ aliquid admixtum habens,odore graui,neque valde humidum, neque adeo aridum. Adulteratur admixta reſina & lomento fabarum & ammoniaco. Si tamen purgare ipſum velis, in feruentem aquam demittito. quum enim fuerit liquefactum,eius ſordes fluitabunt quibus ſeparatis, mundo linteo raróque alligatum in fictili picato aut ærea pyxide ita pendeat vt imum vaſis ne contingat, & obturato vaſe in aquam feruidam demittito.ſic enim quod vtile in eo eſt, in vas quaſi per colum eliqueſcet: quod verò lignoſum fuerit,in linteo remanebit.

Chamædaphne(quam aliqui laurum Alexandrinam vocant)virgis aſſurgit cubitalibus,ſingulari conſtantibus ramo,tenuibus,rectis,læuibus, foliis lauri, multo tamen læuioribus & viridioribus. fructum rubrum fert, foliis adnatum.

Chelidonium maius (quod aliqui othonion vocãt) caulem habet cubitalem, & maiorem, tenuem, qui multas habet appendices foliis plenas: folia ranunculi,tenuiora tamen, & colore modicè cæſio. In ſingulis foliis flos eſt,vt albæ violæ. Succus croceus ei ineſt, acer, mordens,& aliquantulum ſubamarus, graueolens, radix in ſuperiore parte vna, in inferiore multæ. Fructus eſt qualis papaueris cornigeri, tenuis longúſque, in quo ſemina ſunt,papaueris ſemine maiora. Huius ſuccus in vaſe æneo cum melle coctus ad carbones ignitos, ad oculorum claritatem facit.Exprimitur autem ſuccus ex foliis,radice,& fructu,ineunte æſtate:in vmbra ſiccatur,in paſtillos redigitur,reponitur.

Chelidonium minus (quod agreſte triticum quidam vocauerunt)parua herba,ex pediculis pendens,caule vacans:foliis hederæ,rotundioribus tamen,ſubpingui-

búſque veſtita: radices habet ex eodem callo prodeuntes, puſillas,complures,tritici modo coaceruatas: quarum tres aut quatuor in longitudinem abeunt.iuxta aquas & lacus exoritur.

Chamæciſſus folia habet hederæ ſimilia, longiora tamen tenuioráque, & multa:ramulos dodrantales,foliorum admodum plenos, quinque aut ſex à terra prodeuntes:flores albæ violæ, ſed minores,& guſtu valde amaro: radicem albam,inutilem.naſcitur cultis locis.

Chamelæa ramos dodrantales profert.frutex ipſe ſurculoſus eſt : foliis oliuæ,ſed tenuioribus,& denſis,guſtum mordentibus,& arteriam deradētibus.

Chamædrops (quæ aliis chamædris, aliis teucrium eſt)aſperis ſaxoſiſque locis prouenit.frutex dodrantalis,foliis minutis,figura & diuiſura quercus, amaris, flore ſubfuluo,paruo.carpenda eſt ſemine prægnans.

Chamæpitys(quam in Ponto holopyron, in Eubœa ſideritin, Athenis verò Ioniam vocant) herba eſt per terram ſerpēs,ſubcurua:folia habet minoris ſemperuiui, ſed paulo tenuiora,hirſuta,frequētia, pinguiora circa ramos, pini odore.flores habet tenues,luteos,aut albos:radicem, vt cichorium. Eſt & alera chamæpitys ramis cubitalibus in anchoræ ſpeciem curuatis,tenui cortice, coma ſupradi ctæ,flore candido,ſemine nigro,quæ pinum itidem redolet. Tertia eſt quæ maſcula dicitur. herbula autem eſt foliola habens candida, tenuia hirſuta, caulémque album, hirſutum,& floſculos luteos, exigua denique ſemina circum alas,quæ non ſecus pineum odorem exhalant.

Chamæleo albus (quod ixiam,tracto à viſco nomine vocant aliqui, propterea quòd alicubi viſcum ad eius radices inueniatur, & quo loco maſtiches mulieres vtuntur) folia habet ſilybo carduóve ſimilia, nigri tamen chamæleonis foliis aſperiora acutioráque : caulem non promit, ſed ex medio ſpinam echino marino aut cinaræ ſimilem erigit.flores habet purpuraſcentes, capillorum figura,qui in pappos euaneſcunt: fructum cni co ſimilē:radicem læto ſolo craſſam, montanis verò graciliorem, candidámque intus, aromaticam quodammodo,grauis odoris,& dulcem.

Chamæleo verò niger(quam aliqui vlophonon, aliqui ixiam,aliqui cynomachon, aliqui ocimoidēm vocanerunt) habet ipſe quoque folia carduo ſimilia,minora tamen,& tenuiora,& rubra diſtincta. Caulem promit digiti craſſitudine,dodrantalem,rubentem, in quo vmbella,& aculeati flores,tenues,hyacinthi figura,& verſicolores inſident.radix ſubeſt craſſa, nigra, denſa interdum, exeſa, quæ diſſecta flaueſcit, & commanducata mordet, Oritur autem campeſtribus, ſiccis, cliuoſis, & maritimis tractibus.Chamæleo verò nominatur quòd foliorum colorem mutet: colorē enim cum terra in qua herba naſcitur,mutant,vt hic admodum viridia,illic rufa,alibi ſubcandida, alicubi cærulea, & nonnullibi rubra pro locorum differentia comperiantur.

Chamæſyce,aut Syce,ramos quaternùm digitorum,

A in terram deiectos, teretes, liquoris plenos emittit: folia lenticulæ,figura peplo ſimilia, parua,tenuia,humi ſtrata. ſub foliis fructus eſt rotundus,vt in peplo.hæc neque flores neque caulem profert.radix ei eſt tenuis, ad nullam tem vtilis.naſcitur ſaxoſis ſqualidiſque locis.

Χολή,id eſt fel,eius omnis ſeruandi hæc eſt ratio: Fel recens capito,oſculum lino obligato, tandiu in feruenti aqua teneto quandiu ſpatium trium ſtadiorum quis currendo conficeret: mox eximito, vmbroſo & humoris expertē loco ſiccato. Quod verò oculorum medicinæ ſer-

B uandum eſt, ligatum lino in vitreum vas, quod mel habeat,immittito,lini principio ad os vaſis circumuoluto, & operto vaſe recondito.

Χόνδρος, hoc eſt alica, fit ex zea quæ bina grana gerit, quam δίκοκκον vocant. Magis nutrit alica quàm oryza, aluúmque cohibet,& ſtomacho eſt vtilior.

Chondrilla foliis, caule, floribúſque eſt cichorio ſimilibus: quamobrem nonnulli hanc intybi agreſtis ſpeciem eſſe dixerunt, ſed eſt tota tenuior.in cuius ramuſculo gummi ſimile maſtichæ,fabæ magnitudine,inuenitur.

C Eſt etiam aliud chondrillæ genus, folium ferens circumroſum,oblōgum,humi ſparſum,caulem liquoris plenum,radicem tenuem:in cuius ſummo vertex eſt rotundus,ſubflauus,liquore refertus.

Chryſocome (quam chriſitin vocant) virgula eſt dodrantalis, quæ comam corymborum figura hyſſopo habet ſimilem: radicem valde piloſam, tenuem, vt nigri veratri; guſtu non inſuaui, qui vt in cypreſſo fit, in dulci leniter auſterus ſentitur:in opacis ſaxoſiſque naſcitur.

D Ψ.

Ψύλλιον (Pſyllium aliqui cynocephalon, aliqui cryſtallion, aliqui cynomyiam vocant) folia habet coronopi, hirſuta, ramos dodrantales, totáque herbula fœni inſtar ſarmentoſa eſt. eius coma à medio caule incipit duobus tribúſque conuolutis in cacumine capitibus:in quibus ſemen eſt pulicibus ſimile,nigrum.in aruis gignitur.

Ψευδοβύνιον frutex eſt palmi altitudine, in Creta naſcens,habétque folia bunio ſimilia.

E Ω.

Ὤκιμον. Notum omnibus ocimum eſt.hoc,ſi largius eo quis veſcatur, oculorum aciem hebetat: aluum etiam mollit,inflationes facit: vrinam ciet, lac prouocat, ægrè mutatur in ſtomacho. Afri addunt, ſi à ſcorpione vulneretur qui ocimum comederunt, eos nullo dolore conflictari.

F *Ὠκιμοειδὲς,hoc eſt ocimaſtrum*, folia habet ocimi: ramulos dodrantales, eoſdémque hirſutos: ſiliquas hyoſcyamo ſimiles,nigri ſeminis plenas,ad melanthii ſimilitudinem.

De facultate atque apparatu metallicorum, ex Dioſcoride.

A

AΛΣ, *hoc eſt ſal*. In omni ſalis genere foſſilis eſt efficaciſſimus: communiter verò cādidus, calculis vacans, pellucidus, denſus, concretione ſua æqualis: peculiariter genere ammoniacus, ſciſſilis, & qui rectis fit venis. Vritur fictili diligenter operto ne exiliat, conditóque prunis, donec igni candeſcat. Aliqui foſſilem ſubacto polline oblinunt, & carbonibus ſubiiciunt vſquedum eius cruſta exuratur.

Ἁλὸς ἄχνη, hoc eſt ſpuma ſalis, eſt maris ſpumoſum ramentum, in exilibus petris inuẽtum, quod eiſdem eſt quibus ſal, viribus præditum.

Ἁλὸς ἄνθος, id eſt flos ſalis, flumine Nilo defluit: lacubus tamen quibuſdam innatat: ſumendus qui crocei coloris eſt, odoris ingrati, vt gari, & grauioris etiam guſtu, mordacioris ſubpinguiſque: qui verò rubricæ colore ruber, grumoſuſque eſt, improbatur.

Adarce verò quæ dicitur, in Galatia fit. eſt autem tanquam concreta ſalſugo, humidis ac paluſtribus locis ſiccitate emergens, harundinibúſque & herbis agglutinatur. colore verò flori lapidis Aſii ſimilis eſt: totáque forma molli, & modicè cauo alcyonio proxima, vt lacuſtre alcyonium videatur.

Alcyonii ſunt quinque genera. vnum denſum eſt, rythmo ſpongioſum, tetri odoris, graue, piſcem olens, quod copioſum in littoribus inuenitur. Alterum eſt pinnis oculorum, aut ſpongiæ ſimile, fiſtuloſum, leue, algæ odorem referens: tertium vermiculatum eſt, coloréque & forma purpureum, ad vnguis ſimilitudinem, quod Mileſium quidam vocant. Quartum eſt lanis ſuccidis ſimile, fiſtuloſum, leue: quintum fungi figuram refert, odoris expers, aſperum, intus ad pumicis ſimilitudinem quandam, foris læue acréque. Ex his primum & ſecundum vſui ſunt mulieribus, & ad lentigines, & ad lichenes, & ad lepras, & ad vitiligines, & ad nigrores, & ad maculas faciei ac totius corporis exterendas. Tertium verò facit ad eos qui vexātur vrinæ difficultate, aut arenulas in veſica colligunt: idoneum quoque & renibus affectis, aquæ inter cutem, & lieni: vſtum autem, & ex vino illitum, alopecias curat. Quartum dentes facit candidos, & ad alia ſmegmata & pſilothra aſſumitur. Si aliquod horũ cremare velis, in crudam ollam coniicito, lutóque circumlito ore eius, in fornacem mittito: quum fictile coctũ fuerit, extractum ad vſum reponito. Lauatur autem vt cadmia.

Armenius lapis præfertur is qui læuis eſt, colore cæruleo, æqualis, & calculo vacans, & friabilis. eadem præſtat quæ chryſocolla, ſed tamen inefficacius. auget etiam pilos palpebrarum.

Auripigmentum in eiſdem metallis in quibus ſandaracha gignitur. Optimum eſt cenſendum quod muſtaceum, aureóque colore eſt, & cruſtas eas habet ſquamarũ modo ſibi inuicem ſuperiacentes, & quod alteri materiæ non permixtum eſt. tale eſt quod in Myſia Helleſponti naſcitur. huius duo ſunt genera: alterum quale diximus, alterum glebæ modo, & colore ſandaracham imitans. Ex Ponto & Cappadocia adfertur quod etiam ſecũdas tenet. Crematur hoc modo: In nouam teſtam coniectum ignitis carbonibus ſuperponitur, aſſiduè verſatur donec igni flagret, colorémque mutet: tum refrigeratum tritúmque reconditur.

Ἄσβεστος, hoc eſt calx uiua, hoc modo fit: Sumito marinarum buccinarum teſtas, carbonibus eas obruito, aut in ignitum clibanum imponito, & nocte permittito. Poſtero die ſi candidiſſimæ fuerint, extrahito: ſin ſecus, iterum vrito vſquedum penitus albæ fuerint redditæ: deinde vbi in frigidam aquam fuerint immerſæ, in fictile nouum cõiicito, & pannis diligenter operiens, noctem vnam ſinito; manè eas extrahens: vbi ex omni parte calx confecta fuerit, reponito. Fit etiam ex littoralibus calculis igni crematis, & ex vili marmore, quæ cæteris antefertur. Vis omni viuæ calci communis eſt feruida, mordens, adurens, & cruſtas inducens: quibuſdam aliis immixta, vt adipi aut oleo, concoquendi, molliendi, diſiiciendi, vlcera ad cicatricem perducendi vim aſſumit. efficacior exiſtimanda eſt recens, & quæ aqua non fuerit conſperſa.

Ἀσβολή, hoc eſt fuligo, qua pictores vtuntur, ex officinis vitrariis ſumenda eſt, ſiquidem ea eſt præſtantior.

Γ

Γῆ, hoc eſt terra. Omnis terra quæ ad medicinæ vſum recepta eſt, ſummam vim habet refrigerandi, & meatus obducendi: ſpecie verò differt inter ſe, quum alia aliis quibuſdam adiuncta, fit ad alia vtilis. Eretriæ igitur altera eſt vehementer candida, altera cinerea. optima cinerea eſt perquam mollis, quæque per æs ducta, violacei coloris lineam in eo linquit. Lauatur vt ceruſſa, aut hunc in modum: Læuigato ex ea quãtum velis per ſe, & per diem in aqua terito, ſinito deinde vt conſidat: vbi conſederit, omni aqua leuiter excolata, terram in ſole ſiccato, & iterũ per diem in aqua terito: veſperi dimittito vt cõſidat: mane verò omni aqua excolata in ſole terito, ac paſtillos conformato. ſi toſta opus ſit, paſtilli magnitudine ciceris in fictile perforatum coniiciuntur, oréque vaſis accuratè obturato, ſupra carbones igni candentes continenter follibus perflantur. quum verò cineri aërio magis ſimilem colorem fuerint nacti, aufer atque repone. vim habet hæc adſtringendi, caua explendi, & cruenta agglutinandi.

Samia verò terra anteferenda eſt quæ candidiſſima eſt, leuis, tangenti linguæ glutinis modò adhæreſcens, ſuccoſa, mollis, friabilis: qualis eſt quam quidam collyrium vocant. eius duæ ſunt ſpecies: ea quæ modò eſt dicta, & after qui Samius nominatur: éſtque hæc gleboſa, & cotis modo denſa. Vritur, lauatúrque vt Eretria, & eandem vim habet, ſanguinis reiectationes ſiſtit, & cum balauſtio datur mulieribus fluore vexatis. Teſtium & mammarum inflammationes ex aqua & roſaceo illita ſedat, ſudoréſque cohibet. Chia eligi debet candida, ad cinereum colorem vergens, ac Samiæ ſimilis: gleboſa autem eſt & tenuis, ſed efficiendi forma differens. eandem facultatem habet quã Samia. faciem extendit, & ſplendidam reddit, in eáque & toto etiam corpore colorem commendat. in balneis verò pro nitro deterget. Selinuſia verò idem efficit. præſtantiſſima eſt quæ candidiſſima eſt, & ſplendet, friabilis, quæque humore conſperſa citò diluitur. Cimolia quædam candida eſt, quædam purpuraſcens, & innatam pinguedinem quãdam habet, tactúque frigida ſentitur, quam optimam eſſe exiſtimandum eſt.

Quæ verò Pnigitis dicitur, colore quodammodo eſt Eretriæ ſimilis, craſſiores autem habet glebas: refrigerãs, & friabilis eſt, ſiquis eam manibus contingat. linguæ verò ita glutinatur vt ex ea pendeat. eadem vi prædita eſt qua Cimolia, ſed paulo inferiore. hanc aliqui pro Eretria vendunt. Melia terra colore cineream Eretriã imitatur, aſpera tactu, & manibus friata deraſi pumicis inſtar crepitat. vim habet aluminis, ſed minus efficacem, id quod guſtu dignoſcitur. modicè autem linguam ſiccat: purúmque ac coloratum corpus poteſt reddere, pilóſque extenuare, vitiliginéſque ac lepras exterere. pictoribus vſui eſt, vt colores diutius durent, & viridibus emplaſtris eſt accommodata. Ex hac verò, & item ex aliis omnibus terris eam eligito quæ calculis vacat, mollis, recens, friabiliſque eſt, & quæ nacta humorem celeriter diluitur. Ampelitis verò (quam pharmacitin vocant) in Seleucia Syriæ naſcitur, nigra, piceæ longos carbones referens, aſſulæ modo ſciſſa, æquabili ſplendore, quæ detrita accepto oleo ſtatim liqueſcit, primas tenet. Improbatur verò quæ

tenuis eſt cinereáque,& quæ non liquatur.vis ei diſſoluendi refrigerandíque ineſt.Vſus eius ad palpebras cohoneſtandas, & capillum tingendum. vtilis quoque eſt vngendis vitibus, antequam gemmas emittant, vtpote quæ vermiculos innaſcentes enecet. Lemnia terra (quam ſigillum vocant)ex cuniculo quodam antri defertur.

Gypſum vim habet adſtringendi, obſtruendi: ſanguinis eruptiones & ſudores cohibet:epotum verò ſtrangulando iugulat.

Δ

Diphrygis ſunt tria genera:quoddam enim metallicum eſt,quod in Cypro ſola naſcitur.lutoſum nanque extrahitur ex cœno cuiuſdam inibi ſpecus,tum in ſole ſiccatur,mox circumpoſitis ſarmentis vritur, vnde diphryges nomen inuenit, propterea quòd & à ſole & à ſarmentis propemodum frigatur: alterum quaſi æris quum perficitur, ſubſidens & fæx eſt, habétque & adſtrictionem æris atque guſtatum.Tertium hoc modo conficitur: Lapidem qui pyritis vocatur,in fornacem coniiciunt, vrúntque pluribus diebus calcis modo,quúmque colorem rubricæ cõtraxerit,eximunt atque recondunt.Anteponendum cæteris eſt quod æris guſtum refert, adſtringitque, & linguam vehementer exiccat: quod exuſtæ ochræ non ineſt, quam qui cremant,pro diphryge vendunt.

Θ

Θεῖον, hoc eſt ſulfur, præſtantiſſimum eſt quod ignem non eſt expertum, colore ſplendido, pellucido, & quod calculorum eſt expers: quod verò ignem expertum eſt, probatur viride & præpingue.plurimum in Melo & Lipara gignitur.

I

Indicum alterum ſua ſponte naſcitur tanquam ſpuma ex Indicis arundinibus exiens: alterum in officinis infectorum inuenitur: éſtque ſpuma purpurea cortinis innatans,quam detractam artifices ſiccant.optimum cenſetur quod cæruleum eſt,ſuccúmque & læuorem habet.

Ἰός, hoc eſt ærugo raſa,fit hoc modo: In cadum ſimiléve aliud vas, acetum quamacerrimum infunditur, deinde vas æneum inuerſum ſuperponitur, aptius quidem conuexo,ſin minus,exæquato fundo.ſit autẽ abſterſum, nullúmque ſpiramentum habeat.poſt decimum diem operculum quo vas obturaueras,detrahitur, inſidénſque ærugo deraditur. In Cypriis quoque metallis æruginem gigni ferunt,lapidibus quibuſdam æs habẽtibus, in quibus effloreſcit ærugo:addúntque per Caniculæ æſtum è ſpecu quodam prodire, ſed illam & paucam eſſe & optimam: hanc verò è ſpecu effluentem,copioſam quidem, & boni coloris, ſed vitioſam, quòd lapides permultos collegerit. Adulteratur multis aliis rebus admixtis, vt pumice, vt marmore,vt atramẽto ſutorio. Pumicem, marmórque,& ſimilia deprehendemus, ſi ſiniſtræ manus pollice humore conſperſo, æruginis portiunculam altero atteramus:ſiquidẽ ærugo diffundetur, marmor verò aut pumicis partes non diſſipatæ coibunt, ac denique ex maiore attritu & humoris permiſtione exalbeſcent. quin dentibus quoque dignoſcitur:nam quæ ſincera eſt,læuis & non aſpera, illis cedit. Atramenti ſutorii index eſt ignis:ſi enim fictile,aut lamina ærugine adulterata illinatur, & feruente cinere,aut carbonibus alterutrum incaleſcat,mutabitur,rubeſcétque ea quæ atramentum ſutorium habebit: quod ei natura comparatum eſt,vt cremãdo talem colorem nanciſcatur. Æruginis autem quæ vermicularis dicitur,genera ſunt duo: alterum foſſile, alterum ſic conficitur: In mortarium ex Cyprio ære, cui piſtillus ex eodem ære ſit coniunctus, albi acriſque aceti dimidiam heminam infundito, piſtillóque tandiu conterito dum ad ſtrigmenti craſſitudinem perducatur: deinde aluminis rotundi drachmam,ſalíſque foſſilis pellucidi aut marini quam candidiſſimi & ſolidi.Si ſal non ſuppetat,nitri par pondus coniicito, atque in ſole terito ſub æſtu Caniculæ, donec æruginis colorem, & ſtrigmenti ſordiúmve cõſiſtentiam acquirat:denique in vermiculos Rhodiacis ſimiles conformato ac reponito.Efficax autem,& valde boni coloris redditur ſi aceti partem vnam, vrinæ veteris partes duas indas,cæteráque vt dixi conficias. Sunt qui æruginí raſæ gũmi admiſceant,in formáſque digerant,quod genus vt vitioſum improbatur. Eſt & alia ærugo quam aurifices mortario piſtillóque Cyprii æris,& pueri vrina conficiũt, eáque aurum ferruminant.Antedicta autem æruginis genera æri combuſto proportione reſpõdent, ſed efficacius agunt.Sciendum verò eſt vermicularem æruginem foſſilem principem locum tenere:raſa fert ſecundum:ea denique quæ fit, poſtremum: & tamen hæc mordacior eſt, & magis adſtringit:aurificum autem ærugo raſæ reſpondet. Vratur ærugo,quamcunque velis,hoc modo: Minutiſſimè fracta in fictili patina impoſita ignitis carbonibus admouetur:verſatur donec ſe mutet, colorémque cinereum contrahat:tum refrigerata ad vſum reponitur. Nonnulli verò in olla cruda(vt ſuprà diximus)eam comburunt:ſed non prorſus in eundem colorem cremata mutatur.

K

Cadmia præſtantiſſima eſt Cypria,quæ botryitis nominatur,denſa,modicè grauis,& ad leuitatem potius vergens,ſuperficie racemoſa,colore ſpodii,quæ confracta cinerem intus habet,& æruginoſa eſt.huic proxima eſt quæ foris cærulea eſt, intus verò decurſus venarum onychitæ lapidi ſimiles habet. Eſt etiam alia quæ cruſtoſa dicitur,ſectionibus quibuſdam quaſi zonis cincta: quamobrem zonitem eam vocant. Quædam oſtracitis appellatur,gracilis, & magna ex parte nigra: eáque terream aut teſtaciam ſuperficiem habet: candida verò reprobatur. Cæterùm botryitis & onychitis oculorum medicinis ſunt vtiles:reliquæ ad emplaſtra & ſicca medicamenta cicatricem inducentia ſunt accõmodatæ. Cypria ad eadem facit:quæ verò ex Macedonia,Thracia, & Hiſpania afferuntur,improbantur. Sunt qui in lapidum fodinis inueniri cadmiam aſſerant,falſi nimirum à lapidibus qui ſunt cadmiæ perſimiles:nam alius lapis ignem expertus atque refrigeratus colorem mutabit, & leuior fiet: cadmia verò nihil mutat,niſi quis per multas eam horas adurat. Fit etiam in argenti fornacibus candidior, minus ponderoſa,minúſque efficax. Vritur prædicta cadmia carbonibus obruta donec pellucida fiat,& modo ſcoriæ ferri bullas emittat: mox vino Aminæo extinguitur: quæ ad ſcabiem paratur, aceto. Alii ſic exuſtam in vino terunt, rurſúmque fictili crudo torrent, donec pumicis ſpeciem acquirat: iterúmque tritam ex vino, tertiò vrunt, donec in cinerem prorſus redigatur,nihilque aſperitatis habeat:eáque ſpodii loco vtuntur. Lauatur in mortario trita, aqua effuſa vſquedum ſordes nullæ ſubſidant, tum in paſtillos redacta reponitur.

Cinnabarin idem eſſe quod minium quidam falſò exiſtimant: nam minium in Hiſpania ex lapide quodam argenteæ arenæ permixto conficitur, qui alioqui non dignoſcitur. in fornacibus autem floridum & fulgentiſſimum colorem contrahit: in metallis verò ſtrangulantem halitum eructat,itaque faciem veſicis obducunt,vt per illas videant, aerémque non attrahant.Eo vtuntur pictores ad elegantiora parietum ornamenta.At cinnabaris affertur ex Lybia,& maiore pretio venditur: tantáque eſt eius copia vt vix pictoribus ad variandas picturæ lineas ſatis ſit:profundi autem coloris eſt, ob eámque cauſam cinnabarin eſſe draconis ſanguinem plerique crediderunt.

Ciſſeris, *hoc eſt pumex*, probatur qui leuis,fiſtuloſus, ſciſſilis, & non calculoſus eſt, quique teri facilè poteſt, & candidus eſt.Vritur hoc modo:Cape eius quantum velis, flagrantiſſimis carbonibus obrue:vbi igni candens ſit redditus,extrahe, vino odorato reſtingue, iterúmque incenſum extingue.tertia verò vſtione peracta ſine vt per ſe refrigeretur, & ad vſum repone.Theophraſtus verò author eſt, ſiquis in bulliens vini dolium pumicem coniecerit, feruorem ſtatim ſedari.

Corallium (quod aliqui lithodendrum vocauerunt) marina eſſe planta videtur, quæ profundo extracta mari duratur,tanquam offuſo nobis aere cõcreſcat. plurimum prope Syracuſas ad promontorium Pachynum inuenitur.Laudatiſſimum eſt rufum, colorémque antherico aut ſandyci ſaturatæ ſimilem habet, & ſimili modo friabile eſt,& tota cõcretione ſua æquale:algæ que aut fuci marini

odorem reddit:ad hæc ramoſum,cinnamomi modo,forma fruticis.quod verò lapidoſum eſt,concretione ſcabrũ, fiſtuloſum,& inane eſt, vitioſum eſſe cenſendum eſt. adſtringendi verò,& leniter refrigerandi vim habet.

Cæruleus in ærariis fodinis in Cypro naſcitur:copioſior verò ex arena littorali,& in quibuſdã ſubcauatis maris ſpecubus inuenitur,qui eſt etiam præſtantior. Eligendus eſt is qui valde ſatur ſit. Vritur vt chalcitis, lauatur vt cadmia:vim habet reprimendi,modicè adſtringendi, & cruſtas inducendi.

A

Lythargyros, *hoc eſt argenti ſpuma*, quædam ex arena fit,quæ molybditis nominatur, in fornace vſquedum tota in ignem penitus tranſierit, excocta: quædam verò ex argento,quædam ex plumbo. Cæteris præſtat Attica:ſecundo loco cenſetur Hiſpana,quas ſequitur ea quæ in Dicæarchia & Sicilia eſt. appellatur verò quæ flauo colore eſt & ſplendet,chryſitis,quæ eſt etiam potior:liuida verò, argyritis:quæ ex argento fit,calauritis. Vim habet adſtringendi, refrigerandi, occludendi, molliendi, caua explendi, carnes excreſcentes reprimendi,cicatrices inducendi. Vritur confractis partibus ad iuglandium magnitudinem prunæ ſuperpoſitis,& follibus ita perflatur vt igni candeſcat.ſordes inhærentes abſterguntur,& ipſa purgata reponitur. Quidã aceto aut vino eam extinguentes ter vrunt: hácque re confecta, eam reponunt. Lauatur vt cadmia. Candore autem perfunditur hoc modo: Sumitur argyritis,aut ſi hæc deſit,alia: eam in partes fabarum magnitudine confractam modii Attici menſura,in fictile nouum coniicito, aquam affundito, candidi tritici par pondus addito, priuatímque pugillum hordei linteo puro colligato, & è fictilis aure ſuſpendito, & donec hordeum diſrumpatur,coquito: deinde omnia in craterem ampli oris tranſfunduntur,triticum abiicitur, ſpuma argenti manibus adhibita vi confricatur, & aqua affuſa lauatur:tum excepta & ſiccata,in Thebaico mortario teritur, aqua feruente affuſa,donec diſſoluta fuerit. Aqua excolata iterum tota die teritur,& veſperi calida aqua infuſa ſinitur. Manè colo traiecta,alia infunditur,& ſic permittitur, & excolatur: hócque ter in die fit per dies ſenos:poſtea verò ad ſingulas ſpumæ argenti minas additis quinque ſalis foſſilis drachmis,affuſáque aqua calida, ter die teritur, & addita aqua excolatur. Quum inalbuerit,calidam aquam infundens idem facito, donec ſalſuginem prorſus depoſuerit: demum ardentiſſimo ſole ſiccata, humore prius abiecto reponitur. Quidã ſalis pondo,ſpumæ argenti tantundem in ſole ex aqua terunt,continenter mutantes, dum candor ei accedat. Lota videtur oculorum medicinis conuenire, ad fœdas cicatrices, & facies rugis & maculis plenas facere.

Lapis Phrygius, quo infectores in Phrygia vtuntur, præſtantiſſimus eſt pallidus, modicè grauis, & inæquali concretione coloris: candidas ſiquidem cadmiæ modo venas habet. Vritur autem hoc modo: Vino optimo perfuſus, viuiſque carbonibus obrutus follibus aſſiduè perflatur, donec mutato colore fulueſcat: rurſus extractus eodem vino reſtinguitur: iterúmque ad carbones admoueto,atque idem facito, eúmque tertiò vrito. ſed animum attendito ne frietur, & in fuliginem euaneſcat. Lapis Pyrites ſpecies eſt lapidis à quo æs conflatur. eligi debet qui æri ſit ſimilis, & facilè ſcintillas emittat. Sic vrendus eſt: Melle irrigatur,mollibus carbonibus imponitur,follibus continuò perflatur, donec fuluum colorem acquirat. Alii in multos carbones igni candentes lapidem copioſo melle perfuſum deiiciunt, & vbi ad fuluum vergere colotem cœperit, extrahunt, flatúque cinerem diſiiciunt, & rurſus non perfuſum vrunt, donec totus æqualiter fragilior fiat. ſæpe enim ſola tantummodo ſuperficies vritur. ita autem crematus ſiccatúſque recõditur. Si loto opus ſit, vt cadmia lauandus. quidam verò hunc ita crematum, diphryges vocant. Lapis Aſius probatur qui pumicis colore, fungoſus, leuis, & friabilis ſit, venáſque in profundo luteas habeat. eius flos eſt ſalſugo ſummo lapide inſidens, tenui compage, colore cum albo, tum pumici ſimili, ad luteum vergente. Linguæ autem admotus eam leniter mordet. Fiunt ex hoc lapide folia in quæ podagrici pedes mittentes iuuantur. fiunt etiam pulueres carnem exedentes: corporáque carne onuſta craſſáque extenuant in balneo pro nitro illiti. ſi lauare hos quiſpiam velit, cadmiæ modo lauabit. Lapis Hæmatites optimus eſt, friabilis, in ſeipſo durus, ſaturatus, æqualis, nullius ſordis particeps, nulliſque lineis variatus. vim habet adſtringendi, aliquantulum calfaciendi, attenuandique. Vritur perinde ac lapis Phrygius, ſed nullo vino perfunditur. modus vſtionis eſt vt modicè leuis fiat, & bullis intumeſcat. Sunt qui eum ſic adulterinum faciant: Denſam rotundámque Schiſti lapidis glebam (quales ſunt quæ radices eius appellantur) in fictilem vrceũ qui cinerem feruentem contineat, obruũt: vbi paululum dimiſerint, eximũt, attritúque in cote probant, ſi hæmatitæ colorem duxit: ſi ita ſit, reponunt: ſin minus, iterum in cinere condunt, & ſubinde conſpiciunt, & periculum faciunt. nam ſi diutius in eo cinere relinquatur, colorem mutat, móxque diffunditur. Vitiatus deprehenditur, primùm lineis quas pectinum modo per longitudinem diuiſas habet: hæmatites verò eas habet vt ſors tulit: tum colore quem hic floridũ reddit, hæmatites verò profundiorem, & cinnabari ſimilem. Inuenitur etiam in Sinopica rubrica: itémque in magnete lapide permultum combuſto hæmatites fit. qui verò per ſe naſcitur, in Ægypto inter metalla prouenit. Lapis Schiſtos, *hoc eſt ſciſſilis*, in Iberia Hiſpaniæ gignitur. Laudatiſſimus eſt qui croci colorem æmulatur, éſtque friabilis, & ſuapte natura bene ſciſſilis. concretione verò, & mutuo linearum quas pectinum modo habet diſcurſu, ammoniaco ſali ſimilis videtur. Gagates probatur qui celeriter accenditur, & odorem bituminis reddit. niger plerunque eſt, ſqualidus, cruſtoſus, & valde leuis. Naſcitur in Lycia, inuenitúrque prope oſtia fluminis in mare exeuntis. flumen autem Gagas nominatur. Thracius in Scythia naſcitur, in fluuio qui Pontus vocatur. eadem ei vis quæ Gagatæ. Traditur aqua accendi, oleo reſtingui: quod etiam in bitumine accidit. Magnes optimus eſt qui ferrum facilè trahit, colore ad cæruleum vergente, denſus, & non admodum grauis. vim habet craſſos humores educẽdi, ſi cum aquâ mulſa pondere trium obolorum detur. quidam hunc vrẽtes, pro hæmatite vendunt. Arabicus lapis maculoſo ebori ſimilis eſt. Qui verò Galactites dicitur, hoc vocabulo gaudet quòd lacteum ſuccum ex ſe mittat: cinerei tamen coloris eſt, ac guſtu dulcis. ad oculorum fluxiones & vlcera vtiliter illinitur. is in aqua tritus pyxide plumbea recõditur, ob vim glutinoſam quæ in eo ineſt. Melitites eſt in omnibus galactitæ ſimilis: hoc tantùm differt quòd dulciſſimum ſuccum emittit. facit ad eadem ad quæ Galactites. Morochthus (quem aliqui galaxiam aut leucographida vocãt) in Ægypto naſcitur. Hoc lapide quoniã mollis eſt, & facilè diluitur, linteorum artifices ad candorem linteis indendum vtuntur. Lapis alabaſtrites (qui onyx vocatur) crematus, reſina aut pice aſſumpta duritias diſcutit, ſtomachi dolores cum cerato mitigat, gingiuáſque comprimit. Lapis verò qui Vettenus in Æthiopia naſcitur, eſt ſubuiridi colore, Iaſpidem imitans: quum verò diluitur, lacteus videtur. vehementer autem is mordet.

Iudaicus in Iudæa exoritur, glandis effigie, candidus, forma quam elegantiſſima, lineis inter ſe æqualibus veluti torno factis diſtinguitur. is ſolutus nullam qualitatem guſtu affert. Amiantus in Cypro naſcitur, alumini ſciſſili æqualis, ex quo (vtpote flexili) telas faciunt. Cõiũctus autem in ignem ardet, ſed minimè crematus exit ſplendidior. Sapphirus lapis potui datus ad ictus ſcorpionum facere exiſtimatur: contra internas quoque vlcerationes bibitur, omniáque in oculis excreſcentia, itémque vuas & puſtulas reprimit, & ruptas eorum membranas agglutinat. Lapis Memphites ad vrbem Memphin inuenitur, calculorum magnitudine, pinguis, verſicolórque. Aiunt hunc tritum & illitum locis quæ vrendà aut ſecanda ſunt, ſine periculo ſenſum eis adimere. Selenites lapis (quem aphroſelenen, *hoc eſt Lunæ ſpumam*, aliqui nominant quia noctu in Lunæ incremento reperitur) in Arabia naſcitur, candidus, pellucidus, leuis. Iaſpis lapis, alius ſmaragdi colorem imitatur, alius cryſtalli, pituitæ ſimilis,

alius aërius, fumoſus alius, veluti fumo denigratus; alius lineis albis reſplendentibus præcingitur, alius terebinthinæ ſimilis dicitur; alius calaino gemmæ calore ſimilis. Omnes amuleta eſſe creduntur, quæ alligentur, quæque femoribus appenſa partum accelerent. Ophites lapis, alius eſt grauis & niger: alius cinerei coloris, alius punctis variatus, alius lineas candidas habet. Omnes alligati contra ſerpentum morſus, & capitis dolores proſunt. qui verò candidas habet lineas, priuatim lethargo & capitis doloribus auxiliari perhibetur. Lapides qui in ſpongiis comperiuntur, cum vino poti, lapides qui in veſica ſunt, confringunt. Oſtracites lapis teſtæ ſimilitudinem gerit, éſtque cruſtoſus. hoc eſt ad pilos euellendos pro pumice mulieres vtuntur. Smyris lapis eſt quo gemmas annularii extergunt. Is in Samia terra inuenitur. Lapis quo aurum flantes ad læuigandum, & ſplendorem inducendum vtuntur, probatur qui candidus grauíſque eſt.

M

Melan, *hoc eſt atramentum quo ſcribimus*; ex tedarum collecta fuligine conficitur: ſingulis libris gummi ternæ fuliginis vnciæ miſcentur. Fit etiam ex fuligine reſinæ & fuligine pictorum. Sumitur autem fuliginis pictorum mina, gummi ſeſquilibra, glutinis taurini vncia vna, oboli duodecim, atramenti ſutorii denarius & oboli tres.

Melanteria præſtat cæteris quæ ſulfuris colore eſt, læuis, æqualis, pura, & quæ cõtactu aquæ ſtatim nigreſcit. vim habet adurendi, ſicut etiam miſy.

Miltos, *hoc eſt rubrica ſinopica*, præſtantiſſima eſt denſa, grauis, iecoris forma, calculorum expers, concolor, valde fuſilis quum diluitur. In Cappadocia colligitur. Fertur in Sinopem vrbem, in eáque venit; vnde etiam cognomen accepit.

Quæ verò fabrilis dicitur, eſt in rebus omnibus Sinopica inferior. Optima eſt Ægyptia, & Carthaginienſis, lapidúmque expers & friabilis: gignitur etiam in Iberia quæ ad occidẽtem ſpectat, ochra cremata, & in rubricam degenerante.

Miſy anteponendum eſt Cyprium, auri ſimile, durum, quod friando auri colorem æmulatur, & ſtellæ modo ſplẽdet. Vim & vſtionẽ cum chalcitide eãdem habet, niſi quòd pſoricum ex eo non fit, exceſſúq; ac defectione differens. Ægyptiũ verò efficacia præſtat cæteris, ſed ad medicamenta oculorum eſt ſupradicto multo inferius.

Molybdos, *hoc eſt plumbum*, ita lauatur: Aquã in plumbeum mortarium coniicito, & plumbeo piſtillo tandiu terito donec aqua nigra & fæculenta reddatur. per linteũ eam traiicito, aquam ſuperfundens, vt quod detritum eſt totum tranſfundatur: idque iterum facito donec ſatis tibi eſſe videatur. Sinito vt quod lotum ſit conſidat: aquam effunde, aliã adiice, laua vt cadmiam, quouſque nihil nigri ſuperſit, & in paſtillos redactum repone. Quidam purum plumbum lima deterẽtes in lapideo mortario piſtillo lapideo terunt, aut manibus cum aqua adiecta fricãt, donec nigreſcat. mox vbi conſederit, effuſa aqua, in paſtillos cogunt. quod enim diutius confricatur, ceruſſæ ſimile fit. Alii ſcobi lima detritæ parum plumbaginis addunt: aiúntque plumbum ita lotum eſſe præſtantius. Crematur verò ad hunc modũ: Plumbi laminas quamtenuiſſimas in nouum fictile componito, inſperſóque ſulfure, alias plumbi laminas ſuperponito, rurſúſque ſulfur inſpergito: idque identidẽ facito donec fictile impleueris: tum ſuccendito. Accenſo autem plumbo, ferrea rude verſato, donec in cinerem perfectè redigatur, nihilque plumbeum appareat, auferto deinde naribus occluſis: noxius enim eſt halitus. Lauandum id eſt vt cadmia, & reponendum. vim eloti plumbi habet, ſed efficaciorem.

Molybdæna, *hoc eſt plumbago*, probatur argenteæ ſpumæ æmula, flaua, modicè ſplendens, fulua quum teritur. cocta cum oleo iecoris colorẽ trahit: vitioſa eſt quæ aërẽ aut plumbi colorem præfert. ex auro & argento cõficitur. Eſt etiam quædam foſſilis, ad Sebaſtam & Corycum inuenta: in quo genere præſtat ea quæ non habet recrementi ſpeciem, nec lapidoſa eſt: flaua verò eſt & ſplendens: vim habet ſpumæ argenti, & recremẽto plumbi ſimilem, eodémque modo lauatur & vtitur. Aptior hæc emplaſtris quæ liparæ dicuntur, & iis quæ non mordent, vtilius miſcetur. carnem creat, vlcera ad cicatricem perducit: abſtergentibus tamen medicamentis non conuenit.

N

Nitrum præferendum eſt quod leue, roſeo colore aut candido eſt, perforatum ſpõgiæ modo. Eſt autem huiuſmodi id quod ex inſulis affertur. Nitri ſpuma optima eſſe videtur quæ læuiſſima eſt, cruſtáſq; habet, ac friabilis eſt, & ſubpurpureo colore, & ſpumoſa, & mordens, qualis ex Philadelphia Lydiæ affertur. Ægyptiæ ſecundus locus datur. Quin & Magneſiæ Cariæ gignitur. Vires & vſtionem & hæc & nitrum ſali pares habent. Quidam hæc carbonibus igni candentibus vrunt, ſubiecta prius teſta noua donec incandeſcant.

Π

Pompholyx ſpecie differt à ſpodio, genere verò non item: ſiquidem ſpodium nigricat, & eſt plerunque ponderoſius, ac feſtucis, pilis, & terra plenum, ex ærariis officinis fornacibúſque veluti deraſum, & earum pauimenti purgatio. Pompholyx verò pinguis eſt, & candida, & item leuiſſima, vt etiam per aërẽ volitare poſſit. optima habenda eſt Cypria, quæ aceto macerata, æris halitum ex ſe mittit. colorẽ æruginis aliquãtulum, cœni ſapore. Sique fraudis expers flagrantibus carbonibus efferueſcat, aërium colorem contrahet. his autem notis eſt diligenter attendendum: nam à quibuſdam adulteratur glutine taurino admixto, agninis pulmonibus, aut marinis cõbuſtis groſſis, & quibuſdam aliis conſimilibus: ſed facilè dignoſcitur, ſiquidem in his probãdis nihil eorum quæ dicta ſunt, inuenietur.

Lauanda communiter pompholyx hoc modo eſt: Puro linteo mediocris raritatis pompholyga aut aridam, aut aqua maceratam colligato, in peluim aqua pluuia plenam coniicito, & aqua identidem proluito, huc atque illuc linteolum alligatum agens. ſic enim quod in ea limoſum vtiléque erit, effluet, totum verò ſedimentum in linteo remanebit. Sinito poſtea reſidere, & aquam cum cinere colis traiicito, & noua aqua infuſa agitato, & effundito: totiéſque id facito per colum traiiciens & effundens, donec nihil arenoſum ſubſidat. poſtremò verò aquam exprimito, & ſiccatum cinerem reponito. ſi verò cinerem cremare oporteat, eam diligenter tritam aqua conſperges, & in paſtillos redactam in fictile nouũ indito, ſubiectíſque leuibus carbonibus orbiculos continuò verſabis, donec ſicci & igniti reddantur. Sciendum quoque eſt, ex auro, argento, plumbóque fieri ſpodium: & poſt Cyprium, maximè commendari plumbeum. Quoniam verò ſæpe deeſt ſpodium, antiſpodia quæ parem vim habent, & non mediocri vſui ſunt, neceſſariò & quænam ſint & quomodo ſumi debeant, oſtendemus. Folia itaque myrti cum floribus & baccis immaturis in ollam nouam cõiecta, indito operculo quod continua foramina habeat, in fornacem figulorum demittito: quum fictile coctum fuerit, in crudum alterum fictile tranſferto, & iterum aſſato: vbi verò hoc quoque fictile fuerit aſſatum, extrahe, laua, vtere. Simili quoque modo ſumito coliculos agreſtis oliuæ: ſin ſecus, ſatiuæ cum ſuis floribus, aut mala cydonia diſſecta. & à quibus oſſa fuerint detracta, aut gallas, aut immatura mora in ſole prius ſiccata, aut lẽtiſcum, aut terebinthum, aut œnathen, aut rubi tenera folia, vt buxi comã, aut eam quæ pſeudocyperus dicitur, cum flore: alii ficulnas frondes in ſole prius ſiccatas eodem modo parant: alii gluten taurinum, alii ſuccidam aſperámque lanam pice liquida aut melle irrigatam, pari modo cremant.

Σ

Sandaracha eligenda eſt ſaturata & rufa, floridáque & pura, & quæ colorẽ cinnabaris præ ſe ferat, quæque ſulfuris halitum redoleat.

Scoria, *hoc eſt recremẽtum*, argenti (quod etiam helcyſma vocant) habet eandem vim quam plumbi recrementum poſſidet.

Spongias aliqui mares appellauerunt tenuibus foraminibus denſáſque: duriores autẽ, tragos nominauerunt: fœminas verò eas quæ contrà eſſent affectæ. cremantur vt alcyoniũ. Cãdidæ verò fiunt eæ quæ molliſſimæ ſunt, per

æſtus ſalis ſpuma in petris hærente cõſperſæ,& in ſole detentæ.Quódque in eis cauum eſt,ſurſum ſpectet,deorſum verò quà fuerunt abſciſſæ. Si verò cælum ſerenum fuerit, & ſalis ſpuma aut marina aſperſæ ad lunã teneantur, fiunt candidiſſimæ.

Stibium præſtantiſſimũ eſt quod ſplendet,& fulget, & quum frangitur, cruſtoſum videtur,nihilque terrei aut ſordium habet,& facilè frangitur. Hoc alii platyophthamon,alii labroſon vocauerunt.

Crematur Stibium cruſta ex farina circumlitum, & carbonibus obrutum,donec cruſta in carbones abeat.Ab igni emotum lacte mulieris quæ marem peperit,aut vetere vino reſtinguitur. Vritur etiam ſuccenſis carbonibus perflatum,donec igni deflagret:ſi enim pluſculum vratur, in plumbum tranſit.Lauatur vt cadmia atque æs.Sunt qui vt plumbi recrementum lauent.

Stypteriæ,*hoc eſt aluminis*,ſunt plura genera:ad medicinam verò adhibentur hæc, ſciſſile, rotundum, & liquidum: inter quæ ſciſſile præſtantiſſimum eſt, & in hoc genere quod recens,cãdidiſſimum,radicum expers, mirum in modum adſtringens, lapide vacans, nec modò glebæ aut aſſulæ compactum,ſed ſingillatim quaſi in capillamẽta quædam caneſcentia dehiſcens. Lapis quoque huic alumini ſimilis inuenitur,qui quoniam non adſtringit,guſtu diſcernitur. In rotundo alumine,quod ita manu eſt factum, improbatur:idque ex forma cognoſcitur. Sumẽdum autem eſt id quod ſuapte natura rotundũ eſt,éſtque bullarum inſtar ſubcandidũ, & validè adſtringens, quódque nonnihil palloris cum quadam pinguedine habeat: præterea verò calculorum expers & friabile: quod denique Ægyptium ſit genere,aut in Melo inſula natũ. In liquido verò præſtat id quod eſt maximè pellucidum, lacteúmque,& æquale,& ex omni parte ſuccũ habeat,quódque lapidoſum non ſit,& caſeum redoleat.Id verò eſt cenſendum,ſciſſile eſſe rotundo efficacius. Crematur autem & aſſantur vt calcitis.

Sory melanteriam eſſe quidam falſò putauerunt: eſt enim ſory ſui generis,magíſque viroſum,& nauſeam ciet. Ægyptium cæteris excellit,quódque quum frangitur, nigrius apparet,& in multa foramina dehiſcit, ſubpinguéq; eſt,& præterea adſtringens, & in deglutiendo atque olfactu virus olet,ſtomachúmque ſubuertit. Cæterùm in his fere omnibus,& item in aliis quæ vſtionem non ſunt experta,crematis potentiora ſunt exiſtimãda, præter ſalem, fæcem, nitrum, calcem, aliáque conſimilia,quæ cruda,vi remiſſiore ſunt prædita: quæ cremata, efficaciora & perſeuerantiora redduntur.

T

Τρὺξ,*hoc eſt fæx*, maximè ex vino vetere Italico:ſin minus ab alio conſimili eligenda eſt: fæx enim aceti, eſt acriore vi prædita.Crematur vt alcyonium,antè diligenter ſiccata. Sunt qui noua teſta igni largo crement, donec altius tota incendatur. alii fæcis glebam ignitis carbonibus obruentes idem faciunt.legitimæ vſtionis ſigno erit albus aut aerius corporis ipſius color,& quum linguæ admota,eam quaſi vrit. Aceti fæx eodem modo crematur. vim adurendi adſtrigendíque habet. recenti fæce vtendum eſt, ſiquidem citò vis eius efflatur: quocirca operculo occludenda eſt, & nonniſi in vaſculo adſeruanda. Lauatur pompholygis modo.

Y

Ὑδράργυρος,*hoc eſt argentum uiuum*,fit ex minio,quod falſò cinnabaris dicitur, in fictilẽ patinam ferreã concham habentem cinnabarin coniiciũt,calice concham tegunt, argilláque illinunt,& carbonibus ſuccendunt.nam fuligo quæ calyci inhæſit,deraſa argẽtum viuum eſt.quinetiam inuenitur in argentifodinarum tectis in guttas concretum.Seruatur in vitreis,aut plumbeis,aut ſtãneis vaſculis: aliam nanque materiam exeſt.

X

Χαλκὸς κεκαυμένος,*hoc eſt æs combuſtum*,probatur rubrum, & quod in attritu cinnabaris colore eſt:nigrum verò magis quàm par eſt crematum fuit. Fit autem ex clauis nauium ſolutarum fictili crudo compoſitis, aſperſo ſulfure

A cum pari ſalis portione, alterníſque his inſperſis fictili operculum adhibetur, & luto figulorũ oblinitur, & in fornacem demittitur,vſquedum planè aſſetur.Hoc cum hydromelite potum, aut cum melle delinctum, aut illitum, vomitus ciet.Lauatur porrò vt cadmia,quater in die aqua commutata,donec nihil ſplendoris ei ſuperſit. Eius verò recrementũ eodem modo lauatur,habétque eãdem vim, ſed tamen imbecilliorem.

Χαλκοῦ ἄνθος, *hoc eſt flos æris* (quem aliqui veteres pſegma, *hoc eſt reſegmen*, vocauerunt) optimus eſt friabilis, in B attritu rufus,milii forma,grauis,modicè ſplendens, delimatæ æris ſcobis expers,qua fit adulterinus: quod deprehenditur quum dentium attritu ramenta dilatantur.

Χαλκοῦ λεπὶς,*hoc eſt ſquama æris*, laudatiſſima eſt quæ ex Cypriis officinarũ clauis excuſſa, craſſáque eſt, & helitis, à clauis ducto nomine,appellatur. Improbatur verò quæ ex albo ære confecta, tenuis eſt atque imbecilla:quam vt pote tenuem & inualidam reiicimus, eámque probamus quæ craſſa fuluáque eſt, & quæ aceto inſperſa æruginem contrahit. Lauatur autem ad hunc modum: Puræ æris ſquamæ ſiccæ ſelibram in pilam cum limpida aqua con- C iicito, manu diligenter miſceto donec ſquama ſubſidat, auferto deinde quæ ſubſederunt,effuſáque priore aqua,aquæ cæleſtis cyathum ſuperinfundito: diducta manu vehementer ſquamam cum pila confricato, quaſi eam perpolias,quúmque lentorem quendam cœperit emittere,aqua ſenſim vſque ad ſex heminas affunditur validè confricando,& ſquamam per pilæ latera conuertendo,validè cõfricabis:tum omnibus colo traiectis,quod defluxit, in pyxidem rubri æris ſeruato.eſt autem id veluti ſquamæ flos, viribúſque efficax,& ad oculorũ medicinam accommo- D datum:reliqua pars imbecilla eſt.quod ſupereſt pari modo lauatur, donec nullum lentorem ex ſe mittat: poſtea verò linteolo opertum biduo quieſcere ſinitur, tum effuſa extante aqua ſiccatur,& in pyxide reconditur. Quidam æris ſquamam vt cadmiam lauant,atque reponunt.

Squama verò quam ſtomoma vocant, habet eandem vim quam æris ſquama, eodémque modo lauatur, & reponitur: in aluo tamen purganda, eſt quàm ſquama æris inferior.

E Chalcanthum,*hoc eſt atramentum ſutorium*,genere vnũ idémque eſt: humor enim concretus eſt. ſpecie verò tres habet differentias. Vnum humoribus in cuniculos quoſdam ſtillando colatis concreſcit:quamobrẽ ab iis qui Cypria metalla tractant,ſtillatitium vocatur. alterum copioſè exercitatum in ſpeluncis inuenitur,poſtea in foſſas trãſfuſum concreſcit, quod concreſcens propriè nominatur. tertium verò decoctum appellatur,fitque in Hiſpania:ſed inutile & viribus infirmis:hoc autem modo parant: Id aqua diluentes coquunt,tum in ciſternas tranſfundunt, ac F reſidere ſinunt. hoc certis diebus concreſcit in multas diuiſum formulas teſſerarum inſtar, vuæ modo inter ſe cohærentes.Præſtantiſſimum cenſendum eſt cæruleum,graue,dẽſum,purum & pellucidum,quale eſt ſtillatitiũ,quod ab aliis lonchoton appellatur.Secundas fert id quod concreſcens vocant.coctũ verò tingendo & denigrando eſſe aptius cæteris videtur:ad vſum verò medicinæ infirmius eſſe reliquis, experientia nos docuit. Crematur autem,vt mox de chalcitide dicemus.

Chalcitis antefertur aliis quæ æris ſpeciem præ ſe fert, G friabilis, calculorum expers, & non vetus, quǽque fibras oblongas fulgentéſque habet.ex ea fit quod pſoricum vocant,duabus eius partibus vni parti cadmiæ additis,& ex aceto tritis.Hæcq; omnia in fictile coniecta,& fimo obruta,per caniculæ ardores XL. diebus dimittuntur:ſiquidem ita maiorem acrimoniã acquiret, eadémque poteſt quæ chalcitis.Quidam pares vtriuſque portiones miſtas ex vino terunt,& eadem faciunt.

Crematur fictili nouo chalcitis viuis carbonibus ſuperpoſito.Modus vſtionis in humidioribus eſt, dũ bullas H excitare deſierit,& perfectè inaruerit: in cæteris verò, dũ mutata in magis floridum colorem fuerit.quum enim rubricæ colorem in profundo contraxerit, auferenda ab igni eſt,inſidentéſq; ſordes flatu ſunt pellẽdæ,& ipſa repo-

nēda. Torretur etiamnũ perflatis carbonibus donec mo- A dicè palleſcat:aut fictili prunis candentibus ſubiectis,ſubinde verſata donec igni conflagret,& colorem mutet.

Chyſocolla laudatiſſima eſt Armeniaca;porri colorem vſque ad ſatietatē reddens:ſecũdo loco cenſetur Macedonica:hanc ſequitur Cypria: quo in genere præfertur pura: dānatur verò quæ terræ calculorúmq; plena eſt. Lauatur antedicta ad hunc modũ: Tuſam in pilā coniice,& affuſa aqua manu diducta ad pilam validè fricato,mox vbi conſederit,percolato,& aliqua aqua affuſa,iterum fricato,idque identidē facito donec pura ſinceráque reddatur: tum B in ſole ſiccatam reponito,atque vtitor.ſi cremare eam velis,ſic facito Tere ex ea quod ſatis ſit,patinis impone,carbonibus admoueto,& alia facito quæ ſuprà diximus.

Ψ

Pſimmythion,*hoc eſt ceruſſa*,fit hoc modo:In dolium lati oris aut fictile labellum acerrimum acetum infundito, ſubiectáque arundinea tegete ori fictilis, plumbeā laminam ſuperimponito, & velamina adiicito, ne acetum per halitum expiret. Vbi reſoluta fuerit,defluénſque deciderit,humorem purum, & in ſummo fluitantē per colum traiicito.Quod verò limoſũ ſubſederit,in aliud vas tranſ- C ferendum,& in ſole ſiccandũ,& mola truſatili terendum, aut probè læuigandum cribrandúmque:poſtea quod duri ſupereſt,in tenues partes redigendũ & cribrandum:hæcque viciſſim tertiò & quartò facienda. Præſtantius autem eſt id quod prius fuerit cribratum,id quod etiam ad oculorum medicinam adhibetur: ſecundum locum tenet ſequens, & cætera deinceps. Quidam in medio vaſe ligna ſuſpendunt,& ſorde deraſa impoſita, ne acetũ contingat, ori operculum indentes dimittunt. Poſt aliquot dies operculo ablato intuentur:vbi reſoluta materies fuerit, reliqua omnia vt dictũ eſt fiunt. Siquis in paſtillos velit redigere, aceto acri ſubiget, & ita in paſtillos digeſtam in ſole ſiccabit. Hæc tamen æſtiuo tempore peragenda ſunt: ita enim & candida & efficax redditur.fit etiā hyeme,vrceis ſupra balneas impoſitis: nam calor aſcendens, idem quod ſol præſtat.Laudatiſſimā fieri putant Rhodi,aut Co- B rinthi, aut Lacedæmone: ſecundo loco cenſetur quæ ex Dicæarchia affertur. Torrēda verò eſt ad hunc modũ:Tritam ceruſſam ignitis carbonib⁹ fictili nouo, ac præſertim Attico,imponito,& aſſiduè verſato, quúmque cineris colorem contraxerit,auferto,refrigerato, vtitor. Si cremare eam velis, in nouam patinam cauam coniicito ceruſſam tritam,carbonibuſque ſuperpoſitam rudicula miſceto,donec colorem ſandarachæ ſimilem duxerit:tum auferto,& vtitor:quæ ita confecta eſt,ab aliquibus ſandix nominatur. Ceruſſa lauatur vt cadmia.

Ω

C Ochra eligenda quæ læuiſſima eſt, & ex omni pate lutea ad ſatietatem vſque, calculorũmque expers, & item friabilis,& genere Attica.eſt autem & cremanda & lauanda non ſecus quàm cadmia.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM

liber decimusquartus.

Hoc nobis loco non eſt propoſitum formas ſimplicium medicamentorũ conſcribere, quum eas accuratè Dioſcorides nos docuerit:neque etiam ſingulas cuiuſque actiones recenſere,ſiquidem de eis copioſius agetur quum de componendis medicamentis, déque morbis curandis loquemur, vbi vſus poſtularit: nunc verò omnium ſimpliciũ medicamentorum facultates vniuerſales duntaxat memorabo.

Ex Galeno,de nominum diſtinctione, Cap. I.

VNumquodq; corpus aut calidũ aut frigidum, aut ſiccũ aut humidũ quandoque ſuapte natura & dicitur & apparet:quandoque verò, quia aduentitiā qualitatem D acquiſiuit. Nos autem dicere conſueuim⁹,id quod ſuapte natura tale eſt, primò & per ſe,& ex ſe,& poteſtate tale eſſe atq; apparere: quod verò aduentitiam qualitatem contraxit,id ex aliquo accidenti eſſe tale atq; apparere.Quæ verò propria natura aut calida aut frigida,aut ſicca aut humida eſſe dicimus, alia talia eſſe actione, alia poteſtate pronunciamus:in quo id quod poteſtate nunc dicimus, differt à ſuperiore: nam ea poteſtas accidenti opponebatur, hæc verò actioni. Cæte- E rùm ex iis quæ actione dicũtur,aliud abſolutè calidũ frigidumve,aut humidum aut ſiccum dicitur,vt elementa: aliud pro ſuperāte facultate,vt homo & equus,& omnino cætera animantia aliud collatum cum eo quod in eodem genere, eadémque ſpecie eſt temperatum, qualis eſt leo homini cōparatus, homóque florentis ætatis cum puero: aliud cum quocunque ſors ferat, vt Dion cum Theone. Quinetiā quæcunq; poteſtate talia aut talia eſſe dicuntur, neceſſe eſt vt ſingula ita nominētur, tanquam ad id quod actione dicitur,referantur:vt,quod facilè accenditur, ad F id quod actione abſolutè calidum eſt:animalia verò calfacere,ad id quod excedit & ſuperat,referendo. Eadémque ratione id quod hominem calefacit, tanquam homo ſit poteſtate calidus quod bouem aut equum, tanquam bos aut equus tales poteſtate ſint. itémq; hoc illi homini,illud verò illi calidum aut frigidum,aut humidum aut ſiccum eſſe,id eſt illius vnius naturæ comparatum.

De differentia medicamentorum, Cap. II.

VAria eſt medicamentorum natura: nam vel qualia ſumpta ſunt,talia quoque permanent & vincunt,corpúſque mutant eo modo quo id cibos: hæcque quum vniuerſæ ſubſtantiæ ſint contraria, prorſus venena ſunt, & animantis naturam corrumpunt: aut mutationis initium D ab animalis corpore ſumētia,inde putreſcunt & corrumpuntur,deinde corpus vnà putrefaciunt,vnáque corrumpunt, quæ venena quoque ſunt. Eſt etiam tertia medicamentorum ſpecies quæ corpus calefaciunt, veruntamen nihil mali afferunt: eſt & quarta eorum quæ & agunt aliquid & patiũtur, ſed tandē vincuntur,planéq; aſſimilantur:quibus accidit vt & medicamenta & alimenta ſint.

De vſu medicamentorum, Cap. III.

E VTuntur plerunque medicamentis homines ob id ſolùm vt vel refrigerent vel calfaciant, vel ſiccent vel humectent,vel horum aliquid coniunctè faciant: quandoque verò vt quod ſupra modum laxatũ eſt,contendant & contrahant, vel quod intenſum eſt laxent, vel quod eſt condenſatum,rarum faciant,vel rarum cōdenſent,vel durum emolliant; vel immodicam mollitiem ad duritiam reuocent,vel plenum inaniant,vel inane impleant,vel denique vt aliquid huius generis agant.

Ad temperatiſſimam naturam omnia eſſe dirigenda, Cap. IIII.

F MEdicamenta quæ mediæ naturæ ſunt,quæque in vtranque partē parum vergũt,interim calfacere,rurſúſque refrigerare videbũtur:interim verò nec calefacere nec refrigerare,ſed corpora ſicut acceperũt,ita etiā cōſeruare.Quũ enim affecta corpora variis modis diſponãtur, id quoque quod afficit,non eodem agere modo videtur: ex quo planum eſt,neque oleum,neque roſaceum, neque chamæmelum, neque lini ſemen, neque anethum,neque

fœnigræci farinam, neque triticeam, neque alia ſexcenta quæ partim exquiſitè mediam temperiem ſortiuntur, partim ab ea parumper recedunt, eandem perpetuò actionem eſſe editura. Iam roſaceum exuſtos ſui caloris tempore refrigerat: algentes verò modicum etiam calfacit, id quod eſt tepidi caloris munus: quemadmodum balneæ quoque calfaciunt rigentes & æſtuantes refrigerant. Ergo ad temperatiſſimam naturam animum aduertere, ad eámque omnia dirigere oportet. Eſto ergo corpus temperatiſſimum, regula facultatis medicamentorum: quódque ſimilē illius temperiei caliditatem accendit, temperatum nominetur, etiamſi ſenem refrigeratum maximè excalfacere videatur: quod verò calfacit aut refrigerat huiuſmodi corpus, illud quidem quod calfacit, calidum: quod refrigerat, frigidum appelletur.

De differentia & facultate quæ in ſuccis eſt, Cap. v.

SVcci qui tum in ſingulis plantis & animalibus, tum in terra comperiuntur, cum plurimi ſunt tum verò ſpeciebus facilè comprehendi non poſſunt. Guſtus verò eorum diuerſos Plato eſſe octo numero cēſuit, nominátque tum auſterum, (quem nos adſtringentem vocamus) tum acerbum, tum verò nitroſum, tum amarum, tum ſalſum, tum acrem, deinde acidum, poſtremò dulcem. Theophraſtus verò pinguem eiſdem adiunxit. Ergo quod adſtringens acerbúmque eſt, terreſtre, frigidum eſſe, fuit oſtenſum: acidum verò, tenuium partium eſſe & frigidū. Quod verò abſque aliqua inſigni qualitate frigidū eſt, aqueum id frigidúmque eſſe: amarum terreſtre, tenuium partium: ita etiam quod nitroſum eſt. Acre verò eſſe feruidū: ſalſum verò terreſtre & calidum, ſed nondum feruidum. Eodémque modo dulce, calidum quidem, ſed non adurens: quæ oleoſa ſunt, aquea & aëria ſunt omnia. Actiones quoque ex eorum temperie conſequuntur: nam adſtringens acerbúmque cogit, ſtipat, denſat, repellit & incraſſat: & ante hæc omnia, refrigerare & ſiccare aptum eſt: & quandoque etiam ſtuporem dentium, quem vocant, inducere. Acidum verò ſecat, diuidit, attenuat, obſtructionem expedit, & abſque calore expurgat: acre verò par quidem acido eſt in attenuando & expurgando, ſed tamen ab eo differt, quòd acidum refrigerat, acre calfacit: itémque illud repellit, hoc attrahit & euocat. Eodémque modo amarum & nitroſum meatus expurgant, abſtergent, attenuant, ſecántque humorum craſſitudinem, nec euidenter calefaciunt: quod verò aqueum frigidúmque eſt, ſpiſſat, ſiſtit, contrahit, condenſat, ſtuporémque & mortem parti inducit: acre autem attenuat, expurgat, euocat, rumpit, attrahit, & cruſtas inducit: ſalſum verò cogit, ſtringit, ſale condit, & citra inſignem calorē aut frigus ſiccat. Dulce laxat, concoquit, mollit, rarefacit. oleoſum deníque humectat, mollit atque relaxat.

De Vaporibus, Cap. vi.

QVÆ odorata ſunt, ea omnino ſunt calida, odorum nāque copia à calore prouenit: at non protinus quicquid odoratū eſt, id ſuaue eſt, propterea quòd non omne eſt accommodatum ſpiritui, qui cerebri ventriculis continetur: quemadmodum enim ſaporem qui ſub linguam cadunt, aptiſſimi ſunt dulces: qui non apti ſunt, multas ſunt nacti differentias: ita vapores qui ſpiritui cerebri ſunt familiares, iidem & grati & ſuaues ſunt: qui verò non familiares, non paucis inter ſe differentiis diſſident. Non omnibus tamen, perinde ac ſaporibus, impoſita ſunt nomina. Dicimus enim aliquid acidum acrémque odorem habere: at auſterum, aut acerbum, aut ſalſum, aut amarum, non item: ſed his duabus appellationibus pleraque eorum quæ ſub odoratum cadunt, comprehendimus, vt beneolentia, & graueolentia nominemus: ac beneolentia ad proportionem eorum quæ linguæ ſunt dulcia: graueolentia verò ad eorum quæ dulcia non ſunt. totum enim hoc genus in ſaporibus vno appellari nomine non poteſt. A corporibus autem non odoratis, aut omnino parum defluere videtur, aut quod mēſuræ eorum molis non reſpondeat: quēadmodum in iis quæ exquiſitè ſalſa & acerba ſunt: exquiſitè verò quum tale aut tale quidpiam dico, ſincerum, &, quoad eius fieri poteſt, alterius qualitatis expers intelligo. craſſa nanque vtriſque eſt ſubſtantia: & præterea acer-

A borum eſt frigida, ex quo veriſſimile eſt, quod ab his defluit, paucum eſſe & craſſum, & mole ſua terrenū, & proinde per inſpirationem in cerebrum non incidere: quamobrem de ſenſibilium tēperie non ita tutò ex odore ſicut ex guſtu iudicamus: nam quæ vacant odore, craſſæ eſſentiæ ſunt: quæ verò in eis ſit vis frigoris & caloris, non conſtat: quæ autem odorata ſunt, tenuium illa quidem ſunt partium, & calida: at quantū tenuitatis caloríſque habeant, non iam diſcernitur. Præcipua autem cauſa quam-
B obrem in odoratis nihil euidens de eorum temperie iudicetur, eſt inæqualitas naturæ, de qua ſepenumero diximus, vbi corpora ex diſſimilibus inter ſe particulis conſtare demonſtrabamus.

Ex coloribus quoque faciendam eſſe coniecturam de ſimplicium medicamentorum temperie, Cap. vii.

EX coloribus quoque aliquam facere coniecturam de medicamētis ſimplicibus licet. in vnoquoque enim genere aut ſeminis, aut radicis, aut ſucci ex colore indicationem quādam ſumere poſſumus. vt in cæpa, ſcilla & vi-
C no, quæ quanto albidiora fuerint, tanto minus erunt calida: quæ verò ſubflaua & fulua, calidiora. idem in tritico, milio, ochris, faſelis, cicere, iridis radice aſphodelique, & aliis compluribꝰ vſu venit. in quoque enim genere plerunque fit vt quæ fulua, & flaua, & rubra ſunt, albis ſint calidiora. Itaque ſi hinc quoque de medicamentorum facultate coniectura fieri poteſt, hoc etiam ſermoni addatur: præſtabit tamē (vt ſæpe diximus) diſtincta experientia vires eorum inuenire. in hac enim non decipieris. Quāquā antequam vires eorum dignoſcas, guſtus pleráque indicat, paululum etiam (vt dictum eſt) odore approbante.

D

Quomodo & qua experientia facultates inueniendæ ſint, Cap. viii.

FAcultates ſunt vſu inueniendæ ad hunc modū: Quum primùm corpori hoc vel illud medicamentum cibúſve admouetur, expers eſto omnis vehementis caloris aut frigoris, quod acquiri poſſit: nam quum hoc corpori applicas, corpꝰ primo occurſu qualitatis acquiſitæ, non eius temperiei quæ eſt rei admotæ propria, ſenſu afficietur. Vt igitur admotæ rei vera ſinceráque natura exploretur, tepidum, quoad fieri maximè poteſt, eſto, nec vllam extrinſe-
E cus notabilem alterationem valentis caloris aut frigoris contraxerit. Adhibeatur porrò, quum eius naturā exploras, non cuilibet corporis affectioni, ſed ſimpliciſſimæ, & (vt maximè fieri poteſt) ſummæ. Si autē affectioni ſummi caloris admotum, frigoris ſenſum excitet, id profectò erit frigidum: ſimili quoque modo ſi frigidæ affectioni adhibitum, ſtatim calidum appareat, id etiam erit calidum: ſin vel calidæ affectioni calidum, vel frigidæ frigidum ſentiatur, non eſt quod hoc calidum, frigidum illud omnino pronuncies. Eſt interdum ſummi caloris affectio, quā me-
F dicamentum modicè frigidum non alterat, vt refrigerando denſandóque totam externā ſuperficiem, calorē intus concludat, ipſúmq; difflari prohibeat, atque ita magis accēdat affectionē. Ita verò & ſiquid frigidæ affectioni admouetur, nullū calorē afferat: videndū eſt num id, quū aliquid ſit mediocriter calidū, nihil in affectionē agat, quæ ſummi caloris indiguit. Ergo non eſt ita vis explorāda medicamenti: nec ſi ex accidenti aliquid efficiat, non per ſe. Id verò quod ex accidenti aliquid facit, tum ex affectio-
G ne, tum ex tēpore iudicabis: ex affectione aūt, ſi ea ſimplex vnáque eſt: à tempore verò iudicium ad hunc modū orietur: Quod ſimulatque admotū eſt, refrigerare aut calfacere manifeſtè videtur, id vtiq; per ſe & vi ſua tale eſt. quod tēpore id facit, fortaſſe ex aliquo accidenti huc adactum fuit: vt, iuueni quadrati corporis tetano æſtate media laborāti, frigida liberaliter effuſa caloris repercuſſum facit. Cæterùm non calfacere per ſe aquam frigidam, eſt ex primo eius occurſu perſpicuum: nam ſenſum inuehit frigoris, & cutim quoad ei affunditur, frigefacit: tum calorem
H non in omnibus corporibus, nec dum affunditur, affert, ſed ſolum in iuuenibꝰ quadrati corporis, æſtate media, & vbi ceſſarit affuſio: nam ſtipata, clauſáque corporis ſuperficie extima, repercuſſus fit eius caloris qui à profundo aſcendit. Eſt quandoq; quū calor ex accidēti refrigerat, in-

tercedente nimirum euacuatione, vt cataplaſma inflammationem: quum enim inflammatio ex calida fluxione conſiſtat, propria eius curatio in ſuperuacanei euacuatione eſt poſita. Euacuationi autem particulæ quam excalfecit inflammatio, omnino ſuccedit refrigeratio. Cum igitur hæc diſcernenda ſunt, tum verò id agendum vt pro modo ſimplicis affectionis, etiam virium medicamenti modus inueniatur: vt ſi calida in ſummo ſit affectio, frigidum quoq; in ſummo medicamētū paretur: ſin à ſummo paululū recedat affectio, medicamentū quoq; paululum à ſummo declinet: ſin magis à ſūmo calore abſit affectio, medicamentum proportione à ſummo frigore abſit.

Simplicia medicamenta ferme omnia ex diſſimilibus inter ſe particulis conſtare,

Cap. IX.

SImplicia medicamenta quamuis ſenſu ſimplicia videantur, natura tamē ſunt compoſita, & ex diſſimilibus inter ſe particulis conſtant, & ſubinde quoque diuerſiſſimas in ſe continent facultates, vt excernendi & ſiſtendi, & cæteras omnes repugnantias. Ac ne illud quidem mirum videri debet in huiuſmodi facultatibus, quum vni & eidem medicamento vim calfaciendi & refrigerandi ineſſe appareat, aut exiccandi, aut humectandi, aut tenuium partium aut craſſarum: ſiquidem niſi primæ hoc modo complicarentur, eæ quæ ex illis ſequūtur, neutiquam eſſent ſimiliter complicatæ. Ergo in corporib⁹ quæ ex ſimilibus inter ſe particulis conſtant, caliditas, frigiditas, & humiditas, ſingularū rerum differentias efficiunt: in iis verò quæ ex diſſimilibus ſunt facta, acrimoniæ, aciditates, auſteritates, acerbitates, amarores, dulcedines, ſalſedines, & pinguedines, ita vt vnaquæque ſimiliū inter ſe particularum non multas, ſed vnam in ſe qualitatē obtineat: quod verò totum ex diſſimilibus conſtat, permultas. Nā ſi mille (verbi gratia) hoc cyatho huius ſucci corpora contineantur, quæ ex ſimilibus inter ſe particulis conſtent, fieri poteſt vt centum adſtringant, ſexaginta mordicent, ſexcēta ſint dulcia, ducenta amara, quadraginta ſalſa: ſicque mutua ſint miſtione temperata, vt nullam ſenſibilem partem quantumuis exiguam poſſis accipere quæ non ſit omnium particeps: vt in linguæ contactu omnes agant, in diuerſa tamen eius parte, cui ſcilicet appellere ipſam contigerit: ipſáque affectio ex eo quod primo affectum eſt, in eam totam diffundatur.

Quæ ex diſſimilibus inter ſe particulis facultates conflatas habeant, Cap. X.

GRaminis radix habet aliquid acrimoniæ, & adſtrictionis. Aloë amara eſt, cum adſtrictione coniuncta: itémque radix anchuſæ quæ onoclea dicitur: & item bryoniæ tum albæ tum nigræ auſtera ſunt germina. Bubonium digerit & repellit. vua, culta quidem adſtringit, & leniter digerit. Aſphalti partes quædam adſtringunt, quibus refrigerat: partes quædam ſunt acres, quibus calfacit. Glandis vnguentariæ reliquiæ vnde expreſſus eſt ſuccus, abſtergent, incidunt, contrahunt & ſtipant. Daphnes radicis cortex abſtergit adſtringitque. Oleum lētiſcinum, terebinthinū, maſtichinum, mollit & adſtringit: quod verò ex agreſti olea fit, abſtergit atque adſtringit. Ephemerum ſiue iris agreſtis, repellit, digerit. Zythus partim acer eſt & calidus, parte verò plurima frigidus, aqueus, acidus. Fermentum particeps eſt acoris cuiuſdam frigidi, & caliditatis ex putredine exortæ, & præterea eius quæ ex ſalis & farinæ natura exiſtit. Hedyſari aut pelecini ſemen amarum ſubadſtringénſque eſt. Hemerocalles radix digerit & repellit. Hemionitis adſtringit, cum amaritie coniuncta. Senecio refrigerat & digerit. Iſopyron, aut phaſiolum exterget, incidit, contrahit & conſtringit. Centaurii maioris radix acris eſt & aſtringens, vt caliditatis & craſſæ frigiditatis ſit particeps: ſuccus idem facit, quidam pro Lycio vtuntur. Coriandrum plurimum habet amaræ ſubſtātiæ quæ tenuium eſt partium & terrena: nec parum aqueæ humiditatis obtinet quæ tepentis eſt facultatis: his accedit parū adſtrictionis: in eo tamē calida ſiccáque facultas excellit. Cypri folia ſummáq; germina habent quidpiā digerēs, cum aquea ſubſtantia moderatè calida:

A habēt etiam adſtrictionis quippiam ex terrena ſubſtantia frigida. Capnos, *vel fumus*, acer amarúſque eſt, & adſtringit. Capparis radicis cortex exterget, incidit, expurgat, digerit, cōtrahit, ſpiſſat, ſtringit. Fructus verò eiuſdem, foliáque & caulis eandem vim, imbecilliorem tamen, poſſident. Hedera habet aliquid adſtringentis acríſque, & aqueæ ac tepidæ ſubſtantiæ. Cotyledon verò refrigerat, repercutit, abſtergit & diſcutit. Lycium (ſiue pyxacanthon) ex quo Lycium conficitur, tenuium partium, digerentis & calidæ facultatis eſt particeps, itémque B adſtringentis, & terreſtris ac frigidæ. Mandragora refrigerat, ſed caloris etiam cuiuſdam eſt particeps, & in pomis humiditatis, proinde ſoporem inducit: radicis verò cortex, qui eſt valentior, non ſolùm refrigerat, ſed etiam exiccat: at reliquum quod eſt intus, imbecillum eſt. Melilotum adſtringit, diſcutit & cōcoquit: maior enim in eo eſt calida quàm frigida ſubſtantia. Myrtus ex contrariis ſubſtantiis conſtat, terrena tamen frigida in ea excellit. Habet etiā aliquid tenuium partiū calidum, quamobrem vehementer ſiccat. folia verò & germina, & fructus, & ſuc- C cus in adſtrictione non magnopere differunt. Porrò quod ramis & trunco adnaſcitur tuberis inſtar, (quam myrtada quidam vocant) quo prædictis eſt ſiccius, eo etiam magis deſiccat & adſtringit. Quidam id tundentes reponunt, poſtea vino excipientes, in paſtillos redigunt. Cæterùm folia ſicca magis quàm viridia exiccant: ſuccus exprimitur nō ex viridibus ſolùm foliis, ſed etiam ex fructu: hæcque omnia reſtringendi vi ſunt prædita corpori adhibita. Mel amarum mixtæ facultatis eſt, ac ſiquis noſtrū ei abſinthiū miſcuiſſet. Mori partes omnes purgantem & reſtringen- D tem facultatem habent. In cortice tamen radicis purgans vis exuperat: in moris verò immaturis reſtringēs: in foliis verò & germinibus media quodammodo vtriſque temperies eſt. Myrice, *hoc eſt tamarix*, incidentis abſtergētíſque eſt facultatis, & tenuium partium citra perſpicuam exiccationem: fructus verò atque cortex non mediocrem adſtrictionem ſunt ſortiti, vt ad gallam omphacitida prope accedant, poſſéntque ad eoſdem vſus ad quos galla adhiberi. Porrò myricæ combuſtæ cinis deſiccātis facultatis eſt, ineſtque ei plurima incidendi abſtergendíque vis, exigua E verò adſtringendi. Acetum miſtæ eſt ſubſtantiæ, frigidæ & calidæ, & vtriuſque tenuium partium: in eo tamen ſicca facultas quæ tenuium eſt partium, vincit. ex quo fit vt repercutientem attenuantémque & diſcutientē ſimul vim habeat. Oxylapathum diſcutiens quidpiam & repellens habet: at ſemen perſpicuè adſtringit. Hippolapathum verò eiuſdem facultatis eſt, imbecillior tamen. Orchios, *hoc eſt teſticuli*, radici bulboſæ & duplici vis ineſt humida & calida. Cæterùm maior radix multum habere excrementitiæ flatúſque plenæ humiditatis videtur: at minor contrà, F valde inquam elaborata, vt eius tēperies ad calidius & ſiccius vergat. hæ radices toſtæ modo bulborum eduntur.

Pityides & adſtringunt, & acrimoniam quandam cum amaritie habent. Polygonatum adſtrictionis, acrimoniæ, amaroris quidpiā, & inſuauitatem quæ explicari verbis non poteſt, in ſe habet. Rheum habet quiddam terreſtre, frigidum, quemadmodū declarat adſtrictio: ei quoque calor quidam ineſt: quinetiam aëreæ cuiuſdā ſubſtantiæ ſubtilis eſt particeps. Qui verò aiunt rheū eſſe centauriū maius, ii melius ſentire mihi videntur. Roſatum vis G ex aquea ſubſtantia calida & adſtringente, & amara eſt. flos earum magis etiam quàm roſæ, abſterget: & eundem exiccare planè patet. Scordium amari quid habet, acerbíque & acris. Symphytum vtrumque incîdit, digerit, contrahit, ſtringit, & modicè calefacit. Oxyſchœni, *hoc eſt acuti iunci*, & holoſchœni fructus cōpoſitus eſt ex terreſtri ſubſtantia leniter frigida, & aquea leniter calida, vt inferiores partes ſiccare queat; at capiti leniter frigidos vapores ſubmittere: quocirca ſomniculoſos facit eos qui eo vtuntur. Diphryges quidpiam habet adſtringens acréque.

H Phrygius lapis repercutit & digerit. Ageratus quoque lapis idem facit, quo vtuntur cerdones: nam repellit ipſe quoque & diſcutit. Atramentum ſutorium egregiè adſtringit, & non ignauiter calfacit. Caſeus recens glutinat, diſcutit & adſtringit.

De ordine facultatis ſimplicium medicamentorum, Cap. XI.

ATque hæc quidem ita dicta ſunt nobis: tempus autem eſt vt ad ſingula progrediamur. optimus enim medicus non tantùm hoc aut illud medicamentũ eſſe calidum,ſed quantus etiam in eo ſit calor,ſcire debet. At ſatis quidem erit in vnaquaque exuperãtia quatuor ordines ſtatuere,quatenus ad vſum pertinent,vt calidũ primi ordinis dicamus id quod nos calfaciat,non tamen euidenter: eadémq; ſucci,humidique & frigidi eſt ratio. At quæ iã perſpicuò calfaciũt,aut refrigerãt,aut ſiccãt,aut humectant,ſecundi eſſe ordinis dicentur:quæ verò vehemẽter, non tamen ad ſummũ,tertii:quæ denique ita poſſunt cal facere vt cruſtas inducant & vrant, quarri ordinis: ita etiam quæ ſic refrigerant vt ſtupidum locum reddant, quarti ea quoque ordinis cenſeantur. quod ſiccet verò in quarto ordine,nihil eſt,ſi non etiam vrat: nam ſiquid extremè ſiccat,id etiam adurit.

De calidi frigidique actionibus, Cap. XII.

ERgo quæ tẽperata ſunt, grata ſunt atque amica. quod enim in corporibus noſtris conſtiterat, concretúmque fuerat,id funditur: ex qua potiſſimum affectione iucunditas animantibus exiſtit. Si verò diutius immorẽtur, ipſa quoque moleſtia redduntur: ad tantam enim fuſionis immoderantiam ſic recidunt vt ſubſtantiam noſtram digerant, diſſoluant,atque diſpergant. Veruntamen ne ſic quidem mordicatione infeſtãt, ſed animi defectionem inuehunt, viréſque deiiciunt, vt etiam mors conſequatur,quæ verò adhuc magis ſunt calida,ea ſecant, diuidunt,diſtrahúntque ſubſtantiam, vt neceſſariò mordacia eſſe videantur,qualis eſt aqua feruens & ignis. eadẽ eſt ratio frigidorum: quæ nanque contacti corporis continuitatem nondum diuellunt,frigida ſolùm ſunt,non tamen etiam mordacia: at quæ præterquam quòd contrahunt etiam conuellunt, ea violentè mordacia apparent. Subiectam igitur materiam cõtrahere & condenſare, frigidi ſemper eſt proprium:diffundere verò & liquare,calidi: vtriſque commune vt aucta immoderatius,mordeãt. Quocirca plerunque difficile eſt diſcernere vtrum quis perfrigeratus ſit, an ab humorum acrimonia mordeatur. ſed enim in refrigerantibus ſtatim contrahi & conſtringi ſubſtantiam ſentimus:in calidis, diſſolui atque fundi. vtriuſque tamen affectionis celeritas non eſt par atque æqualis:ſed in frigidis ſerius,in calidis celerrimè morſus ſẽtitur. Ad huiuſmodi autem affectiones eſſentiæ medicamentorũ vel tenuitas vel craſſitudo plurimũ facit: ſiquidem frigida quæ tenuium ſunt partium, quum magis in profundũ tranſeant,mordẽt vehemẽtius:calida verò,quæ ex craſſis partibus conſtant,magis vlcerãt, & proinde violentius affligunt.ſed magis etiã mordẽt quæ & tenuium ſunt partium,& inæquali temperie conſtant.inæqualia autem ſunt propemodum omnia:quippe quum aut non poſſit,aut ſanè difficillimè, inueniri ſubſtantia vlla quæ exquiſitè ex partibus inter ſe ſimilibus conſtet.

Quæ ſint media inter ſe calfacientia & refrigerantia, Cap. XIII.

ADiantũ,aſparagus myacanthinus,aſplenum,muſcus, (quem etiam ſplãchnon vocãt)dulcis radicis ſuccus, dracõtii radix,oleum dulciſſimum,quod præcipuè ex oliuis drupis efficitur,cera,faba, veſca pinearum pars aqua macerata, lycium, lotus ſiue trifoliũ, macer,citrii cortex, filicis radix,itémque thelypteris, lentiſcus, hyacinthi fructus,lens,terra Selinuſia,Chia, Samiáque, cadmia, ſpuma argenti,lapis galactites.

Quæ res calfaciãt ſine ordinis adiectione, Cap. XIIII.

VIticis folia & ſemen moderatè calfaciunt:vrticæ ſemen & folia, acanthii radix & folia, halimum cum humiditate,quæ non conficitur,flatúmq; excitat,coniuncta:amygdalæ dulces, vtráq; anagallis,atractylis,aut cnicus agreſtis, aphacæ,rubi fructus maturus, radix pæoniæ, oleæ baccæ maturæ,fermentum,eryngium,ciſthus aut citharus, ciſtus aut ladanũ. Quod enim apud nos eſt refrigerat,quod locis calidis prouenit,calefacit. Braſſica agreſtis vehemẽtius quàm ſatiua:periclymeni fructus, polyga

A lum,reſinæ omnes, picea magis quàm terebinthina, qua etiã magis ſtrobilina. mediæ inter has ſunt pinea & abiegna. inter liquidas reſinas magis calfacit ea quã capnelæõ vocant:nam cypariſſina acrem facultatem habet. Seſamũ modicè,itémque oleũ quod ex eo conficitur,&herbæ decoctũ. Sonchus ſiccatus,iũci odorati flos,phaleris, palmulæ,& magis etiam dulces: lapis melitites, molaris,ſordes, cochlearum combuſtarum cinis. Braſſica canina valde calefacit,ranunculi radix,totáque herba:pulegium,lauri folia,& magis baccæ,cortex verò min⁹ quàm radix,daphne B herba, dictamnum æquè ac pulegiũ, falſũ dictamnũ verò minus:ſaluia, eryſimũ,lanæ cõbuſtæ,zingiber,thapſia, cardamomũ,liquor,& maximè omniũ cyrenaicus. panacis heraclei radicis cortex & fructus, ſed minus quàm liquor. panaces aſclepiũ, & panaces chironiũ minus quàm heracleũ. Silphii liquor & folia,& fructus,& radix, & caulis,capilli vſti. Calefacit etiã albæ vitis & bryoniæ radix: alterius verò quæ nigra eſt, imbecillius. anagyri folia, & magis etiã arida,ariſtolochia, aſphodeli radix,eiúſque cõbuſtæ cinis,glãdis vnguẽtariæ ſuccus,buniũ,bugloſſum, (quod & arctiõ)pſeudobuniũ,glaux herba,daucus(qui e- C tiã ſtaphylinus nuncupatur)& magis etiã agreſtis:eiúſque herba foris admota,& magis quoq; ſemẽ:chamædaphne, daphnoides, dracunculi radix calidior quàm ari radix, ideóque acrior & magis amara. Extinguũt verò oleũ dulce & vetus,magiſque raphaninũ, & his magis ſeſaminũ, & melãthinũ,& laurinũ,&cedrinũ,& quod è liquida pice conficitur,& tedinũ. helenii radix,cicer, ſerpyllũ, viſcũ, caucalis æquè ac daucus,libyſtici radix & ſemen, ſmylax aſpera & læuis,ferulæ ſemen,peplii ſemen,ſagapenũ, ſatyriũ,apiũ,& magis etiã ſemẽ,hippoſelinũ,apiũ montanũ, D ſeſeli, ſeſamoidis albi ſemen,ſiũ,ſinon,myrrha Bœotica, ſtyrax,ficus arbor,hydropiper minus quàm piper, hypericon. Sal laxior eſt calidi or cæteris:ſulfur,ſanguis,fel, & flauum magis quàm pallidũ: & taurinũ magis quàm boum exectorũ. imbecillius eſt porcorũ, præterquam agreſtiũ. Ouillũ eſt paulo acrius ſuillo:hoc magis etiã caprinũ. ſimile verò quodammodo eſt vrſinũ & bubulũ: at taurinũ eſt vehemẽtius. hyænæ verò eſt debilius,ſed hoc magis quàm callionymi,&ſcorpii marini,&teſtudinis marinæ. omniũ E verò pẽnigerorũ animaliũ fel acrius ſicciúſque eſt quàm quadrupedũ. inter pennigera, gallinarũ,& perdicũ fel eſt melius. milui verò & aquilæ acre eſt grauiter,& erodit. Vrina omniũ animantiũ calida eſt, magis verò vel minus, pro cuiuſque temperie:nã calidiora, vrinã calidiorẽ emittunt. hominũ verò vrina,& ſuũ caſtratorũ, eſt omniũ debiliſſima. Saluia imbecilla eſt in iis qui biberunt & comederunt:vehemens verò & acerrima in iis qui ſiti faméque laborãt. Carnes viperarũ,adeps anſerinus calidior eſt adipe gallinaceorũ,& gallinarũ, & ſuillo: taurinus verò mul- F tò calidior ſicciórque quàm ſuillus. Vitulinus inferior eſt taurino,vt hœdinus caprillo,& caprillus hircino, & taurinus leonino. Omnis pinguedinis vis eſt calfaciens & humectans:muria denique piſciũ ſale conditorum calefacit.

Quæ primi ordinis ſint calfacientiũ, Cap. XV.

ALoë primi ordinis intenſi calfacientiũ eſt:anthemis, aut chamæmelũ,arũ, abſinthiũ: calidior eſt ſuccus. ladanũ primi ordinis completi. leucacanthæ radix,& fructus, lini ſemen,malabathri folium,ſpica nardi. hac imbecillius calfacit Celticum nardum, & minus etiam monta- G num. muſtum, ſerum, caſeus extrinſecus impoſitus, ficus ſiccæ primo ordine completo excalfaciunt.

Quæ ſecundo gradu calfaciant, Cap. XVI.

AMurca & anethũ ſecundi ordinis intẽſi ſunt. anethũ viride minus eſt calidum. artemiſiæ vtræque, balſamũ,elaphoboſcus,calamus aromaticus, crocus, thus, lychnis coronaria cõpleti eſt ſecũdi ordinis:loti agreſtis ſemen,chia maſtiche,mel,myrrhis(quã aliqui myrrhã vocant)vinũ,peucedani radix,liquor verò magis:pix, poliũ minus cõpleti eſt ordinis: polycnemon, meliſſophyllon, H marrubiũ,propolis,cõpleti:ptarmices frutex adhuc virẽs. Rhodia radix completi ſecundi: ſeriphũ in ſecundo ordine intenſo,cucumeris agreſtis ſuccus,cui elaterio nomen eſt. Siſari radix,ſcandix, ſecundi eſt intenſi: ſcilla,cardui radix,completi ſecundi eſt:ſmyrna, terebinthi cortex, fo-

lia & fructus, teucrium, fœnumgræcum , vtriuſque chamæleontis radix completi:chamæpitys,ocimum.

Quæ res tertio ordine calfaciant,

Cap. XVII.

ABrotonum,& magis vſtum : lolium incipientis tertii eſt.ægyri flores,& reſina,folia verò imbecilliora ſunt: acorum,amomum,amaracus,ammium,anethum vſtum, aniſi ſemen,iuniperus,& eius fructus,aſari radix,herba Sabina,veratrum vtrunque,epithymum,mentha,nepita,thymum,arundinis vallaris cortex vſtus,caron, caſia , cedrus vtraque,cinnamomum,clinopodium,cnici ſemen, conyza maior & minor. nam graueolentior humidioribus locis exorta imbecillior eſt : cuminum,leontopetali radix, leucas,thuris fuligo,fœniculum,melanthium, mei radices,moly,aut ruta agreſtis,aut harmala, aut beſaſa, aut orium: rhododaphne eſt tertii incipientis: vinum ſatis antiquum,ononidis cortex,origanum omne, opopanax, paronychia,petroſelinum,ruta ſatiua, ptarmices frutex aridus,radicula agreſtis eſt efficacior,& ſemen etiam efficacius eſt : ſampſuchus, ſeſamoides maius , ſiſymbrium, ſcorpioides,ſmyrnium,ſtachys frutex marrubio ſimilis : polii radix,trifolium(quod aſphalthion nuncupant)hyſſopum,galbanũ incipiẽtis eſt tertii: chamædrys, chamæleuce,chelidonium maius tertii eſt completi.

Quæ res quarto ordine calfaciant,

Cap. XVIII.

ADarce, ampelopraſum, euphorbium, oleum cedrinum,folia clematidos,incipientis : coſtus, cæpa, lepidium,ſinapi,ruta agreſtis,allium,& magis etiam quod agreſte eſt,ophioſcorodon,ſtruthii radix, tithymalorum liquor, eorum verò fructus & folia,minus : chelidonium minus,quarti eſt incipientis , & quæcunque cauſtica ſunt.

Quæ refrigerent abſolutè abſque ordinis adiectione, Cap. XIX.

GRaminis radix mediocriter,herba quoque illita mediocriter,auricula muris citra adſtrictionem,pira illita modicè,ſed quæ auſtera ſunt : bubonium ſine adſtrictione, balauſtium,rubi folia, germina,& fructus immaturus, & flos : auena modicè, muſcus marinus, glaucium modicè,dulcis radicis ſuccus,dorycnium valde , quippe excellit frigiditate aquea efficaci.oleæ rami, & immaturus fructus,oleum omotribes,oleum myrtite,ſeſaminum, balaninum,hyoſcyaminum,elatine modicè,helxine(quæ & perdicium)modicè,panicum vel meline,ſi illinatur, epimedium modicè,violæ folia modicè, arundinis vallaris folia modicè,cicuta in ſummo:lichen in petris naſcens,papauera omnia,eorúmque liquor, mali fructus & folia,& ſucci,& cortex, præterquam dulcium : ſiquidem in eis aqueum temperatum exuperat: perſicæ fructus,citri caro,fungi valde,acreſtæ ſuccus valde, amylum ex tritico mediocriter,oleum roſaceum mediocriter, ſordes ex palæſtra, ſideritis vtraque, ſonchus nondum ſiccatus, ſtratiotes,tribuli vtrique,ſed alter humidam habet frigiditatem,terreſtris verò terream,palmæ ramorum cortex, & cerebrum,& id quod elaten vocant:terra Samia modicè : terra Cimolia,lapis hæmatites , ſciſſilis verò minus. Naxiæ cotis retrimentum,plumbago modicè:plumbum non vſtum & vſtum,ceruſſa,ſandyx modicè: caſeus mollis & recens,modicè.

Quæ res primo gradu refrigerent,

Cap. XX.

ACacia non lota, atriplex citra adſtrictionem, acini vuæ,milium,hordeum,orobanche, platanus, rhamnus completi primi eſt.ſeris(quam picrida quidam & cichorium vocant)& chondrile,quæ ſeridis eſt ſpecies.

Quæ res refrigerent ſecundò ordine,

Cap. XXI.

ACacia lota,plantago,eiúſque fructus, blitũ, galla immatura,cucurbita,mali armeniacæ fructus,rhus,cucumis,pepo,ſolanum hortenſe,cui ſimilia ſunt ſolani halicacabi folia: hyacinthi radix completi ſecundi ordinis eſt : lenticula paluſtris,alga virens, quæque adhuc humida ex mari ſit euulſa,pſyllii ſemen.

Quæ res tertio ordine refrigerent,

Cap. XXII.

A SEmperuiuum vtrunque,portulaca eiúſque ſuccus,mandragora , citrii pars acida quæ circa ſemen eſt,herba ſanguinalis tertii eſt incipientis : potamogiton eodem modo,ſolani fruticoſa pars,ſoporiferi ſolani radicis cortex,altercum,quod & flores & ſemen album habet, hypecoon.quarto verò ordine refrigerat papaueris liquor.

Quæ res ſiccent, nec ordo gradus adiungitur,

Cap. XXIII.

VIticis folia & ſemen,rutæ minus:graminis radix modicè,ſemen eius graminis quod in Parnaſo, adiantũ B vtrunque, ſemperuiuum modicè : ægyri flores , ac reſina modicè,cæteræ eius partes debilius:acanthi, ſiue melamphylli,ſiue pædarotis radix,ſpinæ albæ radix,ſpina Ægyptia,acte & arborea , & quæ humi ſita eſt , vel herbacea: alyſſon,amarantus, quæ fluxiones pota deſiccat, albæ vitis quæ bryonia dicitur radix,(nam nigræ bryoniæ eſt imbecillior) anagyri folia arida vehementer , androſæmi, (quod aſcyron etiam dicitur) eſtque hyperici ſpecies , & dionyſiados folia,androſaces,anthyllis vtraque moderatè:aparine moderatè , pira illita , rhine moderatè , magis C verò ſumma eius pars. ariſtolochia valde,magis verò rotunda,arctium vtrunque, aſparagus myacanthinus, aſpalathus,aſtragali radix, aſphodeli radix , & eius exuſtæ cinis etiam magis , atractylis aut cnicus agreſtis mediocriter,aphace magis quàm lens:balauſtium valde:ruborum fructus immaturus,ſiccatus verò magis , itémque flos:ranunculi radix,totáque herba vehementer: bulbus illitus, gallium,glycyſidæ aut pentorobi, aut pæoniæ radix,lauri folia vehementer, & baccæ magis , minus verò cortex radicis. quercus partes omnes , magis verò fagus & ilex. D quinetiam harum plantarum tenera folia illita non mediocriter ſiccare poſſunt . alterius quercus partes minus ſiccant.Oleum laurinum,& magis tedinum,panicum illitum , echini herbæ fructus , eryngium multum,iſatis agreſtis magis quàm ſatiua,corticis ſalicis cinis vehemẽter,cannabis fructus,naſturtium,caucalis vt daucus,ceratonia vt eius itidem fructus,ſiliquæ,gummi.Lixiuiũ maximè omnium ſiccat & abſterget quod ex ficulno factum eſt cinere,& tithymalorum, & ferme adurentis facultatis eſt.corni arboris fructus,& folia,& germina valde,braſſica in cibo ſumpta, & foris admota.caules eius combuſti E valde exiccantem cinerem reddunt , vt fere adurentem iam vim tandem acquiſiuerint : braſsica agreſtis vehementius quàm ſatiua:crethmon,lilii folia, & læuigata radix,crocodilii ſemen & radix: canina braſſica,lágopus,lichen in petris naſcens,lepidium minus, fuligo omnis,lotus,aut trifolium moderatè.lotus arbor,fœniculi agreſtis, & radix magis quàm ſatiui:(vocatur hoc propter magnitudinem hippomarathrum)huius ergo non ſolùm radix, ſed multo etiam magis ſemen eſt cachryi ſimile.Alterum F verò hippomarathrum , cuius ſemen rotundum acréque eſt, & coriandro ſimile . eſt ſimile illud quidem viribus hippomarathri , ſed eſt imbecillius:myriophyllon, narciſſi radix, neuræ, nymphææ radix, quæ albam radicem habet,ea vehementius deſiccat. xereos aut xeridis radix, & multo magis fructus,xiphii radix, & præcipuè pars ſuperior,acreſta,orchis(quem etiam ſerapiada vocant)magis quàm alius orchis, quem canis teſticulum nominant. Siccata hæc herba magis ſiccat:papyrus combuſta,ſed minus quàm cinis chartæ : panacis heraclii radicis cortex, G ſed minus quàm liquor:periſtereon,platani cortex & globuli mediocriter,at cortex vſtus magis:herba ſanguinalis,polemonium(quod alii philæterium vocant)polypodium,filicis radix, & thalypteris : amylum ex frumento confectum modicè, reſinæ omnes , ſparganium, hypericon,phalangitis,verbaſci folia,ſal,aphronitrum,gypſum, idque magis vſtum:cadmiæ omnes, omniáque metallica & lapidoſa,& terrea,& ſquamæ omnes,& ſquama æris magis:argẽti ſpuma modicè:lapis Phrygius , lapis Arabicus, & oſtracites multum, nitrum , atramentum ſcriptorium, H teſta,& magis clibanorum. Omne recrementum,ferri verò recrementum maximè : ſtibium, chryſocolla,coagulũ omne,ſtercus omne: anſerinum inutile eſt propter multam acrimoniam quæ in eo ineſt,itémque ſtercus miluorum & aquilarum.ſordes mediocriter,carnes viperarum,

caro cochlearum in mortario valde contuſa, & in læuorem poſtea redacta, vehementer: quam ad rem cochleæ recentes eſſe debent. cinis quoque earum ſatis crematarum. adeps taurinus magis quàm alii: caput mænularum ſale conditarum crematum, cornu ceruinum & caprillum combuſtum, valde. corium vetus ex calceamento combuſtum: purpurarum oſtrearúmque teſta combuſta, multum: debent autem in puluerem redigi. ſepiæ teſta, lanæ combuſtæ, pili combuſti, valde: ouorum vitellus aſſatus, cinis cancrorum, garum multùm, muria piſcium ſale conditorum.

Quæ res ſine morſu ſiccent,

Cap. XXIIII.

VRticæ ſemen & folia, aloë, amurca, & magis etiam ſiccat cocta: anagallis vtraque, plantago, auena, quæ illita per halitum digerit, oleum dulce, inſulſum, lotum, maximè omnium erica, quæ itidem digerit. fermentum ſine morſu attrahit ea quæ in imo ſunt corpore, atque digerit: thalictrum, lupinus amatus, eiúſque farina, quæ etiam digerit, quod magis etiam agreſtis facit: hippuris vehementer, iſatis vehementer, ſalicis folia & flos cum adſtrictione quadam. nonnulli verò ex eis ſuccum exprimunt qui morſus expers eſt, & ſiccans medicamentum ad multas res vtile. Nihil enim multo vtilius eſt medicamento non mordente, ſiccante, & leniter adſtringente. cancani radix modicè, iuglandis putamen aridum vſtũ, quod eſt etiam tenuium partium: ponticæ nuces æquè ac magnæ. Sunt enim terreæ frigidæq; eſſentiæ participes: milium, minus centaurium valde, itémque ſuccus eius. gummi ceraſi arboris, granum quod ad tingendum valet, oleum liliaceum, foliáque & radices lilii: faba foris impoſita, cupreſſi folia, germina, globuli noui & teneri, cyperi radix, quæ ſimul quoque calfacit. cyperi folia & germina, & globuli noui molléſque, pinearum veſca pars in aqua macerata, neuras, nymphææ radix, ſireon, multum: paronychia, pentaphylli radix, & thelyptereos, myrrha, ſarcocolla, ſtœbes fructus & folia, calx lota, tragacantha, palmæ radix & fructus, ocimoidis ſemen, quod philetærion etiam vocant: * terra omnis, ad quod facit etiam quies. Lemnia eſt efficacior. cadmiæ læuigatæ ex fornacibus lotæ, lapis quem leucographida vocant. Aſiæ petræ flos carnes marceſcentes eliquat, petra verò minus: pompholyx continenter lota, calx extincta & lota generoſè, pſoricum magis quàm chalcitis. oui candidum & tenue morſu omnino caret: eiuſdem quoque naturæ vitellus eſt: ſed aſſatus minus mitigat.

Quæ res ſiccent primo ordine,

Cap. XXV.

ANthemis, vel chamæmelum, baccæ iuniperi, arum, vtraque artemiſia, intenſi. hordeum magis quàm farina fabarum abiecto putamine: polenta verò hordeacea magis, crocus, thus, fœniculum, neriũ, aut rhododaphne, muſtum, orobanche, ſeridis omnes ſpecies, cucumeris peponiſque ſemen & radix ſiccata, fœnumgræcum, hyacinthi radix, chamæleuce.

Quæ res ſecundo ordine ſiccent,

Cap. XXVI.

LOlium ſecundi eſt ordinis completi, amaracus, bitumen, amurca intenſi, anethum, plantago, eiúſque fructus, opobalſamum, acini, gingidium, dipſaci ſpinæ radix, elaphoboſcus, calamus aromaticus, milium intenſi, ciſthus vel ciſtharus, thuris cortex intẽſi, lycium, lychnis quæ ad coronamenta adhibetur, completi: malabathri folia completi, fœniculum, chia maſtiche, & magis Ægyptia: citrii cortex & ſemen, & arboris folia, mei radices, auricula muris, ſpica nardi, completi: nardum Celticum eſt imbecillius, quo infirmius quoque eſt montanum: vinum, eruum intenſi: opopanax, pix, polycnemon, ptarmices frutex adhuc virens, rhamnus, radicula, agreſtis etiam magis, ſcandyx intenſi: cardui radix, ſcorpioides, myrrha, lentiſcus, terebinthi cortex foliáque & fructus, hæcque præcipuè ſiccata: ſolani furioſi radicis cortex, completi: lentes, alga etiamnum vireſcens, & humida è mari eruta, galbanum incipientis ſecundi ordinis cenſetur.

Quæ res ſiccent tertio ordine, Cap. XXVII.

ABrotonum, & magis vſtum, acacia, acorus, aloë, amium, anethum vſtum, aniſi ſemen, iuniperus, aſari radix, abſinthium, herba Sabina, veratrum vtrunque, epithymum, thymum, nepita, arundinis vallaris cortex vſtus, caron, caſia, cadri vtræque, cinnamomum, clinopodium, conyza maior & minor: nam quæ grauius olet, & humidis locis prouenit, imbecillior eſt. leontopetali radix, ſpinæ albæ radix, thuris fuligo, macer, melanthium, citrii pars quæ ſub ſemine eſt, vinum ſatis vetus, acetum, completi, quum vehemens ſit: origanum omne, paronychia, quinquefolii radix, petaſites, petroſelinum, ſmyrniũ, ſed minus: peucedani radix, liquor magis: ruta ſatiua, polium minus, meliſſophyllum, marrubium, ptarmicæ frutex aridus, rhus, ſampſuch⁹, ſeriphum, ſeſamoeides maius, ſiſymbrium, ſtœbes folia, fructúſque, incipientis. teucriũ, trifolium (quod aliqui aſphaltion vocant) hyacinthi fructus, hyſſopum, chamædrys, chamæleontis vtriuſque radix, chamæpitys, & maius chelidonium.

Quæ res ſiccent quarto ordine,

Cap. XXVIII.

AMpelopraſum, oleum cedrinum, ſinapi, ruta agreſtis, allium, & magis agreſte, quod ophioſcorodon nominant.

Quæ res humectent, ordinis verò gradus non adiungitur, Cap. XXIX.

ALſine, bugloſſum, glaux herba, dulcis radicis ſuccus, lactuca modicè, violæ folia modicè, mali perſicæ fructus, fungi, polygalum, roſaceum magis quàm oleum, ſatyrium, ſtratiotes.

Quæ res humectent ſecundo ordine,

Cap. XXX.

POrtulaca & ipſa, & eius ſuccus, atriplex, blitum, cucurbita, mali armeniacæ fructus, cucumis, pepo, lenticula paluſtris.

Quæ res aquoſam frigiditatem habeant,

Cap. XXXI.

ACacia, alſine, portulaca, plantago, atriplex, rubi folia, tuſſilago herba quum humida eſt: nam ſiccata non æquè eſt huiuſmodi: blitum, muſcus marinus, glaucium, dorycnium, epimedium modicè. Lactuca, viſcum, violæ folia, cucurbita, vmbilicus Veneris, cicuta, leuce arbor, malua ſatiua, papauera, mala præcocia, fungi, platanus herba ſanguinalis, potamogiton, ſideritis, cucumis qui edendo eſt, ſonchus, ſtratiotes aquatilis, holoſchœnus, nux pinea, hypecoon, lenticula paluſtris, pſyllii ſemen, plumbum.

Quæ res mediæ ſint inter ſiccantia & humectantia,

Cap. XXXII.

GRaminis radix illita, oleum dulciſſimum, ex oliua maximè drupa.

De iis quæ tenuium craſſarúmque ſunt partium,

Cap. XXXIII.

QVoniam tenuium eſſe partium dicuntur ea quæ in tenues partes facilè comminuuntur: ſolidarum verò craſſarúmque partium quæ contrà: viſcoſa verò atque dura ægrè aut difficulter, aut omnino in tenues comminui partes non poſſunt: fragilia verò, & quæ ſine viſcoſitate mollia ſunt, in tenues partes facilè ſoluuntur, perſpicuum eſſe hinc arbitror, multa eſſe facultate calida, & facilè accendi: nos tamen ab eis non facilè excalfieri. Nam ignis qui eſt omnium tenuiſſimus, ſimúlque calidiſſimus, in profundum facilè penetrat, & comminuit, & extenuat, & mutat, & in ſuam denique naturam conuertit, ſimile reddens ex omni parte, & ſuperans id quod contingit. at noſter calor præterquam quòd craſſarum eſt partium, & vaporoſus, eſt etiam debilis, vt quod contingit, non facilè commutet. Oſtenſum enim eſt, nihil eorum quæ nos calfacere apparent, æquè ac ignem poſſe calfacere, ſed veluti materiam quæ facilè accendatur: ſiquidem initium mutationis à noſtro calore accipientia, vt aridæ arundines ab igni, nos contrà calfaciunt, & vt illæ ignis partes fiũt, ita hæc natiui caloris noſtri partes reddantur. quinetiam admodum exile corpus facilè ab eo cui admotum eſt, alterari, maius verò tractu temporis, & ita vt eius alteratio vix ſenſu percipiatur, eſt ſanè ſatis comprobatum: quo-

circa mirandum non eſt,ſi nos celerius ab eo quod in minimas partes accuratius comminutum fuerit, immutari ſentiamus. Euidenter autem apparet, nullum ex iis quæ ex craſſis partibus conſtant,priuſquam ad vnguem comminuatur,neque ipſum à corpore noſtro quicquam pati, neque rurſus in nos poſſe agere.neque enim ſolùm in pipere,ſinape,& cæteris omnibus nos calefacientibus, ſed etiam in iis quorum frigida vis eſt, eodem modo ſe res habet.Nam ſiquis radicis mandragoræ corticem in magnas confractum partes cuti imponat,aut illinat, planè nihil officiet : at is in tenues partes comminutus, refrigerare poteſt.ſic etiam papaueris ſemen,& cicutæ, quod quanquam eſt omnium refrigerantium valentiſſimum,tamen antequam exquiſitè comminutum fuerit,noſtræ cuti admotum,eſt planè imbecillum.Ne igitur mireris ſi aridæ arundines piliqne,etiamſi facilè accendantur,non tamen nos contactu excalfaciant,quippe qui à noſtro calore non immutentur, vt nos contrà calefaciant, quod ſcilicet in pollinem redigi non queant : quandoquidem & calamus Indicus,eo quòd tundi,& pollinis modo per cribrum traiici poteſt,magis quàm is qui apud nos naſcitur, euidenter nos calefacere conſpicitur.Non eſt igitur cenſendum (quemadmodum nonnulli putant) ignem omnem tenuium eſſe partium,nec omnia quæ tenuium partiũ ſunt, ignem eſſe. nam carbo ignis eſt ille quidem, non tamen tenuium partium : aër quoque tenuium partium eſt, non tamen eſt ignis.eſt etiam aliquid frigidum exquiſitè tenuium partium,& aliquid calidum quod ex craſſis partibus conſtat.

Quæ tenuium partium ſint.

Abrotonum vſtum,viticis ſemen & folia,ſcandyx, ſemen graminis in Parnaſſo naſcentis, ægyri flores, vrticæ fructus & folia, acanthi, ſiue melamphylli,aut pæderotis radix,acanthii radix & folia,ſpinæ albæ ſemen,acorus,amomum,aſari radix,vitis agreſtis albæ radix, radicis anagyri cortex,& magis eo ſemen, anthyllis vtraque, magiſque ea quæ eſt chamæpityi ſimilis. anthemis vel chamæmelum,aparine,ariſtolochiæ radix, & magis etiã rotunda,arction quod eſt ſimile verbaſco,plantaginis fructus, & folia ſiccata, artemiſiæ ambæ, aſplenũ,aſphodeli radix,& magis eiuſdem vſtæ cinis,balſamum,& plantæ liquor magis,fructus verò minus : radix rubi,Sabina multum, glycyſidæ, vel pentorobæ, vel pæoniæ radix, dictamnum,dracontii radix magis quàm radix ari,ebenus,oleum vetus,oleum ricininum,oleum quod è * ſqualidis oliuis fit,Sabinum, elaphoboſcus, eupatorium herba, euphorbium,fermentum, eryngium, ſalicis liquor, nepita, calamus aromaticus,arundinis vallaris cortex vſtus : caſia egregiè,ex nucibus veſca pars, nucis putamen aridum & combuſtum egregiè,carpeſium,milium, cedrinum oleũ, cinnamomum in ſummo, cinnamomis quæ pſeudocinnamomum dicitur,pſeudodictamnum minus, ladanum modicè,clinopodium,pruni gummi,fuligo omnis, lotus arbor,maſtiche,melanthium, medii ſemen, myrrhis(ab aliquibus myrrha dicitur)moly (quod rutam agreſtem quidam nominant)xyreos aut xyridos radix,& magis fructus,oxyacanthæ fructus,opobalſamum, liquor Cyrenaicus magis quàm alius omnis, paronychia, peucedani liquor,ruta,pix,piſſelæon verò magis, piſtacii fructus, polemonium(quod aliqui philetærium vocant)propolis,reſina terebinthina magis cæteris reſinis,larinx quoque magis.Inter liquidas reſinas,quæ capnelæos dicitur, roſaceũ oleum,roſa,ſagapenum,ſampſuchus,ſeſeli, cucumeris ſemen,ſiſymbrium,eiúſque ſemen,ficus ſiccæ modicè, ficus arbor,iunci odorati flos modicè, teucrium, cinis, eóque magis calx : tribuli terreſtris fructus, tubera modicè, hypericon,hyſſopum, phaleris, phalangitis, phorbion, ocimoideos ſemen,ſal laxum,præterea in ſalis genere magis facit ſal combuſtus : ſed flos ſalis magis etiam facit. Spuma ſalis multum,nitrum,magis verò eiuſdẽ ſpuma. inter alcyonia, tertiũ,multũ : minus quàm hoc,quartũ. arſenicum vſtum,gypſum combuſtum,ſulfur,cadmia quæ botryitis dicitur,magis.pumex crematus, lixiuium, ſquama æris præ cæteris. Aſii lapidis flos, lapis verò ipſe minus, melanteria,miſy,flos æris,& æris ignem experti, eiúſque ſquamæ magis : chryſocolla magis facit ea quæ in pila fuerit confecta quàm quæ in fodinis inuenitur:eam quoque cremando tenuiorum partium reddes.ſandyx qui ex ceruſſa cremata fit, alga, adeps leonis,pardi, hyænæque multum : taurinus verò minus,caſtoreum,ſepiæ teſta, lanæ combuſtæ.

Quæ res ſint craſſarum partium, Cap. XXXIIII.

Plantaginis radix, balauſtium, acinus, oleum balaninum, zingiberis radix,cancani radix,cæpa,cucumis, ſquamæ omnes, minus verò æris : ſory, alumen egregiè, tum liquidum tum cruſtoſum,tum plinthite. tenuiorum verò partium quàm hæc,eſt quod ſciſſile dicitur, & poſtea rotundum.

Quæ corroborent, Cap. XXXV.

Caſia,galla immatura, ſtœchas, corroborat viſcera omnia, & totum quoque animantis habitum. palmæ fructus,tum foris impoſitus,tum intro aſſumptus, abſinthium.

Quæ res concoquant, Cap. XXXVI.

Amomum magis quàm acorus,& radix aſari, vua culta,cera, ladanum, colla ex qua libri conglutinantur, crocus,thus,pix,maſtiche Ægyptia,roſaceum oleũ,myrrha,ſtyrax, galbanum,alica,ocimum illitum,butyrum,œſipus, adeps ſuillus magis quàm oleum.

De medicamentis pus mouentibus, Cap. XXXVII.

QVÆ pus mouent quum ſimilem temperaturam habeant iis temperaturis quæ naturales ſunt,earum ſubſtantiã tueri potius quàm immutare poſſunt. Ergo in ſuppurationibus humiditas alteratur illa quidẽ, itémque ſiqua caro cõtuſa eſt:ſed alia omnia quæ ſecundũ naturam ſunt,ſubſtantiam ſuam conſeruant. Tale igitur eſſe debet medicamentũ quod ad pus mouẽdum adhibetur, qualis eſt in naturis temperatis natiuus calor.quemadmodum enim alterationes quæ ſecundum naturam ab innato calore fiunt,à ſimili calore externo iuuantur,ita etiam in ſuppurationibus vſu venit. Nouimus autem nihil æquè adiuuare concoctionem quam ventriculus obit,ac corpus humanum ipſum contingens:quamobrem nonnulli puellos noctu in ſinu tenent, & ſummum inde commodum ſentiunt:propius enim ad naturalem calorem accedit,éſtque magis proprius & cognatus hic quàm qui fomentis adhibetur.Quidam verò catulos paruos huius rei cauſa alunt, qui dum quieſcunt,eoſdem ventriculo admotos tenent: qui quidem calorem cibos concoquentem, non itẽ qualitatem adaugent. Hæc autem medicamenta humida & calida dicimus, nõ quòd humidiora calidioráque noſtra ſubſtantia ſint, ſed quia eorum temperies ſimilis ſit nobis qui calida humidáque temperie ſumus, vt ſermo vetus prodidit.Quinetiam emplaſticũ eſſe debere hoc medicamentum,vt ad ſummum pus moueat,planum iam eſſe mihi videtur:nam ſi natiui caloris ſubſtantiam augere & non intendere qualitate cõueniat,corporis meatus obſtructos eſſe neceſſe eſt,vt tranſpirationes halituoſas intus includant:quãdoquidem ea cataplaſmata quæ aut detergunt,aut vehementius calefaciunt, & halitus diſſlari ſinunt,ſiccant quidẽ,ſed tamen pus nõ vtique mouẽt.Porro ad pus gignendum aptiſſima erit ex omnibus quæ perfunduntur, aqua temperata,aut hydrelæum:ex iis quæ irrigantur,oleum temperatum: ex iis quæ illinuntur, farina triticea ex hydrelæo,ipſéque panis.Is verò modicè coctus eſſe debet.nam qui plurimum coctus eſt, is eſt quodammodo ſiccior, & ad inflammationes quæ ægrius concoquũtur,eſt accõmodatus:qui verò min9, iis quæ admodũ calidæ ſunt atque feruent.cui plus additum olei fuerit,iis conuenit quæ difficilius cõcoctionem admittunt:cui verò minus,iis quæ feruent. Quod verò ex pane cataplaſma conficitur, inflammationibus quæ ægrè concoquuntur, aptum eſt:ſiquidem & ſal & fermentum admiſtũ habet. quod verò ex triticea farina fit, calidioribus. Alica verò magis ſiccat quàm farina triticea. quamobrem in moderatis inflãmationibus puri mouendo eſt ineptior:in humidioribus verò,quàm farina tritici præſtantior. ex ipſa

præterea tritici farina atque pane qui purus eſt, ad pus mouēdū eſt accommodatior, quippe quum furfur minus ſit calidum magiſque ſiccum. Farina autem pura, & quæ alendo eſt, humida eſt & calida, qualia ſanè ad pus gignēdum apta eſſe docuimus. Igitur mendicamenta quæ vlceribus inflammatis imponuntur, ſi calida & humida ſint, ea ad pus mouendum conducent, vt adeps ſuillus & vitulinus, butyrum & thus: quinetiam ad pus perducit pix & reſina, ex aliquo videlicet oleo ſubactæ: ad feruentes verò inflammationes, comburendæ ſunt, & ex roſaceo liquandæ: ad alias verò, ex aliquo calefacientium, vt cicino, vt raphanino, vt vetere, vt Sicyonio. Si verò ſola cera interdū vtaris ad pus mouendum, ipſam quoque in aliquo oleo calfaciēte eliquabis: quippe quum ipſa per ſe minus ſit calida quàm vt mouere pus queat. emplaſticā enim vim habet. Solis itaque feruētibus inflammationibus apta eſt ex aliquo ex calidioribus oleis eliquata: verùm vt hæc cōmoderatione inferior eſt, vt ad inflammationes tēperie medias, hominúmque ac partium naturas, ita paululum quid excedunt reſina atque pix. Ex quo fit vt hæc omnia ſimul miſta commoderatè pus gignant. Nequis verò negligenter intelligat, exiſtimétque me dicere, omnia quæ difficulter concoquuntur, & ad pus nullo modo perueniunt, hoc pacto curari oportere: ſiquidem nonnulla huiuſmodi ab emplaſticis medicamentis putreſiunt, vel propter ſuccorum ea generantium malitiam, vel propter ægrotātis imbecillitatem: cuius vires tum exiguæ, tum infirmæ ad ſuccorum in locum irrumpentium concoctionem nullum afferre adiumētum poſſunt: quo caſu profundis ſcarificationibus cutim aperimus in multis affecti loci partibus, medicamentíſque vtimur quæ maiore deſiccandi vi ſint prædita: imminet enim huiuſmodi inflammationibus ea quæ gangræna vocatur, calore natiuo ab ipſa propemodum victo, & eo ferme redacto vt planè reſtinguatur.

De mollientibus, Cap. XXXVIII.

MEdicamenta ſcirrhos emolliētia, multo caliodiora eſſe debent quàm tēperata natura ſit, non tamen tā vehementer calida: nam quæ à lento craſſóque humore congelato induruerunt, calefacientia ſiccantiáque medicamenta poſcunt, non tamen quæ valida violētáque ſint: ſed ſatis eſt interim vt ſecundi aut tertii ſint ordinis calfacientium, primi exiccātium. facultas quoque emplaſtica in eis ineſſe debet, quemadmodum in iis quæ ad pus mouendum adhibentur. ſed quo magis ad euacuandum pertinere debent, eo etiam minus meatus illitu obſtruere. Cæterùm quum in corporibus ſic induratis non parua ſit maioris minoríſque duritiæ latitudo, neceſſe itidem eſt medicamentorum ea curantium non paruam eſſe latitudinem: vt, ne longè abeamus, caprillus & gallinaceus adeps huiuſmodi etiam indurata curauit: ſed imbecilliores hi ſunt, & moderatas duritias molliunt. Adipe verò gallinarum valentior eſt anſerinus, caprillo verò hircinus. Validus quoque taurinus eſt, ſed minus quàm hircinus: magis quàm hi digerit, & non magis emollit, leonis, pardi, hyænæ atque anſeris. Quinetiam medulla ceruina ſatis emollit, & poſt eam vitulina: in quo genere, quæ ex oſſibus quàm quæ ex ſpina ſumitur, quam ſpinalem medullā vocant, eſt præſtantior. Eodem ex genere, quanquam validiora, ſunt ammoniacum thymiama, magíſque tale eſt quod pingue eſt & recens, & ſtyrax, & galbanum, & bdellium Scythicum, quod & magis atrum eſt, & magis reſinoſum: alterum, quod Arabicū eſt, quo eſt dilucidius, eo etiam magis ſiccat quàm emollientia. quod igitur recēs & humidum eſt, & contuſum facilè molleſcit, ad eadē ad quæ Scythicum eſt idoneum. quod verò eſt vetuſtius, & guſtu admodum amarum, acre & ſiccum, ab eorum quæ indurata emolliūt, mediocritate excidit. præſtātiora verò quàm reliqua omnia, ad emolliendum ſunt recentia, ſiquidem inueterata plus quàm par eſt exiccant: id quod etiā in medulla & adipe vſu venit, quippe quæ ſeipſis fiant & acriora & ſicciora vetuſtate, non ſecus quàm adeps ſuillus. Cæterùm neque hæc, neque alia quæ molliunt, habere ſalem debent, quandoquidem ſal vehementer ſiccat. Quin & oleum Sicyonium ex hoc eſt genere, itémque liliaceum, & hyoſcyaminum, & dulciſſimum quod ex oli-
A uis, & præſertim drupis fit: atque etiam anthemis, quam chamæmelum vocant, & althææ radix, & cucumeris agreſtis radix, ex oleo vel ex aqua decoctæ: & folia quoque maluæ agreſtis, eáque & cruda & cocta: nam hortenſis folia imbecilliora ſunt. & althæa quæ anadendromalache dicitur, validior eſt, earúmq; validior eſt fruct⁹. Libanotides etiam tres, chia maſtiche, terebinthina magis quàm lentiſcina, colophonia, quæ chiæ maſtichæ eſt ſimilis, æquè ac ipſa maſtiche: Ægyptia maſtiche, opopanax, ſordes è ſtatuis, lutum ex palæſtra, ſtrigmentorum balneorum,
B butyrum, myrrha Bœotica, hippogloſſi radix & ſuccus.

De indurantibus & laxantibus, Cap. XXXIX.

EMollientium quidem facultas abundè iam expoſita eſt nobis: de indurantibus deinceps loquemur. hæc igitur frigida atque humida eſſe oportet, velut ſemperuiuum, porculaca, & pſyllium, lēticula paluſtris, ſolanum: aut hoc ſanè non eſt humida temperie, ſed medium abſolutè humectantis & ſiccantis. Siquid verò ſimul refrigeret & ſiccet, id etiam omnino indurat, nō eſt tamen ex iis quæ
C propriè indurant: ſiquidem congelatione potius quàm euacuatione durum corpus efficitur. at ſiquid ideo induratum ſit quòd natiuum humorem non reitnet, ſiccum id potius quàm durum appellamus: eiúſque ſanatio eſt irrigatio & humectatio, non emollitio: vt tenſio curatur laxatione, & laxatio tenſione. Atque hæc quidem liquidò tū in cute, tum ſæpe etiam in articulis conſpiciuntur. nam laxatio prouenit immodicè humectatis quæ circa eos ſunt ligamentis & tendinibus: tenſio verò non etiam ſimpliciter, ſed pluſculum exiccatis, aut refrigeratis, aut inflamma
D tis, aut ſchirro affectis. Atque ita quidē in articulis: in cute verò non ita ſolùm, ſed muſculis quoque qui ei ſubiecti ſunt, quoquo modo in tumorem elatis, vt etiam præ carnis copia quibuſdam tenditur: id ipſúmque in inflammationibus illi accidit. Quocirca non vna ſimpliciter laxantium eſt ſpecies, ſed alia humectando laxant, alia calfaciendo, alia molliendo, alia vacuādo, alia tumores præter naturam purgando, alia quiddam horum faciendo. Quoniam igitur multis modis vnaquæque res durior fit, aut ſiccata, aut denſata, aut quia nimiū expleta ſit, & ideo
E vehementer tendatur, aut aliqua coniugatione hæc patitur: ſingulis quoque propria eſt emolliendi ratio. quamobrem de ſingulis deinceps diſſeramus. Ergo quod à ſiccitate induratum eſt, humectari poſtulat: quod à congelatione, excalfieri: quod à repletione, inaniri: quod à ſiccitate ſimul & cōgelatione, humectari atque excalfieri: quod à concretione ſimul & repletione, calfieri & euacuari. Siccantur itaque corpora citra concretionem, tum in validis exercitationibus, tum in ſole vehementi, tum inedia ingenti, tum febre ardenti, tum medicamentis quibuſdam
F quæ non refrigerando ſiccant. Congelantur à vehementi ſolùm frigore, ſicut etiam implentur à largi humoris affluxu. Siccātur verò ſimul & congelātur, coeuntibus quæ ſimul conuenire poſſunt cauſis: vt ſiquis ſupra modum laborat in frigore, aut famem patiatur. Sic quoque replentur ſimul & congelantur ab influxu frigido, aut partis alicuius perfrictione. ac tot quidem modis dura fiunt corpora. At medicamentum emolliens non de omnibus his modis efferre videntur, ſed peculiariter de iis quæ ob cōgelationem induruerunt: magíſque etiam ſi in eis contē
G tus ſit humor præter naturam, vt in ſcirrho affectis vſu venit.

De emplaſticis, Cap. XL.

SI qualem tibi ſenſum præbet aqua omnis planè qualitatis expers, talem in re ſicca inuenias, ea profectò extra omnem inſignem eſt caliditatem & frigiditatem, mediam, quoad maximè fieri poteſt, cōſtitutionem obtinēs, aut certè paulo ad frigidius declinans. At ſi ita quum ſit, conſiſtentiam ſiccā habeat, terreſtris ſit, ac citra morſum deſiccet, eſt neceſſe, & corporis meatib⁹ illini, ſic vt diffi-
H culter eluantur. Huius generis medicamēta ſunt plurima quæ exquiſitè ſunt lota, vt amylum, pompholyx, ceruſſa, calx, cadmia, terra Cretēſis & Cimolia, alica, Samius aſter, terra fullonum, gypſum, lupinus iam commanſus, cancani radix, pinearum veſca pars aqua macerata. Porro quæ

dam eorum nõ ſolùm terrea ſunt,ſed natura etiam aquea: A quædam etiam aëris non parum habent : tenacia tamen ſunt omnia,& idcirco emplaſtica. Duplex enim eſt medicamentorum emplaſticorum natura:altera,enimeſt exquiſitè terrea & ſicca:altera verò tenax eſt omnino: miſta verò ex aqua atque terra,& plerũque etiam aëre,vt oleũ dulce ſine ſale paratum.oui quoque album ex eiſdem quodã modo eſt miſtum:magis tamen terreum eſt quàm oleum: quin & caſeoſa lactis pars emplaſtica eſt, tenérque ac recens compactus caſeus,& ſuilla pinguedo,!& cæteræ quoque pinguedines,quæ nullam adhuc acrimoniam contra- B xerunt,emplaſticam meatuum facultatem obtinent :& magis etiam,quo ſicciores ac magis terreæ fuerint. huiuſmodi etiam eſt elota cera dulcis : éſtque ad id accommodata quæ ex magis aqueo melle,& minimè acri ſit facta : nam amara ab emplaſticis clarè ſecluditur. Gluten libris agglutinandis idoneum, emplaſticum eſt: gummi, myagri ſemen,defrutum valde : triticum,ſeſamum, & ſeſaminum oleum,& eiuſdem herbæ decoctum, ſordes ex palæſtra,ſarcocolla, tragacantha. Atque emplaſtica quidem medicamenta huiuſmodi inter repellentia & ab- C ſtergentia medium locum tenent.

De medicamentis purgantibus,

Cap. XLI.

QVemadmodum in ſaporibus diximus, nullum propè eorum alienæ qualitatis expertem eſſe,ita in medicamentis exiſtimandum eſt,multas diuerſi generis ſubſtãtias eſſe miſtas.oſtenſum quoque eſt, attractiones proprietatibus qualitatum quæ in ſubſtantiis ſunt,perfici: idcirco purgantia medicamenta ſuccis qui attrahuntur, familiaria & propria ſint oportet,ſicuti magnes ferro, quip- D pe qui ad ferri naturam accedat,eique magnopere ſpecie perſimilis ſit : verùm eſt quodammodo fortior, vt attrahat potius quàm attrahatur. Quin ne cnicum quidem à pituitæ natura alienum eſſe diffidendum eſt,vt eius quoque color indicat,ſed tamen calore eſt pituita valentior, vt trahat potius quàm trahatur.eodémque modo granum Cnidium, ſiquando à corpore noſtro vincatur (id quod aſſiduè cnico euenit,rarius autem grano Cnidio,propter eius robur atque vim) pro purgatione ſit alimentum, velut elleborus ſemper coturnicibus. Idcirco purgantium E medicamenrorum,vbi fortè purgatione fruſtrãtur,quædam præterquàm quòd nullam corpori noxam afferunt, etiam animanti alimentum præbent : alia verò in corruptelam & tanquam venenum conuertuntur.

De nimia purgatione.

Cap. XLII.

NImiæ purgationes euenire ſolent quũ purgans medicamentum tantas vires ſumpſit,vt in vaſorum ad ventrem pertinentium oſculis morſum ſimul apertionémque multam efficiat,continentérque irritans,& con- F uellens corpora,vaſorum vìm diſſoluat. Quum autem in initio modica adhuc ſit apertio & imbecillitas,tum quod tenuiſſimum eſt,miniméque naturæ familiare, excernitur. Sed quum vtraque aucta eſt,iam tunc familiariſſima euacuantur : quamobrem flaua bilis primò , pituita ſecundo loco,tertio loco atra bilis,poſt hæc poſtremus omniũ in nimiis purgationibus ſanguis effunditur : eſt enim hic ſuccus naturæ quamfamiliariſſimus.ante hunc verò primus quidem qui tenuiſſimus,poſtrem⁹ qui craſſiſſimus. G Si igitur medicamentum quod pituitam educat dederis, prima in nimia purgatione flaua bilis,mox atra,vltimo loco ſanguis eiicitur. Si verò quod flauam bilem ducat exhibeas,pituita conſequetur, tertia atra, quartus demum ſanguis.quin & ſi atram bilem purgans medicamentum ſit,eam quidem primùm euacuabit, deinde flauam, tum pituitam,& poſtremò omnium ſanguinem, tanquam ex inanimis iam vaſculis effluat. Quũ enim vaſcula non amplius in ſe continere alios ſuccos præ imbecillitate poſſunt,eorum verò ora recluſa fuerint,nec irritare medica- H mentum deſinat,nec familiarem præterea ſuccum poſſit attrahere, neceſſe eſt reliquos eo ordine quem diximus excerni.

De facultate purgante,

Cap. XLIII.

PVrgans facultas duo ſignificat,vnum commune omnium,quæ quouis modo animalis excrementa expurgant : alterum quod per excellentiam de iis dicitur quæ aut per vomitum aut per ventris deiectionem purgant. Eſt autem eiuſdem generis cum his purgationibus tum ea quæ per nares,tum ea quæ per os fit;infuſis videlicet in nares medicamentis, aut os colluendo, aut mandendo; quæ omnia vnico nomine comprehendentes, ἀποφλεγματίζοντα, *hoc eſt pituitam euccantia* , & eorum facultates apophlegmaticas nominant . Eiuſdem cum iiſdem ſunt generis quæ vuluæ admota expurgant : nam quæcunque dixi,ea attrahendi vìm habent omnia: alia vnum quempiam ſuccum, alia duos, aut etiam plures : idque eſt illis commune,veluti quæ craſſos lentóſque humores extenuare,vrinam ciere poſſunt,aut excreationibus ex pectore pulmonéque eiiciendis auxiliari : & quodammodò purgant illa quidem, ſed tamen non vt prædicta nominantur,verùm partim vretica,partim menſes prouocantia,hoc à ſuperioribus differentia quòd non æquè vt illa vim ad familiares ſuccos attrahendos habent. ex quo fit vt in his quoque ſermo noſter alterius diſtinctionis indigeat : eáque erit huiuſmodi quæ in peſſis, aut fomentis, aut quouis ſimili modo vtero admouentur, ea duplici ratione agunt : alia nanque ſolùm calfaciendo prouocant, alia facultatibus, quas attractrices & purgatrices nominant,quas trahendorum familiaritate peragere attractiones demonſtrauimus. Quæ bibuntur vt ſanguinem attenuent,& meatus obſtructione liberent atque aperiant, ea facultate attractrice vacuationem non obeunt: ac priora quidem eiuſdem generis ſunt cum purgantibus : ſecunda verò cum his quæ lac & ſemen gignunt,de quibus paulò poſt verba faciemus.

De medicamentis ad tuſſim pertinentibus,

Cap. XLIIII.

BEchica medicamenta dupliciter ſunt nominata ; partim quia tuſſim prouocent,partim quia ſedent.maximè verò contrariæ ſunt eorum facultates : aliorum enim natura attenuans eſt,aliorum incraſſans. attenuandi autem vis in calidis & tenuium partium ſubſtantiis eſt ſita: incraſſandi verò in frigidis,& quarum craſſæ ſunt partes: harum verò materiam ſuprà memorauimus.

Ex Zopyro,de medicamentis quæ humores ex ore,naribus,& oculis trahunt,

Cap. XLV.

HVmorem ex ore trahunt tum commanſa,tum liquata,pyrethrum,pontica radix,itémque polii, lapathi, cappareos,halicacabi, chamæleontis , ficuum pinguium decoctum,teda,mel,paſſum,papauer, abſinthium, origanum,radicula,vua paſſa ſine acinis, aut alia eodem modo,cachry,napi,elleborus albus, elaterium, thymum, ſal, omphacium,aniſum,piper,miſy,æs vſtum, granum Cnidium,atramentum ſutorium,chamelæa, lauri baccæ, cedria,ſulfur,eleliſphacus, cinnamomum, acanthi fructus, balſamum,anemone, panaces, naſturtium, ammoniacũ, ſandaracha,fæx arida combuſta. E naribus educunt hæc: elaterium,piper,betæ ſuccus, & corticis radicis cyclamini,mel paſſum,thlaſpi,granũ Cnidium, anagallis, irinum vnguentum,anemona,ranunculus, cedria , expreſſio nucum amararum, veratrũ album, ſtruthium, omphacium, marrubium, hederæ tenera folia. quædam verò horum ſternutamentum quoque excitare conſueuerunt. Ab oculis verò trahunt humores,mel,hyſſopũ, oleum vetuſtum, anagallis,id quod ſalis pinguedinem vocant(quam aliqui ſalis ſpumam nuncupant) laurinum vnguen, nardum, caſia, cinnamomum, coſtus, liquor papaueris, & ſagapeni, folii ſuccus ,itémque dauci, apii, punicorum, amygdalarum,marrubii,ellebori albi, ponticæ radicis, anemones, rutæ,& magis etiam agreſtis : caſtoreum, lapis hæmatites,atramentum ſutorium, flos æris , adeps anſerinus, æs cõbuſtum, fel,myrrha, chalcitis Ægyptia,ſulphur ignem non expertum,alumen ſciſſile,ſæpiæ teſta cremata,myſi, vrina , thuris cortex, ſcillæ pars quæ tomentum appellatur, decocta,ammoniacum,nycticoracis cerebrum, ſanies hircini iecoris,ſalicis lacryma,omphacium, ſquamæ ſtomomatis. Per aures euocare videntur,mel,piper,* mu

ſtum, libanotis fructifera; metopium, oleum ex nucibus, vrina bubula, fel taurinum, mercurialis, betæ ſuccus, & radicum capparis, & agreſtis rutæ, & cnidii grani: caprifici liquor, bdellium, caſia, galbanum, veratrum album, ſerpyllum, atque omphacium.

Galeni, de medicamentis obſtructione liberantibus, abſtergentibus, & attenuantibus, Cap. XLVI.

QVod emplaſtico contrarium eſt, id meatus repurgãs aut obſtructione liberans appelletur: quemadmodũ ipſum emplaſticum non ſolùm ita vocatur, ſed obſtruens quoque dicitur. Fuerit autem id, ſicut actione contrariũ, ita & corporis natura, neq; viſcoſũ, neq; morſus expers, ſed & nitroſum, & tenuium partium. ratione enim maioris minoriſque differunt inter ſe, genere ſubſtantiæ non diuerſa, tum emplaſtica ab iis quæ ſordem nutriunt; tum meatus expurgantia ab abſtergentibus. nam quæ in ſuperficie ſordem auferũt, ſiue in cute, ſiue in vlceribus, ea abſtergentia nominantur: quæ verò meatus etiam expurgant, ea tenuiorum ſunt quàm hæc partium, & emplaſticis contraria, & idcirco obſtructione liberãtia, & meatuũ expurgantia vocantur: ſuntque hæc nitroſa & amara. Quæ verò cuti extimæ imponuntur, ea ſolam nitroſam qualitatem exquiſitam poſſidere debent ad ea quæ dicta ſunt peragenda: quæ verò intrò in corpus aſſumuntur, ea quãuis aliquid adſtrictionis adiunctum habeant; poſſunt tamen ſic quoque magnos meatus, cuiuſmodi ſunt in viſceribus, purgare atque abſtergere. foris enim meatuum paruitas prius ab adſtrictione occluſa quàm expurgari probè queat, non etiam inde in altum abſtergentem ſubſtantiã recipit, neque expurgatur. at viſcera quæ maximos in ſe meatus habent, maius commodum ex vaſorum corroboratione capiunt quàm ex oſculorum exiguitate damnum ferant. proinde abſinthium intus repurgare poteſt, foris non item; quippe quod ex amara acerbáque facultate eſt compoſitum. Quæcunque ergo nitroſa & amara comperiuntur, ea meatus omnes poſſe expurgare cognoſcito. at ſordes vlcerum, aut etiam cutis, nõ hæc ſolùm, ſed & quæ minoribus viribus ſunt, auferre poſſunt: qualia ſunt dulcia, quæ tenuium ſunt partium, vt puta mel. Quæcunque enim obſtructionem tollunt, eadem quoque abſtergent: at quæcunque abſtergent, ea non omnino obctructione liberant. eadem verò & obſtructione liberant, & ſordes repurgant.

Quæ obſtructione liberent, & expurgent, Cap. XLVII.

ANagyri ſicca folia, eiúſque radicis cortex, agaricum, vrticæ ſemen, amarantum, amygdala amara, ipſáque arbor, ampelopraſum, adiantũ, radix ari, acanthi vel melãphylli, vel pedærotis radix, pulegiũ, dracũculus, dauc⁹ qui paſtinaca dicitur, & poti⁹ agreſtis, gẽtianæ radix multũ: helenii radix, eryſimi ſemẽ, cicer, agreſte cicer, eupatoriũ herba citra inſignẽ calorẽ, thymũ, caricæ pingues, ſopyrõ, nepita, naſturtii ſemẽ & folia validè: caſia, prunorũ gummi, betonica, crocodilii radix, cyclaminum, ſpinæ albæ radix, libanotides tres, melanthium, medii ſemen, papauer cornigerum, myridis radix, ononidis cortex, oxyacãthi fructus, periclymeni fructus & folia, ruta, peucedani liquor & radix, filicis radix, & thelyptereos, cucumis, pepo, ſphondylii fructus radixque, cyperi folia, & ſumma germina, ſtœchas, teucrium, chamædrys, chamæpitys, chamæciſſi flos, cæteráque omnia in quibus amaram qualitatem excellere dictũ eſt: nã & nitrũ ipſum, & aphronitrũ quod nitri eſt ſpuma, & ſalis ſpuma, & ſal, & lapis Æthiopicus, & ſeriphũ & abrotonũ, & reliqua hui⁹ generis cũ cibo potúq; aſſumpta eandem vim obtinent: protinus enim his ineſt, vt craſſos lentóſque humores extenuandi vi prædita ſint, ſicut emplaſticis omnibus craſſos lentóſque corporis ſuccos reddendi: quamobrem lentis ac pituitoſis thoracis, pulmoniſque lentæ pituitæ, aut puri incidendis & attenuandis, & educendis, aptiora inuenire alia ante hæc medicamenta non queas: iiſdem quoque iecoris obſtructiones expurgabis, & verò etiã lienis, quæ modicæ fuerint. nam quæ maiores ſunt, eæ vehementiora medicamenta deſiderant, vt capparis corticem, radices tamaricis, ſcolo- A pendrii radices, & item herbæ quam aſplenum nominant.

Quæ abſtergant, Cap. XLVIII.

ABſtergent autem omnia quæ meatuum obſtructiones expediunt, craſſóſque humores incidunt, & quæ nunc dicentur; vt ſtercus caprillum vſtum, & ignem non expertum; teſta omnium dura teſta intectorum, ſepiæ teſta, echini vtriuſque combuſti cinis; ſerum lactis, mel, decoctum verò mel minus: alyſſum, vitis agreſtis racemi, cultæ verò minus: albæ vitis quæ & bryonia dicitur, radix, ni- B græ verò eſt imbecillior. amygdalæ verò quibus veſcimur, & ipſa arbor; vtraque anagallis valde: androſæmi, quod hyperici ſpecies eſt, & quod dionyſiadem vocant, folia, anemonæ; anthyllides ambæ; aparine, argemona; ariſtolochia longa, arctium verbaſco ſimile, plantaginis folia, & magis ſicca, arum, corruda, vua agreſtis, aſphodeli radix, atriplicis fructus, abſinthii ſuccus, bulbus illitus, damaſonium, dipſaci ſpinæ radix, ebenus, veratrum vtrunque, helxine (quæ etiam perdiciũ vocatur) ſalicis liquor, C arundinis vallaris radix cum foliis abunde, & citra acrimoniam: eiúſque folia modicè, & eius cortex combuſtus modicè: centaurium minus, eiúſque ſuccus, ricini fructus, minus verò folia: braſſica agreſtis magis quàm ſatiua, crethmon, hordeum modicè: lilii folia, & radix trita modicè: fabæ caro modicè, lapſana illita modicè, lichen in petris naſcens, violæ albæ totus frutex, & radix, & magis etiam flores, & inter hos aridiores: leuce arbor, lotus ſiue trifolium, lotus agreſtis, meum, narciſſi radix modicè, nymphææ vtriuſque radix, panacis herculei cortex radi- D cis modicè, pix; platani cortex vſtus, meliſſophyllũ, marrubium illitum, propolis modicè, vlmi folia, cortex verò atque radices magis, ptiſſana, eámque crudam læuigant, & mancipiorum faciem illinunt ii qui ſeruos diuendunt, vt pallorem qui in eorum cute eſt, abſtergeant. terebinthina verò magis quàm maſtiche, ſagapenum modicè, ſeſamoides maius, ſeſamoides albi ſemen, ſideritis vtraque modicè: cucumis, pepo, magis verò quàm caro, ſemen & radix arida, cucumeris agreſtis radix, myrrha; ſtruthii radix, beta, tithymali, & eorum liquor magis, tragii Cretenſis folia, & fructus, & lacryma, hyacinthi fructus, verbaſci E folia modicè, & præſertim cuius flores aureo colore rutilant; phu, chamæpitys, chamæſyce, chelidonium valde: ærugo, cum multo verò cerato citra mordicationẽ abſterget. alcyonia omnia, armeniacum, terra Selinuſia, Chia, Samiáq;, modicè, itémque Cretica, cadmia, pumex ignẽ non expertus, & vſtus. ſpuma argẽti modicè, lapis Æthiopicus, lapis Arabicus, Smiris abunde. teſta figulorum, & magis clibanorum, cornu ceruinum & caprillum vſtum.

De iis quæ vrinam cient, F Cap. XLIX.

QVVM plurimam ciere vrinam velimus, medicamẽtis antedictis non admodum vtendum eſt, ſed quæ acriora ſunt, magiſque calfaciunt. huiuſmodi ſunt apii, petroſelini, fœniculi, dauci, ſmyrnii, aniſique ſemẽ, ammiũ, aſarum, acorus, ampeloraſum, vitisalbæ prima germina, androſaces, tum ipſum, tum eius fructus epotus, radix aſari, aſparagus regius, paluſtris, oxymyrſinus, & oxycanthinus, bdelliũ Arabicũ, bunion, pſeudobunium, bryonia, daphne herba, chamædaphne, & quod daphnoides vocatur, cicer, & præcipuè arietinũ, ſerpyllum, thymum, calamus aromaticus, carus, eiúſque ſemen, carpeſium, caucalis, co- G ſtus, vmbilici veneris folia cum radice in cibo aſſumpta, crocodilii ſemen, cyminum, cyperi radix, libyſtici radices & ſemen, mei radices, moly, ſpica nardi, celticum nardum, xyreos fructus, radicis ononidos cortex, ruta, poliũ, ſeſeleos radix & fructus, cucumis qui edendo eſt, & magis qui iam pepo eſt, & melopepo, ſinon, ſium, ſcandyx, ſcordium, paſtinaca, eiúſque ſemen præcipuè, iunci odorati flos, terebinthi fructus, trifolium, quod etiam aſphaltium nominatur, ſolani, halicacabi fructus, hyperici tot⁹ H fructus, phu radix, chamædrys, chamæpitys, abſinthium, & maximè id quod in venis selioſum eſt, expurgat. herba Sabina ſanguinẽ per vrinas ciet, rubiæ radix, craſſas multáſque, & quandoque ſanguinolentas vrinas mouet: capnium bilioſas & multas prouocat: eruum largius ſum-

ptum;ſanguinem per vrinam educit:periclymeni folia & A
fructus potus in principio vrinam quidem ſolùm mouēt,
& longo progreſſu vrinam cruentam reddunt. moderata
potio drachma. Cardui radix copiam vrinæ graueolentis
educit, ſiquis ex vino elixatam bibat: quamobrem fœdū
alarum,totiúſque corporis odorem huiuſmodi ſuccū pur
gādo curat. Onobrychidis folia ſicca ex vino pota eos cu
rant quibus lotiū ægrè it. Graminis in Parnaſſo naſcētis
ſemen vrinam mouet, melicratum, oxymeli,vinū tenue
& aqueum,dilutum vinaceorum quod fæcem vocant. Ab
his autem medicamentis ſanguis non ſolùm attenuatur, B
ſed funditur etiam , atque ſecernitur non ſecus quàm lac:
horúmque neutrum abſque valido calore fieri poteſt.

Ex Zopyro,quæ per vrinas propriè à liene,
iecore,& renibus ducant,
Cap. L.

PEriclymenon,tithymali vallaris ſemen, melanthium,
cyminum,thymū,albæ vitis agreſtis radix, clymenū,
capparis radix,ſplenium,panacis ſemen,allium , ſerpyllū,
cytiſus,alumen Ægyptium,malus,dracontiū, ſquama fer-
ri,heliotropium , ſiſymbrium ,ariſtolochiæ radix,origa- C
num,polium,colocynthis agreſtis , bryonia, cyclaminus,
æris ramenta vino diluta,aſplenum,portulaca,dilutum vi
ni , in quo marinus ſcorpius fuerit ſuffocatus. Ex iecore
verò per vrinas ducunt hæc , viticis ſemen,dauci folia, &
fœniculi,itémque balſami,centaurii,& capni , & pæoniæ
niger fructus,aniſum toſtū,palmulæ oſſa,lauri folia,ſym-
phytum,hypericon,hypnicon,abſinthium,bunium,pſeu
dobunium,ſmyrnium(quod alii hippoſelinū vocant)peu
cedanum,anagallis,mentha , œnanthe,pōtica radix,thus,
liquor ſilphii,eryngium,heracleoticum,nux,hordei dilu- D
tum. A renibus verò per vrinā trahit helenii ſemen, & a-
pii,piper,papauer,paſtinaca,marrubium,cnicus,libanoti
dos ſemen , & gladioli qui in tritico naſcitur , radicum
bryoniæ cortex,gramen , defrutum,oua , ſepiæ,ſulfur,al-
bum cicer.

Ex Galeno,de iis quæ pectus atque pulmo-
nem repurgant, Cap. LI.

QVoniam verò hæc calida ſunt,ideo puris ex thorace
excretioni ea omnia ſunt aduerſa. quod enim ſerò-
ſum eſt,id ad ſe trahere renes anticipant: quod verò coa- E
ctum eſt atque exiccatum, non ita facilè expuitur. quam-
obrem eiuſmodi medicamētum incidendi vi præditum
eſſe oportet:ſed non tamen inſigniter calidum , ne vehe-
menter exiccet:atque eiuſdem vtilitatis cauſa cùm ſorbi-
tionibus & potionibus humectantibus dari poſtulat. hu-
ius generis ſunt ea omnia quæ obſtructionē liberare antè
deſcripſimus:& præterea,tota nux pinea viridis,nuces pi-
ceæ, butyrum , chryſocomes radix ex melicrato, caſtoriū
ſuper carbonibus ſuffumigatum,& per inſpirationem at-
tractum.id enim affectiones frigidas & humidas, quibus F
pulmo & cerebrum obſidentur, iuuat vel maximè: ſpica
nardi fluxiones capitis & thoracis exiccat.

Ex Zopyro,quæ ex pulmone educant,
Cap. LII.

EDucunt etiam è pulmone eclegmata quæ dari ſolent,
& catapotia,& ſemen vrticæ,lini, dauci, papaueris ni-
gri,thymi,hederæ albæ,ſuccus raphani,ſinapis,aniſi,ſeſa-
mi,naſturtii,eryſimi,ſcillæ,erui,cucumeris,melanthii, pi
peris,rutæ,polii,cinnamomum,arum, dracōtium,coſtus, G
nardum,ſulfur,myrrha,lauri baccarum pars interna , cor-
tex radicis capparis, amygdalæ amaræ , pæonia, caſtoriū,
abrotonum, lactucæ liquor,thapſia, ſtyrax, bdellium, ſil-
phium, vua ſine acinis,pineæ nuces paruæ, omphacium,
ariſtolochia,galbanum,marrubium,eryngii radix, centau
rium. eiuſdem vſus cauſa bitumen in ſuffitu adhibetur,
ſandaracha,hordeacea farina,reſina,ſcilla arida,eryſimū,
oleum cedrinum,elaterium, cucumeris, centaurii & fœ-
niculi ſemen:faciúntque accommodata ratione fomenta
leporis pili,myrrha,cucumeris ſuccus , ſerum lactis capræ H
pecudíſque in teſtis igni candentibus.

Ex Galeno,de iis quæ renes expurgant,
Cap. LIII.

QVæ renes expurgant,ipſa quoque incidentia ſunt,ve
rùm larga humiditate non indigent. apta verò ad id
A ſunt tum incidentia omnia quæ prædiximus,tum verò e-
tiam ſiccæ plantaginis radices & folia,& magis etiam fru
ctus:aſparagus myacāthinus,& maximè radices,& ſemen,
glycyſides radix,cicer,& amydgdalæ.

De rarefacientibus,aperientibus,conden-
ſantibus, & ſtipantibus,
Cap. LIIII.

RArefacientia atque aperientia videntur illa quidem
vicina eſſe prædictis,quæ extergere,incidere,obſtru
B ctiones tollere, & diuidere diximus , ſed tamen non ſunt
omnino ſimilia : horum igitur ante omnia diſtinguenda
notio eſt,tum eorum ſic inquirenda ſubſtantia. Quæ cu-
tis meatus reſerant,rarefacientia vocant:quæ vaſorū oſcu
la,aperientia. quin & ex iis quæ illis ſunt contraria , quæ
meatus contrahunt , condenſantia nominant. quod verò
oſcula occludit,id non iā proprio vllo nomine appellant,
ſed magis generalibus vt contrahens,claudens,ſtringens,
& obſtruens. Porrò talis eſt vtriuſque natura : rarefacien-
tium quidem modicè calida,& minimè deſiccans,& craſ
C ſarum partium:aperientium verò,craſſarum partium & a-
cris:his autem contrariorum,condenſantium quidem fri
gida,at non terrena,nec aërea,ſed potius aquea:eorum ve
rò quæ oſculorum apertiones occludunt , craſſarum par-
tium & frigida.Exempla horum ſunt, rarefacientis quidē
naturæ chamæmelum,& althæa,& oleum,quod ex iis pa-
ratur : nec minus quod ex agreſtibus cucumeribus confi-
citur, atque etiam vetus. eiuſdem etiam notæ eſt abroto-
num vſtum,& onobrychis. Aperientis facultatis ſunt quæ
acria & terrea ſunt omnia , vt cyclaminus , anemonæ o-
D mnes,ſeſamoides albi ſemen, allium, cæpa,fel taurinum,
vnguentorum omnium craſſarum partium & calidorum
ſubſidentia,quale eſt irinum & amaracinum, quæ vtique
obcæcatas hæmorrhoidas aperiunt. Porrò quæ vteri os
ab inflammatione,aut ſcirrho,aut ariditate occluſum ape
rire dicuntur,ex accidenti,non autem primo & per ſe hāc
habere vim cenſentur.eorum verò quæ iis ſunt contraria,
condenſantia quidem conſtant ex aqua frigida , ſemper-
uiuo,portulaca,tribulo viridi,pſyllio, herba quàm muris
auriculam vocant,lenticula paluſtri,& vno verbo,quæcū-
E que refrigerant,nec exiccant.Proinde & mandragora , &
cicuta,& altercum, & papauer (ipſas nunc herbas dico) ſi
quis modicè eis vtatur,condenſandi vim habent: ſin libe
ralius,non modò condenſandi,ſed & obſtupefaciendi : ſi
verò etiam plurimum,non ſolùm obſtupefaciendi,ſed e-
tiam necādi.at eorum quæ aperientibus aduerſantur,ſub-
ſtantia,quum craſſarum ſit partium, & frigida,eſt omniū
adſtringentium,quibus non ſit acrimonia coniuncta. ho
rum materiæ quæ terrena frigidáque eſt , exempla prius
dicta ſunt nobis.Quæ verò medicamēta frigida ſunt, aut
F æquè aut amplius,ſed ſubſtantiam aqueam ſortita ſunt,ea
debiliter & contrahunt & conſtringunt,id quod eis pro-
pter mollitiem vſu venit:quocirca tenues meatus in vno-
quoque corpore contrahunt & condenſant:cæterùm totū
inſtrumentum vndequaque conſtringere non poſſunt:
quamobrem talia meritò ſunt condenſantia,ſtipantia ta-
men non ſunt. Intellige autem me nunc ſtipantia dicere
quæ ſenſibiles excretiones cohibent. atque hæc quidem
huiuſce ſunt temperaturæ & facultatis:at rarefacientia,&
modicè & citra moleſtiam calefaciunt.

G

Quæ ſudorem moueant,
Cap. LV.

NEpita per ſe arida ſumpta , & ex melicrato , ſudores
ciet,totúmque corpus ſiccat: onobrychiſque cum o-
leo iuncta.

Ex Zopyro,de eiſdem,
Cap. LVI.

MEdicamenta ſudorem mouendi vim ab acribus a-
romatibus nanciſcūtur : huiuſmodi quoque eſt pi-
H per,nitrum,vnguentum irinū,bubulus adeps,vnguen lau
rinū cyprinúmque,ſal,ſampſuchinū,muſtū, vua agreſtis,
cuminum,aniſum,ſerpyllū,polium,granum Cnidium, ſi-
ſymbrium,chamæleo,conyza,dauci ſemen,ammoniacū,
marrubium,caſia,galbanum , ſulfur ignem non expertū,
atramētum ſutorium,alcyoniū,bdellium, ſtruthiū,pyre-

thrum,ariſtolochia tenera, lupinus , balſamũ , & ſquama A æris.

Ex Galeno,de vrentibus,putrefacientibus, detrahentibus,& cicatrices inducentibus medicamentis, Cap. LVII.

SI non ſolùm calefaciant medicamenta,ſed etiam conſiſtentia craſſa fuerint, ſiquidem vehementia ſint & vrentia,corpus inſtar ignis colliquant, & cruſtas ſæpenumero ſimiles iis quæ à cauteriis fiunt,excitant:cuiuſmodi faciunt ſinapi & naſturtii ſemen,& arefacta herba, granũ B Cnidium,pyrethri radix,quintum alcyonii genus,auripigmẽtũ vſtũ,& ignem nõ expertũ,lixiuiũ,miſy,ſori,chalcitis,ſandaracha,calx viua,vehemẽter:extincta verò cruſtas inducit, niſi inueterarit:nã ſi inueterarit,id nõ facit.calfacit tamẽ & colliquat etiã carnes. hederæ lacryma obſcurè adurit.Quæ verò minus calida ſunt quàm vt vrant, ea ſunt aperientis facultatis : vt aperiẽtis medicamẽti ſubſtãtia terrena ſit,&ignea vſqueadeo calida vt nondũ adurat. Si verò vehementer ſit calidum,& præterea tenuium partium,id planè ab omni mordacitate aberit, aut cum exiguo dolore carnoſas partes eliquabit.nam quod non con C fertim alterat, vt faciunt vehementia,quódque non ægrè penetrat,vt quæ craſſarum ſunt partium,ea latẽtem actionem obtinent:ſiquidem alterationes ſubitæ maximè ſenſibiles ſunt,itémque penetrationes quæ vi fiunt.Nã quod craſſa eſſentia eſt & vrens, id cuicunque parti inhæſerit, ſurculi ritu infixum excruciat. verùm illud cruſtas inducit perinde ac cauteria. At de quibus nunc inſtituta oratio eſt, ea cruſtas non faciunt,& putrefacientia nominantur, appellatione minus propria:nam quæ verè putrefaciunt, ſimul humectant & calfaciunt : ſed ob ſympto D matis ſimilitudinem hoc eis tributum eſt nomen, quippe quum ab vtriſque citra dolorem fiat corruptela. Cæterùm putrefacientia medicamenta ſunt, auripigmentum, ſandaracha,chryſocolla,dryopteris,pityocampe,aconitũ. Cedrea verò teneras carnes & celeriter & ſine dolore putrefacit:duras verò longiore temporis ſpatio.Sed ſunt inter ea quædam quæ propriè detrahẽtia nominant, eiſque vtuntur ad inducendam vlceribus excreſcentibus cicatricem.Sunt tamen & ipſa eiuſdem genere facultatis cum iis quæ putrefacientia nuncupantur:verùm vſque imbe- E cilliora ſunt vt extimam tantummodo ſuperficiem quam attigerint detrahant, non tamen intimas ſubire partes queant:veluti Aſiæ petræ flos, & teſtacca omnia combuſta,modicè detrahunt & reprimunt,quæ excreſcunt. Eiuſmodi quoque ſunt echini vtrique cum toto corpore combuſti,& lapis hæmatites aridus læuigatus, & in pollinem redactus, itémque ærugo , & cæruleum, & ſquama æris, & chryſocolla, quanquam nec talia ſunt ipſius facultatis re vera cicatricem inducentis: ſiquidem quæ ſunt huius facultatis,neque detrahunt carnem,neque eliquant, ſed indurare & ſiccare ſunt apta, vt alumen, vt galla immatu- F ra,vt æs combuſtum,& maximè lotum:nam quod lotum non eſt,quidpiam detrahens obtinet, quemadmodum etiam ſquama æris:quod autem lotum eſt,omnibus medicamentis cicatricem inducentibus longè præſtat. Debet enim id quod probè cicatricem inducturum ſit, modicè adſtringere atque ſiccare.Quamobrem ſpinæ Ægyptiæ fructus,& mali granati putamina ſicca, & cætera omnia quæ ſunt generis eiuſdem , medicamenta ſunt ad cicatricem inducendam accommodata. G

Zopyri de eiſdem, Cap. LVIII.

VLcus in ſumma cute inducunt rubi canini folia, betæque,& ranũculi,allium,pulegium,hyſſopum, origanum,ſepiæ teſta,aſphodeli radices,& capparis,& veneris vmbilici,itémque hippocampus vſtus, apii ſemen,cæteráque ſalſa,acria,& amara,quæcunque poſſunt , vbi admota aut illita fuerint, ſimilia permanere diutius. Inter adurentia verò numerari videtur cantharis, pityocampe, H bupreſtris, calx viua,diphryges,fæx cõbuſta,acetum,anemone, quæ puniceo flore eſt,allium,ranunculus, cinis, & magis ficulnus,nitrum toſtum,æs vſtum,alumen, combuſta buccinarum teſta , mænularum caput , chamæleon animal,auripigmẽtum, cachry, vua agreſtis, ſeſamoides.

Putrefacientibus adnumerantur quædam horum,& præterea veratrum nigrum, elaterium , cucumerum agreſtiũ radix,vua,liquor,ſquama æris,ochra, portulaca , papaueris liquor , mandragora. eadem quoque nomas in vlceribus & cruſtas quas vocant,ſiſtunt.

Galeni de attrahentibus & repercutientibus, Cap. LIX.

ATtrahentes facultates ſunt quæ ex alto vehementius extrahunt:repercutientes verò quæ in altum vicinos eiſdem ſuccos repellunt.eſſentia illis calida tenuiúmque partium eſt:his contrà, frigida , & partium craſſarum : ſiquidem calor perpetuò attrahit, frigus verò repellit. Verùm quod partium tenuitatem habet cum calore coniunctã,trahit vehementius: quod verò cum frigore craſſas habet partes,cuiuſmodi eſt adſtringẽs,id violentius propellit : quamobrem ex vehementia actionis vtriſque eſt impoſitum nomen.ac materia quidem adſtringentiũ eſt planè perſpicua:attrahentium verò eſt huiuſmodi:anemonæ omnes,vtraque anagallis , dictamnum , cicer, agreſte cicer, thapſia violentè,cyclaminus , narciſſi radix , xyreos, aut xyridis radix,& magis fructus,gladioli radix, & præſertim ſuperior,propolis validè,pycnocomi radix, & fructus,&folia,fermentum.Stercus omne attrahẽtis quidem eſt facultatis,ſed non exigua ineſt differẽtia: nam columbinum abundè trahit,ex æquo autem vtrinque ab hoc receſſerunt,ad calidius quidem anſerinum,ad frigidius verò gallinaceum:ab hoc etiam magis ſuperantur humanũ & ſuillum. Caninum verò ſimile eſt medicamentis extergentibus , & præcipuè ſi oſſibus veſcantur. Crocodilorum quoque terreſtrium ſtercus id etiam exquiſitius facit.Iam & ſagapenũ attrahendi vim habet,Cyrenaicúſque ac Medicus liquor,& ſiquis alius eſt qui ſit his ſimilis:ſilphii itẽ liquor & radix,ſpartum quo vites ligant, eiúſque fructus, & virgarum ſuccus egregiè trahit:terebinthina præ cæteris reſinis,tragii Cretẽſis folia,fructus,& lacryma, euphorbium,ſulfur,ſtercus boum , & præſertim eorum qui eruũ comederunt.Quædam autem qualitatis proprietate attrahunt, hoc eſt,totius eſſentiæ ſimilitudine, hæcque calida eſſe omnia neceſſe eſt : nam inter ea quæ ſimilis eſſentiæ ſunt,quod calidius eſt,id trahit potentius,vtpote quod ſimilitudini calorem auxiliarium aſſumpſit.nepita quoque attrahit illita,& coſtus cũ eo confricatus,humores ex imis partibus trahit.viſcum validè trahit,nec tenues ſolùm humiditates,ſed etiam craſſiores,eáſque diffundit,& per halitum digerit.

De iis quæ per halitum digerunt, Cap. LX.

VIcinæ inter ſe ſunt facultates quæ ea quæ in alto ſunt attrahunt,& quæ attracta diſcutiunt. Quæ nanque trahunt,eæ etiam omnino diſcutiunt : quæque diſcutiunt,eædem etiã trahunt:ſed in medicamentis attrahentibus,vis attrahens excellit,in diſcutientibus verò diſcutiens.Cæterùm materia diſcutientium eſt hæc,abrotonũ, agaricum,ageratum,adiantum, ægilops, vrticæ ſemen & folia abundè,acanthi folia, ſambucus & ebulus,alyſſum, ammium,anagyri folia, & magis ſicca ; & radicis cortex, androſaces,anthemis,vel chamæmelũ,aniſi ſemen, canina braſſica illita validè, argemone, ariſtolochiæ radix , & magis rotundæ , haſtulæ regiæ radix , & magis eius vſtæ cinis,atriplex leniter, bulbus , buphthalmũ potius quàm chamæmelum,herba Sabina,quã pro cinnamomo quidã duplicem imponunt:muſcus(cui ſplanchno etiam eſt nomen)daucus herba foris impoſita , eiúſque ſemen magis: hibiſcus,vel althæa(eſt autem agreſtis malua)eius etiã radix & ſemen eodem modo faciunt : oleũ dulce peruetus, oleũ ex lychno,cicinum,Sabinum,raphaninũ,& quod ex liquida pice conficitur:his omnibus cedrinũ præſtat, helxine,thapſia,cannæ vallaris cortex vſtus abũdè:caſia, ricini fructus,folia,radix læuigata,& oleũ quod ex eo fit, crocodilii ſemen & radix,cyclaminus,cytiſi folia,ladanum, lampſana illita , lapathium modicè , leontopetali radix, leuces fructus, libanotides tres, mercurialis , malua agreſtis:hortenſis verò eſt imbecillior, earúmque validius eſt ſemen.eſt etiã validior quæ anadendromalache vocatur,maſtiche Chia,magis verò Ægyptia, mel,perſicæ ger-

mina & folia,citrii ſemen & folia, nereum, aut rododaphne ſuperdata,xãthii aut phaſgani fruct⁹,xyreos,aut xyridis radix,& magis etiam fructus,gladioli radix,& ſuperior maximè,primæ ficus,onobrychis, opobalſamum citra inſignem caliditatem,liquor Cyrenaicus vehementiſſimè,paliuri folia & radix, opopanax, paronychia abundè,peucedani liquor,ruta,pix,meliſſophyllon,marrubiũ, illita ptarmicæ frutex,pycnocomi radix, fructus & folia, cataplaſma ex pane magis quàm quod ex tritico fit, fermentũ,radicula,eiúſque ſemen,agreſtis radicula, terebin thina magis quàm maſtiche: & magis quàm hæc, larinx: maſtiche Ægyptia,oleum roſaceum, rhodia radix, ſordes è ſtatuis,ſordes ex gymnaſio,ſampſuchus, cucumeris agre ſtis radix,& elaterium,ſium,ſiſymbriũ, myrrha,ex caricis acriores,ficus caprificorũ,fici domeſticæ,prima ficus,beta ſine caliditate:alba autem eſt validior: Cretenſis tragii folia, fructus,lacryma, galbanum,ocimũ ſuperdatum,ſal vſtus magis quàm non vſtus,& magis etiam ſalis flos,ſalis ſpuma,nitrum,nitri ſpuma,omnia alcyonia, terra Samia, faba modicè,altercum,cinnabaris, chryſocolla, caſeus ex acido lacte modicè, butyrum modicè,coagulum, ſtercus omne,multum;œſypus modicè; carnes viperarum validè. quoniam verò ad cutim excrementa exigunt, efficitur vt in quibus mali ſucci redundant in corpore, ingens vis pe diculorũ exoriatur. adeps leoninus magis digerit quàm alii qui in quadrupedibus inſunt: taurinus verò minus: ſuillus adeps citra morſum: vitulinus verò minus: hoc quoque magis bubulus. Adeps porrò qui inueterarit, magis quàm ipſemet recens:oſſa combuſta abundè,lanæ cre matæ,echini vtriuſque cinis.

Zopyri,quæ adſtringunt,
Cap. LXI.

ADſtringunt verò myrti folia, itémque oxymyrſines, malus, rubus, oleaſter, oliuæ cultæ rami, roſæ,vitis, lentiſcus,verbaſcum,cupreſſus,ſemperuiuũ,papauer,ſempermanens,Punicorum flores,balauſtium,aloë,Cyprium ſpodium, vrtica, hypociſtis agreſtis, achrades,acini,pira, mala,crocus,althæa, aſtragali radix, & verbaſci, clauiculi vitis,myrti baccæ,meſpila,terebinthi fructus,dryopteris, corna,ephemerum, glans quercina, agreſtis lapathii fructus, altercum, & pæoniæ rufa grana, caſtaneæ, hedera, nymphæa, palmulæ crudæ melius, earúmque flos & caulis,papaueris radix,oui vitellus aſſus,acaciæ expreſſio, faba Ægyptia,paſtinaca,ferulæ pollen,paliurus,caudæ equi næ radix, Lyſimachia herba, alumen, ſanguis concretus, cyperis,œnanthe,braſſica percocta,leporis coagulũ,ſpongia combuſta,ononis,ſuber,rhamnus,piceæ cortex,piníque & fructus,myrica, rhus quo veſcimur, vinum auſterum,mari non miſtum,vinacea. Adſtringũt quoque nonnulla eorum quæ cruſtas inducunt, vt diphryges, chalcitis,miſy,cadmia,vſtum æs,à quibus defluxio omnis,præter vrinæ defluxum,cohibetur & comprimitur.

Quæ res per halitum digerunt,
Cap. LXII.

AD digerendum verò illita aut perfuſa valent, aſphodeli radices, & vitis Chironiæ nigræ, & archezoſtis, quam ampelin quidam, alii madonium viſcum vocant, & viticis,& cucumeris, & magis etiam agreſtis, & capparis, & anemones puniceum florem habentis, & chamæleontis,& fœniculi: itémque thapſia, anthericum,cyperus,apium,hedera alba,lapathium agreſte,altercum,aſparagus,braſſicæ & folia & ſemen,paſtinaca, trichomenes, amomum, naſturtium, iuncus odoratus,gladiolus, nardus,oeimoides,echion,ammoniacum,coſtus,piper,pulegium,arum, farina triticea, hordeacea loliacεáque, ſulphur quoque,nitrum, eruum, pæderos, teſticulus herba, omphacium,omnis cinis,recrementum,balſamum,lepus marinus,lapis Aſius,helichryſum,abſinthium læuigatum, ſerpyllum,ſinapi, ſiſymbrium aquatile, mentha, conyza, nepita,glans vnguentaria, vua taminia, pumex, ſquama æris,ſtyrax,cucumis agreſtis, ranunculus, rhinæ marinæ combuſtum corium, ſtruthium,balſamum, lactuca agreſtis,propolis, alcyonium, marina aqua, thuris cortex,raphanus,mel paſſum, panaces, heraclium, ſtrigmentum, ſordes ex palæſtra, ariſtolochia, ſimus muris, cuminum, cochlea cum teſta læuigata,abrotonum, cancrorum integumentum,ariſarum,lupini pollen,gluten taurinum,verbaſcum,ſeſamum,melanthium,meliloti ſemen, cæpa,polium,eryſimum, bulbus, & magis etiam in aqua elixatus, naſturtium, oleæ Æthiopicæ lacryma, chryſocolla,veratrum album & nigrum,ſeſamoides, marrubium, thymũ, abſinthium,rubus caninus,aſphodelus,hypericon,reſina, lichen in petris naſcens,piper,faba Græca, fœnumgræcũ, atriplex, albæ violæ folia, origanum,heranthemon, ſalis ſpuma, ſal, myrrha, terra halmyritis & ampelitis, cedri baccæ,nuces,beta alba, excrementitia pars ſilphii, balſami,ſagapeni,& panacis,piſſelæum, eboris deraſio, itémque argenti,auri, æris, aluminis Ægyptii, Pontica radix, pinguium fictum decoctum &dilutum,fel bubulum,defrutum,lycium,malus,porrum,anthemon,gypſum,ſauridion(quam cardamida vocant)lingua canis,herba quam plantaginem appellant,caro bubula capilláque: hordeũ, & olyra combuſta,alga,oleum,lana,pinarium vſtum,acetum,tedinum,ladanum,orminum, anthile, cortex fabæ, plumbago, granum Cnidium,heleniũ,artemiſia, narciſſus,adiantum,ſquama ferri,cyclaminus,bubulus ſanguis, & ſuillus eodem modo:rubrica ſinopica, ſandaracha non læuigata,ochra,fæx aceti & vini combuſta,furfuris decoctum & dilutum,& ipſum quoque furfur, calx, atramentum ſutorium,ſmyrnium,ſory,ſimus columbarum, hirundinis,gallorum,murium, lapis pyrites, combuſta vngula equi,bouis,aſelli:libanotis quæ fructum non fert,vmbilicus veneris,chamæſyce,micæ quibus veſtes tinguntur,orobanche,coracini marini caro,& ſiluri quoque ſale conditi,colocynthis agreſtis,parthenium vel perdicium. Atque hæc quidem omnia quo ordine deſcripta ſunt, ad diſcutiendum valent: ſed ſimul etiam concoquunt aliquid, quod alio in loco ſit,& quæ in locis ipſis habentur,accõmodatè pertractant:quamobrem & concoquunt,& diſcutiunt,& eorum nonnulla attrahunt,& ſudores mouent, & aperiunt: quocirca diuidere etiam poſſunt. ſquamas verò maximè educunt ariſtolochia,atramentum ſutorium, ſilphium,ſiluri caro,& leporis coagulum.

Galeni de facultatibus lac gignentibus,& menſtruas purgationes prouocantibus,
Cap. LXIII.

FAcultates quæ lac efficiunt, partim in medicamentis tantùm,partim etiam in alimẽtis ſunt. In medicamentis,vbi ſuccos pituitoſos calfacientes in ſanguinem commutamus:in alimentis autem,ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine,quum videlicet boni ſunt ſucci, & modicè humida & tepida caliditate,quali eſt etiã lac, ſiquidem ſanguis particeps eſt caloris,qui animali cõmoderatus: magis verò quàm moderati,flaua bilis,vt frigoris particeps eſt pituita:in medio verò pituitæ ac ſanguinis eſt lac,quantum ad calorem attinet:non tamen pari interuallo ab vtroque recedit,ſed longius abeſt à pituita, propius accedit ad ſanguinem. Quum ergo minus quàm expedit, lac ad vbera peruenit,velis autem copioſiorem venire,tum ſanguinem contemplator:aut enim minor eſt quàm par ſit, aut certè peior. Itaque is qui parcior ſit,vniuerſam victus rationem humectantem calfacientémque expoſcit: qui verò eſt peior,ſi billioſus fuerit,in primis purgationem, mox eũ victũ quem modo diximus:ſin pituitoſus, medicamẽta exigit excalfaciẽtia,aut primo aut ſecũdo ordine, non tamẽ exiccãtia: ſed potiora ſunt ea quæ non tantùm ſunt medicamenta,ſed & alimenta,vt eruca,vt fœniculũ,vt anethũ, ipſas inquam herbas adhuc virentes & humidas:nam ſiccæ magis quàm oportet excalfaciunt & exiccant. Huius quoque generis eſt ſmyrnium,apiũ,& ſium,herbæ etiamnum virentes:quippe quũ exiccantia omnia ſanguinis humiditatem depaſcentia, ipſum & craſſiorẽ & pauciorem reddunt:ſique calida ſint natura, iuſto calidiorem:ſi frigida,frigidiorem. Debet enim ſanguis modicè calidus eſſe, & non craſſus,vt ex eo lac gignatur. Quocirca quæ ſunt eiuſmodi,extinguunt potius lac quàm procreent. quæ verò ita vt dictum eſt calfaciunt, neque vllam inſignem ſiccitatem adiunctam habent, meritò vim procreandi lactis habere dicta ſunt: verùm hæc ſunt perpauca. Neque

XXX. ii.

enim facilè comperias quæ prædictam temperiei mediocritatem ſint ſortita:cæterùm infinita propemodum ſunt quæ lac lædunt. nam & quæ plus quàm expediat calfaciunt, quæque ſiccant aut refrigerant, partim ſanguinis qualitatem vitiantia, partim eius ſubſtantiam minorem reddentia,ne lac gignatur impediunt. ſimilem porro his quæ dicta ſunt vim obtinent, quæcunque prouocare aut ſiſtere menſtruas purgationes poſſunt: vtrorunque enim communis eſt materia,ſanguis qui venis continetur.Is ergo vbi fluxilis fuerit,& æqualitate contemperatus,abundantem vtrique copiam ſuppeditat.quinetiam venas non exiguas mammis & vtero communes eſſe, alibi dictum eſt. Ergo quum ad alterutram partem ſanguis fertur,altera ſicceſcit:itaque haud mirabile eſt ſi & victus & medicamenta ſimilia ſint,nimirum quæ generant, ſedant ſingulorum menſium ex vtero purgationem, & quæ lac in vberibus gignunt.quanquam hactenus differunt quòd & calidioribus & magis incidentibus purgatio menſtrua nonnunquam indigeat,quippe quum venæ in ea parte ſitæ,magis debeant aperiri quàm quæ in mammas pertinent,& ſanguinem magis fluxilem requirant,quum nimirum vterus ad eius lationem nihil conferat: nam menſes in venas quæ illic ſunt mittuntur,non autem attrahuntur: at in vbera ſanguis non mittitur modò, ſed etiam trahitur:ac proinde leuiore medicamentorum auxilio eidem eſt opus,quum non quod ſatis eſt in mammas confluit.Et medicinæ quæ faciunt vt ſanguis mamillas ingrediatur,imperfectas quoque purgationes adiuuant: ſin autem multum oblæſæ ſint, aut planè retētæ,nihil huiuſmodi ſanare eas poteſt:ſed Sabina,& meum,& iris,& nepita,& pulegium,& dictamnum, & coſtus, & caſia, & cinnamomū, & ariſtolochia,& bunium,& cætera huius generis abſolutas vteri purgationum retentiones ſanant.

Zopyri,de eiſdem, Cap. LXIIII.

LAC prouocare conſueuit ſeſamum potui datum, cucumeris ſemen,terræ lumbrici,cachry,myrrha, polypodium,eryngiū,circææ fructus & folia, noctuæ cerebrū, ipſáque noctua elixa,& glaux herba,trimeſtre triticū,hordeum,fœniculum virens,eiúſque radix & fructus, libanotides,aniſum,hippomarathrum,lini fructus,cuminum,eruum,polygonum,humor verò vnicuique facultati accōmodatus miſcendus eſt,vt tritici decoctum,fœniculi elixati aqua,ptiſanæ cremor,& triticeæ ptiſanæ eodem modò. Illinitur verò fœniculum, melanthium,myrrha,expreſſio ex hordeo macerato,muris fimus,portulaca,adeps anſerinus,vlmi folia,cera,ſulfur,recrementum, fel taurinum.

Quæ res menſtruas purgationes ducant, ex eodem, Cap. LXV.

DVcunt autem menſtruas purgationes admota hæc: adeps ceruinus recens, itémque aſinin⁹ & anſerinus, fæx arida combuſta,fel taurinum, chondryla, maſtiche, ſal,oleum,vnguē narciſſi,cyperus,ſpuma nitri,teſta Attica,murium fimus,lanugo ex pomis cydoniis, irinum vnguentum,mādragoræ liquor,ſtyrax,abſinthium,ſilphii ſemen,artemiſia,ſampſuchus, tenellæ radices anchuſæ, & pentaphylli,& cyclamini, & circææ, centaurium, ſiſymbrium,iuncus odoratus,calamus,helenium, heliotropiū, veratrum nigrum,granum Cnidium, mercurialis, cuminum, capparis ſemē,fœnumgræcum,vua abiectis acinis, moly,cedri fructus, amygdala, ſeſamum lotum, extima baccarum lauri maturarum pars.In potu ſumpta menſes ducunt,ruta agreſtis & ſatiua,& vtriuſque ſemen:itémque ſemen actes,medii,fœniculi, bryoniæ, crethmi, cymini, piperis vſti,ſinapi,ari,porri,tragii, fœnigræci, cachryos, apii montani,ſmyrnii, dauci, thlaſpeos, melanthii, albæ violæ,ricini,daphnæ,ſeſeleos,balſami,pæoniæ, vrticæ radix, braſſicæ agreſtis ſemen: ſimilique modo lapathii, menthæ,ſilphii,& ſeſeli,flos anemones,abrotonum, hippomarathrum,eryſimum, falſodictamnum,helichryſum, artemiſia,vitex,coſtus,trifolium,cardamomum,tragacantha,centaurium,libanotis, ammoniacum, braſſicæ decoctum,& ſuccus,marrubium,lac bubulum, trifolii expreſſio,& tithymali qui cypariſſias nominatur. Communiter verò tum pota tum admota purgationem menſtruam cient hæc:myrrha,naſturtium,cyclaminus,cinnamomū, nardus,origanum,mercurialis, pulegium, nigella,ſemen apii,vrticæque:piper longum ſimiliter,& item reliquum, aniſum. Album verò fluorem muliebrem educūt eodem modo,eryſimi ſemen,hederæ fructus,acte herba,porrum elixum,cumini folia, ſaluia alba, abſinthium, hypericū, allium, cancri fluuiatiles, pulmo marinus, leporis coagulum,portulaca,cneoron,cornu ceruinum, nigella, anagallis,liquor,pix,adeps anſeris,taurinum fel, veratrum albū, elaterium,nitrum, fœnumgræcum, piper,naſturtium,reſina,myrrha,thus, miſy, galbanum, fæx, pulegium, atramentum ſutorium,aqua aromatum. Bibitur autem ad huiuſmodi purgationem ciendam oleum,lini folia,lapathi ſemen ſaluiæque, portulaca, adiantum, hypociſtis,cyperus,pulmo marinus aridus,rutæ radix, cneorum, liquor, hippophaëes,decoctum fluuiatilium cancrorum, qui vino fuerint ſuffocati: nigra pæoniæ grana, atque abſinthium. Communiter verò tum pota tum impoſita educunt,lini fructus, granum Cnidium, ocimi ſemen,cuminum Æthiopicum,ſaluia,ſeſamum crudum,& aniſum.

Galeni,quæ ſemen gignant & extinguant, Cap. LXVI.

QVemadmodum in lacte, ita etiam in ſemine dicere conſueuerunt, quædam ſemen generare, & quæ his ſunt contraria reſtinguere:quædam prouocare, & eiſdem contraria ſupprimere:ac generare quidem volunt ea quæ procreant quodantè non erat: extinguere verò, quæ corrumpunt:prouocare autem,quæ in apertum proferunt id quod in alto deliteſcebat:&his contraria,quæ ſupprimūt. Semen ergo gignunt cibi qui probè nutriunt, & flatuoſi ſunt,& totis ſubſtantiis ſunt familiares:medicamenta verò,flatuoſa & calida. Extinguunt autem ſiccantia omnia, refrigerantiáque, & quæ totis ſunt contraria ſubſtantiis. Porro prouocant quæcunque calida ſunt, & flatuoſa citra deſiccationem:ſupprimunt verò contraria.Etenim quum ſemen ex vtili excremēto gignatur, ſitque id flatuoſum, quæcunque ſemen procreare, prouocareve poſſunt, bene nutriant, flatuoſáque ſint neceſſe eſt:itaque bulbi, cicer, fabæ,polypodes,coni,edulia multi ſeminis & dicuntur & ſunt:ſcincus verò & ſatyrion ſunt medicamenta:cibi verò & medicamenta ſimul, viticis ſemen & eruca. Cæterùm quæ edulia medicamentáque refrigerare poſſunt, incraſſantia,& cogentia,& ſtabile ſemen reddentia,eius ſupprimendi, non autem corrumpendi vim obtinent: vt lactuca,blitum,atriplex,cucurbita, mora, melopepones, cucumeres ſeu maturi, ſeu non maturi fuerint. Quæ verò ſiccant,ea prorſus ne eſſe quidem ſemen permittūt, etiamſi calida ſint ſuapte natura,vt ruta:ſi autem non calfaciāt, multo minus,vt nymphæa.atque hanc ſanè cōſentaneum eſt,ſubſtantiæ proprietate eſſe eiuſmodi, vt contra quàm ſemen affecta ſit. Eandem porrò tum eſculentorum tum medicamentorum proportionem in lacte & menſtruis purgationibus licet inuenire. Cæterùm alia ratione ſub idem genus cadunt, quæ reiiciendis reſpirantium inſtrumentorum excreationibus auxiliantur,quæque ciere vrinam poſſunt: hæc enim omnia attenuandi, ſicut contraria incraſſandi,vi ſunt prædita.

Ex Galeno, vniuerſæ cuiuſque medicamenti facultates, Cap. 1.

SImplicium medicamentorum & facultatū quæ in eis inſunt, cognitio ita neceſſaria eſt vt ſine ea nemo rite medicari queat: ita enim magna nobis ſuppetit copia, & nos in quacunque temporis opportunitate medicamenta facilè comperimus. Valet etiam eadem notitia ad compoſita remedia conficienda: præterea verò ad eorū vires vniuerſales inueniendas pertinet, & quod artis eſt, apud omnes patefacit. quamobrem dabo operam vt rem à capite arceſſam, & ducto ab elementis initio ſic progrediar vt ſimplicium medicamentorum facultates percurram: ita enim fiet vt qui eas norint, ad memoriam reuocent: qui verò eas ignorant, nunc perdiſcant. Et verò vniuerſalis de his ſermo totus iam finem videtur conſequutus, tempúſque eſt vt ad res ſingulas noſtra ſe cōuertat oratio, quæ quidem priuatim in vnoquoque medicamento perficietur. Nunc verò ad particulares actiones nō ſcribā, ſed hoc perſequar quū de curandi ratione differam, quū vſus expoſcet: hoc verò loco vniuerſales ſimplicium medicamentorum facultates tantùm recenſebo.

A

Abrotonum calidū eſt & ſiccum facultate, in tertio ordine conſtitutū: quūmque amarum ſit, vi quadam digerendi atque incidendi eſt præditum: & quoniam paucæ acerbitatis eſt particeps, idcirco ſtomacho inimicum eſt. Oſtenſum enim eſt, amarum per ſe omnino ſtomacho alienum eſſe: auſterum verò, aut acerbum, aut ad ſummum adſtringens, eſſe ſtomacho idoneum: miſtis porrò inter ſe qualitatibus, præſtare vehementiorem. Idem quoque abrotonum vſtum, calidum ſiccúmque eſt: valétque ad rarefaciendum, & tenuium eſt partium, & mordax.

Agni, *hoc eſt viticis*, folia & fructus, & flos, calidæ ſiccæque facultatis in tertio ordine in receſſu ſunt. verùm multum tenuium partium eſt eorum ſubſtantia, & neſcio quid exiguæ adſtrictionis ex eis percipitur.

Agroſteos, *hoc eſt graminis*, radix ſicca & frigida eſt: ipſa verò herba refrigerat, ſed non validè, éſtque in medio humiditatis & ſiccitatis conſtituta. at radix mordacitatem, & partium tenuitatem exiguam obtinet: interdum tamen lapides frangere conſueuit. Semen autem alterius imbecillum eſt. eius verò quod in Parnaſo naſcitur vis eſt exiccans, tenuiúmque partium, & ſubacerba.

Anchuſæ quatuor ſunt, non omnium tamen eadem facultas eſt. quæ nanque onoclea dicitur, adſtringentem & ſubamaram radicem habet: quæ etiā condenſandis corporibus, & modicè attenuandis, & abſtergendis, & abluendis billoſis ſalſiſque ſuccis, non pota ſolùm, ſed etiam foris admota ſufficiat, quæque ex polenta illita poſſit refrigerare: herbæ autem folia ſunt radice imbecilliora: ab eis tamen ſiccandi & adſtringendi vis non abeſt. Quæ verò Lycopſis nominatur, radicē habet magis quàm ſuperior adſtringentem. eius autem quā onochilon & alcibiadion vocant, facultas eſt magis medicata, & acris, vt eos qui à viperis morſi ſunt, tum illita, tum ſuſpenſa, tum eſa valde iuuet. quarta denique quæ reſtat, parua eſt, & alcibiadio perſimilis: ſed & magis amara, & magis medicata.

Agarici radix primo quidem guſtu dulcis quodammodo, ſed paulo pòſt apparet amara; & quandam acrimoniæ leuiſque adſtrictionis ſpeciem ſpatio temporis inducit. quamobrem perſpicuum eſt, hoc medicamentum eſſe compoſitum ex aëria & terrea ſubſtantia, quæ à calore extenuata eſt: aqueæ verò eſſentiæ minimè eſt particeps: hac ratione vim habet digerendi, & craſſitudinem incidendi, & viſcerum obſtructiones expurgandi.

Ageratum facultatis eſt digerentis, & leniter quodammodo inflammatione liberandi.

Adiantū exiccat, extenuat, digerit, nullū tamen perſpicuum calorem aut frigus inducit: ſed propter oppoſitionem quam in his facultatibus habet, rite in medio cōſtituetur.

Aizoon, *hoc eſt ſemperuiuum*, vtrunque ſiccat leniter, mediocriter adſtringit, omnis alterius validæ qualitatis expers, vt aquea eſſentia in eo cæteris antecellat. non modicè autem, ſed in tertio ordine refrigerat.

Ægilops leniter acris eſt, ideóque vim habet per halitum digerendi.

Æra, *hoc eſt lolium*, deſiccat & calfacit efficaciter, vt proximè ad acria accedat: quocirca ponet hoc quiſpiam in tertio ordine calfacientium, & in ſecundo extremo ſiccantium.

Ægyri flores calidi ſunt, in tertio receſſu. In differentia verò quæ in ſiccando atque humectādo eſt, paululum à temperato ad ſiccius deflexerunt, & ſubtiliorum potius quàm craſſiorū ſunt partium. Ipſius quoque folia ſunt floribus quodammodo ſimilia, niſi quod ad omnia imbecilliora, minúſque efficacia ſunt. quinetiam reſina ſimilem floribus facultatem habet, atque etiā calidiorem. Semen verò ſubtiliorum eſt partium, magiſque exiccat quàm reſina & flores, non tamen eſt admodum efficax.

Acaciæ & planta acerba eſt, & fructus, & ſuccus: qui lotus imbecillior & minus mordax redditur, vtpote qui acrimoniam lauando deponat. Ex quo planum eſt, medicamentum hoc frigidum eſſe atque terreum, quadam etiam aquea eſſentia immiſta. Coniectura quoque eſt, non ex ſimilibus inter ſe particulis conſtare, ſed quaſdam in ſe diſperſas tenues calidáſque habere partes, quæ abluendo ſegregantur, locetúrque hoc in tertio ſiccantium ordine, & ſecundo refrigerantium, vbi fuerit elotum: non lotum verò, in primo.

Acalephes, *hoc eſt urticæ*, fructus & folia, valdè digerentis ſunt facultatis, ſed & quiddam flatuoſum habent. temperies eius eſt tenuium partium & ſicca, non tamen vſqueadeo calida vt iam mordeat. Porrò flatus, cuius eſſe participem eam diximus, naſcitur dum concoquitur. Aluum autem magnopere ſubducit ipſa duntaxat abſterſione & veluti titillatione.

Acanthus folia habet facultatis modicè digerentis: radicem verò ſiccantem, leuiter incidentem, & tenuium partium.

Acanthi radix & folia tenuium partium, & calidæ ſunt facultatis.

Acanthæ leucæ, *hoc eſt ſpinæ albæ*, radix ſiccat, & modicè adſtringit, ſemen verò tenuium partium eſt, & calidum.

Acantha Ægyptia magis adſtringentem ſiccantémque facultatem habet quàm ſpina alba.

Acori radix acris, & modicè guſtu ſubamara eſt, itaque calidæ eſt facultatis, & tenuis conſiſtentiæ. Deterget ergo & extenuat ceratoidis craſſitiem, ad quod etiam eius ſuccus eſt accommodatior. eſto autem tertii ordinis & in calfaciendo & in ſiccando.

Aconitum, ſiue pardalianches, putrefacientis veneno ſæque facultatis eſt. ad putrefaciendū tamen quædam extra corpus herbæ radix eſt vtilis.

Aconitum, ſeu lycoctonum, ſimilis ſuperiori facultatis eſt, ſed peculiariter lupos interficit, ſicut illud pardos.

Acte tum arborea, tum chamæacte, hoc eſt ebulus & ſambucus, vtraque potentiam habet ſiccandi, conglutinandi, & modicè digerendi.

Allium quum ex diſſimilibus inter ſe particulis conſtet, ſalſum quidpiam & ſubadſtringens guſtu habet. maior autem eius ſubſtātiæ pars eſt moderatè calida cum humiditate quæ non conficitur, & leniter flatum excitat.

Aloë adſtringit quidem modicè, ſed egregiè amara eſt, ſubducitque aluum, ſiccátque citra mordicationē in tertio gradu, & calfacit in primo intenſo, poteſt etiam ſimul repellere, & digerere, & paulum etiam extergere.

Alyſſum ſolùm datum ſæpenumero à cane rabioſo

morſos ſanauit: id quod ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine poteſt efficere. Facultatem habet modicè ſiccantem, & digerentem,& nonnihil etiam abſtergentem.

Alſine (vel auricula muris) eſſentiæ eſt aqueæ & frigidæ:quare citra adſtrictionem refrigerat.

Amaracus in calore tertii eſt ordinis: in ſiccitate verò ſecundi.

Ambroſia illita vim habet adſtringendi & repellendi.

Ammi ſemen vim habet exiccandi & calfaciendi in tertio ordine intenſo. eſt etiam tenuium partium, & digerens, guſtantique acre & ſubamarum, ideóque vrinam mouet.

Amaranthum attenuantis eſt facultatis, ſtomachóque infeſtum eſt.

Amurca terreſtris eſt ſubſtantiæ,calidæ, non tamen vt perſpicuè mordeat. Si coquatur, multo craſſiorum partium redditur, & ſiccat:fueritque ex ſecundo ordine calfacientium, & ſiccantium intenſo. Ampeloprasum calidū ſic eſt vt illitum exulceret. eſt enim acrius & ſiccius porro,craſſóſque ac lentos humores magis incidit, & obſtructa inſtrumenta liberat obſtructione.

Ampelov, *hoc eſt vitis agreſtis*, racemi abſtergendi vim habent:ipſáque & extrema germina adſtrictionem quandam obtinent.Vitis verò cultæ ſimilis eſt facultas,ſed imbecillior.

Albæ autem vitis prima germina ſubamaram & modicè acrem adſtrictionem obtinent:radix verò abſtergentem & ſiccantem,& tenuium partium, & modicè calidā.

Ampelos verò *μέλαινα*, *hoc eſt vitis nigra*, in omnibus eſt ſupradictæ ſimilis,ſed imbecillior.

Amygdala amara attenuantis,abſtergentis,& obſtructione liberantis eſt facultatis: porrò & ipſa arbor ſimilem vim eſt ſortita:quæ verò dulces ſunt, leuiculam ipſæ quoque amaritiem poſſident:ſed quum dulcedo ſuperet, occultatur.eſt enim oſtenſum, qualitatem moderatè dulcem,eſſe moderatè calidam.

Ammoniacum emolliendi vim intenſam habet.

Amomum acoro ſimilem facultatem obtinet: niſi quòd acorum eſt ſiccius,amomum verò maiore quodammodo vi concoquendi eſt præditum.

Anagallis vtraque admodum extergentis facultatis eſt, habétque nonnihil etiam caloris, & attrahendi vim quandam.ad ſummam autem, ſiccandi vim citra mordicationem obtinet.

Anagyris graueolens eſt,& acer,digerentíſque & calfacientis facultatis. eius folia ſicca vehementer incidunt & ſiccant non ſecus quàm radicis cortex.ſemen eſt partiū magis ſubtilium,& vomitum prouocat.

Androſæmon, alterum aſcyron vocatur, éſtque hyperici ſpecies: alterum dionyſias. ſemen eorum vim purgandi habet: foliorum verò ſiccans & extergens modicè facultas eſt.

Androſaces amara & acris herba eſt, digeritque & ſiccat.

Andrachne,*hoc eſt portulaca*, refrigerat in tertio exceſſu, humectat in ſecundo. eſt etiam cuiuſdam auſteritatis particeps,itémque eius ſuccus:itaque non foris modò impoſitus,ſed epotus etiam refrigerat: præterea dentium ſtuporem herba ſanat, quippe quæ prædita viſcoſa humiditate leniat, impleátque ea quæ ab acidorum contactu aſperè fuerant exiccata.

Anemonæ omnes acris,abſtergentis, attrahentis, & ora vaſorum aperientis ſunt facultatis.

Anethum ita calefacit vt in ſecundo ordine intenſo, aut in tertio remiſſo ſtatuendum eſſe videatur. exiccantium verò ſecundi ordinis eſt.Itaque meritò in oleo decoctum digerit,dolorem ſedat, ſomnum conciliat, crudos & incoctos tumores cōcoquit. Fit ex eo oleum,cuius temperies propinqua eſt pus mouentibus & concoquentibus appellatis medicamētis: niſi quòd paulo illis eſt calidius, ſubtilius,& digerens.vſtū verò fit tertii ordinis calfacientiū & ſiccantium. Cæterùm viride adhuc &ſucci plenum, humidius eſt,& minus calidū;itaque magis concoquit,& ſomnū magis quàm ſiccum conciliat, ſed minus digerit.

Anthyllis vtraque mediocriter ſiccat. Altera verò

A quæ chamæpityi eſt ſimilis,eſt ſubtiliorum partiū quàm altera,& magis abſterget.

Aniſi ſemen acre eſt & ſubamarum, vt propead vrentium facultatem accedat. eſt tertii ordinis exiccantium, vt etiam calfacientium,atque etiam digerit.

Aparine modicè exterget & ſiccat: habet etiam quandam partium tenuitatem.

Apii,*hoc eſt piri*, folia & ſumma germina, auſtera ſunt: fructus verò aliquid etiam aqueæ dulcedinis habet. pro-
B inde pirum ſi edatur ſtomacho conuenit,ſitimque prohibet:ſi illinatur,exiccat,modicéque refrigerat.

Achrades magis quàm alia pira & adſtringunt & exiccant.

Apocynum,aut braſſica canina,eſt venenum. mirum in modum grauiter olens herba eſt, proinde omnino nō ignauiter calida eſt:non tamen proportione deficcat:quā obrem illita digerentis eſt facultatis.

Argemona abſtergens digeréńſque eſt.

Ariſarum acrius multo eſt quàm arum.

Ariſtolochiæ radix amara & ſubacris eſt. tenuiorum
C partium eſt rotunda, & ad omnia efficacior quàm duæ reliquæ:quæ clematitis dicitur,odoratior eſt: itaque vnguentarii ea ad vnguenta vtuntur: ſed ad medicinas eſt imbecillior. At longa minus eſt tenuium partium quàm rotunda,veruntamen non eſt inefficax, ſed & abſtergendi & calfaciendi vi prædita eſt: minus quidem quàm rotunda abſtergens ac digerens,ſed non minus calfaciens, imò verò æquè,aut fortaſſe magis.

Arceuthus,*hoc eſt iuniperus*,calida & ſicca vtrinque tertii ordinis.eius fructus ſimiliter quidē calidus eſt,ſed nō ſimiliter ſiccus,verùm primi in ſiccando ordinis.

D Arction,quod eſt verbaſco ſimile, facultatis eſt partiū valde tenuium ,& ſiccantis,modicè tamen abſtergit.Alterum verò quod profopitida vocant, digerit ipſum quoq; & ſiccat,ſed modicè itidem adſtringit.

Arnogloſſum,*hoc eſt plantago*,miſtæ temperaturæ eſt:habet enim quidpiam aqueum frigidum:habet verò & auſterum quiddam,quod eſt terrenum frigidum, quocirca refrigerat & ſiccat in ſecundo ordine. Siccitatem autem obtinet morſus expertem,frigiditatem verò quæ nondū ſtupefaciat:eius quoque fructus & radix parem vim ha-
E bēt,præterquā quòd ſicciores & minus frigidæ ſunt. aterūm fructus eſt tenuiorū partium,radices verò craſſiorū. quinetiam herbæ ipſius folia ſiccata, tenuioris ſubſtantiæ,& minus frigidæ facultatis redduntur, quum aqueā eorum excrementum per halitum ſit digeſtum.

Aron terrena & ipſum eſſentia cōſtat,& calida, itaque extergentis facultatis eſt,non tamen validè vt dracontiū. eſt igitur in exiccando & calfaciendo primi ordinis.radices eius vtiles ſunt vel maximé.

Artemiſia vtraque in calfaciendo ſecundi eſt ordinis,
F in ſiccando primi intenſi.eſt etiam modicè tenuium partium.

Aſari radices vim habent acori radicibus ſimilem,magis tamen intenſæ ſunt.

Aſpalathus guſtu acer eſt & adſtringens.ex facultatibus verò quæ ex diſſimilibus inter ſe particulis conſtant, eſt conflatus,vt ſui partibus acribus calefaciat,auſteris refrigeret:vtrarunque autem ratione deficcet.

Aſparagus myacanthinus abſtergentis facultatis eſt,
G non tamen perſpicuè calfacit,nec refrigerat.

Aſplenum tenuium partium eſt, non tamen eſt calida facultate præditum.

Aſtragalus radices habet adſtringentes,quocirca ex numero non debiliter exiccantium eſt.

After Atticus(alii bubonion vocant) habet quiddam digerens: habet verò non minimè & refrigerans quippiam & repellens,vt miſtæ ſit potentiæ,vt etiam roſa:verùm id non adſtringit.

Aſtaphis, *hoc eſt vua*, culta quidem concoquendi, ad-
H ſtringendi,& leniter digerendi vim habet: at agreſtis acrem vehementer: ex quo fit vt valenter abſtergeat, & quadam etiam vrendi facultate ſit prædita.

Aſphodeli radix digerentis abſtergentíſque facultatis eſt:eius vſtæ cinis acrior ſicciórque efficitur.

Atractylis ſiccantis & modicæ calidæ facultatis eſt.

Atriplex humida & frigida temperie eſt, atque humida quidem in ſecundo ordine, frigida verò in primo. adſtrictionis verò non eſt particeps,ſed aquea eſt,& minimè terrena,non ſecus quàm malua:quin & ventrem celeriter permeat,vt illa,ob lubricitatem:parum præterea in ea eſt quod digerat. hortenſes autem humidiores multo & frigidiores agreſtibus ſunt.Fructus verò atriplicis abſtergendi vim habet.

Aphace vim habet adſtringentẽ,ſicut lenticula.Hæc tamen ægrius concoquitur, & validus ſiccat: particeps verò eſt moderati caloris.

Abſinthium adſtringentem,amaram,acrémque habet qualitatẽ:calefacitque & abſtergit & roborat & ſiccat. At ſi oporteat generatim comprehenſam eius temperiem conuenienter primis facultatibus determinare,etſi cõſtat ex partibus inter ſe diſſimilibus, tamen calidũ primi exceſſus,ſiccúmque tertii dixerim. Succus verò eius multo eſt quàm herba calidior.

B

Balani, *hoc eſt glandis*, quæ vnguentaria dicitur,reliquiæ vnde expreſſus ſuccus eſt, qualitatem amaram in eis cæteris præſtantem habẽt: ſed & quædam admiſta eſt adſtrictio,quocirca extergentem ſimul & incidentem, contrahẽtémque, & ſtipantẽ vim habent.Cortex verò admodum adſtringens eſt.

Balſamum ſecundi ordinis eſt exiccantium & calfacientium:éſtque ſubtilioris facultatis.non tamen tanta in eo caliditas ineſt quantam nonnulli arbitrantur, partium tenuitate decepti.Eius fructus perſimilis facultatis eſt,cæterùm multo in ſubtilitate partium inferior.

Balauſtium validè guſtum adſtringit: aliarum verò qualitatum nullius indicium præ ſe fert. Qamobrem ſtatuat quiſpiam, ſiccare ipſum, & non inſtrenuè refrigerare.

Bati,*hoc eſt rubi*,folia,& germina,& flos,& fructus,& radix,non obſcuræ adſtringentis qualitatis ſunt participes: ſed inter ſe differũt,quòd folia,& præſertim mollia,& recens nata,plurimum in ſe habeant aqueæ ſubſtantiæ, parum verò adſtrictionis: eadem de germinibus habenda ratio eſt.Fructus verò ſi maturus ſit,non parum habet ſucci calidi temperati, qui dulcis eſt, cum moderata adſtrictione coniunctus: at immaturus à frigida ſubſtantia terrea vincitur,& proinde acerbus eſt,& valde exciccat:& ſanè vterque exiccatus magis exccicat quàm recens.Flos verò eiuſdem eſt facultatis, cuius eſt immmaturus fructus: at radix præterquam quod adſtringit,non mediocris ſubſtantiæ quæ tenuium partium ſit,particeps eſt.

Batrachia quatuor omnia vehementer acris facultatis ſunt,& cum dolore exulcerant. Calida igitur ſiccáque eſt vehementer radix,& tota herba.

Bdellium quod Scythicum nominant, emollientis admodum & efficacis virtutis eſt.at Arabicum magis deſiccat quàm emollientia. Quod autem recens humidúmque eſt & contuſum,facilè molleſcit,ad omnia ad quæ Scythicum eſt accommodatum: quod vetuſtius eſt, & guſtu perquàm amarum,& acre,& ſiccum,id excidit ab eorum mediocritate quæ indurata molliunt.

Bechii,*hoc eſt tuſſillaginis*,herbæ vis eſt modicè acris.

Blitũ humidũ frigidúmque ſecũdo ordine cenſetur.

Bulbus illitus,quia amaroris & adſtrictionis eſt particeps,ideo abſterget,glutinat,& ſiccat.

Bulbus vomitum proritans multo eſt calidioris temperaturæ quàm ſuperior.

Buglоſſum humidæ calidæque temperiei eſt.

Buphthalmus acrior eſt quàm anthemis,idcirco magis etiam digerit.

Brathy,*hoc eſt herba Sabina*,particeps eſt acrimoniæ,amaritiei,& adſtrictionis.Idque medicamentum in tertio exceſſu ſtatuatur excalfacientium & exciccantium, & in eorum numero quæ vel maximè tenuium partium ſunt. Quidam pro cinnamomo duplum eius ſubiiciunt. attenuantis enim digerentiſque facultatis eſt.

Bretanicæ folia adſtringentia ſunt, eiúſque ſuccus pariter adſtringit:itaque coctum nonnulli reponũt, vt inter ſtomatica medicamenta efficaciſſimum, & quod ad putrefacientia faciat.

Bromus illitus exiccat,modicéque digerit, & citra mordicationem.Eſt etiam leniter frigidiore temperie, & nonihil habet adſtrictionis.

Bryon thalaſſion,*hoc eſt alga*, compoſitum eſt ex terreſtri & aquea ſubſtantia,quarum vtraque eſt frigida:nam & guſtum adſtringit,& illitum refrigerat.

Bryon(quidam ſplanchnon, *hoc eſt muſcus*) vim adſtringentem non validam habet. neque enim eſt admodum frigidum,ſed ferme mediis proximum,quum & digerendi & molliendi facultatis ſit particeps,præſertim verò quod in cedrinis lignis reperitur.

Γ

Gallium vim habet exiccantem & ſubacrem.

Gentianæ radix multum eſt efficax quum attenuatione,purgatione,abſterſione,& obſtructionis liberatione opus eſt:amara enim eſt vehementer.

Gigarta, *hoc eſt acinorum uuæ nuclei*, ſicci in ſecundo ordine ſunt,frigidi verò in primo. Eorum eſſentia craſſarum eſt partium,& terreſtris.ſiquidem acerbi ſunt.

Gingidium amaritiei adſtrictioniſque particeps eſt, ex vtraque autem qualitate deſiccat, & tamen eſt aptum ſtomacho. Calorem verò non admodum perſpicuum eſt nactum, cæterùm ſecundo ordini deſiccantium adſcribitur.

Glaucium adſtringit & refrigerat euidenter:eiúſque compoſita eſt temperies ex aquea terrenáque ſubſtantia, vtraque ſanè frigida,ſed non ſummè, verùm vt aqua fontana.

Glaux herba calidæ humidæque temperaturæ eſt.

Glechon, *hoc eſt pulegium*, herba eſt acris ſubamaráque,calefaciens,vehementérque extenuans.

Glœos,*hoc eſt ſtrigmentum balneorum*,modicè emollit.

Glycyrrhizæ ſuccus eſt maximè vtilis, æquè ac eius radices,dulcis eum leui adſtrictione quadã:quocirca fuerit ſanè eius natura noſtræ familiaris:tale enim eſſe dulce oſtenſum eſt. & quoniam temperie humida eſt, iure etiam ſitim arcet,nimirum modicè humidum, & hominis temperatura frigidius.

Glycyſides,*hoc eſt pæoniæ radix*,leniter cum dulcedine quadam & ſubamara acrimonia adſtringit: eius verò temperiem tenuium eſſe partium & exiccantem cenſendum eſt,non tamen inſigniter calidam.

Gnaphalium modicè adſtringit.

Gongylidos,*hoc eſt rapi ſemen*, & radix ſpiritum flatus plenum gignit.

Δ

Damaſonium abſtergendi vi præditum eſt.

Daucus (qui paſtinaca etiam nominatur)agreſtis eſt ſatiuo in omnibus vehementior. Acrem verò,calfacientémque & attenuantem vim habet.

Dauci herbæ ſemen validam calefaciendi vim habet, & in iis quæ præcipua ſunt numeratur:& foris admotum validè digerit.Eius herba eiuſdem facultatis eſt,ſed humiditas admiſta imbecilliorẽ eam facit:eſt tamen ipſa quoque calidæ temperiei.

Daphnæ, *hoc eſt lauri*, arboris folia & baccæ ſiccant, & calfaciunt vehemẽter, & baccæ magis etiam quàm folia.Cortex verò radicis minus eſt acer & calidus:ſed amarus magis,& quidpiam adſtrictionis habet.

Daphnes herbæ temperies eſt euidenter calida, acriſque ac ſubamara. Similem quoque vim habet chamædaphne,ſicut etiam daphnoides.

Dictamnum ſubtilioris eſſentiæ eſt quàm pulegium, in cæteris rebus ei ſimilis. Quod verò falſodictamnum vocant,ad omnia eſt dictamno imbecillius.

Dipſaci radix ſecundi ordinis ſiccantium eſt,abſterſioniſque cuiuſdam eſt particeps.

Dorycnium temperie eſt ſimili papaueri & mandragoræ,& quæcunque talem habent refrigerandi vim. Excellit in eo frigiditas aquea valde efficax. ſi parum ſumatur,ſoporem inducit:ſi largius,interimit.

Dracontium habet aliquid aro perſimile: eſt tamen eo acrius & amarius, ideóque magis calfacit, & tenuiorum eſt partium. Habet etiam leuiculam adſtrictionem, quæ cum duabus prædictis qualitatibus amara & acri coiũcta, medicamentum efficax eſt effectum Fructus verò non ſolùm fol iis, ſed & radice eſt valentior.

Dryopteris, *id eſt filicula*, qualitatis dulcis eſt, acris, ſubamaræ: in radice verò, etiam acerbæ. ei verò putrefaciẽdi facultas ineſt.

E

Elææ, *hoc eſt oliuæ*, rami quantum adſtrictionis, tãtum etiam refrigerationis obtinent. Fructus verò, ſi quidem exquiſitè maturus ſit, moderatè calidus eſt: at immaturus magis adſtringit, magíſque refrigerat.

Elæon, *hoc eſt oleum*, quod ex oliuis conficitur, humectandi & moderatè calfaciendi vim habet. Eiuſmodi eſt quod dulciſſimũ eſt, & ex oliuis maximè drupis: quod verò omotribes & omphacinum vocatur, quantæ adſtrictionis, tantæ quoque frigefactionis eſt particeps. Vetus autem oleum, quod ex dulci inueterato conficitur, calidius eſt, & magis digerit: quod ex crudo, id vſquedum quippiam adſtrictionis ſeruarit, miſtæ facultatis eſt: vbi eam planè abiecerit, reliquo ſimile redditur. Dulce verò ſi tenuium partium appareat (tale autem eſt quod purum, pellucidum eſt) ac modicum eius inũctum, latiſſiméque per corpus extenſum, ſibiipſum continuum manet, & à cute combibatur, hoc pro optimo habendum eſt, & olei virtute præſtare vel maximè, quale eſt Sabinum. Oleum porrò lotum minimè omnium mordax eſt. Cætera olei genera iis differentiis varia inter ſe ſunt, quæ in fructibus ex quibus oleum exprimitur, comperiuntur. Cicinum enim tenuius eſt, & ad diſcutiendum valentius, vetuſto oleo ex oliua confecto maximè ſimile. Raphaninũ in cæteris huic ſimile, ſed calidius: hoc etiam calidius eſt ſinapinum: cui ſimile eſt quod ex melãthio fit. Contraria ſunt his, myrtinum, ſeſaminũ, & balaninum, tum quòd ea adſtringunt, tum quòd craſſas partes habent. Miſtæ facultatis ſunt lentiſcinum, & terebinthinum, & maſtichinum: non enim emolliunt modò, ſed etiam adſtringunt. Amygdalinum verò amaritiem habet exuperãtem, éſtque adſtrictionis cuiuſdam particeps. non tamen caryinum, ſed hoc maximè ſimplicis digerendi facultatis eſt. Calidius eo eſt laurinum, & ad digerendum potentius. hoc etiam magis cedrinum. proximum ei eſt quod ex liquida pice fit. Tedinum eſt minus calidum laurino, ſed magis exiccat. Hyoſcyaminum verò miſtæ poteſtatis eſt, emolliẽtis & refrigerantis. Quod ex cnico fit, ventrem ſubducit: eóque magis quod ex grano Cnidio conficitur. Iam quod ex agreſti oliua exprimitur, non ſimplicis temperaturæ eſt, ſed abſtergẽtis, vnáque adſtringentis. Squalidiſſimum eſt id inter omnia olei genera: poſt hoc Iſtricum, deinceps Hiſpanum. Pinguiſſimum eſt Libycum & Cilicium. Simul verò pingue & tenue eſt Sabinũ: in medio horum omnium eſt quod in Cycladibus inſulis naſcitur, quódque in Græcia atque Aſia conficitur. Cæterùm pingue oleum lentore æſtimatur: tenue, ſi pellucidum purúmque ſit, ſique minima eius portione corpus plurimùm vngatur, ſi denique à cute facilè ebibatur. Ex his quæ dicta ſũt, licebit tibi de aliis oleis iudicare quæ eodẽ quo vnguenta nomine appellantur: quale eſt roſaceum, liliaceum, & quæcunque ſunt huius generis, quæ ex fructibus, germinibus, foliis, floribúſque oleo maceratis fiunt. oleum enim pro cuiuſq; iniectæ rei natura variabitur. Ex iis ergo quæ toto hoc opere de quacunque re iniicienda perdiſcis, ſingillatim quoque cõfectum ex eadem re oleum, quale ſit, poteris cognoſcere.

Elatine moderatè refrigerat & adſtringit.

Elaphoboſcus calidæ ſubtiliſque facultatis eſt, itaque etiam exiccat, ſecundo maximè ordine exceſſuum.

Elenium, huius herbæ radix non primò ſtatim appulſu calefacit, quamobrem non eſt dicenda calida & ſicca exquiſitè, vt piper, ſed cum excrementitio humore.

Eleliſphacus, *id eſt ſaluia*, euidenter excalfacit, & leniter ſubadſtringit.

A Elleborus vterque abſtergentis, calidæque facultatis eſt. eſto autem tertii ordinis calfacientium & ſiccantium. Cæterùm niger eſt guſtanti calidior, albus verò ſubamarus.

Elxine (alii perdicium nominant) facultatem habet extergentem, & leniter adſtringentem, cum modicè frigida humiditate.

Elymos, aut meline, *id eſt panicum*, emplaſtri modo impoſitum ſiccat atque refrigerat.

Epithymum habet thymi facultatem, ad omnia ef-
B ficacius: tertio gradu exiccat & calefacit.

Epimedium vim habet modicè refrigerantem cum aquea humiditate, quare nulla ei qualitas inſignis ineſt.

Epimelium planta acerba eſt, vtque dixerit quiſpiam, malus agreſtis. Fructus eius acerbus eſt, & ſtomacho infenſus.

Erebinthus, *hoc eſt cicer*, vi attrahendi, digerendi, incidẽdique pollet. Calidum enim & modicè humidum eſt, & amaritiei eſt particeps.

Erebinthus verò agreſtis, ad omnia valentior eſt
C ſatiuo: hoc eſt calidior & ſiccior, quanto & acrior eſt & amarior.

Erice facultatis eſt digerentis citra morſum. flore eius potiſſimum ac foliis vtendum.

Erpyllum, *hoc eſt ſerpyllum*, calfaciẽtis facultatis eſt, & guſtu multum acre.

Eryſimi ſemen ſicut guſtu naſturtio ſimile apparet, ita facultate igneum eſt & calfaciens.

Erytrodanum, *hoc eſt rubia*, radice acerba amaráque eſt. itaque quæcunque agere dicta ſunt, vbi eiuſmodi
D qualitates coiuerint, ea omnia in hac radice euidenter conſpicies.

Eupatorium herba eſt ſubtili, incidente & abſtergente qualitate citra inſignem calorem prædita. modicæ quoque adſtrictionis eſt particeps.

Euphorbium vrentis & tenuium partium eſt facultatis.

Ephemerum non lethale, quod Colchicum vocãt: ſed alterum quod irim agreſtẽ nominant, radicem habet adſtringentẽ odoratámque: ex quo planum eſt, temperatu-
E ræ miſtæ eſſe, repellentis & digerentis.

Echini herbæ fructus acerbus eſt, ac proinde repellit & exiccat.

Z

Zingiberis radix validè excalfacit, ſed non primo occurſu, vt piper: quamobrem minus tenuium partiũ quàm piper, eam eſſe cenſendum eſt. Videtur autem illaborata quædam & craſſior ſubſtantia ei ineſſe, eáque humida potius & aquea, quocirca facilè perforatur, quum ſcilicet excrementitia humiditas inſit, neque quicquam eorum quæ
F aut exquiſitè ſicca ſunt aut humida, ſed quæ elaboratam humiditatem continent, hoc patiuntur. Idem verò piperi longo contingit. Inde fit vt calor qui à zingibere & pipere longo manat, diutius quàm qui ab albo aut nigro, perſeueret: hincque eſt vt vtriuſque medicamenti vſus ſit diuerſus. Nam quũ totum corpus excalfacere celeriter volumus, ea tum ſunt offerẽda quæ celerrimè à caloris noſtri contactu incaleſcant, & in omnes partes citò ferantur. quum verò particulam aliquam refrigeratam calfacere oporteat, contrà eſt agendum, vt quæ tardè calfacientia
G plurimum temporis perdurant adhibeamus.

Zythus acrior eſt non parum quàm hordeum, & praui ſucci, vtpote qui ex corruptela proueniens, flatus quoq; excitat: éſtque partim acer & calidus, parte verò plurima frigidus, aqueus & acidus.

Zyme, *hoc eſt fermentum*, tenuium eſt partium, & mediocriter calidum: ob eam cauſam & ſine morſu quæ in profundo ſunt extrahit & digerit. Ex contrariis autem facultatibus eſt temperatum: nam & aciditatis eſt particeps, & caliditatis ex putredine contractæ: cui accedit ea quæ
H ex ſalis farinæque natura exiſtit.

H

Hedyoſmon (mentham odoratam quidam vocant) eſt enim alia quædam non odorata, quam calaminthham appellant: vtraque guſtu acri, & facultate calida ex tertio

ordine:ſed quæ odorata eſt,imbecillior eſt quàm calamintha.vt autem vno verbo complectar, hæc ceu ſylueſtris quædam eſt,illa ſatiua.cæterùm mentha quid habet amarum & acerbum.

Hedyſarum, aut pelecinus, ſemen habet quod amarum,ſubadſtringénſque videtur:quamobrem epotum,eſt ſtomacho idoneum. Viſcerum obſtructiones expurgat:id quod etiam fruticis virgulta præſtant.

Hemerocalles radicem habet lilii radici ſimilem,& figura & viribus: leniter autem digerentem facultatem habet,& nonnihil etiam repellentem.

Hemionitis adſtrictionis amaroríſq; eſt particeps.

Herygeron vim habet refrigerandi, & modicè digerendi.

Heryngium calore, aut nihil,aut certè parum ſuperat ea quæ temperata ſunt: ſiccitatem tamen & partium tenuitatem non paruam habet.

Θ

Thalietri facultas eſt exiccans ſine mordicatione.

Thapſia acris eſt, & validè ſiccãtis cum humiditate facultatis eſt: trahit proinde ex alto violentè, ídque quod traxit digerit:longiore autem tẽpore id facit, vtpote quæ larga humiditate excrementitia ſit expleta.

Thermus, *hoc eſt lupinus*, qui eſtur,medicamẽtum eſt ex genere emplaſticorum: qui verò innatam adhuc amaritiem habet,abſterget,& digerit,& citra morſum ſiccat.

Lupinus verò agreſtis,& magis amarus,& ad omnia valentior quàm domeſticus, eiuſdémque eſt genere cum ipſo facultatis.

Thlaſpi ſemen acrem facultatem obtinet.

Tridax,*id eſt lactuca*,humidum frigidúmque olus eſt, non tamen ad ſummum,ſed maximè ad aquæ fontanæ(vt ita dicam)frigiditatem.

Thymum euidenter incîdit,calfacítque & ſiccat tertio ordine.

I

Idæa radix guſtanti vehemẽter acerba eſt, & re ipſa experto idem præ ſe fert.

Ixos, *hoc eſt uiſcum*, ex multa aërea & aquea ſubſtantia calida, pauciſſimáque terrena conſtat, acrimoniáque in eo amaritiei excellit, itaque vehementer humores ex alto attrahit,eóſque non tenues tantùm, ſed & craſſiores, eóſque diffundit ac digerit.

Ios,*hoc eſt uiola*,folia habet quorum ſubſtantia aquea eſt,& ſubfrigida exuperans.

Hippuris,*hoc eſt cauda equina*, qualitatem adſtringentem habet cum amaritie,proinde valenter ſimul ac citra morſum exiccantem.

Iſatis ſatiua facultatis eſt quæ valenter ſiccat,& neutiquam mordet: eſt enim ſimul amara atque adſtringens. agreſtis verò manifeſtè iam acre quippiam tum guſtu, tum actione præfert: quocirca magis quàm ſatiua ſiccat.

Iſopyron, aut phaſiolum, ſemen habet amarum & ſubadſtringẽs:extergit itaque,& craſſos humores incîdit, corporáque contrahit & conſtringit.

Iteæ,*hoc eſt ſalicis*,foliorum vis eſt citra morſum exiccãs. habet etiam aliquid adſtrictionis.Sunt etiam qui ſuccum ex eis exprimant, medicamentúmque mordacitate vacans,& exiccans,ad multas res vtile ſeruent.nihil enim eſt ad plures res vtilius quàm medicamentum citra mordacitatem exiccans, quod parum etiam adſtringat. Iam verò cortex quoque arboris ſimilem foliis & floribus facultatem obtinet,niſi quod ſiccioris temperaturæ eſt,velut omnes nimirum ſunt cortices: ſed eum quidam comburunt:cineréque vtuntur ad ea omnia quæ ſiccare valenter oporteat. Quidam etiam dum ſalix floret,corticem eius incîdunt, liquorémque colligunt extergentem,& tenuium partium.

K

Calamintha, *hoc eſt nepita*, ſubſtãtiam habet tenuium partium,& calidam,ſiccámque temperiem ex tertio quodammodo ordine:acris enim eſt guſtu, & paululũ omnino habet amaritudinis.attenuat,incîdit,& diſcutit.

Calamus aromaticus tum adſtrictionis leuis, tum minimæ acrimoniæ eſt particeps. plurima ei' pars ex terrena ſubſtantia atque aëria conſtat, in caliditatis frigiditatíſque coniugatione temperata. Statuatur ergo ſecundi ordinis calfacientiũ & exiccãtium,quæ tamen vehementius deſiccant quàm calfaciunt.Habet quinetiã tenuium partium aliquid,vt alia aromata omnia:ſed illorum compluribus tenuitatis partium plurimum, calamo verò non multum ineſt.

Calami vallaris radix non mediocris abſtergentis facultatis, minimè verò acris eſt particeps.virentia verò folia modicè refrigerant:in quibus etiam vis abſtergens ineſt.Eius cortex vſtus valde tenuis digerentíſque facultatis redditur: qui etiam aliquid habet abſtergens,vt calfaciat atque exiccet in terrio fere ordine: magíſque ſiccet quàm calfaciat. Vitandus eius flos eſt: nam ſi in aures incidat, ita tenaciter adhæret vt auelli non poſſit, & auditum vitiet: quamobrem ſæpenumero ſurdos homines facit.

Cancani radix facultatem non mordentem habet, & modicè ſiccantem.eſſentia verò craſſarum partium ei ineſt,atque emplaſtica.

Cannabis ſemen flatu vacat,& exiccans eſt.

Capnios, *hoc eſt fumus*,acris ſimul & amaræ qualitatis eſt particeps,nec omnino eſt ab acerbitate alienus.

Capparis radicis cortex vincentem habet amaram qualitatem,proximam acrem,deinde acerbam:ex quo liquet, eum ex diuerſis pugnantibúſque nonnihil qualitatibus conſtare.poteſt enim extergere, purgare, incidere, & digerere ſua amaritie:calfacere verò,incidere & digerere acrimonia:contrahere, denſare,conſtringere acerbitate.ſimilem cortici radicis vim fructus habet,niſi quod eſt ad omnia imbecillior.quinetiam folia, eorúmque caules ſimilis ſunt facultatis.Capparis verò quæ in admodum calidis regionibus prouenit,vt in Arabia, multò eſt noſtrate acrior, adeò vt plurimum etiam adurentis facultatis habeat.

Cardami, *hoc eſt naſturtii*, ſemen adurentis facultatis eſt particeps, velut napy.herba quoque ſiccata vim eandem quam ſemen obtinet. at humida adhuc & virens, propter aqueæ humiditatis miſtionem eſt ſemine multo inferior,vt cum pane ea tanquam obſonio vti liceat.

Cardamomum & ipſum ſanè facultatis eſt valde calidæ,non tamen ita validæ vt naſturtium.poteſt tamen & ipſum exulcerare: habet quiddam etiam amaritudinis adiunctum.

Caron calefacit & ſiccat tertio ferme ordine, habétque modicè acrem qualitatem.

Caſia tertii ordinis eſt calfacientiũ & exiccantium: éſtque valde tenuium partium, guſtu verò multum acrimoniæ præfert, & parum quid adſtrictionis, ac proinde incîdit,digerit, & robur inſtrumentis indit.

Coria arbor,*hoc eſt nux*,habet in foliis & germinibus adſtrictionem quandã, cæterùm euidentem, multámque in nucis putamine recenti & ſicco. In nuce præterea id quod edendo eſt,oleoſum eſt,& tenuium partium: & quò diutius reconditum fuerit,eo maiorem vim habet, túmque per halitum valde digerit.quum verò recens eſt, qualitatem quandam adſtringentẽ habet.Quod verò imperfectum eſt, & nondum ſiccum, ſimile eſt cæteris fructibus,qui quum virides ſunt,pleni ſunt ſemicoctæ humiditatis.at eius putamen ſiccum vſtum, tenuium partium, ſiccánſque, & morſus expers medicamentum efficitur.at leptocaryon,quæ pontica nux nominatur, plus terreſtris eſſentiæ frigidæ habet,ideóque guſtanti magis auſtera & planta & fructus & cortex apparet, cætera nuci quæ regia dicitur ſunt ſimilia.

Carpeſiũ ſimile eſt ei quod phu vocatur, & guſtu & facultate:ſed plus tenuitatis habet,non tamẽ ita eſt tenue vt pro cinnamomo vti eo poſſimus, vt Quintus faciebat. Præſtantius autem eſt Ponticum Carpeſium quàm Laërtium.eorum magna copia in Syria tibi ſupputet.

Caucalis calfacit & exiccat.

Cenchros, *hoc eſt milium*, primo ordine refrigerat

exiccat autem in tertio exoluto: habet etiam paululum tenuitatis.

Cedrus vtraque temperatura eſt calida & ſicca ex tertio ordine. Cedrea verò quartum etiam ordinem videtur attingere:eáque & egregiè calida eſt,& ſimul tenuiũ partium. Cæterùm quod eius eſt pinguiſſimum,&planè oleoſum, tenuiorum eſt quàm tota cedria partium, minus tamen acre,at non minus calfaciẽs.porrò cedri fructus moderatiore vi ſunt præditi, vſqueadeo vt comedi quoque poſſint.

Centaurii maioris radix, acris ſimul & adſtringens cum leuicula dulcedine guſtui apparet. Calfacit igitur, craſſæ & terreæ frigiditatis particeps:digeritque,& robur particulis indit. eadem facit ſuccus quæ radix. Ac quidam ſunt qui hoc medicamento pro lycio vtuntur: qui verò aiunt rheum eſſe magnũ centaurium, ii mihi ſentire melius videntur.

Centaurii minoris virgulta, ac magis etiam folia & flores,maximo vſui ſũt.ſuperat reliquas in eis amara qualitas:eáque eſt etiam adſtrictionis cuiuſdam particeps,ac proinde medicamentum egregiè citra morſum exiccat. eius quoque ſuccus ſimilem habet ſiccandi & abſtergendi facultatem.

Ceraſi arboris fructus, dulcis potius per inteſtinum ſecedit,ſed ſtomacho minus accommodatus eſt:auſterus cõtrà,acidus verò pituitoſis ſtomachis, & in quibus excremẽta redundãt,conuenit:magis enim quàm auſterus deſiccat,& nonnihil etiam incidit.

Ceratonia exiccantis & adſtringentis facultatis eſt, ſicut ceratia quoque eius fructus, qui dulcedinis cuiuſdam eſt etiam particeps.

Ceſtrum,aut pſychrotrophon (Romani verò betonicam vocant) vim habet incidendi: amara enim eſt,& ſubacris.

Cecis, *id eſt galla*, quæ omphacitis dicitur, medicamentum eſt admodum acerbum,plurima ſui parte terrenæ frigidæ ſubſtantiæ particeps:cuius beneficio ſiccat,repercutit,contrahit,cõſtringit,& particulas infirmas roborat. Statuatur hæc in tertio ſiccãtium,in ſecundo verò refrigerantium ordine. Altera autem galla flaua, laxa, magnáque,ſiccat ipſa quoque,ſed tanto minus quãto minus acerbæ qualitatis eſt particeps. Gallæ autem combuſtæ vim ſupprimendi ſanguinis acquirunt, & calorem etiam atque acrimoniam vrendo contrahunt, & maiore ſiccandi vi redduntur.

Cera medium quodammodo inter vtranque coniugationẽ locum tenet: habet quiddam etiam craſſarum partium & emplaſticum : quamobrem aliorum medicamentorum excalfacientium & refrigerantium materia eſt. At ipſa per ſe ex genere vtique ſit debiliter concoquentium, quæ foris imponuntur. Habet etiam paulum quid digerentis calidæque potentiæ,quæ in melle inerat plurima.

Ciceos,*hoc eſt ricini*,fructus vim habet extergendi,& per halitum euaporandi: ita quoque eius folium, ſed imbecillius.

Cinnamomum ſummè tenuium partium eſt,non tamen ſummè calidum, ſed ex tertio quodammodo ordine.nam propter eſſentiæ tenuitatem nihil eſt eorum quæ æquè calefaciunt,quòd ita vt cinnamomum exiccet.

Cinnamomis verò eſt velut cinnamomum imbecillum:nonnulli verò pſeudocinnamomum ipſam nominant.

Circeæ radix odorata eſt & excalfacit.

Ciſthus,aut citharus,frutex eſt adſtringens,folia verò & parua germina trita adeò deſiccant atque adſtringũt vt vlcera glutinent. flores efficaciores ſunt, deſiccant ferè in ſecundo exceſſu abſoluto. frutex verò ipſe adeò eſt frigidus vt tepidi caloris ſit particeps. Cæterùm hypociſthis, aut hypochiſthis magis adſtringit quàm folia.

Ciſthus, aut ladanum, in calidis regionibus hic ciſthus proueniens,in vtroque à noſtrate differt, tum quòd adſtrictionem depoſuit, tum quòd caliditatẽ acquiſiuit: quod verò ladanum vocant, ex eodem prouenit,medicamentum calidum primo exceſſu iam completo, habens

A etiam parum adſtrictionis.eſt etiam tenuium partium eſſentiæ.quibus quidem fit rebus vt modicè molliat & digerat,ac nimirum etiam concoquat.

Ciſſos, *hoc eſt hedera*, ex contrariis facultatibus conſtat.habet enim quippiam ſubſtantiæ adſtringentis,quam eſſe terrenam frigidámque oſtẽdimus. Habet etiam nonnihil acris,quam calidam eſſe vel guſtus ipſe comprobat. tertia quoque ei virenti ineſt aquea ſubſtantia tepida quædam.

Clinopodium tertii eſt ordinis calfacientium & B exiccantium.

Comarus,*hoc eſt arbutus*,arbor acerba eſt vnà cum fructu,quem memecylum vocant.

Commi, *hoc eſt gummi*,ſiccantẽ emplaſticámque vim habet,quæque aſperitatibus medeatur.

Conia,*hoc eſt lixiuium*: omnium maximè abſterget & exiccat id lixiuium quod ex cinere ficulno & tithymalorum conficitur,ferèque putrefacientis eſt facultatis.

Conyza & maior & minor quum acris amaræque ſit temperaturæ,in calfaciendo & ſiccando tertiæ temperiei C cenſeatur.Eſt etiam tertium conyzæ genus in locis humidioribus proueniens, vtriſque ſuperioribus graueolentius & imbecillius.

Coriandrum,aut corion,*hoc eſt coriandrum*,ex contrariis conſtát facultatibus, habétque multum amaræ ſubſtantiæ,quam tenuium partium,& terrenam calidam eſſe oſtendimus:nec parum etiam aqueæ humiditatis,quæ tepentis facultatis eſt. Habet etiam parum adſtrictionis.

Coſtus leuiculam planè amaram, plurimam autem acrem & calidam in ſe qualitatẽ habet, adeò vt etiam vl- D cus excitet:ei quoque flatuoſa humiditas ineſt.

Cotyledon,*hoc eſt umbilicus Veneris*, facultatis eſt humidæ ſubfrigidæ,& cuiuſdam obſcuræ adſtringentis, & cum ea leuiter amaræ:vnde refrigerat, repercutit,abſterget ac digerit.

Crania,*hoc eſt cornus*,arbor fructum fert egregiè acerbum:folia quoque & germina eiuſdem acerba ſunt,& mĩrum in modum exiccant.

Crambe,*hoc eſt braſſica*, exiccantis facultatis eſt, non tamen etiam euidenter acris. Caules braſſicæ combuſti E cinerem faciunt valde exiccantem,vt iam adurentis quoque facultatis ſit particeps. Crambe verò agreſtis ſiccior calidiórque eſt quàm ſatiua:proinde intra corpus citra noxam non aſſumitur. Eadem vehementius quàm ſatiua exterget ac digerit.

Crambe marina præterquam quòd aluum lenit, eſt etiam ſubſalſa & ſubamara.

Cratæogoni herbæ fructus acer eſt & vehemens.

Crethmon ſalſum quodammodo eſt cum leui amaritie coniunctum : quamobrem ius eſt eius abſtergens & F ſiccans.

Crithe,*hoc eſt hordeum*, primi eſt ordinis in exiccãdo & refrigerando,habétque pauxillum abſterſionis.polenta verò multo magis quàm hordeum deſiccat.

Crini,*hoc eſt lilii*,flos ex miſta temperie conſtat, quæ partim ex tenui quadã terrena eſſentia conflata eſt,ex qua guſtui amaritiem præfert: partim ex aquea temperata, ex qua oleum quod ex eo conficitur,itémque vnguentum facultatis redditur morſus expertis,digerentis,& mollientis: radices autem & folia per ſe læuigata, ſiccant, abſter- G gent,digerúntque modicè.

Crocodilii ſemen acre eſt, calidæque & digerentis ac ſiccantis facultatis eſt. Succus caulis & ſeminis eadem vi eſt præditus.

Crocus parum etiam quid adſtringens habet, quod terrenum frigidum eſſe docuimus:ſed ſuperat in eo calfaciens qualitas:ex quo fit vt tota eius ſubſtantia ſecundi ſit ordinis calfacientium,primi verò exiccantium, quamobrem habet etiam vim quandam concoquendi.

Crommyon, *hoc eſt cæpa*, eſt ex quarto calfacientium H ordine,eſſentia verò eius craſſarum eſt partium.

Cyamos,*hoc eſt faba*, mediæ eſt temperaturæ,proximè ad vtranque partẽ accedens in exciccando & refrigerando. Caro eius paulum quoq; abſtergentis facultatis eſt particeps,ſicut putamen nonnihil adſtringentis.

Cyclaminus varias habet vires: nam & abſterget, & incidit,& aperit,& attrahit,& digerit. radix eſt ſucco imbecillior,eſt tamen vehementior. Altera verò cyclaminus (quam etiam ciſſanthemon vocant,quæque radicem habet inutilem)fructum habet egregiè efficacem, eiúſque amarities acris eſt,& modicè lenta.

Cymini ſemen tertii eſt ordinis calfacientium, flatúmque extinguit.

Cynoſbatos, *hoc eſt rubus caninus*. huius fructus non ignauiter adſtringit, folia verò moderaté. Cauendũ ab eo quod in eius fructu lanæ ſpeciem gerit, quippe quod arteriam vitiet.

Cypariſſi folia, germina, & pilulæ recentes ac molles ſiccandi vim habent, abſque inſigni acrimonia & calore, ſicut etiam guſtus oſtendit: apparet enim in ea leuis quidem acrimonia, ſed amarities plurima, multóque etiam maior in tota planta acerbitas. Tanta autem ei ineſt acrimonia,tantúſque calor,quanta ſatis ſit ad acerbitatem in altum deducendam:nullum tamen calorem & morſum excitet.

Cyperi radices abſque morſu calfaciunt & exiccant: inéſtque eis adſtringendi & incidendi vis quædam.

Cyperi folia & ſumma germina, miſtæ facultatis ſunt.habent enim quiddam digerens ex aquea ſubſtantia modicè calida. Habet etiam aliquid adſtrictionis ex frigida terreſtri,quamobrẽ citra moleſtiam & morſum ſiccat,& incidit.

Cytiſi folia digerunt, vímque miſtam & aqueam poſſident.

Conion,*hoc eſt cicutam*, extremæ refrigerantis facultatis eſſe norunt omnes.

Coni fructus totus viridis habet cum humiditate amaritudinem quampiam,& acrimoniam.eſculentus verò maceratus minimè mordax,& maximè emplaſticus redditur:& in medio calidæ & frigidæ qualitatis conſiſtens, ex aquea & terrea ſubſtantia temperatus,aëriæ minimùm eſt particeps.

Λ

Lagopus ſiccantis facultatis eſt.

Lampſana illita quandam abſtergendi & digerendi vim habet.

Lapathium modicè digerentem habet vim. Oxylapathum verò præterquã quòd digerit, habet etiam quid repercutientis. eorum ſemen eſt euidenter adſtringens. Porrò hippolapathum cum eo quod digerit, ipſum quoque etiam repercutit,ſed imbecillius.

Limonii fructus auſterus eſt.

Lichen in petris naſcens abſtergentis & modicè refrigerantis facultatis eſt,& vtriuſque exiccantis.

Leontopetali radix digerit, ſiccat calfacitque tertio ordine.

Lepidium ex quarto calfacientium eſt ordine.

Leucas acris qualitatis eſt:calfacit autem & ſiccat tertio ordine.

Leucacanthi radix amara eſt, ideóque incidit & ſiccat tertio ordine:at in calfaciendo primi eſt ordinis.

Leucoii frutex vniuerſus abſtergentis & tenuium partium eſt facultatis,magis tamen flores:& inter eos qui ſicciores ſunt magis quàm virentes. eſt hoc,ſiquid aliud, amarum. fructus quoque eiuſdem facultatis eſt, itémque radices,niſi quod craſſiorum ſunt partiũ,& magis terreæ.

Leuce arbor,*hoc eſt populus alba*,mixtæ quodammodo temperaturæ eſt ex aquea tepida, & terrena extenuata eſſentia:quamobrem abſtergẽtis facultatis eſt particeps.

Libanotus, *hoc eſt thus*, calfacit ſecundo ordine,ſiccat verò in primo:habet quoque parũ adſtrictionis.eius cortex vim habet euidenter adſtringentem, ac proinde quoque exiccat,adeò vt in ſecundo ordine completo collocetur. Conſtat etiam ex craſſioribus quàm thus partibus,miniméque acrimoniæ particeps. ramus eius tum ſiccioris tum calidioris eſt facultatis quàm thus,vt ad tertium vſque exceſſum perueniat. habet etiam quidpiam abſtergentis.

Libanotides tres mollientis ſunt digerentíſque fa-

A cultatis: habet etiam aliquid abſtergentis atque incidentis.

Lignys, *hoc eſt fuligo*, omnis exiccans eſt,ideóque terreſtris eſt eſſentiæ, habens quaſdam etiam ignis qui materiam combuſſit,reliquias,eáſque puſillas. Tota autem eius natura terrena eſt, tenuium partium. ſpeciales verò in ea differentiæ ſunt, quæ ex materia combuſta eueniunt, quum ex acriore & calidiore talis etiam fuligo proueniat:ex acriore verò & non mordente ſimilis quoque fuligo conficiatur.

B Libyſtici radix & ſemen ex genere calfacientiũ ſunt, & flatus diſcutientium.

Lini ſemen calidum eſt in primo ordine quodãmodo,éſtq; in medio ferme humiditatis & ſiccitatis conſtitutum.

Lycium egregiè diſcutit, ſiccat verò in ſecundo exceſſu, in calore verò mediis quodãmodo éſt proximum: habet etiam quidpiam adſtringentis, quocirca abſtergit & contrahit.

Lyſimachios adſtringentem qualitatem ſuperantem habet. Herbã hanc Lyſimachus rex ad ſanguinis eruptiones

C cohibendas facere caſu quodam cõperit. Quum enim equus eius vulnus accepiſſet,ſanguíſque erumperet, hanc herbam quæ erat ad manus,quámque rex ignorabat, vulneri admouit: ea eruptione ſedata, omnes poſtea ad ſanguinis eruptiones ea vſi ſunt,& ab inuentore Lyſimachiã herbam appellauerunt.

Lychnidis quæ ad coronamenta adhibetur, ſemen calidum eſt in ſecundo ordine,aut iam etiam in tertio:& eodem quoque modo ſiccum.

Lotos domeſtica (quam trifolium quidam vocant)

D abſtergentis modicè qualitatis eſt particeps, itémque ſiccantis. In calidi frigidíque coniugatione media quodam modo eſt. Lotus autem agreſtis plurimum in Libya prouenit. Eius ſemen ſecundo ordini calfacientium adſcribitur:abſterget etiam nõnihil. ex Ægyptiæ verò loti ſemine panes etiam conficiuntur.

Lotus verò arbor adſtringentis pauculæ qualitatis eſt particeps:eſt etiam partium tenuium & exiccans.

E

M

Macer cortex eſt multum acerbus cum leui quadam acrimonia. Videtur itaque ex miſta eſſentia conſtare,plurima terrena frigida, paucula verò calida & tenuium partium: quamobrem in tertio ordine ſiccantium eſt, in caloris frigoríſque differentia neutrum inſigniter efficiens.

Malabathri folium ſimilem habet vim ſpicæ nardi.

Malua,agreſtis quidem parum digerentis qualitatis

F eſt,& leniter mollientis: hortẽſis verò imbecillior eſt. earum fructus eo eſt valentior quo etiam ſiccior. Anadẽdro malache verò (quæ etiam althæa dicitur) magis digerit quàm ſuperiores.

Mandragora ex tertio ordine refrigerantium eſt, & tamen cuiuſdam caloris eſt particeps, & in pomis ineſt quidpiam humiditatis: proinde grauem ſoporem inducunt. radicis verò cortex qui eſt valentior, non refrigerat modò, ſed etiam ſiccat. Reliqua interna pars imbecilla eſt.

G Marathron,*hoc eſt fœniculum*,calfacit in tertio, ſiccat in primo. Agreſtis verò, quod hippomarathrum vocant,radix & ſemen ſiccioris eſt facultatis quàm ſatiui. Alterum hippomarathrum eſt, cuius ſemen rotundum eſt & acre,cuius facultas eſt hippomarathro ſimilis, ſed imbecillior.

Maſtiche alba & Chia adſtringit:mollit ſecundo ordine,calfaciens & exciccans. Nigra verò & Ægyptia magis quàm ſuperior ſiccat,ſed minus adſtringit.

Melãthium calfacit & ſiccat in tertio. Videtur etiam

H tenuium eſſe partium,inciditque & abſterget,quum amaritiem contineat.

Melilotum habet partem adſtringentem, ſed & digerit & concoquit. Copioſior enim in eo eſt ſubſtantia calida quàm frigida.

Mel calfacit & ſiccat in ſecundo ordine. Eſt autem [A] ſimplicis, quoad maximè fieri poteſt, facultatis extergentis.coctum minus acre & abſtergens redditur. Cæterùm ſiquod mel amarum eſt, clarum eſt id eſſe miſtæ facultatis, tanquam ſi noſtrum quiſpiam ei abſinthium miſcuiſſet. Sed & ſacchar,quod vocant,mellis eſt ſpecies, ſed minus eſt dulcè quàm noſtrate: in cæteris ei ſimile. quatenus verò non eſt infenſum,nec ſitim affert, eatenus ab eo differt.

Meliſſophyllũ vim habet marrubio ſimilem,ſed eſt [B] illo multo inferius: ex quo fit vt quum magna vbique marrubii ſuppetat copia,meliſſophyllo vti ſit planè ſuperuacaneum.

Meſpili arboris fructus multum acerbus eſt.In germinibus quoque eiuſdem & foliis acerba qualitas ineſt non exigua.

Medii radix auſtera eſt,& fluxiones cohibet. ſemen tenuium partium,incidentiſque eſt facultatis.

Meconis,*hoc eſt papaueris*,omnis eſt vis refrigerans.ſatiui ſemen mediocriter ſomnum conciliat, aſpectu candidum. Eius cuius flos celeriter defluit ſemen valentius refrigerat, quocirca eo ſolo nemo innoxiè vtetur. [C] Ex agreſtibus verò quod velut ſedens caput habet, id medicamentum iam ſemen habet, valde frigidum & nigrum. Alterum quod oblongius caput gerit, maximè omnium eſt medicatum, tum in ſemine, tum in capitibus, tum in foliis, tum in liquore. valenter enim refrigerat, & vſque ad ſtuporem & mortem perducit. Cornutum verò papauer abſtergentem & incidentem vim habet.

Malus non omnis eſt vna natura, veluti nec etiam fructus:quædam enim mala dulcia ſunt,quædam auſtera, [D] quædam acerba, quædam acida, quædam plenè exoluta, & aquea:& ſanè in eis aqueum exuperat, vt eorum magis aquea magiſque frigida ſit temperatura: in acerbis autem terrenum frigidũ,in auſteris verò tum hoc tum aqueum dulce:in acidis aqueum frigidum,vt in dulcibus aqueum temperatum.Eadem ratio eſt foliorum,ſucci,corticis arborum,quæ omnia inter ſe differunt.

Malus Perſica in fructu, foliis, & germinibus ſuperantem habet amaritiem. Eſt etiam medicamentum digerens.eius fructus frigidiore humidioréque temperatura eſt. [E]

Malus Armeniaca fructum fert ſecundi ordinis humidorum & frigidorum.

Malus Medica eſt cuius fructũ citrium vocant,quod in ſemine exuperantem habet qualitatem acidam & ſiccam, vt tertii ſit ordinis ſiccantium & refrigerantium. In cortice verò itidem exiccantem temperaturam habuit, non parum tamen acrimoniæ habẽtem,idcirco in ſecundo ordine exiccat,non tamen refrigerat,ſed vel temperatus eſt,vel paulo inferior. Eius caro craſſi eſt ſucci, pituitoſa,& frigida,nucleus verò qui re vera eſt ſemen,amarus [F] eſt,ideóque digerit ſiccátque in ſecundo. folia quoque facultatis ſunt digerentis & exiccantis.

Mei radices calidæ in tertio exceſſu ſunt, ſiccæ verò in ſecundo.

Milacis aſperæ folia acris quidpiam obtinent, & calfaciunt.

Milax verò læuis ſimilem vim ſuperiori poſſidet.

Mori fructus cuiuſdam adſtrictionis eſt particeps: at immaturus, præter acerbitatem eſt etiam aciditatis particeps.tota arbor in omnibus eius partibus miſtam habere [G] facultatem videtur,ex cohibente & repurgante compoſitam.In radicis cortice exuperat purgans cũ amaritie quadam:in moris verò immaturis,cohibens: in foliis & germinibus,media quodammodo temperatura eſt.

Myagri ſemen oleum effundit quod emplaſticæ facultatis eſt.

Mycetes,*hoc eſt fungi*, frigida humidáque admodum temperatura ſunt, & proximè ad veneni naturam accedunt.

Myles radix contrahentis eſt facultatis. [H]

Myos ota,*hoc eſt auricula muris*, ſiccat in ſecũdo,calorem verò nullum inſignem poſſidet.

Myricæ incidentis eſt abſtergẽtiſque facultatis,abſque inſigni ſiccitate.Habet verò etiam quid adſtrictionis at fructus & cortex non paucam adſtrictionem obtinẽt, cum partium tenuitate & vi abſtergendi. Porrò myricæ combuſtæ cinis facultatis egregiè exiccantis fit, habétque plurimam incidendi & abſtergendi vim, at adſtringendi perexiguam.

Myriophyllon exiccantis eſt facultatis.

Myrrhis dulcem radicem habet, quæ ex ſecundo calfacientium eſt ordine, adiuncta quadam partium tenuitate.

Myrrine,*hoc eſt myrtus*, ex contrariis ſubſtantiis conſtat,in ea tamen terreſtre frigidum exuperat. Habet quoque aliquid tenuium partium calidum, ex quo valenter exiccat.Iam verò & folia & fructus, & germina & ſuccus, non admodum inter ſe differunt.Cæterùm quod ramis & trunco adnaſcitur tuberoſum (quod myrtada nominant) quo ſiccius eſt prædictis, eo etiam adſtringit & ſiccat vehementius. prædicta verò folia ſicca maiorem exiccandi vim habent quàm viridia.

Moly, huius radix tenuium partium eſt, & in tertio exceſſu calida:quamobrem & incidit & digerit.

N

Nardi ſpica calfacit exceſſu primo, ſiccat verò ſecundo completo. Conſtat autem ex adſtringente ſatis ſubſtantia, & acri calida non multa, & quadam leniter amara.

Nardus Celtica ſimilis eſt quodãmodò in genere facultatis ei quæ prædicta eſt:ſed eſt ad omnia imbecillior, præterquam ad vrinam prouocandam. calidior enim cæteris eſt,ſed minus adſtringit.

Nardus montana eſt ſuperioribus infirmior.

Narthex,*id eſt ferula*,eius ſemẽ excalfacit & attenuat. Quod intus eſt,medullámque vocant, quum adhuc virens eſt,adſtringentis qualitatis eſt particeps.

Napy calfacit & ſiccat quarto ordine.

Narciſſi radix ſiccante facultate prædita eſt:habet etiam quid abſtergentis atque attrahentis.

Neuras ſiccantis abſque morſu facultatis eſt.

Nerium foris illitũ digerendi vim habet:intra corpus aſſumptum,pernicioſum eſt.

Nymphææ radix & ſemẽ vim habet ſiccantẽ abſque morſu.Quæ verò candidã radicẽ habet,vehementiore vi prædita eſt,eáque nonnihil etiam exterget.

Ξ

Xanthii fructus digerendi vim obtinet.

Xyris tenuium eſt partium, attrahentis, digerentis, ſiccantiſque facultatis, cum radix, tum multo etiam magis fructus.

Xiphii,*hoc eſt gladioli*,radix,& maximè altera quæ ſuperior eſt,attrahendi,digerendi,& ſiccandi vim habet.

O

Oë,*hoc eſt ſorbum*,arbor adſtringẽtis qualitatis eſt particeps.

Oenos, *hoc eſt uinum*, in ſecundo calfacientium eſt ordine:quod valde vetus eſt,in tertio,vt muſtum ex primo.Siccitas verò caliditati eius proportione reſpondet.

Oloſtium deſiccandi vim habet.

Olynthi,*hoc eſt groſſi*,acrem digerentémque cum adſtrictione vim habent.

Onagrum,aut onothera,aut onothuris,facultatis vini eſt maximè.

Onoma, aut Sinonis, ex acri & amara ſubſtantia conſtat.

Onobrychis rarefacientis digerẽtiſque facultatis eſt.

Ononis,radicem habet quodammodo tertio ordine calfacientem. Eius cortici neſcio quid etiam abſtergentis ineſt.

Oxos,*id eſt acetum*, ex miſta ſubſtantia frigida & calida,& vtraque tenuium partium conſtat:ſed calidæ præ-

ſtat frigida. Siccat in tertio completo, quum vtique vali- A
dum fuerit.
Oxyacanthi fructus acerbus eſt, habétque partium
tenuitatem, & parum etiam incidit.
Opos, *id eſt liquor*, Cyrenaicus eſt omnium calidiſſi-
mus, & tenuiſſimarum partium eſt, maximéque digerit:
quanquam & alii quoque abundè calidi ſunt & ſpirituoſi.
Origani genus omne incidentis, attenuantis, exic-
cantis, & calfacientis eſt facultatis in tertio, tragorigano
verò quippiam etiam adſtrictionis ineſt.
Orobus, *hoc eſt eruum*, in ſecundo exceſſu intenſo de- B
ſiccat: calfacit in primo, incidit, & abſterget, & obſtructio
ne liberat.
Orobanche ſiccæ frigidǽque facultatis eſt primo or-
dine.
Orchis, aut Cynoſorchis, *hoc eſt teſticulus canis*, huius ra-
dix calida, humida, dulciſque eſt. maior verò radix mul-
tam habere humiditatem excrementitiam & flatuoſam
videtur: quæ minor eſt, contrà, valde elaboratam.
Orchis (quem etiam ſerapiada vocant) ſiccioris eſt fa-
cultatis quàm primi ordinis cenſeatur. Siccatus is multo C
magis exiccat, habétque aliquid adſtringentis.
Oſiridis herbæ amara qualitas eſt, & obſtructione li
berandi facultas.

Π

Pancratii radix guſtum & vim habet ſcillæ perſimi-
lem, ſed eſt multo inferior.
Paliuri radix & folia non obſcuram adſtringēdi fa-
cultatem obtinent: nonnihil etiam digerunt: fructus verò
incidentis facultatis particeps eſt.
Papyrus combuſta medicamentum ſiccās efficitur, D
vt charta combuſta: ſed papyri cinis eſt imbecillior.
Panaces heracleum. ex hoc fit opopanax, quē vocant,
qui excalfacit, emollit, ac digerit. in calfaciendo verò ex
tertio ordine eſt: in ſiccando, ex ſecundo. Cortex verò ra-
dicis deſiccans ſimul & calfaciēs medicamentum eſt, ſed
minus quàm liquor. quinetiam abſtergentis quid habet.
eius etiam fructus calidus eſt.
Panaces Aſclepium minus eſt calidum ſuperiore.
Panaces Chironium & ipſum ſimilem habet prædi-
cto facultatem. E
Paronychia tenuium partium eſt, & ſiccantis abſque
morſu facultatis in tertio ordine, itémque calfacientis.
Pentaphylli radix deſiccat in tertio, perſpicuæ tamen
caliditatis non eſt particeps. cæterùm tenuium partiū eſt,
& morſu vacat.
Piperis radix vires habet coſto maximè ſimiles. fru-
ctus nuper eius germinantis lōgum piper eſt, ideo fit vt
maturo ſit humidius, quare facilè perforatur. fructus qui
velut omphax eſt, album eſt piper, ídque eſt acrius nigro:
nam illud eſt quaſi ſuperaſſatum iam, & ſuperſiccatum. v- F
trunque autē exſiccat, calfacítque valēter. Cæterùm ſi lon
gū vitiatū fuerit, deprehēdes aqua macerās: nā in quo vi-
tium eſt ſoluitur: nō ſoluitur autē id quod naturam habet
ſuam. id verò quo piper adulteratur, herba quædam flaua
eſt, ab externis aduecta regionibus, quæ piperi longo aſpe
ctu quidem eſt ſimilis, ſed guſtu diſcrepat, quo etiam ab
eo facillimè diſcernitur.
Perſeæ folia adſtringentem vim ſortita ſunt.
Periclymeni fructus & folia incidunt & calfaciunt. G
Periſtereon vim habet exiccandi.
Petaſites ex tertio ordine exiccantium eſt.
Petroſelini ſemen quemadmodum guſtu acre eſt
adiuncta amaritie, ita & actione flatus extinguit. tertio or
dine calfacientium & ſiccantium continetur.
Peucedani radix & liquor & ſuccus eiuſdem ſpecie
facultatis ſunt. Valentior tamen eſt liquor, egregiè calfa-
ciens, digerens, attenuans, & incidens.
Peganum, *id eſt ruta ſyluestris*, ex quarto iam ordine
eſt excalfacientium & ſiccantium, ſatiua ex tertio, éſtque H
non ſolùm acris guſtui, ſed etiam amara: ex quo inci-
dit, digerit, tenuiúmque eſt partium, & flatus reſtin-
guit.
Pix ſicca quidem ſiccat calfacítque ſecūdo exceſſu:
cæterùm ſiccare poteſt magis quàm calefacere. Liquida
verò contrà, calefacere magis quàm ſiccare. habet etiam
partium tenuitatem quandam. Sed & abſtergendi vim
quandam, & concoquendi, & digerendi, veluti etiam le-
uem amaritiem & acrimoniam obtinet.
Piſſelæum genere quidem eſt pici ſimile, ſed ex ſub-
tilioribus partibus conſtat.
Piſtacii fructus tenuium eſt partium, ſubamarus, aro-
maticus: ex quo obſtructione liberat, & expurgat.
Pityides, *hoc eſt fructus pini*, miſtæ ſunt facultatis, vt
adſtringant, & acrimoniam quandam cum amaritie con-
iunctam habeant.
Pini cortex exuperantem habet facultatem adſtrin-
gentem. piceæ verò cortex eſt huic ſimilis, ſed moderatio-
re vi præditus eſt: in cono verò maior vis eſt, & in corti-
ce, & in foliis.
Platanus humidioris frigidioriſque eſſentiæ eſt nō
ita multo quàm moderata. eius cortex & pilulæ magis ex-
ſiccant. ſunt qui combuſto cortice medicamentum confi
ciant. Cauenda eſt lanugo foliis arboris inſidēs, ſiquidem
ſpiritu attracta, lædit arteriam & vocem: aſpectúmque
& auditum vitiat, ſi in oculos aut aures incidat.
Polygonon, *hoc eſt herba ſanguinalis*, adſtrictionem
quandam habet, vincítque in eo aqueum frigidum, vt ad
ſecundum gradum completum perueniat: quúmque re-
frigeret ac repercutiat, videtur etiam exiccare. mas verò
eſt ad omnia efficacior quàm fœmina.
Polygalum folia habet modicè auſtera. ſuperare au-
tem in eo calidum & humidum videntur.
Polygonatum miſtæ facultatis eſt. habet enim quid
etiam adſtrictionis, acrimoniæ, amaroris, & inſuauitatis
cuiuſdam, quæ explicari ſatis verbis non poteſt: itaque v-
ſui admodum non eſt.
Polemonium (quidam philetæriū vocant) tenuium
partium, & ſiccantis facultatis eſt.
Polium guſtantibus amarum eſt, & modicè acre: ob-
ſtructiones itaque adimit. Polium verò quo in antidotis
vtimur, magis amarum eſt, magiſque acre quàm maius,
vt ex tertio ſit ordine exiccantium: ex ſecundo verò, eó-
que completo, calfacientium.
Polycnemon calfacit & ſiccat ſecundo ordine.
Potamogiton adſtringit & refrigerat æquè ac po-
lygonum: hoc tamen craſſiorum eſt partium.
Polypodium dulcem, ſimúlque auſterā qualitatem
exuperantem habet, adeò vt facultate ſit valēter exſiccan
te, & morſu vacante.
Praſium, *hoc eſt marrubium*, amarum eſt, idcirco tol-
lit, obſtructiones abſterget, digerítque. hoc ſtatui poteſt
in calfaciendo in ſecundo fere ordine iam completo: in
ſicando verò, in tertio.
Propolis facultatis eſt non valēter abſtergentis, ſatis
tamen validè attrahentis: eius nanque eſſentia tenuium
eſt partium. calfacit autem ſecundo exceſſu iam com-
pleto.
Ptarmices flores vim ſternutamenti ciendi habent:
totus verò frutex digerit: eiúſque calida & ſicca tempera-
tura eſt: quum vireſcit, ſecundi fere ordinis: quum arue-
rit, tertii.
Ptelex, *hoc eſt ulmi*, folia adſtringentem & abſtergen-
tem habere facultatem præ ſe ferunt. Cortex verò eſt ma-
gis amarus & adſtringens. radices quoque eiuſdem ſunt
facultatis.
Pteris, *hoc eſt filix*, amara eſt, parúmque habet adſtri-
ctionis, ac proinde facultatis eſt valenter exſiccantis, non
tamen mordacis. thelypteris verò ei ſimilem vim habet.
Pycnocomi & radix, & fructus, & folia quæ acria
ſunt, digerendi atque attrahendi vim habent.
Pyrethri radix adurentis eſt facultatis.
Pyros, *hoc eſt triticum*, in primo calfacientium ordi-
ne cenſetur: non tamen ſiccare aut humectare inſigniter
poteſt. habet verò etiam quidpiam lentoris obſtruentiſ-
que naturæ. Quod verò ex eo conficitur amylum, tritico
frigidius & ſicciꝰ redditur, quódq; ex pane cataplaſma fit,
maiorē habet vim digerendi quàm quod ex tritico con-
ſtat, quum panis & ſalem & fermentum adiunctū habeat:
ſiquidem fermento vis ineſt attrahendi euocandique

ea quæ in imis corporis partibus deliteſcunt.

P

Rhamnus deſiccat ſecundo exceſſu, refrigerat, verò in primo completo.

Raphanis, *hoc eſt radicula*, in primo exceſſu calfacit, in ſecundo ſiccat. Agreſtis eſt efficacior in vtraque facultate. iam & ſemen efficacius eſt quàm planta. facultas porrò digerendi in eis ineſt.

Rheum miſtæ facultatis eſt. habet enim quid terrenum frigidum, vt eius declarat adſtrictio. ei quoque acrimonia quædam ineſt: ſique pluſculum mādatur, leniter calida conſpicitur. Eſt etiam ſubſtantiæ cuiuſdam aëriæ, tenuiúmque partium particeps.

Reſinæ omnes ſiccant & calfaciunt. inter ſe verò diſcrepant, quòd plus minúſve in guſtu acrimoniæ, in facultate caloris ſint nactæ: quódque aliæ plus, aliæ minus tenuium ſint partium: quòd denique aliæ adſtrictiones ſortitæ ſint, aliæ non item. Iure autem in omnibus ſibi primas vendicauit lentiſcina: (quam maſtichen vocant) nam præterquàm quòd pauca ei ineſt adſtrictio, hoc etiam accedit vt ſine moleſtia ſiccet, nimium verò acris eſt, & maximè tenuium partium: inter alias primas tenet terebinthina, non tamen æquè perſpicuam vt maſtiche, adſtrictionem obtinet: quum verò amaritiem quandam habeat, magis quàm maſtiche digerit: ob quam etiam qualitatem vis abſtergendi eidem ineſt. prætereà verò ex alto magis quàm aliæ reſinæ trahit, quippe quum è partib⁹ etiam tenuioribus conſtet. Peucina verò, & magis etiam ſtrobilina, ſunt prædictis acriores: non tamen magis digerunt, nec magis attrahunt. Mediæ inter eas ſunt pinea & abiegna, quæ ſunt terebinthina quidem acriores, minus tamē acres quàm peucina & ſtrobilina. terebinthina verò habet etiam mollientem vim. ſecundo loco in molliendo lentiſcina cenſetur, ſicut & cypariſſina in acrimonia.

Roſarum vis ex aquea ſubſtantia calida, duabus aliis qualitatibus adſtringenti & amara commiſtis eſt compoſita. flos earum magis quàm roſæ abſterget, & proinde ſiccat.

Rhodia radix tenuiū partium, digerentiſque facultatis eſt, & in principio tertii exceſſus calfacit.

Rhododaphne. tota eius ſubſtantia pernicioſa eſt. temperatura verò tertii ordinis incipientis calfaciētium e: primi verò ſiccantium.

Rhœa, *hoc eſt malum granatum*, omnis adſtringentem qualitatem habet, non tamen in omnibus ea exuperat: quædam enim granata acida ſunt, quædam dulcia magis quàm auſtera: & ſanè quæ ex vnoquoque vtilitas fertur, ea ex vincente qualitate proueniat neceſſe eſt. Porrò acini magis quàm ſuccus adſtringunt: magis verò quàm hi adſtringūt etiam putamina, quæ malicoria vocāt: punici verò flores illis adſimilem vim habent.

Rhus adſtringit ſiccátque: eius verò fructus maximè & ſuccus ad vſum adhibentur, in quibus valida auſtera qualitas ineſt. ſiccat igitur in tertio, refrigerat in ſecundo.

Rhypos, *hoc eſt ſordes*, ea quæ ex ſtatuis eſt, digerit, mollit, habétque aliquid acrimoniæ, propter æruginem quam ſumpſit à ſtatua. Sordem verò ex palæſtra, πάτον nomināt: cōſtat hæc ex rebus differentibus, ex puluere inquam, oleo, humana ſorde, & ſudore. ergo puluis emplaſticam vim & refrigerantem & repercutiētem habet, oleum, molliētem, ſudor & ſordes digerentem.

Σ

Sagapenum liquor eſt calidus, tenuium partiū, non ſecus quàm alii liquores: ſed & abſtergendi vim quandam habet.

Sampſuchus facultatis eſt tenuium partium, & digerentis, ſiccátque & excalfacit tertio ordine.

Sarcocolla lacryma eſt quæ miſtam facultatem habet ex emplaſtica ſubſtantia quadam & paucula amara: quamobrem ſine morſu exiccat.

Satyrium humidum eſt & calidum ſua temperie, ideóque guſtātibus dulce videtur: ei tamen excrementitia,

A flatuoſáque humiditas ineſt. eadem quoque facere poteſt herbæ ipſius radix.

Selinon, *hoc eſt apium*, calidum eſt, & flatus diſcutit, & ſemen magis quàm herba. Similis facultas eſt in oreoſelino. Hippoſelinon verò imbecillius eſt, vt oreoſelinon valentius.

Seris ſubamara eſt, idque magis agreſtis, quam picrida vocant: aliqui verò etiam cichorium, eſtque frigidæ & ſiccæ temperaturæ in primo exceſſu. Satiua autem magis quàm agreſtis refrigerat, ſed humiditatis externæ multa B copia admiſta ſiccitatem reſtinguit. vtraque adſtringentis facultatis eſt particeps, velut chondrila.

Seriphum ſimile eſt abſinthio: ab eo tamen diuerſum eſt quòd non æquè vt illud adſtringit, magiſque calfacit, & amarorē quendam cum ſalſedine reſipit, & ſtomacho eſt infenſum. Quin calfacit etiam in ſecundo ordine intenſo, in tertio verò exiccat.

Seſeleos & radix & multo magis fructus, de numero calfacientium eſt, & tenuium itidem eſt partium.

Seſamum emplaſticum eſt & molliens, & modicè calidum. eiuſdem quoque facultatis eſt oleum quod ex ipſo C conficitur.

Seſamoides magnum (quod etiam Anticyricum veratrum appellatur, propterea quòd eius ſemen perinde vt veratrum purget) cum in aliis facultatibus eſt veratro ſimile, tum verò in abſtergendo, calfaciendo, & ſiccando, ſimiles illi vires habet.

Seſamoideos albi ſemen quandam etiam qualitatem acrem habet: multum nanque amarum eſt. calfacit igitur, extergit, & rumpit.

D Sideritis habet etiam quiddam abſtergentis: ſed plurima eius pars eſt humida & frigida modicè. Paucæ quoque adſtrictionis eſt particeps. quidā hanc vocant Achillion ſideritim: in hácque maior adſtringendi vis quàm in ſuperiore ineſt.

Sicyos, *hoc eſt cucumis*, eſculentus, qui iam eſt maturus, tenuiorum partiū ſubſtātiæ eſt: qui verò non eſt eiuſmodi, craſſiorum: non eſt tamen abſtergentis & incidentis facultatis particeps. in eis verò ſuperat humida frigidáque temperatura, vt in ſecundo ordine collocentur. Attamē ſiquis E ſemen aut radicem arefaciat, iam primi ordinis completi ſiccantium reddentur. in his quoque maior abſtergendi vis quàm in carne fructus ineſt.

Sicys verò, *hoc eſt cucumeris agreſtis*, ſuccus qui ex fructu exprimitur (quem elaterium vocant) extremè eſt amarus & tenuium partium, & leuiter calidus, vt ex ſecundo ordine cenſeatur: eſt etiam digerens. radicis verò ſuccus, atque is qui ex foliis colligitur, licet ſimilem elaterio vim habeat, imbecillior tamen eſt. Radix quoque ſimilē facultatem poſſidet, ſiquidem extergit, digerit, emollit. cortex F tamen magis exiccat.

Silphii liquor calidiſſimus eſt: quinetiam folia, fructus, caulis & radix egregiè calfaciunt: ſed omnia ſunt magis flatuoſæ ſubſtantiæ, & foris impoſita ſunt efficaciora, & præcipuè liquor in quo valde trahendi facultas ineſt. attamen & excreſcentia amoliendi & liquandi vim quandam habet.

Sinō calidus eſt ſubamarúſq;, & obſtructiones diſiicit.

Sion calfacit & digerit.

Siſari radix calfacit ſecundo ordine, habétque amaroris & adſtrictionis quidpiam. G

Siſymbrium tenuium partium, digerētis, calfacientis, & ſiccantis in tertio ordine facultatis eſt. eius ſemen eſt partium tenuium, & calidæ facultatis.

Siſymbrium (quod cardamine etiam vocant) quum aridum eſt, tertii ordinis eſt calfacientium & ſiccantium: quum viride, ſecundi.

Scandix ſubacre & ſubamarum eſt, & ſecundi ordinis intenſi eſt calfacientium & ſiccantium.

Scilla valdè incidentis eſt facultatis, & ſecundo ordine calfacit. H

Scolymi, *hoc eſt cardui*, radix calida eſt in ſecundo ordine iam completo, aut initio tertii, ſicca verò in ſecundo.

Scordium habet quid amaroris, acerbitatíſque & acri-

moniæ, ideóque viſcera expurgat & excalfacit.

A Scordion, *hoc eſt allium*, calefacit & exiccat in quarto exceſſu. Quod verò ophioſcorodō dicitur, agreſte allium eſt, ac domeſtico valentius.

Scordopraſum verò ſicut guſtu & odore miſtam ex ſcorodo & praſo, *hoc eſt ex allio & porro* qualitatem obtinet ita etiam viribus.

Scorpioides calfacit in tertio ordine, ſiccat in ſecūdo.

Smilax pernicioſæ facultatis eſt planta.

Smyrna, *hoc eſt myrrha*, ſecundi gradus eſt calfacientium & ſiccantium. Eſt etiam non exiguæ amaritiei particeps, eique abſtergendi vis ineſt.

B Myrrha verò Bœotica vim habet calfaciendi, molliendi & diffundendi.

Smyrnium calidum ſiccúmque eſt in tertio ordine.

Sonchus ex aquea & terreſtri eſſentia, vtraque leniter frigida cōſtat: eſt etiam cuiuſdam particeps adſtrictionis, & euidenter refrigerat. Quum verò planè exaruerit, eius temperatura terreſtris redditur cum mediocri calore coniuncto.

Sparganium exiccantis facultatis eſt.

C Sparti, *hoc eſt geniſtæ*, quo etiā vites alligāt, tum fructus, tum virgarū ſuccus, non inſtrenuè attrahētis facultatis eſt.

Stachys frutex marrubio ſimilis, acer eſt & amarus, tertióque ordini calfacientium attribuitur.

Stœbes fructus & folia adſtringentē ſine morſu vim habent: in ſiccando verò tertii quodamodo ordinis principium attingit.

Stœchadis amara qualitas eſt, & modicè ſubadſtringens. Temperatura verò compoſita ex frigida terrena eſſentia exigua, vnde adſtringit & extenuat: altera terrena copioſiore, ex qua amara eſt. Ex vtriuſque congreſſu tollit obſtructionem, attenuat, exterget, & roborat.

D Stratiotes aquatilis humidus & frigidus eſt: terreſtris verò nonnihil adſtrictionis habet.

Struthii radix acris guſtu eſt, ex quarto quodammodo ordine, atque etiam abſterget.

Styrax calfacit, ſiccat, mollit, concoquit. fuligo eius combuſti eſt thuris fuligini quodammo ſimilis.

Syca, *id eſt ficus arida*, vim habent excalfaciendi in ſecundo fere ordine iam completo: habent etiā quid partium tenuitatis. Ex caricis quæ pinguiores ſunt magis concoquere poſſunt: quæ acriores, magis abſtergere & digerere. quod verò ex iis plurimū in aqua coctis conficitur, ſimile eſt melli non ſolùm conſiſtentia, ſed etiam facultate. Caprifici autem ficus acris & digerentis ſunt facultatis: ſic quoque domeſticarum plantarum primæ ficus.

E Syce, *hoc eſt ficus*, arbor, tēperaturæ eſt calidæ, & tenuiū partiū, vt & eius liquor, & ſucc⁹ qui ex foliis exprimitur, atteſtantur. Agreſtis verò fici liquor & ſuccus, valentior eſt. Coliculi verò eius adeò ſunt calidi ac tenuiū partium, vt carnibus bubulis duris adiecti teneras eas faciant.

F Symphytum petræum habet ſecandi vim quampiā, habétque etiam quāpiam contrahendi: & tertio præterea loco humiditatē quādam non immodicè calidam, ex qua dulce videtur, & odoratu iucundum. Commanſum verò ſitim extinguit. Poteſt ergo digerere & cōtrahere & cōſtringere. Symphytum verò alterum magnū ſimilem prædicto vim habet: guſtātibus tamen non dulce eſt nec odoratū. Quatenus verò lentum eſt, & pruritū excicat, ſcillæ eſt ſimile. vtuntur eo ad omnia ad quæ ſuperiore.

Sphondylii fructus & radix, acris incidentiſque facultatis eſt.

G Schinos, *id eſt lentiſcus*, ex aquea ſubſtātia leniter calida, & terrena frigida non multa compoſitus eſt, ob quam etiam modicè adſtringit. Siccat igitur in tertio ordine iam completo. in differentia verò caloris & frigoris eſt quodammodo medius. Similem porrò habet adſtrictionē in omnibus eius partibus, in radicibus, in ramis, in extremis turionibus, in germinibus, in foliis, in fructu, & cortice denique. ſuccus verò qui ex foliis exprimitur, ſimilis quodāmodo tēperaturæ eſt, vt modicè adſtringat.

H Schinu anthos calfacit moderatè, & adſtringit moderatius, nec planè à tenuitatis abeſt natura. Eo magis adſtringit radix. Quem verò florem vocant, calidior eſt.

Schœnos leia, *id eſt iuncus leuis*, huius quædam oxyſchœnos; quædā holoſchœnos. fructus autem holoſchœni ſomnum inducit: oxyſchœni verò fructum ferentis ſomnum ipſe quoque, ſed minus affert. cōſtant autem ex terrena ſubſtantia leniter frigida, & aquea leniter calida.

T

Terebinthini cortex, folia, & fructus, quiddam habent adſtringentis: ſed & ſecundo ordine calfaciunt, ex quo iam planum eſt, ea ſiccare: recentia verò hæc, humidáque adhuc modicè: ſiccata verò, ſecundo ordine. fructus verò ſiccus eſt, vt propè ad tertium ordinem ſiccantium accedat.

Teutlon, *hoc eſt beta*, nitroſæ cuiuſdam facultatis eſt particeps, qua abſterget & digerit. adhæc tamen valētior eſt beta alba: nam nigræ adſtrictionis quippiam accedit, idque potius in radice eſt.

Teucrium incidendi, tenuiúmque partium facultatis eſt, ponátque ipſum quiſpiam in ſecundo ordine calfacientium, & tertio exiccantium. Tephra, cinis habet in ſe partim terrenum partim velut fuliginoſum. hæque partes tenues ſunt, & maceratis aqua cineribus & colo traiectis ſimul abeūt. quod verò reſtat, terrenum & infirmum, & morſu vacans efficitur, calida vi in lixiuio depoſita. Non omnis tamen cinis eiuſdem exquiſitè temperaturæ cenſetur, ſed pro materiæ cōbuſtæ differentia variatur. Ergo ex lignis acerbis cinis non parum contrahit adſtrictionis: ex iis verò qui talia non ſunt, vt ex ficulnis, cinis abſtergentis facultatis efficitur.

Titanos, *hoc eſt calx*, eſt etiam cineris ſpecies quædā, quæ tenuiorum partium eſt quàm qui ex lignis conficitur. calx lota medicamentū ſiccās ſine morſu, facit: magiſq; ſi bis terve lauetur. fit autem valde digerens, ſi marina abluatur.

Telephium abſtergentis eſt facultatis, calidæque in primo ordine, ſiccæ verò in ſecundo intenſo.

Telis, *hoc eſt fœnumgræcum*, calfacit ſecundo ordine, & primo exiccat.

Tithymali omnes acrem qualitatem vincentem habent, ſuntque ex quarto calfacientiū ordine. Ineſt eiſdem amarities, eorum verò liquor eſt validiſſimus: deinde fructus & folia. ſed & radix earundem facultatum eſt particeps, non tamen æquè. Quúmque ſeptemnumero ſint, validiſſimus omnium eſt qui caracias dicitur, & qui myrſinites, & qui in petris arboris inſtar naſcitur: deinde is qui verbaſco eſt ſimilis, & cypariſſias, tum qui paralios: poſt eos qui helioſcopius nominatur. prædictæ verò horū facultatis proportioni cineris ac lixiuii ab eis confecti facultas reſpondebit.

Tragacantha ſimilem gummi vim habet emplaſticam quandam, & quæ acrimoniam obtundit, atque etiam æquè ac illud exiccat.

Tragii folia, fructus & lacryma trahentis digerentiſque facultatis ſunt: ac tenuium partium & calidum tragium eſt in tertio quodammodo ordine: alterum verò quod eſt minus non parū habet facultatis adſtringentis.

Tribulus ex ſubſtātia humida modicè, eáque frigida conſtat. in terreſtri verò excellit terreſtre frigidum, quod adſtringens eſſe cōprobauimus. in aquatili verò, aqueum: cæterùm terreſtris fructus tenuium eſt partium.

Tripolii radix acris calidáque in tertio exceſſu eſt.

Trifolium aut aſphaltion in calfaciendo & exiccando tertii eſt ordinis.

Trichomanes eadem poteſt omnia quæ adiantum.

Trychnon, *hoc eſt ſolanum*, eſculentū adſtringit ac refrigerat in ſecundo exceſſu. Ex cæteris quæ veſca non ſunt, vnū halicacabū nominatur, quod rufum habet fructū, acino vuæ tū figura tū magnitudine ſimilē: idque in facultate foliorū eſt hortenſi perſimile, fructum ferens qui ad ciendam vrinam valet. Alterū verò fruticoſum & ſoporiferū, ſimile eſt papaueris liquori, ſed imbecillius. Tertium præterea eſt furioſū, quod ad medicinas quæ intra corp⁹ ſumuntur eſt inutile: nam ſiquis drachmas eius quatuor ſumat, mortem afferent: ſi pauciores, furorem. Vnā certè innoxiè ſumitur, & tamen nec ipſa vtilitatis quidpiam obtiner. radicis cortex foris admotus ſiccat ſecūdo ordine completo, & incipiente ſecundo refrigerat.

Y

Hyacinthi radix in primo ſiccantium, in ſecundo iam completo refrigerantium ordine conſtituetur. Fructus leniter extergit & adſtringit, tertio ordine deſiccans, & in medio caloris & frigoris poſitus.

Hydna, *hoc eſt tubera*, vincentem habent terrenã eſſentiam, exigua quadã tenuium partium adiuncta portione.

Hydropiper calidum eſt illud quidẽ, ſed non æquè vt piper: itémque digerit.

Hyoſcyamus, *hoc eſt altercum*, qui nigrum ſemen fert, inſaniam ſoporémque affert. Proximam ei facultatem obtinet is qui ſemẽ modicè flauum gerit. vterque autem vitandus eſt, vt inutilis & pernicioſus. Cæterum cuius ſemen & flos candidus eſt, qui ex tertio eſt ordine refrigerantium, ad medicinam eſt maximè accommodatus.

Hypericon calfacit & ſiccat, eſtque eſſentiæ tenuium partium.

Hipecoon ex tertio eſt refrigerantiũ ordine, vt à pauere parum abſit.

Hippogloſſum & radicem & ſuccum mollientis facultatis habet.

Hyſſopum calfacit, ſiccátque in tertio ordine: eſt item tenuium partium.

Φ

Phaci, *hoc eſt lentes*, non valẽter adſtringunt, medium verò caliditatis & frigiditatis tenent, atque etiam in ſecundo ordine ſiccant.

Lens verò paluſtris humidæ frigidǽque temperaturæ ex ſecundo gradu eſt.

Phalaridis ſuccus & ſemen & folia, aliquid tenuium partium & calidi poſſident.

Phalangites facultatem habet tenuium partium, & ſiccantem.

Phlomi, *hoc eſt verbaſci*, cuius alba, & cuius nigra ſunt folia, radix acerba eſt, folia verò digerunt. Sic & aliorum folia ſiccandi & modicè extergendi vim habent.

Phœnix, *hoc eſt palma*, arbor in omnibus eius partibus adſtringentis facultatis eſt particeps. Ac ramorum quidem ſuccus auſterus eſt, ex aquea eſſentia tepida, & terreſtri frigida compoſitus. Similis quoque naturæ eſt medulla, quam cerebri nomine appellant. eius fructus ac præcipuè dulcis, non exiguæ caliditatis particeps eſt, iſque foris admotus roborat, ſiccat, contrahit, ſtipat & denſat. Quod verò elaten vocat, hoc eſt tenerũ palmæ germen, eandem vim habet quam cerebrũ. quod denique velut proprium eius eſt tegmen, adſtringentem ipſum quoque facultatem obtinet: cæterùm magis quàm omnia antedicta exiccat. Eſt etiamnum plantæ radix ſiccantis ſine morſu facultatis, eique aliquid adſtrictionis ineſt.

Phorbium vim habet tenuium partium, trahentem atque extergentem.

Phu radix vires habet nardo ſimiles, ſed in pleriſque inferior eſt. Vrinas autem ciet magis quàm Indica aut Syriaca nardus, æquè verò ac Gallica.

Phycos, *id eſt alga*, humens adhuc alga & viridis, in ſecundo ordine ſiccat & refrigerat: aliquid etiam modicè adſtringentis obtinet.

Phyllitis acerbæ qualitatis eſt.

Phyllon, *hoc eſt folium*, malabathri iure prætermiſit: ait enim ipſum vim nardo ſimilem obtinere, qua de iam prius eſt dictum.

X

Chalbane, *id eſt galbanum*, mollientis digerentiſque facultatis eſt. In calfaciendo fuerit ſanè ex tertio ordine incipiente: in ſiccando verò in principio ſecundi ſtatuatur.

Chamædrys amaram qualitatem cæteras ſuperantem habet. Eſt & quodammodo acris, inciditque, & obſtructiones pellit. ponat eam quis in tertio ſiccantium & cafaciẽtium ordine: magis tamen calfacit quàm ſiccat. Chamæciſſi flos quum valde amarus ſit, obſtructione iecur liberat.

Chamælea amaram qualitatem cæteris excellentem habet.

Chamæleuces calida facultas in tertio ferme ordine A eſt, ſicca verò in primo.

Chamæleontis radix, nigri quidem lethale quiddam poſſidet, quamobrem ea foris vtimur. eſt enim ſicca in tertio iam gradu fermè, calfacit verò in ſecundo completo. Albi verò radix valet etiam ad partes internas, eandémque temperaturam quam niger habet, niſi quòd hæc eſt magis amara quàm illa ſit.

Chamæmelum partium tenuitate eſt roſæ ſimile, calore verò ad olei vires animanti familiares & temperatas magis accedit: proinde laſſitudini, ſiquid aliud, in pri- B mis confert, doloréſque mitigat, & tenſa remittit, & laxat, modicè dura emollit, conſtipata rarefacit, & febres quæ citra viſceris alicuius inflammationem mortales vexant, diſcutit, ac præſertim quæ ex humoribus bilioſis, aut cutis denſitate exoriuntur. Has ergo febres ſanare chamæmelum poteſt, eáſque quum iam concoctæ fuerint. Et tamen cæteris omnibus egregiè prodeſt quæ melancholicæ ſunt, aut pituitoſæ, & ex inflãmatione viſceris exortæ: nam & harum remedium præſtantiſſimum eſt, quum iam concoctis adhibetur: ideo fit vt hypochondriis, ſiquid a- C liud, pergratum ſit. Sed & lini ſemen viſceribus quæ in hypochondriis ſunt, gratũ eſt, ſed tamen minus quàm chamæmelum: ſiquidem & minus eſt calidum, & eſt etiam partium craſſarum. attamen in aſcenſu atque incrementis inflammationis, & præſertim earum quæ in externis ſunt partibus, roſaceum chamæmelo præſtat, quippe quum tepida caliditate & leui adſtrictione eiuſmodi indigeant.

Chamæpitys amarũ ſaporem habet acri validiorẽ: quamobrem expurgat, abſtergétque viſcera magis quàm calfaciat. Præterea ſiccat in tertio, calfacit in ſecundo.

D Chamæſyce abſtergentem acrémque vim poſſidet.

Chelidonium validè abſtergentis & calidæ facultatis eſt ordine tertio, ſimilitérque ſiccantis. Minus verò chelidonium quum acrius maiore ſit, cutim ſtatim exulcerat: itaque quarto iam ordini incipienti calfacientium aſſignabitur.

Chondrila, hanc etiam ſerin quidam nominant. eſt enim eiuſdem fere cum illa facultatis, niſi quòd guſtu amariuſcula eſt, quam etiam ob rem magis ſiccat.

Chõdrus, *id eſt alica*, emplaſticæ, concoquẽtiſque natu- E ræ eſt, æquè ac triticum: éſtque ceu materia quædã ad vehementiora medicamenta excipienda accommodata.

Chryſocomes aut chryſitidis radix acrem ſimulatque adſtringentem qualitates vincentes habet, quamobrem non eſt ad multas res vtilis.

Ψ

Pſyllii ſemen ſecundi ordinis eſt refrigerantium. inter ſiccantia & humectantia medium tenet locum.

Pſeudodictamnum iure pertranſiuit, quoniam di- F ctamni vim obtinet, de quo iam diſſuerimus.

Ω

Ocimum ex ſecundo ordine calfacientiũ eſt. ei quoque excrementia humiditas ineſt, quocirca nec etiam cõmodum eſt, vt intra corpus aſſumatur. extrinſecus verò illitum, ad digerendum & concoquendum valet.

Ocimoides. huius ſemen tenuium partiũ, & ſiccantem ſine morſu facultatem habet.

De terræ differentiis, & facultatibus.

TErra omnis ſiccandi vim habet: quumque nulla pe- G nitus ignea ſubſtãtia eidem ſit admiſta, tum citra vllum omnino morſum ſiccat, ad quam etiam rem ei adiumento eſt lotio.

Samia refrigerandi modicè vim habet: abſtergendi verò valde moderatè, Selinuſia, & Chia, itémque ſine calfactione & refrigeratione inſigni.

Cimolia quum miſtæ facultatis ſit, & refrigerans habet quippiã, & nonnihil etiam digerẽs, quocirca lota hoc abiicit: non ſota verò vtriſque his facultatibus agit. Vtran- H que verò facultatem facilè indicat, quum illi humores naturæ contrariæ miſcentur: nam repercutientibus ac refrigerantibus miſta, lutum quod ex ea atque illis fit, repercutit ac refrigerat: ſi digerentibus miſceatur, digerit.

Ampelitis terra magis medicata eſt, ſiccátque, & digerit. Non eſt autem ita morſus expers, nec ita mitigandi

vim habet, vt Samia, Chia, & Selinuſia. At Cimolia, quæ his eſt paulo valentior, eſt etiam morſus expers, ac præſertim elota.

Cretica verò eſt his quodammodo ſimilis, verùm ſatis imbecilla, multúmque habet aëriæ ſubſtantiæ. abſtergendi tamen ei vis ineſt.

Lemnia valentiſſimas harum omnium vires habet, éſtque adſtrictionis particeps.

Eretrienſis hac etiam valentior eſt, non tamen vſqueadeo vt mordeat. Si lauetur, valde moderata efficitur, non ſecus quàm ſupradictæ. Sunt qui eam comburunt, & tenuiorum partium faciunt, vt & ad vim digerendi tranſeat. ſi vſta lauetur, acrimoniam in aqua deponet. ſubtilitatem verò quam ex vſtione acquiſiuit, retinet, magíſque deſiccat.

Eſt alia quoque terra quæ pnigitis vocatur, tota quidem facultate Cimoliæ ſimilis, ſed colore nigra, qualis eſt ampelitis.

Alia quoque terra ex Armenia, quæ Cappadociæ finitima eſt, affertur, maximè ſiccãs, colore pallido, facilliméque in læuorem ſoluitur, vt calx. Vocatur autẽ eorum lingua, Zarina: in Syria verò Zarnacha nominatur. Mons in quo prouenit, eſt ciuitatis quæ Bagauona appellatur: ager verò in quo eſt mons, Agarra dicitur. Cæterùm terram ipſam expertem miſtionis ſubſtantiæ quæ ſit alterius generis, vim habere citra morſum exiccandi cenſendum eſt. Sed quum nullum corpus miſtionis exquiſitè expers reperire non queas, inſpiciẽda commiſtio eſt eorum quæ illi accidunt, ídque & in leuitatis & in grauitatis differentiis, & iis quas guſtus affert: nam ſiqua adſtrictio appareat, tantum aſſumpſit frigiditatis quãtum habet aſtrictionis: ſin etiam acrimonia quædam appareat, tantum conſequitur caloris quantum ei ineſt acrimoniæ. In leuitate & grauitate idem conſiderandum eſt, quum leuitas indè oriatur, quòd in tota eius temperatura copioſa ſit aëria ſubſtantia: grauitas verò quò maior ſit, eò etiam magis ſincera terra habeatur. terræ autem proprium eſt, vt igni admota non fundatur, & vt aqua irrigata in lutũ facilè ſoluatur.

De lapidibus.

Lapis hæmatites tantum frigiditatis quantum etiam adſtrictionis poſſidet.

Melitites verò calorem temperatum habet, propter dulcedinem temperatam.

Galactites mediam inter hos vtroſque temperiem obtinet.

Schiſtos verò hæmatiti perſimilem vim habet, ſed imbecilliorem. Porrò quum lapidibus omnibus commune ſit vt exiccẽt, quotquot ex eis in ſuccum ſoluti nullam euidentem qualitatem guſtui afferunt, hos eſſe infirmiſſimos, & minimè mordaces putandum eſt: at qui perſpicuã guſtui qualitatem offerunt, hos pro qualitatis proportione vim habere: vt ſi adſtringant, ad comprimendum, conſtringendũ, condenſandum, & contrahendũ: ſi mordeant, ad calfaciendum, ad digerendum, & ad liquandum valeant: medii verò ſint qui citra morſum & adſtrictionem ſolùm abſtergeant. Ergo hæmatites, ſchiſtos, galactites, & melitites, in ſuccum ſoluũtur, ad mortarium aut, cotem attriti: quum ſint etiam alii lapides qui in ſuccum ſoluantur, vt qui in Ægypto naſcitur, quo vtuntur ad ſplendorem linteis indendum. Eſt autem minimè omnium prædictorum qualitatis particeps, neque adſtrictionem, neque morſum, neque abſterſionem vllam oſtendit: idcirco id ſolum huic lapidi ineſt vt exiccet.

Omnium autem prædictorum lapidum valentiſſimam vim habet qui ex Æthiopia affertur, quodammodo ſubuiridis iaſpis. Soluitur hic lapis in ſuccũ lactei coloris, mordaci tamen guſtu eſt.

Eſt & alius lapis, cuius valentes vires ſunt, qui in Palæſtina Syriæ naſcitur, & Iudaicus appellatur.

Pyrites quoque ex iis eſt qui valentem vim habent. ad ſummam verò acres accommodati ſunt ad abſtergendum, detergendum, detrahendum, extenuandum, digerendum, vehementer ſiccandum, & colliquandum.

Huius facultatis habetur etiã Phrygius: nam valẽter ſiccat, habétque nonnihil adſtrictionis & mordicationis.

A Ageratus quoque lapis ex miſta facultate abſtergente & digerente conſtat.

Aſiæ petræ flos tenuium eſt partium, vt fluidas carnes ſine morſu eliquet. petra verò in qua naſcitur, quanuis illi ſimilem vim habeat, actionis tamen vehementia illi cedit. flos enim eſt petra multo potior, non ſolùm quòd magis colliquet & digerat, & velut ſale condiat, ſed etiam quòd hæc abſque vehemẽti morſu faciat. Præterea hic Aſiæ petræ flos neſcio quid ſalſi habet in guſtu, vt poſſim⁹ facere cõiecturã, ipſum naſci ex rore quodã ex mari
B in petra reſidenti, qui poſtea ſolis radiis tactus inareſcat.

In lapidibus continetur etiam Magnes, quem herculeum vocant, habétque vim hæmatitæ ſimilem.

At Arabius quem vocant, elephanti ſimilis, ſiccandi & abſtergendi vi præditus eſt.

Itémque is qui Alabaſtrites appellatur, vſtus in medicinæ vſum venit.

Smiris quoque valenter abſtergendi vim habet.

Pumex etiam inter lapides numeratur, éſtque eiuſdem facultatis, quatenus ad abſtergẽdum pertinet, quemadmodum etiam teſta figulina, & multò magis clibano-
C rum. Sed ſmiris habet etiam aliquid acrimoniæ, ideò fit vt nonnulli eundem medicamentis addant quæ adurendi & exicandi vi præſtant. Sed ſi pumex comburatur, nulla re erit ad eoſdem vſus ſmiri inferior.

Lapides quoque in ſpongiis reperti frangendi vim obtinent, non tamen ita validam vt ii qui ex Cappadocia conuehuntur, quos in Argæo naſci perhibent. Soluuntur hi in ſuccum lactei coloris, ex quo perſpicuum eſt, eos extenuandi vim habere, nec inſigniter calefacere.

Oſtracitem verò lapidem laudari à quibuſdam au-
D dio, quaſi deſiccandi valenter facultatem habeat, ex adſtrictione & acrimonia temperatã: vt etiam eum qui Geodes vocatur, abſtergere.

Naxiæ verò cotis ramentum, refrigerantis eſt facultatis.

Ophites lapis abſtergendi & frangendi vim habet, ceu etiam vitrum. ipſum enim ex vino albo & tenui epotum, lapides qui in veſica ſunt valenter conſtringit.

Proprietatem verò quibuſdam lapidibus nonnulli
E ineſſe atteſtantur: qualem reuera viridis iaſpis habet, qui ſtomachum & os ventriculi ſuo adhæſu iuuat. Huius etiam lapidis ego quoque periculum abundè feci: torquem enim ex huiuſmodi lapillis confeci, & collo ſuſpendi, ita vt lapides ventriculi os attingerẽt. perſpicuè nanque prodeſſe videbantur.

Ophitem verò lapidem vir quidam, cui adhiberi fides poteſt, reuera aſſeuerauit, appoſitum iuuare eos qui à ſerpentibus icti fuiſſent.

De metallicis.

A

F Ales, ſales ſiue foſſiles ſint, ſiue ex mari oriantur, ſimilem facultatem obtinent: eáque ex duabus qualitatibus abſtergente & adſtringente miſta eſt. Vtrunque verò ſiccare, ſupra fuit perſpicuè declaratum. Differunt autem, quòd ſales qui ex terra fodiuntur, ſunt denſioris eſſentiæ: ex quo fit vt craſſiorum ſint partium, magíſque adſtringant. Sales verò vſti magis digerunt quàm ignem non experti, quatenus eorum corpus tenuiorum partium eſt redditum: non tamen æquè ac non vſti, contrahere denſaréque
G etiam firmam ſubſtantiam poſſunt.

Armeniacũ vim habet abſtergentem, adiuncta leui acrimonia, & adſtrictione leuiſſima.

Arſenicum tam combuſtum quàm non cõbuſtum, adurentis facultatis eſt. Id verò vſtione reddi tenuiorum partium planè conſtat.

Aphronitrum à ſpuma nitri differt: nitri enim ſpuma exiccans medicamentum eſt, aſpectu triticeæ farinæ ſimilis: aphronitrũ verò farinæ ſpeciem non habet, neque ſolutum eſt, ſed eſt concretum & coactum, quo omnes
H qui in balneis ſordes detergũt, vtũtur: habétque abſtergendi ac digerendi facultatem. At ſpuma nitri eiuſdem quidem eſt naturæ, ſed tamen eſſentiæ tenuioris eſt: nitrum verò mediã habet vim inter aphronitrũ & ſalẽ. aphronitro enim ſola abſtergẽdi vis ineſt: ſali verò etiã adſtringẽ-

di. Nitro inſunt vtræque,ſed minima adſtringens,multo verò maior abſtergens.

Γ

Gypſum,præter communem omnium terrenorum lapidoſorúmque corporum facultatem, per quam ſiccare dicta ſunt,hoc etiam eſt cõſequutum vt ſit emplaſticæ facultatis. At combuſtum non æquè eſt emplaſticum: cæterùm tenuiorum partium,& magis ſiccans redditur: quinetiam repercutiendi vim habet, & præſertim oxycrato maceratum.

Δ

Diphryges ex miſta qualitate & facultate conſtat:habet enim in ſe quiddam adſtringens,& acre mediocriter.

Θ

Theion *id eſt ſulphur* omne trahendi vim habet. Temperatura calidum,eſſentiæ verò tenuis eſt.

I

Ios,*id eſt ærugo*,guſtantibus acrẽ qualitatem offert. Digerens verò & detrahens eſt,& liquans non teneram modò,ſed duram etiam carnem.

K

Cadmia ſiccãtis & leuiter abſtergentis facultatis eſt. in caliditatis autem & frigiditatis differentia eſt quodãmodo temperata. Tenuior autem eſt quæ botryitis,craſſior verò quæ Placitis appellatur.

Cinnabaris acris modicè facultatis eſt. habet verò etiam quidpiam adſtrictionis.

Ciſſeris pumex quid habet abſtergẽs.ſi comburatur, enuiorum fit partium:ſed vrendo parum acrimoniæ contrahit,eámque lauando deponit.

Cæruleus acris eſt facultatis,detrahẽtíſque,ac digerentis potioris quàm cinnabaris.eſt etiam adſtrictionis particeps.

Λ

Lepis, *id eſt ſquama* quædam ferri eſt, quædã æris, & ſtomomatis: quidam etiam helitim ſquamam nominant. Omnes autẽ valenter ſiccant:ſed differunt inter ſe, & quod magis minúsve ſiccent, & quòd tenuioris aut craſſioris ſint eſſentiæ,& denique quòd maioris minoríſve adſtrictionis ſint participes. Æris ergo ſquama in ſiccando primas tenet.conſtat enim ex partibus ſubtilioribus, vtpote quæ nonnihil æruginis aſſumpſit. Maiorem verò adſtrictionem ſquama ferri obtinet: maiorémque quàm hæc, ſquama ſtomomatis. Detrahit autem & liquat carnem magis quàm ſquama æris: & hac etiam valentius helitis. Omnes autem ſquamæ non inſtrenuè ſunt mordaces:éſtque perſpicuum, ipſarum conſiſtentiæ ſubſtantiam non tenuium, ſed craſſarum potius eſſe partium.nam inter ea quæ eandem vim habẽt,id quod partium tenuiorum eſt, minus eſt mordax.

Lithargyrus deſiccat,vt cætera metallica omnia:ſed hoc efficit moderatiſſimé. In cæteris verò qualitatibus ac facultatibus quodammodo in medio eſt,neque manifeſtò calfaciens,neque refrigerans. Modicæ quoque abſterſionis & adſtrictonis eſt particeps, quamobrem medii ordinis in metallicis iure nominatur. Proinde vſus eius eſt frequens ceumateriæ,vt miſceamus iis quæ valentem vim aut mordentẽ, aut adſtringentem,aut tale quippiam facientem habent.

Litrũ id eſt nitrum, ſiccat & digerit: ſique intra corpus aſſumatur, craſſos humores magis quàm aphronitrum incidit atque attenuat. Aphronitrum verò, niſi magna vrgeat neceſſitas,deglutiẽdum non eſt, nimirum ſtomacho infenſum:ſiquidem plus etiam quàm nitrum incîdit.

M

Melanteria eſt de numero medicamentorum valde adſtringentium, vt etiam omnia propemodum adſtringentia tenuitate partium exuperet.

Melan, id eſt atramentum ſcriptoriũ, deſiccat ipſum quoque mirum in modum.

Miſy,ſory,& calcitis,ſunt facultatis eiuſdem generis, differúntque partium tenuitate & craſſitudine. Omnium eorum craſſiſſimum eſt ſory, tenuiſſimum miſy:mediam inter ea vim chalcitis tenet. Adurunt hæc tria omnia, & cruſtas inducunt:& quanquam vrunt,tamẽ etiam adſtringunt. Cæterùm miſy nudis corporibus admotum minus quàm chalcitis mordet, quanuis non ſit chalcitide minus calidum. Sed hoc ex tenuitate ſuæ ſubſtantiæ eidem ineſt.

Molybdæna vim habet lithargyro perſimilẽ, à media tamen temperatura paulùm quid ad frigidius vergẽs. ſed nec abſtergentis facultatis eſt.

Molybdos, *id eſt plumbũ* vim habet adſtringentem & refrigerantem,eique ineſt non ſolùm humida eſſentia copioſa à frigore concreta,ſed aëria quoque,& pauca terrea. humidæ igitur eſſentiæ plurimum in eo eſſe,id ſigno eſt. Plumbum autem ſolum omnium eorum quæ nouimus, tum mole,tum pondere augetur,ſi in ædibus ſubterraneis condatur quæ aërem turbidum habeant, vt quæcunque illic ponãtur,ſitu celeriter impleantur. Vſtum verò plumbum vbi lotũ fuerit,facultatis refrigerantis eſt:antequam verò abluatur,miſtam vim habet.

O

Oſtracon,*id eſt teſta*,vim abſtergentem & exiccantem obtinet,præcipuè verò quæ caminorum eſt, eò quòd toſta fuerit.

Π

Pompholyx,ſi elota fuerit,medicamentum eſt propè omnium quæ citra moſum ſiccant, primum: vbi verò hæc ſuppetat, nemo eſt qui ſpodio vti velit, nedum antiſpodio.

Σ

Sandaracha facultatis adurentis eſt, quamobrem digerentibus & abſtergentibus eam meritò indunt.

Scoria omnis medicamentum eſt valenter ſiccans, præ cæteris verò ferri. Argenti verò recrementum propriè helcyſma vocant, ſiccantémque facultatem habet. Stimmi ad communem exiccandi facultatẽ habet etiam adſtrictionem.

Stypteria,*id eſt alumẽ*,vehementiſſimam adſtrictionem habet: quúmque craſſarum ſit partium, tenuiorum partium quàm alia erit id quod ſciſſile vocant,deinde rotũdum & aſtragalote. Liquidum verò eſt abundè craſſarum partium,itémque quod placiten, & quod plinthiten nominant.

T

Titanos,calx viua adeò vehementer vrit vt cruſtam excitet: extincta verò non protinus ipſa quoque cruſtam inducit,ſed poſt vnum aut duos dies: minus quoque vrit, & minus cruſtas excitat. At verò tẽporis progreſſu ne cruſtam quidem molitur omnino:calfacit tamen eliquátque carnes. Si lauetur, morſum in aqua deponit, efficítque id quod lixiuium vocãt. Cæterùm ipſa ſine morſu exiccat.ſi etiam bis térve & ſæpius elota fuerit,morſus fit planè expers,& egregiè citra morſum exiccat.

X

Chalcãthos,id eſt atramentũ ſutorium. Mirabile eſt in hoc medicamento, quomodo valentiſſimæ adſtrictioni non ignaua caliditas ſit admiſta. Planum ergo eſt,hoc maximè omnium condire,ſeruaréque carnes humidas poſſe: ſiquidem qualitate humiditatem abſumit; adſtrictione verò ſubſtantiam contrahit atque conſtipat.

Chalcitis miſtam habet adſtringentem acrémque facultatem: ſuperat verò acris,vt quæ adeò vehemens eſt vt carnem exurat, & cruſtam gignat. Hoc medicamentum vſtum minus quidem mordet,ſed non minus tamen exiccat:ſed & adſtrictionis non parum amittit. Proinde fit vt chalcitis vſta potior omnino ſit quàm ignẽ non experta:eſt enim tunc partium tenuiorum facta,nec aſſumpſit acrimoniam,vt alia permulta faciunt. Noſti præterea,omnia vſta, vbi lota fuerint, moderatiora, minúſque mordacia reddi.

Chalcos, æs combuſtum, habet quidpiam acrimoniæ,& adſtrictionis eſt particeps.

Chalcu anthos *id eſt flos æris*, tenuioris facultatis eſt quàm vſtum æs & ſquama.

Chryſocolla, & hoc medicamentum ex iis eſt quæ carnem liquant,non tamen valenter mordet. eſt autem abundè digerens & exiccans.

Ψ

Pſimmythium *id eſt ceruſſa* emplaſticum refrigeránſque medicamentum eſt.hæc aduſta in Sandyca, quem vocāt, tranſit,medicamentum ſe tenuius, nondum tamen calfaciens. Phycos autem ſeruata ceruſſæ frigiditate partium tenuitatem aſſumpſit, vt eius ope in altas partes corporū quibus admouetur,eius penetrare vis queat.

Pſoricū magis ſiccat,minúſque mordet quàm chalcitis,& nimirum etiam ex partibus tenuioribus conſtat.

Ex Galeno,de vtilitate quæ ſumitur ex animalibus, Cap. II.

LAc ſaluberrimum eſt quod neque amarum eſt,neque acidum,neque ſalſum, neque acre, neque fœtidum: ſed quod ſuaue eſt, & parum habet dulcedinis. tale verò ad acres & mordaces fluxiones eſt accommodatiſſimum, eas non ſolùm abluens, ſed corpora etiam illinens, ne in ea nuda cadat quod defluit. præterea lac omne ex tribus ſubſtantiis eſt compoſitum,caſei,ſeri,& pinguedinis.

Serum extergendi vim habet. exterget enim atque abluit citra morſum acrimonias.pars verò caſeoſa & craſſa quæ in lacte eſt,emplaſtri modo abhæret,& eo nomine acrimonias retundit.Totum verò lac (vt vno verbo complectar)medicamentū eſt leniens,cuius tota quidem ſubſtantia morſu vacat, ſed multo etiam magis vbi moderata coctione maior humiditatis ſeroſæ pars fuerit conſumpta.

Lactis tractationi caſeus annectendus eſt, quoniam lac concretum eſt:non tamen tota lactis ſubſtantia, in caſeum concreuit,ſed craſſa tantùm, tenui & ſeroſa excreta & ſeiuncta.mollis autem & recens caſeus vim habet repercutiendi,& leniter refrigerat:qui verò ex acido lacte conficitur, præter nunc allatam facultatem,leuem etiam digerendi vim obtinet.

Butyrum fit ex eo quod in lacte pinguiſſimum eſt, quemadmodum ſcriptum reliquit Dioſcorides, ex ouillo atque etiam caprillo lacte. concoquentis facultatis eſt, habétque leuem digerendi vim in iis corporibus quæ inter duritiem & mollitiem ſunt media.

Coagulum omne acris,attenuantis, digerentíſque facultatis eſt,& nimirum etiam exiccantis. hoc enim ex ſuperioribus conſequitur neceſſarió.

Fel,aut bilis,hunc ſuccum omnium ſuccorū qui ſunt in corpore,calidiſſimum eſſe oſtenſum eſt: itaque in calidiſſimis, neceſſe eſt fel cæterorum animalium felli antecellere:in iis verò quæ non ita ſunt calida,hunc etiam ſuccum in illis calidum eſſe proportione, vt quatenus in cæteris inferiora ſunt,eatenus in hoc itidem ſucco ſint inferiora. Quinetiam in animalibus quæ magis ſunt calida, flaua bilis apparet: quæ verò minus, pallida. ſeroſa enim humiditate flauæ bili admiſta, pallida fit. vbi autem calida animalia,aut fame, aut ſiti vexantur, ad colorem atrū vergit,interim æruginoſo colore,interim cæruleo, interim iſatidis,qui magis fuſcus eſt quàm braſſicæ color.igitur & tu fellis colori diligenter animum attendito,quum medicamentum quod fel accipiat conficies.Scito ergo,ſi præparando medicamento fel impenſè flauum iniicias, te illud calidius eſſe facturum:ſi pallidum,mediocriter calidum.Quorundam autem taurorum fel ipſe conſpexi cæruleum, flauo nimirum ſuperaſſato, quod in id medicamentum quod parabatur, iniici prohibui, ſed eius loco alterum mediocriter flauum accepi: ille enim taurus vinculis vi tractus ſupra modum fuerat defatigatus, & calidiorem temperaturam acquiſiuit. Volatilium verò animalium biles omnes acriores & ſicciores ſunt quàm quadrupedum: & inter ipſas quoque volucres gallinarum & perdicum biles ſunt vſui medicinæ accommodatiores: miluorum verò & aquilarum impendiò ſunt acres, atque etiam erodunt: ideóque æruginis colorem imitantur, ac nonnunquam atræ ſunt.His igitur earum differentiis perſpectis,itémque affectionibus quæ magis,quæque minus exiccatione indigent, cognitis, ſi vnam modò quam volueris re expertus fueris,inde ad alias via & ratione tranſire poteris, vt ſemper eam quæ affectioni conueniat accipias.

Sudor eius qualitatis eſt particeps quæ ſalſa & ſalſuginoſa nominatur:& ſæpe etiam in eo apparet amarities.

Vrina omnium animalium calida eſt, minus verò frigidiorum.Vrina hominis omnium propè aliarum eſt imbecillima,exceptis porcis domeſticis quibus execti ſunt teſtes.illorum enim totius corporis temperatura eſt hominis temperaturæ perſimilis,& æquè debilis vrina.Cæterùm vrina hominum, vt ſiquid aliud, extergendi vim habet:quod fullones præcipuè indicant qui ſordes veſtiū ea expurgant atque extergunt.

Saliua imbecillior eſt eorum qui comederunt atque biberunt:valida & acris eorum qui ingenti fame premuntur,aut ſiti enecti ſunt. Saliua autem tota ſui ſubſtātia aduerſiſſima eſt beſtiis hominem interficientibus.Vidi ego ſcorpionem in quem ſaliuam ſolam homo conſpuiſſet, occiſum fuiſſe: idque protinus à ſaliua eſurientium & ſitientium:tardè autem à ſaliua eorum qui potu paſtúque ſe expleuerant.

Stercus omne maximè digerentem habet vim. quoddam autem aſſiduo in vſu habetur, quoddam verò rariore.Frequentiſſimè verò caprillo vtimur: σπύραθον propriè nominant.Digerentis atque acris facultatis eſt,vſque adeo vt induratis tumoribus conueniat.Hoc autem combuſtū tenuiorum quidem partium,ſed non tamen acrius perſpicuè apparet.Eiuſdem autem tum combuſti tum non cōbuſti,vis eſt abſtergens,digerens: ac digerens quidem nō exigua.Generalis autem & communis facultas eadem omnibus ineſt:verùm pro animalium naturis variatur.quorum enim eſt temperatura ſiccior, eorum ſiccius ſtercus eſt,quemadmodum calidiorum calidius.Sed nullum eſt quod refrigeret,ſicut nullum etiā humectat: quin pro natura quoque eorum quibus animātes veſcuntur,multa in erit differentia:proinde in hominibus potius quàm cæteris animantibus,eſt etiam maior:quandoquidem ii diuerſiſſimis alimentis vtuntur.Quid enim ſimile habeant qui allium cæpáſque comedunt,& qui cucurbitam, ſi ita fors ferat? Stercus verò bubulum vnà cum exiccante,trahentē quoque facultatem obtinet. Crocodilorum verò & ſturnorum qui ſolam oryzam comederint,abſtergentem exiccantémque vim habent vtranque moderatam:& multo moderatiorem & hebetiorem ſtercus ſturnorum.

Sordes hominum ſiccantis facultatis eſt,habétque caliditatis aliquid:ſordes verò quæ lanis ouium inhæret,ex qua œſypum,vt vocant,conficiunt,vim habet concoquēdi butyro ſimilem:habet verò etiam parum facultatis digerentis.

Carnes viperarum digerentem & ſiccantem valenter vim habent,ſimúlque moderatè calfaciūt:properat enim earū vis,vt videtur,ad cutim,per eam videlicet euacuans excrementa quæ ſunt in corpore.Quibus ergo mali ſucci copioſè in corpore redundant,magnus pediculorum numerus exoritur,& à cute ſquama abſcedit,ac decidit extima cuticula, ad quā retinētur craſſi terreiq; humores, qui ad cutem protruduntur,à quibus ſcabies, lepræ, atque elephantiaſes exoriuntur.

Cochlearum caro contuſa prius in mortario, deinde læuigata,maximè exiccans fit omnium partium quæ humiditatem excrementitiam habent,atque adeò vt hydropibus etiam conueniat.

Adeps à pinguedine differt quòd ſit craſſior. Quamobrem animantib⁹ quorum tota natura magis terreſtris eſt, adeps prouenit: quemadmodum iis quorum eſt humidior,pinguedo.Proinde pinguedo igni admota celeriter liqueſcit:eliquata verò nō facilè cōcreſcit: adeps nō facilè liqueſcit,& fuſus celerrimè coit,multóque pinguedine durior videtur.Sus ergo bene habitus multam habet pinguedinē propter naturalem tēperaturæ humiditatē.Boues autem & capræ,& cætera huius generis cornigera,plurimū adipem ob ſiccitatem gignunt.Tu verò ſi vis, oleoſam & pinguem in animalibus ſubſtantiam omnem adipem appellato,vt plerique medici ſolēt.Simili quoque modo pinguedinem nominare tibi licebit. Cæterùm adeps ſuillus eſt omnium ferme aliorum humidiſſimus,ac proinde vicinā oleo vim actione ſua poſſidet:ſed oleo magis emollit & concoquit, ob eámque cauſam cataplaſmatis quæ

ad inflammationes valent,commiſcetur.qui vero mordicationes ſentiunt aut in recto inteſtino,aut in colo,iis potius caprinum adipem quàm ſuillum iniicimus, nõ quod acrimonias magis obtundat, ſed quòd caprillus ob craſſitiem celerius concreſcat. Porrò ob eſſentiæ tenuitatem nonnulla acrimonias magis obtundunt, vbi in alto mordicatorum corporum moleſtia inhæſerit. Quod enim tenuium partium eſt, tota corpora penetrat, & omni saniei ipſum mordicanti permiſcetur:hácque ratione adeps anſerinus quæ in imis corporum partibus mordicant,magis obtundit:eſt etiã ſuillo calidior. Inter hos medius eſt gallinaceorum, & gallinarum adeps: ac calidior ſemper ſicciórque eſt maſculorum animaliũ: & ex his ipſis,exectorum minus calidus eſt & ſiccus. mas enim caſtratus eiuſdẽ generis fœminæ ſemper eſt ſimilis. Omnis igitur pinguedinis facultas eſt,vt humana corpora humectet & calfaciat.ſingularum autem pinguedinũ differentiæ ex maiore & minore ſumuntur: ſuis enim pinguedo, vt ad nos referatur,humectare largius poteſt, ſed non æquè excalfacere:ſed talis eſt calor pinguedinis ſuis qualis ſpectatur in nobis. Taurinus adeps eſt ſuillo multo calidior & ſiccior. Vitulinus & calore & ſiccitate eſt taurino inferior, & hœdinus caprillo: ſed & caprinus hircino, & taurinus leonino:is enim adeps omnium propè quadrupedũ adipe maximè digerit. nam & calidiſſimus,& partium tenuiſſimarum eſt.omnis verò adeps vbi inueterarit, ſeipſo fit calidior, & tenuiorum partium, atque ita ad euocandum & digerendum eſt potior.

Medullæ facultas eſt,vt indurata & ſcirrhoſa corpora emolliat,ſiue muſculis,ſiue ligamentis, ſiue viſceribus id eueniat. optimã verò ſemper expertus ſum ceruinam, deinde vitulinam. taurina verò & hircina acrior, ſicciórque eſt: ex quo fit vt duritias ſcirrhoſas diſſoluere non queat.Non modò autem medulla ex oſſibus ſumitur, quæ reuera medulla eſt,ſed etiam ex ſpina,quam ſpinalem medullam vocant,quæ & ſiccior & ſqualidior eſt quàm reliqua: eſt enim illa mollior & pinguior. quamobrem ego ſpinalem ſeorſum per ſe abſque illa recondo.

Capitum mænularum vſtorum vis eſſe, videtur deſiccans, & non admodum acris: hoc enim alicui ex combuſtis conuenit, quemadmodum omnibus communis eſt exiccatio.

Cornu ceruinum & caprinum vſtum & elotum ſiccantis facultatis eſt.

Caſtorium exiccat,calfacit,& digerit:idque ei cum multis aliis medicamentis eſt commune. quoniam verò eſt abundè tenuium partium, idcirco eius vis maior eſt quàm cæterorum quæ æquè calfaciunt & exiccant. nam quæ tenuium partiũ ſunt medicamenta, efficaciora ſunt quàm quæ ſunt craſſarum, etiamſi parem vim ſint ſortita, propterea quod ingrediantur, & in imas admotorum corporum partes penetrent,ac potiſſimum vbi denſæ illæ fuerint, vt ſunt nerueæ. eſt igitur perſpicuum eas à caſtorio vel ob hanc cauſam magnopere iuuari.

Renes ſcincorum bibunt quidam,vt qui penem intendant.cuius rei contrarium efficere videtur lactucæ ſemen ex aqua potum.

Caprinæ vngulæ cinis attenuandi vim habet:aſininæ verò,ſtrumas digerendi,ſi oleo ſubigantur:ſi verò ſiccus fuerit inſperſus,ſanare perniones poteſt.

Oſſa combuſta valde digerentem atque exiccantem vim obtinent.

Senectam ſerpentis, ſi aceto ferbuerit, dentium curare dolorem quidam memoriæ prodiderunt.

Ouilla pellis recens detracta,& iis qui quoquo modo fuerint flagris cæſi iniecta,maximè omnium adiuuat, adeò vt vna die & nocte eoſdem curet.

Equorum lichenas ex aceto læuigatas, ad comitiales & ferarum morſus efficaces eſſe nonnulli literarum monimentis conſignarunt.

Telam aranearũ vlcera ſummæ cutis ab inflammatione tueri,ſunt qui ſcribant.

Veterum coriorum cinis,vlcera ambuſta,& quæ vocantur intertrigines,curat.

Buccinarum & purpurarum teſta combuſta vim exiccandi obtinet.

Oſtreorum teſta combuſta ſimilis facultatis eſt teſtæ buccinarum:ſed quæ ſit tenuiorum etiam partium,vel (vt dicam verius) minus craſſarum.habet etiam contrahendi vim quandam.

Sepiæ teſta abſterget & ſiccat non ſecus quàm aliæ teſtæ eorum quæ teſta conteguntur.Cæterùm in ea eſt tenuitas partium præ cæteris eximia.

Lanæ cõbuſtæ vim acrem calidámque habent,partium tenuitate adiuncta.

Pili vſti æquè ac lanæ combuſtæ,calfaciendi & exiccandi vim habent egregiam.

Ouorum album & tenue,eſt omni morſu vacãs, neque vnquam nos fruſtratur: vt lac in animalibus cruditatem perpetientibus, aut fame ſitique enectis, aut quæ cibis paſta ſunt prauis. Ouis autem vnicum ineſt malum, quod eis vetuſtas affert: quod facillimè quis vitabit ſi recẽtibus vtatur. Vſitatiſſimum verò eſt,ac facillimè nobis ſuppetit ouum gallinarum:idcirco nihil aliorum ouis indigentes,eo vtimur: quanuis eandem cum illo naturam habeant. temperatura verò eius eſt paulò frigidior quàm cõmoderata. Ipſe itidem vitellus ſimilis naturæ eſt: quãobrem ouis elixis aut aſſis morſus expertibus ceratis miſcetur.Eſt tamen perſpicuum leuem inde differentiam ouis accedere, vt paulò magis exiccent aſſa quàm elixa: & quantum huius facultatis naciſcuntur,tantum etiam eius amittunt,quæ ad mitigandum valet. refrigerat enim modicè ouum,& citra morſum exiccat.

Erinacei vtriuſque tam marini quàm terreni corpus totum combuſtum cinerem efficit, cuius facultas abſtergat,euocet,ac detrahat.

Cochlearum combuſtarum cinis egregiè ſiccantis facultatis eſt, quæ etiam ex combuſtione caloris quidpiam acquiſiuit. Cæterùm hæ non combuſtæ ſiccant etiam egregié.

Cancrorum fluuiatilium combuſtorum cinis æquè ac prædictus exiccat.

Gallinarum ſimplex ius retinendi vim habet,vt veterum gallorum aluum ſubducẽdi. coquendi autem ſunt cum ſale diutiſſimé.

Adarcion acerrimum calidiſſimúmque eſt,proinde ipſum per ſe inutile eſt. Commiſcetur autem iis quæ vim eius retundunt,atque ita magni vſus redditur ad eas affectiones quibus excalfactione opus eſt,foris admotum:nã intra corpus ob nimiarum virium vehementiam ſumi nullo modo poteſt.

Alcyonia extergunt omnia,atque digerunt,habéntque acrem qualitatem,& calidam facultatem:ſed non paulo maiorem vel minorem,& in his ipſis quæ diximus,pro totius eſſentiæ tenuitate.

Ex Xenocrare,quæ buccinæ & purpuræ emplaſtri modo iuuent, Cap. III.

Huius capitis principium deſideratur,medium imperfectum eſt,& finis non extat.

* * *

illitæ verò maculas quæ mulierum ora deturpant, detrahunt & detergunt. malagmatis verò modo impoſitæ, ad teſtium tumores tollendos,& tophos minuendos ſunt accòmodatiſſimæ: itémque ad eos in quibus iam humores ſunt, aut futuri ſunt, * & ad omne abſceſſus & tuberculi genus. Ergo ſi inungantur,ſcrotum contrahũt,abſceſſúſque ad diuiſionem apti,abſque euidenti ſenſu digerũtur. Sed efficacius eſt id quod habet hoc modo: Argenti ſpumæ drach.CVI.cineris buccinarum drach.XVII. olei veteris cyath. XXX. ceruſſæ drachmæ XX. reſinæ terebinthinæ drach.XIII.thuris drach. VIII.aquæ cyath.IIII.Argẽti ſpumam,ceruſſam,buccinas, & thus, ſingillatim læuigato in mortario,tum aqua & oleo affuſis diligenter omnia commiſceto & confricato, & in olla noua decoquito, continenter rudicula commiſcens,ne aduratur: vbi ſemiçocta hæc videbis,reſinam,deinde thus adiicito, & ad probam

conſiſtentiam,non tamen ad multam duritiem coques. poſtremo loco cinerem iniicies:vbi paululum ferbuerit, ollam ab igni auferes ,& medicamentum exceptum ad vſus ſeruato & recondito.Hoc præter omnium opinionē facit tum ad ſupradicta,tum vel maximè ad maligna vlcera,& depaſcētia ,& quæ ægrè ſaneſcūt. Eædem buccinæ ex melle ad parotidas faciunt,quæ etiam mammas obſideant,idémque præſtant ex aqua illitæ. valent etiam ad capitis vlcuſcula dēſa,rubra,paruis mammis ſimilia , quæ faui nominantur.magnæ quoque & duræ purpuræ idem quod buccinæ præſtant.

* * *

Si enim ſolo auxilio ſimplicium medicamentorum omnes affectiones, quæ præter naturam nobis accidunt, curare poſſemus, profectò compoſitis medicinis nunquā indiguiſſemus:nunc verò nō ita res eſt, ſed ſæpenumero ſimplex medicamentum ad nullam rem eſt vtile:ſique ex calfacere corpus velimus,nullū tale nobis ſimplex ſuppetet. Eſt autem vnus compoſitorum medicamentorum vſus,quum ex iis quæ ſunt eiuſdē generis vehemens molli cōmiſcemus, vbi nobis medium deſit: alius eſt ex miſtione eorum quæ ſunt generis diuerſi,quæ apta ratione conficitur. Raro enim affectionem inuenias quæ vel digerentia & repellentia ſolùm poſtulet:idcirco fit vt ſæpenumero, idque ſtatim inter initia, omnino verò paulò pòſt aliquid digerens commiſcere cogamur. ſi verò etiā vehemens dolor adſit,mitigantia indemus. Ac medicamēta quidem quæ ad vſus quamplurimos valent, ſuntque præſtantiſſima,contrarias facultates in ſe continent:at nō nulla ex ſimplicibus,ne ad vſum quidem perduci ſine alterius cuiuſpiam admiſtione poſſunt: veluti quum medicamētum parandum eſt quod agglutinandi vim habeat.

Cætera periere.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM

Liber viceſimus quartus:in quo habetur totius humani corporis diſſectio.

Iohanne Baptiſta Raſario Nouarienſi Medico interprete.

Ex Galeni commentariis,de cerebro, atque eius membranis, Cap. I.

A Cerebrum diligenter commodéque nudādum in primis eſt:quod vbi feceris,membranam duram iuxta mediam ipſius longitudinem multo craſſiorem videbis,atque ita ad aliquē locū vſq; deſcendentē, qua potiſſimum parte media caluariæ ſuturarum habetur:eodémque modo ſub ſutura labdoide B craſſam membranam duplici plexu firmatam ſimul & cerebrum aliquatenus ingredientem cōſpicies. Venæ quoque per ipſam vtrinque ſingulæ iuxta ſuturæ labdoidis latera excurrūt. Vbi verò hæ in idem inter ſe cōuenerint,is locus eſt fere altiſſimus eorum qui in orbem circumiacent:nec etiam æqualis ab eo tum anterior tum poſterior cerebri pars exiſtit,ſed anterior eſt multo maior. Verùm ad id quod habetur elatiſſimum , accedit etiā altera craſſæ membranæ cōduplicatio, vt aliarum partium omniū C quæ cerebrum in orbem comprehendunt, craſſitie quadrupla eſſe videatur :quinetiā tertia alia vena præter duas antedictas,per longitudinē porrigitur,in anteriora excurrens. Quid enim aliud quàm venam appellabis eiuſmodi vas quò ſanguinem contineri appareat? Videbis autem ipſas cauitates non habere venæ tunicam quæ ſimul per oſſa capitis aſcendat : ſed quumprimùm venæ caluariam attingunt,craſſam membranam ibidem duplicari, internámque regionem inſtar fiſtulæ ſinuatā in vaſis formam, D ſanguinem recipere,& qualem acceperit conſeruare. Vbi verò duæ venæ inuicem congrediuntur, eam regionem Herophilus ληνὸν, hoc eſt torcular, nominauit. ea porrò quam ipſe ſic vocat,magis profunda: altera verò venarū exiguarum torculari incumbentium congreſſio in ſuperficie eſt ſita: quæ prope craſſam membranam non ſecus eſt facta. Cæterùm hic proceſſus in ea parte oritur vbi ſutura labdoidus ſquamatis oſſibus connectitur. At tenuis membrana ſtabilit ſimul ac tegit cerebrum , & præterea E vaſa quæ in ipſo ſunt,ligat omnia. Eſt autem ſimilis ſecūdis fœtuum , & animalis meſaræo: ſiquidem vtrunque horum ex multis arteriis atque venis ſibiipſis propinquis, & membrana tenui intermedia ſpatia contexente factum eſt, ad eundémque modum membrana omnes cerebri arterias & venas connectit: eáque non modò cerebrum complectitur, verumetiam in profundum eius

A ſeſe inſinuat, ac in omnes partes peruadit , totúmque pertexit, ac quoquouerſus ſe ad internam vſque ventriculorum capacitatem extendit. Eſt etiam cerebri tegumentum craſſa membrana: aut potius non ſimpliciter tegumentum nominari debet,ſed quoddam veluti propugnaculum propulſandis caluariæ offenſionibus obiectū. at tenuis membrana innatum eius operimentum eſt:craſſa enim ab eo ſeiuncta eſt,tantū vaſculis excidentibus cohærēs. Itaque tenuis mēbrana prius,deinde verò dura,fuit B locata,quæ quanto oſſe eſt mollior, tāto eſt tenui durior: quanto verò tenuis eſt hac mollior,tanto cerebrum eſt tenui mollius. Quibus quidem fit rebus vt choroidus membrana innatum cerebri operimentum ſit,vt in animali corium. Huius præterea craſſa non eſt illa quidem innatum operimentum, ſed multis tamen locis adhæreſcit. Ipſius rurſus craſſæ integumentum eſt os extrinſecus circundatum,quod κράνιον appellant,quòd quaſi *κράνος,hoc eſt galea* quædam ſuperiaceat: ſed quum natura connatam cra- C nio membranam facere non poſſet,multa vincula ad eius ſecuritatem eſt machinata. Quænam inquā hæc ſunt vincula? ab ipſa mēbrana exoriūtur tenues membranæ quædam. viæ autem, vt foras erumpant , ſuturæ capitis ſunt. Hæc enim vincula extenduntur, ſingula verſum cranii partem ſibi directam,vnde originem traxerunt,atque inde progreſſa,ſibi mutuò concurrūt,& decuſſantur,& coaleſcunt, & planè in vnum conducuntur , communémque ex ſeipſis omnibus membranā procreant , quæ περικράνιος D nominatur: hæcque ipſa craſſa membrana cranium ſuccingit,ac cerebrum dilatando tum accedit , tum recedit, in media regione quæ inanis eſt. Ipſum verò cerebrum ſubſtantia eſt neruis ſimillimum, quorum erat futurum principium,niſi quòd illis eſt mollius:ac mollius quidem anterius,durius verò poſterius,quod ἐγκέφαλον καὶ παρεγκεφαλίδα etiam anatomici nuncupāt:quæ dura membrana duplicata dirimuntur, & per ſolum meatum, qui ſub capitis vertice eſt,ac per corpora meatum ipſum ambientia con- E iunguntur. Ventriculi autem cerebri duo ſunt anteriores, inſpirationem expirationémque & efflationem ex cerebro facientes,quod alibi demōſtrauimus: vbi etiam probatum à nobis eſt,eoſdem prius conficere, ac præparare ſpiritum animalem cerebro , & etiam infernis eius partibus quæ ad nares ſpectant, olfaciendi inſtrumentum eſſe,& ſimul veluti ductus & canalis ad excrementorum effluxionem accommodati vicem præſtare. Vnus autem

ventriculus in cerebello eſt,qui ſpiritum animalem in an-
terioribus ventriculis confectum traſſumit:quamobrem
vnum meatum ab iis ventriculis in hunc pertinere fuit
neceſſe.Quocirca meatus qui ab anterioribus ventriculis
in ipſum prorumpit, maximus conſpicitur, per quem ſo-
lum parencephalis eſt cum cerebro connexa. Sic enim v-
tranque partem appellare Herophilus conſueuit, & poſte-
riorem partē παρεγκεφαλίδα vocat.Quum igitur cerebrū,
(vt antè diximus)à parencephalide craſſæ membranæ du
plicatione ſit diremptum, ipſúmque oporteat aliqua ex
parte illi coniungi,vt antè dictum meatum generaret, in
vnum prius locum vtroſque vētriculos terminauit:quem
etiam quartum totius cerebri ventriculum aliqui anato-
mici vocant: ex hac nanque cauitate profectus meatus,
ſpiritúmque ea contentum excipiens,parencephalidi trāſ
mittit.Pars autem cerebri quæ ſupra cauitatem eſt, veluti
domus tectum quoddam in cauæ ſphæræ ſuperficiem
circumacta, non immeritò videtur appellata καμάριον
καὶ ψαλιδοειδὲς, quod huius generis ædificia architecti
καμάρας καὶ ψαλίδας, *hoc eſt teſtudines & fornices*, ſolent
nominare. Corpus verò hoc quod ad principium mea-
tus eſt ſitum, qui ventriculum medium cum poſteriore
cerebro coniungit, quod ab anatomicis κωνάριον appella
tur,ſubſtantia quidem eſt glandula,figura autem eſt cono
perſimile,vnde ei nomen eſt ductum, háncque glandulā
cono ſimilem,magnæ venæ diuiſionem opplētem, à qua
omnes fere qui in anterioribus ventriculis ſunt, plexus
choroides conflantur, in eundem vſum in quem reliquæ
glandulæ venarum diuiſionem firmantes, factam fuiſſe
arbitror.Epiphyſis verò quæ per totum meatum extendi-
tur vermi ſimilis, ſpiritus tranſitui præeſt ac dominatur:
cuius ſanè poſitio & natura & cōmunio cum vicinis par-
tibus,ſic habet:Ex vtraque meatus parte tenues ac prælon
gæ ſunt cerebri eminentiæ,quæ γλουτία,*hoc eſt paruæ nates*
appellantur: quarum cnocurſum, hominum femoribus
inter ſe coniunctis præcipuè comparares. ſunt etiam qui
διδύμοις *id eſt teſticulis*,eas aſſimilent, & didymia nomi-
nent.Nonnulli verò corpora conario vicina vocant didy
mia:quæ verò deinceps ſequuntur, glutia. ſiniſtræ igitur
dextræque meatus partes, horum ipſorum ſunt corpora:
ſuperiores verò à tenui quadam membrana, non tamen
imbecilla, operiuntur, quæ vtrinque glutiis coniungitur.
quæ quidem membrana ad poſteriorem vſque ventricu-
lum exporrecta,finis inferior eſt epiphyſeos vermi ſimi-
lis,quæ nihil habet didymis & glutiis ſimile: etenim ipſa
variè articulata eſt.hæc autem vbique ſunt ſimilia,ſed nō
vbique compoſita.nam præterquàm quòd variè articula-
ta hæc epiphyſis eſt,videtúrque ex quamplurimis particu
lis per tenues membranas cōnexis compoſita, id quoque
habet præcipuum vt connexa eius ac tenuis ſit ad ventri-
culum poſteriorem extremitas, quo loco in ſuperiacen-
tem membranam deſinere eam diximus.Inde autem au-
cta paulatim atque amplificata, dorſum habet glutiorum
diſtantiæ propemodum æquale:quamobrem longa ſecū-
dum meatum exporrecta,ipſum totum perfectè obſtruit:
retro autem in orbem reflexa,membranam ſuis conuexis
partibus connatam ſimul ita abſtrahit, totúmque meatū
tantum aperit quātum ipſa retro ceſſerit. Quum enim re-
flectendo in ſphæræ modum fiat rotunda,& in ſeipſa cō-
ſideat, quātum minuitur longitudo, tantum latitudo ad-
augetur: quocirca conſentaneum eſt vt ea paululum re-
flexa,&ideo paulo magis amplificata,fines eius inferiores
in ſolas meatus partes, quæ ad baſim ſunt, quæ anguſtiſſi-
mæ ſunt,ingredi nequaquam poſſint:at ſi fiat maior refra
ctio,& ob id latitudo augeatur, maior etiam meatus por-
tio aperiatur: quoniam ſemper tantum aperitur quantum
conuexitas in ipſum ingreſſura cōtinuò minuitur. Natu-
ra autem eam dorſis glutiorum ligamentis adnexuit,quæ
diſſectionum periti vocant tendones, à quibus vtrinque
conſtricta & coërcita ſic continetur vt errare non poſſit.
Porrò natura magnam curam adhibuit vt excrementa ce
rebri excernātur. quum enim eorum ſit duplex genus,vt
alia ſint tanquam vaporoſa & fumoſa, quæ ſuapte natura
in ſublime feruntur, alia verò tanquam aquoſa & limoſa,
quæ ſuo impetu deorſum ferūtur, duplices quoque ipſo-

A rum excretioni meatus adhibuit, atque eos quidem qui
leuia excrementa erant vacuaturi, in altum adduxit: qui
verò grauia & deorſum repentia,decliues effecit. Caput e-
nim omnibus corporis partibus veluti tectum quoddam
calidæ domui eſt ſuperpoſitum. idcirco fit vt quū omnia
quæ à partibus ſubiectis ſurſum efferuntur, fuliginoſa ac
vaporoſa excrementa caput excipiat, ei multas tranſpira-
tiones natura machinata ſit,ſimul quidem os capitis effi-
ciens fiſtuloſum, ſimul etiam ſuturis, quas vocant, variè
B coarticulatum, per quas vaporoſorum & fumoſorum ex-
cretiones fierēt, quæ nec ſemper perſpicuè cerni poſſunt,
nec quum in toto corpore,nec quum in capite fiunt,vtpo
te quæ præ tenuitate interdum nos lateant. Cæterùm de-
cliues cerebri meatus tum per palatum in os, tum per na-
res,conſpicuis magniſque orificiis, ſenſui manifeſta craſ-
ſáque excrementa eructant. Ac duorum quidem meatuū,
qui in nares pertinent, fabrica eſt huiuſmodi: Ipſa dura
membrana quæ cerebrum contegit, inſtar cribri eſt per-
forata: atque etiam magis variè perforata ſunt oſſa quæ
ſunt ei præpoſita, & quemadmodum ſpongiæ, neque re-
C ctà ſibiipſi meatus reſpondent, neque recti planè ſunt o-
mnes,ſed plerique ſunt tortuoſi, atque anfractibus pleni,
vt alia quædam longa circuitio longúſque error prius cō-
ficiendus ſit ei,quod per eos ad cerebrum ſit peruenturū.
Quamobrem fit vt neque aliud quidpiam durum corpus
extrinſecus cerebro incidat, neque aër frigidus nobis in-
ſpirantibus rectà in cerebri ventriculos ſeſe ſincerus in-
ſinuet. Poſtquam autē ſemel hæc propugnacula ſpōgiis ſi-
milia, quæ ab anatomicis à cribri ſimilitudine, ἠθμοειδῆ
vocantur,tutelæ ipſius cerebri cauſa extiterunt,etiam trāſ
D pirationem per ipſa perfici neceſſe fuit. nam per inſpi-
pirationem odorum fit dignotio:per expirationem verò
excrementorum expulſio, in huiuſmodi actionibus im-
petus motionis ipſius ſpiritus, multa eorum quæ pertran-
ſire per ſe non poſſunt, vnà ſecum attrahit. Ex aliis verò
duobus meatibus qui ad palatum perueniunt,alter ex pro
fundo medii cerebri ventriculi profectus, fertur deor-
ſum:alter verò emergit quidem à meatu qui cerebrum pa
rencephalidi connectit, ſed ad cerebrum deorſum obli-
quus fertur. Quūprimùm verò in idem inter ſe conuene-
rint, locus quidam communis vtroſque excipit cauus ac
E decliuis,cuius labrum ſupernū eſt circulus abſolutus: in-
de autem ſemper magis ac magis arctatus, deſcendens in
ſubiectum adenem inſeritur amplæ ſphæræ ſimilem, qui
manifeſtam ipſe quoque cauitatem habet. Hunc autem
excipit os cribro cuidam ſimile,per quod via craſſiorum
incrementorum in palatum eſt facta. Vtilitas verò ſingu-
lorum inſtrumentorum quæ viæ ipſi inſunt, eſt cauitas
quæ meatus excipit, quam nonnulli à figura πύελον, *hoc
eſt peluim*: nonnulli verò ab vſu, χοάνην, *hoc eſt infundibulum*,
nominant: quæ, ſupernis quidem partibus quaſi ciſternæ
F cuiuſdam vſum præbet, infernis autem, vt etiam no-
men ipſum indicat,infundibulum imitatur: parte autem
decliui meatum habet ſenſibilem vſque ad ventriculum
adenis. Quoniam autem hoc cerebro ſupernè coniungi
oportebat, infernè autem in adenem inſeri, iurè factum
eſt vt membranoſum extiterit. Ergo portio membranæ
tenuis protenſa hoc corpus peluis conſtituit. Quem verò
plexum retiformem vocant,maximè omnium quæ illic
ſunt,admirabilem, ibi eſt conſtitutus,complectens in or-
be adenem ipſum, & retro longiſſimè pertingens. toti e-
G nim propemodum cerebri baſi hic plexus ſubiicitur: éſt-
que non ſimplex rete, ſed eiuſmodi vt ſi vulgaria piſcato
rū retia plura alia aliis accumulata ſuperiniicias. Naturali
autem huic reti hoc ipſum ineſt vt alterius replicationes
alterius replicationibus ſint connexæ, neque ex eis ſeiun-
ctum vllum capere queas. Quum enim omnia continua
ſerie connexa inter ſe ſint,efficitur vt id vnum quod ce-
peris,alia conſequātur. Non eſt autem ex quauis materia
confectum,ſed maximam portionem earum arteriarum
H quæ à corde ſurſum ad caput feruntur, natura materiam
huic admirabili plexui ſubiecit: nam exiguæ propagines
quædam ab ipſis in collum ac faciem, partéſque externas
capitis abierunt: reliquum autem omne, vt à principio
fuit, rectà per thoracem & collum ſublime ad caput fer-

tur, excipitque amicè, quæ ea parte eſt, cranii portio, & A aperto in ſe foramine intra caput ſine moleſtia deducit. excepiſſet autem & craſſa membrana, erátque iam perforata rectà ad illarum impetum:& opinari ex iis omnibus quiſpiam potuiſſet,ipſas ad cerebrum properare,ſed non ita erat:nam cranium prætergreſſæ medio inter hoc & craſſam membranam loco,primùm quidem in longas ad modúmque exiles arterias diuiduntur: deinde verò pars earum in capitis anteriora ,aliæ in poſteriora, aliæ ad læuam, aliæ ad dexteram inter ſe mutuò complexæ feruntur,vt aliam de ſe opinionem faciant; quaſi itineris ad cerebrum oblitæ videãtur. Verũtamen non ita ſe res habet: nam rurſus ex multis illis arteriis,velut radicibus in truncum coaleſcentibus,alia coniugatio arteriarum naſcitur, ei quæ initio à corde ſurſum ferebatur æqualis: atque eo modo per craſſæ membranæ foramina ad cerebrum ſubit.Cæterùm quodnam tandem hoc miraculum ſit,dictũ eſt antè quamſæpiſſime.Vbi enim natura diligenter materiam conficere vult,diuturnam ei moram in coctionis inſtrumentis parat.Quocirca quum ſpiritus animalis qui in cerebro eſt,magis exquiſita indigeret confectione,plexum retiformem natura flexuoſiorem effecit. Totũ enim cerebrum iis arteriis multifariam diuiſis eſt pertextum: & multæ ipſarum diuiſiones in eius ventriculos definũt, vt etiam venarum ex vertice ipſius deſcendentium:ex oppoſitis enim locis arteriis occurrunt, & in omnes eodem modo cerebri partes,atque adeo in ventriculos diſtribuũtur.Hac ſuperuacanea quidem excernũt,ſanguinem verò continent:quemadmodum arteriæ ſpiritum maximè omnium reſpirant,qui longo tempore in eis cõtẽtus ac cõfectus,in cerebri ventriculos incidit. Atque à corde ſurſum per thoracem ac totum collum,venas & arterias vſque ad caput natura perduxit,inde arterias ad retiformem plexum vt diximus: venas autẽ ad ſummum capitis verticem intra cranium perduxit, vbi craſſa membrana duplicata intra ſeipſam mediam venas recipit.

De cerebri diminutione, Cap. II.

CErebri imminutio(quemadmodum Hippocrates author eſt)in caluеſcẽtibus efficitur,vt oſſa ſincipitis fiſtuloſiora tenuioráq; cæteris,& ſuperadiacentia,ob cerebri defectionem exareſcant,quum ad ea vſque cerebrum non pertineat,neque ea poſſit attingere:ſubſidet enim,& depreſſum in ſuam baſin concidit. His autem oſſibus reſiccatis conſequitur vt ipſa quoque prætenta cutis inareſcat,quæ quidem in caluis vel ipſi ſenſui mirum in modum ſicca apparet. Quum igitur cerebrum valde ſiccum factum eſt(vt quibuſdam in extrema ſenectute contigit) tunc etiam neruorum exortus inareſcere eſt neceſſe:quã obrem neque perinde vident ac prius,neque audiunt,neque aliud quicquam aut ſenſibus aut motibus qui à volũtate proficiſcuntur,valenter perficiunt: ſed omnia earum actionum inſtrumenta per quæ prius fiebant,exoluta,infirma,debiliáque redduntur.

De ſpinali medulla, Cap. III.

SPinalis medulla duas membranas habet craſſam & tenuem,à membranis cerebrum contegentibus exortas, quibus eſt etiam coniuncta:ſed his tertium corpus extrinſecus eſt obductum,veluti operimẽtum quoddam, & propugnaculum medullæ ipſius,quod initium exortus à capitis coronis ducit.Eius natura eadem eſt cum natura ligamentorũ, * quatenus ex oſſe perinde ac ligamentum eſt confectum:quanquam hoc colligat quodammodo totam faciem in corpus pertinens duplicatum intermediis earum regionibus.Simile porro eſt tum craſſitudine,tum colore,tum duritia,craſſæ membranæ. Sectum verò hoc ligamentum,ſiue per lõgitudinem, ſiue per latitudinem, ſiue vtroque modo,nihil noxæ animãti affert: quemadmodum etiam ſi dura membrana ſecetur, nullum detrimentum animal ſentiet: quinetiam ſi medullam ipſam ſpinalem per longitudinẽ ſecueris, nihil damni inuehis. Vterque enim neruus qui ex coniugatione oritur ex ſpinali medulla,obliquus per vertebrarũ cõpages exoritur, vt dexter in dextram, ſiniſter in ſiniſtrã partẽ vergat.Sin autem ſectio obliquè adhibeatur,tum animalis partes motu priuantur, quæcunque principium neruorum in eas pertinentium habent infra ſpinalis medullæ ſectionẽ.Idcirco fit vt ex neruorum diſſectione facillimè poſſis dignoſcere quænam affectiones ex cuiuſque partis medullæ ſpinalis ſectione conſequantur.Nunc verò tantummodo addam, ſi ſectio in ea parte fiat quæ eſt inter caput & primam ſpinalis medullæ vertebram media,quà membrana finem poſterioris cerebri ventriculi contegens inciditur,animal ſtatim totius corporis vires & ſenſum amittere. quam etiam partem in tauris, ab iis qui boues immolant,videmus præcidi. At ſectio quæ poſt primam verte-B bram fit,eadem inducit ſymptomata, non quia ſolùm eũ ventriculum contingat, ſed etiam quia & artus omnes animantis diſſoluit,& omnem præterea reſpirationem adimit.Idem quoque eueniet ſi eam quæ eſt poſt ſecundam, tertiámque & quartam vertebram ſecueris: ſi modò eam ita diligenter præcidas vt neruum qui in eius compage eſt, & ad quintam vſque vertebram propagatur, incidas: ſed colli initium animalibus ita diſſectis mouetur. At ſectione quæ in ſpina poſt quintam vertebram fit, cum cæteræ pectoris partes diſſoluuntur, tum verò ſeptum tranſ-C uerſum ferme innocuum ſeruatur,& excelſi muſculi parũ quippiam offenduntur. At quæ poſt ſextam fit, ſuperiores quidem pectoris muſculos pari modo lædit,ſeptum verò tranſuerſum minus quàm ea quam modò diximus: quæ deinde poſt ſeptimam,atque etiam magis quæ poſt octauam,nullam omnino fert motioni ſepti tranſuerſi noxã, & ſublimium muſculorum, & colli etiam totius motui nihil fere nocet: at muſculorum intercoſtalium aufertur motus omnis, facta in omnibus colli vertebris ſectione. Et quemadmodum facta ſpinalis medullæ ſectione poſt D primam colli vertebram,totius thoracis motus amittitur, ita etiam omnis intercoſtalium muſculorũ actio deperditur.omnino verò paululum eius ſeruatur,facta in ſecundo intercoſtali ſectione. atque ita proportione deinceps ſemper fit vt intercoſtales muſculi qui ſupra ſectionem ſunt,actionem ſuam obeant, inferiores verò reſoluantur.

De oculis, Cap. IIII.

IN vtrunque oculũ productiones à cerebro immittuntur:quæ dum per oſſa tranſeunt,cõpactæ quidem ſunt, quò ab iniuriis ſint tutiores: ſed quumprimum ad oculos E ipſos peruenerint, ſolutæ iterum atque amplificatæ, & in orbem,inſtar tunicæ,humorem vitreũ complexæ, in cryſtallinum humorem inferuntur, qui quidem cryſtallinus humor eſt primum videndi inſtrumentum: iſque albus, ſplendens,clarus, & purus eſt factus. ſiquidem hac ſolum ratione futurum erat vt à coloribus immutaretur: at nutriri ab ipſo ſanguine planè non licebat, vt qui multum ab eo qualitatibus differret:ſed alimentum quoddam familiarius poſtulabat:id quod ei nimirum contigit: comparatúmque ei à natura fuit alimẽtum accommodatum, F humor vitreus, qui quanto craſſior eſt ſanguine & magis albus,tanto ipſe à cryſtallino tum craſſitie tum perſpicuitate ſuperatur. Neutri autem horum humorum vena eſt: ex quo perſpicuum eſt,vtrunque per trãſſumptionem nutriri, cryſtallinum à vitreo, & vitreum à corpore ipſum ambiente, quod ex cerebri portione ſupernè deſcendente conflatum eſt: idque nonnulli tunicam retiformem vocant,quòd figura ſit reti ſimilis. Cæterùm tunica non eſt nec colore nec ſubſtantia: ſed ſi exemptum ipſum ſeporſueris,& in vnum aceruum conieceris, tibi planè cerebri G portionem quandam exemptam videberis intueri. Eſt autem eius vtilitas prima quidem ac maxima, propter quã ſupernè fuit demiſſa, vt cryſtallini humoris alterationes ſentiat:præterea verò vt humori vitreo alimentum aduehat & afferat, quippe quæ arteriis ac venis multo pluribus,& quàm ſuæ moli conueniat,maioribus,plena conſpicitur.Quinetiam ex ipſa choroide tunica,quæ corpus hoc retiforme continet,tenues quædam productiones, & araneis ſimiles,ad ipſum extenſæ, ligamenta illi ſimul fiunt, ſimúlque alimentum afferunt:nam & hæc ipſa choroides H tunica plurima vaſa habere in ſe tota conſpicitur. Hanc igitur ipſam vtilitatem hæc tunica præbet: eſtque tunica reuera,& corporibus ſubiectis operimentum atque amiculum, & huic etiam tunicæ principium eſt membrana tenuis quæ cerebrum ambit.Quámque inſertio prædicta

in medium humorem cryſtallinum, qui rotundus eſt, ex
omni parte ſit facta, abſolutus circulus neceſſariò eſt con-
fectus, qui certè maximus in cryſtallino eſt, & ipſum in
duo diſtribuit. ad eundem hunc circulum conſentaneum
erat humorem vitreũ motu vlteriore inhibere: quocirca
medius vehitur in ipſo cryſtallinus, tanquam ſemiſecta
quædam ſphæra in aqua. Atque etiam parte alia interna,
quæ eſt velut ipſius cryſtallini hemiſphærion, ſecuritatis
gratia ea coniunxit vnus circulus, quem antè diximus ma
ximum eſſe eorum qui in cryſtallino inſunt: éſtque termi
nus vtriſque communis, ligamentúmque his ipſis, & præ-
terea corpori retiformi, & quarto choroidi tunicæ effici
tur. Hæc enim tunica inter ea eſt robuſtiſſima, & quæ ipſa
ſtabilire maximè queat & tegere: ſed quemadmodum ad
illa tuenda ſatis firma erat, ita ad ſeipſam tuendam non e-
rat ſatis, & circumiacentium oſſium duritiam ferre citra
noxam non poterat. Vt igitur in cerebro, ita hîc quoque à
craſſa membrana circumuehitur, diſtátque ſanè hæc tuni
ca ab ea in omnibus partibus, ſoliſque vaſorũ productio-
nibus ipſi connexa: in eo tamen circulo prædicto qui in
cryſtallino ineſt, coniungitur: & quinta præter quatuor an
tedictas, in vno hoc loco hæc eſt coniunctio, quæ ſubie-
ctis omnibus cõmoditatem non mediocrem affert. Du-
ra igitur membrana toti choroidi eſt applicata, hæcque
rurſus retiformi & cryſtallino: illi quidem per ipſum to-
tum, huic autem per ſolam iridem. Itaque per corpora me
dia humor vitreus tunicæ omnium extimæ coniunctus
eſt, molliſſimæ duriſſimus. Huic eidẽ circulo ſexta quæ-
dam tunica extrinſecus propè accedit in duram tunicam
inſerta, in qua muſculorum oculos mouentium apone-
uroſes ſunt. Septima autem præter has alia eſt perioſtii in-
ſertio, quæ ſimul totum oculum cum oſſibus colligat, ſi-
mul autem mouentes ipſum muſculos tegit. Quin tibi
membranam hanc etiam ante diſſectionem licet intue-
ri, albam ſanè, prout etiam cernitur: deſinentem verò in
circulo, vbi & aliæ omnes ſubiectæ ſunt, & vbi album ni-
gro coniungitur, qui ſanè locus iris nominatur, eámque
nonnulli coronam vocant. Si hæc probè diuiſeris, & nihil
confundens cõſideraris, circulos ſeptem videbis ſibiipſis
deinceps inſidentes, craſſitie tamen coloréque diſcrepan-
tes, vt ne, ſi velis quidem, hunc locum aliter quàm irim,
queas appellare. Ad mediam igitur vſque humoris cry-
ſtallini regionem ſeptem circulos ſibiipſis illic incũben-
tes ac cohærentes, oratione iam perduximus: quod autem
id ſequitur, maximè admiraberis. Vt enim cryſtallinus hu
mor propria ſenſibilia inquiſitè ſentiret, ſimúlque tutò
conſeruaretur, corneam tunicam valde craſſam, & minus
denſam quàm vſus poſtulabat, denſiorem ſimul ac tenuio
rem natura cœpit producere: tum paulatim promouens,
partem eius maximè mediam longè tenuiſſimam ac den-
ſiſſimam effecit: ac tibi quidem cornibus in tenues partes
diſſectis, ſimilis aptè videbitur: vnde etiam ei nomen à
cornu ſimilitudine conuenire exiſtimantes, corneam tu-
nicam appellauerũt. Hæc igitur cornea tunica, tenuis, du
ra, & valde denſa facta, protinus vtique ſplendida erat fu-
tura: cuiuſmodi ad ſplendorem tranſmittendum eſſe poſ-
ſet opportuniſſima, nõ ſecus quàm cornua accuratè dera-
ſa atque extenuata. Choroidem verò tunicam, quæ à te-
nui membrana producitur, natura multis partibus nigrã,
multis fuſcam, multiſque cæruleam effecit, eámque ab i-
ride vnà cum cornea promouit, cum vt corneam ſua vi-
cinitate aleret, tum vt prohiberet ne cornea quæ dura eſt,
humori cryſtallino incideret, ac denique ſpectaculum fo
ret, quod aſpectui laboranti remedio eſſet: quod in cauſa
eſt (vt ego quidem puto) vt omnes quum lucis ſplendore
offendimur, natura ducti palpebras repentè claudamus,
ad innatum nobis remedium properãtes. Atque ego qui-
dem non poſſum non vehementer admirari hunc cæru-
leum colorem quo hæc tunica tincta eſt: nec minus eo ad
miror aſperitatem quæ intus à tunica humorem vitreum
contẽtura nutritur. Quũ enim hæc humida ac mollis in-
ſtar ſpongiæ ſit, humorem cryſtallinum contingens, to-
tius tunicæ vicinitatem ipſi innoxiam præſtat. quo adhuc
multò magis externam eius denſitatem demiror, qua du-
ram tunicam corneam contingit, ne ipſa à cornea quic-

A quam læderetur. Sed præterea magis admirabile eſt tuni-
cæ huius foramen ad pupillam. ibi enim tunicam cæru-
leam vueam, quam ita appellant, opinor, acino vuæ læui-
tatem eius externã & aſperitatem internam cõparantes,
pertudit: & quà dũtaxat hoc foramen eſt, nulla tunica alia
eſt inter corneam & cryſtallinã media, ſed veluti per cor-
nu tenue admodum atque album, ſplendor internus cum
externo communicat & commiſcetur. Et ne per hoc fora-
men cornea tunica aliquando cryſtallinum humorem cõ
tingeret, opifex noſter prouidit, ſimul portionẽ hanc cor-
B neæ foras longius abducẽs, ſimul autem humorem quen-
dam tenuem & ſincerum, qualis in ouis cernitur, cryſtal-
lino circunfundens, ac tertio præter hæc, ſpiritu ætherio
ac ſplendido omnem pupillæ implens regionem: de quo
quidem ſpiritu in commẽtariis de aſpectu ſatis diximus,
& quàm lucidus ſit, & quàm maximũ præcipuúmque ad
oculorum actionem momentũ afferat, demonſtrauimus.
De humore verò ex his poteris intelligere, eum non mo-
dò ad implendum inane ſpatium, verumetiam ne humor
cryſtallinus, ac portio vueæ interna exiccetur, maximè ne-
C ceſſariũ eſſe: ſi tamen prius percipias, in compũctionibus
ex copioſiore eius euacuatione, oculos lædi: & affectio-
nem quæ glaucedo à medicis nominatur, eſſe ſiccitatem,
ac nimiam humoris cryſtallini concretionem, & cæcita-
tem maximè, præ omnibus morbis qui oculis accidunt,
inferre. Atque hæc quidem omnia admirabilem quandã
prouidentiam arguunt, & eorum maximè innatum cry-
ſtallini humoris amiculum: nam ea tunica eſt tenuibus a-
raneis tenuior atque candidior: & quod etiã maius eſt, nõ
D eſt toti humori cryſtallino prætenſa, ſed quæ eius pars vi-
treo humori coniungitur, prorſus ſine munimento eſt, ac
tunicæ expers. ea enim parte humores cõiũgi inter ſe erat
melius. quæ verò eius pars omnis extrà prominet, tãgitq;
vueam, tenuem hanc lucidámque tunicam eſt induta: at-
que etiam ipſius pupillæ imago in ea, veluti in ſpeculo
quodam, conſiſtit: ſiquidem tunica hæc leuis eſt, & ſupra
omnia ſpecula fulgens. atque ita videndi inſtrumentum
ex omni parte à natura fuit exornatum. Neruos autem
ſenſificos à cerebro ad oculos deſcẽdentes natura prius in
E tra cranium coniungens ac reflectens, ipſorúmque mea-
tus exiguos vniens, & figuram X literæ ſimilem faciens,
poſtea vtrũque rurſus ad ſupernæ rectitudinis productio
nem ad oculum produxit, vt ſpiritus qui à cerebro ad v-
trunque oculum proficiſcitur, ſiquando eorum alter clau
ſus fuerit, aut omnino mutilus, in alterum planè commea
ret. videndi enim facultate eo modo duplicata, acrius e-
rat viſurus.

De naſo, Cap. v.

F QVum naſus in medio ſeptum, duóque foramina ſa-
tis conſpicua habeat, quæ cernuntur & in ſingulis na
ribus ſingula, ſcire conuenit, eorum vtrunque ſupra me-
dia naſi loca in duas partes eſſe diuiſum: quarum altera
pars intima oris excipit, altera recta, vt à principio fereba
tur, ad cerebrũ conſcendit, vbi ſunt exortus anteriorũ ce-
rebri ventriculorum: qua etiam parte oſſium colli ſimi-
lium eſt ſitus. membrana autem craſſa, quæ oſſibus hiſce
ſubſternitur, minutis eſt foraminibus traiecta, per quam
primam cerebri excrementa craſſiora tranſmittuntur, vt
mucus & deſtillatio primùm per craſſam membranam
G egreſſæ, poſtea verò per oſſa coli ſimilia traiectæ, denique
in ipſas nares incidunt. Sed dum hæc ita defluũt, pars eo-
rum in os per ea foramina quæ à naribus in ipſum dixi-
mus pertranſire, quandoque delabuntur: naſi autem fora-
minibus quæ & recta ſunt, & ad oſſa colo ſimilia aſcen-
dunt, itémque iis quæ obliqua ſunt, & in ipſum os deſine-
re diximus, tunica exãguis craſſior quàm mẽbrana ſub-
ſternitur: quæ ei tunicæ continua eſt quæ totam oris cir-
cunferentiam internam, linguámque, & fauces, & laryn-
H ga, & aſperam arteriam, & gulam complectitur. Facta autẽ
in ore perforatio in palato eſt, ne principium inſpiratio-
nis rectà ad aſperam arteriam fieret: ſed deſtuxio quædã
eſſet, ac veluti ambages priuſquàm ſpiritus ad arteriã per-
ueniret, ne quum ambiens nos aer nimis ſit frigidus, pul-
mo aliquo tempore refrigeraretur, & ne admixtæ moles
pulueris aut cineris, aut alterius eiuſmodi ad arteriam vſ-

que peruenirent,ſed in illis flexibus corporibus humidis &mollibus prius inciderent.

De odoratus inſtrumento, Cap. VI.

ODoratus autem inſtrumentum quo res quæ ſub odoratum cadunt diiudicamus, primo quoque intuitu naſus eſſe videbitur. ac quum ore quidem inſpiramus, naſúmque obturamus; nullum odorem ſentimus: quumprimum verò naribus apertis ſpiritū trahimus,ſentimus.Nulla verò fieri videtur odorum dignotio ſine inſpiratione, etiamſi quandoque nares vapore qui vehemētiſſimam vim habeat,expleantur. ex quo fit vt ſiquis in parua domo ſuffitum ex bitumine aut caſia faciat, eámque vehementiſſimo odore repleat; deinde ingrediens eūdē naribus excipiat, & attrahere per longum temporis ſpatium conetur,huiuſce rei veritatem intelligat: ſiquidem eo tantùm tempore odorem percipiet quo ſpiritum attrahet:reliquo verò nullum ſentiet, quanquam nares vapore ſunt repletæ. quamobrem alia corporis pars eſſe videtur quæ odores dignoſcit,eáque interius in corpore conſtituta:& conſentaneum eſt odorum ſenſum in anterioribus cerebri fieri ventriculis, quum tota reſpiratio à cerebro fiat,vt modus caloris qui in corpore eſt,conſeruetur:conſentaneum eſt ipſum priuſquam hoc ei à cerebro tribuatur ſtatim lædi, quum immoderatius ſit redditum, aut à calfacientibus,aut à refrigerantibus.Quomodo igitur natura ad hæc motum aliquem non dedit qui ei eſſet ingenitus,qui in inſpirationibus ventillaret & conſtringeret, in expirationibus verò effunderet quandoque ſpiritum flammeum,mucúmque & pituitam? ac talis perſpicuè videtur eſſe motus qui in cerebro cōficitur:quem ſanè motum in infantibus & iis qui educantur perſentiſcimus, qui quidem motus ei & natura & ſemper ineſt. Sed alter quoque accedit, qui euidenter in omnibus animantibus conſpicitur. nam inciſis capitis oſſibus videmus motum edi,dum ſiletur, pulſantem eodem rhythmo quo & arteriæ & cor pulſant:dum clamatur verò exeri & exufflari totum cerebrum:id quod mihi videtur contingere propter nimium calorem vocis elatione accenſum,& propter materias ad ſuperna detruſas. Ergo cerebrum cordis curam gerit,ſed pri⁹ ſibi ipſum prouidet, quum pulmonē cauſa cordis deducat,& ſuos vētriculos cauſa ſui ipſius aperiat: quibus ſanè vētriculis aerē ex narib⁹ trahit: ex thorace verò,ex arteria aſpera, & faucibus, quē etiam aer extrinſec⁹ neceſſariò conſequitur:quibus quidem fit rebus vt à nobis inuentum ſit,& reſpirationem cerebri,& odorum inſtrumentum eſſe cerebri ventriculos,& præſertim eorum fines inferiores,qui vicini ſunt iis oſſibus quæ colo ſimilia nominantur.

De auribus, Cap. VII.

INſtrumentum ſenſus auditus eſt eiuſmodi vt in ipſo primùm meatus qui eſt in oſſe lapidoſo, inuolucrum habeat,nequid eorū quæ extrinſecus incidunt, ei noceat. poſtea verò quemadmodum ſuperciliorum pilos ſupra oculos natura conſtituit,qui prius ſiquid à capite in ipſos deflueret,exciperent, eodem modo voluit aures auditui præponere.quæ non ſolùm prohiberēt, ſed aliquid etiam afferre ſimul poſſent.

De lingua,déque iis quæ ei ſunt adnata, Cap. VIII.

Hoc caput fortaſſe ſumptum eſt ex libro quem de uoce Galenus conſcripſit,qui nunc deſideratur:éſtque id tot mendis refertum ut elici uerus ſenſus non queat.

LInguæ continua ſunt ea quæ tota oris amplitudine ad fauces vſque continentur: íſque proceſſus & gulā & aſperam arteriam permeat, éſtque continuus cum iis omnibus quæ diximus,& communis linguæ, oris totius, epiglottidis,pharyngis,gulæ,ventriculi, laryngis, atque arteriæ. Cæterùm ea linguæ pars quæ in ore eſt, ſupernè quidem tota videtur:at infernè,non tota,ſed id ſolùm ex ea cernitur quod eſt extra vinculum quod ex tunica eius exteriore cum gena efficitur. quod ſanè vinculum ſæpenumero pluſquam par eſt extenſum, linguam multiplici motu cieri non ſinit:quocirca neceſſe eſt vt vinculum ipſum ſecemus,& linguam deligatione abſoluamus,vt diſſoluta ad palatū & omnes obliquas oris partes extrudatur. Ad hoc autem vinculum vtrinque ex obliquis partibus ora vaſorum quæ ſaliuam excipientia dicuntur,inuenies; in quæ deſcendere ſtylus poſſet.Initium ducunt hæc vaſa ab radice linguæ;vbi eiuſdem quoque glandulæ ſunt.exoriuntur enim ex eis forma arteriis perſimili, per quæ humor pituitoſus comportatus & linguam ipſam, & partes inferiores,& item obliquas, & denique omnes oris partes in orbem humectat:nam ſuperiores partes habēt meatus qui à cerebro deſcendunt, de quibus dicetur. Radix porrò omnibus ferme vicinis corporibus coniungitur: atque etiam id fit per tunicam quæ ei eſt cum toto ore cōmunis,cuius beneficio cæteris omnibus quibus adnata eſt vnitur.Nunc verò linguam & ad differendum, & ad dignotionem ſaporum eſſe accommodatam, inter omnes conſtat:eadem quoque ad mādēdū facere videtur,quū cibos quò quiſpiam voluerit conuoluat atque cōmutet.

De larynge & epiglottide, Cap. IX.

COrpus quod ſub gena inferiore in media primarum colli partium regione conſtitutum eſt, & propenſum in faciem videtur, cum omnes norunt,tum verò etiam larynga nominant: idque frangere pancratiaſtæ conantur, ſiquidem animalia eo fracto, quamprimum ſuffocantur, quum ob eam cauſam anguſtiſſimus tranſitus reſpirando aeri efficiatur. Larynx autem ex tribus magnis cartilaginibus conſtat,quarum maxima eſt anterior, quā etiam contingimus, extrinſecus quidem connexa, intus verò caua,ſcuto maximè ſimilis quod prælōgius ſit,quod θυρεὸν vocant:vnde huic cartilagini,ab huius ſcuti ſimilitudine nomen eſt impoſitum, vt thyreoides appelletur. Secunda verò cartilago quanto minor eſt hac, tanto eſt maior quàm tertia,in partibus quidem internis, quà ſtomachus eſt collocata:& quantum magna deficit vt in circulum perfectè feratur, hæc adiicit. Latera enim thyreoideos, quæ partes obliquas determinant,ſemper lateribus ſecundæ cartilaginis propinqua conſpicies, & totam partem infernam infernæ per muſculos coniunctam. Superior verò vtriuſq; cartilaginis pars ita ex aduerſo cōſtituta eſt,vt ſi duo ſcuta ſeſe lateribus ita contingentia animo coniicias, vt media quædam regio relinquatur. Quum verò quatuor ſint thyreoideos anguli, ex connexu quatuor linearum ipſum definientium, duo inferiores finib⁹ inferioribus humilium laterum labdoidis per vinculum nerueum & cartilagineum connectūtur: id verò fini ſuperiori primæ cartilaginis ſuperiacet, rectam & mediam ipſius lineam per ſpinæ rectitudinem habens, tum thyreoideos,tū lineæ quæ in linguæ partib⁹ infernis eſt: duo verò latera humilia ad ſuperiores primæ cartilaginis angulos extendens:quam cartilaginem ſiue thyreoidem,ſiue primam appelles,nihil intereſt.Articulantur autem inter ſe primæ cartilagines partibus obliquis: atque etiam ligamenta quædam membranoſa & neruea à prima ad ſecundam perueniunt. vbi verò minor,quæ intus eſt,ceſſat, duæ longæ cōuexitates ſuperiacent. inde autem incipit tertia cartilago, conuenientes exquiſitè illius eminentiis cauitates habens, adeò vt harum duarum cartilaginum coniunctio duplicem articulationem faciat.Secunda autem cartilago anguſtior eſt quàm baſis inferior:ex quo fit vt ora totius laryngis inferior, quæ arteriam aſperam attingit,amplior ſit orificio ſuperiore,quod in pharyngē deſinit.etenim & tertia cartilago in valde anguſtū ipſa quoque deſinit:cuius oram ſuperiorē arytænoidem plerique anatomici nominant, quia hæc pars figuram gutturnionis afferat,quem aliqui ἀρυταίναν etiam appellant. huius quoque cartilaginis cauitas ad meatum ſpiritus conuerſa eſt,vt veluti fiſtula quædam fiat id quod ex iis tribus eſt conflatum, atque hanc quidem habet fabricam propria laryngis ſubſtantia.Tunica verò,quæ ipſi intus ſubſternitur,eſt communis & arteriæ & gulæ. Porro eius motū ex animalis voluntate pendere neceſſe fuit, ſiquidem futurus erat ad reſpirationes, expirationes, totius reſpirationis cohibitiones, affectiones, & voces accommodatus, quæ omnia ſatius erat à noſtra volūtate proficiſci. Cartilagines verò duplices habent articulationes & motus: alios, qui eas dilatāt & comprimant: alios, qui eaſdem

claudant atque aperiant.atque ad priorum motuum con ſtitutionem primæ ad ſecundam facta eſt articulatio : ad ſecundorum verò,ſecundæ ad tertiam . ac de cartilaginibus hæc dicta ſint nobis.In ſpatio autem laryngis interno,per quod ſpiritus foras & intus fertur, corpus quoddã eſt poſitum quod neque ſubſtantia neque figura cuiquã eorum quæ in toto animali ſunt,ſimile eſt,ſed linguæ alicuius fiſtulæ eſt ſimile,ſi ſupernam infernámque eius partem intuearis : infernã dico,vbi arteria & larynx inter ſe connectuntur:ſupernam verò,ad orificium , quod à finibus arytænoideos cartilaginis & thyreoideos, qui ibi ſunt,efficitur,id quod adipatæ & membranoſæ ſubſtantiæ eſt. Cæterùm princeps & maximè præcipuum vocis inſtrumentum eſt:nam vt vocem edat animal ; indiget omnino ea ſpiritus motione quæ ab infernis partibus repentè ſimul erumpat: indigétque nihilominus hac,etiam anguſtiore tranſitu qui in larynge eſt: non tamen ſimpliciter anguſtiore, ſed qui paulatim ex amplo ad anguſtius tendit,paulatímque ex anguſto amplificatur, vt in libris de voce fuit oſtenſum:id quod planè facit corpus id quo de agitur,quòd modò lingulam,& laryngis linguam voco.Cæterùm hoc corpus lingulæ nõ modò laryngi ad vocem neceſſarium eſt,ſed etiam ad ſpiritus cohibitionem, quam vocant.Ita autem nominant non ſolùm quum non reſpiramus,ſed quum præterquam quòd thoracem ex omni parte contrahimus,muſculos etiam omnes qui ad hypochondria & coſtas ſunt,vehementer intendimus: violentiſſima enim tunc exactio tum thoracis totius,tũ claudentium larynga muſculorum: hi nanque magna vi pulſo ſpiritui obſiſtunt,arytæneoidem cartilaginem claudẽtes.ad quam actionem non parum etiam prædictæ lingulæ natura conducit: nam ipſius particulæ tum dextræ tum ſiniſtræ in idem coeunt adeò vt ſibiipſæ exquiſitè incidant,& meatum occludant . Quòd ſi parum quidpiam apertum relinquatur,ne id quidem improuidum manet, quum natura foramen in vtraque lingulæ parte vnum fecerit,& foramini ipſi parte interna ventriculum non paruum appoſuerit:quúmque aer vias amplas nactus in animal ingreditur,rurſúſque exit,nihil in ventrem propellitur. Obſtructo autem tranſitu, ibi aer obſtructus violenter pellitur in obliquum:ac foraminis lingulæ orificium aperit,quod labiis admotis claudebatur : impletis autem ſpiritu ventriculis qui in lingua laryngis ſunt, molem in ſpiritus meatum diffundi neceſſe eſt , & exquiſitè ipſum anguſtari,etiamſi parum antea apertum erat.Larynge verò ita diligenter occluſo vt ne ſpiritus quidẽ qui à thorace vi exprimittur,eum recludat,non eſt alia cauſa indagãda cur potus in pulmonem non feratur:natura enim prouidè laryngis orificio epiglottida veluti operculũ quoddam admouit, quæ quidem omni alio tempore quo reſpirant animantes,recta eſt : quum verò aliquid deglutit, ipſa laryngi accumbit . id enim quod tranſglutitur , ceu primùm eius radici incidens,poſtea verò dorſo inuectũ, inclinare ipſam cogit,& collabi. háncque productionem natura eſt fabricata,non quò nihil prorſus incideret , ſed ne multum,néve affatim:nam modicum potionis in aſperam arteriam importatur in orbem circum eius tunicas expreſſum,non per mediam capacitatem iter faciens : tãtáque huius humoris eſt copia vt repentè ad pulmonem madefaciendum arripiatur . Sed quum larynx cartilagineus rotundúſque ex omni parte ſit, anguſtari ſtomachũ in trãſitu ciborum neceſſe eſt.Qui fit igitur vt ſtomachus non arctetur nobis tranſglutientibus? an aliter quàm vt cibus deorſum trahatur , larynx verò ſurſum recurrat ? ſiquidem ita eorum poſitio commutatur,vt ſtomachi initium ad aſperam arteriam ſit,larynx verò ſurſum ad fauces recurrat . Scire autem conuenit quomodo epiglottis in laryngis meatum à cibis compellitur , ita ab iis quæ euomũtur, cartilaginem arytænoidem:vergit enim & illa in laryngis capacitatem,vt impetu eorum quæ ſurſum feruntur è ſtomacho,dorſo ipſius incidens,totam cartilaginem in cedentem locum facilè conuertat.

De gurgulione, Cap. x.

GVrgulio ad vocis magnitudinem atque elegantiam facit: aer enim ingrediens ab ipſo prius inciditur &
A impetus ipſius vehementia frangitur , & ob id etiam vis frigoris retunditur.proinde nonnulli quibus ad baſin vſque fuerat amputatus, non modò noxam in voce perſpicuè ſenſerunt, verumetiam frigidiorem inſpirationem, ex quibus pleriq; pulmone aut thorace refrigerato perierunt.Quocirca non eſt temerè,neque vt ſorsferat præcidẽdus,ſed pars quædam baſis relinquenda eſt.cæterùm gurgulio non mediocriter confert,ne puluis, aut alia quæpiã natura generis eiuſdem in laryngem cadat.

De aſpera arteria, Cap. x i.

B PArticula quædã ſimplex in corpore animalis eſt, quæ aliarum omnium eſt duriſſima quidem,ſed ſolo oſſe eſt mollior,quam omnes propemodum medici cartilaginem vocauerunt:qua quidem cartilagine plurima,natura vſa ad aſperam arteriam conſtruendam,totam in exquiſitum circuli ambitum contorſit,vt eius pars conuexa, quã etiam tangimus,extrà promineat,intus verò caua ſit; pòſt autem in longitudine colli ſit continuata ſerie conſtituta,& toto eo ſpatio quod inter laryngem & pulmonem interiacet,interim referto, validis ligamentis membra-
C noſis eos connexuit,quæ oſtracis ſcarabeorum ſunt ſimillima.quæ verò eorum pars erat ſubiectum ſtomachũ contactura,eam non item cartilaginem fecit : ſed hac parte deeſt quidpiam ad circulum efficiendum, & vnaquæque cartilago figuram litteræ ſigma C refert.Communiter autem his ligamentis & aliis orbiculatis , & ipſis præterea cartilaginibus alia quædam tunica intrinſecus obtẽſa eſt, quæ planè rotunda eſt,& omnibus ſubſtrata, dẽſa illa quidem & conſtricta,ſed fibras in longitudine rectas habẽs, quam ſcio me antè commemoraſſe,cõtinuam eſſe ei quæ
D totiori & ſtomacho,ac toti ventriculo intrinſecus ſubſternitur.Atque etiam hæc omnia extrinſecus complectitur membrana quædam velut indumentum quoddam,& arteriæ totius amiculum.Hæc igitur natura eſt eius arteriæ quæ in collo ineſt,per quam inſpirant , & item expirant animalia,vocémque edũt atque efflãt.Vbi verò primùm claues prætergreſſa in thoracis amplitudinem peruenit, ibi diuiditur,& in omnem pulmonis partem fertur cum vaſculis quæ à corde oriuntur,in omnes eius lobos diſtributa. Et tamen non diſcedit à natura,quam parte ſuper-
E na obtinet:neque omnes eius ſoboles vlla in re diſſident, ſed ſimiliter omnes cartilagines multæ ſigma formam referentes,membranoſis ligamentis contentæ vſque ad extremos viſceris lobos cõſeruantur. Hoc ſolum vas in pulmone eſt exactè vacans ſanguine,quum animal ſecundũ naturam ſit affectum.at ſi ruptio aliqua , aut oris apertio, aut vaſis eroſio in pulmone contingat , tunc aliquid ſanguinis in hanc etiam arteriam effunditur,qui ſpiritui moleſtus eſt,eius vias occupãs:eodémque modo tuſſis habet iam animal infeſtũ,& ſanguis ſurſum per pharynga ad os
F fertur . Atque hanc quidem tunicam in tranſglutiendo maximè opitulari ſtomacho oſtendimus : in aſpera verò arteria etiam cartilaginibus parte interna ſubſterni,ipſáſque ſurſum,dum animal tranſglutit,cum larynge ad pharynga trahere modo ſimillimo quo inſtrumenta quæ ciconiæ dicuntur.talis quidem pulmonis arteriæ eſt natura quæ ex bronchiis conſtat:ſic enim appellare eius cartilagines medici conſueuerunt, quemadmodum & ipſam totam,bronchon:& caput,ſummam eius partem quæ etiã larynx nominatur.

G De ſuccingente,& thoracem interſepientibus membranis, Cap. x i i.

MEmbrana ſuccingens eandem habet cum peritonæo ſubſtantiam, & eundem vſum omnibus ſpiritus inſtrumentis,non ſecus quàm illud cibi, præſtat . ſuccingens verò membrana vocatur, quia coſtas totas intrinſecus ſuccingit,éſtque araneæ modo prætenuis, & ex toto ſibi ſimiles coſtas ſuccingit:eſt etiam indumentum,veluti quædam tunica,omnium ſpiritus inſtrumentorum, & omnibus intra thoracẽ partibus obducitur, quemadmo-
H dum peritonæum his quæ infra ſeptum habentur,obtenditur.Atque etiã ab ipſa naſcuntur membranæ quæ thoracem intercipiũt,quæ per eius lõgitudinẽ ſupernè deorſũ ferũtur.tutò autẽ infigũtur,parte quidẽ poſteriore ſpinæ vertebris,anteriore verò , medio oſſi pectoris : cuius

extrema ora inferna eſt cartilago,quæ ab enſis ſimilitudine xiphoides nominatur,quæ ad os ventriculi eſt:ſuperna verò, clauium compago. Membranarum verò prima & maxima vtilitas eſt, vt duos ventres thoracis efficiant, vt ſi fortè magno vulnere in alterutrā eius partem accepto, reſpirationis munus eius partis perierit,alter venter incolumis dimidium actionis conſeruet. Quamobrem à magnis vulneribus intrò in alterutram pulmonis partem penetrātibus, animal à dimidia parte vocis & reſpirationis repentè priuatur:voce autem ac reſpiratione omnino deſtituitur, ſi vterque venter fuerit confoſſus. Quum igitur hanc adeò magnam vtilitatem intercipientes thoracem membranæ mortalibus afferant, eiúſque potiſſimum rei cauſa extiterint, natura etiam abuſa eſt ad vtilitatem ex ipſis tanquam operimentis ac ligamentis, omnibus quæ thorace continentur inſtrumentis tribuendam:nam & arterias quæ in eo ſunt;& venas, & neruos, & œſophagum, & denique totū ipſum pulmonem toti thoraci colligant, & vndique obductæ contegunt.

De pulmone, Cap. XIII.

THoracis capacitatem impleuit pulmo vocis ac reſpirationis inſtrumentum,cuius motus initium à thorace exiſtit.vſus verò reſpirationis in animātibus cauſa cordis ineſt, tum quod ipſum aëris ſubſtantia indigeat; tum quòd feruido calore efferueſcens,refrigerium expetat.ipſum autem refrigerat inſpiratio, frigidam ei qualitatem affundens:expiratio verò,quod in ipſo feruet,& quaſi cō-buſtum ac fuliginoſum eſt, ex ipſo profundens. ex quo fit vt duplicem habeat motum,ex contrariis partibus cōflatum: attrahit enim dum dilatatur, inanitur verò dum contrahitur.quo loco mihi ſubit naturæ prouidentiā admirari:quum enim vocem in nobis eſſe ſatius eſſet, fieri verò ipſa ſine aëre nullo modo poſſet, quicquid otioſum alioqui atque inutile erat expirandū, id in materiam vocis conuertit:& cor non protinus per fauces externum aërem trahere voluit, ſed vtriuſque medium pulmonem, quaſi ſpiritus promptuarium quoddam locauit,qui ambabus ſimul actionibus ſeruire poſſet. Eius porrò talis eſt cō-ſtitutio.Venæ totius corporis ex vna peculiari tunica conſtant:nam exterior membrana ipſis nonnunquā adhæreſcens,vbi colligari quibuſdā,aut firmari,aut tegi debent, illuc ſolum accedit. arteriæ verò binæ peculiares ſunt tunicæ: exterior qualis venæ eſt, interior verò huius craſſitie fere quintupla:quin & durior quoque,& in tranſuerſas fibras diſſoluta. Exterior autem,quæ venis etiā ineſt, tectis fibris, & quibuſdam mediocriter obliquis, nulliſque tranſuerſis eſt contexta.Interior verò arteriæ tunica craſſa,duráque, ceu cutem quandam interna ſuperficie continet,telæ aranearū manifeſtò perſimilem,in magnis quidem arteriis perſpicuam, quam nonnulli tertiæ arteriæ tunicam ſtatuūt.quarta verò alia peculiaris ei nulla eſt, ſed veluti quibuſdam venis, ita etiam arteriis alicubi adhæreſcit,& circuntenditur membrana tenuis, quæ eas tegit,ſtabilit, & propinquis partibus connectit.Quales igitur toto corpore ſunt arteriæ,tale vas ex dextro cordis ſinu progrediens,in totum pulmonem diffunditur: quales autem venæ, tale ex ſiniſtro procedit: vt ex tribus vaſis pulmonem intertexentibus,quod à ſiniſtro cordis ventriculo oritur,arteria venoſa nominetur: quod verò ex dextro,vena arterioſa dicatur: tertium quod à pharynge proficiſcitur, aſpera arteria, ex cartilaginibus C literam referentibus conflata,nūcupetur. Quod verò orbiculatum eſt in cartilagine magnæ arteriæ, quæ in collo eſt, quæque caudicis rationem obtinet ad pulmonis arterias comparata,& in illis ipſis tanquam ramos quoſdam ex ſe mittit, in priore parte eſt collocatum.vbi verò cartilago deeſt ad circulum perficiendum, in poſterioribus partibus ſitum eſt:in collo quidem gulæ continuum,in pulmone verò ei venæ quam paulo antè arterioſam appellauimus. Vaſorū autem intercapedines à propria ſubſtantia pulmonis implentur, quam Eraſiſtratus parenchyma nominat. Porrò lobos pulmonis non impares numero eſſe,vt iecoris ſunt, ſed in omnibus animantibus, de quibus loquimur, duos in dextra eius parte haberi, duóſque in ſiniſtris, conſtat inter omnes.nec minus etiam inter omnes conuenit,ac ſi

A non inter omnes,ſaltem inter eos qui diligentius confectiones adminiſtrant, in dextra thoracis parte quintum quendam lobum exiguum,veluti alterutrius ſobolem exiſtere,quem ſanè facillimè comperies ad venam cauam animum aduertens:ſiquidem illi ſubiacet, quà primùm in thoracem relicto ſepto incidit.nonnunquam etiam cauitatem quandam in eius ſuperficie clarè conſpicimus: cui vena;dum viuit adhuc animal,affirmatur: nam poſt obitum; pulmo ſemper collapſus & paruus apparet,non exigua ipſius &thoracis facta intercapedine,contra quàm viuo animali haberet.

B Hunc verò lobum natura non vt reſpirandi inſtrumentum,ſed vt venæ cauæ molle aliquod ſtratum pararet,à ſepto tranſuerſo vſque ad cordis auriculam extendit. Iam verò pulmonis caro aëria, ſpiritúſque plena conſpicitur,planè indicans ſe ad aëris,vt iecoris caro ad cibi concoctionem,eſſe comparatam.Etenim conſentaneum eſt,non confertum, nec repentè aërem externum ſpiritus qui animali ineſt,fieri alimentum, ſed paulatim immutatum,quemadmodum etiam cibi, familiarémque innato ſpiritui qualitatem diuturniore tempore

C recipere: huiúſque immutationis carnem pulmonis primum eſſe inſtrumentum, quemadmodū iecoris carnem cibi in ſanguinem mutationis cauſam eſſe oſtendimus. Cæterùm ſpiritus qui ab aſperis arteriis extrinſecus intrò trahitur,in pulmonis carne primùm conficitur,deinde in corde atque arteriis,& iis præſertim quæ plexu retiformi continentur: poſtremò verò ac perfectiſſimè in cerebri ventriculis,vbi vtique animalis exactè efficitur.

De Thymo, Cap. XIIII.

D ADenem maximum & molliſſimum, quem thymum vocant,natura partibus ſuperioribus medii pectoris oſſis, quod στέρνον vocatur, ſubiecit, cum vt ne venam cauam attingeret, tum etiam vt omnia eius germina quæ hoc ipſo in loco ſunt quamplurima, quà primùm emergunt,fulta ſtabilirentur. Vbicunque enim natura vas ſublime diuidit,ibi ſemper mediam glandulam quæ diuiſionem oppleat,interponit.

De Corde, Cap. XV.

COr caro eſt dura, quæ ægrè patitur,ex fibris multiplicibus

E conflata:ipſúmque in medio thoracis capacitate collocatum pulmones ambiunt,idque ſuis lobis ceu digitis quibuſdam in orbem amplectuntur. Motus autem eius indicat, quaſi in parte ſiniſtra potius ſit collocatum; duplici cauſa:primùm, quia in ea animalis parte ventriculus quo ſpiritus continetur, eſt ſitus: deinde, quia totum ad eam partem magis inclinat non enim vt baſis ipſius media exquiſitè eſt læuæ dextræque thoracis partis,ita etiam vertex, quoniam neque decliuis omnino à propria baſi ad finem inferiorem exporrectum eſt, ſed ad ſiniſtrā

F regionem (vt diximus) deflectit. Cordis autem aures ad quādam aurium propriè nominatarū ſimilitudinem maiores noſtri vocauerunt.duo autem aurificia ſunt in vtroque vaſorum materiam inuehentium: in dextra quidem parte,quà vena in cordis ſinum inibi inſeritur: in ſiniſtra verò,quà venoſa arteria: quúmque has aures aperueris,tū ipſum cordis corpus apparebit,tum vtrunque ex dictis orificiis:deinde membranæ inſertioni ipſorum incumbentes,tres in ſinu dextro, duæ in ſiniſtro: quarum ſtructuræ figura ſimilis eſt telorū cuſpidi,ideóque triſulcas nonnulli anatomici eas vocauerunt. duo alia ſunt orificia vaſorū

G materias educentiū,ex dextro quidem ventriculo in pulmonē,venæ arterioſæ:ex ſiniſtro verò in totum animātis corpus,grādis arteriæ. in quibus iterum tres membranas vtrinque ad literæ C ſimilitudinem factas conſpicies, extra cor tendentes, veluti triſulcas intrò. Cōmunis autem omnium ipſarum eſt vſus,vt materias retrocedere prohibeant. In pulmone autem natura tunicas vaſorum cōmutauit,nec fruſtra venam arterioſam, & arteriam venoſam eſt fabricata.vnumquodque enim alimēto ſibi ſimili nutritur.pulmonis autem corpus leue eſt,ac rarum,& velut è

H ſpuma quadam ſanguinea cōcreta conflatum:ob eámque cauſam puro ſanguine, vaporoſo, & tenui indiguit, non autem, quomodo iecur, limoſo atque craſſo. Quocirca vaſa habet contraria, maximè quidem iis qui ſunt in

iecore,poſt autem & aliis animātis particulis.In his enim
quum tunica vaſis quod ſanguinem ſuppeditat,rara ſit ac
tenuis,plurimum craſſi ſanguinis,atque celeriter partibus
circunfuſis diſtribuit:in pulmone verò quum craſſa ſit,ni
hil niſi tenue ſinit elabi. Ac cæteris quidē partibus arte-
riæ craſſæ & denſæ generatæ paucum omnino, eundém-
que vaporoſum ſanguinem vicinis partibus trahere per-
mittunt:pulmoni verò ſolùm,copioſiſſimum huiuſmodi
impartiunt,quippe quæ præ raritate ac tenuitate contine-
re ipſum non poſſint.ex quo fit vt nutriendi ratio pulmo
ni planè contraria ſit,ac cæteris omnibus partibus animā
tis, quemadmodum etiam corporis ſubſtantia. Vt igitur
magna huius alimenti copia pulmoni ſuppeteret,ad eum
ſanguinis exquiſitè elaboratus & extenuatus à corde tranſ
mittitur.Quod verò in capite cordis os inuenitur, non in
cunctis animalibus os exquiſitum eſt, ſed in grandiori-
bus eſt exacta cartilago, in valde grandibus cartilago oſ-
ſea,in maximis verò etiam magis oſſea. Arteria autem &
venæ totum cordis corpus in orbem complectuntur.nul-
lus erò neruus in ipſum videtur diſtribui, ſicut neque in
iecur,neque in renes, nec lienem.ſolum enim eius inuolū
crum pericardion, propagines neruorum tenuium reci-
pere videtur. Cæterùm toto corde nudato, videbis ſini-
ſtrum eius ventriculum ad ſummum verticem aſcendere,
dextrum inferius multo ceſſare, & circumſcriptionem,
propriā ſæpe habere: idque magis in magnis animalibus,
nonnunquam verò etiam in paruis.nonnulli igitur duos
quandoque vertices in cortice comperientes, duo corda
eſſe exiſtimant.Orificia autem quatuor, vaſorum eſſe qua
tuor dicimus.Cæterùm cordis auriculæ extra ventriculos
ipſius conſiſtunt. verùm ſiquis eas viſceris partes ſtatuēs,
numerum orificiorum maiorē faciat, is à nobis diſcrepa-
bit,ſiquidem vnum venoſæ arteriæ os in ſiniſtro ventri-
culo habetur,quod tamen non diutius permanet, ſed ſta-
tim ima amplitudine in quatuor particulas diſciſſum eſt,
quarum ſingulæ in ſingulos pulmonis lobos porriguntur.
Vtrique autem cordis ventriculi thorace patefacto pulſa-
re videntur, non eodem tamen modo vtriſque ſanguis &
ſpiritus continetur: copioſior enim multo eſt, in dextro
quidem ſanguinis, in ſiniſtro autem ſpiritus ſubſtantia.
Nunc verò quoniam cor natiui caloris, quo animal regi-
tur,quaſi focus quidā & fons eſt, omnis hoc modo ipſius
pars principem locum tenet:ſed magis eæ quarum vtili-
tas omni animanti vitam conſeruat.ſunt autem huiuſmo
di duo vaſorū orificia in ſiniſtro ipſius ventriculo, quem
medici ſpirituoſum appellare conſueuerunt. Per hæc au-
tem duo orificia, cor per minus cōtinuum eſt arteriis iis
quæ ſunt in pulmone,per maius verò omnibus quæ in to
to animali ſunt diffuſæ. minus autem erunt principalia,
quæ altero ventriculo cōtinentur,quem ſanguineum vo-
cant:& tamen hæc quoque præſtantiora ſunt cæteris,quo
rum alterum ſanguinem in cor intromittit, alterum ve-
rò ex ipſo in pulmonem deducit.

De pericardio, Cap. XVI.

COrdis tunica peculiaris pericardios appellata, diuer-
ſa ab vtraque harum eſt, in vtriuſque medio conſti-
tuta: non tamen ipſi cordis corpori hæc tunica pericar-
dios connexa eſt,verùm in aliis omnibus non parua quæ
dam interiecta eſt regio motui cordis accommodata. ad
baſim verò ipſius,quæ circulus eſt,prodeuntibus,ex ea va
ſis connexa eſt: quorum alterum eſt maxima arteriarum,
in ſiniſtra videlicet parte ſita:alterum, vena à iecore ſur-
ſum tendens,ad dextram regionem poſita. aliorum duo-
rum alterum arteriam venoſam, alterum venam arterio-
ſam nomino.

De Œſophago, Cap. XVII.

OEſophagus ſpinæ vertebris adiectus ac colligatus,ita
totum permeat thoracem,cum totius poſitionis ſta-
bilitate ac ſecuritate, vt nullam cordi, neque pulmoni,
neque alicui earum particularum quæ thorace continen-
tur,moleſtiam præbeat:obliquus nanque eius eſt ſitus. In
mediis enim ad perpendiculū quatuor primis dorſi ver-
tebris extenditur,nuſquam deflectens: ad quintam verte-

A bram deflectit ab eo curſu quem rectum facere deorſum
cœperat,& ad dextram digreditur,vt meliorem ſedē tri-
buat,cedátque præſtantiori inſtrumēto, maximè omniū
arteriæ: hāc enim ex ſiniſtro cordis ventriculo exortam,
& in totum corpus animantis diſtributam, cōſentaneum
fuit per opportuniſſimum locum vertebrarum, qui ſanè
medius eſt,ferri. Cæterùm ventriculi ſtomachus quatuor
primis vertebris thoracis inuehitur: propter autē reliquas
octo,ad dextram fertur,ob cauſas antedictas. quumpri-
mum verò phrenas attingit,quæ ſunt fines inferiores tho
B racis,membranis robuſtis ſublime admodum elatus ſu-
pra magnam arteriam,rurſus tranſit in alteram partē,quo
loco phrenas prætergreſſus ori ventriculi infigitur.

De ventriculo, Cap. XVIII.

ALiis omnibus animantibus natura non indidit ſen-
ſum eorum quæ deſunt,ſed inſtar plantarum à venis
ſemper alimentum attrahentes nutriuntur:ſoli autem vē-
triculo, & præſertim eius partibus iis quæ ad os pertinēt,
ſenſum rerum quarum indigens eſt,tribuit, qui animal
ad cibum ſumendum excitaret & ſtimularet.Cuius etiam
C rei cauſa eidem impartita eſt par neruorum haud paruo-
rum,quod ſupernè defertur,diſſeminatúrque,& contexit,
maximè quidem os eius, & partes ipſi continuas, & in a-
lias etiam partes vſque ad fundum ventriculi protendi-
tur. Poſitus autem eſt vētriculus potius in ſiniſtri anima-
lis partibus, eiúſque fundum ad dexteras partes proten-
ditur:ei verò à dextris adiacet iecur, quod ipſum ſuis lo-
bis quaſi digitis ad vnguem complectitur: lien verò à ſi-
niſtris.ſed iecur ſublimem poſitionem habet,adeò vt ſe-
D ptum tranſuerſum contingat: lien verò inferiorem.Sini-
ſtræ igitur dextræque ventriculi partes ab iis calefiunt:re-
tro verò à muſculis ſpinæ, cum pinguedine ſibiipſis ad-
nata:antè denique ab omento,quod vocant,id quod eius
calfaciendi gratia factum eſſe,perſpicuè licet cognoſcere
ex iis qui vulnus in abdomine acceperūt,in quibus omen
tum per vulnus excidit,deinde liuidum factū cogit me-
dicos partem læſam abſcindere: omnes enim hi frigidio
rem ventriculum ſentiunt,minúſque concoquunt,& plu-
rimis operimentis extrinſecus egent, & præſertim ſi ma-
E gnitudo inſignis fuerit abciſſa.Ventriculus rotūda atque
oblonga figura eſt.quà verò incumbit vertebris,compri-
mitur,& ob id ipſum eius vitiata eſt conuexitas. Ac fun-
dum quidem in hominibus eſt orificio latius. Porrò ma-
nifeſta iam tibi erit figura eius vniuerſa: ſphæram nāque
perfectam animo complexus,ipſam parte inferiore latio-
rem puta,deinde duplicem productionem facito, latio-
rem quæ ad œſophagum eſt, ſtrictiorem verò infernam:
tum comprimendo,& ſimam faciendo gibboſitatem po-
F ſteriorem,totam ventriculi figuram didiceris. Contrario
autem modo ſe habent ipſæ partes,& explantationes. ſu-
pernè enim,vbi vētriculus eſt ſtrictior, ſtomachus factus
eſt amplior: infernè autem vbi eſt latior, implantatio ad
inteſtinum ſtrictior eſt facta. Paulatim quidem à ſtoma-
chi implantatione dilatatur:quæ res perſpicuè docet, par-
tem ventriculi quandam prælongam, ab ipſo extenſam,
œſophagum eſſe: non paulatim autem, ſed repentè & ſe-
mel ex fundo ventris explantatum inteſtinum,ipſius ven
triculi non eſſe partem,ſed aliud quippiam ei connatum.
Iam verò tunicarum natura ventriculo quidem & ſtoma
G cho eſt ſimilis, diſſimilis autem inteſtinis: nam interna
tunica in ventriculo & ſtomacho membranoſior, villos
rectos ſupernè deorſum tendentes habet: externa verò
carnoſior, tranſuerſos, quales habent etiam binæ tunicæ
inteſtinorum. orbiculati nanque ſunt plerique villi inte-
ſtinorum, quum in eis pauci admodum recti ſunt pro-
tenſi. Ventriculus enim ad ſeipſum per ſtomachum ci-
bum & potum tanquam manibus, rectis his villis tra-
hat oportet, tranſuerſis verò propellat, quæ circulo con-
trahunt: quippe ſingula inſtrumenta quæ mouentur in
H corpore,pro villorum poſitione motus habent. inteſtinis
autem (attractrice enim non indigebant facultate) ſoli
ad propellendum idonei villi ſunt facti. Villis autem trāſ-
uerſis tenſis,latitudinem cōtentæ inter ipſas cauitatis mi-
norem fieri neceſſe eſt.rectè autem dum trahuntur, ac in

ſeipſas coguntur, fieri nequit vt non minuatur longitu-
do. at verò deglutientibus nobis, liquidò cernitur ſubla-
ta, & larynx ſurſum tantum recurrens, quantum gula deor
ſum trahitur. quúmque iam cõpleta deglutiendĩ functio
ne gula ſe laxauerit; perſpicuò iterum cernitur larynx de-
ſcendere: quandoquidem interna ventriculi tunica, quæ
rectas fibras habet, quǽque tum gulam intrinſecus veſtit,
tum os ipſum, ea ſuper laryngis partibus extenditur. ex
quo fieri nequit vt quum ipſa à ventriculo deorſum tra-
hitur, non ſimul etiam larynx attrahatur. at breuiare lõgi-
tudinem, munus inſtrumentorum quibus recti ſunt villi,
quò aliquid attrahant, eſt proprium. atqui oſtẽſum eſt gu-
lam attrahere, quum aliàs larynga non traheret. perſpicuũ
igitur eſt ventriculum per gulam cibos attrahere. Quine-
tiam in vomitione; eorum quæ vomuntur impetus, qui
vſque ad os fertur, omnino partes eas gulæ quæ à ſubeun-
tibus dilatantur, hiantes habet: partium verò quæ à fron-
te occurrunt, quamcunque apprehendit, hanc hiare inci-
pientem: quæ verò à tergo eſt, hanc vtique contractam re
linquit adeò, vt gulæ affectus hac in parte ſit omnino de-
glutientium affectui conſimilis. Verùm vbi tractus nullus
eſt, longitudo in talibus ſymptomatis ſeruatur: atque id-
circo deglutire facilius eſt quàm vomere. cauſa eſt, quo-
niam deglutitur vtriſque ventriculi tunicis agentibus, in-
terna quidem trahente, externa verò ſe contrahente, &
vnà trudente: vomitur verò, altera tantùm quæ foris eſt,
agente, nec illa in os trahente. non enim ſicut venter de-
glutire cibos expetit, ſic etiam in vomitionibus oris pars
vlla excitati affectus quippiã appetit. neque enim ea quæ
deglutiuntur, ad infernas partes ſua grauitate deferuntur,
vt nonnulli putauerunt: id quod clarè intelligitur ex iis a-
nimalibus quibus longum collum eſt; quæ quidem incli-
nata deglutiunt. Quæ res nobis argumento eſt, facultate
quadam vtentem gulam, aut per ipſam vẽtriculum deglu-
tire: quæ facultas quandoque ſine inflammatione reſolu-
ta, non ſinit vt animal non modò duri aliquid, ſed ne a-
quam quidem tranſglutiat. ex quo perſpicuum eſt, hanc re
ſolutionem euenire ſalubrium partium conſtitutione læ-
ſa, quũ intemperies quædam cõtingit: quam quidem ita
denique corrigemus, ſi partes ad naturalem ſtatum redi-
gamus. ſiue autem interna, ſiue externa ventriculi tunica
affecta ſit, vna adhibetur curatio tum eorũ quæ foris im-
ponuntur, tum eorum quæ ore deglutiuntur, & quando-
que eorum quæ eandem vim habentia loco applicantur.

De inteſtinis, Cap. XIX.

QVemadmodum venis quas natura diſtributionis in-
ſtrumenta fecit, facultatem gignendi ſanguinis indi-
dit, ne dum per eas fertur, tẽpus ipſi alimento fruſtra pe-
riret, ad eundem modum inteſtinis gratia diſtributionis
in venas inſtitutis facultas quædam concoquendi cibos
ineſt. Cæterùm inteſtina facta ſunt, non vt ſuperuacanea
prorſus deferantur, aut cõcoctionis cauſa, ſed vt id omne
quod in ventriculo in ſuccum eſt mutatum, aſſumatur in
venas. Quocirca quũ inteſtinorum circumuolutiones in-
numerabilem quandam venarum multitudinem ex he-
pate ſibi habeant inſertam, omnem in ventriculo conco-
ctum ſuccum ſurſum mittunt. Quoniam verò vnum ge-
nus motionis ineſt inteſtinis, quo propellunt, ita vnum e-
tiam tantummodo tunicæ genus in tranſuerſos & rotun-
dos villos diſſolutum nacta ſunt. Sed cur tandem binæ tu
nicæ extiterunt, ſiquidem ſimiles ambæ ſunt? ſuperuaca-
nea nanque videtur eſſe altera. at non ita eſt: nam duplex
eorum eſt tunica, tum vt facultas ipſorum expultrix eſſet
valentior, tum verò vt ipſa inſtrumenta eſſent ab iniuriis
tutiora, quod vel maximè indicant morbi dyſenterici.

Multos ſanè ac ſæpe vidimus, quibus, quum morbis
grauibus & diuturnis fuiſſent conflictati, maxima inteſti
ni pars putreſceret, adeò vt cõpluribus locis tunica omnis
interior eſſet exeſa, qui tamen vixerunt, & ſuperſtites fue-
runt: quod alioqui non eſſet factum, niſi ſecunda quædam
alia extrinſecus corruptæ illi tunicæ acceſſiſſet. Cur au-
tem externo alimento non continuò egeamus, inuolucra
inteſtinorum in cauſa ſunt: quemadmodum cur non ſub-
inde, ſed longo interuallo egeramus, cauſa eſt craſſi inte-
A ſtini latitudo, ceu ſecundus quidam venter eis ſubiectus.
nam ne egererent aſſiduè, néve meierent animalia, hu-
midis excremẽtis veſica ſubiacet, ſiccis verò inteſtinum,
quod craſſum nominant, quod etiam inferiorem ventrẽ
quidam vocant. principium autem eius eſt cæcum inte-
ſtinum: vbi enim tenue inteſtinum deſinit, illic ad dextrã
quidem cæcum, ad ſiniſtram autem colon emergit, dex-
tra prius ilia præteruectum. ac cæcum quidem prorſus, vt
vẽter quidam, eſt craſſum, excrementis recipiendis aptũ,
cui colon proportione reſpondet. Primùm igitur exortus,
B quem ex pyloro inteſtinum excipit, ſatis eſt anguſtus, nec
in orbes circumflectitur, & ad ſpinæ partes extenditur, ab
hoc, quod à duodecim digitorũ longitudine, δωδεκαδά-
κτυλον appellant, vt Herophilus verè memorauit; variè in
orbes conuoluitur, vaſorum complurium ſerie cõtextos,
quod ieiunum nuncupant, quia ſemper cibo vacans inue-
nitur. inde tenue inteſtinum eſt, ſubſtantia quidem huic
ſimile, ſed differens, quia neque vacuum reperitur, neque
tantam vaſorum habet multitudinem. deinde ſequitur
id quod cæcum vocant, poſtea colon: ab hoc denique in
C extremo rectum appellatum inteſtinum ad ſedem vſque
porrigitur.

De Peritonæo, Cap. XX.

SI muſculos omnes qui abdominis ſunt, ab ea cartilagi-
ne quæ enſis formam habet, vſque ad oſſa pubis diui-
des, in corpus quoddam tenue, latæ aranearum telæ ſimi-
le incides, quod peritonæum vocãt: hoc enim ei nomen
eſt inditum, ἀπὸ τ περιτετᾶσθαι, hoc eſt, quia cunctis viſce-
ribus, cũctiſque inteſtinis prætendatur: itémque vaſis, quæ
inter ſeptum tranſuerſum & crura habentur. ita verò & a-
D liis quæ his interiacent, omnibus obducitur, quorum nu-
mero vulua & veſica continetur. Hanc tenuiſſimam mem
branam haud facilè eſt detrahere citra diuulſionem, præ
ſertim ſepti tranſuerſi, & duorum muſculorum abdomi-
nis tranſuerſorum eam attingentium, ſingulorum quidẽ
in vtraque parte, ſiniſtra atque dextra. vbi enim hi latum
tenuémque tendinem, puta aponeuroſin ediderint, peri-
toneos membrana ſolutu contumax eis cohæreſcit, vt e-
tiam abdominis ſuturam, quæ γαςροῤῥαφία dicitur, quã ſo-
lius peritonæi facere licet, cum dicta aponeuroſi admini-
ſtrare nouerimus. Peritonæi vtilitates plures ſunt animã-
E tibus: prima quidem vt operimẽti omniũ ſubiectarũ par
tium: ſecunda autẽ, vt ſepti trãſuerſi inter hæc ipſa & mu-
ſculos extrà incumbentes: tertia vt excrementa ſicci ali-
menti citius ſubeant: velut enim à duabus quibuſdã ma-
nibus, à peritonæo & ſepto tranſuerſo, supernè quidem
coniunctis, infernè autem diſtantibus, conſtricta ea quæ
in medio ſunt, exprimunt, deorſúmque alimenti excremẽ
ta pellunt. quarta, ne inteſtina & ventriculus flatibus faci-
cilè impleantur: prætenſa enim hæc membrana ſtringit,
F & cõtrahit, ac facilè flatum partim infrà, partim ſuprà ex-
primit: quinta denique vtilitas, vt omnia quæ ſub ſepto
tranſuerſo ſunt ea colligentur, & velut pelle quadam v-
numquoque priuatim tegatur.

De omento, Cap. XXI.

EΠίπλοον, *id eſt omentum*, ex duabus tunicis denſis & ſub-
tilibus, ſibiipſi incumbentibus, quamplurimis verò
arteriis & venis, & pinguedine non pauca conſtat. Com-
ponitur enim ex duabus veluti plicis peritonæi, tum ex
vaſis quæ media inter ipſas continentur: eáque ipſum o-
G perit, contegit, atque ſtabilit. Aiunt autem epiploon eſſe
nominatum, quia inteſtinis ſupernatet, Figuram maxi-
mè marſupii, peræ & ſacculi habet, quod orificium ex
ventriculo exortum ſuperius & inferius obtinet. totum
verò eius ſpatium vſque ad fundum, quatenus ex prædi-
ctis principiis conſiſtit, deorſum procedit: id quod ita eſ-
ſe euidentius cognoſces, ſi ipſum inibi abſciſſum, & nulla
alia parte aut perforatum, aut diuulſum cupias implere
aut liquida aut ſolida re: implebitur enim ſi integrũ ſit,
& ſibi totum continuum, inſtar marſupiorum. Iam verò
H facilè erit etiam ab animali perfectè eximere: breues e-
nim adhuc connexus ſuperſunt ad lienem, & colon,
poſtquam ipſum à totis primis proceſſionibus fuerit ſe-
paratum. Adnaſcitur id etiam nonnunquam, ſed raro, ie-
coris fibræ, aliâs alii, & cuidã coſtæ ſpuriæ: neq; huic vni

A perpetuò,ſed vt ſors tulerit. Cæterùm plerunque ab aliis omnibus liberatur atque ſeiungitur, præterquam ab his tribus, ventriculo, liene,& colo,quibus eſt perpetuò connexum.

De meſenterio, Cap. XXII.

MEſenterium quoque à peritonæo ortum habet:id etiam meſeræon appellant, vtroque nomine ab accidentibus eidem impoſito: vt menſenterium à ſitu, meſeræon verò à peculiari ſubſtantia nominetur. medium B enim inter inteſtina ſitum eſt,& omnes venas è iecore in ipſum deſcẽdẽtes vnà cũ vicinis arteriis & neruis in orbem complectitur,quemadmodum ſingula inteſtina.Ergo vbi vaſis & inteſtinis obtenditur,ſimplex eſt:vbi verò ipſis medium interiacet,non amplius indumẽti,ſed ligamenti vſum præbet:eſt enim duplex.

Pancreas, Cap. XXIII.

VEna à iecore deſcendens, mediáque inter ventriculum & inteſtina adducta, ſubiectis vertebris ſupergreditur,atque in eundem locum vadit ea quæ cum ipſa C in ramos, in totum meſeræon ſpargẽda eſt: itémque arteria & neruus qui cum arteria atque vena ſeſe per totum meſenterium diffundit,in hunc locum eſt perductus,quẽadmodum meatus excrementum bilioſum ex ea veſica quæ hepati inhæret vacuaturus.Quũ igitur oporteret venam,arteriam,neruum,& quartum cum eis vas bilem cõtinens in hunc locum à natura perduci, earum quoque diuiſionis principium ibidem conſiſtere neceſſe erat.Hic igitur locus magno præſidio indigebat, quò vaſa in ipſo diſtribuenda ac diſcindenda munirentur: quamobrem natura glanduloſum quoddam corpus fabricata, quod D πάγκρεας appellamus,ſubſtrauit, ac in orbẽ omnibus circundedit,diuiſionéſque repleuit, vt nihil ipſorum facilè findatur,aut ſine munitione ſit:ſed quum in molli,& mediocriter cedente corpore conquieſcãt, ſi motu cieantur, paulò vehementiora,illæſa, inconcuſſa, infractáque perpetuò cõſeruentur. Quinetiam robuſtas membranas tum priuatim ſingulis vaſis, tum communiter ipſis omnibus circumpoſuit,ea veſtientes ac iungentes non modò cum glandula, ſed præter eam, in primis ac maximè ſubiectis corporibus quæ ad ſpinam ſunt poſita:poſt illa autem, cũ E aliis etiam omnibus inſtrumentis circunfuſis.

De ſepto tranſuerſo, Cap. XXIIII.

VNus eſt thoracis muſculus nõ viliſſimus,quem phrenas,aut diaphragma, *id eſt ſeptum tranſuerſum*, nominant. medium verò in phrenibus eſt muſculus,qui intendinem latum ex omni parte à carnoſis comprehenſum definit. ex vtraque enim parte inferiore & ſuperiore tenuis membrana obhæreſcit, & à membranis hiſce thorax intercipitur.Duo autem ſunt ſepti tranſuerſi foramina,al- F terum quà vertebris via exhibetur, ſtomacho & magnæ arteriæ præparatum: alterum verò minus, cauam venam ſupernis animalis partibus ſanguinem deriuantem excipit,& magna cum ſecuritate tranſmittit:ei enim nexu ferè indiſſolubili cohæret,& membranã ſimul quæ in dextra thoracis habetur, emittit. porrò ventriculi orificium propter ſeptum tranſuerſum eſt poſitum:non tamen validè connexũ,veluti vena caua ſpectatur,ſed eſt laxis membranis interceptum.

De iecore, Cap. XXV.

G IEcur in cũctis hominibus nec magnitudine,nec fibrarum numero ſimile ſpectatur:déque eo diligentiſſimè ſcribens Herophilus,hæc memoriæ commendauit,Iecur humanum perquam magnum eſt, & maius quàm ſit iecur quorundam aliorum animalium, quæ eiuſdem cum homine magnitudinis ſunt: & quà ſeptum tranſuerſum attingit,gibbum eſt atque læue:quà verò ventriculum,ſimum eſt & inæquale.Aſſimilatur autem cuidam rupium interuallo, quà etiam fœtibus ex vmbilico vena in ipſam H innaſcitur:non tamen in omnibus eſt ſimile,ſed & latudine,& longitudine,& craſſitudine,& altitudine,& fibrarũ numero, & inæqualitate ex parte anteriore, quà craſſiſſimum eſt,& ſummitate orbiculata: quà extenuatur, inuicem diuerſum eſt. Etenim in quibuſdam fibras nõ habet,

A ſed totum rotundum,& minus rectũ:in quibuſdam duas, in aliis plures, in multis verò etiam quatuor. atque hæc quidem Herophilus rectè: præterea iecur ſiniſtram occupare partem in paucis hominibus,non autem in paucis aliis animalibus,idem verè conſcripſit. Hoc autem viſcus venas à meſenterio ad concauam ipſius partem pertinentes excipit:húncque locum in quem venæ omnes colligũtur,portas iecoris vocant: vbi etiam inuenies maximum venæ os. A portis verò in ſingulas fibras, quotquot fue- B rint,venam vnam magnam porrigi cõperies, qua in multas exiles diffuſa,quantum vaſa interiacent, totum eſt carne viſceris repletum.Eam Eraſiſtratus parenchyma nominat. Cæterùm vniuſcuiuſque iecoris venæ tunica admodum tenuis eſt, qualis nulla alia in toto animanti. ſtatim verò,ſi accuratè locum ad portas ſitum intuebere, meatũ ex veſica fel excipienti conſpicies ad inteſtinorum productionis initium peruenientem non multo inferius quàm pylor⁹ habetur, vt bilis ſeparetur. Præterea exiguũ quandoque deſe ramum ſupra pylorum emittit: quinetiã neruum admodum paruum vnà cum vena ad viſcus ferri C conſpicies in membranam extrinſecus ambientem delatum, præterquàm quòd profundius cum ea diffinditur, ne viſcus omnino ſenſus expers eſſet. Caro autem iecoris, quæ eſt primum ipſius corpus, primum ſanguinis gignendi inſtrumentum eſt:quapropter & venis quæ ad vẽtriculum & vniuerſa inteſtina perueniũt, facultas efficiendi ſanguinis ineſt, qua ſuccum qui ex cibis diſtribuitur, priuſquàm is ad iecur perueniat, in ſanguinem permutare aptæ ſunt. Coniunctum eſt iecur ventriculo inteſtiniſque omnibus per venas,& colligãtem ipſas tunicam: aliis verò proximis corporibus per tunicam ea contegentem, D quæ originem à peritonæo ducit,vt ita omnibus internis coniungeretur:ſiquidem omnia tunica hac obuoluuntur: magno præterea vinculo cum ſepto tranſuerſo, aliiſque membranoſis & paruis quibuſdam connexum ſpuriis coſtis fecit. Verùm id vinculum quo ſepto tranſuerſo coniungi dictum eſt,ipſum quoque eſt corporis ſubſtãtia peritonæo ſimile,quippe quod ortũ habeat ex tunica ipſum iecur ambiente,& ea quæ ſeptum trãſuerſum infernè ſuccingit.Copulatur enim iecur non ſolùm ſepto tranſuerſo ibi, ſed etiam cordi per ſeptum tranſuerſum: nam venæ E cauæ ad cor aſcendentis per ſeptum tranſuerſum, vt quod in medio vtriuſque viſceris eſt, vinculum vnum durum & craſſum natura præparauit,quod & venæ indumẽtum, & commune ligamentum ad ſeptum tranſuerſum tum venæ tum toti viſceri eſſet.

De Liene, Cap. XXVI.

LIen inſtrumentum eſt quod purgat limoſos & melancholicos ſuccos qui in iecore gignuntur: hos enim attrahit per vas venoſum tanquam per gulam quandam: F attractos autem non protinus in ventriculum excernit, ſed ipſe prius per multum otium eoſdem conficit atque commutat. Quicquid igitur eorum in ſuccum huic viſceri maximè accommodatum fuerit tranſlatum, id ſpleni fit alimentum:quod autem ab ea confectione quæ in liene fit exciderit, neque in ſanguinis tenuis atque vtilis ſpeciem tranſmutari potuerit,omninóque fuerit ad nutriendum inutile,hoc ad ventriculum per aliam quandam venoſam gulam lien eructat, vtilitatem ipſum quoque non mediocrem præſtans.Propriũ autem lienis corpus, quod G parenchyma à quibuſdam dicitur,rarum admodum & laxum eſt,inſtar ſpongiæ cuiuſdam, vt ſuccos craſſos facilè trahat & excipiat. Lien in ſiniſtris eſt ſitus:ſempérque conuerſa ſunt eius ſima ad dexteram ad iecur & vẽtriculum: gibba videlicet ſimis opponuntur.

De renibus, Cap. XXVII.

DExter ren in omnibus animalibus eminet elatior. is nonnunquam magnam iecoris fibram cõtingit: ſiniſter autem eſt inferior. à ſpinæ autem vaſis, vena inquam H & arteria, inferuntur in renes non exiguæ magnitudinis vaſa: inſuper verò concaua in ſeſe conuerſa habent, gibba verò ad animantis latera aduerſa. ſinum tamen renis perſpicuè cernes corpore quodam membranoſo circircundatũ,qui in aliqua ipſius parte non procul à vaſorũ

inſertione aliud quoddam corpus habeat concauum & oblongum. Nominatur autem meatus vrinarius,qui renem veſicæ committit: huiúſque meatus os ſenſui patet, licet non adeò grande animal fuerit. Porro hic meatus vnica peculiari tunica obductus eſt, ſicut alia omnia quæcunque peritonæo ſuſpenſa ſunt. Cæterùm vrinæ à ſanguine ſeparantur,renibus vrinam attrahentibus, indéque ad veſicam per vreteres tranſmittentibus: quæ poſtea inde excernuntur eo tempore quo analogiſmus iubet. Iam verò neruum habent renes,quantum lien, iecur & veſica quæ fellis capax nominatur: hæc enim omnia neruos omnino exiles recipiunt, in ſuis ipſorum tunicis extrinſecus conſpicuos: naturáque ſenſus cuique tantum elargita eſt quantum par erat,vt à plantis ſeiungerentur,& particulæ animalis eſſent.

De Veſicis, Cap. XXXVIII.

VEſicæ quæ vrinam excipit,neruos à ſpinali medulla, qua parte os quod latum ſiue ſacrum vocant, ſitum eſt, natura infixit: proximè nanque ipſam ea medulla fuit collocata: venas autem & arterias, à popinquis ipſi vaſis,quà ſcilicet primùm arteriæ & venæ à magnis ſpinæ incũbentibus crura ſubeunt. Alteri verò veſicæ quæ ad iecur ſita eſt, arteriã & neruum ab iis quæ in viſcus ipſum inſeruntur,deducẽs,paruum vtrunque admodum, ac vix conſpicuum, at ſenſibilem & perſpicuam venam ab iis quæ ſunt ad portas producens,tria hæc omnia corpori veſicæ vno in loco, ad id quod collum vocant, infixit. pari quoque modo in veſicam aliam maiorem ad ipſum collum vaſa ſex infixit,vtrinque videlicet tria. Cæterùm modus quo vreteres quidem in veſicam, in inteſtinum verò meatus qui bilem continet, infigitur, admirationem omnem excedit: nam obliquè in ipſa inditi, & intrò vſque amplitudinem obliqui ac prælongi pertinentes, velut membranam quandam eorum quæ intus ſunt,ſuccidunt, quæ ab excrementorum intrò irrumpentium impetu euertitur atque aperitur, reliquo verò omni tempore concidit & contrahitur,aque ita firmum operculum meatui efficitur,vt non ſolùm humoribus, ſed etiam flatibus reditus ſit omnis intercluſus.

De Vulua, Cap. XXIX.

VVlua intra peritonæum ſita eſt, inter veſicam & rectum inteſtinum,vt recto inteſtino toti fere incumbat:ad vmbelicum verò, qua parte fundum eius eſt, maiore ex parte veſicam excedit: ad cunnum veſicæ collo ſuperatur. Fœminarum veſica ad pubem collocata eſt, breuiorémque virili ceruicem & latiorem habet, quæ inter oſſa quæ pubis vocantur, in cunnum iuxta exteriorem ſuperiorémque eius finem pertingit, rectum verò inteſtinum oſſi quod ſacrum appellatur, & quibuſdam vertebris lumborum inſidet : ſinuatur enim hac in parte intrinſecus ſpina dorſi, quocirca extrinſecus gibba videtur. Vuluæ magnitudo in omnibus æqualis non eſt : multò enim minor enixæ eſt,maior verò prægnantis.Eius verò quæ nunquam concepit,eſt etiam multò minor: quod in ætatibus etiam iis quæ nondum venereorum annos attigerunt, vſu venit:nam alioqui iis quæ rebus veneris non vtuntur, minor ſemper eſſe conſueuit. atque eius quidem moderatam magnitudinem deſcribere conabimur. Superiorem eius partem vterus,hoc eſt fundum,iuxta vmbilicũ, inferiorem ad cunnum protendit. A loco autem vnde incipit ad cunni terminum exteriorem, non æquale in omnibus eſt:plerunque tamen ſpatium moderatum eſt nouem aut decem digitorum. In latitudinem verò ad vtraque ilia ſuis cornibus exporrigitur. De finibus eius, quãtum ad profundum pertinet, iam dictum eſt, veſicam & rectum inteſtinum vuluam terminare,illã ſuprà,hoc infrà. Cunnus verò ea inanitas eſt,quæ intra oſſa pubis penetrat, extrinſecus pelliculam quandam innatam habens, quæ virorum præputio proportione reſpondet. Vuluæ figura cum in reliquo corpore,tum præcipuè in eius fundo,veſicæ eſt ſimilis:nam quatenus à lateribus proceſſus quoſdam mamillis ſimiles ad vtraque ilia emittit,in eo à veſica differt:quorum figuram Herophilus dimidiati globi reuolutioni aſſimilat. Diocles verò cornibus exorientibus,vnde κεραίας

A *hoc cornua*,nomine ἀπὸ τοῦ κέρατος, *id eſt à cornu*, deducto appellauit.

De pudendis, Cap. XXX.

COrpus neruoſum ex oſſibus quæ pubis dicuntur,exoriens,cauum ſimul, &ab omni humore vacuum genus pudendorum efficit. Quum verò hic neruus cauus ſpiritu impletur, tum euenit vt in coitu membrum intendatur. Idque non ſolius coitus cauſa(quod fortè quiſpiam exiſtimarit)tenditur,ſed quò meatu diducto & directo ſemen quamlongiſſimè eiaculetur. Quamobrem B in vtraque parte huius caui nerui natura duos muſculos collocauit,quò meatus, ceu à manibus quibuſdam in vtranque partem diſtractus dilataretur,toto pudẽdo ſtabili permanente. Futurum ſanè erat vt meatus latitudo huiuſmodi conſtructione conſeruaretur. Vtile autem eſt,dum ſemen excernitur, meatum & latiſſimum & rectiſſimum exquiſitè teneri,quò ſemen totum ſibiipſi continuum confertim quàcelerrimè ad vuluæ ſinus perueniat. quùm que veſica propè eſſet conſtituta, non erat melius ad ex- C cernẽdum lotium, alium meatum efficere quàm eo quo ſemẽ importaretur, ſimul vti. Iurè igitur & ipſius collum totum perinæum occupauit,vt quod ſurſum ab ano, cui primò incubabat,vſque ad pudendi exortum feratur. In mulieribus verò quibus pudendũ non eſt prælongũ,ceruix veſicæ huiuſmodi exortum non habet,ſed pudẽdum ipſum muliebre ano imminet:in finem verò eius ſuperiorem collũ veſicæ deſinit,vnde lotium profunditur:quod non magnopere inflexum eſſe oportuit vt in viris, neque adeò longum. Cæterùm vt pharyngi gurgulio propugna- D culum eſt,ita vteris,quam nympham vocant,quæ tegit ſimul,& prohibet ne ceruicis orificium,quod ad muliebre pudendum pertingit,refrigeretur.

Ex Sorano,de vulua & pudendo muliebri, Cap. XXXI.

VVlua dicitur μήτρα & ὑστέρα & δελφύς. ac μήτρα quidẽ, *hoc eſt matrix*, quia mater eſt fœtuũ qui ex ipſa eduntur: vel quia eas quæ vuluam habẽt, matres efficiat: vel,ex quorundã ſententia ; quia cõſtitutum & definitum tempus ad purgationes & partus habeat. ὑστέρα verò nominatur, quòd omnium viſcerum ſit extrema : idque cum E exquiſitè , tum verò latitudine. δελφὺς porrò nuncupatur, quia ἀδελφοὺς, *hoc eſt fratres*, gignat. Sita eſt vulua in coxendicum amplitudine intra veſicam & rectum inteſtinum : huic autem ſuprapoſita , veſicæ verò ſubiecta; quandoque tota, quandoque eius pars,quandoque pro eius magnitudine commutatur. Nam in infantibus minor eſt quàm veſica: quocirca tota eſt veſicæ ſuppoſita. In virginibus verò quæ ætatem florẽtem agunt,veſicæ eſt æqualis in iis partibus quæ ſupra ſunt ſitæ:quæ verò ætate pro- F greſſæ, & venerem expertæ ſunt,ac multo magis quæ iam pepererũt,in iis eſt maior ,vt plerìſque ad finem coli inteſtini cõquieſcat. *Sed dum vterus geſtatur,videre licet peritonæum in magnam molem elatum , itémque abdomen.Quod etiam ex eo fit quia tantus eſt fœtus vnà cum ſuis tunicis,atque humoribus. Poſtquàm verò fœtus eſt in lucem editus,contrahitur quidem vulua, ſed ita vt ſit maior quàm ante partũ. Tunc igitur eſt maior quàm veſica, ſed non tanto quantum ſub eam graditur: nam in partibus anterioribꝰ ceruix veſicæ eſt palmo maior, finémque habet vrinaculum , & tota in muliebrem ſinum porrigitur: ab hyſtera verò antè ſeceſſit. In poſteriore verò par- G te,ſupra veſicæ fundũ,vuluæ fundum eſt,vmbilico ſubiectum:ex quo fit vt veſicæ amplitudo collo matricis adhæreat,fundũ verò veſicæ. Cæterùm vulua cõnexa eſt tenuibus membranis partibꝰ quibus ſubiecta eſt,veſicæ:iis verò quæ ei ſubiiciuntur,recto inteſtino: à lateribus verò cõnexa eſt iis quæ à coxendicibus & oſſe ſacro exoriũtur. Quibus ſanè partibus ſimul vlceratis inflammatione quadam retrahitur & retro cedit:iis verò reſolutis & laxatis,concidit. Non eſt autem(vt quidam putauerunt)animal: loci ta- H men ſenſum æquè ac alia eſt conſequuta : quamobrẽ à refrigerantibus cõtrahitur,à rarefacientibus verò relaxatur. Vuluæ figura in mulieribus non eſt circumuoluta, vt in animalibꝰ quæ ſunt rationis expertia : ſed eſt cucurbitulæ qua medici vtuntur,adſimilis:rotundo enim & lato fine,

qui ad fundum eſt, incipiens,ad proportionem in angu-
ſtum oſcillum redigitur.oſcillum nanque appellant pri-
mam & prominentem eius partem:quod ſequitur,collum
dicitur:quod remanet,ceruix:horum cōcurſus, coles:quæ
vtrinque poſt colli anguſtiam dilatatæ primæ partes,hu-
meri hyſteræ:quæ poſt hæc ſita ſunt,latera:quod ſubiectū
eſt,baſis.tota regio,cōceptaculum,& venter,& ſinus.oſcil
lū verò in medio cūno eſt:collū enī à labris genitalis mu-
liebris cōſtringitur.ab iis verò ſeiūctū eſt os,in quibuſdā
magis,in quibuſdā minus,pro ætatis ratione.plerūque ve
rò in adultis,quinque aut ſex digitis.magis autē depromi-
tur ſub pariendi tempus, quū collum protenditur. Eſt ve-
rò eius etiam diuerſa magnitudo : quanquam in plurimis
ſecundum naturam tantum eſt, quantum externa ora am
plitudinis audiendi ſenſus patet.Dehiſcit etiam quibuſ-
dam temporibus,vt quū corporis commiſcendi libidine
ducitur,vt ſemen excipiat: & in purgationibus, vt ſangui
nem excernat:itémque in conceptionibus,pro ratione fœ
tus incrementi.in partu autem plurimùm dilatatur,ita vt
manum etiam totam intra ſe recipiat:ſuapte tamen natu-
ra delicatum & carnoſum eſt.Sed in iis quæ venereis re-
bus ad ſatietatem vtuntur,inanitati pulmonis,aut linguæ
mollitiei ſimile redditur: in iis verò quæ ſæpe concepe-
runt,calloſius efficitur, capiti polypi,aut ſummæ gutturis
parti,vt Herophilus ſcribit,perſimile. callum enim cōtra-
hit tum eorum quæ excernūtur,tum fœtuum exeuntium
attritu.Vulua ex maiore eius facultate neruoſa eſt:compo
nitur enim non ſolùm ex neruis,ſed etiam ex venis,carne
& arteriis:ex quibus,neruos à ſpinali mēbrana ad ſpinam
accipit : venæ autem & arteriæ à vena caua ſpinæ adhæ-
rente,itémque à craſſa arteria in eam deferuntur.nam à
vena caua duæ venæ diuaricantur : ab arteria verò craſſa,
duæ arteriæ:ex quibus vna vena vnáque arteria, ad vtrun
que renem ferūtur:deinde priuſquàm renibus committā-
tur,in duos ramos deſciſſæ, duobus quidem proceſſibus
in vtrunque renem inſeruntur,duobus autem vuluam cir
cumplectuntur:ita fit vt quatuor ſint vaſorum in eam in-
ſertiones,duo arteriarum, duóque venarū. Ex his ipſis in
vtrunque teſticulum vna vena vnáque arteria ſimul im-
plantatur : adnati enim extrinſecus ſunt teſtes prope cer-
uicem in vtroque latere ſinguli. Cōſtāt hi molli carne,&
glandoſa,& propria membrana conteguntur.figura vt in
viris,ſed oblongi ſunt,modicè ſimi, & rotundi, & ad ba-
ſim paululum dilatantur. Meatus verò ſeminis à vulua in
vtrunque teſtem procedit:[& * apparatibus adiunctus vſ-
que ad veſicam,]eius collo committitur.hinc videtur fœ
minarum ſemen ad gignendum non recipi,quia foras ef
fundatur: qua de re dictum à nobis eſt in libro de ſemi-
ne. Nonnulli verò, inter quos etiam eſt Chius,volunt æ-
quales teſtium appendices, qui cremaſteres dicuntur,eis
committi,id quod nos propriis oculis intuiti in muliere,
cui inteſtina in ſcrotum deſcenderant,hiſtoriæ mandaui-
mus,in qua quū chirurgiam exerceremus, teſticulus antè
cecidit,laxatis videlicet vaſis ipſum continentibus & cir-
cundantibus,& cum eo cremaſter concidit. Tota autem
vulua ex duabus conſtat tunicis inter ſe ita formatis vt
chartarum villis ſint perſimiles:quarum exterior, neruo-
ſior,perfectior,durior, leuior,cādidiórque eſt:interior ve
rò carnoſior,hirſutior,mollior,& rubicundior: per totum
vaſis intertexta,ſed pluribus & notabilibus in fundo,quū
ibi ſemen agglutinetur, & inde purgatio progrediatur.
Duæ autem hæ tunicæ ſibi mutuo adhærent, membranis
gracilibus & neruis cōiunctæ,ita vt ſæpenumero his pro-
tenſis vterus concidat, quū ſcilicet neruoſa tunica ſuo lo-
co maneat, interna verò inuerſa procidat. Eſt etiam hoc
commune, vt in ſterilibus vterus in fundo duo habeat a-
micula, vtplurimùm variis modis conduplicata:in iis ve
rò quæ pepererunt,tota extenditur,& rotunda efficitur.Iā
verò Diocles vult in vteri amplitudine & acetabula, vel
cirros, & cornua eſſe: qui proceſſus quidam mamillares
ſunt,lati quidem ad baſim,in ſummo verò minoribus ter
minis definiti:vtrique lateri à natura magna prouidentia
adiuncti,vt fœtus antè aſſueſcat papillas mammarum exu
gere.Sed qui ita ſentiunt,in diſſectionibus falſi ſunt : ne-
que enim acetabula comperiuntur,& omnino ſuperuaca-

A nea eſt de eis inſtituta oratio,vt in commentariis de geni
tura animalium eſt demonſtratum. Nunc verò minimè
exiſtimandum eſt,vterum principatum ad vitam obtine-
re:quia is non ſolùm procidit, ſed in quibuſdam etiam
præciditur,nec tamen mortem affert, vt Themiſo litera-
rum monimentis commendauit. Præterea in Gallia ſues
habitiores, & valentioris alimenti fieri aiunt,poſtquàm
vterus abſciſſus fuerit.Quū tamen vulua patitur, ſtoma-
chum & membranas per conſenſum pati conſtat.Eadem
habet cum mammis naturalem conſenſum quendam : ex
B quo fit vt quū florenti ætate vulua magna efficitur,mam
mæ quoque vno & eodem tēpore intumeſcant: ipſa quo
que ſemen perficit:mammæ verò ad fœtum alendum lac
parant: menſibus porrò procurrentibus lac euaneſcit:vbi
verò lac in mămis eſt,menſtruæ purgationes nullæ appa-
rent: quemadmodum etiam in iis quæ anus iam ſunt,con
tracta vulua mammæ itidem quodammodo areſiunt.ſi i-
tem fœtus patiatur,vbera quoque anguſtātur.Ex quo con-
ficitur,vt quū in prægnantibus mammas diuulſas & con-
tractas videamus, futurum abortum prædicamus.atque
huiuſmodi quidem eſt vuluæ natura.
C

De pudendo muliebri,
Cap. XXXII.

MVliebre pudendum, ſinus etiā nominatur. mem-
brana eſt neruoſa,& modicè rotunda,inſtar inteſti-
ni: amplius tamen intus eſt,& foris anguſtius,in quo coi-
tus fieri conſueuerunt. eius porro interior pars collo ma-
tricis, quemadmodum etiam in viris, externa cunni la-
bris,inferior ano, eius latera carnoſis coxendicum parti-
bus,ſuperior denique veſicæ collo adnaſcitur : hoc enim
D (vt antè dixi)incides ſub ore vuluæ,& supernè cunno ad-
iunctum,in ſummo in vrinariū meatū inſeritur. apparet
ergo ſinum muliebrem colo veſicæ ſubiectum eſſe : ano
verò,& conſtrictiori,& ſummæ parti recti inteſtini ſuper-
ſtare. eius longitudo (vt ſuprà demonſtrauimus) eſt inæ-
qualis : idque non ſolùm habita ratione ætatum aut con-
cubitus, in quibus extenſum vteri collum, vt eſt etiā vi-
rilis coles, partem quandam ſinus occupat, ſed etiam na-
turæ ipſius : quippe quū nonnullæ collum habeant pro-
E penſius, nonnullæ verò admodum curtum aut mutilum:
plurimis verò earum quæ ad perfectam ætatem perue-
nerunt,ſex digitorum eſt: concidit tamen, anguſtiuſque
eſt in virginibus,amiculis occultatum coniunctis inter ſe
per vaſa,quæ productiones à vulua capiunt : quæ quidem
concubitu dolorem afferunt apertis ipſis amiculis. rum-
pūtur enim & ſanguis eò importatus de more excernitur.
Putare autem tenuem membranam quandā exortam eſ-
ſe quæ ſinum intercipiat, eámque in excretionibus rum-
pi,& dolorem afferre,aut citius purgationes *commoue-
F re,quúmque in corpus euaſerit, eum morbū gignere quē
ἄτρητον, hoc eſt quum genitalia cōcreta ſunt,nec foramē
vllum habent,falſum eſt. primùm enim ex diſſectione ni
hil tale inuenitur : præterea in virginibus deberet hæc
membrana aliquantulum ſpecillo reſiſtere,ſed ſpecillum
in profundum vſque ingreditur : tertiò ſi quū vitiantur,
hæc membrana rupta doloris eſt cauſa, neceſſe profectò
erat vt in virginibus antequàm vitiarentur, quū purga-
tiones apparerent,dolor quoque ſequeretur, in ipſa verò
excretione non item. Iam verò ſi mēbrana corporea red-
G dita morbum creat, quo genitalia coaleſcunt, opus eſſet
vt id perpetuò eodem modo inueniretur,quo cæteras par
tes ſuo quaſque certo & definito loco ſitas intuemur. at in
non perforatis mulieribus membrana hæc interſepiens
quandoque in partibus labrorum quæ in promptu ſunt,
inuenitur, quādoque verò in medio cunno quādoque in
medio ore vuluæ. Eiuſmodi ergo cunnus eſt. Quæ verò
extrinſecus videntur πτερυγώματα, hoc eſt, ambitus geni-
talis muliebris,tanquam labra ſinus adſtant:hæcque labra
craſſa ſunt,carnoſáque,& ad partes inferiores in vtrunque
H femur deſinunt,veluti inter ſe abſciſſa:ad ſuperiores verò
partes in eam quæ nympha vocatur,pertinent, quæ eſt ho
rum duorum labrorum initium.ſuapte verò natura eſt ca
runcula,veluti fœtus.Nympha autem appellatur,quia col
lo veſicæ ſubſultet. Vrinaculum verò nominatur quod

intus rugoſum,aſperum,cauúmque eſt. Porrò veſica viro A rum diuerſa eſt à fœminarum veſica, ſiquidem illa maior eſt, & collum habet flexuoſum : hæc verò cum minor eſt, tum verò etiam rectum eius eſt collum.

Lyci,moderatum viri pudendum ad os vuluæ non peruenire,

Cap. XXXIII.

ANte vuluæ amplitudinem, eius collum & os eſt ſitum.eius ori cunnus adiacet,cuius tanta magnitudo eſt vt magnitudo priapi,qui maximus non ſit, ad ſemen in os vuluæ eiaculandum non ſufficiat,ſed quadam etiam agglutinatione opus eſſe videatur.

ORIBASII MEDICINALIVM COLLECTORVM

Liber viceſimusquintus.

Ex Rufi commentariis,de nominibus partium humani corporis, Cap. I.

QVemadmodum ſingulæ corporis humani particulæ nominentur perdiſcere, maximè eſt ad medicinalem artem neceſſarium : maximæ autem corporis partes B ſunt,caput, ceruix, thorax,manus,cruráque:thoracem verò non ſolùm eam partem quæ à clauiculis ad hypochõdria pertinet,ſed etiam id totum quod à clauiculis ad pudenda pertingit,appellamus. Caput verò dicimus quod capillis tegitur, & ſimul etiam cum facie. Capillos habent pars anterior, ſinciput,qua coronalis ſutura ſita eſt, vbi coronæ capiti imponuntur:poſterior pars occiput nominatur. Latera ſincipitis,tempora appellantur:quod in medio capite eſt,vbi capilli maximè inuoluuntur, verticis vocabulo gaudet:ſub C ſincipite frons eſt:iuxta tempora pillorum exortus,lanugo:crines verò,ii qui retro ad occiput ſunt, nũcupãtur.vltima verò frontis ruga, epiſcenium: hirſutæ frontis partes,ſupercilia:eorum interuallum,meſophryon:poſtea naſus collocatus eſt, cuius extrema pars globulus, ſubiecta verò ſeptum nominatur.à globulo carnoſum illud quod in labia deſcẽdit,columna.cauitates verò,myxoteres, *hoc eſt per quos mucus excernitur*. in vtraque naſi parte, vnde odoratus efficitur,pinnæ.ſpina verò,quæ has cauitates continet.cauitas ſub columna ſupra labrum,philtrum, *quaſi amatorium*, dicitur. totum id quod poſt naſum labri ſu- D perioris eſt,hyporinon, *hoc eſt ſub naſo*, vocatur. duo deinde ſunt labia, quorum extrema prolabia dicuntur: vbi committuntur, poſtomion. ſub ſuperciliis oculi poſiti ſunt:quæ oculos tegunt,palpebræ, vna ſuperior, inferior altera.nexus verò qui claudendo fiunt, tarſi: è palpebris exorti pili,cilia: tarſorum fines,anguli: quorum alter qui ad naſum eſt ſitus,magnus:alter qui tempori adiacet,minor vocatur.pupilla, aſpectus, & glena dicitur id quod in E medio oculo eſt, per quod aſpicimus:alii verò aſpectum dicunt,quo cernimus:pupillam verò & glenã, imaginem in aſpectu eſſe volunt.quæ deinceps ſequuntur,nigra,cæſia,aut flaua,à calore nomen trahunt.circulus album contingens,iris dicitur:ſub oculis exorientia,hypopia:quibus ſubiacent eminentiæ quædam quæ malæ dicuntur, quibus erubeſcimus.poſt malas, maxillæ ſunt : quarum genæ deſinunt in acutã maxillæ inferioris partẽ:inde vſque ad labium inferius, quod rotundum eminénſque eſt,barba: hypion quod ſub barba eſt. carnoſam partẽ mentũ voco, F alii leucaniam:quidam hoc mentum,leucaniam verò cauum iugulo proximum vocant.Aures vocantur eminentiæ quæ in vtraque temporum parte ad foramina ſunt exortæ.earum foramina meatus audiendi, quibus audimus:pendulæ partes & carnoſæ, fibræ: cartilagineæ & ſupremæ,pinnæ:helices,quæ inde ambitum attingũt:anthelices,quæ poſt helicem cauitatem in medio extollunt:cauum poſt anthelicem,concha.eminentiam oppoſitã conchæ iuxta fines temporis, hircum vocant: quod contra hunc eſt, craſſus anthelicis finis antitragus, *id eſt contra hircum*, dicitur. Os vocatur prima labiorum ſectio, & am- G plitudo quæ vſque ad fauces pertinet. in ore cum alia quædam ſunt,tum præcipuè dentes : quorum anteriores quia ſecant,τμνικοὶ nominantur,ſuntque octo numero.hi deinde quatuor caninis dentibus cinguntur : vltra quos reliqui omnes viginti maxillares ſunt. horum intimi atque vltimi ſophroniſteres, *id eſt moderatores*, quaterni vocãtur,quod eo tẽpore quo moderati eſſe incipimus,exoriantur.carunculæ dentes continentes, gingiuæ: maxillarum colligatio,habena:menſæ,latæ molariũ ſummitates.mortariola & præſepia, cauitates maxillarum,in quibus dentes ſunt infixi. vnde lingua exoritur, radix appellatur:ceruix, id quod ſequitur.prælingua, pars anterior: paraſyra; quæ ab vtroque linguæ ſunt latere.hypogloſſis pars inferior,epigloſſis verò intimum gutturis operculum ad aſperam arteriam,ne deglutiendo quidpiam in pulmones delabatur.Quum ſpiritum ducimus, ſublimis epigloſſis attollitur,ne aëris tranſitus impediatur. quod orbiculatum in parte quæ ſupra linguam eſt, cœlum & palatum dicitur:inde ad partes internas pendens caruncula,columella nominatur: hanc alii gurgulionem, alii vuam vocant.ei ſubiectum eſt bronchi caput, tum collum.eius pars anterior bronchus & aſpera arteria:eminentia quæ in medio eſt,larynx:poſterior,ceruix, & occiput: clauiculis proximum cauum, iugulum,& anticardion, quaſi cardi oppoſitum vocant:hoc tendines exipiunt,quæ in humeros pertinent,epomidas,humeros verò brachii caput.Scapulæ verò lata oſſa ſunt dorſo incumbentia,eorum intermedia eminẽtia,ſpina.acromiũ verò clauicularum & ſcapularum eſt copula. deinceps cataclides ſequũtur. ala verò eſt cauitas ſub humero, in quã ſæpe humerus laxatus cõcidit. brachium cõſequitur : angulus articuli, cui reclinati incumbimus,ancon aut olecranon:deinde cubitus ſequitur:is in carpum deſinit:poſt quẽ metacarpiũ eſt:tum vlna manus: hypothenar verò, quod ſub police eſt:quod excipit vola, manus.Ex digitis vnus pollex dicitur,ſeiunctúſq;eſt à cæteris:alter qui primus aliorum quatuor eſt,index: tertius medius,quartus annularis, quintus paruus appellatur.horum verò oſſa ſcuticulæ aut phalanges vocantur. eorum inflexus condyli dicuntur:quorum primi procondyli:qui conſequuntur,metacondyli nũcupantur. vnguium initia radices vnguium vocant:fines digitorum,acinos aut vertices.thenar, ſpacium quod inter indicem pollicémque eſt.totum enim hunc locum Hippocrates nominaſſe thenar, *hoc eſt uolam*, videtur. & clauiculis quod antè eſt, pectus,& os pectoris,retro verò dorſum. à ceruice, qua metaphrenum eſt, lumbi extrema ſpinæ ora.carnoſæ in pectore eminentiæ, mammæ: earum extrema,papillæ. latus id totũ quod ſub ala eſt, oſſa coſtæ & ſpathæ.earũ primæ ſe mutuò cõtingunt,in oſſis pectoris extremo,vbi cor eſt: tum ſeptum tranſuerſum,alii præcordium,alii cor vocãt. ex quo eſt os ventriculi. ſpatia inter coſtas, intercoſtalia vocantur.ſpuriæ coſtæ,quæ ſeſe non tangunt.earum extremitates,cartaligines.muſculoſæ partes ſub cartilaginibus ſitæ, hypochondria.tum aluus quæ venter dicitur.quod in medio eſt,epigaſtrium.cutis ventri impoſita eſt.media eius cauitas,vmbilicus.cutis vmbilico circundata,vetula, quæ inde nomen inuenit quòd corrugata ſenectutem ſignificet. ſub vmbilico abdomen eſt, & aqualiculus. huic continua pars ad pudendum vſque,pecten, aut pubes nominatur. Ex genitalibus membris virilibus propendens pars,colis,& ſtema:quæ non pendet,hypoſtema, aut perinæum.colis extremitas eſt præputium. ſcrotum, in quo teſticuli ſunt.pars ſuperior,caput: inferior,fundum vocatur.pars ſcroti laxior, laccopedon eſt. In mulieribus quod ſuprà eſt,pecten:prima ſectio dicitur ſciſſura:muſculoſa in

medio caruncula, myrton, aut nympha: myrtochila verò, labia vtrinque conſtituta. Oſſa dorſi vertebræ ſunt. tota vertebrarum compago, ſpina: cuius inferior pars lumbus. ſpinæ terminus, os ſacrum, quod alii hypoſpondylum vocant. huius vltimum os, coccyx, *id eſt cuculus*, nominatur. Partes vtrinque lumbis adiectæ nates dicuntur: clunes verò, carnoſæ partes ſub lumbis ſunt, quæ ſedilia quoque nominantur. initia femorum, inguina: internæ partes, femina vocantur. quæ intermedia ſunt ad perinæum vſque, interfeminia. muſculi genibus inhærentes, epigunides: oſſa verò, patella, Hippocrates mylen vocat. genu articulus eſt quo femur cruri committitur. inflexio, poples dicitur. magnus muſculus anterior cruris, ſura: vnde latus neruus exoriens ad calcem protenditur. oſſium cruris quod poſterius eſt, tibia: quod anterius, anticnemium. extrema pedũ, malleoli. tali verò non ritè vocantur: ſunt illi quidem, ſed tamen non apparent. pars poſtrema pedis, rotundáque, calx. quæ deinde ſequitur, cauum: conſequẽs verò pedion vocatur, cuius ſuperior pars tarſus. planta denique, totius pedis poſitura. digiti verò eiſdem nominibus quibus digiti manus, nuncupatur.

Ex Galeni libro de oſſibus, Cap. II.

TOta omnium corporis humani oſſium inter ſe coniunctorum compages ſceletos nominatur. eorum coniungendorum duplex eſt ratio, altera per articulum, altera per ſymphyſin. ac per articulum quidem oſſium cõpactio naturalis eſt: ſymphyſis verò eſt oſſium vnio naturalis. Vtrique autem definitioni additum eſt verbum naturalis, quoniam quæ de articulo deciderunt, quæque articulum ſunt præteruecta, cohærent quidem inter ſe, ſed non natura. in quo genere ſunt ea quoque quæ fracta callum obduxerunt. ſiquidem vniuntur, ſed non tamen natura. Cæterùm ceruices ſunt tenues oſſium proceſſus, & in craſſum, rotundúmque finem terminãtur, idque caput appelatur. at quum proceſſus in acutum finem deſinit, non iam amplius ceruix, ſed corone vel coronon nuncupatur. Ex cauitatibus quæ caput excipiunt, quæ altius deſcendit, cotyla: quæ in ſuperficie eſt, glena ab aliquibus vocatur. Oſſa autem tanquam fundamenta quædam ad vniuerſam corporis ſuſtãtiam ſubſtinẽdam ſubiiciuntur, & quaſi ſubſternuntur: ſiquidem in eis omnia adnaſcuntur, & ſtabiliuntur. ex iis quæ grandia ſunt, maximáſque cauitates habent, medullæ ſunt plena: parua autem, plenáque tota ſunt alia, cauitatẽ nullam habent quæ ſenſu dignoſcatur. Grandibus magna ex parte in extremo aliorum oſſium appendices adnaſcuntur: vt brachio ſuperius, cubito inferius: radio verò ac femori, & cruri, ac ſuræ ab vtraque parte. maxillæ verò inferiori medulla ineſt, ſed appẽdix non adnaſcitur. verùm eius finium alter qui inferior eſt, per ſymphyſin, *hoc eſt coalitum*, vnitur: ſuperior in duos proceſſus, in coronem ac ceruicem tantùm deſinit. Differt autẽ ἀπόφυσις, *hoc eſt proceſſus*, τῆς ἐπιφύσεος, *id eſt ab appendice*, quia epiphyſis eſt vnio oſſis cum alio, apophyſis verò eſt totius oſſis pars.

De oſſibus capitis, Cap. III.

OS capitis caluaria nominatur. naturalis verò figura capitis, eſt oblongæ ſphæræ potiſſimũ ſimilis: alia acuminata eſt: naturale autẽ caput anteriorem ac poſteriorem partem prominentiorẽ habet: tréſque habet ſuturas in ſe, duas tranſuerſas, quarum altera in occipite eſt, altera in ſincipite, tertia porrò à medio poſterioris per capitis longitudinem vſque ad mediam anteriorem extenditur. anteriorem verò coronalem nominant, quòd coronæ in ea præcipuè capitis parte collocentur. poſteriorem labdoidem, propter ſimilitudinem quam habet ad Λ literã, vocauerunt. harum trium ſuturarum figura literæ H eſt maximè ſimilis. Caluariæ igitur quæ figuram naturalem habent, ſuturæ ſunt huiuſmodi. At acuminatæ ſic cõſtitutæ ſunt. vbi poſterior eminentia perit, ibi etiam ſutura labdoides aboletur. vbi non eſt anterior, tum ne coronalis quidem: fitque vtraque remanentium ſuturarum figura T literæ ſimilis. harum autem eminentia quæ vtrinque eſt, deperdita, duæ ſuturæ quæ ſeruantur, ad rectos angulos decuſſantur ad X literæ figuram: altera nanque tranſuerſa per medium caput potiſſimum extenditur, altera

A verò à parte poſteriore per longitudinem in anteriorem fertur, quemadmodum in aliis omnibus caluariis conſpicitur: ſiquidem ea ſemper conſeruatur: at reliquæ cum totius capititis figura variantes intercidunt. Duæ præterea ab hac pari interuallo diſtantes lineæ, per capitis longitudinem à poſteriore in anteriorẽ partem tendunt. fiunt hæ duobus oſſibus inter ſe cohærẽtibus, non per ſuturam, (ſicut quæ antè diximus) ſed quum os ſincipitis paulatim attenuatum in ſquamam deſcendẽs, in id os quod infra

B ab auribus aſcendit, ſubintrat. quãobrem quidã non abſolutè ſuturas has, ſed ſuturas lepidoeides à ſquamæ ſimilitudine, aut agglutinationes ſquamis ſimiles vocauerũt. à nobis verò clarioris doctrinæ cauſa ſuturæ ſquamis ſimiles ad aures nominẽtur; vt quinq; ſint propriæ capitis ſuturæ, labdoides, coronalis, quæ recta per lõgitudinẽ fertur, duæ æquè diſtãtes, quæ in oſſibus ſquamæ ſimilibus ſunt. Duæ quoque aliæ cõmunes ſunt ſuperiori maxillæ, & oſſi quod ambarum medium eſt. quod os aliquis inter oſſa capitis numerant: alii verò ſuperiori maxillæ attribuunt: ſitum enim eſt medium inter caput & maxillam ſuperio-

C rem tanquam cuneus quidam. Huius igitur ſuturæ quicquid ſurſum ad coronalis finem fertur, id eſt commune cum capite: quicquid verò ex vtroque latere ad palatum deſcẽdit, id ſuperiorẽ maxillam diſterminat ab oſſe, quod à cunei ſimilitudine, qui σφὴν dicitur, ſphenoides appellatur: atque ita à nobis, vt clarior doctrina ſit, nominetur. Id os proceſſus quoſdam habet, qui ab alarum ſimilitudine pterigodes vocantur, vnà cum iis cauitatibus quæ eis ab vtroque latere adiacent. Alia autem ſutura capitis, quæ ipſum à ſuperiore maxilla diſcernit, ex cauis temporum initiũ ducit, atque inde ad oculorum ſedes progreditur,

D & per ipſosmedios tendens, iuxta medium ſuperciliorum ſibiipſi coniungitur. Quæ quum ita habeant, totius capitis oſſa, ſphenoide excepto, ſex ſunt: duo ſincipitis, quibus communis eſt ea ſutura quæ rectà per longitudinem porrigitur: duo infrà ad vtrãque aurem: quintũ poſt hæc os occipitis: ſextum frontis eſt. Porrò ſincipitis oſſa quatuor habẽt latera: quæ ad vtrãque aurem, tria latera: quintum os capitis, quod occiput eſt, maximum omnium quæ ſunt in capite, foramen iuxta primam vertebram habet. Cæterùm ex his ſex quæ commemorauimus, oſſa ſincipi-

E tis ſunt rariſſima: dẽſiſſimum verò firmiſſimúmque occiput. inter hæc mediũ locum tenet os frontis. duo reliqua inferiora ſunt varia: eorum enim pars quædam lapidoſa, vt etiam reuera eſt, nominatur, idque protenſis labdoidos ſuturæ finibus terminatur. in hoc eſt proceſſus ſtyloides à columnæ ſimilitudine appellatus, quẽ nos ab acus aut ſtyli ſcriptorii forma belenoidẽ aut graphoidem vocamus: & in eodem meatus auditus continetur. altera deinceps eius pars iuxta eos exortus eſt, quorum alter maxillaris vocatur, alter oſſis iugalis eſt. tertia præterea pars eſt quæ

F à temporibus occupatur.

De oſſe iugali, Cap. IIII.

MVſculo temporis præpoſitum eſt os quod obliquã ſuturam habet in medio, ita vt omnis eius pars poſterior cum oſſe capitis quod ad aurem eſt, anterior cum extrema ſupercilii parte ad paruum oculi angulum continuetur. id verò os totum iugale nuncupatur.

De oſſibus maxillæ ſuperioris, Cap. V.

G MAxillæ ſuperioris in vtraque parte & dextra & ſiniſtra, tria ſunt oſſa, quibus capiti adiungitur. eorum maximum eſt quod ad iugale eſt ſitum: nam & aliquid tẽporis, & ſupercilii, & ſedis oculorum, & totum paruum angulum in ſe complectitur, & ad eam vſque partem cui malo nomen eſt, procedit. deinceps ſitu ac magnitudine os in ipſo oculo habetur, quo nerui ad ſuperiorem maxillã tendentes continentur. omnium minimum ad magnum angulum oculi eſt locatum. His omnibus tribus in vtraque parte os notabilis magnitudinis ſubiacet: hæc enim

H pars malum dicitur, & dentium, præterquàm incidentium, alueoli. His item oſſibus quæ maxima ſunt, vt diximus, duo alia parua adiacent, qua narium foramina ad palatum tẽdunt. quinetiam naſi oſſa duo ſunt: horum ora inferior exortum habet corporum cartilagineorũ atque

tenuium, quæ alæ vocantur.vnum os reſtat in fine maxil-
læ,in quo radices dentium incidentium,& alueoli conti-
nentur: id quod plerunque ſimplex videtur,quòd oſſa,ex
quibus conſtat,exquiſitiſſimè committantur:quandoque
tamen in ſceletis mirum in modum exiccatis ſutura ma-
nifeſtò conſpicitur, quæ illi directa eſt,quæ per totum pa
latum fertur.

De dentibus, Cap. VI.

DEntes ſedecim vtraque maxilla continet. ex his qua-
terni primi,qui vnicā radicem habent,inciſores nō-
minantur : hi deinde caninis dentibus ex vtraque parte
cinguntur.quorum vnica etiam eſt radix.vltra quos vtrin
que maxillares quini ſunt;qui in ſuperiore maxilla ternis,
in inferiore binis radicibus nituntur. præter eos qui in ſu
periore quaternis radicib⁹ fulti ſunt,& in inferiore tribus
hærēt:ac præſetim duo omnium primi interiores, tertius
autem perrarò ita inuenitur. quibuſdam verò non quini
maxillares,ſed quaterni aut ſeni oriūtur.hos verò non ſo-
lùm maxillares, ſed etiam molares vocant.omnes autem
in ſuorum oſſium cauis inſiguntur : nam oſſa eos/conti-
nentia, phatnia dicuntur : caua autem quæ ſubeunt, bo-
thrya nominantur. Ex oſſibus porrò dentes tātummodo
mollium cerebri neruorum ſunt participes, quamobrem
ipſi ſoli perſpicuè ſentiunt.

De maxillæ inferioris oſſibus, Cap. VII.

NEque etiam inferioris maxillæ os ſimplex eſt,vt ali
cui fortaſſe videbitur:ſiquidē etiam coctum diſſol-
uitur in ſumma menti extremitate,vt ipſum coaluiſſe pla
nè appareat.eius pars quæ quaſi ad caput protenditur, in
duo extrema deſinit:quorum altero,quod acutum eſt,ten
dinem ex muſculo temporis deſcendentem recipit : alte-
ro verò articulatur capitis oſſi ſub eo exortu quem ma-
millarem vocant, atque ibi in paruulum ſinum rotundo
quaſi tuberculo ſeſe inſerit.

De oſſe labdoide, Cap. VIII.

OS labdoides hac forma eſt præditum , vt media eius
pars,quæ ad occiput eſt, collum & totum corpus in
duas partes ſecet. ipſum verò os breui longitudine vide-
bis:latitudinem verò altitudinémque ita habet exiguam,
vt à partibus finis inferioris duo latera ad ſublimes an-
gulos cartilaginis, quæ ſcuti formam præfert, obliqua vt
nuper dicebam, procedant.ſuperior verò labdoidis oſſis
terminus duo alia habet latera proceſſus mutuos facien-
tia,infernis partibus tenuia,anguſta,orbiculata,craſſa in-
ſtar acus,aut ſtyli ſcriptorii extremitatis. ſubſtantia verò
horum laterum obliquorū,quæ ipſa quoque leuiter deor-
ſum vergunt , eſt exquiſita membrana,& quoddam teres,
vt nerui ſunt , ligamentum , quod ab extremo vtriuſque
exoritur,finíſque ad proceſſus capitis ſtyli ſcriptorii ſimi-
les,qui ſimillimi ſunt ſublimib⁹ labdoideos lateribus, ex-
tenditur : ſiquidem eorum ſubſtantia ex cartilaginibus
conſtat:eadémque figura in omnibus excernitur. Sed ex-
ortus ſtyli ſcriptorii ſimilis minor eſt, quàm laterum lab-
doidis oſſis longitudo.

De ſpina, Cap. IX.

TOtius ſpinæ vertebræ ſunt quatuor & viginti. ſi verò
plures aut pauciores fuerint , id præter naturam erit,
vt etiam ſunt acuminata capita. eorum compago omnis
in collum, dorſum, lumbos, & os ſacrū diuiditur.collum
capiti annectitur,collo deinceps dorſum, quod tanta lon-
gitudine eſt quāta eſt etiam thorax. quod reliquum ſub-
eſt , lumborum nomine continetur: quorum pars vltima
ſacro,aut(vt quibuſdam placet)lato oſſe finitur. Vertebræ
aut ad collum, aut ceruicem (ita enim etiam appellatur)
ſeptem ſunt numero : ad dorſum duodecim, ad lumbos
quinque. Ex colli vertebris primæ duæ inter ſe vndique
articulantur: reliquarum verò quinque pars anterior vin-
culo conſtricta firmo coaleſcit:neque enim(vt quidam ar
bitrantur)per cartilaginem coaleſcunt, ſed ea tunica quæ
geminas ſpinalis medullæ membranas extrinſecus com-
plectitur,ſeſe in mediam ipſarum ſedem inſinuans, com-
mune vtriſque vinculum efficitur. eodémque modo ver-
tebræ omnes ſe habent , præter duas primas , vt diximus.
Quúmque capitis duplex ſit motus,alter qui annuēdo ab-
nuendóque fit,alter quo in latera caput mouetur, primum

A ſecundæ vertebræ proceſſus qui pyrenoides , *id eſt turbinatus*, dicitur, potiſſimum efficit : alterum verò primæ ver-
tebræ ad capitis coronen articulatio, obliquæ ſcilicet par
tes & ipſius primæ vertebræ, & item capitis. Proceſſus au-
tem pyrenoides accliuis eſt , & ab anterioribus ſecundæ
vertebræ partibus initium ducens,valido quodam rotun-
dóque ligamento capiti alligatur:eíque prima vertebra lo
cum in quo aptè & tutò innitatur,præbet:& ex eadem pri
ma vertebra tranſuerſum quoddam ligamentum oritur,
quod ei intus obducitur. hanc nonnulli à dentis ſimilitu-
B dine odontoidem proceſſum vocant : Hippocrates verò
totam vertebram aliquando dētem nominat. Sunt etiam
in parte primæ vertebræ inferiore duæ cauitates,quas ab
oculi ſinus ſimilitudine glenoidas vocant,ſimiles ſuperio
ribus:ſúntque non ab re maiores ſupernè,vt capiti articu-
latæ:infernè autem minores: quibus ſecūda vertebra ob-
ducta eſt.prima vertebra eſt latiſſima : ſecunda anguſtior
validiórque eſt, atque ita deinceps cæteræ omnes.quanto
enim ſpinalis medulla dum in neruis gignendis conſumi
tur,fit tenuior, tanto vertebrarum inferiorum foramina
minuūtur:quorum ſingula medullæ quam abiunt, craſſi-
C tudini reſpondent,id quod in omnibus vertebris eſt com
mune: quemadmodū trāſuerſorum quoque proceſſuum,
eorúmque qui deorſum ſurſúmque verſum ſpectant, qui-
bus inter ſe articulātur,communis eſt ratio.

De oſſe acro, Cap. X.

HOc etiam os quà cum vertebra quæ ſuprà eſt poſita,
articulatur , vertebris proportione reſpondet: nam
decliues eius vertebræ proceſſus ab oſſe ſacro excipiun-
tur, ſicut ipſa recipit eos qui ſupra ſe ſunt ſiti:quinetiam
eius ſpina eſt ſimilis ei,quam reliquæ itidem vertebræ ha
D bent.ipſius autem proceſſus,qui ad latera pertinent,gran-
des latiq; ſunt : quibus in parte exteriore ſinus eſt quidam
glenoides , in eúmque oſſa ilium ingrediuntur.id os ex
ex tribus particulis,tanquam ex propriis quibuſdam ver-
tebris conſtat: quibus in extremis accedit quartum aliud
os , quod coccyx dicitur. Hæc ſi coquendo diſſoluantur,
eorum compages vertebrarum conſtructioni ſimilis vi-
debitur.

De coccyge,id eſt cuculo oſſe,
Cap. XI.

AD imum ſacri oſſis alterū os eſt quod coccyx nomi-
E natur , quod ex tribus propriis particulis eſt conſla-
tum.ſunt tamen magis cartilaginoſæ,ac præſertim in ex-
tremo,quàm os ſacrum ſit.

De oſſibus thoracis,
Cap. XII.

OS pectoris, coſtæ, & vertebræ ſpinæ dorſi, oſſa thora-
cis ſunt.coſtæ ab vtroque latere duodecim ſunt,ſicut
etiam vertebræ : ſingulæ enim ſingulis articulantur.oſſa
verò pectoris per ſynarthroſin inter ſe copulantur: eáque
ſeptem ſunt numero, quot etiā coſtæ, quæ cum eo articu-
F lātur.imò pectoris oſſi triāgula cartilago adnaſcitur. tota
verò oſſis pectoris figura enſi eſt ſimilis: quamobrem xi-
phoides à nonullis appellatur.quidam verò non totum,
ſed eam tantùm cartilaginem quæ in imo eius eſt, ita no-
minant.coſtarum non vna ſimpléxque figura eſt:nam vbi
vertebris articulatæ ſunt, in anteriora & inferiora pariter
feruntur, atque ita multum progreſſæ,ad os pectoris pro-
tinus verſæ recurrunt : quamobrem quicquid cum pecto-
ris oſſe committitur,non os eſt,ſed cartilago.quinque au-
tem reliquæ coſtæ nothæ appellantur: eæ cum ſepto tranſ
G uerſo atque inter ſe connatæ,in exquiſitam cartilaginem
deſinunt:poſtrema ab aliis tantùm in imo diſtinguitur,&
reuera eſt ſpuria.longitudo verò neque his,neque aliis co
ſtis eſt eadem,ſed ſupernæ atque infernæ breuiores ſunt,
mediæ longiores.

De oſſibus ſcapularum,
Cap. XIII.

SCapulæ poſt thoracem ſunt ſitæ.eæ cum oſſe occipitis,
& ſpinæ apice, & thoracis coſtis , & eo oſſe quod ante
laryngem eſt,per muſculos copulantur. os verò ſcapulæ à
H ſpina initium ducens, humile eſt , paulatimque augeſcit,
donec ad acromii locum peruenerit , ibique cum iugulo
connectitur.hanc compagem nonnulli anatomici acro-

A mion vocant. alii præter hæc ambo quæ coniunguntur, aiunt aliud tertium os eſſe, quod in hominibus tãtùm inueniatur, quod cataclida & acromion appellant. ea verò parte ſcapularum oſſi proceſſus quidam ſubeſt, quem ſcapulæ ceruicem vocãt, iſque in extremo in acetabulũ deſinẽs, cum humeri capite articulatur. Eſt etiã huic oſſi alter exiguus acutúſque in parte interiore proceſſus, qui quoniam anchoræ ſimilitudinem refert, ideo à nonnullis ancyroides nuncupatur: ab aliis verò coracoides, quia extrema eius pars, vt corniculæ roſtrum, exterius vergit.

B De iugulis, Cap. XIIII.

IVgula ab vtraque parte ſupernè pectoralis oſſis extremitati articulantur: eáque fiſtuloſa ſunt, & figura craſſitudine inæquali.

De manu & brachio,

Cap. XV.

MAnus in tres maximas partes diuiditur, in brachiũ, cubitum, & eam quæ extrema manus appellatur. ergo brachii os, excepto femore, eſt omniũ maxim, éſtque vtrinque ſupra infráque articulatum. nam ad humerum habet caput grãdiuſculũ paruæ ceruici adnatũ. In eo iuxta partem anteriorem ſinus quidam eſt, cuidam quaſi latæ ſciſſuræ ſimilis, qui totum caput in duo quaſi tubercula bipartitò diuidit. pars inferior in tubercula inæqualia deſinit, quorum ei quod extrinſecus eſt, radii capitulum articulatur: cum eo verò quod interna in parte eſt, nullum os penitus committitur. Rotũdum autem brachium eſt, non rectum tamen, & vndique ſimile, ſed in anteriore exterioréque parte gibbum, poſteriore verò & interna, ſimum.

D De cubito, Cap. XVI.

ID totum quod inter brachium & carpũ ſitum eſt, cuiuſque etiam partis os maius, cubitus appellatur: iſque alteri ſubeſt oſſi quod radium nominant. huius autem extrema pars ſuperior leniter caua exterius brachii tuberculum complectitur. huius autem articulationis id munus eſt vt totam manum modò in pronũ, modò in ſupinum adducat. Cubitus duarum coronarũ proceſſus habet, quorum anterior eſt minor, alter maior: & ab iis cubiti ſinus
E ſigma literæ ſimilis circũdatur. in hunc ſinum orbita brachii, quæ trochleæ ſimilis inter eius tubercula eſt poſita, inferitur. huius articulationis officium eſt vt totam manum extendat & incuruet. Cubitus verò infrà ſupráque validis copulis radio alligatur: media inter ſe omnino dehiſcunt. vterque ipſorum habet appendicem iuxta brachialis partes, in parte exteriore gibbam, interiore verò cauam. cubitus minimo digito, radius pollici reſpondet: brachiale nanque in eiuſmodi ſinum ſeſe inſinuat & articulatur. Ineſt etiam cubito ex abundantia quadam proceſ
F ſus, qui à columnæ ſimilitudine ſtyloides nominatur, qui brachiali itidẽ articulatur. huius munus eſt, brachiale in latera perducere, alterius in rectum: cuius opera ſummam manum extendimus atque inflectimus.

De brachiali, Cap. XVII.

BRachiale ex octo oſſibus duplici ordine diſtinctis conſtat. ea verò dura paruáque ſunt, nec medulloſa multiplicíſque figuræ. pars brachialis ſuperior ex tribus oſſibus eſt cõſtructa: quæ in rotundam quaſi formam re-
G dacta, cum cubito radióque articulatur: pars verò inferior quatuor ſuis oſſibus metacarpio articulatur. quintum denique iis brachialiis partibus inſidet quæ ad proceſſum ſtyloidem cubiti potiſſimum ſunt ſitæ.

De metacarpio & digitis,

Cap. XVIII.

INter digitos & brachiale oſſa interiecta metacarpii vocabulo gaudent: metacarpion verò primæ digitorum phalangi (ſic enim oſſa digitorum nominantur, aliique ſcuticulas vocant) adnectitur, & coaleſcit. pollicis ſolum
H primũm internodiũ à lateribus brachiali eſt articulatum: quare ſinguli digiti ex tribus oſſibus ſunt conflati, priore ſemper internodio in ſinum ſubſequẽtis ſubeunte. éſtque conſentaneum vt pollicem quoque ex tribus conſtrictum eſſe oſſib⁹ afferamus: primúmque eius internodium cum metacarpio non eſſe numerandum, quum ab vtraque par

A te articuletur. quod primis digitorum oſſibus accidit, oſſibus verò metacarpii non item. Quinque autem digitorum oſſa ſunt quindecim. at qui tertium pollicis os metacarpio adſcribunt, digitorum oſſa quatuordecim eſſe volunt, metacarpium verò ex quinque conſtare.

De oſſibus nomine vacantibus,

Cap. XIX.

REctis ab vtroque latere magniſque lati oſſis proceſſibus duo quædam oſſa adiacent, quibus integris nullum eſt nomen impoſitum. ſuperiores eorum amplæ par-
B tes, ilium oſſa: exteriores verò poſt femoris ingreſſum, inferioréſque, coxendicum: quæ inde in anteriora protenduntur, tenuéſque ſunt ac perforatæ, quæque inter ſe in extremo coaleſcunt, oſſa pubis nuncupantur. Vtrique autem coxendici prægrande acetabulum ineſt, quod cum femoris capite nexu validiſſimo coaleſcit.

De femore, Cap. XX.

FEmoris os maximum eſt eorum omnium quæ in animante ſunt: id verò ſuprà coxendici, infrà tibiæ articulatur. Totius autem femoris forma in parte anteriore
C exterioréque gibba, poſteriore verò & interiore ſima eſt. Duos proceſſus habet, quos trochãteras vocant: minorem ſub ceruice, multò maiorẽ verò exteriorem, quem γλουτὸν *hoc eſt natem*, appellant.

De tibia, Cap. XXI.

TIbia vocatur tota pars cruris quæ inter genu & talum intercedit: eodémque nomine os grandius eiuſdem appellatur. tibia autem exteriore in parte ſita eſt, eique tantummodo femur articulatur. Os quod extrinſecus
D eſt, ſura nominatur: quæ craſſitudine tibiæ mirum in modum cedit, nec ita protenditur vt genu attingat, ſed infra ſupráque tibiæ per ſynarthroſin annectitur: media verò inter ſe penitus dehiſcũt. Quicquid autem tibiæ in parte anteriore tenue & carnis eſt expers, ocrea dicitur. Imæ ab vtraque parte tibiæ & ſuræ partes maleolli dicuntur. qui gibbi rurſus, & omnino carnis expertes, extra alia prominent. hos plerique talos vocant: ſed errant vehementer: nam talus ſub his vtrinque continetur, & vndequaque contegitur, vt ne eum tangere quidem poſſis. Porrò mal-
E leoli ſunt extremæ partes tibiæ ſuræque proceſſuum, gibbæ quidem in parte exteriore, vt etiam patet, interiore cauæ.

De patella, Cap. XXII.

AD tibiæ femoriſque articulationem os cartilaginoſum rotundúmque extrinſecus eſt, quod gibba & veluti tubercula ſubiectorum oſſium accommodatis ſinibus comprehendit: paulúmque intumeſcens eam amplitudinem quæ inter femur tibiámque eſt complectitur. hoc os
F à nonnullis patella, à nonullis verò mola nominatur.

De oſſibus pedis, Cap. XXIII.

AB iis proceſſibus de quibus nuper dixi, qui in ima tibia ſuráque ſunt, talus comprehenditur. eius pars, quam τέτρωρον, *hoc eſt quatrionem*, vocant, ſurſum vergit. Huic ſubeſt os pedis maximum, quod calcem vocant: ídque & rotũdas partes à talo recipit, & geminas eminentias, quas habet, in ſinum eius cõmodè inſerit. Ex partibus eius anterioribus, quæ è regione magni digiti ſita eſt, ipſius tali capiti ſubiacet, nec cum altero oſſe copulatur: eius verò extremitas, quæ minimo digito reſpondet, cum
G eo oſſe quod à teſſeræ ſimilitudine cyboides vocatur, per ſynarthroſin cõnectitur. hoc autem poſitum eſt à parte exteriore iuxta ſcaphoides. ſed hoc quà cum talo articulatur, cauum eſt, cyboides verò gibbum. Deinceps ſequuntur tria oſſa parua, quæ inferiori ſcaphoidis parti per ſynarthroſin iunguntur: cum quibus etiam exteriore ex parte cyboides pariter exporrigitur. poſt autem hæc quatuor oſſa, tarſus pedis finitur. atque inde incipit plãta, quæ ex quinis oſſibus conſtruitur: quæ deinceps digiti pedis
H excipiunt, qui ſinguli ex tribus internodiis, non ſecus quàm digiti manus, conſtant. pollice tamen excepto, qui ſolus inter eos ex duobus oſſibus eſt conflatus. Atque hæc quidem ſatis eſſe puto quæ de oſſibus ſciantur: nam ſi quod oſſiculum alibi comperiatur, (vt in corde, aut aliud huius generis) minimè neceſſe eſt vt hoc loco à nobis exponatur.

De muſculis labiorum, Cap. XXIIII.

A MVſculi labrorum qui ipſi etiam cuti exquiſitè per-
miſcētur,quatuor numero ſunt. ſupernè quidem v-
trinque à malis obliqui duo deferuntur: infernè autem à
ſumma maxilla,quà eſt id quod mentum vocāt, totidem
ſunt,ibique in vtraque parte ſinguli collocati, alter à de-
xtris,à ſiniſtris alter. ſi enim ambo ſuperiores tendantur,
labrum ſuperius ſurſum trahitur:ſi alter duntaxat,verſum
illum attrahitur.eadem inferiorum eſt ratio:nam ſi am-
bo tendātur,labrum interius infrà trahitur:ſi alter tātùm,
B ad illum attrahitur.Iā verò ſi villi exteriores extendātur,
fit vt labra inuertantur, ab interioribus verò conuertan-
tur,& in rugam contrahantur: ex quo cōficitur vt ab his
quatuor muſculis octo motus, quatuor obliqui, & recti
totidem edantur.

De muſculis ſub colli cute latentibus ac buccas mouentibus, Cap. XXV.

VT autem non ſolùm labia plurimùm diducerentur,
C ſed etiam motus buccarum perficerentur, latum te-
nuémque muſculum natura foris produxit, & vnum in
vtraque parte collocauit:qui quū in buccas labráque de-
ſināt, ab omnibus anatomicæ diſciplinæ peritis ſunt i-
gnorati.initium enim ſumunt à ſpina quæ ad collum eſt
ſita,totique cuti quæ circa collum eſt,in orbem ſubtendū
tur.ii muſculi vnà cum labris quieſcente maxilla inferio-
re buccas mouent.Licet etiam ei qui velit, dentes inter ſe
committendo ambas buccas in contrarias partes,ad late-
ra colli diſtorquere:in quo eueniet vt ipſa etiā cutis tēda
D tur,& potiſſimum ad humeri caput, & extremum inibi
claiculæ,denique ad omnia colli latera.Præterea qui cō-
uellendi ſunt,in eis hi muſculi primi omnium intendun-
tur,& conuulſiones quæ caninæ dicuntur,ſunt horū præ-
cipuè muſculorum affectiones.hæc autem pars, clarioris
doctrinæ cauſa,muſculoſa dilatatio à nobis appelletur.

De naſi muſculis, Cap. XXVI.

MVſculos qui narium pinnas mouent,tales natura eſ-
ſe,pronunciare perſpicuè oportet, qualis eſt & latus
muſculus quem nos inuenimus. nā & huic villi ſubter cu
tem cohæreſcunt,à quibus mouetur.ſunt autem admodū
E perexigui,& à malis ipſi quoque ſumunt initium, & vnus
vtrinque in ſuam quiſque naſi pinnam inſeritur, ipſámq;
aperit.ac naſus quidem à nullo muſculo contrahitur: ve-
runtamen quum prædicti muſculi ceſſant ab actione,tūc
medium ſtatum naſus acquirit. extra prædictā verò aper-
tionē à nullo muſculo naſus adducitur, ſed in vehemen-
tioribus inſpirationibus pinnæ ſpiritus impetum ſequū-
tur. cæterùm naſus deorſum trahitur,labra ex appenſione
conſequens.

De muſculoſa frōtis natura quæ ſub cute eſt, Cap. XXVII.

F QVinetiam frontis cuti muſculoſa quædam natura
tenuíſque ſubtenditur,quæ cum ea coaleſcit: quocir-
ca tota frontis cutis,maxilla etiam quieſcente,mouetur.

De muſculis oculorum, Cap. XXVIII.

MVſculus qui ad baſim eſt,ſiue quis vnum,ſiue dupli-
cem,ſiue etiam duos aut tres qui coaleſcant, eſſe di-
cat,ad firmandum oculum valet,vbi præſertim exiguum
aliquod corpus directò cernere diligenter oporteat. Præ-
terea verò conſtringit, munitque nerui mollis immiſ-
ſionem. Quòd ſi vnquam alicuius oculum prominentio
G rem vidiſti, ſi quidem cernit adhuc, & affectus ipſe abſ
que plaga accidit,ſcito hunc mollem neruū propter mu-
ſculi reſolutionem extenſum eſſe:ſin verò amplius non vi
det,iam ipſe itidem neruus affectus eſt.ſi verò propter ve
hementem percuſſionem prominere oculum contigerit,
ſi quidem adhuc aſpicit,muſculus ipſe ſolus:ſi non,neru⁹
quoque eſt ruptus. Cæteri omnes qui oculum mouent,
ſex numero ſunt: quorum quatuor, rectis motibus præ-
ſunt, duo reliqui totum orbem circumuertunt. ſed hi à
H maioris anguli partibus prodeuntes, ad minorem perue
niunt.ex cæteris quatuor vnus ſurſum attollit, alter deor-
ſum trahit,tertius naſo admouet, quartus foras verſus o-
culum extrahit.

De muſculis palpebras mouentibus, Cap. XXIX.

A SVB cute palpebras contegente membranæ tenues
ſunt quæ muſculos etiam palpebram mouentes, qui
parui planè ſunt,tegunt.Extenduntur autem ipſæ ab apo-
neuroſibus quæ in tarſum inſeruntur.porro alter muſcu-
lorum in maiore angulo oculi,apud naſum ad latera con
ſtitutus,ad tarſi partem dimidiam quæ illic eſt,peruenit:
alter verò, obliquus & ipſe,ſed ad minorē angulum extē-
ſus,ad reliquam tarſi partem dimidiam ſibi propinquam
prorumpit. Quum igitur muſculus qui prius eſt dictus,
agit partem palpebræ ſibi continuam quæ eſt ad naſum,
B deorſum trahit:quū verò alter, reliquam ſurſum trahit.ſi
verò ambo vno tempore iuxta palpebram tendant, ſur-
ſum quidem ea ipſius pars quæ ad minorem angulū eſt,
trahetur:quæ verò ad minorem,deorſum.adeò vt oculus
non magis clauſus ſit quàm apertus: eáque palpebra eſt
quam καμπύλον, *hoc eſt reflexam*, Hippocrates appellauit,quā
in morbis magni mali ſignum ſtatuit. Quinetiam hanc
palpebræ euerſionem alibi ἴλλωσιν vocat: ſitque huiuſmo
di affectio quum vterque muſculus conuellitur, & ſibi cō
C tinuam tarſi partē ad ſe trahit. ſi verò alter muſculus agat,
& ad ſe palpebram trahat,alter verò prorſus quieſcat,ape-
riri tunc & claudi totam palpebram contingit. ſemper e-
nim pars altera tarſi quæ mouetur, trahit ſecū & reliquā.
ita ergo in ſuperiore palpebra res habet. inferior autem
non eſt motus particeps,ſed eſt oculo ſemper adſtricta at
que appreſſa, & ad vnguem circumplectens,& excremē-
ta omnia facilè poteſt exprimere. Præſtantiſſimi autē ana
tomicorum naturæ artificium in palpebris inueniſſe &
rectè expoſuiſſe mihi videntur,vt nunc diximus: quibus
D ego omnino aſſentirer, ſi mihi perſuadere poſſem, me
perſpicuè eum muſculum qui eſt ad maiorem angulum,
conſpexiſſe:nunc autem neque illum apertè vnquā vidi,
& id ægilopū chirurgica curatione non modò plerunq;
abſcinditur,ſed totus etiam ille locus ſic aduritur vt ſqua
mæ à ſubiectis oſſibus abſcedant, quum interim motui
palpebræ nullum impedimentum afferatur. ex quo fit vt
animaduerſione indigere mihi videatur.

De muſculis maxillam inferiorem mouentibus, Cap. XXX.

QVatuor cōiugationes muſculorum inferiorem ma-
E xillam mouent.qui ſurſum eam tendunt,temporales
vocantur,& qui intra os ſiti ſunt:qui verò ad latera addu
cunt,in buccis ſunt,quos maſticatores vocant,nomine eis
ab vſu quem præſtant,impoſito. reliqui duo deorſum tra
hunt.ſed hi cum anguſti ſunt,tum etiam oblongi:& poſt
infráque aures incipiunt,& per collum prorſum tendunt.
deinde in idem mutuò,quà maxillæ inſerūtur, coeuntes,
ipſam aperiunt quum tenduntur.hi ſoli inter omnes mu-
ſculos carnoſas habent ambas partes extremas: mediam
verò,tēdinem exquiſitum. Ex tribus reliquis coniugatio
F nib⁹ quæ & validæ & magnæ ſunt,temporales ſinguli in
extremas maxillæ cornices,& in ipſā maxillā pertingūt.
ad cornicis verò exortum validis aponeuroſibus,quibus
cum ſurſum maxillam trahunt,tum os ipſum claudunt,in
ſeruntur:quocirca hos muſculos quidam maſſeteres vo-
cant.Maximè autem hi muſculi qui oculorum ſunt, vbi
patiuntur,& conuulſiones,& febres,& caros,& deliria in-
uehere conſueuerunt,propterea quòd proximè principio
neruorum oriuntur.Muſculi verò qui ore continentur,la-
tis concauíſque maxillæ inferioris partibus incumbunt.
ad palatum verò aſcendunt inſerti cauis oſſibus quæ ini-
G bi ſunt, quæ ab exortibus qui ab alarum ſimilitudine pte
rygoειδes vocātur,ambiuntur. ibidem etiam validus qui
dam tendo eſt ſitus.Tota porrò horum muſculorum pars
quæ vergit ad latera, cum temporalibus coaleſcit & eādē
quā illi, actionē obeunt, inferiorē ſcilicet maxillam in
parte interiore ſurſum trahentes. reliqui duo muſculi ex-
trinſecus lōgitudini maxillæ inferioris inſidēt:præterue-
cti autē atq; inſerti,ad mādibulæ in maſticationib⁹ circū
actionē à natura cōparati,carnoſam quoq; buccarū partē
conſtituunt.Cōuenienter igitur hos muſculos maſticato-
H res nomināt:tametſi hæc etiā muſculis tēporalib⁹ nō mi-
nus conueniat appellatio:illi enim eam vnam actionem
in maſticationibus tantùm obeunt,vt dētes inter ſe vehe
menter committant.ex quo conſequitur vt ſiquid inter

eos fuerit,id comminuatur.cibum præterea læuigari ac A conteri à molaribus,quaſi molis,eſt maſticatorũ muſculorũ actio:hi enim ipſi & cibos mutant, & qui à dentibus exciderunt,ruſus eiſdẽ cõmiſſis adducũt denſi ac contracti, quum interim temporales muſculi nihil ad maſticationem conferunt. lingua verò non mediocriter ad hanc actionem cõfert,vt quæ inſtar manus cuiuſdam cibos in ore ſemper tranſfert ac voluit,quò pars omnis ipſorum æquè conteratur.Extrinſecus verò vnus vtrinque maſticator hic muſculus,vt alia quædam manus , linguæ adiutor eſt comparatus.maximo autem ad eam rem ei adiumen- B to ſunt fines buccarum inferiores qui cutacei ſunt , & ad labia ſpectant,ad quos tenues ac lati muſculi perueniunt.

De muſculis qui à capite in ſcapulas inſeruntur, Cap. XXXI.

A Blata prima omnium muſculoſa latitudine, duo muſculi ex oſſe capitis quod in occipite eſt,vtrinque vnus,à dextris alter,alter à ſiniſtris animalis partibus, ſeſe contingentes,oriri conſpiciuntur. gracilis autem eorum exortus eſt latúſque,per lineam tranſuerſam ad aures procedens,ad vtranque tamen non peruenit,&eſt multò bre- C uior.hinc prorumpentes duo muſculi,ſemper magis amplificantur,& tandem ſpinis ſcapularum vſque ad vtrunque humeri caput inſeruntur,& aliquid etiam clauicularum comprehẽdunt.Hos autem muſculos ante diſſectionem in gymnaſticis euidenter cernere poſſumus. fiunt enim pleniſſimi,&totam ceruicem comprehendunt.Eorũ munus eſt,vt ſcapulas ad caput trahant.Poſt diſſectum horum muſculorum exortum, altera quædam muſculorum exilium & longorum ſubiacet coniugatio,quæ tenuis quidem & lata in exortum eſt,ſed tamen dum progreditur, D ſemper magis fit teres.longitudo eſt prædictis æqualis.Hi nanque ex loco occipitis oſſis capitis incipiẽtes, in angulum inferiorem baſis quæ ad ſcapulas eſt, inſeruntur.eorum non eſt æqualis latitudo , ſed in aliquo multùm minuitur.Porro muſculus vterque ad finem tenuem tendinem producit ad principium baſis ſcapularum , exquiſitè teretem inſtar nerui: qui tendo ab interioribus partibus prope baſim proue&tus, & vſque ad eius dimidium progreſſus,ita demum in ipſius baſis os inſeritur.Huius vtilitas eſt,baſim ſcapularũ è directo capitis extollere.at prio- E res muſculi non ſolùm baſim,ſed totas etiam ſcapulas ſurſum tollunt.

De muſculis ſcapulas mouentibus, Cap. XXXII.

M Vſculi vtranque ſcapulam mouentes ſeptem numero ſunt:duo ab occipite deorſum ferũtur, de quib⁹ ſuprà eſt dictum: tertius ex obliqua eminẽtia primæ vertebræ exoritur:quartus ab oſſe laryngem continente: duo alii exortum habent à ſpina dorſi: ſeptimus à lumbo in articulationem inferiorem aſcendit maximus muſculus, F cuius omnem naturam in ea libri parte exponam, in qua de muſculis articulum humeri mouentibus agetur. exoritur enim à prima vertebra,& in extremitatem ſpinæ ſcapularum,quà elatior eſt,apud humeri caput in tertiam ferè ipſius vniuerſæ partem inſeritur.Hic muſculus carnoſus eſt,miniméque latus,& ſcapulam in latera ad partes colli adducit.qui verò ex oſſe laryngem continente exortum habet,is in eam præcipuè altioris coſtæ ſcapularum partem inſeritur,vbi eſt proceſſus illius initium qui ab anchoræ ſimilitudine ancyroeides nominatur. anguſtus G longúſque hic muſculus eſt , & ſcapulam ad anteriorem colli partem verſus proprium principium abducit,quod eſt commune muſculorum omnium. qui verò à coſtis & à lumbo in humeri articulationem aſcendit , ac toti baſi ſimíſque ſcapulæ partibus ad humiliorem coſtam adhæret,ex inferiore atque anteriore parte totam ſcapulam his apprehenſionibus deorſum atque antrorſum in ſeipſum trahit.Ex reliquis verò duobus muſculis , alter in ſuperficie ex omnibus thoracis vertebris exoriens, in partem ipſius ſpinæ inferiorem inſeritur.alter qui huic ſubiacet, H tum ex ſeptem vertebris thoracis,tum verò etiã ex quinque ceruicis exoritur:inſeritur verò in totam cartilaginoſam baſis partem: vterque autem ipſorum in ſcapulam retro abducit:ſed is, de quo primo loco dixi , trahit etiam deorſum : ſecundus veluti ad ceruicem ſurſum trahit . ſi ambo ſimul tendantur,retro verſus ſpinam totam ſcapulam ad ſeptem priores thoracis vertebras , quibus etiam ipſi ſunt exporrecti,abducunt.

De muſculis caput mouentibus, Cap. XXXIII.

C Apiti proprii motus, citra colli motum , breuiſſimi dupliceſque inſunt:quemadmodum duplices quoque articulationes habet: alteram qua ad latera circumuertitur:alteram qua in anteriora annuit,in poſteriora renuit. Capitis verò motus qui vnà cum ceruice eduntur,multò plures ſunt de quibus paulo pòſt agetur copioſius:in præſentia verò de propriis eius muſculis loquar.Prædictæ igitur coniugationi gracilium muſculorum, quos ex occipitis oſſe exorientes ſcapulam diximus ſurſum attollere, ſuccedit altera quæ tranſuerſum carnoſúmque & latum exortum habet vſque in aures pertinentem: cui etiam altera coaleſcit, quæ principium à parte quæ ſub auribus eſt,ducit.hæ per totum collum ad anteriorem partem obliquè feruntur:atque in primo quidem exortu mediocriter coaleſcunt,at in loco deinceps ſubſequenti magis dehiſcunt:quamobrem nõnullis fortaſſe duo muſculi in vtroque ceruicis latere,non vnus eſſe videbuntur.amborum verò & vſus & motus & villorum poſitura eſt ſimilis:nam & eorum obliquus eſt motus & vſus, vt animalis caput antrorſum circumagant. huius igitur coniugationis muſculi admodum magni ſunt,adeò vt etiã ante diſſectionem in hominibus,ac præſertim in gymnaſticis,per ſpicuè internoſcãtur. Qui verò retro ex occipite exoriuntur,ſunt his multò minores,& numero quamplures.ac dicet quiſpiam eorum eſſe genera duo, quorũ alterum collo & capiti commune fit.alterum verò totius capitis proprium. Quod verò colli capitíſque commune eſt,in octo muſculos diuiditur:in vtroque ſpinæ latere quatuor:quorum prima coniugatio latos in occipite exortus habens deſcẽdẽdo anguſtatur,vt fiat vtriuſq; muſculi figura triãgulo,cuius recti ſint anguli ſimilis.Hi ſanè muſculi ex vtraque parte vnus tanquam plicæ quædam aliis ſuperiacent,quibus ſublatis,tres aliquando muſculorum coniugationes euidenter apparent,plerunque verò duæ, quarũ altera ſecundum ſpinam extenſa muſculos leniter latos habet,qui obliqui ab oſſe occipitis ad ſpinæ latera feruntur:altera teretes,quum illi muſculi villos & partibus capitis quæ ad latera ſunt,vnde etiam exoriuntur, è contrariò habeant in ſpinæ apicem tendentes.quos vbi ſubſtuleris ſub aſpectum perſpicuè cadẽt ii qui ex capitis articulatione naſcuntur,qui ex communi principio ad occipitis finem articulationem contingunt : quorum qui robuſtior eſt,in poſteriorem proceſſum ſecundæ vertebræ , alter obliquus in latera primæ porrigitur. tertius verò muſculus hos ambos coniungit,à latere proceſſus primæ vertebræ in poſteriorem ſecundæ pertingens . Inſeritur autem hic muſcul⁹ in ipſius exortus latera.alius qui prius eſt dictus, in ipſum proceſſus apicem,quam acantham vocant.Huic alius muſculus paruus ſubiacet qui ex occipite prodiens in primam vertebram pertinet . Horum octo muſculorũ exiguorum quos poſtremo loco memorauimus,actio eſt vt ſolum capitis articulum : eorum verò qui his incumbunt,totum collum vnà cum capite moueãt.Caput igitur abnuendo rectã ſolùm muſculi mouent , qui in primam ac ſecundam vertebram recti procedunt : cum parua autem in latera inclinatione cæteri quatuor : quorum duo à capite exorti leniterque obliqui in latera abducunt. cæteri duo huic etiam motui adiumento ſunt: & eã obliquã extẽſionẽ quæ ex muſculorũ ſibi oppoſitorũ,quos modò diximus,motu facta fuerat in caput cũ partibus cõtinuis primæ vertebræ ad naturalẽ ſitũ reducunt. Eſt autẽ perſpicuũ,ex vno tãtùm muſculo agẽte motiones obliquas effici:ſi verò vterque vni⁹ cõiugationis muſculus agat,vnum rectum motum reddi . ſimili quoque modo in muſculis qui his incumbunt,totum collum occupantibus , obliquũ obliquum abnuendo mouẽt, recti verò rectum faciunt. Duo præterea ex prioribus partibus muſculi ſunt , caput vnà cum ceruice mouentes,robuſti & lõgi:hique ad quintã vſque thoracis vertebram progrediuntur,omnibus ceruicis vertebris parte anteriore incũbentes , & ſtomacho

ſubiecti.horum exortus ab inferioribus capitis partibus
exiſtit:iſque carnoſus eſt,eámque occupat regionem quæ
capitis articulatione & inferiore labdoeidis ſuturæ fine
continetur.Quum toti agunt hi muſculi,caput cum ceruice
flectunt:quum verò ſuperior tantùm eorum pars, quæ
à capite in primam & ſecundam vertebram inſeritur, i-
pſum ſolum caput annuendo mouet.hæque pars quan-
doque propriam & perſpicuam deſcriptionẽ habet quæ
poſterioribus paruis muſculis proportione reſpõdet.Sunt
etiam ad latera circa articulum capitis aliæ duæ paruorũ
muſculorum coniugationes,quarum altera primam ver-
tebram capiti adnectit,altera ſecundam primæ cõiungit:
eáque non ſemper eſt perſpicua.horum actio eſt vt ipſas
ſolas primæ vertebræ articulationes ad latera annuendo
moueant.Horum omnium paruorum muſculorum, qui
articulationem capitis,tanquam chorus,ambientes coro-
nant,alius aliam eſſe actionem ignorauit.

De muſculis aſperæ arteriæ,

Cap. XXXIIII.

ASperæ arteriæ proprii muſculi ſunt quatuor, à qui-
bus arctatur & comprimitur,quum hi fuerint exten
ti:& os hyoeides,& larynx reuellitur.quorum maiores ini
tium ſumũt ab inferiore rectæ lineæ oſſis hyoeidis termi-
no:tum in totam arteriæ longitudinem porriguntur, &
in os pectorale interius inſeruntur. Quandoque etiam hi
duo muſculi tibi eſſe bifidi videbuntur. alii verò duo ex
partibus,quæ ad latera ſunt ſcutiformis cartilaginis, & ex
partibus eius inferioribus exorti,ad os pectorale terminã
tur,& arteriam à lateribus comprehendunt.

De propriis laryngis muſculis,

Cap. XXXV.

IN anterioribus partibus eius cartilaginis quæ ſcuti
formam præfert,duo muſculi ſunt, alter ad dextram,
alter ad ſiniſtram conſtitutus. hi recti ad eius longitudi-
nem incumbunt,atque ex humilioribus oſſis labdoeideos
lateribus exoriuntur:hi ſurſum prorſúmque cartilaginem
trahunt. Duo autem alii muſculi à finibus poſterioribus
cartilaginis ſcuti formam referentis ſinguli vtrinque exo
rientes gulæ inſeruntur,ipſámque perinde vt conſtrictio-
res,comprehendunt: hi cartilaginem cogunt & contra-
hunt.Alii duo bifidi primæ & ſecundæ cartilaginis fines
coniungunt & cogunt. poſt quos alii quatuor ex ſecunda
cartilagine in tertiam ſe inſinuant; qui partim retrorſum
partim in latera articulationem contrahunt, ſuperiorem
laryngis extremitatem aperientes.hos ſequuntur alii duo
qui priuſquam larynx apertus ſit,non apparent.hi cartila-
ginem ſcuti formã referentem arytænoeidi perpetuò cõ-
iungunt:ei verò quæ vacat nomine,non perpetuó. habẽt
autem hi muſculi actionem prædictorum quatuor actio-
ni contrariam: diligenter enim ſtringunt vnà cum duo-
bus bifidis inferiorem laryngis extremitatem. Iam verò
ad baſim tertiæ cartilaginis muſculus eſt bifidus, aut duo
coaleſcentes,qui cartilaginem cogunt,& laryngis partem
eis proximam claudunt.

De propriis muſculis oſſis labdoeideos,quod
etiam hyoeides nominatur.

Cap. XXXVI.

DVo lati muſculi os hyoeides inferiori maxillæ coniũ
gunt, ex partibus quæ ſunt ad latera rectæ lineæ i-
pſius hyoeideos enati: atque in partes quæ ad latera ſunt
inferioris maxillæ,poſt exortum muſculorum,qui maxil-
læ ſunt proprii inſeruntur.Alii duo muſculi in extremam
maxillam mutuò coniuncti ſe inſinuant.horum principiũ
eſt ſuperior extremitas oſſis labdoeideos: alii verò duo à
radice oſſis quod à ſtyli ſcriptorii ſimilitudine graphoei-
des dicitur,incipiunt,atque in rectas labdoeideos oſſis li-
neas infernæ extremitati, vtrinque vnus inſeruntur. Hæ
ſolæ tres coniugationes ſunt ſolius labdoeideos propriæ,
eique breues quoſdam motus impertiunt.atque vna qui-
dem à baſi belonoeideos proceſſus incipiẽs,in poſteriorẽ
regionem ipſam abducit:aliæ ad latera maxillæ aſcendũt
atque id ad maxillam ſurſum trahunt. Cæteri muſculi ex
oſſe hyoeide orientes,aliarum particularum cauſa potius
ſunt facti hi quidem in ſcapulas,vt eas mouerent, vt antè
docuimus:hi verò in linguã,vt de ea dicetur: & reliquus

A deinde poſt hos ad fauces extrinſecus adiectus: ſiue quis
vnum bifidum,ſiue duos coaleſcentes, quod mihi quidẽ
potius probatur,malit dicere: hi nanque aſperam arteriã
contrahunt,& os labdoeides infrà retrahunt.

De muſculis mouentibus linguam,

Cap. XXXVII.

EX muſculis qui linguam mouent,duo à baſibus pro-
ceſſuũ,qui belonoeides ab acus ſimilitudine appellã-
tur,initium ducentes,anguſti & longi progrediuntur, &
in partes quæ ſunt ad latera linguæ vtrinque ſinguli inſe-
B rũtur, ac motibus obliquis præſunt.cæteri omnes ex oſſe
caput laryngis ambiente, quod hyoeides appellatur, exo-
riuntur:tum in linguam per duas coniugationes ſeſe qua-
tuor inſerunt,eámque euidenter mouent.quintus qui bi-
fidus eſt, quique à ſuperiore fine rectæ hyoeideos lineæ
principium ſumit,ſub linguam inſeritur ſecundum eius
longitudinem ad extremum vſque maxillæ inferioris,in
id quod mentum vocant,quâ maxillæ oſſa coaleſcũt,per-
tingens.hic muſculus ſurſum ad maxillam os hyoeides re-
trahit, illiſque oppoſitus eſt qui os ipſum ad pectorale os
deorſum trahunt:nullum tamẽ in lingua perſpicuum mo
C tum facit.Alii verò quibus euidenti motu cietur,quatuor
ſunt:quorum duo è finibus ſuperioribus hyoeideos exoriũ
tur,vnde etiam muſculus ille bifidus,de quo diximus, ve-
rùm ad eius latera poti9 ferè:cæteri duo deinceps ex obli-
quis rectæ lineæ & humilibus eiuſdem oſſis lateribus e-
naſcuntur:quorum maiores in mediam linguæ regionem
ſeſe perpetuò contingentes inſeruntur, & ad eum anterio-
rem linguæ locum perueniunt,quem *δεδεμένον,hoc eſt liga-
tum*,vocant:minores verò in latera inter hos & eos qui ab
D vtraque baſi proceſſus belonoeideos procedũt. Cæterùm
horum muſculorum motus poſituræ pro portione reſpon
dent,vt obliquorum obliqui,rectorúmque recti ſint mo
tus,quemadmodum eorum de quibus prius diximus, ad
latera.Prædictis autem omnibus muſculis ſubiiciuntur
ab imis partibus ii qui tranſuerſos villos habent, à tota
lingua exerti,& in totum ferè maxillæ os,præterquam in
mentum inſerti, hi muſculi extenti, extollere & curuare
linguam poſſunt.

De muſculis faucium,

Cap. XXXVIIII.

E LOcus quidam gulæ & laryngi communis eſt antepoſi-
tus,in quem vtriuſque os aſcendit:eum locum iſthmũ
quia anguſtus oblongúſque eſt,vocant. corpus eum am-
biens fauces nominant,ad cuius vtrãque partem muſcu-
lus eſt,qui in edenda voce & in deglutiendo,munere fun
gitur ſuo.

De muſculis collum mouentibus,

Cap. XXXIX.

HOC loco de propriis colli muſculis agemus.Duo ab
F vtraque eius parte muſculi ſunt,quorum alter poſte-
rior potius,anterior alter cẽſetur. ac poſterior quidem,ex
eminentia. quæ ad latera eſt primæ vertebræ, exoritur ea
parte præcipuè qua ipſa conuexa eſt vel maximè: nam ex
anteriore eminentia potius muſculus de quo ſuprà verba
ſunt facta,exortum ducit,qui ad ſcapulæ principium aſcẽ
dit.hic verò poſterior colli muſculus,de quo inſtituta ora
tio eſt,ad ſcapulas vſque peruenit, ex omnibus vertebris
per ligamenta valida exortus,vt multi eſſe muſculi videã
tur:inferiórque ipſius ora thoracis muſculo in ſcapulæ ſi-
G mis poſito eſt exquiſitè continuus.alter verò colli muſcu
lus anterior initium ducit à perforato ſecundæ vertebræ
proceſſu,& ſimul cum aliis muſculis ceruicis exoritur. Il-
linc autem per axillas ad quintam vſque thoracis coſtam
peruenit,ſextã etiã nonnunquam attingens.eius etiã por
tio quædã in primã clauiculæ coſtã,quæ deinceps ſucce-
dit,inſeritur.rotundus autem eſt potius hic muſculus, &
longus.eius verò actio,in eo quod ceruici admotus eſt,eò
pertinet vt ipſam ad anteriora obliquam flectat:in eo ve-
rò quòd ad vertebras thoracis peruenit, vt thoracẽ dila-
H tet.Quocirca præſtabit,vt vel duos muſculos inter ſe vni
tos eo modo quo prædictos,exiſtimemus:vel ſi vnus cen
ſendus eſt,vt in numerũ muſculorũ thoracis referatur: e-
uidenter enim thoracẽ dilatare perſpicitur: collũ verò an
nuẽdo nõ ita euidẽter mouere.oppoſitã verò ei motionẽ

habet prædictus muſculus,qui & ipſe in latera & ad poſteriora magis totum collum flectit. Si verò ambo vnà tundantur,media colli totius inflexio in latera efficitur.Si verò anteriores duntaxat qui ad vtrunque latus ſunt, nimirum dexter & ſiniſter tēdantur,totum collum antrorſum annuere:ſi poſteriores,totum retrorſum renuere cogunt. Si verò omnes quatuor ſimul tendantur, collum in nullā partem vergens tum euadit, quemadmodum itidem in ea affectione contingit quæ tetanus nominatur.

De muſculis in ſimis ſcapularum thoracem dilatantibus, Cap. XL.

MVſculum qui magna dilatatione thoracē diducit, in vtraque parte vnum,ſiue ſcapulæ & thoracis cōmunem appellare ipſum quis velit,ſiue thoracis ſolius,ex iis qui ad ſcapulam ſunt,nullum erit diſcrimen. Exoritur hic è baſi ſcapulæ,toti ſimæ parti extēſus:ſiquidem hæc ipſius pars deliteſcit.quod verò deinceps ſequitur, totum patet,quod quidem thoraci ad eum muſculum qui à ceruice in ſextam coſtam deſcendit,inſeritur.Quinetiam hic muſculus duas coſtas ex iis quæ nothæ dicuntur iam prope cartilaginoſos proceſſus conſcendit.non eſt autem cōtinua eius inſertio,ſed tanquam in quoſdā paruos diſciſſa muſculos, qui ſingillatim ſingulis muſculis coſtis attribuuntur.deinceps verò poſt omnes huiuſce muſculi anteriores extremitates principium exortus ſumit maximus abdominis muſculorum,qui diſciſſis ipſe quoque ſimili modo exortibus appenditur.

De muſculis humeri articulum mouentibus, Cap. XLI.

VBI muſculos ſcapulam mouentes abſtuleris, tum eū qui in ſimis ſcapulæ partibus eſt,de quo nuper dictū eſt,facillimè numerum omnium brachium mouentium muſculorum conſequêre. Quum enim omnes vndecim ſint,tres à pectore in brachium aſcendentes, duos ex iliū ſedibus,quinque ex ipſa ſcapula prodeūtes, & vndecimū poſtea præter hos omnes,qui epomida occupat,intueberis. paruum verò muſculum qui ad articulationem eſt, ab hoc omni ſermone reiicio.Horum motus ſunt hi:muſculus epomida occupans,brachium ſurſum potiſſimùm ad rectam lineam attollit.ex iis qui ad vtraque huius partem ſunt,ab ipſa exorti ſcapula,is qui prope altiorem coſtam eſt,attollit quidem,ſed inclinat ad anteriora:ex iis autem qui prope humiliorem coſtam ſiti ſunt, maior ſuprà ipſe quoque tollit,ſed ad exteriora vergit.qui verò eſt tanquā eius pars,obliquè ad exteriora brachiū abducit. hos motus excipiunt intrinſecus quidem muſculi à pectore aſcēdentes:hique ſiue tres,ſiue quatuor eſſe dicuntur:extrinſecus verò is qui ab inferiore humilioris coſtæ termino ſurſum fertur.ergo ex omnibus muſculis qui à pectore naſcentes ad interiora brachium abducunt, qui altiſſimus eſt,caput brachii magis attrahit:qui verò maximus eſt,& bifidus,totum artū pectori abducit. Si ergo vterque eius muſculus æquè tendatur,motus æqualis efficietur: ſi alter tantum agat, altior altiorem, humiliórque humiliorem adductionem molietur.Muſculus verò qui ſecundum māmam eſt,quum brachiū ad pectus adducit, tum deorſum detrahit. Poſt hos verò qui in ſuperficie eſt tenuiſſimus muſculꝰ verſus ilia leniter ad latera trahit:qui poſt hūc eſt maximus,brachium rectà ad coſtas extēdit.Reliqui poſtea duo muſculi ab ipſa ſcapula excepti, brachium ad exteriora poſterioráque circumagunt:alter qui à ſimis enaſcitur,eius caput retrorſum circumuertit:alter ab inferiore humilis coſtæ extremitate,eam potiſſimum partem in quam inſeritur,extrorſum abducit. Si vterq; munere ſuo ſimul fungatur,brachii circunductionem quæ fit in duplicatione,quam vocant,efficiunt.

De paruo muſculo qui in articulione humeri eſt, Cap. XLII.

HVnc muſculum aliquis partem magni illius qui in brachio eſt,& etiam ipſum per ſe muſculum eſſe ſtatuet: poteſt enim obliquæ extenſioni aliquantulum conducere.

De muſculis articulationem,quæ in gibbo cubiti eſt mouentibus,

A Cap. XLIII.

ARticulatio quæ in gibbo cubiti eſt,à quatuor muſculis totum brachii os in orbem complectentibus mouetur. duo priores articulum non recto exquiſitè flexu vtrique,ſed alter extrorſum,alter introrſum inclinando,flectunt.ſi vtrique tendantur,medius flexus fit, qui carpum ad humeri caput adducit.qui verò introrſus magis flectit maior muſculus,euidenter etiam ante diſſectionem,totā anteriorem brachii partem complectens conſpicitur. incipit autem à ſublimiore ceruicis ſcapulæ ſupercilio, in- B de per anteriores brachii partes deſcendens,ipſum vſque ad medium tangit.hinc ſublimis alteri muſculorum, qui inibi ſunt,incumbens,in gibbi cubiti articulationem ſe inſinuat:alter verò ex brachio ſolo exoritur, & initium à poſterioribus partibus habet prope brachii caput, & illinc per externas partes obliquus ad anteriores partes vſq; ad gibbi cubiti articulationem progrediens, in os cubiti inſeritur,quemadmodum prædictus ille maior in os radii.Porro muſculorum qui articulationem in gibbo cubiti extendunt,alterum principium ab humilis coſtæ ſca- C pularum dimidio,quod verſus humerū aſcendit, incipit: alterum verò poſt brachii caput ex poſterioribus eius partibus exoritur. ambo autem hi muſculi articulationem quæ in gibbo cubiti eſt,extendunt:ſed primus vnà etiam extrorſum inclinat,ſecundus verò introrſum & ipſe inclinationem facit.muſculi autem, quem ſecundo loco nominauimus,pars(eſt enim vt bifidus quidam)carnoſa tota permanens in poſteriorem gibbi cubiti partem inſeritur,& rectam quodammodo magis extenſionem ad os cubiti introrſum leniter vergentem efficit.

D De cubiti muſculis, Cap. XLIIII.

IN cubiti partibus internis ſeptem muſculi ſunt conſtituti: in exteriore autem parte minimus numerus ad octo peruenit.Si verò connati muſculi diſtinguantur, maximus numerus erit denarius,medius nonarius. quatuor igitur digitos(excepto pollice)vnus muſculus magnus extendit in media præcipuè totius brachii regione conſtitutus,& quatuor tendines in vnunquenque digitum ſingulos producens. duo autem muſculi ab vtraque huiuſce E muſculi parte collocati ſunt,quorum alter paruum digitū obliquè ab aliis abducit,alter huic adducit reliquos. ſi exquiſitè loqui velis,duos muſculos eſſe hos dices ſibi mutuò connatos. Alii præterea ab vtraque horum parte muſculi ſunt, quorū alter cubito extrinſecus exporrectus in metacarpium,quod ante paruūdigitum eſt,per vnum tēdinem inſeritur:alter in eam metacarpii partem,quæ ante indicem & medium digitum eſt,per duos tēdines: tertius denique per vnum tendinem in primum os carpi apud magnum digitum. Ac corpus quidem ab his tribus F magnis muſculis extenditur, ad paruum quidem digitū vbi extrema manus, veluti in pronam figurā inclinatur: ad pollicem verò,vbi in ſupinam. qui autem inter hos eſt medius interiectus muſculus, is carpi extenſionem inter vtrunque mediam facit:vt etiā mediā conſtitutionē ſumma manus acquirit,ſi reliqui duo muſculi ſimul actionē obeant. cæterùm ei muſculo qui carpum ad pollicem, vt dictum eſt nobis,mouet,alter eſt adnatus ita vt ambos vnum eſſe planè appareat,qui in primum os pollicis peruenit, ipſumque in alteram partem ea motione mouet, G quæ obliquæ quinque digitorum motioni,quam à tribus muſculis fieri diximus, proportione reſpondet. Reſtant adhuc ex cubiti muſculis exterioribus,& is qui ſuperioribus radii partibus obliquus inſeritur,totus carnoſus,& is qui ſuperius ei prolixꝰ incumbit,qui nec ipſe in exquiſitum tendinem definit:eámque actionem plerūque obit, vt ſupinam manum reddat. reliquus verò muſculus qui ante hunc eſt dictus,in ſuperiores radii partes, non vt is qui poſtremò fuit memoratus,in inferiores inſeritur:quā obrem vterque eorum illam radii partem mouet, in quā H inſinuatur. ſi ambo ſimul agāt,totiꝰ manus conſtitutionē ſupinā reddēt: poſt primū autē exortū conſcendens hic muſculus toti cubito adnaſcitur. eiuſmodi igitur eſt exteriorū muſculorū poſitus atque motus. Quū autem interni

muſculi ſeptem numero ſint, duo carpum flectunt, duo digitos,alii duo radium pronum circumagant : reliquus verò qui eſt omnium gracillimus ſub cute ſumma porrigitur,per medium præcipuè artum ſupernè deorſum tendens,nec vllum articulum mouens.

De muſculis qui in ſumma ſunt manu, Cap. XLV.

MVſculorum qui in internis ſummæ manus partibus ſunt,duplex eſt genus. parui quidem neceſſariò omnes ſunt,attamen inter ſe non parum cũ in aliis, tum verò in magnitudine differunt. Quinque igitur ſunt qui obliquè introrſum ſurſumque digitos mouẽt,ſinguli ſingulis diſtributi:ſextus pollicem, qui magnus vocatur, ad indicem adducit:ſeptimus paruum digitum ab aliis longiſſimè abducit.Alii autẽ muſculi in metacarpio ſiti ſunt, qui omnibus diſſectionis peritis mihique etiam diu fuerunt ignoti,qui cum quadã in latus inclinatione primũ cuiuſque digiti articulum flectunt:binique ſunt in ſingulis digitis.In magno verò digito non eſt æqualis numerus:eſt enim vnus minor,digitóque prope ſecundam articulationem inſeritur,eam non admodum perſpicuè,ſed magis primam mouens. Reliqui deinceps duo ſecundam articulationem flectunt, alter quidem ipſum maiorem qui prædictus eſt,tãgẽs,& ſurſum verſus flexionẽ faciẽs: alter poſt hunc, in latus leniter inclinans. Horum autem omnium vndecim muſculorum commune eſt munus,vt coarticulationem quæ ab vnoquoque oſſe metacarpii cũ carpo eſt,eouſque flectat quouſque vnaquæque flecti ſua-pte natura queat:id quod eſt ſanè breuiſſimum:quæ enim ibi ſunt oſſa,inter ſe coarticulata ſunt. nec quemadmodũ oſſa digitorum,ſunt dearticulata.Quocirca prima pollicis dearticulatio euidentem habet motum: quæ verò eſt metacarpii cum carpo,latentem penitus atque obſcurum.in magno nanque digito nonnunquam duo ſoli muſculi apparent,qui affecti ſunt æquè ac muſculi aliorum digitorum:iidémque ita ſæpe coaleſcunt vt in vnoquoque digito vnus eſſe videatur.

De muſculis qui ſub clauiculis ſunt, Cap. XLVI.

SVB vnaquaque clauicula muſculus ſubiacet,qui perſpicuè videri,antequam auferatur clauicula, non poteſt.habet eandem actionem hi quam intercoſtales habent.Quemadmodum enim quilibet eorum ſuis villis exterioribus humiliorem coſtam ad ſuperiorem attrahit,ita hi primam coſtam ad clauiculam attrahunt.

De muſculis thoracis, Cap. XLVII

EX muſculis thoracis ii qui in locis quæ intercoſtalia dicuntur,poſiti ſunt,duo & viginti ſunt, quorũ villi ſunt longitudine contrarii:neque enim vt muſculi à ſpina in os pectoris deſinunt, ita etiam eorum villi eò pertinent,ſed ex coſta in coſtã obliquè contraria inter ſe poſitione exteriores & interiores ad X literæ ſimilitudinem inſeruntur.Atque exteriores quidem villi à ſuperioribus in inferiores coſtarum partes procedentes thoracẽ dilatant:qui verò in profundo ſunt,ipſum contrahũt. His contrarii ſunt qui ad cartilagineas coſtarum partes, quæ ad os pectorale ſunt,vergunt: nam qui in ſuperficie ſunt poſiti,dilatant:qui in imo ſunt,conſtringunt.At in muſculis coſtarum notharum ad extremum vſque eadem eſt villorum natura:ſiquidem inflexionem nullam habent. Altera porro exiguorum muſculorum coniugatio primas coſtas ſurſum trahit,vt etiam aliæ duæ decimam & vndecimam trahunt deorſum:nam duodecima coſta extra ſeptum tranſuerſum obliquo abdominis muſculo minori connata eſt:quandoque tamen circunſcriptionem proprii muſculi,à quo deorſum trahitur, habere cõſpicitur.Aliæ verò tres muſculorum coniugationes à collo deſcendentes,thoracem dilatant : maxima quæ in ſinus ſcapularum eſt:minor quæ ante ipſam coniugationem eſt ſita: minima quæ poſterius eſt poſita:atque hi muſculi omnes thoracem dilatant,& præter muſculos,etiam phrenes.Intercoſtales verò dimidiis ipſorum villis contrahunt, itémque ii qui ſpinalibus ad radices coſtarum ſunt exporrecti : & ſuperior rectorum muſculorum abdominis pars, & denique ii qui coſtas vltimas deorſum trahunt. quin thoracis etiam contractioni nonnunquam muſculi abdominis aliquantulum conducunt.

De muſculis ſpinæ, Cap. XLVIII.

MVſculi ſpinales à ſecunda vertebra ceruicis incipiũt illi quidem,ſed vel tot ſunt quot & ipſæ vertebræ,à ſecunda initium ducendo,ſibi inuicem connati:aut vnus maximus eſt ab vtraque ſpinæ parte ex multis muſculis cõpoſitus.omnium autem villi ſunt leuiter obliqui,ſique pa rum tendãtur,ſingulas vertebras ſibi cõtinuas ad ſeipſos inclinant:ſi verò ambo tum qui à dextris, tum qui à ſiniſtris cuiuſque vertebræ ſunt,tendantur,tunc recta permanens,& in nullam partem vergens ſpina ad poſteriora recuruatur:ſique per totam ſpinam ita fiat, cum moderata tenſione tota extenditur:violentius autem tenſis retrorſum recuruatur,& ſtatum gibboſitati contrarium acquirit. At in tota parte ſuperiore ad quartam vſque & quãdoque etiam quintam thoracis vertebram,duo muſculi ſunt qui ſtomacho ſubiecti ſpinam flectunt. partibus verò inferioribus quæ ad lumbos ſunt, tota interior lumborum regio binos maximos muſculos habet,quos omnes anatomici ψόας vocant.hi ſupra ſeptum tranſuerſum ad decimam,aliquando ad vndecimam thoracis vertebram inſeruntur,eam ſpinæ partem quæ ad eos eſt, flectentes. Id verò quod inter hos & antedictos interiacet, quod medium thoracis eſt,nullum proprium muſculum eſt nactũ ſed ſimul cum partibus quæ vtrinque ſunt, mouetur.

De muſculis abdominis, Cap. XLIX.

IN abdomine octo ſunt muſculi,quatuor vtrinque. omnium exteriores ac primi ſunt qui à thorace obliqui deſcendunt vſque od oſſa pubis, maximi muſculorum, qui ibi ſunt,omnium. ſecundi ſub his, qui ab ilibus aſcẽdunt:tertii,qui hos contingunt,recti ſunt:quarti,qui peritonæo connati,taanſuerſum ſitum habent. Idque corpus quod ex his & peritonæo conflatum eſt,multos medicos latuit, qui peritonæum eſſe exiſtimabant. quinetiam in ventris ſuturis,quas γαστρορραφίας vocant,tanquam mẽbranam ipſum corpus conſuunt. ſed in partibus inferioribus peritonæum hæc aponeuroſis relinquit, ipſúmque ſolum nudum ibidem apparet. Vtiles hi muſculi ſunt ad exufflationes,& ad ſpiritus cohibitiones,quas vocant:magnas item voces & acutas, vomitúſque & ventris deiectiones.eorum præterea pars inferior, ac præcipuè illorũ qui veſicæ incumbunt, hypogaſtrium introrſum contrahendo mingendi actionem adiuuat.

De muſculis in teſtes deſcendentibus, Cap. L.

DVO graciles muſculi in vtrunque teſticulum perueniunt.Exoriuntur autem,alter à pubis,alter ab ilium oſſe per tenue ligamẽtum mẽbranoſum. deorſum autem illic feruntur per meatum qui ad teſtem deuenit:tum dilatati erythroidem membranam complectuntur. ipſorũ munus eſt,teſtem ſurſum attollere,vnde nonnulli cremaſteras, *hoc eſt ſuſpenſores*, eos nominant.

De muſculo qui in collo veſicæ eſt, Cap. LI.

MVſculus carnoſus collo veſicæ circumiectus eſt:maior ipſius pars inferius ſubiecta eſt.hic muſculus veſicæ os claudit, nequid cõtra volũtatẽ effluat: & vrinam quæ per ipſum fertur,ſimul propellit.

De muſculis pudendi, Cap. LII.

PVdendum duos muſculos obliquos admodum paruos habet,qui in eius exortum inſeruntur : duos item alios connatos,aut vnum bifidum carnoſum, infernè quidem ipſi magis ſubiectos, nihilo tamen ſecius ipſum in orbem complectentes.cæterùm horum capita in nullum os manifeſtè perueniunt:aliorum verò duorũ,in oſſa quæ pubis nominantur.Omnes hi muſculi tum rigidum facere pudendum,quum intenditur:tum motiones, quum in altera & ad ſuperiora mouetur,ſuppeditare poſſunt.

A De muſculis ſedis, Cap. LIII.

VNus eſt muſculus qui parem non habet, rotundus, tranſuerſus, ſedi circumiectus: qui ſi tendatur, diligēter & validè rectum inteſtinum claudit, & in medio ſui ipſius os coccyga tangit: ex omni verò parte in pudendi exortum terminatur. Huic ipſi ad vltimam oram incumbit muſculus cutaceus, cuiuſmodi eſt labiorum pars vltima, quem vel cutaceum muſculum, vel muſculoſam cutim licet appellare. huius quoque vſus idem ferè ac muſculi eſt, præterquam quòd viribus & robore actionis à B muſculo ſuperatur. Porro cæteri duo muſculi qui membranoſi ſunt, ſupra rotundum muſculi ſunt locati. exoriūtur hi ex internis partibus oſſis pubis, & oſſis quod latum aut ſacrum appellatur: ſurſúmque ſedem retrahunt. quum in magnis contentionibus ſedem euerti cōtigerit. quum enim à muſculis hypogaſtrii vnà cum phrenibus inteſtina comprimuntur, & illorum opera quicquid etiam in eis continetur, euenit vt ſedes quoque foras propellatur, & ſæpe adeò euertatur, vt à prædictis duobus muſculis ſurſum retrahi ſtatim non queat: quámque huiuſmodi muſculi C reſoluti aut alioqui imbecilli ſint redditi, ægrè & vix ſedem ſurſum retrahi contingit, quinetiam omnino euerſa maneat, vt etiam ſubſidio manuum ſit opus. Iam verò propter communicationem antedictam hi muſculi pudendi exortum ſimul ſurſum attrahunt.

De muſculis coxendicis articulationem mouentibus, Cap. LIIII.

MVſculi qui coxendicis articulationem mouent, decem ſunt. pſoa enim, quæ nō paruꝰ eſt muſculus, incipitq; à decima thoracis coſta, flectit ſimul & * extror D ſum magis totum femur inuertit. alius quoque exiguus muſculus inſeritur ab oſſis coxendicis baſi, incipiens prope eam partem natium, quæ nuda, carníſque expers eſt. hic muſculus adductionis eſt author. Maximus autē muſculus qui ad femur eſt, qui omnes eos qui ſunt in corpore magnitudine ſuperat, toti oſſi pubis incumbit, & partem etiam quandam coxendicis ex lateribus, & infernè ad nudam vſque & carnis expertē regionem comprehendit, & in totum femur in orbem carnoſis anſis ipſum complectens inſeritur: atque iis fibris quæ ex imis partibus apud E nudam & carnis expertem regionem naſcuntur, & proximè ad genu articulationem perueniunt, retrorſum magis femur abducit, ad alterum ſimul femur leniter adducens. iis autem quæ altiores ſunt, adducit ſolùm: iis verò quæ altiſſimæ ſunt, & ſupernè incipiunt, atque in primas femoris partes inſeruntur, & adducit, & ſurſum etiam ipſum attollit. Hoc muſculo interſecto, is qui antè dictus eſt, euidenter ſub aſpectum cadit: & aliæ quædam muſculorum deſcriptiones quæ non euidentes ſunt, apparent, aliquando duorum, aliquando verò trium: quos ſiquis in F ter muſculos numerarit, is plures quàm decem eſſe muſculos coxendicis articulationem mouentes dixerit. Ex poſterioribus verò natium partibus primus eſt, qui extrema in cute collocatus eſt muſculus, qui femur exquiſitè extendit, & retrorſum trahit. poſt muſculum quem in extrema ſitum eſſe cute diximus, ſecundus eſt alius muſculus admodum craſſus & carnoſus, qui totū ipſum femur ſimul extendit, & introrſum eius caput trahit. Huic muſculus alius ſubnaſcitur, qui extendit ſimul & extrorſum caput trahit femoris. alius præterea muſculus exiguus, craſſúſque, ab exterioribus & imis ilium coxendicis oſſis partibus exoriens, prædicto magno muſculo ſubnaſcitur, qui ipſe quoque attollit, & caput femoris euertit extrorſum. Reliqui ſunt duo muſculi femur mouentes, qui ex totis pubis oſſibus exoriuntur, alter intrinſecus, extrinſecus alter. hi muſculi naturale etiam oſſis pubis foramen occupant, quorum media pars membranoſum ligamentum eſt: parte verò poſteriore in idem inter ſe coeunt, coxendicis oſſi carnoſis anſis adnati. horum muſculorum munus eſt, vt caput femoris circumagant, introrſum qui H dem & antrorſum vno eodémque tempore primus, extrorſum verò & retrorſum alter. Decimus, præter eos qui cōmemorati ſunt, muſculus ab internis femoris partibus locatus eſt, qui fortaſſe etiam tibiam nonnihil mouet: is totum femur introrſum adducit: ſed qualis quātúſque ſit,

mox quum de muſculis genu articulationem mouentibus loquar, quum is in eorum ſit numero conſtitutus, exponam.

De muſculis genu articulationem mouentibus, Cap. LV.

MVſculi qui tibiæ inferioris articulationem mouent nouem ſunt. primus, qui anguſtiſſimus longiſſimúſque eſt, ex media rectáque oſſis ilium ſpina exortum habet, & per interna femoris ad genu dilatus, illic in ocreā non multo poſt articulationem inſeritur. hic muſculus ad interiora tibiam flectit, & ſurſum altam quodammodo attollit, atque ad eam figuram totum crus agit, in qua præcipuè ſtatuitur, quum nos * euertentes ipſum attollimus ſuper femur alterius: qui huic proximus eſt, ab oſſibus pubis incipit, & in ipſam ocream potiſſimum inſeritur: introrſumque tibiam hic quoque inuertit, & eandem in rectum attollit. qui verò plerunque ab internis partibus, & quandoque paulò infra muſculum prædictum illi continuus eſt, & per tendinem in ocream pariter inſeritur, is & flectit tibiam, & extrorſum eam inuertit obliquè, vt etiam eius obliquus eſt ſitus. Huic autem muſculo continentem habent exortum alii tres muſculi: alius ab exterioribus partibus cruris admodum validus extrorſum tibiam euertit: reliqui duo ſuperiorem originem ex internis partibus duorum, qui nunc dicti ſunt, habent. deſcendunt verò, alter deinceps poſt duos antè dictos in internam tibiæ regionem non multò poſt articulationem, flectēs ſimul, & ad exteriora ipſam per tendinem leniter rotundum euertens: alter verò poſt hunc deinceps internis femoris partibus primis ad genu articulationem inſeritur, femúrque introrſum, & parum etiam retrorſum abduducit. hunc ego decimum ſuprà nominaui eorum qui coxendicis articulationem mouent. eius ego tractationem in hunc locum reieceram, vt quoniam in muſculis collocatur qui genu articulationem mouent, de eo vnà cū his ipſis diſſererem. Reliqui autem tres muſculi femoris anteriores, articulationem genu extendunt: qui verò in ſuperficie ſunt duo robuſti, in robuſtum latúmque tendinē deſinunt. qui verò ſub his deliteſcit, is & in principium inſeritur patellæ, & ligamentis quæ ad articulationē ſunt, inhæreſcit. omnes hi muſculi ſupernè deorſum lati per femur articulationem genu mouent, &, vt mea fert opinio, melius nouem dicerentur: ſed ne in minimis rebus ab antiquioribus diſſentire videamur, octo. alius verò quidam exiguus ſub articulatione latet, in ipſo poplite ligamentum habens, capite valido ac rotundo, quod prope externum femoris tuberculum exoritur. hic in tibiæ os ſe inſinuat, obliquus magis quodammodo per partes poſteriores articulationi ſuperuectus, & ad ipſam flectēdam natus.

De muſculis qui in tibia inſunt, à quibus totus pes & digiti mouentur, Cap. LVI.

TIbiæ circumiecti ſunt in orbem muſculi quatuordecim, ſeptem ex poſterioribus partibus, totidémque ex anterioribus. ex iis qui poſiti in poſteriore parte ſunt, tres in calcis os finiunt, tres alii totius pedis digitos flectunt: ſeptimus in tendinem deſinens ſub nuda & carnis experte tota pedis parte in latitudinem expanſus naſcitur: & oſſi calcis infernè dilatatus, deinde, vt dixi, toti pedi ſubſternitur. Huius vtilitas eſt, vt ſolidum ac tenſum, & durum, & pilis nudum, & facilè ſentiens pedis veſtigium efficiat. eorum verò qui in calcem ſe inſinuant, vſus eſt, vt ſimul cum calce totum pedem retrorſum abducāt: atque ita quidem poſteriores tibiæ muſculi ſunt locati. Ex anterioribus verò qui totum pedem ſurſum tēdit & in terſum inſeritur, omnium anteriorum muſculorum eſt maximꝰ: qui verò ei adiacet, eiúſque pars eſſe exiſtimatur, in primum magni digiti os inſeritur, ipſúmque leniter ſurſum trahit obliquè. poſt hos ſequitur aponeuroſis, quæ in totum magnum digitum à qua extenditur, per longitudinē inſerta eſt. huius autem aponeuroſeos exortum muſculus admodum gracilis ex media inter fibulam tibiam ſede molitur, ambo hæc oſſa comprehendēs: quúmque prope magnum digitum fuerit, ligamentum quoddam præter-

greditur, quod eundẽ vſum præſtat, quod in curribus cir-
culi, per quos habenas aurigæ traiiciũt: poſſétque hos tres
muſculos quiſpiam vnum cenſere. qui poſt hunc eſt, à quo
digiti extendũtur, medius inter omnes anteriores muſcu
los eſt ſitus. Poſt hos alii tres muſculi ſunt, qui ab oſſe fi-
bulæ exoriuntur. vnus magnum pedis digitum flectit, al-
ter, gracilis paruum extrorſum abducit, tertius denique to
tum pedem ſurſum tendit. poſt hunc verò, ferè proximum
iam eſt fibulæ mediũ, vnde tertius muſculus exoritur, qui
pedem ſimum reddit: ísque bifidus in exortu fit, inæqua-
libus ferè partibus: eúmque mediũ tranſit is qui paruum
digitum extrorſum abducit. hi tres muſculi propter exor-
tus communionem tres fuerunt à quibuſdam exiſtimati.
Eſt etiam in poplite muſculus breui quidem longitudi-
ne, non tamen imbecillus eſt, & leniter quodãmodo obli
quus, & tibiæ flexionem non planè rectam, ſed leniter ex-
trorſum inclinantẽ facit. hic autem quintuſdecimus mu-
ſculus numeratur eorum qui in tibia ſunt, qui vltimo
loco fuit memoratus inter eos, qui articulationem genu
mouent.

De muſculis qui ſunt in pede,
Cap. LVII.

IN pede quatuor ſunt genera muſculorum, non duo,
quẽadmodũ in manu. tria in partibus pedis inferiori-
bus: vnum in ſuperioribus, quod tarſo exporrigitur. Ex iis
muſculis quinque ſunt qui obliquis digitorũ pedis mo-
tibus præſunt, & proportione reſpondent iis qui in exte-
riore manus regione ſunt locati: ſeptem verò qui in parte
inferiore pedis ſunt, & cum ſeptenis qui in manu viſun-
tur, conueniunt, motus ſingulorum digitorum obliquos
gignunt. quorum duo, vt in manu à primis carpi oſſibus
exoriebãtur, ita hi in pede à primis tarſi oſſibus enati, ex-
teriores digitos plurimùm ab aliis abducunt. reliqui autẽ
quinq; paulò pòſt explicabũtur. Alii verò muſculi in parti
bus inferiorib⁹ exigui ſunt, qui ex tendinibus digitos fle-
ctentibus prius, quàm tẽdines ſigillatim diſcindãtur, pro
cedunt. eorum muſculorum munus eſt, vt medium articu
lum cuiuſque digiti flectant: nam ſciſſis iam tendinibus
alii muſculi adhæreſcunt iis, qui intus in manu motum
obliquum ſingulis digitis ſuppeditant, proportione con-
ſimiles. hi non ſecus quàm illi, ſunt numero quatuor: duo-
bus autem accedentibus, qui digitos extremos ab aliis plu
rimùm abducunt, de quibus diximus, vnóque qui magnũ
digitum ad ſecundum, qui ferè index eſt, abducit, to-
tus numerus ſeptenarius efficitur. Eſt aliud tertium genus
muſculorum, qui ſubter pedem ipſis oſſibus inhæreſcunt,
& muſculis in manu planè incognitis proportione reſ-
pondent. eos conſpicies, ſi omnes tendines, quemad-
modum etiam in manu, excindas. Eorum verò poſitura
omnis, figuráque & vtilitas eadem eſt, quæ prædictorum
in manibus. duo enim cuiuſque digiti articulo præpoſiti,
leniter ipſos flectunt: ſique ſimul agant, in nullum latus
inclinando mouent, ſi priuatim alteruter in latus ſenſim
declinat. quandoque verò ita continui inter ſe cõperiun-
tur, vt vnum in ſingulis digitis eſſe planè putes.

De neruorum diſtributione,
Cap. LVIII.

NVlla eſt animantium particula, quæ aut motũ, quem
voluntarium vocant, aut ſenſum habere, ſine neruis
queat. ſique neruus præcidatur, particula & motu & ſenſu
ſtatim priuatur. cerebrum verò eſt neruorum, quemadmo
dum etiam ſpinalis medullæ, principium, alii porrò à ce-
rebro, alii à ſpinali medulla oriuntur. nã anteriores vẽtri-
culi cerebri ad partes anteriores delati, paulatim coni in-
ſtar anguſtantur, quouſque ad naſi principium perueniãt:
qui quidem inter ſe ita coniuncti ſunt, & perpetuò ſe con
tingũt, vt nihil inter eos medium niſi membrana tenuis
intercedat. Hanc ipſam membranam inter proceſſus non
ſtatuunt, quia neque nerui ex ipſa exoriuntur, vt ab aliis,
neque extra oſſa excidit. ab vtraque autem horum ventri-
culorum parte & dextra & ſiniſtra, neruus eſt craſſitudine
notabili ex ipſo cerebro exoriens, in oculos extra caluariã
per foramen quoddã, cuius tãta exquiſitè latitudo eſt, quã
ta eſt nerui craſſitudo, progreditur. hoc autem foramen
eſt ſitum, quà primùm oculorum ſedes incipit oriri,

A tibique intuenti veluti radices quædam oculorum hu-
iuſmodi nerui eſſe videbuntur: non tamen in multos vil-
los diſſoluuntur, ſicut alii nerui omnes, qui inſtrumentis
eos ſuſcipientibus diſtribuuntur, ſed alio quodam modo
admirabili, quem nec oratione facilè eſt exponere, nec
qui audierit, fortaſſe credet, niſi prius ſuis ipſemet oculis
hoc mirificũ ſpectaculũ perluſtrarit. Dum enim vterque
intra oculum, qui directò ad eum eſt ſitus, immergitur, in
latitudinem extenditur, & humorem qui vitreus appella-
B tur, in orbem inſtar globi circuit, nihil quicquam à cere-
bri natura ibidem diuerſus, ſed ſolis his neruis, antequam
in oculos inſerantur, meatus quidam ſenſibilis intus aper-
tè eſt: quamobrem nõnulli diſſectionum profeſſores hos
ipſos meatus, non neruos, appellauerunt: nonnulli verò
neruos opticos, ab actione nomen eis imponentes, nomi-
nant: háncque primam coniugationem neruorum à cere
bro originem trahentium numerant, quæ cæterorum o-
mnium eſt molliſſima. Altera coniugatio eſt, quæ muſcu-
lis oculos mouentibus eſt diſtributa, quæque & durior &
longior multò eſt, quàm prædicta: & ex caluaria prope il-
C lam, oſſe tenuiſſimo ab illa diſtincta, emergit. huic non in
primo quidem eius exortu, ſed dum per caluariam fer-
tur, tertia neruorum adiacet coniugatio, quæ initium du-
cit quà anterior cerebri pars cum poſteriore coniungitur:
hos neruos molles vocant, qui ad primam radicem quam
plures eſſe videntur. & quemadmodum ex multis primis
radicibus videtur conſtare hæc coniugatio, itaquoque
multifariam diſcinditur. Prima igitur ipſorum particula
ſecedit, in partem capitis inferiorem tendens: quæ qui-
dem anatomicos latuit. Commune autem eſt caluariæ fo
ramen, per quod ea pars deorſum fertur, & ipſius caroti-
D dis arteriæ reliquiæ ad cerebrum conſcendunt, vna ſanè
ab vtroque latere. Quomodo igitur hi nerui per collum
& thoracem in partes, quæ infra ſeptum tranſuerſum ſunt
ferantur, & quænam ſit eorum diſtributio, progrediẽs de-
clarabit oratio: nunc ad reliquas tertiæ coniugationis par
tes reuertamur. eius nanque pars etiam apud maxillæ arti
culationẽ in anteriorem partẽ aurium emergit: quæ quo
modo neruis à quinta coniugatione oriẽtibus miſceatur,
paulo pòſt intelliges. Cæterùm hæc eſt exigua eius parti-
cula quædam: at qui veluti truncus eſt omnium partium
E ab ipſa naſcentium, quæ & ramorum & virgultorum ratio
nem obtinent, in duas partes primùm ſcinditur: quarum
ſingulæ rurſus in multas particulas diducuntur: alteráque
in muſculos qui temporales, quique maſticatores nomi-
nantur, & in eos qui à maxilla exoriũtur, diſtribuitur: gin-
giuis prærerea, dentibus, palpebris, ſuperciliis, toti cuti, fa
ciei, & naſi tunicæ interiori, quæ ei ſubſtrata eſt, hi nerui
ſenſum ſuppeditant. altera verò pars ad radices dentium,
qui inferiori maxillæ inſunt, ſcinditur, eadem propémo-
dum ratione, qua pars altera in ſuperioris maxillæ muſcu
F los ſcindebatur: & in gingiuas, & labra inferiora perinde
atque illud in ſuperiora propagatur. plurima tamen eius
pars in linguæ tunicam diſpergitur. hócque par neruorũ
aliqui guſtatorios appellant, quia per eos guſtandi ſenſus
efficitur. Nerui autem qui maxillæ inferiori & linguæ in-
figuntur, viis decliuibus meritò ſunt vſi, propter partium
eos excipientium poſitionem. qui verò in maxillam ſu-
periorem ferebantur. iis natura viam aliam conuenien-
tem ſecuit: ac primùm quidem prorſum etiam eos tradu-
xit ac propter oculorum regiones deduxit, tum autem
G illic foramine ſimul eſt vſa, per quod nerui oculorum
muſculus inſigebantur, vt duo nerui per vnum foramen
ferrentur, quorum alter in muſculos diuiditur oculorum,
alter ad ſuperiorem maxillam peruenit, qui ſimul excidit
cum altero, qúmque ad oculorum cauitatem peruene-
rit, rectà ad appellatum malum fertur, perforatis illic oſ-
ſibus, quæ ſub oculis ſunt, ac tranſitum ei præbentibus.
atque hæc quidem eſt tertiæ coniugationis diſtributio.
Quarta verò neruorum coniugatio paulò poſterius eſt lo-
H cata, atque in totam palati tunicam inſeritur. nerui autem
hi ſunt admodum exigui, ac neruis tertiæ coniugationis
paulò duriores. Alia deinceps coniugatio neruorum ſe-
quitur, quæ proceſſus ex partibus quæ ad latera ſunt, habet
quam Marinus quintam vocat: & tamen non ex vna ex-

quiſitè radice expullulat,ſed ſibi inuicem ſunt vicinæ, aliúſque neruus exoritur ex altero: & in parte magis anteriore qui vocatur auditorius, vnà cum dura cerebri mēbrana ſimul exoriente, in foramen auditus excidit, cum qua dilatatus illinit meatum.ex poſteriore verò parte alter in aliud quoddam lapidoſi oſſis foramē incidit, quod cæcū nominatur. veteres enim anatomici foramē hoc ita nuncupauerūt,quum perfectè perforare anfractum illum non poſſēt, per quē neruus poſt aures foras excidit.atque hic neruus ſtatim illi neruo tertiæ cōiugationis,qui foras excidere ad maxillæ articulationē dictus eſt,cōmiſcetur, non quòd ille ad hūc perueniat, ſed quòd hunc ipſū expectet dū ad ſe aduenit. Ex vtriſque autē mixtis maxima pars,vel(vt melius dicam)omnis ſcinditur in latum muſculum,qui ſub cute naſcitur, & buccam ſine maxilla mouet,qui à nobis quoque vnus vtrinque inuentus eſt. Hic igitur neruus maxima ſui parte latum buccarū muſculum aperit.exiguum autem eius quippiam neruis auxiliatur, qui à tertia coniugatione ad muſculos tēporalis progrediuntur:quantū enim illis, vtpote minus duris quàm par erat, ad robur motionis deerat,tātum eis à ſeipſo adiungit. Ferūtur autem quædam eius propagines ad glādulas, & alias partes quæ circa aures ſunt, & ad partes buccarum tenues: ipſa verò piloſa cutis ſenſus gratia dūtaxat, veluti reliqua quæ in toto animali eſt,propagines paucas,tenues, raras,inſtar filorū araneæ cuiuſdam,ex omnibus ſubiectis partibus recipit.Quoniam verò tunicam quæ nares intus ſublinit,dicebamus eius neruorum portionis,quæ ad oculorum cauitatem fertur,eſſe participem, viam tamen ipſorum non indicauimus, conſentaneum fuerit eam etiam adiicere. In maioribus igitur vtriuſque oculi angulis videre eſt os in narium capacitatis pertuſum,quod & naribus & oculis eſt commune.ferríque per vtrunque foramen neruum non exiguū ab oculorum cauitate ſciſſum, quūprimùm nerui tertiæ coniugationis in eam peruenerint. Porrò neruus is cernitur non ſolùm in mēbrana quæ naribus ineſt, diſpergi, ſed etiam ad palatum vſque progredi:hæc enim vna tunica communis eſt naribus & ori, ob eam communionem & continuitatem quam habet ex foraminibus in idem deſinentibus,per quæ etiam ſpiritū ducimus. Sed licet hæc coniugatio euidenter duplex ſit, vna tamen eſſe in Marini gratiam ſtatuatur. Sexta verò neruorum à cerebro orientium cōiugatio vno foramine vtitur, quod prope infernam extremitatem ſuturæ quæ labdoides appellatur,eſt ſitum.ſtatim verò ex baſi cerebri oriens habet trium neruorum principia, qui quū extra caluariam emergunt, multifariam inter ſe, & cum vicinis (de quibus paulò pòſt dicam)cōmiſcentur. Deſcendit autem vna pars horum neruorū vſque ad os latum in omnia ferè inteſtina & viſcera diſtributorum.maxima verò ſui parte in ventriculum atque eius os prorumpere apparent: quam ob cauſam hæc pars acutiſſimo ſenſu eſt prædita, naturáque neruis ſeptimæ coniugationis eos aggregauit, & ſimulatque à capitis oſſe exceſſerint,membranis fortibus circundedit,& ex omi parte ad vnguē muniuit. Iam verò quoniam hos neruos ad ſtomachū accedentes, vbi paululum progreſſi eſſent,ad linguam delatos, à ſeptimæ cōiugationis neruis ſeiungere neceſſe erat,rurſus cum arteriis carotidibus quæ propè erant,eos coniunxit, & cum illis per collum perduxit, communibus membranis cum illis colligans: in thorace verò quum arteriæ ad ſiniſtrum cordis ventriculum eſſent locatæ, rurſus eos diuiſit, vbi denuò vtrinque connexuit.& quum ipſos primùm ſtomacho ventriculum diuiſura eſſet natura, qui dextra in parte erat ad læuam: qui verò in ſiniſtra erat,ad dextram obliquos, vt tutiores eſſent, circumegit. Ab his igitur neruis etiam muſculi laryngis propagines ſuſcipiunt. reliquorum verò duorum alter tum in muſculos faucium,tum in linguæ radicem peruenit, alter in latum ſcapulæ muſculum,& nonnullos alios qui inibi ſunt. Laryngis verò muſculi,qui cum aliis partibus ſunt communes,non ſemper à ſexta coniugatione neruos capiunt:quē admodū nec qui os labdoides & hyoides,quod appellant, oſſi pectorali connectunt.Quanquam neruorum carotidibus arteriis adhæreſcentium non paucæ propagines mul-

A tos latuerunt,quos quidem ſolos ſextam eſſe coniugationem ſunt rati:quas ſanè propagines illi dum per collum & thoracem feruntur,faciunt,antequam in os ventriculi incidant.ac ne id etiam ſciunt, viciſſim ex medio thorace nonnullas horum neruorum particulas ad quoſdam laryngis muſculos venire:nec etiam quam vim habeant:quanquam ſi lædantur,in cauſa ſunt vt animal voce deſtituatur.Varia quoque eſt horum neruorum infra ſeptū tranſuerſum diſtributio:nam & quaſdā particulas à ſpinali medulla quæ in ea parte eſt,ſuſcipit,& in viſcera quæ ibi ſūt, B diſſeminatur,& iis quos à tertia coniugatione per collum ac thoracem deferri ſupra diximus, admiſcetur:& tamen hi ipſi nerui qui ad coſtarum radices procedūt,ſextæ coniugationis propagines omnibus eſſe videntur. Varia quoque eſt horum neruorum permixtio cum neruis intercoſtalium, & cum iis ferè omnibus qui ad inteſtina omnia, lumbóſque parui feruntur, & cum reliquis neruorū qui ad os ventriculi perueniunt. Varia denique eſt ea quoque diſtributio quæ intra peritonæum cōtinetur, quam nunc exquiſitè tractare non eſt propoſitum. Satis autem erit id ſolum ſcire,ad iecur,ad lienē,ad renes, itémque ante hæc, C ad totum vētrem,& ad omnia inteſtina neruos à cerebro partim à tertia coniugatione(vt diximus) partim à ſexta prouenientes conſpici.pulmonem verò & cor à ſexta quoque coniugatione quandam neruorum portionem ſuſcipere,omnes ſanè rectè dixerunt. Vtrum verò ſtomachus & arteria,& venæ maximæ earum quæ in collo ſunt ſuſcipiant,omnes norunt. Reliqua eſt ſeptima neruorū à cerebro exorientium coniugatio, quæ diſtributionem habet vbi cerebrum deſinit,& medulla ſpinalis incipit.progredientes enim nerui quadantenus vnà cum iis qui D ſextæ coniugationis ſunt,tum à ſeipſis ſeiuncti, maxima ſui parte in linguæ muſculos diſtribuūtur. nam quædā parua ipſorum particula in eos ſemper venit muſculos qui cartilagini laryngis,quæ ſcuti ſpeciem præfert, & humilibus oſſis labdoideos lateribus ſunt communes:in alios autem quoſdam non ſemper.Inter ſe autem(vti diximus)commiſcentur nerui infra caput tendentes,tum qui à tertia coniugatione,tum etiā qui à duabus nunc dictis proueniunt. Præterea verò prima & ſecunda neruorū à ſpinali medulla orientium coniugatio,magnopere cum hiſce ipſis neruis commiſcentur. Nerui autem ſeptimæ coniugationis E primi inter neruos exquiſitè ſunt iam duri: nam prædictorum omnium alii minus, alii magis ſunt molles:nullus tamen æquè ac hi,durus eſt.quin & illorum quoque neruorum qui muſculis inſeruntur, manifeſtò ſunt aliis duriores.Senſifici autem nerui ſimulatque in linguam inſeruntur,dilatati,exteriorem eius tunicam pertexūt:muſculóſque ſubiectos minimè contingunt:ibi enim nerui motorii ſeptimæ coniugationis in multas fibras ſoluti, omnes linguæ muſculos pertexunt.

De neruis à ſpinali medulla naſcentibus,

F Cap. LIX.

PRima horum neruorum coniugatio naſcitur perforata prima vertebra, quæ vnam radicē apud medullam habet: mox in duas partes ſcinditur,alteráque eius particula retro,altera ad latus procedit. prima aut coniugatio in eos ſolùm muſculos,qui ad capitis articulationem ſunt, diſtribuitur.Secunda verò à ſpinali medulla naſcentium neruorum coniugatio,à poſterioribus ipſa quoque partibus emergit,non tamen per vlla foramina, veluti prima: in vtraque enim ſpinæ parte locus quidam eſt in medio G primæ & ſecundæ vertebræ nudatis oſſibus vertebrarum, in quo nerui exoriuntur,qui & ipſi quadā ſui parte ad anteriora per latera feruntur, neruis primæ & tertiæ coniugationis à cerebro naſcētibus,vt etiam tertia coniugatio, cōplicati.maxima verò portione in poſteriores colli muſculos diſtribuūtur, à quibus primarum vertebrarū inter ſe, & cum capite motiones fiunt. iidem ſimul quidpiam latis muſculis buccas mouentibus impertiunt. Quicquid verò ex eis ſupereſt,ad caput aſcendit, totam eius partem poſteriorem pertexēs: itémq; partes quæ circa aures ſunt, H quæque vſque ad verticem & ſincipitis oſſis initium pertinent.Tertia neruorum coniugatio à ſpinali medulla naſcentium,ex partibus quæ ad latera ſunt,oritur:vbi ſecun-

da & tertia vertebra inter ſe congredientes, cõmune ro-
tundúmque foramen efficiunt, cuius latitudo nerui craſ-
ſitudini æqualis eſt. ea ſtatim ſciſſa, altera parte retror-
ſum fertur, diſtributiones quaſdem imis partibus mu-
ſculorum qui ibi ſunt, impertiens: deinde ad ſpinæ api-
cem exurgit, atque illinc iterum hic neruus obliquus an-
trorſum fertur, in muſculos qui ſecundum aures ſunt, diſ-
ſeminatus, muſculiſque buccas mouentibus, & iis qui col
lum totum cum capite retro erigunt, diſtribuitur. pars ve-
rò quæ prorſum fertur, vtrique coniugationi, ſecundæ ſci
licet (cuius iam meminimus) & quartæ (de qua mox loque
mur) permiſcetur. Porrò exquiſitã diſtributionem quam
in anterioribus colli partibus habet earum coniunctio, a-
libi explicabimus: nunc verò id modò intellexiſſe ſatis
erit, tertiã quartámque coniugationem neruos cõmuni-
bus colli capitiſque muſculis, ac præterea muſculis buc-
cas mouentibus, quemadmodum certè & partibus quæ
ſunt poſt aures, ſuppeditare. Coniugationes verò quæ ſub-
ſequũtur, id commune omnes habent foramen per quod
nerui emergũt. commune etiam eis, *hoc eſt ut ſtatim in exor
tu ſcindantur*: & vt altera parte quæ minor eſt, antrorſum, al
tera quæ maior eſt, per fundum ferantur. ac primum qui-
dem ad ſpinæ apicem. inde verò rurſus ad interiora ferun
tur per latum muſculũ, qui buccas vnà cum labiis, maxil-
læ inferioris os non mouẽdo, ad latera abducit. Præterea
hoc etiam commune eſt omnibus coniugationibus quæ
deinceps conſequuntur, vt ſtatim poſt primum exortum,
quandam breuem neruorum diſtributionem in muſcu-
los ſpinales præbeãt. atque etiam commune omnibus his
neruis eſt, vt ad ſpinam retrorſum ferantur, ac nonnullos
proceſſus communibus colli capitiſque muſculis imper-
tiat: omnes enim tum qui in partibus colli anterioribus,
tum qui ad eiuſdẽ latera ſunt muſculi, neruos ab his con-
iugationibus capiunt, præter eos muſculos in quos à cere-
bri cõiugationibus diſtribui neruos diximus. Hæc igitur
omniũ neruorum qui in collo habentur, cõmunia ſunt,
quod ſanè collũ ex ſeptẽ vertebris conſtat. Quæ quũ antè
cognouerimus, iam perſpicuum erit quicquid in ſingulis
deinceps cõiugationibus ſit proprium: cui nunc animum
adhibeto. A quarta cõiugatione, quæ inter tertiã & quar-
tam vertebram naſcitur, breuis admodũ neruulus ad con
ſequentem coniugationem peruenit, illi, quà primùm e-
mergit, permixtus. quintæ verò coniugationis poſt quar-
tam vertebram exortæ portio quædã exigua decliuis fer-
tur, quæ ſi paruas quaſdam à ſuccedẽtibus coniugationi-
bus portiunculas aſſumpſerit, in ſepti tranſuerſi neruum
euadet. ex quarta verò coniugatione portionem quãdam
telæ aranearum ſimilem ad ſeptum tranſuerſum natura
trãſmiſit: ex quinta verò notabilẽ: deinde aliam ex ſexta:
ſed huius minorem, prioris verò maiorem: altera verò
hac maior particula ad ſummum ſcapulæ aſcẽdit. reliqua
verò omnia, quum communis ſciſſionis ſermo haberetur,
expoſita ſunt. Cæterùm ex cõiugationibus quæ deinceps
conſequuntur, ſexta poſt quintam vertebram, octaua poſt
ſeptimam, ex communibus, vt dictum eſt, foraminibus
emergentes, ſibi ipſæ permiſtæ ad ſima ſcapularum, & ad
brachium per alam tendunt. aliæ verò coniugationes iis
quæ ex thoracis iam vertebris inter primam & ſecundam
A exoriuntur, plurimam ſui partem permiſcent. nec parua
ſanè portio ipſius coniugationis tum in primum interco-
ſtale, tum in muſculos temporales poſteriores peruenit: al
tera verò ſupra primam coſtam extenſa neruo, qui poſt
ſeptimam colli vertebram eſt, connectitur. tum hoc mo-
do ambæ hæ, & cæteræ partes antedictæ per alam in ſima
ſcoptularum, & brachium feruntur, inter ſe quodammo-
do mixtæ & complicatæ: ac magna eorum pars in brachii
& cubiti muſculos diſtribuitur. quod verò adhuc eſt re-
liquum, in ſummam manum diſſeminatur, è directo au-
B tem maximè ſũt extremi exortus ex iis qui prædicti ſunt,
ii nerui qui ad ſummam manum pertingunt. ei verò qui
ſupra hunc ad cubitum eſt, nerui qui ſunt in brachio, &
qui adhuc ſublimiores ſunt, ad ſcapuláſque perueniunt, è
directo ſuperiorum coniugationum ſunt locati. Eodém-
que modo ex omnibus thoracis vertebris nerui exoriun-
tur, qui ſimilem diſtributionem ſortiti ſunt omnes, eo ex
cepto qui ad ſecundũ intercoſtale progreditur: inde enim
perſpicuò neruus excidit, ad brachii cutim tẽdens. Cæte-
ræ verò omnes cõiugationes ſimulatque exortæ ſunt por-
C tionem quandam ſpinalibus muſculis tribuunt: itémque
aliis, qui ſunt in dorſo: velut iis quoque à quibus ſcapulæ
mouentur, & iis qui ad humeri articulationem aſcẽdunt.
ad ſummam verò reliqua & maxima ſui parte per interco
ſtalia ad os pectoris vſque progredientes, tum eos muſcu-
los qui ſunt in intercoſtalib⁹, tum eos qui extrinſecus tho
raci ſunt obducti, ſuas ipſarum particulas per medium eo
rum emittentes, pertexunt. Quæ porrò à ſpinali medulla
ad ſpurias coſtas pertingunt neruorũ coniugationes, pro-
D pterea quòd coſtæ nothæ ad os pectoris non excurrunt,
parum quidpiam intercoſtali, quod prope eas ſingulas
eſt, diſtribuunt: reliqua verò tota ſui parte ad hypochon-
drium excidunt, tum in eos muſculos qui primi extrinſe-
cus adhæreſcunt obliqui, ſupernè ex thorace deorſum la-
ti, diſtributæ, tum in eos qui decliues deſcẽdunt, carnoſiq;
ſunt. Poſt has cõiugationes ſunt ii neruorum exortus, qui
ex lumbis progrediuntur, qui non ex communi forami-
ne, quemadmodum qui in collo ſunt, prodeunt: hic enim
ſuperior tantùm vertebra perforata commodum exitum
E neruo ſuppeditat. Eſt autem his neruis omnibus commu-
ne vt & in ſpinales muſculos, & in eos qui in abdomine
ſunt, & ad carnes lumborum, quæ ψόαι dicuntur, progre-
diantur. à coniugationibus verò quæ ex primis poſt ſe-
ptum tranſuerſum vertebris exoriuntur, & neruis qui à
cerebro ſupernè deorſum feruntur, complicantur, ner-
uus paruulus in vnaquaque diſtribuitur. In vltimis au-
tem lumborum vertebris duo maximi neruorum proceſ-
ſus naſcuntur, qui ad crura pertinent, quibus alii parui ex-
ortus commiſcentur: quorum vnus ſuperpoſitus eſt, alter
F verò inferior priore, ex foramine quod in oſſe (quod latũ
vocatur) eſt, exoritur: híque ſtatim ſecedentes in primos
muſculos coxendicis articulationẽ mouentes inſeruntur.
reliqua pars omnis ad crura deſcẽdit, diſciſſa ad finem vſ-
que ipſorum in ſingulos muſculos eadẽ proportione, quã
in manuum muſculis vſu venit, ſimili quoque modo,
quicunque nerui per lati oſſis foramina exoriũtur, in mu-
ſculos qui inibi ſunt, diſſeminantur.

ORIBASII SARDIANI MEDICINALIVM collectorum tomus tertius, continens euporiſta, facultates ſimplicum, morborum & locorum affectorum curationes,

Ioanne Baptiſta Raſario medico Nouarienſi interprete.

M. ANTONIO AMVLIO, VIRO CLARISSIMO, ac ſenatori prudentiſsimo, Ioannes Baptiſta Raſarius medicus Nouarienſis, S. P. D.

CVM multa ſunt, Amuli clariſſime, quæ homines à libris Græcis Latinè reddendis deterrere debent hoc tempore, tum illud vel maximè quòd veterum monimenta tam deprauata, támque mutila, ac quaſi decurtata ad nos peruenerunt, vt multa in eis comperias ex quibus nullus elici ſenſus poſſe videatur. Et tamen in hac ſumma difficultate, qui hoc ſibi aſſumant, totámque ætatem in hoc ſtudio ponant, tam multi ſunt vt non modò docti homines, & in diſciplinis diu multúmque verſati, quibus totum hoc negotium eſſet tranſmittendũ, id aggrediantur: ſed plerique etiam qui neque à Græcis literis, neque à bonarum artium cognitione ſatis inſtructi ſunt, id, quaſi rerum omnium ſit longè facillimum, ſuſcipere non vereantur. Ex qua quidem re iam eſſe factum videtur vt quod ego multis de cauſis difficile atque arduũ ſemper exiſtimaui, multi perficiundi ſpe ducti, nullo labore ſe conſequi poſſe confidant. Videmus tamen quàm pauci fuerint adhuc meritò laudati: & quàm multi vitare non potuerint reprehenſiones doctorum hominum atque prudentium. Nam quum neceſſe ſit eum, qui velit in hac re cum laude verſari, non eſſe tinctum literis, ſed & ſenſa eius quem exprimit, propriè ornatéque exponere, & multarum rerum eſſe valde peritum: noſti tamen, Amuli clariſſime, quàm multi & in Italia & apud exteras nationes (quum legatus multas orbis terræ partes peragraris) inueniantur, qui multa de Græcis Latina facerẽt, quæ vel ad dicendi facultatẽ, vel ad naturæ contemplationem, vel ad artem præſid~m ſalutis humanæ pertinerent, à quibus ipſi nudi omnino eſſent atque imparati. Quorum ego ſtupiditatem qu~m mecum admirarer, ſcirémque mihi olim excidiſſe è manibus interpretationes quaſdam, quæ decimumquintum ab hinc annum in hominum manus peruenerunt, & item proximis ſuperioribus annis emiſſos XXVI. Oribaſii libros, quorum igniculum deſiderii vix medici ferre poſſe videbantur: viderémque in eis & propter mẽda librorum, quorum mihi eo tempore copia ſuppetebat, & quòd ego ad eum ſapientiæ gradum fateor me non perueniſſe vt non poſſim errare, labi, ac decipi, multa ineſſe quæ ego in alio reprehẽderem, ſic mecum ipſe ſtatueram, non eſſe mihi poſthac quicquã è Græco in Latinum ſermonem conuertendum: ſed tantùm mihi dandam eſſe operam, quæ iam in apertum fuiſſent prolata, ea vt emendarem atque corrigerem: ne fortaſſe quiſpiam, cui meus hic minus gratus fuiſſet labor, ſibi in me inuehendi facultatem fuiſſe datam arbitraretur. tamen quum ii, qui me ad alios Oribaſii libros edendos hortati erant, identidem à me efflagitarent, ne quatuor libros, qui reſtabant, deſtitutos relinquerem, ſed eodem veſtitu orationis ornarem, vt eorum noſtri medici participes fierent, coactus ſum mutare ſententiam: ita tamen, vt ne hic meus labor, ſuperiori quem eſſe mihi ſuſcipiendum putaui, obliuionem vllam afferat: quem polliceor me eſſe tum ſubiturum, quum primùm mihi ab hoc meo negotio, in quo tuo etiam maximo beneficio verſor, vacare parumper licebit. interim verò id conceſſi amicis meis, vt de ſuſcepto propoſitóque conſilio decederem, quo Oribaſii libri quatuor ad Eunapium, quibus omnia remedia omniáque medicamenta, quæ facilè comparantur, eſt perſequutus, ab eodem Latinitate donati prodirent in lucem: atque etiam (quod maximè rem continebat) vt tibi hoc libello nonnullam meæ erga te ſummæ obſeruantiæ ſignificationem darem. Exiſtimabam enim ita mihi oblatam occaſionem, qua teſtari poſſem tuorum in me meritorũ magnitudinem: & de tua eximia ſingularique virtute, déque tuis rebus ſumma cum laude, & totius Reipublicæ dignitate, atque gloria, geſtis loqui: & commemorare quot legationes apud Cæſarem & reges maximos cum incredibili omnium admiratione obieris, & quàm multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attuleris: & de honoribus & præſtãtiſſimis iudiciis Senatus de te, & maximis magiſtratibus, quibus domi ſummo cõſilio, ſumma grauitate, ſummàque integritate functus es, multa dicere: & oſtendere quanta in te ſit cognitio Græcæ Latinæque linguæ, quanta notitia vetuſtatis, quanta peritia rerum omnium, quàm ornata dicendi & polita ſcribendi copia, quàm denique in omni virtute excellas: ſed ſtatim animaduerti neque te id velle, neque etiam id eſſe expectandum à me, qui hæc neque pro dignitate, neque vlla ex parte poſſem præſtare: quique videam epiſtolam, annõ librum, eſſe ad te vnà cum Oribaſio perferendam. Quibus quidem factum eſt rebus vt fretus humitate tua ſingulari, Oribaſium ſolum ad te mittam, vt quandiu manebit ipſe liber, tandiu cum eo maneat hoc qualecunque incredibilis meæ erga te obſeruantiæ monumentum. Vale. Venetiis, Idib. Ianuar. M. D. LVII.

ORIBASII EVPORISTΩN LIB.

ORIBASII EVPORISTΩN LIBER PRIMVS AD EVNAPIVM.

PROEMIVM.

EX eo ſermone quem mecum habuiſti, optime atque ornatiſſime Eunapi, cognoui te ardere ſtudio diſcendi, & ſimplices (quoad eius fieri poſſit)& quæ facilè parātur morborum curationes: quibus tu quum peregrinaris & ruſticaris, quùmque ibi es vbi medicus nullus adeſt, promptè & accommodatè ſine vllo inſtrumento vaſculóque medicinali (cuius copia tibi non facilè ſuppetat) ad ea vtaris quæ ſubitò incidunt, præſertim verò quæ valde acuta ſunt, & curari ſine mora poſtulant.Ac mihi quidem in tempore videris hoc deſiderare: quum planè intelligas pauciſſimos eſſe qui veri medici dicendi ſunt, contrà verò maximam eſſe turbam eorum qui artem ſibi adſciſcant, & nomen ſolum medici obtineant : qui ſanè ſimiles ſunt remigibus qui nihil ſciant illi quidem,ſed tamen gubernare nauim conentur: vt enim quibuſdam ex iis nautis, non ſolùm remos impellere quum id imperat gubernator,ſatis eſt,ſed iidem gubernare nauim audent, & ſæpenumero errores committunt,ita etiam faciunt qui venā incidere,cucurbitulas admouere,ſcarificare, & cætera ſeruilia miniſteria quæ vſu continentur, obire ſolùm didicerunt,atque omnem ſibi medicinæ cognitionem vendicant,& tamen ii neque remediorum qualitatem, neque quantitatem norunt, neque ſciunt quo tempore quóque ordine adhibēda ſint:quod eſt veri medici proprium vel maximè.Cæterùm eos qui morbis tenentur, quorum vel nulla vel certè difficilis eſt curatio, ſic tractando producunt,& verò etiam ægrotos quandoque interficiunt. quibus quidem fit rebus vt inſtitutum hoc tuum,Eunapi,vehementer laudem.ad hoc accedit,quòd rem expetis quā poſſis conficere,& quæ ſit itidem neceſſaria,& digna ſtudio tuo atque eruditione:nam quæcunque in medicinæ tractatione magnæ alicuius contemplationis indigent,& ad quæ obeunda exercitatione opus eſt,ea ſunt ſolius artificis propria: quæ verò in promptu ſunt & tractari facilè queunt,ea ſunt à medicinæ ſtudioſis expetenda. at tu maiores ſanè quàm par ſit,eos qui res medicas amāt,in huius artis cognitione progreſſus feciſti: atque adeò excellis vt non ſolùm & tibi & cæteris adiumento eſſe in quibuſdā morbis, ſed etiam in rebus maioris ponderis medicorū diſcrepantiam diſcernere,& quid melius quidque vtilius ſit,eligere queas.Itaque ſi quæ Galenus, vir admiratione dignus, de medicamentis facilè parabilibus conſcripſit, extarent,inde tibi,quod quæris, abundè ſuppeteret. ſed quum ea ad nos non peruenerint, & quæ Dioſcorides atque Apollonius, itémq; cæteri omnes in hoc genere ſcriptis mandauerunt,ſunt ex omni parte diſtincta, mihique nec tutò adhiberi poſſe, nec quatenus ſatis ſit,tractata videntur:eò ſit vt ſtatim tuæ paruerim voluntati. Ac Rufus quidem,vir maximus, quendam librum ad priuatos homines ſcripſit: veruntamen hic liber non omnia, verùm ea tantùm quæ facere priuati poſſunt, complectitur. ego autem oratione fuſa latius,quæque ad plura pertineat, vti decreui. qua in re habendam eſſe rationem duxi peritiæ tuæ,& cæterorum tui ſimilium, à quibus amari medicinam intelligebam: eſt enim perſpicuum te multò melius poſſe perſpicere quæ ſint, & efficere quæ oporteat, quàm faciāt medici qui prorſus ſunt inexercitati. Perrarò autē venæ ſecandæ mentionem faciā,& item leuiorum purgationum,aliorúmque euacuantium auxiliorum,& medicamentorum quorundam compoſitorum, præſertim verò eorum quæ probata ſunt: quum ſciam vos poſſe eorum artificibus imperare vt ea conficiāt,vobiſq; parent, quum maxima eorum copia vbique comperiatur. neque enim ſolùm vrbes, ſed omnes etiam agri ſunt eorum pleni. Dabo igitur operam pro virili facultate, vt,quemadmodum tu voluiſti,ſcopos curationum,omnéſque medicinas quæ facilè ſuppeditantur, tibi exponam.quæ ſanè excerpam tum ex iis quæ Galenus ſcripta reliquit: ſiquidem in eius libris habetur etiam cognitio remediorū,quæ facilè comparātur: tum verò ex ſcriptis Rufi Epheſii & aliorū claro-
A rum virorum:ex quibus deligā,quæ ad hoc inſtitutum accommodata erunt,& quorum ego periculū fecerim.Iam verò hæc medicamentorum quæ facilè parantur, tractatio tribꝰ cōſici modis poteſt:primò ènim explicari queūt vniuerſæ, & ſingulæ cuiuſque ſimplicis medicamenti facultates:ſecundò deligi medicamina,quæ ad quāque affectionem valeant:tertiò, vnà cum particula morbi quoque habenda ratio eſt,atque eius exponenda curatio.Hāc ego triplicem rationem ſequar, vt tu maiorem copiā eo-
B rum quæ facienda in ſingulis rebus ſint,tibi pares:in eam que veni ſententiam, vt quoniam iuſſu tuo hæc inſtitui conſcribere,eius etiam partis medicinæ quæ de tuenda ſanitate eſt, mihi facienda ſit mentio. itaque initium ſumam.

De pueruli educatione, Cap. I.

PVerulo nuper in lucem edito nutrix eligatur,cuius vitæ ratio ſic inſtituta ſit vt laboribus, cibiſque accommodatis vtatur,vt optimi lactis copiam paret.labores autem huiuſmodi ſint, vt per loca quæ antorſum vergunt, gradiatur,vt texat, vt pinſat,aquam vrna hauriat.Veſcatur
C autem cremore ptiſanæ, & lomento piſorum,& dolichorum,piſcibúſque iis qui cetacei non ſint, nec duras carnes habeat,neque in paludibus ſint enutriti.edat quoque gallinas,teneras carnes, & vinum dulce atque odoratum bibat. Abſtineat verò à caſeo, bellariis, & oleribus. ſolas lactucas ſumat:quandoquidē eæ bonū ſuccū, & ſomnum puero cōciliāt.poterit etiam ritè vti palmulis: quia quum ad ciendam vrinam valeant, ſanguinem purgant,& probum lac parant.peſſima verò eſt menta, itémque ocimū, quippe quæ lac vitient.Cæterùm res venereas omnino vitet: nā hæ lac maximè omnium corrūpunt. Ad magnam
D autem lactis copiam comparandam primas tenet cytiſus, qui & crudus & coctus ex ptiſana eſtur, atque is præter lactis copiam quam affert,idem etiam iucundum efficit.ad hoc valet etiam anethi coma viridis,ſimilique modo fœniculi radices & eruca,itémque apium,& ſmyrnium,& cicer. vbertatem quoque lactis faciunt anemonæ admotæ. Atque optimum lac à vitiato ſic internoſces. Optimum odore,& guſtu lene & iucundum erit,albúmque & conſiſtentia æquale apparebit, denique inter craſſitiem & humiditatem medium obtinebit:vitiatum habebit horum
E contraria omnia.Et de nutrice,ſatis.Quum autē puero alia afferri alimenta poſſint, nullum impedimentum eius cupiditatibus interponi debet:quum ſuapte natura ad exercitationes,& ad alimenta feratur:neque enim ſatietate afficiatur,quū maxima ſanguinis copia in incremento conſumatur.Habenda tamen eſt nutriendi ratio, vt tēpus diligenter ſeruetur,& danda opera ne ante frictiones & balnea cibus offeratur.

De ratione victus eorum qui inter pueros & ſenes interiecti ſunt, Cap. II.

F QVum corpus ſatis magnum incrementum ſumpſerit,non mediocriter timendū eſt ne æqualis omniū humorum abundantia redundet in corpore,& morbi qui ex plenitudine effici conſueuerunt, oriantur:quum præſertim totum alimentum non conſumatur,quòd corporis iam ceſſauit incrementū. Oportet ergo parcius alere corpus quod in hac ætate conſtitutum ſit,& omnes vias euacuandi ſuperuacanea inuenire:ergo ante cibos exerceatur operibus ſibi conſuetis.hoc enim erit ei vtilius,& neceſſariū eſt proprias actiones non omittere.edat quiſque
G quæ conſueuerit,&quorū ei ſuppetat copia,ab eo tantùm abſtinens quod noceat.atque id quidem quale ſit,nihil eſt quòd à medico perdiſcas,quū vſus ipſe ſatis doceat. Cæterùm quid facilè,quid ægrè cōcoquatur,quid valeat ad deiiciendam aluū, & contrà, quid eandē cohibeat, ac cætera quæ ſunt generis eiuſdem,itémque quantū ſit ſumēdum, tu modū poteris ſtatuere ex alacritate & ventris tumore, vt quantū ſatis ſit planè videas.quā ad rem faciet etiā conſuetudo,& habenda erit ratio eorum quæ tum per aluum
H tum per ſudores excernūtur. Non eſt autē aſſuefaciendus homo vt vno tantū diætæ genere vtatur. nā ſi quādoque

vrgeat neceſſitas viuendi rationem cõmutare,magna ſe quetur ex eius rei nouitate turbatio. Ergo præſtat ita ſe cõparare vt facilè ad aliud genus quis tranſeat, & modò hac modò illa viuendi ratione vtatur, quàm vt vno ſemper modo vitam degat. Si verò quiſpiã immoderatius cibos appetat,aut alioqui nimis repleatur,is,antequam cibi corrupti fuerint,euomat:& ſequẽti die tenuiore victus ratione vtatur,& paulatim ad morem ſuum redeat.ſi enim alimenta prius corrupta fuerint, magna moleſtia conſequetur.verùm ſi quid vomere prohibeat, vt ſi pectus,aut ceruix,aut fauces morbo laborent,ſi aluus fluat , res proſperè ſuccedit:ſin ſecus,multùm dormire cõferet.huc facit continuus aquæ calidæ potus:quippe qui & morſus obtundit & abluit etiam inteſtinum. Vbi autem ſit cibi facta cõcoctio,præſertim quum venter deiecerit, lauacro vtendum erit,& paulò pòſt potus dilutior ſumendus.Si verò alimentum rectè concoquatur,aluus autem non excernat,corpus verò grauetur, & ægrè moueatur, adſit præterea torpor quidam mentis quæ etiam ſomniculoſa videatur, ſcire conuenit expletas venas eſſe,quæ plenæ inflantur,tenduntur,obturantur,& quandoque rũpuntur:ea teráque maxima & plurima genera morborũ quos plenitudo creat,efficiũtur.quocirca vbi ex repletione ſenſus oritur qui laſſitudinis ſpeciem refert,tum quieſcendũ eſt, vſque dum cibi qui in ventre ſunt concocti fuerint:facta cõcoctione,quæ plenitudo ſubſit erit exercitationibus conſumenda. id enim valet quod eſt à veteribus dictum,laſſitudinem laſſitudine ſolui.

De iis qui cibos corrumpunt, Cap. III.

QVum venter cibos corrũpit, ſi ſtatim ſecedant quæ corrupta fuerint,nihil ſequitur incommodi: ſi non permeent, mitioribus erit ſeceſſus irritandus, quale eſt medicamentum quod dioſpoliticon vocant, in quo tantum ſit nitri quantum reliquorũ:& quod ex caricis conſtat:itémque quod ex cnico fit & cæteris eiuſdem generis.Iis autem qui continenter alimenta corrumpunt,vtile eſt ante cibum ciere vomitum vini dulcis potu:ac vitare nidoroſa viroſáque,& reliqua omnia quæ facilè vitiãtur: contrà verò eligere quæ boni ſucci ſunt,& aluum quando que ſubducere iis rebus quæ modicè vacuant: inter quæ medicamentum id numeratur cui picræ eſt nomen.At ſi quis prauos ſuccos coaceruari ſinat,is profectò morbis vel difficilibus curatu, vel certè etiam qui curari non poterunt,corripietur.huiuſmodi ſunt pedum articulorúmque dolores,& renum vitia: ac ſæpe etiam morbi acuti ſolent comitari.

De laſſitudine quæ ex nimio labore oritur, Cap. IIII.

SI labor immoderatus, inſolitus, & citatus laſſitudinem creauit,quies imperanda eſt,corpúſque molliter confricãdum ex oleo copioſo, dulciq́ue.initio autem ſtatim poſt laborem calidiore lauacro vtendum:& victus ratio tenuior inſtituenda eſt:nam alimenti parcitas, ſi quid aliud,laſſitudinem ſoluit.adhibere tamen animum debemus ne quis motus periodicus fiat in eo quem laſſitudo malè habet:quia ſi negligatur, excitare plerunque febrim ſolet:tunc enim leuanda eſt victu tenuiore , quique facilè concoquatur & probos ſuccos gignat , cum placida quadam requiete coniuncta.

De æſtu & labore immoderato, Cap. V.

SI quis æſtu feruoréque æſtiuo tempore ex nimio labore correptus fuerit, ita vt totum eius corpus calidiſſimum ſicciſſimúmque ſit, is pomis,ceraſiis, prunis, perſicis,cucumeribus,au peponibus, cucurbita, ficubus frigidis & refrigeratis etiam, veſcatur. & quanquam hæc mali ſucci ſint omnia,tamen poſſunt æſtum refrigerare, atque humectare. A balneo aqua primùm potui detur,deinde vinũ modicè dilutũ:tum vomitus cieatur:pòſt verò lactuca offerenda, deinde pedes ſuilli probè cocti , ex aceto & garo:tum gallorum aut anſeris ventres,atque aloë,aut piſcis aliquis teneræ carnis in ſartagine coctus. Quinetiam guſtet(ſi velit)olera quæ non mali ſucci ſunt, & itẽ cucurbitam.his tranſactis vinũ aqua valde frigida dilutũ bibat. poteſt quoque alica ex vino mulſo , aut vinũ frigidũ eum æſtũ qui non habeat humorũ adiunctã malitiam, curare.

A quibuſdã etiã ſatis fuit ptiſanæ cremor valde refrigeratus,in potu ſumptus. Atque ita quidẽ curari poſſunt ii qui in negotiis ſunt occupati.qui verò vitam ex ſuo inſtituto degunt,ſi non ſe exerceãt,rarò refrigerationis indigebũt. Si verò exercitationib⁹ vtãtur,&in media æſtate exæſtuẽt, aquã fontanã frigidã potẽt:nix enim, quanuis eo tẽpore iuuenes non lædere videatur,tamen noxa ſenſim progreditur,& paulatim augetur:& vbi ætate proceſſerint,& declinare incipiant , morbis difficilibus & qui curari non poſſint,articulis,neruis,& viſceribus afficientur.

B De iis quibus cutis denſatur, Cap. VI.

COrpus cuius cutis denſata ſit ex frigore,vel ex balneo aluminoſo,cognoſces ex colore albo,&cutis duritie, & eo quòd ægrè incaleſcat , & quòd ſoliti ſudores non erumpant. Curabis autem calefaciendo tum exercitationibus,tum lauacris,ſique imperaris vt circa lapidem quempiam in balneo ſe conuoluat,& oleo relaxante perfundatur. Cæterùm aqua quæ in ſolio ſit,non admodum frigida eſſe debet,neque ægrotus in ea morari diutius. Vbi ſe lauerit , oleo dulci tenuium partium & vetere vngatur.

C Præſtantiſſimum verò eſt anethinum,præſertim quod ex anetho viridi ſit confectum,præterea verò ad cutis denſitatem,ſicut etiam ad vehementes laſſitudines,accommodatiſſimum eſt acopon quod ex populo nigra cõficitur.

De iis quos exercitatio & balnea à cibo admota lædunt, Cap. VII.

PLeriſque autem qui cibo expleti ſe exercuerunt, non mediocres noxæ acciderunt, quum & caput repletũ & iecur obſtrictum eſſet. Ergo ſtatim adhibenda curatio eſt,ac capiti quidem deambulationibus, iiſque à cibo tar-

D diſſimis,ante cibum verò lenibus quidem,ſed contentioribus. Iecur verò curandum eſt iis quæ aperiũt.quo in genere maximè præſtat oxymel, & medicamentum ex tribus piperis generibus, quod ſimplicius ſit. præterea verò dilutum,in quo abſinthii coma maduerit,potui datũ prodeſt:& item anethi,& amygdalarum amararum cum oxymelite. Atque ante balneum, quum ea quæ ventre continentur, confecta ſint, medicamentum ex calamintha pari modo cum oxymelite ſumendũ erit.à cuius frequẽti vſu cauere debent qui amaræ bilis ſunt . Vitanda quo-

E que erunt omnia edulia quæ craſſum glutinoſúmque ſuccum faciunt, vſquedum ceſſarit affectio : vtendum verò erit attenuantibus.

De iis qui non exercentur,ſed ſolùm epulis vacant, Cap. VIII.

VIdemus pleroſque qui corpus nõ exercent, ſed ſolùm epulis vacant,quorum nonnulli non ſæpe in morbos incidunt: quum raro ſint corpore quódque facilè perſpiretur. atque hos quidem ad aliud vitæ genus traducere non conuenit. At in iis qui continenter morbis corripiũ-

F tur,morborum cauſæ prohibendæ ſunt . huiuſmodi autẽ ex corpore exiſtunt, vt plenitudo & humorum malitia. ergo in quibus plenitudo celeriter congregatur , quantitas imminuenda eſt alimentorum : in quo illud quoque ſeruandum eſt,vt pro cibis valentis materiæ , offerantur qui imbecillæ materiæ ſint. Qui verò malitiam humorũ coaceruant,quorum alii pituitam , alii flauam bilim , alii atram condenſant,debent abſtineri ab iis alimentis quæ incrementum humori conſueto afferant. horum autem omnium ita aluus comparanda eſt vt facilè deiiciat.

G De euacuationibus quæ ſanis conueniunt, Cap. IX.

VEteres nonnulli exiſtimarunt ſatis eſſe ad bonam valetudinem tuendam,ſi quotidie aluus inaniretur, vrináque ſine vitio procederet:atque eius tantum quanta eſſet eſculentorum poculentorúmque copia. hæc ſi non fiant,ſuccurrendũ eſt.atque vrinæ quidem ciendæ eſt ſandix,apium,fœniculum,& aſparagus:aluum porro ſubducit terebinthina ad oliuæ magnitudinem dormitum eũtibus in catapotio data.Siquis ſubducere magis velit,pa-

H rum nitri adiungat.Iam verò ad aluum leniendam faciũt etiam olera quædam,vt beta, & malua, & braſſica, & iuſculum conchularum. ac fortaſſe hæc ſatis ſunt , ſi nihil quod magni faciẽdum ſit prohibeat. Sunt etiam quibus vehementioribus ſit opus . ſed & præter ea quæ modò

diximus,cient vrinam,petroſelinum, daucus,aniſum, ca-
lamintha, origanum, abſinthium, gramen, cardui radix,
cytiſus, atque adiantum. ſingula autem ex aqua elixan-
tur,atque ex vino potui dantur.ſanguinem enim per vri-
nas purgāt:nec minori ſunt adiumēto quàm quis cogita-
tione cōplectatur. Mouēt autē aluum mercurialis,in aqua
& ſale elixa,& in cibo ſumpta, itémque eius decoctū po-
tui datum:ſimili quoque modo actæ folia,& polypodii ra
dicis drachmæ duæ,quæ ſalſamento inſperſæ,&in ptiſana
abſorbeantur. Sunt qui aloes poſt cœnam ſumunt quan-
tū tria ciceris grana, & quotidie eis venter rectè ſecedit:
quemadmodum faciunt qui cnicum obſoniis indunt.ho
rum omnium optimum epithymum eſt in vino potum.
Cæterùm qui vult hoc bibere, cœnare quidem debet vt
ſolitus eſt, ſed tamen parcius & ita quieſcere:ſiquidem le
niter euacuat. qui verò vehementius erit euacuandus, is
matutinus bibat epithymi drachmas binas in oxymelite:
id verò fiat verno tempore, ſub initiū,priuſquā ſucci re-
dundantes, per hyemem collecti,qui hactenus conſtite-
runt,efferueſcant effundantúrque,& ad particulam aliquā
iis ſuſcipiendis expoſitā cōfluant: aut affectionem quan-
dam immedicabilem aut periculoſam afferant. Expedit
etiamverno tēpore ſanguinem mittere iis,in quibus eius
redundat copia:ſed hoc negotiū cōmittendum eſt homi
nibus qui ſe in vena ſecanda exercuerint,quorū ſunt vbi-
que quamplurimi.quocirca tibi abundè ſuppetent. Si ta-
les non adſint,tibias tibi ſcarificato,vt Apollonius Perga
menus cenſet,atque ita quod opus eſt conficies. nam hoc
& totum corpus leuius reddit,& capiti prodeſt vel maxi-
mè:neque magnam requirit diligentiam. & menſtruas
mulierum purgationes ſuppreſſas irritat.Iam verò iis in
quibus malitia humorum ineſt,& quibus propter ſuper-
fluorum acrimoniam exāthemata in cute oriuntur,quiq;
morſum in lotio ſtercoréque eiiciendo ſentiunt,confert
lac melli admiſtum bibere:itémque ſerum lactis,quod eli
xando à caſeo diſtingues,ſi poſtquam efferbuerit,vinum
aut mulſam inſpergas,& colo traiicias.qua ſanè ratione ca
ſeus ſeparabitur.ſed primùm potui dandum eſt ſale inie-
cto.facit enim ſalvt ſerū partes corporis celerius permeet.
Vbi primùm ſeceſſerit,ſecundo loco bibere iam ſine ſale
poteris:idque per exigua interualla, donec ſatis fuerit fa-
cta purgatio. ſufficient autem ad bibendum moderatè,
ſeri heminæ quinque.Præterea ſic affectos iuuat veterum
gallorum ius potum:pleriſque auxiliantur etiā vomitus,
quibus pituita abundè vacuatur.Sed tamen huius rei non
eſt ordo ſtatuendus.neque perpetuò vtendū euacuatione
eſt, ne,ſiqua neceſſitas cogat hoc omittere, aliqua noxa
ſubſequatur.Eſt ergo neceſſarium, ſi nimio vino ſe ingur
gitauerint,euomāt,aut ſi nimium ſe cibo expleuerint,aut
denique ſi alia æqualis omniū humorum redundātia to-
tum corpus occuparit,vt vomant.Huius autē paris omniū
humorum abundantiæ ſigna ſunt hæc,grauitas cum pon-
dere ac mole cōiuncta,faſtidium, pigritia, ſomnus ſolitò
maior,palpitationes corporis, venarum & inteſtinorum
horrores inordinati calori cōmiſti.hæ enim præcipuæ no
tæ ſunt plenitudinis qua totum corpus occupetur.Adhæc
ſi vomere quiſpiam velit,paranda pituita eſt vt tenuis ſit,
&facilè fluat:quod fiet ſi radiculas in cœna ſumat,aut por
rum,aut cepas,aut ſalſamentū, aut parum origani, aut re-
trimentum thymi, & ſinapi. Sorbitio quoque paretur ex
ptiſana eiúſque lomento: carnibus veſcatur hœdinis, aut
agninis,aut ſuillis. mel etiam & placentas guſtet. vinum
autem dulce non purum bibat.tum id ſpatii poſt cœnam
interponat quo cibus in ſtomacho conſiſtat, nec dum in-
cipiat concoctio: poſtea aqua tepida affatim prius pota
vomat: ac ſi opus ſit præterea tali remedio, idem faciat,
Vbi probè ſatíſque euomuerit, poſca facies totúmque
corpus abluatur, id quod oculis & dentibus mirum in
modum prodeſt. putreſcunt enim vomentibus dentes,
niſi id faciant.aquā deinde calidiorē bibant, & quieſcāt:
interim verò pedes ab aliquo placidè fricētur. Si verò ma
gna cum difficultate quis vomat, melius erit vt ne ei vo-
mitus cieatur. Sed ſi neceſſitas vrgeat,tum denique vo-
mendum erit:& præter ea quæ ſuprà memoraui,comedat
etiam peponis aut cucumeris ſemen ex melle: aut pepo-

A nis radicem ſiccam & tritam ex melle. nam hæc facilem
vomitum parant.ac vacuationes quidem ex medicorum
ſententia ita fieri plerunque poſſunt.

De victus ratione quæ ſingulis tempori-
bus conueniat, Cap. x.

REctè autem fiet ſi diæta ſic inſtituatur vt anni tem-
porum habeatur ratio. Hyeme igitur multi labores
ſubeundi,& maiore cibi copia vtendum:præſertim verò
ſi borealis conſtitutio ſit: ſi verò auſtrina,pares eſſe labo-
res debent,at cibi potúſque pauciores.ac totum etiā cor-
B pus ſiccandum,quum humida tempeſtas ſit:veluti quum
frigida eſt,calidiuſque eſt reddendum labore, vſu carniū
calidarum quibus veſcamur,& olerum acriorum, & lar-
giore vini potu.Ineunte vere alius vomitibus, alius per
vētrem euacuetur,alius venæ ſectione ſanguinem detra-
hat,quæ remedia ſumat quiſque pro conſuetudine, & vt
ei propenſus eſt animus.videmus enim pleroſque prudē-
tes eſſe ac ſcire quid eis quandoque conducat,atque etiā
medicos admonere vt venam ſecent,aut quid aliud vtile
efficiant. Ita eſt hominum natura comparatum, vt recto
C quodam motu ad hæc obeūda feratur & ducatur. Victus
autem ratio verno tempore commutetur,& labores mi-
nuantur,& à cibis detrahatur:potus verò,quia tempus ca-
lidius eſt,augeantur. Æſtate autem quies confert, itémq;
laborum atque alimentorum diminutio. Porrò alimen-
ta frigidioris materiæ ſint,& potus ſit liberalior: omniá-
que fiant quæ ad refrigerandum & humectandum perti-
nent.Autumno autem,quum is ſit omnino inæqualis at-
que inordinatus,& morbos omnis generis afferat,magna
diligentia adhibenda in ratione victus eſt,ne quid erro-
D ris in concoctionibus,in rebus venereis, in frigido potu
committatur.Sed temperantes in his omnibus mortales
ſint: declinent enim aeris intemperiem, qui manè fri-
gidus eſt,atque ardens meridie.nec fructibus autumnali-
bus ſe expleant:quippe qui non ſolùm copia,ſed etiā ma-
litia humorum & flatu quèm gignunt, officient: quum
præſertim qui hiſce fructibus maximè præſtant, ficus &
vuæ, flatum creent, (niſi ante alios cibos ſumantur) atque
etiam alia alimenta vitient. at præſumptæ, neque flatus
cient,neque alios cibos vnà ſecum corrumpunt. Vbi aer
E ſit factus frigidior,tum corpus proportione calefacit, &
omnia ita facit vt quum hyems proxima eſt.Poſt æquino
ctium verò proderit aliqua ex prædictis euacuationibus
vti,vt nihil ſuperuacaneum hyeme retentum moleſtiam
afferat. Atque ita quidem habita temporū anni ratione,
vitam poterit quiſpiam rite inſtituere.

De ſenum victus ratione, Cap. xi.

SEnes,quia frigidæ ſiccæque temperaturæ ſunt,calefie-
ri & humectari poſtulant: & à ſomno fricentur ex o-
leo:hæc enim vitale robur excitant: deinde verò vtantur
F deambulationibus quæ laſſitudinem non afferant, & ge-
ſtationibus quæ eorum viribus conueniant:atque imbe-
cilliores quidem ſolùm geſtentur:robuſtiores verò,vtrun
que faciant. ergo qui citius imbecillior fiat,hæc munera
obeat. In quo illud etiam eſt tertio loco obſeruandum vt
ſenes paulatim comedant,vt,inquam,tertia hora panem
ſumant cum optimo melle, aut alicam ex aqua coctam,
melle admixto:ſeptima verò lauentur,tum prandeant,at-
que in primis ſumant quæ aluum leniunt: deinceps ea
quæ probi ſunt ſucci: tertio loco poſt prandium panē vi-
G no temperato madidum,aut aliquid aliud quod optimi
ſucci ſit,& difficulter corrumpatur,adiiciant. Iam verò
ſenibus neque vina, neque edulia craſſi ſucci offerenda
ſunt:quoniam frequens ipſorum vſus vel aquam intercu
tem, vel lapidem in ſenibus gignit,quum & iecur & lien
vel etiam renes obſtruantur. Si verò potione quæ ex vi-
no melléque conficitur vti velint, vtantur præſertim ſi la
pide renū,aut podagra,aut articulorū doloribus infeſtē-
tur.atque in doloribus quidē articulorū ſatis erit ei vino
mulſo petroſelinū admiſcere: in calculoſis verò beſtonē
H herbam,quæ etiam ſaxifragum dicitur. quam ad rem va
lebit etiā pota ipſa ſimplex ex vino melléque confecta, ſi
parū piperis rutæq; recipiat.quocirca vitare ſēper debent
ſenes,vt antè dixi,quæ obſtruūt. quæ ſiquis neceſſitate cō
pulſus capiat,ſtatim poſt ea ſumat medicamentū quod ex

calamintha,vel ex tribus piperis generibus conſtat: ſi ho-
rum neutrum ei ſuppetat, piper album in pollinem reda-
ctum obſoniis inſpergat & potionibus indat .quo etiam
tempore vtile erit cepam alliúmque guſtare. Aluo autem
mota,quandoque theriaca ſumenda eſt:&quoniam ſenex
propter naturæ imbecillitatem pituitoſa excremẽta per-
petuò coaceruat,opus ei eſt incidentibus, & victus ratio-
ne attenuante.ſed non eſt in iis morãdum diutius:verùm
ſtatim eſt potius declinandum ad humectantia.Quod ve
rò ad fructus attinet, ſub autumno cæteris omnibus an-
teponat ficus maturas, hyeme verò, caricas.Lac etiam,ſi
ipſum cõcoquere rite queat , neq; vlla iecoris ſit affectio,
dari nõ veto.nunc verò quoniã ſi in ſenili corpore ſeroſa
pituitoſáque excremẽta gignuntur, apio, melle, vinóque
albo quotidie vrina cieatur.Sicui aluus adſtricta ſit,ſubdu
catur.id fiet ſi ante cibos oleum abſorbendum dederis,&
quandoque etiã ſi per infernas partes indideris. nã & ex-
cremẽta mollit & lubrica reddit.in quo genere acres cly-
ſteres vitandi ſunt:quippe qui inteſtinum exiccent.quin-
etiam olera præ cæteris cibis ſumpta ex oleo & garo , &
ficus,& pruna, & reliqua generis eiuſdem aluum ſubdu-
cunt.quod faciunt hyeme caricæ & oliuæ ſale cõditæ : &
damaſcena ſicca, quæ vel cocta ſint, vel certè maduerint
in aqua mulſa in qua mel liberalius ſit. Atque ego quidẽ
non hoc conſilii dederim quod quidam faciunt,vt aloën
aut picram ſenes capiant, niſi magna quædam neceſſitas
vrgeat.quanuis enim vno die aluus conſiſtat,nihil tamen
medicamentoſum exhibendum eſt. Si verò magis aluus
cohibeatur,tertio die dabitur mercurialis, & cnicus cum
ptiſana , & terebinthina ad vnius Ponticæ nucis ac ſæpe
etiam ad duarum & trium magnitudinem. nam præter-
quam quòd aluum probè ciet,pulmonem etiam, renes &
alia viſcera expurgat.Optimum etiam eſt quod ex caricis
pinguibus & cnico medicamentum fit.ſed ab vtriſque au
ferantur quæ ſunt extrinſecus circuniecta, ſimúlque tun-
dantur.caricarum autem multo maius eſto pondus quàm
cnici. detur hoc ad duarum aut trium caricarum magni-
tudinem.Sed viciſſitudine quadam horum eſt vſus com-
mutãdus.natura enim id vnum cui aſſueta eſt ſolet cõtẽ-
nere.Porro ſenes diutius quàm iuuenes in lecto morẽtur,
vt excrementa ipſorum eo fotu rectè concoquantur.

De vini facultate, Cap. XII.

QVi bonæ valetudinis curam gerit,vini rerúmque ve
nerearum vim facultatémque noſſe debet. Vinũ igi
tur recreat ac ſuſcitat calorem noſtrũ,atque ideo cõcoctio
nes meliores fiunt,& ſanguis probus gignitur,alimentum
quoque in omnem corporis partem à vino,quia vim ha-
bet permeãdi,diducitur.Quocirca eos qui tenues ex mor
bis ſunt,habitiores reddit,& ſimul etiã appetitum alimẽ-
torum adfert:&pituitam attenuat,bilem vrinis expurgat,
iucũditatéque & alacritate perfundit animum, & robur
addit. Vinum ergo moderatè potum eſt horum bonorum
cauſa: immodicè verò,contrariorum.Itaque ebrii lãguidi
fiunt,delirant,eóſque arctus & profundus ſomnus cõple-
ctitur. quãobrem tam immoderatus vini potus vitandus
eſt,longo autem tempore leniter bibere conuenit:nam &
copioſam vrinarum purgationẽ & ſudores elicit.Sed his
peractis præſtabit vomere mulſa aſſumpta,ita vt minimũ
quidem noxæ inde cõtrahatur.Si verò quis liberalius po-
tet,ne ſe aliis alimentis nimium impleat : atque inter bi-
bendũ cocta braſſica veſcatur,bellariáque ac potius amy
gdalas guſtet:his enim & ebrietas leuatur, & vomentibus
nihil adfertur incõmodi. Præſtantiſſimum autem eſt ab-
ſinthii dilutum,antequam potemus,ſumere:id enim cra-
pulæ obſiſtit maximé. Si verò morſus in aliquo vinũ exci
tet,aqua frigida ſorbeatur,& poſtero die abſinthiũ iterũ
bibatur,corpúſque deambulationibus, frictionibus, bal-
neo & pauciore alimento reficiatur.

De rebus venereis, Cap. XIII.

VSus rerum venerearum pectori, pulmoni, capiti, &
neruis eſt noxius,mentẽ verò ad manſuetudinẽ tra-
ducũ ita vt melãcholia & inſania ſedetur, & amantiũ ni
mia cupiditas minuatur, vt etiã amicas odio proſequan-
tur.Nunc verò qui corpus commiſcẽt,plenitudines vitare
debent, præſertim vini, & inanitionem quæ ex vomitu
A & purgationibus per inferiores partes factis : & ſi cui ſua
ſponte aluus fluat. Cruditates quoque cauendæ ſunt,& itẽ
laſſitudines , & ſiquid aliud ſuſpectum ſit ne morbũ in-
uehat. Minimè autem vtendum eſt rebus venereis autũ-
no,neque etiam alio tempore in quo vulgaris vllus mor-
bus verſetur. Tempus verò quo veneri des operam, accõ-
modatum eſt poſt ſumptum cibum,antequam dormias:
quandoquidem ſomnus ſubſequens laſſitudinẽ ſedat.hoc
etiam tempus idoneum eſt filiis procreãdis,cum ob alia,
tum vel maximè quòd mulier in ſomnum cadens magis
B ſemẽ continet . Sed quoniam venus reddit corpus rarius,
frigidius,ſiccius,atque imbecillius,ideo fit vt quæ ipſum
denſare,calefacere,humectare & corroborare valeãt, ad-
mouere debeamus.Sunt qui ſemen valde calidũ coacer-
uant,quod in venere exercenda excernunt , corporéque
imbecillo ſunt & ſtomacho exoluto, ipſique extenuãtur,
humectantur,ſiccantur, & cauis oculis fiunt : deinde verò
ob has res à venereis abſtinent, ideóque caput grauatur,
& ex repletione cibum faſtidiunt: tum eis in ſomno res
venereæ obiiciuntur,vt cũ aliqua corpus miſcere videan
tur, atque ita eadem patiũtur. talibus nihil dandũ eſt co-
C rum quæ ſeminis copiam gignunt:ſed ea potius alimen-
ta & medicamenta quæ ſemen diſpergant. Vngẽdi quo-
que à balneo ſunt lumbi oleo roſaceo aut melino aut om
phacino.verùm quia præſtat id ſpiſſius eſſe, ne inunctum
effluat,addenda erit cera,& ſuccus aliquis in quo refrige-
randi vis inſit.atque medicamentũ ex cera & oleo,quod
cerelæon vocant,conficietur, ſi in pila ceram oleúmque
valde mollieris,refrigerantem ſuccum affundẽdo , & in
vnum omnia diligenter conducẽdo , & diutiſſimè ſubi-
D gẽdo.ſuccus verò refrigerãs eſt,qui ex ſemperuiuo,ex ſo-
lano,ex Veneris vmbilico, ex pſyllióque exprimitur:qui
quidem æſtate conuenient:at aliis temporibus,alii pleri-
que,qualis eſt lactucæ,& lini ſeminis in aqua cocti,itém-
que plũbi lamina lumbis impoſita à venereis inſomniis
liberat.Idem faciunt herbæ refrigerantes cum ruta & vi-
ticis cimis teneris ſubſtratæ. quin ipſius etiam viticis ru-
tæque ſemina commanſa & deuorata idem præſtant. Sed
cauendum eſt ne lumbos valde refrigeremus ,nequid no
xæ renibus afferatur.

E

De aqua, Cap. XIIII.

QVÆ bona quæque mala in aqua ſint, vſu compertũ
habere debemus: ſiquidem aquis ad plura ferme v-
timur quàm aliis omnibus,ad omnem victus rationẽ in-
ſtituendam. Scire igitur conuenit eam optimam aquã eſ
ſe quæ guſtando olfaciendóque omnis ſit expers qualita-
tis:eámque fore bibentibus iucundiſſimam,aſpectuíque
puram.Si verò etiã præcordia citò permeet,nihil eſt quòd
præſtantiorem quæras:nam quæ in præcordiis reſidet,vẽ
F trem ferit,inflat & grauat.et ſi prædictis bonis prædita eſt
tamẽ mala cenſenda eſt. eáque neque calefit,neque frige-
fit celeriter . imò verò quæ in ea coquuntur tardiſſimè
peiúſque coquuntur.Ergo præſtat aquas quæ huiuſmodi
ſunt,vſu diſcernere. Qui autem voluerit etiam ex notis
quibuſdam ipſas cognoſcere,id ex iis quæ dicam conſe-
quetur.Quæ igitur ad ſeptentrionem vergunt,quibúſque
ſol eſt auerſus,eæ tardi ſunt tranſitus & indomitæ, tardé-
que calefiunt & frigefiunt: quæ verò ſolis ortum ſpectãt,
& per meatum quempiam,aut terram colantur,ac celer-
G rimè calidæ frigidæque redduntur,eas ſpes eſt eſſe præſtã
tiſſimas.Sed bonæ etiam cenſentur quæ æſtate frigidio-
res,hyeméque calidiores ſunt. Non deſunt qui aquas pon
dere æſtiment,ac leuiores præſtare cæteris putent.quod ſi
aquis præter ea quæ diximus,inſit,laudabile erit illud qui-
dem,ſed tamen ſolum non ſatis firmo argumento eſt eas
bonas eſſe. Ac pluuias quidem eſſe leuiſſimas,dulciſſimáſ
que & tenuiſſimas , & ſplendidiſſimas, ſcriptum reliquit
Hippocrates:cauſa eſt quia quod tenuiſſimũ leuiſſimúm-
que eſt,ſol attrahit: quod non modò ex aliis aquis facit,
H ſed id adeò ex ipſo mari cæteriſq; corporibus:quamobrẽ
facilius quàm reliquæ omnes computreſcunt : quippe
quæ ex differentibus multiſque qualitatibus cõſtent. Sed
nemo putet aquã quæ facilè putreſcit , eſſe deterrimam.
quòd enim facilè immutetur , eo potius bona quàm
mala

mala iudicanda eſt.quum ergo aliæ optimarum aquarum notæ adſint,licet ea vim habeat vt facilè putreſcat, tamẽ eſt præſtantiſſima exiſtimanda,at quum mutari incipit, in cauſa eſt vt bibentes raucitatibus,tuſſi, & vocis grauitate afficiantur. Inter pluuiales verò aquas, æſtiua quæ cũ nimbo,quæque cum tonitru pluit,aliis præſtat. quæ verò ex glacie niuéque exiſtit,peſſima.nam in aquæ concretione,quod tenuiorum partium eſt,exprimitur:paluſtres verò,fœtidæque,& in quibus abſurdæ qualitates inſunt,elixando meliores fiunt.Itaque vino temperatæ bibuntur, atque acerbæ quidem dulciore,aliæ verò acerbiore. quaſdam etiam colare expedit,vt limoſas,vt ſalſas,vt bituminoſas.Quæ valde frigidæ ſunt,à cibo bibẽdæ ſunt : ſed neque confertim,neque affatim,neque ſine vino.Nonnulli potus cibóſque aduerſus aquæ vitia inuenerunt:alii enim cicerum decoctum præbibunt,ipſiſque ciceribus veſcũtur:alii caucalidas ex aliquo piſce coctas eodẽ modo comedunt,& fœniculum:alii denique betas cucurbitáſque ex muria & vino diluto præmandunt.

De aëre, Cap. xv.

AER quoque ſaluberrimꝰ optimúſque eſt is qui puriſſimus eſt:morboſus verò & pernicioſus,qui à paludũ ſtagnorúmque halitu, aut à profundo ſpecu pernicioſam auram exhalante fit infectus:quin ille etiam eſt pernicioſus,qui ex quibuſdam cloacis ciuitates expurgantibus fit turbatus:ſimili quoque modo is qui ex oleribus, aut animalibus,aut ſtercoribus putreſcentibus vitietur: vt non bonus etiam eſt,qui è ſtagni fluminíſque alicuius propinquitate nebuloſus efficiatur. Iam qui cauo in loco montibus vndiq; cincto incluſus eſt,quia perflatum nullum habet,vitiatur.Qui ergo aeres ita ſunt vitiati,omnibus ætatibus pariter nocent,quemadmodum optimi cunctis proſunt. Cæterùm aeris differentia quæ ex qualitatibus exiſtit,vt ex caliditate,frigiditate,ſiccitate, atque humiditate,non eodem modo in omnibus affecta eſt: ſed corpori quod optimo temperamento ſit, optimè temperatus aer ſaluberrimus eſt:ei verò quod non ſit temperatum,is aer conueniet cuius ſit temperatura contraria.

De lotionibus, Cap. xvi.

LAuari frigida commendo quidem, ſed non tamen vt putem conferre iis qui vt ſors fert vitam degunt, verùm iis tantùm qui diligentiam in victus ratione adhibent,laboribúſque & cibis vt par eſt vtuntur.pleriſque autem,qui maioris quandoque refrigerationis indigent, ſatis eſt in frigida natare,idque æſtiuo tempore,quum iuuenes ſunt,& carne bene muniti, & frictionibus præcalefacti.Sint autem neque rebus venereis,neque vlla alia laſſitudine defatigati, neque inconcoctione affecti, neque vomitus,neque alui euacuatio præceſſerit:neque ipſi ſint vigiliis vexati.nam ſi aliter fiat,periculoſum erit. Calidũ autem lauacrum optimum tutiſſimúmque eſt: nam laſſitudines ſoluit,æqualem omnium humorum exuberantiã digerit,calefacit,mitigat,emollit, flatus, vbicunque conſtiterint, diſcutit, ſomnum conciliat, & carne corpus rite conueſtit.Præterea verò facilè omnibus & viris , & mulieribus,& pueris,& ſenibus,& priuatis poteſt adhiberi.

De alimentorum facultatibus, Cap. xvii.

QVi tuendæ valetudinis curam gerit, debet alimentorum facultates, vt ſiquid aliud,cognoſcere. Ergo quæ vim habent attenuantem,tranſitus anguſtos aperiũt, & glutinoſa quæ corporibus adhæreſcunt, extrudunt,craſſáque incidunt atque attenuant. Verùm ſiquis in eorum vſu diu multúmque moretur,ſeroſa bilioſáque excremẽta gignentur:ſi verò etiam diutius eis vtetur, melancholicus ſanguis fiet.quocirca ab eorum vſu continuo, præcipuè autem iis qui bilioſa natura ſunt, abſtinẽdum eſt. Iis enim ſolis hæc conueniunt qui pituitam, crudúmque & tenacem & craſſum ſuccũ coaceruarunt. Quæ autẽ incraſſantis facultatis ſunt,valenter nutriunt,ſique in vẽtriculo & iecinore probè cõcocta fuerint,boni ſucci ſanguinẽ faciunt,& tamẽ lienem iecúrque obſtruunt.Inter hæc quædam craſſos tantùm ſuccos gignunt,vt lentes: quædã glutinoſum,vt malua: quædam vtrũque præſtãt,vt animalia quæ teſta ſunt operta. atque ad valetudinẽ quidẽ conſer-

A uandam tutior eſt attenuans quàm incraſſans victus ratio. at quia parum nutrit,ideo neq; tenorem neque robur affert corpori.idcircò oportet quandoque ea etiã alimenta offerre quæ craſſi ſucci ſint,ſed moderatè:ac tum præſertim quũ ſe alimẽti indigẽtes eſſe mortales ſentiunt. quæ ſanè ab iis citra periculum ſumentur qui ſeſe exercent, quique ſomno indulgere pro voluntate ſua poſſunt. Sed quicunque ante cibos exercitationes obire nequeunt, ii omnes alimenta craſſi ſucci vitent: verùm ne otioſi quidem hæc attingant: nam ad bonam valetudinẽ tuendam B maximum malum eſt otium,non ſecus quàm moderatus motus maximum bonũ eſt. Edulia verò quæ mediæ materiæ ſunt inter attenuantia & incraſſantia,ſunt omnium præſtantiſſima:quippe quæ ſanguinem conſiſtentia moderatum faciunt.ita ſit vt hoc alimentum ſit noſtris corporibus accõmodatum:quod verò malos ſuccos gignit, noxium.id quod eſt perpetuò fugiendum. Præſtabit quoque alimentorum fugere varietatem, idque potius ſi ex contrariis ſint cõflata facultatibus. neque enim quæ ſumpſeris,probè concoquentur.

C De alimentis attenuantibus, Cap. xviii.

ATtenuant autem hæc,allia, cepa, porrum,ſinapis,piper,ſmyrnium,pyrethrum, origanum,nepeta,hyſſopum,ſiſymbrium,pulegium,thyma, ſatureia, viridia admota:at ſiccata,iam medicamẽta ſunt. Prædicta verò,ordine conſequuntur hæc,eruca,apium,petroſelinum, ocimum,radicula,braſsica,beta,fœniculum,coriandrum, ruta,anethum,libyſticum,cuminum,capparis,& terebinthi fructus,ſemen cari,aniſi,dauci, omniúmque odoratorũ, D acriúmque,& perſpicuè calidorum. vehementer autẽ attenuant ſemina rutæ & canabis, vſqueadeo vt medicamẽtoſa ſint. Ex cerealibus verò ſeminibus ad diætã attenuãtem ſolum hordeum moleſtia vacat:ſecundo loco cẽſentur panes triticei in clibano cocti. à cæteris danda opera eſt vt abſtineamus:niſi quis velit per longa interualla piſa lentéſque guſtare. Maxima autem copia alimentorum ad diætam attenuantem nobis ſuppeditatur ex piſcibus ſaxatilibus,auiculiſque montanis.& omnino quæ exercẽtur,otioſis,& quæ ſiccioribus pabulis,iis quæ humidioribus E vtuntur,& quæ purum tenuémque aerem inſpirant, iis quæ contrarium,præferenda ſunt.Piſcibus vti poteris iis qui mollem ſimul & friabilem carnem habent: ab iis verò quorũ dura glutinoſáque caro eſt,omnino abſtinendum.atque hæc quidẽ duo ſigna, friabilitas & mollities, ſunt, quibus omnem animantis carnem cognoſcas. cui vtrunque inſit,eius carne ad ſatietatem poteris veſci: cui neutrum,id penitus vita:cui alterutrũ,veſcere aliquando, non tamen vſque ad ſatietatem.Gallinis veſci non prohibeo eos qui ſe exercent,itémque columbis,& turturibus, F & præcipuè monticolis.his tamen nõ recentibus,ſed pridie ad minus mactatis veſcẽdum eſt.nec ſolum turturem cõcedo,verumetiam perdicem,& cætera quorum modicè dura eſt caro.Faciũt ad hãc vitæ rationẽ piſces ſale cõditi: ſuccos enim craſſos & glutinoſos maximè attenuãt. ex iis eligẽdi ſunt qui tenera ſunt carne:cetaceũ genus vitãdũ.potius verò ex aceto atque oxymelle parata quamplurima alimenta offerri conuenit:itémque ſalienda antè ſunt quæcunque poſſint.Iam verò ſuillas carnes ſale conditas guſtare quiſpiam poterit.Neque à fructibus autumnalibus,iis qui ventrem molliunt,lædetur.deteriores ſunt G qui tardè trãſeunt,magíſque ſi duri fuerint: ſed huiuſmodi ne guſtandi quidem ſunt,niſi qui reponi atque aſſeruari queant.quo in numero pira pomáque,& non pauca vuarum ſunt genera . at molliores potius licet comedere: qui autem vehementer auſteri acerbíque ſunt, incommodi ad hanc diætam iudicantur . omnium aptiſſimæ ſunt caricæ,nuces,piſtacia,& amygdalæ ſubamaræ.oliuas neque laudo neque vitupero. Ex dulcibus & potibus & paſtibus ſolum fere mel exquiſitè tenuem ſuccum gignit, H atque inter vina,quæ tenuia albáque ſunt , craſſos ſuccos incidunt,& per vrinas expurgant . denique ad victus rationem attenuantem oxymel eſt accommodatiſſimum.

De alimentis craſſi ſucci, Cap. xix.

CRaſſi ſucci ſunt panes qui ſub cinere coquuntur, quique non rite ſunt facti:&placentæ ex muſto ſimi

láque confectæ, & lagana, & placentæ quæ itria nominantur:& quicquid ex tritico ſine fermento fit.item placentæ quæ ex eadem materia parantur. Simila autem & alica abundè craſſi ſunt ſucci:amylum mediocriter. at lobi & ſucci craſſi ſunt & calidi:itémque lentis pars quæ eſt veluti caro.fabæ frictæ,& piſces qui molles appellantur, loligines,ſepiæ,polypodes,cetaceique,in quorum numero ſunt thynni.moderatius verò quàm hi, pelamides.Satis verò craſſi ſucci ſunt oſtrea,buccinæ,purpuræ,chemæ, patellæ,pectines,pinnæ, & quæcunque teſta cõteguntur. atque etiã anguillæ,cochleæ:carnes ceruinæ,caprinæ,bubulæ,leporinæ,ſuillæ:iecur,renes,teſtes,cerebrum, ſpinalis medulla,mammæ,lingua, & glandulæ moderatè .lac nimis elixatum,caſei omne genus:at recentes & ex acido lacte cõfecti,minus lac acidum igni coctum, oua quæ ad perfectam concretionem cocta fuerint, ac magis etiam aſſata,& longè maximè quæ in ſartagine fricta ſunt. palmulæ,caſtaneæ,bulbi,rapa,pruna,fungi,tubera,nuces pineæ,ficus nõ probè maturæ. Inter vina autem,quæ dulcia ſunt, craſſum ſanguinem faciunt: ac magis id quod defrutum vocatur:& eadem etiam ratione muſtum, itémq; vina craſſa nigráque.

De iis quæ inter attenuantia & craſſos ſuccos facientia,media ſunt,
Cap. xx.

MEdium inter attenuantia & incraſſantia locum tenent panes optimè confecti, carnéſque gallinarũ, phaſianorum,perdicum,columborum,attagenum,turturum,& omnium paruarum auium:itémque piſcium ſaxatilium,litoralium ac pelagiorum, gobiorum,murænarũ, bugloſſorum,& vno verbo,omnium litoralium pelagiorúmque piſcium qui neque lentorem,neque fœtorem edendo afferant.& ficus maturæ,& ſeris ex agreſtibus oleribus.eſt enim hoc cõmune genus multorũ. at vnaquæq; ſpecies proprium habet apud Atticos nomen, vt lactuca, vt chondrila,vt gingidia,& alia plura.huiuſce generis ſũt paluſtris,myacanthinus,chamædaphne,& bryonia, aſparagus,vinum flauum ſimul & dulce,ac perlucidum:quale & Aruiſium,Leſbium,Falernum,& Tmolite.hæc enim & bonũ & moderatè craſſum ſanguinem gignunt omnia.

De iis quæ ſuccum glutinoſum faciunt,
Cap. xxi.

IN tritici genere,quod graue,denſum, & interius flaueſcens eſt,glutinoſum ſuccum facit: quod verò leue, rarúmque,& intus album,minus glutinoſum ſuccũ gignit. Simila quoque & alica abundè glutinoſæ ſunt:itémq; tendines,& nerueæ muſculorum extremitates, & particulæ quæ ad labra ſunt,lingua,ſuillum pancreas, agnina caro, ſeſami ſemen,bulbi,palmulæ pingues.

De iis quæ crudos ſuccos pariunt,
Cap. xxii.

VIrides palmulæ crudis explent humoribus eos qui eis veſcuntur,radix rapi,caro teſta contectorũ,quorum dura caro eſt,quæ falſum humorem ex nimia coctione abiecerit:quæ item mollia nominantur,polypodes,ſepiæ,& quæ ſunt generis eiuſdem. omnia etiam animalia cetacea in mari degentia : ex quo fit vt ſale cõdita ſint ad vſum traducta.vterus,inteſtina,vulua quadrupedum,duriores glandulæ incoctæ, acidum lac, panes in ſartagine cocti,lupini,vua in ventriculo contenta quæ corrupta nõ fuerit.

De iis quæ frigidum ſuccum creant,
Cap. xxiii.

QVI cucumeribus ſe explent, iis vt crudum ſuccum coaceruent vſu venit. id quod iis etiam contingit qui inteſtina,vterum quadrupedum, lácque acidum, boletos,poma immatura,& bulbos denique comedunt.

De iis quæ pituitam faciunt, Cap. xxiiii.

PItuitoſum abſolutè ſuccum faciunt partes animalium nerueæ,cerebrum,pulmones,ſpinalis medulla, glandulæ non concoctæ, agnina caro, & eorum quibus teſta adiuncta eſt,molliſque carnis ſunt:& poma non matura.

De iis quæ ſuccum melancholicum pariunt,
Cap. xxv.

A BVbulæ caprinæque carnes,magíſque taurinæ & hircinæ melancholicum ſuccum gignunt: ac multo etiam magis carnes pecudum,leporum,ſuum agreſtium,carnéſque terreſtrium animalium ſalitæ:itémque lienes animãtium.Ex marinis verò thynni, & balænæ, & cetaceum omne genus:braſſicæ,& arborum germina quæ muria vel acida muria ſint condita, qualia ſunt lentiſci & terebinthi:& cinaræ caro & lenticula melancholicum edulium eſt. Poſt hæc locandi ſunt panes furfuracei, quíque ex typha & aliis malis ſeminibus conficiuntur,triticum tene-
B rum,aphace,vicia,& vina craſſa atque nigra.

De iis quæ bilioſum ſuccum gignunt,
Cap. xxvi.

SIliquæ cinaræ ſuccus amarus eſt, & ſimul etiam tenuẽ bilim facit. ergo meli⁹ eſt vt ea elixata veſcamur. Mel facilè in bilim in calidis corporib⁹ vertitur. omnes enim dulces ſucci & item vina dulcia materiam flauæ bili ſuppeditant.

De iis quæ gignunt excrementa,
Cap. xxvii.

C EXcrementa gignunt palumbi,anſeres,præter alas omnia viſcera, ſpinalis medulla, cerebrum, aues quæ in paludibus,ſtagnis,pratíſque degũt:cicer,fabæ virides, faba Ægyptia, porcelli nuper nati,ouium caro, & item eorum omnium animantium quæ ignauam vitam ducunt:& piſces fluuiatiles,paluſtres,atque in limo viuẽtes, & omne genus cetaceum in mari viuens.

De iis quæ vacant excrementis,
Cap. xxviii.

EXpertia ſunt excrementorum colla,caudæ alæque a-
D nimalium,& agreſtium caro, & eorum quæ in ſiccis locis vitam tranſigunt.

De iis quæ valde nutriunt,
Cap. xxix.

CAro ſuum domeſticorum valentiſſimum omnium alimentum præbet,bubulum cerebrum,teſticuli,cor, ſpinalis aliáque medulla,alæ anſerum:& magis etiam gallinarum omniúmque pennigerorum ventres. cochleæ,ac magis ter coctæ,ex iis quæ teſta operta ſunt. huius generis cenſentur,quorum dura caro eſt: cuiuſmodi ſunt pur-
E puræ,buccinæ,& ſimilia, aſtaci, paguri, cancri, locuſtæ, ſquillæ,& cætera conſimilia. itémque ea quæ mollia vocantur,vt polypodes,ſepiæ, & quæ talia ſunt.ex cartilagineis verò torpedo,turtur modicè.bati verò & liobati, & rhinæ,magis nutriũt:at triglæ gobiíque minus.lac quod craſſius ſit:quod verò liquidius eſt,minus. Inter panes maximè nutrit ſiligineus, deinde ſimilaceus, tum ii in quibus etiam furfur eſt.triticum elixum, ſimila, alica, fabæ carnem gignunt,non tamen firmam denſámque,ſed potius laxiorem.Cicer magis nutrit: phaſeli, ochríque ma-
F gis quàm fœnumgræcum.dolichi verò,quos lobos & phaſiolos vocant,non minus quàm piſa nutriunt.lupini quoque vim habent alendi, caſtaneæ, palmulæ dulces, vuæ dulces pinguéſque,rapa:bulbi maximè nutriunt,ac magis bis cocti.mel deſpumatum & ad diſtributionem alimentorum & ad nutriendum aptum redditur. vinum omne ad craſſitiei proportionem nutrit. ergo rubrum craſſúmque maximè omnium ad ſanguinem gignendum aptum eſt:deinde verò nigrum ſimul,& dulce,& craſſum,tum rubrum,craſſum & adſtringens. his minus nutrit album ſi-
G mul & craſſum,& auſterum: omnium verò minimè, album & tenue.Iam verò omnia quæ craſſi ſucci ſunt,ſi rite concoquantur & in ſanguinem conuertantur, valde nutrient.

De rebus parum nutrientibus,
Cap. xxx.

PArum nutriunt extremæ partes animaliũ,vterus,ventriculus,inteſtina,caudæ, auriculæ, pinguedo, adeps. omne auium genus parũ nutrit,ſi generi terreſtriũ cõparetur.caro etiam eorum quæ ſunt confecta ſenio, minus
H alit quàm eorum quæ adhuc augeſcunt.alimentum quod ex piſcibus ſumitur,ſanguinẽ tenuiorem facit:ex iis verò quæ teſta intecta ſunt,& quæ molli ſunt carne,vt oſtrea,parũ nutriũt.Panes hordeacei,polenta ex hordeo confecta, panes furfuracei,omnéſq; ſordidi,& loti,amylum, maza

ex po-

ex polenta,hordeum, auena, milium, & magis panicum, oryza,faba viridis,ſemen papaueris,ſycamina, amygdala,piſtacia, pruna perſica, armeniaca, præcocia, oliuæ ac præcipuè maturæ,nuces auellanæ ac potius regiæ, nuces, ſerica,corna,pruna ſylueſtria, rubi fructus, capparis præſertim ſale condita,terebinthi pars omnis,braſsica, beta, raphanus,napi, aſparagi omnes, paſtinaca, daucus, carus, cepa &allium. Porra verò cruda nihil penitus nutriunt,at bis térue cocta, parumper. mala punica parum nutriunt, itémque pira,cucurbita,vuæ denique paſſæ & auſteræ,& non pingues.

De rebus mediis inter ea quæ multùm & quæ parum nutriunt. Cap. XXXI.

INter ea quæ multùm & ea quæ parum alunt, interiecti ſunt medii phaſeli,ochri,& cicerculæ. Ficus verò non æquè ac cæteri autumnales fructus nutriunt, & laxam carnem gignunt. Simili quoque modo vuæ, ſed minus quàm ficus nutriunt, laxámque & flaccidam carnem gignunt.

De rebus boni ſucci. Cap. XXXII.

OPtimum lac,eſt omnium ferè quibus veſcimur,optimi ſucci. éſtque optimum eorum animantium quæ integra valetudine fruuntur, quum nuper emulctum potatur.Oua tremula ſorbiliáque gallinarum & phaſianorũ. aues autem piſcéſque omnes parum abeſt quin boni ſucci ſint:præter eos qui in paludibus,ſtagnis,limoſíſque & turbidis fluminibus viuunt.Odoratu verò guſtatúque diſcernere piſces oportet. nam qui in aquis vitiatis degunt, fœtidi,inſuaues,mucoſique ſunt. Iam verò carnes animalium,ſi probè fuerint concoctæ,optimum ſanguinem faciunt: quod præſtant maximè carnes eorum qui boni ſucci ſunt:quale eſt ſuillum genus. Mamma boni ſucci eſt, itémque iecur, partes etiam quæ circa labra ſunt, & alæ, & cæteræ extremæ particulæ. at vulua, & inteſtina, & cauda,minus quàm carnes probi ſunt ſucci. Glandulæ probè coctæ æquè ac carnes probi ſucci ſunt. cor non eſt mali ſucci. pedes porcini præſtant grunno & auriculis. Agreſtium beſtiarum carnes melioris ſucci ſunt quàm cicurum.Panis purus,ritè confectus,boni ſucci eſt. alica,ptiſana rectè cocta, fabæ, caſtaneæ non mali ſucci ſunt.ficus maturæ, vua matura penſilis vacat reprehenſione.Caricæ ſtatim diſtributæ boni ſucci ſunt: at ſi diu in ventriculo maneant,mali,&pediculos præterea gignunt: ſi cum nucibus eas ſumas, præſtantiſſimum edulium facies.at quicunque ficus caricáſque cum aliquibus aliis edulíis non comedunt,ii non parum læduntur.Lactuca in olerum genere,ſanguinem gignit,poſt eam intyba.Vina odorata boni ſucci ſunt: atque optimi quidẽ ſucci eſt Falernum,& Tmolite dulce,& Aruiſium.

De rebus mali ſucci. Cap. XXXIII.

AB omnibus mali ſucci eduliis, etiam ſi facilè concoquantur,abſtinendum cenſeo:ſuccus enim malus ex eis collectus longo tempore latet in venis, qui quum parum occaſionis ad putreſcendum nactus ſit, febres malignas inuehit.Cæterùm mali ſucci ſunt hæc.ouilla caro,agnina:hircina verò peſſima eſt,deinde arietina, tum taurina:inter has omnes caro caſtratorum melior eſt: ſeniorum carnes ſunt deterrimæ. Caro leporina eſt illa quidẽ ſanguinis craſsioris effectrix, cæterùm melioris ad ſucci bonitatem quàm bubula ouilláque: ceruina verò non minus atque illæ,mali ſucci eſt.Renes mali ſucci ſunt,teſticulique, præterquam gallorum gallinaceorum. cerebrum, ſpinalis medulla,lingua,lien,oua in ſartagine fricta, caſei veteres,boleti,amanitæ, fœnumgræcum,lens, auena, cicer,non boni ſucci. olyra verò tanto eſt tritico deterior quanto eſt quàm typha & auena præſtantior:panicum,milium, & cætera ſimilia boni ſucci non cenſentur.Iam dracones,galeonymi,ſcorpii,trachuri, triglæ, orphi, glauci, zygænæ,gongri,phagri,& alia cetacei generis quæ in mari viuunt,mali ſucci ſunt omnia. Poma immatura,pira antequam cõcocta ſint,perſica,mala punica, meſpila,corna, pruna,ſiliquæ,terebinthi fructus, cinara, (& præcipuè quũ iam obduruerit)cucumeres,pepones,melopepones,ſed hi minus:cucurbita eſt his melior,ſed ipſa quoque in ſtomacho corrupta fit abũdè mali ſucci. Ficus minus mali ſuc-

A ci ſunt quàm cæteri æſtiui fructus, qui horæi dicuntur: itémque caricæ.ſed ſi quis eis diutius vtatur,nõ admodũ bonum ſanguinẽ gignent,& inde magna quoque pediculorũ copia cõſequetur. Ex oleribus nullum boni ſucci eſt: in medio tamen eorum quæ bonum quæque malum ſuccum faciunt,eſt lactuca & intybus: poſt verò, malua,blitum,atriplex.Radices tum olerum,tum verò etiam plantarum mali ſucci ſunt, quæcunque acres ſunt,qualis eſt ceparum,porrorum, alliorũ radicularúmque, & daucorum: mediæ ſunt radices raporum & ari.ocimum ſucci peſſimi
B eſt.rapum crudius,braſſica,bulbi non probè elixati,cepa, allium, porrum,ſi bis cocta fuerint,ſucci prauitatẽ deponunt:omnino verò peſſimi ſucci ſunt olera quæ ſylueſtria nominãtur:vina quoque craſſa vnáq; fœtida,& quæ inſuauia auſteráq; ſunt,mali ſucci iudicãtur.Tale eſt vile bithynũ quod in magnis doliis importatur: nam quod in paruis conuehitur,neque boni,neque mali ſucci eſt.

De rebus quæ bene concoquuntur, Cap. XXXIIII.

PRobè concoquuntur panes ritè confecti,omnes ſaxatiles piſces,gobius,torpedo,turtur.Omne genus vola-
C tilium,generi terreſtrium comparatum,melius concoquitur,præſertim caro perdicis, attagenis, columborum,gallinarum,phaſianorũ,& alæ anſerinæ: & his magis alæ gallinarum:& ad ſummũ,alæ bene habitorum & iuniorum optimè concoquuntur: peſſimæ verò graciliũ & ſeniorũ. Quæ verò ſero lactis educata ſunt,& iecur anſerũ,& cæterorum quæ ita nutrita ſint, teſtéſque pullorũ gallinaceorum facillimè concoquuntur. Eiuſmodi quoque ſunt carnes porcorũ ætati verò florenti quæ ſe exerceat, accõmodatior eſt porcorũ quorũ ætas floreat,caro:aliis verò,por-
D corum adhuc creſcentium. Vituli melius concoquuntur quàm perfecti boues, & hœdi facilius quàm capræ. caro denique adhuc creſcentiũ facilius quàm nõ creſcentium concoquitur:nux etiã regia facilius quàm auellana: bulbi facilius concoquuntur qui bis cocti fuerint: oua tremula & ſorbilia,lactucæ,intyba,malua,cucurbita cocta,quũ nõ vitietur:vina dulcia melius quàm auſtera concoquuntur. Cæterùm ex iis quæ æquè ſalubria ſunt,id melius concoqui ſciendum eſt quod iucundius ſit.

E

De rebus quæ difficulter concoquuntur. Cap. XXXV.

AEgrè concoquitur caprarũ,boum, ceruorúmq; caro: hircina verò eſt ad concoquendum peſſima:deinde arietina,tum taurina.& annoſorũ animaliũ caro peſsimè concoquitur, & ſues ſenio confecti fibroſam ſiccámque & ideo concoctu difficilem carnẽ habent. Vẽtriculus difficulter concoquitur, atque etiã inteſtina, vterus, lingua, cor,iecur,aures,caudæ,renes,cerebrum,medulla ſpinalis, & perfectorũ animaliũ teſtes:anſeres præter alas. palumborum,ſturnorũ,merularum, & paſſarum auiũ caro du-
F rior eſt: & magis etiã turturis atque anatis. difficilius verò quàm hæ concoquitur, fibroſáque eſt caro pauonũ & otidum:aeriorum animaliũ ventriculi omnes ægrè cõcoquuntur.Quo in genere falſò à quibuſdam laudatur ſtruthocameli vẽter,& mergi:vix etiã concoquũtur cochleæ, lac acidum,caſeus vetus:at nouus, ac præſertim qui ex lacte acido confectus eſt,melius concoquitur:purpurarum, buccinarũ,& aliorũ teſta intectorũ caro,quia durior eſt, ideo ægrius concoquitur:itémque aſtaci,paguri,cãcri,locuſtæ,ſquillæ,& cætera his ſimilia:polypodes quoque, ſe-
G piæ,loligines,& alia quæ molli cute prædita vocantur, bati,liobati,rhinæ,dracones,cuculi, galeonymi,ſcorpii,trachuri,triglæ,orphi,glauci,zygænæ,gõgri oua in ſartagine cocta,triticum elixũ,polenta,typha,auena,fabæ,dolichi, phaſioli,cicercula,cicer,oryza,lupini, panicum,milium, & his conſimilia.lens,ſeſamum,caſtaneæ,mala,pira,antequam matura ſint:ficus nondũ maturæ, vuæ acidæ & auſteræ,omnes palmulæ,ſiliquæ, ocimum, rapum crudius, bulbi crudiores,paſtinaca,daucus,carus:&omnes olerum
H radices, & ipſa etiamnum olera,præter lactucas, intybáque.vina craſſa & noua ægrè concoquuntur, & item aqua omnis.

De rebus ſtomacho idoneis,ipſúmque roborantibus.

Cap. XXXVI.

PAlmulæ auſteræ, poma cydonia, oliuæ ſale conditæ ad hoc valent: præſtantiores autem ſunt quæ ex aceto parantur. vuæ paſſæ auſteræ, vua in vinaceis repoſita, nux regia magis quàm auellana, ac multo etiã magis cum caricis: cynara. Gingidiũ eſt ſcandici ſimile, quod crudum coctúmque ſumptum ſtomacho valde conuenit. Longiorem coctionem non fert ſinapis, raphanus, rapum, naſturtium, pyrethrum, regius aſparagus & paluſtris, & oxymyrtinus, & chamædaphne, & oxyacãthe, & bryonia. Bulbi appetitum excitant, & capparis ſale cõdita: citri extima pars ſtomachum vice medicamenti corroborat. Vinum auſterum os ſtomachi roborat, ac præſertim vbi ventriculus calida temperie laborat.

De rebus quæ ſtomacho incommodæ ſunt,

Cap. XXXVII.

BEta ſic aliena ſtomacho eſt vt, ſi edatur largius, morſum etiam inducat. ocimum quoque ſtomachum lædit, & rapum crudius, blitúmque & atriplex, niſi ex aceto, oleo & garo ſumatur: fœnumgræcum & ſeſamum ſubuertunt ſtomachum. Lac in frigido ventriculo atque in febri citantibus aceſcit: ſi verò quis melli admixtum lac copioſius propinet, ad vomitũ impelletur. Pepo non probè concoctus, cholericos inferre morbos cõſueuit, ſimilique modo melopepo. Cerebrum omne alienum ſtomacho eſt, & ſpinalis æquè ac medulla cæterorũ oſſium: vinũ nigrum & auſterum facilè aceſcit, & ad vomitum impellit: idem facit craſſum & nouum.

De rebus quæ non inflant,

Cap. XXXVIII.

NOn cient flatum hæc, piſa, phaſeli, cuminum, libyſticum, viticis ſemẽ, canabis fructus, faba fricta, bulbi plurimùm, aut certè bis elixati, tũ ex oleo acetóque ſumpti, mel quod coquendo ſpumam vniuerſam depoſuerit. oxymel flatus diſcutit. panes hordeacei. Inter ea verò quæ inflant, quæque non, medii ſunt phaſeli, ochri & cicerculæ.

De rebus quæ flatum cient,

Cap. XXXIX.

INflant autem hæc, cicer, lupinus, panicum, milium & quæ ſunt generis eiuſdẽ, fabæque lobi minus quàm fabæ, maza ex polenta, liquores omnes, ſed magis cyrenaicus, ſilphii liquor & radix. Ex ficubus flatus breuis excitatur, quia facilè deiiciuntur: quæ verò exquiſitè maturæ ſunt, parum abſunt ab eo vt nihil noceant. ficut caricæ palmulæ virides flatum gignunt, & rapum crudius: lac facilè in ventriculo ciet flatum, atque etiam bulbi crudiores, mel item non perfectè coctum: vina dulcia flatus diuturnos pariunt, ſed & dulcia ſimul & auſtera, & muſtum flatus inducunt.

De rebus abſtergentibus, incidentibus, & aperientibus. Cap. XL.

ABſtergit ptiſana, fœnũgræcum, melopepo, vuæ paſſæ dulces, fabæ, cicer & magis quod nigrum eſt: capparis eſt ſatis tenuium partium, & detergit, aperitque, præſertim verò cum oxymelle, aut oleo & aceto ante cæteros omnes cibos ſumpta: betæ ſuccus abſtergit, ac magis ſi cum ſinapi aut aceto vtatur: bulbi vim habent attenuandi atque aperiendi, cepæ, allia, porráque attenuant, incidúntque craſſos & glutinoſos humores: ſerum quoque lactis humores craſſos attenuat: ficus abſtergent, ideo fit vt multa arenoſa ex eorum vſus à renibus excernãtur: caricæ attenuant reneſque expurgant: amygdalæ abſtergent attenuántque, & viſcera purgant, faciúntque vt humores ex thorace & pulmone eiiciantur: piſtacia valent ad iecoris firmitatem, & ad purgandos eos humores qui in eis meatibus impacti ſunt: mel quod ex calidis ſiccíſque plantis factum eſt, maiorem atenuãdi vim habet: quocirca etiam aqua mulſa eſt ad ſputum educẽdum accommodata: oxymel, quæ non penitus glutinoſa craſſáque ſunt, facilè educit, & viſcera ſine moleſtia expurgat, ac thoracis & pulmonis affectionibus mirificè prodeſt. Iis qui ſuccos craſſos aceruant, vina tenuia conueniunt: ſique frigidi humores fuerint, apta erũt quæ tenuia veteráque ſunt cũ acrimonia coniuncta: vinum verò aquoſum ad humores è pulmone educendos facit. roborat enim, humectátque, & ſiccat mediocriter. Vinum autem dulce in morbis acutis, vbi ſit facta concoctio, vt in peripneumonia & pleuritide, ad educendum accommodatum eſt.

De rebus obſtruentibus,

Cap. XLI.

HAc quod ſeri parum caſeique multum habet, non tutum eſt ei qui in illius vſu lõgo tempore moretur: nam & renes calculo obnoxios lædit, & iecoris obſtructiones gignit in iis qui præſtò ſunt vt hiſce morbis capiãtur. Caricæ ſunt iecori & lieni inflammatis noxiæ, vt etiam ficus: omniáque dulcia lienẽm iecúrque lædũt. Aqua mulſa incommoda eſt iis quibus elata in tumorẽ viſcera aut ſcirrho, aut œdemate, aut inflammatione laborant: palmulæ pingues obſtruunt. Omnia autem genera liborũ, quæque ex ſimila conficiuntur, obturant, lienẽ augent, & lapidem in renibus gignunt: idem facit triticea farina cum lacte: alica etiam non eſt idonea iis quorum obſtructum iecur eſt, & quorũ renes propenſi ſunt ad lapidem gignendum: vinum dulce obſtruit, & viſcera auget.

De rebus tardè tranſeuntibus,

Cap. XLII.

TArdi tranſitus ſunt omnia quæ ex itriis & ſimila conficiuntur, fabæ frictæ, panes puri, lẽs ſine cortice, cerebrum, medulla ſpinalis, iecur, cor, triticũ elixum, oua aſſa, elixa, in ſartagine fricta, lupini, phaſioli, piſa, ſeſamũ, poma, pira non dum matura, ſiliquæ: vinũ dulce, ac magis auſterum, & nigrum ſine dulcedine, itémque craſſum, & nouum omne. aqua omnis tardè tranſit.

De rebus quæ facilè corrumpuntur,

Cap. XLIII.

FAcilè autem corrumpũtur perſica, armeniaca, præcocia: & omnes fructus æſtiui quorum natura humida eſt, in ventriculo facilè vitiantur, niſi citò deiici propeˀrent. Omnia denique mali ſucci edulia quæ humida lubricáque ſunt & ſubduci facilè poſſunt, ante alia ſumẽda ſunt: ita enim ipſa citò ſubducta, cætera ſecum deducunt: ſi verò poſt alias dapes comedantur, eas etiam ſimul vitiabunt.

De rebus quæ difficulter corrumpuntur,

Cap. XLIIII.

AEgrè vitiantur chamulæ exiguæ, purpureæ, buccinæ, & cætera omnia teſta intecta quorum dura caro eſt: quæ etiam dare conſueuimus iis qui propter humorũ malitiam cibos corrumpunt: eáque bis & ter in optima aqua coquimus, & in aliam purã tranſferimus, quũ prima iam ſalſa facta eſſe videtur. Similes ſunt aſtaci, paguri, cancri, locuſtæ & ſquillæ, & alia omnia quæ carnem habent, quæ ægrè vitietur, non ſecus quàm ea quæ teſta contecta ſunt, quorum dura caro eſt.

De rebus aluum ſubducentibus,

Cap. XLV.

CIent aluũ, lens, braſſica, atq; ex marinis fermè omnia quibus teſta pro operculo eſt, & cochleæ mixtam ex contrariis facultatibus naturam habent: ipſum enim ſolidum cuiuſque corpus permeat, aluúmque comprimit: humor verò ad excretionem irritat. Siquis igitur lẽtem, braſſicámque, & alia quorum facta mentio eſt, decoquat, dein de eorum decoctum oleo, garo, & pipere condiat, tum cui velit bibendum det, ventrem eo potu ſubduci videbit: maiorum quoque herinaceorũ, & cochlearũ omniũ, & veterum gallorum iuſcula ventrem ſubducunt. Braſſicam ſi velis ſubducere, ollam cum aqua in qua cocta fuerit, prope vas aliquod admouemus, & ita extrahendo in oleum & garum ſine mora coniicimus: ad hunc vſum non eſt admodum coquenda. Iam furfuracei panes cient aluum: & fœnugræci liquor ex melle coctus & ſumptus idoneus eſt, vt omnes humores vitiatos qui inteſtinis continẽtur, ſubducat: ſed mel quod ei admiſceatur, eſſe exiguũ debet, ne morſum afferat. Oliuæ ſale conditæ ante alios cibos ex garo ſumptæ, aluum mouent: lac quod craſſius eſt, minus mouet, liquidus verò, magis. Serum lactis valde euacuat, eique mellis tantum addendum eſt quantum ſatis ſit ad condiendum, ne guſtum lædat. Carnes animalium valde nouellorum facilius per ventrem tranſeunt: ſimili,

quoque modo cartilagineorum caro & torpedo & turtur modicè tranſeunt,maluáque & beta modicè: recēs caſeus ex melle,atriplex,cucurbita,pepones,melopepones,ficus, caricæ,vuæ dulces,ac præcipuè quum humidæ ſunt,ſycamina prius ſumpta,nux adhuc humida ad ſeceſſum eſt accommodata:aridæ quoque nuces,ſi prius in aqua multū maduerint,mélque eis affundatur, vel ſiquis ipſas per ſe ſumat,aluum abundè molliunt:ſed magis etiam,ſi poſtea aquam mulſam ſorbeas.eſt enim planum valere ad aluum ſubducendam,ſi poſtquam hæc quæ dixi ſumpſeris,vinū dulce bibas,tum ſpatio quodam temporis interpoſito & nō ſtatim prādeas.ceraſia ſola,præcocia,perſica,& omnia humida & aquea, & omnino quæ nullam inſignem afferre guſtantibus aut odorantibus qualitatem videntur,ſunt mediæ quodammodo facultatis,inter ea quæ aluum ſubducunt,quæque ſupprimūt.mel ſolum ſiquis non coctum lambat, aluum rectè ſubducet: aqua etiam mulſa parum vel nihil cocta facilè ſubducitur. vinum dulce ad ventris ſeceſſum prodeſt:muſtum verò ſubducit.

De rebus aluum ſupprimentibus, Cap. XLVI.

PAlmulæ auſteræ, vuæ paſſæ auſteræ, ſycamina, rubi fructus,pruna agreſtia,poma adſtringentia, itémque pira & mala cydonia:atque etiam aſtaci,paguri,cancri,locuſtæ & ſquillæ,& cætera huiuſmodi quorum mollis teſta eſt:ſed minus quàm ea quæ dura teſta ſunt operta. Habent autem hæc ſalſum in ſe humorem,quem ſi in aqua depoſuerint,non minus quàm oſtreorum & aliorū dura teſta cōtectorum carnes, aluum ſupprimunt:lens quoque, & braſſicæ bis coctæ,& quum ſuccum depoſuerunt, aluū cohibent.Sique humectum ventrem ſiccare velimus,braſſicam modicè coctam priore aqua ſubiecta,in aliam calidam ſtatim coniicimus,in eáque iterum coquimus vſque dum flaccida reddatur:nam quæ bis coquūtur, neque aërē neque aquam frigidam debēt attingere. quippe quū, ſi contingant,nūquā flaccida ſint euaſura, ne ſi diutiſſimè quidem coxeris.Si à lente corticem detraxeris,vehementem adſtringendi facultatem amittet,neque eodem modo ventris fluxiones exiccabit:ſi verò eam contundas, biſque excoquas,& priorem aquam abiicias, deinde parum aceti aut gari admiſceas, *ſalis habet Orib. 3. Coll.* 30. & aliquid eorum quibus aluus conſtringitur, adiicias, ne guſtatui moleſtia afferatur,ſuauiſſimū vtiliſſimúmque medicamentum ſimul & edulium conficies.Polenta ex vino auſtero potui data exiccat.oryza cohibet,& item panicū, milium,fricta,leporinæ carnes,vinum auſterum,& nigrū dulcedinis expers:& quod album eſt & auſterum, & fuluum atque auſterum.

De rebus quæ in alimentis calefaciunt, Cap. XLVII.

HÆ res calefaciunt,triticum coctum,panes ex eo confecti,typha,auena,fœnumgræcum,palmulæ dulces, mala dulcia,ſeſamum,vuæ dulces(ideóque ſitim afferunt vuæ paſſæ dulces)malua modicè:apium, ſmyrnium, eruca,raphanus,radicula,rapa,ſinapis,naſturtium, pyrethrū, paſtinaca,carus,allium,cepa,porrum,caſeus vetus. Vinum vetus modicè calidum eſt,ideóque ſitim inducit. fuluum eſt nigro calidius:flauum eſt calidiſſimum, deinde fuluū, tum rubrum,poſt hoc dulce:poſtremò album minus cæteris calefacit:vetuſtiſſimum verò abundè calefacit.

De refrigerantibus rebus, Cap. XLVIII.

REfrigerant autem hæc,hordeum, quoquo modo eo vtaris,milium,panicum,tubera,cucurbita cocta,pepones,melopepones,cucumeres,pruna,ſycamina,vuæ auſteræ & acidæ,vuæ paſſæ auſteræ,mala adſtringentia, & acida & inſipida,pira,mala cydonia. Refrigerāt etiam palmulæ adſtringētes,in quibus frigidus ſuccꝰ ineſt:& lactuca & intyba moderatiꝰ. Portulaca,papaueris ſemen,aqua, vinū dilutū nō perſpicuè calefacit,quāobrē minore cū periculo febricitantibꝰ datur,vinū albū & auſterū minimè pro vini natura calefacit:quod verò album ſimúlque auſterum eſt & craſſum & nouum,manifeſtò refrigerat.acetum quoque refrigerat,éſtque tenuium partium: quocirca neruos magis quàm alia refrigerantia lædit: medium verò locum inter refrigerantia & calefacientia ſortiuntur panes loti,amylum,atque vuæ vinoſæ.

De rebus ſiccantibus, Cap. XLIX.

SIccant autem,lens,braſſica,polēta,viticis ſemen, erūū bis coctum,& ſæpe in aqua dulce redditum: album verò præſtantius eſt. Porro quæcunque aſſa frictáque edūt homines,ea ſiccius alimentum præbent: ea quoque quæ garum aut vinū liberalius acceperunt,ſicciora ſunt quàm quibus hæc non inſint.Cæterùm maxima differentia alimentis apparandis affertur ex facultate ſeminum,olerum & plantarum quæ induntur: quæ omnia,ſiccantia ſunt illa quidem,ſed alia magis,alia minus.

De rebus humectantibus, Cap. L.

HVmectant ptiſana,cucurbita elixa,pepones,melopepones,cucumeres,nuces virides,ſuſina,pruna, ſycamina,lactuca,intubus:malua autem & blitum,atque atriplex maximè omnium olerum aquea ſunt. humectant etiam fabæ virides,cicer,aqua refrigerat& humectat:at cálefacta humectat & calefacit.

De rebus caput lædentibus, Cap. LI.

CAput lædunt ſycamina, rubi fructus dolorem capitis affert.palmulæ omnes,eruca, fœnūgræcum, fuluum & auſterum vinum capitis dolorem creat,mentémque tētat magis quàm nigrum & auſterum.odorata quoque idē faciunt.At aquoſum neque caput dolore vexat,neque neruos tentat.quod verò pauciferum vocant, capitis etiam dolores ſedat, quos ſucci in ventriculo contenti excitarunt.vetus vinum non aptum capiti,niſi quis admodum robuſtum caput habeat.Aqua in qua vuæ maduerint quæ fæx nominatur,capitis dolorem excitat: idem facit vua in vinaceis repoſita.

De rebus dentes lædentibus, Cap. LII.

LÆdit autem dentes lac,ſiquis eo aſſiduè vtatur: idem quoque gingiuis nocet,eáſque flaccidas reddit:ac dētes facit corruptelæ obnoxios, & qui facilè erodantur. Ergo in alimento quod ex lacte ſumitur, vino diluto os colluendum eſt:ſed præſtat etiam eidem mel admiſcere.

QVÆ ſcire quǽque facere deberes, Eunapi, bonæ valetudinis tuendæ gratia, ſuperiore libro expoſuimus: ſequitur autem vt vniuerſales ſimplicium medicamētorum, & eorum quæ ſuppeditari facilè poſſunt, facultates dicendæ eſſe videantur. Qua in re docebimus, quibus affectionibus ſingula medicamētá auxiliētur: deinde vt in alimentis declarandis, ſic in medicamentis recenſendis faciemus, vt materias cuiuſque facultatis atque actionis in vnum conducamus, & deſcribamus. ita enim magna curationum perutilium, quibus quotidie indigemus, nobis ſuppetet copia: idque, elemētorum ordine ſeruato, poterit fieri quamcommodiſſimé.

De facultate ſimplicium medicamentorum per ordinem elementorum, Cap. I.

AGnus, *hoc eſt uiticis*, folia, flos & fructus calidæ ſiccæque facultatis vehementer ſunt, abundéque tenuium partium, ac res venereas cohibent. quamobrem non modò ad caſtitatem conferre putantur, ſiquis eis veſcatur, ſed etiam ſi in lecto ſubſternantur. Verùm ad lienem & iecur indurata atque obſtructa, viticis quàm rutæ ſemen eſt accommodatius.

Agroſteωs, *hoc eſt graminis*, radix modicè frigida ſiccáque eſt, ideóque vlcera cruenta agglutinat: ipſa verò herba impoſita refrigerat, ſed non valenter: éſtque in medio ſiccitatis & humiditatis conſtituta. Mordacitas autē & partium tenuitas quæ in radice ineſt, perexigua eſt illa quidem, ſed tamē decocta & epota lapides frangere quādoque conſueuit.

Agaricum vim habet per halitum digerēdi, & craſſos humores incidit, viſcerúmque obſtructiones expurgat: idcirco morbum arquatum, quum iecur obſtructione obſidetur, iuuat: medetur etiam morbo comitiali, & rigoribus qui certo circuitu redeunt, quíque ex craſſis glutinoſiſque humoribus oriuntur.

Adiantum ſiccat, tenuat, digerit: nam & caput glabrum ex alopecia, capillis cōueſtit, & ſtrumas & abſceſſus digerit, & epotum lapides frangit, nec mediocri adiumēto eſt vt glutinóſa craſſáque ex pulmone & pectore excreentur: & ventris profluuium ſiſtit. in medio verò ordine caliditatis frigiditatíſque conſtituitur.

Ægilops digerendi vim habet: quamobrem induratas inflammationes & ægilopas & alopecias ſanat.

Aizoō vtrunque, & maius & minus, ſiccat leniter: in eo tamen aquea eſſentia cæteris excellit, & vehementer refrigerat. hinc ad eryſipelata & herpetas, & inflammationes ex fluxione ortas accommodatum eſt.

Aἶρα, *hoc eſt lolium*, calefacit & ſiccat vehementer & efficaciter, vt proximè ad acria accedat: abundè autem ſiccat.

Ægiri flores vehementer calefaciunt, modicè verò ſiccant. ſunt præterea tenuium partium: eius autem reſina calidioris facultatis eſt.

Acacia ſiccat illa quidem vehementer: ſed lota, abūdè refrigerat, non lota verò, modicè: qúmque non conſtet ex particulis ſimilibus inter ſe, partes quaſdam in ſe diſperſas habet & tenues & calidas, quæ lauando ſegregantur.

Acalephes, *hoc eſt urticæ*, folia & fructus facultatis ſunt abundè digerentis, tenuiúmque partium, ac citra vehementem caliditatem. phymata igitur parotidáſque ſanant. craſſa quoque & glutinoſa è pectore pulmonéque educunt. ſed & quiddam habent flatuoſum, quo etiā venerem ſtimulant: præſertim verò ſi ſemen cum muſto bibatur.

Acanthæ leucæ, *hoc eſt ſpinæ albæ*, radix modicè ſiccat & aſtringit: quocirca & cœliacos & ſtomachicos iuuat, & ſanguinis reiectiones cohibet, & illita contrahit œdemata, dentéſque dolentes iuuat ſi eius decocto colluantur. eius ſemen tenuium partium eſt calidæque facultatis: itaque potui datum conuenit iis qui conuelluntur.

Acori radix calidam & ſiccam vehementer vim habet, & conſiſtentia eſt tenuium partium: lotium ergo ciet, & lienes induratos iuuat.

Aloë vehementer calefacit, ſiccat verò aſtringítque moderaté: éſtque medicamentum ſtomacho idoneum vt ſiquid aliud: & ſinus glutinat. ſanat etiam vlcera quæ ad cicatricem difficulter perducuntur, ac præſertim quæ in ano & pudendis fiunt. Prodeſt itidem eorum inflammationibus aqua ſubacta, & vulnera eodem glutinat modo: iuuat etiam, ſi pari modo ea vtaris, inflammationes quibus os, nares & oculi obſideantur. iam verò repellere & digerere ſimul poteſt ita vt paululum etiā abſtergeat, ídque vſquedum puris vlceribus moleſtum non ſit.

Hales, *id eſt ſales*, ſimilem vim habent foſſiles & marini, & ex duabus mixti ſunt qualitatibus, abſtergente atque adſtringente. vtrunque autem genus ſiccare planum eſt: quamobrem omnem humorem in corpore depaſcitur, & partes ſolidas adſtringendo cōdenſat. quod in cauſa eſt vt eas ſale condiant, ſálque corpora à corruptela cōſeruet. Sal vſtus maiorem digerendi vim habet: non æquè tamen contrahit & condenſat.

Halos anthos, *hoc eſt flos ſalis*, tenuiorum partium eſt quàm ſal vſtus, éſtque acris qualitatis & abundè digerentis.

Ameωs ſemen calefacit & exiccat vehementer, quū tenuium ſit partium: digerit etiam, & vrinam mouet.

Amurca calefacit illa quidem, non tamen perſpicuè mordicat: ſi verò coquatur, calidæ ſiccæque facultatis abundè fiet.

Ampeli leucæ, *id eſt uitis albæ*, (quam etiam bryoniam vocēt) germina vrinam modicè cient: radix abſtergentē, ſiccantem & tenuium partium vim habet, & moderatè calidam: quare lienes induratos tum pota tum foris impoſita liquat: cum ficubus verò ſcabiem & lepram curat. Nigra verò vitis eſt ad omnia ſupradictæ ſimilis, præterquā quòd imbecillior eſt.

Amygdalæ amaræ, ſunt facultatis perſpicuè attenuātis, vt ephelin expurgent, & excreationibus glutinoſorum craſſorúmque humorum ex pectore pulmonéque abundè conferant. quinetiam obſtructione liberant, purgántque iecur, ſplenem, colon inteſtinum, & renes. tota quoq; eius arbor ſimilis eſt facultatis: nam eius radices coctæ atque illitæ ephelin expurgant: dulces verò ſunt amaris imbecilliores.

Ammoniacum habet emolliendi facultatem intenſam adeò vt etiam tophos articulorum diſſoluat, & lienes induratos ſanet, & ſtrumas digerat.

Amomum facultatem acoro ſimilem poſſidet: ſiccius tamen acorum eſt, amomum verò maiore quodammodo vi concoquendi eſt præditum.

Anagallis vtraque, & quæ cæruleum & quæ puniceum fert florem, admodum extergentis facultatis eſt, habétque nonnihil etiam caloris & attrahendi vim quandā, adeò vt ſurculos etiam extrahat. vtriuſque ſuccus ex naribus purgat. ad ſummam verò, ſiccandi vim habet morſu vacantem, atque ideo vulnera glutinat, & putrida adiuuat.

Andrachne, *hoc eſt portulaca*, vehementer frigida eſt & abundè humida, éſtque paucæ auſteritatis particeps: proinde fluxiones repellit, ac præſertim bilioſas & calidas, eas cum mutando, tum in qualitate alterando magnopere refrigerēs. Hac etiam ratione æſtuātes, ſiquid aliud, adiuuat, tum ori ventriculi impoſita, tum verò etiam totis præcordiis. Medicamentum verò eſt quod ad ſanguinem facit: ſimilíque ratione eius ſuccus, adeò vt non ſolùm foris admotus, ſed etiam epotus refrigeret: quod etiā toti herbæ, ſi comedatur, accidit. quoniam verò reſtringit, vtile dyſentericis edulium eſt, itémque fluori muliebri & ſanguinis reiectationibus. Sed tamē ad hæc eſt multo quàm herba, ſuccus eius efficacior.

Anemonæ omnes acrem, extergentem, attrahen-

témque & ora vaſorum aperientem facultatem obtinẽt: quamobrem radix commanſa pituitam euocat. ſuccus è naribus purgat,& oculorum cicatrices extenuat. Præterea verò anemonæ vlcera ſordida expurgant & lepras tollũt, menſtruas purgationes prouocant, & lac denique trahũt.

Anethum abundè calefacit & ſiccat, itaque iure fit vt in oleo decoctum digerat,dolorem ſedet,ſomnum cõciliet,crudóſque & incoctos humores concoquat: vſtum verò vehemẽter calefacit & ſiccat,ideóque vlceribus nimis humidis inſperſũ prodeſt:præſertímq; iis quæ in pudendo ſunt. Quæ verò in præputio inueterarint,ea probè ad cicatricem perducit. Cæterùm viride humidius eſt ac minus calidum: itaque magis concoquit quàm aridum, ſed minus digerit.

Anthemis,ſiue chamæmelum modicè calefacit & ſiccat,éſtque tenuium partium:atque digerit,rarefacit,ac laxat.proinde laſſitudini,vt ſiquid aliud,in primis confert, dolores ſedat & mitigat.præterea tenſa remittit ac laxat, quæque modicè duraſunt emollit.febres quoque eas quæ citra viſceris alicuius inflammationem moleſtæ ſunt,diſſoluit:præſertim quæ ex humoribus bilioſis,aut cutis dẽſitate originem trahũt. & hypochondriis, vt ſiquid aliud, iucundum eſt. Iam exanthemata quæ ex febris exceſſu orta ſunt in capite,ſanat chamæmelum,ſi viride ſit,oleo incoctum:ſi aridum,aceto prius conſperſum. Eſt etiam idoneum in iis in quibus materia nõdum ferri ceſſauit:nam eam quæ in capite eſt digerit,& aliunde non trahit. quod nulli præter hoc medicamento vſu venit.

Aniſi ſemen calefacit exiccátque vehementer: proinde & vrinam ciet,& digerit,& flatus ventris reprimit.

Ariſtolochia longa,vlcera carne replet, & vteri fomentationibus eſt accommodata: in quibus autem craſſum humorem valentius attenuare oporteat rotunda vtẽdum eſt:quamobrem dolores ab infarctu & craſſitie crudorum ſpirituum obortos rotunda magis curat,& ſpicula euellit,& putredines & vlcera ſordida ſanat & purgat,dentes denique gingiuáſque candore perfundit. Iam verò aſthmatis quoque & ſingultientibus & comitialibus,acribus ſuccis,podagricíſque ex aqua epota auxiliatur: éſtque medicamentum,vt ſiquid aliud,ruptis & conuulſis accõmodatum.

Arnogloſſum,*hoc eſt plantago*, abundè refrigerat, ſiccat,& ſtringit:proinde ad vlcera maligna,fluxiones & putredines conuenit,eandémque ob cauſam ad dyſenteriã valet,& ſanguinis ſiſtit profluuia,& ſiquid aduratur, refrigerat:ſinus quoque agglutinat.remedio etiam eſt cæteris recentibus vetuſtíſque vlceribus:nam citra mordicationẽ ſiccat,éſtque frigiditatis quæ nondum obſtupefacit particeps. Eius autem fructus & radix ſimilis ſunt facultatis, niſi quòd earum vis ſiccior eſt, minúſque frigida:ſed fructus eſt tenuiorum ſanè partium, radices,craſſiorum. Iam ipſius herbæ folia arefacta facultatis redduntur quæ tenuiorum partium ſit,ac minus frigida.hac ratione & radicibus vtuntur ad dolores dentium,iis tum mandendis, tum etiam cóllutionibus incoquentes. Ad iecoris verò renúmque obſtructiones tum radicibus, tum etiam foliis, ac multo magis ſeminibus vti conſueuerunt.

Arum abſtergentis eſt facultatis non validæ, ſicut dracontii vis:ſiccat tamen abundè & calefacit. eius radices ſi comedantur, non mediocriter humorum craſſitiem incîdunt,adeò vt etiam excreationibus ex pectore ſint idoneæ.

Arſenicum,*id eſt auripigmentum*,ſiue vſtum, ſiue ignẽ non expertum,adurẽtis eſt facultatis. eo verò vtuntur vt adurente,ad nudandam pilis cutim: verùm ſi diutius inhæreat,ipſam etiam cutim aduret.

Artemiſiæ calefaciunt & ſiccant abũdè,ſúntque modicè tenuium partium,vt etiam mediocriter ad lapides renum & vteri fomentationes conueniant.

Aſari radices facultates ſimiles habent radicibus acori,intenſiores tamen:itaque ea quæ de acori radicibus diximus,huc tranſferenda ſunt.

Aſpalathus facultatis partiũ diſſimiliũ inter ſe,& adſtringentium,eiúſque partibus acribus calefacit, adſtringentibus verò refrigerat,atque ita vtriuſque partis ratione ſiccat: quamobrem ad putredines fluxionéſque vtile eſt.

Aſparagus myacanthinus abſtergẽtis eſt facultatis, nec perſpicuè calefacit,nec refrigerat:proindè renum iecoríſque obſtructiones tollit,præſertim verò herbæ radices &ſemen: præter ea verò quia citra calorem ſiccat, ideo dolori dentium medetur.

Aſtaphis, *hoc eſt uua*,culta quidem concoquendi ſimúlque adſtringendi & modicè digerendi vim habet: agreſtis verò acrem valenter:& ex capite purgat & abſtergit vehemẽter,ídque adeò vt ad ſcabies etiã valeat.ſed & vrendi vim quandam habet.

Aſphodeli radix vtilis eſt,ſicut ari,aſari & dracontii:extergentis enim facultatis eſt.eius verò vſt⁹ cinis maiorẽ habet vim calefaciẽdi,ſiccandi,ſubtiliores partes faciẽdi,digerendíque:hæcque cauſa eſt vt alopecias ſanet.

Atriplex herba eſt abũdè humida,modicéq; frigida,nõ particeps adſtrictionis, ſed perinde aquea eſt vt malua. Porrò atriplex maluáque hortenſes,tum humidiores,tum etiã frigidiores ſuntmultò quàm agreſtes. Quocirca inflãmationibus incipientibus idoneæ ſunt:vigentibus autẽ & declinãtibus agreſtes ſunt accõmodatiores.ſemẽ abſtergẽdi vim habet:itaque ad morbum regium ex iecoris obſtructione vtilis eſt.

Aphronitrum vim habet abſtergentem adeò vt nõ ſolùm ſordes extergeat,ſed etiam pruritus ſanet, ſaniem pruritus excitantem digerens.

Abſinthium,calidum modicè eſt,ſiccum vehementer. eius multo eſt quàm herba calidior. abſterget autem hac de cauſa,atque roborat, & bilioſos ventris humores per infernam egeſtionem pellit, ac per vrinã euacuat per quas etiam id quod in venis bilioſum eſt,expurgat. quamobrem pituitam ventriculo cõtentam nihil adiuuat ſumpta. cauſa eſt, quia adſtringens in eo facultas maior eſt quàm amara. præterea quòd acrimoniæ cuiuſdam ſit particeps,ideo fit vt maiore portione calidum ſit quàm frigidum.

De rebus à B incipientibus.

Balſamum valenter calefacit & ſiccat,eſt quoque tenuium partium. Eius liquor eſt partium tenuiorum, non tamen vſqueadeò calefacit vt quidam ex partium tenuitate decepti putant. fructus eius perſimilis eſt facultatis, cæterùm multò in ſubtilitate partium inferior.

Balauſtium flos eſt agreſtis punici,valenter guſtum adſtringens,facultatis verò ſiccantis,refrigerantis & craſſarum partium. Si verò intertrigines vlceráque ipſo illinas,celerrimè ad cicatricem perduci videbis: itaque ad ſanguinis reiectiones eo omnes vtuntur.

Bati,*hoc eſt rubi*,folia,germináque,ſi mandantur,aphthas & alia oris vlcera ſanant, imò verò etiam vulnera glutinant. Fructus verò ſi maturus ſit, moderatam habebit caliditatem quandam:at immaturus à frigida vincitur ſubſtantia,ac proinde vehementer ſiccat: ſiccatus verò reponitur, vt flos eius. faciúntque vtrique ad tormina inteſtinorum, & ventris profluuium atque imbecillitatẽ & ſanguinis ſputũ. Radix verò præterquam quòd abſtringit,eſt etiam tenuium partium:ob eámque cauſam lapides in renibus confringit.

Bdellium valenter emollientis & efficacis facultatis eſt.eo quidam vtuntur ad brõchocelas, & hydrocelas, ſaliua ieiuna ſubigentes ad emplaſtri conſiſtentiam. idem crudorum flatuum diſcurſus, laterum dolores, & rupta perſanat.

Blitum olus eſt humidum frigidúmque admodum.

Bulbus flatum ciet,&,ſi edatur, venerem ſtimulat: illitus verò glutinat & ſiccat.

Butyrum facultatis concoquentis eſt, cui nonnihil etiam digerentis adiunctum eſt. quamobrem parotidas, bubones,oris inflammationes,aliáſque particulas ſæpenumero ipſum ſolum in puerilib⁹ muliebribúſque corporibus ſanat. ſed etiam gingiuis puerorum dentes eminentium aſſiduè illitum,nihilo ſecius quàm mel, gingiuas attenuat. quinetiam deuoratum magno adiumento eſt iis quæ ex pulmone ſunt expuenda,&ſimul etiam cõcoquit inflammationes.

Buphthalmum acrius eſt chamæmelo, ob eámque A cauſam maiorem vim habet digerendi, adeò vt etiam duritias ſanet cerato admixtum.

Brathy, *hoc eſt ſabina*, ex numero calefacientium ſiccãtiúmque valenter eſt, atque etiam digerẽtium: & propter partium tenuitatem menſes educit vt ſiquid aliud, ac ſanguinem per vrinas mouet: fœtum viuentem interficit, & mortuum educit. quidam etiam pro cinnamomo duplũ eius ponunt.

De rebus à Γ incipientibus.

Gala, *hoc eſt lac*, quod optimi ſucci eſt, accommodatiſ B ſimum eſt ad acres mordentéſque fluxiones: præſertim verò quum nobis circunfuſus aër calidus ſit, multum huiuſce facultatis amittet, niſi protinus quis ab vberibus expreſſo & adhuc calido vtatur. Quo in genere vtendũ præcipuè eſt lacte mulieris bene habitæ, & quæ vitæ rationẽ probè inſtitutam ſeruet. Si hoc non ſuppetat, caprino, aut equino, aut bubulo, aut aſinino, aut ouillo vtemur. Lactis verò ſerum abſtergentis eſt facultatis, aluúmque ſubducendi gratia ſumitur, & clyſteribus etiam iniicitur, C abſtergítque & abluit acrimonias inteſtinorum. prodeſt etiam ad colluenda vlcera acria, & quibus ineſt ſanies: ad dyſenterias verò & omnes acres ventris fluxiones, in lac prius decoctum ignitos lapillos iniicimus, & lac eo vſque decoquimus dum plurima ſeroſi humoris pars in eo conſumpta fuerit. Si verò quis ferreos orbiculos igne candentes iniiciat, meliorem ſanè facultatem reddit. Præterea lac totum ad acres oculorum fluxiones conuenit, & ad hypoſphagmata & ſugillata. quinetiam ſimul cum roſaceo & ouo palpebris foris impoſitum, quũ ii qui lippitudine D laborant dormitum eunt, inflammationes cõcoquet. Eſto autem hoc muliebre lac recẽs ex mamillis expreſſum. id quoque infundimus vteris vlceratis: & vbi mitigatione opus eſt, ſiue ob inflammationem, ſiue ob morſum, ſiue ob malignitatem, eo vtimur accommodatè.

Γῆ, *id eſt terra*, omnis ſiccãdi vim habet: quúmque nulla penitus ignea ſubſtãtia ei ſit admixta, tũ citra vllũ omnino morſum ſiccat: quã etiam ad rem valet, ſi lauetur. Præterea terra omnis quæ colitur, ſi pinguis ſit, valebit ad omnes eas partes curandas quæ deſiccari poſtulant. itaque ea & Alexandriæ & in Ægypto vtuntur: nam quoſdam E vidi qui quum aqua inter cutem & lienis affectionibus laborarent, terra Ægyptia vterentur, ſéque vngerent. Eodem modo eius lutum & veteres inflammationes & laxa œdemata iuuat: atque adeò vt viderim ego nõnullos qui ex nimia euacuatione ex hæmorrhoidibus facta turgentes redditi, perſpicuum adiumentum ſenſerint. Sed & quidam diuturnos, & parte aliqua infixos dolores perpeſſi, huius luti vſu planè ſanati fuerunt. Lemnia verò terra modò vni, modò alteri humori admixta, facit ad vulnera glutinãda, ad diutina, vel quæ difficulter ad cicatricẽ perdu F cũtur, vel quæ maligna ſunt, perſanãda. Samia terra, & qui potius aſter dicitur, vtilis eſt ad ſanguinis ſputum ex quouis loco, ſanguinis ex vtero profluuia, & dyſentericas exulcerationes, antequam putreſcentes efficiantur. Samia verò maximè mitigat inflammationes in vberibus, teſticulis, & omnibus locis glandularum. Hanc autem ad læuorem redigere ex aqua oportet: tum roſacei tantum miſcere quantum faciat ne medicamentum ſiccet. quod enim ita pararis, accommodatum erit vbi mediocriter refrigerare cum mitigatione voluerimus, vt appareat facultatem Samiæ eſſe modicè refrigerantem. Selinuſia verò & G Chia modicè abſtergendi vim habent: quamobrem mulieres quædam eis ad faciem vtuntur.

Gigarta, *hoc eſt acinorum uuæ nuclei*, abundè ſiccant, modicéque refrigerãt & adſtringunt: quocirca omnibus ventris affectionibus cum profluuio coniunctis abundè proſunt.

Glaucium adſtringit & refrigerat perſpicuè, vt etiã eryſipelata, ſi valentiora non ſint, ſanet.

Glechon, *hoc eſt pulegium*, calefacit attenuátque vehe- H menter. itaque humores craſſos ac glutinoſos ex pulmone & thorace per ſputum facilè elicit, & menſtruas mulierum purgationes mouet.

Glycyrrhizæ ſuccus ad læuigandas aſperitates aptus A eſt, nec modò in arteriis, ſed etiam in ſcabra veſica. eſt verò eius temperatura tota tepida: quúmque tẽperie humidus ſit, ideo ſiti eſt iure accommodatus.

Glycyſidæ, *hoc eſt pæoniæ*, radix mẽſtruas purgationes ciet ad amygdalæ magnitudinem ex mulſa potui data. iecur quoque obſtructum & renes expurgat: ſua autem adſtrictione ventris profluuia ſiſtit, ſi in vino aliquo auſtero decocta potetur. omnino verò ſiccandi valenter facultatẽ habet, vt minimè deſperarim eam collo pueris ſuſpenſam comitialem morbum meritò ſanare. Eius autem vis B eſt tenuium partium, & exiccans, non tamen inſigniter calida.

Gypſum facultatis ſiccantis & emplaſticæ. combuſtum verò non æquè emplaſticum eſt: fit tamen partium tenuiorum, & maiorem exiccandi vim acquirit: valet etiam ad repercutiendũ, præſertim verò oxycrato maceratum.

De rebus à Δ incipientibus.

Daucus & ſtaphylinus calefacientis facultatis eſt, & C tenuium partium. Radix verò habet præterea vim ciendi flatus, & venerem ſtimulandi. Semen domeſtici habet ipſum quoque res venereas ſtimulandi vim quandam: at ſemen agreſtis eſt penitus flatus expers, ac proinde vrinã ciet, menſéſque prouocat.

Daphnes, *hoc eſt lauri*, folia & baccæ ſiccant & calefaciunt vehementer, & magis etiam baccæ quàm folia. Cortex verò radicis minus eſt acer ille quidem, ſed amarus magis: habétque neſcio quid adſtrictionis. proinde calculos frangit, & hepaticos iuuat. bibitur autem ex vino odo D rato ad trium obolorum pondus.

Dermata, *hoc eſt coria*, vetera, quæ videlicet ex vetere calceamento ſunt vſta, ad vlcera ex attritione calceamentorum, ſedata inflammatione, vtiliter adhibentur. hic enim cinis exiccandi vim habet: & ambuſta, & eas quas in tertrigines in feminibus vocant, meritò perſanat.

Diphryges mixtæ eſt qualitatis & facultatis, adſtringentis & acris: quamobrem accommodatum eſt ad vlcera maligna medicamentum.

Dictamnum tenuioris eſſentiæ eſt quàm pulegium, in cæteris illi ſimile eſt. quod verò falſum dictamnum vo E cant, eſt ad omnia dictamno imbecillius.

Dracontium eſt acrius quàm arum, magíſque amarum: itaque medicamentum factum eſt tam efficax quàm quod maximè. Eius radix expurgat viſcera, omnes craſſos glutinoſóſque humores extenuans, éſtque optimum malignorum vlcerum medicamentum: expurgat quoque & abſtergit ſtrenuè cum alia quibus abſterſione opus eſt, tum etiam vitiliginem, cum aceto. Folia autem vlceribus & vulneribus recèns illitis cõueniunt. & quo minus ſicca fuerint, eo magis glutinabunt: ſicciora enim ſunt acriora F quàm vt vulneribus conueniant.

Drys, *id eſt quercus*, partes omnes ſunt qualitatis adſtringẽtis participes: ſed plus tamen eius habet membrana quæ in trunci cortice ſubeſt, & quæ eſt ſub glandis ipſius calculo, quæ, inquam, carnem ipſius fructus conueſtit, quocirca ad fluorem muliebrem, ad ſanguinis ſputa, ad tormina inteſtinorum, ad alui profluuia diuturna eam eſſe accommodatam, crediderunt. Valentius autem adſtringit fagus & ilex: atque horum & item quercus folia illita ſiccare non inſtrenuè poſſunt. ex quo fit vt illita, & totam circumiacentem vulneris partem contegentia, vul- G neris agglutinandi vim habeant.

De rebus ab E incipientibus.

Ebiſcus, ſiue althæa, *eſt autem agreſtis malua*, facultatis eſt digerentis, laxantis, inflammationes leuantis, mitigantis, phymata coctu difficilia concoquentis. Radix verò atque eius ſemen cætera faciunt illa quidem æquè ac folia, ſed tamen tenuiorum partium ſunt, magíſque quàm folia ſiccant, & præterea magis abſtergere demonſtrantur, atque adeò vt etiam vitiliginem detergant, & ſemen re- H num calculos frangat. Radicis verò decoctum ad tormina inteſtinorum, & alui profluuia, & ſanguinis reiectionẽ vtile eſt, vtpote quod adſtringendi vim quãdam habeat.

Elææ, *hoc eſt oliuæ*, rami, tantæ frigiditatis quantæ adſtrictionis ſunt participes. Fructus verò exquiſitè maturus

moderatè calidus eſt,at immaturus magis & adſtringit & refrigerat.

Elæum verò,*hoc eſt oleum*, quod ex oliuis conficitur, humectandi & moderatè calefaciēdi vim habet:quale eſt dulce quod ex oliuis drupis potiſſimùm conficitur:quod autem omotribes vocant, quantum habet adſtrictionis in ſe, tantum etiam ei frigiditatis ineſt. Vetus porrò oleū quod ex dulci tale euaſit,calidius eſt,& maiore digerēdi vi præditum:at quod ex crudo,vbi adſtrictionem prorſus abiecerit,alii ſimile fit.Quod verò tenue cernatur,quale eſt quod purum eſt, quódque intuenti pellucidum videtur,ac modicum eius cuti impoſitum latiſſimè ſerpat, ſibi tamē ipſi continuū maneat,atque à cuti combibatur, hoc vtique cenſendum eſt optimum, atque olei virtute præditum eſſe vel maximè.

Elleborus vterque abſtergentis ſimul & calidæ facultatis eſt:quamobrem ad vitiliginem, lichenas, pſoras lepráſque accommodatus eſt: imò verò niger,ſi in fiſtulam quæ ex collo obduruerit,infundatur,duobꝰ tribúſve diebus callum aufert.Prodeſt etiam dentibus, ſi hoc cum aceto colluatur. calefacit enim & ſiccat vehementer.

Elxine,*alii perdicinum uocant*, facultatis eſt abſtergentis & leniter adſtringentis, cum humiditate ſubfrigida. vnde omnes inflammationes in principio & incremento vſque ad ſtatum, ac præcipuè eas quæ calidæ ſunt, perſanat.quinetiam incipientibus phygethlis imponitur. eius præterea ſuccus cum roſaceo ad aurium dolores inflammationis ſpeciem præ ſe ferentes mediocriter prodeſt.

Elymus,aut meline, *hoc eſt panicum*, exiccantem vim habet.ſiſtit ergo ventris fluxus,ſicut milium:ſi verò foris illinatur,ſiccat & refrigerat.

Erebinthus,*hoc eſt cicer*,lacti & ſemini gignēdo aptū eſt:prouocat verò etiam menſes.Quod autem arietinum vocatur,vrinam efficacius quàm aliud ciet.decoctum verò eius calculos in renibus confringit: ad quod potiſſimùm valet id quod ex nigro fit cicere.Reliquum genus quod orobiæum nominãt, vim habet attrahendi,digerēdi,incidendi,abſtergendi:eſt enim calidum modicéque humidum.eſt etiam amaritiei particeps, cuius vi iecur, lienem,renéſque expurgat,ac pſoras lichenáſque extergēt ac parotidas:teſticulóſq; induratos diſcutit,& vlcera maligna cum melle ſanat.

Erpyllos,*hoc eſt ſerpyllum*, calefacientis eſt facultatis, adeò vt & menſtruas purgationes & vrinam cieat.

Eria, *hoc eſt lanæ ſordidæ, quæ ſuccidæ appellantur*, accōmodatè adhibentur ad excipiendas irrigationes quæ contuſis & percuſſis particulis imponuntur: puræ autem vſtæ vim acrem calidámque habent cum partium tenuitate:quocirca flaccidas in vlceribus carnes eliquant quãcelerrimè. Vtuntur autem,vt alia pleraque,vt ollam nouã lana impleas,eámque operculo multis foraminibus pertuſo tegas.

Eupatorium herba tenuium partium eſt, abſtergentis,adſtringentis incidentiſque facultatis,citra manifeſtã caliditatem, vnde viſceris obſtructiones expurgat: ſed quia paucæ obſtructionis particeps eſt,ideo viſceri robur addit.

Euphorbium, adurentis tenuiúmque partiū facultatis eſt.

Echidnes,*hoc eſt uiperæ*,carnes quum ita vt anguillæ cō diūtur,ex oleo,ſale,anetho,porro,& aqua,ſeruato omniū modo,totum corpus per cutim expurgant,ita vt elephantiaſi laborantes curent.Sed quoniam nonnulli eorum qui has carnes ederunt,vehementiſſima ſunt cruciati ſiti,idcirco uitandæ ſunt quæ iuxta mare degunt,& in locis viuūt ſalſis:quippe quæ ſalſam carnem habeant,quas ſanè dipſadas vocant.Ergo caro viperarum facultatis eſt ſiccantis, valenter digerentis,& modicè calefacientis: properat autem eius vis(vt videtur)ad cutim per quam excrementa copioſa quæ in corpore ſunt,euacuat. & à cute(ceu ſquama)abſcedit,deciditque extima cuticula,in qua & pſoræ & lepræ & elephantes gignuntur.

De rebus à Z incipientibus.

Zyme,*hoc eſt fermentum*,tenuium eſt partium, & modicè calidum: quamobrem citra morſum ac moleſtiam A quæ in imis partibus ſunt extrahit & digerit.

De rebus ab H incipientibus.

Hedyoſmus,*ab aliis minthe ſeu mētha nominatur*,ea eſt facultatis vehementer calefacientis, & propter humiditatē quæ ex coitu ei accidit, mediocriter etiam ad venerem impellit.habet etiam quãdam amaritiem qua lumbricos enecat.eſt itidem acerba, ac proinde recentes ſanguinis reiectationes cū oxycrato pota ſiſtit. ſubſtantiam quoq; tenuium habet partium,vt ſiqua alia herba.

De rebus à Θ incipientibus.

B Thapſia,acris valentérque excalefacientis facultatis eſt cum humiditate coniunctæ: quare ex alto violenter trahit:& quod traxit,digerit.id quod longiore tempore efficit.

Thermus,*id eſt lupinus*, edi poteſt, & ex genere emplaſticorum medicamentorum eſt.cæterùm amarities ei innata abſterget digeritque. Ipſe etiam lupinus illitus,& ex melle linctus,vel cum oxycrato epotus,lumbricos interficit.quin eius etiam decoctum lumbricos expellit, & foris perfuſum vitiliginem,achoras,puſtulas,pſoras,gangrænas,vlcera maligna iuuat: ſiccat enim citra morſum. C Idem iecur expurgat renéſque,cum ruta & pipere ſumptum.elicit etiam menſes & fœtus cum myrrha & melle impoſitum. Iam verò lupinorum farina citra mordicationem digerit, quum non liuida ſolùm ſed etiam ſtrumas & phymata dura ſanet:in quo caſu coquenda ex aceto eſt,aut mulſa aut poſca.digerit etiam quæ liuida ſunt; & quæcunque modò diximus præſtare decoctum poſſe, eadem omnia farina efficit.

Theion, *hoc eſt ſulfur*, omne trahentis eſt facultatis, éſtque calidum & tenuium partium, vt etiam multis ve- D nenatorum animalium reſiſtat.quin & pſoras & lichenas & lepras cum reſina terebinthina ſanat. omnes enim huiúſce generis affectiones exterget, nec in profundum repellit.

Thlaſpi ſemen acris eſt facultatis adeò vt internos abſceſſus epotum rumpat:menſes ciet,fœtum corrumpit, & per ſedem infuſum ſanguinolenta euacuans iſchiadicis prodeſt.

Thridax,*id eſt lactuca*, humidum frigidúmque olus eſt,non tamen extremè:proinde ad calidas inflammationes accōmodata eſt,& ad parua leuiáque eryſipelata.eſt e- E tiam edulium ſiti aduerſum.Semen verò potum genituræ profluuium cohibet: quamobrem iis datur qui in ſomniis polluuntur.

Thymum calefacit & ſiccat vehementer,& incidit vehementer:ideo fit vt vrinam moueat,fœtus extrahat,& potum viſcera expurget.educēdis verò ex thorace atque pulmone humoribus confert.

De rebus ab I incipientibus.

Ixos,*id eſt uiſcum*,ex alto extrahit valenter humores non ſolùm tenues,ſed etiam craſſiores,eóſque diffundit, F ac digerit.eſt etiam ex eorum medicamentorum genere quæ non protinus admota calefaciunt, ſed quæ tempus, velut thapſia,ad id poſtulant.

Ia, *id eſt uiolæ*,folia aqueã & ſubfrigidã eſſentiam ſuperantem poſſident.quocirca & per ſe & cum polenta illita calidas inflammationes leniunt.

Ios,*id eſt ærugo*,acrem qualitatem habet,éſtque digerens,detrahens,& detergens,non teneram modò verum etiam duram carnem:ſique pauculum eius multo cerato admiſceas,id quod ex vtroque conflabitur, citra morſum G abſterget.

Hippuris,*hoc eſt cauda equina*,qualitatem habet adſtringentem cum amaritie. proinde valenter ſimúlque ſine mordicatione exiccat. itaque vulnera vel maxima conglutinat, etiamſi perfecti nerui ſint.Præterea iuuat etiam ramicem inteſtinorū. ad hæc facit ad ſanguinis reiectiones, & ad fluorem muliebrem, ac potiſſimùm ad rubrū. Ad dyſenterias verò & alios vētris fluxus, generoſum medicamentum eſt herba ipſa ex aqua aut vino pota. Eius porrò ſuccus prodeſt profluuio ſanguinis è naribus,item- H que ventris affectionibꝰ profluuio obnoxiis,cum aliquo auſtero vino potui datus:aut etiã cum aqua,ſi fortè is cui detur febrim habeat.

Iſatis domeſtica qua tinctores vtuntur,ſiccantis valenter facultatis eſt:non tamē adhuc vt mordeat.eſt enim amara ſimul atque adſtringens. proinde magna vulnera in duris corporibus glutinat,etiamſi in capitibus fuerint muſculorum.Illinitur quoque vtiliter partibus fluxu ſanguinis laborātibus:ac tumores œdematum ſpeciem præ ſe ferentes digerit ſimul & reprimit: & aduerſus omnia vlcera maligna egregiè reſiſtit.

Iteæ,*hoc eſt ſalicis*,foliis vti quiſpiam poſſit ad cruentorum vulnerum agglutinationē. eiuſdem quoque facultatis eſt eius flos:ita enim leniter deſiccat vt morſu vacās ſit:& item adſtringit.Quidam ex eo ſuccum faciunt,ſeruántque vt medicamentum morſus expers,exiccans & ad multas res vtile.Arboris etiam cortex ſimili facultate eſt, niſi quòd ſicciore eſt natura. ſed hunc quidam comburunt,eiúſque cinere vtuntur ad ea quæcunque valenter exiccari poſtulant.ergo clauos quos vocant,& callos,& myrmecias aceto maceratus tollit.

De rebus à K incipientibus.

Calamintha,calida & ſicca vehemēter eſt,ac tenuiū partium.ipſa verò per ſe pota ſicca eſt:cum melicrato autem perſpicuè calefacit,& ſudores elicit, omnéq; corpus digerit & exiccat.quamobrem fuerunt qui ea ad rigores circuitu quodam repetentes vſi ſint:ac foris quidem adhibentes oleo incoctam,& totum corpus cum ſtrenui frictione inungentes:intrò verò ſumentes,vt dictum eſt nobis.Quinetiam coxendicibus quidam in morbis iſchiadicis, vt ſingulare remedium,imponunt. trahit enim quæ in profundo deliteſcunt,ad extremitatē: totúmque adeo articulum excalefacit, & cutim vehementer adurit: & menſtruas purgationes potui data admodum efficaciter prouocat.Vtile etiam medicamentum eſt ad elephantiaſin,eo quòd digerat attenuétq; valenter,& craſſos humores incidat.Qua etiam ratione cicatrices atras reddit ſplēdidas,&ſuggillata digerit.ſed ad hæc efficienda præſtantior eſt ex vino cocta,vt poſtea illinatur.commodiórque erit viridis quàm ſicca:nā ſiccata fit valentior, & prōpterea vrit.Eius autem ſuccus lumbricos latos & rotundos infuſus & epotus interficit. Iam verò etiam ſuſpirioſos adiuuat,eóſque qui morbo regio laborant,eo quòd abſtergat purgétque iecoris obſtructiones.cæterùm ad hæc omnia conficienda montana eſt efficacior.

Calamus,*id eſt arundo uallaris*,eius radix facultatis abſtergentis eſt particeps non mediocris:eiúſque non acris. Folia autem viridia modicè refrigerant,inque eis ineſt etiam abſtergendi vis.Eius verò cortex combuſtus,abundè tenuium partium & digerens redditur:habétque vim abſtergendi,adeò vt ſiccet calefaciátque vehementer.

Cannabis ſemen flatus expers eſt, & ſiccans vſque adeo vt ſi largius quis eo veſcatur, exiccetur.

Capnios,*id eſt fumus*, acris & ſimul amaræ qualitatis eſt particeps:neque etiam omnino vacat adſtrictione.quā obrem vrinas bilioſas copioſè promouet, & iecoris obſtructiones atque imbecillitatem ſanat. idem ſiccus & læuigatus ex mulſa & illitus ventrem laxat: ſiccus quoque vino diluto perſperſus ſtomachum roborat.

Capparis radicis cortex ex pugnantibus conſtat facultatib⁹:quippe qui abſtergere, purgare, incideréque amaritie poteſt:excalefacere verò incideréque,acrimonia: contrahere,denſare,& conſtringere,acerbitate.Itaque lienes induratos, ſiquid aliud,iuuare hoc medicamentum poteſt,tum foris admiſtum remediis quæ illinendo ſunt, tum intro in corpus aſſumpum, & in aceto aut oxymelite coctum,aut aridum contuſum,illiſque admiſtum.nam lentos craſſóſque humores ita ſumptum perſpicuè, idque non ſolùm per vrinas ſed etiam per ſeceſſum euacuat: ac ſæpe etiam ſanguinolētos humores defert.vnde &lienes & coxarum dolores adiuti ſunt.ſed & menſtruas euocat purgationes,& pituitam ex capite purgat. Porrò vlcerib⁹ malignis cataplaſmatis modo impoſitus, bonum medicamentum eſt. Præterea dentium labores adiuuat, interim cum aceto coctus,interim cum vino, ſæpe etiam ſolus dentibus commanſus.Vitiliginem quoque cum aceto digerit,& item ſtrumas tumoréſque duros idoneis ad hæc medicamentis admixtus diſcutit.Nec mirum videri de-

A bet ſi hui⁹herbæ ſucc⁹amaritie ſua vermes auriū occidat.

Cardami,*id eſt naſturtii*,ſemē adurentis eſt facultatis particeps,vt ſinapi:proinde coxendicis capitiſque doloribus,atque adeò quicquid ruborem poſtulat, eo excalefaciunt,ſicut ſinapi.

Cardamomum calidæ vehementer facultatis eſt, adeò vt illitum adurat.adiunctum quoque ei quiddam amaritudinis eſt qua lumbricos enecat,& pſoras cum acetovalenter exterget.

B Caſia calefacit & exiccat vehementer excrementa quæ ſunt in corpore,& inſtrumentis robur addit. Eſt verò etiam idonea menſtruis purgationibus ſuppreſſis, quū excrementorum copia craſſitiéſque vetat ne quantum ſatis eſt euacuetur.

Carya arbor,*id eſt nux*,habet in foliis & germinibus adſtrictionem quandam:at in nucis putamine & recenti & ſicco,euidentem plurimámque.itaque ex contuſis putaminibus expreſſum ſuccum in melle,vt mororum & ruborum,decoquimus,& pro ſtomachico medicamento vtimur.Eius nucleus aridus combuſtus fit tenuium partium

C & exiccans,& medicamētum morſus expers. Leptocarya verò, *hoc eſt nuces Ponticæ*,frigidiores & magis auſteræ ſunt: in cæteris rebus ſunt magnæ nuci perſimiles.

Caſtoreum calefacit,exiccat,tenuiúmque abūdè eſt partium.eſt etiam accommodatiſſimum iis qui ex plenitudine cōuelluntur ac tremunt:iis verò qui exinanitione hæc patiuntur,maximè contrarium.hǽcque facit tum epotum,tum cuti ex Sicyonio aut vetere oleo impoſitum, Quibus verò maiore caliditate opus eſt,fricari eos ex caſtoreo conuenit.ſed iuuat etiam ſiquis carbonibus ipſum

D imponat,eiúſque ſuffitum inſpiratione hauriat: maximè verò ſi humidæ frigidæq; affectiones in pulmone aut capite conſtiterint. Attamē lethargicas cataphoricáſque affectiones quibus adiūcta febris eſt, melius eſt non curare quidem aliquo dictorum oleorū macerandos:ſed potius ex roſaceo capiti collóque imponere.

Cedrus calefacit exiccátque vehementer:oleum autē quod ex ipſa fit, vehemētiſſimum eſt & abūdè tenuiū partium.itaque molles carnes promptè & ſine dolore putrefacit:duras verò & longiore tempore,ac præcipuè cor-

E pora mortuorum ſiccat,& à corruptela tuetur. Nec mirū videri debet ſi pediculos,lendes,& tineas,& vermiculos qui ſunt in auribus,interimat:appoſitáque fœtum viuentem enecet,mortuū verò eiiciat:ſicut etiam facit de coitus ipſius ſemine,pudendo circumlita. proinde medicamentum erit partui aduerſum,ſi ſic vtaris,nulli ſecūdum. eadem quoque dentium foraminibus inſtillata, dolores eorum lenit,ipſóſque dentes confringit.

Centaurii maioris radix acris eſt & calida & adſtringēs cum terrea frigiditate.Ergo ſua acrimonia prouocat

F menſtruas purgationes,fœtúmque mortuum extrahit,viuētémque corrumpit & expellit: adſtrictione verò vulnera agglutinat,& ſpuentes ſanguinem iuuat:itémq; ruptis cōuulſis.& difficultati reſpirationis,& tuſſibus inueteratis prodeſt.

Centaurium minus ſiccat valenter citra morſum:ex quo fit vt magna vulnera glutinet,ſi recens illinatur.præterea vetuſtis vlceribus,& quæ difficulter ad cicatricem perueniunt,cicatricem inducit.Decoctū verò huius herbæ quidam iſchiadicis infundunt, ceu bilioſa craſſáque

G educens.quum tamen ita vehementer egerit vt cruenta euacuet,tunc magis etiam proderit.Succus verò eius qui ſimilis facultatis eſt,cum ea quæ prædicta ſunt efficit, tū etiā fœtū illitus euocat,& menſtruas purgationes educit.

Cecis,*hoc eſt galla*,quæ immatura eſt, medicamentū eſt admodū acerbū,habétque plurimum eſſentiæ terrenæ frigidæ:qua ratione fluxiones reſiccat,& repercutit: contrahítque & conſtringit & roborat particulas imbecilles, omnibúſque fluxionū affectibus ſtrenuè reſiſtit.itaque ſiccat vehemēter,& abundè refrigerat. Altera verò galla quæ

H flaua laxáque eſt,ſiccat ipſa quoque,ſed minus. Cæterùm gallæ combuſtæ ſanguinis reprimendi vim acquirūt.carbonibus autem imponendæ ſunt vſquedum igni cādeāt, tum aceto aut vino extinguendæ.

Cera medium quodammodo tenet calefacientiū &

rè frigerantiũ,humectantiúmque & ſiccantiũ.quamobrẽ
aliorum medicamentorum materia eſt: ipſa verò per ſe
foris impoſita, ex genere eſt debiliter concoquentium.
Ciſſos,*id eſt hedera,* ex contrariis facultatibus compoſi-
ta eſt:ſtringit enim & refrigerat, éſtque acris & calida. &
viridis,eſt aqueæ eſſentiæ tepidæ particeps. foliis verò e-
ius in vino decoctis magna vulnera glutinantur, & mali-
gna ſanantur:& vlcerationes ex igni factas ad cicatricem
perducit.Folia quoque ex aceto decocta lienoſos iuuant.
Eius flores ſunt fermè validiores,vt ambuſtis cum cerato
læuigati conueniant.Succus denique medicamentum eſt
quod naribus infuſum purgando capiti eſt:ſanátque diu-
turnas aurium fluxiones , & vetuſta vlcera in auribus at-
que naribus.ſi verò acrior videatur,quum vtendum eo e-
rit,oleo roſaceo miſcebitur . Lacryma eius pediculos in-
terimit,& cutim pilis nudat.
Colocyntha,*hoc eſt cucurbita,* humectat ac refrigerat ad-
modũ.quocirca ſuccus ramẽtorum eius ad auriũ dolores
cum inflammatione cõiunctos cum roſaceo cõuenit. ſic
etiam tota illita calidas inflãmationes refrigerat.
Cummi, *hoc eſt gummi,* facultatis eſt ſiccantis & empla-
ſticæ,& nimirum aſperitates ſanat.
Conia,*hoc eſt lixiuium,*adurẽtem habet caliditatem, ſed
tenuitate ſubſtantiæ citra dolorem vrit.
Conyza maior & minor calefacit ſiccátque vehemẽ-
ter.hæ in oleo coctæ remedio ſunt iis rigoribus qui per
circuitum redeunt . earum flores vnà cum foliis terunt
quidam,& ex vino potui dant ad menſtruas purgationes
egregiè euacuandas,& fœtus eiiciendos.
Coriannon ſiue corion,*hoc eſt coriandrum,*ex contrariis
facultatibus cõſtat:plurimũ enim habet amaræ eſſentiæ,
quæ tenuiũ eſt partiũ,&terrea:nec parũ etiã aqueæ humi
ditatis quæ tepentis facultatis eſt,obtinet. habet quoque
nonnihil adſtrictionis.ex quibus omnibus agit varié.
Copros, *id eſt ſtercus,*caprinum, quod propriè σπύραθος
nominatur,acris & digerẽtis facultatis eſt,ideóque indu-
ratis tumoribus cõuenit,ac nõ ſolùm in liene, ſed in aliis
etiãnum particulis. Equidem ad tumorẽ in genu inuete-
ratũ iuſſi cataplaſma ex hordeacea farina & poſca & hoc
ſtercore confici atque adhiberi:& mirabile eſt quãtum ei
profuerit.Hæc denique parandi ratio eſt in cæteris parti-
culis vtiliſſima:eſt tamen vi acriore quàm vt eo in mulie
ribus vrbanis,aut pueris,aut vno verbo in corporibus tẽ-
neræ carnis vtare. Cæterùm ſtercus hoc vſtum tenuiorũ
ſit partium,non tamen euidenter acriorum.quamobrem
ad alopecias facit,&ad ea omnia quæ abſtergentia medi-
camenta poſtulant: cuiuſmodi ſunt lepræ, impetigines &
ſcabies,& cætera generis eiuſdem.Stercus autem bubulũ
ſiccandi vim habet, atque etiã attrahendi: quod oſtendit
quũ apum veſparúmque morſus iuuat.Hoc etiã ſtercore
quidam aqua inter cutem laborãtes oblinebat, & in ſole
exponebat.Stercore autem columbarum quæ in paſcuis
degunt,vt calefacienti medicamẽto ad multas res aſſiduè
vtimur, adhibemúſque cũ naſturtii ſemine pro ſinapi ad
ea quæ ad ruborem perduci poſtulãt. At ſtercore gallina-
rum vtuntur quidam in iis qui ſuffocantur, quòd fungos
comederint. vomunt autẽ qui hoc ſumunt, humorem pi-
tuitoſum craſſiſſimũ. qua re ſtatim à periculo liberantur.
Porro ſtercus ipſum in tenuẽ pollinem redactũ,ex tribus
quatuórve poſcæ aut oxymellis cyathis perſperſum eſſe o
portet.eſt autẽ hoc minus columbino calidum.Cæterùm
ſtercus crocodilorũ terreſtriũ abſtergendi ſiccandíq; vim
habet: cuiuſmodi eſt etiã ſtercus ſturnorum,quum oryzã
ſolam comederint. Vt ergo crocodilorum ſtercus epheli-
das deterget,ita etiam vitilginẽ atque impetiginẽ tollit.
Coſtus exiguam planè amaram, plurimam verò acrem
calidámque obtinet qualitatem, vt etiam exulceret. quo-
circa totum corpus eorum quos per circuitum rigores
inuadunt,illo cum oleo ante acceſſionem extrinſecus cõ-
fricatur.ita etiam in reſolutiuis iſchiadicíſque,& omnino
in quibus partem aliquam calefacere , aut ex alto ad ſu-
perficiem trahere ſuccum aliquem oporteat, coſto vti-
mur. Valet quoque ad vrinam, menſéſque prouocandos,
itémque ad rupta conuulſáque . Laterum quoque dolo-
ribus conuenit ; latos lumbricos interficit . ad ephelida

A valet cum aqua aut melle. Eidem quoque flatuoſa quæ-
dam humiditas ineſt,qua cũ vino multo venerẽ excitat.
Cotyledon, *id eſt umbilicus Veneris* mixtæ eſt facultatis,
humidæ,ſubfrigidæ,& cuiuſdam obſcurè adſtringentis,
cui eſt etiam amari parum adiunctum. quamobrẽ refri-
gerat ac repercutit,abſtergétque & diſcutit. & inflamma
tiones eryſipelatis naturam imitantes, & eryſipelata ſpe-
ciem inflammationum præ ſe ferentia perſanat:ac ſtoma
cho ardore æſtuanti admodum vtiliter imponitur.
Crambe,*id eſt braſsica,*ſiccantis facultatis eſt,non tamẽ
B etiam acris euidenter,ſed adeo vt vulnera glutinet,atque
vlcera maligna ſanet,inflammationibúſque iam indura-
tis,& ſolutu difficilibus,&eryſipelati quod etiam tale ſit,
itémque herpeti medeatur. Sed & vis quædam abſtergẽs
ei ineſt,qua lepras curat.eius ſemen epotũ lumbricos ne-
cat:ephelidas quoque & lentigines iuuat. Caules verò
braſsicæ combuſti cinerem faciunt admodum deſiccan-
tem, vt fermè adurendi vim habeat.qua ſanè ratione eiuſ
modi cinerem adipi veteri miſcent,& ad dolores lateris,
aut ſi quid tale ſit,vtuntur.Fit enim valenter digerẽs me-
C dicamentum.
Crithe,*hoc eſt hordeum,*ſiccat refrigerátque modicè, ha-
bétque etiam pauxillum abſterſionis. Polenta verò plus
multò quàm hordeum,exiccat.
Crini,*hoc eſt lilii* ,flos tenuium eſt partium.oleum quod
ex eo fit,digerentis, morſu vacantis & mollientis faculta
tis eſt,idoneum verò eſt vteri duritiei. Radix quoque e-
ius & folia per ſe trita ſiccant,abſtergunt & digerunt me-
diocriter.ita fit vt exuſtis conueniant. ergo radicem to-
ſtam, tum ex roſaceo contritam exuſtis, quoad cicatrix
D obducatur,imponunt. quippe quum alioqui ad cicatricẽ
omnibus vlceribus inducendam medicamentum ſit ido
neum,quinetiam vteros mollit, menſtruáſque purgatio-
nes prouocat . Folia quoque decoquunt, & vſquedum ci-
catrix obducta ſit adhibent,eáque non ſolùm exuſtis ſed
etiam vlceribus. Porro ſi quis ſuccum foliorum ex melle
& aceto decoxerit,& multo maiorem ſucci quàm mellis
& aceti copiam poſuerit, is probatiſſimũ medicamẽtum
ſibi pararit ad ea omnia quæ citra morſũ deſiccare vehe
mẽter oporteat.qualia ſunt vulnera magna,præſertim ve
E rò quæ capitibus muſculorũ infliguntur:& vlcera flacci-
da diuturnáque,& quæ cicatrice difficulter cõcluduntur.
Crocus abundè calefacit , modicè verò ſiccat: ideóque
concoquendi vim quandam obtinet: cui etiam rei adiu-
mento eſt paucula eius adſtrictio.
Crommyon,*id eſt cepa,*vehementiſſimè calefacit, craſ-
ſæque eſſentiæ eſt: quocirca admota venarum ora aperit
ex aceto verò in ſole inuncta,vitiligines exterget. alope-
ciis verò attrita cutim citius quàm alcyoniũ,pilis cõueſtit.
Cyamus,*hoc eſt faba,* eſt medii proximè temperamenti
F in exiccando & refrigerando,& exiguæ facultatis abſter
gentis atque adſtringentis eſt particeps.ea foris impoſita
ſine moleſtia ſiccat,atque in podagra ex aqua decocta, &
ita adipi ſuillo admixta. ad neruorũ autẽ contuſiones , &
vlcera,fabæ farina cum oxymelle imponenda:ad eos qui
ex ictu iam inflammatione tentantur , cum polenta. Eſt
etiã aptum teſtibus vberibúſque cataplaſma: quippe quũ
hæ particulæ inflammatione obſeſſæ modicè refrigerari
deſiderent.præſertim verò quũ vbera ex lacte in ipſis cõ
creto inflammationẽ cõtraxerunt. imò verò & lac ipſum
G ab hoc cataplaſmate extinguitur,ſicut puerorũ pubes fa-
rina fabarum illita plurimo tempore impubis permanet.
Cumini ſemen vehementer calefaciendi vi præditum
eſt,flatúſque diſcutit,& vrinam mouet.
Cypariſſi folia,germina,&globuli recẽtes ac molles,ma
gna vulnera in duris corporibus conglutinãt.ex quo planè
patet ſiccãdi vim in eis ineſſe,cui nihil inſigniter acre ſit
adiunctum. plurimũ autẽ amari & multo etiã plus acerbi
habent.proinde humiditates quæ imis in partibus deli-
teſcunt, in flaccidis & putredini obnoxiis affectionibus
H & ſine moleſtia & tutò depaſcuntur,aliáſque trahunt. ſic
etiam ramicem inteſtinorum iuuant vel ex eo quod ſic-
cant,& robur particulis præ humiditate laxis addant.
Cyperi radices excalefaciunt & exiccant ſine morda-
citate. itaque vlceribus quæ ad cicatricem ægrè perduci

poſſunt, ob nimiam humiditatem mirificè proſunt: habent enim quidpiam adſtrictionis, & ob eam cauſam vlceribus quibus os obſidetur, valde cõueniunt. quin & incidendi vim quandam eis ineſſe apparet, quum calculo laborantibus congruant, vrinámque & menſtruas purgationes prouocent.

Cyclaminus abſtergit, incidit, digerit, aperit ora venarum atque attrahit. eius autem ſuccus hæmorrhoidas reſerat, & floccis impoſitus atque admotus ſeceſſum valenter prouocat: eius enim ita vehemens vis eſt vt abdomine illito ventrẽ ſubducat, & peſſo impoſitus fœtum interimat. Radix eſt ſucco imbecillior. ſed ipſa quoq; eſt vehemẽs: nam & purgationes mẽſtruas ciet epota & admota, & arquatum morbum iuuat, non modò ipſum viſcus expurgans, ſed etiam bilim quæ in toto corpore ſit, per ſudores excernens. datur autẽ potui pondere drachmarũ trium cũ paſſo, aut melicrato. cutim etiam detergit, & alopecias & ephelidas & omnia exãthemata curat. itémq; lieni indurato emplaſtri modo illita, tum recens tũ arida prodeſt.

Cytiſi folia digerentis facultatis ſunt, quæ aqueæ & tepidæ miſta eſt.

Coni fructus, quem etiam cocalum nominant, viridis, totus habet cum humiditate amaritiem & acrimoniam quandam. proinde purulentis & quibuſcunque ea quæ in thorace & pulmone ſunt, facilè tuſſi reiicere & expuere expedit, accommodatus eſt. Fructus verò ex eo eſculentus, aſperitates in aqua maceratus lenit.

De rebus à Λ incipientibus.

Lapathum digerentis modicè facultatis eſt. oxylapathum verò eſt mixtæ facultatis: nam cum digerentis eſt tũ etiã cuiuſdã repercutientis particeps. eorũ ſemen manifeſtam adſtrictionem quandam obtinet, vt dyſenteriæ & diarrhœæ medeatur, ac præſertim oxylapathi.

Leucoion & fructus vniuerſus, abſtergẽtis ac tenuium partium facultatis eſt: magis tamẽ flores, & inter hos qui ſicciores ſunt: adeò vt eorum decoctum menſtruas purgationes promoueat, & ſecũdas, ac fœtum mortuum prouocet: ſique bibatur, fœtum interimat: ac ſiquis eius virium vehementiam multa aqua admixta mitiget, is medicamẽtum ad inflammationem accõmodatum habebit. Hoc igitur modo eius decoctum vteri inflãmationes perfuſum ſanat, potiſſimùm verò eas quæ iam obduruerunt, Fructus eandem vim habet, duarum drachmarum mẽſura potui datus, vel etiam impoſitus, menſéſque ciet, ac fœtum viuentem corrumpit, & mortuum expellit.

Libanotus, *hoc eſt thus*,, abundè calefacit, & modicè ſiccat, habétque aliquid adſtringentis, ac potius etiam albũ. Eius autem cortex euidenter adſtringit: quãobrem ſtrenuè quoque deſiccat. eſt etiam craſſarum partium & acrimoniæ minimè particeps.

Libanotides tres, ſimilem vim habent omnes emolliẽtem, digerentem, abſtergentem & incidentem. Succus radicum ipſarũ atque herbæ melli admixtus hebetudines oculorum quæ ex craſſis humoribus oriuntur, perſanat.

Lapis hæmatites tantum habet frigiditatis quantum adſtrictionis. Eo igitur ſolo vſus ſum ad ſupercilia exaſperata. ſi verò aſpera facta ſint cum inflammatione coniuncta, ex ouo ipſum diluo: ſi verò magis, etiam ex fœnigræci decocto: ſi ſine inflammatione, ex aqua. Initium verò ducito, ſemper à modicè humido, per ſpecillum infundẽs. Vbi autem is qui curatur, eius vires fert, craſſius ſemper identidem efficito. ac poſtremò ita craſſum facito vt ſpecilli cuſpide inungas ſecundùm ſubiectionem euerſionis ſupercilii. Idem lapis ſimili ratione in cote contritus, ſputo ſanguinis & omnibus vlceribus conuenit. Siccus verò læuigatus, & in tenuiſſimum pollinem redactus, reprimit excreſcentia, vlceráque oculorum ad cicatricem ipſe ſolus perducit, attritus (vt dicebam) & infuſus, aut inunctus.

Lapides qui in ſpõgiis reperiuntur, frangendi vim obtinent, non tamen ita validam vt lapides in veſica confringant.

Lithargyrus ſiccat vt alia metallica omnia, terrenáque & lapidea medicamenta: id tamen facit moderatiſſimè, & in cæteris qualitatibus & facultatibus quodam modo

A in medio eſt, neque manifeſtò calefaciens, neque refrige
rans. éſtque particeps abſtergentis & adſtringentis facul-
tatis modicé. quocirca vtimur lithargyro pro materia,
quam iis quæ valentem vim habẽt, ſeu mordendi, ſeu ad-
ſtringendi, ſeu aliquid aliud faciendi, miſcemus. Inter ca-
liditatem verò & frigiditatem medium locum obtinet.

Lini ſemen modicè calefacit, éſtque in medio fermè
humiditatis & ſiccitatis conſtitutum.

Litron, *hoc eſt nitrũ*, ſiccat & digerit. ſi verò intrò in cor-
pus ſumatur, multo magis quàm ſal craſſos tenacéſq; hu-
B mores ſecat atque attenuat. Aphronitrõ verò, niſi magna
quædam neceſſitas cogat, deuorandum non eſt, vtpote
quod ſtomacho ſit infẽſum. ac ruſticus ex fungorum eſu
penè ſuffocatus eovſus eſt, eíque probatum fuit remediũ.
Cæterùm nitro vſto & non vſto nos etiam ad talia vti cõ
ſueuimus.

Lichen in petris naſcens abſtergentem ſimul, modicé-
que refrigerantem & adſtringentẽ vim habet: ſed eſt etiã
deſiccans. quocirca haud mirum eſt ſi inflammationi eſt
aduerſum.

Lotos domeſtica, quam etiam trifolium vocant, facul-
C tatis eſt modicè adſtringentis & ſiccãtis: éſtque in medio
in calefaciendo & refrigerando.

Lotos arbor adſtringit illa quidem modicè, ſed tenuiũ
partium eſt & ſiccans. proinde lignorum ipſius ſcobs cõ-
uenit fluori muliebri, dyſentericis, & cœliacis. decoqui-
tur autem tum ex aqua, tum ex vino, prout vſus poſtulare
videatur. neque ſolùm infunditur, ſed etiã bibitur. quin-
etiam fluentes pilos cohibet.

Lycium facultatem obtinet exiccantem, cõſt átque ex
D diuerſi generis ſubſtantiis, altera tenuium partium dige-
rente & abundè calida, altera terrena & frigida exigua, ex
qua obtinet adſtrictionem. Ex quo fit vt hoc medicamen
to ad diuerſas affectiones vtantur: atque vt abſtergente
quidem, quando id aſſumunt tanquam expurgans ea quæ
pupillæ tenebras offundunt: vt contrahente verò, quum
id cœliacis & dyſentericis ac fluori muliebri adhibent.
eodem etiam vtuntur ad hypopia, & ad ſedis atque oris
inflammationes, vlceráque & herpetas ac putredines, &
vlcera maligna, & aures purulentas & intertrigines, & de
E nique ad vnguium reduuias. Porrò Indicum Lycium eſt
ad omnia valentius.

De rebus à M incipientibus.

Malua, agreſtis quidem, digerentis mollientíſque leni-
ter facultatis eſt particeps: hortenſis verò, eſt imbecillior.
earũ fructus tanto validior eſt quanto eſt ſiccior. Quæ ve
rò anadẽdromalache & althæa nominatur, eſt generis e-
iuſdem: eſt tamen quàm hæ ad digerendum efficacior.

Mandragora refrigerat quidem vehementer, ſed eſt
tamen etiam caloris cuiuſdam particeps. Et in pomis nõ-
F nihil eſt humiditatis: quamobrem ea ſoporem afferendi
vim habent. Cortex autem radicis qui valentiſſimus eſt,
non refrigerat ſolùm, ſed etiam deſiccat. quod verò intus
eſt, imbecillum eſt.

Marathrum, *hoc eſt fœniculum*, calefacit quidem vehemẽ-
ter, cæterùm modicè ſiccat. proinde lac procreat, ídq; nõ
mediocriter. valet quoque ad vrinam ciendam, & ad mẽ-
ſes educendos.

Maſtiche compoſita ex contrariis facultatibus eſt, ad-
ſtringente & molliente: quocirca ſtomachi, ventris, inte-
G ſtinorum, & iecoris inflammationibus conuenit, vtpote
quæ calefaciat ſiccétque abundanter.

Melanthium calefacit ſiccátque vehemẽter, quum te-
nuium ſit partium. quibus quidem fit rebus vt calidũ in
linteo admotum, & aſſiduè olfactũ catarrhos ſanet. quin-
etiam epotum flatus extinguit vel maximé. Interimit e-
tiam lumbricos non ſolùm eſum, ſed etiam ventri foris
admotum. præterea lepras, clauos myrmeciáſque eiicit,
menſéſque ciet, qui ob craſſitiem tenacitatémque humo-
rum fuerint ſuppreſſi.

H Mel calefacit & deſiccat abundé. eſt autem ſimplicis,
quoad eius fieri poteſt, naturalis facultatis. coctum verò
minus acre & abſtergens efficitur. quocirca ad ſinus glu-
tinandos eo vtuntur.

Melilotum mixtæ facultatis eſt: habet enim quippiam

adſtrictionis.ſed & digerit & concoquit: copioſior enim in eo calida eſſentia ineſt quàm frigida.

Meſpilorum fructus admodum acerbus eſt & eſculentus,& ventrem ſtrenuè cohibet.

Mecon,*hoc eſt papauer*,omne eſt refrigerantis facultatis. Semen verò ſatiui papaueris mediocriter ſomnum conciliat,éſtque album:quamobrem pani ipſum inſpergunt, ac melle maceratum edunt. Alterius verò,cuius flos decidit,ſemen valentius refrigerat: adeò vt eo vti innoxiè,ſicut ſatiuo,quiſpiam non poſſit.

Mali Perſicæ folia & germina amaram qualitatem vincentem habent.ex quo fit vt in potu accepta lumbricos interimãt: id quod faciunt etiam vmbilico impoſita. omino verò digerens medicamentum eſt. Eius verò fructus humidus eſt ac frigidus.

Meum calefacit vehementer, atque abundè ſiccat:proinde vrinas menſtruáſque purgationes mouet, dolorem verò capitis creat,ac flatum gignit.

Molibdos,*id eſt plumbum*, plurimam habet humiditatem ex frigore concretam . Si igitur mortarium piſtillúmque plumbeum confeceris, in ipſúmque aut omphacinum oleum,aut aquam,aut roſaceum,aut alium quempiam ſuccum indideris, ac teras, vti poteris ſucco ita confecto ad inflammationes in ſede cum vlcere, aut rugis,eritque ad eas quæ in pudendis ac teſtibus atque vberibus ſunt,optimum remedium. valebitque eodem modo ad alias inflãmationes incipientes,quæ inguina,aut pedes,aut alios articulos obſideant. Cõuenit non ſecus vlceribus malignis: ſique ad carcinod*n* vlcera vtaris, erit ſanè mirabile medicamentum.Si verò celeriter multum ſucci plumbei velis colligere,conare in ſole terere, aut omnino aere excalefacto. Porro vtiliſſimũ medicamentũ pararis,ſi quempiam ſuccum refrigerantem, vt ſemperuiui, vt vmbilici Veneris,vt intybi,vt lactucæ,vt pſyllii, vt omphacii,admiſcueris. Plumbi verò bractea tenuis ganglio probè impoſita & alligata,ipſum planè diſſipat.

Mori fructus,maturus quidem ventrem ſubducit,immaturus verò vbi aruerit,medicamentum admodum reſtringens fit, adeo vt dyſentericis ac cœliacis conueniat. tunditur etiam, & ob ſoniis admiſcetur. Cortex verò radicis arboris purgantis facultatis eſt particeps, cum amaritie quadam.Itaque latum lumbricum interficit.

Myelos, *hoc eſt medulla*, vim habet molliendi corpora quæ obduruerunt ac ſcirrhum contraxerunt . Optimam verò expertus ſemper ſum ceruinam : deinde iuniorum boum . taurorum verò & hircorum eſt acrior & ſiccior. quocirca duritiem ſcirrhi ſpeciem referentem diſſoluere non poteſt.

Myrtus ex contrariis ſubſtantiis conſtat: in ea tamen vincit terrenum frigidum.habet verò etiam tenue quiddam calidũ:quocirca admodũ ſiccat. Cæterùm folia,fructus,germina,& ſuccus non multum in adſtrictione differunt:quod verò agnatum eſt trunco atque ramis tuberoſum(quam myrtada quidam vocant) quo ſiccius eſt antedictis,eo adſtringit ſiccátque vehementius. Quidam id tundunt ac reponunt, tum vino ſubigentes paſtillos conformant.folia item arida magis quàm viridia,deſiccant.

De rebus à N incipientibus.

Nardi ſpica modicè calefacit,abũdéque ſiccat. ea ex eſſentia abundè adſtringenti & acri,calida non multa, & quadam ſubamara,conſtat. meritò igitur tum pota, tum foris admota , iecori & ſtomacho conuenit , vrináſque mouet , ac morſus ſtomachi ſanat : ventríſque fluxiones & præterea capitis atque thoracis exciccat . valentior autem eſt Indica, quæ nigrior eſt quàm Syriaca . Celtica verò ſimilis eſt facultatis,ſed vrinas magis ciet.

Narciſſi radix ſiccandi facultatẽ habet,adeo vt maxima vulnera conglutinet,vel ſi vſque ad tendines ſit facta præciſio. habet etiam abſtergẽdi & attrahendi vim quãdam.

Nymphææ tum radix tum ſemen vim habet deſiccandi ſine morſu.itaque profluuia ventris ſiſtit, ac ſemen ſiue in inſomniis,ſiue alio modo immoderatius profluẽs cohibet.iuuat etiã dyſẽtericos. Quæ verò candidã radicẽ habet, vehementiore facultate prædita eſt.quocirca ex aqua macerata vitiligines,pice verò liquida,alopecias ſanat.

De rebus ab O incipientibus.

Oxos,*id eſt acetũ*,mixtæ ſubſtãtiæ eſt,calidæ & frigidæ: atque vtriuſque tenuium partium: frigida tamẽ calidam ſuperat. Cæterùm vbi acetum validum ſit , vehementer exiccans eſt.

Oxyacanthæ fructus,non ſolùm quum eſtur,ſed etiam quum potui datur,omnes affectiones quæ cum fluxionibus coniunctæ ſunt,retinet.

Opopanax mollit ac digerit:calefacítque vehementer, & abundè ſiccat.

Opos,*hoc eſt liquor*, Cyrenaicus omnium & calidiſſimus eſt,& tenuiſſimarum partium,ac proinde maximè digerit.quanquam cæteri quoque calidi & ſpirituoſi abundè ſunt,hoc eſt Medicus & Syriacus.

Origani omnis vis eſt incidens,tenuans,calefaciens & ſiccans vehementer.quam verò tragoriganon vocant, ea aliquid adſtrictionis aſſumpſit.

Orobus,*hoc eſt eruum*,ſiccat quidem abundè,ſed calefacit modicè,& incidit & abſterget, & obſtructiones tollit: ſi verò copioſius ſumatur,ſanguinem per vrinas educit.

Oſtrax,*hoc eſt teſta*,buccinarum & purpurarum vſta vim habet admodum exiccandi. Oſtreorum quoque combuſta ſimilis eſt facultatis. ea vtor ad diuturnas ex fluxione cauitates,& quæ vix impleri carne poſſunt, quæ nimirũ fiſtuloſæ ſunt atque profundæ: eam foris ex adipe ſuillo veteri imponens.& in ſinum aliquid eorum quæ talia carne implent,immitto,quale eſt vſtũ diaphanes, quod ſphe clarium nominant.Iam verò horum omnium cinis dentes ſplendidiores reddit tum abſtergendi facultate , tum verò etiam eſſentiæ aſperitate,nõ ſecus quàm pumex.Ad hunc verò vſum nõ eſt neceſſe quæ ſic vſta ſunt admodũ læuigare.at ſi vlceribus malignis velis inſpergere,ante omnia in tenuiſſimum pollinem redigenda erunt. Porrò carnem excreſcentem exterunt mediocriter & comprimũt.præterea cum ſale vſta hæc omnia dentes efficacius abſtergent:atque adeo vt non modò flaccidas gingiuas exiccent,ſed etiam putreſcentia vlcera adiuuent.

De rebus à Π incipientibus.

Paliuri folia & radix,non obſcuram adſtringendi facultatem habent,vt etiam ventrem fluentem cohibeant: digerunt verò adeo vt phymata quoque curent,quæ non admodum inflammata calidáque ſint. Cæterùm fructus tantam incidendi vim habet vt & calculos veſicæ confringat,& pectoris pulmoniſq; excreationib⁹ auxilietur.

Pentaphylli radix ſiccat quidem abundè, ſed minimè acris eſt.quocirca ad multa vtilis eſt.

Piper nuper germinans longum eſt, ideóque humidius.fructus verò qui velut omphax eſt,album eſt piper, quod eſt acrius nigro . illud enim eſt aſpectu tanquam ſubaſſatum & ſubexiccatum.vtrunque tamen ſatis valenter calefacit & ſiccat.

Petroſelini ſemen acre eſt cum amaritie coniuncta. proinde menſtruas purgationes mouet,& vrinas copioſè citat.flatus quoque diſcutit: valdéque calefacit & ſiccat.

Peganon,*hoc eſt ruta*, quæ agreſtis eſt, vehementiſſimè ſiccat & calefacit.quæ verò domeſtica eſt,vehemẽter:eáque eſt non acris modò,ſed etiam amara,atque humores craſſos & tenaces incidit attenuátque,& per vrinas ducit: eſt & tenuium partium,& flatus excutit:quamobrem ad inflationes accommodata eſt,& veneris appetitum cohibet.eadem ſtrenuè digerit atque ſiccat.

Pix ea quæ ſicca eſt,calefacit abundè & ſiccat:quæ verò humida eſt,habet præter hæc neſcio quid tenuiũ partium,ita vt aſthmaticos & purulentos iuuet.Cyathus autẽ ei⁹ melli admixtæ ad lingẽdũ datur. habet præterea vtraque vim quandã abſtergendi,& concoquendi,& digerendi.qua ſanè ratione leproſos vngues eximit ceræ miſta,lichenáſque detergit,ac tumores duros & incoctos cataplaſmatis indita cõcoquit.liquida tamẽ eſt ad oĩa valentior.

Pini cortex vincentẽ habet facultatẽ adſtringẽtem,vt impoſitus intertrigenes pulcherrimè ſanet,& potus ventrem cohibeat,& ambuſta ad cicatricem perducat.

Piceæ cortex ſimili modo quo pini cortex, agit, moderatius tamen.In foliis tamen vtriuſque & pini & piceæ vis eſt vulnerum agglutinandorũ. Fuligo autem quæ ex

dictis colligitur,ad pilos ſuperciliorum,& ad angulos oculorũ lippientes,eroſos,& lacrymantes,accõmodata eſt.

Platanus frigidioris humidioriſque eſſentiæ eſt.quãobrem eius folia viridia trita & illita inflammationes in genibus iuuant.eius cortex & pilulæ cum adipe ad vlcera ambuſta valent.

Pompholyx, ſi lota fuerit, fermè omnium prima eſt quæ citra morſum ſiccant:vnde ad vlcera carcinode idonea eſt,& item ad alia maligna omnia.

Praſium, *hoc eſt marrubium*, calefacit & ſiccat vehementer,iecur & lienem obſtructione liberat,thoracem pulmonémque expurgat,menſtruas purgationes ciet.illitum verò abſterget & digerit,& per nares arquatos expurgat.denique ad inueteratos aurium dolores facit.

Propolis vehementer calefacit, ac valenter abſterget, abundéque trahit,éſtque valenti ac tenui eſſentia.

Pteleæ,*hoc eſt ulmi*,foliis recentia vulnera glutinãtur, in eiſque abſtergendi & adſtringendi facultas ineſt:& magis in cortice,adeò vt cum aceto lepras etiam ſanet. Eandem vim radices habẽt:proinde earum decocto quidam perfundunt fracturas quibus inducere tophos opus ſit.

Ptereos,*hoc eſt filicis*, radix latos lumbricos interficit, ſi quatuor eius drachmas in melicrato quis bibat. Porro fœtum viuum interficit,mortuum expellit. Similẽ huic obtinet vim fœmina filix.

Pyrethri radix vrentem vim habet, qua dentium refrigeratorũ dolores ſanat. & ante rigores periodorum ex oleo confricatur.ſtupidos quoque & reſolutos adiuuat.

Pyros,*hoc eſt triticum*,foris impoſitum modicè calfacit, non tamen ſiccare aut humectare manifeſtò aptum eſt. habet verò quippiam lentoris, & naturæ obſtruentis. Amylum verò quod ex eo conficitur, frigidius ſicciúſque ipſo redditur. At cataplaſma ex pane cõfectum maiorem digerẽdi vim habet quàm quod ex tritico fit,quippe quũ panis & fermentum & ſalem habeat, fermentúmque facultatis ſit attrahentis digerentiſque.

Pitya,*hoc eſt coagulum*,omne,acris,attenuantis, digerẽtis & ſiccantis facultatis eſt:nam lac in ventre coagulatum diſſoluit. Leporis verò coagulum omnium præſtantiſſimum eſt. id ſanguinem in ventre concretum cum aceto epotum diſſoluit:facitque id efficacius quidem cæteris, ſed non tamen ſolum.

De rebus à Ρ incipientibus.

Radicula vehementer calefacit, & abundè ſiccat. ſemen eſt efficacius planta.in eis vis digerẽdi eſt:itaque ad ſuggillata & alia liuida id genus vtiliter adhibentur.

Rheum mixtæ facultatis eſt:habet enim quidpiam terreſtre quod frigidũ eſt:ſed ei quoque ineſt caliditas quædam cum partium tenuitate coniuncta.conuulſa igitur & rupta,&eos qui niſi recta ceruice ſpirant,adiuuat.liuentia itidem & lichenas ſanat cum aceto illitum,& ſanguinem expuentibus cœliaciſque & dyſentericis prodeſt.

Reſinæ omnes calefaciunt,ſiccant digerúntque, ſed aliæ magis,aliæ minus id faciunt:lentiſſima verò omnib⁹ meritò antepoſita eſt.eam maſtichen nominant:nã præterquam quòd eſt exiguæ particeps adſtrictionis, adeò vt ſtomachi,ventris & iecoris imbecillitatibus & inflammationibus conueniat, ei etiam ineſt vt ſine mordacitate ſiccet,minimè enim acris eſt & maximè tenuium partiũ. cæteris præſtat terebinthina, eáque magis quàm maſtiche digerit & abſterget,ita vt ſcabies ſanet:&quæ in profundo ſunt,cæteris reſinis magis attrahit.

Roſarum vis eſt aquea,ſubſtantia calida miſta duabus aliis qualitatibus,adſtringenti & amaræ. earum flos etiã magis quàm roſæ,adſtringit:ac proinde vim itidem habet exiccandi.

Rhypos, *id eſt ſordes è ſtatuis*,digerit & emollit, & incocta phymata digerit. Sordes verò in palæſtris quam πάτον vocant,optimum eſt mamillarum inflammationibus remedium:nam & illarum feruorem igneum reſtinguit,& quod influit,cohibet: & quod ibi continetur,digerit.

De rebus à Σ incipientibus.

Sandaracha vrentis facultatis eſt, ceu arſenicum: ergo meritò fit vt eum facultatibus digerentibus & extergentibus commiſceant.

A Satyrium humidum calidúmque temperatura eſt, humiditatémque excrementitiam & flatus participem poſſidet:quocirca ad res venereas incitat.idem quoque eius radix facit.

Selinon,*hoc eſt apium*,calidum adeo eſt vt vrinas & mẽſtruas purgationes cieat.flatus quoque diſcutit: & magis ſemen quàm herba.

Seris temperaturæ eſt frigidæ ſiccǽque modicé.

Seſeleos fruct⁹ vſqueadeo calidus eſt vt mouere vrinã copioſè queat. quin etiam partium tenuitate ad comitia-
B lem morbum & ad recta ceruice ſpirantes accommodatus eſt.

Seſamum emplaſticam vim & ſimul mollientẽ habet, & modicè calidam.eiuſdem facultatis eſt oleum quod ex eo conficitur:& item decoctum herbæ ipſius.

Sicyos,*hoc eſt cucumis*, qui maturus eſt, tenuioris eſſentiæ eſt:qui talis non eſt,craſſioris. ſunt tamen abſtergentis & incidentis facultatis participes.quamobrem vrinam cient,& corpus ſplendidum reddunt: atque etiam magis ſi quis arefaciat,deinde contuſum per cribrum excutiat,
C & pro abſtergente puluere vtatur:in eo enim humida frigidáque admodum abundat natura. quanquam ſi ſemen & radix exiccentur,non etiam humidæ naturæ ſunt, ſed iam modicè ſiccãtis. Agreſtis verò cucumeris ſuccus, quẽ etiam elaterium nominant,qui ex fructu,itémque ex radicib⁹ & foliis exprimitur,eſt ad curationes perutilis.Ergo elaterium menſes ciet, & fœtum interimit appoſitũ. prodeſt regio morbo laborantibus in nares cum lacte infuſum. quo etiam modo capitis dolores ſanat. Succus verò radicis & foliorum eſt prædicto imbecillior.Cæterùm,
D eius radix abſtergit,digerit,mollitque. Cortex verò maiorem ſiccandi vim obtinet.

Silphii liquor calidiſſimus eſt.& tamẽ folia, & fructus, & caules, & radix ſtrenuè non calefaciunt,ſed omnia ſunt magis eſſentiæ flatuoſæ, atque ideo concoctu difficilia. foris tamen impoſita ſunt efficaciora: & maximè omniũ liquor in quo vis admodum trahendi ineſt. & ex memorata eius temperie facultatem quandam detrahendi & liquandi habet.

Spongia vſta, acris & digerentis facultatis eſt.hæc bitu-
E mine imbuta,& adhuc ardens, vt ſicca reddatur, facit ad ſanguinis eruptiones ex vulnere. ſi bitumen non ſuppetat,pice illinẽda eſt. Spongia verò noua per ſeſe manifeſtè deſiccat.id noſces ſi ea ſola vtaris ad vulnera ex aqua, vel oxycrato, vel vino: perinde enim glutinabit ac medicamenta quæ ſiſtendo ſanguini apta ſunt.

Spondylii fructus,acris & ſecantis facultatis eſt:quocirca ad aſthmata & ad morbum comitialem eſt medicamẽtum accõmodatum.ſed & morbo regio affectis prodeſt. ac radix quoque,in qua ſimilis facultas eſt, ad eadem va-
F let.éſtque præterea vtilis ad callos qui ex fiſtulis oriuntur. ea autem circumraſa imponenda eſt.

Stear,*hoc eſt adeps ſuillus*,eſt ferè omnium aliorum humidiſſimus.quamobrem in actione proximè ad oleum accedit: maiorem tamen vim habet emolliendi & concoquendi quàm oleum. idcirco eum admiſcemus iis cataplaſmatis quæ ad inflammationes valent. Qui verò mordicationes aut in recto inteſtino aut in colo patiuntur,iis potius caprinum quàm ſuillum adipem iniicimus: quippe qui propter craſſitiem facilius concreſcat, ſuillus autẽ
G inſtar olei defluat.proinde eo potius vtimur ad dyſentericos,& qui crebra deſidendi cupiditate tenentur. Anſerinus verò adeps, ſanies quæ in alto corpore mordicant, ſua tenuitate magis obtundit.eſt etiam ſuillo calidior.in horum medio eſt adeps gallinarum. Nunc verò omnis pinguedinis facultas eſt humectans & calefaciẽs:ſed ſuilla eſt modicè calida.taurinus verò adeps eſt multo calidior & ſiccior. vitulinus verò minus quàm taurin⁹,& hœdinus minus quàm caprinus & hircinus.taurinúſque minus quàm leoninus: hic enim potentius quàm cæterorũ
H omnium quadrupedum adipes,digerit: nam & calidiſſimus,& tenuiſſimarum eſt partium. Porro omnis adeps quum inueteraſcit, fit ſeipſo calidior, & tenuiorum partium:atque ita maiorem digerendi vim acquirit.

Scandix calefacit ſiccátque vehemẽter: itaque me

ritò

ritò vrinam ciet,& viſcera liberat obſtructione.

Scilla eſt facultatis admodum incidentis, non tamen admodum calidæ. melius autem eſt ea aſſata aut elixa v-ti-quo ſanè modo eius virium vehementia exoluitur.

Scolymi radix calida ſiccáque admodum eſt. copiam vrinæ fœtentis educit,ſi vino incocta bibatur. hac ratione fœdos alarum & totius corporis ſanat.

Scordion ex variis facultatib⁹ cõſtat.habet enim quid piã amari acerbiq; & acris.viſcera igitur expurgat,ſimúlque excalefacit,ac mẽſtruas purgationes & vrinas mouet. cõuulſa quoq; & rupta,& laterum dolores ex obſtructione & frigore ortos epotum ſanat: magnáque vulnera & rupta conglutinat:& laterum dolores viride impoſitum ſanat.ſordida verò purgat,& cicatrice concludit.

Scordon,*hoc eſt allium*,& calefacit & ſiccat vehementiſſimè, vt etiam hirudines eiiciat, ſic vt nulla alia re ſit opus.

Smyrna,*hoc eſt myrrha*, de numero eorum eſt quæ abũdanter calefaciunt & exiccant: itaque illita vulnerib⁹ capitis ea glutinat.tollit etiam lumbricos,fœtúmque necat & eiicit.ineſt ei vis itidem abſtergendi.

Smyrnium,calidum & ſiccum vehemẽter eſt,vrinámque & menſtruas purgationes educit.

Stœbes fructus & folia adſtringentem vim morſúſque expertem habent atque abundè ſiccãt. quamobrem eorũ decoctum dyſentericis iniicitur, & auribus purulentis: & vulnera magna cõglutinat.cum vino autem auſtero hæc facit euidentius:nam valenter deſiccat omnes humiditates quæ præter naturam ſunt.Folia verò viridia illita vim habent ſanguinem fluentem ſiſtendi: iuuántque illita oculorum ſuffuſiones ex ictu obortas.

Styrax calefacit,mollit,concoquit: quamobrem tuſſibus,catarrhis, deſtillationib⁹ raucitatıbúſque prodeſt,ac menſtruas purgationes ſeu potus ſeu admotus elicit.

Syca, *hoc eſt ficus aridæ*,modicè calefaciunt: habéntque partium tenuitatem quandam.his duabus qualitatibus idoneæ ſunt ad duros tumores concoquendos, quos etiã ſtatim digerunt. Cæterùm ficus caprifici facultatis ſunt acris ac digerentis: ſic etiam domeſticarum arborũ primæ ficus quas groſſos nominant.

Schinos,*hoc eſt lentiſcus*,ex aquea eſſentia leuiter calida, & terrea frigida non multa, compoſitus eſt. ſiccat igitur abundè.in differentia verò caloris & frigoris eſt quodãmodo medius. ſimilem porrò habet in omnibus eius partibus adſtrictionẽ. Si verò ſuccũ ex viridibus eius foliis exprimas,ſimilem is quoque temperaturã habebit. quãobrẽ epotus dyſentericas cœliacáſque affectiones ſanat: & ad ſputa ſanguinis, & ſanguinis fluores ex vtero, & ad ſedem vuluámque procidentem eſt accommodatus.

Schinou anthos,*hoc eſt ſchini flos*,modicè calefacit,& moderatius adſtringit. nec planè à tenuitatis natura ſeiunctus eſt.proinde lotium ciet, menſtruáſque purgationes educit.quinetiam inflammationes eas iuuat quibus iecur,venter & ſtomachus obſidentur.

De rebus à T incipientibus.

Terebinthi cortex & folia & fructus,adſtringens quid obtinent, ſed & abundè calefaciunt: humidi verò adhuc, ſiccant mediocriter: aridi verò, abundè, & magis etiam fructus:ideóque vrinam ciet,& lienibus prodeſt.

Teutlon,*hoc eſt beta*,nitroſæ cuiuſdam facultatis eſt particeps.proinde abſterget,digerit,& per nares purgat. Cocta verò nitroſam vim deponit, ſitq; eius facultatis quæ inflammationibus aduerſatur,leuitérque digerit: Sed ad detergendum & ad digerendum validior eſt alba: nam nigra neſcio quid adſtrictionis adiunctum habet, idque in radice magis quàm in aliis partibus.

Telis,*hoc eſt fœnumgræcum*, abundè calefacit, & modicè ſiccat:quamobrem inflammationes feruentes irritat:minus verò calidas & magis duras digerit.

Tithymali omnes vincentem habent acrem calidámque facultatem.ineſt verò eis etiam amarities.liquor autem eſt validiſſimus,deinde fructus & folia. Sed dictarũ quoque facultatum radix eſt particeps,non æquè tamen. Ipſa autem aceto decocta dentium dolores ſanat, maximè verò eos qui dentibus eroſis contingunt. liquor verò

A inunctus pilos tollit:quia verò vehemens eſt,ideo oleo cũ miſcetur:ſique id aſſiduè fiat,radices pilorum aduſtæ penitus interibunt,corpúſque ipſum glabrũ reddetur.eadẽ facultate verrucas,myrmecia,vngues oculorũ & thymos auferunt,impetigineſque & ſcabies detergunt.

Titanus,*hoc eſt calx*,viua quidem vrit vehemẽter, adeò vt cruſtam inducat: extincta verò, ſtatim cruſtam quidẽ & ipſa facit,ſed poſt vnum aut alterum diem: ſi verò ſpatio temporis reſtincta fuerit,id non omnino faciet: calefaciet tamen carnémque eliquabit.ſi lauetur, morſum in

B aqua deponit: & facit id quod κονίαν, *hoc eſt lixiuium*, vocant. ſiccat autem hæc ſine morſu. ſique bis aut ter, aut ſæpius lota fuerit,morſus omnino expers efficitur,ac ſtrenuè citra morſum ſiccat.

Tragacantha ſimilem gummi vim obtinet emplaſticam,& acrimoniam obtundentem,& pariter atque illud deſiccat.

Tribolus in terreſtri ſuperat,adſtringens & ſiccans: in aquatili verò,aqueum.ambo autem ortui inflammationum,& omnino influxibus omnibus aduerſantur.Terreni verò fructus tenuium partium eſt, ideóque epotus lapi

C des qui ſunt in renibus,frangit.

Trychnon, *hoc eſt ſolanum*, eſculentum; quódque in hortis naſcitur, omnes norunt,eóque omnes vtuntur ad ea quæ refrigeranda ſunt atque adſtringentia.

De rebus ab Y incipientibus.

Hydropiper calefacit quidem,ſed non æquè ac piper. & tamẽ herba adhuc vireſcens vnà cum fructu illita,ſugillat & tumores induratos digerit.

Hyoſcyamus, *hoc eſt altercum*, ad curationes valet, cu-

D ius fructus & flos candidus eſt: vehementer enim refrigerat.

Hyſſopum calefacit & ſiccat vehementer, éſtque tenuium partium.

De rebus à Φ incipientibus.

Phaci,*hoc eſt lentes*,aſtringunt,non tamẽ valenter. in calore & frigore medium locum tenent. abundè verò ſiccant, atque ipſarum quidem corpus ſiccat, cohibétque aluum, & decoctum prouocat.

Phacos, *id eſt lens*, quæ paluſtris dicitur, humidæ eſt a-

E bundè,frigidǽque naturæ.

Phœnix,palmarum fructus,præſertim dulcis,non exiguæ caliditatis eſt particeps. cæterùm non ſolùm foris impoſitus roborat, ſiccat, contrahit, ſtipat & denſat, ſed etiam vt cibus aſſumptus.

Phycos, *hoc eſt alga*,humens adhuc & viridis ex mari ſumpta abundè refrigerat,& modicè adſtringit.

De rebus à X incipientibus.

Chalbane, *hoc eſt galbanum*, facultatis eſt emollientis & digerentis, abundéque ſiccantis, & vehementer cale-

F facientis.

De iis quæ à Ψ incipiunt.

Pſimmythium, *hoc eſt ceruſſa*, emplaſticam vim & refrigerantem habet.Phycos autem conſeruans ceruſſæ frigiditatem,aſſumpſit partim tenuitatem.

De iis quæ ab Ω incipiunt.

Ωon oui,album & tenue, quo etiam ad oculos vtimur, eſt medicamentum morſus omnino expers.Ouis recens natis vtendum eſt.ouum temperatura eſt paulo frigidius quàm vera temperies.itaque eo non ſolùm ad ocu

G los vtendũ eſt,ſed etiam ad alia omnia quæ medicamẽta poſtulant,quæ nihil penitus mordeant:qualia ſunt omnia ani & pudendorum vlcera maligna.Porrò vitellus ouorũ aut elixatorum aut aſſatorũ morſu vacat.Crudo verò ouo toto vtimur admiſto roſaceo ad palpebrarum, aurium & mamillarũ inflãmationes,quæ vel ex ictu vel ex alia quauis cauſa euenerint: aut in neruoſis corporibus ſint, vt in cubito,vt in tendinibus digitorum, vt in articulis, idque in pedibus & manibus.Iam verò ad rupta ouum crudum protinus impoſitũ vtile eſt. ſiue molli lana ſolùm eius al-

H bum excipias,ſiue etiã cum vitello cõmiſcens applices:nã & mediocriter refrigerat & citra morſum deſiccat.

De iis quæ media ſunt inter calefacientia & refrigerantia, Cap. II.

MEdia autem inter ea quæ calefaciunt, quæque refri
gerant, ſunt hæc: adiantum, aſparagus, myacanti-
nus, muſcus; qui etiam ſplanchnon dicitur, glycyrhizæ
ſuccus, oleum dulciſſimum, præſertim ex oliuis drupis fa
ctum: cera, faba, pinei nuclei eſculenta pars, aqua macera-
ta: lycium, lotus ſiue trifolium, citri cortex, filicis radix,
lentiſcus, lens, terra Chia, Cadmia, lithargyrus.

De iis quæ calefaciunt, Cap. III.

CAlefaciunt autem hæc. Viticis folia & ſemen modi-
cè calefaciunt, vrticæ fructus & folia, amygdalæ dul-
ces, anagallis vtraque, aloe, anthemis, quæ etiam chamæ-
melum dicitur, aphace, abſinthium cuius ſuccus calidior
eſt, rubi fructus maturus, pæoniæ radix, oleæ bacca matu
ra, fermentũ, braſſica, olus, lini ſemen, folia fœniculi, ſpi-
ca nardi, Celticáque eſt imbecillior, muſtum, eruum, tri-
ticum foris admotum, reſinæ omnes, piceæ arboris ma-
gis quàm terebinthina, & hac magis etiã ſtrobilina. me-
diæ inter has ſunt pinea & abiegna: at cypariſſina eſt etiã
acris facultatis. ſeſamũ, ſchinu anthos, palmulæ fructus &
magis etiã dulcis. vitis albæ (quæ bryonia dicitur) radix.
ſpinæ albæ radix, ariſtolochia, aſphodeli radices, & earũ
combuſtarũ cinis, magis: daucus qui paſtinaci quoque no
mine gaudet, chamædaphne, dracõtii radix magis quàm
ari, oleum dulce vetus, helenii herbæ radix, cicer, ſerpyl-
lum, viſcum, lybiſticũ, ferulæ ſemen, ſagapenum, ſatyriũ,
apium, ſinon, ſtyrax, carnes viperarũ, adeps, pinguedines,
ſaliua. Abundè verò calefaciunt, pulegium, lauri folia, &
potius etiam baccæ: minus verò cortex radicis. dictãnum
æquè ac pulegium, eleliſphacum, eryſimũ, lanæ vſtæ, zin-
ziber, cardamomum, liquor, & omniũ maximè Cyrenai-
cus: ſilphium, pili cõbuſti, ſal & qui laxus eſt magis quàm
alius, ſanguis, fel, amurca, anethum, minus verò quod vi-
ride eſt: artemiſia vtraque, balſamum, elaphoboſcum, cro
cus, thus, Chia maſtiche, mel, vinũ, pix, polium quod mi
nimum eſt, meliſſophyllum, marrubium, propolis, cucu-
meris agreſtis ſuccus quem elateriũ vocant, ſandix, ſcil-
la, ſcolymi radix, myrrha, terebinthi cortex, folia & fru-
ctus, fœnumgræcum, chamæleontis vtriúſque radix, cha-
mæpitys, ocimum quod vehementer calefacit, & item
abrotonum, & magis etiam vſtum: lolium, ægyri flores, &
reſina, acorum, amomum, amaracus, ami, anethũ vſtum,
aniſi ſemen, iuniperus, & eius fructus, aſari radix, ſabina,
elleborus vterque, epithymum, calamintha, menta, thy-
mum, cannæ vallaris cortex combuſtus, caroum, caſia, ce
drus vtraque, cnici ſemen, conyza maior & minor: nam
quæ grauius olet, ea eſt imbecillior. cyminum, thuris fu-
ligo, fœniculum, melanthium, meου radices, ruta dome-
ſtica, rhododaphne, vinum ſatis vetuſtum, origani omne
genus, opopanax, petroſelinum, radicula, ſampſuchus,
ſmyrnium, trifolium quod alii aſphaltion vocant: hyſſo-
pum, galbanum, chamædrys. Vehementiſſimè autem ca-
lefaciunt hæc: adarce, euphorbium, thapſia, cedriæ oleũ,
coſtus, cepa, ſinapis, ruta ſylueſtris, allium, ſtruthii radix,
tithymalorũm liquor, ſed minus calefacit eorum fructus,
& item folia: ſed & quæcunque adurendi vim habet; ea
calefaciunt.

De iis quæ refrigerant, Cap. IIII.

MOdicè refrigerant graminis radices & herba, alſi-
ne citra adſtrictionẽ, pira cataplaſmatis modo im-
poſita, atriplex, ſine adſtrictione, acacia nõ lota, balauſtiũ,
rubi folia & germina, & fructus immaturus, & item flos,
auena, muſcus marinus, acini, glaucium, glycyrhyzæ ſuc-
cus, oleæ germina & baccæ immaturæ, & flos, oleũ omo
tribes, helxine quæ & perdicium appellatur, panicum il-
litum, lactuca, violæ folia, & ſucci, & cortices, dulcibus ex
ceptis: eiuſmodi enim aquea, ſũt intemperata, perſicæ fru-
ctus, platanus, citrii caro, amylum quod ex tritico fit, rhã
nus, roſaceũ, ſordes ex palæſtra, ſeris, triboli ambo, palmæ
ramorũ ſuccus, cerebrũ & ſucc⁹ qui ex eo fit, terra Samia,
Cimolia, lapis hæmatites, naxiæ cotis ſcobs, plũbago, plũ
bum ignẽ nõ expertũ & itẽ cõbuſtum, ceruſſa, ſandix, ca
ſeus tener & recens cõcretus. Abundè autẽ refrigerãt aca
cia lota, plãtago eiúſque fructus, blitũ, galla immatura, cu
curbita, poma, armeniacæ fructus, fungi, acerbæ vuæ ſuc-
cus, rhus, cucumis, pepo, ſolanum hortenſe, lenticula palu-

A ſtris, alga viridis, quæ humẽs etiamnum è mari ſit euulſa,
pſyllii ſemẽ. Vehemẽter autẽ refrigerãt hæc, ſemperuiuũ
vtrunque, portulaca, & ipſa & eius ſuccus, mandragora, ci
trii pars acida quæ ſemen conueſtit, altercum cuius ſemẽ
& flos candidus ſit. At vehementiſſimè refrigerant cicu-
tæ, papauera omnia, & eorum liquores.

De rebus exiccantibus, Cap. V.

MOdicè autem ſiccãt, graminis radices, adiantũ, ſem
peruiua ambo, ægiri flores & reſina, ſpinæ albæ ra-
dix, ſambucus & ebulus, vitis albæ & bryoniæ radix, apa-
B rine, pira cataplaſmatis more illita, magis verò ſylueſtria
quæ achrades nominantur: anthemis quæ etiam chamæ-
melum dicitur, arum, artemiſia vtraque, hordeum magis
quàm farina fabarum quæ ex fabis facta ſit, è quibus cor-
tex fuerit detractus. polenta verò ex hordeo magis quàm
ipſum hordeum, crocus, thus, fœniculum, vinũ quod mu
ſtum ſit, aſparagus, myacanthinus, aſpalathus, bulbus illi-
tus, panicũ cui etiã melinæ nomen eſt, ſi illinatur: iſatis,
gummi, braſſica, ſi edatur ſique foris imponatur: lilii fo-
lia & radix, filix fœmina, amylũ ex tritico, reſinæ omnes,
C hypericon, lithargyrus, teſta, & magis teſta clibanorũ: coa
gulum, ſordes, adeps taurinus magis quàm cæterorũ ani-
malium, ouorũ aſſatorũ vitelli, ſeridis omnia genera, cu-
cumeris maturi ſemina & radices arefactæ, fœnumgræ-
cum. Abundè verò ſiccant viticis folia & ſemen, ſanguis,
amaracus, aſpalathum, amurca, anethum, plantago eiúſq;
ſemen, balſamum, acini, elaphoboſcum, milium, ariſtolo-
chia, & magis rotunda: haſtulæ regiæ radix, & potius eius
cinis: aphace magis quàm lens, thuris cortex, lycium, fœ-
D niculi foliũ, meου radices, nardi ſpica, nardus Gallica, vi-
num, eruum, opopanax, pix, radicula, cardui radix, myr-
rha, lentiſcus, terebinthi cortex, folia & fructus, & præci-
puè quum aruerint. alga viridis adhuc & humens è mari
deſumpta, galbanum. Vehemẽter verò ſiccãt, abrotonũ,
& magis etiam vſtum, acacia, acorus, aloe, ami, anethum
vſtum, aniſum, iuniperus, aſari radix, & magis etiam com
buſtæ cinis: abſinthium, ſabina, balauſtium. ruborũ fru-
ctus immaturus atque arefactus magis hoc facit: ſimili
quoque modo eorum flos, pæoniæ radices, lauri folia, &
E magis baccæ: minus verò cortex radicis. quercus partes
omnes, & magis fagi: & pruni: elleborus vterque, epithy-
mum, thymum, ſalicis corticis cinis, nepeta, arũdinis val
laris cortex vſtus, caroũ, caſia, cedrus vtraque, conyza ma
ior & minor. nam quæ grauiorem odorẽ exhalat, quæq;
humidis in locis prouenit, imbecillior eſt. ſpinæ albæ ra-
dix, thuris fuligo, melanthium, citrii pars acida quæ ſub
ſemine eſt, vinum peruetuſtum, acetum, quũ acre ſit, nym
phææ radix, quæ verò radicem habet cãdidam ea eſt ve-
hemẽtior. origani omne genus, papyrus combuſta, minus
F tamen quàm cinis chartarũ, pentaphylli radix, & liquor
etiam magis: ruta domeſtica, polium minus, meliſſophyl-
lũ, marrubiũ, rhus, ſampſuchus, ſtœbes fructus, & folia, tri
folium, ſiue aſphaltiõ, hyſſopũ, chamædrys, chamæleontis
vtriuſque radix, chamæpitys, ſal, nitrum, gypſum, & vſtum
magis, omnes cadmiæ, & omnia metallica & lapidea. ſco
ria omnis: quæ verò ferri eſt, maximé. ſtercus omne: anſe-
rum verò & accipitrum inutile eſt, propter acrimoniam,
& item aquilarum. carnes viperarum, caro cochlearum,
capita mænularũ ſale conditarum combuſta, cornu cerui-
G num & caprillũ cõbuſtum, coriũ vetus veteramentorum
vſtum, oſtreorum & purpurarũ teſta combuſta, ſepiæ te-
ſta, lanæ vſtæ, cinis cancrorum, garus, ſalſugo piſcium ſale
conditorum. Vehementiſſimè autem ſiccant hæc: oleum
cedrinum: lixiuium verò omnium maximè exiccat & ab
ſterget, quod ex ficulno cinere & tithymalorum fit, feréq;
adurentis eſt facultatis. braſſicæ caules vſti valenter ſic-
cant, vt iam etiam adurentis facultatis ſint participes, ſi-
napis, ruta ſylueſtris, allium.

De iis quæ citra morſum ſiccant, Cap. VI.

H SIccant autẽ citra morſum hæc: vrticæ ſemen & folia,
aloe, amurca, & magis ea quæ decocta eſt: vtraque ana
gallis, plãtago, auena, quæ etiã illita digerit: oleum dulce,
quod ſi lotũ ad proportionẽ ſit, minimè omniũ erit mor
dax: fermentũ, quod etiã trahit ex alto digeritque: lupin⁹
amarus eiúſq; farina, in qua vis eſt itidẽ digerẽdi: cauda

equina

equina validè,iſatis validè:ſalicis folia & flos,cum adſtri- A
ctione quadam.ſunt qui ex eis ſuccum exprimant, ac me-
dicamentum morſu vacans,ad multa vtile conſeruẽt. nil
enim ad plures vſus accommodatius eſt quàm medica-
mentum morſus expers,exiccans & adſtringens leuiter:
nucis membrana arida combuſta habet etiam partium
tenuitatem : nuces, Ponticæ nuces ſimili facultate ſunt
præditæ, participéſque ſunt frigidæ eſſentiæ:milium,
centaurium minus,valde:& item eius ſuccus.ceraſi arbo-
ris gummi,lilii folia & radix & oleum quod ex eo confi-
citur,faba foris impoſita,cypariſſi folia,germina, & glo- B
bi noui & teneri,cyperi radices,ſtrobili eſculenta pars a-
qua macerata,nymphææ radix, defrutum,pentaphylli ra-
dix,tragacantha lota:nam lotio ei ad hoc adiumento eſt,
ſiquidem redditur efficacior.Lemnia,cadmiæ lotæ,pom-
pholyx aſſiduè lota,calx extincta & lota ſtrenué: oui albũ
& putamen omnino morſu vacat : ſimilem quoque vim
habet eius vitellus,ſed aſſatus minus mitigat.

De rebus humectantibus, Cap. VII.

MOdicè humectat alſine,bugloſſum, glycyrrhizæ ſuc
cus,lactuca,violæ folia,perſicæ arboris fructus,fun- C
gi.roſaceum verò magis quàm ipſum oleum.Abundè ve-
rò humectat portulaca,& ipſa & eius ſuccus:itémque atri-
plex,blitum,cucurbita, mali Armeniacæ fructus, cucu-
mis,pepon,lenticula paluſtris.

De rebus aqueam humiditatem habentibus, Cap. VIII.

HAbent autem aqueam humiditatem , acacia, alſine,
portulaca,plantago,atriplex,rubi folia,blitum , mu-
ſcus marinus,glaucium,lactuca, viſcum , violæ folia,cu-
curbita,vmbilicus Veneris,cicuta,leuce arbor,malua do- D
meſtica, meconium, mala præcocia,fungi,platanus , cu-
cumis eſculentus,totus lentiſcus,tribulus , lenticula palu-
ſtris,pſyllii ſemen,plumbum.

Quæ ſint media inter ſiccantia & humectantia, Cap. IX.

MEdia inter ea quæ ſiccant atque humectant,ſunt gra
minis radices illitæ, oleum dulciſſimum , & quod
potiſſimùm ex oliuis drupis factum fuerit.

De roborantibus, Cap. X.

COrroborant autem,caſia , galla immatura , ſtœchas E
quæ& viſcera omnia & vniuerſam animantis habitu
dinem roborat:palmularum fructus foris impoſitus,& in
trò aſſumptus,& abſinthium.

De concoquentibus, Cap. XI.

COncoquunt hæc, amomum magis quàm acorum ,&
aſari radix , vua paſſa domeſtica,cera,ladanũ, gluten
quo ad libros agglutinãdos vtuntur, crocus,thus,pix, Æ-
gyptia maſtiche,roſaceum oleum,myrrha, ſtyrax,galba-
num,alica, butyrum, œſypus , adeps ſuillus magis quàm
oleum. F

De rebus ſuppurantibus, Cap. XII.

EX iis quæ perfunduntur,vtiliſſima eſt ad pus gignen
dum aqua tẽperata,aut hydrelæum : Ex iis verò quæ
irrorantur,oleum temperatum : itémque quæ illinuntur,
vt quod ex triticea farina & hydrelæo conſtat , & panis:
hæcque rite & moderatè coquenda ſunt:nam quod pluri
mùm coctum fuerit,eis inflammationibus conuenit quæ
ægrè maturantur:quod verò minus,iis quæ valde calidæ
feruentéſque ſunt.& quod plus olei acceperit , iis conue-
niet qui difficillius concoquuntur:quod verò minus,aptũ G
erit feruentibus.Et cataplaſma ex pane accommodatum
eſt inflammationibus quæ vix maturantur:in eo enim &
ſal & fermẽtũ eſt.At panis ex triticea farina calidioribus
aptꝰ eſt. ex ipſa præterea triticea farina ac pane erit aptior
ad pus gignendum qui purus fuerit.Præterea quæ medi-
camenta inflammatis vlceribus adhibentur,ea ad pus fa-
ciendũ valent, qualia ſunt anſerinus vitulinúſque adeps,
butyrum,thus,pix,& reſinæ eliquatæ,nimirum cum oleo
quodam.Atque hoc quidem loco ad feruentes inflamma
tiones ex roſaceo ſunt eliquãdæ : ad alias verò ex aliquo H
calefacienti,quale eſt vetus & Sicyonium.

De rebus emollientibus, Cap. XIII.

INter emollientia medicamenta ſunt adeps caprillus &
gallinaceus,ſed hic imbecillius & modicas durities e-
mollit.Validior gallinaceo eſt anſerinꝰ,& caprino hirci-
nus.ſed & taurinus validus eſt, ſed minus hircino. Magis
quàm hi digerit atq; emollit leonis &pardi adeps,& hyæ
næ. quinetiam abundè emollit ceruina medulla,poſt hãc
magis vitulina:eáque præſtantior eſt quæ ex oſſibꝰ quàm
quæ ex ſpina excipitur.Huius quoque generis eſt, ſed va-
lentius emollit thymiama:ac magis quod pingue nouúm
que eſt.Itémque ſtyrax,galbanum, & bdellium Scythicũ,
quod eſt etiam nigrius & magis reſinoſum . Ex prædictis
anteponenda ſunt ea quæ recentia ſunt: nam quæ inuete-
rarunt,fiunt acriora ſiccioráque.Cæterùm emolliẽtia de-
bent eſſe ſalis expertia,quum ſal vehementer exiccet.Iam
& oleum Sicyonium ex horum eſt genere , & item lilia-
ceum,& quod eſt ex oliuis dulciſſimum,præſertim quod
fit ex baccis drupis.Ad hoc valent etiam hæc, anthemis ſi
ue chamæmelum,althæa, cucumeris agreſtis radix in o-
leo decocta,agreſtis maluæ folia cruda & cocta.quæ verò
anadendromalache nominatur, validius,& earum ſemẽ
itidem valentius.libanotides tres,Chia maſtiche,terebin
thina,& magis Colophonia quæ Chiæ eſt perſimilis,opo
panax, ſordes ex ſtatuis,ſordes ex palæſtra , ſtrigmentum
balneorum,& butyrum.

De rebus aperientibus purgantibúſque meatus, Cap. XIIII.

OBſtructione liberant purgántque meatus corporis
hæc:agaricum,acalephes ſemẽ, amygdalæ amaræ,e-
iúſque arbor,radices ari, pulegium, dracunculus , daucus
qui paſtinacæ nomen habet,gentianæ radix valde: elenii
radix,eryſimi ſemẽ, cicer,eupatorium herba ſine inſigni
caliditate:caricæ pingues,thymum,nepeta,prunorum gũ
mi,leucacanthæ radix,tres libanotides omnes,melãthiũ,
oxyacanthæ fructus,ruta,peucedani liquor & radix , ſtœ-
chas ,chamædrys,chamæpitys,& cætera omnia quæ vin-
centem in ſe qualitatem amaram habent:nam & nitrũ,&
aphronitrum,& ſalis ſpuma,& oliuæ,& item alia quæcun
que cum eſculentis poculentíſque ſumuntur , eiuſdẽ ſunt
facultatis.ſtatim enim vis eis indita eſt attenuandi craſ-
ſos glutinoſóſque humores,adeò vt nulla inuenire medi-
camenta queas,quibus accommodatius pituitoſos viſco-
ſóſque humores,& pus in thorace pulmonéque incidas ac
que attenues,& denique educas . iiſdem quoque vis ineſt
iecoris obſtructiones & mediocres lienis expurgandi:nã
validiores vehementiora medicamenta poſtulant, qualis
eſt cortex radicum capparis,& ſimilia.

De rebus abſtergentibus, Cap. XV.

VAlent ad abſtergendum & ea quæ meatus obſtructio
ne impediunt , craſſóſque humores incidunt , & ea
quæ deinceps numerabuntur,vt caprinum ſtercus, vſtum
& nõ vſtũ,teſta omnium eorum quæ teſta operta ſunt,&
ſepiarum,erinacei vtriuſque cinis,ſerum lactis,mel , vitis
agreſtis racemi:domeſticæ verò minus.vitis albæ(quæ &
bryonia)radices,amygdalæ eſculentæ & earum arbor, v-
traque anagallis abundè: anemonæ omnes , ariſtolochia
longa,plantaginis folia,ac magis arida,arum, aſparagus,
corruda,vua paſſa ſylueſtris, radix haſtulæ regiæ , ſemen
atriplicis,abſinthii ſuccus, bulbus illitus, vtrunque vera-
trum,helxine ſiue perdicium,ſalicis fructꝰ,arundinis val-
laris radix & folia,abũdè,citra acrimoniã:itémq; folia &
cortex combuſtus,modicé:cẽtaurium minus,eiúſque ſuc-
cus:hordeum, modicé : lilii folia & radix læuigata , me-
diocriter.fabæ caro,modicé:lichen in petris naſcens , ly-
cii totus frutex,leuce arbor,lotus ſeu trifolium,meum,v-
triuſque nymphææ radix,pix,platani cortex & radix,ma-
gis ptiſana,terebinthina pluſquam maſtiche, ſagapenum
modicé:cucumis maturus,magis verò quàm caro, ſemen
& radix arefacta:cucumeris agreſtis radix, myrrha , ſtru-
thii radix,beta,tithymali , & magis eorum liquor quàm
planta,phu,chamædrys , alcyonia omnis generis , arme-
niacum, terra Selinuſia, Chia , & Samia, mediocriter : &
Cretica:ærugo cum multo cerato miſta citra morſum ab-
ſterget:Cadmia,pumex, ignem expertus& non expertus,
lithargyrus modicé:teſta,& magis clibanorum:cornu cer-
uinum & caprinum combuſtum.

De rebus vrinam cientibus,
Cap. XVI.

VRrinam verò mouent hæc:apium,petroſelinum,fœniculum,daucus,ſmyrnii & aniſi ſemen,ami,aſarum, acorus,aſparagus regius,paluſtris,oxymyrſinus, & oxyacãthinus,bdellium Arabicum,bryonia,chamædaphne, cicer,& magis arietinum,ſerpyllum,thymũ,carous, & eius etiam ſemẽ,caucalis,coſt⁹,vmbilici Veneris folia,vnà cũ radice in cibo ſumpta,cuminum,cyperi radix, nardi ſpica,gallica nardus,polium,ruta,ſeſeli,cucumis qui eſculentus eſt,melopepo,ſinon,ſcandix,ſcordium,paſtinaca,præſertim verò eius ſemẽ. ſchini flos,terebinthi fructus, trifolium quod etiam aſphaltion nominãt.hyperici fructus totus,phu,chamædrys,chamæpitys, abſinthiũ,idque maximè expurgat климиоſa quæ in venis inſunt. Sabina verò ſanguinem per vrinas euacuat.erythrodani radix vrinas craſſas copioſáſque & cruentas quandoque ciet.Fumus vrinas multas bilioſáſque promouet. Eruum largius ſumptum ſanguinem per vrinas ducit. Cardui radix vrinæ graueolentis agit copiam,ſiquis ex vino decoctam bibat: ideóque fœdos axillarum & totius corporis odores emendat, eiuſmodi ſuccum expurgans. vinum tenue & aqueum,& dilutum vinaceorum, quod fæcis nomine appellant.

De rebus thoracem pulmonéſque expurgantibus, Cap. XVII.

QVæcunque vim habent obſtructione liberandi, de quibus antè diximus,huc faciunt: itémque tota nux pinea viridis,pitiydes,butyrum, caſtoreum ad carbones ſuffitum & per inſpirationem attractum. maximè enim humidas frigidáſque affectiones quæ in pulmone & cerebro conſiſtunt,iuuat.ſpica verò nardi fluxiones capitis atque thoracis exiccat.

De iis quæ renes purgant,
Cap. XVIII.

OMnia quæ diximus valere ad incidendum,ſunt huiuſmodi: præterea verò etiam plantaginis radices foliáque, ac magis ſemen: aſparagus, myacanthinus, & præcipuè radices & ſemen,pæoniæ radix, cicer, & amygdalæ.

De iis quæ cutem rarefaciunt,
Cap. XIX.

CVtim verò raram faciunt, chamæmelum, althæa:oleúmque quod ex ea conficitur, non minus hoc præſtat:ſed ex erratico cucumere oleum fit ad hoc valens. Quinetiam vetus oleũ eſt generis eiuſdem:itémque abrotonum vſtum.

De iis quæ ora vaſorum aperiunt,
Cap. XX.

CYclaminus,anemonæ omnes,allium,cepa, fel taurinum,irini & amaricini ſubſidẽtia:quæ etiam hæmorrhoidas aperiunt.

De iis quæ cutim condenſant,
Cap. XXI.

COndenſant verò cutim,aqua frigida,ſemperuiua,portulaca,tribuli virides,pſyllium,lẽticula paluſtris(herbas enim hoc loco intelligo) quibus ſi modicè quiſpiam veſcatur,id conſequetur vt cutim condenſent: ſi verò li-

A beralius, non ſolùm condenſabunt ſed torporem etiam afferent.at ſi plurimùm quis earum ſumat,non modò torporem ſed necem quoque inducent.

De iis quæ attrahentem vim habent,
Cap. XXII.

FAcultatis attrahentis ſunt anemonæ omnes, vtraque anagallis,dictamnum,cicer,thapſia violentè, cyclaminus,propolis validè, fermentum,ſtercus omne:at columbinum abundè trahit. ſagapenum, liquor Cyrenaicus &
B Medicus, ſilphii liquor, & radix ſparti quo vites ligant, itémque fructus & ſuccus ramorum generoſé.terebinthina magis quàm aliæ reſinæ.ſulfur quoque nepeta illita trahit,& item coſtus in liuorem redactus cum oleo ſuccos ex alto trahit. viſcum validè attrahit,idque non tenues ſolùm humiditates ſed etiam craſſiores,eáſque diffundit ac digerit.

De iis quæ per halitum digerunt,
Cap. XXIII.

C DIgerũt autem per halitũ hæc,abrotonum, agaricum, adiãtũ,vrticæ ſemẽ foliáq; admodũ, ſambucus atq; ebulus, ammi, anthemis ſiue chamæmelũ, aniſi ſemẽ,ariſtolochiæ radix, & rotũdæ magis:aſphodeli radix,eiúſq; magis cinis: atriplex leuiter: bulbus,buphthalmus magis quàm anthemis,herba Sabina cuius nõnulli pro cinnamomo duplũ adhibẽt,muſcus qui etiã ſplãchnõ vocatur:ibiſc⁹ vel althæa.Eſt etiam huius generis malua agreſtis, eiúſq; radix & ſemen eodem modo eſt efficax:oleum dulce:vetus oleũ ex lichno,helxine,thapſia,arundinis vallaris cor-
D tex vſtus, abundé:caſia,lilii folia & radix trita, & oleum quod ex eis conficitur,cytiſi folia, ladanum, lapſane illita, lapathum modicè,libanotides tres, mercurialis,Chia maſtiche,ſed Ægyptia magis:mel,perſicæ arboris germina & folia, citrii ſemen & folia,rhododaphne illita, prima ficus,opobalſamum,citra manifeſtum calorem:liquor Cyrenaicus vehementiſſimé:paliuri folia & radix, opopanax,ruta,pix,meliſſophyllon, marrubium cataplaſmatis modo impoſitũ,cataplaſma ex pane magis quàm quod ex tritico conficitur, fermẽtum, radicula eiúſque ſemen, terebinthina magis quàm quæ maſtiche nominatur: &
E hac etiam magis tædina:oleum roſaceũ, ſordes è ſtatuis, lutũ ex palæſtra, ſampſuchus, cucumeris erratici radix,& elaterium,myrrha,ex caricis quæ pinguiores ſunt, caprificorum ficus,fici domeſticæ prima ficus, beta citra calorem:ſed alba valentius id facit.galbanum, ocimum, quũ illinitur:ſal combuſtus magis quàm qui ignem expertus non eſt:& hoc etiam magis flos ſalis ſpumáq;,nitrum, aphronitrum,alcyonia omnia:terra Samia,quæ ſi illota ſit, modicè diſcutit:ærugo,caſeus ex acido lacte,modicé:butyrum,modicé:omne coagulum,omnis fimus, hyſſopũ,
F modicé:carnes viperarum valenter, quæ etiam excremẽta ad cutim euocantes, pediculorum copiam gignunt in iis in quibus mali ſucci redundant in corpore adeps leonis magis.quàm aliorum omnium quadrupedum: taurorum verò minus:at ſuillus citra morſum, minus verò vitulinus:inueteratus verò magis quàm prius: oſſa combuſta,abundé:lanæ vſtæ:& denique erinaceorum combuſtorum cinis.

ORIBASII DE MORB. CVRAT. AD EVNAPIVM, liber tertius.

HActenus primus noſtræ doctrinæ expoſitus eſt modus:nunc alterum aggreſſi,faciles expeditáſque curationes earum affectionum exequemur quæ præter naturam ſunt,& item acutiſſimorum morborum,in quibus non tutum eſt medicum morari,& denique eorum qui facilè tractari, & corrigi ſine artificis opera poſſe videantur.

De morbis publicis, Cap. I.

PVblicos communéſque morbos vocant, qui vno & eodem tempore multis accidunt: quorum vt origo, ſic etiam communis eſt cauſa, vt aquæ vitiatæ potio, nimiæ ærumnæ,conſueti labores omiſſi,inediæ, expletiones,quum fames vagatur, aut quum ſumma eſt rerum omnium abundantia. Regionis quoque natura communes ſæpenumero morbos inuexit: quippe quæ interdum paluſtris eſt:interdum barathrum habet propinquū,quod ſæuum pernicioſumq; halitū exhalat. atque hæc quidem aſſiduè contingere conſueuerunt. At aër qui nos ambit, qui tum calidior,tum frigidior,tum ſiccior, tum humidior quàm eſt,efficitur, naturas noſtras aſſiduè commutat.nā neque in alias cauſas omnes ſimul incidimus,neque in eis totos dies verſamur, verùm aër nos circunſtans & omnibus eſt foris circunfuſus,& intro per inſpirationem attrahitur. Ex quo neceſſe eſt pro aëris naturæ immutationibus animantiū quoque corpora cōmutari.quod qui cognorit,is nō modò qui morbi in quaque cōſtitutione ſint futuri præſagiet,ſed etiam inſtituta victus ratione immoderati circunflui aëris temperaturæ contraria,ne fiāt prohibebit.Corpora igitur quæ iam morbo alicui ex propria intemperie ſunt vicina,ea à ſimili aëris temperatura deprehenduntur: quæ verò temperaturam aëri contrariam habent,ea præterquam quòd ab aëre non læduntur, fiunt etiam meliora, quum temperiei immoderationem contraria corrigat immoderatio.Hoc qui norit,is valetudinem tuebitur,contraria corporibus inducens, partim refrigerationibus vtens,ſi ita fors ferat,partim calefactionibus:vel aquæ perfuſionibus refrigerans,& ocio, & alimenti penuria,& potu largiore:operimento autem calefaciens,& alimento liberaliore,& potu parciore. Si item pyram quis incendat,is non parum aërem qui hactenus humidus fuerat,ad calidum ſiccúmque poterit permutare,vt Acronem Agrigentinum feciſſe commemorāt.

De febrium ephemerarum curatione, Cap. II.

MAior pars eorum qui febri corripiuntur, præſentia medici indigent:&tamen ſunt qui etiam ſine medico ſalutem conſequi poſſunt. Qui igitur ex laſſitudine in febrem inciderunt,oleo copioſo molliter perfricandi ſunt & lauandi:qui verò ex ſiccitate,minus quidem fricādi,ſed lauandi ſæpius:qui ex curis,mœroribus & vigiliis, rarius lauandi,ſed liberaliore oleo & tepido,cui nulla inſit adſtrictio,non diu fricandi:qui ex vſtione,ii ab initio refrigerantibus curandi ſunt,& plus lauandi, non tamen ex multo oleo neque diutius ſunt fricandi. Refrigerans autem eſto roſaceum & omphacinum ſalis expers:hæc enim poſita vel in aqua gelida, vel niue circundata,refrigerant.Cæterùm caput ea parte qua ſinciput eſt, refrigerantibus perfundendum eſt, vt oleum frigidum ex alto per lanam effundatur. quum hæc ad declinationē vſque facta fuerint,ægrotus ad balneū deducetur.Sed & qui ex perfrictione febricitarit,in declinatione lauabitur:ſi verò defluxio ſubſequatur, refrigerandi quidem ſunt, ſed non tamen lauandi priuſquam fiat concoctio. At qui ex vſtione febricitant,etiamſi defluxio adſit,lauandi.A balneo amborum capita iiſdem madefacienda ſunt, atque eorum qui ex calore,refrigerantibus:qui verò ex frigore, calefacientibus.Sunto autem moderata quæ calefaciant, quale eſt irinum & nardinum vnguentum:iiſque poſt balneum in declinatione vtendum erit. Quibus verò meatuum conſtipatio febrim attulit, iis balneum dulcium a-

A quarū,frictiones,exercitationes rarefaciētes,& victus ratio dulcibus ſuccis gignendis idonea,conueniunt: contrà verò eoſdē lædūt vel maximè quæ adſtringūt, quæ refrigerant,quæ meatꝰ obturāt,quæ deniq; cutim exiccāt.Qui ob inediā febri iactantur, eos vbi prima acceſſio declinarit,in balneum adducito, oleúmque tepidum largè perfundito,ac mitiſſimè confricato: & diutiſſimè in calidā ſolii aqua detinebis.vbi æger lotus fuerit,in quiete continendus,vt vires reficiat,tum iterum in balneum introdu-

B cito:mox vbi exierit,& aquā biberit, ptiſanæ cremorem dato,& quandoque etiam lactucam.poſterius verò aliquē piſcem ex iis qui molli ſunt carne, ex albo iure paratum offerto. Cæterùm his omnibus febribus ea victus ratio generatim conuenit quæ facilè concoquatur, nullóque pacto meatus obſtruat. Atque iis quidem qui ex vſtione atque ira febricitant,refrigerans & humectans diæta apta eſt,cui etiam modica calefaciendi vis ſit adiuncta:iis verò quibus moleſtiæ,mœrores, & vigiliæ febrim excitarint,cum humectantibus adhibebimus ea quæ ſomnum ſint conciliatura.ac fatigatis diæta inſtituatur quæ magis alat:refrigeratis verò, quæ ſit paucioris alimenti: cæ-

C teris, quæ mediocris ſit. Vinum omnibus antedictis niſi iis quibus caput dolet, datur aquoſum & tenue. Iis qui ex denſata cute laborant,(niſi hic morbus vehemens ſit ſine plenitudine)vinum quoque dabitur:at quorum eſt mirum in modum denſata cutis cum plenitudine,iis vinum interdicendum eſt.Iratis verò,quum omnino ſunt expertes facti perturbationis,vinum dandum: quum verò non plenè ceſſauit affectio non tutum eſt dare.Qui ex bubone febrim contraxerint,lauandi ſunt quū acceſſio declinabit, habita prius vlceris ratione ex quo

D bubo eſt exortus: vinum iis dandum non eſt priuſquam bubones ſoluti fuerint:ſunt etiam victu tenuiore alendi. A frigido verò potu iuuantur omnes qui acres fumoſóſque ſuccos coaceruant: & ſaneſcunt quum aliquo febriū ephemerarum genere laborant,quum ei potioni ſint aſſueti. at eo tempore huius potionis vſum ordiri non eſt tutum. Nōnullos etiam eorum qui ſic febricitant,in prima acceſſione nutrire eſt neceſſe:nam in naturis amaram bilim generantibus habitus bilioſi fiunt. Horrere autem incipientibus panem ex vino diluto ſi dederis, horrorē ſtatim ſedabis,& febrim prohibebis. vbi horror ceſſarit,

E febriſque aduenerit,eo tempore cibus non eſt offerēdus. Cæterùm quum declinarit acceſſio,ſtatim nutrimentum dādū eſt,neque expectandum vt ad integritatem ægrotus perueniat:nam in ſqualidis habitibus non planè ceſſabit acceſſio priuſquam balneo & victu humectante vtaris.In temperatura enim amaram bilim gignente febres etiam ex incoctione accenduntur, quum alimentum ex nidore corrumpatur.Vbi ergo partes fuerint corruptis euacuatæ,in febris declinatione lauare atque alere conueniet,habita prius ventriculi ratione.at ſi nimia ſit facta

F inanitio,viréſque iam defeſſæ ſint,non eſt expectanda lauatio,ſed cibus dandus:& tamen eo quoque tempore priꝰ ventriculo eſt conſulendum. Si verò non etiam venter fluat, aut dolor aliquis ſubſequatur,purpuræ peniculus calidus oleo & abſinthio ei ſuccurrendum eſt, at ſi morſus & ſiccus, aut madens ex oleo & nardino vnguento & vehementer expreſſus imponetur. Si verò os ventriculi ſit imbecillius, nardino maſtichen tritam indemus, ita vt ſordium ſpiſſitudo fiat: tum intinctam ex eo purpuram admouebimus. hæcque calida imponenda ſunt omnia:

G quippe quum tepida robur exoluere conſueſcant.Fluente autem adhuc aluo pro nardino vtendum erit melino recenti: ſed hoc etiam ceratum erit idoneum. capit enim ceræ & nardi pares portiones,aloes ac maſtiches octauā partem.Si verò calidus ventriculus ſit, tunc pro nardino vtitor melino. Sunt item accommodata medicamenta quæ ex œnanthe,& ex hypociſtide,& balauſtiis,& palmularum carne conficiuntur.Cibus verò dandus eſt, fluente quidem adhuc ventre,polenta ex aqua,quæ interdum ve-

hementer calida ſit,interdum verò ex ſucco mali Punici,
vel pirorum,vel pomorum.Sin venter non amplius excer
nat,alica erit idonea quæ ita vt ptiſana parata ſit,acetúm-
que habeat,& piſces ſaxatiles ex albo iure, & aliquis au-
tumnalium fructuum adſtringens,vel ſolus , vel cum pa-
ne.Sed hos fructus magis etiam aluo fluente dabis.poſtea
verò præcordia omnémque ventrem perfundes.Vbi ven
ter moueri incipiat, eius adiuuanda actio eſt per ea quæ
imponuntur , aut infuſione auxiliando, ſuccurrendóque
morſibus,& aliis flatibus,ſi modò vlli ægrotum exerceāt.
Ac vehemētib⁹ quidē morſib⁹ medebere, ſi oleū infūdas,
in quo aliquid adipis anſerini,aut gallinacei,aut caprini,
aut ſuilli ſit liquatum , quódque ceræ modicum capiat.
Flatus verò diſcuties oleo , in quo ruta, & apii ſemen,&
cumini, & fœniculi ſint incocta.Euacuata autem aluo,
alendus eſt confeſtim æger,iis amotis quæ adſtringunt.

De tertianæ veræ curatione, Cap. III.

NON deerunt tibi in febribus intermittentibus re-
media quibus etiam ſine medico poſſis ægrotanti-
bus auxiliari.ac tertiana quidem febris acutiſſima eſt ſi-
mul,& non maligna.quæque intra duodecim horas ceſ-
ſat,exquiſita tertiana:quæ hoc tempus excedit,non exqui
ſita nominatur.Exquiſitam autem ſic curabis.quia origi-
nem ducit à bili redundante,& mota,humectare ac refri-
gerare ægrotum conuenit.euacuandúſque is eſt,bilim per
ventrem & per vomitus irritando.Sed hoc ipſum per ſe
in exquiſitis tertianis contingit:at tu per vrinas , & item
per ſudorem operam dabis vt bilioſa euacues . quam ad
rem apii & anethi decoctum potui dabis,lauabiſque aqua
calida & dulci:hoc enim non ſolùm bilim diſcutit , ſed
etiam ſua qualitate iuuat vel maximé : quippe quod ſua
facultate refrigeret atque humectet . Lauato autem ſine
nitro,oleum calidum perfundens, tum in balneum per-
ducito,ac permittito vt tandiu ſe lauent quādiu eorū vo
lūtas ferat . Qui balneis valde oblectātur,ſi bis lauari per-
mittas , iuuabis . vinum in principio nullo modo dabis:
progreſſu verò temporis album,tenue, aquoſum & modi
cum.vbi verò morbi ſolutio proxima videatur,plus dato.
Cibi autem exquiſitis tertianis conueniunt qui refrige-
rent atque humectent.ergo ex oleribus apta ſunt,blitum,
atriplex,malua,lactuca,& cucurbita.Ex aliis autem rebus
in principio quidem ptiſanæ cremor,& ſorbitio ex alica,
deinde verò ſaxatiles piſces, & ex volatilibus quæ molli
ſunt carne:& alæ eorum quæ huiuſmodi non ſunt:itémq;
pedes porcellorum & cerebrum:paruorum verò porcello
rum caro diſcocta dari poteſt.Ex fructibus verò permit-
tere poteris vt iis veſcantur qui non difficulter conco-
quuntur.Vſus autem omnium calidorum & acrium cir-
cuncidendus eſt. ac pleroſque ita nutries. Qui verò non
viuunt in deliciis , eos ſucco ptiſanæ vſque ad criſin ales.

De quartanæ febris curatione,
Cap. IIII.

QVartana verò,& longior & minus pericuIoſa ſuapte
natura eſt.qui ea laborant,non debent ſub initio va
lido vllo medicamento commoueri,neque vacuari vehe
menter.Victus ratio inſtituenda eſt ex iis quæ expertia
ſunt,ventérque eſt molliendus rebus cōſuetis.à carnibus
ſuillis ægroti abſtineantur,itémque ab eduliis glutinoſis
& craſſos ſuccos gignētibus,ac deniq; ab omnib⁹ iis quæ
refrigerant atque humectant.vtantur vino albo, tenui,ca
lefaciente.Ex volatilibus veſcantur iis quæ neque in ſta-
gnis neque in paludibus degunt : piſcibúſque qui facilè
concoquuntur,& nihil glutinoſi habent:& ſalſamento, &
ſinapi . Atque etiam piper per ſe iuuabit. id verò in tenuē
pollinem redigendum eſt,& aqua calida ad ſordium ſpiſ
ſitudinem temperatum bibendum eſt . A frictionibus
autem & ambulationibus non ſunt arcendi: à balneo ve-
rò ſi poſſint omnino abſtinere,eſt melius.atque ita ab ini
tio tractandi ſunt.In ſtatu verò tenuiore victu alēdi ſunt:
ac longa quies imperanda:hypochondriáque perfunden-
da:iiſque cataplaſmata imponenda quæ laxent , quæque
molliant:deinde ſic vti iis quæ vrinam cieant.Quum ve-
rò declinatio apparebit, purgādi ſunt medicamēto quod
nigram bilim educat.ea enim redūdans in corpore hunc
morbum parit:deinde theriaca dāda,aut aliud ex iis quæ

A ſunt experientia comprobata, quale eſt longè probatiſſi-
mum,quod habet liquoris Cyrenaici, piperis,myrrhæ,fo
liorū rutæ ana drachmā vnam.Hæc terenda ſunt omnia,
miſcendáque , acmelle Attico, quod ſatis ſit,excipienda.
denique ad duorum obolorum magnitudinem ante inua
ſionem danda. Hoc medicamentum ſiquis initio dede-
rit,is ſæpenumero ex ſimplici quartana duplicem aut cer
tè maiorem,& difficiliorem , itémque ex duplici triplicē
fecerit.Cæterùm curat omnes rigores qui per circuitum
B redeunt,qui à craſſis glutinoſiſque humoribus oriuntur,
agaricus & calamintha ex melicrato pota,& oleo incocta,
quo oleo totum corpus ſtrenuè confricetur.Ad quod ſimi
li modo facit coſtus & pyrethrum : id quod etiā ſtupidos
& reſolutos iuuat . quinetiam rigores ſedat viticis ſemen
in oleo pari ratione decoctum , & baccæ lauri, granum-
que Cnidium ex oleo & nitro.

De quotidianæ febris curatione, Cap. V.

QVotidiana febris & longiſſima eſt, & non vacat pe-
riculo.ea fit à pituitæ redundantia. curanda eſt pri-
mis diebus oxymelite,iiſque quibus vrina vbertim ciea-
C tur,ac cæteris omnibus quæ ad incidendum valeant. de-
inde autem ventriculi habenda eſt ratio:tum vomitus ex
radicula citandus,& medicamentis vtendum quæ pitui-
tam vacuent. Cætera quæ ad victus rationem pertinent,
perſpicua ſunt.ſiquidem calefacere & incidere opus eſt.
Quoniam verò mihi ſtatus & declinationis venit in men
tem , ſcire debes artificem oportere omnia morborum
tempora cum ex vrina,tum vel maximè ex pulſu cogno-
ſcere:tibi verò ſatis eſſe,ſi in ægrotantibus per circuitum
ſtatum ex eo internoſcas quòd acceſſiones in eiſdem tē-
poribus & ſymptomatibus maneant:declinationes verò,
D quòd tempus acceſſionum breuius reddatur,& magnitu-
do multitudóque ſymptomatum minuatur.

De febribus colliquantibus, Cap. VI.

QVVM humor ſimilis flauæ bili per ventrem excer
nitur,magis tamen rufus fit,& fœdioris odoris , ha-
bétque ſtrigmenti craſſitudinem, atque oleoſum aſpectu
eſt,tum ſcire cōuenit carnem pinguem recénſque com-
pactam à febri ardentiſſima vehementiſſimáque colli-
quari:ſique malum inueterarit , etiam aliquid ex ſolidis
partibus liqueſcere.quæ res facit vt eiuſmodi febris ſit o-
E mnium difficillima.Ex quo liquet,remediis vtendū eſſe
quæ extinguant , aquámque valde frigidam potui dan-
dā eſſe,& cataplaſmata item refrigerantia imponēda eſſe
& hypochondriis & thoraci .Sed & epithemata eſſe de-
bent refrigerantia , & item alimenta generis eiuſdem.

De animi defectionibus, Cap. VII.

IPSA defectionis animi res vna eſt quidem,ſed tamē
cauſas plures habet,& ſingularum propriæ ſunt cura-
tiones & ſuæ: ſed eatenus hoc tempore de eis dicemus
quatenus ſatis ſit ad homines inſtituendos,vt iis acceſſio
F nibus quæ repentè & improuiſò accidunt,remedium ad
hibere perdiſcant.Iis igitur qui ex cholera,ventríſque flu
xionibus,& aliis immoderatis inanitionibus,animo lin-
quuntur,aqua aſpergenda eſt,naréſque & os ventriculi cō
fricandū digitíſque in os coniectis aut pennis vomitus ci
tandus:brachia & crura pluribus vehementioribúſque li-
gamentis vinciēda:& ſuperiora,in iis euacutionibus quæ
inferius fiunt:& inferiora,quum ſuperius repit inanitio.
His etiam diſſolutionibus vinum frigida temperatum
auxiliatur.Balneum verò ad defluxiones in ventriculum
G accommodatiſſimum eſt:iis verò qui ex ſanguinis fluxu
aut ſudoribus animo linquuntur,inimiciſſimum. tales e-
nim refrigerationem adſtrictionémque,non laxationem
poſtulant.ideo vinum frigida dilutum eſt eis idoneū.ſed
nec vinculis excipiendi ſunt: nec vomitus eis imperan-
dus,nec omnino vll⁹ iniungēdus eſt motus.refrigeratio-
ne enim denſationéque opus eſt . idcirco flatus frigidos
eis paramus,&domus aerem immutamus, ita vt myrti ra
mulos vitiſque palmites inſpergendo,ad frigidam atque
H adſtringentem qualitatem traducamus.atque his quidem
ex tempore ita ſuccurritur . At eos qui ex plenitudine a-
nimo deficiūt, & fricare plurimùm & calefacere,& ligare
artus oportet.abſtinendíque ſunt ab alimento,vino, bal-
neóque,ſi febrim habeant:ſolúmque melicratum dandū,

in quo origanũ vel hyſſopum, vel pulegium, aut thymũ A
incoxeris.exhiberi quoque oxymel poteſt.Simili quoque
modo curamus eas quæ ex vtero deficiunt, præterquam
quòd oxymel non damus.artus tamen ligandi ſunt & con
fricandi,& adhibenda fomenta:atque iis quidem quibus
multa fit excretio,mammis:quibus verò ſurſum vulua tra
hitur & reuellitur,inguinibus & femoribus.Odoramenta
quoque admouẽda ſunt, ſed naribus,fœtida: vtero verò,
ſuauia & calefacientia & laxantia.Si verò ex imbecillita-
te ſtomachi fiat animi defectio, ei parti ſuperdabimus
quæ eidem indere robur queant:qualia fiunt ex palmulis, B
vino,polenta,& croco,aloe,& maſtiche. madefaciemus
autem abſinthite oleo & maſtichino,& melino & nardi-
no,& item vino.Si verò calida affectio ſit atque exuſtio,
antedictis miſcentur refrigerantia,vt cucurbitæ,vt lactu-
cæ ſuccus,aut ſolani,aut omphacii: ſed iis etiam ſtrenuè
prodeſt confrictio partium extremarũ.Si meliuſculi poſt-
ea hi ſint,eos qui exuſti fuerint protinus ad balneum per-
ducito.Qui verò frigoris alicuius ſenſum habent,iis dato
medicamentum quod ex triplici pipere cõſtat, vel ipſum
piper per ſe & abſinthium in potu propina.Si verò diſtra- C
ctio ex vitiatis mordacibúſque humoribus ſubſequatur,
aquam calidam potui dato, aut hydrelæum :& vomitum
cieto.Si verò difficulter quis vomat, ei calefacito prius
partes quæ ad ſtomachum ſunt, manúſque & pedes : ſi ne
ita quidem euomat,digitos aut pennam in gulam conii-
ciat. at ſi nec hoc etiã modo vomitus irritetur,oleum ca-
lidum bibat:hoc enim perſæpe vomitu non excito ventrẽ
irritat,éſtque vtiliſſimum.quamobrem ſi id non fiat, nos
vſu rerum quæ imponuntur, adiuuare negotium debe-
mus. Vbi huiuſmodi homines in meliorem ſint ſtatum D
redacti,abſinthii comam in melicrato coctam bibendã
dabimus.& partes omnino firmabimus cum iis quæ foris
ſuperdantur, tum verò etiam iis quæ intrò aſſumuntur.
non tamen initiò faciendum eſt,ſed mox vbi vitiati hu-
mores fuerint euacuati.Si verò exolutio ex copioſa frigi-
dáque pituita in ſtomacho collecta fiat, particulam oleo
abſinthite plurimùm perfundes, melicratúmque in quo
hyſſopum aut tale aliquid coctum ſit,aut oxymel, aut pi-
per dabis:hoc enim caſu maiorem vim incidendi habere
debent auxilia omnia.Quum verò ex vehementi perfri- E
ctione quempiam anima deficiet,omnibus modis calefa
ciendo ſuccurres:nam & vinum aqua calida temperatum
dabis,& alimenta calefacientia:& ad ignem perfricabis.
Contraria adminiſtrabis in iis qui ex nimio calore defi-
ciunt,quíque in aere ſuffocante verſati ſunt, & in balneo
diutius morati.quos quidem corroborare quamprimum
debes,aquam gelidam potui dando,& flatum ciendo, at-
que eos perflando,& ſtomachum fricando. quibus pera-
ctis vinum & alimenta exhibebis. Si ob inflammationis
exuperantiam,aut ex febribus malignis quiſpiam exolua F
tur,quum incipit frigus inuadere,debes dare operam vt
pedes calefiant & fricentur vehementius re calida,extre-
máque vinculis excipiantur:ægérque à ſomno,cibo & po
tione omnino abſtinendus. atque ita incolumis ſeruabi-
tur. Qui periclitantur ne ex ſiccitate in animi defectio-
nem cadant,fruſtum panis ex vino dabis,aut alicæ modi-
cum.nam ſi multum dederis,difficulter concoquent,& i-
ta celeriter exoluentur.Si verò propter obſtructionem ali-
cuius principis partis animi defectio exoriatur, oxymel,
aut mulſam incocto pulegio,aut origano aut hyſſopo ,& G
alimenta quibus maior incidendi vis ineſt,dabis:tum fri
cabis,& artus vinculis conſtringes, vteríſque iis quæ ad
vrinam ciendam valent:vbi meliuſculi ſint, vinum albũ,
tenue,non admodum vetus bibant.Si ob repentinam co-
pioſámque euacuationem exolutio accidat, ſatis erit, vbi
admotis odoribus vires recollegerint, ſorbitionibus quæ
facilè concoquantur, eos alere.Si ex nimio gaudio, aut
mœrore,aut ira,aut metu, aut trepidatione defectio ani-
mi conſequatur,odoramenta admoueto,nares contrecta-
to,atque ita reuocatos ad vomitum impelles . Si ex colica H
affectione, aut alterius partis dolore maximo exoluẽtur,
tunc vſu fomentorum & frictionum,ad ſuum ſtatum re-
uocabuntur.

Curatio eorum qui ex ſudoribus exol uuntur, Cap. VIII.

SVdores qui hominem exoluunt,cohibet terra Samia,
lithargyrus, gypſum,galla,ſciſſile,myrtus, oleum œnã
thinum,roſaceum,melinum,lentiſcinum:itémque mãna
& amylum ex oui candido illita.

Ad cardiacos, Cap. IX.

CArdiacos iuuant,ſi ſtomachus illinatur, rubi folia cũ
exigua cerati aut panis portione: vel myrti folia, vel
clauiculi vitis,vel plantago cum pane, aut cerato modi-
co:vel mala cydonia,vel palmulæ.clyſteri quo q; infundi B
tur vtiliter ptiſanæ cremor,ſi in ea cocti ſint trunculi.ſed
eorum quoque extrema cerato liquido, cum ſinapi læui-
gato,vtiliter inunguntur.

De fame ingenti, Cap. X.

INgens fames oritur à frigiditate, aut indigentia, aut
virium imbecillitate quæ ab externo frigore contrahi
tur.eius verò eſſentiam adiuuat etiam fames quæ antece-
dit:quæ tamen non vſquequaque perdurat.iis ergo qui in
C itinere,aut aliâs ingenti fame vexantur,odoramentis au-
xiliaberis, præſertim carnium ſuillarum aſſatarum quas
naribus admoueamus,aut etiam hœdinarum,aut aliarum
quæcunque nidoroſæ ſunt.extremæ quoque partes con-
ſtringendæ, capilli vellicandi,genæ comprimendæ.reuo
catis verò ex malo,panem ex vino temperato,aut aliquid
aliud ex iis quæ reparare vires citò poſſunt,offeremus.

De cholera, Cap. XI.

CHoleram prohibere quiſpiam poteſt,ſi quotieſcũque
nimis expletus ſit, antequam cibos iterum ingerat,
D vomitum cieat.& vomitu iam commoto choleram quis
prohibebit,ſi ſumat melicratum aut aquam tepidam, &
ita euomat,tum ventrem oleo foueat, laníſque cõuoluat,
longiorémque cõſueto ſomnum dormiat. At quum iam
cholera quempiam occupauit,factáque eſt infernè & ſu-
pernè valida euacuatio,non modò corruptorum humo-
rum,ſed alterius quoque materiæ corporis ſimul extra-
ctæ,tum ſi vehementes morſiones conſequantur,erunt po
tu melicrati temperandæ:ſin leues ſint,obtundendæ ſunt
aqua:& non cohibenda eſt excretio, modò ne nimia ſit.
E At quum immoderata vacuatio facta eſt, periculúmque
conuulſionis imminet,ægérque ſine pulſu eſt,& extrema
frigida,& ſudor frigidus erumpit, tunc artifice opus eſt.
& vix etiam qui in hoc ſit ſtatu,poterit à medico præſen
ti conſeruari.Si medicus non adſit, facienda erunt quæ-
cunque poterunt omnia,vt extremæ partes faſciis aut la-
na vinciantur,vt partes refrigeratæ fricentur mixtis oleo,
cera,piperis modico,& nitro:aut irino vnguento,cui ho-
rum aliquid acceſſerit,aut ſicyonio cum caſtoreo : quan-
doquidem hæc in conuulſionibus iuuant.deinde verò a-
F lendus ægrotus eſt:ſi vomat,iterum dandus cibus vſque-
dum contineat : vel poſt cibum dare aliquem fructum
conuenit eorum qui ſtomachum roborant,vt pomum,vt
pirum,aut racemum,aut aliquid generis eiuſdem . vinũ
autem ita affectos iuuat vel maximé : nã quum ſomnum
inducat,ſæpenumero ſpẽ ſalutis affert.Si verò nimius ca-
lor in pectore & hypochondriis ſubſit, refrigeranda erũt
roſaceo imbutis pannis.Polenta quoque maximè trita ex
roſaceo & ſapa erit inſpergenda:atque etiam vinum frigi
dum erit eis dandum.

G De dolore, Cap. XII.

QVVM pars aliqua corporis dolore vexatur,cauſam
ſtudioſè perquirit,an ab aliqua re externa dolor fue-
rit excitatus:plerique enim in ſomnis læſi ſunt, nec memi
nerunt.non raro etiam in repentinis conuerſionibus, &
quum aliquod membrum non rite collocatum haberẽt.
Præterea membra refrigerata diſtentionibus & conuul-
ſionibus correpta vehementiſſimis doloribus cruciãtur:
poſtremò verò in dolorem cadũt ex fluxione quæ conti-
nuò ad ipſa repit. Si nulla harum cauſarum ſubſit vnde
H dolor poſſit oriri,antegreſſæ ægrotantis victus ratio ſpe-
ctanda eſt:ſi enim maiore ocio quàm conſueſſet, vitam
trãſegerit,ſique cibis ſe expleuerit, quum minimè aſſue-
tus eſſet,aut ſi vſus eſt iis in quibus valde nutriẽdi vis in-

eſt,ſique vlla euacuatio quæ prius ſolita eſſet corpus inani
re,nũc ſuppreſſa ſit,ſi,inquam,hæc vel omnia,vel eorum
aliqua adeſſe cõſpiciãtur,cauſam doloris eſſe multitudi-
nem ſuſpicandum eſt.Itaque euacuatione opus,eſt,eáque
aut per venæ ſectionẽ obeunda,aut purgationẽ,ſi humo-
rum redundans malitia ſubeſſe videatur. Quum verò ni-
hil tale ſit quod dolorem creet,deriuatione vtendum , vt
materiam à loco quem dolor obſidet, abducamus : velut
ſi in capite ſit,per nares aut palatum:vel reuulſione, vt in
contrarium locum multitudinem reuellamus: quod fiet
adhibita frictione ex medicamentis acribus, & artubus
deligatis.Si nulla indè vtilitas ſubſequatur,planum eſt in
affecta parte impactum eſſe id quod moleſtia afficit:quó
circa medicamentis digerendum eſt. Si ex flatibus dolor
exiſtat,ferendum, & eſculentis poculentiſque vtẽdum eſt
attenuantibus,vt corpus quod affectum eſt,rarefaciamus,
id quod fomentis,irrorationibus & cataplaſmatis conſe-
quemur.Si in cauſa doloris ſit tumor præter naturam , ei
tumori adhibendum erit remedium . Si humor mordax
dolorem pariat,ei infenſiſſima erunt calefacientia, atque
attenuantia:accommodata verò,ſi curare velis,quæ mole
leſtum humorem educant,idque faciant rebus citra mor
ſum abſtergentibus : ſi hoc fieri non poterit, adhibe
quæ temperare dolorem poſſint: ſi ne hoc quidem queas
efficere,iis vtere medicamentis quæ,ſtuporem inducant.
etenim medicamenta quæ reuera dolorem leuant , ea &
tenuium partium & modicè calefacientia eſſe debent,
neque vllam adſtrictionis partem habere:quale eſt oleum
anethinum quod valet ad euacuandum,concoquendum
& leniendum omnem in particulis dolentibus morbum.
At quæ ſolũ dolorẽ ſedantia nominãtur,totũ corpus re-
frigerant & ſenſus ſtupidos reddunt,ac propenſionem in
ſomnum afferunt:& ægrotãtis particulæ ſimiles mortuis
fiũt,& cauſas dolorem facientes non ſentiunt.& plerique
ex horum vſu aſſiduo partes ita refrigerarunt vt nullum
poſtea adhibere remedium potuerint . ſique paulo plus
eorum medicamentorum ebibiſſent , mortem ſibi ipſi
attuliſſent.

De ſimplicibus vlceribus, Cap. XIII.

QVVM ſimplex vlcus ſolùm diuiſio ſit, ſiquis partes
diuiſas faſcia in orbem circunducta committat , di-
ductæ partes ſine vllo alio negotio in vnum conducen-
tur.Si verò tanquam exuſtum alterum vlceris labium in
obliquum verſum ſit,inde incipienda eſt deligatio, & in
contrariam partem adducendum:quum in vtrãque par-
tem labia diducta ſunt,principium deligandi ab vtroque
ſumendum eſt,atque ita labia in vnum adducenda . nam
quum nihil intra oras inciderit labiorum,vt pilus,aut are
na,aut oleum,aut ſordes ,aut aliud huius generis , vlcus o-
mnino coaleſcet.At ſi vlcus magnum ſit,ita vt partes di-
ductæ in vnum penitus duci non queant,aut ſanies ſit ibi
dem accumulata,aut dolor adſit,tale vlcus ex ſola coniũ-
ctione conglutinari non poteſt,opúſque eſt exiccãte me-
dicamento quod ſaniem ibi collectam conſumat,& pro
hibeat ne alia præterea confluat . Ex liquidis igitur opti-
mum eſt vinum.ſed & poſca & item mulſa ad idem facit.
Inter cætera verò vuln⁹ glutinãt folia quercus illita,itém
que ſalicis,& braſſicæ ſemen & folia, ſuccúſque & cortex
auſterioris atque acidioris plantaginis,papyrus poſca aut
vino imbuta,& in orbem circundata.Recentia verò glu-
tinant pini & piceæ folia , vlmi folia , & cortex recens ad
modum ligamenti obuolutus: ſpongia noua ex aqua aut
poſca aut vino:caſeus recens antè læuigatus . Extrinſecus
autem adhibẽtur folia lapathi,aut vitis,aut betæ,aut lactu
cæ.caſeus verò ex acido lacte cõfectus etiam maiora glu-
tinat eodem impoſitus modo.ſed pira quoque glutinant.
& maiora vulnera glutinant achrades,& fluxionem cohi-
bent.cauda equina verò illita neruos etiam inciſos iun-
git:iſatis ſatiua in duris corporibus:cochleæ caro læuiga-
ta conglutinat vulnera quæ cum neruis inciſis & contu-
ſis ſint,idque in duris corporibus.ei tamen miſcenda eſt
in puluerem redacta aranea quæ farinam excipiat è mu-
ro molæ vicino.Ad idem facit myrrha ex aqua illita, vel
thus.terreſtres lumbrici etiam præciſos neruos congluti-

A nant,pentaphylli folia cum melle, allia combuſta illita.
Ad vlcera autem inueterata facit anagallis cũ cerato,hor-
deum combuſtum,& ceruſſa cum cerati myrtei triplicata
portione.Ad vlcera capitis myrrham aridã inſperge , nec
madefacito:celeriter enim in vnum conducit : vel aloën
aridam, & ariſtolochiam ex aqua tritam: ídque oſſa quo
que committit.aut thus,aut myrrham pari portione con
tere,& cum melle & vino decoque, donec mediocrem
ſpiſſitudinem acquirant : tum linamentum inungens ap-
plicato.

B Ad vulnera quæ cum dolore & inflammatio-
ne affligunt, Cap. XIIII.

AD huiuſmodi autem vulnera valet malum Punicum
dulce vino incoctum,tritúmque & illitum:eſt enim
hoc mirabile,& ad vſus plurimos accõmodatum : nam &
ad vlcera capitis & pudendorum,& ad ea quæ in toto cor
pore dolorem pariunt , & item ad oculos inflammatos
facit.

De cauis vlceribus, Cap. XV.

C CAuum vlcus,humidum ſordidúmque eſt:proinde fit
vt medicamenta velit modicè ſiccãtia, atque abſter-
gentia.huiuſmodi autem ſunt,thus , & hordeacea farina,
fabaceáque & erui:itémque iris,ariſtolochia,cadmia,pa-
nax,& põpholyx . Quum verò medicamentum quod ad
creandam carnem adhibitum eſt,nihil proficit, erit tranſ
eundum ad aliud,hoc modo. Si maior ſit ſordium copia,
vlcúſque humidius, ſcire conuenit medicamentum mi-
nùs ſiccaſſe. quàm par erat. ideo melle adiecto intenden-
dum eſſe, ſi purum, & ſine humore videatur , pluſquam
D oportebat exiccaſſe:itaque & olei & cerati miſtione re-
mittenda vis erit. Vſu etiam quãdoque venit,vt quũ me
dicamẽtũ vehementius eſt,pars aliqua carnis liquetur,vl-
cúſque ſordidum & humidum perinde videatur,ac ſi me
dicamentum minus quàm debuerat,exiccarit: ſed huiuſ-
modi vlcus dum abſumitur,magis cauum redditur,labia
intumeſcunt,rubétque ipſum, & inflammationis eſt par-
ticeps : & ſæpe æger morderi ſe perſpicuò ſentit. id verò
quod min⁹ fuit à medicamine exiccatũ,nihil tale habet.
Putredo igitur lignorũ, præſertim eorũ quæ modicè ad-
E ſtringendi & abſtergẽdi vi prædita ſunt(qualis eſt etiam
vlmus)vlcera hæc purgat, eáque vbi purgarit ,carne im-
plet.Anemonæ quoque appoſitæ idem efficiunt , & pini
cortex deraſus contritúſque cum cerato, quo linamẽtum
oblinas,& caua vlcera impleas, præſertim verò recentia:
ea enim implet. ſed purgat eadem quum ſordida ſunt ,
marrubium cum melle,ariſtolochia cum melle,oliuæ ſa-
le conditæ illitæ.

De vlceribus quibus cicatrix inducenda
eſt, Cap. XVI.

F QVVM carnem vlcerum quæ ad cicatricem perdu-
cenda ſunt, ita exiccamus atque adſtringimus vt nõ
ſolùm id quod præter naturam ſupereſt per halitum dige-
ramus,ſed etiam id quod eſt ſecundum naturam attinga-
mus,vlceris extremitatem cuti ſimilem efficiemus,eíque
cicatricem inducemus. Valent autem ad hanc rem galla
immatura & malicorium modicè exiccantia . Quæ verò
citra adſtrictionem morſúmque ſiccant,ea etiam cicatri-
cem inducunt,vt myrrha,ſpuma argenti,& oſtrea concre
mata:hæc nanque inſperſa ſiccãt . Atque hæc etiam ad ci-
catricem ſæpenumero perducunt,pini cortex cum myr-
G teo cerato,hederæ flos cum cerato , lilii radix cum roſa-
ceo.Vetera autem cicatrice includit viſcum cum thure,
ærugo & diphryges paribus portionibus cum myrteo ce-
rato.

De vlceribus in quibus caro ſupercreſcit,
Cap. XVII.

CAro quæ vlceribus ſupercreſcit,tollitur medicamen
tis iis quæ valenter ſiccant,cuiuſmodi eſt aſii lapidis
flos: & teſtacea omnia cõbuſta modicè auferũt cohibént
H que excreſcentem carnem.Simili quoque modo erinacei
vtrique cum toto corpore concremati,& diphryges in-
ſperſum, itémque atramentum ſutorium & ſquama æris
inſperſa.

Ad vlcera

Ad vlcera quæ in ſumma cute ſunt,ad intertrigines,
ad abraſa,ad inueterata vlcera,ad teneram
cutim, Cap. XVIII.

ARgēti ſpumæ chryſitidis drachmæ L.ceræ drachmæ
XX. reſinæ ſiccæ ex picea drachmæ XII. olei hemi-
na & ſemis.argenti ſpumæ in oleo coctæ ceram & reſinā
addito. Vbi ad emplaſtri craſſitudinem coxeris, ab igni
auferto,in pilámque cōiicito:mox quum emollieris,vti-
tor.Sed cutis abraſa non amputanda eſt,ſed in ſuum locū
reſtituēda,& foris etiam aliquod medicamentum accō-
modatum imponendū : ita enim,licet cutis abraſa iā ni-
greſcat,ſæpe conglutinatur. At ſi vlcus nudum carne ſit,
cicatrix difficulter inducitur,quum & erodatur, & ſordi-
dum ſit.Cæterùm abraſa ab inflāmatione tuetur rhus ru-
brum tritum,cum melle illitum , & iunci rotundi coma
cremata & cum melle ſuperdata.

Ad intertrigines quæ ex calceis fiunt,
Cap. XIX.

AD intertrigines verò quæ ex calceis efficiuntur, va-
let pulmo agninus,& ſuillus,& caprinus:itémque co
rium vetus è ſoleis vſtum. ſed hoc inflammata nō iuuat:
ſedata verò inflāmatione,prodeſt. hic enim cinis ſiccan-
di vim habet. cepā cum adipe gallinaceo terito, gallám-
que adurito,contundito & illinito.acaciam aceto made-
facito atque inungito.

Ad ambuſta, Cap. XX.

AMbuſta medicamentis egent quæ citra euidētem ca-
lorem aut frigiditatem abſtergant. Ergo terra Chia,
& Cimolia,& terra omnis leuis illita ex aceto non valde
acri,vel aqua admixta, egregiè facit, & puſtulas excitari
prohibet: itémque ouum integrum crudum ſtatim impo
ſitum,lana molli exceptum,ad idem valet:id enim &mo
dicè refrigerat,& ſine mordicatione ſiccat. vel atramen-
tum ſcriptorium illine, vel thus albū aqua diſſolue & in-
unge : aut lenticulam coctam tritámque impone. Quum
verò iam puſtulæ excitatæ fuerint, rhum cum polēta te-
re,& cum aceto cataplaſma impone. calcem viuam cera-
to admiſce,illitámque linteolo ſuperdato. partes autē vl-
ceratæ porris tritis oblinuntur. Columbinum ſtercus lin-
teo inuolutum combure donec in cinerē redigatur, eóq;
ex oleo diſſoluto vtere. Mirabiliter autem facit pini aut
piceæ cortex,aut adiantum ſiccum læuigatum, aut myrti
folia combuſta tritáque : quæ ſingula etiam cum cerato
iuncta faciunt. Ad vſtiones verò ex aqua calida priuſquā
puſtulæ prodeant,aqua oliuarum ſale cōditarum cōtinuè
inſperſa facit,& ipſæ oliuæ contuſæ imponuntur:aut alu-
men ſciſſile ex aceto cōteritur & illinitur: aut gluten tau-
rinum cum aqua copioſa eliquatum obline.

De exanthematibus, Cap. XXI.

EXanthemata ex craſſis humoribus in cute infixis, eò
magis quo ſuperior pellicula denſior eſt, exoriuntur.
hoc modo oppreſſi per cutim euacuandi ſunt:nec procul
eſt in altum attrahendum, vt per aluum aut vomitus fiat
euacuatio. Nemo tamen cogitet me nunc conſulere hu-
iuſmodi humores non eſſe per aluum educendos:quia in
quibus humorū plenitudo fixa eſt,adhiberi purgatio de-
bet.quod ſi quis non faciat,ſed prius diſcutere aggredia-
tur,obſtruet potius quàm humores per cutim euacuabit.
Humorū autē qui cuti ſunt impacti curatio adhibenda
eſt ex adurentibus &calefacientibus:præſertim verò quū
lata fuerint exanthemata: ſiquidem ea humorem neque
tenuem neque calidum, ſed abundè frigidum craſſúmq;
eſſe indicant. Lauri igitur tenerorum foliorū,rutæque, &
mannæ thuris pares portiones cōterito,atque oleo diluta
illinito. vuam taminiā frige ac tere,itémque thus cum o-
leo dilue atque inunge. betam teneram coque,tere & ſu-
perda. ceræ drachmas VIII. ſulphuris tantundem. ſalis
drachmas VI.arida conterito,eiſdémque olei mediā he-
minam affundito,& omnia ſimul: & emplaſtro ex iis con
fecto vtitor. ſed coctioni adhibenda diligentia eſt, quip-
pe quum valde præſtans ſit medicamentum.

De pruritu, Cap. XXII.

EXcitandi autē pruritus ſunt quū ex alto euocare hu-
mores oporteat:prohibēdi verò quum partes prurien
tes in periculo ſunt ne aut ſcabie, aut lepra,aut aliquo alio
A maligno vlcere corripiantur. Prohibentur autem medi-
camentis repellentibus, vel etiam pruritum tolerando,
neque contrectādo:ſiquidem ita quoque ſedari pruritus
conſueuit. Pruritus verò quos ſcabies excitarit,aqua mari-
na calida aut aceto calido perlue, aut agreſtis cucumeris
decocto ſimili modo. vel vitis veteris corticem in fictili
frigito, cōterito, & locū ſcabioſum butyro prius illitum,
eo cortice perſpergito. deinde ſomnū imperato . hócque
medicamento vſquedum homo ſaneſcat, vtitor. Iam verò
opium cum liquido cerato inunctum pruritus & puſtu-
B las,pſydracia nomine,mitigat.

De puſtulis quæ phlyctænæ vocantur,
Cap. XXIII.

AT phlyctænas acuta acu, quà humoris defluxus eſt,
perforare oportet, deinde humorem leuiter expri-
mere,& cutim obductam ſinere. Si foramine occluſo ite-
rum puſtula impleatur,ea erit eodem modo pertundēda,
& comprimenda cutis. atque ita compreſſa ſeruanda eſt,
donec id quod ſub ea vlceratum eſt,ad cicatricem perdu
catur. Sed antequam puſtulæ erumpant, coctā lenticulam
cum aqua læuigato atque illinito:aut mali granati virgul-
C ta cinere calido tepefacta ſuperdato,locúmque torrefaci-
to. Si ruptæ fuerint, vlcúſque excitatum ſit, adeps ſuillus
liquefactus cum argenti ſpuma læuigata illinitur, eíque
imponitur:aut lilii radix aqua incocta & contrita cum ce
rato adhibetur.

De vlceribus quæ iterū rumpuntur. Cap. XXIIII.

QVædam vlcera ſunt quæ inducta cicatrice non ita
multo pòſt, ſæpe iterum inflammatione tentantur
atque rūpuntur: nam oſſe aliquo affecto quandoque caro
circundata ad cicatricem facilè perducitur, & ſanitatem
D planè adepta videtur: ſed quū validus humoris defluxus
paulatim ex oſſe in alto corrupto delabitur, tum inflam-
matio & pus ſuboritur,à quibus obducta cicatrix deradi-
tur. Horum igitur vlcerum curatio in eo poſita eſt,vt tan-
tum exiccemus quantum valeat vt os affectū decidat. Si-
nus autē oſſiū cauos facilè replebis, ſi papaueris ſylueſtris
& ficulnea folia læuigata cum polenta & vino illeueris,aut
ſi hyoſcyami ſeminis & atramenti ſutorii par pondus cō-
trieueris & impoſueris. Peucedani verò radix oſſiū ſqua-
E mas celeriter diſiungit.

Ad vlcera maligna quibus ægrè cicatrix indu-
citur,& inueterata, Cap. XXV.

MAligna vlcera,quæque difficulter ad cicatricē per-
ducuntur,itémque inueterata& putrida,Lemniū ſi-
gillum vehemēter adiuuat. eius vſus quantitas ex malitia
vlceris æſtimatur . nam ad vlcus quod fœtidū eſt,admo-
dúmq; flaccidū & ſordidum, Lemnia ex aceto acerrimo
diluitur ad luti ſpiſſitudinem. vtimur eadē ex vino aut a-
qua,aut oxymelite,aut poſca,aut mulſa, aut quoquomodo
F vſus poſtularit. accōmodatúmque medicamentum erit,
ſiquis eam in pila plumbea piſtillo plūbeo confecerit,ro-
ſaceum aut immaturū oleum affundens, aut ſemperuiui
ſuccū,aut cotyledonis,aut lactucæ,aut pſyllii,aut ompha-
cii:vt ſit tanquā ſuccus quidā. habebiſque optimum me-
dicamentum ad carcinodη malignáque vlcera, ad pudē-
dorum,teſtium, & mammarum inflammationes: & item
ad ſedis vlcera, & rugas eminentes. Porrò autem centau-
rium minus recens inueterata vlcera ; & quæ difficulter
cicatricem recipiunt,ad cicatricem perducit, & maligna
G vlcera ſanat. itémque cupreſſi folia & germina,& globuli
noui & teneri,qui etiam humores in flaccidis & putridis
affectionibus in profundo demerſos ſine moleſtia & tutò
depaſcunt. Cyperi radices vlcera,quibus propter nimium
humorem induci cicatrix ægrè poteſt,mirum in modum
iuuant. Cucurbitæ aridæ combuſtæ cinis vlceribus hu-
midis inflammationis expertibus ac putreſcentibus,
præſertim verò iis quæ in pudendi præputio ſunt, conue-
nit. ſimili quoque modo prodeſt anethi radix. Plantago
etiam malignis vlceribus,defluxionibus,& putredini cō-
H uenit. Iſatis ſatiua omni maligno vlceri ſtrenuè reſiſtit,li-
cet putreſcat & depaſcatur. Si verò vehementior quàm
vt ægri natura ferre queat, eſſe videatur, eius foliis læui-
gatis adde vel panem vel hordeaceā farinam, vel frumē-
taceam,vel polentam pro ratione affectionis quæ in vno-

quoque exiſtat. Iis verò quæ propriè teſtacea dicuntur, vtimur ad cauitates diuturnas, quæque ægrè carne implentur, quæ ex defluxionibus fiunt, & fiſtuloſæ ac profundæ ſunt. Lanæ autem combuſtæ carnes flaccidas vlcerum celerrimè liquefaciũt. Platani verò cortex combuſtus & inſperſus, vlcera quæ ob nimiam humiditatem flaccida ſordidáque ſunt, ſanat. Peucedani radix arida malignis vlceribus illita præſtantiſſimum medicamentum eſt: nam & purgat, & carne implet, & cicatrice concludit. Aloe vlcera quæ vix ad cicatricem perueniunt, eáque potiſſimùm quæ in ſede & pudendis ſunt, curat. Eſt item ad earundẽ partium inflammationes vtilis ex aqua diſſoluta. Vlcera verò antiqua ſanat cera in ſole emollita, quæ multũ ſquamæ æris aut chryſocollæ adiunctũ habeat, eáque linteo illinenda adhibendáque eſt, cuius ſplenium non eſt continenter auferẽdum. Ad Chironia autem facit hoc quod habet ſquamæ æris drachmas x. ceræ tantundem, aluminis drachmas II. ceram calefacito atque emollito. & arida in pollinem redacta excipito, iiſque linteo impoſitis vtitor. Ad effera autem vlcera valet malicorium læuigatum & combuſtum: aut alumen ſciſſile vſtum tritúmque inſpergito: aut hoc vtere medicamento quod capit hyſſopi drachmas IIII, vuæ paſſæ tantundem. nitri drachmas II. Locus melle prius illinitur, tum hæc applicantur. Putrida verò vlcera & depaſcentia valentioribus medicamentis egent, qualia ſunt hæc: chalcitis, auripigmentum, calx. hæc enim non ſecus quàm ignis vrunt. & quandoq; fit vt his à morbo ſuperatis, ad ignem deuenire oporteat. Marrubium quoque ex vino coctum illine: aut eruũ læuigatum cum melle impoſito. Oliuæ teneræ foliis in vino coctis & contritis vtitor ad eundem modum. perfundenda eſt autem aqua marina calida.

Ad vermes qui in vlceribus comperiuntur, Cap. XXVI.

VErmes qui in vlceribus putreſcentibus ſunt, calaminthæ ſuccus tollit.

De carbunculo, Cap. XXVII.

CArbones fiunt ex ſanguine qui melancholicus ferueſcénſque effectus ſit, & cutim comburat: quocirca cum cruſta oriuntur, puſtulis quæ phlyctænæ dicuntur, vlcus præcedentibus, vt in ambuſtis fit: febrimque acutiſſimam & celere periculum afferunt. Quum pruritus adeſt, quandoque plures puſtulæ erumpunt paruæ, frequentes, continuæ, milio ſimiles: quibus ruptis vlcus cum cruſta fit, cuius cruſtæ color modò cinereus eſt, modò niger. reliqua caro circundata redditur mirum in modum flammea, & nigrum colorem contrahit, ſplendétque non ſecus quàm bitumẽ atque pix: ac talis quidem eſt bilis exquiſitè atra. Hanc affectionem curantes à venæ ſectione exordiẽdum eſt: per quam vſque ad animi defectionem euacuabimus. poſt verò ſanguinem detractum non erit incommodum ſcarificare, idque altioribus plagis propter ſucci craſſitiem. Loco affecto imponenda ſunt quæ modicè repellunt ac digerunt, quale eſt cataplaſma quod ex plantagine & lenticula cocta conſtat, cui mica panis in clibano cocti & non admodũ puri ſit adiuncta. ſuper vlcus verò aliquod vehemens medicamentum ponemus. tale eſt quod ad Andronem refertur: ſapa irrorantes ad ſordiũ ſpiſſitudinem. Sedata autem illa quaſi flamma, vlceri perinde atque aliis cicatricem inducemus. Veteres nuces oleoſæ ad carbones faciunt, cypariſsique folia & germina, & noui ac teneri globuli cum polenta: vua item paſſa, eiectis acinis, & contrita, & caricæ coctæ in vino atque contuſæ.

De cancro, Cap. XXVIII.

CAncri quoque ex atra bile ferventi oriuntur: ea ſi acrior ſit, vlcus affert. ideo colore ſunt nigriore quàm inflammatio, ſed ſine caliditate. venæ tamẽ magis quàm in inflãmationibus implentur ac diſtenduntur, neque ita rubræ ſunt ſicut in inflãmationibus: earúmque color humoris colorem præ ſe fert. propter cuius humoris craſſitiem cancer inſanabilis eſt: quippe qui neque repelli neque digeri queat, neque etiam totius corporis purgationibus cedat, mitioráque medicamenta negligat, à vehementioribus autem magis exacerbetur. Poſſumus tamen initio prohibere ne cancer augeatur, melãcholici humo-

A ris purgatione inita priuſquam in affecta particula ſit impactus. Euacuabimus autẽ vel aliquo ſimplici, vt epithymi drachmis quatuor in ſero lactis aut mulſa datis: vel hiera quæ nigrum veratrum acceperit. Loco autem affecto impoſitũ in vlceratis ſine moleſtia prodeſt hoc medicamentum, Solani ſuccus molli linteo duplici aut triplici in eo intincto copioſè impoſitus: extrinſecus quoque lana molliuſcula eodem ſucco imbuta applicatur, ad hibita diligentia ne areſcant hæc: quod fiet ſi ſuccum aſ-
B ſiduè affundas. Valebit etiã ad cancrũ vlceratũ id medicamentũ quod ex pompholyge conſtat. Victus autẽ ratio ægrotanti apta inſtituatur ex ptiſanæ cremore feróque lactis. Veſcatur item, ex oleribus, malua, atriplice, blito, & cucurbita, piſcibúſque ſaxatilibus, & omni auium genere præterquam earum quæ in paludibus degunt.

De ſanguinis coitu ſubter cutem, quòd ecchymoma dicitur, Cap. XXIX.

QVVM caro ab aliquo pondere incidente contuſa fuerit, venæq; paruæ quæ per eã deditæ ſunt ruptæ fuerint, ſanguis profunditur, quaſi tranſcolans, iſque ſub
C cute collectus facit id quod ecchymoma vocatur, cute ad huc integra. Nobis ergo propoſitum eſt concretum ſanguinem per halitum digerere, idque celeriter, priuſquam nigreſcat. ſed ſub initio adſtringentia digerentibus admiſcenda ſunt, quòd tunicæ venarum contundantur, ideóq; denſationis indigeant. at poſt hæc ſolis digerentibus ſine adſtringentibus vtimur: ac principio quidem ecchymomata ſcarificamus, tum reliquam curationẽ adhibemus. Cæterùm de numero ecchymomatum ſunt quæ ſugillata nominantur, & liuores ex plaga contracti, & inter vn-
D gues ſanguinis concurſus ex ictu. Pellis autẽ pecudis recens detracta, eos qui flagris cæſi ſunt, potius quàm cætera omnia, vno die vnáque nocte perſanat. Præterea hydropiper vnà cum ſuo ſemine illitũ ſugillata, & tumores qui obduruerunt, diſcutit.

De ruptis & conuulſis, Cap. XXX.

RVpta cum ecchymoſi, *hoc eſt ſanguine qui in loco contuſo collectus ſit*, omnino fiunt. Curantur autẽ medicamentis modicè calefacientibus: tale eſt acopon quod ex nigra populo cõficitur, quæque ſunt generis eiuſdem. In ruptis
E verò quæ altius intra corpus deliteſcũt, medicamentorũ vis intendenda eſt, & acriora quæque magis incidunt, adhibeantur. talibus autem cucurbitulæ vſus prodeſt. Siquе totum id quod ſub cute coiuit celeriter ſit diſcuſſum, rupta caro facilè coaleſcit: ſi inueterarit, ſordéſque ſubnaſcatur, ruptio coire nõ poterit: ſed labia tantummodo inter ſe propè admouebuntur, vt paruo momento facilè ſeparẽtur, & medius locus aliquo humore impleatur, & ecchymoma continenter quodãmodo exiſtat, & primo ſimile, niſi quòd hoc celerius quàm illud digeritur, conſtátque ex tenui ſanie, quum illud eſſet è ſanguine. Conuulſa autẽ
F fibris quibuſdam diſtractis fiũt, ſolúmque leniri poſtulãt quoad dolor ſit ſublatus: conglutinari enim non poſſunt. Ariſtolochia autem rotunda ruptis & conuulſis, vt ſi quid aliud, conuenit: itémque centaurii maioris radix eiúſque ſuccus, & rheum, & coſtus, & bdelliũ in oxymelite potũ.

De luxatis & contuſis, Cap. XXXI.

LVxatis verò & contuſis prodeſt lana ſuccida, ſpongiaque quæ ſit aqua & oleo mixtis imbuta, & ſuperdata: bulbi teneri elixi cum melle, aut cum cerato, ſal tritus, farina cũ
G melle. viticis folia & ſal, & nitrum, toſta & læuigata cum cerato. Vtere etiam aquæ perfuſione, vel marinam calefacito. Sedata verò inflam matione atque doloribus, partes luxatas fricabis.

De rebus ſpicula, ſurculos, ſpináſque educentibus, Cap. XXXII.

SPicula, arundines, ſpinas, & ſurculos euellunt anagallides vtræque, ariſtolochia rotunda, ammoniacum cum melle, alterci ſemen læuigatum atque illitum. Arundinis
H verò radices contunde, & melli admixtas in linteo largè illine, imponéque & alliga: extemplo enim educunt.

De affectionibus vnguium, Cap. XXXIII.

REduuias exiguas etiamnum incipiẽtes cõprimit, galla cũ melle, eámq; prohibet confirmari. Vbi verò facta iã ſint, conſiliũ iã eſt, carnẽ quæ præter naturã excreuerit, medicamẽtis morſu vacãtibus abſumere & liquare,

Ad reduuias autem valet aurium ſordes & lyciũ. Quæ pus confecit, acu perforanda eſt, humórque exprimendus, tũ ſpongia aqua imbuta imponi debet: aut lenticula trita ex aqua ſuperdanda eſt, aut roſæ ſiccæ, aut virides tritæ, & aqua perfuſæ illinendæ; aut polenta trita admouenda. Interim verò caro eſt ab omni parte vnguis lintei ramentis abducenda. cæteros vngues cõtuſos myrti punicǽque foliis teneris tritis illine. At vnguibus ſubcruentis farinam pice admixtam adhibe. Vt vngues malè affecti decidant, ſulfur tritum ſuillo adipe exceptúm applica. Scabri verò vt abſcedant, vtitor medicamento quod habet viſci quercini, ſandarachæ, fœnigræci ana vncias duas: cantharidũ, thapſiæ ſingulorum vnciam, aceti quantum ſatis eſt. Ad idem facit fæx arida cum cerato vngui adiuncta, aut caro ficuum contuſa ſeminibus abiectis. Aut vnguem pice ſubunctum ſulfure & ſandaracha tritis pari pondere illinito. vnguis autẽ diligenter eſt radendus, ad æqualitatem redigendus ac vinciendus, vtendúmque iis quæ ad vngues abſcedentes faciunt.

Ad pterygia digitorum, Cap. XXXIIII.

AD carnis verò incremẽtum quod vnguis partem operit (pterygion vocant) thuris lacryma trita impoſita & alligata valet: vel eruum tritum eodem modo. vel thuris inſecti drachmam, & ſandarachæ duplum tere, & radici vnguis applicato, diligentérque inſpergito: ſupra verò, linamenta ſicca ponito. hoc enim pterygia celeriter exiccat. Eſt aliud itidem præſtantiſsimũ vehementer faciens ad ea quæ etiam maligna ſunt. habet autem gallarum, mali corii acidi, ſquamæ æris rubri, & caricarum cõbuſtarum pares portiones. eas tere, melli admiſce, ad vnguenti ſpiſſitudinem redige, linamẽta intinge, biſque in die impone, & liga: neque vngas neque madefacias. Si verò humor ſubſit, eum ſpongia vino perfuſa abſtergeas.

De vlceribus articulorum, Cap. XXXV.

QVVM articuli ſint partibus carnoſis ſicciores, ideo fit vt quum vlcerati ſunt, ſiccioribus medicamentis indigeant. Ergo polyide paſtillus ex vino ad ſordium ſpiſſitudinem ex vino ſubactus, & cætera quæ æquè deſiccãt, accommodata ſunt. marina quoque & muria ſæpe irrigãdo, articulos melius affici conſpeximus. Quocirca in articulis vtendum eſt iis quæ maiorẽ etiam exiccandi vim quàm vinum habeant.

De ſanguinis profluuio, Cap. XXXVI.

PRofluuio ſanguinis remedio eſt appoſitus ſitus partis conuulneratæ. talis eſt qui ſurſum vergit citra dolorẽ: nam qui deorſum vergit dolorémque affert, is ſanguinẽ non fluentem ad profluuium etiam ciebit. Quum ergo vulnerata pars eſt, ac ſanguis fluit, ſtatim digitum ori vaſis ex quo ſanguis effluit, admoueto, leniterq; & ſine dolore comprimito: ita enim grumus fiet, & ſanguinis fluxus cohibebitur. ſi ita non ſiſtatur, vtendum erit iis medicamentis quæ ſupprimendo ſanguini ſunt: inter quæ præſtant quæ obſtruunt, quæ emplaſtica nominantur, iis quæ cruſtam inducunt. interdum enim vbi cruſta excidit, ne iterum ſanguis effluat periculum eſt. Optimum autem eſt hoc quod etiam ad ſanguinem è membranis cerebri fluentem facit, thuris pars vna, aloes dimidium, albo oui ſubigitur ad mellis conſiſtentiam, deinde leporis molliſſimis pilis excipitur, tum vlceri toti liberaliſſimè ſuperdatur, tum faſcia alligatur: cuius faſciæ primi quatuor aut quinque amplexus ſuper vas profluens iniiciendi ſunt, inde ad radicem vaſis ducendi: tertio die erit ſoluendum. Sique medicamentum tuto adhuc vlceri adhæreat, aliud rurſus in orbem ſuperimpones, & non ſecus quàm linamẽtum quod ex pilis cõſtat, madefacies, ac pari modo deligabis: ſin ſua ſpõte linamentũ excidat, radicẽ vaſis digito blãdè cõprimẽs, quatenus nihil defluat, hoc leniter auferes, aliúdq; impones, & carne quoad vas implebitur, ad hunc modũ curabis. Quæ verò cruſtas gignũt, vbi cruſta decidit, magis nudã partẽ quàm eius natura ferat, derelinquũt. & perſæpe quũ cruſta excidit, profuſio ſanguinis ſubſequuta eſt, quæ ſupprimi difficulter potuit. & tamẽ ſæpenumero iis medicamentis, non ſecus quàm ferramẽtis igni cãdentibus vti cogimur, vbi ex putredinis eroſione ſanguinis eſt exorta profuſio. Cæterùm iſatis ſatiua partibus ex quibus ſanguis fluit ſuperdata, egregiè ſiſtit. Idem faciunt gallæ combuſtæ, &, quũ adhuc ignitæ ſunt, aceto aut vino extinguntur. gypſum miſceto oui candido tenui; itémque farinam triticeam pulucrulentam, qualis hæret parietibus. ita enim medicamẽtum conficies quod ad ſanguinis profluuia valebit: idque leporis pilis aut re aliqua pariter molli excipiendum erit. Ad ſanguinis autem profuſiones quæ ex ore, aut thymis, aut lentigine, aut verrucis, aut hæmorrhoidibus fiunt, foliis porrò contuſis vtere: aut rhun rubrum, aut acinos, aut capitula punici mali contundens impone; aut ſpongiam nouam pice cruda intinctã adure, & tuſa vtitor: hoc enim valde efficax eſt. Sanguinis verò fluxionem ex ore comprimit os colluendo frigidum decoctũ roſarum viridiũ; aut ſiccarum, aut clauiculorum vitis, aut lentiſci foliorũ; aut myrti, aut rubi, aut malorum cydoniornm, aut punicorum, aut acinorum, aut lenticularum. Iis etiam vtendũ erit in ſeſſibus frigidis, qui ſedi atque vtero conueniunt. Cæterùm victus ratio iis quos ſanguinis fluxus exercet, ex adſtringentibus atque incraſſantibus inſtituatur. huiuſmodi autem ſunt, alica, farináque pura decocta, & item cochleæ, caſeus tener, bulbi cocti, piſces aſſati, palmulæ, vinum nigrum auſterum, lenticula, polenta, ouorum vitelli, pira, achrades, mala cydonia, ſorba, meſpila, & quæ his ſunt conſimilia. Ad ſanguinis autem fluxum ex naribus faciunt platani globuli exiccati, quos re aliqua ex ſetis cõfecta confricabis, ſeménque proiicies, & lanuginem collectam in vaſe fictili nouo repones, & quum vſus poſtulabit, eam in puluerem redactam per calamum inſpirabis. frõtem autẽ & naſum gypſo aut luto figulari oblines. Valet ad eandem rem porri ſuccus lana aut linamẽto exceptus & naribus inditus: & manna ſucco porri coacta & impoſita. Extrinſecus autem naſus illinendus eſt oliuæ foliis teneris læuigatis: & ſuffitum ex cicuta ſuper molli cinere naribus admouebis: & ſpongiis aut lanis aqua frigida imbutis meatus vtriuſque pinnæ naris obſtrue, cruráque & brachia vincies, ac frontẽ & tempora oblines iis agglutinãtibus quæ ad oculorũ defluxiones faciunt. Si verò grumi aliqui ſubſint, quũ ſanguinis adhuc profuſio eſt, eos par erit exprimere, & protinus iterum vti medicamentis ſanguinẽ cõprimentibus, & narium cartilaginẽ ſub ipſo oſſe duobus digitis, pollice atque indice, cõprimere. In his autem profuſionibus, & iis quæ ex inteſtinis fiunt, prodeſt porri ſuccũ pondere duûm cyathûm potui dare, aut lauri tenera folia cõtuſa in oxymelite. aut thuris & lauri pares portiones læuigatas dabis. aut farinã purã, & thus & gũmi paribus portionibus cũ aqua teres & dabis.

Ad cicatrices, ſtigmata, & vibices, Cap. XXXVI.

CIcatrices nigras tollit inunctum oleum, in quo bryoniæ albæ & nigræ radix incocta ſit, donec ſuccum reddat. itémque nepeta vino cocta, lythargyrus oleo roſaceo candido lota. Cicatrices verò quæ ex impetigine fiunt, atque etiã alias, cõcolores reddit adeps aſininus illitus. erucæ ſemen læuigatum cũ felle caprino, aut bubulo, aut ouillo illitũ: quúmque inaruerit, auferendũ eſt. ſuccus quoque erucæ herbæ illitus cum lithargyro vtilis eſt. Maculas autem quæ ſtigmata nominãtur, exterit ranunculus illitus, aut capparis folia, aut ceruſſa cum aceto illita. ſed hoc ſpatio temporis maculas aufert: at vibices cõcolores ſtatim facit oleum liliaceum continuò inunctum.

De neruis vulneratis, Cap. XXXVIII.

NEruus, propter ſenſus excellẽtiam, quum vulneratur, & dolore & inflãmatione maiore quàm alia corripitur. quocirca cutis vulneratio aperta eſt ſeruanda, vt ſanies per ipſam effluat: vulneríque adhibenda medicamẽta ſunt quæ dolorẽ leniãt, & aditũ effluxui patefaciãt. Ergo calidam aquam, quæ cæteris inflãmationibus idonea eſt, his eſſe aduerſiſſimã ſciendũ eſt, & accõmodatius ad has eſſe vt oleo tenuium partium & experte omnis adſtrictionis irrorẽtur. Ex medicamẽtis autẽ apta eſt reſina aut terebinthina, eáque per ſe ipſa in pueris, in mulierib⁹ & in iis qui molli carne ſunt: in cæteris verò cum euphorbio. itémque propolis & per ſe, & cũ euphorbio emollita: ſi verò duriora ſint corpora, cum aliquo oleo ſubtiliore,

A In neruis autẽ inflãmatis & putreſcentibus cataplaſmate vti poterit quiſpiam eo quod ex farina hordei, aut fabarum,aut erui in lixiuio,ſtillatitio aut oxymelite cocta,cõfectum ſit. cerato verò vti poterit hoc quod habet ceræ vncias tres,euphorbii vnciam, aut fimi columbini:in durioribus corporibus,olei vncias duas.Conuenit etiã baſilicũ medicamentũ,quod nitrũ recipit,aut calcẽ viuã,aut euphorbiũ, aut ſulfur viuum, aut ſtercus columbæ ſylueſtris,vt in tetrapharmaci libram horum alicuius vncias duas iniicias:hoc enim egregiè ad neruos vulneratos, ac præcipuè punctim,facit. B Iam verò in agro vbi tibi nihil ſuppetit,poteris recentem pinguémque propolin vulneri applicare,aut fermentũ propoli mixtũ,aut liquorẽ tithymali fermento additũ.Cataplaſmatis autẽ ex lixiuio ſtillatitio atque oxymelite,& farina fabarũ,aut erui,aut cicerum,aut lupinorũ amarorum,aut hordei,aut etiã polenta,non ſolùm quũ nerui inflãmatione tentantur, ſed etiã ſtatim in ipſo initio vtendum eſt. At ſi neruus non punctus ſit ille quidem, ſed planè cæſim ſit vulneratus ita vt cutis quoque ſubiecta ſit diuiſa,vt nudus neruus & per directum & non per tranſuerſum diuiſus conſpiciatur,tum C nullo ex iis medicamentis in quibus euphorbiũ ſit,quæque nõ minus ſunt acria,vti oportebit:quippe quum neruus nudatus horũ vim,quæ vehemens eſt,ferre nõ queat. Igitur æſtiuo tempore calcẽ ſæpe lotã & oleo copioſo dilutã cape.Quã etiam ad rem facit id quod ex pompholyge conſtat,quódque ex melle conficitur,in roſaceo liberaliore eliquatum.Cæterùm nihil horum vulnus debet contingere, cum enim neruus ſenſus vi præſtat,tũ verò frigida temperatura eſt,& cum parte cæterarũ omniũ principe eſt continuus.Sed ne oleo quidem huiuſmodi vlcus D irrigare oportet: fit enim ſordidum. ergo ſanies tantùm abluenda eſt molli lana ſpecillo circumuoluta. Si omnia ex ſententia nobis ſuccedant,etiam vino dulci citra periculum madefacere poterimus.Vbi verò neruus qui denudatus erat fuerit contectus,linamenta aliquo medicamẽto quod anguſtis vulneribus aptum ſit,intincta(quale eſt quod ex euphorbio,aut fimo columbino paratur)extrinſecus circumducere oportet,ita vt ſanas etiam partes largè complectatur.Quum verò tranſuerſum vulnus eſt,maius periculum conuulſionis imminet:ſed quatenus curã- E dum eſt,eodem modo progrediemur. Victus autẽ adhibeatur tenuior,quies imperetur,lectus mollis eſto. oleo calido copioſè vngantur alæ,caput,& ceruix.Si vulnus in crure ſit,inguina ſunt potiſſimùm multo oleo perfundenda vſque ad ſpinam,caput,&ceruicẽ.Si nerui contuſi ſint, quùmque eis eſt contuſa cutis,& exulceratio ſubſequitur, cataplaſma ex farina fabarũ & oxymelite conuenit.Si verò contuſioni dolor accedat,pix liquida miſcenda erit.at ſi citra cutis contuſionem eueniat,oleo calente cui digerendi facultas inſit, perfundere aſſiduè oportet. Si totus F neruus præciſus ſit,periculum nullum imminet, ſed mẽbrum mutilum mancúmque reddetur: ſed curatio eadẽ quæ cæteris quoque vlceribus,adhibebitur.

De liquefacto medicamento,quod neruis punctis conuenit, Cap. XXXIX.

MEdicamentum autem liquefactum,quod ad neruos compunctos & à rabioſis morſos facit,accipit aceti ſextarium vnum,picis pinguis libram vnam,opopanacis vncias tres.Opopanacem verò aceto ſolutum multùm læ- G uigabis,picẽ liquefactam mixtámque incoquẽs.Eſt autẽ hoc medicamentum ad neruos cõpunctos accõmodatũ, vtpote quod os compunctionis conniuere nõ ſinat: quẽadmodum etiam in iis qui à beſtiis rabioſis morſi ſunt, prohibet ne vlcus cicatrice concludatur.Verùm duris ſolùm corporibus cõuenit,nam ſi in mulieribus, pueris, aut iis qui molli ſunt carne,vti hoc velis quũ puncti fuerint, erit aliquo digerente(vt amaricino,aut opobalſamo, aut oleo vetere) liquefaciendum.

Ad articulos relaxatos, Cap. XL.

H SVccurrit articulis relaxatis acaciæ ſuccus aqua dilutus & ſuperfuſus,aut rubi,aut myrti,aut malicorii, aut lentiſci,aut vlmi radicũ corticis decoctũ cõgruit:aut malicoriũ illitum,aut myrti folia cum myrteo cerato impoſita.

De inflammatione, Cap. XLI.

A INitium inflammationis eſt quũ pars impletur ſanguinea ſubſtantia:incrementum,quum id quod fluebat, ceſſat,quod verò in particula eſt,incipit putreſcere,calorémque præter naturam affert,fuſióque &flatus gignitur, & particula magis quàm prius intenditur:ſtatus verò,quũ pus iam conſiſtit,labores verò maiores ægrum vexãt:declinatio denique,quum id quod fluxit digeſtũ eſt,& moles ac tenſio eſt diminuta. In principio autẽ admouemus ea per ſe quæ vim habent repellendi: in incrementis hæc minuimus,digerentiáque addimus: in ſtatu repellentibus B & digerentibus pari portione vtimur. ſi verò dolor ſit vehemens,lenientibus opus eſt.In declinatione ſolùm digerentia adhibemus, nihílque adiungimus quod vim adſtringendi habeat.Parietaria igitur ad omnes inflammationes tum in principio, tum in incremento accommodata eſt:ſimili quoque modo glaucium. Atriplex verò & maluæ hortenſes incipientibus,& augeſcẽtibus,ac veluti ferueſcentibus conueniunt:declinantibus verò , & duratis,& refrigeratis,ſylueſtres magis idoneæ ſunt. Lactuca & cucurbita calidis illitæ proſunt. Ad eas verò quæ ex defluxione oriuntur, ſemperuiua, & vtrique tribuli valent: C at dureſcentibus braſſica conuenit.

De affectione quæ ex defluxionibus gignitur, Cap. XLII.

QVVM particulam aliquã ſine manifeſta cauſa præcedente inflammatio repentè obſedit,id quod affectionem eam gignit,defluxio:ipſe verò morbus affectio ex defluxione nominatur.In principiis harum inflammationum curandum eſt vt rectè curatio adhibeatur. totum ergo corpus euacuationibus idoneis inaniẽdum eſt: pars verò inflammata ſuperfundenda illinendáque eſt nõ ca- D lefacientibus humectãtibúſque medicamẽtis,ſed iis quibus defluxus repellatur,quódque in affectam partem decubuit,inaniatur, víſque & robur particulis malè affectis afferatur.Superdãdum ergo eſt cataplaſma quod ex ſemperuiuo , mali punici cortice, in vino cocto, & rhoë, & polenta adiunctis conſtat:hócque & huic ſimilibus , quũ dolor vehemens non eſt,vtendum.Vbi verò particula cũ defluxione dolorem ſentit,tum ne aqua quidem calida, aut oleum,aut cataplaſmata ex farina ſunt adhibẽda:hæc E enim omnia defluxionibus inimica ſunt. Cæterùm doloris vehementia lenienda eſt medicamento, quod ex paſſo,roſaceo,modica cera,lanis ſordidis quæ œſypi multũ habeant,conficiatur:quæ per æſtatem frigida,per hyemẽ verò calida excipiuntur,atque admouẽtur ita vt ſuperiores partibus affectis locos ſpongia vino auſtero,aut poſca frigida imbuta comprehendant. Si ex horum vſu immutatio oriatur,& pus non ſubſidat, emplaſtro quod ex chalcitide conficitur,aut alio ſimili ex iis quæ valent ad fluxiones,vtemur.Lanam verò puram vino auſtero imbutã F ſuper medicamento foris accommodabimus. atque hoc quidem modo inflammationes ortæ ex defluxione curabuntur.Eas verò quæ ex aliqua occaſione excitantur, ſi calefacias atque humectes,nihil lædes : ſique ad puris confectionẽ eas velis adducere, farina triticea hydrelæo incocta illines.Síque vſus interdum poſtulabit vt ſcarifices, id etiam ex vſu facere poteris:ſed ſi eas quæ ex defluxionibus ortum ducunt, ſcarifices, præſertim in principio, cauſam afferes alicuius magni mali.

De abſceſſibus quæ apoſtemata dicuntur, Cap. XLIII.

G IN abſceſsibus autẽ ſi puris eruptio impediri non poſſe videatur,panẽ in hydrelæo coctum illines, aut farinã hordeaceam eodem modo paratam impones:particulam verò aqua in qua althææ radix incocta ſit,fouebis.Quum autem tumor difficulter ad ſuppurationẽ perueniat,difficultérque diſcutiatur,cataplaſmate quod ex caricis ſit, vtendum erit.oportet autem caricas pingues dulcéſque aqua incoquere atque eliquare,& aquam melli tenui ſimilẽ reddere:quandoque etiã farinã hordeaceã addere,quã- H doque verò panẽ ex tritico puro:ſique tumor diſcutiatur minus quàm par ſit,tum cum caricis hyſſopũ aut origanũ incoquetur. ſi vim maiorem velis efficere,decocto ſalem adiicito : ſed diligenter eſt animaduertendum ne dum vehementius exiccas,pars in duritiem calleſcat . Siquid

tale fortè videas,cum aqua radicem agreſtis cucumeris, aut althææ,aut bryoniæ incoques: quibus dracunculi radix valentior eſt,& ad digerendum accommodatior. ergo eam quandoque per ſe coques,quandoque caricas addes,farinámque vnà cum adipe admiſcebis.Digerit quoque adiantum,itémque anethinum oleum, quod etiã cru dos humores incoctóſque tumores maturos reddit. pix duros crudóſq; tumores omnes cataplaſmatis indita, ma giſque ea quæ liquida eſt,concoquit.Medicamentũ compoſitum,quod abſceſſus iam coctos ſine labore expellit, vt ſæpe in ſplenio pus inueniatur : qui verò cocti adhuc nõ ſunt,perfectè digerit:capit autẽ lapidis pyritæ drachmas XII.ammoniaci læuigati tantundem,farinæ fabarũ drachmas ſenas.Excipe reſina liquida, pellique illitũ impone. ſplenium verò ne auferas priuſquam ſpõte ſua decidat.Sed hoc medicamentum non ita multò antè parandum eſt,quippe quod aridum confeſtim reddatur.

De ſtrumis & phymate, Cap. XLIIII.

FArina lupinorum amarorũ aceto, aut oxymelite, aut poſca incocta nõ ſolùm liuores,ſed & ſtrumas & phymata ſanat.Medicus quiſpiam in iis quorum durum corpus erat,bubulo ſtercore ex aceto,ad ſtrumas,& tumores obduros,totos oblinens,vſus eſt. Phymata verò diſcutiũt trita & illita hæc: adiantum,atriplex,parietaria,althææ ra dix vino incocta,ammoniacum cum melle emollitum & ſuperdatum,viſcũ cum reſina & cerato, ſalicis folia cum cerato.Rumpunt phymata lupini amari,propolis cum aceto illita,cucumeris ſylueſtris radix,terebinthina excepta,capparis radix eodem modo, nitrum cum fermento aut ficubus. Abſceſſus internos rumpit marina cum mulſa pota.Strumas autem diſcutit calx viua,melle,aut ſordibus,aut oleo,aut adipe ſuillo excepta.Iolii item farina cũ fimo columbino,& lini ſemine vino incocta. caprificorum groſſi agreſtes aut domeſtici illiti : qui etiam cõcretionem omnem digerunt.

De fiſtulis, Cap. XLV.

RAdix ſpondylii circumraſa & impoſita callos fiſtularum adimit. idem facit veratrum nigrum biduo aut triduo impoſitum.eliquant etiam æruginis drachmæ II. ammoniaci tantundẽ.Collyria ex aceto & aqua conficiũtur ad fiſtulas accommodata.itémque amurca cocta & in collutione adhibita. Sori crudum & combuſtum cum vini diluti aut mellis portiuncula ad colluẽdum adhibitũ. omphacium quoque colluendo carnem procreat.

De bubonibus, Cap. XLVI.

IN ortu bubonum ſi totum corpus ſuccis æquabiliter redundet,aut malitia humorũ detineatur, difficilis curatio eſt:& tamen adhibenda eſt ea quæ in affectione quæ ex defluxione oritur, expoſita eſt nobis: ſi corpus exquiſitè ſanum ſit,facilis.totum autem crus calefaciendum & humectandum eſt,vt dolore vacans efficiatur:ipſique vlceri imponendum eſt linamentum lotum in roſaceo, aut aliquo oleo relaxante,quod tetrapharmaco calido ſit intinctum.totúſque artus carpto lanæ oleo imbuto obuoluendus eſt:foris verò vlcus emplaſtro callido illinẽdum, aut farina triticea,aut hordeacea,aut ex vtraque cum olei portiuncula. Glandulam verò inflãmatione tentatam in principio lana oleo calido imbuta lenire oportet,nõ autẽ (vt quidam faciunt)ſale adiuncto.eo enim poſtea vtimur quum artus à plaga vexatus fuerit lenitus,& quum dolorem vlcus non affert: quibus quidem rebus glandularum plerũque ſoluitur inflammatio.ſæpe etiam augetur, & ad ſuppurationem ducitur. Ergo quum ille quaſi feruor inflammationis ſe remiſerit,lenientia ſunt omittẽda,atque vtendũ digerentibus:paulatim à digerentibus ad ea quæ conſiſtentia liquida ſunt tranſeundo,qualia ſunt quæ cerati ſpeciem referunt, ſimilia iis quæ linamentis carptis excipiuntur,quæ emmota vocantur. In iis autem vitare oportet durorum vſum emplaſtrorum:quippe quæ particulas diſtendãt, & ad inflammationem iterumvi adigãt. Quũ ſatis puris fuerit particuláque ad ſuppurationẽ peruenerit,non ſtatim diuidemus,vt quidam facere ſolẽt:ſed dabimus operam vt eam materiã medicamentis digeramus. ac lutum quidem impoſitum tumores inguinum celeriter digerit. Cæterùm bubones qui ex prolapſu, & vlcuſculis & doloribus contrahuntur, periculo vacare: alios,præſertim verò eos qui febribus ſuperueniunt, malos eſſe exiſtimandum nobis eſt.

De eryſipelate,hoc eſt igni ſacro, Cap. XLVII.

HVmor craſſus atque acer qui influit, eryſipelas modò cum vlcere,modò ſine vlcere conficit. hoc curãdum eſt primùm medicamento purgante quod bilim educat:deinde refrigerantibus repellendum eſt quod influit:atque à refrigerantibus ad digerentia priuſquam particula liueſcat aut nigreſcat,progrediendum.Poſtulãt autem eryſipelata, ea quæ refrigerent cum humiditate, nec adſtringant:huiuſmodi ſunt ſemperuiuũ, portulaca, pſyllium,lenticula paluſtris, vmbilicus Veneris, ſolanum,altercum,lactuca,beta,& glauciũm.Cerata quoque ex aqua admodum frigida,huius ſunt generis. admiſcetur etiam eis opii parum,aut ſucci papaueris,cicutæque, & mandragoræ:& compoſita medicamenta conficiuntur.

Ceratum refrigerans, Cap. XLVIII.

CEra quæ puriſſima ſit, oleo eliquatur, ceratúmque liquidum fit. hæc refrigerata manibus in pila emollimus, aquam frigidam affundendo quantum eis capere ceratum poſſit.melius autem eſt oleum roſaceum ex om phacino oleo ſine ſale: debétque oleum aut triplum aut quadruplum ceræ eſſe. Si verò parum aceti tenuis & perlucidi velis addere,medicamentum liquidius frigidiúſque parabis: atque id non modò eryſipelati conueniet, ſed etiam hecticis febribus, & inflammationibus pudendorum incipientibus, antequam depaſcens aliqua affectio partes obſideat.Herbæ quoque refrigerantes cum tenui polenta abũdè refrigerãt. itémque palmulæ pingues eiectis earũ membranulis, & teneræ factæ decoquendo, deinde læuigatæ & impoſitæ. Si verò ficciores videãtur, cerato antedicto ad conſiſtentiam vſque admiſcebis. Sedata autem inflammatione antequam particula liuida fiat,cataplaſma ex hordei farina imponendum eſt. Si verò iam liuor occuparit, inciſa cute cataplaſma ſuperdandum,locúſque perfundẽdus aqua calida dulci:ſed & marina aut muria interim proderit.quandoque etiam hæ aquæ cataplaſmatis admiſceantur.

De herpete, Cap. XLIX.

HVmor quoque qui herpetem facit, acer eſt : ſique flaua bilis impermixta influat, vehementi acrimonia herpetem exedentem gignit, qui continuam cutim erodendo occupat :qua de re affectio ipſa herpes nominatur:ſi verò cum pituita miſceatur, alterius herpetis, qui miliaris dicitur, quique eminentias milii ſimiles in cute excitat,cauſa eſt.Ergo qui prius totũ corpus purgat, deinde repellẽtia partibus affectis applicat,is herpetẽ rectè cu rat. at qui primo loco vtitur iis quæ cuticulæ cicatricem inducunt, is cuticulã quidem ſanat, cæterùm non vetat quin de integro priori ſimilis oriatur affectio . Ergo corpus euacuandũ eſt,vt in eryſipelate diximus.particulis tamen affectis nõ eadem imponenda: poſtulant quidem re frigerẽtia nõ ſecus quàm eryſipelata, ſed humectantia nõ ferunt:eiſq; refrigerantia & ſiccantia conueniunt.Itaque neque lactuca,neque lẽticula paluſtris vt refrigerantes & humectãtes offerendæ: ſed in principio vitis capreolos, & rubum,& plantaginẽ oportet illinere, eis deinde lenticulam admiſcere:interim verò & mel,& polentã, & cataplaſma quod ſuprà ad inflammationes ex defluxione (amoto ſemperuiuo)cõſcriptũ fuit.Exulcerata verò medi camentis ſunt inungenda quæ ad herpetẽ valent,vt paſtil lis,paſſo,aut vino tenui nõ vetere,aut poſca diluta reſolutis. de his autẽ vlceribus inueteratis Muſæ & Andronis paſtillus conuenit. At herpetem qui extimã ſolùm cutim exulcerat, niſi valde inueteratus ſit, nullo horum vngere oportet:nã & vehemẽtiora ſunt, & magis quàm oportet ſiccant. Ergo ad huiuſmodi herpetẽ facit glauciũ, huicq; ſimilia, præſertim ex aqua ſubacta. Si morbus nihil remittat,aceto diluta adhibeantur,ſique ſucco plantaginis, aut ſolani ſoluta imponas, non mediocriter auxiliaberis. aut lini ſemen torridũ in vino & oleo coquito,& cõtritũ impoñito.aut terrã Cimoliam ſolani ſucco ſubactã inũgito: aut lithargyri drachmas quatuor, porri ſucci heminæ dimidium,ſucci ſolani tantundem.læuigata illinuntur.

De ſcirrho, Cap. L.

SCirrhus,ita vt os,durus eſt,& ſenſus vacans,iſque ſana-
ri non poteſt.at qui obſcurum ſenſum habet, medica-
mentis digerentibus curatur. Sed quæ digerunt, & con-
fertim vacuant,& non molliunt,ea primis quidem dieb⁹
diminuere tumorem videntur,ſed tamen quod reſtat in-
ſanabile fit: quippe quum id omne quod tenuiũ erat par-
tium, ſit digeſtum. ex quo conficitur vt ea medicamenta
aptiora ſint quæ molliant ſimul & digerant.Inter molliẽ-
tia autem ſunt adeps & medulla ceruina: itémque adeps
taurinus,hircinus,& vrſinus,& ammoniacum,bdelliúm-
que & ſtyrax.horum vſu duritiem diſſoluemus , & dige-
rentibus vtemur,qualia ſunt fœnumgræcum, fimus ca-
prillus cum poſca. Cõponitur etiã medicamẽtum quod-
dam à medicis, quod ad vtranque rem facit, hoc eſt ad
ſchirrum diſſoluendum & ad digerẽdum eſt accommo-
datum.

De œdemate, Cap. LI.

PItuitæ fluxio œdema facit.is tumor laxus eſt, cedẽs,&
qui digitis impreſsis cauatur,& ſenſus eſt expers.cura-
tur,ſpongiam poſca imbutã cum ligamento leniter ſtrin
gente imponendo. Initium verò deligandi ab inferiori-
bus partibus ducitur,& ad ſuperiores partes progrediẽdo
definimus.ſpongia verò noua ſit. ſi talis nõ ſit ad manus,
ea quã habeas nitro exterges, & melius etiã lixiuio quod
ſtillatitium vocant.Si horum vſu tumor non ſubſidat,pau
lulum aluminis miſcendum erit. Valet ad idem molliſſi-
mum ex lucerna linamentum hoc eodem humore imbu
tum & impoſitum.glaucium quoque vtile eſt. Si verò in
ueterarit œdema, particulam oleo prius inunges, deinde
ſpongiam ex lixiuio impones,arctiúſque conſtringes,at-
que ita tumori medeberis. Iſatis etiã ſatiua tumores hoſ-
ce mirabiliter digerit & comprimit. Idem præſtat terra
omnis pinguis,& magis etiam Ægyptia.

Ad tumorẽ gutturis qui brõchocele dicitur,itémq; ad aquoſum ramicem qui hydrocele, & ad ramicem inteſtinorum qui enterocele, Cap. LII.

AD gutturis tumorem & aquoſum ramicem quidam
potiſſimùm vtuntur bdellio, quod ſaliua hominis
ieiuni diluunt vſque adeo vt emplaſtri habeat conſiſten-
tiam.Cupreſſi autẽ folia & germina & nuces nouæ tene-
ræque ramici inteſtinorũ proſunt . nam & ſiccant, & ro-
bur humidioribus laxatiſque corporibus addunt.

Ad dothienas,hoc eſt furunculos, Cap. LIII.

DOthienes ex craſſis fiunt humoribus.eos digerit con
coquitque triticum cõmanſum & ſuperdatum.idem
facit Ægyptia maſtiche.itémque vuas paſſas eiectis gra-
nis terito,ſalique trito paribus portionibus addito, & re-
ſinæ admiſcens imponito.

Ad epinyctidas, Cap. LIIII.

APium cum polenta illine:braſſicæ folia trita impo-
ne:hyoſcyami folia trita ex melle applica: ſolanum
per ſe & cum cicuta viridi admoue,aut oliuæ foliis cum
aqua coctis vtitor. Vuas paſſas ademptis acinis tundito,
eáſque ſplenio illitas imponito. adiantum ex melle tritũ
adhibeto. Cæterùm cauere oportet acria,acida,ſalſa , fo-
menta,balnea,& ſolem.

De verrucis,myrmecio,& ſimilibus, Cap. LV.

VErrucæ conuellentur medicamentis vehemẽter vl-
cerantibus:putrefacientibus verò interimentur. Er-
go corticis ſalis vſti cinis clauos,callos,myrmecia, & ver-
rucas,itémque pterygia & thymos aufert. Stercus autẽ o-
uillũ aceto dilutũ ad verrucas,myrmecia,thymos,furũcu
los duros,& clauos facit.groſſi cocti tumores duros diſcu
tiunt:crudi verò, myrmecia thymóſque expellũt.Plumbi
autem lamina tenuis rectè impoſita ganglio,ipſum planè
abolet. Cõdylomata verò comprimunt oliuæ flores cum
aqua illiti: aloe cum paſſo inuncta,pentaphylli radix illi-
ta:cydonia cum pane cocta, aut cum polenta:myrti folia
combuſta cum cerato: propolis antè emollita & impoſi-
ta.Condylomata quoque & ficos aufert auripigmentũ il-
litum,calx viua,& fæx viſco excepta,& vt ſpleniũ ſuper-
data.Maximos verò ficos tollit ærugo ferri cum vino dul
A ci inuncta:ſeminis anethi combuſti cinis:alumen ſciſſile
tritum cum aceto: alumen liquidum cum pane & vino
& apio. Iam verò cinis palmitum ex aceto illitus & ficos
aufert,& thymos,& condylomata ſanat, & prohibet ne i-
terum augeantur.

Ad perniones, Cap. LVI.

MArinam tepidam perfunde vel decocto betæ, vel
lenticulæ,vel erui,vel radicis aſphodeli. Facta per-
fuſione lẽticulam vino incoctã tere,atque illine:aut ace-
ti fæce obline: aut bulbum recentẽ vino mixtũ impone.

B Ad digitorum totiúſque pedis rimas, Cap. LVII.

RImas digitorum & totius pedis pice liquida obli-
ne.cancrum fluuiatilem aut marinum ad carbones
vrito,teſtam abradito,ex oleo terito ad mellis ſpiſſitudi-
nem,ſciſſuris prius abſterſis inſtillato. Bene facit etiã ſcil
læ medulla ex oleo feruefacta, & ex terebinthina læuiga-
ta: & cornu ceruinum crematũ & ſeuo caprino exceptũ.
Calli verò prius ſunt circumpurgandi,deinde imponẽda
medicamina.

C De leuce,alpho,melane,lepra,& ſcabie, Cap. LVIII.

VItiliginem quæ leuce nominatur,gignit ſanguis pi-
tuitoſus & glutinoſus,qui longo ſpatio temporis co
lorem mutarit in albidiorem. Alphorũ ſimilis origo eſt:
non tamen tota caro patitur,ſed extima ſolùm cutis. Ab
humore autem pituitoſo alphi albi fiunt : melius verò à
melancholico. At humor qui lepram gignit,ad imas vſ-
que partes penetrat:ſcabies verò magis ſuperficiem occu-
pat. Ergo ſi calcem lotam & exiccatam habeas, tantúmq;
D aquæ ei admiſceas quantũ ſatis ſit vt mediocris fiat craſ-
ſitudo,& inungas,certè curabis. Sed alphi ſunt inungẽdi
medicamento magis liquido,craſſiore verò ſcabies,lepra
denique craſſiſſimo. Dracunculi radix cum aceto illita
alphos ſanat: vtrunque veratrum idem facit: lupinorum
quoque amarorum decoctum perfuſum, eorúmque fari-
na ex aceto aut melle illita: radicum capparis cortex cũ
aceto: lilii radix cum melle:cepa cum aceto in ſole illita:
crocodili terreſtris fimus. Simili quoque modo ſturnorũ,
quum oryzam ſolam comederint: ſepiæ teſta concrema-
E ta.Ad ſcabiem verò facit vua taminia,vterque elleborus:
lupini amari,vt ſuprà dictum eſt: cardamomum cum a-
ceto,lilii radix cum melle,reſina terebinthina & ſulphur,
cuius nos fecimus periculum:cicer,ſtercus caprinum.Le-
pras verò expellunt ambo anemonæ impoſitæ, vtrunque
veratrum,& albæ vitis radix.

De impetigine, Cap. LIX.

QVVM ſanies tenuis acriſque humori craſſo commi-
ſcetur,tum impetigines excitãtur,quæ facilè in ſca
biem & lepram tranſeunt.quãobrem medicamẽta poſtu-
F lant quæ valenter exiccent.ergo quibus nihil affertur au-
xilii ab iis medicamentis quæ mediocriter ſiccant, & ex-
acerbantur ab iis quæ ſiccant vehementer, eas impetigi-
nes *ἀγρίας,id eſt feras,* vocant. Vtendum igitur in iis eſt me
dicamentis quæ abundè ſint efficacia,nec tamẽ vehemẽ-
ter erodant.Cicer autem ad impetigines facit , & vtrunq;
veratrum.Prunorũ gummi in pueris prodeſt, lichẽ in pe
tris naſcẽs,pix cerato mixta,ſulfur cum reſina,quod pro-
batum fuit.Hominis ſaliua in pueris apta eſt:ſed cutis af-
fecta debet digito ſaliua intincto continenter cõfricari.
G Valet quoque crocodili terreſtris fim⁹,itémque ſturnorũ,
quũ ſolùm oryzã paſcuntur. Ad impetiginẽ verò recentẽ
quæ mentum aut aliam faciei partem obſident,multa tri
tici grana capiuntur,& incudi cuidam ignitæ imponun-
tur:humórque inde emanans,adhuc calidus ſumitur,atq;
eo impetigines inunguntur: quo ſolo remedio plerique
ſanati ſunt.Aut maluæ agreſtis fructũ tenerũ collige, cõ-
tundéque, & ſuccum exprime & ſerua. hoc impetigines
aſſiduè illine. Ad inueteratas impetigines vtitor his quæ
ſubiiciam:viticis ergo folia contunde,parum aceti adde,
H atque illine.aut capparis folia trita ex aceto ſuperda.

Paſtillus ad impetigines, Cap. LX.

CApit autem paſtillus ad impetigines accomodatus
glutinis figulini drachmas quatuor,thuris drachmas
duas,aceti heminæ dimidiũ*(in quibuſdam uerò codicibus ſcri-
ptum eſt pares portiones)*aceto ſoluta illinuntur.

De inflatione, Cap. LXI.

SPiritus flatuoſus craſſúſque & vaporoſus, eſt materies inflationum.ſed cauſa etiam adiuuans earum eſt corporis denſitas,vt ſpiritus non expiretur. Quocirca curationis conſilium eò totum dirigitur vt dēſata rarefaciamus, & ſpiritum craſſum attenuemus. id quod medicamentis quæ tenuium partium ſint,efficietur. At ſi muſculi ex cōtuſione inflati ſint,digerere neceſſe eſt. ſed quum ea quæ digerunt plerunque ſint acria,ex eorum vſu muſculos indignari contingit,eorúmque dolores intendi.ergo leniētia ſunt digerentibus admiſcenda.In hac autem muſculorum affectione lenit & decoctum: & ipſum hyſſopum cū exiguo oleo.digerūt verò acetum & lixiuiū ſtillatitium. Ergo in principio vtendum eſt decocto cum olei atque item vini portiuncula:quod calidum lanis ſuccidis excipiatur:qúmque particula refrigerāda non ſit, curandum eſt vt calor perpetuò conſeruetur.Vbi æger lenitus ſit,acetum,nitrúmque,deinde verò lixiuium ſtillatitiū miſcebitur.poſtremò digerentia medicamenta ſunt adhibenda, vt inflatio ſubſidat:quale eſt hoc quod deinceps deſcribā. Sordes è gymnaſio feruefacias, ac primùm percolato vt mundæ fiant,& rurſus in lebetem cōiicias,calcémque viuam tritam vt farinam inſpergas,donec luti fiat ſpiſſitudo,atque vtitor.

Ad elephantiaſin, Cap. LXII.

MIrabile auxilium affert iis qui elephantiaſin patiūtur eſus viperarū:quas qui edere velit,ad hunc modum parabit.Primùm enim caput & caudam ad quatuor vſque digitos abſcindet,interioráque omnia abiiciet, & cutim auferet:corpus verò aqua perluet,deinde in ſartagine non ſecus quàm anguillas ex albo iure condiet. Ius album fit aqua copioſa impoſita, exiguóque oleo & porro & anetho addito:planum enim eſt carnes viperarum eò vſque coquendas eſſe dum planè teneræ reddantur. Eſt etiam accommodatum id medicamentum quod ex viperis conficitur,quod theriacen nominant: id enim copioſè bibere æger debet.ac ſi cui cordi ſit,cutim eodem inūgat.qui hæc omnia faciunt,quandoque eis euenit vt ſquama ex cuti excidat: qualem in ſerpentibus ſenectam appellamus.Ad hunc etiam morbum vtimur ſale theriaco & nepeta.ſed hoc prodeſt, non ſolùm quia tenues humores egregiè digerit,ſed etiā quia ſaniem attenuat, & craſſos humores ex quibus elephas oritur,incidit & ſiccat:nō tamen abſolutè in quibuſuis hominibus ab his remediis incipiendum eſt:prius enim omnino purgamus, & quandoque etiam incidenda vena eſt.

De venenis & de iis quæ virus iaculantur, Cap. LXIII.

DE venenis neque tutum eſt indefinitè ſcribere,neque memoriæ literarum commendare omnes curationes neque nocumenta quæ quiſque ex eis naſci dicit:ſiquidē qui hæc doceat,cauſam ſceleſtis præbebit vt multa mala faciāt.At quæ communiter auxiliari creduntur iis qui medicamentum mortiferum biberunt,ea ſcribere me operæpretium puto.Itaque iubendum eſt iis qui medicamētum ſumpſerunt, vt ſtatim ſine vlla mora iniecta plurimum olei cum aqua continenter bibant:poſtea ciborum omne genus dandum vſque ad ſatietatem,& vomitus imperandus:ita enim vel medicamentum ſimul eiicietur, vel ſuperatum à reliqua multitudine hebetiorem vim habebit.Si venter poſt vomitum aduratur, hydroroſaceum potui dabis ,& iterum vomitum imperabis.dato etiam theriacam ex vino quæ ſola poteſt venenis reſiſtere. Si ea tibi nō ſuppetat, baccas iuniperi nouē, rutæ folia viginti tere,& ad bibendum propina.dato chamæpityn herbam cum vino: cæteroqui à vino abſtinendus omnino æger eſt.extremæ partes interim contrectandæ ſunt.Si verò deſcendiſſe venenum videatur, quòd ventrem inferiorem morſu vexet atque irritet, clyſteribus acribus erit vtēdū in quibus ſit mel copioſum,& aphronitrum , aut aliquid aliud eorum quæ aluum magis ſubducunt.

Commune remedium ad omnia lethalia medicamenta, Cap. LXIIII.

CApit hoc remedium galbani denarios quatuor,myrrhæ denarium.Tere & vino dulci dilue , ac potui da.

A Aliud. Rutæ folia viginti,iuglandes regiæ duæ, ſalis grumus:caricæ duæ comedendæ offerantur. quibus qui veſcatur,ei nullum lethiferum medicamentum nocebit. Huc facit etiam origanum , quod cum gallina decoquatur , donec flaccida ſit reddita , cuius iuſculo vtendum eſt.itémque opobalſamum cum lacte muliebri aut aqua datum.

Ad eos qui à fungis ſtrangulati ſunt, Cap. LXV.

B QVI à fungis ſtrangulati ſunt, adiuuantur oxymelite cum nitro epoto.gallinarum domeſticarum oua cū oxymelite:eáq; dantur trita ex aqua . radiculæ quamplurimæ toſtæ ad comedendum exhibentur . aut vini fæcem combure,& tere,& ex aqua potui dato.

Ad eos in quibus lac coagulatum eſt, Cap. LXVI.

HOS curabis ſi acetum potui dabis,aut paſſum. multum coaguli cum aqua fontana , aut ſilphium & ſulfur paribus portionibus tere,& ex poſca bibendum præbeto.

De hirudinibus, Cap. LXVII.

C QVI hirudines deuorarint,iis acetum quamacerimū potandum dabis,aut muriam. ſed iis etiam vtēdum eſt quæ aluum ſoluunt:ſiquidem hirudines vnà cum excrementis exire per anum conſueuerūt. Ad eas valet anagallidis ſuccus epotus,& thymum tritum cum aceto acri in potu ſumptum. At nos allium comedendo hirudines eiicientes,nullius eorum quæ modò dicta ſunt, indigemus.

Ad ictus veſparum atque apum, Cap. LXVIII.

D MAluæ folia tere,& ictis à veſpis aut apibus impone, aut ſeſami folia aut ipſum ſeſamum illine.

De ſcolopendra, Cap. LXIX.

MVria acri fouendus locus eſt qui à ſcolopendra ictus ſit.aut cinerem cum aceto eidem impones.

De mure araneo, Cap. LXX.

AD plagam verò quam mus araneus attulit, allium cū membranulis ſuis terito,& cuminum pari pondere ex oleo dilue,& plagam obline,& loca adiacentia inunge.Si verò cutis rupta ſit , vlcúſque extet , muria erit perfundendum:& hordeum vſtum vlceri imponendum:ſed
E vlcus non rumpetur niſi mus araneus qui morſum inflixit,prægnans ſit.

De iis quos homo,canis,& ſimia momordit, Cap. LXXI.

SPongiam aceto imbutam impone, aut fœniculi radicem contunde,& cum melle admoue:aut irin Illyricā cum melle,aut ficum, aut amygdalas amaras tere & ſuperda:aut ſalem aut lithargyrum læuigabis & applicabis. Ad ea verò quæ iam ſuppurata ſunt , eruum læuigatum cum melle facit: ad feruida verò lithargyrum tritum ex
F aqua inunge.

Ad rabioſi canis morſum, Cap. LXXII.

CAncros viuos in patella æris rubri impoſitos vre vſquedum ad læuorem facilè redigantur. Vrendi autē ſunt poſt canis exortum, quum ſol in leonem tranſiuit, lunáque eſt decima octaua:& medicamentum conficiendum.In cancrorum autem partes decem, gentianæ quinque,& thuris pars vna coniiciuntur . datur hoc potui iiſ quos rabioſus canis momordit,vſq; ad quadraginta dies, quotidie ad mēſuram cochlearii magni aquæ inſperſum.
G Si verò poſt aliquot dies curandū ſuſceperis eum qui morſus fuerit,duo cochlearia dato.ipſi autem vulneri applica medicamentum quod capit picis brutiæ libram vnam,aceti acerrimi ſextarium vnum Italicum, opopanacis vncias tres. his qui vtetur , is ſemper à cane rabido morſos ſeruabit. Cæterùm nepeta arida ad morſus animalium venena iaculantium valet,quum facilè ex imis partibus corporis omnem circumiacentem humiditatē ad ſe trahat. Iam betonica vlceribus illita cunctis beſtiarum morſibus medetur: ſimili quoque modo ſuper linteo vlceri ap-
H poſita .In potu verò iuuat agreſtis rutæ ſemen, coagulum nouelli leporis,betæ radicis ſuccus:quæ cum vino ſumēda ſunt.

Quomodo viperæ citra periculum capi poſſint, Cap. LXXIII.

SI quis manus ſuas radicis dracontii ſucco inungat, is viperas capiet, nec moleſtiam vllam ſentiet. Sed quorſum hæc ad te ſcribimus, qui & theriacæ ex viperis confectæ periculũ feciſti, & noſti etiam ab ea ſtatim iuuari eos quos beſtiæ virus eiaculantes & venenum relinquẽtes momorderint? Theriace tamen debet optimè parata eſſe, ſummáque diligentia & magno vſu, exquiſitáque experientia confecta: eáq; quæ imponũtur, propria vi ſuáque B virtute prædita eſſe, vt neque propter ætatem, neque propter ſexũ ſint imbecillia: qualis eſſe ſolet quædã theriace, quæ à pleriſque per ſolã experiẽtiã conficitur, & vendi- A tur, ſolúmque aureæ nomen habet, cæterùm ab antedicta actione longè abeſt: quorum alterum ex ignoratione contingit, alterum verò ex eo quòd multa ſimplicia medicamenta quæ magni æſtimantur, in eam induntur. Sed tu non ignorabis quænam ſit optima theriaca, neque item cæteri qui tui ſimiles medicinæ ſtudio tenentur. ſemper enim à nobis & ab iis qui æquè ac nos eam conficiunt, accipietis. quæ res fecit vt eius confectionẽ hoc loco non eſſe deſcribendam cenſuerim. quum difficillimum eſſe intelligam optimam eius apparandæ rationem exponere: atque adeò vt ne medici quidem ad hunc experientiæ gradum peruenire poſſe videantur.

ORIBASII DE LOC. AFFECT. CVRAT. AD EVNApium, liber quartus.

CVM morborum pertractatio finem ſit cõſequuta, tempus iam eſt vt locorum affectorum curationes exequamur. itaq; à capitis affectionibus initium dicendi ſumemus.

De capitis doloribus atque inflammatione, Cap. I.

CApitis dolores qui ex æſtu oriuntur, curãtur ſi totum ſinciput roſaceo ſalis experte inungas. qua in re cauere debes ne poſteriorem partem capitis quæ ad occiput eſt, contingas: nã quũ caput ea parte non facilè exuratur, quúmque inde ortum ducat ſpinalis medulla, aliqua noxa ſit conſequutura. Si roſaceum tibi non ſit ad manus, omphacino vti poteris. In pueris autem mulieribúſque & iis quorum mollis caro eſt, chamæmelinum erit idoneum. Vbi autem refrigeratione, non tamen vehementi, opus eſt, hæc refrigeranda ſunt, tum adhidenda. id quod facie- D mus, ſi in aqua gelida vas ſtatuamus, aut in niue, ſi nix adſit. Sed ſi hæc nobis non ſuppetant, oleo roſaceo addenda erit aceti quarta pars. Si caput vehementi æſtu conflictetur, admiſcebis ſuccum ſemperuiui, aut portulacæ, aut lactucæ, aut pſyllii, aut acreſtam ex immaturis vuis expreſſam: itémque id quod ex cucurbitæ ramentis expreſſeris. Dolores autem quos frigus excitauit, curabis, ſinciput oleo rutaceo aut laurino perfundẽs. Si maiore calore opus ſit, modicum euphorbii oleo adiicies, capútq; nardino vnguento ex amaracino oblines, ac frontem, nariúmque & E aurium meatus aliquo calefaciente inunges. ſunt qui plãtam quoque pedum & anum inungant. At vbi capitis dolor ex calida frigidáve intemperie inueterarit, caput radẽdum eſt. iiſque quæ diximus, & item emplaſtris & ceratis vtendum, ita vt calidas intemperies refrigeremus iis quæ ad eryſipelata curanda valent: frigidas refrigeremus calefacientibus medicamentis, quale eſt ſimplex quod ex euphorbio conficitur, in quo eſt vna euphorbii vncia, ceræ vnciæ tres, & olei libra vna. Dolorẽ verò capitis ex acri humore in ore ſtomachi collecto, & vapores ad caput mit E tente curabis euacuatione, quã vomitibus facies, vt moleſtus humor educatur. Si euomere æger nõ poſſit, ſtatim alẽdus eſt alimento quod facilè cõcoquatur, idoneúmque ſtomacho ſit, & ad moderatam quantitatem. Sequenti die abſinthium potui dandum. & deinde victus rationem ita inſtituere vt diligenter obeat concoctionem. tertia verò quartáve hora tantum panis offerendum eſt, quantum ſatis ſit vt vſque ad balnei horam ferat. Si verò quis panẽ per ſe non queat edere, ei oliuas, aut vuas, aut palmulas, aut aliquid tale dabis: è quorum numero id eliges quod F melius eſſe experientia didiceris. Peſſima autem affectio eſt quũ vitioſi humores in ventriculi tunicis ſunt infarcti, quos picra ex aloë euacuare opus eſt. At ſi calor vnà cũ ſpiritu flatuoſo dolorem capitis crearit: in principio repellemus ſolùm vſu refrigerantium: deinde verò repellentibus lenientia & concoquentia medicamenta admiſcebimus: tum aliquid digerens atque attenuans addemus, repellentium vim paulatim diminuentes, ita vt plurimum ſit quod attenuet digerátque: parum verò quod leniat & concoquat: pauciſſimum denique quod repellat. ſæpenu- C mero enim fit in meatibus conſtipatio ſpiritus flatuoſi, vel etiam craſſorum glutinoſorúmque ſuccorum: eáque tanta eſt vt vix longo temporis ſpatio illi obex ibi interiectus diſſoluatur. Si ex febris vehementia caput doleat, neque criſin oſtẽdat, ei medeberis ſi admoueas quorum qualitas facultáſque refrigerans eſt: quale eſt oleũ, & oxyrhodinum, & capita papaueris oleo incocta. Qui ex nimio vini potu caput dolent, refrigerantibus curandi ſunt: vapores enim qui caput moleſtia afficiunt, ſunt calidi. itaq; roſaceũ nõ admodum frigidum admotum ſatis eſt: ſed & quies & ſomnus proſunt. Veſperi autem lauandi ſunt, & cibis boni ſucci ac non calefacientibus alendi. huiuſmodi ſunt cremor ptiſanæ, ſorbitio ex alica, oua ſorbilia ſine garo, lactuca quæ refrigerat & optimi ſucci eſt. & braſſica: ſiquidem ea vapores ſiccat. ſimili quoque modo lens. potus verò eſto aqua omnino. Si ſtomachus ſubuertatur, malum Punicum ſumatur, itémque pomum coctum, aut pirum. Somnus poſtea imperandus eſt. à ſomno lauandus æger eſt, aqua calida diu perfuſa. atque iterum dormiendum, aut quieſcendum, & ſecundò lauandum, & eodem modo cibus offerendus. Si verò meliuſculus eſſe ægrotus incipiat, neque aquæ potum ferre queat, iube vt vinum aquoſum dilutius bibat, veſcatúrque piſcibus ſaxatilibus, & quorum mollis caro eſt: itémque pullis columbinis ſine garo coctis: bibat verò vinum, & ius ſimplex ex aqua ſolùm, & anetho, & parua porri portione confectum, cui etiam poſt coctionem quæ ſatis ſit, modicum ſalis ſit impoſitum. Siquæ reliquiæ vaporum aut humorum permanſerint, perſeuerétque conſtipatio & dolor, roſaceum non erit præterea dandum, ſed chamæmelino modicè calido vtendum, deinde verò irino. poſtea verò his miſcendum modò amaracinum, modò verò nardinum. In iis autem qui ex plaga aut caſu dolore capitis vexantur, ſcire oportet nihil ab inflammatione differre. Siquæ intra caluariam inflammatio pertingat, is capitis dolor non vacans periculo iudicabitur. Ergo curationis initium à venæ ſectione & clyſteribus ſumendum eſt: fotúſque ex ſpongia adhibendi, & carptus ex lana molli qui oleo calido imbuti ſint, imponendi, & cætera facienda erunt omnia quæcunque ad inflammationes fiunt. Ad puerorum verò aduſtiones quæ ſiriaſes dicuntur, vtiliter ſincipiti imponuntur cucurbitæ ramenta: aut cucumeris, qui pepo eſt, cutis quæ carni adiacet: aut ſuccus foliorum ſolani hortenſis cum roſaceo.

De cephalæa, Cap. II. A

INueteratum verò,ac ſolutu difficilem capitis dolorē quique paruis de cauſis exacerbetur, vt æger neque ſonum,neque vocem altiorem,neque vehementiorem ſplē dorem ferre queat,cephalæam nominant. Videndum autē eſt vtrū ex plenitudine, an ex obſtructione,an verò ex inflammatione oriatur:nam dolores aggrauantes, multitudinem indicant:erodentes,vaporum aut humorum acrimoniam: pulſantes,inflammationem corporis membranoſi:ſi grauitas etiam adſit,multitudinem intra mem branas contentam.Si igitur copia vaporum aut humorū B in cauſa ſit doloris,ſi ob totius corporis expletionem eueniat,totum corpus euacuando cephalæam curabis: ſi ex imbecillitate,illius partis lenienda pars eſt, & materia in totum corpus reuellenda:itáque affectæ particulæ remedium affers.Reuelles autem clyſteribus,deligationibus,& inferiorum partium frequentibus frictionibus. quandoque etiam ſanguinis detractione euacuabis. parti verò ipſi medeberis,quum reuellentibus vſus fueris, ſi perfuſio nibus in quibus repellendi vis ſit,vtaris: poſtea verò euacuantibus,tum roborantibus.Repellit autem oleum om- C phacinum,& roſaceum,& oxyrhodinum,& quod ex papa ueris capitibus,quódque ex germinibus oleaginis teneris, & item quod ex hederæ corymbis, mentáque viridi conficitur.Quúmque plenitudo frigidior crudiórque ſit, hæc tepida imponenda ſunt : at quum illa ſit calidior ac bilioſior,hæc frigida adhibenda. Vim autem digerendi habet oleum calidum,& magis quod vetus eſt, & item anethinum,& ſicyonium.Si multitudo craſſior ſit,ſpondylium,aut ſerpyllum,aut pulegii comam,aut nepetam, aut mētham incoquens euacuabis: hæc enim præterquam D quòd multitudinem euacuant,robur etiam particulæ afferunt. Quocirca eis ad perfectam vſque ſanationem vti conuenit.ſi verò etiam vſus poſtulabit, purgatio quoque per nares & ſternutamenta obiri poterit. atque etiam in balneis fricari caput linteis aſperis expediet, & ſalem cū nitro ac ſinapi ſine oleo ſuperaſpergere.

De hemicrania, Cap. III.

NOnnulli ſunt quibus dimidium capitis dolet. idque oritur vel ex vaporum,vel ex humorum,vel ex vtro rúmque influxu.In primis ergo aut purgādi ſunt,aut mit- E tendus ſanguis.tum remediis localibus vtendum.fricare quoque ex linteis aut digitis manus opus eſt dimidium frontis,præſertim verò quà muſculus temporis eſt,idque ante horam acceſſionis. Poſt acceſſionem verò medicamenta adhibenda quæ hemicranica nominantur. Sique in dolore caloris ſenſus appareat,iis in quibus refrigerās aliquid inſit:ſin ſecus,iis quæ abundè calefaciant. vtriſq; verò aliquid ex iis quæ robur addunt,miſceatur,quod facultatem adſtringendi habeat. Optimum autem vnguen calefaciens eſt id quod recipit euphorbii vnciam vnam, F ceræ vncias tres,& olei alicuius tenuium partium libram vnam.hoc vnguine media pars frontis cum temporis muſculo inungenda eſt.hoc enim ad frigidas affectiones eſt accommodatiſſimum, vtpote quod vel ſemel in balneo illitum dolorem omnem ſæpenumero abſtulerit. Iuuat ita affectos oleum in quo parum euphorbii iniectum ſit, in aures inſtillatum: ſatis enim erit ſi in olei libram, euphorbii vnciæ dimidium iniicias.

Ad eos qui caput mobile habent,
Cap. IIII. G

QVI caput mouent,ſi ſtœchadem ex aqua, aut ex hydromelite bibant,ſaneſcent.

De alopecia & ophiaſi, Cap. V.

QVVM alopecia & ophiaſis communē originis cau ſam habeant, communi quoque ratione curantur. atque ophiaſis quidem nominatur affectio,quia ſerpentis quem ὄφιν vocant,ſpeciem figurámque repræſentet: alopecia verò inde nomē inuenit,quòd vulpes, quæ ἀλώπηξ dicitur,hoc malo ſæpe corripiatur. Oritur autem plerunque ex vitioſis humoribus capite contentis: ſed malitiæ H ſpeciem ipſe capitis color indicat: quippe albidior pituitoſum,nigrior melancholicum humorem,pallidior flauā bilim arguit. Ea ergo humorum malitia inaniēda eſt vel catapotiis ex aloe & colocynthide, vel hiera cuius ſuprà feci mentionem:ſi melancholicus humor redundet, elleborum nigrum ei miſcebis:ſi amara bilis, ſcammoneam, ſi pituita,nihil admiſcebimus,ſed totum corpus euacuabimus,tum caput apophlegmatiſmis inaniemus, & auxilia quæ malitiam humorum probè diſcutiant,quæ ſint etiam tenuis ſubſtātiæ, imponemus.Si verò remedia cum diſcutiente facultate vim etiam habeant ſanguinis extrahendi,vt eſt thapſia,erunt præſtantiſſima. ergo caput radendum eſt,tum fricandum. mox vbi frictione vſus fueris,diligenter cutim conſidera. ſi enim poſt breuem frictionem pars rubeſcat,tum affectionem facilè ſanabilem puta: ſi verò poſt adhibitum medicamentum hoc fiat,caue ne cutis pluſquam eſt,ex vehementia medicamenti ſit excalefacta.idque nobis perſpicuum facit cutis quæ magis flaua videatur:eſt enim periculum ne ſi ſæpi⁹ eo medicamento vtamur, cutis exuratur. Ergo neceſſe eſt vel ad aliud tranſire,vel ſi eo vti velimus, eius imminuenda vis erit cerati aut adipis admixtione. Cæterùm hæc omnia remedia in aëre calido,in ſole, quum ventus nullus flat, adhibeantur:ſi hyems ſit,in balneo. Iam verò omnibus remediis quæ ad has affectiones ſunt accommodata, calidi⁹ euphorbium eſt,deinde thapſia,tum ſinapis,& naſturtium.Alio verò modo limnitis eſt nullo inferior, deinde adarcium,tum ſulfur,vernicarium,& vtrunque veratrum, & erucæ ſemen,& oleum laurinum, & vtraque alcyonia combuſta,& arundinis radix & cortex combuſti.pix quoque & cedria,& ſtercus muris,& adeps anſerinus,& amygdalæ amaræ totæ vſtæ.quum vſus verò poſtulabit,potentioribus,liquidum ceratum:imbecillioribus verò oleum laurinum aut picem liquidam admiſcebis. Ex his autem affectionibus inueteratas & ſanatu difficiles potentioribus:incipientes verò,& facilè medicabiles, imbecillioribus remediis curabis.

De capillis fluentibus, Cap. VI.

CApilli fluunt vbi cutis rarefacta eſt,& alimentū quo nutriuntur,ad eos non accedit. Curationis ergo conſilium eò dirigitur vt ſanguis extrahatur,& cutis laxa paulatim denſetur,& quibuſdam medicamentis conſtringatur. huiuſmodi ſunt ladanum atque oleum lentiſcinum quæ per ſe faciunt: vtrunque enim vim habet attrahendi & cogendi, vt nullum præſtantius ad fluētes capillos medicamentum quàm quod ex ladano, oleóque lentiſcino conſtat,excogitari poſſe videatur. Perſpicuum autem eſt abraſis crinibus ſpiſſius medicamentum imponendum eſſe,tonſis verò,liquidius.Si verò abundè crines decidāt, maiorémque raritatē ſubeſſe exiſtimemus, vtile erit pro lētiſcino myrteum oleum ladano admiſcere.vtiliter quoque nardinum vnguentum quandoque addetur, vt in frigida ætate & hyberno tempore. antequam verò caput medicamento oblinas,fricandum eſt. Sæpenumero autē capilli ex ægritudine defluunt:in quo caſu victus ratio adhibenda eſt quæ vires reficiat. quæ quidem pleroſque ſine vſu medicamentorum planè curauit. Quandoque etiā pili ſine ægritudine cadunt. ad quorum curationem vtimur iis quæ præpoſuimus:aut ſambucum combure cera tóque admiſce,& vtitor.id enim augebit denſabítque comam, vt ne amplius decidat. Vel melanthium combure, cum aqua tere,& vbi volueris pilos naſci,ibi inunge: maximè verò in ſuperciliis,aut palpebris. Si verò propter loca ambuſta pili ceciderint, folia ficulna vſta & trita atq; illita erunt ad pilorum ortum accommodata.

Ad ea quæ capillos corrumpunt,eóſque pulchros faciunt, Cap. VII.

TRES ſunt eorum quæ capillos vitiant, differentiæ: quæ pillos euellunt,quæ attenuant, quæ denique omnino eos auferunt.Sed horum vſus periculoſus eſt:quia ſæpe non ſolùm inunctas partes pilis nudāt:faciúntque vt reliquum tempus glabræ maneāt:ſed etiam in cauſa ſunt vt totū corp⁹ nudū pilis reddatur,itáque perſeueret. Alio rū duorū vſus eſt tut⁹. Ergo ex iis quæ partes glabras tutò faciunt, vtile eſt lixiuium ſtillatitiū, itemque arſenicum, ſandaracha,& calx viua.aliquid autem eorum quæ vehementer vlcerant,alicui imbecilliori miſcendum eſt. Quæ verò pilos attenuant,ea abſtergentem vim habent. inter quæ mediocria ſunt,hordeum,fabarum & erui farina, a-

phronitrum nitrúmque. Valentia verò, quæ magnos duróſque pilos attenuant, ſunt, nitrum combuſtũ, teſta fictilium clibanorúmque, pumex non vſtus & ignem expertus, teſta buccinarum, purpurarum, & aliorum oſtreorum cõcremata, & ſepiæ teſta etiam non combuſta, alcyonia, veratrum, & bryoniæ radix. Siquis hæc facere odorata voluerit, cyperum, & melilotum, & roſas ſiccas, & amomum, & iunci odorati flores addat. Vrticæ agreſtis ſemen tere, oleo addito perfricabis, & pili decident. Melle crudo obline quem volueris locum in modum dropacis, & pili nõ amplius prodibũt. Pſilothrum verò hoc modo fit: Calcis viuæ læuigato partes duas, auripigmenti partem vnam: hæc in pilam plumbeam coniicito, & aquam aut ptiſanæ cremorem affundens tere. quúmque nigra fient, calefacito & illinito. Orizam, aut fabas expurgatas, aut ptiſanam aqua incoquito, hácque pro aqua vtitor, tum auripigmentum & calcem viuam admiſceto, & coquito pſilotrhum, vt mos eſt: deinde verò ei adde myrrhæ vnciã vnam, maſtiches vnciam vnam, pumicis crudi vnciæ dimidium, atque vtitor.

Vt cani non naſcantur, Cap. VIII.

FAcies autem ne cani exoriantur, ſi cucurbitam agreſtem capias, eam pertundas, & interna diligenter purges: tum oleo laurino impleas, addáſque hyoſcyamum & auripigmentum non trita, & vnum diem ita dimittas: deniq; ſemel in anno vtiliter vngas in pueris, & pulchros denſóſque capillos gignent. Nucis cortex vſtus tritúſque ex vino illinitur. loti arboris folia cum cameli ſtercore miſce, & cum oleo obline: flauos enim crines faciet. lupinorum cortices cum nitro per dies decem macerato, tum crines eo abſtergeto. decoctum ſcobis loti arboris ad idẽ valet. Nigros capillos faciunt detergendo hæc: dilutum gallarum, atramenti ſutorii & malicorii, ladanum cũ myrteo vnguine. ſerius id facit oleum ex oliua agreſti quotidie illitum: & magis etiam myrtinum infuſum. Facit autẽ vt ſerius pili in locis conſuetis naſcantur, lacryma vitis cũ oleo inuncta: & humor emanans è viridi ſarmento, quod comburatur: itémque fabacea farina illita.

De porrigine, Cap. IX.

POrrigo ex vitiatis oritur humoribus. noſtrum ergo conſilium eſſe debet vt abſtergẽtibus digerentibúſque medicamentis eos abſumamus: corpore tamen prius expurgato, ſi mali ſucci ſit plenum. Sed quidam quum caput roborare vellent, antedictis aliquid eorum quæ adſtringunt, admiſcuerunt.

Ad porriginem, Cap. X.

FVrfurum ſextarium medium in duabus aquæ heminis macerato, deinde cõfricabis, per colum traiicies, ſuccúmque coques cum aceti media hemina ad vini ſpiſſitudinem, eóque caput illines: poſtea caput aqua lauabis in qua beta, aut fœnumgræcum, aut lupini cocti ſint. Pro vnguine autem, irini vnguenti fæcibus vtitor. Sed hoc vt accommodatiore efficacioréque vtendum eſt quod habet terræ Cimoliæ, ſulfuris ignem nõ experti pares portiones: quæ trita ex aceto, in balneo illinuntur: tum aqua calida abluuntur. Sed hoc non ſolùm in balneo, verumetiam alibi vti poteris, quũ omnes habeat vires quibus ad affectionem depellendam opus eſt: lithargyri, rutæ, olei, aceti quartam partem heminæ tere, & caput illine. id enim fuit nobis experimento ſatis comprobatũ.

De pediculis, Cap. XI.

SÆpenumero pediculorum copia in profunda capitis cute generatur, quum ſuperuacanei modicéque calidi humores ſubſiſtunt. ergo medicamenta ſiccãtia, quæque vacuare & trahere apta ſunt, adhibere oportet. cedria pediculos & lendes interimit. Idem facit hederæ lacryma, & vuæ taminiæ partes duæ, ſandarachæ & nitri vtriuſque pars vna, ex aceto. atque oleo caput vngito. aut oxylapathi radices eodem modo in oleo, & veratrum album: aut ſtaphide agria & nitro ad pares portiones in balneo vtitor: aut marina, aut muria pura cum aceto caput perfundito.

Ad vlcera capitis manantia, quæ achores dicuntur, & ad fauos, Cap. XII.

QVI achor nominatur, in cute capitis conſiſtit, tenuiáque habet foramina per quæ tenuis modicéque viſcoſa ſanies effluit. Huic ſimilis affectio eſt ea quæ fauus appellatur. maiora tamen habet foramina, quibus humor melli ſimilis continetur. eò igitur dirigere conſilium oportet vt humores à quibus oritur euacuemus: quique adhuc eò fluunt, capitis totiuſque corporis euacuatione prohibeamus, vt in alopecia dictum eſt nobis. Quum verò parua affectio eſt, ſæpe remedia foris adhibita ſufficiunt. huiuſmodi ſunt quæ craſſitiem humoris ſecant & digerunt. Nonnulla autẽ medicamenta, quum nullum excrementum in toto corpore eſt, achores incipientes curant: eáque adſtringendi & repellendi vim habẽt, vt myrtus eiúſque bacca, & pineus cortex: nonnulla verò iis auxiliantur quæ in ſuperficie ſunt & mediocres: eáque digerũt abſtergéntque ſine calore qui ſenſum moueat: nec quicquam habẽt quod irritet. talis eſt beta & plumbũ vſtum. Nonnulla verò ita vehementem vim habent vt valde craſſos glutinoſóſque humores (à quibus originem ducunt achores) euacuare, &, quanuis iam obduruerint, diſſoluere poſſint. huius generis eſt chalcitis & vini fæx, & calx viua. Acetum verò in omni tempore ad achoras vtile eſt vel maximé: ſiquidem incîdit, digerit, ac repellit. debet autem iſtud eſſe exquiſitè acre, neque vllã habere vini qualitatem. Huic adiungens aliquid metallicum, achores curabis. Sed initium ab imbecillioribus ducere conuenit, ac maximè quum dolor eos comitatur. Hanc ad rem vtile eſt Creticum, terra Samia, pompholyx, ſpodium & lithargyrus. ſi hæc nõ agant, impone medicamentum ſiccum ex charta aceto dilutum. Si id medicamẽtũ quod ex charta conficitur, tibi non ſuppetat, chartam per ſe cõbures, aceto imbues, & vteris in iis qui dura carne ſunt. Si achor inflammationis ſenſum inuehat, aut ei dolor ſit coniunctus, planum eſt eum ſedandum in primis eſſe. idque concoquente, molliente, & liquido & morſus experte medicamento: quale eſt id quod ad ſedis inflammationem dolorémque pertinet.

De oculorum turbatione, Cap. XIII.

OCulorum turbationes ex fumo aut æſtu aut puluere exortas, aut quòd defixis oculis ſplendorem aduerſum quiſpiam intuitus ſit, facilè ſedabis, ſi iubebis vt à fumo æger diſcedat, capútque operiat, ne à ſole attingatur, atque in vmbram vadat. Cæterùm ab oculis puluerem abluat primùm quidem aqua tepida & dulci, deinde verò etiam frigida. à ſplendore verò auertat oculos, tum oculis valde conniueat: ita enim turba omnis ſedabitur, nec re vlla erit præterea opus. ſed cibus erit parcior, potus verò propter æſtũ largior. Si verò ſomnus arctior profundiórque irrepat, lippitudo quæ ſubeſſe videbatur, cõcoquetur. quãobrẽ non erit à balneis abſtinendũ, ſed diligentior uictus ratio inſtituenda erit. Si lippitudo aliqua incipiat, quies imperanda eſt, palpebræque aliquo medicamento ex roſis aut croco inungendæ: plerique enim nõ ſunt horum remediorum indigentes. lemas verò in oculis & agglutinationes quæ per noctem fiunt, purgat remittítque rectè tum poſca, tum aqua frigida per ſe. & aliquid ſiccũ, quod ex oculis leniter lacrymas excutiat. ſed ventris etiã ſubductio eoſdem iuuat.

Ad inflammationem dolorémque oculorum, Cap. XIIII.

QVVM inflammatio & dolor oculos obſident, ſi medicus adſit, facito vt ipſe medeatur: ſi non ſit, tu ea quæ poſſis facito, vſquedũ medicus accedat, nequid difficilius contingat. Ergo à cibis ægrum abſtinebis, eíque quietem imperabis: dabíſque operam vt lucem vitet: atque ne ſonis aut aliquo alio motu dolores intendantur. tũ pedes contrectabis, & extremas partes quãdoque vinculis excipies: hæc enim dolorem leniunt. Porrò ad inflãmationes faciunt violæ folia impoſita, & muliebre lac recens cum ouo & roſaceo foris admotum.

Ad oculorum fluxionem, Cap. XV.

SI fluxio oculum infeſtum habeat, medicamentum agglutinans fronti ſuperdabitur. Ergo thus tritum & triticeam farinam oui candido excipies, atque adhibebis. Prodeſt autẽ caput tenere in ſublime elatum, & quieſcere, & extrema deligare. At ſi fluxio ſalſa & acris ſit, erit reddenda dulcis infundẽdo lac & oui candidum. lenias autẽ

leniter,mollique ſpongia auferuntur.Si magnus defluxionis impetus ſit cum dolore coniunctus , cataplaſma hoc imponito quod habet roſarum ſiccarum drachmas quatuor,croci drachmam vnam. excipiuntur dulci meliloti decocto.

De ſenum hebetudine, Cap. XVI.

HEbetudines quibus ſenes corripi ſolent,frictionibus, geſtationibus ſedabis: itémque moderata victus ratione,vſuque acrium,& caput pectendo,& abſinthii ante cibum,& thymi,origanique,& aceti ſcillitici potione, & oculorum inunctione ex iis quæ oculorum afferre claritatem dicuntur.Conueniet etiam ſternutamenta quotidie ciere,guttúrque inungere,& pituitam reiicere.

De hordeolo palpebrarum, Cap. XVII.

HOrdeolum verò quod in palpebris naſcitur,fotu ceræ albæ diſcuties hoc modo : cera liquata afferenda eſt,& ſpecillo calida loco admouenda . ſed idem diſcutit galbanum quod ex modico nitro imponatur.

De nyctalope, Cap. XVIII.

NYctalopes curantur,ſi iecur hircinum aſſaueris , & interim dum aſſatur,ſaniem quæ liquitur collegeris,eáque oculos inunxeris,& ipſum iecur comedendum dederis.præterea aſininum fimum exprime,eóque ſucco oculos vnge.Dicũtur autem nyctalopes qui per diem clarè vident,ſed nocte appropinquante deterius cernunt.

Ad oculos ex plaga ſubcruentos, Cap. XIX.

SI oculus ex ictu ſubcruentus ſit factus , in principio, quum adhuc inflammatio locum occupat,ſanguis columbæ calidus aut turturis locum expurgat.& item ſi foueas ſpongia quæ modicum ſalis acceperit.modò tamen ne tunica oblæſa ſit:ſi enim ſit læſa,ex aqua ſola fouẽdus oculus eſt.benefaciet quoque lana quæ ouo & roſaceo ſit imbuta,quam leuem oculo admoueas.ſtœbe etiam folia viridia illita iuuãt,& braſſicæ folia impoſita.Si malũ inueterarit,hæmalops dicitur: ac tũ quidem hyſſopi coma terenda eſt,& in linteo panno ligata in aquam feruentẽ coniicienda, & poſtea oculis admouenda : ſanguis enim conſequetur,vt ipſum ex linteo poſſis exprimere.Si verò ex plaga œdema conſtiterit , fouendus locus eſt ſpongia continenter,tum ſpongia noua aceto madens imponenda.Quum tumor inueterarit, ſinapẽ tritam cum aqua appones aſſiduè & auferes.

Ad pilos palpebrarum oculos irritantes, Cap. XX.

QVidam pilos palpebrarum qui oculum infeſtant,vulſella euellunt, ſed paulo pòſt dolore ægrũ excruciãt, quum plures ſubnaſcantur,& pungant.ergo priuſquam euellantur,præſtat eos pilos naturalibus pilis agglutinare pice & gummi. Bene etiam erit habere paratum medicamentum quod habet maſtichen,ceram,thus,& picem ſic eam.hæc autem in vnum redigenda ſunt mandendo , vt diligenter ex omnibus vnum fiat:tum in paſtillos conformanda ſunt & reponẽda.vbi verò vſus poſtulabit, ſpecillo igni candente medicamentum excipietur,ita vt liquefiat:atque ita pili agglutinabuntur.

Ad lippitudines ex niue, Cap. XXI.

SPecilli cuſpidem in roſas coniice vt coloretur , eóque oculos inungito ,triticum ſuper ferro igni candente aſſatur,eóque cum vino palpebræ inunguntur.

Ad palpebras in quibus vel rari vel nulli pili ſunt, Cap. XXII.

MVris fel , hirci ſtercus ad hanc rem faciunt: & defluuio quoque palpebrarũ proſunt,& pilos reducũt.

Ad vlcera oculorum, Cap. XXIII.

CRocum in muliebri lacte macerabis ac teres,tantũm que gummi albi addes quantum ſatis ſit ad croci conſiſtentiam. collyria confice, & vtere cum muliebri lacte inſtillando.

Ad albugines,obſcuritatem,ſuffuſionem,hebetudinem,caliginem,epicaumata,acutum aſpectum,pterygia,& albugines tingẽdas, Cap. XXIIII.

ALbugines celeriter ſanat nitrum cum oleo læuigatũ diligenter & inunctum: eas etiam attenuat omnis

A anemonæ ſuccus.Obſcuritatem verò omnem & ſuffuſionem incipientem curant vulturis fellis partes duæ , ſucci marrubii,mellis Attici,ſingulorum pars vna.aut fel vrſinum cum duplo aquæ.Exacuit autem aſpectũ capnii ſuccus:ſiquidem non paucas lacrymas trahit. Libanotidis autem radicis & herbæ ſuccus melli admixtus omnes hebetudines quæ ex craſſo humore fiunt,curat.facit ad idẽ marrubii ſuccus cum melle.lactucæ agreſtis liquor, facit etiam ad ſordidam oculorum exulcerationem , cui epi-

B cauma nomen eſt,cũ mulieris lacte ſubunctus. Medicamentum claritatem viſui comparãs:Mali granati granorum ſuccum exprime,& in vas Atticũ coniice, ac linteo circunda:& ad ſolem expone donec ad mellis ſpiſſitudinem redigatur:& pari portione mel adde, & extractum in vas picatum repone & ſerua. id enim inueteratum ſit melius. Vbi dormitum iturus ſis,eo leuiter oculos inunge:atq; hoc pictoribus,ſculptoribus, aurificibus, ſenioribúſque conueniet. Aliud. Fel hyænæ Attico melli admiſce,& vtere.hoc hebetudines cohibet , & incipientes

C ſuffuſiones diffundit:ſed ſi inueteratum ſit , erit melius. Pterygium verò,ſi magnum ſit ac durum iam effectum, medicina ex manuum opera petenda erit,& medicus adhibebitur:at ſi molle & paruum, curabis liquore ægiri cũ duplo mellis inungens.Sepiæ teſta combuſta & ſali foſſili mixta pterygium abſumit.Albugines verò tinges, ſi mali granati dulcis carnem teras,paulatim aquæ modicum inſtillando,multúmque læuigando,& poſtea oculos illinẽdo:vel alterci ſucco dies quindecim inũge.hoc enim tingit,& intra annum abolet omnino.

D Ad pulchras palpebras faciendas, Cap. XXV.

IN pueris autem & iis qui molles ſunt carne , facit hoc quod capit ſtibii drachmas XVI. plumbi drachmas VIII.croci drachmam.florum roſarum , myrrhæ , nardi Indici,piperis albi,thuris maſculi , ſingulorum drachmã vnam,oſſa palmularum numero XXX.omnia in vas fictile coniiciuntur,diligenter aſſantur , deinde in mortario teruntur, tum opobalſami cochlearia duo induntur , ſimúlque conteruntur.ea denique ſiccabis,atque vteris.

Ad rupta in oculo, Cap. XXVI.

E LApidem hæmatitem in cote deteres cum lacte muliebri,eóque per diem ſæpe oculum inunge. Aut viticis folia cum aqua & polenta tere,atque impone.

Ad palpebras craſſiores, ſubcruentas,& granorum milii plenas, Cap. XXVII.

PAlpebras inuerte,ac ſpecillo calido læuigabis, aut foliis ficulnis & melle ſubũge:aut vinum auſterum melli admixtum illine.

Ad ſcabiem oculorum, Cap. XXVIII.

F PVnici dulcis acidíque ſuccum coque donec mellis ſpiſſitudinem acquirat,eóque inunge.

Ad palpebras lepra affectas, Cap. XXIX.

PAlpebras verò quas lepra obſideat,ſanabit ficulnus liquor illitus:vel vtitor ſalis ſpuma.

Ad palpebras duras,& quæ difficulter mouentur, Cap. XXX.

MEdullæ vitulinæ & ceræ pares portiones cum roſaceo liquabis, atque vteris:aut terebinthinæ partes ſeptem,lithargyri partem vnam cum oleo & cera eliquato,&in pannum emplaſtri modo impoſita admoueto.

G Ad ea quæ in oculos cadunt, Cap. XXXI.

AQuam aut lac infunde & colline , vel melle oleóve inunge,ita vt lacryma excutiatur:aut iube vt in aquã aſpiciat aut in vinum.Quæ autem in oculo incident,recina recenti contingens auferes,idque capillo humano potiſſimùm,aut,ſi hoc non poſſis,ſuilla ſeta.Quæ verò infixa inhærent,& oculum lædunt , vulſella auferenda ſunt. Quæ denique ſub palpebra deliteſcunt, euelluntur inuer-

H ſa palpebra:tum lacte locus colluitur.

Ad pediculos palpebrarum & ciliorum, Cap. XXXII.

PEdiculos palpebrarum & ciliorum curant cum melle aut vino ſandaracha & vua taminia inunctæ.

Ad ægilopas & chalazia, Cap. XXXIII.

AEgilopes,in quibus in profundo non corruptum eſt os,curant chamæmeli folia commanducata & impoſita,vel ægilopis,qui in tritico naſcitur,ſuccus cum triticea farina illitus,plantaginis folia commanſa & illita. Vbi verò ruptus abſceſſus fuerit, regiæ nucis interna pars cõmanſa imponitur, aut etiam columbæ fimus læuigatus & thuri admixtus, vſquedum ad cicatricẽ perueniat,imponitur:in lapidem enim coit,ac permanet ibidem. Propolis verò & terebinthina cum alica teritur, & in ſplenio imponitur: aut alumen ſciſſile, quod plurima terebinthina exceptum ſit. Chalazia verò digerũt groſſi coctiilliti, itémque folia ficulna.

De affectionibus aurium,de difficili auditu, & de ſurdis, Cap. XXXIIII.

HVmor quidam in meatibus auditus conſtipatus in cauſa eſt vt difficulter homines & nihil audiant. ergo colluere plurimis diebus oportet paribus albi aceti & aquæ portionibus, iiſque cũ nitro læuigato feruefactis: deinde verò colluere aqua calida ſola.tum infundenda erunt ea quæ ad difficilem auditum valẽt,qualia ſunt hæc: Nigri ellebori radicem cum aceto ac melle tere,in aures inde,ac medicamentum ibi ſine dies quinque.aut cardami quod ſatis eſt,& nitri parum:eáque carne ficuum eiectis granis excipe,ac collyrium quod meatui auditus cõueniat,facito:idque triduum intus habe. id enim ſordes educet abundè:& ſtatim leuabitur.

De aurium dolore, Cap. XXXV.

AVrium dolores,ſi à frigore oriantur, calida ſtatim curant.Ergo cepa & allium quæ in oleo ferbuerunt, infundenda ſunt,atque ita dolores curantur.itémque pauciſſimum euphorbii plurimo oleo mixtum:aut piper diligenter tritum.amaracinum quoque iuuat, & nardum optimum eſt:aut rutaceum ex oleo tenuium partium & nõ adſtringente factum.

De aqua quæ auribus continetur, Cap. XXXVI.

SI aqua in meatu auditus contineatur,oleum continenter infundere conuenit:idque colluendo,& lana molli abſtergendo,& iterum infundendo. Lenit autem moleſtiam oui candidum & tenue,& lac muliebre:quæque adhibentur,calida ſint omnia.ita affectos iuuat adeps anſerinus. Siquis autem ei pedi innixus qui eius partis ſit quæ patitur,ſaliat,capútq; quodammodo decliue teneat, humor qui in aure eſt facilè excernetur: ad ſummã verò, ſi quis aurem affectã alteri præbeat vt ore exugat,ita quoque ſugendo humor educetur. At ſiqua inflammatio adſit,nardinum vnguentum cum exigua tetrapharmaci portione infundendum eſt.Si magnus ſit dolor,opus erit adhibere quæ ſenſibus ſtuporem afferãt:miſcebimus enim cum lacte muliebri & oui candido papaueris liquorem: ſed & caſtorium addemus. atque ad vehementiores quidem dolores,par pondus:ad leuiores verò,duplum.Decoctum autem eſto ſapa liquida:& quum vti volueris,in eodem decocto leniatur,ac remittatur.Sed præſtat hoc medicamentum longo antè tempore confectum ſeruare. Cæterùm quum dolor vrget,meatus ipſe audiendi tangẽdus nõ eſt,ſed ſpecillo cui lanæ molliſſimæ hapſus inhæreat,fouendus.atque eodem modo curabis vt medicamẽtum tepidum in aurem effluat,ita vt ad auris foramen ſpecillum medicamento intinctum admoueas:& quum id intrarit,lanam mollem ſuperimponas,qua initium meatus totáque auris contegatur:fouebíſque nardino quod parũ admodum tetrapharmachi acceperit.Si æſtas ſit, aut calor ægrum occupet,locus roſaceo foueatur. At ſi ſuſpiceris craſſum aut glutinoſum humorem,aut ſpiritum flatuoſum in aure eſſe,miſcebis aliquid eorum quæ obſtructionem tollunt. Hanc verò cauſam ſummo artificio ſubeſſe cognoſces,ſi quæ morbum præceſſerunt, quæque eo tempore adſint,animo diligenter voluas: nam ſi frigus anteceſſit,ſpiritus flatuoſus morbum gignit: ſi victus ratio ex rebus mali ſucci inſtituta fuerit,atque ex rebus conſtiterit quæ gignere flatum ſolent, capútque grauitate opprimatur,cauſa morbi in craſſos ſuccos referenda eſt. Vbi cauſa aliqua tibi nota fuerit,nitrum & aphronitrum medicamentis admiſce quæ ad aurium affectiones parãtur. addes etiam vtrunque veratrum,amygdalas amaras, ex ariſtolochiis eam quæ tibi ſit ad manus; cucumeris ſylueſtris & bryoniæ radices: itémque aſari & dracontii: caſſiámque,& centaurium minus.hæc enim & meatus expurgant,& quæ intus compacta ſunt attenuant.Inflammationes verò quæ mites ſunt & pulſûs expertes, facilè curantur.imponitur enim oxyrhodinum tepidum, & glauciũ cum aceto.ſed glaucium in cote medicinali fricandum eſt.

Ad inflammationes & laxos tumores qui in extremitate auris ſunt, Cap. VI.

INflammationes verò quæ inſuperficie aurium, itémq; laxos tumores & rubores qui vel ex defluxu vel ex ictu facti ſint, curantur lenticula in aqua decocta atque cum melle trita,& impoſita.vel anſerinus adeps & butyrum & myrrha miſcentur,imponuntúrque.

Ad aures vulneratas & purulentas, Cap. XXXVIII.

VLceratas autem purulentáſque aures glaucio cum aceto curabis:ſi defluxio comitetur,paſtillis,qualis eſt is qui ad Andronem quique ad Polyidem authorem refertur.Si verò etiam citra vehementem dolorem pus procedat,nihilominus eiſdem vtitor.Si hæc remedia non efficient quod ſatis ſit,vehementibus vtemur: vt ferri recrementum in tenuem pollinem redigitur, atque in aceto acerrimo decoquitur ad ſtrigmenti aut mellis conſiſtentiam.Ad aures autem ex plaga vlceratas medullam calidi panis terimus,& myrrhæ dimidium miſcemus,atque imponimus. hæc neque alliganda ſunt,neque vbi impoſueris,aſſiduè auferenda.

Ad aures fractas & relaxatas,ad earum fluxum ſanguinis,ad tinnitum repentinum,& ad lapillos,aut fabas,aut quid tale,aut parua animalia quæ in aures inciderint, Cap. XXXIX.

AD aures fractas,myrrham,mannam,thus,terram nigram aut Samiam probè in vnum compone, & ad cerati craſſitudinem redige, atque impone, nullo modo locum irritans.aut ſulfur viuum,aut thus cum pice liquida in ſplenium indita impone.In quibus verò aures relaxatæ ſunt,cape terram figuralem, auréſque ea intrinſecus implebis,quum inaruerit: ſolano & ceruſſa illine donec reſideat.Si verò ſanguis ex auribus fluat, vt grumos non faciat,porri ſuccum & acetum miſcebis, atque infundes. aut mali granati aceto incocti ſuccum exprime,& infunde.Si ſanguinis fluxus perſeueret, rubi gallarúmque in aceto decoctarum ſuccum exprime,ac ſimul miſce, & inſtilla.Ad repentinos verò aurium ſonitus acetum cum roſaceo infunde. aut cuminum & oleum ad mellis ſpiſſitudinem redige,atque infunde,aut ſuccum radicis cucumeris agreſtis.Si tinnitus perſeueret,ægrum reclinabis,& nitrum crudum,tritum in aurem impones, & acetum acre tepidum infundes. Ad ſonitus verò qui ex morbo orti ſunt,vbi abſinthii decocto foueris,oxyrhodinum infundes,aut raphani ſuccum cum roſaceo,aut porri ſuccum cũ lacte mulieris, aut cum roſaceo. aut ſylueſtris cucumeris folia teres,ſuccúmque exprimes,eúmque infundes. At ſi lapillus,aut faba,aut aliud generis eiuſdem in aurem inciderit,alligabis ſpecillo carptum lanæ,eámque terebinthina intinges,aut aliqua re glutinoſa,& in aurem demittes, ac leuiter euelles.Si minus ſequatur, naribus indes quod ſternutamentum excitat. ſed os & nares obturabis: nam impetus ille qui fit,efflabit rem quæ inciderit. id verò erit faciendum aſſiduè,donec res quæ in aure eſt,excidat: nam ſi maneat, & auris inflammatione tentetur,conuulſiones conſequentur.Si animal aliquod inciderit, ſcammoneam aceto dilues,aut ſuccum abſinthii,aut peucedanum, aut ſulfur & nitrum cum ſucco raphani, & inſtillabis.

Ad vermes qui in auribus ſunt,& cætera omnia quæ in aures ſunt ingreſſa. Cap. XL.

AD vermes autem aurium, & reliqua omnia quæ in meatum audiendi ſunt ingreſſa, acetum oleúmque

mixta inſtilla,aut capparis ſuccum,aut nepetæ ſuccũ, aut veratrum album cum vino infunde.

Ad aurium ſordes, Cap. XLI.

NItrum toſtum in aurem immittes, tum acetum inſtillabis,& lanam appones,itáque ſines per totã noctem.die ſequenti aqua & oleo calido collue.

Ad aures humidas, Cap. XLII.

MIſy cõbuſtum in panno læuigatum inſufflabis. aut gallas eodem modo teres, combures, atque vteris. aut alumen aſſabis læuigabiſque,& oleum infundens inſufflabis.

Ad carnem quæ in auribus ſupercreuit, Cap. XLIII.

CArnem quæ nimium in auribus creuerit,celeriter auſert fæx cum calce viua &lixiuio ſtillatitio, ad ſtrigmenti craſsitudinem redacta,& ex lana & ſpecillo impoſita.

De parotidibus, Cap. XLIIII.

QVemadmodum in aliis partibus inflãmatis vtimur repellentibus,nõ ita in parotidibus facimus,ſed cõtra,attrahentibus:quum demus operam vt humorem qui lædit,celeriter ab imis partibus ad cutim trahamus,& naturam adiuuemus quæ per abſceſſus febrim curat.In quo caſu ſi natura ſatis idoneo impetu feratur,nos quieſcim⁹, totúmque illi negotium permittimus. tantummodo autẽ lenimus & concoquimus humores ibi collectos : qui vbi in pus verſi fuerint,in id incumbimus vt diſcutiantur. Si verò durities appareat,attrahentibus addimus molliẽtia. At moderatas parotidas in quibus neque plenitudo eſt quæ cõfluat,neque violentus dolor,neque ſuppurationis ſuſpicio,facilè curabimus.idque faciemus fomẽtis ex muria & cataplaſmatis,ac medicamentis in quibus maior ſit vis digerendi:qualia ſunt Mnaſæi ,& ex ſuccis quod διὰ χυλῶν vocatur:& itẽ cerata molliora,& quæ ex butyro atque œſypo conficiuntur,buccinæque combuſtæ,& purpuræ,& oſtrea quæ adhibentur iis parotidibus quæ iam duræ factæ ſunt,atque inueterarunt:ex iis enim medicamẽtum fit quod nõ ſolùm dolorem morſúmque nullum affert,ſiquis eorum cinerem melle diluat, ſed etiam multo magis erit tale ſi veterem ſuillum adipem ſalis expertem villis eiectis admiſceat.ita enim citra omnem dolorem & moleſtiam omnes inueteratas inflammationes , quǽque ex affectione quam gignit defluxio oriuntur , diſcutiet. Iam verò ad eas quæ iam duræ factæ ſunt,accommodatæ ſũt caricæ in marina aut muria coctæ. Simili quoque modo amarorum lupinorũ farina cum melle cocta,cui parũ calcis viuæ acceſſerit:qua cataplaſmatis modo eſt vtẽdũ.

De narium affectionibus:de ozæna & polypo, Cap. XLV.

COmmunis ozænarum polyporúmque curatio eſt vt primùm ſiccemus,capútque roboremus :eíque imponamus aut medicamentum ex anemona,aut quod ex cochleis cõſtat.cuius hic eſt apparatus: capit enim myrrhæ, thuris,ſingulorum vnciam vnam,cochleas integras ducẽtas,alba ouorum duo.omnia in mortario conteruntur ac miſcentur,tum illinenda ſunt linteo ſuperimpoſito, ac ſinenda per dies nouem.atque ita vtitor remediis quæ foris loco admouentur.In polypis verò vtimur eo medicamento quod ex punicis cõſtat:eſt enim valde efficax. Ad quod conficiendum capienda ſunt mala punica auſtera, acida &dulcia,pari numero & portione:totáque,quũ adhuc recentia ſunt & matura,tundenda, frangendáque, & ex iis ſuccus exprimendus,& in vas ſtanneum coniiciendus.prius autem eſt modicùm decoquendus, ſi liquidior quàm par eſt videatur. quod verò ex iis relictũ eſt, quod firmũ durúmque eſt,diligenter cõtundendum eſt, atque iterũ in pila læuigandum. ex eóque collyria cõficies quæ ſimili ratione naribus ægrotantis cõuenient:nã in meatu naris in quo polypus eſt,accõmodantur.hócque medicamentum,& ſine mordicatione & ſine vlla affectione,quæ per cõſenſum afferatur,idẽ quod medicamenta acria, efficiet,ac lõgiore tẽporis ſpatio polypũ abſumet. At ſi polypus humidior flaccidiórq; tibi videatur, maiorẽ punicorũ auſterorum copiã in medicamẽto pones: ſi durior, dulciorum. Si collyrium moleſtiã cruciatúmque afferat,

A & omnino attendatur ,præcidendus vſus erit.& quo tempore collyrium nõ adhibetur,ſucco expreſſo(vt diximus) vtemur,locúmque ipſum affectum, & internam oris partem qua foramen in palato naris habet,aut penna, aut lana quæ ſpecillo obuoluta ſit,illinemus.Diphrygesquoque longiore tẽpore polypũ cõſumit. Si cui autẽ propter mollitiẽ corporis hæc mordacia videãtur,tũc roſætritæ imponentur:ipſæ enim molliahu midáque corpora mirificè iuuant. Eſt etiam planũ hæc aſſiduè admouenda eſſe:quandoquidem ab humore colluuntur atque humectantur.

B Ad vlcera quæ in narium meatibus inſunt, Cap. XLV.

VLcera quæ narium meatus obſident,curantur paſtillis Andronis & Polyidæ, quæ vino quandoque dulci,quandoque auſtero,& ſæpe etiam aceto diluta imponũtur. Verùm ſi humor per meatus acrior effluat,vlcera quidem difficilia curatu ſunt, cæterùm tetro odore vacant. At ſi acrimonia putredóque adiuncta fluenti humori ſit, ozænæ exoriuntur.eas curabis nepetæ ſuccum effundendo,aut mel in nares coniiciendo, naréſque dilatando, ac

C ſternutamentis ramenta vlceris educendo. Vel album veratrum in puluerem rediges,faciéſque vt æger naribus inſpirãdo quàm plurimum eius poſſit attrahat. quod quum fecerit, amurca cum melle locum continges, meatúſque chalcitide,aut atramẽto ſutorio cum melle . ſi vetuſta vlcera ſint,acre acetum adde.

De deſtillatione & grauedine, Cap. XLVII.

HVmores ex capite deſtillãtes,ſi negligantur, multorum eſſe malorum cauſæ ſolẽt:nam vel gurgulionẽ inflãmant & tonſillas:idque mediocre eſt malum.aut gi-

D gnitur raucitas, quæ in gutture diuturnam affectionẽ parit:idque nõ exiguum malũ putatur. Ac nonnulli etiã inuenti ſunt qui ex deſtillatione ſanguinem per ſputum reiecerunt:púſque collegerunt,ex quo tabidi euaſere,& vox læſa fuit. ergo deſtillatio omnino curanda eſt tũ paucioreˆ cibo tum minore potu:& irini fæcibus ſinciput illinẽdum eſt,& abſtergendum decoctione rutæ,atque oleo laurino:ſiquidẽ hæc concoquũt,& craſſum reddunt id quod deſtillat.Prodeſt etiam capite obuoluto eſſe, & nunquam ſupinum dormire:quippe quũ in iis qui ita dormiunt, humor in arteriam facilè cõportetur. Oportet autem aſſiduè

E gargarizare ex adſtringentibus, vel roſas aqua decoquendo,aut rhun,aut lentiſcum,aut id facere poſca.Non peſſimè autem feceris ſi deſtillationem in nares deriuaris:atque odoramentis quidem,vt melanthio & aniſo : iis quæ infundantur,vt melanthio trito cum aceto,aut ſucco betæ & anagallidis:humor enim illuc confluens pulmonem periculo eximit.At grauedo, ſi parum moleſtiæ adferat, facilè ſiſtetur irini laurinique vſu:& olei in quo lini ſemẽ & ruta cocta ſint,& capitis obuolutione,paucioréque victus inſtituta ratione.

F Ad frequentia ſternutamenta & grauedinem, Cap. XLIII.

MElanthium aridum in linteo ligabis manibúſq; cõfricabis.puluerẽ,qui in linteo remanebit, plurimũ iube ab ægrotante per odoratum trahi.Vel thymum adipe inuolutum ſub cinere tege.vbi aſſatum ſenties,tere,ac iube vt naribus odor attrahatur. aut myrrham in vino odorato diſſolues,eáque craſſiſsima nares illines.

Ad ſugillata, Cap. XLIX.

G SVgillata fouenda ſunt meliloti fœnigræcique decocto.tum reſoluendũ eſt Nili collyrium ex roſis eodem decocto,& illinendum :his peractis, ſolius fœnigræci decocto fouendum, & collyrium quod ex myrrha fit inungendum.Hac ſanè ratione ſugillata,niſi penitus inueterata ſint,curabis.ad ea enim vtendum eſt iis quæ ſtrenuè digerunt,quæ mox deſcribemus.

Ad ſugillata incipientia, Cap. L.

SVgillata quæ etiamnum incipiunt , ſanat nouellus caſeus impoſitus:aut fabacea farina cũ melle diluta: aut

H oui vitellus cum melle ſimili modo.Ea verò quæ iam inueterarunt nigráque ſunt facta,curat raphanus impoſitus, qui tunc auferendus eſt quum morſum incipit excitare. aut radix ari imponi poterit,quæ etiam melli admixta ſuperdatur . Sugillata autẽ quæ cũ inflãmatione ſunt,foue-

bis aqua calida, tum cataplaſma admouebis ex lentibus A
coctis tritiſque cum melle. Si inciſa cutis ſit, in ipſam di-
uiſionem pones aliquid eorum quæ ad cruēta valent: ex-
trinſecus verò pones ea quæ faciūt ad ſugillata, in quibus
præciſa cutis non eſt.

Ad varos, Cap. LI.

TVmor durus exiguúſque eſt qui varus nominatur. is
in faciei cute exoritur: poſtulat autē auxilia quæ mol
liant quǽque digerant. Ergo mellis Attici cyathum ace-
to acerrimo paribus portionibus admiſceto, ac diligen- B
ter varos inungito, digitis confricando. aut alumen acu-
ratè læuigabis, terebinthináque excipies, & vbi emollie-
ris impones. Ad eos autem qui inueterati ſunt & in callū
declinarunt, cape ſaponis Gallici drachmas quatuor, am-
moniaci drachmam vnam: aqua diſſoluantur, & ad cera-
ti craſſitiem redigantur, tum illinantur, & vbi horæ ſpa-
tium trāſactū fuerit, tepida aqua abluantur. Aliud. Ni-
tri, gummi albi par pōdus aceto diſſolue teréque diligen
ter, & paſtillos cōfice, & in vmbra eos ſicca. quum vti vo-
lueris eos aceto diſſolue, & illine. vbi inaruerint, ſapone
eos abſterge. Hoc etiam medicamētum facit ad eas affe- C
ctiones in quibus tuber eſt: & item ad pruritus faciei.

Ad eos quibus in mento ficoſæ eruptiones
fiunt, Cap. LII.

LIthargyri, miſyos par pondus tere & illine: aut gluten
fabrile cum rubrica illine. Aliud valde ſtrenuū: Ela-
terii, ſalis foſſilis, pares portiones miſce, & impone li-
quidum ſpecilli cuſpide, ita vt medicamentum ingre-
diatur. vbi id indideris, vngendus locus eſt lini ſemine
quod ex aqua ſit læuigatum. Si vlcera perhumida ſint
vt ex eis aqua pura effluat, vtendum erit Andronis pa-
ſtillo. Ad exanthemata verò quæ in mento erumpunt, ca- D
pe ferrum igni candens, ſupérque eo lignū paliuri pone,
humorem qui inde emanat excipito atque illinito: aut
myrti baccas tritas ex vino illine: aut atramentum ſuto-
rium cum aceto læuigatum impone.

Ad ephelidem, maculas, & lentigines.

VItis agreſtis racemi curant ephelidas, & maculas, &
quæcunque ſunt generis eiuſdē quæ in cutis extre-
mitate exoriuntur. Amygdalæ autem amaræ ephelin au-
ferunt, itémque amygdalæ arboris radices coctæ atque
illitæ. coſtus quoque cum hydromelite ad ephelidas fa- E
cit: braſſica verò, & ad ephelida, & ad lentiginē, & ad cæ-
tera ad quæ mediocri abſterſione opus eſt. ſepiæ teſta cre
mata ad ephelidem & lentiginem valet.

Quæ faciem ſplendentem tenſámque reddant, quǽq;
bene coloratam præſtent, & vetent ne à ſole
exuratur: & quæ exuſtionem ſa-
nent, Cap. LIII.

CVcumis qui edendo eſt ac maturus, ſplendidum
corpus reddit: præſertim verò ſiquis eius ſemen ſic-
cauerit, deinde contuderit & per cribrum traiecerit, & F
purgamento vtatur. Crocodili quoque terreſtris fimus
faciem illuſtrat, tenſámque cutim reddit. eius ſimilis eſt
ſturnorum, quum ſolùm oryzam comederūt. hæc abſter-
gunt etiam ephelin. Iam verò cucumeris agreſtis radices
incidito ac torreto, & in aqua decoquito, terito deinde:
hoc enim extentam & candidam faciem reddet. Simili
quoque modo bryoniæ radices oleo incoctæ & illitæ fa-
ciem ſplendore perfundunt. itémque erui farina ex vino
odorato læuigata & impoſita. Vel ſimilæ ſuccum percola
bis, humorémque effundes, & ei quod reliquum erit, vel- G
uti fæx, oui candidum admiſce redigéque ad mellis ſpiſ-
ſitudinem: hócq; faciem inunge, ſi in ſole ſis moraturus.
Si facies vſta à ſole fuerit, multa aqua gelida perlue. Ter-
ra Chia illita conciliat ipſa quoque faciei venuſtatem &
bonitatem coloris, & toti etiam corpori. Scrobs etiam cu
preſsi & ilicis, quæ in eodem ramento ferueat, eáque to-
tum corpus illinatur. Vt autem ne à ſole quiſquā vratur,
&, ſi vſtus ſit, ſanetur, facit bulbus albus cum melle tritus
atque illitus. H

Ad fœdos alarū odores & hircos, Cap. LIIII.

VT axillarum tetros odores auferas, myrrham cum a-
lumine inungas, aut crocomagma, aut ramēta cum
A alumine & vino odorato. præterea cardui radicem de-
coctam potui dato.

Ad tetrum oris odorem, Cap. LV.

OS verò odoratum reddes ſi iridem vino antiquo o-
dorato macerabis, eóque vino os aſſiduè collues at-
que in ore paululum tenebis. Fœdum verò oris odorem
tollit vinum purum cum myrrha, quo os colluatur: & vi-
ni flos tritus. mādunt nonnulli iridem, aut aniſum, aut ſi-
mile quippiam.

B Ad labia fiſſa, Cap. LVI.

GAllam immaturam tere, atque excipe terebinthina,
aut hyſſopo, aut melle, atque illine. Si fiſſa altius fue-
rint, ſeuo caprino expurgato, aut medulla bubula, aut adi
pe anſerino ſubunge.

De affectionibus dentium, & ad dentes mo-
biles, Cap. LVII.

QVVM dentes propter ſenectutem mobiles laxíque
ſunt, tum parum auxilii capiunt ex rebus adſtringē-
tibus, & gingiuas à quibus continentur, conſtringentib9.
Si ex alia cauſa moueantur, coniectandum eſt vtrum pro
C pter nimiam humiditatem is neruus qui in eorum radi-
ces peruenit, ſit relaxatus. quo in caſu medicamentis vtē-
dum eſt ſiccantibus. Ergo rotundum alumen cum duplo
ſalis eſt dentibus aſpergendum. Aut vlmi corticem in vi
no decoque, & iube vt in ore contineat. Sed dentiū quo-
que foramina ex deſtillatione acrium humorum fiūt. ex
quo patet ad hæc etiā opus eſſe malitiam humorū exic-
cantibus. At ſi humiditas multa ſit, capiti cōſulemus, vel
etiam totius corporis habebimus rationem: ſi pauca ſit,
ſolis auxiliis contenti erimus quæ foris applicantur. Atq;
in principio quidem vtemur repellentibus, vt id quod in
D fluit cohibeamus: quum ſæpe euenerit vt ex horū vſu an-
te inflāmationem æger ad bonā valetudinē ſit redactus.
Verùm ſi adſit inflammatio, adhibebimus ea quæ citra
morſum calefaciunt & euacuant. Si dolor per hæc nō ſe-
detur, quæ vehementer calefaciunt admouebimus, quale
eſt piper, & fæx combuſta, & pyrethrum, & euphorbium:
ex quibus aliquid in dentis foramen eſt coniiciendum.
Quandoque etiam vſuuenit vt quum præ nimio dolore
vigiliæ oriantur, iis vtendum ſit quæ torporem inducūt.

Ad dentes corroſos, itémque molares, & ad eos
E qui liuidi ſunt, ac dolent,
Cap. LVIII.

AD dentes exeſos cape gallam tritā, lycio aut terebin
thina exceptam, atque illine. loco autem prius repur
gato, piper aut cachry opio excipe, & in exeſam partē im
pone: aut pyrethrum cum myrrha: aut liquoris Cyrenai-
ci & piperis æqualem portionē cum galbano. Ad mola-
res verò eroſos, melanthium torrefacito contunditóque
cum aceto acerrimo, & exeſam partem aſperge: & nō am-
plius exedetur. veratrum nigrum ad erui magnitudinem
F cum melle cocto impone. Qui verò liuidi facti ſint, ſi id
ex defluxu humorum vitiatorum patiantur, ſiccantibus,
ſicut etiam eroſos, curabis. Si dentes citra gingiuarum in
flāmationem doleant, quandoque corpus ipſum dolorē
continet, quandoque verò neruus qui corpori inſeritur.
ex quo fit vt vehementiora poſtulent remedia, ſiue repel-
lere ſiue digerere quiſpiā doloris cauſam velit: eáq; ſiue
ſuccus, ſiue ſpiritus flatuoſus eſſe videatur: quamobrem
quāplurima ex iis remediis ex aceto acerrimo parantur.

Ad dolores dentium, & de iis quos frigus oblæſit,
G quíque mobiles ſunt, Cap. LIX.

PLantaginis radices cōmanſæ, & decoctæ ad os colluē-
dum: aut myrti virgulæ cum aceto coctæ: aut penta-
phylli radix vino cocta: aut galla in aceto multùm cocta:
aut veratrum nigrū cum aceto quo os colluatur: aut cap-
paris radicis cortex. Ad dentes verò qui ex frigore dolēt,
pyrethri radix facit, & vini fæx, terebinthina, hyſſopum,
vua taminia, pulegium cum oxymelite, alterci ſemen &
folia cum aceto, aut lacte aſinino, vt os colluatur: quod e-
H tiam laxos dentes confirmat. Extrinſecus autem fouebis
ſaccellis, in quibus ſal, aut milium, aut panicum ſit. ipſum
verò dentem fouebis hoc modo: origani cymas oleo fer-
uenti intinges, & ſuper dolentem dentem pones.

Apophlegmatiſmi pituitam euocantes in dentium doloribus, Cap. LX.

PItuitam è capite educit vua taminia per ſe,& cum pulegio commanſa.aut allii ſpicas quinque,myrti nigræ pauca folia cum aceto agita rudicula tædina;& coque vſque ad medietatem, idque dato ad os colluendum & in ore continendum:deinde os latè aperiendum vt pituita poſſit effluere.

Quomodo dentes atque adeo ipſos molares ſine dolore eximas, Cap. LXI.

FArinæ triticeæ denarium vnum cape, & cum liquore tithymali temperabis,ac dentes ea circundabis: ſupra autem hederæ folia impones,& per horam ita ſines, tum auferes.nam dens per ſe ipſe comminuetur.

Ad dentes imbecillos,aut molares & cõtuſos,&ad eorum ſtuporem, Cap. LXII.

MEL & ceram pari pondere aqua calida in ſole emollies, picis dimidium admiſcebis, dabiſque ad maſticandum.Si aridum hoc medicamentum ſit, parũ olei addes.maſtiche etiam commanſa bene facit.Quibus autem dentes mutuò ſeſe contundunt,tanquam id ex mollitie patiantur,indurandi ſunt adſtringentibus medicamentis.Ad dentium verò ſtuporem facit portulaca,& itẽ eius ſuccus:aut oleum ore contentum.

Ad infantes dentientes, Cap. LXIII.

QVVM infantes dentes emittũt,& dolore vexãtur, eorum gingiuæ lacte canino illinẽdæ ſunt, aut leporis cerebro: quod valet etiam ſi eſui detur. Si ægrè dens exeat, cypero cũ butyro, & oleo ſuſino vbi exoritur dens illines.

Medicamentum quod à dolore dentes tuetur, eóſque roborat,facítque vt decori dentes ſint, Cap. LXIIII.

TIthymali radices in vino vſq; ad dimidias coquito, & bis in mẽſe os colluito:& nunquam dolorem ſenties. Optima quoque ad tuendos dentes à doloribus, ad eóſque confirmandos, & ad pulchritudinem eis comparandam ea quæ ſubſcribam, quibus dentes abſterguntur. Caput ergo leporis combure,in puluerem redige, eóque dentes deterge:itémque ſalẽ & mel læuiga vſquedum cerati ſpeciem acquirat,& puro linteo illigata cõbure: tum modicum iridis adde,& deterge.

Quæ dentes ſplendidos illuſtréſque faciunt, & flaccidas gingiuas ſiccant, Cap. LXV.

DEntes illuſtrat cinis nõ admodum læuigatus oſtreorum,buccinarum & purpurarum:pumex, teſta clibanorum eodem modo.Sed ſi cum ſale comburantur, dentes maiore efficacia detergent:& gingiuas humectas flaccidáſque ſiccant. Sepiæ teſta non combuſta,& trita ſimili modo dentes nitore perfundit:itémque ceruinũ & caprinum cornu dentes nitidos facit,& gingiuarum humiditatem exiccat.

De gingiuarum affectionibus,déque iis quæ ex inflãmatione dolent,quæ defluxione grauãtur,quæque exeſæ ſunt, & de caruncula quæ ex gingiuis inter dentes exoritur, quæ ἐπουλὶς dicitur, Cap. LXVI.

OPtimum remedium eſt ad gingiuas inflammatas & dolentes oleum lentiſcinum purum, quod calidum in ore teneatur.eſto autem oleum recens factũ,& in duplici vaſe calefiat: id enim ſine aſperitate reprimit,& ſine morſu digerit:quibus rebus opus eſt ad inflammationes vel maximé.huc faciunt etiam ea quæ ad dentium dolores ſuprà fuerunt à nobis deſcripta.ſed magis propriè valet ad hoc acetum in quo hyoſcyami radix cocta ſit. Ad gingiuas verò quæ defluxione infeſtantur,exeſǽque ſunt cum tumore atque dolore,altéque morbus eas depaſcitur,valet hæc fomentatio: Specillo lanã alligabis,oleo feruenti intinges,& gingiuis admouebis vſque dũ adæquẽtur,& partes circulo adiacentes cãdidæ fiãt:ita enim cohibetur ne vlterius ſerpat quod depaſcitur,& quod ex ſana carne exeſum erat,nutritur.poſtea verò vteris dẽtifricio, quod cõſtat ex galla in tenuiſſimũ pollinẽ redacta, quantũ acetabuli magnitudo eſt, cũ myrrha quantũ fabæ im-

A plet magnitudinẽ:his tritis ſiccíſque vtitor.Ad carunculã verò è gingiuis enaſcentem adhibe atramenti ſutorii & myrrhæ pares portiones, quibus modicum aluminis ſciſſilis adiungatur.

Ad cruentas gingiuas, Cap. LXVII.

SVmmum cruentarum gingiuarum remedium eſt alumen liquidum cũ duplo aloës impoſitum:aut alumen & myrrham tenuiſſimè conterito,& ex melle illinito.

De oris affectionibus, déque inflammatione, & aphthis, Cap. LXVIII.

B QVVM oris inflammatio eſt,ſi totũ corpus plethoricum aut redundans malis humoribus videatur, tum venæ ſectione & purgationibus vtimur, clyſteréſque & cibi potioniſque abſtinentiã imperamus.ſi neutrum horũ ſubſit, ſtatim ad ea remedia cõfugimus quæ loco foris admouentur. Itaque in principio reprimimus iis quæ adſtringunt & refrigerant: quale eſt quod ex moris conficitur,cui omphacium acceſſerit:aut flos roſarũ,aut ipſæ roſæ ſiccæ,balauſtiũ,malicoriũ, gallæ immaturæ, alumẽ, rhus, glaucium , & decoctum myrti atque aluminis ſciſ-
C ſilis.deinde verò ſatis eſt confectio ex moris quæ crocũ & myrrham acceperit,vt inflãmatio cõcoquatur.Quum verò iam ipſa concocta fuerit,digerentibus opus erit.addemus igitur aphronitrum, & nitrũ,& ſulfur viuũ,id quod eſt omniũ validiſſimum.quandoque autem ſapam,quandoque verò mulſam ei admiſcebimus, in qua mulſa incoctum ſit origanum,aut hyſſopum, aut pulegium,aut thymum,aut ſatureia,aut nepeta.Inuenta enim medicamenta,quæ mediæ facultatis ſint,eò fuerũt vt,quũ vſus poſtu-
D laret,ea miſceremus quæ accõmodata eſſent. In ſtatu autem inflãmationum rarò vtendũ eſt medicamentis quæ ad os pertinẽt.ſed tamen os colluendũ eſt ac gargarizandum iis quæ inflammationis vehementiã leniant: quale eſt decoctum caricarum,& decoctum furfurũ,& oleum lẽtiſcinum,quod in duplici vaſe ſit tepefactum. Sed ipſum medicamentum,quod, quia ad os pertinet,ſtomaticũ nominatur,in ſtatu poteſt colluendo ori adhiberi, ſi modò mulſæ dilutiori & defruto calido miſceatur : ſi verò hæc nõ adſint,aquæ calidæ. Quæ ego memoraui omnia,vt tu
E ex ea materia quæ tibi facilè ſuppetat, conficere medicamentum queas. Ex vlceribus autẽ quæ in ore ſunt, quæcunque flaccida ſunt,poſtulant egregiè ſiccantia medicamenta quale eſt diphryges, tum per ſe,tum cũ melle aut vino mulſo.Prodeſt etiam Muſæ paſtillus,& ſuccus rhu, & õphaciũ.Verùm vlcera oris ſimpliciora curari poſſunt iis medicamentis quæ ad oris aphthas inſcribũtur, vt quod ex moris eſt & rubis,& cætera.Quæ verò oris vlcera abũdè humida ſunt,& prope ad oſſa accedunt, periculum eſt ne ſyderentur.ideo fit vt vehementiſſima medicamenta
F exigant.Ergo aliquem ex prædictis paſtillis in puluerem redigimus,atque ita ſiccum imponimus.nam ex humore & calore earum partium quæ ore continentur putredo ſtatim fit: quamobrem validiſſimis medicamentis vti ad huiuſmodi vlcera plerunque cogimur.validiſſima autem ſunt quæ cruſtam excitare poſſunt æquè ac cauteria. Vlcerationes verò quæ in ſuperficie oris oriuntur, aphthas nominant:eæ plerunque in infantibus naſcuntur. quibus remedium vtplurimùm adhibetur iis quæ modicè adſtringunt.Quandoque etiam inueteraſcunt, aut temporis
G diuturnitate difficulter curantur,quum putredinẽ genuerint & affectionem excitarint quæ à ſerpendo & depaſcẽdo νομὴ vocatur. Ergo infantibus qui iã ciboscomedũt, lentem cum modico panis,& medulla vitulina, aut ceruina dare conuenit,cibíſque miſcenda erit portiuncula malorum cydoniorum , & aliorum quæ adſtringendi vim habent,vt pirorũ,ſorborum & meſpilorum. ſique aphthæ ignitæ ſint,lactuca erit cibis addẽda. At ſi infans nõdum poſſit comedere,nutrici hæc dabis. ſed conueniet etiam infantes medicamentis illinere . Si aphthæ ſubrubræ
H ſint, in principio imponentur ea quæ modicè refrigerant & adſtringunt:tum vtendum erit iis quæ citra morſum digerunt:ſi ſubflauæ ſint,iiſdem quidem opus eſt,ſed magis refrigerantibus : ſi ſubalbidæ & magis pituitoſæ, abſtergentibus:ſi nigræ,iis quæ ſtrenuè digerunt. In adultis autem,& quorum dura ſunt corpora, ſatis eſt miſy cum

vino adſtringẽti.Si vlceratio ſubſordida ſit,cũ vino mulſo terendum miſy eſt. Quæ verò validiora poſtulant remedia quàm miſy ſit, cum vino & vino mulſo vtile eſt ea terere.hæc autem efficacia ſunt: at mediocria, & præcipuè in principiis affectionum ſunt, omphaciũ cũ vino mulſo,& rhus eodẽ modo.in puerulis verò ſufficit flos roſarum,& ipſæ itidem roſæ ſiccæ.

De columellæ affectionibus, Cap. LXIX.

QVVM inflãmata columella eſt, auxiliis reprimentibus vti oportet, eàque eſſe facultatis adſtringẽtis opus eſt. ſique mediocriter ſit defluxio, mediocris adſtringens eſſe facultas debet: ſi vehementer,acerba.ergo collutiones lenes,vt ſunt quæ ex palmulis tum aqua ſola decoctis fiunt,tum verò etiam melle adiecto: itémq; decoctum roſarum,capreolorum vitis,ruborum, lentiſci,& terebinthi,& cyperi,& hypociſtidos. Sed his agit vehementius decoctum myrti,& cydoniorum acerborum, & cymarum ilicis, & fagi, balanorum & meſpilorũ; & fructuum cornorum.Maximè autem ſtrenuè hæc:gallarum, rhu,balauſtiorum & malicorii decoctum.Hæc autem vel ſigillatim vel coniunctè coquenda ſunt,& ex aqua gargarizandum.eiſdẽ quoque ſiccis in puluerem redactis gurgulionẽ attingere oportet,& paulatim attrahere tum ſuprà,tum foras linguam verſus. Medicamenta verò ſicca & in læuorem redacta cochleario inſpergantur.his enim remediis gurgulio in ſuum ſtatum eſt omni ratione adducendus,nec ad eum incidẽdum properare debes.Quũ verò gracilis cruentúſque fuerit quandoq; redditus(qualis fieri ſolet longo temporis ſpatio) tum præcidẽdus eſt. poſtquam ſectus fuerit, ſolo diphryge erit vtendum vſquedum cicatrice vulnus includatur : ſiquidem id cicatricẽ exquiſitè arctam ſtrictámque inducit, & in hac parte,& itẽ in cæteris omnibus quæ fuerint vlceratæ.

De tonſillarum inflammationibus, Cap. LXX.

TOnſillarum inflammationes duróſque tumores quos αὐπιάδας vocant, exprimere oportet aliquo medicamento quod iuuare poſſit digitos illinendo. In glandulis autem vel maximè hæc curandi conuenit ratio: quum enim ea loca laxa ſint & fiſtuloſa,facilè ſuſcipiunt humorẽ influentem,fiúntque eminentiora,atque inflantur.Quum verò tempore conuenienti inflãmatio concocta iam ſit, glandulæque plenæ ſint alicuius humoris glutinoſi, medicamento ſtomatico admiſcebimus nitrũ,aut ſalem,aut aliquid tale,& pituitam vacuabimus. At ſi fauces ipſæ inflammatæ ſint,neque hoc medicamento vtẽdum eſt,neque propter carnis mollitiem exprimendum.

De angina, Cap. LXXI.

QVVM ab angina quiſpiam ſuffocatur, ſcire conuenit in periculo rem eſſe,maiúſque periculum imminere ſi inflãmatio intus infixa ſit vt nihil foris appareat: & multo etiam maius,ſi ambas tonſillas obſideat inflammatio,atque vnà gurgulio ſit affectus: par enim eſt totũ corpus quamprimùm ſanguinis miſſione euacuare. Si æger non ſit ad mittendum ſanguinem aptus,ſcarificandæ erunt tibiæ,& permittendum vt quamplurimũ ſanguinis effluat.erítque acribus vtendum clyſteribus, continendúſque æger in inedia.tum collo ſuperdabis medicamentum quod vim attrahẽdi habeat : ſi enim materia quæ in illis particulis eſt fixa extrahatur, vt tumor foras ſe proruat,omnino ſpes erit hominem ſeruatum iri. Præterea ſuccus ptiſanæ ad gargarizandnm dari debet tenuis melli admixtus,itémque decoctum caricarũ,& quod ex hyſſopo,origano,& marrubio conficitur: ita enim humores illi glutinoſi & craſſi qui in eis partibus impacti ſunt, digeruntur. Mirabiliter autem ad anginam facit ſtercus caninum album ſiccatum,& in puluerem redactum ac per cribrum traiectum,deinde melle dilutum atque illitum. ídque eſt huiuſmodi vt nullum inueniri medicamẽtum præſtantius aut efficacius ad anginas queat : ſed oportet canes oſſa ſolùm comediſſe.Præterea ſi plura lina, præſertim verò quæ ex purpura marina colliguntur, viperæ collo imponas,eámque in linis ſuffoces, tum vnum ex illis collo appendas alicuius, magnum adiumentum afferet tonſillis, & reliquis omnibus malis quæ moleſtia collum afficiunt.

Ad ſpinas,& oſſa deuorata, Cap. LXXII.

OSſa autem quæ deuorata ſint,itémque ſpinas quæ gulæ inhæſerint,aufert ſpongia, aut caro inciſa & lino appenſa,quam vi adacta deuorare conabitur is qui malè affectus eſt.tum derepente extrahenda ſpongia eſt,aut caro eo lino per quod fuit demiſſa: ita enim quod infixum erat in gula,ſimul extrahi cõſueuit. danda eſt etiam panis teneri medulla ad deglutiendum, itémque ficus ſiccæ commanſæ.

De medicamentis ſtomaticis,de tonſillis inflãmatis,déque vuæ aut alterius alicuius partis inflãmatione, Cap. LXXIII.

MEdicamentum ſimplex ex moris fit hoc modo:Succi mororum heminæ quinque.decoquatur ad ſtrigmenti craſſitudinem.tum adde mellis libram vnam, & ſimul coque ad mellis conſiſtentiam.Quum vti volueris, in principiis admiſce(vt dictum eſt) repellentia : in ſtatu, concoquentia & lenientia: in declinatione, digerentia. Eodem etiam modo ex ſucco corticũ nucis medicamentum ad os accõmodatum conficies: & item ex muſto vuarum auſterarum & ex ſucco punicorum,& cæterorum fructuũ auſterorũ,ex quibus exprimi ſuccus poteſt.Si ſuccus craſſus videatur,mel aptè miſcere conueniet:ſi liquidior,prius decoquẽdus erit.Cæterùm pirorũ pomorúmque ſuccus, & aliorũ etiã quamplurimorũ fructuũ autũnalium pares mellis portiones capit at eorum qui valde acerbi ſunt,qualis eſt corni fructus,interdum duplũ mellis,interdum triplum. Iis ergo qui medicamentoſas qualitates ferre non queunt, ſi mediocribus inflãmationib⁹ aut tonſillarum,aut vuæ, aut alterius partis corripiantur, ſufficiunt ſucci eorum fructuũ quos modò memoraui,& item rhus obſoniorũ. Ad maiores verò inflãmationes opus eſt ſucco punicorum auſterorum,aut malorum cydoniorum:aut vtroque inter ſe,melle(vt diximus)cõmixto, fitque moderatum medicamẽtum. ſed præſtantius erit ſi tota punica in fruſta ſeces,& in muſto decoquas: non ſolùm enim repellendi ſed digerendi quoque vis ineſſe in medicamento debet, ſiquid durum appareat. quamobrẽ prædictis,quum ad mediũ decoctionis peruenerint, iniicies pulegium,aut hyſſopum,aut origanum, aut nepetam,aut thymum: deinde per colum traiicies: ſic enim idoneum medicamentum confeceris.

Ad putredines quæ in ore ſunt, Cap. LXXIIII.

CHartæ combuſtæ partes tres, auripigmenti pars vna: his tritis vtitor.Supra autem linamẽta roſaceo intinge,applica atque exprime. Aliud, quod ad magnas oris aliarúmque partium putredines valet.Chalcitidis pars vna,calcis viuæ tantundem,auripigmenti dimidium, trita miſce,eiſque vtere.Si os exareſcat,& deglutiri ſaliua nõ poſſit,ficus in vino auſtero mero coquito,datóque decoctũ calidũ ad ſorbendũ:ſi nequeat, tũ paulatim infũdito.

De vlceribus aſperæ arteriæ, Cap. LXXV.

VLcera quibus aſpera arteria obſidetur, vt interna ipſius tunica occupetur curabis, ſi foris aliquod ſiccans medicamentum imponas.ſed æger ſupinus eſſe debet:tum ei dandum liquidum medicamen quod ad huiuſmodi vlcera valeat,in ore continendum, & paulatim ſumendum, vt in gulam influat, quo arteria aſpergatur.

Ad vocem abſciſſam, Cap. LXXVI.

BRaſsicæ ſuccum melli admixtũ decoque ac lambendum præbe. Aliud, quod etiã ad tuſſes valet: Lini ſeminis combuſti & cribro traiecti, paſſularum pinguium eiectis acinis,pineorum nucleorũ toſtorũ, auellanarũ repurgatarum pares portiones læuigabis melléque excipies, & ex hoc dato cochleariũ quod ſub lingua teneatur, vbi vox abſciſſa ſit.Glycyrrhizæ denarii octo,myrrhæ denarii vigintiquatuor, terebinthinæ denarii ſex, tragacanthæ denarii duodequadraginta, quæ ſicca ſunt contunde ſingula ſeparatim, & per cribrum traiice : reſinam verò in mortarium impone,& contunde ſicca effundendo, tum in vnũ redige,ac catapotia confice ad fabæ Ægyptiæ magnitudinẽ,& in vmbra ſiccato.Quũ vſus poſtulabit, vnũ aut duo ſub lingua tenẽda dabis: idq; quod liquitur deglutiatur. Hoc autẽ medicamentũ celerrimè cõficiẽdum eſt,dũ contunditur:quippe quod quãprimùm exiccecſcat.

De tuſsi & difficultate reſpirationis,& grauedine,& deſtillatione,& raucitate,déque ſputis quæ ex thorace & pulmone reiectantur,

Cap. LXXVII.

TVſsis cauſa,eſt humor qui à capite fluit, vt in deſtillationibus fieri ſolet: vel is qui aſpera arteria continetur,vt in pleuriticis & peripneumonicis vſu venit.Fiũt etiam faucium arteriæque aſperitates. atq; aſperitas quidem arteriæ eſt cauſa tuſsis, & item quæ bibentibus comedentibúſque nobis in eam incidunt,& intẽperies frigida inſtrumentorum ſpiritus.Sed qui ex intemperie tuſſiunt homines, id mediocriter faciunt,nihilque reiectãt: atque ita ſine vi vt non ſolùm continere ſe poſsint & ſpiritum cohibere, ſed ſæpe etiam ei affectioni remedium adhibere ſpiritus contentione,qua partes refrigeratas calefaciant.Huiuſce autem tuſsis ſigna ſunt, vt ad repentinas inſpirationes à refrigeratione quæ intenditur, irritentur. Quum igitur leniter inſpirent, & in calida domo inhabitent,tum vel nihil vel parum certè tuſsient.Tuſſes autem quæ cum titillatione coniunctæ ſunt, manifeſto ſunt indicio fluxionem à capite prouenire,atque in arteriam & pulmonem comportari.Si nihil expuatur,ſcire cõuenit,id quod effluit eſſe tenue: ſiquid reiectetur, contrarium.Itaque tuſsim ex tenui fluxu & ab aſperitate ortam curabimus, ſi incraſſabimus vſu eius medicamenti quod ex capitibus papaueris fit, aut alicuius eorum quæ à leuando dolore ἀνώδυνα vocatur.Eam verò quæ ex craſſitudine & aſperitate,& glutinoſo humore inſidente orta eſt,tollemus attenuantibus.Ergo centaurii minoris radix difficultates reſpirationis & tuſſes inueteratas ſanat: melanthium curat deſtillationes ſi in linteo calidum detur ad perpetuò odorandum.Styrax tuſſes,deſtillationes, grauedines & raucitates iuuat.Medicamentum ad lingendum aptum facies hoc modo: Nuces pineas, quum maximè pingues ſunt(hoc eſt, quum circumcirca multũ habent ſuæ reſinæ ibidem adiacentis) coque in aqua cum marrubio recenti. huic decocto adde mel ad moderatã proportionem,& iterum decoque donec fiat tam ſpiſſum quàm mel:hócque ita confecto vtitor ad ea quæ ex thorace & pulmone expuuntur.

De ſanguinis reiectatione,& quum ſanguis in grumos coit, Cap. LXXVIII.

IN ſanguinis reiectatione primum periculum in nimia euacuatione eſt poſitum. ergo ſtatim ſubuenire ſanguinem reiectantibus poteris iis quæ ſubiungam. tota enim affectio medico qui eam curet,cõmittenda eſt.Portulaca eſui data iuuat: efficacior autem eſt eius ſuccus epotus:balauſtium,rubi fructus & flos.membranoſa quercus pars quæ inter corticem & truncum intercedit,quæque ſub glãdis putamine eſt: qua præcipuè decocta vtuntur.Fagi quoque & ilicis eadem pars ad idem valet. Eſt autem efficacius radicis althææ decoctũ. Mentha ad recentes reiectationes facit. Centaureæ maioris drachmæ duæ dantur:ac febricitantibus quidem,cum aqua: iis qui febrim non habent,cum vino.punicorum,lentiſci foliorum ſuccus. Samius aſter ad omnes ſimili modo valet:itémque Lemniũ ſigillum.Ad ſanguinis verò grumos facit coagulum potui datum, & thymum, ac ſatureia cum aceto.

Ad aſthmaticos & purulentos, Cap. LXXIX.

ARiſtolochia rotunda cum aqua epota, aſthmaticis, *hoc eſt, anhelantibus cum ſpiritus difficultate*,auxiliatur. centaurii maioris radix, ſpondylii fructus & radix, nepeta, hyſſopum, iris, melanthium. Aſellorum qui ſub hydriis morantur, ſextariũ in vas fictile coniicito, & ad carbones torreto.vbi igni candens ſit effectum, aſellos terito ac melle cocto excipito. dato autem ante cibũ myſtrũ vnum ad lingendum. Aliud. Scillæ crudæ ſuccum exprime,parémque eis mellis portionẽ miſce: ad carbones coque,& ante cibum da.

Ad pleuriticos & lateris dolores, Cap. LXXX.

IN pleuriticis ſi fomentis dolor non ſoluatur, totum corpus erit euacuandum, vtendúmque fomentatione minimè periculoſa, quæ morſus expers & humida ſit, qualis eſt quæ ex aqua dulci & oleo in veſicis conficitur.

A Ægrotis autem huiuſmodi medicamenta dabimus quorum vis modicè attenuãs ſit,quum loca affecta adhuc obſideat inflammatio.Quæ verò magis attenuent,vel etiam quæ plenè ipſas concoquant,in declinationibus inflammationum offeremus.Mediocria in his ſunt ptiſanæ ſuccus & mulſa:valentius verò vrticæ ſemen:& quum modicum mellis acribus herbis,vt origano,hyſſopo,& nepetæ & pulegio,& iridi miſceatur. Lateris verò dolores ſine febre,ſanat bdelliũ & coſtus:præterea caules braſſicæ in ciB nere vtimus,eiſque vetuſtum adipem miſcemus,& ad laterum dolorem vtimur, & aliud etiam adhibemus quod ſit generis eiuſdem,quum medicamentum ſit quod egregiè diſcutiat & digerat.

Ad diuturnos thoracis dolores,

Cap. LXXXI.

QVVM diuturnis dolorib⁹ thorax citra febrim detinetur, palmulæ pingues cũ fœnogræco decoquẽdæ ſunt,succúſque exprimendus. tum melli copioſo admiſcebimus, poſtremò ad carbones iterum coquendus vſque ad craſſitudinem mediocrem,eóque multùm ante C cibos vtendum.

Ad mammas,& lac quod eis continetur,

Cap. LXXXII.

LVtum efficaci remedio eſt mammis inflammatis, ſi eis imponatur: ſed ſi ſiccius tibi videatur,ipſum Cyprino aut roſaceo oleo emollies. Quũ verò lac,poſt partũ ditum, in mãmis coagulatũ fuerit, perutile ad id extinguẽdũ erit totum ouum crudum,quod mixto roſaceo imponatur:idque non ſolùm in mãmis inflammatis,ſed etiã in aliis quãplurimis corporis particulis facit. Sordes verò ex palæſtra, eſt mãmarum medicamen. nam quod in eis D igneũ eſt reſtinguit,& reprimit id quo influit,& diſcutit quod eis continetur.Fabarũ farina,cataplaſma eſt ad mãmas & ad teſticulos idoneum:ſiquidem hæ partes quum inflãmatione tentantur, modicè refrigerari deſiderant, præſertim verò quũ lac fuerit coagulatum.Naxiæ autem cotis ſcobs prohibet ne mammæ virginum ante tempus inflentur,& teſticulos emẽdat. Mammas autem ob lactis copiam intumeſcẽtes,lenticula in marina decocta atque illita,vel mẽtha cum polenta, aut muria in fotu adhibita curabis.Poſt hæc autem extinguunt quæ ſubiungam: faE rina fabacea tum per ſe,tum cum polenta illita, Cimolia cum aceto aut aqua inuncta, lac muliebre cum ſucco cicutæ:aut cicutæ folia illita, muria in fomento.eadem ſedat mãmas in quibus lac in grumos coiuit, ſed non in fomẽto.Mentha cum polenta impoſita,crocus cum lacte inunctus.itémque farina fabarum ſola vel cum polenta ſuperdata:cydonia cocta cum melle.non ſinit autem lac coagulari in iis quæ enixæ ſunt, ſi grana ceræ decẽ numero ad milii magnitudinem quotidie deglutiantur.

De oris ventriculi affectionibus,

F Cap. LXXXIII.

QVi canino appetitu tenentur,hoc eſt,qui fame iugiter ac ſine vlla intermiſſione torquentur, iis vinum copioſum de numero eorũ quæ abundè calefaciũt,vt magnum remedium, dandum eſt. huiuſmodi autem vinum eſt fuluum & rubrum,vacans adſtrictione:& hi appetitus ex fame excitati à ſtomachi frigiditate proueniũt,vt meritò à tali vino ſedẽtur. Iis qui ita affecti ſunt,quũ ad prãdium accedunt,primùm dandi ſunt cibi pingues & oleoſi, & item alia omnia ex oleo copioſiore parata,& in quiG bus nihil auſterũ aut acerbũ ſit: mox verò imperandũ eſt vt vinum eis,etiamſi non ſitiant,detur:hac enim ratione fames ſtatim lenietur, & tractu temporis ita vitam ducẽdo ſedabitur. Singultiẽtibus danda eſt ruta cum vino tenui,aut nitrum cum mulſa,aut apiũ,aut cyminum,aut acetum ſcilliticum,aut nepeta,aut aſarum, aut nardũ Celticum,hǽcque vel ſingula per ſe, vel mixta. Caſtoreũ verò conuenit iis quibus multitudo, aut frigidi glutinoſiq; humores ſingultum excitarunt: dandum enim potui eſt H cum poſca. atque etiã cuti cum ſicyonio aut vetere oleo impoſitum prodeſt.Quum verò ex repletione humorum oritur ſingultus(nam plerũque ex hac cauſa naſcitur)indiget violenta euacuatione, quæ ſternutamentis adfertur. Nauſea excitatur quũ ventriculus ad vomitũ propellitur,

nimirum vbi à multitudine prægrauetur,aut morſu infe-
ſtetur,aut denique vitioſis ſuccis obſideatur.Quidam au-
tem turbantur, ſed nihil vomunt, in quibus ſuccus is qui
moleſtiam affert,neque multus eſt,neque in ſpatio vētri-
culi,ſed tunicis continetur: atque in aliquibus,vt aqua in
ſpongia,in aliquibus verò ita eſt impactus vt vix diſſolui
queat.Curatio tria potiſſimùm poſtulat,concoctionē, at-
tenuationem,& euacuationem.ergo humores qui magis
pituitoſi & crudi ſunt,quiete,inedia,& ſomno cōcoquun
tur.ex aliis qui tenuiores ſunt & modicè infarcti, vomi-
tibus eiiciuntur,qui tum ex ptiſanæ cremore, aut mulſa,
tum ex aqua ſola prouocantur.At qui glutinoſi craſsique
ſunt, & ita ventriculo infixi vt auelli difficulter poſſint,
ad eos opus eſt medicamento quod humores attenuet.
Quum autem humiditas vitioſa ventriculi tunicas occu-
pat,eam picra ex aloē vtiliter purgat: adſtringentia verò
egregiè lædunt:veluti etiam vbi copioſa humiditas ſine
malitia humorū ſit, ac veluti mador quidam exiſtat,qui-
que ſola quantitate affligat,adſtringentia vtiliſſima ſunt.
medicamentū verò ex aloe confectum omnes qui eo vſi
ſunt ad marcorem perduxit. In iis autem qui affectionē
eſſe frigidam animaduerterint,addenda erunt calefaciē-
tia adſtringentibus.Eſſe autem affectionem frigidiorem,
ſatis magno argumēto erit ſi ſitim æger non ſentiat: quū
enim æger non ſitiat , neque os ventriculi æſtu torquea-
tur,planè patet non eſſe affectionem calidam. Iam verò
oris ventriculi inflammationes & item iecoris, adſtrin-
gentia miſceri poſtulant : nam ſi relaxantibus ſolùm vta-
mur,ægroti vitam in periculo cōſtituemus.Quamobrem
ſiue oleū ſiue cataplaſma locis malè affectis imponatur,
admiſcere oportebit aliquid cui facultas inſit adſtringen
di,vt abſinthium,aut nardinum vnguētum, aut melinū,
aut cydonium,quod ſimul incoquatur.

Ceratum quo aſsiduè vtimur, Cap. LXXXIIII.

CApit ceratum ad commemoratas affectiones accom
modatum,ceræ albæ vnciam vnam , nardi hyberno
tempore denarios octo,æſtiuo autem ſeptem ,aloes, ma-
ſtiches vtriuſque denarium.Si maiore adſtrictione opus
ſit,vt præ imbecillitate ventriculus continere cibum nō
poſsit,adde parem omphacii portionem.Et vt ompha-
cium ita etiam abſinthii ſuccum, & quandoque vtrūque
admiſcemus:& tertio itidem loco hypociſtidos, œnāthéſ
que & rhois ſuccum . deinde cerati multitudo augenda
eſt ita vt aliorū quantitati pro portione reſpondeat.Si ve
rò inueteraſcit indureſcitque inflammatio , magis varia
medicamenta, quæque aromata recipiant, & mollientiū
& digerētium quippiam habeant(quale eſt quod ex me-
liloto conficitur)applicare oportebit. Viridis iaſpis ſto-
machi os attingens,ſtomachum iuuat: huiúſque rei ma-
gnum ſanè experimentum dedit. conficiendus autē tor-
ques eſt, itáque collo aptandus vt iaſpis os ſtomachi at-
tingat.In calida autem ſtomachi intemperie,vt ardeat cū
diſſolutione,vel vt anima deficiat,vel quoddam cibi fa-
ſtidium vrgeat, ex quacunque occaſione præterquam à
febri, aquam frigidam cum omphacii ſucco, aut cydo-
niorum decoctum,aut clauiculorum vitis,vel ſeminis cu
cumeris,vt octo ſemina trita cum aqua dabis:aut mēthæ
ramulos tritos potui dato.extrinſecus verò veſicam a qua
frigida plenam ſtomacho impone:aut niuem adhibe,aut
ramenta cucurbitæ. Catapotiū ſitim æſtuātibus ſedans.
Cucumeris ſatiui ſeminis drachmæ octo , tragacanthæ
drachmæ ſex.ſoluitur tragacantha albo ouorum crudorū
recentium:quúmque fuerit diſſoluta, diligentérque con-
trita, cæteris addatur. omnibúſque commixtis catapotia
fiant,& in vmbra ſiccentur, & tenēda ſub lingua dentur:
humor verò qui ex eis fiat,deglutiatur. Hoc verò,& aliud
quod deinceps addam, cum refrigerat, tum verò etiam
firmat ſtomachum humeſcentem,quum humida calidá-
que affectione obſidetur. Aliud.Foliorum roſarum viri-
dium drachmæ ſex,dulcis radicis drachmæ quatuor, nar
di Indici tantundem. excipe omnia vino dulci , catapo-
tiáque confinge,& dato ſub lingua continenda.vel diſſol
ue ex aqua frigida,& catapotia ad ciceris magnitudinem
confice.Iis autem qui refrigerati ſunt,& in quibus pitui-
ta propter craſſitudinem calefieri diſſecaríque poſtulat,

A conuenit hoc quod ſequitur: Corticis radicum fœniculi
vnciæ ſex,aceti ſextarius,aloes vnciæ tres.radices in ace-
to coquūtur, quúmque coctæ fuerint & expreſſæ abiiciū
tur,mel deinde affunditur & decoquitur, tum aloe com-
miſcetur, dantúrque huius cochlearia tria ex aqua.ídque
nonnulli ſine aloe conficiunt. Quibus autem cibus aceſ-
cit,hoc accōmodatū eſt:Piperis drachmæ quatuor,ſemi-
nis anethi drachma vna, cumini quatuor. hæc terito, &
dormituris cochlear vnum ex vino diluto dabis. Iis verò
qui atram bilim gignunt,& ſtomachus flatu læditur,ſpō-
B gias aceto acerrimo imburas, præſertim verò in acceſſio-
nibus impones. Si dolor perſeuerarit, alumen liquidum
cum ære trito,melle exceptum ſuperdabis. ei verò cuius
ſtomachus diſtentus ac flatus plenus ſit,nepetæ decoctū,
refrigeratum aqua ſub dio,addito modico mellis & pipe
ris drachma vna,offeres.

Ad ſtomachi ſubuerſionem, Cap. LXXXV.

FAcit autem ad ſtomachi ſubuerſionem hoc medica-
mentum: Mali granati acidi nucleorum ſucci partes
tres,mēthæ ſucci pars vna.coniectas in vas fictile ſemper
C mouendo coque: quúmque in vnum coiuerint , ab igni
aufer,& quum vti velis,dato miſtum ante cibum.

De flatu ventriculi, Cap. LXXXVI.

GIgnuntur autem in ventriculo flatus ex humoribus,
aut cibis qui à calore tepido in vapores diſſoluūtur:
refrigeratio enim,quia attenuare diſſolueréq; ſuapte na-
tura non poteſt,flatus nullos excitat.Calor autē vehemen
tior nō ſolùm attenuat atque diſſoluit,ſed etiam digerit.
ergo flatus procreationem impedit. At imbecillus calor
D fundit & commutat quidem alimentū, ſed minus quàm
oportet :itaque ex eo flatus gignūtur. Quocirca calefaciē
tibus medicamentis eos oportet attenuare , vt ſi oleo cu-
minum,aut apii,aut dauci,aut ſpondylii ſemen incoxeri-
mus.Si cum affectione ſit coniuncta frigiditas,rutā,bac-
cas lauri ,melanthium fœniculúmque oleo incoquemus.
tum bitumen & oleum laurinum admiſcebimus:ſed ſi in
flammatio dolores comitetur,loco eorū quæ calefaciūt,
relaxantibus vtemur:anethum enim incoquemus,& an-
ſerinum adipem & gallinaceum addemus. Ad eos autem
E qui flatu torquentur,facit polii faſciculus coctus,& in po
tu ſumptus: aut etiam nepetæ decoctum,mellis portiun-
cula,aut piperis adiecta. atque hæc quidem, quum dolor
vehemens vrget,imponēda ſunt. At quum moderatus eſt
dolor,ſufficiunt fomenta ex milio,aut pannis lineis.Cu-
curbitula quoque ampla, quæ vmbilicum ex omni parte
comprehendat,ſæpenumero laborantes morbo liberat.
Iam caſtoreum in potu ſumptum,vel ex poſca, & foris ex
oleo ſicyonio impoſitum iuuat , etiam ſi flatus ſint tales
vt circa vmbilicum inteſtina torqueātur. Rotūda autem
F ariſtolochia dolores eos curat quos obſtructio aut craſſi-
tudo ſpiritus gignit. eos verò qui excitantur à ventris
obſtructione aut craſſitie,vinum meracius à cibo ſumptū
ſanat: ſique ſomnus acceſſerit, eos perfectè ſedabit.

De colicis, Cap. LXXXVII.

QVibus in colo atque inteſtinis mordax humor inſi-
det,ii à calidis alimentis medicamentíſque lædun-
tur:& à cibis abſtinentes exacerbantur.vſu autem tempe-
ratarum rerum in meliorem ſtatum rediguntur. Ergo in
G primis clyſtere vtendum eſt ex mulſa, aut ſucco ptiſanæ,
cibíque offerendi boni ſucci, quíque difficulter corrum-
pantur: fugienda verò quæ attenuant & calefaciunt. Cæ-
terùm humores aut euacuandi ſunt aut temperandi. quū
neutrum horum facere queas, ad vſum eorum quæ ſtupo
rem inducunt confugiendum eſt: in iis enim qui in hac
affectione ſunt conſtituti,non ſolū dolor leuatur iis quæ
ſenſibus ſtuporē afferunt,ſed etiā iidē magnopere iuuan
tur,ſi humorū tenuitas incraſſetur,& eorundē caliditas re
frigeretur.Quū autē humores ex quibus dolor oritur,craſ
H ſi glutinoſique ſint,nullo pacto offerenda erunt quæ ſtu-
pefaciunt:vidētur enim releuari illi quidē interim dum
obſtupefacientia adhibentur,quum ſolus ſenſus ſtupefiat,
ſed tamen poſtea deterius afficiuntur, quū humores ma-
gis incraſſentur,& difficiles ad excernendū reddātur.Hos
ergo curabimus,non vſu quidem eorū quæ vehementer

A calefaciunt(ſiquidem ab iis dolores augentur, quum humores fundantur & flatu impleantur) ſed incidentibus citra vehementem calorẽ,& flatus expertibus. & quoniã allium eſt maximè omnium flatus expers,ſi febris non ad ſit,id dabimus,& theriacam.atque ita affectiones huiuſmodi egregiè iuuabimus. At ſi febris hominem occupet, fomenta ex milio adhibebimus,& in oleo tenuium partium aliquod ſemen incoquemus eorum quæ ſunt flatus expertia,tum per colum traiicientes & oleo adiicientes adipem anſerinum aut gallinaceum ad proportionẽ clyſteri iniiciemus. B Si per hæc dolor nõ ſedetur,iterum imponemus oleóque miſcebimus caſtorei & opii vtriuſque non maiorem quantitatem quàm ad fabæ magnitudinẽ quam in olei heminam ponamus.Hoc autem medicamẽto poſſit quis floccos lanæ imbuere, & quamplurimum queat in anum indere.ſed flocci valde ſunt filo alligandi, vt quum oporteat facilè euellantur. Lupinum ſtercus datum,præcipuè autem quod candidum eſt, ex aqua aut vino tenuis conſiſtentiæ,colicos ſummopere iuuat: idque non ſolùm in acceſſionibus,ſed etiam in interuallis. hoc enim vel perfectè morbum ſedat, vel mitiorem reddit, C facitque vt in longius ſpatium tẽporis differatur. melius autem eſt ſi in terram ſtercus non cecidit,ſed in virgulto aliquo,aut herba reſidens comperiatur. atque etiam oſſa in eo inueniuntur quæ ab animali non fuerunt cõcocta: quæ trita & potui data ipſa quoque colicis proſunt.Quum purius & mundum reddiderimus,dandum eſt mixto ſale & pipere,aut aliqua re ſuaui.ac mirabile eſt quàm perſpicuè proſit,ſi lumbis apponatur. Sed ſtercus debet in licio quod ex lana alicuius animalis à lupo morſi factum ſit, extenſum cuti imponi.Si lanæ eorum quæ à lupis demor- D ſa ſunt tibi non ſuppetant,poterit appendix ex loro ceruino confici.præterea verò corydis auis ius ſumptum eoſdem iuuat.

Ad dyſentericos & cœliacos, Cap. LXXXVIII.

DYſenteriam, *hoc eſt tormina inteſtinorum*, etiam depaſcentem, Lemnium ſigillum & epotum & infuſum curat:prius enim abluenda eſt vlceratio mulſa meraciore, deinde muria:tum Lemnia terra ex plantaginis ſucco infundenda.potui verò danda eſt poſca diluta, & lac caſeoſum,quod conficitur lapillis ignitis coniectis, donec E concoquatur,& plurima ſeri pars abſumatur. eſtque præſtantiſſimum dyſentericorum,& omnium quibus defluxiones acres aluum exercent,remedium.Stercus caninum tritum lacti ſic parato miſce.facies enim medicamentum ad dyſentericos accõmodatiſſimum.ſed canis nihil præter oſſa debet comedere: ſic enim fœdum odorem non exhalat,& candidum ſtercus eſt. Alui quoque defluxiones exiccat ouum ex aceto coctum,& manducatum.ſi miſceri velis aliquid eorum quæ ad dyſentericos & cœliacos valent, in ſartagine ad ignem fumi expertè aſſatum dabis: F magnopere enim homini laboranti proderis. Vtiliſſimũ verò eſt omphacium,rhus rubrum eiúſque ſuccus, cinis cochlearum,omnium aſſatarum,malicorium,galla,acini, meſpila,myrta,corna.cochlearum cum teſta combuſtarũ cineris partes quatuor,gallarũ partes duæ, piperis pars vna.in puluerem redigantur & inſpergãtur obſoniis, vel ex aqua aut vino albo diluto potui dentur.iuuat hoc mirificè dyſenterias in quibus vlcus putridum nondum eſt. Portulacæ ſuccus epotus dyſentericis cõuenit:& item plãtaginis ſuccus,rubique fructus & folia.Radicis althææ de- G coctum,& ad dyſenteriam & ad fluorem alui efficax eſt. Ad idem egregiè facit cauda equina ex aqua aut vino epota:ſimili quoque modo eius ſuccus.

Ad alui fluorem,ad cœliacos,ſtomachicos & nephriticos, Cap. LXXXIX.

DIarrhœam verò,*id eſt alui fluorem*,ſanat adiantum,palliuri folia, radix pinus,cortex piceæ,lenticula bis cocta,& priore aqua abiecta.acini autem cuicunque affectioni ventris & inteſtinorum ex defluxione ortæ valde proſunt.Spica nardi,oxyacanthæ fructus eſui datus,& epotus: H ſpica alba cœliacos & ſtomachicos iuuat.mori fructus intempeſtiuus exiccatus medicamentum efficitur quod abũdè adſtringit:itaque valet ad dyſentericos,cœliacos,& omnes alias affectiones quæ ex defluxu naſcuntur: id enim contunditur,& obſoniis inſpergitur, quemadmodũ etiam ixiæ fructus.aut etiam ex aqua,aut vino ſi quis malit,potui dabitur:ſed per ſe magis idoneus eſt.Rubi quoque fructus exiccati & repoſiti conueniunt.

Ad lumbricos, Cap. XC.

LVmbricos rotundos ſatis interimit abſinthiũ, abrotonum,nepeta,cardamomum,braſſicæ ſemen, mentha,lupini amari,qui vel imponantur modo cataplaſmatis,vel ex melle deligantur, vel ex poſca in potu ſumantur.melanthium verò non ſolùm mãducatum ſed etiam foris aluo illitum lumbricos enecat. idem faciunt folia perſicæ ventri ſuperpoſita.Aſcaridas verò tollũt hæc quæ intra corpus infunduntur,vt nepetæ ſuccus & cedria. Latos verò occidit mori radicis cortex,filicis radicum drachmæ quaternæ in mulſa exceptæ.vel chamæleontis albi radix ad quantitatem quartæ partis heminæ cum vino auſtero.eoſdem quoque necat coſtus.

De morbo tenuioris inteſtini, quem εἰλεόν, *hoc eſt uoluulum*, nominant, Cap. XCI.

VOluulus morbus cum difficilis eſt, tum verò ſi quis in eum ſincidat,rarò euaſit.Ac maximè mortiferum eſſe eum ſcire conuenit qui fœtidus nominatur, in quo vel ſtercus euomitur,vel fœtida eſt expiratio.quandoque autem huiuſmodi ructus fit,quandoque verò totius corporis odor teterrimus excitatur.Qui hoc morbo tenẽtur, mirificè iuuantur,quamuis etiam ſtercus iam vomant, ſi fruſta panis calida in oleo comedant. ſeruabuntur enim etiam ſi iam ſuffocentur.Ad eos autem qui frequenter vomunt,cibúmque non continent,rhus & cuminum in eodem tritum in ſenis oxymelitis cyathis ad pondus denarii vnius bibendum offeres. aut foliorum aut clauiculorum vitis ſuccum potui dato.

Ad ſedis affectiones,inflammationem,& quum procidit, Cap. XCII.

GAllam flauam decoque,& in puluerem redige, ac ſedis inflammationes anúmque procidentem illine. Si opus ſit valentiore remedio,in vino: ſi mitiore, in aqua decoquito.Succus quoque lentiſci ad ſedem & ad vterum procidentẽ valet. Aliud. Pini corticis drachmæ octo,cupreſſi globulorum ſiccorum drachmæ duæ,plumbi tantundem,vino auſtero deterge omnia, & tritis vtitor.

Ad ardentes ſedis dolores, Cap. XCIII.

AD ardentes autem ſedis dolores oui aſſati vitellum tritum vino albo & roſaceo cerato exceptum illine, & cataplaſma impone quod ex pane puro trito (cui aqua & roſaceum,& oui vitellus aſſatus adiungatur)factum ſit.

Aliud. Roſarum drachmæ tres,ouorum aſſatorum vitelli numero duo ex vino albo læuigentur,& cerato roſaceo excipiantur:eóque ita vtitor.

Ad pruritus ſedis, Cap. XCIIII.

SEdis verò pruritus tollit cimolia in puluerem redacta, ceratóque myrteo excepta,atque illita. ad idem etiam valet terra Cretica.

Ad ſedis pudendique rimas,& de hæmorrhoidibus, Cap. XCV.

AD ani & pudendorum fiſſa & ad hæmorrhoidas ramenta cineris ſordidi linteorum combuſtorum, & amylum ad pares portiones terito, & ſuccum foliorum oliuæ admiſceto,& illinito.Hæmorrhoides verò nimias cohibet aloë impoſita,aut ſquama ferri,aut plumbum vſtum ex poſca perfuſum:& item perfuſio ſpiſſamentorum vnguenti. Aperit autem hæmorrhoides edulium ex allio & aliis pleriſque confectum, quod μυττωτὸν vocant, ſiquis eo veſcatur,& amaracinum atque irinum vnguentum illitum.cohibet verò confeſtim hoc quod habet acaciæ ru fæ drachmas quatuor,plumbaginis tantundem, tragacanthæ tantundem.combuſta hæc læuigato ac miſceto,& aqua diluta in linteum inde,atque impone. tollit autem hæmorrhoidas mirabiliter hoc medicamentũ:Cicutæ aridæ drachmæ IIII.hyoſcyami expreſſionis drachmæ IIII. aluminis ſciſſilis drachma vna,cerato roſaceo excipiuntur.Præterea acidi punici cortex tritus,& ex aceto impoſitus,ad idem valet.Si verò hæmorrhoides interius deli-

teſcant,medicamentum forma glandis impone. Mirabi-
le eſt etiam hoc quod ſequitur:Sandarachæ,auripigmen-
ti,aluminis ſciſſilis,ſingulorum drachmæ octo, his ægrũ
aptè præparatum & locatum obline:ita enim hæmorrhoi
des arefactæ & de ſede turbatæ, in ſemihora morientur
ac decident.Iniicitur autem lixiuium ſtillatitium, & ce-
ratum in orbem applicatur, fitque id vel ſub ſole vel ad
ignem.

De iecoris affectionibus, Cap. xcvi.

QVVM inflammatio iecur obſidet,tum dolor & fe-
bris omnino comitatur.Ergo ſi corpus repletum ſit,
euacuetur:& quod in ſanguine ſuperfluit, venæ ſectione
in cubito dextri brachii,reuellatur.Pro cibo autẽ in prin-
cipio ptiſana danda eſt: vt medicamentum verò,oxymel
dilutius temperatum,& apii decoctum.Vbi verò iam cõ-
cocta fuerit inflammatio,aſaro & nardo Gallico,& petro
ſelino,& iunci odorati flore vti poteris, & item iis quæ
aluum ſubducunt,vt vrtica, mercuriali, & epithymo: in
declinationibus verò,etiam polypodio. Euacuatio etiam
clyſteribus peragenda:atque in principio, ex mulſa cum
ſale & nitro:quum adeſt declinatio,hyſſopum,origanum
aut colocynthida addere potes.nam ad hoc viſcus quod
facilè indureſcit,opus eſt abſtergentibus.Quum dolor ſi-
ne febri vrget,ſcire conuenit obſtructionem vehementẽ
à craſſis glutinoſiſque humoribus ortam in viſcere factã
eſſe. Scirrhũ autem incipientem poſſit quiſpiam ſanare:
inueteratum verò nullo modo.Si in aqua inter cutẽ ſcir-
rhus oriatur,longiore tempore interibunt.qui verò cura-
ri poſſunt ii medicamentis calefacientibus, & attenuan-
tibus,quibus mollientia mixta ſint,curantur.Iecur autem
imbecillum reddunt intẽperies quæ & difficillimæ ſunt,
& ſatis varias ac difficiles ſymptomatum formas indu-
cũt: & quæ eiuſmodi ſunt vt ne ab ipſis quidem medicis
tractari facilè queant. Viticis autem ſemen iecur ſcirrho
affectum iuuat. Obſtructo verò iecori proſunt plantagi-
nis ſiccæ radices,fructus,& folia,myacantha,& præcipuè
ſemen ac radices.lauri radicis cortex trium obolorum põ
dere cum vino odorato epotus: eupatorium,quod etiam
particulæ robur addit:lupinorum amarorum decoctum
cum pipere & ruta epotum:idem facit eorum farina illi-
ta,& capnium poſt hæc impoſitum. ſpica nardi pota, &
extrinſecus impoſita:iris,piſtacii fructus,marrubium, a-
mygdalæ.dracontii radix expurgat viſcera omnia. craſ-
ſóſque & glutinoſos humores attenuat agaricum. anthe-
mis aut chamæmelum eſt præcordiis propitium.Sed præ
ſtant omnibus cichorea & ſeris in calida iecoris intempe
rie,ac ſummopere proſunt,firmitatémque eidem addunt
ipſúmque abſtergunt.dabis ergo cichorii aut ſeridos ſuc
ci cyathum vnum cum aquæ cyathis tribus, & vnum At-
tici mellis cochleat addes.Horum autem non ſolùm ſuc-
cus vtilis eſt,& recens & exiccatus,ſed etiam folia ſicca
ſtudioſè contuſa,tũ potioni inſperſa.quæ ſiquis etiam co
cta bibat,ei valde proderunt.Quũ verò intemperies cali
da nõ eſt,ſed iecur ſola obſtructione laborat,herbæ ex vi-
no albo & tenui potæ mirum in modum iuuant. Iecur lu
pinum diligenter teritur,datúrque eius drachma,vna ex
vino dulci.quod ſui magnum admodum experimentum
dedit:conuenit enim omni intemperiei vt quod ex pro-
prietate ſubſtantiæ,& non qualitate vlla agat.Quum verò
non obſcura febris eſt,melius eſt id ex aqua dare, & mul-
to etiam melius cum aliquo ex ſuccis antedictis,vt ex ſuc
co ſeridis.Philonis quoque medicamentum mirabile in
hoc caſu eſt: & quandoque ſemel datum calidam iecoris
intemperiem curauit.

Compoſitum medicamentum quod aperien-
di vim habet, Cap. xcvii.

HOC medicamentum capit amygdalarum amararũ
denarios tres, cumini, ſeminis apii, ſingulorum
denarium.dato cochlearium ex vino. Alius paſtillus.
Aniſi ſeminis,apii,aſari,amygdalarum amararum purga-
tarum,abſinthii,ſingulorum drachmas quatuor excipe a-
qua:trochiſcos conforma drachmæ vnius.nõ febricitan-
tibus,cum vino diluto:febricitantibus verò ex hydrome
lite dabis.

A De aqua inter cutem, Cap. xcviii.

AQua inter cutem fit vel propter excedentem iecoris
frigiditatem, vel ex frigidi ſanguinis multitudine
quæ in tota mole corporis redundet,vel ex quibuſdam a-
liis partibus valde refrigeratis,quæ iecur non ſecus quàm
ipſæ ſunt afficere poſſunt.niſi enim refrigeratũ iecur ſit,
hydrops effici non poteſt.Simul autẽ iecur afficitur, quũ
lien,ventriculus,& inteſtina,præſertim verò ieiunũm, i-
témque quum pulmo,renes & ſeptum tranſuerſum fue-
rint refrigerata. Fit etiam hydrops ex immoderata hæ-
B morrhoidum euacuatione,& fluxu muliebri,atque etiam
ex menſtruis purgationibus ſuppreſſis. eius autem tres
ſpecies ſunt, quarũ vna aſcites nominatur,in qua humor
tenuis ea loca implet quæ infra thoracem ſita ſunt:altera,
tympanias eſt,quæ eadem loca flatu implet: tertia dicitur
hypoſarca, in qua totum corpus intumeſcit, & cadaueri
ferè ſimile redditur. Hydropicorum verò curatio non eſt
omnino & cuique facilis,indigétque artificis præſentia.
ego tamen quædam ſubiiciam ad curationem accommo
data,quæ tu quoque poſſis efficere. Stercus igitur bouis
C gregarii ſiccum diligenter tere, in poſca coque modo fa-
rinæ hordeaceæ,ſulfuris quartam partẽ inſperge, & ſuper
totius ventris capacitatem impone. aut caprinum ſtercus
in vrina pueri aut caprarum ad luti ſpiſſitudinem ventri
applicata ſummè eos purgat. Dabis etiã potui decoctum
radicis nepetæ,aut apii,aut corticis radicis ari, ex vino.
aut cucumerem ſylueſtrem vino auſtero triduũ macera-
to,& cyathum vnum dato:& ita progrediens ad tres vſq;
cyathos præbebis.vel ſquamæ drachmam vnam medulla
panis excipe,catapotia confinge ac da. Vehementer au-
D tem aquam educit hoc epithema:fœnigræci vnciæ qua-
tuor, farinæ hordeaceæ vnciæ tres, ſtercoris columbi-
ni vnciæ quatuor,reſinæ frictæ libra, axungiæ veteris li-
bræ duæ:quæ liquari poſſunt liquantur, aliíſque prius in
aceto tritis affunduntur.his vtitor.

De morbo regio, Cap. xcix.

SI quando per criſin arquati fiunt, facilè ſaneſcunt vſu
balneorum ex aqua dulci factorum,& frictionum,cũ
oleo aliquo quod digerẽdi vim habeat,quale eſt chamæ-
E melinum,anethinum,liliaceum,& amaracinum. Si verò
ex iecoris obſtructione in morbum regium aut arqua-
tum aliqui cadant, ſiquis prius obſtructione iecur libe
rarit,deinde medicamento vtatur quo bilis euacuetur, is
facilè & citò laborantem curabit. Conueniunt autem ar-
quatis ex iecoris inflammatione omnia quæcunque in-
flammationes ſanant. cæterùm ſemen atriplicis arquatis
prodeſt:itémque nepeta,& cyclamini radix: ſiquidem vi-
ſcus expurgat,& bilim quæ in toto corpore eſt, per ſudo-
res excernit.id verò quod potui datur, vſq; ad drachmas
F ſenas cum paſſo aut mulſa eſſe debet.ſudores quoque ad-
iuuandi ſunt. Aliud. Cicerum ſextarius in faſciculum
adiãti,quantum manu capere poſſis, & aſparagorum pa-
luſtrium radicum manipulum,& aquæ heminam,conii-
ciatur,decoquatur,& humor percoletur. ac febricitãtib9
detur cum aqua:non febricitantibus verò,cum vino. ſed
dato etiam potui lichenes in petris aut fictilibus naſcen-
tes,ex hydromelite. Marrubii ſuccus per nares icterum
expurgat:ſimilíque modo elaterium in naribus cum lacte
infuſum.Quum autem reliquæ partes corporis in ſuo ſta-
G tu ſint,oculi verò pallidi maneant, dato aceti acerrimi co
chlearium quod in balneo per nares attrahatur: ita enim
magna vis bilioſa effluet. Aut melanthium in aceto acri
macerabis pridie,ac ſequenti die iterum cum aceto læui-
gabis:& per nares in naſum infundito,facitóque vt æger
exugat & abſorbeat.quandoque etiam in oleo vetere me
lanthium læuigabis. Aliud experientia valde compro-
batum. Raphanorũ viridium cum foliis ſuccum cape,
eiúſque dato ieiunis cyathum vnum aut duos in balneo
caldarium ingreſſuris: videbis enim bilim effundi. A-
H liud,cuius magnam experientiam accepimus. Aphro-
nitri drachmas duas in vini Aminæi cyathis ſex, per to-
tam noctem ſub dio contine:& da potui triduò aut qua-
triduó.

De lienis affectionibus, Cap. c.

QVVM lien inflammatione occupatur,ſcirrhum ſtatim contrahit,ſanguine qui in venis eſt propter craſſitiem impacto.Ergo opus eſt medicamentis attenuantibus quæ non manifeſtò calefaciant.quibus etiam aliquid adſtringentium admiſcendum eſt : vt particula firmata propriam actionem ſeruet.Hanc autem vim habere ſuapte natura videtur flos ſalis,qui in veſica appoſitus lienis ſcirrhos curat: poſt cuius vſum valẽtioribus vti remediis oportet.Compeſcit autem ſine moleſtia lienem cortex radicum cappareos:ſed nihilominus induratum lienem iuuat foris impoſitus quàm in potu ſumptus in aceto aut oxymelite,quum aridus in puluerem redigitur:ita enim epotus craſſos tenaceſque humores, & quandoque etiam cruentos,atque eos non modò per vrinam, ſed etiam per aluum euacuat.Idem facit minoris centaurii ſuccus extrinſecus poſitus & epotus,& cyclaminus viridis & areſcens, ſi illinatur. Violæ albæ radices cũ aceto, acorum,ammoniacum,caprinum ſtercus illitum ex poſca, cum farina hordeacea:albæ vitis radix potui data, & foris cum ficubus applicita.Lupinorum amarorum decoctum cum ruta & pipere in potu acceptum: eorum quoque farina illita.aqua in qua ferrũ igni candens ſæpe extinctũ ſit: hanc febricitantibus per ſe dabis:non febricitantibus,cum vino.Cinerem cochlearum cum aceto illine,aut capparim aceto maceratam,tritam,&Cyprino cerato exceptam impone:aut fæcem ex acri aceto applica. Cataplaſma autem adhibe quod capit fœnigræci vncias quatuor, farinæ hordeaceæ vncias tres,ſeminis cardamomi vnciam vnam,ficuum pinguium libram vnam, verbenacæ vnciam.Ficus autem aceto acerrimo perfunde,& adactis viribus contũde in mortario,& cætera miſce:omnibuſque in vnum redactis vtitor.

De veſicæ & renum affectionibus,déque lapillo, Cap. cI.

SEroſum excrementum tenuiſſimo ſanguini in venis commixtum renes ſuapte natura in ſe trahunt. Vbi ergo meatus per quos tale excrementum attrahitur, magis quàm par eſt fuerint dilatati, veriſimile eſt cum tenui ſanguine craſſiorem quoquemateriam in renes importari. Siquæ renes magis igneam acrémque temperaturam nacti ſint,neceſſe eſt craſſiorem illam materiam excalefactam & ſiccatam in arenæ formã lapillorúmque tofi ſpeciem referentium,concreſcere.Ex quo fit vt lapidem frangentibus & incidentibus citra perſpicuam caliditatem medicamentis vti oporteat: quum enim maior caliditas magis exiccet,calculorum aut arenæ concretionem adiuuabit. Accõmodata igitur ſunt hæc:regiorum aſparagorum radices,rubique,vitrũ combuſtum, graminis radix, adiantum,bdellium,lauri radicum cortex,althææ ſemen, cicer arietinum,præſertim verò nigrum,ceraſi arboris & pruni gummi, cyperi radix,paliuri fructus,tribuli fructꝰ, lapis ſpongiarum,acetum ſcilliticum , maluæ agreſtis radix.Apii autem radicem in vino coque,humorémque exprime,atque eius cyathos binos & aquæ tantundem potui dato.Cæterùm lapides qui in renibus ſunt, in declinante ætate:qui verò in veſica gignuntur, in puerili fieri conſueuerunt.Medicamentum verò quod calculoſis inſpergitur,fit hoc modo:Balſami fructus,lapidis ſpõgiarum,pulegii ſicci,maluæ agreſtis ſeminis pares portiones contundito,cribratóque,& cochlear vnum ex duobus vini diluti cyathis dato.At renum & veſicæ inflammatio præcipuã curationem poſtulat: quum enim ſeroſum excrementum per eas partes purgetur, ſequitur vt ſi id acre & bilioſum in toto ſit corpore,nullo eorum quæ vrinam cient vti debeamus:nocebunt enim, vtpote mordaces ſuccos partibus inducentia.Si verò nihil tale ſubſit,neque malitia humorum in toto corpore ſit,mulſa dilutior potui dabitur: ea enim inflammationes ſoluit, citra morſum humores impactos euacuans:nam & incidit,& attenuat, & rarefacit. Atque id quidem quod de mulſa exempli gratia diximus,ad omnia quæ attenuant & incidũt ſine mordicatione,tanſferri poteſt.& quemadmodum particulis omnibus inflammatis quies conuenit,ita has quoque in quiete eſſe melius eſt.Sed quum quieſcere nõ poſſint,quia ipſa vrinæ

A ſint inſtrumenta,perexiguam admodum portionem dare oportet,vt quo longiore tempore fieri poſſit cõquieſcãt. Id præterea videndum eſt,totúmne corpus acrium excrementorum ſit plenum,nécne:nam ſi ita ſit,quo plures humores ad renes & veſicam ferantur,eo conualeſcent, potúſque copioſior erit offerendus,acrimoniáque minus obtundenda; præſertim nobis quæ mordicationes obtundunt commiſcentibus.in tempore verò inflammationũ, cataplaſmata,& medicamenta,& irrigationes ex oleo, & B cætera omnia quæ inflammationes ſoluunt, adhibere oportet.Ad renum autem veſicæque affectionem inflammationis ſenſum inferentem,vtere hoc quod habet ſeminis lini drachmas duas,amyli drachmam vnam. dato cochlear moderatum ex aqua bibendum.Dolores verò circa ilia,horrores inæquales per interualla,febréſq; inordinatæ accidũt iis qui abſceſſum habent in renibꝰ:quo abſceſſu concocto, pus per vrinam excretum adeſſe vlcus teſtatur quod celeri indiget auxilio. ſi enim ad cicatricẽ non citò perducatur,difficilem curationem reddit. Vlce- C ra verò quæ in renibus,quæque in veſica ſunt, ex ſitu, actione, proprietate eorum ſubſtantiæ & facultate diſcernuntur.Ex ſitu,ad hunc modũ:quũ veſica patitur,in pube imóque ventre dolor ſentitur: at renibus affectis, lumbi poſterius dolent.Ex actione,difficultas vrinæ eiúſque ſuppreſſio fit,quum veſica morbo cauſam affert,ſed renibus laborantibus vrina ſine impedimento it.Ex corporis proprietate,carnes fibroſæ ex renibus excernuntur, ſquamæ verò membranoſæ ex veſica vlcerata.Ex ipſa denique facultate,quia in vlcerationibus veſica vehementi dolore D cruciatur,renes verò obſcurè dolent,& quaſi ponderis ſenſum in lumbis afferunt.in meatibus quoque vrinæ exulcẽratio quandoque oritur,púſque & ſanguis mingitur: ſunt enim hi inter renes & veſicam collocati.ſi verò exulceratum pudendum ſit,pus & ſanguis citra vrinam excernuntur. Ad abſceſſus renum & veſicæ , ſeminis lini , ſeminis cucumeris,ſeminis papaueris albi,tragacanthæ,ſingulorũ drachmæ duæ,amyli drachmæ quatuor.paſtillos confice & da.Ad vlcera veſicæ cum inflammatione, nuclei pineĩ numero viginti,cucumeris ſatiui ſeminis grana x L.amyli,nardi,ſingulorum drachma, ſeminis apii drachmæ v. E nardum & apium decoque,tum ex decocto duos cyathos præſcriptis admiſceto . Antidotus ad eos in quibus pus fluit: Amygdalarũ amararum drachmæ duæ,ſeminis cucumeris drachmæ quatuor,papaueris albi ſeminis tantũdem,tragacanthæ drachmæ duæ,ſeminis maluæ tantundem,baccarum myrti nigrarum drachmæ duæ , amomi drachmæ quatuor,nucleorum pineorum drachmæ quatuor,ouorum vitelli aſſati duo,mellis ſextarius. datur ex hoc cochlear cum vino diluto. Ad eos quibus ex veſica F ſanguis effluit:aluminis ſciſſilis drachma vna, tragacanthæ drachmæ duæ,gummi obolus vnus.dato ex paſſo.

Ad vlcerationes pudendi,ſedis, vteri,& veſicæ, Cap. cII.

PVdendorum aníque vlcera quæ ſine inflammatione ſunt,medicamenta valde exiccantia poſtulant: qualẽ eſt id quod ex charta combuſta fit,ánethúmq; vſtũ, & arida cucurbita cremata.humoris verò expertibꝰ ac recẽtibus vlceribus,etiam aloẽ arida in puluerem redacta & applicata bonum medicamẽtum eſt: ſed omnium maximẽ dolorem lenit,& nihilo tamẽ minus efficax eſt pompholyx.ſi vlcera humida ſint, pini cortex per ſe & lapis hæ- G matites conueniet.Si verò etiam altè deſcendant, prædictis manna miſcebitur. Vteri autem veſicæque exulcerationes iiſdem remediis curantur: ſed opus eſt inſtrumentis quibus intromittantur.Atque ex medicamentis quæ inſperguntur,aptiora ſunt ea quæ ſicciora ſunt,vt crocus, & pompholyx,& aloẽ roſaceo mixta,tum plantaginis aut alio etiam ſimili ſucco excepta . Ad ſcroti & pudendi affectiones. ad dolores ſcroti pudendique paribus butyri ac reſinæ portionibus vtitor:vel lini ſemen cum aqua de- H coque,additáque myrrhæ & reſinæ decima parte , illine. Ad pudendum verò intumeſcens facit hoc:vitis folia triginta,thuris drachma vna,ceruſſæ drachmæ quinque. tere omnia atque illine. Vtere etiam marinæ frigidæ perfuſione,& quiete,& colis deligatione. Si vlcera in ſcroto ex

ſudoribus gignantur,gallam tritam aut alumen inſperge. Ad excreſcentia verò,quæ thymia dicuntur,elaterium in funde,piri ſemen cõtritum impone, aut mænularum capita contere,& illine,& hircino felle obline. Rimis verò pudendorum prodeſt reſina fricta cum roſaceo, in pila plumbea cum oleo contuſa.

Ad inflammationem teſticulorum, Cap. CIII.

SI teſtes obſideat inflammatio,vuam paſſam eiectis granulis,& cuminum,trita imponito. aut hordei farinam aqua mulſa incoquito.aut vitis folia tenera trita cum polenta ſuperdato.aut cuminũ tritũ cum butyri & reſinæ pari portione eliquata adhibeto. Teſticulos verò vlcere aphthis ſimili correptos terra Cimolia ex aqua obline,ſinéque ſicceſcere, & aqua calida ablue, tum myrto arida trita,& modico ſmyrnio trito inſperge. Carnem verò in teſtibus excreſcentem cinis ſarmentorum cum nitro & aqua ſubactus atque illitus curat.

De priapiſmo, Cap. CIIII.

PRiapiſmus eſt auctio pudendi ſtabilis in longitudinẽ & in orbem tumefacti,ſine rerum venerearum appetitu.eſt autem flatus ventoſus qui membrum tumefacit,ex humoribus glutinoſis & craſſis à magna caliditate genitus.Planum verò eſt non opus eſſe membra calefacere, ſed leniter refrigerare cerato roſaceo cum aqua conquaſſato,& ex chamæmelino pudendo & lumbis impoſito. Victus autem ratio medicamentáque adhibẽda ſunt quæ vim attenuandi citra manifeſtam caliditatẽ habeant.Vtẽdũ etiam eſt iis quæ ſuapte natura ad hoc valent,& experientia nobis commonſtrauit.Itaque nymphæa in potu danda eſt,itémque viticis ſemen,ac ruta viridis obſoniis miſcenda.ſed hæc quia abũdè calefacit,in principio dãda non eſt,ſed poſt aliorum extenuantium vſum.Qui euacuatione vti velit,id vomitibus faciet:euacuationes enim quæ per inferiores fiunt,ſæpe vicinas partes fluxione tentant.

Quæ res ad vſum rerum venerearum excitent,& tenſum priapum reddant, Cap. CV.

AD hoc facit ſemen vrticæ,bulbus,ſemen rapi, dauci radix & eius ſemen modicè,mentha. Coſtus vnà cũ vino mulſo ſtimulat,ſatyrium,eruca,cicer, faba, polypodes,nuclei pinei,orminum,ſemen aniſi,radix ari quæ cocta eſui datur.partes renibus ſcincorum adiectæ potui dãtur,vt quæ ad intendendum pudendum valeant.oua perdicis ad res venereas ſtimulant:porri ſemẽ in vino ſincero potum, vulpini teſtes epoti ad cochlearis quantitatem, ſine vlla noxa & non fallacem intentionem priapo parant.

Quæ res venereas cohibeant, Cap. CVI.

SVpprimere coëundi appetitum viticis ſemen frictum & non frictum,& folia & flores crediderunt:ac non ſolùm eſui potuíque data,ſed etiam in lecto ſubſtrata.cohibet ſimili modo ruta.Lenticularum verò decoctum ſedare impetus exiſtimatur, & item portulaca in cibo ſumpta,& lactucæ ſemen epotum.

De gonorrhœa & pollutione quæ in ſomnis fit, Cap. CVII.

LActucæ ſemen epotum ſeminis humani fluorem,qui gonorrhœa dicitur,cohibet. Quocirca datur etiam iis qui in ſomnis ſemen emittunt. Ad idem valet canabis agreſtis fructus,ſi largè potetur. Plumbi lamina lumbis impoſita iuuat eos quibus dormientibus pollutiones cõtingunt.Nymphææ radix & ſemen cohibet genituram,& pollutiones ſomniorum emendat: & item in vino nigro auſtero potum corrigit eos qui alioqui nimio impetu ad vſum rerum venerearum trahuntur.anethi quoque ſemen idem facit.

Ad vrinam non continentes, Cap. CVIII.

QVI continere vrinam non poſſunt, iis veſicam caprinã aut ouillam combuſtam potui dato ex poſca, idque veſperi quum ſiti vrgentur, & ſomnum imperato. Valet ad eandem rem aquilæ cerebrum ad ciceris magnitudinem cum pari anſerini adipis & gũmi portione,quæ A omnia ſimul bibantur,vel concreta comedantur.Leporis teſticulos in vino odorato ferueſacies,ac potui dabis: ita enim ſalutem ægroto cõparabis. præterea nepetã & myrrham in vino ante cibum bibendum da.Illinatur quoque pudendum creta Cimolia cum perdicii ſucco. atque ita hominem ſeruatis.

Ad affectiones vteri, Cap. CIX.

AD ſuffocationes quæ ex vtero fiunt, accommodatũ eſt agaricum ad drachmæ põdus cum vino datum, B & plantaginis fructus,& ſuccus ex vino: vnguis cochlearum epotus,acetum ſcilliticum quod abſorbeatur. Olfacta verò ſuffocatas excitant hæc:bitumen,caſtoreum,galbanum,pix liquida,cedria,accenſum & reſtinctum ex lucerna linamentum naribus admotum, capilli combuſti, ruta,ſilphium,cepa,& allium.Suffitus præterea fiunt ex lapide gagate,vngue purpurarum,bitumine,caſtoreo, galbano,ſilphio,cornu ceruino.ano autem ruta cum melle lana excepta imponitur.

De ciendis menſtruis purgationibus, Cap. CX.

C SI prouocare mẽſtruas purgationes velis,triduò aut quatriduò ante tẽpus ſtatutum in quo moueri per ſe deberent,venam ſecabis aut ſcarificabis: & ita ab vno pede parum ſanguinis detrahes,poſtridie verò eius diei ab altero pede ſanguinem mittes eodem modo: interim attenuante victus ratione inſtituta.Initium quoque curationis poteſt ante quinque aut ſex dies ſumi.Vbi verò à talo euacuaris,dato caſtoreum cum pulegio aut nepeta: hoc enim ſummè purgationes ipſas mouebit. Sed & pulegiũ & nepeta decocta in mulſa,& item arida & contuſa,atque D in puluerem redacta egregiè prouocant.idem facit nepeta mulſa perſperſa.huius autem potionis tempus accommodatum eſt poſt balneum, quum nondum quicquam comederunt.Sed efficacius & valentius his eſt dictamnũ & herba Sabina,quæ eodem modo dare conuenit. Vtiliter quoque datur hoc tempore picra, quæ capiat aloës drachmas centum,& aliarum rerum ſingularũ drachmas ſex.Ampelopraſa etiam mouent,quum à frigido craſſóq; humore detinentur,& cicer,& lupinorum amarorum decoctum cum myrrha & melle adhibitum: & lupinorum farina cataplaſmatis modo impoſita:& thymum,& cappa E ris radicis cortex,& caſia.Quum à multitudine craſſitiéq; ſimul excrementorum purgatio cohibetur,centaurii maioris radix,& minoris ſuccus appoſitus,fœniculum,melãthium eam prouocant.Quum verò ex tenacitate & craſſitie humorum ſuppreſſa eſt,valet petroſelinum,porrum,apium,allium,ſmyrnium,ſtyrax potui datus & appoſitus, raphanus in cibo,adiantum,amomum. Ad inſeſſus verò valent in aqua decocta actes folia,artemiſia,dictamnum, daphne,coniza:qua etiã ſecundæ illinuntur,& menſes ciẽtur.Artemiſia autem multa hypochondriis ſuperdata mi- F rum in modum purgationes educit, atque adeò vt etiam fœtum expellat.Irinum quoque vnguentum porri ſucco dilutum ad idem facit,& cyclamini ſuccus cum elaterio, & farina lolii,& medulla ceruina:galbanúmque, ammoniacúmque & oleum ad pares portiones:hiſque opopanacis obolum adde:fac collyrium & ſuppone.id enim periculo vacat, & vſu comprobatũ eſt,& trimeſtrem aut quadrimeſtrem fœtum expellit.Sabina autem & viuentes fœtus enecat & mortuos deiicit. ac magni quoque centaurii radix idem præſtat, & nepetæ ſuccus epotus & appoſi- G tus.myrrha & cedria applicita, & ſemen quod coeundo eiicitur,ſi pudẽdũ eo inungatur:ob eámque cauſam medicamentum eſt conceptum impediens, ſiquis eo ſic vtatur,nulli ſecundum. Deiicit etiam fœtum amarorum lupinorum decoctum cum myrrha,& melli adiũctum,& eorundem farina illita. deiicit & minoris centaurii ſuccus admotus. Idem facit cyclamini ſuccus quo venter imus illinatur. is enim valde corrumpit in peſſo cum melle appoſitus.elaterium verò dormientes fœtus perdit, ſi apponatur.Caſtoreum verò cum pulegio aut nepeta,probatum eſt valere ad fœtum expellendum,ſi ſecundæ ſem per eo illinantur. idem efficit braſſicæ ſuccus cum lolii farina impoſitus.

De fluore muliebri, Cap. cxi.

A FLuor qui muliebris nominatur,non eſt propria vteri affectio,ſed totius corporis per vterum fit euacuatio. idque in iis plerunque contingit qui molli carne ſunt,& pituitoſiores.album autem à pituita euacuatur, pallidum verò quandoque quum amara bilis redũdat:& interdum etiam aqueum excernitur.Quamobrem ſæpe ſatis fuit ad curationem,ſiquis humorem redundantem ex toto corpore vacuauit.Sed in tota curatione,conſilium eò dirigitur, vt ſiccemus citra vehementem calorem totum corpus & loca vuluæ adiecta. quocirca per interualla vti etiã B poterimus adſtringentibus.ergo totum corpus expurgandum eſt & per aluum & per vrinas,& digerendum,vt per cutim excrementa educantur,adhibita totius extremitatis frictione,& inunctione ex iis quæ idonea iudicemus. Ad fluorem autem muliebrem facit portulaca eſui data, & eius ſuccus epotus,rubi fructus & flos, ea quercus pars quæ ſub cortice trunci eſt membranoſa,& quæ putamini glandis ſubeſt:iis enim decoctis vtuntur vel maximé.ſed fagi iliciſque pars eadẽ efficacior eſt.cauda equina maximè rubrum fluorem ex aqua aut vino epota curat. len- C tiſci fructus frict⁹ cũ vino potus.Rubrũ quoq; cohibet Samius aſter,Lemnium ſigillum,lẽtiſci radicis decoctum, ceruinum cornu combuſtum cum poſca, papaueris nigri ſemen cum vino,flos roſarum cum poſca,caprinus fimus cum thure admotus:eſt enim is lanis excipiendus atque imponendus:lycium quoque cum lacte adhibitum:interna gallarum pars cum thure & aqua eodem modo.Præterea ad inſeſſus & ad epithemata ventri inferiora applicanda conueniunt adſtringentia.

D Ad vuluæ inflammationem,dolores,vlcerationes, mordicationes,pruritus ſinus muliebris,ad eãdem procidentem,& item ad ea omnia quæ ad conceptiones & fœtus pertinẽt, Cap. cxii.

AD vuluæ inflammationes & dolores,valent ad inſeſſus faciẽdos ambæ artemiſiæ,daphne,iris, caſia, maioris centaurii radix,albæ violæ flores ſicci,præſertim in diuturnis: malua,melilotũ,liliorum flores,ficus aridæ cũ fœnogræco, aut ptiſana,fœnumgræcum, lini ſemen. In E ſuffitu verò valent hæc:viticis ſemen,caſia, bdellium, ladanum,myrrha.admota verò hæc:althææ radix cocta in mulſa,mixta ſuillo adipi recenti ac terebinthinæ, fœnigræci ſuccus mixtus adipi ſuillo aut butyro recenti, lilii radix toſta cum roſaceo,& eius etiam flores cum cerato, & medulla,& adipe,hyſſopum cum butyro & mulſa. Ad vlcerationes autem vuluæ facit amurca cocta illita cum cerato,aut lycium eodem modo,aut ſuccus acaciæ. Mordicationes verò,& ſinuum pruritus ſedat portulacæ ſucc⁹ infuſus,lini ſemen in poſca decoctum,itémque fœnum- F græcum,tragacantha cum aqua. Vuluam autem procidẽtem comprimit acaciæ expreſſio,aut rubi ſuccus,aut lentiſci aut rhois rubri ſuccus illitus,& violæ folia emplaſtri modo impoſita. & ariſtolochia trita cum aliquo eorum quæ adſtringunt:& ipſius decoctum vt in eo inſideatur, & ne ſubuaporetur:aut decoctum gallarum, aut malicorii,aut lentiſci,ad inſeſſus faciendos. Conceptiones verò adiuuat paſtinacæ ſemen epotum,eiúſque radix eſui data. appoſita verò iuuant,amylum cum medulla,ante coitum, leporis coagulum cum butyro,vulpinum ſtercus cum roſaceo in paſſo adhibitum:& vbi hoc illitum fuerit, mu- G lier viro miſceatur.iam verò artemiſiam tritam admoue, & concipiet.perungatur anſerino adipe & reſina terebinthina duos dies:tertio verò in concubitu ſit, & marem cõcipiet. Mercurialis ſemẽ,aut ſuccus in peſſo,& mercurialis maſculæ ſemen poſt conceptionem ſtatim appoſitum,aiunt efficere vt mas in lucem producatur: fœminæ verò mercurialis ſemen ſi admoueatur, fœminam partu edi. Scribunt etiam ſeruari id quod conceptum & coagulatũ ſit,admoto lapide qui in terra Samia inuenitur. idem fieri aiunt à lapide aëtite appoſito,& agreſtis maluæ radice. H ſed ſideritis herba fœtum appoſita ſeruat.

Ad partum difficilem, Cap. cxiii.

LApis iaſpis fœminibus applicandus eſt, aut cyclamini radix arida eodem modo. adiantum tritum cum A vino,oleóque,& aqua potui data:aut bulbos amaros tere cum paſſo.aut ſuillum lac in poſca bibat quæ ægrè parit. pulegii faſciculum in aquam mitte, in eáque mulier inſideat.

Ad mulieres ne concipiant, Cap. cxiiii.

VT ne mulier concipiat,facit filicis radix,aut thelypteris ex ſapa potui data,ſalicis flores & folia, braſſicæ flores poſt conceptionem.ſed ante coitum, ne conceptus fiat,admouetur mentha læuigata,& virile pudendum eius ſucco illinitur.braſſicæ flos contritus poſt conceptum B in peſſo impoſitum agglutinari congelarique genituram non ſinit.pelicini verò ſemen ante concubitum in vuluã infundatur.

Ad ventrem diſruptum,& mammas,& femora, & coxendices,& vmbilicum prominentem, Cap. cxv.

COchleã marinam ſublongam cremato,ac terito, eiq; oui candidum appone,aut lac ouillum admiſce & illine. Aliud. Specularem lapidem contunde,& tere ex aceto,quúmque in balneũ ingreditur ægrotus,antequam C ſe vngat,per viginti dies illinatur,& conſaneſcet. Vt autẽ aluus rugas non contrahat propter partus & fœtus in lucẽ editos,Cimoliæ & mannæ pares partiones cape, oui candido excipe,& cum cyprino cerato illine.

Ad coxendicis excreſcentia tumoribus ſimilia, Cap. cxvi.

MEdullam panis & melanteriam compone, & admoue:& quod vitii inerit corriget.

Ad vmbilicum prominentem, Cap. cxvii.

D GAllam combure,tere cum aqua & appone. Vmbilicum verò magnum ex partu,pulchrũ facies, ſi marſupium membranoſum vitelli ouorum in linteo inuoluas,tum mannam oui candido excipias, atque illinas, & in vmbilicum imponas,& alliges,itáque diu teneatur.

De pedum articulorúmque doloribus, Cap. cxviii.

IN podagricis cæteriſque morbis qui ex defluxione humorum fiunt,particulas imbecillas defluxionem recipere neceſſe eſt.ſed fieri etiam poteſt vt ſi totum corpus E excremẽtis vacet,particulæ nullo modo à defluxione lædantur,quum nihil omnino ſuperuacaneum inſit quod in membra comportatum ægritudines parere conſueuit. ſique nihil tale defluat, nec etiam naſci inde morbos eſt planè perſpicuum:ergo defluxio prohibenda eſt.id quod fiet corpus ita parando vt excrementis vacans reddatur tũ moderatis exercitationibus,tum concoctionibus alimentorum,& otium fugiendo, & ne quis ad ſatietatem comeſſaſſionib⁹ ſe potionibúſque expleat:præſertim verò ante cibum. hæc enim neruos lædunt non ſecus quàm F res venereæ,quæ etiam non mediocri ad podagram gignendam ſunt adiumento.quocirca antiquis temporibus pauci admodum in podagram inciderunt.Curatio igitur eorum qui morbo correpti ſunt, ab euacuatione debet incipere:tum repellentia adhibenda,ſi manus pedéſque defluxione tententur:at ſi coxẽdicis articulum defluxio obſideat,à repellentibus abſtinendum:quum enim ipſe ſatis profundus ſit,facilè quoque intrò noxium excrementum detruditur. quo in caſu opus eſt remediis ad iſchiadicos accommodatis.Quum verò ſanguinis copia ſolùm dolo- G ris coxendicis cauſa ſit, vena in talo aut malleolis inciſa ſatis erit ad dolorem quamprimum ſanandum:quemadmodum ſiquis ante totius corporis euacuationem acrib⁹ ad coxendicem medicamentis vtatur, multitudine ibi conculcata affectionem ſanatu difficillimam reddet, incraſſabitque,& materiam quodammodo ſuperaſſabit. ergo in quibus hic error inculcationem huiuſmodi fecit, maxima cucurbitula coxẽdici admouẽda eſt:purgatióque clyſteribus ex colocynthide, & cæteris generis eiuſdem tentanda. Ergo ſcire conuenit eos qui temperatam viam H ducunt,quíque diæta vtuntur,neque in podagricis doloribus inueterarunt poſſe leuari,ſi ineunte vere aut per venæ ſectionem aut purgationẽ euacuentur.at eos qui multo ſe vino ingurgitarunt, quíque comeſſationibus ſe expleuerunt,nihil ab euacuationibus præſidii eſſe capturos

rurſus enim breui temporis ſpatio intemperanter viuen- A
tes crudos humores coaceruabunt.In doloribus autem ar
ticulorum,in quibus iam tofi conſtiterint,artus ad priſti-
num ſtatum redire nullo modo poſſunt. Ergo vulpes vi-
uas,alii mortuas in oleo coquũt,alii hyænas, & diſcutiẽs
oleum efficiunt,tum in peluim coniiciunt, iubentque in
id arthriticos totum corpus contectos ſe demittere,& in
eo diu manere.qua ex re magnũ fructum ferũt, quũ ma-
teriem omnem ex qua morbi origo eſt,euacuent. ſed vi-
tioſa viuendi ratio eos iterum eadem explet materia.Ad
inflammationes verò, bene facit fabarum farina ex aqua B
decocta,cui ſuillus adeps accedat.albarum quoque viola-
rum radices cum aceto curant inflammationes quæ in ar
ticulis obduruerunt. Caſeus acerrimus & vetuſtiſſimus de
cocto carnis ſuillæ diſſolutus, & in pila probè in vnum
conductus,tofos articulorum impoſitus diſſoluit: quum
enim defluxio ſine vlla ſectione rupta ſit,ſingulis diebus
partes in quibus tofus eſt,ſine moleſtia implet. Aliud.
Platani folia viridia læuigata & impoſita eas inflamma-
tiones quæ in genibus ſunt,iuuant.

Epithema doloremſedans podagricis,& arthri- C
ticis,quo vtantur quum vrget acceſſio,
Cap. CXIX.

HOC epithema capit liquoris papaueris,croci ſingu-
lorum drachmas quatuor.tere cum lacte bubulo aut
caprino,addéque panis medullam, ac diligenter iterum
tere, vt facilè tangi poſſit.& roſaceo affuſo emollias,atque
imponas:& cataplaſmata tuendi cauſa foliis betæ aut la-
ctucæ foris teges. quandoque etiam opium & crocũ læui
gantes roſaceo cerato excipimus,& in linteum coniecta
imponimus. Ad iſchiadicos verò faciunt cataplaſmata D
ex farina lupinorum amarorum,quam aceto,aut oxyme-
lite aut poſca decoquũt:nonnulli verò nepetam imponũt
vt ſtrenuum remedium. Capparis quoque radicis cortex
coxendicis dolores iuuat,ſi idoneis cataplaſmatis mixtus
foris apponatur:ſique intus aſſumatur. garum etiã & mu-
ria ex piſcibus ſale conditis, clyſteribus iniecta, humores
iſchiadicos lædentes reuellit,& per inteſtina euacuat. V-
tuntur autem ea potiſſimùm muria quæ ex ſiluris & mæ-
nulis ſale conditis fit. Semẽ thlaſpeos per ſedem infuſum
cruenta euacuatione,quam molitur,iuuat. ſimili quoque
modo centaurium tenue.ſed in his conſulendus medicus E
eſt.Hactenus ergo curationem adhibere poterit etiam is
qui morbum ignorarit.ſed aliorum quoque habenda ra-
tio eſt,& quæ contingunt medico indicanda ſunt priuſ
quam magnus aliquis & ſanatu difficilis, aut certè imme
dicabilis morbus fiat. multa enim antè nobis indicant
quid futurum ſit, vt ſoni, vt ſtrepitus, vt conuulſiones qua
rundam partium, vt inferioris labri tremor, vt vox inter-
cluſa, vt obliuio, vt grauis halitus, vt ſomni profundiores
quàm cõſueuerint, vel leues,& viſis pleni,& quũ ab incu- F
bo ſæpe ſuffocabũtur,& ad res venereas immoderata fre
quénſque cupiditas,& quum non ſemel aut bis cadunt,
quandam fore apoplexiam,*hoc eſt morbum attonitum*, aut e-
tiam morbum comitialem: aut quum fluxio in partem
aliquam decumbit(quam paraplegiam vocant)aut melã-
choliam aut inſaniam prænunciant, de quibus rebus o-
portet certiorem facere medicum,eúmque aduocare quã
celerrimè, vt medicinam faciat. ipſe enim vel ſectione
venæ, vel medicina purgante propinata, vel vtroque præ
ſidio vtens, vel alia adhibẽs quæ opportuna iudicabit,ne G
morbus fiat impediet.Cæterùm ſuffuſiones,oculorum he
betudo præcedit:& quædam quaſi præcurrentia ante ocu
los ſeſe oſtendunt, vt culices, aut pili,& alia quædam, & ca
pitis dolor.quæ ſunt etiam ſignificanda medico: ſiquidẽ
is purgationem adhibebit, & victus inſtituet rationem
accommodatam, aliiſque rebus quæ iuuare hominem
poſſint, vtetur.laſſitudines etiam quæ per ſe hominib⁹ ir
repunt,& ſomni profundi,aut imaginum pleni,aut vigi-
liæ,aut ſudores poſt ſomnum,& ſitis inſolita, & ciborum
auerſio,febrium indicia ſunt omnia.Quæ quum nota & H
explorata habeat medicus,ea faciet quæ conuenient.quæ
item in thorace eueniunt,niſi quis ad medicum perferat,
periculum erit ne aut ad ſputum ſanguinis, aut ad ſup-
purationem perueniat.Nigra itidem vrina quãdoque cal-

A culum eſſe renes obſeſſurum prænunciat: idque potiſſi-
mùm in ſenibus.ſed ſi id reſciſcat medicus, quædam in-
ueniet quæ ſenẽ illum ab hoc malo tuebũtur: nam & re-
nes purgabit iis quæ vrinã ciẽt,& iubebit ne ſeſe extẽdat,
néve exerceatur:ſed vtatur equitatione geſtationéque,iiſ-
que nec multis nec diu.Quúmque aliquis dolor in aliquo
articulo, exempli gratia, pedis, ſentiatur, negligendus nõ
eſt.quãuis enim nobis ſegniter id trãſeũtibus ſedatus fue
rit,mox tamen reuertetur,& diu hominem maiore malo
afficiet,& ſanari difficulter poterit.Præſtat ergo in princi
B pio dolorem curare,quum adhuc facilis curatio eſt.Sæpe
etiam nobis ſuſpectæ eſſe debent cruditates,& alui fluo-
res,& inflationes.medicique earum admoneri:nam tacẽ
tibus nobis ſæpenumero grauia difficiliáque cõtingunt,
qualis ea affectio eſt quæ flatuoſa nominatur, quǽque ex
timore & nimio mœrore oritur,quam melancholiam vo
cant. Sed plurima ſunt, quæ propter negligentiam ad id
mali progreſſa ſunt quod vinci nullo modo poſſit.quam
obrem nihil,aut paruum,aut magnum quod præter con-
ſuetudinem accidat, eſt ſilentio prætereundum. Verùm
C quia coniunctorum medicamentorum facta eſt à nobis
mentio,deinceps eorum deſcriptiones coniungentur.

Quæ ceræ menſura ſit oleo adhibenda,
Cap. CXX.

SI vnguina quæ à laſſitudine leuanda nominantur à me
dicis ἄκοπα, velis conficere, oleúm ceræ quadruplum
impones:ſi liquidum ceratũ, vt in fracturis fieri ſolet,du-
plum: ſi medicamentum emplaſtri modo, vtriuſque par
modus eſſe debet,ſi aër nos ambiens ſit moderatus: ſin
autem cera vetus aut arida,aérque frigidus fuerit, paulo
D plus olei erit addendũ:ſicut contrà,ſi cera fuerit pinguis,
aérque calidior,paulo minus olei debet eſſe. hæc verò
paulo minor portio eſt duodecima pars medii exceſſus,
qui inter vtramque partem ſit interiectus: nam vndecim
& tredecim olei vnciis ceræ libra admiſceri poteſt.

Γάνυγρον, hoc eſt liquidum medicamentum,
Cap. CXXI.

ADipis ſuilli recentis,eiectis membranis,vnciæ qua-
dragintaquatuor,ceræ vnciæ vigintiquatuor, lithar-
gyri vnciæ ſex,ceruſſæ tantundem,eliquata aridis miſceã
E tur:tractu enim conſiſtent.

Tetrapharmacum baſilicum, Cap. CXXII.

CEræ, reſinæ frictæ, picis ſiccæ,ſæui taurini,ſingulo-
rum libra vna. Vt autem celerius concoquat, & car-
nem creet,addimus thuris modò tres vncias, modò qua-
tuor.

Medicamentum, διὰ χυλῶν, *hoc eſt ex ſuccis,*
Cap. CXXIII.

LIthargyri pondo duo,ceræ vnciæ octo,olei põdo ſex,
fœnigræci,lini,ſeminis,ebiſci quæ etiã althæa dicitur
F (nam & agreſtis malua althæa nominatur)pſyllii,cucume
ris agreſtis, omnium ptiſana decoctorũ ſucci põdo duo
coque vſquedum non inquinent:poſtea vtitor.

Malagma Mnaſæi, Cap. CXXIIII.

LIthargyri libræ duæ,ceræ libra,axungiæ veteris libra,
reſinæ frictæ vnciæ ſex.

Emplaſtrum ex melle, Cap. CXXV.

CEræ libra vna,adipis anſerini vnciæ ſex, olei veteris
libra vna,lithargyri tantundem, terebinthinæ vnciæ
duæ,*alii habent una*:mellis libra vna.

G Emplaſtrum ex chalcitide Galeni,quod Phœ-
nicinum dicitur, Cap. CXXVI.

SVilli adipis vetuſti ſalis expertis pondo duo,olei vetu
ſtiſſimi pondo tria,lithargyri tantundem, chalcitidis
vnciæ tres. Chalcitidem contunde, ac per tenuiſſimum
cribrum traiicies,tum in pilam cum tribus olei libris po-
nes,ac diligenter teres vſquedum optimè læuigentur. tũ
lithargyrum per tenuiſſimum cribrum traiectam, & in
alia pila in tenuiſſimum pollinem prius redactam adii-
cies.pſyllium verò,multo tẽpore poſt chalcitida: præſer-
H tim verò in ſole cõficies, vt oleum liquidum maneat: po-
ſtremo loco adeps adiicitur. quúmque exquiſitè omnia
læuigaris,in cacabum mitte,& coque,ſpatha ex ramo pal
mæ verſans:ex quo ramo cortex viridis exterior auferen-
dus eſt, vt ſuam humiditatem medicamento poſſit im-
pertirã

pertiri.& ad coctionem ſatis erit vnus palmæ ramus, vt ex craſſiore eius parte ſpatham faciamus: alteram verò quæ continua erat, cum ea ex qua ſpatha effecta eſt, poliamus & purgemus vt candida fiat, quàmque in fruſta diſſectam & contuſam, medicamento indamus. atque eo quidem tempore tenuia fruſta iniiciẽtur, quum medicamentum ad moderati cerati conſiſtentiam peruenerit. cæterùm pars ſpathæ aut rudiculæ quæ iam à medicamento fuerit arefacta, præcidenda & abiiciẽda eſt, & reliqua vtendum, vt eius humiditatem medicamentum recipiat. idque bis & ter faciendum erit, ſi rudiculam exiccatam intueberis. Eſt etiã perſpicuum palmæ ramum debere eſſe recens ab arbore cæſum, & eodem die quo medicamẽtum cocturus ſis, vt ſit ſucci plenus: quumque tandiu coxeris quandiu digitos non inquinet, ab igni auferes. & emplaſtro vteris ad vulnera cruẽta, & quæ cicatricem ægrè ducunt: & cum oleo liquatũ ad omnia inflammata adhibebis. ſed medicamentum eſto paulo plus quàm oleum, dum eliquatur.

Ex pompholyge, Cap. cxxvi.

POmpholygis, lithargyri, ceruſſæ, ſingulorum vnciæ quatuor, ladani vncia, acaciæ denarii duo, olei myrtini vnc. octo, ceræ Tyrrhenicæ quod ſatis ſit, & item oua abiectis vitellis.

Ex meliloto.

NArdi Gallici drach mæ decẽ, cyperi, cardamomi, iridis, myrrhæ, ammoniaci thymiamatis, ſingul. drachmæ octo, meliloti drachmæ vigintiquinque, terebinthinæ drachmæ quinquaginta, ceræ nouæ drach. cẽtum, cyprini heminæ dimidium, aceti quod ſatis eſt. quidam guttæ ammoniaci ponunt drachmas centum.

Muſæ paſtillus, Cap. cxxvii.

PAſtillus Muſæ: Aluminis ſciſſilis, aloes, myrrhæ, atramenti ſutorii, ſingulorum drachmæ duæ, thuris dr. octo, capitulorum Punici mali drachmæ decẽ, gallarũ immaturarum drachmæ octo, paſſi quantum ſatis eſt.

Polyidis, Cap. cxxviii.

CApitulorum mali Punici drachmæ ſedecim, myrrhæ drachmæ octo, aloes drachmæ octo, aluminis ſciſſi drachmæ quinque, thuris drachma vna, atramenti ſutorii drachmæ tres, fellis taurini drachmæ ſex: vino dulci excipiuntur.

Ex charta, aridus ad nomas, Cap. cxxix.

CHartæ combuſtæ, æris vſti, plumbi vſti & loti, ſquamæ ſtomomatis vt omniũ par modus ſit, ſulphuris ignem non experti dimidium: læuigato.

Roſacei confectio, Cap. cxxx.

ROſaceum ſine vllo vaſculo parare conuenit, roſis ſolùm in oleum omphacinum & omotribes coniectis. at ſine ſale conficitur: quoniam ſal calfaciens, minus idoneum roſaceum reddit.

Acopon ex populi floribus, Cap. cxxxi.

EX populi floribus adhuc conniuentibus modius Italicus in quindecim aut viginti libras olei alicuius tenuium partium & non adſtringentis, immittitur. accommodatiúſque fiet ſi florem modicè contuſum in oleum coniicies. ſique medicamentum quotidie dimouebis, præſertim quum ſol feruebit, ac in domo calida, celerius & magis populi qualitas atq; vis in oleum migrabit. itaque poſt duos treſve menſes potes expreſſo atque abiecto flore & oleo per linteũ percolato, ipſum habere oleum quod citra morſum per halitum diſcutiat. quinetiam ceram & reſinam licet iniicere. ergo ſatis erit ceræ quartam partem, reſinæ verò duodecimã, addere. Si verò oleum quod expreſſeris craſſius videbitur, ſatis erit vel quintam ceræ partem, vel quandoque ſextam adiicere. Præſtat autem id coquere in vaſe duplici aut certè igni lento, qualis prunarum eſt. Medicamentum hoc aptiſſimum eſt ad omnes laſſitudines ſeu ſponte ortas, ſeu alia quoque ratione contractas: & ſuccos quicunque non admodum craſſi nec lenti in cute carnéque reſident, euaporant ac digerunt.

De aliis oleorum digerentium generibus, Cap. cxxxii.

OLeum quoque quod ex chamæmelino fit, digerit tum per ſe, tum multo magis iniecta cera & reſina ad eandem mẽſuram. ſed digerit etiam anethinum: idque vel per ſe, vel ſi eo quiſpiam cum cera & reſina vtatur. dãda quoq; eſt opera vt in vaſe duplici anethinum etiam incoquatur: vtiliúſq; fuerit ſi anethum viride ſit. Si præterea betæ albæ radices in oleo coxeris, idque quod diximus feceris, medicamentum digerẽs tibi pararis: quale etiam ex cucumeris agreſtis radice, althaæque ac bryoniæ conficitur.

Paſtillus Andronis, Cap. cxxxiii.

ALuminis ſciſſilis, myrrhæ, ſingul. drach. quatuor, atramenti ſutorii drachmæ duæ, thuris drachmæ octo, cyperi drach. decem, ariſtolochiæ drachm. duodecim (aliqui drach. octo) gallarum omphacitidum drach. octo, paſſi quod ſatis eſt.

Confectio ex capitibus papaueris, quæ διὰ κωδύων dicitur, Galeni, Cap. cxxxiiii.

IN vnum aquæ ſextarium capita papaueris decem immitte. Si capita humidiora ſint, macerentur vnum diẽ, vnámque noctem, ſi duriora & ſicciora, etiam diutius quàm vnum diem. ac melius quidem eſt neque iã indurata accipere, neque valde mollia: fugiendáq; ſunt quæ ex perhumidis locis accipiuntur. iniice verò in aquam ea capita vt dixi quæ ſint magnitudinis mediocris, quũ & maiora & minora indi queãt: ita enim proportio ſeruabitur. coquendi terminus tibi erit quũ tota capita flaccida fuerint reddita. quod vbi erit, exprimẽtur capita atque abiicientur. aquæ autem addetur mellis dimidium mẽſuræ totius, & ad ignem fumi expertem ad Attici mellis cõſiſtentiam coquetur. decoctio verò in aqua pluuia aut fontana facienda eſt. vſus eius in iis eſt quibus ſomno eſt opus: quibus etiam ſæpenumero confectionem ex opio dare cogimur. hoc autem medicamento potiſſimùm indigent quibus tenuis defluxio à capite ad aſperam arteriã deſtillat, quæ propter inſequentes tuſſes dormire non ſinit. In hiſce autem medicamentum eſt ex ſapa parandum: quam ad rem ſatis coquitur quum capita papaueris fuerint ad aquæ medietatem decocta. huic etiam dum coquitur, radix glycyrrhizæ addenda eſt. Si verò copia defluxus à capite delati in pulmone conſiſtat, confectio ea melle accommodatior erit. ergo ad id quod vrget, animum adhibens, vbi in ſomnum vertitur æger, id demũ quod ex melle conſtat, aut quod ſine melle cõfectum eſt, dabis: & aliquando vtrunque permiſcebis. Datur hoc moderata menſura ad duorum ſatis magnorum cochleariorum magnitudinem. Augebis autem aut minues habita ratione corporis magnitudinis, ætatis, anni, temporis, & regionis: in his enim omnibus, frigidioribus minimũ dabis: calidioribus, plurimũ. habita verò etiam ratione quãtitatis qualitatiſque difluxionis, te plus minúſque daturum eſt planè perſpicuum.

Myſteriũ dolorẽ ſedans, Cap. cxxxv.

VAlet hoc medicamentum ad eos quos tuſſis exercet, ad tabidos, ad cœliacos, ad dyſentericos, & ad alui fluorem. capit autẽ hæc, Croci, caſtorei, aſari, alterci ſeminum, opii, ſtyracis, ſing. drach. quatuor: eáſque melle excipito, atque vtitor. quidam verò habent alterci dimidium.

Philonis medicamentũ, Cap. cxxxvi.

CRoci dr. quinque, pyrethri, euphorbii, ſpicæ nardi, ſingulorum drach. vna, piperis albi, alterci, ſingul. drachmæ viginti, opii drachmæ decem.

Picra Galeni, Cap. cxxxvii.

ALoes drach. centum, cinnamomi, ſpicæ nardi, xylobalſami, maſtiches, aſari, croci, ſing. drach. ſex. Ego verò aloes dr. nonaginta: croci verò quinque, coniicio, itáque vtor. datur drachma ex aqua.

Catapotia purgãtia ex aloe, Gal. Cap. cxxxviii.

COlocynthidos pars vna, aloes & ſcammoniæ, ſing. partes duæ, ſucci abſinthii pars vna.

Hiera, Cap. cxxxix.

INterioris colocynthidis drachmæ viginti, chamædryos, agarici, ſingulorum drachmæ decẽ, ſagapeni,

opopanacis,ſingulorum drachmæ octo,petroſelini,ariſtolochiæ rotundæ,piperis albi,ſingulorum drach. tres, ſpicæ nardi, cinnamomi,croci,myrrhæ, polii, ſingulorum drachmæ quatuor.melle diluito,datóque ad ſummum drachmas quatuor.

Dioſpoliticum, Cap. CXL.

CVmini,piperis longi vel albi,rutæ,nitri, omnium par modus.atque ita magis ventrem ſoluit: quum verò pari aliorum ponderi dimidium nitri miſcetur, non ita ſubducit.Maceretur autem cuminum in aceto acerrimo,deinde continuò tundatur: aut etiam prius fricetur in vaſe fictili quod perfectè coctum ſit. Sunto verò &rutæ folia modicè ſiccata.His quatuor aliquãdo mel deſpumatum additur,aliquando nihil·ſed ſola arida reponuntur,ac ptiſanæ cremori & aliis quibus maximè conuenire videntur cibis iniiciuntur. Sumitur & medicamentum hoc & ante & poſt cibum:ad quem vſum id quod mel accepit eſt etiam iucundius.

Simplex ex tribus piperis generibus, Cap. CXLI.

AD cuiuſque trium piperum drachmas quinquaginta ſatis eſt addere aniſi, thymi, zingiberiſque, ſing.drach.octo:herbarum autem coma cum floribus, abiecto eo quod lignoſum ſit,imponenda eſt.deinde omnibus ſimul contuſis,& per tenue cribrum tranſmiſſis,mel optimum ac diligenter deſpumatum admiſcea tur.Hocque medicamentum dari poterit ſemel aut ſæpius quotidie,& manè,& ante & poſt cibum, atque etiam dormitum euntibus.Datur autem cochlearis pleni menſura:ac paruis quidem corporibus,parui: maximis verò,maximi cochlearis.

Medicamentum ex calamintha, Cap. CXLII.

ACcipito calaminthes,pulegii,petroſelini, ſeſeleos, ſing.drach.duodecim,ſeminis apii,cacuminũ thymi,vtriuſque drachmas quatuor, libyſtici drach. ſedecim,piperis drach.duas de quinquaginta.atque herbarum quidem quicquid lignoſum durumque eſt, id abiiciatur:capiantur autem extremitates herbarum cum virentiſſimis foliis & floribus.hæc omnia ſimul tundẽda ac tenuiſſimo cribranda ſunt cribro,melque optimũ & accuratè deſpumatum admiſcendum.Vſus eius erit poſt matutinam frictionem,ante exercitationem & balneum. Licet etiam ſine melle admixto ſiccum medicamentum cõficere,& ſalis vice ad obſonia vti.poſſumus idem in ptiſſanam coniicere pro aceto,vel in eiuſmodi aliquid pro pipere.Sed poteſt etiã cum melle obſo-

A niis admiſceri.poſt cibum tamen nunquam neque hoc medicamentum,neque aliud vllum quod ad validiorẽ diſtributionem faciat,erit aſſumendum.

Medicamentum ex ſucco malorum, Cap. CXLIII.

QVod ex ſucco malorum conficitur accommodatũ eſt iis qui non appetunt,quique non rectè concoquunt.eius autem confectio eſt hæc: Malorum cydoniorum quæ maiora dulcioráque ſint, ſucci ſextarios duos.his optimi mellis tantundem miſcebis,aceti ſexta

B rium vnum ac dimidium. Hæc vbi ad ardentes carbones modicè coxeris,ſpumámque detraxeris,zingiberis vncias tres,piperiſque albi vncias duas immittes:deinde ad carbones ignitos iterum coques vſquedum mellis fiat ſpiſſitudo.Hoc medicamentum non modò ſalutare eſt iis quibus ventriculus, ſed etiam quibus iecur inualidum eſt. Conſtat etiam inter omnes hoc ieiunis dandum eſſe ad myſtri magnitudinem: quanquam nihil etiam lædit,ſi à cibo ſumptum fuerit.commodè e-

C tiam dabitur,ſiquis pranſus ſit prius,& ante cœnam id ſumpſerit.Maximè autẽ tempeſtiuè dederis ſi duabus aut tribus ante cibum horis obtuleris.At ſicui venter intemperie calida laborat, aut bili quouis modo abundat,huic auferri piper ac zingiber debet, ac ſuccus malorum cum aceto ac melle tantùm coctus modo præſcripto dari.

De oxymelitis apparatu, Cap. CXLIIII.

OXymeli conficies hoc modo:Cum melli optimo ad carbones ardentes ſpumam abſtuleris,in ipſum

D immittes aceti tantum quantum ſatis ſit,ne guſtãti nimis acidum nec dulce videatur:ac denuò ad prunas coques quoad amborum qualitates in vnum redactæ planè ſint,nec guſtãti acetum adhuc crudum appareat:inde ab igni auferes.quùmque vti voles,aquam ei miſcebis,ſic temperans vt vinum.ſed ſatius erit de modo ex ſumentium guſtu facere iudicium. Ipſa tamen prima eorum commixtio,quo plurimis idonea ſit, ita eſt facienda vt vni parti aceti, mellis à quo detracta ſpuma ſit,dimidium adiici oporteat. Cum aqua verò ſtatim

E oxymeli conficies hoc modo:Melli quadruplũ optimæ aquæ miſcebis:deinde modico igni coques vſquedum ſpumare deſinat.Conficitur ſanè oxymeli etiam tribus ſtatim ab initio commixtis ad hunc modum:Aceti vni parti additur mellis duplũ & aquæ quadruplũ: hæcq; ad tertiam vel etiam quartam partem, ſpuma interim ablata, decoquuntur.

OBSERVATIONES IOAN. BAPTISTAE Raſarii in nouem Oribaſii libros ad Euſtathium.

IOAN. BAPTISTA RASARIVS IO. LAVRENtio Maſſatio medico S. P. D.

CVVM de nouem Oribaſii librorum ad Euſtathium editione mecum ageres, antequam in Cyprum ab iſta maxima nobiſſimáque inſula euocatus proficiſcæreris,ea potiſſimùm ratione ad id mihi perſuadendũ utebaris,ne tardarem ſtudia multorum.Sed quum uterque noſtrum in magna ſpe eſſet,fore ut quum primùm mea interpretatio in lucem fuiſſet prolata,nonnulli fortaſſe apud quos iidem libri diligentius deſcripti delitæſcærent, de iis edendis cogitarent, noſtram tamen adhuc inanem fuiſſe coniecturam perſpicimus.quamobrem cum antea ſummo ſtudio huius opuſculi exemplum perquirebã,ut cũ meo accuratè cõferrem:tum uerò hoc tẽpore præſertim ad delẽdas multas maculas,quas Oribaſius librariorũ culpa ſuſceperat,non eſſe cælandum diutius exiſtimaui nactus enim uetuſtum codicem ſum,ex quo ea ſumpta ſunt quæ mox ſe-

quentur. doleo ab eo uolumine tertium abeſſe librum, in quo ſperabam me multa eſſe emendaturū: ſcis enim quàm multa ſint in eo deprauata, ut in conficiendis medicamentis uel liquida uel arida ſæpe deſiderentur. Nam quod Paulus Æginetа ita *ſcripſiſſe Oribaſium inſimulat, id ego librariorum incuria factum puto* Verùm *quod hactenus uſu non uenit, forſitan aliquando conſequemur tu interim hiſce locis emendatis fruere, atque idem de libris ad Iulianum propediem expecta. Cura ut ualeas, & me, ut facis, ama.* Venetiis, Calend. Mart. M. D. LVI.

QVod legitur libro primo, capite tertio, *Aliæ uerò citra robur*, &c. vetus codex ita habet τὰ δὲ ταχέα χωρὶς ἐυτονίας, καὶ βίας ἐστι, i. Aliæ verò celeres, citra robur & violentiam peraguntur.

Cap. XI, *Quicunque etiam molles carnes habent*, &c. Vet. lib. καὶ ὅσα μαλάχια, id eſt, Quicunque etiam ſpinam non habent, qui μαλάχια nominantur. Paulo pòſt, *Coire enim cum excrementis malum eſt*: In vetere libro ſic legitur, κακὸν δὲ καὶ ἐπὶ περιττώμασι μίσγεσθαι, id eſt, Coire etiam cum excrementis malum eſt. vt hoc ſit aliud tempus, non autem ratio reddita eorum quæ ſuprà ſunt dicta. Et item paulo pòſt, *Et alui fluxus recentes, ſiquidem diuturnos quandoque uenus ſiccat*. V. l. ſic, καὶ διάρροιαν ἐξαπιναίαν. τὴν δὲ κεχρονισμένην ἐστὶν ὅτε τὰ ἀφροδίσια ξηραίνει, hoc eſt, Et alui fluxus repẽtinos: ſiquidem inueteratos quandoque venus exiccat. Et ita etiam apud Aetium legitur.

Cap. XVII, vbi de aloe agitur, hæc ſunt verba, *Pertranſit enim, neque cibos corrumpit: præterea neque ſitim, neque famem inducit*. Vet. cod. ſic, διαχωρεῖ γὰρ, καὶ τὰ σιτία οὐκ ἀφανίζει. πρὸς δὲ, καὶ ἄδιψόν ἐστι καὶ ἄσιτον, id eſt, Pertranſit enim, neque ciborum vim hebetat. præterea ſitim non inducit, & ad ſumendũ cibũ nos reddit promptiores. Atque ita etiam legitur apud Orib. VII. Collect. cap. XXVII. Eodem capite, de ſcammonia, *Pituitam & bilem uehementer educit: datur eius puræ dr. una ad ſummum*. V. l. ſic habet, ἄγει δὲ φλέγμα καὶ χολὴν ἰσχυρῶς ἄκρατον, ὅσον δραχμὰ ἃ τὸ πλεῖστον, id eſt, Pituitam & bilem puram valenter educit vna eius dr. ad ſummũ. itáque habet Orib. VII. Collect. XXVII. Paulo infrà, *Purgatione ceſſante, utilius erit in lecto recũbere*. V. l. meli⁹ hoc modo, ἡκούσης δὲ τῆς καθάρσεως, i. purgatione procedẽte, & nõ ληγούσης, vt antea legebatur.

Cap. XXII, *Aut anethi radix excalefacta*. V. l. ſic, ἢ ἀνήθου τῆς ῥίζης κεκαυμένης, id eſt, combuſta anethi radix.

Cap. XXIII, *Succus Cyrenaicus*, Legendum eſt, Liquor: atque ita deinceps quũ Cyrenaici, aut Medici, aut papaueris, aut panacis ſucci fiet mẽtio: ſi ὀπὸς Græcè legatur, Liquor ſemper erit dicẽdũ: vt à nomine χυλοῦ, qui exprimitur, & illinc manat, diſtinguatur.

Cap. XXVI, *Si uerò nitri parũ addas, abſceſſus rũpet*. In V. c. legitur, προσβαλὼν δὲ νίτρου ὀλίγον, ῥήσσει κόλπους. i. Sin⁹ rũpit.

Cap. XXXI, *Si puſtulæ eruperint, lana roſaceo* &c. V. c. pro lana habet ὀθόνιον, id eſt, linteolum.

Cap. XXXIIII, *Cæterùm qui affectiones cognoſcere non poſſunt, ſæpe quod conuenit perficiunt*, &c. ita legitur apud Galenũ II κατὰ τόπους: ſed Or. habet aliter, hoc modo, πολλάκις δὲ οὐκ ἀνύουσι τὸ δέον οἱ μὴ διαγινώσκοντες τὰς διαθέσεις, id eſt, Sæpe enim quod par eſt non perficiunt ii qui affectiones non cognoſcunt.

Cap. XXXV, *Helenii radix æquè ac fimus columbarum ſylueſtrium, quo admodum frequenter utimur*. Vet. cod. ſic diſtinguit, ἑλενίου ῥίζα ὁμοίως. Τῇ κόπρῳ τῶν νομάδων περιστερῶν πάνυ συνεχῶς χρώμεθα, id eſt, Helenii radix ſimili modo. Fimo autem columbarum ſylueſtrium frequentiſſimè vtimur.

In librum ſecundum.

Cap. I, *Pinei nuclei, lentiſcus*, &c. V. l. addit, στροβίλου τὸ ἐδώδιμον, id eſt pinei nuclei veſca pars, lentiſcus &c.

Cap. II, *Atractylis, cnicus agreſtis*. In V. l. melius legitur ſic, ἀτρακτυλὶς, ἢ κνῆκος ἄγριος, id eſt vel cnicus agreſtis. Paulo pòſt, *Styrax, hydnon, piper*. V. l. στύραξ, ὑδροπέπερι, id eſt, ſtyrax, hydropiper. Sed apud Aetium qui Oribaſium autorem habet, vbi de eadem re agitur, legitur vt prius trãſlatum fuit, ὕδνον, πέπερι, Id eſt, tubera, & piper. quanuis quum de calefacientibus agatur, ex omnium ſententia videtur legendum eſſe hydropiper, quum id à Dioſcoride lib. II, Galeno VIII Simpl. & item cæteris inter calefaciẽtia: ὕδνον verò (hoc eſt tuber) non item adnumeretur.

Cap. V, *Epithymum, mentha, ſatureia*. V. l. habet θύμα, hoc eſt thymum, nõ θύμβρα, hoc eſt ſatureia. quod etiã apud Aetium legitur: quanquam vtrunque retineri poteſt. Vel dicendum deeſſe verbum θύμα. Paulo pòſt, *Caroum*, V. l. habet καρώφυλλον. Aetius tamen nihil variat: ac Galenus quoq; VII Simpl. carũ habet, cuius ſemen in tertio ordine calefacientium conſtituit. nihil ergo mutãdum hîc puto. Sed paulo infrà quum legitur ῥάφανος, V. l. habet ῥαφανὶς, id eſt radicula, magis accommodatè. ſiquidem de ruta déque rododaphne fit mentio, quas in tertio gradu calefacientium vnà cum radicula Gal. collocat. Ita etiam legendum infrà, cap. XXXIX.

Cap. VII, *Conion uehementer*, Legendum eſt, Cicuta extremè. loquitur enim Oribaſius de refrigerantibus.

Cap. VIII, *Acacia lota, plantago, beta*. V. l. ἀκακία πεπλυμένη, ἀρνόγλωσσον, βλίτον, id eſt blitum, non beta, quam & Orib. & cæteri τεῦτλον vocant.

Cap. XII, *Aſiæ petræ flos marceſcentes carnes arefacit*. V. l. ἀσίας πέτρας ἄνθος τὰς πλαδαρὰς σάρκας ἐκτήκει, id eſt, Aſiæ petræ flos flaccidas carnes eliquat. Eodem cap. *Ouorum candidum & putamen*. V. l. ὠῶν τὸ λευκὸν, καὶ τὸ λεπτὸν, id eſt ouorũ candidum & tenue. prius tamen λέπος (id eſt putamen) legebatur.

Cap. XVI, *Abrotanũ & præcipuè uſtũ*. V. l. ἀβρότονον & μᾶλλον τὸ καυθὲν, id eſt abrotonũ, ac magis etiam quum vſtũ eſt.

Cap. XXI, *Cicuta, picea arbor*. V. l. κώνειον, λεύκη, id eſt cicuta, leuce arbor.

Cap. XXII, *Oleum uetus, glycyrrhizæ radix*. V. l. ἔλαιον παλαιὸν, γλυκυσίδης ἡ ῥίζα, id eſt, oleum vetus, pæoniæ radix. Et ita eſſe legendum puto: nam tenuium eſſe partium pæoniam, & non glycyrrhizam, Galenus VI Simp. teſtatur. ſed propter nominis ſimilitudinem facilis fuit lapſus: qui etiam infrà, cap. XXXIX. cernitur.

Cap. XXVII, *Thus, pix Ægyptia, maſtiche*. malè diſtinctum eſt. legendum enim eſt, Thus, pix, Ægyptia maſtiche, vt dicatur maſtiche Ægyptia, ad Chiæ differentiam.

Cap. XXVII, *Folia maluæ ſylueſtris, maluæ caules*. V. l. τῆς ἀγρίας μαλάχης τὰ φύλλα, ἀναδενδρομαλάχη. i. agreſtis maluæ folia, & anadendromalache: quam Galenus VII. Simpl. althæam quoque appellari ſcribit.

Cap. XXXV, *Aſparagus, oxymyrſinum*. Legendum, aſparagus oxymyrſinus, ſine vlla dictione. vt etiam cap. XL. Eodem capite legitur, allium, paſtinaca, legendum ex V. l. ſcordium. vt etiam cap. ſequenti, & cap. XLVII. Et paulo infrà, *Orobus qui ſumptus*, Legendum, Eruum copioſius ſumptum.

Cap. XXXVI, *Potus uini, in quo ſcorpius marinus ſuffocatus ſit*. V. l. σκορπίου θαλασσίου πνιγέντος οἴνῳ τὸ ἀπόβρεγμα, id eſt Dilutum ſcorpii marini in vino ſuffocati.

Cap. XXXIX, vbi aſteriſcus eſt, *Cataporia attrahentia quæ dantur*. V. l. ἐκλικτὰ διδόμενα καταπότια, id eſt Catapotia quæ ad lingendum dantur.

Cap. XLIIII, *Cedria, auripigmentum*. V. l. addit μέλι, id eſt mel.

Cap. L, *Sambucus, ebulus*. V. l. ἀκτέα, ἀνθεμις, id eſt, actea & chamæmelum. Eodem cap. *Ibiſcus, althea*, Legendum Ibiſcus, ſiue althæa. Eodem cap. legendum, Ex caricis pingues magis quæ ex caprificu exiſtunt.

Cap. LII, pro ſmyrna, legendum eſt myrrha. Et item cap. ſequenti. Paulo infrà Glaux, cerebrum. Dioſc. lib. IIII, & Orib. XIIII. Coll. cap. LXIIII, herbam eſſe glauca, & animal quæ noctua dicitur, ſcribit: ac cerebrũ noctuæ ad lac gignendum accommodatum eſſe, ex Zopyri ſententia commemorat.

Cap. LIX, Vbi de Lemnio ſigillo fit mentio, habet alius codex drach. mediam. V. l. legit drach. octo.

In Librum quartum.

Cap. I, *Dauci, ſeſeleos, trochiſci*. V. l. δαύκου, σεσέλεως, τορδυλίου, id eſt, Dauci, ſeſeleos, tordylii: quod tordylium Dioſcorides lib. III, ſeſeli Creticum ab aliquibus vocari ſcribit.

Cap. III, *Itémque ſaxatilium piſcium & pelagiorum*, Legendum eſt, Itémque ſaxatiliũ piſcium, littoraliũ acpelag.

Cap. V, *Cetaceum genus in mari degentium animalium*, Legendum, Omne cetaceum genus, &c.

Cap. XII, *Paguri, cancri, locuſtæ*, Legendum paguri, cancri, loligines. Et eodem cap. *His minus nutrit album ſimul & craſſum, & adſtringens*, Legendum, Et auſterum. Et paulo pòſt, *Minus verò alit polenta*, Legendum, Æquè atque ii, nutrit polenta. Et item, *Corna, pruna ſylueſtria, zizipha*: V. l. addit Rubi fructus, arbuti fructus.

Cap. XIII, Legendum eſt Bugloſſum, paſſer, & lacertus, medii quodammodo ſunt inter eos qui teneram durámque carnem habent: alimentúmque eorum eſt optimum iis qui ſe non exercent, quique imbecilli ſunt: iis verò qui conualeſcunt, friabile & molle alimentum eſt ad bonã valetudinem accommodatiſſimum. quocirca optimum omnium ſuccum creant carnes quadrupedum animalium, ſi probè cõcoquantur, &c. Ita enim etiam ſcriptũ eſt lib. III, Collect. apud Orib. cap. XV. Tum non ita multis verſibus interiectis legendum, Et pituitæ plurimum faciunt, manna & iecur boni ſucci ſunt, &c. Et, Meliores ſunt pedes porcorum, quàm grunnus & aures.

Cap. XIIII, Legendum, Seniorũ verò carnes ſunt peſſimæ. Et paulo pòſt, Aut pecudum: non minus quoque quàm eæ mali ſucci eſt ceruina caro, renes & teſtes nimis adultorum, &c. Paulo pòſt, Quam alii horæi fructus. Et non ita multo pòſt, legendum, Porrorum, alliorum, daucorum, & radicularum: & item, Vina quæ craſſa ſunt & fœtida, & auſtera.

Cap. XV, Legendum, Torpedo, turtur, omne genus volucrium. auium nanque caro terreſtrium carni compar. Et paulo pòſt, Ex bubulis & caprinis carnibus meliores ad concoctionem ſunt bobus vituli, atque hœdi capris, omnes præterea carnes eorum, &c. Ad finem cap. Vinum dulce faciliùs quàm auſterum concoquitur.

Cap. XVI, Legendum, Mulli, orphi, deinde oua toſta, elixa, fricta, triticum elixum.

Cap. XVII, Legendum, Oliuæ ſale cõditæ, præſtantiores autem ſunt. Et pòſt, Huius generis ſunt carduus, attractylis, & attracte magis honorata quàm conueniat. Et, Regius aſparagus, paluſtris, myrti ſilueſtris &c.

Cap. XVIII, Legendum, Vinum nigrum & auſterum, facilè aceſſit, & ad vomitum impellit: craſſum quoque & nouum.

Cap. XXI, Legendum, Præcipuè verò ſi mellis portio ei fuerit indita. Zithus & ſucci omnes. Ita enim vetus liber habet.

Cap. XXII, Legendum, Ad quem vſum adhibenda eſt cum oxymelite, vel aceto & oleo ante alios cibos omnes. Paulo infrà, Quocirca & aſparagum aſphodeli ictericis, vt ſummum remedium præbent. Et infrà, Radicula attenuandi vim habet.

Cap. XXIIII, Legendum, Triticum elixum, oua elixa.

Cap. XXVII, Legendum, Serum lactis valde aluum mollit, eique tantum optimi mellis addendum, &c. Et, Carnes animalium quibus parum admodum ætatis acceſſit. Similiter etiam eorũ extremitates facilius per aluum tranſeunt. Et pòſt, Vuæ dulces, præſertim quum humidæ fuerint, mora in purum ventriculum incidentia, &c. Et, Si rectè affectus ſit venter ad infernam deiectionem, facilè deiiciuntur: ſi verò non, & ipſa ſupra cætera manent, & nihil, &c. Et, Parum ad alteram partem vergens, quum neque vẽtrem languidum ad excretionem, neque validum ad diſtributionem ſortiatur.

Cap. XXIX, Legendum, Palmulæ auſteræ, vuæ paſſæ auſteræ, mora, rubi fructus. Et quæ dulci ſucco prædita ſunt ſine acrimonia, facilius deſcendunt.

Cap. XXX, Lege, Radicula, ſinapis, naſturtium, pyrethrum.

Cap. XXXI, Lege, Allium, cepa, porrum.

Cap. XXXII, Lege, Cucurbita elixa, melopepones, cucumeres, pruna, ſycomora, auſteræ & acidæ vuæ paſſæ, vuæ, mala adſtringentia frigidi & terreſtris ſucci ſunt: acida verò, frigidum ac tenuium partium ſuccum habent: quæque perfectè, &c.

Cap. XXXIII, Lege, Contrà fit in radicula, rapis, ſinape, naſturtio, pyrethro, atque omnibus quorum acer aſparagus eſt. Polenta item ſiccat, viticis ſemen, eruum bis aut ſæpe in aqua dulce redditum, edulium fit exiccans, &c. Paulo pòſt, Siccius etiam eſt quàm id quod non habet. quæ verò minus horum, & defruti plus habent, &c.

Cap. XXXIIII, Legendum, Ptiſſana, cucurbitula elixa, pepones. Et, Humectat quoque lactuca intubúſque, ſed debiliùs: portulaca autem, malua, & blitum, &c.

Cap. XXXV, Hoc caput mirum in modum in omnibus libris eſt deprauatum: nonnulla tamen ſunt reſtituta: itaque legendum eſt, Iis verò qui ſunt ad continendos cibos imbecilliores, neque ſumere craſſius alimentum quàm aqua ſit, queunt, &c. Et, Hordeum verò, quod febricitantibus dandum eſt, non eſt confringendum, ſed lauandum & in aqua coquendum: ac prima quidem aqua abiicienda eſt, tum alia adiecta coquendum. rectè autem coquetur, ſi decem aquæ heminas in vnam hordei heminam iniicias: coquitur autem donec hordeum crepet: deinde percolatur tenuiſſima aqua, & melle admixto, vel etiam per ſe ſola potui datur: hoc enim & aluum probè ſoluit, & vrinam cit, & abundè nutrit. Datur item hordeum in polenta frictum, quod etiam καχρύδα appellant: ſed antequam tundatur, leuiter fricandum eſt, &c. Et, Poſſet autem ſimili quoque modo omne ferè alimentum ſubteri in potionibus. Et, Addimus cucumeris ſemen toſtum, &c. Et, Hæc autem autem contuſa in aqua ſunt diluẽda.

Cap. XXXVI, Lege, Ptiſſanæ verò, ac, cæteris decoctis vel pinea nux, vel auellanæ, &c. Et, Pro oleo papauer album leuiter frictum cum putamine videtur. Iam ad fluxum, &c.

Cap. XXXVII, Lege, Parúmque olei & anethi addatur. prius verò lauanda ſimila eſt. panis antiquus aqua. &c. Et, Vſque autem coquitur dum quinta pars remaneat, eáque percolatur. itrium verò, &c.

Cap. XXXIX, Sic legendum, Febricitãtibus optima potio eſt mulſa, vel oxymel. aqua verò in febricitante, omni morſu vacans, diluta verò quæ adſtringendi vim habent, in ventris turbationibus non ſunt incommodæ: & ad vomitus cohibendos valent, quibus mellis aduerſa exhibitio eſt. Et, Pira verò in aqua infunduntur: quæ acerba & dulcia ſunt. Et, Acini quoque vuarum conſciſſi in aqua macerantur.

Cap. vlt. Ex pluuiis aquis æſtiua, quæque ex tonitruo fit, præſtantior eſt, & item quæ nimbis eſt demiſſa. Et, Bibendæ ſunt vino mixtæ, vt acerbis dulcius vinum, aliis verò id quod ſit acerbius, miſceatur. Vtile etiam eſt limoſas, ſalſas & bituminoſas percolare, &c. ſed hic locus fuit à me iandiu reſtitutus lib. primo Orib. ad Eunapium, cap. XIIII. idque beneficio vetuſti codicis qui in bibliotheca D. Marci eſt. ex quo etiam ſumpſeram verbũ ἀσφαλτώδη, id eſt aquas bituminoſas eſſe percolendas: vt non ſit legendum, σὺν ἀλφίτοις, id eſt cum polenta: quod erat ſanè ineptum, & ab loco alienum.

In librum ſextum.

Cap. VII, Legendum, Magnũ verò ac notabilis cõcoctionis indicium in primis vrinis nunquam, &c.

Cap. xxiiii,Legendum,Fiunt etiam meliora, quum temperaturæ contraria immoderatio immoderationem corrigat. Et,Laboribus,cibo liberaliore,& potu parciore.

In librum ſeptimum.

Cap. xii,Sic legendum,Sed color earum humoris colori reſpondet.

Cap. xviii,Sic legendum,Reduuias paruas,& incipientes galla cum melle reprimit, & prohibet cõfirmari:vbi verò factæ iam ſint,carnem quæ præter naturam excreuerit, conſilium eſt medicamentis morſus expertibus abſumere,&c.

Cap. xx,Legendum,Ita enim grumo compacto ſanguinis defluuium ſiſtetur: eo ita non ſupreſſo &c. Et, Tertio verò die ſolues:ſique medicamentum tutò adhuc vlceri adhæret,&c. Et, Ad ſanguinis autem profuſiones quæ ex ore, aut thymis, aut formicis,aut verrucis,&c. Et, Aut acinorum aut lenticularum os colluendo. iis etiam vtendum,&c. Et,Huiuſmodi ſunt alica farináque pura decocta,cochlea, caſeus mollis. Et,Ouorum tenerorum vitelli,pira,achrades,mala Cydonia,&c.

Cap. xxi, Legendum,Cicatrices verò quæ fiunt ex impetigine, & aliis de cauſis,concolores reddit adeps aſininus,&c.

Cap. xxii,V.l.ſic habet,Vt in tetrapharmaci libram horum alicuius vncias duas coniicias. Et tamen apud Paulũ legitur, Vncia vna. Tum V.c.habet hæc, ποιεῖ γὰρ καλῶς πρὸς τοὺς νευροβρώτους, καὶ μάλιστα τοὺς νενυγμένους,id eſt,Egregiè enim ad neruos vulneratos,præſertim verò punctos facit. Paulo pòſt legendum, Quies imperetur, lectus mollis eſto,oleo calido liberaliore,&c. Et pòſt,Illinendum eſt cataplaſma quod ex ſemperuiuo,mali Punici cortice,in vino cocto,& rhoe & polenta adiunctis,conficitur. Paulus tamen & duo Oribaſii codices pro καὶ ῥοῦ & rhoe, habent κηροῦ,id eſt cera. Et pòſt legendum,Si ex horum vſu immutatio oriatur,& pus &c.

Cap. xxxiii, Legendum,Admiſcetur etiam opii parum, aut ſucci papaueris,cicutæque & mandragoræ. & compoſita medicamenta fiunt.Ceratum refrigerans:Cera quæ &c. Et pòſt, Itémque inflammationibus pudendorum incipientibus priuſquam depaſcens,&c.

Cap. LI,Legendum,Non tamen abſolutè in ſingulis hominibus &c.

In librum octauum.

Capite xxvii,Legendum eſt,Nonnulla autem medicamenta,quum excrementis totum corpus vacat, achores incipientes curant.

In librum nonum.

Capite x,Legendum,Et alia omnia ex oleo copioſiore parata,& in quibus nihil auſterum & acerbum inſit. Et multo pòſt,Aut clauiculorum vitis,vel ſeminis cucumeris, vt octo trita cum aqua frigida dabis. Item, hoc quod ſequitur, conuenit,Fœniculi radicis corticis vnciæ ſex(ita enim habet V.c. & Orib. IIII. ad Eunapium capite LXXXIIII.)Aceti ſextarius vnus,aloes vnciæ tres. Et paulo pòſt eadem varietas eſt:habet enim V.c.& ibidem Oribaſius hoc modo,Quibus autẽ cibus aceſſit,hoc eſt accommodatum,Piperis drach.quatuor,ſeminis anethi &c.

Cap. xv,Legendum,Cinis vniuerſarum cochlearum aſſatarum,malicorium &c

Cap. xvi,Legendum,Tenuioris inteſtini morbus cum difficilis eſt,tum verò &c. Et ſub finem capitis, In ſenis oxymelitis cyathis pondere drachmæ vnius bibendum dato.

Cap. xvii,Legẽdum,Succus quoque lentiſci ad ſedem &c. ita enim l.v.habet,& Orib.IIII. ad Eunapiũ XCII.

Cap. xviii,Lege,Plumbúmque vſtum ſit,& ſpiſſamenta vnguentorum aperit &c.

Cap. xix,V.l.ſic habet,Ergo quum repletum corpus eſt,ſimul euacuatur,& quod &c. Et,Cum vino odorato epotus:& eupatorium,quod etiam particulæ robur &c.

Cap. xxii,Lege, Aqua inter cutem fit propter nimiam iecoris refrigerationem, vel ex frigidi ſanguinis multitudine,&c.

Cap. xxiiii,Legendum,Ammoniacum,caprillum ſtercus illitum ex poſca & farina hordeacea, albæ vitis radix epota,& foris cum ficubus applicita.

Cap. xxv,Lege,Renibus natura comparatum eſt vt ſeroſum excrementum tenuiſſimo ſanguini in venis commixtum in ſe trahant. Et,Deinde ſi renes magis ignea acrioréque &c. Et, Lapillorúmque tofaceorum formam concreſcere. Et,Præſertim nigrum:ceraſi arboris & pruni gummi, cyperi radix, paliuri fructus, tribuli fructus &c.

Cap. xxvii,Lege,Quorum renes abſceſſus infeſtat,quo concocto pus per vrinas excretum &c.

Cap. xlix,Lege,Roboris pars quæ ſub cortice trunci membranoſa eſt,quod &c.

Hæc ſunt,optime Maſſati,quæ vetuſti codicis ope adiutus adnotanda exiſtimaui:
ſique vnquam alius melior ad manus meas perueniet, idem me
facturum polliceor:ac Deus faxit vt quod cupio,
præſtare cumulatè poſſim.

SEXTI PHILOSOPHI PLATONICI liber De medicina ex animalibus,

Gabriele Humelbergio Rauenſpurgenſi medico interprete.

NOBILI ATQVE PRAECLARO VIRO D. GEORgio Hermanno, Ferdinandi regis à conſilio, Gabriel Humelbergius, Rauenſpurgenſis medicus, S. D.

QVVM ſemper ſumma laude dignos iudicarim eos qui iuuandi mortales ſtudio in propagandis literis, & è tenebris eruendis atque à ſitu uindicandis uetuſtis ſcriptoribus uerſantur, uir ornatiſſime, hinc etiam laudis quid mihi acceſſurum putaui, ſi idem aliquando præſtare poſſem. Cuius ergò, quum mihi ſit antiquus autor, ante hac (quod ſciã) nuſquam impreſſus, operæpretium duxi eum in lucem dare & omnium lectioni exponere: idque etiã eo potiſſimum animo, nequem animalium in medendo diutius lateret poteſtas. Eſt enim de animalium & eorundem partium membrorúmque contra uaria morborum humani corporis genera medicinis & curationibus liber humanæ ſaluti perquam utilis, & lectu non iniucundus, à Sexto philoſopho Platonico conſcriptus. Cuius ſententias & medicinas ſæpiuſcule citant uiri doctiſſimi, & imprimis Petrus Hiſpanus, qui poſtea ad Chriſtianæ reipublicæ gubernacula euectus, ſub Ioannis XXI nomine ſummum geſſit pontificatum, idque in libello quem Theſaurum pauperum inſcripſit. Nec illum ſilẽtio præterijt in Chirurgia ſua, ſed frequentius teſtimonio eius utitur clariſſimus æui ſui chirurgus, Petrus Largilata, cuius autoritate Sextum Platonicum, ſcripſimus, non Placitum, uti perperam exemplar noſtrum habet. is enim ſemper ſub Platonici nomine ipſum citat, nec malè. Fuit nanque Platonicus philoſophus, Plutarchi ex ſorore nepos, qui in Adriani & M. Antonini impp. tempora incidit, ut chronographi & hiſtorici teſtantur. Nam ut in Chronicis ait Euſebius, Plutarchus Chæroneus & Sextus philoſophi inſignes habentur Adriani principatu. Hũc etiam audiuit M. Antoninus, uti Iulius Capitolinus ſcribit his uerbis, Audiuit & Sextum philoſophum Chæronẽſem, Plutarchi nepotem. E quorum progenie originẽ trahere laudi ſibi ducit Apuleius ille Madaurẽſis in Aſino aureo, ubi ait, Fabulã Græcanicam incipimus, lector intende. Lætabaris Theſſaliam. Nam & illic originis maternæ noſtræ fundamenta à Plutarcho illo inclyto, ac mox Sexto philoſopho nepote eius prodita, gloriam nobis faciunt. Huius itaque Sexti de animalium medicina librum ab innumeris quibus ſcatebat mendis, non ſine labore repurgatum, adiunctis ſcholijs noſtris, quo magis ad ſe lectorem alliciat, tibi bonarum artium ſtudioſo, naturaliúmque rerum ac medicinæ diligentiſſimo, nominatim dedico, tum quo ſic meam in te obſeruantiam teſter, tum quo te patrono ab inuidorũ liuore tutior in publicum prodeat. Nec dubito quin tui nominis auſpicio felicius in hominum manus exiturus ſit. Quare ad te uenientem candido animo & libenter ſuſcipe, ac contra uitilitigatores, qui nihil non calumniari ſolent, in lucem prodeuntem tueare, ut pote tibi dicatum, iámque tuum nõ meum. Neque timeo ne hunc, quòd perpuſillus ſit mole, aſpernas, ſed quãtuluſcunque eſt, ſummopere tibi placere ſinas, ut qui aliâs etiã ob innatam humanitatem tuam cunctá boni conſulere ſoles. Bene uale uir clariſſime ac integerrime: atque me, quod facis, ſinceriter amato. Iſinæ, VI. calendas Aprilis. Anno ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, M. D. XXXVIIII.

SEXTI PHILOSOPHI PLATONICI liber De medicina ex animalibus,

Gabriele Humelbergio, Rauenſpurgenſi medico, interprete.

DE CERVO. Cap. I.

Ad omnes humores.

Ceruinum cornu habet vim omnes humores ſiccandi: & ideo ex eo in collyriis ocularibus vtuntur.

Ad dentes mobiles.

Cornu cerui combuſtum dentes qui mouentur confirmat, ſi eo pro dentitricio quis vtatur.

Ad capitis dolorem.

Cornu cerui in cinerem redactum: exinde drachmam vnam cum vini cyatho vno & aquæ cyathis duobus da: bibat.

Ad morbum regium.

Eodem modo vt ſuprà potui dabis: miraberis bonum effectum.

Ad ventris ſolutionem & dolorem.

Eodem modo vt ſuprà, fluxum omnem cohibet & dolorem ſedat.

Ad profluuium mulieris.

Cornu ceruinum combuſtum & molliſſimè contritum cum vino bibat: ſanabitur.

Ad lumbricos necandos.

Ceruinum cornu combuſtum datum in vino vel a- A qua calida: lumbricos necat & eiicit.

Ad ſerpentes effugandos.

Cornu ceruinum combure vbi fuerint ſerpentes, & fugabuntur.

Ad ſuffocationem mulieris,

Mulier ſi ſuffocatur à vulua (*quod nequiſſimum uitium Græcè ὑστερικὴ πνίξ dicitur*) puluerem ex ceruino cornu per triduũ cum vino bibat: ſi febricitat, in aqua calida. miraberis effectum.

Ad ſplenis dolorem.

B Cornu ceruinum combuſtum ex oxymelle detur potui, & ſplenem ſiccat, & dolorem tollit.

Ad impetigines ſanandas.

Cornu ceruinum combuſtum cum aceto tritum, mirificè ſanat.

Ad lentigines de facie tollendas.

Cornu ceruino combuſto in ſole faciem line: & deterſa ſubinde, renoua, & hoc in ortu ſolis facies: mirè ſanat.

Ad intertriginum dolores.

Cornu ceruinum combuſtum ad drachmas tres, adiecta ſpuma argẽti duarum drachmarum, & ceroto ma- C cerato mixtum, intertrigines dolentes mirè ſanat.

Ad inguina quæ exurgunt.

Patellam ceruinam, hoc eſt genuinum, ſi tecũ habeas,

non ſurgunt inguina,& quæ antè ſurrexerunt, eadem tacta redeunt.

Ad ſerpentium morſus.

Naturæ cerui ſiccatæ & corraſæ ſi drachmam vnam in ſorbitione oui potaueris,omnis morſus ſerpentis apud te innocuus fiet,& idem potus viperarum morſus efficaciſſimè curat.

Ad aborſum.

Ex pilis ceruinis ſuffumigabis,& mulier ſanabitur.

Ad idem.

Lapis qui in vulua aut ventriculo cerui inuenitur, phylacterium eſt prægnanti,& perficit vt partum perferat,eóque ratio colligit velociſſimum eſſe illud animal, nec tamen aborſum facere.Simili ratione oſſicula inueniuntur in corde cerui aut in vulua eius,quæ idem præſtant.

Vt mulier non concipiat.

Eadem oſſa in brachio ſuſpenſa efficiunt ne mulier concipiat.

Ad inteſtinorum dolorem,& ſi tormina fuerint.

Medulla ceruina in aqua calida potui data,mirè ſanat.

Ad ſerpentes fugandos.

Medullam ceruinam incenſam tecum habens cum eadem ſuffumiga locum in quo es,& effugat ſerpentes.

Ad perniones.

Sepum ceruinum combuſtum ſimul cum oſtrea teſta minuta commixta,& factum quaſi malagma,impone:mirè ſanat.

Ad concubitum excitandum.

Ceruini teſticuli ſicci aliquam partem potato: concubitum excitat,vt ſit cum voluptate veneris.

Vt ſerpens non accedat ad hominem.

In ceruina pelle ſi iacueris,nullus ad hominem ſerpēs accedit.

DE LEPORE. Cap. II.

Ad tremores membrorum.

LEporis cerebrum ex vino potui detur:ſanat.

Vt infantibus dentes ſine dolore creſcant.

Ex cerebro leporis cocto ſi gingiuas infanti bus defrices,ſanabuntur.

Ad oculorum dolores.

Pulmo leporis ſuperpoſitus & alligatus,dolores oculorum mirificè ſanat.

Ad perniones & pedes læſos à calciamentis.

Idem leporis pulmo contritus & illinitus,vel ſuper pedes poſitus,mirè ſanat.

Ad quartanas.

Leporis iuuenis cor ſublatum & quartanariis collo vel brachio ſuſpenſum, liberat, ſi ſub acceſſione eius pendeat.

Ad caducos.

Leporis cor ſiccum deraſum cum parte tertia thuris mannæ trita ex vino albo,da bibere per dies ſeptem . liberat.Iis verò qui ſæpius cadunt, dabis diebus triginta.

Ad profluuium mulierum,& quæ ſanguinem reiiciunt,& eas quæ poſt partū locis laborāt.

Leporis cor ſiccum raſum ex aqua calida, potui dato ieiunis cum Samia terra mulieribus profluuio laborantibus.ſanabuntur. Remedium eſt eis etiam quæ ſanguinem excreant,& locis laborant.

Ad caliginem oculorum.

Leporis fel cum melle mixtum & inunctum, oculos clarificat.

Ad eos qui vertiginem patiuntur.

Fel leporis ſimul & iecinora muſtelæ commixta ad drachmas tres,caſtorei drachmam vnam, myrrhæ drachmas quatuor ex aceto:drachmam vnam ex melle aut paſſo bibant:ſanabuntur.

Ad calculoſos.

Leporis renes ſiccos in ſole coctos deraſos in potione dato mirè ſanant.

Ad araneorum morſus.

Renes leporis & fulicæ eius beſtiæ, qui ab araneis laborat,ſi crudos deglutiat,ſanabitur: morſis etiam cocti dentur.

Ad capillos defluentes.

Leporis ventriculum coctum in ſartagine admixto oleo myrtino impone capiti:capillos fluentes continet & cogit creſcere.

Vt mulier maſculum concipiat & pariat.

Leporis vuluam ſiccam deraſam in potione vini bibant vtrique & mulier & maſculus. nā ſi mulier ſola biberit,androgyne naſcitur,hoc eſt nec maſculus nec fœmina.Item leporis teſticulum poſt purgationem ſuam mulier ſi cum vino contritum accipiat, maſculum pariet.Leporis coagulum ad drachmas quatuor in potione datum vini,fœminæ de fœmineo,& maſculo de maſculino:& mox faciant coitum,& pòſt abſtineant ſe:ſtatim concipit.Etiam pro cibo omnibus vtatur,& balneo vnctionibuſque vtatur.mirè concipit.

Vt mulier concipiat fœminam.

Lepus incidatur & de ſanguine qui à vulua fluxerit, illiniat ſibi naturam,& de coagulo eius.

Ad aurium dolorem.

Leporis coagulum auriculæ infunditur.

Ad ſcorpionum & ſerpentium morſus.

Leporis coagulum cum vino potui datum, aduerſus venena reſiſtit & diſcutit.

Ad infantium ventris fluxum.

Leporis coagulum illinitum in ſumine mulieris: ſed & puero dabitur bibere,ſi ſine febricula fuerit cum vino:febricitanti verò,cum aqua calida.Idem facit & maioribus cum puluere gallæ.

Ad ventris dolorem.

Talum leporis tolle,& ligato ad ventrem.mirè ſanat.

Ad cœliacos.

Iecur leporis coctum manducet:ſanabitur.item ſi auſtero vino intingat,idem facit.

Ad calculos expellendos.

Leporis ſanguinem & pellem totam in olla cruda combures,vt in cinerem conuertatur: & in aqua calida potui dabis cochlearium vnum ieiuno, mox deliqueſcet lapis,& eiicietur foras. hoc experimentum noſipſi fecimus.ne dubites.Hoc facies experimentum : Mittes in aquam cochlearium pulueris, illuc pones lapidem qualem volueris. ſtatim deliqueſcet, vt mireris virtutem.

Ad lentiginem in facie.

Leporis ſanguis lentigines de facie purgat perunctus.

DE VVLPE. Cap. III.

Mulieribus quæ à locis ſuffocationem patiuntur.

ARticuli membri vulpis in oleo veteri vnà cum bitumine cocti & pro peſſo ſuppoſiti,ſanant.

Ad alopecias.

Simili modo vt ſuprà illinito capiti.ſanat.

Ad aurium dolorem.

Vt ſuprà inſtillato in aures. dolorem tollit mirificè.

Ad ſplenis dolorem.

Pulmo vulpis in cinere aſſatus & tritus in potione datus, ſplenem ſanat.Item & iecur vt ſuprà, ſplenem tollit.

Ad ſuſpirium.

Pulmo vulpis ex vino nigro vt ſuprà potui datus, mirè ſanat.

Ad caducos.

Cerebrum vulpis infantibus ſæpe datum,facit vt nūquam ſint caduci.

Ad parotidas.

Teſticulo vulpis ſæpius parotidas confricato, diſſoluit eas.

Ad inguinum dolorem. A

Teſticulo vulpis ſi ſæpius inguina confricaueris,citò ſanat.

Ad faucium tumorem.

Rene vulpis in melle ſæpius fauces tumentes confrica.

Ad capitis dolorem.

Natura vulpis circumdata capiti, dolorem ſtatim tollit.

Ad irritamentum concubitus.

Vulpis caudam ſummam ad brachium ſuſpenſam, B irritamentum eſſe ad concubitum dicimus.

Ad morbum articulorum.

Vulpis viua in amplo vaſe decocta donec oſſa relinquat,mirè ſanat,ſi ſæpius in aquam in vaſe quis deſcenderit. Idem præſtat oleũ vbi decocta fuerit: ſi quis hoc aut illo modo vult,vtatur.

Ad aurium dolorem.

Fel vulpis ſi in aurem cum oleo ſtillatur,ſanat.

Ad caliginem oculorum.

Fel vulpis cum melle Attico commixtum & oculis C inunctum,caliginem mirabiliter tollit.

Ad aurium dolorem.

Adeps vulpis remiſſus & inſtillatus ſanat.

Ad podagram.

De vulpina pelle interior pars calciamentorum fiat, & podagrici vtantur,leuiorem inceſſum habebunt.

DE CAPREA. Cap. IIII.

Ad oculorum dolorem.

Iecur capreæ contritum ex vino bibat cum aqua calida in feruore:ſanabitur. D

Ad eos qui ab hora decima non vident.

Iecur capreæ in aqua calida ſalſa coquatur,& eius vaporem oculi excipiat,& ex eadem aqua oculos foueat. ſed & iecur edant,& ex liquefacto inungantur. Quidã iecur eius aſſant in craticula, & fluẽtem ſaporem colligunt,& ex eo inunguntur. Quidam coctum vel aſſum iecur capreæ cum pane edunt,& idem bibunt.

Ad ſanguinem fluentem.

Capreæ iecur combuſtũ & aſperſum,ſanguinẽ ſiſtit.

Ad ſanguinem de naribus profluentem. E

Capreæ iecur contritum & ex aceto in naribus offul tum,ſanguinem mirè ſiſtit.

Ad caliginem oculorum.

Fel capreæ cum melle Attico mixtum inunges.caliginem potenter diſcutit,& claritatem præſtat.

Ad faucium dolorem.

Simili modo vt ſuprà de eodem melle cum capreæ felle fauces tange:ſanat miré.

Ad omnia vitia quæ in faucibus naſcuntur. F

Capreæ fel cum melle Attico,adiecta myrrha, croco & pipere æquis ponderibus,coques in vino donec contrahatur, & ex eo fauces quotidie tanges, donec ſanæ fiant.

Ad caliginem oculorum.

Fel capreæ drachma vna & modicum vini cum melle vt poſſit teri,inunges: ſanantur.Idem facit & ad cicatricem,& argemata,& nephelion,& glaucomata,& pterygia,ſi ex eo felle inungantur.Item ex eo felle inũgã- G tur palpebræ cum oleris ſucco,extractos pilos non ſinit renaſci. Facit & ad ruptiones ex ictu tunicularum cum lacte mulieris tepido.Hoc autem fel quanto vetuſtius fuerit,tanto melius erit.

Ad vſtionem ſolis in facie.

Fel capreæ cum aqua mixtum,illitum in faciem à ſole vſtam,ſanat.

Ad lentigines in facie.

Fel capreæ ſeruatum illitum lentigines de facie purgat,& omnes maculas extenuat.Item cum melle & ni- H tro commixto & ſpongia combuſta & ſulphure viuo ad mellis craſſitudinem redactum,& in faciem illitum, emendat.

Ad tinnitum & ſonum auricularum.

Fel capreæ cum roſaceo aut ſucco porri tere, & tepefactum auribus inſtillato:ſanat.

Ad dentium dolorem.

Fel capreæ cum roſaceo vt ſuprà, dentiũ dolorẽ ſanat.

Ad ventrem ſoluendum.

Fel capreæ ſuppoſitum ano cum ſucco cyclaminis herbæ,& alumine aliquantulum aut anetho combuſtũ induito:caue ne hæmorrhoidas habeat.

Ad veretri exulcerationem.

Fel capreæ mixtum cum melle aut ſucco rubi appoſitum,mirè ſanat.

Ad maculas de facie tollendas.

Capreæ fel drachmã vnã,farinæ lupini & mellis drachmas quatuor commiſcebis in vnum, & exinde faciẽ linies,& limpidam faciem efficiet.

Ne infans phantaſma incurrat aut caducus fiat.

Capreæ cerebrum per annulum aureum traiectum ſi dederis infanti ad glutiendum antequam lac ſugat, efficit vt nec caducus fiat nec phantaſma incurrat.

Ad torminoſas.

Splen capreæ potatum,mirè ſanat.

Ad labiorum fiſſuras.

Sepum capreæ & adipem anſerinum & medullam cerui,& cepe cum reſina ſimul & calce viua, fac vt malagma:mirè ſanant.

DE CAPRO ET CAPRA.

Cap. V.

Ad ſacrum ignem.

Cornu caprinum in flamma vſtulato, & cruſtas quæ exurgunt excuties in vas nouum donec conſũmatur: deinde conteres cum aceto ſquillitico,& illinies ſacrum ignem:mirificè ſanabitur.

Ad ſomnum.

Cornu caprinum capiti infirmi qui non dormit ſuppoſitum vigilias in ſomnum conuertit.

Ad ſerpentis morſum.

Puluerem de cornu capræ & eius lac cum origano & cum vini cyathis tribus bibat:venenum excutit.

Ad ventris fluxum.

Cornu capræ raſum in mel mixtum & piſatum medicatum ventris fluxum reprimit.

Ad pediculoſos.

Simili modo vt ſuprà & aqua quæ è capræ palato effunditur,& quicquid comedit,miſceatur cum melle & ſale,& ex eo caput & corpus ſerò fricetur.

Ad ventris dolorem & adſtrictionem.

Idem & ad ventris dolorem.ſed & ventrem ſtrictum ſoluit:& ſi plus biberit,purgat.

Ad furfures & ſcabiem in capite.

Cornu capri combure,& mixta farina impoſitum,emendat.

Ad capillos fluentes.

Capræ cornu furfure mixto cum oleo myrtino, capillos fluentes retinet & creſcere facit.

Ad inguinum dolorem.

Ex pilis capri fumigabis eum qui in inguine dolet: ſanabitur.

Ad lethargicos.

Caprini pili vſti cum aceto in naribus appoſiti, lethargicos excitant,pice admixta.

Ad ſanguiuem de naribus profluentem.

Caprini pili vſti cum aceto mixti, ſanguinem de naribus fluentem reprimunt.

Ad feruorem vel punctionem oculorum,capitis & pedum dolorem.

Caſeus caprinus recens oculis ſuperpoſitus mirè ſubuenit.Item ſimili modo capiti dolenti ſuperpone.Sic & pedum dolorem medicare.

Ad humores.

Sanguis capræ potus remediat.

Ad ſanguinem de naribus profluentem.

Cui fluit ſanguis fricetur ſanguine capri:& reprimet.

Ad torminoſos.

Sanguis capri cum reſina & polline mixtus & ventri ſuperpoſitus,ſanat.

Ad vngues leproſos.

Ex ſepo caprino admixta ſandaracha cerotum ſuperpoſitum ſine tormento ſanat.

Ad hydropicos.

Capræ ſepum in ſorbitium miſſum : ſed ſuperbibat aquam frigidam. ſorbeat ſimul & lotium capræ: mirificè ſanat.Item hircinum lotium,ſi heminam biberit,& ſpica nardi & ebulum,quum aruerit.Melius eſt lotium, ſi idem paſti fuerint.

Ad aurium dolorem.

Lotium capræ miſſum in aures,dolorem ſedat: ſi cũ mulſo miſceatur:ſi pus habet,eiiciet.

Ad menſtrua prouocanda.

Lotium capræ mulier ſi bibat,menſtrua prouocat.

Ad ſtirpes corpori inhærentes.

Stercus capri ex vino conſperſum impoſitúmque, quod inhærebit,extrahet & ſanabit. Coagulum cuiuſlibet, oppoſitum eiiciet,vt poſſis comprehenſum eximere.

Ad parotidas & articulorum dolorem.

Capræ ſtercus cum melle commixtum mirè ſanat. Item articuli cum eodem perunƈti, ſanãtur.

Ad femorum dolorem.

Genuinum capræ ſi ſtercori commiſceas & factum quaſi malagma,femora perunge:mirè ſanat.

Ad morbum articulorum.

Stercus capræ cum acerrimo aceto mixtum ſanat.

Ad canceroſos & luxos atque tumores.

Stercus capræ cum melle mixtum ſanat appoſitum. Item luxum & tumores diſcutit,& non patitur iterum conſurgere.

Ad neruorum contractionem.

Stercus capræ mixtum cum aceto & ſuperlinitum ſanat & confirmat.

Ad carbunculos.

Stercus capræ cum melle commixtum & ſuperpoſitum,carbunculos qui in ventre naſcuntur, diſcutit.

Ad colicos.

Caprinum ſtercus pro fomento impoſitum colicis prodeſſe dicimus.

Ad tumores.

Caprinum ſtercus impoſitum non patitur conſurgere tumorem.

Ad ſecundas eiiciendas.

Capræ ſecunda ex vino pota mulierum ſecundas eiiciet.

Ad inteſtina inciſa.

Caprinum caput cum pilis decoctum & contritum inciſa inteſtina ſolidat.

Ad quartanas.

Capræ lac quod primùm mulgetur,leuiores facit acceſſiones,ſi illud editur aut ex dulci bibatur.

Ad motionem dentium.

Capræ lac mulgeat & dentes colluat.ſæpius faciat.

Si quis cantharides biberit.

Capræ lac bibat:liberabitur.

Ad eos quibus ſemen fluit,& non potentibus,& aquoſum eſt,vnde efficit vt fœmina nõ concipiat.

Caprinum lac cum melle potum, remedium eſt & valde optimum vt concipiat.

Ad hydropicos.

E caprino lacte adiecto coagulo, vt ſolet caſeus fieri, potus datus hydropicis:elabuntur.

Ad caducos.

Caprina caro quæ ſuper focum vel rogum hominis mortui aſſatur,ſumpta,caducis remedium eſt. At ſi caducus verè caducus eſt,caprinum cornu aduſtum naribus ſi ſumpſerit,mox cadet.

DE ARIETE. Cap. VI.

Ad tertianas.

Arietis de capite lanam,à coxis & à teſticulis, paſſim ſuſpendas:perfectè diſcutit tertianas.

Ad locorum dolorem.

Lana eiuſdẽ nigra intecta in aqua, deinde in oleo, & ſuppoſita locis,dolorem tollit,& ſuffumigata,antè pro lapſam vuluam reprimit.

B Ad clauiculos.

Liquoris arietis quem de pulmone concoques,ſtillæ ſuperpoſita clauiculos qui in manibus naſcuntur aut in veretro,illita tollit.

Ad liuores & ſuggillationes.

Pulmo arietis conciſus minutatim & impoſitus, ſtatim ſanat,& nigras cicatrices ad candorem perducit, & à calciamentis læſos pedes ſanat.

Ad ſcabiem.

Sepo arietis ſcabiẽ vnge admixta ſandaracha & ſubinde rade. hoc & ad perniones facit, ſed cum alumine mixtum.

C

Ad morbum regium.

Arietis ſordes quas inter femora habet,cum ariſtolochia & myrrha æquis partibus potato.ad regiũ morbum optimè facit.

Ad caducos.

Arietis teſticuli oboli tres potati cum aqua medentur.

DE APRO. Cap. VII.

D Ad omnes dolores.

Cerebrum apri coctum & potatũ cum vino omnes dolores ſedat.

Ad carbunculos & dolores veretri.

Apri cerebrum coctum cõtritum ex melle & impoſitum:mirè ſanat.

Ad ſerpentium morſus.

Idem & ad ſerpentium morſum valet.

Ad pedes exulceratos à calciamentis.

E Apri pulmonem cum melle commixtum vt malagma ſuperpone pedibus à calciamentis læſis & exulceratis:ſanabuntur.

Ad ventris fluxum.

Iecur apri recens ex vino potatum,mirè reſtringit.

Ad aures purulentas.

Idem & auribus purulentis inſtillatum proficit.

Ad caducos.

Teſticulos apri ex vino vel aqua potato,& curaberis.

Ad vomitum & ſomnum.

F Spuma apri cum adipe in heminis tribus ad tertias excocta:& data ſanabit.

Ad ſtranguriam & veſicæ dolorem.

Veſica apri cum lotio infuſo ſi ſuſpenſa & paſſa fuerit donec aquaticus humor effluat, & diſcoctam dederis manducare iis qui patiuntur,mirè ſanantur.

Ad vrinæ incontinentiam.

Veſicam apri aſſatam da ad manducandum, & curantur.

Ad caducos.

G Lotium apri cum oxymelite bibat, & remedium capiet.

Ad aures minus audientes.

Apri lotium in vitreo repoſitum tepefactum auribus inſtillatum perfectè medetur.

Ad coxendicos.

Stercus agreſtis apri & ſulphur colatum & hemina vini picati potata,coxendices emendat.

DE LVPO. Cap. VIII.

Ad eos qui phantaſma patiuntur.

H Lupi carnem conditam & decoctam qui ediderit, à dæmonibus vel vmbris quæ per phantaſmata apparent,non tantum inquietabitur. Item adeps eius cum ſuo felle non minorem efficaciam habet quàm caninus.

Ad ſomnum. A

Caput lupi ſupponito ſub puluino:& dormiet æger.

Ne lupus noceat.

Lupus cuius prior veſtigia proſpexeris, tibi nocere non poterit: ſed ſi ille te antè notauerit, caudæ ſummã partem ſi habueris tecum, ſine metu iter conficies.

Ad quotidianas febres.

Oculus dexter lupi alligatus febres diſcutit.

Ad glaucomata.

Hoc facies & ad glaucomata, Si dexter oculus laborat, ad dextrum oculum: ſi ſiniſter, ad ſiniſtrum confricatus & illitus glaucomata extenuat, & tollit ſtigma:& linitur ſi ante punctum fuerit. B

DE CANE. Cap. IX.

Ad ſplenem.

SPlen canis in vino potatus, ſanat. Quidam inciſum fiſſumque catulum ſupra ſplenem ponunt.

Ad contrarios pilos.

Lac caninum euulſos pilos non patitur recreſcere, ſi locum ſtatim linieris vnde ſublati ſunt. Ex canino lotio defluunt. C

Ad mulieres quæ mortuum in vtero habent.

Lac canis eiiciet mortuum ſi continuè biberit cum melle & vino pari menſura.

Ad dentes infantum.

Lacte canino ſi aſſiduè infantibus gingiuas tangas, dentes eis ſine dolore creſcunt.

Vt pili non creſcant & decidant.

Lac caninum & lacryma hederæ & lac tithymalli in vino mixtum, euulſos pilos non ſinit creſcere ſi mox linieris locum. D

Ad callos & verrucas tollendas.

Lotium caninum lutum factum in lana collectum, mirè ſanat, & callos & verrucas tollit.

Ad eos qui minus audiunt.

Adipem caninum cum abſinthii ſucco & oleo veteri moderatè inſtillato in aures: ſurdos emendat.

Ad morſus rabidi canis.

Vermes qui ſub lingua rabidi canis inueniuntur exciſos & circũ arborem ſterilem ter latos & datos, qui ab eo morſus fuerit, ſanabitur. F

Ad caducos.

Stercus canis album potatum ex cineris lixiuio, caducos mirè ſanat.

Ad tineas infantum.

Stercus canis combuſtum & cum melle illitum tineas tollit.

Ad rhagades ani.

Stercus canis cum roſaceo tritum & impoſitum ſtatim ſanat.

Ad hydropicos.

Stercus canis ſiccum & in potionẽ aſperſum, hydropicos ſanat. Item vomitum canis hydropico ſuper ventrem pone, ſtatim incipit per ſeceſſum aquã emittere.

Ad omnem dolorem.

Adhuc non videntem catellum ſi edas, nullũ ſenties dolorem.

Ad torminoſos.

Sanguinem canis bibant: mirè ſanantur.

Ad tumores teſticulorum.

Caluaria canis trita & impoſita, mire ſanat.

Ad morbum regium.

Rabidi canis caput contuſum & commixtum cum vino potatum mirè ſanat.

Ad vulnera canceroſa.

Non rabidi canis caput combuſtum, & idem cinis in canceroſa vulnera aſperſus, ſanat.

Ad pterygia in digitis.

Idem cinis appoſitus pterygia quæ naſcuntur in digitis, vrit, & cicatrices tollit.

Ad ficum in ano & rhagades.

Idem cinis ficus qui in ano naſcuntur aſperſus ſanat, & rhagades & omnem ſpurcitiam.

Ad rabidi canis morſus.

Idem cinis eos qui à cane rabido morſi fuerint, perſanat.

Ad idem.

Caput rabidi canis & iecur coctum dato ei qui morſus fuerit, ſanat. Vermiculus canis mortui in collo ſuſpẽſus facit vt ſuprà.

Ad fracturam.

Cerebrum canis illitum & in lana impoſitum:& ſubinde ſuffundatur fracturis: dieb⁹ quatuordecim ſolidat. Fractura autem debet ſolida alligatione vti.

Ad glaucomata oculorum.

Caluaria canis findit. Et ſi dexter oculus glaucoma te laborat, in dexteriorem partem ſpicella demittitur: ſin ſiniſter, ſiniſtram.

Ad dentium dolorem.

Dentem canis combure & cinerem eius in vini hemina decoque & ex eo gargarizet:& ſanabitur.

Ad tumores gingiuarum.

Dens canis combuſtus & tritus impoſitus gingiuas ſanat.

Vt dentes ſine dolore creſcant.

Dens canis combuſtus & cum melle tritus, gingiuas reprimit.

Ne canes ſint moleſti.

Cor canis ſiquis ſecum habuerit, canes ei moleſti nõ erunt.

Ad hydropicos.

Canis rabidi id quod ſub lingua habet acceptum & potatum cum aqua calida vel ex vino, mirificè ſanat.

DE LEONE. Cap. X.

Ad eos qui phantaſma patiuntur.

CArnes leonis decoctas manducent, & phantaſma non patientur.

Ad aurium dolorem.

Leonis adipem remiſſum auribus inſtillato: à dolore liberat.

Ad omnem dolorem.

Adeps leonis remiſſus ſtatim inunctus omnem dolorem ſedat.

Ad neruorum & geniculorum dolorem.

Adipem leonis cum medulla ceruina & lactuca teres & commiſces: tum demũ perunges corpus: ſanabitur.

Vt à beſtiis tutus ſis.

Leonis ſanguine ſiquis corpus ſuũ lini erit, ab omnibus beſtiis erit tutus.

DE TAVRO. Cap. XI.

Ad ſerpentes fugandos.

TAuri cornu combures eo loco vbi ſerpẽtes fuerint, & ſtatim fugient.

Ad maculas de facie tollendas.

Sanguis tauri illitus, omnes maculas de facie tollit.

Ad ſuffuſionem vel caliginẽ oculorum.

Fel taurinum cum mulſo & melle Attico inunges.& ſanat.

Ad ventrem ſoluendum.

Fel taurinum in lana collectum & ſuppoſitum ano, ventrem ſoluit. Idem facit & infantibus ſuper vmbilicum poſitum, & lumbricos proiicit.

Ad aurium dolorem.

Fel taurinum mulſo infuſum & auribus inſtillatum, ſanat.

Ad lentigines in facie.

Fel tauri in faciem illitum, lentigines purgat.

Ad morſum ſimiæ.

Fel tauri illitum ſuper morſum, perſanat.

Ad omnem duritiam.

Sepum tauri cum reſina & creta Cimolia impone: omnem duritiam diſcutit.

Ad torminoſos.

Medulla tauri in vino trita & potata, emendat.

Ad omnes dolores.

Fimus tauri cum aqua calida potatus ſanat.

Ad alopecias.

Fimum tauri calidum imponito alopeciis.